Fc - c - 1 / 5

BIBLIOTECA NAZIONALE DI TORINO
Fc.
C 5
1
Filol. Comp. Class.

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE

THEOLOGIA GENTILI, ET PHYSIOLOGIA CHRISTIANA;

SIVE

DE ORIGINE AC PROGRESSU

IDOLOLATRIÆ;

DEQUE NATURÆ MIRANDIS,

QUIBUS

HOMO ADDUCITUR AD DEUM,

LIBRI IX.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & J. BLAEV,

Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,

à SOMEREN, & GOETHALS.

MDCC.

ILLUSTRISSIMO
ET
EXCELLENTISSIMO
DOMINO,
D. JO. BAPT. COLBERTO,
REGI CHRISTIANISSIMO
A SANCTIORIBUS
CONSILIIS,
SUMMOQUE
ÆRARII GALLIARUM
MODERATORI PRUDENTISSIMO
INTEGERRIMOQUE.

INter complura monumenta, quæ parens meus poſteritati reliquit, & argumenti præſtantia, & rerum copia, nullum fere eſt quod impenſius placuerit eo opere, quod de ortu & progreſſu idololatriæ apud paganos conſcripſit. Huic tamen labori ſuprema non acceſſit manus, quæ ſane non defuiſſet ſi diuturnioris vitæ beneficio ad pleniorem potuiſſet perduci perfectionem. Jacuit itaque per multos annos ſcriptum hoc inchoatum potius quam abſolutum, ac nunc demum, quoad fieri potuit, integrum ſub illuſtriſſimi nominis tui tutela in lucem prodire audet, à Te ſperans ſplendorem, quem ut à ſcriptore acciperet non permiſit lex avara fatorum. Quod ſi reprehendi non debeat antiquus & receptus paſſim literatorum mos conſecrandi labores ſuos viris principibus & in magna auctoritate conſtitutis, utique tunc maxime probanda fuerit hæc conſuetudo, ſi ſublatis è vita ſcriptoribus, patronis nempe legitimis, orba illorum ſcripta alieno videantur egere patrocinio. Licet vero nulla privata me ob-

ſtringerent beneficia ut hunc librum Tibi potiſſimum inſcriberem, Illuſtriſſime Domine, ipſa tamen ratio & æquitas non permitterent paternas iſtas lucubrationes alteri quam Tibi conſecrari. Tua Te virtus tuaque merita eo extulere culminis, ut quidquid uſquam in literis præclarum habeatur, ad Te velut ſupremum muſarum præſidem certatim confluat, deſpectumque ſit omne id quod favoris & gratiæ tuæ aura fuerit deſtitutum. Illa eſt quæ etiam in extremis terrarum conſtitutos angulis ad benè de literis merendum excitat & accendit, vixque eſt aliquis eorum qui humaniores excolunt diſciplinas, qui ſummis laudibus & in cælum non extollat admirabilem illam magni Monarchæ prudentiam, quod Te præcipue ſuæ erga eruditos munificentiæ diſpenſatorem elegerit, ne nempe temere collata liberalitas fraudi ſit bene merentibus, amplitudinemque beneficii minuat aut infuſcet perſonarum indignitas. Tuo itaque ductu tuiſque auſpiciis adeo ubique reviviſcunt literarum ſtudia, ut ſi diuturnam modo rector univerſi vitam tibi conceſſerit, nulla propemodum ſit futura ſcientia quæ ad ſupremam non poſſit perduci abſolutionem, habiturumque ſit hoc ſeculum, quo omnium anteactorum memoriam provocare & obruere valeat. Nec literatæ tantum, ſed & quælibet aliæ artes Tuis imprimis conſiliis vigiliiſque ita revireſcunt, ut ſi quid uſquam terrarum laude dignum occurrat, id ipſum quoque, ne Galliæ deſit, efficias. Ædificia qua Regia, qua publica, eo adſurgunt magnificentiæ, ut ſplendore ſuo non hodiernis tantum, ſed & antiquis quibuſvis Græcorum Romanorumque ſtructuris poſſint creare invidiam. Artes quæſtuariæ & quotquot manuum labore peraguntur opera, adeo feliciter Te accurante promoventur, ut non Gallorum tantum, ſed & univerſi penè orbis uſibus ſufficiant, ſitque jam paſſim ſolenne, ut opificia quævis, niſi è Gallicis prodeant officinis, diſpliceant. Quid referam aſſiduam & indefeſſam tuam diligentiam in propagandis & ſtabiliendis commerciis, deſtinandiſque claſſibus ad remotiſſimas etiam terrarum oras, aut denique fidem & prudentiam in adminiſtrandis fiſci & ærarii publici rationibus, cum in ſingulis talem te præſtes, ut præter laudem & univerſalem approbationem, nullum ex omnibus ad Te redeat emolumentum, ac ſi non Tibi, ſed Regi & Regno viveres, & beneficia promerentibus largiri, id demum eſſet beneficia accipere. Hæ Tuæ virtutes cum tanta animi moderatione conjunctæ, illud jam pridem effecere, ut non

modo

modo Regum maximus incredibili amore & benevolentia Te proſequatur & velut ſingulare obſervantiæ & fidelitatis exemplum ſuſpiciat; ſed ut etiam omnium, cujuſcunque demum ordinis & dignitatis fuerint, ſtudia & voluntates adeo vehementer in Te converteris, ut nemo ſit eorum, ad quos aliquis Tuorum meritorum ſenſus pervenerit, qui non etiam cultus & obſequii ſignificatione Tibi probari geſtiat. Ego inprimis quanto me magis obſtrictum ſentio, tanto ardentius allaborabo, ut cum Tua beneficia factis à me exæquari nequeant, grati ſaltem animi recognitione & ſempiterna ea recolam memoria.

Illuſtriſſimo & Excellentiſſimo
nomini Tuo

Hagæ cIↄ Iↄclxviii.
Kal. Jun.

dicatiſſimus

ISAACUS VOSSIUS.

ΟΙΚΟΝΟΜΙΑ

SIVE CONSPECTUS,

UNIVERSI OPERIS

DE

THEOLOGIA GENTILI,

ET

PHYSIOLOGIA CHRISTIANA.

- Cultus vel
  - Proprius
    - Subſtantiæ
      - Spiritalis: ut dæmonis aut genii: de quibus — Lib. I.
      - Corporeæ
        - Particularis
          - I. Cæleſtis, aut elementaris: de quo — Lib. II.
          - II. Meteororum, hominum, quadrupedum, avium: de quibus — Lib. III.
          - III. Piſcium, ſerpentium, inſectorum: de quibus — Lib. IV.
          - IV. Plantarum, de quibus — Lib. V.
          - V. Foſſilium, de quibus — Lib. VI.
        - Univerſalis, ſive totius mundi: } de quibus — Lib. VII.
      - Partim Spiritalis, partim corporeæ: } de quibus — Lib. VII.
    - Accidentis, ſive affectionis corporeæ: de qua — Lib. VIII.
  - Symbolicus: de quo — Lib. IX.

E re viſum locum hunc tribuere binis Præfationibus ipſius Authoris. Quarum prior quæ in prima editione immediatè præfixa erat I. & II. Libro de Theologia Gentili & Phyſiologia Chriſtiana, ſic habet:

BENEVOLO LECTORI
GER. JOAN. VOSSIUS.

HOc in opere, partim nobis ſtudium fuit, reſerare ſacraria paganicæ religionis; quod eàdem eſt illam refellere; partim pandere rerum naturam, ſuoſque ad fines referre; imprimis veri ad Numinis cultum. Nec in dubium vocârit aliquis, quin utrumque eorum, præcipuè poſteriùs quod dicebam, inſtitutum tale, in piorum juxta ac eruditorum animis, facilè ab omni vindicet contemtu. Sed ambigi video, an ad Dei cultum deducant literæ noſtræ; cùm ſæpe in nullis magis frigeat pietas, quàm qui omnem prope ætatem triviſſe in ſtudiis exiſtimantur. Sanè vetus hæc, ac gravis eſt querimonia, râram ſatis eſſe eruditionis cum ſolida pietate, & bonis moribus miſturam. In quod animorum malum longè triſtiſſimum non minori cura, quàm in morbis corporis fieri amat, inquirenti, duæ ſe potiſſimùm cauſſæ obtulerunt. Siquidem videbam, quemadmodum in agro plurimùm refert, quale ſit ſolum, & cujuſmodi ſemina committas: ſic in cultura ingeniorum ad duas præcipuè res attendi oportere: nimirum qualis ſit animus doctrinæ deſtinatus, & quibus is poſtmodò ſtudiis exerceatur. Ut de animi indole priùs loquar, conſtat illud, non paucos jam à teneris unguiculis mente eſſe malâ pravâque: qualibus, ut vel optima credamus ſemina, vix amplius proficiamus induſtriâ noſtrâ, quàm ſi frugibus ſolum obſeramus aridum, & exſuccum. Præſertim ſi ad illaudatam corporis temperiem, quam fere conſequuntur animi mores, etiam ab educatione, & domeſticis exemplis, improba acceſſerit conſuetudo; quæ & ipſa paulatim in naturam vertit. Ergo ſi ſic natus, & educatus, in ſumma etiam doctrina nequiter vixerit: accuſandus eſt animus naturâ, & educatione, à virtute averſus, ad malevolentiam & injurias, vel inhoneſtas & pernicioſas lubidines, proclivis. Studia verò doctrinarum non majori propterea jure culpanda, quàm ſeminibus bonis vertendum eſt vitio, quòd ſicco duroque in ſolo fruges proferant nullas. Atque hæc eorum ergo potiſſimùm dicta ſunto, quibus, aſſidui licet videantur in volvendis ſanctioris vitæ magiſtris (qui verè ſunt, quod bibliothecæ ſuæ inſcripſerat *a* Ægyptius rex Oſymanthuas, ψυχῆς ἰατρεῖον *b*) cor tamen pravis cupidinibus preſſum in tantam occalluit duritiem, ut monita ſalutaria nequeant agere radices: præſertim quando nec ejuſmodi illa animo legant, ut ipſi fiant meliores; ſed rei potiùs, vel gloriæ parandæ cauſſa.

a Diodorus Siculus lib. 1.
b Animæ medica Officina.

Accedit his alterum male-eruditorum genus: cui animus obtigit valde eorum docilis, ſine quibus non bene vivitur: verùm his nihilominus neglectis, ut ſua quemque voluptas trahit, ad alia potiùs ſe applicat, quæ nihil, aut parùm conferant ad bene vivendum. Ut hîc ſe res habeat, velut in ſolo culturæ idoneo; ſed cui viliora ſolùm ſemina committas. Nec enim quoſvis fructus ex quolibet ſeminio exſpectes. Quis, herbarum ſeminibus in terram conjectis, accuſet eam, quòd non legumina produxerit? Vel quis agrum inceſſat probris, ſi ubi ſeveris fabas, aut milium, non proferat frumentum? Quo jure igitur ob crebra adeò divortia pietatis, & eruditionis, ream faciunt doctrinam univerſam, ſi animus eorum, quos accuſant, aliis potiùs ſtudiis fuerit excultus, quàm iſtis, quæ recta nos ad mores ducunt honeſtos, & pietatem ipſam? Hæc veriſſimè à me dici, nemo inficias iverit, qui cogitare volet,

let, quàm multi, tanquam ad Sirenios ſcopulos, conſeneſcant in linguarum notitia, omnique literatura, vel etiam erudito illo Matheſios pulvere, aut diſſerendi diſciplina; quæ inſcitiam quidem aliquam animis detergent, ſed ſola neminem reddunt meliorem. Idem de ſoluta, ligataque eloquentia cenſendum. Aliæ certè ſunt bene dicendi, aliæ bene vivendi artes. Cùm igitur non eadem ſint doctrinarum omnium bona, non fructus idem, quiſquis ſalutaria eſſe volet ſtudia ſua, ad duo hæc præcipuè collimare debet, ut & melior, & prudentior reddatur. Ac de priori potiſſimùm laborandum: quia ſine prudentia quidem infelicem viveremus vitam in terris: ſed ſine pietate æternum miſeri foremus. Quæ cùm ita ſe habeant, nihil æquè ſcito eſt opus, quàm quibus potiſſimùm ſtudiis deducamur ad arcem illam doctrinarum, quæ jure ſuo Pietatis, ac Prudentiæ templum, nuncupatur. Eſt verò ea omnino tripartita: Naturæ ſcientia, temporum Hiſtoria, & Literæ Sacræ. Ac de Scriptura quidem in confeſſo eſt apud omnes Chriſtianos. Nec dubitandum, quin Hiſtoria ſit ſpeculum tum providentiæ divinæ omnia diſpenſantis in terris; tum humanæ prudentiæ, ſeu hominum ſingulos, ſeu tota imperia ſpectemus. Hac enim ſine ex innumeris exemplis colliguntur præcepta generalia, quæ conſtituunt diſciplinam morum, & domus, vel reipub. ordinandæ. Ut planè ſit apertum, τὴν ἱϛορίαν εἶναι φιλοσοφίαν ἐκ παραδειγμάτων *a*, ut dicebat Dionyſius Halicarnaſſenſis: *b* vel ſi propriè philoſophiæ nomine uti malumus; hiſtoriam moralis eſſe, ac civilis philoſophiæ parentem. De ſola igitur naturæ ſcientia nunc loqui eſt opus. Quam multi quidem ſpeculationem meram pro fine ultimo habere arbitrantur. Sed enim non magis id de hac ſcientia exiſtimandum; quàm diſciplinarum illis, quas proximè dicebamus. Satis verò eos refellit, quòd Deus univerſum hoc præcipuè propter nos fecit, & quos Deus fines in nobis attendit, eos hominem conſiderare par eſt. At duplex in homine propoſitus Deo finis fuit. Prior ratione hujus vitæ: puta, ut ſuppeditaret nobis, quæ idonea ſunt alendo cuique pro ætate, ac ſorte: tum autem, quæ huic vel illi morbo medeantur; quæ inſuper pro cujuſque conditione rei conducant veſtiariæ; item ædibus, vel navibus ſtruendis. Quid cætera memorem, quando & aliis in uſibus par eſt ratio? Alter finis ad alteram dirigitur vitam: nimirum, ut quatenus humana ſinit infirmitas, rationes omnium indagando pertingamus ad cauſſam principem, Deum immortalem. Hoc conſequimur conſiderando, tum potentiam tam multa, tam magna, tam varia, ex nihilo condentis: tum ſapientiam, diſponentis omnia ordine adeò concinno: tum bonitatem, ſic undique conſulentis non neceſſitati modò, ſed honeſtæ etiam voluptati. Cujuſmodi notitiâ magis magiſque accendimur ad amorem Numinis, & cultum: quò ita non illud modò adipiſcamur, ne infelices vivamus in terris; ſed etiam, ut æternùm felices ſimus. Eoque dubitare ſit nefas, quin naturam rerum ſcrutemur, non tam curioſâ multijugæ ſcientiæ cupidine; qua Malignus ille ſpiritus nos ſemper longo poſt ſe relinquet intervallo: quàm ob varios caducæ hujus vitæ uſus, & imprimis ob eam, quam dixi, pietatem in Deum; quando omnia ſic Deus fecit, ut in omnibus timeatur: quemadmodum à ſapientiſſimo Salomone *c* accepimus.

a Philoſophiam exemplarem.
b Ε'ν τέχνῃ.
c Eccleſiaſtæ 3. 14.

Tot tantaque naturæ bona magnam etiam partem videre jam olim gentiles: ſed nimiâ eorum admiratione, non univerſam modò naturam, ſed partes quoque, licet ſenſus expertes, pro numinibus habuerunt. Ac ſimiliter homines bene meritos, vel in ſummo dignitatis faſtigio conſtitutos, fœdâ, ab eorum exceſſu, adulatione, in Deos retulerunt; quandoque etiam præſentes honoribus coluere divinis. Ut gemino huic malo occurrerem, operam ſuſcepi arduam agendi hoc opere de utroque genere idololatriæ, & illo, quo animales, ut vocabant, & quo naturales Deos venerabantur. Cumque gentiles virtutem illam divinam, quæ eſt ab Deo, minimè diſtinxerint ab altera, quæ eſt in Deo; eoque ex naturæ mirandis collegerint, Na-

turam

turam eſſe Deum: nobis contrà propoſitum fuit, oſtendere Deum non eſſe Naturam, vel partem illius; ſed Naturæ auctorem. Naturæ igitur arcana explicari opus fuit; ut ita cognoſceretur, tum quæ nationes compulerint, ut Deo relicto in Naturæ veneratione conſiſterent: tum quænam alios commoverint, ut non adorarent Naturam, vel partem illius; ſed eum, qui univerſam condidit Naturam.

Hæc explicandi cùm provinciam primò ſuſciperem, pauculorum fore menſium laborem mihi perſuadebam. Sed longè aliter cecidit, quàm putabam. Quod experiebar jam, dum in primo adhuc libro verſarer; eaque conſignarem, quæ ad ſpiritualis naturæ, hoc eſt, angeli, vel animæ à corpore ſeparatæ, cultum pertinerent. Facilè enim videbam, vix me operæ facturum, niſi immanem eorum turbam, qui cùm homines fuiſſent, inque deorum poſtea numerum relati forent, tum locis ſuis, tum plurimùm etiam temporibus diſtinguerem, quibus vixiſſent. Quid enim homini eleganti, & hiſtoriæ veteris ſtudioſo, minus ſatisfeciſſet, quàm ſi tot Joves, ac Junones, tot Hercules, alioſque cognomines Deos, haut aliter confunderem, quàm à coquis jura ſolent? Atqui ſic factum à poëtis, & aliis exemplum ſecutis, uni ſæpius adſcribentibus, quæ varii admodum geſſiſſent, & magnis quidem terrarum ſpatiis, pluribus etiam ſeculis, ſæpius diſcreti. Nimirum poëtæ miranda magis, quàm vera, dicere amant: unde & ea, quæ figurato ſunt ſermone prolata, proprio accipiunt; atque ut fabulam ſemel ſuſceptam magis expoliant, alia propoſitio inſervientia de ſuo accudunt liberaliter, nihil penſi habentes, ſi magnis follibus immenſa ſpirent mendacia, dummodo ſub fabularum involucris exempla adducant vitæ utilia humanæ. Ita contigit, ut pòſt ſecutis non minoris eſſet laboris, quàm ingenii, & doctrinæ, illam quaſi Penelopes telam retexere, ac tot fabulis involuta ad initia ſua revocare: quippe in rebus adeò ab hominum memoria remotis, ut multi etiam id fieri poſſe deſperent. Suſcepi nihilominus hanc operam, ſi non ob aliud, ſaltem ut alios excitarem, quos felicius hoc poſſe confiderem. Initium autem feci ab Romanis, terrarum olim dominis. Nec tamen hîc memorare Deos viſum fuit, quos à Græcis, vel aliis, accepiſſent: ſatiùs exiſtimavi tractare de iis ea in gente, unde cultus is dimanâſſet. Illos igitur duntaxat expoſui, quos cœlo primi locaſſent Romani. Hinc animo, non corpore, magnum iter exorſus, Tiberi enavigavi in Siciliam, Græciam, & inſulas vicinas. Unde iter nobis in magnam Aſiæ peninſulam: inde in Syriam, Babyloniam, Perſiam, & reliquam Aſiam magnam. Poſtea etiam Ægyptum ſum emenſus. Terris verò proximè memoratis pedem aliquantum fixi, ut melius iis facem allucerem, quæ Sacris proderentur literis de cultu numinum in nationibus populo Iſraelitico vicinis. Eâdem originem aperui plurimorum, quæ Romani, ac Græci, de Diis ſuis fabulantur. Siquidem omnis prope ſuperſtitio ex Syria, & Ægypto, in terras profluxit cæteras. Unde etiam eſt, quòd in Græcorum commentis non obſcuræ ſuperſint reliquiæ veteris hiſtoriæ de Adamo, Noacho, Joſepho, Moſe, Joſua, Samſone, aliis: quod primo hujus operis libro clariſſimis evicimus argumentis. Ac quia adverſus ea objici poterat Deorum Ægyptiorum antiquitas; ut qui vixerint ante mundi natalem, ſi Manethonis annales ſequimur: eo pretium credidi, ſi clarè exponerem, unde tam vanum delirium, quod malè habuit multos, originem duxiſſet. Ex Ægypto inde per varias ſiticuloſæ Africæ regiones iter factum, & ſingulis ejus terris aſſignati ſui Dii, qui aliquando quidem homines fuiſſent. Nam de naturalibus Diis nondum loquimur. Gaditano exinde freto ſimiliter, non velorum alis, ſed mentis remigio, in Hiſpanias tranſmiſi: ubi pro Phœnicum, Græcorum, aliorumque coloniis in eas ductis, Deos itidem diſpertior. Poſtea Gallias, & Britannicas petii inſulas: tum Germaniam Magnam, & Sarmatiam: hinc Daciam, Thraciam, Illyridem. Denique luſtratis etiam variis

Italiæ terris, ac ſuis cuique adſcriptis Diis, Romam ſoſpites redimus: votivæque tabellæ loco pauca appendimus de hominibus ſanctis honore adfectis divino.

Hac parte defunctus, altero tranſii libro ad Deos naturales; eos videlicet, per quos vel univerſa intelligitur rerum natura; vel aliqua mundanæ fabricæ pars. Sed quo ulteriùs in hoc etiam corporeæ naturæ cultu provehebar, eo clariùs videbam, quibus argumentis Naturæ venerationem deſtruerem, iiſdem adſtrui venerationem Conditoris. Quare magis magiſque animus crevit non perfunctoriè totam aperiendi rerum naturam; ut ita pleniùs oſtenderem hæc duo; quare gentiles tantopere admirati ſint rerum naturam, ut eam pro vero Numine haberent; & cur ex natura nobis ſit adſurgendum ad Dei veri notitiam, amorem, ac cultum. Nempe quæ duo Apoſtolus conjunxit in epiſtola ad Urbium principem, *a* ubi nationes ait ex operibus naturæ ad notitiam Numinis perveniſſe; ſed, ingrato eos animo veritatem in injuſtitia detinentes, æterni Dei gloriam tranſcripſiſſe rebus interitui obnoxiis: ea ambo argumentum mihi facta ſunt hujuſce operis: ut quo, ſicut retuli, propoſuerim docere, tum quo pacto ex naturæ mirandis, eorumque cauſſis, ad rerum omnium Patrem & Dominum deducamur: tum quomodo etiam paganicæ religionis antiſtites, relicto omnium procreatore, idolis tribuerint cultum ac majeſtatem ſummi Regis. Poſterius ſolùm tractare primò conſilium erat: unde opus hoc inſcribebam, *De idololatriæ origine, & progreſſu.* Poſtea utrumque exequendi lubido animum ſubiit: unde hoc, vel ſimile, addendum putavi, *deque hominis ex naturæ mirandis adſcenſu ad Deum:* ut ſic non ſolum traderem Theologiam gentilem; ſed eadem, & majori quidem operis parte, complecterer Phyſicen Chriſtianam. Judicavi etiam, ſic meliùs à me occurri illis, quibus priori parte viderer hoc ſolum conſecutus, ut meliùs intelligerentur gentium ſcriptores. A quibus nihilominus ſic quoque longiùs diſſentirem. Nam quod antea de Diis ajebam animalibus, idem de naturalibus aſſertum velim: nempe commentatione hac alterâ illuſtrari itidem, quæ de numinibus falſis, legimus in Scripturis. Atque addo, & ea lucem hinc capere, quæ à ſanctis Patribus eruditè adeò differuntur adverſus cæcas nationes. Non inficior, Deos gentiles eſſe σκύβαλα *b*, imò ſtercora. Sed ſtercorare agrum utile eſt: & vineam Domini ſic etiam à nobis ſtercorari, liquere arbitror ex illis, quæ jam diximus. Cui præterea hoc leve videatur, ſi diſtinctiùs, quàm priores fecere, evincerem, nihil aliud eſſe gentium Deos, quàm vel homines defunctos, prope omnes veri numinis ignaros, imò hoſtes: vel mundi hujus partes, aut affectiones, quæ clarè non Deos ſe, ſed Dei eſſe opus clament? Hæc igitur fecere, ut via prioribus parum tritâ, ordine pro naturæ partibus, & terrarum plagis, de Diis tractarem ſingulis: ac primùm, Naturâ ipſâ præeunte, de iis qui cæleſtia ad corpora revocantur: ubi potiſſimùm perſequor, quæ vel præterita aliis forent, vel jejuniùs dicta, vel ſic, ut aliter ea à nobis, aut firmari poſſent, aut refelli. Itaque, cùm ſcirem, etiam ad vim cœleſtem reduci, Parcas, Adraſtiam, Neceſſitatem, aliaſque Fatalium Numinum appellationes: ne quidem refugi laborem declarandi naturam Fati Chaldaici, Platonici, Peripatetici, Stoici, Chriſtiani; quæ vulgò à multis etiam doctiſſimis viris non diſtinguerentur ſatis. Tantundem prope laboris exhauſi in Deorum illis, per quos Elementa intelliguntur. Ubi illud inter alia oſtendimus, cur per idem nomen & numen, quod antea ad hoc, vel illud corpus cæleſte, retuleramus, etiam vel hoc, vel aliud elementum, deſignetur. Quantopere verò diverſi adeò conſiderandi modi ſoleant confundi, etiam à ſcriptoribus nobiliſſimis; non obſcurè videbunt, quibus haut grave erit conferre hæc noſtra cum iis, quæ ante nos alii de iſtis prodiderunt.

Qualecumque autem de paganica hac Theologia aliorum erit judicium; ſaltem nemo, ut arbitror, Chriſtianus à Chriſtiana abhorrebit Phyſiologia: quæ, ut monui,

a Cap. 1

b *Quiſquilias, aliaque reicula.*

monui, altera nobis, & potior cura fuit. Nam quis tam barbarus eſt, ut, in cœlum ſuſpiciens, non rapiatur in admirationem cœleſtis machinæ ſtructurâ, quâ omnes continemur? vel vertigine illâ ſiderum, nec tardius reptante quàm olim, nec præcipiti magis motu rotatâ; ſed conſervante adhuc modum curſus primogenium? Quis etiam non obſtupeſcat conſpectu Solis omnia ambientis, & luce ſuâ circumveſtientis? à quo etiam dierum, & noctium viciſſitudo, & quadripartita anni ratio, neque brumali illa tempore admittens ſolſtitii augmentum; neque ſolſtitiali ſentiens decrementum brumæ. Quis etiam non percellatur intuitu, vel Lunæ, de forma novella ſe redintegrantis in veterem, deque vetere novam repetentis: vel Heſperi, & cæterorum erronum, ſine errore ſemper diſcurrentium? Quid nunc de elementis dicam? è quibus ſub Luna omnia ſunt concreta: cumque nihil iis magis ſit mutabile, nunquam tamen ullo inertiore ſtupore torpeſcunt. In natura verò omnium iſtorum explicanda, non eam ſemper Ariſtoteli ſententiam tribui, quam Latini ſolent: ſed quam Aphrodiſeus, & Græcorum alii, atque Arabum etiam; qui ſæpe longè ſagaciùs mentem Philoſophi perſpexerunt. Nec Peripateticis me continui: ſed, ubi res ferret, per ſectas me diffudi univerſas. Hujus etiam ſeculi, ac ſuperioris, Philoſophos acceſſi. Imò ad partes quoque advocavi antiquos Grammaticos, Poëtas, Oratores, Hiſtoricos: neque id profectò venti, & oſtentationis gratia; eorum inſtar, qui, varia congerere contenti, multâ, ſed aridâ lectione, & ſibi placent, & aliis quandoque, quibus materiam ſuppeditant meliori judicio excoquendam. Quid ego hoc ſtuderem, experientiâ jamdudum edoctus, quocunque id judicio facerem, nihil mihi inde laudis ſperandum fore, propter ambitioſulos iſtos in ſtrenua inertia & ingenii, & facundiæ laudem ſolis ſibi vindicantes; aliis relinquentes duntaxat laboris gloriam, cum Arcadico, ut loqui amant, pecore communis? Quare longè alia ſunt, quæ me ad illud impulerunt. Nempe & argumentum, quod ſub manibus haberem, ſic magis illuſtrari videbam: & quia ſcriptores illi ſæpe etiam cauſſas ſententiæ ſuæ promerent, eo judicabam, opinionem noſtram hoc pacto, & rationibus, & auctoritate veterum, meliùs ſtabiliri. Atque hoc non ſolùm de volumine, quod nunc damus, dictum velim: ſed proximo etiam; de cujus argumento ſeorſum videbimus: uti & de aliis nonnullis, quæ universè pertineant ad inſtitutum noſtrum. Vale interterea, mi Lector, & ſi grata erunt, quæ adfero, Deo mecum gratias age. Quod ſi feceris, mihi etiam abunde gratiarum, non actum modò, ſed etiam relatum arbitrabor. Amſtelodami. Anno æræ Dionyſianæ CIↃ IↃC XLI. IV Id. Octobris.

Altera Præfatio Auctoris, III. & IV. de Theologia Gentili & Phyſiologia Chriſtiana libris, in editione prima præpoſita:

GER. JOAN. VOSSIUS

æquo ac benigno

LECTORI

S. P. D.

CUm bifariam conſideretur Natura; tum prout gentiles illam attenderunt; qui eam coluere pro Numine, imò varia in Numina diſcerpſerunt: tum quatenus ex Mirandis ejus, & horum cauſſis, adſcendimus ad conditorem Deum: ambo ea hoc in opere, etſi vel alterutrum ſatis arduum foret, non incurioſè, ut arbitror, complexi ſumus: utrobique etiam ſedulò dedimus operam, ut & placita veterum adferremus, &, iis expenſis, non pauca de juniorum, noſtroque etiam, adferremus penu. Ac duobus quidem, quos jam dedimus libris, ſecundo imprimis, quos diſquirimus de cœlo, & elementis, planum facere cœpimus, quantopere illos fugiat ratio, qui, cùm omnis Philoſophia, quæ ex rationis lumine proficiſcitur, ad naturæ contemplationem, vel actionem hominis, ſoleat referri; priorem illam præ altera nullo penè loco habuerunt. Quamquam haut nova hæc controverſia eſt: ſed multum diuque, utra harum partium anteponi debeat, jam antiquis fuerit ſeculis dubitatio. Ac Socrates quidem, cùm priores cognitionem, quæ per ſe expeti crederetur, excellentius quid, & divinius, judicarent, primus a Philoſophiam dicitur ad vitam deduxiſſe communem, deque virtutibus, ac vitiis, bono, ac malo, quæſiviſſe. Unde in ore illi crebrò erat, quæ ſupra nos eſſent, nihil ad nos attinere. Corporum enim cœleſtium naturam, cometarum item, tonitrus, grandinis, & ſimilium, ſtultè, & inutiliter, inquiri putabat b. Sed viri tanti opinio non deterruit Ariſtotelem c, quo minùs ſapientiam, ut pulchriorem, ac diviniorem, prudentiæ præferret. Et, quod mirum, maluit Seneca d hac parte Ariſtotelem ſequi. Multumque adeò pro ſapientia facit, quòd non, uti Epicureis natura divina, ita ſcientia naturalium in ſe ſolam ſit intenta: ſed partim cultui inſerviat religioſo; partim uſibus variis ad fluidum hoc, ægrumque corpus ſuſtinendum: quemadmodum ſuperiori dicebam volumine, & altero hoc pleniùs demonſtrabitur. Imò pars illa, quæ homines agenda docet, manca foret, ac mutila, ſi præteritis, quæ ad cultum pertinent divinum, ſolùm explicaret, quomodo affectus vinceremus; vel religionis expertes, capeſſeremus Rempublicam. Nec enim ambiguis noſtræ, vel alienæ vitæ, regendis ſufficimus, niſi (quod longè quidem meliùs, uberiuſque, ſacræ nos docent literæ, ſed ex parte etiam naturæ notitia præſtare valet) ex caligine hac, in qua cæci volutamur, ſublimiùs omnibus intra conſpectum poſitis attollamur ad excellentius quiddam, & auguſtius, quod nos, & Univerſum hoc, gubernet, & cuique, prout ſe geſſerit, præmium, aut pœnam, rependat. Sine cujus notitia, neque vita ipſa magni ſit æſtimanda. Nec diffiteor, traditione etiam divinitus in populis conſervatâ diſpelli mentis tenebras, & quadamtenus ad Numinis notitiam pertingi. Sed enim altiùs multò animus penetrat humanus; quando, non contentus auditis, per naturæ etiam cognitionem ad divina præparatur, & quodammodo in Numinis ipſius conſortium venit. Tum verè

a Varro apud Ciceronem.

b Xenophon lib. 1 Commentar.

c Lib. 10 Eth. Nicomach. & lib. 7 Polit.

d Præfat. lib. 1 Natur. Quæſt.

verè juvat ſpeculari in univerſa natura relucentem Dei potentiam, ſapientiam, bonitatem. Animus etiam, tantopere elevatus, aſpernari, ac calcare incipit aurum, & gemmas, & quidquid av. ris tanti eſt, ut propterea æternùm miſeri eſſe velint. Cernit etiam mens, non tanti eſſe cætera, ut propterea plumbeas, æternaſque iras gerat, vel in fœdas deſpumet libidines, vel aliis ſerviat vitiorum portentis. Ut mihi quidem videantur lolio victitare, qui ſic moralem extollunt prudentiam, aut etiam civilem, ut neutiquam juſtum ſtatuant pretium ſcientiæ naturali. Atque hujuſce animi noſtri nunc teſtes qualeſcunque do commentationes noſtras; quibus me diffundo, & ſupra, & intra hunc terrarum, ac marium globum, curioſeque, quantum licuit, ſpecto naturæ adeò ingentis, ac nihilominus formoſæ, ordinem diſpoſitiſſimum, vires innumeras, nec capaciſſimo hominis ingenio, nedum noſtro, comprehenſibiles, inque cunctis conſtantiam planè ſingularem. Quæ omnia hominem quaſi manu ducunt ad horum architectum: ita ut gentilis etiam religionis cultores, etſi Deus foret incontiguus, & inconſpicuus; ex hac tamen rerum machina, ac ſe ipſis quoque, velut minori mundo, eò ratiocinando adſurrexerint, ut viderent, eſſe unum quid, quod foret à nullo, nec ab ulla anteeatur antiquitate; quòd ſolùm verè ſit; cæteris inde, quòd ſint, participantibus; ab hoc poſſideri ſapientiam, bonitatem, juſtitiam, omnemque perfectionem: cunctaque hæc convenire ſummo regi, ac principi; cujus beneficio etiam, multiplici adeò agitatione motarentur, ſuoque aëra hunc reciprocarent ſpiritu, & præcipuè divinum illud obtinerent, quod Mentem, vel Rationem dicimus: proinde hunc ſe cunctorum opificem, hunc hominis atque univerſi moderatorem, amare, ſuſpicere, intimoque animo amplexari, ac colere perpetuò, oportere. Sed cùm illi tantopere ſe, velut alis quibuſdam, ſuſtuliſſent:. non tamen pro notitia hac glorificarunt Deum: quo meruere, ut ne ad ulteriorem cognitionem perducerentur. Sic relicti, Deum neſcierunt, quem ſcirent: ut inexcuſabiles ob animum fierent ingratum. Imò plurimi etiam nec eò uſque aſcendêre, quò dicebamus; non culpa Numinis, vel Naturæ, quæ Dei virtutem, ac divinitatem, clarè, & oculis ingerebat, & auribus inſonabat: ſed ſuopte vitio, quia animi oculos, aureſque, obturantes, reluctarentur magiſterio Naturæ: vel ſi ſubinde inclinaſſent eò mentes, mox vanis indulgendo commentis, falſa veris miſcerent: atque ita hinc circumfuſi luce naturæ, inde ſpiſſis opinionis tenebris circumventi, velut inſanientibus in mari ventis, nunc huc, nunc illuc deferrentur, ac perpetuò fluctuarent incerti. Ita factum fuit, ut, novitatis ſuæ ſuperſtitione abrepti, non tribuerent Numini cultum divinum. Atque hoc prius eſt, quo nomine impietatis rei jure peragantur. Sed, contumeliâ eâ non contenti, præterea cœlo donarunt mortali corpore exutos, plurimumque à vera religione alienos. Naturæ etiam partes, vel affectiones, in Deorum cenſum retulerunt. Et his, & illis, ſtatuerunt ſimulacra, dies feſtos, ludos, pulvinaria, aras, ædes ſacras: acerris etiam thuris, & mactatis è grege victimis, eoſdem honorarunt: ad illos, ut ſuprema nomina, ac numina, vel ſaltem divinitatis eorum conſortes, manus, menteſque, ſupplices protenderunt. Quomodo creaturæ tranſſcripſere cultum creatoris [a]*: ut impietati, de qua priùs dicebam, etiam accuderint iniquitatem. Unde veritatem eos, non in ignorantia dico, ſed in injuſtitia etiam, detinuiſſe, conqueritur Apoſtolus. Atque hæc cum animo noſtro obverſarentur ſæpius, facilè in eam deveni ſententiam, nec Eccleſiæ, nec literariæ Reipub. ingratam fore operam, ſi quaſi geminum ferruminans argumentum, & Deorum, & rerum explicarem naturam, atque ita, & eos refellerem, qui idolis cultum, ac majeſtatem ſummi tribuunt Regis; & contemplando miranda Naturæ, noſtris ubique uſibus inſervientis, ex hac ſolubili, & interitioni obnoxia compage, mentes attollerem humanas ad eum, qui fecit Naturam, ac rebus præſidet univerſis.*

[a] Rom. 1. 18.

 Non-

Nondum tamen pertexere licuit has commentationes noſtras: nunc valetudine me præpediente, nunc occupationibus ſpiſſis, nec ſemper minutis. Quatuor interim libros, ut potui, exegi: quorum priores duos priori; alteros altero hoc volumine, exhibeo. Illis egi partim de ſpiritualis naturæ cultu; partim cœleſtis corporis, ac elementorum natura, & veneratione. Cujus doctrinæ præſtantiam, atque uſum, nihil attinet hoc loco, velut cramben, reponere. At alteris hiſce libris tum de meteoris, tum animantibus tracto. Quod & ipſum eſt prænobile argumentum, digniſſimumque homine Chriſtiano. Quid enim ſubtilius ventis? quos ſemper animas dixeris exſpirare, emori nunquam. Quid utilius pluviis? quæ poſt uliginem terræ ab ardore Solis decoctam, iterum rura irrigant, & temperant. Quid admirabilius cometis, fulminibus, iride, & ſimilibus? quæ ſic omnium animos percellunt, ut, quem eorum doctrina non capiat, ne in hominum quidem numero reponi mereatur. Gentes quidem ſic affecere iſta, ut propterea in Deos referrent: & nobis non tanti erunt, ut non in his potiùs miremur Deum omnium auctorem? Quid nunc de animalibus loquar? ubi primò ſe offert hominum genus. Sed de divino eorum, dum vivunt, cultu (ad quem Paulo, & Barnabæ, præſtandum, Lyſtrenſes a *etiam tauros adduxerant cum coronis) pauca omnino, nec ſubtilioris ea diſquiſitionis indigentia, legere eſt, non apud Romanos duntaxat, vel Græcos; ſed etiam barbaros. Quare omnem prope operam inſumſi in explicanda hominis natura. Ubi attendi, primò vitam, ætates, mortem; hinc nutritionem, magnitudinem, robur, generationem; inde viſum, phantaſiam, ſenſus cæteros; ſomnum etiam, ſomnia, & divinationes ex inſomniis; denique intellectum, voluntatem, loquelam, riſum, fletum. Inque tam variis penè in cauſſas cunctorum inquiſivi, ut ita magis perſpiceremus naturæ noſtræ dignitatem. Nihil enim commendatius homini eſſe debet, quàm cognitio ſui. Cumque ea ſit bipartita: prius eſt ſcire præſtantiam quam habemus ex origine noſtri: poſterius nôſſe miſeriam, quam peccato contraximus. Illud præſtat, ut magis magiſque cogitemus, quantopere obſtringamur conditori: hoc, ut confugiamus ad Soſpitatorem Chriſtum. Poſtea non minori curâ excuſſi, quæ ad muta pertinent animantia. Ac primùm expono eorum naturam. Hinc enarro multiplicem, quam ex illis capere eſt, utilitatem in alimento, medicina, veſtitu, habitatione, & vita reliqua. Denique oſtendo amentiam hominis; qui, cùm illis ſeriò invitaretur ad veri numinis cultum, nihilominus hæc longè infra dignitatem ſuam poſita, vel pro numine coleret, vel ſaltem, velut Dei ſymbola, religioſo cultu proſequeretur. Atque hæc ſunt ea, quæ ordine præſtiti in quadrupedibus, avibus, piſcibus, ſerpentibus, inſectis. Ut ad abſolvendam rerum naturam nihil magnopere nunc ſuperſit nobis præter plantas, & foſſilia. Sed eorum conſideratio, ut hominis vitæ plurimùm conducit; ita parum facit ad notitiam Theologiæ gentilis, ſi ſymbolicam exceperis. Ex ipſis verò numinibus ea nobis reſidua ſunt, quæ cùm veriùs ſint affectiones, ſive accidentia, à nationibus nihilominus divino colebantur honore: ut ſunt Pietas, Juſtitia, Miſericordia, Salus, Febris, Amor, & alia id genus. Præterea nobis indicta eſt pars illa de ſymbolis Deorum, ſæpius hiſce libris promiſſa. Nec abhorret animus, ut iſtam quoque, & cætera, quæ dicebam, perficiam; quò integrum ſit* σύστημα b *tam Theologiæ hujus gentilis, quàm ſcientiæ Naturalis. Sed enim tam multa à multis exposcor, adeoque diverſa habeo affecta, ut cui primo, cui deinde, admovere manum debeam, ipſe hæream incertus. Quare utrùm hujus argumenti cætera proximè daturus ſim, an meditationes eas aliis diffiſſurus; magiſtra omnium dies docebit. Atque eo minùs promittere aliquid habeo, quia cogito, non modò vitæ hujus incertum, ſed etiam valetudinis. Nam etſi à puero hæc mihi firma ſatis fuit; nec unquam incontinentiâ eam frangendam putârim: nihil tamen mirum fuerit, ſi aliquid*

a Actor. 14. 13.

b Corpus ſive compages.

aliquid in illam potuerint tot injuriæ ab illis acceptæ, quibus placere non poteram, ſi animo ſatisfacere, nec Deo vellem diſplicere. Accedunt tot adverſa a Numine immiſſa: in his, pauculos intra annos, mortes quinque liberorum jam vernantis ac florentis ætatis, ac trium quidem dum opere in hoc occupor: ex quibus recentiſſimus dolor Gerardi mei, cum vita excederet, vix annum claudentis primum, & vigeſimum: qui ſuas in Vellejum caſtigationes ipſe in lucem dedit, atque inſcripſit Nobili, & ſummo viro Georgio Ratallero Dubletio, ſupremæ nunc Hollandicæ, ac Zelandicæ Curiæ Senatori: cujus ego merita in me, & familiam meam, tacere malo, quàm pauca de iis dicere. Complurium, quæ præterea filius reliquit, editionem moribundus fratris ſui Iſaaci curæ commiſit: præcipuè animadverſiones in Valerium Flaccum, & Cenſorinum: ac confido, eo ex Britannia, & Galliis reduce, confeſtim lucem viſuras. Quid jam dicam, frangi me potuiſſe immodicis adoleſcentiæ meæ ſtudiis: ac annis duobus, & quadraginta, quos muneribus publicis, iiſque difficillimis, ſummâ impendi fide? Ut taceam de ſenectute, quæ ipſa morbus eſſe dicitur. Proximè jam tranſactus tertius & ſexageſimus; quem κλιμακτῆρα nuncupant. Is non à febri modò inchoavit; ſed etiam morbo colico, & nephritide; à quibus malis duobus omni hactenus vitâ fueram immunis. Ac, eo penè exeunte, invaſit morbus articularis. Scio, credi, iſta mihi ab immoderatis proveniſſe laboribus; quo uno me intemperantiæ genere laborare, dictitabat etiam, qui paucos ante menſes, cum magno bonorum dolore, beatam cœlo animam reddidit, Robertus Vander-Houve, vir, ut antiqua generis nobilitate, & omni penè doctrinarum genere, cultiſſimus: ita domus meæ, & tot aliarum in celeberrima hac Amſtelodamenſium urbe, Æſculapius. Sed enim ab eo, atque aliis, quærere viciſſim ſoleo; quid in tam occupato vitæ genere relictum mihi foret præter noctes? Quibus prope ſolis hos commentarios exaravi. Unde eos ſubinde vocare ſoleo NOCTES AMSTELODAMENSES: non minori ſanè jure, quàm opus ſuum Agellius NOCTES ATTICAS inſcripſit. Nam ille ad capiendum ingenii ſui cultum ſponte conceſſerat Athenas; cumque aliter tempora partiri liceret, maluit tamen, quæ de die ex vivis, aut mortuis hauriebat magiſtris, conſcribillare noctu. Ex Leidenſi ego Academia in illuſtre hoc Athenæum, ad ſacram, Eccleſiaſticam, externamque hiſtoriam cum civili ſcientia profitendam, liberalitate Procerum hujus urbis arceſſitus, partim munere publico, partim aliis occupationibus, ita diſtentus fui, ut præter nocturnum, vix ad proficiendum magis, quam aliquid poſteris tradendum, otium invenirem. Jamque annus eſt undecimus, ex quo in Urbe hac pedem poſui, nonum nunc gerente conſulatum Andrea Bickero Juriſconſulto, octavum Joanne Cornelio Geelvinkio, quartum Petro Haſſelario, ſecundum Gerardo Schapio J. C. eodemque tum Academiæ Leidenſis, tum etiam (cum Alberto Conrado Burgio, in Collegio Illuſtrium Hollandiæ & Weſtfriſiæ Ordinum, delegato, Guilhelmo item Backero, viris conſularibus) Lycei hujus Amſtelodamenſis Curatore. Quos ego ampliſſimos, genereque, doctrinâ, & omni virtutum genere ornatiſſimos viros, honoris hîc cauſſa nomino; partim præclara ob merita erga Urbem hanc florentiſſimam, imò omnem fœderatam Belgicam; partim etiam ob egregium erga me amorem, & ſtudia noſtra. Atque his accenſus, majorem ad teſtationem mei erga civitatem hanc affectus penè operi præfixeram titulum, quem dixi, NOCTIUM AMSTELODAMENSIUM. Sed enim videbam continuò, inſcriptione iſtac, niſi aliud adjungerem, tam incertum argumenti totius relinqui lectorem, quàm ſi appoſita eſſet nulla. Quemadmodum propterea nec, qui placitus quondam Clementi Alexandrino Στρωματέων titulus fuit, ſatis nunc arriſit nobis: etſi alioqui tam vario operis argumento, fortaſſe vix alter meliùs conveniſſet. Accommodatior, credo, videretur, ſi ſimpliciſſimè DE NATURA

DEO-

Deorum, & Rerum, *inſcripſiſſem; exemplo duorum, qui tantopere ingenii, & doctrinæ laudibus claruerunt; Marci, inquam, Tullii, & Titi Lucretii; quorum ille* de Deorum, *hic* de rerum *egit* natura*: nos verò utrumque ſociavimus argumentum. Sed enim ſatius viſum, ſi qui ſic diſcreparemus inſtituto, etiam inſcriptione differremus. Tullio enim ſtudio illud fuit, ut cæteros, non ad verum numen, quod ignorabat; ſed fictitii Numinis honorem perduceret. Alteri autem propoſitum erat, ut rejectâ Dei providentiâ, & animorum immortalitate, caſu omnia ferri crederemus. Nos, meliori numine adflati, in eo omnem poſuimus operam, ut cognitâ Deorum naturâ à veneratione eorum foremus alieni: perſpectâ rerum naturâ, ex cauſſis earum adſcenderemus ad rerum auctorem Deum, eumque debito proſequeremur amore ac cultu. Quamobrem, ut jam in præfatione prioris voluminis dictum fuit, placuit magis inſcriptio, de Idololatriæ origine, ac progreſſu; deque naturæ mirandis, & eorum cauſſis: ſive altera, quam addidimus, de Theologia Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana. Variè enim tam varium expreſſeris argumentum. Sed de titulo nudo quid attinet tricari? dummodo utile & gratum ſit opus ipſum: uti fore confido, ſi non ob aliud, ſaltem propter indefeſſum hunc ſtudiorum, & bene de literis merendi amorem; quando non valetudini curandæ, vel rei ſtruendæ, ſtudiosè operam unquam dederim, ſed cum prioris haut levi periculo, & certo alterius diſpendio, impenſiùs publicis ſemper ſtuduerim commodis. Nihil ultra te, Lector candide, morabor. Vale, reique literariæ fave, & ſi, uti cupio, placeam; me ama, noſtris utere, ac fruere. Anno* CIↃ IↃC XLI. V *Kal. Novembris. Quem diem quando nunc adſcribo, video, mi Lector, nihil tale antea cogitanti ita rem cecidiſſe, ut qui præclaro Angliæ Clero mitterem, dicaremque, quaternos hoſce libros, quos in Hollandia ſcripſiſſem; priori quidem volumine te compellarem, quo die inclytæ Angliæ ſuæ, & Eccleſiæ Catholicæ bono natus fuit nunquam ſine grata recordatione nominandus Sereniſſimus Angliæ Rex Eduardus* VI*: altero autem hoc volumine, duabus quaſi hebdomadis pòſt, denuo te alloquerer; idque quo die lucem primò adſpexit Hollandiæ ſuæ, & totius Reipub. literariæ immortale decus, Deſiderius Eraſmus.*

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
IDOLOLATRIÆ
ORIGINE AC PROGRESSU,
LIBRI PRIMI
PARS PRIMA;

Qua de Religionis primævæ reliquiis, & neglectu earum, agitur generatim.

CAP. I.

Ut ſpiritus adverſarius ſollicitare nunquam deſtiterit homines ad pravum de Deo ſenſum; è contrario autem miſericors Deus non ſiverit interire traditionem ſui primævam, certiſſimis è naturæ opificio, ac gubernatione ejus, argumentis firmatam. Ex ampla teſtium ſylva producti, Tertullianus, Clemens, Baſilius. Cur Diagoras, & ſimiles, ἄθεοι vocati: cur Anaxagoras, & Socrates ἀσεβείας damnati. Mundi opificem Deum agnitum à Thalete, Platone, Tullio: quorum Platonem perperam cum Ariſtotele conciliare conati ſint ſectatores ſui. Occurritur eorum argumentis, qui mundum hunc vel fortuito caſui originem ſuam debere, vel neceſſitate aliquâ exortum, aut ſemper fuiſſe indicarunt.

IMmenſum hoc beneficium eſt, quòd Deus, non contentus hominem condidiſſe, eum, præmio vitæ æternæ propoſito, rationem docuerit colendi ſui. Sed diabolus, quâ invidiâ erat, perferre non potuit, ſi terræ filius, ſe, qui origine tanto nobilior foret, de cæleſti arce dejecto, ad tam ſublimem eveheretur gloriam ac dignitatem. Quocirca quem ambitio everterat, nullam intermiſit induſtriam, quominùs & homo majora iis affectando, quæ accepiſſet, ſimiliter ſe illis exueret, quæ haberet. Mulierem igitur, falli pariter ac fallere magis idoneam, illecebris ſuis adortus fuit: parvoque negotio rem tantam perſuaſit, utcunque & illa, & maritus, divinum tranſgrederentur mandatum, nihilominus mortem nequaquam obituros: quin contrà eventurum, ut multò, quàm antea, acutiùs omnia perſpicerent; quippe malum juxta ſcientes ac bonum. Sed de morte fœdo iis mendacio illuſit: de ſcientia verum quidem retulit; at quàm noxium fuerit experientiâ malum addiſcere, exitus comprobavit. Poſtquam enim mulier à ſerpente decepta, in peccati conſortium pertraxit virum: oculi quidem iis aperti fuere, ſed ita, ut viderent ſe tegumento deſtitui, non tunicæ modò, verùm etiam virtutis. Foliis igitur ficus, umbratili prioris voluptatis ſymbolo, veienda contecti, ſerò deplorarunt, non ſuam modò, ſed omnis poſteritatis miſeriam: ut quam ſuo delicto paradiſo & immortalitate privaſſent. Adamo enim peccante, omnes in maſſa peccavimus, conſtituto eo ſub peccato, omnes naſcimur peccatores, atque ut peccati, ſic mortis hæredes. Meliùs fuerat nunquam educi è ſinu matris, quam ſic in lucem prodire. Sed iis, quos debitæ pœnæ ſententia colligârat, mox gratia affulſit indebita; Deo pro immensâ erga nos miſericordiâ primis parentibus, & inde naſcituris, pollicente in paradiſo, quem tempori miſit, ſemen mulieris, filium ſuum ſervi formâ aſſumtâ; ut per eam naturam, quam ſe viciſſe diabolus gaudebat, ipſe vinceretur, nec gloriando de ſe homo iterum ſuperbiret. Poſt promiſſa hæc homini facta, non ſibi otioſo eſſe licere, malignus ille ſpiritus exiſtimavit. Fore alioqui vidit, ut, quem abdicatum gaudebat, adoptetur, ejectus recipiatur, mortuus tandem reſuſcitetur: & quod omnium indigniſſimum judicabat, in cœlos, unde ipſe irreparabili ceciderat caſu; glorioſè evehatur, de poteſtate contrariâ æternùm triumphaturus. Ejuſdem igitur, ſi non majoris, invidiæ ſtimulis percitus, præſentiſſimum hoc conſilium ſtatuit, ſi quamdiu homines lucis fruerentur uſurâ, non ceſſaret ipſe ſollicitare omnes, pro ſua quemque indole, ad omne peccati genus; ac imprimis, ut creaturam colerent pro Deo, non ſine horrenda divini numinis injuria. Hoc igitur tam præſens venenum inſpirare omnium animis geſtivit. Sed Deus, ne pereat quiſquam, niſi qui ſuo in præceps ruere velit arbitrio, nunquam hominem ſine antidoto reliquit contra hoc inſanæ ſapientiæ virus. De Enoſi temporibus, quando idololatriam cœpiſſe Maimonides arbitratur, nihil nunc dicam *a*: eò quòd vetus ille orbis diluvio interciderit totus, Noacho & familia ejus exceptis. Solùm loquar de illis, qui ex Noacho originem ducunt. Hos in duas partes diſpeſco, pro duplici gratiæ menſura. Etſi enim Deus Abrahamum, & poſteritatem ejus, ſingulari beneficio in populum ſuum elegit: non propterea tamen gratiâ ſuâ penitus deſtituit cæteros. Siquidem conſervavit in iis quorundam notitiam: ut quòd Deus eſſet, & mundum adminiſtraret, & colendus eſſet, & cultores præmium, non colentes ſua maneret pœna. Quæ fundamentum ſunt religionis univerſè conſideratæ. Unde Hebr. 11. 6. *Accedentem ad Deum credere oportet, eſſe, & quærentibus ſe eſſe remuneratorem.* Hæc cùm priùs conſtarent revelatione divinâ, quia ex Deo iſta homines cognoverant; in poſteris, quos Deus alloquio ſuo non dignabatur, naturam induerunt traditionis humanæ, quæ hodieque in barbaris etiam gentibus viget & veget. Atque hoc eſt, quod Lactantius lib. 1 de falſa Relig. cap. 11 vocat, *teſtimonium populorum atque gentium, in una hac re non diſſidentium.* Et quid apertius his

a *Initium idololatriæ tempore Enos, teſte R. Simon. Manaſſes ben Iſraël in Geneſin. p. 26.*

Sene-

Senecæ verbis epiſt. CXVII. *Veritatis argumentum eſt, aliquid omnibus videri: tanquam Deos eſſe* (mallem *Deum* dixiſſet) *quod omnibus de Diis opinio inſita eſt: nec ulla gens uſquam eſt adeò extra leges moreſque poſita, ut non aliquos Deos credat.* Nec tamen exiſtimandum, hunc conſenſum ſola eſſe traditione ſuffultum. Siquidem cùm gentes etiam efferæ, nec multum ſollicitæ de rerum natura, traditione ſola, vel penè ſola, hæc cognoſcerent: aliud acceſſit nationibus iſtis, quæ humanitatem minus exuerant. Mundi enim conſideratione ita ſunt firmatæ, ut liquidò viderent, certiſſimâ eſſe ratione ſubnixa, quæ traditione accepiſſent. Nimirum cernebant ſingula & ſenſu prædita, & ejus expertia, animata pariter & inanima, certum ob finem agere, aliaque aliis inſervire. Nec enim terram propter ſe, vel Sol calefacit, vel nubes irrigat; nec terra vel tepefacta à Sole, vel madefacta à pluvia, ſui gratiâ herbas ac fructus producit; ſed propter muta animantia, ac hominem imprimis, qui mentis altæ capax in cætera dominatur: quod gentilis etiam poëta agnovit initio operis, ut ipſe appellat, de formis in nova corpora mutatis. Hæc ſine conſilio eſſe non poſſunt. Aliter ſi eſſet, ſingula rarò, non ſemper, niſi impedimentum afferatur, ſuum apiſcerentur finem. At non ſuo id conſilio faciunt. Alius igitur eſt, qui dirigat univerſum. Ut huic quoque adſcribi debeat, quod muta animantia, etiam ſine exemplo agant tam multa inſtinctu naturali: quod præterea e certi generis ſemine certæ proveniant plantæ: atque illæ itidem ſui generis plantas producant: quod item Sol & ſidera certos habeant motus, quibus volvantur. Nempe uti, qui præter ſe hominem conſpicit neminem, ſi telum viderit emiſſum, rectè colligat, hunc inanimæ rei motum eſſe ab aliquo, qui occulte hoc telum librârit: ita qui cernat res ſenſus expertes, ſæpe etiam nec vitâ præditas, tendere ad finem certum, ac univerſo utilem, à quo nec aberret, niſi impediatur; is quoque ſtatuat neceſſe eſt, res eas ab aliquo gubernari. Neque hæc ſolum oſtendunt, eſſe quempiam, qui mundum hunc nutu ſuo temperet: ſed liquidò etiam teſtantur, eundem eſſe architectum univerſi. Siquidem omnia ſingulaque non ſolùm propter finem agunt, ſed etiam ſunt propter finem: ut quæ naturam habeant, tum ſingularis boni appetentem, tum univerſali ſic naturæ innexam, ut particulare bonum referant ad bonum univerſi. Hæc tam clarè è natura relucebant, ut quin vera eſſet illa omnium gentium traditio de Deo, minimè potuerit dubitari. Nimirum, ut ſcite ait Tertullianus libro de Reſurrect. carnis: *Præmiſit Deus Naturam magiſtram, ſubmiſſurus & Prophetiam, quo faciliùs credas Prophetiæ, diſcipulus Naturæ.* Quo ſenſu admittimus illud Clementis Alexandrini in VI Στρωμ. ubi philoſophiam appellat ὑποβάθραν τ' κ' Χριστὸν φιλοσοφίας; nempe non ut fundamentum, prout vertit interpres, ſed ut imas potius ſcalas Chriſtianæ dicat philoſophiæ. Atque eâ mente etiam à B. Baſilio in Hexaem. mundus nuncupatur τῶν ψυχῶν λογικῶν διδασκαλεῖον, καὶ τῆς θεογνωσίας παιδευτήριον. *animarum rationalium ſchola, ubi in Dei notitia erudiantur.* Ut non immeritò hoc de libro ſic gentili philoſopho B. Antonius dicat apud Socratem lib. IV Hiſt. Eccl. cap. XVIII: Ὦ φιλόσοφε, ἡ φύσις τῶν γενομένων ἐστί, καὶ πάρεστιν ὅτε βούλομαι τοὺς λόγους ἀναγινώσκειν τοῦ Θεοῦ. *Meus liber, ô philoſophe, eſt natura rerum à Deo conditarum: in qua, quotieſcunque ſic animo meo viſum, legere poſſum, quæ Deus dicit.*

Objectant, à Protagora Deos in dubium vocatos, excluſos à Diagora, & Theodoro Cyrenaico. Ac de Protagora ſcio id tradere Tullium in primo de Natura Deorum, & Theodoretum in ſecundo, & ſexto Therapeutices. Et ſatis res liquida ex eo, quod, ut eſt apud Laërtium in ejus vita, his verbis librum aliquando exorſus fuit: Περὶ μὲν θεῶν οὐκ ἔχω εἰδέναι, οὔθ' ὡς εἰσίν, οὔθ' ὡς οὐκ εἰσίν. *De Diis quidem, neque utrùm ſint, neque an non ſint, habeo dicere.* De Diagora teſtes, Tullius ibidem, Plutarchus de philoſoph. placitis, & Suidas. De Theodoro itidem Tullius, & Laërtius in Ariſtippo. Sed an hoſce pauxillos tanti putemus, ut aliquo eos loco habeamus præ infinita illorum copia, qui contrarium docuerunt? præſertim cùm quanto quiſque vir melior fuit, tanto minus de eo dubitavit. At de vita eorum, quos opponunt, quid dicam? De Theodoro quidem illud ex Laërtio conſtat, poſtquam omnem de Diis opinionem ſuſtuliſſet, docuiſſe etiam ſapientem ſuum (ſed ne nihil videatur dicere, addit, loco temporeque opportuno) adulterium & ſacrilegium commiſſurum, ac citra pudorem in propatulo rem habiturum cum ſcortillo. Præterea ne illud quidem ſatis eſt apertum, an omnes iſti numen eſſe negarint. Nam rationi magis conſentaneum eſt, atheos vocatos, à noſtris quidem, quia ſic apud gentiles legiſſent; à gentilibus verò, quia Deos gentium pro Diis non haberent. Nec enim diſcrepat hoc à moribus Athenienſium: cujus rei exemplum capere licet ex Anaxagora Clazomenio: ut qui à Cleone ἀσεβείας *a* ſit accuſatus, quia Solem quem pro Deo colerent Athenienſes, dixiſſet μύδρον διάπυρον: quod Laërtii interpretes Ambroſius, & Aldobrandinus, ut de Brognolo taceam, *ferrum candens, atque ignitum* vertêre; cum potius *maſſam candentem*, vel *globum ignitum*, debuerint dicere. Quomodo & diſcipulus Anaxagoræ Euripides in Phaëtonte fabula Solem dixit χρυσέαν βῶλον, *auream glebam.* Porro, abſque Pericle fuiſſet, qui præceptorem & defendit, & in præſenti periculo urbe dimiſit, capitis eſſet damnatus. Imò ſic quoque quinque talentis & exilio multatus dicitur. Qua de re vide Plutarchum in Pericle, quæque ex Sotione, Satyro, Hermippo, & Hieronymo, attulit Diogenes. Quid ergo? eone Anaxagoram ἄθεον καὶ ἀσεβῆ *b* putabimus? Quin ipſos potius judices tam horrendi criminis credimus reos. Quippe hic ille Anaxagoras eſt, qui, ut ibidem refert Plutarchus, πρῶτος τοῖς ὅλοις οὐ τύχην, οὐδ' ἀνάγκην διακοσμήσεως ἀρχήν, ἀλλὰ νοῦν ἐπέστησε καθαρὸν καὶ ἄκρατον ἐμμεμιγμένον πᾶσι τοῖς ἄλλοις, ἀποκρίνοντα τοῖς ἄλλοις· *primus univerſitati, non fortunam, neque fatum, ordinatæ deſcriptionis principium; ſed Mentem puram ac ſynceram præfecerit, ab aliis omnibus admixtis ſimiles particulas ſecernentem.* Atque hoc quoque Ariſtoteles tradit lib. VIII φυσικῆς ἀκροάσεως. cap. 1. ubi ait, ex ejus opinione in materia infinita κίνησιν ποιῆσαι τὸν νοῦν, καὶ διακρῖναι, *Mentem motum produxiſſe, ac partes ſecreviſſe.* Quem ad locum Simplicio dicitur idcirco ex mente Anaxagoræ κοσμοποιὸς νοῦς, *univerſi effectrix Mens.* Idem tradit Galenus, & Laërtius loco memorato, & apud eum Timo in Sillis. E Latinis M. Tullius in Lucullo ſive IV Tuſc. Quæſt. *Materiæ*, inquit, *infinitæ particulas ſimiles inter ſe, & minutas, primum confuſas, poſtea in ordinem adductas à Mente divina.* Ac primo de Natura Deorum; ubi de eo ait: *Primus omnium rerum deſcriptionem & modum Mentis infinitæ vi ac ratione deſignari & confici voluit.* Similiter Lactantius, Auguſtinus, alii; quibus quid inſiſtam? quando Laërtii induſtria nobis ipſa Anaxagoræ verba conſervavit. Sunt autem hujuſmodi: Πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ· εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε· *Omnia ſimul erant: deinde acceſſit Mens, eaque compoſuit.* Quàm apertè hic opificem ab opificio diſtinguit! Hoc ferre non potuere Athenienſes, ac ἀθεότητα *c* vel ἀσέβειαν *d* vocarunt. Quorum judicium ſequens Lucianus in Timone ait, Iovem in Anaxagoræ caput fulmina vibrâſſe, eò quòd familiares ſuos docuiſſet, non eſſe Deos, qui vulgo crederentur. Sed Lucianum quid dico? Ecce Juſtinus Martyr oratione ad Græcos eum ἄθεον *e* appellat. Nempe ſanctiſſimus vir ſecutus hac parte adverſariorum ſententiam: quod factum nollem. Nam quis innocens erit, ſi ex inimicis ferendum judicium? Et cogitare debuit Juſtinus, Chriſtianos quoque à gentilibus atheos vocari, quia non agnoſcerent gentium Deos. Sic enim ipſe ſcribit apolog. II. Ἔνθεν δὲ καὶ ἄθεοι κεκλήμεθα, καὶ ὁμολογοῦμεν τῶν τοιούτων νομιζομένων θεῶν ἄθεοι εἶναι· ἀλλ' οὐχὶ τοῦ ἀληθεστάτου, καὶ πατρὸς δικαιοσύνης, καὶ σωφροσύνης, καὶ τῶν ἄλλων ἀρετῶν, ἀνεπιμίκτου τε κακίας θεοῦ· *Vocamur autem Athei: & ſane confitemur talium, qui habentur, Deorum nos eſſe expertes, & hac ratione atheos: ſed non veriſſimi* illius

a *Impietatis.*
b *Sine Deo & impium.*
c *Negationem Dei.*
d *Sublationem cultus divini.*
e *Dei contemptorem.*

illius Dei, patris juſtitiæ, & temperantiæ, & cæterarum virtutum, & ab omni vitio intacti. Similiter autem & Socrates, quia non eoſdem, ac Athenienſes ſui, coleret Deos, ab Anyto, Melito, ac Lycone oratore, impietatis accuſatus; ab Athenienſibus autem, ducentis & octoginta ſententiis pluribus, quàm abſolveretur, fuit condemnatus: ut eſt apud Ciceronem in primo de Oratore, & Laërtium. Et puto, idem ſtatuendum de Callaicis, gente Hiſpanica: de qua ſic Strabo lib. III. Ἔνιοι δὲ Καλλαϊκοὺς ἀθέους φασί· *Quidam Calliacos non agnoſcere numen ajunt.* Eidem in XVII proditum, Æthiopes ſimiliter atheos eſſe creditos. Suſpicari liceat, hoc inde fuiſſe, quia nulla haberent ſimulachra in templis. Saltem non omnes omni caruiſſe cultu, liquet ex Strabonis lib. XVII; de quo dicam cap. XXXII. Quod verò aliquis propter ea, quæ de Anaxagora dixi, primum exiſtimet ſtatuiſſe Mentem mundi opificem, id longè aliter eſt. Primus quidem Mentem infinitam agnovit, quæ ex infinita congerie partes ſimiles ab aliis ſecerneret, iiſque componendis res novas produceret, iis ſegregandis res veteres deſtrueret. Sed non ἁπλῶς [a] primus è philoſophis Græcis mundi agnovit opificem. Nam & Ionicæ philoſophiæ conditor, Thales Mileſius, à quo diſciplinam ſuam hauſit Anaximander, uti ab illo Anaximenes, Anaxagoræ præceptor, eâdem in ſententia fuit: ut auctor nobis M. Tullius in primo de Natura Deorum: *Aquam,* inquit, *dixit eſſe initium rerum: Deum autem eam Mentem, quæ ex aqua cuncta fingeret.* Quorum utrumque etiam de Thalete refert Minutius in Octavio, & Lactantius lib. 1, cap. 11. Maximè autem hæc de mundi opifice ac rectore ſententia viguit poſt Socratem. Aliter ſcio & tum philoſophi nonnulli; ſi præclarum hoc Sapientum nomen merentur, qui inſaniæ eo devenerant, ut fortunam omnium & cauſſam, & dominam contenderent. Verum hos (Lactantii verbis utar [b]) *cæteri philoſophi, ac maximè Stoici, acerrimè retuderunt, dicentes, nec fieri mundum ſine divina ratione potuiſſe: nec conſtare, niſi ſumma ratione regeretur.* Stoicos imprimis celebrat: ſed non minus laudis promeritus eſt Plato: qui Deum paſſim vocat δημιουργὸν τῶν ἁπάντων, *opificem univerſi.* Cæterum, quibus ægrè erat, ſi uſpiam Plato erraſſet, hi cùm Ariſtotelis de mundi æternitate argumenta ſolvere non ſatis poſſent, doctorem ſuum cum eo conciliare ſunt conati. Sed nolim hac parte fidem detrahere Ariſtoteli, qui annis viginti præceptorem [c] audivit: ac eam, quam dixi, opinionem magiſtro tribuit lib. 1 de cælo cont. CIX, eamque in Timæo legi ſic ait, uti hodieque reperimus. Nec dici poteſt, quam ſtudeant Platonici, ut aliò illa torqueant, quæ ab eo in Timæo ſcripta ſunt. Atque interim, neque cum Crantore, qui in Timæum eſt commentatus, convênit Taurus: neque cum alterutro Jamblichus, Proclus, aut Simplicius: neque cum illis Appulejus, aut Alcinous. Adde jam quod non in Timæo ſolum id dicat Plato; ſed aliis etiam locis: uti epiſt. ad Dionyſium. Mentemque hanc ejus fuiſſe, ac in contrariam receſſiſſe Ariſtotelem, tradit Alexander; quo Græcorum nemo, nedum Latinorum, vel Arabum, Ariſtotelis mentem, vel hac in re, vel in aliis etiam, melius perſpexit. Atque idem de Platone teſtantur Cicero, Plutarchus, Laërtius: item è noſtris Juſtinus Martyr, Clemens Alexandrinus, Euſebius, Auguſtinus, Theodoretus, Stobæus, ut alios mittam.

Platonem quoque ſecutus hac parte M. Tullius. Nam etſi ſæpe Academicam tueatur ἀκαταληψίας [d]: quando tamen ex ſua loquitur ſententia, Platonis opinionem fortiter defendit. Unde in ſecundo de Natura Deorum legas: *Quid poteſt eſſe tam apertum tamque perſpicuum, cùm cælum ſuſpeximus, cæleſtiaque contemplati ſumus, quàm aliquod eſſe Numen præſtantiſſimæ mentis, quo hæc regantur?* Et lib. II de Divinatione: *Eſſe præſtantem aliquam, æternamque naturam, & eam ſuſpiciendam adorandamque hominum generi, pulchritudo mundi, ordoque rerum cæleſtium cogit confiteri.* Sic colligit hic Cicero, ex ſola conſtitutione naturæ. Longeque efficacius idem comprobatur, ſi addamus, quam dixi, providentiam divinam: qua mundum adminiſtrari, idem Tullius agnoſcit.

Sed auctoritate tantorum virorum, parum apud patronos Fortunæ proficimus. Ratio potiùs cum ratione decertet. Negant opus eſſe, ut ſtatuamus hujus mundi opificem, quando dicere liceat vel caſu eum, vel neceſſatiò extitiſſe. Sed in eo, quod de fortuito ac cæco caſu contendunt, cæciores mihi Fortunâ ipsâ videntur, quam cæcam effingunt. Quod enim palatium, quod aliud opus mirandum caſu unquam viderunt proveniſſe, ut de amplo mundi amphitheatro id ſuſtineant dicere? Quo argumento rectè eos oppugnat Plutarchus libro de Placitis philoſophorum: οὐδὲν τῶν καλῶν εἰκῆ, καὶ ὡς ἔτυχε γίνεται, ἀλλὰ μετά τινος τέχνης δημιουργούσης· *nihil pulcre temere & fortuitò naſcitur; ſed ab arte aliqua efficitur.* Adhæc non poſſunt ignorare, omnem cauſſam per accidens, quales ſunt fortuna & caſus, ſubnixam eſſe cauſſa quapiam per ſe. Quomodo ſi ſacrorum cauſſa in templum iturus, in creditorem diu quæſitum inſperatò inciderim; fortuna id factum dixero: ubi voluntas mea per ſe erit cauſſa itionis in templum; per accidens, incidendi in nummarium meum tricοnem. Et, ſi regula de tecto decidens, calvam prætereuntis pertundat, caſum id vocamus: ubi lapſus quidem per accidens eſt cauſſa vulneris: at gravitas lapidis per ſe erit cauſſa, cur deciderit; durities ejus item & acumen, cur vulneret. Quamobrem, ſi caſui, ſive fortuito atomorum concurſui, hæc naturæ compages debetur, ut Democritus putavit: quam, quæſo, ex eo genere, quæ per ſe cauſſæ dicuntur, poterunt adferre? Atque idem ſtatuendum de conſervatione mundi. Ubi quod, niſi aliquid obſtiterit, eodem modo agat natura; rubore eos ſuffundere debet, qui non erubeſcunt dicere, caſu aut fortuna hæc regi. Ac cogitanti, cur eo impudentiæ devenerint, facilè occurrit, vel hoc eſſe ab aliqua ingenii imbecillitate; quia ex nonnullis, quæ objicerentur, non ſatis ſe poſſent expedire: vel ab inſigni eſſe ambitione; quia ſupra receptiſſimas ſapere ſententias vellent. Nec abſurdè de nonnullis, barbâ magis, & pallio, quàm ſententiâ & vitâ philoſophis, propterea hæc placita eos amplexos putemus; quia ſic minori animi ſcrupulo peccatis indulgerent. Quales nihil penſi habuere apertiſſima ire inficias, dummodo theſi inſervirent ſemel ſuſceptæ.

Dixeris cum aliis, mundum hunc, ut non cæco caſu, cæcâ tamen neceſſitate extitiſſe. Sed ſic quoque temporis initium agnoſcunt; eoque etiam originis principium fateantur, neceſſe eſt. Nam ſi mundus cœpit, ab aliquo originem cepit: quod ſaltem negare eos non oportuit, quibus placet,

De [a] nihilo nihilum, in nihilum nil poſſe reverti.

Nos ſcimus, ex nihilo factum aliquid: ſed aliquid factum eſſe ab nihilo, id verò abſurdiſſimum putamus. Et hac parte conſentit nobiſcum Ariſtoteles: cujus certiſſimum illud effatum habemus Metaphyſ. IX, cap. VIII: Ἀεὶ ἐκ τοῦ δυνάμει ὄντος, γίνεται τὸ ἐνεργείᾳ ὄν, ὑπὸ ἐνεργείᾳ ὄντος. ſive, ut Cardinalis Beſſario legit, ὑπὸ ἐνεργείᾳ ὄντος. Si Latinè, & Scholaſticorum verbis malis, *Semper ex eo, quod potentia eſt, fit actu ens ab eo, quod actu eſt.* Sive *ab actu exiſtente.* Etiam pugnantiſſima eſſe, ut aliquid neceſſario ſit, & aliquando cœperit, idem eos docere poſſit in ſecundo de Generat. & Corrupt. cap. XI, cont. LXVIII: Τὸ ἐξ ἀνάγκης, καὶ ἀεὶ, ἅμα. *Neceſſariò & ſemper, ſimul ſunt.* Quod pluribus ibidem declarat.

Viderunt hoc alii, qui idcirco ſtatuerunt, mundum non cæco caſu, ſed neceſſariò, ac proinde ſemper fuiſſe. Eamque ſententiam ſecutus eſt Pythagoras Samius: ſi Varronem audimus lib. II de R. R. cap. I. Eandem Ariſtoteles duodecim, Proclus viginti, Averroes totidem, quot Ariſtoteles, argumentis defenſitavit. Sed Proclo luculentè reſpondit Philoponus: ac quia Philopono ſe oppoſuit Simplicius, huic occurrit è junioribus Steuchus Eugubinus, item aliis alii: ut nihil magnopere hoc attineat loco eadem reponere, quod eſſet actum agere. Solùm dixero, ſi mundus ſemper fuit, infinitos nos habituros majores:

a *Simpliciter.*

b *Lib. I de falſa relig. cap. 2.*

c *Apollodorus apud Laërt.*

d *Incomprehenſibilitatem.*

a *Perſius 3 ſat.*

jores: in cæteris etiam animantibus, quæ ex ſemine generantur, datum iri progreſſum in infinitum: quod in cauſſis per ſe eſſe nequit. Ut omnino agnoſcere cogamur, fuiſſe homines primos, fuiſſe gallinam ante ova, quotcunque animo conceperis. Et aliter ſi eſt, unde tam recens eorum memoria, qui artes quaſque invenerint? unde item, quod illorum nulla, nec vola, nec veſtigium ſuperſit, qui infinitis ante fuerint temporibus? Quod argumentum tanti etiam viſum Lucretio *a* fuit, ut propterea cœpiſſe hunc mundum, & ſans eſſe recentem fateretur.

a Lib. 5.

CAP. II.

Emunctioris naris gentiles vidiſſe, unum eſſe Deum, ſaltem principem: item undecunque perfectum. Perfectiones haſce triplici, juxta Dionyſium, via cognoviſſe: ad tria etiam genera eas ab Aquinate referri. Iiſdem Deum eſſe incorporeum: ac ſuper hoc Tertullianus cum Platone conciliatus. Infinitum etiam ſtatuiſſe: ac ob naturæ excellentiam, & beneficia, coli à nobis velle & debere: atque hoc quoque colligi ex mentis ſibi malè conſciæ angoribus. Deum verum ex parte à gentilium aliquibus cognitum videri. De ara ignoti Dei apud Athenienſes; & ſacris incerti Dei apud Romanos; item iſtac in gentilium ſacris precatione, Domine miſerere; *deque Deo Cneph apud Thebaidos incolas.*

HActenus vidimus, ut Moſaicæ etiam, & Chriſtianæ doctrinæ expertes, partim traditione perpetuâ, partim è rerum naturâ, cognorint univerſitatis parentem & opificem. Ex eâdem verò doctrinâ per manus traditâ, rationeque firmatâ, non multos, ſed unum animo conceperunt, qui omnia condiderit, & arbitrio ſuo moderetur. Itaque illi etiam, qui mundi gubernationem à pluribus diceret ſuſtineri; cùm tamen aliquid maximè ſerium promere vellent, veterem ſervare conſuetudinem, quàm novæ inſiſtere, maluerunt. Ut qui *Deum* potius, quàm *Deos*, dicerent. Unde Lactantius lib. II, cap. I: *Cum jurant, & cum optant, & cum gratias agunt, non Iovem aut Deos multos, ſed Deum nominant. adeo ipſa veritas, cogente natura, etiam ab invitis pectoribus erumpit.* Pluriaque inibi in hanc mentem. Idem lib. I, cap. II: *Convicti de uno Deo, cùm id negare non poſſunt, ipſum ſe colere affirmant: verum hoc ſibi placere, ut Jupiter nominetur.* Nec temerè hoc à Lactantio dici, ipſa gentilium confeſſione comprobatur. Senecam audi lib. IV de beneficiis cap. VII, ubi inter alia ait: *Quoties voles, tibi licet aliter, hunc auctorem rerum noſtrarum compellare. Tot appellationes ejus poſſunt eſſe, quot munera. Hunc & Liberum patrem, & Herculem, ac Mercurium noſtri putant. Sic hunc naturam voca, fatum, fortunam: omnia* EJUSDEM *Dei nomina ſunt, variè utentis ſua poteſtate.* Alium dabo, itidem gentilem. Is erit Maximus: qui ſic ſuo, aliorumque gentilium nomine loquitur epiſtolâ ad B. Auguſtinum: *Equidem unum eſſe Deum ſummum atque magnificum, quis tam demens, tam mente captus, neget eſſe certiſſimum? Hujus nos* VIRTUTES PER MUNDANUM OPUS DIFFUSAS *multis vocabulis invocamus, quoniam nomen ejus cuncti proprium ignoremus. Nam Deus omnibus religionibus commune nomen eſt. Ita fit, ut dum ejus* QUASI QUÆDAM MEMBRA *carptim variis ſupplicationibus proſequimur, totum colere profectò videamur.* Nec eorum hoc duntaxat judicium eſt, qui à nato Chriſto vixerunt. Similiter enim vetuſtiſſimi philoſophorum ſenſere. Uti Italicæ ſectæ princeps, Pythagoras. Hinc Lactantius de ira Dei cap. XI: *Pythagoras unum Deum confitetur, dicens incorporalem eſſe mentem.* Ideo & Deum vocabat Μονάδα ſive unitatem. Macrobius in Somnium Scipionis lib. I, cap. VI: *Monas initium finiſque omnium, neque ipſa principii aut finis ſciens, ad ſummum refertur Deum.* Idem cognoſcere eſt ex Nicomacho Geraſeno apud Photium, & Anonymo in Theologumenis Arithmeticis. Quorum verba, ſi fontes adeundi otium deſit, petere licebit ex magno viro, &, quæ rara virtus, ſine ambitione haſce literas colente, Joanne Meurſio, in erudita diſſertatione de Denario Pythagorico, pro veteri amore, nomini meo, & hoc graviori, dedicatâ. Nec me fugit, Pythagoram plures Deos coluiſſe. Attamen unum agnoſcebat patrem Deûmque hominumque: cæteros pro minoribus habuit Diis, quippe ſummi illius miniſtris. Hoc docet Onatus Pythagoricus, his verbis: Τοὶ δ' ἄλλοι θεοὶ ποτὶ τὸν πρᾶτον θεὸν, καὶ νοητὸν οὕτως ἔχοντι, ὥσπερ χοροὶ ποτὶ κορυφαῖον καὶ στρατιῶται ποτὶ στραταγόν. *Reliqui Dii erga primum ſummumque mente cognoſcendum, ſic ſe habent, ut chorus ad coryphæum, & milites ad ducem.* Ita & Onati nomen, & ejus verba, in Stobæi Eclogis legi oportere, non erit obſcurum, ſiquis primum tertiumque caput, quæ nunc perturbatè leguntur, inter ſeſe conferre volet. Ac Plato ſimiliter, epiſtolâ ad Hermeam, & Coriſcum *a*: Τὸν δημιουργὸν ἡγεμόνα πάντων εἶπε, τῶν τε ὄντων καὶ τῶν μελλόντων· *Opificem dixit principem omnium Deorum, & qui ſunt, & qui futuri.* Ubi de futuris addit, propter animas deinceps meritorum ergo referendas in numerum Deorum. Similia in Timæo dixiſſe, ſoli ignorant, qui protſus in Platone ſunt hoſpites. Atque eadem mens philoſophorum aliis non paucis. Ex quibus conſtat *Antiſthenem in eo libro, qui Phyſicus inſcribebatur, populares Deos multos, naturalem unum eſſe dixiſſe*: quemadmodum eſt apud Ciceronem in primo de Natura Deorum. Ac ab eo fonte idem hauſit Lactantius libro de falſa religione, cap. V, & de Ira Dei, cap. XI, ubi addit, idem fere ſenſiſſe tum Ariſtotelem, tum Zenonem. Atque hæc iis etiam firmantur, quæ legere eſt apud Beſſarionem in ſecundo adverſus Platonis calumniatorem cap. IV, & V. Sed fusè imprimis hoc argumentum tractavit Auguſtinus Steuchus in ſecundo de Perenni philoſophia: ubi multa non infeliciter congeſſit, excepto quod genuinis ſcriptoribus adulterinos ſecurè permiſcet: quales inter alios, quos paſſim ad partes advocat, Hermes Triſmegiſtus, & oracula Sibyllina; ut alibi oſtendimus. Quo pacto autem naturæ lumine unum eſſe Deum cognoſcatur, Lactantius oſtendit lib. I, cap. III; idemque varii Sanctorum Patrum, quando adverſus πολυθεότητα *b* diſſerunt, comprobarunt. Sed acutiùs Scholaſtici: in his Thomas Aquinas, quem vide contra gentes diſſerentem libro primo capite ſecundo ſupra quadrageſimum; & quæ ibidem annotavit Ferrarienſis Franciſcus de Sylveſtris. Sed non convenit, utrùm argumenta ejuſmodi ſint ſolida, an probabilia duntaxat. Prius cenſet Thomas: ut oſtendunt hæc verba ejuſdem libri cap. III: *Sunt ad quæ etiam ratio naturalis pertingere poteſt: ſicut eſt, Deum eſſe, Deum eſſe unum, & alia hujuſmodi: quæ etiam philoſophi demonſtrativè de Deo probaverunt, ducti naturalis lumine rationis.* Sed diſſentit Gabriel Biel: qui ante annos hoſce CXI. Tubingenſi gymnaſio præfuit. Is cenſet, probabiles magis rationes eſſe, quam evidentes & certas. Adi eum in primum Magiſtri Sentent. diſtinct. II, quæſt. X, præcipuè artic. III. Verùm eſto ſanè, ut ſolæ non ſint ἀποδεικτικαὶ *c*: at magnum iis pondus addit traditio vetus: tum autem, quod argumenta iſtæc, ſi non prorſus ἀποδεικτικά, ſaltem uſque adeò probabilia ſint: ut τῆς πολυθεΐας *d* patroni nihil ullius momenti adſerere valeant, cur plures, quàm unum ſtatuere Deum, potius conveniat.

b Multitudinem Deorum.

c Demonſtrativæ.

d Multitudinis Deorum.

Longeque clarius animo comprehenderunt gentiles, Deum omnibus eſſe numeris abſolutum, ſic ut nihil in eo ad perfectionem deſideretur. Nec enim operoſum erat videre, cùm virtus, non in inſtrumentali quidem, quod ſecus fere uſu venit, attamen in principali cauſſa eſſe excellentius ſoleat: quicquid profectò in mundo, ac homine imprimis, boni eſſet, ac præclari, id longè illuſtrius ineſſe Deo: atque è contrario, nihil eorum poſſe Deo adſcribi, quæ aliquam arguerent imperfectionem. Hanc rem Scholaſtici, à Dionyſio *e* ſic edocti, non incommodè explicuerunt. Triplicem enim viam ſtatuunt cognoſcendi Dei. Quas Scholaſticorum verbis, neſcio an ἀμαθέστερον *f*, ſaltem σαφέστερον *g* proponam. Prima iis eſt via cauſſalitatis per attributa relativa: ut cùm creatorem & gubernatorem dicimus.

a Apud Stob. Ecl. Phyſ.

e Lib. de divinis nominibus, cap. 7.

f Rudius.

g Clarius.

mus. Altera eſt via eminentiæ per attributa abſoluta, ac poſitiva, cùm Deum vocamus bonum, ſapientem, potentem; quæ longè excellentiori ratione divino inſunt Numini, quàm nobis. Tertia eſt negationis via per attributa negativa: ut cùm Deum dicimus infinitum, & immutabilem.

Atque hinc percipere eſt, ut ad tria genera reducantur Dei πλειότητες, ſive, ut ſic dixerim, perfectiones. Quod aliter etiam demonſtrat Thomas contra gentes. Vel enim opponitur illa πλειότης imperfectioni rei ut temporalis, vel potentiæ paſſivæ, vel compoſitionis. Primum genus in eo conſiſtit, quòd Deus ſit æternus. Neque enim duratio ejus menſuratur tempore; ut ſit, poſtquam non fuit; vel ut non ſit, ex quo fuit. Nec enim in Deo acquiritur pars poſt partem; ſed totus eſt ſimul juxta æternitatis definitionem, à Boëthio adductam in quinto de Philoſophiæ conſolatione: ubi Æternitas dicitur, *Interminabilis vitæ tota ſimul & perfecta poſſeſſio.* Altera imperfectionis immunitas eſt à potentia paſſiva; quia Deus eſt immutabilis. Nam in Deo non eſt potentia ſeparabilis; ſed neceſſe eſt Deum eſſe, quicquid eſt.

Tertia in eo eſt ſita, quod nulla in Deo ſit compoſitio. Quippe ubi compoſitio, ibi potentia eſt & actus: in Deo autem nulla eſt potentia actui oppoſita. Item, ubi compoſitio, ibi eſt componens. At in Deo non eſt efficiens compoſitionis cauſſa; quæ ſi eſſet, prior foret compoſito. Deus autem eſt prima omnium rerum cauſſa.

Quod ſi nulla in eo compoſitio ſit; conſequitur, nec illum eſſe ex eſſe & eſſentia, ſed ipſum ſuam eſſe eſſentiam: multo minus compoſitum eſſe ex ſubſtantia & accidente: minimè omnium ex corpore & ſpiritu. Quod niſi intellexiſſet Anaxagoras, vir ſanè ſummus, idemque & Periclis, Euripidis, ac Socratis præceptor; non Deum vocaſſet Νοῦν, ſive Mentem. Eademque in ſententia erat Plato: ut qui & ipſe Deum ſtatuerit incorporeum: quemadmodum non ſolum refert B. Auguſtinus in octavo de Civ. Dei cap. VI: ſed multo ante tradidit L. Seneca. Sed quia ejus verba inferius adducam: nunc potius audiamus, utroque antiquiorem M. Tullium: qui ſic de Platone ſcribit in primo de Natura Deorum: *Sine corpore ullo Deum vult eſſe, ut Græci dicunt, ἀσώματον.* Ariſtoteles quoque, ut idem paulo pòſt ait, *ſine corpore vult eſſe Deum.* Quos Cicero ſecutus in primo Tuſcul. quæſt. ubi Deus dicitur *mens ſoluta & libera ſegregata ab omni concretione mortali.*

Sed de Platone obſtare videtur Tertulliani auctoritas; qui non Platonicos minùs, quàm Stoicos, corporalem ſtatuiſſe Deum ſcribit in Apologetico cap. XLVII. Malim ego in hac re fidem habere M. Tullio; cui & Alcinous aſſentit de doctrina Platonis cap. X; ubi & illud addit, contrariam ſententiam eſſe abſurdam. Video, quid moverit Tertullianum. Plato enim, ut idem Cicero in primo de nat. Deorum agnoſcit, *in Timæo dicit, & in Legibus; & mundum Deum eſſe, & cælum, & aſtra, & terram, & animos, & eos, quos majorum inſtituto accepimus.* Subdit deinde Cicero, *Quæ inter ſeſe vehementer ſunt repugnantia.* Pugnare ea non diffiteor: ſed cenſeo ego, ἀσώματον [a] Deum dicere ex ſententia ſua: cùm verò mundum, ſolem, aſtra, & defunctos, dicit Deos, loqui ex aliena. Quomodo antea oſtendimus, Antiſthenem unum ſtatuiſſe Deum naturalem, populares multos.

a Sine corpore.

Nec gentiles viderunt modò, Deum incorporeum eſſe; ſed etiam infinitum. Quod contendit is, quem antea dixi, Anaxagoras: qui primus voluit, omnia eſſe *à mentis infinita vi:* ut ex Tullio jam vidimus. Quare ex ejus ſententia opifex mundi Deus eſt, ut ex Plutarcho antea monitum, νοῦς καθαρὸς καὶ ἄκρατος ἐμμεμιγμένος πᾶσι. *mens pura ac ſincera, omnibus permixta.* Omnia igitur, ejus judicio, divina mens pervadit. Quæ & Platonis ſententia fuit. Eamque ſecutus quoque eſt Aratus, initio φαινομένων: ubi cùm ſic orſus eſſet,

Ἐκ Διὸς ἀρχώμεσθα, ——
Ab Iove principium:

mox tradit, & compita, & hominum cœtus, & mare, & portus, eſſe Iovis plenos: quod paucis Maro Ecl. III: —— *Iovis omnia plena.* Nempe Aratum expreſſit Maro, ut Servius quoque annotavit.

Cùm verò gentiles, ſi non univerſi, at prope univerſi; ſi non omnia iſta, at penè omnia, lumine perſpexerint naturæ: quid mirum, ſi iidem traditione prævia, facilè animadverterint, tum ob divinæ naturæ excellentiam, tum ob ejus benefacta, nefas fore, ſi non animum ac cogitationes univerſas ad Dei cultum referrent. Nec leve huic traditioni pondus addidit, quòd etiam, qui nullo teſte peccant, à propria redarguantur conſcientia: de qua nemo poteſt ignorare, quam ampla ſit teſtimoniorum ſeges apud poëtas, oratores, hiſtoricos, philoſophos, & cæteros gentium ſcriptores. Nec diffiteor, ſemper eſſe inventos, quorum animus conſuetudine peccandi quaſi callo eſſet obductus, ſic ut nullum viderentur habere Dei ſenſum. Sed tales, cùm res fluunt adverſæ, torum inſtar, qui à profundo ſomnio expergiſcuntur, vel ab ebrietate ad ſe redeunt, cogitare de Deo, ejuſque judicium extimeſcere, incipiunt.

Sed quæſtio hic exſurgit, an qui in tenebris illis eo uſque oculos ſuſtulerunt, dici etiam poſſint, aliquem veri Dei ſenſum habuiſſe. Multis ſecus videtur. Nam aliud, inquiunt, eſt colere Iovem gentium, aliud Iehovam aut Ieheve Iſraëlis. Sed quid hi facient B. Paulo in Actis cap. XVII, 28, 29? Dixerat Aratus, ut paullo antè meminimus, ab Iove incipiendum, qui omnia pertineat. Eone Apoſtolus, qui Deum vocat Iovem, intelligit illum poëtarum Iovem, tot adulteriis infamem? num illum hiſtoricorum, Aſterium dico, Cretenſium regem, qui rapuit Europam? aut Tantalum, Ganymedis raptorem? num illum Aſtrologorum, planetam videlicet interpoſitum inter Saturnum, & Martem? Nihil ſanè horum: ſed cum philoſophis intellexit mentem infinitam, cuncta permeantem. Alioqui non probatum iret, quod Aratus ſuperioribus ſubdit:

Τοῦ γὰρ καὶ γένος ἐσμέν. ——
Nam genus illius ſumus. ——

Mens igitur Apoſtoli eſt, nos ejus eſſe numinis progeniem, quod per Iovem intelligerent è gentibus ſaniores. Quod non diceret, niſi in nationibus etiam aliqui notitiam veri numinis habuiſſent. Et quomodo hoc ſuſtinent negare, cùm idem Apoſtolus dicat ad Rom. I, 19, Τὸ γνωστὸν τοῦ Θεοῦ φανερόν ἐστιν ἐν αὐτοῖς. ὁ γὰρ Θεὸς αὐτοῖς ἐφανέρωσε. *Quod de Deo cognoſci poteſt, manifeſtum eſt in illis: Deus enim illis patefecit.* Et mox: Γνόντες τὸν Θεὸν, *cùm Deum cognoverint:* nempe verum Deum; cùm abſurdum dictu ſit, Deum, qui unicus eſt, alium iis monſtraſſe Deum, quàm ſe ipſum. Ex Apoſtoli igitur verbis liquet, aliquos cognoviſſe Deum, non quidem, quantum par erat; ex parte tamen, plenius agnituri, niſi obviam veritatem, hoc eſt, Deum in operibus loquentem, ex parte recepiſſent, ex parte rejeciſſent, ut poſtea dicemus. Et ſanè ex parte recepiſſe, comprobatur etiam exemplo Epimenidis Cretenſis. Hic, peſtilentiâ Athenis obortâ, oves albas ac nigras, in Areopagum adduxit, ac dimiſſis deinde quò ire vellent, auctor fuit, ut, ubi illæ recubuiſſent, ibi ſacrificarent τῷ προσήκοντι θεῷ, *Deo convenienti,* ſive *proprio:* ut auctor eſt Laërtius in Epimenide. Atque ait, hinc provenire etiam, quod ſuo tempore Athenis forent βωμοὶ ἀνώνυμοι, *aræ ſine nomine.* At venit Epimenides Athenas Olympiadis XL. anno I: Laërtius claruit temporibus Antonini Philoſophi, ac Commodi, vel circiter: hoc eſt, poſt Epimenidem Olympiadibus quaſi ducentis. Eò autem ſtatutæ aræ ſine nomine, quia Epimenides neſciret, cui Deorum ſacrificandum eſſet ad avertendam peſtilentiam: unde præcipere erat contentus, ut ſacrificarent Deo convenienti, hoc eſt, verè poteſtatem habenti peſtilentiæ averruncandæ, quiſquis is tandem foret. De his ignotorum Deorum aris meminit & Pauſanias lib. I, Philoſtratus lib. VI, Hieronymus in epiſt. ad Tit. cap. I. Nempe hic apud Græcos ſe res habuit non abſimili ratione, ac apud Romanos in terræ motu: de quo ita Agellius lib. II,

V. Lomeijer

cap. XXVIII: *Veteres Romani, cum in omnibus aliis vitæ officiis, tum in conſtituendis religionibus, atque in Diis immortalibus animadvertendis, caſtiſſimi cautiſſimique; ubi terram moviſſe ſenſerant, nuntiatumve erat, ferias ejus rei cauſâ edicto imperabant. Sed Dei nomen, ita uti ſolet, cui ſervari ferias oporteret, ſtatuere & edicere quieſcebant: ne alium pro alio nominando, falſa religione populum alligarent. Eas ferias ſiquis polluiſſet, piaculoque ob hanc rem opus eſſet, hoſtiam,* SI DEO SI DEÆ *immolabat. Idque ita ex decreto Pontificum obſervatum eſſe, M. Varro dicit; quoniam & qua vi, & per quem Deorum Dearumve, terra tremeret, incertum eſſet.* Quibus ex verbis non obſcurum eſt, qui à veteribus *Dii* dicantur *ignoti*, & cujuſmodi fuerunt eorum aræ. Nec quia *Deorum* dicantur, eo putandum, nullam fuiſſe, quæ ſingulo numero *Ara ignoti Dei* vocaretur. Nam longè aliud nos docuerit Lucianus, ſive alius potius, dialogo eo, qui Philopatris inſcribitur: ubi legas, Νὴ τὸν ἄγνωστον ἐν Ἀθήναις. *Non per Ignotum Athenis.* Ac in dialogi fine, Ἡμεῖς δὲ τὸν ἐν Ἀθήναις ἄγνωστον ἐφευρόντες, καὶ προσκυνήσαντες, χεῖρας εἰς οὐρανὸν ἐκτείναντες, τούτῳ εὐχαριστήσομεν. *Nos autem Athenis Deum ignotum invenientes, & adorantes manibus in cœlum expanſis, huic gratias agemus.* Atque hæc eſt ara, de qua ſic B. Paulus Actor. XVII, 23, Διερχόμενος γὰρ καὶ ἀναθεωρῶν τὰ σεβάσματα ὑμῶν, εὗρον καὶ βωμὸν, ἐν ᾧ ἐπεγέγραπτο, Ἀγνώστῳ Θεῷ. Ὃν οὖν ἀγνοοῦντες εὐσεβεῖτε, τοῦτον ἐγὼ καταγγέλλω ὑμῖν. *Præteriens & videns ſimulacra veſtra, vidi & aram in qua ſcriptum erat,* IGNOTO DEO. *Quod ergo ignorantes colitis, hoc ego annuncio vobis.* Quàm apertè indicat Paulus, Athenienſes illud coluiſſe numen, quod ipſe eſſet annunciaturus, ut deinceps agnoſcerent! Nec cùm apud Lucanum in ſecundo Pharſaliæ,

— *Dedita ſacris*
Incerti Judæa Dei —

legimus: incertus ille alius eſt, quàm verus Iſraëlis Deus: ſed poëtæ vocatur *Incertus*, quia dicere non poſſet, utrum foret Saturnus, an Jupiter, vel Mars, vel quo tandem vocabulo gauderet. Quod à gemina cauſſa provênit. Judæi enim τετραγράμματον Dei nomen non efferebant vulgo, ne gentium ludibrio exponeretur, vel etiam in populo Dei viliſceret. Nec poterant gentes ex cultu Judaico, qui ab deorum gentilium cultu pluſimùm diſtabat, certi quid colligere. Nam quod Plutarchus in Problematis a ex Tabernaculorum feſto Bacchum fuiſſe conjectabat, id putidius eſt, quàm ut refelli mereatur. Non dubium igitur, quin ille, qui Athenienſibus ignotus, idem Lucano Deus ſit incertus; interim aliquo modo cognitus: cognitus confuſè & potentiâ; ignotus diſtinctè & actu: quomodo Menonis dubitationi, quæ eſt apud Platonem, occurrere docet Ariſtoteles lib. I. Poſt. Anal. cap. I. Cùm verò non vereatur Apoſtolus Paulus dicere, Athenienſes, licet ignorantes, coluiſſe illud numen, quod ipſe annuntiaret: facilè mihi perſuadeam, poſtquam Chriſtiana doctrina gentilibus innotuit, etiam qui necdum reciperent Chriſtum, majori tamen curâ aciem animi in naturam Dei intendiſſe, ac quadam confuſâ notitiâ invocaſſe non tam rerum naturam, quàm naturæ opificem, & rectorem Deum. Ut qui ſic Deum rogarent, Κύριε ἐλέησον, *Domine miſerere:* quæ Eccleſiæ eſt Chriſtianæ precatio. At ſi non ante, ſaltem jam Hadriani Cæſaris temporibus, qui à nato Chriſto CXX annis claruit, ſimiliter Deo ſupplicarunt gentilium ſapientiores. Quem ritum tangit nobilis ejus temporis ſcriptor Arrianus diſſertationum Epicteti lib. II, cap. VII. Τὸν Θεὸν ἐπικαλούμενοι δεόμεθα αὐτοῦ, Κύριε ἐλέησον· *Deum invocantes, precamur eum, Domine miſerere noſtri.*

a Sympoſiacon lib 4 quæſt. 5.

Sed de gentilium illis, qui jam exortâ religione Chriſtianâ vixerunt, facilè hoc aliquis ſibi perſuaſerit. Quid verò, quòd in Ægypto, qua non altera tellus fuiſſe ſuperſtitioſior creditur, etiam Deus unicus mundi opifex cultus videtur? Quod ex Plutarcho cognoſcere eſt de Iſide & Oſiride: ſed apud eum in Aldina, Stephanica, poſtrema Pariſina b, perperam Κνηφαγοῦντας legas. Sic enim reſcribendum: Μόνους δὲ μὴ διδόναι τοὺς Θηβαΐδα κατοικοῦντας, ὡς θνητὸν οὐδένα νομίζοντας, ἀλλὰ ὃν καλοῦσιν αὐτοὶ Κνὴφ, ἀγέννητον ὄντα καὶ ἀθάνατον· *Solos eſſe immunes Thebaidos incolas: quippe qui nullum cenſeant Deum mortalem: ſed quem ipſi Deum Cneph appellant, qui nec habeat originem, nec ſit mortalis.* Teſtis quoque Porphyrius apud Euſebium in tertio Præparationis Euangelicæ cap. XII. Ubi ſimiliter traditur, Ægyptios unum ſtatuiſſe Deum, puta τὸν δημιουργὸν, ſive *opificem mundi:* atque eum vocitaſſe Κνὴφ, ejuſque ſimulachrum ex ore ovum effudiſſe, ut mundi eſſe opificem ſignificetur. Nam ovum mundi ſymbolum Ægyptiis fuit. Videtur autem Cneph idem ac Cnuphis: de quo Strabo in ſeptimodecimo. Nam ait templum ejus eſſe in Syene: ea autem Thebaidos pars: Thebanos autem unum coluiſſe Deum, quem Cneph dicerent, teſtis eſt Plutarchus, ut jam vidimus. Unde verò Κνὴφ vel Κνοῦφις ſit dictus, & quæ forma ejus fuerit hieroglyphica, infra commodiùs exponetur.

b Anni 1624.

CAP. III.

Ex iis, quæ diximus, religio definitur: ac biſariam ab ea recedi, impietate ſi Deus ignoretur, & ſuperſtitione, ſi cultus Dei proprius alio transferatur. Ad priorem perperam jam olim relatos βαρβαρισμοὺς καὶ σκυθισμούς; ortumque eum errorem ex loco Paulino male intellecto. Ἀθεότητος, vocabulo eo laxius ſumto, quatuor genera videri. Δεισιδαιμονίαν ſive ſuperſtitionem duplicem eſſe: ac prius genus propriè magis idololatriam vocari: quod non unâ ejus deſcriptione ex veteribus comprobatur. Interim & idololatriam rectè dici, cùm adverſus Dei mandatum in ſimulachro colitur Deus: Id factum eſſe ab Iſraelitis, cùm Aaronicos colerent vitulos. Nec ullius eſſe ponderis, quæ huic ſententiæ obducuntur: inter alia, cum duplex Dei oblivio confunditur: item quando res non divino æſtimatur judicio, ſed humano duntaxat. Hujus etiam generis eſſe Teraphim Michæ, & vitulos Jeroboami. Idololatriam ratione hujus generis, & ejus, quo alius colitur, genus eſſe ὁμώνυμον πρὸς ἕν. Præterea κατὰ μεταφορὰν dici idololatriam, quando in opibus, honore, potentia, vel voluptate, ſummum bonum collocatur. Deinceps tantum actum iri de idololatria, quæ alius colitur Deus.

ADumbravimus ea, ad quæ lumine naturæ potuit perveniri, tum in cognitione Dei, tum in cultu ejus: in quibus duobus religio conſiſtit: ut quæ ſit rectus veri Dei cultus. Vel ſi plenius eam definire ſit animus, præeunte Apoſtolo initio epiſtolæ ad Titum, ἐπίγνωσις ἀληθείας τῆς κατ' εὐσέβειαν ἐπ' ἐλπίδι ζωῆς αἰωνίου· *agnitio veritatis ejus, quæ eſt ſecundùm pietatem, ad ſpem vitæ æternæ.* Quo loco Apoſtolus religionem vocat cognitionem ſive fidem: nempe non θεωρητικὴν, quæ ſolùm inſtruit intellectum; ſed πρακτικὴν, quæ præterea perficit voluntatem: quippe quæ, ut finem proximum, ſibi propoſitam habeat pietatem, hoc eſt, dilectionem Dei, & proximi; ut ultimum verò finem, ſpem vitæ æternæ.

Ab religione hac verâ rectâque biſariam receditur: vel defectu, qui eſt divini numinis contemtus: vel exceſſu ejus, qui eſt Dei cultus ſuperfluo quopiam vitiatus. Prior dicitur ἀθεότης, & aliquibus *irreligioſitas:* poſterior vocatur δεισιδαιμονία, Latinis *ſuperſtitio*, à ſuperſtando: non quaſi Deus verus vero cultu nimium coli poſſit: ſed quia ad materiem cultus accedat, quod eum corrumpat. Utrumque modum exponit Clemens Alexandrinus. Admonitione ad gentes: Ἀκρότητες ἀμαθίας, ἀθεότης καὶ δεισιδαιμονία· ὧν ἐκτὸς μένειν σπουδαστέον· *Extrema ignorantiæ ſunt, Impietas, & Superſtitio: extra quæ ſtudendum eſt manere.* Imò ſimiliter ante eum Plutarchus in erudito libello de Iſide & Oſiride: Ἔνιοι ἀποσφαλέντες παντάπασιν εἰς δεισιδαιμονίαν ὤλισθον· οἱ δὲ φεύγοντες ὥσπερ ἕλος τὴν δεισιδαιμονίαν, ἔλαθον αὖθις, ὥσπερ εἰς κρημνὸν ἐμπεσόντες τὴν ἀθεότητα· *Nonnulli, à recto itinere aberrantes, planè in ſuperſtitionem inciderunt: alii, velut paludem a, fugiendo*

a Xylandri interpretatio habet, ut par erat. Perperam. cum hic ut ſolent Scylla, & Charybdis; ſic palus, & præcipitium, opponantur. Nam ἕλος palus.

giendo ſuperſtitionem, imprudentes in præcipitium quaſi quoddam, in impietatem inciderunt.

Ad prius genus pertinent, qui taciti cum inſipiente dicunt; *Non eſt Deus:* ut regius prophetes gemino, ſed ejuſdem argumenti pſalmo, conqueritur, tertiodecimo, & quinquageſimo ſecundo; ſive ſecundùm Latinos, XLV, & LIII. Tam fœdus error vocatur à multis βαρβαρισμὸς, καὶ Σκυθισμός: quorum ille putatur, juxta Epiphanium, ante diluvium; hic poſtea obtinuiſſe uſque ad Serugum; cujus tempore cœperit Helleniſmus. Sed nec Epiphanius dicit, barbaros illos, vel Scythas, nullum numen agnoviſſe: nec ſatis convenienter Scythæ memorantur ante Serugum; cùm citra dubium Babylonica turri longè ſint poſteriores. Præterea, & βαρβαρισμοῦ, & Σκυθισμοῦ nomina, parum huic rei ſunt idonea; nec aliunde hauſta, quàm ex malè intellecto Apoſtoli loco ad Coloſſenſ. III, verſ. 11: *Ubi non eſt Græcus, & Judæus; barbarus, & Scythes.* Neque enim Apoſtolus variam de Deo ſententiam ſignat: ſed ſolùm ait, in renovatione Chriſtiana, non meliorem, aut deteriorem eſſe conditionem Judæi, quàm Græci; nec Græci, quàm barbari; nec vulgaris barbari, quàm Scythæ; etſi hic cæteros ſuperare barbarie exiſtimetur.

Ἀθεότητος autem, ſive *irreligioſitatis* nomen latiùs nobis in hoc negotio patet, quàm Plutarcho in verbis allatis. Ut & δεισιδαιμονίας ſive *ſuperſtitionis* vocabulum laxiùs uſurpamus, quàm ab eo factum. Atque id, quia omnis à recta religione receſſus nominibus iſtis, quibus meliora non ſuppetunt, generatim comprehendatur. Ἄθεος a igitur dicitur nobis, quandocunque non agnoſcitur Deus, & providentia ejus erga ſingulos, & in hac vita, & futura. Itaque quadruplex eſt ἀθεότητος genus, aliud alio nequius. Primò committitur illa, ſiquis eò furoris deveniat, ut, ad tempus ſaltem, quia non videt Deum, eò in animum ſuum inducere poſſit, nec eſſe Deum. Deinde ſi non colitur, vel ſaltem nonniſi ob naturam præſtantem; non verò, quia quis opem ab eo, vel gratiam exſpectet; quippe qui neminem amet, neminem curet. Unde ἀσεβεῖς b dicti; qualis Epicureus omnis,

Parcus Deorum cultor & infrequens:

ut Horatio c deſcribitur. Exinde ſi exiſtimetur, uti ſummates viri ſummorum curam gerunt; imis, & minutis, alios præficiunt: ita Deos cæleſtes de procerum rebus laborare, non ſpectare illas homullorum: quod Cæſar tumultuanti ait militi apud Lucanum in quincto belli civilis d. Semiepicureos, puto, non incommodè dixeris. Denique ſi Deus ſolùm colatur, ut remunerator in hac vita: quæ Sadducæorum mens erat; ut oſtendimus diſſertatione de Rabbinorum temporibus.

a *Numinis inficiatio.*

b *Impii, ac inficiatores cultus divini.*

c *Od. 34. lib. 1.*

d *Verſ. 342, & ſeq.*

Similiter δεισιδαιμονίαν ſive ſuperſtitionem, laxiùs eâ voce acceptâ, nuncupo, quando Deus agnoſcitur, ac providentia ejus erga omnes, & hic, & in altera vita: ſed vel veri Dei cultus præſtatur falſo numini, vel falſo cultu Deus verus coli exiſtimatur. Prius vocari ſolet *ſuperſtitio falſi cultus*; quia falſum colitur numen: poſterius dicitur *ſuperſtitio cultus indebiti*; quia non colitur Deus eo cultu, quo debetur. Prior modus etiam vocatur εἰδωλολατρεία. Neque obſtat, quòd non ſemper pro Deo colatur imago, aut ſimulachrum: quale ſi divino honore afficiatur, *idolum* nuncupatur. Quippe, iſtac propriâ magis idoli ſignificatione laxiùs extenſâ, idolum etiam dicitur, quicquid mens humana in veri numinis locum ſubſtituit. Et ad hoc genus loquendi præeunt nobis ſeptuaginta ſenes, 1 Paralip. XVI, 26, ubi vertunt: Πάντες οἱ θεοὶ τῶν ἐθνῶν εἴδωλα. Ac *idola* etiam retinuit Latinus interpres. Hebraicè eſt אלילים, *elilim*, hoc eſt, *vanitates*, vel, ut ſic dicam, *nullitates*. Unde & Apoſtolus ait 1 Cor. VIII, 4: Οὐδὲν εἴδωλον ἐν κόσμῳ: quaſi diceret; idolum nec numen eſt, nec vim numinis habet: ſed res eſt vana, & inane hominum commentum; eoque nulla virtute præditum, ad hominem vel ſanctificandum, vel polluendum. Unde deinceps colligit, in edendis iis, quæ idolis ſunt immolata, per ſe nullum eſſe crimen; ſed tum demum peccari, ſiquis hac edendi libertate abutatur neglectâ charitate: ut ſi de iis comedat cum offendiculo infirmi fratris. Hæc evincunt, non de ſolis imaginibus, vel ſimulachris, divino honore affectis, idolum uſurpari; ſed aliquanto laxiori ſignificatione: quomodo & idoli, & idololatriæ nominibus paſſim veteres utuntur Theologi; quemadmodum vel fidem fecerint eorum deſcriptiones. Ita Tertullianus lib. de idololatria cap. 1: *Idololatria Deo fraudem facit, honores illi ſuos denegans, & conferens aliis, ut fraudi etiam contumeliam conjungat.* Et Cyprianus ad Fort. in exhortatione ad Mart. *Tunc idololatria committitur, cùm divinus honos alteri datur.* Gregorio Nazianzeno quoque orat. panegyrica in natalem Chriſti εἰδωλολατρεία dicitur μετάθεσις τῆς προσκυνήσεως ἀπὸ τοῦ πεποιηκότος ἐπὶ τὰ κτίσματα. *Cultus atque adorationis tranſlatio à creatore ad creaturam.* Itidem Ambroſius, ſive potiùs Hilarius, diaconus Romanus, in cap. quinctum epiſtolæ Paulinæ ad Epheſios: *Idololatria Dei honorem uſurpat, & vindicat creaturæ.* Ac ſimiliter B. Auguſtinus lib. V. Locutionis de Deuteron. & lib. 1. de Trinit. cap. VI, ut tot alios SS. Patrum prætercam.

Imò nec arbitror ſolùm eſſe δεισιδαιμονίαν, vel εἰδωλολατρείαν, ſi homo in tantum à veri ratione receſſerit, ut alium colere Deum in animum inducat: ſed etiam ſi cultum religioſum, mandato Dei adverſantem, quadam mentis inductione complectatur: non omnem dico, cùm multi hic erroris gradus eſſe poſſint; ſed ſi is, Deo invito, in creatura præſtetur, ut ſymbolo divinum numen repræſentante. Claro & illuſtri, ſed deformi exemplo fuere Iſraëlitæ, Deum venerantes in vitulis Aaronicis. Ubi bifariam peccatum, efformando idolum, & honorando. Efformando quidem, quia tranſmutarunt gloriam incorruptibilis Dei in ſimilitudinem bovis comedentis herbam: ut verbis utar Scripturæ Pſal. CVI, 20, & Rom. 1, 23. Honorando autem, quia adorarunt vitulum, eique ſacrificarunt: ut eadem loquitur Scriptura Exod. XXXII, 8, & Actor. VII, 41. Exiſtimet aliquis, non graviter adeò peccâſſe Iſraëlitas. Nam cùm dicerent, *Fac nobis Deos, qui antecedant nobis*, ut eſt Exod. XXXI, 1: non aliud eos egiſſe, quàm, ut ſymbolum veri haberent numinis, quemadmodum falſo gentiles gauderent: atque hoc eo fine exoptaſſe, ut iſto ſymbolo præſente & præeunte, ſignum haberent præſentis & præeuntis numinis divini. Equidem non diffiteor, Iſraëlitas univerſos, vel ſaltem non extremâ ſtultitiâ obcæcatos, propoſitum habuiſſe colendi in vitulis verum Deum: quod inter alios etiam agnoſcit Joannes Ferus in Act. VII, 41; ac probat ex ipſis Iſraëlitarum verbis Exodi XXXII, 4. *Hi ſunt Dii tui, Iſraël, qui te eduxerunt de terra Ægypti.* Indéque colligit, non in alieni Dei cultu peccâſſe; ſed eo, quòd, contra Dei præceptum, eum in idolo colere vellent. Nec huic obſtat ſententiæ, quod Hebraicè ibi eſt, *Elohim tui.* Nam Neh. IX, 18, ubi idem refertur, ſingulo numero eſt, *Deus tuus.* Et ſatis conſtat, *Elohim* tribui uni Deo Iſraëlis: ut ex numero plurativo de naturarum multitudine ſtatui non poſſit. Nihilo validius, quod vitulum colentes obliti dicantur Dei: ut legere eſt Deuteron. XXXII, Pſal. CVI, ſive Latinis CV, & Jer. II. Nam rectè id Bonaventuræ, Richardo a, & aliis, in re alia obſervatum, duplicem eſſe oblivionem: unam, qua ſpecies μνημονευτικαὶ abolentur ex animo: alteram, qua illæ non recoluntur, ut oportet, nempe animo circa alia magis intento: unde fit, ut quis contrarium agat ejus, quod acturus eſſet, ſi convenienter recordaretur. Poſteriori ratione mulier obliviſcitur conjugis ſui, ſive fœderis conjugalis, quando illecebris pellecta ſeſe alteri proſtituit. Ac homo item dicitur oblitus Dei, & fœderis divini, cùm ſtultis cogitationibus indulgens, alium colere Deum, vel in ſymbolo interdicto venerari præſumit. Hæc propriè non oblivio eſt, ſed quaſi oblivio; quia homo ſe componit, quaſi oblitus: nihilominus in Scripturis, κατὰ μεταφορὰν ipſa etiam *numinis oblivio* nuncupatur. Et ſanè Iſraëlitas non propriè oblivione voluntaria memoriam contriviſſe benefactorum Dei, liquidò oſtendit: quod vitulus dicitur ille Deus, qui

a *Diſt. 7. art. 3. qu. 1, l. 1.*

Iſraë-

Iſraëlitas duxerat ex Ægypto; ubi per vitulum nonniſi veri Dei imago intelligi poteſt. Et ibidem, commate proximo, cùm Aaron coram vitulo altare extruxiſſet, diſertim feſtum indicit Jehovæ; quod nomen grande nunquam ille, aut Moſes Diis gentium tribuiſſet. Dixeris, Iſraëlitas non vehementem adeo pœnam promeritos videri, ſi non deſciverint à vero Deo. Quaſi non ſufficiat, quòd deſciverant à cultu vero. Coluere enim Deum ritu gentili: qui prætérquam quod divinæ eſſet voluntati repugnantiſſimus, in iſta humanarum mentium caligine pleniſſimus periculi fuit; quia experientia oſtendit, quam facile cultus ſymbolicus in proprium convertatur. Accedit, quod conſiderari hæc debent non ſolùm ex propoſito hominis; ſed etiam ex natura rei, & judicio divino. Atqui utcunque Iſraëlitæ putarent, obſervantiam ſuam non in vitulis, ſed in Deo ſiſti: Deo tamen prorſus averſante hunc cultum, ac quaſi à ſe repellente, non potuit honos ille per vitulos ad Deum transferri, ſed neceſſe eum fuit in vitulis terminari. Unde & hujuſmodi vitulum εἴδωλον vocare non dubitat protomartyr Stephanus Act. VII, 41. Ut licet in vitulo voluerint λατρείαν præſtare vero Deo; merito nihilominus ſic quoque idololatria nuncupetur.

Valde eò etiam inclinat animus, ut exiſtimem, idem eſſe judicii ferendum de ſimulachro Michæ: de quo Judic. XVII. Siquidem mater ejus argentum, unde factum ſimulachrum, ſacrificâſſe dicitur Jehovæ: & Micham velle in eo colere Deum Iſraëlis, ſatis arguitur, verbis iſtis: *Nunc novi Jehovam beneſacturum eſſe mihi, eò quòd eſt mihi Levita in ſacerdotem.* Et tamen vetus interpres, quod Hebraicè *Teraphim*, interpretatur *idolum*.

Longeque apertior res de vitulis, quos Jeroboam in Dan & Bethel conſtituit: ut legere eſt I ſive III Reg. XII, 28. Hoſce vitulos pro idolis habuit Deus: ut oſtendunt illa de Jeroboamo verba cap. XIV, 9, *Feciſti tibi deos alienos & conflatiles, ut me ad iracundiam provocares: me autem projeciſti poſt corpus* (ſive tergum) *tuum.* Quid iſtis apertius? Et tamen verum Deum in vitulis coli Jeroboam juſſit: quod non obſcurè ait Flavius Joſephus Antiquitatum Judaicarum lib. VIII, cap. III, ſive in tralatione Rufini, VIII. Comparat enim ſe cum Salomone, &, ut convenientiam cultus oſtendat, ait, Πεποίηκα κἀγὼ δύο χρυσᾶς δαμάλεις ἐπωνύμους τοῦ θεοῦ· *Et ego feci duas vitulas, qui idem, ac Deus, nomen obtinebunt.* Nec ſanè, alium inducendo Deum, populo Iſraëlitico perſuaſiſſet. Apertéque hoc minoris idololatriæ genus ab manifeſta illa, craſſaque diſtinguit Scriptura I Reg. XVI, 30, 31, 32: *Et fecit Achab, filius Amri, malum in conſpectu Domini ſuper omnes, qui fuerunt ante eum: Nec ſuffecit ei, ut ambularet in peccatis Jeroboam, filii Nabat: inſuper duxit uxorem Iezabel, filiam Eth baal, regis Sidoniorum: & abiit, & ſervivit Baal, & adoravit eum: Et poſuit aram Baal in templo Baal, quod ædificaverat in Samaria. Et plantavit lucum: & addidit Achab in opere ſuo, irritans Dominum Deum Iſraël, ſuper omnes reges Iſraël, qui fuerunt ante eum.* Quàm apertè docet, diverſam eſſe rationem in vitulis adorantium verum Deum, & illorum in ſimulachris colentium Solem, vel aliud Dei opificium. Et diſcrimen hoc reſpexit etiam Elias propheta, cùm I Reg. XVIII, 21, ait: *Quouſque claudicaturi eſtis in duabus cogitationibus? ſi Jehova eſt Deus, ſequimini eum. Sin autem Baal, ſequimini eum.* Et rex Jehu II ſive IV Reg. X, 16, cùm Baalis ſervos necaret, ac ſtatuas tolleret, *Vide*, inquit, *zelum meum pro Domino.* At idem, qui verum Deum in vitulis adorarent, non ſuſtulit; ſed appellat *ſervos Jehovæ.* Comparatè nimirum, præ Baaliticis cultoribus, & æſtimando eos ex propoſito humano; quod etſi non penitus tollebat idololatriæ crimen, multis tamen partibus levius reddebat, etiam æſtimatione divinâ. Nempe idololatria eſt ex iis, quæ Ariſtoteli vocantur ὁμώνυμα πρὸς ἕν, ἢ μίαν τινὰ φύσιν *a*, ut lib. III Metaph. cap. II; vel ἀφ᾽ ἑνὸς *b*, ut lib. I Eth. cap. IV; vel κατὰ πρότερον καὶ ὕστερον λεγόμενα *c*, ut libris de Ortu & Interitu. Quale genus eſt τὸ ὂν *d* ratione ſubſtantiæ & accidentis; demonſtratio ratione illius τοῦ διότι ἢ τοῦ ὅτι *a*. Scholaſtici *æquivoca analoga* appellant: ſed perperam, ut videre eſt ex iis, quæ Ariſtoteles ſcribit lib. VII Φυσ. ἀκροάσ. contextu XXXI, & quæ ibidem annotavit Simplicius.

a *Æquivoca ad unum, & ad unam naturam.*
b *Ab uno.*
c *Secundum prius, & poſterius dicta.*
d *Ens.*

a *Quare ſit, & quod ſit.*

Eſt verò præter hæc duo idololatriæ genera, quæ magis propriè ſic dicuntur, tertium etiam; ſed à natura veri ὁμωνυμίᾳ longius recedens: quippe planè μεταφορικόν. Deus enim in Verbo ſuo *b* etiam appellat idololatras, qui fiduciam non tam in ſummo collocent numine, quàm in divitiis. Ac par eorum eſt ratio, qui ſummum bonum, non in Deo, & conjunctione ſui cum Deo reponerent; ſed in corporea voluptate: unde in Scripturis *c* Deus eorum dicitur venter. Ac ſimiliter pronuncies, ambitioſis honorem eſſe Deum. Univerſè enim eſt verum, quod B. Hieronymus in prophetæ Amos cap. IV, ſcribit: *Unuſquiſque adorans vitia ſua atque peccata, Deum habere cœpit, à quo victus eſt; dicente Petro Apoſtolo* d: *A quo enim quis ſuperatur, hujus & ſervus eſt. Avarus aurum, guloſus ventrem, libidinoſus penem & Beelphegor colit. Laſciva mulier, quæ cum in deliciis mortua eſt, adorat venereas voluptates.*

b *Epheſ. 5. & Coloſſ. 3.*
c *Philipp. 3. 19.*
d *2, 2, 19.*

Hujuſmodi tamen idololatria, ubi non objecto, ſed ſolo actu peccatur; non propriè, ſed, ut dixi, tralatitiè, idololatria vocatur. Nec enim id homines ejuſmodi ſibi propoſitum habent, ut honori, ventri, opibus, cultum præſtent religioſum; vel per eorum venerationem colant ſuperiorem aliquam naturam. Sed Scripturis præeuntibus, conſideramus rem, qualis eſt in ſe, & natura ſuâ. Nam pro ſummo aliquid bono habere, vel fidere alicui ſupra omnia, revera eſt actus ſoli Deo conveniens. Eoque, cui ſic fiditur, utcunque non credatur Deus, tamen colitur ut Deus: cumque actus, qui illis præſtatur, ex intentione agentis, ſolùm ſit moralis; tamen naturâ ſuâ, ac propterea etiam interpretatione divinâ, eſt religioſus ac divinus.

Nobis verò hoc loco decretum eſt agere, non de quavis idololatria; ſed eâ duntaxat, quâ homo Deum ſibi colere proponit: nec ea omni, (nec enim illa, quâ actu tantummodo aberratur) verùm, quâ objecto etiam peccatur: hoc eſt, qua falſo numini cultus præſtatur divinus.

CAP. IV.

Non perveniſſe vulgò gentiles ad omnem de Deo notitiam, quam naturæ lumine aſſequi potuiſſent: & varias cauſſas, unde hæc ignorantia ſit profecta. Spectari eam in duplici hominum genere: quorum alii cùm Deum eſſe ſcirent, quis tamen ille eſſet, neſcirent: alii ex parte hoc ſcirent, ſed interea non minus aliis cultum divinum abjudicarent Deo: vel ſiquid fortaſſe vero numini tribuerent, id tam malignè agerent, ut non mereretur in rationem venire: & ut amplius foret, ſic quoque omnes eos eſſe læſæ majeſtatis divinæ reos, quia cultum ſoli Deo debitum inter verum falſumque numen partirentur. Ac tales etiam videri Peruanos. Hinc expoſitum, quàm varii ſint actus religioſi: & differre ab iis adorationem civilem.

DE hoc genere idololatriæ, quod κυριωτάτως *a* id nomen meretur, primùm pauca dicam generatim; hinc fusè perſequar varias ejus formas. In priori aperiam tum cauſſas, unde promanârit; tum in quibus actibus conſtat.

a *Maximè propriè.*

Cauſſæ idololatriæ ſunt variæ. Non jam repono, quæ de inſtinctu Satanæ ſuperiùs diximus: continebo me intra illas, quæ hominibus inſunt. Quarum prima eſt inſcitia humana. Licet enim ad ea, quæ initio expoſuimus, traditione ac naturæ lumine poſſet perveniri: non propterea tamen exiſtimandum, gentiles univerſos ad omnium eorum notitiam perveniſſe. Contrà enim evênit, ut longè maxima illorum pars pleraque ex iſtis ignoraret: non quaſi non veritas iis ob oculos verſaretur, ſed quia eam ſeſe offerentem non comprehenderent: dumque propterea in varias ſcinduntur ſententias, & cæci fiunt cæcorum duces,

gravi

gravi ruina pariter & ſeſe, & alios involverent. Hæc ſententiarum diſſimilitudo magnam partem ex animorum diverſitate provênit: haut aliter ac in Chriſtiano etiam populo videmus, quos ſententiarum ſimilitudo in præcipuis colligavit, in variis tamen capitibus vehementer diſcrepare. Ita enim ſemper fuit, ut multis grave eſſet inquirere in divina, ſive propter inertiam laboris, ut illis, qui voluptatibus diffluerent: ſive ob occupationes, ut ambitioſis, & avaris, & egeſtate preſſis, eoque aliis ſe mancipare coactis. Quales, quia ſeriò nihil hujuſmodi meditari ſolent; alieno, licet ſæpe erroneo, ſubſcribere judicio amant. Sunt alii, quibus non deſit inquirendi, vel animus, vel otium; ſed tam diverſis hominum ſententiis impliciti, ingenii quadam tarditate, quos potiſſimum, & quibus in rebus ſequantur, diſcernere non ſatis poſſunt. Eſtque hoc eo mirandum minùs, quia non ita feliciter agitur cum rebus humanis, ut in tot ſectis per omnia cujuſquam opiniones vel probare liceat, vel improbare. Varia enim animo φαντάσματα *a* obverſantur; quorum alia ſint ἀποδεικτικὰ *b*, quæ certò aliquid adſtruant: aliqua τοπικὰ ſive διαλεκτικά, quæ veriſimiliter aliquid probent: alia ἀποδείξεις *c*, vel ἐπιχειρήματος *d* faciem ementiantur, fallacia interim, ſeu ψευδογραφήματα *e*, ſeu σοφίσματα *f*. Quis tam variis inter ſe permiſtis, exiſtimet, cujusvis eſſe, dijudicare, quale quidque ſit? Præſertim ſi, ut fieri ſolet, quàm minimo labore perſungi velit; eoque, ubi complura videtit ſolidè adſtrui, eo, quæ probabiliter ſolùm dicuntur, vel etiam falsò, ἀβασανίστως *g*, ut Thucydides *h* loquitur, pro ſolidis admittat. Vel, ubi quædam falſa, aut veriſimilia ſolùm, comperetit; eò, de cæteris deſperans, hæc quoque reſpuat, velut adulterinos, & malæ notæ nummos. Ejus igitur, qui ſeriò veritatem amet, eſt prudenter diſpicere, an non, uti ſæpe commiſcentur, prout Ariſtophanes vocat, νομίσματα κεκιβδηλωμένα, καὶ ὀρθῶς κοπέντα *i*; ita & hic in veris ſententiis intercurrant quædam falſæ, ac quaſi πονηροῦ κόμματος *k*: vel è contratio, falſis etiam permiſceantur, quæ veriſſimæ ſint, ac optimæ notæ. Quod Chriſtianis ipſis uſu venire diximus, idem faciliùs evênit gentilibus; qui in variis de Deo ſententiis, illâque & rerum difficultate, & imbecillitate intellectus, ſæpe non ſuo, ſed alieno ſingula pretio æſtimarunt. Quantoque hac parte ab iis faciliùs & fædiùs erratum, tanto majores nos Deo gratias agere debemus; quòd illa etiam, quæ poteramus naturæ lumine cognoſcere, tradere nihilominus voluerit Verbo ſuo: cæcarum verò nationum eò majori nos tangi miſericordiâ æquum eſt, quòd illis non eadem affulſerit felicitas.

a Viſa, ſive imagines ac ſpecies.
b Demonſtrativa.
c Demonſtrationis, ſive ſyllogiſmi ſumme veri.
d Syllogiſmi probabiliter veri.
e Syllogiſmi ſpeciem habentes demonſtrationis.
f Syllogiſmi ſpeciem habentes probabilitatis.
g Abſque juſto examine.
h Lib. 1.
i Numiſmata adulterina, & bonæ notæ.
k Improbæ notæ.

Quàm verè hæc dicantur à nobis, arguit, quòd gentiles, præter eximios quoſdam, etiam cùm Deum cognoſcerent, eum tamen non cognoſcerent Deum: hoc eſt, cùm viderent eſſe Deum, qui univerſum hoc regeret, & coli à nobis vellet; non tamen viderent, eum eſſe, cujus revera eſſet divinitas; ut qui eam tribuerint Dei opificio, quam rerum naturam vocamus. Quare illis contigit, ut cæco illi apud B. Joannem cap. IX. Hic enim, cùm videret filium Dei, à quo viſum acceperat; rogavit nihilominus, quis eſſet filius Dei. Nempe quia, quem videret, neſciret eum eſſe, quem videret: ut ſi Regem cernas, & regem eſſe neſcias. Similiter gentiles prope omnes eum, qui videri nequit, in opere elucentem viderunt; & clamoſo ſilentio audiere dicentem, eſſe ſe opificem & rectorem univerſi, colique à nobis velle ac debere: ſed ad conſpectum oculos clauſere, ad vocem obturarunt aures, ac quaſi alto preſſi ſopore, talem imaginati ſunt, qualia forent, quæ oculis ſe quotidie ſubjicerent; ſomnioque ſuo nimium creduli, opificium amplexati ſunt pro opifice, divinitatem non tribuendo Deo, ſed non-Deo. Quod verè erat veritatem in mendacio detinere. Unde Apoſtolus ad Rom. I, 25: μετήλλαξαν τὴν ἀλήθειαν τοῦ Θεοῦ ἐν τῷ ψεύδει, καὶ ἐσεβάσθησαν καὶ ἐλάτρευσαν τῇ κτίσει παρὰ τὸν κτίσαντα, ὅς ἐστιν εὐλογητὸς εἰς τοὺς αἰῶνας· *commutaverunt veritatem Dei in mendacium, & coluerunt, & ſervierunt creaturæ potiùs, quàm creatori, qui eſt benedictus in ſecula:* prout vulgatus vertit interpres; nec, ſi ſententiam ſpectes, incommodè. Sed ad verbum παρὰ τὸν κτίσαντα, ſignificet *præter* aut *ſupra creatorem.* Priori modo reddunt Stapulenſis, & Montanus; poſteriori Eraſmus: quod magis placet. Hilarius tamen lib. XII de Trinitate vertit, *præterito creatore:* quod ſequi maluit Th. Beza. Sed hoc ſolùm dicit Apoſtolus, magis eos coluiſſe creaturam, quàm creatorem: utrùm verò omnem omnes cultum ad creaturam tranſtulerint, nec ait, nec negat: credo propter gentilium illos, qui non omnem viderentur excludere veri numinis cultum. Eos autem, qui cultum aliò tranſtulere, Apoſtolus ait, veritatem detinere in mendacio: quia veritas erat eſſe Deum: mendacium erat, naturam eſſe Deum. Veritas quoque foret, colendum eſſe Deum: mendacium autem foret, naturam honore proſequendam divino. Ut non malè hoc dicat Alexander ab Hales in III parte Summæ, quæſt. XXX, quæ eſt de Adoratione, art. I: *Veritatem Dei tenere eſt unum Deum colere: veritatem in mendacium convertere eſt creaturæ ſervire pro creatore. Vera enim religio in unius conſtat veri Dei ſervitio. Vna enim eſt vera divinitas. Si ergo idololatria creaturæ ſervit pro creatore, commutat veritatem in mendacium.* Atque ea mentes invaſit dementia non ſolùm inſipientis vulgi; ſed eorum etiam, qui habebantur ſapientiæ antiſtites: quandoque interim ſapiente plus vulgo, quia aliqui plus crederent traditioni non penitus obliteratæ, nec ſtultis adeò cogitationibus de Deo animum ſuum occuparent. Prope excuſsâ paullatim traditione primæva, facilè tamen animadverſum, qualicunque opinione de Deo homines eſſe in officio retinendos. Quia igitur non viderent Deum, quippe viſu clariorem; coli placuit, quod viderent. Ac horum conſuetudini ſeſe etiam accommodarunt, qui cognoſcerent, Deum eſſe mentem infinitam, ab opificio ſuo ſecretam. Quales licet veritatem non ſimiliter in mendacio detinerent: tamen æquè propemodum detinuere illam (ut idem Apoſtolus loquitur) in injuſtitia. Cùm enim juſtitiæ ſit ſuum cuique tribuere; illi cultum opifici debitum opificio detulerunt. Atque ita geminum flagitium commiſerunt, dum honore ſuo defraudant Deum, & quaſi in ejus contumeliam, eum non-Deo tranſcribunt. Veritas igitur, ſic pravæ voluptatis compedibus conſtricta, in pietatis actus minimè adſurrexit. Unde hoc eos quaſi fulmine proſternit Apoſtolus: *Cùm cognoviſſent Deum, non ſicut Deum glorificaverunt, aut gratias egerunt; ſed evanuerunt in cogitationibus ſuis, & obſcuratum eſt inſipiens cor eorum.* Illucebat Deus iis radiis quibuſdam; unde cognoviſſe Deum dicuntur: ſed non admiſere eos in adyta cordis; quod iccirco obſcuratum dicitur. Scientia igitur eorum, ut non incommodè à Scholaſticis dicitur, ſpeculativa ſolum fuit, non practica: quam iis etiam adimit Apoſtolus I Cor. I, 21. *In Dei*, inquit, *ſapientia non cognovit mundus per ſapientiam Deum.* Quaſi diceret, Fabrica mundi teſtabatur Dei potentiam, ſapientiam, bonitatem: ac propterea exigebat ab homine, ut fideliter ſerviret Deo, tum propter ſummam ejus majeſtatem, tum tot beneſacta; pariter etiam, quòd cultores ejus præmium maneret vitæ beatæ. Sed maluit mundus otioſè opera Dei contemplari, nullum interea conditori honorem exhibendo: quin contumelioſè eum potius transferendo ad illa, quæ Deus feciſſet. Liquidò hæc indicant, Apoſtolum Romanis ſcribere de nuda notitia, eaque imperfecta: Corinthiis autem de cognitione fructuoſa ac ſalutari. Denique Romanis refert Apoſtolus, ut qui priores Deum deſeruerant, iidem deſerti ſint à Deo, &, dum juſto judicio, cupiditatibus ſuis relinquuntur, cæci irruerint in nullum non deteſtandæ libidinis genus. Nam ut huic ad locum B. Chryſoſtomus annotavit *a*, Καὶ τοῦτο ὁ σοφώτατος τῶν Ἀθηναίων δῆμος, καὶ ὁ μέγας παρ' αὐτοῖς Σόλων· καὶ ἕτερα δὲ πολλὰ τῶν φιλοσόφων βιβλία, ταύτης ἄν τις εὕροι γέμοντα τῆς νόσου. *Et iſtoc* (admiſere) *tum ſapientiſſimus Athenienſium populus, tum qui magnus apud eos erat, Solon: ac alios multos philoſophorum libros plenos reperias eiuſce morbi.* Quid Socratem dicam, Platonem, Xenophontem, Cebetem, & (ut Plutarchus addit libro de Educatione liberorum) τὸν πάντα χόρον ἐκεῖνον τῶν ἀνδρῶν, οἱ τοὺς ἄρρενας ἐδοκίμασαν ἔρωτας· *totum illorum cætum, qui maſculos approbarunt amores.* Quanquam de Platone contrarium pertendat

a Ad Rom. cap 1, homil. 4.

Cardinalis Beſſario cap. II libri quarti eorum, quos exaravit adverſus Georgium Trapezuntium, Platonis, ut videri quidem Beſſario volebat, calumniatorem. Nempe, ex ejus ſententia, amor iſte fuit, nonniſi, ut Euripides ait,

Ψυχῆς δικαίας, σώφρονός τε κἀγαθῆς·
Mentiſque juſtæ, & temperantis, ac bonæ.

Sed ſecius de eo ſenſit Philo libro de vita contemplativa; ubi diſſerit de duplici Græciæ convivio, quorum utrique Socrates interfuerit; uni in Calliæ, alteri in Agathonis ædibus. Hæc Plato etiam, ac Xenophon, digna putarunt, quæ memoriæ proderent. Sed, ut mittam, quid in Xenophonte culpet Philo; de ſolo nunc dicam Platone; cujus convivium, ut ait ille, ὅλον σχεδὸν ἐςὶ περὶ ἔρωτος ἀνδρῶν ἐπιμανέντων ἄρρεσιν, ἡλικίᾳ μόνον διαφέρουσι· *penè totum eſt de amore maſculorum, qui ætate ſunt inferiores.* Nec diffitetur, multa ibidem legi de Venere, & Cupidine Cæleſti: ſed iſta, inquit, ſolum χάριν ἀστεισμοῦ παρειλῆφθαι: quaſi dicas, urbanitatis loco, & velut condimenti cauſsâ, addita eſſe. Aliorum defamatiſſimam turpitudinem ex Anacreonte videmus, & tot aliis, indignis, quibus inſiſtamus, maximè ineditis Ἀνθολογίας epigrammatis. Ut Romanos taceam; non Catullum modò, vel Q. Catulum, cujus verſiculos refert Agellius in undevigeſimo Atticarum noctium cap. IX; ſed ipſum M. Tullium, de quo Plinius Novocomenſis lib. VII, epiſtolâ ad Pontium.

Sed omiſſâ propudioſâ gentium vitâ intra cultum numinis nos potiùs contineamus. Quem proximè dixi Socratem, is gallum offerri juſſit Æſculapio; ut memorato antea loco Chryſoſtomus ait: & idoneos ille auctores habuit, quos ſequeretur; Platonem dico, ac Xenophontem. Imò Plato etiam, diſcipulus Socratis; etſi multa præclarè adeò de Diis tradidiſſet, magiſtri nihilominus exitu territus, deos coluit populares; ut inferius liquidò oſtendam. Ac mens eadem illorum, qui Platonici vocantur: quos meritò propterea taxat B. Auguſtinus lib. X de Civit. Dei cap. I. Etiam conſuetudinem magis, quàm rationem ſectabatur L. Seneca: ut qui dicat; *Ita adorabimus, ut meminerimus, hujuſmodi cultum magis ad morem, quàm ad rem pertinere.* Adducit B. Auguſtinus lib. VI de Civit. Dei cap. X. Atque eo nomine Ciceronem quoque reprehendit Lactantius lib. II de origine erroris cap. III; *Video te terrena & manufacta venerari: vana eſſe intelligis, & tamen eadem facis, quæ faciunt ipſi, quos tu ſtultiſſimos confiteris.* Quare non jam diſputamus, an gentiles omnes omni ex parte verum negârint Deum: ſed ſufficit nunc nobis, quod etiam gentilium eximii in ea, quam haberent, notitia, vitâ cultuque eum abnegatint. Siquidem illi quoque, qui acutiùs cæteris viderent, non ad verum ivere Deum, quò itum oportebat; ſed ad creaturam, quà ibat vulgus. Dixeris, etiam cultum vero numini præſtitiſſe, uti certo vel ignoto Athenienſes: quemadmodum antea vidimus. Sed cogitare oportet, in cultu eo varios concurriſſe actus: nec de vero cùm dicitur, omnia ad vivum reſecari: ſed quod boni erat, ſectetis cæteris, in optimam capi partem. Et profectò quantillum recti illud cultus fuit, præ omni illo, quem falſis tot numinibus præſtaret ſuperſtitioſa præ cæteris Athenienſium civitas! Denique ut multo amplius feciſſent, illa ſublimitas (ut Cypriani utar verbis *a*) *non poteſt habere conſortium, cum ſola omnium teneat poteſtatem.* Una eſt divinitas, eoque nec cultus ejus diſcerpi poteſt. Deus noſter eſt Deus zelotypus, nec admittit quenquam in honoris ſui partem: longe etiam minus, quàm rex principem externum, vel maritus alterum virum. At notum illud Senecæ Agamemnone:

Nec regna ſocium ferre, nec tadæ ſciunt.

a De vanit. idol.

Propterea etiam Achabi tempore Iſraëlitis objecit Deus, quod in utrumque latus claudicarent, Dominum Deum pariter ac Baalim colendo: ut eſt I ſive III Reg. XVIII. Atque idem culpatum in Cuthæis, ſive Samaritis novis; quos Salmanaſſar, Aſſyriæ rex, in Samariæ urbes deduxerat: ut eſt II ſeu IV Reg. XVII, 33. Huc pertinet quoque illud I ad Corinth. X, 21, *Non poteſtis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum.* Sententia eſt, Nefas vobis in Cœna Dominica bibere calicem εὐχαριστίας, quo ſanguis Dominicus vobis præbetur; indeque ire in ædem idoli, atque illic de idololatricis ſacrificiis edere & bibere. Solent enim gentiles de ſacrificiis in honorem Deorum epulari. Unde Jud. IX, 27, *Ingreſſi ædem Dei ſui edebant, & bibebant.* Item Amoſi II, 8, *Super veſtes in pignus acceptas inclinant ſe juxta omnia altaria, & vinum damnatorum bibunt in domo Deorum ſuorum.* Plura afferre poteram de iſtis, qui Deum, non uti cognoſcerent, celebrarent, eumque & Belial ſociare vellent, niſi faſtidium vererer. Solum igitur addam aliquid de Peruanis, ſummum Deum agnoſcentibus, quem vocant *Viracocha*: item *Pachacamac*: adhæc *Pachaiachacic*: id eſt, *creator cæli & terræ.* Aliis etiam elogiis ornant: in quibus eſt *Uſapu*, hoc eſt, *admirabilis.* Et tamen nullum in lingua ſua vocabulum habent, quo Deum κυρίως *a* exprimere poſſint cæterarum gentium inſtar: quale Latinum *Deus*, Hebræum *El.* Ac propterea Hiſpani, eò ad prædicandum Euangelium profecti, in literis ad Indos perſcriptis non aliâ appellatione, quàm Hiſpanicâ *Dios*, uſi ſunt: quo pacto illud ſunt conſecuti, ut eadem nunc Americani utantur. Iidem in templo Pachamac, hoc eſt creatoris, quod in Peru exſtructum, ſic colunt creatorem, ut nihilominus ſacrificent Diis ſuis. Nempe proclive ſatis eſt iis perſuadere de ſummo Deo: at non item, haut aliud præter eum numen eſſe, vel coli debere. Tantum in animis eorum inveteratus error valet. Quorum auctor eſt nobis Joſephus Acoſta lib. V, cap. III.

a Propriè.

Atque hæc univerſè dicta ſunt de origine & cauſſa tranſlati à Deo cultus ad opificium ejus. Particulatim verò inferiùs referam, cur divinus ſit honos attributus, vel dæmonis, vel hominibus defunctis, vel Soli & ſideribus, vel elementis, vel aliis. Nunc breviter exponam, in quibus actibus idololatria conſiſtat. Sunt verò totidem, quot ſunt actus religioſi. Nam cum religio ſit actus ſive officium hominis erga Deum; idololatria autem ſit, quoties actus uni Deo debitus homini defertur: quot actibus verus colitur Deus, totidem etiam committitur idololatria. Eſt verò actus religioſus vel ſolùm internus, vel ex interno & externo compoſitus, vel externus duntaxat. Internus eſt ſupra omnia amor, timor, fiducia. Mixti generis ſtatuenda invocatio, quia & animo & ore fit. Conſiſtit verò partim in gratiis agendis pro beneficio collato: partim in orando pro continuatione ejus, vel novi collatione. Externus ſolùm eſt adoratio, tum major illa, quâ feſta inſtituuntur, templa eriguntur, ſacrificia fiunt: tum minor etiam, qua corpus totum proſternimus; vel partem ejus, puta caput, vel genua, inclinamus, vel manus ad os admovemus: dum modo hæc fiant divini cultus ergo, velut boni etiam ſpiritualis datori, mali ſpiritualis depulſori. Qualeque quoque erat, cùm in hujuſmodi honoris ſignum idola oſcularentur. Unde I Reg. XIX, 18: *Reſervavi mihi ſeptem mille, quorum os Baalem non eſt oſculatum.* Ac de vitulorum oſculo habes Oſeæ XIII, 2. Longe alia ratio eſt adorationis civilis, quæ creaturæ, etiamſi nihil ores, honoris ac reverentiæ cauſsâ fieri poteſt. Quomodo Jacob ſepties adoravit fratrem Eſau: at tantum abeſt, ut aliquid popoſcerit, ut contrà fratri ipſe dona obtulerit ac contulerit: quemadmodum legere eſt Geneſ. XXXIII, 3. Abrahamus quoque adoravit filios Geth, ut terræ dominos: prout eſt Geneſ. XXIII. Ac multò plurima ejus generis exempla in Scripturis aperiuntur. Sed poſſe adorationem civilem commutari in religioſam ſive divinam: argumento fuerit illa, quam ſibi in ſtatuæ ſymbolo præſtari voluit Nabuchodonoſor; ut ſuo loco explicabitur.

DE

DE IDOLOLATRIÆ ORIGINE AC PROGRESSU,

LIBRI PRIMI

PARS ALTERA;

Quæ eſt de cultu creaturæ ſpiritualis.

CAP. V.

Diſtinguitur cultus idololatricus in proprium, & ſymbolicum. Proprius in varia diducitur genera: ex quibus primus datur locus ſpirituali: in hoc autem cultus duplicis principii, juxta doctrinam Zoroaſtris. Cujus de ætate variæ ſententiæ. Et quis illis Oromaſdes, quis Arimanius, & quibus comparârit. Hinc acceditur ad Ægyptiorum opinionem de duplici principio activo, boni, & mali; boni Oſiride, mali Typhone: & exponitur, quomodo ſe ad utrumque habeat Iſis; quæ eſt principium paſſivum. Quantoque aliter, quàm vulgo ab Ægyptiis fieret, hæc ſeu nomina, ſeu numina intellexerit Plutarchus: cui Iſis eſt natura mundana: Oſiris & Typho, duo ſpiritus magni eam gubernantes. Vetuſtæ hujus opinionis de duobus principiis reliquias quaſdam conſpici in ſententiis veterum aliquot philoſophorum, etiam Platonis; etſi aliter poſtea ſapuerit Porphyrius. Romanis etiam, & Græcis, eſſe quædam numina læva. Manetis, Manichæorum patriarcha, ſententia de duplici ſpiritu; uno boni, altero mali auctore. Denique refellitur ſuperior omnis de duobus principiis opinio: præcipueque contra Plutarchum, & Manichæos, oſtenditur, nihil eſſe in rerum natura, quod non proſit.

HÆc generatim de falſo cultu ſufficiant. Nunc particulatim aggrediar dicere, quantopere hic cultus variârit, tum pro temporum, vel terrarum ſpatiis; tum pro legiſlatorum decretis, vel philoſophorum ſectis. Quæ niſi accuratè diſtinxero, videar mihi haut aliud daturus, quàm non jam dico Athenienſium πεντάπλοον, in quo Athenæus *a* fuiſſe ait, vinum, mel, caſeum, farinam, & olei pauxillum: ſed Bacchi κέρνος, in quo, eodem teſte *b*, papaver, album triticum, hordeum, piſum, ervum, cicer, lens, faba, zea, avena, caricæ, mel, oleum, vinum, lac, quin etiam illota ovis lana. Cujuſmodi mixtura etſi Bacchicis ſacris non inconveniens videretur: in hoc tamen argumento certum ſit ἀκρασίας *c* argumentum. Separabimus igitur ſingula profani cultus genera, tum eorum hominum, locorum, temporum, quibus primæva traditio per pectora humana minùs turbidè profluxit: tum quibus per eadem pluribus mæandris erravit impurius, & decoloratione fœdiori ex admiſto majoris erroris veneno.

a Lib. 11.

b Eodem libro, loco gemino. Sed poſteriori præteriit interpres Dalecampius.

c Judicii deficientis.

Primum verò, quod ſæpe nec veteribus ſatis fuit obſervatum, diſtinguere opus eſt inter cultum proprium, & ſymbolicum.

Proprium voco, quando, quod colitur, propriè & in ſe Deus eſſe exiſtimatur. Qualis fuit cultus Solis ipſius, vel Herculis, ſive Thebani, ſive alterius gentis.

Symbolicum appello, cùm quid colitur, non quia creditur Deus; ſed quia Deum ſignificet. Quomodo Sol cultus in igne Veſtali, Hercules in ſtatua.

Proprium divido in ſimplicem, & mixtum. Simplicem dico, ubi animus in unius cultum fertur. Ut unius Solis, vel unius Herculis Thebani. Mixtus eſt, quando animus colentis in plura diffunditur. Ut quando Hercules colitur cum Sole, & illi in hoc, huic in illo honos habetur: quod accuratiùs infrà explicabitur.

Cultus proprius ac ſimplex vel eſt ſubſtantiæ, vel accidentis.

Subſtantia vel eſt ſpiritualis, vel corporea.

Spiritus vel eſt ſummus, vel medius, vel imus. Summus, ut mundi opifex; cujus veneratio in falſo cultu conſideratur, quatenus corrumpitur, ſi inter eum & alterum honos divinus dividatur, vel ſi Deus colatur in idolo. Medius ſpiritus eſt angelus bonus, malusve: quorum utrumque dæmoniorum nomine Platonici intelligunt. Imus ſpiritus eſt genius, ſive anima defuncti.

De hoc ſpirituum cultu ſic cenſeo: ante animas humanas angelos divino affectos honore: ante angelos bonos, principem malorum, quem κατ' ἐξοχὴν *a* Satanam dicimus: non ſolum tamen, ſed unà cum Deo, boni omnis fonte. Originem hujus cultus derivo à corrupta tum traditione, tum ratione. De traditione quidem depravata in dubium vocabit nemo, modò non peregrinus adeò ſit in ſacris noſtris, ut ignoret, quidquid Deus feciſſet, bonum fuiſſe; ſed poſtquam Satanas præ invidia primos parentes de ſtatu innocentiæ dejecit, terram propter eos fuiſſe maledictam: nec Deum propterea amorem omnem generis depoſuiſſe humani: quippe qui variis modis omnes omni ab ævo ad pœnitentiam provocet & invitet. Sed Satanas, mille fraudum artifex, circumit univerſos, in nihil æquè intentus, quàm ut illos tum à recto avertat cultu, tum hîc graviſſimis malis, Deo ita permittente, adfligat; & poſt judicium ultimum, ſocios habeat pœnarum, quas ipſe eſt ſubiturus. Salutarem adeò doctrinam nunquam deſtitit Noachus prædicare liberis & nepotibus ſuis, eâ ſpe, ut ipſi per manus iſta traderent ex ſe naſcituris. Sed quæ patriarcha tantus præbuerat dextrâ, hæc paullatim poſteri ſiniſtrâ acceperunt. Juſtiùs enim hoc de ſe dicere potuerit Noachus, quàm de auditoribus ſuis querebatur Theodorus *b* Cyrenaicus. Noachidæ igitur exinde duo ſunt commenti principia, pari vel ſuppari poteſtate; boni unum, alterum mali. Atque eò deventum fuit, ut, quemadmodum colerent principium boni, quò bona conferret: ita venerarentur principium mali, ne inferret mala.

a Per excellentiam.

b Plutarch. de Iſid. & Oſir.

Ad traditionem corruptam corrupta etiam ratio acceſſit. Sic enim collegerunt, eum, qui in ſe eſſet optimus; & omnis boni fons unicus, non eſſe miſeris mortalibus mali ullius principium ac cauſſam. At verò in mundo hoc multa eſſe homini mala & noxia; tum in mutis animantibus, ac plantis; uti baſiliſcum, araneam, aconitum, & ſimilia: tum etiam in cæteris; uti famem, peſtilentiam,

tem-

tempeſtates, cæteraque id genus. Quare cùm non debeamus Deum comminiſci, qui dextrâ panem ac potum ſalubrem, ſiniſtrâ venenatum eidem præbeat cibum, potumque: omnino præter principium omnis boni, etiam ſtatui oportere omnis mali principium: ac proinde illi facienda eſſe ſacra, ut bonum conſequamur: huic verò ad malum averruncandum.

Quàm vetuſta hæc ſit ſententia, arguit, quòd ea fuerit antiquiſſimorum inter gentiles legiſlatorum, ac ſacerdotum, atque ab iis in Philoſophos veteres ſit derivata. Quod apertè docet Plutarchus de Iſide & Oſiride. Prolixior eſt locus: adſcribam tamen, quia rei alioquin obſcuræ multum lucis affundit. Sic igitur ille: Διὸ καὶ παμπάλαιος αὕτη κάτεισιν ἐκ θεολόγων καὶ νομοθετῶν εἴς τε ποιητὰς καὶ φιλοσόφους δόξα, τὴν ἀρχὴν ἀδέσποτον ἔχουσα, τὴν δὲ πίστιν ἰσχυρὰν καὶ δυσεξάλειπτον, οὐκ ἐν λόγοις μόνον, οὐδὲ ἐν φήμαις, ἀλλ᾽ ἔν τε τελεταῖς ἔν τε θυσίαις, καὶ βαρβάροις καὶ Ἕλλησι πολλαχῆ περιφερομένην, ὡς οὔτ᾽ ἄνουν καὶ ἄλογον καὶ ἀκυβέρνητον αἰωρεῖται τῷ αὐτοματῷ τὸ πᾶν, οὔτε εἷς ἐστιν ὁ κρατῶν καὶ κατευθύνων ὥσπερ οἴαξιν ἤ τισι πειθηνίοις χαλινοῖς λόγος· ἀλλὰ πολλὰ καὶ μεμιγμένα κακοῖς καὶ ἀγαθοῖς· μᾶλλον δὲ μηδὲν, ὡς ἁπλῶς εἰπεῖν, ἄκρατον ἐνταῦθα τῆς φύσεως φερούσης, οὐ δυεῖν πίθων εἷς ταμίας, ὥσπερ νάματα τὰ πράγματα καπηλικῶς διανέμων ἀνακεράννυσιν ἡμῖν, ἀλλ᾽ ἀπὸ δυεῖν ἐναντίων ἀρχῶν, καὶ δυεῖν ἀντιπάλων δυνάμεων, τῆς μὲν ἐπὶ τὰ δεξιὰ καὶ κατ᾽ εὐθεῖαν ὑφηγουμένης, τῆς δ᾽ ἔμπαλιν ἀναστρεφούσης καὶ ἀνακλώσης, ὅ, τε βίος μικτὸς, ὅ, τε κόσμος, εἰ καὶ μὴ πᾶς, ἀλλ᾽ ὁ περίγειος οὗτος καὶ μετὰ σελήνην, ἀνώμαλος καὶ ποικίλος γέγονε, καὶ μεταβολὰς πάσας δεχόμενος. εἰ γὰρ οὐδὲν ἀναιτίως πέφυκε γενέσθαι, αἰτίαν δὲ κακοῦ τἀγαθὸν οὐκ ἂν παράσχοι, δεῖ γένεσιν ἰδίαν καὶ ἀρχὴν, ὥσπερ ἀγαθοῦ καὶ κακοῦ τὴν φύσιν ἔχειν. καὶ δοκεῖ τοῦτο τοῖς πλείστοις καὶ σοφωτάτοις. νομίζουσι γὰρ οἱ μὲν θεοὺς εἶναι δύο, καθάπερ ἀντιτέχνους, τὸν μὲν ἀγαθῶν, τὸν δὲ φαύλων δημιουργόν. οἱ δὲ τὸν μὲν ἀμείνονα, θεὸν, τὸν δ᾽ ἕτερον, δαίμονα καλοῦσιν. In gratiam eorum, qui Græcè minùs intelligunt, apponam & tralationem Xylandri, etſi ex ipſo peti maluiſſem: *Vetuſtiſſima proinde à ſacrarum profeſſoribus rerum, legumlatoribus derivata eſt opinio, auctore incognito, fide firma & indelebili, non in ſermonibus ea tantum & rumoribus, ſed & in myſteriis ac ſacrificiis tam barbaris, quàm Græcanicis exſtans: neque caſu ferri, & a fortuna pendere Univerſum, mente, ratione, gubernatore deſtitutum: neque unicam eſſe rationem, quæ contineat id & dirigat, tanquam clavum aut frena moderans: ſed cùm permulta è bonis juxta maliſque ſint confuſa: imò nihil natura hæc ſincerum (ut verbo dicam) proferat: non eſſe unum aliquem promum, qui è duobus doliis res nobis veluti aliquem liquorem, cauponis in morem, diſtribuat atque miſceat: Ergo à duobus principiis contrariis, adverſiſque duabus facultatibus, quarum altera ad dextram & rectà ducat; altera retrorſum avertatur atque reflectat; cùm vitam eſſe mixtam, tum ipſum mundum (ſi non univerſum, eum ſaltem qui ad terram eſt, & Lunæ ſubjacet) inæqualiter ferri, variiſque & omnis generis motibus agitari. Si enim nihil abſque cauſſa ſit, & mali cauſſam bonum non præbet: neceſſe eſt in natura, ut boni, ita etiam mali ortum peculiarem, ſuumque principium exſtare. Atque hæc quidem ſententia pleriſque & iiſdem ſapientiſſimis probatur. Exiſtimant enim alii, duos eſſe deos, quaſi contrariis deditos artibus; ut bona alter, alter mala opera conficiat. alii eum, qui eſt melior, Deum; qui deterior, dæmonem dicunt.*

Atque hæc Plutarchus generatim de opinione duorum principiorum, uno omnis boni, altero omnis mali. Poſtea verò refert, quomodo opinio eadem fuerit Perſarum, qui illam accepere a Zoroaſtre. Seculis priſcis, ante imperium à Cyro conditum vixiſſe, indicat Ammianus Marcellinus lib. XXIII. Clemens Romanus, vel alius potiùs, in IV Recognitionum, cenſet eſſe filium Cham, qui Meſraim dictus, unde Ægyptus terra Meſraim nominata. Poſt obitum autem vocatum eſſe Zoroaſtrem; id ſignificare *vivum ſidus*. Sed ἀστροθύτην, ſive *ſiderum cultorem*, interpretantur Dion, & Hermodorus, teſte Laërtio in præfat. Ariſtoteles, & Eudoxus, tradidere, ante mortem Platonis fuiſſe ſex annorum millibus. Auctor Plinius lib. XXX, cap. I. Ac ibidem legas, ut Hermippus ſcripſerit, fuiſſe eum ante bellum Trojanum quinque annorum millibus. Atque hanc ſententiam ſecutus quoque eſt Plutarchus libro antè memorato. Eandem Hermodoro Platonico tribuit Laërtius in proœmio operis. Interea non diſſimulat, quod longè veriſimilius eſt, Xanthum Lydum, à Zoroaſtre uſque ad Xerxis tranſitum, computare annos ſolùm ſexcentos. Imò non paullò etiam junior fuerit, ſi vixerit ſub patre Xerxis Dario Hyſtaſpide, vel temporibus Hyſtaſpis ejus, qui Xerxis avus, Darii parens fuit. Sub aliquo quidem Hyſtaſpe floruiſſe, Perſarum traditio eſt; ut apud Agathiam legimus in ſecundo. Qui & duplex ei dat nomen: unum Ζωροάστρης, alterum Ζαράδης, ἤτοι Ζαράδης. De ætate autem, in tanto diſſenſu priorum, negat certi quicquam ſtatui poſſe. Nec valde repugno. Hoc autem opinionum incertum provenniſſe ex eo arbitror, quòd complures ejus nominis fuerint. Noviſſimus quidem ille Bactrianus, quem Nini æqualem faciunt Auguſtinus lib. XXI de Civit. Dei cap. XIV, & Suidas. Ut qui cum Rege eo non ferri ſolùm viribus, ſed magicis etiam artibus decertârit: ut ait Trogus, ſive Juſtinus Philippicarum initio. Quod ex primo hiſtoriarum Cteſiæ hauſtum eſſe, indicat Arnobius in primo. Sed præter Bactrianum alter fuit: ut ille, quem nunc Perſam, nunc Medum vocat Clemens primo Στρωματέων, ac Περσομήδην nuncupat Suidas. Quamquam dubitet Plinius lib. XXX, cap. I: *Unus hic fuerit, an poſtea & alius, non ſatis conſtat.* Ubi & illum magicarum artium doctorem Azonacis diſcipulum facit: ac etiam meminit Zoroaſtris Proconeſii. Plures quidem ejus nominis fuiſſe, teſtis etiam Plato Alcibiade, & X de Rep. & Clemens V Στρωματ. Id verò vitium fuit mentis humanæ, ut quo pretium adderet opinionibus, eas antiquiori potiùs, quàm juniori tribueret. Sed de ætate judicet quiſque, ut volet, dum bene antiquum fateatur: quod ex dictis ſatis conſtat. Ad Zoroaſtris dogma redeo. Is eodem Plutarcho teſtante, cùm duo ſtatuiſſet principia, boni principium vocavit Oromaſdem; mali Arimanium. Quod ipſum ex Agathiæ ſecundo cognoſcimus; ſed vocabulis paullum variatis. Sic enim vulgo ſcribitur: Τὸν μὲν ἀγαθὸν εἴτε θεὸν, εἴτε δημιουργὸν, Ὀρμισδάστην ἀποκαλοῦσιν· Ἀριμάνης δὲ ὄνομα τῷ κακίστῳ καὶ ὀλεθρίῳ. *Bonum enim ſive Deum, ſive Creatorem, Hormiſdaſten appellant: Arimanes autem peſſimo illi ac pernicioſo eſt nomen.* Sed puto, pro Ὀρμισδάστην ſcribendum Ὀρομάσδην, ſive Ὠρομάσδην, quando eos Ὠρομάσδην, & Ἀρειμάνιον, Laërtius quoque vocat ex Hermippo in primo de Magis, Eudoxo in Periodo, & Theopompo in octavo Philippicæ Hiſtoriæ. Arimanii etiam meminit Artaxerxes apud Plutarchum in Themiſtocle. Τὸν πονηρὸν δαίμονα Περσῶν vocat cubicularius, ad Darium ſermone, apud Plutarchum in Alexandro. Photius in bibliotheca cod. LXXXI, tradit, ex Theodori presbyteri, Mopſueſtias poſtea epiſcopi, de Perſica magia libro, Ζαρουάδην, ſive Ζαρουάμ, omnium principem, quem & Fortunam vocat, genuiſſe Ὀρμίσδαν, καὶ τὸν Σατανᾶν. Ubi Ὀρμίσδας eſt, qui aliis Ὠρομάσδης: at Σατανᾶς ſine dubio eſt Arimanius. Ζαρουάμ eſt ex Arabico *Zaruhon*: quod omnium ſatorem notat; ut doctiſſimo Gaulmino obſervatum ad Pſellum de operatione dæmonum. Pergit deinde Plutarchus, atque, ex Zoroaſtris opinione, tradit, nulli ex rebus, quæ ſenſu vel mente percipiantur, poſſe Oromaſdem meliùs comparari, quàm luci: nulli rectiùs Arimanium, quàm tenebris & ignorantiæ: ac illi quidem cædendas victimas, ut accipiatur beneficium, vel pro accepto gratiæ agantur: huic verò, ut malum ab homine propulſet. Addit quoque, Perſas propterea herbam Omomi dictam in mortario pinſere: ſimul Arimanium ſive Ditem, & Tenebras invocare: tum ſanguinem lupi recens jugulati herbæ Omomi miſcere: poſtmodo eam efferre, atque abjectare in locum, quò Solis radii non pertingant. Stirpes bonas eſſe opus Dei boni; malas, ut venenoſas, mali genii: item bona animalia eſſe boni numinis; ut canes, aves, echinos terreſtres; mala eſſe mali genii, ut echi-

echinos aquaticos: eoque beatum eſſe, qui plurimos talium interfecerit. Subdit deinde, Oromaſdem e luce puriſſimâ natum eſſe; Arimanium è caligine; perpetuoque hos inter ſe bellum gerere: tanto autem Oromaſdem eſſe ſublimiorem Mithrâ, hoc eſt Sole; quanto eodem Sole inferior eſt Pluto ſive Arimanius: ac Oromaſdem quidem feciſſe ſtellas, & bonos Deos, inque ovo poſuiſſe. Per ovum hoc myſticè mundus intelligitur: cui ovalem figuram antiquiſſimi tribuerunt: ut his Sanchuniathon; de quo vetuſtiſſimo rerum Phœniciarum ſcriptore dictum nobis in opere de hiſtoricis Græcis. Hinc Thebaïdos incolæ, Deum mundi opificem repræſentare volentes, efformabant eum ovum ore effundentem: ἑρμηνεύουσι δὲ τὸ ᾠὸν τὸν κόσμον, *ovum autem interpretantur mundum*: ut ſuperius ex Porphyrio diximus. Etiam in Orgiis Liberi Patris, quæ ab Orpheo inſtituta, ovum mundi erat ſymbolum: ut docent Plutarchus Sympoſiacôn lib. II, quæſt. III, & Macrobius Saturnalium lib. VII, cap. XVI. Unde Proclus in Timæum eadem eſſe ait, τὸ Ὀρφικὸν ᾠὸν, καὶ τὸ τοῦ Πλάτωνος ὄν. *Orphei ovum, & Platonis Quod eſt.* Cum ovo mundum etiam Varro comparat in Logiſtorico, qui Tubero ſive de Origine humana inſcribitur a: *Cælum eſt teſta; item vitellum, terra; inter illa duo humor, quaſi ileinum* b (*in ſinum*) *cluſus aeri, in quo calor.* Ovum igitur, hoc eſt, mundum, fecerat Oromaſdes. Sed Arimanius, cùm malos genios condidiſſe dicitur, tum ovum illud perforâſſe; atque ita bona permiſcuiſſe malis, mala bonis: hinc coortas eſſe inimicitias inter Oromaſden, & Arimanium: atque alterum alterius opus demoliri: ſed fatum affore, cùm Oromaſdes Arimanium vincat, imò prorſus aboleat: homineſque tum demum pacificè beatéque victuros. Quæ fabuloſa eſſe, nemo non videt: interim non obſcuræ hic apparent reliquiæ doctrinæ Noachicæ, tum de Deo, habitante lucem inacceſſam, mundique opifice; tum de Satana, aëris ac caliginis principe, mali omnis fonte & auctore; quo æternis tenebris addicto, beatam homines cum Deo vitam degent.

De Zoroaſtris ac Perſarum doctrina ſatis. Ab his me confero ad Ægyptios; ex quibus, ut antea vidimus, ſoli Thebaïdos incolæ unicum Deum, mundi architectum, Cneph à ſe nuncupatum, colucrunt. Cæteris Ægyptiis plures erant Dii: præcipuus interim honos duobus erat principiis ac cauſſis Univerſi; uni omnis boni, unde rerum generatio; alteri omnis mali, unde rerum corruptio. Ac ex eorum ſententia, in hac rerum ab utroque principio miſtura, prævalet facultas melioris numinis: attamen non in tantum, ut deterioris opus aboleat prorſus: quippe & vis iſta deterioris principii peniriſſimis inhæret corporibus, ſaltem illis ſub Luna conſtitutis: atque inde eſt, quod ſemper meliori repugnet facultati. In principio illo præſtantiori diviniore que, & ejuſdem opere, tria conſiderantur: quorum unum patris, alterum matris, tertium prolis ſe inſtar habeat. A primo eſt forma; ab altero materies; tertium eſt ipſe mundus. Primum dicitur Oſiris; alterum Iſis; tertium Orus. Principium deterius vocatur Typho. Ac Iſis quidem, quæ naturæ eſt femineæ, eoque receptaculum boni & mali, ſponte ſuâ fertur ad id, quod melius eſt. Sed Typho altè inhæret & corpori, & animæ Univerſi; ſemperque melius principium impugnat. Melioris principii, quod Oſiridem dixere, in anima imago eſt Ratio, ſive Mens: Typhonis verò ſimulachrum eſt pars animæ ἄλογος c, & affectibus æſtuans. In corpore humano, Oſiridis imago eſt facultas bonum præſtans temperamentum: Typhonis autem, facultas morbos & mutationes arceſſens. In cælo, & elementis, Oſiridem repræſentat, quicquid ordinatum, & æquabile: Typhonem, quicquid inordinatum, & inæquabile; ut ſolaris vel lunaris luminis defectus, procellæ ac tempeſtates, inundationes marinæ; atque ita in cæteris, quicquid modum & ordinem non tenet.

Horum omnium non locupletem magis teſtem laudare poſſim, quàm Plutarchum, libro ſæpius memorato de Iſide & Oſiride. Ex cujus ſententia duo hæc principia ſunt duo ſpiritus mundi præſides: ut valde hæc conveniant cum Zoroaſtris doctrina, de qua diximus. Sed longè aliter hæc de principiis illis capiebant multi ex Ægyptiis ſacerdotibus. Qui per Oſiridem intelligebant tum Solem, tum Lunam, tum Nilum: per Typhonem, tum Solem, tum Mare: per Iſidem tum Lunam, tum Terram. Quod accuratius expediam in Naturæ corporeæ cultu. Ea interpretatio non ſatisfecit Plutarcho: ut qui contenderet, nihil corporeum, & ſenſus expers, pro numine coli poſſe. Quare ut vulgatiorem Ægyptiorum de Diis ſuis opinionem explanatione commoda reddat meliorem: per Iſidem quidem intelligere jubet mundum; per Oſiridem autem, ac Typhonem, Deos vel dæmones magnos; quorum virtute rerum natura gubernetur. Nec eum ab hac dimovit ſententia, quòd videret, Ægyptios fere ea per corpoream declarare naturam. Nam cenſet, eorum verba capienda eſſe μετωνυμικῶς: ut nominibus rerum corporearum, & ratione ac ſenſu carentium, deſignentur duo ſpiritus principes, quibus corporea univerſa ſuam debeant originem. Atque hoc illuſtrat eo, quòd Romani, ac Græci, ſimiliter Ἥραν τὸν ἀέρα, γένεσιν δὲ Ἡφαίστου τὴν εἰς πῦρ ἀέρος μεταβολὴν αἰνιττόμενοι· *Græci per Iunonem intelligunt aera; per ortum Vulcani, mutationem aeris in ignem.* Subjungit deinde, οὕτω παρ' Αἰγυπτίοις Νεῖλον εἶναι τὸν Ὄσιριν, Ἴσιδι συνόντα τῇ γῇ· *Sic Ægyptiis Nilum eſſe Oſiridem, congredientem cum Iſide, quæ eſt terra.* Statuit igitur, ut Bacchum dicimus pro vino, quia primus creditur docuiſſe rationem vini ex uvæ latice exprimendi; quo pacto item Homerum dicimus pro poëmatis ejus: ſic cum divino honore colantur Oſiris, & Iſis, & iis adverſarium numen Typho inducitur; in corporea illa natura neutiquam eſſe animo ſiſtendum; ſed aſſurgendum altiùs ad cauſſas naturæ; quæ ſunt magni ſpiritus jam memorati; poſſe interea & cultum præſtari rerum naturæ; ſed ut imagini ac ſpeciei ipſius numinis: quomodo cultus talis non proprius, ſed ſymbolicus ſit habendus. Ipſum audiamus loquentem; Συνελόντι δ' εἰπεῖν, οὔτε ὕδωρ, οὔτε ἥλιον, οὔτε γῆν, οὔτ' οὐρανὸν, Ὄσιριν, ἢ Ἶσιν ὀρθῶς ἔχει νομίζειν. οὔτε πῦρ Τυφῶνα πάλιν, οὔτ' αὐχμὸν, οὐδὲ θάλατταν, ἀλλ' ἁπλῶς ὅσον ἐστὶν ἐν τούτοις ἄμετρον καὶ ἄτακτον ὑπερβολαῖς ἢ ἐνδείαις, Τυφῶνι προσνέμοντες· τὸ δὲ κεκοσμημένον, καὶ ἀγαθὸν, καὶ ὠφέλιμον, ὡς Ἴσιδος μὲν ἔργον, εἰκόνα δὲ καὶ μίμημα καὶ λόγον Ὀσίριδος σεβόμενοι καὶ τιμῶντες, οὐκ ἁμαρτάνοιμεν. *Ut rem paucis comprehendam, nec aquam, nec ſolem, nec terram, nec cælum, Oſirim vel Iſin rectum eſt putare: neque item ignem putandum Typhona, neque æſtum, neque mare: ſed ſimpliciter, quicquid in his non tenet modum vel ordinem ſeu exceſſu ſeu defectu, id Typhoni tribuemus: quod vero recto ordine ac modo fit, bonumque ac utile, velut Iſidis opus; imaginem autem ac imitationem, ac ſpeciem Oſiridis colentes ac honorantes, non peccabimus.*

Etiam Plutarcho hoc magiſtro cognoſcimus, quomodo illa de principiis duobus opinio ad Græcos ſit philoſophos derivata. Exemplo ſit Pythagoras, quem duo ait ſtatuiſſe principia, bonum malumque; ab illo eſſe unitatem, finitum, quieſcens, impar, quadratum, æquale, dextrum, ſplendidum: ab hoc eſſe binarium, infinitum, in motu verſans, curvum, par altera dimenſione longius, inæquale, ſiniſtrum, tenebricoſum. Ac fortaſſe nec aliud voluit Philolaus Pythagoricus, quando (ut apud Stobæum in Eclogis Phyſicis legimus) principia rerum ſtatuit τὸ πέρας καὶ τὸ ἄπειρον, *finitum & infinitum.* De Empedocle Agrigentino magis liquet: quem Plutarchus ibi ait unum inducere boni principium, quod amor, vel amicitia, vel etiam harmonia dicitur; nempe quia eſt ἑνωτικὸν, ſive rerum conjungens alterum principium mali, quod lis, vel rixa nuncupetur; puta quia ſit διαιρετικὸν, ſive res disjungens. Atque idem tradidit Diogenes in VIII; è noſtris Juſtinus Martyr παραινετικῷ πρὸς Ἕλληνας, & Clemens Alexand. προτρεπτ. πρὸς Ἕλληνας. Platonem quoque his comitem addit Plutarchus: quia licet multis quidem locis ſententiam ſuam occultârit, principiaque omnium vocârit idem, & diverſum: in libris tamen de Legibus, quos æta-

te

a Apud Probum in Eclog. 6.
b Al. in limum.
c Rationis expers.

te grandior perſcripſit, apertè doceat, mundum hunc non ab unica regi anima; ſed pluribus, ac minimùm duabus; quarum una bonum efficiat, altera contrarium. Quibus non obſtat, quod apud Auguſtinum in VIII de Civit. Dei cap. XIII legimus, juxta Platonem *Deos non eſſe, niſi bonos:* ut diſertim ait in decimo de Legg. Nam Plato per Deos bonos intellexit honeſtos, & virtutum amantes: quales etiam fuerint, etſi noceant hominibus; dummodo mala, quæ immittunt, juſtæ habeant pœnæ rationem. Qua parte Platonem deſeruiſſe videtur Porphyrius, quando in Sacrificiorum libris duo conſtituit dæmonum genera; bonos & beneficos, malos & maleficos. Vide Jamblichum libro de Ægyptiorum myſteriis; quæque ex Porphyrio ad Anebonem (ſic enim, non *Abeuntem*, vel *Abeonem* legi debet) B. Auguſtinus refert lib. X. de Civit. Dei cap. X. Ac Romani quoque, & Græci, licet non agnoſcerent duo ſolùm rerum principia; hactenus tamen priorum inſtitere veſtigiis, quod pro bono maloque effectu Deos diſcriminarent. Siquidem eorum iis alia bona, quæ juvarent; alia mala, & ut Maro vocat, læva, quæ nocerent. Atque ut apud Auguſtinum legas lib. VIII. de Civit. Dei cap. XIII, *Labeo numina mala victimis cruentis, atque hujuſmodi ſupplicationibus placari exiſtimat: bona verò ludis & talibus, quaſi ad lætitiam pertinentibus rebus.*

At propiùs ſententiæ de gemino rerum principio, bonarum uno, malarum altero, adhæſit Manes, cum diſcipulis XXII; in quibus præcipuè memorati Thomas, Buddas, Hermas, ſive Tyrbo, & Acua; à quo Manichæi aliter dicti Acuanitæ *a*. Nec tamen Manichæi ſic temerè loquebantur, ut dicerent, duplex eſſe numen; vel ſi duos dicerent Deos, non aliter hoc ſolent interpretari, quàm unum propriè, alterum impropriè *b* Deum dici: quomodo etiam Apoſtolus Paulus *c* ait, Deum hujus ſeculi, qui diabolus eſt, excæcaſſe fidelium mentes. Sed in eo tamen convenientia eſt, quòd ex duobus principiis, quorum unum eſſet Deus, alterum ſive Hyle, ſive Dæmon, à priori bona, ab altero eſſe mala crederentur: ab illo Solem non factum quidem, prolatum tamen, vel miſſum: ab altero autem colubrum, & alia id genus animalia, facta eſſe in gente tenebrarum. Quæ qui dicit, is diabolum creatorem, ac proinde Deum facit. Hanc Manetis inſaniam legere eſt apud Epiphanium hæreſ. LXVI: nec uno loco apud B. Auguſtinum. Paucis verò apud eum libro de hæreſibus, *Iſte*, inquit, *duo principia inter ſe diverſa atque adverſa, eademque æterna & coæterna, compoſuit: duaſque naturas atque ſubſtantias, boni ſcilicet & mali, ſequens alios antiquos hæreticos, opinatus eſt: quarum inter ſe pugnam & commixtionem fabulatur.* Per hæreticos, quos Manes ſecutus dicitur, intelligit Marcum, Cerdonem, Apellem, alios; qui itidem duo ſtatuerant principia. Sed cùm Manem hunc conſtet natione fuiſſe Perſam, ac Perſicis etiam diſciplinis, ſumtibus viduæ cujuſdam, fuerit imbutus, ut Epiphanius tradit: magis mihi veriſimile fit, patriam in eo religionem ſecutum fuiſſe. Zoroaſtris enim, & Magorum hæc doctrina erat; ut è Plutarcho antè vidimus. Atque idem à Laërtio adſtruitur è Dionis V Hiſtor. Ariſtotelis libro I de Hiſtor. Hermippo libro I de Magis, Eudoxo ἐν περιόδῳ, Theopompi libro VIII Philipp. & Eudemo Rhodio.

> a Epiphan. hæreſi 66. & Nicetas Choniates ſive Coloſſinſis lib. 4. Theſauri Orthod. cap. 33.
> b Fauſtus Manichæus apud Auguſtinum.
> c 2 Cor. 4. 4.

Satis ex his liquet, quàm antiqua ſit, & unde profluxerit doctrina de duobus naturæ principiis, bono Deo, maloque genio: quorum ille ſit cauſſa omnis boni in natura; & coli debeat, ut faciat bene: hic auctor ſit omnis mali, & colendus ſit, ne malus malè faxit.

Quod ſi adverſus hoc venenum quæratur antidorum, ex uſu ſit adire Epiphanium hæreſi LXVI, ac præcipuè B. Auguſtinum lib. XXI contra Fauſtum: item libro de natura boni contra Manichæos, & aliis in locis: adhæc Damaſcenum contra eoſdem. Mirum verò Fauſto, homini non planè obtuſo, placere potuiſſe ſententiam tam abſonam. Nam quo graviori quis piaculo ſe adſtringat, quàm ſi honore & obſervantiâ Dei propriâ eum colat & proſequatur, qui quicquid habet vitium, hoc ad Dei conferat ignominiam, & hominum exitium: ac propterea, ubi dies advenerit extrema, cum cultoribus ſui præceps in tartarum datus pœnas perſolvet æternas. Nec opinio tam aliena ab omni ratione, quicquid dicat Plutarchus, multum habuit auctoritatis apud prudentiores. Itaque cùm Fauſtus Manichæus Catholicis objectaret, quod dogma de uno Deo à gentilibus hauſiſſent: reſpondet ille lib. XX contra eum ſcriptorem cap. XIX, *Diſcat Fauſtus, vel potius illi, qui ejus literis delectantur, monarchiæ opinionem non ex gentibus nos habere: ſed gentes non uſque adeò ad falſos Deos eſſe delapſas, ut opinionem amitterent unius veri Dei, ex quo eſt omnis qualiſcunque natura.* Firmat hæc Juſtinus Martyr de Monarchia. Ubi præter poëtas etiam Platonem advocat in Timæo. Qui ſive à Thebaidos incolis monitus, ſolùm Deum Kneph agnoſcentibus, ſive aliter edoctus; licet plures induceret Deos, hos bonos, illos noxios; neutros tamen alio habuit loco, quàm pro Numinis ſupremi miniſtris. In quo Hebræis, de quibus nulli eſt obſcurum, Chaldæi etiam conſenſerunt: ſi oraculo ſtare poſſumus, quod narrat nobis Juſtinus Martyr oratione parænetica ad gentes, & Euſebius in nono Præparationis Evangelicæ:

Μοῦνοι Χαλδαῖοι σοφίην λάχον, ἠδ' ἄρ' Ἑβραῖοι
Αὐτογένητον ἄνακτα σεβαζόμενοι θεὸν ἁγνῶς.

Latinè ſic utcunque verbum verbo reddideris:

Soli Chaldæi ſophiam ſortiti, & Hebræi
Sanctè à ſe-genitum a regemque Deumque colentes.

> a Vel, Sanctè nullo ortum.

Sed operam luſimus, niſi argumento etiam occurramus eorum, qui ſententiæ noſtræ diſcrepant. E Plutarcho autem vidimus, eò opinionum eſſe diſſenſionem, quòd in orbe terrarum, tot res ſint noxiæ generi humano: nec in animum inducere poſſent, Deum Optimum, (quod priùs, quàm Maximum, dicere ſolemus) tot eſſe malorum fontem & originem. Eo igitur fuere delapſi, ut duplex conſtituerent principium; à quorum altero acerbitates, omniaque fluere infortunia, multarum etiam rerum exitium, prædicabant: alteri autem, quicquid boni eſſet, acceptum referebant. Sed longe aliter poterant hac cura defungi, ſi mente animoque ſtudioſius hæc conſideraſſent. Si enim poëta dixerit Sulmonenſis in ſecundo Triſtium:

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem:

non minori jure dixero,

Nil lædit, quod non commoda certa ferat.

Quocirca, non continuò ſiquid noceat, eo pro tali habendum, quod rerum naturæ incommodet. Nam quod uno eſt loco noxium, id juvat alio. Quis ignorat, quantum in periculum homines conjiciat cicuta? Cujus rei in propinquis illuſtre etiam habeo exemplum à Nobili & affinitate dum viveret conjunctiſſimo Henrico Smetio memoratum Miſcellaneorum Medicorum lib. X, in obſervationibus anni CIƆIƆXCI. Attamen in Liguribus Taurinis pro cibo habetur non delicato ſolùm, ſed etiam ſalubri, & inter cætera urinam ciere idoneo. Et quàm multa homini ſunt venena in cibis, quæ proſunt ei in medicamentis! Atque ut neutrâ ratione commodo atque uſui forent: tamen ſic quoque emolumentum homini afferrent, dum pro cibo ſunt mutis animantibus, quæ nobis poſtea in alimentum, vel medicamentum cedunt. Scitè hoc verſibus iſtis expreſſit Lucretius in quarto:

Tantaque in his rebus diſtantia differitaſque eſt,
Ut quod aliis cibus eſt, aliis fuat acre venenum.
Eſt itaque ut ſerpens, hominis quæ tacta ſalivis,
Diſperit, ac ſeſe mandendo conficit ipſa.
Præterea nobis veratrum eſt acre venenum,
At capris adipes, & coturnicibus, auget.

Dixeris, ut hoc ita ſit in quibuſdam; tamen eſſe ex venenis innumera, ex quibus nullam homines, vel muta animantia capiant utilitatem: atque hoc facilè appariturum circumferenti animum per ea, quæ de his legere eſt, vel apud Græcos, ut Nicandrum, Dioſcoridem, Aëtium, Æginetam; vel Arabas, ut Avicennam, Serapionem, Haliabbatem, Rhaſin; vel recentiores Latinos, ut Petrum Aponenſem, Sanctem de Arduinis, cardinalem Ponzettum; ut Cardanum, Grevinum, Mercurialem, alioſque

præ-

prætereamus. Sed enim ſcimus & multorum ex illis utilitatem inſignem prodi ab iis, qui in arcanis naturæ rimandis ſtudium & operam collocarunt: & ſi de omnibus id oſtendere non poſſumus, non eo malignitatis culpanda eſt natura, vel ejus auctor; ſed inertiæ id noſtræ tribuendum, qui non, quantum poteramus, curæ & diligentiæ in indagando eorum uſu poſuerimus. Quid quod ſic quoque ex venenis illis utilitas ad nos redit? Excitant enim induſtriam noſtram in diſcernendis ſalubribus à venenatis. Patientiæ quoque materiem hinc habemus. Cumque videmus, quot periculis obnoxia ſit hæc vita, magis cognoſcimus iram Dei erga peccatum, ob quod in hanc miſeriam ſumus conjecti. Ardentius quoque Deum oramus, ut prudentia nos inſtruere, & per angelos ſuos cuſtodire dignetur.

Cap. VI.

Acceditur ad ſpiritus miniſtros, bonos maloſque: quorum utroſque negarunt Saducæi; item Democritus; ex parte etiam Ariſtoteles: at contrà eos agnoverunt Pythagorici, & Platonici: atque ut doctrina hæc ad gentiles etiam à majoribus, multorum ſeculorum traditione, ſit derivata: quadruplici item ratione comprobata, ſpectris, oraculis, magicis artibus, & prodigiis. Angelis ſui generis corpus tribui, non modo à philoſophis, ſed etiam multis Sanctorum Patrum. In quo gentiles, & alii, de natura eorum aberrarint.

Dictum de duplici ſpiritu, uno boni, altero mali principio; quorum utrumque pari, vel ſuppari honore coluerint. Eaque occaſione etiam vidimus de variis opinionibus, quæ inde promanarint; ſed diſſimili ratione; dum alii non duo ſtatuunt principia, ſed multa; ſic tamen diviſa, ut quædam eſſent benefica, quædam malefica; ac utriſque cultus præſtaretur divinus: alii autem, ut Manichæi, duo duntaxat principia, boni unum, alterum mali, conſtituerent; ſoli tamen principio boni cultum, ut Deo, exhiberent. Deinceps accedo ad ſpiritus, non principes, ſed miniſtros: qui à philoſophis communi nomine fere dæmones vel dæmonia, à Peripateticis intelligentiæ, à Chriſtianis boni malive angeli appellantur.

In his conſiderabimus, naturam, officium, & cultum. In natura ſpectabimus hæc tria: primum, qui ſpiritus hoſce negarint, qui agnorint: deinde unde eos gentes cognoverint: & quatenus in eorum natura convenerint Chriſtiani, ac gentiles: denique de naturæ hujus præſtantia; quæ ex cultus cauſſis una fuit.

Spiritus non agnovere Saducæi: ut eſt Actor. XXIII, 8. Objectant nobis Judæi, quòd libros Moſaicos agnoſcerent pro divinis; ubi ſæpius commemoratur, ut angeli apparuerint. Verùm veriſimile mihi ſit, Sadducæos eludere hæc ſolitos: cujus ratio nunc gemina occurrit. Una eſt, ut per eas non aliud intellexerint, quàm qualitates à Deo productas in imaginatione ejus, quem de re aliqua velit edocere. Altera eſt, ut putarint, Deum producere ſpiritus, quando eorum operâ uti velit, poſtea eos deſtruere: ac producere quidem ſeparando quiddam ab anima mundana, quod poſtea redeat in naturam generalem.

Ex gentium philoſophis Democritus non agnovit ſpiritus ullos: nec Ariſtoteles alios, quàm orbium cæleſtium motores. Licèt non ignorem, aliud de Ariſtotele viſum fuiſſe Auguſtino Steucho lib. VIII de Perenni Philoſophia cap. XXVI. Sed enim ſi alios ſtatuiſſet, ſaltem, ubi optima erat occaſio, non hoc ſciviſſet nos ignorare. Nunc nec levem ejus rei mentionem videmus; præterquam ubi ex aliena loquitur ſententia. Ac valde hanc de eo opinionem firmat, quòd ſimiliter ſenſerint præcipui ejus interpretes; ante alios Alexander: præterea Simplicius, & Averroës. Aliqui tamen aliter; ſed hi à præceptore, ut aliis quibuſdam, ita hac etiam parte, receſſerint; primùm Theophraſtus; multis poſt ſeculis Ammonius, & Philoponus; item ex Arabibus Avicenna, & Algazel.

Nec cauſſa erat, cur hac parte hi jurarent in Democriti, vel Ariſtotelis opinionem, qui prius deſeruiſſent ſententiam veterum. Pythagoras enim dæmonia poſuit: imò primus id philoſophorum fecerit, ſi Simplicio credimus in libb. de Anima. Nec dubium, quin in eo Pythagoras veſtigiis eorum inſtiterit, quibus uſus magiſtris fuit; Thracibus, Ægyptiis, Perſis, Chaldæis, atque aliis: quemadmodum libro de Philoſophorum ſectis oſtendimus. Plato, qui poſt Socratis exceſſum Pythagoræos audivit, eorum hanc opinionem ſecutus fuit: uti Platonem ſectatores ejus Appulejus, Plotinus, Porphyrius, Proclus, Pſellus.

Mirum verò non injuriâ videatur, unde gentiles agnoverint ſpiritus ſive dæmonia: quæ Sadducæi, Peripatetici, & alii magni nominis negarunt: uti hodieque multi eos tollunt; ſed qui nihil credant, niſi quod manibus palpent, vel oculis ſaltem videant. Operæ igitur erit, ſi hoc paullò fuſiùs exponamus. Nam abſque eo intelligi nequit, unde originem ceperit dæmoniorum cultus.

Non dubium, quin à primis Noachidis per manus traditum ſit, eſſe ſpiritus, quorum miniſterio utatur Deus in orbe adminiſtrando. Præterea intelligere propius potuerunt quiſque ab gentis ſuæ conditoribus. Siquidem Moabitæ, & Ammonitæ, habuere traditionem à Lotho, quem Angeli è Sodomis eduxerant: ut eſt Geneſ. XIX. Iſmaëlitæ hauſerint ex Agar, cui Angelus aquam oſtendit: ut eſt Geneſ. XXI, 17. Poſtea item in Moabitis firmata hæc opinio, cùm angelus ſe oppoſuiſſet Bileamo, ut Iſraëlitis malediceret: quemadmodum legere eſt Numer. XXII, 22. Nec dubium, quin non pauca ejuſmodi alia contigerint; utut Spiritus S. ea in Scripturis prætererit, quia ſufficerent nobis, quæ habemus. Neque enim repente omnes facti ſunt peſſimi; ſed paulatim à recto deſcirum: ut admodum ſit credibile, diu etiam poſtea aliquos ſaltem fuiſſe, quos miſericors Deus per angelos ſuos alloqui dignaretur; ſed, magis & magis religione pura retro eunte, pauciores pauciores que.

Nec tamen, ſi deeſſet afflatus angeli boni, eò deſiere ſe mali offerre angeli; idque domi, in agris, ſylvis, mari. Quin tanto id frequentiùs factum; quanto major eſſet Dei ignorantia: quomodo hodiéque in gentibus idololatricis contingit, atque etiam in Lapponibus & Finnis, extimi Septentrionis populis; ubi tenuis eſt valdéque diluta veri numinis cognitio.

Hujuſmodi oblationes *ſpectra* dixere: ſed voce aliquantò anguſtiori: quando *ſpectrorum* vox eſt à veteri verbo *ſpecio*, hoc eſt, video: unde *ſpecies*, ut à *facio*, *facies*; item *ſpeculum*, ut ab *amicio*, *amiculum*: compoſita item *inſpicio*, *conſpicio*, alia. Atqui ſpectrorum nomine non ea ſolùm intelliguntur, quæ videmus; ſed etiam, quæ auditu cognoſcimus. Ut fragores, & ſtrepitus inſolitos: vel ſi, ubi videas neminem, vox aliquid ſignificet humanâ major. Nempe ut trecentis aliis, ita huic etiam vocabulo contigit, ut à potiori uſu imponeretur. Græcè ſimiliter φάντασμα dicitur Matth. XIV, & Marci VI: ubi hiſtoria refertur Chriſti inambulantis aquis, ac diſcipulorum putantium ſe ſpectrum conſpicere. Græcanicam vocem vulgatam retinuit interpres: ſed *ſpectrum* prætulit Eraſmus. Πνεῦμα dicitur Luc. XXIV: quando diſcipuli Jeſum poſt reſurrectionem conſpicantes, ſpiritum ſe videre cenſent. Et ſanè, opinionem ſpectrorum in populo obtinuiſſe Judaico, præter iſta oſtendit hiſtoria Heliodori ab formidabili equite flagellati: ut eſt II Maccab. cap. III: item quinque equitum Judæ Maccabæo opem ferentium: de quo ejuſdem libri cap. XI. Sed enim hæc ſpectant Judæos: nunc de gentilibus propriè agimus, è quibus non modò vulgus, ſed flos etiam populi, in hac ſententia fuit. Neque ignorabant, ſubinde ſpectra fingere homines, ſive otio pene marcentes; qui aliquam capiunt voluptatem, ſi aliis ſint terrori: ſive invidos, avaros, ambitioſos, libidinoſos; qui hiſce artibus rebus ſuis ſtudent: cujus rei vix aliquo in ordine plus exemplorum habemus, quàm in ſacerdotali. Tale illud de Tyranno, Saturnum ementiente, ut potiri liceret mulierum amplexibus: de quo Rufinus lib. XI,

cap.

cap. xxv. Item de Mundo adoleſcente, ſic à ſacerdote inſtructo, ut ſe Anubidem ſimulando Paullinâ frueretur: de quo Joſephus Antiquitatum lib. xviii, cap. vi. Addere etiam liceat melancholicos, & furioſos, quibus atra bilis imaginationem corruperat. Spectra putant, quot ex latentium ſunt animalium, vel exhalationum fumi. Sic Pentheus apud Euripidem in Bacchis putat ſe geminas videre Thebas. Ariſtoteles lib. Mirandorum narrat, ut quidam ſe in theatrum contulerit, ibi deſidens plauſu teſtatetur, quantopere ſibi placerent, quot agerentur, cum ageretur nihil.) Horatius in ſecundo epiſtolarum refert de quodam ſimiliter affecto, ac poſtquam ſanatus eſſet, jurgante cum amicis, quia, ut ajebat, nunquam ſuavius vixiſſet, quam mentis inops. Idem & metu nimio multis contingit. Unde mulieres, & pueri, & horum ſimiles, eadem patiuntur: ac par ratio eſt in myopibus, ſurdaſtris, ebriis: quales quia ſenſu minus valent, quandoque etiam ſanctè affirmant, viſa ſibi, vel audita, de quibus fidem nulli fecerint cordato. Unde Plutarchus de ſpectro Dionis in vita ejus diſſerens ſcribere non dubitat: Καὶ τις λόγος τις ἐςὶ τῶν ἀναιρούντων τὰ τοιαῦτα, μηδενὶ ἂν νοῦν ἔχοντι προσπεσεῖν φάντασμα δαίμονος, μηδὲ εἴδωλον, ἀλλὰ παιδάρια, καὶ γύναια, καὶ παραφόρους δι' ἀσθένειαν ἀνθρώπους ἔν τινι πλάνῳ ψυχῆς ἢ δυσκρασίᾳ σώματος γινομένους, δόξας ἐφέλκεσθαι κενὰς καὶ ἀλλοκότους, δαίμονα πονηρὸν ἐν αὑτοῖς εἶναι δεισιδαιμονίαν ἔχοντας. *Tametſi perhibent illi, qui negant talia, nemini cordato viſum dæmonii vel ſimulachrum obverſari; verum pueros, mulierculas, & deliros ex corporis imbecillitate homines, quum aliquo tenentur mentis errore, vel intemperie corporis, opiniones alienas atque abſonas admittere, dum malum dæmonium ſuperſtitioſè credunt ſe invaſiſſe.* Sed enim ibidem refert Plutarchus, ut genius & Dioni, & Bruto, ſignificârit vitæ ſuæ exitum. Non hæ viles erant animæ: ſed viri magni, & graves, philoſophiâ uterque exculti: qui tamen uſque adeò ſpectris fuere commoti, ut amicis ſuis eorum, quæ vidiſſent, ſollicitè indicium facerent. Nec ignotum, quid de Curtio Rufo narret Plinius lib. vii epiſtola ad Suram. Quod ſi ſemper apparitiones ejuſmodi non animarum ſunt, ſed ſpirituum: pertineat huc quoque, quod de Athenodoro, magni nominis philoſopho, ibidem refertur: cui narrationi, fidem adſtruit, quod exitus, & ſapientiſſimæ Athenienſium civitatis judicium, eam comprobârit. Sed longum eſſet commemorare omnia, quæ gravibus viris è gentilibus ipſis ſubnixa ſunt. Varii adeantur, qui hoc argumentum tractarunt. Tam multa hi referunt, quæ teſtes habeant viros cordatos, ut fidem ſingulis demere non videatur alterius, quàm qui conſcius ſibi vanitatis ſuæ, cæteros etiam ſuo pede metiatur, neque ullos inveniri probos & fide dignos arbitretur.

Nec ex ſpectris ſolùm collegere gentiles, eſſe dæmonia ac ſpiritus: ſed etiam ex oraculis, quæ aliter dicuntur Deorum reſponſa: ac vel è terræ cavernis, vel è ſimulachris Cæſar Bulingerus lib. i de pictura & ſtatuaria cap. xxi: *Nihil eſt, unde efficacius probetur, Angelos, & dæmones eſſe, quam ex eo quod ſtatua bruta, & exanimes loquuntur*, edebantur; idque ſolertiâ quidem humanâ, ſed ſæpe etiam diabolicâ. Nam conſtitere quidem fraudibus vatum; ſed non ſolis, cùm multa prædixerint, ad quæ nulla ratione humanæ mentis acumen pertigiſſet. Atque hæc iis etiam præſtitere, qui oracula venerant exploratum, hominibus vafris, nec admodum credulis. Quæ res fecit, ut cùm vulgus citra delectum omnia amplecteretur: prudentiſſimi quique, non omnia, ſed multa tamen crederent: quod ex illa in narrando conſtantia eorum ſatis liquet. Ariſtoteles, (qui dæmonia non credit, vel ſaltem non memorat, niſi cum, ut diximus, ex aliena loquitur ſententia) divinationes iſtas tribuit humori melancholico; quia qui illo abundant, ingenio magis valeant, eò quòd acrimonia atræ bilis contrahat ſpiritus, ut obſcura difficiliaque melius perſpiciant. Nec diffiteor, hoc in iis quidem locum habere, quorum notitia à ſenſibus dependeat: at diſpar ratio in illis, quorum cognitio aliunde originem trahit. Plutarchus, & alii, maluere cauſſam conſtituere in vapore terreſtri à Sole educto, inque corpus bene temperatum recepto, mentemque humanam concitante. Itaque, quod oracula defecerint, inde accidunt, quia terra, vi ejus paullatim evaneſcente, tandem quaſi effœta, ejuſmodi exhalationes emittere deſierit. Mirum, cujuſquam paullò cordatioris animum in tam frivolis potuiſſe acquieſcere. Nam ut iis hoc concedamus, mentem poſſe humanam ab vaporibus ejuſcemodi concitari: unde, quæſo, evincent, vim aliam habere, quàm ut, quæ priùs ſciant homines, ſubtiliùs vel diſertius promant? quomodo poëtæ, ubi paullùm ſe conſperſerint flore, ut ipſi loquuntur, Liberi patris, meliùs ſoleant poëtari. Quare cum Ariſtoteles, & Plutarchus, quorum meritò magnum ſemper nomen fuit, nihil meliùs potuerint adferre: ſic colligimus, neutiquam in natura eſſe inferiori ſubſiſtendum; ſed adſurgendum eſſe ad cauſſas ſuperioris naturæ, quales ſunt dæmones: quos iccirco oraculorum eſſe cauſſas, Porphyrius tradit libro de dæmonibus, & Jamblichus libro de myſteriis cap. xxi, & xxvi: ut Appuleium mittam, de quo poſtea dicemus.

Quibus aliud videtur, oracula ajunt conſtitiſſe fraudibus humanis: quod etiam perſpexit Demoſthenes, quando (ut Minutius in Octavio ait) *reſponſo ſimulato* φιλιππίζειν *Pythiam querebatur*. Planiuſque fucum detexit, tum Cornelius Nepos in Lyſandro, tum Lucianus in Alexandro Pſeudomante: ut tot alios fraudis patriciæ pariter, ac ſacerdotalis teſtes prætercam. Quas nec inveniſſe adumbravit Cælius Calcagninus ſuo de Oraculis libello. Dixeris quoque, vel illud ſuſpecta reddere oracula, quod fere ita eſſent ambigua, ut ad eorum intelligentiam altero eſſe oraculo opus videretur. Sed non ſi oracula latentium fuerint hominum impoſturæ, eo non fraude etiam conſtiterint illudentium dæmonum. Et his, & illis, ſuas partes tribuimus. Nec ſi ambigua forent, eo dæmoniaca non erant; quia dæmones ipſi, futurorum contingentium neſcii, ſubtili quidem, ſed fallaci ſæpius conjecturâ nituntur. Quare & dæmonibus verbis opus fuit obſcuris ac perplexis, quò oracula male crederentur intellecta, ſi eventus non reſponderet. Nec ſatis eſt, ſi in ſacerdotum ſubſiſtatur ſollertia, quia multa prædicerentur, ad quæ, uti dixi, non pertingeret mens humana. Quod parebit complura cogitanti oracula ex iſtis, quæ à veteribus referuntur, & juniorum induſtria bonam partem uno comprehenſa corpore prodierunt.

Egimus de ſpectris & oraculis. Præterea verò eſſe ſpiritus ſive incorporeas ſubſtantias, collegere gentiles ex mirandis illis, quæ fiunt per magiam, tum illam, quam albam vulgo dicunt, veteres autem θεουργίαν vocabant; tum quam nigram nuncupant, antiqui autem γοητείαν nuncuparunt. Priori deditos, laudabiles ajebant; alteri addictos, deteſtabiles: ſed ut Auguſtinus ait lib. x de Civ. Dei cap. ix; *ſunt utrique ritibus fallacibus dæmonum obſtricti ſub nominibus angelorum.* Nec omnem propterea magiam damnamus. Eſt quædam naturalis; qualis eſt, ſi ovum in menſa ſpontè moveatur, quia incluſeris argentum vivum: aut ſi clavus in aëre pendeat medius, quia ſuperius & inferius deliteat magnes: & alia id genus, vix ullis cognita, niſi qui naturæ rimantur arcana. Eſt alia magia artificioſa: unde eſt, quod Archimedes ſpeculis naves combureret Romanas: quod Archytæ lignea volitaret columba, ſimiliaque Matheſios miracula. De Anaxilao & Nigidio, qui magi dicti quia naturæ cognitione ſingulari quædam facerent imperitioribus miranda, vide illuſtrem locum Joſ. Scaligeri ad Euſebii annum 1989, pag. 153. Nobis verò nunc ſermo eſt de dæmoniaca ſola: ut ſi corpus humanum horæ ſpacio transferatur ad centies mille paſſus: ſi caput æneum ad interrogata quævis dederit reſponſa: ſi corpus aliquod ſic oculis præſentium ſubtrahatur, quaſi evaneſceret: ſi de furtis cujuſlibet occultis indicium fiat. Quam qui magiam exercent, fere cum ea conjungunt naturalem illam, & artificioſam: nempe ut cætera etiam ab natura, vel arte, eſſe videantur. Unde Irenæus juxta veterem interpretem lib. i, cap. vii: *Anaxilai ludi-*

ludicra cum nequitia eorum, qui dicuntur magi, commiſcens, per hac virtutes perficere putatur apud eos, qui ſenſum non habent, & à mente ſua exceſſerunt. Græce ſi malis, habes apud Epiphanium hæreſi XXXIV: Τὰ γὰρ Ἀναξιλάου παίγνια τῇ τῶν λεγομένων μάγων πανουργίᾳ συμμίξας, δι' αὐτῶν φαντάζων τε καὶ μαγεύων, εἰς ἔκπληξιν τοὺς ὁρῶντας τε καὶ πειθομένους αὐτῷ ἐξέβαλεν. De ludicris verò Anaxilai ſic inter alia Plinius lib. XXXV, cap. XV: *Luſit & Anaxilaus eo* (ſulphure) *candens in calice novo, prunaque ſubditâ circumferens, exardeſcentis repercuſſu pallorem dirum, velut defunctorum, effundente conviviis.* Ad ludicra autem ejuſmodi acceſſiſſe commercium cum maligno ſpiritu, ſenſit etiam Irenæus lib. I, cap. IX, quando de Marco hæretico ait: Εἰκὸς δὲ αὐτὸν καὶ δαίμονά τινα πάρεδρον ἔχειν. *Veriſimile eſt habere eum dæmonem quendam adſeſſorem.* Ubi *paredri* vocem, quæ *adſeſſorem* ſignat, vetus retinet interpres.

Quibus hæc diſplicet ſententia, omnem magiam eſſe naturalem contendunt. Ac alii quidem, ut Petrus Aponenſis, qui Conciliator vulgò dicitur, provenire ajunt ab vehementi imaginatione, quæ vapores ac ſpiritus conturbet. Nos magnam quidem imaginationis vim agnoſcimus; ſed in corpus conjunctum, quales ab imaginatione gravidæ ſe exerit in fœtum, at non item in corpus diſſitum, niſi fortè per contactum; ut ſi ab oculis veneficus vapor exiens noceat propinquo. At negamus imaginationem per ſe vim imprimere corpori longè diſſito. Nihilo rectiùs Petrus Pomponatius, qui libro de Incantationibus cap. IV, illa ſtupenda fieri ait, non vi incantationis; ſed incantatoris, idque occulta hominis proprietate. Quemadmodum enim lapides, & herbæ, cæleſti virtute mirandas ſortiuntur vires: ita cæli influxu unum præ alio accipere virtutem mirifica patrandi. Sed diſpar planè ratio lapidum plantarumque, ubi virtus eadem toti convenit ſpeciei; in hominibus verò pauci duntaxat res faciunt mirandas. Quare iſtæc, cum hominum excedant poteſtatem, non aliunde, quam à dæmonio, eſſe poſſunt.

Objectant, quòd multis nihil æquè fuerit in votis, quàm dæmoniorum commercio res agere admirabiles; ſed nullo illos ſtudio eò potuiſſe pervenire; unde colligunt, ab iis, qui magi dicuntur, circulatoriis ludi præſtigiis: indeque Curtium lib. VII, cum artis magicæ meminiſſet, mox ſubjungere, *ſi modò ars eſt, nec vaniſſimi cujuſque ludibrium.* Verùm non quæritur, an multa nihil ſint niſi ſenſuum ludibria: ſed ſufficit, quòd multa ſine fœdere cum ſpiritu maligno fieri non poſſint. Nec movet, quòd multi, qui magno ſtudio hoc conſortium ambierunt, eò pervenire non potuerint. Eſt ubi Deus non permittat: ut præcipuè in potentibus, ne nimium orbi incommodent. Eſt ubi dæmon tale refugiat conſortium. Nec enim omnes æquè ei conducibiles; ſed vix alii, quàm ſimplices & creduli; cujuſmodi fere mulieres; vel affectibus planè mancipati, ut qui libidine, aut vindictæ ſtudio æſtuant: qualibus facilius illudit, atque abutitur.

Præter magicas artes, & cætera, quæ prius dicebamus, etiam dæmonia eſſe collegerunt ex oſtentis & prodigiis; quæ vel hominum mortes, vel ingentia prœlia, vel imperiorum mutationes ſæpiſſimè antecedunt. Ea oſtenta, nunc in cælo vel aëre contingunt, nunc terra marive. Neque ignoro, ſubinde referri à multis, non facta, ſed ficta: verùm ſatis eſt, quod multa adeò ſint non ficta, ſed facta. Quod negare non potuit acutus ille Hetruſcus, ſed neſcio an gentilibus multo religioſior. Machiavellum me dicere, puto, omnes intelligunt. Is lib. I Diſputationum cap. XXXVI, *Magnos*, inquit, *motus prædici ſolere, cùm in urbibus, tum in provinciis, idque ſignis quibuſdam, aut hominum præſagiis denunciari.* Idem poſtea ſic ſcribit: *Ut cauſſam facile confitebor me ignorare; ita rem ipſam, cùm ex antiquis, tum novis exemplis agnoſcere oportet, & confiteri, omnes magnos motus, quicumque aut urbi alicui, aut regioni evenerunt, vel à conjectoribus, vel à revelatione aliqua, prodigiis, aut cæleſtibus ſignis prædici ac prænunciari ſolere.* Unde autem prodigia, & cæleſtia illa ſigna proficiſcantur, non aliter potuit expedire, quàm ſi ea ad ſpiritus referret. Nam cum cauſſæ ignarum ſe profeſſus eſſet, hæc poſtea ſubjungit: *Niſi forte cum philoſophis quibuſdam pronunciandum cenſeamus, aerem plenum ſpiritibus & intelligentiis eſſe: quæ futuras res prævidentes, & caſibus humanis condolentes, eas hominibus per hujuſmodi ſigna prænuntient, ut ſe adverſus eas tempeſtivè præparare, & communire queant.* Quæ ſatis docent, cum ſupremam ad cauſſam recurrere nollet; nullam reperiſſe magis idoneam, quàm ſpiritus aerios.

Vidimus, ut eſſe ſpiritus, non traditione ſolâ, ſed quadruplici præterea ratione, cognitum ſit. Sed hoc *ſpiritus* vocabulum non eodem ab omnibus modo intelligitur. Interea convenit, non habere ſpiritus carnem & oſſa, ac ne quidem corpora ejuſmodi, ut in propria videri queant naturâ. Sed diu diſquiſitum, an omni omnino corpore careant: quæ putatur Philonis fuiſſe ſententia, qui libro de confuſione linguarum *a* angelos — a Fol. 234, edit. Turnebi.
vocet ψυχῶν ἀσωμάτων ἱερώτατον χορόν· *animarum incorporearum ſacratiſſimum chorum.* Ac ἀσωμάτους *b* etiam — b Incorporeos.
ſtatuunt Juſtinus Martyr, ſive alius potius quæſtionum Græcanicarum confutatione ad quæſt. II. Item Nazianzenus orat. II de Theologia, & XXXVIII de natali Chriſti; Gregorius Nyſſenus de vita Moſis; Chryſoſtomus orat. I de Providentia; Theodoretus in Geneſin quæſt. XXXVI; & orat. III contra Græcos; Cyrillus in Joannem lib. II, cap. X. Ut præteream duos Scholaſticorum quaſi patres, Dionyſium, & Damaſcenum; & tot alios.

Sed alii contrà cenſent, nihil eſſe incorporeum, præter Deum: quod aſſerit Gennadius Maſſilienſis libro de dogmatibus Chriſtianis cap. XI, XII, XIII; & ex eo inter Auguſtino tributa, ſcriptor libri de Spiritu & anima cap. XVIII. Ac apud Bedam lib. I de elementis philoſophiæ legas: *Quidam dicunt, quod corpora ſint ita ſubtilia, quæ ſenſu percipi non poſſint: unde reſpectu corporum noſtrorum, quæ ſpiſſa ſunt, & craſſa, ſpiritus dicuntur. Quemadmodum aër, quamvis corpus ſit, tamen propter ſubtilitatem ſui ſpiritus vocatur. Quod confirmat beatus Gregorius, qui in Moralibus lib. II. cap. II, de angelis loquens, ait: Comparatione corporum noſtrorum ſpiritus ſunt: ſed comparatione illius ſummi, & incircumſcripti ſpiritus, corpora ſunt dicenda. Hoc iterum probant autoritate B. Auguſtini, qui Enchiridio quoddam ponit capitulum, qualia corpora angeli habeant.* Sanè hæc ſententia, quam Beda proponit, nec ſequitur tamen, multis & ante eum, ac Gennadium placuit, ac multis poſt eos. Ex vetuſtioribus inclinat quoque eò Tertullianus lib. de carne Chriſti cap. VI: *Conſtat angelos carnem propriam non geſtaſſe: utpote natura ſpiritales, & ſi corporis alicujus, ſui tamen generis; in carnem autem humanam transfigurabiles ad tempus, ut videri & congredi cum hominibus poſſint.* Imò Origenes in prologo librorum περὶ ἀρχῶν clarè iis tribuit corpora, non palpabilia quidem, ſubtilia tamen, & tenuia inſtar auræ: cujuſmodi quæ ſunt, ea à ſimplicioribus ait incorporea vocari, quia non videantur, nec urgenti reſiſtant: quomodo nec aër vulgo dicitur corpus. Etiam lib. II, cap. II, ſolum Deum dicit ἀσώματον *c*. Itidem Lactantius lib. II div. — c Incorporeum.
inſt. cap. XV, angelos ait *ſpiritus tenues.* Macarius homil. IV *d*, Ἕκαστον γὰρ κατὰ τὴν ἰδίαν φύσιν σῶμά ἐστιν, ὁ ἄγγελος, ἡ ψυχή, ὁ δαίμων· ὅμως γὰρ λεπτά ἐστιν, ὅμως ἐν ὑποστάσει καὶ χαρακτῆρι καὶ εἰκόνι κατὰ τὴν λεπτότητα τῆς φύσεως αὐτῶν σώματά τυγχάνουσι λεπτά, ὥσπερ ἐν ὑποστάσει τοῦτο τὸ σῶμα παχύ ἐστι. — d Pag. 48, edit. Morell.
Unumquodque pro natura ſua corpus eſt; ſive ſit angelus, aut anima, aut dæmon. Licet enim hæc corpora tenuia ſint, nihilominus in ſubſtantia, charactere & repræſentatione pro ſubtilitate naturæ ſuæ corpora ſunt ſubtilia: quemadmodum & corpus iſtud ſecundum ſubſtantiam ſuam corpus eſt craſſum. Similiter Auguſtinus de divinatione dæmonum cap. III,

& v, & Geneſi ad literam lib. III, cap. X, in enchiridio ad Laurentium cap. LIX, epiſt. XCI, ad Fortun. & CXV ad Nebridium, Octoginta trium quæſtionum quadrageſimâ quintâ, lib. II Retract. cap. XXVI, de Civitate Dei lib. XXI, cap. X, ubi de quæſtione hac ſic judicat: *Si quiſquam nulla habere corpora dæmones aſſeverat; non eſt de hac re aut laborandum operosâ inquiſitione, aut contentiosâ certandum.* Caſſianus quoque Collat. VII, cap. XIII, ait angelos *habere corpus quo ſubſiſtunt, licet tenuius, quam nos.* Ac æqualis ei Claudianus Mamertus ſimiliter ſenſit lib. III de ſtatu animæ. Imò Joannes, Epiſcopus Theſſalonicenſis, in Nicena ſecunda act. V, ait, *ita Eccleſiam Catholicam docere.* In quo etſi ratio eum ſugerit, hoc tamen vidit, eam communiorem fuiſſe apud antiquos opinionem. Nec poſtea prorſus obſolevit: cùm & idem cenſeat Elias Cretenſis in apolog. Nazianzeni, atque etiam Bernardus in Cantic. ſerm. V; ubi itidem ſolum Deum ait incorporeum. E junioribus mens eadem Auguſtini Niphi tractatu III de dæmonibus cap. XXXIV, & Cajetani in cap. IV Geneſ. & in cap. I ad Epheſ.

Etſi verò cum nemine contentionis funem duxero, qui angelis corpora tribuat, laxius hac voce acceptâ: non tamen aſſentiendum Thalmudiſtis, qui eos nugantur productos ex ſiniſtro maſſæ latere: vel Platonicis, qui definire non verentur, corpora iis eſſe rotunda, ac his æthærea, illis aërea, vel alius elementi. At extra controverſiam ponimus, etſi humana ſæpius corpora aſſumant; minimùm tamen incorporeos eſſe dicendos, quatenus perfectæ ſunt ſubſtantiæ per ſe, nec ordinem habent naturalem ad corpus: contrà quàm in animis fit humanis, quæ citra quidem corporis organa, ſed modo ſubſiſtunt imperfecto: puta ut pars perfectæ ſubſtantiæ conſtitutiva; unde non niſi indirectè & reductivè ad ſubſtantiarum ſeriem pertinent.

CAP. VII.

Præſtantia merè ſpiritualis naturæ, quæ prior eſt ratio, cur ab hominibus pro Deo culta ſit, ex eo comprobatur, quod interitui non ſit obnoxia. Originem interim habere, contrà quàm viſum Ariſtoteli. Sed quando ea ſit producta, ne quidem conſtitiſſe inter veteres Theologos: neque ob hanc quæſtionem Eccleſiæ pacem ſcindi oportere. Ejuſdem naturæ excellentia oſtenditur ex intellectus angelici ſagacitate: nec tantam tamen eſſe, ut futura præſciat, quæ ſunt contingentia. Præterea præſtantiam ejus elucere ex potentia; quo & velocitas pertinet: unde alæ ei tributæ, ut ventis etiam à gentilibus. Hinc acceditur ad alteram cauſſam præſtiti ei cultus divini: quæ eſt officium ac cura erga homines. Conſiſtere eam in triplici miniſterio, ac de eo gentilium & Chriſtianorum ſententiæ conferuntur.

MAgna verò eſt naturæ hujus ſpiritualis excellentia: quæ & princeps ratio eſt, cur eò devenerint homines, ut honôrem illi exhiberent divinum. Hoc ut meliùs intelligatur, non defugiam referre, in quibus potiſſimùm præſtantia ſpirituum conſiſtat.

Ac primùm ſuperant eo mortale genus, quòd natura eorum ἀλλοιωσ(ει)[a] quidem, non interitui tamen obnoxia ſit: contrà quàm nonnullis gentium philoſophis perſuaſum fuit; illis imprimis, qui, poſt ſeculorum aliquot decurſum, ſuum quoque eos manere fatum crediderunt. Atque ut hi, cùm bellè ſe mereri putarent de ſpirituum natura, ſi longævam adeò illis vitam tribuerent, multum tamen de gloria imminuerunt: ita longè excellentiæ hujus modum excedunt Peripatetici, cùm eos ſemper fuiſſe, Deoque coæternos, arbitrantur. Multo verius illi, qui originis pariter ac temporis principium illis dederunt. In quo ipſo tamen variè peccatum, cùm Maneſtis ortum tribuat à ſummo mali principio: ac Cabaliſtæ plerique, & cum iis Arabs Avicenna, dæmonum unum ab altero originem ſuam ducere exiſtiment. In quo propiùs à primæva traditione abiit Plato; ut qui hactenus ei inſtiterit, quod à τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ[a] eos productos putârit. Sed de tempore nec inter noſtros convenit. Unde Origenes in procemio librorum περὶ ἀρχῶν: *Eſt illud in Eccleſiaſtica prædicatione, eſſe angelos Dei quoſdam, & virtutes bonas; quæ ei miniſtrent ad ſalutem hominum conſummandam. Sed quando iſti creati ſint, & quomodo ſint; non ſatis in manifeſto diſtinguitur.* Itaque alii putarunt, illos cum hoc mundo productos: alii demum, poſt eorum ruinam, mundum hunc fabricatum tradiderunt. Utriuſque ſententiæ auctores prodidit Stephanus Gobarus: de quo Photius in μυριοβίβλῳ, codice CCXXXII. Sed ſcriptor is intercidit. Quare defectum ejus hiſtoriâ veterum temporum ex parte ſupplebimus; imò ulterius etiam, quam Gobarus potuit, rem diducemus.

Græci Patres fere eò propendent, ut ſpiritus ante mundum hunc conditos arbitrentur. Ut Origenes in Geneſ. homil. I, in Jeſaiam, cap. IV, in Matth. cap. XX, tract. X. Baſilius in Hexaëm. homil. I, & II. Nazianzenus ſerm. XXXVIII de Natali Domini[b], & de Paſcha orat. II, quam & citat Damaſcenus. Eademque in ſententia Chryſoſtomus in Gen. hom. XXII, & de Provident. orat. I. Æneas Gazæus in Theophraſto, qui paullò ante annum vixit quingenteſimum, & quinquaginta circiter annis eo junior Anaſtaſius Sinaita lib. I Hexaëmeri, & circa annum ſeptingenteſimum Joannes Damaſcenus Fidei Orthod. lib. II, cap. II, & lib. IV, cap. XIV. Cur verò ita ſenſerint, ex Hexaëmero Joannis, cognomento Grammatici, vel Philoponi, qui claruit circa annum quingenteſimum vigeſimum, varias adfert rationes Photius in bibliotheca cod. CCXL. Nec tamen deſunt è Græcis, quibus aliud fuerit viſum. Ut Epiphanius hæreſi LXV, quæ eſt contra Paulum Samoſatenſem. Eamque Epiphanii fuiſſe opinionem, fatetur quoque ſcriptor quæſtionum ad Antiochum, quæſt. III: unde videre eſt, perperam hoc opus Athanaſio tribui, cùm is Epiphanio ſit antiquior. Ac ſimiliter alibi Nyſſenum, Chryſoſtomum, Nicephorum, imò ipſum laudat Athanaſium. Videtur in Epiphanii ſententiam etiam propendêre Theodoretus in Geneſ. quæſt. III. Saltem ait, qui contrarium pro certo habent, parum ſolidè ſententiam ſuam probare. Interim reponit hanc quæſtionem inter περιττὰς ζητήσεις, *quæſtiones ſupervacaneas.* Ac tandem, modò quis fateatur, angelos eſſe à Deo creatos, de cætero ſic ſtatuit: τῷ τῆς εὐσεβείας οὐ λυμαίνεται λόγῳ, τὸ πρὸ οὐρανοῦ καὶ γῆς γεγενῆσθαι λέγειν τῶν ἀγγέλων τὰς δυνάμεις· τὸ δὲ λογομαχεῖν, εἰς οὐδὲν χρήσιμον ἢ ἐπὶ καταστροφῇ τῶν ἀκουόντων, ἀπηγόρευσεν ἀποῤῥήδην ὁ θεῖος ἀπόστολος· *Siquis angelorum cœtus ante cælum & terram conditos dixerit; non offendet verbum pietatis. At verboſis contentionibus inſiſtere, quæ nihil ad aliud proſunt, quàm ad ſubverſionem audientium, expreſſe prohibet divinus Apoſtolus.*

In Latinis quoque variatum. Qui ante Auguſtinum vixere, ſtatuere maluerunt, creatos eſſe ante mundum. Ut Novatus de Trinit. cap. I, Hilarius lib. XII de Trinitate, non longè à fine, & libro contra Auxentium, Ambroſius lib. I Hexaëm. cap. V, & præfat. Pſalm. Hieronymus in epiſt. ad Tit. cap. I, ad verba illa, *Quem promiſit Deus ante tempora ſecularia.* Unde colligit, ſaltem angelos fuiſſe ante mundum, ne deſint quibus hoc Deus promitteret.

Sed Auguſtinus non audet certo de hoc præfinire; ut videre eſt, cum alibi, tum lib. XI de Civit. Dei, cap. IX, XIX, & XXXII. Unde Paræus ad Gen. I, I, *Auguſtinus ubique dubitat, & ſententiam in medio relinquit. Quare & nos relinquamus in medio.* Nec tamen ſic dubitat, ut non eò magis inclinet animus, angelorum creationem etiam à Moſe deſcribi: ut qui putet, nomine lucis, primo die à Deo productæ, angelos ſignari. Quæ expo-

[a] Alterationi ſive mutationi.

[a] Deo principe ac ſummo.

[b] P. 617, edit. Morell.

expoſitio nec Gregorio M. diſplicuit in Moralium XXXII, & venerabili Bedæ in Gen. cap. I. Imò nec Cyrillo lib. II, contra Julianum deſertorem; qui malignè admodum Moſem traducebat, quia de angelorum productione ſileret. Et fortaſſe poterat hæc Auguſtini interpretatio placere, niſi tam apertè apud Moſem legeremus, primæ diei lucem à Deo diem vocatam. Ut nullum effugium ſit, niſi dicendo, præter ſenſum iſtum, ut vocant, literalem, eſſe & alterum ἀλληγορούμενον: quod cujus pretii ſit, ubi non præit Scriptura, alibi malo dicere. Quamquam verò Ludovicus Vives ad Auguſtinum, lib. XI de Civit. Dei cap. IX, annotet, Latinos prope omnes hac in opinione ſequi B. Auguſtinum: video tamen, ejus temporibus propiores ſtatuere, potiùs angelos ante mundum creatos. Ita Caſſianus Collat. VIII, cap. VII, Gennadius de Eccleſ. dogm. cap. X, Iſidorus Hiſpalenſis de ſummo bono lib. I, cap. XII. In hoc veterum diſſenſu Petrus Lombardus lib. II, diſt. II, qu. II. cùm Auguſtini, mox Hieronymi expoſuiſſet ſententiam, ſubjungit deinde: *Nos quod prius dictum eſt, pro captu intelligentiæ magis approbamus; ſalvâ tamen reverentiâ ſecretorum, in quibus nihil temere adſerendum eſt.* Sed nihil prohibet, quo minùs verba ipſa Hieronymi, ab eo producta ex commentario in epiſtolam ad Titum, adſcribamus: *Sex millia necdum noſtri temporis implentur annorum. Et quantas priùs æternitates, quanta tempora, quantas ſeculorum origines fuiſſe arbitrandum eſt; in quibus angeli, throni, dominationes, cæterique ordines ſervirent Deo abſque temporum vicibus atque menſuris, & Deo jubente ſubſtiterunt.* Ad quæ hoc reſpondet, arbitrari ſe ea ab Hieronymo ex aliena dici ſententia. Quod majoris foret ponderis, niſi is ſenſus tum temporis in Romana pariter ac Græca Eccleſia fuiſſet. Magiſtrum verò ſententiarum eâ parte ſequi amant Thomas Aquinas, omniſque Scholaſticorum populus. Unde eò deventum, ut plurimi arbitrentur, non hæreticum quidem, temerarium tamen fore, ſiquis priorum tueri ſententiam præſumat. Et ſanè eſt hæc ſententia ex eo genere, ut propterea non debeant turbari animi imbecilliorum.

Quare ſepoſitâ hac controverſiâ, ad alia me confero, unde ſpiritualis naturæ præſtantia non minùs eluceat. Sunt hæc duo imprimis; perſpicacia intellectus Angelici, & in rebus exſequendis potentia. Quippe, ut de priori priùs dicam, non ſenſuum egent miniſterio; ſed ſe quidem per ſuam intelligunt νόησιν: res verò materiales percipiunt per ſuperadditas ſpecies, quibus non res modò intelligibiles, ſed ſenſibiles etiam repræſentantur; non univerſè duntaxat, ut Averroi viſum fuit in XII Metaphyſ. ſed propriè diſtinctèque, quatenus ſunt ſingulares. Hæc intelligentia non ſolùm præterita complectitur, ſed etiam præſentia; non omnia tamen, quia cogitationes nôſſe humanas, niſi quopiam ſe indicio exſerant, poteſtatem exſuperat finitam; ut non obſcurè nos docet B. Paulus I Cor. II, II. Ad futura etiam hæc ſcientia ſe extendit; nec quævis tamen. Nam certò quidem prævident, quorum cauſſæ ſunt neceſſariæ; illa autem, quæ ut plurimum fiunt, probabili conjecturâ ex cauſſis intelligunt, tantoque veriſimilius nobis, quanto & naturæ præſtantis acumine, &, quia ſunt immortales, plurimorum ſeculorum memoriâ & experientiâ præcellunt. Sed, ecquid futurum ſit, quod planè eſt contingens, eorum etiam captum excedit; quia res ejuſcemodi nec in cauſſis cognoſci ab iis queant, quandoquidem ſunt indeterminatæ; nec in ſe ipſis, quia cùm exiſtentiam necdum habeant, non poſſunt iis eſſe præſentes: ut quemadmodum ſoli ſunt Deo præſentes, ita ſolus ea cognoſcat. Unde Jeſaiæ XLI, & XLII: *Annuntiate nobis futura, & dicemus, quod Dii eſtis.* Itaque ex eo, quod de Chriſto tam multa, quæ finitus prævidere intellectus neutiquam poſſet, tot ante ſeculis conſtantiſſimè à Prophetis ſint prædicta; veritas Euangelii ſolidè adſtruitur ad Rom. I, & I Pet. II. Atque hæc de ingenii perſpicacia.

In rebus etiam exequendis magna eorum potentia eſt. Ut inter multa, quod corpora gravia ſuſtollunt, perque aëra in ſpatia longiſſimè diſſita transferunt. Quomodo Habacuc ex Judæa, capillis ab Angelo apprehenſus, Babylona eſt tranſlatus, ut eſt Dan. XIV: ac Chriſtus ſe paſſus transferri in pinnaculum templi, & montem excelſum. Ob hanc & intelligentiam, & potentiam, etiam iis ſi inſtrumentis agant, quibus homines, longè tamen majora hominibus efficiunt. Cùm enim angeli, ſeu boni illi, ſeu mali, cauſſas rebus applicant, effectus non reſpondet virtuti inſtrumentali, ſed angelicæ: quomodo nempe ſecuris ex ſe quidem habet, ut ſecare poſſit, ſed plus ſecabit vir, quàm puer; pulchriùs artifex, quàm alius. Simile etiam videmus ex calore animalis; qui ex ſe habet, quod calefacit, rarefacit, ſegregat. Sed ab anima habet, quod generet ſanguinem, carnem, oſſa. Itidem igitur in angelorum operationibus non cogitandum modò de inſtrumentis, quæ moventur; ſed etiam virtute ejus, à quo moventur.

Ad angelicam hanc potentiam, quæ intellectus ac voluntatis eſt inſtrumentum, incredibilis etiam velocitas refertur. Atque ob hanc attributæ iis alæ. Ita Cherubim in Exodo cum alis facti. Jeſaias ait Seraphim ad ſe volaſſe. Daniel etiam, & Ezechiel, advolantes conſpexere. Hoc Chryſoſtomus homiliâ περὶ τοῦ ἀκαταλήπτου [a] fieri ait per συγκατάβασιν, q. d. condeſcenſionem; quia deſcribuntur, non quales ſunt naturâ; ſed prout faciliùs à ſimplicibus concipiuntur, & intelliguntur. Ac Chryſoſtomus quidem ait ibidem, adſignari alas ad ſignificandum, unde veniant. Αἱ πτέρυγες τὸ ὑψηλὸν ἐμφαίνουσι τῆς φύσεως. *Alæ ſignificant altitudinem naturæ.* Et mox addit, Gabrielem volantem deſcribi, ἵνα μάθῃς, ὅτι ἐκ τῶν ὑψηλοτάτων χωρίων, καὶ τῶν ἄνω διατριβῶν, πρὸς τὴν ἀνθρωπίνην ἀφῖκται φύσιν· *ut diſcas, eum ex ſuperis ac altiſſimis ſedibus ad homines deſcendiſſe.* Sed ut de iſto non adverſer Chryſoſtomo, ita & alteram eſſe rationem exiſtimo: quam B. Hieronymus addit in Jeſ. cap. VI: *Alas*, inquit, *habere dicuntur, propter velocitatem, & celerem in cuncta diſcurſum: ſive quia ſemper in altioribus commorantur.* Nempe quomodo & ventis, ad eorum velocitatem denotandam, pennæ tribuuntur. Unde & Deus dicitur Pſalm. XVII, & CIII, *Volare, & ambulare ſuper pennas ventorum.* Ac poëtæ ſimiliter alati finguntur: ut liquet ex Ovidio, Silio, Juvenale. Etiam Boreæ filii Calais, & Zethus, πτερωτοὶ [b] Apollodoro. Imò non alia de cauſſa, quam in celeritatis ſymbolum, quâ ventos referrent, Ælius Verus Cæſar curſoribus ſuis tum Noti, Boreæ, aliorumque ventorum nomina imponebat; tum alas etiam apponebat, ut auctor Spartianus. Quamobrem non dubito, quin, quòd angeli referuntur alati, id maximè pertineat ad velocitatem indicandam: quam quia nec mali angeli amiſere, eo & hi alati dicuntur. Unde in Avoth cap. XXXVI: *Tria ſunt dæmonibus communia cum angelis; quod alati ſint, quod præſciant futura, & quod ab uno mundi extremo ad alterum celerrimè ſe transferant.*

De excellentia naturæ ſpiritualis, quod ſatis eſt, egimus. Nunc de officio ejus videamus. Nam hæc altera fuit ratio; ob quam homines cultu eam divino dignarentur.

Officium hoc triplex eſt pro triplici miniſterio, quod τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ, *Deo ſummo*, in cura præſtant generis humani. De eo quoque tum gentilium opinionem exponam; tum quatenus ea cum SS. Scripturis, & interpretibus earum SS. Patribus conſentiat.

Primum ea ſpectat, quæ à Deo ſummo poſtularunt: cujuſmodi duo ſunt, unum in precibus Deo offerendis, alterum, ſi exaudiantur, in bonis homini procurandis. De utroque illorum ſic Appulejus libro de Deo Socratis: *Cæterum ſunt quædam divinæ mediæ poteſtates, inter ſummum æthera, & infimas terras, in iſto interſitæ aëris ſpatio; per quas & deſideria noſtra, & merita ad Deos commeant. Hos Græco nomine δαίμονας nuncupant;*

[a] De incomprehenſibili.

[b] Alati.

pant;

pant; inter mortales cælicolaſque vectores, hinc precum, inde donorum.

Porrò hoc miniſterium, quod ſpiritibus aſſignari à Platonicis videmus, iiſdem etiam tribuunt veteres Chriſtiani. Ut Origenes in quincto adverſus Celſum: Ὁμολογοῦμεν μὲν τοὺς ἀγγέλους φάσκοντες λειτουργικὰ ὄντα πνεύματα, καὶ εἰς διακονίαν ἀποστελλόμενα διὰ τοὺς μέλλοντας κληρονομεῖν σωτηρίαν, ἀναβαίνειν μὲν προσάγοντας τὰς τῶν ἀνθρώπων ἐντεύξεις, ἐν τοῖς καθαρωτάτοις τοῦ κόσμου χωρίοις ἐπουρανίοις, ἢ καὶ τοῖς τούτων καθαρωτέροις ὑπερουρανίοις, καταβαίνειν δ' αὖ ἐκεῖθεν, φέροντας ἑκάστῳ κατ' ἀξίαν τῶν ἀπὸ Θεοῦ τι αὐτοῖς διακονεῖν προστασσομένων. *Fatemur quidem, & Angelos eſſe miniſtratorios quoſdam ſpiritus, crebrò mittente Deo commeantes ad eos homines, quos manet ſalutis hereditas: hoſque modo adſcendere ad puriſſima loca cæleſtia, & puriora etiam ſupercæleſtia, oblaturos preces hominum: modò rurſum deſcendere ad homines, reportando illinc aliud in uſum ſingulorum, ut quiſque eſt dignus beneficio.* Similiter Auguſtinus lib. II Medit. cap. III: *Dicuntur Angeli orationes & vota noſtra afferre Deo, non quia Deum doceant; quia omnia, antequam fiant ſicut & poſteaquam facta ſunt, novit; ſed quia ejus voluntatem ſuper his conſulunt, & quod Deo jubente completum eſſe cognoverint, hoc nobis evidenter, vel latenter reportant. Unde hominibus ait a: Cum oraſtis, orationem veſtram obtuli Deo. Similiter & nos cum oramus, non Deum docemus, quaſi neſciat quid velimus, & quo indigeamus: ſed neceſſe habet rationalis creatura temporales cauſſas ad æternam veritatem referre, ſive petendo, quid erga ſe fiat; ſive conſulendo, quod fiat.* Planeque his germana habet epiſt. CXX ad Honorium. Hæc de primo ſpirituum miniſterio. Alterum poſuere Platonici extra preces, tum in mandatis Dei denuntiandis, tum in patrandis mirabilibus ac portentoſis, tum in futuris prædicendis. De quibus ſic ibidem Appulejus: *Per hos eoſdem, ut Plato in Sympoſio autumat, cuncta denuntiata, & Magorum varia miracula, omneſque præſagiorum ſpecies reguntur.* Quòd igitur templorum valvæ ſuâ ſponte aperirentur, quòd ſtatuæ loquerentur, quòd exta invenirentur ſine corde, & ſimilia, quæ apud Livium, Obſequentem, & alios, leguntur, à dæmoniis procurari credebant. Atque ad eoſdem retulere χρησμοὺς ſive oracula. Quale illud Iovis Ammonis, quod conſtitutum honori Chami Noachidæ. Item iſtud Apollinis Pythii, quod à Cadmo fuit. Adhæc Dodonæum, ubi præſedere columbæ Dodonides, ut eſt apud Pauſaniam in Arcadicis: hoc eſt, feminæ vaticinatrices, quæ Theſſalorum linguâ dicebantur πελειάδες, voce ambiguâ, ut quæ & columbas, & fatidicas, iis denotaret, unde fabulæ origo. Credo fuiſſe id oraculum à Dodanim, qui poſteri fuere Javanis, ut eſt Geneſ. X, 4. Vetus admodum etiam fuit Trophonium oraculum, de quo eleganter Nicolaus Leonicenus, dialogo, qui ſic inſcribitur. Alia etiam apud Maximum Tyrium legas diſſertatione XXVI, & alios. Sed omnia perſequi non eſt hujus inſtituti.

a Tob. cap. 12.

Quod verò Platonici ſciſcunt, Deum miniſtris uti ſpiritibus in mandatis deferendis, in mirabilibus patrandis, in prædicendis futuris, id omne etiam doctrinæ convenit Chriſtianæ. Sic enim angelos ſcimus paſtoribus Bethlehemiticis nuntium attuliſſe de nato Servatore, item reſurrectionem ejus annuntiaſſe mulieribus. Quid etiam mirandum magis, quàm quod à Meſacho, Sadracho, & Abednego, in ardentiſſimum conjectis fornacem, angelus Domini ſic quaſi vento quodam omnem flammam atque æſtum arcuit, ut non modò non læderentur, ſed etiam carmine ſuo Deum celebrarent? Inque judiciis Domini exſequendis, quam miranduin, quod in exercitu Senacheribi centum octoginta quinque

185000

millia una nocte occideret gladio ſuo; quem gladium Joſephus ex Beroſo peſtilentiam interpretatur. Sane & in Davidica hiſtoria b dicitur angelus Domini gladio exſerto conſpectus à Davide, occiſis peſtilentia ſeptuaginta virorum millibus. Prædictionum etiam angelicarum paſſim habemus exempla. Sic Manoë, ejuſque uxori, prædicta Samſonis nativitas & indoles, futuraque per eum liberatio populi Iſraelitici à Palæſtinis. Danieli indicata per angelum redemtio generis humani poſt LXX annorum hebdomadas ſecutura; item quæ futura eſſet populi Judaici conditio ſub regibus Perſicis, Ægyptiis, ac Syriacis. Per Gabrielem prædicta B. Mariæ nativitas Chriſti. Per angelum quoque Zacharias edoctus de naſcituro filio Joanne.

b 2 Sam. 24.

Tertium miniſterium poſuere gentiles in tutela hominis. Cenſorinus: *Genius eſt Deus, cujus in tutela, ut quiſque natus eſt, vivit.* Nempe ſingulos ſingulis cuſtodes apponi voluere. Addebant Platonici, eoſdem eſſe teſtes eorum, quæ dicerentur à nobis, vel etiam cogitarentur; etiam recti hortatores, & monitores in dubiis. Qua de re ſic idem Appulejus: *Ex hac ſublimiore Dæmonum copia, Plato autumat, ſingulis hominibus in vita agenda teſtes & cuſtodes ſingulos additos: qui, nemini conſpicui, ſemper adſint, omnium non modò actorum teſtes, verum etiam cogitatorum. Ac ubi vitâ editâ remeandum eſt; eundem illum, qui nobis præditus fuit, raptare illico, & trahere veluti cuſtodiam ſuam ad judicium, atque illic in cauſſa dicenda aſſiſtere; ſiqua commentiatur, redarguere; ſiqua vera dicat, aſſeverare; prorſus illius teſtimonio ferri ſententiam.* Hinc ſalubre illud monitum adjungit: *Proinde vos omnes, qui hanc Platonis divinam ſententiam me interprete auſcultatis, ita animos veſtros ad quæcunque vel agenda vel meditanda formate, ut ſciatis, nihil omnino præ iſtis cuſtodibus, nec intra animum, nec foris, eſſe ſecreti: quando omnia curioſè ille participet, omnia viſat, omnia intelligat, & in illis penitiſſimis mentibus vice conſcientiæ diverſetur.* Socraticum poſtea exemplum in hoc angelo colendo ſubdit verbis iſtis: *Hic prorſus cuſtos, ſingularis præfectus, domeſticus ſpeculator, individuus arbiter, inſeparabilis teſtis, malorum improbator, bonorum probator, ſi rite animadvertatur, ſedulò cognoſcatur, religioſè colatur, ita ut à Socrate juſtitia & innocentia cultus eſt, in rebus incertis proſpectator, dubiis præmonitor, periculoſis tutator, egenis opitulator, qui tibi queat tum ſomniis, tum ſignis, tum etiam fortaſſe coram, cùm uſus poſtulat, mala averruncare, bona proſperare.* Et mox: *Socrates, vir apprimè perfectus, hunc Deum ſuum cognovit, & coluit.* Sed hoc de Socratis genio vide etiam geminam diſſertationem Maximi Tyrii.

Hæc quoque magnam habent convenientiam cum eo, quod Chriſtiani docent, Deum nobis dare angelos cuſtodes. Qua de re ſunt aurea Davidis verba Pſal. XCI: *Non occurret tibi malum, & plaga non appropinquabit tabernaculo tuo: Quoniam Angelis ſuis mandavit, ut cuſtodiant te in omnibus viis tuis. Super manus portabunt te, ne offendas ad lapidem pedem tuum.* Ita Angelus viæ comes fuit, qui Eliam ſub junipero quieſcentem, & fame ſitique prope enectum, commonuit, ut pane prunis impoſito, & ſcypho aquæ, quæ capiti dormientis appoſuerat angelus, corpus reficeret; quia iter grande, dierum nempe XL, reſtaret; quod iter omne Elias virtute ejus cibi emenſus fuit. Jubet etiam Apoſtolus I ad Cor. XI, 10, ut mulier poteſtatem, hoc eſt, velamen, poteſtatis ſub viro, ſive ſubjectionis ſignum, in capite habeat propter Angelos; hoc eſt, ob angelorum reverentiam, qui nobis apponuntur, & ſacris cœtibus læti interſunt, indecoro autem habitu offenduntur. Ex eo etiam id evincitur, quod legimus Act. XII, 15, cùm ancilla Rhode dixiſſet, ſe agnoſcere vocem Petri præ foribus ſtantis, hi, quibus illud nunciabat, dicerent, Ὁ ἄγγελος αὐτοῦ ἐστιν a. Ut inde liqueat, communem fuiſſe opinionem inter Judæos, ſingulis hominibus angelum à Deo cuſtodem attributum. Nec à morte noſtra hanc eorum curam ceſſare, indicat parabola de Lazaro, qui ab angelis dicitur in ſedes beatas relatus. Multa de hac angelorum cura ſingulari legere eſt apud SS. Patres. Inter eos eſt S. Baſilius in Pſ. XLVIII b: Ἑκάστῳ τῶν πιστῶν ἐστιν ἄγγελος παρεζευγμένος, ἄξιος τὸ βλέπειν τὸν πατέρα τὸν ἐν τοῖς

a *Eſt angelus ejus.*

b P. 117.

ναῖς ἐγειρεῖ. Cuilibet fidelium eſt angelus aſſiſtens, patrem qui eſt in cœlo videre dignus. Item S. Hieronymus lib. III in Matth. XVIII, 10: *Magna eſt dignitas animarum, ut unaquaque habeat ab ortu nativitatis in cuſtodiam ſui Angelum delegatum.* Vide & Hilarium in Pſalm. CXXXIV, Chryſoſtomum in epiſt. ad Hebr. cap. I. Nempe hi ſunt angeli boni, qui pro nobis ſe opponunt malis, nos circumeuntibus ut fallant. Unde I Petr. V, 8: *Sobrii eſtote, & vigilate, quia adverſarius veſter diabolus, tanquam leo rugiens circuit quærens, quem devoret.*

Nec ſingulorum tantummodo angelis cura eſt; ſed etiam ἔθνῶν προΐστανται, *totis præſunt populis.* Unde Perſidis angeli, & alii, apud prophetam Danielem. Nec dubium, quin Hieroſolymitani templi, ut ſic dicam, angeli tutelares fuerint; qui cùm inſtaret excidium, & templi, & ingratæ urbis; hanc ex adyto ipſo, Dei ſummi juſſu, ſubitam ediderе vocem: Μεταβαίνωμεν ἐντεῦθεν, *Migremus hinc.* Ut narrat Joſephus de bello Judaïco lib. VII, cap. XII, juxta Rufinum; ſive juxta codicem Græcum, βιβλ. ς. κεφ. λα. item Nicephorus lib. III, cap. IV. Nec eſt, quòd dicat aliquis, ſi ſic & locis, & hominibus curatores ſint angeli, numero propè fore innumero opus. Nam hoc ipſum indicare voluit Daniel. VII, 10, verbis iſtis: *Millia millium miniſtrabant ei, & decies centena millia adſiſtebant ei.*

CAP. VIII.

De cultu dæmonum apud Calecutenſes, ac Moſaicis temporibus in Palæſtina, locisque vicinis. Platonicos, cum bonos vellent genios venerari, cultos eſſe malos, ac univerſè idem ſtatuendum de Magis, ac eorum ſacrificiis abominandis. Diabolico etiam modo agere, qui, ignari licet, verbis & characteribus, efficere ea ſtudent, quæ non poſſunt præſtari actu humano. Ac hujuſmodi eſſe ſanationem per Abracadabra, *voce myſtica, ac ejuſdem originis, cujus eſt Baſilidis* Abraxas. *Occurritur iis, qui magica omnia citra operam dæmonum, vi imaginationis, ac carminis, fieri exiſtimant: eâque occaſione excuſſus locus Davidicus de aſpide occludente aures, ne carmen exaudiat. Voces non habere vim naturâ, ſed ex inſtituto, eòque pro linguis variè idem ſignare: ut* Amen, *Latinis, Græcis, Syris: Præſtigias quaſdam eſſe dæmoniacas: ac quævis cum dæmonibus ſocietas è Scripturis damnata.*

VIdimus, unde gentiles cognoverint, eſſe ſpiritus, & quanta iis naturæ ſit præſtantia, & quam eorum curam erga homines putarint. In quo oſtendimus, ſic ſatis convenire Platonicis cum Chriſtianis; ut admodum mihi veriſimile fiat, vel ipſos, vel eos, unde doctrinam hanc didicerat Plato, partim accepiſſe illam ex traditione antiqua, à primis Noachidis hauſta; partim, ubi majorem partem obliterata erat, recepiſſe ab Hebræis, vel Ægyptiis, aut aliis, qui eam à gente Judaïca hauſiſſent. Nunc ad cultum venio ſpiritualem; cujus fundamentum in naturæ præſtantia, & erga homines cura, poſuiſſe eos dicebamus.

Cultus iſte vel malorum eſt ſpirituum, vel etiam bonorum. Mali hodiéque variis coluntur terris; inter alias in Oriente à Calecutenſibus; qui Deum quidem mundi conditorem agnoſcunt, ac *Temerani* appellant; ſed eum ajunt, quò, curæ expers mundanæ, ſuaviùs vitam ageret, vicarium orbi regundo præfeciſſe dæmonem, nomine *Deumum:* cujus ſimulachrum quàm horribile habeant, & quomodo ſacerdotes, qui iis *Bramini* vocantur, ſacra faciant; cognoſcere licet ex Ludovico Vartomanno, patricio Romano, lib. V Navigationum cap. II.

Japonii etiam dæmoni fana exſtruunt luculenta: eorum reges in prœlium ituri magnam illi vovent pecuniæ vim: à plebejis quoque in periculo conſtitutis, quò liberentur eo, ſupplicitèr ſolet invocari.

Similis cultus in India Occidentali: ubi Mexicanis nulla quidem ſollicitudo alterius eſt vitæ: pro bonis tamen temporalibus dæmoni ſupplicant: tum etiam ne noceat ſaltem. Auctor eſt Acoſta lib. V rerum Amer. cap. XXVII.

Poſſum idem de aliis quibuſdam ejuſce Indiæ gentibus dicere: ſed omnium inſtar fuerint, quæ de religione Tapuiarum perſcripſit nobis Chriſtophorus Arciſſewski, Polonus, genere quidem prænobili apud ſuos; ſed nobilior tamen rebus iis, quas, pro Fœderatæ Belgicæ terris, in Braſilia fortiter adeò, ac feliciter, geſſit, ut æternum ei debituræ ſint terræ noſtræ, nec ejus memoria ſine animi mirè ingrati crimine apud nos poſſit intercidere. Paucis exſequar; non paullo tamen fuliùs, quàm in ſimilibus operè hoc facere eſt animus. Nimirum hiſtoria omnis delectat, præſertim novitate.

Eſt verò Tapuiarum, ſeu Tapuionum gens, inter Siaram, & Maranhon ſita; vagabunda locis incultis, & deſertis, fera, ἀνθρωποφάγος [a], nullâ parte corporis velata, vel non aliâ ſaltem, quàm verendis. Imò cum Hollandi aliquam multis veſtes donaſſent, priùs quidem rei novitas eos delectavit: ſed intra biduum illas, vel reſtituerunt, vel aliis largiebantur, vel abjecerunt. Eadem gens præputium obligabat ligulâ bombycinâ, vimineâ, vel alius materiæ, ne caput penis fœdè aſſurgeret; quod unum ſedulò cavent. Labiis, genis, naribus, & auribus, fuit perforata, ac è foraminibus ornamenta geſtabat è ligno, oſſe, lapide, pluma, vel aliunde. Pro armis habuit clavam è duriſſimo ligno, arcum ejuſdem materiei, ſagittas ex arundine, ex eadem jacula longitudine haſtæ. Nullum iis eſt auri, vel argenti pretium, ſicut cum ſcrinia aureis & argenteis referta annis, quæ humo condiderant Luſitani, effodiſſent, facilè ab Hollandis pecuniâ emungerentur, nunc ſecures emtitantes, nunc canes venatui idoneos, cui admodum ſtudent, nunc vulgares etiam ac viliſſimos; quorum pro unico vel viginti annumerabant daleros imperiales. Longum eſſet omnes ejus gentis mores referre, quos ab nobiliſſimo Arciſſewskio accepimus. Aliàs fortaſſe commodior erit iis memorandis locus. Illud præterire non poſſumus, humanis veſci carnibus: ſed eo ſe meliores putare aliis ἀνθρωποφάγοις [b], quod hi carnes edant hoſtiles: ipſi manducent cadavera amicorum, prœlio, vel morte exſtinctorum; idque ad teſtandum ſuam erga eos pietatem ac amorem: ut quos non patiantur vermium eſcam fieri, vel fœtidâ putredine abſumi; ſed in propria recondant viſcera, inque ſuccum ſanguinemque ſuum, & ipſam quodammodo animam, quibus nihil carius, convertant. Memorabile hujus rei exemplum ab eodem generoſo viro accepimus. Evênit, ut Tapuis in Hollandorum territorio ad arcem, ut vocant, *Rio Grande* conſiſtentibus, quidam ejus gentis vitâ excederet. Hujus cadaver conſanguinei laverunt, exenterarunt, viſcera à ciborum retrimentis repurgarunt, cæteras etiam ſordes undique abluêre: crines & ungues reſecuere, reſectas ſervarunt. Tum corpus diſſecuere in partes varias, quarum nullas, ne genitales quidem, fuere aſpernati: univerſas enim aſſarunt, ſedulò etiam adipem, humoremque in aſſando deſtillantem, exceperunt: hæc univerſa pro epulis fuêre inter ſanguine conjunctos: nam cæteri à convivio hoc arcentur. Quæ comedi nequeunt, ut crines, ungues, dentes, oſſa, in cinerem rediguntur: ejus cineris portio aliqua poculis inditur, & bibitur, donec longiori compotatione abſumtus ſit univerſus. Hæc de moribus barbaræ gentis præmiſimus: licet ad religionem non pertineant; de qua nunc dicam.

Duplex agnoſcunt numen, bonum, malumque: ſed bonum, quia ſponte faciat bene, affligat neminem, nullo proſequuntur honore: malum contrà venerantur, & invocant, quia iracundum ſit, & cultum ſui negligentes malè perdat. Nec vel iter inſtituunt, vel adverſus hoſtem tendunt, niſi malo hoc numine, quem dæmonem dicimus, certis priùs ritibus conſulto. Hinc divinandi ſibi ſcientiam arrogant. Et fatendum, varia ſæpe prædicere, quæ proſpicere mens nequeat humana. Quale illud, quod cùm Sapo Amania Filius, turmæ equitum præfectus, ad Comaltu hoſtiles obſervaret excurſiones, ac fortè illi tum afforet voluntariorum ex Tapuis militum manus: prædictum ab

a *Hominivora.*

b *Humana carne veſcentibus.*

ab iis fuit, poſtridie præfecti optionem, ac præterea ex equitibus unum in velitando periturum globis è bombarda miſſis. Id riſum eo tempore, quo dicebatur; ſed eventu poſtea eſt comprobatum. Ac hujuſmodi alia etiam ferebantur. Quomodo dæmonem evocarent, eumque ad prodenda arcana acta, vel futura prædicenda, orare, quandoque etiam objurgare, conſueverint, non aliàs luculentiùs apparuit, quàm cùm nobiliſſimus Chriſtoph. Arciſſewskius (cui Hollandi, quæ in Braſilia poſſident, imprimis debent) iſtic locorum præeſſet Fœderatorum Belgarum copiis. Fortiſſimus is vir adduxerat ex Arce *Rio Grande* præſidiariorum partem; cui ſe ſpontè addiderunt Tapuiarum circiter quinquaginta. Quia exigua hæc manus erat ad Barra-Cauium, munimentum Hiſpanicum, occupandum: cardo rei in eo potiſſimùm verſabatur, ut oppugnationem ejus ſubitò, occultéque, aggrederentur. Metus interim erat, ne conſilium hoc à Tapuis proderetur indigenis infidelibus: eoque non aliâ conditione in ſocietatem admiſſi ſunt, quàm ut nec unguem tranſverſum ab agmine diſcederent: in quo ipſo fidem exſolverunt. Quia verò non eſſet poteſtas recedendi; triduano itinere, quo per avia ſunt circumducti, diebus ſingulis in omnium conſpectu ſacros ſuos ritus peregerunt. Popoſcerat à Tapuis Arciſſewskius, ut ſe commonerent, quando dæmonem eſſent evocaturi: conditionéque eâ promiſſum, ut ne ille ſacra earum violari, vel turbari ſineret. Tertiâ igitur die, cùm corporibus jam curatis inciperet agmen moveri, arceſſitus ab iis fuit: ac comperit eos prope viam in formam ſemicirculi, ſeu lunæ corniculatæ, conſidentes cruribus divaricatis. Ex adverſo itidem humi ſedebat ſacrificulus. Hic cæteros varia interrogabat, de variis item rogabatur: utrimque dabantur reſponſa. Sed qualia iſta forent, quæ dicerentur, non ſatis cognoſci quivit, vitio interpretum. Nam quibus Hollandi utebantur, ſolùm duas callebant linguas; unam maritimis Braſiliæ gentibus communem, qua interpretes illi affati ſunt Tapuias; alteram Luſitanicam, qua ex illis audita exponerent Hollandis. Illa verò Tapuiarum ab communi iſtac multum abiit. Incolunt enim mediterranea Braſiliæ; quæ ut in varias diſſecta ſunt gentes, ita linguis multùm diſtant; uti animis etiam ſunt inter ſe hoſtilibus. Interpretes itaque multa à Tapuis reſponſa aſſequi non ſatis valuerunt: nec rarò è nutu potiùs, & geſtibus, quàm auditis, judicium ferre cogebantur. Quâ de cauſſâ etiam pauca adeò de Tapuiarum religione cognita habemus. Ad hiſtoriam cœptam redeo. Ubi ſermocinandi pauſam concio fecerat, conſurrexit ſacrificulus, & extra conſpectum omnium abiit in ſylvam, vocéque ſat ſonorâ dæmonem tertiò etiam inclamavit. Eo non reddente reſponſum, rediit ad ſuos: novique inde inter eos ſermones: ſed quos nec interpretes caperent. Hinc ſacrificulus (juſſus à conſeſſu, ut videtur) iterum petiit ſylvam. Verùm neque tum ad iteratum, tertiatumque ſermonem, à dæmone dabatur reſponſum. Reverſus igitur, ut antè, ad ſuos. Poſt tertiò ingreſſus ſylvam: ac tum demum eo inclamante, audita eſt è remotiori ſylva vox ſonora, ſed gracilis, & velut fiſtulâ emiſſa. Hinc Tapuiæ collegêre, rem bellè habere, ac dæmonem mox affuturum. Sacrificulo ad cœtum ſuum reverſo, verba iterum utrimque ſunt commutata. Hinc denuo receſſit ſacrificulus: Tum varia erat acclamatio, ac ſermocinatio frequens. Interim è ſylva magis, & magis, appropinquabat gracilis vox dæmonis, donec hic tandem conſiſteret proximè ſacrificulum; qui eum ad Tapuarum cœtum deduxit. Ac ipſe quidem priorem locum occupavit; dæmonem item ex adverſo cœtus juxta ſe conſidere juſſit. Hinc jam ſermones varii, nunc cœtu aliqua dicente, nunc ſacrificulo, vel dæmone: quorum illi vox erat, qualis ſolet ſemper; huic gracilis illa, de qua dictum. Ac nunc ſacrificulus, nunc complures ex cœtu, jactare verba animoſi ac maſculi pectoris; aliquando etiam intentare minas, imò videri jam arma velle arripere adverſus dæmonem. Quid mirum? quando ſi immorigerus eſſe pergat, quandoque verberibus etiam malè mulcare dicantur. Ultima interrogantis verba excipiebat inconditus quidam multitudinis ſonus, longo tractu ab imo productus pectore; qui mirè adſtantes afficiebat Belgas. Niſi homines coram vidiſſent, dixiſſent, concluſos in cavea leones rugire, vel caurire pantheras. Dimidiam ſic horam ſpectarat iſta Arciſſewskius, cùm ſacrificulus dæmonem reducit in ſylvam, eoque redit relicto. Cæterùm dum ſic hiſtrioniam ſuam agunt Tapuiæ, animadverſum à Belgis fuit, militem Germanum proripuiſſe ſe ab agmine, atque inter frondes reptâſſe eo loci, ubi optimè occuleretur. Hinc igitur ab iis, quibus iſtoc incumberet, ut obſervarent, ne quis ſe ſubduceret, retractus mox fuit. Iterum tamen ſe ſubduxit, & quia propterea transfugii ſuſpectus foret, ad Arciſſewskium eſt deductus. Cauſſam iſtorum rogatus, priùs quidem frivola quædam prætexuit; verùm ubi ſenſit non haberi iis fidem, atque adeò vinctus traheretur ad arborem torturæ deſtinatam, conceptis promiſit verbis, dicturum ſe, quod res erat: hoc verò eſſe hujuſmodi: non intra decennium ſe preces Deo fudiſſe: ac propterea, cùm dæmonem inter Tapuias verſantem conſpiceret, malè ſibi metuiſſe, ne ipſe homo tam nefarius ab eo facilè agnitus auferretur eò loci, quò ſui ſimiles merentur. Et hæc quidem tum ſic fuere. Quærat autem aliquis, utrùm verè hunc dæmonem fuiſſe credamus, quem diximus. Mihi videtur, in toto hoc negotio intercurriſſe fraudem, non dæmoniacam modò, ſed etiam humanam. Siquidem commodiori pòſt tempore rogavit Arciſſewskius Tapuias, cur eum finxiſſent dæmonem, qui homo foret, ſibi ipſi ſæpius viſus. Negare id continuò Tapuiæ, qui verè fuiſſe dæmonem pertenderunt. Sed ſæpius jam ante viderat hominem Arciſſewskius: illa verò vocis gracilitas erat à gramine, vel alio, quod ori indiderat. Nec quia fraus aderat humana, eò nullæ erant dæmonis partes. Nam aliud longè oſtendit, quòd tam audacter reſponderunt de futuris nonnullis, quæ præſciri ab homine nequirent. Ut quòd dicerent, munimentum venturum in Fœderatorum poteſtatem, tribus tantùm militum amiſſis. Sic enim contigit. Quia verò nec dæmoniacæ eſt poteſtatis prævidere omnia, fuere in quibus eos feſellerit divinatio. Ajebant, noſtros pro ponte uſuros aſſere, atque ita foſſam tranſituros, hoſte ignaro. Sanè ſic decretum noſtris: quod nihil mirum ſciſſe ſpiritum malignum. Sed hoſtis excitatus præſenſit: ac diutiùs ſe defendit globis bombardarum emiſſis. Quo inſolito fragore, tonitrui non abſimili, uſque adeò exterriti fuere Tapuiæ, ut non redirent, niſi diluculo, capto munimento, atque ubi jam rebus omnibus compoſitis ſilentium intus eſſet. Poſt iſta etiam, cùm Arciſſewskius petiiſſet flumen Monguoape, atque ibi ex navibus hoſtium ſubductis vacuas quidem incendiſſet, ſaccaro verò onuſtas abducere vellet, & ad hoc Tapuiarum operâ egeret, quos breviore anfractu in tutiora vellet loca remittere: planè navem ingredi recuſarunt, cauſſam hanc adferentes, quòd mali aliquid portenderetur. Exitus reſpondit; quia navis ea, prædæ plena, cui impoſita erant decem majora tormenta bellica, nec exigua copia vini Hiſpanici, ſaccari ac mercium aliarum, in exitu portûs anguſti illiſa ſaxo diſſiliit, cunctaque naufragio ſunt abſumta. Atque ex his de cæteris etiam non difficilis erat conjectura. Nihil enim ullius momenti aggrediuntur, niſi dæmone priùs conſulto: ubi licet, ut dixi, fraus etiam ſit humana, concurrat tamen vis dæmoniaca; nec ſanè aliud multitudo propoſitum habet, quàm cultum unius dæmonis. Cui quantum tribuat, argumento erit, quòd aliâ contigit expeditione. Arciſſewskius à ſacrificulo petierat, ut ejus rogatu dæmon, ſe inſpectante, induſium, quod manu teneret, in ſublimem aëra raperet: ac promittebat, induſium id mercedis loco ceſſurum ſacrifico. Solùm id ſtipulatus fuit, ut liceret ſibi dæmonem accedentem ferire baculo, quem manu teneret alterâ. Placuit conditio credulæ multitudini, quæ nullo id negotio dæmona facturum ajebat. Sed non potuit adduci ſacrificulus, ut acciperet conditionem. Unde riſus eſt ortus ingens: quo deſinente, Arciſſewskius ſic jocabundus affatus eſt ſacrificulum. At ego me majorem te artificem præſtabo. Dic enim craſtina faxo, ut capite cor-

nua

nua geſtes cervina, ejus magnitudinis, quæ non ſinat te exire ex hoc conclavi. Hoc ſermone ita hominem exterruit, ut poſtea, dilapſis aliò cæteris, cum interprete rediret, atque Arciſſewskium rogaret, ut ne tantâ ſe afficeret contumeliâ. Hæc de Tapuis ab nobiliſſimo, & conſtantiſſimæ fidei Arciſſewskio, accepta, eò fuſius ſum hoc loco perſecutus, quia necdum eſſent conſignata publicis literarum monumentis; nec obſcurè docerent, quàm arctis limitibus Deus eorum quoque poteſtatem conſtrinxerit, qui noſtris etiam temporibus totos ſe cultui dæmonis manciparunt.

Quod ſi ſeculis aliquot retro tempora legamus, comperiemus itidem, dæmones ab antiquis eſſe Saxonibus cultos, quibus ante tempora Karoli Magni præter Finnum Deum, & Deam Sibam, malus Deus, quem atrum ajebant, colebatur, ne noceret: ut eſt apud Georgium Fabricium lib. I Originum Saxonicarum *a*. Similiter culti fuere Ungaris: quorum etiam rex Vata, in Belo oppido natus, ſe iis devovit, honori illorum caput, more Scythico, raſit, tres cincinnos pagano ritu pendulos dimiſit: ut hodieque Turcis eſt conſuetudo. Auctor eorum Antonius Bonfinius Ungar. lib. XII *b*. Quàm verò hic malorum ſpirituum cultus ſit vetuſtus; nec antiquiorem, nec certiorem teſtem producere eſt, quàm divinum Moſem: qui Repetitiæ Legis cap. XXXII, 17, ut grande peccatum refert, ſacrificatum eſſe לַשֵּׁדִים, *laſchedim*. Id LXX vertunt *δαιμονίοις*. Vulgata ſimiliter, item Vatablus, Junius, alii *dæmonibus*, vel *dæmoniis*. Origo eſt à שָׁדַד, *abolevit*, *perdidit*, *vaſtavit*. Inde שֵׁד, *dæmon*, quaſi dicas *abolentem*, ſive *vaſtatorem*. Planè igitur convenit cum nomine *Abaddon*, & *Apollo*: de quo inferiùs dicetur.

a Pag 62, edit. Jenenſis an. 1597.

b Pag. 223, edit. Oporini an. 1568.

Eſt & alter locus Levit. XVII, 7. *Ne ſacrificetis* לַשְּׂעִירִם, *laſebirim*. Ubi LXX vertêre, *ματαίοις*; hoc eſt, *vanis*, *futilibus*, ſive *non Diis*. Sed Aquila magis inſtitit vocis proprietati. Reddidit enim, *τριχῶντες*: uti Arias Montanus, *piloſos*. Origo quippe eſt שָׂעַר, *horrere*, *horreſcere*. Unde שָׂעִיר, *piloſus*, *hirtus*: quia hirſuti ſunt horridique. Speciatim verò *Sahir* eſt *hircus*, ut Levit. IV. Ubi agitur de manu imponenda hirco inter ſacrificandum. Et ſane in illo etiam Levitici loco XVII, 7. per *ſahirim*, hirci; per hircos, dæmones intelligunt R. David Kimchi in libro Radicum, & R. Moſes Maimonides lib. III. More Nebuchim cap. XLVII. Ac cauſſam adferunt, quia Satanas præcipuè in hirci figura ſe ſoleat hominibus offerre. Unde gentiles inter numina retulere Faunos ſive Ægipanas: pro quo *Capripedes Panes* ait Propert. lib. III, eleg. XVII. Uti *capripedes Satyros* Lucretius in IV:

Hæc loca capripedes Satyros, Nymphaſque tenere
Finitimi fingunt, & Faunos eſſe loquuntur.

Nec ſanè alii ab his Sileni, niſi quòd *Satyri* nomen generale ſit, præcipuè autem junioribus tribuatur: at *Sileni* ſint ſeniores, qui junioribus Satyris præfecti. Nec à vero abludit, *Satyrus* unius literæ immutatione fieri à voce ea, qua Moſen uſum vidimus; nempe à *ſahir*, quo dicebamus propriè notari *piloſum*, vel *hircum*, ac *μετωνυμικῶς dæmonem*. Jeſaiæ tamen XIII, 21, ubi ſermo de urbis excidio, ſic ut in ædium ruinis habitaturi ſint ſurunculi, & ululæ, & *ſehirim*: Aben-Eſra, quia de ululis anteceſſit, aves intelligit horrendas locorum deſertorum. Ac Junius ſimiliter, qui *ſcopes* interpretatur. Verùm LXX, qui Levitici XVII, 7, *ματαίοις* verterant, non dubitant hic *δαιμόνια* transferre. Ac ſatis veriſimilis eſt opinio Serarii, qui, ſuo in Tobiam commentario, cenſet *μνιζουρίν*, (quomodo, Pſello teſte, Chaldæis & Hebræis vocabatur lapis ſacrificari ſolitus adverſus dæmonem terreſtrem) ſic dici, quaſi *menos ſehirim*, hoc eſt, fugans piloſos, ſive dæmonia. Sanè & dæmonia locis gaudere deſertis, notiſſimum eſt. Unde fortaſſe Pſal. XC, ſive XCI, 6, *dæmonium meridianum*, quod à meridie, hoc eſt, deſerto veniret. Nam Judæis deſertum eſt ad meridiem. Sequor autem LXX, qui habent *δαιμονίου μεσημβρινοῦ*: uti & vulgatam: in qua, ut dixi, eſt *dæmonium meridianum*. Nempe olim legebatur וָשֵׁד, *veſched*, hoc eſt, *& dæmonio*. Quam vocem & vidimus jam antè Deut. XXXII, 17. Sed nunc legitur יָשׁוּד, *jaſchud*, id eſt *vaſtante*. Futurum enim accipitur pro præſente. Ita peſtilentia intelligatur: ea meridiana dicatur, quia imprimis graſſatur in calore Solis intenſo. Nam & aër eo attenuatur, ut magis ſe venenum diffundat; & corpora humana magis laxantur, ut faciliùs venenum hauriant. Valde hæc firmantur eo, quòd proximè ſubjicitur: *Cadent à latere tuo mille, & decem millia à dextris tuis. Ad te autem non appropinquabit.* Optimè enim hæc conveniunt peſtilentiæ latè graſſanti.

Atque hæc quidem ex veteris inſtrumenti libris. Ex gentium ſcriptoribus apud nullos de ſpirituum cultu tam multa reperias, quam apud Platonicos. Quorum opinio erat, ſpiritus *procurari certis precatibus*: ut ait Appulejus de Deo Socratis. Ac ſatis hoc ex iis elucet, quæ ſuperiùs diximus. Sed in quæſtione eſt, utrum bonos coluerint ſpiritus, an malos. Quin propoſitum iis fuerit, bonos venerari, non eſt, cur dubitemus. Atque hæc etiam cauſſa, cur jejuniis ſe bona fide præpararent. Sed pro bonis ſe mali ſpiritus oggeſſerunt. Boni enim cultum ejuſcemodi, ut Dei proprium, averſabantur. Et agnoſcit Porphyrius, eos, quibus ſacrificarent, libamine carnium delectari, imò fumigatione nidoréque vivere, ac pingueſcere: quæ ridicula quidem ſunt; interea tamen, cujuſmodi coluerint ſpiritus, oſtendunt. Præſertim cùm idem fateatur, omne id genus ſpirituum pro malo habendum, quod ſanguine capiatur victimæ, ac cogi debeat, ut faciat, quæ homines velint. Firmantur hæc quoque iis, quæ Lucanus de magia cecinit in ſexto, & illis quæ B. Auguſtinus adverſus Platonicos diſſerit in decimo de Civitate Dei cap. XI, quæque ibidem Vives annotavit. Et ne Porphyrio inſiſtam, Platonici etiam cæteri eos invocarunt ſpiritus, qui Delphico, & cæteris oraculis, præſiderent. At hi mali fuere ſpiritus, quia non rectum, ſed gentilem exegere cultum; uti ludos, lectiſternia, & alia, nunc Jovis, nunc Apollinis, nunc alius numinis honori. Quamobrem ita ſtatuendum, non illos invocaſſe angelos, qui continuò vident Dei faciem in cælis; ſed illos, ut Empedocles vocat *a*, *οὐρανοπετεῖς δαίμονας b*: qui ſub imagine ſerpentis fœdè adeò illuſerunt primis parentibus, ac nunc quoque, ſed inconſpicui, immanibus ſpiris, vibrante linguâ, circa nos ſerpunt, ut animas veneno ſuo inficiant & interficiant. Hoc etiam oſtendit eorum *μυστικὴ θυσία c*. Sic enim in Chriſtianorum opprobrium, quibus ita dicitur Euchariſtiæ ſacramentum, nominarunt abominandum ſacrificium ſuum; quantum colligere eſt ex ſermone illius Thracis apud Michaelem Pſellum *d* de operationibus dæmonum. Quo in ſacrificio quandoque etiam mactabatur (dictu horrendum) infans materno exſectus utero: quod ut legas apud Baptiſtam Carmelitam in vita S. Catharinæ, ita multò antè proditum à Lucano, hiſce verſibus in ſexto:

a Apud Plutarchum de non fænerando.

b Dæmones, qui de cælo deciderunt.

c Myſticum, ſive arcanum ſacrificium.

d Pag. 18.

Vulnere ſi ventris, non quà Natura vocabat,
Extrahitur partus, calidis ponendus in aris.

Atque hic apertus eſt dæmonum cultus. Præter quem alter eſt, uſque adeò occultus, ut ipſi, qui eum colant, neſciant: ac propterea vel mortem potiùs oppetere ſint parati, quàm hujuſmodi quid profiteri. Tales ſunt, qui multa videre agentes alios ex pacto cum diabolo, quæ ipſi citra pactum, ſaltem expreſſum, imitentur; ſic quoque reſpondente eventu: imò & illi, qui iſta ab aliis pacti neſciis didicerunt, ac tam miranda fieri putant non vi dæmoniaca, ſed naturæ; quippe longè potentioris, quàm vulgo credatur. Huc refero eos, qui res vim humanæ poteſtatis exſuperantes agunt verbis aut characteribus quibuſdam ignotis, quibus fortaſſe diabolorum nomina & eorum invocationem ſignavere illi, qui primi iis ex pacto cum dæmone uſi ſunt. Hujuſmodi quidem opinionem non immeritò injecerit, quòd majorem tribuant vim vocibus barbaris, nec intellectis, quam iis, quæ intelligantur: ut etiam leges apud Joannem Picum, principem Mirandulanum, in Poſitionibus ſuis. Atque ut nihil ejuſmodi foret, quale meminimus; ſaltem verba etiam cognita, nec in ſe mala, ſacramentum ſunt dæmonis ex tacito

pacto

pacto concurrentis, quoties adhibentur ad ea præſtanda, quæ nequit poteſtas humana. Vel meræ nugæ, vel hujus generis ſint, quæ his verbis Plinius tradidit lib. XXVIII, cap. 1: *Dixit Homerus, profluvium ſanguinis vulnerato femine Ulyſſem inhibuiſſe carmine; Theophraſtus iſchiadicos ſanari; Cato prodidit luxatis membris carmen auxiliari, M. Varro podagris.*

a Apud Marcell. Empir.

Huc etiam pertinent verſus Vindiciani *a*, Comitis Archiatrorum, ad Valentinianum Imp.

Gramine ſeu malis ægro præſtare ſalutem,
Carmine ſeu potius. Namque eſt res certa ſalutis
Carmen ab occultis tribuens miracula rebus.

Habemus & magicas medendi formulas apud Cælium Aurelianum in Chronicis cap. 1, Myrepſum ſect. 11, antidot. CCXCVIII, CCCCV, CCCCXIX, & alibi, & apud alios. E quibus unum contentus ero referre, Q. Serenum Sammonicum, junioris Gordiani præceptorem. Jubet ille ad ſanandum hemitritæum chartam lino includere, cui inſcriptum ſit *abracadabra*: inde eam de collo ſuſpendere, ac quot diebus ordine retrogrado literam demere. Plane hæc à magis profecta; quos & hæretici in multis olim ſecuti. Imò vix dubito, quin illud *Abracadabra* inde fuerit, unde Baſilides hauſerat ſuum *Abraxas*: quem pro numine ſummo coluit, nomine prorſus fictitio; ſed quod literis contineret numerum dierum *b*, quos annus habet abſolutus; unde & B. Hieronymi ſuſpicio erat, ἀβραξᾶς eſſe non alium, quam Perſarum Mithram, hoc eſt, Solem, qui annuo curſu hoc ſpatium conficit. De Baſilidis hoc numine, ſive eo dæmoniorum principem, ſive ſolem, ſive utrumque, ſignificarit, vide Irenæum lib. I, cap. XXIII, Tertullianum de Præſcript. cap. XLVI, Epiphanium hæreſi XXIV, Hieronymum adverſus Luciferum, & lib. I in Amos; item Auguſtinum, Theodoretum, & Damaſcenum, in iis, quæ de hæreticis tradiderunt.

b α. 1, β. 2, ρ. 100, α. 1, ξ. 60, α. 1, ς. 200 — $1+2+100+1+60+1+200 = 365$

Qui iſta dæmonum commercio fieri negant, hi, Avicennam in eo, & Algazel ſequentes, magica omnia naturali ratione, atque tantummodo humana, fieri arbitrantur; eoque negant, ſapientis eſſe ad illa recurrere, quæ utrum ſint, nondum conveniat; præſertim cùm abunde ratio eorum reddi poſſit ex iis, quæ humanæ ſint poteſtatis: idque partim per imaginationem, partim per verba, ac characteres. Quippe imaginationis vim ſatis relucere ex prægnantibus, & melancholicis. Etiam medicos, qui nihil efficaciæ ponerent in verbis, dum miram verborum ſignorumque vim eſſe perſuadeant ægris, imaginatione tali ſæpe ægros valetudini ſuæ reſtituiſſe. Atque hoc moviſſe Philippum Aureolum, ſive Bombaſtum Paracelſum *c* malis dicere, ut in morbis, quos quis à magis immiſſos imaginetur, ad ſagas & ariolos jubeat accedere; nec promittere dubitet, ſi remedia quæ docuerint, cum vehementi imaginatione adhibeantur, fore ut morbis feliciter medeantur. Jam ad vim imaginationis hic alterum accedere, quia ſpiritibus ac humoribus ab ea commotis, vis inde exeat in verba ac characteres; quam etiam muta intelligant animantia; quandoquidem aſpis, conſpecto eo, qui volet incantare, ne exaudiat, aures ſuas obturet, atque ita carmen reddat inefficax. Hoc ipſum regium vatem teſtari Pſalmo LVII, ſive, juxta Hebræos, LVIII, 5. Singulis iſtorum occurram. Ac primum non diffiteor, magnam eſſe imaginativæ vim, ſed in ἀμέσως *d* conjuncta. Cujus generis etiam eſt, ſi æger, melancholicus, aut ſimplex à medico, nullam verborum vim credente, gnaro interea, quantum poſſit imaginatio, de mirifica verborum virtute perſuaſus, valetudinem ſuam recuperet. Quamquam non exiſtimem, pii ac prudentis medici eſſe, ſic ægri credulitati illudere, cum ea res ſuperſtitionis periculo non careat. At interea quid iſta ad vim verborum, & characterum comprobandam? Quæ cum extra hominem ſint, quo pacto quæſo adſtruent ad ea ſe vim diffundere imaginativæ? Plane inquiunt: quia imaginatio turbat ſpiritus & humores, poſteaque inde vis prodit in verba, & characteres, haut aliter ac ex invidorum oculis vehementi imaginatione venenatus exit radius, qui rem inficiat, quod faſcinum vocamus; quo pacto item mulieres pleræque, menſtruis laborantes, ſpeculum noxio inficiunt vapore. Sed halitu aut vapore poſſe multa infici non dubito. At quod propterea omnem faſcini vim in imaginatione, & ſpiritu oculis exeunte ponant, difficulter perſuadent. Magis placet ſententia eorum, qui ut non negant poſſe ſpiritum noxium ex maleficorum oculis prodire, ita hic neutiquam ſubſiſtunt; ſed utcunque hoc ſit, in vero faſcino principem vim dæmoni attribuunt. Quæ & ſententia eſt Ludovici Vairi in ſecundo de Faſcino cap. ult. ubi Faſcinum definit, perniciosam qualitatem dæmonum arte illatam ob tacitum vel expreſſum pactum cum eiſdem dæmonibus firmatum. Sed diſputationem hanc nunc non ingrediar. Tantum quæro, quid ſimile ſit inter corpora naturalia, & verba ac characteres? Corporibus per contactum ſive ἔμμεσον *a*, ſive ἄμεσον *b*, vim aliquam nunc utilem, nunc noxiam, imprimi poſſe, non negamus. Sed quanto alia ratio in verbis, & characteribus? quorum denominatio eſt ab re externa; ut magnam quidem vim habeant eorum ſenſus, quemadmodum in facundo elucet oratore; ipſa verò per ſe vim obtineant nullam; quippe quæ non φύσει *c* ſignificent, ſed θέσει *d*, ſive κατὰ συνθήκην *e*: ut eſt apud Ariſt. initio περὶ ἑρμηνείας *f*. Aliter ſi eſſet, verba eadem idem apud omnes valerent, cùm contra videamus, vocem eandem huic genti illud, alii aliud atque aliud, denotare. Pro exemplo nunc ſit vox *amen*. E Latinis hac utitur Arnobius in ſeptimo, cui idem eſt, ac *amentum*; ut dicitur *momen*, *momentum*; *fulmen*, *fulmentum*; *limen*, *limentum*, *monumen*, *monumentum*, aliaque. Eſt verò *amen* ſive *amentum* id, quo haſta, aut jaculum vincitur, ut mitti poſſit; unde in vett. gloſſis etiam exponitur ἅμμα *g* τῦ ἀκοντίου, &, ἅμμα *h* λόγχης. Sed Græcis ἄμην eſt εἶδος *i* πλακοῦντος, ut interpretatur Heſychius. At quanto aliud eſt Hebræum *Amen*; quo liber quiſque pſalmorum terminatur, ut Pſal. XLI, & alibi; quo item crebrò in Euangelio utitur Chriſtus; quodque in Eccleſia primitiva populus reſpondebat poſt recitatas preces; ut videre eſt 1 Cor. XIV. Hoc *Amen* idem valet ac γένοιτο, ut LXX reddunt: vel, ut alii, *firmetur*, *ſtabiliatur*: ab radice אמן *aman*, id eſt, *verax* ac *fidelis fuit*. Poſſem trecenta id genus vocabula adferre, quorum diverſa, pro linguarum ratione, ſignificatio ſit. Sed his dejectis, tandem, velut Gorgonis caput, obtendunt nobis locum divini Pſaltæ *k*, qui illud dicere videtur, tantam eſſe carminis vim, ut illam etiam aſpides extimeſcant. Et videtur hæc etiam ſententia eſſe Auguſtini, Caſſiodori, atque aliorum. Quorum major eâ parte apud me foret auctoritas, ſiquis eorum ad hanc iis interpretationem præiſſet, qui ex profeſſo id egiſſent, ut naturæ arcana ſcrutarentur. Nunc apud eos univerſos altum de re uſque adeo miranda ſilentium eſt. Et id, credo, impulit Grévinum, ut in primo de venenis ſic ſcriberet: *Huic difficulter fides haberi poteſt, neque tamen prorſus abroganda, cum fieri poſſit, ut poëtico more locutus fuerit.* Sanè poëticum opus eſt, unde is locus promitur: eoque veriſimilius eſt pſalten divinum obturationem aurium non propriè intelligere, ſed κατὰ μεταφορὰν ſignare; quòd ſic agat aſpis, quaſi contemnat carmen, planéque ad illud obſurdeſcat. Sententia igitur pſaltæ ea fuerit: Tantum eſſe ſuorum hoſtium furorem, ut non magis poſſit mitigari, quàm moveatur aſpis incantantis carmine. Nam æquè ſurdos eſſe hoſtes ſuos, ac ſurda eſt aſpis ad tale hominis carmen. Quomodo & Jerem. VIII legas: *Ecce ego mittam vobis ſerpentes regulos, quibus non eſt incantatio, & mordebunt vos.* Summum igitur hinc conſequitur; ſolere à magis carmen occentari ſerpentibus: ſed, ut puto, nunquam inde evincent, aliquam eſſe ejus carminis vim, & hoc pro verſutia ſua ſcire ſerpentes, eoque callidè aures obturare, ne audiant. Quamobrem ſic colligo, nullam ex ſe eſſe carminum efficaciam; nec qui iis ſe morbos pellere profitentur, id tam carminis, quam dæmonis paredri vi efficere.

Ad eandem cum dæmone ſocietatem refero præſtigiatores, non eos quidem, qui ſolâ manuum agilitate, vel ingenio-

c Libro de morbo caduco.

d Immediate.

a Mediatum.

b Immediatum.

c Natura.

d Poſitione.

e Ex inſtituto.

f De Interpretatione.

g Vinculum teloꝛum.

h Vinculum haſtæ.

i Genus placentæ.

k Pſalm. 58, 5.

genioſo quopiam dolo, officias faciunt; ſed qui res agant, quæ arte vel operâ ſolâ humanâ præſtari minimè poſſint. Ut cùm Triſcalanus ille Cenomannus, præſente Karolo IX. Galliarum rege, ex torque aureo alteriusa ſe longius remoti annellos pelliceret ſingulos, & advolantes ſua reciperet manu, prout taliem videbatur; ac torquis nihilominus ſalvus & integer reperiretur. Ad ejus rei conſpectum ſic Rex exhorruit, ut hominem abire juſſerit, nec paſſus eum ſit in conſpectum ſuum amplius prodire; imò pro grandi præmio, quod exſpectabat, judicio ſit traditus, ſpe tamen veniæ, ſi conſcios Magiæ proderet. Narrant eam rem Bodinus Dæmonolatriæ lib. III, cap. III, Delrius lib. I Diſquiſ. Mag. cap. IV, Raguſeius de Divinatione lib. II, epiſt. VI. Ac multa id genus alia poſſum ex variis referre. Sed non eſt animus ea exſcribere, cùm ex iis peti poſſint, qui argumentum hoc cum cura tractarunt. Neque jam laboro, verene fiant, quæ fieri putantur; an ſenſui & phantaſiæ illudatur. Utrumque quidem concurrere exiſtimo: ac ſic, ut cenſeam, perſuadent antiquorum temporum exempla, omnium gentium conſenſus, ac noſtræ etiam ætatis experientia. Alia igitur fiunt, alia fieri videntur, & ob ea, quæ fieri conſtat, etiam ſimilia à multis creduntur, quæ non fiunt, ſed videntur. Interea ſufficit nunc nobis, quod ut multa eorum, ſeu ea facta, ſeu ficta, ſic videantur, non aliter fieri potuerit, quàm ope dæmoniacâ. Atque hæc de malorum ſpirituum cultu, & imprimis magia diabolica: quæ eò hominem perducit, ut fiduciam reponat, non in eo qui creavit, ſed rebus creatis, imò jurato Dei hoſte, & noſtro etiam planè ἀντιδίκῳ: juxta illud Geneſ. III, 15: *Inimicitias ponam inter te, & mulierem; & ſemen tuum, & ſemen illius.* Unde &, ex veteris Eccleſiæ conſuetudine, in baptiſmo renunciatur Satanæ & pompis ejus. Utrique verò, & Deo, & diabolo, tam diverſis dominis, ut docet nos Chriſtus *a*, ſervire non poſſumus. Eoque Apoſtolus quoque I Cor. X, 21: *Nolo ſocios vos fieri dæmoniorum.* Ut ſatis mirari non poſſim, tantam fuiſſe ſuperioribus ſeculis cæcitatem, atque inſcitiam, ut Salmanticæ & illa magia, quam dicunt θεουργίαν, & altera, quam γοητείαν nominant, ſcholis publicis doceretur: quemadmodum in tertio de natura dæmonum tradit Io. Laurentius Ananias, Theologus Tabernas, & ejus fide Georgius Raguſeius Theologus, Medicus, & Philoſophus Patavinus, lib. II de Divinat. epiſt. VI.

a Matth. 6, 24. Luc. 16, 13.

CAP. IX.

De religioſo bonorum ſpirituum cultu, qui è Scripturis refellitur, ubi & ad inanem philoſophiam refertur. Obtinuiſſe eum apud Phrygas, eoque à Paulo ad Coloſſenſes ſcribente, & à Laodicena ſynodo rejectum. Quod cultus genus angelis conveniat, & ut nec alium Eccleſia Smyrnenſis à S. Polycarpo didicerit. Cur religioſo abſtinuerit. Eandemque mentem fuiſſe Irenæi, Origenis, Arnobii, Lactantii, Ambroſii; ſive Hilarii Romani, cujus ætas exponitur: præterea Auguſtini, Chryſoſtomi, Theodoreti. Et unde Angelicorum hæreſis nomen acceperit.

A λατρείᾳ malorum ſpirituum ad venerationem venio bonorum. Quos ab hominibus priùs fuiſſe cultos, per eſt veriſimile. Sanè Joſephus Albus lib. III in Icarim cap. XVIII arbitratur, hunc omnium antiquiſſimam fuiſſe idololatriam, quod homines angelis cultum ſtatuerint tanquam mediatoribus, & ſequeſtris, inter ſe, & Deum. Sed enim hic etiam honor univerſè damnatur Deuteron. VI, 13. item X, 20. & Matth. IV, 10: *Dominum Deum timebis, & illi ſoli ſervies.* Item ab Apoſtolo ad Gal. IV, 8: *Iis, quæ natura non ſunt Dii, ſerviebatis.* Et, ut particularim magis de Angelis dicam, Apocal. XIV, 10, angelus B. Joanni adorare volenti ait: *Vide, ne feceris; conſervus tuus ſum.* Etiam ad Coloſſ. II, 8, legas: *Videte, ne quis vos decipiat per philoſophiam, & inanem fallaciam ſecundum traditionem hominum, ſecundum elementa mundi, & non ſecundum Chriſtum.* At commate XVIII: *Nemo vos ſeducat, volens in humilitate, & religione angelorum, quæ non vidit ambulans, fruſtra inflatus ſenſu carnis ſuæ.* Satis inde conſpicimus, ut priùs cavere jubeat à philoſophia: nempe eâ, quæ, ut ſe Apoſtolus interpretatur, inanis eſt fallacia; qualem dicit, quæ non inſiſtit traditis à Chriſto; ſed ab hominibus, qui judicant ſecundùm elementa mundi, hoc eſt principia mundanæ ſapientiæ. Poſtea iſtius inanis philoſophiæ exemplum ſubdit, quando quis, humilitatis prætextu, non rectà ad Deum ac Chriſtum preces ſuas fundit, ſed mediatores angelos, more Platonicorum, invocat: quibus ſpiritus ejuſmodi ſunt *divinæ mediæ poteſtates*, ut ait Appulejus, *inter mortales cælicolaſque vectores, hinc precum, inde donorum.* Coloſſi, quibus ea ſcribit Paulus, Phrygiæ erat civitas, uti metropolis ejus Laodicea. In Phrygia autem, & Piſidia, obtinuit hic cultus, non Apoſtolicis modò temporibus, ſed etiam tribus pòſt ſeculis. Unde Synodus Laodicena, anno Chriſti CCCLXIV, (non, ut aliqui volunt, ante Nicenam generalem) ſic cavit can. XXXV; ſive C XXXVIII, juxta collectionem & interpretationem Dionyſii Exigui: *Quod non oporteat Chriſtianos Eccleſiam Dei relinquere, & ire atque angelos nominare, & congregationes facere, quæ interdicta noſcuntur. Si quis igitur inventus fuerit huic occultæ idololatriæ ſerviens, ſit anathema; quia dereliquit dominum noſtrum Jeſum Chriſtum, filium Dei, & ſe idololatriæ tradidit.* In quibuſdam vett. conciliorum edit. pro *angelos*, legas *angulos*. Atque ita & Bartholomæus Caranza expreſſit. Sed Græcè eſt ἀγγέλους, ut habet codex canonum Eccleſiæ univerſæ à Juſtiniano Imperat. confirmatus, & Græcè Latineque cum notis eruditis editus à Chriſtophor. Juſtello J. C. Etiam in commentario ad hunc canonem ſic legiſſe liquet Joannem Zonaram, & Theodorum Balſamonem: imò annis ſexcentis ante eos ſic etiam legit Theodoretus; cujus verba ad memoratum Paulinæ epiſtolæ locum ſic Latinè ſonant: *Qui legem defendebant, etiam ad Angelos colendos inducebant, dicentes, legem per eos datam. manſit autem diu hoc vitium in Phrygia, & Piſidia. Quocirca ſynodus quoque, quæ convenit Laodiceæ, quæ eſt Phrygiæ metropolis, lege prohibuit, ne precarentur angelos, & ne relinquerent dominum noſtrum Jeſum Chriſtum.* Atque eadem repetit in cap. III. Qui verò angelos putant utiliter invocari, ajunt Theodoretum loqui de invocatione iſtiuſmodi, quâ, præterito Chriſto, invocarentur angeli, velut Dii; hoc eſt honore, qui uni Deo deberetur. Videlicet volunt, bifariam ab hominibus coli angelum; aliis, ut naturâ Deum, ſive ut principium primum, bonum ſummum; aliis, ut Dei miniſtrum, cujus ope atque auxilio faciliùs aliquid impetretur à Deo. Sed aliter primis creditum ſeculis; quibus conſtanter placuit illud Apoſtoli *a*: *Unus Deus, unus mediator Dei & hominum, homo Jeſus Chriſtus.* Quod B. Auguſtinus ſic exponit contra epiſtolam Parmen. lib. II, cap. VIII: *Illum ſolum eſſe mediatorem, pro quo nullus interpellat; ſed ipſe pro omnibus.* Nec propterea omnem Angelorum cultum damnarunt. Triplicem enim fatentur. Unus eſt mentis, qua naturæ angelicæ excellentiam agnoſcimus. Alter eſt voluntatis, quo officia tam excellenti naturæ convenientia præſtare parati ſumus. Tertius eſt corporis, quo, ſi ſic uſu veniat, demiſſionem extrinſecus teſtamur. Interim non eſt cultus ille religioſus; quia non agnoſcimus angelos, ut principium aut originis, aut ſalutis noſtræ. Quin neque eſt cultus ſubjectionis civilis; quomodo veneramur regem, ac magiſtratus; imò & parentes, ac præceptores. Sed eſt cultus reverentiæ moralis: quo qui nobis dignitate ac virtute præcellunt, etſi nullum in nos imperium habeant, ſedulò honoramus. Nempe ut viros ſanctos, imò & do-

a 1 Tim. 2. 5.

doctos, colimus, ſic item angelos; ſed angelos auguſtius. interim eâdem cultus ſpecie, etſi gradu aliquantum diſpari. Religioſum vero cultum penitus neſciere antiqui, nec angelorum, nec martyrum. Quemadmodum videre eſt ex epiſtola Eccleſiæ Smyrnenſis, de martyrio Polycarpi ad Eccleſias Ponti ſcripta; ut eſt apud Euſebium Hiſt. Eccleſ. lib. IV, cap. XIV: τοῦτον μὲν γὰρ υἱὸν ὄντα τοῦ θεοῦ προσκυνοῦμεν· τοὺς δὲ μάρτυρας, ὡς μαθητὰς τοῦ Κυρίου, καὶ μιμητὰς, ἀγαπῶμεν ἀξίως, ἕνεκα εὐνοίας ἀνυπερβλήτου τῆς εἰς τὸν ἴδιον βασιλέα καὶ διδάσκαλον, ὧν γένοιτο καὶ ἡμᾶς συγκοινωνούς τε καὶ μαθητὰς γενέσθαι. *Illum enim, qui Dei filius eſt, adoramus: martyres autem, ut diſcipulos, & imitatores Domini, propter incredibilem eorum benevolentiam, quam in proprium regem & magiſtrum declaraverunt, meritò amplexamur, quorum nos cum in pietate diſcipulos, tum conſortes in gloria fore optamus.* Videmus, ut non doctor aliquis; ſed Eccleſia Smyrnenſis, eaque à Polycarpo, diſcipulo B. Joannis, edocta, clarè dicat, non ſe Martyres σέβειν a, ſive προσκυνεῖν b, ſed ἀγαπᾷν c. Nimirum Chriſtiani veteres, & ſeorſim, & juncti, & pro ſe ſinguli, & alii pro aliis, Deum precabantur; mutuò etiam, ut id fieret, rogabant; verùm quem præſentem neſcirent, ſive angelus, ſive anima foret defuncti, minimè invocabant: quia, de cujus præſentia non conſtaret, eum cum fiducia auditionis, ut de exauditione nihil dicam, minimè invocare auderent: præſertim cùm ejus rei in Scripturis nec præceptum haberent, nec exemplum. Sciebant quidem, Deum aperuiſſe Eliſæo d, quid Giezi egiſſet; Petro e item, quid animi foret Ananiæ; nec eos fugiebat, majora etiam beatis animis præſtare poſſe, ſi velit. Sed hoc velle eum, non ſatis liquebat. Ac præterea videbant, ſi hic morbo correptus, ille naufragii, iſte incendii, alius alio periculo conſtitutus, non unâ, ſed aliâ atque aliâ mundi plagâ, angelum, vel quamcunque creaturam, invocaret; honorem, quem Deus alteri tribuere noluit, transſcribi creaturæ: nec enim cadere in finitam poteſtatem, ut uno eodemque momento, una omnes omnium preces tam diſſitis toto orbe locis audiret, nedum exaudiret. Quamobrem veteres non alium angelis honorem exhibebant, quàm quòd præclaram eorum naturam, & erga ſe affectum agnoſcerent; eoque nomine amarent, prædicarent, & pro exemplo ſanctimoniæ ſibi proponerent. Sed adorationis & invocationis cultum minimè præſtabant: quod ex ſynodo Laodicena, & vetuſtis Smyrnenſis Eccleſiæ actis vidimus. Nec ab horum iudicio alii Theologi veteres receſſere. Audiamus Irenæum lib. II, cap. LVII: ubi cùm dixiſſet, Eccleſiam per univerſum mundum chariſmata ſua uti gratis accepit, ita gratis, non pecuniam accipiendo, vel decipiendo aliquem, conferre: ſubjungit continuò iſta; quæ Græcè etiam adduxit Euſebius lib. V Hiſt. Eccl. cap. VII f: *Nec invocationibus angelicis facit aliquid, nec incantationibus, nec aliquâ pravâ curioſitate; ſed mundè & purè & manifeſtè orationes dirigens ad Dominum, qui omnia fecit, & nomen Domini noſtri Jeſu Chriſti in virtute ſecundùm utilitates hominum, ſed non ad ſeductionem perfecit.* Ubi pro *dirigentes* (ut eſt in editione Eraſmi, Gallaſii, & Feuardentii) *dirigens* reſcripſi: pro *perfecit* etiam *perficit* malim. Satis autem ex his verbis liquet, B. Irenæum ſive potiùs Eccleſiam, de qua ſermo eſt Irenæo, ignoraſſe tum temporis preces, quæ ad Angelos fierent; ſed eas direxiſſe tantummodo ad Deum Patrem, & Dominum noſtrum Jeſum Chriſtum. Atque hoc etiam nos Origenes docet in octavo contra Celſum: Τούτους δὴ ἀγγέλους ἀπὸ τοῦ ἔργου αὐτῶν μεμαθηκότες καλεῖν, εὑρίσκομεν αὐτοὺς, διὰ τὸ θείους εἶναι, καὶ θεοὺς ἐν ταῖς ἱεραῖς ἔστιν ὅτε ὀνομαζομένους γραφαῖς· ἀλλ' οὐχ ὥστε προστάσσεσθαι ἡμῖν τοὺς διακονοῦντας, καὶ φέροντας ἡμῖν τὰ τοῦ θεοῦ, σέβειν καὶ προσκυνεῖν ἀντὶ τοῦ θεοῦ. πᾶσαν μὲν γὰρ δέησιν, καὶ προσευχὴν, καὶ ἔντευξιν, καὶ εὐχαριστίαν ἀναπεμπτέον τῷ ἐπὶ πᾶσι θεῷ διὰ τοῦ ἐπὶ πάντων ἀγγέλων ἀρχιερέως, ἐμψύχου λόγου, καὶ θεοῦ. *Angelos ex officio ſuo nominare docti, invenimus, propter divinitatem quandam, interdum deos vocari à ſacra ſcriptura: ſed non ſic, ut jubeamur eos adorare, aut divinis honoribus colere, quamvis dona Dei nobis afferant. Omnia enim vota, omnes interpellationes, deprecationes, & gratiarum actiones, deſtinandæ ſunt ad Deum, rerum omnium dominum, per majorem omnibus angelis, ſummum pontificem, vivum verbum, & Deum.* Plura etiam ibidem in hanc mentem ſubjungit. In quibus & illud: Ἀγγέλους καλεῖν μὴ ἀναλαβόντας τὴν ὑπὲρ ἀνθρώπους περὶ αὐτῶν ἐπιστήμην, οὐκ εὔλογον. Vertit interpres: *Angelos invocare abſque ipſorum* (de iis) *cognitione, cujus homo capax non eſt, non videtur rationi conſentaneum.* Mens eadem Arnobio, penè initio libri tertii adverſus nationes: *Subjiciunt enim hæc: ſi vobis divina res cordi eſt, cur alios nobiſcum neque deos colitis, neque adoratis, nec cum veſtris gentibus communia ſacra miſcetis, & religionum conjungitis ritus?* His ſic potuit occurri, non eſſe niſi unum Deum, eoque non niſi uni divinum poſſe honorem præſtari. Sed quia & angeli in Scripturis Dii dicuntur, ut in iſto a: *Minuiſti eum paullum ab angelis*: eo non ingreditur Arnobius diſputationem, an plures ſint Dii; dicereque eſt contentus, quicquid colendum, coli in Deo principe. Sic enim ſuperioribus ſubjungit: *Poſſumus interim* (hoc eſt, omiſſâ diſputatione, Dii ne ſint plures) *dicere ad cultum divinitatis obeundum, ſatis eſt nobis Deus primus: Deus, inquam, primus, pater rerum ac dominus conſtitutor moderatorque cunctarum. In hoc omne, quod colendum eſt, colimus; quod adorari convenit, adoramus; quod obſequium venerationis expoſcit, venerationibus promeremur. Cum enim divinitatis ipſius teneamus caput, à quo ipſa divinitas divinorum omnium, quæcunque ſunt, ducitur, ſupervacuum putamus perſonas ire per ſingulas*, &c. Pluraque ibidem in hanc ſententiam univerſè ſcribit Arnobius: ut ad angelos etiam hæc pertineant. Imò & nominat hos, diſcipulus ejus, Lactantius lib. II, cap. XVII: *Neque Angeli cùm ſint immortales, dici ſe Deos aut patiuntur, aut volunt: quorum unum ſolumque officium eſt, ſervire nutibus Dei. Itaque nullum ſibi tribui honorem volunt, quorum honor in Deo eſt. Illi autem, qui deſciverunt à Dei miniſterio, quia ſunt veritatis inimici & prævaricatores, Dei nomen ſibi, & cultum Deorum, vindicare conantur.* Quo pacto autem, qui ſpiritus invocarent, ſe defenſitarint, planum fit ex effugio eorum, quoties culpæ iis daretur, quod adorarent ſolem, vel lunam, ac ſidera. Hoc quale ſit, dicet Ambroſius, ſive quiſquis ille ſcriptor commentaria in epiſtolas Paulinas. Hic in cap. primum ad Romanos ſic ſcribit: *Solent, paſſi pudorem neglecti Dei, miſera uti excuſatione, dicentes, per iſtos poſſe iri ad Deum, ſicut per comites pervenitur ad regem.* Sed quomodo his occurri oporteat, malo verbis dicere ejuſdem ſcriptoris, qui continuò ſubjungit: *Age, numquid tam demens eſt aliquis, aut ſalutis ſuæ immemor, ut honorificentiam regis vindicet comiti, cum de hac re, ſi qui etiam tractare fuerint inventi, jure, ut rei damnentur majeſtatis? Et iſti ſe non putant reos, qui honorem nominis Dei deferunt creaturæ, & relicto domino conſervos adorant, quaſi ſit aliquid plus, quod reſervetur Deo. Nam & ideo ad regem per tribunos aut comites itur, quia homo utique eſt rex, & neſcit, quibus debeat rempublicam credere. Ad Deum autem, quem utique nihil latet, omnium enim merita novit, promerendum, ſuffragatore non opus eſt, ſed mente devota.* Hæc ille benè antiquus ſcriptor, ut qui Damaſi Papæ temporibus vixerit, quemadmodum ipſe teſtatur in cap. III, epiſt. I ad Timoth. Ac beatus etiam Auguſtinus lib. IV contra duas epiſtolas Pelagianorum cap. IV, citat hinc quædam ex explicat. cap. V ad Rom. verùm ſub Hilarii nomine, non Pictavienſis illius; ſed, ut Lovanienſibus obſervatum, Hilarii potiùs Diaconi, qui Lucifero Calaritano, illi, ut Hieronymus appellat, orbis Deucalioni, adhæſit. Caſſiodori tamen ætate tribuebantur Gelaſio, ut patet ex libro de divinis lectionibus cap. VIII. Ubi

Cor-

a *Venerari.*
b *Adorare.*
c *Diligere.*
d 2 Sive 4. Reg. 5. 26.
e *Act.* 5. 3.
f Edit. quibusdam cap. 58.
a Pſ. 8. 6. Hebr. 2, 7.

a Prolegom. in epiſt. Paul.

Cornelius à Lapide *a* intelligit Gelaſium Cæſarienſem: eumque vixiſſe ait ante concilium Chalcedonenſe, & ſcripſiſſe librum de duabus naturis. Verùm auctor libri de duabus naturis non Cæſarienſis, ſed Cyzicenus fuit epiſcopus; nec ante Chalcedonenſe concilium, ſed circa annum cccc xc vixit. At magis etiam ratio eos fugit, qui commentarium illum in epiſtolas Paulinas ad Remigium Antiſiodorenſem retulere. Nam claruit ille demum annis poſt Damaſum quingentis. Venio ad B. Auguſtinum, qui & ipſe plurimis in locis cultum rejicit Angelorum, atque ad unum nos Mediatorem Chriſtum manu ducit. Ut Confeſſ. lib. x, cap. XLII: *Quem invenirem, qui me reconciliaret tibi? An eundum mihi fuit ad angelos? qua prece? quibus ſacramentis? Multi conantes ad te redire, neque per ſe ipſos valentes: ſicut audio, tentaverunt hæc: & inciderunt in deſiderium curioſarum viſionum: & digni habiti ſunt illuſionibus. Diabolus enim erat transfigurans ſe in angelum lucis.* Capite verò ſequenti clarè nos ad unicum interceſſorem Jeſum Chriſtum remittit. Idem lib. de vera Religione, cap. LIII: ubi cùm de ſanctis defunctis dixiſſet, *honorandos eſſe propter imitationem, non adorandos propter religionem:* ſubjicit idem de angelis eſſe ſtatuendum. *Quare*, inquit, *honoramus eos charitate, non ſervitute: nec eis templa conſtruimus. Nolunt enim ſic ſe honorari à nobis, quia nos ipſos, cum boni ſumus, templa ſummi Dei eſſe noverunt. Rectè itaque ſcribitur, hominem ab Angelo prohibitum, ne ſe adoraret.* Item lib. xx contra Fauſtum Manichæum, cap. XXI: *Ipſi ſancti, vel homines, vel Angeli exhiberi ſibi nolunt, quod uni Deo deberi norunt. Apparuit hoc in Paulo, & in Barnaba, cùm commoti miraculis, quæ per eos facta ſunt, Lycaonii illis tanquam Diis immolare voluerunt. Conſciſſis enim veſtibus ſuis, confitentes & perſuadentes eis, ſe Deos non eſſe, iſta ſibi fieri vetuerunt. Apparuit & in Angelis, ſicut etiam in Apocalypſi legimus Angelum ſe adorari prohibentem ac dicentem adoratori ſuo: Conſervus tuus ſum, & fratrum tuorum. Iſta ſibi planè ſuperbi ſpiritus exigunt, diabolus & angeli ejus; ſicut per omnia templa, & ſacra gentilium.* Idem libro primo contra Maximum, Arrianorum epiſcopum: *Nonne ſi templum alicui ſancto Angelo excellentiſſimo de lignis & lapidibus faceremus, anathematizaremur à veritate Chriſti, & ab Eccleſia Dei? quoniam creaturæ exhiberemus eam ſervitutem, quæ uni tantum debetur Deo.* Similia habet lib. x de Civit. Dei, cap. VII, & XVI. Item in Pſal. XCVI. Adi & Chryſoſtomum in epiſt. ad Hebr. cap. I, homil. III. Cujus verba apponerem, niſi multa huc pertinentia ſparſim haberet. Sufficerit igitur digitum ad fontem intendiſſe. Vide & Theodoretum lib. II Græc. Affect. ubi inter alia inquit de angelis: Οὐ μὴν θεοὺς τούτους νομίζομεν, οὐδὲ θεῖον αὐτοῖς ἀπονέμομεν σέβας, οὐδὲ μερίζομεν εἰς τ (οὕτως) ὄντα θεὸν, καὶ τούτους, τὴν θείαν προσκύνησιν· ἀλλὰ τούτους τιμιωτέρους μὲν ἀνθρώπων, ὁμοδούλους δ' εἶναι φαμέν· *Neque verò hos Deos putamus, neque divinum illis honorem tribuimus, neque adorationem inter eum, qui verè Deus eſt, & angelos, partimur; ſed eos honoratiores quidem hominibus, attamen conſervos eſſe dicimus.*

1 Pſ. 8, 6.
2 Hebr. 2, 7.

Eos, qui angelos colerent, Angelicos dixere. Quorum meminit Epiphanius hæreſi LX, & ex eo Zonaras, ac Balſamo ad XXXV canonem concilii Laodiceni. Mirum verò, ambigere Epiphanium, an non & ita vocati potuerint ab regione ultra Meſopotamiam, quæ Ἀγγελίνη dicta ſit. Nam ut ſanè *Angelina* reſcribas, (quomodo uterque vertit interpres) non tamen ἀναλόγως inde ἀγγελικοὺς deducas. Nunc verò Ἀγγελίνη habet tum Baſileenſis editio, tum Pariſina. Ac in codice etiam Juſtinianeo lib. I, tit. XXIX, qui eſt de officio magiſtri militum, in tribus MSSis *Ingilena* reperit L. Ruſſardus J.C. Clariùs igitur ἔτυμον perſpexit Auguſtinus hæreſi XXXIX: *Angelici in Angelorum cultum inclinati, quos Epiphanius jam omnino defeciſſe teſtatur.*

CAP. X.

Acceditur ad animam humanam: quam niſi ſupereſſe corporibus putaſſent, nunquam honore coluiſſent divino. Cur rationalem creaturam condiderit Deus. De immortalitate ejus conſenſus gentium. Μετεμψύχωσις *figmentum videri ortum ex certiſſima traditione de Reſurrectione futura. Dogma de migratione animæ à variis fuiſſe gentibus receptum. Idem ſenſiſſe Phariſæos: non tamen eo ſpectaſſe Herodem, cum Chriſtum putaret eundem ac Joannem Baptiſtam. Saducæorum error ex Moſe non uno refellitur argumento. Origo ejus ſectæ. Inſanus Epicuri & Dicæarchi error: eique oppoſita ſententia priorum: uti Thaletis, Pherecydis, Pythagoræ, Platonis. Ariſtotelis de eo ſententia, item Stoicorum: ac argumenta aliquot pro animæ immortalitate.*

AB angelis venio ad animam humanam. Duplex enim eſt creatura ſpiritualis; utraque æterna & immortalis; ſed una ſecundùm ſe totam, ut angelus; altera ſecundùm partem ſui nobiliorem, ut homo. Quas ambas Deus creavit, non tam ne deeſſent, qui eum laudarent & admirarentur; cùm Deus non ſit indigus laudationis alienæ; quàm quia naturæ ejus, qui Optimus, ipſaque bonitas foret, conveniret, ut natura etiam foret, quæ divinâ ad beatitatem gratiâ perduceretur; eoque cognoſceret Univerſi auctorem, eundem amaret, coleret, imitaretur; atque ita, pro modo creaturæ, ſimilis redderetur Deo. Quem finem cùm ſibi propoſuerit Deus, facilè etiam videmus, cur & angelum, & animam, naturæ creârit incorruptibilis & immortalis. Veriſſimaque hæc de animarum immortalitate ſententia pro fundamento erat erronei cultus, qui iis à gentibus præſtitus fuit. Nec enim perſuaderi ille cuiquam potuiſſet, niſi qui putaret, animas à morte ſupereſſe. Mirum verò, cæcas nationes plus hac parte vidiſſe Saducæis, qui Moſem haberent. Eò videndum, quæ potiſſimum in hanc opinionem gentiles impulerint. In iis familiam ducit traditio, quæ à Noacho, & ejus liberis, ac nepotibus, quaſi per manus, ad poſteros devenit. Unde L. Seneca epiſt. CXVII: *Cùm de animarum immortalitate loquimur, non leve momentum apud nos habet conſenſus hominum, aut timentium inferos, aut colentium. Utor hac perſuaſione publica.* Nec Senecæ ſolum ætate ſic erat. Hodieque ea traditio eſt apud remotiſſimas gentes. Ut de Guineenſibus varii tradidere, item de Sinenſibus; in his I. Hugo Linſchotanus: de Peruanis, & Mexicanis, Joſephus Acoſta; de Virgineæ incolis Thomas Avioth Anglus.

Imò non animas modò ſupereſſe poſt mortem, conſenſus gentium fuit: ſed apud multas etiam reliquiæ fuere de nova cum corporibus conjunctione, quam reſurrectionem dicimus. Sed fœdè eam corruperunt in illam, quam dixere μετεμψύχωσιν, quaſi dicas *transanimationem:* item μετενσωμάτωσιν, hoc eſt, *migrationem de corpore in corpus:* etiam παλιγγενεσίαν, ſive *regenerationem.* Quæ non Pythagoreorum duntaxat, ſed multarum etiam gentium opinio fuit, & admodum diſſitarum. De Ægyptiis, teſtis Herodotus; à quibus etiam id hauſiſſe Pythagoram, idem tradit. Zamolxis quoque juxta Julianum in Cæſaribus, idem docuit Getas; à quibus poſt mortem divino honore cultus fuit. In Galliis ſimiliter Druidas ſenſiſſe, refert Cæſar in ſexto. Deque Germanis idem prodit Appianus in Celticis. Etiam Simon Magus amplexus eſt hoc dogma, teſte Irenæo lib. I, cap. XX, & Tertulliano lib. de Anima cap. XVI. Adhæc Manichæi, ut eſt apud Auguſtinum hæreſ. XLVI. De Judæis Thalmudiſtis idem liquet ex Thalmud ordine IV, tractatu II. Sed magis mirandum, quod Phariſæis quoque hoc placuit: ut intelligentiſſimus ejus ſectæ tradit Flavius Joſephus lib. XVIII Antiquit. cap. II, & de bello Judaico lib. II, cap. VIII. Imò, ex multorum opinione, inde eſt, quòd Herodes

Galilææ tetrarcha putârit, animam Joannis Baptiſtæ, à ſe decollati, inſinuaſſe ſe in corpus Jeſu Chriſti; ut colligunt ex Matth. XIV, 2. Sed non potuit hoc Herodes putare de eo, quem non infantem, ſed jam maturæ ætatis virum ſciret. Ut Herodis potius opinio fuerit, ſanctiſſimum virum, quem paullo ante ipſe occiderat, divinitus eſſe reſuſcitatum a mortuis; quique antea non feciſſet miracula, nunc pro præmio hoc accepiſſe, quod eâ inſtructus eſſet poteſtate. Vel dicendum, putaſſe Herodem, animam Joannis ſe inſinuaſſe in corpus Jeſu, ejuſque animâ expulsâ, imperium occupaſſe, & tanta feciſſe miracula.

Verum ut fœdus ille Phariſæorum erat error in populo Dei: ita longe fœdior, quòd Saducæi immortalitatem animarum tollerent, qui tamen libros reciperent Moſaicos: in quorum initio legas Gen. I, 16: *Formavit igitur Dominus hominem de limo terræ, & inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ: & factus eſt homo in animam viventem.* Ubi non vita intelligi mortalis debet, qualis mutorum eſt animantium; ſed ejuſmodi, quâ ſecernantur ab iis, ac proinde, quæ, Dei inſtar, finem ignoret. Quippe apertè ſatis indicat Moſes, animum hominis, non, uti fit in rationis expertibus, eductam eſſe è potentia materiæ: ſed extrinſecus adveniſſe; eoque immaterialem eſſe, & per ſe ſubſiſtere idoneam; à Deo autem unitam eſſe ac colligatam rei materiali & corporeæ; atque ita formam ejus factam eſſe, non quatenus corpus foret, cùm nihil ſeparabile poſſit eſſe forma corporis, quatenus eſt corpus; ſed quatenus vitales edit actiones: unde & Ariſtoteles in definitione animæ non ſimpliciter dicit, eſſe actum corporis, ſed potentiâ vitam habentis. Eam autem vitam, ratione animæ, finem neſcire, arguit etiam quòd Gen. I, 16; dicitur Deus condidiſſe hominem ad imaginem ſuam. Quippe imago illa immortalis Dei potiſſimum in eo conſiſtit, quòd anima ſit immortalis ac ſempiterna. Et ſanè nonne Enoch & Elias tranſlati in alteram vitam? Nec mortui diceremur dormire, niſi aliquando eſſent reſuſcitandi. At Jacobi eſt Gen. XLVII, 30, *Dormiam cum patribus meis.* Nec (quo argumento pugnat Chriſtus *a*) niſi animæ ſupereſſent, Deus, qui viventium non mortuorum eſt Deus, ſe Abrahæi, Iſaaci, Jacobi, Deum diceret Exod. III, 6. Eſt & Bileami Num. XXIII, 10. *Moriatur anima mea morte piorum.* Ubi non tam tranquillam piorum mortem reſpexit, quàm felicitatem alterius vitæ. Nam pii ſæpe miſerè pereunt. Uti Abel ipſe: qualem mortem non optâſſet Bileam. Mitto cæteros Scripturæ codices: quando Saducæi Moſaicos ſolùm libros habuere pro canonicis, & θεοπνεύστους *b*; alios autem, etſi non rejecerint, auctoritatis tamen longè inferioris putarint.

a Matth. 22, 32. Mar. 12, 26. Luc. 20, 37.

b Divinitus inſpiratos.

Opinio hæc Saducæorum demum cœpit poſt tempora Alexandri Magni; idque occaſione eâ, quòd Antigonus Sochæus, Simeonis Juſti diſcipulus, dixiſſet, non eſſe ſerviendum Deo, ſpe præmii, aut mercedis. Hinc enim diſcipuli ejus, Sadok, & Baithos, occaſionem cepere docendi, non eſſe poſt hanc vitam præmium, aut pœnam; quaſi aliud voluiſſet Antigonus: quàm tantùm in nobis eſſe debere divinæ majeſtatis, ac ipſius honeſti amorem, ut nullo etiam præmii vel mercedis intuitu, Deo bonâ ſerviremus fide, ac nihil non eſſemus paratiſſimi ſuſtinere.

Ex philoſophis gentium hanc Saducæorum opinionem amplexi ſunt Epicurei; imò longè deteriorem. Nam Saducæi agnoſcebant Deum curare res humanas: quippe cum bonis bene facere in hac vita. Epicurei autem in totum tollebant providentiam divinam. Interea in eo illis convênit, quod putarint, animam cum corpore extingui. Eademque in ſententia fuit Dicæarchus Meſſenius, qui Epicuri hujus temporibus, imò paullo etiam antè claruit, Ariſtotelis auditor, philoſophus, hiſtoricus, & orator egregius; ſed qui ſummam fœdarit eruditionem opinione ea, quod putârit, animum, vel temperamentum eſſe elementorum, vel nihil niſi nomen inane. Qua de re Cicero in primo Tuſcul. Quæſt. Plutarchus de plac. philoſ. Atticus Platonicus apud Euſebium *a*, & è noſtris Tertullianus de anima cap. XV. Ubi ex medicis idem ait ſenſiſſe Andream, & Aſclepiadem. Atque argumento hoc nobis ſuerit, ne in humanæ quidem ſapientiæ ſtudiis proficere ſemper mortale genus; ſed ſubinde etiam deficere. Quanto enim melius illi, qui primi philoſophiæ ſemina in Græcis ſparſerunt! Thales dico, & Pherecydes; qui, eâdem ætate *b*, quinquaginta amplius Olympiadibus ante Epicurum, claruere. Quorum Thaletem quidem primum fuiſſe, qui animas doceret immortales, inter alios prodidit Chœrilus poeta *c*. At Cicero in primo Tuſcul. quæſt. ait Pherecydem primum hoc docuiſſe: poſteaque hanc opinionem maximè confirmatam à Pythagora, ejus diſcipulo. Plutarchus quoque in primo de plac. phil. docet, heroes Thaletem, & Pythagoræ, eſſe κεχωρισμένας ψυχὰς τῶν σωμάτων, καὶ ἀγαθὰς μὲν τὰς ἀγαθῶν, κακὰς δὲ, τὰς φαύλων· *animas à corporibus ſeparatas, bonorum quidem bonas, at malorum malas.* Ita videmus, quid ſenſerint duo principum ſectarum conditores; Ionicæ quidem auctor Thales, Italicæ autem Pythagoras.

a Lib. 15. præparat. Evang. cap. 19.

b Laërt in Pherecyd.

c Laërt. in Thalet.

Subjungit deinde Plutarchus, idem de heroibus Platonem ſenſiſſe, & Stoicos. Quorum Plato apertè immortalitatem animæ docet in Phædone, Phædro, Philebo, Timæo, Menone, libris de Rep. item ad Syracuſanos, & alios epiſtolis. Ac in Phædone quidem priùs oſtendit Socrates, animas ſupereſſe corporibus; poſtea verò, quia ſuſpicionem moverat Cebes, quaſi longævæ, nec tamen ſempiternæ forent, docere aggreditur, eas nunquam interire. Quæſtiones eas, uti dixi, diſtinxit his verbis Plato *d*: Κέβης δέ μοι ἔδοξε τοῦτο μὲν ἐμοὶ ξυγχωρεῖν, πολυχρονιώτερόν γε εἶναι ψυχὴν σώματος· ἀλλὰ τόδε ἄδηλον παντί, μὴ πολλὰ δὴ σώματα καὶ πολλάκις κατατρίψασα ἡ ψυχή, τὸ τελευταῖον, σῶμα καταλιποῦσα, νῦν αὐτὴ ἀπολλύηται· καὶ ᾖ αὐτὸ τοῦτο θάνατος, ψυχῆς ὄλεθρος· ἐπεὶ σῶμά γ' ἀεὶ ἀπολλύμενον οὐδὲν παύεται. *Cebes autem hoc mihi equidem concedere videtur, animum corpore diuturniorem eſſe: verùm hoc cuivis incertum remanere, num animus, multis corporibus conſumtis, certo quodam tempore & ipſe, corpus ultimum deponens, intereat, atque aboleatur; illudque nimirum eſſe mortem, animi perniciem, atque exitium: quandoquidem corpus ipſum non deſinit quidem unquam interire.* Satis liquet, ſcrupulum iſtum Cebetis provenire ex dogmate de μετεμψυχώσει *e*. Metuit enim, ne animæ aliquando nullum obtingat corpus, in quod migret: atque ita tandem & ipſa pereat. Itaque neceſſe habuit Socrates novam ordiri diſputationem ad comprobandum, animam non ſolùm eſſe longævam, ſed etiam ſempiternam. Sed ſanè nihil opus erat hoc ſcrupulo Cebetis, ſive Platonis. Nam etiam, ex doctrina ejus, non gemina, ſed ſimplex ea quæſtio erat. Quippe ab eadem cauſſa eſt, quòd anima corpori ſupereſt, & quod non interit. Puta quia ſit ſpiritualis, &c, ut Plato loquitur, αὐτοκίνητος *f*. Qua voce quid voluerit, optimè exponit Alcinous de doctrina Platonis cap. XXV: Αὐτοκίνητον δέ φησι τὴν ψυχὴν, ὅτι σύμφυτον ἔχει τὴν ζωὴν, ἀεὶ ἐνεργοῦσαν καθ' αὑτήν· *Per ſe mobilem ait animam, quoniam innatam habet vitam, ſuâ vi operantem.* Ac Theodoretus itidem in V. Græcarum affectionum Platoni animam eſſe ait οὐσίαν νοητὴν ἐξ ἑαυτῆς κινητήν, *ſubſtantiam intelligentem ex ſe mobilem.* Nempe movere ſe ipſum nihil aliud eſt Platoni, quàm à ſe ipſo habere principium motus, ita ut moveat nullius interventu, ac ſine inſtrumento. Quomodo Platonis ſententiam etiam accipit, imò & probat, Cæſar Scaliger in Ariſt. lib. V Hiſt. Animal. cap. XIX; ſive ex ipſius Scaligeri diſtinctione cap. XVIII, lect. CCIX.

d Pag 91. edit. H. Steph.

e Tranſanimatione.

f Seſe movens.

In Platonis etiam ſententiam proclivior eſt Ariſtoteles. Utcunque enim in primo de Anima reprehendat illud αὐτοκίνητον *g*: tamen non aliud ipſe docet, moreque ſuo in magiſtro magis impugnat, quod dixit, quàm

g Per ſe mobile.

quod

quod ſenſit. Atque hoc jam olim vidit Albertus Magnus libro de Origine animæ: liquidiùs verò demonſtratum iis, qui in Platone & Ariſtotele conciliando operam poſuerunt. Ac vel ſola id evincit Alcinoi interpretatio, quam proximè adduximus. Eſſe autem animam ſpiritualem, & ſeparabilem à corpore, non uno loco traditur ab Ariſtotele. Uti tertio de Anima, ubi eam ait ἀπαθῆ α καὶ ἀμιγῆ εἶναι, *paſſionis eſſe ac mixturæ expertem.* Pulcherrimè etiam ibidem ait b: Τὸ μὲν αἰσθητικὸν οὐκ ἄνευ σώματος· ὁ δὲ νοῦς χωριστός· *ſentiendi actus non eſt citra corpus: ſed mens ab eo eſt ſeparabilis.* Item c, Χωρισθεὶς δ' ἐστὶ μόνον, τοῦθ' ὅπερ ἐστί, καὶ τοῦτο μόνον ἀθάνατον καὶ ἀΐδιον· *Animus ſolus eſt ſeparatus, quicquid eſt: & hoc ſolum eſt immortale & ſempiternum.* Quibus ſimilia habet eodem libro d; item in primo e, & ſecundo f ejus operis. Præterea his conſentaneum eſt illud lib. II de animalium generatione, cap. III: τὸν νοῦν μόνον θύραθεν ἐπεισιέναι, καὶ θεῖον εἶναι μόνον· οὐδὲν γὰρ αὐτοῦ τῇ ἐνεργείᾳ κοινωνεῖ σωματικὴ ἐνέργεια· *ſolam mentem extrinſecus advenire, divinam eſſe ſolam, neque cum ejus actione actionem corporis ullam habere communionem.* Etiam in XII g Metaphyſ. legas, quæ idem confirment. Ut mirum ſit, Alexandrum Aphrodiſeum, quo nemo alioqui Ariſtotelis mentem melius aſſequi ſolet, contrariam opinionem magiſtro tribuiſſe. Uti & ab Æneâ Gazæo h factum; è junioribus autem à Petro Pomponatio libro de Immortalitate animæ, & Simone Portio lib. de mente humana. Sed iſtis à multis eſt occurſum: Pomponatio quidem, à Contareno, libro de animæ immortalitate, ſic tamen ut nomini Pomponatii parcat: Portio autem à M. Antonio Natta libro ejuſdem argumenti, & Jacobo Ant. Marta Neapolit. apologia contra Portium: utrique verò, ſed prius Portio, poſtea præceptori ſuo Pomponatio, ab Antonio Mirandulano, epiſcopo Caſeutino, libro XXXV ſingularis certaminis, & quinque ſequentibus. Poſt quos alii etiam argumentum hoc tractarunt; in his Jacobus Naclantus, Clodienſis Epiſcopus, & Julius Caſtellanus Faventinus; ut prætercam eos, qui in Ariſtotelis libros de Anima ſcripſere. Sunt qui, mediam inſiſtentes viam; putarint, dubiam fuiſſe Ariſtotelis ſententiam: ut Scotus, Hervæus, Niphus. Nec valde repugno. Propter ea tamen, quæ adduxi, in meliorem cenſeo ſententiam magis inclinâſſe.

a *Textu 4.*
b *Textu 7.*
c *Textu 19, & 20.*
d *Textu 6, 15. 18, 51.*
e *Textu 65. & 66, item 82, & 92.*
f *Textu 11, & 21.*
g *Textu 17, & 51.*
h *In Theophraſto.*

A Peripateticis ad Stoicos venio; qui pro fabulis quidem habuere, quæ poëtæ referrent de Cocyto, Pyriphlegetonte, & cæteris inferorum locis; ut videre eſt ex Seneca ad Marciam cap. XIX, & Epicteto apud Arrianum lib. III Diſſertat. cap. XIII: interea tamen putabant, bonis bene eſſe poſt hanc vitam, malis male. Animas enim ſapientum, hoc eſt, eorum, qui rationi convenienter vixiſſent, evolare ad loca Lunæ proxima, atque iſtic ſe contemplatione cæleſtium oblectare: animas autem inſipientum, hoc eſt, eorum, qui affectibus morem geſſerint, ſi ex vita anteacta ſpes appareat bonæ eas frugis evadere poſſe, circa terras errare, uſque dum meliùs edoctæ, atque à vitiis purgatæ, altiùs & ipſæ ſubvolent: at prorſus ſceleſtas demitti in loca, ubi ſuorum ſcelerum condignas luant pœnas. Quæ cognoſcere eſt, cùm ex aliis, tum Tertulliano de anima cap. LIV, & Lactantio lib. VII, cap. VII. Interea non poſſum diffiteri, Stoicos non tam putaſſe animas immortales, quàm longævas. Hoc liquet ex illis Laertii verbis in Zenone: Ταύτην δὲ εἶναι τὸ συμφυὲς ἡμῖν πνεῦμα· διὸ καὶ σῶμα εἶναι, καὶ μετὰ θάνατον ἐπιμένειν, φθαρτὴν δὲ εἶναι· *animam à morte permanere, attamen tandem corrumpi.* Et his M. Tullii in primo Tuſcul. Quæſt. *Stoici uſuram nobis largiuntur, tanquam cornicibus: diu manſuros aiunt animos; ſemper negant.* Nimirum voluere, ipſas ſapientum animas non durare, niſi uſque ad ἐκπύρωσιν i univerſi: tunc enim reſolvi omnia in initia ſua, & antiqua elementa: hoc eſt Jovem, ſive divinam mentem, ſive etiam animam univerſi, vel mundanam; humanarum, imò omnium animarum originem. Ab illo enim ſpiritu omnes ſpiritus flamine vel evaporatione quadam eſſe exſpiratos: ab illo fonte vitali, quicquid vitam haberet, promanâſſe. Proinde non ſolùm eſſe à Deo, ſed etiam ex Deo: non κατ' ἀποκοπὴν k, & imminutione aliquâ divinæ ſubſtantiæ; ſed κατ' ἔκτασιν a, ſive ejus emiſſione; quo pacto lux à Sole diffunditur abſque ejus noxa. Hoc pacto Stoicorum ſententiam optimè Philo Judæus expreſſit libro, Quod deterius potiori inſidietur: item ſuppoſititius ille ſemiplatonicus, idemque ſemichriſtianus, eruditus interim ſcriptor, qui vulgo dicitur Hermes Triſmegiſtus, Pœmandri cap. X, & XII. In hunc igitur vitæ fontem redire, in hunc ſpiritum reſolvi putarunt, quicquid vitalem ſpiritum haberet. Atque hæc de longæva animarum vita Numenii etiam opinio erat; ut ex Euſebio de Præpar. Evangel. cognoſcere eſt. Quidam verò Stoici ſtultè adeò ſapiebant, ut magnas etiam animas mox ab exceſſu perire poſſe arbitrarentur: idque vel ſubmerſione, quia animæ eſſent igneæ, ignis verò aquis exſtinguatur; unde heroes, ſi Servium b audimus, ſic ſubmergi formidant: vel obtritione, ſi ruinâ montis, vel aliò magno pondere contererentur; quomodo putant animam diſſipari, quia non reperit viam, quà ad cognata meet ſidera. Sed hæc ſententia diſplicuit L. Senecæ epiſt. LVII: ubi animam, ſic quoque pondere preſſam, ſubtilitate ſuâ cenſet erumpere.

i *Conflagrationem.*
k *Per abſciſſionem.*
a *Per protenſionem, ſive dilatationem.*
b *In I Æn.*

Diximus hactenus de traditione primæva, & ſententiis veterum philoſophorum. Pauca ſubjungam de rationibus, quibus, naturæ etiam luce, gentiles cognovere, animas corporibus ſupereſſe, atque adeò eſſe immortales. Ac quæ Platonem quidem impulerint, docet Marſilius Ficinus in Theologia Platonica de immortalitate animæ, quam libris duodeviginti ad Laurentium Medicen perſcripſit. Præcipua tanto ante complexus fuit Alcinous de doctrina Platonica cap. XXV. Sunt alia aliis magis veriſimilia: invictum illud immortalitatis argumentum, quod anima ſit αὐτοκίνητος c: putidum autem falſumque, quod ſcire noſtrum nihil aliud ſit, quàm reminiſci, eoque neceſſe ſit, fuiſſe animas, priuſquam in corpora immittantur. De αὐτοκινήτῳ, quia longioris ea res conſiderationis, poſtremo loco dicam. Primum autem providentiæ dabo divinæ; cui repugnat, ut in hac vita bonis malè, malis benè ſit; nec poſt hanc vitam vita ſit altera, ubi proborum animæ conſequantur mercedem, improborum illæ juſtas luant pœnas. Robur hujus argumenti attendit Dionyſius Halicarnaſſenſis Antiquitatum Romanarum libro octavo: ubi, de C. Coriolano agens, ſic ſcribit: Εἰ μὲν οὖν ἅμα τοῖς σώμασι διαλυομένοις καὶ τὸ τῆς ψυχῆς, ὅ τι δή ποτ' ἐστίν, ἔτι οὐκ οἶδ' ὅπως μακαρίζειν δεῖ τοὺς μηδὲν ἀπολαύσαντας τῆς ἀρετῆς ἀγαθόν, δι' αὐτὴν δὲ ταύτην ἀπολομένους. *Si igitur ſoluta compage corporis, ſimul etiam illa animæ, quæcunque tandem ea eſt, interit, & in nihilum redigitur: haud video, quomodo beatos credere debeam, qui nullo ex virtute fructu percepto, etiam propter eam pereunt.* Sed rationem hanc non ulteriùs urgere auſus eſt Dionyſius, quàm ut probet, ſapientum animas poſt mortem ſupereſſe; non item ut ſint æternæ: quia exiſtimaret, præmii abunde rependi, ſi longo durent ævo, & in terris ſemper celebrentur. Quæ ſatis docent, Dionyſium in Stoicorum hæreſi fuiſſe.

c *Per ſe mobilis.*

Ad alterum venio argumentum, quòd anima naturæ ſit ſpiritualis; in qua nulla eſt pugna primarum qualitatum; cujuſmodi pugna corruptionis eſt cauſſa. Nec obſtat, quòd Stoici per ſpiritum intellexere corpus igneæ naturæ. Nam iis Deus quoque eſt corpus ſpiritale ac igneum; idque κυρίως d: non κατὰ μεταφοράν e, quomodo Prudentius Cathemer. X ait; —— *Deus ignee fons animarum:* quod propriè aliquis è porticu acciperet. Nec magis movet, quòd multi, etiam è veteribus Theologis noſtris, diſertim animas dicunt corporeas: ut Fauſtus de creat. lib. II, Paſchaſius Diaconus lib. I de Spiritu S. imò omnes illi, qui angelos corporeos ſtatuerunt. Quippe hi, ut vidimus, ſolùm corporeas credunt, comparatione Dei: ut & Sixto Senenſi monitum lib. VI, Annot. XXXVI. Et ſanè non eſſe animas ex elementis, quod Alexander Aphrodiſeus exiſtimabat, ex mirandis ejus effectis relucet. Longè enim illa excedunt omnem elementorum vim. Ut quid ea intelligit præſentia, præſcit futura, liberè eligit, aut reſpicit, ingenito appetitu ſemper ſcire deſiderat, ſcientiaque illâ perfici ſe ſentit, ſeſe etiam momento per omnia circumfert,

d *Propriè.*
e *Per tranſlationem.*

D 3 imò

imò nullo terrarum ſpacio, nec cælis ipſis circumſcribitur, ſed ea ipſa excedens ad Univerſi, ſuique auctorem adſcendit.

Sed imprimis magnum habet pondus ratio, quam è Platone, & Ariſtotele, antea attigimus: tanti verò eſt, ut nunc aliquantum ei, ut recepimus, immoremur. Si anima ejuſmodi eſt corporis humani forma, ut per ſe, ſine corpore, poſſit operari; habebit in ſeſe principium agendi. At omnis agendi vis fluit ex vi, quâ res eſt. Habebit igitur & in ſe principium, quo ſit: ac proinde principium illud habebit, licet à corpore ſeparetur. Unde conſequitur, duplicis animam eſſe naturæ, ut actus eſt corporis, & ut ſubſtantia eſt ſeparabilis. Priori modo conſiderata exercet actus corporales per corpus: poſteriori modo, citra corporis organum, munia obit ſpiritualia; eſtque ſeparabilis, & ſempiterna. Quod ſeparata non operetur actus corporales, defectu non animæ fit, ſed organi: ut ſimilis ſit fabro qui caret malleo, ſerrâ, & aliis inſtrumentis. Interim eos exſerit actus, ad quos non opus eſt corporis inſtrumento. Vim argumenti hujus etiam vident, qui animam negant ſupereſſe corporibus: ſed non hoc admittunt nobiſcum, animam ejus eſſe naturæ, ut agere poſſit ſine corpore. Volunt enim, nihil eſſe in intellectu, quod non prius fuerit in ſenſu; inque formandis conceptibus opus eſſe phantaſmatis, tum in ſpeciebus recipiendis, tum in earum uſu. Sed neque nos negamus, animam ſenſibilia omnia materialiter, ac cum phantaſmate apprehendere: ſed contendimus, dijudicare ea immaterialiter: quippe quæ ſæpe ſtatuat contra judicium ejus, quod ſenſui apparet. Ut cùm ratio ſive intellectus decernit, ſtellam eſſe multis partibus majorem orbe terrarum. Item cùm diſcernit immaterialia à materialibus: inque iis ipſis, quæ materiem habent, ſecernit colorem, figuram, ac ſimiles rei corporalis & ſenſibilis affectiones. Nec in ſolo hæc intellectu apparet, ſed etiam in voluntate: ut cùm ea voluptates ac ſenſibus grata repudiat, contraque eligit iis ingrata adverſaque. Quale eſt, cùm exquiſitiſſimis deliciis cilicium præfert ac jejunium.

Idem aliter quoque evincitur. Nam ſi intellectus ſolum conſiderat ſenſibilia & caduca: unde in nobis cogitatio de divinis, & ſpiritualibus? unde eorum amor ac deſiderium? Si enim omnes nati eſſent cæci, vel ſurdi, quis cogitaret de coloribus, aut ſonis? Nunc nulla re magis oblectatur animus humanus, quam ſpeculando Deum, tanquam rem optimam & pulcherrimam; item intelligentias, ſive angelos. De immortalitate etiam ſui diſquirit, hanc ſperat optatque; imò in optimis ac ſapientiſſimis quibuſque pro indubia habet. Quid igitur apertius, quàm eſſe in nobis principium ſpirituale ac æternum, unde actus iſti promanent?

Atque hæc etiam aſſecuti ſunt gentiles. Longè verò ea certius proſpiciunt, qui Deum colunt Iſraëlis, Chriſtoque nomen dederunt. Nobis quippe in hac etiam vita eſſe actus intellectus, qui à ſenſibus non dependeant; liquet ex revelationibus illis, quæ intellectuales dicuntur. Explicat hanc rem Toſtatus, Abulenſis Epiſcopus, cùm alibi, tum lib. I, ſive III Regum cap. 1x, quæſt. 17: ubi quadruplicem Dei apparitionem declarat. Primus eſt, cùm Deus, ſive angelus ejus, videtur in figura adſumta: quomodo apparuit Gedeoni, Jud. VI: item Manue, & uxori ejus, Jud. XIII. Alter eſt, cùm non videtur, ſed ſolum auditur; quo pacto Deus ſolum auditus Iſraëlitis, cùm Legem daret; ut eſt Exod. XX, Deut. V: item cùm Moſi loqueretur de Propitiatorio; ut eſt Num. VII: cumque ter vocaret Samuelem, is verò ab Heli ſe vocari arbitraretur; de quo I ſive III Reg. cap. III. Tertius modus eſt, quando viſus quidem & auditus excluduntur, at non interior imaginationis ſenſus; velut cum vigilantium phantaſiæ ſe inſinuat per ſimulachra, vel etiam idem facit ſomno oppreſſis: unde Num. XII, 6; *Si quis eſt Propheta Domini inter vos, aut viſione apparebo ei, aut per ſomnium loquar ad eum.* Atque huc referuntur apparitiones, quæ noctu factæ dicuntur: ut Abimelecho regi Gerar, Geneſ. XX; Jacob in Ægyptum eunti, Gen. XLVI; Danieli, Dan. VII. Quartus verò ſolus eſt hujus loci, cùm non exterior modò, ſed interior etiam ſenſus excluditur, Deo elevante intellectum ad ea cognoſcenda, quæ aliter nequeat intelligere: quod cùm fit, partim ſpecies, quas Deus invenit in intellectu, nova luce afficit, inque ſublimiorem ſtatum effert: partim, quas non invenit, creat, & infundit. Atque is quartus modus Toſtato eſt duplex: unus citra ecſtaſin ſive raptum, alter cum ecſtaſi. In priori homines vivere apertum eſt, imò & exterius videre, & audire: interim ad ea, quæ interiùs revelantur à Deo, non indigent corporis ſubſidio, quia Deus ſolum occupet intellectum: contrà quàm fit in communi ratione intelligendi, ubi primùm res incurrit in ſenſus, hinc ſpecies tranſmittitur ad phantaſiam, tum dirigitur ad intellectum agentem, qui abſtrahit à conditionibus materiæ, atque intelligibiles efformat ſpecies, quas ubi ſic præparavit, intellectui poſſibili offert, ut qui intellectus erat potentiâ, fiat intellectus actu. At in revelatione Dei intellectuali non ſunt hi gradus; ſed Deus primò ſe inſinuat in intellectum: qui citra ſenſuum auxilium loquentem audit ſive intelligit Deum.

Et talis eſt revelatio intellectualis citra ecſtaſin. In ea verò, quæ eſt cum ecſtaſi, minùs etiam ſenſuum ullum eſt miniſterium. Siquidem intellectus ſibi relinquitur, nec ſenſibus vel externis, vel internis, magis juvatur, quàm ſi extra corpus foret. Solùm animus hoc præſtat, ut tum vitam conſervet, tum divinâ revelatione ſe occupet, à cæteris verò occupationibus vacet: unde eſt, quod B. Apoſtolus a, ad tertium raptus cælum, neſcierit, utrum in corpore, an extra corpus, raptus foret in paradiſum. Interea, ne miracula fruſtra multiplicentur, aliquanto, ut arbitror, veriſimilius eſt, animam non exceſſiſſe corpore; ſed ſolùm virtute divina ad contemplanda cæleſtia fuiſſe elevatam. Sed ut ea in corpore remanſerit; non tamen per ſenſus corporeos & phantaſmata vidit, quæ divinitus offerebantur. Alioqui, ſe eſſe in corpore, Apoſtolus ſciviſſet. Atque hæc ſufficiant ad probandum, poſſe animam ſine corporis inſtrumento intelligere & velle. Aliquanto ulterius provectus ſum ad ecſtaſin ſanctorum. Sed ut eam neſcierint gentiles, ſcivere actus alios antea memoratos, qui cum corpore non communicent. Atque id præter conſenſum gentium abunde erat, ut viderent, veriſſimam eſſe traditionem de animæ immortalitate.

a 2 Cor. cap. 12. v. 2, 3, 4.

Cap. XI.

Venitur ad cultum animarum. Qui ab antiquis Perſis, & Afris, non eſt agnitus. Contrà autem ſolus ab Augilis receptus, ſi Melam & Plinium audimus. Sed perperam ab iis Augilis, ſive Augilitis tributum, quod de Naſamonibus dixerat Herodotus. Politiani & aliorum error de Nymphodori Tiſinomis. In plerarumque omnium gentium cultu concurrere illum, qui natura, quique præſtitis defunctis; atque ut ſacerdotes callidè occultarint, homines fuiſſe, qui colerentur. Euhemerum id luculente comprobaſſe, agnoviſſe etiam Varronem. Animarum cultum partim introductum auctoritate privatâ, partim publicâ. Quo pacto diſcernantur Lemures, Lares, Larvæ, Manes: & unde iis nomen. Arcadum χρηςοὶ, unde χρηςὸν ποιεῖν. Quæ Lara vel Larunda, vel Mania. Denicalia ab Novemdialibus & Exverriis diverſa. Ut aliter in in foco, aliter in compitis ſacrificaretur. Atque ut non ſolum domi præſidere crediti ſint; ſed & compitis ac viis, imò & mœnibus, ac cuſtodia Urbis.

AB immortalitate animæ venio ad ejus cultum: qui ſeptimum obtinet locum in decem idololatrici honoris generibus, ab Iſaac Abravanel recenſitis. Triplicem verò de hoc cultu opinionem repetio. Nam, ſi exceperis τοὺς τὴν μοναρχίαν σέβοντας, puta, qui ſolùm Iſraëlis Deum colerent; cæteri vel adorabant naturales Deos, non animales: vel animales, non naturales: vel in unum conflabant cul-

cultum utrumque. Naturales autem appello, quando vel tota rerum natura, vel ejus pars, aut affectio invocatur. Cujuſmodi Dii ſunt, Mundus, Æther, Sol, Aër, Aqua, Tellus, Tempeſtas, Amor, & ſimiles. Animales nuncupo animas à corpore ſolutas; uti illas Herculis Thebani, Caſtoris, Romuli, Julii Cæſaris, atque alias.

Primi generis cultus erat Perſis, ſaltem antiquiſſimis; quos naturam quidem, ejuſque partes, non tamen defunctos, adoraſſe; cognoſcimus ex illis Herodoti verbis in primo: Οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς, κατάπερ οἱ Ἕλληνες, εἶναι· *non, uti Græci, Deos cenſent ex hominibus eſſe ortos.* De Afris in IV: Θύουσι ἡλίῳ καὶ σελήνῃ μούνοισι. *Sacrificant ſolis Soli & Lunæ.*

Contrà ſolas defunctorum animas Augilæ agnoſcebant, gens Africæ inter Garamantas, & Troglodytas; de qua ſic Pomponius Mela lib. I, cap. VIII: *Augilæ Manes tantum Deos putant; per eos dejerant; eos, ut oracula, conſulunt; precatique quæ volunt, ubi tumulis incubuere, pro reſponſis ferunt ſomnia.* Eumque ſecutus Plinius lib. V Hiſtor. Natur. cap. VIII: *Augilæ inferos tantùm colunt.* Ubi per *inferos* intellige, quos *Manes* dixerat Mela. Eum enim expreſſit. *Inferi* autem dicti, ut Græcis θεοὶ καταχθόνιοι. Itaque *ſuperis* oppoſuit Maro in XII:

——— ——— ——— Vos ô mihi manes
Eſte boni, quoniam ſuperis averſa voluntas.

Atque uti Plinium Mela, ita is ſecutus Herodotum; ſed non citra errorem. Nam quod Mela de Augilis, id Herodotus dixerat de Naſamonibus, Africæ item populo; diverſo tamen, cùm Herodotus dicat, Naſamones ad Augilas, ſive ut apud Herodotum eſt, ἐς Αὔγιλα, ſolitos adſcendere ad palmulas decerpendas. Præterea utrumque de Naſamonibus quidem prodiderat Herodotus: ſed diſtinxerat ille inter eos, qui virtutis exemplum, & illos, qui generis origo forent. Quippe per eos ait jurare ſolitos, qui fortitudine ac juſtitiâ excelluiſſent, atque id tumulos eorum contingendo: at majorum eos ſepulchris incubuiſſe, ſomnia habentes pro numinis reſponſo. Audiamus ipſum in Melpomene loquentem: Ὀμνύουσι μὲν τοὺς παρὰ σφίσι ἄνδρας δικαιοτάτους, καὶ ἀρίστους λεγομένους γενέσθαι, τῶν τύμβων ἁπτόμενοι. μαντεύονται δὲ ἐπὶ τῶν προγόνων φοιτέοντες τὰ σήματα, καὶ κατευξάμενοι ἐπικατακοιμῶνται. *Per eos viros, qui juſtiſſimi, atque optimi apud illos fuiſſe dicuntur, jurant, illorum ſepulcra tangentes. Divinant ad ſuorum accedentes monumenta, & illis, ubi preces peregerunt, indormiunt; ubi, quodcunque per quietem inſomnium viderunt, eo utuntur.* Tertullianus de Anima cap. LVII: *Nam & Naſamonas propria oracula apud parentum ſepulcra manſitando captare; ut Heraclides ſcribit, vel Nymphodorus, vel Herodotus.* Ubi videmus, Herodoto teſtes addi Heraclidem, Ponticum credo; & Nymphodorum Amphipolitem, qui de legibus & ritibus barbaricis ſcripſit: uti refert Clemens Alexandrinus Admonitione ad gentes, & primo Στρωματέων: item Apollonii ſcholiaſtes, qui ſemel iterumque laudatur ἐν τοῖς νομίμοις: unde citatur multis, in *Tiſinomis*: &, quod doleo, præeunte ſummo viro, Angelo Politiano lib. I, epiſt. ad Pomponium Lætum, ſive veteri nomine Petrum Calabrum malis dicere. Hæc fuſiùs deduxi, ne de Augilis nos fallerent Mela, ac Plinius. Porrò Naſamones coluiſſe ſolos manes, non item ſuperos, arguit & locus ille Dionyſii in periegeſi:

Κεῖνται δ' αὖ μετέπειτα χῶροι ἐρημωθέντες μελάθρων
Ἀνδρῶν αἰθερίων ὑπὸ φθιμένων Νασαμώνων,
Οὓς Διὸς οὐκ ἀλέγοντας ἀπώλεσεν Αὐσονὶς αἰχμή.

Quæ ſic binis verſibus expreſſit Priſcianus:

Hos licet ad fines deſertas cernere terras,
Extinctis populis Naſamonum Marte Latino.

Sed deeſt interpretatio eorum, quòd poëta eos vocat Διὸς ἀλέγοντας. Id ita ſimpliciſſimè expreſſeris:

Quod Jovis, aut divûm, nulla illos cura teneret.

Mirum etiam Feſtum Avienum ad verba hæc non attendiſſe; cùm vel maximè interſit, cauſſam ſciri interitus. Eam hanc adfert Dionyſius, quòd, Manium cultu contenti, nullo Jovem, ac ſuperos, honore dignarentur. Quæ optimè conveniunt menti Melæ, ac Plinii: hoc ſolo excepto, quod hunc Jovis contemtum finitimæ tribuant nationi Augilarum, ſive, ut Stephanus a vocare mavult, Augilitarum. Quomodo & videri poterant Mela, ac Plinius, ſcripſiſſe; niſi omnium obſtaret codicum auctoritas. Et hæc de iis, qui ſolos colerent Manes.

a In Αὔγιλα.

Sed, ſi paucas exceperis gentes, quæcunque animas colerent, hæ fere & naturæ cultum conjunxere. Unde eorum Theologia erat bipartita: quippe omnia eorum ſacra partim naturæ myſteriis, partim hiſtoriæ veteri, innitebantur. *Neque enim credendum eſt*, ut rectè Arnobius ait in quincto, *ſine ſuis originibus hæc eſſe fruſtra, atque inania fieri; nec habere conjunctas primis inſtitutionibus cauſſas.* Eas cauſſas exponit Origenes lib. VIII contra Celſum b, Ἑορταὶ, inquit, ἐλέγχονται οὖσαι ἀναπλάσματα τῶν ὅπως ποτὲ τύχῃ διά τινας ἱστορίας ἀνθρωπικὰς ταύτας νομοθετησάντων, ἢ ἐκ φυσιολογίας περὶ ὕδατος, ἢ γῆς, ἢ τῶν ἀπ' αὐτῆς καρπῶν δοκεῖν περιέχειν. *Feſta deprehenduntur eſſe figmenta ad humanæ hiſtoriæ memoriam ab legiſlatoribus inducta, vel ut naturam aquæ, terræ, vel ejus fructuum, tegmento quodam involutam continerent.* Quod inferiùs in mixto cultu uberius exponam. Nunc duntaxat diſpiciendum de veneratione animarum, quatenus ſeorſim colebantur. Qui cultus unde originem traxerit, oſtendit liber Sapientiæ, Salomoni à multis etiam veterum attributus, cùm ſine dubio alterius ſit, &, ut credibile, Philonis; non illius, qui Claudii vixit ætate, & Moſes Atticiſſans dictus fuit; ſed longè vetuſtioris, qui ſub Onia ſacerdote, annis ante Chriſtum CLX, tot pulcras ſententias vel ſcripſerit, vel congeſſerit. Locus eſt cap. XIV: ubi clarè videas, initia ab iis arceſſi, qui cultum hunc induxerint ſolatii, & memoriæ cauſſa. Eamque originem adfert quoque Minucius Felix in Octavio: *Dum reges ſuos colunt religioſe, dum defunctos eos deſiderant in imaginibus videre, dum geſtiunt eorum memorias in ſtatuis detinere, ſacra facta ſunt, quæ fuerant aſſumpta ſolatia.* Etiam judicatum facere hoc ad virtutem in viventibus magis excitandam. Quam rationem adfert Tull. lib. III de Natura Deorum. Ex ſolatiis verò, & memoriis, tum facta ſunt ſacra, quando additus eſt dies feſtus, populoque perſuaſum, animam defuncti ſacris intereſſe. Sed hoc arcanum erat ſacerdotum, & ſapientum: quod detegere vulgò nefarium fuiſſet. Unde Cyprianus tractatu, Quod idola Dei non ſint: *Hoc ita eſſe Alexander Magnus inſigni volumine ad matrem ſuam ſcribit, metu ſuæ poteſtatis, proditum ſibi de diis hominibus à ſacerdote ſecretum, quod majorum, & regum memoria ſervata ſit: inde colendi & ſacrificandi ritus inoleverit.* Nempe hujuſmodi ſacrorum originem callidè diſſimulabant ſacerdotes apud vulgus. Unde Varro in rerum Romanarum libris, ut teſtis nobis B. Auguſtinus de Civitate Dei lib. XVIII, cap. V: *Quoniam vero in omnibus templis, ubi colebatur Iſis, & Serapis, erat etiam ſimulacrum, quod digito labiis impreſſo admonere videbatur, ut ſilentia fierent; hoc ſignificare, ut homines eos fuiſſe taceretur.*

b Pag. 403. edit. Auguſt. Vindel.

Et profectò priùs homines fuiſſe, clarè in commentario ſuo de Diis evicit Euhemerus Meſſenius; uti oſtendi in primo de Hiſtoricis Græcis. Eum quidem, ut impoſtorem, ſugillat Plutarchus libro de Iſide, & Oſiride. Sed longè benigniùs hac parte de eo ſenſit B. Auguſtinus lib. VI de Civit. Dei cap. VII: *Omnes, inquit, Deos non fabuloſâ garrulitate; ſed hiſtoricâ diligentiâ, homines fuiſſe, mortaleſque, conſcripſit.* Ac prorſus ſubſcribit in hoc Varro: ut docent iſta ejuſdem B. Auguſtini libro VIII ejuſce operis cap. XXVI, his verbis: *Non attendunt, in omnibus literis paganorum, aut non inveniri, aut vix inveniri, Deos, qui non homines fuerint: omnibus tamen honores ſtudent exhibere divinos, quaſi nihil unquam humanitatis habuerint. Omitto, quod Varro dicit, omnes ab his mortuos exiſtimari Manes Deos: & probat per ea ſacra, quæ omnibus fere exhibentur mortuis; ubi & ludos commemorat funebres, tanquam hoc ſit maximum divinitatis indicium, quòd non ſoleant ludi, niſi numinibus, celebrari.*

Sub-

Subjungit deinde ſimilia ex Hermete Triſmegiſto. Sed cui ea non ſint antiqui illius Hermetis Ægyptii, quem putant, abundè alibi oſtendimus. Hyginus fabulâ CCXXXIV de immortalibus factis ex mortalibus. Plinius lib. XI, cap. XVII: *Quærat nunc aliquis, unuſne Hercules fuerit, & quod Liberi patris ſepulchrum.*

Atque hæc univerſe de cultu defunctorum. Eſt verò is duûm generum: quia animarum aliæ privatâ colebantur auctoritate; aliæ publicâ; ut quæ regiâ, vel optimatium, aut populi auctoritate in Deos relatæ forent. Priori modo venerabantur Lares: de quibus ſic Appulejus, lib. de Deo Socratis: *Secundo ſignatu ſpecies dæmonum animus humanus, exutus & liber ſtipendiis vitæ, corpore ſuo abjuratis*[a]. *Hunc vetere Latinâ linguâ reperio Lemurem dictitatum. Ex hiſce ergo Lemuribus, qui, poſterorum ſuorum curam ſortitus, pacato & quieto numine domum poſſidet, Lar dicitur familiaris. Qui verò, propter adverſa vitæ merita, nullis bonis ſedibus incerta vagatione, ceu quodam exilio, punitur, inane terriculamentum bonis hominibus, cæterum noxium malis, id genus plerique Larvas perhibent. Cùm verò incertum eſt, quæ cuique eorum ſortitio evenerit, utrum Lar ſit, an Larva; nomine Manem Deum nuncupant: & honoris gratiâ Dei vocabulum additum eſt.* Ubi quadruplicem videmus appellationem, *Lemurum, Larium, Larvarum*, & *Manium. Lemures* ſine dubio vox Thuſca: non à Remo, quod Ovidius[b] putabat. Hinc *Lemuria*, ſive Feſto *Lemuralia* in *Faba.* Iidem *Laris* vox à Thuſcis; quibus ſic dicitur στρατηγός, ſive præſes: unde iidem *Lars*, populi princeps, apud Livium & Auſonium. Ut dicti ſint *Lares*, quia domus ſive familiæ ſint præſides; unde & Priſcianus *Larem* exponit κατοικίδιον θεόν. Mater eorum *Lara*, vel etiam *Larunda*; ut teſtis Lactantius lib. I, cap. XX Gloſſ. Philox. *Larunda*, μήτηρ δαιμόνων. *Larva* ejuſdem originis. Ac licet *lemurem* laxiùs patere dicat Appulejus: tamen magis placet ſententia eorum, quos ſecutus Auguſtinus lib. IX de Civit. Dei, cap. XI; ubi *larvas*, & *lemures*, eoſdem dicit. *Manes*, boni ominis cauſſâ, juxta linguam veterem, vocati quaſi boni. Nam *manis*, & *manus*, idem ac *bonus*; teſte Servio in III Æn. Unde *mane*, quia optima ſit diei pars, & contrarium *immanis. Mania* ſimiliter Manium mater aviave; ut diſcere eſt ex Feſto, & Macrobio lib. I Sat. cap. VII. Nempe à *manibus Mania* dicebatur, ut a *Laribus*, *Lara*, & *Larunda.* Quod verò *manes* dixere, factum à Latinis exemplo Arcadum; unde magnam partem genus dicebant. Hi enim vocarunt χρηστούς, quod idem valet ac *manes* ſive *bonos.* Fundus nobis hujus rei Plutarchus in Quæſtionibus Græcanicis; ubi, cùm quæſitum eſſet, qui Arcadibus, & Lacedæmoniis, fuerint χρηστοί, docet, in columna ab iis poſita ad Alpheum, ſcriptum fuiſſe, Μεσσηνίους ἐκβαλεῖν ἐκ τῆς χώρας, καὶ μὴ ἐξεῖναι χρηστοὺς ποιεῖν· *Meſſenios ne liceat regione pellere, vel bonos facere.* Addit deinde, Ariſtotelem, χρηστὸν ποιεῖν, exponere, *non interficere*: ut ſatis liqueat, ad verbum ſonare, *manes facere.*

Sacris quibuſdam opus fuiſſe, ut animæ fierent Dii, indicant Servii iſta ad III Æn. *Labeo in libris, qui appellantur de diis, quibus origo animalis eſt, ait, eſſe quædam ſacra, quibus animæ humanæ vertantur in Deos, qui appellantur animales, quod de animis fiant. Hi autem ſunt Dii penates, & viales.* Ubi *Dii penates*, & *viales*, non alii, quàm *Lares.* Itaque in Philoxeni quidem gloſſis utrumque legas, *Lares* θεοὶ κατοικίδιοι: *Lares familiares*, Ἥρωες κατοικίδιοι: ac poſtea, *Penates*, Πατρῷοι θεοὶ κατοικίδιοι. *Viales* autem Plautus appellat Mercat. Act. V, Sc. II. Colebantur Lares feriis Denicalibus; quæ privatæ erant; ut rectè docet Feſtus. *Privatæ*, inquit, *feriæ vocantur ſacrorum propriorum; velut dies natales, operationis, denecales.* Meminit & earum Columella lib. II, cap. XXII. Planè autem confundi ſolent, præeunte etiam Feſto, ſive Paullo potius[c], cum novendiali ſacrificio, & exverris: quorum illud ſic dicebatur, quia fieret nono die à morte, quo parentatio ſive funerationis ſollemnia concludebantur[a]: his verò nomen inde, quòd certo ſcoparum genere, domus, unde mortuus erat elatus, ab everriatore[b] purgaretur. Hæc nonniſi ſemel fiebant, quia ſemel duntaxat homo mortem obiret.] At denicales ſiebant quotannis; unde & *feriæ* dictæ. De his ita Cicero in ſecundo de Legibus: *Nec verò tam Denicales, quæ à nece appellatæ ſunt, quia reſidentur mortui, quam cæterorum cæleſtium quieti, dies feriæ nominarentur, niſi majores eos, qui ex hac vita migraſſent, in Deorum numero eſſe voluiſſent. Eas in eos dies conferre jus, quibus nec ipſius, nec publicæ feriæ ſint.* Unde diſcimus, *denicales*, ſive *denecales*, dici à *denecando.* Item iis mortuos *reſideri*, hoc eſt, ſedendo & quieſcendo coli: quomodo &, *reſidere ferias eſuriales*, dixit Plautus Captivis Act. III, ſc. I, hoc eſt, ferias agitare eſuritionis. Præterea hinc videmus, animas creditum à morte in Deos referri; quod deinceps abunde demonſtrabimus. Denique hinc liquet, ſacrum eſſe iis factum quotannis: cui qui obſtringeretur (nec enim ſumtibus iis hæres omnis obligatus; ut docet proverbium, *ſine ſacris hæreditas*, de quo alibi[e] diximus) haut quemlibet ei diem poterat præſtituere; ſed neceſſe erat, aliquem eligere, quo nullæ eſſent familiæ ejus feriæ aliæ, ac multo minus publicæ. Cæterùm non denicalibus ſolùm, ſed quotidie ſuus Laribus honos præſtabatur domi. Quod quomodo fecerint, quis meliùs dixerit, quàm Lar ipſe familiaris apud Plautum Aululariâ?

Huic filia una eſt: ea mihi quotidie,
Aut ture, aut vino, aut aliqui ſemper ſupplicat:
Dat mihi coronam.

De corona Laribus dicata, liquet etiam ex Aulular. Act. II, ſc. V, & Trinummo. Uti quoque ex Catone de R. R. cap. CXLIII, Plinio lib. XXI, cap. III, & Feſto in *Donatica.* Nec aliò referendum Propertii hoc lib. IV, el. VI:

Terque focum circa laneus orbis eat.

Sive potiùs, ut Demſtero placuit, *focum circùm.* Sententia eſt, corolla, quam Ovidius *laneam vittam* ſimiliter nuncupat, ter cingat focum. Cùm verò Plautus addit, *aut aliqui*, eò reſpicit, quòd & ſupplicarent pauxillum cibi deferendo de menſâ in focum. Unde Tibullus[d] Lares ſic compellat:

Adſitis divi, nec vos è paupere menſâ
Dona, nec e puris ſpernite fictilibus.

Et Perſius ſat. III:

—— Cultrixque foci ſecura patella.

Ubi vetus interpres: *Cultrix foci, quia delibandæ dapes in ea poſita ad focum feruntur.* Nempe, ut ibi adolerentur. Nam igni id ſolitum abſumi; ut indicat Plutarchus de Fortuna Rom. At guſtare ea homini nefas. Ac talis erat cultus, qui Laribus privatim quotidie fiebat. Sed quia in ſalute familiarum ſalus conſiſtit publica; eo & quotannis IV Non. Febr. in compitis (unde Compitalibus nomen) Laribus publicum fiebat ſacrum porcâ, velut hoſtiâ luſtrali: unde Propertius lib. IV, el. I:

Parva ſaginati luſtrabant compita porci.

Utrumque Larium cultum, & illum domeſticum in foco, & hunc compitalitium, junxit M. Cato de R. R. cap. V, quod eſt de villici officio: *Rem divinam, niſi compitalibus in compito, aut in foco, ne faciat.* Ab hoc cultu haberi cœperunt compitorum, & viarum Dii. Quod & Arnobius docet lib. III. Indeque *viales* vocari: ut ex Plauto, & Servio, antea docuimus. Denique latins etiam extenſa eorum poteſtas. Nam ſi ſingulis ſui familiis cuſtodes; jure exiſtimatum, junctim urbi præſidere. Quod clarè iis tribuit Ovid. V Faſtor. Hinc Propertius quoque lib. III, el. III, ait, eos Hannibalem fugaſſe ab Urbe. Imò Feſtus, ſive Paullus, ſcribit, *Hoſtilius Laribus immolatum, quòd ab his hoſtes arceri putarent.*

[a] Alii, emeritus ſtipendiis vitæ, corpore ſuo abjurans.
[b] Faſtor. lib. 5.
[c] In Denecales.
[a] Appul. 9 Met. Donat. in Phor. Porphyr. in Hor. Epod. 17.
[b] Feſtus in Everriator.
[e] Orat. Inſtit. lib. 4, cap. 11, §. 6.
[d] Lib. 1, el. 1.

Cap. XII.

De cultu animarum publica auctoritate relatarum in Deos. Quibus iis honos tributus. Unde indigites dicti. Alios videri Deos genitales. Æneas Indiges. Item Liber, Hercules ſive Recaranus, Dioſcuri: eos eſſe Penates Dionyſio viſos, quos perperam, ut videtur, Denates dictos putavit. Item Quirinus, & quæ cauſſa, cur à Curibus id nomen acceperit. Semo Sancus, ſive Sangus, ſive Sanctus, idem qui Fidius, ſive Hercules. At Sabum ab eo diverſum. Sabini Laconum coloni. Error eorum refellitur, qui Ianum, & Saturnum, cenſent reges fuiſſe Aborigenum, eoque Deos indigites. Picum etiam, & Faunum, falſo inter Reges referri. Quis Faunus, & unde ei, uxorique Fatua, nomen. Cultum ejus ab Evandro inductum. Εὔανδρος *potius cognomen videri. Palatium in Palantis Arcadici memoriam conditum. Cur Carmentæ, & Accæ Larentiæ, honores cæleſtes decreti. Floræ ſacra ludis eſſe vetuſtiora, nec ſtatim eos annuos fuiſſe. Deam Floram non fuiſſe meretricem, quæ ſua legarit populo Rom. Quale numen Anna Perenna: & origo rituum in ejus ſacris. Alios eſſe honores divinos ab heroicis. De* ἀποθεώσει *Cæſarum & Auguſtarum, item aliorum apud Romanos.*

AB animis, quos publica non conſecravit auctoritas, ad eas venio, quas princeps poteſtas cælo locavit, ſive quia nobili reperto profuiſſent generi humano, ſive quoniam gentis, vel urbis, forent conditores, ſive quia bello rem præclarè geſſiſſent. De his ita Lactantius lib. I de falſa religione, cap. V: *Quos imperiti, & inſipientes, tanquam Deos & nuncupant, & adorant, nemo eſt tam inconſideratus, qui non intelligat fuiſſe mortales. Quomodo ergo, inquiet aliquis, Dii crediti ſunt? nimirum quia reges maximi, ac potentiſſimi fuerunt, ob merita virtutum ſuarum, aut munerum, aut artium repertarum, cùm chari fuiſſent iis, quibus imperitaverant, in memoriam ſunt conſecrati. Quod ſiquis dubitet, res eorum geſtas, & facta, conſideret: quæ univerſa tum poetæ, tum hiſtorici veteres, prodiderunt.* Item Auguſtinus de Civit. Dei lib. VIII, cap. V: *Ipſi etiam majorum gentium Dii, quos Cicero in Tuſculanis, tacitis nominibus videtur attingere, Jupiter, Juno, Saturnus, Vulcanus, Veſta, & alii plurimi, quos Varro conatur ad mundi partes, ſive elementa transferre, homines fuiſſe produntur.* Pluraque imbi in hanc mentem. Imò nec gentiles diffitentur. Cicero lib. I de Nat. Deor. *Quid, qui aut fortes, aut claros, aut potentes viros tradunt poſt mortem ad Deos perveniſſe; eoſque ipſos, quos nos colere, precari, venerarique ſoleamus?* Subjungit deinde de Euhemero, antea nobis memorato. *Quæ ratio maxime tractata ab Euhemero eſt: quem noſter & interpretatus & ſecutus eſt, præter cæteros, Ennius. Ab Euhemero autem, & mortes, & ſepulturæ demonſtrantur Deorum.* Hujuſmodi ἀνθρωποδαίμονες Latinis dicebantur *Dii Indigetes*, ab honore eo, quòd publicè invocarentur; unde & Feſtus ſive Paulus, *indigitanto* exponit *imprecanto*. Nempe eſt ab antiquo præverbio *indu*, pro *in*, & *citare*, pro *vocare*. Priorem partem ſimiliter habes & in aliis compoſitis. Uti voce *indigena*, quaſi *ingeniti*, quia genii in ſolo ubi viverent: *induperator* pro *imperator*: *induſtrius*, quia inſtrueret: *inducia*, quaſi *in otio*. *Indigites* autem pro *indicites* dixere; ut *magiſtratus*, quod prius *maciſtratus*; *effugiunt*, pro quo antè *exfociont*; quibus ſimilia alia in columna Duilliana reperies. Atque hinc *indigitamenta*, ἱερατικὰ βιβλία, quia continerent Deorum nomina, & preces, rituſque, quibus invocarentur. Vel cum Salmaſio dicamus eſſe ab *indico*, cujus ſimplex *dico*, unde ſimiliter *dedico* a. Dico idem ac *conſecro*, ἱερῶ. Atque hoc quoque convenit probe, cum ea *indigitamentorum* interpretatione.

[a] Exercit. in Solinum. pag. 71.

Fortaſſe autem *indigites* iidem ſunt, quos *genitales* vocat Ennius a lib. I, vel II Annalium:

Romulus in cælo cum Diis genitalibus ævum
Degit.

[a] Apud Cic. I Tuſc. Qu. & Servium 6 Æn.

Videtur tamen Auſonius aliter accepiſſe, cùm in periocha quarti Æn. libri ait:

Jupiter interea cum Diis genitalibus unà
Concilium cogit ſuperûm de rebus Achivis.

Neque enim Jupiter tam Indigites in concilium vocat, quàm Conſentes, & Selectos: ut hos vel ſolos, vel potiſſimum, intellexerit Auſonius. Quare *Genitales* non tam dictos puto, quaſi genitos ex hominibus, quàm quod homines ab iis ſint geniti: ut quibus debeantur omnis generationis primordia. Res foret apertior, niſi vox eſſet nova: quippe ab Ennio conficta; ut videre eſt ex Tullio libro de Oratore, & illis, quæ ibi Lambinus notavit; Turnebus autem lib. XX Adverſ. cap. XXIV, & Paullus Merula ad Ennii annal. lib. I.

Primus, quem *Indigitis* nomen ſortitum inveniamus, eſt Æneas. Cui ſacellum exſtructum cum ejuſmodi inſcriptione: PATRI DEO INDIGITI, QUI NUMICI AMNIS UNDAS TEMPERAT. Auctor Dionyſius in primo. Et Livius lib. I: *Situs eſt, quacunque eum dici jus faſque eſt, ſuper Numicum flumen. Iovem indigitem appellant.* Item Feſtus: *Indigitis nomine Æneas ab Aſcanio appellatus, cùm pugnans cum Mezentio nuſquam apparuiſſet, in cujus nomine etiam templum conſtruxit.* Meminere & Ovid. XIV Met. & Tibull. lib. II, eleg. VI.

Fuere tamen Latinis & alii indigites, iique Æneâ antiquiores: quales, ſi unum exceperis Quirinum, omnes illi à Tullio memorati in ſecundo de Legibus, his verbis: *Colunto & illos, quos in cælum merita vocarint: Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum.*

Ex ſex iſtis antiquiſſimus eſt Liber; cujus ſacrum Liberalia XVI Kalend. April. dies primâ ſui parte nefaſtus; ut conſtat ex Kalendario Rom. Quo die per totum oppidum ſedebant, hoc eſt feriabantur, Liberi ſacerdotes: ut ait Varro in V de L. L. Eoque die & pueritiam egreſſi virilem togam induebant. Cujus cauſſam exponit Ovid. in Faſtis.

Herculi varia Romæ templa: duo *Herculis Victoris*, unum in foro boario, alterum ad portam Trigeminam. Erat & *Herculis Cubantis*, & aliud *Defenſoris*, utrumque in regione XIV: alibi item *Magni*, & *Muſagetæ*, & *Triumphalis*. Primus Evander aram maximam Herculi ſtatuit prope forum boarium; teſte Dionyſio lib. I Antiq. Eò, ut ſanctius haberetur jusjurandum, conferre ſe ſoliti. Decimas quandoque etiam hic Herculi vovebant. De quibus Diodorus Siculus. Huic verò Herculi nomen fuit *Recaranus*: ſi fides S. Aurelio Victori, vel quiſquis ſcriptor ille de origine gentis Romanæ editus ab And. Scotto. Garanum vel Caranum vocavit Verrius Flaccus; ut Servius tradit ad VIII Æn. Planè alium cenſeo ab illo Thebano. Sed mos iſte veterum, ut fortes fere Herculis nomine inſignirent: quorum geſta poëtæ in unum commiſcuere, ut jura coquus.

Tertio loco à Tullio refertur Æſculapius Meſſenius, Epidauri incola; qui à Chirone Centauro medicinam, & venandi artem didicit; ut ex Tarquitii viris illuſtribus retulit Lactantius *b*. Hic, Epidauro ad peſtem ſedandam tranſlatus Romam, extra urbem in inſula Tiberina fanum accepit. De hoc plura in Græcorum numinibus dicam cap. ſeq.

[b] Lib. I, cap. 10.

Sequuntur inde Caſtor & Pollux, ſive Dioſcuri, Herculis σύγχρονοι *c*: quibus A. Poſtumius Dictator, bello Latino, anno Urbis CCLVII ædem vovit, & exſtruxit: quam poſtea reſtituit L. Metellus. Vulgo *Caſtoris* & *Caſtorum* dicebatur: uti vel notum è Bibuli joco apud Tranquillum *d*. Credo hos fuiſſe illos juvenes duos, quos Dionyſius Halicarnaſſenſis ſe Romæ ait, in templo humili & obſcuro, vidiſſe haſtatos, habitu ſedentium,

[c] Æquales.
[d] In Jul. cap 10.

operis admodum antiqui, cum hac inſcriptione, DENATES. Ita enim legit Dionyſius. Sed arbitror, primitus PENATES fuiſſe: poſtea, ex litera P productione obliterata, viſum eſſe D, quod fuerat P. Non deſunt, qui per *penates*, hic intelligant Veſtam, quia illa ſit foci publici cuſtos. Sed obſtat, tum quod effigies fuerint juvenum duorum; tum quod non *Penas*, ſed *Penates*, fuerit adſcriptum. Alii igitur credere malunt, fuiſſe ſigna Apollinis, & Neptuni, qui Trojam condiderint, ac quorum ſimulachra in Italiam advexerit Æneas. Sed vulgarem adverſus opinionem de Æneæ in Italiam adventu multa objici poſſunt: & ut habeamus fidem hoc aſſerentibus (quos inter Dionyſium, Liviumque eſſe, antea vidimus) non propterea Æneas in Latium magis, quàm Antenor in terras Euganeas, patrios advexerit penates. Hoc quoque largiamur. Eone, poſt Trojæ excidium annis prope quingentis, effigies iſtæ Alba Romam fuerint delatæ? Et quis ſcriptor aliquid habet, unde ſuſpicio ſit, Romæ fuiſſe fanum Apollini & Neptuno dicatum? Quare cum Vive *a* potius cenſeo, fuiſſe juvenes eos Caſtorem & Pollucem. Hos enim coluere Romani: & potuere eos credere Urbis cuſtodes, propter operam nobilem, quam bello navaſſe Latino dicebantur.

a *Ad Auguſt. de Civ. Dei, lib. 1 c. 3.*

Poſtremum Quirino locum dedit Tullius, temporis in eo rationem ſecutus. De quo non poſſum, quin ſententiam meam adſcribam. Tatius, rex Sabinus, ſi victoria de Romanis potiretur, votum ſuis voverat Diis; in quibus & Quirinus, ſic dictus à Curibus, Sabino oppido; unde cives ejus oppidi Curites ſive Quirites. Victà urbe, vel ſaltem pejus conſtituta, quàm, quod dicitur, inter ſacrum & ſaxum; ſic interventu raptarum eſt tranſactum, ex Sabinis & Romanis unus fieret populus, ac deinde paribus auſpiciis Romulus, & Tatius, imperarent. Quanto deterior tum fuerit conditio Romuli, quàm Tatii, quis non videt? Romulus enim coactus recipere hoſtes in Urbem, & Tatium agnoſcere imperii ſui conſortem. At Tatius, credo, imperium, quod Curibus habuerat, retinuit ſolus. Permiſtis ita Romanis, & Sabinis, Romani etiam *Quirites* dici cœpere; quæ appellatio ante Sabinorum duntaxat erat. Mortuo Romulo, inque Deos relato, prævalentibus Sabinis, id nomen ei datum, quod Curibus habuerat Deus tutelaris: indeque & ipſe *Curinus* vocatus. Fortè vetus ille Cures oppidum condiderat. Utcunque eſt, poſtquam Sabini è Curibus Romam migrarunt; placuit, ut Deus Romæ πολιοῦχος *b* non alio vocaretur nomine, quàm ille oppidi, unde venerant. Imò & Romulo ſucceſſor datus è Curibus Sabinorum Numa Pompilius. Atque hæc de ſex iſtis à Tullio memoratis.

b *Tutelaris.*

Etiam inter indigites Deos Romanis fuit Semo Sanctus; qui & Fidius, quia per eum jurando fieret fides. Inſcriptio Romana *c*: *Semoni Sanco Deo Fidio Sacrum.* Et alia: *Sancto Sanco Semoni Deo Fidio ſacrum.* Et Reatina: *Sanco Fidio Semo patri.* Ovidius Faſt. VI:

c *In Gruter. inſcr. p. 96, num. 5, 6, 7.*

Quærebam Nonas Sancto, Fidione referrem,
An tibi Semo pater: tunc mihi Sanctus ait.
Cuicunque ex iſtis dederis, ego munus habebo.
Numina terna fero: ſic voluere Cures.
Hunc igitur veteres donarunt æde Sabini,
Inque Quirinali conſtituere jugo.

Videmus, ut idem ſit Semo, Sanctus, ac Fidius *d*. Unde error ille obortus B. Juſtino Martyri, ut quia Samaritani ſui Simonem magum, in Actis *e* memoratum, pro ſancto Deo haberent: eo ſtatuam, Romæ conſtitutam SEMONI DEO SANCTO, poſitam putaret Simoni mago: ut videre eſt in ſecunda pro Chriſtianis apologia. Quam opinionem alibi refellimus. *Sancus* vocatur etiam Capellæ lib. II, & Lactantio lib. I, cap. XV. *Sancus* Plinio lib. VIII, cap. XLVIII: ubi ex Varrone refert, ut durarit in Sangi templo Tanaquil, ſive Caja Cæcilia, cum colo & fuſo. Ac meminit ejus ſtatuæ & Feſtus in *Prædia*: ubi Sanctus nuncupatur; quemadmodum & Silio lib. VIII, ubi de Sabinis ſermo:

d *De Fidio etiam agimus lib. de affectionibus in Deorum numerum relatis. ubi de Fide.*
e *Cap. 8.*

Ibant, & laudes pars Sancum voce canebant
Auctorem gentis.

Auguſtinus lib. VIII de Civitate Dei, cap. IX: *Sabini etiam regem ſuum primum Sangum, ſive etiam, ut aliqui appellant, Sanctum retulerunt in Deos.* Quare ſeu *Sanci*, ſeu *Sangi*, ſeu *Sancti* legatur, nihil intereſt. Quod non attendunt, qui lectionem ſcriptam mutant. Apud Plutarchum tamen in Quæſtionibus Romanis pro Σάμον malim Σάγκον, prout apud Dionyſium quoque legitur lib. I, quàm Σάγκτον, ut apud eum eſt lib. IV. Nempe quia prius ad Σάμον propiùs accedat. Sancum autem fuiſſe Deum Indigetem, arguit, quod eum Silius gentis Sabinæ auctorem, B. Auguſtinus eorum regem primum, appellet. Sed cenſeo, non eſſe alium, quam Herculem, quem Romani ab Arcadibus & Pelaſgis accepere: ut à Sabinis, in urbem receptus, Sangum. Nam Cures hoc numen intuliſſe, jam antè ex Ovidio vidimus. Firmat Varro lib. IV de L. L. *Putabant hunc* (Deum Fidium) *eſſe Sanctum à Sabina lingua, & Herculem à Græca.* Et Feſtus: *Propter viam fit ſacrificium, quod eſt proficiſcendi gratiâ, Herculi, aut Sanco; qui ſcilicet idem eſt Deus.* Clareque eundem agnoſcit Propertius lib. IV, eleg. X; qua fabulam de Hercule & Caco ſic claudit:

Sancte pater ſalve, cui jam favet aſpera Juno.
Sancte, velis libro dexter ineſſe meo.
Nunc quoniam manibus purgatum ſanxerat orbem,
Sic Sanctum Tatii compoſuere Cures.

Cæterum cenſeo, B. Auguſtinum, cùm Sangum ait primum Sabinorum regem, deceptum ab aliis, qui gentis auctorem, ut Silius vocat, ac primum regem, eundem putarent. Primum enim regem Sabum judico; unde & genti nomen: quod ibidem docet Silius; ubi *Sanctum* & *Sabum*, apertè diſtinguit. Cùm enim dixiſſet, parti cantatum eſſe Sanctum, gentis auctorem: continuò ſubjungit;

——— *Pars laudes ore ferebant,*
Sabe, tuas; qui de patrio cognomine primus
Dixiſti populos magna ditione Sabinos.

Sanctus verò ille non alia ratione Sabinæ gentis auctor fuit: quàm quod Sabini forent à Lacedæmoniis; Lacedæmonii à Sancto, hoc eſt Hercule, genus ducerent. Sabini enim Λακεδαιμονίων ἄποικοι, *Lacedæmoniorum coloni*: ut ait Plutarchus in Romulo. Et plenius de eo Dionyſius lib. II; ubi narrat, quo tempore Lycurgus, tutor è fratre ſuo nati Eunomi, leges Spartanis ferret, quoſdam ſeveritatem earum exoſos in Italiam navigaſſe; qui poſtea dicti Sabini: puta à Sabo, qui, credo coloniæ fuerit dux ac princeps. Lacedæmonii verò τῶν Ἡρακλειδῶν ἀποικία, *Heraclidarum colonia*: ut ait Plato in V de Legg. Quippe Hercules cum Hippocoontem Sparta expuliſſet, Tyndareo, patri Caſtoris & Pollucis, regnum velut fiduciarium tradidit: octoginta autem annis à capto Ilio, Tiſameno, Oreſtis filio, Agamemnonis nepote, regnante, id Heraclidæ repetierunt: atque exinde iis reges Heraclidæ: quorum primi Procles & Euryſthenes, filii Ariſtodemi, qui Herculis abnepos fuit.

Etiam inter indigites datus eſt locus Fauno: quem *indigetem* vocat Silius in nono:

Indigeteſque Dei, Faunuſque, ſatorque Quirinus,
Alternuſque animæ mutato Caſtore Pollux.

Ubi ex ſex illis Tullio relatis tres referuntur: & præterea intactus illi Faunus. Nec negare poſſumus locum ei inter Indigites fore, ſi Aboriginum reges hoc ordine ſucceſſerint, quo memorat Euſebius, Janus, Saturnus, Picus, Faunus, Latinus. Sed etſi in eo, quos ſequeretur, habuit duces: multa tamen requiro. Primùm fallitur eo, quod Janum, & Saturnum, credat fuiſſe reges Aboriginum. Sic quidem forent Dii Indigites. At pertinent ad Deos Selectos: quales VIII præter XII Conſentes. Quare non animales, ſed naturales ſunt Dii: hoc eſt, non huma-

humanæ, ſed mundanæ ſunt naturæ appellationes. Nec diffiteor, homines cum natura cultos, atque hoc etiam locum habere in Iano, & Saturno: ſed alii iſti, quam Italiæ reges: ut in cultu mixto inferiùs exponam. Præterea commentum de Pico rege, & augure, non aliunde promanavit quam quòd in Matiena, oppido in Sabinis, vetuſtiſſimum fuerit oraculum Martis; ubi picus avis, qui Martius dicitur, in columna lignea genti oracula dabat: haud aliter ac apud Dodonæos columba ſacræ inſidens quercui vaticinari ſolet. Auctor iſtorum nobis Dionyſius. Nec ullus, ut ego quidem arbitror, inter Aborigenum reges Faunus fuit. Sed eſt Faunus non animalis, verùm naturalis Deus: quippe idem ac Silvanus, ſive Pan: quod teſtatur Sext. Aurel. Victor de Origine gentis Romanæ, & Servius in IV Æn. Idem eo confirmatur, quòd Dionyſius tradit, Panicos terrores à Romanis ad Faunos, ut auctores, referri. Ipſa etiam *Fauni* appellatio fecerit fidem. Sic enim propter vaticinia dicebatur, à Græco φαύω pro φάω: unde φαύσκω, & cum reduplicatione πιφαύσκω, hoc eſt, λέγω: unde itidem *fauſtus*, quaſi φαυςὸς, quia bona φαύσκει a. Idem colligere eſt ex nomine, quod uxori datum. Nam *Fatuam* vocarunt, non quaſi ſtolidam putarent: ſed ut vaticinatricem à fatu ſive prædictione futurorum, uti & *vatibus* inde nomen. Nam *vates* ex φάτης, velut à προφάω, ſive πρόφημι, *prophetes*. Imò & ab eadem origine, ut à *rego*, *reginum*, & poſtea *regnum* dixere; ita & à φάω, *fanum*, ob fatum oraculorum: etſi poſtea diſtinxerint, ut *fana*, *templaque*, eò quidem convenirent, quòd utraque tum conſecrarentur, tum dedicarentur, precum gratia: differrent autem, quod templa fierent etiam auſpicii ergo; unde ſemper erant Deorum majorum, & ipſa etiam fanis majora. Fauni hunc cultum in Latium intulit Euander: quippe Euander Arcas: Faunus autem numen Arcadiæ: nam, ut diximus, idem Faunus, ac Pan: Pan verò Deus Arcadiæ, ut Maroni quoque dicitur in Eclogis. Neque Pan defuncti regis nomen erat; ſed ipſa eo Natura, ſive rerum Univerſitas ſignabatur. Atque hoc tum nomen Pan indicat; tum figura ejus; quemadmodum oſtendit Junius Philargyrius in Ecl. II; pluribuſque à nobis declarabitur, quando infrà de Univerſæ naturæ cultu agemus.

a Dixit.

Juſtiùs inter Indigites refertur Euander: quo duce Arcades in Italiam venere. Atque hic eſt ille, qui Italos literas docuit, & agriculturam. Poſtea hæc attributa Saturno; credo, quia Euandrum in Saturno honorari placuit cultu mixto, de quo inferiùs agam. Hinc exiſtimo originem traxiſſe fabulam de Saturni in Italiam adventu. Imò facilè mihi perſuaſero, nullum fuiſſe regem, cui proprium fuerit Euandri nomen. Cenſeo enim, ut Paris cognomen habuit ἀλέξανδρος, quod proprium poſtea variorum nomen fuit: ita Arcadum in Latium duci cognomen datum εὔανδρος, idque ob propriam virtutem, maximeque ob robur multitudinis, quam deduxit in Italiam: nempe uti εὔανδρος πόλις, quæ multos habet viros ſtrenuos, & acres. Hic oppidum à ſe conditum dixit *Palantium*; pro quo, N extrito, poſtea *palatium* maluere. Sic autem vocavit in memoriam oppidi Arcadici, unde venerat. Nam Παλάντιον, πόλις Ἀρκαδίας, teſte Stephano, ſive Hermolao. Atque hac de cauſſa Adrianus Cæſar Arcadium Palanteum ex vico oppidum fecit, eique immunitatem conceſſit. Euandrum verò in Deos eſſe relatum, argumento eſt, quòd & quotannis ſacrificarint Romani apud montem Aventinum, juxta portam Trigeminam.

Fuere & Romanis Deæ indigites: quales Carmenta, & Acca Larentia: ſed illa à majoribus accepta; hæc Diis majorum ſuperaddita. Prior, quæ Carmenta, vel Carmentis, dicebatur, non proprio ſic nomine vocabatur, quod Nicoſtrata erat: ſed cognomento, à carmine, quo futura populo præcineret: ut eſt apud Ovidium in Faſtis. Id Græcè ſit θεσπιῳδὸς: ut transfert Dionyſius: qui & auctor eſt, aram ei dedicatam apud portam Carmentalem ſub Capitolio. Templum etiam habuit in octava Urbis regione: quod quia occaſione poſitum ſitâ mulieribus Romanis, optimè Plutarchus dicet in quæſtionibus, ſive malis, cauſſalibus Romanis.

De Acca Larentia ſic ſcribit Cicero ad Brutum epiſt. XV: *Ego enim D. Bruto liberato, cum lætiſſimus ille civitati dies illuxiſſet, idemque caſu Bruti natalis eſſet: decrevi, ut in faſtis ad eum diem Bruti nomen adſcriberetur. In eoque ſum majorum exemplum ſecutus, qui hunc honorem Larentiæ tribuerunt; cui vos, Pontifices, ad aram in Velabro facere ſoletis.* Qui locus lucem capit ex illis Agellii verbis lib. VI, cap VII: *Acca Larentia corpus in vulgus dabat: pecuniamque emeruerat ex eo quæſtu uberem. Ea teſtamento, ut in Antiatis hiſtoria ſcriptum eſt, Romulum regem, ut alii, populum Romanum, bonis ſuis hæredem fecit. ob id meritum à flamine Quirinali ſacrificium ei publicè fit: & dies e nomine ejus in faſtos additus.* Subjungit deinde ex Maſurio Sabino, ut ea habuerit XII filios; quorum uno mortuo, Romulus ſe illi filium dederit; atque hi XII primi fuerint fratres Arvales. Quod ipſum ex Pontificalibus Rutilii Gemini libris refert Fabius Planciades de ſermone antiquo. Tangit idem Plinius lib. XVIII, cap. II. Atque addit, Accam hanc fuiſſe nutricem Romuli. Et convenit hoc cum eo, quòd Agellius ex eodem Valerio Antiate ait, eam corpore quæſtum feciſſe. Nec enim fabula de Romulo & Remo, educatis à lupa, aliunde orta, quàm quia ubera ſuxerint meretricis. Quippe meretrix, ab animalis ejus moribus, *lupa* dicitur etiam Tullio pro Mil. indeque vetus verbum *lupari*, pro *ſcortari* apud Nonium, & vulgatum *lupanar*. Plutarchus in Quæſt. Romanis ait, & alteram fuiſſe Accam Larentiam: eam ſcortum fuiſſe nobile; cumque Tarrutio, homini opulento, ſed ſeni, ejus formâ capto, nupſiſſet, ab hoc hæredem conſtitutam; ipſam verò tantarum opum populum Romanum reliquiſſe hæredem; qui idcirco ſollennes ei ludos decrêrit. Hæc quando evenerint, non expreſſit Plutarchus. Sed Macrobius Sat. lib. I, cap. X, oſtendit, quoſdam velle, contigiſſe ſub Anco Marcio rege. Mihi credibilius videtur, eandem eſſe Accam; idque inter alia ob autoritatem C. Licinii Macri, qui Ciceronis temporibus claruit. Ex ejus primo hiſtoriarum libro hæc refert Macrobius a: *Accam Larentiam, Romuli & Remi nutricem, regnante Romulo, Tarucio* b *cuidam Tuſco diviti denuptam, auctamque hæreditate viri, quam poſt Romulo, quem educaſſet, reliquit: & ab eo parentalia, diemque feſtum, cauſsâ pietatis ſtatutum.* Fortaſſe, ſi extarent Catonis Origines, certius aliquid haberemus. Nunc illud ſolùm ex iis Macrobius c adducit, *Larentiam meretricem, quæſtu locupletatam, poſt exceſſum ſuum, populo Romano agros, Turacem, Semurium, Lutirium, & Solonium* d *reliquiſſe; & ideo ſepulchri magnificentiâ, & annua parentationis honore dignatam.* Lactantius lib. I, cap. XX, unam quidem Larentiam agnoſcit; cui dicata ſunt Larentinalia: ſed præter eam alterum ait ſcortum in Deas relatum, cui Faulæ fuerit nomen: prout vocatur editione Aldi, Betuleji, Thomaſii. Sed ſuſpicor, priſco more *Flauram* ſcripſiſſe. Id eſt, *Floram*, quod ex altero factum: ut dixere *caudex*, *codex*; *Claudius*, *Clodius*; *caurus*, *corus*; *plauſtrum*, *ploſtrum*; *auricilla*, *oricilla*. Subjungit deinde, *Flora cum magnas opes ex arte meretricia quæſiviſſet, populum Romanum ſcripſit hæredem, certamque pecuniam reliquit, cujus ex annuo fœnore ſuus natalis dies celebraretur, editione ludorum, quos appellant Floralia. Quod quia Senatui flagitioſum videbatur; ab ipſo argumentum ſumi placuit, ut pudendæ rei quædam dignitas adderetur: deam finxerunt eſſe, quæ floribus præſit; eamque oportere placari, ut fruges cum arboribus & vitibus bene proſpereque floreſcerent.* Vellem Lactantius addidiſſet, ſuamne de iſto conjecturam adduxiſſet; an alios ſecutus ſit auctores. Sanè non arbitror, ullam fuiſſe ejus nominis meretricem, quæ ſua legârit populo Romano. Siquidem Floræ ſacra jam Romuli tempo-

a Lib. I Sat. c. 10.

b Ita repoſui, non vulgo, Carutio.

c Ibid.

d Vulgati codd. Solinium. Sed Solonium repoſui, ſecutus fidem Tullii lib. I de Divinat. & lib. 2 ad Att. ep. 3: ut Livium Plutarchum, Feſtum, mittam.

po-

poribus à Tatio rege ſunt inducta. Audiamus Varronem in iv de L. L. *Fortunam Fortem, Fidem, Lares* (ita recte Scaliger pro *care*) *Sabinorum linguam olent: quæ Tatii regis voto ſunt Romæ dedicata. Nam, ut annales dicunt, vovit Opi, Floraque, Diiovi* (Pighius corrigit, *Floræ, Vedio, Jovi*) *Saturnoque, Soli Lunæque; Volcano, Summanoque: itemque Larundæ, Termino, Quirino, Vortumno, Laribus, Dianæ, Cloacinæque. E queis nonnulla nomina in utraque lingua habent radices, ut arbores, quæ in confinio natæ, in utroque agro ſerpunt.* Locum plenius adſcripſi, ut pareat, quam multos Deos in Urbis ſuæ primordiis a Sabinis acceperint Romani, atque ut in his, præter Sanctum ante memoratum, tum fuerit Quirinus, de quo & ipſo ante diximus; tum etiam Flora, quam idcirco neceſſe eſt, jam ante cultam à Sabinis: alioqui non eâ ſe voto obſtrinxiſſet Tatius rex cum Romanis pugnaturus. Idem evincere eſt altero Varronis loco, qui eſt in vi de L. L. his verbis: *Eundem Pompilium Numam ait* (Ennius) *feciſſe flamines: qui cum omnes ſint a ſingulis Diis cognominati, in quibuſdam apparent etyma. ut cur ſit Martialis, Quirinalis. Sunt in quibus flaminum cognominibus latent origines: ut qui ſunt in verſibus plerique, Volturnalis, Palatualis, Furinalis, Floralis, Falacer, Pomonalis.* Nec quia jam Romuli, & Numæ temporibus, Floræ ſacra ac flamines erant; eo etiam Florales fuerint ludi. Hi demum celebrati anno Urbis IƆ XIII, C. Claudio Centhone, & M. Sempronio Tuditano coſſ. idque non ex Floræ, vel meretricis cujuſquam hæreditate: ſed ex pecunia multaticia eorum, qui peculatus damnati forent, quia publicum populi Romani agrum occupaſſent, quemadmodum in Floralium deſcriptione narrat Ovidius v Faſt. Ac firmant nummi argentei, quos cudêre ejus anni ædiles plebis, L. & M. Publicii Malleoli. In iis cernere eſt caput genii populi Romani tanquam indicis; & figuram arietis, vel ovis, ut ſignum multæ, vel peculatus; quod crimen à *pecude*, ut & *pecunia*, nomen accepit. Inſcriptio eſt, M. POBLICIUS MALLEOLUS. Ac illa quidem exordia fuere Floralium. Exinde non celebrata, niſi anni ratio poſceret, vel Sibyllinis libris ita præceptum diceretur. Sed ut annua hæc eſſent, decretum demum anno Urbis IƆ LXXX, L. Poſtumio Albino, & M. Popillio Lænate coſſ. Occaſio erat ejuſcemodi. Magna fuerat ſæpius verni temporis intemperies, indeque nata annorum plurium ſterilitas. Placitum igitur Senatui, ut Floræ inſtituerentur ludi annui; quò favore Deæ, tanto jam honore auctioris, deinceps arbores plantæque omnes melius floreſcerent. Hinc idem Ovidius v Faſtor.

Convenere Patres, & ſi bene floreat annus,
Numinibus noſtris annua feſta vovent.
Annuimus votis. Conſul cum conſule Lænas
Poſtumio ludos perſolvere mihi.

Nihil enim mutandum. Etſi, Pighio teſte, pro *perſoluere mihi*, etiam reperiatur, *ritè vovere mihi.* Quod plane eſt ab manu imperita. Non animadvertebat indoctus librarius, *perſoluëre* κατ' διάλυσιν fieri πεντασύλλαβον. Itaque repoſuit alterum; nec ſatis attendit, refragari principem ſyllabam in *vovere*; cùm hic temporis ſit exacti, non modi infiniti. Hæc aliquanto ſuſius ſum perſecutus, ut appareat, quam parùm veriſimile ſit, quod de Flora tradidit Lactantius, cuique veritas falſi minime ſit indiga, non omnia alba ſignari lineâ oportere, quæ veteres adverſus pago delatos edisserunt.

Anna Perenna etiam inter Deas indigites ſibi locum depoſcit, ſi ea fuerit Didonis ſoror: quam exulaſſe ajunt apud Æneam; ſed, inſidias ſtruente Laviniâ, Æneæ uxore, in Numico ſubmerſam; hinc pro nymphâ Numici habitam cultamque, & quia amne perenni lateret, vocatam Annam Perennam. Sed ſi jam *Anna* priùs dicebatur: non fuerit id nomen ab amne. Nec Anna magis, quam Dido, videre potuit Æneam: cùm inter eos trecentorum circiter annorum ſit intervallum. Qua de re ſatis diximus in Oratoriis Inſtitutionibus libro I, cap. VI, §. 8. Quare potius fuerit Anna, vetula Bovillana, quæ plebem pavit, cum in Aventinum ſeceſſiſſet. Unde Ovidius III Faſtorum:

Pace domi facta ſignum poſuere Quirites,
Quod ſibi defectis illa ferebat opem.

Non tamen Senatui, vel ſacerdotibus Romanis, ita placuit ea ſeceſſio, ut divinos huic vetulæ honores habitum iri vellent. Nec negare interim quicquam tempora ſinebant. Os igitur plebi ſublitum, decretumque, quaſi in Annæ honorem, ut Martio Menſe, qui veteris anni erat primus, ſacra cæleſti fierent numini, quibus rogaretur, ut annare & perennare, hoc eſt, annum illum exigere, & alios illi ſuperaddere daretur. Itaque ejus feſto in conviviis cum voto hoc alii aliis propinabant: ſic ut pro cyathorum numero, & votis multiplicibus, etiam Neſtoris annos biberent; quod ex Ovidii Faſtis cognoſcimus. Aliò igitur plebs in appellatione hujus numinis ſpectabat; aliò prudentiores.

Bona etiam Dea, ἡ γυναικεία θεὰ, ut vocant Græci, culta à Romanis Kalendis Maji. Et hæc inter Deas ſit indigites, ſi vel mater fuerit Midæ regis, ut Phryges volunt: vel Nympha Dryas, Fauni, regis Aborigenum, conjux; quorum utrumque apud Plutarchum in Cæſare legimus: vel, quod ex Varrone a Macrobio refertur, *Fauni regis filia, adeo pudica, ut extra γυναικωνῖτιν nunquam ſit ingreſſa, nec nomen ejus in publico fuerit auditum, nec virum unquam viderit, nec a viro viſa ſit: propter quod nec vir templum ejus ingreditur.* Sed quàm malè tanta pudicitia, à Varrone memorata, convenit cum ejus ebrietate; de qua ſic ex Sexto Clodio ſcribit Arnobius in ſexto: *Faunam igitur Fatuam, Bona quæ dicitur Dea, tranſeamus: quam myrteis cæſam virgis, quòd, marito neſciente, ſeriam meri ebiberit plenam, Sextus Clodius indicat ſexto de Diis Græcorum, ſignumque monſtrari, quod cum ei divinam rem mulieres faciunt, vini amphora conſtituatur obtecta; nec myrteas fas ſit inferre verbenas; ſicut ſuis ſcribit in Cauſſalibus Putas.* Ubi pro *Putas* haut abſurdè Heraldus mavult *Plutarchus.* Nam ex Cauſſalibus hæc adducere ſe ait Arnobius. At hodieque ea leguntur in Plutarchi quæſtionibus Romanis: quas ipſe inſcripſerat αἴτια Ῥωμαικὰ a: hoc enim nomine eas appellat in Romulo, & Camillo. a *Cauſſalia Romana.* Sed minus abiero à lectione vulgata, ſi pro *Putas* reſcribam *Butas*: qui & res ipſe Romanas elegiaco ſcripſerat carmine, inque iis ſacrorum cauſſas adduxerat: ut argumento eſt, quod Plutarchus in Romulo adſerat ex eo cauſſas Lupercalium fabuloſas. Quæras, utrùm in hoc diſſenſu, Varroni potiùs, an Sexto Clodio adſenſero. Equidem neutri: quippe qui cenſeam, nullam fuiſſe Fauni regis vel uxorem, vel filiam. Faunus enim non rex fuit Aborigenum, ſed Deus univerſitatis, ſive rerum Natura, qui aliter Pan: ut paullo antè diximus. Fuerit igitur idem numen Faunus, & Bona Dea: ſed Faunus dicitur ratione virtutis activæ, eoque idem fuerit ac Tellumo; Bona Dea ratione virtutis paſſivæ, ut propterea eadem ſit ac Tellus. Hoc colligo ex ipſis nominibus. Nam Bona Dea aliter dicta *Fauna*, & *Fatua*: nempe ab oraculis, quæ ab numine peterentur. Ut igitur à φωνῇ *Faunus*, & *Fauna*; ita a φάω, ſive fatu oraculorum, *Fatua.* Eandem autem eſſe *Faunam*, *Fatuam*, & *Bonam Deam*, ex allatis etiam Arnobii verbis fuit cognoſcere. Atque idem apud Macrobium b ſentit Cornelius Labeo: qui & eandem ait Opem, & Magnam matrem, & Majam, cui hoc nomen à magnitudine: atque hoc eo etiam aſſeri, quod ſus prægnans ei mactetur, hoſtia terræ propria. b *Lib. 1 Saturn. cap. 12.* Quare Bona Dea non fuerit Dea indiges; ſed numen naturale. At, dixeris, non convenire numini naturali, virgis id cædi, quia ſe inebriaſſet. Et veteri hiſtoriæ fidem ritibus iis conciliari, qui in ſacris obtinerent. Ut quod (Macrobii verba ſunt) *virgam myrteam in templo haberi nefas ſit: quod vinum in templum ejus non ſuo nomine ſoleat inferri: ſed vas, in quo*

vinum inditum eſt, mellarium nominetur, & vinum lac nuncupetur. At contenderem ego, ſacra Bonæ Deæ multò eſſe antiquiora iſtis ritibus. Et ſanè ipſi ſcriptores Romani obtinuiſſe ajunt jam ante tempora Æneæ, imò & Herculis, quippe qui Potitio & Pinario, ſacrorum cuſtodibus, interdixerit, ne mulierem ſacris ſuis intereſſe ſinerent, quia mulier ſitienti aquam negaſſet, eo ſolo ſe excuſans, quod celebraretur feſtum Bonæ Deæ, nec ex eo apparatu fas eſſet viros guſtare quicquam. Quam vera hæc ſint, non diſputo. Sufficit, quod inde appareat, judicaſſe Romanos, ſacra hæc multis ſeculis ante Romulum fuiſſe. Quæ, ergo, inquies, illa ad necem virgis cæſa? Uxor ea vel Pontificis Maximi fuit, vel alterius ex ſacrorum præfectis. Hoc tam triſte ſupplicium adverſantibus feminis, quæ ſacra Deæ frequentarent; placuit deinde, ut virgæ exceſſent è ſacris; nec vinum, quod occaſionem dederat ebrietati, in iis nominaretur. Ita non minus hilares erant feminæ liquore eo, qui lac diceretur, cùm vinum foret: nec lætitia feſtæ diei offuſcabatur conſpectu virgarum, quibus viſis recruduiſſet memoria ſupplicii de molli ſexu durius adeò ſumti. Quanto hæc credibilia magis! Et valde nobis favet Plutarchus, qui illam, ſic virgis enectam, fuiſſe ait γυναῖκα Φαύλου τοῦ μάντεως, *uxorem Fauli divinatoris*: ſive, ſi malis, Φλαβίου μάντεως, *Flavii vatis*.

Hæc de temporibus, quæ Cæſares præceſſere: ex quibus ita colligo, ſub Regibus hominem neminem cæleſti donatum honore, præter unum imperii conditorem Romulum, atque, uti videtur, longè tamen inferiori gradu, nutricem ejus Accam Larentiam. Poſtea verò, ſiquis hoc honoris adeptus ſit, unicam eſſe Anniam Bovillanam: nec tamen è ſententia Senatus: nec ſi ſacra ſpectes, ea verè illius anus fuiſſe, ſed excellentioris poteſtatis, cujus beneficium putarent annare & perennare. Interea agnoſcimus, heroes ſuos magnis dignatos honoribus, at non divinis. Quæ diſtinxere etiam Græci. Quippe aliud iis ἐναγίζειν, aliud ἀποθεοῦν. Prius conveniebat heroibus: alterum notat in Deos referre. Sed apud hos fere uſu veniebat, ut qui prius heroicis eſſent honoribus affecti, iiſdem poſtea præſtarentur divini. Quod & Lampſacæ contigit, unde Plutarchus in præclaris mulierum factis: Τῇ Λαμψάκῃ πρότερον ἡρωϊκὰς τιμὰς ἀποδιδόντες, ὕστερον ὡς θεῷ θύειν ἐψηφίσαντο· *Cum Lampſacæ prius heroicos tribuiſſent honores, poſtea ut ei, velut numini, ſacrificaretur, decretum.* Ex quibus cognoſcimus, ſacrificium non fuiſſe in honoribus heroicis, ſed divinis. In heroicis autem, Græcis Romaniſque erat, ſi ſtatuis donarentur: particulatim verò apud Romanos, ſi effigies ferretur in pompa Circenſi, item nomen referretur in hymnos Saliares: qui honos etiam contigit Mamurio Veturio, & Luciæ Volumniæ, teſte Varrone; de illo in V, de hac in VIII linguæ Latinæ. Similéque erat apud Athenienſes, nomina ſi Minervæ intexerentur peplo: unde viros præſtantes dixere ἀξίους τοῦ πέπλου a, ut videre eſt ex Ariſtophanis Equitibus.

a *Peplo dignos.*

Atque hæc de temporibus iis, quæ fuere ſtante Republica. Primus Cæſarum conſecratus Julius, idque ab Auguſto: de quo Suetonius in Julio cap. LXXXVIII. Hinc in Juliani Cæſaribus Auguſtum Silenus vocat κοροπλάθον, *puparum effectorem*; rationemque eo hujus ridiculi nominis poſcente, reſpondet; uti homuli illi faciunt pupas, ſic ipſum feciſſe Deos; quorum unus primuſque eſſet Julius Cæſar. Similiter de eo Manilius b:

b *Extremo lib. 4.*

> *Jam facit ipſe Deos, mittitque ad ſidera numen*
> *Majus, & Auguſto creſcit ſub principe cælum.*

Nec Græci de eo aliter. Strabo lib. IV: Οὕτω δὲ ὁ θεὸς Καῖσαρ ἐν τοῖς ὑπομνήμασιν εἴρηκεν. *Sic Divus Cæſar in ſuis tradit commentariis.* Diodorus Siculus lib. I: Γάϊος Ἰούλιος Καῖσαρ, ὁ διὰ τὰς πράξεις προσαγορευθεὶς θεός. *Cujus Julius Cæſar ob res geſtas vocatus Divus.* Joannes Tzetzes lib. I. Hiſtor. CLXVIII:

> Ὅθεν θεὸς Ἰούλιος ἐκλήθη τοῖς Ῥωμαίοις,
> Ταύτην καλλίστ' ἐκ πράξεων εὑρὼν ἐπωνυμίαν.
> *Unde Julius vocatus eſt Divus Romanis,*
> *Hoc pulcro e rebus geſtis parto nomine.*

De ipſo Auguſto ſic Tacitus Annal. I: *Sepulturâ more perfectâ, templum & cæleſtes honores decernuntur.* Quemadmodum verò de Romulo Julius Proculus teſtatus fuit: ita de Auguſto Numerius Atticus, ſe vidiſſe in cælum euntem: eoque nomine à Livia decies ſeſtertiûm accepit; ut eſt apud Dionem lib. LVI.

Poſt eum conſecrati alii. De iis, & pariter Auguſto, ſic Plinius in Panegyrico: *Dicavit cælo Tiberius Auguſtum; ſed ut majeſtatis numen induceret; Claudium Nero, ſed ut irrideret. Veſpaſianum Titus, Titum Domitianus; ſed ille, ut Dei filius, hic frater ut videretur: tu ſideribus patrem* (Nervam) *intuliſti.* Etiam Trajano, ut Spartianus narrat, Hadrianus divinos honores poſtulavit a Senatu, atque obtinuit. Poſteaque idem ait: *Cum opera ubique infinita feciſſet, nuſquam niſi in Trajani patris templo, nomen ſuum ſcripſit.* Adrianus & ipſe in Deos translatus. De quo ſic idem: *Nec appellatus eſſet Divus, niſi Antoninus rogaſſet. Templum, denique ei pro ſepulcro conſtituit & quinquennale certamen, & flamines, & ſodales, & multa alia, quæ ad honorem quaſi numinis pertinerent.* Similiter de Antonino Pio Jul. Capitolinus: *Cum jucunditate a Senatu Divus appellatus eſt, cunctis certatim admittentibus.* Item de M. Antonino Philoſopho: *Deinde cum gratias ageret Senatui, quod fratrem conſecraſſet.* Item de Ælio Helvio Pertinace: *Per Senatum, & populum, Pertinax in Deos relatus eſt.* Longum eſſet de ſingulis dicere. Quibus verò ritibus Deorum ordinibus inſerere Cæſares ſoleant, ex parte dicet Dio in conſecratione Auguſti lib. LVI. Sed accuratè inprimis, atque eleganter, rem omnem deſcribit Herodianus lib. IV. Verba ejus exſcripſere tam multi, ut nihil attineat hoc loco reponere. Quod verò mireris, in numiſmate veteri habemus & conſecrationem Conſtantini Magni licet Chriſtiani. In eo anima ejus linteo velata, cætero nuda, in cælum vehitur quadrigis, brachioque exſerto excipitur à brachio altero cælitus porrecto. Subſcriptum verò, CONS. hoc eſt, CONSECRATIO. Sed hanc, Chriſtiano ſenſu, accipere malo, non de immortalitate in terris à mortalibus collata; ſed de cælorum gloria donata divinitus. Et hanc firmat opinionem quod nulla hic aquila, ut in gentilibus, ſed quadrigæ exemplo Eliæ, & brachium cœlitus ſe exſerens ad Conſtantinum attollendum.

Nec ſoli Cæſares divinos obtinuere honores; ſed etiam Auguſtæ. Ita Livia, conjux Auguſti Cæſaris, (cui filius Tiberius non decreverat religionem cæleſtem) eam à Claudio eſt conſecuta. In cujus vita ſic Tranquillus cap. XI: *Aviæ Liviæ divinos honores, & Circenſi pompâ currum elephantorum Auguſto ſimilem decernendum curavit.* Pleniuſque de eo Dio lib. LX, qui Claudium ait effigiem ejus intuliſſe templo Divi Auguſti, ac tum ſacra ei fieri juſſiſſe per Veſtales, tum ut mulieres per ejus nomen jurarent. Hinc in nummo veteri, uno quidem latere, DIVUS AUGUSTUS PATER, cum capite radiato, & ante pedes ara: adverſa autem parte, S.P.Q.R. DIVÆ JULIÆ AUGUSTI FIL. & carpentum, cum duobus mulis. Conſecrata autem habitu Junonis, ut in ea Juno coleretur. Unde Prudentius a:

a *Lib. I. adverſus Symmachum.*

> *Adjecere ſacrum, fieret quo Livia Juno.*

Sive, ut aliis libris, *Julia*; quia adoptione mariti in eam tranſiiſſet familiam. Nam conjux, C. Julius Cæſar Octavianus, adoptatam filiæ habuit loco: unde in Claudii nummo, quem diximus, Auguſti filia vocatur. De Fauſtina, Antonini Philoſophi uxore, ſic Capitolinus: *Divam etiam Fauſtinam a Senatu appellatam gratulatus eſt.* Imò & comperimus, honorem aliis habitum; è domo tamen Auguſta. Nam Cajus Caligula ſororem ſuam Druſillam, quæ priùs L. Caſſio, poſtea M. Æmilio Lepido, nupta fuerat, urbes per omnes divinis coli honoribus juſſit: nec defuit Senatorii ordinis vir Livius Geminius, qui juraret ſe eam vidiſſe in cælum adſcendentem, cumque Diis converſantem: ac exitium ſibi & familiæ imprecaretur, ſi falleret, teſtes Deos, & in his Druſillam invocans: at hoc juramento, ut prior ille, quem ſimiliter de Auguſto juraſſe, vel

potius pejeraſſe, antea diximus, decies ſeſtertium meruit; ut auctor Dio in LIX: ex quo etiam cognoſcimus, eam habitu Veneris, cognomine Pantheæ conſecratam: facileque J. Lipſio aſſenſero, eodem referenti veterem hanc inſcriptionem:

VENERI CÆLESTI
AUGUSTÆ SACR.
MUMMIA C.F. DORCAS
S. P. F. C.

Hoc eſt, *ſua pecunia faciendum curavit.* Mæſa quoque, ut Herodianus lib. VI ait, in Deos eſt relata. Ea ſoror quidem fuit Juliæ II, Severo Cæſari nuptæ; avia autem duorum Imperatorum, Varii Heliogabali, & Severi Alexandri.

Etiam mares, qui non Auguſti, ex Auguſtea tamen domo forent, relati in divos. Notum de Geta, Severi Cæſaris filio, illud fratris Baſſiani Caracallæ, *Sit divus, dummodo non ſit vivus.* Imò Hadrianus Imperator, ſordidis & inſipidis deliciis ſuis Antinoo Bithyno, ſubmerſo in Nilo, non dubitavit, velut certiſſimo numini, cæleſtes tribuere honores, oraculo etiam conſtituto. Qua de re Dion, & Spartianus; ex noſtris etiam Tertullianus in primo adverſus Marcionem: item Origenes, Euſebius, Athanaſius, & tot alii.

CAP. XIII.

Defunctorum animæ a Græcis cultæ. Dioſcuri *alii etiam præter Tyndaridas: nec iſti ſoli* Anaces. *De etymo* ἀνάκων *falſi Euſtathius, & ipſe Plutarchus: ſic enim videri vocatos ab illis Anakim, de quibus Moſis, & Joſuæ libri. Cypriis paullo aliud ſonare id nomen, quàm Græcis. Laconum heroes alii. Ariſtæus Arcadum: Anius Elienſium, ſed videri nomen verum eſſe* Alius. *Clemens Alexandrinus emendatus. Argivorum heroes: & Sicyoniorum, ac porro præcipui eorum, (ut paucis defungar) qui extra Peloponneſum, ſive in continente Græcia, ſive vicinis, colebantur.*

Atque hæc etiam lucem fœnerabunt cultui defunctorum apud Græcos: de quo tam multa adverſus gentiles diſſerunt noſtri: quibus clarè oſtendunt, ut Romana, ſic Græca numina homines fuiſſe in cælum ob merita relatos. Ita Tertullianus adverſus gent. cap. X, & XI, Minucius in Octavio, Lactant. lib. I, cap. VIII, Athanaſius adverſus gentes, Theodoretus ſerm. VI; ut Cyprianum, Arnobium, Prudentium, Auguſtinum, & tot alios, prætercam. Verba eorum adſeram neminis: quia ſatius eſt, dum univerſè hæc ſpecto, gentiles è gentilibus convincere. Nec jam adducam vel Apollodorum in bibliotheca, vel Diodorum; ad quem etiam provocat Tertullianus. Mitto & Euhemerum, Nepotem, ac Thallum. Intra unum alterumque me continebo. Quid apertius iſtis Maximi Tyrii diſſertatione XXXVIII: Καὶ Ἕλληνες μὲν θύουσι τοῖς ἀνθρώποις ἀγαθοῖς, καὶ τιμῶντες μὲν αὐτῶν αἱ ἀρεταί, ἀμνημονοῦντες ἢ αἱ συμφοραί· *Et Græci quidem bonis etiam viris ſacra faciunt: quorum virtutum memoriam celebrant, calamitates verò omittunt.* Et multò ante ita Perſæus Citticus, is quem Aratus Sicyonius Acrocorintho ejecit. Cicero lib. I de Nat. Deorum: *Perſeus,* (ſcribe, *Perſæus,* ut Græce Περσαῖος) *Zenonis auditor, eos dicit habitos Deos, a quibus magna utilitas ad vitæ cultum eſſet inventa, ipſaſque res utiles Deorum vocabulis nuncupatas.* Idem Tullius de his ita particulatim in III de Natura Deorum: *Jam verò in Græcia multos habent ex hominibus Deos: Alabandum Alabandi; Tenedi, Tenem; Leucotheam, quæ fuit Ino, & ejus Palæmonem filium, cuncta Græcia; Herculem, Æſculapium, Tyndaridas.*

Roma igitur poſt oſtium Tiberinum in Siciliam navigemus: ubi inter alia numina animalia Philippum Butacidem cultum, Athenagoras in Legatione ait, Marcellea etiam in honorem M. Marcelli inſtituerunt Syracuſani: quæ in Verrea Verres commutavit: ut ait Tullius lib. II in Verr.

Hinc feſtino in Peloponneſum. Ac quia in allato proximè Ciceronis loco poſtremò Tyndaridarum fit mentio, ab iis potiſſimùm ordiamur.

Sunt ii Caſtor & Pollux; qui & Διόσκουροι dicti; non ſoli tamen; quod oſtendit hic locus M. Ciceronis in III de Nat. Deorum: *Διόσκουροι etiam apud Grajos multis modis nominantur. Primi tres, qui appellantur Anaces, Athenis ex Jove, rege antiquiſſimo, & Proſerpina, nati, Tritopatreus, Eubuleus, Dionyſus. Secundi, Jove tertio nati ex Leda, Caſtor & Pollux. Tertii dicuntur à nonnullis Alco, & Melampus Emolus, Atrei filii, qui Pelope natus fuit.* Si igitur Ciceronem audimus, qui ἄνακες (ita cum Victorio, quam ἀνακτες, legere malim) dici ſolent; non hi ſunt Caſtor, & Pollux; ſed tres iſti, illis antiquiores. Verùm hac parte alii receptam ſequi ſententiam maluere: in his Plutarchus in Theſeo; ubi de Tyndaridis ait: Τιμὰς ἰσοθέους ἔσχον ἄνακες προσαγορευθέντες. *Divinos honores conſecuti, qui Anaces appellati.* Item Theodoretus lib. VIII Græcanicarum affectionum: Καὶ μέν τοι, καὶ Τυνδαρίδας θεοὺς ἐκάλεσαν Ἕλληνες, καὶ Διοσκούρους ὠνόμασαν, καὶ Ἐφεστίους, καὶ Ἄνακας· καὶ τεμενῶν οὐκ ἐν Σπάρτῃ μόνον, ἀλλὰ καὶ Ἀθήνῃσι, τούτους ἠξίωσαν· *Et quidem Tyndaridas Deos vocarunt Græci, & Dioſcuros nominarunt, & Familiares, & Anaces. Et templis non Spartæ modò, ſed Athenis, quoque, ſunt dignati.* Ac ſimiliter Tzetzes in Lycophronem. Putabat Euſtathius [a], eos ἄνακας vocatos, quia Græci ἀνακῶς dicant pro φροντιστικῶς, ἐπιμελῶς, πεφυλαγμένως· *curioſe, ſtudioſe, caute.* Imò hoc ipſum apud Plutarchum legas in Theſeo. Sed hic arbitratur, poſſe etiam ex eo nomen videri, quia procurarint ἀνοχὰς, ſive inducias; vel ab ἄνω, hoc eſt, *ſupra,* quia in cælis conſpiciantur; unde Horat. lib. I, od. III:

Sic fratres Helenæ, lucida ſidera.

Sed ἄνακες non ſoli Tyndaridæ; verùm & Tritopatreus, Eubuleus, & Dionyſus; ut antea vidimus. Nempe ita dixere viros principes, qui genus ducerent ab Anac ſive Ænac: qui & Hebræis, ענקים; LXX ſenibus, Ἐνακείμ, aliis *Anacim.* Meminit Moſes Num. XIII, commate ult. *Vidimus gigantes è filiis Ænac.* Et Joſuæ XI, 21: *Excidit Ænacinos.* Item XIV, 15: *Nomen autem Hebronis olim fuerat Cariath-Arbe. Is fuerat homo inter Ænacinos maximus.* Ubi dubium, num maximum ſtaturâ, an dignitate, an utroque, dicat. Saltem de dignitate arguit, quod ab eo urbs nomen accepit. Unde & Joſ. XV, verſ. 13, *Deditque eis Joſue urbem Arbe patris Enac: ea eſt Hebron.* Et fortaſſe, qui ἄνακες Spartæ, & Athenis, hi deſcendêre ab Anacim Palæſtinæ; unde, à Joſua profligati, in Græciam conceſſerint. Non dubium autem, quin qui ἄνακες prius, hi ἄνακτες poſtea dicti ſint: ut hinc etiam, unde ἄνακτες dicantur, liqueat. Nempe τ inſertò; ut à νύξ, νυκτὸς pro νυκός. Sed Cypriis non tam reges ita vocabantur, quàm eorum liberi ac fratres; teſte Athenæo in ſexto, & Harpocratione; qui idem proditum ait ab Ariſtotele libro de Cypriorum Rep. Facile autem à vicinis Phœnicibus hanc vocem acceperint Cyprii: Græci verò habeant à Cadmo Phœnice: vel Cananæis, qui, Joſua Cananæam capiente, fugâ ſibi conſulentes, in Græciam profugerint. Et fortaſſe ex his Spartani: qui ab Abrahamo patriarcha deſcendiſſe videri volebant; ſi Joſepho credimus lib. XII Antiq. Jud. cap. V. Credo, partim fuere ex poſteris Agaris, aut Cethuræ; partim ex Cananæis à Joſua fugatis. Atque ex his facilis tanto redditur, cur Tyndaridas ſuos ἄνακας dixerint. Cur verò in ſtellas dicantur converſi, in æthereo cultu dicemus.

Venio ad alios Laconum heroas. Talis Hyacinthus, cujus ſacra in Apollinari feſto celebrabantur. Unde illud Apollini & Hyacintho peragi ait Pauſanias in Laconicis. At ſolum Apollinem, (quippe Deum, non heroem) nominat Macrobius lib. I Sat. cap. XVIII: *Apud Lacedæmonios etiam in ſacris, quæ Apollini celebrant, Hyacinthia vocantes, hedera coronantur Bacchico ritu.* Fortaſſe igitur Spartani ejus memoriam feſto Apollinari colebant: ſoli interim Apollini ſacrificabant. Quod ſi eſt, non ad heroicos

[a] In Odyſſ. A. pag. 1425. edit. Rom.

cos hoc, ſed divinos pertineat honores. Quomodo & iis in honorem Timomachi: (quo duce Ægidæ Lacedæmoniis opem tulerant adverſus Amyclæos) eodem in Apollinari feſto ſolet χάλκεος θώραξ προὔκειτο· *ærea proponi lorica*: ut eſt apud Scholiaſtem Pindari Iſthm. od. VII.

Præterea Agamemnonem coluere: ut ex Staphylo tradit Clemens Admonitione ad gentes. Qui & ibidem nobis proditum reliquit de culto ab iis Aſtrabaco. Menelaum quoque eſſe veneratos, ait Pauſanias Laconicis, & Athenagoras initio Apologiæ pro Chriſtianis. Æneas Gazæus in Theophraſto auctor de Menelao, Paride, ac Deiphobo, cultis Therapnis Laconicis. Ac Iſocrates in Helenæ encomio refert, ei, & marito Menelao, honorem habitum, οὐχ ὡς ἥρωσιν, ἀλλ' ὡς θεοῖς ἀμφοτέροις θύειν· *non ut heroibus, ſed utrique ut Diis*. Ubi videmus, diſtinguere honorem divinum, & heroicum; & heroibus etiam honorem præſtitum Dei. Uti quod iis ſacrificatum, ut ibidem refertur. Templum item Spartani dicarunt Lycurgo; ut inquit Plutarchus in ejus vita: ac ſimiliter Leonidæ; quemadmodum tradit Strabo lib. VIII: adhæc Braſidæ; de quo auctores Thucydides lib. V, Ariſtoteles in Nicomachiis lib. V, cap. VII, & Pauſanias in Laconicis. Sed de Laconibus ſatis: de aliis in eadem Peloponneſo videamus. Meſſenii rem divinam fecere Polycaoni, Lelegis filio, & uxori ejus Meſſenæ, Triopæ filiæ, Phorbantis nepti: qui primi apud Meſſenios regnarunt. Apud eoſdem Glaucus, Æpiti filius, primus in Gerenia rem divinam fecit Machaoni, Æſculapii filio. Iſthmius autem, Glauci filius, Pheris, ſeu Pharis Meſſeniacis exſtruxit templum Gorgaſo, & Nicomacho. Sybotas, Dotade prognatus, ſtatuit, ut Euryto, Melanei filio, in Oechalia Meſſeniaca fierent parentalia. Auctor iſtorum Pauſanias in Meſſenicis. Etiam Tricca Meſſeniorum oppidum eſt; ubi Æſculapium eximio fuiſſe honore cultum Lucianus tradit in Pſeudomante. Ac hic quoque prima artis ſuæ experimenta feciſſe, legas apud Theodoretum Θεραπευτικῆς ſerm. VIII.

Arcades, ut de Arcade & Calliſto in ſidera relatis taceam, divinos exhibuere honores Ariſtæo: de quo Maro I Georg.

—— Et cultor nemorum, cui pinguia Cea
Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.

Ubi ſic Servius: *Pindarus ait, Ariſtæum de Cea inſula in Arcadiam migraſſe, ibique vitam coluiſſe. Nam apud Arcadas pro Jove colitur, quod primus oſtenderit, qualiter apes debeant reparari: ut ait poeta de hoc ipſo Ariſtæo:*

Tempus & Arcadii memoranda inventa magiſtri
Pandere.

Mantinea etiam Arcadiæ civitas clara Epaminondæ ad eam victoria, ac morte. Hujus cives annuis ſacris, & quinquennali certamine coluerunt Antinoum, delicias Hadriani imperatoris. Auctor Pauſanias in Arcadicis. Sed apud eum perperam Ἀντίνῳ legas, pro Ἀντινόῳ.

Elienſes Anium pro Deo habuere: teſte Clemente Admonitione ad Gentes. Sed cùm conditores urbium ſoleant in Deos referri, ſuſpicio mihi oborta, *Alium* legi debere. Nam Eliorum urbs ab Elio ſive Alio: unde & ipſi Doricè Plauto Captivis *Alii*, non *Elii* dicuntur: & *Alis* ibidem pro *Elis*, conſtanter legas.

Argivos Perſea pro numine veneratos, præter Athenagoram in Legatione, Sidonius indicat Carm. IX: ubi varios Deos topicos recenſens, inter alia, inquit:

Argis Perſea, Lampſaco Priapum.

In ſtellas receptum, inter alios etiam Hyginus dicit fabula CCXXIV. Iidem Lynceo, & Hypermneſtræ, feſtum celebrarunt: quod πυρσῶν ἑορτὴ a vocatum; ut eſt apud Pauſaniam Corinthiacis. Fani iis conſtituti meminit & Hyginus fab. CLXVIII.

a *Facis feſtum.*

In Argia quoque Epidaurus: quæ prima Æſculapio Meſſenio, ob medicæ artis principatum, ſtatuit fanum: ſed extra urbem; ut eſt apud Pauſaniam in Corinthiacis; quinquies M. P. ab Epidauro, ut Livius ait lib. XLV. Ac cultus hujus ab Epidauriis meminit quoque lib. V: uti è noſtris Minucius in Octavio, Arnobius lib. VII, atque alii. Etiam ſepulchrum ejus Epidauri oſtenſum, refert Clem. Alexandrinus lib. X Recognit. a. Feſtum Ἀσκληπιεῖα: quod Epidauriis fuiſſe, Plato ait in Ione, & Pauſanias loco memorato. Exemplum Epidauriorum ſecuta mox reliqua Græcia, ut ex Tullio antè vidimus. Imò & Romani; ſed itidem extra urbem, in inſula Tiberina: nempe, quia ſanitatis eſſet numen: agri autem urbibus ſalubriores. Ambraciæ tamen, Epiri oppido, Æſculapii fanum videtur fuiſſe intra urbem. Vide oppugnationem Ambraciæ a M. Fulvio conſule factam apud Livium lib. XXXVIII. In inſcriptionibus antiquis crebro junctim reperias, ΑΣΚΛΗΠΙΩ, ΚΑΙ ΥΓΕΙΑ: item ÆSCULAPIO, ET SALUTI. Ac interdum ſubjicitur, σωτῆρσιν πολιούχοις b, vel θεοῖς ἐπικουρίοις c. Particulatim autem legas, nunc κυρίῳ Ἀσκληπιῷ, nunc *Æſculapio Deo*, vel *Numini Æſculapio*, vel *Æſculapio Sancto*. Æſculapius iſte Herculis Thebani σύγχρονος d fuit; ut argumento eſt, quod à Chirone in Pelio monte didicerit medicinam; ut Tarquinius prodidit libro de viris illuſtribus, & ex eo Lactantius lib. I de falſa religione, cap. X. At Chiron ille, ut Æſculapium medicina, ita Achillem cithara, Herculem imbuit aſtrologia: quemadmodum eſt apud veterem Arateorum Germanici Cæſaris interpretem. Etiam ætatem indicat, quod Hippolytum, Theſei filium, deſperato in morbo curârit; unde & ab eo vitæ dicitur reſtitutus. Atque iſta de ætate, & magiſtro ejus, & alia, legas quoque apud Theodoretum θεραπευτικῆς ſerm. VIII. Variè parentes recenſent, quia varii Æſculapii fuere. Sed hujus, qui Chironis fuit diſcipulus, incerti erant parentes, ut Tarquitius auctor. Fulmine ictus, ut ajunt, deceſſit, ac Epidauri ſepultus, ut vult Clemens Romanus. Cynoſuris tamen oppido ſepultum, tradidere Marcus Tullius, & Clemens Alexandr. in Protreptico.

a *Fol. 110, edit. Pariſ. an. 1568.*
b *Servatoribus urbis præſidibus.*
c *Diis auxiliaribus.*
d *Coætaneus.*

Ut Apis Argivus à poëtis Jovis nomine ſit celebratus; item Io, Argivæ Junonis ſacerdos, in Iſide colatur: meliùs exponetur, in Deorum Conſentium cultu. Nunc eos, qui nihil niſi heroes crediti, perſequamur. Ac quia, niſi fallor, de Peloponneſiis ſatis diximus, nunc extra Peloponneſum eamus.

Acarnanii colunt Amphilochum vatem: ut eſt apud Origenem in tertio contra Celſum. Oraculum ejus in Ætolia celebrat quoque Ariſtides oratione in Aſclepiadas e. Idem orat. Siculâ priori f jungit Bacydis, & Amphilyti oracula. Sed puto, pro Ἀμφιλύτου legendum Ἀμφιλόχου.

e *Pag. 82.*
f *Pag. 22.*

In Oropo item Atticæ cultum, indicant hæc Livii lib. XLV: *Inde Oropum Atticæ ventum eſt: ubi pro Deo vates Amphilochus colitur, templumque vetuſtum eſt fontibus rivisque circa amœnum.* Sed Oropum arbitror non tam Atticæ fuiſſe, quàm Bœotiæ. Itaque de Divis ejus inferiùs dicam.

Item Athenis cultus, ut eſt apud Pauſaniam in Atticis. Sed inclytum hujus civitatis nomen meretur, ne perfunctoriè de ea dicamus. Paullum igitur ejus numinibus, quæ homines fuerint, inſiſtam. Sequar autem temporum rationem.

Primus Athenis regnum tenuit Cecrops cognomento Διφυὴς g: qui poſt mortem in Aquarium converſus dicitur: ut eſt apud Hyginum Poët. Aſtron. lib. II. Hic præter Eryſichthonem filium, filias habuit tres, Agraulum, Herſen, & Pandroſon; ut eſt apud Apollodorum lib. III, Ovidium II Metam. Hyginum fab. CLXVI. De Agraulo teſtis Demoſthenes orat. de falſa legatione, & ibidem ſic Ulpianus: Ἔστι μία τῶν Κέκροπος θυγατέρων Ἄγραυλος. ἐν δὲ τῷ τεμένει αὐτῆς οἱ ἐξιόντες εἰς τοὺς ἐφήβους ἐκ παίδων, μετὰ πανοπλιῶν ὤμνυον, ὑπερμαχεῖν ἄχρι θανάτου τῆς θρεψαμένης. *Eſt una e Cecropis filiabus Agraulus: in ejus autem templo, qui pueritiam exceſſiſſent, in omni armatura jurabant, pugnaturos ſe ad mortem uſque pro patriâ.* Quem ritum Atticum pluribus illuſtrat, ut alio non uno nomine laudatiſſimus, ita egregius Græcanicæ Antiquitatis vindex Joannes Meurſius de Athenis Atticis lib. I, cap. VII.

g *Biformis.*

Ab altera filia, quæ Ἕρση, Cephali mater, dicta Ἑρσηφόρια: cujus feſti meminere Suidas, & Etymologici auctor.

Tertiæ filiarum Pandroſo, Ceryci matri, ſacra feciſſe Athenienſes, docet Athenagoras in Legatione.

Cecropi in regno ſucceſſit Cranaus. Cujus filius Rharus, juxta Heſych. Is vel pater Triptolemi fuit, ut cenſet Pauſanias in Atticis, qui & Chœrilum laudat auctorem; vel pater Celei, avus Triptolemi, ut mavult Suidas. Quia verò ſive Rharus, ſive Celeus, Cererem exceperat hoſpitio (quæ illa fuerit, inſerius exquirimus) Triptolemum docuit agriculturam. A Rharo Ceres dicta *Rharias*, ut eſt apud Stephanum. Celeum cum conjuge Metanira divinis affectos honoribus, Athenagoras indicat in Legatione. Ac meminere utriuſque etiam Apollodorus lib. III bibliothecæ, Nicander in Theriacis, Pauſanias in Atticis; ut taceam cæteros. Triptolemus à pleriſque intelligitur I Georg. ubi poëta inter Deos ruſticos memorat puerum unci monſtratorem aratri; aliis tamen exiſtimantibus, non tam Græcum Triptolemi, quam Ægyptium Oſiridis numen ſignari. Aliqui verò eum ad Pandionis tempora referunt.

Cranao Amphictyon ſucceſſit, uti illi Erichthonius: qui, ob quadrigarum inventum, inter ſidera relatus, *Heniochus* vel *Auriga* dicitur: ut tradunt Cæſar Germanicus, & interpres; item Hyginus in Poëtico Aſtronomico. Hujus etiam tempore vixit Icarius; qui à Libero vini faciendi modum edoctus creditur. Item filia Erigone; quæ, ut patrem occiſum agnovit, laqueo vitam finivit. Ob pietatem autem erga patrem in cæleſte Virginis ſignum dicitur converſa; ut inter alios refert Hyginus fab. CCXXVI. Ac plerique cenſent, in hujus honorem Athenienſes inſtituiſſe feſtum, quod Αἰώρα dicitur. Sed alii putant, factum id honori alterius Erigonæ, Ægiſthi & Clytæmneſtræ filiæ. Utramque opinionem adducit Heſychius in Αἰώρα.

Poſt Erichthonium habuit imperium Pandion: ad cujus tempora non pauci veterum referre malunt, quæ de Cerere, Rharo, Celeo, ac Triptolemo, antea diximus.

Pandionem in regno excepit Erechtheus; cujus filiæ cum parente in Deorum numerum relatæ; pater quidem, quia paruiſſet oraculo dicenti, ſuperiorem fore bello contra Eumolpum, Thracum regem, ſi filiarum unam immolaret: filiæ autem, quia & illa, quam parens ſacrificio deſtinârat, lubenti animo ſe ad hoc obtulit; & ſoror, imò univerſæ, ut alii ajunt, ſorores, ſeſe pro ſalute patriæ interemiſſent. *Hyacinthidas* vocat Demoſthenes oratione funebri, quia in Hyacintho pago immolatæ; ut ait Suidas. Item κατ᾽ ἐξοχὴν παρθένους [a] vocarunt, eodem auctore. Græcorumque exemplo ſimiliter Tullius pro S. Roſcio: *Mortes etiam Virgines Athenis, regis, opinor, Erechthei filiæ, pro patria contempſiſſe dicuntur.* De ἀποθεώσει patris, & filiarum, ſic idem lib. III de Nat. Deorum: *Ob eam enim ipſam cauſſam Erechtheus Athenis, filiæque ejus, in numero Deorum ſunt.* Habuit & filium Buten; ut Apollodorus teſtis; item Tzetzes Chil. V, hiſt. XIX. Et huic ſacra eſſe facta, indicat Pauſanias in Atticis: Ἐσελθοῦσι δὲ (τὸ Ἐρέχθειον) τρεῖς εἰσὶ βωμοί· Ποσειδῶνος, ἐφ᾽ ᾧ καὶ Ἐρεχθεῖ θύουσιν, ἐκ τοῦ μαντεύματος· καὶ ἥρωος Βούτου· τρίτος δὲ, Ἡφαίστου. *Ingredientibus vero* (Erechthêum) *tres ſe offerunt aræ: Neptuni una, in qua & ſacra faciunt Erechtheo, ex oraculo: altera heros Butæ: tertia autem Vulcani.* Erechtheum hunc potius, quàm ſuperiorem Erichthonium, intellige, cum Servius in VII Æn. ſcribit: *Virbius eſt numen conjunctum Dianæ, ut matri Deûm Attis, Minervæ Erichthonius, Veneri Adonis.*

[a] Per excellentiam Virgines.

Erechtheo Cecrops II, huic Pandion II, illi Ægeus ſucceſſit: de cujus fano ex Dinarcho teſtes Harpocration, & Suidas. Vixit & tum Dædalus; qui Perdicem, Eupalemo, & ſorore ſua natum, interemit. De cultu hujus Perdicis auctor Suidas in Πέρδικος ἱερόν, & exinde Apoſtolius in Proverbiis. Claruit eodem tempore Æacus: cujus delubrum celebrat Herodotus lib. V, Plutarchus in Theſeo, Heſychius in Αἰάκειον. Item Alcmena, de cujus fano apud Athenienſes Pauſanias in Atticis. Adhæc Androgeos, qui ab Athenienſibus & Megarenſibus necatus fuit, dum Panathenæa celebrantur. Propterea coacti Athenienſes liberos ſeptenos è ſuis quotannis in Cretam mittere Tauro; cujus ductu Minos bellum geſſerat adverſus Athenienſes; unde Minotaurus vocabatur. De Androgeone in Ceramico ab Athenienſibus culto, teſtis Heſychius.

Ægeo ſucceſſit Theſeus; cui Athenis fana complura; unum imprimis memorabile in Urbe media, in quo oſſa Theſei. De quo Plutarchus in vita Theſei, & Diodorus Siculus lib. IV. Cultus & Connidas, Theſei pædagogus, de quo Plutarchus ibidem. De æquali Theſei Hercule, notum. Uti & Hebe; quæ uxor ei data. Sed ea ad rerum potius naturam, quàm defunctos, pertinet. Præter aras verò his duobus ſtatutas, etiam quædam Athenis fuit Iolai, ut Herculeorum laborum ſocii. Auctor ibidem Pauſanias. De templo etiam Dioſcurorum, quod Ἀνάκειον vocabatur, præter eundem teſtes Harpocration, & Heſychius.

Poſt Theſeum regnavit Meneſtheus: cujus temporibus fuit bellum Trojanum. Ut ſatis conſtet, tum fuiſſe Amphilochum. De cujus apud Athenienſes ara Pauſanias, qui eam deſcribit, & Ammonius in vita Ariſtotelis. Etiam oraculum ejus memorat Clemens admonitione ad Gentes.

Poſt bellum Trojanum claruit Erigone, Ægiſthi & Clytæmneſtræ filia; cujus honori feſtum Αἰώρα, ut pleroſque putare antea diximus. Eaque etiam in ſententia eſt Etymologici magni auctor. De hoc plura clariſſimus Meurſius in primo Græciæ feriatæ.

Poſt Meneſtheum imperarunt Demophoon, Oxyntes, Aphidas, Thymoetes, Melanthus, & ultimus regum Codrus. Quem quia pro patria ſe devoviſſet, eò nactum τιμὰς τῶν ἡρώων [a], ait Polyænus lib. I. De eodem Auguſtinus lib. XVIII de Civitat. Dei, cap. XIX: *Et hunc* (Codrum) *Athenienſes, tanquam Deum, ſacrificiorum honore coluerunt.* Divinumque etiam honorem appellat Otho Friſingenſis lib. I, cap. XXVIII.

[a] Heroum honores.

Sed de regiis temporibus hæc ſufficiant. Etiam ſub Archontibus aliqui honorem nacti heroicum, aut divinum: uti inter alios Toxaris Scytha; quem cùm ſacra ei facerent, *medicum peregrinum* vocarunt; ut eſt apud Lucianum in Scytha. Ex quo etiam dilucet, æqualem fuiſſe Solonis legiſlatoris, & popularis ſui Anacharſidis. At non æquè nota ætas Panopis herois: de cujus cultu ſic Heſychius: Πάνοψ, ἥρως Ἀττικῆς· ἔστι δὲ αὐτοῦ καὶ νεὼς, καὶ ἄγαλμα, καὶ κρήνη. *Panops, heros Atticæ: eſt verò ejus & fanum, & ſtatua, & fons.* Sed metuo faſtidium, ſi ulterius inſiſtam. Uti & ſi poſt Athenienſes aliis Atticæ locis immorer. Velut Rhamnunti Atticæ: de qua ſic Mela lib. II, cap. III: *Rhamnus parva, illuſtris tamen, quod in ea fanum eſt Amphiarai.* Vel Megarenſibus, qui venerati ſunt Alcathoum; ut eſt apud Pauſaniam in Atticis, & Scholiaſten Pindari Nemeon. od. V. Satius cenſeo, ut extra Atticam ponamus pedem.

Delphenſes coluere Neoptolemum; de cujus feſto Pauſanias in Phocicis, ac fuſe Heliodorus III Æthiop.

Oropii in Bœotia Amphiaraum primi in Deos retulerunt, ac templum ei fecere, & ſtatuam è lapide candido. Ita Pauſanias in Atticis. Meminit & delubri à Bœotis ei conſtituti Appulejus de Deo Socratis. Item Theodoretus lib. X de Curat. Græcarum affect. Etiam Oropii Amphilochum coluere; de quo Atticis in Diis vidimus. Cur verò Oropus ab his, Atticis; ab illis, ac juſtiùs, Bœotis adſcribatur: liquet ex Pauſaniæ Atticis, & Achaicis. Sanè & Strabo, etſi in primo dicat, Bœotus, & Athenienſibus, fuiſſe controverſiam de Oropo; in nono tamen eam Bœotiæ adjudicat.

Hinc nos ad ſe vocant Thebæ Bœoticæ. De Dionyſio tamen, ſive Libero, rege Thebano, potius in Diis dicam Selectis. Hujus amita fuit Ino, quippe quæ fuerit ſoror Semeles; unde natus Liber. Utraque autem Cadmi &

Har-

Harmoniæ filia erat. Nec illam ſolùm cælo donavit; ſed etiam filium Melicerten. Qua de re ſic Hyginus fab. II: *At Ino cum Melicerte filio ſuo in mare ſe præcipitavit. Quam Liber Leucotheam voluit appellari: nos matrem Matutam dicimus: Melicerten autem Deum Palæmonem, quem nos Portunum dicimus. Huic quinto quoque anno ludi Gymnici fiunt, qui appellantur* Ἴσθμια. Idem legas fab. II. Hinc Palæmonem Maro inter nautica recenſens numina, *Inoum Melicertam* vocat I Georg. Nepos autem ille Cadmi Phœnicis, (Liberum dico) nomen ſuo conſobrino Phœnicium impoſuit. Nam *Melech* rex, *carta* civitas. Ut ſic dixerit, quaſi θεὸν πολιοῦχον, ſive Deum tutelarem. De cultu Inûs, & Melicertæ, vide & Euſtathium in Odyſſ. ε *a*. a P.1543. edit. Rom.

Thebanus etiam Hercules erat: quem, ut hominem deſcripſit quoque Homerus. Quo corporis habitu fuerit, ex Hieronymo philoſopho, & Dicæarcho, tradit Clemens Alex. in Admonit. ad Gentes. Ubi & refert, ut annorum fuerit LII, cùm exceſſit, amicis mox pyram in Oeta ſtruentibus defuncto; vel, ut alii malunt, cùm peſtilentia correptus, ſe in Oeteam ipſe pyram conjecit. Hercules Thebanus, quia Bœotius, craſſuſque aëre natus, ac βουφάγος, ſive vorax, eo & firmi corporis, ſed ſtupidus, nec amans ſtudia: unde dicitur præceptorem Linum occidiſſe. Etſi verò Thebani à Phœnice Cadmo originem ducant; longè tamen alius Thebanus hic Hercules à Phœnicio, cui Deſanao nomen. Hic, ut ſuo loco dicam, temporibus vixit Moſaicis. Thebanus trecentis, vel amplius annis eo junior fuit. Quippe extremis Moſis temporibus, vel etiam Joſuæ & Othonielis, fuit Agenor, pater Cadmi Thebani, & Beli, à quo Hercules decimus eſt. Hujuſmodi enim ſeries eſt: Belus, Ægyptus, Lynceus, Abas, Acriſius, Danaë, Perſeus, Alcæus, Amphitryo, Hercules. Tres verò generationes ſeculum conficiunt. Etiam ætatem hujus Herculis inde cognoſcimus, quòd agona Olympiacum inſtituerit cccc xxx annis, antequam eum inſtauravit Iphitus; ſicut Euſebius ait ad num. Iↄ cccxI. Item ex eo, quod interfuerit expeditioni Argonauticæ; in qua & Helenæ fratres, item Zethus & Calais,

Phrenetici Septentrionis filii,

hoc eſt, è Thracia, quæ Græcis eſt Septentrionalis, originem ducentes. Quos & Hercules ſuis telis occidit: ut eſt apud Hyginum fab. xIV. Item quod amicus fuerit Theſei, Athenienſium regis; cujus filius eo regnare anno cœpit, quo capta eſt Troja. Denique ex eo, quod Philoctetes, cui moriturus arcum & ſagittam donârat, ad Trojam militârit. Ut viginti circiter annis vixerit ante Trojam captam: imò Euſebius arbitratur, unico tantum anno deceſſiſſe, antequam Helenam raperet Paris.

Thebani ante Herculis ſacra præmiſere illa Galinthiadis, Prœti filiæ; ut ait Antonius Liberalis cap. xxIx. Itidem Herculis ſocium Iolaum venerati. Ejus feſto certamen, de quo Pindari ſcholiaſtes Iſthm. od. Iv.

Etiam cultus iis Amphiaraus; uti teſtis Origenes in tertio contra Celſum.

Lebadii quoque in Bœotia. His venerationi erat Trophonius: de quo complura Pauſanias in Bœoticis: & Scholiaſtes Ariſtophanis in Nubes: ac è junioribus Nicolaus Leonicenus lib. de Antro Trophonii.

In eâdem regione Platæenſes. Quales Androcrates, Democrates, Cyclæus, & Leuco: quos tempore belli Medici coli à Græcis juſſit Pythia; ut quin vel maximè Platæenſibus culti ſint, minimè ſit dubium.

Pellæi in Theſſalia ſacrificant Peleo & Chironi, & hominem quidem, cujus meliorem non poſſum adducere teſtem Clemente in Admonitione ad gentes. In Macedonia Æneatæ coluere Æneam. Livius lib. xL de Porido, & uxore Theoxena: *Proficiſcuntur ab Theſſalonica Æneam ad ſtatum ſacrificium, quod conditori Æneæ cum magna ceremonia quotannis faciunt.*

Stagiritæ agitabant ἑορτὴν Ἀριστοτέλειαν in memoriam civis ſui Ariſtotelis; cujus hortatu ac ſuaſu urbem eam inſtauravit Alexander Magnus. Reperio hoc feſtum apud Ammonium in Ariſtotelis vita, niſi is Philoponus potius. Sed ſi in honorem Ariſtotelis ſolùm diem conviviis, & ſimilibus, tranſegerint, non poſſit is honos divinus vocari.

Hæc ſingularia tangunt oppida. Univerſi autem Macedones venerabantur Philippum Amyntæ, & Alexandrum Magnum. Juſtinus lib. xxIV: *Nunc orbitatem amiſſorum filiorum dolebant, nunc excidia urbium metuebant, nunc Alexandri, Philippique, regum ſuorum nomina, ſicut numina, in auxilium vocabant.* Sermo eſt de Macedoniæ ſtatu, Gallis in eam irrumpentibus poſt cladem Ptolomæi Cerauni. Interdum videri ea poſſint ὑπερβολικώτερον dici.

Cherſonitæ feſtum inſtituerunt Miltiadi: ut eſt apud Herodotum in VI. Hinc in inſulas navigemus.

In Leuce quam Achilli ſacram eſſe Strabo in VII ait, aliterque Achillis δρόμος *a* nominatur, templum eſt Achillis cum multis anathematis. Meminit ejus Antigonus Caryſtius cap. cxxxIV. Et Ammianus Marcellinus lib. xxII. Fuse autem deſcribitur ab Arriano in Periplo. Deque eadem ſic anonymus in periplo Ponti Euxini, quem filius meus Iſaacus publici juris primus fecit: Ὡς δὴ συγγράφει Δημήτριος, ταύτην τὴν νῆσον λέγεται Θέτις ἀνεῖναι τῷ παιδί, καὶ ταύτην οἰκεῖν τὸν Ἀχιλλέα, καὶ ναός ἐστι τῆς πάλαι ἐργασίας. *Ut Demetrius inquit, inſulam hanc fertur à Thetide conceſſam filio ſuo Achilli, atque ab eo inhabitari, & eſſe in ea templum illius, ac ſimulachrum jam olim effictum.* Satis etiam apertum arbitror, non alium ſignari locum à Clemente Romano in x Recognitionum *b*: ubi ait, apud Leuconeſſum Achillem pro Deo coli. a Curſus. b Fol. 110. a edit. Sonniana.

Tenedii venerantur Tenem: ut Athenagoras in Legat. tradit, ac antè vidimus ex Tullii lib. III de Natura Deorum. Pleniuſque idem libro I in Verrem: *Tenedo Tenem ipſum, qui apud Tenedios ſanctiſſimus Deus habetur, qui urbem illam dicitur condidiſſe, cujus ex nomine Tenedus nominatur, hunc ipſum inquam Tenem pulcherrimè factum, quem quondam in comitio vidiſtis, abſtulit magno cum gemitu civitatis.* Plura de Tene hoc Diodorus Siculus extremo libro v; cui Τέννης vocatur, Cygni filius, ac ab Achille dicitur interemtus, cùm Græci Tenedum vaſtarent.

Thaſii coluere Theagenem athletam; ut eſt apud Pauſaniam in Eliacis, & Athenagoram in Legatione.

Lesbo, ſi Myrſilum Lesbium audimus, novem Muſas debemus. Ita quidem ex eo refert Clemens Alexandrinus in Protreptico. Macarim ait, regem Lesbium, perpetuò cum conjuge ſolitum jurgari: hoc ægrè admodum amantiſſimam matris filiam tuliſſe, nomine Megaclo. Emiſſe igitur ancillas novem è Myſia, ac curaviſſe, ut diſcerent tum alta voce, tum cithara canere veterum geſta. Sic edoctas, multum cantu ſuo levaſſe dolorem matris. Megaclo igitur referendæ gratiæ poſuiſſe illis ſtatuas æreas, ac præterea juſſiſſe, ut omnibus in templis divinus iis honos præſtaretur: ac pro Myſis inde, dialecto Æolica, Μοῦσας eſſe nuncupatas. Sed non leviter narratio hæc eo redditur ſuſpecta: quod multis partibus veriſimilius ſit, ab Hebræo מוסר, *Moſar*, quod artem, ſeu diſciplinam notat, venire Μῶσα, ut Dores efferunt. Nec animo meo placet, quod is, qui iſtud primus retulit, Lesbius fuit. Valde enim metuo, ne Myrſilus illud commentus ſit in patriæ honorem. Potius cenſeo, Megaclo juſſiſſe, ut Myſæ illæ ad Muſarum exemplum, inſtituerentur, poſtea etiam colerentur cum Muſis.

Chios Athenagora teſte, niſi *Ceos* apud eum legi debet, venerata eſt (quod & de Arcadia jam dictum) Ariſtæum; de quo in cultu mixto dicam. Etiam erexit ſacellum Drimaco, fugitivorum duci: de quo ex Nymphodoro Athenæus libro VI.

Samii honori Lyſandri feſtum agitabant: ut prodit Plutarchus in ejus vita, & Heſychius: item Athenagoras in Legatione.

Tenos Calliſtagoram coluit: de quorum utroque fi-

dem fecerit Clemens Alexandrinus Admonitione ad gentes. Uti & de Edemo, quem Cythnos venerata.

Naxus duabus ſacra inſtituit Ariadnis; illi Liberi uxori cum hilaritate: at alteri, à Theſeo raptæ, cum mœſtitia: quas alii confundunt. Vide Plutarchi Theſeum.

Salaminii coluere civem ſuum, Telamonium Ajacem. Cujus feſtum Αἰάντεια, ut auctor Heſychius.

Æginenſes, qui ſic dicti ab Ægina Aſopide, matre Æaci, qui Telamonis, & Pelei, parens fuit, imprimis venerati ſunt Æacum: cujus fanum apud eos commune Græcorum nomine fuiſſe extructum, auctor eſt Iſocrates in Euagora. Meminere quoque ejus fani Plutarchus in Demoſthene, & Pauſanias in Corinthiacis; adhæc Pindari ſcholiaſtes Olympion. od. VII, & XIII, item Nem. od. V. Ios Cycladum una eſt prope Theram; ut ex Ptolemæo, & Antonino, liquet: niſi quòd apud Antoninum quidem ſit *Los*, quia *los*, & *Ios*, facilè in ſcriptura confunduntur: pro *Ios* autem, ſpiritu perperam addito, ſit *Hios*: at apud Ptolemæum in Latinis ſit *Chios*, præterquam editione illâ Gerardi Noviomagi, ubi eſt *Ios*, quemadmodum in codd. Græcis. In hac inſula coluere Homerum: ut Varroni relatum libro de Imaginibus primo; ubi, Agellio teſte, lib. III, cap. XI, Homeri imagini hoc epigramma appoſuit:

> *Capella Homeri candida hoc tumulum indicat,*
> *Quòd ara Ietæ mortuo faciunt ſacra.*

Ἰήτης gentile ab Ἴος, ut Stephanus in Ἴος indicat: ubi & matrem Homeri ex hac inſula fuiſſe indicat. Sententia igitur eſt Varronis, non aliunde meliùs intelligi, quæ patria ſit Homeri, quàm quòd Ietæ ſive Ienſes ſacra faciunt Homero. Atque addit, id candidâ eos feciſſe capellâ. Nempe ut Apollinari viro. Nam Apollini ſolere capros albos ſacrificari, etiam Livius indicat lib. XXV. Ion autem patriam eſſe Homeri, etiam proditum Ariſtoteli; ibique ſepultum fuiſſe, traditum Dionyſio Halicarnaſſenſi, Straboni, Plutarcho, Suidæ. Vide & Hier. Magium Miſcell. lib. III, cap. I.

Aſtypalæis ſumma in veneratione fuit Cleomedes athleta: ut auctor nobis Pauſanias in Eliacis. Et ex eo Cyrillus in VI contra Julianum.

Ab Aſtypalæa demus vela in Cretam; ubi culta fuit Europa, Agenoris Phœnicis filia: uti Heſychius teſtis; qui & auctor, ejus feſtum eſſe dictum Ἐλλώτια. Sed de hac plura dicam in Diis Phœniciis. De fratre ejus Cadmo; Gortynæ, mediterraneæ Cretenſium urbi, culto, ſic Solinus cap. XVII: *Iidem Gortynii & Cadmum colunt, Europæ fratrem: ita enim memorant.* Niſi hic non *Cadmum* ſcripſerat, ſed *Atymnum*, ex Iove & Caſſiopea natum: ut eſt legere apud Apollodorum in bibliotheca. Etiam immortalibus honoribus, ut Diodorus in V ait, proſecuti ſunt Idomeneum, & Molonem, Minois nepotes; quorum ille ex Deucalione, hic ex Molo progenitus. Hi LXXX navibus opem tulere Agamemnoni adverſus Ilium. Nec heroicos ſolum, ſed divinos iis attributos eſſe honores, arguunt hæc Diodori verba: Τούτους μὲν ὡς ἥρωας ἐπιφανεῖς τιμῶσιν οἱ Κρῆτες διαφερόντως, θύοντες, καὶ κατὰ τοὺς ἐν πολέμοις κινδύνους ἐπικαλούμενοι βοηθούς· *His tanquam heroibus eximiis ſummi honores à Cretenſibus præſtantur; ſacrificando iis, & eos in belli periculis invocando, ut auxiliatores.* Epimenidem etiam, civem ſuum, divino coluiſſe honore, diſertim ait Laërtienſis Diogenes in ejus vita. Præterea Diognetum pugilem venerationi iis fuiſſe, teſtis nobis Ptolomæus Hephæſtionis lib. V. Atque addit, honore hoc Diognetum dignatos, quia non aliâ de cauſâ excidiſſet coronæ præmio, quàm quia adverſarius, quem viciſſet, nomen habuiſſet Herculis. Tanti enim illis Hercules erat, ut etiam ad ignominiam ejus pertinere arbitrarentur, ſi aliquis vinceretur Herculi cognominis.

Cap. XIV.

Acceditur ad deos Conſentes, ac Selectos. Minimùm fuiſſe duos Ioves Argivos: quorum prior cum Niobe habuerit rem: eumque Apim videri, Phoronei ſucceſſorem. Geminus Apis, gemina Niobe, gemina item Io. Poſſe eandem videri, qui Niobæ, quique Ioni illuſerit. Occaſio fabulæ Ius in vaccam converſæ. Apollodorus bis emendatus. Alter, ſi non tertius, Jupiter Argivus Acriſii æqualis fuit, ac, ut videtur, frater ejus Prœtus: quantumque ſit temporis interſtitium inter priorem, poſterioremque hunc Iovem; quantâ item intercapedine ab utroque diſtet Jupiter ille, qui cum Alcmena conſuevit. Tantalum, regem Phrygium, ſignari per Iovem, Ganymedis raptorem: & cur in aquilam dicatur converſus: & quando vixerit. Duo Ioves Cretenſes: ac à prioris; à poſterioris raptam eſſe Europam, & origo fabulæ de Iove in taurum mutato, & quod verum ei nomen. Minotauri, Dædali, Icari fabula hiſtoricè relata. Quando vixerit Jupiter ille, qui Ledam violavit. Unde origo fabulæ de Helena, Polluceque, ex ovo prognatis.

EXiſtimet aliquis, poſtquam ad Cretam deventum fuit, longè alios Deorum memorati nobis debuiſſe: quandoquidem, ut Salluſtius apud Servium in III Æn. ait, *Primos Cretenſes conſtat inveniſſe religionem.* Ac proinde vel imprimis de Iove Cretenſi hic fuiſſe dicendum. Sed enim hactenus de iis tantummodo agere propoſitum fuit, qui à Romanis, vel Græcis, pro terrigenis ſunt habiti. Nunc verò, ut altero etiam ſatisfaciam, antequam in Aſiam navigemus; dicam de majorum gentium Diis. Duplices enim Dii erant; alii *Semidei*, *Semones*, *Indigites*, *Minores*, & *Minorum gentium* dicebantur, & habebantur: alii verò *Majorum gentium*, aut *Celeſtes*. Quales Dii Selecti: nempe XII Conſentes, ab Ennio his verſiculis memorati:

> *Juno, Veſta, Minerva, Ceres, Diana, Venus, Mars,*
> *Mercurius, Iovi, Neptunus, Vulcanus, Apollo.*

Ac præterea octo alii; qui, XII Conſentibus additi, continebant *Selectos*. Ex octonis illis fuere, Janus, Saturnus, Orcus, Liber. De Conſentibus priùs agam.

Ab Iove principium. Hoc nomine fabuloſa vetuſtas dignata eſt reges ac principes, qui ſui ordinis cæteros potentiâ antiſtarent. Itaque videas, nullo propè ſeculo defuiſſe ſuum Iovem, uſque ad tempora belli Trojani. Tot heroum; qui Ioves dici meruere, ex nationum ſuarum opinione, bona, mala; vera, ficta; uni Iovi Cretenſi tribuerunt poëtæ; etiam furta Venerea, & raptus. Ut concubitum cum Danaë, & Ione; item raptum Ganymedis, & Europæ: atque ita in cæteris. Homerum audiamus, qui Iovem ſic loquentem inducit Iliados Ξ a: a Verſ. 315. & ſeqq.

> Οὐ γάρ πώποτέ μ' ὧδε θεᾶς ἔρος οὐδὲ γυναικὸς
> Θυμὸν ἐνὶ στήθεσσι περιπροχυθεὶς ἐδάμασσεν,
> Οὐδ' ὁπότ' ἠρασάμην Ἰξιονίης ἀλόχοιο,
> Ἣ τέκε Πειρίθοον, θεόφιν μήστωρ' ἀτάλαντον·
> Οὐδ' ὅτε περ Δανάης καλλισφύρου Ἀκρισιώνης,
> Ἣ τέκε Περσῆα πάντων ἀριδείκετον ἀνδρῶν·
> Οὐδ' ὅτε Φοίνικος κούρης τηλεκλειτοῖο,
> Ἣ τέκε μοι Μίνω τε καὶ ἀντίθεον Ῥαδάμανθυν·
> Οὐδ' ὅτε περ Σεμέλης, οὐδ' Ἀλκμήνης ἐνὶ Θήβῃ,
> Ἥ ῥ' Ἡρακλῆα κρατερόφρονα γείνατο παῖδα·
> Ἡ δὲ Διώνυσον Σεμέλη τέκε, χάρμα βροτοῖσιν·
> Οὐδ' ὅτε Δήμητρος καλλιπλοκάμοιο ἀνάσσης·
> Οὐδ' ὁπότε Λητοῦς ἐρικυδέος, οὐδὲ σεῦ αὐτῆς·
> Ὡς σέο νῦν ἔραμαι, καί με γλυκὺς ἵμερος αἱρεῖ.
> *Neque enim unquam mihi ſic deæ amor, neque mulieris*
> *Animum pectoribus circumfuſus domuit:*
> *Neque quando captus fui amore Ixioniæ uxoris,*
> *Quæ peperit Perithoum diis prudentem ſimilem:*
> *Neque quando Danaes formoſæ Acriſii filiæ,*

Quæ

Quæ peperit Perſeum, omnium clariſſimum viforum:
Neque quando captus fui amore Phœnicis filiæ inclytæ,
Quæ peperit Minoaque, & divinum Rhadamanthum;
Neque quando Semeles, neque Alcmenes in Thebis,
Quæ Herculem fortem peperit filium:
At Bacchum Semele peperit, gaudium mortalibus:
Neque quando captus fui amore Cereris pulchricomæ reginæ,
Nec quando Latonæ valde illuſtris, neque tui ipſius;
Ut tui nunc amore teneor, & me dulce deſiderium capit.

a Fab. 20. Itidem Ovidius in vi Met. a partim eoſdem, partim alios etiam amores uni tribuit Jovi. Sic enim Arachnes telam deſcribit:

Mæonis illuſam deſignat imagine tauri
Europam. verum taurum, freta vera putares.
Ipſa videbatur terras ſpectare relictas,
Et comites clamare ſuas, tactumque vereri
Aſſilientis aquæ, timidaſque recondere plantas.
Fecit & Aſterien aquila luctante teneri:
Fecit oloriuis Ledam recubare ſub alis.
Addidit ut Satyri celatus imagine pulchram
Jupiter impleverit gemino Nycteida fœtu:
Amphitryon fuerit, cum te Tirynthia cepit:
Aureus ut Danaen, Aſopida luſerit ignis,
Mnemoſynen paſtor, varius Deoida ſerpens.

In hiſce Iovis amoribus diſtinguere oportet antiquitatis amantes, quæ hiſtorica fide, quæ item poëtica dicantur. Præit ad hoc diſcrimen nobis Lactantius lib. I de Falſ. relig. cap. xi. Verba adſcribi merentur: *Danaen violaturus Jupiter aureos nummos largiter in ejus ſinum infudit. Hæc ſtupri merces fuit. At poëtæ, qui quaſi de Deo loquebantur, ne auctoritatem creditæ majeſtatis infringerent, finxerunt ipſum in aureo imbre delapſum, eadem figura, qua imbres ferreos dicunt, cum multitudinem telorum ſagittarumque deſcribunt. Rapuiſſe dicitur in aquila catamitum. Poëticus color eſt. Sed aut per legionem rapuit, cujus inſigne aquila eſt: aut navis, in qua eſt impoſitus, tutelam habuit in aquila figuratam: ſicut taurum, cum rapuit & tranſvexit Europam. Eodem modo convertiſſe in bovem traditur Io Inachi filiam: quæ, ut iram Junonis effugeret, ut erat jam ſetis obſita, jam bos, tranaſſe dicitur mare, in Ægyptumque veniſſe: atque ibi receptâ priſtinâ formâ dea facta, quæ nunc Iſis vocatur. Quo igitur argumento probari poteſt, nec Europam in tauro ſediſſe, nec Io factam bovem? Quod certus dies habetur in Faſtis, quo Iſidis navigium celebratur: quæ res docet, non tranaſſe illam, ſed navigaſſe.* Subjungit deinde iſta: *Non res ipſas geſtas finxerunt poëtæ: ſed rebus geſtis addiderunt quendam colorem: cum officium poëtæ ſit in eo, ut ea, quæ geſta ſunt verè, in alias ſpecies obliquis figurationibus cum decore aliquo converſa traducat.*

Multum lucis his Lactantii verbis, imò & aliis veterum Theologorum locis, atque adeò univerſæ acceſſerit hiſtoriæ fabulari, ſi quadruplicem illam hiſtoriam, è Lactantio adductam, ad ſua referamus tempora: & eâdem operâ, addamus tempora illa, quibus alii aliquot Ioves vixerint. Scio, hæc pro moleſtis nugis haberi à doctrinæ temporum ignaris. Sed miſeri ſimus, ſi horum judicio ſtandum aut cadendum ſit nobis; qui non eorum approbatione, quam ab iſtis moribus deſperamus; ſed bono publico, & candidorum pectorum judicio, ſtudia hactenus noſtra dimenſi ſumus.

Ordiar ab Iove Argivo. Sed non unus is fuit. Antiquiſſimus videtur, qui proprio nomine Apis vocabatur: non Ægyptius ille, ſed Sicyonius, à quo Peloponneſus *Apia* vocabatur, priuſquam dicta *Ægialea*: ut Pauſanias, ac Euſebius, tradidere; ac Æſchylus firmat in Supplicibus. Perperam verò Apes hoſce duos multi etiam veterum confundunt. Is, de quo nunc ſermo nobis, ſecundus, aut tertius fuit Argivorum Rex. Primus enim quædam futuri regni fundamenta jecit Inachus, avus Apis. Mox pleniùs poteſtatem habuit Phoroneus, ex Inacho & Meliſſa Oceanina natus: quem Hyginus primùm omnium Junoni ſacra feciſſe, primum item mortalium (velſi eum ad Argivos reſtrinxiſſet) regnâſſe, tradit fab. cxliii. Poſt Phoroneum Apis tenuit imperii habenas. Atque hic, credo, fuerit Jupiter ille, qui cum Niobe, Phoronei filia, rem habuit. Quippe non alienum fuerit à moribus Apis violare ſororem. Nam, ut Apollodorus in ii ait, εἰς τυραννίδα τὴν ἑαυτοῦ μετέστησε δύναμιν, καὶ βίαιος ἦν τύραννος· *poteſtatem regni in dominandi libidinem convertit, planeque violentus erat tyrannus.* Iovis ei nomen conveniebat; qui rex eſſet. Præſertim qui cum ſorore ſua rem haberet. Quomodo & P. Clodius, quia nec ſorores ab eo caſtæ eſſent, *Romanus Jupiter* vocabatur: ut videre eſt apud Cicer. pro domo ſua. Sed fuerit ſanè alius: ſaltem Sicyonii hujus regis συγγενὴς a erat. Nam Nioben iſtam Apis fuiſſe ſororem, ſatis convenit. Intelligo autem non Nioben Phrygiam, Tantali filiam, quæ Amphioni nupſit: ſed Nioben Argivam, Phoroneo, ut Hyginus etiam teſtatur, prognatam. Ex Niobes hujus, & tralatitii illius Iovis concubitu, natus eſt Argus, qui Api, ſi non patri, ſaltem avunculo, ſucceſſit. Atque ab hoc Argo eſt Peloponneſi *Argos* dicta. Uxorem habuit Euadnen; unde ei liberi Iaſus, Piranthus, Epidaurus, & Criaſus. Ex Iaſo natus Agenor, ex Agenore Argus alter, ex Argo hoc Iaſus, ex Iaſo Io. Niſi potiùs audiendus Caſtor, Dejotari regis nepos: qui in opere illo, quod χρονικὰ ἀγνοήματα b inſcripſerat, Inachi fuiſſe filiam tradidit: ut ex Apollodoro conſtat. Sed hoc ſi eſt; quomodo verum erit, quod aliquanto antè dixerat Apollodorus, primam mortalium, quam Jupiter attigerit, Nioben fuiſſe? Quod & Diodorus Siculus refert lib. iv, & Hyginus fab. cxlv. Quippe Niobe hæc Phoronei filia, Inachi neptis fuit: ut ſi Io fuerit Inachi filia, dicendum ſit Phoronei ſororem, Niobes amitam fuiſſe. Invitus receſſero à Caſtore, quo nemo videtur exactiùs tempora diſtinxiſſe: unde à Tatiano, & aliis, toties ad partes advocatur. Vide ſis, quæ fusè de eo diximus in opere noſtro de Hiſtoricis Græcis. Quamobrem ſic potiùs ſtatuero, geminam fuiſſe Io, priorem Inachi, alteram Iaſi filiam. Prior illa aliter Callithoe vocata, primaque Junonis Argivæ ſacerdos fuit; ut Theo in Aratum ſcribit; item Heſychius. Sed bene Scaligero obſervatum, pro Καλλιθύεσσα apud eum Καλλιθυΐαν, uti & apud Euſebium pro *Callirrhoe*, legi oportere. Quod ſi Io non Iaſi, ſed Inachi intelligenda; idem credo, qui Nioben, etiam Io violârit. Nec enim indignum Apide tyranno, ut priùs ſororis, mox & amitæ ſuæ pudicitiæ illuderet. Eo autem minus filia Inachi cum illa Iaſi confundi debet: quia inter eas ducentorum circiter annorum eſt intervallum. Quippe Niobe fuerit tritavia Iûs, Iaſi filiæ. Io autem ſit amita Niobes. Ut poſterior Io à priori ſex generationibus diſtet: verè à Niobe, unde deſcendit, quinis; impropriè verò ab amita Niobes, ſenis; quia eadem Phoronei & Niobes, ut fratris ac ſororis, ætas cenſetur.

a Cognat.

b *Errores ex inſcitia temporum orti.*

Cæterùm Io hæc, primùm poſtulato Iunonis, hoc eſt, reginæ (ſi Io hæc, quam Inachi filiam dicebamus, uxor fuit Apidis) tradita eſt Argo, vigilantiſſimo homini, cuſtodienda. Interemto hoc à Mercurio, hoc eſt, oratore, aut nuncio, aut ſatellite regio, in varias illa terras mari profugit. Navis παράσημον c erat bos: unde Io in bovem dicitur converſa. Quemadmodum commodè expoſuit Lutatius, Statii interpres. Tandem ea appulit in Ægyptum: atque ibi peperit Epaphum. Qui cùm Memphim duxiſſet, Ægyptii regis filiam; urbem condidit, cui nomen dedit uxoris. Ex Epapho nata eſt Libya: ex qua, & Neptuno, hoc eſt, principe ſive regulo inſulari, cujus verum nomen vetuſtas delevit, nati ſunt duo inclyti heroes, Agenor, & Belus: quorum ille profectus

c *Inſigne, unde navi nomen.*

in terram Canaan, ſedes ibi fixit, ac ſucceſſorem habuit filium Phœnicem; unde Phœnicia nomen accepit: alterum autem Cadmum in Bœotiam miſit, qui Thebas condidit. Belus verò, quomodo Agenoris fratrem vocatum dicebamus, in Ægypto remanſit. Cujus filii, Ægyptus, & Danaus, ille quinquaginta filiis, hic quinquaginta filiabus nobilis fuit. Quod minimè mirandum in iis, qui tot conjuges, vel concubinas haberent: ut etiam Euſebius annotavit. Ab Ægypto hoc ἡ Μελάμβωλος χώρα (ſic apud Apollodorum reſcribe, ubi vulgo Μελαμπόδων) dicta eſſe Ægyptus creditur. Danaus profectus eſt Argos, ibique in imperio ſucceſſit Gelanori. Sed apud Apollodorum pro Γελάνωρ perperam Ἐλάνωρ legitur. Danao Argis ſuffectus gener Lynceus. Nam Hypermneſtram, Danai filiam, duxerat uxorem. Ex his natus Abas; qui poſt Lynceum regnavit. Abanti ex Ocalea, Mantinei filia nati Acriſius, & Prœtus, duo reges Argivi. Acriſio filia Danaë; quam pater æneo ſub terra thalamo incluſerat, multis additis cuſtodibus. Subterraneum hoc ædificium extitit uſque ad tempora Periläi tyranni Argivi, qui illud disjecit: ut eſt apud Pauſaniam in Corinthiacis. Cæterùm Prœtus, auro corruptis cuſtodibus, Danaën vitiavit. Hic enim eſt ille Danaës Jupiter; ut rectè tradidere, qui rem hiſtoricè, quàm poëticè, proponere malebant. Teſtis nobis de eo Apollodorus lib. II. Atque addit, ortam hinc gravem inter fratres contentionem. Decere verò poterat; in apertum etiam bellum erupiſſe. Sed cùm æquo eſſet Marte pugnatum, & uterque videret, non ſe poſſe fraterno ſine auxilio regnum ſuum tueri; ad pacis conditiones deventum eſt: uti idem Pauſanias narrat. Ex hoc concubitu Danaës cum Jove illo Argivo, patruo ſuo, Argolici ſinus domino, natus eſt Perſeus; qui tandem avum ſuum Acriſium non ſponte ſua diſco interemit: cumque propterea vivere nollet Argis, imperium Mycenas tranſtulit. Videmus ex iſtis, longè alium eſſe Jovem, qui Niobem vel Io, quam qui Danaën violavit. Sanè Danaë ab Ione Iaſi generatione diſtat octava: quod ſpatium ſit annorum circiter CCLXVI. A Niobe autem ſunt generationes quatuordecim: nempe anni præterea ducenti. Ac proinde à Niobes amita, quæ parenti Niobes Phoroneo σύγχρονος erat, ſunt generationes XV; anni quaſi quingenti. Atque ut iis aſſentiremus, qui Io antiquam (ad cujus diſcrimen Euſebius illam Iaſi vocat, alteram Io) ajunt, non amitam Niobes, ut nos dicebamus Caſtorem ſecuti, ſed filiam fuiſſe: ſic generationes inter Io & Danaën, tredecim interſint; nempe duabus minus, quia ſic Inachi filia, filiæ, quam ex eorum ſententia Niobe habuit, amita foret magna.

Nunc videamus, quanta ſit temporis intercapedo inter Argolicum hunc Jovem, qui vero nomine Prœtus dicebatur, & illum Jovem, qui Amphitryonis rivalis fuit. Danae, de qua proximè diximus, ex Prœto Perſea genuit. Perſeus ex Andromeda, præter Perſen, quem apud ſocerum Cepheum reliquit, genuit Alcæum, & Electryonem. Hic Alcmenæ, ille Amphitryonis fuit parens. Nupſitque patrueli ſuo Alcmena. Sed dum unà cum rege Creonte maritus Amphitryo adverſus Teleboas bellum gerit; Jupiter aliquis, priorum ſimilis, nequitèr apud Alcmenam res agit mariti. Unde Hercules natus; qui anno uno altero deceſſit ante initia belli Trojani: ut poſtea planius fiet. Hic Alcmenæ Jupiter ab illo Jove Danaës diſtat annis circiter centum. Quippe Alcmena generatione tertia abeſt à Danae, uti dictum. Tot verò generationes ſeculo tribui ſolent.

De Jove Niobes, Ius, Danaës, & Alcmenæ, ſatis dictum. Ex quibus uti Niobe prima, ita Alcmene poſtrema fuiſſe mulier dicitur, quam Jupiter agnoverit: hoc eſt, cujus amores ſub Jovis nomine occultarint poëtæ. Nunc accedo ad Jovem Phrygium; qui & ipſe bene eſt antiquus. Eſt hic ille, qui rapuit Ganymedem. Raptor is Tantalus, Phrygiæ & Paphlagoniæ rex erat. De quo ſic Euſebius ad annum XLII judicis Iſraëlitici Aod ſive Ehud: *Ob raptum Ganymedis Troi patri Ganymedis & Tantalo bellum exortum eſt, ut ſcribit Phanocles poeta.* Quare non aſſentio doctiſſimo Pronvilliomaro a, qui per ἁρπαγμὸν ἐκ Κρήτης intelligit raptum Ganymedis; cùm is non è Creta, ſed Troade, nec à Minoe, ſed Troade contigerit. Subjicit deinde Euſebius: *Fruſtra igitur Jovis fabula, & raptrix aquila confingitur.* Tantalus ille, ut paullo antè dixerat, *Phrygas rexit.* Sed quod addit, Phrygas prius Mæonas vocatos, id falſum videtur, cùm Mæonia non Phrygiæ, ſed Lydiæ pars ſit. De eodem Jove ſic Oroſius lib. I, cap. XII: *Tantalus rex Phrygiorum Ganymedem Trois, Dardaniorum regis filium, cùm flagitioſiſſime rapuiſſet, majore conſertis certaminis fœditate continuit; ſicut Phanocles poëta confirmat; qui maximum bellum excitatum ob hoc fuiſſe commemorat.* Jupiter igitur generali regum omnium nomine accipitur. Quod verò aquila abſtuliſſe Ganymedem dicitur, id vel celeritatem raptus indicat; vel, quod Epiphanio viſum, aquila fuerit παράσημον b navis; ut taurus ejus, quâ avecta eſt Europa. Quanto hic Jupiter Phrygius tempore vixerit ante bellum Trojanum; non operoſum eſt ex rapti & raptoris ſtirpe cognoſcere. Quippe raptus fuit frater Ili, qui Ilium condidit, filius Trois, unde *Troas*, & *Troja* dicta, nepos Erichthonii, pronepos Dardani; qui interempto fratre, in Samothraciam fugerat; unde Cabirorum ſacris expiatus in Teucriam ſe contulit, ac filiâ Teucri Bateâ ductâ, in partem regni eſt receptus. Is auctor Dardanidarum, Jovis eo filius vocatus, quia externi hominis parentes vulgò neſcirentur. Ilus autem pater fuit Laomedontis, avus Priami, proavus Hectoris, & Alexandri ſive Paridis. Ut hi ab Ilo, Ganymedis fratre, tertia diſtent generatione. Fuit & frater Ganymedis Aſſaracus, pater Capyos, avus Anchiſæ, proavus Æneæ. Ubi itidem Æneam tertia generatione abeſſe videmus ab Aſſaraco. Nunc Tantalum ſpectemus. Ejus filius Pelops: hujus Atreus, & Thyeſtes: Atrei Pliſthenes, qui perperam præteritur à multis: Pliſthenis Agamemnon, & Menelaus. Ut hi quarta diſtent generatione à Tantalo. Una igitur hic generatione amplius. Nempe Ganymedes cùm raperetur, adoleſcens admodum erat: raptor Tantalus generatione tota, hoc eſt, XXX annis vel circiter provectior. Ut bene tempora conſpirent: Phrygiuſque ille Jupiter centum quaſi annis ante bellum Trojanum rapuerit Ganymedem. Atque hæc oſtendunt, memoriâ deceptum eſſe Ciceronem, cùm ſic ſcribit lib. I Tuſc. Qu. *Nec Homerum audio, qui Ganymedem à Diis raptum ait propter formam, ut Jovi pocula miniſtraret; non juſta cauſſa, cur Laomedonti tanta fieret injuria. Fingebat hæc Homerus, & humana ad Deos transferebat: divina mallem ad nos.* Neque enim filius fuit Laomedontis, Priami frater, ut Tullius putavit; ſed filius Trois, patruus Laomedontis, Priami patruus magnus: ut ex iis liquet, quæ memoravimus. Sub fabula autem de Ganymede à Jove rapto latere hiſtoriam de Tantalo, Phrygiæ rege, præter Phanoclem, de quo dixi, etiam Herodianus prodidit in vita Commodi Cæſaris.

Dicam nunc de Jove Cretenſi. Ubi diſtinguendum inter antiquiſſimum illum, quem Curetes infantem adſervarunt, & longe juniorem, qui rapuit Europam. Vetuſtiſſimi illius ætas ex eo colligitur, quod inter Curetas, à quibus recens natus occultabatur, Cres erat: ut ex Arriano refert Euſtathius in περιηγητὴν Dionyſii. Cres ille fuit, rex Cretæ antiquiſſimus, à quo & Creta nomen accepit: ut ex Ephoro tradit Marcianus Heracleotes. Eſtque idem, à quo Cnoſon in Creta conditam, & templum Cybeles, apud Euſebium in canone Chronico legas. Quare Jupiter ille Iſaaci vel Jacobi patriarchæ ætate claruerit: modò Cres ille, de quo dictum, rectè ab Euſebio referatur ad tempora Abrahæ, & Iſaaci. Vide eum num. LVI, & CXXVIII.

Liquidiora omnia de Jove Cretenſi juniore: qui rapuit Europam, ac cujus in Creta ſepulchrum: quo de ſepulchro ex Euhemero, ac Cicerone, Lactantius lib. I de

a P. 123, 124.

b *Inſignes*

de falſa religione cap. 21. Fuit hic rex Cretenſis nomine vero Aſterius, ut Euſebius vocat; vel Xanthus, ut Auguſtino dicitur. Famulum habuit, cui nomen Marnas, teſte Epiphanio; qui & hunc Aſterii famulum à Gazæis cultum tradit. Videtur autem ea generalis appellatio; cùm virgines ſic à Cretenſibus vocatas, Stephanus a tradat. Quando Cretenſis ille Jupiter vixerit, hunc in modum cognoſcitur. Europa, quam rapuit, ſoror fuit Cadmi & Phœnicis, filia Agenoris, regis Cananæi, ſive, ut poſtea dixere, Phœnicum. Hujus majores antea retulimus, cùm exponeremus ſtirpem Inachi: à quo Agenor undecimâ diſtat generatione; hoc eſt, annis penè quadringentis. Cadmo autem, Agenoris filio, natus Polydorus; hoc Labdacus, eo Lajus, illo Oedipus, iſto Eteocles, & Polynices. Ut hi quintâ generatione abſint à Cadmo, Europæ fratre. Atqui Eteocles & Polynices fuere Herculi & Theſeo σύγχρονοι b. Nam cùm Creon, rex Thebarum, & Iocaſtæ, quæ Oedipi mater & uxor fuit, frater, edicto vetuiſſet, ne ſepelirentur Oedipodarum cadavera: Theſeus propterea Bœotis bellum intulit: ut eſt apud Pauſaniam in Atticis. Theſeus verò unâ ſolùm generatione anteceſſit bellum Trojanum. Quare ducentis quaſi annis Europæ raptus præceſſerit raptum Helenæ, bellumque Trojanum. Ex progenie etiam Europæ idem ſcitur. Nam ex Jovis Cretenſis, hoc eſt, Aſterii concubitu cum Europa, nati Minos, qui Aſterio ſucceſſit in regno, item Rhadamanthus, & Sarpedon, Lyciorum reges. Minos ex Ithone genuit Lycaſtum. Lycaſtus ex Ida Minoen juniorem. Minos hic Deucalionem, Deucalio Phædram, Theſeo nuptam. Sic quoque Phædra generatione quintâ deſcendat ab Europa. Ut omnia optimè conveniant. Turbant ſolum, qui duos Minoes neſciunt diſtinguere. Unde coguntur, raptum Europæ referre ad tempora Pandionis, qui Theſei proavus fuit: hoc eſt, CXXXIII annis ante bellum Trojanum. Verùm addendi anni LXVI, propter generationes Lycaſti, & Minois ſenioris. Quorum hic Europæ filius, Rhadamanthi frater. Atque idem credo ille eſt, qui novennio ſe referre ſolitus in antrum montis Idæ, diceretque, hic ſe converſari cum Jove, indeque leges ſuas accipere; haut aliter ac poſtea Numa Pompilius ſimulabat, ſe ſacra illa, quæ Romanis traderet, accipere ab nympha Ægeria. Quamquam nec magnopere adverſer, ſiquis juniorem credat. Utcunque illud, ſaltem junior eſt ille, qui maris habuit imperium, cujus item filius Androgeos, præclarus adoleſcens, invidiâ Athenis occiſus poſt Panathenæa: unde bellum adverſus tum Megarenſes; de quorum obſidione Virgilius vel alius in Ciri; tum Athenienſes, qui ſub rege Ægeo eò adacti, ut in Cretam Tauro, Minois στρατηγῷ c, qui Minotaurus vocari ſolet, pueros mitterent tributarios: eaque conſuetudo demùm ſub Theſeo, cùm is Taurum deviciſſet, ceſſavit. Denique junior hic Minos eſt ille, qui Dædalum, cùm in domo ejus Taurus Paſiphaen, filiam regis, violaſſet, atque eo Dædalus iram Minois metuens, cum Icaro filio, navigio, velorum pandens alas, ut cum poëta loquar, avolâſſet, cum in Siciliam uſque eſt inſecutus: ubi, non ſatiatus eo, quod Icarus in via imprudentia ſua ſubmerſus fuiſſet, à Cocalo, rege Siculo, ſibi ipſum Dædalum reddi poſtulavit. Cocalus verò, ſub ſpecie amicitiæ Minoa, allectum thermarum æſtu ſuffocavit. Hæc abunde aperiunt tempora utriuſque Minois, & pariter Aſterii, Jovis Cretici, à quo rapta eſt Europa: & quam multi etiam veterum fallantur, qui raptum hunc toto referunt ſeculo ante utriuſque Minois ætatem. Quod ſatis docent, quæ tam variè, varios ſecutus auctores, de raptu Europæ, ac Minoe, in Chronico ſuo canone prodidit Euſebius.

a Περὶ πόλεων, voce Γάζα.

b Coætanei.

c Duci, ſive exercitus præfecto.

Quid cæteros perſequar Joves? Ut illum, qui ex Leda genuit Pollucem, & Helenam: imò & Caſtorem, ſi audimus Homerum, vel alium, hymno in Διοσκόρους. Verum aliter Homerus Odyſſ. λ, & Pindarus Nem. Idyll. λ; qui Caſtorem, Tyndarei filium tradunt, eoque natum mortalem: unde & interfectus, ſive ab Ida; ut eſt apud Theocritum idyllio memorato, & Pauſaniam Meſſeniacis: ſive, juxta alios, à Meleagro, aut Polynice. Pollucis igitur ille, & Helenæ parens, qui Jupiter dictus, vel ipſe erat Ledæ maritus, Tyndareus, vel adulter aliquis. Ætatem ejus ac Caſtoris non poſſumus ignorare, cùm eos conſtet, Helenæ fuiſſe fratres; cujus gratiâ bellum ad Trojam geſtum fuit. Itaque ut Helena *Tyndaris* à patre, *Oebalis* ab avo; ita & illi *Tyndaridæ*, & *Oebalidæ* appellantur. Dixeris, ſi fratres fuiſſent, fore inter eos, quos Homerus ait pugnâſſe ad Trojam. Sed ex Homero ipſo facilè occurritur. Ubi Helena ait, ſe auxilio eorum deſtitui, quia paulò antè deceſſerint. Dicitur Helena cum Polluce ex ovo prognata, quia uterque educatus in ſuperiori ædium parte, quæ Lacedæmoniis, Euſtathio a teſte, vocabatur ᾠόν: unde in uſu ὑπερῷον. Tempori autem repugnare videtur, quod à veteribus proditum, Alcmenam fuiſſe poſtremam mulierum, cui vim intulerit aliquis, Jovis nomine à poëtis nuncupatus. Nam potiùs ea fuerit Leda. Quippe Hercules ex Alcmena: Helena ex ovo Ledæo. Hercules autem, natu jam grandis, deceſſit ante bellum Trojanum. Helenam verò minorem natu fuiſſe; arguit, quod eam poſteà formâ captus rapuerit Paris.

a Odyſſ. λ, pag. 1420. edit. Rom. & Od. λ, pag. 1686.

Ad eorum exemplum, quo Joves hoſce diſtinximus, non operoſum erit cæteros Joves, Naſoni in Metamorphoſios opere, atque aliis memoratos, ad tempora ſua referre. Ut illum, qui ex uxore Ixionis genuit Pirithoum, amicum Theſei: cujus tempus antea vidimus: item eum, qui ex Calliſto genuit Arcada; unde dicta Arcadia, cùm Pelaſgos in ſuam redegiſſet poteſtatem: ut ait Euſebius num. DXXXII. Atque ita in aliis.

CAP. XV.

Neptuni antiquiſſimi nomine Japetum, Noe filium, ſignari. Cur Neptuno non maris ſolum imperium dederint, ſed etiam arti præfecerint equeſtri. De Conſo, & Conſualibus, & ea à Neptunalibus differre. Primos Græcorum equis vectos Lapithas, & Centauros; unde origo fabulæ de biformi monſtro, quod homine, & equo conſtaret. Varii Græcorum Neptuni, ſua ad tempora reducuntur. Neptuni filios dici, cùm alios, tum moribus aſperos & inhumanos: item qui mari periſſent. Quis ille Neptunus, qui cum Pallade in Athenarum primordiis decertârit. Quis item alter ille, qui exſtruxiſſe dicitur muros Trojanos.

QUomodo verò multi erant Joves; ita & Neptuni multi. Quorum antiquiſſimus mihi unus è Noachi filiis videtur. Nam velut in Saturno Noë, ita in tribus Saturni liberis, qui mundi imperium diviſiſſe dicuntur, adumbrati ſunt tres filii Noë, eorumve poſteri; ut plenius exponam, ubi ad Saturni cultum fuerit deventum. Porrò uti Semi progenies ſeptentrionalem & orientalem Aſiam obtinuit; Chami autem ſtirpi Aſia meridionalis cum Africa ceſſit: ita Japhero obtigere maris mediterranei inſulæ, & continens Europæa: ut in quam ex inſulis ulteriùs veniretur. Hujus igitur poſteris duplici ſcientiâ opus fuit: nauticâ, ad tranſmittendum vaſtum mare; & equeſtri, ut in loca venientes longè latéque patentia, ſed inculta, & ſæpe ſylveſtribus, efferis, ac venenatis animalibus obſeſſa, celeriùs tutiuſque quàm maxima ſpatia conficerent; donec de locis maximè ſibi idoneis ſatis diſpicere poſſent, eaque inter ſeſe partirentur. Hanc eſſe cauſſam exiſtimo, cur Neptunum, quem Japetum interpretor, non nauticæ ſolum rei, ſed equeſtri etiam præfecerint. Audiamus, quam belle cum his conſentiat Diodorus Siculus lib. V: Τῶν δ᾽ ἄλλων θεῶν τῶν ἐκ Κρόνου καὶ Ῥέας γενομένων φασὶν οἱ Κρῆτες Ποσειδῶνα μὲν πρῶτον χρήσασθαι τοῖς κατὰ θάλασσαν ἐργασίαις, καὶ στόλους συστήσασθαι, παραδόντος αὐτῷ τὴν ἡγεμονίαν ταύτην τοῦ Κρόνου. διὸ καὶ παραδίδοσθαι τοῖς ἐπιγινομένοις τοῦτον κύριον ὑπάρχειν τῶν κατὰ θάλασσαν πραττομένων, καὶ θυσίαις ὑπὸ τῶν ναυτιλλομένων τιμᾶσθαι· προσάπτουσι δ᾽ αὐτῷ καὶ τὸ τοὺς ἵππους δαμάσαι πρῶτον, καὶ τὴν ἐπιστήμην καταδεῖξαι τὴν περὶ τὴν ἱππικήν. ἀφ᾽ ἧς ἵππιον αὐτὸν ὀνομάσθαι. *Inter alios autem Deos, è Saturno & Rhea genitos, ajunt Cretenſes, Neptunum primum maris*

negotium tractare cœpiſſe, claſſemque inſtituiſſe, hanc præfecturam à Saturno adeptum. Ideoque fama apud poſteros increbuit, quæ in mari geruntur, in hujus arbitrio eſſe: & propterea eum ſacrificio nautæ honorant. Adjiciunt & hoc, equos à Neptuno primum domitos, & equeſtris rei ſcientiam ab eo traditam. Unde Hippius, id eſt, equeſtris, nominatur. Hunc Neptunum equeſtrem Romani *Conſum* dixere: unde *Conſualibus* nomen: de quibus Varro lib. v de L. L. Item Livius lib. I: *Romulus*, inquit, *ludos ex induſtria parat Neptuno Equeſtri ſollemnes: Conſualia vocat.* Vide & Dionyſium lib. I, Plutarchum in Romulo, Tertullianum de ſpectaculis cap. v, Servium in VIII Æn. Interim quia latiùs Neptuni, quàm equeſtris Neptuni, nomen pateret; eò aliud *Conſualia*, aliud *Neptunalia*: illa erant Ποσειδῶνος ἱππίου *a*, ac non quidem menſe Martio, ut Servius ad VIII Æn. ſcripſit, ſed in Auguſto celebrabantur; ut ex Plutarchi Romulo conſtat: hæc autem fuere Ποσειδῶνος Σεισίχθονος *b*, hoc eſt, ejus qui maris haberet poteſtatem: ut perperam hæc nonnulli confundant. Atque hæc de Neptuno illo vetuſtiſſimo. Poſtea tot prope Neptuni, quot principes inſulares: quod ex poëtarum fabulis, ſi ad hiſtoriam eas referamus, non obſcurè cognoſcitur. Ac præter iſtos & continenti fuere Neptuni ſui: in his principes, qui arte equeſtri excellerent. Talis fuit Ixion, aliuſve rex Theſſalus, qui artem eam docuit gentem ſuam; unde & Græcorum alios ſe diffudit. Primi autem è Theſſalis Pelethronii Lapithæ, ac Centauri, parte hac arteque valuère. Unde Maro lib. III Georg.

Frena Pelethronii Lapithæ, gyroſque dedere
Impoſiti dorſo, atque equitem docuere ſub armis
Inſultare ſolo, & greſſus glomerare ſuperbos.

Quo loco ſic Servius: *Pelethronium oppidum eſt Theſſaliæ; ubi primus domandorum equorum repertus eſt uſus. Nam cum quidam* THESSALUS REX, *bobus œſtro exagitatis, ſatellites ſuos ad eos revocandos ire juſſiſſet, illique curſu non ſufficerent: adſcenderunt equos, & horum velocitate boves ſecuti, eos ſtimulis ad tecta revocarunt. Sed hi viſi, aut cum irent velociter, aut cum eorum equi circa flumen Peneum potarent capitibus inclinatis, locum fabulæ dederunt, ut Centauri eſſe crederentur: qui dicti ſunt, Centauri* ἀπὸ τοῦ κεντᾶν τοὺς ταύρους. Etiam Valerius Probus in primum Georgicôn annotavit, primum in Theſſalia equum eſſe conſpectum; quem iſtic exhibuerit Neptunus. Qui Neptunus, ſi extra fabulas eatur, non alius ſit, quàm rex Theſſalus; ut à Servio eum vocari vidimus. Plinius, etſi Bellerophontem dicat primum docuiſſe equis vehi: tamen juxta illum quoque magna huic arti incrementa dederint Theſſali. Sic enim ſcribit lib. VII, cap. LVI: *Equo vehi* (inveniſſe) *Bellerophontem: frenos & ſtrata, Pelethronium: pugnare ex equo, Theſſalos, qui Centauri appellati ſunt, habitantes ſecundùm Pelium montem.* Ubi paullum à Marone abire videtur. Ille enim loquitur de Lapithis Pelethronium Theſſaliæ montem incolentibus, à quo & Chiron *Pelethronius* eſt appellatus: at Plinio, uti & Solino, Pelethronius proprium eſt hominis nomen. Niſi, ut ſuſpicor, apud Plinium *Pelethronios* ſcribendum. Etiam apud Palæphatum initio operis legimus, ut quo tempore Ixion, rex Lariſſæ in Theſſalia, imperium haberet, bellum geſtum ſit Centaurorum & Lapitharum: & quæ res occaſionem præbuerit, ut Centauris formam tribuerent adeo monſtroſam. Eamque rem ex eo politicis verſibus expreſſit Iſacius Tzetzes Chil. VII, Hiſtor. XCIX. Sed, juxta Palæphatum, non tam Ixion hac arte Theſſalis præiverit, quàm ab iis hauſerit. Quamquam nihil impedit, quo minus & à ſuorum nonnullis eam rex didicerit, & deinde docuerit alios, vel doceri juſſerit. Quando Ixion ille vixerit, ex Euſebio cognoſcere eſt; qui bellum iſtud refert ad tempora Ægei Athenienſis, & Atrei ac Thyeſtæ, Mycenæorum regum: nempe duabus generationibus ante captam Trojam.

Sed ſatis de equeſtris artis invento inter Græcos. Venio ad eos, qui Neptuni nomine à Græcis vocari ſolent. Quos temporibus ſuos diſtinguere non adeò eſt operoſum, quam primâ facie videatur. Ut ſi quæſtio ſit de Neptuno illo, qui ex Libya, vel, ſecundùm alios, ex Eriphyle, genuiſſe dicitur Agenorem, Belum, Phœnicem: quorum Belus parens fuerit Danai, & Ægypti. Horum enim tempora jam antea excuſſimus. Unde etiam cognoſcere eſt, de ætate Neptuni ejus, qui ex Amymone, Danai filia, genuerit Nauplium, parentem Palamedis illius, qui ad Trojam militans, miſere, fraudibus Ulyſſis circumventus, periit. Neptuni etiam ex Laide filius erat Cercyon latro; qui cùm Atticam infeſtaret, à Theſeo eſt ſublatus. At nota Theſei tempora. Eidem Neptuno ex Tyro, Salmonei filia, natus eſt Pelias, rex Theſſalus, quem Pelopia, Euadne, cæteræque filiæ, diſſecuiſſe dicuntur, deceptæ à Medea; ut Jaſon Theſſaliæ regno poteretur. Neptuni quoque, ex eadem Tyro, filius fuit Neleus, duodecim filiorum ex Chloride parens: quos omnes Hercules, captâ Pylo, interemit, præter facundum illum Neſtorem: qui aliò tum fortè miſſus erat. Meſſapus etiam Neptunia proles *a* vocatur: qui cum Turno bellum adverſus Æneam geſſit in Italia. Horum omnium tempora ſunt aperta: cùm ex liberis ac nepotibus non difficile ſit ſtatuere de parente, vel avo Neptuno. Sed enim, quod Neptuni aliquis filius nuncupatur, à variis cauſſis proficiſcitur. Eſt cùm Neptuni nomine occultatur nomen principis alicujus inſulaтis, vel qui per mare venerit *b*, vel præeſſet populo Θαλασσοκρατοῦντι *c*. Eſt cùm intelligitur Neptunius ſacerdos. Vel attenditur, quod aliquis perierit in mari. Eſt etiam cùm ſpectantur mores Neptunii, ſive, ut cum Plauto potius dicam, maritimi *d*. De poſtremo illorum ſic Agellius lib. XV Noct. Att. cap. XXI: *Præſtantiſſimos virtute, prudentiâ, viribus, Jovis filios poëtæ appellaverunt; ut Æacum, & Minoa, & Sarpedona: ferociſſimos, & immanes, & alienos ab omni humanitate, tanquam e mari genitos, Neptuni filios dixerunt; Cyclopa, & Cercyona, & Scyrona, & Leſtrygonas.* Ac ſimiliter fere Tzetzes Chil. II, hiſt. LI:

Θησεὺς υἱὸς ἦν Ἀττικοῦ Αἰγέως, καὶ τῆς Αἴθρας.
Ὡς δ' ἀνδρεῖον, ἔφασαν παῖδα τοῦ Ποσειδῶνος.
Τοὺς θυμικοὺς γὰρ σύμπαντας, καὶ πάντας τοὺς ἀνδρείους,
Υἱούς τε φίλους, ἐραστάς φασι τοῦ Ποσειδῶνος.
Theſeus filius erat Attici Ægei, & Æthræ.
Tanquam autem ſtrenuum, dixerunt filium Neptuni.
Animo enim elatos cunctos, & omnes ſtrenuos,
Filios & amicos, amaſioſque dicunt Neptuni.

Sed hoc inter eos diſcriminis eſt, quod laxiùs aliquanto Tzetzæ, quàm Agellio, filiorum Neptuni, pateat appellatio. Quippe licet Theſeus animoſus, ac ſtrenuus; non immanis tamen, & ab omni humanitate alienus. Atque idem dixero de Ægeo: qui, etſi Pandionis filius foret, Neptuno tamen prognatus dicitur. Nempe quia cùm Theſeus, juſſi immemor paterni, Cretâ nigris reverteretur velis; ſeſe Ægeus in mare dederit præcipitem. Quomodo & Arion, fidicen, ac poëta lyricus, (cujus parentes veri neſciuntur, ut ſæpe inſignes artifices genere ſunt obſcuro) Neptuni ex Oncæa nympha filius dictus, quoniam in mare deſilierit; unde, portante delphino, Tænarium in promontorium creditur delatus: ut eſt apud Herodotum, Diodorum, Plutarchum: è Latinis Ovidium II Faſtor. & Agellium lib. XVI, cap. XIX.

Sed duo præterea ſunt Neptuni valde memorabiles: unus in re Attica, alter in Trojana. Vetuſtior ille prior, de quo proptérea priùs dicam. Satis conſtat, cùm urbs conderetur, quam Athenas dicimus, controverſiam fuiſſe obortam, utrum à Pallade, an Neptuno, ei eſſet dandum nomen. Hanc litem fuiſſe cenſeo inter Senatum, & plebem, quæ nautis & remigibus præcipuè conſtabat. Et ut Senatus ſuum principem, ita & plebs ſuum habuerit ducem. Poſterior iſte cum factione ſua Neptuni nomine cenſetur. At Senatus, qui ſapientia plus pollebat, Minervæ nomine intelligendus. Quare cum Minerva prævaluiſſe dicitur, hoc ſic capere oportet, quod priores tulit Urbis Senatus, & flos populi: poſteriores autem Neptunia proles, turba nautica. Atque ea imperii forma, ut plus poſſent

Urbis

a Neptuni equeſtris.
b Terram quatientis.
a Virg. Æn. 7.
b Servius in Æn. 7. verſ 691.
c Imperium maris habenti.
d Ciſtell. 2, 1.

Urbis incolæ, quam qui Piræeum incolerent; deinceps etiam permanſit, uſque dum Themiſtocles, non tam Piræeum Urbi, quam Urbem Piræeo adjunxit. Sic enim major eſſe nautarum & remigum potentia, quam urbanorum cœpit. Multum hæc firmantur egregiis Plutarchi verbis in Themiſtocle, ubi de viro hoc ita ſcribit: Ἐκ δὲ τούτου τὸν Πειραιᾶ κατεσκεύασε, τὴν τῶν λιμένων εὐφυΐαν κατανοήσας, καὶ τὴν πόλιν ὅλην ἁρμοττόμενος πρὸς τὴν θάλασσαν, καὶ τρόπον τινὰ τοῖς παλαιοῖς βασιλεῦσι τῶν Ἀθηναίων ἀντιπολιτευόμενος. Ἐκεῖνοι μὲν γὰρ (ὡς λέγεται) πραγματευόμενοι τοὺς πολίτας ἀποσπάσαι τῆς θαλάσσης, καὶ συνεθίσαι ζῆν μὴ πλέοντας, ἀλλὰ τὴν χώραν φυτεύοντας, τὸν περὶ τῆς Ἀθηνᾶς διέδοσαν λόγον, ὡς ἐρίσαντος περὶ τῆς χώρας τοῦ Ποσειδῶνος, δείξασα τὴν μορίαν τοῖς δικασταῖς, ἐνίκησε. Θεμιστοκλῆς δ' οὐχ, ὡς Ἀριστοφάνης ὁ Κωμικὸς λέγει, τῇ πόλει τὸν Πειραιᾶ προσέμιξεν a, ἀλλὰ τὴν πόλιν ἐξῆψε τοῦ Πειραιῶς, καὶ τὴν γῆν τῆς θαλάττης· ὃ καὶ τὸν δῆμον ηὔξησε κατὰ τῶν ἀρίστων, καὶ θράσους ἐνέπλησεν, εἰς ναύτας καὶ κελευστὰς καὶ κυβερνήτας τῆς δυνάμεως ἀφικομένης. διὸ καὶ τὸ βῆμα τὸ ἐν Πνυκὶ πεποιημένον, ὥστ' ἀποβλέπειν πρὸς τὴν θάλασσαν, ὕστερον οἱ τριάκοντα πρὸς τὴν χώραν ἀπέστρεψαν, οἰόμενοι τὴν μὲν κατὰ θάλατταν ἀρχὴν, γένεσιν εἶναι δημοκρατίας, ὀλιγαρχίᾳ δ' ἧττον δυσχεραίνειν τοὺς γεωργοῦντας. *Hinc Piræeum, commoditate animadverſa portus, extruxit, totamque urbem ad mare accommodavit, contrariam quodammodo ſectam in civitate, ac veteres Athenienſium reges, inſtituens. Illi enim, ut fertur, intendentes revocare a mari cives, atque ad relinquendas naves, colendumque aſſuefacere agrum, diſſipaverant illam de Pallade fabulam: ambigente de illa regione Neptuno, cum oſtendiſſet judicibus olivam, cauſam eam obtinuiſſe. At Themiſtocles, non (ut comicus ait Ariſtophanes) urbi commiſit Piræeum; imò urbem annexuit Piræeo, & terram mari. Quæ res vires populi aluit contra optimates, eumque audaciâ inflavit, omnia ad nautas, hortatores, & gubernatores redundante poteſtate. Unde ſuggeſtum, qui erectus in Pnyce erat, ut ſpectaret mare, converterunt poſt terram verſus triginta tyranni, imperium maritimum rati gignere populi potentiam, & paucorum principatu minus offendi agricolas.*

a Malim προσέμαξεν, adjunxit.

Videamus nunc, quis ille fuerit Neptunus, qui cum Apolline muros condidit Trojanos. De eo placet ſententia eorum, qui (ut Euſtathius tradit ad Il. Φ b.) οὐκ αὐτοὺς θητεῦσαί φασιν, ἀλλὰ ἱερὰ χρήματα δαπανηθῆναι εἰς ἀνέγερσιν τοῦ Ἰλίου· *non eos mercede ſerviiſſe ajunt; ſed ſacram pecuniam, ac quæ pretioſa numinis forent, impendiſſe muris exſtruendis.* Nempe uti conſuetudo multis eſt dicere, aliquid donari, vel adimi S. Petro, vel S. Laurentio, vel alteri Sancto, quod confertur vel aufertur templo ab Sancto illo nomen ſortito: ita etiam Laomedon dicitur fraudâſſe eo Neptunum, quod ex ſacro templi theſauro à ſacerdote, ad muros exſtruendos, illâ acceperat conditione, ut muris perfectis reſtitueret. Quare, ſi per Neptunum ſacerdotem Neptuni, ut ejus miniſtrum, intelligamus; minimè aberrabimus. Atque idem dixero de Apolline, ſi una cum ſtruxiſſe muros placet. Homeri quidem ſententia eſt Iliados Φ, Laomedonte ædificante, Apollinem pecus paviſſe regium. Sed, ut Euſtathius ibidem obſervat, juniores utrumque exſtruxiſſe mœnia arbitrantur. Ita Pindarus Olymp. idyll. H. Eumque hac parte ſecutus Horatius lib. III, od. III: cùm de hoc Laomedonte ait in plurativo:

b Pag. 1245, edit. Rom.

Mercede pactâ deſtituit DEOS.

CAP. XVI.

Licet Vulcanus rex fuiſſe Ægyptius, ſuaque genti primus monſtraſſe ignem dicatur: antiquiſſimum tamen Vulcanum potius videri Tubalcainum, indeque Vulcani nomen κατ' ἀφαίρεσιν *eſſe factum: nec eum tamen tam ignem hominibus oſtendiſſe, quàm ignis uſum in arte fabrili. Conditorem Babylonis imperii Nimrodum, ſive Belum, eſſe vetuſtiſſimum Martem: niſi in ſocietatem accipere placeat, tum Ninum, tum Thurram, qui & ipſo Aſſyrius rex fuit.* Ἐνυάλιος *Mars. Chronicum Alexandrinum emendatur. Belum non eſſe alium à Baal. Ætas Martis Græcanici, & qui Mars ille, quo gentis ſuæ auctore Romani glorìantur. Antiquiſſimus Apollo eſt Jubal Moſis. Alii tamen Mercurium credi. Mercurii Ægyptii ætas ex ætate Oſiridos oſtenſa. Græcorum Mercurium Atlantiadem vixiſſe tempore belli Trojani, & Panos: multo tamen vetuſtiorem eſſe, juxta alios. Mercurii ejuſdem ætas monſtrata ex ætate Herculis, & Penelopes; unde Pan cum cruribus hircinis.*

A Neptuno venio ad quatuor iſtos, Vulcanum, Martem, Apollinem, & Mercurium: quos eopſe ordine recenſet, ac Jovis ait filios, Diodorus Siculus libro V. Loquitur autem de Jove Cretenſi. Idem tamen lib. I dixerat, ſecundùm ſacerdotes Ægyptios primùm in Ægypto regnaſſe Vulcanum, eique divinos poſt mortem honores attributos propter ignem inventum. Reperiſſe autem hoc pacto: Arbore de cælo tactâ incenſam fuiſſe ſylvam vicinam: tum acceſſiſſe Vulcanum, & cùm ob frigus hibernum magnam caperet ex calore voluptatem, ubi, materiâ deficiente, ardor remittebat, novam ſubjeciſſe; ita conſervaſſe ignem, & accitis aliis, feciſſe ejus participes. Sed ut fortaſſe hujuſmodi quid Ægyptio regi acciderit; longè tamen antiquius eſt ignis inventum. Neque Vulcanus iam in Deos relatus ob repertum ignis, quàm ignis in arte fabrili uſum. Quod claré dicit Diodorus ipſe a. Audiamus eum: Ἥφαιστον δὲ λέγουσιν εὑρετὴν γενέσθαι τῆς περὶ τὸν σίδηρον ἐργασίας ἁπάσης, καὶ τῆς περὶ τὸν χαλκὸν καὶ χρυσὸν καὶ ἄργυρον, καὶ τῶν ἄλλων ὅσα τὴν ἐκ τοῦ πυρὸς ἐργασίαν ἐπιδέχεται· καὶ τὰς ἄλλας δὲ χρείας τὰς τοῦ πυρὸς ἁπάσας προσεξευρεῖν, καὶ παραδοῦναι τοῖς τε τὰς τέχνας ἐργαζομένοις, καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἀνθρώποις. διόπερ οἵ τε τῶν τεχνῶν τούτων δημιουργοὶ τὰς εὐχὰς καὶ θυσίας τούτῳ τῷ θεῷ μάλιστα ποιοῦσι, καὶ τὸ πῦρ οὗτοί τε καὶ πάντες οἱ ἄνθρωποι προσαγορεύουσιν Ἥφαιστον, εἰς μνήμην καὶ τιμὴν ἀθάνατον τιθέμενοι τὴν ἐξ ἀρχῆς τῷ κοινῷ βίῳ δεδομένην εὐεργεσίαν. *A Vulcano fabricationem ferri, æris, auri, argenti, & cæterorum omnium, quæ ignis operationem recipiunt, inventam; & univerſum ignis uſum excogitatum, & tum artificibus, tum cæteris quoque hominibus expromtum eſſe dicunt. Propterea harum artium magiſtri, vota & ſacra huic Deo potiſſimum offerunt: & ab his, ut ab univerſis quoque mortalibus, ignis Vulcanus appellatur: ut hoc pacto beneficium, communi hominum vitæ tributum, immortali memoriæ & honori conſecretur.* Rectè vidit Diodorus, Vulcanum eſſe hominem iſtum, qui artem reperit ærariam, ac ferrariam. Sed quis heros iſte fuerit, vel quando vixerit, penitùs ignoravit. Eſt verò is Thobel, ut LXX, & Joſephus vocant, ſive potiùs, ut Hebræis dicitur, Tubalcain, Lamechi ex Sellâ filius Mehujalis nati ex nepote Caini, pronepos: quem eas inveniſſe artes, Moſes tradit Geneſ. IV, 22. ubi etiam refert, ut fratrum unus Jabal, tentoria; alter autem, nomine Jubal, artem invenerit Muſicam. Hunc igitur homines, ac imprimis ærarii, & ferrarii, ut ſuæ artis parentem, retulere in Deorum numerum, atque ut inferiùs dicam, cum Deo ignis præſide coluerunt; poëtæ autem Jovis fulmina fabricare ſunt commenti. Hæc valde etiam firmantur nomine ipſo Vulcani. Nam unde Vulcanus, niſi ex Tubalcanus, prætermutationem vocalis; B, ut fieri ſolet, in V converſo, & principe ſyllaba reciſa; quomodo ex *Atergatis* eſt *Dercetis*: item ab ἀμέλγω, *mulgeo*, à γάλακτος *lacte*, ab ἄρουρα *rura*, atque ita in aliis multis: ut in Originum libris pleniùs explicamus. Quare non diffiteor, quod Iſidorus ait lib. VIII Orig. cap. XI, Vulcanum fuiſſe hominem: ſed quod ait, vixiſſe in Lemno, id de antiquiſſimo illo nequit intelligi.

a Lib. 5.

Venio ad Martem: de quo ſic in quincto Diodorus, ex ſententia Cretenſium: Τὸν δ' Ἄρην μυθολογοῦσι πρῶτον κατασκευάσαι πανοπλίας, καὶ στρατιώτας καθοπλίσαι, καὶ τὴν ἐν ταῖς μάχαις ἐναγώνιον ἐνέργειαν εἰσηγήσασθαι, φονεύοντα τοὺς ἀπειθοῦντας τοῖς θεοῖς. *Qui fabulas ad hiſtoriam*

reſe-

referunt, hi Martem ajunt primum fuiſſe, qui univerſam fabricarit armaturam, ac milites armis inſtruxerit, & morem induxerit collatis ſignis decertandi, omneſque, qui Diis nollent credere, è medio ſuſtulerit. Iſte armorum ac rei bellicæ inventor Nimrodus fuit; qui, Scriptura teſtante *a*, *cœpit potens eſſe in terra:* ac venatori
a Geneſ. 10, 8. confertur, quia ut homines feras, ita ille venatus homines. Unde & (quemadmodum in Faſtis Siculis, ſive Chronico Alexandrino legas) in ſidera à Perſis relatus, ac *Orion* dictus fuit. Nimrodi nomen ignorant gentes: ſed iis *Belus* dicitur: à quo Babylonicum cœpiſſe imperium, Eupolemon tradidit in hiſtoria Judaica: ut retulit Alexander Polyhiſtor; atque ex eo Euſebius lib. VI de præparatione Euangelica cap. IV. Etiam Servius primum Aſſyriis regnâſſe Belum, prodit ad illud Maronis I Æneid.

—— Qua Belus, & omnes
A Belo, ſoliti. ——

Similiter Euſebius initio Chronici: eumque ſecuti Iſidorus, Beda, Ado, ac Chronologorum alii. Belum autem eundem eſſe ac Martem, clarè etiam cognoſcimus ex Hiſtiæo Mileſio, antiquiſſimo rerum Phœniciarum ſcriptore; qui de campo Senaar, ubi Babylon condita, ſic ſcribit: Τῶν δὲ ἱερέων τοὺς διασωθέντας, τὰ τοῦ Ἐνυαλίου Διὸς ἱεράματα λαβόντας, εἰς Σεναὰρ τῆς Βαβυλωνίας ἐλθεῖν. *Qui verò ex ſacerdotibus conſervati eſſent, acceptis Jovis Enyalii ſacris, venere in Senaar Babyloniæ.* Pro Ἐνυαλίου apud Joſephum legitur Ἐνυελίου. Sed Ἐνυαλίου rectè eſt apud Syncellum ex Euſebii priori Chronicorum libro: prout
b Pag 13 editus is in Theſauro Temporum *b*. Videtur Rufinus, cùm quid Enyalius eſſet, ignoraret vocem eam prætermiſſe. Saltem nec in MSo meo comparet, nec in editis ullis. Sed Enyalium eſſe inter Martis cognomina, auctor eſt Macro-
c Lib. 1, cap. 19. bius in Saturnalibus *c*: atque idem docet Euſtathius ad Homerum, qui non ſemel uſurpat. Uti & alii poëtarum,
d Cap. εἰς ἀνδρείαν. & in his Baſſus lib. I Ἀνθολογ. *d* à quo Spartani trecenti, qui fortiter pugnantes ceciderant, vocantur
e Invicti populus Enualii. —— ἀνίκητος ὁ δῆμος Ἐνυαλίου.

Quamquam & vox ea ſæpe adjectivè pro Martio aut bellicoſo legatur: unde Heſychius πολεμιστὴν & πολεμικὸν interpretatur. Nec moveat, quòd in Trogi epitome dicat Juſtinus: *Primus omnium Ninus, rex Aſſyriorum, intulit bella finitimis, & rudes adhuc ad reſiſtendum populos terminos uſque Libyæ perdomuit.* Nam Ninus ille filius fuit Beli: ut legas apud Tertullianum de Pallio cap. II, Euſebium initio Chronici, Hieronymum in Oſee cap. II. Patri imperii Babylonici initia debentur, quæ tenuia fuere: longè majus iis faſtigium dedit Ninus. Qui & paterno addidit imperio Aſſyrium. Et, credo, ſene Nimrodo, auſpiciis patris, ductu Nini, bella ſunt geſta. Porrò quia belli initium ſit à Belo, quem Martem eſſe diximus; eò & multi olim putarunt, *bellum* a *Belo* nomen accepiſſe. Cumque genus ignorarent, dixerunt eſſe filium Neptuni. Nam, ut monitum antea, feroces & inhuma-
f Lib. 1, el. 10. nos Neptuni filios vocabant. Atqui, ut cum Tibullo *f* dicam,

—— horrendos primus qui protulit enſes
Et ferus, & verè ferreus ille fuit.

De Belo quod dixi, acceptum fero Hygino fab. CCLXXIV: *Afri*, inquit, *& Ægyptii, primùm fuſtibus dimicaverunt: poſtea Belus, Neptuni filius, gladio belligeratus eſt: unde bellum dictum.* Quam ſententiam ſecutus etiam Caſſiodorus lib. I, epiſt. XXX. Sed de origine vocis decepti uterque. Nam *bellum* eſt ex πόλεμος, reciſa terminatione, & vocalibus trajectis: P præterea abeunte in B: ut ab ἀπὸ, *ab*; ὑπὸ, *ſub*; πυῤῥὸς, *burrus*. Niſi ſimpli-
g Lib. 6, de L. L. cius ſit cum Varrone *g* dicere, ut à *dis*, *bis*, à *duonus*, *bonus*; ita *bellum* eſſe ex *duellum*: unde *perduelles* Plauto, & *Duellona*, quæ aliter *Bellona*. *Duellum* autem,
g Vetus Horatii interpres in epiſt. 2, lib. 1. quia inter duos *h* ſit, ſive partes duas.

Hactenus vidimus, ut Mars ſit Nimrodus ſive Belus, ejuſve filius Ninus: quem cum patre veteres quoque ſæpe confundunt. Ac tertia etiam ſententia eſt, ut Thurram Martem credamus. Thurras iſte Nino, ut Ninus Belo, ſucceſſit. Ac ipſe itidem egregius bellator fuit, & propterea pro Deo habitus, & Mars dictus eſt. Ad hanc opinionem præit Suidas in Θοῦρρας. Ac penè eadem legas in Faſtis Siculis, ſive Chronico Alexandrino. Cujus verba ex re fuerit apponere: Μετὰ δὲ Νίνον ἐβασίλευσεν Ἀσσυρίων Θούρρας ὀνόματι, ὅντινα μετωνόμασεν ὁ τούτου πατὴρ Ζάμης ἐκ τῆς Ῥέας ἀδελφὸς Ἄρεα εἰς ὄνομα τοῦ πλάνητος ἀστέρος. *Poſt Ninum Aſſyriis imperavit rex nomine Thurras, cui pater Zames, idemque ex Rhea frater, Martis nomen indidit à planeta ejus nominis.* Sed quis ille Zames? Sane dixerat antea, Jovem, patre ſuo Saturno in Occidentem profecto, duxiſſe uxorem ejus conjugem, matrem ſuam, cui nomen fuerit Semiramis, vel Rhea. Jovem igitur ſignari certum eſt. Quare pro Ζάμης conjicio reſcribendum eſſe Ζάνης ſive Ζὰν, quæ eſt inter veteres Jovis appellationes. Primitus verò idem Jupiter, ac Mars, imò & Sol: ut libro proximo declarabitur. Unum tamen obſtare illud videtur, quòd Σάμης etiam conſtanter legatur apud Joannem Antiochenum, & Georgium Syncellum. Sed fortaſſe primus, vitioſo codice deceptus, in errorem eos induxit, qui ſequerentur. Subjicit deinde idem Chronicon, Thurram hunc fuiſſe πικρὸν πολεμιστὴν, *acrem bellatorem*: eumque Arctoas paterno imperio plagas addidiſſe. Nempe vel eò colonos miſerit, vel qui eò migraſſent, adegerit, ut ſe dominum, vel principem agnoſcerent. Niſi hoc ſolùm veteres ſpectarunt, Arctoas gentes, ut bellicoſas, in tutela eſſe numinis, quod præſidet bello. Poſtea indicat, hunc Thurram non ſolùm Martem creditum; ſed etiam vocatum Baal ſive Belum. Sic enim ſubjungit: ᾧ τινι Ἄρει ἀνέστησαν πρώτην στήλην οἱ Ἀσσύριοι, καὶ ὡς θεὸν προσκυνοῦσιν αὐτὸν, καὶ ἕως τοῦ νῦν καλοῦσι Πέρσαι τὸν Βαὰλ θεὸν, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον Ἄρης, πολέμων θεός. *Cui Marti primam Aſſyrii columnam conſtituere, eumque velut Deum venerati ſunt, & hactenus eum voce Perſicâ nuncupant Baalem Deum: quod ſi transferatur, fuerit Mars, bellorum Deus.* Suſpicor, & hic mendam irrepſiſſe. Dicitur, eum Perſicè vocatum Βαὰλ θεὸν. Sed pro θεὸν arbitror poſitam fuiſſe aliquam Orientis vocem, quæ bellum notaret: ut ſi Hebraicè dixiſſet, בַּעַל מִלְחָמוֹת, *dominum bellorum:* quod optimè conveniret cum eo, quod transfert, πολέμων θεόν. Sanè etiam Deus Hebræis vocatur יְהוָה צְבָאוֹת, *dominus exercituum.* Quamquam autem Chronicon hoc inter Βῆλος, & Βαὰλ, diſtinguat: revera tamen dialecto ſolùm differunt. Nam qui Hebræis בַּעַל, *dominus*, is Syris בְּעֵל, ut Ezræ IV, 8: Chaldæis, extritâ literâ pneumaticâ, בֵּל, Jeſ. XLVI, 1. Unde Græcis Βῆλος.

Præter Martem hunc, ab Aſia & Oriente acceptum, alium etiam memorant Græci. Is patriâ Spartanus erat, juxta Epicharmum; Thrax autem, ex ſententia Sophoclis; (& convenit, quòd ejus in Thracia ſepulcrum oſtendi ſolere, dicat Clemens Romanus libro X Recognitionum *a*) alius Arcas: uti de omnibus iſtis teſtis Clemens a Fol. 110. a. edit. Pariſ. 1568.
in Protreptico. Ubi & addit, Cares ei mactâſſe canem: Scythas autem aſinum: & ejuſce rei auctores laudat Apollodorum, & Callimachum. Quamquam ille Carum & Scytharum alius credo Mars fuit, & fortaſſe non alium, quàm æthereum intellexerint, hoc eſt Solem, vel unum è quinque planetis. Ille verò Græcis memoratus, vixit tempore Cecropis, primi Athenienſium regis: uti eſt argumento, quod, occiſo Halirrhothio, accuſatus, in Areopago ſententia XII Deorum, hoc eſt judicum (qui & in ſcripturis Elohim ſive Dii dicuntur) fuerit abſolutus. Vixit Mars iſte tempore Moſis. Quippe *in Areopago primus accuſatus eſt Mars*; ut ait Juvenalis ſcholiaſtes in ſat. IX. At inſtitutus Areopagus, vel XLI Cecropis; ut eſt apud Euſebium in Canone Chronico: vel XIV annis pòſt, puta quincto anno Cranai; quod legas apud Marianum Scotum.

Per ſe ſatis liquet ætas Martis illius Latini, ex quo Rhea Sylvia Romulum concepit. Is vel homo fuit Martialis, ſive militaris, vel Martis ſacerdos. Quamquam,

ut

ut neutrum eſſet, potuerint & Romuli genus ab eo deducere, partim ad velandam natalium regis ignominiam: partim quia bellicoſo populo maximè tutelaris conveniret Deus, qui numen eſſet bellicum.

Jam de Apolline videamus, cui Muſica debetur. Inventum hoc Thraces tribuunt Orpheo, uni ex Argonautis: ut ætate unâ vixerit ante bellum Trojanum. Plato autem in tertio de Rep. organicam illam, ut qua canitur lyrâ, aſſignat Amphioni Thebano; illam, quæ aſsâ fit voce, Marſyæ Lydo, vel Olympo. Amphion quando vixerit, aliquis inter chronologos eſt diſſenſus. Euſebius, dum varios ſequitur auctores, duplicem in canone chronico ſententiam proponit. Interim convenit, regnâſſe Thebis poſt Cadmum: hunc autem poſt Moſis & Joſuæ tempora claruiſſe. At multò antiquior eſt Muſice. Fabium Quinctilianum audiamus lib. I, cap. XVII *a*: *Timagenes auctor eſt, omnium in literis ſtudiorum antiquiſſimam Muſicen exſtitiſſe.* Et ſanè multò ante diluvium hanc artem fuiſſe, ex Moſe eſt addiſcere: ſecundum quem Geneſ. IV, 21, Jubal vocatur *pater canentium cithara & organo.* Et poſſis hinc originem deducere *jubili*, vocis ruſticæ, quo læta acclamatio ſignatur. Niſi potius à *jebel*, quo Hebræis ſignatur *tuba*, & μεταληπτικῶς *b* πεντηκονταετηρὶς *c*, quando tuba promulgaretur libertas. Jubal iſte germanus, ſive, ut Juriſconſulti amant loqui, conſanguineus frater fuit Tubalcaini, de quo antè diximus: ut dubium non ſit, quin Jubal ſit antiquiſſimus ille Apollo.

a Sive, ut alii diſtinguunt, 10.

b Heſych.

c Spatium 49 annorum.

Niſi forte Mercurii (ut ad eum nunc accedamus) gloria hæc magis videatur. Quando multi Muſicen referunt inter Mercurii reperta. Sed poſſis hæc ita conciliare, idque Pauſania, & Græcorum aliis præeuntibus, quod Apollo citharam, Mercurius lyram invenerit; quæ quomodo differant, etſi à veteribus ipſis ſæpius confundantur, ad barbaricam Manilii ſphæram oſtendit Joſephus Scaliger. Et rectè ad veterum mentem. Nihil tamen impedit, quo minùs credamus, pro diverſis gentibus Jubalem aliis Apollinis, aliis Mercurii nomine ſignatum. Sed ſi diverſos placet, Apollo potiùs fuerit Jubal, quàm Mercurius. Præſertim ſi non penitus veteres reſpuimus fabulas. Nam apud Diodorum legas in quincto, Mercurium tum demum ex teſtudine lyram eſſe commentum, poſtquam Apollo, pœnâ ſumtâ de Marſya à ſe devicto, ruptis citharæ nervis aliquanto tempore à Muſicis abſtinuiſſet.

Quamquam verò hæc non abſurdè dicantur; magis tamen eò inclinat animus, ut putem, veteres, ac potiſſimùm poëtas, veritatis hiſtoricæ ſæpius corruptores, confudiſſe nobis Mercurios: quos plures fuiſſe, etiam Tullius in tertio docet de Natura Deorum. Sane ab Jubale, qui ante diluvium vixit, diverſus eſt Ægyptius ille Noachides, qui Oſiridis, hoc eſt, Mizraim tempore claruit. De ætate quidem Oſiridis, videbimus in Diis Ægyptiorum. Ejus autem temporibus floruiſſe Mercurium, ex Ægyptiorum ſententia docet Diodorus libro primo. Tradit enim fuiſſe Oſiridis ἱερογραμματέα, ſive *ſacrum ſcribam:* imò ſolere regem Oſiridem ἅπαντ' αὐτῷ προσανακοινοῦσθαι, καὶ μάλιστα χρῆσθαι αὐτοῦ συμβουλίᾳ· *omnia cum eo communicare, ac maximè ejus uti conſilio.* Hic eſt ille, qui Ægyptiis leges & literas tradidit: ut ait Cicero in III de Nat. Deorum. Pluraque de eo & apud Diodorum loco memorato legas, & à nobis inferiùs dicentur.

Ex Græcorum Mercuriis non alius celebratior illo, qui erat, *Atlantis magni, Pleioneſque nepos*, ut Ovidius eum deſcribit epiſt. Parid. Huic tribuunt tum legationes, & fœdera; tum mercaturam, & furta; tum palæſtram, & lyram: ut ait Diodorus in quincto. Non fuerit admodum antiquus, ſi avus ejus Atlas fuit Herculi Thebano æqualis: quod traditum ab Apollodoro lib. II bibliothecæ. Ac convenit cum eo, quod Mercurius ex Penelope Ulyſſis generarit Pana: ut etiam eſt apud Plutarchum de defectu Oraculorum, & Nonnum *d*, collect. Hiſtor. apud Nazianz. Invect. I in Julian. Fuerit igitur Mercurius ille tempore belli Trojani. Alii tamen Pana τραγοσκελῆ *e* genitum putant ex omnium procorum cum Penelope concubitu: ut ait Pauſanias in Arcadicis. Atque idem tradidit Duris Samius libro de Agathocle: & ex eo Iſacius Tzetzes in Lycophronis Caſſandram. Sed is ſcholiaſtes aliam hanc fuiſſe Penelopen arbitratur. Nempe quia videret hoc repugnare Homero, qui Penelopen Ulyſſis tantopere à pudicitia celebrat. Quaſi non ſæpius ab hiſtoriæ veritate abierit Homerus, ac propterea jure ab illo receſſerint juniores. Rectiùs dixiſſet, Pana iſtum τραγοσκελῆ *a* potiùs ad rerum naturam, quàm ad heroas, pertinere. Et tamen fateor de Atlantis ætate minimè olim conveniſſe. Ab Euſebio quidem nunc XX, nunc L, ante Cecropem annis refertur. Nam recenſet Atlantem numero CCC LXXIX, ac ſecundùm alios CCCC XXXI; Cecropem autem numero CCCC LX. Agonis verò Olympiaci inſtitutionem ab Hercule Iↄ CCC XII. Ut quatuor amplius ſeculis diſſideant. Quæ diverſitas provenit ex eo, quod multi & Atlantes, & Mercurii, & Hercules, forent, vel ſaltem à poëtis varii hoc nomine vocarentur.

d P. 141, edit. Eteon.

e Hircinis cruribus.

a Cruribus hirſutis.

Cap. XVII.

Acceditur ad ſex Deas Conſentes: quarum Minerva videtur eadem ac Naama, Thubalcaini ſoror: aliis tamen putari Venerem. Fabula Judaica de Naama ab angelis, imò & Adamo adamata, atque exinde genitis dæmonibus. Minerva Attica ætas, ac ſolum natale. Iuno Cretica, Argiva, Imbraſia, ſive Samia. An Veſta architecturæ repertrix. Σαυή, *Caini ſoror & conjux. Ceres frugum inventrix, imò & legifera: unde* Θεσμοφόρα. *Eſſe eandem, quæ Ægyptiis Iſis, ſoror & uxor Oſiridis regis. Refellitur jactatio Athenienſium, gloriantium ſeſe frugibus uſos ante Ægyptios. Diana Cretica ſive Dictynna repertrix venatoriorum caſſium: item ejus ætas. Venus Cypria quæ fuerit; & quædam de ſacris ejus.*

Egimus de ſex Diis, qui, inter Conſentes, mares fuere. Venio ad totidem feminas. Ex quibus principatus eſt attributus Minervæ, ac Junoni. Itaque in Capitolio medium inter eas locum Iovi dederunt: ac Minervam quidem ſtatuêre à dextris, à ſiniſtris Junonem.

Romanos imitati, Minervæ primas dabimus. Priùs quidem hominem fuiſſe, etiam apud Iſidorum, priorum exſcriptorem, legas lib. VIII Orig. cap. XI. Ea fuerit Noëma, ſive Naama, filia Lamechi, Moſi memorata Geneſ. cap. IV: ſi verum eſt, quod apud Genebrardum in Chronicis, imò & in Lipomani catena legas, eam lanificium ac texturam reperiſſe, ac propter ſingulare hoc inventum memorari præter morem Scripturæ, quæ non ſolet in genealogiis referre feminas, niſi ob virtutem eximiam, aut myſterii cauſſa. Alii tamen, quia *Noema* venuſtam notat, eo arbitrantur eſſe Venerem gentium. Nam quid Venere venuſtius? Itaque & *venuſtum* ab ea dictum, ut à *vetus vetuſtum.* Idem colligunt ex eo, quod jungatur fratri Thubalcaino, hoc eſt Vulcano: cujus uxor Venus. Tantam etiam venuſtatem fuiſſe unius Naama prædicant, ut duo angeli Dei, Aza, & Azael, ejus forma capti, concubuerint, & ex ea dæmones genuerint, qui *Sedim* appellantur. Legere hoc eſt in libro Haozar. Eoque referunt, quod Geneſ. VI, 2, dicitur, *Viderunt filii Dei filias hominum eſſe pulcras, & acceperunt ex iis uxores, quas elegiſſent.* Sed ſi hæc ad Naama pertineant, fuerit ea diluvii cauſſa: eoque non meruerit virtutis ergo memorari in Scripturis. Præterea putidum eſt, quod de commiſtione angelorum cum feminis narrant. Eò alii Adamum, amore ejus captum prædicant. Imò ſi fidem his habemus, illis centum & triginta annis, quibus, ut ajunt iſti, ab Eva fuit ſeparatus, concubuit cum Naama, uti & Oheteth, Lilith, & Mahalath. Quatuor enim has eſſe dæmonum ex Adamo matres. Sed ſunt iſta tam inſulſa, ut ea poſuiſſe, ſit eadem refutâſſe. Alii igitur, ut in Bereſith Rab-

ba legis, eò cenſent commemorari à Moſe, quia fuerit uxor Noe: ex qua is genuerit Sem, Cham, Japhet. Sed cùm Noema fuerit ſeptima à Caino; ſic omne humanum genus, cumque beata Virgine ipſe Jeſus Chriſtus, ex Caino deſcenderent. Id cùm animus abhorreat putare, credere malo, omnem Caini progeniem diluvio interiiſſe. Quare etſi incertum ſit, qua de cauſſa Moſes Noema nomen expreſſerit: maximè tamen veriſimilis eſt eorum ſententia, qui quia jungitur tribus præclaræ rei inventoribus, Jabel, Jubal, & Tubalcain; eò & ipſam conjectant rei egregiæ repertricem. At nullum inventum femina dignius eſt textrinâ, & lanificio. Satis enim notum arbitror, apud antiquos non viros texuiſſe, ſed feminas: nec repertum hoc a gentibus viro tributum, ſed illi, quam Minervam dixere: uti & Diodorus in quinto fidem fecerit; ubi varia ejus inventa refert; atque in his reponit, τὴν τῆς ἐσθῆτος κατασκευὴν, *rationem conficiendarum veſtium.* Solùm in eo peccat Diodorus, quòd tot reperta uni adſignet. Nam variæ hoc nomine donatæ fuerunt. Itaque quinque Minervas recenſet Tullius in tertio de Natura Deorum. In his & illa Ægyptia, quæ Sais dicebatur. Verùm Græci omnia tribuere ſuæ malunt. Ea, regnante Ogyge, Bœotiæ rege, & Eleuſinis in Attica conditore, nata fuit, & educata ab Alalcomenia, Ogygis filia; indeque Ἀλαλκομενηΐς eſt vocata: uti quia eſt genita & enutrita juxta Tritonem, Bœotiæ fluvium, eò dicta eſt Τριτογένεια & *Tritonia.* Hæc ſi ſunt, fuerit ea Iſaaci, & Jacobi, patriarcharum temporibus. Quæ etiam ſententia eſt Euſebii in Chronicis. Sed dubiam, inter alia, narrationem reddit, quod pleríque Minervam eam natam dicant juxta Tritonem Libyæ. Tres enim Tritones fuere, ſecundùm Apollonii ſcholiaſten, Bœotiæ, Theſſaliæ, & Libyæ. Poſtremo horum tribuit quoque Statius Papinius lib. II Thebaid.

—— *Seu tu Libyco Tritone repexas*
Læta comas.

Sed parum credibile eſt, inter Libyas, & Græcos, tam vaſto mari diſcretos, tantam antiquiſſimis temporibus conjunctionem animorum fuiſſe, ut Græci inter Deos Libyſſam referrent. Et quid ad Libyæ Tritona recurrere eſt opus, ſi geminus ſit Trito in Græcia, & utrobique tantopere culta ſit Minerva? At de gentium hac diva ſatis.

Nunc de Iunone dicamus: quam apud ſe natam prædicant Cretenſes: ut, præter alios, teſtis eſt Diodorus in v. Qui & refert nuptias ejus cum Iove Cretenſi celebratas in Gnoſiorum terra ad fluvium Theronem: ubi poſtea conditum fuit Iunonis fanum, feſtumque etiam anniverſarium magna cum religione peragi ſolitum eſt à ſacerdotibus. Non minori tamen ſtudio hanc ſibi divam, tum Argivi vindicabant, tum Samii. Favet Argivis Homerus, qui Iliad. Δ eam Ἀργείαν a vocat. Pluraque de hac Pauſanias in Corinthiacis. Pro Samiis eſt, quod Apollonius, in Argonaut. primo, Ἰμβρασίην nuncupat. Ubi ſic vetus interpres: Ἴμβρασος, ποταμὸς Σάμου, ὃς μετεκλήθη παρθένιος, διὰ τὸ ἐκεῖ παρθένον οὖσαν τετράφθαι τὴν Ἥραν· *Imbraſus, fluvius Sami, qui cognominatus Virgineus, eo quod illic Iuno, cùm virgo eſſet, fuerit educata.* Itaque & Iſidorus lib. VIII Orig. cap. XI ait, Iunonem fuiſſe mulierem Samiam, ſed in Deos poſtea relatam. Nihil impedit, quo minùs omnes hi verum dicant. Nam quemadmodum multi fuere Ioves, ut ſuperiùs oſtenſum; ſic Iunones item multæ. Quarum ætates magna ex parte ſui Ioves oſtendunt. Argiva quidem Iuno Io fuit; quæ cùm Iunone cæleſti, & in ea, colebatur: quod ex parte expoſitum antea, & plenius poſtea explicabitur.

a *Argivam.*

Proximus eſto Veſtæ locus; vel ob cultus vetuſtatem, & ſummam quam in eo ſanctimoniam poſuere. Eam quoque Cretenſes apud ſe natam perhibent; ut refert Diodorus in v. Atque addit: λέγεται τὴν Ἑστίαν τὴν τῶν οἰκιῶν κατασκευὴν εὑρεῖν, καὶ διὰ τὴν εὐεργεσίαν ταύτην παρὰ πᾶσι σχεδὸν ἀνθρώποις ἐν ἁπάσαις οἰκίαις καθιδρυθεῖσαν, τιμῶν καὶ θυσιῶν τυγχάνειν. *Dicitur Veſta reperiſſe domorum architecturam: & ob hoc beneficium, ab hominibus univerſis, cunctis in ædibus honores & ſacrificii cultum eſſe adeptam.* At quomodo illa Veſtæ gloria eſt, ut architecturæ ſit repertrix, ſi ars ea jam antiqua eſt, ut penè à mundi fuerit incunabulis? An dicemus, uti Adamus eſt Saturnus, quod poſtea oſtendam; ſic filiam ejus Veſtam eſſe filiam Adami, quæ nupſerat Caino? Poſſum aliquid pro hac ſententia adferre ex Epiphanio: qui ſive ex Leptogeneſi, ſive aliunde, tradit, ex filiabus Adami natu maximam, quæ Σαυὴ diceretur, nupſiſſe fratri ſuo Caino. Cainus autem urbem ædificavit primus, quam à filii nomine Henochiam appellavit: ut eſt Geneſ. IV, 17. Magis veriſimilia adferant, qui poſſunt. Mihi proprium etiam inventum eo minus placet, quia Veſta potius foci, imprimis publici, præſes erat: architecturæ autem præerat Pallas: de quo Maro Ecl. II:

—— *Pallas, quas condidit arces,*
Ipſa colat.

Sed illuſtris imprimis eſt locus ille Luciani in Hermotimo: φησὶ γὰρ ὁ μῦθος ἐρίσαι Ἀθηνᾶν καὶ Ποσειδῶνα, καὶ Ἥφαιστον, ἐπὶ τεχνίας πέρι· καὶ τὸν μὲν Ποσειδῶ ταῦρόν τινα ἀναπλάσαι, τὴν Ἀθηνᾶν δὲ οἰκίαν ἐπινοῆσαι. *Fabula enim ait, Minervam & Neptunum ac Vulcanum contendiſſe de artificio: ac Neptunum quidem efformaſſe taurum, Minervam vero domum.* Quamobrem eò inclino, ut Veſtam non tam cenſeam eſſe numen animale, quàm naturale: de quo pleniùs libro dicam proximo.

Ceres unde hoc nomen acceperit, in naturæ cultu dicam. Neque enim hoc habuit nomen, dum in hominibus ageret; ſed aliud, quod intercidit: uti & filia ejus; cujus verus vocabulum quia effari non liceret, eò ἄρρητος κόρη a dicta eſt à Carcino, poeta tragico. Nempe in Deos relatis nomina mutabantur: quomodo, quæ antea Ino, vocata eſt Leucothea, vel Matuta; Romulus item Quirinus. Cur ea Deorum numero adſcripta ſit, docet his verbis Plinius lib. VII Nat. hiſtor. cap. LVI: *Ceres* (docuit) *frumenta, cum antea glande veſcerentur. eadem molere, & conficere* (panem) *in Attica, Italia, & Sicilia: ob id Dea judicata.* Ubi videmus principem Atticæ locum dati. Et favet huic ſententiæ Lucretius lib. VI:

a *Non nominanda virgo.*

Prima frugiferos fœtus mortalibus ægris
Dediderunt quondam præclaro nomine Athenæ,
Et recreaverunt vitam, legeſque crearunt.

Nec obſcura eſt ratio, cur eidem & frugum inventio, & legiſlatio, tribuatur. Nam poſtquam glandibus veſci homines deſiere: neceſſe fuit agros diſcerni ad conſerendum: unde jura nata ſunt. Hanc rationem adducit etiam Servius in illud Maronis IV Æn.

—— *Mactant lectas de more bidentes*
Legiferæ Cereri.

Ubi *Legiferam* vocat, ut Græci θεσμοφόρον, unde feſtum θεσμοφόρια, memoratum Ariſtophani, Demoſtheni, Iſæo, & cui non veterum?

Utrumque repertum etiam junxit M. Tullius Act. VII in Verrem. Item Ovidius V Metamorph.

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro,
Prima dedit fruges, alimentaque mitia terris,
Prima dedit leges, Cereris ſunt omnia munus.

Docuit verò Eleuſinios frugum ſationem ac leges, cùm in Atticam veniſſet ad filiam quærendam. Tum eam à Celeo, Eleuſinis rege, hoſpitio exceptam, ait Apollodorus lib. I Biblioth. Ac ſimiliter Menander rhetor, & ſcholiaſtes Hephæſtionis, ubi de Iambico verſu, ac Iambe, Celei famula, agit. Hujus filius, ex plurium ſententia, Triptolemus fuit; quem Ceres, ut beneficium patri rependeret, frugum docuit ſationem. Is poſtea longâ navi, ut Philochorus ait, frumentum urbibus diſtribuit. Quo occaſionem dedit fabulæ, quod ſerpente ſit vectus alato. Nam navis longitudo, ſerpentem, vela autem viſa ſunt alas referre. Quanquam & draco potuerit eſſe παράσημον b navis. Cereris ætatem ex Celei & Triptolemi temporibus cognoſcimus. Sed de eo jam diximus, cùm ſuperiùs de Atticis heroibus videremus. At falſo glo-

b *Inſigne.*

gloriabantur Athenienſes, à ſe fruges repertas. Quos rectè refellit Diodorus in quinto. Nam quomodo primi eas invenerint, cùm aliunde illatæ ſint, quas ſererent? Nam Eleuſis creditur dicta ἀπὸ τοῦ ἐλθεῖν a, quia primo ea frumenti donum accepiſſet, uti & Ceres Eleuſinia, quaſi quæ aliunde adveniſſet: ut præter Diodorum, quem dixi, cognoſcere eſt ex Ariſtidis Eleuſinio λόγῳ. Quamquam alii nomen arceſſunt ab Eleuſine heroe: de quo apud Pauſaniam. Veriſimile autem, deportatas Eleuſinem è Sicilia. Nam, ut Cicero ait actione VI in Verrem, *conſtat ex antiquiſſimis Græcorum literis atque monumentis, inſulam Siciliam totam eſſe Cereri, & Libero, conſecratam.* Communis etiam opinio eſt, in Sicilia raptam eſſe Proſerpinam: idque cùm ſe oblectaret colligendis floribus in prato Ennæo: qua de re ſic M. Tullius Verr. VI: *Nam & natas eſſe has his in locis Deas, & fruges in ea terra primum repertas arbitrantur, & raptam eſſe Liberam, quam eandem Proſerpinam putant, ex Ennenſium nemore: qui locus, quod in media eſt Sicilia ſitus, umbilicus Siciliæ nominatur.* Pluribuſque locum, ubi rapta eſt, poſtea deſcribit. Conſentit Diodorus libro V. Plutarchus in Timoleonte, ac è noſtris Clemens in Protreptico, & Arnobius libro V. Cùm verò Tullius, ut vidimus, dicat Cererem, & Proſerpinam, in Sicilia fuiſſe natas: veriſimile eſt homines Atticos à Cerere, heroïna Sicula, modum illum ſationis edoctos, qui in Sicilia multò antè obtineret. Quare non audio Cretenſes, qui, ut Diodorus in V ait, Cererem tradunt apud ſe natam, inde in Atticam, hinc in Siciliam, denique in Ægyptum profectam: & quia omnes iſti ſationem frugum à Cretenſi hac heroina didiciſſent, eò à morte divinis illam honoribus coluiſſe. In quo bis minimùm peccant: primùm quòd Siculos putant poſt Athenienſes accepiſſe fruges: deinde, ac imprimis, quòd etiam Ægyptios poſt eos frugibus uſos arbitrantur. Nec enim Athenienſes ipſi diffitentur, ſummùm ſub Cranao rege Cererem in Atticam veniſſe. At eo prior Cecrops rex Moſi fuit æqualis. Quanto autem priùs frumento Ægyptus uſa ſit, conſtare poteſt ex Joſephi hiſtoria apud Moſem. Imò & antea in frugum penuria è Cananæa eò profugit patriarcha Abrahamus; ut eſt Geneſ. XII, 10. Et ſanè quis Europæos credat ſationem frumenti ſciſſe ante Ægyptum, terram tam frugiferam, tam vicinam Aſiæ, nec multo poſt diluvium à Noachi poſteris cultam: unde & à Chamo ejus filio, terra Cham; à Chami filio, terra Miſraim, vocatur in Scripturis: ut inferiùs dicemus. Quanto igitur credibilius, & Cretenſes, & Siculos, & Athenienſes, beneficium hoc debere Ægyptiis! Apud quos rex Oſiris, & Iſis regina, tum ſationem docuere frumenti; tum leges de agrorum diſcretione, ob Nili inundationem annuam, tuliſſe dicuntur. Ad horum exemplum ſacra ſua inſtituerunt Græci in honorem ſeu Siculæ Cereris, ſeu Ægyptiæ Iſidos. Imò ſatis eſt veriſimile, eandem eſſe Cererem ac Iſidem, ut ab Ægyptiis traditum fuit. Diodorus in V: Αἰγύπτιοι μὲν γὰρ λέγουσι τήν τε Δήμητραν καὶ τὴν Ἶσιν τὴν αὐτὴν εἶναι, καὶ εἰς Αἴγυπτον ἐνεγκεῖν πρώτην τὸ σπέρμα. *Ægyptii dicunt, eandem eſſe Cererem ac Iſidem, primamque hanc ſemina intuliſſe Ægypto.* Valdeque hanc ſententiam firmat, quod Cereris ſacra apud Athenienſes tantopere convenirent cum ſacris Iſiacis; ut inferiùs oſtendam. Quid mirum? quando Danai filiæ hæc ſacra edocuere mulieres Pelaſgas: de quo credere debemus Herodoto in Euterpe. Danaus autem ex Ægypto Argos venit, quo tempore regnaret apud Athenienſes quartus rex Erichthonius. Græcorum igitur Ceres eadem ac regina Iſis: vel ſi id Siculis concedi poſtulamus, ut Græcorum Ceres heroïna fuerit Sicula, multo ſaltem poſterior fuerit Iſide: cujus ſacra adaptarint Græci Cereri ſuæ; præeuntibus ſive Danai filiabus, ut dicebamus; ſive, ut alii malunt, Diocle, & Eumolpo Thrace: ubi, ut tempora conveniant, (nam à Cerere hos ſacra edoctos ajunt) intelligendus junior Eumolpus; de quo vetus ſcholiaſtes ad Sophoclis Oedipum Coloneum.

a A proveniendo.

Superſunt ex Deabus Conſentibus duæ divæ moribus admodum contrariis, Diana virginitate gaudens, & Venus, vulgivagos amans amores.

Diana, ſive, ut Græci dicunt, Ἄρτεμις, virgo fuit Creſſa, Eubuli filia, venationi addictiſſima, eoque poſt mortem culta cum Diana, hoc eſt, Luna, & communi propterea nomine appellata. Hæc aliter Βριτόμαρτις dicitur à Cretenſibus; teſte Heſychio. Id nomen legas apud Callimachum hymno Dianæ, Strabonem lib. X, & alios. Significat *dulcem virginem*, teſte Solino cap. XVII. Prior pars βριτύ: de qua Heſychius: βριτύ, τὸ γλυκύ, ὡς Κρῆτες. Altera μάρτις, *virgo*: ex ὁμαρτεῖν, ut videtur, quia ὁμαρτεῖ τῇ μητρί, *matrem comitetur ac ſequatur*: ut παρθένος, ὡς τὸ περιθεῖν τῇ μητρί, *quia matrem circumcurſet.* Belgis etiam ſimula, *maerte*; nec tamen, ut puto, ex μάρτις, quomodo eandem *maget*, vel *maegt*, hoc eſt παρθένον vocamus: ſed à ſollicitudine Matthæ; de qua Evangeliſtæ. Nec Βριτόμαρτις modò, ſed & Δίκτυννα, Cretenſibus vocabatur. Quod & Palæphatus refert. Ejus nominis ratio gemina adducitur. Una eſt, quia invenerit caſſes venatorios. At δίκτυα, *retia*; quomodo Dictynna ſit *retiaria*. Altera autem, quia cùm fugeret violentiam Minois regis, ſeſe præcipitans de monte inciderit in retia, quæ jecerant piſcatores. Priorem nominis rationem leges apud Diodorum in quinto: imò & alteram, ſed ut refellat. Probat autem eam Pauſanias in Corinthiacis. Atque addit ille, uti Cretenſis eſt *Britomartis*, & *Dictynna*; ita ab Æginetis Ἀφαία nuncupari. Eandem eſſe, teſtis etiam Heſychius: imò & Antoninus Liberalis cap. XL; ubi itidem legas, ut cùm Minos amore ejus captus inſequeretur; illa fugiens, à piſcatoribus ſub retibus ſit occultata, atque ex eo *Dictynnæ* ſit nomen. Sed neque prætereundus illuſtris Maronis, ſeu alterius, in Ciri locus: qui corruptiſſimè legitur vulgo; ſed apponam, prout eum feliciter reſtituit Joſephus Scaliger:

Nunquam tam obnixè fugiens Minoïa amores
Præceps aerei ſpeculâ de montis abiſſes:
Unde alii fugiſſe ferunt, & nomen Aphææ
Virginis aſſignant: alii, quò notior eſſes,
Dictynnam dixere tuo de nomine Lunam.

Ubi videmus, ut poëta eam ſit opinionem ſecutus, quam Pauſanias adfert de Britomarti ſive Dictynna ſeſe præcipitante de monte. Eum montem vocatum Dictam, Callimachus retulit hymno in Dianam. Sed nonnullis improbari hoc Strabo ait in X: idque quia illa Dictynnæ appellatio ſit à Cydoniatis: mons autem Dictæ longiſſimè à Cydoniatis abſit. Atqui illi ſic poteſt occurri, non eſſe Cydoniorum tantùm appellationem, ſed omnium Cretenſium, & quando Cydones ſive Cydoniatæ ſoli nominantur, id fieri κατὰ συνεκδοχήν, qua ſpecies ſive pars ponitur pro toto. Aliter autem diluere conatur Diodorus Siculus. Ait is, adverſari hoc moribus regis Minois, ut vim inferre voluerit honeſtæ præclaræque adeo natæ virgini: quippe qui ab omnibus juſtitiæ nomine commendetur. Notum; ut propterea poëtæ ſint commenti, eum cum Æaco, & Rhadamantho, judicia apud inferos exercere. Sed hæc quoque infirma ſunt. Nam confundit Diodorus Minoas duos: quorum uterque in Creta regnavit: uti oſtenſum nobis, cùm de Iove Cretico tractaremus. Sic igitur ſtatuimus, adamatam Britomartim à ſeniori Minoe: ac quia tantæ fuiſſet pudicitiæ, ut omnes omnium, etiam regis Minois, impudicos ſperneret amores, eò poſt exceſſum in Deas relatam: quoniam autem Dianam venatricem coluiſſet, imò caſſes venatorum repeririſſet, eodem Cretenſes illam & nomine, & fano, & cultu, quo Dianam, coluiſſe. Diana enim venationi præeſt, quia venationes nocturnæ lumine egent Lunari.

Sub Veneris nomine Cyprii coluere amicam vel concubinam Cinyræ, regis Cypri; quem Cecropis ætate, vel paullo pòſt vixiſſe, colligo ex Apollodori libro III. At Cecropem Moſi fuiſſe æqualem, ſatis convenit. Primus autem Cinyras fuit, qui hanc Cypriam Venerem referret in Deos: ut prodidit Clemens Alexandrinus Admonitione

ad Gentes, & Theodoretus lib. III de Curatione Græc. Affect. Non uxorem tamen, ſed ſcortillum ejus fuiſſe, arguit etiam cognomentum φιλομμήδης, quaſi dicas *genitalium amantem*. Nam Græcis ea μήδεα, teſte Heſychio. Idem firmat ritus ille, quo nummus offerretur ab initiatis, ut amator meretrici ſolet. Ejuſdem eſt generis, quòd in ſacris ejus oſtenderentur ſalis pugillus, & phallus ſive veretrum. Prius inde erat, quod ſalis eſus faciat ſalaces. Phallus autem συνουσίας a erat ſymbolum. Paphi vixiſſe, dum inter homines ageret, ait Iſidorus lib. VIII Orig. cap. XI. Et favet, quod apud Clementem lib. X Recognitionum *b* legere ſit, Cypriæ Veneris ſepulchrum in Cypro fuiſſe.

a Concubitus.
b Fol. 110 edit. Sommianæ an. 1568.

CAP. XVIII.

A Diis Conſentibus ad alios itur Selectos. Quàm variè Romani interpretentur vocabulum Genii. *Varia allata, quibus comprobari videatur, Ianum eſſe Noë: qui &* Xyſithus *vocatus à gentibus. Veriſimilius interim eſſe, Ianum eſſe Iavan, patrem Iaonum, ſive Ionum. Horum dialectum cum Dorica obtinere principatum. Romanos ſacra ſua accepiſſe ab Albanis, Sabinis, Thuſcis. Saturnum videri Adamum, tum ob ea, quæ de aureo ſeculo ſub Saturno fabulantur: tum quia gentiles ipſi confitentur, ante Saturnum hominem fuiſſe neminem: tum ob multa adeò, in quibus hiſtoria Saturni, & Adami conveniant. De Saturnalium ſervorum libertate. In Saturno, & filiis, umbram conſpici doctrinæ de Noacho cum liberis. Pluto cur* Ageſilaus *dictus. Noachum etiam adumbratum in Prometheo, ſub quo diluvium dicitur contigiſſe: ſed præter eum alios celebrari à poetis. An & Saturnus intelligatur in Abrahamo patriarcha, ſacrificare parato filium unigenitum. Euſebius emendatus.*

HAbemus de XII Diis Conſentibus: ſequitur de iis, qui licet in Conſentibus non ſint, in Selectis tamen numerantur. Quales ſunt octo, tres corporales, Sol, Luna, Tellus; de quibus libro proximo: quinque item ſpirituales, Genius, Janus, Saturnus, Liber, & Pluto.

Genii vox variè à Romanis accipitur. Eſt cùm intelligunt animam corpori conjunctam humano. Unde dixere, genium unà gigni nobiſcum: ut videre eſt apud Cenſorinum de die natali cap. III. Sic ſumitur, cum dicimur, *genio indulgere*, vel *eum defrudare*. Ea ſignificatio non eſt hujus loci, quia agimus nunc de ſpiritu à corpore libero. Eſt item cùm genius ponitur pro anima defuncti. Hinc Servius in VI Æn. *Genios* interpretatur *manes*. Imò, ut Cenſorinus inquit, *Eundem eſſe genium ac Larem, multi veteres memoria prodiderunt: in queis etiam Granius Flaccus, in libro, quem ad Cæſarem de Indigitamentis ſcriptum reliquit.* Verùm de Manibus ac Laribus univerſè diximus antea: particulatim autem nunc tractamus de manibus eorum, quos inter Deos publica adſcivit auctoritas. Præterea genios dixere ſpiritus cuſtodes; quos Deus, vel obſervatores homini appoſuit, vel tutelæ præfecit loci, præcipuè urbis, vel regionis. Hinc Servius in I Georg. *Genium dicebant antiqui naturalem Deum uniuſcujuſque loci, vel rei, aut hominis.* Qui hominis eſt, is Ammiano Marcellino lib. XXI dicitur, *Genius tutelæ ſalutis appoſitus.* Hic eſt; *—genius, natale comes qui temperat aſtrum:* ut Horatius *a* deſcribit. Qualis generali quidem nomine, ſeu viro, ſeu feminæ additus, *genius* vocatur: ſed particulatim appoſitus feminæ, dicitur *b Juno*. Loci verò Deos genios appellari, indicat Feſtus. Unde veteres quædam inſcriptiones, LOCI HUJUS GENIO. Et apud Arnobium lib. I, *Civitatum genios*. Etiam Claudianus epiſt. ad Severam, *regni genium* dixit Symmachus quoque Relatione ad Valentin. Theodoſ. & Arcad. *Ut animæ naſcentibus, ita populis fatales genii dividuntur.* De quibus dictum antea, cùm de angelorum natura, officio, & cultu ageremus. Quamobrem non eſt, quod hic de Genio plura quis exſpectet. Ad cæteros igitur pergam Deos Selectos.

a Lib. 2. epiſt. 2.
b Sen. ep. 110. Plin Hiſt. l. 2, c. 7. Jun. Philarg. in Eccl. IV, & ex eo Politian.

De Iano multorum ea opinio eſt, hunc Noë eſſe. Et favet vocabulum, quòd vicinum eſt voci יין, *iain*, id eſt, *vinum*. Imò & ab יין Græci dixere οἶνον, Æoles ϝοῖνον, unde Latini, extrito o, *vinum*. Noë vinum repeſſe, jam antea diximus. Pro eâdem opinione eſt, quòd Janus fingitur bifrons; quia & priorem viderit mundum, & alium poſt diluvium. Item quòd Latium, (ubi Janum eſſe cultum conſtat, unde & parti veteris Romæ nomen erat *Ianiculi*) Oenotria tellus vocabatur: Οἰνωτρία enim ab οἶνος *a*. Etiam quia Noë initium erat alterum generis humani, eò illi ſub Jani nomine rerum initia dicarunt. Itaque initio ædium nomen datum *janua*: initio menſium, *Ianuario*. Fortè & eò referendum, quòd Alexandro Polyhiſtori, & Abydeno, diluvii univerſalis hiſtoriam narrantibus, Noë dicitur Xyſuthrus: ut eſt apud B. Cyrillum initio libri primi contra Julianum deſertorem: atque addit, Aſſyriam vocem videri. Nec adverſer, quandoquidem vicina vox זז, *ziz*, unde מזוזה *mezuza*, *poſtis*, *limen*. Habes Deuter. VI, 9. A *ziz*, vel *zuz*, quatenus *poſtis*, vel *liminis*, habet ſignificationem, per ἀναδίπλωσιν fuerit *Xiſuthrus*: atque ita dictus ſit Noë, tanquam poſtis, ſive limen, vel janua, hoc eſt, primordium omnium, qui ab diluvio fuere, ſunt, vel erunt.

a Vinum.

Etſi verò opinionem hanc nolim improbare: potiùs tamen Janus videtur eſſe יון Javan, filius Japeti, Europæorum parentis: unde Horatio *b* dicimur, *Iapeti genus*. Atque uti Japetus Europæorum, ita Javan Græcorum origo erat. Imò & nomen ab eo Ionibus: Græci autem veteres in Iones, & Dores, dividebantur: Attici ad Iones pertinent: unde mari inter Italiam, & Græciam, Ionio nomen. Æoles verò ad Dores referuntur: unde Pindarus, quem conſtat Doricè ſcripſiſſe, ait ſe canere Αἰολίδι μολπῇ *c*. Ut duæ ſint principes dialecti. Communis enim lingua non eſt propria dialectus; ſed accidunt ei dialecti. Qui autem Ἴωνες vulgo, hi primitus Ἰάονες vocabantur. Unde Homerus Iliad. N *d*:

b Lib. 1, od. 3.
c Æolico cantu.
d Verſ. 685.

> Ἔνθα δὲ Βοιωτοὶ καὶ Ἰάονες ἑλκεχίτωνες.
> *Illic autem Bœoti, & Iaones longis veſtibus.*

Quo ipſo Strabo in IX adſtruit, quemadmodum Ἰωνία primò dicta Ἰὰς, ſic Ἴωνας priùs nuncupatos Ἰάονας. Ex Ἰάων igitur, ſive obliquo Ἰάονος fit *Iaonus*. Solent enim Latini rectos formare ex obliquis; ut à κυνὸς, *canis*. Ex Iaonus autem *Ianus*; ſimili ſyncope, ac ex Ἰάων, Ἴων. Pro Ἰάων autem Æoles dixere Ἰάϝων, cum digamma: ut ὄϝις, pro ὄϊς, unde *ovis*. Ac Ἰάϝων propiùs accedit ad Hebræum *Iavan*. Nihil verò refert, utrùm *Ianus* tractum dicas ex *Iaonus*, vel *Iavonus*, aut *Iavanus*. Sufficit; quòd, ut Noë fons & caput omnium fuit; ejus autem filius Iapetus origo erat Europæorum: ita in Europæis nepos Iavan, tum Græcorum, tum Latinorum, fuerit parens. Quanquam nec fortaſſe opus ſit recurrere ad Græcos; modò Latini à Thuſcis, Thuſci ab Aſiaticis, hoc numen acceperint. Quæcunque enim ſacra habuere Romani, ea vel habuere ab Albanis, qui à Phrygibus oriundi: vel ab Oſca Sabinorum gente; quos aliqui, quaſi *Sebinos*, ἀπὸ τοῦ σέβεσθαι *e* dici putarunt; teſte Plinio lib. III Hiſt. Nat. cap. XII, & Feſto Pompejo: vel à Thuſcis; quos quaſi θυοσκόους *f* ἀπὸ τοῦ θύειν *g*, ob ſacrificiorum frequentiam, dictos eſſe, cenſet Servius in X Æn. & Iſidorus in de libro XIV Orig. cap. IV. Thuſcos autem ex Aſia veniſſe, ibidem indicat Servius: ut qui dicat, eos ex Mæonia in Italiam profectos.

e Colendo Deos.
f Sacrificos.
g A ſacrificando.

Atque ex his cognoſcere eſt, unde Romani acceperint Iani numen. Cùm verò ſcirent, reges antiquis ſolere temporibus inſeri ordinibus Deorum: facilè ſibi perſuaſerunt, Ianum eſſe veterem Latii regem: quam ſententiam etiam ſecutus eſt Junianus Juſtinus Philippicæ ex Trogo hiſtoriæ lib. XLIII. Sed ſi Ianus eſt Iavan, parum eſt veriſimile poſuiſſe in Latio ſedem. Potius ſeu Aſiatici, ſeu Græci, hoc Iavani ſive Iani numen in Thuſciam, vel Latium intulerint.

Qui Ianum Italiæ regem fuiſſe volunt, pro ſe adferunt, quòd Ianiculum condiderit: ut ait Maro lib. VIII, & Macrobius lib. I Sat. cap. VII. Sed potiùs Ianiculum

lum

lum ex eo nomen acceperit, quia olim in Jani fuerit tutela. Quamquam, ut Janiculum exſtruxerit, ſic quoque homo fuerit; eoque rectè à nobis inter illos ex hominibus in Deorum numerum relatos, tribuatur locus.

De Jano ſatis dictum: deinceps ad Saturnum tranſeamus. Quem Adamum eſſe ſtatuimus. Atque hoc ut melius perſpiciatur; conſiderabimus, quantopere ea, quæ de aurea Saturni ætate fabulantur poëtæ, conveniant primæ primi hominis ætati: quam graphice admodum depinxit nobis poëtarum ingenioſiſſimus *a*:

a 1 *Met.*

Aurea prima ſata eſt ætas: quæ vindice nullo
Sponte ſuâ ſine lege fidem, rectumque colebat.
Nondum præcipites cingebant oppida foſſæ:
Non galeæ, non enſis erat.

Addit deinde:

Ipſa quoque immunis, raſtroque intacta, nec ullis
Saucia vomeribus per ſe dabat omnia tellus:
Contentique cibis nullo cogente creatis
Arbuteos fœtus, montanaque fraga legebant.
Ver erat æternum, placidique tepentibus auris
Mulcebant Zephyri natos ſine ſemine flores:
Mox etiam fruges tellus inarata ferebat.

Quàm bellè ea conveniunt hominis ſtatui in paradiſo! Ut mihi quidem dubium ſit nullum, quin ex traditione aliqua hæc hauſerint poëtæ. Nempe prima hominum ætas in poëtis eſt eadem, ac prima in Scripturis: eoque Saturnus eſt idem, ac Adamus. Saturnum enim non aliud, quàm hominem, fuiſſe; ne gentium quidem hiſtorici negare auſi unquam fuerunt. Advocare eos omnes longum foret: contentus nunc ero locupletiſſimo teſte, Tertulliano; cui etiam hac parte ſubſcribunt Minucius Felix in Octavio, & Lactantius lib. 1 de falſa relig. cap. XIII. Verba graviſſimi illius ſcriptoris, (Tertullianum dico) hujuſmodi ſunt Apologetici cap. X: *Ante Saturnum Deus penes vos nemo eſt. Ab illo cenſus totius, vel potioris, vel notioris divinitatis. Itaque quod de origine conſtiterit, id & de poſteritate conveniet. Saturnum itaque, quantum literæ docent, neque Diodorus Græcus, aut Thallus, neque Caſſius Severus, aut Cornelius Nepos, neque ullus commentator ejuſmodi antiquitatum, aliud, quam hominem, promulgaverunt.* Si omnes gentium Dii fuere homines; nec ante Saturnum ullus gentium Deus fuit: quis Saturnus ſit, niſi Adamus, ante quem homo non fuit? Quid mirum igitur, ſi tam multa, quæ conveniebant Adamo, gentiles tribuerint Saturno? Quod nomen tum meruit Adamus, cùm pudore nuditatis *b* ſe abſconderet à facie Domini. Nam *ſatar* Hebræis *latère*: ut *Saturnus* idem ſit ac *Latius*: unde terra, quæ veteri linguâ dicta eſt *Saturnia*, *Latium* etiam vocabatur: ut ex Marone, & aliis, diſcimus. Imperium igitur, quod primus obtinuit Saturnus, imperium eſt illud, quod primus obtinuit Adamus: cùm ei, & uxori Dominus dixiſſet *c*, *Replete terram, & ſubjicite terram, & dominamini piſcibus maris, & volatilibus cæli, & univerſis animantibus, quæ moventur ſuper terram.* Sed excidit hoc dominio Adamus; imò paradiſo eſt exactus: atque ita finem habet primæva felicitas. Etiam imperio excidit Saturnus; quippe regno expulſus: atque ita finem ſeculum habet aureum. Poſtea Adamus factus eſt agricola, & agriculturam docuit ſuos. Primus etiam Saturnus inveniſſe ac docuiſſe dicitur agriculturam: unde & cum falce meſſoria fingebatur: & à Latinè tantùm gnaris à ſatione ita dici putabatur. Quid quòd ne natales quidem diſcordant? Adamus Dei filius vocatur *d*: quia non alium agnoſceret patrem, quàm cæleſtem. Etiam Cæli filius fuiſſe dicitur Saturnus. Adamus formatus ex argilla, & pulvere terræ. Saturno quoque mater tribuitur Tellus, non ab Heſiodo modò; ſed in hymnis etiam, ſive potius Initus, quæ Orpheo tribuuntur, cùm *e* Onomacriti ſint.

b *Geneſ.* 3, 10.
c *Geneſ.* 1, 28.
d *Luc.* 3, 38.
e *Tatianus*, & *Suidas*.

Idem oſtendit cultus ratio apud Græcos, & Romanos. Ut quod menſe Decembri XVI Kal. qui dies Saturnalium erat Romanis, ſervi libertate fruebantur. Imò per id tempus ſervis accumbentibus Domini miniſtrabant. Quod oſtendunt hi Attii verſus apud Macrobium Saturnalium lib. 1, cap. VII:

Maxima pars Grajûm Saturno, & maximè a *Athenæ,*
Conficiunt ſacra, quæ Cronia eſſe iterantur ab illis.
Eumque b *diem celebrant: per agros urbeſque fere* c *omnes*
Exercent epulas d *læti: famuloſque procurant*
Quiſque ſuos: noſtrique itidem. Et mos traditus illinc
Iſte, ut cum dominis famuli e *epulentur ibidem.*

a *Alii*, maximæ.
b *Vel* ἀρχαίκῶς imque: *quod Iſacius Pontanus malebat.*
c *Vel* urbeſque per omnes: *ut in Anglicano codice reperit Pontanus. Sed malim* fere, *quia non ubique ea conſuetudo.*
d *Alii*, epulis.
e *Qui bia- ... poëtis veteribus uſitatum refugiunt, malunt*, famuli tum.

Atque hoc *libertatem Decembrem* vocat Horatius Saturn. VII, lib. II. Clarè etiam hanc conſuetudinem referunt Athenæus in XIV, & Dio lib. LVIII. Nempe ratio proclivis ex mixto hoc cultu Naturæ, & Adami. Nam naturâ omnes liberi naſcimur: eoque antiquiſſimis temporibus, quibus naturæ ſequebantur ductum, homines ſervitio aut libertate minimè diſtinguebantur. Rationem hanc in Trogi epitome adfert Juſtinus lib. XLIII: *Rex Saturnus tantæ juſtitiæ fuiſſe traditur, ut neque ſervierit ſub illo quiſquam, neque quicquam privatæ rei habuerit: ſed omnia communia, & indiviſa omnibus fuerint, veluti unum cunctis patrimonium eſſet. Ob cujus exempli memoriam cautum eſt, ut Saturnalibus, exæquato omnium jure, paſſim in conviviis ſervi cum dominis recumbant.* Ac ſimiliter Saturnus ipſe loquitur apud Lucianum ἐν τοῖς πρὸς Κρόνον, dialogo 1: Καὶ δ᾽ ἐπὶ τούτῳ ἀπανταχοῦ κρότος, καὶ ᾠδή, καὶ παιδιά, καὶ ἰσοτιμία πᾶσι καὶ δούλοις, καὶ ἐλευθέροις· οὐδεὶς γὰρ ἐπ᾽ ἐμοῦ δοῦλος ἦν. *Ac propterea ubique plauſus, & cantus, & ludus, & æqualitas honoris, omnibus tum ſervis, tum liberis. Nullus enim me regnante erat ſervus.*

Præterea in Saturno conſervatæ nobis reliquiæ quædam de patriarcha Noë. Nimirum videbant, ut Adamus omnium, excepto nemine, origo eſt: ita Noë primum eſſe omnium, qui poſt cataclyſmum vixere. Adam habuit imperium totius orbis. Habuit & Noë cum ſua familia. Saturni tres filii dicuntur. Totidem ſunt Noachi. Diſtribuêre illi inter ſe orbis imperium. Hi item, vel eorum poſteri, diviſere orbem univerſum. Nec ejus diviſionis memoriam penitus inter gentes eſſe exſtinctam, oſtendunt verba Euhemeri in ſacra hiſtoria ab Ennio tranſlata: *Jupiter imperium Neptuno dat maris ac inſulis omnibus, & quæ loca ſecundùm mare eſſent, omnibus regnaret.* Citat Lactantius lib. 1 de falſa relig. cap. XI. Atque idem Lactantius paullo ante ſic ſcripſerat: *Ita partiti ſortitique ſunt, ut Orientis imperium Jovi cederet; Plutoni, cui nomen Ageſilao fuit, pars Occidentis obtingeret; eo quod plaga Orientis, ex qua lux mortalibus datur, ſuperior; Occidentis autem inferior eſſe videatur.* Ubi quòd Orcum ait vocatum *Ageſilaum*, id quoque ex Athenæi tertio conſtat. Sed ſic dictus à poëtis, quia πάντας ἄγει λαοὺς, *omnes agat populos*. Ut hæc appellatio non videatur Plutonis, quatenus hominem; ſed quatenus naturam notat hominum, quibus omnibus moriendum. Verum autem Plutonis nomen, ſi conſiſtimus in tripartita orbis diviſione, unius fuerit è liberis Noachi: non Semi quidem, cui Oriens obtigit; ſed vel Chami, unde Ægyptii & Libyes; vel Japeti, à quo Europæi. Nam cuncti hi ad Occidentem, ratione Aſiaticorum. Commodiùs tamen Chamum credas Plutonem, tum ob cauſſas quas antea dixi; tum ut improbus ille ſortitus ſit nomen inferi numinis. Japetum verò dixeris Neptunum, quia ejus poſteri prius occuparunt mare & inſulas Aſiæ vicinas, quàm Europæ continentem. Alia etiam firmandæ huic ſententiæ adducit Goropius Becanus. Ipſum adi. Nam, uti Ovidius ait, non omnia fingere Cretenſes: ita Becanum dixero, non ſemper nugari; virum judicii quidem mediocris duntaxat, ſed magni ingenii, nec minoris doctrinæ.

Nec propterea exiſtimandum, per Jovis, Neptuni, Plutonis nomina, quando per ea heroes potiùs, quàm naturæ partes, intelliguntur, ſemper Noachi tres filios ſignari. Longè enim aliter ſe rem habere, fidem ea fecerint,

quæ

quæ ſuperiùs diximus, cùm multos recenſeremus Joves, eoſque ad tempora ſua reduceremus.

Obiter hoc addam, patriarcham Noë non in ſolo nobis adumbrari Saturno, ſed etiam Prometheo: cujus feſtum Athenis Προμήθεια dictum; in quo certamen lampadum; ata item in Academia, ad quam accendi in certamine hoc lampades ſolent; uti auctores Harpocration, & Ariſtophanis ſcholiaſtes in Ranas. In Prometheo autem Noë quandoque intelligi, arguit, quod diluvium ſub eo contigiſſe prædicant. Sic enim Diodorus in primo his verbis: Τὸν Νῆλον φασι ῥαγέντα κατακλύσαι πολλὴν τῆς Αἰγύπτου. καὶ μάλιστα τοῦτο τὸ μέρος ἐπελθεῖν, οὗ Προμηθεὺς εἶχε τὴν ἐπιμέλειαν, διαφθαρέντων σχεδὸν ἁπάντων τῶν κατὰ ταύτην τὴν χώραν. *Nilum ajunt, ruptis aggeribus, magnam Ægypti partem inundaſſe, maximeque eam partem, cui Prometheus cum imperio præerat; cum omnes penè ejus ditionis homines diluvio perirent.* Neque eſt, quod dicat aliquis, non de univerſali cataclyſmo loqui, ſed particulari; ut quem in Ægypto terram Promethei dicat obruiſſe. Nam, ut Græci ſuis omnia heroibus tribuunt, ita & ſuis Ægyptii. Itaque ex diluvio univerſali fecerunt particulare Ægypti: quale nullum fuit. Scio, ab Euſebio in Chronico canone dici, ſub Ogyge fuiſſe diluvium Ægypti. Sed Ogygium diluvium in Attica, non Ægypto fuit. Uti Deucalioneum poſtea in Theſſalia, Cecrope, vel aliquanto poſt eum, Cranao in Attica imperium obtinente. Qua de re vide, quæ ex Africano, vel alio, apud Cedrenum legere eſt. Quamobrem ſic cenſeo, quæ de Ægypti diluvio ſub Prometheo dicuntur, reliquias quaſdam veteris eſſe traditionis de diluvio ſub Noacho. Nulli quidem meliùs illa de Prometheo, quam Noë conveniunt. Primum nomen ipſum ſpectemus. Προμηθεὺς eum ſonat, qui ante malum ſapit; uti Ἐπιμηθεὺς, qui ſerò ſapit. Noë autem, divinitus edoctus, diluvium prævidit, ac, credens Deo, ſe, & ſuos ſervavit; incredulis, Epimethei inſtar, ſerò nimis, diluvio jam omnia occupante, ſtultitiam ſuam deplorantibus. Præterea Prometheus condidiſſe dicitur humanum genus. At pater omnium mortalium Noachus. Quæque paullo antè de certamine lampadum dicebamus, nihil aliud ſignificare videntur, quàm quòd priores ſemper (quomodo loquitur Lucretius in ſecundo) *Quaſi curſores vitai lampada tradunt.* Uxor ejus Aſia dicitur, etiam Herodoto in IV. At non alia Noacho uxor, quàm Aſia, ſive Aſiatica; omneſque ex terra Aſia originem ducimus. In uno diſcordant, quod Prometheus Japeti dicitur filius. Sed nihil mirum, ſi in ſeculis, tam longè remotis, antiquitas patris & filii nomina confuderit. Nam Japetus, qui eſt Japhet, filius Noachi fuit, Europæorum pater: unde *Japeti genus* dicimur à poëta *a*: quamquam ille hoc de omni genere humano accipi voluerit. Interea ſic ruderibus in iſtis quoque reliquiæ apparent quædam priſcæ traditionis. Quod nomen habuerit uxor Japeti, ne Moſes quidem prodidit. Quare cùm ignoraretur, finxere Græci nomen non ineptum. Nam Heſiodo in Theogonia vocatur Κλυμένη, quaſi κλυτὴν, ſive inclytam mulierem dicas: quippe tot inclytarum Europæ gentium matrem. Itaque facile mihi perſuadeo, ut plures Joves, & Hercules, ſic plures fuiſſe Prometheos: quorum Græcis celebratiſſimus Atlantis Aſtrologi pater, à quo & monti nomen attributum. Ad Abrahæ annum CCCCXXXI refert Euſebius; ad ann. CXI ante diluvium Deucalionis. Atqui dicitur pater fuiſſe Antæi illius, quicum Hercule decertavit: ubi ſi Hercules Thebanus intelligatur, Prometheus duabus ſolùm generationibus antecelſerit bellum Trojanum. Ut is quidem non poſſit eſſe σύγχρονος *b* patriarchæ Abrahami, & longè alius ſit à Noë patriarcha. Sed, ut dixi; plures poëtæ in unum confuderunt: quemadmodum, quæ tot Hercules geſſere, ea perperam uni tribuunt Thebano.

a *Horat. lib 1, od 3.*

b *Coætaneus.*

Fortaſſe & patriarcha Abraham in Saturno colebatur. Pro quo non aliud occurrit, quàm locus ille Porphyrii ab Euſebio adductus in primo Præparationis Evangelicæ: Κρόνος τοίνυν, ὃν οἱ Φοίνικες Ἰσραὴλ προσαγορεύουσι, βασιλεύων τῆς χώρας (Φοινίκων) καὶ ὕστερον μετὰ τὴν τοῦ βίου τελευτὴν εἰς τὸν τοῦ Κρόνου ἀστέρα καθιερωθεὶς, ἐξ ἐπιχωρίας Νύμφης Ἀνωβρὲτ λεγομένης, υἱὸν ἔχων μονογενῆ· ὃν διὰ τοῦτο Ἰεοὺδ ἐκάλουν, τοῦ μονογενοῦς οὕτως ἔτι καὶ νῦν καλουμένου παρὰ τοῖς Φοίνιξι· κινδύνων ἐκ πολέμου μεγίστων κατειληφότων τὴν χώραν, βασιλικῷ κοσμήσας σχήματι τὸν υἱὸν, βωμὸν τε κατασκευασάμενος, κατέθυσεν. *Saturnus igitur, quem Phœnices Iſraëlem nominant, quemque poſt obitum in aſtrum ejuſdem nominis conſecrarunt; cum iis in locis regnaret, ac filium unigenam ex nympha quadam indigena, nomine Anobret, haberet, quem propterea Ieoud dixere vocabulo hodieque unigenam notante lingua Phœnicia, cumque in graviſſimum belli periculum regio incidiſſet; illum ipſum regio ornatum habitu in ara ad hoc exſtructa immolavit.* Ubi tria hæc dici videmus; Iſraël eſſe Phœniciæ regem vetuſtiſſimum, eundem ac Saturnum: fuiſſe Iſraëli filium μονογενῆ *a*, unde *Ieoud* dictus ſit Phœnicibus: illum eſſe à parente immolatum. Unde potius hæc originem duxiſſe arbitremur; quam quod Iſraëlem nepotem confuderit cum avo Abrahamo? cui mandatum, ut ſacrificaret Deo filium μονογενῆ. Sic enim eſt Genel. XXII, 2: *Accipe filium tuum, unicum tuum.* Ubi *unicum* Hebraicè dicit יחיד, *jehid:* quod valde convenit cum Phœnicio *jehoud.* Nempe hæ linguæ ſola differebant dialecto. Et jam in Orphaicis etiam, ſive Onomacriticis, Abraham vocatur μονογενής; ubi confunduntur Abraham & Iſaac; uti ſuperius Abraham & Jacob. Hæc arbitror ſic ſatis veriſimilia videri. Nolim tamen ſuper illis cum aliquo contendere. Video ipſe, quæ jure ſcrupulum injicere poſſint. Præcipuè illud, quod parum credibile eſt, Phœnices pro Deo ſummo, hoc eſt Molocho, ſive Saturno, habituros Iſraëlem, parentem gentis vicinæ, maximé que exoſæ: quod ſatis ſacra teſtatur hiſtoria. Itaque corruptus videtur Euſebii locus, proque Ἰσραὴλ legendum Ἰλ. Occaſionem præbuerit errori, quod qui compendio literarum ſtuderent, ſæpius Ἰλ pro Ἰσραὴλ lineolâ ſuperinductâ exararent. Atqui hic nihil tale erat: quia Phœnicibus *il*, qui Hebræis *el:* quod unum ex decem *b* Dei nominibus. Eos verò Saturnum, non Iſraëlem, ſed Ilum dixiſſe; ipſe nobis auctor Sanchoniathon, idque apud Euſebium hunc, eodem libro. Verba ſunt iſta: Παραλαβὼν δὲ ὁ Οὐρανὸς τὴν τοῦ πατρὸς ἀρχὴν, ἄγεται πρὸς γάμον τὴν Γῆν, καὶ ποιεῖται ἐξ αὐτῆς παῖδας δ΄, Ἶλον, τὸν καὶ Κρόνον, καὶ Βίτυλον, καὶ Δαγῶνα, ὅς ἐστι Σίτων, καὶ Ἄτλαντα. *Cœlum autem, ubi paternum accepit imperium, Tellurem duxit uxorem, ac filios ex ea genuit quatuor; Ilum, qui Saturnus dictus eſt, & Betylon, Dagonem, qui aliter Sito, & Atlantem.* Apertior etiam locus iſte ejuſdem Sanchoniathonis ibidem: Οἱ δὲ σύμμαχοι Ἴλου, τοῦ Κρόνου, Ἐλωεὶμ ἐπεκλήθησαν, ὡς ἂν Κρόνιοι οὗτοι ἦσαν οἱ λεγόμενοι ἐπὶ Κρόνου. *Socii autem Ili, qui idem Saturnus erat, Eloim, quaſi Saturnios appellarunt à Saturno.* Ubi Ἐλωεὶμ non aliud eſt, quam Hebræorum אלהים, *Elohim:* quomodo ſubinde angelos, judices, falſos etiam Deos; imò & ſummum atque unicum Deum, Moſaici operis initio, & paſſim in Scripturis vocari, vel pueris conſtat. Atque ad hanc conjecturam, quam certiſſimam arbitror, in familiari ſermone mihi præire memini divinum virum, Hugonem Grotium, illuſtriſſimum regni Suecici, apud Chriſtianiſſimum regem, legatum.

a *Unigenam.*

b *Hieronymus epiſt. 136 ad Marcellam.*

Cap. XIX.

Noë eſſe in Libero cultum: perperam tamen ex Noachi vocabulo nomen Bacchi deduci. Triplex ratio, cur Liber Jovis filius dicatur: una quia omnes ſimus filii Dei: altera, quia natus, illegitime quidem, ſed patre præcellenti: tertia quia ipſe excellens virtute, & Jove dignus filius. Liber è Jovis femore natus dicitur: quo alluſum forte à Guilielmo Conquæſtore: & quæ cauſſa, cur inde editus Liber dicatur. Ætas Liberi Thebani. Διόνυσος unde nomen acceperit, variè diſſeritur. Plutonem videri Chamum: atque hoc etiam veriſimilius reddi, ſi Janus ſit Noë. Nam quod Janus bifrons dicitur, optime Noë convenire: & Saturnum, cujus filius

lius Pluto, Phœnicibus creditum bifrontem. Plutonem, ſi is quidem Chamus, non tam à parente Noë, quam à poſteris, in Deos relatum eſſe. Cur Pluto mortuis præfectus. Plutonis Græcanici ætas oſtenſa.

COgnovimus de Saturno. Nunc venio ad Liberum ſive Bacchum. Cùm autem multi fuerint Bacchi, primùm videamus de antiquiſſimo: qui & ipſe non alius eſt, quàm Noë. Quippe hic primus vites plantavit, vinique conficiendi docuit rationem: ut cognoſcere eſt ex Geneſ. IX, 26. At hoc inventum Liberi eſt. Qui iccirco Naſoni in IV Metam. dicitur,

—— *Lenæus genialis conſitor uvæ.*

De eodem ſic Diodorus lib. V ex Cretenſium fide loquitur: Διόνυσον ἢ μυθολογοῦσιν εὑρετὴν γενέσθαι τῆς ἀμπέλου καὶ τῆς περὶ ταύτην ἐργασίας, ἔτι δὲ οἰνοποιΐας· καὶ τοῦ πολλοὺς τῶν ἐκ τῆς ὀπώρας καρπῶν ἀποθησαυρίζειν, καὶ τὰς χρείας καὶ τὰς τροφὰς παρέχεσθαι τοῖς ἀνθρώποις ἐπὶ πολὺν χρόνον. *Qui fabulas ad hiſtoriam revocant, traduntque Liberum inveniſſe vitem, & ejus culturam, & vini faciendi modum: præterea rationem multos fructus auctumnales condendi, ut uſum & alimentum hominibus præbeant in longum tempus.* Singula horum, præſertim illa de vite, & vino, nulli æquè conveniunt, ac Noacho: ut quin ille ſit vetuſtiſſimus Liber minimè dubium videatur. Nec deſunt homines eruditi, qui huic ſententiæ ipſum Bacchi nomen facere arbitrentur. Volunt enim ex נח, *Noach*, eſſe *Noachus*, hinc *Nachus*, inde *Bachus*, tum *Bacchus*. Sed licet in Baccho Noë cultum putem: tamen hæc dura adeo originatio placere nequit. Præſertim cùm non videantur Græci dixiſſe *Noach*, ſed *Noe*. Alterum illud demum in uſu eſſe cœpit poſt introducta Maſſoritarum puncta. Scio, apud Beroſum Annii *Noah*, legi: & Auguſtinum Steuchum Eugubinum in Recognitione, ut vocat, Vet. Teſt. ad Gen. cap. VI, mirari, integrè Beroſo *Noach* dici; corruptè verò *Noe* vocari & LXX interpretibus, & Latino
a Suppoſititius. veteri. Sed ὑποβολιμαῖος *a* ille Annii Beroſus eſt ejus notæ, ac reliquæ ejus quiſquiliæ. Nec corruptum eſt *Noe*, ſed ex *Noach* factum, ut *Thare* ex *Tharach*, ut *Sue*, ex *Suah*, & ſimilia. Atque ut dixiſſent Νῶχ, puto, qui hac parte imitarentur Hebræos, ut eo etiam ſequerentur, quod ſiquid addatur poſt A furtivum, quale illud in *Noach*, A ſoleant omittere. Quomodo à רוח, *ruach*, id eſt, *ventus*, *ſpiritus*, in plurativo eſt רוחות, *ruchot*, *ventos*: ut Jer. XLIX, 36, non *ruachot*. Similiter igitur, ſi ad נח, *Noach*, aliquid accedat, perit litera rapta. Eoque inde non Νώαχος fit, ſed Νῶχος. Quàm parum autem, ſi excipias terminationem, quæ nihil minus in conſiderationem venire debet, conveniunt Νῶχος, & Βάκχος! Longè autem veriſimilius Bacchi etymon libro adducam proximo.

Quod Liber filius habeatur Jovis, id partim communi nititur ratione, partim ſingulari. Communis eſt ea, quòd omnes ſimus filii Jovis, hoc eſt Dei. Nam juxta Aratum, Διὸς πάντες γένος ἐσμέν· *Jovis omnes progenies ſumus.* Singularis verò ratio eſt duplex: quarum una excellentiam reſpicit parentis, altera filii. De priori inde cognoſcimus, quia multis liquet exemplis, moris fuiſſe gentilibus, ut, qui nati eſſent hominibus regiæ ſortis, vel ſaltem præpotentibus, hi Jovis filii vocarentur: præſertim ſi probro lecto eſſent. Tum enim hoc faciebant ad tegendum generis dedecus. A filii verò virtute ratio petitur, ſi Jove patre digni videantur filii. Qualis Alexander Magnus, priuſquam dulcis eum fortuna, & Aſiaticus inebriavit luxus. Is cùm in Ammonitide Jovis eſſe filius diceretur, modeſtè hoc interpretatus, Nempe, inquit, Jupiter naturâ, omnium eſt pater; ſed adoptare optimum quemque ſolet. Quemadmodum apud Plutarchum legimus in Apophthegmatis Alexandri.

Sed porrò conſiderandum, quod Liber non Jovis ſolùm filius dicatur, ſed Jovis femore prognatus, atque ita bis
b Ovid. natus, ſemel è Semele, ſemel è Jove. Fabulantur enim *b*
III Met. Semelen, cùm octavum jam menſem geſtaret uterum, à Junone zelotypa ita perſuaſam, petiiſſe à Jove, ut polliceretur, obtenturam, quod poſtularet: tum illum, ex ejus ſententia, per Stygiam juraſſe paludem,

Di a cujus jurare timent, & fallere numen. a Æn. 6.

Illam verò rogaſſe Jovem, ne accedere ad ſe more vellet humano, ſed eo, quo veniret ad Junonem ſuam. Tum illum curru ſuo cum fulmine veniſſe. Miſeram autem Semelen, vel metu inde exanimatam, vel fulmine exuſtam. Jovem igitur, miſericordiâ pueri tactum, ne unà periret, eripuiſſe illum flammis, ſuoque inſeruiſſe femori. Atque hoc inter cæteros apud Euripidem legas in Bacchis. Ad quam fabellam ſcitè alluſit Gulielmus Normannus, ſive Conquæſtor. Cùm enim Rothomagi diutius commoranti (id anno fuit CIↃLXXXVII) Philippus, Francorum rex, apud ſuos exprobraſſet, ſive prominulum ventrem, ſive longum belli apparatum; eoque rogaſſet, quando tandem eſſet pariturus: dixiſſe dicitur, Pariam, ſed, ut Semele, cum fulmine. Nec multò poſt longe lateque Francorum terras ferro & incendio vaſtavit. Quod tamen paullo aliter referunt Matthæi duo, Pariſius, & Weſtmonaſterienſis. Quod verò Liber è femore natus dicitur, id more fit poëtarum: qui, ut magis admirationi ſint, τὰ κοινὰ καινῶς *b* b Res vulgares novo modo.
dicere, & quæ κατὰ μεταφορὰν *c* prolata, propriè amant
intelligere. Omnes enim è femore patris naſcimur. Unde c Per tranſlationem.
etiam in Scripturis legas, liberos e parentis femore egreſſos. Ut Geneſ. XLIX, 10, atque alibi crebro. Nempe ירך, quod eſt *femur*, decorè pro partibus ſumitur, quibus viri ſumus. Unde Procopius Gazæus in Geneſ. XXXII, *Femur ejus emarcuit: Femur*, inquit, *ſignificat ſemen, ſecundùm quod adjuravit ſervum ſuum in Meſopotamiam profecturum Abrahamus. Huic concinit & illud oraculum d: Non deerit dux ex Juda, nec princeps ex femo-* d Geneſ.
ribus ejus. Etſi verò illud Libero cum cæteris commune 49. 10.
erat, ut è femore naſceretur: ſingulari tamen ratione hoc ei competebat, quatenus in eo ſpectamus Noachum, qui ſemel natus, more omnium hominum: poſtea quaſi renatus, cùm in arca à Deo fuit conſervatus, diluvio aliis pereuntibus. Nihil quidem hæc nativitas altera ad Liberum Thebanum, ſi intra unius illius hiſtoriam conſiſtatur: ſed cùm uni Thebano tribuantur, quæ plurium erant; negare non poſſumus, & hoc convenire Thebano, quatenus juxta fabulas, & gentium errorem, in uno plures comprehendimus. Cæteroquin inter vini inventorem Noachum, & Thebanum Liberum, intervallum fit annorum quaſi mille. Hoc ita eſſe, ex ætate Semeles cognoſcitur: quæ Bacchi erat mater, Cadmi filia, Agenoris neptis; ſoror autem tum Agaves, Penthei matris, proavi Jocaſtæ, quæ mater & uxor Oedipi fuit: tum Polydori, qui unicus Cadmi filius, pater Labdaci fuit; uti hic pater Laji, avus Oedipi, proavus Eteoclis, & Polynicis; qui Theſei & Herculis temporibus claruerunt, una generatione ante excidium Trojanum. Sunt igitur à Labdaco, Liberi amitino, ad Herculem & Theſeum generationes tres: puta Laji, Oedipi, Eteoclis. Ac proinde Liber ante excidium Trojanum, quod ab diluvio plus undecim ſeculis abeſt, generationibus fuerit quatuor, annis circiter CXX. Atque ex his non operoſum ſit veriorem diſcernere opinionem in iſto veterum diſſenſu. Quippe Euſebius ſic ad annum Joſuæ XVII: (tribuit autem ei annos XXVII) *Phœnix, & Cadmus, Thebis Ægyptiorum in Syriam profecti, apud Tyrum, & Sidonem, regnaverunt.* Ad annum verò XXXVIII Othonielis: *Harmonia rapta à Cadmo.* Et XXXIX: *Cadmea condita eſt.* Et ad I annum Debboræ cum Baracho: *Secundùm quoſdam Thebis regnavit Cadmus.* Sepulchrum Liberi fuiſſe Thebis oſtenſum, ubi eſſet diſcerptus, tradit Clemens Romanus, ſive ſub hoc nomine alius, in decimo Recognitionum *e*. e Fol. & edit. ut ſupra.

Veriſimile autem eſt, ut Caſtori, & Polluci, nomen datum Διοσκούρων, hoc eſt filiorum Jovis; ita & Bacchum eſſe Διόνυσον vocatum, quaſi dicas *Jovis filium.* Nempe Διόνυσος fit ex Διὸς υἱός, σ priùs poſt υ trajecto: ι item trajecto ante υ, ſed deinde in ν converſo. Ut hæc ſententia placeat, eo potiſſimùm compellor, quod *Liber* ſimiliter

ter quaſi Jovis liber ſive filius vocetur: ut Proſerpina dicitur Κορη ſive *Libera*, hoc eſt, filia. Antiqui enim non minùs ſingulo numero *liberum*, & *liberam* dixere, quàm nunc *liberos* in plurativo uſurpamus. Nec tamen deſugiam alteram etiam nominis cauſſam adferre, quæ jamdudum in mentem venit. Ut Hercules, quia verus pater neſciatur, Jovis dicitur filius: atque idem tamen à vitrico, qui educavit, *Amphitryoniades* nominatur: ſimiliter & Liber, cujus pater itidem ignoratur, Jovis prædicatur filius: pro parente autem ſortitus Niſum ſive potius Nyſum: qui ejus fuit nutritius, imò & poſtmodo, expeditionem eo in Aſiam ſuſcipiente, ſive, ut Phœnicibus, quorum coloni erant Thebani, opem ferret, ſive, ut alii conſanguineæ genti auxiliaretur, ſolus imperium adminiſtravit, idque triennio toto, ſi credimus Hygino fab. CXXXI. Sunt verò nutritii quaſi alteri patres: ſicut & nutrices, matres alteræ. Unde Plautus prologo Menæchm.

—— —— —— *Uti mater ſua*
Non internoſſe poſſet, quæ mammam dabat;
Neque adeo mater ipſa, quæ illos pepererat.

Quare quid ſi nomen conflatum dicamus ex utroque horum, ut Διόνυσος dicatur quaſi *Jovi-Nyſius*: quia quodammodo & Jovis & Nyſi filius foret?

Impenſius interim hæc arriderent, ſi ſatis eſſet exploratum, an Thebanus ille unquam in Oriente bellum geſſerit. Longè enim veriſimilius eſt, illa ad Oſiridem ſive Liberum Ægyptium pertinere: Thebanos autem ea ſuo Libero, qui multo erat junior, adſcripſiſſe. Hic enim veterum mos erat, quo magis admirandæ eſſent virtutes eorum, quos in Deos retuliſſent, varios eximiæ virtutis in unum conflare, eique omnium geſta attribuere; quod difficile non erat in rebus ab ætate ſua remotis, & geſtis in terris longè diſſitis. Qua verò occaſione ad Thebanos notitia hujus Ægyptii Liberi pervenerit; exponit Diodorus Siculus in primo. Tradit enim, Ægyptios valde in eo adverſatos eſſe Græcis, quod Liberum Indica expeditione illuſtrem, & cujus ſacra tanto in honore eſſent apud Ægyptios, apud ſe natum dicerent; cùm Ægyptius Liber, qui idem ac Oſiris, longè illum Thebanum Liberum, Cadmi nepotem, ætate anteceſſerit. Idem ait, Orphea Thracem in Ægypto res geſtas Ægyptii hujus, item ſacra ejus didiciſſe: poſteaque ad ſuos reducem, cùm familiaris eſſet factus Cadmeis, ut iis gratificaretur, hæc accommodâſſe Libero, Cadmi ex Semele nepoti. Græcos verò partim antiquorum temporum inſcitiâ, partim quia ad gloriam gentis ſuæ pertineret, ſi numen tanto Ægyptiis honore celebratum apud ſe natum crederetur, lubentes ea ſacra recepiſſe: magnaque apud eos opinionem iſtam cœpiſſe incrementa, poſtquam hac poëtarum natio theatra omnia implevit. Quis verò ſit ille Oſiris, ſive Ægyptius Liber, commodiùs explicabitur inferiùs, cùm de Diis Ægyptiis dicam, planumque faciam, prope omnia, quæ de Moſe legimus in Scripturis, attributa eſſe Libero: ſed ad modum, quo hiſtoriæ à fabulatoribus ſolent corrumpi.

Habemus de Libero. Supereſt, ut de Plutone agamus: qui cùm Saturni filius dicatur; Saturnus autem ille tribus filiis inclytus, qui orbem inter ſe diviſerint, non alius ſit ac Noë: Pluto etiam unus ex Noë filiis videtur: puta Chamus, quem in Plutone cultum fuiſſe, jam antea oſtendimus. Et ſanè eundem eſſe, Noë, & Saturnum, facile largientur, qui credunt, Noë eſſe Janum. Nam Saturnus itidem bifrons Phœnicibus: à quibus, & Ægyptiis, antiquior omnis Græcorum religio profluxit. Si verò Janus eſt Noë, vel is bifrons pingitur, quia utrumque mundum conſpexerit; vel ob prudentiam, quia diluvii mala, ut divino monitu præviderit, ſic fide effugerit. De Saturno autem & à fronte & à tergo oculato, fidem fecerit Sancho-
a Apud Euſeb. lib 1. de Præpar. Evangel. niathon *a* his verbis: Τάαυτος ἐπενόησε δὲ καὶ τῷ Κρόνῳ παράσημα βασιλείας, ὄμματα τέσσαρα ἐκ τῶν ἐμπροσθίων καὶ τῶν ὀπισθίων μερῶν. *Taautus excogitavit Saturno ejuſmodi inſigne regni; oculos quaternos, binos in vultu, ac totidem in occipite.* Aliam tamen, quam de Jano ſive Noë allatam nobis rationem adfert: nempe quod & vigilando dormierit Saturnus, & dormiendo vigilârit: unde binos ex oculis placidè conniviſſe: ac ſimiliter ex alis quaternis, quæ humeris appoſitæ, duas fuiſſe erectas, duas contractas, ad denotandum, & volando quieviſſe, & quieſcendo volaſſe. Nec repugno, ſi cui Phœnicium hoc acumen magis placeat. Solùm non video, cur non & iſta æquè Noacho, quàm mortalium alteri, conveniant. Plutonem verò Saturni filium eſſe, idem tradit Sanchoniathon: ſed addit, ante parentem fatis conceſſiſſe, fuiſſeque ab eo conſecratum: quod poſtremum Noachi integritate foret indignum. Audiamus Sanchoniathonem: Καὶ μετ' οὐ πολὺ, ἕτερον αὐτοῦ παῖδα ἀπὸ Ῥέας ὀνομαζόμενον Μοὺθ ἀποθανόντα ἀφιεροῖ. θάνατον δὲ τοῦτον, καὶ Πλούτωνα, Φοίνικες ὀνομάζουσι. *Nec multo poſt* (Saturnus) *alterum ex Rhea filium, nomine Mouth, vita functum conſecrat: quem Phœnices modò Mortem, modò Plutonem nominant.* Nempe Saturno attributum, quod factum à poſteris Plutonis. Quamquam eſto ſanè, ut Saturnus, non Noachus, rex orbis totius; ſed ſolius Phœniciæ, vel ut Cretenſes malunt, rex Cretæ fuerit: nihil id præcipuo repugnat inſtituto noſtro: quia ſic quoque Pluto fuerit homo, è rege ſeu Phœniciæ, ſeu Cretæ natus. Miretur fortaſſe aliquis, cur ei ſit nomen datum Mortis: ut Sanchoniathon ait. Nihil nunc veriſimilius occurrit, quàm quod Diodorus Siculus de Plutone ſcribit lib. V: Τὸν δ' Ἅδην λέγεται τὰ περὶ τὰς ταφὰς καὶ τὰς ἐκφορὰς καὶ τιμὰς τῶν τεθνεώτων καταδεῖξαι, τὸν πρὸ δὲ χρόνον μηδεμιᾶς οὔσης ἐπιμελείας περὶ αὐτούς· διὸ καὶ τῶν τετελευτηκότων ὁ θεὸς οὗτος παρείληπται κυριεύειν, ἀπονεμηθείσης τὸ παλαιὸν αὐτῷ τῆς τούτων ἀρχῆς καὶ φροντίδος. *Plutonem verò funerum, & ſepulturæ, ac parentationis ritum oſtendiſſe ferunt: cùm prius nulla eorum curâ tangerentur. Quapropter dictum, poteſtatem ei eſſe mortuorum: ac antiquitus ei principatum & curam attributam mortuorum.* Hæc ſanè Orienti potiùs Plutoni conveniunt, quàm Græco; cùm ſine dubio Græci ab Orientalibus funerandi ritus acceperint. Græcanicum verò appello, illum Proſerpinæ raptu celebrem. Cujus ætatem nunc indagabimus. Proſerpina, quam is rapuit, filia erat heroinæ, quæ populum Atticum docuit ſationem frumenti: ac Euſebio ad Joſuæ tempora refertur. Sed vel duos Græciæ Plutones ſtatuere eſt neceſſe; geminum item raptum Proſerpinæ (& ſolent poëtæ, ut antea etiam dixi, hiſtorias temporum diverſorum in unum commiſcere:) vel ſtatuendum, Aidoneum illum unà ſolùm ætate vixiſſe ante bellum Trojanum. Fuit enim Aidoneus Moloſſorum rex, ac Theſea tenuit captivum, uſque dum Hercules eum liberavit: quod refert Plutarchus in Theſei vita. Atque hanc etiam ſententiam poſuit Euſebius in Canone Chronico. Quod oſtendunt hæc ejus verba, ut Hieronymus quidem tranſtulit ad num. DCXX: *Fabula Proſerpinæ, quam rapuit Aidoneus, id eſt, Orcus, rex Moloſſorum: cujus canis ingentis magnitudinis, Cerberus nomine, Pirithoum devoravit, qui ad raptum ejus cum Theſeo venerat. Quem & ipſum, jam in mortis periculo conſtitutum, adveniens Hercules liberavit, & ob id, quaſi ab inferis receptus ſcribitur. Scribit Philochorus in Atthidis libro ſecundo.* Similiter Cyrillus penè initio lib. I contra Julianum deſertorem: *Centeſimo, inquit, & nonageſimo quinto anno poſt Moſen ferunt fuiſſe Proſerpinam virginem raptam ab Ædoneo, id eſt, Orco, rege Moloſſorum.* Subjungit deinde de Cerbero, Pirithoo, Theſeo, & Hercule, quæ antea adduximus.

CAP. XX.

De Dea Phrygia, quæ cum Attis colebatur. Variæ hujus Deæ appellationes. Diodori de ea narratio. Cur ab leonibus alita dicatur. Attis aliter Papa nominatus. Servius ut hæc referat: ut item Arnobius. Agdiſtis ſive Agdeſtis nunc idem ac lapis Agdus, nunc juvenis ex eo natus, nunc ipſa Cybele. Fabuloſa mali Punici origo. Mala ſymbolum τῶν διδύμων. Attis unde dictus: fuiſſe bubulcum Phrygium. Flagitioſum fuiſſe

amo-

amorem Cybeles, quo proſecuta paſtorem. Attidos nuptiæ cum Mida filia à Cybele diſturbatæ. Ejus exſectio, dubium an ab ipſo. Sponſæ, cui Ia nomen, αὐτοφονία. Cultus Attidi decretus ab Agdeſti & Cybele. Solis abſciſſis fas, fieri ſacerdotes Cybeles. Caſtrari ſolitos ad tibiæ cantum: & quæ cauſſa ejus ritus. Cur ſacerdotes hi dicantur Galli: deque eo B. Hieronymi opinio rejecta. Cur pinus in ſacris Cybeles geſtaretur ab iis, quos δενδροφόρους dixere. Simulacrum Attidos, cui pectus illidebant Galli. Cur lana pinum velarint Galli, ac ramos ejus ornarint corollis violaceis. Cur in ſacris hiſce omnia perſonuerint planctibus ac lamentis. Cur panem vel ullum Cereale munus non guſtarint. Cur Galli caput jactarint.

EX inſulis ambulabimus in continentem. Ac primùm in magnam peninſulam; ut eam vocat Appianus in tertio belli civilis: ſive, ut Ptolomæus nominat, Aſiam minorem: quæ etſi Occidentem reſpiciat, ſi cum Aſia magna conferatur, Græciæ tamen ratione ad Orientem ſita eſt: unde nomen illi hodie *Natolia*, quaſi *Anatolia*, quia Oriens Græcis ἀνατολὴ dicitur. Civitatum ejus aliæ Græcanicæ, ut Ionicæ: aliæ barbaræ, ut Phrygiæ. Non eſt hujus loci, ubi agimus de cultu Deorum, anxiè eas diſcriminare. Potius pro ſitu ac propinquitate illas digeremus. Interim propter gentis Trojanæ, & Romanæ propaginis claritudinem; ſimul etiam ob vetuſtatem ſacrorum Deæ Phrygiæ; hoc honoris Phrygiæ dabitur, ut de Creta non in Cariam vicinam, ſed remotiorem Phrygiam, primùm vela pandamus.

In Phrygia Cybele, & cum ea Attis, colebatur. Unde Servius in VII Æn. *Virbius eſt numen conjunctum Dianæ, ut matri Deûm Attis, Minervæ Erichthonius, Veneri Adonis.* Nec ut heroem, ſed ut Deum eſſe cultum, indicat hoc Arnobii in quincto: *Nonne illum Attin Phrygem abſciſſum & ſpoliatum viro Magnæ Matris in adytis Deum propitium, Deum ſanctum, Gallorum conclamatione teſtamini?* Conjungit etiam vetus lapis Romæ: M. D. M. I. ET ATTINIS. Ubi ſingulares literæ valent, *Magnæ Deûm matris Idææ.*

Cybeles varia nomina. Strabo in X: Οἱ δὲ Βερέκυντες, Φρυγῶν τι φῦλον, καὶ ἁπλῶς οἱ Φρύγες, καὶ τῶν Τρώων οἱ περὶ τὴν Ἴδην κατοικοῦντες Ῥέαν μὲν καὶ αὐτοὶ τιμῶσι, καὶ ὀργιάζουσι, ταύτην μητέρα καλοῦντες θεῶν, καὶ Αἴξιν (Ἀγδίστιν rectè emendarunt viri eruditi) καὶ Φρυγίαν, θεὸν μεγάλην· ἀπὸ δὲ τόπων Ἰδαίαν, καὶ Δινδυμήνην, καὶ Πυλήνην, καὶ Πισσινουντίδα, καὶ Κυβέλην· *Berecynthii autem, Phrygia gens, & in univerſum Phryges ac Troum illi, qui Idam accolunt, Rheam & ipſi colunt, eique orgia peragunt; matrem appellantes Deorum, & Agdeſtin, & Phrygiam, magnam Deam; à locis autem Idæam, Dindymenen, Pylenen, Peſſinuntiam, & Cybelen.*

1 Ut verò Cybelen non minùs, quàm Attin, hominem fuiſſe liqueat: duo agam. Primum exponam hiſtoriam Cybeles, & Attidos: deinde ejus veritatem adſtruam quoque ex ritibus, qui in ſacris Cybeles obſervari ſolent.

Hiſtoria Cybeles & Attidos non uno à veteribus modo narratur. Ab cæteris abit Catullus in Galliambo ſuo. Sed poëtis major fingendi licentia eſt. Quare adducere malo Diodorum Siculum: qui lib. III ait, ſic eam referri à Phrygibus ipſis, & Atlantiis Oceani accolis. Meon, Phrygiæ ac Lydiæ rex, ex Dindyma uxore filiam genuit: quam, ob ſexum, aſpernatus, in Cybelo monte expoſuit. Ubi leones & pardales uberibus ſuis eam aluiſſe dicuntur. Credo, hoc fictum, quia locus is, ab hominibus efferis inhabitaretur, vel quia Cybele ipſa moribus fuerit minimè humanis. Notum illud Didus de Ænea: *Non tibi Diva parens*, & quæ ſequuntur. Vel etiam referre poſſis ad impotentem ejus ardorem furoremque erga Attin. Hinc narrat Diodorus, Cybelen annis viribuſque auctam formâ præcelluiſſe: reperiſſe etiam fiſtulam, tympana, atque alia choreis convenientia: item remedia multa ad pellendos puerorum morbos: quæ tantam ei gratiam conciliarunt, ut *Mater montana* vulgo audiret. Familiariter autem verſatam ait cum Marſya, viro eximiæ ſollertiæ: caſtitatis verò tantæ, ut omni vitâ Veneris fuerit expers. At aliis moribus Cybele, quæ impotenti amore proſecuta eſt adoleſcentem Phrygium, & dum cum eo eſt, florem virginitatis amiſit. Huic primo *Attis*, poſtea *Papa* nomen fuit. Dum prægnans eſt, a parente Meone, amorum ejus neſcio, in regiam accitur. Mox gravidam ex Atti eſſe, cognoſcit parens: ac propterea adoleſcentem interimit, corpus abjicit inſepultum. Cybele hæc jam impatienter tulit, ut furore corriperetur. Itaque, diffuſis capillis, per regionem omnem magno cum ululatu vaga animi diſcurrit. Miſertus ejus, ob veterem familiaritatem, Marſyas fuit: qui propterea, quaqua pedem poneret, comitem ſe addebat. Deventum eſt in hoc furore ejus ad Apollinem: quem interpretari liceat vel ſacerdotem Apollinis, vel alium virum Apollinarem ſive Muſicum. Hic in Muſicum certamen Marſyas venit cum Apolline. Et aſſâ quidem fiſtulâ vincere Marſyas: ſed præſtare Apollinis cantus, ubi pariter ore concineret. Id iniquum Marſyæ certamen viſum, cùm ſola fiſtula provocaſſet. Phryges nihilo ſecius palmam Apollini dedêre: qui, præ iracundia, Marſyæ vivo pellem detrahi juſſit. Poſtea tamen, pœnitudine crudelitatis ſuæ ductus, Muſicen intermiſit, ac amore Cybeles captus cum ea ad Hyperboreos profectus fuit. Interim divinum numen gravem Phrygibus peſtilentiam immittit. Ergo conſulitur oraculum; quod reſpondit, ſi liberari peſtilentiâ Phryges vellent, corpus Attidos eſſe mandandum terræ: Cybelen autem colendam ut Deam. Tum Phryges, adjutante etiam rege Mida, templum Cybelæ condiderunt. In hoc tumulaſſent Attidem: ſed corpus jam vetuſtate erat abſumtum. Quare ſimulachrum fecerunt: atque ad illud lamentis & planctibus, nulloque non honoris genere, commiſſam à Meone cædem expiarunt. Atque ita Diodorus.

At neque cum eo per omnia convenit Servius. Qui ſic rem narrat in IX Æn. *Attis, puer ſpecioſus, cùm Matris magnæ præeſſet ſacris, à rege civitatis ſuæ adamatus eſt: ſed cùm intelligeret, vim ſibi à rege inſtare quaſdam in ſylvas profugit. Cùm ergo inventus vim ſibi videret inferri, verenda ſtupratoris abſcidit: qui moriens eandem ipſam partem corporis puero abſcidit: quem ſemianimem, ſub pinu latentem, cùm inveniſſent antiſtites Matris magnæ; perlatum in templum deæ fruſtra conati reficere, defunctum ſepelierunt: cujus ut perpetua maneret memoria, Mater magna inſtituit, ut quotannis in ſacris ſuis plangeretur: & effecit, ut cultores ſui viriles ſibi partes amputarent, qui Archigalli appellantur.* Hæc ille.

Ab hiſce itidem abit Firmicus Maternus ad Conſtantium & Conſtantem Auguſtos: *Ut & ipſi* (Phryges) *annuum ſibi ſacrorum ordinem facerent, mulieris divitis, ac reginæ ſuæ amorem, quæ faſtus amati adoleſcentis tyrannicè voluit ulciſci, cum luctibus annuis conſecrarunt. Et ut ſatis iratæ mulieri facerent, aut ut pœnitenti ſolatium quærerent, quem paullo antè ſepelierunt, revixiſſe jactarunt, & cùm mulieris animus ex impatientia nimii amoris arderet, mortuo adoleſcenti templa fecerunt. Tunc quod irata mulier pro injuria ſpretæ fecerat formæ, hoc ordinantes à ſe pati voluere ſacerdotes.* Sed multò fuſiùs, plurimiſque admiſtis fabulis, hæc ediſſerit Arnobius in quincto: *Apud Timotheum*, inquit, *non ignobilem theologorum virum, nec non apud alios æquè doctos, ſuper magna Deorum matre, ſuperque ſacris ejus, origo hæc ſita eſt, ex reconditis antiquitatum libris, & ex intimis eruta (quemadmodum ipſe ſcribit, inſinuatque) myſteriis.* Hinc longam texit fabulam, vel mythhiſtoriam potius. Nam hiſtoria videtur: ſed, ut Arnobius vocat, *mendaciis interpolata fallacibus.* Primùm refert, ut in finibus Phrygiæ petra inauditæ ſit vaſtitatis, nomine Acdus ſive Agdus.

Ab hiſtoria hac it ad fabulam receptam: nam inde ait homines factos, cùm Deucalio & Pyrrha lapidum jactu crearent genus humanum: imò ipſam inde originem trahere Deûm matrem: etiam addit, hac fruſtra a Jove appetitâ, cupiditatem ejus in lapidem fuſam, unde decimo menſe natus ſit puer, qui, quia mater Deûm eſſet nata ex petra Agdo, eò dictus ſit Agdeſtis. Aliis tamen idem *Agdus*, & *Agdeſtis*. Pauſaniæ enim in Atticis memoratur Phrygiæ mons Ἄγδιςις, prope Peſſinuntem oppidum, ubi Attis ſepultus. Quin & mater Deûm ſic nuncupata. Heſychius: Ἄγδιςις, ἡ αὐτὴ τῇ μητρὶ τῶν θεῶν. *Agdiſtis, eadem ac mater Deorum.* Imò, ut antea vidimus, docuit idem Strabo in x, ubi vulgo quidem legitur, matrem Deûm etiam Αἴδιςιν dici: unde Lilius Gyraldus Ἐςίαν cudebat: ſed rectum eſt Ἀγδιςιν, vel Ἄγδιςιν: quomodo legi oportere, eodem tempore viſum duobus eruditiſſimis viris, Iſaaco Caſaubono, & Theodoro Cantero. A qua Scriptura quàm proximè abeunt excerpta ſive epitome Strabonis, ubi, unâ præteritâ literâ Ἄγιςιν ſcriptum. Quemadmodum unâ amplius ſyllabâ eſt in xii Strabonis, quo loco legas, vocari Ἀγγιδιςιν. Sed redeo ad juvenem illum è petra natum nomine Agdiſtin. Hinc ait Arnobius invicti evaſiſſe roboris, & animi feroci. Fabuloſum hoc mox ſubjicit, ut cùm Liber ei in ſomno amputâſſet virilia, ex fluore iſto in terram natum ſit malum Punicum; quo in ſinum admiſſo, gravida ſit facta Nana, Sangarii regis fluminis filia. Intellige regulum ad flumen illud imperantem. Cujus filia quid admiſerit, cùm malum admiſit; facile videt, qui legerit Servium in illud Ecl. II:

Ipſe ego cana legam tenerâ lanugine mala.

Qui item cogitet, quantum in amoribus valere veteres putarint mala Dionyſi: de quibus Theocritus εἰδυλ. β. item Attii hoc in Annalibus:

Mala manu retinens gravidâ concepit in alvo.

Addit deinde ex Timotheo Arnobius, ut puer hic expoſitus ſit, repertumque lacte aluerint hircino: & (verba
a *Lib. 5.* Arnobii ſunt a) *quoniam Lydia ſcitulos ſic vocat, vel quia hircos Phryges ſuis Attagos elocutionibus nuncupant, inde Attin nomen effluxerit.* Evaſit verò puer hic paſtor; ejuſque amore regina Cybele jam vetula exarſit. Unde
b *Lib 4.* Arnobio alibi b dicitur, *Contra decus ætatis illa Peſſinuntia Dindymene in bubulci unius amplexu flagitioſa appetitione geſtire.* Fuiſſe eum amorem impurum, indicat Lucianus his verbis libro de Sacrificiis: Ἡ δὲ Ῥέα πῶς οὐκ ἀσχημονεῖ, καὶ δεινὰ ποιεῖ, καὶ ἔξωρος ἤδη, καὶ τοσούτων μήτηρ θεῶν, παιδεραστοῦσα δ' ἔτι καὶ ζηλοτυποῦσα, καὶ τὸν Ἄττιν ἐπὶ τῶν λεόντων φέρουσα, καὶ ταῦτα μηκέτι χρήσιμον εἶναι δυνάμενον· *Rhea verò quomodo non indecorè indigneque facit, vetula jam, & tot Deorum mater, puerorum amoribus indulgens, & zelotypiâ proſequens, & Attin ipſum leonibus ſecum circumvehens, & quidem poſtquam utilis*
c *Laſciviam, ac libidinem.* *ei eſſe nequit?* Etiam ἀσέλγειαν c vocat Theophilus lib. III ad Autolycum. Deque eodem ſic Arnobius in v: *Mater cum dilexit magna. Si nepotem ut avia, res ſimplex: ſin theatra ut percrepant, infamis & flagitioſa dilectio eſt.* Verùm bubulcus Attis amorem vetulæ, licet reginæ, contemſit. Unde Tertullianus in Apolog. cap. xv: *Cybele paſtorem ſuſpirat faſtidioſum.* Nec Cybele ſolùm, ſed Agdeſtis etiam, formâ Attidos captus fuit: quod Attis ipſe in vino confeſſus; ut Arnobius ait. Atque idem narrat, ut Midas, rex Peſſinuntius, quo tam infami puerum amore liberaret, ſuam ei filiam deſtinârit uxorem. Hoc non tulit Cybele, rivalis impatiens. Non ignorabat Midas, quid femina poſſet, præcipuè zelotypa. Itaque nuptiarum tempore portas urbis juſſit occludi. At Cybele, ut fabulantur, capite muros ſublevans in urbem venit. Quod, ſi fabulam ad hiſtoriam referas, nihil aliud videtur, quàm corrupiſſe eam Urbis cuſtodes, atque ita ingreſſam. Hinc maximæ ſunt turbæ conſecutæ. In furore omnium furere etiam Attin: qui ſub pinum profugit. Hic ei juſſu zelotypæ Cybeles reſectum veretrum. Unde Minucius Felix in Octavio: *Cybele Dyndimene (pudet dicere) adulterum ſuum infeliciter placitum, quoniam & ipſa deformis & vetula, ut multorum deorum mater, ad ſtuprum illicere non poterat, exſecuit, ut Deum ſcilicet faceret eunuchum.* Similiter Auguſtinus lib. VI de Civ. Dei, cap. VII. In eo tamen diſſident, à quo Attis ſit eviratus, ut Catulli exemplo loquitur Hieronymus ad Gerontiam; ſive, ut Græci dicunt, ἰδιοτομηθείς. Juxta Catullum,

Devolvit ipſe acuto ſibi pondera ſilice.

Similiter ex Timotheo Arnobius: atque addit, id cùm faceret, dixiſſe: *Tibi, Acdeſti, hæc habe, propter quæ motus tantos furialium diſcriminum concitaſti.* Sponſa, cui idem ex Valerio pontifice ait Iam fuiſſe nomen, ſe ipſam interemit. Tot malis obortis, & reginam Cybelen, & Agdeſtin, ſera facti ſui ſubiit pœnitentia. Statutum igitur, ut ſacra Attidos, ſive Attinis malis (utrumque inclinandi morem invenio apud antiquos) ceremoniis annuis à ſacerdotibus celebrarentur. Id ab Agdeſti factum ait Arnobius in v. Cybelen verò id ſtatuiſſe, ait Tatianus Aſſyrius; cujus verba mox adducam. Nempe & Cybele pariter ſanxerit, & Agdeſtis. Imò ex plerorumque ſententia eadem Cybele, & Agdeſtis; ut ex Strabone, & Heſychio, antea vidimus.

Quæ hactenus de Cybele, & Attine diximus, etſi diſtrepent in multis, ut fieri ſolet in rebus longè ab hominum memoria remotis; non obſcurè tamen docent, & Cybelen, & Attin, homines fuiſſe. Atque hoc magis elucebit, ſi conſideremus ritus, quibus hiſtoriam veterem in ſacris Cybeles expreſſerunt. Hoc enim alterum eorum fuit, de quibus me acturum receperam.

Ac primùm conſtat, ut in honorem evirati Attinis ſit conſtitutum, nulli in magnæ matris ſacerdotibus locum fore, niſi qui, ejus inſtar, fuerit eviratus. In tanta teſtium copia ſuffecerit nunc Tatianus Aſſyrius oratione contra gentes, his verbis: Ῥέα, ἣν οἱ ἀπὸ τῶν Φρυγίων ὀρῶν Κυβέλην φασίν, ἀποτμήσεις αἰδοίων νενομοθέτηκε διὰ τὸν ἐρώμενον αὐτῆς Ἄττιν· *Rhea, quam in Phrygiis montibus Cybelen vocant, exſectionem virilium lege inſtituit propter adamatum ſibi Attin.* Suſpicetur aliquis, Gallos non verè caſtratos; ſed vulgo ſic ferri ſolere; quia, quaſi caſtrati, Venereo abſtinerent contubernio, poſtquam ſacerdotio inaugurati. Sed nihil certius eſt, quàm verè caſtratos. In quo tum gentiles, tum noſtri conſentiunt. Unde & Prudentius hymno in Romanum:

Aſt hic metenda dedicat genitalia,
Numen reciſo mitigans ab inguine:
Offert pudendum ſemivir donum Deæ:
Illam revulſi maſculini germinis
Venâ, effluenti paſcit auctam ſanguine.

Vide & Auguſtinum lib. VII de Civit. Dei, cap. XXVI. Ea eviratio fiebat ad tibiæ cantum: quæ res & furenti rabie ſtimulabat ad exſectionem, & caſtratis mox dolorem minuebat. Quas cauſſas adfert Elias Cretenſis in orat. Nazianz. adverſus Julianum. Hanc enim vim habet cantus Phrygius, ut homines accendat, & quodam quaſi furore animet. Unde Lucretius lib. II:

Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia mentes.

Et Ovidius in Ibin:

Attonituſque ſeces, ut quos Cybeleia mater
Incitat ad Phrygios, vilia membra, modos.

Poſteriorem verſum fere ſimiliter apud Tibullum legas lib. I, el. IV:

Et ſecet ad Phrygios vilia membra modos.

Quemadmodum & aliàs ſubinde conveniunt hi poëtæ ὁμήλικες a: ut hoc verſu, quo utriuſque natalis ſi- a *Coætanei.*
gnatur:

Cum b cecidit fato conſul uterque pari. b *Tibullus lib. 3, el. 5. Ovid. l. 4 Triſt. el. 10.*

Sic eviratos conſtat, *Gallos* vocatos. Cauſſa nominis obſcurior eſt. Nullam tamen minus probare poſſum, quàm ut ſic dicti ſint, quia ad hoc ſacerdotium aſſumerentur natione Galli, iique caſtrarentur in contumeliam Gallorum, qui Romam incendiſſent. Quam ridiculam rationem legas apud B. Hieronymum in Oſee cap. IV: ac propugnat eandem Forcatulus lib. V de Gallorum Imperio, & phi-

& philoſophia. At meritò rejecerat Valla lib. v Elegantiarum, cap. vi. Longe veriſimiliùs, qui nomen iis impoſitum putant à Gallo, flumine Phrygiæ: quod apud Feſtum legas; & favet Ovidius in iv Faſt. Vel potius a viro nomine Gallo, qui primus forte Cybeles ſacerdos fuit. Sanè apud Stephanum legas: Τὸν Γάλλον, καὶ τὸν Ἄττιν, ἀποκόψαι τὰ αἰδοῖα. καὶ τὸν μὲν Γάλλον ἐλθεῖν ἐπὶ τὸν Τυρίαν ποταμὸν, καὶ οἰκῆσαι, καὶ τὸν ποταμὸν Γάλλον καλέσαι. ἀπὸ ἐκείνου γὰρ τοὺς τεμνομένους τὰ αἰδοῖα Γάλλους καλοῦσι· *Et Gallum, & Attin, abſcidiſſe genitalia. Ac Gallum veniſſe ad Tyriam fluvium, atque iſtic habitaſſe, & vocaſſe eum Gallum. Ab illo enim eos, quibus præciſum veretrum, Gallos appellant.*

Galli iſti in ſacris Cybeles, & Attidis, imitabantur lugentem Cybelen ob Attin. Itaque & ejulabant, pectus cædebant palmis. Pinus etiam ſtatuebatur in memoriam pinûs, ſub qua ſeſe caſtrarat Attis. Rami pinus coronis ornabantur; quia Cybele ſic honoraſſet pinum. Stipes ejus velabatur lanâ; quia Cybele exanimati Attidis pectus velaſſet lana, ad teporem conciliandum. Pane abſtinebatur, quia Cybele eo abſtinuiſſet ob mœrorem. Quas rationes in gentilium commentariis adferri, ait Arnobius in v, ubi hæc fuſius exponit. Ipſum audiamus, & cum aliis componamus ſcriptoribus. Primùm de pinu ſic ait: *Quid ſibi vult illa pinus, quam ſemper ſtatis diebus in Deum matris intromittitis ſanctuario? Nonne illius ſimilitudo eſt arboris, ſub qua ſibi furens manus & infelix adoleſcentulus intulit, & genitrix divûm in ſolatium ſui vulneris conſecravit?* Hanc pinus geſtationem vocabant δενδροφορίαν: quod apud Strabonem in x. Quique eam geſtarent, dixere *dendrophoros*: ut L. xx de paganis ſacrif. & templ. item L. i de centonariis, & dendrophor. in Cod. Theodoſ. Etiam in Inſcriptionibus antiquis ſæpius invenias Cybelen turritam, & Attin cum pinu. Ad hunc ritum pertinent quoque illa Iulii Firmici: *In ſacris Phrygiis, quæ matris Deum dicunt, per annos ſingulos arbor pinea cæditur, & in media arbore ſimulacrum juvenis ſubligatur.* De ſimulacro quod addit, etiam adſtruere è Diodoro Siculo, qui lib. iii, Phrygas ad Attidis imaginem planctibus, & lamentis, aliiſque honoris indiciis, cultum ſuum teſtatos refert. Etiam in actis Symphoriani Martyris, cùm de Berecynthiæ ſacris antea ſermo fuiſſet, poſtea dicitur: *In cujus ſacris exciſas corporis vires caſtrati adoleſcentes infauſtæ imagini exultantes illidunt.* Alii pino dicunt illiſiſſe. nempe quia ſimulacrum in pino; ut ante vidimus.

Hinc de lanis ſubjicit Arnobius: *Quid lanarum vellera, quibus arboris colligatis, & circumvolvitis ſtipitem? Nonne illarum repetitio lanarum eſt, quibus jam deficientem contexit, & teporis aliquid rata eſt ſe poſſe membris conciliare frigentibus?* Paullò etiam pòſt hæc appellat *volucra mollium velamenta lanarum.*

Poſtea ſubjungit idem de pini violis, ac coronis: *Quid comti violaceis coronis, & redimiti arboris ramuli? Nonne illud indicant, uti mater primigeniis floribus adornaverit pinum miſerabilis indicem teſtimoniumque fortunæ?*

Exinde de planctu Gallorum hæc addit Arnobius: *Quid pectoribus applodentes palmas paſſis cum crinibus Galli? Nonne illos referunt in memoriam luctus, quibus mater turrita cum Acdeſti lacrimabili puerum proſecuta eſt ejulatu?* Idem antea dixerat: *Tunc arborem pinum, ſub qua Attis nomine ſpoliaverat ſe viri, in antrum ſuum defert, & ſociatis planctibus cum Acdeſti tundit & ſauciat pectus.* De ejulatu hoc Gallorum ſic quoque Auguſtinus lib. vi de Civit. Dei, cap. vii: *Sacra ſunt matris Deûm; ubi Attis, pulcher adoleſcens, ab ea dilectus, & muliebri zelo abſciſſus, etiam hominum abſciſſorum, quos Gallos vocant, infelicitate deploratur.*

Denique de abſtinentia à pane ſic concludit Arnobius: *Quid temperatus ab alimonio panis, cui rei dediſtis nomen caſtus? Nonne illius temporis imitatio eſt, quo ſe numen ab Cereris fruge violentia mœroris abſtinuit?* Hinc & Catullus in Galliambo:

Rapidæ ducem ſequuntur Gallæ pede propero.
Itaque ut domum Cybellæ tetigere laſſulæ,
Nimio è labore ſomnum capiunt ſine Cerere.

Ubi *Gallæ* potiùs, quàm *Galli* ait, quia eſſent viri non viri: quippe evirati, ſive ſine viro. Quomodo & Attin ipſe Catullo eſt *nova mulier.* Porrò ex hoc ritu abſtinentiæ à Cerere etiam lucem capit Tertullianus de Jejuniis: *Sed bene, quod in noſtras xerophagias blaſphemias ingerens, caſto Iſidis & Cybeles eas adæquas.* Idem oſtendit B. Hieronymus epiſt. ad Lætam: *Faciant hoc cultores Iſidis & Cybeles: qui guloſa abſtinentia Phaſidis aves, & fumantes turtures vorant, ne ſcilicet Cerealia dona contaminent.* Quo de ritu plura dicerem, niſi abundè eum illuſtraſſet Deſiderius Heraldus in iis, quæ eruditè ad ſuperiorem Arnobii locum annotavit. Nec enim viſum mihi actum agere.

Cæterùm poterat Arnobius etiam ſuperioribus ſubdere, quòd Galli furibundi capita jactarent, id itidem factum eſſe ad imitationem Cybeles: quam Diodorus [a] ait, διὰ τὴν πρὸς τὸ μειράκιον φιλοστοργίαν, καὶ τὴν ἐπὶ τοῖς τροφοῖς λύπην, ἐμμανῆ γενομένην, εἰς τὴν χώραν ἐκπηδῆσαι· καὶ ταύτην τὴν ὀλολύζουσαν καὶ τυμπανίζουσαν ἐπιέναι ἅπασαν χώραν, καταλελυμένην τὰς τρίχας· *Cybelen per amoris erga juvenem impatientiam, & mœrorem ob nutrices, furore correptam in agros excurriſſe: atque ibi ſolam, diffuſis capillis, ululatu & tympani ſtrepitu, univerſam impleviſſe regionem.* Ad hunc ritum pertinet illud Catulli: [a] *Lib.* 3.

—— Simul ite, ſequimini
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora Dea.
Ubi cymbalum ſonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo,
Ubi capita Mænades vi jaciunt hederigeræ.
Ubi ſacra ſancta acutis ululatibus agitant.

Similiter Terentius Varro:

Tibi tympana non inani ſonitu, Dea, tonimus,
Sonitum æris intonamus tibi nos ſemiviri,
Teretem comam volantem Galli tibi jacimus.

Item Cilnius Mæcenas:

Ades huc, ades Cybelle, Dea, montigena Dea,
Age tympano ſonanti quate flexibile caput,
Latus horreat flagello, comitum chorus ululet.

Etiam ad hiſtoriam refert Varro, cur cùm leonis ſimulacro in ſacris Cybelles ſpectaretur. Sic enim ſcribit ἐν ὄνῳ λύρᾳ: *Non vidiſti ſimulacrum leonis ad Idam è loco, ubi quondam eum cùm vidiſſent quadrupedem Galli, tympanis adeò fecerunt manſuetum, ut tractarent manibus?*

Cap. XXI.

Silenus Phryx in Deos relatus. Sapientia ejus excellens. Cujuſmodi dolo eum Midas rex ceperit. Quando vixerit. Non alium videri à Marſya, cui vivo pellis detracta; ac ſuper eo viri ſummi opinio rejecta. Cultus Hectoris, Sarpedonis, Proteſilai, Homeri, Alexandri Magni, Hermotimi, Pyxodori, Cayſtris, Aſii, Alabandi, Tlepolemi, Pandari, triumvirorum Solymenſium, quorum nomina variè adducta. Non videri eos Σκληρούς *ſive* Duros *nuncupatos. Cultus Amphilochi, & Mopſi, apud Cilices. Atticam non dici Mopſopiam à Mopſo, ſed Mopſopo vel Mopſope. A Mopſo Ampycide, Theſſalo Argonauta, Theſſaliæ Mopſium nomen habere. Mopſus Thebanus, Tireſiæ nepos, Calchantis victor, ut vixerit temporibus belli Trojani, ac deinceps. Iterum de Venere Cypria: cujus ſacerdotes* Κινυράδαι. *Agraulo Cyprii hominem ſacrificabant. Cultus iiſdem Oneſilaus.*

SEd de matre Phrygia fortaſſe nimium multa. Præſertim quando iterum de ea erit dicendum, cùm de Cybelle agemus libro proximo, quatenus naturale eſt numen,

perque eam Tellus intelligitur. Quare venio ad Silenum, tantopere à poëtis celebratum: qui, Grammaticis variè nominis originem deducentibus; variè etiam ſcribi ſolet. Nec enim Σιληνὸς ſolùm, vel Σειληνὸς: ſed etiam Σειλενὸς, & Σιλενὸς, legas. Phrygem diſertim vocat Tertullianus de Anima cap. II: ubi inter alios, Deorum ordinibus inferos, etiam recenſet *Silenum Phrygem, cui à paſtoribus perducto ingentes aures ſuas tradidit.* De ingentibus Midæ auribus ſatis notum. Quò reſpiciens Perſius ſcripſerat, *Auriculas aſini Mida rex habet.* Sed ne Nero id in ſe dictum putaret, præceptor ejus Cornutus reſcripſit, uti nunc legitur: *Auriculas aſini quis non habet?* Quemadmodum in vita ejus refertur: quæ, ut arbitror, Suetonium Tranquillum habet auctorem. Nec mirum, ſi, quod ait Tertullianus, aures ſuas Sileno commodârit Midas. Fuit enim Silenus, pro illis temporibus, naturæ & antiquitatis omnis intelligentiſſimus. Unde nec alium de illis, quàm Silenum, loquentem inducere voluit Maro eclogâ illâ, quæ *Silenus* inſcribitur. Ubi Servius poëtam ea maximè ſecutum dicit, quæ de Sileno prodiderat Theopompus Chius. Cujus fide etiam Ælianus Variæ hiſtoriæ lib. III, cap. XVIII, complura refert, quæ apud eum legi malo. Etiam apud Tullium in primo Tuſculanarum quoddam ex Sileni hujus dictis reperias. Quid impedit, quo minus illud apponamus? utcunque ille pro fabella referat: de quo aliter alii; niſi generalius voce fabulæ uſum placet; quod non planè inſolens veteribus. *Fertur de Sileno fabella quædam: qui cùm à Mida captus eſſet, hoc ei muneris pro ſua miſſione dediſſe ſcribitur, docuiſſe regem, Non naſci hominibus longè optimum eſſe: proximum autem quamprimum mori.* Quomodo ceperit Silenum Midas, docet inter alios Xenophon lib. I de Expeditione Cyri. Ubi ait, fontem, qui Midæ dicebatur, vino miſcuiſſe. Nempe ſic inebriâtit Silenum. Sed de fonte fabulam ſapit. Credo, tam ſapienti viro, ſapientiam Midas more regio magnis expectorârit culullis. Nec ſanè Silenus ille unus fuit è multis; ſed unus è regulis Cariæ, qui Niſæ imperaret. De quo fidem fecerit Diodorus in tertio: Πρῶτον γὰρ τῶν ἁπάντων βασιλεῦσαί φασι τῆς Νύσης Σιληνὸν, οὗ τὸ γένος ὅθεν ἦν, ὑπὸ πάντων ἀγνοεῖσθαι, διὰ τὴν ἀρχαιότητα. *Primum enim omnium Niſæ ajunt imperaſſe Silenum; cujus genus ab omnibus ignoratur, ob temporis longinquitatem.* Non tanta tamen ejus vetuſtas, ſi, ut Diodorus ibidem refert, Liberi Thebani temporibus vixerit. Cadmi enim Thebani is nepos fuit: de cujus temporibus nihil attinet repetere, quæ fusè antea diximus. Videtur autem Silenus eſſe idem ac Marſyas. Quippe apud Herodotum lib. VII invenio, ut ab Apolline ſuſpenſa ſit ὁ τοῦ Σιληνοῦ Μαρσύεω ἀσκός· *Sileni Marſyæ pellis.* Nec movet me, quod Marſyam hunc aliqui non Silenum, ſed Satyrum, appellent: ut Maximus Tyrius initio ſerm. XXX: ubi legas; Ἀνὴρ Φρὺξ, ἀργὸς τὸν βίον, ἐρῶν χρημάτων, λαμβάνει τὸν Σάτυρον, ὡς φησὶν ὁ μῦθος. *Homo quidam Phryx, vitæ deſidis, pecuniæque appetens, capit Satyrum; ut in fabula eſt.* Unde vir eruditiſſimus colligebat, alium eſſe hunc Marſyam à Sileno. Quippe junior cùm eſſet, Satyrus; grandior autem, Silenus dici meruit. Solâ enim ætate Satyri & Sileni differebant. Marſyam autem Midæ regis temporibus vixiſſe, etiam oſtendit, quod antea dicebamus, de Mida filiam deſpondente Attidi Cybeles amaſio, item de Marſya, poſt Attidem à Meone interemtum, Cybelen in fuga ſua comitante, ac tum provocante in certamen quendam ſeu regulum, ſeu ſacerdotem, qui vivo cutim exuerit crudeliter.

Phrygiæ etiam pars Troas, in qua Ilium. Ubi Ganymedem mitto, Aſſaraci, regis Trojani filium; qui, ut apud Hyginum eſt, in Aquarii ſidus relatus, & Iovis eſſe pocillator dictus. Egimus de eo, cùm Iovem Phrygium, qui Tantalus eſt, ſpectaremus. Potiùs nunc heroas conſideremus. Alexandrum Magnum in Ilio parentâſſe heroibus, qui bello Trojano cecidiſſent, teſtatur Diodorus in XVII, Plutarchus in Alex. & Juſtinus lib. XI. Ipſis verò Ilienſibus cultum Hectorem, imò & Helenam, Athenagoras ait Legatione pro Chriſtianis: Οἱ μὲν Ἰλιεῖς θεὸν Ἕκτορα λέγουσι, καὶ τὴν Ἑλένην Ἀδράστειαν ἐπιστάμενοι προσκυνοῦσι. *Ilienſes Deum Hectorem prædicant, & Helenam, veluti Adraſtiam, ſcientes adorant.* Atque idem de Hectore tradit Clemens Romanus lib. X Recognit. a Etiam Ajaci ſacra feciſſe, teſtis Strabo in XIII: a Vel. & uti & vicini Sigeenſes Achilli, Patroclo, & Antilocho, edit. ut ſuquod ibidem ait. prà.

Sarpedon etiam cultus in Troade. Plinius lib. XIII, cap. XIII: *Præterea Mutianus ter conſul prodidit, ſe legiſſe, cum præſideret Lyciæ, Sarpedonis a Troja ſcriptam in quodam templo chartam.* De oraculo ejus habes apud Tertullianum de anima cap. XLVI, item Philoſtratum in Heroicis.

Ab Ilio, ſi Septentrionem verſus tendamus, offeret ſe Abydena regio: ubi, ut Mela ait lib. II, cap. II, *ſunt Proteſilai oſſa conſecrata delubro.* Ulteriùs apud Pontem cultus eſt Patroclus; ut teſtis eſt Clemens loco paullò antè memorato. Etiam Sinopenſes ad Pontum Euxinum in Paphlagonia Autolycum divinis affecere honoribus. De hoc ita Strabo in XII: Καὶ τὸν μὲν ἄλλον κόσμον τῆς πόλεως διεφύλαξεν ὁ Λεύκολλος, τὴν δὲ τοῦ Βιλλάρου σφαῖραν ἦρε, καὶ τὸν Αὐτόλυκον, Σθένιδος ἔργον, ὃν ἐκεῖνοι οἰκιστὴν ἐνόμιζον, καὶ ἐτίμων ὡς θεόν· ἦν δὲ καὶ μαντεῖον αὐτοῦ. Δοκεῖ δὲ τῶν Ἰάσονι συμπλευσάντων εἶναι, καὶ κατασχεῖν τοῦτον τὸν τόπον. *Lucullus, conſervatis reliquis Sinopes ornamentis, Billari tamen ſphæram abſtulit, & Sthenidos opus, Autolyci ſtatuam, quem illi, urbis conditorem exiſtimantes, divinis colebant honoribus. Fuit etiam oraculum ejus. Videtur is unus eorum fuiſſe, qui cum Iaſone navigaverunt, & locum iſtum occupâſſe.* Quod verò ambigit Strabo, num is unus Argonautarum fuerit, id inde eſſe arbitror, quòd in itinere demum iis acceſſerit. De quo vide Apollonium Rhodium lib. II, & Val. Flaccum in V Argonauticôn.

Nec dubium, quin & Cappadociæ, & variæ Aſiaticæ hujus magnæ peninſulæ regiones, ſimiliter homines coluerint pro Diis. Sed feſtinantibus in Aſiam magnam jucundius iter erit, ſi rectà eamus in Ioniam, inde in Cariam, tum oram extra Taurum maritimam, quam tenent Lycii, Pamphylii, ac Cilices.

Ab Ilio igitur, ſic decantatà verſibus Homericis, prima nos recipiet Smyrna: quæ præ cæteris Homeri natales ſibi depoſcit. Itaque & templum Homero exſtruxit: in quo ejus ſimulacrum; ut memorat Strabo in XIV. Etiam Smyrnæis Æſculapii fanum; ut ait Pauſanias in Achaicis.

Supra Clazomenios latere eo, quod Chalcidenſes occuparant, fuit lucus Alexandro M. ſacer: ac certamen etiam erat communi Ionum nomine peragi ſolitum. Id Ἀλεξάνδρεια dixere. Auctor de utroque Strabo in XIV.

Clazomeniis cultus fuit Hermotimus: de quo ſic Tertullianus lib. de anima, *Et Hermotimum, cui Clazomenii mortuo templum contulerunt.* Nam *Hermippum* hic perperam legi ſolere, monitum jamdiu Paullo Leopardo lib. VIII Emendationum, cap. III. Sana lectio retenta à Tertulliano ejuſdem libri, cap. XLIV: *Cæterum de Hermotimo, animâ, ut ajunt, in ſomno carebat; quaſi per occaſionem vagaturi hominis proficiſcente de corpore. Uxor hoc prodidit. Inimici dormientem nacti pro defuncto cremaverunt. Cives Hermotimum templo conſolantur.*

In Ionia etiam eſt Epheſus, inclyta templo Dianæ. Sed hæc nobis in Diis naturalibus dicetur. At inter animales eſt Pyxodorus: cui ab Epheſiis divini honores decreti fuerunt ob marmoris inventum; teſte Vitruvio lib. X, cap. VII.

Mæandri campum incoluerunt Iones, & Cares: imò & Lydi, atque alii. In hoc eſt, quem Ἄσιον λειμῶνα b Homerus vocat, *prata Aſia* Virgilius c. Ubi b Iliad β. Cayſtrii, & Aſii cujuſdam, heroum ſacella propter 461. Cayſtri flumen monſtrabantur: ut Strabo refert in c 1 Georg. XIV.

In Caria Alabandenſes Alabandum colunt: de quo aliquid antea dictum nobis ex Tullio III de Natura Deorum. Sed fuſius ibidem his verbis: *Alabandenſes quidem ſanctius Alabandum colunt, à quo eſt urbs illa condita, quam quemquam nobilium Deorum. Apud quos non inurbanè Stratonicus, ut multa, cum quidam, ei moleſtus, Alabandum Deum eſſe confirmaret, Herculem negaret: Ergo, inquit, mihi Alabandus, tibi Hercules ſit iratus.*

Caria opponitur Rhodo inſulæ. Ubi Tlepolemus rex, qui ad Trojam militans à Sarpedone occiſus, divino cultus eſt honore: ut eſt apud Pindari ſcholiaſtem Olymp. od. VII. Etiam à Rhodiis cultum eſſe Alexandrum Magnum, refert Clemens Romanus lib. X Recognitionum *a*. a Fol. 110, edit. Pariſ. an. 1568.

In continentem revertamus. In Lycia infra Cragum jacent Pinara; ubi Pandarum venerati; quemadmodum teſtatur Strabo in quartodecimo. Παλαιὸς ἥρως *b* vocatur Euſtathio: quem vide in Homeri Iliad. Δ c. b *Antiquus heros.*

Solymi, qui in ſummis Tauri montis jugis conſtituti inter Lycios, & Piſidas, ac propterea à Strabone nunc his, nunc illis, adſcribuntur, Deos coluere poſt mortem tres iſtos è viris principibus, Ἄρσαλον, καὶ Δρύον, καὶ Τροσοβιόν: ut eos appellat Plutarchus libro de defectu oraculorum: ubi eos ait vocatos Deos σκληρούς: unde & Turnebus *ſævos* vertit: ſed Σκιροὺς reſcribendum eſſe, conſtat ex Euſebii lib. V Præparationis Evangelicæ, cap. V, ubi hunc locum adducit: ſed tres principes appellat, Ἄρσαλον, Ἄρυτον, καὶ Τόσοβιν. Ac Τόσοβις quoque eſt apud Suidam. Sed apud Theodoretum lib. III Græcarum affect. curat. ubi idem Plutarchi locus adducitur, pro Τόσοβιν eſt Τάσαβιν: item pro Δρύον, vel Ἄρυτον, ibi legas Ἄρυον. Σκιροὶ hi dicti videntur, quia ſtatuæ eorum eſſent è σκίρῳ, hoc eſt marmore, vel, ut alii malunt, gypſo. Ac nihil minùs veriſimile, quàm σκληροὺς dixiſſe, quos interemtos tantopere dolerent, & pro benefactis divinis afficere honoribus vellent. *Duros* tamen redditum legas quoque in ea Theodoreti interpretatione, quam doctiſſimus Sylburgius recenſuit. c Pag. edit. Rom. 448.

Cilices colunt Nioben; de qua Athenagoras in Legatione. Verùm ſi de eo non Alcmanem modò, ſed Heſiodum etiam auctorem putavit, planè eum memoria fefellerit. Saltem nihil nunc de eo in Heſiodi Θεογονίᾳ reperias. Iidem divinos honores exhibebant Mopſo: ut eſt apud Origenem in tertio contra Celſum. Et ante eum ita Tertullianus lib. de Anima, cap. XLVI: *Nam & oraculis hoc genus ſtipatus eſt orbis: ut Amphiarai apud Oropum, Amphilochi apud Mallum, Sarpedonis in Troade, Trophonii in Bœotia, Mopſi in Cilicia, Hermionæ in Macedonia, Paſiphaæ in Laconica.* Quo ex loco etiam diſcimus de oraculo Amphilochi apud Mallum: quod & ipſum Ciliciæ oppidum fuit. Sed quis Mopſus iſte fuerit, quæri video. Tres vulgo Mopſos imprimis celebrant: imò totidem à Strabone in IX referri, annotavit Andreas Schottus ad Melæ lib. I, cap. XVII. Nempe iſtic legas, Mopſium, Pelaſgiotidis in Theſſalia urbem, ſic dici, non à Mopſo vate, Tireſiæ Thebani filio; ſed à Mopſo Lapitha Theſſalo, Argonautarum uno: ac deinde in codd. vulgatis edi ſolet: Ἄλλος δ' ἐστὶ Μόψος, ἀφ' οὗ ἡ Ἀττικὴ Μοψοπία. *Alius verò eſt Mopſus, à quo Attica dicta Mopſopia.* Et ſanè à Mopſo *Mopſopiam* dici, ſententia eſt Stephani in Μοψίον, qui ſimiliter apud Strabonem legiſſe videtur. Quin idem etymon exſtat apud Euſtathium in Dionyſ. Verùm obſtat, quòd à Μόψος eſſet Μοψία. Rectè igitur Caſauboniana Strabonis editio pro Μόψος habet Μόψοπος, unde ἀναλόγως eſt Μοψοπία: uti & à Μόψοψ, quomodo idem vocatur Callimacho, apud Stephanum in Μοψοπία. Quare non dubium, quin Mopſus ille, cujus oraculum in Cilicia erat, vel Thebani Tireſiæ filius fuerit, vel Argonautarum unus. Poſterius cenſet Pamelius ad allarum Tertulliani locum. Fuit is Mopſus Ampyci filius, unde Ampycides dicitur Apollonio in IV, & Ovid. XII Met. Vatem autem hunc fuiſſe, clarè & Apollonius, & Valerius Flaccus, teſtantur. Mihi verò longè veriſimilius fit, oraculum illud Mopſi in Cilicia non fuiſſe Argonautæ Theſſali, ſed Tireſiæ filii, aut nepotis. Hoc è temporum ratione colligo. Siquidem Mopſus vates, cujus in Cilicia oraculum, non Argonauticis vixit temporibus, ſed belli Trojani; uti conſtat ex Strabone in XIV; ubi ſic ſcribit: Λέγεται δὲ Κάλχας ὁ μάντις μετ' Ἀμφιλόχου τοῦ Ἀμφιαράου κατὰ τὴν ἐκ Τροίας ἐπάνοδον πεζῇ δεῦρο ἀφικέσθαι· περιτυχὼν δ' ἑαυτοῦ κρείττονι μάντει κατὰ τὴν Κλάρον Μόψῳ τῷ Μαντοῦς τῆς Τειρεσίου θυγατρὸς διὰ λύπην ἀποθανεῖν. *Dicitur Calchas cum Amphilocho, Amphiarai filio, a Troja pedeſtri itinere, eo veniſſe: cumque apud Clarum, in ſe meliorem vatem incidiſſet, Mopſum, Mantus filium, quæ Tireſiæ fuit filia, præ mœrore vita exceſſiſſe.* Hinc quæ alter alteri propoſuit, ex Heſiodo refert, & Pherecyde, item aliis: ac de Sophocle ſubjungit, Οὗτος δὲ εἰς Κιλικίαν μεταφέρει τὴν ἔριν, καὶ τὸν θάνατον τοῦ Κάλχαντος· *idem hanc concertationem, & mortem Calchantis, in Ciliciam transfert.* Ex quibus ſatis apertum eſt, ut Amphilochum, ita Mopſum, (quorum utrique oraculum in Cilicia, ut ex Tertulliano vidimus) temporibus belli vixiſſe Trojani, Trojâque in Ciliciam veniſſe. Etiam hanc rem narrat Iſacius Tzetzes in Caſſandram Lycophronis *a*: inter cætera habes: Μετὰ δὲ τὴν Ἰλίου πόρθησιν αὐτὸς ὁ Κάλχας, καὶ ἕτεροι, Ἀμφίλοχος, Λεοντεὺς, Ποδαλείρης, Πολυποίτης, ἐν Ἰλίῳ λιπόντες τὰς ναῦς αὐτῶν, εἰς Κολοφῶνα πεζῇ περβάσιν, κἀκεῖ θάπτουσι Κάλχαντα. *Poſt verò excidium Ilii, Calchas ipſe, & alii, Amphilochus, Leonteus, Podalires, Polupœtes, Ilii navibus ſuis relictis, pedeſtri itinere Colophonem venerunt, atque hic ſepelierunt Calchantem.* Hinc de Mopſi, & Calchantis certamine enarrat. Ex quibus abunde cognoſcitur, Mopſum illum, in Cilicia cultum, non fuiſſe unum Argonautarum; quorum expeditio generatione integrâ bellum Trojanum anteceſſit: ſed illum Mantûs filium, Tireſiæ nepotem; qui Amphilochi, & Calchantis Homerici temporibus vixit. Nec alius, à quo in Cilicia Μόψου ἑστία, *Mopſi focus, lares, ſive domus.* B. Hieronymus *Mopſi viculum* appellat. Locus celebris mortuo iſtic Conſtantio Imperatore, & Epiſcopatu Theodori Mopſueſteni; viri à Baſilio, Chryſoſtomo, Cyrillo laudati; ſed poſt exortum dogma Neſtorianum, ab eodem Cyrillo, & Eccleſia, damnati. Etiam hunc Mopſum intelligo apud Pomponium Melam lib. I, cap. XIV, cùm ſcribit: *Trans eoſdem mons Sardemiſus, & Phaſelis, à Mopſo condita, finis Pamphyliæ.* Interea & Mopſus Argonauta ſuum habuiſſe oraculum videtur: de quo in Africæ numinibus inferiùs dicam. De Æſculapio ab Ægeatis in Cilicia culto vide Hiſtoriam Tripartitam lib. II, cap. XX. a Pag 75, edit. Pauli Steph.

Deinceps ex Cilicia in Cyprum contendo. Ubi Cinyræ regis ſcortillum ſub nomine Veneris colebatur: ut cap. XVII dicebamus. Uti & de ritu colendi ſalis pugillo & phallo. Auctores, Clemens in Protreptico, Arnobius lib. XV, & Firmicus Maternus de err. prof. rel. Sacerdotes ejus Κινυράδαι vocabantur; quia non alius præficeretur ſacris, quàm ex Cinyræ progenie. Teſtes Heſych. in Κινυράδαι, & Pindari ſcholiaſt. Pythion. od. II. Ita & Peliam, Cinyræ propinquam, Veneri dicatam fuiſſe, legimus apud Servium in Ecl. VIII.

Etiam Cyprii Agraulo, Cecropis filiæ, de qua in Athenienſium cultu diximus, ſacra fecere; & humanâ quidem victimâ, uſque ad tempora Diomedis: uti locuples teſtis Porphyrius de abſtinentia animalium, & exinde B. Cyrillus libro IV contra deſertorem Julianum. In eadem inſula Amathuſii coluere Oneſilaum; ut in Legatione ait Athenagoras.

Cap. XXII.

Ad animales Phœnicum Deos acceditur. Syrorum, & Medorum imperium Græcis quaſi ignotum videri ante bellum Perſicum. Sanchoniathonis ætas, dignitas, ſcripta. Græcos, & alios, à Phœnicibus, & Ægyptiis, accepiſſe cultum Deorum. Chryſor, *qui Vulcanus videtur, non ſolùm artis fabrilis, ſed etiam facundiæ, divinationis, piſcationis, & navigationis doctor habebatur. Idem* Diamichius. *Tantus literarum repertor.*

Dagon idem, qui Σιτών. Beth-Dagon. *Atlas Phœnix. Gades cur ſic vocentur. Quomodo Cælus, & Tellus, Sanchoniathoni ſint Dii animales.* Hercules Tyrius, *qui &* Melicartus. *Idem Sidone cultus, & unde* Melicarti *vocabulum.* Malica, *Amathuſiis Hercules.* Ἄρης, Mars, *& unde ea appellatio. Unde item* Ἀρεταῖος, *&* Ἀρτοξέρξης. Derianaus *quàm variè ſcribatur.* Dorſanes. Sandes. *Unde hæ videantur appellationes. Herculis Tyrii ætas: quod alium à Samſone arguit.* Adad, *ſive* Adod. Ada. *Pro* Aſtarte *plurativo* Aſtaroth *dici, quia pluribus locis coleretur. Eſſe eam Europam, Agenoris regis filiam. Cur, cùm raperetur à Jove, tauro vecta dicatur.*

E Cypro ituros, hinc Aſia trahit, inde Africa: in illa quidem Phœnicia, in hac verò Ægyptus: ab utraque earum ſuperſtitione impleta eſt Græcia. Quod verò ad Babyloniam, Mediam, Perſiam, & terras Aſiæ alias, exili ſolum famâ notæ erant ante bellum Perſicum. Quemadmodum clarè ait Strabo in quintodecimo. Et gravi auctore Homero id adſtruit: Ὅμηρος γοῦν οὔτε τὴν τῶν Σύρων, οὔτε τὴν Μήδων ἀρχὴν οἶδεν· οὐδὲ γὰρ ἂν Θήβας Αἰγυπτίας ὀνομάζων, καὶ τὸν ἐκεῖ, καὶ τὸν ἐν Φοινίκῃ πλοῦτον, τὸν ἐν Βαβυλῶνι, καὶ Νίνῳ, καὶ Ἐκβατάνοις παρεσιώπησεν. *Nec enim Homerus Syrorum, vel Medorum norat imperium. Alioqui cùm Thebas Ægyptias, & earum, ac Phœnicum nominaret divitias: minimè prætermiſſet divitias Babylonis, ac Nini, & quæ Ecbatanis.* Sed ante Ægyptum culta eſt Phœnicia, & Cypro propior eſt multò. Bonis igitur avibus velum ventus impleat ſecundus, ut eo paſſo ad Phœniciam terram provehamur.

Phœnices coluere Saturnum, Rheam, Jovem, Junonem, alios: quos fuiſſe homines, ipſi fatebantur. Unde Theodoretus lib. III de cur. Græc. affect. Καὶ γὰρ δὴ καὶ τὸν Κρόνον ἄνθρωπον εἶναι Σαγχωνιάθων φησὶ, καὶ γυναῖκα τὴν Ῥέαν τὴν ἐκείνου ὁμόζυγα· καὶ τὸν Δία, καὶ τὴν Ἥραν, ἐκείνων γε παῖδας· εἶτα εὐεργεσιῶν τινων ἄρξαντας, καὶ δεξαμένους τοῦ βίου τὸ τέλος, θείας παρὰ Φοινίκων ἀξιωθῆναι τιμῆς, καὶ θεοὺς ἀναγορευθῆναι, καὶ βωμοῖς, καὶ θυσίαις, καὶ ἐτησίοις τιμηθῆναι δημοθοινίαις. *Hinc & ipſe Sanchoniathon, Saturnum fuiſſe hominem, Rheam mulierem, Saturni conjugem, tradit; homines etiam Jovem, & Junonem, eorum liberos: poſteà verò cùm beneficia quædam priores ipſi hominibus contuliſſent, vitâ demum perfunctos, dignos à Phœnicibus eſſe habitos, qui divinis honoribus culti, etiam vocarentur Dii, quique & aris, & ſacrificiis, & annuo epulo colerentur.* Sanchuniathon ille fuit Berytius, vir Trojano bello antiquior, ac hiſtoriam Phœnicum Phœnicia perſcripſit linguâ, partim ex urbium ſingularum actis, partim ex templorum monumentis, multum in eo adjutus operâ Hierombali, qui ſacerdos fuit Dei Ἱευώ. Ἱευώ autem idem ac Ἰαώ: quæ voces factæ ex nomine Dei tetragrammato. Hoc Sanchuniathonis opus Philo Byblius linguâ è Phœnicia tranſtulit Græcè; indèque ea, quæ de Phœnicum ille theologia retulerat; in primum ſuum de Præparatione Evangelica tranſtulit Euſebius. In hujus operis proloquio retulit Philo, antiquiſſimos gentium eſſe Phœnices & Ægyptios: Phœnices præter Solem, Lunam, ſidera, elementa, & ex his compoſita, quæ vocat θεοὺς φυσικοὺς καὶ ἀθανάτους a, habuiſſe θεοὺς θνητοὺς b, nempe animas eorum, qui bene meriti eſſent de hominibus. Sic enim inter alia loquitur: Οἱ παλαιότατοι τῶν βαρβάρων, ἐξαιρέτως δὲ Φοίνικές τε καὶ Αἰγύπτιοι, παρ' ὧν καὶ οἱ λοιποὶ παρέλαβον ἄνθρωποι, θεοὺς ἐνόμιζον μεγίστους τοὺς τὰ πρὸς τὴν βιωτικὴν χρείαν εὑρόντας, ἢ καὶ κατά τι εὖ ποιήσαντας τὰ ἔθνη. εὐεργέτας τε τούτους καὶ πολλῶν αἰτίους ἀγαθῶν ἡγούμενοι, ὡς θεοὺς προσεκύνουν. *Barbarorum antiquiſſimi, Phœnices imprimis & Ægyptii, à quibus homines cæteri morem hunc accepere, maximorum Deorum loco habuerunt, qui res ad vitam neceſſarias inveniſſent, ac beneficium quopiam in genus contuliſſent humanum. Hos igitur, qui bene fecerant, & multorum habebantur bonorum auctores, adorarunt ut Deos.* Videmus, ut πολυθεότητα c, & ejus cultum, à Phœnicibus, & Ægyptiis, derivet Philo: quod facilè perſuadet. Nam quis non potiùs de Chami poſteris id in animum inducat ſuum, quàm Semi, aut Japeti liberis, quorum pietas memoratur à Moſe; quibus etiam benedixit Noë, cùm Canaani, filio Chami malediceret; ut eſt Genes. IX, 25, 26, 27. Atqui, quæ Phœnicia poſtmodo vocabatur, ea priùs à Canaan dicta eſt *Canaan*: & à Chamo ipſo Ægyptus *terra Cham*, item ab altero ejus filio *terra Mizraim* vocatur in Scripturis: ut alibi hoc opere oſtendimus.

a Deos naturales & immortales.

b Deos mortales,

c Multitudinem Deorum.

Inter eos, quos Deos fecere Phœnices, Chryſor fuit; qui Græcis videtur Ἥφαιστος, Latinis autem *Vulcanus*. Teſtis ex Sanchoniathone Philo apud Euſebium in primo Præp. Evang. ubi cùm de Ὑψουρανίου ſobole gemina, quam Ἀγρέα & Ἁλιέα, *Venatorem, & Piſcatorem* vocat, locutus foret, iſta ſubjungit, Ἐξ ὧν γενέσθαι δύο ἀδελφοὺς σιδήρου εὑρετὰς, καὶ τῆς τούτου ἐργασίας· ὧν θάτερον τὸν Χρυσὼρ λόγους ἀσκῆσαι, καὶ ἐπῳδὰς, καὶ μαντείας· εἶναι δὲ τοῦτον τὸν Ἥφαιστον. εὑρεῖν δὲ καὶ ἄγκιστρον, καὶ δέλεαρ, καὶ ὁρμιὰν, καὶ σχεδίαν· πρῶτόν τε πάντων ἀνθρώπων πλεῦσαι· διὸ καὶ ὡς θεὸν αὐτὸν ἐσεβάσθησαν· καλεῖσθαι δὲ αὐτὸν καὶ Διαμίχιον. *Ab iiſdem fratres procreati duo; qui ferrum, ac multiplicem ejus uſum, reperere. Quorum alter, Chryſor nomine, quem Vulcanum eſſe ait, plurimum operæ ac ſtudii, partim in eloquentia, partim in cantionibus ac divinandi artibus collocavit. Is etiam hamum atque eſcam, piſcatorum lineam, ac tumultuarias rates invenit, primuſque mortalium omnium navigavit. Quamobrem eum quoque poſt obitum inſtar Dei coluerunt, ipſumque præterea Diamichii nomine appellarunt.*

Porrò vocabula illa Ὑψουράνιος, Ἀγρεὺς, Ἁλιεὺς, & ſimilia, non à Sanchoniathone ſunt, ſed interprete; qui Phœnicia nomina Græcis expreſſerat vocibus. Alios ibidem ex Sanchoniathone recenſet Deos de hominibus factos: uti Ἀγρουῆρον ἢ Ἀγρότην, *Agricolam ſive Ruſticum*: quem templo in Phœnicia, & eximio ait ſimulachro cultum, vocatumque eſſe Deorum maximum. Cenſeo hunc, vel Chamum fuiſſe, vel Cainum; quem Abelo à maledicta gente Cananæa prælatum, nihil mirandum. Addit, eum cum fratre, qui Ἀγρὸς a dicebatur, atria addidiſſe ædibus, & ſepta, & σπήλαια, ſive ſpeluncas vel cellas ſubterraneas. Primus quidem Cain fuit, qui urbem extruxerit: ut Moſes indicat Genes. IV, 17. Non adverſor tamen, quo minùs intelligatur aliquis è Chami poſteris, qui incoluerit Cananæam. Ab his fratribus Sanchoniathon eſſe ortos ait agricolas, quique canibus venantur: atque etiam vocatos Ἀλῆτας, καὶ Τιτᾶνας· *Errones, & Titanas*. Ex his natos Ἄμυνον, καὶ Μάγον: inde Μισὼρ, καὶ Συδὺκ, hoc eſt, Εὔλυτον, *Solutu facilem*, καὶ Δίκαιον, *Juſtum*. Ex Miſor eſſe Taautum: qui artem ſcribendi reperit, primuſque rerum geſtarum commentarios reliquit: ab Ægyptiis quidem Θωὺρ, vel potiùs Θωὺθ, Alexandrinis autem Θὼθ, Græcis Ἑρμῆν nominatum. Quod & antea ex Philonis Berytii præfatione, retulerat Euſebius. Ac plura de eo in Diis Ægyptiis dicemus. Poſtea ſubjungit, ut ex Siduc procreati ſint, qui vel Διόσκουροι, vel Κάβειροι, vel Κορύβαντες, vel Σαμοθρᾶκες vocantur. Variè credo hoc numen extulit Philo, quia non ſatis videret, quod nomen Græcanicum Phœnicio illi optimè conveniret. Memorat & Deum, cui nomen Ἐλιοῦν, ſive Ὕψιστος, hoc eſt, *Altiſſimus*: qui vixerit prope Byblum, ac genuerit Οὐρανὸν, unde æthérea plaga Οὐρανὸς ſive Cæli nomen acceperit. Altiſſimum autem cum feris congredientem periiſſe: ſed à liberis adſcriptum eſſe Diis: ᾧ καὶ χοὰς, καὶ θυσίας οἱ παῖδες ἐπετέλεσαν· *quem & libationibus, & ſacrificiis, liberi ſint venerati.* Ex Cælo quoque natos ait Ilum ſive Saturnum, Betulum, Dagonem, & Atlantem. De Ilo dictum antea. De Betulo agam in Deorum ſymbolis. Dagon à Philone redditur Σιτών, hoc eſt, frumenti præſes: nempe quia frumentum & aratrum repererit. Quod convenit cum Hebræo דגן, dagan, *frumentum*. At tamen cenſent eſſe à דג, dag, *piſcis*. Quaſi *piſcionem* dicas. Puta quia mari præeſſet, eoque ſimulachrum ejus ſupe-

ſuperiori parte hominem, inferiori piſcem referret. Multum ſanè hæc diſtant. Nec enim agricolis, ſed piſcatoribus, & nautis, convenerit numen, quod ſemihominis ac ſemipiſcis figuram haberet. Sæpius in Scripturis memoratur בית דגון, *beth Dagon*, hoc eſt, *templum Dagon.* Ut 1 Sam. v, 1, ubi dicitur, cùm arca Domini à Philiſtæis illata eſſet in templum Dagonis, ac juxta Dagonem collocata; poſtridie repertum eſſe caput ejus in limine cum duabus manibus, relicto ſolùm Dagonis corpore ſive trunco. Commate idem quinto reperi videas nomen Dagonis, ſed particulatim in Aſdod. Adde quod 1 Maccab. x, 83, 84, dicitur Jonathas accendiſſe Beth Dagon, cùm Azotii ſe hoſtes in illud, velut aſylum, recepiſſent.

Quartus filiorum Urani Atlas refertur: qui fortaſſe non alius eſt ab celebratiſſimo ejus nominis rege Mauritaniæ. Quid enim prohibet, quo minùs credamus, Phœnicem hunc coloniam duxiſſe in Mauritaniam? Præſertim cùm videamus, Carthaginenſes eſſe Phœnicum colonos: imò & Gaditanos. Quorum colonia ab Hercule Tyrio. Nam columnas Herculis non alius eſſe, quàm Tyrii, etiam judicium eſt graviſſimi ſcriptoris, Strabonis. Atque idem ipſa *Gadium* appellatio arguit. Nam Græcè eſt Γάδειρα, à גדיר, *gadir*, cujus femininum גדירה, *gedera*, hoc eſt, *ſepimentum*, ut etiam Solinus exponit, cap. xxvi. Imò & Procopius Cæſarienſis, initio lib. 1 Vandalicorum, ait, SEPTUM à Romanis vocatum. Perperam tamen exponit ἑπτὰ, quia ſic *Septem* vocaretur. Melius cauſſam perſpexit Avienus:

Pœnus namque locum Gadir vocat undique ſeptum.

Heſychius: Γάδειρα, τὰ περιφράγματα, Φοίνικες. *Gadir, ſepimentum, ſecundùm Phœnices.*

Poſtea ſubdit Sanchoniathon, ut Tellus zelotypa ob libidines mariti ſui Urani, qui Latinis Cœlus vocatur, ab eo receſſerit. Tum illum cepiſſe conſilium è medio tollendi, quicquid liberorum ex ea haberet. Sed Telluti tantum fuiſſe, & animi, & conſilii, ut vim omnem propulſaret. Hic qui Urani ſive Cœli & Telluris nomina audiat; quid aliud exiſtimet, quàm vocabula hæc non ad mortuos, ſed duntaxat ad partes naturæ pertinere? At longè aliter res habet: ſive cum Sanchoniathone exiſtimemus, vocabula Cæli, & Telluris, priùs hominum fuiſſe, poſtea autem eſſe in honorem eorum naturæ partibus attributa, quibuscum colerentur: ſive, quod non paullo mihi veriſimilius videtur, priùs Cæli & Telluris nomen mundanis partibus conveniat: poſtea autem, cum ſimili homines cultu dignari vellent, obliterato veteri defunctorum nomine, nomen iis impoſitum ſit partium naturæ, quo & nomine, & cultu, convenirent.

Perſequamur nunc cætera ex Sanchoniathone. Refert deinde, Saturnum, ubi adoleverat, conſilio, & auxilio Minervæ, ut maternas vindicaret injurias, patrem regno depuliſſe. Saturni filias eſſe Proſerpinam, quæ obierit virgo, & Minervam. Byblum à Saturno conditam. Atlantem fratrem terrâ defoſſum: Sadidum filium jugulatum: ſororem ductam Aſtarten; unde, præter filios, Amorem, & Cupidinem, genuerit ſeptem Titanidas ſive Dianas; quarum una, nomine Sydyco, mater fuerit Æſculapii. Ductam ei & alteram ſororem Rheam, unde totidem genuerit filios; quorum poſtremus, ſimulac eſſet natus, fuerit conſecratus. Ductam & ſororem tertiam, Dionen. Fuiſſe præterea tres Saturno filios; unum patri cognominem, alterum Jovem Belum, tertium Apollinem. Poſt pauca ſubjungit, τῷ Δημαροῦντι γίνεται Μελίκαρθος, ὁ καὶ Ἡρακλῆς. Quod perperam vertit interpres, *A Demaroonte Melicarthus, & Hercules procreantur.* Cùm debuerit, *Melicarthus, qui & Hercules, procreatur.* Herculem à Phœnicibus cultum, etiam diſcimus ex 11 Maccab. iv, 18, 19, 20, ubi legas, ut impius ille ſacerdos Hieroſolymitanus Jaſon miſerit Tyrum *drachmas argenti trecentas in ſacrificium Herculis.* Etiam ex iis, qui Alexandri geſta prodiderunt, notum, hoc perniciem attuliſſe Tyriis, quòd, cùm Alexander dixiſſet, ſe velle Tyrum venire Herculi ſacrificatum, Tyrii decretum fecerint, Macedonem vel Græcum in urbem admittendi neminem. Atque addit Arrianus lib. 11: Ἔστι γὰρ ἐν Τύρῳ ἱερὸν Ἡρακλέους, παλαιότατον ὧν μνήμη ἀνθρωπίνη διασώζεται. *Eſt enim in urbe ea templum, cujus vetuſtatem humana memoria conſervat.* Mox diſtinguere jubet inter tres Hercules, Tyrium hunc, Argivum, & Ægyptium. Ex quibus liquet, Tyrium eſſe Argivo aliquot ſeculis vetuſtiorem. Nec Tyriis ſolùm Hercules colebatur, ſed & Sidoniis: imò cultus iis, ut Strabo in xvi ait, καθ' ὑπερβολήν, *ſuprà modum.* Melicartho fuiſſe nomen, jam ex Sanchoniathone ſeu Philone Byblienſi vidimus. Vox ea ex duabus eſt conflata. Prior pars eſt מלך, melech, *rex*; unde & Hercules *Malica* ab Amathuſiis. Heſychius: Μάλικα τὸν Ἡρακλέα, Ἀμαθούσιοι, *Malica, Herculem, Amathuſii.* Eſt verò Amathus gemina, Phœniciæ una, Cypri altera. Nempe urbes iſtæ ſacris videntur conveniſſe: nec dubito, quin primi in Cyprum Phœnices trajecerint: ut Amathuſii in Cypro à Phœnicibus cultum Herculis acceperint. Imò aliqui etiam Amathuntis nomen ab Herculis filio eſſe exiſtimant: quod Stephanus indicat in Ἀμαθοῦς. Altera in Melicartho pars eſt קרתא, carta, *civitas.* Quomodo *Melicartus*, ſive *Melicerta*, ſit *rex civitatis*, θεὸς πολιοῦχος.

Sed dicere etiam liceat, poſteriorem vocis partem eſſe Ἄρτης. Nam Mars, & Hercules, promiſcuè uſurpari ſolent Orienti. At Ἄρτης Ægyptiis Mars: uti ex Vettio Valente Antiocheno oſtenſum clariſſimo Seldeno. Eſt verò Ἄρτης ejuſdem originis ac Ἄρης, nempe ab עריץ, *arits.* Ac ἄρτης quidem ſive *artes* ex eo fit trajectis literis, quia Græci, vel Latini, neſciunt tſade. Ἄρης autem, rejecto τ, ex eodem tzade. Notat verò עריץ, aritz, *terribilem*, & μεταληπτικῶς, *fortem.* Ejuſdem originis ac Ἄρτης eſt Ἀρταῖος, appellatio veterum heroum, qui à fortitudine imprimis commendabantur. Stephanus in Ἀρταία: Ἀρταίους δὲ Πέρσαι τοὺς παλαιοὺς ἀνθρώπους καλοῦσι. *Artaeos vocant Perſæ homines priſcos.* Heſychius: Ἀρταῖοι, οἱ ἥρωες παρὰ Πέρσαις· *Artæi, heroes apud Perſas.* Iiſdem ἄρτης *magnus*, quia heroes magnæ virtutis. Unde Ἀρτοξέρξης. Herodotus lib. vi: Δύναται δὲ κατὰ Ἑλλάδα γλῶσσαν ταῦτα τὰ ὀνόματα, Δαρεῖος, ἐρξίης· Ξέρξης, ἀρήϊος· Ἀρτοξέρξης, μέγας ἀρήϊος. *Valent autem hæc nomina ſecundùm Græcanicam linguam; Darius quidem coercitor; Xerxes bellator, vel Martialis; Artaxerxes autem magnus bellator.* Si propius proprietatem vocis עריץ, attendas, valebit *terribilem*, vel *fortem bellatorem.* Ab eadem origine eſt Artabazus. Stephanus loco antè memorato: Ἐντεῦθεν μοι δοκεῖ Ἀρταξέρξαι, καὶ Ἀρτάβαζοι. *Hinc mihi dicti videntur Artaxerxæ, & Artabazi.* Etiam Phœnicius Hercules *Deſanaus* vocabatur. Euſebius in Chronicis ad numer. cccexcvii: *Hercules cognomento Deſanaus in Phœnice clarus habetur. Unde & ad noſtram uſque memoriam à Cappadocibus, & Elienſibus, Deſanaus adhuc dicitur.* Quæ verbis iiſdem legas apud Marianum, & Florentium Wigornienſem. Sed apud Georgium Syncellum, qui Euſebium exſcribere ſolet, ſic legitur: Ἡρακλέα τινές φασιν ἐν Φοινίκῃ γνωρίζεσθαι Διωδᾶν ἐπιλεγόμενον, ὡς καὶ μέχρι νῦν ὑπὸ Καππαδοκῶν καὶ Ἰλιέων κεκλῆσθαι. Ubi duplex diſcrimen videmus. Unum eſt, quod pro *Elienſibus* dicat *Ilienſibus.* Et ſanè veriſimilius, à Phœnicibus cultum Herculis, ut ad Cappadocas, ſic ad Ilienſes potiùs, quàm ad Elienſes, promanaſſe. Alterum eſt, quòd pro *Deſanaus* dicatur Διωδᾶς. Quod ab altero nimium quantum abit. Etiam *Deſanai* vocem ſuſpectam reddit mira Latinorum Euſebii codicum, & ejus exſcriptorum, inconſtantia. Quidam enim MSSti, atque editi, præferunt, *Deſinaas, Deſinas:* quod poſtremum etiam invenias in editione Henrici Stephani ſenioris. Apud Marianum autem, *Deſinaus*, & *Doſinaus.* Pontacus in tribus Euſebii codicibus invenit *Deſonaas.* Qui priorem partem in *Doſinaus*, & poſteriorem in *Deſinas*, attenderit, ſuſpicari jure poſſit, hæc corrupta eſſe ex Δορσάνης. Heſychius a: Δορσάνης, ὁ Ἡρακλῆς παρ' Ἰνδοῖς· *Dorſanes, Hercules Indis.* Difficile eſt Indicæ appellationis cauſſam adducere. Cæteroquin vicinum eſt Chaldaicum דרס, *daras calcare*, a Continuo poſt Διωκ.

pre-

premere, incidere. In præcipuâ Herculis laude ponebatur, quòd tyrannos calcârit, & oppreſſerit. Etiam Agathia, ex
a *Lib.* 2. Beroſo, Athenocle, & Symmacho, teſtante *a*, Perſis Σάνδης dicebatur. Ad quod poſterioribus ſyllabis multum accedit Δορσάνης. Vel fuerit Σάνδης ab Syriaco שנר, ſanad, *ſævire.* Habes Act. xxvi, 11: ubi Paulus in Sanctos ſæviſſe ſe dicit ante converſionem. Sed Δορσάνης Indicum, Σάνδης Perſicum: & quàm utrumque abit à Διωδᾶς. Quamobrem non auſim propter horum ullum damnare *Deſanaus*, vel *Deſanes:* præſertim cùm vicinum ſit דשן, daſchen, *pinguis*, & κατὰ μεταφορὰν, *pollens:* ut Pſal. xxii, 30, *Et incurvaverunt ſe* כל דשני ארץ, *omnes pingues terra.* Hoc eſt, potentes omnes, quique divitiis vel honore cæteros anteeunt. Hujuſmodi appellatio optimè conveniat fortiſſimo Herculi: qui iccirco in antiquis etiam inſcriptionibus *Pollens* vocatur. Ut iſtac Interamnæ Nahartium in Umbria *b*:

b *Inſcr. Gruter.* cccxv, 7. *Ac ſimiliter*, Herculi Pollenti, Potenti: 1. 2.

LOCVS
SEPVLTVRÆ
CVLTORVM
HERCVLIS
DEFENSORIS
POLLENTIS
INVICTI.

Dicere etiam poſſimus, *Deſanaas* conflari ex vocabulis duobus; quorum prius ſit דשן, quod *pinguem*, vel *opulentum* ſignificare diximus, & עז, *as*, quod *fortem* notat: ut Geneſ. xlix, 3, ubi id nomen à Jacobo tribuitur Rubeni primogenito. Herculi igitur ab opibus, & fortitudine, nomen ſit impoſitum; quia fortitudine parentur opes, ac tum opes, tum fortitudo ab Hercule poſcerentur.

Si Euſebium audimus, vixerit Phœnicius Hercules, quo tempore Moſes in monte adſpectu frueretur divino. Ut non poſſit eſſe Samſon: cujus tempora magis conveniunt Herculi Thebano. Fuiſſe Tyri ſepultum, ait Clemens Romanus. Humanis hoſtiis ſolere placari, ait Plinius lib. xxvi, cap. v. Videntur interim illa de Samſone, pro more gentilium, qui ex pluribus unum conflare ſolent, adaptata eſſe Herculi. Ut quod Jud. xiv, 5, 6, Samſon dicitur leonem occidiſſe. Notiſſimum enim de leone Nemeæo, quem ab Hercule ſuo necatum tradiderunt. Et cenſet B. Ambroſius, eò Samſonem divertiſſe de via ad cadaver leonis à ſe necati, quò exuviis ejus indutus Herculem referret. Fortaſſe igitur duo fuere Hercules Palæſtini, antiquior, & Samſon: quorum geſta in pleriſque convenerint, unde & unus crederentur. Vetus Hercules fuerit Melicarthus, ſive is Eſavus, ſive Tyriæ urbis conditor: qua de re diximus lib. xxxiv. Sed de Hercule ſatis: præſertim quia de eo & poſtea agendum.

Redeamus ad Sanchoniathonem: à quo, poſtquam de
c *Adodus, rex Deorum.* Hercule dixiſſet, refertur Ἄδωδος, βασιλεὺς θεῶν *c*: qui cum Aſtarte & Jove Demaraonte, regnâſſe dicitur in Phœnice. Quare & de Adodo, & Aſtarte, quædam dicemus. Prior etiam Aſſyriis cultus; teſte Macrobio, qui & vocabulum interpretatur. Verba ejus ſunt lib. i Saturn. cap. xviii: *Deo, quem ſummum maximumque venerantur,* ADAD *nomen dederunt. Ejus nominis interpretatio ſonat* UNUS. Sed ſunt, quæ ſcrupulum injiciant. Nam UNUS Aſſyriis ſive Chaldæis, & Syris, eſt חד, *chad*, Hebræis אחד, *Achad.* Quare exiſtimet aliquis, apud Macrobium, pro ADOD reſcribi ACHOD oportere. Verùm obſtat, quòd & Ἄδωδος ſit apud Sanchoniathonem, ſive Philonem Byblienſem. Quare potiùs cenſeo Macrobium, vel alium, qui Macrobio impoſuerit, vicinitate vocabulorum *adod*, & *achod*, fuiſſe deceptum. Imò non abſurdè dixeris, & hoc numen à Phœnicibus
d *Adagous, Deus quiſpiam, ſecundùm Phryges.* Phryges accepiſſe: ut Deſanai Herculis; quemadmodum ex Euſebio antea vidimus. Conjecturæ hujus fundus eſt Heſychius: ubi vulgò legas, Ἀδαγοῦς, θεός τις παρὰ Φρυξὶν *d*. Eoque exiſtimet aliquis, pro Ἀδαγοῦς
e *Deus ſemivir.* reſcribendum Ἀδωδοῦς. Faciliùs ſubſcriberem, niſi exponeret, θεὸς ἑρμαφρόδιτος *e*. Uti & Gloſſæ Græcobarbaræ noſtræ ineditæ. Fortè igitur, ſemivir Attis, Phrygius Deus, *Adagous* dictus fuit, origine incertâ. Etiam *Adodi* appellationem firmat, quod Juno, cujus nomine Luna, & aër, notatur, Babyloniis dicebatur *Hada*, vel *Ada.* Heſychius, Ἄδα· ἡδονή, πηγή· καὶ ὑπὸ Βαβυλωνίων ἡ Ἥρα *a*. Valde enim eſt veriſimile, ſi Luna, & aër, *Ada* dicerentur; Soli etiam atque æitheri, potiùs *Adodi*, quam *Achodi*, nomen fuiſſe. Sed iſta, etſi hujus ſint loci, quatenus homo Phœnix cum Sole cultus fuit: non minùs tamen ad Solis Lunæque cultum pertinent; de quo libro agam ſequenti.

a *Ada, voluptas, fons: & Babyloniis Juno.*

Nunc de Aſtarte dicam: quam fuiſſe Phœniſſam, jam ex Sanchoniathone vidimus. A Phœnicibus pro Dea cultam, docet illud Scripturæ 1 Reg. xi, 5: *Et ivit Salomon poſt Aſtoreth, deam Sidoniorum.* Ubi ſingulare eſt עשתרת, *Haſtoreth*, ſive *Aſtoreth.* Chaldaicè eſt עשתרתא, *Aſtarata:* unde contractè Ἀστάρτη, ſive *Aſtarta.* Plurale עשתרות, *Aſtaroth:* quaſi *Aſtartas* dicas: nempe ut dicimus *Baalim, Joves, Junones:* quia unum idemque numen pro variis locis, quibus coleretur, variè vocaretur. Quoniam verò עשתרה gregem ſignificat, vel, ut aliqui cenſent è Rabbinis, oves feminas: eò R. David Kimchi exiſtimat, ſimulachrum ejus fuiſſe ovis figura. Aliis tamen veriſimilius ſit, ita vocari, quia illi ovis immolaretur. Sed iſta minime pugnant.

Aſtarte hæc, quatenus numen eſt animale, filia fuit Agenoris, Phœnicum regis: quam, poſtquam adſcripta eſt Diis, Aſtarten nuncupatam, ex ipſis Phœnicum ſacerdotibus ſe accepiſſe, refert Lucianus lib. de Dea Syria. Quomodo autem cum eo conveniat, quod Aſtarte aliis ſit Luna, id ex iis planius erit, quæ in cultu mixto dicentur. Ex eodem Luciano cognoſcimus, cultum hunc inſtitutum eſſe in ſolatium Agenoris poſt raptam Europam ab Jove Cretenſi: ut generali nomine appellant, quem Lycophron Ἄστρον, Diodorus in quincto, Ἀστέριον, Auguſtinus de Civitate Dei lib. xviii, cap. xii, vocat Xanthum: quam rem & ſuperius *b* attigimus. Dicitur verò b *Cap.* 14.
Europa tauro vecta, quia in litore choreas agens navi rapta, cujus ἐπίσημον *c* taurus: unde & navi nomen. c *Signum.*
Niſi cum Palæphato malis, raptam à viro Cnoſſio, cui nomen Taurus. Euſebius hiſtoriam priùs refert ad extrema Joſuæ tempora: mox, alios ſecutus auctores, ad quinctumdecimum Othonielis annum. Sed minutum hoc: quippe Euſebius Othonielis annos mox ab exceſſu Joſuæ auſpicatur, præterito intervallo, tum quo ſeniores regnarunt; tum quo, his mortuis, lapſus eſt populus in idololatriam, ac propterea à Deo punitus eſt octennii ſervitute ſub Chuſano, Meſopotamiæ rege. In quo errore prope omnes hodie Euſebium ſequuntur. Paullo poſt idem Lucianus ait, non omnes fateri Aſtarten eſſe Europam. Ne iſtud quidem pugnat cum cæteris, ſi ſic interpretere, alios in Aſtarte aliam, quàm Europam, coluiſſe. Plures enim gentes, aliæ hanc, aliæ aliam heroinam, uno cultu cum Aſtarte ſive Luna coluerunt. Fuere & alia Phœnicibus numina: ſed de quibus difficile ſit dicere, hominesne fuerint, an naturæ partes. Neutrum enim liquere arbitror de Zauane. Heſychius: Ζαυάνας, θεός τις ἐν Σιδῶνι. *Zauanes, Deus quiſpiam Sidonius.*

CAP. XXIII.

Dii Syri animales, in quibus Dea Atargatis, ſive Atergatis, pro quo & Attaga, *&* Athara *legitur. Eadem Derceto. Antipatri Stoici de Atergatis etymo ſententia refellitur. Atergati dedicatos piſces aureos, & argenteos. Sacerdotibus ejus piſces comeſtos. Non convenire, utrùm ab aliis ſubmerſa ſit, ob aſperum imperium: an ſeſe demerſerit, pœnitudine pudoris amiſſi. Cur in piſcem converſa dicatur. Syros abſtinuiſſe eſu piſcium. An Derceto etiam dicta* Ceto, *& an eadem ſit Andromeda, ceto objectanda. Forma Atergatis, & vocis ejus origo. Etiam cultam in Parthia.*

thia. Filia ejus Semiramis, educata à Simma, quod nomen idem Semi nomini videtur. Semiramis in columbam verſa, uti mater in piſcem: & quæ cauſſa figmenti. Syros, ut piſcibus, ſic columbis abſtinuiſſe. Semiramidis etymon. Columbam ſymbolum credi regni Aſſyrii. An & columba Samaritanis culta. Tres Semiramides, Nini una, Belochi altera, tertia, quæ Medici imperii tempore fuit. Atergatim, & Deam Syriam, diverſas videri. Semiramis ovo excluſa dicitur, quod foverit columba. Seleuci Nicatoris ſanum, & feſtum Nicatoria.

E Phœnicia imus in proximam, quæ Cava dicitur, & Syriam cæteram. Ubi culta Atergatis, ſive Atargatis: pro quo corruptè *Adagartis* eſt apud Crinitum lib. XIV de honeſta diſcipl. cap. VIII. Sed pro *Atargatis*, poſteriori vocis parte reciſâ, etiam *Atarga*, vel *Artaga*, dixere. Saltem apud Phurnutum, ubi de Rhea diſſerit, Ἀτάργα legitur. Verba ejus inferiùs adducam. Imò & *Athara* vocabatur. Etſi Juſtinus Juſtinus in compendio, præferat *Arathis*: ſive ut in Veneta veteri *a* eſt, *Ariathis*: vel uti eſt in Badiana *b*, *Marathis*. Quæ corrupta videntur ex *Atergatis*. Vel potiùs cum Hermolao Barbaro *c* dicamus, pro *Arata* trajectis literis eſſe reſcribendum *Athara*. Clarè enim Strabo ait lib. XVI: Ἀταργάτιν δὲ τὴν Ἀθάραν. Scio ſummum virum, Iſaacum Caſaubonum *d*, ſuſpicari legendum Ἀστάραν, atque hoc eſſe ex *Aſtaroth*, pro quo Græci Ἀστάρτην: ut antea vidimus. Sed alia eſt *Aſtarte* ab *Atergati*: hæc mater, illa filia, ut inferiùs oſtendam. Sic igitur legendus is Juſtini locus: *Nomen urbi à Damaſco rege inditum: in cujus honorem Syri ſepulchrum Athares uxoris pro templo coluere; Deamque exinde ſanctiſſima religionis habent.* Eadem diva, principe ex *Atergate* literâ reciſâ, & leviculâ immutatione, vocata eſt *Derceto*; quomodo Cteſias appellat, ut ibidem Strabo autor eſt, his verbis: Δερκετὼ *e* δ' αὐτὴν Κτησίας καλεῖ. Hæc Atergatis ſive Athara, ſive Derceto, regina fuit Syriæ, juxta Antipatrum Tarſenſem Stoicum libro περὶ δεισιδαιμονίας quarto: unde Athenæus in octavo refert, verum reginæ nomen fuiſſe *Gatis*: quæ cùm obſoniorum eſſet avidiſſima, edictum promulgaſſe, nequis piſces ederet ἄτερ Γάτιδος, *præter Gatidem*: tum imperitum vulgus ex ἄτερ, & Γάτις, unam conflaſſe vocem, Ἀτεργάτις. Sed Stoici in etymis eruendis mirificè nugari ſolent: nec in eo illorum, vel aliorum, probari poteſt confidentia, quòd Syriacorum originem è Græcia arceſſant. Noſtra verò ſententiâ, nulla fuit regina Gatis. Veriſimilius verò Atergatis etymon inferiùs adducam. Ibidem refert Athenæus ex ſecundo Mnaſeæ libro de Aſia, Atergatin reginam durè rexiſſe, & quo ſola piſcibus veſceretur, quicunque caperentur, ad ſe juſſiſſe deferri: indeque obtinere, ut qui ſupplices Deam adorant, aureos & argenteos piſces offerant: ſacerdotes quoque, ante ſimulacrum Deæ, conſtituere piſces elixos, & aſſos; ſed quos ipſi poſtea abſumant. Ibidem ex Xantho Lydo commemorat Athenæus, ut regina hæc à Mopſo Lydo capta, & propter inſolentiam, injuriaſque multis illatas, tandem cum filio Ichthye (quo ſub nomine verum occultarunt) in lacu Aſcalonis ſit ſubmerſa, & à piſcibus devorata. Alii verò hæc paullo aliter narrant. Quippe ajunt, Derceto rem habuiſſe cum adoleſcente Syro: atque inde peperiſſe Semiramidem: ubi verò ejus puduit concubitus, in lacum ſe abjeciſſe piſcoſum prope Aſcalonem, à piſcibus verò ſervatam: quibus idcirco veſci, Syris religio ſit. Atque ita Græcus Arati interpres; ubi de Piſcium ſigno tractat. Pro quo apud Diodorum Siculum legas, in piſcem eſſe converſam. Sic fabulari de iis veteres ſolent, qui in aquis periiſſent; nec fabuloſe prorſus, quia ſic piſcibus cibus facti, quodammodo in piſcem vertantur. Quamquam de Atergate peculiaris etiam ratio acceſſit: quia non inconvenienter in piſcem dicitur mutata, quæ à more colitur piſcis figurâ. Quod verò propterea dicebamus, Syros piſcibus abſtinere: id præter Diodorum, & Arateum ſcholiaſtem (ubi Δερκετώ *a* pro Δέρκη legendum) aſſerunt Herodotus in Euterpe, Xenophon libro primo de Expeditione Cyri, (cujus verba mox adducam) Cicero in III de Natura Deorum, Ovidius, Juvenalis, alii. De Diva hac intelligendus etiam Plinius libro V Hiſtor. Natur. cap. XIII: *Joppe Phœnicum, antiquior terrarum inundatione, ut ferunt. Inſidet collem, præjacente ſaxo: in quo vinculorum Andromedæ veſtigia oſtendunt. Colitur illic fabuloſa Ceto.* Ita habet vetus editio Parmenſis anni CIƆ CCCC LXXVI. Nec longe abit *Cato*, quod in aliquibus invenitur MSSis. Deque Andromeda habes item cap. XXXI: *In Phœnicio deinde mari eſt ante Joppen Paria, tota oppidum: in qua objectam belluæ Andromedam ferunt.* Quare aliquis ſuſpicetur, geminum eſſe nomen Κητοῦ: ac ſic dictam Andromedam; ſive quia navis ἐπίσημον *b*, quâ avecta eſt fuerit cetus: ſive quoniam, cui à patre primitus fuit promiſſa, princeps foret inſularis, qui piraticam exerceret: quales meritò cetis, cæteriſque marinis monſtris, comparantur. Sed magis placet *Ceto* eſſe ex *Derceto*: quia ut hic legas *fabuloſa Ceto*; ita cap. XXIII ait, *prodigioſa Derceto*. Verba apponam: *Bambucen, quæ alio nomine Hierapolis vocatur; Syris verò Magog. Ibi prodigioſa Atergatis, Græcis autem Derceto dicta colitur.* Ea autem nunc fabuloſa, nunc prodigioſa dicitur, quia ſuperiori corporis parte mulierem, inferiori piſcem referret. Quâ forma ſe vidiſſe ait Lucianus de dea Syria: ubi ſic ſcribit: Δερκετοῦς δὲ εἶδος ἐν Φοινίκῃ ἐθεασάμην, θέημα ξένον· ἡμίσεη μὲν γυνή, τὸ δὲ ὁκόσον ἐκ μηρῶν ἐς ἄκρους πόδας ἰχθύος οὐρὴ ἀποτείνεται. *Dercetûs autem imaginem in Phœnicia vidi, ſpectaculum inſolitum. Erat dimidiâ parte mulier: quantum vero à femoribus ad imos protenditur pedes, in piſcis caudam deſinebat.* Ac ſatis eſt veriſimile, Atergatim ſive Atargatim (utroque enim modo ſcripſere) ex figura hac habere nomen: ut vox ſit conflata ex אדיר, addir, *magnus, potens, excellens*, & דג, dag, *piſcis*. Culta verò non in Syria modò, ſed ipſa etiam Parthia: ut indicat Iſidorus Characenus in Parthiæ periegeſi: Ἔνθεν Βεσηχάνα πόλις, ἐν ᾗ ἱερὸν Ἀταργάτι. *Inde Beſechana urbs, ubi templum Atargati.*

Connexa his ſunt, quæ de Semiramide memorant: ut quæ filia fuerit Dercetûs; quemadmodum ex Diodoro diximus. Atque idem teſtatur, ex noſtris quidem Athenagoras in Legatione; è gentilibus verò Hyginus fab. CCXXXIII, & Lucianus de Dea Syria; ubi ait, Dercetûs honori templum Hierapoli conditum à filia Semiramide. De infantia Semiramidis hæc legere eſt apud eundem Diodorum. Ait, eam à matre, priuſquam in aquas ſe daret præcipitem, delatam eſſe deſertum in locum: ubi columbarum vis nidularetur, atque ibi occultè educatam, uſque dum eam domum ſuam recepit Simma, qui liberis carebat. Regiorum is jumentorum magiſter erat: &, credo, Simmæ vox eadem, ac Semi. Credibile enim, poſteros tanti patriarchæ nomen ſuis ſubinde liberis impoſuiſſe. Unde & Semus, Deliacôn ſcriptor *c*. Ait porrò Lucianus, Semiramidem à columbis nutritam in deſerto. Quod ſic interpretor, columbarum carne paſtam. Niſi fabulæ occaſionem præbuerit vocabulum *Semiramis*: quod Syrâ dicitur linguâ *columbam* ſignare. Nam cur nimis feminæ nomen ejuſmodi datum credamus, quàm viro impoſitum eſt nomen *Jona*: quod Hebræis itidem *columbam* notat?

Ex his verò non obſcurè ratio elucet, cur ut mater Derceto in piſcem, ita filia Semiramis in columbam dicatur commutata. Sic enim Ovidius IV Metam.

> —— *Et dubia eſt, de te Babylonia narret*
> *Derceti, quam verſa ſquamis velantibus artus*
> *Stagna Palæſtini credunt coluiſſe figurâ.*
> *An magis, ut, ſumtis illius filia pennis,*
> *Extremos altis in turribus egerit annos.*

Hinc etiam originem arceſſunt, cur Syri & piſcibus abſtineant, & columbis. Nam honori hoc datum ajunt

a *Ann.* 1494.
b *Ann.* 1524.
c *Plin Caſtig. lib* 5. *cap.* 23.
d *Animadv. in Athen. l.* 8, *cap.* 8.
e *Derceto verò illam Cteſias nominat.*

a *Niſi & hoc rectum. Nam & apud Ovidium* 4. *Met. pro* Derceti, *in omnibus eſt exemplaribus* Derce: *ut ait Lilius Gyraldus in Hiſt. Deor. Syntag.* 1. *p.* 60. *In Manuſcripto noſtro quoque eſt* Dirce. *Sed vetus editio habet* Dirceti. *Poſſit interim* Dirce *eſſe ex* Derceto, *ut* Ceto *ex eodem, de quo mox.*
b *Inſigne.*
c *Athenæus Apollonii ſcholiaſtes, Suidas, Etymologus.*

Dercetûs, & Semiramidis; quia illa piſcis, hæc columbæ figura coleretur. De piſcibus particulatim varios antea teſtes adduximus. Ab utroque verò animante abſtinuiſſe, auctor quoque e noſtris Clemens Alexandrinus in Protreptico: e gentibus verò Diodorus Siculus; & multò ante eum Xenophon lib. I Expeditionis Cyri; ubi de Chalo flumine loquitur: Πλήρη ἰχθύων μεγάλων, καὶ πρᾳέων, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον, καὶ ἀδικεῖν οὐκ εἴων, οὐδὲ τὰς περιστεράς· *plenum magnis & manſuetis piſcibus, quos Syri pro Diis habebant, neque lædi patiebantur; ſicuti nec columbas.* Similiter Phurnutus περὶ θεῶν: Ἔοικε δ' ἡ αὐτὴ καὶ ἡ παρὰ Σύροις Ἀταργάτιν εἶναι, ἣν διὰ τὸ περιστερᾶς καὶ ἰχθύος ἀπέχεσθαι τιμῶσι· *Videtur hæc* (Rhea) *eſſe eadem, quæ apud Syros eſt Artaga: quam abſtinendo à columba, & piſce, colunt.* Item ex Latinis Hyginus fabulâ CXCVII: *Ob id Syri piſces, & columbas ex deorum numero habent, non edunt.* De columbis itidem refert Tibullus lib. I, eleg. VII:

Quid referam, ut volitet crebras intacta per urbes
Alba Palæſtino ſancta columba Syro?

Ubi *Syro* retineo, propter auctoritatem codicum MSSorum, quos & ſequitur vetus editio Regii Lepidi anni CIↃ CCCC LXXXI. Scio, etiam *ſuo* reperiri. Sed nihil opus mutare, cùm tot Syriæ gentes, jure διακριτικῶς a *Palæſtino* addatur: ut in ſimilibus fieri ſolet.

a Diſcretionis ergo.

Quod verò Diodorus ait, *Semiramis* eſſe nomen à Syriaca columbæ appellatione, id nec Scaliger videbat, ut è Syra lingua adſtrui poſſit. Sed apud Heſychium, neſcio unde, legas: Σεμίραμις, περιστερὰ ὀρεία, Συριστί b. R. Azarias credebat, id nomen eſſe ab avium pipitu & cantillatione minuta. Nempe ut Semiramis ſit ex זִמְרָא, ז in ש ob vicinum ſonum converſo, ut ſæpe fit: זִמְרָא verò ſit ex Chaldæo זְמַר, quod avium illud μινύρισμα c ſignat. Atque eam opinionem etiam Joannes Morenus comprobabat. Idem Azarias lib. אמרי בינה cap. XXV cenſet, Babylonios & Aſſyrios ob ea, quæ de Semiramide, figurâ columbæ cultâ, adduximus, pro ſymbolo in vexillis militaribus columbam habuiſſe: atque inde Jeremiam dicere cap. XXV, 38: *Facta eſt terra eorum in deſolationem à facie iræ columbæ.* Ut vulgatus vertit interpres. Nempe, ſecundùm hunc Rabbinum, per columbam ſignatur Babylonius Nabuchodonoſor. Hebraice eſt הַיּוֹנָה, *Haionah*: ubi Chriſtophorus quoque à Caſtro cenſet, articulum eſſe ἐμφατικόν, quaſi dicat propheta, *columba illa*: nempe columba magni Nabuchodonoſori, ſive ingens ille ac victor tanti Regis exercitus, cujus ſymbolum in vexillis eſt columba. Similiter vocem היונה interpretantur apud eundem prophetam cap. XLVI, 16, *Surge & revertamur ad populum noſtrum, & ad terram nativitatis noſtræ à facie gladii columbæ.* Item cap. L, 16, & Sephoniam cap. III, 1. Etiam Rabbini Thalmudici in tractatu Cholin ſect. 1, narrant, tempore R. Meir in jugo montis Garizim inventum fuiſſe ſimulachrum columbæ. Atque inde colligunt Samaritanos non ſolùm Iſraëlis Deum, ſed etiam gentium Deos coluiſſe. Perperam profectò, ſi loquantur de publico Samaritanorum cultu, ex quo Manaſſen, Iaddi fratrem, habuere Pontificem Maximum. Sed fieri poſſit, ut fuerit ex cultu aliquorum privato ac domeſtico. Vel etiam publico Cuthæorum, priuſquam, à leonibus vexati, circumciſionem, & legem didiciſſent Moſaicam. Saltem id credibilius, quàm, quæ, ut ex Gedaliæ catena cabaliſtica conſtat, quidam Judæi crediderunt, fuiſſe illud ſimulachrum, quod Jacob ex Aſſyria veniens poſt urbem Sichem ſub terebintho defodit: ut Geneſ. XXXV legere eſt. Neque enim ſatis conſtat, cùm duæ fuerint Semiramides, prior ne illa, Nini conjux, columbæ figura culta ſit; an altera, Belochi Aſſyriorum regis filia; quæ longè poſt Jacobi patriarchæ tempora fuit. Siquidem Conon libro quinquaginta narrationum Semiramidi tribuit, quæ ab aliis Atoſſæ, non illi Cyri filiæ, Darii uxori, Xerxis matri; ſed alteri, longè antiquiori, Belochi, ut dixi, filiæ, adſcribuntur:

b Semiramis, columbam montanam ſignificat.

c Exilem & querulum cantum.

ut eſt apud Photium cod. CLXXXVI. Vixit autem Atoſſa illa annis poſt Nini uxorem quingentis. Firmantur hæc quoque eo, quòd Semiramidis prioris mors ab Euſebio refertur ad num. LII: poſterior verò ad num. IↃ LXXXII, qui decimus à morte Joſuæ: ubi hæc annotantur: *Aſſyriorum octavus decimus Belochus annis* XXV: *cujus filia Atoſſa, quæ & Semiramis, regnavit cum patre annis* XII. Imò, ſi ex eo, quod antiqui in annis Semiramidis tot varient ſeculis, rectè diverſas fuiſſe colligimus: videor mihi & tertiam ejus nominis repetiſſe, utraque recentiorem: ut quæ ducentis ſolùm annis, vel circiter, antiquior fuerit Cyro. Nam Herodotus lib. I ait, Nitocrin fuiſſe matrem Labonitii, regis Babyloniorum poſtremi, quem Cyrus devicit: at Semiramidem fuiſſe πέντε γενεαῖς a hac Nitocri vetuſtiorem. Idem auctor eſt, Aſſyriorum imperium, priuſquam Medi deficerent, annis duraſſe quingentis & viginti. A defectione Medorum anni ſunt circiter trecenti. Quamobrem quaſi centum à defectione annis, ducentis verò ante Cyrum, ea Semiramis fuerit. Non igitur erit Nini uxor, quæ Cyrum præceſſit annis ampliùs mille & ſexcentis: neque uxor Belochi, quæ mille, & ampliùs annis ante Cyrum fuit. Ut iſtæ quidem fuerint, ſtante Aſſyriorum imperio. At tertia erat tempore Medorum; qui, dejectis Aſſyriis, per annos trecentos ante Perſas imperium tenuerunt.

a Quinque generationibus.

Sed quæſtio eſt, num eadem diva ſit Atergatis, ac Dea Syria. Sic videtur, propter illa Strabonis verba in XVI; ubi, cùm de Euphrate eſſet locutus, ſubjungit: Ὑπέρκειται δὲ τοῦ ποταμοῦ σχοίνους τέτταρας διέχουσα ἡ Βαμβύκη, ἣν καὶ Ἔδεσσαν καὶ Ἱερὰν πόλιν καλοῦσιν, ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Συρίαν θεὸν τὴν Ἀταργάτιν. *Sita eſt trans flumen, quatuor ſchœnorum ſpatio, Bambyca, quam etiam Edeſſam, & Hierapolim, ſive Sacram Urbem, nuncupant. In qua colunt Deam Syriam, quæ dicitur Atergatis.* Sed Atergatin quidem conſtat unam eſſe ex Syrorum deabus: attamen aliam arbitror ab illa, quæ κατ' ἐξοχὴν b *Dea Syria* dicebatur. Nam Atergatis ſive Derceto erat ſemimulier, & ſemipiſcis: ut ex Luciano antè vidimus: qui, poſt iſta ſuperiùs adducta, continuò ſubjungit: Ἡ δὲ ἐν Ἱρῇ πόλει, πᾶσα γυνή ἐστι. *Sed quæ eſt in Sacra civitate, tota eſt mulier.* Hæc Syria Dea non tam animale numen videtur, quam naturale. Nempe vis naturæ generatrix: quæ tum Veneris; tum matris Deûm nomine intelligitur. Vel ſi cum naturali hoc numine pariter coluerint animale: non hoc Derceto erit, Semiramidis mater; ſed Semiramis ipſa; quod ex eo liceat ſuſpicari, quia nulla Syris celebratior heroina fuit Semiramide: uti nulla Diva iis divinior Deâ Syriâ. Accedit, quòd Semiramis dicitur educata à columbis, & columbæ etiam ſymbolo ſignabatur: ut cætera ejus generis omittam, ſuperiùs memorata. Dea autem Syria ex ovo, cui columba inſederit, dicitur prognata; idque ad Euphratem, ubi Babylon, urbs regia Semiramidis. Qua de re ſic Cæſaris Germanici interpres: *Nigidius hos piſces dicit in flumine Euphrate fuiſſe, & ibi ovum inveniſſe miræ magnitudinis: quod volventes ejecerunt in terram, atque ita columbam inſediſſe, & poſt aliquot dies excluſiſſe Deam Syriam, quæ dicitur Venus.* In Syris numinibus etiam locum habet filia Iephthæ. Epiphanius Hæreſi LV, quæ eſt Melchideciánorum: Ἐν δὲ τῇ Σεβαστῇ τῇ ποτὲ Σαμαρείᾳ καλουμένῃ, τὴν θυγατέρα Ἰεφθάε θεοποιήσαντες ἐπὶ ταύτῃ πανήγυριν κατ' ἔτος ἄγουσιν. *Sebaſtæ verò, quæ olim Samaria dicebatur, Iephthæ filiam divinis honoribus conſecrarunt; in cujus memoriam ſolemne quotannis feſtum celebrant.* Feſti hujus originem cognoſcimus ex Judicum XI, 39, 40. Puto autem, ex Ἰέφθης, quomodo filia ſit à patre dicta, corruptum eſſe Ἶφις, quod virile eſſe nomen, liquet ex Ovidio Metam. XIV, fab. XVII. At ex Ἶφις, & ἄνασσα, conflatum *Iphianaſſa*: item quia genita ex Iphe, hoc eſt, Iephthe, dicta eſt *Iphigenia*. Ut Διογένης, Ὠρογένης, ſic Ἰφιγένης, & Ἰφιγένεια. Nempe ex hac hiſtoria de Iephthe, Deo filiam offerente, occaſionem cœpit Homerus fabulæ de

b Per excellentiam.

de Agamemnone, ſacrificare parato filiam Iphigeniam. Etiam Memnon ille, qui cùm opem ferret Priamo, ab Achille eſt interemtus *a*, in Aſſyria cultus fuit. Unde Oppianus lib. II Κυνηγετ.

a Homerus Od. δ. Ovid. 13. Met. Seneca Troad.

Μεμνόνιον περὶ νηὸν, ὅθ᾽ Ἀσσύριοι ναετῆρες
Μέμνονα δακρύουσι κλυτὸν γόνον Ἠριγενείης.
Memnonium circa fanum, qua Aſſyrii incolæ
Memnonem deflent, illuſtre germen Auroræ.

Eundemque Thebis in Ægypto habuiſſe templum, cognoſcere eſt ex Dionyſii περιηγήσ.

Ac hæc quidem numina à Syris culta etiam, dum res florerent Aſſyriæ. Poſtquam verò Perſæ rerum ſunt potiti, nullum cœleſtis ille ordo incrementum cepit. Perſæ enim naturæ ſolùm partes, non item animas defunctorum, pro diis coluerunt: ut ex primo Herodoti antea oſtendimus. Nempe in hoc, ut idem ait, differebant à Græcis. Qui ex ſuæ gentis conſuetudine, poſtquam in Syria ſunt rerum potiti, unde *Syromacedones* vocati, alium videntur introduxiſſe morem. Ante omnes honore cœleſti ab iis celebratus Seleucus Nicanor, ut Macedones vocarunt; ſive Nicator, ut Græci nominabant. In hujus memoriam cùm variæ ſint conditæ Seleuciæ; fanum honori ejus, credo & alibi, ſed ſaltem in ea Seleuciæ urbe fuit, quæ erat in litore maris mediterranei prope Phœniciam. Teſtem adduco Appianum in Syriacis: Καὶ Σέλευκον μὲν ἔκαυσε Φιλέταιρος ὁ Περγάμου δυναστεύσας, πολλῶν χρημάτων τὸ σῶμα τοῦ Κεραυνὸν αἰτήσας, καὶ τὰ λείψανα ἔπεμψεν Ἀντιόχῳ τῷ παιδὶ αὐτοῦ. ὁ δὲ ἐν Σελευκίᾳ τῇ πρὸς θαλάσσῃ ἀπέθετο, καὶ νεὼν αὐτῷ ἐπέστησε, καὶ τέμενος περιέθηκε, καὶ τὸ τέμενος Νικατόρειον ἐπικλήζεται. *Ac Philetarus quidem, Pergami præfectus, combuſſit Seleuci corpus, magnâ vi auri redemtum à Ceranno: cinerum verò reliquias ad filium ejus Antiochum miſit. Qui in maritima Seleucia condidit, ac delubrum ei conſtituit, & circa illud agrum ſacrum addidit: qui Nicatorium appellatur.*

Cap. XXIV.

Syri olim etiam dicti ultra ſinum Iſſicum: unde alborum, nigrorumque Syrorum diſtinctio. Colchis diu Græcis credita terminus orbis noſtri. Diſquiſitum, an templum, quod Phrixi dicebatur, ſit exſtructum in honorem ipſius Phrixi, an Leucotheæ: ac ſi Phrixi ipſius opus ſit, magis eſſe veriſimile, honori Helles, quàm Inûs exſtructum, contrà quàm Strabo putavit. Vellere arietis aureo theſauros ſignificari, & qua cauſſa figuratæ iſtius locutionis. Medea in Deas relata. Achilles Sarmatis Deus. De Aretia ab Armeniis culta, Annii figmentum. Aſſyriorum Imperium quomodo omnium dicatur vetuſtiſſimum. Nimrodus Babylonis conditor. Cur aliquibus idem exiſtimatus ac Orion. Pluribus verò & vetuſtioribus Belum vocari. Beli cultus. Quomodo conciliari inter ſe poſſint, qui Nimrodum ſive Belum, quique Babylona regem, quique Semiramidem cenſent Babylona urbem condidiſſe. Thuras, rex Aſſyrius, idem ac Mars.

DE Syris hactenus, qui Strabonis quidem temporibus ad ſinum Iſſicum, ſed antiquioribus ſe extendêre, uſque ad pontum Euxinum; ut idem ſcriptor initio libri XVI eo comprobat, quod Cappadoces utrique, & qui Taurum, & qui Pontum accolunt, Leucoſyri vocentur, ut diſtinguantur à Syris nigris, qui ſunt extra Taurum, ad Amanum uſque montem. Armenia igitur minor, & Cappadociæ pars, olim Syriæ tributa: ita ut vicina ei eſſet Colchis, quæ ad Pontum ſita. Hanc Colchidem Græci non Homericis ſolùm temporibus, ſed pluribus etiam ſeculis poſt, orbis noſtri ad Orientem terminum eſſe credebant. Quod non Æſchylus modò ſenſit in Prometheo Vincto *b*: ſed Plato quoque in Phædone *c*.

b Pag. 29. edit. H. Steph.
c P. 109, edit. H. Steph.

Colchi etiam Deos coluere animales; uti Phrixum. Mela lib. I, cap. XXI: *Hic ſunt Colchi. Hinc Phaſis erumpit. Hic eodem nomine, quo amnis eſt, à Themiſtagora Mileſio deductum oppidum. Hic Phrixi templum, & lucus, fabula vetere pellis aureæ nobilis.* Ubi Phrixi templum dici videtur, quod Phrixo dedicatum: quomodo dicimus *templum Iovis*, vel *Apollinis*. Strabo tamen in undecimo vocat τὸ τῆς Λευκοθέας ἱερὸν, Φρίξου ἵδρυμα, *Leucotheæ templum, à Phrixo conditum.* Quare dixerit aliquis, & Phrixi dici, ut conditoris, & Leucotheæ, quia illi conſecratum. Verùm non poſſum in animum inducere, Phrixum exſtruxiſſe illud in honorem Leucotheæ. Nam Leucothea eſt, quæ priùs Ino dicebatur. Propertius lib. II, eleg. XXVIII:

Ino etiam primâ terris ætate vagata eſt.
Hanc miſer implorat navita Leucotheam.

Ino autem noverca erat Phrixi, & Helles, & erga eos novercali prorſus affectu. Nec enim ceſſàvit, uſque dum, corruptis ſacerdotibus Delphicis (rem plenius narrat Apollodorus in primo) tale relatum oraculum, ſi Thebani vellent penuriâ frugum liberari, Phrixum eſſe mactandum Iovi. Sed cùm jam aræ eſſet immolandus, profugit unà cum ſorore Helle. Navis, quâ vecti, Arietis habuit inſigne: unde Arieti animali inſediſſe dicuntur, ſchemate poëtico. Sed Helle, cùm deventum eſſet ad anguſtias maris inter Cherſoneſum, & Troada, in mare decidens ſubmergitur: unde locus Helleſponti nomen accepit. Phrixus in Colchidem ad Æetam regem ſalvus pervênit: atque ibi Arietis ſui vellus aureum templo vel luco intulit: Chalciopen etiam, Æetæ regis filiam, duxit uxorem. Quis, iſta qui legat, facilè in animum inducat, Phrixum condidiſſe templum in honorem Inûs novercæ? quæ ſceleratâ fraude ejus vitæ erat inſidiata: propter quam etiam unicam ex Nephele ſororem amiſerat: longeque à patria apud barbaros Colchos exulabat. Quare ita cenſeo, templum illud in Phrixi honorem fuiſſe conditum: vel ſi ipſe ædificârit Phrixus, non tam Inûs, ſive Leucotheæ illud honori exſtruxerit, quàm ſororis Helles; quæ fugienti comitem ſe addiderat itinere longinquo, & periculoſo adeo, ut etiam vitâ illi ſteterit. Quæ ſi ita ſunt, ut putamus; memoria fefellerit Strabonem, quia Hellen privignam cum noverca Leucothea confuderit. Hæc nos ſic proponimus, ſi non ob aliud, ſaltem ut adoleſcentiæ, cui ſtudia ejuſmodi maximè conveniunt, ulterius inquirendi occaſionem præbeamus.

Quod verò ad fabulam velleris aurei, ut eam à Mela vocari, ante vidimus: originem ejus bellè nobis enarrat doctiſſimus Varro lib. II de R. R. cap. I: *De antiquis,* inquit, *illuſtriſſimus quiſque paſtor erat, ut oſtendit Græca & Latina linguâ; & veteres poëtæ, qui alios vocant* πολύαρνας a, *alios* πολυμήλους b, *alios* πολυβούτας c: *qui ipſas pecudes, propter caritatem, aureas habuiſſe pelles tradiderunt: ut Argis Atreus, quam ſibi Thyeſtem ſubduxiſſe queritur: ut in Colchide Æeta, ad cujus arietis pellem profecti regio genere dicuntur Argonautæ: ut in Libya ad Heſperidas, unde aurea mala, id eſt, ſecundùm antiquam conſuetudinem, capras & oves quas Hercules ex Africa in Græciam exportavit. Ea enim ſuâ voce Græci appellarunt* μῆλα. Non tamen ſolas ob pecudes, ut arbitror, Argonautæ profecti: ſed per eas συνεκδοχικῶς intelligere oportet opes regis univerſas, imprimis verò theſaurum illum, quem Phrixus, Athamantem ac novercam fugiens, in Colchidem deportârat. Hos enim conſanguinei Phrixi, ante omnes autem Iaſon, prognatus Æſone, fratre Phrixi hujus patruele *d*, non abſurdè repoſcebant. Nam veriſimile eſt, eos fuiſſe partim ex bonis Nepheles matris: partim, quia ejus domos & agros auferre non poterat, ex pecuniis Athamantis patris, & novercæ Inûs. Eos quoque velleris aurei nomine vocarunt; quia ex pecudibus pecunia comparetur; eoque & *pecuniæ* dicuntur, quaſi res *pecuniæ*: imò poſtquam ſignari cœperunt nummi, ſæpe iis pecudis, vel bovis nota imprimebatur. Unde proverbium, Ne bos in lingua. Porrò templum hoc Phrixi, etiam poſt ablatos è Colchide theſauros ab Argonautis, magno ſemper loco habitum eſt, idque propter Argonauticam expe-

a Poſſeſſores agnorum multorum.
b Ovium multarum domines.
c Boves multos poſſidentes.
d Apollonii ſcholiaſt in lib 3 verſ. 359.

expeditionem. Dives etiam fuit: ſed Auguſti ætate omne ejus aurum direptum, priùs à Pharnace, poſtea item à Mithridate Pergameno: ut auctor eſt Strabo in undecimo.

Colchica quoque Medea pro Dea eſt habita: ut ex Alcmane & Heſiodo probat Athenagoras in Legat. Hodieque id in Heſiodi θεογονίᾳ legere eſt. Ea à Marſis quoque culta nomine Angitiæ: de qua in Italiæ populis dicemus.

Ulteriùs ſi ire lubeat, offerte ſe nobis Sarmatia Aſiatica: ubi eſt fanum Achilleum, ad anguſtias Mæotidos; ut eſt apud Strabonem lib. XI. Sed magis operæ videtur, ut retro curſum legamus: ubi primò nobis occurrit Armenia magna.

a Lib 3. ſive Annianorum comment. lib. 15.

Si Beroſo *a* Annii Viterbienſis credimus, Armenii primi coluere Noë ſub nomine Iani, ob vinum inventum: & uxorem Aretiam, quam Ἑςίαν ſive Veſtam dixerint. Sed de commenticio hoc Beroſo alibi diximus. Aretiæ autem nomen finxit Annius ex Hebræo *Erets*, ſive *Arets*, id eſt Terra. Tellus omnium mater. Mater omnium uxor Noe. Eandem Veſtam dixerit: ut Romanis Veſta & Terræ, & Ignis erat numen: quemadmodum conſtat ex Ovid. VI Faſt.

Pergo igitur ad Aſſyrios, qui *principes omnium gentium imperio potiti ſunt*: ut ſcripſit Æmilius Sura, verbis, dubium an ab Vellejo Paterculo hiſtoriæ ſuæ inſertis; an jam olim, cùm Sura exſtaret, ad oram ab aliquo adſcriptis, poſteaque in ſermonis contextum admiſſis. Aſſyriorum autem nomine etiam Babylonii intelliguntur, quia tandem in unum amborum coaluerit imperium. Ab Aſſyriis, quia urbium, atque imperii conditoribus divinus haberi honos ſolet, primus venerationem hanc conſecutus fuit Babylonis, & imperii Babylonii conditor. Qui quis fuerit, indicat his verbis Chronicon Alexandrinum *b*: Ἐγεννήθη δὲ καὶ ἄλλος ἐκ τῆς φυλῆς τοῦ Σὴμ (τοῦ Χάμ legendum, uti jam aliis monitum) Χὰς ὀνόματι ὁ Αἰθίοψ, ὅστις ἐγέννησεν τὸν Νεμβρὼδ γίγαντα τὸν τὴν Βαβυλωνίαν κτίσαντα, ὃν λέγουσιν οἱ Πέρσαι ἀποθεωθέντα, καὶ γενόμενον ἐν τοῖς ἄστροις τοῦ οὐρανοῦ, ὅντινα καλοῦσιν Ὠρίωνα. *Genitus & alius eſt è Chami ſemine, nomine Chus Æthiops: qui genuit Nembrod gigantem, Babyloniæ conditorem: quem Perſæ ajunt in Deos relatum, inque aſtris conſtitutum appellant Oriona.* Atque Orionem hunc à Zoroaſtre mortuo invocatum, poſtea *c* ſcribit. Sed Orionem eſſe conditorem imperii Babylonici, non facilè apud antiquiores reperias. Et credo, quod Nimrodum dicunt Oriona, Chriſtianorum eſt conjectura, quia Nimrodus à Moſe *d* vocetur venator: & Oriona fuiſſe venatorem conſtat ex Germanici Arateorum interprete, ubi de Scorpio, & Orione: & aliis ſcriptoribus. Qui Belum potiùs appellant. Hunc quippe ajunt Babylona ſtruxiſſe, primumque fuiſſe Aſſyriorum regem. A quo iccirco gentium hiſtoriæ ordiri ſolent: priorumque exemplo etiam cœpit Cephalio Gargetiius, ſcriptor antiquus; ut argumento eſt, quòd Straboni memoretur in XIII. A Cephalione hoc Ninus Beli filius vocatur. Quare vetuſtos gentium ſcriptores ſequitur B. Hieronymus, cùm ſic ſcribit in Ezech. cap. XXIII: *Idolum Baal ſive Bel, &, ut apertiùs dicam, Bels, Aſſyriorum religio eſt, conſecrata à Nino, Beli filio, in honorem patris.* Ubi Aſſyriorum nomen laxè uſurpat. Sæpe enim Aſſyriorum & Babyloniorum nomina, ut dixi antea, promiſcuè ſumuntur. Idem Hieronymus in Oſeæ cap. II: *Ninus in tantam pervenit gloriam, ut patrem ſuum Belum referret in Deum, qui Hebraicè dicitur,* בל*, Bel, & in multis Prophetis, maximeque in Daniele, & juxta Theodotionem ſub idolo Babylonis hoc appellatur nomine. Hunc Sidonii, & Phœnices appellant* בעל*, bahal.* De ſtatua hac, quam Belo poſuerit Ninus, etiam legas apud Ambroſium, ſive potiùs Hilarium Romanum in epiſt. ad Rom. cap. I, & Cyrillum extremo propè libro III contra Julianum. Eo autem Belum arbitror Nimrodum, quia huic regni principium in terra Senaar Babylon fuit: ut eſt Geneſ. X, 10. At conditorem Babylonis Belum vocant gentiles: inque his Dorotheus Sidonius, poëta vetuſtus:

b Pag 84.

c Pag. 88.

d Gen. 10, 8.

> Ἀρχαίη Βαβυλὼν Τυρίη Βήλοιο πόλισμα.
>
> *Antiqua urbs Babylon, Tyrio quæ condita Belo.*

Et Abydenus apud Euſebium lib. IX Præparationis Evangelicæ, cap. XLI, ubi retuliſſet, ut primitus omnia aquis fuerint obruta, addit, Belum ſiccâſſe loca, καὶ Βαβυλῶνα τείχεϊ περιβαλεῖν· *ac Babylonem mœnibus cinxiſſe.* Servio propterea dicitur *Belus primus rex Aſſyriorum.* Ejus ſepultura fuit Babylone: ſed eam deſtruxit Xerxes: ut refert Strabo initio ſextidecimi. Templum ei à Semiramide conditum fuiſſe, ait Dionyſius Periegetes:

> —— Μέγαν δόμον ἤσκησε Βήλῳ.
>
> —— *Magnam domum exſtruxit Belo.*

Ubi δόμος pro *templo*; ut in Scripturis *Beth-Peor*, *Beth-Dagon*, *Beth-Baal*; pro templo Phegorii Dei, Dagonis, Baalis. De Beli hujus cultu inſignis eſt locus Claudiani in primo de laudibus Stiliconis: ſed corruptus, cùm, juxta certiſſimam Scaligeri emendationem in VI de Emendatione temporum, pro *belli* debeat legi *Beli*. Locus eſt iſte:

> *Thuris odorati cumulis, & meſſe Sabæa,*
> *Pacem conciliant aræ. Penetralibus ignem*
> *Sacratum rapuere adytis, rituque juvencos*
> *Chaldæo ſtravere Magi. Rex ipſe micantem*
> *Inclinat dextra pateram, ſecretaque Beli,*
> *Et vaga teſtatur volventem ſidera Mithram.*

Ubi de Mithra ſive Sole conjungit, quia Belus cum Sole cultus; ut poſtea dicetur.

Alii tamen arbitrantur, non à Belo exſtructam Babylona, ſed à filio ejus Babylone. Verùm facilè hæc conciliantur. Nimrodus enim ſive Belus condere eam exorſus: filius fortaſſe incrementum dedit. Non tamen urbi à filio nomen: quod Scripturis repugnat. Potius ſi filio nomen Βαβυλὼν fuit; id patet impoſuerit ab urbe Babel, quam condere erat aggreſſus. Fortaſſe igitur Βαβυλὼν non alius, quam Ninus: quæ vox *filium* notat. Id enim Hebræis נין, *nin*: uti Ægyptiis *Non*: unde *Nonni*, & *Nonnæ*, vocabula; quibus qui præerat, *Abbas*, hoc eſt, pater, dicebatur. Alii Babylona Semiramidis opus putant. Nec iſti errant: ſi ſic intelligas, quomodo Conſtantinus M. Conſtantinopolin dicitur condidiſſe, quæ tot antea ſeculis Byzantii nomine claruit. Sed cave Semiramim intelligas Nini uxorem. Nec enim Ninus uxorem ejus nominis habuit: vel ſi ſic dicta, alia ſaltem eſt, quæ ſic à Græcis celebratur: eaque annis junior ampliùs mille. Melius Græcis iſta norant Phœnices. Audiamus igitur Herennium Philonem Byblienſem: ex quo ſic Stephanus ſive Hermolaus in Ethnicis de Babylone: Βαβυλὼν, ἀνδρὸς σοφοῦ, παιδὸς Βήλου σοφωτάτου, οὐχ ὡς Ἡρόδοτος ὑπὸ Σεμιράμιδος. Ταύτης γὰρ ἦν ἀρχαιοτέρα ἔτεσι χιλίοις δύο, ὡς Ἑρέννιος *a*. Prout eum locum in MSSis legi, clariſſimo Salmaſio obſervatum.

Etiam Diis Thuras, ſive Thurras, ab Aſſyriis adſcriptus, & Mars appellatus. Chronicon Alexandrinum: Μετὰ δὲ Νίνον ἐβασίλευσεν Ἀσσυρίων Θούρρας ὀνόματι, ὅντινα μετωνόμασεν ὁ τούτου πατὴρ Ζάμης *b*, ἐκ τῆς Ῥέας ἀδελφὸς Ἄρεα, εἰς ὄνομα τοῦ πλάνητος ἀστέρος. Οὗτος ἐγένετο πικρὸς πολεμιστής. *Poſt Ninum regnavit apud Aſſyrios Thurras, cui Zames pater, ex Rhea frater, Martis nomen à planeta ejus nominis impoſuit.* Et mox: Ὧτινι Ἄρει ἀνέστησαν πρώτην στήλην οἱ Ἀσσύριοι, καὶ ὡς θεὸν προσκυνοῦσιν αὐτὸν, καὶ ἕως τοῦ νῦν καλοῦσι Περσιστὶ τὸν Βαὰλ θεὸν, ὅ ἐστι μεθερμηνευόμενον Ἄρης, πολέμου θεός. *Cui Marti primum Aſſyrii excitarunt columnam, & pro Deo coluerunt, quem hodieque Perſica linguâ Deum Baal vocant; quod, ſi transferas, ſonat bellorum Deus.* Similia legas apud Suidam in Θοῦρας.

a *Babylonis, viri ſapientis, filii ſapientiſſimi Beli. non, ut Herodotus ſcripſit de Semiramide. Ea quippe antiquior erat annis bis mille: ut Herennius prodidit.*

b *Vel potius* Ζάνης: *ut legi oportere, conjectimus cap. 16.*

CAP.

CAP. XXV.

Hephaſtio in Deos relatus ab Alexandro. Ammon Indis cultus: item Liber; ſed à Thebano diverſus, ut Indi quoque indicant. Videri hunc Noë; cui etiam bimatris *nomen accommodatum. Refellitur commentum Græcorum de Indis à Libero, & muliebri ejus exercitu, ſubactis. Rejicitur de iſto autoritas Megaſthenis, Daimachi, aliorumque, qui Alexandro, & ducibus ejus adulati. Miſerabilis Japoniorum opinio de ſuo Bonzio Combadaxi: quem anniverſaria die colunt & invocant. Et quàm ridicule ſapiant de Manibus ſuorum: opinioque eorum collata cum Stoicorum quorundam ſententia.*

DE Aſſyria ac Babylonia in Mediam tendo. Cujus principe urbe Ecbatanis princeps amicorum Alexandri Hephæſtio vitâ exceſſit. Unde Babylona corpus deferri juſſit Alexander. Ut dubium non ſit, quin in Media Babyloniaque primò Hephæſtio divinos ſit honores conſecutus. De iſto ſic Juſtinus lib. XII: *Dum hæc aguntur, unus ex amicis ejus Hephæſtio decedit, dotibus primò formæ pueritiæque, mox obſequiis regi percharus: quem contra decus regium Alexander diu luxit; tumulumque ei XII millium talentorum fecit; eumque poſt mortem coli, ut Deum, juſſit.* Ac Plutarchus etiam a autor eſt, Alexandrum miſiſſe Ammonem conſultum, an in Deos eum referre fas eſſet: juſſiſſe autem oraculum, τιμᾶν Ἡφαιστίωνα, καὶ θύειν ὡς ἥρωι. *Hephaſtionem venerari, ac ſacrificare, ut heroi.* Illuſtris etiam de eo locus eſt apud Lucianum, libro De non temerè credendo calumniæ. Ubi refertur, Alexandrum θεὸν χειροτονῆσαι τὸν τετελευτηκότα· *decreviſſe, ut mortuus pro Deo haberetur.* Graviſſimæ etiam calumniæ fuiſſe obnoxios, quos cognoſceret, μὴ σέβειν, μηδὲ προσκυνεῖν τὸν Ἡφαιστίωνα· *non colere, nec adorare Hephaſtionem.* Itaque, inquit, εὐθὺς νεώς τε ἀνέστησαν αἱ πόλεις, καὶ τεμένη καθιδρύετο, καὶ βωμοὶ, καὶ θυσίαι, καὶ ἑορταὶ τῷ καινῷ τούτῳ θεῷ ἐπετελοῦντο· καὶ ὁ μέγιστος ὅρκος ἦν ἅπασιν, Ἡφαιστίων. *Continuò ei templa civitates pleraque dicarunt, delubra condiderunt, aras, ſacra, ferias, novo Deo ſanxerunt. Juſjurandum omnium ſanctiſſimum per Hephaſtionem fuit.* Ac plura ibidem in hanc mentem narrat. Solum è noſtris addam Cyrillum, in VI contra Julianum: *Alexander unum ex familiaribus, & obſcænarum mulierum adductorem, cui nomen erat Hephæſtioni, appellavit Deum.* De ipſo verò Alexandro, Babylone mortuo, ibidem legas, ter & decies ab ejus ſucceſſoribus decretum eſſe; ut pro Deo haberetur. Sed hic etiam vivus divino coli voluit honore; ut inferiùs dicetur.

a In Alexandro.

Non dubito, quin & Perſæ, etſi temporibus antiquis nullos haberent Deos animales: tamen, ut Alexandro placerent, Hephæſtionem & ipſi coluerint, ut Deum: poſteaque eundem honorem exhibuerint Alexandro Magno: uti & exinde Seleuco Nicatori; de quo dictum antea.

De Atergate, Semiramidis matre, in Parthia etiam habita pro Dea, ſuperiùs vidimus.

Ad Indiam igitur contendo: ubi Ammon, quem interpretamur Chamum, Noë filium, cultus fuit: unde Lucanus in IX;

Quamvis Æthiopum populis, Arabumque beatis
Gentibus, atque Indis unus ſit Jupiter Ammon.

Iidem Bacchum venerati: cumque plures ſint Bacchi, Diodorus in III, antiquiſſimum eorum Indicum facit, atque univerſum ab eo mundum eſſe edoctum ait botros torcularibus exprimere. Eum in Indiam ex Græcia veniſſe, ac Semeles eſſe filium, vana jactabat Græcia. Sed in Orientis rebus potiùs audiendi ſunt Orientis populi. Indi autem longè alium tradunt: nempe qui ad eos ex Aſſyria venerit; ut auctor eſt Philoſtratus in ſecundo de vita Apollonii Tyanei cap. IV. Atqui magis iſta conveniunt Noacho, qui primus docuit plantare vites, & vinum exprimere. Hic igitur eſt nobis Liber Indicus. Cui optimè etiam competit, quod bis natus perhibetur: ex quo Gloſſæ Philoxeni: *Bipater*, Διόνυσος. Si enim veteribus idonea eſt viſa ratio, cur Liberum bis natum dicerent, quia vitis & ante Deucalioneum fuerit diluvium; & poſtea, cum diluvio periiſſe exiſtimaretur, iterum effloruerit; quam rationem Diodorus in tertio adfert: quanto juſtiùs nos Liberum noſtrum dicamus bis natum, quia fuerit, tum ante diluvium univerſi orbis; tum, pereunte orbe reliquo, cum ſua fuerit familia ſervatus! Præter hunc Liberum, nullum alium cum Indici cognomento agnoſcimus. Indicus verò dicitur, quia à vinifera Indorum regione, hoc eſt Orientis, quomodo laxè hoc vocabulo veteres uſi ſunt, plurimùm coleretur. Maximè igitur in eo culpandi ſunt Græci, quod honorem ab Indis ſuo præſtari Libero, hoc eſt Thebano, perſuaſum aliis vellent. Præterea nihil eo inſulſius,

Cum memorant Gange, totoque Oriente ſubacto,
Primitias magno ſeppoſuiſſe Jovi:

ut eſt tertio Faſtorum. Et iſta quidem mulieribus Græcis peregiſſe. Scilicet his tam mares animi fuerunt: contraque tam effeminati Indi, ut à muliebri vincerentur exercitu, eoque perpetuò bacchante. Arguit aliud generoſa Pori mens: cujus virtutem miratus Alexander, ac magis perſenſiſſet, niſi eum frater Taxilis prodidiſſet. Non poſſunt iſta Græcorum commenta excuſari, niſi recurramus ad vini naturam: quod non Aſiaticos modò ſubegit, ſed Græcos etiam; unde *pergræcandi* vox apud veteres Comicos.

Sed objectet nobis aliquis Megaſthenem; qui res Indicas ſcripſit, noſſeque eas optimè potuit; cùm Seleuci fuerit Nicanoris legatus ad Sandrocottum, ſive Androcottum, aut Androcotum (variè enim id nomen ſcribitur) Indiæ regem poſt exceſſum Alexandri. Nec diffiteri poſſumus, agnoſci ab eo expeditionem illam Liberi Patris ad Indos: uti & illam Herculis. Sed enim levis eſt nobis hac parte Megaſthenis auctoritas: quia adulando Alexandro, & διαδόχοις a ſive partiariis, hiſtoriam corrupcrit. Potior igitur Eratoſthenis fides: cujus animus à ſpe, metu, partibus liber. Is pro fabulis iſta habuit. Quod & fecit longè maxima ſcriptorum pars: ut Strabo docet lib. XV: Καὶ τὰ περὶ Ἡρακλέους δὲ, καὶ Διονύσου, Μεγασθένης μὲν μετ' ὀλίγων πιστὰ ἡγεῖται· τῶν δ' ἄλλων οἱ πλείους, ὧν ἐστι καὶ Ἐρατοσθένης, ἄπιστα καὶ μυθώδη. *Herculis, & Bacchi res geſtas Megaſthenes cum paucis quibuſdam credit. Aliorum magna pars, è quibus eſt Eratoſthenes, fabuloſa, & minimè credenda arbitrantur.* Imò non in illis modò fidei erat ſubleſtæ, quæ ad Liberum, & Herculem, pertinent; ſed aliis etiam multis. Quo nomine & malè audiebat Daimachus ſive Deimachus Platæenſis: qui legatus fuit Seleuci ad Allotiochadem, Sandrocotti filium: atque itidem Indica ſcripſit, Athenæo, & Harpocrationi, memorata. Item Oneſicratus, & Nearchus, qui cum Alexandro ipſo in India fuere. De quibus omnibus vide ſis Strabonem in primo, & ſicui operæ id videatur, ea quoque, quæ in opere ſcripſimus de Hiſtoricis Græcis. Quæcunque igitur de Liberi expeditione à poëtis veteribus adſerta; à Megaſthene, & aliis adulatoribus firmata; à Nonno in Dionyſiacis novis accumulata inventis: ſunt ea, ut cum Lucilio dicam,

a Succeſſoribus.

Pergula pictorum. Veri nihil, omnia falſa.

Ulteriùs ſi iter inſtituamus, veniemus ad gentes Græcis vel ſolo nomine cognitas, vel penitus ignotas. Sed horum ſuperſtitionem peti malo ex ſeculi noſtri ſcriptoribus: & plurimùm ea pertinet ad cultum Deorum naturalium, de quibus ſequenti libro agimus. Nec tamen prorſus diis omnes carent animalibus: ne illi quidem, qui inſulas colunt longiſſimè remotas; quales Japonii. Ajunt hi Bonzium, hoc eſt, ſacrorum præfectum, nomine Combadaxi, mirandum virum, & à quo Japonii literas ſint edocti, jam ante annos octingentos extrema ætate juſſiſſe magnificum ſibi extrui delubrum, inque ſpecum iturum dixiſſe, ſe vitæ hujus ſatietate teneri: velle igitur quieſcere, non ad diem tertium, uti Soſpitator noſter: ſed (ò circumſpectum impoſtorem) ad decies millies millena annorum millia: quo ſpatio exacto magnum Japoniæ obventurum doctorem, ac ſe quoque tum redditum iri luci. His dictis obturari

juſſiſſe oſtium ſpecus: eundem autem vivere adhuc, eoque die anniverſaria coli, ac votis ſupplicibus invocari. Vide de eo epiſtolam Caſparis Vilelæ Societatis Jeſu: quæ exſtat libro III epiſtolarum Japoniarum, quas edidit Petrus Maffeus.

At non uti adorant manes Combadaxi (modò rectè manes ejus dicimus, qui ante plurima quidem ſecula deceſſerit; ſed vivere adhuc ſtultè credatur) ita & manes cæteros. Interea mos iis eſt, ſollemni die animas advocare defunctorum, iiſque epulum exhibere biduo toto. Eo tempore & ſepulcra purgant, & ad manes expiandos munus efferunt Bonziis, ſive ſacrorum præfectis. Sed quanto minori animas illas in pretio habeant, quàm Lares ſuos Romani: argumento ſit, quòd, ubi biduum illud exſpirârit, lapidibus eos inceſſant, ne ulteriùs in ædibus commorentur; ſed rectà potius ad paradiſum capeſſant gradum. Hæc ſatis docent, non haberi eas pro Deis. Sed ubi, dixeris, ſtatuunt paradiſum. Abeſſe à ſe ajunt decies millies millenis millibus. O miſerandam gentem! Præſertim quando in iſtoc tam longinquo itinere arbitrantur miſellas quandoque animas exſtingui, ſi fortè eas imber oppreſſerit. Eò faciliùs his ignoſcendum, quia plerique etiam ex Stoicis crediderunt, animas non ſupereſſe poſt mortem, ſiquis ſubmergatur, vel gravi obruatur ruinâ. Tum enim illam vel exſtingui, quia ignea ſit: vel diſſipari, quia ſpiritualis ſit: quemadmodum cap. x dicebamus. Sed ab imbri tamen, quem ſic formidare animæ dicuntur Japoniæ, nihil ſibi metuêre Stoici. Juxta quos (ut verbis utar Tullii in primo Tuſc. quæſt.) *neceſſe eſt animus, quo nihil velocius, ita feratur, ut penetret & dividat omne cœlum hoc, in quo nubes, imbres, ventique coguntur.* Unde & Lucanus in nono manes dicit,

—— *patientes ætheris imi.*

Cap. XXVI.

Arabiam non tam ex eo dictam videri, quia ad Occidentem ſita ſit, quod vir ſummus putabat: quàm à parte ejus deſerta, vel hominum colluvie. Arabibus Ammon Libyæ conſulebatur; non tamen fanum ei ſtatuerunt. Cœlus iis cultus, & Liber. Falſo credi, Herculem ad Indos profectum: fabulamque eſſe de Aorno petra fruſtra ab eo tentata. Joſua res geſtas à Phœnicibus Herculi ſuo tributas: & qua illud occaſione evenerit. Ut Joſua cum gigantibus belligeratum: ſic Herculis prælium cum gigantibus commiſſum memorari. Gigantum, quibuſcum Joſua decertatum, principem fuiſſe Og, regem Baſan. Nullo eorum, quibuſcum Hercules manus & arma contulit, inferiorem fuiſſe Typhonem. Nomen etiam convenire, cùm & illud Hebræum, & Græcum hoc, ſignificent Uſtum, *ſive* Uſtulatum. *Ab viro erudito eodem referri, quod ferreus Ogi lectus celebretur à Moſe, & durum Typhoëi cubile à Marone. Sed argumentum hoc infirmum videri. Gentes in monſtroſa adeo magnitudine, quam Typhoëo tribuerunt, ſecutos videri Phœnicum vel Palæſtinorum fabulas: præſertim cùm æque portentoſa de Ogo referant Rabbini. Etiam ut, Joſua pugnante cum gigantibus, Deus pluit lapidibus in hoſtes: ſic dici, Hercule armis decernente cum gigantibus, Jovem pluiſſe lapidibus. Campus Lapideus prope Rhodani oſtia. Cujus naturæ lapides fuerint, quibus Deus Joſuæ eſt opitulatus. Locum, quo Hercules, & gigantes, armis contendiſſe exiſtimantur, variè ſtatui: ab his in Gallia Narbonenſi prope Rhodanum; ab illis in Campania; ab iſtis in Pallene; ab aliis in Arcadia: & unde opiniones iſtæ originem ceperint. Verſus iſtis omnibus Apollonius, qui exitio datum Typhonem narrat in Arabia prope Nyſſam, & Serbonidem: ac imprimis Homerus, qui Typhoëi cubile conſtituit in Arimis, hoc eſt, terra Aramæa ſive Syria. Maronis error ex Homerico* Εἰν Ἀρίμοις *cudentis inſulam* Inarimen: *cujus errorem ſecuti ſint non poëtæ ſolùm, ſed etiam Livius, Pliniuſque. Quomodo Joſua, & Ægyptius, & Arabicus, & Tyrius Hercules dici poſſit; non tamen Thebanus. Tyrii Herculis ætatem ad Moſis tempora ab Euſebio quoque referri. Obodes, rex & Deus Nabathæus. Aglibolus, & Malachbelus, Arabum, vel ſaltem Palmyrenorum Dii: & unde nomen acceperint, conjectura noſtra.*

AB Oriente iterum petamus Occaſum: ubi indicta nobis Arabia; quam ab occaſu etiam nomen accepiſſe, exiſtimat Scaliger ad Feſtum. Nempe ab עֶרֶב, *Ereb*, quod ἑσπέραν [a] notat: ut Gen. I, 5, & Num. XXI, 1: ubi LXX δυσμὸν ſive *occaſum* vertunt. Quomodo *Arabes* idem fuerit ac Ἑσπέριοι, *ad veſperam ſive occidentem ſiti.* Ac ab eadem cauſſa cenſet Scaliger, Ἐρεμβοὺς vocari. Sane Homero iidem Ἄραβες, & Ἐρεμβοί: ut eſt apud Strabonem in primo: qui & Poſidonium in hac fuiſſe ſententia, tradit extremo lib. XVI. Dionyſio quoque ἐν περιηγήσει pars ſunt Arabiæ. Sed ſi ſic Arabes dicti, tanquam *occidentales*, à quibus nomen hoc acceperint? Num à Perſis? Sed lingua horum alia. Nec Græci nomen ejus gentis à remotioribus petiiſſent. An à Syris, vel Babyloniis? At his ſunt ad meridiem. Num ab Ægyptiis? Atqui ſunt iſtis ab ortu. Quare hac parte non aſſentio viro ſummo: ac potius cenſeo, primò Arabas dictos, qui Arabiæ deſertum incolunt: hinc nomen aliis etiam tributum. Nam עֲרָבָה, *planicies, deſertum, ſolitudo.* Quanquam nec abſurdè dixeris, ſic vocari Arabiam, quaſi colluviem hominum. Quippe etiam עֶרֶב, *miſtio, mixtura.*

a Veſperam.

Arabibus in pretio ſummo erat Chamus: qui illis Jupiter Ammon. De hoc jam antè adduximus Lucani verſus in IX. Et quid mirum, eos coluiſſe Chamum, cùm is pater fuerit Chuſi, à quo Arabia dicitur terra Chus? Nec tamen tam aliquod Ammonis habuiſſe fanum videntur, quàm, rebus difficilibus, legatos miſiſſe in terram Ammonitidem, qui oraculum ejus conſulerent. Itaque aliorum opinio eſt, duos tantùm Deos coluiſſe, Uranum ſive Cœlum, & Dionyſum ſive Liberum. Qua de re ſic Arrianus lib. VII: Λόγος δὲ κατέχει, ὅτι ἤκουεν, Ἄραβας δύο μόνον τιμᾶν θεοὺς, τόν τε Οὐρανὸν καὶ τὸν Διόνυσον· τὸν μὲν Οὐρανὸν τόν τε αὐτὸν ὁρώμενον, καὶ τὰ ἄστρα ἐν οἷ ἔχοντα τά τε ἄλλα καὶ τὸν ἥλιον, ἀφ' ὅτου μεγίστη καὶ φανοτάτη ὠφέλεια ἐς πάντα ἥκει τὰ ἀνθρώπεια. Διόνυσον δὲ κατὰ δόξαν τῆς ἐς Ἰνδοὺς στρατιᾶς· οὔκουν ἀπαξιοῦν καὶ αὐτὸν τρίτον ἂν νομισθῆναι πρὸς Ἀράβων θεὸν, οὐ φαυλότερα ἔργα Διονύσου ἀποδειξάμενον· εἴπερ οὖν καὶ Ἀράβων κρατήσας, ἐπιτρέψειεν αὐτοῖς, καθάπερ Ἰνδοῖς, πολιτεύειν κατὰ τὰ σφῶν νόμιμα. *Fama autem tenuit, id cauſæ* (Alexandro) *fuiſſe, quod audiſſet, Arabas duos tantùm deos colere, Cœlum ſcilicet, & Dionyſum: Cœlum quidem, quòd cum reliqua aſtra, tum ſolem in ſe continere videretur, à quo quam plurima manifeſtiſſimaque ad omnes humanos uſus commoda manarent: Dionyſum verò ob famam ducti in Indos exercitus. Quapropter non indignum cenſebat ſe, qui pro tertio deo apud Arabas haberetur: quippe qui rebus geſtis Dionyſo nequaquam inferior eſſet; & certe, devictis Arabibus, ſuis legibus vivendi poteſtatem, ut Indis, feciſſet.* Cœli numen eſt naturale, ut de eo non ſit agendi hic locus. Sed ſi Liber propterea Deus eſt factus animalis, quia præclarè rem geſſerit in Oriente: cur non & Hercules? Num quia, præ illis Bacchi, geſta ejus ſint exigua? quod videri vult Nonnus in quinto & vigeſimo Dionyſiacôn. An potiùs, quia Hercules nunquam ad Indos profectus: quod verò narrant de Aorno petra, fruſtrà ab Hercule tentata, id commentum ſit Macedonum, Alexandro adulantium: ut rectè docet Arrianus in Indicis: etſi aliud ipſe ſcripſerat lib. IV; uti & antea Curtius lib. VIII; imò & Diodorus Siculus, atque adeò Strabo; apud quem ter fruſtrà eam aggreſſus Hercules dicitur. Nempe non minùs commenticia eſt Herculis ad Indos expeditio, quàm illa Liberi: cujus fabulam abunde diſſlavimus, cùm de Libero Indico ageremus. Nec propterea, nullam eorum narrationi ſubeſſe veritatem, exiſtimandum. Multa enim ex vero trahit. Sed, quod tum dice-

dicebamus, diſtinguendum inter Indiam propriè dictam, quam interſecat Ganges: & illam laxè ſic nuncupatam; quomodo terræ omnes ultra mare mediterraneum ſitæ, antiquis temporibus, quibus in Aſiam magnam necdum penetraverant Græci, Indiæ nomine appellabantur: uti hodieque multis vulgo, quæ ex Syria aut Perſia, aut aliis Orientis petuntur terris, *Indica* nuncupantur. Poſterior ille vocabuli uſus hic locum habet. Nam expedito, & Liberi, & Herculis, ſuſcepta eſt in Arabiam, & Aramæam ſive Syriam. Quod inficias ire non poſſumus, ſi Liber eſt divinus Moſes: Hercules autem, inclytus dux Joſua. Aliquis ab literatura deſtitutus mirabitur, fortaſſe etiam indignabitur, ſic Moſen in Liberum, Liberumque in Moſen; Joſuam item in Herculem, Herculemque in Joſuam, à nobis quaſi transformari. Tanto accuratius explicandum eſt, cur nobis in Libero, Moſis vitam; in Hercule, Joſuæ geſta conſpicere videamur. Sanè Moſen pro Deo cultum eſſe in Arabia, ubi majorem ætatis partem egit, teſtis eſt Epiphanius in Melchidecianorum Hæreſi LV: Οἱ μὲν γὰρ ἐν τῇ Ἀραβίᾳ τῇ Πετραίᾳ Ῥοκὼμ τε καὶ Ἐδὼμ καλουμένῃ, τὸν Μωυσέα διὰ τὰ θεοσήμεια Θεὸν νομίζουσι· προσκυνοῦσί τε τὴν αὐτοῦ εἰκόνα, ἣν ἀνατυπωσάμενοι ἀπεπλανήθησαν. *Siquidem Arabia Petrææ incolæ, quæ regio Rochom, & Edom, appellatur, Moyſem, propter edita ab illo prodigia, pro Deo venerantur, & ejus imaginem adorant; quâ effictâ in errorem delapſi ſunt.* Sed de Moſe, quia pleraque ejus ad Ægyptum pertinent, in Diis potiùs Ægyptiis dicam. Nunc ſolùm conſiderabimus Joſuam; cujus præclarum nomen ab iis eſt, quæ in Arabia & Syria geſſit. Hæc Phœnices, & Ægyptii, tam vicinæ gentes, ignorare non potuerunt. Præſertim cùm ad Phœniciarum uſque urbium portas ſuos ſæpius hoſtes perſequens cæderet: continuatis idem victoriis longè lateque omnia proſterneret, viginti & novem regna Hebræis ſubjiceret, reges magno numero ſummo afficeret ſupplicio. Ut mittam tot miracula, ſigna divini favoris manifeſtiſſima. Ut quod Hierechontis muri, ac turres, ad tubarum cantum conciderunt: quod item, cùm dies cædentes deficeret Iſraëlitas, nocte averſâ dies perſeveravit, ne Cananæis pateret effugium. Quid certius, quàm iſta undique ad Phœnicum & Ægyptiorum aures pertigiſſe? præcipuè ab iis, qui victi effugiſſent, vel etiam ſalutis viam repeririſſent fugâ, antequam oppidis eorum hoſtilis admoveretur exercitus? Quid tum animi Phœnicibus, vel aliis gentibus finitimis, fuiſſe exiſtimemus? Facilè enim videbant, non ſine divino numine bellum hoc geri. Ac ne mortuo quidem Joſua memoriam deponere unquam potuere triſtiſſimi illius ac ſtupendi planè temporis; ſed ad ſeram ea poſteritatem propagarunt: non ſincerè tamen; ſed, ut fieri in iis amat, quæ traditione conſtant, fabulis pluribus admixtis. Ac facilè quidem creditum à Phœnicibus, cùm Herculeâ vi nihil majus noſſent, etiam Joſuam eſſe Herculem quendam. Paullatim etiam Hercules Phœnicius, & Iſraëliticus, (ut vicinæ erant gentes) confundi cœperunt: quod eo proclivius fuit, quia Iſraëlitæ toties ſub Judicibus deficerent à Deo, connubiis etiam multi cum vicinis jungerentur: quos omnes rediiſſe ad Deum, parum eſt veriſimile: miſcellæ hinc in religione opiniones liberorum, quæ & aliis affricabantur inter Phœnices, & alios, ipſis etiam ſacerdotibus gentium hoc agentibus, ut Joſuæ geſta, longè adeò latèque didita, quia animis hominum prorſus eximi non poſſent, ſaltem ſuo numini transſcriberentur. Quæ omnia manifeſtiora fient, ſi ſingulatim conferamus, quæ gentiles de pugna Deorum cum gigantibus, & Scripturæ de pugna Iſraëlitarum cum Cananæis prodiderunt. Ubi particulatim conſiderabimus quatuor; à quibus, quomodo, ubi, & quando pugnatum ſit.

De perſonis ſic refert Apollodorus in primo bibliothecæ: ex parte una fuiſſe Tiphœum, & gigantum alios: ex parte altera, Jovem cum Diis cæteris, & pariter Herculem: quem Jupiter σύμμαχον δι' Ἀθηνᾶς ἐπεκαλέσαντο, *ſocium ad ſe conſilio Palladis advocaverat.* Ubi intelligendus Hercules ille Orientis, aliquot ſeculis vetuſtior Thebano: qui ob eximiam fortitudinem Hercules vocatus, vero autem nomine Joſua dicebatur. Huic bellum cum gigantibus fuit. Tales Cananæi. Nec aliud æquè, ac vaſta illa ſtatura, primò perculit Iſraëlitas. Quippe exploratores à Moſe miſſi in Cananæam eo terrorem reduces incuſſerant, quòd vidiſſent ibi homines proceræ ſtaturæ; inque his filios Anac de genere gigantum: ajebant præ illis tam exiguos ſe viſos, ac locuſtæ ii fuiſſent. Vide Num. XIII, 29, 34. Sed imprimis terram Baſan ſpectemus. Hæc *gigantum terra* dicebatur: ut eſt Deuter. III, 13. Ea continebat LX civitates munitas: ut ibidem eſt comm. 4, 5. Præerat verò rex Og: de cujus ſtatura, & lecto ferreo ſic ibidem comm. 11: *Solus quippe Og, rex Baſan, remanſit ex reliquiis gigantibus. Ecce lectus ejus, lectus ferreus, nonne eſt in Rabbath filiorum Ammon? novem cubitorum longitudo ejus, & quatuor cubitorum latitudo ejus ad cubitum hominis.* Og ille eſt, qui à Græcis dicitur, Τυφῶν, Τυφώς, Τυφάων, vel Τυφωεύς. Quæ voces à τύφω, *accendo, uro.* Nempe *Og*, & *Typho*, ſignificatione conveniunt. Nam eſt *Og* ab עוג, Og, hoc eſt, *uſſit, uſtulavit:* & particulatim etiam *panem*, vel *placentas ſub cineribus coxit:* ut Ezech. IV, 12. Videlicet ut mare ab accolis maluerunt dicere Ἐρυθραίαν θάλασσαν, quàm Ἰδυμαίαν, quod idem notat (nam Edom, qui Eſau, ἐρυθρὸς ſive rufum ſignat) ſic item gigantem hunc Τυφῶνα potiùs dixere, quam Ὦγον: tantùm quia Græcum præferrent nomen. Cæterùm vir pereruditus putabat, etiam ferrei illius lecti, de quo apud Moſen legimus, memoriam apud gentiles durâſſe. Eoque referebat illud Maronis in IX:

——— *Durumque cubile*

Inarime, Jovis imperiis impoſta Typhoëo.

Specioſa oratio, & quam ipſe veram velim. Vehementer enim hanc ſententiam firmaret. Sed omnino aliud voluit Maro. Nam durè ait cubare Typhœa, quia Jupiter, cùm eum, ut ajunt, fulmine proſtraviſſet, inſulam corpori ſuperimpoſuit. Quam fabulam fabuloſiſſimè expreſſit Naſo V Metamorph.

Vaſta giganteis ingeſta eſt inſula membris
Trinacris, & magnis ſubjectum molibus urget
Æthereas auſum ſperare Typhoëa ſedes.
Nititur ille quidem, pugnatque reſurgere ſæpe:
Dextra ſed Auſonio manus eſt ſubjecta Peloro:
Læva, Pachyne, tibi: Lilybæo crura premuntur:
Degravat Ætna caput: ſub qua reſupinus arenas
Ejectat, flammamque fero vomit ore Typhoëus.

Dixeris, hæc longè abire a Moſe: qui non tribuat Ogo magnitudinem ampliorem, quàm hominum duorum: quippe qui dicat, ferreum ejus lectum cubitorum fuiſſe duntaxat novem: proinde longè alium eſſe Typhoëa, qui, ubi artus extendiſſet, tria vaſtæ illius Siciliæ promontoria complecteretur. Sed facilè his occurrimus. Nec enim poëtæ ſolùm immenſis ſic follibus ſpirant mendacia de ſuo Tiphœo: ſed idem fabulatores Judæi de ſuo Og auſi ſunt. Quippe ajunt Rabbini, lectum illum Moſi memoratum, qui in Ramoth (Philadelphiam poſtea dixere *a*) oſtendi ſolet, nihil aliud fuiſſe, quàm cunas Og: poſtea eum tanta cepiſſe incrementa, ut pes ſolus cubitorum eſſet CXX, non communium, ſed giganteorum. Itaque, ubi adventare Iſraëlitas cognoſceret, vaſtiſſimum montem impoſuiſſe capiti, eo animo, ut hoc in Hebræos conjecto, exercitum obtereret univerſum. Sed Deum, ut conſilium ejus diſturbaret, in monte illo produxiſſe ingentem formicarum vim; quæ ſic medium exederent montem, ut is, Ogo caput per partem perforatam exerente, utrimque humeris incubaret. Sed quia ſic quoque eum injicere in Iſraëlitas valuiſſet, feciſſe Deum, ut dentes ejus ad cubitos decem extra os excreſcerent. Ita montem, ob dentium obſtaculum excuti nequiiſſe. Tum Moſen, decem cubitos longum, arripuiſſe ſecurim totidem cubitorum; hinc ad cubitos item decem ſubſiliiſſe; ac ſic quoque non pertigiſſe ultra tibiæ cum pede juncturam. Ubi impacta ſecuri, mox proſtratum tam vaſtæ molis gigantem, monte etiam obrutum quem geſtârat. Compertum deinde, tibiam ejus tam longam fuiſſe, ut cùm cervus fortè fugâ ſe in eam protrupiſſet, venato-

a Hieronymus de locis ſanctis.

natori dimidiata die fuerit inſequendus, antequam capere poſſet. Hæc, qui volet, reperiet apud Nicolaum Lyranum, è Judæo Chriſtianum, & Toſtatum, Abulenſem epiſcopum, quæſt. xxvii. Num verò minus hæc portentoſa ſunt poeticis de Typhone deliriis? Quamobrem facile in animum induco, poetas in Typhone ſuo exprimere voluiſſe Ogum, non qualis deſcribitur à Moſe; quem non legerant, ſed quantus à fabulatoribus Judæis, & Cananæis ferebatur. Nec enim à paucis retro ſeculis fabulari cœpere Judæi, ſed multo ante Chriſtum: ut vel liquet ex Apocryphis Eſdræ tributis. Cujuſmodi ſi obtrudi potuere illis, qui Moſen haberent, & Prophetas: quò non mendaciorum prolapſos putemus cæcas Palæſtinorum, & Phœnicum gentes? quarum notitia ſola conſtabat traditione: unde ubi ſemel iſta mendacium admiſerat, ſic levitate hominum gliſcebat, ut tandem in portenta exiret incredibilia.

Hactenus de iis, qui pugnarunt: nunc videamus, quomodo ſit pugnatum à Diis. Jeſua ſtrenue agente, Deus lapidibus pluit, quibus magnam gigantum partem obruit. Hinc Joſuæ cap. x, 11, de pugna Joſuæ pro Gibeonitis contra quinque reges: *Cumque fugerent filios Iſraël, & eſſent in deſcenſu Beth horon, Dominus miſit ſuper eos lapides magnos de cælo, uſque ad Azeca: & mortui ſunt multo plures lapidibus grandinis, quam quos gladio percuſſerant filii Iſraël.* Hujus quoque rei hiſtoria duravit apud gentiles. Sed cum de loco fluctuarent incerti, conjectabant, iſtic hoc contigiſſe, ubi conſpiceretur magna vis lapidum, quam humana non videretur induſtria eò deportaſſe. Ut in Gallia Narbonenſi inter Rhodanum & Maſſiliam. Pomponius Mela lib. ii, cap. v: *Inter eam* (Maſſiliam) *& Rhodanum Maritima a Avaticorum ſtagno aſſidet: foſſa Mariana partem ejus amnis navigabili alveo effundit. alioqui litus ignobile eſt, Lapideum, ut vocant; in quo Herculem contra Albionem, & Bergiona, Neptuni liberos, dimicantem, cùm tela defeciſſent, ab invocato Jove adjutum imbre lapidum ferunt: credas pluiſſe: adeo multi paſſim, & late jacent.* Cæterùm etſi calcata hæc de lapideo litore opinio doceat, ita vulgo fuiſſe perſuaſum, Jovem Herculi, id eſt Deum Joſuæ, imbre lapideo in prœlio ſuccurriſſe: in eo tamen decepti videntur, quòd lapides iſtos, cælitus miſſos, ejus eſſe naturæ exiſtimarent, cujus erant iſti, qui in litore prope Rhodanum conſpicerentur. Quippe quos Deus cælitus jaculatus, erant è grandine condenſata atque indurata: ſic tamen, ut non minus, quàm qui naturâ lapides eſſent, calvas hominum pertunderent, membra cætera graviſſimè ſauciarent, homines etiam proſternerent, ac neci darent. Utrumque inde colligo, quia Scriptura, ut vidimus, nunc ἁπλῶς appellet *lapides*; nunc cum additione, *lapides grandinis*; λίθους χαλάζης, ut etiam reddidere LXX.

a Sic locum hunc diſtingui oportere, obſervatum Caſaubono ad quartum Strabonis.

Nunc videamus, quam belle conveniat locus, quo Joſua Cananæis, Hercules gigantibus bellum intulit. Sed gentiles de loco diſcrepant. Ideo diſſenſus iſte dirimendus nobis. Sunt qui manus conſeruiſſe velint in Galliis, inter Maſſiliam & Rhodani oſtia: ſed futili argumento, quia multi illic lapides, quibus Jovem pluiſſe exiſtimant, ut Herculem adjutaret. De hiſce campis lapideis paullo antè diximus. Alii in Italia ſtatuunt prope Veſevum montem. In his Diodorus lib. iv. Ait is, homines iſtic vixiſſe, qui gigantes dicerentur, διὰ τὴν ὑπερβολὴν τοῦ κατὰ τὸ σῶμα μεγέθους, *ob admirandam corporum magnitudinem.* Cæterum τὸν Ἡρακλέα, συμμαχησάντων αὐτῷ τῶν θεῶν, κρατῆσαι τῇ μάχῃ, καὶ τοὺς πλείστους ἀνελόντα, τὴν χώραν ἐξημερῶσαι. *Herculem, Diis in ſocietatem ejus venientibus, prœlio fuiſſe ſuperiorem, regionemque illam pacaſſe.* Strabo in v conjectat, hanc fabellam eſſe exortam ex agri Campani bonitate: quaſi propterea operæ viſum ſit, Deos de eo cum gigantibus contendere. Sed cùm illius loci aquæ, igne ac ſulfure mixtæ, ſæpius ſe evomant ad ſex cubitorum altitudinem: cur non potius credamus, ita vulgò creditum fuiſſe, id ſignum eſſe fulminis, quo gigantes afflarit Jupiter, dimicante Hercule? Rem hanc veneſtè expreſſit Silius in xii:

—— —— *Tum ſulfure & igni*
Semper anhelantes, coctoque bitumine campos
Oſtentant. Tellus atro exundante vapore
Suſpirans, uſtiſque diu calefacta medullis
Æſtuat, & Stygios exhalat in aera flatus.
Parturit, & tremulis metuendum exſibilat antris,
Interdumque cavas luctatus rumpere ſedes,
Aut exire foras, ſonitu lugubre minaci
Mulciber immugit, laceratque viſcera terræ
Mandit, & exeſos labefactat murmure montes.
Tradunt, Herculeâ proſtratos mole gigantes
Tellurem injectam quatere; & ſpiramine anhelo
Torreri late campos: quotieſque minantur,
Rumpere compagem impoſitam, expalleſcere cœlum.

Nonnulli verò Phlegræos campos, quibus pugnatum, ſtatuunt in Pallene peninſula, quam aliqui Macedoniæ, Thraciæ alii, tribuunt. Traditum hoc inter alios a Strabone: ut liquet ex libri ſeptimi excerptis. Ex horum opinione Euſtathius in Homeri Iliad. B a: Ἡ Παλλήνη πόλις ἐστὶ Θρᾴκης, καὶ χερσόνησος τρίγωνος, ἡ καὶ Φλέγρα λεγομένη, περὶ ἣν Ἡρακλῆς σὺν γίγαντας καταπολεμῆσαι. *Pallene eſt urbs Thraciæ, & peninſula triangularis, etiam Phlegra dicta, ubi Hercules pugnavit adverſus gigantes.* Similiter ſcholiaſtes Ariſtophanis in Aves, & Suidas in Φλεγραίας. Stephanus præterea in Παλλήνη: qui hanc de Deorum auxilio opinionem inde ortam cenſet, quia, pugnante Hercule, multum tonuerit, & igniti turbines deciderint. Quod etiam legas apud Euſtathium in Dionyſium. Atque addit, ex eo Φλέγραν dici, quia fulmine illic uſti ſint gigantes. Nam φλέγειν, *urere.* Pauſanias contrà in Arcadicis refert, vulgatam eſſe inter Arcadas opinionem, cum gigantibus eſſe pugnatum, non in Thraciæ Pallene, ſed juxta Olympiadem, Arcadiæ fontem; unde alternis temporibus, nunc aquæ, nunc ignes, erumpunt. Atque hoc videri voluerunt ſignum eſſe manifeſtum debellatorum illic gigantum. Quaſi non & ſimilia ſint, quæ pro ſuis alii terris adferant. Sed tædet ulterius tam varias perſequi opiniones. Potiùs rei veritatem aperiamus. Quæ ſponte ſe offeret, ſi conſtiterit, ubi perierit inclytus gigas Typhon, qui & Typhaon, & Typhoëus. Ad hunc locum reperiendum, præit nobis Apollonius in Ἀργοναυτικ. β b:

a Pag. 291, edit. Rom.

—— —— —— ἵκετο δ' αὔτως
οὔρεα, καὶ πεδίον Νυσήιον, ἔνθ' ἔτι νῦν περ
κεῖται ὑποβρύχιος Σερβωνίδος ὕδασι λίμνης.
—— —— —— *Pervenit vero ſic*
Ad montes, & campum Nyſſeium; ubi etiamnum
Jacet, merſus ſub Serbonidis aquâ paludis.

b Verſ. 1217. & ſeqq.

Hic Nyſam Arabiæ intelligi, agnoſcit ſcholiaſtes: atque hoc fine adducit verſus τοῦ Ἡροδώρου: cui Nyſa,

Τηλοῦ Φοινίκης, σχεδὸν Αἰγύπτοιο ῥοάων.
Longè à Phœnice, Ægypti vicina fluentis.

De Serbonide autem, ſive, ut alii veterum appellant, Sirbonide, ſic ibidem ſcholiaſtes: Ἡ Σερβωνὶς λίμνη διάκειται περὶ τὸ Πηλούσιον τῆς Αἰγύπτου. *Serbonis palus jacet prope Peluſium Ægypti.* Ptolemæus quoque ſtatuit inter Ægyptum, & Palæſtinam. Et quod non parum ad rem facit, Plutarcho teſte in vita M. Antonii, τὰ τῆς Σερβωνίδος ἕλη Τυφῶνος ἐκπνοὰς Αἰγύπτιοι καλοῦσι. *Serbonidis paludes Typhonis exſpirationes vocant Ægyptii.* Liquet igitur, illic ſtatui Typhonis exitium, ubi egere Iſraëlitæ Ægypto egreſſi, qui eum perdiderunt. Et quis potius audiendus nobis Homero? qui ſic Iliad. β c:

Γαῖα δ' ὑπεστενάχιζε, Διὶ ὣς τερπικεραύνῳ
Χωομένῳ, ὅτε τ' ἀμφὶ Τυφωέϊ γαῖαν ἱμάσσῃ
Εἰν Ἀρίμοις, ὅθι φασὶ Τυφωέος ἔμμεναι εὐνάς.
Terra autem reſonabat, Jove velut ſit fulmine gaudenti
Irato, quando circa Typhoeam terram verberat
In Arimis, ubi dicunt Typhoei eſſe cubilia.

c Verſ. 781, & ſeqq.

Ex quibus colligimus, conflixiſſe in Syria; quæ & *Aramaa*; uti Syris *terra Aram*, unde Syri Ἄραμοι & Ἀραμαῖοι.

μαῖοι. Nonnulli quidem Arimos in Phrygia ſtatuunt; ut teſtis Strabo, extremo libro duodecimo. Aliqui etiam Ciliciæ tribuêre: nonnulli partem Syriæ putarunt. Sed examuſſim optime Poſidonius, eumque ſecutus Strabo: cujus hæc verba prope finem libri decimiſexti: Λέγει δὲ καὶ τοὺς Ἀρίμους ὁ ποιητὴς, οὕς φησιν ὁ Ποσειδώνιος δέχεσθαι δεῖν μὴ τόπον τινὰ τῆς Συρίας, ἢ τῆς Κιλικίας, ἢ ἄλλης τινὸς γῆς, ἀλλὰ τὴν Συρίαν αὐτήν. Ἀραμαῖοι γὰρ οἱ ἐν αὐτῇ. τάχα δ' οἱ Ἕλληνες Ἀραμαίους ἐκάλουν, ἢ Ἀρίμους. *Nominat etiam Arimos Homerus, quos Poſidonius docet eſſe accipiendos, non locum aliquem Syriæ, vel Ciliciæ, vel alius terræ: ſed Syriam ipſam. Arimæi enim ſunt, qui in ea habitant, & fortaſſe Græci eos Aramæos, vel Arimos vocabant.* Joſephus lib. I Antiquit. cap. VI *a*: Ἀραμαίους δὲ Ἄραμος ἔσχεν, οὓς Ἕλληνες Σύρους προσαγορεύουσι· *Aramæos vero Aramus habuit, quos Græci Syros vocant.* Ubi Rufinus male ἔσχεν, quod valet *tenuit, obtinuit*, vertit *instituit*: prout etiam MSus noſter habet. In editis verò perperam *Aramenos*, ſed editorum culpâ. Alii tamen alibi oppreſſum putant. Scholiaſtes Æſchyli *b* ait, eum ἐν Κιλικίᾳ μὲν γεννηθῆναι, κολασθῆναι δὲ ἐν Σικελίᾳ· *natum quidem eſſe in Cilicia, pœnas autem dediſſe in Sicilia.* Alii oppreſſum putant in Tyrrheni maris inſula Inarime: idque propter illud Maronis Æn. IX:

Tum ſonitu Prochyta alta tremit, durumque cubile
Inarimes, Iovis imperiis impoſta Typhœo.

Sed jam variis ante nos monitum, graviter erraſſe Virgilium, cùm pro eo, quod apud Homerum eſt, Εἰν Ἀρίμοις, præverbio, & nomine in unum conflatis, fecit *Inarime*. Etſi error hic, (vide quid magnorum poſſit virorum auctoritas) alios etiam in eundem protraxerit. Uti Ovid. lib. XIV:

Inarimen, Prochytenque legit, ſterilique locatas
Colle Pithecuſas.

Similiter Lucanus lib. V, Silius lib. VIII, & XII, Statius lib. II Sylv. Carm. II. Claudianus lib. III de Rapt. Proſ. & prol. in VI Honor. conſ. Ac ne poëtas ſolùm dicam, etiam ſic Plinius vocat lib. III Hiſt. cap. VI. Ac præiverat quoque Livius lib. XCIV, teſte Servio ad ſuperiorem Virgilii locum. Sed ab Livio ſtatuitur in Mæonia. Sic enim legendum pro *Maconia*, ſatis liquere arbitror. Nam alii in Phrygia, alii aliâ Minoris Aſiæ regione, oppreſſum judicabant.

Atque hæc ſatis oſtendunt, ab Hercule contra gigantes, & Typhoëa, commiſſum eſſe prœlium in Arabia, & Syria: quibus locis contra Cananæos, & Og, regem Baſan, arma eſſe ſuſcepta, etiam Moſes docet. Nec ætas Herculis, & Joſuæ diſcrepat. Tantum ne intelligatur Thebanus ille, ſed alter Orientis; quem tum Ægyptium vocare poſſumus, quia in Ægypto natus; tum Indicum: hoc eſt Arabicum, quia hic res tantas geſſit; tum Tyrium, ſive Phœnicium, quia res ab eo geſtas Tyrii Herculi ſuo transſcripſere. Eum Thebano eſſe vetuſtiorem, & antea dictum nobis, & clarè tradit Lucianus, de Dea Syria: Τό γε (ἱρὸν) τοῦ Ἡρακλέος τὸ ἐν Τύρῳ, οὐ τούτου τοῦ Ἡρακλέος, τὸν Ἕλληνες ἀείδουσι, ἀλλὰ τὸν ἐγὼ λέγω, πολλὸν ἀρχαιότερος, καὶ Τύριος ἥρως ἐστί. *Herculis quidem* (templum) *illud, quod eſt Tyri, non hujus Herculis, quem Græci decantant: ſed quem ego dico, multò vetuſtior eſt, & Tyrius Heros.* Imò eodem hunc, quo Joſua, tempore vixiſſe, veterum opinio erat: ut oſtendit Euſebius in Chronicis. Nam num. CXLII legas, *Moſes in Sina monte divino fruitur adſpectu.* At quinquennio antè, nempe num. CXXXVII, reperias: *Hercules, cognomento Deſanaus, in Phœnice clarus habetur. Unde & ad noſtram uſque memoriam à Cappadocibus, & Elienſibus, Deſanaus adhuc dicitur.* Quo de loco ſuperiùs plura diximus.

Jam ab Arabia in Ægyptum abirem, niſi paullùm retineret Obodes, rex Deuſque Nabathæus: de quo ſic Stephanus Byzantius, Ὄβοδα, χωρίον Ναβαταίων. Οὐράνιος Ἀραβικῶν τετάρτῳ· Ὅπου Ὀβόδης ὁ βασιλεὺς, ὃν θεοποιοῦσι, τέθαπται. *Oboda regio Nabataorum. Uranius Arabicorum quarto. Ubi Obodes rex, quem pro deo habent, ſepultus eſt.* Decuiet item vetus inſcriptio *a*: ΑΓΛΙΒΩΛΩ ΚΑΙ ΜΑΛΑΧΒΗΛΩ ΠΑΤΡΩΟΙΣ ΘΕΟΙΣ *b*. Quæ Palmyrene, Arabiæ civitate, eſt inventa. Sed cùm de his duobus apud veteres ſcriptores ſilentium ſit: quis ſpondeat nobis, animales potius, quàm naturales fuiſſe Deos? Etymon eorum unde interdum, veriſimiliter ſaltem, colligere aliquid licet, quod ſciam, hactenus attulit nemo. Nihil impedit tamen, quo minus teniemus. Quid ſi *Aglibolus* ſit ex Arabicis אג על בל, ag, al, bal? ad verbum eſt, *pone ſuper corde.* Sententia eſt, *Pone cogitationem*, ſive, *animum adhibe.* Quam Arabicorum iſtorum mentem eſſe, docent Abenezra, & David Kimchi. Sic Dei illius nomen fuerit, ſive ex eo, quod Deus cogitet de nobis; ut ita providentiam ſignet divinam: ſive etiam quia cogitationes noſtras exploret; unde *renes ſcrutari* dicitur in Scripturis *c*: ſive quia aſſiduè cogitandum omnibus de Deo; ut nomen hoc homini commendet Dei cultum. Vel quid ſi dicamus, eſſe ex עגל, agul, id eſt, *rotundus*, & בעל, baal, *potens, dominus*? ut ſit, potens rotundi, ſive orbis terrarum, vel dominus orbium ætheriorum, ſive cœleſtium. Sanè Hebræis ſimiliter Deus בעל שמים, baal ſchamaim, hoc eſt, *dominus cæli*: pro quo Phœnices Βεελσάμην, quod itidem eſt κύριος οὐρανοῦ, ut ex Philone Byblienſi cognoſcimus. At *Malachbelus* fortaſſe ex מלך, melech, *rex*, & בעל, baal, *dominus*: ut valeat dominum ac rectorem univerſi. Sed de iſtis ſentiat quiſque ut volet. Noſtras propoſuimus conjecturas, ut eliciamus alienas.

a Ruf. cap. 14.
b In Prometheo Vincto, pag. 26, edit. H. Steph.
a In Gruter. Inſcrips. pag. LXXXVI. num. 8
b Aglibolo, & Malachbelo, Patriis, Dis.
c Jer. 17, 9. & Apoc 2, 23.

Cap. XXVII.

Ad Ægyptios Deos acceditur: quorum aliqui fuere reges. An Vulcanus rex primus Ægyptius. Unde Ægyptus vocata Ἡφαιστία. Antiquiſſimus Ægypti rex Menis, ſive Menas, vel Men. Videri ejus ſymbolum Μνεῦιν *bovem. Æolum fieri exemplo, quod Romani pro E V in multis uſurpent E longum. Quis Saturnus, & Jupiter Ægyptius. Ægyptus nunc* terra Cham, *(ut Græcis* Χημία*) nunc* terra Miſraim *dicta. Rejicitur Græcula opinio de Ammonis etymo: proque ea tres magis veriſimiles, prima imprimis, adferuntur. Apollinem Veneremque Ægyptiorum non eſſe numina ejus nominis antiquiſſima. In Stephano Byzantio conjectura. Unde Oſiridis nomen ſit, trifariam diſſertatum. Quod Dionyſus Nyſſa in Arabia dicitur educatus, id videri etiam Oſiridi ſive Miſraimo, Chami filio, competere. Sacrorum fuiſſe ſimilitudinem inter Liberum Ægyptium, & Thebanum. Unde cultum ejus acceperint Græci. Ex quorundam ſententia, Thebas Ægyptias eſſe Oſiridis opus: ex omnium verò opinione, ejus eſſe opus templum Iovis Ammonis. Oſiridi, & Iſidi, agricultura tribuitur inventum; quod Græci Triptolemo, & Cereri, aſſignant. In Iſidis pompa, ad celebrandam beneficii ab ea accepti memoriam, tritici & hordei vaſcula circumferebant. De contentionibus, & bello, inter Chami poſteros. Conſuetudo vetus, caput muniendi pelle leonis, lupi, canis, vel alterius animantis: poſtquam verò galea è ferro fieri cœperunt, affingendi eis alicujus quadrupedis, vel alitis figuram, vel caput illius. Fabuloſum videri de corvo, auxilium ferente Valerio adverſus Gallum: & unde error ille in Romanorum irrepſerit hiſtoriam. Duplici rationi Diodori, cur Ammoni, & Oſiridi, ſive Libero, cornua addantur, tertia adjungitur: imò & quarta, ſed quæ Liberum Thebanum & Græcos magis ſpectet. Oſiris à Typhone, Typho ab Iſide, & Oro, interemtus. Cur ſanctiſſimum apud Ægyptios juramentum per Oſiridis phallum. Quanta Mercurio ſuo tribuant Ægyptii, & ut Ægyptus ab eo* Ἑρμοχήμιος *dicatur. Correctus Stephanus Byzantius.*

tius. Apollinis Ægyptii repertum, laurus. Hedera, Oſiridis planta. Herculis Ægyptii inclytum apud ſuos nomen. Dictus Gignon, *vel* Gigon. *Ut Diodorus diſtinxerit geſta triplicis Herculis. Duplicem eſſe Ægyptium, illum Oſiridi æqualem, & Joſuam, Herculem Cananæum. Anubidis ætas, & cur canino fingatur capite. Diverſus ab eo* Ἑρμανοῦβις. *Ætas Panos Ægyptii. Panopolis aliter* Χέμμις. *Maroneam Thraciæ perperam à Diodoro opus credi Oſiridis Ægyptii. Novem Muſæ Ægyptiacæ. Apollo* Μουσηγέτης. Ὠκεάμης *fluvius, qui &* Ἀετός. *Diſceſſum ab Stephano, & Euſtathio, de Ægypto ab Aquila Indo dicta* Ἀετία. *Nam videri id ſolum partis nomen, à flumine* Ἀετῷ *ſic dicta. Taautus, & Sanchoniathon, commendati à Philone Byblienſi, quod nudè rem narrarent: quam poſteriores detorſere in ſenſum allegoricum.*

AB Aſia in Africam tendo: ubi tres potiſſimum gentes ſpectamus; Ægyptios, Æthiopas, & Libyas.

Ægyptiis Dii duplices: alii cæleſtes, & æterni; alii terreſtres, & mortales, à morte autem in Deorum numerum relati. De utriſque agit Diodorus. Priùs de cæleſtibus, Sole, Luna, Spiritu, Igni, Terra, Oceano, Aëre: de quibus nos poſtea. Iis expoſitis, ad terreſtres accedit, his verbis: Περὶ μὲν οὖν τῶν ἐν οὐρανῷ θεῶν, καὶ γένεσιν ἀΐδιον εἰληχότων, τοιαῦτα λέγουσιν Αἰγύπτιοι. Ἄλλους δ᾽ ἐκ τούτων ἐπιγείους γενέσθαι φασίν, ὑπάρξαντας μὲν θνητούς, διὰ δὲ σύνεσιν, καὶ κοινὴν ἀνθρώπων εὐεργεσίαν, τετυχηκότας τῆς ἀθανασίας. ὧν ἐνίους καὶ βασιλεῖς γεγονέναι κατὰ τὴν Αἴγυπτον. *De diis igitur cæleſtibus, & ſempiternum genus ſortitis, iſta dicunt Ægyptii. At præter eos, ajunt, alios eſſe terreſtres, naturâ quidem mortales ſed propter animi ſolertiam, & beneficentiam erga homines univerſos, immortalitatem adeptos. Atque horum etiam aliquos fuiſſe reges Ægypti.* Poſtea ſubjungit, ex quorundam ſacerdotum ſententia, primùm apud Ægyptios regnâſſe Vulcanum. Quod ſi eſt, nihil mirum, ſi Ægyptus antiquitus dicta ſit Ἡφαιστία, quaſi dicas *Vulcaniam.* De hoc nomine ejus, auctor nobis tum Stephanus Byzantius in voce Αἴγυπτος, tum, qui exſcribere eum ſolet, Euſtathius in Dionyſium. Addit verò Diodorus, ab hoc Ægyptio rege inventum eſſe ignem. Hoc probare non poſſum. Nam antea oſtendimus, Vulcanum, hoc eſt, Tubalcainum, non ignem reperiſſe; ſed uſum ignis in arte fabrili. Præterea ille nunquam rex Ægypti fuit: quippe qui ante diluvium, eoque & Ægyptios reges, fuerit. Quare ſi, quis primus Ægyptiorum fuerit regnm, ſtatuere velimus; multis partibus potiùs acceſſerim Manetho Ægyptio; de quo poſtea pluribus dicam. Huic primus rex Ægyptius dicitur Menis Thinites: eumque ait, ab hippopotamo raptum, interiiſſe. Diodoro eſt Μηνᾶς. Herodoto autem Μήν. Ut in Euterpe: Τὸν Μῆνα πρῶτον βασιλεύσαντα Αἰγυπτίων. *Mena, qui primus imperium tenuit Ægyptiorum.* Et mox: Τῷ Μηνὶ τούτῳ, τῷ πρώτῳ γενομένῳ βασιλῆϊ. *Meni, regum primo.* Joſepho *Minæus* videtur. Ut qui dicat lib. VIII Antiq. cap. VI, Ægyptios reges imperaſſe annis mille & trecentis, initium capiendo à Minæo illo, qui Memphim condidit. Græcè eſt, τοῦ μετὰ Μιναῖον τὸν οἰκοδομήσαντα Μέμφιν. Valde etiam veriſimile eſt, ſacrum bovem, qui Μνεῦις dicebatur, non Solis modò, de quo libro proximo; ſed hujus etiam Menis fuiſſe ſymbolum. Sanè Æliano lib. XI Hiſt. Animal. cap. X, bos iſte Μνεῦις vocatur. Præterea Μῆνις & Μνεῦις valde vicina ſint. Puto enim paucos ignorare, ut ευ & η ſæpe pro diverſa dialecto commutentur. Ut Ὀρφεύς, Ἀχιλλεύς, Ὀδυσσεύς, Περσεύς, Æolibus Ὄρφης, Ἀχίλλης, Ὀδύσσης, Πέρσης. Unde Latinorum *Ulyſſes, Achilles, Perſes*; ad Æolum morem, quos in illo, ut penè in univerſa lingua, æmulantur. Quare ſuperſit ſolùm, ut trajiciatur liquida: cujuſmodi μεταθέσεις a in nominibus ſacris valde ſunt frequentes: ut antea oſtenſum, poſteaque planius fiet.

a Tranſpoſitiones.

Sed redeamus ad Diodorum, qui poſt Vulcanum regnâſſe in Ægypto ait Saturnum. Quo nomine hoc loco intelligendus, non Adamus; qui Vulcano, hoc eſt, Tubalcaino, antiquior fuit; verùm Noë; univerſi, eoque etiam Ægypti rex. Huic ſucceſſit Jupiter Ammon: hoc eſt, Cham, ſive Ham; unde Ægyptii Ἀμοῦν, Græci Ἄμμων fecere. Scio, Græculos, (quos & Hyginus ſequitur fab. CXXXIII) ex eo deducere, quia aries exiens arenâ, quæ Græcis ἄμμος dicitur, Libero ſiticuloſis Indiæ locis erranti fontem monſtrârit. Sed non minùs putidum eſt, in vocibus Ægyptiis recurrere ad originem Græcanicam; quam in Græcis ad Latinam: ut cùm ſuperioribus ſeculis *Euphemia* deducerent ex *bona femina*, *Stephanus* ex *ſtrenuè agens*, & alia æquè ridicula. Quare potiùs cenſeo, eſſe ab חם, *Ham*, ſive *Cham*, Noë filio. Pro quo facit, quòd Ægyptus non modò paſſim terra Mitſraim nominetur, à filio Chami Mitſraim: ſed etiam terra Cham; ut Pſal. CV, *Et Jacob peregrinus fuit in terra Cham.* Etiam Plutarchus de Iſide & Oſiride, teſtatur, Ægyptum in ſacris Iſidos dictam eſſe Χημίαν. Nempe quaſi Χαμίαν: quod unde niſi à Chamo? Nec tamen pertinaciter diſſenſero, ſiquis cenſeat, primò Ammonis nomen non homini, ſed Soli convenire: eoque eſſe à חַמָּה, quò Hebræis tum calor notatur: tum etiam Sol, fons caloris: unde & Dei *Omani* nomen; ut in Solis cultu dicam. Vel ſi malit, Ammonem notare vim naturæ latentem; quia *Amun* Ægyptiis *occultum* ſignificet; ut Manethos Sebennita ſcripſit, Plutarcho teſte de Iſide & Oſiride.

Hinc refert Diodorus, ut ex Jove & Junone nati ſint quinque iſti; Oſiris, Iſis, Typho, Apollo, & Venus. Ubi temporum ratio oſtendit, de Apolline & Venere decipi, vel alium eſſe hunc Apollinem ab Jubale, Muſices repertore: aliam item Venerem ab Noëma, iſtorum ſorore; quam aliqui Venerem antiquiſſimam credidere. Nobis hæc Minerva potius, lanificii repertrix, videtur; ut antea dictum.

Nomen numenque Oſiridis plurium geſta & cultus complectebatur. Antiquiſſimus Oſiris videtur Mitſraim, Chami filius; qui, ſociato cum patre honore, ab Ægyptiis cultus fuit. Quod eò veriſimilius eſt, quia, ut antea dixi, Scriptura Ægyptum vocat, *terram Mitſraim*: pro quo & *Miſarim*, vel *Miſorim* dixere. Unde in mentem venit, apud Stephanum in Αἴγυπτος, ubi legas, Ægyptum à Phœnicibus dici Μυαρά, legendum eſſe Μισαρά. Et quid ſi ex *Miſori* ſolâ literarum trajectione factum dicamus *Oſirim*, ſive ex *Miſorim*, ſolâ principe literâ rejectâ? Solent enim gentiles, ut majorem Diis ſuis auctoritatem conciliarent, nomina, quæ habuerant, dum in rebus agerent humanis, immutare, ſive μεταθέσει a, ſive aliter. Quamquam nihil huc recurrere opus, ſi & dictus Oſiris, dum viveret. Sed ſic alius fuerit ab Mitſraim. Vel dicendum, fuiſſe eum binominem. Quippe & Oſiridis vocabulum imponi potuit ab incunabulis regio filio, & in ſpem regni educando. Nam Diodorus in primo teſtatur, *Oſiris* id Ægyptiis ſonare, quod Græcis πολυόφθαλμον, hoc eſt, *multoculum.* Imò & tertia occurrit ſententia. Quid ſi enim Mitſraim quidem verum fuerit regis nomen: ſed ab exceſſu ſit dictus *Oſir* per μετάθεσιν ex *Sior*, vel *Sichor*, quomodo dictus Nilus. Oſiridis enim honos, præter venerationem regis Mitſraim, etiam Solis & Nili cultum complectebatur; ut plenius exponam libro proximo, tertioque: de Sole quidem, cùm de æthereorum corporum honore dicam: de Nilo autem, cùm oſtendam, aquas etiam honore affectas divino. Interim pro primâ videtur ſententiâ facere, quòd in ſacris Oſiridos phallus ſive pudendum viri monſtraretur. Nam id potuit eſſe ad hiſtoriæ adumbrationem, qua Chamus patris Noachi verenda vidit, & riſit. Sed hoc, ut Chamo, ſive Ammoni, ſic Mitſraim, ſive Oſiridi, contumelioſum foret. Fortaſſe igitur cùm phallus ſit generationis ſymbolum, eò ſignificatum fuit, Oſiridem eſſe patrem omnium Ægyptiorum. Vel pertinuerit ad hiſtoriam veterem, qua Oſiris dici-

a Tranſpoſitione literarum.

dicitur diſſectus plurima in fruſta ; quorum ſingula, veretro excepto, fuerint ab Iſide reperta ; ut mox plenius exponam. Quamquam & per phallum ſignificari potuit naturalis Deus, Nilus : quia Nilus pater eſt eorum, quæ creſcunt è tellure Ægyptiâ : ut libro ſequenti demonſtrabitur.

Diodorus ait, Oſirin eſſe, qui Græcis Διόνυσος vocatur : ac ſic vocatum, quia Διὸς ſive Iovis eſſet filius : inque Nyſa, Arabiæ urbe, eſſet enutritus : in cujus honorem & urbem cognominem in India condiderit. Quomodo Iovis nomine ſignificabitur Cham ; quem Græci Iovem Ammonem vocant. Nec à vero abludit, Miſraim eſſe in Arabia educatum. Nam in partitione ea, quæ inter Noachi liberos fuit, Arabia ceſſit Chamo. Ac videtur ibi primò fixiſſe ſedes ; in medio nempe terrarum ; quæ ſortitò ei obtigiſſent. Sanè maximus natu filius, nomine Chus, in ea patri ſucceſſit ; unde & *terra Chus* in Scripturis vocatur. Minimus natu Chanaan habuit terram à Septentrione poſitam, quæ ab eo *Chananæa* vocatur. Occidentalis, quæ propior, contigit filiorum ſecundo, nomine Miſraim : uti remotior, nempe Libya, filio tertio, nomine Phut. Nec propterea putandum, Oſirim eſſe eundem, ac Διόνυσον Thebanum. Nam hic multis Oſiride ſeculis recentior eſt. Ut autem idem à multis numen crederetur, fecit ſacrorum ſimilitudo : quæ fuit ab Orpheo Thrace. Hic enim, ſacris initiatus Ægyptiis, ea docuit primùm Thraces ſuos ; unde & θρησκείας nomen : poſtea verò & Thebanos iis imbuit ; inque eorum gratiam, quæ honori fierent Oſiridos, accommodavit Διονύσῳ, Cadmi ex Semele nepoti : quod ex Diodoro ipſo ſuperiùs retulimus. Verùm etſi, juxta geſtorum hiſtoriam, alius ſit Liber Thebanus ab Libero Ægyptio ſive Oſiride : φυσικῶς tamen idem ſunt ; quia, ut in Ægypto Oſiris, ita in Græcia Liber, coleretur cum Aqua, ſive Humore, omnis generationis principio : quemadmodum in Diis Naturalibus explicabitur.

Utrùm Oſiris, an rex alius, longè recentior, condiderit Thebas Ægyptias, centum portis inclytas ; nec inter Ægyptios ſatis convenit. At in eo conſentiunt, ædificâſſe eum templum patri ſuo Iovi Ammoni. De utroque auctor idem Diodorus. Qui & narrat, ut Oſiris uxorem duxerit ſororem ſuam Iſidem : eam, cùm antea frumentum, & hordeum, negligerentur, uſum ejus docuiſſe ſubditos : mox Oſiridem monſtrâſſe his agrorum culturam. Unde Tibullus quoque primum agricolam facit lib. I, eleg. VII :

Primus aratra manu ſollerti fecit Oſiris,
Et teneram ferro ſollicitavit humum.
Primus inexpertæ commiſit ſemina terræ,
Pomaque non notis legit ab arboribus.
Hic docuit teneram palis adjungere vitem,
Et viridem dura cædere falce comam.

Sed Oſiridos beneficium Triptolemo ſuo tribuunt Græci : inventum item Iſidos aſſignant Siculæ Cereri. Unde & eadem credita Iſis, ac Ceres. B. Auguſtinus lib. VIII de Civit. Dei, cap. XXVII : *De Iſide, uxore Oſiris, Ægyptia Dea, & de parentibus eorum, qui omnes reges fuiſſe ſcribuntur : quibus parentibus ſuis illa cum ſacrificaret, invenit hordei ſegetem, atque inde ſpicas marito regi, & ejus conſiliario Mercurio, demonſtravit : unde eandem & Cererem volunt.* Verùm non magis eadem Iſidi Ceres Attica, vel Sicula, quàm Thebanus Liber idem cenſendus Oſiridi. Grandi enim diſtant temporum intervallo. Sed cùm Græci fruges ſibi à Cerere, vinum à Libero oſtenſum prædicarent : ſacra induxere non multum iis diſſimilia, quibus Ægyptii Oſiridem, & Iſidem celebrarent. Atque hoc etiam ex Ægyptiaco Iſeorum feſto dilucet. De quo ſic Diodorus Siculus in primo bibliothecæ : Παρ' ἐνίαις δὲ τῶν πόλεων, καὶ τοῖς Ἰσείοις ἐν τῇ πομπῇ μετὰ τῶν ἄλλων φέρεσθαι τεύχη πυρῶν, καὶ κριθῶν, ὑπομνημόνευμα τῶν ἐξ ἀρχῆς τῇ θεῷ φιλοτέχνως εὑρεθέντων. *Apud nonnullas quoque urbes, cum Iſea celebrantur, in pompa, tritici & hordei vaſcula circumferri in memoriam eorum, quæ primitus Dea reperit induſtria.* Quod ſatis oſtendit, eo loco Iſidem habitam Ægyptiis, quo Ceres Græcis. Iſidem verò hominem priùs fuiſſe, agnoſcit & Servius in VIII Æn. *Hanc Iſim, & alios Deos, ideo Ægyptii colunt, quia Deos reges habuiſſe dicuntur.*

Tandem verò Oſiris interemtus eſt à fratre ſuo Typhone : crudeliterque, ſive in XIV partes, ut eſt apud Plutarchum *a* ; ſive XXVI, ut Diodorus ait, diſſectus fuit. *a Lib. de Iſid. & Oſ.*

Neque indignum Miſraimo fuit, ſi ſororem ſibi connubio jungeret ; præſertim cùm non potuerit aliam ducere, quàm vel ſororem, vel ſaltem eodem avo prognatam. Neque item indignum Typhone, ſi fratrem interimeret ; quando tyrannum fuiſſe, veteres conſentiunt. Et, ſi in Adami liberis frater à fratre interemtus ; quid miremur, ſi idem in maledicti illius Chami liberis contigerit ?

Quod ſiquis arbitretur, non ſatis convenire proximis illis à diluvio temporibus, ut tam citò bello inter ſe fratres certarint : equidem non repugno, quo minus fratrum nominibus liberi vel etiam nepotes deſignentur. Quomodo in Scripturis patriarcharum vocabulis paſſim eorum poſteritas intelligitur. Ne illud quidem ſatis eſt apertum, num, quicum bellum geſſit gens Miſraim, ea fuerit gens Canaan, an Chus, an Phut. Nam Ægyptus ad Orientem habet terram Canaan : ad Occidentem terram Phut, quæ Libya exterior fuit, vel pars ejus, ac fortaſſe inſuper Marmarica. At terram Chus partim ad Orientem habuit, puta Arabiam : partim ad Meridiem, nempe Æthiopiam ſub Ægypto. Utraque enim terra Chus vocatur. Sed cenſeo, nullum æque indignari potuiſſe, quàm Phut, & ejus progeniem. Nam Libyæ ſolum ſterile, & infœcundum erat præ illo Cananææ, melle & lacte fluentis ; item Arabiæ, cognomento Felicis ; tum autem Ægypti, quæ poſtea horreum fuit populi Romani. Hujus verò diſſidii inter Chami liberos, vel poſteros, etiam indicia cernere eſt in reliquiis illis vetuſtatis apud Diodorum : qui in fine libri tertii, idque ex ſententia Libyum, narrat, Dionyſum ſive Liberum fuiſſe filium Ammonis, Libyæ regis. Eum hîc quoque Chamum interpretor. Addit deinde, ut ab hoc Dionyſo Saturnus, qui Ammonem priùs expulerat, viciſſim ſit ejectus ; uti eventurum Ammon prædixerat. Tum Oſiridem, ſive Liberum, templum, & oraculum, Ammoni condidiſſe in regione ea, quæ exinde dicitur Ammonitis. Difficilius eſt hic quoque ſingula aptare nomina perſonis Scripturæ ; quia non omnia, in iſtis gentium reliquiis, fide referuntur hiſtorica, parentumque & liberorum, ac nepotum appellationes confundi ſæpius ſolent. Interea, ut dixi, hæc non obſcurè docent, quibus diſſidiis laborârit Chami poſteritas.

Sed cur Ammon fingebatur cornutus ? cur item filius ejus Oſiris, qui antiquiſſimus eſt Liber ? Diodorus de utroque hanc cauſſam refert, quia in bello geſtarint galeam hac figura. Quod interpretor hoc pacto, pellem capitis bubuli cum cornibus pro galea habuiſſe. Vetuſtiſſimis enim temporibus galeæ fiebant è pellibus mutorum animantium. Quod & appellationes indicant. Nam κυνέην dixere, ſi foret è pelle canina ; λυκέην, ſi è lupina. Imò apud Homerum Iliad. K ἰκτιδέην κυνέην legas pro galea ex pelle muſtelæ. Nam ἴκτις muſtela ſylveſtris : ut cognoſcere licet ex Plinii Hiſt. lib. XXIX, cap. IV. Imò *galeam*, uti & *galerum*, unde potius dici credamus, quàm quia eſſet ex pelle τῆς γαλῆς : quod animal vel idem eſt ac ἴκτις, vel ſimile. Poſtquam verò pro pelliceis galeis introductæ ſunt æneæ ac ferreæ : figuram tamen muti animantis, aut capitis ſaltem, in ea expreſſerunt. Itaque galea nunc capite leonis erat inſignis, nunc integri vulturis figurâ, & ita in aliis. Cujus rei ignoratio ſpiſſos in hiſtoria peperit errores. Luculentum dabo exemplum in hiſtoria Romana. An. V. C. CCCCV, L. Furio Camillo, & Appio Claudio, qui in conſulatu mortuus eſt, conſulibus, cùm Galli ex Albanis ſe montibus profudiſſent : miſſus eſt adverſus eos L. Furius Camillus, vel fauſti ominis gratiâ. Nam M. Camilli, qui ab iis Romam

liberarat, filius erat. Caſtra is poſuit in agro Pomptino. Ibi M. Valerius cum Gallo pugnavit, &, ſi Romanæ credimus hiſtoriæ, corvi auxilio eum vicit. Unde & Corvi cognomen jam olim creditus accepiſſe; non Corvini, ut vulgò putant. Poſteros verò Corvinos dictos, veriſimile fit; cùm conſtanter Corvini ubique, non Corvi, appellentur. Pugnam, quam dixi, ita deſcribit Livius lib. VII, cap. XXVI: *Cum ſtationibus quieti tempus tererent, Gallus proceſſit magnitudine atque armis inſignis: quatienſque ſcutum haſta, cum ſilentium feciſſet, provocat per interpretem unum ex Romanis, qui ſecum ferro decernat. Marcus erat Valerius, tribunus militum, adoleſcens, qui haud indigniorem eo decore ſe, quam T. Manlium ratus, prius ſciſcitatus conſulis voluntatem, in medium armatus proceſſit. Minus inſigne certamen humanum numine interpoſito Deorum factum. Namque conſerenti jam manum Romano corvus repente in galea conſedit in hoſtem verſus: quod primò ut augurium cælo miſſum, lætus accepit tribunus: precatus deinde; ſi divus, ſi diva eſſet, qui ſibi præpetem miſiſſet, volens propitius adeſſet. Dictu mirabile: tenuit non ſolum ales captam ſemel ſedem, ſed quotieſcumque certamen initum eſt, levans ſe alis, os oculoſque hoſtis roſtro & unguibus appetiit: donec territum prodigii talis viſu, oculiſque ſimul ac mente turbatum, Valerius obtruncat. Corvus è conſpectu elatus Orientem petit. Conſul, concione advocatâ, laudatum tribunum decem bobus, aureâque coronâ donat.* Vide & Valerium Max. lib. III, cap. II, Gellium lib. IX, cap. XI, Sext. Aurel. de viris illuſtribus cap. XXIX, atque alios. Quid Romana hiſtoria proditum ſit, vidimus. Cæterùm mihi, non quidem pugna ſingularis Valerii cum Gallo, ſed quod de auxilio ſacræ adduunt alitis, & quidem inſpectante hinc Romano, inde Gallico exercitu, fabuloſum ſemper viſum fuit. Et cogitanti, unde ea fabula potiſſimùm originem ceperit, nihil æquè veriſimile in mentem venit, quàm in cauſſâ eſſe, quod Valerius galeam geſtarit, cui corvi eſſet ſuperadditum ſignum. Is enim, ut antea dixi, mos veterum fuit, ut animalis cujuſpiam pugnacis, nunc leonis, nunc alterius imagine, galeam inſignirent. Cùm iſtiuſmodi galea depingi, & effingi ſolet Valerius pugnans cum Gallo: unde progreſſu temporis imperitum vulgus judicavit, corvum galeæ inſidentem eſſe imaginem veri corvi, cùm eſſet imago imaginis, hoc eſt, ſignum ferrei corvi, quo galea Valerii fuerat inſignis. Mihi quidem in hac conjectura non diſpliceo: præſertim cùm ſciam, moris fuiſſe antiqui, ut res illuſtres picturis proderentur: velut illa pugna Manlii cum Gallo, quæ in ſcuto Cimbrico erat; teſte M. Tullio *a*, Quinctiliano *b*. ac C. Plinio *c*. Redeo ad Ammonem: quem ex Diodoro dicebamus, cum Oſiride cornutum effingi, non quaſi cornua fuerint capiti adnata: ſed quia pro galeis in bello uſi cornuta capitis bubuli pelle. Attamen & alteram apud Diodorum rationem legas. Quippe cornua ait capiti Oſiridis addi, quia arare bubus docuerit Ægyptios. Nam bos eſt agriculturæ ſymbolum: ut pleniùs exponam, cùm dicam de numinum ſignis ac ſymbolis. Imò & præter rationes, à Diodoro allatas, tertia occurrit: ut cornua ſint ſymbolum potentiæ regiæ. Quod & ipſum, ubi eò, quò dixi, devenero, pluribus à me demonſtrabitur. At de Libero patre particularis etiam ratio erat Græcis. Antiquiſſimi enim vina, quæ *Liberi bellaria*, & *florem Liberi patris* dixere, è cornibus bibebant: quod ex ſculpturis veterum lapidum conſtat: & variis antiquorum poëtarum teſtimoniis comprobatur ab Athenæo in XI.

a Lib. 2 de Orat.
b Lib. 6. cap. 4.
c Lib. 35. cap. 4 Vide & Pighium in Annalibus Romanis, ad an. 392.

Porrò, Oſiride à Typhone fratre interemto, non ſivit Iſis tantum ſcelus abire multum: ſed cum Oro filio ſupplicium de eo, & conjuratis, ſumſit. Sedulò præterea diſſecti corporis partes inquiſivit, ac reperit univerſas, excepto phallo, ſive veretro: quod cùm in mare eſſet conjectum, ab phagro, & oxyrincho piſcibus *d* comeſtum credebatur. Corpus Oſiridos ſepultum in inſula Nili apud Philas: unde, ut Diodorus ait, ſanctiſſimum Ægyptiis juramentum ſu itper repoſitum apud Philas Oſirin. Sacra etiam Oſiridi inſtituta: quæ cujuſmodi fuerint, à Julio Firmico, etſi in nonnullis alios, quam nos antea ſequatur autores, commodè ſatis exprimitur libro de errore prof. relig. Verba ejus ſunt: *In ſacris ſuis (Ægyptii) addunt tragica funera & funeſta, calamitatis metuendæ certamina. Inceſtum cum ſorore, adulteriumque ajunt commiſſum; & hoc facinus ſeveris mariti animadverſionibus vindicatum. Iſis ſoror eſt, Oſiris frater, Typhon maritus. Is cum comperiſſet, Iſidem uxorem inceſtis fratris cupiditatibus eſſe corruptam, occidit Oſirim, artuatimque laceravit, & per omnes fluminis ripas miſeri corporis palpitantia membra projecit. Iſis, repudiato Typhone, ut & fratrem ſepeliret, & conjugem, adhibuit ſibi Nephthen ſororem ſociam, & Anubin venatorem. Cui ideo caninum caput impoſitum eſt, quia lacerati corporis partes artificio canis veſtigantis invenit. Sic inventum Oſirin Iſis tradit ſepulturæ. Fuerant ſane hi apud Ægyptum reges pariter ac tyranni: ſed Oſiris juſtus, præter illud, quod cum ſorore commiſit: Typhon furioſus, impotens, ac ſuperbus. Ideo ille colitur, iſte vitatur. Hæc eſt Iſiaci ſacri ſumma. In adytis habent idolum Oſiridis ſepultum: hoc annuis luctibus plangunt: radunt capita, ut miſerandum caſum regis ſui turpitudine dehoneſtati defleant capitis: tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum reſecant cicatrices, ut annuis luctibus in animis eorum funeſtæ ac miſerandæ necis exitium renaſcatur. Et cùm hæc certis diebus fecerint, tunc fingunt ſe lacerati corporis reliquias reperire, & cum invenerint, quaſi ſopitis luctibus, gaudent.* Poſt multa, eodem pertinentia, legas iſta: *Vere ſunt funera, quæ facta ſunt, quorum exſtant hodie quoque reliquiæ. Nam & ſepulcrum Oſiridis hodie in Ægypto eſt, & cremati corporis reliquiæ cernuntur.*

d Plutar. ibid.

Atque hæc etiam confirmat Plutarchus libro de Iſide & Oſiride: ubi, utrumque horum fuiſſe hominem, eo adſtrui ait, tum quòd ſepulcra illorum monſtrentur in Ægypto; tum iis, quæ de forma illorum, uti & Ori, ac Mercurii, ferrentur in hiſtoriis vulgatis.

Nunc videamus de Deorum aliis, qui iiſdem temporibus vixerint in Ægypto. Quales Mercurius, Hercules, Pan, & alii. Nam idem Diodorus teſtatur, maximo apud Oſiridem in pretio fuiſſe Ἑρμῆν ſive Mercurium: ab hoc edoctam eſſe gentem multo articulatiùs loqui: variarum etiam rerum nova didiciſſe nomina: eundem reperiſſe ſcribendi legendique artificium: ſacrificia inſuper, & ſacros ritus docuiſſe, item obſervâſſe ſiderum curſus. Ab hoc itidem Hermæ Ægyptus dicta Ἑρμοχύμιος, ut vulgo quidem legitur apud Stephanum Byzantium in Αἴγυπτος. Sed cenſeo reſcribendum, Ἑρμοχήμιος, quaſi dicas, Chemia ſive Ægyptus Hermæ. Nam Ægyptus, Chemia ſive Chamia; ut ſuperiùs oſtendimus. Quare & corrigendus Heſychius, ubi vulgò ſic legitur, Ἑρμοχοίμιος γῆ ἡ Αἴγυπτος τὸ πρότερον οὕτως ἐκαλεῖτο. *Hermochœmia terra* (ſcr. Hermochemia) *Ægyptus primò ſic vocabatur.* Mercurii ſepulchrum Hermupoli oſtenſum, refert Clemens Romanus, vel alius in X Recognitionum *a*.

Præterea ait Diodorus, Oſiridi fuiſſe militiæ comitem Apollinem fratrem; à quo laurum repertam: uti ab Oſiride inventa hedera, quæ iccirco illis *Oſiridis planta* dicebatur.

a P. 110. edit. Sommanæ an. 1568.

Idem Diodorus tradit in primo, exercitus ei ducem fuiſſe Herculem Ægyptium, genere propinquum, virum longè fortiſſimum. Etiam libro quincto commemorat, Cretenſes ipſos teſtari, Ægyptium hunc longè fuiſſe antiquiorem Hercule Thebano: Thebanumque illum propterea honores meruiſſe divinos, quia totum ſeſe compoſuiſſet ad exemplum Ægyptii. Atque hujus τοῦ παλαιοτέρου θεοῦ κατὰ τὴν Αἴγυπτον πράξεις τε καὶ τιμὰς ἐπιφανεστάτας διαμένειν, καὶ πόλιν ὑπ' ἐκείνου κτισθῆσαι· *vetuſtioris hujus Dei res geſtas, & honores ſplendidiſſimos, in Ægypto perdurare; ac civitatem ab eo conditam.* Hercules hic Ægyptiis, ſecundùm aliquos, etiam *Giguon*, vel *Gigon*, dictus. Heſychius: Γιγῶν, οἱ δὲ Γίγων, Πάταικος, Ἐπιπάταικος, Τεχνίζιος, οἱ δὲ Αἰγύπτιοι Ἡρακλέα.

Gi-

Gignon aliquibus Gigon, Patæcus, Epipatæcus, Trapezius: aliqui Herculem Ægyptium intelligunt.

Cùm verò varii fuerint Hercules, quos in unum confuderint Græci, geſta omnium ſuo tribuentes Thebano; jure quærat aliquis, quæ Ægyptii hujus propria videantur. Conatus hoc expedire Diodorus in fine tertii: ubi tres ſtatuit Hercules; Ægyptium, Creticum, ac Thebanum; quorum recentiſſimus ſit Thebanus, Jovis ex Alcmena filius: ætate hoc vetuſtior ſit Creticus, unus ex Idæis Dactylis, præſtigiator, idemque imperator clarus: antiquiſſimus autem ſit Ægyptius; de quo nunc loquimur. Thebanum ait paullò ante bellum Trojanum eſſe exſecutum Euryſthei imperium: eundem columnarum, quæ Herculis dicuntur, unam ſtatuiſſe; illam nempe in Hiſpania. A Cretico dicit eſſe inſtitutum certamen Olympiacum. Ab Ægyptio eſſe vult columnarum Herculis alteram, quæ eſt in Africa. Atque hæc ille referre ſe ait ex Libyum ſententia. Miror verò Tyrium præteriri, niſi eundem Tyrium, & Ægyptium, putavit. Sanè pleraque ſacra Phœnicibus, & Ægyptiis, communia. Sin diverſi, Tyrio malim tribuere illam in Hiſpania columnam. Gades enim Tyriorum colonia: qua de re ſatis diximus, cùm de Tyriis numinibus ex Sanchoniathone tractaremus. Etiam vidimus de Indico, qui nullus eſt niſi Joſua: qui quomodo & Ægyptius, & Indicus, & Tyrius vocari poſſit, expoſuimus antea. Interea diverſus ab Hercule Ægyptio, qui Oſiridem antiquiſſimum comitabatur in bello. Ut minimùm duo ſint Hercules Ægyptii. Juniorem hunc, quem Joſuam eſſe diximus, non aptiori nomine dixeris, quàm Cananæum, à devicta terra Canaan: quomodo Romanis Imperatoribus à populis terriſque ſubactis nomen datum: velut Scipionibus Africani, Numantini, Aſiatici; Metellis, Macedonici, Baleatici, Dalmatici, Numidici, Cretici; atque ita in aliis.

Præter hoſce jam memoratos, ait Diodorus, fuiſſe in Oſiridis exercitu Anubin, canino tegmine contectum: qui & venator fuiſſe dicitur. Ejus etiam operâ, canis inſtar indagantis membra Oſiridis, uſa in hoc negotio Iſis dicitur. Itaque idem capite pingebatur canino: ut Servius monet in illud VIII Æn.

Omnigenumque Deûm monſtra, & latrator Anubis.

Semicanem Deum cum Lucano *a*, vel *Semihominem canem* dixeris cum Sedulio *b*. Aliis tamen placet, eo fingi κυνοκέφαλον *c*, quia fuerit κυνηγέτης *d*: vel propterea quòd foret Oſiridis & Iſidis σωματοφύλαξ *e*. Quomodo ob communem cuſtodiam, & *canem* pro *cuſtode*, & *cuſtodem* pro *cane*, dixerunt: ut oſtendi Oratoriarum Inſtitut. lib. IV, cap. VI, ſect. III. Malim tamen κυνηγέτην credere, quàm Oſiridis σωματοφύλακα. Nihil enim Oſiridi infeſtius fratre Typhone, cujus Anubis filius fuit.

a *Lib.* 8, *verſ.* 832.
b *In opere paſchali.*
c *Canino capite.*
d *Venator.*
e *Corporis cuſtos.*

Aliqui etiam eundem ac Mercurium arbitrantur, qui Oſiridi à conſiliis fuit. Sed Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride diſtinguit inter Ἄνουβιν, & Ἑρμάνουβιν.

Præter hos, ſub Oſiride militaſſe dicitur Pan: cui ſacra Thebaidos urbs, Panopolis nomine, Nonni poëtæ patria; incolis verò dicta, non Χέννις, ut eſt apud Plutarchum de Iſide & Oſiride; ſed Χέμμις, prout legitur apud Herodotum, & Stephanum. Fortè in honorem Chami ſic vocata. Itidem caſtra ejus ſecutus dicitur Maro, qui vitem plantavit, &, ut ajunt, Maroneæ in Thracia nomen indidit novum, cùm antea appellaretur Iſmarus; ſi Heſychium, Suidam, & Iſacium Tzetzem audimus. Sed hæc veriſimiliùs creduntur de Libero Thebano. Quemadmodum & quòd comitem dant Triptolemum; qui in Africa frugum ſerendarum & meſſis rationem edocuit. Ajunt, & novem illi virgines fuiſſe, Muſices intelligentiſſimas; iis præfuiſſe Apollinem, & ex eo nomen obtinuiſſe Μουσηγέτην. Præterea ab Oſiride parti Ægypti præfectum fuiſſe Promethea: eam partem aquis eſſe obrutam fluminis Ægyptiaci, cui nomen Ὠκεάνης, indéque *Oceano* nomen datum: tantam verò fuiſſe aquæ violentiam, ut propterea Ἀετὸς ſive *Aquila* vocaretur. Herculem autem, obturatis, quibus irruperat, locis, eum intra ripas coercuiſſe: inde originem eſſe fabulæ de aquila Promethei cor exedente, telis verò Herculeis confixa. Suſpicio autem eſt noſtra, non Ægyptum totam, ſed partem ab Aquila flumine obrutam, dictam fuiſſe Ἀετίαν, quaſi *Aquiliam* dicas, non ab Aquila quodam, qui ex India eò venerit; ſed ab flumine Aquilæ memorato. Etſi aliter de hoc Stephanus Byzantius in Αἴγυπτος, eumque ſecutus Euſtathius in Dionyſii περιήγησιν. Sed de hiſce, & aliis ejus generis, liquidiùs ſententiam ferremus, ſi exſtaret ipſe Mercurius, ſive Taautus, ſcriptor vetus; ſive fuerit antiquiſſimus ille, qui Oſiridis ætate literas docuit; ſive alius aliquanto recentior. Olim quidem ſub Taauti hujus nomine exſtabant commentarii rerum à regibus Ægyptiis geſtarum, qui ob benefacta divino honore colerentur. Iis apertè omnia narrabantur. Sed ſacerdotibus ſatius viſum, ſi rebus geſtis allegoricus tribueretur ſenſus. Hoc igitur in iis reprehendit Philo Byblius, quia ſic tenebras offuderint hiſtoricæ veritati. Commendat propterea Sanchuniathonem Berytium, qui ad vetuſtiſſimos Ammunæi templi libros admiſſus, reſectis fabulis, omnia, uti geſta, prodiderit. Conqueritur autem Philo, quòd poſtea etiam tam conducibili Sanchoniathonis operâ à ſacerdotibus inſuperhabitâ, ad fabulas itum ſit. Et illud in cauſſa eſſe ait, cur Græci, cùm antea ſenſum neſcirent myſticum, ipſi etiam ſe occuparint circa fabularum interpretationem; in qua ipſa in tam varias abierint partes. Atque hæc plenius aperiet Philo apud Euſebium in primo præparationis Euangelicæ.

CAP. XXVIII.

Quanta regni Ægyptii vetuſtas olim credita ſit, & ut ea non diluvium modò, ſed etiam mundi natalem exceſſerit. Duplex ratio adfertur, unde opinio hæc inoleverit: cujus cauſſis obſervatis, non ſit operoſum antiquitates Ægyptias conciliare cum Moſe & Scripturis. Prior ratio eſt, ſi diſtinguatur annus Ægyptiacus. Qui vel Lunaris, vel Canicularis, ſive Solaris. Lunaris item vel menſtruus, qui intelligitur, cum uni regi anni tribuuntur mille ducenti: vel quatuor menſium, quomodo regi uni aſſignantur anni trecenti. Canicularis item diſtinguitur in vulgarem, & non popularem. Vulgaris vel eſt dierum ſolum CCCLX: *& cur hoc durante dicatur Sol quater curſum mutaſſe: vel præterea eſt dierum quinque* ἐπαγομένων, *quarum quæque numini ſit dicata: uti ſecunda Arueri: eum alium eſſe ab Anubide, contrà quàm Scaliger putabat. Falli, qui Ægyptios cenſent intercalatione ea caruiſſe. Canicularis à vulgari diverſus diſtinguitur in magnum, majorem, maximum. Magnum fuiſſe quatuor Julianorum: de quo Scaliger defenſus. Hoc exacto redire creditum eandem rerum faciem: quod Græcos primus docuit Eudoxus. Maximum autem canicularem annorum fuiſſe* CIↃIↃCCLX. *Altera ratio conciliandi cum Scripturis annos, quos dynaſtiis Ægyptiis Manetho tribuit. Quando is vixerit, unde ſua deſumſerit, quouſque hiſtoriam perduxerit. Annos dynaſtiarum, quas Manetho tradit, non eſſe explicitos, ſive Chronologicos; ſed implicitos, & cum aliis concurrentes. Scaligeri opera in digerendis Manetho Sebennitæ annis defenditur.*

SEd adverſus ea, quæ diximus de antiquiſſimorum Ægypti regum Deorumque temporibus, atque aliorum, qui vixerunt ætate eorum, exſurgit hæc controverſia: quo pacto verum eſſe poſſit, quod hactenus aſſeruimus, Cham eſſe Jovem Ammonem, Chami filium Miſraim, primum Ægypti regem, eſſe Oſiridem; æquales his eſſe Iſin, Hermen, Herculem, alios; cùm Cham, & Miſraim, vixerint poſt diluvium: unde, uſque ad finem imperii Perſici, ſi Hebræos Scripturæ codices ſequimur, vix ſint anni bis mille: Ægyptium verò regnum, juxta Manetho Sebennitam, flaminem Heliopolitanum, ante Alexandrum habuerit Dynaſtias unam & triginta: quæ

imperarint annis quinquies millenis trecentis & quinquagintaquinque: imò Ægyptiorum alii ne quidem ſe continuerint intra hoc ſpatium. Quod oſtendit his verbis Diodorus in I: Εἶναι δ' ἔτη, φασὶν ἀπὸ Ὀσίριδος καὶ Ἴσιδος, ἕως τῆς Ἀλεξάνδρου βασιλείας τοῦ κτίσαντος ἐν Αἰγύπτῳ τὴν ἐπώνυμον αὐτοῦ πόλιν πλείω τῶν μυρίων, ὡς δ' ἔνιοι γράφουσι, βραχὺ λείποντα τῶν δισμυρίων καὶ τρισχιλίων. *Ab Oſiride & Iſide ad regnum Alexandri, qui nominis ſui urbem in Ægypto condidit, annos numerant plus decies mille, vel, ut nonnulli ſcribunt, paullo minus ter & vicies mille.* Profunda hæc quæſtio eſt, & ad quam penetrandam aliquis dixerit urinatore eſſe Delio opus. Nam non ſolum uterque ille Diodori, ſed etiam Manethonis calculus, excedit ſpatium non à diluvio modò, ſed illud etiam ab orbe condito. Ac multò magis illud dixeris, ſi Apis, qui Oſiridi ſacer erat, ante Epaphum multis annorum myriadibus fuit: ut Ægyptios tradere Ælianus ait lib. XI Var. Hiſtor. cap. XI. Tanto magis operæ fecero, ſi hunc ſcrupulum eximam: atque ita utrumque conſequar, tum ut veritas eorum defendatur, quæ de primis Ægypti regibus in Deos relatis dicebamus: tum ut occurratur illis, qui cùm hiſtoriam ſacram pugnare crederent externæ, rectiùs ſanè gentili hiſtoriæ detraherent fidem, quàm ſacræ: nunc contrà antiquitate regni Ægyptii labefactare conantur Moſaicæ hiſtoriæ ac cæteræ Scripturæ veritatem. Videor autem mihi, ad conciliandas antiquitates Ægyptias cum Sacris literis, duplicem adferre poſſe rationem. Una eſt, quòd antiquitus variarit apud Ægyptios anni modus; juniores verò veterum annorum formam cum recentiori confuderint. Hoc ut intelligatur, dicam quam breviſſime de multiplici ratione anni apud Ægyptios.

Erat Ægyptiis annus alius Lunaris; alius Solaris, vel Canicularis: Lunaris item vel vulgaris, vel magnus. Vulgaris erat menſtruus. Et hunc intellexere, cùm dicerent, reges ſuos vetuſtiſſimos vixiſſe annis amplius cIↃCC. Nam ſic vixerint annis amplius centenis: quod temporibus patriarcharum, ac multò etiam pòſt, frequentiſſimum erat. Magnus lunaris fuit ὥρα, ſive menſium quatuor. Nam dividebant annum Solarem, non in quatuor ὥρας, ver, æſtatem, auctumnum, hiemem: ſed in tres duntaxat; ita ut quæque ὥρα, eſſet menſium quatuor. Ac hujuſmodi creduntur annos intellexiſſe, cùm reges ſuos vixiſſe olim dicerent non infra annos trecentos. Quod & ipſum ſpatium Julianos annos efficit C. Ea, quæ de utroque hoc anno Lunari diximus, item interpretatione illa de vita annorum cIↃCC, vel CCCC; clarè legas apud Diodorum Siculum libro primo. Annus Solaris itidem vel vulgaris Ægyptius fuit, vel magnus. Vulgaris primò cenſebatur dierum CCCLX; poſtea CCCLXV; tandem præterea quadrantis: propter quem quarto quoque anno diem opus fuit intercalari. Quamdiu anno uſi dierum duntaxat CCCLX, citra intercalationem ullam; neceſſe erat, ut feſtum, quod primò celebrabatur in vere, poſt annorum plurium intervallum ageretur in æſtate, hinc auctumno, tum hieme, iterum inde in vere, & ita porro. Et ſatis veriſimile eſt, huc ſpectaſſe, quòd, Herodoto *a* teſte, dicerent, dum Ægyptus ſub regibus ſuis fuiſſet, Solem quater curſum ſuum mutâſſe: bis enim ortum in Occaſu, & occidiſſe in Oriente. Quo nihil putidiùs, ſi propriè intelligas. Porrò Ægyptii univerſi poſtea anno addidere dies quinque, quæ dicuntur ἐπαγόμεναι *b*. Harum unaquæque dicata numini erat, tanquam ejus natalis: prima nempe Oſiridi, altera Aruëri, tertia Typhoni, quarta Iſidi, quincta Nephthæ: ut Plutarchus teſtatur, libro de Iſide & Oſiride. Ordinis ejus cauſſa, meo judicio, iſta erat. Primò Deorum, hinc Dearum habita eſt ratio. Deorum princeps Oſiris, boni omnis principium effectivum: cui iccirco primus datus dies. Alter Aruëri, tanquam boni patris bono filio. Nam Ἀρουήρις aliis quidem Apollo, aliis ſenior Orus: ut Plutarchus ibidem ait. Quare non aſſentio Joſepho Scaligero, qui in ſecundo de emendatione temporum, cap. de anno Ægyptiaco, Aruerin putat eſſe Anubin. Nam ex eodem Plutarcho conſtat, Anubin fuiſſe filium Typhonis, & Nephthæ. Non dubium verò, quin potiùs in diebus ἐπαγομέναις *a* habita ſit ratio ejus, qui ex bonis parentibus, quam ex malis, eſſet editus. Tertius locus tributus Typhoni, omnis corruptionis ac mali principio effectivo; ut libro proximo explicabitur. Ex Deabus prior locus datus Iſidi, ut Oſiridis ſorori & conjugi. Eis igitur quartus dies ſacratus. Quinctus, qui ſupereſt, Nephthæ, uxori Typhonis. Porrò præter quinque iſtos dies Alexandrini, & quadrantis habuere rationem: unde quarto quoque anno intercalabant diem. Imò quicquid ſit de vulgo Ægyptiorum, hierophantæ ſaltem & ipſi intercalabant: ut ex Horo Apolline cognoſcimus lib. I, cap. V: ubi cùm dixiſſet, annum diebus CCCLXV abſolvi, ac præterea quadrante diei, (nam de quadrante perperam in vulgatis codd. omitti, præcedentia cum ſequentibus conferenti ſatis eſt apertum) ſubjungit continuò, ὅθεν καὶ διὰ τετραετηρίδος περισσὴν ἡμέραν ἀριθμοῦσιν Αἰγύπτιοι· τὰ δὲ τέσσαρα τέταρτα ἡμέραν ἀπαρτίζει. *Unde & quarto quoque anno ſupervacuum diem computant, atque intercalant Ægyptii. Quatuor ſiquidem diei quadrantes diem perficiunt.* Ubi intellige quartum quemque annum exactum. Vel πεντετηρίδος *b* reſcribendum.

a *Intercalaribus.*

b *Quinquennio.*

Sequitur annus canicularis magnus: qui triplex; unus ἁπλῶς ita dictus, alter major, tertius maximus. Magnus Ægyptiis conſtabat luſtro Juliano, ut ſic ſe habuerit ad annum Solis Julianum, uti annus Lunaris, quem magnum dicebamus, ad annum vulgarem ſive menſtruum. Meminit Horus Apollo lib. II, cap. LXXXIX. De quo, & veritatis, & noſtri etiam cauſſa, tuendus nobis Joſephus Scaliger, qui probando iſti, quem & nos adduximus, Horum laudârat teſtem. At doctiſſimus Dionyſius Petavius lib. III de Doctrina Temp. cap. II, *Falſo*, inquit, *Horum Apollinem citat, quem ait lib. II, cap.* LXXXIX *ſcripſiſſe*, Τὸ δὲ ἔτος κατ' Αἰγυπτίους τεσσάρων ἐνιαυτῶν. *Annus Ægyptius eſt annorum quatuor.* Subjicit deinde: *Hæc apud Horum capite illo non reperi. Utrum alibi exſtent, quærant, quibus vacat.* Sanè, ut iſtic non exſtarent, facilis, nec injucundus labor percurrendi opuſculum tam eruditum, tam etiam minutum, ut hora una altera abſolveris. Sed nihil opus alibi quæſito, quod eo, unde Scaliger citat, capite reperitur *c*. Eſtque caput illud quatuor ſolùm verſuum; cujus extremo totidem verbis habentur, quæ diximus. Num aliâ Petavium editione uſum dicam? At quæ illa? Equidem non exiſtimo, exſtare ullam, ubi aliter capita diſtinguantur. Quare facilè mihi perſuadeo, virum multæ & lectionis, & meditationis, dum locum inquirit, aliud præ oculis caput habuiſſe, quàm putabat, ſive tempus citeperum offuderit tenebras, ſive occupationibus aliò mentem diviſerit. Atque iſta jam ſcripſeram, cùm ecce commoneor ab Nobiliſſimo, & Ampliſſimo Georgio Ratallerio Dubletio, in ſupremo Hollandiæ Conſilio Senatore integerrimo, ac undecunque doctiſſimo, videri deceptum Petavium editionibus primis, uti Pariſina Petri Vidovæi, qui Aldinam ab ſe expreſſam profitetur. In hac deſideratur caput II, τί ἀετοῦ νεοσσόν· & V, πῶς πολέμου στόμα; & XXIII, πῶς μῦθον λέγειν· Quemadmodum nec ea habet tralatio Gallica, vel Latina princeps Bernardini Trebatii Vicentini, Conrado Peitingero jam anno inſcripta cIↃIↃXV. Nempe ſic factum, ut quod nunc eſt caput LXXXIX, in editionibus iſtis ſit LXXXVI. Interim, quæ ex Oro adduximus, in his etiam, ſolùm variante paullùm capitum numero, liquidò leguntur. Quare extra controverſiam eſto, Ægyptiis fuiſſe annum, qui annos quatuor Julianos contineret. Et hic eſt annus canicularis magnus. Unde Cenſorinus cap. XVI: *Tempus autem non diem tantummodo, vel menſem, vel annum vertentem appello: ſed & quod quidam luſtrum, aut annum magnum vocant.* Atque hic annus ex eo canicularis dictus, quia obſervaretur ex caniculæ ortu, eſſe quadriennium juſto minus toto die. Præterea judicabant, poſt quadriennia quæque eandem redire temporis faciem: uti ventorum, ac tempeſtatum, & cæterorum id genus. Quam obſervationem primus ex Ægypto in Græciam intulit Eudoxus,

c *Auguſtanæ ſive Heſchelianæ editionis pag. 115. verſ. 4. 5. ſive Pariſinæ Mercerii Wechelianæ pag. 42. Morellianæ ejuſdem pag. 186.*

a *In Euterpe.*

b *Inſititii, ſive intercalares.*

indéque geminato ſpatio ſuam conſtituit octoëterida. Plinius lib. II, cap. XLVII: *Omnium quidem ſi libeat obſervare minimos ambitus, redire eaſdem vices quadriennio exacto Eudoxus putat, non ventorum modò, verùm & reliquarum tempeſtatum magna ex parte. Et eſt principium luſtri ejus ſemper intercalari anno, Canicula ortu.* Et talis eſt annus canicularis magnus. Alter eſt canicularis major, qui, quot dies habet annus Julianus, totidem annos complectitur. Huic non inſiſtam, quia ad conciliandas antiquitates Ægyptias cum Scripturis, nihil juvat. Uti neque, qui ſolus ſupereſt, annus canicularis maximus; qui ſic ſe habet ad annum canicularem majorem, uti magnus ad vulgarem. Nam majores quatuor comprehendit. Eoque annorum eſt Julianorum CIↃCCCCLXI. Cenſorinus cap. XVIII: *Eorum* (de Ægyptiis ſermo) *annus civilis ſolus habet dies* CCCLXV, *ſine ullo intercalari. Itaque quadriennium apud eos uno circiter die minus eſt, quam naturale quadriennium. Eoque fit, ut anno bis milleſimo* (τὸ *bis* cenſeo delendum, vel potiùs pro *bis* reſcribendum *is*, ut *annus* ἀπὸ κοινοῦ intelligatur) *quadringenteſimo ſexageſimo primo ad idem revolvatur principium. Hic annus etiam Heliacus à quibuſdam dicitur, & ab aliis* ὁ Θεοῦ ἐνιαυτός. Ubi videmus, ut dicat, hunc *etiam* annum dici *Dei annum*, ſed *à quibuſdam*. Nempe quia aliis & ſimplex annus Julianus *annus Dei* diceretur; ut hic indicat locus Cenſorini.

Atque hæc de priori ratione conciliandi chronologiam Ægyptiam cum illa S. Scripturæ. Quæ ſolùm habet locum propter eos, uni qui regi ſeculum totum, imò tria etiam ſecula aſſignâſſe videantur. Nunc venio ad illos, qui ſic ſeriem texunt, ut nulli regum annos tribuant plures, quàm communis tulerit vitæ ratio. Uti factum à Manetho Sebennita, Heliopolitano flamine ſacrorum Ægypti adytorum; qui temporibus vixit Ptolemæi Philadelphi, & tribus voluminibus complexus fuit veterem omnem Ægyptiorum hiſtoriam. Hanc verò exſcripſit ex columnis Seriadica in terra poſitis; in quibus res veteres notis erant hieroglyphicis conſignatæ. Ex Manetho hoc ſua deſumſit Julius Africanus, in πεντεβίβλῳ χρονολογικῇ: ex Africano autem Euſebius, ex Euſebio Georgius Syncellus, ex Syncello Joſephus Scaliger lib. II Canonum Iſagogicorum.

Tomo primo complexus Manethos dynaſtias XI: annos autem *a* CIↃCIↃCCLXXVII.

Tomo ſecundo dynaſtias VIII, annos *b* CIↃCIↃCCIX.

Tomo tertio dynaſtias XII, annos *c* IↃCCCLXXIX.

Quomodo in univerſum ſint anni CIↃCIↃCIↃCIↃCIↃCCCLXV.

a	2277
b	2209
c	879
	5365

Produxit verò hiſtoriam ſuam uſque ad Ægyptum ab Alexandro Magno ſubactam, ac Darium Codomannum ad Arbela devictum: ubi deſinendum ſibi putavit, quia ſatis homini foret Ægyptio res conſignare Ægyptias, quas neſcirent Græci; quales præſertim antiquiſſimæ: quæ autem, Dario victo, geſtæ eſſent à Macedonibus; eæ, uti à Græcis jam variis prodi cœpiſſent, ita deinceps etiam eorum meliùs induſtriæ relinquerentur.

Nunc diſcutiamus, quod Manethos ab initio imperii Ægyptiaci uſque ad Alexandrum annos numeret amplius quinquies millenis: cùm ne ab orbe quidem condito tot effluxiſſent, nedum ab diluvio, ac longè minus ab initio regni Ægyptiaci; quod eſſe non potuit, niſi Phelegi tempore, mundo jam diviſo. Facilè quidam hunc ſibi nodum exſolvere videntur: quippe Manetho ajunt fucum feciſſe Ptolemæo. Sed enim ſcribebat regi, ſe iſta hauſiſſe ex columnis Seriadicis, atque aliis monumentis hieroglyphicis. Ubi ſi falleret, redarguiſſent eum ſacerdotum alii: ſi non ob aliud, ſaltem ut ſic gratiam ſibi regis conciliarent. Nunquam enim defuere, qui ſibi bene eſſe mallent, quàm alteri. Quamobrem exiſtimo, Manetho quidem optimâ fide exſcripſiſſe iſta, unde profitebatur: ſed in eo cum ſacerdotum aliis, ob antiqui temporis tenebras, aberrâſſe, quòd, quas primo tomo dynaſtias refert, eas putârit alias aliis ſemper ſucceſſiſſe; cùm multæ, ut loquuntur, non ſucceſſivæ fuerint, ſed collaterales; hoc eſt, eodem tempore diverſis fuerint locis. Nec enim primitus per Ægyptum univerſam rex unus tenuit imperium; ſed varii fuere reguli, alii aliis majores. Ita initio imperarint ſimul, tum Thinitæ, quorum prima & ſecunda ſtatuitur dynaſtia: tum Memphitæ, quorum dynaſtia eſt tertia, & quarta: tum Elephantini, quorum eſt dynaſtia quarta. Hinc ſecutæ ſexta, ſeptima, octava Memphitarum. Sed iiſdem, ut arbitror, temporibus tum nona decimaque Heracleopolitarum fuit, tum etiam decima Dioſpolitarum. Quod de primo tomo dixi, idem ſecundo in volumine locum cenſeo habere; non univerſo, inquam; priori attamen ejus parte. Nam extrema, ac ſimiliter totum volumen tertium, annos habent, ut Chronologi vocant, non implicitos, ſed explicitos: qui ſolùm in conſiderationem veniunt apud Chronologos, ne bis, vel ſæpius, eadem numerent tempora. Quod ſicui hic aqua hæret, is velim cogitet ſecum, ut omnia magna imperia ex plurium minorum ditionibus coaluerint in unum. Mitto Aſſyrium vetus. Ante Perſicum quis neſcit, primò diverſa fuiſſe Medicum, Babylonium, Aſſyrium, alia? Quot imperia abſorpſit Macedonicum! quot Romanum!. Quot in regna primitus diviſa fuit Hiſpania! Quid Britanniam magnam, quid Galliam dicam! Belgica hæc quot prius ducatus ac comitatus habuit! qui tandem Burgundis, poſtea Auſtriacis paruere. Hic ſi annos Hollandorum, Hannoniorum, Bavarorum, Burgundionum, Auſtriacorum, ſeorſim numeres, quia unum tandem principem agnovere; Deum immortalem, quanto major juſto annorum ſumma ex annis hiſce implicitis conficiet! In hoc igitur Manetho peccavit, quòd annos implicitos, & explicitos, non diſtinxerit. Atque hoc inde etiam elucet, quòd præter triginta & unam dynaſtias, quas Manethos tradidit, eſt & alia Thebanorum Dioſpolitanorum: apud quos primus rexit Menes, non Thinites ille, qui primus erat in prima dynaſtia, ſed Thebanus. Mirum verò, uti primus Thinites dynaſta Menis dictus, ac ſucceſſorem habuit filium nomine Athothis, ita & primo regi Thebano Dioſpolitano nomen fuiſſe Menis, & filium ei ſucceſſiſſe, qui itidem Athothes diceretur. Cœpit hæc Dioſpolitana dynaſtia anno Saitis decimo, qui primus eſt in dynaſtia quinctadecima. Ultimus in ea eſt Amuthartæos. In univerſum habet hæc dynaſtas XXXVIII; ac annorum eſt CIↃLV. Quod manifeſto eſt argumento, eam fuiſſe σύγχρονον *a* dynaſtiis à Manetho memoratis. Ac vidit hoc Scaliger quoque, qui ſic ſcribit in notis ad eam dynaſtiam *b*: *Ex hac dynaſtia patet, diverſos reges eodem tempore in Ægypto diverſis partibus imperium obtinuiſſe. Nam quando Saites primus dynaſtiæ* XV *ex latrunculis paſtoribus circa Bucolia Ægypti jam decimum annum regnabat, in partibus Thebaidos regnum inivit Menes Thebanus.* Quæ verba ſummi viri eò lubentius adduxi, quia dolet, eum tantùm non ἀσεβείας *c* accuſari, ob catalogum illum regum Ægyptiorum contextum. Quippe, ajunt, ſi Scaligerum ſequamur: corruere Sacrarum literarum auctoritatem; quia ſic ante diluvium in Ægypto fuerit regnatum; imò multo ante illud tempus, quo Moſes docet mundum hunc creatum. Atqui non hoc cenſet Scaliger: tantum voluit, quæ & noſtra opinio eſt, dynaſtias iſtas Ægyptias non eſſe commenticias. Neque obſtat, quod tandem colligat, annos dynaſtiarum Ægyptiarum conficere ſummam annorum quinquies mille trecentorum quinquaginta trium. Hoc enim dicit ex ſententia Manetho, & Ægyptiorum: qui annos iſtos habebant pro explicitis. At non ita Scaliger, qui credebat, eodem tempore à variis eſſe diverſis in locis imperatum: imò quandoque etiam in eâdem provinciâ, ut alius in Urbe imperaret, alius in agris. Quo pertinent, quæ vir ille præclarè admodum, ſi quiſquam, de literarum ſtudiis meritus, ſubjungit: *Deſiit autem hac Dynaſtia in anno vigeſimo ſecundo Amenophthis, quarti in dynaſtia decimaoctava: quo tempore* ETIAM IN IISDEM PARTIBUS *diverſi reges imperabant. Nam* XVIII *Dynaſtia urbe ipſa Dioſpoli, id eſt Thebis, potiebatur; iſta verò agro Thebano. Et profectò illa vetuſtiſſima regna fuerunt inſtar latrociniorum; ubi vis, non lex, aut ſucceſſio, aut ſuffragia populi, reges in ſolio regni collocabant.* Hæc ille,

a *Coætaneam.*

b *Canonum Iſagogicorum lib.* III, *p.* 312.

c *Impietatis.*

ille, quæ, quin veriſſima ſint, nullus dubito. Accedat & alius Scaligeri locus, ad Euſebii annum M. xxv: *Si Suſakim, rex Ægypti, ſub Semendi rege Ægypti ſpoliavit templum: conſequens eſt, ut aut Suſakim & Semendis ſit unus, idemque rex διώνυμος a, aut duos reges eodem tempore in diverſis Ægypti partibus regnâſſe; quod olim ſæpe contigiſſe, patet ex priore libro Euſebii.* Quare factum nolim, quòd homines eruditiſſimi ſic Scaligerum exagitant, ob operam poſitam in regibus Ægyptiorum digerendis. Utcumque enim Scaliger annos illos numeret, quaſi expliciti forent, non verò concurrerent; tempus etiam illud προληπτικὸν nuncupet: vidiſſe tamen, in quo Manethonem fugerit ratio, ſalvis, quas bona fide exſcripſerat, dynaſtiis, non obſcurè evincunt verba ejus, quæ & viri, & veritatis cauſſâ, adduximus.

a Binominis.

Cap. XXIX.

Herodotus, & Græcorum alii, qui Epaphum eundem, ac Apim, putarunt, refelluntur auctoritate Ægyptiorum, ac imprimis ratione temporum: Græcorum etiam argumentis occurritur. Apim eſſe ſymbolum patriarchæ Joſephi, adſtruitur auctoritate veterum: quorum tamen plerique fallantur, cùm putant, Apim ſuccurriſſe fami, deficientibus Alexandriam frumentis: quæ urbs multo poſt condita. Joſephus etiam à Moſe bos vocatus. Joſephum eſſe Apim, monſtratur e ſomnio Pharaonis de ſeptem bubus opimis, ac totidem macris, ejuſque enarratione: item conſilio regi dato, & procuratione rei frumentariæ commiſſâ Joſepho. Oſtenditur, non aliud eſſe aptius ſymbolum frumenti, vel annonæ, quàm bovem. Quanto honore Pharao dignatus ſit Joſephum. Oſculum non ſolius ſemper amoris, ſed quandoque etiam venerationis ſignum fuiſſe. Saphenath Paneah *quàm variè à veteribus reddatur. Nomine etiam differre Ægyptium, qui emerat Joſephum, & illum, cujus filiam Aſnath Joſephus duxit uxorem. Diluuntur ea, quæ videntur obſtare, quo minus Ægyptii ſacro aliquo ſymbolo Joſephi memoriam celebrarent. Heliopoli Mneuis Soli, Memphi Apis Lunæ ſacer. Feliciter Memphitis negotium proceſſiſſe; quorum bos honoratior Heliopolitano, etſi cultus Mneuis vetuſtior; unde & pater Apidis habebatur.* Apis *unde nomen acceperit: unde item Latinum* avus. Abrech, *quod Joſepho acclamatum, quàm diverſè exponatur à veteribus. Sarapis ſive Serapis Deus dictus* Septiliterus. *Eundem eſſe Joſephum patriarcham. Cur Serapidis effigiei modius imponeretur. Ut Græci, & decepti ab iis Theologi noſtri, Apim Argivum, atque Ægyptium, confuderint. Refellitur geminum Serapis etymon: proque iis tergeminum adfertur, quorum quodque non paullo ſit veriſimilius. Serapidem Deum Ægyptiorum patrium fuiſſe, contra Tacitum, cui & Scaliger in eo aſſenſum præbuit, comprobatur. Giraldi opinio rejecta. Athenodori Tarſenſis ſententia de Sarapidis effigie juſſu Seſoſtris regis facta. Unde nigricans Serapidis color. Ut Seſoſtris in Palaſtina ſtatuam poſuerit cum pudendo muliebri ad molliciem gentis exprobrandam. Utrum Seſak ſive Suſakim, qui templum ſpoliavit Hieroſolymitanum, Seſoſtris ſit, an Suſennes, vel potiùs Seſonchis. De Serapeo Alexandrino, ac Romano.*

Diximus hactenus de antiquiſſimis Ægyptiorum Diis, eorumque ætate: & huic rei atque aliis illuſtrandis, digreſſi ſumus in variam anni Ægyptiaci rationem: mox etiam expoſuimus judicium noſtrum de temporibus à Manetho Sebennita regno Ægyptio attributis. Nunc ab initio hoc ſermone, quo diffindere juvit hiſtoriam de hominibus, quos Ægyptii in Deos retuliſſent, venio ad homines Deoſque, qui poſt memoratos proximè fuerunt.

Memphi, ſi Græcis credimus, cultus eſt Iûs filius, Epaphus. Herodotus lib. II: Ὁ δὲ Ἆπις κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσάν ἐστι Ἔπαφος. *Apis autem Græcorum linguâ eſt Epaphus.* Item lib. III: Ὁ δὲ Ἆπις οὗτος ὁ Ἔπαφος. *Eſt vero Apis idem ac Epaphus.* Etiam hoc legas apud Ælianum lib. XI de Animalibus cap. X. Sed addit, Ægyptios hunc ſermonem, ut mendacem, averſari; quia Epaphus multis poſt Apim ſeculis exſtiterit. De quo adſentio Æliano: non item de altero, quòd vetuſtiorem prædicarent: quam opinionem eorum ſatis refutavimus capite ſuperiori. Multò interim Apide juniorem eſſe Epaphum, ſatis arguit, quòd Epaphus ex filia Libya nepotem habuerit Agenorem, pronepotem Cadmum: cujus ætas ſuperiùs expoſita nobis. Nimirum ambitioſa Græculorum natio nihil æque ſtudebat, quàm ut Ægypto etiam, & Orienti, dediſſe Deos ſuos videretur. Hoc de Apide ſe conſequi videbat, ſi idem is foret, ac Epaphus; quia is filius eſſet Iûs, nepos Inachi; qui Argivi fundamenta imperii jecerat primus. Idem quoque efficiebant, ſi Io eſſet Iaſi filia, neptis Argi, qui Apidi, unde Peloponneſus dicta eſt Apia, in regno ſucceſſit Argivo. Fuſè de eo diximus cap. XIV. Duo autem fuere, quibus Græci colorem adderent figmento ſuo. Primùm ſimilitudo inter *Apis*, & *Epaphus*. Deinde quòd vulgo ſic eſſet perſuaſum, Io matrem Epaphi in vaccam fuiſſe converſam. Sed facilè illis occurritur. Nam ſi *Epaphus* ab *Apis* venit, ſic dictus ſit non ab Apide Ægyptio, ſed Argivo. Quod verò ad converſionem Iûs in vaccam, poëticum eſt ſchema; quia navi fugerit, cujus inſigne eſſet vacca. Noſtra igitur ea eſt opinio, Apim Ægyptium fuiſſe ſymbolum Joſephi patriarchæ: uti Μνεῦιν regis Menis ſive Menæ, de quo capite dictum ſuperiori. Ac primùm moveor veterum quorundam auctoritate, qui ad hanc ſententiam præiverunt, ſive particulatim nominando, ſive univerſè ſic deſcribendo, ut non alter melius intelligatur. Quippe Julius Maternus, qui temporibus Conſtantini Magni & liberorum ejus vixit, clarè ait, Apim fuiſſe ſymbolum Joſephi. Favet quoque Rufinus lib. II Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ cap. XXIII, ubi de Serapidis templo agens, *Quidam*, inquit, *in honorem noſtri Joſeph, formatum perhibent ſimulacrum, ob diviſionem frumenti, qua famis tempore ſubvenit Ægyptiis.* Subjungit deinde quædam prompta ex gentili hiſtoria; quæ etſi in aliquibus exorbitent, multum tamen ex vero trahant: *Alii*, inquit, *repertum in hiſtoriis Græcorum veterum ferunt, Apim quendam patremfamilias ſeu regem in Ægypto Memphis poſitum, cùm famis tempore frumenta apud Alexandriam defeciſſent, ex proprio affatim civibus alimenta præbuiſſe. Quo defuncto, in honorem ejus inſtituerint apud Memphim templum, in quo bos quaſi indicium optimi agricolæ nutritur, habens quædam honoris inſignia, qui ex nomine ejus Apis appelletur.* Ubi ſpiſſus ille eſt error, quòd Alexandriæ ait fuiſſe frumenti penuriam: cùm ea urbs ſit opus Alexandri Magni: Apis autem ab Ægyptiis millenis, & multò amplius annis, ante Alexandrum cultus fuerit. Quod verò dubitat, num paterfamilias, an rex, populum paverit, hoc fortaſſe inde eſt, quia ex granariis regiis populus aleretur; ſed omne hoc poſt Deum Joſephi deberetur providentiæ: cujus nomen, ut ſolent, immutarint in ſacris, quo auguſtius videretur numen. B. quoque Auguſtinus, ſive, quiſquis ille auctor libri de mirabilibus Scripturæ, prodit, Ægyptios, juxta ſepulchrum Joſephi, ob cauſſam quam diximus, bovem ſtatuiſſe. Denique apud Suidam etiam, voce Σάραπις, legas, traditum nonnullis, Apim fuiſſe ſymbolum Joſephi, vel alterius hominis opulenti, aut Memphitici regis, qui in fame maxima de frumento proſpexerit Ægyptiis: mortuo verò templum exſtructum, ἐν ᾧ βοῦς ἐτρέφετο, σύμβολον φέρων τοῦ γεωργοῦ· *in quo bos nutriretur, ſymbolum agricolæ præferens.* Quod verò idem famem illam fuiſſe ait Alexandriæ, facilè iis diluitur, quæ dixi de Rufino. Et ſanè vel Rufinum Suidas, vel eundem uterque exſcripſit.

Vidimus, ut ſenſerint veteres nonnulli, Apim ſymbolum eſſe, vel Pharaonis ejus, à quo proximos regi honores

Joſe-

Joſephus occupârat; vel ipſius potiùs Ioſephi. Quo ut magis inclinem facit, quòd Ioſephus Deuteronomii cap. penult. commate 17, bos vocetur, ſecundùm codices Hebræos; vel ſaltem, juxta vulgatum interpretem, bovi comparetur. Item quòd neque è Rabbinis deſint, qui vitulos in Dan, & Bethel, ſigna fuiſſe Ioſephi credant. Et favet, quòd Ieroboam, qui eas collocârat, fuerit è tribu Ephraim, filii Ioſeph. Deinceps oſtendam, veteres ex tribus potiſſimum hanc capere potuiſſe conjecturam. Primum ex beneficio Ioſephi, & ſymboli bovis ad illud ſignificandum aptitudine. Deinde ex promtiſſima Regis & Ægyptiorum voluntate ad remunerandum Ioſephum. Denique ex ipſis Apidis & Serapidis vocabulis.

Beneficium Ioſephi eſt tripartitum. Partim enim conſiſtit in enarratione ſomnii regii: partim in conſilio, quod regi dedit: partim in prudenti ac fideli procuratione annonæ ex auctoritate regis. Dicam de iis ordine.

Somniârat Pharao, videre ſe adſurgentes è Nilo ſeptem vaccas præpingues, inque gramine paſcentes: hinc alias ſeptem vaccas, eodem ex flumine adſcendentes; ſed macie nimiâ confectas, & adſpectu fœdas; quæ non gramine paſcerentur, ſed vaccas priores devorarent. Experrectus in ſimile incidit ſomnium, videre ſe ſeptem ſpicas opimas, uno ex culmo creſcentes: mox ſpicas ſe totidem offerre Euro arefactas, quæ abſumerent illas pingues. Cùm iis in ſomniis exponendis vana eſſet omnis Ægyptiorum ſapientia: rex, à pincerna monitus, arceſſivit Ioſephum; qui oſtendit, per ſeptem vaccas pingues, ac totidem ſpicas opimas, ſeptennium fertile denotari: per macras totidem boves, & ſeptenas ſpicas ſqualidas, indicari conſecuturos deinde totidem annos ſteriles & infertiles. Nec ratione ſua caret, quòd in ſomnio boves, tum opimæ, tum macilentæ, adſcenderint è Nilo. Nam pro Nili incremento fertilitas ſe habuit Ægypti: unde Plinius lib. v Hiſt. cap. IX: *In* XIII *cubitis famem ſentit, in tredecim etiamnum eſurit, quatuordecim cubita hilaritatem adferunt, quindecim ſecuritatem, ſedecim delicias.* Hæc de ſomnii interpretatione.

Non ſatis autem fuiſſet, ſi rex præſciſſet futura; niſi etiam noviſſet iſta ad uſum transferre. Ne igitur priori ſeptennio helluarentur; egentes altero miſerè perirent: conſilium Ioſephus Regi dedit, ut aliquem rei frumentariæ præficeret in annos proximos XIV: tum item, quia ſi is per ſe omnia exequi vellet, tantæ moli ſuccumberet, ſub eo conſtituerentur præfecti, per quos neceſſaria procuraret. Adhæc regem commonet, quomodo occaſione hac uti queat ad augendum fiſcum. Nempe ſi, quod in tanta fertilitate grave eſſe non poterat, quinctam frumenti partem exigeret à ſubditis: granaria item conſtrui juberet ad aſſervandum hoc frumentum, ut ſterili inde ſeptennio proſpiceretur ſubditis. Ac tale Ioſephi conſilium erat.

Rex, obſtupefactus divinâ hac viri prudentiâ, annonariæ eum rei præfecit. Qui priori ſeptennio, quo omnis ager luxuriavit, congeſtis magnâ copiâ frumentis, horreiſque multiplicatis, prudentiſſimè in futuram omnia famem compoſuit. Altero autem ſeptennio, quo gravis Cerealium fructuum penuria terras quaſſabat, & vitam omnium ſervavit, & regias magnificè opes auxit. Primo biennio abſumtum à ſubditis frumentum privatum. Tertio anno emêre fruges pecuniis à Ioſepho, qui eas in fiſcum redegit. Quarto autem anno, pecuniis jam exhauſti, pecudes & jumenta (nec enim omnes his caruiſſe Ægyptios putandum) frumentis permutarunt. Tandem cùm præter agros & corpora nihil ſupereſſet, etiam agros vendidere pro frugibus, & ſeſe regis manciparunt ſervitio. Ita ager omnis Ægyptius regi ceſſit; eo excepto, qui jam olim publicè adſignatus erat ſacerdotibus. Hoc jam ſterili, neceſſe habuit Ioſephus, iis alimentum è regiis dare granariis. E publico enim ab Ægyptiis alitos ſacerdotes, teſtes Herodotus in Euterpe, & Diodorus lib. II.

Non ignorâſſe hæc gentiles, oſtendit Trogus, ſive Iunianus Iuſtinus lib. XXXVI: ubi inter alia ſic de Ioſepho: *Nam & prodigiorum ſagaciſſimus erat, & ſomniorum primus intelligentiam condidit; nihilque divini juris humanique ei incognitum videbatur: adeo ut etiam ſterilitatem agrorum ante multos annos providerit: periiſſetque omnis Ægyptus fame, niſi monitu ejus rex edicto ſervari per multos annos fruges juſſiſſet: tantaque experimenta ejus fuerunt, ut non ab homine, ſed à Deo, reſponſa dari viderentur.*

Conſideravimus beneficium Ioſephi triplex. Nunc oſtendam, ad illud exprimendum, non fuiſſe convenientius ſymbolum, quàm bovis, præcipuè apud Ægyptios. Aliter ſi fuiſſet, non Deus ipſe in ſomnio, quod immiſerat, boum ſymbolum prætuliſſet ad fertilitatem & ſterilitatem ſignificandam. Videmus etiam, apud Romanos propterea, anno CCCXIV, L. Minucium, Annonæ præfectum, bove donatum aurato. Livius lib. IV: *L. Minucius bove aurato extra portam trigeminam eſt donatus, ne plebe quidem invita, quia frumentum Melianum aſſibus in modios æſtimatum plebi diviſit.* Nempe variat annonæ ratio pro anni fertilitate, ac ſterilitate: hæc verò magnam partem ab agricultura dependet: at certum eſt boves (verba ſunt Diodori lib. I.) τοῖς εὑροῦσι τὸν τε καρπὸν συνεργῆσαι μάλιστα πρός τε τὸν σπόρον, καὶ τὰς κοινὰς ἁπάντων ὠφελείας· *inventoribus frumenti maximè omnium commodâſſe ad ſementim faciendam, & utilitates agriculturæ omnibus communes.* Hinc *bos ſocius hominum in ruſtico opere, & Cereris miniſter*, Varroni dicitur lib. II R. R. cap. V: item *ſocium laboris, agrique culturæ animal*, Plinio Hiſt. Nat. lib. VIII, cap. XLV. Atque addit Varro: *Ab hoc antiqui manus ita abſtineri voluerunt, ut capite ſanxerint, ſiquis occidiſſet. Quâ in re teſtis Attice; teſtis Peloponneſus.* Addit Plinius: *A populo Romano, die dicta, qui, concubino procaci rure omaſum ediſſe ſe negante, occiderit bovem, actuſque in exilium, tanquam colono ſuo interemto.* De Attica quod ait Varro, firmat Ælianus lib. V Variæ Hiſt. cap. XIV: ubi ſcribit, Athenienſium etiam legibus vetitum, nequis mactaret bovem aratorem. Ac rationem apponit, ὅτι καὶ οὗτος εἴη ἂν γεωργὸς, καὶ τῶν ἐν ἀνθρώποις καμάτων κοινωνός, *quoniam & ille agricola eſt, & humano generi laborum ſocius.*

Oſtendimus, beneficium Joſephi non potuiſſe convenientiori exprimi ſymbolo, quàm bovis. Proximum eſt, ut doceam, non defuiſſe Regi, ac Ægyptiis, voluntatem & hoc, & alio quovis genere honoris, Joſephum proſequendi. De præfectura annonæ non repetam, quæ jam attuli. Præterea verò Rex toti eum præfecit Ægypto, ſic ſolo ut ſolio eſſet ſuperior; totaque eum oſcularetur Ægyptus, non illo duntaxat benevolentiæ oſculo; quali Darius Zorobabelem proſecutus dicitur III Eſr. IV, 47: ſed in ſignum ſubjectionis; unde & μεταληπτικῶς interpretari liceat, *obedire:* ut cepere LXX, cùm transferunt: ἐπὶ τῷ στόματί σου ὑπακούσεται πᾶς ὁ λαός μου. Et vulgatus Latinus, qui LXX ſecutus vertit: *Ad tui oris imperium cunctus populus obediet.* Ac ſimiliter Pſalm. II, 12: *Oſculamini filium*: interpretari poſſumus, *oſculo teſtamini ſubjectionem veſtri:* vel ſimpliciter, *obedite filio.* Annulum etiam Joſepho dedit, tum ut ſymbolum dignitatis, tum ad literas ac diplomata publico nomine ſignanda. Etiam veſte eum induit è byſſo candida. Collo injecit torquem aureum, ac ſtatuit, ut currus ejus eſſet à regio ſecundus. Nomine item mutato vocari juſſit *Saphenath Paneah*: quod Onkelus reddit, *vir, cui ſecreta revelantur*; Jonathan, *vir occultorum interpres*; Ioſephus, κρυπτῶν εὑρετής, *occultorum inventor.* Sed ab omnibus iſtis diverſus abit Latinus vulgatus, qui vertit, *ſalvator mundi*: ac Ægyptiacè id ſonuiſſe, ait quoque B. Hieronymus Quæſtionibus Hebraicis: *Dictuſque*, inquit, *Salvator mundi, eò quòd orbem terræ ab imminente famis excidio liberârit.* Sed hunc diſſenſum difficile ſit hodie dirimere poſt intermortuam penè veteris Ægypti linguam. Adhæc acclamari Ioſepho per præconem *Abrech* juſſit: quam vocem Ægyptiacam omittunt LXX;

retinet immutatam Symmachus; vertunt alii, ſed diverſimodè; ut paullo poſt dicam. Denique & uxor ei data Aſnath, filia, non quidem, ut multi putant, carceris præfecti, nomine פּוֹטִיפַר, *Potiphar*; qui Joſephum ab Iſmaëlitis emerat (nam, ob impudicitiam uxoris perſpectiſſimam, talis hominis filiam meritò fuiſſet averſatus) ſed Cohen, hoc eſt, ſacerdotis, vel potiùs principis viri ſive præfecti in On, hoc eſt, Heliopoli, cui nomen פּוֹטִי פֶרַע, *Potipherah*.

Quid apertius ex iſtis, quàm nullum fuiſſe honoris genus, quo non rex Joſephum vellet ornatum? At Ægyptii moris erat, ut bene meritorum memoriam ſacris ad poſteros ſymbolis propagarent. Jam verò, ut vidimus, nullum beneficiis Joſephi exprimendis ſignum magis erat idoneum bove. Cur igitur inficias eamus, hunc honorem quoque præſtitum Joſepho? Dixeris, non paſſurum id Joſephum, Dei unius cultorem. Cur verò? cùm is honos initio tantùm fuerit civilis. Quis enim divinum dixerit honorem, quòd in memoriam Joſephi, qui famis tempore Ægyptum conſervaſſet, bos aleretur à ſacerdotibus, ac populo etiam cum gratâ ejus beneficii commemoratione monſtraretur? Nec diſfiteor, tandem degeneràſſe in divinum. Nempe ad modum, quo vidimus antea, Græcorum multos primò duntaxat honore affectos heroico; ut ſtatuâ, & cippis: poſtea eum commutatum in divinum; ut adorationem, & ſacrificia. Sed ſi idem evenerit Joſepho, quæ hic ejus culpa? Præſertim ſi conſervatori Ægypti poſt mortem demum hoc honoris datum: quod perhibent Rufinus, & Suidas. At mortuum, dixeris, non dignati eſſent hoc honore vel Rex, vel ſacerdotes. Equidem contrà exiſtimo, regem potiùs modum fuiſſe excelſurum in honoribus illi accumulandis, cui Ægyptus ob merita & divinas animi dotes, nihil habuiſſet par, aut ſecundum. Quodque ad ſacerdotes ac populum, cenſeo, tam lene atque amabile fuiſſe imperium Joſephi, ut, eo mortuo, luctus fuerit maximus totâ Ægypto; eoque cuncti certatim quoſvis in eum honores congeſſerint. Credo, etiam juverit, quòd uxor illius filia erat ſacerdotis Heliopolitani; cui maxima erat per Ægyptum auctoritas. Ut ſocer fuerit defunctus; vixerint liberi, qui uxorem Joſephi amitam agnoſcerent; amitini Manaſſis, & Ephraim. Atque eadem locum habent, ſi Aſnath non ſacerdotis, ſed principis Heliopolitani filia erat. Potuit Heliopolitanus quoque filiarum unam dediſſe Memphitico vel ſacerdoti, vel principi. Et fortaſſe familia, cui innexus Joſephus, ampla admodum fuit; ut magna ejus variis in locis fuerit auctoritas. Et quid ſi ipſe Ioſephus multos ex ea ad honores evexerit? Nam, ex quo dignitate tanta auctus, annis vixit octoginta *a*. Quare ad illud, quod præclarè adeo meritus eſſet de tota Ægypto, acceſſerit fortè affectus erga domum Ioſephi; quæ ſanguine multis & proceribus, & ſacerdotibus eſſet conjuncta. Denique ut nihil horum foret, vel ſola æmulatione Memphitæ adduci quiverint ad honorem hunc in memoriam Ioſephi inducendum, neqna ex parte Heliopolitano inferiores viderentur. Duo igitur exinde boves ſacri: quorum Heliopolitanus diceretur Μνεῦις, Memphiticus autem Ἄπις: ut nominibus eos quoque diſtinguit Strabo lib. XVII. Unde Apim διακριτικῶς *b Memphitem bovem* appellat Tibullus lib. I, eleg. VII. Cumque Heliopolitani ſuum dicaſſent Soli; Memphitæ ſuum ſacrarunt Lunæ: quod traditum Æliano lib. XI Hiſt. Animal. cap. XI. Utrumque tamen Oſiridi dicatum, ait Diodorus in primo. Et favet de Apide etiam Plutarchus lib. de Iſ. & Oſir. ubi ex Ægyptiis ſe ſacerdotibus ait accepiſſe, Apim eundem eſſe ac Oſirim; ipſeque Apim eſſe Oſiridis animam arbitratur. Facileque hæc conciliantur. Nam Μνεῦις eſt Oſiris antiquior, qui cum Iſide agriculturam docuit Ægyptios; ſive is Mitſraim, ſive Menis: Apis verò eſt Oſiris junior, qui proprio nomine Ioſephus. Honoratior eorum Apis: nempe quia recentius & excellentius eſſet beneficium Ioſephi, quàm Menis. Interim vetuſtate priores ferebat Μνεῦις; unde Heliopolitani, cùm viderent, majorem eſſe gloriam bovis Memphitici, oggerebant, Μνεῦιν ſuum eſſe patrem Apidis: puta quia ad Μνεύιος exemplum Apis eſſet inductus. Hæc nos docet Plutarchus, memorato ſæpius libro de Iſide & Oſiride. Sed pro Μνευὴν, (ut eſt in Aldina, Stephanica, & nupera Pariſina *a*) literæ unius trajectione Μνεῦιν repoſuimus; prout alii eum vocant ſcriptores. Verba ejus ſunt: Ὁ δὲ ἐν Ἡλιουπόλει τρεφόμενος βοῦς, ὃν Μνεῦιν καλοῦσιν, (Ὀσίριδος δὲ ἱερὸν, ἔνιοι δὲ καὶ τοῦ Ἄπιδος πατέρα νομίζουσι) μέλας ἐστὶ καὶ δευτέρας ἔχει τιμὰς μετὰ τὸν Ἄπιν. *Bos verò, qui Heliopoli nutritur, dictus Mnevis (Oſiridi autem eſt ſacer, ac plerique Apis patrem arbitrantur) niger eſt, ac proximos obtinet honores poſt Apim.*

a Gen. 50, 22. 26.

b Diſtinguendi cauſſa.

a Ann. 1624.

Supereſt, ut eadem paucis confirmem ex Apidis, & Sarapidis nominibus. Cùm Ægyptiacam linguam, & Hebræam, diſcrepaſſe quidem in non paucis; attamen in plurimis etiam conveniſſe conſtet: facilè adducor, ut credam, *Apis* nomen fuiſſe illud, quo Ioſephus in ſacris nuncupatus. Nempe ut exprimat Hebræum אָב, ab, *pater*. Unde Syriacum *abba*, ſyllabâ κατὰ μετάθεσιν reduplicatâ: atque ab hujus poſteriori ſyllabâ eſt πατήρ: ubi τὸ ηρ vocis ſolùm productio eſt; ut in μήτηρ, θυγάτηρ, & ſimilibus. Imò quia pater quis non ſolùm ἀμέσως *b* dicitur; ſed etiam avus, proavus, abavus, atavus, tritavus; quin horum quoque geniiores: eò Latini ex Hebræo אָב. *ab*, formarunt *avus*. Nam B, & V commutantur: unde βίκιον, *vicia*; βόλομαι, *volo*; ὄροβος, *ervum*, & ſimilia. Iam verò quæ appellatio Ioſepho accommodatior, quàm *ab*, ſive patris? Quippe qui nutricius totius fuerit Ægypti; quales κατὰ μεταφορὰν *patres* dicti: ut *nutrix* Platoni *altera mater*; quemadmodum ſuperiùs *c* vidimus. Ipſe etiam Ioſephus Geneſ. XLV, 8, ait fratribus ſuis, ad patrem Iacob, quò eum adducerent, reditum parantibus, ſe conſtitutum eſſe לְאָב לְפַרְעֹה, *in patrem Pharaonis.* Imò fortaſſe eodem pertinet, quòd Pharaonis juſſu acclamatum ante eum אַבְרֵךְ, *abrech:* quod Onkelus componit ex אָב, ab, *pater*, & רֵךְ, rech, *rex*. Hoc enim רֵךְ, rech ſignificare, auctor quoque eſt R. Salomon Iarchi. Etiam *patris* ei vocabulum conveniat, ſi placet interpretatio R. Iuda, qui (ut idem Raſi tradit) conflatum arbitratur ex אָב ab, *pater*, & רַךְ, rach, *tener:* quod fuerit ab רָכַךְ, *molleſcere*, *tenerum reddi*. Ut *pater* dicatur, ratione ſenilis prudentiæ: *tener*, propter juvenilem, ac teneram ætatem. Nam XXX duntaxat annorum erat, cùm ad præfecturam Ægypti evectus fuit. Nec ignoro, quia בָּרַךְ, *barach*, interdum ſignificat *geniculare*, ſive *genuflectere:* eò Aquilam, & vulgatum interpretem, transferre, *genu flecte:* idque favere etiam Aben-Ezra. Sed B. Hieronymus, Quæſtionibus Hebraicis in Geneſin, hanc de *parente tenero* expoſitionem diſertim præfert iſti de *adgeniculatione*. Etiam priores interpretationes ſequuntur Ionathan, & Hieroſolymitanus, & paraphraſis Hieroſolymitana: ſed cùm de priori quidem vocabuli parte inter eos conſenſus foret; de altera autem fluctuarent: utramque expoſitionem conjunxerunt. Explicant enim, *pater regis tener annis*. Quare hæc quoque veriſimile reddunt, quod dicebamus, Ἄπις, (ubi ις ſolùm vocis eſt productio) eſſe vocabulum Ioſepho inditum ob paternam curam vel etiam ſenilem prudentiam: quomodo iidem Romæ *Patres*, & *Senatores*.

b Immediate.

c Cap. 19.

Accedo nunc ad Sarapin, ut Græci fere vocant; ſive Serapin, ut Latini ſæpius dicunt; θεὸν ἑπταγράμματον *d*, ut eum nuncupatum ex veteri conſtat epigrammate, item Heſychio in ἑπταγράμματον. Eum eſſe Ioſephum, colligere etiam eſt ex eo, quòd modius capiti ſuperimponeretur; ut eſt apud Rufinum Hiſt. Eccl. lib. II, cap. XXIII. Cùm autem variæ ejus rei cauſſæ adferantur, maximè placet, quòd ſubjungit, frugum largitatem eo indicari. Suidas ſimiliter in Σάραπις ait, μόδιον ἔχειν ἐν τῇ κεφαλῇ, καὶ τὸν πῆχυν· *modium habere in capite, & cubitum.* Ibidem legas, à quibuſdam Ioſephum putari. Eamque ſententiam confirmat, quòd idem ſit Serapis, ac Apis: quemadmodum ex Ariſtea

d Deum cum nomine ſeptem literarum.

ſtea Argivo tradit Clemens Alex. in primo Στρωματέων: ex Terentio item Varrone B. Auguſtinus lib. XVIII de Civ. Dei, cap. V. In eo utrimn hi pariter decepti, quòd intellexerint Apim, regem Argivum, cum debuerint Ægyptium; qui Argivo, ut diximus, compluribus erat ſeculis antiquior. Græci, ut aliis perſuadere nationibus conati, Apim fuiſſe regem ſuæ gentis; ita etiam commenti ſunt nomen Serapidis eſſe Græcanicum. Nam dici ex σορὸς, *loculus*; quia bos ille, qui Apis dicitur, fuerit ſale conditus, & loculo ſive ſarcophago impoſitus; unde *Sarapis* dicatur, quaſi *Sorapis*. Traditum hoc Nymphodoro, libro de moribus Aſiæ tertio; atque hinc Clementi I Stromateon; ex Clemente autem Euſebio lib. X de Præpar. Evang. cap. XII. Eandem quoque ſententiam ex Varrone apud Auguſtinum legas loco antè dicto. Ac ſequitur quoque eam Suidas in Σάραπις: ut alios omittam. Sed de hujuſmodi compoſitione hybridâ quid ſtatui debeat, ſæpius diximus. Æquè invitus ſubſcripſerim Julio Materno *a*, quando ſic dictum ait à *Sara*, & *Apis*; idque quia pronepos fuerit Abrahæ, & Saræ. Nec enim credibile eſt, Ægyptios de Saræ honore fuiſſe ſollicitos. Veriſimiliora ſunt, quæ deinceps adferam. Uti quod, quia *Apis* idem, ac *Oſiris*, ut antè vidimus, eò arbitrantur, ex *Oſir*, & *Apis*, prius fuiſſe *Oſirapis*, poſtea, præciſâ principe literâ, vel ejectâ tertiâ, primiſque trajectis, *Sorapis*. Hoc apud Clementem Alex. exſtat in Protreptico. Nec minus tamen placet, eſſe ex שור *ſor*, quod *bovem* notat, & *Apis*: ut ſignificet *bovem patrem*: hoc eſt, patrem regni Ægyptiaci Joſephum, ſymbolo bovis ſignatum. Vel ut ſit ex *Apis*, & שר, *ſor*, hoc eſt *princeps*: quaſi dicas, *princeps Apis*. Nam שר, *ſur*, Hebræis notat *dominari*: unde שר, *princeps*. Ut Sar ſive princeps pincernarum, Gen. XLII, 2, & Hoſ. III, 4: *Non* (eſt) *rex, non eſt* שר, *princeps*. Unde liquet, *Sar* Joſepho meliùs, quàm Pharaoni convenire. Eoque Apim potius eſſe Joſephum: uti ſuperiùs etiam ex Deuteron. XXXIII, 17, colligebamus.

a De errore profanæ relig.

Sed quæcunque de Serapide hactenus diximus, planè corruunt, ſi, quod Scaliger etiam putavit animadverſionibus Euſebianis *b*, Sarapis fuit Deus Ægyptiorum non patrius, ſed, ut Attici dicebant, ἐπήλυς, ſive inquilinus. Nempe eo eſt compulſus, quòd Tacitus in quarto Hiſtoriarum dicat, Ptolemæo Lagidæ in ſomnio præceptum à Deo, ut ſuam arceret effigiem è Ponti urbe, Sinope; cui tum Scydrothemis imperabat. Ea ubi Alexandriam delata, ingens à rege conditum delubrum, in quo effigies hæc reponeretur. Hinc colligit vir ſummus, Sarapin eſſe numen Sinopenſe, non origine Ægyptium. Sed facilè eſt hunc ictum exire. Primùm famæ incerto. Nam ipſe agnoſcit Tacitus, alios putare, numen hoc è Seleucia Syriæ arceſſitum, idque à Ptolomæo Euergete. Eam Iſidori fuiſſe ſententiam, teſtis Clemens Alex. Admonitione ad Gentes. Sed majus illud, quod ſententiam iſtam ex utroque horum ſit refutare. Nam ait Tacitus, apportato Alexandriam Sinopenſi numine (verba ejus ſunt) *templum pro magnitudine Urbis exſtructum, loco cui nomen Rhacotis. Fuerat illic ſacellum Sarapidi, atque Iſidi, antea ſacratum.* Similiter Clemens Alex. niſi quòd Ptolemæo Philadelpho donum hoc miſſum ait, idque quia famis tempore rex Sinopenſis ab eo eſſet adjutus frumento. Sic enim ille in Admonitione ad Gentes: Οἱ μὲν αὐτὸν ἱστοροῦσι χαριστήριον ὑπὸ Σινωπέων Πτολεμαίῳ τῷ Φιλαδέλφῳ τῷ Αἰγυπτίων πεμφθῆναι βασιλεῖ· ὃς λιμῷ τρυχομένους αὐτοὺς, ἀπ' Αἰγύπτου μεταπεμψάμενος σῖτον, ὁ Πτολεμαῖος, ἀνεκτήσατο· εἶναι δὲ τὸ ξόανον τοῦτο, ἄγαλμα Πλούτωνος· ὃς δεξάμενος τὸν ἀνδριάντα, καθίδρυσεν ἐπὶ τῆς ἄκρας, ἣν νῦν Ῥακῶτιν καλοῦσιν, ἔνθα καὶ τὸ ἱερὸν τετίμηται Σαράπιδος. *Aliqui verò ſcribunt, grati animi ergo fuiſſe miſſam à Sinopenſibus ad Ægyptium regem Ptolemæum Philadelphum ſtatuam Plutonis: qui Ptolemæus eos fame laborantes, frumentum ſummittendo, ſibi obſtrinxerat. Acceptam autem ſtatuam conſtituit in promontorio, quod nunc appellant Racotim: ubi in honore antea fuit templum Serapidis.* Si priuſquam Deus ille Sinope adveheretur, jam fuerat Alexandriæ ſacellum Serapidi & Iſidi dicatum; non debent Alexandrini Sinopenſibus Serapidem ſuum. Veriora igitur ſunt, quæ poſtea ſubjungit Tacitus: *Alii auctorem eundem Ptolemæum; ſedem, ex qua tranſierit, Memphim perhibent, inclytam olim, & veteris Ægypti columen.* Hæc optimè conveniunt cum iis, quæ antea diximus. Memphi enim, regiâ quondam urbe, tot pyramidibus inclytâ, Apis colebatur. Hinc Ptolemæus effigiem Apis ſive Serapis arceſſivit, inque nova Alexandriæ urbe conſtituit. Unde etiam Lilii Giraldi, viri licet non minoris judicii, quàm doctrinæ, error dilucet: ut qui, ſexto de diis ſyntagmate, à Tacito proditum dicat, effigiem Serapis Sinope, vel Seleuciâ, juxta nonnullos, non Alexandriam eſſe delatam, ſed Memphim. Contrà enim Tacitus eos ait dicere, à Ptolemæo Alexandriam eſſe deportatam Memphi. Nec multùm hæc abeunt ab eo, quòd Suidas tradit, Alexandrinos arcam, in qua corpus Apidis erat, à Memphitis accepiſſe. Et ſane Sarapin non eſſe Deum Ægyptiorum adventicium, ut Scaliger ſenſit, imò & Tacitus magis veriſimile putabat: etiam fidem fecerit Athenodorus, Sandonis filius, Tarſenſis, atque, ut ex Luciani Macrobiis, & aliis, ſcimus, Auguſti Cæſaris præceptor. Hic, teſte Clemente in Protreptico, eo Sarapidis vetuſtatem adſtruebat, quòd Seſoſtris, ſubactis Græcorum nationibus multis, reverſus in Ægyptum, Oſiridem, à quo genus ducebat, ab artificibus, quos ſecum adduxerat, effingi juſſerit ex ramentis auri, argenti, aliis metallis, etiam gemmis ac lapidibus variis: quæ omnia levigata, contritaque, cæruleo imbuerit colore; unde nigricet color imaginis. Poſteaque etiam ſubdit etymon illud antea allatum: videlicet ut, quia Apis eſſet Oſiridis imago, ab Oſiride, & Apide, prius dixerint *Oſirapis*; inde conſuetudo fecerit *Sorapis*, vel *Sarapis*.

b Num. 51 DCCXXX.

Seſoſtris iſte maximum, poſt Oſiridem, è regibus Ægyptiis habuit nomen. Manetho Sebennitæ tertius eſt duodecimæ dynaſtiæ; quæ Dioſpolitarum fuit. Atque hoc antiquitatem ejus oſtendit. Nam priorum XI dynaſtiarum tempora concurrunt, ac implicantur mutuò; ut antea diximus. De expeditionibus ejus, vide Herodotum in Euterpe. Ubi inter alia commemorat, ut in gentibus devictis columnas erexerit, ac ſi ſtrenuè ſe geſſiſſent, verêtrum juſſerit inſculpi; naturam verò muliebrem, ſi molles fuiſſent & effeminati: addit, ſe in Syria Palæſtinæ conſpexiſſe monumentum Seſoſtris cum mulieris genitali. Quod indicium eſt, Palæſtinos facilem de ſe victoriam præbuiſſe. Si Joſephum audimus lib. VIII Antiquit. cap. IV, eſt hic ille, qui Scripturis *Seſak* dicitur, LXX *Suſakim*, I ſive III Reg. XIV, 25, & II Paralipom. XII, 19: ubi legere eſt, ut templum ſpoliârit Hieroſolymitanum, penè omnibus ablatis, quæ fecerat Salomo. Quod credibile eſt feciſſe in Jeroboami gratiam, cui junctus erat affinitate. Niſi ambitione potiùs ductus: quod veriſimilius, ſi Seſak ille eſt Seſoſtris. Euſebius in Canone Chronico tradit, Roboami tempore regnâſſe in Ægypto Semendim, ac eo rege Suſakim ſpoliâſſe templum Salomonis. Quod ſi eſt, vel Suſakim aliter dictus Semendis; vel, ut antea ſæpe, plures eo quoque tempore regnârint. Mihi tempora conferenti, maximè placet ſententia Joſephi Scaligeri: qui cenſet, Seſak eſſe Suſennem, ultimum in vigeſimaprima, quæ Tanitarum eſt, dynaſtia; vel potiùs ſucceſſorem ejus Seſonchin, qui primus eſt in vigeſimaſecunda Bubaſtitarum dynaſtia. Et nomen quoque ſententiæ illi favet. Magna enim convenientia eſt inter Suſak, vel Seſak, & Seſonchis, liquidâ, & terminatione, quæ à Græcis eſt, ablatâ. Sic Seſoſtris non paullo fuerit antiquior Seſako, vixeritque Judicum temporibus. Sive verò Seſak eſt Seſoſtris, ut Joſephus putabat; ſive, ut Scaligero viſum, Suſennes, vel Seſonchis: annis multo amplius ſexcentis ante reges Ptolemæos vixerit Seſoſtris. Imò ſi tempore eo regnabat, quo apud Hebræos poteſtas penes Judices fuit: annis amplius octin-

octingentis fuerit ante Euergeten: quem Iſidorus, ut diximus, effigiem Serapis primum Alexandriæ repoſuiſſe arbitrabatur. Ut minimè dubium ſit, quin Sarapis non ἐπίξενον *a*, ſed πάτριον *b* fuerit Ægyptiorum numen.

[*a* *Adſcitum.* *b* *Patrium.*]

De ſtructura Serapei Alexandrini, qui volet, Ammianum Marcellinum adeat lib. XXII, Proſperum Aquitanicum lib. III de Prædictionibus, cap. XXXVIII: imprimis verò Rufinum lib. II Hiſtor. cap. XXII. Roma verò ægre cultum Serapidis admiſit, nec niſi extra Romam. Quippe Serapeum intra urbem exſtruere non licuit; ut teſtis Dio lib. XL. Unde ſcortillum illud Varii apud Catullum deferri ad Serapim cupit epigr. X.

Cap. XXX.

In cultu Oſiridis gemini, antea deſcripti, tertium acceſſit Oſiris, ſive Arabicus Liber: in quo Moſes expreſſus. India nomine antiquitus etiam vocata Phœnicia, Æthiopia, vel Arabia, aliaque terra ad Orientem ultra mare internum ſita. Andromeda fabula iterum enarrata. An Buſiris ullus fuerit, num Herculis Thebani an Tyrii tempore regnarit, num is ſit qui edictum tulit de ſubmergendis Iſraeliticis infantibus. Cum iis, quæ de Moſe nato, expoſito, aquis extracto, & matri reddito, Scripturis traduntur, collata, quæ de natalibus, & educatione Liberi produntur à gentilibus. Unde Moſes vocatus. Idem, ut aiunt, appellatus Monius, Miles, Moſo, Palæſtinus, Joakim, *&* Melchi. *De Antiquitatibus Philonis ſuppoſititii judicium. Convenire Liberum, & Moſen, quod uterque bimater, & formâ præcellens. Liberum creditum in Arabia natum, quia inde Moſes in Ægyptum conceſſerit, populum educturus Iſraeliticum. Nyſſam ſive Niſam Libero inclytam, quia Sina, quæ trajectis literis Niſa, celebris ſit lege illic datâ Moſi, & Iſraelitis. Exilium & Libero tribui, & Moſi. De utroque proditum, ſubiiſſe eos mare Rubrum, ac pugnaſſe cum rege Arabum: ſed perperam hunc Lycurgum, regem Thraciæ, putari, qui Arabiæ rex fuerit. Unde ſit, quòd Liber mulieres habuiſſe in exercitu dicatur. Legifer & Liber, & Moſes. Origo moris Moſen cum cornibus effingendi. In Liberi Orgiis repræſentata percuſſio petræ, quâ Moſes aquam eduxit. Unde videatur originem cepiſſe, quod in ſacris Liberi redimirent caput ſerpentibus.* Caleb *pro Hebronis tractu, & ejus incolis: ubi perperam Græci* caninum, *vel* venatorem, *reddiderunt. Cur Libero attributus ſocius canis. Cur Canis aſtro datum nomen* Μαῖρας, *& poteſtas attributa maturandi uvas. Cur racemus ab exploratoribus terræ Canaan vecti fuerit deportatus. Incredibilis magnitudo ejus racemi deſcripta à Philone Alexandrino. Fabuloſa racemi magnitudo currum ſuo pondere rumpentis.*

ABundè de Apide, &, quod ſatis etiam, de Mnevi actum: quorum uterque ſacratus Oſiridi; ut ex Diodoro vidimus: nempe Mnevis quidem Oſiridi ſeniori; ſive is idem ac Menis, ſive is Meſoram, pater Ægyptiorum, qui & in honorem ejus primum anni menſem *Meſori* nuncuparunt: Apis autem Oſiridi juniori; quem eſſe patriarcham Joſephum, liquidò comprobavimus. Gemino huic Oſiridi tertium nunc ſuperaddimus, à poëtis & aliis deſcriptum in expeditione Liberi Indica. Nam idem Oſiris, & Dionyſus ſive Liber: uti inter alios teſtis nobis Nonnus in quarto Dionyſiacôn:

—— —— Καὶ Αἰγυπτίου Διονύσου
Εὔια φοιτητῆρος Ὀσίριδος ὄργια φαίνων.
—— —— *Et Ægyptii Dionyſi*
Bacchica quoſque adeuntis Oſiridis Orgia monſtrans.

Hoc loco autem intelligimus, non recentiſſimum Liberum, Cadmi ex Semele nepotem. Sed neque antiquiſſimum illum, vini inventorem; quem Noë eſſe diximus. Imò nec ex intermediis antiquum illum Oſiridem, qui proprio nomine Mitſraim ſive Metſraim vocabatur, ac cum Libero confundi ſolet. Uti neque æqualem ejus Liberum, de quo ex Diodoro vidimus. Sed illum capimus, quem poëtæ, & alii, deſcribunt in Liberi expeditione Indica. Cui narrationi nihil veri ſubeſt, ſi intelligamus Indiam propriè dictam: uti clarè oſtenſum nobis cap. XXV. Sunt in fabula tamen iſta quædam priſcæ veritatis lineamenta; ſi in Libero hoc intueamur divinum Moſen; per Indiam verò capiamus Arabiam. Priſci quippe Græci, ut capite dictum XXVI, terras omnes ultra mare mediterraneum ſitas Indiæ nomine nuncupabant: cui rei vel fidem fecerit Ovidii illud in primo de Arte Amandi, jam ab aliis hoc fine allatum:

Andromedam Perſeus nigris portarat ab Indis.

Andromedam enim abduxit ab Joppe, Phœniciæ civitate; ut ſuperiùs *a* monitum ex Plinii lib. V, cap. XIII, & XXXI. [*a* *Cap.* 23.] Atque apud eundem legas lib. IX, cap. V: *Bellua, cui dicebatur expoſita fuiſſe Andromeda, oſſa Romæ apportata ex oppido Judææ Joppe, oſtendit inter reliqua miracula in ædilitate ſua M. Scaurus.* Neque hæc adverſantur iſti, quod ibidem *b* dicebamus, per cetum, cui objicienda erat Andromeda [*b* *Cap.* 23.] (*Neptuniam priſtin* vocat Tullius in Arateis) intelligi vel navim ab ſigno ceti nomen hoc ſortitam, quæ avectura erat Andromedam: vel principem piraticâ nobilem, quales monſtris comparantur marinis: unde &, quod Andromeda ſcopulo fuerit alligata, ut à ceto devoraretur, interpretari de connubii vinculis licet: ut ſententia ſit, coactum Cepheum huic piratarum principi filiam deſpondere, ſi mare præſtare civibus ſuis liberum vellet. Quæ pro veriſſimis quidem amplectimur: & diu fuere hæc etiam cognitiſſima poſteris. Sed enim poſtquam dies memoriam iſtorum magna ex parte deleverat, poëtis occaſio eſt præbita ex navi aut prædone fabricandi cetum, & ſimiliter reliqua commutandi in fabulam. Quæ ubi multis jam ſeculis ex poëſi ac picturis populus imbiberat: Scaurus etiam, errore ſimplicis vulgi abutens, perſuaſit Romanis, oſſa, neſcio cujus ceti, eſſe monſtri illius marini, cui expoſita fuerat Andromeda. Fuiſſe verò penè omnium opinionem, contigiſſe iſta in civitate Phœniciæ, vel Judææ, etiam Strabo auctor eſt lib. I, & XVI. Ac priori etiam loco refert, alios Cephea, parentem Andromedæ, Æthiopiæ regem dicere. Nempe Indi, & Æthiopes, temporibus antiquiſſimis dicebantur à Græcis, quicunque, ut dixi, viverent trans mare internum. Tales verò non Indi ſolùm, ſed etiam Æthiopes, ſive incolæ terræ Chus: quorum alii orientales, ut Arabes; alii occidentales, ut illi ſub Ægypto. Utroſque enim vocatos eſſe Æthiopas, cùm ex Moſe, tum Homero, & aliis, conſtat. Deinceps igitur oſtendam, Oſiridem hunc tertium, ſive Liberum Indicum, hoc eſt, Arabicum, eſſe Moſem noſtrum: quem, etſi in Ægypto natus ſit, Arabicum tamen & Oſiridem, & Liberum, vocare poſſumus, diſcriminis cauſſa; ut melius diſtinguatur ab antiquiſſimo Oſiride, hoc eſt, Mitſraimo; item vetuſtiſſimo Libero, ſive idem is ac Oſiris antiquiſſimus, ſive unus ex ducibus Ægyptiis, qui ſub Oſiride militarunt. Altera etiam cauſſa accedit, quia XL ſolùm annis Moſes vixit in Ægypto, octoginta autem in Arabia; annis quidem quadraginta in exilio, at totidem annis cum imperio. Ut hæc, & alia, fiant liquidiora; præcipuam Moſis hiſtoriam cum gentilium de Oſiride, & Libero ſuo, fabulis conferemus.

Ordiar ab cruento Pharaonis edicto, de maſcula Iſraëlitarum prole recens editâ aquis mergendâ. Sunt qui regem eum Buſiridem fuiſſe exiſtiment, & inde fabulam cœpiſſe apud Græcos, de mactatis ab eo hoſpitibus. Sed Strabo *c* ullum fuiſſe Buſiridem negat. [*c* *Lib. ult.*] Diodorus nunc negat *d*, [*d* *Lib.* 1.] nunc fatetur *e* fuiſſe, [*e* *Lib.* 4.] nec hoſpitum cædem diffitetur. Iſocrates, in laudatione Buſiridis, agnoſcit regem

gem Ægypti Buſiridem: ſed poëtarum commentum arbitratur de occiſis hoſpitibus: atque hoc eo credibilius videri, quia iidem ab Hercule dicant interfectum; quæ tempora plurimum diſtent. Nam, inquit, ὁμολογεῖται παρὰ τῶν λογοποιῶν, Περσέως τοῦ Διὸς καὶ Δανάης, Ἡρακλέα μὲν εἶναι τέτρασι γενεαῖς νεώτερον, Βούσιριν δὲ πλέον ἢ διακοσίοις ἔτεσι πρεσβύτερον· *Convenit inter hiſtoricos, Perſeo, Jovis & Danaes filio, quatuor ætatibus Herculem eſſe juniorem: Buſiridem verò, plus quàm ducentis annis, ſeniorem.* Verùm argumento Iſocratis facilè occurritur, quia multi fuere Hercules: ut nihil ſit neceſſe, Thebanum illum intelligere hoc loco. Ætatem ejus ex Buſiridis ætate colligere oportet. Buſirin ſtatuit Euſebius ad annum ſecundum poſt mortem Joſuæ. At Herculem Tyrium idem retulerat circa tempus illud, quo Moſes in monte alloquio fruitus eſt divino. Quare hac parte nulla eſt temporis pugna. Sed pugnant hæc cum iis, qui cruentum illud edictum de Iſraëlitarum pueris à Buſiride promulgatum arbitrantur. Nam edicti ejus auctor ante Moſem natum claruerit, neceſſe eſt. Sed ſuccurrit Iſocrates, qui ait, Buſiridem ante Herculem fuiſſe generationibus IV, (quæ conficiunt annos CXXX) ac annis amplius ducentis. Quia amplius dicit eſſe annis CC, addamus annos XXX. In univerſum ante Herculem anni ſint CCCLX. At Hercules fuit Theſei æqualis. Is regnare incipit Euſebiano numero DCCLXXXII. Auferamus hinc annos CCCLX. Incidimus in numerum Euſebianum CCCCXXII. Hoc eſt, annum quartum ante Moſis natalem, qui refertur ad numerum CCCCXXVI.

Hujus edicti tempore Jochabed, filia, hoc eſt, neptis Levi, uxor Amram, peperit filium: quem veriſimile eſt octavo fuiſſe die circumciſum: ſed quod nomen tum acceperit, non dicit Scriptura. Clemens Alexandrinus ait, à parentibus Joachim vocatum. Porrò Jochabed, ne in periculum univerſa veniret familia, non auſa fuit detinere infantem ultra menſem tertium. Imponi igitur juſſit in תבה, Thebath: ubi LXX θῖβιν, ſed corruptè: fortè rectius θίβιν, ut eſt in Complutenſi, vel potius θῖβιν, quod Heſychius exponit κιβώτιον. Notat Hebræum, *arcam*, ſive *fiſcellam*, quæ pice & bitumine erat illita. Divinâ eadem providentiâ (fortaſſe & oraculo) ſubnixa, fiſcellam cum puero juſſit deponi in Nilo: ſed, ne undis auferretur, in carectis, ſive papyrione, ut vocat vulgatus interpres, quia frutex papyri in ripa ſuccreſceret. Etiam filiolam Mariam juſſerat eminus ſpeculari eventum. Commodè cum pediſequis, ſic Deo diſponente, lotum ſeſe proceſſerat regis filia, nomine Thermuthis, ut vocant Artapanus, Joſephus, Suidas. Locum & ipſa inter papyri & arundinum elegerat opaca, ubi minùs conſpici poſſet. Hic videt fiſcellam: fortè & vagitum audierat infantuli. Jubet ergo ad ſe adferri. Scitulus erat puer: eò facilius miſeretur: etſi matris eſſe Iſraëliticæ, facilè colligeret ex duro patris edicto, fortaſſe etiam ex circumciſione: Ægyptii enim eo tempore necdum circumcidebantur. Interim ſoror Maria accurrit: rogat Thermuthim, (ſic ſine dubio à matre edocta) velletne adduci mulierem Hebræam, quæ lactaret. Annuit illa. Ita ipſi traditus matri. Quæ quantum hauſerat doloris, filio, ut verebatur, amiſſo: tanto delibuta eſt gaudio, eo recepto.

Nunc cum iſtis conferamus, quæ de Liberi natalibus prodidere gentiles. Liberum apud ſe natum eſſe, referunt Ægyptii. Unde Orpheus in hymnis:

Σὺν τῇ μητρὶ θεᾷ μελανηφόρῳ Ἴσιδι σεμνῇ
Αἰγύπτου παρὰ χεῦμα σὺν ἀμφιπόλοισι τιθήναις.
Cum tuâ matre Deâ, nigrum ferente Iſide venerandâ,
Ægypti apud undam cum ancillis nutricibus.

Ubi & aquæ videmus meminiſſe. Arcæ item memoria celebrata eſt apud Braſiatas in Laconica. Vetus apud hos traditio erat, Liberum, ſimulac natus eſſet, arcæ incluſum, & ita aquis impoſitum. Hæc nôſſe poterant, quia Lacones, ut alibi oſtendimus, vel Abramidæ, vel ſaltem eſſent Cananæi, imò ex utriſque mixti. Sed ſacerdotes poſtea ad honorem ſuæ urbis pertinere exiſtimarunt, ſi fingerent, quæ in Ægypto contigerant, apud ſe eveniſſe. Ajebant enim, arcam illam, cui Liber fuerat incluſus, æſtu ſuos ad fines delatam, puerumque apud ſe educatum: imò & inde eſſe, quòd cùm urbs ſua prius diceretur *Oreata*, poſtea *Braſia* vocaretur, ἀπὸ τοῦ ἐκβεβρᾶσθαι, quod valet *maru æſtu ejici*: quia nempe in eorum terram arca eſſet ejecta. Teſtis Pauſanias in Laconicis.

Doloris materni ex amiſſo, gaudii ex recepto filio, imago erat in Oſiridis ſacris: ut ſuperiùs vidimus. Quæ non ſolùm ſimulachrum ſunt geſtorum in regni Ægyptii primordiis, quatenus Oſiris eſt Meſraim ſive Mizraim: ſed etiam quatenus iis adumbratus eſt Moſes, quem Liberum eſſe dicebamus.

Ex eo, quòd Moſes aquis extractus, nomen ei factum משה, *Moſche*. De quo Exod. II, 20: *Et vocavit* (filia Pharaonis) *nomen ejus Moſen, & dixit, quia ex aquis extraxi eum.* Nempe à משה, *extraxit, eduxit*. Ut non ſit audiendus Flav. Joſephus: qui eò quòd Græci Μωυσῆς ſcriberent, credidit eſſe ex Syriaco μῶ, *aqua*, & ὑσῆς, *ſervatus*, quod ab ישע. A μῶ etiam fuerit *Monim*: quomodo ab Ægyptiis dictum ait Aben-Eſra. Imò in quibuſdam Orphei verſibus vocatur ὑδογενής, hoc eſt, ὑδατογενής, quaſi dicas, *aquigena*. Ratio ſatis apparet ex iis, quæ diximus. Imò & veſtigia nominis *Moſes* in Liberi ſacris ſuperſunt. Nam Orpheus in hymnis, ſive potiùs Initiis, Liberum vocat Μίσην: quod à vero nomine unâ aberrat vocali. Nec obſtat, quòd Μίσην ibidem dicat ἄῤῥητον ἄνασσαν· *indictam reginam*. Nam Διόνυσος, juxta Orpheum, ſexum habuit utrumque. Imò Alexander Polyhiſtor tradidit, mulierem fuiſſe, nomine *Moſo*, quæ leges tulerit Judæis. Dubium, utrùm hæc ita perverterit gentilium malitia; an veriùs inſcitia, quòd cum Μωσὼ vocaretur aliqui, id crederent eſſe, ut Διδώ, Σαπφώ, Καλυψώ, & ſimilia. Plutarchus, libro de Iſide & Oſiride, refert, Oſiridem, dum ab Iſide per ancillas enutritur, vocatum Palæſtinum. Fabula eſto: attamen unde fabulæ origo, niſi quia puer eſſet Hebræus: Hebræi verò ex Palæſtina, ſive Cananæa profecti eſſent in Ægyptum. Nonne vel hinc luculentum pro Moſe noſtro habemus argumentum? Etſi verò hoc, quod diximus, uti ſimpliciſſimum, ita veriſſimum fuerit: non tamen abſque eo nominis deforet ratio, longiùs licet arceſſita. Ut ſi ſic nuncupatum dicamus, poſtmodo Iſraëlitis dux fuerit in Palæſtinam tendentibus? Et quid ſi inter ancillas etiam cenſeatur mater, quæ pretio conducta fuit, ut lactaret? Potuit illa, Deo ſuggerente, nomen Palæſtini imponere, cui omen ineſſet futurorum. Vel quid ſi nomen hoc habuerit à matre, priuſquam exponeretur? Nam cùm hæc eum tribus adſervârit menſibus, ut eſt Exodi II, 2; quid ſi interea ſic vocarit, & mox quidem à circumciſione, hoc eſt, octava die: poſteaque filio reddito callidè nomen reddiderit prius? Sed de poſtremo hoc diſſentientem habemus Clementem Alexandrinum, qui lib. I Στρωματ. dum à matre occultaretur, nomen ei fuiſſe ait, non Palæſtino, ſed Joakim. Atque addit, poſtquam in cælum receptus, & aliud accepiſſe nomen. Ἔχει δὲ καὶ τρίτον ὄνομα ἐν οὐρανῷ μετὰ τὴν ἀνάληψιν, ὥς φασιν οἱ μύσται, Μελχί. *Habuit & tertium nomen, poſtquam in cælum adſumtus, ut dicunt Myſtæ, Melchi.* Id ſignificat, *Rex meus*. At in Philonis antiquitatibus *Melchil* legas: atque id nomen ei à matre lactante ait impoſitum. Puto, *Melchi* reſcribendum. Sic quoque plenum fuerit ominis nomen. Sed Philo iſte eſt ſcriptor ſuppoſititius, nec magnæ rei; non indiligens quidem lector Judæorum, ex quorum lacunis ſua prope hauſit omnia: ſed Latinorum, Græcorumque admodum negligens, ut ſæpe ne inſpexerit quidem: ſacræ etiam ſcripturæ ſecurus adeò, ut crebrò ab ea receſſerit. Non id refugerem comprobare: niſi levaſſet me hoc labore Hiſpanus Theologus, Melchior Canus, lib. XI Locorum Communium, cap. VI.

Nec difficile eſt videre, quomodo, quod Liber dicitur Βιμήτωρ, *bimater*, id Moſi etiam conveniat. Nam & Moſes, præter matrem, quæ peperit, habuit alteram, filiam Pharaonis: cui *erat in filium*, ut eſt Exod. II, 10. Unde & Stephanus protomartyr Act. VII: ἀνεθρέψατο αὐτὸν

τὸν ἀνείλετο ἡ θυγάτηρ Φαραὼ, καὶ ἀνεθρέψατο αὐτὸν ἑαυτῇ εἰς υἱόν. *Expoſitum eum ſuſtulit filia Pharaonis, & educavit eum ſibi pro filio.* Atque ejus cura etiam, ut ibidem legas, ἐπαιδεύθη πάσῃ σοφίᾳ Αἰγυπτίων, *inſtitutus eſt omni ſapientia ac doctrina Ægyptiorum.* Ubi Clemens Alex. in I Στρωματ. intelligit univerſam Matheſin, & Medicinam.

Diodorus in V ait, Liberum εὐπρεπείᾳ πολὺ τῶν ἄλλων διενεγκεῖν· *forma venuſtate aliis præſtitiſſe.* At Exodi II, 2, dicitur mater Moſis, quia elegantem videret, quem eſſet enixa, tribus eum menſibus abſcondiſſe. Imò Joſephus Antiquitatum lib. IV, cap. V *a* narrat, ut eum adoptârit Thermuthis, filia regis, quia eſſet μορφῇ τε θεῖος, καὶ φρονήματι γενναῖος, *forma divinus, & indole generoſus.* Itaque puerum quaqua geſtaretur, vel iret, omnium in ſe oculos converiſſe. Et quid apertius illis Trogi, ſive Juſtini in XXXVI hiſtoriæ Philippicæ? *Filius ejus Moſes fuit, quem præter paterna ſcientiæ hæreditatem etiam formæ pulchritudo commendabat.*

a Græc, at Lat. cap. 9.

Liber educatus dicitur in monte Arabiæ, nomine Nyſa. Unde Diodorus in III, ait deportatum εἰς Νῦσαν τῆς Ἀραβίας *b*. Denique docet in IV. Ac prævivit huic Homerus in hymnis:

b Nyſam Arabiæ.

> Ἔστι δέ τις Νύση, ὕπατον ὄρος ἀνθέον ὕλῃ
> Τηλοῦ Φοινίκης, σχεδὸν Αἰγύπτοιο ῥοάων.
> *Nyſa jacet quædam, mons ſilvis floridus altis*
> *Phœnice procul, Ægypti ſtagnantis ad undas.*

Nam inter Phœniciam, & Ægyptum, ſive Arabicum ſinum, Arabia eſt ſita: inque Arabia Petræa, eſt tum deſertum Sin, tum mons Sinai; ubi Deus inter tonitrua, & fulmina, Legem ſuam tulit. Unde Chronicum Alexandrinum *c*, ubi de XII claris montibus agit: Νύσσος, Σίνα ἐν Ἀραβίᾳ. *Nyſſus, Sina in Arabia.* Atqui, vocali mutata, literiſque trajectis, ex *Sina* habes *Nyſa.* Ut veriſimile ſit, Liberi pueritiam ſtatui in Arabia, quia Moſes XL annis in Arabiæ deſerto egit; inque deſerto imprimis celebrari montem Nyſam, propter celebritatem Sinai montis, ubi lex promulgata. Non eſt, quòd dicat aliquis, Liberum in Arabia, non in Ægypto educatum. Nam Orpheus, ut antea dictum, in Ægypto Liberum ait natum. Sed, ut alii in Arabia educatum putarent, inde eſt, quia Moſes ex Arabia, ubi XL annis exulavit, in Ægyptum rediit, indéque ſe Iſraëlitis in Arabiam præſtitit ducem.

c Pag. 80.

Utramque Moſis in Arabia moram conſiderabimus. Priùs illam exilii, cùm, poſt interemtum Ægyptium, profugit in terram Madian. At φυγὰς Διονύσου, *exilia Liberi*, etiam memorat Plutarchus de Iſide & Oſiride, & ex eo Theodoretus Θεραπευτικῆς ſerm. III *d*.

d Pag. 46, edit. Commelin.

Poſt XL exilii annos rediit in Ægyptum, inde educturus Iſraëlitas. Quomodo Liber profugerit in Mare Rubrum narrat his verbis Nonnus in XX Dionyſiacôn:

> Ταρβαλέοις δὲ πόδεσσι φυγὼν ἀκίχητος ὁδίτης
> Γλαυκὸν Ἐρυθραίης ὑπεδύσατο κῦμα θαλάσσης.
> *Trepidantibus vero pedibus fugiens incomprehenſibilis viator*
> *Flavum rubri ſubiit fluctum maris.*

In uno, ut ſerviret argumento, à veritate abiit Nonnus. Cùm ille, Græcos ſecutus, Bacchum intelligeret Thebanum: prius eum in Phœniciam, hinc Arabiam, tum mare Erythræum deduxit. At Liber hic Ægyptius eſt; nec Arabicum, ſed Ægyptium regem fugiens, mare ſubiit Erythræum.

Egreſſus Moſes hoc mare, varia cum Arabiæ, & vicinis principibus, bella geſſit; ut ex Moſe ipſo conſtat. Atqui & Liber, ut Antimachus poëta, teſte Diodoro in tertio, tradidit, in Arabiam, dum regionem hanc ſperat amicam, cùm exercitu ſuo venit: ſed rex Arabum Lycurgus ſtatuit occultè & Liberum, & Mænadas, perdere. Scio, varios id referre ad Lycurgum, Thracum regem. Sed convenientius Nonnus libro eodem:

> Ἀρραβίην ἐπέβαινε, καὶ εὐώδμων ἀπὸ δένδρων
> Νυσιάδος τὴν ἐφ᾽ ὑλήεντα θαμβεεν δείραδα λόχμης,
> Καὶ πόλιν αἰπύδμητον ἀγηνορέων τροφὸν ἀνδρῶν,
> Ἔνθα τις Ἄρεος αἵματι μιαιφόνος ᾤκεεν ἀνὴρ
> Λυσσομανὴς Λυκόοργος.
> *Arabiam adſcendit, & bene odoratas ob arbores*
> *Nyſiacæ frondoſum admirabatur jugum ſylvæ,*
> *Et urbem excelſam teliferorum nutricem virorum,*
> *Ubi quis Martis ſanguis, cade pollutus, habitabat vir,*
> *Valde furioſus Lycurgus.*

Et poſt compluria:

> Ἀρραβίης μεδέοντι Δρυαντιάδῃ Λυκοόργῳ.
> *Arabiæ regi, Dryantis filio, Lycurgo.*

Quomodo verò victus à Libero ſit Lycurgus, narrat idem in primo & vigeſimo. Atque ita ille, poëtarum more, duos minimùm Liberos in unum confundens; ſeniorem. Jovis, & Proſerpinæ, ac juniorem, Jovis, & Semeles filium. Ob quam duorum mixturam, quorundam ſententia eſt Liberum vocari δίμορφον, *biformem*: ut eſt apud Diodorum in III.

Scribit idem Diodorus in IV, Liberum περιάγεσθαι στρατόπεδον οὐ μόνον ἀνδρῶν, ἀλλὰ καὶ γυναικῶν· *circumduxiſſe exercitum non virorum modò, ſed & feminarum.* At Moſes totum circumduxit populum Iſraëliticum; in quo viri, feminæ, pueri etiam.

Orpheus θεσμοφόρον *legiferum* vocat Dionyſum. At Moſes Judæorum erat legiſlator: cui & δίπλακα θεσμὸν tribui videas ab Orpheo, ob duplices decalogi tabulas.

Item Liber Orpheo in hymnis dicitur ταυρομέτωπος, *tauri frontem habens*; & ταυρόκερως, *tauricornis*; & κερασφόρος, *corniger.* Sic Βούκερως Ἴακχος, *bicornis Iacchus*, Sophocli verſibus à Strabone quoque adductis initio libri quintidecimi. Etiam Euripidi in Bacchis à choro, Orphei exemplo, Ταυρόκερως θεὸς *a* vocatur. Quæ opinio ex eo videtur profecta, quòd radii de Moſis vultu relucentes cornuum præberent imaginem: ut colligere eſt ex Exod. XXXIV, 29. Hebraicè eſt קרן, quod ſecundùm R. Salomonem valet, *lucem emittere inſtar cornu.* Nempe à קרן, keren; unde Græcum κέρας, & Latinum *cornu.* Indeque, occaſionem etiam præbente interpretatione vulgatâ, quæ vertit, *quod cornuta eſſet facies Moſis*, orta eſt inepta pictorum conſuetudo, Moſen effingentium cum cornibus binis. Fortaſſe autem exinde, quòd radii de capite Moſis prodeuntes referrent cornuum figuram, conſuetudo manavit bibendi è cornibus Liberi patris bellaria: quo de more diximus cap. XXVII.

a Tauricornis Deus.

De Moſe legimus *b*, ut in ſolitudine Sin, virgâ feriens petram, eduxerit aquam. Hoc quoque in Liberi Orgiis repræſentabatur; ut cognoſcimus ex Euripide in Bacchis. Ubi refertur, ut Agave, & Bacchis cæteris, Orgia celebrantibus, unâque earum petram percutiente, aqua emanârit. Verba enim nuncii ad Pentheum ſunt:

b Numer. cap. 2. verſ. 11.

> Θύρσον δέ τις λαβοῦσ᾽, ἔπαισεν εἰς πέτραν,
> Ὅθεν δροσώδης ὕδατος ἐκπηδᾷ νοτίς.
> *Thyrſum autem quædam arripiens percuſſit petram,*
> *Aqua proſiliit humor unde roſcidus.*

Numer. XXI legimus, ut cùm Deus populo Iſraëlitico ſerpentes immiſiſſet ignitos, qui multos necabant: pœnitudine ductis Moſes Dei juſſu anguem erexerit æneum, quem qui conſpicerent, ſanitati redderentur. Quid ſi in memoriam iſtius rei in Liberi ſacris caput cinxerint ſerpentibus: ut oſtenderent, nunc quoque Liberi myſtis ſerpentes non nocere? Hunc ritum indicat Euripides Bacchis: Στεφάνωσεν τε δρακόντων στεφάνοις. *Et coronaverunt draconum coronis.* Catullus de nuptiis Thetidis & Pelei:

> *Pars ſeſe tortis ſerpentibus incingebant.*

Clemens Alexand. Admonitione ad gentes: Διόνυσον Μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχαι ἀνεστεμμέναι τοῖς ὄφεσι. *Bacchum Mænolen celebrant Bacchæ coronatæ anguibus.* Arnobius etiam in V, Bacchanalia exagitans, *Circumplicatis*, inquit, *vos anguibus.*

Habuit Moſes fidelem ſocium Caleb, è tribu Juda, vel eo potiſſimum, quòd ille, & Joſua, ſoli cæteris terræ exploratoribus, populum turbantibus, ſeſe oppoſuerint *c*; unde & ſe objecere periculo, ne à populo obruerentur lapidibus. Soli etiam *d* terram ingreſſi ſunt Cananæam.

c Numer. cap. 13. verſ. 31. Item cap. 14. v. 7. & 10.

d Numer. cap. 14. verſ. 24, & 30.

Quia

Quia verò Calebo obtigit Kiriath-Arba, ſive Hebron: eò & pro regione illa Calebi, ſive quam Calebi poſteritas poſſedit, ſumitur ea vox 1 Samuel. xxx, 14. Porrò כָּלֵב, keleb, *canis*. Unde ambiguitas 1 Sam. xxv, 3. Ubi Nabal dicitur כָּלִבִּי, calbi. Quod Græci interpretes reddidere ἄνθρωπος κυνικὸς, *homo caninus*: hoc eſt, avarus: ut Belgis talis *hondſch* dicitur. Pro quo perperam in Baſileenſi Brylingeri editum κυνηγὸς, *venator*. Omnino autem כָּלִבִּי, vertendum *Calebita*. Ita Targum, מִדְּבֵית כָּלֵב, *ex familia Caleb*. B. quoque Hieronymus, *de genere Caleb*. Non difficile hinc erit videre, cur Libero dederint ſocium canem. Nempe origo fabulæ ex vocabuli *caleb* ὁμωνυμίᾳ. Cujus generis multa exempla. Sic dixere Cyrum canis ubera ſuxiſſe, quia Cyri nutrix dicebatur Σπακώ, Medi autem *ſpaka canem* appellent, ut eſt apud Herodotum in primo, & Juſtinum lib. 1. Romulus item à lupa fera dicitur altus, quia nutrix fuerit lupa, hoc eſt, meretrix. Liberi igitur ſocius canis, quia *Caleb* ſignat *canem*. Nec enim è vulgo canem fuiſſe, indicio eſt, quòd donum erat Panos, hoc eſt, domini totius Naturæ: quodque ratione foret præditus: ut eſt apud Nonnum in xvi Dionyſiacôn *a*. Præmium etiam ejus cælum. Audiamus ſermonem Liberi ad canem:

a Verſ. 187. & ſeq.

—— Χάριν δέ σοι εἵνεκα μόχθων
Δώσω ἀμοιβαίην μετὰ Σείριον ἀστέρα Μαίρης,
Αἰθέριον ἀστὸν ἐγώ σε, καὶ ἀστερόεντα τελέσσω
Ἄγχι κυνὸς προτέρου, σταφυλὴν ἵνα καὶ σὺ πεπαίνῃς
Βότρυος ἐς λιπαρὴν ἀκοντίζων σέθεν αἴγλην.
—— *Gratiam tibi, laborum ergo,*
Referam mutuam, poſt Sirium, ſtellam Mæra,
Ætheris civem ego te, & ſtellis multis relucentem efficiam
Prope Canem priorem, uvam ut & tu maturam reddas
Racemi in ubertatem jaculans à te ſplendorem.

Ubi ſtellam Μαίρας appellat Caniculam. Heſychius: Μαῖρα, κύων τὸ ἄστρον, ἢ ἀκμαιότατον καῦμα· οἱ δὲ τὴν Σελήνην *b*. Et ingenioſè ſatis pereruditus Anglus Sanfordus conjectabat, Mairam eſſe Liberi, hoc eſt, Moſis ſororem Mariam. Nam Μαῖρα κατὰ μετάθεσιν Μαρία. Cujus maritus Hur, teſte Joſepho: unde idem hunc Horum cenſet, vel fratrem Moſis Aaronem: quod impenſius placeret, ſi Orus Oſiridis frater, vel affinis eſſet. Nunc fuiſſe Oſiridis & Iſidis filium, tradunt Ægyptii. At frater Oſiridis Typho, infenſus hoſtis: ut ea ad primum Oſiridem, non hunc debeant referri. Quàm appoſitè verò Calebo promittitur, fore, ut inter aſtra relatus, ipſe etiam racemos maturet! Nam ex xii illis fuit, qui prægrandem illum racemum detulerant ad Iſraëlitas; quemadmodum diximus.

b Maira, ſive Mæra, ſidus Canis, ſive æſtus intenſiſſimus. Sic eandem quidam Lunam.

Quamquam verò Moſes non reperit vinum, quæ laus eſt Noachi, ut is ſit Orientalium Aſſyrius, & Indicus Liber (ex Aſſyria enim in Indiam veniſſe, opinio erat Indorum, ut diximus *c*) non tamen cauſſa defuit, cur vini etiam ratione Moſi nomen Liberi daretur. Nam perduxit Iſraëlitas uſque ad terram, non ſolùm lacte & melle fluentem, ſed vino etiam affluentem. Ut inde videri expreſſum queat, quod apud Euripidem in Bacchis chorus canit:

c Cap 25.

Ῥεῖ δὲ γάλακτι πέδον,
Ῥεῖ δ' οἴνῳ, ῥεῖ δὲ μελισσᾶν
Νέκταρι, Συρίας δ' ὡς λιβάνου καπνός.
Fluit vero lacte terra,
Fluit etiam vino, fluit & apum
Nectare: Syriaci verò ut Libani fumus.

Ac in beatam adeò terram duxiſſet Moſes, niſi culpa fuiſſet penes Iſraëlitas, qui pugnam aggredi metuebant, territi, tum munitis terræ civitatibus, tum giganteâ incolarum ſtaturâ. Oſtendit interea, quem exploratores attulerant, palmitem abſciſſum cum uva ſua, portatum in vecte à viris duobus: ut eſt Num. xiii, 24. Nempe ut hæc, de vecte dependens, illæſa monſtraretur Iſraëlitis. Erat enim ingens, & pulchra: quo accendi poterant Iſraëlitæ ad expeditionem adverſus eos, unde nobilis ille botrus adferretur. Sed ut ingentem fuiſſe, certiſſimum eſt, propter ea, quæ diximus: num etiam putandum, tantam fuiſſe, ut ponderis gratiâ neceſſe fuerit à duobus deferri? Sic exiſtimat Philo: imò arbitratur, his pondere defeſſis, bajulos ſucceſſiſſe alios, atque alios. Audiamus eum in primo de vita Moſis: Μάλιστα δ' αὐτοὺς κατέπληττεν ὁ τῆς ἀμπέλου καρπός. οἱ γὰρ βότρυες ὑπερμεγέθεις ἦσαν, ἀντιπαρεξετεινόμενοι τοῖς κλήμασι καὶ μοσχεύμασιν, ἄπιστος θέα. ἕνα γὰρ ἐκτεμόντες, καὶ δοκίδος ἐκ μέσου ἀπαιωρήσαντες, ἐς τὰς ἀρχὰς δυσὶ νέοις, τῷ μὲν ἔνθεν, τῷ δὲ ἔνθεν ἐπιθέντες, ἐκ διαδοχῆς πιεζομένων ἀεὶ τῶν προτέρων, βαρύτατον γὰρ ἦν ἄχθος, ἐκόμιζον. *Maxime autem admirationi iis fuit fructus vitis: nam prægrandes erant uvæ, de palmitibus pendentes, vix credibile ſpectaculum. Nam unam cùm reſecuiſſent, ſuſpenderunt de medio vecte; cujus extrema cùm duo juvenes hinc & inde ſibi impoſuiſſent, deportarunt eam, aliis poſt alios ſuccedentibus, propter pondus.* Metuo, ne καθ' ὑπερβολὴν *a* iſta dixerit Philo. Vel ſi ſic alios aliis ſuccedere opus erat, id credo fuerit, non tam ob pondus uvæ, quàm ob vectis moleſtiam, & longitudinem viæ. Quouſque verò nonnullis uvæ terris excreſcant; docet nos egregius naturæ myſtes Plinius lib. xiv, cap. 1: *Uvæ*, inquit, *magnitudinem infantium puerorum in interiore Africa parte exſuperant.* Sed quid hæc ad ea, quæ Stephanus Byzantius refert in Εὐκαρπία? Ait, ſic populum dici minoris Phrygiæ. Deinde ſubjungit: Ἱστορεῖ Μητροφάνης, τὸν βότρυν ἐκεῖ τοσοῦτον γίνεσθαι τὸ μέγεθος, ὅτι ἅμαξαν ἀπ' αὐτοῦ χωρισθῆναι κατὰ μέσον. *Narrat Metrophanes, racemum iſtic generari ejus magnitudinis, ut ab eo currus in medio fuerit diſruptus.* O fidem leviſſimæ Græcorum gentis! Putemuſne, ſi Divæ Fidei (ſic loqui nunc liceat cum Gentilibus) periculum immineret, propter quod ſe occultare in terris cogeretur, uſpiam ſe tutiùs abſconſuram, quàm apud Græculos? Nemo enim ſapiens quæreret illam apud eam nationem, quæ, ut Tullius ait pro Valerio Flacco, *Fidem nunquam coluit*: ne in hiſtoria quidem, de qua ſic Quinctilianus lib. ii, cap. ii: *Græcis hiſtoricis plerumque poëtica ſimilem eſſe licentiam.* Profectò vel de papyro currum iſtum ætas fecerat puerilis: vel non magnitudine uvæ, ſed mendacii hujus, crepuit medius.

a Per exceſſum.

Cap. XXXI.

Canobus ſive Canopus Ægyptius num à Menelao Atrida Diis additus ſit, an longe eo antiquior fuerit, in utramque partem diſſertatum. Succeſſio regum Ægyptiorum à Cambyſe, primo è Perſis rege Ægypti, uſque ad Darium Codomannum, regem ex ea gente ultimum: & de Apide bis à regibus Perſicis male habito: deque duplici Ægyptiorum adverſus Perſas rebellione. Ptolemæus Magnus ſive Soter fædâ ſacerdotis Ammonii adulatione pronunciatus Deus. Decretum Philadelphi de fano Arſinoæ extruendo, in quo ſimulacbrum ejus nullo ſubnixum in aëre penderet. Auſonius in eo lapſus, ac fortè etiam B. Auguſtin. Solis ſimulachrum Serapidi artificio adſurgens magnetico. Merum eſſe commentum de Muhammedis urna in aëre pendente. Antinous ab Hadriano Cæſ. Diis Ægyptiis collega datus.

Diximus de antiquis Ægyptiorum Diis, tum illis, qui vixerint initio regni, jam ante Abraham patriarcham: tum aliis, qui poſtea, ante tamen Othonielis, ac Judicum tempora, floruerint.

Paullò verò poſt bellum Trojanum Canobus Laco à Menelao, qui hoc gubernatore uſus fuerat, fanum accepit juxta oſtium Canobicum. Strabonem vide in xvii, & Euſtathium ad Dionyſii verſum:

Καὶ τέμενος περίπυστον Ἀμυκλαίοιο Κανώβου.
Et delubrum celeberrimum Amyclai Canobi.

Quia verò gubernârat navem, aquis eum præfecerunt: imò & Neptunum vocarunt: unde Ποσειδῶνος Κανώβου ἱερὸν *a* legas apud Stephanum *b*. Quomodo is Chaldæorum Deum Ignem ſuperârit, narrat Ruſinus in ſecundo hiſtor.

a Neptuni Canobi fanum.
b In Κάνωβος.

hiſtor. Eccl. & Suidas in Κάνωπος. Ex quibus ſuper re vulgatiſſima non dubitavit caput integrum contexere Petrus Crinitus in XI de honeſta diſciplina. Sed quod multis veterum proditum eſt, Menelaum hoc uſum gubernatore: id negat Ariſtides oratione Ægyptiaca de cauſſis Nili creſcentis. Ubi cùm dixiſſet, Hecatæi, & famæ judicio, Canopum Menelai gubernatorem putari, continuò ſubjungit: Ἔγωγε ἤκουσα ἐν αὐτῷ Κανώβῳ τῶν ἱερέων οὐ τῶν φαυλοτάτων, ὅτι μυρίοις ἔτεσι πρότερον ἢ Μενέλαον ἐκεῖσε προσχεῖν, τὸ χωρίον οὕτως ὀνομάζοιτο. καὶ οὐκ ἀτεχνῶς μὲν ἔλεγε τοὔνομα τοῦτ' αὐτὸ ὡς ἀπογράψαι γράμμασιν Ἑλληνικοῖς. ἀλλ' ἦν μὲν ὥσπερ ἐμφερόμενον ὃ προσεῖχον. Αἰγύπτιον δὲ καὶ δυσγράμματον μᾶλλον. τὸ δ' οὖν ἡμετέρᾳ φωνῇ δηλοῦν ἔφη χρυσοῦν ἔδαφος. *Equidem audivi in ipſa Canobi urbe ex ſacerdote non infima conditionis, multis antè ſeculis, quam eò veniret Menelaus, locum hoc nomen habuiſſe. Nec tamen ajebat, diſerte ac totidem literis ſic nomen id perſcripſiſſe Ægyptios: ſed ſic ut vicinum eſſet, & quaſi alluderet: Ægyptium vero illud difficilius exarari: noſtrâ autem linguâ ſignificare Aureum ſolum.* Meliorne hac parte Ariſtidis cauſſa ſit, an priorum, non facilè dixerim. Parte unâ Græculorum video vanitatem: quibus, ubi ex ſimilitudine nominum vel minima ſe occaſio offerret celebrandi ſuos; nunquam religio fuit quidvis comminiſci. Ut nihil fuerit mirandum, ſi, cùm numini Ægyptiaco audirent eſſe nomen, quale fere Canobi erat: avidiſſimè hanc amplexi ſint occaſionem detorquendi illud ad Canopum Menelai, quo ſic aliis perſuaderent, & illum Ægyptiorum Deum hominem fuiſſe Græcum. Verùm ex altera parte Ariſtidis illud cauſſam reddit ſuſpectiorem, quòd iſta ſcripſerit perſuaſus ab ſacerdote Ægyptio: idque eo tempore, quo religio Chriſtiana cùm alibi, tum maximè Alexandriæ, & reliquâ Ægypto; ſumma caperet incrementa. Natus enim Ariſtides ſub Hadriano imp. ac ſub M. Antonino Cæſ. claruit: cui & familiaris admodum fuit. Aſſiduæ tum diſſertationes erant inter Chriſtianorum, & gentilium ſacrorum antiſtites. Noſtris exprobrantibus, quòd Ægyptii eos colerent, qui homines fuiſſent, ac ſæpe haut magnæ rei; qualis nauclerus ille Canobus, hoc ſolo nomine in Deos relatus, quia gratus fuiſſet Menelao: illi nihil iſtorum agnoſcere, ſed quævis effugia meditari, ne inferiores Chriſtianis viderentur: ut nihil novi fecerint, ſi Canobum eſſe vetus Ægyptiorum numen, longè Menelao, ac bello Trojano antiquius, prædicarint.

Vide quædam de iſto, notis in epiſtolam Hadriani Imp de Chriſtianis.

Ac hujuſmodi fuere Dii Ægyptiorum, dum ſuis paruere regibus: hoc eſt, uſque ad Amaſis filium Pſammetichum à Cambyſe devictum. Ad quæ uſque tempora reges eorum dicti *Pharaones.* Nec enim putandum, id Moſaicis ſolùm temporibus, & aliquanto antè jam ab ætate Abrahami, locum habuiſſe; de quo ex Pentateucho liquet: ſed etiam extremis; ſaltem ante tempora Cambyſis, ut dixi. Unde apud Jerem. XLIV, & XLVI, *Pharao Necho*, & *Pharao Cophra.* Sed *Pharao* tantùm erat dignitatis appellatio, ut proprio nomine opus eſſet diſtingui: quod Jeremias oſtendit. Porro, ubi Cambyſes Ægypti potitus, non eo deinceps loco Dii eſſe Ægyptii: quippe dominis tum Ægypti Perſis; qui nec Deos agnoſcerent animales, nec animantia muta pro ſymbolis Deorum. Itaque Cambyſes Memphitas proceres, feſtum Apidos agitantes, interemit: poſtea Apide à ſacerdotibus adducto, hos quidem flagris cædi juſſit; Apidem verò, cùm ventrem ferire vellet, in femore vulneravit; unde is extabuit; poſtea clam Cambyſe, à ſacerdotibus eſt tumulatus: uti Herodotus pluribus narrat in Thalia.

Manſit autem Ægyptus ſub Perſarum imperio uſque ad Artaxerxem Longimanum: cujus tempore Ægyptii Inarum, Pſammetichi filium, regulum antè Libyæ, regem crearunt Ægypti. Atque, adjutantibus eum Athenienſibus, primò feliciter ſatis res Ægyptiis proceſſerunt. Ubi verò Artaxerxes magnâ, quam in Cilicia exſtruxerat, claſſe; pedeſtribus ſimul copiis, quas per Phœniciam deduxerat, victor evaſit: Athenienſes quidem dimiſit, Inarum autem ſuſpendit.

Exinde Ægyptii iterum eſſe ſub Perſis, uſque ad tempora Darii ſecundi, ſive Nothi: quando regem crearunt Amyrtæum Sebennitam: qui annis ſex imperium tenuit. Poſt hunc quatuor rexere dynaſtæ Mendeſii, Nepherites, Achoris, Pſammutes, & alter Nepherites. Hinc tres Sebennitæ, Nectanebis, Teos, Nectanebos. Poſterior verò Nectanebos imperio eſt ſpoliatus ab Artaxerxe Ocho. Qui quo loco habuerit religionem Ægyptiam, argumento erit, quòd Apim mactavit, & inde eum, epulans cum amicis, abſumſit. Unde Ægyptii Ochum appellabant *gladium*, ad aſperos ejus mores ſignificandos: quemadmodum teſtis eſt Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride. Qui & poſtea narrat occaſionem iſtorum. Ochum enim à dicacibus Ægyptiis aſinum vocatum. Tum illum dixiſſe: At aſinus iſte veſtrum comedet bovem: hinc Apim mactâſſe. Quorum auctorem laudat Dinonem. Atque idem apud Ælianum legas lib. IV Hiſtoriæ Var. cap. VIII. Poſtea Ægyptus Perſici juris manſit, donec devicto Dario Codomanno, regum Perſicorum ultimo, in Alexandri Magni poteſtatem venit: qui eam annis tenuit quinque. Ut hic ab oraculo Jovis Ammonis ſit Dei filius, Deuſque habitus; nihil attinet reponere, quia fugit neminem. Poſt eum rexit Ptolemæus Lagi filius: à quo deinceps reges dicti ſunt Ptolemæi: ſed ſic ut cognomentis Philadelphi, Epiphanis, & aliis, diſtinguerentur. Lagiden hunc, qui & Magnus, & Σωτὴρ dictus, Rhodiis hoc agentibus, ut gratiam rependerent, ab oraculo Ammonis pronunciatum eſt, divinis afficiendum honoribus: unde lucus illi in urbe Rhodi ſacratus, atque is quadratus, exſtructâ ad latus quodque porticu ſtadium longâ; quam Πτολεμαῖον nuncuparunt. Lagidæ ſucceſſit Philadelphus: qui poſtremò ſororem duxit Arſinoën, antea Lyſimacho, & Ptolemæo Ceranno nuptam. Quantopere amârit eam, argumento eſt, quòd Deorum cultu honorari cupierit. Plinius lib. XXXIV, cap. XIV: *Eodem lapide* (magnete) *Dinocrates architectus Alexandriæ Arſinoës templum concamerare inchoaverat, ut in eo ſimulachrum ejus in ferro pendère in aëre videretur. Interceſſit mors & ipſius, & Ptolemæi; qui id ſorori ſuæ juſſerat fieri.* Sed Auſonius hoc ita narrat, quaſi eò rem perduxerit, quò volebat. Sic enim inquit Idyllio III:

Conditor hic forſan fuerit Ptolemaidos aulæ
Dinochares: quadro quoi in faſtigia cono
Surgit, & ipſa ſuas conſumit pyramis umbras:
Juſſus ob inceſti qui quondam fœdus amoris
Arſinoen Phari ſuſpendit in aëre templi.

Ac planè cenſeo, eodem reſpexiſſe B. Auguſtinum lib. XXI de Civ. Dei, cap. VI: ubi ait, *in quodam templo, lapidibus magnetibus in ſolo & in camera, proportione magnitudinis, poſitis, ſimulachrum ferreum, aëris illius medio, inter utrumque lapidem, ignorantibus, quid ſurſum eſſet, ac deorſum, quaſi numinis poteſtate pendère.* Ludovicus Vives tamen intelligi putabat ſignum Solis in Serapidis templo apud Alexandrinos. Sed obſtat, quòd ſupernè illud magnetem haberet, parte infernâ non item: uti oſtendunt hæc verba Rufini in ſecundo hiſtoriæ Eccleſ. cap. XXIII: *Signum Solis ex ferro ſubtiliſſimo manu artificis fuerat fabricatum, ut lapis* (magnes) *cujus naturam ferrum ad ſe trahere, deſuper in laquearibus fixus, cùm temperatè ſub ipſo radio ad libram fuiſſet poſitum ſimulachrum, & vi naturali ad ſe raperet ferrum, aſſurrexiſſe populo ſimulachrum, & in aëre pendère, videretur. Et ne hoc lapſu propero proderetur, miniſtri fallacia, Surrexit, ajebant, Sol, ut valedicens Serapi decedat ad proprium.* Satis hæc oſtendunt, non loqui Auguſtinum de Solis ſigno apud Alexandrinos: ſed, ab Auſonio, vel aliis, deceptum, putâſſe, eſſe ſimulachrum ferreum, quod inter duos magnetes conſtitutum in aëre pendêret ſemper. Sed cautè, dubius ipſe, locum, ubi ſimulachrum tale foret, ſilentio præteriit. Nam Canopicum erat decretum, at non abſolutum: Alexandrinum abſolutum, ſed supernè ſolum attrahebatur, idque tantùm Sole ſurgente. Nec ſanè illius ab Auguſtino, vel Auſonio deſcripti, exſtare

alibi-

arbitror exemplum. Non quidem vulgaris me fugit opinio de arca Mohammedis cadaver continente, quam Mecchæ, Arabiæ oppido, ſic inter magnetes ſuſpenſam in æquilibrio ajunt ſuſtineri. Sed totum hoc fabula eſt; quia, qua corpus ejus continetur, urna eſt lapidea, eaque non magnetis vi, vel arte alia elevata, ſed humi ſita: uti multi prodidere & ſuperiorum, & temporis noſtri ſcriptores; in his Gabriel Sionita, & Joannes Heſronita, Maronitæ, opuſculo de variarum Orientis urbium religione ac moribus, quod tralationi Geographiæ Nubienſis ſubjecerunt. Sed ut ad Ptolemæos redeam, non Lagiden ſolùm ſive Sotera, ſed etiam uxorem ejus Beronicen; nec Arſinoën duntaxat, ſed maritum etiam Philadelphum, pro Diis cultos, vetus indicat ſubſcriptio ſimulachri Ptolemæi Euergetæ, quæ ſic incipit: Βασιλεὺς μέγας Πτολεμαῖος υἱὸς βασιλέως Πτολεμαίου, καὶ βασιλίσσης Ἀρσινόης θεῶν ἀδελφῶν, τῶν βασιλέων Πτολεμαίου καὶ βασιλίσσης Βερενίκης, θεῶν Σωτήρων ἀπόγονος. *Rex magnus Ptolemæus, filius regis Ptolemæi, & reginæ Arſinoæ, Deorum, fratris ſororiſque; regum Ptolemæi, & reginæ Berenices, Deorum Servatorum nepos.*

Deſiit Ptolemæorum imperium devictâ ab Auguſto Cleopatra. Exinde Ægyptus ſub Cæſaribus Romanis fuit. Sub his novus Ægyptiis Deus ab Hadriano Cæſare amaſius ejus Antinous: de quo Athenagoras in Legatione, item Tatianus, ac Theophilus, ac imprimis Origenes in tertio adverſus Celſum Epicureum, hominem tam impudentem, ut cùm gentilium ipſe rideret oracula, ac ſacerdotum impoſturas: (quod non obſcurè indicat Lucianus in Alexandro Pſeudomante, quem Celſo huic dicavit) nihilominus tamen eò impudentiæ deveniret, ut quæ Antinoi ſacerdotes facerent, conferre auderet cum miraculis Servatoris noſtri Ieſu. Quo nomine accuratè ab Origene refelli meruit. Eſt & mentio ejus in veteri inſcriptione Romæ repertâ in campo Martio ad Iſidis: ΑΝΤΙΝΟΩΙ ΣΥΝΘΡΟΝΩΙ ΤΩΝ ΕΝ ΑΙΓΥΠΤΩΙ ΘΕΩΝ [a]. Literæ unius errore apud Goltzium in theſauro rei antiquariæ ΣΥΗΘΡΟΝΩΙ editum eſt.

[a] *Antinoo eundem cum Diis Ægyptiis thronum occupanti.*

Cap. XXXII.

Catabathmus Deos Coluit patrios. Ammonis oraculum eſſe Chami, filii Noë. Exoriente ſalutari Euangelio Ieſu, minus minuſque illud conſuli ſolere. Expenſa veterum ſententia, utrùm propheta Nahum per No-Amon, *ac Ezechiel per* No, *Dioſpolin, an Alexandriam, intellexerit. Fana Batto conſtituta. Cyrenarum conditori. Origo proverbii*, Batti Silphium. *Refellitur vir eximius ſuper eo, quòd putârit, Solini eſſe commentum de bono Silphii odore. Mopſus Afris Deus. Carthaginenſes Herculi Tyrio decumas prædæ mittebant. Refellitur eorum opinio, qui Carthaginem cenſent exſtructam à Xoro, & Carchedone: & quæ fabellæ hujus origo. Vnde urbs* Carthada; *arx ejus*, Burſa *dicta ſit. Dido culta pro Dea. Vnde ea* Eliſa, *unde item* Dido *vocata. Qua occaſione Amilcar Pœnus à ſuis ſit Diis adſcriptus. De Philænorum aris mutilus Melæ locus ſuppletus, ſed Salluſtii, aut Valerii verbis. Æſculapii templum Carthaginenſibus, & unde eum habuerint cultum. Mauri coluere reges ſuos; in his Iubam.*

EX Ægypto eo in Catabathmon, vallem devexam, Africæ finem, ex eorum quidem ſententia, qui Ægyptum Aſiæ adſcribere maluerunt. Hujus oræ (ut Mela ait lib. I, cap. VIII) *patrios ſervant Deos, ac patrio more venerantur.* Sed utrùm Dii iſti ſint animæ defunctorum, an naturæ partes, an utrumque pariter, id verò non dicit Mela.

Hinc conferam me ad Ammoniacam regionem: cui nomen ab oraculo Iovis Ammonis. Numen hoc Diodorus in tertio fuiſſe ait Ἄμμωνα βασιλεύοντα μέρους τῆς Λιβύης *Ammonem in parte quadam Libyæ regnantem.* Addit, ut uxorem duxerit Rheam, Cœli filiam, Saturni ſororem. Quibus hiſtoria occultatur vetus, ſi Saturnum intelligas juniorem, hoc eſt, Noë: cujus nurus etiam vocare ejus ſorores poſſumus; quia & Noë, & illæ, ab uno deſcenderant Saturno ſeniore, ſive primo parente Adam. Nec obſtat, quòd Libyæ regem nuncupet Diodorus. Nam inde hanc conjecturam cepit, quod in Libya ejus fuerit oraculum. Sed ſi ſacram conſulamus hiſtoriam, comperiemus, multò latiùs ejus patuiſſe imperium. Nam ex diviſione terrarum inter liberos Noë, de qua ſuperiùs diximus, liquet, ſortiò illi obtigiſſe, & Cananæam, & Arabiam, & Ægyptum, & Æthiopiam, & Libyam exteriorem. Sed totum hoc ſubnixum eſt fundamento iſti, Iovem hunc Ammonem eſſe eundem ac Ham, ſive Cham, Noë filium; uti non ſemel diximus. Etiam vidimus, quàm oraculum ejus conſuli ſoleat à populis Aſiæ longè remotis. Sed jam Strabonis ætate negligi cœpit: ut indicat lib. XI: Διόπερ καὶ τὸ ἐν Ἄμμωνι σχεδόν τι ἐκλέλειπται χρηστήριον, πρότερον δὲ ἐτετίμητο. *Itaque oraculum Ammonis propemodum eſt deſertum, quod in honore prius fuit.* Magis etiam neglectum tempore Plutarchi: uti ſatis liquet ex iis, quæ ſcripſit de oraculorum defectu. Nempe quanto magis perrumperet lux Euangelii: tanto minus pretium erat tenebricoſis dæmoniorum oraculis. Itaque temporibus Theodoſii ſenioris deſpicatui plane erat: unde Prudentius:

Nec reſponſa refert Libycis in Syrtibus Ammon.

Videri autem poſſint oraculi ejus etiam meminiſſe Sacræ literæ. Ut Nahum III, 8: *Numquid melius tecum erit, quàm cum* נא אמון, *No-Amon*, Hoc eſt, *habitatione Amonis.* Nam נו ex נָוֶה, *habitaculum.* Sed enim oraculo Ammonis non convenit deſcriptio civitatis No inter flumina mariaque ſitæ, ut ibidem eam propheta Nahum depingit. Imò nec ſatis ea conveniens eſt Dioſpoli: quàm alii intelligunt, præeuntibus LXX, qui Ezech. XXX, 14, *No* vertunt Διόσπολιν. Favet quoque etymon. Nam נו *No* habitaculum, cui reſpondet πόλις, *civitas*: אמן, *Amon*, autem valet *Iovis*; ſecundùm illud Herodoti in Euterpe: Ἀμμοῦν Αἰγύπτιοι καλέουσι τὸν Δία. *Ammûn Ægyptii vocant Iovem.* Sed, ut dixi, adverſantur ea, quæ de ſitu Urbis refert Nahum. Magis illa apta Alexandriæ, inter mare mediterraneum, & Mareotim, poſitæ: quam idcirco juniores fere intelligunt; præeuntibus Hebræis, ac Chaldæis. Sed obſtare videtur; quòd Nahum, & omnes prophetæ, etiam ultimus eorum Malachias, fuerint ante Alexandrum Magnum. Vidit hoc B. Hieronymus: ſed ait, urbem *No* dictam, in cujus dirutæ ſolo exſtructa ſit Alexandria. Verba ejus ſunt in Epitaphio Paullæ ad Euſtochium virginem: *Vrbis No, quæ poſtea verſa eſt in Alexandriam.* Et ad prophetæ Nahum cap. III: *Hebræus, qui me in Scripturis erudivit, ita legi poſſe aſſeruit: Nunquid melior es, quàm No-Amon: & ait,* נא *Hebraicè dici Alexandriam;* אָמוֹן *autem multitudinem, ſive populos: & eſſe ordinem lectionis; Nunquid melior es Alexandriâ populosâ, ſive populorum, quæ habitat in fluminibus; aqua in circuitu ejus? Non quòd eo tempore Alexandria vocaretur: quippe quæ longo poſt tempore ab Alexandro Magno Macedone nomen accepit: ſed quia ſub nomine primo, id eſt, No, ſemper Ægypti metropolis fuerit, & abundantiſſima populis.* Subjicit deinde, ut Hieremias ſimiliter XLVI, 25, *No* pro *Alexandria* dixerit. Quare, ſi B. Hieronymum audimus, ſchema illud fuerit, quod Πρόληψιν appellant. Nam neque Scripturas illud refugere, oſtendimus Inſtitutionum Oratoriarum lib. V, cap. XI, ſect. VII.

Hinc concedamus in Æthiopiam, quæ, ut Deos, coluit reges ſuos; ac privatim etiam alios, qui beneſecerint; ut planius faciam libro tertio, cùm de vivorum agam cultu. Regia ejus urbs Meroë fuit, ejuſdem cum inſula nominis. Ubi, ut Strabo ait in ſeptimodecimo, præter Deum quendam barbaricum (cujus cùm nomen reticeat, neque nos dicere illud poſſumus) Deos venerati Iſidem, Pa-

na, Herculem. Ac ſatis eſt veriſimile, hæc numina eos ab finitimis accepiſſe Ægyptiis: quod ſi eſt, ea hic quoque locum habent, quæ ſuperius de Ægyptiis illis tradidi Diis.

Iter dirigamus ad Augilas, & Naſamonas, propero inde greſſu in Cyrenaicam proceſſuri. Nam jam cap. xi oſtendimus, Augilas, Mela teſte, colere Deos Manes.
a Al. 31. Pro quo Plinius ait inferos: uti & Solinus cap. xxxiv a, & Martianus Capella in vi. Defunctos verò intelligi, videre eſt ex iis, quæ de Naſamonibus prodidit Herodotus in Melpomene. Nam quæ de Naſamonibus Herodotus, hæc de Augilis Mela. Nec mirum, cùm populi ſint finitimi in Marmarica; juxta Ptolemæum. Potuere igitur hæ gentes in eo Manium cultu convenire.

Cyrenenſes regem Battum omnibus ornarunt honoribus, quibus reges priores: tum præterea ei ſtatuêre, ut Herodotus in Melpomene ait, *τεμένεα καὶ ἱερωσύνας*, *fana ac ceremonias*. Atque horum auctor iis, ut ibidem legas, fuit Demonax, ex Mantinea Arcas: qui, occaſione oraculi Delphici, eò à Mantineis miſſus erat. Ille verò civilis ſolùm honos fuit, quòd Cyrenæi cuderunt nummum, in cujus parte una caput Ammonis, in altera caulis Silphii, cum inſcriptione ΚΥΡΑ, hoc eſt, ΚΥΡΗΝΑΙΩΝ. Ubi Silphium expreſſêre, quia hoc regem ſuum Battum donarant. Unde proverbium, Βάττου σίλφιον· *Batti ſilphium*, de honoribus raris. Et proverbii, & numiſmatis hujus, auctorem habeo ſcholiaſten Ariſtophanis in Plutum, act. iv, ſc. iii: præterea Heſychium, Suidam, & Apoſtolium; qui iiſdem penè verbis rem deſcribunt in Βάττου σίλφιον. Nummi ipſius picturam ex eo, qui fuerat Antonii Piſonis Medici, expreſſit Yvo Villiomarus, hoc eſt, Joſephus Scaliger adverſus Titium lib. viii, cap. xxiv. Malignè facit Titius, in Aſſertionibus ſuis, quòd fidem ejus nummi in dubium vocet. Interim ratio fugit Yvonem, ſive Scaligerum, cùm à Solino ſolo cenſet laſerpitio odoratam tribui radicem; imò id ejus eſſe commentum: cùm & Suidas εὔοσμον, *ſuave-olentem*, dicat: & Ariſtophanis ſcholiaſtes, tum in locum antè memoratum, tum etiam in Aves, Scena eâ, quam Neptunus ſic incipit, Τὸ μὲν πόλισμα.

Ulteriùs eſt Africa propriè dicta; quippe interjecta inter Cyrenaicam, & Mauritaniam, ſecundùm Ptolemæum. Hic cultus eſt Mopſus vates: ut oſtendunt iſta Appuleji de Deo Socratis: *Pro numine poſtea ab hominibus proditi, fanis & ceremoniis vulgo advertuntur: ut in Bœotia Amphiaraus, in Africa Mopſus, in Ægypto Oſiris.* Puto, eum eſſe, non Mopſum Tireſiæ ex Mantone filia nepotem; de cujus in Cilicia oraculo antea vidimus: ſed filium Ampyci, Argonautarum unum; de quo Apollonius, & Valerius Flaccus, in Argonauticis. Item Hyginus fab. xiv: qui priùs quidem rectè Ampyci, & Chloridis filium appellat: ſed poſtea ſcribitur: *Mopſus, Amyci filius, ab ſerpentis morſu in Africa obiit. Is autem in itinere acceſſerat comes Argonautis, Amyco patre occiſo.* Ubi reponendum, *Ampyci filius*, & *Ampyco patre*: unde & Ovidius xii Metamorph.

Nec tu credideris tantum ceciniſſe futura
Ampyciden Mopſum.

Apud Statium etiam in iii Thebaidos ſic de eo Amphiaraus:

—— *Nec, me ventura locuto,*
Sæpius in dubiis audiens Jaſone Mopſus.

Ubi ſic Lactantius ſive Lutatius interpres: *In tantum magnus fuit Mopſus in augurali peritia, ut poſt mortem ei templa dicata ſint: à quorum adytis ſæpe homines reſponſa accipiunt.* Quibus cultus fuerit locis, non addit interpres: ſed de Africa credere debemus Appulejo, homini Afro; addo & mago, eoque oraculorum callentiſſimo. Proque hoc facere etiam videtur Seneca in Medeæ choro: ubi legas,

Idmonem, quamvis bene fata noſſet,
Condidit ſerpens Libycis arenis
Omnibus verax, ſibi falſus uni,
Concidit Mopſus, caruitque Thebis.

Quamquam eo de loco non magnopere contenderim, gnarus, quàm variè eum diſtinguant viri doctiſſimi. Sed iſta, quam poſui, maximè menti convenit Appuleji. Et favet Ammianus in xiv, ubi perperam quidem Argonauticum Mopſum in Cilicia cultum; at rectè cum in Africa mortuum tradit.

In Africa propriè dicta etiam fuere Leptitani, quibus cultus Severus Imperator, civis ſuus. Spartianus in Severo: *Horum igitur tantorum, ac tam illuſtrium virorum interfector* (Severus) *ab Afris ut Deus habetur.* Inque eadem Carthaginenſes erant, Tyriorum coloni, ac propterea cultores numinum Tyriorum; de quibus antea diximus. In iis Herculis; cui propterea decumas proventuum mittebant: ut eſt apud Diodorum lib. xx. Exemplum ejus rei habemus in Cartalone: quem Carthaginenſes Tyrum miſere, ut decimas Herculi ferret ex præda Sicilienſi, à patre ejus Maleo capta: ſicut Juſtinus narrat lib. xviii.

Sed mittamus nunc Herculem Tyrium; quando & antea de eo diximus, iterumque agemus in numinibus Gaditanis, & Hiſpanicis. Cætera etiam prætereamus Carthaginenſium numina, quæ cùm colonia illa duceretur, domo ſecum afferebant; deque illis ſolùm videamus, quæ poſtea receperunt: & quoniam iſta ferè apud gentes fuit conſuetudo, ut eos, quibus urbes deberent originem ſui, non pro parentibus modò haberent, ſed etiam pro Diis: ab his deinceps noſtra proficiſcatur oratio.

De conditoribus Urbis, ſi Appiano a credimus, diſſenſus inter Phœnices & Carthaginenſes fuit. A Phœnicibus enim creditum ait, Xorum & Carchedonem urbem eam exſtruxiſſe; à Carthaginenſibus autem, Didonem. a Initio Libycorum & Punicorum.
Phœnicibus aſſentiri non poſſumus. Nullus enim Xorus fuit: ſed fabula de conditore hoc ex eo cœpit, quòd Carthago eſſet Tyriorum colonia: at Tyrus Phœnicià linguâ צור *Tſor* diceretur. Græcis quippe nulla vox incipit à TS: ſed pro duplici Tſade ſive TS, habent KS ſive Ξ, unde multo plurima inchoant. Ergo pro Τσῶρος dixere Ξῶρος. Niſi pro *Xoro* ſcribendum *Zoro*. Quippe in Euſebii Chronico legas ex Philiſto, Zorum & Carchedonem eſſe Carthaginis conditores. Ubi Græce apud Syncellum Ἐζώρου. Et ſane Z propius abit à Tſade. Nam Z valet δσ: ut φράζω ſit φράσδω, pro quo Dores κατὰ μετάθεσιν, φάρσδω. Nec ullus Carchedon urbem exſtruxit: ſed urbs ea à Tyriis vocata *Carthada* b; pro quo Græci dixere Καρχηδών, uti Latini *Carthago*. Carthada autem appellata eſt ad diſcrimen arcis: uti hodieque crebrò inter *arcem* & *oppidum* diſtingui ſolet. Vocabulum *Carthada* Solino c exponitur *Civitas Nova*: uti Καρχηδὼν Stephano Byzantio καινὴ πόλις, aliis νεάπολις. Nempe ex Arabico קִרְיָה גַדָּא, *caria gadda*. Nam Arabum & Tyriorum lingua eadem. Vel ab Chaldæo קַרְתָּא חַדְתָּא, *carta chadatta*. Quod Hebraicè קֶרֶת חֲדָשָׁה, *kereth hadaſcha*. At arx dicta iis, uti & Hebræis, בָּצְרָה *botſra*, hoc eſt, ὀχύρωμα, πύργος, *arx*, *munimentum*, *burgus*. Sed Græci carent litera tſade: unde nunc T, nunc S omittunt. Itaque à *botſra*, T rejecto, foret *boſra*. Sed nec amant R poſt S: eoque trajectis literis, & vocali mutatâ, dixere βύρσαν: quod iccirco Strabo in xvii ἀκρόπολιν ſive *arcem* interpretatur. Ex his videmus, non modò, unde & *Carthago*, & *Burſa*, nomen acceperint: ſed etiam, non fuiſſe Carthaginem conditam à Xoro, & Carchedone; ut Tyrios tradere, ait Appianus. Quare nihil mirandum, ſi Xorus, & Carchedon, nuſquam referantur in Deos. At contrà eſt de Eliſſa Tyria; cui natales Urbis tribuebant Phœnices. De hac ita Juſtinus lib. xviii: *Quamdiu Carthago invicta fuit, pro Dea culta eſt.* Hanc *Eliſſam Tyriam quidam Dido autumant*: ut inquit Vellejus in primo. Priùs nempe vocabatur אֱלִישָׁה *Eliſſah*: cujus poſterior pars שֶׂה; *agnus*: unde interpretantur *Dei mei agnus*. Niſi idem nomen ac prophetæ Eliſæi, אֱלִישָׁע, quod à יֶשַׁע, *ſalus*; ut ſit *Dei ſalus*, vel *Deus ſalvans*. Apud Euſebium legas, Didoni priùs nomen fuiſſe Ὀριγώ: quod neſcio unde hauſerit. Διδὼ autem, Hebr. דידה, *dilectulam* notat. Eſt enim diminutivum à דוד David, hoc eſt *dilectus*.

b Solin. cap. 30.
c Cap. 30.

lectus. De quo tamen aliter veteres. Euſtathius in Dionyſii περιήγησιν a Διδὼ exponit ἀνδροφόνον b. Servius P. Dan. in 1 Æn. ait Punicâ linguâ notare *viraginem*: atque id nomen adeptam, poſtquam ſe in pyram conjecerat, ne, cujus animo ſemper obverſaretur maritus (Sichæum Maro c, Sicharbam Servius d, Acerbam, vel Acerram Juſtinus e vocat) ea animo adverſante nubere cogeretur Iarbæ, Maxitanorum, ſive Mazyum, ſeu Libyum Numidarum regi. At ſcriptor Etymologici magni, item Varinus Phavorinus, Διδὼ interpretantur πλανῆτιν, hoc eſt, *vagam, erraticam*: quomodo dictam arbitrantur, quia Tyro profuga variè eſſet vagata. Porrò coacta Dido ab Afris ſolum emere Urbi: eoque & Carthaginenſes quotannis pro ſolo urbis vectigal (*ſolarium* id Ulpianus f vocat) ſolvere cogebantur: cumque id, potentiores jam facti, intermitterent: bellum inde inter Afros, & Carthaginenſes, coortum; ut eſt apud Juſtinum lib. XIX. Sed, quod ajunt, Didonem tantum ſoli mercatam,

Taurino quantum poſſent circumdare tergo;

Ut eſt apud Maronem Æn. 1; id planè fabuloſum: multoque fabuloſius, quod Juſtinus ait lib. XVIII, emiſſe, quantum tegere poſſent pelle bubulâ. Nec dubitandum, quin, ad eum Juſtini locum reſpexerit Servius, cùm ad ſuperiorem Maronis locum annotat, *Non tegere, ſed circumdare.* Nempe Juſtini ſententiam damnat. Sanè cum Marone etiam facit Livius lib. XXXIV: *Quantum loci*, inquit, *bovis tergo amplecti potuerint.* Et Appianus initio Punicorum, ὅσον βύρσα ταύρου περιλάβῃ g. Interim & hoc Græculorum eſt commentum: cui præbita eſt occaſio è voce βύρσα, illis *corium* ſignificante. Nempe, more ſuo, omnium origines ex ſua lingua petunt. At ſi accuratiùs inquiſiſſent in res Punicas; vidiſſent, verum arcis ejus nomen, non βύρσα eſſe, ut ipſi pronunciabant, ſed *botſra*, atque id ἀκρόπολιν, ſive *arcem* notare; ut antea diximus.

a Verſ. 195.
b Viri interfectricem.
c 1 Æn.
d Ibid. in Serv. P. Dan.
e Lib. 18.
f L. 2, §. 11. ff. ne quid in loc. publ. & in l. 38, § 4. ff. de leg. 1.
g Quantum corium bubulum comprehenderit.

Satis diximus de urbis Dea, vel arcis conditrice. Poſtea verò & alios cultu dignati ſunt divino. Uti Ἀμίλκαν, *Hamilcarem*: ut eſt apud Athenagoram in Legatione pro Chriſtianis. Fuit ille è patre Carthaginenſi, matre autem Syracuſana: ac ob virtutem eximiam factus eſt Carthaginenſium rex h, hoc eſt, dux; quomodo & *reges* eorum dicuntur Hanno i, Bomilcar k, Imilco l, alii. Poſt cladem ſuorum in Sicilia nuſquam comparuit; etſi Gelo Syracuſanus ſedulò eum juſſerit inquiri. Id unde fuerit, variè olim diſceptatum. Interim hoc Amilcar conſecutus, ut in Deos referretur. Quâ de re ſic Herodotus in Polymnia: Ἔςι δὲ ὑπ' αὐτῶν Καρχηδονίων ὅδε ὁ λόγος λεγόμενος, οἰκότι χρεωμένων, ὡς οἱ μὲν βάρβαροι τοῖσι Ἕλλησι ἐν τῇ Σικελίῃ ἐμάχοντο, ἐξ ἠοῦς ἀρξάμενοι μέχρι δείλης ὀψίης· ἐπὶ τοσοῦτο γὰρ λέγεται ἑλκῦσαι τὴν σύστασιν. ὁ δὲ Ἀμίλκας ἐν τούτῳ τῷ χρόνῳ μένων ἐν τῷ στρατοπέδῳ ἐθύετο καὶ ἐκαλλιερέετο ἐπὶ πυρῆς μεγάλης, σώματα ὅλα καταγίζων· ἰδὼν δὲ τροπὴν τῶν ἑωυτοῦ γινομένην, ὡς ἔτυχε ἐπισπένδων τοῖσι ἱροῖσι, ὦσε ἑωυτὸν ἐς τὸ πῦρ· οὕτω δὴ κατακαυθέντα ἀφανισθῆναι. ἀφανισθέντι δὲ Ἀμίλκᾳ τρόπῳ εἴτε τοιούτῳ (ὡς Φοίνικες λέγουσι,) εἴτε ἑτέρῳ (ὡς Καρχηδόνιοι καὶ Συρηκόσιοι,) τοῦτο μέν οἱ θύουσι, τοῦτο δὲ μνήματα ἐποίησαν, ἐν πάσῃσι τῇσι πόλισι τῶν ἀποικίδων, ἐν αὐτῇ τε μέγιστον Καρχηδόνιοι. *Circumfertur verò apud Carthaginenſes ipſos, ejus imaginem colentes, ſermo iſtiuſmodi: dum barbari cum Græcis pugnant ab aurora ad crepuſculum (tandiu enim productum eſt prælium,) Amilcarem in caſtris permanentem ſacrificaſſe, corpora integra in pyram aggerendo: ſed cùm ſuos vidiſſet in fugam converſos, ita uti erat ſacris occupatus, ſeſe in ignem conjeciſſe, & ſic combuſtum deſiiſſe comparere. Sive verò hoc pacto Amilcar deſiit conſpici, ut Phœnices aiunt; ſive alio modo, ut Carthaginenſes, & Syracuſani volunt: partim ei ſacrificant Carthaginenſes, partim monumenta extruunt, cùm in coloniis omnibus, tum potiſſimum in Urbe Carthaginis.*

h Herod. lib. 7.
i Periplo ejus, qui inſcribitur, Hannonis Carthaginenſium regis.
k Juſtin. lib. 22.
l Oroſ. lib. 4, cap. 6.

Videntur & alicujus divini honoris argumentum eſſe aræ, quas Carthaginenſes Philænis fratribus ſtatuerunt. De iis vide ſis Salluſtium in bello Jugurthino cap. LXXIX, & Valerium Maximum lib. V, cap. VI. Eandem rem narrat Pomponius Mela lib. I, cap. VII: *Aræ*, inquit, *ipſæ nomen ex Philænis fratribus traxere; qui, contra Cyrenaicos miſſi Carthagine, ad dirimendum conditione bellum, diu jam de finibus, & cum magnis amborum cladibus, geſtum; poſtquam in eo, quod convenerat, non manebatur, pacti de integro, ut quicquid de cætero eſſet, popularibus cederet. Mirum & memoriâ digniſſimum facinus; hic ſe vivos obrui pertulerunt.* Sed locum hunc planè mutilum cenſeo: quia deeſt, quomodo pacti ſint de integro. Quod his verbis Salluſtius expreſſit: *Græci optionem Carthaginenſium faciunt, ut vel illi, quos finis populo ſuo peterent, ibi vivi obruerentur; vel eadem conditione ſeſe, quem in locum vellent, proceſſuros.* Valerius autem Maximus idem iſtis habet verbis: *Dixerunt namque, ſic eum finem ratum fore, ſi Philæni vivos ſe ibi obrui paſſi eſſent.* Quibus verbis uſus ſit Mela, difficile ſit dicere. Sed mentem verbis Salluſtii ſic expreſſeris: *Pacti de integro, ut quos finis populo ſuo peterent, ibi vivi obruerentur: quicquid de cætero eſſet, popularibus cederet. Mirum, & memoriâ digniſſimum facinus: hic ſe vivos obrui pertulerunt.* Ex Valerio autem Maximo ſuppleveris Melam hoc modo: *Pacti de integro, ſic eum finem ratum fore, ſi Philæni vivos ſe ibi obrui paſſi eſſent: quicquid de cætero eſſet, popularibus eſſet. Mirum*, &c. Ararum Philænii, vel Philænorum; meminit & Polybius lib. III, & X: item Strabo lib. III, & XVII, Plinius Hiſt. Nat. lib. V, cap. IV, Solinus cap. XXX.

Mirum verò Carthaginenſes coluiſſe Æſculapii numen: de quo auctor nobis Strabo in XVII. Sic enim de Carthagine ſcribit: Κατὰ μέσην δὲ τὴν πόλιν ἡ ἀκρόπολις, ἣν ἐκάλουν Βύρσαν, κατὰ τὴν κορυφὴν ἔχουσα Ἀσκληπιεῖον, ὅπερ κατὰ τὴν ἅλωσιν ἡ γυνὴ τοῦ Ἀσδρούβα συνέπρησε. *Media in urbe, ſummaque ejus parte, ubi arx ſita erat, nomine Byrſa, in ipſo vertice fuit templum Æſculapii: quod Aſdrubalis uxor, captâ Urbe, ſecum combuſſit.* Imò Livii quoque eſt lib. XLI: *Compertum tamen affirmarunt, legatos ab rege Perſeo veniſſe, iiſque noctu Senatum in æde Æſculapii datum eſſe.* Loquitur de legatis Romanis Carthagine reverſis, quos id de Perſei legatis comperiſſe ait. Sanè Æſculapius patriâ Meſſenius fuit; primoque ab Epidauriis in Argia divinos ſuos honores adeptus, exemplum mox reliquâ ſequente Græciâ; ut diximus cap. XIII. Nec tamen jam exiſtimem, Carthaginenſes Æſculapii cultum ἀμέσως a accepiſſe à Græcis, quàm Tyriis. Nam Tyrus captam ante Carthaginem annis centum & octoginta ſex nunc in Seleucidarum, nunc Ptolemæorum fuit poteſtate. Capta quippe Tyros ab Alexandro M. Olymp. CXII, an. I: Carthago autem exciſa à Romanis Olymp. CLVIII, an. III. Intermedio tempore, & Tyros à Syromacedonibus, vel Ægyptiis, & Carthago à Tyriis, cultum didicerit Æſculapii.

a Immediate.

Superſunt Mauri; quibus pro numine Reges fuêre. Unde Tertullianus Apolog. cap. XXIV: *Unicuique etiam provinciæ, & civitati, ſuus Deus eſt; ut Syriæ Aſtartes, ut Arabiæ Diſares, ut Noricis Belenus, ut Africæ Cæleſtis, ut Mauritaniæ reguli ſui.* Cyprianus de Vanitate gentium: *Mauri manifeſtè reges colunt, nec ullo velamento hoc nomen prætexunt.* Lactantius lib. I, cap. XV: *Hac ſcilicet ratione conſecraverunt, & Mauri reges ſuos.* Præcipuè autem cultus Rex Juba. De quo Minucius Felix in Octavio: *Niſi forte poſt mortem Deos fingitis, & pejerante Proculo Deus Romulus, & Juba Mauris volentibus Deus eſt.* Quem locum ſub Arnobii nomine Lilius Giraldus adducit: quia Octavius Minucii inſcribi ſolet *Arnobii Octavus liber.* Minucio aſſentit & Iſidorus lib. VIII Orig. cap. XI. Etiam Mauris Dea Varſutina. Tertullianus lib. II adverſus Nationes, cap. VIII: *Quanti ſunt, qui norint viſum vel auditum & Argatim* (pro *& Argatim*, ſcribendum Atargatim) *Syrorum; Cæleſtem, Afrorum; Varſutinam Maurorum.* Quod numen præterit in Apologetico: nec alibi legere memini: ut nec ſcire liceat, animale, an naturale fuerit numen.

Fortaſſe autem ejus, qui primus eſt *Juba* vocatus, id non proprium nomen, ſed cognomen fuit: ut Nimrodi *Bel*, hoc eſt, *dominus*. Hanc ſuſpicionem injicit ſumma cum nomine Dei τετραγραμμάτῳ convenientia. Siquidem aliqui id *Juubo*, *Jubo*, vel etiam *Jube* extulerunt. Ἰάω ſummum Deum vocari, apud Macrobium *a* legitur. Ac agnoſcit id in Dei nominibus Epiphanius Hæreſ. XL. Ubi & Ἰαβὲ dictum ait. Nempe, ut Theodoretus refert in Exod. Quæſt. XV: Καλοῦσι δὲ αὐτὸ Σαμαρεῖται μὲν Ἰαβὲ, Ἰουδαῖοι, δὲ Ἰαώ. Ubi tamen vulgò Ἰὰ editur. Sed ſic non fuerit tetragrammaton: quale eſſe id nomen, ibidem ait Theodoretus. Dixeris, nec Ἰάω eſſe tetragrammaton. Verùm cogitare oportet, Iones non habuiſſe vau literam; ſed ſolos è Græcis Æoles, qui dixiſſent Ἰάϝω, ut Latini *Iavo*. Solent verò Græci pro litera vau, ſive V conſono, ponere B, vel diphthongum OY. Ita pro *Virgilius* ſcripſere Βιργίλιος, & Οὐιργίλιος. Nempe quia vau inter β, & υ, haberet medium quendam ſonum. Diximus de iſto abunde in primo de Arte Grammatica. In B convertitur, cùm effertur Ἰαβὲ, de quo dictum: in OY verò ab iis, qui ſcripſere Ἰαουέ. De iſto ſic Clemens Alexandrinus in fragmentis nondum editis: unde hæc adducuntur à ſummæ doctrinæ viro Joanne Crojo *b*: Καὶ τὸ τετραγράμματον ὄνομα τὸ μυστικὸν, ὃ περιέκειντο, οἷς μόνοις τὸ ἄδυτον βάσιμον ἦν, λέγεται Ἰαουὲ, ὃ ἑρμηνεύεται ὁ ὢν, καὶ ἐσόμενος. *Et quatuor literarum ſacrum ac occultum nomen, quo redimiti erant ii, quibus ſolis adytum ingredi licebat, effertur* IAVE: *quod exponitur*, QUI EST, ET ERIT. Atque idem Crojus adducit ſcholion ineditum de jubilæo, quo vocetur Ἰωβὴλ: & ex eo, & Ἐλαά, conflatum dicatur Ἰωβὴλ, ut *Jubilaus* ſic dicatur, quaſi annus numinis Ἰάω καὶ Ἐλαά. Sed de etymo illo *Jubilai* falli puto ſcholiaſten: cùm nomen Dei tetragrammatum per י ſcribatur; *jubilæum* per ו: puta יוֹבֵל.

a Lib. 1 Saturn. cap 18.

b Sacrarum & Hiſtoricarum Obſervationum Parte 1, c. 12.

Cap. XXXIII.

Ad Celticam acceditur. Quàm latè hoc vocabulum antiquiſſimis ſe temporibus extenderit; uti & Scytharum, atque Indorum. Quod Tubal exiſtimetur Hiſpanæ gentis conditor, id videri originem cepiſſe ab Flavio Joſepho. Refellitur hæc opinio ex Moſe, Japheti filios ordine recenſente: ex Joſepho, ſingulis ſuas adſignante ſedes: ex Ezechiele, Tubalidas conjungente cum Meſechinis, ac utroſque in Aquilonaribus populis numerante. Ficulnum eſſe argumentum, cum Setubal Tubalis eſſe opus è nomine colligunt: præſertim cùm primitus aliud habuerit nomen, idque Salaciæ, ut videtur. Hiſpanos eſſe Iberum Aſiaticorum colonos; ſi audimus Joſephum, Varronem, Plinium, Abydenum, Megaſthenem, Strabonem, Dionyſium Afrum, & Socratem Scholaſticum. Duæ aliæ ex Appiano ſententiæ adducuntur. Refellitur Megaſthenes de Hiſpanis à Nabuchodonoſoro devictis. Iberes, & Albanos, præcipuè cæleſtia corpora veneratos. At defunctos tantum abeſſe, ut coluerint Albani, ut iis nec fas illos fuerit nominare. Cur per acinacen juraverint Scythæ. Martis cultus apud Accitanos. Maximè videri veriſimile, Occidentalis, & Aſiaticæ Iberiæ gentes, nihil præter nomen habuiſſe commune. Rejecta expeditio Liberi in Iberiam, & nominis Paniæ *impoſiti à Panos præfectura.* Spania, *pro* Hiſpania. *Commenticius Lyſus; unde tamen Luſitania nomen petunt. Fanum Mneſthei. Emporitarum urbs à Maſſilienſibus condita; uti Maſſilia à Phocaenſibus, Phocæa à Phocenſibus. Cur Maſſilienſes coluerint Apollinem Delphinium, & Dianam Epheſiam; imò horum exemplo etiam Emporitæ.*

LUſtravimus Ægyptios, Æthiopas, Afros; gentes ad Meridiem ſitas. Nunc navi ſolutâ petamus Celticam: quo nomine veteres intellexere gentes poſitas ad Occaſum: uti Septentrionales generatim vocarunt Scythicas; ad Orientem, Indicas. Unde Ephorus, Strabone in primo teſtante, prodidit, juxta antiquiſſimos mundum diſpeſci in quatuor partes: ac τὸ πρὸς τὸν ἀπηλιώτην, Ἰνδοὺς ἔχειν· πρὸς νότον δὲ Αἰθίοπας· πρὸς δύσιν δὲ Κελτούς· πρὸς δὲ βορρᾶν ἄνεμον Σκύθας· *verſus ſubſolanum habitare Indos, verſus auſtrum Æthiopas, verſus occaſum Celtas, verſus boream Scythas.* Ubi velut meditullium orbis conſiderat, hinc Romanos, & Græcos; inde Ægyptios, & Afros; Græciæ autem nomine minoris Aſiæ gentes comprehendit: hinc quadripartitò dividit cæteras nationes. Apud Dionyſium quoque Halicarn. videre eſt libro VII, cùm dixiſſet, gentes tardè in deorum cultu a patrio ritu deſciſcere, pro exemplis mox adferre Ægyptios, & Afros, item Celtas, Scythas, Indos, aliaſque nationes barbaras. Hoc enim ordine eas refert; ut liqueat, ſi non omnes, ſaltem prope omnes, in eo, quod dixerat, gentes convenire. Quemadmodum igitur, nunc preſſiùs *India* vox ſumitur; nunc laxiùs, quomodo & Arabiam, & Phœniciam, ac Cananæam, comprehendit; ut oſtendimus, cùm de Hercule, ac Libero Indico, tractaremus: ita *Celtica* nunc preſſe accipitur pro Gallia, imprimis Lugdunenſi; nunc laxè pro gentibus cunctis ad Occaſum ſitis; potiſſimum quinque illis, Hiſpania, Gallia, Britannia, Germania, & Illyride. Quod nihil opus probatu hoc loco, cùm abunde id ante nos egerint alii; præcipuè in Germania antiqua Philippus Cluverius noſter ὁ μακαρίτης.

In Hiſpania, ut latè hæc tellus patet, valde numinis cultus variatum, pro varia in eam gentium migratione. Nos ab incunabulis, quantum poſſumus, rem arceſſemus, ut ita pareat tam diverſi cultus cauſſa.

Primus omnium in Hiſpaniam veniſſe creditur Tubal, Japheti filius, Noë nepos. De quo tamen aliter B. Hieronymus in Ezech. XXXVIII: ubi *Tubal Italos* interpretatur. Sed utramque ſententiam jungit in Jeſaiæ LXVI, *Tubal*, inquit, ſive *Tobel aut Italia interpretatur, aut Iberia.* Item Iſidorus Orig. lib. IX, cap. II; *Tubal, à quo Iberi, qui & Hiſpani: licet quidam ex eo & Italos ſuſpicentur.*

Hæc ſententia originem cepiſſe mihi videtur ex Flavio Joſepho lib. I Antiq. cap. VII, ſive juxta Rufini interpretationem, XI: Κατοικίζει δὲ καὶ Θοβήλους Θόβηλος, οἵτινες ἐν τοῖς νῦν Ἴβηρες καλοῦνται. Ubi Rufini tralatio habet: *Condidit autem Jobel Jobelos, qui noſtris temporibus Iberes appellantur.* Ita & MSSus noſter, & edit. variæ. Sed ſatis ex Moſe ac LXX liquet, *Tobel*, & *Tobelos*, reſcribendum. Portò verba Joſephi de Iberis Europæ plerique intelligunt; Hiſpani imprimis; qui in ſententia etiam fuiſſe Hiſpalenſem Iſidorum, oſtendunt quæ ex eo adduximus. Similiter Rodericus Toletanus lib. I rerum Hiſp. cap. III; alii item magno numero, quibus idcirco non inſiſtam; præſertim quando id Hiſpani extra controverſiam poni volunt: ut videre eſt ex Mariana initio lib. I rerum Hiſpan. cap. VII; ubi hæc de colonia à Tubale in Hiſpaniam ductâ, vocatur *magnorum virorum conſentiens opinio:* & initio capitis VII ait, id *in confeſſo eſſe.*

Equidem inclytæ Hiſpanorum genti nequiquam invideo Tubalem conditorem: quin hac parte, ſi ſic illi videbitur, utroque, quod dicitur pollice faveam potius, quàm odioſè ſuper tantillo contentionis ducere funem. Imò per me quoque licet, Tubalis filium cum Annio Viterbienſi, mirifico impoſtore, Iberum ſtatuat, eumque & Ibero flumini, & Iberiæ terræ, de ſe impoſuiſſe nomen dicat. Interea cur diſſimulem, veriſimiliter aliud colligi è Scripturis, & Joſepho? Primum conſideremus locum, ubi Moſes liberos Japheti recenſet. Eſt is Geneſ. X, 2: *Filii Japheth, Gomer, & Magog, & Madai, & Javan, & Tubal, & Moſoch, & Thiras.* Horum poſteritas quas poſſederit terras, ſic exponit Flavius Joſephus.

A Gomer deducit Galatas: quo nomine intelligit Phrygiæ partem, ut Strabo vocat; quæ & Gallia Aſiatica, & Galatia orientalis, & Gallogræcia. Non quaſi hoc velit Joſephus, Gallogræcos eſſe propaginem Gomeri: ſed

quia

quia cenſeat, veteres Γομαρεῖς loca tenuiſſe, quæ poſtea Gallogræci inſederint Gomeritis permixti. Neque ſic excludit Cimmerios, unde Cimbri originem ducunt: neque item Comaros ſive Chomaros, Melæ, Plinio, ac Ptolemæo prope Margianam, vel Bactrianam, conſtitutos. Quippe Gomeritarum gens in plures ſe terras diffudit, nomine pro dialecto nationis cujuſque leviter variato.

A Magog verò Joſephus deſcendiſſe ait Scythas. Quam ſententiam quoque Hieronymus, ac Theodoretus, ſequuntur. Ac aliqui etiam ſub Magogæis comprehendunt Cœleſyriam, quia in illa Scythopolis; uti liquet è II Maccab. cap. XII, 30: imò & civitas Magog; quomodo à Syris Bambycen dictam, quæ aliter Hierapolis, auctor eſt Plinius lib. V, cap. XXIII; ubi & Atergatum ſive Derceto in ea cultam ait. Satis etiam veriſimile eſt, ab Magogæis ſive Scythis eſſe *Megor*: quippe progeniem Tartariæ, ſive Tattariæ; quam Tartariam perperam vulgo nuncupant.

Sequitur apud Moſen Madai; quem idem Joſephus Medorum facit auctorem: eaque ſententia perpetuo ejus vocis pro gente hac in Scripturis uſu comprobatur.

Idem ab Javan deducit Iones: qui priùs Ἰάονες dicti, ſive Æolicè Ἰάϝονες: nempe ab Javan; ut oſtendimus cap. XVIII.

Ab Thubal ait originem ducere Iberes: melius ſanè, quàm Hebræi Italos, Epiphanius Theſſalos, aliqui etiam Arabas. Tantum ne Iberos ſive Hiſpanos capiamus; de quo poſtea dicam. Alii quia L & R crebrò commutantur, cenſent ex Τύβαλος vel Τόβαλος factum Ταῦρος: unde colligunt, Tubali ſedem obtigiſſe ad Boryſthenem amnem in Taurica Cherſoneſo, ſive minore Scythia; quæ & Precopenſe regnum, & Tataria minor nuncupatur.

Sequitur Meſech ſive Moſoch. Ab hoc ait deſcendiſſe Meſechitas ſive Meſchinos, hoc eſt, Cappadoces; quorum princeps civitas Mazaca, poſtea dicta Cæſarea, Baſilio epiſcopo inclyta. Sed per eſt veriſimile, à Meſech, ſive, ut LXX vocant, Moſoch, eſſe etiam Cappadociæ finitimos Moſchos: quibus à Meridie Armeni, à ſeptentrione montes Moſchici. Regionis hujus Moſchicæ, ut Strabo ait in XI, partem Colchi, partem Iberes, partem Armeni tenuere. Planéque eorum propago Moſchovitæ.

Supereſt Thiras: à quo idem deducit Thraces. Hoc verò nomine etiam Getæ ſive Daci, item Myſi, antiquitus vocabantur; teſte Strabone lib. VII, & Pomponio lib. II, cap. II. Unde Herodotus non dubitat lib. V aſſerere, Thraces gentem eſſe poſt Indos maximam. Nempe quandoque Thracum, & Scytharum vocabula promiſcuè uſurpant veteres.

Hæc pluribus ſum perſecutus, quia lucem nobis præbent ad primas Thubalis ſedes indagandas. Quippe cùm inter fratres, vel proximè ſaltem, habitârit; valde à vero abhorret, eum tam longè à conſanguineis in ultimum receſſiſſe Occidentem. Præterea hanc ſententiam eo ſolidè cenſeo refelli, quod Thubalidæ referantur inter Syriæ Aſiæque populos. Ut Ezechiel. XXXVIII, 2: ubi Gog vocatur caput, ſive princeps Magogæorum, & Thubalidarum. Ac ſimiliter XXXIX, 1: ubi dicitur Deus eos producturus è terra Aquilonari. Alibi etiam Meſech, & Thubal, conjunguntur, ut gentes conterminæ. Velut Ezech XXVII, 13, & XXXII, 26. Meſech verò eſſe ſeptentrionalem Aſiæ populum, ſatis convenit. Quamobrem & Thubal fuerit inter ſeptentrionales Aſiæ nationes; non in Occidente, eoque ultimo.

Valde verò minutum eſt, quod aliqui obtendunt, in Luſitania eſſe Setubal: quod oppidum à Tubale conditum ajunt. Et pugnat eo argumento etiam Delrius in Geneſ. cap. X. At quis veterum Geographorum, vel ex aliis etiam ſcriptoribus, Setubal oppidum nominavit? Quod arguit, non eſſe admodum vetuſtum. Vel ſi veteribus notum, alio id ſub nomine erit; fortaſſe Salaciæ; quod Caroli Cluſii, viri ſummi, nobiſque in adoleſcentia non citra fructum cogniti, judicium erat. Salaciam verò in Turdetanis conſtituunt Plinius, ac Ptolemæus.

At non æquè adverſer, ſiquis contendat, Iberes Aſiaticos eſſe Thubalis poſteros: atque eos coloniam duxiſſe in Hiſpaniam, fluvioque Iberi, item genti Iberiæ nomen dediſſe. Hoc voluit Joſephus; cujus verba antea adduximus. Plinius quoque, Varronem ſecutus, Iberes, ſive Iberos, primo loco collocat inter nationes, quæ ante Romanos in Hiſpania fixerunt ſedes. Sic enim ſcribit lib. III, cap. I: *In univerſam Hiſpaniam M. Varro perveniſſe Iberos, & Perſas, & Phœnicas, Celtaſque, & Pœnos tradit.* Longè tamen aliter Megaſthenes; qui Seleuci Nicatoris tempore rerum Chaldaicarum, & Aſſyriarum, hiſtoriam condidit: ex qua ſic Abydenus apud Euſebium in IX præparationis Evangel. cap. XLI a: Μεγασθένης δέ φησι, Ναβουκοδρόσορον Ἡρακλέος ἀλκιμώτερον γεγονότα, ἐπί τε Λιβύην καὶ Ἰβηρίην στρατεῦσαι. ταύτας δὲ χειρωσάμενον, ἀπόδασμον αὐτέων εἰς τὰ δεξιὰ τοῦ Πόντου κατοικίσαι. *Megaſthenes ait, Nabucodroſorum Hercule ipſo fortiorem fuiſſe, atque adverſus Libyam & Iberiam bellum geſſiſſe, iiſque ſubactis, partem eorum ad dextrum Ponti latus in coloniam miſiſſe.* Strabo etiam in primo tradit, Iberos occidentales in loca ultra Pontum & Colchidem commigrâſſe. Imò & ſimiliter Dionyſius in Periegeſi ſcribit:

a *Sive pag. 243. edit. Rob. Steph.*

Τῷ δ' ἐπὶ ναιετάουσιν ἐπηλυδὸν ἔθνος Ἰβήρων,
Οἵ ποτε Πυρήνηθεν ἐπ' ἀντολίην ἀφίκοντο.

Quæ Priſcianus ita reddidit:

Quem juxta terras habitant Orientis Iberes:
Pyrenes quondam celſo qui monte relicto,
Huc advenerunt, Hircanis bella ferentes.

Sequiturque hanc opinionem etiam Socrates Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ lib. I, cap. XVI. Non pauci tamen ab hac ſententia receſſerunt. Nam Appianus in Ibericis tradit, cùm aliqui putarent, Iberos Europæ eſſe προγόνους b Iberum Aſiæ; alios contrà exiſtimaſſe, eos iſtorum eſſe ἀποίκους c: fuiſſe etiam, qui neutros vel progenitores, vel colonos arbitrarentur. Quomodo Ἴβηρ ratione gentis utriuſque erit ὁμώνυμον ἀπὸ τύχης d, qualia Ariſtoteles vocat πολὺ ἀπέχοντα e: non verò ἐκ προαιρέσεως f: ſive διὰ τὸ συγγενὲς g: ut idem diſtinguit lib. I Nicomach. cap. V, & Φυσικῆς ἀκροάσ. lib. VII, cap. I, item I Topic. cap. VI. De tertia hac ſententia mox videro. De prioribus duabus ſic ſtatuo, multò eſſe veriſimilius, Hiſpanos eſſe colonos Iberum in Aſia: quàm ut contrà Hiſpani, per immenſa terrarum ſpatia, ultra Colchidem commigrarint. Quod eo minùs arridet, quia ab Oriente propagatum eſt genus humanum. Placuit id tamen erudito viro Antonio Delrio, gloſſis in Geneſ. X: & quia Abrahamus Ortelius h, Geographus egregius, civis ejus, (Antuerpienſis enim uterque, ſed Hiſpanis ille, hic Belgis ortus) ſomnium id vocare non dubitaverat: nec veritus ille hoc eum elogio ornare; *Somnium vocat civis meus Ortelius, homo diligentior, quàm doctior.* Non eſt hic diſſerendi locus, cujus vel hic, vel ille, aut doctrinæ, aut judicii fuerit: uterque diffuſâ lectione, deque ſtudiis bene meritus. Solùm Delrio nunc ejuſdem gentis, nec minoris judicii, Marianam oppoſuero: qui rerum Hiſp. lib. I, cap. VII, cenſet, & flumini Ibero, & Iberiæ terræ, ab Iberibus Aſiæ factum eſſe nomen. Nolim tamen cum Ortelio, quod malè adeo habuit Delrium, contrariam ſententiam vocare ſomnium: qua appellatione abſtinendum cenſeo, ubi qui diſſentiant, multos, & graves ex antiquis, pro ſe laudare poſſint auctores. Solùm ſomniaſſe dixero, qui primo id fuerit commentus: utcunque ſuum ſeu ſomnium, ſeu commentum, perſuadere potuerit vigilantibus. Is mihi Megaſthenes videtur, tantus admirator Alexandri Magni, ac Nabuchodonoſori, ut utrumque Herculi præponeret. Huc pertinet, quod ab Hercule quidem ſuſceptam diceret expeditionem in Indias: ſed peregiſſe ea Alexandrum, irritus ubi labor fuiſſet Herculeus. Qua de re diximus cap. XXV. Atque idem, ut antea vidimus, clarè ait, Nabuchodonoſorum fuiſſe Ἡρακλέος i ἀλκιμώτερον. Hoc eo comprobat, quia Ægyptum vicerit, & Libyam, & Hiſpaniam. De bello quidem ejus adverſus Ægyptios ex ſacris ſcimus literis. Et fortaſſe tum ulterius in Libyam eſt progreſſus. Sed de Hiſpania tentata,

b *Progenitores.*
c *Colonos.*
d *Fortuito ambiguum, ſive caſu plura ſignificans.*
e *Multum diſtantia.*
f *Conſulto.*
g *Ob cognationem.*
h *In Theſauro Geographico, voce Iberes.*
i *Fortiorem Hercule.*

ac devicta, figmentum eſt Megaſthenis: qui, poëtarum more, ex vocabulo ambiguo occaſionem arripuit fabulæ. Devicerat vicinos ſibi Iberes. Hinc commentus, viciſſe eum Iberos, hoc eſt, Hiſpanos.

Quod ſi Iberes ex Aſia primi in Hiſpaniam ſint profecti: non operoſum adeo erit diſpicere, qualis apud eos antiquiſſimis temporibus Deorum fuerit cultus. Nec enim facile ſolent Deorum gentilium cultores (ut verbis utar Dionyſii) ἀπομαθεῖν, ἢ παρανομῆσαί τι περὶ τῶν ἀρχαίων τῶν θεῶν· *dediſcere, vel aliquid immutare in patriis ritibus ac inſtitutis, quibus ſacra Deorum celebrantur.* Cultum igitur induxerint Iberes in Hiſpaniam, qualis apud eos, & locis finitimis, obtineret. At Iberes, genteſque vicinæ, cælum, & ſolem, lunamque venerabantur. De Albanis quidem, qui Iberibus conterminis, ſic Strabo in XI: Θεοὺς δὲ τιμῶσι, Ἥλιον, καὶ Δία, καὶ Σελήνην· διαφερόντως δὲ τὴν Σελήνην· ἔστι δ᾽ αὐτῆς τὸ ἱερὸν τῆς Ἰβηρίας πλησίον. *Deos colunt, Solem, & Jovem, & Lunam: præcipue autem Lunam. Cujus templum eſt Iberiæ vicinum.* Atque hoc, quod de vicinitate ejus templi addit, veriſimilius etiam reddit, quod de Luna ab Iberibus culta dicebamus. Quare Iberes naturam potius, præcipuè cæleſtem, coluerint, quàm defunctos. Quod de vicinis Albanis certiſſimum eſt. Nam his, ut ibidem refert Strabo, τεθνηκότων οὐχ ὅσιον φροντίζειν, οὐδὲ μεμνῆσθαι· *nefas eſt mortuorum curam gerere, aut mentionem facere.* Martem quoque ab Iberibus celebratum, credibile eſt: quia Iberia habuit homines, ut Strabo ibidem narrat, μαχίμους, Σκυθῶν δίκην ζῶντας καὶ Σαρματῶν· *bellicoſos, & Scytharum more, ac Sarmatarum viventes.* Scythis verò cultum maximopere Martem, eique aſinum ſacrificatum, ex Apollodoro, & Callimacho, proditum Clementi Alexandrino: imò apud Thraces, qui antiquitus Scythis accenſebantur, natum eſſe Martem, ſcripſit Sophocles: quemadmodum cap. XVI dicebamus. Quodque Scythæ per acinacen jurarent, ut Lucianus in Toxari refert; non tam eo videtur ſpectaſſe, quod acinacem crederent Deum; ſed quia Martis eſſe ſymbolum putarent. Quare, ſi Hiſpani Iberum Aſiæ fuerint propago, hinc fortaſſe Martis cultum acceperint. Martem quidem in Acci, Tarraconenſis Hiſpaniæ oppido, divinos adeptum honores, teſtis nobis Macrobius lib. I Saturn. cap. XIX: *Accitani*, inquit, *Hiſpana gens, ſimulachrum Martis radiis ornatum maxima religione celebrant, Neton vocantes.*

Quamquam verò faciliùs in animum induxero, Iberes Aſiaticos coloniam duxiſſe in Hiſpaniam, quàm Hiſpanos in loca Aſiæ Septentrionalia: imprimis tamen eò propendeo, ut putem, neutros alteris originem ſuæ gentis debere: præſertim quando, ut Appianus ait, ἔθνεσιν οὐδὲν ἦν ὅμοιον, ἢ γλῶσσα· *nec moribus ulla ex parte, nec linguâ conveniunt.* Et ſanè Strabo etiam, cùm libro primo dixiſſet, Aſiæ Iberes coloniam eſſe Hiſpanorum: ex libro tamen XI liquet, non abhorruiſſe ab eorum opinione, qui nihil eos niſi nomen commune habere arbitrarentur. Quæ ſi ita ſunt, uti putamus; ex religione Iberum in Aſia ſolide nihil de veterum Hiſpanorum religione colligatur.

Poſt Iberes Plinius ex Varrone ſubjungit Perſas. Qui cùm ſolùm coluerint Deos φυσικούς, non item defunctos; ut ex Herodoto antea oſtenſum; non eſt quod hoc loco iis inſiſtamus. Mirum verò, Varronem Pliniumque inter eos, qui coloniam duxerint in Hiſpaniam, reponere Perſas; de quibus, hoc cùm argumentum tractant, tot ſilent auctores: præterire autem Græcos, de quibus tam multi loquuntur. Nec albâ tamen lineâ ſignamus omnia, quæ produntur de Græcis. Nam quid fabuloſius, quàm ſuſceptam à Libero Thebano expeditionem in Hiſpaniam: eum te bene geſtâ præfeciſſe genti Pana, cujus fideli operâ uſus eſſet in bello: ab hoc regionem primò vocatam eſſe *Paniam*; poſtea *Spaniam*. Ita tamen Soſthenes in XIII rerum Ibericarum, & exinde Plutarchus junior libro de Fluminibus: atque è Latinis Varro, ex eo item Plinius, cujus mox verba adducam. Nempe prora & puppis narratiunculæ eſt ſimilitudo vocabuli: quæ quam fallax præbeat argumentum, nemo ignorat. Quod ſi meris inſiſtendum conjecturis; veriſimilius illi, qui ab inclyta Hiſpali prius Hiſpaliam, inde Hiſpaniam putant nominatam. Potius verò ex *Hiſpania* κατ᾽ ἀφαίρεσιν *Spania* ſit, quàm κατὰ πρόσθεσιν ex *Pania*, voce nulli uſurpatâ, *Spania* crebrò legas in MSS. Curtii, Juſtini, Capellæ, atque aliis, etiam è Patribus antiquis. Quid mirum? cùm ipſe uſurpet B. Paulus ad Rom. XV, 24, 28. Frequens etiam apud Grammaticos veteres, ut veterem Juvenalis interpretem ſat. XIV, & alibi. In gloſſis item Benedicti Græcolatinis Σπανία, *Iberia.* Corruptiſſimè verò in membranaceis gloſſis noſtris, hactenus ineditis: *Heſperia, ſpina.* Ubi legendum, *Spania.* Idemque error mox, cùm *Heſperidum* exponitur *ſpinarum.* Uti poſt aliqua, *Hiberia, ſpinea.*

Alterum etiam locum dedere Libero, nempe Luſum; imò & Lyſſam. Plinius lib. III, cap. I: *M. Varro tradit, Luſum Liberi patris, ac Lyſſam cum eo bacchantem, nomen dediſſe Luſitaniæ, & Pana præfectum ejus, univerſæ.* Ita locus is bonâ mente legitur in antiqua Parmenſi a: pro quo perperam in Dalecampianâ, *cum eo bacchan-* a Anno 1476.
tium. Apud Capellam eſt lib. VI, *a luſu Liberi patris.* Ubi reſcribe, *à Luſo.* Niſi Capella ipſe corrupto uſus ſit Plinii codice; vel, Luſi illius ignarus, Plinii mentem corrupit. Utcunque eſt, Rodericus etiam Toletanus lib. I rerum Hiſpanicarum, cap. V, à luſu Liberi ſic Herculem nominaſſe Luſitaniam arbitratur. Quaſi Liber, vel Hercules, Latinè ſint locuti. Sed minùs hæc aperta. Cum illis potiùs velitatio ſit, qui Luſum, vel Lyſum, Liberi comitem, nomen cenſent dediſſe Luſitaniæ, ſive malis Lyſitaniæ: prout ea vox perſcribitur, non modò in Strabonis, Athenæi, & Ptolemæi codd. ſed etiam inſcriptionibus antiquis. Sua verò ſponte hæc corruunt, ſi cum Hecatæo negemus, Liberum in Hiſpanias veniſſe. Alter, ſcio, Diodorus: quem hac parte etiam ſequi non dubitavit Mariana in primo rerum Hiſpanicarum. Verùm caput & fons erroris eſt, quòd non diſtinxerint inter Liberum Thebanum, & Herculem Tyrium, hoc eſt, Gaditanum; de quo poſtea agemus.

Ulteriora ad tempora efferamus pedem. Æquè vanum de Olyſippone conditâ ab Ulyſſe. Quam fabellam ſuperiùs ſatis jugulavimus. Nec ea alio ſubnixa eſt tibicine, quàm ſimilitudine ſolâ harum vocum, Ὀδυσσεύς, & Oliſippo; prout vox ea ſcribitur in antiquis codd. cùm aliorum, tum Varronis lib. II rerum Ruſt. cap. I. Strabo in tertio hanc Ulyſſis navigationem in mare externum comprobare conatur ex Hiſpanico Minervæ fano. Quaſi non id à Phocæenſibus, vel Græcorum aliis, eſſe potuit. Dixeris, non magis abſurdum eſſe de Ulyſſe, quàm de Meneſtheo: cujus Strabo non portum modò in Bætica agnoſcit, ſed oraculum etiam; quod oſtendit, divinum eſſe honorem homini habitum Trojano. Atque hoc etiam Philoſtratum confirmare in quinto de vita Apollonii cap. I: ubi cùm dixiſſet, non Ægyptium tantummodo Herculem coli à Gaditanis, ſed etiam Thebanum; qui cultus procul dubio à Græcis fuit: ſubjungit, ut magna etiam in veneratione iis ſint Græci, præcipue Athenienſes; eoque καὶ Μενεσθεῖ τῷ Ἀθηναίῳ θύειν· *etiam Meneſtheo Athenienſi ſacrificare.* Sed facile his occurritur. Potuit enim hic Meneſthei cultus eſſe ab appulſu ejus in Hiſpaniam; utcunque non fuerit profectus extra columnas Herculis. Præterea quid ſi & Ulyſſis, & Meneſthei veneratio, à junioribus ſit inducta? Et profectò longè illud veriſimilius. Nam & Themiſtoclem ſeculis aliquot juniorem, non divino quidem cultu dignati fuere, attamen heroico: ut cui ob res non terrâ modò, ſed etiam mari geſtas, æneam poſuerint ſtatuam Gaditani: cui etiam ſoleant ὥσπερ χρησμῷ ἐφιστάναι· *ſtatui oraculo adſiſtere*: ut ibidem narrat Philoſtratus.

Ut verò Trojanis temporibus Hiſpanos non adierint Græci, poſtea tamen eò profectos, argumento fuerit Emporia, maritimum Indigetorum oppidum, à Græcis conditum. Livius lib. XXVI: *Ita* (Scipio) *oſtiis Tiberinis profectus Pyrenes circumvectus promuntorium, Emporiis urbe Græca (oriundi & ipſi à Phocæa ſunt) copias expoſuit:*

ſuit: inde Tarraconem pedibus profectus. Idem lib. XXXIV: *Secundo vento Emporias perventum. Jam tunc Emporiæ duo oppida erant muro diviſa. Unum Græci habebant, à Phocæa, unde & Maſſilienſes, oriundi; alterum Hiſpani.* Sic interpungo, diſtinguendo poſt *habebant*, & *Maſſilienſes*: ut ſententia ſit, tam Emporienſes, quàm Maſſilienſes, eſſe oriundos à Phocæenſibus. Plinius lib. III, cap. III: *Oppidum Emporiæ geminum, veterum incolarum, & Græcorum: qui Phocæenſium fuere ſoboles.* Meritò autem Livius non tam ortos à Phocæenſibus, quàm ab iis oriundos, ait. Quippe Emporium, ſive Emporia (ut Strabo in tertio ſcribit) ἐστὶ Μασσαλιωτῶν κτίσμα, *Maſſilienſium eſt opus.* Sed Maſſilia à Phocæenſibus condita eſt: ut propterea Emporienſes etiam Phocæenſium ſoboles dicantur. Ac habuere Emporienſes & alias ſub ſe civitates: uti Rhodopen, quam eorum eſſe urbem, Strabo ait: quamquam addit, quoſdam à Rhodiis conditam dicere. Atque ex his facile eſt cauſſam cognoſcere, cur Emporienſes tantopere coluerint Apollinem, & Dianam. Nam, ut de Rhodiis taceam, quibus ſumma in veneratione Sol erat; unde & ingenti eum coloſſo honorarunt: Emporienſes cultum Apollinis hauſere à Maſſilienſibus, Maſſilienſes à Phocæenſibus, Phocæenſes à Phocenſibus, & Athenienſibus. Phocæa enim à Phocenſibus condita, coloniam deducentibus Philogene & Damone Athenienſibus. Phocis verò celebrata imprimis templo Apollinis Delphici. Athenienſes autem coluere Apollinem Delphinium; ut eſt apud Pauſaniam in Atticis. Quare partim Athenis, Phocide partim, quæ Achajæ, ſive Ἑλλάδος regio eſt, Apollinis veneratio illata Phocæam. Eſt ea in Aſia civitas Ioniæ, juxta Stephanum. Ptolemæus Æolidi tribuit. Nempe de limitibus, ut fit, inter Iones, & Æoles, non ſemper convênit. Porrò tota Aſia maximè coluit Dianam Epheſiam; Ionia imprimis, cujus civitas Epheſus. Hinc cauſſam cognoſcimus, cur Maſſilienſes coluerint Apollinem Delphinium, & Dianam Epheſiam. Strabo lib. IV: Κτίσμα ἐστὶ Φωκαιέων ἡ Μασσαλία· ἐν δὲ τῇ ἄκρᾳ τὸ Ἐφέσιον ἵδρυται, καὶ τὸ τοῦ Δελφινίου Ἀπόλλωνος ἱερόν· τοῦτο μὲν κοινὸν Ἰώνων ἁπάντων· τὸ δὲ Ἐφέσιον, τῆς Ἀρτέμιδός ἐστι νεώς, τῆς Ἐφεσίας. *Maſſilia à Phocæenſibus eſt condita. In arce eſt Epheſium, & Apollinis Delphinii fanum. Hoc quidem omnium Ionum commune eſt: Epheſium autem fanum eſt Dianæ Epheſiæ.* Non mirum verò, quod Apollinem Delphinium in omnibus ait Ioniæ oppidis cultum: quando, præter Athenienſes, de quibus jam diximus, etiam coluere alii; in his Æginenſes; non uno id loco teſtante Pindari ſcholiaſte. Ac meminere Delphinii hujus Apollinis etiam Plutarchus in Theſeo, Pollux lib. VIII, cap. X, & Laërtius in Thalete. Ut verò à Phocæenſibus Maſſilia, ita à Maſſilienſibus Dianæ Epheſiæ cultum accepit Emporium: quod diſertim teſtatur Strabo lib. III; ubi cùm de Rhodope, Emporitarum urbe, eſſet locutus, ſubdit continuò: Κἀνταῦθα, καὶ ἐν τῷ Ἐμπορίῳ, τὴν Ἄρτεμιν τὴν Ἐφεσίαν τιμῶσιν. *Ibi, & Emporiis, Dianam Epheſiam colunt.* Ac deinde addit, ſe cauſſam ejus velle exponere, ubi ad Maſſiliam fuerit deventum.

Cap. XXXIV.

Unde nomen Erythea. Aliam eſſe inſulam Gadim Longam, in qua Julia Gaditana; aliam Erytheam; contrà quàm Solino traditum. Tarteſſon quoque aliam eſſe à Gadibus; etſi aliter Plinio viſum. Erythræo ſive Rubro mari unde nomen. Phœnices ex eo dictos, quia eſſent ſoboles Phœnicis, hoc eſt, Edom, ſive Eſavi. Tyrios ab Idumæis ſive Eſavi poſteris genus ducere, poſt Plinii ac Solini auctoritatem, etiam ex Herodoto ac Procopio comprobatur. Unde ſit, quòd Tyrius Hercules nonnullis vocetur Ægyptius. Herculem Tyrium juniorem, à quo Geryon ſubactus, videri a morte eodem templo ac ſacris iiſdem cultum, quibus vetus Tyriorum Hercules Melcarthus; ſive hic Eſavus, ſive Tyriæ urbis conditor fuerit. Hiſpanos omnes eſſe Celtas; nec Celtiberiam *dici ex eo, quod Galli in Hiſpaniam miſerint coloniam; ſed ut diſtinguerentur à Celtis trans Pyrenæum.* Portugalliæ *etiam nomen non à Gallis eſſe; ſed à populo Callaico, vel Cale oppido juxta Durium. Unde* Calis *dicta, conjectatum. Quando* Portucaliæ *nomen primum in uſu eſſe cœperit.*

POſt Iberes, ac Perſas, quibus addidimus Græcos, Plinius, gentes eas memorans, à quibus coloniæ in Hiſpanias ductæ ſint, etiam, ut antea vidimus, Phœnices recenſet. Horum fuere & inſulæ Baleares. Strabo lib. III: Σφενδονῆται ἄριστοι λέγονται· καὶ τοῦτ' ἤσκησαν, ὥς φασι, διαφερόντως ἐξ ὅτου Φοίνικες κατέσχον τὰς νήσους. *Baleares optimi funditores habentur, & hoc maximè exercuerunt, ut fama eſt, ex quo Phœnices inſulas eas obtinuerunt.* Eorundem colonia erant Gades: ut eſt apud Strabonem in III, Velleium in primo, Plutarchum in Scipione, & alios, magno conſenſu. Vett. gloſſæ in Juvenalis ſat. XI. verſ. CLXII: *De Syris & Afris Gadis condita eſt.* hoc eſt, à Pœnis, & Carthaginenſibus. Atque antea diximus, à Punico *Gadir*, quod *ſepem* notat (quomodo vocarunt, quia munimentum foret adverſus Hiſpanos) eſſe Græcum Γάδειρα, terminatione A appoſita: ut à *Gadir* eſt *Gadis*, R in S converſo: contrario more, quàm Spartani pro Τιμόθεος dicebant Τιμόθεορ; per γενόμενος, γενόμενορ: ut oſtendit ψήφισμα ᵃ Spartanum apud Boethium lib. I de Muſica. ᵃ *Decretum.*

Ab iiſdem Phœnicibus eſt appellatio Erytheæ: quia Phœnices aliter dicti Erythræi, quoniam veniſſent ab mari Erythræo. Solinus cap. XXVI: *In capite Bæticæ inſula à continenti ſeptingentis paſſibus memoratur, quam Tyrii, à Rubro profecti mari, Erytheam; Pœni ſuâ linguâ Gadir, id eſt, ſepem, nominarunt.* Ubi eandem putat inſulam *Gades*, ac *Erytheam*; contrà quàm alii tradiderant, etiam Plinius lib. IV, cap. XXII: qui interim convenit de Tyriis ab Rubro mari profectis, & inde Erythræorum nomine vocatis. Plinii ſunt iſta: *Gadis longa habet oppidum civium Romanorum, quod appellatur Auguſta urbs Julia Gaditana. Ab eo latere, quo Hiſpaniam ſpectat, paſſibus fere centum, altera inſula eſt, in qua prius oppidum Gadium fuit. Vocatur ab Ephoro, & Philiſtide, Erythia; à Timæo, & Sileno, Aphrodiſias; ab indigenis Junonis.* Hinc de Gadi longa ſic loquitur: *Majorem Timæus Cotinuſam apud eos vocitatam ait: noſtri Tarteſſon appellant, Pœni Gadir, ita Punica lingua ſeptem* (ſcribe *ſepem*) *ſignificante.* Ubi valde fallitur, cùm Gadem longam eandem cenſet, ac Tarteſſon; quæ in Bætica fuit. Tum de minori hæc ſubdit Plinius: *Erythia dicta eſt, quoniam Tyrii ab origine* ᵇ *eorum orti ab Erythræo mari ferebantur. In hac Geryones habitaſſe à quibuſdam exiſtimatur, cujus armenta Hercules abduxerit. Sunt qui aliam eſſe eam, & contra Luſitaniam, arbitrentur, eodemque nomine quondam ibi appellatam.* Diverſa igitur Erythea, ac Gadis longa. Interim utraque Phœnicum opus: utraque etiam appellatione ipſâ originem indicat. Nam, ut jam vidimus, Ἐρύθεια eſt dicta ab Erythræis: Erythræi autem ſunt Phœnices; qui hoc nomen adepti ab Erythræo ſive Rubro mari, unde Tyrum venerant. Nempe *Erythræi* ab ἐρυθρὸς *ruber*: *Erythea* ab ἔρυθος, *rubor*. *Erythræum* autem mare hoc nomen accepit ab rege Erythra, ut gentiles vocant; qui in Scripturis Eſau, vel Edom, quod idem ac *rufus*. Solâ igitur linguâ differunt, Hebræum *Edomi* ſive *Idumæum* mare, Græcum Ἐρυθραῖον, & Latinum *mare Rubrum*. Quod ſi Tyrii ſint profecti à mari Idumæo: non obſcura fuerit ratio, unde vocentur Φοίνικες. Idem enim eſt Φοίνικες ac ἐρυθραῖοι. Nam φοῖνιξ idem ac ἐρυθρός, hoc eſt, *ruber*, ſive *rutilus*; qui & *ſpadix color*. Itaque & Latini ex φοινίκεος fecere *puniceus*: nempe uti ex Φοῖνιξ *Pœnus*, unde *Punicus*. Quod verò Tyrios à mari Idumæo profectos Plinius, ac Solinus, dicunt: id proditum quoque ab Herodoto initio operis ſui; ubi eximios Perſarum tradere ait, veniſſe in Phœnicen ἀπὸ τῆς Ἐρυθρῆς καλεομένης θαλάσσης· *à mari, quod Rubrum vocatur.*

ᵇ *Salmaſius, aborigines eorum.*

catur. Ac Strabo quoque in primo, hanc quorundam eſſe opinionem memorat. Firmat etiam Procopius in Vandalicorum ſecundo *a*: Ἡ ἐπιθαλασσία χώρα, ἐκ Σιδῶνος μέχρι τῶν Αἰγύπτου ὁρίων, Φοινίκη ξύμπασα ὀνομάζεται. *Litoralis omnis tractus, ab Sidone uſque ad limites Ægypti, Phœnice vocabatur.* Ex his ſatis cognoſcimus, Edomi, hoc eſt, Eſavi poſteros à parente nominatos Idumæos: & hos habitaſſe ad ſinum Arabicum, indeque dictum mare Erythræum ſive Rubrum: à mari autem Erythræo profectos in regionem Tyri ac vicinam, indeque nomen Phœnicum accepiſſe: à Phœnicibus denique Hiſpanicæ inſulæ nomen datum Erytheæ, quaſi Phœniciam vel Idumæam dixeris.

a Pag. 135, edit. Auguſt.

Is, qui coloniam hanc duxit, ob fortitudinem vocatus Hercules. Geryonem enim cum fratribus regno excuſſit. Unde Juſtinus lib. XLIV: *Inde denique armenta Geryonis, quæ illis temporibus ſolæ opes habebantur, tanta fama fuere, ut Herculem ex Aſia prædæ magnitudine illexerint. Porrò Geryonem ipſum non triplicis naturæ, ut fabulis proditur, fuiſſe ferunt: ſed tres fratres tanta concordia extitiſſe, ut uno animo omnes regi viderentur.* Atque hic eſt Hercules ille Aſiaticus, qui Herculis antiquioris cultum Gadibus induxit; ipſeque cum eo coli meruit; ut mox pleniùs exponam. Gaditani verò ac Erythei cum Hiſpanis ope Carthaginenſium feliciter bellum gerentes, hunc Herculis ſui cultum etiam per Hiſpaniam propagarunt. Qua de re ſic ibidem Juſtinus: *Cùm Gaditani a Tyro, unde & Carthaginenſibus origo eſt, ſacra Herculis, per quietem juſſi, in Hiſpaniam tranſtuliſſent, urbemque ibi condidiſſent: invidentibus incrementis novæ urbis finitimis populis, ac propterea Gaditanos bello laceſſentibus; auxilium conſanguinei Carthaginenſes miſere. Ibi felici expeditione & Gaditanos ab injuria vindicaverunt, & majorem partem provinciæ imperio ſuo adjecerunt.* Subjungit deinde, ut eò miſſus ſit Hamilcar imperator, magna cum manu ad occupandam provinciam: tum Haſdrubal: Hannibal denique, qui utriuſque res geſtas ſupergreſſus, Hiſpaniam domuerit univerſam. Atque hæc ſatis oſtendunt, antequam Hiſpani cum imperio Romano religionem quoque reciperent, Herculem Tyrium coli ab iis ſolere. Quidam tamen Herculem hunc Ægyptium potius, quàm Tyrium, appellant. Uti Philoſtratus lib. V de vita Apollonii, cap. 1: ubi de Gaditanis ſic ſcribit: Ἐν τῷ ἱερῷ τιμᾶσθαι ἄμφω τὼ Ἡρακλέε φασίν, ἀγάλματα δὲ αὐτοῖν οὐκ εἶναι· βωμοὺς δὲ, τὸν μὲν Αἰγυπτίου, δύο, χαλκοῦς, καὶ ἀσήμους· ἕνα δὲ τοῦ Θηβαίου. *Aiunt, in templo eodem coli Herculem utrumque: ſed nulla eſſe eorum ſimulacbra; verùm aras, Ægyptio quidem duas ex ære ſine ſimulachro; at unam duntaxat Thebano.* Suſpicor, promiſcuam hanc appellationem, quam & Mela *b* firmat, ortam magna ex ſimilitudine ſacrorum inter Phœnices, & Ægyptios. Et fortaſſe claſſis ea, quæ in Hiſpanias coloniam duxit, non Phœnicibus modò, ſed etiam Ægyptiis conſtabat: ut utraque ideo regio gloriam hujus ſibi coloniæ vindicaret. Cùm verò ejuſce coloniæ ducem ſtatuimus Herculem Tyrium, non eum intelligimus, qui aliter Melicetta ſive Melcarthus eſt nuncupatus; ſed aliquem multò juniorem. Prior ille, quantum conjecturâ aſſequi poſſum, eſt Idumæus ille, qui Tyrum ædificavit. Solent enim, qui urbes extruxiſſent, pro Diis haberi tutelaribus. Vel Idumæus ille conditor habuerit hoc honoris ipſi Edom ſive Eſavo, ut, quia pater eſſet Idumæorum, θεὸς πατρῷος *c* haberetur. At florentibus demum Tyriorum rebus, præque aliis maris obtinentibus dominium, miſſa in Hiſpaniam colonia fuit; cujus dux à rebus præclarè in Hiſpania geſtis Herculis nomen conſecutus, Tyri natus, ſed in Hiſpania denatus ac ſepultus *d*. Atque ab hoc Hercule (quodcunque ejus verum fuerit nomen) in Gadium, & vicinis inſulis, inſtitutus fuerit antiqui Herculis, puta Tyrii, cultus: vel ipſe etiam, ut coloniæ dux, divino fuerit honore affectus: vel quod maximè credibile eſt, ut coloniæ ille dux à morte eſt Herculis nomine appellatus, ita communi quoque cultu honoratus eſt cum Hercule illo antiquo, Tyriorum omnium parente, Deoque tutelari. Nam ſæpius nationes in uno quaſi numine plurium cultum conjunxiſſe, variis poſtea exemplis comprobabitur. In hoc verò, & cætero Deorum cultu, etiam gentium aliarum judicio Gaditani fuere immodici, ac nimii. Sic enim de iis Philoſtratus lib. V, cap. 1: Περιττοὶ δὲ εἰσι τὰ θεῖα· *circa divina modum excedunt.* Itaque, ut Latini loquebantur, non tam religioſi erant, quam ſuperſtitioſi. Quippe, ut Cicero hæc diſtinguit in primo de natura Deorum, *ex ſuperſtitioſo, & religioſo, alterum eſt vitii nomen, alterum laudis.* Epicureos excipe; quibus, quoniam omnis Dei cultus erat nimius, eò *ſuperſtitionem* ii ſimpliciter pro *religione* dixerunt. Hactenus de Hercule Tyrio, ſive Gaditano.

b Lib. 3, cap. 6.

c Deus urbis præſes.

d Mela lib. 3. cap. 6.

Non dubium verò, quin aliis etiam in Diis coloni iſti ſint Tyriorum exemplum ſecuti: uti & poſtea Carthaginenſium, qui latè in Hiſpania dominati. Sed cujuſmodi ille cultus fuerit, non difficilè erit conjicere ex iis, quæ de Phœnicibus, & Carthaginenſibus, ſuo loco adduximus. Soli igitur ex gentibus, quas Plinius in Hiſpaniam dicit coloniam miſiſſe, Celtæ nobis ſuperſunt.

Celtæ Gallica numina, de quibus poſtea, in Hiſpaniam induxerunt, ſi Celtiberi origine fuerint Galli: quod putavit Lucanus lib. IV:

> —— *Profugique à gente vetuſta*
> *Gallorum, Celtæ miſcentes nomen Iberis.*

Sed obſtat, quòd etiam in Bætica, & Luſitania, *Celtici* dicerentur: uti conſtat ex Mela lib. III, cap. 1; ubi à Tago uſque ad Celticum promontorium, quod Straboni & Ptolemæo Nerium, Celticos habitâſſe prodit. Item ex Plinio, qui lib. III, cap. 1, etiam in Bæturia, Bæticæ parte, Celticos agnoſcit. Præterea Ephorus, ut eſt apud Strabonem in IV, Celticam dixit Iberiam omnem uſque ad Gades; non minus id nomen tributurus Hiſpaniæ ulteriori, niſi hæc illis temporibus parum cognita fuiſſet. Quamobrem, qui ad Iberum habitarent, non à Celtis, hoc eſt, Gallis, dicti ſunt Celtiberi; ſed ad diſcrimen Celtarum ultra montes Pyrenæos, tum in Galliis, tum etiam Britannia, Germania, & Illyride. Ac veriſimile eſt imprimis, Hiſpanis hoc Celtiberorum nomen diſcriminis cauſſâ attributum, cùm Galliæ Lugdunenſis populi ſibi nomen Celtarum, ut proprium, vindicarent. Fruſtra verò ſunt, cùm ex poſterioribus nos temporibus exemplum petere jubent: quaſi, quia poſtea Galli tranſmiſerint in Hiſpaniam, atque inde nomen ſit Portugalliæ; eo antiquis etiam temporibus occuparint Iberiæ partem, quæ ab iis Celtiberia diceretur. Præterea in iſtoc, quod de Portugallia ſibi concedi poſtulant, ſimiliter eos ratio fugit. Non enim à Gallorum portu eſt hoc Portugalliæ nomen: ſed à portu Gallæciæ, quæ appellatio eſt non à Gallis, ſed Calaicis. Sic enim Gallæci prius dicebantur: ut vel notum è triumpho Bruti à Callaicis devictis Callaici nomen indepti. Quamquam nec diſplicet ſententia Andreæ Reſendii epiſtolâ ad Kebedium, Oſorii in vita Regis Emanuelis, Jacobi Menetii in Antiquitatibus Luſitanicis, Duardi Nonii cenſuris in Teixeram, ut cæteros prætereaim, non à Gallæcia eſſe nomen, ſed à Cale ſive Calle oppido: quod Antoninus in Itinerario agnoſcit; ubi inde Bracaram deducit. Id Calis oppidum ſitum fuit ad oſtium Durii fluminis: & fortaſſe ex eo *Callis* nomen acceperit, quia callis fuiſſet ad portum. Sed hæc noſtra eſt conjectura, de qua ſentiat quiſque ut volet. Illud conſtat, mox poſt annum à Chriſto quingenteſimum, Portucalenſe nomen fuiſſe in uſu, ſive Gallæcia, ſive Calis ei nomen dederit. Ita concilio Toletano tertio videas interfuiſſe Conſtantium, epiſcopum Porticalenſem, anno IↃLXXXIX: item Anſiulphum Porticalenſem quarto Toletano; quod celebratum, ſi non anno IↃCXXXIII, quæ Vaſæi opinio erat; ſequenti ſaltem, quod maluit Ambroſius Morales. Imò & ante quingenteſimum id nomen fuit. Nam commodè ecce occurrit Idacius, niſi Hydatius malis, Gallæciæ epiſcopus, qui circa annum claruit quadringenteſimum quinquageſimum. Hic in ſuo Chronico, & faſtis Conſularibus, ſcribit hoc pacto *a*: *Rechiarius ad locum, qui Por-*

a Pag. 34, edit. Pariſ. an. 1534.

Portucale appellatur, profugus regi Theuderico captivus adducitur. Paullatim verò id nomen extenſum; ita ut Portucalia; ſive malis Portugallia, tandem regnum evaſerit: cujus primus ſceptra geſſit Alphonſus Henricus anno Chr. clɔ c xxxix.

Cap. XXXV.

Galliam olim etiam Iberiam *nominatam: atque hinc eſſe, quòd Rhenus à Nonno dicatur* Iberus: *perperam autem inde colligi, quia Rhenus non minus ſit Germaniæ fluvius, eo & Germaniam vocatam* Iberiam. *Oſtenditur, ut Cicero, non tam virum bonum, quam non malum egerit Oratorem, cùm Gallos inſectatur, velut Deum, & religionis omnis hoſtes. Quàm latè patuerit ritus homines immolandi: ac veteribus etiam Romanis in uſu fuiſſe: imò & poſtquam lege, ac Cæſareis ſublatus edictis, reliquias ejus manſiſſe Romæ in gladiatorum ludis. Gallos humanis litâſſe hoſtiis Teutati, Heſo, Tarani; ac primum videri Mercurium, alterum Martem, Iovem tertium. Tumulus in Hiſpania Mercurii Teutatis. Quo pacto, Druidis præſentibus, homines ſoleant immolari: & ut Romanis ſacrificia hujuſmodi, & Druidas ipſos, abolere paullatim ſtudium fuerit.* Druidarum *vocabulum non tam ex Græca, quàm Celticâ linguâ, profectum videri. Gallos à Britannis Druidas accepiſſe. De Apolline, ac Diana, cultis à Gallis; item Dite; & cur Druidæ ſe dixerint ab eo prognatos. Unde Græcis* Ἅδης *dicatur. Druidarum opinio, animas poſt mortem alio in orbe degere. Herculis per Gallias, & Alpes, tranſitus. Pugna ejus cum Albione, & Bergione: & unde his, unde item* Alpibus, *nomen impoſitum. Hercules Ogmius Eloquentiæ ſymbolum. Nemauſus Heraclides Nemauſenſium Deus tutelaris.*

A Celtiberia venio ad eam, quam Ptolemæus, & alii, Κελτογαλατίαν nuncupant, quaſi *Celtogalliam* dicas: Latini ſimpliciter *Galliam* vocant, uti & Græci fere Γαλατίαν: vetuſtiſſimi autem etiam *Iberiam* nominarunt; ut conſtat ex Strabonis libro III: ubi antiquitus *Iberiam* ait dictam, quicquid foret inter Pyrenæos montes, & flumen Rhodanum. Ut veriſimile etiam ſit, eam veteribus extenſam uſque ad Rhenum: eaque, credo, cauſſa eſt, cur Nonno in tertio & vigeſimo Dionyſiacôn dicatur Ῥῆνος Ἴβηρ, *Rhenus Iberus*; quod interpretor *Gallicus*. Scio, quanto aliter Goropius Becanus ſenſerit, libro Hiſpanicorum ſecundo: ubi ſuſpicatur, Ἴβηρ Germanicam eſſe vocem, quia Germanis *iver* idem ſit ac zelotypus; quomodo Rhenus in veteri epigrammate [a] ζηλήμων [b] vocatur. Quam opinionem idem perſuaſit viro pereruditо, Gerardo Falkenburgio; ut & Becanus ibidem refert, & Falkenburgius agnoſcit notis ſuis in Nonnum. Sed ejus ſententiæ eò minus ratio eſt habenda, quia apud veteres omnes de hoc Rheni cognomento ſilentium ſit; nec Nonnus, homo Ægyptius, ſciverit Germanicè; imò nec ipſius Goropii animus, ut ipſe fatetur, in hac ſua acquieſcere potuerit conjectura.

[a] Lib. I ἀντιλογίας.
[b] Zelotypus, ſive, non tolerans rivalis.

Etiam admodum mihi dilutum videtur, quòd ὁ μακαρίτης ſummus Geographus in primo Germaniæ antiquæ ex hoc Nonni loco concludebat, Germaniam olim dictam eſſe *Iberiam*. Nec enim, ſi Rhenus, cujus ripa una Gallica, altera Germanica foret, tum *Iber*, ſive *Gallicus*, tum etiam *Germanicus*, potuerit nuncupari: eò & Germania ipſa dicta ſit *Iberia*, ſive *Gallia*: non magis ſanè, quàm pro *Gallia* propterea *Germaniam* potuerint dicere. Quanto juſtius Rheno dederit cognomen Iberi ſive Gallici; ſi Galli, & ſubinde, & pluribus locis, utramque tenuerint Rheni ripam! De quo audiamus Cæſarem in VI de bello Gallico: *Fuit antea tempus, cùm Germanos Galli virtute ſuperarent, & ultro bella inferrent, ac propter hominum multitudinem, agrique inopiam, trans Rhenum colonias mitterent.* Ac ſubjungit deinde, ut Tectoſages, Gallica gens, coloniam duxerint in Hercyniam ſilvam. Similiter Tacitus de Germania: *Validiores olim Gallorum res fuiſſe, ſummus auctorum divus Julius tradit. eoque credibile eſt, etiam Gallos in Germaniam tranſgreſſos. Quantulum enim amnis obſtabat, quo minus, ut quæque gens evaluerat, occuparet, permutaretque ſedes.* Inde ſubdit de Bojis, gente item Gallica; quæ & ipſa (niſi malis de eadem gente loqui Tacitum, quod ſanè veriſimilius eſt) Herciniam commigravit in ſilvam, locoque Bojohæmi, ſive Bojemi nomen fecit: quod & retinuit, poſtquam Maroboduus, Bojis pulſis, in eum tranſtulit populares ſuos Marcomannos: de quo Strabo lib. VII, & Vellejus lib. II. Livius quoque lib. V narrat, ut Biturigum rex Ambigatus ſororis ſuæ filios Belloveſum, ac Sigoveſum, in eandem miſerit ſylvam. Atque ex iſtis, & aliis, quæ poteram adferre, dubium non eſt, quin Galli ſæpe utramque obſederint Rheni ripam: tantoque juſtius is fluvius *Iber* ſive *Gallicus* fuerit nuncupatus.

De Gallorum Diis non eſt, quòd magnopere laboremus, ſi nulla iis religio erat: ut ſenſiſſe videtur M. Tullius in reliquiis orationis pro M. Fontejo; ubi *Gallos* ait *ab religione remotos.* Ac poſtea his eos exagitat verbis: *An verò iſtas nationes religione jurisjurandi ac metu Deorum immortalium in teſtimoniis dicendis commoveri arbitramini? quæ tantum à cæterarum gentium more ac naturâ diſſentiunt, quod cæteræ pro religionibus ſuis bella ſuſcipiunt; iſtæ contra omnium religiones: illæ in bellis gerendis ab diis immortalibus pacem ac veniam petunt; iſtæ cum ipſis Diis immortalibus bella geſſerunt.* Objicit deinde, quòd templum Apollinis Delphici oppugnarint, & Iovem Capitolinum obſederint: quòd etiam homines ſacrificent vivos. *Siquando*, inquit, *aliquo metu adducti, deos placandos eſſe arbitrantur, humanis hoſtiis eorum aras ac templa funeſtant. Ut ne religionem quidem colere poſſint, niſi eam ipſam prius ſcelere violarint. Quis enim ignorat, eos uſque ad hanc diem retinere illam immanem ac barbaram conſuetudinem hominum immolandorum? Quamobrem quali fide, quali pietate, exiſtimatis eſſe eos, qui eos Deos immortales arbitrentur hominum ſcelere, & ſanguine, facilè poſſe placari?* Sed, ſic cùm ſcribit Tullius, cauſſæ ſuæ inſervit, ad elevandam Gallorum fidem, qui contra M. Fontejum teſtimonium dicebant. Tullio igitur Tullium opponimus; qui in primo de Divinat. ſcribit de Dejotaro, Gallorum in Aſia rege, NIHIL, *unquam niſi auſpicatò egiſſe.* Ac ne à Græcis illud hauſiſſe exiſtimes, Juſtinus ex Trogo ait in XXIV: *Augurandi ſtudio Galli præter cæteros callent:* ſive, ut Bongarſius maluit, *clarent.* Illuſtre etiam eſt, quod Livius lib. XXV, cap. XLVI narrat de C. Fabio Dorſone, qui Gabino ritu cinctus, ſacra manibus gerens, ex Capitolio à Gallis obſeſſo Quirinalem in collem per medias hoſtium ſtationes ivit, ſtatimque ibi ſacrificium fecit, ac, nullam vim intentantibus Gallis, ſoſpes inde in Capitolium rediit. Unde ibidem Livius: *ſeu attonitis Gallis miraculo audaciæ, ſeu religione etiam motis: cujus haudquaquam negligens gens.* Nempe non iſta, quæ Cicero adducit, oſtendunt, nullum Gallis fuiſſe Deorum metum, ſed potius magnum: quippe qui, ad pacem Deorum impetrandam, nec ſanguini pepercerint humano. Sic cultum illum impium interpretatus eſt Julius Cæſar; cui omnium optimè perſpecti erant mores Gallorum. Verba ejus ſunt iſta in VI de bello Gallico: *Natio eſt Gallorum omnium admodum dedita religionibus: atque ob eam cauſſam, qui ſunt affecti gravioribus morbis, quique in prœliis periculiſque verſantur, aut pro victimis homines immolant, aut ſe immolaturos vovent, adminiſtriſque ad ea ſacrificia Druidibus utuntur; quod pro vita hominis, niſi vita hominis reddatur, non poſſe Deorum immortalium numen placari arbitrantur.* Pluriaque ibidem in hanc mentem reperies. Mirum verò, ſic in Gallis exagitari ἀνθρωποθυσίαν [a] à Tullio: quæ à Cananæis & Phœnicibus cœpta, Græciam, Africam, ac totum penè terrarum orbem fuerit pervaga-

[a] Hominum immolationem.

vagata. Quam rem fuſè tractat Porphyrius in ſecundo de abſtinentia ab animalibus: è noſtris item Clemens Alex. adhortatione ad Gentes: & ex his, atque aliis, Euſebius in IV præparationis Evangelicæ, cap. XVI. Unde Plinius lib. XXX, cap. I: *Iſta toto mundo conſenſere, quamquam diſcordi, & ſibi ignoto.* Mirum quoque, Tullio non veniſſe in mentem, Jovem, Apollinem, & Cabiros, quandoque hoſtias exegiſſe humanas: de quo ex Myrſilo Lesbio Dionyſius Antiquitatum Rom. lib. I; & ex eo Euſebius libro memorato. Mirum quoque, non cogitâſſe eum, tempus fuiſſe, cum Latini a, ipſique Romani, his ſacrificiis gauderent. Notum enim, quanto in pretio fuerit Romanis (ut Ovidius primo de Arte appellat)

—— ſuburbanæ templum Nemorale Dianæ.

Hoc eſt, Dianæ Aricinæ, cujus ſimulachrum è Taurica Cherſoneſo, ubi hoſpites illi immolabantur, Ariciam allatum fuit: ubi, uſque dum illud Spartam tranſlatum, ſervi ſacrificabantur: ut Hyginus refert fab. CCLXI, & qui eum exſcripſit, Servius in illud II Æn.

Sanguine placâſtis ventos, & virgine cæſâ.

Imò anno etiam Urbis ƆXXVII, M. Valerio Meſſalla, & L. Apuſtio Fullone coſſ. Pontificum, ac XVirûm auctoritate, Gallum & Gallam, Græcum & Græcam, ferali ſacrificio, ad averruncandum malum, defoderunt vivos in foro boario. Cujus rei teſtes Plutarchus in Marcello, & Zonaras in II Annal. ut Auguſtinum, Oroſium, & alios mittam. Quin anno demum ƆCLVII, Cornelio Lentulo, & Licinio Craſſo coſſ. *Senatuſconſultum factum eſt, ne homo immolaretur, palamque in illud tempus ſacra prodigioſa celebrata*; ut refert Plinius lib. XXX, cap. I. Atque, ut ibidem ait, *Non ſatis æſtimari poteſt, quantum Romanis debeatur, qui ſuſtulere monſtra, in quibus hominem occidere religioſiſſimum erat, mandi verò etiam ſaluberrimum.* Honeſta quidem Plinii oratio: non tamen, ut ille ait, prorſus hunc morem ſuſtulere. Nam ludi etiam gladiatorii poſtea inſtituti; ut ſic ſanguine Deus placaretur humano: quemadmodum eſt apud Tertullianum Apolog. cap. IX, Minucium in Octavio, Lactantium lib. I, cap. XXI. Ac ne ſolos adferam noſtros, Capitolini eſt in vita Maximi & Balbini: *Multi dicunt, apud veteres hanc devotionem contra hoſtes factam, ut civium ſanguine litato ſpecie pugnarum ſe Nemeſis, id eſt, vis quædam Fortunæ, ſatiaret.* Auſonius idyll. XXVI:

Et gladiatores funebria prælia notum
Decertâſſe foro: nunc ſibi arena ſuos
Vindicat, extremo cum jam ſub menſe Decembri
Falcigerum placant ſanguine cælicolam.

a Tertullianus in Apologetico cap. 9; Minucius in Octavio; Lactantius lib. 1, cap. 21; Athanaſius orat. contra gentes pag. 21, edit. Commel. imo & è gentilibus Porphyrius apud Euſebium lib. 4 Præparat. Evangel. cap. 16.

Ubi non Nemeſin, ut eſt apud Capitolinum; ſed Saturnum ait ſanguine placari humano: quod tamen alii tribuunt Marti, & Dianæ. His enim ſacros fuiſſe ludos gladiatorios, apud Tertullianum legas libro de Spectaculis.

Apud Gallos, ut ab Romanis ad hos redeam, humanis litabant hoſtiis Teutati, Heſo, Tarani. Unde Lucanus lib. I:

Et quibus immitis placatur ſanguine diro
Teutates, horrenſque feris altaribus Heſus,
Et Taranis Scythicæ non mitior ara Dianæ.

Quorum priores duos etiam junxit Lactantius lib. I, cap. XXI: *Galli Heſum, atque Teutatem, humano cruore placabant.* Mirum, non addidiſſe Taranim. Nam cùm iſta Lactantius ſcriberet, planè ob oculos cenſeo habuiſſe allatum Lucani locum. Ex Diis hiſce Teutates videtur Mercurius: quod ex eo etiam colligo, quia apud Livium lib. XXVI legitur, tumulum juxta Carthaginem Novam fuiſſe repertum, qui *Mercurii Teutatis* vocaretur. Nam Hiſpanis, Gallis, & Celtarum aliis, multa in cultu divino communia fuerunt. Mercurio autem mactari à Gallis homines ſolere, indicat etiam Tertullianus in Apologetico cap. IX: *Major ætas apud Gallos proſecatur.* Et Minucius in Octavio: *Mercurio Gallos humanas, vel inhumanas, hoſtias cædere.* Niſi non concinnè minus malis, *Humanas inhumanos hoſtias cædere.* Heſus, videtur Mars: hunc enim Galli, ut eſt apud Cæſarem in VI de bello Gall. *bella regere arbitrantur.* Unde & illi, ut ibidem legere eſt, *cum prælio dimicare conſtituerunt, ea, quæ bello ceperint, plerumque devovent.* Taranis verò, ſive Tharanis, ipſe videtur Jupiter, qui & Sueonibus *Thor* dictus: unde M. Adamus Bremenſis de Sueonibus ait: *Thor, inquiunt, præſidet in aere: qui tonitrus, & fulmina; ventos, imbreſque; ſerena, & fruges, gubernat.* Poſteaque: *Thor cum ſceptro Iovem exprimere videtur.* Qui verò per Mercurium, Martem, nec minùs Iovem, intelligi hic debeant, proximo meliùs libro explicabitur.

Atque hæc de numinum illis, quibus humanis litaretur victimis. Cujuſmodi ſacrificiis Druidæ ſemper intererant: quemadmodum refert graviſſimus teſtis Strabo lib. IV. Atque ibidem hæc de ratione ejus ſacrificii inter alia addit: καὶ κατετόξευόν τινας καὶ ἀνεσταύρουν ἐν τοῖς ἱεροῖς· καὶ κατασκευάσαντες κολοσσὸν χόρτου, καὶ ξύλων ἐμβαλόντες εἰς τοῦτον, βοσκήματα καὶ παντοῖα θηρία καὶ ἀνθρώπους ὡλοκαύτουν. *Quoſdam in ſacris configebant ſagittis, vel in crucem agebant; vel exſtructo fœni coloſſo, lignoque defixo, pecudes, & omnis generis animantia, ac homines totos, comburebant.* Deque eodem ſic Diodorus lib. V: Τοὺς κακούργους κατὰ πενταετηρίδα φυλάξαντες, ἀνασκολοπίζουσι τοῖς θεοῖς, καὶ μετ' ἄλλων ἀπαρχῶν καθαγίζουσι πυρὰς παμμεγέθεις κατασκευάζοντες. *Noxios quinquennio ſervatos, ſudibus adfixos, Diis ſacrificant, cumque aliis primitiis ſuper ingentes pyras immolant.*

Ob hæc imprimis ſacrificia religionem Druidarum Auguſtus Cæſar civibus interdixit: Tiberius Urbe ſuſtulit: Claudius in Galliis ipſis abolevit; ſaltem, quantum in ſe fuit. De Tiberio ſic Plinius lib. XXX, cap. I: *Gallias utique poſſedit, & quidem ad noſtram memoriam. Namque Tiberii Cæſaris principatus ſuſtulit Druidas eorum, & hoc genus vatum medicorumque.* Quem locum de Galliis ipſis perperam multi interpretantur, cùm de Urbe ſolùm ſit capiendus. De Claudio autem teſtis nobis Aurelius Victor Schotti in Claudio: *Denique bonis auctoribus compreſſa per eum vitia, ac per Galliam Druidarum famoſæ ſuperſtitiones.* Imò ante eum Seneca in Ἀποκολοκυνθώσει. Uti & de eodem, ac inſimul Auguſto, Tranquillus in Claudio cap. XXV: *Druidarum religionem apud Gallos diræ immanitatis, & tantum civibus ſub Auguſto interdictam, penitus abolevit.* Sed abolere penitus voluit, non potuit. Itaque apud poſteriores etiam ſcriptores de durante hac ſuperſtitione legas, non in Britannia modò hoſtili, ſed Gallia ipſa: ut liquet è Lampridii Alexandro, Vopiſci Aureliano, nec non Taciti vita: Euſebio item, qui conqueritur de ſacris iſtis in IV Præparat. Evangel. & incerto Theodoſiani, ut videtur, ævi ſcriptore in Querulo ſive Aulularia: ubi ſub robore ab iis capitales ait ferri ſententias.

Unde *Druidarum* vocabulum ſit, non convenit. Receptior opinio eſt, ſic dictos à δρῦς, hoc eſt, *quercus*: idque ob illa Plinii verba lib. XVI, cap. XLIII: *Nihil habent Druidæ (ita ſuos appellant magos) viſco, & arbore, in qua gignatur (ſi modo ſit robur) ſacratius. Iam per ſe roborum eligunt lucos: nec ulla ſacra ſine ea fronde conficiunt: ut inde appellati quoque interpretatione Græca poſſint, Druidæ videri.* Satis veriſimilis hæc foret ſententia, ſi Druidas accepiſſent Galli à Maſſilienſibus, illi à Phocæenſibus. Sed ignoti erant Græcis Druidæ: ut omnino origo quærenda ſit Celtica. Præſertim cùm Gallos è Britannia accepiſſe eos, à veteribus creditum ſit. Cæſar lib. VI belli Gallici: *Diſciplina* (Druidarum) *in Britannia reperta, atque inde in Galliam tranſlata eſſe exiſtimatur, & nunc, qui diligentius eam rem cognoſcere volunt, plerumque illo, diſcendi cauſſâ, proficiſcuntur.* Ac firmat Tacitus in XIV Annalium: ubi narrat, ut Suetonio Paullino Monam, inſulam Britannicam, ingreſſo, acriter ſit pugnatum, Druidis ſedulò animantibus ſuos: *præſidium poſthac,* inquit, *impoſitum victis, exciſi luci, ſævis ſuperſtitionibus ſacri: nam cruore captivo adolere aras, & hominum fibris conſulere Deos, fas habebant.* Quamobrem non dubium eſt, quin origo ejus vocabuli peti debeat è lin-

lingua Celtica: qualis & Britannica, ac Gallica vetus. Britannis verò, uti & Germanis, *Dru*, fides; pro quo alii *trou* dicunt. Unde, & Deus veteribus Germanis *Drutin*, ſive *Trudin*: ut videre eſt ex Othfridi Euangelio. Itaque *Drutin* ſignet *divinus*, aut *fidelis*. Utraque vox ſacerdotibus conveniens.

Præter Mercurium, Martem, Iovem, quibus homines immolatos diximus, coluere Galli etiam Apollinem; ut ait Marcellinus lib. XVI. Ipſi *Belenum* dixere; uti miniſtros ejus *Pateras*. Teſtis Auſonius Carm. in Profeſſores Burdigal. Vide & Pithœum lib. I Subſec. cap. IV. & imprimis, quæ fusè dicimus lib. proximi cap. XVII.

Qui verò Apollinem colerent, nihil mirum, ſi etiam venerati ſint Dianam. Quod de Aſiaticis Gallis ſatis eſt apertum. Nam Dianæ ſacerdos fuit Camma, uxor Sinati, Gallorum Aſiaticorum tetrarchæ; de qua Plutarchus libro de feminarum virtutibus, & Poliænus Strategem. lib. VIII.

Adhæc Gallis cultus Dis: à quo & ſe natos Druidæ dicebant, teſte Cæſare *a*: non quidem quia olim Gallia argento & metallis abundarit, quam rationem adducit Forcatulus *b*: ſed quia Dis ſive Pluto eſt Terra; ubi (ut Varro ait in IV de L. L.) *omnia oriuntur, omnia aboriuntur.* Unde & Lacheſis ſic compellat Plutonem apud Claudianum in primo de R.P.

a *Lib. 6 de bello Gall.*
b *Lib. 1 de Gallorum imper. & philoſ.*

— Quicquid ubique
Gignit materies, hoc te donante creatur,
Debeturque tibi.

Icciro primus quoque homo *Adam* dictus ab ארמה, *Adamah*; quod terram ſignat. Itidem Arabibus ſive Iſmaelitis terra eſt *Almahad*: nempe ex Hebræo ארמה *Adamah*: ubi ſi literas trajeceris, habes מאהד, *mahad*, quod idem notat. Græci quoque, Javani poſteri; ex *Adam* fecere Ἅδην. Nihil mirum igitur, ſi Gallorum philoſophi, qui hominem ex humo eſſe, & in humum ſcirent redire, progenitos ſe dicerent ex Dite, ſive, ut Græci loquuntur, Ἅδῃ, ut Hebræi, *Adama*, hoc eſt, terra, communi omnium parente, omniumque receptaculo.

Sed quæcunque hactenus de Diis Gallorum diximus, magis pertinent ad partes naturæ. Nec ſanè arbitror, Druidis Deos fuiſſe animales. Ut qui animas quidem putarint eſſe immortales, ſed nullâ viventium curâ tangi: ſive μετεμψύχωσιν ſtatuerint, ut voluit Diodorus: ſive ex eorum mente

— Regit idem ſpiritus artus
Orbe alio:

Ut Lucanus ait in primo. Unde, ut mox ſubjungit,

— ruendi
In ferrum mens prona viris, animæque capaces
Mortis: & ignavum eſt rediturę parcere vitæ.

Quod Druidarum dogma quaſdam eſſe reliquias cenſeo traditionis à primis Noachidis acceptæ de corporum reſurrectione, & altera vita.

Poſt Phocæenſium tamen in Gallias adventum, veriſimile eſt, etiam Deos quoſdam animales admiſſos: Herculem imprimis, quem ex Hiſpaniis per Gallias veniſſe in Italiam, recepta erat opinio. Ut videre eſt ex Dionyſio lib. I Antiq. Rom. Diodoro lib. IV; imò & Apollodoro lib. IV. Sed apud eum perperam Λιβύην *c* pro Λιγύην *d* editum, librarii fortè errore. Etſi & Tzetzem, atque alios, id videam ſecutos; ut dubitem, an non ſic vulgo creditum ſit. Contrà tamen Ammianus Marcellinus in XV ait, Herculem per Gallias iſſe in Hiſpanias. Utcunque eſt, per eas iter feciſſe, convenit. Atque ita etiam Cornelius Nepos in Annibalis vita, Silius lib. III, Plinius lib. III, cap. XVII, & XX, & Juſtinus lib. XXIV; qui ait, eam *rem illi virtutis admirationem, & immortalitatis fidem dediſſe.* Et ſanè quâ parte tranſiſſe credebatur, divino cultum honore, indicat locus ille Petronii Arbitri in Satyrico:

c *Libyam.*
d *Liguriam.*

Alpibus aëreis, ubi Grajo nomine vulſa
Adſcendunt rupes, nec ſe patiuntur adiri,
Eſt locus Herculeis aris ſacer.

Livius tamen lib. V, ubi de Gallorum agit tranſgreſſu, Herculeum hunc tranſitum fabulis accenſet. Et ſanè, quod à Thebano id cenſent factum, ipſe etiam fabulis prorſus annumerem. Verùm Herculis Monœci portus, atque alia, arguere videntur, heroa alium, quem Herculis nomine dignari ſint, per Alpes iter feciſſe. Et Herculis iſta per Gallias tranſgreſſio etiam firmari videtur fabulâ de pugna ejus inter Rhodanum & Maſſiliam adverſus Neptuni filios: de qua Mela lib. II, cap. V. Etſi multum vetus hæc narratiuncula ex falſo trahat. Ut quod Neptuni ait filios, eoſque appellat Albiona, & Bergiona, vocabulis linguâ Celticâ impoſitis. Nam *Bergion* eſt à Berg, quod montem notat. *Albion* ab *Alb*, ſive *Alp*, unde *Alpes*: quo ſignificabantur Celticâ linguâ montes alti: ut tradunt Servius in III Georg. & X Æn. & exinde Iſidorus lib. XIV Orig. cap. VIII. Hodie tamen ejuſce ſignificationis nullum ſupereſſe veſtigium arbitror in lingua Celtica: niſi fortè placeat eorum conjectura, qui putant, *Alp*, unde *Alpes*, eſſe contractum ex *Al-op*: quod ad verbum ſonat *planè ſurſum.* Herculei cultus etiam indicium habemus in agro Bataviæ Herculano, qui vulgo, *'t land van Arkel.* Uti & in Zelandia: ubi anno CIↃ IↃ XIV, pago Walachriæ, qui Weſtcapellæ nomen habet, vetus repertus eſt lapis, inſcriptus HERCULI MAGUSANO.

Etiam Gallis celebratus Hercules cognomento Ὄγμιος: ſed is, cenſeo, fuerit potius eloquentiæ ſymbolum, quàm Deus animalis. Eleganter de eo Lucianus *a*: qui à ſacerdote Gallico, puta Druidarum uno, ſe accepiſſe ait, Gallis non Mercurium, ſed Herculem, eloquentiæ præſidem putari: atque hanc ejus rei cauſſam eſſe, quod nihil Hercule fuerit fortius; cumque geminum ſit humanæ potentiæ inſtrumentum, robur corporis, & facundia ſermonis; ex Celtarum opinione, τὸν Ἡρακλέα λόγῳ τὰ πάντα ἐξεργάσασθαι σοφὸν γενόμενον (καὶ πειθοῖ τὰ πλεῖστα βιάσασθαι· *Herculem omnia, quæ egit, oratione effeciſſe: quippe virum ſapientem, & perſuadendo plurimos ſubegiſſe.* Notum illud, ut Cyneas plures urbes ceperit eloquentia, quàm Pyrrhus armis: ſicut ipſe agnovit Pyrrhus. Nec mirum ſanè ſic de Hercule Gallico ſenſiſſe, quando, ut B. Hieronymus ait adverſus Vigilantium, *Gallia viris ſemper fortiſſimis, & eloquentiſſimis, abundavit:* imò, ut tanto vetuſtior Porcius Cato in Originibus *b* tradidit; *pleraque Gallia duas res induſtrioſiſſimè perſecuta, rem militarem, & arguté loqui.*

a *In Hercule Gallico.*
b *Apud Chariſium ex ſecundo Originum.*

Etiam divinus honos in Galliis habitus nonnullis, quos non Herculis quidem, attamen Herculeæ prolis nomine dignarentur. Talis in Gallia Narbonenſi Nemauſus: quem pro Deo tutelari coluere Nemauſenſes. Fit hujus in antiquis ejus urbis dedicationibus mentio. In una eſt, DEO SILVANO, ET LIBERO PATRI, ET NEMAUSO. In alia: DEO NEM... Ubi NEMAUSO ſine dubio fuit. Nemauſus iſte Herculis progenies, & urbis conditor habebatur. Stephanus: Νέμαυσος πόλις τῆς Ἰταλίας, ἀπὸ Νεμαύσου Ἡρακλείδου, ὡς Παρθένιος. *Nemauſus, urbs Italiæ, à Nemauſo Heraclida, ſecundum Parthenium.* Parthenius ille temporibus claruit Cæſaris Auguſti *c*.

c *Suidas.*

Cap. XXXVI.

Britannicam gentem Gallicæ priſcæ propaginem imprimis videri. Herculis in Danmoniis promuntorium. Nec tamen inde colligi debere, Herculem fuiſſe in Britanniis. Figmentum Ioſephi Iſcani de Britannis, qui nuptias Telamonis in Græcia præſentiâ ſuâ honorarint. Poëta hujus ætas, & patria. Britanniam Troianis temporibus, imò pluribus poſt ſeculis, fuiſſe Romanis, ac Græcis, incognitam. Verùm Vlyſſes in Caledonia aram exſtruxerit. Becani opinio refellitur de Britannica ara Eliſſæ, Iavanis filii. Geada ſive Geda, numen veterum Britannorum.

NUnc è Galliis Britannicas petamus inſulas: præſertim quando non aliunde primi etiam Britanniæ incolæ veniſſe eas in ſedes videantur. Quod juxta mecum agnoſcet, qui cogitet, ab Oriente reliquum in orbem genus veniſſe humanum; nec aliunde, quàm ab ultimis Gallicarum gentium Morinis è portu Iccio, ſive Geſſoriaco malis, breviorem eſſe trajectum. Antiquis etiam temporibus magna utriuſque gentis in moribus ſimilitudo. Tacitum *a* audiamus: *Proximi*, inquit, *Gallis, & ſimiles ſunt.* Et mox: *In univerſum æſtimanti Gallos, vicinum ſolum occupâſſe credibile eſt.* Ac deinde: *Sermo haut multum diverſus; in depoſcendis periculis eadem audacia; & ubi advenere, in detrectandis eadem formido: plus tamen ferociæ Britanni præferunt; ut quos nondum longa pax emollierit. Nam Gallos quoque in bellis floruiſſe, accepimus: mox ſegnitia cum otio intravit, amiſsâ virtute pariter ac libertate: quod Britannorum olim victis evênit: cæteri manent, quales Galli fuerunt.* Imprimis verò in conſiderationem venit, quod de ſimilitudine religionis ibidem ait: *Gallorum ſacra deprehendas ſuperſtitionum perſuaſione.* Sanè utrique genti erant Druidæ; Cæſare, & Tacito, teſtantibus. Utrique mos homines Diis immolare; quod de Gallis tradunt Cicero, & alii, antea adducti: de Britannis autem Plinius lib. xxx, cap. 1, & Acron in Horat. lib. III, od. IV. Quare veriſimile eſt; magnam partem in Britannis quoque locum habuiſſe, quæ de Diis antea Gallicis diximus. Præter verò numina, quæ cum Gallis antiquis communia habuerunt, Romani, ubi inſulam occuparunt, ſua etiam induxerunt. Utraque hæc tam Celtica, quàm Romana, Gildas, de Britanniæ excidio agens, appellat *portenta diabolica, pene numero Ægyptiaca vincentia: quorum*, inquit, *nonnulla lineamentis adhuc deformibus, intra vel extra deſerta mœnia, ſolito more rigentia, torvis vultibus intuemur.* In his numinibus fortaſſe etiam Hercules mereatur locum. Nec enim leve habiti illi honoris argumentum videtur *Herculis promuntorium*, Ptolemæo etiam memoratum in Dumnoniis, ſive Danmoniis potiùs. Atque eruditiſſimus Camdenus, in veteri ſua Britannia, exiſtimat, hodieque priſci hujus nominis veſtigia eſſe, quòd non ſolùm promuntorium hoc dicatur *Herty point*: ſed vicinis etiam oppidis nomen ſit *Herton*, & *Hertlond*. At perperam inde colligunt nonnulli, Herculem veniſſe in Britannias: quod diſertim negat Diodorus Siculus in IV; ubi de Britannia agens inquit, Οὔτε γὰρ Διόνυσον, οὔθ' Ἡρακλέα παρειλήφαμεν, ἐστρατευμένους ἐπ' αὐτήν. *neque enim vel Liberum, vel Herculem, accepimus bellum ei intuliſſe.* Atque ut Hercules aliquis in ea fuiſſet; non is dicendus Thebanus, ſed alius, bellica itidem laude illuſtris; eoque & Herculis nomine appellatus. Eſt enim id cognomen virorum fortium. Quare nec Thebano primùm hoc nomen fuit, ſed *Alcides* priùs dictus; à Pythia autem, cùm conſultum veniſſet oraculum, cognomentum *Herculis* accepit: ut ait Apollodorus lib. II. Itidem nec dubitandum, quin dux coloniæ Phœniciæ in Hiſpaniam, quem Gadibus ſepultum ex Mela cognoſcimus, priùs aliud nomen habuerit, quàm *Herculis*. Et quo pacto Thebanus ille fuerit in Britannia, cùm regio illa multis poſt bellum Trojanum ſeculis fuerit ignotiſſima: imò Romanis etiam tam fuerit incognita, ut ubi jam Cæſar in ea bellum geſſerat, *alter orbis* haberetur & diceretur? Quod verò Joſephus Iſcanus, qui vulgò inſcribitur Cornelius Nepos, in ſecundo poëmatis de bello Trojano, Britannos, quos reduces è Britannia Herculis comites putant, interfuiſſe ait nuptiis Telamonis ac Heſiones, id condonandum temporibus, quibus vixit. Claruit enim demum ſub Joanne, Anglorum rege, anno Chriſti ciↄ cc x. Commentumque id eſt poëtæ in honorem gentis ſuæ. Quippe Britannus ipſe erat. Nec obſtat, quod Burdigalenſis fuiſſe Archiepiſcopus dicitur à Joanne Pitſeo in illuſtribus Angliæ ſcriptoribus *b*. Nihil enim tale ex Lelando, & Guilhelmo Faſtiegico, Balæus *c*. Etiam in Burdigalenſibus Archiepiſcopis de hoc apud Joannem Chenu *d* ſilentium eſt: uti & in Chronico Burdigalenſi Gabrielis Lurbei. Sed ut Burdigalenſis fuerit Archiepiſcopus, non hoc impedit, quo minus fuerit Anglus, cùm iis temporibus penes Anglorum reges Aquitania fuerit. Quid multis? Joſephus hic, ut Angli conſentiunt, patriâ fuit Devonienſis: educatus apud Iſcanos, ſive Exonienſes. Hinc ipſe in primo dicti operis:

—— Sine remigis uſu
Non noſſet Memphis Romam, non Indus Iberum,
Non Scytha Cecropidem, non noſtra Britannia Gallum.

Atque his, quæ adverſus Herculis appulſum in Britanniam diximus, etiam convellitur opinio de Ulyſſis in eandem adventu: qui non aliis nititur, quàm illis Solini verbis cap. xxv: *Britannia octingentis & amplius millibus paſſuum longa porrigitur: ita ut eam in Caledonium uſque angulum metiamur; in quo receſſu Ulyſſem Caledoniæ appulſum manifeſtat ara Græcis literis inſcripta voto.* Si hoc eſſet, non ſiviſſet id nos Homerus ignorare. Sed poëta is, ut dixi, nec fando audierat Britanniæ nomen: plurimiſque poſt ſeculis ea Græcis juxta ac Romanis fuit ignota. Quod verò ad aram attinet, in dubium vocari poſſit, an non potiùs ea Ulyſſi, quàm ab Ulyſſe, fuerit extructa. Nam Trojanis heroibus ſacrificari ſolere, exemplis compluribus antea *a* oſtendimus. Et cui homines Græci, tempeſtate in has oras rejecti, potiùs vota fecerint ac ſacra, quàm Ulyſſi: qui non ignarus malorum, quæ ſubeunt pelago errantes, faciliùs aliis heroibus miſericordiâ tangeretur? Sed enim, ut demus, ab Ulyſſe ipſo aram eſſe conſtitutam, quando id potiùs voluit Solinus: eone ara illa ſit ab Ulyſſe Homerico? Quid impedit, quo minus aliquis multo recentior ejus nominis fuerit? Potuere etiam Græci principi ſuæ navigationis ob ſimilitudinem cum Ulyſſe Homerico nomen dare Ulyſſi. Et quid ſi eò lubentius hoc nomen aræ adſcripſerint, ut ὁμωνυμίᾳ vel fucum facerent, vel dubium ſaltem relinquerent lectorem? Horum quippiam, vel tale aliud, longè malim credere, quàm quod viſum fuit Goropio Becano in ſecundo Hiſpanicorum. Arbitratur ille, *Ulyſſis* hujus Britannici nomen eſſe ex *Eliſſa*: quem Javanis fuiſſe filium, docet nos Moſes Geneſ. x, 4. Hunc enim in Britanniam atque alios veniſſe Occidentis tractus. Quaſi temporibus illis, quibus Noachi viveret pronepos, Græcis aræ literis inſcriberentur. At ajunt, Græcas quidem fuiſſe literas, non item linguam: quomodo & Helvetios, ac Gallos, Græco uſos charactere, ex Cæſare cognoſcimus. Aliquid hoc pacto dicerent, ſi Eliſſæ hujus temporibus in uſu fuiſſent literæ Græcorum, quæ poſt tempora demum Moſaica effictæ ſunt è Phœniciis à Cadmo in Bœotiam inductis: ut oſtendimus in primo de arte Grammatica cap. x. Præterea, quàm ridiculum eſt putare, Cæſarum temporibus exſtitiſſe aram in Caledonia, conſtitutam ab eo, qui Japheti eſſet nepos, Noë pronepos. Denique Javan, cujus filius Eliſſa, non Celtarum, in quibus etiam Britanni, parens fuit, ſed Græcorum: ut tradunt Joſephus, Euſebius, Epiphanius, Hieronymus. Imò LXX, loco non uno, pro *Iavam* habent Ἑλλάδα *b*: uti Thargum Hieroſolymit. *Macedonia*. Sanè ex יו, *Iavan*, eſt Ἰων, unde *Ionia*.

Nunc paucis agamus de Geada, ſive Gera: quem ex hominibus in Deorum eſſe numerum à veteribus relatum Britannis, teſtis nobis Cœlius Sedulius; cui, ut homini Scoto, de gente viciniâ non temere eſt deroganda fides: præſertim ſcriptori ſic ſatis antiquo: ut qui, ſi Gemblacenſi credimus Sigeberto, temporibus vixerit Conſtantis & Conſtantii Imperatorum; vel ſaltem ſub Theodoſio juniore; ut jure maluerint Trithemius, & Gyraldus: quippe qui opus ſuum Paſchale ſcripſerit ad Macedonium Abbatem, B. Hieronymi coætaneum:

Cum ſua gentiles ſtudeant figmenta poëtæ
Grandiſonis pompare modis tragicoque boatu,
Ridiculove Getæ, ſeu qualibet arte canendi,
Sæva nefandarum renovent contagia rerum,
Et ſcelerum monumenta canunt, rituque magiſtro

Plu-

a In vita Agricolæ.

b Ætat. 13.

c Centur. tertia ſcriptorum Britann.

d In Chronologica epiſcoporum Galliæ hiſtoria.

a Cap. 21.

b Græciam.

Plurima Niliacis tradant mendacia biblis:
Cur ego Davidicis adſuetus cantibus odas
Chordarum reſonare decem, ſanctoque verenter
Stare choro, & placidis cæleſtia pſallere verbis,
Clara ſalutiferi taceam miracula Chriſti?

Eos verſus adducit quoque Joannes Aſſerus, Epiſcopus in Anglia Scyreburnenſis, ſive, ut poſtea dixere, Sareſburienſis; qui annum circa nongenteſimum vitam ſcripſit Aelfredi, Angloſaxonum regis: cujus genus, initio operis ſui, ab hoc Geada ſive Geta deducit. Nam Aelfredus ei vigeſimus eſt ab Frithuwulf. Poſt quem ſubjungit: *Qui fuit Fingodwulf, qui fuit Geada; quem Getam jamdudum pagani pro Deo venerabantur.* Poſtea verò hunc Geada decimum fuiſſe à Noë perſuadere nobis conatur.

CAP. XXXVII.

Cur Germani ſint habiti indigenæ. Priſcos Germanos, ex Cæſaris ſententia, non alios agnoviſſe Deos, quàm Solem, Lunam, & Vulcanum. Sed falli, qui inde colligant, eos credidiſſe myſterium Trinitatis. Ad opinionem hanc refellendam adducitur tum Peruanorum opinio de tribus ſummis Diis, Viracoche, quo mundi opifex ſignatur, Sole, & Tonitru: tum Ægyptiorum, quibus præcipui Deorum, Sol, Luna & Vulcanus. Nec ſolos, quos Cæſar putavit, Germanis fuiſſe Deos; ſed præterea, tum Martem, & Herculem, quorum illum naturale, hunc animale numen videri; ut perperam pro eodem habeantur: tum etiam Mercurium, Deorum cum Marte præcipuum. In dubium vocatum, an rectè Romani Mercurium *reddiderint, qui Germanis* Wodan *fuit. Permutare W, GV, & G. Unde dicantur* Galli, guerra, Germani, Dani, Codanus, woonſdag. *Dici non ſolùm* Theuth; *ſed etiam* Thot, *&* Thoyt, *vel* Thout. *Unde Deus nobis* God *vocetur.*

EX inſulis Britannicis vela nunc fiant, ancoriſque præciſis, Germania petatur. Quâ, ex veterum ſententia, complectimur, quicquid continetur Rheno, Danubio, Viſtulâ, & mari Septentrionali. Vaſtiſſimæ hujus nationis Deos ab aliis derivare vix poſſumus, quia de colonis eam in gentem antiquitus ductis, nulla exſtiterit memoria: unde & Germani αὐτόχθονες ſive *indigenæ* habebantur. Tacitus de mor. Germ. *Ipſos Germanos indigenas crediderim, minimeque aliarum gentium adventibus & hoſpitiis mixtos.* Quod mox pluribus exponit: *Ipſe eorum opinionibus accedo, qui Germaniæ populos, nullis aliarum nationum connubiis infectos, propriam ac ſinceram, & tantùm ſui ſimilem gentem exſtitiſſe arbitrantur: unde habitus quoque corporum, quamquam in tanto numero, idem omnibus; truces & cærulei oculi, rutilæ comæ, magna corpora, & tantùm ad impetum valida.*

Fuere Germanis Dii, alii quidem naturales, animales alii. Hoc libro de animalibus ſermo eſt nobis. Sed, ut in Hiſpanicis, Gallicis, Britannicis, fecimus; ita hic quoque addere quædam cogimur de naturalibus: ut magis pateat, quam cujuſque crediderint numinis naturam.

De Diis illorum ita Cæſar in VI belli Gallici: *Deorum numero eos ſolos ducunt, quos vident, Solem, Vulcanum, & Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt.* Eruditiſſimus Cluverius in primo Germaniæ antiquæ cap. XXIX, hinc colligebat (ut verba ipſius retineam) *priſcos Germanos unum, verum, æternum Deum, in trinitate coluiſſe ſub Solis, Lunæ, atque Ignis numinibus.* Equidem vellem, verum ut diceret, tum dogmatis cauſſâ, quod ſanctè credo; tum gentis ergo, in qua primùm vitalem hauſi aëra. Sed ipſe obſtat Cæſar, quando ait, Germanos non alios agnoſcere Deos, quàm quos vident. Et profectò quid infirmius, quàm ex eo, quòd Germani tria ſtatuerint numina, colligere eos agnoviſſe myſterium illud Trinitatis, quòd Catholica nos docet Eccleſia? Num & Peruani hoc credunt dogma? quibus, ut ſcribit Joſephus à Coſta lib. V rerum Occidentalis Indiæ, cap. IV, tres ſummi ſunt Dii, Viracoche, Sol, & Tonitru. Hic multò veriſimilius procederet commentum. Nam Viracoche eſt creator mundi. Sed Sol, & Tonitru, nihil ad ſacroſanctam Trinitatem. Siquidem Sol non Λόγος eſt, Dei filius; ſed ille Sol, qui ſub aſpectum cadit: Tonitru quoque, non profectò Spiritus Sanctus, ſed concuſſus ille fulminis è nubibus erumpentis, & ſoni ex rupta nube maximi. Nec mirum, ſi poſt orbis architectum numina hæc maximi fecerint. Nam quid in æthere pulchrius, & admirabilius Sole? quid in aëre magis percellit homines, quàm Fulmen, ac Tonitru? Hæc igitur cauſſa eſt, cur Peruani opifici Deo, ut vocant, Viracochæ, addiderint Deos minores duos; velut advocatos, & interceſſores apud Viracocham: quæ & Joſephi à Coſta ſententia eſt. Ecquid hæc commune habent cum Eccleſiæ dogmate? Nec multò amplius pro adverſa ſententia religio Ægyptiorum facit. Quibus ſummi itidem tres Dii: atque hi iidem, qui Germanis: nempe Sol, Luna, & Vulcanus. Nam Vulcanus idem, ac Ignis Germanis, & Peruanis Fulmineus ignis cum tonitru. Afferam de numinibus hiſce verba Diodori Siculi lib. I: ubi, poſtquam egerat de Sole, & Luna, iſta ſubjungit: Τοὺς δ' οὖν κατ' Αἴγυπτον φασὶν ἀνθρώπους τὸ παλαιὸν γενομένους, ἀναβλέψαντας εἰς τὸν κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν καταπλαγέντας καὶ θαυμάσαντας, ὑπολαβεῖν εἶναι δύο θεοὺς ἀϊδίους τε καὶ πρώτους, τόν τε Ἥλιον καὶ τὴν Σελήνην. *Antiquiſſimos ajunt Ægypti incolas, ſuſpicientes in cælum, & non ſine ſtupore ob naturam univerſi admiratos, exiſtimaſſe, duos eſſe Deos ſempiternos, & primos; Solem, & Lunam.* Hinc multa de utroque ſubjungit; inter alia autem, Τούτους δὲ τοὺς θεοὺς ὑφίστανται τὸν σύμπαντα κόσμον διοικεῖν, τρέφοντάς τε καὶ αὔξοντας πάντα. *Hos autem Deos mundum univerſum gubernare ſtatuunt nutrientes, & augentes omnia.* Poſtea varia quidem numina recenſet; ſed principem & locum, & honorem, tribuit Vulcano. Sic enim paullò pòſt ſubjungit: Τὸ δὲ πῦρ μεθερμηνευόμενον Ἥφαιστον ὀνομάσαι, νομίσαντας μέγαν εἶναι θεὸν, καὶ πολλὰ συμβάλλεσθαι πᾶσιν εἰς γένεσίν τε καὶ τελείαν αὔξησιν. *Ignem autem per interpretationem nominare Vulcanum, & ipſum magnum eſſe Deum exiſtimantes, qui multum conferat omnibus, tum ad generationem, tum ad exactum incrementum.* Quàm hæc conveniunt cum eo, quod de Germanis dicit Cæſar, veneratos numina, quæ viderent? Dixeris, Cæſarem tradere, non alios à Germanis Deos agnoſci: at alios præterea ab Ægyptiis cultos. Id parum præſentem ad rem facit. Sufficit enim, quòd Ægyptiis ſumma hæc numina fuerint: ut ſi illis deſignentur Pater, Filius, & Spiritus Sanctus, per Deos cæteros intelligere angelos poſſis: ut qui in ſacris etiam literis *Elohim* ſive *Dii* nuncupentur. Verùm enim verò quis Sanctorum vel Prophetarum, vel Apoſtolorum, vel etiam patrum, per Solis, Lunæ, Ignis cultum, venerationem potiùs Creatoris, quàm creaturarum intellexit?

In iſto etiam ob oculos iis caligo obſtiiit, quod à Cæſare, ſummo licet auctore, decepti, arbitrentur, tria ſolùm numina fuiſſe Germanis. Quippe acutiùs iſta perſpexerunt, qui poſtea ſignarunt ſitum ac ritus Germaniæ: qualis Tacitus imprimis. Primùm de Marte videamus: de quo nobilis ille Annalium ſcriptor lib. IV ejuſce operis: *Tencteri, Rheno diſcreta gens, miſſis legatis, mandata apud concilium Agrippinenſium edi jubent. Quæ ferociſſimus e legatis in hunc modum protulit: Rediſſe vos in corpus, nomenque Germaniæ, communibus Deis, ſed præcipuo Deorum Marti, gratias agimus.* Idem in Germania ſua ait, *Martem ab iis placari conceſſis animalibus.* Jornandes [a] verò de Gothis: *Martem ſemper aſperrimâ placavere culturâ. nam victimæ ejus mortes fuere captivorum.* Quid verò Martis nomine intellexerint, meliùs libro proximo diſquiretur. Nam is deſtinatus Diis naturalibus; in quibus etiam Mars ille Germanorum.

[a] De rebus Geticis, cap. 5.

At de Hercule, quem & ipſum coluere, ſecus cenſeo. Heroa enim fuiſſe, indicat Tacitus de mor. Germ. *Fuiſſe apud eos & Herculem memorant, primumque omnium virorum fortium ituri in prælia canunt.* Nec tamen exiſtimo,

ſtino, Herculem Germanicum Germanis etiam *Herculis* nomine vocatum: ſed Germanicam appellationem Romani Romano ſic nomine reddiderunt. Videbant nimirum, celebrari iis inclytæ fortitudinis heroa: qualis Græcis Hercules Thebanus, ac propterea dedére nomen Herculis; etſi ſine dubio longè alius eſſet ab Hercule, non Thebano modò, ſed Tyrio etiam, atque Ægyptio, vel Libyco. Atque ex his ſimul liquet, cur Tacitus, aliquanto poſt verba ſuperiùs producta, Martem, & Herculem, diſtinguat his verbis: *Herculem, ac Martem, conceſſis animalibus placant.* Nempe Hercules erat, ut eidem dicitur, *primus virorum fortium:* unde Germanis mos geſta ejus canere in prœlium ituris, quò militem ejus accenderent exemplo. At Mars non ex Semideis, ſive heroibus, vel Indigetibus diis erat: ſed, ut loquitur Tacitus, *præcipuus Deorum.* Ut planè fugerit ratio eruditiſſimum virum *a*, cùm Germanis Herculem putat eundem fuiſſe, ac Martem. Nec juvat eum Macrobius *b*, quando ait, Pontificibus idem eſſe Herculis, ac Martis numen. Neque enim hoc intelligendum de Hercule heroë; ſed Hercule æthereo: quorum ille ad veterem pertinet hiſtoriam; hic ad rerum naturam; quippe qui idem ſit ac Sol. Amborum autem cultu ſociato ac permixto, & Sol cultus cum heroe, & heros in Sole; ut pleniùs libro proximo explicabitur.

a *Antiq. German. lib.* 1, *cap.* 28

b *Lib.* 1 *Saturnal cap.* 19.

Mercurium etiam Germani coluerunt; vel ſaltem numen aliquod, quod ipſi *Wodan* vocarint, teſte Paulo Diacono *c*; Romani autem ſua linguâ *Mercurium* reddiderint. Equidem, quàm rectè id fecerint, ambigo: quia nihil video, unde colligam, *Wodan* apud Germanos, vel literaturæ, vel facundiæ, vel negotiationi, præfuiſſe. At potiùs cerno, unde fiat veriſimile, eum rei præfectum militari. Quippe apud Tacitum eſt in VI Annal. *Ab Hermunduris diverſam aciem Marti, ac Mercurio, ſacratam.* Etiam ſimilis in eo cultus, quod utrique victimas, imò & humanas mactarent hoſtias. De Marte ex Jornande antea vidimus. De Mercurio ſic Tacitus lib. de Moribus Germ. *Deorum maxime Mercurium colunt: cui certis diebus humanis quoque hoſtiis litare fas habent.* Operæ etiam eſt conſiderare, quod hic dicit, Mercurium ex Diis maximè coli. Ac apud eundem lib. IV Hiſtor. Tencteri Martem vocant præcipuum communium Germaniæ Deorum. Credo, in tam diverſis Germaniæ populis, alii Martem, Mercurium alii, præcipuo habuerint loco. Quod ſi Germanicum Mercurium cenſere liceret ex illo Romanorum, qui ingeniorum erat præſes: poteramus putare, ſacrificaſſe ei Germanos, quando aſtu & ſtrategemate fuiſſent ſuperiores: Marti autem, ſi viciſſent virtute, &, ut dicitur, Marte aperto. Sed tantum abeſt, Mercurium ut Germanicum ex Romano cenſendum putem: ut ne quidem arbitrer, eum, qui Germanis *Wodan*, rectè *Mercurium* reddi à Romanis. Quippe *Wodan* Germanis non eſt Deorum nuncius; eoque multò inferior, non Jove ſolùm, ſed cunctis Saturni liberis: verùm ſummus Deus, univerſi præſes. Nam *Wodan*, ſive *Woden*, eſt idem, ac *Guodan*, ſive *Guode*; pro quo *Gode*, vel *God*, nunc dicimus. Quippe permutantur W, GV, & G. Quomodo hodieque ſcribimus, *Wilhelmus*, *Guilhelmus*, & *Gilelmus*. Imò & apud Annam Comnenam in Alexiados opere Γυλίελμος, Γιλίελμος, & Γιλλίελμος legas. Similia ſunt *Walen*, *Gualen*, *Galen*. Hodie *Walen* obtinet. Sed à *Galen* Romani fecere *Galli*. Itidem ex *werren*, quod eſt *contendere*, *pugnare*, ut *weren*, *defendere*, eſt *werre* pro bello, ſive *warre*, ut Angli pronunciant. Pro *werre* Galli *guerre*, Itali *guerra*: quod nec Latino in carmine refugit Baptiſta Mantuanus. Verùm Itali dicunt *gara*. Et ex *gara*, vel *gera*, & *man*, quod *virum* notat, eſt conflata vox *Germani*, quaſi hominem dicas militarem. Simile igitur iſtis *Wodan*, *Guodan*, *Godan*: ex quo κατ' ἀποκοπὴν eſt *God*; κατ' ἀφαίρεσιν, *Dan*: unde *Dani* dicuntur, pari ratione ac à *Theuth*, *Teutones*. At ab integro *Godan*, ſive *Codan*, eſt *Codanus* ſinus: item *Gedanum*, quod aliter *Dantiſcum*. Eruditiſſimus Belgarum ſui temporis, Juſtus Lipſius, putabat, numen hoc non

c *Lib.* 1 *de geſtis Langobardorum, cap.* 9. *item Godefrido Viterbienſi Chronici parte* XVII.

Wodan dictum, ſed *Wonſda*: atque ita in notis ad Germaniam Taciti pro *Woda*, vel *Wodan*, legere apud Paullum Diaconum jubet: nempe quia non *wodeſdag*; ſed cum N, *woonſdag* dicamus: tum quia Mercurius præfuerit lucro, quod Belgis *winſt*, vel *wonſt*. Nempe non cogitavit, à *Wodan*, vel *Woden*, eſſe *wodanſdag*, vel *wodenſdag*, unde κατὰ συγκοπὴν *woonſdag*. Nec Mercurius Germanicus præfuit lucro: nec a *wonſt*, hoc eſt, *lucrum*, nomen habuit. Unde igitur? inquies. Dicam, quid mihi videatur. Ægyptii, quem Græci, & ſecuti eos Ægyptii, Mercurium interpretabantur, vocarunt Θεῦθ: ut ſæpius vocatur Platoni in Phædro *a*. Ciceroni in tertio de Nat. Deorum eſt *Thoyth*: *Hunc* (Mercurium, inquit) *Ægyptii Thoyth appellant: eodemque nomine anni primus menſis apud eos vocatur.* Sic editio Aldi ſenioris: nec longè abit, quæ eſt nepotis Aldi; ubi eſt *Thoit*. Illa quoque Roberti Stephani *b* cum editione Aldi ſenioris convenit: uti & Lambiniana: ſed in ea ad latus annotatur, alios legere *Thouth*. Sed tanti aliis eſt Platonis auctoritas, ut, codicibus illis inſuperhabitis, præferant apud Tullium *Theuth*. Nec diffitendum, non longè hinc multos abire codices: ut in quibus reperias *Theyn*, *Thear*, & *Their*: quod poſtremum in veteri reperio editione, annum quidem, ut primitus fiebat, diſſimulante, ſed quàm facilè principem eſſe editionem agnoſcas. In iſto Tullianorum codicum diſſenſu, eò potiſſimum propendeo, ut *Thoyt*, vel *Thout*, ſcripſerit Tullius. Movet meliorum è MSSis auctoritas. Movet item Euſebius Præparationis Euangelicæ lib. 1, cap. IX, ubi legas: Αἰγύπτιοι μὲν ἐκάλεσαν Θωὺθ, Ἀλεξανδρεῖς δὲ Θώθ, Ἑρμῆν δὲ Ἕλληνες μετέφρασαν. *Ægyptii Thoyth vocarunt, Alexandrini Thoth, Græci Hermen, hoc eſt, Mercurium interpretati.* Qui locus ſatis veterem Tullii lectionem confirmat: utcunque Xyſtus Betulejus, & apud Tullium *c*, ubi *Thoyth* legitur, & apud Lactantium *d*, ubi *Thoth* editum eſt, etiam ab Aldo, *Theuth* legere malit: ſanè aliter quàm Thomaſius, qui ad oram *Thoyth* repoſuit. Porrò ab *Thoyt*, ſive *Thout*, κατὰ μετάθεσιν eſt *Thuoth*: quæ pronunciatio durior. Germani igitur, qui litera W gaudent, T rejecto, fecere *Woth*, ſive, terminatione additâ, *Wothan*, vel *Wodan*, vel *Woden*, aut *Wode*. Ex *Wode* autem vel *Woth*, ut diximus, eſt *Guoth*, *Goth*, *God*, vel *Got*. Vulgaris quidem illa opinio eſt, *God*, ſive *Got*, dici à *goet*, id eſt, *bonum*, quia Deus fons ſit bonitatis. Sed contrà eſt, cùm, ut bonitas eſt à Deo, ita & à *God*, quod eſt *Deus*, ſit *goed*, penè quaſi dicas *divinus*. Benefaciendo enim reddimur Deo ſimiles: unde proverbium, *Homo homini Deus.* Atque hanc ſententiam confirmat, quod ut à *Thoyth*, ſive *Thuoth*, eſt *Wod*, ſive *God*: ſic à *Theuth* ſit θεὸς, & *Deus*, T in S converſo: quæ facilè commutantur: ut apud Græcos γλῶσσα, γλῶττα; ὀρύσσω, ὀρύττω: apud Germanos, *das*, *dat*; *waſſer*, *water*, & Latinis fluvius Germanicus *Iſurgus*, *Iturgus*. Et, ſi iſta non ſufficiunt, ſimiliter dixerunt Latini *pulſare*, & *pultare*: item Feſto teſte, *merſare*, *mertare*; *adgreſſus*, & *egreſſus*, quæ prius *adgretus*, & *egretus*. A τόσοι quoque *tot*; ab ἄλσος, *ſaltus*; à σὺ Tarentino more τὺ; ab εἴκοσι Laconicum βείκατι, unde *viginti*; τίτυρος, *Tityrus*, à σάτυρος, quo *aries*, ſignificatur, ſive *vervex*, *ſectarius*; ut ex Servio cognoſcimus. Valde etiam, quæ dicebamus, firmantur derivatis à *Godan*, *Dan*, *Theuth*. Nam à *Godan*, inſula Danica Melæ eſt *Codanonia*, quæ nunc *Sielant*; uti incolæ Ptolemæo *Codanones*: ſinus etiam *Codanus* Melæ, Plinioque. Et quia à *Godan*, extrito O, eſt *Gdan*, unde *Dan*, hinc *Dani* nomen datum. Et affine Δὰν à Σδὰν, pro Ζὰν, ſive Ζῆν: nam Z valet σδ. A *Teuth* verò Germanicum *Teutſche*; Latinis *Teutoni*, vel *Teutones*: ac ab eodem Gallis *Teutates*. Nempe nationes Germanicæ à Deo, ſuâ quæque dialecto, nomen adſumſerunt; quaſi *populum Dei* dixeris: quod facere iis viſum ad cultum Dei inculcandum ſuis, & ſimul ad terrorem injiciendum hoſtibus.

a *Pag.* 274. *edit. H. St.*

b *Anno* 1543.

c *Lib.* 3. *de Nat. Deor.*

d *Lib.* 1. *cap.* 6.

CAP. XXXVIII.

Tuiſto, Germanorum origo, Gomer videtur; ſive ex Thogarma, ſive ex Aſcenes propagentur. Sed de Aſcenes opinio rejecta, ac Aſcenazim *potiùs eſſe minoris Aſiæ gentes. Si Tuiſto ſit Germanorum parens, id non aliter eſſe capiendum, quàm quia origo ſit generis humani; Adamus puta: Mannum autem, Noachum videri. Niſi Thuiſto potius ſit ipſe univerſi conditor, qui &* Theuth: *Mannus autem Adamus; qui &* Man, Men, Menis, Menas, Maneros. *Nec* Iſenaco *ab Iſide, nec* Hamburgo *ab Jove Hammone nomen datum eſſe. Iſidem Germanicam videri aliam ab Ægyptia: niſi utràque Evam adumbrarint, quæ* Iſcha *Moſi. Adanum Cilicum videri Adamum, & unde* Sari *appellatio, qui alter Adanorum conditor. Si Tacitum audimus, etiam Caſtorem & Pollucem cultos Germanis: ſed Germanos potius gemino illo numine ſignâſſe Deum bonum, & malum, ſive nigrum; qui &* Zeernebock; *&, ſi pleriſque Tertulliani codd. ſtandum*, Tibilenus. *Sed poſſe pro Caſtore & Polluce etiam par naturalium Deorum intelligi. Ex ſententia Saxonis, & aliorum, etiam Danis, & Sueonibus, defunctos pro Diis cultos eſſe.*

PRæterea Germanis Deus fuit Tuiſto. De quo Tacitus in Germania ſua: *Celebrant carminibus antiquis Tuiſtonem Deum, terrâ editum, & filium Mannum, originem gentis conditoreſque.* Ubi, ſi eos intelligit, qui proxima ſint Germanorum origo, Tuiſto ſit Gomer; Mannus autem vel Thogarma, vel Aſcenez. Gomer ille Japheti filius fuit; ut eſt Geneſ. x, 3. Ab eo Germanos ducere originem, communis eſt ſententia. Sed alii genus arceſſunt ex Thogarma; quem Moſes tertio inter Gomeri liberos loco recenſet: & favet Chaldæus, Ezechielis cap. xxvii, verſ. 14; ubi de equis תוגרמה, *Thogarma*, reddidit de גרמניא, *Germania*. Alii verò genus repetunt ex Gomeri hujus primogenito, nomine Aſcenez. Atque ita recentiores Judæi. Nam Hiſpaniam *Sepharad*, Galliam *Carphat*, Germaniam *Aſcenazim* appellant. Et favere creditur Flavius Joſephus lib. I, cap. vii; ubi vulgò quidem *a* legas, Ἀσχανάζης Ἀσχαναζὰς ᾤκισεν· οἱ νῦν Ῥηγῖνες ὑπὸ τῶν Ἑλλήνων καλοῦν. *Aſchanazes condidit Aſchanazas: qui nunc Rhegines* (ſive Rhegini) *à Græcis appellantur.* Sed plerique, & in his Antonius Delrius *b*, pro Ῥηγῖνες (quales nulli Græcis cogniti, præter incolas Rhegii Julii, & Rhegii Lepidi) reponere jubent Γερμανοί: eò magis, quia parum veriſimile videatur, Joſephum ſilentio præteriturum fuiſſe parentem magnæ illius & populoſæ Germaniæ, temporibus ſuis bello cum Romanis geſto celebratiſſimæ. Sed enim conjectura iſta penitùs eò concidit, quòd ſic jam olim in Joſepho lectum ſit; ut conſtat ex Euſebio, & Hieronymo, atque hos exſcribente Iſidoro. Quare *Aſcenazim* potiùs ſint gentes minoris Aſiæ; mari Ægeo propiores. Cui ſententiæ favet Hieroſolymitanus, idque ex Jerem. LI, 27: ubi Aſcenes numeratur inter eos, qui auxilia Medis tulerunt. Atque idem, vel prope idem, cenſet Theodoretus. Ut qui *Aſcenez* dicat prophetæ Jeremiæ eſſe gentem Mediæ vicinam. Quid hoc ad Germanos? Et opinionem eorum, qui in Aſia collocant, multum juvat frequens in ea *Aſcanii* nomen; præcipuè terris Ægeo mari magis vicinis. Ut inde etiam Aſcanio, Æneæ filio, nomen eſſe videatur. Sed utcunque illud, Aſcania Stephano eſt Troadis urbs; quam in Phrygia ponit Heſychius. Et ante Troadem Plinius Aſcanias agnoſcit inſulas lib. IV, cap. XII, & lib. V, cap. XXXI. Item in Troade ſtatuit Aſcaniam lib. V, cap. XXXII, & Aſcanium flumen, ibidem. Uti & Aſcanium ſinum prope Niceam, & Aſcanium lacum. Quemadmodum & inter Phrygiam, & Myſiam, eum ponit Arrianus lib. I de geſtis Alexandri: qui locis iis, ac vicinis, ſalem naturâ ſuâ ait concreſcere. Quamobrem ſic ſtatuo, *Aſcenazim* non eſſe Germanos, ut cum Judæis plurimi cenſent: ſed Troada, Phrygiam, Bithyniam, Æolidem, & tractus vicinos: nec alias, quàm baſce nationes, intelligi à propheta Jeremia.

a Niſi quod perperam in Frobeniana, Ἀσχανάζης Ἀσχαναζάς.

b Gloſſis in Geneſ. 10, 3.

Expendimus eorum ſententiam, qui ab Gomero, ejuſque filio Aſcenez, Germanicam eſſe gentem conditam arbitrantur. Sed enim cauſſæ nihil animadverto, cur apud Plinium neceſſe habeamus intelligere eos, qui proximi ſunt ejus gentis parentes. Mihi videor in illis, quæ de Tuiſtone Deo terrâ edito, & Manno, ejus filio, ſcribit Tacitus, reliquias cernere doctrinæ veteris de Adamo, terrâ edito; ut is ſit Tuiſto: item de Noacho, trium filiorum parente. Subjungit enim Tacitus; *Manno tres filios adſignant.* Nec obſtat, quòd Noachus ſit decimus ab Adamo; Mannus autem Tuiſtonis filius dicatur: illius item filii tres fuerint, qui inter ſe Germaniam diviſerint: unde & proximi Oceano Ingævones, medii Herminones, cæteri Iſtævones vocentur. Siquidem, qui filium genuit, nepotem etiam, & omnem ejus genuiſſe poſteritatem, cenſetur. Cujus rei compluria habemus exempla apud Matthæum Euang. cap. I, ac alibi in Scripturis paſſim. Porrò multi quidem ſic fuerint Germanicæ gentis genitores: ſed è tota eorum ſerie non alii memorari juſtiùs merentur Adamo, & Noacho. Quæ etſi ita ſint, ſuſpicor tamen, in Manno adumbrari nobis, non Noachum duntaxat, ſed etiam Adamum: ut eoſdem uno Saturni nomine ſignare gentes ſolent; quemadmodum ſuperiùs oſtendimus. Movet me, præter alia, *Manni* vocabulum. *Man* enim Germanis virum deſignat: quam vocem ex Aſia attulere: unde Aſiaticis, *Turcimani*, *Othomani*, *Solimani*, pluraque ejuſmodi. *Manni* igitur nomen præcipuè conveniat Adamo. Ita Tuiſto ſit Deus ipſe, Adami & Evæ conditor. Et fortaſſe ab eadem origine Romanorum *Mu*, Germanorum *Man*, Ægyptiorum *Men*, *Menis*, vel *Menas*: quem primum ſtatuunt regum ſuorum, ut vidimus antea *a*: item, (quod propius ad *Man* accedit) *Maneros*: de quo Julius Pollux lib. IV, cap. VII, §. 11: Αἰγυπτίοις μὲν ὁ Μανέρως γεωργίας εὑρετής, Μουσῶν μαθητής. *Ægyptiis Maneros eſt agriculturæ inventor, idemque Muſarum diſcipulus.* Primus ſanè agriculturam exercuit; primus quoque literas reperit, & docuit, Adamus. Itaque *Manni* nomen maximè conveniat Adamo; *Tuiſtonis* verò nomen Deo ipſi, Adami & Evæ conditori. Quomodo dictus quoque *Theuth*, & *Thoth*. Ab his verò non longè abit *Thuiſto*: unde trajectis duabus literis *Thuiſto*: ubi O ſolùm Latina eſt terminatio: ut fortaſſe hinc ſit *Tuitſchen*: quomodo à *Teuth*, itidem terminatione O additâ, *Teuto*; inde *Teutones*: ut ſuperiùs expoſui.

a Cap 27.

Poſt Tuiſtonem, & Mannum, venio ad Iſidem: de qua ſic Tacitus in Germania ſuâ: *Pars Suevorum & Iſidi ſacrificat.* Quod ſi eſt, numen hoc fuerit à Græcis, Iſtri accolis; his verò ab Ægyptiis: qui Iſidem in Deas retulere, quia cùm triticum, & hordeum, ſpontè antea creſceret inter herbas, nec uſus eorum eſſet cognitus; prima Iſis eum monſtrârit Ægyptiis; ut ex Diodoro antea diximus. Unde ipſa, apud Appulejum XI Met. Eleuſiniam Cererem, & Ægyptiam Iſidem, prædicat eandem. Itaque & nonnulli ab Iſide, oppidum Germaniæ *Iſennacum* dici arbitrantur. Et eò id putant veriſimilius, quia Iſis ſit Oſiridis uxor; Oſiris ſit Mitſraim; is filius Cham, ſive Ham: unde itidem vocari autumant *Hamburgum*, ſive *Hammeburgum* potiùs. Ludovico enim primo literis Aquiſgrani datis vocatur *Hammeburgck*. Sed quanto eſt credibilius *Iſenaco* eſſe nomen à ferro, quod Germanis *iſer*: *Hamburgi* autem vocabulum eſſe à Gambriviis, populo Germaniæ apud Tacitum libro de Germania, & Strabonem etiam in VII: niſi quod, cùm Latinè ſit Gambrivii, Græcè ſcribendum Γαμαβρίουιοι, non, uti literulæ errore exaratum, Γαμαβρίνιοι. Difficulter etiam poſſum in animum meum inducere, Germanos vetus Iſidis numen, cujus ſera adeò notitia Græcis & Romanis, accepiſſe ab Ægyptiis. Sed ſi in ſuperſtitione, tot ſeculis intermortuâ, nunc etiam conjecturis eſt locus: dixero, Germanis fuiſſe reliquias primævæ traditionis de Adamo & Eva: quo-

quorum ille Mannus ſit, hæc Iſis. Nam quomodo Adam, quod hominem notat, ac κατ' ἐξοχὴν, mareni, commodiùs reddidiſſent ſuâ linguâ, quàm *mannum?* A *man* autem mulier dici potuit *manna:* ſed non fuit hoc in uſu Germanis. Ac fortaſſe ex longa traditione retinuerunt Hebræum *iſcha*; quod apud Moſen, & veteri Latinorum linguâ *viram* ſonat: unde apud Feſtum, *Vira Querquetulana.* Romani autem cùm audirent Germaniæ genti cultos *Man*, & *Iſcha*; ut ex illo *Mannum*, ita ex hoc *Iſidem* fecerint: quia non viderent, quod numen *Iſcha*, quàm *Iſis* eſſe poſſet. In quo quantopere falſi ſint, ex iis videre eſt, quæ diximus. Niſi & Ægyptiis, ut Oſiris Adamus, ſic Eva Iſis. Nec enim putandum, primorum parentum memoriam in Aſia penitus intercidiſſe apud gentiles. Multa in contrarium obducere poſſem. Sed uno contentus nunc ero, quod occurrit. Adana antiqua Ciliciæ urbs erat, condita à Syris, inque memoriam primi hominis *Adam* ſive *Adama* appellata. Sed conſtat, Græcos non habere voces in M exeuntes, eoque pro Ἀδὰμ dixere Ἀδὰν, & terminatione additâ, Ἄδανος: unde urbs Ἄδανα. Ἄδανος iſte, ut ait Stephanus, Cæli, Terræque filius erat. Quod nulli melius convenit, quàm Adamo noſtro. Idem Stephanus ait, aliter dictum Saturnum, & Rheam. Puta, quia Saturnus eſt primus homo, & Rhea, omnium mater Eva. Hi, quia una erant caro, ut etiam loquitur Scriptura, eo uno nomine numineque comprehendebantur à Cilicibus: ſi rectè eorum mentem nobis expoſuit Stephanus. Quo teſte, idem quoque Ἄδης, qui fortaſſe Σάνδης; hoc eſt, Hercules. Nam hunc Indis Sanden vocatum, ſuperiùs *a* oſtendimus. Idemque Ἄδης ſive Dis: nempe Adam è terra & in terram rediit; atque inde ei nomen: uti & Ἄδαν quoque Græci dixere ex אדמה, Adama, *Terra*; M itidem in N abeunte. Parque ratio in aliquot aliis gentium Diis, à Stephano memoratis: cujus cauſſa eſt, quod ut in naturali Theologia præcipui Deorum ad Solem, & Lunam, referuntur: ita Dii animales potiſſimi pertineant, vel ad primos parentes; vel Noë, & conjugem; vel liberos horum, qui orbem inter ſe partiti fuere. Ac hinc etiam videmus, cur Adanus ille creditus fuerit Japetus; eodem teſte. Sed quia ſæpius jam Stephanum adduximus, ipſum potius audiamus: Ἄδανα, Κιλικίας πόλις, οὐδετέρως. ταύτην ᾤκισαν Ἄδανος καὶ Σάρος, Ταρσεῦσι πολεμήσαντες καὶ ἡττηθέντες· ἀφ' οὗ ἡ πόλις, ἀπὸ τοῦ ἡγεμόνος, Ἄδανα· τὸν δὲ ποταμὸν Κοίρανον καλούμενον Σάρον καλέσαντες. ἔστι δὲ ὁ Ἄδανος γῆς καὶ οὐρανοῦ παῖς, καὶ Ὄστασος, καὶ Ἄδης, καὶ Κρόνος, καὶ Ῥέα, καὶ Ἰάπετος, καὶ Ὄλυμπος. ADANA, *Ciliciæ civitas, genere neutro. Hanc exſtruxere Adanus, & Sarus, cum bellum geſſiſſent adverſus Tarſenſes, ſed ſuccubuiſſent. Ac à duce quidem Adano urbs dicta eſt Adana: flumen autem, quod* COERANOS *dicitur, Sarum nominarunt. Eſt verò Adanus Cæli ac Terræ filius. Idemque & Oſtaſus, & Ades, & Saturnus, & Rhea, & Japetus, & Olympus.* Ubi conſpicimus, ut Cilices videri voluerint, Adanum, & Sarum, eſſe urbis ſuæ conditores. Nempe quia Adana ab omni hominum memoriâ fuiſſet, voluere videri eſſe opus primi hominis, ſive Saturni, vel Adami. Quicum tamen non bellè convenit, quod Adanus, & Sarus, dicuntur victi fuiſſe à Tarſenſibus. Ut convenientius fuerint dicturi, in honorem Adani, ſive primi omnium parentis, ſic urbem vocitatam. Dicitur autem & Sarus urbem ædificaſſe, ac honori ejus flumen, ad quod exſtructa fuit, Sarum nominatum. *Sari* quidem appellatio optimè convenit tum Adamo, tanquam Deo tutelari, unde urbs dicta: tum conditori urbis; qui & ipſe forſitan *Adam* dictus; quomodo ambiguitas vocabuli occaſionem præbuerit Cilicibus natales ſuæ urbis referendi ad primum hominem, Cæli Terræque filium. Utrique competit appellatio שר, ſar, quod eſt, *dominus*, *princeps.* Unde & Abrahami uxor vocata שרה, Sara, hoc eſt, *domina.* Non vanam eſſe hanc conjecturam, arguit, quòd Stephanum audiimus dicentem, fluvium aliter vocatum Κοίρανον, hoc eſt, *dominum.* Nempe à Syris *Sarus*, à Græcis Κοίρανος vocabatur: quia Ciliciæ variis in locis Syri Græcique erant permixti. Siquidem, ut ſuperiùs oſtendimus, Syria antiquitus ad Pontum uſque Euxinum extendebatur: unde & Cappadoces *Leucoſyri* dicebantur.

a Cap. 18.

Si Tacitum audimus, etiam Caſtor & Pollux culti ſint Germanis. Sic enim ille libro de moribus Germaniæ: *Apud Naharvalos, antiquæ religionis lucus oſtenditur. Præſidet ſacerdos muliebri ornatu: ſed Deos interpretatione Romani Caſtorem Pollucemque memorant.* Ubi non de nihilo eſt, quod INTERPRETATIONE dicat. Neque enim Germani habuere nomina *Caſtoris*, & *Pollucis.* Sed Romani, cùm perſuaſum haberent, colere ſe, quicquid Deorum eſſet: in cultu numinis barbarici conſiderabant, cui ex Diis ſuis is cultus maximè conveniret: atque inde hoc numen Jovem, aut Neptunum; illud Junonem, aut Cererem; aliud Herculem, aut Martem, & ita in cæteris, interpretabantur. Quamquam verò apud Diodorum etiam in IV legere ſit, Dioſcuros à Celtis maris accolis, in quibus & pleri que Germani, cultos eſſe: valde tamen metuo, ne de illo ratio fugerit Romanos pariter ac Græcos. Sanè quàm minutum hoc argumentum, quod Germani duos Deos luci præſides, & quidem (Taciti verba ſunt) *ut fratres, ut juvenes venerentur.* Nam quid ſi per duo hæc numina intellexerint Germani principium unum boni, alterum mali? quæ de duobus ſummis Diis opinio, vetuſtiſſimorum apud gentes Theologorum fuit, ac legiſlatorum: ut Plutarchus clarè ait libro de Iſide & Oſiride; fuſéque à nobis ſuperius *a* eſt declaratum. Idem Germanos putaſſe, ſaltem aliquas ejus nationes, eo mihi veriſimilius ſit, quia & Slavi, quorum pars bona cis Viſtulam in Germania veteri, opinionem hanc amplexa fuit. Helmoldus lib. I Chron. Slavorum, cap. LIII: *Sub nomine Deorum, boni ſcilicet atque mali, omnem proſperam fortunam à bono Deo, adverſam à malo, dirigi profitentur. Ideo etiam malum Deum ſuâ linguâ Diabol, ſive Zeerneboch, id eſt, nigrum Deum appellant.* Sed *Zeerneboch* quidem ſit à Slavis: at *diabol* ſine dubio eſt ex *diabolus*; ut à Chriſtianis hoc acceperint vocabulum. Niſi fortè de diabolo ex gloſſemate in contextum irrepſit. Sanè non habet Albertus Crantzius in Wandalia ſua lib. III, cap. XXXVII: ubi Helmoldum ad verbum exſcripſit, tacito auctore. Quem Slavi *Zeerneboch*, hunc Saxones antiqui, ſi audimus Fabricium *b* in Saxonia ſua, vocant *Tybilenum:* imò, ut ait, hodieque ſic malum dæmonem *c* nuncupant. Itaque nihil fortaſſe mutandum apud Tertullianum Apologetici cap. XXIV, ubi in multis codd. eſt: *Unicuique provinciæ & civitati ſuus eſt Deus, ut Syriæ Aſtarte, Arabiæ Diſares, ut Norico Tibilenus, ut Africæ Cæleſtis, ut Mauritaniæ reguli ſui.* Alii tamen locum cenſent corruptum: ut Nicolaus Loenſis Epiphyllid. lib. V, cap. XV, qui pro *Tibilenus* corrigit, *Dius Belenus.* Pithœus autem Subſec. lib. I, cap. IV, ſimpliciter legit *Norici Belenus.* Quod magis placet. Ut illud TI in *Tibelenus* ſit ex repetito TI ex Norici. Nam T, & C, in veteribus MSSis, confundi ſolent; ut norunt, qui eos tractarunt. Sin minùs placet, per numina, quæ Romani *Dioſcuros* interpretabantur, bonum Deum, & *Zeerneboch* intelligi: quid ſi capiantur Dii illi, qui Romanis Cælus, & Tellumo; puta Cæli, & Terræ Deus? Vel, quia Dioſcuri iſti à Diodoro Celtis maris accolis tribuuntur; quid ſi fuerint Romanorum Jupiter, & Neptunus? Fratres quippe hi, nec ſeneſcit eorum natura. Vel quid ſi frater ſororque ſignentur, ſive Cælum & Terra, ſive Sol, & Luna? Saltem non paullò hæc veriſimiliora mihi videntur, quàm ut reliquiæ fuerint doctrinæ de trinuno Deo; perque Caſtorem & Pollucem ſignati fuerint Λόγος ſive Verbum, & Spiritus S. Quæ opinio fuit eruditi noſtri amici in Germania antiqua lib. I, cap. XXX.

a Cap. 5.

b Lib. I originum Saxonicarum.

c Interim vereor magnopere, ne deceptus ſit Fabricius, ac Tifel non ex Tibilenus ſit; ſed ex διάβολος, unde & Germanis Teuffel, Belgis Duyvel.

Ulyſſes etiam in Germania fuiſſe exiſtimatus, & ararum honore cultus. Tacitus de moribus Germaniæ: *Ceterùm & Ulyſſem quidam opinantur longo illo, & fabuloſo errore, in hunc Oceanum delatum, adiſſe Germaniæ terras, Aſciburgiumque, quod in ripa Rheni ſitum hodieque incolitur,*

litur, ab illo conſtitutum, nominatumque ἀσκιπύργιον a. *Aram quin etiam Vlyſſi conſecratam, adjecto Laertis patris nomine, eodem loco olim repertam; monumentaque & tumulos quoſdam Græcis literis inſcriptos in confinio Germaniæ, Rhætiæque, adhuc exſtare: quæ neque confirmare argumentis, neque refellere in animo eſt: ex ingenio ſuo quiſque demat, vel addat fidem.* Verùm nunquam Ulyſſes navigavit in Oceano, ſive mari externo. Quod multis poſſim comprobare. Sed ſola ſuffecerint, quæ adducit Brodæus Miſcellaneorum lib. III, cap. IV. Cujus in ſententiam pedibus nunc, quantum video, penè ab omnibus itur eruditis. Eoque & de Olyſippone Luſitaniæ, ab Ulyſſe extructa, prorſus repudiant: non minori ſane jure, quàm circumſpectiores Zelandicæ gentis de Uliſſinga ſuâ ab Ulyſſe, ac Ziricea à Circe extructâ.

a *Aſſentio iis, qui vocula Græcanica delent: ut quæ antecesserit. Nempe ab iis numerorum ergo ad eum aſcripſerat, unde in contextum irrepſit.*

Ad veterem quoque Germaniam pertinent Dani, & Sueones, aliique populi Septentrionales: quorum Deos fuiſſe homines, ac tum in vita meruiſſe honores, tum à morte pro Diis eſſe cultos, etiam agnoſcit Saxo Grammaticus lib. VI Hiſt. Dan. Audiamus loquentem: *Olim quidam magicæ artis imbuti, Thor videlicet, & Othinus, aliique complures, mirandâ præſtigiarum machinatione callentes, obtentis ſimplicium animis, divinitatis ſibi faſtigium arrogare cœperunt. Quippe Norvagiam, Sueciam, ac Daniam, vaniſſima credulitatis* b *laqueis circumventas ad cultus ſibi pendendi ſtudium concitantes, præcipuo lu-dificationis ſuæ contagio reſperſerunt. Adeo namque fallacia eorum effectus percrebuit, ut in ipſis cæteri quandam numinum potentiam venerantes, eoſque deos vel deorum complices autumantes, veneficiorum auctoribus ſolennia vota dependerent, & errori ſacrilego reſpectum ſacris debitum exhiberent. Quo evenit, ut legitima feriarum ſeries apud nos eorundem nominibus cenſeatur: cùm ipſis Latinorum veteres, ſive à Deorum ſuorum vocabulis, ſive à ſepteno planetarum numero, nuncupationem ſingulatim adaptaſſe noſcantur.* Plura de iis ibidem ſubjungit. Vide & Joannem Magnum, Gothorum, Sueonumque hiſtoriæ lib. I, cap. IX, X, & XI, & de vitis Pontificum Upſalenſium lib. I *c*. Ex hujus verò temporis ſcriptoribus de iſtis Danorum Diis vide ſis erudiſſimum amicum noſtrum, virum de literis optimè meritum, Iſacium Pontanum in Gloſſario Priſcogallico, Originibus Francicis, & lib. I Hiſt. Danicæ.

b *Apud Joannem Magnum, qui locum hunc, ſed abſque illa Saxonis mentione, exſcripſit,* pro credulitate, *perperam in Romana ipſa editione,* crudelitate *legas, lib. I hiſtoria Gothica cap. 10.*

c *Edit. Rom. pag. 14.*

Cap. XXXIX.

In dubium revocatum, an à Sarmatis paganis præter Deos naturales, quorum nomina referuntur, etiam culti ſint Dioſcuri ſub nominibus Leli, & Poleti. *Alexandri Magni, & Cæſaris Auguſti ara ad Boryſthenem. Aurea Vetula accolarum fluminis Oby. Zamolxis à Getis, quibus leges tulerat, pro Deo cultus. Orpheus geminus, Argonauta unus, alter poëta, qui proprio nomine Onomacritus; & amborum ætas; deque cultu Argonautæ locus Cononis. Temeſius Clazomenius in Thracia ab Abderitanis cultus. Pleſtorus, deus Thracum, cui ſacrificatum Oebazo. Helena, Veneris miniſtra, ab Epidamniis, vel Epidauriis, pro Dea eſt habita.*

POlonia partim ad Germaniam magnam, partim ad Sarmatiam pertinet. Incolæ his terris, ut rerum Polonicarum ſcriptores tradiderunt, coluere non Solem modò, & Lunam: ſed etiam Pogwiſd, ſive Auram, Jeſſam ſive Iovem, Lacton vel Lactonem, ſive Plutonem, Niam ſive Cererem, cujus celeberrimum Gneſnæ templum fuit, Marzanam ſive Venerem, Zievoniam, ſive Dianam. Sed omnes iſti fuere Polonis Dii naturales: quos venerati fuere uſque ad annum Chriſti CIↃ CCCC LXV; quo Mieſco, ſive Mieczlaus rex ſacris eſt initiatus Chriſtianis. Ajunt verò & habuiſſe Deos animales, Caſtorem, & Pollucem: eos vocitatos Lelum, & Poletum: & cultus eorum ſupereſſe veſtigia hodieque in ſympoſiis Polonicis; ubi vulgo *Lelus*, & *Poletus*, ſoleat inclamari. Sic præter alios Alexander Guaguinus in Sarmatia ſua Europæa. Vellem autem rationem addidiſſent, cur Lelum, & Poletum, interpretati ſint Dioſcuros. Num quia Dii gemini, & affinia videantur vocabula, *Poletus*, & *Pollux*? Nunc veriſimilius non occurrit. Sed quam frivola hæc ſint, omnes vident. Quid ſi igitur dicamus, à priſcis illis Sarmatis per Leli, & Poleti nomina intelligi potiùs ſolere, ſive bonum, nigrumque Deum; ſive Cælum, & Tellurem; ſive Iovem, & Neptunum: prout antea exponebamus numina illa Germaniæ, quæ Caſtorem & Pollucem fuiſſe, etiam Tacitus arbitrabatur? Sin verè Lelum, Poletumque, per Caſtorem, & Pollucem, explicuere: Sarmatæ, credo, eorum cultum acceperint à Græcis, Iſtri accolis. Quomodo & à Græcis fuit ara Alexandri M. ad Boryſthenem: uti à Romanis illa, quæ ibidem conſtituta fuit Cæſari Auguſto. Meminit utriuſque Ammianus Marcellinus lib. XXII: *Deinde Boryſthenes, à montibus oriens, Neurorum primigeniis fontibus copioſus, concurſuque multorum amnium adoleſcens, mari præruptis undarum verticibus intimatur: cujus in marginibus nemoroſis Boryſthenes eſt civitas, & Cephalonesſus, & aræ Alexandro Magno, Cæſarique Auguſto ſacratæ.*

Ad Oby fluvium coluere Auream Vetulam: ſed difficilè dictu, num ea ſymbolum fuerit Evæ, omnium noſtri matris: an Telluris, quæ & ipſa antiqua omnium mater. De hoc numine ſic Paulus Oderbornius in vita Ioa. Baſilidis, magni ducis Moſcoviæ: *Obdorii ab Obbo amne nominantur; qui ex lacu Citaiſco ortus ab Oriente in Septentrionem labitur. His Vogulici, & Hugrii vicini, & Moſchis ſubjecti ſunt; à quibus Aurea Anus idolum ſanctè colitur; quod, oraculi Delphici inſtar, futura quærentibus reſpondere ſolet.* Item Adamus Clemens in Anglorum Navigatione ad Philippum Angliæ tum temporis regem, & Hiſpaniæ principem: *Tatarorum confinia tenent Moſcovitæ idololatræ. Percelebre eſt illis idolum Aurea Vetula dictum. Si qua gravior calamitas gentem premit; veluti fames, bellum, vel peſtis: idolum ſuum ſtatim conſulunt, quod hoc modo faciunt. Coram ſimulachro proſtrati preces fundunt: mox tympanum in medio ſtatuunt. Hoc ſorte lecti circumſtant: argenteum buſonem tympano imponunt: dein bacillo concutitur tympanum. Ac cui circumjacentium circumſtat buſo, protinus interficitur. Statim, neſcio quibus idoli præſtigiis, vita reſtitutus malorum cauſſas exponit. Itaque placato idoli numine, non ita multo poſt publicâ calamitate liberantur.* Vide & Guaguinum Veronenſem in Sarmatia Europæa *a*.

a *In deſcriptione Moſcoviæ, cap. de Obdoria.*

E Sarmatia venio in Daciam, ac regionem Getarum: quorum legiſlator in Deos relatus. Homo Thrax apud Platonem in Charmide: Ζάμολξις λέγει ὁ ἡμέτερος βασιλεὺς, θεὸς ὤν. *Zamolxis ait noſter rex, qui Deus eſt.* De eodem ſic Laërtius in Pythagora: Ἔσχε καὶ δοῦλον Ζάμολξιν, ᾧ Γέται θύουσι, Κρόνον νομίζοντες, ὥς φησιν Ἡρόδοτος. *Habuit & ſervum Zamolxin, cui Getæ ſacrificant, Saturnum eum exiſtimantes, ut ait Herodotus.* Reſpicit autem ea, quæ apud Herodotum legere eſt in Melpomene. Sed refert Herodotus, putare ſe Zamolxin multò fuiſſe antiquiorem Pythagora. De cultu ſic quoque Iamblichus in vita Pythagoræ cap. XXX: Καὶ ταῦτα παιδεύσας τοὺς Γέτας, καὶ γράψας αὐτοῖς τοὺς νόμους, μέγιστος τῶν θεῶν ἐστι παρ' αὐτοῖς. *Cumque hæc Getas docuiſſet, eiſque leges præſcripſiſſet, Deorum apud eos habitus eſt maximus.* Vide & de eodem Strabonem lib. VII, & XVI, Lucianum in Deorum Concilio, Malchum ſive Porphyrium in vita Pythagoræ, Origenem lib. II, & III contra Celſum, Iornandem in Geticis, & Etymologici Magni auctorem in Ζάμολξιν; ubi variæ veterum de eo ſententiæ afferuntur. Imò temporibus Auguſti Cæſaris parum abfuit, quin eadem gens Getica divinos etiam honores tribueret Ceneo, homini præſtigiatori, inque Ægypto divinandi artem edocto, atque oracula ſe dare ſimulanti; teſte Strabone in VII.

A Getis in Thraciam me confero. Ubi eumpſe Za-

molxin cultum fuiſſe, tradit Lucianus in Jove Tragœdo: Σκύθαι μὲν ἀκινάκῃ θύοντες, καὶ Θρᾷκες Ζαμόλξιδι, δραπέτῃ ἀνθρώπῳ ἐκ Σάμου· *Scythæ quidem acinaci ſacrificant, & Thraces Zamolxidi, homini fugitivo ex Samo.* Etiam domo Thrax Orpheus; quem, uti & Muſæum, relatum fuiſſe in numerum Deorum, docet Tertullianus de Anima, cap. II. Intellige autem non Orpheum poëtam, quem habemus, ſed Argonautam: quod non appoſuiſſem, niſi hos confudiſſet Pamelius ad locum Tertulliani memoratum. Sed duos illos jure diſtinxit vetus Apollonii ſcholiaſtes in primum Argonauticon a. Argonauta vixit triginta circiter annis ante excidium Trojanum. Alter ille, vel potiùs Onomacritus, cujus pleraque ſunt Orpheo tributa, claruit temporibus Hipparchi, & Hippiæ, filiorum Piſiſtrati: ut Tatianus etiam ſcripſit adverſus Gentes. Illius igitur Threicii vatis nihil habemus: etſi ad ejus libros provocet Arnobius in quinto. Sed de hoc, & Muſæo pariter, Linoque, plura diximus in primo operis noſtri de re Poëtica. De cultu Orphei ita Conon narratione XLV apud Photium in bibliotheca: Λαβόντες οὖν (τὴν κεφαλὴν τοῦ Ὀρφέως) ὑπὸ σήματι μεγάλῳ θάπτουσι· τεμένει αὐτὸ περιείρξαντες· ὃ τέως μὲν ἡρῷον ἦν, ὕστερον δὲ ἐξενίκησεν ἱερὸν εἶναι. θυσίαις τε γὰρ, καὶ ὅσοις ἄλλοις θεοὶ τιμῶνται, γεραίρεται· ἔστι δὲ γυναιξὶ παντελῶς ἄβατον. *Accipientes igitur* (caput Orphei) *ingenti tumulo mandarunt, ac monumentum ei heroicum circumdederunt, poſtea autem obtinuit, ut eſſet delubrum. Sacrificiis enim, aliiſque rebus, quibus Dii ſolent coli, & ipſe honoratur. Feminis vero templum id omnino eſt inacceſſum.* Præterea Thracibus cultus eſt Odryſus. Nempe quia conditor gentis, ſi non univerſæ, quod Thera potiùs ſibi vindicat; ſaltem partis ejus. Epiphanius lib. I b: Ἔπειτα δὲ ἀκινάκην σέβοντες οἵτε τῶν Σκυθῶν Σαυρομάται, Ὀδρυσόν τε τῶν Θρᾳκῶν προπάτορα, ἐξ οὗ τὸ γένος κατάγεται Φρυγῶν, ὅθεν καὶ Θρᾷκες ἀπὸ τοῦ Θήρας ἐπίκλην τοῦ ἐν τῇ πυργοποιΐᾳ γεγενημένου καλοῦνται. *Tum acinacem Sarmatæ Scythici generis pro Deo colere cœperunt; ut & Odryſum, à quo Thraces oriundi; indidemque & Phrygum genus originem accepit: ex quo etiam accidit, ut à Thera, qui in illa turris ædificatione natus eſt, Thracum appellatio deducta ſit.*

a Verſ. 27.

b Pag. 8.

Etiam Abdera Thraciæ urbs: cujus fundamenta primus jecit Timeſius Clazomenius: ſed nihil fructus inde à Thracibus retulit; ut quem expulerint: ſed poſtea eò coloniam duxere Teji; a quibus divinis eſt honoribus affectus. Herodotus in Clio: Τιμησίου ἐν Ἀβδήροισι ὡς ἥρωος ἔχει· *A Tejis Abderorum urbe colitur, ut Deus.* Ubi heroici ſolùm honoris meminit; ſed is in conditoribus urbium divinus eſſe ſolet.

Erat & Thracibus Deus Pleſtorus: ſed dubito, utrùm naturalis, an animalis. Huic Perſa Oeobazus ſacrificatus. Herodotus lib. IX: Οἰόβαζον ἐκφυγόντα ἐς τὴν Θρηΐκην, Θρήϊκες Ἀψίνθιοι λαβόντες, ἔθυσαν Πλειστώρῳ ἐπιχωρίῳ θεῷ, τρόπῳ τῷ σφετέρῳ· *Oeobazum, fugâ elapſum in Thraciam, Thraces Apſinthii exceptum, Pleſtoro, Deo indigenæ, ritu ſuo immolaverunt.*

Hinc in Illyridem proficiſcor: cujus pars Macedoniæ propior *Dalmatia* vocatur. In hac Epidaurii videntur Helenam coluiſſe; non illam à Paride raptam, ſed aliam; de qua ſic Ptolemæus Hephæſtion novarum hiſtor. lib. IV c: Ἡ ἀρχηγετεύουσα Ἀφροδίτῃ ἐν τῇ πρὸς Ἄδωνιν ὁμιλίᾳ, ἡ Ἐπιδαμνίου θυγάτηρ, ἣν Ἐπιδάμνιοι ἐν Ἀφροδίτης σχήματι τιμῶσι, χρήματα λιμώττουσιν ἐπιδιδοῦσαν. *Illa miniſtra Veneris in congreſſu cum Adonide, Epidamnii filia, & ab Epidamniis Veneris figurâ culta, divitias inhiantibus largiens.* Ubi dubitari poſſit, an non vel priori loco Ἐπιδαυρίου, vel poſteriori Ἐπιδάμνιοι, legi debeat. Sanè veriſimile eſt, hanc Helenam filiam fuiſſe ejus, qui urbem ſive Epidamni, ſive Epidauri, condidiſſet. Sed Epidamnus eſt in Dalmatia duntaxat; alterque *Dyrrachium* vocatur: Epidaurus autem triplex, una quidem in Dalmatia; at duæ præterea in Peloponneſo, una ad ſinum Saronicum, altera ad Argolicum.

c Apud Photium cod. 190.

Cap. XL.

Diomedis Ætoli nemus, ac templum, juxta oſtium Timavi: eundem delubrum in inſulis Adriæ, quæ Diomedeæ dicuntur. Metabus Metapontinis Deus, item Pythagoras: Sybaritis autem ſemicaper puer: Sardis Hercules Thebanus, ſive Alcides, & cum eo Iolaus; item Hercules Libycus, ſive Maceris, cum Sardo; unde Sardis nomen. Etruſcis quoque cultus Hercules. Quis Tages iſte fuerit, qui extiſpicii artem docuiſſe Etruſcos dicitur: & cur ſacra ejus dicta Acherontia. *Marſis in veneratione Circe, vel Medea, nomine* Angitiæ, *ab anguibus impoſito. Minturnenſium Dea Marica, quæ eadem ac Circe: item culta hæc Circeiis. Pilumnus, ac Picumnus, quos à Rutulis accepere Romani, quibus rebus præfuerint, & unde nomen acceperint.*

AB Illyride læti jam Italiam proſpicimus: unde, Iſtriâ relictâ, proxima ſe offert Venetia. Ubi ad oſtium Timavi Diomedis nemus, ac templum fuit. Strabo lib. V: Ἐν αὐτῷ δὲ τῷ μυχῷ τοῦ Ἀδρίου καὶ ἱερὸν τοῦ Διομήδους ἐστὶν, ἄξιον μνήμης, τὸ Τίμαυον· *In ipſo Adriatici ſinus intimo receſſu Timavum eſt, Diomedis templum memorabile.* Paullo verò pòſt ſubdit, Diomedi apud Venetos ſacrificari equum album.

In Picena etiam regione pro numine Diomedes fuit. Scylax Caryandenſis in Periplo: Μετὰ δὲ Δαυνίτας ἔθνος ἐστὶν Ὀμβρικοί· καὶ πόλις ἐν αὐτῷ Ἀγκὼν ἐστί· τοῦτο δὲ τὸ ἔθνος τιμᾷ Διομήδην εὐεργετηθὲν ὑπ' αὐτοῦ· καὶ ἱερόν ἐστιν αὐτοῦ. *Poſt Daunitas gens eſt Umbrorum: inque ea eſt Ancon urbs. Hæc vero gens colit Diomedem, cui ille beneſecit: ac ibidem ejus eſt fanum.*

Sunt & ex adverſo Marrucinorum, ac Pelignorum, inſulæ quinque Diomedeæ; ubi itidem cultus eſt Diomedes. Theophraſtus lib. IV Hiſtor. Plant. cap. VII: Ἐν μὲν γὰρ τῷ Ἀδρίᾳ πλάτανον οὔ φασιν εἶναι· πλὴν περὶ τὸ Διομήδους ἱερὸν σπανίαν δὲ καὶ ἐν Ἰταλίᾳ πάσῃ· *Platanum aiunt non eſſe in Adria, præterquam circa Diomedis delubrum: raram autem eſſe in Italia univerſa.* Plinius lib. X, cap. XLIV: *Diomedeæ aves uno in loco totius orbis viſuntur, in inſula, quam diximus nobilem Diomedis tumulo, atque delubro, contra Apuliæ oram, fulicarum ſimiles. Advenas barbaros clangore infeſtant, Græcis tantum adulantur, miro diſcrimine, velut generi Diomedis hoc tribuentes; ædemque eam quotidie pleno gutture madentibus pennis perluunt, atque purificant: unde origo fabulæ, Diomedis ſocios in earum effigies mutatos.* De eodem ſic Auguſtinus lib. XVIII de Civit. Dei, cap. XVI: *Diomedem fecerunt Deum; quem, pœnâ divinitus irrogatâ, perhibent ad ſuos non reverti; ejuſque ſocios in volucres fuiſſe converſos. Quin etiam templum eius eſſe aiunt in inſula Diomedea, non longè à monte Gargano, qui eſt in Apulia: & hoc templum circumvolare, atque incolere has alites, tam mirabili obſequio, ut roſtrum aquâ impleant, & adſpergant: & eò ſi Græci venerint, vel Græcorum ſtirpe progeniti, non ſolùm quietas eſſe, verùm & ſupervolare: ſi autem alienigenas viderint, ſubvolare, & capita eorum tam gravibus ictibus, ut etiam perimant, vulnerare.* Intelligenda verò hæc, quæ diximus, de Diomede, non Thrace illo, hoſpites ſuos objicere equis ſolito: ſed Ætoliæ rege, celebrato tantopere ab Homero, præcipuè Iliad. E. Hic enim, cùm ob adulterium uxoris reverti domum nollet, in Italiæ loca varia conceſſit, inque Apulia conſedit: ubi Argyrippam, ſive Argos Hippium, ſive Arpos (uti & in Hirpinis Beneventum, & Equum Tuticum) condidit.

Sed, dum Diomedi inſiſtimus, prætervecti ſumus Marſos. Ne retro curſum legere cogamur, poſtea de iis dicam. Nunc loca adibimus Apuliæ proxima. Qualia Lucanorum, & Brutiorum. In Lucania eſt Metapontum: cujus incolæ coluerunt Metabum, urbis conditorem. Hinc ἡρῷον τοῦ Μετάβου, *ſacellum Metabi*, apud Strabonem legas in VI.

Etiam Metapontinis Deus habitus eſt Pythagoras. Juſtinus lib. xx: *Pythagoras cum annos xx Crotonæ egiſſet: Metapontum migravit, ibique deceſſit: cujus tanta admiratio fuit, ut ex domo ejus templum facerent, eumque pro Deo colerent.* Laërtius tamen paullò aliter lib. VIII: Μεταποντῖνοί γε μὴν τὴν μὲν οἰκίαν αὐτοῦ, Δήμητρος ἱερὸν ἐκάλουν· τὸν στενωπὸν δὲ, μουσεῖον, ὥς φησι Φαβωρῖνος ἐν παντοδαπαῖς ἱστορίαις· *Metapontini illius domum Cereris delubrum vocabant, vicumque Muſeum; ut ait Phavorinus in omnimoda hiſtoria.*

In Lucanis ſunt Sybaritæ. Hi in Deos retulere puerum cruribus hircinis, tanquam Sylvanum quendam. Natus is erat ex caprario Crathide, & capra; quam cùm flagitiosè deperiret Crathis, in ſomno eſt interfectus ab hirco, rivali ſuo. Vide de impuro hoc amore, ac numine, Ælianum lib. VI de animalibus, cap. XLII.

Sed tædioſum fortaſſe ſit, ita per omnes ire Italiæ regiones: utcumque ex ſingulis pauca decerpantur. Ad vetus igitur Latium feſtino; quò Romam revertamur, unde per Tiberinum oſtium jamdiu ſolvimus. Ab meridie ejus eſt mare Tyrrhenum ſive inferum: in quo, ſed ex adverſo magis Liguriæ, ſunt Corſica, & Sardinia. In hac cultus Hercules, & cum eo Iolaus: unde Sardi montani, qui & Diagebrenſes, priùs fuere Iolaenſes vocati; ſecundùm Strabonem in V. Ubi & addit, eum in hanc inſulam adduxiſſe quoſdam filiorum Herculis. Etiam refert Diodorus in V, campos Sardiniæ amœniſſimos *Ioleos* dici ab Iolao, eumque natum fuiſſe ex fratre Herculis. De honoribus Iolao habitis, ut cui feſtum *Iolaia* ſtatuerint, ſic Pauſanias ſcribit in Phocicis: Ἔστι δὲ ἔτι καὶ κατ᾽ ἐμὲ ἐπιχώρια τε Ἰολαΐα ἐν Σαρδοῖ, καὶ Ἰόλαος παρὰ τῶν οἰκητόρων ἔχει τιμάς. *Etiam ætate mea in Sardinia ſunt loca dicta Iolaia, honoreſque ab incolis habentur Iolao.* Præterea hoc feſtum Thebis fuit. Scholiaſtes Pindari Iſthm. od. IV: Μυρσίνης στεφάνοις ἐν Θήβαις στεφανοῦνται, οἱ νικῶντες τὰ Ἰολάεια· *Qui Thebis viciſſet in feſto Iolai, coronâ myrteâ coronabatur.* Aliter verò Ἡράκλεια vocabatur, quaſi dicas, *Herculea.* Teſtis idem ſcholiaſtes Olymp. od. VII, & Iſthm. od. I. Ex his colligat aliquis, Thebanum fuiſſe Herculem, quem cum Iolao coluerint Sardi. Nec de Græcis repugno, qui in inſulam hanc conceſſerint. At iis, qui ex Africa veniſſent, venerationi fuit non Thebanus Hercules cum Iolao; ſed Libycus cum Sardo. Hercules iſte nomine vero *Maceris* dictus fuit; filius ejus *Sardus*, qui coloniam in inſulam hanc duxit; unde *Sardinia* eſt vocata. Pauſanias in Phocicis: Ἕλληνες οἱ κατ᾽ ἐμπορίαν ἐσπλέοντες Ἰχνοῦσσαν ἐκάλεσαν, ὅτι τὸ σχῆμα τῇ νήσῳ κατ᾽ ἴχνος μάλιστά ἐστιν ἀνθρώπου..... πρῶτοι δὲ διαβῆναι λέγονται ναυσὶν ἐς τὴν νῆσον Λίβυες. Ἡγεμὼν δὲ τοῖς Λίβυσιν ἦν Σάρδος ὁ Μακήριδος Ἡρακλέους ἐπονομασθέντος ὑπὸ Αἰγυπτίων τε καὶ Λιβύων..... καὶ τὸ ὄνομα ἀπὸ τοῦ Σάρδου τούτου μετέβαλεν ἡ νῆσος. Οὐ μὴν τούς γε αὐτόχθονας ἐξέβαλεν ὁ τῶν Λιβύων στόλος. Συνοικοὶ δὲ ὑπ᾽ αὐτῶν οἱ ἐπελθόντες ἀνάγκῃ μᾶλλον, ἢ ὑπὸ εὐνοίας, ἐδέχθησαν. *Græci mercatores, qui eò adnavigabant, Ichnuſam vocavere, quòd iſti inſulæ figura eſt humano veſtigio proxima. Primi autem in eam inſulam navibus trajeciſſe feruntur Libyes: quibus ductor fuit Sardus, Maceridis illius, qui Hercules cognominabatur ab Ægyptiis, atque Afris, filius. Inſulaque hæc à Sardo nomen mutavit. Non tamen inquilinos depulit Afrorum claſſis: ſed à Sardinienſibus decretum eſt, neceſſitate magis, quàm benevolentiâ, unà ut advenæ cohabitarent.* Idem firmat Silius Italicus lib. XII:

Inſula fluctiſono circumvallata profundo
Caſtigatur aquis, compreſſaque gurgite terras
Enormes cohibet nudæ ſub imagine plantæ.
Inde Ichnuſa prius Graiis memorata colonis:
Mox Libyci Sardus generoſo ſanguine fidens
Herculis, ex ſeſe mutavit nomina terræ.

Solinus cap. X: *Nihil attinet dicere, ut Sardus Hercule, & Norax Mercurio procreati, cùm alter ab Libya, alter ab uſque Tarteſſo Hiſpaniæ, in hoſce fines permeaſſent, à Sardo terræ, à Norace Noræ oppido nomen datum.* Iſidorus lib. XIV Orig. cap. VI: *Sardus, Hercule procreatus, cum magna multitudine è Libya profectus, Sardiniam occupavit; & ex ſuo vocabulo inſulæ nomen dedit.* Hujus fanum apud Ptolemæum, Σαρδοπάτορος ἱερὸν, q.d. Sardipatris, ſive Sardi patris.

Ab occaſu veteris Latii eſt Etruria: ubi inter Deos ceteros magno itidem in honore Hercules fuit. Hujus fanum ad portum Labronis erat, qui hodie *Liburnus.* Meminit Antoninus in Itinerario, ubi AD HERCULIS legas in via à Vadis Volaterranis ducente. Etiam infra Lucam Ἡρακλέους ἱερὸν, *Herculis fanum*, apud Ptolemæum; qui illud ſtatuit inter Feroniæ lucum, & Piſas. Magna etiam in veneratione Etruſcis Tages; vix tamen, ut Deus videatur. De eo Feſtus: *Tages nomine, Genii filius, nepos Iovis, puer dicitur diſciplinam haruſpicii dediſſe XII populis Etruriæ.* Fusè de eo M. Tullius lib. II Divinat. Inter alia: *Tages,* inquit, *dicitur in agro Tarquinienſi, cùm terra araretur, & ſulcus altius eſſet impreſſus, extitiſſe repente, & eum adfatus eſſe, qui arabat. Is autem Tages, ut in libris eſt Etruſcorum, puerili ſpecie dicitur viſus; ſed ſenili fuiſſe prudentiâ.* Narrat deinde, quomodo ab eo Etruſci didicerint aruſpicinam. Poſtea hæc ſic impugnat: *Deum dicam an hominem? Si Deum, cur ſe contra naturam in terram abdiderit, ut patefactus aratro lucem adſpiceret? Quid? idem nonne poterat Deus hominibus diſciplinam ſuperiore ex loco tradere? Si autem homo ille Tages fuit; quonam modo potuit terrâ oppreſſus vivere? Unde porro illa potuit, quæ docebat alios, ipſe didiciſſe?* Meminere & Tagis hujus Ovid. lib. XV Met. Lucanus lib. I, Cenſorinus de die Natali, Ammianus Marcell. lib. XVII, & XXI, Mart. Capella lib. VI, Iſidorus lib. VIII Orig. cap. IX. Cæterùm vel hoc de Tage fabula eſt, quæ originem trahere potuit ab Adamo, Terræ filio, à quo primùm edocti ſunt homines cultum Dei: vel ſi puer ejuſcemodi è terra exſtitit, à quo Lucumones Etruſci diſciplinam extiſpicii diſcerent, is malignus fuerit ſpiritus: quem Deus non permiſerit cælitus deſcendere, quod majorem addidiſſet impietati fidem, eoque ab Acheronte venerit: & hac de cauſſa etiam ſacra ejus dicebantur *Acherontia.* Unde Servius in illud X Æn.

Nec pater omnipotens Trojam, nec fata vetabant
Stare, decemque alios Priamum ſupereſſe per annos.

Sciendum, ait, *ſecundùm haruſpicinæ libros, & ſacra Acherontia, quæ Tages compoſuiſſe dicitur, fata decem annis quadam ratione differri: quod nunc dicit Vulcanus potuiſſe fieri.*

Ab ſeptentrione priſcis Latinis fuere Marſi. Hi coluere Angiciam: de qua ſic Julius Solinus cap. VIII: *C. Cælius Æetæ tres filias, Angiciam, Medeam, & Circen, dicit fuiſſe: Circem Circæos inſediſſe montes, carminum maleficiis varias imaginum facies mentientem: Angiciam vicina Fucino occupaviſſe; ibique ſalubri ſcientiâ adverſus morbos reſiſtentem, cùm deſiſſet* (Salmaſius dediſſet) *hominem vivere, deam habitam: Medeam ab Iaſone Buthroti ſepultam, filiumque ejus Marſis imperaſſe.* Sed valde in his abit ab aliis ſive Solinus, ſive C. Cælius. Nam multò plures Circen, quam *Deam ſævam* Maro vocat VII Æn. non Æetæ filiam, ſed Solis; Medeæ non ſororem, ſed amitam, dicunt: ut Homerus Il. κ. Heſiod. Θεογον. Orpheus in Argonaut. Apollon. Argon. lib. III. Anguicia autem ſi filia Æetæ fuit, diverſa à Medea, potiùs ſit Chalciope. Ovid. epiſt. Helenes; ubi de Medea ſermo,

Non erat Æetes ad quem deſpecta rediret,
Non Ipſea parens, Chalciopeque ſoror.

Silius ἁπλῶς dicit prolem Æetæ; ut inde, quæ filiarum fuerit, haud liqueat. Sic enim ille lib. VIII:

Æetæ prolem Anguiciam mala gramina primam
Monſtraviſſe ferunt, tactuque domare venena.

Sed profectò Anguicia non alia, quàm Medea. Unde gloſſ. vett. à Salmaſio laudatæ: *Angicia,* Μήδεια. Eſt ex gloſſis Philoxeno tributis. Doctiſſimus Rigaltius no-

tis ad Artemidorum legit, Μηδεια, *inguina*. Sed omnino recta eſt lectio vulgaris. Idem docet Servius in illud VII Æn.

—— Neque enim juvere in vulnera cantus
Somniferi, & Marſis quæſitæ in montibus herbæ.
Te nemus Angitiæ, vitrea te Fucinus unda,
Te liquidi flevere lacus.

Medea, inquit, *quando, relictis Colchis, Iaſonem ſecuta eſt, dicitur ad Italiam perveniſſe: & ibi populos quoſdam, circa ingentem lacum habitantes, qui Marrubii appellabantur, docuit remedia contra ſerpentes. Hi ergo populi Medeam Angitiam appellarunt ab eo, quod ejus cantus ſerpentes angerent.* Verùm de etymo fallitur. Quanto enim veriſimilius, ſic dici ab *anguibus*, in quos ſuam exerceret poteſtatem: quorum etiam in venenis ſive pharmacis uſus. Ut à *patre*, *patricius*; à *latere*, *latericius*; à *crate*, *craticius*: ſic ab *angue*, *anguicius*. Quod verò Latinis, *Anguicia*, id Græcè eſſet ἐχιδναία. Quippe ἔχις, *anguis*. Imò ex illo eſt hoc Latinum, N inſerto, ut à θίγω, *tango*; a πτίσω, *pinſo*; à ῥυκάνη, *runcina*; à δασὺς, *denſus*, & innumeris id genus. Videtur & ab *angue*, *anguia* vocata. Nam apud Vibium Sequeſtrum legas: *Anguiæ vel Anguiciæ, Lucaniæ.* Niſi *Anguinæ* priori loco reſcribendum: vel etiam *Angitiæ*. Nam C, G, & Q, facilè commutantur. Atque id occaſionem erroris præbuerit Servio, ab *angendo* deducenti.

Ab Oriente eſt Latium novum: ubi ager Pometinus, & Campanis proximi Aurunci. Auruncorum oppidum Minturnæ. Prope hoc fuit templum Maricæ: quod a Minturnenſibus religioſiſſimè cultum, teſtis eſt Strabo in v. Fuit Marica Latini regis uxor ex Fauno. Maro Æn. VII:

—— Rex arva Latinus, & urbeis
Jam ſenior longâ placidas in pace regebat.
Hunc Fauno, & nymphâ genitum Laurente Maricâ,
Accipimus.

Ubi ſic Servius: *Eſt Marica, dea litoris Minturnenſium, juxta Lirim fluvium.* Poſtea ſubjungit: *Dicunt alii per Maricam, Venerem intelligi debere: cujus fuit ſacellum juxta Maricam: in quo erat ſcriptum; Νηὸς τῆς Ἀφροδίτης. Sanè Heſiodus a Latinum Circes, & Vlyſ-* a In Theogonia.
ſis, filium dicit: quod & Virgilius b tangit dicendo, Solis avi ſpecimen. Heſiodum, ac Maronem, ſequitur La- b 12 Æn.
ctantius lib. I, cap. XXI: *Nam & Romulus poſt mortem Quirinus dictus eſt, & Circe Marica.*

Auruncos excipit ad occaſum Pomptinus ager, ſive Pometinus, ſic à civitate Sueſſa Pometia, Volſcorum urbe, nuncupatus. In hoc Circejum promontorium, & oppidum Circeji, à Tarquinio Superbo conditum. Nomen à Circe, antè memoratâ, quæ hic habitâſſe fertur; ut tradit Theophraſtus in Hiſtoria plantarum lib. V, cap. IX, & lib. IX, cap. XV. Apollonius Argonaut. lib. III, & ibidem ſcholiaſtes, Dionyſ. Halicarn. lib. IV, item Diodorus Siculus lib. IV, Virgilius Æn. VII, Mela lib. II, cap. IV, Solinus cap. XXIV. Nonnus Dionyſiacon lib. XXXVII, Iſacius Tzetzes in Lycophronem. Fani Circes juxta Circeios meminit Strabo lib. V. Ciceronis quoque eſt in III de Nat. Deorum: *Quamquam Circen quoque Circeienſes noſtri religioſiſſime colunt.*

In Latio veteri fuit inter alios Rutuli; quorum princeps civitas Ardea fuit. Horum propriè Dii Pilumnus, & Picumnus; ille Turni avus, hic avunculus, aut patruus magnus. Quamquam alii hos Dioſcuros eſſe tradiderint. Meminit Pilumni Maro in IX:

—— Luco tum forte parentis
Pilumni Turnus ſacrata valle ſedebat.

Ubi ſic Servius: *Pilumnus, & Picumnus, fratres fuerunt, & dii. Horum Picumnus uſum ſtercorandorum invenit agrorum; unde & Sterquilinius* (vel *Sterculius*) *dictus eſt: Pilumnus verò pinſendi frumenti; unde & à piſtoribus colitur. Ab ipſo etiam Pilum dictum eſt.* Sic locum hunc cenſeo corrigendum. Idem Maro in X:

—— Et patriâ Turnum conſiſtere terrâ;
Cui Pilumnus avus, cui diva Venilia mater.

Quem in locum, Servius inter alia annotavit: *Pilumnus idem Sterculus: qui propter pilum inventum, quo fruges confici ſolent, ita appellatus eſt.* Ubi pro *Sterculus* malim *Sterculius*. Ut & apud Plinium lib. XVII, cap. IX: *Fimi plures differentiæ: ipſa res antiqua. Jam apud Homerum regius ſenex agrum ita ſuis manibus lætificans reperitur. Augeas rex in Græcia excogitâſſe traditur: divulgâſſe vero Hercules in Italia: quæ regi ſuo Sterculo, Fauni filio, ob hoc inventum immortalitatem tribuit.* Fuerit igitur Pilumnus ex priſcis Italis: qui invenerit artem, tum piſendi ſive tundendi frumenta, tum ſtercorandi agros. A poſteriori dictus ſit *Sterculius*, vel, ut in aliis eſt libris, *Sterculus*. A priori autem *Pilumnus*: nempe à *pilum*; ut a *picus*, *Picumnus*; ab *auctu*, *auctumnus*; à *verto*, *Vertumnus*. *Pilum* verò eſt id inſtrumentum, quo quid in mortario tunditur: contractum ex *piſtillum*; ut ab *ala*, *axilla*; à *maxilla*, *mala*; à *vexillum*, *velum*; à *paxillus*, *palus*: etſi contrarium vulgò ſtatuant, quando ex integris faciunt diminutiva. *Pilumnus* igitur ex eo, quia docuerit pili uſum in frugibus tundendis: quod Latinis *pinſere*, priùs *piſere*, ἀπὸ τοῦ πτίσσειν. Pomponius, Attellanarum poëta:

Neque molis molui, neve pili pinſui.

Ita legendus ſenarius ille, apud Diomedem, ne verſus claudicet: non, ut in vulgatis, *neque pilis*. Præterea verò Pilumnus, & Picumnus, tum connubiis præfecti, tum tutelæ puerorum. Quibus probandis Nonius Marcellus inſignem hunc Varronis adducit locum, ex ſecundo de Vita populi Romani: *Natus ſi erat vitalis, ſublatus ab obſtetrice ſtatuebatur in terra, ut auſpicaretur rectus eſſe: ac diis conjugalibus, Pilumno, & Picumno, in ædibus lectus ſternebatur.* Etiam apud Servium legas ad allatum antea Maronis locum ex X Æn. *Varro Pilumnum, & Picumnum, infantium Deos eſſe ait; eiſque pro puerpera lectum in atrio ſterni, dum exploretur, an vitalis ſit, qui natus eſt.* Nam *vitalis*, non *utiles*, legi hoc loco oportere, indicant verba Varronis jam ex Nonio allata. Subjungit deinde Servius: *Piſo, ait, Pilumnum dictum, quia pellat mala infantiæ.* Ubi intelligendus L. Calpurnius Piſo, vetuſtus Annalium ſcriptor, Tullio, Varroni, Dionyſio, Plinio, Gellio, Cenſorino, & aliis memoratus. Sed de etymo potius Servio aſſentior. Interim ex his colligimus, Pilumnum non docuiſſe duntaxat ſtercorandi, frugeſque pinſendi modum; ſed etiam, quædam quæ ad connubia, & infantiam, pertinerent. Antium etiam fuiſſe in Rutulorum ſolo videtur. Prope quod oppidum, in litore fanum Æſculapii fuit: ut teſtes ſunt Livius lib. XLIII, Sextus Aurelius, vel quiſquis auctor eſt libri de viris illuſtribus, quem aliqui Plinio, Suetonio alii tribuerunt. Imò & Ovidius lib. XV Met. fab. I: quamquam pro *Antium* ibi in codd. nonnullis *Anxur*, *Auron*, vel *Anchon* legas.

De cæteris Rutulorum Diis, in quibus Venilia a etiam fuit; item aliorum veteris Latii populorum, nihil ultra addam: quia ferè vel Dii fuere naturales, de quibus poſthac dicendum; vel animales, ſed ante expoſiti nobis, cùm de Romanis numinibus tractaremus. Accedit, quod exeuntibus ab Rutulis in conſpectu ſit vetus Roma; quam, quaſi longam poſt peregrinationem, lubens animo conſpicio, lætus ſaluto, atque id (ſi gentilium fas verbis) cum Erinna poëtria:

a Virgil. 10 Æn. & ib. Servius, uti & ad 6 7. & 12. librum.

Χαῖρέ μοι Ῥώμα θυγάτηρ Ἄρηος
Χρυσομίτρα, δαΐφρων ἄνασσα.
Martia ô ſalve mihi gnata Roma,
Provida, & mitrâ Regina refulgens
Aureâ.

Vel Chriſtiano potiùs ritu, ſalve, iterumque ſalve, (verbis B. Hieronymi b utar) *Vrbs potens, urbs domina, urbs Apoſtoli voce laudata.* b Lib. 2 adverſus Iovin.

CAP.

Cap. XLI.

Refelluntur, qui animas colunt, ut Deos; quandoque etiam eas, quarum impietas, dum in terris agerent, ne quidem fugerit cultores ſuos. Hujuſmodi cultum etiam beatis Martyribus attributum: uti à Rugianis, qui pro Deo habuerunt S. Vitum, Diocletianeæ ætatis martyrem. Cujuſmodi diſcrimen ſtatuerit Plato inter cultum Dei, & Naturæ; item Deos, & heroas: eique occurritur, quod diceret, non colere ſe heroas, tanquam ſummâ præditos poteſtate, ſed ut medios inter Deos, & homines. De Abrahamo Patriarcha culto ab Cæſare Alexandro Severo: de Marcellina Gnoſtica, incenſis colente B. Paulum. Cur uni Deo conveniat ſacrificii honos. Quo ſenſu ſacrificiis dicantur expiari peccata: & analogia inter effectum temporalem victimarum Veteris Teſtamenti, & ſpiritualem ſacrificii Jeſu Chriſti. Ubi loci vulgo, præcipueque à philoſophis, conſtituta olim ſint animæ heroum.

HUc delati conſiderabimus, quid de cultu defunctorum ſtatuere conveniat. Ubi duo ſpectamus, quales ſint, qui coluntur, & quales habeantur à colentibus. Eorum, qui coluntur, alii fuere inimici Dei, eoque jam pœnas ſubeunt æternas; alii amici fuerunt in terris, beatamque nunc vitam degunt in cœlis. Utrique autem vel coluntur, ut Dii; vel ut mediatores inter Deos ac homines. Primùm de iis videbimus, qui animam ipſam habeant pro numine. Quorum errorem contra Fortunatum refellit B. Auguſtinus, his verbis: *Aliud eſſe Deum, aliud eſſe animam. Deum eſſe inviolabilem, incorruptibilem, & impenetrabilem, & incoinquinabilem, & qui ex nulla parte corrumpi poſſit, & cui nulla ex parte noceri poteſt. Animam vero videmus, & peccatricem eſſe, & in ærumna verſari, & veritatem quærere, & liberatore indigere. Hæc mutatio animæ oſtendit mihi, quòd anima non ſit Deus. Nam ſi anima ſubſtantia Dei eſt; ſubſtantia Dei errat, ſubſtantia Dei corrumpitur, ſubſtantia Dei violatur, ſubſtantia Dei decipitur, quod nefas eſt dicere.* Et poſtea: *Aliud eſt, qui fecit; aliud, quod fecit. Qui fecit, corruptibilis omnino eſſe non poteſt. Quod autem fecit, omnino non poteſt æquale eſſe illi, qui fecit.*

Quod ſi animæ non ſint Dii; fateri etiam cogimur, nec coli eas, ut Deos, poſſe, ſine maxima veri numinis offenſa. Nam ſi reges indignarentur, aliquo honorem alteri regium exhibente, quam regi: multò magis indignabitur Deus, ſi divinus honor, ejuſve pars, tribuatur non Deo. Ut de mortuis etiam habeat locum, quod de vivis ait Calliſthenes apud Arrianum in IV; ubi cùm diceret Anaxarchus, adorandum eſſe Alexandrum; contra eum contendit, alios eſſe honores divinos, alios heroicos; Diis templa exſtrui, eoſque adorari; heroës laudari, & ſtatuis ornari. Poſtea ſubdit: Οὐδὲ Ἀλέξανδρον ἀνασχέσθαι ἄν, εἴ τις ἰδιωτῶν περιποιοῖτο τὰς βασιλικὰς τιμὰς χειροτονίᾳ ἢ ψήφῳ οὐ δικαίᾳ· πολὺ ἂν οὖν δικαιότερον σοῦ θεοὺς δυσχεραίνειν, ὅσοι ἄνθρωποι ἐς τὰς θείας τιμὰς σφᾶς αὐτοὺς ποιοῦσιν, ἢ πρὸς ἄλλων ποιουμένους ἀνέχοιντο. *Non pateretur Alexander, privatum aliquem regios honores, electione ſuffragiiſque illegitimis, uſurpare. Multo itaque juſtius Deos indignaturos, ſiquis mortalium divinos honores ſibi arroget, aut ab aliis delatos ſuſtineat.*

Cùm verò Deus graviter ſuccenſeat omnibus, qui alium, præter ſe unum, pro Deo venerantur: tum verò imprimis iraſcitur iis, qui in throno ejus conſtituunt veri numinis neſcios, homines impios ac profanos. Quales colebantur à gentilibus innumeri. Ut Jupiter ille Phrygius ſive Tantalus, raptu Ganymedis celebris: Venus Cypria, deliciæ Cinyræ regis: tot Cæſares Romani, atque impii alii, ab impiis in Deos relati. Quorum impietas ſæpe nec cultores ipſos fugiebat: honorabant nihilominus, διὰ φόβον προστάξαντος, *ob metum ejus qui præcepit:* ut Athanaſius ait orat. contra gentes: ac pro exemplo adfert catamitum Hadriani Cæſaris Antinoum, quem venerati καίπερ εἰδότες ἄνθρωπον οὐ σεμνὸν, ἀλλ' ἀσελγείας ἔμπλεων· *gnari fuiſſe hominem, & quidem non ſanctum, ſed ſtupris plenum.*

Interea & gravis ac ſpiſſa committitur idololatria, ſi pro Deo colatur vir pius ac ſanctus: uti factum ab incolis Rugiæ, Suevici maris inſulæ, numinis loco honorantibus S. Vitum: idque occaſione hujuſcemodi. S. Vitus circa annum trecenteſimum, temporibus nempe Diocletiani, martyr obiit cum Modeſto & Creſcentia: quod paucis refertur in martyrologio Bedæ, Uſuardi, Adonis, & Romano *a*: fuſè autem deducitur apud Surium in vita ejus ex MSSis expreſſa. Hujus corpus à Fulrado, abbate S. Dionyſii, Romà ſub Pipino Rege tranſlatum fuit Pariſios; ut Sigebertus in Chronicis annotavit ad annum Iↄ CC LVII. Anno autem Iↄ CCC XXXVI, ſub Imperatore Ludovico Pio, ut idem refert, reliquiæ Viti martyris à Pariſiis *ad Corbeiam Saxoniæ tranſlatæ: unde ipſi Franci teſtati ſunt, quod ab illo tempore gloria Francorum ad Saxones tranſlata ſit.* Vide & Witichindum lib. I geſt. Saxon. Porro Rugiani, qui à Saxonibus, & Corbeienſibus imprimis, religionem hauſerant Chriſtianam, eorum exemplo ſummo in pretio habuere S. Vitum, templumque magnificum ab eo *Viti* vocitarunt. Poſtea redierunt ad religionem gentilem: ſed ſic ut perſiſterent in S. Viti cultu: unò in ſupremi eum numinis locum veherent. Quam rem his verbis exponit Helmoldus in Annalibus Slavorum lib. I, cap. ſexto: *Peragratiſque multis Slavorum provinciis, pervenerunt ad eos, qui dicuntur Rani ſive Rugiani, & habitant in corde maris. Ibi fomes eſt errorum, & ſedes idololatriæ. Prædicantes itaque verbum Dei cum omni fiducia, omnem illam inſulam lucrati ſunt; ubi etiam oratorium fundaverunt, in honorem Domini ac Salvatoris noſtri Jeſu Chriſti, & in commemorationem* b *ſancti Viti, qui eſt patronus Corveiæ. Poſtquam autem, permittente Deo, mutatis rebus, Rani à fide defecerunt; ſtatim, pulſis ſacerdotibus, atque Chriſticolis, religionem verterunt in ſuperſtitionem. Nam ſanctum Vitum, quem nos martyrem, ac ſervum Chriſti, confitemur, ipſi pro Deo venerantur, creaturam anteponentes creatori. Nec eſt aliqua barbaries ſub cælo, quæ Chriſticolas ac ſacerdotes magis exhorreat. Solo nomine ſancti Viti gloriantur; cui etiam templum, ac ſimulachrum, ampliſſimo cultu dedicaverunt, illi primatum Deitatis ſpecialiter attribuentes. De omnibus quoque provinciis Slavorum illic reſponſa petuntur, & ſacrificiorum exhibentur annuæ ſolutiones. Sed nec mercatoribus, qui forte ad illas ſedes appulerint, patet ulla facultas vendendi, vel emendi; niſi prius de mercibus ſuis deo ipſorum precioſa quæque libaverint: & tunc demum mercimonia foro publicantur. Flaminem ſuum non minus, quàm regem, venerantur.* Atque iterum cap. LIII: *Inter multiformia Slavorum numina præpollet Zuantevith, deus terræ Rugianorum: utpote efficacior in reſponſis; cujus intuitu cæteros quaſi ſemideos æſtimabant. Unde etiam in peculium honoris annuatim hominem Chriſticolam, quem ſors acceptaverit, eidem litare conſueverunt. Quin & de omnibus Slavorum provinciis ſtatutas ſacrificiorum impenſas illò tranſmittebant. Mirâ autem reverentiâ circa fani diligentiam affecti ſunt. Nam neque juramenta facile indulgent, neque ambitum fani vel in hoſtibus temerari patiuntur.* Similia habet lib. II, cap. XII; uti & Albertus Crantzius Vandal. lib. III, cap. XXXVII. Verba non appono, quia Helmoldum exſcripſit. Sed corruptè apud eum *ſtatuas impenſas*; pro *ſtatutas*: extrema quoque verba ſic apud eum leguntur: *Neque ambitum fani, neque oſtia temerari, quavis immunditia patiuntur.* Etiam de hoc fusè admodum Saxo Grammaticus lib. XIV. Paucula ſolùm deſcribam: *Rugiani, quondam à Karolo Cæſare expugnati, ſanctumque Vitum Corvegienſem, religioſâ nece inſignem, tributis celere juſſi, defuncto victore, libertatem repoſcere cupientes, ſervitutem ſuperſtitione mutarunt, inſti-*

a *15 Jun.*

b *Quomodo & cultum Chriſti ac ſanctorum diſtinguat Greg. Nyſſenus orat. de S. Theodoro martyre:* Nos quidem, ô beate, coegimus tibi publicum conventum, ſacrum, inquam, martyribus addictum, & communem dominum adorantes, & tuorum certaminum victoriæ commemorationem peragentes. *Hinc memorias martyrum dixere, ut concilii Gangrenſis can. 20, item Auguſtinus, atque alii.*

c *Hoc eſt,* ſanctus Vitus: *uti nunc Poloni,* Swiety Vit.

inſtituto domi ſimulachro, quod ſancti Viti vocabulo cenſuerunt. Ad cujus cultum, contemtis Corvegienſibus, penſionis ſummam transferre cœperunt, affirmantes, domeſtico Vito contentos, externo obſequi non oportere. Quamobrem Vitum, veniente ſui ſolennis tempore, eorum mœnia turpaturum, à quibus tam ſimilem monſtro figuram acceperit. Merito namque eum ab his injuriarum pœnas exigere debere, qui venerabilem ejus memoriam ſacrilego cultu complexi fuerunt.

Alterum addam exemplum ex Sarmatia Europæâ, modò terminum illi non jam Tanaim, quàm Obii fluvium, & Kitaia lacum, ſtatuas. In hoc enim tractu eſt regio Permia: ubi divino honore cultus eſt Stephanus epiſcopus: de quo ſic Sigiſmundus L. B. in Herberſtein in commentariis rerum Moſcovitïcarum: *Idioma* (in Permia) *proprium habent; characteres item proprios; quos Stephanus epiſcopus, qui eos, in fide Chriſti vacillantes, confirmârat, (nam antea in fide adhuc infantes epiſcopum quendam idem attentantem excoriaverant) primus adinvenit. Hic Stephanus poſtea, Demetrio, Joannis filio, imperante apud Ruthenos, in numerum Deorum relatus eſt. Superſunt adhuc ex iis in ſylvis paſſim plures idololatræ; quos monachi, & eremitæ eo proficiſcentes non ceſſant ab errore, vanoque cultu revocare.*

Proximum eſt, ut de iis agamus, qui defunctorum animas venerantur ac honorant, non ut fontem ac principium boni; ſed ut creaturas dignitate præſtantiores; quæ preces hominum deferant ad Deum, bonaque iis impetrent & procurent. Quo pacto & heroas in invocando ſpectabat Plato. Quod planius erit, ſi paucis ejus expoſuero ſententiam de diis & animalibus, & naturalibus. Quando ex ſua philoſophus is loqueretur ſententia, non agnoſcebat pro Diis æthera, aëra, aquam, aut terram: quorum natura myſticè in Deorum genealogia aut geſtis deſcribitur. Interea, metu populi, ipſe etiam Diis popularibus ſub Apollinis, Junonis, aliiſque nominibus, ſacrificabat. Præterea licet unum eſſe Deum agnoſceret, univerſi conditorem, etiam dæmoniorum: nihilominus non Deo duntaxat ſacra faciebat; ſed etiam ſpiritibus Dei miniſtris, quæ dæmonia vocabantur: heroibus item, quibus ob benefacta publica divini eſſent honores conſtituti. Ut videre eſt apud eum in VIII, & XII de Legg. atque alibi. Duo igitur graviſſimi illius errores erant. Prioris auctor quidem aliis non fuit; attamen abripi ſeſe ab aliis in hoc ſinebat. Alterius verò ſuis quoque auctor erat. Unde liquet, utcunque agnoſceret Deum, non eum tamen glorificâſſe, ut oportuit; eoque Deum etiam perpeſſum, ut in cogitationibus ſuis evaneſceret. Quod & Auguſtini judicium eſt lib. X de Civitate Dei, cap. III. Doctoremque ſuum Platonem, quem inter ſemideos & Labeo retulit, ut alibi idem Auguſtinus *a* refert, ſectatores ſui in hac re ſequebantur: imprimis poſteriores, qui non tam *Academici* amplius, quàm *Platonici*, dici voluerunt. Quippe his etiam, præter Deum principem, mundi opificem, duplices Dii fuere: alii, qui ſemper fuiſſent à corporeis vinculis immunes, ac à Chriſtianis *angeli* vocantur: alii, qui aliquando fuiſſent corporibus illigati. Quorum nonnullos putabant privatim ejus familiæ curam gerere, quam ex ſe natam ſcirent: alios eſſe cuſtodes Reipublicæ, nempe qui benefaciendo Urbi, vel Reipublicæ, vel univerſo generi humano, promeriti hoc crederentur, ut ſacra iis, votaque publicè fierent.

Hæc Platonicorum ſententia eo refellitur, quòd ſolis veri Dei amantibus pateat aditus in cælos. Heroes verò iſti gentilium non ſolùm veri numinis neſcii fuerunt; ſed honoravere Deos alienos, ſæpe etiam vitam in fœdiſſimis voluptatibus, atque adeò ſceleribus, tranſegerunt. Utcumque igitur ingenioſè aliquid hominibus utile invenerint; urbi quoque vel urbem condiderint, vel ſtrenuè & feliciter pro ea bellum geſſerint: non propterea idonei ſunt exiſtimandi, quibus ſacra votaque fiant, ut amatores ſuos commendent Deo. Quomodo enim alios illi reddant gratos, & amicos, qui ipſi fuerunt ingrati, & inimici? quomodo in cælos commeent ad preces hominum offerendas, qui ipſi carcere detenti graves vitæ anteactæ pœnas luant, & gravioribus reſerventur? Fuere enim dæmoniorum cultores, ſub dæmoniis ducibus militarunt in caſtris hoſtilibus adverſus Deum, & electos ejus. Condidere urbes: ſed in conditas, rejecto Deo, dæmoniorum cultum induxere. Pugnarunt ſtrenue pro focis, atque; ſed dæmoniorum aris; & eorum qui hæc coluiſſent: quales cælo locatum, quo æternùm ipſi caruerunt.

Atque ut non horum omnium omnes forent rei; ſed aliqui unum coluiſſent numen, quod condidiſſe & gubernare omnia faterentur; vitam etiam honeſtè traduxiſſent: non eò à morte iis ſacrificatum oportuit: qui honos eſt ſic Dei proprius, ut communicari poſſit nemini. Scio, diſtinxiſſe philoſophos quoſdam, inter cultum ſupremi numinis, quem Jovem dixere; illumque dæmoniorum, & heroum: Jovi tribuiſſe imperium ſupremum, & à nullo dependens: dæmoniis autem, & heroibus, dependens ab alio; eoque ſubordinatum ſive ſubalternum. Propterea que Jovem veneratos ut fontem, & principium omnis boni; heroas, ut ejus adminiſtros, pariterque amicos, orantes pro hominibus, & ubi, quæ petiiſſent, impetrarant, eorum procuratores. Sed ſic argumentantes, an argutantes, dicam, non omnis purget Oceanus à crimine fœdæ ſuperſtitionis. Nam ita cum ſacrificiis in cultu divino comparatum eſt, ac cum congreſſu in matrimonio. Si mulier cum alio concumbat viro, adultera eſt: nec refert, ſi alio id animo agat: cum viro quidem, tanquam longè cariſſimo, quicum etiam ſolo conſueſcat, quamdiu gravida non ſit, inſtar Juliæ Auguſti, quæ eò ſe ajebat liberos parere marito Agrippæ ſimiles, quia *nunquam* a, *niſi navi plenâ, tolleret vectorem.* At interea, quæ moribus ſit hujuſcemodi, caput cum altero collimet, non pari affectu, ſed fortè quia in re quapiam ejus auxilio egeat: qualis, ut prope adducatur invita, rebus ſuis ad incitas redactis, imò vel nimio mariti amore, ut liberet captivum, nihilominus adultera eſt. Cujuſmodi illuſtre ſuggeſſit exemplum vicina Zelandia, temporibus Caroli Audacis, anno Chriſti CIↃ CCCC LXIX. Longior hiſtoria eſt: ſed legere poſſis apud Pontum Heuterum Delphium in quincto rerum Burgundicarum. Nimirum concubitûs ea indoles, ut majori, an minori amore fiat cum alieno, dummodo conſentiat, adultera ſit. Similiter ſtatuendum de ſcortatione ſpirituali; qualis eſt, ſi alteri ſacrificetur, quam Deo. Nimirum quia Deus noſter eſt zelotypus, nec patitur ſui cultum alteri tranſcribi. Sacrificium autem eſt actus λατρείας uni Deo conveniens: ut nulli creaturæ, quocunque id animo fiat, poſſit competere. Quamobrem ſic ſtatuimus, non idololatricum modò actum fuiſſe, cum Cæſar Alexander Severus ſacrificaret Orpheo, inclyto & vati, & Argonautæ: ſed etiam cùm ſacra faceret patriarchæ Abrahamo. Utrumque conſuevisſe, indicare videtur his verbis Ælius Lampridius: *Si facultas eſſet, ſi non cum uxore cubuiſſet matutinis horis in larario ſuo (in quo & divos principes, ſed optimos electos, & animas ſanctiores, in queis & Apollonium, & quantum ſcriptor ſuorum temporum dicit, Chriſtum, Abraham, & Orpheum, & hujuſcemodi Deos* b *habebat, ac majorum effigies) rem divinam faciebat.* Similiter thus accendebat Paulo Apoſtolo Marcellina, Carpocratis & Gnoſticorum ſectatrix *c*; quæ ſub Aniceto Papa Romam venit *d* circa annum Chriſti CLXVII. De hac ita B. Auguſtinus *e*: *Secta ipſius* (de Carpocrate erat locutus) *fuiſſe traditur ſocia quædam Marcellina: quæ colebat imagines Jeſu, & Pauli, & Homeri, & Pythagoræ, adorando, incenſumque ponendo.*

Cauſſa verò, cur noluerit Deus alteri ſacrificari quàm ſibi, ea potiſſimùm videtur, quòd ſacrificia imprimis fierent ad expianda peccata: ſolus verò Deus jus habeat ea condonandi. Unde & Jeſus Chriſtus uni Deo Patri obtulit animam ſuam λύτρον *f*. At hujus ſacrificii à Chriſto peragendi ſacrificia cætera typi erant: quia ut pecus moriebatur pro homine *g*: ita & Jeſus Chriſtus eſſet ſanguinem ſuum

a *Lib. 2, de Civit. Dei, cap. 14.*

a *Macrobius lib 2, Sat. cap 5.*

b *Codex Regius*, Hujuſmodi cæteros: *quod probant Caſaubonus, & Salmaſius.*

c *Epiphanius hæreſi 27.*

d *Irenæus lib. 1, cap 24*

e *Lib. de hæreſibus cap 7.*

f *Solutionem. Matth. 20, 28.*

g *Levit. 17, 11.*

ſuum effuſurus pro nobis. Utraque igitur auferebant reatum: hoc tamen diſcrimine, quod ſacrificium Chriſti id præſtabat virtute ſuâ: illa verò legalia propriè & directè ſolum tollebant reatum ratione pœnæ temporalis: in figura tantum promitterent piis effectum ſpiritualem & æternum, puta ablationem reatus æterni ſive pœnæ infernalis. Quam rem pluribus excuſſimus in diſſertatione noſtra De Satisfactione Christi *a*. Si igitur ſolus Deus peccata ignoſcit, idque propter ſacrificium Chriſti, qui Patri ſe obtulit victimam pro hominibus: ſoli etiam Deo ſacrificandum ad expianda peccata.

a In reſponſ. ad judic. H. R. pro libro Hug. Grotii de Satisf. Chriſti, cap. 23. & 24.

Supereſt poſtrema quæſtio, quæ eſt de precibus & votis. At verò nec iſta heroibus conveniunt. Quorſum enim invoces eos, qui neſciant, quæcunque in terris agantur; quippe tanto diſſiti locorum intervallo? Neque id tantum dictum velim, ſi detineantur carcere concluſi, ut antea diximus; ſed etiam, ſi demus, illis beatos degere locis, quibus ipſi eos gentiles ſtatuerunt. De loco iſto multum interim diſcrepant. Primùm aliter de eo philoſophi, aliter vulgus. Variare item philoſophi: quorum opiniones præcipuas aperit Tertullianus de Anima, cap. LIV: *Apud Platonem in Ætherem ſublimantur animæ ſapientes; apud Arium, in aërem; apud Stoicos, ſub Lunam.* Item: *In æthere dormitio noſtra cum Platone; aut circa Lunam cum Endymionibus Stoicorum.* Sed in gentili negotio gentiles potiùs advocemus. Varro lib. XVI rerum divinarum *b*: *Mundus dividitur duas in partes, cœlum & terram. Et cœlum bifariam, in æthera & aëra: terra verò in aquam & humum. E quibus ſummus eſt æther, ſecundus aër, tertia aqua, infima terra; quæ omnes quatuor partes animorum ſunt plenæ. In æthere & aëre, immortalium: in aqua & terra, mortalium. A ſummo autem circuitu cæli, uſque ad circulum lunæ, æthereæ animæ ſunt aſtra & ſtellæ; eique cæleſtes dei non modo intelliguntur eſſe, ſed etiam videntur. Inter Lunæ verò gyrum, & nimborum, ac ventorum cacumina, aëreæ ſunt animæ: ſed eæ animo, non oculis, videntur; & vocantur heroës, & Lares, & genii.* Lucanus lib. IX:

b Apud Auguſtinum lib. 7 de civit. Dei.

Quodque patet terras inter, cælique meatus,
Semidei manes habitant; quos ignea virtus
Innocuos vitæ, patientes ætheris imi
Fecit, & æternos animam collegit in orbes.

Atque inde eſt, quod hæret Plinius in Panegyrico, ubi animam conſtituat ejus, qui ſummum principem, Trajanum Cæſarem, genuiſſet: *Sed*, inquit, *& tu pater Trajane, ſi non ſidera, proximam tamen ſideribus obtines ſedem.* Quaſi dicat, anima tua eſt inter animas ſapientum; ſi non inter ſidera, ut cenſent Platonici; ſaltem loco Lunæ proximo, ut viſum Stoicis.

CAP. XLII.

Beatas animas non eſſe invocandas, quia honos is ſolùm conveniat Deo: ut qui ſolus ubique, & ſemper, omnia, ſingulaque, videat, & audiat, arcana etiam cordis intelligat. Durandi opinio de ſpiritualis naturæ omnipræſentia rejicitur. Tertulliani de eo ſententia explicatur. Occurritur iis, qui non aliud velle Scripturam exiſtimant, quàm Deum naturâ ſuâ omnia ſcire; ſanctos ex gratiâ. Chriſtianos quidem ſacerdotes eſſe: at non ſanctorum, verùm Dei, cui propterea ſoli debeant offerri vituli labiorum. Κακοζηλίαν eſſe poëticam, cùm jubent ſanctis vel offerri victimas, vel thus accendi. Nec propterea omnem beatis animis cultum adimi; ſed nimium. Cultum Dei, & ſanctorum, eſſentiâ ipſâ differre. Priorem dici religioſum: alterum officioſum, vel etiam civilem, utcunque non fiat ob cauſſas civiles, ſed ſupernaturales: eoque, ut loquuntur in ſcholis, civilis ſit non cauſſaliter, ſed formaliter ſolùm. Poſſe cultum Dei λατρείαν, humanum vocari δουλείαν, dummodo illa hominum non ſtatuatur ſpecies cultus religioſi, ſive divini.

POrrò ex iis, quæ proximè de invocatione heroum, atque illis item, quæ de angelorum cultu cap. IX aſſerebamus, conſtare etiam poteſt, quid judicare conveniat de cultu beatorum martyrum, aliorumque, qui pietate, & ſanctimoniâ, cæteris præcelluerunt. Sic enim ſtatuimus, non ab talibus opem & auxilium religioſo eſſe affectu implorandum, qui neſciant omnes omnium viventium preces: ſed duntaxat à natura infinita, eoque omnipræſente, omniſcia, & καρδιογνώστῃ *a*. At ut angelica, ita animæ quoque natura, eſt definita ac determinata, ſive vires conſideres, ſive ſpatium loci, quo ita continetur, ut vi illius præſentiæ alibi eſſe non poſſit. Proinde nequit omnes omnium preces ex orbe univerſo eodem tempore, etiam cordis gemitus, tacitaque ſuſpiria, ac cogitationes intimas, cognoſcere. Solus Deus nullo definitur loco, ſed quemvis excedit. Uno eodemque tempore idem orbe toto omnium miſerias videt, omnium poſtulata audit. Novit quoque privata cuncta, atque etiam cordis cujuſque arcana. Ut legere eſt I Sam. XVI, 7, & I ſive III Reg. VIII, 39, & II Paralip. VI, 30, atque aliis in locis.

a Cordis arcana noſcente.

Nec ignoro, Durandum de S. Porciano putare, quodammodo etiam ſpirituali naturæ convenire, ut ſit ubique: angelum enim ſecundùm ſitum eſſe nuſquam: omni autem corpori præſentem eſſe ratione habitudinis ad quodlibet corpus movendum: ad hanc enim non requiri præſentiam realem ſecundùm eſſentiam; ſed ſufficere præſentiam virtutis ab intellectu & voluntate, ad effectus extra ſe producendos; quemadmodum pluribus diſputat lib. I, diſt. XXXVII, quæſt. I. Interea timidè, *circa hanc*, inquit, *opinionem, nihil volo nunc aſſerere; ſed ſolum procedere inquiſitivè.* Et ſanè, ut Joſephus Anglés Valentinus Florum Theologicorum tractatu de Angelis ait diſt. II, quæſt. III, *Communis eſt doctorum ſententia, angelos eſſe in loco certo, & determinato: uno excepto Durando.* Poſteaque, cùm varia adverſus eum Scripturæ loca produxiſſet, ſubjungit: *Hinc non ſolum temeraria eſt opinio Durandi, verùm etiam erronea: quia opinatur, angelum eſſe in loco, non tamen certo, & determinato, ſed ubique: repugnat enim locis adductis ex ſacra Scriptura. Et in ſecunda Synodo Nicena habetur, quod angeli habent definitum locum.* Nec obſtant his illa Tertulliani adverſus gentes cap. XXII: *Omnis ſpiritus ales eſt. hoc angeli, & dæmones. Igitur momento ubique ſunt. Totus orbis illis locus unus eſt: quid ubique geratur, tam facilè ſciunt, quàm enunciant. velocitas, divinitas creditur, quia ſubſtantia ignoratur.* His enim verbis non aliud vult, quàm angelos ſummâ moveri celeritate, ita ut breviſſimo temporis ſpatio ſe conferant, quocunque volunt. Quomodo & Origenes ait, *Ubique dæmon eſt præſens, totum mundum ſubitò pervolans.* Ex qua angelorum velocitate minimè conſequitur, illos eſſe omnipræſentes: eoque nec id de beatorum animis exiſtimandum. At dixeris, ut beatæ animæ non ſint ubique, in vita tamen glorioſa ita eſſe comparatum, ut ſciant hominum miſerias, & preces, & cogitationes ipſas; non quidem naturâ ſua, ſic enim ſolùm eas Deum cognoſcere; ſed per gratioſam revelationem: ac proinde, ſi in hac vita etiam alter ab altero expoſcamus, ut noſtri in precibus ſuis ad Deum memor eſſe velit; longè majori id cum exauditionis fiducia rogari ab iis, qui, de ſe jam ſecuri, pro amore erga nos ſuo, ſolliciti ſunt de ſalute noſtri, adhuc militantium in terris: nec poſſe hoc cultum dici divinum, quia non invocentur eo affectu, quo Deus; ſed tanto inferiori, quanto excellentia creaturæ inferior eſt divinâ: quippe, ut omnis boni fontem, invocari Deum: ſanctos, ut mediatores, ſi non ad Deum, inter quem & nos mediator eſt Jeſus Chriſtus; ſaltem ut mediatores ad mediatorem *b* Jeſum Chriſtum. Sed multa hic peccantur. Primùm enim cogitandum, καρδιογνώστην *c* in Scripturis Deo tribui ſimpliciter, & oppoſitè ad omnes creaturas. Ut non debeat illud ſic reſtringi, quaſi hæc aliis quidem ſit communis; ſed Deo uni certâ ratione competat; nempe per naturam. Quomodo, quod citra exceptionem dicitur, reducitur ad certum genus:

b Joannes Heſſelius, Theologus Lovanienſis in I Tim 2. v. 5. 6.
c Cordis notitiam.

nus: quaſi noſtrum ſit excludere quicquam, ubi non limitat Deus. Nec adverſus ea magni illud ponderis videtur, quod rogamus alii alios, ut nos precibus Deo commendent. Siquidem eodem nunc omnes in ſtadio ſumus, ut mutuò exponere poſſimus calamitates noſtras. Diſpar ratio, quando curſu hoc abſoluto quieſcimus. Nec enim tum particulatim cognoſcimus, quid geratur in terris. Vel ſi aliqua per revelationem ſive angelicam, ſive aliam, diſcimus; non tamen ulli hoc creaturæ datur, ut ubique, & ſemper, nos videat, & audiat. Soli hoc convenit Deo, & Mediatori noſtro Jeſu Chriſto, qui idcirco dicitur *Pontifex*
a Heb. 4, 14 *magnus* a, *ſecundum ordinem Melchiſedech* b; *qui in*
cælos introivit, ut appareat vultui ejus c, *atque ita inter-*
b Heb. 6, 20. *cedat pro nobis* d, & ſic *reconciliet omnia in cælis, &*
c Heb. 9, 24 *terris* e. Proinde Deo, & homini-Deo Jeſu Chriſto,
offerimus vitulos labiorum: qui eâ mente, qua Scriptura f
d Heb. 7, 25. loquitur, non magis conveniunt meræ creaturæ, quàm
vituli propriè dicti. Et angeli enim, & homines ſolius
e Coloſſ. 1, 20. Dei, non ullius creaturæ ſunt ſacerdotes. Dicimur qui-
f Oſ. 14, 3. dem *regale ſacerdotium* 1 Petr. II, 9: ſed non ſanctorum ſacerdotes, verùm Dei: juxta illud ad Hebr. XIII, verſ. 15: *Per ipſum ergo offeramus hoſtiam laudis ſemper Deo; id eſt, fructum labiorum confitentium Deo.*

Non igitur tantummodo à divino receditur cultu, ſi, qui eſt non-deus, credatur deus: ſed etiam ſiquis credatur non deus, interim verò ob excellentiam, licet inferiorem multò, eo afficiatur cultu, qui ſolùm numini convenit divino. Longe quidem gravius delinquit, qui objecto pariter, & cultus ratione, aberrat: ut qui Soli ſacrificet, eumque invocet: attamen & cultum ille divinum exhibere dicendus eſt creaturæ, qui ſupremi numinis pacem expetens, ſe conſequi eam melius poſſe ſperat, ſi amicos Dei, cœlo jam donatos, honoret offerendo vel vitulos propriè dictos, vel vitulos labiorum: utcunque cultum hunc ſe exhibere dicat, non ut creatori, ſed ut creaturæ.

Quamobrem ſive de propriè, ſive impropriè dictis vitulis, & ſacrificiis aliis, intelligas; probari nequit illud nobilis & elegantis poëtæ Actii Sanazarii ad B. Nazarium:

Salve io magni nova lux Olympi,
Cui per extentas operoſa terras
Templa tot ſurgant, calidiſque fumant
Ignibus aræ.

Uti nec illud Hieronymi Vidæ, hymno magnæ Matris Virginis:

Nos quoque divinos, ut cuique eſt copia, honores
Largimur: tibi centum aræ, tibi maxima centum
Thure calent delubra.

Ubi & *divinos* vocari honores videmus. Quemadmodum & hymno B. Laurentii:

—— —— Romana propago
Centum aras, centum magnis penetralia templis
Eriget, & tumulo divinum imponet honorem.

g Græcos ſeu gentiles imitantur. Quæ nimis ἐκθειάζει g, nec per κατάχρησιν ullam ſatis excuſantur. Revera enim propriéque divinus eſt honos, ſive ſacrificiis, thure, templis, ariſque honoremus; ſive opem auxiliumque poſcamus, ab animis beatorum, ſpemque noſtram in iis collocemus: prout tamen loqui non dubitat idem Vida hymno B. Andreæ:

Illa Deum te poſt unum veneratur, & omnem
In te ſpem locat.

Et B. Laurentii:

Spes ſuas in te locat advocato.

Hujuſmodi, quocunque manieló tegantur, nulli conveniunt creaturæ, præterquam uni Deo-homini Chriſto.
h 1 Tim. 3, 16. Ut enim unus Deus, ita unus ille Mediator *h*. Hic omni loco, & tempore, noſcernit atque audit, juvareque vult, & valet: ac ſolus dicere poteſt, *Scio quod me ſemper exaudias.* Joh. XI, 42. Hujus etiam illud promiſſum habemus Matth. XI, 21: *Amen, amen, dico vobis, quæcunque petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis.* Ex his, & ſimilibus, quid Deo placeat, videmus. Nuſquam verò ad beatas animas remittimur. Qua igitur fide & conſcientia eas advocemus: niſi certi priùs reddamur, placere Deo, ut iis utamur mediatoribus, & advocatis?

Nec quia ſic invocationem beatarum excludimus animarum, eò omnem iis adimimus cultum, ſed ſi minùs, Deoque proprium. Nam rectè Clemens Alexandrinus in VII Stromateon: Τίμιον ἅπαν τὸ ὑπερέχον ἡγεῖται κατὰ τὴν ἀξίαν, καὶ τιμητέον. *Id omne, quod dignitate præcellere exiſtimatur, honorabile eſt, & honorandum.* At quid aliud eſt cultus, quàm honos ab inferiori debitus & præſtitus ſuperiori? Ad ſuperiores verò referimus etiam animas beatas. Quicunque enim ad triumphantem Eccleſiam tranſlati, ii per gratiam divinam evecti ſunt ad ſublimiorem locum ac dignitatem, quàm qui in militanti hàc cum peccato etiamnum conflictantur. Quare ſanctos etiam à morte honorandos agnoſcimus: quodque ſuperiùs de cultu angelico diximus, eum extendere ſe ad intellectum, voluntatem, & actus exteriores; idem non inviti, dum commodè capiatur, de beatorum cultu fatemur. Nam & intellectu præſtantia eorum agnoſcitur, & voluntas ſe ad illorum obſervantiam ac imitationem componit; & linguæ præconio, aliiſque corporis membris, animum hunc manifeſtamus. Verum cultus iſte non gradibus ſolùm, ſed totâ ſpecie ab divino diſtat: cùm præcellentia Creatoris infinitis ſit partibus major, quàm ullius creaturæ: eoque cultus de creatura dicatur non συνωνύμως, ſed ἀναλόγως, non ſimpliciter, & eodem planè modo, ſed ob qualemcunque ſimilitudinem. Ut non tam pars ſit cultus divini, quàm effectum, quia cultus ſanctorum ex Dei cultu promanat. Utrumque *cultum* dici, agnoſcit etiam B. Auguſtinus lib. X de Civit. Dei, cap. I: *Si tantummodo cultus ipſe dicatur, non ſoli Deo deberi videtur. Dicimur enim colere homines, quos honorificâ vel recordatione, vel præſentiâ frequentamus. At per hoc cultum quidem non deberi, niſi Deo; propriâ quadam notione verbi hujus veriſſimum eſt.* Poſſumus ſic utrumque hunc cultum diſtinguere, ut ille Dei dicatur *religioſus*: quando, ut ait Lactantius lib. I, cap. XX, *Religio & veneratio nulla, niſi unius Dei, tenenda eſt.* Et Auguſtinus in octoginta tribus quæſtionibus, quæſt. XXXI: *Religio eſt, quæ ſuperioris cujuſdam naturæ, quam divinam vocant, curam ceremoniamque adfert.* Hujus generis ſunt invocare, adorare, victimas cædere, vel thus adolere, per nomen ullius jurare, vota facere, templa alicui extruere, feſtaque inſtituere, etiam aras erigere ad cultum: quod liquet ex hiſtoria tribuum Ruben, & Gad, & dimidiæ tribus Manaſſis: de qua Joſ. XXII. Horum vel partem, vel particulam, tribuere creaturæ, planè vitioſum eſt, quocunque id animo facias: ut accommodem huic loco, quod adverſus quiddam, a L. Seneca in deperditis Exhortationum libris prolatum, diſſerit Lactantius lib. III, cap. XV: *Nihil*, inquit, *intereſt, quo animo facias, quod feciſſe vitioſum eſt.* At cultum ſanctorum dicere liceat *officioſum*; quando noſtri eſt officii diligere & honorare imprimis eos, qui in cælis regnant. Poſſumus & *civilem* vocare, cùm una ſit Dei civitas, illa civium in cælis, & hæc in terris; quia charitate & ſocietate inter ſe colligantur. Dixerit aliquis, honorem eſſe civilem, quando homines colimus in terris ob poteſtatem, nobilitatem, partas de hoſte victorias, eruditionem etiam, aliaque id genus: quæ cauſſæ ſunt civiles. Diſparem verò rationem eſſe eorum, quos colimus ob cauſſas ſupernaturales: uti quia Deum videant, & ἀναμάρτητοι a ſint, quippe charitate perfectâ, a Peccati expertes.
& alia hujuſmodi. Exinde autem conſequi, cultum, quem mens religioſa præſtat animis beatis, non *civilem*, ſed *religioſum* dici oportere. Atqui profectò ſic nec cultus erit civilis, qui regi præſtatur à piis hominibus, quia ſit propter Dei mandatum, & conſcientiam. Satius igitur eſt laxiùs *civilis*, ſtrictiùs *religioſi* nomine uti: puta ut religioſus cultus Dei ſit proprius: quia, ut Iſidorus ait lib. VIII Orig. cap. II, *Religio appellata, quod per eam* UNI DEO *religamus animas noſtras ad cultum divinum vinculo ſerviendi.* Alter autem cultus, qui creaturæ debetur, *civilis* vocetur, quia præſtatur civibus noſtris, ſive illi ſint cælites, ſive

ſive terræ incolæ: ſive item ob cauſſam fiat merè civilem; ut quia quis pecuniâ juvent: ſive ab religione is cultus promanet; qualis eſt obſervantia non mentium beatarum modò, ſed ſanctorum etiam, & illorum, qui nobis præſunt in terris. Nec quia obſervantia hæc actus ſit religionis, eo cultum dixerim *religioſum*: cùm duplex ſit religionis actus; alius proprius, ſive, ut Scholaſtici vocant, elicitus; alius, quem iidem nominant imperatum. Poſterioris generis ſunt officia ad charitatem proximi pertinentia. Quippe, ut ait B. Jacobus 1, 27, *Religio munda, & immaculata apud Deum, & Patrem, hæc eſt, viſitare pupillos, & viduas.* Ad actus hoſce pertinet etiam obſervantia ſanctorum: non verò ad actus religionis elicitos, Deique proprios; qualis eſt invocatio; quæ non ſolùm actus eſt religionis, quia à religione promanat; ſed etiam ex ſe & natura ſua cultus eſt religioſus, ſive divinus. Si igitur cultum Cæſaris gentilis, ſancti Epiſcopi, animæ jam beatæ, & ipſius Dei, per ὁμωνυμίαν lubeat complecti: malim uno cultus officioſi aut civilis, aut alio nomine, comprehendere obſervantiam beatæ animæ, & viri ſancti in terris, imò & Cæſaris gentilis; quàm tam latè extendere appellationem cultus religioſi, ut contineat venerationem Dei, & animæ beatæ. In cauſſa potiſſimùm eſt, quòd ut nulla eſt proportio inter Deum infinitum, & opus ejus finitum: ita etiam, cùm cujuſque rei excellentiæ ſuus reſpondeat honos, invocatio Dei, & obſervantia ſanctorum totâ diſtent naturâ. At cultus, quo ſanctos colimus in terris degentes, non ſpecie, ſed gradu duntaxat, ab eo differt, quo veneramur illos in cælum receptos. Unde B. Auguſtinus contra Fauſtum lib. xx, cap. 1: *Colimus martyres eo cultu dilectionis, & ſocietatis, quo & in hac vita coluntur ſancti homines Dei, quorum cor ad talem pro Evangelica veritate paſſionem paratum eſſe ſcimus. Sed illos tanto devotiùs, quanto ſecurius, poſt incerta omnia ſuperata: quanto etiam fidentiore laude prædicamus, jam in vita feliciore victores, quam in iſta adhuc uſque pugnantes.* Quibus continuò ſubjicit Auguſtinus: *At illo cultu, quæ Græcè λατρεία dicitur, (Latinè uno verbo dici non poteſt) cum ſit quædam propriè divinitati debita ſervitus, nec colimus, nec colendum docemus, niſi unum docemus.* Et compluribus ſanè locis religioſum cultum vocat λατρείαν; illum ſanctorum, δουλείαν. Non tamen Scripturæ hoc diſcrimen obſervant, nec S S. Patres, ne Græci quidem; nec ex proprietate, ſive origine vocum earum, hujuſmodi quid conſequitur. Nec propterea adverſer B. Auguſtino, dummodo ex mente ejus his vocibus utamur: non, ut vulgo fit, diſtinguamus cultum religioſum in λατρείαν, & δουλείαν: quod non video, quomodo aliud ſit, ſi ex mente quidem Auguſtini eas voces acceperis, quàm cultum religioſum diſpeſcere in religioſum, & non religioſum, ac ita, quod dicitur, oppoſitum ſtatuere in appoſito.

Atque iſta, pro inſtituto noſtro, de ſanctorum cultu hîc loci ſufficiant. Nam propriè nunc agere viſum de cultu erroneo, quò peccatur non tam in colendi modo, quàm objecto, ſive numine ipſo. Cætera non perfunctoriè, uti nec contradicendi, vel aliis placendi ſtudio, malo temporibus noſtris perfamiliari: ſed conſcientiâ ducti, & amore veritatis, jam ante annos aliquot alio ſumus opere proſecuti: quo & Sacræ expendimus Scripturæ loca, & vetuſtioris adſtruximus Eccleſiæ conſenſum, & illis occurrimus, quæ ab eruditiſſimis hominibus, ſed in alia penè omnia abeuntibus, vel objici ſolent, vel adſerri poſſe viderentur.

FINIS LIBRI PRIMI.

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
IDOLOLATRIÆ
ORIGINE AC PROGRESSU,
LIBRI SECUNDI
PARS PRIMA;
Quæ eſt de cultu corporis cæleſtis.

CAP. I.

Tranſitum ab animalibus Diis ad naturales. Unde naturalium cultus profluxerit. Qualia Deorum corpora exiſtimata. Opinio veterum de Diis, qui cœlo deſcenderent in terras; ſed noctu, ne conſpicerentur. Prutenorum gentilium Dii. Triplex gentium theologia; fabularis poëtarum, civilis legiſlatorum ac ſacerdotum, & naturalis philoſophorum. Ad hanc diſtinctionem præiſſe aliis Mucium Scævolam Pontificem: veſtigiis ejus inſtitiſſe Terentium Varronem. Sed utrumque putâſſe, fabularem eſſe civitatibus damnoſam. Ac à Dionyſio quoque laudari eos, qui fundaſſent Remp. Rom. quod hujuſmodi Deos non introduxiſſent. Sed nec illam Romanæ civitatis alterutri ſatisfeciſſe. Imò Varronem ſponte profiteri, ſi novum ipſe imperium condidiſſet, theologiam populo præſcripturum fuiſſe, quæ conveniret cum theologia naturali.

Diximus de ſpirituali natura, tum eâ, quæ à nexibus corporeis libera ſemper foret; tum illâ, quæ aliquando fuerit corpori ligata. Quæ ſatis oſtendunt, quomodo à cultu veri numinis paullatim ſit deflexum, partim ad colendum dæmoniorum principem, qui mali omnis principium haberetur: partim ad alios malos bonoſque ſpiritus, & defunctorum etiam animas, quas *Deos manes* dixere. Venio nunc ad naturam corpoream. Nam homines terris, & terreſtribus adſueti, adduci vix poterant, ut eſſe crederent, quod non viderent, atque ut colerent, quod eſſe non putarent. Facilè igitur in oblivionem venit veri numinis cultus. Imò poſtquam etiam multitudo Deorum induci cœpit, multi nolle ullos agnoſcere cælicolas, quia natura eos, ut dignitate, ſic loco diſcluſos, viſibus noſtris denegaſſet. Sed ſollertia vatum ac ſacerdotum quiddam eſt commenta, quo ſe in eorum cultu retinere ſimpliciores poſſe arbitrarentur. Quia enim quod corporeum, ac viſibile non eſſet, ne eſſe quidem putaretur: cælicolis etiam tribuerunt corpora, non abſimilia noſtris, ſed ἀθάνατα a, quia ambroſiâ, ac nectare paſcerentur; prætereà ſubtilia, eoque ἀναίμονα b, ac pro ſanguine habentia tenuiſſimum quendam humorem; qui quoniam ἰχῶρα noſtrum, non imperfectione quidem (nam ἰχὼρ nobis crudus eſt ros ſive ſuccus, ac needum concoctus ſanguis; ut ex Ariſtotele c, & Galeno d, conſtat) ſed tenuitate tamen, & colore ſubalbido, referret; eò ab Homero a ἰχὼρ quoque appellatur. Prætereà finxere, quandoque Deos ipſos, & cæleſti domicilio, & ſimulachris ſuis, exire: à vulgo tamen non videri, quia loca ſeligerent ab hominibus ſecreta; nec ea frequentarent, niſi de nocte, cùm mortale genus altus urget ſopor. Hinc Statius lib. 1 Sylv. Equo Domit.

— Huc & ſub nocte ſilenti,
Cum ſuperis terrena placent, tua turba relicto
Labetur cælo.

Fuſiuſque Quinctilianus Declam. x; ubi inter alia inquit: *Omnis religio templorum, omnis religio lucorum, cùm tacuere mortalia, & profani procul erravere ſedibus totis, ſolitudine frui, & ſuis dicitur exire ſimulachris.* Hinc de Venere, & Gratiis, ſubluſtri nocte choreas agentibus, Horatius in primo odarum ait:

Jam Cytherea choros ducit Venus, imminente
Lunâ,
Junctæque Nymphis Gratiæ decentes
Alterno terram quatiunt pede, dum graves Cyclopum
Vulcanus ardens urit officinas.

Ac ſimiliter Heſiodus initio Θεογονίας de Muſis:

— Κεκαλυμμέναι ἠέρι πολλῷ
Ἐννύχιαι στεῖχον, περικαλλέα ὄσσαν ἱεῖσαι.
— Velatæ aëre multo
Noctu incedebant perpulcrâ voce ſonantes.

Sed ut hæc inveniſſent fidem apud ſtolidos, & quos nimia teneret ſocordia: minimè tamen in animum hoc induxiſſent, non dico, qui pleno ſaperent pectore; ſed quicunque non omni vacarent prudentiâ. Credebant quippe oculis ſuis, nihil tale de nocte deprehendentibus, etiam cùm maxima per terras omnes fierent itinera. Quocirca, (paucis exceptis, qui, quorum conſpectus homini negaretur, ea acrius mentis acie contemplarentur) cæteri non alios agnoſcere Deos, quàm qui in oculos incurrerent: ſive eos hebeti adeo obtutu cernerent, ut de magnitudine, & ſublimitate, ne inter ſapientes quidem conveniret; ut in ſideribus uſu venit: ſive manifeſti ponerentur ob oculos; ut terra, aqua, alia, quæ manibus ipſis contrectarentur. Hujuſmodi numina fecit Oriens, fecit etiam Ægyptus: & fecerunt non Græci pariter, ac Romani, gentesque omnes barbaræ. Quæ ſingula plurimis deinceps parebunt exemplis. Nunc morum inſtar fuerit gens Prutenorum ſive Boruſſorum. Ab ea, priuſquam nomen Chriſto dederet, iſta hæc colebantur numina: Perkuno, ſive fulmen, cujus honori perpetuus ex quercu ignis ſervabatur: Patrimpo, cujus in honorem ſerpens vivus alebatur

a Incorruptibilia.
b Sanguinis expertia.
c Lib. 1. & 3. Hiſt. animal.
d Lib. 2 de temp.
a Il. ε.

tur lacte: Paelo, cujus ſymbolum erat caput hominis demortui. Item tres hi Dii, Vurſchayto, qui Lar erat, ſive Deus domeſticus, ac præerat jumentis, & cæteris quadrupedibus: Sneybraio, cui cura erat avium: Gurcho, qui cibo potuique præfectus. Auctor Guagninus Veronenſis in Sarmatia Europæa *a*. Qui & adjungit, præterea *tonitrui, lunæ, ſtellis, ſerpentibus, bubonibus, & omnibus penè creaturis, divinum honorem detuliſſe.*

a In Præfa. deſcriptione.

Ut omnis hic gentium cultus meliùs intelligatur, præſertim Græcus ac Romanus: diſcerni opus eſt triplicem nationum Theologiam, fabularem, naturalem, & civilem. Prima illa hauritur ex poëtarum figmentis: altera ex naturæ myſteriis: tertia ex legiſlatorum decretis. Quâ diſtinctione in univerſa hac doctrina, nihil utilius eſt, vel neceſſarium magis; ne more, non vulgi modò, ſed doctiſſimorum etiam hominum, prope omnia in hoc tam vario argumento confundamus. Præivit verò ad eam primus Q. Mutius Scævola; non ille, quem augurem Tullius vocare ſolet; ſed Publii filius, quem pontificem appellat, cùm alibi, tum in III de Nat. Deor. *Temperantiæ*, inquit, *prudentiæque ſpecimen, ante ſimulachrum Veſtæ pontifex maximus eſt Q. Scævola trucidatus.* A Marianis enim, anno Urbis IↃCLXXI, Cicerone annum tum agente XXV, interemtus fuit: quod in veſtibulo Veſtæ contigiſſe, retulit quoque Livius lib. LXXXVI, & Lucanus in II. Summo huic viro illam Theologiæ diviſionem deberi, ex B. Auguſtino cognoſcimus, lib. IV de Civit. Dei, cap. XXVII, his verbis: *Relatum eſt in literas, doctiſſimum pontificem Scævolam diſputaſſe, tria genera tradita Deorum: unum à poëtis, alterum à philoſophis, tertium à principibus civitatis. Primum genus nugatorium dicit eſſe, quòd multa de Diis fingantur indigna: ſecundum non congruere civitatibus, quod habeat aliqua ſupervacua, aliqua etiam, quæ obſit populis noſſe. Hæc*, inquit, *non eſſe Deos Herculem, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem. Proditur enim à doctis, quod homines fuerint, & humanâ conditione defecerint.* Subjungit mox Auguſtinus: *Hæc pontifex noſſe populos non vult. nam falſa eſſe putat* b. *Expedire igitur exiſtimat, falli in religione civitates. quod dicere etiam in libris Rerum Divinarum ipſe Varro non dubitat.* De poëtica hinc Theologia ſubjungit: *Poëticum ſanè deorum genus cur Scævola reſpuat, eiſdem literis non tacetur: quia ſic videlicet Deos deformant, ut nec bonis hominibus comparentur, cùm alium faciunt furari, alium adulterare: tres inter ſe Deas certaſſe de præmio pulchritudinis: victas duas à Venere, Trojam evertiſſe: Jovem ipſum converti in bovem, aut cygnum, ut cum aliqua concumbat: deam homini nubere: Saturnum filios devorare.* Scævolæ judicium in omni hac re ſecutus eſt Terentius Varro, primo rerum divinarum libro, ad Julium Cæſarem Pontificem maximum. Ubi ſic ille, ſi non verbis planè iiſdem, illis ſaltem, quæ leguntur apud B. Auguſtinum lib. VI de Civ. Dei, cap. V: *Tria ſunt genera Theologiæ, eorumque unum Mythicon appellatur: alterum Phyſicon: tertium Civile. Mythicon appellant, quo maximè utuntur poëtæ: Phyſicon, quo Philoſophi: Civile, quo populi. Primum quod dixi, in eo ſunt multa contra dignitatem & naturam immortalium ficta. In hoc enim eſt, ut deus alius ex capite, alius ex femore ſit, alius ex guttis ſanguinis natus. In hoc, ut dii furati ſint, ut adulteraverint, ut ſervierint homini. Denique in hoc omnia diis attribuuntur, quæ non modò in hominem, ſed etiam in contemptiſſimum hominem cadere poſſunt. Secundum genus eſt, quod demonſtravi, de quo multos libros Philoſophi reliquerunt. In quibus eſt, dii qui ſint, ubi ſint, quod genus, quale, ex quonam tempore, an ſempiterni fuerint, an ex igne ſint, ut credit Heraclitus; an ex numeris, ut Pythagoras; an ex atomis, ut Epicurus. Sic alia, quæ facilius intra parietes in ſchola, quàm extra in foro, ferre poſſunt aures. Tertium genus eſt, quod in urbibus cives, maximè ſacerdotes, noſſe, atque adminiſtrare debent: in quo eſt, quos deos publicè colere, quæ ſacra & ſacrificia facere quemquam par ſit. Prima Theologia maximè accommodata eſt ad theatrum; ſecunda ad mundum; tertia ad urbem.* Hactenus Varro. Dii naturales multi apud Alexandrum ab Alexandro lib. ult. cap. ult.

b Ita, deleta negativa, legendum cenſeo: ubi vulgo, non putat.

In triplici hac theologia, nihil fabulari illâ poëtarum, quemadmodum ex allatis antea exemplis patet, fuerit inſulſius, niſi ad allegorias recurratur. Atque ideo Dionyſius Halicarnaſſenſis in II Antiquit. Roman. in eo Romuli commendat prudentiam, quod neutiquam admiſerit Græcorum fabulas de Diis. Quæ licet vel occultent naturæ arcana, vel ad ſolatium ſuperſtitum, aut aliud emolumentum, fuerint conficta: vulgus tamen, ut ibidem Dionyſius cenſet, non penetrat hæc arcana; imò ne inquirit quidem; ut planè ea notitia ſit damnoſa; quia vel inde colligunt, non eſſe numen; vel ſi nec Dii fœdis abſtineant facinoribus, ſibi quoque licere in iſtis Deorum imitari exemplum. Ac pluribus de illo in primo de re Poëtica diximus.

Multis verò partibus poëticæ huic theologiæ præferenda eſt civilis. Et tamen nec illa probare ſe potuit, vel Mucio Scævolæ, qui multa ei falſa ineſſe ait, ut vidimus; vel Varroni, Romanorum doctiſſimo. Quid enim tantus vir ſenſerit, indicio ſint, quæ ex eodem illius rerum divinarum opere adducit Auguſtinus in IV de Civitate Dei, cap. XXXI: *Non ego illa judicio meo ſequor, quæ civitas Rom. inſtituit. Nam ſi eam civitatem novam conſtituerem, ex naturæ potiùs formula Deos, nominaque deorum, eſſem dedicaturus: ſed jam, quoniam in vetere populo eſt accepta, ab antiquis nominum, & cognominum hiſtoriam tenere, ut tradita eſt, debeo, & ad eum finem illa ſcribere, ac perſcrutari, ut potiùs eos magis colere, quàm deſpicere, vulgus velit.* Abundè hæc oſtendunt, Varroni non uſquequaque placuiſſe religionem populi Romani; & ſi ipſe loco fuiſſet Romuli, aut Numæ Pompilii, vel eorum, qui poſtea conſecuti, longè aliâ opinione de Diis imbuturum fuiſſe gentem Romanam. Placuit autem Varroni imprimis Theologia naturalis: quam ipſam deinceps exponam: ſed ſic ut ſuis miſceam locis, quæ ad civilem, vel fabularem, meliùs intelligendam pertineant.

Ac, ſi naturæ ordinem ſequi ſit viſum, priùs naturam univerſè, quàm particulatim, conſiderare oporteat. Eoque primò etiam de Saturno, & Rhea, ſit agendum; quia hi ad univerſam pertineant naturam: poſtea verò de Iove, quo æther ſignificetur: tum demum de Apolline, qui Solem denotet: atque ita porrò. Sed ſatius exiſtimavi, ſi temporis eo in cultu ordinem ſequerer; eoque primò agerem de Sole, hinc Luna, tum ſtellis, denique æthere: exinde ad elementa accederem: poſtea ſubderem de corporibus tum imperfectis, ſive meteoris: tum perfectis, partim ſenſu præditis, ubi ordine ageremus de homine, quadrupedibus, avibus, piſcibus, ſerpentibus, inſectis: partim ſenſus expertibus, ut plantis, & foſſilibus: denique generatim tractarem de natura, & huic adjicerem de affectionibus ipſis in Deos relatis.

CAP. II.

Exponuntur cauſſæ, quæ moverint gentiles, ut Solem pro Deo colerent. Primùm, quod conſpicuus eſſet in cælis, quem locum tam barbari, quàm Græci, Deo tribuerunt. Imò Sacras etiam Scripturas thronum Dei in cælis conſtituere; non tamen quaſi cælis ſit circumſcriptus, ſed ad providentiam ejus indicandam. Pythagoræ, & aliorum opinio, ignem Solarem collocantium in medio Univerſi. Imò ante eos in hac fuiſſe ſententia Numam Regem Romanum. An Sol nunc propior terris, quàm olim. De maculis Solaribus. Ex adſpectu non capi certum de figura Solis argumentum: ratione tamen eam veriſimiliter adſtrui. Circuli cum Deo comparatio. Solis magnitudo: qua ſemper plus hemiſphærio illuminat. Quanto Solis velocitas exſuperet celeritatem globorum, quos ejaculantur bombardæ. Solem cum reliquis cæli ignibus quarto die factum ex luce, ſive igne prima die creato. Calore æthereo

omnia generari, & conſervari. Cur antiqui Solem Vulcani, & Minervæ, filium dixerint. Lucis utilitas, & quantopere variet, ac refractis luminis effectus. Temporum diſtinctio à motu Solis diurno, annuoque. Quo ſenſu anni omnes ſint æquales, vel inæquales. Unde diluceat, non idem eſſe centrum Solis, & univerſi. Omnes orbis incolas æquali ſpatio frui luce Solari. Cui bono ſint loca polo utrique ſubjecta, etſi ea non incolant homines. Thomæ Aquinatis judicium de origine cultus Solaris, & aliorum ſiderum.

IN Solari cultu ante omnia videndum, quæ moverint gentes, ut, neglecto Deo, propriâ quadam mentis inductione uno in Sole, veri numinis non tam effigie, quam umbrâ duntaxat, omnia religionis ſuæ ſtudia figerent ac collocarent. In hanc varia eos ſententiam impulerunt. Ex quibus eſt, quòd in ſublimi, ipſiſque cælis, ſpectaretur.
a Tex. 22. Nam ut Ariſtoteles diſſerit lib. I de cœlo, cap. III *a*, quo loco in eo eſt totus, ut oſtendat, cœlum non corrumpi, Πάντες ἄνθρωποι περὶ θεῶν ἔχουσιν ὑπόληψιν, καὶ πάντες τὸν ἀνωτάτω τῷ θείῳ τόπον ἀποδιδόασι, καὶ βάρβαροι καὶ Ἕλληνες, ὅσοι περ εἶναι νομίζουσι θεούς. δηλονότι, ὡς τῷ ἀθανάτῳ τὸ ἀθάνατον συνηρτημένον. ἀδύνατον γὰρ ἄλλως. *Omnes enim de diis eam habent opinionem, atque omnes, qui Deos eſſe exiſtimant, tam Græci quàm Barbari, ſupremum Diis locum tribuerunt, propterea quòd immortali conveniat immortale: aliter enim fieri non poſſit.* Ibidem
b Pag. 27. Simplicius hoc appellat *b* ἐν ταῖς ψυχαῖς τῶν ἀνθρώπων φυσικήν τινα ὑπόληψιν· *naturalem quandam exiſtimationem in animis humanis.* Ac Themiſtius quoque in paraphraſi ſua ſic ſcribit, interprete Moſe Alatino Hebræo Spoletino: *Græci cum barbaris in eam exiſtimationem ac animi notionem pervenere, ut ſupremum eum locum, qui mundum ambit, corpuſque, quod in eo loco conſiſtit, glorioſo Deo attribuerint. Quamobrem invenimus eos verſus eum locum manus extollere eo potiſſimum tempore, in quo preces effundunt. Fatentur tamen, atque æquum fore arbitrantur, immortale eſſe corpus ingenitumque. Etenim dignitas, perfectio, continuataque perpetuatio, ad immortalitatem conſequuntur: quæ omnia per ea, quæ apparent, intelligi volumus.* Hinc apud Heſiodum in Ἔργοις:

—— Ὃς ὑπέρτατα δώματα ναίει·

—— *Qui ſupremas inhabitat domos.*

Horat. lib. III, od. XXIII,

Cælo ſupinas, ſi tuleris manus:

ubi multa hujuſmodi Lambinus congeſſit. Etiam ex ſermone gentili hæc adſtruit Tertullianus Apolog. cap. XVII: *Quod Deus dederit, omnium vox eſt. Judicem quoque conteſtatur illum, Deus videt; &, Deo commendo; &, Deus mihi reddet. O teſtimonium animæ naturaliter Chriſtianæ! Denique pronuncians hæc, non ad Capitolium, ſed ad cælum reſpicit. Novit enim ſedem Dei vivi: ab illo,*
c Juxta vulg. interp. 18. *& inde deſcendit.* Atque hæc conveniunt cum ſacris literis. Non tamen eo pertinere videtur, quod vulgo referunt ex Pſal. XIX *c*, 5; *In Sole poſuit tabernaculum ſuum.*
d Sacra legis allegoriarum lib. 2, pag. 41, & 42, edit. Turneb. Ubi Hebræa ſonant, *Soli poſuit tabernaculum in ipſis:* puta *cælis.* Solidius eſt, quod ſoſpitator noſter Chriſtus ſic docuit nos precari: *Pater noſter, qui es in cælis.* Atque hoc etiam reddere poſſis, *Qui inhabitas cælos:* ut loquitur pſaltes regius Pſal. II, 4, & CXII, 5, item CXX, I.
e Pag. 33, ejuſdem edit. Quod tamen commode capiendum: quando, ut Philo *d* ait, πάντα πεπλήρωκεν ὁ θεός, καὶ διὰ πάντων διελήλυθε,
f P. 148. καὶ κενὸν οὐδὲν, οὐδὲ ἔρημον ἀπολέλοιπεν ἑαυτοῦ. *Omnia implet*
g P. 229. *Deus, & omnia penetrat, & ſui vacuum deſertumque à*
h P. 284
i P 295, in Orthodox. *ſe nihil relinquit.* Quibus ſimilia habet lib. primo ejuſce operis *e*, item lib. de plantatione *f*, uti & illo de confu-
k P. 169, edit. Auguſt. Vindel. ſione linguarum *g*, nec non de migratione Abrahæ *h*. Similiterque Theophilus ad Autolycum lib. II *i*: Τοῦ ὄντως θεοῦ, τοῦτό ἐστιν μὴ μόνον τὸ πανταχόθι εἶναι, ἀλλὰ καὶ πάντα ἐφο-
l Pag. 95, Gr. edit. Morell. ρᾶν καὶ πάντων ἀκούειν· *Dei, qui vere eſt, hoc eſt proprium, ut non ſolùm ubique ſit: verùm omnia præſens, inſpiciat, & audiat.* Item Origines in ſecundo contra Celſum *k*, Ma-
m P. 235. carius Homil. VII *l*, & XVI *m*: præterea Nazianzenus, Nyſſenus, Chryſoſtomus, Theodoretus, Damaſcenus. Ex Latinis Cyprianus de Vanitate idolorum, Hilarius lib. I de Trinit. Ambroſius lib. I de Spir. S. cap. VII, & in Pſal. CXVIII, ſerm. XIX. Hieronymus in Jeſa. cap. LXVI, Auguſtinus epiſt. LVII ad Dardanum, & lib. VII Confeſſ. cap. V, ubi egregiâ id ſimilitudine declarat, & tot alii. Ut Deus non eo cælos inhabitare dicatur, quaſi iis ſit circumſcriptus; ſed ad ſignificandam Dei providentiam; quia qui cælos inhabitat; præeſt cælis, & iis quæ cælis ſubſunt, ut in uno illo fiduciam reponere debeamus. Hinc Pſal. CXIII
a, 5: *Quis ſicut Dominus Deus noſter, qui in altis habi-* a Vulg.
tat, & humilia reſpicit & in cælo, & in terra! Et Pſal. 112.
CXIV *b*, 3, *Deus noſter in cælo, quæcumque voluit, fecit.* b Vulg.
Ex his diluceat, quo diſcrimine a Græcis, & barbaris, 113.
Chriſtiani putarint Deum cœlos inhabitare. Interim in eo conſentiunt, Deum eſſe in cœlis; eoque mirandum minus, ſi gentiles Solem, quo nihil in eo illuſtrius, Deum vel unum, vel præcipuum, putarint.

Non defuere tamen, qui Solem collocarent in medio univerſi, terramque circa eum verti exiſtimarent. Nam, ut de junioribus taceam, velut Nicolais duobus, Cuſano, S. Petri ad vincula Cardinale, & Copernico Boruſſo, magno in Matheſi viro, quem hodie ſequuntur complures eâ in arte inſignes: ex antiquis ipſis ſimiliter ſapuit Pythagoras: ut qui Solarem ignem conſtituerit in meditullio mundi, cumque dixerit Διὸς φυλακήν, *Jovis cuſtodiam*; ut eſt apud Ariſtotelem in ſecundo de cælo, cap. XIII *c*. Ea- c Cont. 72, 73.
dem quoque ſententia fuit Ariſtarchi Samii: ut qui & ipſe ſcripſerit, ſtellas fixas, & ſolem, non moveri; terram autem circa ſolem in orbem verti; ut teſtatur Archimedes de Arenæ numero. Mitto Philolaum, Hicetam Seleucum, Cleanthem Samium, Heraclidem, Ecphantum; imò Platonem jam ſeniorem; de quo id traditum Theophraſto. Mirum verò & in hac opinione fuiſſe multò omnibus iſtis antiquiorem Numam Pompilium: qui, ut proditum Plu-
tarcho *d*, templum Veſtæ rotundum fecit ad imaginem d In Numa.
Univerſi, inque medio ejus conſtituit æternum ignem, ut Solaris ignis ſymbolum. Sed ab hac ſententia abiere, qui Platoni ſucceſſerunt: Lyceum item, & Porticus omnis, & horti Gargettii doctor: atque ex Aſtrologis etiam Hipparchus, ac Ptolemæus, & omnis hujus ſchola. Quod verò Solem nunc propiorem putant terris, quàm olim: in qua
ſententia non Melanchthon ſolùm, ſed Cardanus *e* etiam, e Lib. 3 Subtilitatum.
aliis præivit: id planè falſum eſſe; jure ait Chriſtophorus
Rothmannus *f*; videturque is error promanâſſe ex Co- f In Epiſtolis Aſtronomicis Tychonis Brahe, pag. 131.
pernico malè intellecto. De loco ſatis.

Præterea gentiles eò Solem putarunt Deum, quia in lucidis illis corporibus æther nihil haberet Sole excellentius. Quatuor verò eum imprimis commendant, regio vati memorata, & ex eo Gregorio Nazianzeno adducta, orat.
XX, quæ eſt in laudem Baſilii *g*: Ἥλιος ἐπαινεῖται τῷ Δαβὶδ g P 362, edit. Morell.
κάλλος, καὶ μέγεθος, καὶ δρόμου τάχος, καὶ δύναμις· *Lau-*
datur apud Davidem h *Solis pulchritudo, & magnitudo,* h Pſal. 18, juxta vulg. ſive Hebr. 19.
& curſus celeritas, & vis ac facultas. De quatuor iſtis eopſe ordine dicemus.

Ad pulchritudinem ac decorem à Græcis etiam Patribus
i refertur, quod Pſal. XIX *k*, 7, dicatur *tanquam ſponſus* i In aurea catena in Pſalmos 1. ab Daniele Barbaro Latine reddita.
procedere de thalamo ſuo. Pulchritudo ea conſiſtit in colore, & figura. In coloribus enim præcellit candor: cui non detrahunt maculæ, quæ tubo Batavo, in medio etiam Solis diſco nunc apparent, nunc diſpatent. Neque enim ſunt
in Sole, ſed ſub Sole, Lunâ tamen ſuperiores, cùm & k Vul. 18.
unâ alterâque hebdomade conſpiciantur conſtanter uno tempore in locis longè diſſitis, idque ſimiliter, ac eadem proportione, niſi quatenus progreſſio, & diſtantia, aliquid variat. Videntur autem maculæ iſtæ provenire coaleſcentibus pluribus corpuſculis opacis.

Ad figuram quod attinet, agnoſcimus de ea haud certò ex adſpectu colligi poſſe. Quippe licet quadrangulus, vel multiangulus Sol foret; nihilominus, ob ingentem ſui diſtantiam, evaneſcentibus angulis, rotundus videretur: ut colligere eſt ex turribus quadratis longè diſſitis. Interea re verâ rotundum eſſe, per eſt veriſimile; quoniam hæc

figu-

figura aptior ſit ad lumen caloremque æqualiter quaquaverſum diffundendum, locaque eo illuſtranda non quidem ſimpliciter infinita, at infinita tamen juxta ſenſus noſtros. Accedit, quòd præſtantiſſimo corpori figura conveniat præſtantiſſima: ea autem ſit circularis, cui icciico Deus confertur. Omnia enim Deus capit & comprehendit. Circulus itidem figurarum capaciſſima. Deus caret principio, & fine. Circulus quoque neutrum habet. Omnium rerum Deus eſt cauſſa. Circulus etiam omnium eſt cauſſa in rebus mechanicis: juxta effatum Ariſtotelis, ſive alterius, in ſubtili Mechanicorum opere: ubi & varia de admiranda circuli natura legere eſt.

Proximo loco relata eſt magnitudo: ad quam pertinet illud Geneſ. 1, 6, *Fecit Deus duo luminaria magna.* Et Pſal. XIX *a*, 6, ſi vulgatum ſequimur interpretem, giganti confertur. Eſtque corpus totius mundi maximum; terra ipſa grandius, ſi non centies ſexagies ſexies, ſaltem, juxta alios, centies & quadragies: Lunâ autem, quam terra quadragies continet, quinquies millies ac ſexcenties majus. Imò Copernicanorum eſt ſententia, eum tertiam mundanæ materiæ partem obtinere: quippe non concavum corpus, ſed ſolidum; ut eo majus ex ſe perpetuo lumen effundat. Ea magnitudine plus ſemper dimidiâ illuminat ſphæra: uti Luna ſemper dimidiâ minus. Nempe juxta opticum hunc canonem: Luminoſum ſphæricum illuminat ſphærici æqualis dimidium, minoris plus dimidio, majoris minus dimidio.

a *Vulg. interpr. Pſal.* 18.

Tertio loco è Nazianzeno ſummam adferebamus velocitatem. Quàm etiam, qui tardioris forent ingenii, non obſcurè, etſi rudius, conſpiciebant. Cogitabant, quanta eſſet tellus, quantumque terris Sol diſtaret; qui diurno tamen ſpatio grande ab Oriente ad Occidentem iter dimetiretur. Unde in admirationem rapti, ſic ſecum ſtatuerunt, Deum eſſe in quo reluceret incredibilis hæc divinaque potentia tam vaſtum ſpacium, tam brevi tempore, conficiendi, idque ſtudio perenni ac indefeſſo. Magis verò ſtupent, qui, arcana matheſios ſcrutati, comperiunt, Solem horâ unicâ permeare decies centena millia milliarium: ita ut velocitas ejus longiſſimè exſuperet celeritatem globorum, qui vi pulveris pyrii exploduntur è tormentis bellicis, quæ in re nova voce novâ *bombardas* dicimus. Quippe hujusmodi globus minuto uno vix tria tranſit milliaria: ut Sol unicâ plus ſpacii horâ conficiat, quam globus horis quinquies millenis. Uti doctiſſimo Merſennio monitum in Geneſ. 1, 1.

Utrùm verò motus iſte, tantaque celeritas ſit à principio interno, hoc eſt, motrice vi inditâ Soli: an ab angelo, quem Deus præfecerit: an per ſe Deus moveat: neutiquam ad noſtram pertinet ſalutem: nec certi ejus quicquam invictâ ratione cognoſcitur.

Poſtremo loco ex Gregorio ponebamus Solis vim & efficaciam; unde multiplex adeò utilitas in terras, ac præcipuè genus humanum, redundat. In his calor principem tenet locum: proximum lux: quorum utrumque eſt ab ignea ejus natura. Cùm enim ignis priùs cæteris miſceretur elementis, divino poſtea juſſu ſuperiora petiit loca: ubi in globum redactus tres primos effecit dies: ut Hermes in Dexodicôn libris tradidit, & ex eo prodit B. Cyrillus in ſecundo contra deſertorem Julianum. Atque hanc etiam ſententiam ſecutus eſt Gregorius Nyſſenus in ſexto de hiſtoria ſex dierum. Ex illo autem igne poſtea ſunt ignes facti cæleſtes, ſolaris potiſſimum: ita ut lux illa, ſive lucidum illud primæ diei corpus, Sol fuerit imperfectus; eoque imperfectus, quia nec ſuâ coruſcaret magnitudine, nec figurâ, nec pulchritudine. Calore ſuo Sol & generationi inſervit, & genita conſervat. Sol enim vires excitat & recreat, ut ſine calore ejus vivere non poſſimus. Itaque vel horam durante eclipſi, maxima eſt rerum omnium immutatio. Imò ab igne hoc etiam varium eſt temperamentum. Propterea, ut ex Ariſtotele Clemens Alexandrinus in Protreptico tradit, Apollinem dixere filium Vulcani & Minervæ. Nempe in Sole ſpectarunt, tum quod igneus eſſet, unde Vulcani filium dixere: tum quod pro temperamento, cujus cauſſa Sol eſt, varient ingenium & mores hominum; unde Minervæ etiam filium ajebant. Minerva enim ingenii præſes.

Altera Solis virtus ac utilitas in luce conſiſtit: qua omnia reddit conſpicua, quæ non ſint diaphana, vel non admodum diaphana: idque radio recto, protractionum omnium breviſſimâ; unde per diaphanum ea celeritas luminis, ut, niſi quid obſtiterit, in inſtanti illuminati omnia videantur. Præterea tanta eſt hæc lux, ut diem præſtet: quod non efficiant vel ignes totius terræ conglobati, vel ſtellæ omnes in unum coaliæ. Quantopere etiam variat lux, dum alia fundit, non funditur, ut Solaris: alia funditur & fundit, ut Lunaris: alia funditur, non fundit, ut illa aëris. Quàm diverſa etiam ratio luminis directi, quod rectâ tranſit; reflexi, quod rejicitur à ſpeculari corpore; refracti, quod non rectâ, ſed motu tranſit obliquo: quorum primi naturam exponit Optica, ſic generali nomine vocitata; alterius autem Catoptrica, ac tertii Dioptrica. Jam ipſa luminis refractio, quàm miranda præſtat circa Solem ipſum! Ut qui ob hanc cauſſam circa horizontem major videatur, quàm circa meridiem, vel ſudo cælo: etiam cum horizontem ſubit, altior appareat, quàm alioqui videatur; imò & eùm attigiſſe limbo inferiori horizontem putatur, jam eum ſubierit. Nempe interpoſito denſiori diaphano, uti ſunt vapores & fumi terreſtres, ob luminis refractionem aberrat viſus: ad quam refractionem fortaſſe nonnihil etiam confert diverſa aëris & ætheris natura; majorque ea foret, ſi, quemadmodum Peripatetici ſciſcunt, ignis eſſet ſubditus Lunæ orbi, atque ita tria forent diverſæ naturæ diaphana, aër, ignis, æther.

Sed miranda omnia lucis exponere non eſt hujus loci. Satis ea, quæ diximus, ac imprimis, quod abſque illa homines non viderent, quæ agerent, lucem rem eſſe omnino divinam oſtendunt. Unde eſt, quod ſoleat Deus cum Sole comparari. Quod enim Sol eſt ſenſui noſtro, id intellectui eſt Deus *a*: atque ut Solem non videmus, niſi luce Solari: ita nec Deum cernimus, niſi luce ipſius ſpirituali *b*. Senſibus igitur illuſtratos converti animo oportuit ad Deum, ut intellectus etiam illuminaretur. Sed, creatore neglecto, creaturam habuere pro Deo; atque ita, mente animi cœcutientes, vitam in tenebris tranſierunt.

a *Nazianzenus orat. de Athanaſ.*
b *Philo lib* 1 *de Monarchia.*

Tertia Solis utilitas eſt temporum diſtinctio: unde Moſes ait *c*, Deum feciſſe *luminaria in firmamento cœli, ut dividant diem ac noctem, & ſint in ſigna, tempora, & dies, & annos.* Quæ Sol motu ſuo præſtat. Hoc enim variè calorem ac lucem terris diſpenſat. Eſtque is duplex. Prior dicitur diurnus; alter annuus. Qui æquabilis eſt, & conſtans, dummodo comparetur cum ſtellarum fixarum ſitu: ut factum à Babyloniis, & Ægyptiis; teſte etiam Albategnio *d*. A quibus, ſed improbante Copernico, Ptolemæus recedit: ut qui motum Solis ordiatur vel ab Æquinoctialibus punctis, quæ ſunt in principiis Arietis & Libræ; vel à tropicis, ſive initio Cancri, & Capricorni. Quo pacto annus fuerit inæqualis, quia æquinoctiorum & ſolſtitiorum puncta nunc magis, nunc minus, recedant à ſideribus adfixis.

c *Gen.* 1, 14.
d *Lib. de ſcientia ſtellarum, cap.* 27.

Porro cùm motus diurnus ab Oriente ſit in Occidentem; annuus hic ab Septentrione eſt in Auſtrum, vel contrà; ſic tamen, ut inæquali ſpatio ultra, & cis æquinoctialem, commoretur. Nam in boreali hemiſphærio, ab æquinoctio verno uſque in auctumnale, dies novenos, ac tertiam diei partem, ampliùs requirit, quàm in ſemicirculo Auſtrali. Ex quo liquet, locum Solis à terra remotiſſimum (apogæum vel augem nominant) longiùs abeſſe à nobis; quàm ab incolentibus plagam Auſtralem diſtat locus Solis maximè remotus.

Hoc nunc in Auſtrum, nunc in Boream motu, Sol illud conſequitur, ut calorem ſalutarem nunc has, nunc illas in terras diſpergat; atque ita nec omnia comburat ſemper præſens; nec frigore enecet ſemper abſens: ſed alternis calefaciendo, & refrigerando, proſit univerſis. Et in hac varietate, non his, quam illis diutius, lucem vel calorem

im-

impertit. Pari enim temporis ſpatio adeſt omnibus: quantumque hieme decedit duplicato frigore, tantum compenſatur æſtate duplicato calore. Itaque in Septentrionalibus etiam terris læta ſuccreſcit ſeges, ob dies longiores: & ſub Æquatore idem contingit, quia calor diurnus æqualis ſit frigori nocturno. Nec ſolùm ſic variis conſulitur terris, ſed etiam plantis: cùm, pro diverſo ſolo cæloque, aliæ hac, aliæ aliâ anni parte naſcantur, fructuſque maturos producant.

Ad omnia iſta unus Sol ſuffecit: imò plures tot & tanta univerſi commoda diſturbaſſent. Unum hoc fortaſſe inſcitia culpaverit humana, quòd plagæ utrique polo ſubjectæ non ſic calore Solis temperentur, ut habitabiles ſint. Quod de Septentrionali parte ſatis edocti ſunt Argonautæ Batavi. Verùm ſic univerſi ratio requirebat. Oportuit enim, Sole caloris fonte, in medio, nempe intra tropicos duos, conſtituto; ſub polo utroque eſſe fontem frigoris, qui toto ſe orbe diffunderet, ad æſtum Solis temperandum. Uti experientia docet evenire poſt magnum Solis ardorem, ſpirante Borea. Abſque iſto frigore foret, brevi abſumeretur aqueus humor; quo non minus, quàm calore, ad rei generationem, ac conſervationem, opus eſt.

Ex hiſce, quæ delibare ſolùm voluimus, (nec aliud inſtituti ratio ſinebat) non obſcurè relucet miranda Solis natura ac multiplex utilitas: quæ, ut dixi, cùm rapere omnes deberent in admirationem & laudem opificis, longè aliter in maxima mundi parte evenit. Nam cùm horum quædam vulgares etiam animæ viderent; cætera paullatim ſapientiores gentilium perſpicerent: pariter penè omnes in eum delapſi ſunt errorem, ut vel Solem crederent μόνον οὐρανοῦ θεὸν a, quomodo Ægyptia eum appellat Theologia: vel ſaltem præcipuum ſolem numen putarent, ſideribus aliis, ob minorem utilitatem, honore inferiori cultis. Promanavit igitur hic error ab imperfectione animi humani. Quod & docet Thomas Aquinas opuſculo de Symbolo Apoſtolico: ubi cùm dixiſſet, quatuor eſſe cauſſas, ob quas homines defecerint à cultu veri Dei: de prima hæc ſubdit: *Homines imbecillis intellectus non valentes corporalia tranſcendere, non crediderunt aliquid eſſe ultra naturam corporis ſenſibilem, & ideo inter corporalia poſuerunt præeminere & diſponere mundum, quò pulcriora, & digniora in eo videbantur: & eis impendebant divinum cultum: & hujuſmodi ſunt corpora cæleſtia: ſcilicet, ſol, luna, & ſtellæ. Sed iſtis accidit, ficut alicui eunti ad curiam Regis, qui volens videre regem, credit, quoſcunque bene indutos, vel in officiis conſtitutos, Regem eſſe.*

a *Unicum cæli numen.*

CAP. III.

Quam vetuſtus Solis ſit cultus, ex Moſe monſtratum; atque item Jobo: de quo ut magis liqueret, oſtenſum, librum Jobi non parabolam eſſe, ſed hiſtoriam; deque ætate Jobi diſquiſitum. Quadruplicem de ea fuiſſe opinionem. Quo loco referatur inter hagiographa ab Hebræis. Videri Jobum Moſi æqualem, vel eo priorem. De genere Jobi. Quàm antiquus ille ritus oſculandi manum, in Sole, vel alio numine ſalutando: atque ut is mos ad cultum potentiorum deflexerit. Conſuetudo in adorando erigendi pollicem: item ſeſe in alterutrum latus convertendi. Chriſtianorum ritus antiquus, ac Judaico contrarius, Orientem verſus exſtruendi templa, & intero randum ſpectandi Orientem. Eum tamen morem precandi, haut ſolide eo adſtrui, quod locus ille, unde Adam ejectus, & quo item paſſus eſt Chriſtus, pariter ſint in Oriente: imò ritum hunc, tanquam à gentibus profectum, ab Leone Magno improbari.

QUàm antiquus ſit cultus Solaris, non ex Homero vel Heſiodo diſcendum, quorum prior non multo ante vixit, quàm Salmanaſſar decem tribus in Aſſyriam abduxit captivas: ſed ex divino Moſe; cujus temporibus hunc cultum obtinuiſſe, colligo ex interdicto illo Repetitæ Legis cap. IV, 19: *Ne forte eleves oculos tuos in Cælos, & videas Solem & Lunam, atque Stellas, cum univerſo exercitu cælorum, & impulſus adores atque colas ea.* Valde etiam antiquitatem hanc comprobat locus ille Jobi cap. XXXI, 26, 27: *Si vidi Solem, quando ſplendebat, & Lunam,* (à qua) *pretioſum abit: & ſeduxit ſeſe in abſcondito cor meum, & oſculatum eſt manum meam os meum: etiam hoc fuiſſet iniquitas judicata, quia abnegaſſem Deum deſuper.* Ubi Hebraicè pro *Solem* eſt אור *or*, quod univerſè *lucem* atque *ignem* ſignificat: ſed ex eo, quod de Luna ſubjungitur, ſatis evidens eſt, κατ' ἐξοχὴν hic ſumi de luce ſive igne Solari: prout & LXX acceperunt. Hoc tamen ex loco nihil ſolidè colligitur, ſi Jobi liber non hiſtoriam, ſed parabolam continet: ut traditum à Maimonide in More Nebuchim partis III, ſect. XXII, item à Sem Tob in ejus libri expoſitione. Verùm ſententia hæc tum eo refellitur, quod contrà quàm in parabolis ſit, & nomen Jobi, & patria ejus referrtur: tum imprimis, quod Ezech. XIV, 14. Job conjungatur cum Noë, & Daniele: quos fuiſſe convenit: ut mittam, quod Jacobi V, 11, Job commendetur, ut patientiæ exemplum; cujus vis infringitur, ſi fictitium ſit; quia ſic virtus conſideretur, non cujuſmodi eſt in concreto, ſed qualis eſt in abſtracto, ut ſcholaſtici dicunt: hoc eſt, non qualis inventa unquam, ſed cujuſmodi eſſe oporteret. Sed neque ex Jobi libro antiquitatem ſolaris cultus rectè collegeris, ſi verè quidem Job fuit; quando autem vixerit, non conſtat: nempe num temporibus Patriarcharum, an Moſis, an Davidis, an captivitatis Babylonicæ: quas opiniones quatuor commemorat Maimonides loco ante memorato. Et ea opinionum diverſitas Maimonidem impulit, ut putaret, non fuiſſe Jobum. Ac fortaſſe etiam hæc in cauſſa ſunt, cur non meminerit ejus Flavius Joſephus in Antiquitatum libris: ſive crediderit non fuiſſe, ſive neſcierit, ad quæ tempora referri oporteret. Præter hæc, etiam alia eſt nata controverſia, de libri auctore: dum alii exaratum cenſent à Jobo, ut Gregorius Magnus præfat. in Jobum, & Suidas in Ἰώβ: alii verò Jobi amicos, aliqui Moſem, nonnulli Salomonem, vel prophetarum quempiam, alii aliquem ex ſapientibus Babyloniis, ſcripſiſſe arbitrantur. Ut eos prætercam, qui non cenſent librum θεόπνευστον a: ut eſt apud Olympiodorum præfat. catenæ aureæ in Job ex XXIV Patribus concinnatæ, & Latinè redditæ à Paulo Comitolo. Ubi & videas, quod de Jobi amicis diximus, Moſe item, & Salomone. Sanè Salomoni etiam tribuit Nazianzenus orat. ad Julianum tributorum exæquatorem; ut cenſet ejus interpres Nicetas, ac Olympiodorus præfat. catenæ ſuæ: imò & Polychronius in Jobi cap. XIII, ſive, ſecundùm vulgarem, diſtinct. XIX, 23, exaratum ait b, *Moſis Salomoniſve operâ.* Ac pro hac ſententia facere videtur, quod ab Hebræis in Bava bathra Perek primo, ubi Hagiographa recenſentur, primus quidem locus detur libro Ruth, quia ſub Judicibus vixerit; alter pſalmis Davidis, qui ex Ruth natus; tertius Jobo, tanquam æquali reginæ Sabæ; quartus Salomonis Proverbiis, Eccleſiaſtæ, ac Cantico Canticorum, atque ita porro. Eodemque redit, quod ab Athanaſio in Synopſi, Job Cantico Canticorum ſubjungitur; imò & in Concilio Laodiceno can. ult. & quibuſdam Græcis bibliis vetuſta manu exaratis, quæ in Vaticana Romæ adſervantur. In hoc diſſenſu lubentius iis acceſſero, qui vel à Moſe ſcriptum cenſeant, vel antea etiam à Jobo ipſo. De Moſe placuit etiam R. David Kimchi, ac ex noſtris multo ante Origeni; ut nempe eum ſcripſerit, quò populus Iſraëliticus longam illam peregrinationem in deſerto facilius ferret. Similiter Iſidorus lib. 1 Off. ut Toſtatum c, & cæteros taceam. Et ſanè Job vel æqualis Moſis, vel eo antiquior fuit, unus è Nachoris, vel Eſavi poſteris. Prior ſententia placuit Hieronymo Traditionibus Hebr. in Geneſin. Nempe ut Nachor, Tharæ filius, Abrahæ frater, genuerit Hus; Hus autem Jobum. Hæc ſententia nititur, partim eo, quod Geneſ. XXII, 21 dicatur Melcha pepe-

a *Divinitus inſpiratum.*

b *P. 141, ed. Lugd. an. 1586.*

c *In Hieronymi prologum galeatum cap. 7.*

peperiſſe Nachori Hus primogenitum, & Buz fratrem ejus: partim quod Job initio libri habitaſſe traditur in terra Hus, ſive Huz, ἐν γῇ [illegible], ut eſt apud LXX: quæ *Auſitis* dicitur Græcis, quaſi *Uſitis*. Quare colligunt, Jobum fuiſſe filium Us, nepotem Nachoris, Tharæ pronepotem. Senſit hoc quoque Philo ille ſuppoſititius, in Antiquitatibus biblicis.

Altera eſt ſententia venerabilis Bedæ, commentariis in Jobum, Hieronymo perperam tributis: ubi longè abit ab eo, quod Hieronymum ſcribere dicebamus in Traditionibus Hebraicis: quod opus eſſe genuinum, dubium non eſt, cum ipſe illud agnoſcat in ſcriptoribus Eccleſiaſticis. Cenſet autem Beda, Jobum fuiſſe pronepotem Eſavi. Ac ſuffulta hæc opinio eſt eo, quod Eſau genuerit Revel ſive Rahuel ex Baſemath, Iſmaelis filia: ut eſt Geneſ. XXXVI, 4, & 10. Rahueli autem filius fuit Zara, ut eſt ibid. comm. 13. Hoc autem genitus Jobab: ut eſt comm. 33. Jobab verò idem creditur, ac Job. Nec obſtat, quòd habitârit Job in terra Hus: quia in ea Idumæi ſedes habuere: ut conſtat ex illo in Threnorum fine: *Exulta filia Edom, quæ habitas in terra Hus.* Et ſanè non Jobum a Nachore, per Hus; ſed ab Abrahamo, & Iſaaco, per Eſavum deſcendere; opinio etiam eſt Athanaſii, vel alterius in Synopſi; item Epiphanii penè initio operis adverſus hæreſes, Chryſoſtomi homil. II de Jobi patientia, Auguſtini lib. XVIII de Civit. Dei, cap. XLVII, aliorumque magno numero. Hanc verò de Idumæo Jobo ſententiam multum confirmant ſeptuaginta, appendice Jobi; quæ etſi in Hebræo non eſt, uti nec fuit in tralatione Aquilæ, vel Symmachi; à Theodotione tamen eſt retenta; uti & legitur Catenâ aureâ in Jobum: ubi ſic Olympiodorus de ſuo, vel alieno, annotavit: *In Paralipomenis exſtat genealogia. Nam ab Abrahamo ortus eſt Iſaacus, ab Iſaaco Eſau, ab Eſau Raguel, à Raguele autem Zara, qui Jobi pater exſtitit. Quintus igitur eſt ab Abrahamo, e numero Abrahamo detracto. Quocirca eum ante Legem fuiſſe dicimus. Nam & ab Abrahamo numeranti Moyſes ſextus occurrit ad hunc modum: Abrahamus Iſaaci pater, Iſaacus Jacobi, Jacobus Levi, Levi Caath, Caath Moyſis.*

Atque ex his ſatis elucet, quàm antiquus ſit cultus Solis: ut cujus tum Moſes meminerit, tum qui Moſis temporibus, vel antea vixerit. Nec locus ille ex Jobo allatus tantummodo vetuſtatem idololatrici hujus cultus oſtendit: ſed etiam ritus ejus, quo Solem adorabant, manum oſculantes: ut allata hæc verba indicant, *Si oſculatus ſum manum meam ore meo.* Quem locum etiam B. Hieronymus in Ezechielis VIII, 17, & Apologia I in Rufinum, refert ad ritum, quo gentiles in adorando dexteram ori admovebant. Atque idem hunc ritum tangit in Oſee cap. XIII. Pertinet quoque eodem I ſive III Reg. XIX: *Genua, quæ non ſunt incurvata ante Baal, & omne os, quod non adoravit eum oſculans manum.* Apud gentium ſcriptores paſſim fit mentio hujus ritus. Appulejus Apolog. I: *Nulli Deo ad hoc ævi ſupplicavit: nullum templum frequentavit: ſi fanum aliquod prætereat, nefas habet adorandi gratiâ manum labris admovere.* Similiter Lucianus lib. de Saltatione; & in Demoſthenis Encomio: è noſtris etiam Minucius Felix in Octavio: *Cæcilius ſimulachro Serapidis denotato, ut vulgus ſuperſtitioſus ſolet, manum ori admovens oſculum labiis impreſſit.*

Atque ab hoc ritu alter ille promanavit, ut quo Deos ſolerent, eodem etiam proſequerentur hominum illos, qui honore potentiaque antecellerent: tandem & pares, ac inferiores, gliſcente adulatione. Hoc *manu venerari* dixere Tacitus *a*, & Tranquillus *b*: *manu ſalutare* Martialis *c*.

a 16 *Annal.*
b *In Claud.*
c *Lib.* 8, *ep.* 65.

Sed non, ut conſtat, vetuſtiſſimum eſſe ritum manu venerandi ac adorandi Solem: item dixerim, an vetus adeò ſit, quod ſi Solem, vel Deorum alium, adorantes, erectum ori pollicem admoverent: quemadmodum plenius nos docet Appuleji illud in IV Metam. *Et admoventes oribus ſuis dexteram, primore digito* (hæc vera lectio) *in erectum pollicem reſidente: ut ipſum prorſus Deam Venerem religioſis adorationibus venerabantur.*

Quemadmodum nec ſatis liquet, antiquusne adeo ſit ritus, quo ſe circumagebant. Ac Romani quidem dextrorſum: unde Plautus Curcul. Act. I, ſc. I:

—— PH. *Quo me vertam neſcio.*
PA. *Si Deos ſalutas, dextroverſum cenſeo.*

Galli autem ſiniſtrorſum: unde Plinius lib. XXVIII, cap. II: *In adorando dextram ad oſculum referimus: totum corpus circumagimus: quod in lævum feciſſe, Galliæ religioſius credunt.* Interea, cum ſimpliciſſi mum quodque antiquiſſimum ſit, longè eſt veriſimilius, primitus fuiſſe contentos dextram ori admovere ſine iſta vel corporis converſione, vel ſeſſione primoris digiti in pollice.

Valde autem veriſimile eſt, perantiquum etiam eſſe, & fortaſſe à primis Solaris cultus temporibus morem eum provenire, ut præcipue colerent Solem orientem, ac quocunque etiam tempore, ad Orientem converſi precarentur Deum. Iſraëlitæ autem contra Occidentem verſi, ubi ſanctuarium erat, preces Deo fundebant: atque ita ſe oſtendebant *precantes adorare non ſolem orientem, ſed Solis dominum:* ut ait Anaſtaſius Nicænus Quæſt. XVIII in Scripturam. Hoc ita eſſe, tum porta Orientalis oſtendit, per quam ingreſſi tabernaculum, vel templum, ad Occidentem oratum pergebant: ut cognoſcimus ex Exodi XXVI: tum etiam verba Ezechielis prophetæ VIII, 16, ubi Iſraëlitæ accuſantur, quod precaturi ad Orientem ſe converterent. *Dorſa,* inquit, *habentes contra templum Domini, & facies ad Orientem, & adorabant contra ortum Solis.* Sic Magos precatos, refert Herodotus lib. I. Vitruvius lib. IV, cap. ult. *Aræ ſpectent Orientem.* Maro XII Æn.

Illi ad ſurgentem converſi lumina Solem
Dant fruges manibus ſalſas, & tempora ferro
Summa notant pecudum, pateriſque altaria libant.

Chriſtiani veteres in hoc maluere gentilium, quàm Judæorum ritum ſequi. Clemens Alexandrinus lib. VII Strom. Πρὸς τὴν ἑωθινὴν ἀνατολὴν αἱ εὐχαί· *ad ortum matutinum concipiuntur preces.* Hinc & viſi Solem adorare. Tertullianus Apolog. *Ad Perſas ſi forte deputabimur, licet Solem in linteo depictum non adoremus, habentes ipſum ubique in ſuo clypeo: denique inde ſuſpicio, quòd innotuerit nos ad Orientis regionem precari.* Similiter Clemens Rom. lib. II Conſtitut. cap. LVII, Origenes in lib. Num. homil. III, Auguſtinus lib. II de Sermone Domini, cap. XIX, Damaſcenus lib. IV Orthodoxæ Fidei, cap. XIII. Ex quibus Origenes, & Damaſcenus, etiam ab Apoſtolis id ajunt inſtitutum. Ac ſimiliter ſentit Juſtinus ſive alius Quæſtionum, & Reſponſionum ad Orthod. Reſp. CXVIII. Item Athanaſius, vel alius, ad Antiochum quæſt. XXXVII, S. Baſilius de Spiritu S. cap. XXVII: imò & Auguſtinus ad Caſulanum presbyterum. Templa etiam Orientem verſus exſtrui à Chriſtianis ſolere, præter Clementem Romanum loco memorato, Paullinus quoque auctor eſt epiſt. XII ad Severum. Sed cum ritu convenirent, longè tamen aliud ſpectarunt Chriſtiani, quàm gentiles. Hi Solem ſpectabant, qui ſenſus illuſtrat: Chriſtiani Solem juſtitiæ Jeſum Chriſtum, qui mentes illuſtrat: unde & à Tertulliano *Oriens, Chriſti figura* dicitur, contra Valentinianum cap. III. Atque hanc rationem adducit inter alios Clemens Alexandr. lib. VII Stromateon. Sed alii eò reſpici dicunt, quia paradiſum, unde ejecti ſumus, ſpectemus, rogantes, ut illuc reſtituamur. Sic Athanaſius ad Antiochum quæſt. XXXVII, ac Baſilius ad Amphilochium de Spiritu S. cap. XXVII. Equidem non ignoro, Geneſ. II legi, Deum creâſſe paradiſum κατὰ ἀνατολάς, *in Oriente*; ut & Hebræa ſonant, & LXX reddiderunt. Sed Moſes ſic ſcribere potuit ratione loci, in quo degebat. At quid dicemus de gentibus iis, quibus paradiſus erat ab Occidente? Siquidem Apoſtolorum alii in Orientem, in Occidentem alii, prædicatum abiere. Num ergo Græcus Orientem, Indus intuebitur Occidentem? At hoc repugnat illi, quod putant, omnibus oculos eſſe convertendos eam in cæli plagam,

gam, unde Sol exoritur. Atque hinc liquet, quid cenſendum ſit de alterâ etiam ratione, quando ajunt, Orientem verſus eſſe orandum, quia melius nobis quaſi ob oculos ponamus Chriſtum pro genere humano paſſum in Oriente. Quippe ſic quoque omnes, qui ſive exiguo, ſive magno ſpatio, ultra Hieroſolyma habitarent, ad Occidentem ſe converterent. Si igitur, ut cenſent, mos iſte, ab Apoſtolis ſit inſtitutus; non poſſunt huc ſpectaſſe omnes, quia, ut dixi, non minus in Orientem ſe receperunt Apoſtoli, quam Occidentem. Atqui pugnantia ſunt iſta, ut, qui in India vivant, orantes ſpectent Orientem, quia inde oritur Solaris lux, quæ Chriſti eſt figura; & iidem ſpectent Occidentem, quia paradiſus, & locus ubi Chriſtus pro nobis paſſus, ſiti ſint ad Occidentem. Ne illa quidem ratio valida, orandum ad Orientem, ut oſtendamus, nos improbare Judæos, qui orant verſus Occidentem. Nam ſimiliter dixeris, orandum eſſe ad Occidentem, quò diſtinguamur à gentilibus, & Priſcillianiſtis. Quò pertinent hæc Leonis Papæ ſerm. VII de Nativitat. *De talibus inſtitutis etiam illa generatur impietas, ut ſol, inchoatione diurnæ lucis exurgens, a quibuſdam inſipientioribus de locis eminentioribus adoretur: quod nonnulli etiam Chriſtiani adeo ſe religioſe facere putant; ut priuſquam ad beati Petri Apoſtoli Baſilicam, quæ uni Deo vivo & vero eſt dedicata, perveniant; ſuperatis gradibus, quibus ad ſuggeſtum areæ ſuperioris adſcenditur, converſo corpore ad naſcentem ſe ſolem reflectant, &, curvatis cervicibus, in honorem ſe ſplendidi orbis inclinent. Quod fieri partim ignorantiæ vitio, partim paganitatis ſpiritu, multum tabeſcimus, & dolemus. Quia, etſi quidam fortè creatorem potiùs pulchri luminis, quàm ipſum lumen, quod eſt creatura, venerantur; abſtinendum tamen eſt ab ipſa hujuſmodi ſpecie officii: quam cùm in noſtris invenit, qui deorum cultum reliquit; nonne hanc ſecum partem opinionis vetuſtæ, tanquam probabilem, retentabit; quam Chriſtianis, & impiis, viderit eſſe communem?* Atque hoc ex loco colligit Joannes Pineda Hiſpalenſis a, *Jam Leonis tempore illam primæ Eccleſiæ conſuetudinem adorandi, & templa erigendi verſus Orientem, obſoleviſſe, quam ſervandam curarant, & præceperant, primi Eccleſiæ Patres.* Ubi eadem vides, ut, de ritus hujus auctoribus agens, eos non *Apoſtolos*, quemadmodum alii, dicat; ſed contentus ſit nominare, *primos Eccleſiæ Patres*, hoc eſt, Apoſtolorum ſucceſſores.

a In Job. cap. 31, verſ. 26.

Cap. IV.

Cultum, quem Judæi præſtabant Soli, Joſias verò abolevit, hauſtum fuiſſe à Syris vicinis: ut Phœnicibus, quibus Sol vocatus eſt Bal, *&* Bel: *Saturnum quidem exponi; ſed etiam Saturnum eſſe Solem. Dictum quoque* ἤλ: *unde error Servii,* Βῆλ, *quod ex* Βεὴλ, *ab* ἤλ *deducentis. Idem quoque* Βολάθης: *ejus etymon, ut &* Solis. *Quid Phœnicibus ſit* Beel-ſamen. *Pro quo non Accaronitæ, ſed Judæi,* Beel-zebub *dixere: nempe, uti ex* Beth-el *fecere* Beth-aven. *Liberos à Phœnicibus mactatos Saturno: atque hinc Ariſtotelem putâſſe, ſed falſo, Phœnices à* φόνος *ſive* φονίζειν *dici. Sol quoque Phœnicibus* Adon *ſive* Adonis, *vel* Adoneus. *Hoc* dominum *notare. Unde in S. Scripturis,* Adonai, *Dei nomen: & Plauto,* Avo donni. *Adonis aliter dictus* Gingres *quod & tibia nomen. Unde* Gingræ *vocabulum ſit: & quid* γιγγρίζειν, gingrire, gingrina, gingritor. *Ritus in ſacris Adonidis ſive Gingræ uſurpati.* Ἀδωνιασμὸς *à propheta Ezechiele ſignatus per mulieres Thamuz plangentes. Fabula de Phaetontiadum luctu unde orta. Ut Adonis alternis temporibus Veneri adſit, & Proſerpinæ. Lectulus in Adonis ſtratus à Græcis Veneri, & Proſerpinæ. Quid per Adonidem interfectum, ac Veneris luctum, &, eo reddito, gaudium ejus, ſignificetur, bifariam ex antiquis exponitur.*

VIdimus, quam antiquus ſit Solis cultus: nunc, quàm latè patuerit, oſtendam. Ac primum dicamus de Aſia: in qua eo etiam ſe inquinarunt Iſraelitæ. Unde II ſive IV Reg. XXIII, 12. *Et abolevit* [Joſias] *equos, quos dederant reges Juda,* &c. *& currus Solis combuſſit igni.* Iidem Ezechielis VIII, 16, reprehenduntur Iſraelitæ, quòd faciem Orientem verſus converterent, Solemque adorarent. Hunc ſed illi nimirum morem acceperant à gentibus Syriæ vicinis.

Eſt vero Syria, vel ad litus ſita, vel mediterranea. Prior dicta Phœnice. Hic, (ut ex Joſepho ait Procopius Gazæus in III Reg. cap. XVI a) Sol generali nomine vocatus בעל, *bahal*: quod *dominum* notat. Pro *bahal* verò, omiſſo ע, dixere etiam Βαὰλ, & Βεὴλ, contractéque Βὰλ, & Βῆλ. *Bal*, & *Bel*, eſſe Saturnum, Saturnum autem eſſe Solem, docet nos Servius in I Æn. Ipſum audiamus: *Aſſyrios conſtat Saturnum (quem eundem & Solem dicunt) Junonemque, coluiſſe: quæ numina etiam apud Afros poſtea culta ſunt. Unde & lingua Punica Bal Deus dicitur. Apud Aſſyrios autem Bel dicitur quadam ſacrorum ratione & Saturnus, & Sol.* Item Damaſcius in Iſidori vita apud Photium b: Ὅτι Φοίνικες, καὶ Σύροι, τὸν Κρόνον Ἦλ, καὶ Βῆλ, καὶ Βολάθην, ἐπονομάζουσι. *Phœnices, & Syri, Saturnum vocant El, Bel, & Bolathen.* Ἢλ verò eſſe Solem, oſtendit Servius de Belo Phœnice, unde creta Dido, loquens: *Omnes*, inquit, *in illis partibus Solem colunt, qui ipſorum lingua* HEL *dicitur: unde &* ἥλιος. *ergo addita digamma, & in fine facta derivatione à ſole, Regi impoſuit nomen* BELI. De Ἢλ, & Ἥλιος rectè. Sed falli cenſeo, cùm Beli nomen à Marone ex ἦλ, vel ἢλ, factum putat, appoſito digamma. Potius enim eſt à Βῆλ, quod eſt apud Damaſcium, ut vidimus: eſtque contractum ex Βεὴλ; unde Βεελσάμην, aliaque; quorum cauſſas poſtea exponam. Imò non ſolùm *bal*, & *bel*; ſed *bol* etiam videntur extuliſſe: indeque Phœnicibus Saturnus ſive Sol Βολάθης, ut ex Damaſcio jam diximus: Palmyrenis verò Ἀγλιβῶλος, quod ſignat *orbis dominum*: ſi recta eſt conjectura noſtra, quam aſſerebamus cap. XXVI libri ſuperioris. Nempe η abiit in ω; quomodo & Ἢλ (unde ἥλιος) eſt Latinorum *Sol*, ſpiritu præterea, ut fieri ſolet, in ſibilum converſo. Quia verò variis Baal cognominibus diſtingueretur; hinc factum, ut in Scripturis culpentur Iſraelitæ, quòd ſervierint בְּעָלִים, *bealim*, quaſi dicas, *baalibus*. Nullum verò nobilius cognomentum ei, quàm à cælis ductum. Inde enim Phœnicibus vocabatur *beel-ſamen*: ut ex Sanchoniathonis libris, à Philone Byblio converſis, notat Euſebius in primo Præparationis Evangelicæ c his verbis: Αὐχμῶν δὲ γινομένων τὰς χεῖρας ὀρέγειν εἰς οὐρανοὺς, πρὸς τὸν ἥλιον· τοῦτον γὰρ, φησὶ, Θεὸν ἐνόμιζον μόνον, οὐρανοῦ κύριον Βεελσάμην καλοῦντες. *Cumque uredo obtigiſſet, ſuſtuliſſe manus in cælum ad Solem. Hunc enim ſolum*, inquit Sanchoniathon, *Deum exiſtimabant: eum vocantes cæli dominum, Beel-ſamen.* Id verò *Beel-ſamen* ſignificare, quod dicebamus; nemo certiùs teſtabitur eodem Sanchoniathone, ſive Philone potiùs, qui poſt verba adlata continuò ſubjungit, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι, κύριος οὐρανοῦ· *quod Phœnicum linguâ, Dominum cæli notat.* Addit quoque, Ζεὺς δὲ παρ᾽ Ἕλλησι· *Græca autem lingua eſt Zeus*, *hoc eſt, Jupiter.* Quare *baal-ſemen* ad verbum ſonat Ζεὺς Ὀλύμπιος. Atque hæc etiam firmare eſt è lingua Hebræa; à qua, dialecto ſolùm, Phœnicia differebat. Nam quod Phœnicibus *beel-ſamen*, id Hebræis בַּעַל שָׁמַיִם, *baal-ſchamaim*: id eſt, *dominus cæli*. Accaron etiam Phœniciæ eſt civitas prope Azotum. In ea Sol vocabatur *Baal zebub*: ut videre eſt II Reg. I, 2, *Dominus muſcæ*. Quod nomen ab Hebræis accommodatum principi dæmoniorum, magno juſtóque Accaroniticæ idolomaniæ odio. Imò fortaſſe ne nomen quidem Iſraelitæ integrum reliquere. Nam veriſimilis mihi ſemper viſa eſt conjectura ingenio doctrinaque eximii Scaligeri, qui זְבוּב בַּעַל, *baal-zebub*, per contemtum eſſe factum putabat ex בַּעַל זְבָחִים, *baal-zebahim*; quod ſignat *ſacrificiorum*, ſive *victimarum dominum*. Nempe ſimili ratione, ac ex *Beth-el*, quod eſt

a Pag. 130.

b Cod. 242.

c Cap. 7.

eſt *domus Dei*, poſtquam idololatria iſtic ad lapidem, ubi recubuerat Jacob, exerceri cœpit, fecere *Bethaven*, id eſt, *domus vanitatis*. Nam בית *domus*, און, *mendacium*, *vanitas*, *iniquitas*.

Porrò ex eo, quod Phœnicum Baalem eſſe Saturnum Solemque antea vidimus: cognoſcere etiam eſt, quis intelligi debeat, cùm Phœnices dicuntur liberos ſuos immolâſſe Saturno. Uti apud Porphyrium de abſtinentia animalium lib. II: Φοίνικες ἐν ταῖς μεγάλαις συμφοραῖς ἢ πολέμων, ἢ αὐχμῶν, ἢ λοιμῶν, ἔθυον τῶν φιλτάτων τινὰ ἐπιψηφίζοντες Κρόνῳ· *Phœnices magnis in cladibus vel bellorum, vel æſtus, vel peſtilentiæ, ſacrificabant chariſſimorum quempiam Saturno, communibus ad hoc ſuffragiis addictum*. Subjungit deinde, plenam exemplorum eſſe hiſtoriam Phœniciam à Sanchuniathone ſcriptam, è lingua autem Phœnicia à Philone Byblienſi redditam Græcè. Similiter Euſebius oratione in Conſtantini Cæſaris laudem: Κρόνῳ γὰρ Φοίνικες καθ' ἕκαστον ἔτος ἔθυον τὰ ἀγαπητὰ καὶ μονογενῆ τῶν τέκνων· *Phœnices Saturno quotannis ſacrificabant dilectiſſimos, ac filios unicos*. Falſum interim, quòd tradunt, propterea Φοίνικας dictos παρὰ τὸ φονίξαι, quod κατὰ γλῶσσαν τῶν Περραιβῶν ἐστὶ τὸ αἱμάξαι: *dialecto Perraborum in Theſſalia notat occidere*: ut Ariſtoteles, ſive alius, hanc vocem interpretatur libro περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων [a]. Ubi ipſe ſic dici mavult, quoniam omnes necarent, quicunque appellerent. Vera autem nominis origo eſt, quia eſſent ſoboles Phœnicis, hoc eſt, Eſavi ſive Edom. Quam rem abunde expolui ſuperiori libro, cap. XXXIV.

[a] *De mirabilibus auditionibus*, pag. 115, *edit. Sylburgiana, ſive Wechelian.* anno 1587.

Etiam Phœnicibus Sol in cultu divino *Adon*, ſive *Adonis*, vel *Adoneus*, dicebatur. Sed appellatio hæc illis erat communis cum Arabibus. Quod Auſonii nos docet epigramma undetrigeſimum, de Græco fonte magnâ ſui parte expreſſum:

> *Ogygia me Bacchum vocat.*
> *Oſirin Ægyptus putat.*
> *Myſi* [b] *Phanacen nominant.*
> *Dionyſon Indi exiſtimant.*
> *Romana ſacra Liberum.*
> *Arabica gens Adoneum.*
> *Lucaniacus Pantheum.*

[b] *Vulgo* myſtæ, *ſed perperam: quia ab Auſonio variæ memorantur gentes, quarum ſingulis myſtæ ſui. Ut huic loco non generale* myſtarum *nomen; ſed particularis alicujus nationis appellatio conveniat. Talis Myſorum, qui Thracibus conterminι.*

Sententiam hanc puto: Bacchum Thebanum, Ægyptium Oſirin, Phanacen, ſive, ut apud Macrobium legitur, Phanatem Thracum vel Myſorum, Indicum Dionyſon, Romanum Liberum, Arabum Adonea, eundem eſſe Deum: proptereaque Lucaniaci dominum Auſonium (villa enim hæc Auſonii erat, bis mille circiter paſſibus diſtans Burdigalâ) putare omnia in uno numina intelligi: haut ſecus ac Romæ Pantheon omnium erat Deorum templum. Unde etiam videre licet, quàm multa Romana, vel Græca numina, uno Oriens nomine complecteretur. *Adones* vocabulo etiam utitur Plautus Menæchmis act. I, ſc. II: ac fortaſſe (nam variant codices) Catullus epigrammate, *Quis hoc poteſt videre*. Si Arabum ſit nomen, nomen non Græcum erit, ſed Arabicum, vel Syriacum. Quamobrem, uti Beli & Molochi nomina, ita hæc quoque appellatio habeat dominii argumentum. Nam אדן Adon, *dominus*. Unde &, Jod, & Cametz, additis, אדֹנָי, Adonai: unum ex decem Dei nominibus, B. Hieronymo commemoratis epiſtolâ ad Marcellam. Etiam apud Plautum Pœnulo act. V, ſc. II, Pœnus Hanno *Donni* κατ' ἀφαίρεσιν pro אֲדֹנִי, Adoni, hoc eſt, *domine mi*. Et mox, *Avo donni*: חוה אדני, *ave domine mi*.

Nec *Adonis* ſolùm Phœnicibus dicebatur, ſed etiam *Gingras*. Pollux lib. IV, cap. X: Ἡ Φοινίκων γλῶττα Γίγγραν τὸν Ἄδωνιν καλεῖ, καὶ τούτῳ ὁ αὐλὸς ἐπωνόμασται· *Phœnicum lingua Adonim vocat Gingram: & ab hoc nomen tibia*. Eâ tibiâ in Gingræ ſive Adonidis ſacris lugubres cantus ciebant. Unde ibidem Pollux: Γίγγρας δέ τις αὐλίσκος γοώδης καὶ θρηνητικὴν φωνὴν ἀφιείς. Φοῖνιξ μὲν ὢν τὴν εὕρεσιν, πρόσφορος δὲ μούσῃ τῇ Καρικῇ. *Eſt & tibia exigua, gingras, lugubrem & flebilem emittens vocem. A Phœnicibus quidem inventa, Caricæ autem Muſæ conveniens*. Sed ut Pollux dicat, tibiam hanc dictam *gingram* ab Deo; dubitari tamen poſſit, an non potiùs Adonis à cantu gingrino nomen acceperit, quia eo lugeretur: tibia verò vocata ſit γίγγρας, quia fieret ex gruis vel anſeris tibia. Nam Jeſ. XXXVIII, & Jer. VIII, עגור non *hirundo* eſt, aut *pica*; ſed vel *grus*, vel *anſer*. Indeque ע in G converſo, ut ſæpe fit, γίγγρας, genus tibiæ, & ſaltationis ad eam; ut explicat Pollux lib. IV, cap. XIV. Apud Heſychium vulgò eſt: Γίγγρα ἐπιφώνημά τι ἐπὶ τῶν κωμῶν λεγόμενον. Vide, an non reſcribi debeat, ἐπιφώνημά τι ἐπὶ τῷ Ἀδώνιδι λεγόμενον. Eo autem tibiæ nomen fuerit γίγγρας, quia ex anſeris tibia fuerit. Unde & χηνίζειν apud Athenæum de iis, qui tibiâ canunt. Simile igitur γιγγραζειν, & γιγγρίζειν, & Latinis *gingrire*. Gloſſæ Philoxeni, *Gingriunt anſeres*, χῆνες ἐκβοῶσι. Feſtus: *Gingrire anſeris vocum proprium eſt*. Indeque apud Arnobium in VI: *Anſerum gingritibus*. Subjicit continuò Feſtus: *Unde genus quoddam tibiarum exiguarum gingrinæ*. Nempe ut Græcis γιγγρίνος αὐλός. Idem Feſtus: *Gingrator, tibicen*. Ubi propter ἀναλογίας malim *gingritor*.

Quo pacto Adonidi, ſeu Gingræ, in Phœnicia apud Biblios ſacra fieri ſoleant: legere eſt apud Lucianum de dea Syria. Narrat autem, ut ad repræſentandum Veneris dolorem ob Adonin ab apro interemtum, totâ religione luctus indicaretur. Tum lacerare ſe verberibus ſolitos, quaſi Adonidi parentantes. Etiam capita raſiſſe, ὅκως Αἰγύπτιοι ἀποθανόντος Ἄπιος, *ut Ægyptii faciunt, mortuo Ape*. Quod ſiquæ mulierum, formæ ſtudioſiores, radi abnuerent; eas die uno ſe peregrinis proſtituiſſe; & quod inde meruiſſent, obtuliſſe Veneri. Poſt luctum die uno repræſentatum, poſtero omnes die pariter gaudium teſtatos, ob vitæ redditum Adonim. De iſtis mulierum planctibus in Adoniis meminit & Plutarchus in Alcibiade, & Nicia. Indeque Ariſtophani in Pace Ἀδωνιασμός, ὁ ἐπὶ τῷ Ἀδώνιδι θρῆνος, *lamentatio ob Adonidem*; ut Heſychius exponit. Et ſatis veriſimile eſt, Ἀδωνιασμὸν hunc ſignari ab Ezechiele cap. VIII: *Et introduxit me ad oſtium portæ domus Domini, quæ eſt ad Aquilonem: & ecce, ſedebant ibi mulieres, plangentes Thamuz*. Et fortaſſe hinc occaſio fabulæ apud poëtas de luctu Phaëthontiadum: de quo Ovidius II Metam. Dionyſius item in Periegeſi, & poëtarum alii. Nam Phaëthon, Sol. Porrò apud Ezechielem etiam B. Hieronymus [a] per Thamuz intellexit Adonidem. Ac Procopius quoque in Jeſaiæ cap. XVIII, hunc Ezechielis locum adducens, poſt Θαμμοὺς addit, ὅπερ ἐστὶ τὸν Ἄδωνιν· *quod eſt, Adonim*. Ibidem refert, ut Venus amore Adonidis ab apro, in quem Mars ſe converterat, interemti, etiam inferos acceſſerit, ut Adonidem repoſceret. Sed cùm non minùs à Proſerpina amaretur, ſic tandem conveniſſe, ut unâ anni parte Proſerpina, parte alterâ Venus adoleſcente potiretur. Atque ad hoſce diviſos amores reſpexit quoque Theocritus Ἀδωνιαζούσαις ſive Idyll. XV:

[a] *Ad illud Ezech. cap.* 8. plangentes Thamuz, *ſive* Adonidem: *uti & epiſtola ad Paulinum de inſtitutione monachi.*

> Ὁ τριφίλητος Ἄδωνις, ὁ κἠν Ἀχέροντι φιλεῖται.
> *Ter amabilis Adonis, qui etiam apud inferos amatur.*

Uti igitur dolor repræſentatur ob mortuum Adonidem, ita ob redditum, gaudium: quod ibidem Procopius addit. Atque hunc ritum etiam imitabantur Græci. Unde in eundem prophetam ſic Cyrillus lib. II. *Græci hinc latè feſtum excogitavere, ut ſe cum Venere, propter mortem Adonidis mæſtâ, condolere, & lugere; redeunti autem ex Orco, & inventum eſſe dicenti, quem quæſiverat, gratulari, & unà exultare, ſimularent*. Dixere hæc Ἀδώνια, quæ fiebant τῷ Ἀδώνιδι, καὶ Ἀφροδίτῃ, *Adonidi, & Veneri*; ut ait Ariſtophanis ſcholiaſtes. Utrique horum lectus ſternebatur: ut ait Theocritus Ἀδωνιαζούσαις. Sed non hujus eſt loci omnia exequi, quæ iſta ad ſacra pertinent. Potiùs adeantur, qui de Græcorum feriis ſcripſerunt: qualis eruditiſſimus vir Petrus Caſtellanus, &, qui omne punctum tulit, Joannes Meurſius; quo de

viro & hac, & aliis partibus eximio, nemo non præclarè ſenſerit, niſi qui pariter virtuti doctrinæque bellum indixerit. Quibus igitur hiſce prætermiſſis, potiùs exponam, quod magis noſtri eſt inſtituti, quò ſpectarit cultus ille Veneris, ac amaſii ejus Adonidis. Venus Orienti, unde cultus hic ad Græcos derivatus, complectitur tum Lunam, ſive Venerem cæleſtem, ſub qua & Heſperum ſive Luciferum comprehendere poſſis: tum Venerem ſubcæleſtem, ſive Terræ partem ſuperiorem, quam calcamus, & cernimus. Adonis autem eſt Sol, verè amaſius Veneris, quomodocunque Venerem intelligas. Nam ſive Lunam conſideres, quem illa magis amet Sole, unde lumen ſuum mutuatur? Sive Luciferum, is ſemper Solis comes: ut infrà magis liquebit, ubi de Veneris ſidere ſive Heſpero ac Phoſphoro dicetur. Sive terræ attendas ſuperficiem, quid utilius, quid incolis gratius & jucundius amabili Solis luce? De cæleſti Venere ſatis apertum. Partem verò de Venere ſubcæleſti, ex ſacrorum ratione illuſtrat his verbis Macrobius lib. I Sat. cap. XXI: *Adonin quoque Solem eſſe, non dubitabitur, inſpectâ religione Aſſyriorum: apud quos Veneris Architidis* (lego, *Atergatis* a, de qua poſtea) *& Adonis, maxima olim veneratio viguit: quam nunc Phœnices tenent. Nam Phyſici terræ ſuperius hemiſphærium, cujus partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt; inferius vero hemiſphærium terræ, Proſerpinam vocaverunt. Ergo apud Aſſyrios, ſive Phœnices, lugens inducitur Dea: quod Sol, annuo greſſu per duodecim ſignorum ordinem pergens, partem quoque hemiſphærii inferioris ingreditur: quia de duodecim ſignis Zodiaci ſex ſuperiora, ſex inferiora cenſentur: & cùm eſt in inferioribus, & ideo dies breviores facit, lugere creditur dea, tanquam Sole, raptu mortis temporalis, amiſſo, a Proſerpina retento: quam numen terræ inferioris circuli, & antipodum, diximus. rurſumque Adonin redditum Veneri, credi volunt, cùm Sol, evictis ſex ſignis inferioris ordinis, incipit noſtri circuli luſtrare hemiſphærium, cum incremento luminis, & dierum. Ab apro autem tradunt interemtum Adonin, hiemis imaginem in hoc animali fingentes; quod aper hiſpidus & aſper gaudet locis humidis & lutoſis, pruinaque contectis. Ergo hiems veluti vulnus eſt Solis; quæ & lucem ejus nobis minuit, & calorem. quod utrumque animantibus accidit morte.* Subjungit deinde de ſimulachro Veneris in Libano: de quo in ſymbolica theologia dicemus.

a N. ſi Dercitidis malis, vel potius, ut clariſſimo Seldeno viſum, Aphacitidis: de qua c. XXXVI loquemur.

Illud etiam, Adonim eſſe eundem, ac Solem, indicat, quòd Adonis eſt Bacchus: ut ait Plutarchus lib. IV Sympoſiacon, cap. V; ubi & Phanoclis verſus adducit de Adonide Venerem rapiente. Bacchum verò eſſe Solem, alibi oſtendimus.

Non defuere tamen, qui per Adonidem, non Solem intelligerent; ſed frumentum: quod parte anni in terra ſepultum latet; parte item feliciter germinans ſe noſtris offert obtutibus. Apud Proſerpinam igitur agere ajunt Adonidem, ſimulac ſemina terris ſunt mandata. Veneri verò, hoc eſt, ſuperiori terræ, ac hominibus, reſtitui, cùm læta ſeges ſuccreſcit. Voluit hoc Ammianus Marcellinus lib. XIX: *Fœminæ miſerabili planctu in primævo flore ſucciſam ſpem gentis ſolitis fletibus conclamabant. Ut lachrymari cultrices Venereæ ſæpe ſpectantur in ſollemnibus Adonidis ſacris: quod ſimulachrum aliquod eſſe frugum adultarum, religiones myſticæ docent.* Et fortaſſe inde eſt, quòd in Adoniis ſerebant frumentum, & hortos faciebant Adonidis. Scholiaſtes Theocriti ad ejus Idyll. XV *b*: Εἰώθασι γὰρ ἐν τοῖς Ἀδωνίοις πυροὺς, καὶ κριθὰς σπείρειν ἔν τισι προαστείοις, καὶ τοὺς φυτευθέντας κήπους, Ἀδωνείους προσαγορεύειν· *Conſueverunt in Adoniis frumenta, & hordea, ſerere in quibuſdam ſuburbiis, & conſitos hortos Adonios nuncupare.* Sed de Adonide, & Solis apud Phœnices cultu, ſatis.

b Verſ. 112.

Cap. V.

Ammonitis, Cæleſyriæ genti, ſolem eſſe cultum ſub nomine Molochi, ejuſque honori traductos per ignem pueros. Traductionem eam non holocauſti, ſed februi fuiſſe genus. Tacere Scripturas de Ammonitis Molocho ſuos liberos ſacrificantibus: ſed loqui de Sepharvaitis, Aſſyriorum colonis, infantes ſuos mactantibus Adramelecho, & Anamelecho: qui tamen Dii ad Molochum reduci poſſe videantur. Molochum nec Priapum videri, nec Mercurium: veriſimilius Saturnum dici, quia Molocho Oriens mactarit liberos: & Græci ac Romani id à Phœnicibus ac Pœnis factum dicant τῷ Κρόνῳ *ſive Saturno. Falſam interim hanc opinionem eſſe, ſi ſtrictè intelligatur Saturnus ex vulgari Romanorum vel Græcorum uſu. At veram videri, ſi ex more Orientis Moloch ſive Saturnus habeatur Natura, magiſque Cæleſtis, maximeque Solaris. Cur ſeptena voluerint eſſe conclavia in Molochi ſimulachro; ſeptimumque deſtinarint liberis cremandis. Aliorum ſententiæ de ſacrificii hujus cauſſa adlatæ, & rejectæ. Si rectè Oecumenio traditum, in Molochi corona reluxiſſe lapidem pretioſum; eum non tam Luciferum, quam Solem, repræſentaſſe. Sed non paullo eſſe veriſimilius, Scripturas in poſteriori Samuelis, & priori Paralipomenôn libro, loqui, non de gemma unica in corona Molochi, ſed de gemmis multis in corona regis Moabitici. Emeſſenis colebatur Sol cum Mercurio, & Marte. Ac Mercurius quidem dictus* Monimus, *Mars* Azizus, *Sol autem* Elagabalus: *quæ vox vel* Deum opificem, *ſive* conditorem *ſignificat: vel potius* Deum montis: *ut nomen ex eo ſit, quia in monte coleretur: uti &* Dei Carmeli *inde nomen fuit. Cæſari Elagabalo ab hoc numine nomen impoſitum. Templum ab eo huic Deo conditum Romæ. Palmyræ eadem ac Thamar. Cujus incolis dii* Malachbelus, *&* Aglabelus: *hoc eſt, Sol, & Lunus, quidem ac Luna.*

HAbemus de cultu Solis apud Phœnices. Nunc attendamus Syriam Mediterraneam. Qualis Judæa. In ea ab Eſſenis Solem eſſe cultum pro Deo, traditum eſt Joſepho Scaligero Trihæreſii cap. XXVII *a*. Compulſus a P. 215.
verò eſt eo, quòd Philo libro περὶ βίου θεωρητικοῦ ſic ſcribat de iis *b*: Δὶς δὲ καθ' ἑκάστην ἡμέραν εἰώθασιν εὔχεσθαι, περὶ b P. 612.
τὴν ἕω, καὶ περὶ τὴν ἑσπέραν· ἡλίου μὲν ἀνίσχοντος, εὐημερίαν (ſic ſcribendum) αἰτούμενοι τὴν ὄντως εὐημερίαν, φωτὸς οὐρανίου τὴν διάνοιαν αὐτῶν ἀναπλησθῆναι. *Bis vero unoquoque die precari ſolent; ſub auroram, & veſperam: oriente quidem Sole felicitatem, veram inquam felicitatem poſcentes: nempe ut mens ſua repleatur luce cæleſti.* Sed hinc quidem nullis fidiculis extorqueas, Solem Eſſenis pro Deo fuiſſe. Specioſius videtur hoc Flavii Joſephi lib. II de excidio Judaico, cap. VII *c*: Πρὶν γὰρ ἀνασχεῖν c Gr. c 6.
τὸν ἥλιον, οὐδὲν φθέγγονται τῶν βεβήλων, πατρίους δέ τινας εἰς pag. 728.
αὐτὸν εὐχάς, ὥσπερ ἱκετεύοντες, ἀνατεῖλαι. Quæ ſic vertit Rufinus: *Ante Solis ortum nihil profani loquuntur: ſed ei patria quadam vota celebrant, quaſi, ut oriatur, precantes.* Sed cui fides fiat, Eſſenos, religione Judæos, invocâſſe Solem? Nempe non aliud voluit Joſephus, quàm Solem, ut excellentiſſimum Dei opus, magna fuiſſe in veneratione apud Eſſenos: ac propterea nihil dixiſſe profani ante exortum ejus, precibuſque patrio more propter Solem fuſis, expoſcere ſolere, ut quamprimum oreretur. Scaligerum tamen ſecutus quoque Petavius notis ad Epiphanium, eamque ſententiam idem in Miſcellaneis Exercitationibus tuetur cap. I. Mihi longè magis de iſto placent, quæ duo ſummi viri ſcripſere, Claudius Salmaſius, & Joannes Croius; ille in Exercitationibus Solinianis *d*; hic in ſacris & hiſtoricis exercitationibus part. II, d P. 611.
cap. IV. Neque illud me movet, quòd iidem Eſſeni, ut Joſephus ait, quoties vellent exonerare ventrem, ſcrobem defoderent, tum pallio ſibi circumfuſo ſuper eum conquiniſcerent, ὡς μὴ τὰς αὐγὰς ὑβρίζοιεν τοῦ Θεοῦ· *ne injuriam facerent Dei luci.* Neque enim Θεὸς hic Solem ſignat; ut

ſæpe

ſæpe utuntur gentiles; ſed verum numen: ac proinde lux Solaris non dicitur alia de cauſſa lumen Dei, quàm quia Deus creavit Solem.

Sed ut de Judæis falſi ſint viri doctiſſimi, in aliis tamen Syriæ Mediterraneæ locis certum eſt hunc cultum Solis obtinuiſſe. Valde enim Syriæ tellus patuit. In ea quippe præter Judæam eſt Comagene; & quæ, à Seleuciæ, Antiochiæ, Apamiæ, & Laodiceæ complexu, Tetrapolis vocabatur; Cœleſyria item, quæ Juriſconſultis vett. ſola crebrò *Syria* nomine intelligitur; denique Palmyrene, & terræ aliæ, de quibus poſtea dicam. In Cœleſyria Ammonitis fuit: ubi Sol cultus nomine *Moloch*, ſive *Milcom*: qui diſertim Ammonitarum Deus dicitur I ſive III Reg. XI, 5, & 7. Ac memoratur etiam Levit. XVIII, 21, item XX, 2, 3, 4, 5, & II ſive IV Reg. XXIII, 10. Iiſque ex locis etiam cognoſcere eſt, à parentibus in hujus numinis honorem liberos per ignem traduci ſolere. Hæc autem traductio non erat crematio liberorum; ſed februatio, hoc eſt purgatio ſive expiatio quædam, qua per ſpatium inter duos ingentes ignes intermedium vel a camaris ſive ſacerdotibus, vel ad eorum præſcriptum a parentibus ipſis, aut ducebantur, aut geſtabantur infantes. Ita cepere hæc verba R. Salomo Jarchi, R. Maimonides in More Nebuchim lib. III, cap. XXXVIII, & R. Joſeph Karo in Miſnah Thorah tract. עכו״ם, cap. VI. Sed diſſentit Aben-Ezra: cui *traducere* valet *comburere*. Eaque ſententia magis obtinet. Equidem exiſtimo, ubi ſolùm traductionis meminit Scriptura, ſignari non cremationem, ſed tantummodo deductionem duos inter ignes. Interea fatemur, præter hanc februationem, quæ in familiis omnibus, rebus etiam proſperè fluentibus, obtineret, fuiſſe etiam vivicomburium cariſſimorum pignorum, & quidem ex flore populi; quo in magnis calamitatibus placari Deum poſſe, arbitrabantur. Hanc Phœnicum fuiſſe ſententiam, ex Porphyrio antea vidimus: Scripturiſque etiam docemur, cultum eum obtinuiſſe in Cananæa. Ut Pſalm. CVI a, 37: *Et immolaverunt* (ſive
a Al. 105.
mactarunt יִזְבְּחוּ, *izbechu*) *filios & filias ſuas demoniis.* Sed Ammonitas Molocho ſuo liberos ſacrificâſſe, ſolidè ex Scripturis adſtrui nequit. Solùm legitur II ſive IV Reg. XVII, 31: *Ii autem, qui erant de Sepharvaim, comburebant filios ſuos igni, Adramelech, & Anamelech, Diis Sepharvajim.* Ubi nihil de Ammonitis, ſed Aſſyriis in Samariam traductis. Nam commate 24, clarè legas, ut Aſſyriæ rex ex Babel, Cutha, Emath, & Sepharvaim, colonos traduxerit in Samariam, Iſraëlitis in Aſſyriam, & Mediam, traductis. Sed neque ibidem ſermo de Molocho, verùm Adramelech, & Anamelech. Quæ tamen numina non abnuerim reduci poſſe ad Molochum. Nempe ut *Adramelech* magnificum ac fortem Molochum ſive regem ſignet. Sanè אַדִּיר unum eſt ex Dei attributis, proprieque *fortem* ſive *potentem*, *magnum* item *ac excellentem* ſignat: ut Pſal. XCIII, 4. At *Anamelech* fuerit reſponſum ſive oraculum Molochi. Nam עָנָה, *reſponſio*, *colloquium*. Niſi malis, notare Molochum ſive *regem opulentum*, vel *divitiarum*. Nam Arabibus غنى gani, cùm غ punctum habente, *dives*; ut غناء, gina, *divitiæ*. Quomodo idem fuerit ac Mammona ſive Plutus.

Sed ad Ammonitarum Molochum redeamus; de quo ambigitur, quis fuerit. Invenio apud Antonium Fonſecam in iis, quæ ad Cajetanum in Levit. XX, 2, 5, 7, annotavit, eum eſſe Priapum. Quod niſi per Priapum vim Solis generativam hic quoque intelligamus, nullâ ratione nititur: & eo minoris fieri debet, quia aliter ipſe Fonſeca ad Levit. XX, 2, 3, 4, 5. Sed credo, memoriæ errore, confudit Fonſeca numen Ammonitarum cum numine Moabitico; quod Priapum Hieronymus putabat, ut poſtea dicemus. Aliquanto veriſimilius B. Arias Montanus in Amos cap. I; qui Molochum cenſet eſſe Mercurium: nempe quia מַלְאָךְ malach ſit *nuncius*: at Mercurius Deorum nuncius ſtatuatur à poetis. Sed de Orientis theologia non debet judicari ex Græca, vel Romana. Nec *Moloch* eſt nuncius, ſed מֶלֶךְ *melech*: quod LXX in Levit. XVIII vertunt ἄρχοντα: *regem* exponit B. Hieronymus in Jeſ. cap. LVII, & Hierem. XXXII. Pro eodem & legas Hier. XLIX, 1, 3, מַלְכָּם: ubi LXX Μελχὸλ a, Hieronymus *Melchom*. At Chriſtophorus a Caſtro in Hier. VII, Molòch cenſet Saturnum. Ac pro ſententia hac facere videtur, quod, ut communis eſt ſententia, ab Phœnicibus & Pœnis Molocho mactatos liberos: iidem a Græcis pariter Latiniſque ſcriptoribus dicatur, hoſtias ſolere immolari Saturno. Hoc à Phœnicibus factum, tradit apud Euſebium Philo Byblius ex Sanchoniathone. Ac Curtius ſimiliter lib. IV, de Tyriorum victimis agens humanis, iiſdem oblatas ait Saturno. De colonis quoque eorum Carthaginenſibus idem refert Diodorus in XX, & Tertullianus adverſus Gnoſticos cap. VII. Poſſumuſque idem dicere de Rhodiis; præeunte Porphyrio in ſecundo περὶ ἀποχῆς, & exinde Theodoreto in ſeptimo Græcarum affectionum: Ἔθυετο γὰρ ἐν Ῥόδῳ μηνὶ Μεταγειτνιῶνος ἕκτῃ ἱσταμένου, ἄνθρωπος τῷ Κρόνῳ· ὃ δὴ ἐπὶ πολὺ κρατῆσαν ἔθος μετεβλήθη· ἕνα γὰρ τῶν ἐπὶ θανάτῳ δημοσίᾳ κατακριθέντων μέχρι τῶν Κρονίων συνεῖχον· *Sacrificabatur enim in Rhodo* XVI *Kal. Novembris homo quipiam Saturno. Quod cum perdiu eſſet obſervatum, in conſuetudinem abiit. Unum quippe ex iis, qui capitali eſſent ſupplicio deſtinati, ad Saturnalia uſque (vivum) aſſervabant.* Nec autoritate ſolùm, ſed ratione etiam, hæc ſententia firmari videtur. Nam quis Mercurium, Iovem, aut Priapum, finxit liberos ſuos comedentem? Saturno hoc pariter tribuunt Romani, ac Græci: idque quia Saturnus ſit Tempus, quod omnia abſumit: ut nulli Deorum convenientiùs potuerint liberos ſacrificare, quam Temporis Deo. Sed quamcunque hæc ſpecioſè dicantur, nihil ſolidi ſubeſt, ſi Saturnum iſtum animale credas numen; puta regem Italum, aut Iovis Cretici patrem, aut Noachum etiam, vel Adamum ipſum. Sed neque hæc ſententia conſiſterit, ſi per Saturnum capias Saturni ſtellam, quam multi eò cenſent tempori præfectam, quia nonniſi longiſſimo tempore triginta puta annis, orbem ſuum abſolvat. Duntaxat recipi hæc de Saturno ſententia poteſt, ſi capiamus de illo Orientis: cujus populis Baal, & Moloch, longè latiùs patuere, quàm Saturnus Romanis, & Græcis. Orienti enim, & Baal, & Moloch, dominus erat univerſi; idem Saturnus, Iupiter idem, idemque Apollo. Nempe ut paullatim ab uno veroque numine receſſit genus humanum: ita ſenſim, & quaſi gradibus quibuſdam, ſua ἡ πολυθεότης b cepit incrementa. Primùm Soli divinus obtigit honos, quia nihil eo ſenſibus noſtris vel conſpicuum magis, vel acceptum. Proximè accedere videbatur Luna: quæ propterea primò in ſocietatem cultus adſcita. Hinc reliquæ cæli militiæ, ac mox etiam totius cæli machinæ, idem eſt communicatus. Poſtea elementis etiam attributus: ac denique toti rerum naturæ, quia tota divinæ eſſe naturæ crederetur. Interea uti una eſt rerum omnium natura; ita cultum ſuum ad unum aliquod numen ſapientiores dirigebant. Ita factum, ut Orientis ille Moloch unus, & Apollo eſſet, ſive Sol; & Cœlum, ſive Iupiter; & Saturnus, ſive rerum Natura: quod pleniùs poſtea explicabitur. Præcipuè verò Solem intelligi per Molochum, multis elucet indiciis. Primùm, quia conſtet Orienti Solem, & Lunam; in præcipuo fuiſſe honore: & *Baal*, ſive *Bal*, vel *Belus*, Solem fuiſſe conveniat: *Molech* autem, ſive *Melech* idem ſignificet. Nam quid refert, num dominum, an regem dicas univerſi? At *belus*, ſeu *baal*, dominus, *melech* rex: unde & ex duobus illis conflarunt *Molechbelus*, quaſi *dominum regem* dicas. Præterea idem cognoſcimus ex imagine Molochi: ut quæ ſeptem conſtiterit conclavibus: quorum in primum offerrent ſimilam, in alterum turturem, in tertium ovem, in quartum arietem, in quinctum vitulum, in ſextum bovem, in ſeptimum filium. Ut proditum à R. Simeone in Ialkut, atque exinde à Paulo Fagio notis in Chaldæam Levitici paraphraſin. Septem erant conclavia, pro numero Solis, Lunæ, & quinque planetarum. Ex quibus poſtremum proprie erat Solis; ut excellentiſſimi numinis,

a In Græcis bibliis Romanis. κεφ. λ'.

b Deorum multitudo.

& reliquorum moderatoris. Unde & honos redibat ad Solem, in quocunque conclavi offerretur: ſed proprius ille honos, cùm homo immolaretur. Summo enim Deo ſumma convenit victima. At Sol Deorum is ſummus erat. Nec quicquam in mundo eſt excellentius homine: nihil etiam parentibus eſt carius, quam liberi. Sic igitur judicarunt, non meliùs ſummum ſe poſſe Deum demereri, quam ſi immolarent liberos ſuos, etiam in maximarum divitiarum, ac potentiæ ſpem natos. Hæc vera eſt illius ſacrificii ratio; non illa, quam Græculi ſunt commenti, eo Saturno mactaſſe ut ſignificarent, ſe Saturni, ſive Temporis, naturam imitari, quod omnia nata abſumeret. Uti neque illa apud B. Auguſtinum lib. VII de Civitate Dei, cap. XIX, quaſi reſpexerint, quòd ſemina cooperiantur terrâ, atque ita eò redeant, unde venerunt. Nec illa apud Minucium Felicem in Octavio, *Quia*, inquit, *Saturnus filios ſuos expoſuit, non voravit; merito ei in nonnullis Africæ partibus infantes immolabantur.*

Exiſtimet quis, Molochum eſſe Venerem, hoc eſt, Luciferum: idque propter illa Cyrilli in Amos, & exinde Theophylacti, & Oecumenii verba in Act. VII: Μολὸχ, ἤτοι Μελχὸμ. εἴδωλον ἦν τῶν Μωαβιτῶν, λίθον ἔχον διαφανῆ καὶ τίμιον εἰς ἑωσφόρου τύπον ἐν τῷ μετώπῳ ἄκρῳ· *Moloch is ſive Melchom. Erat autem hoc ſimulachrum Moabitarum, habens lapidem pellucidum ac pretioſum in modum luciferi extrema frontis parte.* Sed primum in eo peccatur, quod Moloch dicatur Moabitarum Deus, qui potius fuit Ammonitarum. At Moabitarum Deus Chamos, ut poſtea dicetur. Præterea nihil cauſſæ eſt, cur pretioſum illum lapidem, in fronte Molochi, credamus potiùs ſymbolum fuiſſe Luciferi, quam Solis. Quanto enim juſtiùs Sol dicitur Molochus, ſive rex cœli, quam Veneris ſtella: quæ quid ad Solem? imò ne lumen quidem a ſe habet, ſed à Sole accipit: quia, quod veteres ignorarunt, Lunæ inſtar eclipſin patitur, creſcit quoque & decreſcit; ut Batavo teleſcopo deprehenditur. Denique ne illud quidem ſatis apertum, an in corona Molochi ſive Milcom fuerit ejuſmodi lapis pretioſus. Compulit Cyrillum, & Oecumenium, ut ita ſcriberent, locus II Samuelis XII, 30: ubi ſic habent LXX: Καὶ (Δαυὶδ) ἔλαβε τὸ ςέφανον Μολχὸμ τοῦ βασιλέως αὐτῶν ἀπὸ τῆς κεφαλῆς αὐτοῦ, καὶ ὁ σαθμὸς αὐτοῦ τάλαντον χρυσίου, καὶ λίθου τιμίου· *Et tulit coronam Molchom regis eorum a capite ejus, & pondus ejus talentum auri, & lapidis pretioſi.* Eademque verba habes in I Paral. XX, 2. Niſi quod antè ὁ σαθμὸς, *pondus*, addatur, εὑρέθη, *inventum eſt:* poſtremaque verba ſint, καὶ ἐν αὐτῷ λίθος τίμιος, *inque ea lapis pretioſus.* Vulgatus interpres, qui B. Hieronymus putatur, etiam *Melchom* retinuit. Sed in loco, è poſteriori Samuelis adducto, pro מלכם *Malcam* eſt *regis eorum:* ut Ammonitarum regem, ac ejus coronam, non Ammonitici numinis, intellexerit interpres. Idem utrobique habet *pretioſiſſimas gemmas:* quia cenſuit, pluralivum, more Hebræo, poni pro numero ſingulo. Ac ſimiliter utrumque locum interpretati Vatablus, Munſterus, Pagninus, Caſtellio, Junius, alii. Ut pateat, quàm infirmum ſit, quod poſt Cyrillum Oecumenius inde collegit de pretioſo lapide in fronte Dei Molocho ſive Milcom. Hæc de Molocho, Ammonitico numine in Syria Cava.

Videamus nunc de Syria Apamena: ubi Emeſſæ ſive Emiſſæ, quæ Græcis Ἔμεσα, & Ἔμισα dicitur, ingenti itidem in honore erat Sol: nec ſolus, ſed unà cum eo Μόνιμος, καὶ Ἄζιζος, duo Solis πάρεδροι: quorum prior eſt Mercurius, poſterior Mars: quemadmodum Jamblichus interpretabatur: ut traditum ab Juliano deſertore, Hymno in Solem *a*. Soli verò nomen ab Emiſſenis datum *Alagabalus*, ſive *Elagabalus:* pro quo Græci, ac Romani, ut vox ea quodammodo barbariem exueret, *Heliogabalus* dicere maluerunt: imò & Ἐλαιαγάβαλος pro eo apud Herodianum legas. Eum Solem eſſe, indicant tum Dio, & Herodianus, qui Ἥλιον exponunt; tum lapides, in quibus eſt, SOL ALAGABALUS: item nummus antiquus, in quo eſt, SACERDOS

a Pag. 34. edit. Pariſ. an. 1583.

SOLIS DEI ELAGABALI. Nomen *Elagabali* unde conflatum ſit, non convenit; præterquam de parte priori, quæ eſt אלה *elah*, ſive Arabice *alah*. Ea autem Deum ſignat. Quod ad alteram partem, varie de eo doctiſſimus Fullerus in Miſcellaneis ſacris lib. I, cap. XIV. Sed non dubitandum, quin ea ſit גבל *gabal*. Controverſum interea, quomodo capi debeat. Nam גבל primicipe quidem ſignificatione ſumitur pro *finire*, ſive *terminum conſtituere:* ſed præterea notat *fingere*, *figurare*, *formare*. Unde Syris גְּבַל *gabul*, Arabibus جابل *gabil*, hoc eſt κτίςης ſive *fictor*, *conditor*. Quæ ſententia viro eruditiſſimo placuit. Nempe ut *Elagabalus* idem ſit ac ὁ ἥλιος δημιουργὸς, *Sol opifex*, ſive *conditor univerſi:* prout dicitur Porphyrio apud Euſebium Præparat. Evangel. lib. III, cap. IV: Quicum convenit, quod idem Sol κτίςης τῆς οἰκουμένης, *conditor univerſi*, nominatur in obeliſco maximo, quem Conſtantinus Magnus transferri Romam juſſit: ut locuples nobis teſtis eſt Ammianus in ſeptimo decimo. Urbem Romam novam ſive Conſtantinopolin intelligi, ex obeliſci inſcriptione hodieque exſtantis liquet. Sed præterea גבל *gebel*, Arabibus *montem* notat. Ut *Elagabalus* ſignet *Deum montem*, ſive *Deum montis*, in quo ædis illius foret: unde & ſymbolum ejus erat lapis ingens montis in modum faſtigiatim adſurgens. Nempe uti nomine Dei Carmeli, Suetonio memorati in Veſpaſiano cap. I, non montem intelligo; ſed numen, cujus in monte eo delubrum foret. De Elagabali templo illuſtris eſt Feſti Avieni locus. Apud quem primùm legas de ſitu urbis:

Urbs medius Apamea dehinc conſurgit in arvis.
Et qua Phœbeam procul incunabula lucem
Prima fovent, Emeſa faſtigia celſa renident.

Poſteaque de templo ipſo:

Denique flammivomo devoti pectora Soli
Vitam agitant. Libanus frondoſa cacumina turget:
Et tamen his certant celſi faſtigia templi.

Ab hoc numine Antoninus Varius nomen accepit *Heliogabali*, quia priùs ſacerdos fuiſſet Dei Heliogabali, ſive, ut Oriens efferebat, Elagabali, vel Alagabali. Idemque Elagabali templum Romæ conſtituit. Teſtis in vita ejus Lampridius. Vide quæ de hoc numine erudite ad Euſebium magnus Scaliger, eruditiùs ad Lampridium Caſaubonus, eruditiſſimè ad eundem Salmaſius annotavit.

Etiam Sol cultus in Syria Palmyrena: ubi princeps urbs Palmyra, Hebræis *Thamar* vocata, Joſepho teſte *a*, opus regis Salomonis: ut eſt I ſive III Reg. IX, 18, & II Paral. p. VIII, 4. Templi Solis apud Palmyrenos meminit Vopiſcus in Aureliano. Indeque Romam devecta eſt tabula marmorea, quam integre habes in Gruter. inſcript. LXXXVI, 8. In hac inter cætera, *Aglibolus*, & *Malachbelus*, *dii patrii*, memorantur. Quo minus animales fuiſſe Deos cenſeam, facit, tum etymon utriuſque vocabuli allatum nobis ſuperius *b*: tum in tabula eâdem ſculpti duo viri ſtantes in porticu, criſpo uterque crine, poſterior cum Luna in humeris: ut hæ Agliboli, & Malachbeli effigies videantur. Arbitrantur eos viros imagines eſſe Solis æſtivi, & hiberni. Meliùs verò clariſſimus Salmaſius, Solis, & Luni: pro quo facit Luna humeris alterius, ut dixi, addita. At Lunus Deus idem ac Luna: quia numen hoc alii muliebri, alii virili, ut Carrenii *c*, nomine proferebant. Nihil igitur hoc obſtat illi, quod ſuperius *Malachbelum*, non *dominam reginam*, ſed *dominum regem*, interpretabamur. Quod ſi Malachbelus ſit Lunus, Aglibolus Sol fuerit. Et fortaſſe, (quòd Scaliger in quincto de Emendatione temporum putabat) lapidicidarum errore *Aglabolus* pro *Aglabelus* ſculptum fuit. Utcunque ſit, nihil adhuc melius video, quam ut vox ea ſonet dominum rotundi, ſive amphitheatri hujus mundani, quod & orbes cæleſtes, & terrarum orbem comprehendit. Cur autem, contrà quàm nonnulli, Aglibelum potiùs, quam Malachbelum, Solem arbitrer,

a Lib. 8 Antiquit. cap. 2, ſive apud Ruffinum, 6.

b Lib. 1, cap. 26.

c Spartianus in Antonino Caracalla.

eo præcipuè compellor, quòd Aglibeli nomen præcedat. Nec enim, puto, Lunæ vel Luni numen Solari numini præpoſuiſſent. Quod verò dicebamus, veteribus Lunam fuiſſe tum marem, tum feminam, quia numen hoc alii Lunum, alii Lunam vocarent; id non jam cauſſa opinionis ejus eſt cenſendum, quam ſignum. Nec enim quia Lunus, & Luna, diceretur, eò Luna habebatur ἀρσενόθηλυς *a*: ſed contrà, quia crederetur ἀρσενόθηλυς, eò ſacerdotes Carreni pro *Luna Lunum* dicere juſſerunt. Nempe quia Lunam magis ratione principii activi, ut dignioris, attenderent, quàm paſſivi, ſive feminei. Verùm iſta pleniùs intelligentur, cum dicam de Naturæ numine, ſive anima mundana.

a Mas feminaque.

Cap. VI.

A Syris acceſſum ad Aſſyrios, & Babylonios: qui tamen Syris quandoque, latius eâ voce extenſa, accenſeantur ab antiquis. Syri unde dicti. Sol Aſſyriis & Babyloniis Belus: *quod dominum ſignat, quippe ex* Beel, *ſive* Bahal *factum. Inde gemma Solis aliter dicta* Beli oculus. *Etiam Aſſyriis idem Deus* Adad, *qui effingebatur, radiis terram verſus reclinatis. Vocem* Adad *à Macrobio* Unum *exponi. Vetus ejus ſcriptoris lectio de* Adad *defenſa. Ut Sol* Adad, *vel* Adod, *ſic Lunam* Adam *vocitatam. Atque ut Macrobius falleretur in vocis ejus expoſitione; de nomine tamen numinis non decipi, cum ſimiliter legatur apud Philonem Byblium, ac Plinium. Gemma ab Adado nomen ſortita.*

HActenus de Syria egimus, prout, ex frequenti veterum uſu, continet, tum ad mare ſitam Phœniciam, tum regiones hasce mediterraneas, Judæam, Cœleſyriam, Comagenen, & Seleucidem: hoc eſt, quatenus monte Amano à Cilicia, Tauro à minore Armenia, Euphrate à Meſopotamia, dividebatur. Poſt haſce regiones, quas potiùs ſpectem, quàm Meſopotamiam, Babyloniam, & Aſſyriam? Siquidem laxè adeò ſæpe veteres *Syriæ* voce ſunt uſi, ut has etiam terras eâ comprehenderent. Unde Mela lib. I, cap. XI: *Suria, & Cœle dicitur, & Meſopotamia, & Damaſcene, & Adiabene, & Babylonia, & Judæa, & Sophene.* Item Plinius lib. V, cap. XIII: *Juxtà Syria littus occupat, quondam terrarum maxima, & pluribus diſtincta nominibus. Namque Palæſtina vocabatur, quà contingit Arabas, & Judæa, & Cœle; dein Phœnicia, & quà recedit intus, Damaſcena: ac magis etiamnum meridiana, Babylonia. Et eadem Meſopotamia inter Euphraten, & Tigrin: quaque tranſit Taurum, Sophene: citra verò etiam Comagene. Et ultra Armeniam, Adiabene, Aſſyria ante dicta.* Itaque videas, ab ipſo Tullio *a* Chaldæos in Syria ſtatui, & Sardanapalum dici Syriæ *b* regem, quem Aſſyriæ alii nuncupant. Nec mirum, quando *Syria* priùs *Aſſyria*; quique *Syri*, illi antea *Aſſyrii*; ut ex Herodoto *c*, Trogo *d*, aliis, conſtat: unde & Maro *e* *Aſſyrium venenum* pro *Syra*, ſive *Tyria purpura* dixit; & Senecæ in Hippolyto mare mediterraneum *Aſſyriâ tenus* ſe extendit. Aſſyriis verò nomen ab Aſſur, ſecundo Semi filio, Noachi nepote: de quo Genes. x, 22.

a Lib. I de Divinat.
b Lib. 5 Tuſcul. quæſt.
c In Polyhymnia.
d Lib. I.
e Georg. 3.

Aſſyriis, ac Chaldæis ſive Babyloniis, Sol dicebatur *Belus*. Nam ἱστορικῶς quidem iis Belus eſt Nimrodus; ut dictum ſuperiori libro *f*: ſed φυσικῶς eo nomine ſignatur, tum natura univerſa, ut inferiùs fusè oſtendam: magiſque natura cœleſtis, hoc eſt Jupiter, de quo Agathias auctor in ſecundo: maximeque natura Solaris: quod vidimus antea ex Servio, cùm de Baale Phœnicum ageremus. Atque hinc & gemma quædam, Solem referens, dicebatur *oculus Beli*. Plinius libro XXXVII, cap. X: *Beli oculus albicans pupillam pingit nigram, & medio aureo fulgore lucentem. Hæc propter ſuam ſpeciem ſacratiſſimo Aſſyriorum Deo dicatur.* Appoſite verò Soli dederunt nomen *Beli*, uti Moabitæ *Molochi*. Nam uti hoc regem; ita *Baal*, & *Beel*, *Bal*, & *Bel* dominum ſignificant; quemadmodum antea dictum.

f Cap. 24.

Aſſyriis quoque Sol *Adad*: uti Tellus *Atergatis*. De quibus ſic Macrobius lib. I Sat. cap. XXIII: *Accipe, quid Aſſyrii de Solis potentia opinentur. Deo quem ſummum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt. Ejus nominis interpretatio ſignificat* UNUS. *Hunc ergo, ut potentiſſimum adorant Deum: ſed ſubjungunt eidem deam nomine Adargatin; omnemque poteſtatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem Terramque intelligentes.* Et mox: *Simulachrum Adad inſigne cernitur radiis inclinatis: quibus monſtratur, vim cœli in radiis eſſe Solis, qui demittuntur in terram: Adargatis ſimulachrum ſurſum verſum reclinatis radiis inſigne eſt, monſtrando, radiorum vi ſuperne miſſorum enaſci quæcunque terra progenerat.* Sed, ut dicebamus ſuperioris libri cap. XXII, exiſtimare aliquis poſſit, hoc numen non *Adod*, ſed *Achod* fuiſſe nuncupatum. Nam אחד *Achad*, *unum* Hebræis notat. Et ſic Deum Syris, vel Aſſyriis, vocatum fuiſſe, colligunt aliqui ex Jeſaiæ LXVI, 17: ubi numen hoc אחד vocari, arbitrantur. Eſt ibi apud vulgatum interpretem, *Qui ſanctificabantur, & mundos ſe putabant in hortis poſt unam. Unam* autem de ſingulari in hortis piſcina intelligit Vatablus. Nempe hi legerunt, אחת *achath*, quod eſt *unam*. At in aliis codicibus אחד *achad*: hoc eſt, *Unum*. Atque id præfert Scaliger, notis ad fragmenta veterum Græcorum, quæ operi de Emendatione temporum ſubjunxit. *Unum* verò interpretatur *Deum*, ſive idolum Dei: poſt quod ſuillam, & alia abominanda, comederint; ut mox Jeſaias ſubjungit. Sed novellitas hujus opinionis facit, ut diligentius inquirendam cenſeam. Nam LXX, ubi vulgatus (quemadmodum & Leo Judas) habet *poſt unam*; ibi LXX ἐν τοῖς προθύροις, *in liminibus*; at tum Symmachus ἀλλήλων, teſte Procopio in hunc locum; tum Theodotio, ut de utroque refert ibidem B. Hieronymus. Id ſit, *alter poſt alterum*: quomodo & cepere Jeſaiam Junius, Caſtellio, alii. Hæc eò adduximus, ut liqueat, quàm parùm præſidii in hoc Jeſaiæ loco ſit ad vulgatam Macrobii lectionem convellendam. Accedit, quòd חדא Syris *unum* ſignet. Unde & Joannes Druſius *Ada* apud Macrobium reſcribendum putabat. A quo etſi diſſentiam, hactenus tamen faveo, quòd numen hoc per D rectè apud Macrobium cenſeat exaratum. Nempe cùm unus ſit Sol, Luna item una, ſtellæ autem multæ; etiam Sol Lunaque magnitudine lucis longè præcellant ſtellis: nihil mirum, ſi Aſſyrii hæc pro ſummis habuerint numinibus, utrique etiam ab unitate nomen dederint, ac Solem dixerint *Adod*, Lunam *Ada*. Nam, ut ex Heſychio ſuperiùs diximus, Ἄδα ὑπὸ Βαβυλωνίων ἡ Ἥρα. *Hada Babyloniis Juno.* Juno enim Orienti eſt Luna; ut poſtea planius fiet. Atque ut Macrobius de etymo deceptus ab aliquo foret, qui vicinas adeo voces *Adod*, & *Achod*, confudiſſet; non propterea ſollicitari debeat vetus lectio. Nam quomodo univerſi compages ab ornatu Græcis κόσμος, Latinis *mundus* nominatur: ita videri poſſit Sol, quo nihil æther pulchrius habet, nomen ſuum accepiſſe, ſive ab הוד hod, *pulchritudo*: ſive ab הדר, hedur, *ornamentum*: quod eſt II ſive IV Reg. II, 12. Validè quidem vulgatam Macrobii lectionem firmat, quòd, ut ſuperiùs monui, etiam Philo Byblius ex Sanchoniathone Adodum recenſeat inter Phœnicum Deos. Denique & verum hujus Dei nomen cognoſcimus ex Plinii lib. XXXVII, cap. I, ubi in Dalecampianâ legitur: *Adadunephros, ejuſdem oculus* (al. & *ejuſdem oculus*) *dicitur. Deus & hic colitur Syris.* Sed certiſſima eſt maximi Salmaſii conjectura, è veſtigiis veteris codicis ſic emendantis: *Adadu nephros, ejuſdem oculus, & digitus Dei. & hic colitur a Syris.* Ubi trium gemmarum nomina recenſet. Sunt ea, Ἀδάδου νεφρός, Ἀδάδου ὀφθαλμός, Ἀδάδου δάκτυλος: ex quibus in veteri Parmenſi ſolum prima memoratur: ſed corruptè dicitur, *Adurenes*, pro *Adadu renes*. Tribus iſtis gemmis ab Adado nuncupatis, ſubdit, ut diximus: *Et hic* (puta Adadus) *colitur a Syris.* Reſpicit eò, quòd & capite præcedenti

plures retulerat gemmas à Deo nomen ſortitas. Talis (ut verba Plinii reſervem) *Beli oculus e medio aureo fulgore lucens, & propter ſuam ſpeciem ſacratiſſimo Aſſyriorum Deo dicatus: Dionyſias nigra, miſta rubentibus maculis: Hammonis cornu inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas aureo colore arietini cornus effigiem reddens: Veneris crines nigerrimi nitoris.*

Cap. VII.

In Arabia Moabitarum, & Madianitarum Deus erat Baal-Peor, *ſive* Beel-Phegor. *Hunc videri poſſe Plutonem: ſed ea opinio improbata. Quid divinus pſaltes* mortuorum ſacrificia *appellet. Potius hoc numen eſſe Saturnum, Jovem, Apollinem: quæ tria etſi pugnare inter ſe videantur, facile tamen conciliari. Hoc fine oſtenſum,* Baalphegor *eſſe Priapum, Priapum autem eſſe Solem. Eundem eſſe* Φάνητα, *&* Φαναῖον, *& Ægyptiorum* Ὧρον. *Cur Priapum effinxerint cum ſceptro, & mutone ingenti. Quâ mente ad Jovem, & Saturnum, reducatur: cur hortis ſit præfectus: cur Jovis* Σωτῆρ☉ *filius dicatur: cur credatur geſtare copiæ cornu. Phurnuti ſive Cornuti locus emendatur. Unde dictus* Priapus. Phegor *etiam in Scripturis ſimpliciter dici, qui alias* Baalphegor. Beth Phegor *pro templo Phegorio. Aliter Latinis vocari* Mutinum Titinum: *cujus faſcino inequitabant nupturæ. Phegori vel inde nomen eſſe, quia membris omnibus ſtaret nudis, & apertis: vel quia proprie ſit Sol; cujus beneficio, omnia genita ſunt in aperto: vel quia in monte Phegor imprimis coleretur. Opinio Raſi rejecta de cultu Beelphegor. Falſos videri, qui exiſtimant, nomen* Beelphegor *non fuiſſe Moabitis in uſu; ſed ſolum Iſraelitis, qui ſic genuinum nomen per ludibrium mutarint. Unde Philo Iudæus nomen* Phegor *conflatum putârit. In ejus ſacris libidini indultum. Quod Priapus dicatur eſſe Bacchus, non repugnare antea dictis, quia nec Bacchus ſit alius à Sole.*

NUnc pergo ad Arabiam; in qua, tecto impoſitâ arâ, thus Soli adolebant quotidie, teſte Strabone *a*. In [a Extremo libro 16.] eadem eſt Sabæorum populus: de quo ſic Theophraſtus lib. IX Hiſt. Plant. cap. IV: Συνάγεσθαι πανταχόθεν ἥ τε σμύρνα, καὶ ὁ λιβανωτὸς εἰς τὸ ἱερὸν τὸ τοῦ ἡλίου. τοῦτο δ᾽ εἶναι μὲν τῶν Σαβαίων· ἁγιώτατον δὲ πολὺ τῶν περὶ τὸν τόπον. τηρεῖν δ᾽ ἐκεῖ τινὰς Ἄραβας ἐνόπλους. *Convehi undique myrrham, ac thus, ad delubrum Solis: hoc Sabæorum quidem eſſe, ſanctiſſimum vero locorum omnium circumjacentium: cuſtodeſque habere Arabes armatos.* Sunt & populi Arabiæ Moabitæ, & Madianitæ. Horum numen בַּעַל־פְּעוֹר, *Baal Peor*: quod LXX Senioribus Βεελφεγώρ: ut videre eſt Numer. XXV, 2, 3, 6, item Pſal. CVI *b*, 28, & [b Al. 105.] Oſeæ IX, 10. Ad præſentem tamen locum, ubi de Solis cultu agitur, haut multum faciat hoc numen, ſi eo intelligitur Phœnicum Moth, hoc eſt, Pluto, ſive Jupiter Stygius: ut aliquis exiſtimârit ob verba illa è Pſalmo memorato: *Et copulati ſunt cum Baal-Phegor, & comederunt ſacrificia mortuorum.* Nam mortuorum ſacrificia, ex multorum opinione, ea ſunt, quæ offeruntur Diis Manibus. Sic B. Auguſtinus in hunc locum: *Mortuis hominibus tanquam Diis ſacrificarunt.* Itidem Caſſiodorus, ac Remigius. Ac prævit Apollinaris in pſalmorum paraphraſi:

> Οἱ δὲ Βεελφεγόροιο μιαινόμενοι τελετῇσι,
> Νεκροδόμης ἐπάσαντο κατα φθιμένων ἑκατόμβης.
> *Ipſi vero Beelphegoris polluti ceremoniis*
> *Inferas guſtarunt mortuorum victimas.*

Sed enim nihil impedit, quo minus apud vatem regium per *mortuorum ſacrificia* capiamus illa, quæ fiunt Soli, & militiæ cœli. Sanè Chryſoſtomus cum trifariam expoſuiſſet, quartam interpretationem ſubjungit. Latina ſic ſonant: *Quin etiam eos, qui Dii appellantur, ſiquis mortuos appellârit, is minime aberrârit.* Et ſimiliter Theodoretus in hunc locum. Nicolaus quoque Lyranus, *Sacrificia mortuorum*, interpretatur, *carnes animalium idolis immolatorum.* Hæc ſententia eo probabilior eſt, quòd locus ille Pſalmi expreſſus ſit ex Numer. XXV, 2: ubi ſimpliciter legas: *Nam invitaverunt populum ad ſacrificia Deorum ſuorum.* Quod illic *ſacrificia Deorum*, illud hic *ſacrificia mortuorum.* Dii autem gentium idola: ut *mortuorum* idem ſit ac *idolorum*, ſive *falſorum Deorum.* Mortui igitur κατὰ χρηστικῶς pro *vita carentibus.* Atque hoc illo etiam confirmatur, quòd in Scripturis verus Deus vocetur *Deus vivus:* ut ſi idolis opponatur, quippe inanimis. Denique, qui cogitârit antiquitatem, tum temporis Moſaici, tum cultus Solaris; facile in animum inducet, ſupremum Moabitarum numen, de quo loquitur Moſes, potiùs fuiſſe vim Solarem, quàm naturam terrenam; quæ à Cicerone etiam intelligitur per Plutonem. Quamobrem, judicio noſtro, per *Baalphegor* planè intelligendus eſt Deus naturæ, magiſque cæleſtis, ac maximè Solaris. Quæ tria probè conſpirant, ut cauſſa ſit nulla, cur, ſi ſignet Saturnum, qui univerſæ Deus eſt naturæ, non ſignificet, vel cælum, ſive Jovem; vel Apollinem, ſive Solem. In quo deceptus etiam eſt eruditiſſimus Maſius, cùm, commentario in Joſuam, negat eſſe Saturnum, quia ſit Priapus; quaſi non is ad Solem reducatur, ut poſtea liquebit. Baal-Phegor eſſe Saturnum, ſcripſit Apollinaris Catena Græcorum Patrum in Pſalmos. Sic enim ille in Pſalmi CV verba illa, *Et initiati ſunt Baal-Phegor:* Εἴδωλον δὲ τὸ Βάαλ ἐν τόπῳ Φεγώρ. Ἕλληνες δὲ τὸν Βαὰλ Βὴλ ὀνομάζουσι, ὃν φασιν εἶναι τὸν Κρόνον. *Simulachrum eſt Baal in loco Phegor. Græci autem Baal appellant Belum, quem eundem eſſe ajunt ac Saturnum.* Et ſecuti hanc ſententiam quoque Chryſoſtomus, & Theodoretus, uterque commentar. in pſalmum antea memoratum. *Baalphegor* eſſe Uranium ſive Jovem, indicat *Baalis* nomen, quod Ζεὺς reddi ſolet: ut Phœnicum Βεελσάμην eſt Ζεὺς Ὀλύμπι☉. Ac Joſepho Scaligero viſum, *Baal-phegor* non fuiſſe verum nomen; ſed aliud, quod ad verbum ſonaret Δία Βρονταῖον, *Iovem Tonantem*: quod poſtea expendemus. Denique per *Baal-Phegor* Solaris natura denotabitur; ſi idem ſit Priapus; Priapus autem Sol fuerit: quorum utrumque veteres habet auctores. De priori ita B. Hieronymus lib. II in Oſee, cap. IX: *Beelphegor idolum Moabitarum, quem nos Priapum poſſumus appellare.* Hoc ipſum legas in Oſee cap. IV. Atque idem lib. I contra Jovinianum: *Phegor in lingua Hebræa Priapus appellatur.* Similiter Iſidorus Orig. lib. VIII, cap. XI. Quamquam ille animale potiùs numen, quàm naturale, videatur exiſtimaſſe. Sic enim ſcribit: *Beelphegor interpretatur ſimulacrum ignominiæ: idolum enim fuit Moab, cognomento Baal, ſuper montem Fegor; quem Latini Priapum vocant, deum hortorum. Fuit enim de Lampſaco, civitate Helleſponti, de qua pulſus eſt: & propter virilis membri magnitudinem in numerum deorum ſuorum eum Græci tranſtulerunt, & in nomine ſacraverunt hortorum: unde & dicitur præeſſe hortis, propter eorum fœcunditatem.* Ac prævit eâ parte Servius in illud IV Georg.

> *Et cuſtos furum, atque avium, cum falce ſaligna*
> *Helleſpontiaci ſervet tutela Priapi.*

Hic, inquit, *Priapus fuit de Lampſaco civitate Helleſponti: de qua pulſus propter virilis membri magnitudinem, poſt in numerum Deorum receptus, meruit numen eſſe hortorum.* At parùm veriſimile eſt, aliquem, quia eſſet æquo membroſior, propterea patriâ pelli. Quare ex Iſidoro emendo, copulâ inſertâ: *de qua pulſus, & propter virilis*, &c. Porrò, ſiqua ſubſit hiſtoria, facilè in animum inducam, uti Tarquinii Roma ſunt exacti ob vitiatam Lucretiam: ita quoque verum quempiam principem in exilium eſſe actum ob fœdas libidines, quibus ſalaciſſimo Priapo viſum fuit comparari. Sed enim non ejuſmodi potuiſſet conferri Priapo, niſi antea hic pro Deo ſic cultus fuiſſet. Priapum verò φυσικῶς eſſe Solem, multis adſtruitur argumentis. Primum ex Orpheo ſive Onomacriti hymnis, vel Initiis potius: ubi Πρωτόγονον *a* celebrat, & [a Primogenitum.] cum

eum vocat —— *μέγαν αἰθερόπλαγκτον, magnum, in æthere errantem:* item —— *πάμφαες ἔρνος, ubique lucentem ramum:* ac mox de eodem ſubjungit:

—— —— —— *κατὰ κόσμον*
Λαμπρὸν ἄγων φάος ἁγνὸν, ἀφ' οὗ σε Φάνητα κικλήσκω
Ἠδὲ Πρίηπον ἄνακτα.
—— —— —— *Per mundum*
Emicantem ducens lucem, à qua te Phaneta voco,
Atque Priapum regem.

Poſtea & dicitur *πολύσπορος, ſemina habens diverſa.* Quid manifeſtius ex iſtis, quàm Priapum eſſe lucem Solis primigeniam: quæ & *Φάνης*, quia nihil Sole *φανὸν* ſive lucidum magis. Et ſanè idem *Φάνητα* eſſe ac Solem, etiam apud Macrobium legas lib. I Saturn. cap. XVII, ubi & *Φαναῖον* propterea ait vocatum. Vide & eum cap. proximo. Quod verò appellat Orpheus *πολύσπορον* a, id lucem ex eo accipit, quod *Πρίηπον* Grammatici dictum ajunt, quaſi *προϊέμενον τὸ σπέρμα, emittentem ſemen.* Quod optimè convenit Soli, unde vis omnis ſeminatrix. Idem eo confirmatur, quod *Priapus* idem ac Ægyptiorum *Horus.* Is autem idem ac Sol. De toto iſto audiamus, ſive Suidam, ſive veterem illum, quem Suidas, more ſuo, exſcripſit: *Πρίαπος. τὸ ἄγαλμα τοῦ Πριάπου, τοῦ Ὥρου παρ' Αἰγυπτίοις κεκλημένου, ἀνθρωποειδὲς ποιοῦσιν, ἐν τῇ δεξιᾷ σκῆπτρον κατέχον· ὡσανεὶ, παρ' αὐτοῦ φανεῖσαν τὴν ξηρὰν, καὶ τὴν θάλασσαν. ἐν δὲ τῇ εὐωνύμῳ κρατοῦν τὸ αἰδοῖον αὐτοῦ ἐντεταμένον, διότι τὰ κεκρυμμένα ἐν τῇ γῇ σπέρματα, φανερὰ καθίστησι. Τὰ δὲ πτερὰ, τὴν ταχύτητα τῆς κινήσεως δηλοῖ. Ὁ δὲ κύκλος τοῦ δίσκου, τὴν περιφέρειαν. τοῦτον γὰρ τῷ ἡλίῳ δοξάζουσι. Priapus. Simulachrum Priapi, Hori nomine Ægyptiis vocati, humanâ formâ fingunt, dextra ſceptrum tenens, propterea quod ab eo tum ſiccum ſive Tellus, tum Mare ſit monſtratum. Læva verò tenens veretrum ſuum intentum, propterea quod ſemina, quæ terrâ occultabantur, producat in apertum, ac manifeſta reddat. Alæ verò celeritatem motus indicant. Orbis verò diſci indicat rotunditatem. Eundem enim, ac Solem, eſſe arbitrantur.* Quo ex loco eadem cognoſcimus, cur Priapus, hoc eſt, Horus, ſive Sol, manu unâ ſceptrum, alterâ rubentem illum ac pedalem teneat faſcinum. Nempe priori ſignificatur Solis imperium ac poteſtas in orbem univerſum. Altero autem notatur vis Solis generativa; quæ quia ſit longè maxima, eo commodiſſime viſa eſt denotari membri magnitudine. Nec aliâ de cauſſâ aſinus Priapo mactabatur, quàm quia animal hoc ob magnitudinem ejus partis, qua mas eſſet, ſimillimus Deo iſti videretur. Notum enim, quantum eâ parte valeant aſinus, & equus. Unde propheta Ezechiel XXIII, 20: *Et inſanivit libidine ſuper concubitum eorum, quorum carnes ſunt ut carnes aſinorum: & ſicut fluxus equorum, fluxus eorum.* Quem locum ſic enarrat B. Hieronymus: *Inſanivit quondam in concubitu Ægyptiorum, quorum carnes ſunt ad ſimilitudinem aſinorum: & tam largus ſeminum fluxus, ſive verenda tam grandia, ut equorum ſuperent deformitatem.* Nec aliud, quàm aſininum veretrum, ac ſalacitatem ejus animantis, reſpexit Juvenalis, cùm ſat. IX ait:

—— *Atque altum bipedem ſibi quærit aſellum.*

Uti & ad magnitudinem pudibilis hujus membri, ut Lampridius in Heliogabalo vocat, referendum, quòd Commodus Cæſar, eodem teſte, *hominem pene prominente, ultra modum animalium, ὄνον* b *appellabat, ſibi chariſſimum; quem & ſacerdotio Herculis Ruſtici præpoſuit.* Herculem Ruſticum verò ad Solem referri, poſtea liquebit. Quia verò vis generativa ſit ab cælo, qui eſt Jupiter; & ex conſequenti ſit ab rerum natura, ſive anima mundi, quæ Saturni nomine intelligitur: eò alii Priapum vel Jovem, vel animam mundi, dixere. Fuit in hac ſententia Phurnutus. Cùm enim egiſſet de Pane, ac per eum docuiſſet intelligi univerſam rerum naturam, ſubjungit poſtea, *Τάχα δ' ἂν οὗτος εἴη ὁ Πρίαπος, καθ' ὃν πρόεισιν εἰς φῶς πάντα. Forſitan & hic* (Pan) *fuerit Priapus, per quem omnia in lucem proveniunt.* Paullo pòſt ait: *Ἐμφαίνει γοῦν τὸ μέγεθος τῶν αἰδοίων, τὴν πλεονάζουσαν ἐν τῷ αἰδοίῳ σπερματικὴν δύναμιν. Magnitudo verendorum ſignificat abundantem in eo vim ſeminalem.* Addit &, propter vim hanc generativam, copiam fructuum in ſinu geſtare, & hortis ac vineis præfectum. Etiam, ut ibidem ait, *τοῦ Διὸς ἐντεῦθεν Σωτῆρος υἱὸς εἶναι λέγεται· exinde Jovis Servatoris filius dicitur.* Ubi Jupiter eſt Cælum vel Sol: cujus proles ſive effectum eſt fæcunditas terræ, quæ homines ſervat. Poſteaque Priapus dicitur *ὁ κόσμος, ἢ ὁ προεστὼς αὐτοῦ λόγος· mundus, aut præſes mundi Ratio atque anima.* Ac, ut ibidem additur, *Τὸ Ἀμαλθείας κέρας, οἰκεῖον αὐτοῦ φρόνημά ἐστι·* quod interpres vertit: *Copiæ cornu propria ejus prudentia eſt.* Sed pro *φρόνημα*, ut vulgo legitur, cenſeo reſcribendum *φόρημα*: ut dicatur Cornu Amaltheæ eſſe Priapi geſtamen. Nulli ſanè melius convenerit geſtare beatam pleno copiam cornu (ut Horatius a nuncupat) quàm numini illi, cujus beneficio pullulant univerſa. Hujus virtutis ſeminatricis, ut dixi, ſymbolum erat grande illud membrum genitale. Hunc verò eſſe Baal phegor, etiam etymon oſtendit, ſi fidere noſtræ licet conjecturæ: nempe ut poſterior pars in *Priapus* ſit אב ab, hoc eſt *pater:* uti eandem in *Sarapis* antea vidimus: prior autem ſit פער, Peor, ſive Phegor: quomodo & *ἁπλῶς* dicitur pro Baal-Phegor: ut Deuter. XXXIV, 5, 6: *Mortuuſque eſt ibi Moyſes ſervus Domini in terra Moab, jubente Domino: Et ſepelivit eum in valle terræ Moab contra Phogor.* Ita vulgata: ubi Hebraicè, מול בֵּית פְּעוֹר, *contra Beth-Pehor:* hoc eſt, ex adverſo domus Pehor. Similiter LXX: *ἐγγὺς οἴκου Φογώρ· prope domum Phogoris.* Ubi *Beth* ſive *domus* valet ædem ſive templum: ut *Beth-Baal* pro templo Baal, ſive Beli Sidonii, I ſive III Reg. XV, & alibi *Beth-Aſtaroth*, pro templo Aſtartes, ac plura id genus. Itidem *ἁπλῶς Phegorem* legas Joſuæ XXII, 17: *An parum vobis eſt cum iniquitate Peor?* Uti ſonant Hebræa. Ac ſimiliter LXX: *Μὴ μικρὸν ὑμῖν τὸ ἁμάρτημα Φογώρ;* At vulgatus interpres Latinus: *An parum vobis eſt, quod peccaſtis in Baalphegor?* Hoc *ἔτυμον* ſi placet, *Priapus* ſignificet *Phegor-pater*; ut *Jupiter* eſt *Jovis pater*; *Marſpiter* eſt *Mars pater.* Similiterque dixere, *Neptunuspater*, *Saturnuspater*, *Ianuspater*, *Dieſpater*, ſive *Dieſpiter:* Agellio teſte in V Atticarum Noctium, cap. XII. Poſſis tamen & *fructus* ſive *fructificationis patrem* interpretari: quia פְּרִי eſt *fructus*, à פָּרָה *creſcere*, *fructificare.* Patris autem nomen Phegorio ſive Priapo optimè conveniat, ſi Priapus, ut dicebamus, Sol eſt, generationis omnis fons ac principium. Sic igitur colligimus, Baal Phegor, ſive Priapum, nihil aliud eſſe, quàm ſeu naturæ, ſeu cæli, ſeu Solis vim generatricem, cælitus ſeſe diffundentem per univerſum orbem, maximeque ſe exerentem, tum in plantis; unde & in hortis ſimulachrum Priapi conſtitui ſolet: tum in animalibus, etiam hominibus; unde nuptæ ad Mutinum Titinum (ædis ei, Feſto teſte, in Veliis ad murum Muſtellinum: atque, ut B. Auguſtinus b nos docet, idem eſt ac Priapus) deduci ſolent, ut à numine generationis præſide, poſt fædos quoſdam ritus, vim & ipſæ generandi apiſcerentur. Hinc Arnobius in IV: *Etiamne Mutunus, cujus immanibus pudendis, horrentique faſcino, veſtras inequitare matronas, & auſpicabile ducitis, & optatis?* Lactantius lib. I, cap. XX: *Mutinus, in cujus ſinu pudendo nubentes præſident, ut illarum pudicitiam prior Deus delibaſſe videatur.* Mutunus verò ſive Mutinus vocabatur, non à motu, ut Vives putavit; ſed quia membrum, quo viri ſumus, Latini dicerent *mutonem*, & valentes eâ parte *mutoniatos.* Etymon valde convenit, ſi פער Pogor ſit פגר *pagar*, quod eſt *apertum* ac *nudatum* eſſe: quæ opinio eſt Andreæ Maſii in Joſuæ XIII, 20. Sanè, ut Rufinus ait lib. III in Hoſeam: *Beel-Phegor figuram Priapi dixerunt tenere.* At figura Priapi hæc erat, vir nudus, qui, ut de fædo hoc numine loquitur ſcriptor Ithyphallicus,

—— *pudore pulſo*
Staret ſub Iove coleis apertis.

Ac in iiſdem legas:

Natura eſt quoniam ſemper aperta mihi.

a *Multa habentem ſemina.*

b *Aſinum.*

a *Carmine ſeculari ad Deos.*

b *Lib. 4. de Civit. Dei, c. 11.*

Et

Et alia ejus generis, quæ adſcribere piger. Et, credo, huc reſpexerunt, qui voci *Phegor* turpitudinem dicerent ineſſe; etſi, quæ illa turpitudo ſit, non dicerent. Audiamus Origenem Numer. Homil. xx: *Beel-Phegor*, inquit, *idoli nomen eſt, quod apud Madianitas præcipuè à mulieribus colebatur. In hujus ergo idoli myſteriis conſecratus eſt Iſrael. Interpretationem numinis ipſius cum requireremus attentius inter Hebræa nomina, hoc tantum invenimus ſcriptum, quod Beelphegor ſit ſpecies turpitudinis. Noluit tamen declarare, quæ, vel qualis ſpecies, vel cujus eſſet turpitudinis; honeſtati, credo, conſulens, uti ne auditum pollueret audientium. Igitur, cùm multæ ſint turpitudinum ſpecies, una quadam ex pluribus turpitudinis ſpecies Beelphegor appellatur.* Ea turpitudo, quam noluit ille exponere, fuit iſta, quòd nudo ſtaret corpore *tento gravis faſcino:* ut de eo loquitur idem, aliusve ſcriptor incertus, in memoratis variorum poëtarum Collectaneis, ab fœdo hoc numine turpe Priapeiorum nomen ſortitis. Nec tamen ἔτυμον adlatum controverſiâ caret. Nam quid ſi *Phegor* deducamus ab eodem verbo פָּעַר, hoc eſt, *aperire:* ſed ſpectari dicamus, non figuram ſigni, ſive ſimulachri, quod erat vir detectus: ſed vim ſignati, hoc eſt Solis, qui omnia terræ aut animantium viſceribus latentia aperit ac patefacit? Quippe qui omnis generationis fons ſit ac principium. Saltem illud extra controverſiam ponimus, ob hanc Solis naturam fuiſſe ejuſmodi ſimulachri figuram. Ut nihil impediat, quo minùs utramque rationem conjungamus. Quid ſi etiam ſtatuamus, *Baal-Phegor* dici à monte, in quo coleretur? Erat enim Baal-Phegor Moabitarum Deus. Ac mons Phegor ſive Phogor eſt in regione Moabitarum. Unde Numer. xxiii, 28, *Cumque duxiſſet* (Balac) *eum* (Balaam) *ſuper verticem montis Phogor, qui reſpicit ſolitudinem.* Ac Balac ille rex fuit Moabitarum: ut eſt Num. xxii, 4, 10. Scio, aliquos malle, montem nominari à *Baal-Phegor*, qui illic coleretur: ſed magis placet, ut numen à monte appelletur, quaſi *Baalem* ſive *Jovem Phegorium* voces; uti *Jovem Capitolinum* dicimus, vel *Muſas Heliconiades.* Eſtque in hac ſententia quoque Theodoretus in Pſalmum cv, & Suidas in Βεελφεγώρ. Nihil non horum magis arridet, quàm opinio R. Salomon Iarchi, qui ad Num. xxv, 3, refert, *Phegor* quidem venire à *Pagar*, quod generatim ſignificat *aperire:* ſed reſtringendam hic apertionem ad illam natium: ut nihil aliud ſit פער, quàm *egerere reliquias cibi.* Solere enim cultores ejus coram idolo conquiniſcere, ac fimum egerere, ut hoc excrementum Deo offerrent. Sed naris valde ſiterit obeſæ, qui exiſtimet, uſque adeò communi ſenſu caruiſſe Moabitas, ut putarent, cùm Dii alii ciborum deliciis, ac thuris ſuffitu, caperentur, hunc ſummum Deum ſuum fœdis ac fœtidis ſtercoribus coli voluiſſe. Nimis ſtultè de aliis opinatur, qui putat, hujuſmodi ſe perſuadere poſſe ludibria. Quare longè ducimus veriora, quæ antea adduximus. Quæ tamen & ipſa corruunt, ſi aliud huic numini nomen fuerit inter gentes, idque longè ſplendidius: ſcriptores autem ſacri, cùm dedignarentur illud tam honeſto nomine nuncupare, in fœdam illud appellationem immutarint. Senſit id pereruditus vir, Martinus Bucerus: qui in Pſal. cv ita commentatur: *Scriptura videtur* (Deos) *datâ operâ fœdioribus & contemtioribus nominibus appellâſſe: ut II Reg. cap. I vocat Deum Acheron, Baal-zebub, id eſt, magiſtrum vel dominum muſcæ. Ita exiſtimo, & dictum Baal* פער *egeſtionis.* פער *enim Chaldaicè egerere dicitur, Hebraicè autem aperire.* Pleniusque de eodem Joſephus Scaliger, qui putat, Moabitas hoc numen vocâſſe בעל־רעם, *baal-reem*, quod eſt, *Deus tonitrus*, ſive *Jupiter Tonans:* inde autem Judæos per ludibrium cudiſſe בעל־פער, *Baal-Phegor*, hoc eſt, *Deus apertionis*, puta *naſium*, in emittendo flatu ventris: quo tonitrui nihil æquè ridiculè opponitur. Quali nominum immutatione gaviſos fuiſſe Judæos, non ſolùm ex *Beelzebub*, ſed etiam ex *Beth aven*, liquet; ut antea diximus. Sed eò ſuſpectior hæc ſententia eſt, quia omnibus ab antiquis recedat. Præterea nunquam פער, pagar, notat πέρδειν a. Nec ſi, quod vir ille doctiſſimus putabat, *Baal-phegor* dixiſſent pro *Baal-reem:* ἁπλῶς etiam *Phegor* ſeu *Phogor*, vocaretur. At ſæpius ſic nominatur, ut vidimus. Quare non dubitandum, quin verum numinis vocabulum fuerit *Baal-Phegor:* ac vel a monte Phegor ſic dicatur: vel à פָּעַר, hoc eſt, *aperire*; ſive quia Sol, qui eſt *Baal phegor* aperiat ac patefaciat ſemina rerum omnium; ſive quia ſimulacrum Baalis Phegorii ſtaret nudâ apertâque parte genitali; ut pluribus antea expoſui. Vel ſequamur Philonem Judæum; juxta quem, libro περὶ τῶν μετονομαζομένων b, Βεελφεγὼρ ἑρμηνεύεται, ἀνωτέρω στόμα δέρματος, *Beelphegor exponitur ſuperius os pellis.* Quicum convenit B. Hieronymus in Oſeæ cap. ix: *Interpretatur*, inquit, *Beelphegor idolum tentiginis, habens in ore, id eſt, in ſummitate, pellem, ut turpitudinem membri virilis oſtenderet.* Nempe uterque exiſtimat, *Pegor*, ſive *Peor*, eſſe ex פי עור, *pi agor.* Ubi פי eſt *os, orificium, ſummitas:* ac עור eſt *pellis*, ſive *tentigo*, ſive *pellis diſtenta.* Ut *pi agor* valeat, *os* ſive ſummitas pellis diſtentæ, ſeu tenti: ut Horatius appellat in lib. Epodon c:

a Pedere. b De immutatione nominum. c Od. 12.

Tenta, cubilia, tectaque rumpis.

Nempe, quæ de Priapo diximus, hic etiam locum habent; quia ut Græcis Priapus, ita Orientalibus Baalphegor, ſtabat erecto pene, oréque ejus membri nudo ac aperto, ad denotandum, quemadmodum in animantibus ab ea parte profflueret τὸ σπέρμα d, ita ab hoc numine in totam rerum naturam promanare vim omnem ſeminalem. Nec ambigendum, quin obſcœnæ iſti figuræ convenerint ſua etiam ſacra. Nimirum uti, quia Bacchus eſt liquoris, ac præcipuè vitigeni præſes, eò in ſacris ejus vino ſe proluebant: inque Veneris ſacris concubitui itidem indulſerunt: ita ſacris Baalphegor, qui generationi præerat, hoc agebatur, quod dies illa, & natura numinis, ſuadere videbatur. Itaque Num. xxv, 1, 2, 3, Iſraëlitæ ad Baal Phegor ſacrificia vocati, initiati eſſe huic numini, & fornicati cum filiabus Moab, dicuntur. Cujuſmodi ſtupra etſi aliàs etiam evenirent; tum tamen majori fiebant licentiâ; quia ipſum iis numen capi ac delectari crederetur. Eadémque ſacra putantur, quibus præerat Maacha, mater regis Aſa: qui eam ab hoc removit officio, ac numinis illius ſimulachrum combuſſit; cineréque projecit in torrentem Cedron: ut eſt I ſive III Reg. xv, 13; & II Paralip. xv, 16. Hac de re ſic B. Hieronymus in Oſee cap. iv: *Iſtiuſmodi idololatria erat in Iſrael: colentibus maximè feminis Beelphegor ob obſceni magnitudinem: quem nos Priapum poſſumus appellare.* Ac paullo pòſt, locum, ex Regum libris indicatum, ita παραφράζει: *Inſuper & Maacham matrem ſuam amovit, ne eſſet princeps in ſacris Priapi, & in luco ejus, quem conſecraverat: ſubvertitque ſpecum ejus, & confregit ſimulachrum turpiſſimum, & combuſſit in torrente Cedron.* Exinde ſubjungit iſta de loco Oſee: *Sciendum, quod in præſenti* קדשות *meretrices*, ἱερεῖς, *id eſt, ſacerdotes Priapo mancipatas vocet.* Ut nulli dubium eſſe poſſit, quin Pater ille doctiſſimus putârit, in obſceni numinis ſacris omnia fuiſſe obſcena commiſſa.

d Semen.

Sed adverſus ea, quæ diximus, ut oſtenderemus, Baal-Phegor eſſe Priapum, ac utroque Solem denotari: aliquis objecerit nobis Athenæum; qui Priapum ait eſſe non Apollinem, ſed Bacchum. Sic enim ſcribit lib. I: Τιμᾶται δὲ παρὰ Λαμψακηνοῖς ὁ Πρίαπος, ὁ αὐτὸς ὢν τῷ Διονύσῳ, ἐξ ἐπιθέτου καλούμενος οὕτως, ὡς Θρίαμβος, καὶ Διθύραμβος. *Lampſaceni Priapum venerantur: qui idem ac Bacchus, nempe epithetum ejus, haud ſecus ac Thriambus, & Dithyrambus.* Ideò Phallicum carmen alii Baccho; alii Dionyſo adſcripſere. Ariſtophanis ſcholiaſtes in Acharnenſes: Ἄσματα λέγονται φαλλικὰ, τὰ ἐπὶ τῷ φαλλῷ ᾀδόμενα μέλη. ἔστι δὲ εἰς Διόνυσον, ἢ ἄλλοτε εἰς Πρίαπον. *Phallica dicuntur carmina, quæ canuntur in phallum: quod eſt in Bacchum, vel ſecundùm alios, Priapum.* Sic Scaliger jam olim emendavit, ubi perperam vulgo, ἢ εἰς ἄλλο καρπόν. Nempe non pugnant, qui Bacchum, quique Priapum dicerent, quia non Priapus modò, ſed Bacchus quoque, idem eſt ac Sol: ſed Priapum quando vocarent, univerſè

verſè ſpectabant generationem omnium rerum, maximeque plantarum, ac animantium: cùm verò Bacchum nominarent, particulariter attendebant maturationem liquoris in viribus, ſive uvarum, & vini productionem. Et ſanè Διόνυσον eundem eſſe, ac Solem; ſtatuunt etiam Diodorus Siculus, Ulpianus Rhetor, Macrobius, alii: ut inferius ex iis commonſtrabimus.

CAP. VIII.

Moabiticum etiam numen eſſe Chamos, *ſive* Chemos: *unde nomen eſſe videatur: atque ab eo* Κῶμος *Græcorum nominatum, non* ἀπὸ τοῦ κώματος. *Comi, & Priapi diſcrimen.* Nebo *ſive* Nabo *ex eo vocatum, quod oracula funderet. Apud* LXX *ſeniores videri* Δαγὼν *pro* Ναβὼν *vetuſto errore legi. Parum ſolide probari ex Scripturis, numen fuiſſe Moabiticum.* Baithum, Dibon, Nabo, Meduba, *Moabitidis urbes. Quid impulerit B. Hieronymum, ut putaret,* Nebo *eſſe idem numen, ac* Chamos: *& quid in cauſſa ſit, cur difficilius eâ parte ſummo huic viro aſſentiamur.* Vrotalt *Arabibus eſt idem ac Dionyſus ſive Sol. Arriani locus de duobus Arabum Diis excuſſus. Etymon vocabuli* Vrotalt. Dyſares, *ſive* Duſares *Arabum, quis ſit, & unde nomen acceperit. Dacharenis coli. Ut* Baiſampſa *etiam nomen ſortita ſit à cultu Solis.*

MOabitarum quoque numen erat כמוש, *Chemos*; ſive, ut LXX vocant, Χαμώς. Jerem. cap. XLVIII, (quod eſt de excidio Moabitarum) commate 7: *Et ibit Chamos in tranſmigrationem, ſacerdotes ejus & principes ejus ſimul.* Item comm. 13: *Et confundetur Moab à Chamos; ſicut confuſa eſt domus Iſrael à Bethel, in qua habebat fiduciam.* Sententia eſt, Moabitas fruſtratum iri ſpe ſuâ, quam repoſuerant in numine ſuo Chamos [a]: quippe, non valente eo auxiliari, planè perituros. Hoc numen idem ac Baal-phegor, qui quomodo ad Solem reducatur, ſatis expoſuimus. B. Hieronymus in Jeſ. XV, 2, *In Nabo erat Chamos idolum conſecratum, quod alio nomine appellatur Beel-phegor.* Conflatum eſt כמוש ex כ ſervili, quod ſimilitudinem notat; & מוש, quod eſt *palpavit, contrectavit.* Philo lib. II Allegoriarum Legis: Χαμὼς ἑρμηνεύεται, ὡς ψηλάφημα. ἴδιον δὲ τοῦ μὴ ὁρῶντος τὸ λεγόμενον τοῦτο· *Chamos exponitur, quaſi palpatio: quod proprium eſt non videntis.* Unde veriſimile fit, numen hoc præfuiſſe contrectationi nocturnæ, & amatoriæ ac laſcivæ compotationi, quæ eò viam parat. Sanè Κῶμος, quod à *Chamos*, (non à κοίμημα, ſive κῶμα, ut putarunt) Græcis Deus fuit conviviorum, non modeſtorum; ſed ubi laſcivia foret, ac protervia, conjuncta. Qualia plurimùm ſunt amatorum, ac juvenum, multa qui petulanter ac nequiter agunt, ubi incaluerint vino. Indeque κωμάζειν, ut hinc Latinum *comeſſari*; non à *comedendo*; cùm princeps ſyllaba ſit porrecta. Notum autem hoc [b] Comici: *Sine Cerere & Libero friget Venus.* Notum item illud poetæ Sulmonenſis [c]: *Et Venus in vinis ignis in igne fuit.* Sic igitur à comeſſatione devenitur ad ψηλάφημα, ſive palpationem illam, & contrectationem Veneream. Quibus etiam confirmatur B. Hieronymi ſententia, exiſtimantis, eundem eſſe *Chamos*, ac *Beelphegor*. Atque hoc illo etiam probari poſſe exiſtimo, quòd utrque idem ſit ac Διόνυσος, ſive *Liber*, vel *Bacchus*. Nam *Beelphegor* eſſe *Dionyſon*, jam antea vidimus. At quis inficias iverit, ſymposiorum præſidem eſſe Διόνυσον? Atqui præfectus iis Comus. Quare Comus quoque Dionyſus erit. Comus autem Chamos; ac Dionyſus, Sol. Proinde Chamos etiam Dionyſus ſive Sol fuerit. Videor interim videre mihi aliquid inter *Chamos*, & *Beelphegor*, diſcriminis: tale ferè, quale Græcis inter *Priapum*, & *Comum*. Uterque eſt Bacchus, hoc eſt, Sol. Sed in Priapo conſideratur generatio omnis: in Como non omnis, ſed vini. In illo propriè præcipueque generatio hominis, & plantarum attenditur: in hoc potiùs compotatio, inque vino protervia, quæ ſæpe ad hominis generationem munit viam.

a 1 Sive 3 Reg. cap. 11, comm. 7, & 2 ſive 4 Reg. cap. 23, comm. 13

b Eun. act. IV, Sc. 5.

c Lib. 2 de Arte.

Etiam à viris eruditis *Nebo*, ſive *Nabo*, Moabiticum eſſe numen, atque idem ac *Chamos*, & *Baal-phegor*, putatur. Ubi tria in conſiderationem veniunt: utrùm Nebo, ſit numen, & an numen Moabitarum, & an idem ac duo illa numina, vel nomina, quæ ad Solem reduci dicebamus. Numen eſſe, cenſet B. Hieronymus, in Eſaiæ cap. XLVI, 1; ubi ſic ille: *Nabo & ipſum idolum, quod interpretatur* PROPHETIA, *&* DIVINATIO: *quam poſt Evangelii prædicationem in toto orbe conticuiſſe ſignificat.* Quibus ex verbis colligo, Nebonis oraculum conſuli ſolere: atque hinc eſſe nominis ejus cauſſam. Verba verò prophetæ, ad quæ Hieronymus hoc annotavit, ſunt iſta: *Confractus eſt Bel, contritus eſt Nabo, facta ſunt ſimulachra eorum beſtiis, & jumentis.* Sed variant hic LXX, qui reddidere: Ἔπεσε Βὴλ, συνετρίβη Δαγὼν, ἐγένετο τὰ γλυπτὰ αὐτῶν εἰς τὰ θηρία, καὶ τὰ κτήνη. Ubi Δαγὼν etiam legit B. Hieronymus. Sic enim ſcribit ad eum locum: Δαγὼν, *qui tamen in Ebraico non habetur. Et eſt idolum Aſcalonis, Gazæ, & reliquarum urbium Philiſtim.* Item Cyrillus hunc in locum, nec non Procopius. In Romanâ tamen Græcorum Bibliorum editione pro Δαγὼν eſt Ναβὼ, ut in Hebræo. Ac facilè mihi perſuadeo, LXX Ναβὼ, vel Ναβὼν, ſcripſiſſe. Nam & Theodorio habet Ναβὼ, ut Symmachus Νεβὼ. Quàm autem vicina Ναβὼν, & Δαγὼν! Et multò notius *Dagonis* numen: ut facilè hic potuerit librario error oboriri.

Alterum erat, ſitne Nabo numen Moabiticum. Aſſyrium eſſe, ſatis eſt apertum ex loco Jeſaiæ memorato. Utrùm verò & Moabiticum ſit, non æquè liquet. Moabiticum ſenſiſſe, dicuntur LXX: ut qui ſic verterint Eſa. XV, 2, Ἀπολεῖται γὰρ καὶ Νεβὼν, ὁ βωμὸς ὑμῶν. *Peribit & Nebon, ubi altare veſtrum.* Sed enim potiùs per *Nebo* intelligo Moabitidis urbem, à filiis Ruben extructam: ut eſt Num. XXXII, 38. Tum autem, quod de ara additur, non eſt in Hebræis: quæ ſonant, uti eſt in vulgatâ. Ea ſic habent: *Onus Moab: Quia nocte vaſtata eſt Ar Moab, conticuit: quia nocte vaſtatus eſt Murus Moab, conticuit. Aſcendit domus, & Dibon, ad excelſa in planctum: ſuper Nabo, & ſuper Medaba, Moab ululabit.* At quantum abeunt ab his LXX! Nam Latinè ſic reddas: *Verbum contra Moab. Nocte peribit Moabitis. Nocte enim vaſtabitur murus Moabitidis. Contriſtamini in vobis ipſis. Peribit enim & Nebon, ubi ara veſtra. illuc adſcendetis ad plorandum ſuper Nabaton Moabitidis.* Videtur autem mihi clariſſimus ſocer meus Fr. Junius optimè Hebræorum mentem ſic expreſſiſſe: *Aſcendet Baithum, & Dibonem, Bamothas* (ſive in excelſa) *cum fletu: ſuper Nebunte, & ſuper Medeba, Moab ululabit.* Baithum oppidum Moabitidis ſic dictum à templo idololatrico. Nam בית non *domus* modò, ſed etiam *templum*. Dibon item civitas Moabitidis, in qua templum idololatriâ claruit. Hinc Heſychius: Δηβὼν, τόπος ἐν ᾧ ἵδρυται ἱερὸν Μοαβιτῶν. *Debon, locus ubi extructum ſanum Moabitarum.* Nebuntem ſive Nebonem oppidum Rubenitæ itidem condiderant: ut eſt Numer. XXXII, 38. Ac meminit etiam Jerem. XLVIII, 1. Eodemque nomine montis Abarim cacumen, Deuter. XXXII, 40. Medebam, ſeu Medavam, præter Scripturas, & Joſephum, etiam Ptolemæus, & Stephanus, in Arabia conſtituunt: ſed hic in Nabathæa; ille in Petræa; quod magis convenit Prophetæ verbis.

Poſtremum erat, utrùm Nebo ſive Nabo ſit idem, ac Chamos. Nebo erat urbs Moabitidis: in qua numen colebatur ejuſdem cum urbe nominis. At hoc numen aliter *Chamos* dicebatur; ut indicant verba illa B. Hieronymi ſuperiùs adducta: *In Nabo erat Chamos idolum conſecratum, quod alio nomine appellatur Beel Phegor.* Quare ex Hieronymi mente *Nebo*, quando pro numine ſumitur, idem ſit, ac *Chamos*, & *Beel-phegor*. Video, quid impulerit doctiſſimum Patrem. Sic colligebat ſecum. Moabitis Chamum, & Beelphegor, cultos conſtat. At Nebo, cui numen

numen ejuſdem nominis, fanum habuit ſui numinis. Numen igitur illud, *Nebo* dictum, idem ſit ac Chamus, & Beelphegor. Meliùs procederet argumentum, ſi conſtaret, Moabitas omnes unum duntaxat, atque idem numen invocaſſe. At quid prohibet, quo minùs plura coluerint numina: ſive una urbs plures haberet Deos, ſive hæc quidem Moabitidos urbs hoc numen, alia verò aliud, veneraretur? Nos Nebo diverſum eſſe à Chamo ſic colligimus. Beelphegor eſt Priapus; Chamos eſt Comus; uterque Liber ſive Bacchus, hoc eſt, Sol; uti vidimus. At Nebo alius à Sole. Nam ut diverſum numen conjungitur cum Belo Jeſa. XLVI, 1, ubi contrita ait ſimulachra & Bel, & Nabo. Ut Nabo fuerit Aſſyriis numen dignitate proximum Belo. At Bal ſive Bel Sol erat; quemadmodum ſuſe antea oſtenſum. Nebo igitur potius ſit Luna. Hæc enim duo numina præcipuo in pretio fuere Chaldæis, totique Orienti.

Venio ad *Vrotalt*. De quo ſic Herodotus in Thalia, ubi Arabum religionem ac mores deſcribit: Διόνυσον δὲ θεὸν μοῦνον, καὶ τὴν Οὐρανίην ἡγέονται εἶναι. —— Ὀνομάζουσι δὲ τὸν μὲν Διόνυσον, Οὐροτάλτ· τὴν δὲ Οὐρανίην, Ἀλιλάτ. *Solos pro Diis habent, Dionyſum, & Vraniam. —— Ac Dionyſum quidem Vrotalt; Vraniam verò Alilat appellant.* Deque his duobus diis, ſimiliter Origenes in V contra Celſum a: Ἀράβιοι δὲ τὴν Οὐρανίαν, καὶ Διόνυσον, τούτους μόνους σέβοντες. *Arabes Vraniam tantum, & Liberum colunt.* Aliter tamen de iſto Arrianus in VII b, ubi narrat, quomodo Alexander Magnus, quia cognoviſſet, duos ſolùm Deos ab Arabibus coli, Vranum ſive Cælum, & Dionyſum ſive Liberum, petierit, ut duobus illis tertius adderetur: quippe qui non inferiora Libero Patre geſſiſſet, ac præterea Arabibus conceſſiſſet ſuis vivendi legibus poteſtatem. Sed de Arabibus antiquis potior eſt mihi vetuſtiſſimi hiſtoricorum Herodoti, quàm juniorum, auctoritas. Nec propterea diffiteor, ab iis Liberum quoque, ob res ſtrenuè geſtas, divino eſſe honore affectum. Sed enim honos ille primitus heroicus ſolùm fuit; poſtea in divinum eſt converſus: neque tum Liber ſeorſum cultus a Sole; ſed cultu mixto Liberum in Sole, Solem in Libero, venerabantur. Nec probare poſſum, quod Libero Vranum addat Arrianus, præteritâ Vraniâ: quàm Aſia, & Africa omnis, tantopere coluit. Nec Vranus eſt à Sole diverſus; quia is cæleſtium eſt ignium moderator; ut poſtea pleniùs explicabitur.

a P. 261. edit. Auguſt.

b Verba Arriani adduximus libro ſuperiori cap. 26.

Sed unde dicitur Οὐροτάλτ? Puto, notare *beneficium luminum*. Habemus Jeſaiæ XXVI, 20: ubi eſt טל אורת *tal oroth*, hoc eſt, *ros lucis*, ſive *ros luminum*. *Ros* verò κατὰ μεταφορὰν ſumitur pro divino quolibet beneficio cælitus nos quaſi irrorante. Ex *orot* igitur, & *tal*, fit *orotal*, & *t* adjecto, *orotalt*, vel *ourotalt*: hoc eſt, *Deus*, vel *dator lucis*: quo nihil eſt Soli convenientius.

Nec alius à Διονύσῳ, ſive Sole, eſt Δυσάρης, ſive Δυσσάρης, vel Δουσάρης. Quæ vox, ut ſuſpicor, conflata ex דוץ, *duts*, & ארץ, *arets*. Quorum prius *gaudium*, alterum notat *terram*. Ut notet, *lætitiam terræ*, hoc eſt, mortalium. Nam Liber ſive Sol lætitiâ implet mortales, maturando fruges, & uvas: unde de vino ſic Maro I Æn.

Munera lætitiamque Dei.

Duſaren verò eſſe Arabum numen, indicat locus ille Tertulliani in Apologetico cap. XXIV: *Unicuique etiam provinciæ, & civitati, ſuus Deus eſt: ut Syriæ Aſtartes, ut Arabiæ Diſares.* Ubi perperam in Aldinâ, *Diaſares*. Nicolaus Loënſis in Miſcellaneis cenſet ex Marino philoſopho *Thyandrites* reponi debere: vel ex Suida *Deus Ares*, θεὸς Ἄρης, quaſi hæc Arabica appellatio ſit, non Græca. Nec apud ſolum Tertullianum id nomen legas. Etiam apud Stephanum ſive Hermolaum Byzantium eſt: Δουσάρη, σκόπελος καὶ κορυφὴ ὑψηλοτάτη Ἀραβίας. εἴρηται δὲ ἀπὸ τοῦ Δουσάρου. Θεὸς δὲ οὗτος παρὰ Ἄραψι καὶ Δαχαρηνοῖς τιμώμενος. *Duſare, locus Arabiæ ſublimis. Sic verò à Duſare vocatur. Is vero Deus ab Arabibus, & Dacharenis, cultus.* Dacharenii autem Arabiæ Felicis populus, qui & iter Nabathæi: ut docent Stephanus in Δαχαρηνοί, & Euſtathius in Dionyſii περιήγησιν. Unde corrigendus Heſychii locus, ubi vulgò legitur: Δυσάρης, τὸν Διόνυσον Ματαβαῖοι, ὥς φησιν Ἰσίδωρος. *Duſaren, Liberum Mabatæi, ut ait Iſidorus.* Ubi Ναβαταῖοι legendum, liquet. Primuſque ſic emendavit ſocer clariſſimus Franciſcus Junius ſuis in Tertullianum a notis. Etiam hujus numinis, ac pariter Obodæ, meminit Tertullianus in ſecundo adverſus nationes cap. VIII. Sed vulgò ſic legitur: *Quanti ſunt, qui norunt vi um, vel auditum, & Argatim* (leg. Atargatim b) *Syrorum; Cæleſtem, Afrorum; Varſutinam, Maurorum; Obodaneduſſirem, Arabum.* Ubi diviſim *Obodan, & Duſſarem*, legi oportere, monitum jam clariſſimo ampliſſimoque Dion. Gothefrido: qui primus opuſculum id publici juris fecit; uti & alia nobiliſſimi ſcriptoris, quæ quondam fuere epiſcopi Agobardi, regiæ Chriſtianiſſimi Regis bibliothecæ donavit: unde Tertullianum nobis iuſtiùs locis meliorem, magno Eccleſiæ bono, edidit vir non uno nomine laudatiſſimus Nicolaus Rigaltius. Mirum verò Herodotum in Thalia, & ex eo Origenem lib. V. contra Celſum, ſcribere, non alios Arabibus Deos eſſe, quam Dionyſum ſive Liberum, quem *Vrotalt* vocant & Uraniam, *Alilat* dictam. Nam hæc naturalia ſunt numina, puta Sol, & Venus, ſive Luna. At Obodes numen eſt animale, cùm rex fuerit in Deos relatus; cujus ſepultura oſtendebatur in Nabathæorum tractu ab Obode hoc nomen *Oboda* ſortito: ſicut dixi lib. I, cap. XXVI.

a Apolog. cap. 24.

b Nempe duæ principes literæ At in & converſæ.

Etiam Arabiæ urbs eſt Baiſampſa; ubi Solem cultum, nomen teſtatur; quod *Solis domum* ſignat. Teſtis Stephanus in Urb. deſcript. Βαισαμψά, πόλις ἐν τῷ Ἀραβικῷ κόλπῳ πρὸς τῇ ἐρυθρᾷ θαλάσσῃ, ὅ ἐστιν οἶκος ἡλίου. ὁ πολίτης, Βαισαμψηνός. *Baſampſa, urbs in ſinu Arabico ad mare Rubrum, ac ſignificat Solis domum. Gentile ejus Baſampſenus.* Hinc ΒΑΙΚΑΜΨΗΝΩΝ, in nummo Trajani c. Eſt igitur compoſitum. Prior pars eſt Syriacum, & Arabicum, ביה, pro quo & κατ᾽ ἐξοχὴν dicitur בי, *domus, templum.* Altera eſt Arabicum شمس, quod Hebræis שמש, *ſol.* Imò Arabes non modò Σάμης, vel Σάμψον, ſed & Σάμψαν, extulerint; ſi rectè Stephanus: Σάμψα, κώμη τῆς Ἀραβίας. τὸ ἐθνικὸν, Σαμψηνός. Σάμψα δὲ, παρὰ τοῖς Ἄραψιν ὁ ἥλιος. *Sampſa, vicus Arabiæ. Gentile Sampſenus. Sampſa verò Arabibus Sol.*

c In Lexico ſacro Geltzii, cap. de ſpiritu, ſinuiſque.

Cap. IX.

Perſis Sol Mithras, *& unde id vocabulum: atque ejus propaginem eſſe* Mithridates, *quis &* Mithradates. *Mithras non tam unus, quam ſupremus Perſarum Deus: medius autem inter Oromazem, & Arimanium; unde* Μεσίτης *vocabatur. Item* τριπλάσιος *dictus: quod veteres Dionyſii interpretes originem ducere exiſtimant ex luce triplicatâ eo die, quo in ſciaterico Achazi umbra receſſit: ſed opinio hæc refellitur, veraque ejus vocabuli ratio adfertur. De Amani ſive Omani cultu apud Perſas, & alios, qui hunc ab ea gente ritum accepiſſent. Non tam eum ſummum numen, quam ſymbolum illius, videri: nempe ignem inextinguibilem. Ratio unde* Amanus *dicatur. Non eſſe ex eo nomen* Achæmenis *vel* Achæmeniæ, *quia Solem colerent; ſed ab* Achæmene, *unde ortis: hunc tamen, bonis ominis ergo, ab Sole, ſive Igne, ſumari ſymbolo, nomen fuiſſe ſortitum. Soli à Perſis ſacrificatum equum; item ab gentibus aliis: & quæritur ejuſce cauſſa.* Mithrax *vel* Mithridax *gemma, unde dicta. Manichæos à Perſis hauſiſſe, quod Solem ſic venerarentur, ſeu proprius ille, ſeu ſymbolicus fuerit cultus.*

AB Arabibus gradum jam capeſſo ad Perſas: quibus itidem Sol pro Deo habebatur: quod veterum tam multis proditum videre, ut Sozomenum hic a, & ejus notæ alios, adducere ſi velim, agere ſæpius jam actum videar. Nomen verò Μίθρας apud Heſychium: Μίθρας, ὁ ἥλιος ἐν Πέρσαις. Ac ſimiliter quoque Suidas in Μίθρης. Hinc in vete-

a Lib. 2, c. 8, & 9.

a Apud Gruterum Inſcript. pag. 34. num. 5, & 6.
b Ibid. num. 2.
c Ibid. num. 5.
d Num. 3.
e Cap. de hebdomadibus Danielis.
f P. 154.

veteribus inſcriptionibus a: DEO SOLI INVICTO MITHRÆ: vel b, SANCTO INVICTO MITHRÆ: vel, SOLI INVICTO MITHRÆ. In quibus & reperias c, OMNIPOTENTI DEO MITHRÆ: ac ſimpliciter d, INVICTO MITHRÆ. Niſi quod ſemel iterumque, MITHRÆ, metà vocali exaratum. Origo vocis eſt à Perſis מִתֶּר Mether, quod & Mither: ac valet *magnus*, unde comparativus מִתְּרִי Mithri, vel מִתְרָא Mithra, hoc eſt, μείζων ſive *major*: ut idem ſit ac δυνάστης ſive *dominus*. Quod Scaligero monitum in VI de Emendatione temporum e: ubi inde conflatum cenſet Μιθραδάτης, quaſi מִתְרְדָתָא. Per A enim in veteri etiam Regis nummo in Theſauro Goltzii f legas: ΜΙΘΡΑΔΑΤΟΥ ΕΥΠΑΤΟΡΟΣ ΒΑΣΙΛΕΩΣ ΠΟΝΤΟΥ. Sed Μιθριδάτης per I exaratum ſemper apud Strabonem, Plutarchum, & Appianum. Uti & Joſephum lib. XI Antiq. cap. I. Nec aliter unquam Latini; ut errent, qui, ob unius nummi auctoritatem, ſemper ſubſtituunt, *Mithradates*; ut apud Tullium, Hirtium, Vellejum, Juſtinum, cæteros. Atque iſta dicta ſint de nomine. Venio ad Solem ipſum: qui vel unus, vel ſupremus ſaltem, Perſis Deus fuit. Unum dicit Herodotus, eique equum oblatum. Verba ſunt lib. I: Θεῶν δὲ μόνον ἥλιον σέβονται, καὶ θύουσι ἵππους g. Similiter Strabo in XI; Θεὸν δὲ (al. Θεῶν) ἥλιον μόνον ἡγοῦνται· τούτῳ δὲ ἱπποθυτοῦσι h. Trogus ſive Juſtinus lib. I: *Solem unum Deum Perſæ eſſe credunt, & equos eidem Deo ſacratos ferunt.* Supremum dicunt al. i. Heſychius: Μίθρης ὁ πρῶτος ἐν Πέρσαις θεός· *Mithras ſupremus Perſarum Deus.* Et profectò potior eſt hæc eruditi grammatici ſententia; quàm illa Herodoti, Strabonis, Trogi. Nam, ut poſtea videbimus, coluere etiam Lunam, Venerem, atque elementa. Imò, ut monſtratum nobis libro ſuperiori i, habuere etiam Oromazen, ut boni fontem, & Arimanium, ut principium mali: quaſi illum *Iovem*, hunc *Vejovem* dicas. Inter autem hæc duo numina quaſi medium ſtatuêre Solem, quem *Mithram* vocarunt. Plutarchus de Iſid. & Oſir. Ἐκάλει τὸν μὲν Ὠρομάζην, (ſeu Ὠρομάσδην) τὸν δὲ Ἀρειμάνιον· μέσον δὲ ἀμφοῖν, τὸν Μίθρην εἶναι. διὸ καὶ Μίθρην Πέρσαι τὸν μεσίτην ὀνομάζουσιν. *Vocavit* (Zoroaſtres) *illum quidem Oromazem, hunc verò Arimanium: medium verò amborum Mithram: eò & Perſæ Mithram dicunt mediatorem.*

g Solum è Diis colunt Solem, eique equos ſacrificant.
h Deum Solem duntaxat putant: huic vero ſacrificant eque.
i Cap. 5.

Porrò Μίθρας hic dictus iiſdem Τριπλάσιος ſive *Triplex*: eoque cognomine in memoriam ejus ſacra celebrabantur. Unde apud Dionyſium, cognomento vulgari Areopagitam, epiſtola VII ad Polycarpum legas: Τῶν τε Περσῶν ἱερατικαῖς ἐμφέρεται φήμαις, καὶ εἰσέτι Μάγοι τὰ μνημόσυνα τοῦ Τριπλασίου Μίθρου σημαίνουσιν· *Apud Perſas ſacerdotes famâ hoc fertur; ac præterea Magi memoriale ſacrum Triplicis Mithræ perficiunt.* Sed non ita facile eſt dicere, cur Τριπλάσιος ſit vocatus, & quid rei fuerit, in cujus memoriam ſacra hæc fierent. Duorum Dionyſii interpretum Græcorum, Pachymerii, ac Maximi, ea eſt ſententia; Perſas, viſo in cælis grandi Solis miraculo, quod contigit temporis Ezechiæ Regis, & cognomen, & ſacra hæc inſtituiſſe. Ac Τριπλασίου nomen Mithræ ſive Soli datum, quia dies penè fuerit triplicatus: quod adſtruere conantur ex hiſtoria ipſa, quam legere eſt II ſive IV Reg. cap. XX, & Jeſa. XXXVIII. Hic refertur, ut Ezechias rex, letali morbo decumbens, cùm intellexiſſet ex Jeſaia propheta, Deum, precibus ſuis exauditis, quindecim vitæ annos adjeciſſe, nec deventura eſſe Hieroſolyma in Aſſyrii Regis poteſtatem; ſignum petierit, quò animus ſuus de promiſſo hujuſmodi firmaretur. Tum optionem ei à propheta datam, malletne umbram lineis decem procedere, an retrocedere: illum poſterius, ut naturæ repugnantius, elegiſſe: continuò autem decem lineis retro abiiſſe illam in ſciatherico, quod fieri curârat pater ejus Achaz. Ex hac hiſtoria ſic colligunt, horam jam diei decimam fuiſſe, cùm regredi inciperet Sol: decem igitur horis opus fuiſſe, priuſquam ad ortum perveniret: horas totidem requiſitas, priuſquam rediret, unde abierat: reſiduas fuiſſe horas diei duas, undecimam, & duodecimam: ac proinde diem illam fuiſſe horarum duarum & triginta: eoque complexam eſſe lucem bidui, hoc eſt, bis duodecim horarum æquinoctialium: ac ſex horas reliquas, κατὰ συνεκδοχὴν haberi pro integro die. Diem igitur fuiſſe triplicatam: ac propter tam grande miraculum jure Μίθραν, qui Sol eſt, dici Τριπλάσιον ſive Triplicem. Verùm ut ſpecioſè ea dicantur, multa tamen ſunt, quæ ſententiam hanc reddant ſuſpectam. Primùm nec in Regum libris, nec in propheta Jeſaia, legere eſt, Solem retroceſſiſſe, ſed umbram: potuit autem Deus, Sole curſum ſuum peragente, ſic per ſe, vel angelorum miniſterio, impeditis Solis radiis, lucem temperare, ut, eâ aliter, atque aliter, admiſſâ, non projiceretur, umbra, niſi ubi prædixiſſet prophetes. Atque hanc ſententiam amplexi ſunt Burgenſis, Vatablus, Montanus. Eique mirificè favet argumentum illud, quod ſi dies iſta fuiſſet quaſi tridui: majus fuiſſet miraculum, quam temporibus Joſuæ, cum bidui ſpatium pro die foret. Nam Joſuæ X, 13, eſt: *Stetit itaque in medio cæli, & non feſtinavit occumbere, ſpatio unius diei.* Atqui proximè ſubjungitur: *Non fuit antea, & poſtea, tam longa dies.* Præterea legati Babylonii, ut eſt Paralip. lib. II, cap. XXXII, *interrogarunt de portento, quod acciderat ſuper terram.* Ubi, quia *ſuper terram* dicitur, longè veriſimilius eſt, miraculum hoc non in cælo ab iis obſervatum, ſed ex Judæa ad eorum aures perveniſſe. Nec enim intra Judææ conſcientiam potuit contineri tam grande miraculum, quod non rex ſolus è lectulo in paterno proſpexerat horologio; ſed tot alii ſimul in regis aula, & extra eam alii iis in locis, unde ad Achazi horologium pateret proſpectus.

Hæc ſi ita ſunt, planè concidunt iſta de triplicato illius diei ſpatio. Sed enim non levis apud omnes pios Sanctorum eſſe Patrum debet auctoritas. Atqui illi, etſi de ſpatio diei diſſentiant, in eo tamen convenire videntur, Solem ipſum mutaſſe curſum ſuum. Sic enim è Græcis Theodoretus in illud Pſal. XXIX, *Audivi dominum, & miſertus eſt mei.* Item Cyrillus, & Elias Cretenſis in Nazianzenum. Imò Hippolytum idem ſenſiſſe, legas apud Glycam in ſecundo Annalium. E Latinis ſimiliter Auguſtinus de mirabilibus Scripturæ lib. II, cap. XLVIII: item Hieronymus, Haymo, alii. De eo igitur ne pugnemus. Præſertim quando ſic quoque nihil inde efficitur, quale voluerunt. Neque enim, ſi lineis decem ſit umbra regreſſa, eò Soli decem fuerit horis opus in recedendo, ac alteris decem in remeando: quia fortaſſe lineæ illæ, ut optimè Toſtato obſervatum, non horarum fuerint, ſed ſemihorarum. Proinde non viginti horis dies illa longior fuerit ſolito, ſed denis duntaxat. Imò quid ſi & quadrantes lineis fuerint ſignati? Sic quinque ſolùm horis exceſſerit. Verùm nec tantum opus largiri. Potuit & Sol decem eſſe lineis regreſſus, & dies tamen par ſpatio fuiſſe cæteris. Ut ſi, Dei juſſu, Sol celerrimè ad ortum, atque à prima linea mox ad decimam reciprocârit. Quam infirmo igitur tibicine nituntur, qui cum Procopio a ſtatuunt διπλασίαν ἡμέραν γενομένην, ſive, ut apud B. Hieronymum legas, *penè duplicem factum diem*: cui & ſententiæ, ut Vatablo monitum, favet R. Kimchi. Quid igitur de illis putabimus, qui etiam triplicatam lucem volunt? Quærat aliquis, ſi ſacrum illud Perſicum in memoriam Triplicis Mithræ non ſit ab illuſtri illa die: unde igitur nomen hoc ſortitum credamus. Dixero, facilius eſſe, quid ſit falſum, videre, quàm verum perſpicere. Fortaſſe Τριπλάσιον dictum ob tria illa in Deo eximia, ſapientiam, ratione intellectus; bonitatem, ratione voluntatis; & potentiam, in exequendis omnibus. Sic etiam dici potuiſſe ab triplici Solis effectu; calore, lumine, & diſtinctione temporis. Vel ab triplici dierum menſura: quia alii pares, ut æquinoctiales, ſeu verni, ſeu auctumnales: alii breviores, ut præcipuè brumalis: alii longiores, uti tempore ſolſtitii; prout veteres dixere, quod nunc, laxiùs ſolſtitii vocem accipientes, διακριτικῶς b vocant *ſolſtitium æſtivum*.

a Eſa. 39.
b Diſcernendi gratia.

Amanum quoque, & Anandratum, Perſicos eſſe Deos, teſtis eſt Strabo in XI: ubi narrat, ut à Perſis in Hircania templum ſit conditum Deæ Anaitidos, καὶ τῶν συμβώμων θεῶν, Ἀμανοῦ καὶ Ἀνανδράτου, Περσικῶν δαιμόνων, *eodem altari gaudentium Deorum Perſicorum, Amani, & Anandrati.* Libro etiam XV narrat, ut in Cappadocia ſit magna magorum multitudo, qui dicantur Πυραιθοι. Addit quoque, πολλὰ δὲ καὶ τῶν Περσικῶν θεῶν ἱερά, *& multa Deorum Perſicorum templa.* Subjungit mox, ut in πυραιθείοις ſit ara, in qua ſervant ignem perennem, eoque πύραιθοι quotidie ingreſſi, per horam quaſi ante ignem carmen ſive ἐπῳδὰς ſuas concinant, idque verbenas manu tenentes, tiaris velati utrinque ſic dependentibus, ut vittæ maxillas & labia contegerent. Et iſta ait ex lege fieri in delubris τῆς Ἀναΐτιδος, καὶ τοῦ Ὠμανοῦ a. Ubi non dubito, quin idem ſit Ὠμανὸς, ac qui lib. XI erat Ἀμανὸς, ſive, ut eſt in MSSis, Ὠμανός. Sed in quæſtione eſt, quis naturæ Deus (nec enim Perſæ antiqui Deos animales coluerunt) intelligi debeat. Doctiſſimorum ea virorum opinio eſt, Solem ſignari. De quo faciliùs aſſentirem, niſi, in utroque Strabonis loco, conſtaret, Anaïtidi deæ deum Omanum ſive Amanum ſubjungi. Unde colligo, cùm Anaitis ſit Venus ſeu Diana, Omanum propriè non ſignare Solem, qui Mithras Perſis vocatus, & pro ſummo habitus numine fuit: ſed duntaxat ejus ſymbolum, Ignem perennem: in quo Solem, tamquam divino ſymbolo, colebant. חום chom eſt *calor:* unde חַמָּה chama, *Sol*, vel *Ignis.* A quo חַמָּנִים chamanim, quæ Græcis πυραιθεῖα. Hinc Levit. XXVI, 30, חמניכם Chamanicem; quod reddunt *ſimulachra veſtra:* malim *pyraa*, ſive *pyrathea veſtra:* hoc eſt, ſepta, in quibus ad ignem perennem concinit ſ carmen veſtrum. Scaligero viſum, ex חמן, appoſito א, etiam eſſe *Achaman*; indeque Perſas dici *Achæmenios:* cujus ſententiæ ei fundus eſt locus iſte Lutatii Placidi in lib. I Statianæ Thebaidos: *Nunc Achamenii dicuntur, ubi Apollinem Solem dicunt; cujus & ſacrorum ritus inveniſſe dicuntur.* Quare, ſi Scaligerum audimus, Perſæ vocentur *Achamenii*, quaſi Solis cultores, quia repererint Solis cultum. Id parùm mihi fit veriſimile. Potiùs habuero fidem Herodoto: qui auctor eſt libro I, & VII, veterum eſſe Perſarum familiam Paſargadarum: in hac fuiſſe Achæmenidarum cognationem: ex ea reges Perſicos originem ducere: ſic dictam ab antiquo Achæmene: quod nomen multi habuerint nobiles Perſæ: etiam pater Cambyſis, avus Cyri maternus. Ipſum verò *Achamenis* nomen facilè mihi perſuadeo eſſe ab *Achaman*, ſive Sole, vel ejus cultu in ſymbolo. Principes enim viri in Oriente ſolent boni ominis ergo nomen habere ab eo, quod honore adficerent divino. Hujus rei hoc opere varia adducimus exempla. *Achamenes* igitur ab *Achama* idem valet, quod à Phœbo *Phæbadius*, ab Apolline *Apollonius*, & *Apollinaris*, à Sole etiam *Solinus*, teſte Priſciano lib. II.

a Anaitidis, & Omani.

Soli à Perſis equum ſacrificari ſolere, præter Herodotum, & Trogum, quorum verba ſuperiùs vidimus, teſtis etiam Xenophon lib. VIII Κύρου παιδείας: imò & Ovidius I Faſt.

Placat equo Perſis radiis Hyperiona cinctum,
Ne detur celeri victima tarda Deo.

Ubi & cauſſam ſacrificii illius addit. Ac ſimiliter ex Philoſtrati primo de vita Apollonii vidimus, quia Sol candidus ſit, eo album ſolere equum ſacrificari. Maſſagetas itidem equum mactâſſe Soli, ait Herodotus in primo: Armenios item, Xenophon in IV Ἀναβάσεως.

Mithræ etiam ſacra erat gemma apud Perſas, quæ Plinio *Solis gemma* vocatur: nempe quia Solis inſtar candida ſit, & radios de ſe fundat. Eademque eſt, quæ à *Mithra*, hoc eſt, Sole, *Mitrax*, ſive potius *Mithrax* vocatur. Plinius lib. XXXVII, cap. VII: *Mithrax à Perſis accepta eſt, & Rubri maris montibus; multicolor contra Solem variè refulgens.* Sic etiam vetus Parmenſis: atque editiones aliæ, niſi quod ſpiritus prætereatur. Apud Solinum tamen *Mithridax* legitur. Nec videtur aliter ſcripſiſſe, quando, qui eum exſcripſit, Iſidorus ſimiliter legit; ut indicant verba iſta lib. XVI, cap. XII: *Mithridax Sole percuſſa coloribus micat variis. Gignitur in Perſide.* Sic vetus etiam editio Ticinenſis anni CIↃCCCCLXXXIII; & MSSi noſtri, uno excepto, ſed non multùm abeunte: quippe in quo ſit *Mitridax*. Ut quin *Mitridax*, vel potius *Mithridax*, ſcripſerit Solinus, minimè ſit ambigendum.

A Perſis Manes, Manichæorum patriarcha, ut boni malique principium, ſic etiam Solis, qui inter principium utrumque medius, cultum ſine dubio, cùm Perſes fuerit, accepit. Manichæos verò Solem coluiſſe, teſtis nobis B. Auguſtinus lib. adverſus epiſtolam Manichæi, quæ dicitur Fundamentum, cap. I. Atque idem penè initio libri contra Fortunatum ait, cùm Manichæorum eſſet auditor (nam ex electis eorum nunquam fuit) obſervâſſe, ut Solem verſus facerent orationem. Et contra Fauſtum lib. XX, c. V: *Ad Solis gyrum veſtra oratio circumvolvitur.* Et cap. VIII: *Veſtræ vanitati placuit, in Sole ponere virtutem Filii, & in luce ſapientiam.* Sed qualis ille cultus Manichaicus fuerit, num divinus, an ſymbolicus, haud facilè dixerim. Interea in ſymbolicum magis inclino. Nec enim ex illis Auguſtini diſputationibus cum Manichæis video aliquid, unde de altero ſtatui certò poſſit.

CAP. X.

Ægyptios coluiſſe Solem ſub nomine Oſiridos: cumque Sole cultum Miſraim, primum e regibus Ægyptiis: atque inde eſſe, quod Sol primus Ægyptiorum rex fuiſſe dicatur. Quàm variè olim ſoleant Oſiridem interpretari. Conciliantur inter ſe ſententiæ eorum, qui Oſiridem Pana vel Naturam, qui Iovem, ſive Uranum, quique Titana, vel Phœbum, aut Solem dicerent. Quid Ægyptii notarint ſceptro, oculoque ei impoſito. Oſiris idem eſt, ac Adonis, & Phrygius Attis: atque hoc etiam alternante in eorum ſacris luctu, ac gaudio, comprobari. Etiam Sol Ægyptiis Orus: *cujus* ἔτυμον *adducitur; uti &* Origenis. *Iupiter Heliopolis, tum Ægyptiâ, tum Aſſyriâ cultus, idem erat ac Sol Cælumque. Vectatio ejus ſimulari: uti & aliorum alibi Deorum. Quo continerentur,* Tenſæ *dicta, item* Succoth *Hebræis, Græcis* ναοὶ καὶ σκηναί.

PRæterea cæteras Aſiæ gentes; de pleriſque tamen, uti Maſſagetis, Phrygibus, aliis, aliâ inferiùs occaſione dicturus. Nunc agam de Ægyptiis; unde juxta, ac à Phœnicibus ſuperſtitio penè omnis in cæteras dimanavit gentes.

Ægyptiis Sol dicebatur *Oſiris*; ſed ſic, ut Nilum etiam *Oſiridos* nomine, imò & regem Miſraim, complecterentur. Φυσικῶς enim Oſiris eſt Sol, & Nilus: ἱστορικῶς Miſraim, Chami filius, regni Ægyptiaci conditor; de quo diximus libro ſuperiori cap. XXVII. Atque hinc lucem capiunt illa Diodori Siculi verba libro I Bibliothecæ *a*; quæ & legere eſt apud Euſebium lib. III Præparat. Euangelicæ, cap. III: Πρῶτον μὲν Ἥλιον βασιλεῦσαι τῶν κατ' Αἴγυπτον ὁμώνυμον ὄντα τῷ κατ' οὐρανὸν ἄστρῳ· *Solem primò imperâſſe Ægyptiis, cognominem aſtro, quod in cælis.* Ubi per Solem intelligo, non aliquem, cui ab incunabulis fuerit Solis nomen: ſed Mizraim, Chami filium, qui uno eodemque cum Sole cultu colebatur. Nec tamen exiſtimandum, Oſiridis nomine ſolùm intelligi Solem: quandoquidem appellatio hæc omni convenit Naturæ: tum cæleſti, in qua Ægyptii præcipuè Solem ſpectarunt: tum inferiori, ubi Nilum magis attenderunt. Atque inde eſt, quod variè adeò Oſiridem interpretarentur Theologi gentium, ſive potiùs Mythologi. Quomodo Plutarcho Oſiris eſt Pluto, Liber, Sarapis, Apis, Oceanus, Sol, Sirius. Nec abit ab eo Philo Byblius in Sanchoniathonis tralatione: cujus iſta ſunt verba apud Euſebium *b*: Τὸν δὲ Ὄσιριν, τοὺς μὲν Σάραπιν, τοὺς δὲ Διόνυσον, τοὺς δὲ Πλούτωνα, τοὺς δὲ Ἄμμωνα, τοὺς δὲ Δία, ἑτέρους δὲ Πᾶνα νομίζειν· *Oſirin his Sarapin, illis Liberum, nonnullis Plutona,* ali-

a Pag. 8, edit. H. Steph.

b Lib. I Præpar. Euang. cap. I.

aliquibus Ammonem, quibuſdam Jovem, aliis verò Pana exiſtimari. Hæc quomodo concilientur, ex eo cognoſcitur, quod antea dicebamus; primùm Solem ἁπλῶς, poſtea Solem cum Cælo, denique Solem cum Cælo, & Natura inferiori, divinum eſſe honorem ſortitum. Primò igitur & imprimis Sol honoris hoc obtinuit; unde & veteres Oſirin interpretantur Titana, ſive Phœbum, vel Solem. Statius primo Thebaidos:

—— Seu te roſeum Titana vocari
Gentis Achæmeniæ ritu, ſeu præſtat Oſirin
Frugiferum.

Ubi ſic Lutatius Placidus: *Secundùm Ægyptios, qui Oſirin Solem interpretantur: per quem proventum frugibus exiſtimant poſſe contingere.* Atque hæc illo etiam firmantur, quòd Herodotus quoque tradit, eundem eſſe Oſiridem Ægyptiis, qui Græcis Liber: quodque M. Antonius, ut eſt apud Dionem lib. V, ſe Ὄσιριν ϗ Διόνυσον voluit nuncupari. Idem tam multa firmant, quæ communia haberent. Uterque Nyſæ editus dicebatur. Utrique ſacra hedera, & laurus. Oſiridem cum ſerpente videas expreſſum ſemper in tabula Iſiaca à Laurentio Pignorio expoſita. At Baſſarides etiam ſerpentibus ſe cingebant; ut ſuperiori libro *a* oſtenſum. Utrique item comites chorus, ac Satyri. Accedit ad iſta, quòd ut, præter alios, Diodorus in primo bibliothecæ tradit, Ὄσιρις id Ægyptiacè valeat, quod Græcè πολυόφθαλμος, *multoculus*: nempe quia non, uti nos, unum in locum; ſed totus oculeus radios ſuos quaquaverſum diffundat. Non diſputo, quàm verum hoc etymon ſit; de quo magis placent, quæ adducebamus libro ſuperiori cap. XXVII. Satis eſt, quod iſta non alteri rectiùs conveniant, quàm Soli; unde poëta *b*:

a Cap. 30, pag. 118, & ſeq.

Ἠέλιός θ᾽ ὃς πάντ᾽ ἐφορᾷ, καὶ πάντ᾽ ἐπακούει.
Omnia qui late Sol adſpicit, omniaque audit.

b Odyſſ. λ, verſ. 118, & Od. μ, verſ. 323.

Huc pertinet, quòd antiquitas Solem vocaret *Jovis oculum.* Nempe duo in Sole ſpectabant, quòd omnia videret, & ſummæ eſſe potentiæ: quorum utrumque Deo, ac regi, maximè convenit. Unde & providentiam, ac potentiam regalem, ſignabant ſceptro, & oculo ei ſuperimpoſito. Sceptrum potentiæ indicium, oculus providentiæ argumentum: ut videre eſt Macrobii Satur. lib. I, cap. XXI. Sic quoque Oſiris idem, ac Adonis Alexandrinis fuit, teſte Suida in Ἡραΐσκος; item Amathuſiis, ut docet Stephanus; imò & Bybliis, qui dubitabant, Oſiridi, an Adonidi ſacra facerent; ut eſt apud Lucianum de Dea Syria. Superiùs etiam Auſonii *c* verſus de Libero adduximus:

c Epigr. in myobarbum.

Ogygia me Bacchum vocat.
Oſirin Ægyptus putat.
Arabica gens Adoneum.

Imò nec alius ab Oſiride, & Adonide, Attis Phrygius fuit: quod Martianus Capella refert in ſecundo de Nuptiis Philologiæ *d*: ubi eundem ait Solem, Serapin, Mithran, Ditem, Typhonem, Attinem, Ammonem, Adonem. De Oſiride quidem, Adonide, & Attine, clarè elucet, ex ſacris tum Iſidis, & Oſiridis; tum Veneris Atergatidis, & Adonei; tum Berecynthiæ, & Attinis. In omnibus enim iſtis prius Dea Deum luget, ac mox lætatur. Quod Macrobius clarè exponit lib. I Saturn. cap. XXI. Ac de matre Deûm, & Attine, ipſum adi. Quæ cùm enarrâſſet, iſta de aliis ſubdit: *Idem ſub diverſis nominibus religionis effectus eſt apud Ægyptios, cum Iſis Oſirin luget. nec in occulto eſt, neque aliud eſſe Oſirin, quàm Solem; nec Iſin aliud eſſe, quam terram, naturamve rerum: eademque ratio, quæ circa Adonin & Attinem vertitur, in Ægyptia quoque religione luctum, & lætitiam, vicibus annuæ adminiſtrationis alternat.* Quamobrem ſic cenſeo, eandem eſſe Phrygibus matrem Deûm, Ægyptiis Iſidem, Aſſyriis & Phœnicibus Venerem; nempe terram, ſuperius ſaltem hemiſphærium: ac ſimiliter eundem eſſe Phrygibus Attinem, Ægyptiis Oſiridem, Aſſyriis & Phœnicibus Adonidem; puta Solem: quo ſigna permeante auctumnalia, lux calorque decreſcunt, uſque dum ad brumam deventum; unde luctus: eodem per verna ſigna ad ſolſtitium currente æſtivum, cum luce creſcit calor; unde gaudium.

d Carmine quod incipit, Ignoti vis celſa.

Sed pleniùs iſta exponam, ubi in Lunari cultu ad Iſidem erit deventum.

Nunc ad Orum accedo: qui & ipſe Ægyptiis idem ac Apollo ſive Sol fuit: uti teſtes ſunt Diodorus Siculus lib. I, & Macrobius I Saturn. cap. XXI. Apud Orapollinem legas cap. XVII, ita dictum ἀπὸ τοῦ τῶν ὡρῶν κρατεῖν, quia præſit horis, ſive quatuor anni temporibus: unde Janus, qui idem ac Sol, ſic apud Ovidium in Faſtis:

Præſideo foribus cæli cum mitibus Horis.

Sed contra cenſeo, Horis potiùs nomen eſſe ab Horo: quod propriè Sol; μετωνυμικῶς verò χρόνος, ut Erotianus exponit; ſive ἐνιαυτός, ut Diodorus Siculus interpretatur lib. I, & Plutarchus lib. V Sympoſ. quæſt. IV, item Heſychius. Sol vero Ὧρος ab Hebræo חֶרֶס, id eſt, *Sol*; unde & Latinum *coruſcare.* Vel potiùs cum ΟΣ in Ὧρος ſolùm ſit vocis productio, erit Ὧρος ab אור *lux.* Eſt enim lux mundi præcipua. Ac quemadmodum ab Ἥλιος, quo *Sol* denotatur, prænomen *Helius* venit; quod crebrum eſt in lapidibus antiquis: ita & Apollinare *Ori* nomen hominibus eſt attributum. Sanè *Orus* vetus quoque eſt nomen regis Ægyptii; imò apud Etymologum etiam Grammatici. Atque ut ἀπὸ τοῦ Διὸς proprium eſt nomen Διογένης, quaſi *Jovigenam* dixeris: ſic ἀπὸ τοῦ Ὥρου eſt Ὠριγένης, quaſi *Origenam* appelles, hoc eſt, Ore, ſive Oro genitum. Non quidem ignoro, aliud viſum fuiſſe magno Eraſmo, qui in vita Origenis id nomen *montigenam* interpretatur, item optimo doctiſſimoque Andreæ Schotto, ſuis in Origenem *a* obſervationibus: ubi ſimiliter eum tradit, ita vocari, quaſi ὀρειγενῆ *b*, hoc eſt, ἐν ὄρει γεννηθέντα: quomodo Aſceræ quidam Chryſoſtomo homil. XIII in epiſt. ad Epheſios οἱ ἐν τοῖς ὄρεσι *c* vocantur, & Laërtio Heraclitus Epheſius dicitur ἐν τοῖς ὄρεσι διαιτώμενος *d*. Sed præterquam quod prima in ὄρος ſit correpta, in Ὠριγένης, porrecta: iſta nihil magnopere ad Origenem, Alexandriæ natum & educatum, ubi Or ſive Orus pro numine, & ab eo hominibus quoque nomen id fuit: ut quin inde ſit *Origenis* appellatio, minimè ſit dubitandum.

a Lib. I adverſus Celſum.
b Montigenam.
c In Montibus degentes.
d Vivens in montibus.

De Sole Heliopoli ab Ægyptiis culto nomen urbis ſatis arguit. Nam Ἡλίου πόλις, *Solis oppidum*: ut & Melæ, ac Plinio vocatur. Ac ſimiliter Hebræis *Beth-ſemes*, quod idem notat. Uti Arabibus, Gulielmo Tyrio teſte, *Bahalbeth.* Prius *domum* ſive *templum* Solis; alterum *Domini domum* deſignat, quod & alibi exponimus. Idem oſtendit ſymbolicus in ea Urbe cultus bovis, nomine Mneuis. Macrobius lib. I Sat. cap. XXI: *Apud Heliopolim taurum Soli conſecratum, quem Neton cognominant, maximè colunt.* Ubi pro *Neton* reponendum *Mneuin*: ut ex iis liquet, quæ de Mneui dicebamus lib. I, cap. XXVII. Eademque in voce Plutarchus corruptus lib. de Iſide & Oſiride: ubi Μνευὰν eſt pro Μνεῦιν; ut monui ejuſdem libri cap. undetrigeſimo. Ex urbe hac in Aſſyriam tranſlatum ſimulachrum Διὸς Ἡλιοπολίτου, regnante apud Ægyptios ſive Senemure, ſive Senepoſe, deferente illud Apia, legato Deleboris Aſſyriorum regis: ut Macrobius ibidem refert. Porrò, ut inibi ait, *Hunc eundem Deum Solemque eſſe, cùm ex ipſo ſacrorum ritu, tum ex habitu dignoſcitur. Simulachrum enim aureum ſpecie imberbi inſtat, dextrâ elevatâ cum flagro, in aurigæ modum: lævâ tenet fulmen, & ſpicas: quæ cuncta Jovis Soliſque conſociatam potentiam monſtrant.* Addit mox: *Vehitur ſimulachrum dei Heliopolitani ferculo: uti vehuntur in pompa ludorum Circenſium deorum ſimulachra.* Ludis hic Macrobio memoratis Deorum imagines ferebantur ſacris thenſarum vehiculis: quem ritum graphicè deſcribit Dionyſius Halic. lib. VII. Multum etiam lucis dabit Ovid. lib. III Amor. eleg. II. Tangit quoque Faſt. IV:

Circus erit pompa celeber, numeroque Deorum.

Uti & M. Tullius de Aruſp. Reſp. Varro in IV de L. L. Suetonius in Auguſt. cap. XVI, Feſtus in *Thenſa*, & tot alii. Non dubitandum verò, quin hunc morem, vel ab Aſiaticis acceperint, vel Ægyptiis. De Aſiaticis conjectura ex eo, quod apud Cappadoces, ut Strabo ait lib. IV, ξόα-

vov

νον τοῦ Ὠμάνου πομπεύει, *ſimulachrum Omani defertur in pompa.* Omanus autem Perſicum numen erat; ut ſuperiùs diximus. De Ægyptiis, ac Æthiopibus, ſuſpicamur ex Euſtathio in Iliad. Α a: Ἐν Διοσπόλει μέγιστόν ἐστι Διὸς ἱερόν· ἀφ' οὗ λαβόντες Αἰθίοπες Διὸς ξόανον, καὶ ἄλλων δαιμόνων σὺν αὐτῷ, κατά τινα καιρὸν τεταγμένον περινοστοῦσι τὰ κατὰ τὴν Λιβύην, καὶ πανηγυρίζουσι πολυτελῶς ἐπὶ δώδεκα ἡμέρας, ἐπεὶ καὶ τοσοῦτοι παρ' αὐτοῖς θεοί. *Dioſpoli* (civitate Ægyptiâ) *grande eſt Jovis delubrum: unde id Æthiopes accipientes ſimulachrum Jovis, & aliorum pariter Deorum, ſtatis ea temporibus per Libyam circumeunt, publicâque in celebritate magnificè duodecim diebus feriantur, quoniam totidem habeant Deos.* Ubi, ſi ex Romanis ſacris de Ægyptiis liceat judicare, intelligit XII Deos Conſentes, notiſſimis Ennii *b* verſiculis comprehenſos. Deque iiſdem Ægyptiis, ac pariter Carthaginenſibus, ſic Servius in illud VI Æn.

a Pag. 128. edit. Rom.

Erranteſque Deos, agitataque mœnia Trojæ:

Signa ξόανα dicit, id eſt ſimulachra brevia, quæ portabantur in lecticis: & ab ipſis mota inſundebant vaticinationem: quod fuit apud Ægyptios, & Carthaginenſes. Sicè & *apud Antium promovebant ſimulachra Fortunarum ad danda reſponſa:* ut Macrobius tradit, loco antè memorato *c.* Atque ex hiſce gentium ritibus lucem capit illud prophetæ Amos V, 26, & exinde in oratione protomartyris Stephani apud Euangeliſtam Lucam Act. VII, 43: Καὶ ἀνελάβετε τὴν σκηνὴν τοῦ Μολόχ· *& portaſtis, ſive bajulaſtis tabernaculum Molochi.* Unde liquet, LXX, quos B. Lucas ſequitur, legiſſe סכות ſuccot, vel סכת ſuccat. Hoc LXX vertêre σκηνὴν, *tabernaculum:* ac ſimiliter Symmachus: Aquila autem, eâdem mente, συσκιασμός, *umbraculum.* De quorum utroque teſtis nobis B. Hieronymus. Eò autem *tentorium*, vel *umbraculum*, dicebatur, quia ſimulacra Deorum continerentur vel tabulis, quæ propriè *tabernacula*; vel pellibus aut linteis tenſis, quæ propriè *tentoria*; unde & *tenſarum* nomen, non ἀπὸ τοῦ θεῖν; quod ἔτυμον legas apud Aſconium in III Verr. nec à Papia ſolùm comprobatur; ſed Cæſare etiam Scaligero lib. I de R. Poët. XXXII. Ac hujuſmodi quidem tenſæ, vel à bubus, aut equis, vel aſinis, trahebantur; unde in gloſſis vett. *tenſa* non ſolùm exponitur θρόνος, ſed etiam ἅρμα θεῶν: vel ab hominibus geſtabatur; quod indicat locus ex Amos, & Actis, antea adlatus. Portatiles hujuſmodi lecticas cum velis tenſis habuiſſe delubri figuram, argumento etiam eſt, quòd Philo Byblius, Phœniciam deſcribens Theologiam *d*, dicat, Dei illius eximii, qui Phœnicibus, Ἀγρὸς, Ἀγρότηρος, & Ἀγρότης, vocabatur, ξόανον εἶναι μάλα σεβάσμιον, καὶ ναὸν ζυγοφορούμενον ἐν Φοινίκῃ· *ſimulachrum eſſe magnæ venerationis, & ædem à jugalibus* (ſeu bubus, ſeu equis) *ſolitam deferri in Phœnicia.* Nempe forma erat, qualis lecticæ ejus, quam vulgo *papilionem e* dicimus; à figura tentorii è pellibus aut velis tenſi: quod & ipſum Plinio, Tertulliano, Vegerio, *papilio* vocatur, à forma inſecti prælargas alas ſuas expandentis. Gloſſ. vett. *Papilio*, σκήνωμα.

b Apud Apuleium de Deo Socratis, & Martianum Capellam de nuptiis Philologiæ lib. I.

c Lib. I Sat. c. 23.

d Apud Euſebium in primo Præparat. Euangel. cap. 10.

e Gall. le papillon.

Cap. XI.

Aſſabinus *Æthiopum idem, ac Sol: & quo ritu illi cinnamomum ſoleat offerri. Ammon, unde* Ammoniæ *nomen, cujus & ſitus ſignatur, aliter* Jupiter, *vel* Deus Libycus, *dicebatur. Unde* Ammoni *hoc nomen datum: unde item Sol* chama *dictus ſit Hebræis: & unde uni è Noe filiis nomen impoſitum Chami.* Hama *quod numen veterum videatur Saxonum. Ægyptus non ſolùm à Chamo* Chemia, *ſed etiam ab Ammone nominata* Ammonia: *quæ appellatio ad univerſam etiam Libyam extenſa.* Ammon *cur Sol occidens crederetur. Templum etiam habuit in Meroë; etſi minus frequentatum. Græcorum refellitur opinio de* Ammonis *etymo: uti & illa de cornibus Dei arietinis, cujus ſymboli vera ratio adſertur. Quid per* oraculum arietinum *olim intellexerint, & quæ nominis ejuſce cauſſa.* Ammonis cornu *gemma eadem, quæ &* Garamantis, *vel* Carchedonius. *Pœnorum Saturnus idem, ac Molochus: & ut huic à Syris, ita illi à Pœnis, liberos immolatos.* Amilcam *Deum quidem Carthaginenſium fuiſſe: ſed falli, qui Saturnum, vel Apollinem crediderint, cùm fuerit dux Carthaginenſis, virtutis ergo in Deos relatus. Unde* Amilcas, Imilco, & Imilce, *nomen acceperint.*

Æthiopibus quoque Sol cultus, nomine *Aſſabinus:* quem, quia ſummus illis foret Deus, *Jovem Æthiopicum* dixere Romani, ac Græci; nec incommodè, quia Orienti, & vicinis Africæ populis, Jupiter non Cælus ſive Uranus duntaxat erat, ſed Sol cum Cælo. Huic cinnamomum ſive cinnamum ſacrum. Quod quo ritu legerint, ac deportarint, docet nos Theophraſtus his verbis: Διελόντες τρία μέρη, διακληροῦνται πρὸς τὸν ἥλιον· καὶ ἣν ἂν λάχῃ ὁ ἥλιος, καταλείπουσιν· ἀπιόντες δ' εὐθύς, ὁρᾶν φασι καιομένην ταύτην. *Toto in ternas partes diviſo, ad Solem ſortiuntur. Quod Soli ſorte ceſſerit, id ſolum relinquere: atque abeuntes cernere, confeſtim illud ſponte comburi.* Ita ille Hiſtoriæ Plantarum lib. IX, cap. V. Sed addit, ὅπερ ἐστὶ τῷ ὄντι μῦθος. *Sed hæc planè fabula eſt.* Putarim ergo potiùs, Sacerdotes dolo illuſiſſe ſimplicioribus. Eâdem de re ſic Plinius lib. XII, cap. XIX: *Metitur, non niſi permiſerit Deus. Jovem hunc intelligunt aliqui. Aſſabinum illi vocant XLIV boum, caprarumque, & arietum extis, impetratur venia cædendi. Non tamen aut ante ortum Solis, aut poſt occaſum, licet. Sarmenta haſtâ dividit ſacerdos, Deoque partem ponit: reliquum mercator in naſſas condit. Eſt & alia fama, cum Sole dividi, ternaſque partes fieri; dein ſorte cremia diſcerni; quodque Soli ceſſerit, relinqui, ac ſponte conflagrare.* Item Solinus cap. XXXI: *Æthiopes legunt cinnamum. Verum legitur per ſacerdotes, hoſtiis prius cæſis: quæ cum litaverunt, obſervatur, ut meſſis nec ortum Solis anticipet, nec egrediatur occaſum. Quiſquis principatum tenet, ſacerdotum acervos haſtâ dividit, quæ ſacrata eſt in hoc miniſterium: atque ita portio manipulorum Soli dicatur: quæ ſi juſtè diviſa eſt, ſponte incenditur.*

Ab Æthiopum gente venio ad Cyrenaicam: quâ appellatione, præter Pentapolin; etiam Marmaricam complector. Veterum enim plerique Cyrenaicam dixere, quicquid à Syrte magnâ foret uſque ad Catabathmon Ægypti. In Cyrenaicæ parte ea, quæ *Marmarica*, vel etiam *Mareotis Libya* vocatur, eſt ἱερὰ τοῦ Θεοῦ χώρα, *ſacra Dei regio:* ut vocat Diodorus Siculus lib. XVII. Eſt ea, quæ *Ammonia* dicitur, quam, præter Æthiopes, accolunt Naſamones, gens Syrtica, & Troglodytæ; teſte eodem Diodoro, ac Curtio in IV. Item Garamantes; unde Lucanus in IX:

Ventum erat ad templum, Libycis quod gentibus unum
Inculti Garamantes habent.

Et Claudianus in primo de laudibus Stiliconis:

Et velox Garamas, nec quamvis triſtibus Ammon
Reſponſis alacrem potuit Naſamona morari.

Ammonia verò dicitur, quia incipit ab templo Ammonis. Et quoniam hæc in Libya eſt, eò & *Ammon Libycus* vocatur à Nonno in XL Dionyſiacôn:

Βῆλος ἐπ' Εὐφρήταο, Λίβυς κεκλημένος Ἄμμων,
Ἄπις ἔφυς Νειλῷος, Ἄραψ Κρόνος, Ἀσσύριος Ζεύς.
Belus Euphratæus, Libycus vocatus Ammon,
Apis es Niliacus, Arabs Saturnus, Aſſyrius Jupiter.

Etiam *Libycum Jovem*, vel *Deum* dixere. Propertius lib. IV, el. I:

Hoc neque arenoſum Libyci Jovis explicat antrum.

Dionyſius in περιηγήσει:

Καὶ τέμενος Λιβυκοῖο θεοῦ ψαμάθῳ ὑπὸ πολλῇ.
Delubrumque Dei Libyci multam inter arenam.

De Ammone hoc diximus lib. ſuperiori cap. XXXII: ſed illic conſideravimus, quatenus eſt Cham, filius Noë: hic ſpectamus, quatenus eſt Sol; in quo, & cum quo, Cham, cultu mixto, colebatur. Sive verò Ammonem conſideres,

tes, ut Chamum, Noë filium; ſive ut Solem cum cælo; optimè ei conveniret *Ammonis* nomen. Nam ab *Am* ſive *Ham*, ſic Deus hic dici potuit, quia ἱστορικῶς ipſiſſimus Cham foret: & φυσικῶς ſic potuit vocari a Sole, qui Hebræis חַמָּה, chama; unde & ſuſpicor *Hama*, veterum
a Pag. 61. Saxonum numen, de quo Fabricius in Saxonia ſua *a*, ipſum Solem fuiſſe. Quemadmodum, & inde חמנים, Chamanim,
b Cap. 9. hujuſcè libri. & Deus *Amanus* ſive *Omanus*; ut ſuperiùs *b* diximus. Eſt verò חמה chama à חום chom *calor*; quia Sol fons ſit caloris. Nec dubitandum, quin & filius ille Noë ab eadem voce Hebræâ *Cham* nomen acceperit. Quare *Cham* propriè *calidum* notet: ſive ſic à parentibus ſit vocatus, quod jam in puero ignea quædam mens, & mirus animi fervor, eluceret: ſive ita dictus à colore fuſco: quando vox Hebræa non *calidum* modò, ſed μεταληπτικῶς etiam *nigrum* ſignat, quia ſolari æſtu fuſci, vel nigri etiam, homines fiant: ſive etiam prophetico ſpiritu nomen hoc illi datum ſit, quia progenies ejus inhabitatura eſſet regiones meridionales, quibus Sol magis urit, & nigrorem hominibus adfert. Chami enim poſteris tum Ægyptus obtigit; tum ab oriente Arabia, ab occidente
c Lib. 1, cap. 27. exterior Libya, à meridie Æthiopia. Ac ſuperiùs *c* quoque oſtendimus, Ægyptum à Chamo hoc *terram Cham*, & *Chamiam*, ſive *Chemiam*, appellatam. Quò pertinet etiam illud B. Hieronymi Tradit. Hebræor. in Geneſin: *Ægyptus uſque hodie Ægyptiorum linguâ Ham dicitur.* Imò Libya tota ab eodem etiam nuncupata *Ammonia*. Stephanus Byzantius: Ἀμμωνία ἡ μεσόγειος Λιβύης. καὶ αὐτὴ ἡ πᾶσα ἡ Λιβύη οὕτως ἐκαλεῖτο, ἀπὸ Ἄμμωνος. *Ammonia, regio in medio Libyæ: ac univerſa etiam Libya ſic vocabatur ab Ammone.* Atque idem in Λιβύη ait, hanc variis vocari nominibus, inque his ab eo etiam reponitur Ἀμμωνίς. Uti & Ἐσχατιά, καὶ Ἑσπερία: quas duas appellationes ex eo eſſe cenſeo, quòd regio illa, ubi templum Jovis Ammonis, eſſet Chemiæ, ſive imperii quod ceſſit Chami poſteris, pars ἐσχάτη, *extima*, maximeque ἑσπερία, *occidentalis*. Unde & factum id cenſeo, ut *Moloch* quidem, & *Belus*, qui in Oriente culti, ad Orientem Solem referrentur; *Ammon* verò, qui ad Occidentem, potiùs Sol occidens crederetur. Macrobius lib. 1 Saturn. cap. xxi: *Hammonem Deum Solem occidentem Libyes exiſtimant.* Præter hoc & alterum Ammonis templum fuit, idque in Meroë, Nili inſula. Plinius lib. vi, cap. xxiv: *Delubrum Hammonis & ibi religioſum.* Sanè & hoc religioſum, etſi minùs illo Libyæ. Ideo ait, *& ibi*; non autem, *eſt ibi*: ut benè Rhenano obſervatum. Verùm delubrum illud Latinis Græcìſque ſic celebratum, non Meroës, ſed illud Ammoniæ ſive Marmaricæ fuit.

Græculi eò, quòd delubrum Ammonis in arenoſis Libyæ locis foret, & ſimulachrum numinis fingeretur cum cornibus arietinis, occaſionem arripuere varias texendi fabellas: præcipuè illam de ariete, qui Libero patri, cum exercitu in arenoſis Ammoniæ locis magnâ aquæ penuriâ laboranti, fontem monſtrârit, ubi poſtea conditum Ammonis fanum fuit: ac ab arena quidem, quæ Græcis ἄμμος, *Ammonem* dictum volunt; in honorem autem arietis, cum arietinis cornibus figurari. Vide hæc fuſiùs ex Hermippo referentem Hyginum in Poëtico Aſtronomico, ubi de Arietis ſigno agit: item Servium in illud iv Æn. *Hic Ammone ſatus:* quo loco & alias aliorum opiniones adducit. Sed planè ridiculum eſt, velle *Ammonis* nomen petere a Græcis: cùm Ægyptii ipſi Ἀμοῦν appellent, teſte etiam Herodoto. Cornua verò arietina, cum quibus etiam in veteri nummo conſpicitur, partim ſignificant potentiam Chami, & regni ejus, quod poſteri obtinuere: partim
d Lib. 1 Sat. cap. 21. etiam ingentem denotant vim Solis. Quò & Macrobius *d* retulit: *Ideo & Ammonem, quem Deum Solem occidentem Libyes exiſtimant, arietinis cornibus fingunt, quibus maximè id animal valet, ſicut radiis Sol.*

Quamquam autem veriſſimam eſſe cenſeam rationem ſymboli, quam adduxi: nec indigna tamen relatu videtur illa, quam apud Servium reperio in iv Æn. *Jovis*, inquit, *Ammonis templum cum ſimulacro cum cornibus arietinis conſtitutum: quod ideo fingitur, quia ſatis ejus ſunt involuta reſponſa.* Nimirum, ex opinione gentilium, certa quidem erant oracula Ammonis: ſed verbis tortis, flexiſque, inſtar arietinorum Dei cornuum: de quibus ſic Lucanus in ix Pharſaliæ:

—— *Sed tortis cornibus Ammon.*

Et Silius in ix Punicorum:

Ac patrius flexis per tempora cornibus Ammon.

Quod igitur de oraculo Delphico ait Pacuvius *a*: a Apud Nonium in Autumare.

Flexa, non falſa, autumare dictio Delphis ſolet:

idem de Ammonio credebatur. At Delphicus Apollo dictus Λοξίας, à λοξὸς, hoc eſt, *obliquus*; partim quia Sol obliquo per xii ſigna curſu feratur: unde Maro i Georg.

Obliquus quà ſe ſignorum verteret ordo:

partim quia reſponſa itidem Apollinis obliquis ferè, & flexiloquis dictis conſtarent: unde Seneca in Oedipo:

Ambage nexâ Delphico mos eſt Deo
Arcana tegere.

Oracula igitur Ammonia itidem erant certiſſima: ſed quia de certis illis homines, ob ambiguitatem dictionis, forent incerti; eò *oracula arietina* dixere dicta iſta, ubi liqueret univerſè, quid opus foret; particulatim non item, quia animus fluctuaret, utrùm eligi oporteret. Exemplo fuerit locus ille ab Agellio *b* adductus ex Plautinâ Fretì comœdia: b Lib. 3, cap. 3.

—— —— —— *Hoc illud eſt,*
Quod Arietini reſponſum magnis ludis dicitur:
Peribo, ſi non fecero; ſi faxo, vapulâro.

Quippe ſermo eſt certiſſimus hominis incerti quid agat, dum hinc perire non vult, parteque ex altera plagas extimeſcit.

Uti verò à *Belo*, & *Adodo* numinibus, nomen variis datum gemmis, quemadmodum antea vidimus: ita etiam factum in *Ammone*. Plinius lib. xxxvii, cap. x: *Ammonis cornu inter ſacratiſſimas Æthiopiæ gemmas, aureo colore, arietini cornus effigiem reddens, promittitur divina ſomnia repræſentare.* Eſt verò, quam *gemmam Garamantidem* vocat Silius lib. xv: uti & *lapidem Garamanticum* Plinius cap. vii ejuſdem libri: quo loco & *Carchedonium* ait nominari *propter opulentiam Carthaginis magnæ*. *Garamantidem* autem vocarunt, quia Garamantes templo ſint Ammonis vicini; ut ex Lucano antea, ac Silio, vidimus.

De Solis apud Æthiopas cultu fidem fecerit Solis menſa, quæ apud eos eſſe ferebatur. Ea cujuſmodi fuerit, ex Herodoti Thalia cognitum arbitror. Sed & apud Philoſtratum legas in vi de vita Apollonii cap. iii, ut Æthiopes ſacra faciant Soli, & Memnoni Eoo; cujus ſtatua loquatur, ſimulac radius Solaris os ejus pertigerit. Hoc quo pacto fieri poſſit, liquet ex iis, quæ de Serapidis dicebamus ſimulacro libri ſuperioris cap. trigeſimoprimo.

Nunc de Carthaginenſibus, ac Pœnorum aliis, videamus. Hos Solem coluiſſe, diximus antea *c* ex Servio in c Libri hujus c. 4.
i Æn. Cultumque eum accepere à Phœnicibus, quorum erant coloni. Itaque ut Phœnices, ac Syri, Molocho; ita & Pœni Saturno, qui idem ac *Moloch*, Sol nempe cum cælo & inferiori natura, victimas mactabant humanas. Ennius in Annal. *d* d Apud Nonium in Puellus.

Ille ſuos Divis mos ſacrificare puellos.

Etiam Peſcennius Feſtus in libris hiſtoriarum per Saturam, Lactantio *e* teſte, retulit, *Carthaginenſes Saturno huma-* e Lib. 1, cap. 21.
nas hoſtias ſolitos immolare: & cum victi eſſent ab Agathocle, Rege Siculorum, iratum ſibi Deum putaviſſe: itaque, ut diligentius piaculum ſolverent, ducentos nobilium filios immolaſſe. Similiter de Carthaginenſibus Plato in Minoe, Diodorus Siculus lib. xx, Trogus lib. xviii, Plutarchus de vindictæ divinæ tarditate, Porphyrius περὶ ἀποχῆς lib. ii: atque è noſtris, Tertullianus Apolog. cap. ix, & adverſus Gnoſticos cap. vii, Minucius in Octavio, Euſebius de Præpar. Evang. lib. iv, cap. xvi, Auguſtinus lib. vii de Civit. Dei, cap. xix, Cyrillus adverſus Julianum lib. iv. Et ſanè penè ubique terrarum cultum

ejuſce-

ejuſcemodi viguiſſe, oſtendimus libro ſuperiori, cap. xxxv. Conſuetudinem eam, ut in Galliis, ita in Africa etiam, ſuſtulit Tiberius. Tertullianus in Apolog. cap. iv: *Infantes penes Africam Saturno immolabantur palam, uſque ad proconſulem Tiberii.* Ubi vulgo *proconſulatum.* Quomodo ſi ſcripſerit Tertullianus, fugerit eum ratio, cùm Tiberius nunquam fuerit Africæ proconſul; imò nec in Africa pedem poſuiſſe videatur. Quod ignorare non potuit pereruditus ille Afer. Quare planè *proconſulem* repoſui, certiſſimam ſecutus Scaligeri emendationem in epiſt. ad Caſaubonum: ubi eam pluribus confirmat.

Doctiſſimorum etiam virorum ſententia eſt, per Amilcam, (quem à Carthaginenſibus cultum fuiſſe, teſtis eſt Athenagoras in Legatione ſua pro Chriſtianis) ipſum Solem intelligi oportere. Movet eos, quòd Saturnus Afrorum idem ſit ac Sol; & ejuſce cultum acceperint ab Oriente, ubi is dictus *Moloch*, vel *Milcom*: at Punicum *Amilcas* ſit a Pœno ſive Syro *Moloch*, vel *Milcom*: ut ſignificatione hæc conveniant. Equidem *Amilcas* à *Milcom* eſſe, non diffiteor: a quo itidem *Imilco*, vocabulum ducis Punici apud Oroſium lib. iv, cap. vi; & *Imilce*, heroinæ Punicæ nomen apud Silium iii. Verùm ut *Imilco* ducis ſive regis nomen fuit, ita & *Amilcas*. Solent enim Pœni, Orientalium more, nomina à Diis ſuis imponere. Ita à *Bal*, qui eſt *Belus*, ſunt *Annibal*, & *Aſdrubal.* Amilcas igitur ſive Amilcar non naturale fuit numen, ſed animale duntaxat. Quod ſatis eſt apertum ex Herodoto in Polymnia: ubi refert, ut Amilcas eo tempore dux fuerit Carthaginenſium, quo Gelo imperabat Syracuſis: quâ item occaſione ac cauſſâ, poſt cladem à Gelone acceptam, in Deos meruerit referri. Verba ipſa Herodoti adduximus libro ſuperiori cap. xxxii.

Cap. XII.

Varia Græcorum, & Romanorum numina ad Solem referri. Apollinis *etymon, ac* Phœbi. *Veterum judicio, Apollinem eſſe Solem: neque id Datim Perſam ignoraſſe. Cur Jovis, & Latonæ filius dicatur, & quæ ſit Latona, atque unde ei nomen. Cur Apollinem in Delo fingant natum. Sacra Apollinis in Delo quinto anno celebrata. Quamobrem Apollo fingatur intonſus: & cur cirros ei ſoleant offerre, ſimulac barba ſuccreſceret; Dianæ item zonam, quando nuberent. Cur Apollo credatur medicinæ auctor, & Æſculapii parens. Cur Æſculapius à Jove crederetur fulmine percuſſus: cur Cyclopes dicantur ab Apolline occiſi: cur Apollo relegatus in terras, & Theſſali regis pecus paviſſe, fingatur: cur divinationis præſes exiſtimatus: cur* Λοξίας *dictus. De Branchidarum, & Euangelidarum oraculo. Cur Apollo à Pane putetur divinationem didiciſſe. Cur præfectus poeſi, & muſicæ; item arti jaculandi. Cur dictus* ἑκάεργος. *Cujuſmodi ſacra Apollinis Iſmenii, & Galaxii. Cur Apollini ſacrata laurus, & olea; cygnus, cicada, & corvus; item lupus. Atque ut animal hoc, & alia,* ἀπὸ τῆς λύκης *nomen acceperint.*

NUnc videamus, quàm verè de Græcis etiam, & Romanis, dicat Macrobius lib. i Sat. cap. xvii, *diverſas virtutes Solis nomina Diis dediſſe:* &, ut poſtea loquitur, *appellationes Deorum ad Solem certâ & arcanâ ratione referri.* Quod ibidem longâ diſputatione oſtendit. Aliqua excerpam; ſed ſic ut plura adjungam, majorique ſingula penè luce circumveſtiam. Primùm loquar de Apolline, ſive Phœbo. Quamquam Apollo videri poſſit non tam ſol eſſe, quam ſpiritus malus, ſive principium omnis mali, quod invocabatur, ne noceret: ut pluribus expoſui lib. i, cap. v. Hoc pacto Ἀπόλλων fuerit participium ab ὄλλω, ſive ἀπόλλω, idemque ac ἀπολλύων, *perdens.* Vel ſi Solem ſignificabat, non aliter ei convenire, quam quatenus p[illegible] immittit. ut videre eſt Il. A. Id lucis imprimis facit, quæ violento Sole torrentur: ut apud Atlantes, Africæ populum: ubi teſte Mela lib. i, cap. vii, *Solem exſecrantur, & dum oritur, & dum occidit, ut ipſis agriſque peſtiferum.* Aliud etiam etymon adferam cap. xvii. Si malis, vocem ab Oriente eſſe, videri poſſit deductum ab עפל ophel, hoc eſt, *altus, excelſus.* Niſi malis ab אפליון, apilion, *tentorium, umbraculum:* in quo numen geſtabatur honoris ergo. Σκηνὴν *a* vocat B. Lucas *b*, ut ſuperiùs *c* vidimus. At Φοῖβος a puriſſimo ſplendore ſic vocatus. Nam naturâ ſua adjectivum eſt. Heſychius: Φοῖβος, καθαρὸς, λαμπρὸς, ἁγνὸς, ἀμίαντος. Quod Varinus in Lexico firmat illo Tragici:

a *Tabernaculum.* b *Act.* 7. 43. c *Cap.* 10.

—— Ἡλίου φοίβη φλόξ.
—— *Flamma Solis ſplendida.*

Apollinem verò Solem eſſe, Plato etiam docet in Cratylo: ubi & ipſe de nomine diſſerit. Cicero ſimiliter lib. iii de Nat. Deorum, *Solem Deum eſſe, Lunamque: quorum alterum Apollinem Græci, alteram Dianam nuncupant.* Item Julianus hymno in Apoll. Καὶ Ἀπόλλων, καὶ ἥλιος, αὐτὸς· τοῦτο κοινὸν ὄνομα πᾶσι καὶ γνώριμον. *Apollo ipſe Sol; quod nomen eſt apud omnes commune & notum.* Sed quid multis opus teſtibus in re non Græcis modò, ac Romanis, notiſſimâ; ſed illis etiam, quos barbaros dixere? Ita, nec Datin Perſam illud ignoraſſe, argumento eſt, quòd cùm tot delubra Græcorum combureret, parci tamen iis voluit in Delo, ubi Apollo ac Diana imprimis colerentur. Utcunque enim Perſæ non crederent, iſtic natos eſſe, ut Græci jactabant: (nullos enim, qui homines fuiſſent, in Deorum numerum recipiebant) Solem tamen, quem *Mithram* dixere, maximis coluere honoribus: eoque metuebat Datis, ne illata Apollini Delio injuria in Perſici Mithræ contumeliam redundaret.

Quare potiùs oſtendam, quàm ex eo, quòd Apollo idem fuerit ac Sol, facilè ſit rationem reddere eorum, quæ veteres tradidere de Apollinis natalibus, formâ, inventis, ſacris, & plantis, vel animantibus ei dicatis.

Heſiodus in Theogonia, uti & in Metamorphoſi Ovidius, Apollinem, & Dianam, natos ajunt è Jove, & Latona. Ubi Jupiter eſt opifex mundi: Latona eſt materies univerſi, quæ Λητὼ, ſive *Latona*, ἀπὸ τοῦ λήθειν *d*, juxta Platonem, dicta eſt, vel quoniam antequam lux foret, omnia in tenebris delituerint: vel quia, ut Platonici volunt, rudis illa indigeſtaque moles innumeris latuit ſeculis, uſque dum mundi ille architectus, omnibus in orbem redactis, ſingulis ſuum tribuit decus. In Delo etiam à Tullio natus traditur Apollo, quia Sol τῷ φωτὶ πάντα ποιεῖ δηλὰ καὶ φανερά, *luce ſua omnia facit manifeſta ac conſpicua.* Eademque de cauſſâ Diana etiam *Delia* dicta eſt. Sed Delii ſtudioſè appellationem eam pro ſe interpretabantur. Unde tanto in honore ſacra *Delia*, quincto quoque anno in Delo celebrari ſolita: ut eſt apud Thucydidem libro iii, & Pollucem lib. viii, cap. ix, ſect. xxvi.

d *A latendo.*

Formâ Apollo fingitur juvenili; quippe ἀεὶ καλὸς, καὶ ἀεὶ νέος, *ſemper pulcher, ſemper juvenis:* ut de eo canit Callimachus *e*. Fabula ex eo, quia Sol nullo vel tempore, vel labore, ſeneſcit. Χρυσοκόμης *auricomus* vocatur, ob radios aureos, quemadmodum &, ob aureum Solis colorem, arcus, pharetra, cæteraque ei aurea tribuuntur. Idem Homero ἀκερσεκόμης, ſicut *intonſus* Horatio *f* dicitur; *comus*, ſcriptori Ithyphallico. Eò autem ſpectarunt, quòd Soli radii ſint pro comis; ſemperque iis cingatur; haut aliter ac capillis ephebi, qui cirrati, & intonſi. At ſimulac genas ac mentum lanugò veſtire cœpiſſet, moris erat reſecare capillos, Phœboque eos offerre. Quod Athenis obſervatum; ut conſtat ex Plutarchi Theſeo. Idémque Romæ ac in Italia obtinuit: unde Varro Cato, ſive de liberis educandis *g*: *Itaque Ambraciæ primum capillum puerilem demtum, item cirros, ad Apollinem ponere ſolent.* Memineréque ejus ritus etiam Statius in iii Silv. Martialis lib. i, epigr. xxxii, atque alii. Eo autem reſectos Apollini κουροτρόφῳ dicabant, quòd ſimiles huic numini eſſe deſiiſſent: uti nubentes zonam ſacrabant Dianæ, quia deſinerent eſſe ſimiles Dianæ ſemper-virginis.

e *Hymno in Apollinem.* f *Lib.* 1, *od.* 21. g *Apud Nonium in* Cirri.

Inter

Inter reperta Apollinis eſt Medicina. Ovid. 1 Met.

Inventum medicina meum eſt, opiſexque per orbem
Dicor, & herbarum ſubjecta potentia nobis.

Nimirum quia à Sole eſt plantarum generatio; quæ & melius apricis ſuccreſcunt locis, quàm umbroſis, & humidis. Etiam pro ſole ſoloque variant herbarum vires.

Quoniam autem Apollo medicinæ præſes; eo & parens dictus Æſculapii, viri in arte hac principis; qui multos ſanitati reſtituit, conclamatæ antea valetudinis creditos. Sed quia & ille tandem, fatali omnium lege, leti calcavit viam, occaſio præbita eſt omnibus eum deſiderantibus calumniandi Jovem, quaſi merâ illum invidiâ ſuſtuliſſet. Ergo finxere, eum ab Deo irato, fulmine percuſſum. Alteram etiam admiſcuere fabulam. Apollinem ajebant ſuccenſuiſſe Jovi ob filium interemtum, ac propterea ſagittis ejus confectos Cyclopas, qui Jovi fulmina fabricarent. Hoc ad rerum pertinet naturam. Sol enim fulmine abſumit halitus terræ, qui cæteroqui in peſtilentiæ ſæpe cauſſa forent. Quod inter bona fulminis eſſe, ſciunt naturali ſcientiâ vel leviter tincti. Tum Jovem ajunt ita excanduiſſe, ut Apollinem cælo relegaret in terras: ubi is, inopiâ adactus, confugerit ad Theſſaliæ regem Admetum, ejuſque pecus paverit. Hoc ex hiſtoria petitum. Rex Arcas, cujus nomen honoris cauſſâ ſilere maluit antiquitas, ob durius imperium regno ſuo exactus, confugerat ad Admetum Theſſalum. Is, more regio, regis miſertus, (& fortaſſe etiam ſanguine vel aliter conjunctus erat) præfecit eum populo, ad amnem Amphryſum habitanti. Ergo paſtor fuiſſe dictus, uti reges ποιμένας λαῶν *a* Homerus appellat. Maluere autem ſub Apollinis nomine, quam alio, occultare verum regis nomen, quia Apollo φυσικῶς paſtorum princeps: unde & Νόμιος *b* dictus. Sol enim eſt, qui omnia animata alit, ac nutrit.

a *Paſtores populorum.*
b *Paſtoralis.*

Præterea Apollini tribuitur inventum divinationis: quod eo fit, quia ſol gentibus ſupremus Deus, cui ſoli convenit futurorum prædictio: unde & ea *divinatio* vocatur. Sol quoque oculus eſt Jovis, ut videat omnia, etiam obſcura. Sol omnia illuſtrat, ut non alter Deorum juſtiùs crederetur, caligine mentibus pulsâ humanis, præſtare, ut videant maximè occulta. Sol Λοξίας, quia obliquo fertur circulo Zodiaci. Apollo & hoc nomine, & aliter etiam, λοξίας, quia oracula illius obliqua forent ac flexiloqua. Hoc liquet ex Apollinis Delphici reſponſis: cujus oraculum in Græcia facilè erat vetuſtiſſimum: ut quod ea habuerit jam à Cadmi Phœnicis appulſu. Nec putandum, aliter fuiſſe comparatum cum aliis Apollinis oraculis. Ut illo apud Mileſios, omnium certiſſimo poſt Delphicum habito, quod Straboni & Pauſaniæ tum *Branchidarum* dictum, idque à primo ejus præſide Brancho, Semeri, ſive, ut apud Lactantium, Statii *c* interpretem, legas, Simeri filio: tum etiam *Euangelidarum*, idque ab Euangelo, qui Brancho ſucceſſerat. Vide, quæ Photius in Μυριοβίβλῳ *d* refert ex Cononis ad Archelaum Philopatorem narrationibus ſect. XXXIII, & LXIV.

c 8 *Theb.* v. 198.
d *Cod.* 186.

Dicitur Apollo hanc vaticinandi ſcientiam à Pane edoctus: ut eſt apud Apollodorum in primo bibliothecæ. Nempe per Pana intelligitur vel univerſitas naturæ, vel opifex univerſi.

Quia verò Apollo divinationis præſes, eò & habitus eſt pater divinantium. Uti Theſtoris illius, quo natus fuit Calchas Homericus.

Adhæc Poëſin & Muſicen inveniſſe exiſtimatus: unde ipſe apud Naſonem 1 Metam.

—— Per me concordant carmina nervis.

Eò autem ſpectarunt, quòd Sol, juxta Orphei *e*, ac Pythagoræ *f* etiam doctrinam, motus moderando ſidereos credatur ſuaviſſimum edere concentum: unde Dorylaus *g* mundum vocabat *organum Dei*; puta *Solis*: Varro *h* item *Divûm lyram*. Vel reſpexere, quòd Sol cauſſa ſit temperamenti, proque eo ingenium variet: cujus præcipua vis antiquiſſimis temporibus in Muſicis reluxit. Nam ſapientiam omnem carmine complectebantur; ut iidem eſſent Philoſophi, Poëtæ, & Muſici. Itaque & Apollo creditus Muſis præeſſe: unde cognomen Μουσαγέτης. Idemque pater habitus eorum, qui excellerent arte Muſicâ: uti Lini, à quo eruditi Thamyras, Orpheus, Hercules.

e *In Orphicis hymno in Apoll.*
f *Ariſtot. lib. 2 de cœl. cap. 9.*
g *Apud Cenſorin. cap. 13.*
h Ὀνοβόλοις.

Denique & arcum, ac ſagittas, dictus reperiſſe. Unde Callimachus hymno in Apollinem:

Φοῖβος γὰρ καὶ τόξον ἐπιτρέπεται, καὶ ἀοιδήν.
Sunt tela atque arcus, ſunt Phœbo carmina curæ.

Quod inde eſt, quia ἑκάεργος *a* ille, ut vocant poëtæ, cælitus radios ſuos, velut ſpicula, jaculetur in terras.

a *Procul operans.*

Sed nihil æquè Apollinem eſſe Solem comprobet, quàm ſacra Apollinaria. Verùm ea pro locis ita variabant, ut illis velle inſiſtere longioris fuerit moræ, quàm inſtituti hujus ratio ferat. Quare ſolùm dicam de ſacris Apollinis Iſmenii, & Galaxii: quorum ſic ritum deſcribit Proclus in Chreſtomathia *b*: Ξύλον ἐλαίας καταστέφουσι δάφναις, ποικίλοις ἄνθεσι· καὶ ἐπ' ἄκρου μὲν χαλκῆ ἐφαρμόζεται σφαῖρα· ἐκ δὲ ταύτης, μικροτέρας ἐξαρτῶσι. κατὰ δὲ τὸ μέσον τοῦ ξύλου, περιθέντες ἐλάσσονα ἐπ' ἄκρῳ σφαίρας, καθάπτουσι πορφυρᾶ στέμματα· τὰ δὲ πλεῦ τα τοῦ ξύλου περιστέλλουσι κροκωτῷ. βούλεται δ' αὐτοῖς ἡ μὲν ἀνωτάτω σφαῖρα τὸν ἥλιον, ᾧ καὶ τὸν Ἀπόλλωνα ἀναφέρουσιν· ἡ δὲ ὑποκειμένη, τὴν Σελήνην· τὰ δὲ προσηρτημένα τῶν σφαιρίων, ἄστρα τε καὶ ἀστέρας· τὰ δέ γε στέμματα τὸν ἐνιαύσιον δρόμον· καὶ γὰρ τξε' ποιοῦσιν αὐτά. *Lignum lauris coronant, variiſque floribus exornant: cujus in apice anea ſphara impoſita: ex hac minores dependent. Medio verò ligno purpurea corona adaptantur, minores quàm qua ſummo faſtigio impoſita. Imam verò ligni partem circumveſtiunt crocotulâ. Significat autem ipſis ſuprema quidem ſphara Solem, quo Apollinem deſignant: huic verò ſubjecta, Lunam ſignificat. Globuli vero appenſi ſtella & aſtra ſunt. Corona annuum curſum ſignificant. Trecentas enim, & ſexaginta quinque conficiunt.*

b *Apud Photium.*

Jam videndum, ut ex Solari etiam natura peti oporteat, cur has illaſve vel plantas, vel animantes, Apollini dicarint. Paucula excerpam; ſed ex quibus judicium fieri poſſit de cæteris. Ordiar à lauro; qua Apollo frontem præcingere dicitur. Atque eandem geſtabant Athenienſes, ſeptimo quoque lunæ die hymnum canentes Apollini: ut Proclus monet in illud Heſiodi Ἡμέραις,

—— καὶ ἑβδόμη ἱερὸν ἦμαρ.

Apollini autem eo ſacrata fuit, quia ut Deus hic ſemper juvenis, ac propterea conſtus ſemper: ita & arbor ea ſemper ſuas retineat frondes. Itaque ſic laurum ipſe compellat apud Naſonem 1 Met. fab. XIV:

Utque meum intonſis caput eſt juvenile capillis,
Tu quoque perpetuos ſemper gere frondis honores.

Altera etiam ratio acceſſit, quod & Sol, & laurus, igneæ ſint naturæ. Quemadmodum & hederam ob eandem cauſſam dicarunt Libero; qui non alius eſt à Sole, ut poſtea dicetur. De calore autem tam lauri, quàm hederæ, ex eo collegerunt, quia lignorum ſi iſtorum unum alteri affricetur, excutiatur ignis. Quin vulgò ita perſuaſum fuit, ſic laurum igni amicam eſſe, ut non ſit fulmini obnoxia: quod Plinio quoque traditum lib. XV, cap. XXX. Sed de iſto experientiâ ipsâ refellitur à Brodæo in Miſcell. lib. III, cap. II, ac Ludovico Vairo in ſecundo de Faſcino, cap. XIV.

Sed vide, quàm fertilis ſit error. Cùm laurum Soli ſacraſſent, ac eundem Apollinem putarent; Apollinem verò crederent poëſi, & divinationi, præeſſe: etiam eò ſtultitia illos protraxit, ut perſuaſum aliis vellent, laurum vatibus prodeſſe comeſtam; item, dormientium capiti ſuppoſitam, vera præſtare inſomnia. Quod ex Serapione Aſcalonita, & aliis, Fulgentio traditum Mythologicôn primo.

Olea quoque Apollini ſacra; ut indicat Theocritus in Herculeo Leonicida. Nempe quia, caloris amans Solaris, non ſuccreſcat locis frigidis.

Ex animantibus Apollini, Deo Muſico, ſacer cygnus, ob cantum: unde & poëtæ *cygni* dicuntur: ut Pindarus

a Lib 4. od. 2. Horatio *a* *cygnus Dircæus*: notumque illud Maronis Ecloga IX:

Cantantes ſublime ferent ad ſidera cygni.

Cicada etiam eandem ob cauſſam dicata eſt huic Deo: ac propterea etiam *cicada* vocati, ſed mali potiùs: ut ex Simonide alibi *b* oſtendimus.

b Orator. Inſtit. lib. 4. c 6. ſect. 12. Eidem, ut divinationis præſidi, ſacratus fuit corvus: quia pro imminente tempeſtate, vel ſerenâ, vel pluvia, vocem variando divinare cenſetur.

Lupus quoque ei ſacer, ſive quia, Solis inſtar, ὀξυδερκὴς *c*, ut Arati ait ſcholiaſtes: ſive quia poſt ſamem nocturnam diluculo exeat ad raptum: quam rationem adducit Macrobius in I Sat. Indeque & λυκος, à quo *lupus*, vocatur: nempe quia veteribus Græcis λύκη, *lux*: imò & *lux*, à λυκη: quemadmodum & ab eodem λευκός, *albus*, & ἀμφιλύκη, *diluculum*. Imò potiſſima ratio, cur Apollo Λυκιος diceretur, non ea fuit, quod in Lycia coleretur, unde Maroni *d* *Lycia ſortes*: ſed quia lucis fons atque origo foret.

c Acute cernens.

d 4 Æn.

CAP. XIII.

Quatuor planetas mares ad Solem reduci. Quod primum de Saturno, & Jove, oſtenſum: inde de Marte, cujus etymon adſeritur ex fonte Hebræo. Silvanus Mars, θεὸς ὑλαῖος, *qui &* Pan. *Tres cuiuſque poſſeſſionis Silvani. Denique comprobatur, eundem Theologis Mercurium eſſe, ac Solem: eoque Mercurio Julianum Deſertorem nocte intempeſtâ ſupplicâſſe.* Mercuriales viri. *Mercurius cur* Hodius, Enodius, *&* Hegemonius; *cur item* Argicida *nominatus: & cur alarum ejus alba una, cærulea altera: ut item duplex ſit Mercurius, Cæleſtis, & Terreſtris; ac Terreſtri dicatum ſit feſtum χυτρῶν: cumque eo conciliatum, quod alias dicitur ſacratum eſſe Baccho. Incautius feciſſe ſcriptores Græcos ac Romanos, dum numina barbara reddunt nominibus Martis, ac Mercurii.*

SEd Apollinem eſſe Solem, tam eſt pervulgatum, ut dum hoc contendo, videri poſſim actum egiſſe, niſi eâdem alia miſcuiſſem. Illud minùs calcatum, cùm quinque veteribus ſint planetæ, ut poſtea dicetur: univerſos, Venere exceptâ, per quam nunc Luna, nunc Heſperus intelligitur, unum ad Solem reduci. Ac de Saturno quidem id jam ante *a* ex Servio, Damaſcio, & aliis monſtratum nobis. Macrobio *b* idem eo comprobatum, quòd Saturnus Græcis Κρόνος, quaſi χρόνος dicatur: temporum autem nexus, Solis actu demonſtretur.

a Lib. 2. cap 4

b Lib. 1 Sat. c. 22.

Atque idem Macrobius *c* etiam ex Homero & Cornificio, Jovem eſſe Solem, oſtendit. Uti etiam eo, quod Ζεὺς Ἡλιοπολίτης non alius ſit, quàm Sol, ſive Solis cæliqite vis: ſicut arguunt, tum nomen *Heliopolios*, unde Aſſyrii hoc numen acceperunt; tum ſacrorum ritus, & ſimulachri habitus: de quibus cap. X vidimus. Etiam Philo Byblius ex Sanchuniathone Berytio apud Euſebium in primo Præpar. Euang. cap. VII, cùm de Solis cultu apud Phœnices mentionem feciſſet, ait: Τοῦτον θεὸν ἐνόμιζον μόνον οὐρανοῦ κύριον, Βεελσάμην καλοῦντες, ὅ ἐστι παρὰ Φοίνιξι, κύριος οὐρανοῦ, Ζεὺς ἢ παρ' Ἕλλησι. *Deum hunc unum eſſe cæli moderatorem putabant, eum vocantes Beelſamen, quod Phœnicum linguâ, dominum cæli, Græcâ autem Iovem notat.* Imò inferius oſtendam, Saturnum, & Iovem, non Solem modò, ſed cælum etiam, & univerſam rerum naturam, complecti: ſed ſic, ut cælum magis, quàm terras, inque cælis Solem magis, quàm ſidera alia, deſignent.

c Lib. 1 Sat. c. 23.

Venio nunc ad Martem, quod vocabulum valde eſt anceps. Interdum capitur ἱστορικῶς: quomodo Mars alius Aſſyrius, alius Græcanicus, alius Latinus. Aſſyrius eſt triplex: partim enim eſt Nimrodus, ſive Belus: partim ejus filius Ninus; partim Thurras, qui Nino in imperio ſucceſſit. Græcus Moſis ſive Cecropis tempore, vel paullo poſt, claruit in Attica. Latinus eſt incertus ille Romuli parens. De cunctis hiſce diximus libro ſuperiori capite XVI.

Interdum verò Martis nomen ſumitur φυσικῶς, idque bifariam. Mathematicis ſic dicitur planeta inter Solem Iovemque medius, qui aliter πυρόεις, θοῦρος, vel θούριος. At gentium Theologis Mars eſt Sol: quem ſic dictum conjecto, non quia maribus præſit, ut eſt apud Varronem *a*: non è *Mavors*, à magnis vortendis: non ex Ἄρης, M appoſito: ſed à מרץ marats: quod eſt *pollere*, ſive *validum ac potentem eſſe*: niſi malis a משחית, maſchites, ἀπολλύων, *perdens*, *deſtruens*: participio in Piel a שחת, *perdere*, *deſtruere*. Utrumque convenit Soli. Nam quid illo potentius in rebus creatis? ab eo quoque vires ac potentia hominum. Perdit idem homines bello, & peſtilentiâ. Adde quòd fervore ſuo ſanguinem concitat ad iram, ex quo bella. Atque ex his liquet, cur Martem ſive Solem præfecerint bello. Itaque & bellicoſæ gentes Arctoæ, cùm Martem pro ſummo numine colerent, eique aſinum mactarent; uti Cares canem, de quo antea dictum nobis *b*; non aliud videntur veneratì, quàm Solem. Quemadmodum & Germani, quibus *præcipuum Deorum Mars*, ut Tencteri apud Tacitum *c* ajunt, Solem animo complectebantur. Nam ridiculum eſt putare, majori eos loco habuiſſe, quem vulgò Martem dicimus, quàm Solem ipſum. Romani etiam ruſtici Solem videntur ſignâſſe per Martem Silvanum: uti Cato vocat de R. R. cap. LXXXIII, *Marti*, inquit, *Silvano in ſilva interdiu in capita ſingula boum votum facito. Silvanum* autem dixere, non quaſi ſolis præeſſet ſilvis; ſed quia vim ſuam exereret in univerſam elementorum ὕλην ſive materiem. Servius in illud VIII Æn. *Arvorum pecoriſque Deo: Publica ceremoniarum opinio hoc habet, pecorum & agrorum Deum eſſe Silvanum. Prudentiores tamen dicunt, eum eſſe* ὑλικὸν θεὸν, *hoc eſt, deum* τῆς ὕλης. *Hyle autem eſt fex omnium elementorum: id eſt, ignis ſordidior, & aer: item aqua & terra ſordidiora, unde cuncta procreantur; quam* ὕλην *Latini materiam, appellaverunt. Silvanus* igitur θεὸς ὑλαῖος, qui & *Pan*. De eo ſic Macrobius lib. I Sat. cap. XXII: *Pan ipſe, quem vocant Inuum, ſub hoc habitu, quo cernitur, Solem ſe eſſe prudentioribus permittit intelligi. Hunc Deum Arcades colunt, appellantes* τὸν τῆς ὕλης κύριον, *non ſilvarum dominum, ſed univerſæ ſubſtantiæ materialis dominatorem ſignificari volentes: cujus materiæ vis univerſorum corporum, ſeu illa divina, ſeu terrena ſint, componit eſſentiam.* Gloſſ. Philoxenii: *Silvanus*, Πὰν, θεὸς ὑλαῖος. Imò & Papias *Silvanum* eundem, ac *Pana*, facit. Itaque Silvano, ſive Pani, omnia ſua conſecrabant. Vetus ſcriptor de finibus agrorum: *Nam omnis poſſeſſio tres Silvanos habet; unus dicitur Domeſticus, poſſeſſioni conſecratus: alter dicitur Agreſtis, paſtoribus conſecratus: tertius dicitur Orientalis, cui eſt in confinio lucus poſitus, a quo inter duo pluresve fines oriuntur.* Ubi non dubium, quin *Silvanus Agreſtis* ſit Ἀγρεὺς καὶ Νόμιος Ἀπόλλων: quomodo & Ariſtæus Arcadibus vocabatur, ut cognoſcere eſt ex ſcholiaſte Pindari in Pythia. Atqui Νόμιος Ἀπόλλων Sol eſt, ut vidimus. Ex his omnibus ſic colligimus, & Martem ἁπλῶς, & ſpeciatim Martem Silvanum, imò & Pana, cùm Pan ſit Silvanus, eundem eſſe ac Solem putandum.

a Ing 4 de L. L.

b Lib. ſuperiori cap. 16.

c Lib. 4 Annal.

Nunc diſpiciendum de Mercurio. Sed hoc quoque nomen valde ambiguum eſt. Ἱστορικῶς Mercurius eſt Arcas ille ex Maja Atlantide in Cyllene monte natus, amaſius Palæſtræ, quæ ſoror Plexippi & Eneti fuit, filiorum autem Chorici, regis Arcadiæ: ſi ſidem habemus Servio in illud Maronis VIII Æn.

Vobis Mercurius pater eſt, quem candida Maja
Cyllene gelido conceptum vertice fudit.
At Majam, auditis ſi quicquam credimus, Atlas,
Idem Atlas generat, cæli qui ſidera tollit.

De hoc Mercurio, atque aliis, Mercurii nomine dignatis, vidimus libri ſuperioris cap. XVI. Hic verò Mercurium ſpectamus, non quatenus ille ad defunctos pertinet,

ſed

ſed prout refertur ad rerum naturam. Quod aliter in Aſtrologia fit, aliter in Theologia. Aſtrologis ſic dicitur planeta ille Lunæ proximus, qui aliter Στίλβων, ut Tullius *a* ait: *Cyllenius* ipſi Maroni *b*, *communis ſtella* Appulejo *c* vocatur. In Theologia gentium Mercurius eſt Sol; ſive virtus cæleſtis à Sole imprimis promanans; pro cujus dimenſo, alius alio eſt ſagaciori ingenio, magiſque ad ſtudia & doctrinas idoneo, atque adeò ad res etiam civiles velocius & concipiendas, & exſequendas. Hinc Ammianus lib. XVI: *Julianum nocte dimidiatâ ſemper exſurgens, occulte Mercurio ſemper ſupplicabat: quem mundi velociorem ſenſum eſſe, motum mentium ſuſcitantem, Theologica prodidere doctrina.* Quo verò ſucceſſu id Julianum feciſſe putarit Ammianus, ſequentia oſtendunt: *Poſtquam ad procudendum ingenium vertebatur: & incredibile, quo, quantoque ardore, rerum principalium notitiam indagans, & quaſi pabula quædam ad ſublimiora ſcandentis conquirens, per omnia philoſophiæ membra prudenter diſputando currebat.* Ac deinde ſubjungit, ut philoſophiæ etiam eloquentiam proſam ac verſam, & hiſtoriam omnem, Latinamque etiam linguam, adjunxerit. Nempe ad omnia hæc ſe vis Mercurii extendit: ut Theologis idem is ſit, ac Apollo Μουσηγέτης: qui non alius à ſole. Itaque licet Apollo præſit Muſarum ac poëtarum choro: poëtas tamen, ac Muſarum cultores, Horatius *Mercuriales viros* appellat lib. II, od. XVII:

Me truncus illapſus cerebro
Suſtulerat, niſi Faunus ictum
Dextrâ levâſſet, Mercurialium
Cuſtos virorum.

Ad Solem etiam refero Mercurium, viarum præſidem: unde dictus ὅδιος *d* ἀπὸ τῆς ὁδοῦ, juxta Heſychium, & Stephanum: item ἐνόδιος *e*: pro quo in Aldina Phurnuti eſt εὔοδος *f*: item ἡγεμόνιος *g*, quod apud eundem Phurnutum. Quippe de die vias monſtrat lux Solaris, quemadmodum noctu Lunaris: ut omne hoc de viarum præfecturis ad Solem Lunamque pertineat. Quod & Auguſtinus indicat in VII de Civit. Dei, cap. XVI. Etiam eò, quòd Mercurius dicatur occidiſſe Argum, Iûs cuſtodem, eum Solem eſſe, non inſcitè à Macrobio comprobatur. Nam Argus, multis ornatus oculis, eſt cælum tot ſtellis diſtinctum. Io eſt terra; dicitur que eò converſa in vaccam, quia apud Ægyptios bos, propter agriculturam, terræ eſt ſymbolum. Argus autem ideo perhibetur Iûs cuſtos, quia, Sole abſente, ſidera pro mortalibus vigilare credebantur. Mercurius occidiſſe Argum narratur, quia Sol exortus ſuo lumine obfuſcat lucem ſiderum, ſic ut non cernantur à nobis. Idem eo docet Macrobius, quòd pinnarum, quas Ægyptii tribuunt Mercurio, una ſit alba claraque; altera autem cærulea: ac illâ ſignent tempus diurnum, cùm hemiſphærium noſtrum claro Solis lumine illuſtratur: alterâ indicent nocturnum tempus, cùm cærula cæli prata, terræ umbrâ involuta, luce carent Solari. Itaque & duplicem ſtatuere Mercurium, unum Οὐράνιον, ſive Cæleſtem, Χθόνιον, ſive Terreſtrem alterum. Quorum hic animas deducere ad inferos credebatur: atque ex eo dictus πομπός, & πομπαῖος, ſive deductor, emiſſor: ψυχοπομπός, Pythagoræ etiam ταμίας τῶν ψυχῶν *h*, teſte Laertio: ac quia aurei ſunt radii ſolares, eo id facere dictus aurea virgâ, unde Homero *i* vocatus Χρυσόῤῥαπις *k*. Eſtque hic judicio quorundam, ut inferiùs dicetur, habitus unus è quatuor Diis Cabiris. Interea idem unum Mercurium ſuperus, & inferus: ſed quatenus Sol has terras illuſtrat, Mercurius erat ſuperus: inferus quatenus apud Antipodas moratur. Unde de eo Horatius *l*:

—— Superis Deorum
Gratus, & imis.

Ac Claudianus quoque in primo de R. P.

Atlantis Tegeæ nepos, commune profundis,
Et ſuperis numen: qui fas per limen utrumque
Solus habes, geminoque facis commercia mundo.

Atque hinc etiam cognoſcimus, quo pacto Χύτρας, ſive ollare feſtum, quod Mercurio terreſtri dicatum eſſe,

a *Lib. 2 de Nat. Deor.*
b *1 Georg.*
c *De Mundo.*
d *Vialis, ſive viam monſtrans.*
e *In via ſe efferens.*
f *Bonum ſanctumque iter præſtans.*
g *Dux viæ.*
h *Animarum quæſtor.*
i *Iliad. Ω.*
k *Auream habens virgam.*
l *Lib. 1, od. 10.*

ex Theopompo ait Ariſtophanis ſcholiaſtes, ſibi ſacrum dicat Bacchus apud Ariſtophanem in Ranis, & ibidem ſcholiaſtes *a*. Nec enim melius hæc conciliaveris, quam quòd non ſolum per Διόνυσον ſive Bacchum, ut poſtea probabitur, ſed per Mercurium etiam, Sol intelligatur.

Ex his eadem licet cognoſcere, quid per Ἑρμῆν ſive *Mercurium* intelligi debeat, cùm ſic Græci Romanique reddunt *Thoth* Alexandrinorum, *Teuth* Ægyptiorum, *Teutatem* Gallorum, *Wodan* Germanorum. Ut quod ſuperius diximus de Marte, quem Tacitus *b* ſupremum vocat Germanorum Deum; idem ſtatui quoque debeat de Mercurio, quem Germanos maximè colere, idem Tacitus *c* refert. Nam quis credat, vel Martis, vel Mercurii planetam, majori eos in veneratione habuiſſe, quam Solem ipſum? Utrobique igitur Sol intelligendus: quem quia diverſimode Germaniæ gentes expreſſerunt: diverſis quoque Martis, ac Mercurii vocabulis reddiderunt Romani. Sed, ut monitum nobis lib. I, cap. XXXVII, parum appoſitè: quia Latinè qui loquerentur, non Solem, ſed duos è quinque planetis, per Martem, & Mercurium, intelligerent: ea verò, quæ ab antiquiſſimis hominibus prodita eſſent de Martis ac Mercurii cultu, ad Solem reduci, pauxilli ſcirent; nempe non niſi homines eruditiſſimi, & qui arcana omnis Theologiæ penetraſſent. Quare ſatiùs fuerat retinere appellationes barbaras, qualis inter alias illa *Wodan*: de qua diximus lib. I, cap. XXXVII. Vim autem vocum, ut cenſeo, rectiùs per *Iovis*, aut *Apollinis* nomina, expreſſiſſent.

a *Act. 1, ſc. 5. quæ incipit, Βατιανει…*
b *Lib. 4. Annal.*
c *Lib. de moribus German.*

Cap. XIV.

Liberum eſſe eundem, ac Solem. Cur nebride uſæ ſint Bacchæ in ſacrificiis Liberi. Cur caſones Phœbo fuerint ſacri. Cur Spartæ in Hyacinthiis hederâ coronarentur. Spelunca Bacchica in Parnaſſo. Sabazius Jupiter *idem ac* Liber: *rectèque etiam* Sabadium *dici. Ritus immiſſi colubri aurei in ſinum initiatorum Iovi Sabazio, indeque educti, & quæ ritus ejus cauſſa: & unde eum acceperint Græci: unde item* Σαβάζιος *nomen: de quo Euſtathius, & Stephanus refelluntur. Plutarchus refutatus de* ſabbathi *etymo. Et Oſiridem, & Bacchum, non modò Solem eſſe, ſed etiam Humorem, maximè illum vitæ natum. Cur veretrum in Bacchi ſacris ſoleat circumferri. Bacchus duplex, cæleſtis, & ſubcæleſtis: ille ſol, hic liquor: ſolem autem hic ſignari, poſtquam occidit: & quam variè Bacchus ſoleat figurari. Unde* Iacchus *nomen acceperit. Variæ ſententiæ proferendi nomen Dei tetragrammaton. Quis* Ἰάω *ſit. Vannus Iacchi quid ſymbolicè notârit. Triplex apud gentes ratio animæ expurgandæ. Unde nomen Bacchi* λικνίτης*, & aliorum eo pertinentium. Vanni uſus in Minervæ ſacris.*

Expedivi de Solis appellationibus, quæ etiam conveniunt ſtellis quatuor erraticis. Incipiam nunc de nominibus ejus, quæ etiam competunt hominibus cælo donatis. Quales Dionyſius ſive Liber, Hercules, Janus. Ex his Liberum eundem eſſe, ac Solem, Diodorus Siculus in primo bibliothecæ oſtendit illo Orphei, ſive Onomacriti potiùs in Orphicis:

Τοὔνεκά μιν καλέουσι Φάνητά τε καὶ Διόνυσον.
Inde Phaneta illum vocitarunt, ac Dionyſum.

Item hoc Eumolpi in carminibus Bacchicis:

Ἀστροφαῆ Διόνυσον ἐν ἀκτῖνεσσι πυρωπόν.
Sidereum Dionyſum igni radiante coruſcum.

Atque addit idem Diodorus, eo νεβρίδα ſive pellem hinnuleam, quæ varia eſt, Libero tribui, quia tanta eſt aſtrorum varietas. Nebride quidem, hoc eſt hinnuli aut cervi pelle, bacchas, ſacrificii tempore, indui ſolere, vetus Statii interpres ad ſecundum Thebaidos annotavit. Ariſtoteles quoque in deperditis Theologumenis, Macrobio *a* teſte, eundem Apollinem, ac Liberum, eſſe ſcripſerat.

a *Lib 1. Saturn. cap. 18.*

Ulpianus item Rhetor ad orationem Demoſthenis contra Midiam ait, Ἐπὶ Διονύσῳ, καὶ Ἀπόλλωνα, καὶ Ἥλιον, καλοῦσι. *Quia Bacchum, & Apollinem, & Solem vocant.* Maronem quoque idem ſenſiſſe, oſtendit illud in x:

Inde Lycam ferit, exſectum jam matre peremtâ,
Et tibi, Phœbe, ſacrum.

Ubi *Phœbum* pro *Libero* dicit. Nam Libero ſacrabantur e matre exſecti, idque quia ſimilis horum origo ſit ortui Διονύσου ſive Liberi; ut qui ſecto patris femore prodierit in lucem. Apud Macrobium quoque in primo Sat. cap. XVIII, multa alia legas, quæ idem confirment. ut quòd Lacones in feſto illo Apollinari, quod in Hyacinthi memoriam triduo ſolet celebrari, hederâ, Bacchico ritu, coronarentur: ac Æſchylus quoque dicat, Ὁ κισσεὺς Ἀπόλλων *a*: & Euripides ſic eundem affetur Deum: Δέσποτα φιλόδαφνε, Βάκχε, Παιὰν Ἄπολλον, εὔλυρε· *Domine laurus amans, Bacche, Paan Apollo, lyrâ canore.*

a Hedera gaudens Apollo.

Præterea illud a Macrobio affertur, quòd in Parnaſſo monte, qui Apollini ſacer eſt, & Delphicum ejus oraculum habet, etiam Bacchicæ ſint ſpeluncæ, alternisque in eo annis Bacchanalia celebrentur. Quod in Thracia quoque idem credatur Sol, & Liber; quem illi Σαβάζιον nuncupant. Meminit ejus Ariſtophanes initio Veſparum; uti & in Avibus, ac Lyſiſtrata: qui ſemper Σαβάζιον nuncupat. Mentio itidem ejus apud Diodorum Siculum lib. III, Lucianum in Deorum concilio, Harpocrationem in Σαβοί, Euſtathium in Dionyſii περιήγησιν. In veteri quoque inſcriptione *b* eſt: Q. NUNNIUS ALEXANDER DONUM DEDIT IOVI SABAZIO. Et ſimiliter in aliis duabus inſcriptionibus *c*. Pro eodem tamen & *Sabadius* reperio in veteribus noſtris membranis Appuleji VII Met. nec mutandum, quia, ut Plato ait in Cratylo, Z & Δ μεταςρέφονται *d*. Ut ὄζω, *odor*, μεζόνως antiquè *Medentius*, teſte Priſciano, γαργαρίζειν, *gargaridiare* Varroni epiſt. ad Fuſium, βάζω, *vado*, & multa id genus alia. In ſacris Sabazii ſerpens immittebatur initians in ſinum. Quo de ritu ſic Arnobius lib. V: *Ipſa ſacra, & ritus initiationis ipſius, quibus Sebadius nomen eſt, teſtimonio eſſe poterunt veritati, in quibus aureus coluber in ſinum demittitur conſecratis, & eximitur rurſus ab inferioribus partibus.* Ubi *Sabazius* maluit Canterus. Sed rectum quoque eſſe *Sebadius*, vel *Sabadius*, liquet ex iis, quæ diximus. De eodem ritu ita Julius Firmicus Maternus lib. de errore profanæ relig. *Sebazium colentes Iovem anguem, cum initiantur, per ſinus ducunt.* Serpens in ſymbolum erat Dei, ut in pleriſque aliis ſacris. Immiſſio in ſinum, eductioque a partibus inferioribus, denotabat rerum omnium generationem, ac productionem in lucem: quam Soli deberi, ſæpius diximus. Hoc *Sabazii* tamen didicere Græci à Thracibus, Thraces ab Orpheo, Orpheus ab Ægyptiis, vel Syris. Nam peregrinum fuiſſe numen, indicavit Ariſtophanes in deperdita comœdia, & ex ea M. Tullius in ſecundo de Legg. *Novos verò Deos, & in his colendis nocturnas pervigilationes, ſic Ariſtophanes, facetiſſimus poëta veteris comœdiæ, vexat, ut apud eum Sabazius, & quidam alii Dii, peregrini judicati, e civitate ejiciantur.* Eſt verò Σαβάζιος a צָבָא, *militia, exercitus*: unde II Sam. V, Pſalm. XXIV, & LIX, יְהוָה צְבָאוֹת: uti & Rom. IX, 29, & Jac. V, 4, κύριος σαβαὼθ *e*. Nempe cum numen noſtrum vocetur *Deus Sabaoth*, hoc eſt, *exercituum*, eò quòd in cæleſtem ac terreſtrem omnem militiam, id eſt, in omnem creaturam, imperium ac potentiam ſuam exerceret: ſtultæ nationes ei creaturæ, quam pro ſummo numine haberent, puta Soli cælique, hoc nomen tribuerunt. Quod Græci ad veram cauſam non penetrarunt, id factum inſcitia linguarum, veterumque Orientalium. Itaque Stephanus in Σαβοῖς, & Euſtathius in Περιήγησιν, perſuadere aliis conantur, Σαβάζιον nomen dediſſe Σαβοὺς, gentem ſive Phrygiæ, ut ait Stephanus, ſive Thraciæ, ut vult Euſtathius: unde & Phrygia dialecto Σαβάζειν dici volunt.

b Inſcript. Grut. p. 22, n. 5.
c Ibidem n. 4, & 6.
d Z & D convertuntur.
e Dominus Sabaoth.

Equidem cenſeo nullam in Phrygia, vel Thracia, fuiſſe ejus nominis gentem. Sed nolim contra pugnare illis, qui utrobique (commune enim iis fuit, quia Phryges Thracum coloni; ut ait Strabo lib. X) Σαβοὺς vocatos τοὺς τελουμένους τῷ Σαβαζίῳ, *initiatos Sabazio*: quod apud Harpocrationem legas: imo etiam ἀφιερωμένους τόπους, *locos ei conſecratos*. Meo autem judicio, tum homines, tum loci, a Sabazio potius Σαβοὶ dicebantur, quam contrà. Credo in ſacris ejus numinis ſolitum eſſe *Sabaoth*, vel ſimile vocabulum, acclamari: indeque fuerit σαβάζειν pro εὐάζειν, & σαβασμὸς pro εὐασμός. At quod Plutarchus addidit, etiam *Sabbathum* à *Sabazio* dici, id nullo negotio pueri etiam Chriſtiani refellant: qui ſciunt שָׁבַת, ſive σαββατίζειν, ſignificare *quietem, ceſſationem*: ut σαββατίζειν Judæorum, cum iſto gentilium σαβασμῷ, nihil habeat commune.

Ex eo quoque eundem eſſe Διόνυσον ac Solem, elucet, quòd, Diodoro etiam teſte, idem ſit Liber, ac Oſiris; Oſiris autem, ut ſuperius dictum, Sol ſit. Imò, ut plenius poſtea explicabitur, non ſolùm Sol eſt, ſed etiam Nilus: quomodo Bacchus non modò eſt Sol, ſed etiam Humor. Itaque & magna erat convenientia inter ſacra Oſiridos, & Liberi: uti inter alia de phallo. Nam cum in Oſiridis ſacris adhibitum fuiſſe, oſtendimus alibi. Idem verò apud Græcos quoque in Liberalibus de pertica pendulus geſtabatur. Quem qui ferret, φαλλοφόρος, dictus: pompa ipſa φαλλαγωγία *a*, vel φαλλοφορία *b*: chori canticum φαλλικὸν ᾆσμα *c*. Cæterum phallus iſte, ut Plutarchus *d* docet, myſticè denotabat τὸ γόνιμον, καὶ τὸ σπερματικὸν, *genitalem ac ſeminalem vim*. Ea vis eſt à Sole: ſed, ut idem ait, δι' ὑγρότητος, *humoris interventu*. Itaque Bacchum ſi totum ſpectemus, pars ejus à cælo, nempe calor, qui ab Sole: pars eſt ſubcæleſtis, nimirum humor. Quibus duobus ad generationem opus. Hinc liquet, cur cæleſtis quidem Bacchus ſit Sol: ſubcæleſtis autem Aqua, ſive Liquor. In liquore autem principatum tenet vitigenus: ut nec ratio ſit obſcura, cur *Bacchum* poetæ dicant pro *vino*.

a Theodor.
b Heſych.
c Ariſtoph. Acharn.
d Lib. de Iſide & Oſiride.

Etſi verò contendimus, eundem eſſe Dionyſum ſive Liberum, ac Apollinem ſive Solem: agnoſcimus tamen cum Macrobio, diſcriminis aliquid in hiſce vocabulis eſſe obſervatum. Quippe Apollo dicebatur, quando eſſet in hemiſphærio diurno; Liber, cùm in nocturno foret: haut aliter, ac Luna, cùm ſupera terrarum luſtrat, Venus vocatur: Proſerpina autem, ubi ad Antipodes conceſſerit. Quemadmodum & variè effingebantur: Apollo quidem fere unâ ſemper ratione: Liber autem nunc ad ephebi modum; nunc inſtar adoleſcentis, cui lanugo ſerperet circa maxillas; nunc in ἀκμῇ, planè barbatus; nunc facie, barbâque ſenili. *Quæ ætatum diverſitates*, ut ibidem Macrobius tradit, *ad ſolem referuntur, ut parvulus videatur hiemali ſolſtitio, qualem Ægyptii proferunt ex adyto die certa, quod, tunc brevisſimus eſt, veluti parvus & infans videatur. Exinde autem, procedentibus augmentis, æquinoctio vernali, ſimiliter atque adoleſcentis adipiſcitur vires, figuraque juvenis ornatur. Poſtea ſtatuitur ejus ætas pleniſſimâ effigie barba, ſolſtitio æſtivo; quo tempore ſummum ſui conſequitur augmentum. Exinde, per diminutiones dierum veluti ſeneſcenti, quarta forma Deus figuratur.*

Quod verò de *Baccho*, ac *Libero*, diximus, idem de *Iaccho* judicandum. Ac proinde hac etiam appellatione tum Sol, tum liquor, indicantur. Eſt verò *Iacchus* ab יָהּ *jah*, uno ex Dei nominibus; ex quo *Halelu-ja*, hoc eſt, *Laudate Dominum*. Nempe audito hoc nomen *jah*, vel *iach*, gentiles reſonare ſolent in ſacris ſuis choreis. Quemadmodum & uſurpaſſe iidem videntur nomen tetragrammatum יהוה, ſive illud ſonet *Iave*, vel *Iabave*, ut Samaritani efferebant, unde & exiſtimo eſſe, quòd Ἰαβὲ pro eo ſit apud Epiphanium hæreſi XL, quæ eſt Archonticorum: ſive pronunciari debeat *Iehove*, ut Mercerus, ac Druſius, cenſent: ſive *Iehova*, ut plerique pronunciant Maſoritica: de quo diſputare non eſt hujus loci. Solum dicam,

dicam, non diſplicere eorum ſententiam, qui exinde, quòd acclamarent יהוה, ex ſonant Iacchum illud Græcum, ἰὲ Βάκχε. Quomodo *Bacchus* ſit ex poſteriori parte vocabuli: nempe ex הו. Sanè notum eſt, Vau abire ſæpe in B. Unde *Varro* Græcis ſcribitur Βάῤῥων; *Virgilius*, Βιργίλιος. Sed ſi de Bacchο diſplicet, ſaltem ex tetragrammato, vel ex *Iah*, eſt Ἰαώ: de quo ſic Diodorus Siculus lib. I: Παρὰ μὲν Ἰουδαίοις Μωσῆν ἱστορεῖ τὸν Ἰαὼ a ἐπικαλούμενον θεὸν προσποιήσασθαι τοὺς νόμους αὐτῷ διδόναι. *Judæi referunt, à Moſe fingi, Deum, qui dicitur Iao, leges ſibi tradidiſſe.* Ubi Ἰαὼ ſine dubio, vel pro nomine ponitur tetragrammato, vel idem eſt ac *Iah*, quod habemus Exod. XV, II, & in Pſalmis crebro. Utinam verò exſtaret Labeonis liber, ex quo iſta refert Macrobius lib. I Sat. cap. XVIII: *Conſultus Apollo Clarius, quis Deorum habendus ſit, qui vocatur* Ἰαώ, *ita effatus eſt:*

> Φράζεο τὸν πάντων ὕπατον θεὸν ἔμμεν Ἰαώ,
> Χείματι μέν τ' Ἀΐδην, Δία δ' εἴαρος ἀρχομένοιο,
> Ἠέλιον δὲ θέρευς, μετοπώρου δ' ἁβρὸν Ἰαώ.

Quæ ad verbum malo, quàm ſimili verſu, transferre:

> *Dic, omnium ſupremum Deum eſſe Iao:*
> *Hieme quidem Plutonem, at Jovem vere incipiente,*
> *Et Solem æſtate, auctumno autem mollem* (aut feſtivum) *Iao.*

Subjungit deinde Macrobius: *Hujus oraculi vim, numinis nominiſque interpretationem, qua Liber pater, & Sol,* Ἰαὼ *ſignificatur, exſecutus eſt Cornelius Labeo in libro, cui titulus eſt,* DE ORACULO APOLLINIS CLARII. Videmus autem ex iſtis, ut ſacerdos Apollinaris ſucum fecerit conſultoribus, eos à vero Iſraëlis Deo, naturæ auctore, abducendo ad naturam, Dei opificium: quaſi Judæi (quorum Deus Iao, ut agnoſcit Diodorus) coluerint Solem.

Cùm verò ab ſolo Iſraëlis Deo, qui *Iah* dictus, peccatorum ſit omnium remiſſio: nihil mirandum, ſi gentiles, Iſraëlitarum ſimiæ, ſacris ſui Iacchi, quod nomen ex Hebræo illo efformatum dicebamus, tribuerint expurgationem animæ ab omni criminis reatu. Hujus rei ſymbolum erat vannus: quæ myſticè denotabat, ut vanno repurgatur triticum ab aceribus ac teriimentis: ita Iacchi ſacris mundari animam ab omni crimine anteacto. Ad hunc ritum reſpexit Maro; cum in I Georg. ait,

> —— *Et myſtica vannus Iacchi.*

Ubi ſic Servius: *Myſtica Iacchi ideo ait, quòd Liberi patris ſacra ad purgationem animæ pertinebant: & ſic homines ejus myſteriis purgabantur, ſicut vannis frumenta purgantur. Hinc eſt, quod dicitur, Oſiridis membra à Typhone dilaniata Iſis cribro ſuperpoſuiſſe. Nam idem eſt Liber pater; in cujus myſteriis vannus eſt, quia, ut diximus, animas purgat; unde Liber ab eo, quod liberet, dictus: quem Orpheus à gigantibus dicit eſſe diſcerptum. Nonnulli Liberum patrem* λικνίτην b *appellant. Vannus autem apud eos* λίκνον c *nuncupatur: ubi de more poſitus eſſe dicitur, poſtquam eſt utero matris editus.* Bacchi λικνίτου meminit & Plutarchus de Iſid. & Oſir. Indeque *vannifer*, λικνοφόρος, Demoſtheni oratione contra Cteſiphontem. Sic enim iſtic, non λιχνοφόρος, ſcribendum eſſe, colligo ex Harpocratione in λικνοφόρος. Ubi & legas: Τὸ λίκνον πρὸς πᾶσαν τελετὴν καὶ θυσίαν ἐπιτήδειόν ἐστιν. *Vannus ad omnia initia, & ſacrificia, commoda eſt.* Quid mirum de τελεταῖς ſive initiis, cum his ex eo nomen ſit datum, quòd initium ſint vitæ melioris, ac vitæ hujus finis & perfectio? Quippe ea nequit eſſe, niſi animæ priùs purificentur: cujus rei ventilabrum erat ſymbolum, ut diximus. Nec mirum magis de ſacrificiis, quæ fierent ad mentes expurgandas, ac ſæpe urbem totam vel exercitum expiandum. Neque in ſolis Iacchi ſacris vannum adhibitam, ſed Minervæ etiam, indicat vetus poëta cùm apud Plutarchum, tum & Clementem Alexandrinum Admonitione ad Gentes d:

> Βάτ' εἰς ὁδὸν δὴ, πᾶς ὁ χειρῶναξ λεώς,
> Οἱ τὴν Διὸς γοργῶπιν Ἐργάνην θεὰν
> Στατοῖσι λίκνοις προστρέπεσθε. ——

a Citat quoque Juſtinus in paræneſ. ſed τὸ Ἰαὼ ibi prætermittitur.

b Malim λικνίτην, ut eſt apud Varronem. Niſi placet λικνιτήν.

c Malim λίκνον, vel λικμόν.

d Pag 35, principio ſive Florentinæ editionis.

> *Ite in viam omnis populus manu victum parans,*
> *Gnatam Jovis Gorgopin Erganen Deam*
> *Statuto adorans ventilabro.* ——

Triplex verò animæ erat expurgatio in gentilium ſacris; & è una, altera aquâ, tertia igni. Ventilabrum ſive vannus Liberi ad aëra pertinet, uti & oſcilla. Audiamus teſtem Honoratum in VI Æn. *In omnibus ſacris tres ſunt iſtæ purgationes. Nam aut teda purgantur, & ſulphure; aut aqua abluuntur; aut aere ventilantur, quod erat in ſacris Liberi. Hoc enim eſt, quod dicit in II Georgic.*

> —— —— —— *Tibique*
> *Oſcilla ex altâ ſuſpendunt mollia quercu.*

Atque ad triplex hoc genus purgationis reſpexit Maro in VI magni operis:

> —— —— *Aliæ panduntur inanes*
> *Suſpenſæ ad ventos; aliis ſub gurgite vaſto*
> *Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.*

Fit etiam terrâ purgatio: ſed hæc comprehenditur ſub ea, quæ fit igni, ſive illa potiùs, quæ igni fit, continetur ſub illa, quæ fit terrâ, quia ignis eſt è terra. Hac de re dicemus cap. LXV.

CAP. XV.

Priuſquam accedatur ad Phyſicum Theologorum Herculem, breviter ex priori libro colligitur, quàm varii Hercules fuerint: atque oſtenditur, gentiles Herculi ſuo tribuiſſe, non modo geſta Joſuæ, de quo antea abunde: ſed (ut de Samſone taceam) etiam quædam ex hiſtoria Jonæ prophetæ: unde occaſio illis fabulæ de Hercule ſuo à balæna aliquando devorato, ſed reſecante ejus ventrem, atque ita ſalvo ac ſoſpite emergente, abſumtis dumtaxat pilis ob internum belluæ calorem. Ogmium Herculem, cujus figura refertur, ſymbolum fuiſſe viri diſerti: Prodicium Herculem fuiſſe ſignum ac characterem adoleſcentis in ætatis lubrico illo voluptatis illecebras poſthabentis ardua virtutis calli. Hinc oſtenditur, Herculem eſſe Solem, tum Aſſyriis ac Medis, tum Ægyptiis, tum etiam theologis Græcis: de quibus id probatur ex Herculis etymo, ac genere. Item ex fabella de circulo lacteo: cujus candor ab Hercule lac vomente; hoc eſt, Solis lumine reflexo, juxta pleroſque veterum. Veram interim candoris cauſſam eſſe à congerie minutarum ſtellarum; uti olim Democrito viſum, hodieque tubo Batavo comprobatur. Cur XII ſtatuerint Herculeos labores: & cur clavam ei pellemque leonis tribuerint. Per hydram Lernæam ab Hercule occiſam innui paludem ab Sole exſiccatam: perque mala Heſperidum ab Hercule ablata, indicari lucem ſtellarum Solari luce obſcuratam. Adducitur altera fabulæ enarratio; ſed petita ex hiſtoria, quam more ſuo poëtæ corruperint, occaſione vocis ambiguæ, & oves, & mala ſignificantis. Etiam Herculem Romanum videri haud alium à Sole. Nomen ei Recarano: fortaſſe quaſi regi Carano; hoc eſt, domino regi. Caranus, & κοίρανος, unde ſint: & de Carano Heraclida, regni Macedonici conditore. Etiam eo oſtenſum, Herculem Romanum eſſe eundem ac Solem, quia & idem Varroni ſit ac Mars. Germanos priſcos Martem coluiſſe ſub effigie columnarum Herculis.

A Libero nunc ad Herculem me confero: quorum uterque rex Orientis fuiſſe dicitur; ut Juſtinus ex Trogo ait lib. XLII. Verùm ille non ad rerum naturam, quam nunc ſpectamus, pertinet: ſed ad geſtorum hiſtoriam; de qua actum nobis libro ſuperiori. Unde cognoſcere fuit, Occidenti etiam ſuos fuiſſe Hercules: Creticum, unum Idæorum dactylorum, ſive Curetum, vel Telchinum; de quo cap. XXVIII: alterum Thebanum, ſive Amphitryoniadem, quem expendebamus cap. XIII: tertium Romanum, nomine Caranum, vel Recaranum; de quo libri ejuſce cap. XII. Imò an hic quoque non potiùs naturale fuerit numen, ac planè idem ac Sol, paullo pòſt conſide-

rabimus. Præter iſtos, ut vidimus, alius fuit Hercules Ægyptius, nomine Gignon, vel Gigon: de quo dictum cap. XVII. Alius Phœnicius, nomine Melicarthus, Deſanaus, vel Diodas: de quo cap. XXII. Alius Ægyptiocananæus, Joſua noſter: cujus geſta Herculi attribui, oſtendimus cap. XXVI. Imò nec dubium, quin ex Samſone noſtro, qui Thebano illi Herculi par vel ſuppar fuit, occaſionem quoque rapuerint Phœnices, Ægyptii, ac Græci, tam multa de ſuo Hercule comminiſcendi, ne heros ſuus ullâ parte illo populi Dei inferior videretur. Quemadmodum & pene extra controverſiam omnem ponimus, fabulam de Hercule in balænæ ventre commorante, fuiſſe confictam ex prophetica Jonæ noſtri hiſtoria. Quod quia antea nobis indictum, non abs re erit, ſi paucis exponam, priuſquam ad phyſicum Theologorum Herculem accedam. Antiquiſſimus, qui hanc fabulam tangat, Lycophron eſt, qui ſic pene initio Caſſandræ:

> Τριεσπέρου λέοντος, ὅν ποτε γνάθοις
> Τρίτωνος ἠμάλαψε κάρχαρος κύων·
> Ἔμπνους δὲ δαιτρὸς ἡπάτων, φλοιδούμενος
> Τινθῷ λέβητος ἀφλέγοις ἐπ᾽ ἐσχάραις,
> Σμήριγγας ἐστάλαξε κωδείας πέδῳ.
> *Triveſperi (ſive trinoctii) leonis, quem aliquando maxillis*
> *Tritonis deglutivit aſperè dentatus canis:*
> *Vivus autem diſſector inteſtinorum ambuſtus,*
> *Cavo lebetis in focis ignis expertibus*
> *Capillos deſtillavit capitis ſolo.*

Quem in locum ſic Iſacius Tzetzes: Τριέσπερον τὸν Ἡρακλέα λέγει καλεῖν τὸν Λυκόφρονα, διὰ τὸ ἐν τῷ κήτει τρεῖς ἡμέρας μεῖναι, ἃς ἑσπέρας καλεῖ διὰ τὸ ἀφώτιστον καὶ σκοτεινὴν εἶναι τὴν γαστέρα τοῦ θηρίου. *Trinoctium ait Herculem vocari à Lycophrone, quia in ceto tres tranſegerit dies: quas veſperas ſive noctes appellat, quia lucis expers, & tenebricoſus foret ceti venter.* Pleniùs B. Cyrillus in Jonæ cap. II: Ἡρακλέα φασὶ τὸν Ἀλκμήνης καὶ Διὸς, καταποθῆναι ὑπὸ κήτους· ἐκδοθῆναι δὲ πάλιν ἐκ τοῦ ἐμφύτου θερμότητος, ἐψιλωμένης αὐτῷ τῆς κεφαλῆς, καὶ μόνης τρίχες πεπονθέναι τὴν ἀπόφασιν. μέμνηται δὲ τῆς ἱστορίας Λυκόφρων. *Herculem, aiunt, Alcmenæ & Jovis filium, deglutitum quidem à ceto, redditum tamen, ab inſito ceti calore capite ſolum depilato. Meminit verò hiſtoriæ Lycophron.* Theophylactus quoque in eundem Jonæ locum: *Devoratur ergo à ceto Jonas, treſque dies ac totidem noctes in eo permanet vates: quæ res omnem excedere fidem audientibus videtur, maximè iis, qui ex Græcorum ſcholis, ſapientéque doctrina, ad hanc hiſtoriam accedunt. Quos equidem non ſatis demirari poſſum, qui fiat, quod hæc non intelligant, cùm ſuis ipſorum alis capiantur. Apud ipſos enim nonnihil tale de Hercule narratur: nempe quod & ipſe, à balæna devoratus, incolumis remanſerit; niſi quod tantummodo depilatus redierit; idque ob ingenitum, & internum belluæ calorem. Aut igitur noſtra ſuſcipiant, aut ſua rejiciant.* Atque ex his eadem liquet, non tres modò fuiſſe Hercules; de quibus Diodorus in IV: nec ſex duntaxat, quot receuſet Cicero de Nat. Deorum, & Arnobius in IV; ſed longè plures: imò Varro numerabat Hercules XLIII. Sed veriſimile eſt, in iis aliquos fuiſſe ſymbolicos: qualis Ogmius, ſive Hercules Celticus: quem Lucianus deſcribit ſenem & calvaſtrum, ad modum ſeniorum nautarum marinorum, indutum pelle leoninâ, dextra ῥόπαλον ſive clavam, ſiniſtrâ geſtantem arcum, pharetrâ de humeris dependente, catenis ex auro & electro per linguæ extremitatem inſertis, & auribus multitudinis, ſponte ſectantis, alligatis. Atque hic eloquentiæ ſymbolum fuit: ut dictum lib. priori cap. XXXV. Nec profectò dubitandum, quin & Græcorum ille ſæpe intelligi debeat ſymbolicè; tanquam fictitium exemplum τῆς συνέσεως καὶ ἀλκῆς a. Per monſtra enim, quæ domuit, ſignabant monſtra vitiorum; ut luxuriam, avaritiam, inertiam, atque alia. Itaque & ſolum dixere ex Argonautis ſe continuiſſe in navi, nec exiiſſe ad Hipſipylen, quia ſapiens non vincitur libidinis illecebris. Notum etiam de Hercule adoleſcente: quem primus Prodicus Ceus finxit audiſſe Voluptatem, & Virtutem, diſceptantes: eumque ſecuti Xenophon, Cicero, Philoſtratus. Verum neque nunc ſermo nobis de Hercule, quatenus ad geſtorum pertinet hiſtoriam: neque de commenticio illo philoſophorum, qui character eſt morum ac vitæ: ſed de illo Theologorum Hercule, qui eſt Sol. Nam idem ille, ac Mars, qui Sol, ut vidimus. Macrobius lib. I Sat. cap. XII: *Chaldæi ſtellam Herculis vocant, quam reliqui omnes Martis appellant.* Quod de ſtella Martis dicit, id ad ipſum Solem ſe extendit. Quod Medorum etiam Perſarumque indicat religio: ut quibus Dii fuerint *Belus, Sandes, Anaitis*: ac *Belus* quidem fuerit Cœlus ſive Jupiter; *Sandes* Hercules, ſive Sol; *Anaitis* Venus, hoc eſt, Heſperus, vel potiùs Luna. Atque hoc ita eſſe, ex Beroſo, Athenocle, & Symmacho, antiquiſſimis Aſſyriarum & Medicarum rerum ſcriptoribus, tradidit Agathias lib. II.

a Prudentiæ & fortitudinis.

De Ægyptiis idem dixero: quibus in Hieroglyphicis Hercules effingitur triceps; leonis capite, in medio; à dextra, capite canis blandientis; à lævâ, rapacis lupi. Hoc de Sole, temporis dimenſore, interpretatur Macrobius lib. I Sat. cap. XX. Leonino capite tempus ſignatur præſens; quia, ut nihil eſt leone ferventius, ita ſolum hoc tempus actu ferveat præſenti. Medio eſt loco, quoniam præſens interjectum eſt inter præteritum, ac futurum. Præteritum notatur capite lupi; quo nihil rapaciùs. Futurum ſignatur capite canis; quod animal adulatione ſuâ figurat ſpem, quæ ſemper abblanditur.

Harum gentium exemplum ſequuntur Græcorum theologi: quod & Græcanicum *Herculis* etymon firmat. Nam Ἡρακλῆς dictus, quaſi Ἥρας κλέος, *gloria ac decus Junonis*, ſive aëris: ut Macrobius quoque ἐτυμολογεῖ lib. I Sat. cap. XX. Et cui plus aër debeat, quàm illuminanti? Præterea Hercules eſt Jovis proles. At Jupiter eſt æther, in quo nihil majus & pulchrius Sole. Dicitur Hercules, cùm ubera Junonis ſuxiſſet, tantum lactis ore ſuo rejeciſſe, ut inde candidus fieret circulus, qui nunc γαλαξίας a dicitur. Nimirum eo ſpectarunt, quòd veterum aliqui putarent, candorem illius circuli, per Geminos, & Sagittarium deducti, eſſe ἀνάκλασιν τῆς ἡμετέρας ὄψεως πρὸς τὸν ἥλιον, *adſpectus noſtri reflexionem ad Solem*; teſte Ariſtotele lib. I Meteorolog. cap. VIII: ubi opinionem hanc meritò quidem refellit; ſed, quod factum nollem, deteriorem ſubſtituit. Neque enim in aëre eſt is candor, ſed in æthere; neque is continuus, ſed interciſus; idque, ut Democritus rectè perſpexit, ex congerie minutarum ſtellarum: quæ ſententia tubo ſive teleſcopio Batavo manifeſtè comprobatur. Hoc enim ſtellæ illæ minutæ & diſcretæ liquidò ſatis videntur. Ariſtotelis verò ſententia, qui congeriem eſſe exhalationum in ſumma aëris regione arbitrabatur, abundè eo refellitur, quod cùm pro tempore exhalationum quantitas ac ſitus variet, hîc tot ſeculis ſumma ſit conſtantia. Præterea, ubicunque terrarum ſis, nulla eſt adſpectus diverſitas, quam parallaxin dicunt. Quod ſatis obſervatum Argonautis noſtris Batavis, nunc Europæ, nunc Africæ vel Aſiæ extima petentibus; ut de utraque America taceam. Neque id planè neſcivit Averroës, qui Ariſtotelem hic deſerit, ſeque fatetur, & Cordubæ in Hiſpania, & Marochi in Africa, eodem planè galaxiæ loco, ſidus Aquilæ conſpexiſſe: quod minimè foret, locis tantopere diſſitis, ſi galaxias penderet in ſuprema aëris regione; quia parallaxi proderetur.

a Circulus lacteus.

Sed ut in iſto decepti ſunt veterum aliqui, quòd à lacte Herculis, hoc eſt, reflexione lucis ſolaris, candorem lactei eſſe circuli crederent; ſunt fabulæ aliæ, quibus ſolidius adſtruatur, per Herculem intelligi Solem. Uti quòd, pro duodecim ſignis cæleſtibus, quæ quotannis Sol permeat, duodecim ſtatuantur labores Herculis. Quod item inſignia ejus ſint ῥόπαλον, ſive clava, & pellis leonina: ac pellis quidem ad ſignandam potentiam Solis, quando eſt in ſigno Leonis. Quò & clava pertinet, niſi inæqualitate ejus malis notari motum Solis inæqualem, dum obliquo Zodiaci baltheo fertur. Nempe verè Vettius apud Macrobium Sat. lib. I,

lib. I, cap. XVII, *poetarum gregem, cùm de Diis fabulatur, ab adytis plerumque philoſophiæ ſemina mutuari.*

Quod & fabula de hydra Lernæa oſtendit. Hydræ enim nomine ſignificatur elementum id, in quo vivit, & unde nomen accepit: hoc eſt, ὕδωρ, ſive ὕδας, *aqua*. Lerna erat Argolidos palus, ubi egiſſe hydra dicitur Lernæa. Hydram hanc occidit Hercules: hoc eſt, paludem eam Sol exſiccavit. Sed neceſſaria quoque fuit opera Iolai; qui vicinam dicitur ſilvam accendiſſe. Nempe ad exſiccationem loci hoc plurimùm conferebat. Eo Iolaus torres dicitur detuliſſe ad Herculem, ne cervicibus hydræ adultis pro capite uno ſuccreſcerent plura.

Etiam huc referendum, quod Hercules rapuiſſe fertur mala Heſperidum. Eo enim ſignatur, Solem exortum luce ſuâ præſtringere lumen ſtellatum; quæ generali nomine per *Heſperidas* intelliguntur: quippe Veſperæ, & Noctis filiæ; ut vel indicio eſt nomen ipſum, quod ἀπὸ τῆς ἑσπέρας a. Veſpera autem initium eſt noctis. Per hortum Heſperidum intelligitur cælum ſtellatum. Nam quod in hortis flores, id in cœlo ſtellæ: unde poëtæ & *flores* pro *ſtellis*, & *ſtellas* pro *floribus* dicunt; ut in quarto Inſtitutionum Oratoriarum oſtendimus. Μῆλα χρυσᾶ, *mala aurea*, ſunt ſtellæ. Mala, quia rotunda; Aurea, quia aurei coloris. Draco, qui cuſtodit, vel zodiacus eſt, vel horizon, vel, ſic ſi malis, draco inter arctos ambas flexuoſus decurrens; ut Germanici cenſet interpres.

> a A veſpera.

Sed hæc quidem ejus fabulæ eſt interpretatio φυσικὴ, ſive θεολογικὴ: quatenus nempe Hercules eſt Sol. Præter quam & altera eſt expoſitio ἱστορικὴ, quatenus hæc referuntur ad heroëm Tyrium, vel Ægyptium, ſive is unus idemque fuerit: ſive Tyrius quidem in Hiſpania, in Africa alter bellum geſſerit. Huc refert Diodorus in quarto: ut qui per mala aurea intelligat oves præſtantiſſimas, quas, cuſtode earum Ladone interemto, Hercules abduxerit. Nempe fabula ſic orta ſit ex ambiguitate vocabuli μῆλα, quæ & *oves*, & *mala*, ſignificat: uti Varro docet lib. I de R. R. Verba ejus inferiùs apponam.

Fortaſſe autem nec alius, quam Sol, fuerit Hercules Romanus, initio capitis nobis memoratus, ac imprimis libri ſuperioris cap. XII: ubi & dicebamus, ſcriptori b quidem de origine gentis Romanæ, ſive is S. Aurelius Victor, ſeu alius, *Recaranum* vocari: at Verrio Flacco apud Servium dici *Garanum*, vel *Caranum*. Unde ſuſpicio mihi objecta, Herculem *Recaranum* nominatum, quaſi *Regem Caranum* dicas. *Caranus* verò ad verbum idem notet ac *Belus*. Nam uti *Belus*, בעל *dominus*; ut abunde antea vidimus: ſic & *Caranus*, idem ac κοίρανος, *dominus*; idque, ut cenſeo, à קרא kara, *vocavit*: unde קרי kari, *vocatus ad regnum, inclytus, celebris*. Ut קריאים keruim, *inclyti, magnates*; Numer. I, 16, item II Sam. XV, II, & Ezech. XXIII, 23. Ut verò *Belus*, & Solis, & Regis: ita *Caranus* quoque utriuſque fuerit nomen. Sed Belus, Aſſyrii regni conditor, Nimrodus: auctor verò imperii Macedonici, Caranus; teſte Diodoro, Livio, Juſtino, Pauſania, Solino, Cedreno, cui corruptè eſt Κάρανος. Atque idem docuit Pontius Paullinus lib. de regibus ex tribus Suetonii libris: unde inter alia verſum hunc adduxit Auſonius c:

> b Idque ex L. Caſſii Hemina Annal. lib. I.

Et Caranus, Pellæa dedit qui nomina regum.

> c Epiſt. 19. quæ ad hunc Pontium Paullinum.

Ab Hercule originem ejus deducunt omnes: ſed ab eo facit decimumſextum Vellejus, undecimum Dexippus in iis, quæ ex Euſebio excerpſerat Syncellus. Sic enim ille: Οὗτος ὁ Κάρανος ἀπὸ μὲν Ἡρακλέους ἑνδέκατος ἦν, ἀπὸ δὲ Τημένου, τοῦ μετὰ τὴν κάθοδον Ἡρακλειδῶν κατελθόντος εἰς Πελοπόννησον, ἕβδομος. *Hic Caranus ab Hercule erat undecimus; à Temeno, qui cum Heraclidarum aliis in Peloponneſum deſcendit, ſeptimus.* Seriem vide mihi d ex Theopompo, & aliis, expreſſam.

> d In Scaligeri Euſebio, ſive Græcis ex eo excerptis, pag. 47.

Sed ab illo Macedonum Carano Heraclida redeo ad Caranum ſive Recaranum Romanum: quem *Gradivum* poëtæ malunt nominare. Hunc eundem eſſe ac Solem, etiam ex Varrone evincit Macrobius lib. III Sat. cap. XII: *Salios autem Herculi, ubertate doctrinæ altioris, adſignat Virgilius; quia is Deus & apud pontifices idem, qui & Mars, habetur. Et ſanè ita Menippea Varronis affirmat, quæ inſcribitur, Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς a: in qua cum de Hercule multa loqueretur, eundem eſſe & Martem probavit.* At Mars idem ac Sol, ut ex eodem Macrobio vidimus. Germanis tamen veteribus alius Mars ab Hercule: ille naturale numen, idem ac Sol, eoque Deorum præcipuus: hic numen animale, primus virorum fortium: ut oſtendimus libri I, cap. XXXVII. Martem interim coluere ſub ſymbolo Herculeo. Witichindus Chronici Saxonici lib. I: *Secundum errorem paternum, ſacra ſua propriâ veneratione venerati, nimirum Martem, effigie columnarum imitantes Herculem.*

> a Alias bis Hercules.

Cap. XVI.

Nec Janum Theologis eſſe alium à Sole monſtratur: & unde dicatur, quando ſic accipitur. Unde etiam ſit ἥλιος, repetitur. Unde item Solis ſit appellatio, & aliorum quorundam etyma. Iana *pro Luna, indeque* Dea Iana, *ſive* Diana. *Aliter Janum dici patrem, aliter Quirinum. Cur biceps, & biformis, nominetur. Cur & quadriceps ſit effictus. Cur dictus ſit* Conſivius, Patulejus, Cluſius, Claviger. *Cur cum ſceptro, & clave, figuratus. Apollo* θυραῖος. *Januarius cur Iano ſacer. Cur aræ illi ſacratæ duodecim. Ut manuum geſtu repræſentaris numerum tot dierum, quot abſolutus haberet annus.*

Nunc ad Janum pergamus. Quod nomen ſi ab hiſtoria arceſſimus, ex *Iavano* fuerit contractum: quam vocabuli ejuſce rationem ſuperiori attulimus libro, cap. XVIII. Sin *Iani* appellatio primò non homini convenit, ſed Soli: fuerit & ipſa ejuſdem originis, ac *Iacchus*: nempe ab יה, *jah*. Sanè pleræque Solis appellationes habent divinitatis argumentum: etiam Græcum ἥλιος, & Latinum *Sol*. Nam (ut ex Servio a Iſidorus b annotavit) Ἥλιος eſt ex אל, ἦλ. Quod unum ex Dei nominibus à potentia deſumtum. Ab ἦλ quoque, vel ἥλ, eſt *Sol*. Nam Latini ſpiritum mutant in S; ſæpius quidem aſperum; ut ἕξ, *ſex*, ἅλλομαι, *ſalio*: ſed ſubinde etiam tenuem; ut εἰ, *ſi*; εἴρω, *ſero*, pro *dico*, unde *diſſero*; ab εἰρμὸς, *ſermo*. Pro H verò ſæpe Ω poſuere; ut ψάχω, ψώχω, *ſtingo*; Μαιῆτις, Ionice Μαιώτις, *Mæotis*; Κέλης, *celox*; πρηνὴς, *pronus*, & ſimilia. Janum verò à nonnullis Solem creditum, oſtendunt etiam illa Arnobii lib. III: *Incipiamus à Iano patre: quem quidam ex vobis mundum, annum alii, ſolem etiam prodidere nonnulli.* Ibidem & Cæli filius creditus perhibetur. Quid convenientius, quàm ut Sol dicatur filius Cæli? Sed gentiles ipſos potiùs advocemus. Quis ignorat, Apollinem eſſe Solem, Dianam eſſe Lunam? At Nigidius Figulus, Romanorum poſt Varronem doctiſſimus, *pronunciavit, Apollinem eſſe Janum, Dianamque, Janam*; ut iiſdem verbis Macrobius ait lib. I Sat. cap. IX. Sanè Lunam eſſe dictam *Janam*, indicat Varro in libris de R. R. c. ubi legas; *Jana creſcens, & ſeneſcens*. Sed in editis corruptè additum eſt *Luna*; uti obſervatum Scaligero. Et hinc *Diva Jana*; quæ κατὰ συγκοπὴν *Diana*. Uti in carmine Saliari apud Varronem de L. L. d. *Divos Janos* e, id eſt, Sol. Idem firmatur elegantiſſimis Septimii verſiculis; quos ex poëta hoc adducit temporibus ejus proximus Terentianus Maurus:

> a In I Æn. & I dictum libri hujuſce cap. 4
> b Lib. 14, Orig. cap 3.
> c Lib. I, cap 37.
> d Lib. 6.
> e Vel Deivos Ianes: de quo dictum nobis Oratoriarum Inſtitutionum lib 4, cap 1, ſect 7.

Iane pater, Iane tuens, dive biceps, biformis,
O cate rerum ſator, o principium deorum,
Stridula cui limina, cui cardines tumultus,
Cui reſerata mugiunt aurea clauſtra mundi.
Tibi vetus ara caluit Aborigineo ſacello.

Primùm hic *pater* citur; quæ appellatio quàm latè pateat, indicant verſus Lucilii f in primo Satyrarum; ubi in Deorum concilio ſic Jupiter fatur:

> f Apud Lactantium l 4, cap 3.

Ut nemo ſit noſtrum, quin pater optimu' divûm,
Ut Neptunu' pater, Liber, Saturnu' pater, Mars,
Janu' Quirinu' pater, omnes dicamur ad unum.

Ridet

Ridet poëta, ſive, ut cenſeo, apud eum Jupiter, quòd tam multis tribuatur nomen *patris*. Quod & Lactantius a facit: *Natura*, inquit, *non patitur, ut ſint unius hominis plures patres. Ex uno enim procreatur. Unus igitur colendus eſt; qui poteſt verè pater nominari.* Ac rectè Lactantius; qui huc contendit, ut doceat, *Deos multos colere, contra naturam eſſe, contraque pietatem.* Sed enim non adverſus illa hic gentilibus ſua qualis qualis defuiſſet cantio. Dicerent, nunc communi ratione *patris* nomen ſumi; ut cùm *Quirinus* ſic vocatur, conditor Romanorum: nunc ſingulari, quâ ſic nominantur *Saturnus, Jupiter, Mars, Liber*; quos omnes ad Solem ſuperius reduximus. Janum igitur, qui & ipſe eſt Sol, Deorum ſummus, meritò nuncupari *patrem*. Sic enim hoc loco Janum ſpectari, argumento eſt, quod verſu proximo nominetur, non dico *principium Romanæ gentis*, quod convenit Quirino: ſed *principium Deorum*, quod eſt Deorum eximii, quem, inter nomina cætera, *Jovem* dixere.

a *Loco ante ad oram memorato.*

Subjungit deinde Septimius, *Iane tuens:* quia Sol omnia videt; quippe oculus Jovis.

Hinc vocat *divum bicipitem*, & *biformem*, quia orientem reſpicit Sol, & occidentem: ſive quoniam nunc nobis lucet, nunc illis, qui in orbe ſunt adverſo. Aliam è Varrone Servius in 1 Æn. rationem adfert: unus quia populus Romanus duobus ſub regibus, Romulo Tatioque, fuerit ſignatus. Nam tum demum hujuſmodi ſimulachrum conſtitutum, cùm populi hi duo in unum coaluiſſent. Non repugno: ſed hoc pertinet ad Janum hiſtoricè acceptum. Nempe ut Geryon triceps trium fratrum concordiam ſignabat: ſic biceps Janus ſignum erat duorum regum providentiæ, & regiminis concordis. Sanè ad Janum pertinent rerum omnium initia: Romulus verò Tatiuſque, primordia ſunt populi Quiritium. Alii putarunt, Janum bifrontem eſſe ſymbolum regis: cujus eſt nôſſe præterita, & inde proſpicere futura. Rectè: ſed hoc jam eſt Janum ἠθικῶς ſpectare. Hic more Theologorum conſideratur φυσικῶς. Quomodo non modò effingebatur biceps, ſed etiam quadriceps: ut è quadrifronte Jani ſimulachro, Falerià, oppido Thuſciæ, advecto, probat Servius in illud VII Æn. *Sunt geminæ belli portæ:* item Macrobius in 1 Saturn. cap. IX. Nec, ut Servius optimè colligit, duas, ſed plures linguas, ſignat Martialis, cùm lib. VIII, epigr. II ait:

Et linguâ pariter locutus omni.

Quatuor autem frontes Jani oſtendebant, eum quatuor mundi partes ſpectare; ut ibidem à Macrobio docetur.

Poſtea ait Septimius: *O cate rerum ſator.* Omnia enim ſatione Solis habemus: unde & dictus *Janus Conſivius, à conſerendo, id eſt, propagine generis humani; quæ Jano auctore conſeritur*; ut Macrobius ait in primo Saturn. cap. IX.

Mox ſequitur apud Septimium de ſacratis ei orbis ætherei liminibus, cardinibus, ac clauſtris. Quò pertinent cognomenta *Patulcii, Cluſii*, & *Clavigeri*. Duæ enim ſunt cœli portæ: orientali ingreditur Sol, & omnia patefacit; unde Jano *Patulcii* nomen: nec aliunde *pater matutinus* dicitur Horatio b: occidentali exit, diemque claudit nobis, unde *Cluſii* appellatio. Ad utramque pertinet *clavigeri* vocabulum. Nam ut virgam, ſive ſceptrum, tenebat manu unâ, ad imperium ſuum per orbem indicandum: ita manu alterâ geſtabat clavem, quia portas cœli aperit, & claudit: quomodo eadem quoque clavi, & fores aperimus eâ in ſeram immiſſâ, reducentes ferreum illum peſſulum, qui januam poſti jungit: & eaſdem claudimus, adducendo eodem per immiſſam clavem peſſulo. Atque hæc omnia ad Solem pertinere, etiam eò firmatur, quòd & Apollo Græcis dicatur Θυραῖος. Uti Romanis quoque januæ Jano dicantur: imò & à Jano *januas* vocari, quia his præſit, Ovidius c putabat; idque præeunte Cicerone in ſecundo de Natura Deorum. Nec ædium modò, ſed aliarum etiam rerum initia, ſacrarunt Jano: unde & menſem principem ab eo dixere *Januarium*; quia tum divus Janus, hoc eſt, Apollo, ſive Sol, ad nos revertitur, dierumque quaſi prima efficit incrementa. Varro etiam tradidit, XII aras eſſe politas Jano in unaquaque regione: ſed duas potiſſimum cultas, unam in foro boario, alteram ad arcum Fabianum. Iſtis XII aris videntur ſignaſſe XII menſes. Luculentum etiam argumentum præbet Plinius lib. XXXIV, cap. VII: ubi ait; *Præterea Janus geminus à Numa rege dicatus, qui pacis bellique argumento colitur, digitis ita figuratis, ut trecentorum ſexaginta quinque dierum notâ, per ſignificationem annui temporis, & ævi ſe Deum indicaret.* Idem traditum eſt a Macrobio lib. 1 Saturn. cap. IX, & Suida in Ἰανουάριος. Verba autem eorum ſic capi debent, non quaſi hunc dierum numerum manui haberet impreſſum: ſed quia ad numerorum indicia digiti vel aperti eſſent, vel variè complicati, flexique. Quam computandi rationem ſæpius tangunt veteres: paullo fuſiùs verò expreſſit B. Hieronymus adverſus Jovinianum: at accuratiſſimè omnium Beda de Computo: quem hac parte juniores ſequuntur, pleri que etiam exſcribunt. Vide Lilium Gyraldum Annotationum dialogiſmo II, Colvium in Appuleji apolog. II, Savaronem in Sidonii lib. IX, epiſt. IX, Wouwerium Polymathiæ cap. VII. Ex his omnibus colligitur Janum eſſe Apollinem, ſive Solem: ut non multùm aberrarint, qui eum, à quo *Ianiculum* dictum, Apollinis filium fuiſſe putarunt: ut tradit Sextus Aurelius de Origine gentis Romanæ.

b *Lib. 2, ſat. 6.*

c *1 Faſt.*

Pleraque verò omnia, quæ aliquot capitibus adduximus, paucis complexus eſt Martianus Capella lib. III

Nonne hac principio geminum tu dans a tetrachordum
Solem te Latium vocitat, quòd ſolus honore
Poſt patrem ſis lucis apex; radiiſque ſacratum
Bis ſenis b perhibent caput aurea lumina ferre,
Quod totidem menſes, totidem quòd conficis horas.

Et mox:

Hinc Phœbum perhibent prodentem occulta futuri.
Vel quia diſſolvis nocturna admiſſa, & Iſaum
Te Serapim Nilus, Memphis veneratur Oſirin,
Diſſona ſacra Mithram, Ditemque, ferumque Typhonem:
Attin pulcher item, curvi & puer almus aratri,
Ammon & arentis Libyes, ac Byblius Adon c.

a *Pro tu dans, hic tundens emendat Carolus Paſchalis lib. IX Coronarum, c. 13. Malim ego* tuditans, *quo uſus Lucretius. Vel potius hoc pacto:* Nonne hac *(puta ratione, quod anteceſſit)* principio geminum tuditas tetrachordum? *Sane in MS° noſtro eſt* tudas.

b *Vide ibidem Paſchalem*

c *Verſus claudicat. Nihil tamen mutandum, cum non inſolens ſit Martiano in metrum peccare. Sic in verſibus proxime adductis, mediam corripit in* Serapin: *& primam in* Typhonem: *ubi enim decepit, quod* Typhoëus *ſemper corripit primam.*

CAP. XVII.

Belenus *quoque idem, ac Sol, putandus. Aquilejenſium is Deus fuit tutelaris: item Aremoricorum, & Noricorum. Ab eo planta eſt nomen, quæ Hiſpanis* Velenno, *Ungaris* Belend. Belenus *unde dictus. Unde* vepres, veltis: *item* βαλλω, *à quo* βαλλωαῖος, *& quid duobus illis ſignificetur.* Abellio *idem videtur ac Sol, ac fortaſſe ex eo nomen* Apollinis *fluxit. Nec alium* Belatucadrum *videri, quàm* Belenum. *Denique oſtenſum, ubique gentium hujus ſideris cultum obtinuiſſe: etiam procul à veteri Romanorum imperio: ut apud Maſſagetas, equum Soli mactantes: Indos, quibus credebatur Sol friguſculum adferre diebus* XXXV, *ut ſacra ſua melius poſſent celebrare: Haaulitas, ubi, in divinitatis Solaris argumentum, globi erant exſtructi, qui, Sole exoriente, ſic irradiabantur, ut ardere viderentur: item Germanos, & Sarmatas: imò apud Americanos etiam cultum hunc repertum: qui & Soli victimas mactarent humanas.*

POſt Romanos pauca de gentium aliis ſubjiciam. Ac primùm de Beleno dicam, quia extra Italiam quidem, ſed etiam ab Aquilegienſibus, qui intra eam, cultus ſuit. Hoc nos docet Julius Capitolinus: ex quo etiam Belenum non alium eſſe, quàm Apollinem, ſive Solem, cognoſcimus. Verba ejus ſunt iſta in Maximinis: *Cùm igitur fruſtra obſideret Aquilejam Maximinus, legatos in eandem*

dem urbem miſit. quibus populus penè conſenſerat, niſi Menophilus cum collega reſtitiſſet, dicens, etiam Deum Belenum per Aruſpices ſpopondiſſe, Maximinum eſſe vincendum. Unde etiam poſtea Maximini milites jactaſſe dicuntur, Apollinem contra ſe pugnâſſe: nec illam Maximi, aut Senatus, ſed Deorum fuiſſe victoriam. Quod *Belenum* dicit *Apollinem*, idem apud Herodianum lib. VIII legas: ubi hiſtoriam eandem tractat. Sed is Βέλιν vocat, non Βέλενον· Βέλιν δὲ καλοῦσι τοῦτον, σέβουσί τε ὑπερφυῶς, Ἀπόλλωνα εἶναι ἐθέλοντες· *Belin autem vocant, ac magna cum religione colunt, Apollinem interpretantes.* Ibidem oraculum Beleni ſeu Belis appellat θεοῦ ἐπιχωρίου, *patrii numinis.* Ut Aquilejenſibus fuiſſe Deum tutelarem, ſatis appareat. Atque idem evincunt Aquilejæ ibi inſcriptiones repertæ. Una illa in ara oblonga: APOLLINI BELENO AUG. IN HONOREM C. PETTI. Et alia: APOLLINI BELENO C. AQUILEIENS. FELIX. Alias item quinque, quæ Aquilejæ viſantur, refert Gruterus Inſcript. vett. pag XXXVI. Nec Ciſalpinæ is ſolum, ſed Tranſalpinæ etiam Galliæ cultus fuit. Unde Auſonius in profeſſoribus Burdigalenſibus Carm. X:

> *Nec reticebo ſenem*
> *Nomine Phœbicium,*
> *Qui Beleni æditimus*
> *Stirpe ſatus Druidûm*
> *Gentis Aremoricæ*
> *Burdigalæ cathedram*
> *Nati operâ obtinuit.*

Idem Carm. IV:

> *Tu Bajocaſſis, ſtirpe Druidarum, ſatus,*
> *Si fama non fallit fidem,*
> *Beleni ſacratum ducis e templo genus:*
> *Et inde vobis nomina.*
> *Tibi, Pateræ. Sic miniſtros nuncupant*
> *Apollinares myſtici.*

Imò Noricis quoque venerationi fuit. Tertullianus in Apologet. cap. XXIV: *Unicuique provinciæ, & civitati, ſuus Deus eſt: ut Syriæ Aſtartes, ut Arabiæ Dyſares, ut Noricis Belenus.* Quo de loco diximus libro ſuperiori cap. XXXVIII. Niſi pro *Noricis* hìc legendum *Aremoricis*: quibus cultum eſſe Belenum, vidimus ex Auſonii verſiculis de Phœbicio jam adductis. Sed nihil mutandum: quando ſimiliter apud eundem eſt Tertullianum in ſecundo adverſus gentes cap. VIII: *Quanti ſunt, qui norunt viſum vel auditum* (numen) *Atargatim, Syrorum; Cæleſtem, Afrorum; Varſutinam, Maurorum; Obodan, & Duſarem, Arabum; Belenum, Noricum.* Ab Apolline Beleno, herba ea, quæ Græcis ὑοσκύαμος, ut Latinis *Apollinaris*, ita Hiſpanis *Velenno*, imò & Ungaris *Belend*, quaſi *Belenium*, dicitur. Sed unde ipſi *Beleno* nomen ſit, parum liquet. Nuſpiam cum Pithœo dicemus, eſſe à βέλος, *ſagitta*: propter radios Solares, unde Apollo ἑκηβόλος & ἑκατηβελέτης *a*. An à βέλα, quod Heſychius ait Laconibus eſſe ἥλιος, καὶ αὐγή *b*. Sed hoc potiùs eſt ex ἕλη, Doricè η in α abeunte, & *b* præmiſſo, Æolum more; ut ῥῶπες, βρῶπες, *vepres*: quod imprimis fit loco ſpiritus aſperi; ut ἑσπέρα, βεσπέρα, *veſpera*; ἐσθής, βεσθής, *veſtis*; imò & pro tenui, ut Pamphylii, βαβέλιος, pro ἀέλιος, ſive ἠέλιος, teſte Heraclide apud Euſtathium *c*. An potiùs Βέλενος à בעל ex quo βῆλ, unde βεελσαμὴν, ut ſuprà dictum? Sanè id impenſius placet, cum omnis penè ſuperſtitio ſit ab Oriente. A βὴλ igitur eſt Βῆλις, quod apud Herodianum. Etiam Βῆλιν dixiſſe poſſim, ut ἀκτίς, ἀκτὶν; δελφίς, δελφὶν; Σαλαμίς, Σαλαμὶν, & ſimilia. A Βέλιν, alterâ terminatione additâ, *Belinus*, & *Belenus*. Utrâque enim vocali in veteribus inſcriptionibus legas. Atque hæc eo quoque firmantur, quòd alia itidem ab eâdem Orientis voce originem trahant. Siquidem à בעל, *baal*, & *bal*, quod & *beel*, ac *bel*, ac *dominum*, vel *regem* ſignificat, eſt ſimiliter βαλὴν, & βαλλὴν: quod idem notat. Æſchylus Perſis *d*:

a Eminus jaculans.
b Sol, & ſplendor, ſive lux.
c In Odyſſ. κ, pag. 1654. edit. Rom.
d P. 156. edit. H. Steph.

> Βαλὴν ἀρχαῖος βαλὴν
> ἴθι, ἱκοῦ, ἐλθ' ἐπ' ἄκρον κόρυμ-
> βον ὄχθου, κροκόβαπτον...

> *Rex antique, rex*
> *Ades, accede, veni ad ſummum verticem tumuli, croco tinctum.*

Ubi ſic ſcholiaſtes: Βαλὴν ὁ βασιλεὺς λέγεται. Εὐφορίων δέ φησι, Θουρίων εἶναι τὴν διάλεκτον. ὅθεν καὶ Βαληναῖον ὄρος, ὅ ἐστι βασιλικόν· *Balen, dicitur Rex. Euphorion vero ait, Thuriorum eſſe dialectum. Unde & Balenæum mons, hoc eſt, regium.* Euſtathius idem monet in Hom. Il. Γ *a*, & Odyſſ. Τ *b*: utrobique autem provocat ad Plutarchum de fluminibus. Sed apud hunc nunc, non βαληναῖον, ut Euſtathius olim legit; ſed βαλλαναῖον editum eſt *c*. Nec damnare auſim, cum apud Heſychium reperiam: Βαλλὴν, βασιλεὺς, Φρυγιστί. *Ballen, rex, Phrygibus.* Fortaſſe tamen βαλὴν ſcripſerat Heſychius.

a Rom. edit. p. 381.
b Edit. ejuſd. pag. 1854.
c Cap. de Sagari.

Eò quoque inclinat animus, ut *Abellionem* non alium, quàm Solem, nec aliunde, quàm à *Belo*, dictum putem. Inſcriptio vetus *d* in Convenis Novempopulaniæ: DEO ABELLIONI MINICIA JUSTA V.S.L.M *e*. Item: ABELLIONI DEO TAURINUS BONE CONI. SEUSI M. Item: ABELLIONI CISONTEM CISSONBONNIS FIL. V. S. L. M. Firmat opinionem meam, quod & Pamphyli, ac Cretes, ſic dixere. Heſychius: Ἀβέλιον, ἡλιακόν, Παμφύλιοι *f*. Idem: Ἀβέλιος, ἥλιος, Κρῆτες *g*. Et fortaſſe *Apollo* ex Cretico Ἀβέλιος. Nam veteres Romani pro *Apollo* dixere *Apello*; ut pro *homo*, *hemo*; pro *bonus*, *benus*, ac ſimilia.

d Inſcript. Gruter. pag. 37. n. 5, 6, 7.
e Hoc eſt, votum ſolvit libens merito.
f Abelium, Solarem, Pamphylii.
g Abelios, Solem, Cretes.

Nec video, cur non, cùm clariſſimo Seldeno *h*, eundem cenſeam, atque ab eadem quoque origine *Belatucadrum* arceſſam. Meminit vetus lapis *i* Wardaliæ in Cumbris, in ædibus nobilis viri, Th. Dykes: DEO SANCTO BELATUCADRO AURELIUS DIATQVA ARA *k* EX VOTO POSUIT L. L. M. M *l*. Alius item: BELATUCADRO JUL. CIVILIS OPT. V.S.L.M. Item tertius, in Gruteriana Inſcriptionum collectione prætermiſſus, atque ab eruditiſſimo Cambdeno earum editoribus tranſmiſſus: DEO BELATUCADRO LIB. VOTUM FECIT IOLUS.

h De Diis Syris.
i Grut. inſcript. pag. 87, num. 6.
k ARA incolæ ſuppoſita, hoc eſt, aram.
l Hoc eſt, lubentiſſime, meritiſſimo.

Sed longæ fuerit operæ, ſi omnes velim gentes referre, quæ, ſub nominibus diverſis, Solem pro ſummo habuerint numine. Nam orbe propemodum univerſo conſuetudo hæc fuit: idque jam ab antiquiſſimis idololatricî cultus temporibus: unde eſt, quòd gentes etiam illæ, quibus commerciorum minus cum aliis fuit, eoque veteris forent erroris retinentiores, vel ſolùm colerent Solem. Ut Maſſagetæ; ſive illi in Margiana, ubi eos collocat Ptolemæus; ſive ultra Araxem, quo loco eos ponit Herodotus extremo lib. I: qui ſic de iis ſcribit; Θεῶν μοῦνον ἥλιον σέβονται· *Ex Diis unum Solem venerantur.* Atque addit deinde, equum, ut antea dictum *m*, ei ſacrificaſſe, quia Deo celerrimo celerrima victima conveniret.

m Cap. 9.

Ab Indis etiam Solem, ſed unà cum Luna, cultum fuiſſe, prodidit Cteſias in Indicorum opere: ubi, Photio *n* teſte, egit, περὶ τοῦ ἱεροῦ χωρίου τοῦ ἐν τῇ ἀοικήτῳ, ὃ ἐπ' ὀνόματι τιμῶσιν ἡλίου καὶ σελήνης· εἰς ὃ διὰ δεκαπέντε ἡμερῶν ἐστὶ τοῦ ὄρους τοῦ Σαρδοῦς τις παραγίνεται· καὶ ὅτι λε' ἡμέρας ὁ ἥλιος ψῦχος ἐκεῖσε τοῦ ἐνιαυτοῦ, διὰ τὴν ἑορτὴν, ἵνα καὶ ἀφλεκτοι αὐτὴν πληρῶσι, καὶ ὑποστρέφωσιν· *de loco ſacro, qui eſt in tractu inhabitabilis regionis, quem ſub nomine Solis & Lunæ venerantur: ad quem, à monte Sardonis, quindecim eſt dierum iter. Et Sol ibi ſingulis annis, per dies triginta quinque, aliquid refrigerationis illis concedat propter id feſtum, ut ne dum ipſum celebrant, & dum revertuntur, torreantur.*

n Cod. 72.

Idem ſtatuendum de incolis Haaulam, quæ nunc Zeilam, Ptolemæo Taprobana, mihi ea Sumatra potiùs. De hac gente ita Benjaminus Tudelenſis in Itinerario ſuo, Ben. Aria Montano interprete: *Inde ſeptem dierum itinere in Haaulam devenis, quod initium eſt regni Solem pro Deo colentium, gentis videlicet ex filiis Chus aſtrorum contemplatricis.* Et poſt alia: *Colitur autem ab his Sol aris frequentibus, & magnis extra urbem per omnia loca ad dimidium milliare extructis. Summo itaque mane communiter excurritur, adſurgitque Sol; cui in cunctis aris ſimulachra*

chra ſunt ſacrata ad ſimilitudinem orbis Solaris magicis artibus conſtructam. exoriente autem Sole orbes illi incendi videntur, magnoque ſtrepitu ſonant. Habent autem ſinguli ſingulas acerras in manibus, tam feminæ, quam viri, omneſque pariter thura Soli adolent.

Gentes etiam Germanicas, ac Sarmaticas, Solem maxime veneratas, donec Chriſto nomen darent: ſatis cognoſcere eſt ex annalibus illorum populorum, & iis, qui reliquere nobis vitas Sanctorum, à quibus gentes hæ primùm converſæ fuerunt. Imò extremæ etiam Septentrionis nationes, admodum tenui nunc quoque Chriſti notitiâ imbutæ, ſimulac æſtivo tempore Sol conſpici cœpit, adorant eum, gratiaſque agunt, quod pro ſemeſtris ſpatii & tenebris, & frigore, lucem caloremque apportet: ut Olaus Magnus refert rerum Gothicarum lib. III, cap. II. De Solis etiam cultu apud Tartaros, vel potius Tataros, varii teſtantur. Atque idem dixero de gentibus Americanis: uti inſulis Cambalicis, quarum incolas non alios colere Deos, quam Solem, Lunam, Cœlumque, in opere, quod, inter alias Navigationes, illam Chriſtophori Columbi exhibet, legas cap. LXXXVIII, & XCII *a*. Item de Cerabarois *b* populis prope Hiebram, & Beraguam *c*: quos orientem Solem venerari, tradit Petrus Martyr Mediolan. Oceaneæ decadis tertiæ lib. quarto. Item de Peruanis, qui poſt Viracocham, hoc eſt, Creatorem univerſi, imprimis Solem coluerunt: uti tertium honoris divini gradum Guaca ſive Tonitrus obtinebat. Tantus verò is honos Solis fuit, ut in metropoli Cuſco etiam infantes ei mactarent. Quod Acoſtæ traditum Indicorum lib. V, cap. IV. Habes & de ſacrificiis, quæ ſideri huic faciunt Peruani, apud Joannem Letium Navigationis in Braſiliam cap. XVI.

a Sive edit. Pariſ. an. 1532. pag. 81, & 84.
b Al. Caravaro.
c Al. Veragua.

Cap. XVIII.

Cauſſæ adferuntur, cur Lunæ divinos tribuerint honores. Ubi primò locus ipſe in conſiderationem venit; quippe ſublimis, ac cœleſtis. Eaque occaſione expoſitum, quantum Luna diſtet à terris, cùm minimum; quantum item, cùm plurimum diſſidet. Hinc ſpectatur magnitudo, quæ terreſtris globi fere eſt quadrageſima. Exinde color candidus: & quia candoris decus imminuant maculæ Lunares, de cauſſis ejus diſquiſitum. Pythagoreos putaſſe, Lunam eſſe terram noſtræ ſimilem; ſed ubi & arbores, & animalia, multò ſint noſtris majora. Opinio veterum, ex Lunæ orbe decidiſſe Nemeæum leonem, & Marathonium taurum. Figuram Lunæ, ſi eam extra φάσεων differentiam, ac proinde qualis reapſe eſt, ſpectemus, globoſam eſſe: ac ſemper plus dimidiâ parte irradiari. Non omnino tamen rotundam eſſe; ſed aſperam & inæqualem, & quæ ratio ejus ſit figuræ. De diverſis φάσεων cauſſis: & cur in coitu non videatur. Nunquam minus à Sole perfundi lumine, quàm in plenilunio.

POſt multa adeò de ſidere Solis, tempus eſt accedere ad Lunam: de qua audiamus magnificè diſſerentem magnum naturæ myſten, C. Plinium, in ſecundo Hiſtoriæ Naturalis, cap. IX: *Omnium admirationem vincit noviſſimum ſidus, terriſque familiariſſimum, & in tenebrarum remedium ab natura repertum, Luna. Multiformi hac ambage torſit ingenia contemplantium, & proximum ignorari maxime ſidus indignantium, creſcens ſemper, aut ſeneſcens. Et modo curvata in cornua, modo æquâ portione diviſa, modo ſinuata in orbem; maculoſa, eademque ſubito prænitens; immenſa orbe pleno, ac repente nulla; aliàs pernox, aliàs ſera, & parte diei ſolis lucem adjuvans; deficiens, & in defectu tamen conſpicua; quæ menſis exitu latet, cùm laborare non creditur. Jam vero humilis, & excelſa; & ne id quidem uno modo; ſed alias admota cælo, alias contigua montibus; nunc in Aquilonem elata, nunc in Auſtros dejecta: quæ ſingula in eade-prehendit hominum primus Endymion; & ob id amore ejus captus fama traditur.*

Ex his magnam partem videre eſt, quæ gentiles impulerint, ut Lunam pro numine haberent. Sed ut idem magis diluceat, aliquanto hæc omnia pleniùs diducemus. Ac præcipuè movit nationes, quòd in cœlis ipſis conſpicerent ſidus præ cæteris tenebras diſcutiens nocturnas, idque tam grande, tam pulcrum, tam varium, tam velox, & idoneum ad temporum menſuram, tam efficax denique in omnia Lunæ ſubjecta. Sed hæc nimium jejunè ſic dicantur. Diſtinctè igitur videamus de ſingulis horum, quæ paucis adeo complectebar. Ac primùm de ſitu Lunæ, qui cæleſtis: hinc de dominio noctis, ſive illuminatione nocturna: tertio loco de magnitudine, quâ proxime ad Solem viſa accedere: quarto de pulchritudine, ubi & colorem attendimus, & figuram: exinde de varia lunæ phaſi: tum de celeritate ejus, nec non ſummo illius uſu in temporum diſtinctione: denique de vi & efficacia ejus in animata pariter ac inanima.

Loco, quia is cæleſtis, primum dedimus locum. Cælum enim palatium Deorum credebatur. Et tamen locus lunæ eſt intimus terris. Quantum autem ab his abſit, ne inter veteres quidem convênit ſatis, nedum juniores. Neque, qui Lunam retulere in Deos, accuratè diſtantiam illam attenderunt. Quamobrem ſuffecerit, illud, & ſimilia, hoc loco attingere. Secundùm Ptolemæum a terræ centro, cùm maximè abeſt, diſtantia fuerit ſemidiametrorum terræ LXIV; cùm minima, XXXIII. Quid iſtius ſit, non poſſumus certò ſtatuere, niſi ſedulò caveamus, ne refractiones, vel parallaxes, nos fallant. Ubi enim ad gradus octo Luna adſcenderit, parallaxis ejus, cùm minimùm, eſt minutorum 56′, 44″: atque ubi plurimùm, minut. 65′, 36″. In parallaxi illa minori à Braheo eſt deprehenſum, minimam Lunæ diſtantiam eſſe LII terræ ſemidiametrorum: hoc eſt, milliarium Aſtronomicorum 178698: quot reſultant, ſi milliare quodque per 52 multiplicaveris. Summam verò ſi parallaxin attenderis, Luna, cùm eſt remotiſſima, abſit à telluris centro ſemidiametris terræ LXI½. ut propemodum IX ſemidiametris vel propior, vel remotior, conſpiciatur.

Ad ſublimem hunc ſitum acceſſit grandis utilitas ex illuminatione nocturna. Unde Plinius, ut antea vidimus, ait, *in tenebrarum remedium ab natura repertam.* Et Appulejus ſimiliter lib. de Deo Socratis, cùm Solem dixiſſet *diei opificem*; ſubdit mox, *Lunam Solis æmulam, noctis decus.* Hinc etiam *Noctilucæ* nomen apud Varronem in IV de L. L.

Præterea magnum in magnitudine, quæ videbatur, inſtar fuit. Unde & Moſi ſtatuitur alterum è duobus magnis luminaribus: neque id dumtaxat, ut arbitror, quia majus præberet lumen, ut citima terris: ſed etiam, quoniam, eâdem de cauſſâ, proximæ poſt Solem magnitudinis videretur. Quemadmodum & Horatius propterea ait lib. I, od. XII:

—— Velut inter ignes
Luna minores.

Et lib. epod. od. XV:

Nox erat, & cœlo fulgebat Luna ſereno
Inter minora ſidera.

Atque eidem icirco dicitur *a*;

—— Siderum regina bicornis.

a Carm. ſeculari.

Et tamen nihil illa, non ad Solem modò, ſed ne ad terram quidem. Sole quippe minor eſt quinquies millies ac ſexcenties: terrâ autem minor, juxta accuratiores, propemodum quadragies. Dioptræ enim beneficio cognoſcitur, Lunæ diametrum diametro terræ contineri ter cum duabus quintis: ut illius diameter ad hujus ſe habeat, quemadmodum V ad XVII, ſeu fere ut unum ad tria cum duabus tertiis: eoque Lunam ad terram eſſe, ut V ad CXCVI. At in hoc numero CXCVI habes quinarium tricies novies & aliquanto amplius. Proinde magnitudo Lunæ fere æquet partem terreſtris globi quadrageſimam.

Præterea ſidus hoc commendabatur eximiâ pulchritudine:

dine: quæ tum è colore relucebat, tum figura. Color ejus candidus: quòd ſereno cœlo videmus. At pallor pluviæ index, vel rubor ventorum præſagus, foris proveniunt: de cujuſmodi prognoſticis ſive ex colore, ſive figura, Aratus in Phænomenis, Maro I Georg. ac potiſſimum Plinius lib. XVIII, cap. XXXV. Maculæ tamen Lunares, quæ præcipuè in plenilunio apparent, non tam ab externa videntur cauſſâ; etſi Plinius *a* putârit, eſſe notas terreni humoris ab Luna attracti: quam ab interna; nempe ex eo, quòd partium Lunæ aliæ aliis ſint denſiores, eoque Solaris luminis minus percipiant. Niſi placet Plutarchi opinio, libro de facie Lunæ; ubi arbitratur, denſum ejus eſſe corpus, ex aqua & continentibus globum conſtituens. Quam opinionem variis it argumentis firmatum Keplerus in Aſtronomiæ parte Optica cap. VI, num. IX.

a Lib. 2, cap. 9.

Profecta autem opinio hæc à Pythagoreis: de quibus ſic Plutarchus lib. II de Placitis Philoſ. cap. XXX: Οἱ Πυθαγόρειοι γεώδη ταύτην, καθάπερ τὴν παρ' ἡμῖν γῆν, μείζοσι ζώοις καὶ φυτοῖς καλλίοσιν. εἶναι γὰρ πεντεκαιδεκαπλάσια τὰ ἐπ' αὐτῆς ζῶα τῇ δυνάμει, μηδὲν περιττωματικὸν ἀποκρίνοντα· καὶ τὴν ἡμέραν τοσαύτην τῷ μήκει. *Pythagorei* (volunt Lunam) *terreſtrem videri, quoniam, ficut noſtra tellus, circumhabitetur, majoraque obtineat animalia, & plantas pulcriores. Animalia enim decieſquinquies noſtrorum magnitudinem habere, neque ulla ciborum retrimenta excernere. ac parilem eſſe dierum rationem, quod ad longitudinem.* Anaxagoras itidem, & Democritus, montes ac convalles in ea ſtatuerunt. Hinc poëtæ quædam finxerunt animalia, quæ vulgarem modum excederent; è Luna decidiſſe: uti Nemeæum leonem, quem Hercules confecit. Eoque reſpicit Juno apud Senecam in Hercule Furente Act. I *b*:

b Verſ. 83.

Sublimis alias Luna concipiat feras.

Quem locum ex Achillis Statii in Aratum commentariis illuſtrat Politianus in Miſcellaneis cap. XVII. Ac ſimiliter fabulati ſunt de tauro Marathonio ab Hercule domito. Hinc Claudianus, vel alius potius, Claudiano antiquior, in poëmatio, quod Laus Herculis inſcribitur:

—— Taurus medio nam ſidere Lunæ
Progenitus Dictæa Iovis poſſederat arva.

Figura etiam Lunæ quid pulchrius? Quæ profectò non ſcapham refert, uti Heraclitus *c*, & Anaximander *d*, putarunt: ſed neque cylindrum, quæ aliorum opinio fuit: verùm rotunda eſt, ac globoſa: neque id tantummodo, quando eſt plena; ſed etiam, ubi vel gibboſa, vel dimidiata, vel corniculata, vel intermenſtrua. Nunquam enim non dimidia Lunæ ſphæra lumen Solis recipit: imò, ſi accuratè loquamur, plus ſemper dimidiâ Lunæ parte irradiatur; quia ſphæra major ſemper majorem minoris ſphæræ partem illuſtrat: ut notum eſt ex canone ſuperiùs etiam adducto.

c Plutarchus lib. II de placitis philoſoph. cap. 27. & 28.
d Idem ibi.

Nec ſi rotunda ſit, eò æqualiter talem eſſe exiſtimandum. Nam teleſcopia Batava clarè docent, nunc eſſe eminentiorem, nunc depreſſiorem: quod aliqui arripiunt pro ſententia Xenocratis, exiſtimantis eſſe terram multarum urbium, montiumque, ut eſt apud Cicer. lib. IV Acad. Quæſt. Sed alia eſt aſperitatis hujus ac inæqualitatis cauſſa. Nempe ut ſic majus in terras lumen demittat. Alioqui ex luminari non ita magno lumen nimis diſpergeretur: uti videmus in ſpeculis omnino ſphæricis minorem nobis Solem, quam à ſpeculorum aliis, repræſentari.

Magnam præterea Lunæ admirationem peperit apud gentes diverſa ejus φάσις *e*: cujus diverſitatis cauſſa ſerò eſt deprehenſa a Græcis ipſis. Nimirum licet plus dimidio ejus ſemper illuſtretur, nihilominus *in coitu* (ut Plinii utar verbis) *non cernitur, quoniam hauſtum omnem lucis adverſa illò regerat, unde acceperit.* Quemadmodum verò in novilunio cælum verſus refundit lumen; ita illud in plenilunio verſus nos fertur: ac temporibus cæteris, etſi æquè illuminetur, magis tamen minusve cernitur, pro ſuo ſitu ac diſtantia à Sole: pro qua lumen illud vel cælum, vel terras verſus, magis minusve refert. De hoc optimus & doctiſſimus Paullus Merula *f* verba iſta ſe adferre ait ex Macrobio in Somnium Scipionis: *Luna diſpenſationibus ſeptenariis luminis ſui vires ſempiternâ lege variando diſponit. Primis ſeptem diebus dimidiata ſemiorbem oſtendit, vocaturque dimidia. Quartus fit coitus Lunæ cum Sole, quod interlunium nominatur. Eſt enim tempus inter deficientem, & naſcentem Lunam, hoc eſt tricesimus dies, in quo Luna non lucet. Nam cum Soli conjuncta ſit, ita obſcuratur, ut minimè poſſit videri: ſed eodem momento renaſcens, paullatim ab eo recedendo videtur.* Sed profectò, quanti juventutis interſit fontes ipſos adire, parebit Macrobium ipſum conſulenti operis ejus lib. I, cap. VI.

e Apparitio.

f Coſmographiæ partis I, lib. 2, cap. 27.

Conus ſive novilunii ſymbolum, ſeu nota, eſt ☌: corniculatæ ⚹, quia ab hexagono provenit adſpectu: dimidiatæ □, quia à Sole quarta Zodiaci parte diſtet: gibboſæ △, quia triente abſit: plenæ ☍. Vitellionem vide lib. IV, prop. LXV, & ſeqq. Quod verò prima facie valde παράδοξον videatur; nunquam minùs illuminatur Luna, quàm plena ſi fuerit: quippe tum oppoſita Soli, ſæpius etiam in auge conſtituta. Atqui abunde conſtat ex Opticis, quo ſphæra illuminata longiori intervallo abeſt ab illuminante, eò minùs quoque lucis percipere.

CAP. XIX.

De bono Lunæ, velocitate ſuâ ſpacium menſtruum deſcribentis. Menſis alius Solaris, qui vel cæleſtis, vel civilis; alius Lunaris, qui vel periodicus, vel ſynodicus, Græcis uſitatus, vel τῆς φάσεως, apud Muhammedanos obtinens, ſed ſic, ut paullum τῆς φάσεως exſuperet modum. Quis Lunaris annus, & quanto hunc exſuperet Solaris, & cur anno unoquoque tardiora ſint novilunia ac plenilunia diebus XI. Ἐννεαδεκαετηρὶς Metonis, quæ & numerus aureus. Calippica periodus. Vis Lunaris in ſublunaria. Ros Lunæ filia cur dicatur. Quamobrem mare horâ unâ tardiùs die quoque exundet. Efficacia Lunæ in condendis granis, & arboribus cædendis. Cur à cæpe abſtineant ſacerdotes Ægyptii. Vis ejuſdem in ovis, conchis, oculis alurorum. Cur Luna proſit parturientibus. Cur obſit iis, qui Lunæ expoſiti capiant ſomnum. Cur nutrices non denudent infantes in lumine Lunari. Cur epilepticis Lunæ noceant incrementa. Quomodò Evangeliſtis idem lunaticus, & dæmoniacus. Luna cur Ariſtoteli Sol alter, *ſed minor, dicatur.*

JAm quantum admirationis, atque honoris, conciliâſſe Lunæ putabimus tantam ejus velocitatem, tam grandem emolumentum, quod ex motu ejus ſumeretur menſtrui temporis menſura? Quamvis enim & menſis ſit Solaris; cùm civilis, qui variat; tum cæleſtis, qui tranſitu Solis de ſigno in ſignum definitur: non dubium tamen, quin multò antè, ob brevem illam, &, in diverſa adeò φάσει *a* tam evidentem Lunæ periodum, priùs veteres illo tempora ſua fuerint dimenſi. Interim & Lunaris ille variat, quia vel menſuramus reditu ad idem Zodiaci punctum, unde diſceſſerat; vel ad Solem, unde profectus erat, regreſſu. Prius appellatur περίπατος vel περίοδος τῆς Σελήνης: poſterius autem σύνοδος σελήνης: Latinis *jugum Lunæ*, ut Ciceroni *b* etiam dicitur, unde Græci inchoant νεομηνίαν *c*. De periodico menſe ita Varro apud Agellium lib. III, cap. IX: *Duodetrigeſimo Luna, ex quo veſtigio profecta eſt, eodem redit.* Accuratè loquendo, ſigniferi orbem luſtrat *vicenis diebus ſeptenisque, & tertiâ diei parte*; ut eſt apud Plinium lib. II, cap. IX. Sive, ut alii, diebus XXVII, hor. VII, ſcrup. fere XL. Synodicus menſis ad hoc ſpatium ſuperaddit biduum, & paullo amplius: nempe quantum requirit, ut Solem aſſequatur; qui jam ab eo loco, ubi ante menſem reliquerat Lunam, duodecimam cæli partem progreſſus fuit. Hinc Plato in Timæo: Μεὶς δὲ, ἐπειδὰν Σελήνη περιελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύκλον ἥλιον ἐπικαταλάβοι. *Menſis verò efficitur, cùm Luna, circuli ſuo completo curriculo, ſolem etiam fuerit aſſecutus.* Ac ſimiliter Alcinous de dogmate Platonis: Καὶ Σελήνη μὲν μηνὸς μέ-

a Apparitione ſive conſpectu.

b Lib. 2 de Divinat.
c Novilunium vel menſem.

χρόνῳ μιᾷ, ἐκπεριελθοῦσα τὸν ἑαυτῆς κύκλον, καὶ καταλαβοῦσα τὸν ἥλιον ἐν τούτῳ. *Ac Luna quidem menſis menſuram conficit, ubi emenſa eſt ſuum circulum, Solemque in eo complexa.* Eſt verò hic menſis dierum XXIX, hor. XII, ſcrupul. XLIV. Hoſce duos menſes confudit Appulejus de dogmate Platonis, & alicubi etiam Lactantius, multique alii. Præter hoſce & menſis ſtatuitur τῆς φάσεως, ſive *illuminationis:* qui incipit à prima apparitione Lunæ ad novam. Sed hæc menſura eſt incerta, quia nunc Luna quarto à coitu die apparet, nunc tertio, quandoque & primo: ut tum dicatur ἔνη καὶ νέα, *vetus, novaque*: quam Lynceus, propterea celebratus proverbio, primus dicitur reperiſſe. Arabes tamen, & Agareni, hoc non attendunt, ſemperque menſem inchoant à die tertia: nempe ὑπὸ τοῦ μηνοειδοῦς σχήματος, eoque plurimùm φάσεως, excedunt modum.

Ex duodecim menſibus ſynodicis conſit annus Lunaris: qui propterea eſt dierum CCCLIV. At Sol non conficit circulum ſuum, niſi diebus CCCLXV, & quadrante: ſive, exactè loquendo, V horis, XLIX ſcrupulis: ut undecim ſcrupula deſint, quo minus integer ſit quadrans. Nam horam LX ſcrupulis conſtare, cuivis conſtat. Lunaris igitur annus XI diebus, & quaſi quadrante, brevior eſt Solari. Eoque novilunia, & plenilunia, quotannis XI diebus tardiùs recurrunt, quam anno, qui proximè præceſſerat: uſque dum exactis XIX annis eadem redeat Lunæ ratio. Hoc *Lunæ cyclum* dixere, vel *enneadecaëterida*: quam reperit Meton. *Numerus* etiam *aureus* vocatur, quia in faſtis, ob inſignem ſui uſum, auro ſignaretur. Eſtque XIX annis Julianis minor duntaxat horâ 1, 27′, 32″ circiter. Sed propter hoc ipſum diſcrimen, ſeculo poſt Metonem, Calippus, cyclum Metonicum quadruplicans, orbem inſtituit annorum LXXVI. Quæ ἑβδομηκονταεξαετηρὶς nuncupatur. Sed ne ſic quidem vitium omne abeſſe, animadvertit Hipparchus. Verùm hæc accuratiùs exponere non eſt hujus loci. Sufficit, quod ex iis, quæ commemoravimus, cernere ſit, Solis Lunæque curſu, annuum, ac menſtruum ſpatium definiri: unde Geneſ. I, 14, legimus, luminaria hæc in cœlo conſtituta, *ut dividant diem à nocte, & ſint in ſigna, & tempora, & dies, & annos.* Cujuſmodi temporum diſtinctione, etiam tollitur inter homines negotiorum confuſio.

Præter illuminationem nocturnam, temporumque menſuram, aliis etiam in rebus ſe virtus exerit Lunaris: idque & in inanimis, & plantis, & mutis animantibus, & hominibus ipſis. Primi generis exemplum eſt, quod in

a Apud Plutarchum ſympoſ. lib. 3. quæſt. ult.

plenilunio plurimum ſit roris: unde & Alcman *a* lyricus, facit δρόσον ἀέρος θυγατέρα καὶ Σελήνης, *rorem, filiam aëris & Lunæ.* Item ab Luna eſt æſtus marinus: de quo curatè Cæſar Scaliger adverſus Cardanum Exercitat. LII. Quod verò æſtus marinus unâ horâ tardiùs redeat quotidie, id hanc cauſſam habet: quòd dum Sol motu fertur diurno, qui horarum eſt XXIV, ipſa motu proprio, qui priori eſt contrarius, gradus conficiat XIII, eoque terram totam non circumeat, niſi horis XXV. Eſt enim diurnus Lunæ motus graduum XIII, 3′, 54″: uti horarius 32′, 40″.

Par ratio in plantis, & fructibus. Eoque plurimum refert, quando ſeratur. Unde Plinius lib. XVIII, cap. XXXII: *Humidis locis interlunio ſerito, & circa interlunium quatriduo.* Item, quando arbores plantentur, vel ſuccidantur, aut quando grana condantur. Unde idem: *Arborum radices plenâ Lunâ operito.* Atque, ut ibidem eſt, *omnia quæ cæduntur, carpuntur, conduntur, innocentius, decreſcente Luna, quam creſcente, fiunt.* Plutarchus etiam Sympoſ. lib. III, quæſt. ult. Τῶν ξύλων τὰ τεμνόμενα ταῖς πανσελήνοις ἀποβάλλουσιν οἱ τέκτονες, ὡς ἁπαλὰ καὶ μυδῶντα ταχέως δι' ὑγρότητα· *ligna in plenilunio cæſa abjiciunt fabri, ut tenera, & facilè flacceſcentia propter humorem.* Addit continuò: Τοὺς πυροὺς οἱ γεωργοῦντες σπεύδουσι φθίνοντος τοῦ μηνὸς ἐκ τῆς ἅλω συναίρειν, *coloni properant præcipiti & adulto menſe triticum in area converrere.* Nempe ut ſiccius ſic reddatur, ac trituræ aptius. Sanè, ut ibidem ait, grana, vigente Lunâ in aream illata, ob humiditatem ac mollitiem maximè in tritura rumpuntur. At olerum ſolum cepe creſcit, Lunâ decreſcente: quo iccirco abſtinent ſacerdotes Ægyptii: ut eſt apud Plutarchum lib. de Iſide & Oſiride.

Adhæc in mutis animantibus ejus vis compâret: eoque Plinius, loco antememorato, *Ova Lunâ nova ſupponito.* Item: *Verres, juvencos, arietes, hædos, decreſcente Lunâ caſtrato.* Augeſcunt etiam cancrorum, concharum, oſtrearumque corpora, gliſcente Lunâ. Manilius lib. II Aſtronom.

Sic ſubmerſa fretis, concharum & carcere clauſa,
Ad Lunæ motum variant animalia corpus.

De eodem Plinius lib. IX, cap. VII, & XXXI, item Agellius lib. XX Noct. Att. cap. VIII, ubi hos Lucilii verſus adducit:

Luna alit oſtrea, & implet echinos, muribu' fibras,
Et pecui addit. ——

Ubi idem de ælurorum oculis legas, parque ratio in animantium medullis.

Denique & in homines ſe exerit Luna. Nam, cùm orbe fulget dimidio, ad partum conducit, quia laxando humores dolorem parientibus mitiget. Quod Plutarchus *a* ſic extulit: Λέγεται δὲ καὶ πρὸς εὐτοκίαν συνεργεῖν, ὅταν ᾖ διχόμηνος, ἀνιεῖσα τὴν ὑγρῶν μαλθακωτέρας παρέχουσα τὰς ὠδῖνας. Atque addit, hinc eam Λοχείαν, καὶ Εἰλείθυιαν, nuncupari. Ibidem refert, qui in lumine Lunari ſomnum ceperint, eos, quando expergiſcuntur ac ſurgunt, eſſe torpidos, ac quaſi attonitos, quia ἡ ὑγρότης ὑπὸ τῆς Σελήνης διαχεομένη βαρύνει τὰ σώματα· *humor à Luna diffuſus aggravat corpora.* Etiam commemorat, ut nutrices caveant, ne commiſſos ſibi infantes oſtendant Lunæ, quia ſic corpuſcula eorum πλήρη ὑγρότητος ὄντα, καθάπερ τὰ χλωρὰ τῶν ξύλων, σπᾶται καὶ διαστρέφεται. *humoris plena, viridium inſtar lignorum, convelluntur, & pervertuntur.*

a Sympoſ. lib 3. quæſt. 10.

Epilepticis quoque, creſcente Lunâ, pejus eſt. Unde & σεληνιακοὶ, ac *Lunatici*, dicuntur. Vett. gloſſ. *Lunaticus*, Σεληνιακός. Id fit, ſimulac creſcere Luna incipit. Unde apud Matth. IV, 24, ubi Græcè eſt σεληνιαζομένους, interpres Arabs *b*, ſi Latinè exponamus, vertit, *ruentes in principiis lunationum*, hoc eſt, menſium. Uti & cap. XVII, 15, ubi σεληνιάζεται, idem Arabs reddit, *vexatur valde in principiis lunationum.* Maximè verò plenilunio infeſtantur: unde in gloſſis Iſidori, *Lunatica, quod fit plenilunio.* Nec obſcura eſt ratio, quia tum plenius cerebrum eſt humoribus: unde & tunc idonei magis, qui à dæmone vexentur, Talis epilepticus ille, qui Matthæo XVII, 14, *lunaticus* dicitur: Lucæ autem IX, 39, *dæmoniacus* vocatur: uti Marci IX, 17, 25, *ſurdus*, & *mutus.* Hanc rem ſic expreſſit Juvencus lib. III:

b In editione Romana anni 1619.

Nam curſus Lunæ natum mihi dæmonis arte
Torquet.

Pleniuſque Ruſticus Elpidius lib. V *c*:

c Verſ. 243.

Repſerat in miſerum rabies horrenda furoris
Dæmonis afflatu, propria qui peſte nocivus
Alliduit captas fœdo diſcrimine mentes,
Menſtrua deciduos cum Luna recolligit ignes.

Alioqui & Lunaticos eſſe, minimè à dæmone obſeſſos, liquet ex Jul. Firmico lib. IV Matheſ. *Si Luna*, inquit, *malè fuerit collocata, aut ſpaſticos, aut caducos facit.*

Atque hæc oſtendunt, Lunæ etiam nocendi vim ineſſe. Sed, ut Sulmonenſis *d* ille ait,

d Lib. 2 Triſt.

Nil prodeſt, quod non lædere poſſit idem.

Quin ex iſto potius nationes vim ejus divinam colligebant: ut quæ & ſui cultoribus benefacere, & negligentes ſui poſſet ulciſci. Tanto igitur magis metuebant ejus iram, ne offenſa, aut elementis, aut ſatis, aut animantibus, aut familiæ, damnum daret. Cæterum amabant illam, proximoque poſt Solem cultu proſequebantur, (ut verbis utar Ariſtotelis lib. IV de Generat. Animal. cap. ult.) διὰ τὴν πρὸς τὸν ἥλιον κοινωνίαν, καὶ τὴν μετάληψιν τοῦ φωτός· γίνεται γὰρ ὥσπερ ἄλλος ἥλιος ἐλάττων. *propter*

Solis

Solis ſocietatem, receptumque lucis: eſt enim quaſi alter Sol minor. Ac ſimiliter Theophraſtus libro de Ventis, ubi dicitur, οἷον ἀσθενὴς ἥλιος, *velut Sol debilis.* Quæ ſatis appoſitè à philoſophis dicuntur. Sive enim lumen ſpectes, tenebras diſcutit nocturnas: ſed ſic, ut nimio ne lumine impediat animantibus quietem ac ſomnum. Sive attendas calorem: hoc etiam & ſata, & res alias, impertit, non tantoperè quidem ac Sol, quomodo res æſtu continuò exurerentur; tantum interea, ut nocturno res frigore ſuam non deperdant vim; ſed ſata, & animantia, ſalutari repleantur humore ad incrementum ſui, & rerum novarum generationem.

Cap. XX.

Deliquium Lunare cur καθαίρεσιν dixerint. Stulta priſcorum opinio, carmine magico Lunam cælo detrahi, ac tum eam deſpumando vim mirandam herbis indere. Eodem deliquio portendi ſcelera, & mortes: ſed æris tinnitu ſuccurri Lunæ. Quæ commenta evanuere paullatim, repertâ verâ eclipſeon cauſſâ. Solem etiam integrum à Luna obſcurari: perperam tamen tradi, id in conceptu Romuli contigiſſe. Controverſia vetus, luceatne Luna luce ſuâ, an alienâ: prius Beroſum, & Chaldæos putaſſe. Appuleio, Ennioque lux. An Thales correxerit ſententiam Beroſi, ut ſcriptum Keplero. Beroſi opinionem everti eo, quod ſimiles ſemper ſitus ſit macularum Lunarium. Pythagoreorum judicio, Lunam Solari lumine lucere. Cur, quæ vulgo Phœbi ſoror, ab aliis filia ejus dicatur. Quibus argumentis adſtrui videatur, ſic Lunam nothâ ſplendere luce, ut interim aliquam habeat propriam; ſed exilem. Nullam tamen ei nativam tribui poſſe, ſi, terræ noſtræ inſtar, montes habeat & valles: quæ Pythagoreorum fuit opinio: juxta quos & Luna à Terra, & Terra à Luna, Solari lumine perfundatur. Secundùm Stoicos, Lunam eſſe præditam vitâ, ſenſu, intellectu.

PRæter iſta diutiſſimè etiam ſuſpenſas tenuere hominum mentes deliquia cæleſtia, *res in tota contemplatione naturæ maxime mira, & oſtento ſimilis*; ut Plinius ait lib. II, cap. X. Eorum aliud Solare, quod κατ' ἐξοχὴν ἔκλειψιν vocitabant: Lunare aliud, quod καθαίρεσιν dicere maluerunt. Cur verò Lunare ſic nominarint, optimè expoſuit vetus Apollonii interpres in lib. IV: Διαλαμβάνουσι δ' ἔνιοι τὴν τῆς Σελήνης ἔκλειψιν ἀπὸ φαρμακίδων γίνεσθαι· διὸ καὶ οἱ παλαιοὶ καθαιρέσεις ἐκάλουν τὰς ἐκλείψεις. *Opinantur aliqui, deliquium Lunæ fieri à veneficis: ac propterea antiqui deliquia hæc dixere dejectiones ſive depreſſiones.* Ubi eo reſpicit, quòd cùm hujus deliquii necdum cognita eſſet ratio, vulgo ita perſuaſum fuerit, magorum poteſtate lunam cælo deduci: uti notum ex Virgilio *a*, Horatio *b*, Tibullo *c*, Naſone *d*, Seneca *e*, Lucano *f*, Juvenale *g*, Martiale *h*, Nemeſiano *i*, Claudiano *k*, aliis. Sic verò magicis detractam carminibus credebant eò adigi, ut deſpumaret in herbas; atque vires ita in eas effunderet, quo poſtea magi efficaciùs iis uterentur. Lucanus lib. VI:

Et patitur cantu tantos depreſſa labores,
Donec ſuppoſitas propior deſpumet in herbas.

Ac tangit quoque Appulejus lib. I Met. Scelera etiam, & mortes, defectibus ſiderum indicari, opinio erat, Steſichori quoque, & Pindari, teſte Plinio lib. II, cap. XI. Atque addit, *eo pavore, ignarum cauſſæ Niciam, Athenienſium imperatorem, veritum claſſem educere, eorum opes adflixiſſe.* Quam rem plenius in vita ejus Plutarchus exponit. Hinc etiam, ne Luna carmina magica exaudiret, *crepitu diſſono auxiliabantur*; ut ibidem ait Plinius. Atque idem Livius docet lib. XXVI: *Campanorum imbellem multitudinem cum æris crepitu, qualis in defectu Lunæ ſilenti nocte fieri ſolet, clamorem edidiſſe.* Ac ſimiliter plerique omnes poëtarum, quos antea adduximus. Verùm eam de Lunæ laboribus opinionem refellit vetus, ſed incertus poëta *l*, apud Turnebum Adverſ. lib. XIX,

a *Ecl.* 8.
b *Epod. od* 5.
c *Lib.* 1, *el.* 2. & 8.
d *Met* 8, & 14. & *epiſt. Hypſipyles.*
e *Medea, act.* 4.
f *Lib.* 6.
g *Sat.* 6.
h *Lib.* 12, *ep* 57.
i *Ecl.* 4.
k *Lib.* 2 *in Rufin.*
l *Varro Atacinus, ut Petro Danieli viſum: juxta alios Fulgentius, cujus nomen ex conjectura præmiſſum in epigrammatis veterum editionis Pithœanæ.*

cap. III: & in poëmatis veterum à Pithœo editis. Ubi inter alia:

Dicam, cur feſſo liveſcat circulus ore,
Purpureumque jubar nivei cur tabeat oris.
Non illam, ut populi credunt, nigrantibus antris
Infernas ululans mulier prædura ſub umbras
Detrahit altivago è ſpeculo.

Et quæ porrò ſequuntur: quæ apud Turnebum ipſum legi malo. Nempe nunc nulli non conſtat, cauſſam Lunaris deliquii eſſe ab terra inter Solem poſita, Lunamque in alterutro nodorum conſtitutam; quorum unus, qui ad Boreum latus, Ptolemæo dicitur ἀναβιβάζων *a*; alter Meridionalis, eidem καταβιβάζων *b*: vulgo ille vocatur *caput*, hic *cauda Draconis*, ob ſimilem interſectionis figuram. Quo autem Sol terræ propior eſt, eo majorem terra umbram projicit. Quod ſi amplius, quàm XV grad. 12', abſit Luna à nodis memoratis, lumen ejus non poterit ab umbra terræ impediri.

a *Adſcendens.*
b *Deſcendens.*

Præterea videbant, Lunæ interjectu Solem obſcurari; quandoque etiam totum: ut variis adſtruitur teſtibus apud Plinium lib. II, cap. XII: ac ab Albategnio etiam, & Vitellione, comprobatur. Herodotus itidem lib. I memorat eclipſin tantam, ut deſubito dies in noctem verteretur. Quod etiam contigiſſe in Romuli conceptu, Dionyſius prodidit lib. II. Ac meminit quoque deliquii illius Plutarchus *c*; qui, ex ſententia Tarrutii Mathematici, à Terentio Varrone rogati, ut Romuli, & Urbis geneſin, juxta Aſtrologiam ἀποτελεσματικὴν *d* perſcriberet, conceptum Romuli, atque eclipſin eam, incidiſſe ajebat in diem XXIII menſis, quem *Choiac* Ægyptii dixere: ac Nicolaus Mullerus *e* referebat in annum Periodi Julianæ 3942, Junii XXIV: Buntingus autem ad annum mundi 3199, ſive periodi Jul. 3944, Maji V. Sed jam Mathematicorum aliis deprehenſum, non fuiſſe ullam eo tempore eclipſin Romæ: nedum grandem adeo, ac ait Dionyſius. Quare fefellit, falſuſque Tarrutius. Verùm, utcunque ille deceptus, alias ejuſmodi apud alios legas. Inter cæteros, in vita Ludovici Pii anno Chriſti DCCCXL, V Maji: item anno DCCCLXXVIII, Oct. XXIX: quando tanta erat eclipſis, ut omnes apparuerint ſtellæ. Atque hæc de ſideris utriuſque deliquiis; quæ, cùm naturales neſcirentur cauſſæ, mirâ homines ſuperſtitione impleverunt.

c *In Romulo.*
d *Judiciariam.*
e *In Examine Temporum, quod Tabulis Friſicis additur.*

His igitur cauſſis ignotis, communis quoque erat opinio, ſuis Lunam ignibus lucere: quod ſine dubio majus ei decus conciliavit. Sed poſtea de iſto gravis eſt ſcrupulus injectus: idque partim ex illis, quæ de varia Lunæ φάσει *f* ſuperiùs adduximus; partim illis, quæ proximè de cæleſtibus attulimus deliquiis. Itaque tum controverſia fuit exorta, quæ diu ingenia torſit humana; utrùm (Arnobii *g* verba ſunt) *alieno ex lumine, an propriis luceat fulgoribus Luna.* Quarum opinionum utramque etiam complexus eſt Lucretius in quinto:

Lunaque ſive notho fertur loca lumine luſtrans,
Sive ſuam proprio jactat de corpore lucem.

f *Apparitione ſive conſpectu.*
g *Lib.* 2 *adverſus gentes.*

De propriis ignibus ſtatuit Anaximander, & Xenophanes; & multò poſt eos Beroſus Babylonius: uti de Anaximandro, & Beroſo, teſtis eſt Plutarchus in primo de placitis philoſophorum, cap. XXVIII, & XXIX; de tribus autem iſtis, Stobæus in Eclogis Phyſicis *h*. Sed & de Beroſo idem prodidit Cleomedes in ſecundo; fuſiuſque Vitruvius lib. IX, cap. IV; quem operæ eſt adire. Summa eò redit: Globum Lunæ dimidiâ ſui parte igneum eſſe; exque ejus converſione fieri, ut varia adeò ſit Lunæ φάσις *i*. Hinc Lucretius ibidem:

Eſt etiam quoque uti proprio cum lumine poſſit
Volvier, & varias ſplendoris ſumere formas.

Et poſt aliqua:

Verſarique poteſt, globus ut ſi k forte pilai
Dimidia ex parti candenti lumine tinctus;
Verſandoque globum variantes edere formas.
Denique eam partem, quæcunque eſt ignibus aucta,
Ad ſpeciem vertit nobis oculoſque patentes.
Inde minutatim retro contorquet, & aufert

h *Pag* 59.
i *Apparitio.*
k *Al.* ſit: *quod malebat Janus Duza fil. in Catullum notis. Sed nihil mutandum, quia ut ſi,* valet, haut aliter ac ſi ſit.

Dimidiam partem glomeramine atque pilai:
Ut Babylonica, Chaldæam doctrina refutans,
Aſtrologorum artes contra convincere tendit.

Ubi propter Beroſum Babylonium Babylonus hanc tribuit opinionem. Atque idem facit Appulejus de Deo Socratis: qui utramque opinionem his memorat verbis: *Seu corniculata, ſeu dividua, ſeu pertumida, ſeu plena ſit; variâ ignium face, quanto longius faceſſat à Sole, tanto longius colluſtrata, pari incremento itineris & luminis, menſem ſuis auctibus, ac paribus diſpendiis, extimans: ſeu illa proprio & a perpeti candore, ut Chaldæi b arbitrantur, parte luminis compos, parte alterâ caſſa fulgoris, pro circumverſione oris diſcoloris, multivaga, pollens, ſpeciem ſui variat: ſeu tota, proprii candoris expers, alienæ lucis indiga, denſo corpore; ſeu levi, ceu quodam ſpeculo radios Solis obſtitus, & adverſi, uſurpat, &, ut verbis utar Lucretii,*

a Perperam vulgati ſeu pro &, quod & aliis monitum: & ſane nihil apertius.

b Babylonios cape: non Chaldæos, quatenus Babyloniis opponuntur; ut à Lucretio factum verſibus proxime adlatis

—— notham jactat de corpore lucem.

Appoſui locum, prout cenſeo legi oportere. Ac quod pro *obſtitit*, literulâ unâ reciſâ, *obſtiti* repoſui, in eo certiſſimam Scaligeri c ſum emendationem ſecutus. Sed non aſſentio, quod idem interpretetur *obliquus*: Solemque ſic dici arbitretur, quia obliquo feratur circulo ſignifero. Potiùs, ſi *obſtitus* hic valet *obliquus*, eò Appulejus reſpexerit, quòd Luna, à Sole recedens, obliquo ejus lumine percuſſa, magis & magis luceat nobis; uſque dum ex adverſo conſtituta, orbem totum compleat. Non potuerit ſic, ubi de cauſſa agitur luminis Lunaris, meliùs recurri, quàm ad Solem tum obliquum, tum adverſum. Sed puto, pro *obliquo* potiùs *obſtipum*: ut in illo Lucretii lib. iv:

c In Ætnam.

Omnia mendoſe fieri, atque obſtipa, neceſſe eſt.

Quamquam & hic Feſtus *obſtita* legiſſe videatur: ſed invitis optimis membranis noſtris; ac vetuſtis quoque editionibus, in his Veronenſi d: ubi ſemper eſt *obſtipa*: quod idem ac *curva*, & κατὰ μεταφοράν, *vitioſa*. At *obſtitum* eſt, quod obſtat, ſive obſiſtit; hoc eſt, quod opponitur, atque ex adverſo eſt. Itaque *obſtitum*, & *adverſum*, junxerit Appulejus, ut poſterius ſit prioris, vocis minus obviæ, ἐξηγητικόν. Ac cenſeo Appulejo, cùm hoc ſcriberet, ob oculos fuiſſe locum Ennii; qui nunc quidem corruptè ſic legitur ex ſchedis Feſti, quæ Pomponii Læti fuerunt:

d Anno 1486.

Amplius ex augure obſtipulumve ſolis.

Unde Paullus Merula e faciebat:

e In Enn. lib. 7. Ann.

Amplius exaugere obſtipo lumine ſolis.

Ac ad Regulum referebat, Solari lumine à Karthaginenſibus excruciatum. Sed enim cenſeo potius, Ennium eſſe locutum de Luna capiente lumen ex ſole, præſertim adverſo. Eoque veram eſſe lectionem:

Amplius exaugere obſtito lumine Solis.

Etiam hæc firmantur originatione, quòd Cincius f νυμφοληπτοὺς dici *obſtitos* putarit, quia obſtiterint Deo, viderintque quod conſpicere ſit nefas. Imò & Cloatio, ac Ælio Stiloni g, *obſtita loca*, de cælo tacta. Ut apud Tullium in ii de Legg. *Iidemque fulgura, & obſtita curanto.* Ubi *locus obſtitus* idem ac *bidental*, quia bidente expiaretur. Hæc pluribus ſum perſecutus propter eos, qui pro *obſtitum* ubique *obſtipum* legere jubent; nec vel Appulejum, vel Ennium, ſatis ceperunt. Redeo nunc ad Beroſum; qui Lunam, ut dixi, putabat nativo igne lucere; ſed quia dimidia ſolum ignea ſit, circumvolutione ſui variè comparere. Hanc ejus ſententiam ait Keplerus, Παραλειπομένων in Vitellionem cap. vi, a Thalete Mileſio redditam eſſe meliorem: ut qui viderit, eam nullâ ſui parte lucere ex ſe ipſa; ſed ſemper ſui dimidio, vel ultra, illuſtrari à Sole. Quod niſi meliùs interpreteris, quàm dictum à Keplero videtur, temporum rationi planè repugnat. Nam quomodo Thales correxerit opinionem Beroſi, cùm hic illo ducentis amplius annis fuerit poſterior? Thales enim, ut in Chronicis retulit Apollodorus, & exinde Diogenes, expeditioni interfuit Crœſi adverſus Cyrum: atque anno primo Olympiadis xxxiv, annos jam natus xcv, vitâ exceſſit. Beroſus verò deſito jam Perſarum regno, quod annis durârat ccxxx, claruit in Syria, temporibus iis, quibus Syro-Macedonum imperium tenuit Seleuci Nicatoris filius, ac nepos: uti locuples teſtis Tatianus, atque exinde Euſebius in x Præparat. Evangelicæ a. At recta interea eſt Thaletis ſententia; cùm non eædem ſemper luceant partes Lunæ: ut maculæ lunares oſtendunt, quæ eundem ſemper ſitum obtinent, ac ſucceſſivè illuminantur à Sole. Ut hinc ſatis evertatur illa globi Lunaris circumvolutio. Quemadmodum & in altero aberratum à Beroſo, quòd nativâ eam luce crederet lucere. Planè enim aut nullâ, aut perexiguâ eſt luce prædita: ut vel omne, vel prope omne lumen à Sole mutuetur, ac deinde reflectat in terras. Quæ ſententia fuit Pythagoreorum, & Stoicorum; ut ex Diogene Laertio conſtat. De Thalete ſimiliter Plutarchus lib. ii de plac. philoſ. cap. xxvii, & ex eo Euſebius de Præparat. Evangel. lib. xv, cap. xxix. Cicero in Somnio Scipionis: *Ex quibus erat ea minima, quæ ultima cælo, citima terris, luce lucebat alienâ.* Catullus Carm. xxxv.

f Apud Feſtum in Obſtitus.

g Ibid.

a Pag. 289. edit. R. Steph.

Tu potens Trivia, & notho es
Dicta lumine Luna.

Seneca Medea, Choro act. i:

Cùm Phœbe ſolitum lumine non ſuo
Orbem, circuitis cornibus alligat.

Ac propterea Æſchylus, & Euripides, Lunam Solis filiam dixerunt: cujus rei & Theo meminit, commentariis in Aratum. Atque eò reſpexit Joannes Geometra hymno in B. Virginem ii:

Χαῖρε παναγλήεντος ἀφ᾽ υἱέος, οἷα Σελήνη
Πατρὸς ἀπ᾽ ἠελίου, φέγγος ἐφελκομένη.

Salve, quæ illuſtri a nato, ceu Luna parente
A Phœbo, lumen ſuſcipis æthereum.

Prout reddidit Fred. Morellus; qui primus Græcè excudit ſcriptorem hunc ſatis recentem; utcunque ex vetuſtiſſimo codice Græco bibliothecæ regiæ Mediceæ erutus dicatur ab editore b.

Hæc verò de alieno Lunæ lumine opinio eo adſtrui videtur, quòd ſi ea proprium, vel multum proprii luminis haberet; non terrâ interpoſitâ ob privationem ſolaris luminis tenebreſceret, ſed clariùs reluceret; uti ſtellæ noctu magis ſplendent. Nunc contrà fit, ut pars ea, quæ terræ umbrâ tegitur, minus, quàm antè, cernatur.

b Dedicatione ad Gregorium xiv Pont. M. in edit. Morell. prima, quæ anno prodiit 1591.

Neque id ſolùm colligunt ex Lunari deliquio, ſed etiam Solari; quia totam tum Lunæ faciem conſpiciamus. Imò extra etiam deliquium; quoniam in Luna & corniculatâ, & dimidiâ, & quacunque φάσει c, totam Lunaris rotunditatis faciem cernere ſit. Quare ſic potiùs ſtatuendum videtur, habere quidem Lunam aliquid lucis nativæ ac propriæ; ſed debile illud, & vix noſtros ad viſus pertingens. Ita etiam Theo in iv Ptolemæi, & Cleomedes lib. ii Cyclicæ Theoriæ.

c Apparitione ſive conſpectu.

Sed in contraria eſt ſententia Vitellio; qui uti à Beroſo longiſſimè abit, ita nec illud Cleomedi, ac Theoni, largitur, quòd dicebamus de minuta luce; unde ſit ſanguineum illud, quod in defectu Lunæ cernitur. Hanc luculam qui negant, arbitrantur, lumen id, quod in eclipſi utraque, vel aliàs in parte tenebricoſiore, conſpicimus, aliquid habere luminis ſive à ſideribus, quæ circumſtant Solem; ſive à radiis Solis in aëre refractis, inque medium umbræ pertingentibus. Atque in hanc ſententiam pedibus eunt omnes illi, qui cum Thalete ajunt, Lunam eſſe γεώδη, *natura terrea*: cum Pythagora, κατοπτροειδὲς σῶμα, *ſpeculi naturam referens corpus*: quod de utroque illorum in Phyſicis Stobæi eclogis d legas. Horum igitur judicio, denſum & opacum Lunæ corpus ejuſdem eſt naturæ ac terra noſtra: lux verò ejus provenit à terra magnam vim luminis à Sole accepti ſurſum vibrante. Ut ſecundùm eos terra lumen hoc mutuetur à Sole: nec luna à ſole duntaxat lumen accipiat; ſed terra etiam Solari lumine perfuſa in lunam hoc refundat; eoque mutuò ſe illuſtrent luna, & tellus. Cujus rei argumentum capiunt ex ſplendidiſſimo lumine, quod, in altiſſimis montibus conſtituti, è terræ & aquæ globo ſurſum refundi conſpexerunt.

d Pag. 59.

Atque

Atque hæc, pro argumento quidem, quod nunc ſub manibus habemus, abunde docent multiplicem Lunæ utilitatem, naturamque ſtupendam: quam neque, poſt tot ſecula exacta, ſatis nunc capimus; ut oſtendunt ea, quæ hodieque ſub ancipiti hærent, etiam inter Mathematicorum eximios. Quare minùs mirandum, ſi, poſt divinos Soli honores attributos, etiam in conſortium eorum Lunam reciperent. Non diffitendum quidem, magnis fuiſſe tenebris obſeptos, qui pro Dea haberent globum lucentem, intellectus, imò ſenſus, atque adeo etiam vitæ expertem. Sed enim tam mirabiles effectus nulli putabant rei rationis experti convenire. Quid mirum de vulgo, quando & princeps Stoicorum idem ſenſit? Id poſtea planius fiet: nunc contentus ero illis Stobæi in Eclogis phyſicis a: Ζήνων τὴν σελήνην φησὶν ἄστρον νοερὸν καὶ φρόνιμον πυρινὸν δὲ πυρὸς τεχνικοῦ. *Zeno Lunam ajebat ſidus eſſe intelligens, ac prudens, igneum, ex igne artificioſo.*

a Pag. 50. edit. Plantin.

Cap. XXI.

Primordia religionis gentilis in Oriente: ubi duo naturæ principia conſiderabant. Poſterius fuiſſe paſſivum, quo Luna præcipuè refertur. Hoc Uraniæ *ſive* Cæleſtis *nomine notari: & ut cultus ejus paullatim ſit propagatus. Phœnicibus, ac Syris, dici* Aſtarten*: & cur inſigne ejus caput fuerit bubulum. Aſtarten à veterum multis Venerem ſtatui: nec eò tamen Veneris ſive Luciferi ſidus, ſed Lunam intelligi: uti de Syro hoc numine Syrus Lucianus optimus eſt teſtis. Quod ab eo Floridus Sabinus receſſit; id temerè factum eſſe, oſtenditur ex Plutarcho, Appiano, Horatio, aliis. Cur aliqui Melchiſedechum Herculis, & Aſtartes filium, dixerint. Hebræis Aſtarten eſſe* Aſtaroth. *Unde ea dicta.* Baltis *ſive* Beltis *eadem ac* Aſtarte, *& unde hoc nominis.* Dione *quæ ſit, vel Jeremiæ* regina cœli. *Quæ* Salambo, *& origo vocabuli.*

NUnc videamus, ut pro variis gentibus varia fuerint nomina, quæ ad unum Lunæ numen reducerentur: in Oriente imprimis, unde omnis gentium religio, ut diximus, deducta. Hic priuſquam ſic excrevisset ἡ πολυθεότης a, nunc duo coluere numina, quæ in oculos incurrerent, Solem, Lunamque: nunc unum quidem numen, vim Naturæ occultam; ſed in quo tamen diſtinctè conſiderarent principium agendi, & patiendi: ut ſic quoque ad duos deveniretur Deos. Imò agendi quidem principio, tum naturam univerſe, quatenus activa eſt, tum ſpeciatim naturam cœli, ac ſpecialiùs Solem, complectebantur: quæ tria *Beli* ſive domini, & *Molochi* ſive regis nomine vocitabant. Sub patiendi autem principio comprehendebant Naturam, quatenus principium eſt paſſivum, inque ea Lunam, ac prætereà aera ſive Junonem: quæ, ſic ſociata, *Baaltidem*, ſive *Beltim*, hoc eſt, dominam; item *Reginam cæli*, nominabant. Cœli domino tribuerunt calorem nativum, tanquam viro: cæli reginæ adſcripſere humorem, tanquam feminæ: nimirum quia duobus illis rerum conſtaret generatio.

a Deorum multitudo.

Ab loco, & vi cæleſti, Orientales, uti & Afri, nomen huic numini dedere Οὐρανίας, ſive *Cæleſtis*; non quaſi Græca, aut Romanâ voce uſi ſint Aſiæ, vel Libyæ gentes: ſed quia Latio, & Græco ſermone ſic appellatio illa redderetur. Itaque & nomen *Cæleſti* Deæ legas in veteri nummo Juliæ Soemiæ: quæ mater erat Heliogabali, natione Syra; ut mirum non ſit, ſi numen hoc ab ea fuerit cultum. Primi verò omnium hanc venerati ſunt Aſſyrii; ab his accepere Phœnices, & Cyprii; ab illis Græci, & Afri. De Aſſyriis poſtea dicam. De cæteris ita Pauſanias in Atticis: Πλησίον δὲ, ἱερόν ἐστιν Ἀφροδίτης Οὐρανίας. πρώτοις δὲ ἀνθρώπων Ἀσσυρίοις κατέστη σέβεσθαι τὴν Οὐρανίαν· μετὰ δὲ Ἀσσυρίους, Κυπρίων Παφίοις, καὶ Φοινίκων τοῖς Ἀσκάλωνα ἔχουσιν ἐν τῇ Παλαιστίνῃ. παρὰ δὲ Φοινίκων, Κυθήριοι μαθόντες σέβουσιν. Ἀθηναίοις δὲ κατεστήσατο Αἰγεύς, αὑτῷ τε οὐκ εἶναι παῖδας νομίζων (οὐ γάρ πω τότε ἦσαν) καὶ ταῖς ἀδελφαῖς γενέσθαι τὴν συμφορὰν ἐκ μηνίματος τῆς Οὐρανίας. τὸ δὲ ἐφ' ἡμῶν ἔτι ἄγαλμα, λίθου Παρίου, καὶ ἔργον Φειδίου. δῆμος δέ ἐστιν Ἀθηναίοις Ἀθμονέων· οἳ Πορφυρίωνα ἔτι πρότερον Ἀκταίου βασιλεύσαντα τῆς Οὐρανίας φασὶ τὸ παρὰ σφίσιν ἱερὸν ἱδρύσασθαι. *Non longe abeſt Cæleſtis Veneris delubrum: quam primi omnium Aſſyrii coluere: à quibus Paphii in Cypro acceptum ſacrorum ritum, cum Phœnicibus, qui in Palæſtina Aſcalonem urbem incolunt, Phœnices cum Cytheriis communicarunt. Athenis verò eam religionem induxit Ægeus, cum Veneris ira, & ſibi prolem non obtigiſſe, & ſororibus calamitatem immiſſam, putaret. Quod ætate noſtra exſtat deæ ſignum ex Pario lapide, Phidiæ opus fuit. Sed Athmonenſium apud Athenienſes populus eſt: qui multò ante Actæum regnaſſe Porphyriona referunt, ab eoque, quod apud ipſos eſt, Cæleſtis Veneris templum dedicatum.*

Ut omnis hæc ſuperſtitio liqueat magis, diſtinctè agam, primùm de gentibus Orientis, quæ Uraniam ſive Lunam coluerint: hinc de Ægyptiis, & Afris, dicam: tum de Græcis, & Romanis: poſtremò de Celtis, & Scythis, paucula adjungam.

In Oriente initium faciam à Phœnicibus, ac Syris: quibus Luna dicta eſt *Aſtarte*. Hujus etiam rei antiquiſſimo ex ſcriptore Sanchuniathone indicia habemus apud Euſebium in primo Euangelicæ Præparationis. Ubi Aſtarte Cœli filia vocatur. quod ſine dubio nulli meliùs convenit, quàm Lunæ. Atque ibidem legas: Ἡ δὲ Ἀστάρτη ἐπέθηκε τῇ ἰδίᾳ κεφαλῇ βασιλείας παράσημον κεφαλὴν ταύρου. *Aſtarte capiti ſuo, tanquam regni inſigne, tauri caput impoſuit.* At Lunæ nota eſt caput bubulum, ut ejus cornibus Luna curvata in cornua repræſentetur: ſicut apud Ægyptios Iſis cornibus noſcebatur; per quam itidem Luna intelligitur. De hac Herodotus in Euterpe: Τὸ γὰρ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα, ἐὸν γυναικήϊον, βούκερών ἐστι, κατάπερ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσι. *Iſidis ſimulacrum muliebre eſt, bubulis præditum cornibus, ſicut Græci deſcribunt Io.* Sed de Iſide pluribus ſuo loco dicemus. De Aſtarte autem ſic ibidem ex Sanchuniathone Philo Byblius, ex Philone Euſebius: Τὴν δὲ Ἀστάρτην Φοίνικες τὴν Ἀφροδίτην εἶναι λέγουσι. *Aſtarten verò Phœnices Venerem eſſe prædicant.* Eſt & in gloſſis optimis MSSis, quas meditas habeo: Ἀστάρτη, Ἀφροδίτη. Procopius itidem Gazæus in lib. 1 Reg. cap. VII, cùm dixiſſet, ubi LXX habent, τὰ ἄλση Ἀσταρώθ, *lucos Aſtaroth*, Aquilam vertere, τὰς Ἀστάρτης ἀγάλματα, *Aſtartæ ſtatuas*: ſubjungit, Οὕτω δὲ καλοῦσι τὴν Ἀφροδίτην ἐκ τοῦ ἀστέρος παρωνομάσαντες. *Sic verò vocant Venerem, à ſidere ei nomine dato.* Ac ſimiliter interpretatur, cùm alibi a, tum in III Regum cap. XVI: ubi addit, à Sidoniis cultam, lucoſque ei plantatos. Hæc optimè conveniunt Græcorum, & Latinorum Dianæ, *ſilvarum potenti*; ut vocat Horatius in carm. Seculari. Quare hinc etiam Aſtarten eſſe Dianam ſive Lunam, elucet. Huic enim luci erant ſacri; ut poſtea commonſtrabitur. Etiam eſt apud Suidam: Ἀστάρτη, ἡ παρ' Ἕλλησιν Ἀφροδίτη λεγομένη. *Aſtarte, quæ Græcis dicitur Venus.* Addit deinde, αὐτὴν γὰρ εἶναι τὸν ἑωσφόρον μυθολογοῦσιν. *Luciferum enim eſſe Veneris ſidus, aiunt fabularum interpretes.* Et Procopius ſimiliter 1 Reg. cap. VII: item Michael Glycas in ſecunda Annalium parte. Sed Græcis quidem Venus eſt Lucifer, ſive Heſperus: Orienti autem Venus potius eſt Luna; ut & Aſtarte eadem ſit ac Luna. De quo cui in Syro hoc numine potius habeamus fidem, quam Syro doctiſſimo, Samoſatenſi dico Luciano? Ejus hæc ſunt verba libro de Dea Syria: Ἔστι δὲ καὶ ἄλλο ἱρὸν ἐν Φοινίκῃ μέγα· τὸ Σιδώνιοι ἔχουσι· ὡς μὲν αὐτοὶ λέγουσι, Ἀστάρτης ἐστίν· Ἀστάρτην δ' ἐγὼ δοκέω Σεληναίην ἔμμεναι. *Eſt autem & aliud templum in Phœnicia: quod Sidonii habent. atque, ut ipſi dicunt, eſt Aſtartes. Aſtarten autem ego puto Lunam eſſe.* Franciſcus tamen Floridus lib. II Subſicivarum Lect. cap. VII, errare cenſet Lucianum, uſque adeo ut (verbis ejus utar) *Deorum hominumque contemtor omnibus ipſe ſe contemnendum exhibeat.* Ante omnia ait Floridus non Lunæ, ſed Veneri, convenire illa Plauti Mercatore b:

a In lib. 4 Reg. cap. 23.

b Act. 4. ſc. 5.

Diva

Diva Aſtarte, hominum Deorumque vis, vita, ſalus: rurſus eadem quæ eſt
Pernicies, mors, interitus, mare, tellus, cælum, ſidera,
Jovi quæcunque templa colimus, ejus ducuntur nutu, illi obtemperant.

Pluraque in hanc mentem. Sed profectò, Camerano, & aliis, jam ſui monitum, ſcenam illam, & ſequentem, non Plauti eſſe, ſed ſuppoſititias. Atque ut aliter eſſet, non ex Latinis, ſed Oriente, de Orientis numinibus judicandum. Orienti autem & Venus, & Juno, eſt ſidus illud, quod in humorem omnem imperium exercet: id verò eſſe Lunam, ſatis ex iis cognoſcere ſuit, quæ fuſè adeò de vi & efficacia Lunæ ſuperius dicebamus. Ut facilè ſit conciliare ſententias adeò diſpares de Dea Hieropolitana, quas complexus eſt Plutarchus in M. Craſſo: Γίνεται δὲ πρῶτον αὐτῷ σημεῖον ἀπὸ τῆς θεοῦ ταύτης, ἣν οἱ μὲν Ἀφροδίτην, οἱ δὲ Ἥραν, οἱ δὲ τὴν ἀρχὰς καὶ σπέρματα πᾶσιν ἐξ ὑγρῶν παρασχοῦσαν αἰτίαν καὶ φύσιν νομίζουσι. *Primum verò omen ei oblatum ab hac Dea, quam Venerem aliqui, Junonem alii, alii autem deam initia & ſemina omnibus ex humido præbentem exiſtimant.* Quæ & Appianus habet libro de bellis Parthicis a; idque, more ſuo, verbis planè iiſdem: ut propter hæc, & tam multa hujuſmodi, exſcriptor potius, quam ſcriptor videatur; uſque calculum adjiciam lubens, qui alienorum eſſe laborum ſucum arbitrantur. Quod ſi Dea illa, ut Plutarchus indicio eſt, humidis & generationi præeſt; ſanè optimè illi conveniant Horatii iſta in Carmine ſeculari, quod in Apollinem & Dianam, hoc eſt, Solem, Lunamque, conſcripſit:

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithyia, tuere matres;
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu Genitalis.

Ubi videmus, ut ad Dianam ſive Lunam referatur, tum Ilithya, partus præſes; tum Juno Lucina, quam parturientes invocant; tum etiam Genitalis Dea, ſive generationis antiſtita; quæ ipſiſſima eſt Venus. Et profectò Junonem Orienti etiam non aliam eſſe, quam Lucinam; arguit hoc Pſyches apud Appuleium in vi Met. ubi ſic, inter alia, Deam hanc compellat: *Magni Jovis germana, & conjuga; ſive tu Sami, ſive celſæ Carthaginis beatas ſedes frequentas, quam cunctus Oriens Zygiam veneratur; & omnis Occidens Lucinam appellat: ſis meis extremis caſibus Juno Soſpita: ſoles prægnantibus ultro ſubvenire.* Zygia autem videtur *Juno pronuba.* Heſychius ſimpliciter, Ζυγία, ἡ Ἥρα b.

Aſtartes, præter eos, quos diximus, meminit M. Tullius in iii de Natura Deorum. Verba mox occaſione Beltidis adducam. Ex Græcis item Artemidorus lib. i Oneirocrit. cap. ix: Ἰχθύας πάντες ἐσθίουσι, πλὴν Σύρων τινῶν τῶν τὴν Ἀστάρτην σεβομένων. *Piſces edunt omnes, præter illos Syrorum, qui Aſtarten colunt.* Celebrat pariter Achilles Tatius in ipſo ingreſſu operis de amoribus Clitophontis, & Leucippes: ubi Aſtarten Sidoniorum numen facit. E Judæis ſimiliter Joſephus lib. i contra Apionem: è noſtris, Tertullianus in Apolog. cap. xxiv. Verba ejus, occaſione Dyſaris Arabici, & Beleni Norici, appoſuimus antea. Item Epiphanius hæreſi xxxv, ſive aliis lv: ubi legas, quoſdam Melchiſedeci patrem ſtatuere Heraclam, matrem autem Aſtarten, ſive Aſteriam. Puto eos, qui hoc commenti fuerunt, illud voluiſſe, Melchiſedeco patrem fuiſſe Solem, matrem Lunam, vel Terram. Nam ὁ Ἡρακλῆς, Sol; ἡ Ἀστάρτη, Luna, aut Tellus. Horum omnes filii ſumus, viri ſummates, infimates, medioximi. Vitalis enim calor nobis eſt a Sole, cæloque: materies autem a terræ & aquæ globo: in quem Lunæ, maximeque in humorem, imperium eſt. Quod igitur omnium eſt hominum commune, hoc particulatim tribuerunt Melchiſedeco; neutiquam id factum, niſi parentes ejus neſcirentur. Præterea Aſtarten nominant Auguſtinus in librum Judicum, & Joannes Xiphilinus e ſermone εἰς τὸν σταυρὸν προσκυνήσεως: quam ex bibliotheca Bavarica primus edidit Gretſerus d.

a Pag. 137. edit. H. Steph.
b Zygia, Juno.
c Pag. 351.
d Tom. 2. de Cruce Christi.

Hebræis Ἀστάρτη eſt *Aſtaroth*: ut ii ſive iv Regum xxiii, 13. Ubi Salomo ædem dicitur ædificaſſe Aſtaroth, Sidoniorum idolo: lxx habent Ἀστάρτη. Ac ſimiliter i ſive iii Reg. xxxi, 10, templum Aſtaroth vocatur à lxx Ἀσταρτεῖον: quod Schol. exponunt, ἱερὸν τῆς Ἀστάρτης. Sed Jud. x, 6, etiam lxx habent Ἀσταρώθ, uti & Latina vulgata.

Ait Suidas, Ἀστάρτην habere ἀπὸ τοῦ ἄστρου ἐπωνυμίαν a. Quod non ita capiendum, quaſi vox ſit originis Græcæ: ſed quia & in Orientis linguis ſimili, vel non multum abſimili ratione, ſidus nuncupetur: unde & poſterior pars Perſicæ vocis *Zoroaſter*, vel *Zoroaſtres*. Siquidem id Græcè ſignat ἀστροθύτην, ut, Laertio teſte, prodidit Dinon in Hiſtoriarum quintodecimo. Eoque ab Oriente etiam potiùs eſſe cenſeo ἀστήρ, unde ἄστρον, quàm vel ab ἄω, *ſplendeo*; vel quia in cælo ἐστήρικται b. Neque tamen neſcio R. David Kimchi nomen *Aſtartes*, ſive potius *Aſtaroth*, ex eo arceſſere, quod figura ovis coleretur: eamque etiam opinionem ſequi Marinum Brixianum. Hoc, credo, ex eo collegerunt, quòd Hebræis עשתרות, *Aſtaroth*, τὰ μῆλα ſive *greges* ſignificet. Faciliùs huic etymo crederem, ſi, de hujuſmodi figura Aſtartes, veterum aliquem laudarent auctorem. Nunc cum altum de eo apud illos ſilentium ſit: non paullo ſit veriſimilius, eam vel totam piſcis, vel partim hominis, partim piſcis figuram habuiſſe: quemadmodum poſtea in ſymbolica dicetur gentium Theologia. Et hæc de Aſtarte, quatenus eſt Luna. Nam ut eſt Europa, Agenoris filia, diximus de ea lib. i, cap. xxii.

Etiam Phœnicum Baaltis, ſive Beltis, eadem eſt ac Dione, ſive Venus, vel Luna. Vel, ſi diverſa eſt, fuerit Lucifer. Diverſas facere videtur Sanchuniathon, ſive ex eo Philo Byblius apud Euſebium in primo de præparatione Euangelica. Ubi memoratur, Aſtarten, & Baaltidem, eſſe ſorores; ac illam eſſe Venerem, hanc Dionem. Utraque ibidem dicitur nupſiſſe Saturno: ſed Aſtarte quidem, præter ſeptem Titanidas ſive Dianas, etiam mares peperiſſe narratur, Cupidinem Amoremque: ex Dione autem prognatæ ſolæ perhibentur puellæ. Verùm aliter de iſto Græci, ac Romani. Quippe Orpheo in Argonauticis dicitur Διωναίη Ἀφροδίτη c: & Maronis eſt iii Æn. *Sacra Dionææ matri.* Ubi Venerem intelligi, convenit: quam à matre Dione ſic dici, ait Servius. Ac ſimiliter in illud ix Ecl.

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum

Longè, inquit, *repetitum eſt à matre Veneris Dione.* At longè repetitum non ſit, ſi Dione eſt Venus: unde autem Cæſar dicatur *Dionæus*, quia genus duceret ab Ænea, Anchiſæ ac Veneris filio. Et profectò pro hac ſententia eſt, quòd nulli meliùs conveniat nomen *Baaltis*, quàm Junoni ſive Lunæ. Nam ut Jupiter, hoc eſt, Sol cum æthere, eſt *Baal*; ita *Baaltis* Juno, hoc eſt, Luna cum aëre. Sic enim ex Sanchoniathone Philo Byblius: Καὶ ἐπὶ τούτοις ὁ Κρόνος Βύβλον τὴν πόλιν τῇ Βααλτίδι, τῇ καὶ Διώνῃ δίδωσι. *Ac deinde Saturnus Byblum urbem Baaltidi, quæ etiam Dione dicta, dono dedit.* Ac ſimiliter *Beltis* nominata. Nempe ut Saturnus, ſive Jupiter, ſive Apollo, בל, unde Βῆλος: ſic Rhea, ſive Juno, ſive Diana, בלת, unde Βῆλτις. Sic vocavit Megaſthenes, & exinde Abydenus in rebus Aſſyriacis: velut minutæ ejus reliquiæ oſtendunt: *Baaltis* igitur, ſive *Beltis*, vocitata, quaſi *dominam* dixeris: quomodo & *reginam cæli*, ſi B. Hieronymi interpretationem ſequimur, appellat propheta Jeremias cap. vii, 18, & cap. xliv, 17, 18, 19, 25. Eo autem impenſiùs hæc placet opinio, quia Hebraicè ſit מלכה, *Malchah*: quod muliebre. Scio, & Solem Hebræis eodem genere nuncupari שמש, *ſemes*. Unde & R. David Kimchi, imò & Chaldæus Paraphraſtes, intelligere hic malunt Molochum, hoc eſt, Saturnum, ſive Jovem, hoc eſt, Solem ipſum. Sed mihi ſententia hæc eo minus probatur, quia Propheta loquatur de gentium idolatria: his autem, in ipſo Oriente, Sol non Dea, ſed Deus haberetur: ut dubium non ſit, quin Sidoniis Baal,

a Aſtartes appellatio.
b Figatur, ſtabilimentaque habeat ſedem.
c Venus Dionæa.

&

& Aſtaroth, diſtincta fuerint numina; atque illo Solem, hoc Lunam, denotari.

Habuit Aſtarte, ſive Beltis, & aliud nomen apud Syros. Nam Aſtarte non alia eſt à Græcorum Venere Adonidem amante. Quod & Cicero indicat lib. III de Natura Deorum: *Quarta Venus Syria Tyroque concepta, quæ Aſtarte vocatur: quam Adonidi nupſiſſe traditum eſt.* At ea ob planctum, quo in ſacris ejus mors Adonidos deplorabatur, temporibus Alexandri M. vel deinceps, etiam *Salambo* dicta eſt à Syris, & Babyloniis. Ælius Lampridius in vita Antonini Heliogabali: *Salambonem etiam omni planctu & jactatione Syriaci cultus exhibuit.* Heſychius: Σαλαμβὼ, ἡ Ἀφροδίτη, παρὰ Βαβυλωνίοις. SALAMBO, *Venus, Babyloniis.* Quod iiſdem eſt verbis apud Phavorinum. Non tamen Syra hæc appellatio, vel Babylonia; ſed à Syromacedonibus impoſita: cùm σαλάμβη, & Σαλαμβὼ ejuſdem ſint originis; nempe à σάλος, quemadmodum docet Etymologicum magnum, ſive vetus auctor, quem etymologus exſcripſit: Σαλάμβας τὰς θυρίδας, τὰς ἀεὶ ἐν σάλῳ οὔσας. Καὶ Σαλαμβὼ, ἡ δαίμων παρὰ τὸ ἀεὶ περιφέρεσθαι, καὶ ἐν σάλῳ εἶναι, καὶ ὅτι περιέρχεται θρηνοῦσα τὸν Ἄδωνιν· καὶ σαλαΐζειν Ἀνακρέων ἐπὶ τοῦ θρηνεῖν. σαλεύει γὰρ καὶ ταράττει τὴν διάνοιαν ἡ τοιαύτη ὀδύνη τοῦ θρήνου. SALAMBAS *dicunt feneſtras, quia ſint in perpetuo motu,* (*qui Græcis* SALOS) & SALAMBO, *Dea, quia cogitationes ſemper huc illuc circumagat, & curarum æſtu* (*qui* SALOS *dicitur*) *fluctuet, & cum lamentis circumeat Adonidem. Ut &* SALAIZEIN *Anacreon dixit pro lamentari. Agitat enim ac perturbat mentem talis in luctu ac planctu dolor.*

Etiam Dea Syria, ſive Juno Aſſyria, quæ Hierapoli erat, ad Lunam refertur: uti & Atergatis ſive Derceto, φυσικῶς a conſiderata. Sed utraque Dea uno nomine, & Lunæ, & Terræ numen complectebatur. Qua de re dicam pluribus, ubi deventum erit ad Terræ cultum.

a Quatenus ad rerum naturam pertinet.

Cap. XXII.

Uraniam Venerem Aſſyriis, ac Babyloniis, vocatam Μύλιττα, *ac unde ea appellatio eſſe videatur.* Succoth Benoth. *De Veneris etymo; uti & de Siccæ Veneriæ nomine.* Nabo *potius Luna, quàm Sol. Principum vocabula ab hoc numine impoſita. Anitin ſive Anaitidem aliis Dianam eſſe, aliis Venerem: & quomodo hæc concilientur.* Anæa *eadem, ac* Anaitis. *Sacæa Anaitidis ſacra. Feſto hoc domini ſervos quiſque procurabant, ut Romæ Saturnalibus. Eodem Sacæorum feſto apud Perſas ſolere uni ex vinctis, morti adiudicatis, permitti, ut nullo non voluptatis genere animum expleret: qui mox, feſto exacto, virgis prius cæſus, ſuſpenderetur. Veriſimilior ratio Sacæorum, quàm veteres attulerint. Cur Babel* Seſach *dicatur.* Selech *quis. Anaitis etiam culta à Parthis.*

VEnio ad Babylonios, atque Aſſyrios: quibus Urania Venus, quam Lunam eſſe diximus, *Mylitta* vocabatur. Hoc docet nos Herodotus lib. I; ubi in Babyloniorum inſtitutis inter alia reponit, quòd puellæ ejus gentis in fano Veneris conſideant tempora corollis religatæ, uſque dum advenarum quiſpiam pecuniam injecerit ſinui, quo cum iis à fano abductis rem habeat. Eum, qui pecuniam immitteret in ſinum, his verbis uti ait: Ἐπικαλέω σοι τὴν θεὸν Μύλιττα. *Invoco tibi Deam Mylittam.* Ac continuò ſubjungit: Μύλιττα δὲ καλέουσι τὴν Ἀφροδίτην Ἀσσύριοι· *Venerem enim vocant Aſſyrii Mylittam.* Nicolaus Damaſcenus Hiſtoriarum libro primo, ut legere eſt in iis, quæ excerpſit in Collectaneis ſuis Conſtantinus Au-

Pag. 419. guſtus Porphyrogennetus, variare videtur. Nam ſecundum eum Venus Aſſyriis dicta Μόλις. Sed item Μύλις, & Μύλιττα. Quia ε ferè abit in τ, & contra. τα ſolum eſt παρέλκον. Arabibus per ἀφαίρεσιν dicebatur Ἀλιττα. Aſſyriorum autem nomine Chaldæos Herodotum ſive Babylonios comprehendere, liquet exinde, quòd & antea profiteatur, ſe agere de Babyloniis; &, ubi hoc ipſum, quod jam retuli, narravit, ſubjiciat hæc verba: Νόμοι μὲν δὴ τοῖσι Βαβυλωνίοισι οὗτοι κατεστέασι· *Hujuſmodi ſunt Babyloniorum leges atque inſtituta.* Ritum iſtum Aſſyriorum ſive Babyloniorum etiam Strabo commemorat in ſextodecimo. Eſt & alter Herodoti locus de Aſſyriorum Mylitta: quem inferiùs adducam, quando de Perſarum Mithra loquar. Eſt verò Μύλιττα, ut arbitror, à מוֹלֶדֶת, hoc eſt, *nativitas, progenies, genitura.* Habes Gen. XLVIII, 6, & Ezech. XVI, 3.

Porro ab ritu eo, quòd Babylone in templo Veneris Uraniæ ſic virgines operirentur ſuos amatores; evênit, ut templum hoc dicerent סכות בנות ſuccoth benoth; hoc eſt, *tabernacula filiarum.* Itaque cùm Salmanaſſar, abductis è Samaria Iſraëlitis, novos in eorum locum colonos è variis miſiſſet gentibus, varieque Deos colentibus, quarum ſingulæ patriis inſiſterent ritibus; Babylonii coloni fecerunt *Succoth Benoth*; ut legere eſt II ſive IV Reg. XVII, 30. Quem ad locum ſic Eucherius Lugdunenſis epiſc. *a* *Melius, ni fallor, faceret interpres, ſi* SOCHOT *Latine in* TABERNACULA *verteret, & nomen idoli* BENOTH *abſolute poneret.* Facilè autem adſentio V. Cl. Joanni Seldeno, à *Benoth Venus* deducenti. Nam B atque V, item T, & S, promiſcuè ſolent uſurpari: quod in Originum libris plurimis comprobamus exemplis. Et à *Sucoth*, vel *Sicoth Benoth*, (utroque enim modo dixere) nomen eſt *Sicca Veneria*, Carthaginenſium coloniæ: cui ſine dubio id nomen Pœni, Phœnicum exemplo, qui Aſſyrios ac Babylonios imitati, à *Sicoth Benoth* impoſuere. Nam a Veneris fano huic urbi nomen fuiſſe, vel fidem fecerit illud Valerii Maximi lib. II, cap. VI: *Siccæ eſt fanum Veneris, in quod ſe matronæ conferebant, atque inde, procedentes ad quæſtum, dotes corporis injuriâ contrahebant, honeſta nimirum tam inhoneſto vinculo conjugia junctura.* Pluribuſque hoc ipſum firmat idem Seldenus erudito ſyntagmate de Diis Syris *b*. Etiam Chaldæis, ac Babyloniis, colebatur Nabo ſeu Nebo: ut conſtat ex illo Jeſaiæ XLVI, I, *Confractus eſt Bel, contritus eſt Nabo: facta ſunt ſimulachra eorum beſtiis, & jumentis.* Ubi videmus, duo ſuprema Babyloniorum numina conjungi. At ea fuiſſe Solem, & Lunam, hiſtoria omnis teſtatur. Jam verò Belum eſſe Solem, luculentè antea oſtenſum. Supereſt igitur, ut per *Nebo* intelligatur Luna. Quod ſi eſt, incommode vulgata habet tralatio; *Contritus eſt Nabo*; cùm *contrita* fuerit dicendum. Quod ſicut de neutro ſatis liqueat, vertere cum Leone Judæ liceat: *Concidit Bel, corruit Nebo.* Sive, ut transfert Pagninus, *Curvavit ſe Bel, incurvavit ſe Nebo.* Plura de adlato Jeſaiæ loco, & Nebone diximus, cùm de cultu Solis ageremus. Nam B. Hieronymus putabat, Nabo eſſe idem numen ac Chamos, & Baalphegor: at hæc ad Solem reducuntur. Quæ ſuperiùs *c* abunde expendimus. Hoc loco ſuffecerit rem eam attigiſſe, quatenus Nabo potius Lunæ, quàm Solis ſidus videtur. Porrò ut aliæ numinum appellationes, ita hoc quoque, in virorum principum nominibus invenitur. Nam à *Nabo* ſeu *Nebo* ſunt *Nabuchodonoſor*, *Nabonaſſarus*, *Nabuzaradan*, aliaque.

a Cap. 26. ſive pag. 188. edit. Froben.

b Syntag. 2. cap. 7.

c Cap 8 libri hujus 2.

Itidem Perſis magna in veneratione erat Urania ſive Luna. Variè autem iis appellabatur. Nullum interim uſitatius nomen, quàm *Anitis*, ſive *Anaitidis*, Sed diſſident homines eruditiſſimi, ſitne Dianæ, an Veneris. Prius mavult Hermolaus Barbarus in Plinii lib. XXXIII, cap. IV, ubi *Anaitidos numen* dicitur *gentibus ſacratiſſimum.* Eſtque pro Hermolao Plutarchus in Artaxerxe: ubi narrat, ut Artaxerxes Mnemon Aſpaſiam pellicem fecerit ſacerdotem τῆς Ἀρτέμιδος τῆς ἐν Ἐκβατάνοις, ἣν Ἀνεῖτιν καλοῦσι· *Diana in Ecbatanis culta, quam Anitim vocant.* Firmat etiam hanc opinionem ratio, quam adjungit, ὅπως ἁγνὴ διάγῃ τὸν ἐπίλοιπον βίον· *quo reliquam vitam mundè ac ſine Venere tranſigeret.* Quod admodum conveniens illi, quæ futura eſſet Dianæ virginis ſacerdos. Præterea Pauſanias in Laconicis ait, Λυδοῖς εἶναι Ἀρτέμιδος

 ἱερὸν

ἱερὸν Ἀναΐτιδος· *Lydis eſſe Dianæ Anaitidos fanum.* At Strabo ſæpius quidem hujus Anaitidos meminit; nuſpiam tamen *Dianam* vocat: imò ea dicit, unde Gyraldus in Deorum hiſtoria *a* colligat, Venerem potius eſſe, ut de virginibus apud Acilisenenſes in templo Anaitidos Deæ dicatis, hoc fine, ut ſeſe proſtituerent. Ipſum audiamus Strabonem extremo libro XI: Ἅπαντα μὲν τὰ τῶν Περσῶν ἱερὰ, καὶ Μῆδοι, καὶ Ἀρμένιοι, τετιμήκασι· τὰ δὲ τῆς Ἀναΐτιδος, διαφερόντως Ἀρμένιοι· ἔν τε ἄλλοις ἱδρύσαντο τόποις, καὶ δὴ καὶ ἐν τῇ Ἀκιλισηνῇ. ἀνατιθέασι δ᾽ ἐνταῦθα δούλους, καὶ δούλας. καὶ τοῦτο μὲν οὐ θαυμαστόν· ἀλλὰ καὶ θυγατέρας οἱ ἐπιφανέστατοι τοῦ ἔθνους ἀνιερῶσι παρθένους, αἷς νόμος ἐστὶ, καταπορνευθείσαις πολὺν χρόνον παρὰ τῇ θεῷ, μετὰ ταῦτα δίδοσθαι πρὸς γάμον· οὐκ ἀπαξιοῦντος τῇ τοιαύτῃ συνοικεῖν οὐδενός. τοιοῦτον δέ τι καὶ Ἡρόδοτος λέγει τὸ περὶ τὰς Λυδάς· *Omnia Perſarum ſacra, & Medi, & Armenii, religioſè colunt; præ cæteris verò Anaitidem Armenii; cui & alibi templa poſuerunt, & in Acilisena. Ibi ſervos ſervaſque ei conſecrant; quod ſane mirum non eſt. Sed & illuſtriſſimi ejus nationis filias ſuas virgines ei dedicant: ac lex eſt, ut longo tempore apud Deam conſtupratæ, deinde nuptui dentur; nemine talis mulieris conjugium dedignante. Tale quid etiam Herodotus de Lydis mulieribus ſcribit.* Præterea Agathias lib. II. clarè ait Ἀναΐτιδα eſſe Ἀφροδίτην *b*, atque ita perhibere Beroſum, Athenoclem, & Symmachum, antiquiſſimos Aſſyriarum ac Medicarum rerum ſcriptores. Mihi facilè hæc conciliari videntur. Exiſtimo enim, eandem eſſe & Dianam, & Venerem; puta Lunam: ſed Dianam dici, quatenus illuminat terras, nec luminis ejus vis ulterius expenditur: Venerem autem, quatenus efficax eſt ad conceptum, generationem, partumque. Ex Horatii carmine ſeculari utrumque elicere. Ad Dianam pertinet, quod dicitur *Lucidum cæli decus.* Ad Venerem illa:

Diva producas ſubolem, patrumque
Proſperes decreta, ſuper jugandis
Feminis, prolisque novæ feraci
Lege maritâ.

Item quòd ibidem Dea hæc vocatur *Genitalis*, non ſolum, quia fœtum conceptum in utero maturat, & producit in lucem: ſed etiam quoniam ad conceptum juvat. Hoc enim verè eſt eſſe γενετυλλίδα θεάν *c*. Unde Plato in quinto de Rep. ait γενεθλίους θεοὺς ἐς παίδων σποράς *d*.

Parque vis in mutis animantibus ac plantis. Quamobrem nihil mirandum, ſi eadem Dea ſtatueretur Diana, ac Venus: ac pro diverſa Lunæ vi locis diverſis diverſimodè vocaretur, ac coleretur. Anaitis hæc valde etiam culta in Zelitica, regione Armeniæ, ſic dicta ab urbe Zela; quam (ut Strabo ait in XII) τὸ παλαιὸν οἱ βασιλεῖς οὐχ ὡς πόλιν, ἀλλ᾽ ὡς ἱερὸν διῴκουν τῶν Περσικῶν θεῶν· *reges gubernabant, non ut urbem, ſed ut Perſicorum Deorum templum.* Atque addit, omnia fuiſſe in ſacerdotis poteſtate. Videtur & ejuſdem Deæ τὸ τῆς Ἀναίας ἱερὸν *e*, Straboni memoratum in ſextodecimo. In Anaitidos honorem celebrata olim Σάκαια *f*: nec Anaitidos ſolùm, ſed & Amani ſive Omani, & Anandrati: qui & ipſi Perſici fuere Dii, ac σύμβωμοι *g* quidem, ut ait Strabo in undecimo. Cæterùm feſtum hoc non in Perſia modò, ſed Babylonia etiam, obtinebat. Eo per quinos dies mancipia imperabant dominis; unuſque ſervorum, veſte amictus regiæ ſimili, univerſis præerat ædibus; ut Beroſus tradidit apud Athenæum in decimoquarto: ubi & ſervum iſtum ait vocatum ζωγάνην: nempe quia Chaldæis סגן Segan, *præfectus.* Fuerit igitur hoc feſtum non abſimile Romanorum Saturnalibus: quibus itidem ſervi, veſte herili induti, menſis adſidebant, dominis miniſtrantibus. Quod ab eodem Athenæo proditum, & Attio in Annalibus apud Macrobium in primo Saturnalium, cap. VII, item L. Seneca epiſt. XLVII. Magis etiam mirandum, quod de iiſdem Sacæis prodit Dio Chryſoſtomus orat. IV de Regno: Οὐκ ἐννενόηκας τὴν τῶν Σακκῶν ἑορτὴν, ἣν Πέρσαι ἄγουσι; λαβόντες τῶν δεσμωτῶν ἕνα τῶν ἐπὶ θανάτῳ, καθίζουσιν εἰς τὸν θρόνον τοῦ βασιλέως, καὶ τὴν ἐσθῆτα διδόασιν αὐτῷ τὴν αὐτὴν, καὶ τρυφᾷν, καὶ τὰς παλλακὰς χρῆσθαι τὰς ἡμέρας ἐκείνας τοῦ βασιλέως, καὶ οὐδεὶς οὐδὲν κωλύει ποιεῖν ὧν βούλεται· μετὰ δὲ ταῦτα ἀποδύσαντες, καὶ μαστιγώσαντες, ἐκρέμασαν· *An Saccorum feſtum ignoras, quod celebrant Perſæ? Vinctorum aliquem, ac ducendorum ad ſupplicium, collocant in regis thronum, regiumque illi dant veſtitum, eumque permittunt deliciari, ac molliter vivere, regiiſque per eos dies uti concubinis: nec eum impedit quiſquam, quo minus agat, quod animo lubet: poſtea autem exutum, & flagellatum, ſuſpendunt.* Sed unde Sacæis ſit nomen, non adeò eſt apertum. Strabo in undecimo refert ex quorundam ſententia, Cyrum, à Sacarum gente prœlio victum, recepiſſe ſe in caſtra: hic paulìſper moratum, ut ſe Perſæ cibo vinoque reficerent: exinde fugam ſimulâſſe, plenis omni rerum copiâ relictis tentoriis: eo cognito, Sacas irruiſſe in caſtra: Cyrum, ubi alii vino ſomnoque obruti jacerent; alii, nudi etiam, tripudiarent, ac baccharentur; in caſtra irrumpentem, deleviſſe prope univerſos. Hinc Cyrum inſtituiſſe, ut ubicunque eſſet templum Anaitidos, in memoriam hujus victoriæ, quæ viſa obrigiſſe divinitus, diem noctemque biberetur, Scythico habitu; jociſque ac laſcivia à viris, ac mulieribus, certaretur. Idem paucis exſcripſit Euſtathius in Dionyſii περιήγησιν *a*. Sed utrique non levia videmur objici poſſe. Quippe ex Athenæi XIII conſtat, Beroſum de hoc feſto egiſſe in primo Babyloniorum; ubi non Perſicas res, ſed Babylonias tractabat. Ibidem etiam refert, Cteſiam de hoc feſto loqui in quinto Perſicorum. Atqui Cteſias, qui XXIII Perſicorum libros condidit, primis ſex libris egit de iis, quæ Perſarum antecedunt imperium: ac ſeptimo demum res Cyri auſpicatus. Teſtis Photius in μυριοβίβλῳ cod. LXXII. Ubi cùm Perſicorum nobis concinnet epitomen, de Sacæis tamen tacet. Nempe quia de iis egiſſet Cteſias, priuſquam ad Perſica accederet. Quare videntur Babylonii Sacæa celebrâſſe, priuſquam in Perſarum venirent poteſtatem. Unde ſuſpicari aliquis poſſit, aliunde eſſe hoc nomen: & fortaſſe venire à numine Babyloniorum *Seſach*: unde *Sach* fecerint, uti ex Beel *Bel*, ex Atergatis *Derceto*, & ſimilibus ſimilia. Quia verò Seſach præeſſet Babyloni, eo, credo, pro ipſa Babylone capiebatur: fere ut dicitur *caſus Hannibal* pro exercitu cui præeſſet, aut *Ucalegon* ardere, quia domus ejus ardeat: ut in Oratoriis diximus. Hinc Jeremias XXV, 26, *Rex Seſak bibet poſt eos.* Ubi per *Seſak* Babylona intelligunt Chaldæus paraphraſtes, Hieronymus, Theodoretus, ac poſteriores, Lyrano excepto. Nihil etiam apertius illo Jerem. LI, 41, *Quomodo capta eſt Seſak!* Sed cur ſic Babylona appellet Propheta, disquiritur. B. Hieronymus, Rabbinos ſecutus, cenſet id fieri per Atbaſch, ſive literarum oppoſitarum commutationem. Scilicet quia pro ב bis ponitur oppoſita ejus ש; quarum ב ex undecim primis ſecunda ab initio eſt: uti ש ſecunda à fine. Quia item pro ל ſumitur oppoſita ejus כ: quarum ל eſt prima ex ultimis poſterioribus; ſicut כ eſt ultima ex undenis prioribus. Addit B. Hieronymus, Jeremiam ad tectum hoc ſermonis ac ſcripturæ genus recurriſſe, ne adverſus ſe exacerbaret Babylonios, qui Hieroſolyma obſiderent. Sed rectè ei objicit Lyranus, apertè Babylonis interitum ſæpius à Prophetis prædici: etiam à Jeremia ipſo cap. L, & LI. Quanto igitur veriſimilius, quod dicebamus, μετὰ μετωνυμίας Deum tutelarem ſumi pro Urbe, quam tutaretur. Ut ſi Bel dicatur cecidiſſe pro civitate Beli. Iidem quæri poſſit, quod numen ſit *Seſach.* Sanè valde ei affine *Seches*: de quo Heſychius: Σέχες, ὁ Ἑρμοῦ ἀστὴρ, Βαβυλώνιοι *b*. Atque in *Seſach*, & *Seches*, eaſdem habes radicales: ſed poſteriores, ut ſæpe fit, trajectas. Verùm opinioni huic haut leviter obſtare illud videtur, quod non Mercurio, qui ad Solem reducitur, Sacæorum feſtum dicaretur; ſed Anaitidi, quæ Diana eſt, ac Venus. Nihil hic veriſimilius occurrit, quàm vel Heſychium minùs idoneos ſecutum eſſe ſcriptores: vel potiùs, Babyloniis etiam Mercurium referri ad Lunam; uti Ægyptiis, qui Herculi in Sole, Mercurio in Luna, ſedem ſtatuerunt: cu-

a Syntagm. 13

b Venerem.

c Deam genitalem.

d Deos genitales, ad liberorum ſationem.

e Anaæ templum.

f Sacæa.

g Iiſdem aris culti.

a Perſ. 750.

b Seches, Mercurii ſtella. Babyloniis.

cujus rei cauſſam afferemus, ubi ad Ægyptios erit deventum.

Sed hæc ſi non ſatis probentur, haut aliud ſupereſt, quàm ut credamus Straboni, Σάκαια eſſe inſtituta in memoriam victoriæ de Sacis reportatæ. Interim propter Beroſi, & Cteſiæ auctoritatem, referamus hanc victoriam, non ad Cyrum, utcunque Perſarum juniores lubentes in honorem ſuæ gentis vetera omnia, quorum neſcirent originem, regni ſui conditori adſignarent; ſed ad Babylonios, & Armenios; qui Sacis proximi cum hac gente multò ante natum Cyrum bellum geſſerunt. Quare non à Perſis Babylonii, & Armenii; ſed à Babyloniis Perſæ, acceperint hoc feſtum. Et ſanè niſi Sacæa eſſent dicta à Sacis, Scythico populo, non Babylonii, ac Perſæ hoc feſtum Scythicâ veſte, quod Strabo teſtatur, celebraſſent: nec doctiſſimus grammaticus Heſychius, Σάκαια, Σκυθικὴν ἑορτὴν a interpretaretur.

a *Sacæa, Scythicum feſtum.*

A Perſis, vel Babyloniis, Anaitidos numen etiam ad Medos, ac Parthos, dimanavit. Iſidorus Characenus in Parthiæ periegeſi: Εἶτα Ἀπαβάτανα b, μητρόπολις Μηδίας, καὶ θησαυροφυλάκιον, καὶ ἱερὸν, ὅπερ c Ἀναίτιδος d ἀεὶ θύουσιν. *Inde Apobatana* (Ecbatana) *metropolis Mediæ, & theſaurorum cuſtodia, & templum; ubi Anaitidi ſemper ſacrificant.*

b *Stephan.* Ἀγβάτανα: *vulgo* Ἐκβάτανα.
c *Leg.* Οὗ περ.
d *Leg.* Ἀναΐτιδι.

Eadem verò Perſis videtur *Zaretis.* Heſychius: Ζαρῆτις, Ἄρτεμις, Πέρσαι e. Imò iidem etiam *Mithram* dixere; ſi audimus Herodotum in primo; ubi Venerem ab Aſſyriis *Mulitta*, ab Arabibus *Alitta*, à Perſis *Mithram*, ait vocitari. Verba ejus cap. prox. apponam. Sed meritò ab Herodoto hac parte receſſere poſteriores; qui, de Perſarum religione accuratiùs edocti, Mithram non Lunam, ſed Solem eſſe, docuerunt. Abundè de hoc diximus cap. IX. Herodotum tamen in eo ſequi non dubitavit B. Ambroſius, epiſtolâ contra relationem Symmachi.

e *Zaretis, Diana, Perſæ.*

Cappadoces etiam à Perſis, ut Solis, ita & hunc Lunæ cultum, accepiſſe, veriſimile eo fit, quòd habuerint pyræthos, & multa Perſicorum Deorum templa; ut ex quindecimo Strabonis libro oſtendam cap. LXIV. Itaque & divam illam, quæ in ſomnis Syllæ præbuit fulmen, Anaitidem, ſeu Zaretim, vocandam cenſeo. Dubitat tamen Plutarchus, an non potiùs fuerit Minerva, vel Bellona. Sic enim in Sylla ſcribit: Λέγεται δὲ καὶ κατὰ τοὺς ὕπνους αὐτῷ Σύλλᾳ φανῆναι θεὸν, ἣν τιμῶσι Ῥωμαῖοι, παρὰ Καππαδοκῶν μαθόντες, εἴτε δὴ Σελήνην οὖσαν, εἴτε Ἀθηνᾶν, εἴτε Ἐνυώ. ταύτην ὁ Σύλλας ἔδοξεν ἐπιστᾶσαν ἐγχειρίσαι κεραυνὸν αὐτῷ, καὶ τῶν ἐχθρῶν ἕκαστον ὀνομάζουσαν τῶν ἐκείνου, βάλλειν κελεῦσαι· τοὺς δὲ πίπτειν βαλλομένους, καὶ ἀφανίζεσθαι. *Dicitur etiam ipſi Syllæ in ſomnis ſe obtuliſſe Dea, quam ex diſciplina Cappadocum Romani colunt, ſive ea Luna, ſive Minerva, ſive Bellona ſit. Hæc Syllæ viſa eſt aſſiſtere, & fulmen ei tradere, juſſiſſeque ſingulis nominatis inimicis ejus ferire: illis ictis concidere, atque e medio dilabi.* Video, cur Bellonam aliquis potuerit ſuſpicari: quia eſt deæ bellicæ tradere arma ad hoſtes interimendos. Video item, cur Minervam fuiſſe potuerit aliquis ſuſpicari. Nam præterquam quòd & hæc ſit dea bellica, ea ſola dearum fulminis habet poteſtatem: unde de illa ſic Maro primo Æn.

Ipſa Iovis rapidum iaculata è nubibus ignem.

Ubi ſic Servius: *In libris Hetbruſcorum lectum eſt, jactus fulminum manubias dici: & certa eſſe numina poſſidentia fulminum jactus; ut Iovem, Vulcanum, Minervam. Unde cavendum eſt, ne aliis hæc numinibus demus.* Ita enim in veteri cod. eſt exaratum. Potiùs tamen Lunam cenſeo intelligendam, quia Plutarchus cultum ejus divæ, quæ fulmen traderet Syllæ, à Cappadocibus ait deveniſſe ad Romanos. Atqui Cappadoces coluere numina Perſica: his verò colebantur è femineis numinibus Luna, & Venus: ut eſt apud Strabonem in XV. At Veneris ſtellæ nemo fulmen tribuit: alius ignis eſt, quo urere illa Diva ſolet. Supereſt igitur, ut Luna ſit. Quamquam nec repugno, quo minùs intelligatur Minerva, aut Venus, quatenus utraque eadem ac Luna cenſetur. Ariſtoteli enim eandem eſſe viſam Minervam, Lunamque, ex Granio tradit Arnobius: cujus verba de iſto adducam cap. XLII. Ac Venerem itidem ab Orientalibus eandem, ac Lunam, putari, abundè oſtendimus antea. De Perſis, & iis, qui Perſas in hoc cultu imitabantur, iſta ſufficiant. Ad alias nunc gentes accedam.

CAP. XXIII.

Arabibus Lunam eſſe cultam ſub nomine Alilat, *vel* Alitta; *& unde hæc veniant, conjectatum. Etiam Arabum numen eſſe* Ciun: *hoc Saturnum credi: ſed Lunam potiùs eſſe, ratioque ejus nominis adlata. Unde eſſe videatur, quod pro* Cion, *vel* Ceon, *ut in Hebræo eſt,* LXX *habeant* Rephan, *ac ſuper eo B. Lucas defenſus.*

ARabibus etiam culta eſt Luna, nomine, ut Græci quidem interpretabantur, Οὐρανία, hoc eſt, *Cœleſtis.* Nam, ut ex Herodoti Thaliâ ſuperiùs diximus, Arabes duos duntaxat Deos coluere, Dionyſum ſive Solem, & Uraniam ſive Lunam. Quorum ille Ὀυροτάλτ vocabatur, hic Ἀλιλάτ. De etymo prioris antea diximus. Poſteriùs videtur eſſe ab לַיְלָה, laîlah, hoc eſt, *nox*, ob dominium noctis. A qua origine etiam Jeſaiæ XXXIV, 14, לִילִית, lilith; quaſi dixerim avem nocturnam, vel nocturnum ſpiritum, aut noctis Deum Deamve. A quo *Lilith* fortaſſe eſt & *Ilithya:* de quo poſtea. Niſi magis placet, *Alilat* eſſe ab אֱלָה אֱלָהָא, elah elaha: hoc eſt, *numen numinum.* Quæ clariſſimi ſoceri mei Franciſci Junii a, quantum ejus ſententiam perſpicere valeo, conjectura erat. Cæterùm numen hoc non ſolùm Ἀλιλατ, ſed etiam Ἀλιτ̃α, dixere. De priori legas in primo Herodoti. Verba ejus adduximus cap. VIII. De altero autem tradit in tertio. Locum apponam integrum; quia & alia contineat, de quibus ſuperiùs diximus. Sic igitur ille de Perſis refert: Θύουσι δὲ ἡλίῳ τε καὶ σελήνῃ, καὶ γῇ, καὶ πυρὶ, καὶ ὕδατι, καὶ ἀνέμοισι. τούτοισι μὲν δὴ μούνοισι θύουσι ἀρχῆθεν. ἐπιμεμαθήκασι δὲ καὶ τῇ Οὐρανίῃ θύειν· παρά τε Ἀσσυρίων μαθόντες καὶ Ἀραβίων. καλέουσι δὲ Ἀσσύριοι τὴν Ἀφροδίτην, Μύλιττα· Ἀράβιοι δὲ, Ἀλίττα· Πέρσαι δὲ, Μίτρα· *Sacra faciunt Soli, ac Lunæ, & Terræ, Igni, Aquæ, ac Ventis. Hiſque ſacra faciunt jam ab initio. Poſtea didicerunt ſacrificare etiam Vraniæ, & ab Aſſyriis edocti, & Arabibus. Vocant autem Aſſyrii Venerem Mylittam; Arabes, Alittam, Perſæ, Mithram.* Cæterum tam affinia ſunt nomina *Alilat*, & *Alitta:* ut optimo jure ſuſpicio poſſit oboriri, Herodotum alterutro eſſe loco corruptum, ac utrobique ſimiliter eſſe reſcribendum. Quod ſi *Alitta* malis, altera oriatur ſuſpicio, an non Arabum *Alitta* ſit ex Babylonio *Mylitta*; vel contra: quandoquidem multa ſunt exempla, ubi litera, vel ſyllaba, initio addatur, vel recidatur; etiam in Deorum nominibus: ut *Vulcanus ex Tubalcainus*; *Derceto ex Atergatis*, & ſimilibus.

a *Notis in Tertullian. Apolog. c. 24.*

Ciun item Arabicum erat numen. Meminit ejus Amos propheta V, 26. Ubi vulgata quidem ſic habet: *Et portâſtis tabernaculum Moloch veſtro, & imaginem idolorum veſtrorum, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis.* Sed ubi vulgata *imaginem* habet, Hebraicè eſt כִּיּוּן, Chiun: eamque vocem retinuit Chaldæus paraphraſtes: item Aquila, & Symmachus. *Chiun* autem exponunt *Saturnum*, præeunte Aben-Eſra: qui auctor eſt, linguâ Iſmaëliticâ, ac Perſicâ, quem Hebræi *Sabathi*, hoc eſt, Saturnum, vocant, nuncupari כיון, Chivvan. Sed non ſi Saturnus *Chivvan*, eò & *Chiun* erit Saturnus. Præterea Molochi mentio anteceſſit, cui proximè ſubditur Chiun. At Moloch eſt Saturnus. Chiun igitur aliud numen erit à Saturno: hoc eſt, Sole: nempe, ut antea diximus, de Bel, & Nabo; ita hic erit de Moloch, & Chiun. Bel, & Moloch, ſunt Saturnus ſive Sol. Proinde Nabo, & Chiun, ut loco ſubduntur, ita dignitate conſequentur. Utroque igitur Luna ſignificabitur. Quod ſi maſculo in numine perſiſtendum: non Saturni ſtella erit, ſed Heſperi,

ſive Luciferi: cui in cultu ſemper potior, quàm Saturni ſtellæ, honos fuit. Et ſanè ut *Ciun* Lunam, vel Heſperum credam, proprietate etiam vocis compellor. Theodotio enim, teſte Hieronymo, vertit ἀμαυρωσιν, hoc eſt, *obſcuritatem*. Theophylactus quoque in Actor. VII, 43, ubi pro *Chiun* eſt *Rempham*, de quo mox dicam, exponit σκοτισμὸν, ἤτοι τυφλωσιν· *obtenebrationem, ſive excæcationem*. Quod deinceps ſic enarrat, οὐχ ὡς ἐνεργητικοῦ τοῦ ἄστρου τῆς τυφλώσεως αὐτῶν· ἀλλ᾽ ἐπὶ σκοτισμῷ καὶ ἐν νυκτὶ τοῦ τοιούτου ἄστρου σέβας· *non quaſi aſtrum cauſſa ſit, cur quaſi cæci nihil cernamus: ſed quoniam tenebræ nocturnæ ex parte ſint cauſſa cultus, qui ſideri exhibetur*. Simpliciſſimè dixeris, Lunam ſic vocari, non quaſi ipſa ſit ἀμαυρωσις *a*, vel σκοτισμὸς *b*: ſed quia ſidus ſit τῆς ἀμαυρώσεως, hoc eſt, tenebrarum, ſive noctis; nempe ratione ἀρχῆς, ſive *dominii*, quod tum tenet: unde Gen. I, 16, legere eſt: *Fecit Deus duo luminaria magna: luminare majus in dominium diei, & luminare minus ad dominium noctis*. Quod ſi *Ciun* placet *Heſperon* interpretari; dicendum, ſic vocari, quia ei poſt Lunam proximus ſit honor: unde & *Nocturnus* κατ᾽ ἐξοχὴν appellatur. Sed malim multò, intelligere Lunam; tum quia Lunæ is honos magis convenit; tum maximè, quia Arabes non alios agnoſcant Deos, quàm Dionyſum, hoc eſt, Solem, & Uraniam, hoc eſt, Lunam: quemadmodum ex Herodoto mox planum faciam. Cur verò LXX in Amos, & eos ſecutus B. Lucas in Actis, pro *Ciun* habeant *Remphan*, non adeò eſt apertum. Mihi maximè placet, LXX in codices incidiſſe, ubi pro כיון, eſſet ריון. Facile enim fieri potuit, ut in כ, vel vetuſtate, vel aliter, baſis literæ ejus non comparêret: eoque ר crederetur: atque hinc vitium in complura diffunderetur exemplaria: quique Græcè ſolùm ſcirent, pro *Cion*, *Ceon*, *Cean*, vel *Cevan*, dicere adſueſcerent ῥεφὰν, ut legête Syrus, & Arabs, & B. Juſtinus, ac in codd. quibuſdam invenitur: ubi aliqui variatâ ſolùm vocali ῥαφὰν: alii ῥεφᾶ, vel ῥεμφὰν, vel ῥαιφὰν, vel ῥαμφὰν, vel ῥομφὰν, vel ῥομφᾶ, quod apud Origenem. Nullus igitur error commiſſus, vel à B. Stephano, qui apud Hebræos ſine dubio Hebraicè extulit, ut eſt apud Amos: vel à B. Luca, qui in Stephani ſermone *Ciun*, vel *Civan*, vel *Cevan*, ſic Græcè vertit, ut ab Helleniſtis vulgò id numen appellaretur. Quàm multa enim vocabula paullatim per imperitiam populi, vel aliâ de cauſſâ, corrumpuntur; quæ qui efferat cum populo, nihil peccet; cùm loquendum ſit cum vulgo, ſapiendum cum paucis. Valent enim verba, ut nummi. Semper etiam illud interpreti jus fuit, pro priſca appellatione reponere novam, & notiorem.

a Obſcuratio.
b Obtenebratio.

Cap. XXIV.

Lunam coluere Ægyptii ſub nomine Iſidos: quæ hinc Pharia *dicta. Vetus gloſſarium aliter, quàm ab aliis, emendatum. Quid Iſis, ſecundum Ægyptios, notârit. Cur ea cum cornibus fingeretur. Eandem cum Oſiride generationem omnem cauſſare. Ut Sol, tum Oſiris, tum Typho, & Seth, putus pro diverſa operatione, habitus ſit: atque ut Luna itidem tum Oſiridis, tum Iſidos, vocabulo cenſeretur. Cur in Sole quidem Hercules, in Luna verò Mercurius collocaretur. Oſiridis fabula partim ad Lunarem curſum accommodata, partim ad Nili fluxum. Convenientia Ægyptiaci vocabuli* Muth *cum linguis aliis. Nec Iſidem ſolum* Muth *dici, ſed etiam* Ἀθυρ, *&* Μεθυὲρ: *& conjectatum, cur ſic vocaretur. Afris etiam, præter Solem, Luna colebatur. Lunam Græcis, cum Syriacè neſcirent,* Ἀστροάρχην *vocatam, cum rectum ſit* Ἀστάρτη. *Hanc Græcis* Οὐρανίαν, Cæleſtem *dici Latinis. Quo pacto Luna &* Diana, *&* Venus, *ſit dicta; etſi Dianâ nihil caſtius, Venere nihil laſcivius putaretur.*

Nunc Ægyptiorum ſuperſtitionem circa Lunam ſpectabimus: quibus ea Iſis nuncupatur: ut Diodorus, & Plutarchus, ſunt auctores. Hinc *Pharia* dicebatur, à Pharo inſula Ægypti ex adverſo Alexandriæ. Itaque in veteri inſcriptione *a* legas: ΕΙΣΙΔΙ ΦΑΡΙΑ. Iſis & alibi *Phariam* videntur nominaſſe. Gloſſarium Benedicti abbatis Floriacenſis: *Iſis*, Φαρία. Etiam V. CL. præceptor quondam meus, Bonaventura Vulcanius *b*, teſtatur, ſe in codice membranaceo MSo, è bibliotheca Abbatiæ Gandavenſis S. Bavonis, reperiſſe exaratum: *Furia*, *Iſis*. Sed putat legendum, Τίσις. Puto ego ſcripſiſſe, *Faria*, *Iſis*. Barthius *c* tamen retinet *Furia*: atque ait, Iſidem dictam Furiam, quia furorem hominibus immitteret. Ac in gloſſario etiam Benedicti legit, *Furia*, Ἐρινύες, Ἴσις, Φαρία. Sed rectum eſt, *Furia*, Ἐρινύες. *Iſis*, Φαρία. Nam *Iſidem* pro *Furia* nemo veterum dixit.

a Collectionis Gruterianæ pag. 84, num 1.
b Initio notarum in gloſſarium Benedicti.
c Adverſ. lib. 47. cap. 17.

Quanto in precio olim habita ſit Iſis, præter veteres ſcriptores, oſtendunt inſcriptiones variæ: in quibus nunc *domina* d, vel *regina* e; nunc *frugifera* f, nunc *pelagia* g, nunc *invicta* h, *victrix* i, & *triumphalis* k, vocatur. Eſt & ubi *myrionyma* l dicitur, quaſi infinitis prædita nominibus. Nempe propter innumeras propè appellationes, quibus in myſteriis ſuis invocaretur: ut ἐν ταῖς κλήσεσι ſive *Indigitamentis* fieri ſolet. Sed planè cenſeo, nominum iſtorum multa ſpectaſſe Iſidem, non quatenus Luna ſola; ſed ſimul Aër, & Tellus, imò univerſa rerum Natura, per eam intelligeretur. Tam præclarè cùm ſenſerint nationes de Iſide ſua; operæ erit, ſi paullò curatiùs de ea dicamus. Non omnia tamen nunc adferam: quia poſtea iterum de ea erit dicendi occaſio: præſertim ubi de numinibus quæ ad Tellurem reducuntur, vel illis agam, quibus Natura ſive Univerſitas notatur.

d Pag. 83, num. 2.
e Pag 81, num. 12, & 13.
f Pag. 82, num. 10.
g P. 312, num. 5.
h Pag. 1065, num. 11.
i Pag. 83, num. 2.
k Pag 81, num. 10.
l Pag. 81, num. 2.

Nomen ſi attendas, ait Diodorus in primo bibliothecæ, Ἶσιν μεθερμηνευομένην εἶναι παλαιάν· *Iſidem, ſi transferas ex lingua Ægyptia, ſignare antiquam*. Atque addit, tale nomen habere ἀπὸ τῆς αἰδίου καὶ παλαιᾶς γενέσεως· *ab æterna & antiqua generatione*. Præterea refert, cum cornibus fingi, tum quoniam creſcens ſit corniculata: tum quia bos ſacer ſit Lunæ. Sed poſterius exigui eſt momenti. Nam bos Lunæ erat ſacer, quia animal eſſet cornutum, inſtar Lunæ corniculatæ: ac propterea etiam Lunæ dicatum. Unde Herodotus in Euterpe: Τὰς θηλέας τῶν βοῶν οὔ σφι ἔξεστι θύειν· ἀλλὰ ἱραί εἰσι τῆς Ἴσιος. τὸ γὰρ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήιον, βούκερών ἐστι, κατάπερ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσι. *Boves feminas eis immolare non licet. Nam Iſidis ſimulachrum muliebre eſt, bubulis præditum cornibus; ſicut Græci Io deſcribunt.* Ovidius lib. IX Metam. fabula XIII:

> *Inachis ante torum, pompâ comitata ſacrorum* m,
> *Aut ſtetit, aut viſa eſt: inerant lunaria fronti*
> *Cornua, cum ſpicis nitido flaventibus auro,*
> *Et regale decus: cum qua latrator Anubis,*
> *Sanctaque Bubaſtis, variiſque coloribus Apis*, &c.

m Alii, ſuorum.

Vide & Nonnum *n* in Collectan. Hiſtor. cap. XXVII. Quia verò Sol, & Luna, plurimùm ad rerum generationem conferunt: hinc de Oſiride, & Iſide, ſic Diodorus poſt ea, quæ antea adduximus: Φύσιν συμβαίνει δὲ τὴν πλείστην εἰς τὴν τῶν ἁπάντων ζωογονίαν τῶν θεῶν τούτων, τὸν μὲν πυρώδους καὶ πνεύματος, τὴν δὲ ὑγροῦ καὶ ξηροῦ, κοινῇ δ᾽ ἀμφοτέρους ἀέρος, καὶ διὰ τούτων πάντα γεννᾶσθαι, καὶ τρέφεσθαι. *Horum Deorum naturam plurimum conferre ad omnium generationem: quorum alter ignis & ſpiritus, altera humidi & ſicci, uterque verò communem habeat aëris poteſtatem: perque hos omnia gigni, & ali.*

n Subditur Nazianzeni in Julianum Invectivis, in editione Saviliana.

Nec Sol, Lunaque, duntaxat ſignantur Oſiridos, & Iſidos, nominibus: ſed etiam Typhonis vocabulo. Quod à ſacerdotibus Ægyptiis traditum ſibi fatetur Plutarchus: ſed eùm opiniones ἐναντιοφανεῖς *o* conciliare nequitquam poſſet: de Typhone longè aliud ſibi perſuaſit. Nequi igitur hic aqua poſthac hæreat: liquidum iſthoc reddam negotium. Sed paucis cogar, ex ipſo imprimis Plutarcho, admiſcere de Oſiride, ſive Sole; quia, abſque iis, illa ad Iſidem, & Typhonem, pertinentia, haut ſatis intelligantur.

o Quæ contraria videantur.

Cùm

a Efficiva. Cùm duo olim ſtatuerentur principia rerum ἀντίπαλα[a]; unum boni omnis, alterum omnis mali: Ægyptii in Sole ipſo utrumque ſpectarunt. Ac a bono quidem principio eſſe dixerunt vim beneficam; quâ Lunam illuminat, ac vitalem animantibus inſinuat calorem. A malo autem principio eſſe crediderunt vim maleficam; quando ſuo ſtupes ardore exſiccat, animantibus etiam peſtilitatem, & exitium, nimio inducit æſtu. Quatenus igitur eſſet beneficus, *Oſiridem* vocarunt: at quatenus idem foret maleficus, nominarunt eum *Typhona*; ac *Seth* etiam, ob violentiam. Utrumque ſtatuerunt eſſe maſculum numen; quia ambo ſint generationis, & corruptionis, cauſſa principalis.

Luna itidem bifariam ab iis conſideratur: primùm quatenus lumen accipit à Sole, quomodo femineæ eſt virtutis, & *Iſis* dicitur: deinde quatenus lumen per aëra in terras, & aquas, diffundit, ad ſtirpium, & animantium generationem: quo pacto jam viri partes ſuſtinet, & *Oſiridis* quoque obtinet nomen.

Quia verò Solis lumen exſiccat, eò aquâ maris, (quæ & ipſa ob ſalſuginem exſiccandi vim habet, ut poſtea pleniùs dicam) paſci eum, magiſque incendi arbitrabantur. Lunam autem, cujus lumen eſt genitabile, ajebant e fontibus ac lacubus dulcem molleinque educere humorem, quo alatur.

In Sole item, ob violentiam ejus, Herculis ſedem ſtatuerunt; quia is robore magis, quàm conſilio, polleret. At Mercurium ajebant ſedem ſuam habere in Luna; quia ut Luna ſuaviter omnia calefacit, & humectat; ita Eloquentia non vi militari atque armatâ cogat, ſed oratione ſapienti, ac delenificâ, ſuaviter perſuadeat.

Ad Lunam etiam referendum, quod Oſiridem dicerent die XVII interiiſſe. Nam à plenilunio, quod tum maximè apparet, mox decreſcit. Eundem, ſeu vixiſſe, ſeu, ut alii loqui malunt, annos regnâſſe ajunt undetriginta. Cur verò hoc, niſi quia diebus totidem ſuum Luna abſolvat circulum? Præterea arcam, quâ mortuus conderetur Oſiris, formâ apparabatur Lunari. Quam rationem credamus aliam, quam quia Luna, ubi appropinquat Soli, falcatur, atque occulitur? Illud etiam conſideratione non indignum, quod Oſiris perhibetur in partes diſcerptus XIV. An hoc aliunde, in tanto reliquorum conſenſu, eſſe credamus, quàm quia totidem ſint dies à plenilunio ad novilunium; quibus ſic decreſcit Luna, quaſi pars ejus quotidie decerperetur? Princeps dies, quo Luna ſe noſtris offerret obtutibus, nomen accepit *boni imperfecti*: proximum dixere *Omphin*, quod beneficum ſonat.

Cenſent quoque Nili incrementa quodammodo convenire illuminationibus Lunæ. Nam apud Elephantinam maximum incrementum eſſe dierum XXIX: quot diebus conſtat periodus Lunaris. Apud Memphin juſtum incrementum eſſe cubitorum XIV: quod tempori plenilunii reſpondet. Apud Mendetem, & Xoin, incrementum eſſe minimum: nempe cubitorum duntaxat VI: quot diebus Lunæ orbis ſit dimidiatus. Apis etiam creditur Lunæ viva eſſe imago: quia ut in Lunæ corpore candido partes umbroſæ velut maculæ, conſpiciuntur: ita & in Api partes aliæ eſſent atræ, aliæ albæ. Inque novilunio menſis Phamenoth, quod veris initium eſt, celebrant feſtum, quia tum Oſiridem ajunt in Lunam ingredi. Exinde vis Oſiridis eſt in Luna: eſtque hoc connubium Oſiridis, & Iſidos, quæ conjux Oſiridis. Sed Oſiris quidem mas totus: Iſis utrumque ſexum habet: femininum quidem, quatenus à Sole illuminatur, & quaſi gravida ſit: virilem verò, quatenus poſtea lumen per aëra diffundit, & terris atque aquis procreatricem vim indit. Unde etiam liquet, cur Ægyptii Lunam dicant terræ matrem. Et Ægyptiis quidem propterea Μὼθ dicebatur, quod, Plutarcho teſtante, iis *matrem* notat. Unde colligas, & Græcum μήτηρ, & Latinum *mater*, & Germanicum *muther*, vel *muder*, ab communi eſſe origine, cùm Ægyptii quoque *muth* dixerint, ubi ſola deſideratur terminatio. Etſi & altero nomine hoc Iſidi nomen conveniret. Nempe quatenus Iſis non Lunam ſolùm ſignat, ſed etiam Terram; ut poſtea dicam. Terra autem omnium noſtri mater, & materies; quæ ipſa vox à *matris* vocabulo derivatur. Addit quoque Plutarchus, Iſidi nomen eſſe Ἀθύρ, & hoc ſignare *domum Ori mundanam*. Unde clare elucet, *Ath* valere idem Ægyptiis, ac *Beth* Hebræis, quo *domus* notatur: *Yr* autem ſignificare *Or*, ſive *Orum*. Nam quod Græcis Ὧρος, hoc Ægyptiis Ὧρ: ut ſuperiùs diximus. Mox ſubjungit Plutarchus, etiam nominari Μεθύερ: quod Plutarchus interpretatur *plenitudinem & cauſſam*. Nec repugno. Quandoquidem utraque appellatio & Lunæ convenit, & Telluri. Ea tamen eſt ſimilitudo inter *Athyr*, & *Methyer*, ut, cùm ambo iiſdem notent, etiam ab eâdem origine videantur deſcendere: nam ſic ſatis vicina *beth*, & *meth*. Et *B* ac *M* ſæpe commutantur: ut βαμβα, pro βάμμα, teſte Heſychio, pro μύρμηξ βύρμαξ, unde *formica* & id genus multa. Sic utrobique poſterior compoſiti pars ſit *Yr*, ſive *Or*; quo *Orus*, ſive Sol ſignificatur: prior autem ſit *Ath*, ſive *Meth*: quibus *domus* denotabitur. Nec conjectura de Athyr, auctoritate eſt levi ſubnixa; quandoquidem Plutarchus clarè ait, ſeſe hoc, ut pleraque eo libello, tradere ſacerdotum Ægyptiorum fide. Et hæc de Iſide nunc. Cætera, ut promiſi, poſtea exſequar. Niſi hoc addi placet, etiam Minervam Saitidem eandem eſſe, ac Iſidem, ac proinde Lunam. Plutarchus lib. de Iſide, & Oſir. Τὸ δ' ἐν Σάϊ τῆς Ἀθηνᾶς (ἣν καὶ Ἶσιν νομίζουσιν) ἕδος ἐπιγραφὴν εἶχε τοιαύτην. *Apud Saitas ſimulachrum Minervæ, (quæ & Iſis exiſtimatur) hujuſmodi habet inſcriptionem.* Ac poſtea: Τὴν μὲν γὰρ Ἶσιν πολλάκις τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ὀνόματι καλοῦσιν. *Iſin ſæpe Minervæ nomine ſignificant.*

Pergo ad Afros, quibus iidem venerationi fuerunt Sol Lunaque: imò nec alios, præter eos, agnovere. Herodotus lib. IV: Θύουσι δὲ ἡλίῳ καὶ σελήνῃ μούνοισι· τούτοισι μὲν πάντες Λίβυες θύουσι. *Tantummodo Soli, & Lunæ, ſacrificant, & quidem Afri univerſi.* De Sole ſuperiùs vidimus. De Luna teſtis Herodianus lib. V: ubi Carthaginenſes ait Οὐρανίαν ſive Cœleſtis numen à Didone Phœniſſa accepiſſe: & Lunam credi, vocarique aliter Ἀστροάρχην. Sic Græculi corrupere vocem Ἀστάρτης, quæ ex *Aſtaroth*; faciendo inde Ἀστροάρχην, q. d. ſiderum rectricem, ſive cæli reginam. Ut verò Græci Οὐρανίαν, ſic Latini reddidere *Cæleſtem*. Tertullianus in Apologetico: *Unicuique etiam provinciæ & civitati ſuus Deus eſt; ut Syria Aſtartes, ut Arabia Dyſares, ut Norici Belenus, ut Africa Cæleſtis.* Capitolinus in Pertinace: *Deinde proconſul Africæ factus eſt. In quo proconſulatu multas ſeditiones perpeſſus dicitur vaticinationibus earum, quæ de templo Cæleſtis emergunt.* Idem in vita Macrini: *Vates Cæleſtis apud Carthaginem Deo repleta ſolebat vera canere.* Trebellius Pollio in XXX tyrannis: *Afri quoque, auctore Vibio Paſſieno, proconſule Africæ, & Fabio Pomponiano, duce limitis Libyci, Celſum imperatorem appellaverunt, peplo deæ Cæleſtis ornatum.* Philaſtrius Brixienſis in catal. hæreſ. *a. Alia hæreſis in Judæis, quæ Reginam,* a Cap. 15. *quam & Fortunam cæli nuncupant; quam & Cæleſtem vocant in Africa.* Ambroſius epiſtolâ contra Relationem Symmachi: *Unde Phrygii vates, & ſemper Romanis inviſa non æque Carthaginis numina, quam Cæleſtem Afri, Mitram Perſæ, plerique Venerem colunt, pro diverſitate nominis, non pro numinis varietate.* Apud Salvianum quoque in octavo de Gubernatione Dei reperit Pithœus *b* b Advers. in optimo & vetuſtiſſimo codice: *Cæleſtem illam, Afro-* Subſ. l. 1. *rum dæmonem.* Ubi in aliis *illum* legitur. Quod plerique cap. 4. eo defendunt, quia & *Cæleſtis Salinenſis* hoc Africanum numen nominetur Ulpiano in Tit. XXI Regular. Unde colligunt, ut *Lunum*, & *Lunam*, dixere Carrenі, teſte Spartiano in Caracallo: ita & *Cæleſtis* Afris Dei Deæque nomen fuiſſe. *Deæ Cæleſtis* meminit item Ammianus lib. XXII; ubi refert, ut Aſclepiades philoſophus circumferre ejus ſoleat figuram ex argento: nempe quod ſic Deam magis ſibi propitiam fore arbitraretur: ut alii, ſi Alexandri Magni figuram (nam & hunc eſſe in Diis habitum, ſuperiori libro diximus) geſtitarent; in cunctis, quæ agerent, ſe ab eo adjutum iri, ſperabant; teſte Trebellio in XXX ty-

rannis. Cæterum nec aliam, quam hanc Deam, per *Cæleſtem Virginem* intelligi, vel Tertullianus in Apologetico; ubi eam *pluviarum pollicitatricem* vocat; quia pallens Luna pluviæ eſt præſagium: vel Auguſtinus lib. II de Civit. Dei, cap. IV; ubi illam cum Berecynthia, Deorum matre, conjungit. Nec, quod dicebamus, Uraniam ſive Cæleſtem eſſe eandem, ac Venerem, & Junonem, obſtitent illi, quod *virginem* dixere. Nam & Diana ſemper virgo; quæ tamen & Juno Lucina, ac Ilithya, & γενεθλία θεὰ, ſive Genitalis; ut ſuperius oſtenſum. De *Cæleſti* numine Africæ, pluſcula Rittershuſius ad Salvianum de Providentia pag. 265. Notarum pag. 351. fit & deæ Cæleſtis mentio in nummo Juliæ Semiamiræ, vel potius Symiamiræ, quæ Heliogabali mater fuit.

Cap. XXV.

Romanis, ac Græcis, Ἄρτεμιν *ſive Dianam eſſe eandem, ac Lunam. Cur nonnulli exiſtiment,* τὸ ἀρτεμὲς *Græcum Divæ huic nomen dediſſe.* Jana *eadem, ac Luna;* *indeque* Dianæ *nomen.* Covum *pro* cœlo, *ex* chaos: *& an ex eo Juno dicatur* covella. *Quæ* Jana novella, *&* trigeſima ſabbatha. *Altera adfertur ratio, cur ex Latona nati dicantur Apollo, & Diana. Quam latè* filii, filiæque *nomina patuerint apud Orientales. Diana cognomento* Lucifera, *Apollo* Ἀγυιεὺς, *& Diana* Ἐνοδία: *ac ratio utriuſque nominis allata. Cur Diana ſilvis, ac venationi præfecta: cur* ἰοχέαιρα *dicta: & cur canes ei dicati: cur agriculturæ præſes: unde Thargelia ei ſacra: cur Epheſi cum multis mammis fingeretur. Diſpar de Timæi dicto judicium Ciceronis, & Plutarchi: illo concinnum, hoc frigidum exiſtimante. Diverſa natura ſolaris ac lunaris caloris.* Ἄρτεμις λυσίζωνος. *A Latinis, eas, quæ nubunt, dici* zonam ſolvere: *à Græcis autem iſtas, quæ pariunt. Quò reſpexerint, cùm Dianam; quæ partum neſcit, quippe virgo, partui præfecerunt. Cur Juno dicta quotannis, lavando ſe in Canatho, in virginem commutari. Puellæ* ἀρκτεύουσαι *Dianæ Brauroniæ. Utrùm à Cretenſibus Eubuli filia, an Luna, quicum ea colebatur, prius dicta ſit* Βριτόμαρτις, *ac* Ἄρτεμις: *& alterum Artemidis etymon.*

HActenus iſta: deinceps orationem ad Græcos referam, & Romanos. Incipiam autem à Diana; quam eandem, ac Lunam, putari, etiam Tullius ait in II de Natura Deorum. Hinc eam *aſtrorum decus* vocat Maro *a*. Græcis dicitur Ἄρτεμις: etiam in Actis Apoſtolicis XIX, vſ. 28, 34: ubi vocatur; Μεγάλη ἡ Ἄρτεμις Ἐφεσίων *b*. Quomodo eam gentiles dixere ob multiplicem Lunæ vim ac poteſtatem. Ac ſimiliter fortaſſe eſt apud Dionyſium Afrum in Periegeſi:

Παρράλιον Ἔφεσον, μεγάλης πόλιν ἰοχεαίρης.

Maritimam Epheſum, magnæ urbem Dianæ.

Niſi μεγάλην *c* hic legendum: de quo Petr. Faber Semeſtr. lib. III, cap. III. Unde Ἄρτεμις nomen traxerit, varie conjectant. Non abſurdè illi, quibus ſic dici placet διὰ τὸ ἀρτεμὲς, hoc eſt, *integrum, ſanum:* quam nominis cauſſam adducunt Plato in Cratylo, Strabo in XIV, Artemidorus lib. II, cap. XXXV, §. III, Phurnutus. Nempe vel quia Diva hæc cenſeretur non imminutæ, ſed integræ virginitatis: vel quoniam nos ſanos præſtaret, & incolumes. Sed alteram præterea nominis cauſſam ex Macrobio inferius adducam.

Latinum verò *Diana* unde ſit, oſtendere conatus Ludovicus Montioſius in Gallo Romæ hoſpite *d*, ubi ait, *Dianam, quaſi Janam dictam fuiſſe appoſita litera D, ut ſæpe decoris cauſſâ adjecta eſt.* Sed D, non initio, ſed medio, vel in fine, ſequente voce ab vocali inchoante, addi ſolet. Quare omnino conflatum eſt ex *Diva Jana:* vel, ſi ad vivum reſeces, eadem mente ſit ex *Dea Jana:* unde tum κατὰ συναίρεσιν *Diana*, priori correptâ: tum κατὰ κρᾶσιν, ut integriùs ſit *Deiana*, eâdem porrectâ.

At *Diviana*, quod apud Varronem, planè eſt ex *Diva Jana*. Utrobique, ut *Janus*, Sol; ita *Jana*, Luna. quemadmodum diximus libri hujuſce cap. XVI. Nunc ipſa Varronis verba apponam è lib. I, cap. XXXVII: *Nunquam rure audiſti, octavo janam lunam, & creſcentem, & contra ſeneſcentem, & quæ creſcente lunâ fieri oporteret: & tamen quædam melius fieri poſt octavam janam lunam, quam ante?* Ita editiones, & utraque Stephanica, & aliæ, quas vidi. Sed non dubium, quin *Luna* ex gloſſemate irrepſerit: ut Scaligero monitum lib. II de Emendatione Temporum, cap. de veteri anno Romanorum *a*. Ac facilè eidem aſſentio, ſic legenti apud Varronem in V de L. L. *Primi dies menſium nominati Kalendæ, ab eo, quòd his diebus kalentur ejus menſis Nonæ à Pontificibus, quintanæ, an ſeptimanæ, ſint futuræ, in Capitolio in curia Kalabra, ſic dicta. Quinque kalo Jana novella: Septem kalo Jana novella:* Ub. in vett. libris eſt *Juno covella:* quod interpretantur, *Juno cæleſtis:* nempe quia priſci, Feſto teſte, pro *cœlum* dixere *cohum* b; à χάος, quo veteres Græci *aëra* ſignarunt; ſive omne id, quod inter ſidera terraſque eſt interjectum. Ut à *cælum* eſt *cælicum:* ſic à *covo* ſit *covicum*; inde *coviculum* & *covicellum*; ac κατὰ συγκοπὴν, *covellum*. Malim tamen *novella:* uti & *Jana*, quàm *Juno*. Utcunque enim ſit eadem; tamen, pro diverſa virtute, *Jana*, vel *Juno*, Romanis dicebatur. Tum *Iana*, ſive *Diva Iana*, ſive *Diviana*, vel *Dea Iana*, ſive *Diana*, vocabatur; quando vis illuminatrix in conſiderationem præcipuè veniret: *Juno* autem nuncupata eſt, cùm ſpectaretur vis calefactrix, ſive generatrix. Itaque venatores Romani, nocturni luminis ergo, non Junonem invocabant, ſed Dianam: & parientium vox erat, non quidem *Diana*, ſed *c Juno Lucina fer opem; ſerva me obſecro.* Atque hæc planiora fient ex iis, quæ deinceps, priùs de Diana, poſtea de Junone dicentur. Porrò, in verbis Varronis, antea memoratis, *Iana novella*, idem ſit, ac νεομηνία *d*: ut *Iana vetus novella* fuerit, quæ Soloni dicebatur ἔνη καὶ νέα *e*: puta dies ea, quæ Lunam haberet veterem, novamque. *Trigeſima ſabbatha* vocat Horatius lib. I, Sat. IX:

—— *Hodie trigeſima ſabbatha. Vin tu*
Curtis Judæis oppedere? ——

Trigeſima ſabbatha, quæ neomenias habent.

Vide & interpretem, ſub nomine Acronis.

Diana hæc cum fratre Apolline, qui Sol eſt, ex Latona nati dicuntur. Cujus cauſſam, Platonicos ſecuti ex materiæ æternitate petebamus, cap. XII. Ac planè id veriſimilius. Nec abſurdè tamen per Latonam etiam tenebras intelligamus: quia ex tenebris lux: ubi vertiſſimum quidem eſt, præverbium ex privationem ſignificare; ut ex indocto fit doctus: ſed in θεολογίᾳ μυθικῇ *f* ſæpius ex notat ſolùm τὴν ἀκολούθησιν *g*. Nempe laxè admodum antiqui in θεογονίᾳ *h* ſua hoc accepere, cum aliquem alicujus filium, vel filiam, dicerent. Factum hoc exemplo Orientalium. Nam legas Jeſ. XIV, 12: *Quomodo decidiſti è cælo Lucifer, fili diluculi!* Et ſimiliter *ſagittæ* dicuntur *filiæ pharetræ* i; *inſulæ* vocantur iis *filiæ maris* k. Latonæ verò opponitur Delia: quia ante Solem, Lunamque, vel, juxta Scripturas, ante lucem primæ diei, omnia latuerint: at creatâ jam luce, omnia ſint reddita δῆλα, ſive *manifeſta.* Hoc Scholaſtici ſic efferrent: duos hic ſpectari terminos, à quo, & ad quem: illum eſſe tenebras; unde dicta ſit Λητώ; juxta Platonem in Cratylo: hunc eſſe lucem, omnia manifeſtantem; unde inſula Δῆλος nomen acceperit; ſive potiùs, unde à poëtis Apollo, ac Diana, *Delii*, & *Delia*, nomen acceperint: quod occaſionem præbuit Delus, ut apud ſe natos prædicarent.

Ut verò Luna ex Tullii quidem, & Grammaticorum mente; de quo cap. prox. à lucendo dicitur *Lucina:* ſic & Dianæ eſt *Lucifera* datum cognomen. Habes apud Tullium in II de Nat. Deorum: cujus verba inferiùs ponam. Item in veteri nummo Fauſtinæ Auguſtæ, & altero Juliæ Piæ Fel. Aug. & tertio Imp. Gordiani; in quibus eſt imago muliebris, utraque manu facem ferens: inſcriptio autem eſt

a Æn. 9, verſ. 406
b Magna Diana Epheſiorum.
c Magnam.
d Pag. 12, edit. Rom. an. 1585.

a Pag. 167, edit. Raphelengiana.
b Sive, Æolum more, inſerto digamma, covum.
c Terent. Andr. act. 3, ſc. 1: ubi Donatum vide.
d Novilunium.
e Vetus ac nova.
f Theologia gentium fabulari.
g Conſequentiam.
h Generatione Deorum.
i Lament. Jer 3.13.
k Jeſ. 23, 10.

eſt in omnibus: DIANA LVCIFERA. Uti & in quodam Juliæ Piæ eſt, LVNA LVCIFERA.

Lucis hujus beneficium eſt, quòd uti Apollo die, ita ipſa noctu oſtendat vias. Itaque, ut Apollo propterea Ἀγυιεὺς dictus: ita Diana Ἐνοδία: ut de utroque auctor eſt Phurnutus. Hinc quoque Callimachus hymno in Dianam:

—— Καὶ μὲν Ἀγυιαῖς
Ἔσσῃ, καὶ λιμένεσσιν ἐπίσκοπος. ——
—— —— *Eriſque*
Et præfecta viis, & portubus.

Feſtus ſive Paullus a: *Diana viarum putabatur Dea.* Particulatim verò utilis habita eſt omnibus, per montes ſylvaſque iter facientibus. Unde Maroni lib. IX,

—— *nemorum Latonia cuſtos.*

Et XI,

—— *Nemorum cultrix Latonia virgo.*

Item Horatio Carmine Seculari, nunc *ſilvarum potens* dicitur: nunc

Montium cuſtos, nemorumque, virgo.

Atque ob hanc potiſſimùm cauſſam Diana venationi præeſt. Nempe non modò, quia ut Luna radios ejaculetur in terram; ita venatores tela emittant in feras: ſed præcipuè, quia venatores noctu Lunari indigeant lumine. Hinc, ut poſtea videbimus, Minucius in Octavio eam *venatricem* dicit *altè ſuccinctam*: puta qualis in venando Venus à Marone deſcribitur I Æn. Ac apud Patrenſes etiam Dea Laphria venatricis habitu colebatur: curruſque virginis ſacerdotis in annuo Deæ feſto trahebatur à cervis: victimæ autem erant apri, cervi, capreæ, luporum, & urſorum catuli: ut apud Pauſaniam eſt in Achaicis. Poëtis etiam eò dicta ἰοχέαιρα, ut Homero hymno in Apollinem, ac Pindaro Pyth. od. II. Id eſt, ἰοῖς χαίρουσα b: ut Euſtathius interpretatur. Item vocatur κυνηγέτις, *venatrix*; θηροκτόνος, *fericida*; ἐλαφηβόλος, *cervicida*; ὀρεσίφοιτος, *montivaga*; ut monitum Phurnuto. Qui & obſervat, canes, quia iis venatio fit, (unde & ars κυνηγετικὴ c dicta) Dianæ ſacros eſſe.

Præter hoc verò, quòd Diana, hoc eſt, Luna, terras illuminat; eadem calore generationem promovet: unde eſt, quòd, uti Apollinem, hoc eſt, Solem, ita etiam Dianam dixerint præeſſe agriculturæ. Itaque Thargelium feſtum, juxta Etymologum, ab omnibus terræ fructibus ſic nuncupatum, non Apollini modò, ſed etiam Dianæ ſacrum fuit. Suidas: Θαργήλια, ἑορτὴ Ἀπόλλωνος, καὶ Ἀρτέμιδος d. Eandem ob cauſſam Diana Epheſia cum multis mammis fingebatur, tanquam alma mater uberibus ſuis nutriens genus humanum. Unde B. Hieronymus in epiſt. ad Epheſ. *Erat Epheſi templum Dianæ, & ejuſdem in ipſo Multimammia, id eſt, multarum mammarum effigies; quæ cultores ejus decepti, putabant eam omnium viventium nutricem.* Meminit & ante eum Minucius Felix in Octavio: *Diana interim eſt altè ſuccincta venatrix, & Epheſia mammis multis, & uberibus multis exſtructa.* Etiam in antiquis numiſmatis DIANA POLYMAMMA reperias. Hanc eſſe Lunam, ex eo quoque intelligas, quod apud Trebellium Pollionem pro *Dianæ Epheſiæ templo*, in vett. libris, *Lunæ Epheſiæ* legas.

Nec eorum modò fertilitati præerat, quibus homines nutriuntur: ſed etiam hominum ipſorum. Unde & partui eſt præfecta, dictaque Λοχεία, quaſi partus arbitra. Hoc ſic exponit Tullius in II de Natura Deorum: *Adhibetur ad partus, quod ii matureſcunt, aut ſeptem nonnunquam, aut plerumque novem Lunæ curſibus: qui, quia menſa ſpatia conficiunt, menſes nominantur: concinnéque ut multa, Timæus: qui, cùm in hiſtoria dixiſſet, quâ nocte natus Alexander eſſet, eâdem Dianæ Epheſiæ templum deflagraviſſe; adiunxit, minimè id eſſe mirandum, quod Diana, cùm in partu Olympiadis adeſſe voluiſſet, abfuiſſet domo.* Sed de eo, quod ſcitè hoc à Timæo dictum Cicero arbitratur; longè profectò aliter Plutarchus: cui id frigidè dictum videtur. Nec id mirabitur, qui ſciat, quàm graviſſimus is ſcriptor religioſè, præ gentilium multis, ſenſerit de Diis. Ut qui minimè probet, quòd natura rerum pro Deo colatur, ac Dii μετωνυμικῶς corporum naturalium nominibus vocentur. Quod hominibus maximorum fuiſſe errorum cauſſam, exiſtimat: ut videre eſt libro de Iſide, & Oſiride. Præterea quòd Tullius, cur partubus Dianam præfecerint, cauſſam à novem menſium geſtatione arceſſit, hoc ut aliquid eſt, ita non totum exhaurit: magiſque eò reſpexiſſe videntur, quod Luna humidum ſit ſidus; eoque, laxando parturientium meatus, partum acceleret, & faciliorem reddat. Quam rationem ex Plutarchi Sympoſiacis adduximus cap. XIX. Quippe, ut Plinius ait lib. I Hiſt. Nat. cap. CI: *ferunt Lunæ femineum ac molle ſidus, atque nocturnum ſolvere humorem, & trahere, non auferre.* E contrario ſcilicet ac Sol facit; de quo ibidem cap. C dixerat; *Solis ardore ſiccari liquorem: & hoc maſculum ſidus eſſe, torrens cuncta, ſorbenſque.* Utrumque calidum ſidus: ſed ἧττον δ' ἥλιος θερμὴ ἡ σελήνη a: de quo Artemidorum b in re aperta quid attinet allegare? Lunaris igitur calor eſt idoneus movere, & prolicere humorem, non abſumere: intenſior eſt Solaris, qui e corporibus eum educit, & rarefaciendo in aëra convertit.

Atque ex his etiam cognoſcere eſt, cur ἡ Ἄρτεμις c ſit dicta Λυσιζώνη d. Parientes enim apud Græcos zonam ſolvere dicuntur. Apollonius Rhodius lib. I Argonauticôn e:

—— ᾧ ἐπὶ μέσσω
Μίτρην πρῶτον ἔλυσα, καὶ ὕστατον. ——
—— *Quem propter ſolum*
Zonam primo ſolvi, poſtremòque. ——

Ubi ſic vetus ſcholiaſtes: Λύουσι γὰρ τὰς ζώνας αἱ πρώτως τίκτουσαι, καὶ ἀνατιθέασιν Ἀρτέμιδι. ὅθεν καὶ Λυσιζώνης Ἀρτέμιδος ἱερὸν ἐν Ἀθήναις. *Zonam enim ſolvunt, quæ primum pariunt, eamque Dianæ conſecrant, unde & Athenis templum erat Dianæ zonam ſolventis.* At Romanis *zonam ſolvere* dicebantur, quæ nuberent: quomodo de Atalanta locutus eſt Catullus carm. II. Atque idem ad Hymenæum epigr. LXII ait:

—— *Tibi virgines*
Zonulâ ſoluunt ſinus.

Nec liquidius quicquam tertio ejus loco carm. LXVIII ad Januam. Vel illo Varronis γεροντοδιδάσκαλος f: *Novus maritus tacitulus* g *taxim uxoris ſolvebat cingillum.* Ubi *cingillum* pro *cingulum* repoſui, fide membranarum noſtrarum: in quibus & hoc loco, & in præviâ vocis interpretatione, ſic liquidò eſt exaratum. Etiam ritus hujus meminit Ovidius epiſtolâ Phyllidos ad Demophoontem. Atque è noſtris Arnobius lib. III. Auguſtinus quoque eſt lib. IV de Civit. Dei, cap. XI: *Ipſe in Jugatino Deo conjuges jungat, ut zona virginis ſolvatur.* Et lib. VI, cap. IX: *Si adeſt Virginenſis Dea, ut zona virgini ſolvatur.* Hoc quoque diſcriminis erat inter Græcos, & Romanos: quòd hi nubentium ſolutioni præficerent Junonem Cinxiam; de qua poſtea dicam: at juxta illos, quæ peperere, cingulum conſecrarent Dianæ Cingulum ſolventi. Interea, ſi rerum naturam in ſe ſpectes, eſt idem numen & Juno Cinxia, & Diana Cingulum ſolvens: ſed prout diverſimodè conſiderabatur Diva, ita vel hoc, vel illo nomine vocabatur.

Fatemur interim, quandoque etiam Græcis ſolutionem cinguli ad nubentes pertinere. Ut apud Homerum Ὀδυσσ. λ h:

Λῦσε δὲ παρθενίην ζώνην, κατὰ δ' ὕπνον ἔχευεν.
Solvit autem virginalem zonam, ſomnumque ſuperfudit.

Ubi συνουσιασμὸς i ſignari, & Etymologus ait in Ζώνη. De Spartanis ſic item Plutarchus in vita Lycurgi: ὁ δὲ νυμφίος οὐ μεθύων, οὐδὲ θρυπτόμενος, ἀλλὰ νήφων, ὥσπερ ἀεὶ δεδειπνηκὼς ἐν τοῖς φειδιτίοις, παρεισελθὼν ἔλυε τὴν ζώνην, καὶ μετενέγκας ἀράμενος ἐπὶ τὴν κλίνην. *Sponſus non vino gravis, nec deliciis fractus, ſed ſobrius, ut ſemper in Phiditiis cœnatus, clam ingreſſus ſponſæ zonam ſolvebat, & eam tollens in lectum transferebat.*

At

a *In Juvenalia.*
b *Sagittis gaudens.*
c *Venatio, proprieque ea quæ canibus fit.*
d *Thargelia, feſtum Apollinis, ac Dianæ.*

a *Minus calida Sole Luna.*
b *Lib. 2, cap. 38.*
c *Diana.*
d *Cingulum ſolvens.*
e *Verſ. 287.*
f *Apud Nonium in Cingulum.*
g *Al. taciturnus. MSti noſter taciturus. Sed perperam.*
h *Verſ. 244.*
i *Congreſſum.*

At altera quoque oritur difficultas. Notum, ut Diana ſit immunis a partus labore: quippe ſemper-virgo: unde ipſa apud Callimachum ita Jovem compellat:

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα φυλάσσειν.

Des mihi, virginitas ut ſit, pater, omnibus ævis.

Quomodo igitur (ut Platonis utar verbis in Theæteto) Ἄρτεμις, ἀλόχευτος οὖσα, τὴν λοχείαν εἴληχε; *Diana, à pariendo libera, partus procurandi ſortita eſt provinciam?* Non leviter hoc torſit nonnullos: ſed nodum ſic exſolvi poſſe arbitror. Luna cùm aliter, tum præcipuè bifariam ſpectatur: ratione luminis, quo terras illuſtrat, & caloris modici, quo generationem & partum juvat. Poſterioris intuitu partui præfecerunt: quia ſic eſt mater alma, multis uberibus nutriens univerſos. Ratione autem alterius eſt & virgo, & virginitatis exemplum. Nimirum, quia vel æthereo corpore, vel Lunari luce, nihil eſt purius ſub Sole: a Cap. de Diana. eò judicarint, ut loquitur Phurnutus *a*, ἄχραντον, καὶ ἁγνὴν εἶναι ὁμοίως τῷ ἡλίῳ, *eſſe intactam, caſtamque inſtar Solis.* Si ſic videatur, addam & rationem alteram, ab venatoribus petitam; quibus noctu eſt opus luce Lunari. Nam qui venando ſupra modum indulgent. Veneri parùm ſunt apti, quia vehementi exercitio corpus fiat exſuccum, nec Veneri idoneum. Hoc in maritis etiam habet b Horat. od. 1, 1. locum. Unde *b*,

—— Manet ſub Jove frigido
Venator teneræ conjugis immemor.

c Octavia verſ. 556. Magis etiam in adoleſcentia id videas: quia, ut Seneca *c* ait,

Amor juventa gignitur luxu, otio
Nutritur, inter læta fortunæ bona.

Nempe, præter rationem, quam dixi, venationis labor ſic diſtinet, ut non poſſint amoribus vacare. Exemplo ſit Hippolytus, Dianæ venatricis cultor, à Venere autem averſus.

Sed hoc longiùs aliquis arceſſitum dixerit. Tertium igitur accedat. Creditum eſt ab Argivis, poſt XII periodos Lunares, quot conſtituebant annum civilem, Junonem, quæ eadem ac Diana, ut poſtea liquebit, denuo virginem fieri: quod in ſacris Junoniis docebantur. Quod inde tractum, quia cum Sole novo nova numerandarum lunationum (ut vocant) ratio iniretur. Ajebant igitur ſacerdotes, qui, ob feſtos dies, Lunaris & Solaris periodi rationem inprimis habuere, eo ſpatio exacto, Lunam ſe lavare in Canatho, atque ita, quam ſemel puellæ ereptam nec à Deo reddi poſſe virginitatem ajebat B. Hieronymus, eam reddi quotannis Junoni ſuæ. De eo ſic Pauſanias in Corinthiacis: Ἐνταῦθα τὴν Ἥραν φασὶν Ἀργεῖοι κατὰ ἔτος λουμένην παρθένον γίνεσθαι. *In eo Canathi fonte, ajunt Argivi, Junonem, ubi quotannis laverit, virginem fieri.* Subjungit deinde: Οὗτος μὲν δὴ σφίσιν ἐκ τελετῆς, ἣν ἄγουσι τῇ Ἥρᾳ, λόγος τῶν ἀπορρήτων ἐστίν. *Atque hic ſermo iis promanavit ab ſacris, quæ nefas referre.* Sacra ea ſine dubio eò ſpectarunt, quò dixi: nempe quòd incipiente novo anno civili, uti Sol novus, ita nova menſium ineatur ratio: atque ita Luna, ſive Juno, quaſi recens nata, denuo cenſeatur virgo, quam Dianam dicimus.

Quia autem Diana virgo; eò & virgunculæ non minores quinquennibus, nec majores decennibus, crocotulâ indutæ, ſacra faciebant Dianæ Brauroniæ, vel Munichiæ. Hoc ἀρκτεύειν dixere. Nam ἄρκτος, *virgo.* Sic Ariſtophanes uſus in Lyſiſtrata. Olim περὶ τοῦ ἀρκτεύειν καὶ δεκατεύειν liber extitit Didymi Grammatici.

Nec ſola ubique, ſeu ſimplici veneratione, Diana colebatur: ſed, apud Cretenſes, cultu miſcello iiſdem gaudebant altaribus, & Diana ſive Luna, & Cretenſis quædam virgo, Eubuli filia, venatoriorum caſſium repertrix: ut diximus lib. I, cap. XVII. Virgo iſta tum Ἄρτεμις vocatur, tum Βριτόμαρτις. Sed quæritur, quia in cultu hoc mixto nomina ſolent confundi, utra harum appellatio propria fuerit numinis naturalis, ſive Lunæ: utra item animalis, ſive filiæ Eubuli. Refugiendum in talibus ad conjecturas: quas, qui volet, ſomnia appellet. Cenſeo potius, puellæ Cretiſſæ proprium fuiſſe nomen Βριτόμαρτις: ut quod *dulcem virginem* notet; quemadmodum ex Solino antea vidimus. Satis hæc conveniens erat appellatio, quam parentes filiabus inderent. Alterum autem primò convenerit Lunæ ſi Ἄρτεμιν dixerint, quaſi ἀεροτέμιν, quia aëra ſecet: quod ſatis eſt veriſimile: & à Macrobio traditur lib. I Saturn. cap. XV.

CAP. XXVI.

Per Junonem *quoque* Lunam *intelligi: &, cur hoc ei nomen datum, aliter, quàm à veteribus, conjectatum. Unde* Ἥρας *appellatio; & fuſiùs de etymo* Lucinæ. *Cur Juno matrimoniis præfecta, unde ei* τελείας *nomen, ſive* pronubæ. *Ritus ſponſi ſponſæque in ſacrificando fel abjectantium poſt altare. Cur haſtâ comaretur capillus ſponſæ.* Cinxiæ, *&* Unxiæ, *unde nomen: item* Domiducæ, *&* Manturnæ. *Cur pavo ei ſacer. Etiam* Ilithyan *eſſe eandem, ac Junonem, ſive Lunam: quæ &* Lucifera, *teſte Tullio. Falli, qui Latina omnia arceſſunt à Græcis.* Ἄρτεμις ἡ Λυσίζωνος. *Frater ſororque Dianæ, Mars, & Ilithya. Ilithya Græcum etymon: & obiter de* Venilia, *ac* Salacia; Liduna, *&* Malina. Ilithyæ *vocabulum potiùs ex Oriente arceſſendum.* Ilithya *pro partu.* Juno Fluonia *eadem, ac* Dea Mena, *Junonis licet privigna: utcunque opinionem hanc culpet B. Auguſtinus.* Levana *quæ, & etymon ejus non ab Latio, ſed Hebræis, peti oportere.*

Itidem ad Lunam Juno refertur: quàm à juvando Grammatici *a* ſic dictam volunt: nihilo ſanè veriſimi- a Varro de L. L. & Serv. I Æn. lius, quàm cùm *Jovis* nomen inde arceſſunt. Cenſeo ego, ejuſdem eſſe originis ac *Janus*: de cujus etymo antea dictum. Priſcis ita Romanis planè idem fuerint *Jana*, ac *Juno*. Sed O in femininis Græcanica eſt terminatio: ut *Dido*, *Sappho*, *Calypſo*. A verò non minùs Romana, quàm Græca. A autem in V abire, indicant, *calamus*, *culmus*: *calco*, *culcita*: ἄμβων, *umbo*: ἰταλός, *vitulus*: κραιπάλη, *crapula*, ἀλώπηξ, *vulpes*, aliaque multa. Similiter igitur, *Jano*, *Juno*. Græcis eſt Ἥρα. Sed hoc κατὰ μετάθεσιν eſt ἀήρ. Quare ſi originem ſpectemus, Græcis Ἥρη elementum eſt aëris: ac reſpondet τῷ Διὶ, hoc eſt Jovi, ſive ætheri. Latinis *Juno* propriè Luna: quæ itidem reſpondet Jano, ſive Soli. Sed cùm ut loco, ſic dignitate, ſummi ſtatuerentur Dii, aliis quidem Æther, & Aër; aliis Sol, & Luna: nihil mirum, ſi Romanis, populo conventicio, & ex multis coalito, ſæpius pro uno nomine haberentur Æther, & Sol, qui in Æthere primas tenet: Aër, & Luna, quæ ut aëri proxima, ita in eo immutando vim habet eximiam. Quare Ἥρη quidem eſt Luna; ſed quatenus eſt aëris præſes, atque una cum eo attenditur. Quomodo conſideratur, quando apud Maronem *b* ait ipſa: b I Æn.

His ego nigrantem commiſtâ grandine nimbum,
Deſuper infundam, & tonitru cælum omne ciebo.

Junonem verò eſſe Lunam, cognoſcimus ex eo, quòd *Lucina*, & *Lucetia*, vocetur. Nec ignoro, *Lucinam* aliquibus dictam videri, quia ædis ejus foret in luco; vel quia naſcentes in lucem producat: quorum illud apud Plinium *c*; hoc apud Capellam; utrumque apud Ovidium *d*, c Lib. 16, cap. 44. legere eſt. Verùm aliquanto meliùs à *luce*, vel *luceo*, quia d 2 Faſt. noctu luceat, derivat Iſidorus *e*, & multò antè Servius in e Lib. 8 IV Æn. ante utrumque autem Cicero in II de Nat. Deor. Orig. cap. *Luna à lucendo nominata. Eadem enim Lucina. Itaque* 11. *ut apud Græcos Dianam, eamque Luciferam: ſic apud noſtros Junonem Lucinam in pariendo invocant.* De Diana, Lunaque Luciferâ, ſuperiùs *f* dictum. Nec tamen à f Cap. 25. lucendo *Lunam*, quaſi *Lucinam*, dictam arbitror. Nam longè eſt veriſimilius, in rebus iis, quas à pueris omnes norunt, vetera Orientis nomina antiquitus retenta; utcumque tempore, quod omnia mutat, & variarum gentium in unum confluxu, paullatim ea variarentur. Quocirca Luna potiùs ſit à לון lun, *pernoctavit*, & μεταληπτικῶς, *quievit*: quia ut Sol diurno labori, ita hæc nocturnæ præſit quieti. Alioqui nec abſurde dixeris, Lunam eſſe à Græco

λύειν,

λευκὸν, quod Heſychius λαμπρὸν interpretatur. Sic nomen fuerit à lucis ſplendore.

Etiam Junonem eſſe Lunam, ex eo cognoſcitur, quòd Kalendas ei conſecrarunt. Nempe eò ſpectabant, quòd Luna menſtruo curſum ſpatio abſolvat. Quò igitur menſis totus feliciter procederet, ſtatutum fuit, ut Kalendis omnibus Junoni ſacrificaretur porcâ, vel agnâ; ut Macrobius ait lib. I Sat. cap. xv. Ea ſacra obibat regina, hoc eſt, ſacrificuli uxor: quæ *regina* eſt dicta, ut maritus *rex*: idque quia ſub Regibus Romanis Rex ipſe ſacra hæc faceret: iis ejectis, ne nomen minùs auguſtum ſonaret in ſacris, ſacrificulo ea attributa eſt appellatio: ſed ſubjectus ipſe Pontifici, ne *Regis* nomen officere videretur libertati. Auctores Livius in ſecundo ab V. C. & Dionyſius in quincto Antiquitat.

Quod ſi Juno eadem, ac Diana, puta Luna: nihil mirum, ſi, ut Diana, ſic Juno, generationi, & eò pertinentibus, præfuerit. Matrimoniorum hinc præſes: unde jugalia ei vincula curæ eſſe, ait Maro in IV; toris, ſacriſque maritis præeſſe, Ovidius epiſtolâ Phyllidos ad Demophoontem, & Medeæ ad Jaſonem. Hinc cognomen *pronubæ*, ac apud Græcos, Polluce *a* teſte, τελείας; nempe quia τέλος ὁ γάμος *b*; ut eſt apud Suidam, & Euſtathium in Il. Β, & Μ. Sacrum etiam ante nuptias προτέλεια. Nam Junoni τῇ τελείᾳ ſeu *pronuba* (perperam *adultam* vertunt nonnulli) ſacrificabant ſponſi ſponſæque: ſed felle demto, ac poſt altare abjecto: quo ſignificarent, à matrimonio debere abeſſe bilem atque iracundiam: quam certiſſimam rationem Plutarchus in Connubialibus adducit præceptis. Ob eandem cauſſam dicta Γαμηλία Ἥρα *c*: item *Juga*, & *Jugatina*, quia marem feminamque jungat: Græcis Ζυγία, ut eſt apud Halicarnaſſenſem *d*. Imò cunctus Oriens Zygiam hanc veneratur: ut ait Appulejus in VI Met. Verba ejus jam adduximus cap. XXI. At fruſtra eſt Juſtus Lipſius; qui pro *zygia* reponit *Syra* lib. II Electorum, cap. XXI.

a Lib. 3, c. 3, §. 4.
b Telos dicuntur nuptiæ.
c Nuptialis Juno.
d Diſſertatione de ſcribenda oratione Nuptiali.

Ad Pronubæ hujus ſeu Jugatinæ cultum pertinebat, quòd ſponſæ coma haſtâ cælibari comaretur. Juno enim cum haſta fingebatur: unde & *Curitis* dicta putatur. Nam *curis* haſta veteribus *e*. Significabatur igitur, Junone propitiâ, generatum iri prolem, haſtâ fortiter uſuram adverſus hoſtes. Ita Plutarchus in Romulo, & Αἰτίοις, ſive Quæſtionibus Romanis. Moremque eum reſpexit Ovid. II Faſt.

Nec tibi, quæ cupidæ matura videbere matri,
Comat virgineas haſta recurva comas.

Item Arnobius lib. II,

Nubentium crinem cælibari haſta mulcetis.

e Ovid. 1 Faſt. & Feſtus in Curis.

Eadem dicta *Juno Cinxia*; quia ſponſus cingulum ſponſæ ſolveret: quod nodo vinctum erat Herculaneo, boni ominis cauſsâ; quò jungerentur prole felici, inſtar Herculis, qui LXX liberorum parens; ut eſt apud Feſtum Pompejum. Itidem *Juno Unxia*, quia nova nupta, domum mariti ingreſſura, poſtes inungeret axungiâ, oleo, aut adipe lupino: ut traditum Plinio, Servio, & Capellæ. Nec aliò, quàm ad Junonem, matrimonii præſidem, referenda eſt *Domiduca*, ita dicta, cùm ſponſa duceretur domum: vel *Manturna*, cui vota fiebant, ut ne recederet uxor à marito, ſed cum eo perpetim maneret.

A matrimonio venio ad partum, ac prolem; quæ conjugii ſpes: unde etiam nuptas ἄπαιδας *f* dixere *matronas*, quia ſpe illâ nupſerint, ut fierent matres *g*. Partui autem, ut Dianam, ſic Junonem præfuiſſe, videre ex Comicis *h* licet, ubi *Juno Lucina* invocatur; Tullio etiam, cujus locum antea adduximus, illo item Catulliano, carm. in nuptias Juliæ & Manlii:

Tu Lucina dolentibus
Juno dicta puerperis.

Hinc *Natalis Juno* apud Tibullum *i*; quæ Græcis γενέθλιος. Nec Juno ſolùm fœcunditati præerat humanæ, ſed etiam tum pecudum, & armentorum; tum eorum, quæ terris ſuccreſcunt. Omnia enim hæc magnam partem Lunæ beneficium ſunt. Atque inde eſt, quòd Juno divitiarum Dea haberetur. Terræ enim, & animantium fœcunditas opes ac divitias adfert. Sed qui divites ſunt ac potentes, ferè ſunt typho inflati, ac ambitioſi: qua de re fusè ſatis dictum nobis in Inſtitutionibus Oratoriis *a*. Eſtque ea ratio, cur Junoni ſacrarint pavonem, animal ſuperbum.

f Liberis carentes.
g Agell. lib. 18, cap. 9.
h Plaut. Aulul. Terent. Andr. & alibi.
i Lib. 4, el. 6.
a Lib. 2, cap 14. ſect. 9.

Atque hæc de Junone: quæ, ob multiplicem poteſtatem, *Magna* cùm Ovidio dicitur in Faſtis: tum Maroni etiam, à quo & *Maxima* nuncupatur. *Regina* item dicta: quo cognomento templum habuit in XIII Regione; teſte P. Victore. Sed ea appellatio, ſi Romanorum religionem conſideremus, non aëri minus, quàm Lunæ, convenit: ut poſtea videbimus.

Ad Lunam etiam pertinet Ilithyia: quippe quæ eadem ſit ac Diana, & Juno. Ac de Junone clarè ait Dionyſius Halic. lib. IV Antiq. Εἰλείθυιαν Ῥωμαῖοι καλοῦσιν Ἥραν φωσφόρον· *Ilithyiam Romani vocant Junonem Luciferam.* Ubi videmus, non ἁπλῶς dici Junonem, ſed addi *Luciferam*: quia Juno nunc Luna eſt: nunc Aër, vel etiam Terra. Hic Lunam ſignari, arguit cognomen. Nam eadem *Diana Lucifera*, & *Juno Lucifera*: nempe Juno Lucina, ſive Luna, ut ex Tullii ſecundo de Nat. Deorum antea vidimus. Nec de nihilo eſt, quòd Dionyſius non dicat, Ilithyiam omnibus eſſe Junonem; ſed Romanis. Quippe apud Romanos, quæ utero laborarent, non tam Dianam invocabant, quàm Junonem Lucinam. Itaque nunquam legas apud eos, *Diana Ilithyia*; quod tamen haut inſolens Græcis. Ita Orpheus in Hymnis:

Ἄρτεμις Εἰλείθυια, καὶ ἡ σεμνὴ Προθυραία.
Diana Ilithuia, & caſta eadem Prothuræa.

Interim idem numen videmus Horatio in carmine ſeculari; ubi eadem Diva nunc dicitur *Silvarum potens Diana, lucidum cœli decus*: nunc *Ritè maturos aperire partus Lenis Ilithyia*: nunc *Lucina genitalis, ſiderum regina bicornis Luna.* Clareque idem Plutarchus ait lib. III Sympoſ. problem. I: ubi cùm dixiſſet, Lunam ad pariendi facilitatem conferre, ſubjungit: Ὅθεν οἶμαι καὶ τὴν Ἄρτεμιν Λοχείαν, καὶ Εἰλείθυιαν, οὐκ οὖσαν ἑτέραν ἢ τὴν Σελήνην, ὠνομάσθαι. *Unde cenſeo, etiam Dianam Lochiam, ſive partus præſidem, & Ilithyiam; ut quæ non alia ſit à Luna, eſſe nominatam.* Itaque ut Ἄρτεμις dicitur λυσίζωνη, quemadmodum ex Apollonio, & ſcholiaſte ejus, ſupra vidimus: ita & epitheto hoc ornatur Ilithyia. Theocritus in Encomio Ptolemæi:

Ἔνθα γὰρ Εἰλείθυιαν ἐβώσατο λυσίζωνον
Ἀντιγόνας θυγάτηρ, βεβαρημένα ὠδίνεσσιν·
Hic enim Ilithyiam inclamavit cinguli ſolutricem
Antigonæ filia, graviter affecta partus doloribus.

Sed obſtare his videtur, quòd Pauſanias in Atticis Ilithyiam dicat filiam Junonis. Idem refert, quomodo ab Hyperboreis venerit in Delum, ut Latonæ adeſſet parienti. Addit, & à Cretenſibus putari filiam Junonis, in Cnoſſia regione natam. Quam hæc differunt ab eo, ut ſit Diana; quæ Latonæ filia, inque Delo nata perhibetur. Pauſaniæ tamen prævivit Pindarus initio Carm. VII Nemeorum:

Ἐλείθυια πάρεδρε Μοιρᾶν βαθυφρόνων,
Παῖ μεγαλοσθενέος ἄκουσον
Ἥρας, γενέτειρα τέκνων. ἄνευ σέθεν
Οὐ φάος, οὐ μέλαιναν δρακέντες εὐφρόναν
Τεὰν ἀδελφεὰν, ἐλάχομεν
Ἀγλαόγυιον Ἥβαν.
Ilithyia, quæ adſides Parcis, profundas cogitationes habentibus,
Filia multipotentis audi
Junonis, genetrix liberorum. Sine te
Non lucem, non nigram intuiti noctem,
Tuam ſororem, ſortiti ſumus
Pulchrimembrem pubertatem.

Imò & Heſiodus ſimiliter in Theogonia: ubi de Junone inquit,

Ἡ δ᾽ Ἥβην, καὶ Ἄρηα, καὶ Εἰλείθυιαν ἔτικτε.
Illâ ſunt Hebe, Mars, Ilithyiaque, nati.

Favet quoque Homerus Il. π: ubi multas facit Ilithyias, easque μογοςόκους vocat, q. d. circa partum laborantes, ſive partus dolorem levantes: atque addit, Ἥρης θυγατέρες, *filias Iunonis*. Verùm qui Ilithyiam dicunt Dianam, ſive Lunam, non pugnant cum illis; qui Iunonis faciunt filiam; ſive Luna hic per Iunonem intelligatur, ſive aër. Siquidem Luna non agit in parientes ἀμέσως a: ſed in aëra, qui moderato calore relaxat corporis meatus, quod parturientibus conducit. Aliis igitur Luna ipſa partus dolores levat: aliis verò hoc præſtat Lunæ filia, ſive effectus lunaris; qui eſt remiſſio, ſive relaxatio humorum, per quam partum reddi faciliorem dicebamus.

a *Immediate.*

Numen nomenque Ilithyiæ accepere Romani à Græcis: ut videre eſt ex ſcriptoribus Græcis, quos adduximus. Propterea vir ſummus Conjectaneis in Varronem Εἰλείθυιαν dictam cenſet παρὰ τὸ ἐλθεῖν b. Nempe uti Grammatici *Venerem* à *veniendo* dictam putarunt. Atque idem *Ilithyiam* ait ad verbum ſonare *Venilia*: quæ tamen, ut fatetur, aliud notat; nempe, uti ex Varrone in gloſſis Iſidori refertur, exæſtuationem maris verſus litus, ſive maris acceſſum quotidianum: uti *Salacia* eſt ea, quæ ſalum verſus fit; hoc eſt, quotidianus maris receſſus; qui poſterioribus (ut Marcellus Empiricus docet cap. xxv c) *Liduna*, ut Salacia *Malina*. De *Venilia* non repugno: ſed *Ilithyia* etymon ex Oriente petendum. Eſt enim ab יֶלֶד ieled, hoc eſt, *partus*, *proles*, *puer*, vel *puella*. Ut hoc ab ילד, quod tum de viris dicitur, & notat *genuit*: tum de mulieribus, & ſignificat *peperit*. Itaque & Græci *Ilithyiam* pro partu ipſo dixere: ut Oppianus Ἁλιευτικῶν A d: ubi non mulieribus modò, ſed etiam piſcium ſexui feminneo, partus ait eſſe diſſiciles:

b *A veniendo.*

c P. 171, & 172, edit. Baſ.

d *Verſ.* 485.

—— Οὐδ᾽ ἄρα μοῦνοι ἐπιχθονίῃσι γυναιξὶν
Ἄλγεα, πάντη δ᾽ εἰσὶν ἐπαχθέες Εἰλείθυιαι.
—— *Neque ſolùm mulieribus in terra degentibus*
Dolores, ſed ubique difficiles ſunt partus.

Etiam inter cognomenta Iunonis eſt *Fluonia*, quæ ſanguini præerat menſtruali. Feſtus: *Fluoniam Iunonem mulieres colebant, quòd eam ſanguinis fluorem in conceptu retinere putabant.* Hanc Lunam eſſe, indicat καταμηνίων, ſive menſtruorum appellatio. Imò Diva hæc non alia videtur, quàm *Mena*: quæ ſine dubio eſt Μήνη, ſive Luna. Hoc enim ſidus in humores imperium habet. Meminit Auguſtinus lib. iv de Civ. Dei, cap. xi, ac pluribus lib. vii, c. ii: *Dea Mena menſtruis fluoribus præeſt, quamvis Iovis filia, tamen ignobilis. Et hanc provinciam fluorum menſtruorum in libro Selectorum Deorum ipſi Iunoni idem auctor* (Varro) *adſignat, quæ in Diis Selectis etiam regina eſt: & hic tanquam Iuno Lucina cum eadem Mena, privigna ſua, eidem cruori præſidet.* Culpat B. Auguſtinus in Varrone inconſtantiam, quòd Menam ſive Fluoniam nunc dicat eſſe Iunonem, quæ regina eſt, Iovis ſoror, & conjux: nunc eandem dicat Iovis filiam, Iunonis privignam. Sed poſſunt iſta conciliari ex Theologia gentium naturali, ſi cogitemus, diverſimode Iunonis nomen accipi. Nam quando per eam ſola intelligitur Luna, quomodo uſitatius *Diana* vocatur, eſt ea Iovis, hoc eſt Cæli filia: quippe ſidera omnia, in quibus Sol, & Luna, principatum tenent, cenſentur partes corporis ætherei, quod per Iovem intelligitur: ut Sol Lunaque ejus velut proles habeatur. Hoc pacto igitur Mena, etſi nomen Lunam ſonet, non ſoror Iovis ſit; ſed filia, ac proinde Iunonis privigna. At cum Iuno dicitur Iovis ſoror, & conjux; omnino, uti per *Iovem*, Cœlum: ita per *Iunonem* aër, vel terra intelligitur: aut per *Iovem* quidem Sol cum Cælo: per *Iunonem* autem Luna cum aëre, & quandoque etiam cum terra ipſa deſignatur. Atqui Sol agit in Lunam, æther in aëra & terram; ſuntque hæ diverſæ ejuſdem naturæ partes: ut nihil prohibeat, quo minus inter ea κατὰ μεταφορὰν ſororium eſſe connubium dicatur.

Nec *Levana* eſſe alia, quam Ilithyia, vel Iuno Lucina videtur. Hebræis quidem לְבָנָה eſt *Luna*. Parturientium nempe Dea fuerit: à qua opinione non multum abeunt, qui naſcentium faciunt Deam. Eò impulit illos, quòd *Levana* ad *levandi* vocem accederet. Quare ita dictam putarunt, quod præeſſet recens natis, quando de terra levarentur: ut eſt apud B. Auguſtinum lib. iv de Civit. Dei, cap. xi.

Cap. XXVII.

Cererem etiam eſſe Lunam, ſed cum hac frugiferam vim Terræ comprehendi. Rheæ quoque nomine utramque ſignari. Etiam Suadam eo referri, & quam ejus rei cauſſam exiſtimemus. Idemque de Bellona oſtenſum. Cur Mars Iunonis filius perhibeatur. Venus Ἔγχειος *Cypriorum. Quàm variè ſpectetur Venus: & ut ad Lunam quoque referatur. Feſtum* ὑβριστικῶν. *Latiùs patere Veneris numen, quàm Iunonis. Pellicis pœna, ex lege Numæ.* Veneris *nomen temporibus Numæ ignotum Latio, & ejus rei ratio.* Socrus pro ſocer. *Vnde dicta* Ἀφροδίτη, *ſecundùm Ariſtotelem: & cur fingatur orta è prolibus Cœli in mare conjectis. Venus* Ποντία, Λιμνία, Ἐπιποντία, Πελαγία. *Cur Iſidem Ægyptii dixerint navigio vehi. Lunam ut generationis, ſic corruptionis eſſe cauſſam: eoque funeribus præfectam nomine* Veneris Libitinæ; *ſive Græcis,* Ἀφροδίτης Ἐπιτυμβίας. *Ritus triplex nummum deferendi, aliquo naſcente, togam adſumente virilem, aut moriente. Ita è Libitinariis conſtitiſſe numerum defunctorum. Libitinam eandem videri, ac Proſerpinam.*

Ceres quoque eadem, ac Luna; ſed non ſimpliciter. Nam Lunæ numen eſt merum: Cereris mixtum; quia non in Luna conſiſtitur, ſed inferior natura comprehenditur. Quippe Ceres eſt natura humanæ productrix alimoniæ, ac frugum imprimis. Vis ea frugifera eſt ab Luna in Terra: ut minimùm duplex numen concurrat; Lunæ, à quo vis ea diffunditur; & Terræ, quo eadem recipitur. Pari nempe ratione, ac totam rerum naturam, quatenus almæ matris nomine ſignatur, Iſidis appellatione denotabant, ac præcipuè Lunam, Terramque. Hinc apud Apulejum in xi, eadem diva dicitur, tum *Regina cæli*, quod non alteri, quàm Lunæ, tribuere poſſumus; tum *Ceres alma, frugum parens originalis.* Sed hæc pleniùs poſtea explicabimus. Nunc contentus ero illuſtri loco Servii in illud i Georg.

—— *Vos ò clariſſima mundi*
Lumina, labentem cælo quæ ducitis annum,
Liber, & alma Ceres.

Stoici dicunt, non eſſe niſi unum deum, & unam a eandem eſſe poteſtatem; quæ, pro ratione officiorum noſtrorum, variis nominibus appellatur. Vnde eundem Solem, eundem Liberum, eundem Apollinem vocant. Item Lunam, eandem Dianam, eandem Cererem, eandem Iunonem, eandem Proſerpinam dicunt: ſecundùm quos, pro Sole, & Luna, Liberum, & Cererem invocavit.

a *Ita Servius P. Danielis. In vet. cod.* poſt unam *additur* Deam.

Rhea quoque, ſive Opis, ſeu mater Deûm, mixtum eſt numen: ut Lunam, Telluremque comprehendat. Quod indicat ille locus Ovidii de Ponto lib. i, Eleg. i:

Ante DEUM MATREM *cornu tibicen adunco*
Cùm canit, exiguæ quis ſtipis æra neget?
Scimus ab imperio fieri nil tale DIANÆ.
Vnde tamen vivat vaticinator habet.

Nempe Phrygum, & Epheſiorum, unum erat numen; utcunque nomine differrent; illud Rhea, hoc Diana diceretur; ac Græci per illud potiùs intelligerent Tellurem, per hoc Lunam.

Quid quod etiam Pitho, ſive Suada, ad Lunam reducitur? Unde inter cognomenta Dianæ fuit. Pauſanias in Corinthiacis: Ἔστι δὲ καὶ τῆς Ἀρτέμιδος ἱερὸν, ἐπίκλησιν Πειθοῦς· Ὑπερμνήστρα καὶ τοῦτο ἀνέθηκε, νικήσασα τῇ δίκῃ τὸν πατέρα, ἣν ἕνεκα Λυγκέως ἔφυγε. *Eſt ibi templum Dianæ cognomine Suadæ. Et hoc extruxit Hypermneſtra, cùm patrem viciſſet in iudicio, rea ab eo acta, quia Lynceo pepercisset.* Cauſſam cogitanti in mentem venit, Hypermneſtram fuiſſe Ægyptiam: quippe filiam Danai,

qui

qui in Ægypto regnavit, cumque quinquaginta filiabus Argos profugit. Secuta igitur fuit religionem patriam. Ægyptii enim, quemadmodum ſuperiùs *a* dictum, uti Herculem, hoc eſt, Violentiam, in fervido ac maſculo Solis ſidere; ita Mercurium, hoc eſt, Facundiam, in molli & muliebri ſidere Lunæ collocabant.

a Cap. 24.

Sed novum ecce ſcrupulum. Adverſari enim commento huic noſtro videtur; quod ad Lunam etiam referatur Ἐνυὼ, ſive Bellona. Siquidem Appulejus in XI Met. eandem facit Dianam, Junonem, Venerem, & Bellonam. Sed neque hic deerat gentibus, quod prætexerent. Poterant enim dicere, bellum eſſe ab ira: hanc eſſe animi impotentiam; illi minimùm æquè obnoxias eſſe feminas, ac mares: bellicam igitur poteſtatem convenienter ſtatui partim Dei maris, partim feminæ: præfectum proinde bello non ſolùm Ἄρην, ſive Martem, ſed etiam Ἐνυὼ, ſive Bellonam. At Mars ad Solem reducitur; ut antea oſtendimus. Quare Ἐνυὼ ſive Bellona ad Lunam pertinebit. Et ſanè aër, in quem ingens eſt Lunæ vis, valde animos immutat, nunc timorem, nunc fiduciam afferendo. Unde Orpheus in Argonauticis:

Δεῖμα δ' ἐνὶ φρεσὶν ἧκε θεὰ λευκώλενος Ἥρη.
Terrorem incuſſit menti pulcherrima Juno.

Et quò, niſi ad Lunæ vires, reſpexere, cùm Junoni filium tribuunt Martem? Quò pertinet illud Heſiodi *b*, ſuperiori etiam capite adductum nobis:

b In Theogonia.

Ἡ δ' Ἥβην, καὶ Ἄρηα, καὶ Εἰλείθυιαν ἔτικτεν.
Illâ ſunt Hebe, Mars, Ilithyaque, nati.

Veriſimilius ſaltem hoc, quàm quòd Tzetzæ viſum, eo Junonis filium dici, quia bella ſoleant pro locis ſuſcipi ſalubribus. Eodem pertinet, quòd Juno, quia haſtigera, *Curitis* diceretur; uti antea dictum. Valdeque veriſimile eſt, ſimiliter effictam Cypriis. Nam & ipſa Ἔγχειος vocata: unde autem, niſi quia Græcis *haſta* ſit ἔγχος, ἐγχεία, vel ἐγχείη. De Venere firmat Heſychius: Ἔγχειος, Ἀφροδίτη, Κύπριοι· *Enchios, Venus, Cypriis.*

Quid mirum autem, quando & Venus eſt Luna? Sanè Græci, Romanique, non pauca de Venere retinuere ex Orientis theologia, unde eluceat, primitus eandem fuiſſe ac Lunæ ſidus. Nec tamen ſemper hæc per Venerem intelligitur. Bifariam enim Venus conſideratur; ut corpus eſt, & ut accidens. Priori modo vel corpus eſt æthereum, vel ſublunare. Æthereum vel Luna intelligitur, vel Lucifer ſive Heſperus. Sublunare autem eſt Tellus. Accidens, quod Veneris nomine ſignatur, vel qualitas eſt, puta vis, ſive facultas generandi: vel actio, puta generatio ipſa; uti miſtura maris, & feminæ. Quæ oſtendunt, non uno nobis loco de Venere eſſe dicendum. Nunc de ea agemus, quatenus eſt Luna; prout ſpectarunt Athenienſes, ac Lacedæmonii. De Athenienſibus auctor nobis Macrobius Saturnal. lib. III, cap. VIII: *Philochorus quoque in Atthide eandem* (Venerem) *affirmat eſſe Lunam: & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili.* Loquitur de feſto ὑβριστικῶν *c*: ut liquet ex iis, quæ hoc de feſto Plutarchus refert libro de Virtut. Mul. & Polyænus lib. VIII. De Lacedæmoniis itidem teſtem habemus Pauſaniam in Laconicis: Ξόανον δὲ ἀρχαῖον καλοῦσιν Ἀφροδίτης Ἥρας· ἐπὶ δὲ θυγατρὶ γαμουμένῃ νενομίκασι τὰς μητέρας τῇ θεῷ θύειν· *Operis antiqui ſignum ligneum Veneris Junonis appellant. Cui pro filiarum nuptiis ſacra facere matres eſt ſollemne.* Ubi Veneris, ac Junonis appellationes conjungi videmus: quia etſi & Venus, & Juno, Luna ſit, eoque generationi utraque præſit: laxiùs tamen Veneris pateat nomen, quàm Junonis. Nam illam extendêre ad quoſvis concubitus: hanc ſolùm præfecerunt conjugum miſturæ. Hinc Ovidius epiſtola Hypſipyles:

c Petulantium.
d Apud Feſtum in Pellex, & Julium Paullum ex Granii Flacci libro de jure Papiriano. De Verbor. Signif. cap. 144. Ravardum ſis adi lib. de Auctoritate Prudentum cap. 1.
e Sic legendum pro Tangito: & mox Tagét, pro Tanget. Vide Feſtum in Tagit.

Non ego ſum furtim tibi cognita: pronuba Juno
Adfuit. ——

Itaque non Venus, ſed Juno, infeſta erat pellicibus. Unde lex Numæ *d*: *Pellex aram Junonis ne tagito e: ſi taget, Junoni agnam feminam crinibus demiſſis cædito.* Imò Numæ temporibus Veneris nomen necdum notum erat Romæ. Unde (ut Cincius tradidit eo libro, quem de Faſtis reliquit) *ne in carminibus quidem Saliorum Veneris ulla, ut cæterorum cæleſtium, laus celebrata.* Teſtis Macrobius lib. I Sat. cap. XII: atque addit: *Cincio etiam Varro conſentit, affirmans, nomen Veneris, ne ſub Regibus quidem, apud Romanos, vel Latinum, vel Græcum, fuiſſe.* Hujus rei rationem adſcripſero prudentiæ regis Numæ: qui nullum agnoſceret concubitus numen, niſi legitimi, cui Juno præeſſet. Nam, ut conſtat ex Dionyſii Antiquitatum lib. II, Romulus, & Numa, haut admiſere Græcorum fabulas de commerciis immortalium cum mortalibus, quibus homines ad fœdam poſſent libidinem concitari. Poſtea tamen eam recepere Romani; ſed alieno exemplo. Nam nomen non eſſe Romanum, terminatio ipſa in VS indicio eſt. Scio, & *ſocrus* eſſe muliebre: ſed hoc olim primitus quoque virile erat: unde Attius Atreo *a*:

a Apud Priſc. l. 6.

—— *Simul & præmia*
Piſæa b *arrepta à ſocru poſſedit ſuo.*

b Sic verſus digerendus: pro quo vulgo Piſæa præmia.

Cenſeo autem, *Veneris* nomen eſſe ab Hethruſcis: eos accepiſſe ab Oriente; venireque, non quidem à חן *Chen*, quo quandoque *gratia forma* ac *venuſtas* denotatur; ſed ex eo, quòd Aſſyriis tabernacula, in quibus Veneri virgines dicarentur, nomen haberent *ſucoth benoth*, à *benot* enim *Benos*, ſeu *Venos* fuerit; uti ſuperiùs *c* diximus.

c Cap. 22.

Græcis hæc diva vocatur Ἀφροδίτη, ſive Ἀφρογένεια. Sed nomen id non convenit Lunæ, vel vi generatrici, quatenus hæc Lunæ ineſt: ſed potiùs naturæ inferiori, ut cælitus obtinenti vim generandi. Græcæ enim illæ appellationes ex eo ſunt, quia ſemen ſit ἀφρῶδες *d*: quam rationem adfert Ariſtoteles in ſecundo de Generatione animalium, cap. ſecundo. Unde fabula de teſticulis Cæli abſciſſis, inque mare projectis, ac natâ inde Venere, quæ ex eo dicta ſit ἀλιγενής, ſive *Saligena.* Hæc Lunæ non competunt: quam marino quidem vapore paſci, uti & ſidera alia, veteres *e* crediderunt: at nemo è ſpuma maris natam putavit. Venus igitur iſtic eſt vis generatrix inferioris naturæ: per teſticulos Cæli ſignatur, virtutem eam cælitus provenire: per mare notatur natura humida, & inſtar maris ſpumoſa. Sed nihil impedit, quo minus Lunam ipſam intelligamus, quando Venus dicitur Ποντία ſive *Marina*: quod cognomen ejus apud Phurnutum, & Pauſaniam in Corinthiacis: ubi & Λιμενία vocatur, quaſi *Portunam* dixeris. Simileque Ἐπιποντία apud Heſychium, & Phavorinum; ac Πελαγία, ſive *Marina f*, apud Artemidorum lib. II, cap. XXXV *g*. Hanc Artemidorus bonam ait gubernatoribus, & navigantibus. Nempe propter imperium, quod Luna habet in mare: de quo ſatis diximus cap. XIX. Πελαγία igitur dicta ſit Venus, uti Iſis: quæ ſine dubio Luna, ut oſtendimus cap. XXIV. Imò Ægyptii, Plutarcho *h* teſte, finxere Iſidem navigio vehi: credo ob humidam Lunæ naturam: vel potiùs, quia Luna corniculata navigium refert. Eoque & videtur Iſis ſignari per numen Thebæum, cui Seſoſtris navem cedrinam ac inauratam cubitorum CCLXXX dedicavit: ut eſt apud Diodorum in primo. Valde etiam hæc firmantur eo, quod Appulejus in XI eandem facit Dictynnam, Dianam, Junonem, Paphiam, Venerem, & Iſidem reginam.

d Spumoſum.
e Plin. lib. 2, cap 9. Theon apud Plutarch. Rutil. lib. 1 Itiner. Servius in 1 Æneid. &c. unde Oceanum, ac Tethyn, nutrices ſuas vocat Iliad ξ.
f Ut Horatius nominat od. 26. lib. 3, & 2. l. 4.
g Sect. de Venere.
h Lib. de Iſide & Oſir.

Porrò non Luna ſolùm generationis cauſſa eſt; ſed etiam corruptionis. Quippe unius compoſiti ſubſtantialis productio ſemper eſt conjuncta cum alterius vel totius, vel ex parte ſaltem, corruptione: ac viciſſim unius compoſitæ ſubſtantiæ corruptio ſemper habet adnexam alterius vel generationem, vel aggenerationem. Utcunque igitur natura per ſe generationem intendat; quia tamen eadem corruptioni eſt ſubjecta, nonniſi intercedente corruptione conſequi poteſt generationem. Qua mente veriſſimum eſt, unius generationem eſſe alterius corruptionem: uti eſt apud Ariſtotelem lib. III Φυσικῆς ἀκροάσεως, cap. VIII, text. LXXIII; & lib. I de Generat. & Corrupt. cap. III, text. XVII, & XX; item lib. XII Metaph. cap. II, text. VII. Unde liquet, Venerem tum prin-

cipio vitæ præfuiſſe, tum fini. Sed cùm prius conſideraretur, dicebatur *Diana*, vel *Juno Lucina*, vel *Alma Venus*, & ſimilibus modis. Quatenus autem præfecta erat morti, & mortualibus, uti curæ ſepulcrali, vocitata eſt *Venus ἐπιτυμβία*, vel *Libitina Venus*, aut ſimpliciter *Libitina*. Quærit itaque Plutarchus in Cauſſis: Διὰ τί τὰ περὶ τὰς ταφὰς πιπράσκουσιν ἐν τῷ τεμένει τῆς Λιβιτίνης; νομίζοντες Ἀφροδίτην εἶναι τὴν Λιβιτίνην. *Quare, quæ ad ſepulchra pertinent, divendunt in æde Libitinæ? Libitinam nihil aliud exiſtimantes, quam Venerem.* Poſtea inter alia ſubdit: Καὶ ἐν Δελφοῖς Ἀφροδίτης ἐπιτυμβίας ἀγαλμάτιον ἐστι, πρὸς ὃ τοὺς κατοιχομένους ἐπὶ τὰς χοὰς ἀνακαλοῦνται. *Nam & Delphis eſt Veneris Epitymbiæ imaguncula: ad quam, dum libant, manes evocant defunctorum.* Refert Dionyſius Halicarnaſſ. lib. IV, ex inſtituto Servii Tullii, naſcente aliquo, nummum inferri ſolere in ærarium Junonis Lucinæ: quopiam item virilem togam aſſumente, nummum fuiſſe delatum in Juventutis: moriente autem aliquo, nummum à propinquis illatum εἰς τὸν Ἀφροδίτης θησαυρὸν ἐν ἄλσει καθιδρυμένον, ἣν προσαγορεύουσι Λιβιτίνην· *in ærarium Veneris in luco ſitum, quam Libitinam appellant.* Poſtea tamen conſuetudo illa inferendi nummi deſiiſſe videtur: nec enim ullus ejus ſcriptor meminit: ſed mortuorum numerus cognoſcebatur ex Libitinariis, hoc eſt, iis, qui curandis funeribus præeſſent. Unde Suetonius in Nerone cap. XXXIX: *Peſtilentia unius autumni, qua triginta funerum millia in rationem Libitinæ venerunt.* Plura de hoc hominum genere ſi voles, adi eruditiſſimum Kirchmannum lib. I de Funeribus Romanis, cap. IX.

Cæterùm jam olim dubitatum, utrùm hæc Libitina rectiùs ſtatueretur Venus, an Proſerpina. Quod ita eſſe, docet nos Plutarchus in Numa: ubi narrat, ut rex hic docuerit etiam colere Deos inferos, ἐξαιρέτως δὲ τὴν προσαγορευομένην Λιβιτίναν, ἐπίσκοπον τῶν περὶ τοὺς θνήσκοντας ὁσίων θεὸν οὖσαν. εἴτε Περσεφόνην, εἴτε μᾶλλον, ὡς οἱ λογιώτατοι Ῥωμαίων ὑπολαμβάνουσιν, Ἀφροδίτην· οὐ κακῶς εἰς μίαν δύναμιν θεοῦ τὰ περὶ τὰς γενέσεις καὶ τὰς τελευτὰς ἀνάπτοντες. *præcipuè illam nomine Libitinam, Deam præſidem eorum, quæ defunctis juſta fiunt; ſive ea Proſerpina eſt; ſive, ut Romanorum eruditiſſimi arbitrantur, Venus ſit; haut malè uni numinis virtuti, ea quæ ad ortum, & finem pertinent, adſcribentes.*

Verùm opiniones iſtæ doctiſſimorum virorum de Libitina, utcumque diverſæ etiam Plutarcho viſæ ſint, probè tamen conveniunt: quia Venus Libitina eadem eſt ac Proſerpina, & Hecate: quod ut liqueat, deinceps de Proſerpina, ac Hecate, dicemus.

CAP. XXVIII.

Proſerpinæ nomen unde. Eadem Φερέφαττα, & Χειρογονία, ac hujuſce ratio nominis. Per eam intelligi Lunam, ſed inferis lucentem. Περσεφόνης ἔτυμον. *Æſchylus, ſed e poëtis primus, Dianam, non Latonæ, ſed Cereris filiam, dixit: ut Diana ei eadem, ac Proſerpina, videatur. Quo pacto & Ceres, & Proſerpina, ad Lunam referantur, & cur Manibus præfecta. Animæ corpori nubentis antiſtes Luna; corpore excedentis, Proſerpina. Cur animis, & Lunæ, ac Cereris miniſtris,* Apum *ſit nomen datum, & Proſerpinæ nomen* Melitodis. *Rejecta Theocriti ſcholiaſtæ opinio, exiſtimantis* Melitodem, & Coran, *per ἀντίφρασιν ſic vocari. Cur Proſerpina dicatur* Libera, *vel* Cora; *Bacchus item* Liber. *Quo reſpexerint, qui cùm eadem ſit Proſerpina, ac Diana, Dianam tamen Latonæ, Proſerpinam autem alii Stygis filiam dixerint, alii Cereris.*

VIdimus antea *a* de Proſerpina, quatenus ad hiſtoriam pertinet. Nam Aidoneus, rex Moloſſorum, ut uxorem ſuam dixit Δήμητρα, ſive Cererem; ſic filiam Περσεφόνην, ſeu Proſerpinam; canem item Κέρβερον vocavit: quemadmodum eſt apud Plutarchum in Theſeo. Nunc de eadem agimus, non quatenus ad hiſtoriam pertinet, ſed ad naturam. Proprie enim Proſerpina numen eſt naturale, factumque vocabulum ex Græco Περσεφόνη, κατὰ μετάθεσιν *a*: ut Tullii eſt opinio in ſecundo de Nat. Deorum: veriſimilior ſanè, quàm illa Varronis in IV de L. L. ubi Lunam à *proſerpendo* dicit ait *Proſerpinam, quod, ut ſerpens modò in dextram partem, modò in ſiniſtram, late vagetur.*

a *Lib. 1, cap. 19.*

a *Per literarum trajectionem.*

Aliter Græcis dicta eſt Φερέφαττα: unde ſacrum apud Cyzicenos Φερεφάττια: de quibus Plutarchus in Lucullo, & Appianus in bellis Mithridaticis.

Vocata quoque Χειρογονία. Heſychius: Χειρογονία, ἡ Περσεφόνη. Quaſi nove dixerim, *Manugenuam.* De cauſſa nominis, ſilent, quos vidi. Sed cenſeo inde eſſe, quod Proſerpina ſive Diana, vel Juno, ſit partus præſes; ac obſtetrix, quæ Afranio *adſeſtrix*, adſideat genibus parturientis, manus iis admovens, quibus parata ſit fœtum excipere.

Cùm autem partui præſideat Diana, atque ea ſit Luna; planè cenſeo, Χειρογονίαν, ſive Proſerpinam, eſſe Lunam. Deque Proſerpina idem indicat Varro lib. IV de L. L. *Hinc* (Lunam) *Epicharmus Enni Proſerpinam quoque appellat, quod ſolet eſſe ſub terris.* Significat, Lunam eſſe Proſerpinam; ſed tum propriè, cùm Luna ſub noſtro eſt hemiſphærio. Servius in III Æn. cùm narraſſet, ut Latona pepererit priùs Dianam, poſtea Apollinem; de priori ſubjungit: *Hæc namque eſt Diana, Juno, Proſerpina.* Ac pluribus idem in initium Georg. Verba ſuperiùs, de Cerere agentes, adduximus. Matt. Capella lib. II de Nupt. Philol. *Hæc omnis aëris à luna diffuſio ſub Plutonis poteſtate conſiſtit: qui etiam Summanus dicitur, quaſi ſummus manium. Hic Luna, quæ huic aëri propior eſt, Proſerpina memoratur.* Ubi abit ab iis, quibus placet, Lunam, quando eſt apud Antipodas, *Proſerpinam* vocari. Interim *Proſerpinam* eandem eſſe, ac *Lunam*, agnoſcit. Uti & Julius Firmicus de errore prof. relig. *Liberum ad Solem volunt referre commenta Græcorum: Proſerpinam verò Liberam dicentes, Lunam eſſe confingunt.* Fulgentius Μυθολογικῶν lib. II: *Ideo voluerunt, Lunam etiam ipſam apud inferos Proſerpinam dici, ſeu quòd nocte luceat, ſeu quod humilior currat, & terris præſit.*

Hoc, ut alia fere, hauſere Latini à Græcis. Nam ſimiliter Onomacritus in hymnis, ſive Initiis potiùs, ſub Orphei nomine editis: ubi primùm quidem ſic Proſerpinam compellat:

> Περσεφόνη, θύγατερ μεγάλου Διός, ἐλθὲ μάκαιρα.
> *Proſerpina, filia magni Iovis, veni beata.*

Poſtea verò his verbis affatur, quæ liquidò Lunam eſſe deſignant:

> Ὡρῶν συμπαίκτειρα, φαεσφόρε, ἀγλαόμορφε,
> Εὐφεγγής, κερόεσσα.
> *Temporum contextrix, lucifera, excellens formâ,*
> *Bene lucens, cornuta.*

Ibidem ſic compellat:

> Πλούτωνος πολύτιμε δάμαρ, κεδνή, βιοδῶτι·
> *Plutonis honoranda uxor, inclyta, vitæ datrix.*

Ubi cur βιοδῶτιν appellet, liquet: ac quia, ut vidimus, Luna & generat, & corrumpit: ſubdit poſtea Onomacritus:

> Ζωὴ καὶ θάνατος μούνη θνητοῖς πολυμόχθοις
> Φερσεφόνεια. φέρεις γὰρ ἀεί, καὶ πάντα φονεύεις.
> *Vita, & mors ſola, mortalibus multi laboris,*
> *Proſerpina. fers enim ſemper, & omnia occidis.*

Ac videtur hic ad nomen Divæ alluſiſſe. Nam πέρθειν *b* idem ac φονεύειν *c*. Dicta autem Περσεφόνη, ſive Περσεφόνεια, διὰ τὸ πάντα πέρθειν τῷ φόνῳ· *quia omnia vaſtet cæde.* Quomodo fuerit ex πέρσις, & φόνος. Sed etymon hoc licet verius, illud tamen ver-

b *Vaſtare.*
c *Occidere.*

verbis Onomacriti convenientius ſit; ut dici dicatur, quaſi Φερσεφόνη. Nempe, ut eſt in Etymologico magno, ἀπὸ τοῦ φέρειν τὸν φόνον, *quod necem inferat*. Interea aliunde etiam deduxeris; ut oſtendam cap. LX.

Apud Herodotum quoque in Euterpe legas, Apollinem Ægyptiis eſſe Orum, Cererem eſſe Iſidem, Dianam verò Bubaſtin. Subjicit deinde: Ἐκ τούτου δὲ τοῦ λόγου, καὶ οὐδενὸς ἄλλου, Αἰσχύλος ὁ Εὐφορίωνος ἥρπασε τὸ ἐγὼ φράσω, μοῦνος δὴ ποιητέων τῶν προγενομένων. ἐποίησε γὰρ Ἄρτεμιν εἶναι θυγατέρα Δήμητρος, τὴν δὲ νῆσον, διὰ τοῦτο γενέσθαι πλωτήν. *Atque hinc, non aliunde, arripuit, quod dicam, Æſchylus, Euphorionis filius, ſolus poëtarum ſuperioris ætatis. Statuit enim, Dianam eſſe Cereris filiam, ac propterea inſulam eſſe natantem redditam.* Si verbis ſolùm, non ſententiâ totâ, abit à Græcis ſuis Æſchylus: hinc Dianam eſſe eandem, ac Proſerpinam, conſequitur: quia ait, Dianam Æſchylo eſſe filiam Cereris. Ejus enim filiam eſſe Proſerpinam, ſatis convenit inter Græcos.

Sed quod Proſerpina dicitur Cereris filia, non eodem modo intelligitur. Ceres enim nunc ſupera intelligitur Luna, quæ nos illuminat: nunc infera, quæ lucet antipodibus vel Manibus. Si Ceres eſt Luna ſupera; filia ejus erit Proſerpina, quia ex Luna ſupera fiat infera. Nam etiam cùm particula *ex* ſolam notat conſequentiam, id quod ex aliquo fit, ſubinde ejus proles Theologis gentium dicitur: ut ex Heſiodi Θεογονίας multis elucet locis. Sin Ceres eſt Luna infera, hoc eſt ea, quæ ſub pedibus noſtris lumen præbet Stygi; Proſerpina ejus filia fuerit lumen Lunare, illuſtrans illos, qui terras incolunt pedibus noſtris adverſas. Seu hoc, ſeu illo modo, acceperis; & Ceres, & Proſerpina, ad Lunam reducentur. Sed poſteriori ratione meliùs videmus, quo pacto tam Ceres, quàm Proſerpina, inferæ habeantur Deæ, maniumque præſtites, hoc eſt, animarum; non ἁπλῶς quidem (nam priuſquam ſe corpori inſinuarunt, Luna iis præfecta) ſed demum, ubi corporibus exceſſerint. Nempe bifariam animas ſpectabant: quatenus cælitus immittuntur corporibus; quod Lunæ beneficium habebatur, quia generationi præeſt: & quatenus corporibus ſolutæ ad inferos concedunt; quo pacto Lunæ inferæ, hoc eſt, Cereri, & filiæ Proſerpinæ, in eas poteſtas credita eſt. Animæ verò pleriſque gentium Theologis dictæ μέλισσαι, ſive *apes*, ob dulcedinem vitæ: ac propterea Luna quoque *apis* vocata, quia animas immitteret: quippe, ut dixi, generationis antiſtita: imò & Cereris, hoc eſt, Lunæ inferæ, manium præſidis, miniſtræ, quæ non aliæ, quàm Manes, itidem ſunt *apes* vocatæ: & Proſerpina quoque, quæ vel ipſa Ceres, Luna infera, vel ejus effectus, vis inferas illuminans plagas, *Mellea* ſimiliter dicebatur: nempe quia apiculis illis, hoc eſt, Manibus, præeſſet. Hæc parùm vulgo ſunt cognita. Ut igitur pleniùs gentium opinio innoteſcat, non abs re erit firmare illa Porphyrii verbis è libro de Nympharum antro; ubi ſic ſcribit: Πηγαὶ δὲ καὶ νάματα οἰκεῖα ταῖς ὑδριάσι νύμφαις· καὶ ἔτι γε μᾶλλον νύμφαις ταῖς ψυχαῖς, ἃς ἰδίως μελίσσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν, ἡδονῆς οὔσας ἐργαστικάς. ὅθεν καὶ ὁ Σοφοκλῆς οὐκ ἀνοικείως ἐπὶ τῶν ψυχῶν ἔφη,

Βομβεῖ δὲ νεκρῶν σμῆνος, ἔρχεταί τ' ἄλλη a.

Καὶ τὰς Δήμητρος ἱερείας, ὡς τῆς Χθονίας θεᾶς μύστιδας, μελίσσας οἱ παλαιοὶ ἐκάλουν, αὐτήν τε τὴν Κόρην μελιτώδη. σελήνην τε οὖσαν γενέσεως προστάτιδα, μέλισσαν ἐκάλουν. *Fontes verò, & flumina, Nymphis aquaticis propria ſunt, ac multo magis nymphis animis, quas propriè veteres Apes dixere; quia voluptatem pariant. Unde & Sophocles non impropriè de animis dixit,*

Mortuorum examen edit bombum, atque aliò venit.

Imò & Cereris ſacerdotes, velut inferæ b *Deæ antiſtitas, Apes dixere veteres, & filiam ejus Proſerpinam, Melleam. Lunam verò, generationis præſidem, Apem nuncuparunt.* Pluraque inibi in hanc mentem.

Quod verò Porphyrius ait Proſerpinam dictam Μελιτώδη, *Melleam*: id factum videmus à Theocrito, Idyllio XV, quod inſcribitur *Adonia celebrantes*:

Μὴ φύη, Μελιτῶδες, ὃς ἁμῶν κάρτιστος εἴη.
Fortior haut nobis naſcatur, Mellea, quiſquam.

Ubi ſic ſcholiaſtes: ἀντὶ τοῦ, Μηδεὶς γένοιτο, ὦ Περσεφόνη, ἄλλος ἡμῶν κύριος· μελιτώδη δὲ τὴν Περσεφόνην φησὶ κατ' ἀντίφρασιν, ὡς καὶ Κόρην· διὰ τὸ τὰς ἑταίρας αὐτῆς, καὶ τῆς Δήμητρος, μελίσσας λέγεσθαι. *Pro illo, Nequis oriatur, ô Proſerpina, alius noſtri dominus.* MELLEAM *verò vocat Proſerpinam per antiphraſin, ut &* COREN: *propterea quod ejus amicæ, & Cereris,* APES *dicantur.* Sic Antiphraſis ineptum eſt Grammaticorum commentum, nec aliud quàm inſcitiæ aſylum: de quo in Inſtitut. Orat. a ſatis diximus. Vera autem ratio, cur Μελιτώδης, hoc eſt, *Mellea* vel *Mellita* vocetur, ea eſt, quam attulimus è Porphyrio: ac firmantur hæc eo, quod ſcholiaſtes ipſe Theocriti agnoſcat, amicas Proſerpinæ, ac Cereris, dici μέλιττας, ſive *Apes*. Nam illæ amicæ, vel miniſtræ utriuſque divæ, haut aliæ ſunt, quàm defunctorum animæ. Nec Proſerpina κατ' ἀντίφρασιν Κόρη, quia nupta Plutoni: ſed propriè, quia filia Cereris. Nam id hoc loco Κόρη, θυγάτηρ b: ut κόρος, παῖς, υἱός c. Ac ſimiliter Bacchus, Latinis *Liber*; Proſerpina, *Libera*: unde Minucius Felix in Octavio: *Ceres, facibus accenſis, & ſerpente circumdata, ſubreptam Liberam anxia & ſollicita veſtigat.* Arnobius lib. V: *Parit menſem poſt decimum luculentis filiam corporis, quam ætas mortalium conſequens, modo Liberam, modò Proſerpinam nominavit.* Ac, ut gentiles ipſos adducam: Livii eſt lib. III: *Familia ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque venum iret.* Et Taciti lib. II Annal. *Libero, Liberæque, & Cereri, juxta Circum Max.* Ubi videmus, cum matre jungi liberos: qui quia liberi ejus, eo Liberi, Liberæque nomine nuncupati. Vide, quæ diximus libri primi de Analogia cap. XLII. Luna igitur, cùm inferos illuminat, *Libera* eſt; ut Sol, quando inferis lucet, *Liber* vocatur: quemadmodum ex Macrobio dixi cap. XIV. At quomodo Libera, hoc eſt Luna infera, quæ & Proſerpina, ſoror eſt Solis inferi, ſi ambo ſint liberi, hoc eſt, filius filiaque Cereris, ſive Lunæ? Quo pacto enim Sol ſeu inferus, ſeu ſuperus, Lunæ proles dici queat? Huic ſic occurrimus, *Liberum* nunc dici Solem inferum, ſive Antipodum; quo pacto Liber Cereris, hoc eſt, Lunæ filius dici nequit: nunc vocari ſic vim Lunarem terrâ receptam, qua vinum procreatur; eoque intuitu Liberum Cereris ſeu Lunæ filium, Liberæ ſeu Proſerpinæ, hoc eſt, virtutis frugiferæ, quæ à Luna eſt in Tellure, ſororem nuncupari. Atque huc ſpectarunt, qui primi iſta tradidere: ſed libera poëtarum gens miſcuit nobis, pro gentibus variis, variè conceptas, traditaſque opiniones.

Sed aliud etiam adverſus ea, quæ diximus, objectant viri eruditi; non poſſe eandem eſſe Proſerpinam, ac Dianam; quia hæc filia ſit Jovis ex Latona; illa Jovis ex Cerere; ut Heſiodus ait in Theogonia; vel ex Styge, ut Apollodoro traditum in primo bibliothecæ. *Sed* validum hoc foret, ſi propriè *filii*, vel *filiæ* nomen caperetur. Nunc ſumitur tranſlatè: de quo vocis ejus uſu diximus cap. XXV. Hinc eſt, quòd pro diverſa conſideratione diverſa eſt originatio. Diana, hoc eſt, Lunæ ſuperius hemiſphærium illuminantis, mater eſt Latona, hoc eſt, chaos, ſive prima omnium materies: quæ cur Latona ſit vocata, ſuperiùs d expoſuimus. Proſerpina autem, quæ Luna eſt inferius hemiſphærium illuſtrans, genita dicitur ex Styge; quia Styx eſt apud inferos; ubi Proſerpina, Stygis illuminatrix, dominium eſt adepta: unde Onomacrito vocatur e,

—— ὑποχθονίων βασίλεια.
—— *ſub terris degentium regina.*

At quibus Proſerpina eſt Cereris filia, hi nomine Proſerpinæ intelligunt ſemina ſegetis; quæ à Cerere ſunt, hoc eſt, è ſegete: vel capiunt per eam, frumentum ipſum; quod à Cerere, hoc eſt, Luna: quemadmodum accuratiùs in ſublunaribus Diis exponam. Ubi etiam oſtendam, per Proſerpinam ſæpius ſignari Terram; non univerſam tamen, ſed inferius hemiſphærium.

a *Puto, ſcribendum,* ἄλλη τ' ἔρχεται, *ne* ταὐτὸν *fiat. Niſi verba hæc tollenda; quæ & in tralatione ſua prætermiſſe video Geſnerum.*

b *Sic* χθονίας *vocabulum ſumi videtur: ut Pluto, & alii* χθόνιοι, *hoc eſt,* καταχθόνιοι, *vel* ὑποχθόνιοι.

a *Lib. 4. cap. 13. ſect. 11.*

b Kore, *filia.*

c Koros, *puer, filius.*

d *Cap. 12.*

e *Hymno in Proſerpinam.*

Poſtremò addam, quid cenſendum ſit de verſibus iſtis in veteri *a* editione Hygini, Aſtronomici lib. IV *b*, cap. de Luna.

Denique cùm Luna eſt, ſubluſtri ſplendet amictu.
Cùm ſuccincta jacit calamos c, Latonia virgo eſt.
Cum ſubnixa ſedet ſolio, Plutonia conjux.

Ubi videmus, clarè firmari, quod à Servio ſcribitur, Divam eandem in cælis Lunam, in terris Dianam dici, apud inferos Proſerpinam.

Sed meritò verſus eos rejecit editio Morelliana: ſunt enim Prudentii lib. I adverſus Symmachum: qui annis ampliùs trecentis Hygino hoc recentior eſt: modò Hyginus is Cæſaris Auguſti libertus fuit; prout etiam Turnebus nuncupat Adverſariorum lib. XVI, cap. I. Et ſanè ita libri vett. Ab Germanici etiam Cæſaris Arateorum interprete *d* adducuntur duo priores verſus: quod indicio eſt, commentarii ejus auctorem, quem Cæſium *e*, vel Calpurnium Baſſum *f* nuncupant, Prudentio eſſe recentiorem: niſi à ſciolo verſus eos additos cum nonnullis *g* malis.

a *Venetæ Melchioris Seſſæ, anni* 1512.
b *Sed in Morelliana editione nulla eſt librorum diſtinctio.*
c *Aldina an.* 1496. *item Morelliana,* jacet calamis; *ſed perperam. Nam* calami *pro ſagittis: ut Naſonis* 8 *Met.* Impoſitis calamis patulos ſinuaverat arcus. *Quod convenit Dianæ venatrici.*
d *Cap. de Luna.*
e *Lilius lib.* 3 *hiſt. de Diis.*
f *Fulvius Urſinus in* 1 *Georg.*
g *Delrio in Seneca Medeam verſ.* 787.

CAP. XXIX.

Hecaten, ſi ἱστορικῶς *quidem ſpectes, eſſe filiam Perſei Argivi; unde ei* Perſeidos *nomen: at ſi conſideres* φυσικῶς, *filiam eſſe Noctis, vel Tartari; atque ejus figmenti ratio allata. Hecates etymon geminum.* Opis, Loxo, *&* Hecaërga, *ad Lunam reducta. Mos Deliarum virginum, quæ nupturæ capillos reſectos Opidi, & Hecaergæ, conſecrabant. Conſuetudo Atticarum* ἐν προτελείοις *caniſtra geſtantium. Quo pacto Hecate filia dicatur Latonæ. Hecate* Φωσφόρος *ſive* Lucifera. *Cur dicta* Τριοδῖτις, *ſive* Trivia: *& cur in triviis ulularint matronæ certis diebus. Servius correctus. Quamobrem Luna triformis, & triceps, dicatur fingaturque. Indicium ex cornibus Lunæ, utrùm creſcat, an decreſcat. Hecates nomen quandoque laxiùs patêre, quàm Proſerpinæ; ut hæc mortis; illa inſuper nativitatis, & vitæ omnis præſes intelligatur. Cur mullus Græcis* τρίγλη *dicatur. Cur idem ſacer ſit Dianæ, ſeu Hecatæ, triplex ex vett. ratio adfertur: quartaque iis ſuperadditur ex eo, quod conducat virginitatis amantibus, qualis Diana. Cerberus cur aliis centenis, vel quinquagenis, aliis verò ternis ſolùm capitibus fingatur. Cerberus Platonicis ſymbolum mali Dei ſeu Dæmonis, poteſtatem in tria elementa exerentis. Gentiles in deſcribendis Deorum poteſtatibus ternario gaudere.*

DE Hecate deinceps videamus: quæ & ipſa nunc hiſtoricè ſpectatur, nunc phyſicè. Priori modo Perſei regis filia fuit; quæ, patre interemto, Æetæ patruo nupſit; atque Medeam illi peperit, & Circen; femina animi planè virilis, venationi, medicinæ, ac veneficiis addictiſſima; quemadmodum traditum Dionyſio Mileſio in Argonauticis, & exinde veteri ſcholiaſtæ Apollonii in III Argon. *a* ubi, ut ab Ovidio *b* quoque, & Seneca *c*, *Perſeis* vocatur à Perſeo: ex quo natam eſſe, Heſiodo, Apollodoro, & Diodoro, præeuntibus, dicebamus.

Poſteriori verò modo Hecate eſt Luna: quæ quia nocturnum eſt ſidus, eò Hecate Noctis filia dicitur Bacchylidi, apud Apollonii ſcholiaſten in III. Facilè autem adſentio Fulvio Urſino ſic apud eum reponenti:

Ἑκάτα δᾳδοφόρε νυκτὸς
Μελανοκόλπου θύγατερ.
Hecate tædigera Noctis
Nigrum ſinum habentis filia.

Ubi vulgò δᾳδοφόρου *d*, & μεγαλοκόλπου *e*. Nec, ſi rem ſpectes, abit à Bacchylide Orpheus in Argonauticis; cui eam Tartarus dicitur procreaſſe. Tartara enim tenebricoſa; unde *nigra* dicuntur Maroni in ſexto magni operis. Heſiodo Δηώ, quæ eadem ac Ceres, traditur eam peperiſſe. Nempe, ut Proſerpina, Cereris filia dicitur: cujus rationem attulimus *f*. Convenit etiam Hecates etymon iis, quæ diximus. Nam, ſi Servium *a*, & Fulgentium *b*, audimus, vocabulum *Hecates* eſt ab ἑκατὸν *c*: quia innumeras habeat vires; uti etiam Heſiodus in Theogonia narrat: ubi magnopere eam celebrat: credo, quia, Pauſania teſte, ſummo in honore apud Bœotos foret: Aſcra autem vicus eſſet Bœotiæ; ubi ſi non natus, ſaltem educatus eſſet Heſiodus. Eamque rationem etiam adducit Heſiodi ſcholiaſtes.

a *vers.* 200.
b 7 *Metam.*
c *Medea verſ.* 814.
d *Tædiferæ.*
e *Magnum habentis ſinum.*
f *Cap ſup.*

Aliis tamen placet, nomen Hecates eſſe ab ἑκὰς *d*: ut ſic dicatur, quia in longè diſſita operetur. Secundùm eos, non minùs potuerit Ἑκαέργη nominari, quàm Apollo ἑκάεργος, quaſi ὁ τὰ ἕκαθεν ἐργαζόμενος, hoc eſt, *vim ſuam in longè diſſita exercens*: ut eſt apud Heraclidem Ponticum *e*. Et ſanè Ἑκαέργην, utcunque virgo dicatur Hyperborea, non aliam primò fuiſſe, quàm Dianam ſive Lunam, aliterque Λοξὼ vocitatam; innuit etiam Callimachi ſcholiaſtes in hymnum Dianæ *f*; ubi ſic ſcribit: Οὖπις, ἐπίθετον Ἀρτέμιδος. ἢ παρὰ τὸ ὀπίζεσθαι τὰς τικτούσας· ἢ παρὰ τὸ θρέψασαν αὐτὴν Οὖπιν· ἢ διὰ τὰς Ὑπερβορέους κόρας, Οὖπιν, Ἑκαέργην, Λοξώ. ἃς ἐτίμησεν Ἀπόλλων, καὶ Ἄρτεμις· καὶ ἀπὸ μιᾶς μὲν Οὖπις ἡ Ἄρτεμις· Λοξίας δὲ, καὶ Ἑκάεργος, ἐκ τῶν λοιπῶν ὁ Ἀπόλλων. *Opis epitheton eſt Dianæ: ſive quia curam habeat parturientium: ſive quòd Opis eam educârit: ſive propter virgines Hyperboreas, Opin, Hecaërgen, & Loxonem; quas honorarunt Apollo, ac Diana: ac ab unâ quidem Diana aſſumſit nomen Opidis: ab aliis autem Apollo vocatus Loxias, & Hecaergos.* Mallem dixiſſet, ut Triviæ ſive Dianæ cuſtos dicta *Opis*; imò ipſa etiam Diana ſic eſt cognominata; quod apertè ait Servius in XI: ut item à Loxone Apollo nuncupatus eſt *Loxias*: ita ab Hecaërga, & Dianam *Hecaërgam*, & Apollinem vocatum *Hecaërgum*. Sed de *Hecaerga* præteriit, quia vix ea pro Hecate obtineret appellatio: at contrà *Hecaërgi* pro Apolline nomen poëtis eſſet frequens. Sic igitur colligo, *Hecaërgen*, & *Hecaten*, non ſolùm origine vocum convenire; ſed eandem planè Divam eſſe. Quod ipſum aliter etiam adſtruimus. Siquidem Deliæ virgines, quando nupturæ eſſent, dicabant comam deſectam Opidi, & Hecaërgæ; ut eſt apud Pauſaniam in Atticis; imò & Herodotum in Melpomene. Nam apud eum pro Ἄργην, Ἑκαέργην legi debere, obſervatum jamdiu doctiſſimo Leopardo lib. X Emendat. cap. XXIV. At cui convenientiùs, quàm Dianæ, virginitatis præſidi, valedicturi virginitati ſuæ, hunc honorem habitum iviſſent? Et ſanè ſimiliter Athenis, pridie nuptiarum (Προτέλεια dixere) virgines in honorem Dianæ, ad Deam placandam, caniſtra ferebant: quod pluribus exponit Theocriti ſcholiaſtes in Idyll. II. Quare non dubitandum, quin Opis, Hecaërga, & Loxo, ſint nomina diverſa uni eidemque Hecatæ, ſive Dianæ, impoſita pro diverſo effectu: ac *Opis* ſit dicta, à cura puerperii: *Hecaërga*, quod è longinquo operetur: *Loxo*, παρὰ τὸ λοξῶς περιφέρεσθαι *quod obliquè per cælum moveatur*: quemadmodum & eâdem de cauſſa Apollo Λοξίας nominatus; ut alibi diximus. Sed, appellationibus hiſce miſſis, Hecatæ inſiſtamus: quam Lunam eſſe, etiam ex eo cognoſcimus, quòd Athenis novilunio quòque opulenti, in honorem Hecates, cœnam in triviis apponerent, quam mox abriperent pauperes. Auctor Ariſtophanes in Pluto *g*. Atque hinc *Hecates cœna*; niſi *Hecales* dicenda; de quo non eſt hujus loci diſputare. Etiam Orpheo Hecate dicitur

Λητοῦς εὐπλοκάμοιο κόρη ——
Filia formoſa Latonæ ——

ut eſt apud Proclum in Platonis Cratylum. At Diana, quæ eadem Hecate, filia eſt Latonæ. Scholiaſtes etiam Theocriti in Idyllion ſecundum *h* ſic ſcribit: Τῇ Δήμητρι μιχθεὶς ὁ Ζεὺς, τίκτει Ἑκάτην διαφέρουσαν ἰσχύϊ καὶ μεγέθει. ἣν ὑπὸ γῆν πεμφθῆναι ὑπὸ τοῦ πατρὸς, πρὸς Περσεφόνης ἀναζήτησιν· καὶ νῦν Ἄρτεμις καλεῖται, καὶ Φύλαξ, καὶ Δᾳδοῦχος, καὶ Φωσφόρος, καὶ Χθονία. *Cereri mixtus Jupiter, Hecaten genuit, robore & magnitudine præſtantem: quam ſub terras pater miſit, ad inquirendam Perſephonen: & nunc ea vocatur Artemis ſive Diana, & Phylax ſive Cuſtos, &*

Da-

a *In* 4 *Æn.*
b *Lib.* 1 *Mytholog.* §. *de Proſerp.*
c *Centum.*
d *Longè.*
e *Pag.* 10, *ſive* 97.
f *Verſ.* 204.
g *Act.* 2. *ſc.* 5.
h *Verſ.* 12.

Daduchos ſive Tædifera, & Phoſphorus ſive Lucifera, & Chthonia ſive Infera. Etiam Euripidæ eſt in Helena:

Ὦ Φωσφόρ' Ἑκάτη, πέμπε φάσματ' εὐμενῆ.

Lucifera ô Hecate, da benigna phaſmata.

Quippe, ut eſt in gloſſis Philoxeni: *Lucifera*, Ἑκάτη. Sed Latinos etiam audiamus. Appuleji eſt lib. XI: *Sive tu Ceres, ſeu Phœbi ſoror, ſeu nocturnis ululatibus horrenda Proſerpina triformi facie larvales impetus comprimens.* Et mox: *Cujus numen unicum, multiformi ſpecie, nomine multijugo, orbis moderatur; Attici Minervam, Eleuſinii Cererem, alii Hecaten.* Atque idem docet Servius non uno loco: alii item, quorum nonnullos deinceps adducam. Illuſtris de Hecate eſt locus Chariclidæ apud Athenæum in VII: Δέσποιν' Ἑκάτη τριοδῖτι, τρίμορφε, τριπρόσωπε, τρίγλαις κηλουμένη. *Domina Hecate, Trivia, triformis, triplici facie, quæ mulceris triglis.* Ubi tria conſideranda, quòd dicatur Τριοδῖτις: quod τρίμορφος & τριπρόσωπος vocetur: quodque addatur, mulceri triglis. Nomen Τριοδῖτις ex τριόδος *a* eſſe, ſatis eſt apertum: nempe uti eadem *Trivia* à triviis. Cauſſa nominis eſt, quia τὴν Ἑκάτην ἐν ταῖς τριόδοις ἐτίμων παλαιοί, διὰ τὸ τὴν αὐτὴν Σελήνην, καὶ Ἄρτεμιν, καὶ Ἑκάτην καλεῖσθαι. *Hecaten antiquitus coluere in triviis; propterea quod eandem, & Lunam, & Dianam, & Hecaten, vocarent:* ut ait Ariſtophanis Scholiaſtes in Plutum *b*. Etiam templa Triviæ in triviis ſtatui ſolere, teſtis Servius in IV Æn. Verba inferiùs apponam. Firmat & Varro lib. VI de L. L. *Diana eſt ab eo dicta Trivia, quòd in trivio ponitur ferè in oppidis Græcis.* Hinc ululatus ille in triviis, honori Hecates. Servius in Ecl. III: *Conſuetudo fuerat, ut per trivia & quadrivia ulularent, & flebile quiddam in honorem Dianæ canerent ruſtici, ad reddendam Cereris imitationem, quæ raptam Proſerpinam in triviis requirebat. Novimus autem eandem eſſe Proſerpinam, quam Dianam.* Addere poterat, & *Hecaten.* Nam continuò ſubjungit: *Sic in Æneide c: Nocturniſque Hecate triviis ululata per urbes.* Quem in Maronis locum ſic idem Servius commentatur: *Proſerpinam raptam à Dite patre cùm Ceres cum incenſis faculis per orbem terrarum requireret, per trivia eam, vel quadrivia, vocabat clamoribus. Unde permanſit in ejus ſacris, ut certis diebus per compita à matronis exerceatur ululatus: ſicut in Iſidis ſacris, ubi eſt imitatio inventi Oſiridis: quem dilaniatum à Tiſiphone ejus fratre uxor Iſis per totum orbem requiſiſſe narratur. Juvenalis: Plangentis populi curris deriſor Anubis.* Sed in verbis allatis pro *Tiſiphone* planè reponendum *Typhone*: is enim Iſidos frater fuit; ut diximus lib. I, cap. XXVII. Hecate igitur τριοδῖτις, quia in triviis coleretur: unde & τριόδων ἐπόπτις *d* dicitur Phurnuto.

Altera etiam ratio eſt, cur Τριοδῖτις, vel *Trivia*, dicatur. Quam ipſam Varro adfert poſt eam, quam ex VI de L. L. antea adduximus. Nam cùm dixiſſet, *Triviam* vocitatam, quia in triviis poneretur: ſubdit continuò, *vel quòd Luna dicitur eſſe, quæ in cœlo tribus viis movetur; in altitudinem, & latitudinem, & longitudinem.* Eſt & tertia, quia non modò in cœlis, ſed etiam terris, & ſub terris, hoc eſt, apud inferos, exerat poteſtatem: ſed nomine, ut Servius ait, diverſo; quemadmodum videmus.

Sequitur inde apud Chariclidam Τρίμορφος *e*. Quomodo & Horatio lib. III, od. XXII vocatur, *Diva triformis.* Addit Chariclides τριπρόσωπος *f*, ut Orpheo in Argonauticis appellatur τριοκέφαλος *g*: ac Maronis eſt IV Æn.

Tergeminamque Hecaten, tria virginis ora Dianæ.

Pertinet huc etiam, quòd Appulejo, verbis antea productis, nominetur *Proſerpina trinâ facie.* Eſt & Minucii in Octavio: *Trivia trinis capitibus, & multis manibus horrifica.* Cur triformis ac triceps fingeretur, hanc rationem adducit Cleomedes lib. II de Mundo *h*: Οἱ παλαιοὶ τρία εἶναι περὶ τὴν σελήνην σχήματα ἔφασαν, τὸ μηνοειδὲς, τὸ διχότομον, τὸ πεπληρωμένον· ὅθεν καὶ τριπρόσωπον τὴν Ἄρτεμιν ποιεῖ τις ἐστιν. *Veteres dixere, tres eſſe figuras Lunæ; in cornua curvatam, dimidiatam, ac plenam. Unde & conſuetudo eſt, trinâ facie Dianam effingere.* Aliam quoque cauſſam legas apud Servium in proximè allatum Maronis locum: puta quia facies lunæ ſit triplex: una creſcentis c, cùm cornibus, & cavitate, ortum reſpicit: altera decreſcentis ɔ, cùm cornibus monſtrat occaſum: alia plenæ o. Tertiam opinionem idem adducit in IV Æn. *Nonnulli*, inquit, *eandem Lucinam, Dianam, Hecaten appellant, ideo quia uni Deæ tres adſignant poteſtates; naſcendi, valendi, moriendi: & quidem naſcendi Lucinam Deam eſſe dicunt, valendi Dianam, moriendi Hecaten: ob quam triplicem poteſtatem, triformem eam, triplicemque finxerunt: cujus in triviis templa ideo ſtruxerunt.* Atque hinc aliqui tres Parcas ſtatui judicarunt; unam ortus, alteram vitæ, tertiam mortis præſidem: quod infrà accuratè explicabitur. Dixeris, ſimplicem Hecatæ poteſtatem tribui; nempe moriendi: illam naſcendi addici Lunæ; alteram valendi, Dianæ. Sed cùm moriendi poteſtatem Servius adſignat Hecatæ, ea, quæ propriè dicta eſt Proſerpina, intelligitur. At propriè Hecates nomen tria illa comprehendit: unde Servius in VI Æn. *Hecate*, inquit, *trium poteſtatum numen eſt. Ipſa eſt enim Luna, Diana, Proſerpina. Sed ſolam Proſerpinam dicere non potuit propter lucos, qui Dianæ ſunt. Item Dianam, quia ait, lucis præfecit Avernis. Unde elegit nomen, in quo utrumque conſtabat.* Idem eopſe libro in illud,

Voce vocans Hecaten, cœloque ereboque potentem:

Hoc, inquit, *eſt, quod ait*, HECATEN, *ut plenum numen oſtenderet.* Hecate igitur numen plenarium; Proſerpina, partiale: hæc morti duntaxat; illa ortui, vitæ, & morti præfecta.

Poſtremùm in allatis Chariclidæ verbis Hecate dicitur τρίγλαις κηλουμένη. Id Latinè fuerit, *mullis mulceri.* Τρίγλη verò ex eo dici videtur, quia ter pariat quotannis: ut apud Ariſtotelem legere eſt lib. V Hiſtoriæ Animalium cap. IX *a*: unde idem promit Athenæus in ſeptimo. Ac proditum hoc ipſum Oppiano Ἁλιευτ. A *b*:

Τρίγλαις δ' ἐκ γονέων ἐπώνυμοί εἰσι γονῆσι.

A triplici triglæ capiunt ſua nomina partu.

Cur verò triglæ ſeu mulli Hecatæ ſacrentur, ne olim quidem convênit. Apollodorus de Diis factum id ait διὰ τὴν τοῦ ὀνόματος οἰκειότητα· *ob nominis convenientiam*: nempe inter τρίγλη, & τριοδῖτις ſive *Trivia*. Melanthius, libro de Myſteriis Eleuſiniis, & triglam, & mænida, ei immolari ait, quoniam & Hecate maris habeat poteſtatem: quod negare non poſſumus, ſi eadem eſt ac Luna. Sed Hegeſander Delphus eò in ſacris Dianæ mullum ait offerri, quia Diana ſit venatrix, ac venator item ſit mullus: quippe qui lepotem marinum, piſcem venenatum ac letalem, ſtrenuè perſequatur, ac voret. Mirum autem Athenæum, cui iſta debemus, non addidiſſe, eo triglam Hecatæ ſive Dianæ videri ſacram, quia Diana ſit cuſtos virginitatis; cui inimica eſt Venus: at mullus item rebus Veneris adverſetur. Quod nos docet Athenæus ipſe in VII; ubi ſic ſcribit: Ἐὰν ἐν οἴνῳ ἀποπνιγῇ τρίγλη ζῶσα ἐν οἴνῳ, καὶ τοῦτο ἀνὴρ πίῃ, ἀφροδισιάζειν οὐ δυνήσεται, ὡς Τερψικλῆς ἱστορεῖ ἐν τῷ περὶ Ἀφροδισίων· κἂν γυνὴ δὲ πίῃ τοῦ αὐτοῦ οἴνου, οὐ κυΐσκεται. *Si mullus fuerit ſuffocatus in vino, & hinc biberit vir, ſit impotens ad Venerem; ut refert Terpſicles libro de Venereis. Sin mulier ex eo biberit, non concipiet.* De mullo ſatis.

Quemadmodum verò Hecate eſt triceps: ita & ejus, ac Plutonis canis, Cerberus: quem iccirco Sophocles in Trachiniis vocat Ἅιδου τρίκρανον σκύλακα *c*: ac de eodem Tibullus lib. III:

Cui tres ſunt linguæ, tergeminumque caput.

Sed Hecates capita ſunt humana: vel, ſecundùm Orpheum in Argonauticis, dextrum equi, medium hominis agreſtis, ſiniſtrum canis. Cerberus verò habet τρεῖς κυνῶν κεφαλὰς *d*: ut eſt apud Apollodorum in ſecundo bibliothecæ. Heſiodus tamen in Theogonia ei attribuit capita quinquaginta: Horatio in ſecundo odarum vocatur *bellua centiceps.* Quæ referenda ſunt ad multiplicem Lunæ pote-

a Trivium.

b *Act. 2. ſc. 5, ſive Ald. edit. pag. notatâ Γ. 2. b.*

c *4 Æn.*

d *Triviorum præſes.*

e *Triformis.*

f *Triplici facie.*

g *Triceps.*

h *Cap. de Lunæ propinquitate ad Terram.*

a *Sive juxta Caſaris Scal. diſtinct. cap. 11, ſect. 68.*

b *Verſ. 590.*

c *Plutonis canem tricipitem.*

d *Tria canum capita.*

poteſtatem. Sed qui intra ternarium ſe continent, hi videntur eas ſpectaſſe cauſſas, ob quas fecere Hecaten tergeminam, triaque Dianæ ora: præcipuè autem, quòd exerceret vim ſuam in cælo, terris, inferis: vel quòd dominium teneret in tria hæc elementa; aëra, aquam, terram. Ac poſterius hoc etiam locum habet, ſi cum Platonicis per Hecaten, Plutonem, Cerberon, intelligas πονηρὸν δαίμονα *a*, qui Perſis Arimanius; ut diximus lib. I, cap. V. Quippe malignus ille ſpiritus, cælis exul, & extorris, in aëre ſolùm regnat, & ſubjecto ei aquæ terræque globo. Hinc Porphyrius apud Theodoretum Therapeutices ſermon. III, primùm quidem negat, malos dæmonas ſub Sarapidis eſſe poteſtate: poſtea autem de malis illis ſpiritibus ſubdit: Τούτων σύμβολον ὁ τρικάρηνος κύων· τοῦτ' ἔστιν ὁ ἐν τοῖς τρισὶ στοιχείοις, ὕδατι, γῇ, ἀέρι, πονηρὸς δαίμων· ὃς κατέπαυσε ὁ θεὸς ἔχων ὑποχείρια· ἄρχει δὲ αὐτῶν καὶ ἡ Ἑκάτη, ὡς συνέχουσα τὸ τριστοιχεῖον. *Eſt autem illorum ſymbolum ac nota, triceps canis: hoc eſt malus dæmon, qui in tribus invenitur elementis; aere, aqua, & terrâ: atque hos quidem dæmonas cohibet Deus, ſub ſua eos habens manu ac poteſtate: dominatur vero illis etiam Hecate: quippe quæ eos contineat in triplici elemento.* Aliqui verò nec opus exiſtimant, particulatim attendere, vel ad triplicem Lunæ ſeu faciem, ſeu poteſtatem; vel ad tria elementa, in quæ vel Luna, vel malignus ſpiritus, vim ſuam exerat: ſed generatim in perfectione ternarii numeri conſiſtunt. Hanc rationem adducit Servius in illud Ecl. VIII,

—— Numero Deus impare gaudet.

Aut, inquit, *quemcunque Superorum, juxta Pythagoraos; qui ternarium numerum perfectum ſummo Deo adſignant; à quo initium, & medium, & finis eſt: aut revera Hecaten dicit, cujus triplex poteſtas eſſe perhibetur: unde eſt, —— Tria virginis ora Dianæ. Quamvis omnium prope Deorum poteſtas triplici ſigno oſtendatur: ut, Jovis triſidum fulmen, Neptuni tridens, Plutonis canis triceps. Vel quod omnia ternario continentur: ut Parcæ, Furiæ: Hercules etiam trinoctio conceptus: Muſæ ternæ.* Ubi mirum, de Gratiis præteriri; de Muſis adferri, quæ novenæ. Sed prius hæ ternæ; ut ſuo loco exponam; poſteaque ter ternæ. Ac puto, etiam apud Servium potiùs *ter ternæ* reſcribendum.

a Malum Deum.

Cap. XXX.

Tranſitum ad ſtellas: quarum materiam videri à cælo diverſam, hoc aqueum; illas, uti & Solem, Lunamque, potius igneæ eſſe ſubſtantiæ. Nec tamen, in illo doctorum diſſenſu, odioſè de eo eſſe concertandum. Græcos pariter, & barbaros, ſidera omnia pro Diis habuiſſe: inque hac ſententia nonnullos etiam fuiſſe philoſophos: & ut de vita eorum partim ex motu perpetuo, partim perenni illuminatione, collegerint. Utrique occurritur argumento. Ut & ſenſum iis tribuerint, ac rationem: deque Electra ſtella ſe, ut aiunt, occultante ob captam Trojam; ſtella item polari ſe abſcondente, ob captam Conſtantinopolin. Unde concluſerint, ſideribus præſtantiores eſſe animas, quàm homini. Philoni idem placuiſſe: non ſic tamen, ut propterea Deos putaret. Aſſenſum Philoni hac parte Origenem: de quo incertum videri, num ejus ſententia ſit damnata à Concilio quinto Oecumenico. Imò BB. Hieronymum, & Auguſtinum, haſitaſſe, verene, an falsò, ſic Origenes ſenſiſſet. Scholaſticorum varii adducuntur, qui veriſimilem hanc opinionem exiſtimarint. Nec qua Ariſtotelis de eo ſententia fuerit, ſatis inter ſectatores ejus convenire. Aquinatem ipſum ſuper eo à ſe abiiſſe. Nec bene ei intellectam Platonis mentem. Ut Tycho Braheus in partes iverit Platonis. Opinio hæc refellitur.

Diximus de Sole, ac Luna: quos *Cæli oculos* Pythagorici dictitabant. Tranſgredior nunc ad ſtellas: quæ ejuſdem cum illis naturæ videntur: uti quidem Peripatetici cenſent. Quippe quibus Sol, Luna, ſtellæ omnes, nihil aliud ſint, quam denſiores, eoque lucidiores ſui orbis partes. Sed ut facilè iis dedero, ſidera omnia ejuſdem eſſe naturæ: ita ægre adducar, ut credam, cælum ejuſdem, ac ſidera, eſſe naturæ. Nec enim in campis illis cæleſtibus ullam magis lucem, vel radios ullos, videmus, quàm in propinquo aëre: quod profectò aliter eſſet, ſi cœlum, & ſtellæ, materie convenirent. Nec diſpicere valeo, quomodo non hæc opinio divino Moſi repugnet. Secundùm quem, quantum ex ejus verbis colligere queo, firmamentum, ſive, ut ipſe loquitur, *rakia*, hoc eſt, expanſum, Deus fecit ex aqua; at ejus luminaria ex igne, ſive lucido illo corpore, quod primo die eſſe juſſit. Quomodo Sol, Luna, ſtellæ omnes, non in cœlo erunt, ut nodi in ligno, ſed ut clavi in rota; ac proinde contiguæ expanſo, cui inhærent, non continuæ. Nec tamen nimium de hoc contendero, gnarus ut ignotam cœli materiam putarint Philo libro de ſomniis, & Damaſcenus Orthod. Fid. lib. II, cap. VI. Tantum dixero, eam, quam aliuli ſententiam, maximè mihi placere: uti & amplexi eam Joſephus Judaic. Antiq. lib. I, cap. I, Clemens Romanus lib. II Recognit. Cyrillus Hieroſolymit. Catech. IX, Theodoretus quæſt. XI in Geneſ. Procopius in cap. I Geneſ. Gennadius & Severianus in Catena, Beda in Hexaëm. ut tot prætereaam recentiores; etiam illos proximi, aut præſentis ævi; quales Catharinus, Valeſius, Molina, alii.

Divinitatem ut Soli, & Lunæ, ſic ſtellis omnibus, tribuerunt tum Barbari, tum Græci. Plato in Cratylo: Φαίνονταί μοι οἱ πρῶτοι τῶν ἀνθρώπων περὶ τὴν Ἑλλάδα τούτους μόνους θεοὺς ἡγεῖσθαι, οὕσπερ νῦν πολλοὶ τῶν βαρβάρων, Ἥλιον, καὶ Σελήνην, καὶ Γῆν, καὶ Ἄστρα, καὶ Οὐρανόν. *Qui Græciam primi incoluere, ii videntur mihi illos ſolum Deos exiſtimâſſe, quos nunc etiam barbari multi pro Diis habent; Solem, Lunam, Terram, Aſtra, Cælum.* Quæ verba etiam adducit Euſebius Præparat. Euangel. lib. III, cap. II. Nec hac parte ſolùm erratum à vulgo; ſed etiam philoſophis: uti Xenocrate Chalcedonio, & Alcmæone Crotoniate; de quibus teſtis Tullius *a*. Similiter Stoici: ut Poſidonius apud Stobæum, Ἄστρον εἶναί φησι σῶμα θεῖον, ἐξ αἰθέρος συνεστηκός· *ſtellam eſſe corpus divinum, ex æthere compoſitum.* Quid verò eos in hanc compulerit ſententiam, docet nos Auguſtin. lib. IV de Civ. Dei, cap. XI: *Dicunt* (Stoici) *omnia ſidera partes Jovis eſſe, & omnia vivere, atque rationales animas habere: & ideo ſine controverſia Deos eſſe.* Ubi duo videmus argumenta: prius eſt à materia; quia, ut Poſidonius ait, compoſita ſint ex æthere, qui eſt Jupiter; ac proinde ſint partes Jovis. Hanc opinionem plenius diducam inferiùs; cùm oſtendam, ut per divinam naturam intellexerint rerum univerſitatem, præcipueque igneum ſpiritum, qui permeet univerſum. Alterum eſt à forma, qua vivant, & intelligant. Vivere autem colligebant, partim ex motu perenni, partim ex perpetuis operationibus in inferiora. Ac de motu quidem ſic argumentabantur, an argutabantur, dixero. Omne corpus inanimum quieſcit in loco ſuo naturali, ac proprio. At ſtellæ in eo non quieſcunt: uti nec Sol, vel Luna. Sidera igitur non ſunt inanima; ſed formam habent vitalem, quam *animam* dicimus. Atque ita ex natura corporum inferiorum bellè ſibi de ſuperiorum natura colligere viſi ſunt: quaſi Deo grave fuiſſet, talem iis indere naturam; per quam ſuapte vi aſſiduè moverentur. Atque ut motus ille non eſſet à propria corporum natura, poſſit Deus ἀμέσως *b* movere: poſſit eos motus ciere per intelligentias ſive angelos. Quorum quid ſit, certò nequit cognoſci; ut diximus antea.

a Lib. I de Nat. Deor.

b Immediate ſive per ſe.

Præterea, ut referebamus, eo pugnant, quod cæleſtia in inferiorem operentur naturam, imò ſemper operentur: quod planè divinum videtur, ſecundùm illud Philonis in primo allegoriarum Legis; Παύεται οὐδέποτε ποιῶν ὁ θεός, ἀλλ' ὥσπερ ἴδιον τὸ καίειν πυρὸς, καὶ χιόνος τὸ ψύχειν, οὕτω καὶ θεοῦ τὸ ποιεῖν· καὶ πολύ γε μᾶλλον, ὅσῳ καὶ τοῖς ἄλλοις ἅπασιν ἀρχὴ τοῦ δρᾶν ἐστιν. *Nunquam deſinit Deus operari: ſed ut ignis proprium eſt urere, & nivis refrigerare; ſic & Dei eſt operari: atque hoc eo magis, quia & ipſe eſt prin-*

principium ac cauſa, cur omnes operentur. Sed (ut exemplis hic allatis inſiſtam) num propriè ignem, aut nivem, vivere dixerint, quia ille ſemper urat, hæc refrigeret ſemper? Quo jure igitur colligunt, ſidera vivere, quia ſemper illum tenent? Adde quod illuminatio non ſit ejus naturæ, ut promânet à forma vitali. Nec enim propriè vivit ignis noſter, utcunque luceat. Quin lux ejus eſt indolis, ut ne poſſit quidem à vitali principio dependêre. Quare ſiculno nixi fuere argumento, qui ſidera, quoniam operentur, etiam vivere collegerunt.

Jam verò nec contenti fuere vitam tribuere ſtellis: etiam ſenſum aſſignarunt. Mitto antiquiores: phantaſiam ſeu interiorem ſenſum in iis agnoſcit Avicenna. Simplicius tres quoque exteriores ſenſus addebat; tactum, viſum, auditum.

Imò rationales etiam fecerunt. Quomodo Zeno apud Stobæum ait, τὸν ἥλιον, καὶ τὴν σελήνην, καὶ τῶν ἄλλων ἄστρων ἕκαστον εἶναι νοερόν, καὶ φρόνιμον πυρινὸν πῦρ· *Solem, Lunam, & ſingula aſtrorum aliorum, eſſe intelligentem ac ſapientem igneum ignem.* Eamque ſententiam etiam poëtæ ſunt amplexi. Fabulantur *a* enim, ſtellam Pleiadum ſeptimam, nomine Electram, poſt Trojæ excidium, nolle amplius conſpici; quia Dardanus, gentis Trojanæ conditor, natus fuerit ex Electra. Quam rationem etiam Ovidius in Faſtis *b* adducit: ſed ſic, ut alias etiam præmittat. Audiamus vatem:

a Hyginus in Poët. Aſtron. ubi de Tauro. & Avienus in Arateis.

b Lib. 4. v. 167. & ſeqq.

Pleiades incipient humeros relevare paternos:
Quæ ſeptem dici, ſex tamen eſſe ſolent:
Seu quod in amplexus ſex hinc venere Deorum:
Nam Marti Aſteropen c concubuiſſe ferunt:
Neptuno Alcyonen, & te formoſa Celæno:
Maian, & Electram, Taygetamque Jovi.
Septima mortali Merope tibi, Siſyphe, nupſit.
Pœnitet, & facti ſola pudore latet:
Sive quòd Electra Trojæ ſpectare ruinas
Non tulit, ante oculos oppoſuitque manum.

c Al. Nam Steropen Marti.

Ubi, ut gentium poëtis faciliùs ignoſcam, facit; quòd neque noſtrâ defuerint ætate, qui putarent, ſimiliter ſe occultâſſe ſtellam polarem, poſt captam à Muhammede Conſtantinopolin. Quo nihil vanius. Quippe, ſi minutam unam exceperis, quæ inter polum, & minorem urſam, intercedit, illa ipſa in cauda minoris Urſæ, uti olim ætate Hipparchi & Ptolemæi, ita hodieque maximè eſt polo vicina, & ſimiliter *Polaris* vocitatur.

Nec illud quidem gentibus ſuffecit, ſi ſidera ſenſum, & rationem, haberent: quia & homines iſta obtinent; nec propterea Dii ſunt. Igitur diviniori quadam mente opus eſſe viderunt; quam eos habere, ex eo concludebant, quia in æthere agerent, ſubſtantiâ maximè ſubtili, puràque. Cicero libro II de Natura Deorum: *Sidera æthereum locum obtinent, qui quoniam tenuiſſimus eſt, & ſemper agitatur, & viget: neceſſe eſt, quod animal in eo gignatur, idem quoque ſenſu acerrimo, & mobilitate celerrima eſſe.* Mirum verò hanc Platonis ſententiam ſaltem in tantum Philoni placuiſſe, ut ipſe etiam ſidera eſſe mentes quaſdam puriſſimas arbitraretur. Sic enim ſcribit libro de Somniis: Πάντα τῷ ποιητῇ τὰ τοῦ κόσμου μέρη καλὸν ἔδοξεν εἶναι ζώων ἀναπλῆσαι. Διὰ τοῦτο γῇ μὲν τὰ χερσαῖα ἐγκατεσκεύασε, θαλάττῃ δὲ καὶ ποταμοῖς τὰ ἔνυδρα, οὐρανῷ δὲ τοὺς ἀστέρας· καὶ γὰρ ἕκαστον τούτων, οὐ μόνον ζῶον, ἀλλὰ καὶ νοῦς ὅλος ὁ καθαρώτατος εἶναι λέγεται. *Opifici mundi placuit omnes ejus partes animalibus implere. Propterea terræ attribuit terreſtria; mari, & fluviis, aquatilia; cælo autem ſtellas. Nam & harum quæque non modo animal dicitur, ſed etiam mens puriſſima.* Vocat & eoſdem libro ἀφθάρτους καὶ ἀθανάτους ψυχάς· *incorruptibiles & immortales animas.* Similiaque in hanc mentem apud eum habes libro de Gigantibus: item lib. de opificio mundi. Ubi ſtellas appellat ἀγάλματα θεῖα, καὶ περικαλλέστατα, *imagines divinas, & pulcherrimas:* ac, ut mentibus humanis videas præferri, ait ibidem: ζῶά τε εἶναι λέγονται, καὶ ζῶα νοερά· μᾶλλον δὲ νοῦς αὐτῶν ἕκαστος, ὅλος δι᾽ ὅλων σπουδαῖος, καὶ παντὸς ἀνεπίδεκτος κακοῦ· *animalia dicuntur eſſe, & quidem animalia intelligentia. Magis verò unaquæque earum Mens eſt, tota undique bona, nec mali ullius capax.* Hactenus tamen abiit à gentibus, quòd ſtellas non putârit Deos; ſed Dei unius adminiſtros, ſive, ut loquitur ipſe lib. de Pietate, ἄρχοντας τινὰς ὑπάρχους τοῦ πάντων πατρὸς· *rectores quoſdam ſubditos omnium parenti.* Sed Philoni, ut aliis multis, hac etiam parte aſſenſit Origenes lib. I περὶ ἀρχῶν, cap. VII; uti & commentario in Joannem. Atque hoc nomine eum reprehendit B. Hieronymus epiſtolis ad Pammachium, & Avitum. Inque epiſtola Vigilii Papæ ad Cæſarium Arelatenſem, inter cæteros anathematiſmos adverſus Origenem, habes & iſtum: *Si quis dicit, cœlum, & Solem, & Lunam, & ſtellas, & aquas, quæ ſuper cælos ſunt, animatas, & materiales eſſe quaſdam virtutes, anathema ſit.* Qui etiam ſecundo Concilio Conſtantinopolitano, ſive Univerſalium Synodorum quinctâ, fuit comprobatus: modò, in tanto priorum ſilentio, ſtare liceat ſcriptore, qui vixerit poſt annum Chriſti milleſimum ac treceenteſimum. Is eſt Nicephorus Calliſtus lib. XVII Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. XXVII. Ubi pro eo, quod in verbis Vigilii antea adductis eſt *materiales virtutes*, interpres habet *rationales. Materiales* tamen etiam eſt in Summa Conciliorum, quam exhibuit Joverius. Sed, an Concilium vel hoc, vel illo pacto, ſcripſerit, non ſatis eſt apertum: imò ne illud quidem, an eam Origenis ſententiam damnârit. Qua de re ſic Conimbricenſes in Ariſtotelis lib. II de Cælo, cap. I, quæſt. I: *Non tamen iſtiuſmodi dogma hæreſeos titulo notandum cenſemus, propterea quod, an decretum illud à quinctâ Synodo editum fuerit, haud omnino conſtat.* Priores verò, plerique ſaltem, ne de hoc quidem, verumne, an falſum eſſet dogma, certi aliquid ſignare auſi ſunt. Siquidem B. Hieronymus in illud Eccleſiaſtæ *a*: *In circuitu pergit ſpiritus, & in circulos ſuos revertitur:* ſcribit hoc pacto: *Sive ipſum Solem ſpiritum nominavit, quod animet, & ſpiret, & vigeat, & annuos orbis curſus expleat: ſive quòd Luna lucentem globum* b,

a Cap. I, verſ. 6.

b Æn. 6.

—— Titaniaque aſtra,
Spiritus intus alit, totamque infuſa per artus
Mens agitat molem, &c.

Nec B. Auguſtinus definire quicquam voluit lib. II de Geneſi ad literam cap. poſtremo: *Solet,* inquit, *quæri, utrùm cæli luminaria iſta conſpicua ſola ſint, an habeant rectores quoſdam ſpiritus ſuos: & ſi habent, utrùm ab eis vitaliter inſpirentur, ſicut animantur carnes per animas animalium; an ſola ſine ulla permixtione præſentia.* Ac de iſto ſubjungit; *In præſenti non facile poſſe comprehendi.* Item; *Servatâ ſemper moderatione piæ gravitatis, nihil credere de re obſcura temerè debemus.* Imò in Enchiridio ad Laurentium cap. LVIII ait: *Nec illud quidem certum habeo, utrùm ad eandem* (angelorum) *ſocietatem pertineant ſol, & luna, & cuncta ſidera; quamvis nonnullis lucida corpora eſſe, non cum ſenſu, vel intelligentia, videantur.* Et ſanè vivere aſtra, probabile arbitratur Aureolus in II, diſt. XIV, quæſt. II, art. II: & quæſt. III, art. unic. Item Capreolus diſtinct. eâdem. Quin, ut de Scoto, & Cajetano, taceam, ſententiæ huic favet Aquinas opuſculo de Angelis cap. II, & Q. Q. diſput. qu. de Anima, art. VIII, imprimis reſp. ad III, IV, V. Dubitat etiam Dionyſius Carthuſianus in II, diſt. XIV, qu. IV. Aſcanius quoque Martinengus Tom. II in Gen. *c* ait, quæſtionem hanc *problema eſſe neutrum in via Patrum, neutramque partem ab Eccleſia damnatam.* Atque addit, in eadem opinione fuiſſe præceptorem ſuum Vilelmum lect. XIX in Geneſ. Iidem de eo in utramque partem poſſe diſputari, opinio eſt Franciſci de Sylveſtris Ferrarienſis comment. in Summam Thomæ contra Gentes cap. LXX; idque occaſione eâ refert, quòd ibidem docuerat Thomas, Ariſtotelem cenſere, cœlum componi ex corpore cæleſti, & anima, quæ det eſſe per modum formæ; poſteaque ſubjeciſſet: *Hoc autem, quod dictum eſt de animatione cæli, non diximus aſſerendo, ſecundum fidei doctrinam: ad quam nihil pertinet, ſive ſic, ſive aliter dicatur.*

c P. 889, & ſeq.

Suamque hanc opinionem firmat Thomas auctoritate Auguſtini; qui & ipſe, in verbis ſuperius adlatis, certi nihil de eo ſtatuere auderet. Sed enim de Ariſtotele non ita liquet. Moverunt quidem ad ſcribendum iſta Aquinatem, quæ legerat apud Philoſophum lib. II de Cœlo, context. XIII, & LXI: item lib. II Metaph. text. XXXV. Et ſimiliter Ariſtotelem cepere Alexander, Simplicius, Philoponus, alii: atque è junioribus Vaſquez Part. I, qu. CLXXXIII. Sed enim, quæ Ariſtoteles in VIII φυσ. ἀκροάσ. diſſerit, inque XII Metaph. potiùs evincere videntur, cœlum ſtatuiſſe animatum, non intrinſecus, ſive ratione formæ informantis; ſed extrinſecus, ſeu ratione formæ aſſiſtentis; cui cælum ſic conjungatur, ut duo unum fiant per virtutem contactus; eoque cælum, & quæ cælo inſunt, animata eſſe, non ut animal, ſed ὁμωνύμως. Et ſanè ipſe Thomas, cùm aliter antea ſcripſiſſet, poſtea in Summa Theologiæ part. I, quæſt. LXX, art. III, non niſi poſteriori modo animata eſſe ſidera agnoſcit: ac ratione etiam adſtruere laborat, inter animam illam, & corpus cæleſte, nullam eſſe conjunctionem ſubſtantialem; ſed, ut dixi, contactum virtutis. Mirum verò, addere, eandem eſſe ſententiam Platonis in Epinomide. In quo planè fugit ratio ſummum virum. Plato enim credidit, ſidera propriè vivere, motuſque eorum eſſe non à forma ſolùm adſiſtente, ut motore; ſed inſitâ, ac informante. Putabat quippe, nobiliſſimo corpori nobiliſſimam formam, qualis eſt anima, convenire: eoque abſurdum eſſe, ſi muta animantia, imò inſecta, plantæque, animam haberent; contrà cæleſte corpus eâ deſtitueretur: nec eſſe veriſimile, ſolem ſideraque vitâ carere, cùm vitam multis præbeant; ut illis, quæ ex putredine generantur. Vide eos, qui collationem Platonis cum Ariſtotele inſtituerunt: inque his, quæ Jacobus Carpenterius eruditè diſſerit in Alcinoi cap. XII. Eamque Platonis opinionem ſeculo quoque noſtro approbavit Tycho Brahe epiſt. ad Rhotmannum ſcripta an. CIↃ IↃ XC, XVIII Aprilis: *Verùm hæc in cæleſtibus cæleſti quodam, & longè vivaciore exquiſitioreque modo, eveniunt, quàm in animantibus terreſtribus, vel aqueis: cum & cælum animatum eſſe, ipſaque cæleſtia corpora animantia quadam cæli, vitali ſpiritu prædita, non abs re ſenſiſſe videatur divina illa Platonicorum philoſophia.* Etſi verò de hoc dogmate nihil unanimi Eccleſiæ conſenſu fuerit definitum: haut levia tamen obduci poſſe Platonicis videntur. Primùm illud, quòd nec in creationis hiſtoria, nec alibi in Scripturis uſpiam, intellectus ſideribus, niſi tropicè, & per προσωποποιΐαν, tribuatur: ſed diſertim contrà, propter hominis ea miniſterium, facta dicantur. Ut Deuter. IV, 19: *Ne fortè elevatis oculis ad cælum, videas Solem & Lunam, & omnia aſtra cæli; & errore deceptus, adores ea, & colas, quæ creavit Dominus Deus tuus in miniſterium cunctis gentibus, quæ ſub cælo ſunt.*

Præterea videmus, pauciſſimos ex Sanctis Patribus eſſe, qui iis vitam tribuerint: plurimos è contrario, qui cælos & ſidera animâ dicunt carere. In quibus, præter eos, quos dixi, Baſilius in Hexaëm. homil. III, Ambroſ. in Hexa. lib. II, cap. IV; ac pro hac etiam ſententia à Pſello adductus Gregor. Nazianzenus orat. XXXVIII, & XLII: adhæc Cyrillus lib. II contra Julianum, Chryſoſtomus homil. in Pſal. IV, Procopius comment. in Geneſin; inque operibus B. Auguſtini incertus ſcriptor libri de cognitione veræ vitæ cap. VI. Eoque opinio altera ſuſpectior eſt, quòd, qui nutâſſe in hac parte viſi ſunt, poſtea apertè ſideribus vitam omnem ademerunt; ut de Auguſtino, & Aquinate, vidimus. Deque Hieronymo idem liquet ex illo, quod Origenis ſententiam improbârit: niſi eò ſolùm reſpexerit, quod is animas putârit ante cælum creatas, poſteaque corporibus ſociatas eſſe cæleſtibus.

Nihil verò æque ab hac ſententia deterruit Sanctos Patres; quam illud, quòd ſi aſtra vitâ, ſenſu, rationeque, forent prædita; ſine dubio tanto mentes illæ cæleſtes præſtantiores eſſent mentibus humanis, quanto æther purior & excellentior eſt corpore terreno. Unde ſequi videbatur, venerationem etiam ac cultum iis deberi. Sanè Adamus Tannerus, eruditus ſocietatis Jeſu Theologus, Diſſertatione de Cœlis quarta, ſic ſcribit: *Si cœli ſive aſtra eſſent prædita animâ rationali ſive intelligenti, & ſi in gratia eſſent: poſſent utique à nobis etiam coli aliquo cultu ſacro ſeu religioſo, qualis hominibus ſanctis convenit.* Sic cum homo colligit Chriſtianus; quis non videt, quanti ea res periculi foret apud gentiles, ſi Chriſtiani ipſi faterentur, ſidera vitâ & intellectu prædita eſſe? Nec enim unquam gentiles in animum induxiſſent, ſidera eò non eſſe invocanda, quia fortaſſe non eſſent in ſtatu gratiæ, ſed peccati, eoque damnationis. Nihil tale, inquam, cogitaſſent de ſideribus beneficis, inque æthere ipſo honorifica ſua munia bono mortalium capeſſentibus. Equidem non dubito, quin B. Auguſtinus, qui prius nutare viſus fuit, vel præcipuè, ad hoc periculum apud gentes & rudes Chriſtianos evitandum, priorem retractârit ſententiam; ut factum videmus lib. II Retract. cap. VII: quemadmodum & contrarium aſſerit libro contra Priſcillianiſtas, & Origeniſtas, cap. VII. Solideque multò ante Auguſtinum ſententiæ iſtius auctoribus occurrerat Lactantius lib. II, cap. V: ubi inter alia ſic ſcribit: *Si Deos eſſe idcirco opinantur, quia certos & rationabiles curſus habent; errant. Ex hoc enim apparet Deos non eſſe, quod exorbitare illis à præſtitutis itineribus non licet. Cæterum ſi dii eſſent, huc atque illuc paſſim ſine ulla neceſſitate ferrentur, ſicut animantes in terra: quarum quia liberæ ſunt voluntates, huc atque illuc vagantur, ut libuit: & quo quamque mens duxerit, eo fertur. Non eſt igitur aſtrorum motus voluntarius, ſed neceſſarius, quia præſtitutis legibus officiiſque deſerviunt.* Sed cum diſputaret (Lucilius Stoicus apud Ciceronem a) *de curſibus ſiderum; quos ex ipſa rerum ac temporum congruentia intelligebat non eſſe fortuitos; exiſtimavit voluntarios, tanquam non poſſent tam diſpoſitè, tam ordinatè moveri, niſi ſenſus illis eſſet officii ſui ſciens.* Cætera quoque exſcribere longum foret. Ipſum adi: ac Prudentium in ſecundo adverſus Symmachum. Quare concludam verbis Damaſceni lib. II Orthod. Fid. cap. VI: Μηδεὶς ἐμψύχους εἶναι τοὺς οὐρανοὺς, ἢ τοὺς φωστῆρας ὑπολαμβανέτω· ἄψυχοι γάρ εἰσι, καὶ ἀναίσθητοι. *Nemo cælos, aut luminaria, arbitretur animata; inanima enim ſunt, & ſenſus expertia.* Atque hæc universè dicta ſint de ſtellis, & divinitate iis falsò attributa. Deinceps de illis magis particularia proſequemur.

a Lib. 2 de Nat. Deor.

Cap. XXXI.

Acceditur ad ſtellas erraticas. Martis ſcintillatio. Excluſis Sole Lunaque, qui Lumina *dicuntur, quinque ſunt numero errones, qui Pythagoreis* canes Proſerpinæ, *Ægyptiis* Deorum lictores. *Hi coloribus diſtincti.* Φωσφόρος *pro Luna, ut Latinis* Lucifera. *Venus, & Mercurius, incrementa, & decrementa ſua habent, inſtar Lunæ: ac ejuſdem inſtar, Venus, Mercurius, & Jupiter, eclipſin patiuntur.* Veneris ſtella [illegible], *ut diſtinguatur à ſidere Lunæ, quæ & ipſa* Venus *dicitur. Solem à Venere, & Mercurio, circumiri. Quando Venus veſperi; quando mane oriatur.* Veſper *pro* Lucifero. Nocturnus, *pro Heſpero. Deſultatorii equi Lucifero dicati. Heſpero furvus equus, albus Lucifero. Elegiam in obitum Mæcenatis indignam eſſe Pedone Albinovano; contra quam viro magno viſum. Venus diſtincta ab Heſpero, ut præſes ab eo cui præſidet.* Feſtum Phoſphoria. *Venus, ſexus utriuſque ſidus, cùm Heſperum ſignificat.* Phoſphori *ſive* Lucis dubiæ *templum apud Gaditanos. Unde Lucifer Hebræis* Helel *dicatur. Venus, cùm pro Luna ſumitur, utroque eſt ſexu prædita. Venus à mulieribus armatis, à viris culta muliebri habitu indutis. Quas cauſſas prætexant Saraceni, cur oſcula dent lapidi, qui Veneris dicitur. Venerem iis, ſi Græcis credimus, Lunæ & Luciferi ſidus complecti: ac dici illis* Chabar, *ſeu* Cubar: *hoc* Magnam *denotare. Unde Diis* Cabiris *nomen.* Cochab *per* ἀντονομα-

μαντείας pro ſtella Luciferi, Unde ſit, quod Muhammedani hebdomadem terminent die Veneris, & cur per Heſperum ac Luciferum jurent.

CUm ſtellarum aliæ ſint fixæ, aliæ erraticæ: dubium non eſt, quin erraticæ priùs in Deorum numerum ſint adſcitæ. Unde & cum Sole, Lunaque, ſolas eorum ſunt nominibus dignati, qui *Majorum gentium Dii*, vel *Selecti* dicuntur. Ad honorem hunc multum contulit, quòd non conſiſtant uno in loco; ſed eum mutent: unde &, licet motus eorum ſit certiſſimus, errare tamen per cælum videntur, contra naturam aliarum. Atque hæc cauſſa iis *planetarum*, ſive *erronum* nomen fecit. Etiam ab aliis ſtellis eo differre animadverſum, quòd non ſcintillarent: niſi quòd Martis ſtella interdum videatur vibrare ac quaſi divaricare lumen ſuum: ſive id ob peculiarem interpoſiti, ſeu ætheris, ſeu aeris naturam, ſive aliam ob cauſſam contingat.

Hujuſmodi ſtellæ ſtatui ſolent quinque: unde & Arato πέντε ἀστέρες, *quinque ſtellæ*, dicuntur: uti & Propertio lib. IV, eleg. 1. Ac Tullius quoque in primo de Natura Deorum, nunc *quinque ſtellas vagas*, nunc *quinque errantia ſidera* appellat. Iulii item Hygini eſt in Poëtico Aſtronomico: *Reliquum eſt nobis de quinque Stellis, quas complures, ut Erraticas, ita* Πλανήτας *Græci dicunt.* Ac ſimiliter Iulius Firmicus lib. I, cap. IV, & Macrobius lib. I in Somnium Scipionis, cap. XVII; qui ad diſcrimen harum, & cælo infixarum, Solem, Lunamque vocat *Lumina*, ut Græci φῶτα: nempe κατ' ἐξοχὴν, tanquam φωστῆρας μεγάλους, prout vocant LXX Gen. I, 16. Hebraicè eſt מְאֹרֹת הַגְּדֹלִים. Pythagorei, quia Proſerpina eſt Luna, propterea vocitarunt canes Proſerpinæ; ut ait Clemens in V Στρωματέων, Ægyptiis habebantur velut ῥαβδοφόροι, ſive *lictores*: ſed δωδεκατημόρια habita pro θεοῖς βουλαίοις, *Diis conſiliariis*: ut vetus ſcholiaſtes annotavit in IV Argonauticôn Apollonii.

In quinque his primò divinos obtinuiſſe honores videtur Venus, ſive

a Homer. Iliad χ, v. 318.

Ἕσπερος ª, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.
Heſperus æthereo longè pulcherrimus orbe.

Facilè enim in ſe oculos omnium candore ſuo convertit: cùm Mercurius contra ſit cæruleus; Iupiter ruſus, aut flavus; Mars cruoris inſtar nigricans; Saturnus cinereus. Præterea obſervabant, hanc ſtellam moderatè calefacere, ac humectare: quò nihil ad generationem eſt conducibilius. Hinc Porphyrius apud Euſebium lib. III Præparat. Euangel. cap. XI: Τὸν δὲ τῆς Ἀφροδίτης ἀστέρα θεωρήσαντες γόνιμον, ἐπιθυμίας τε καὶ γονῆς αἴτιον, γυναῖκα μὲν ἀνέπλασαν διὰ τὴν γένεσιν, ὡραίαν δὲ, ὅτι καὶ Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος, &c. *Stellam autem Veneris, cùm ad generationem prolemque gignundam aptam, & cupiditatis, ac ſeminis cauſſam eſſe animadverterent; eam, ob generationem, effinxere ſpecie mulieris; ſed forma perelegantis, quia & eadem Heſperus ſit: qui pulcherrimus.* Duo igitur ſidera generationi præfecerunt; Lunam, de qua fusè antea vidimus, & Heſperum, ut Porphyrius hìc docet. Atque ejus rei etiam communem eſſe cauſſam videmus: nempe quia utrumque ſidus modicè calefaciat, & humectet; uti ad generationem requiritur. Atque arbitror, eandem eſſe rationem, cur & Luna, & veſpertina hæc ſtella, ſint commune nomen Veneris ſortitæ. Nam Lunam etiam Ἀφροδίτην ſive Venerem nominatam, fusè ſatis ſuperius *b* oſtenſum. Imò & his duobus commune eſt Φωσφόρου nomen datum. Nec enim ſolùm ſic Veneris ſtella dicitur, ſed etiam Luna: ut quæ Euripidæ ſit Φωσφόρος Ἄρτεμις, *Lucefera Diana*; ut Tullius reddit in ſecundo de Nat. Deor. Ac ſimiliter capio in hoc ejuſdem philoſophi ſcenici:

b Cap. 27.

—— Ὅ τι γὰρ ἐνιαυτὸς τέκοι
Κάλλιστον, ἄξω φωσφόρῳ θύειν θεᾷ.
—— *Pulchri quicquid annus pepererit,*
Eſt animus hoc offerre Lucifera Deæ.

Plutarchus: Ἡ δ' Ἄρτεμις Φωσφόρος μὲν ἐπωνομάσθη, διὰ τὸ καὶ αὐτὴν σέλας βάλλειν, καὶ φωτίζειν πως τὸ περιέχον, ὁπόταν μάλιστα πανσέληνος ᾖ. *Diana quoque Lucifera cognomen accepit, quia & ipſa ſplendorem emittat, ac cælum aliquatenus lumine ſuo illuſtret, imprimis quando eſt plenilunium.* Magis etiam hi ipſi utrumque ſidus communi Veneris & Phoſphori nomine dignati forent; ſi conſtitiſſet iis de aliis quoque, quæ communia habere, teleſcopio, ſive tubo Batavo, repertum fuit. Quale eſt, quòd ſtella hæc inſtar Lunæ creſcat, & decreſcat: ac tum plena ſit, quando remotiſſima eſt à terra; corniculata autem, cùm retrograda, & terris proxima. Item quòd, ad Lunæ modum, patiatur eclipſin. Neutrum tamen his convenit ſolis; ſed prius in Mercurio quoque locum habet: poſterius, ut in Venere & Mercurio, ſic in Iove etiam, teleſcopio ſibi deprehenſum, tradit Merſennius in Geneſ. cap. I, verſ. XIX *a*. a P. 108.

Quia igitur duplex eſt Venus; Luna, & quinque erraticarum una: tollendæ ambiguitatis cauſsâ, erraticum hoc ſidus non incommodè *ſtellam Veneris* dicemus: idque præeunte Tullio in II de Nat. Deor. item Varrone in ſecundo rerum divinarum libro, unde hæc Servius adducit: *Ex eo, quo à Troja eſt profectus Æneas; Veneris, per diem, ſtellam ſemper vidit; donec in Laurentum agrum venit; ubì non eſt amplius viſa. quare cognovit, terras eſſe fatales.* Item eodem Varrone, apud B. Auguſtinum lib. XXI de Civit. Dei, cap. VIII: *In cælo mirabile exſtitit portentum. Nam in ſtella Veneris nobiliſſima, quam Plautus Veſperuginem* b, *Homerus* c *Heſperum appellat, pulcherrimam dicens, Caſtor ſcribit, tantum portentum exſtitiſſe, ut mutaret colorem, magnitudinem, figuram, curſum: quod factum neque antea, neque poſtea ſit.* Græcis ſimiliter Ἀφροδίτης ἀστὴρ *d* nominatur: nonnullis tamen Ἥρας ἀστὴρ *e* dicitur. Sed hæc probè conveniunt, cùm eadem ſit Diva: unde Laconibus ſimulachrum Ἀφροδίτης Ἥρας *f*: ut ex Pauſania antea *g* diximus.

b Amphit. 1, 1.
c Il. χ, 318.
d Veneris ſtella.
e Junonis ſtella.
f Junonis Veneris.
g Cap. 27.

Nec per *Veneris ſtellam* ſolùm Veſperum ſive Heſperum intelligimus; ſed etiam Luciferum. Quippe eadem eſt ſtella. Nam cùm Mars, Jupiter, Saturnus, quia ſint ſupra Solem, careant emerſione veſpertinâ, & occultatione matutinâ; & contrà Luna, quia eſt ſub Sole, non habeat emerſionem matutinam, aut occultationem veſpertinam: in Venere ac Mercurio, quia, ut cap. prox. dicam, circumeunt Solem, eoque nunc illo ſuperiores ſunt, nunc inferiores; utramque emerſionem, utramque item occultationem, habemus. Ac Venus quidem, cùm ſuperior eſt, manè occultatur, hoc eſt, ſub radiis conditur Solaribus: oriturque veſperi, ſive ex radiis Solaribus emergit: ac dicitur tum Heſperus, ſeu Veſper, ſive Veſperugo: ut apud Plautum Amphytryone: ut obſervatum Varroni in V de L. L. & Feſto. Quando autem Sole eſt inferior, heliacè occidit veſperi, maneque oritur, ſive emergit: ac tum Ἑωσφόρος, vel Φωσφόρος, ſive *Lucifer*, vocatur, vel etiam *Eous*. Helvius Cinna apud Servium *h*:

Te Matutinus flentem conſpexit Eous:
Et flentem vidit paullo pòſt Heſperus idem.

h In illud 1 Georg. Aut cum Sole novo terras irrorat Eous.

Quodammodo tamen Phoſphori, & Heſperi nomina confudit Horatius lib. II, od. IX, cùm ait:

—— *Nec tibi, Veſpero*
Surgente, decedunt amores,
Nec tepidum fugiente Solem.

Ubi communi nomine *Veſperi*, & matutinum, & veſpertinum ſidus complectitur. Similiter *Eoi* nomine communi uſus Auſonius Idyll. VI:

Quam modò naſcentem rutilus conſpexit Eous,
Hanc rediens ſero veſpere vidit anum.

Magis diſtinxit (ut de Vitruvio Pollione *i*, & aliis taceam, ac ſolos dicam poëtas) Severinus Boëthius lib. I, Met. V:

i Lib. 9, cap. 4.

Et qui prima tempora noctis
Agit algentes Heſperus ortus,
Solitas iterum mutet habenas
Phœbi pallens Lucifer ortu.

Statius Papinius, qui, Plauti exemplo, Heſperum vocat *Nocturnum*, VI Thebaidos:

Roſcida jam novies cælo demiſerat aſtra
Lucifer, & totidem Lunæ prævenerat ignes,
Mutato Nocturnus equo.

Quem ad locum ſic Lutatius ſive Lactantius: *Lucifer & mane oritur, & veſperi; ſed equo mutato. Poëta autem quadrigas dant Soli, bigas Lunæ, equos ſingulos ſideribus. Eundem ergo Veſperum* (ac Luciferum) *vult haberi: ut Horatius Veſperum pro Lucifero poſuit.* Ab hac equi mutatione vocatus, *Deſultor*; ſacratique illi ſunt deſultorii equi. Caſſiodorus lib. III Var. ad Fauſtum Præpoſitum: *Biga quaſi Lunæ, quadriga Solis imitatione reperta eſt. Equi deſultatoris, per quos Circenſium miniſtri miſſos denunciant exituros, Luciferi præcurſorias velocitates imitantur.* Subjungit deinde: *Sic accidit, ut dum ſe colere aſtra putarent, religionem ſuam ludicrâ ſimilitudine profanarent.* Iſidorus lib. XVIII Orig. cap. XXXVI: *Quadrigas Soli, bigas Lunæ, & trigas inferis, ſejugas Jovi, deſultores Lucifero & Heſpero conſecraverunt.* Cauſſas deinde, præterquam de deſultoribus, adjungit. Horum, deſultorum dico, ea eſt ratio, quòd Lucifer de equo in equum deſilire crederetur. Eorum unus albus, quo vehitur Lucifer. De eo ſic Ovidius II Amor. el. XI:

Hac mihi quamprimum cælo nitidiſſimus albo
Lucifer admiſſo tempora portet equo.

At Heſperi equus furvus; ut indicant Ovid. lib. II Faſt. a & Pedo Albinovanus eleg. in obitum Mæcenatis: ſi modò ea jam nobilis eſt poëtæ, quod maximus vir Joſephus Scaliger putabat. Mihi, ut liberè dicam, hominis Scholaſtici videtur. Nulla enim ex parte accedit ad genium, quem cernas in elegia Pedonis ad Liviam de morte Druſi Neronis. Sed enim dixerit aliquis, eos, quos ſignabam, Pedonis verſus valde adverſari nobis. Nam Venerem eandem ac Heſperum dicebamus. At Pedo ait, Heſperum ſic diligi à Venere, ut medio etiam in curſu dimittat, valde eum aſtrico deſiderante choro, cujus fuerat choragus. Sic enim canit:

Quæſivere chori juvenem ſic Heſperon illum b,
Quem nexum c *medio ſolvit in igne Venus:*
Quem nunc in fuſcis placidâ ſub nocte nitentem
Luciferum contrà currere cernis equis.

a *Verſ.* 3'4.
b *Scalig.* pro illum *leg.* olim.
c *Scal. pro* nexum *leg.* necdum.

Sed facilè hunc nodum exſolvimus, diſtinguendo cum Varrone *d*, & Auguſtino *e*, triplicem gentium Theologiam; poëticam, philoſophicam, & civilem. Ex philoſophica de Diis doctrina, Venus eſt vel Luna, ut vidimus, vel Lucifer, ſive Heſperus. Sed ex poëtica, ac civili, ſupra hos cælos ſtatuuntur mentes quædam æternæ à ſideribus diverſæ: quomodo Jovem, Apollinem, Junonem, Venerem, cæteroſque Deos Conſentes, conſiderare jubet Appulejus. Quippe eos, inquit *f*, *Natura viſibus noſtris denegavit: necnon tamen intellectu eos mirabundi contemplamur, acie mentis acriùs contemplantes.* Quid apertius hîc, quàm ab eo per Deos Conſentes intelligi, non corpora cæleſtia, vel ſubcæleſtia: ſed ſublimiorem quandam naturam, nec niſi animis conſpicuam? Ex hujuſmodi igitur Theologorum mente diſtinguit Pedo inter Heſperum, & Venerem: perque hanc, non ſtellam intelligit, ſed mentem cæleſtem ſtellæ præſidem, viſui noſtro denegatam; quippe ſideribus omnibus ſublimiùs cælos terraſque deſpicientem.

d *Lib.* I *rerum divinarum, cujus verba adduximus jam lib. hujus cap* I.
e *Lib.* 4 *de civitate Dei, c.* 37. *& lib.* 6, *cap* 4 *Verba appoſui cap.* I.
f *Lib. de Deo Socratis.*

Sidus hoc, de quo orſi eramus dicere, nunc conſiderabant ut maſculum, nunc ut femineum, quaſi Deum ἀνδρόγυνον g. Ut marem ſpectabant, cùm dicerent, vel Heſperum, vel Φωσφόρον, ſive Luciferum; unde feſtum Φωσφόρια, Plutarcho memorata adverſus Coloten. Ac Gaditani etiam, ut Strabo teſtatur in tertio, habuere Φωσφόρου ἱερὸν h: ubi non Dianam Luciferam, ſed Veneris ſtellam intelligi, ex eo cognoſcimus, quòd addat, aliter vocari Λουκεμδουβίαν: quaſi dicas Latinè, *Lucem-dubiam.* Unde & colligere eſt, à Romanis eſſe hoc fanum. Ut feminam verò, Græci appellarunt Ἀφροδίτην, Romani *Venerem.* De quarum vocum origine vidimus cap. XXII, & XXVII. Hebræis vocatur הֵילֵל, ut Jeſ. XIV, 13, ubi legas הילל בן שחר Helel ben ſachar, *Lucifer, filius auroræ,* ſive *diluculi.* Eſt verò הילל, ab הִלֵּל, non prout notat *laudare:* unde *Hallelu-Jah, laudate Dominum:* ſed quatenus ſignificat, *ſplendere, illuminare:* à qua origine Arabibus etiam הלאל, *hilil,* hoc eſt, νεομηνία, ſive Luna nova; quæ iiſdem Luna tertia, quia novam numerant, ex quo cœpit apparere. Nec Hebræos fugit, Luciferum fuiſſe Veneri ſacratum. Nam Jeſ. XIV, 12, ubi in Hebræo eſſe diximus, *Lucifer, filius auroræ,* ſive Lucifer, qui manè oriebaris, Targum habet, *ſtella Veneris.* Uti & habet Maimonides in More Nebuchim parte II, cap. IX. Imò, Hebræorum judicio, Veneris ſeu Luciferi venerationem etiam reſpexerit divinus Moſes, cùm Deuter. XXII, 5, ait: *Ne ſint arma viri ſuper mulierem, nec induatur vir veſtimento mulieris.* Qui locus adducitur quoque à Maimonide memorati proximè operis part. III, cap. XXXVII. Subjicit deinde, ut v. cl. Buxtorfius reddidit: *Invenies enim in libro* טומטום, tomtom a, *præcipi, ut Vir* b *geſtet veſtimentum muliebre coloratum, quando ſtat coram ſtella Veneris: ſimiliter, ut Mulier induat loricam, & arma bellica, quando ſtat coram ſtella Martis.* Ubi videmus, diſtingui ſtellam Veneris ab illa Martis, & cultum hujus ab cultu iſtius. Ut liqueat, per Venerem ab eo non intelligi Lunam; etſi ſubinde ſic capiatur: etiam in re ſimili; velut cum Philochorus in Atthide (ut à Macrobio traditum eſt c) *eandem* (Venerem) *affirmat eſſe Lunam: & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri, mulieres cum virili; quod eadem & mas æſtimatur, & femina.* Ubi, Philochoro ut aſſentiam, facit, quòd conſtet, Lunam tum marem, tum feminam habitam; unde Luni Lunæque appellationes, ut ſuperiùs d dictum. Quare nihil impedit, quin eadem Venus, ut mas, & femina, culta ſit. Sed diſpar ratio in verbis Maimonidæ, vel ſaltem R. Samuelis Aben Tybbon Hiſpani, qui opus illud Maimonidæ ex lingua Arabica Hebraicè vertit: à quo non ſola Venus nominatur, ut à Philochoro; ſed Venus, & Mars, opponuntur: ut diverſi potiùs planetæ intelligi debeant. Præſertim cùm non ſimpliciter dicat, viros muliebri, mulieres virili habitu indutos: ſed viros induiſſe muliebrem; mulieres fuiſſe armatas. Cujus ratio obſcura non eſt. Venus enim amorum, Mars armorum præſes: ut facilè ſibi perſuaſerint gentiles, non alios Veneri gratiores, quàm qui ſeſe mollis ſexus veſte ſiſterent Deæ: nec alias Marti in ejus ſacris eſſe acceptiores, quàm quæ in armis conſpicerentur. De hac Veneris veneratione à viris, veſtem muliebrem indutis, etiam legas apud Firmicum lib. de errore profanarum religionum: quo loco de Aſſyriis, ac Venere ab eorum ſacerdotibus culta, diſſerit. Inter alia ait, eos *vocem effeminare, virilem ſexum ornatu muliebri dedecorare, in ipſis templis muliebria pati, & hanc impudici corporis labem glorioſa oſtentatione detegere, exornare muliebriter crines, & delicatis amictos veſtibus vix caput laſſa cervice oſtentare.*

a *Hoc eſt, de obturatis. In veteri tralatione pro* tomtom *perperam eſt* centir.
b *In tralatione Buxtorfiana eſt* Mulier. *puto feſtinantis calami lapſu. Nam Hebraicè eſt* האיש Haiſch: *non* האשה, haiſcha: *quod mox ſequitur.*
c *Lib.* III *Saturn. cap.* VIII.
d *Cap.* 5. *hujus lib.*

Etiam temporibus antiquis Venerem coluere Iſmaëlitæ. Eum verò cultum accepere ab his Saraceni: ut traditum Euthymio Zigabeno in Panoplia, quo loco Saracenos refellit. Græcè eam partem edidit Sylburgius. In qua, inter alia, legas, ut lapidem illum, quem Saraceni magna animi devotione oſculantur, eo quòd exiſtiment, eſſe lapidem, ſuper quo Abraham cognovit Agar, vel cui alligarit camelum ſacrificaturus filium, eſſe caput ſimulachri Veneris. Verba ejus ſunt: Ὁ δὲ ῥηθεὶς λίθος, κεφαλὴ τῆς Ἀφροδίτης ἐστὶν ἣν πάλαι προσεκύνουν οἱ Ἰσμαηλῖται· φέρει γὰρ μικρὰ καὶ νῦν τοῖς ἀκριβῶς κατανοοῦσιν ἐκ γλυφίδος ἀποτύπωσιν κεφαλῆς· *at prædictus ille lapis eſt caput Veneris, quam Iſmaëlitæ jam olim adorabant. Quippe lapis ille accuratiùs ſpectantis etiam nunc præfert deformationem capitis.* Etiam in anathematiſmis, qui recitantur convertenti ſe à Saracenis ad religionem Chriſtianam, lapis ille dicitur eſſe in domo Make: atque ἐκτύπωμα τῆς Ἀφροδίτης ἔχειν e: item illa de Abrahami congreſſu

e *Veneris effigiem in ſe habere.*

ſuper

ſuper hoc lapide, & cameli ad eum alligatione, ibidem referuntur. Fortaſſe iſta potiùs interpreteris de Venere, prout Lunam ſignificat, & Uraniæ ſive Cæleſtis nomine celebratur. Equidem ab opinione ea non abhorret animus: ſed cenſeo, iſta non pugnare. Quippe Arabes junxerunt cultum Lunæ, & Luciferi: ab Arabibus autem hunc ritum edocti ſunt Saraceni. Saltem ſic eorum mentem cepere Græci: uti videre eſt initio Saracenicorum, ex Euthymii Zigabeni panoplia: Οἱ Σαρακηνοὶ μέχρι τῆς Ἡρακλείου τοῦ βασιλέως χρόνων, εἰδωλολάτρουν, προσκυνοῦντες τῷ Ἑωσφόρῳ ἄστρῳ, καὶ τῇ Ἀφροδίτῃ, ἣν δὴ καὶ Χαβὰρ τῇ ἑαυτῶν ἐπονομάζουσι γλώττῃ· δηλοῖ δὲ ἡ λέξις αὕτη τὴν Μεγάλην. *Saraceni uſque ad Cæſaris Heraclii tempora idola coluerunt, adorantes Luciferum, & Venerem: quam ſuâ linguâ* CHABAR *vocant: vox autem ea illis* MAGNAM *ſignificat.* Similiter Georgius Cedrenus in Chronicis, quo loco vitam Muhammedis perſcribit: Τὸν Ἀφροδίτης ἀστέρα τὸν Ἑωσφόρον εἶναι μυθολογοῦσιν· ἣν δὴ καὶ Κυβὰρ τῇ ἑαυτῶν κακεμφάτῳ ἐπονομάζουσι γλώσσῃ, ὅπερ ἐστὶ Μεγάλη. *Luciferum fabulantur eſſe ſtellam Veneris: quam & linguâ ſuâ abſonâ abſurdâque appellant* CUBAR, *quod ſignificat* MAGNA. Poſteaque hanc Saracenorum precationem ſubdit: Ἀλλὰ, ἀλλὰ, οὐὰ, κυβὰρ, ἀλλά: ac ἀλλὰ ἀλλὰ exponit ὁ θεὸς, ὁ θεός: οὐὰ, μείζων: Κυβάρ, ἡ μεγάλη, εἴτουν ἡ Σελήνη, καὶ Ἀφροδίτη. ALLA ALLA, *Deus, Deus*; OUA *major*; CUBAR *magna, puta Luna & Venus.* Priori loco dixerat, Deam Cubar eſſe Luciferum, Veneris ſtellam: hîc ait eſſe Lunam ac Venerem: ut Luciferum cum Luna coluiſſe videantur. Interim Cedrenus de Οὐὰ, ut bene monitum clariſſimo Seldeno *a*, deceptus fuit, cùm ſit copula, ut Hebræis ו. Quare ſenſus eſt, *Deus, Deus, & Magna illa, Deus.* Pro Κυβὰρ apud Euthymium, ut vidimus, eſt Χαβάρ. Quod verò uterque *magna* exponit, id firmatur Hebræo כביר, cabir; *magnus, fortis*: ut Job. VIII, 2. Indéque Samothracum Dii Κάβειροι, q. d. Deos magnos, ac potentes.

a *Syntagmate 2 de Diis Syris, cap. 4.*

Satis hæc oſtendunt, Euthymium, & Cedrenum, Saracenis tribuere Luciferi, & Lunæ cultum. Deque Lucifero ſavet quoque B. Hieronymus in vita B. Hilarionis eremitæ: *Vadens in deſertum Cades, ad unum de diſcipulis ſuis viſendum, cum infinito agmine monachorum pervenit Eluſam, eo forte die, quo anniverſaria ſolemnitas omnem oppidi populum in templum Veneris congregaverat. Colunt autem illam ob Luciferum, cujus cultui Saracenorum natio dedita eſt.* Idem in hoc Amos cap. V, 26: *Portâſtis verò Siccuth regem veſtrum, & Chijunem, imagines veſtras, ſidus Dei veſtri, quæ feciſtis vobis: Sidus,* inquit, *Dei veſtri Hebraicè dicitur* כוכב, Cochab, *id eſt, Luciferi: quem Saraceni huc uſque venerantur.* Nec fugit B. Hieronymum, *Cochab* generatim notare ſtellam: ut Num. XXIV, 17. Sed putavit, *Sidus Dei veſtri*, idem valere ac, Deus veſter, qui eſt ſidus: quomodo, ex Aben-Eſræ ſententia, Geneſ. I, 31, dicitur *expanſum cæli*, pro cælo: ſimiléque *oppidum Antiochia*, pro Antiochia oppido, apud Ciceronem lib. V, ep. XVIII: *Eridani amnis*, pro Eridano amne, Maroni in ſexto, & ſimilia. Aben-Eſra tamen *Chijunem* in verbis Prophetæ adlatis non Luciferum, ſed Saturnum, interpretatur. Utcunque hoc fuerit, ex iis, quæ diximus, ſatis eſt apertum, non Lunam modò, ſed Luciferum quoque, cultam eſſe à Saracenis. Atque ab iis hoc Muhammedani habent, quod illis dies Veneris ſit hebdomadis finis: quam *Giuma*, hoc eſt, συνάξιν, appellant *b*, quià eſt finis cultus, quo congregantur. Quemadmodum & exinde eſſe arbitror, quòd jurant per ſtellam veſpertinam, & auroram: ut ex Alphurcain ſive Alcorano videre eſt Azoara LXIII, XCVI, & XCIX. Sed longum fuerit omnia adferre, quæ ad Veneris, ſive Luciferi cultum pertinent: præſertim ſi etiam me conferam ad gentes barbaras, tum antiquas, tum proavorum ætate repertas: ex quibus Peruanos coluiſſe Luciferum, patebit inferiùs, cùm univerſè de ſtellis fixis dicetur.

b *Scaliger lib. 2 de Emendat. Tempor. lib. 2, cap. de anno Hegiræ, & lib. 5. cap. de primo Muharram Hegiræ.*

Cap. XXXII.

Ad Mercurium acceditur. Eum, Veneremque, non ſemper Sole eſſe depreſſiores; ſed ſublimiores quoque, cùm utrumque ſidus volvatur circa Solem: neque id planè veteres fugiſſe. Eoque, ſi cælum ſit ſolidum durumque; proprios utrique epicyclos in Solis orbe tribui oportere. Porphyrio, ut Phœnici, ex Orientis more, Mercurium partim in Sole collocari, partim in Luna: priori modo, quatenus ratio eſt; altero, prout orationem ſignat. Λόγος σύνθετος Hermopan, *&* Ægyptus Hermanubis. Seches, Merkolis, Margemah, *Orientis ſunt, qui Græcis* Ἑρμῆς, *&* Στίλβων. *Mercurii etymon, &* Στίλβοντος. *Cur Mercurium rationi, & orationi, præfecerint. Quanto Mercurius minor Lucifero, ſive Heſpero; quantoque vicinior Soli. Cur Venus amoribus præfecta. Cur Mercurius dicatur ſtella communis: cur idem miniſter Deorum, & eloquentiæ præſes. Unde ſint* Ἑρμῆς, ſermo, ſequo *pro* dico. *Cur Mercurio attributa talaria, & alæ. Cur Lyſtrenſes Barnabam quidem Jovem, Paulum verò Mercurium putarint. Cur Mercurii ſeniores rigente faſcino, manibus & pedibus mutili; juniores verò, cum languido veretro, ſoleant effingi. Porphyrius, & Phurnutus aliter, quàm ab interpretibus factum, expoſiti. Cur Mercurius mercatoribus præſit. Cur gallum ei ſacrificaverint. Mercurii etymon alterum. Ratio ab ea, quam ſuperiùs adduximus, diverſa, cur Mercurius viis præfectus. Conſuetudo lapidem adjiciendi acervo in Mercurii honorem: cujuſmodi acervum* ἕρμακα *etiam dixerint. Ritus idem apud Saracenos, ſive Arabas; ſed in Veneris honorem: & unde ſit, quod in Oriente alii Mercurium, Venerem alii, hoc honore affecerint: & cur Muhammedani turribus imponant ſignum Lunæ corniculatæ.* Ermenſiiyl *Germanis quidem Mercurium eſſe; ſed prout Solem deſignat. Vocis ejus etymon variè allatum. De ara Mercurii apud Gandavenſes, & ſimulacbro ejuſdem apud Walachros, & unde Mercurio nomen* Walacher *datum.*

A Veneris ſtella venio ad Mercurium: idque non tam, quia ambo ſub Sole conſtanter ferantur; quemadmodum Ptolemæus putabat: quàm quia ambo ſint *Solis comites*; ut Cicero vocat in Somnio Scipionis, & Appulejus de Mundo: & quidem Solem ambo ſemper circumeant, ſicut dimidio tempore ſint ſupra eum, dimidio infra eundem; quemadmodum à Copernico, & Tychone, ſolidè eſt oſtenſum. Neque antiquis hoc temporibus planè fuiſſe ignoratum, docet nos is, qui Auguſti Cæſaris temporibus vixit, M. Vitruvius; cujus hæc verba lib. IX, cap. IV: *Mercurii, & Veneris ſtellæ, circum Solis radios, Solem ipſum, uti centrum, itineribus coronantes, regreſſus retrorſum, & retardationes faciunt, etiam ſtationibus propter eam circinationem morantur in ſpatiis ſignorum.* Ac plura ibidem in hanc mentem; quæ cùm retuliſſet, ſubjungit: *Uti à præceptoribus accepi, expoſui*: quod argumento eſt, aliorum quoque eo tempore hanc fuiſſe opinionem. Similiter verò Martianus Capella lib. VIII: *Mercurii, Veneriſque circulos epicyclos eſſe, id eſt, non intra ambitum proprium rotunditatem telluris includere; ſed de* (Solis) *latere quodammodo circumduci.* Cæſari tamen Scaligero adverſus Cardanum Exercit. CCCVII, ſect. I, mirum in modum hæc diſplicuit opinio: nec dubitat eam reponere inter nova illa, quæ prurientibus ſolùm arrideant ingeniis. Nempe didicerat Scaliger ex Ptolemæo, Mercurium ſemper eſſe infra Solem. Sed non eò nova illorum opinio eſt, quam à præceptoribus ſe ſuis hauſiſſe profitetur Ptolemæo antiquior Vitruvius. Ingenia, ſic quæ cenſeant, ait rerum novarum pruritu laborare: ipſe ſcilicet à pruritu hujuſmodi in aliis ſcientiis, quibus polleret, planè immunis. Mihi laudabile id ſtudium amplificandi doctrinarum pomœria videtur: & quod ad præſentem controverſiam, omnino

ſtatuo, à Copernico, & Tychone Brahe (ut cæteros præteream) ſolide eſſe oſtenſum, Mercurium, ac Venerem, nunc Sole eſſe depreſſiores, nunc altiores, dimidioque tempore infra eum, dimidio ſupra eum, volvi: Veneris circulum eſſe majorem Mercuriali: hunc Mercurii à terra, cum proximus eſt, diſtare ſemidiametris terræ ƆƆLXXXV; cùm remotiſſimus, ClƆƆCC: nec tamen examuſſim Solem habere pro centro, ſed aliud Soli propinquum, diſtans à centro Solis diametris terræ CVIII. Copernicum ipſum adi lib. V, cap. XXVII. Scaligero interim ignoſcere oportet; qui eo quidem vitio laborabat, quòd Mathematicos ſummos exagitaret lubens; cùm ipſe Matheſios parum eſſet intelligens: ſed admirandâ aliarum doctrinarum peritiâ defectum utrumque id penſaret, ut propterea humanæ imperfectionis gnaro planè videatur inhumanum, (quod nonnulli faciunt) viro in re literaria principi arroganter inſultare.

Quamobrem, ſi ſecundùm Peripateticorum placita, ſolidi & denſi orbes ſint cæleſtes: neceſſe eſt fateamur, non eſſe orbes Veneri ac Mercurio proprios, ſed ſuos in Solis orbe epicyclos; non imaginarios quidem, ſed veros; quibus delati eandem ſub fixis inſiſtant viam, non modò cùm directi, ſed etiam cùm ſtationarii, imò & quando retrogradi videntur. Eamque me opinionem memini anno abhinc quadrageſimo in alma Batavorum apud Leidenſes Academia, inter ſelecta ex ſingulis pene diſciplinis pronunciata pro ſummi in philoſophia honoris laurea publicè tueri. Nempe in peripato compluribus annis educto ulterius ab ſectæ noſtræ principe abeundi deerat fiducia. Sed ſi liquidum eſt cælum, (quod Scripturis, & Platoni, priorumque aliis, ſanctis item Patribus, atque adeò experientiæ etiam, magis eſſe conſentaneum, inferius oſtendam) veriſimilius etiam ſit, planetas hoſce, dum Solem ambiunt, ſtante cælo per ſe moveri, cœlumque, avium inſtar, penetrare.

Cultus Mercurii eſt ab Oriente. Sed primitus Oriens per Mercurium potiùs Solem, imò quandoque & Lunam intellexit. Videlicet (ut Porphyrius ait apud Euſebium *a*) utriuſque λόγου, hoc eſt, tum rationis, tum orationis, ὁ Ἑρμῆς παραστατικός. *Mercurius eſt exhibitor ac repræſentator.* Sed Mercurio, ut rationem ſignat, ſedes data eſt in Sole; ut autem orationem notat, in Luna: unde idem ſubdit: Λοιπὸν δὲ ὁ συνθετὸς λόγος, ὁ μὲν ἐν Ἡλίῳ, Ἑρμῆς· Ἑκάτη δὲ, ὁ ἐν Σελήνῃ. *Cæterum cum id, quod Græcis dicitur* LOGOS, *compoſitum ſit ex ratione, & oratione:* LOGOS *quidem ille, qui in Sole eſt, propriè* MERCURIUS; *alter verò, qui in Luna,* HECATE *nominatur.* Nempe ratione & viribus antiſtare, convenit magis viris: facundiâ pollere etiam mulierum eſt: ut non injuriâ, quemadmodum & antea diximus, molli ea ac femineo ſideri tribuatur. Atque ibidem addit, ut Logos ille compoſitus Ἑρμόπαν dicatur; voceque ex Græco, & Ægyptio nomine conflatâ, Ἑρμάνουβις.

a Lib. 3 præparat. Evangel. cap. 11.

Interea & ſtellæ Mercurialis cultus erat apud Orientales; inter cæteros, Babylonis; qui eam coluere ſub nomine *Seches:* ſi rectè modò Heſychius: Σεχὲς, τοῦ Ἑρμοῦ ἀστὴρ Βαβυλώνιοι. *Seches, Mercurii ſtella Babylonii.* Sed fortaſſe *Seches* idem ac *Seſach:* ac à *Seches* dictum ſit Sacæorum feſtum. Verùm hoc Dianæ Anaitidi erat ſacrum, non Mercurio, ſive per eum Solem, ſive ſtellam Mercurii intelligas; quod maluit Heſychius. Vidimus de hoc cap. XXIII. Dixere & Orientales מרקולים, *Merkolis:* unde Latinum *Mercurius:* item vocarunt מַרְגֵּמָה, *Margemah:* quemadmodum de utroque poſtea patebit: uti & cur Græcis Ἑρμῆς, nuncupetur. Idemque iis Στίλβων vocatus; ut ex Latinis teſtantur Cicero, Hyginus, Appulejus, Capella: ex Græcis Ariſtoteles, vel alius de Mundo, Heſychius, & alii. Sic verò dictus, non quia lumen ſuum vibret, prout στίλβειν dicuntur ſtellæ fixæ; ſed ſimpliciter, quia ſplendeat. Nam & στίλβειν, λάμπειν, ut Heſychius exponit. In Edeſſena etiam regione, quæ eſt prope Euphratem, Μόνιμος vocabatur: uti iiſdem Mars Azizus. Qua de re ſic Julianus Cæſar, oratione quarta, quæ eſt in Solem: Οἱ τὴν Ἔδεσσαν οἰκοῦντες ἱερὸν ἐξ αἰῶνος ἡλίου χωρίον, Μόνιμον αὐτῷ, καὶ Ἄζιζον συγκαθιδρύουσιν. αἰνιττόμενος φησὶν Ἰάμβλιχος, παρ' οὗπερ καὶ τἆλλα πάντα ἐκ πολλῶν μικρὰ ἐλάβομεν· ὡς ὁ Μόνιμος μὲν Ἑρμῆς εἴη, Ἄζιζος δὲ Ἄρης, ἡλίου πάρεδροι, πολλὰ καὶ ἀγαθὰ τῷ περὶ γῆν ἐποχετεύοντες τόπῳ. *Qui Edeſſam inhabitant, regionem ab æterno Soli dicatam, Monimum, & Azizum, Solis aſſeſſores, & contubernales faciunt. Hoc ſic interpretatur Jamblichus (a quo & alia multa, ex multis pauca, accepimus) ut Monimus idem ſit ac Mercurius, Azizus verò Mars, utrique Solis aſſeſſores, qui in terras bona quamplurima transfundunt.* In eo tamen à Jamblicho, & Juliano, recedendum puto, quòd planetas Solis παρέδρους *a* Mercurium ac Martem faciant, cùm Mercurius, & Venus, ſoli circumeant Solem; ut initio hujus capitis dicebamus. Atque ut hoc neſcierit uterque, ſed Ptolemaicam ſententiam ſit ſecutus: ſic quoque πάρεδροι ſint Venus, ſive Heſperus, & Mars. Inter hos enim Sol medius eſt; non inter Martem & Mercurium; qui inferior eſt Venere.

a Aſſeſſores.

Quæ Mercurio tribuerint gentiles, indicat Seneca lib. IV de Beneficiis, cap. VII; ubi ait, Deum, & Naturam, vocari *Mercurium, quia ratio penes illum eſt, numeruſque, & ordo, & ſcientia.* Sed iſta prope ad omnia humana ſe extendunt. Ex quibus tria potiſſimùm conſtare Mercurii beneficio credebantur. Complexus ea eſt Cæſar commentario VI belli Gallici: *Deum maximè Mercurium colunt. hujus ſunt plurima ſimulachra: hunc omnium inventorem artium ferunt: hunc viarum atque itinerum ducem: hunc ad quæſtus pecuniæ mercaturaſque habere vim maximam arbitrantur.* De Gallis loquitur; ſed ex iis, quæ ſubjungit, facilè apparet, eandem ferè religionem his tribuiſſe, quam reliquæ gentes haberent. Primùm igitur videbimus, cur gentiles à Mercurio artes crediderint repertas. Deinde cur & mercaturæ præfecerint. Denique cur eundem putarint viarum præſidem.

Ex iis, quæ de Sole, & ejus cultu, fusè adeò proſecuti antea ſumus, liquidò perſpeximus; Solem habitum Deorum principem: quippe cor mundi, vitæ fontem; à quo etiam animis cælitus ſe in corpora inſinuantibus ingenii ſolertia, linguæ facundia, & tot alia bona, promanarent. Proximum ab eo honorem tribuerunt Lunæ; quia & magnitudine, & effectibus, maximè eſſet conſpicua. Hinc itum ad planetas, & propinquitate, & errore ſuo, magis notabiles. Eorum quo quiſque propior Soli, hoc magis ejus participat naturam. Itaque ex ſuperis planetis Mars magis Jove calidus eſt, & ſiccus; Jupiter magis Saturno: ut cap. proximo exponam. Ex inferis autem planetis Mercurius Soli ſimilior, quàm Venus. Longè quidem minor Mercurius eſt; quando Veneris ad terram cubicam proportio eſt ea, quæ ſenarii ad unum: at Mercurii ad eandem, ut XIX ad I. Verùm ut minor ſit Venere, Soli tamen vicinior eſt. Nam cùm Venus etiam ad XLVII gradus à Sole excurrat: Mercurii ſtella, cùm à Sole abit, apogæa quidem eſt intra XXIX gradus *b*, perigæa autem infra XVIII. Ab hac Solis vicinitate major eſt Mercuriali ſtellæ calor, major ſiccitas. Itaque Veneris quidem ſtellam ob moderatum calorem, & humorem, quæ ad generationem plurimùm habent momenti, præfecere amoribus: in quibus eſt generandi appetitus. At Mercurium, qui calidior ſicciorque, ac ſimile in nobis facit temperamentum, præfecere ingenio ac ſermoni: quia qui temperamenti ſunt calidioris ac ſiccioris, ſoleant eſſe ingenii ſolertis, judicii acris, diſerti, negotioſi, atque induſtrii. Vulgo ſtatuitur Mercurius à Sole remotior Venere. Notus verſiculus: *Cynthia, Mercurius,* &c.

b Keplerus epit. Aſtr. lib. 6, pars. 3.

Sed enim, qui ingenio, & facundiâ valent, dum ſunt generum: cùm alii ſint bonæ frugis, alii ad nequitiam animum applicent. Neutrum iſtorum Mercurio attributum, qui ad illa indifferens; unde *communis ſtella* dicebatur. Itaque Appulejus libro de Mundo: *Solis,* inquit, *comites, amœnus Lucifer, & communis Cyllenius ſtella.* Sed communis hæc vis ad alterutrum reſtringebatur à vicino planeta; qui ſi bonus foret ac ſalutaris, ſollertia & facundia ſe

exe-

exercebant in rebus honeſtis, & publico utilibus: ſin ſe noxio planetæ applicuiſſet, fiebant homines improbe verſipelles, & στρεψιμαλλοι ac vulpiones, ad alios, ac publicum, perdendum. Eam rem ſic explicat Servius in 1 Georg. *Sciendum ſane de planetis quinque duos eſſe noxios, Martem, & Saturnum; duos bonos, Jovem, & Venerem: Mercurius vero talis eſt, qualis ille, cui jungitur; unde etiam fingitur miniſter eſſe Deorum, quod eorum obtemperat poteſtati. Hinc eſt, quòd dicit: In quos cæli orbes erret Cyllenius ignis. Id eſt, utrum in Septentrionalem, aut in Auſtralem partem inclinetur: aut cui planetarum cohæreat, ut qualitatem Mercurii ex illo poſſis agnoſcere.* Similiter Joannes Saresberienſis Policratici ſui lib. II, cap. XIX: *Mercurius vero talis eſt, qualem vicini planetæ permiſerunt: cùm & ipſe convertibilis naturæ ſit, potentioribuſque cohæreat. Unde eum pleríque præſulem Eloquentiæ opinantur, eò quòd illa juncta Sapientiæ plurimum proſit; Malitiæ ſociata, noceat plurimum.*

Ab eo, quòd loquelæ, & eloquentiæ præeſſet, Ἑρμῆν dixere Græci. Nam ab ἐρῶ, id eſt, *dico*, Ἑρμῆς venit; unde ἑρμηνεύειν, *interpretari cogitationes latentes*: tum *ſero* pro *dico*: item *ſermo*. Nempe eâdem analogiâ ab ἐρῶ, *dico*, fit *ſermo*, ac ab εἴρω, *necto*, eſt εἱρμὸς, *ſeries*. Imò Scaliger *ſermo* ab εἱρμὸς deducit. Sed malim ab ἐρέω. Nam & ſpiritum tenuem quandoque abire in S, oſtendunt *ſudus* ab ἴδος; *ſequo* pro *dico*, ab ἕπω; unde ἔννεπε, *inſeque*, apud Livium Andronicum.

Quia loquelâ perficiunt rem nuncii, eò Mercurius *Deorum nuncius* a fingebatur. Hæc enim ſimpliciſſima ratio ejus appellationis videtur. Phurnutus addit, quia divinam voluntatem orationis præſidio cognoſcimus. Aliam etiam cauſſam ex Servio antea adduximus. Atque ex his eâdem videmus, cur Mercurium Homerus b διάκτορον ſive διάκτορα c appellet. Eidem, ut eſt apud eundem Phurnutum, aurata addidere talaria, quia veloces eſſe nuncios oportet. Sive etiam, quia ἔπεα πτερόεντα d, ſecundùm Homerum. Propterea & petaſo, non humeris, addidere alas; ut volucrem ſignarent ſermonem, qui à parte capitis proficiſcitur. Atque ob hanc etiam cauſſam Λόγιος dictus eſt, eique linguam ſacrificabant: de quo itidem Phurnutus; item Athenæus e, Suidas, & Apollonii ſcholiaſtes. Etiam Ariſtides in Platonicâ ſecundâ τὴν ῥητορικὴν vocat τοῦ Ἑρμοῦ δωρεὰν f. Unde etiam liquet, cur Lyſtrenſes, cùm SS. Paulus, & Barnabas, claudum ſanaſſent, utrique divinos exhibere voluerint honores; Barnabæ, ut Jovi; Paulo, ut Mercurio, quia dux eſſet verbi: quemadmodum legere eſt Act. XIV, 9.

a Horat. lib. 1, od. 10.
b Iliad. β.
c Miniſtrum, & internuncium.
d Verba alata.
e Lib. 1, cap. 9.
f Mercurii donum.

Vide autem, quàm ridiculis ſymbolis divinum τοῦ λόγου, hoc eſt, rationis, & orationis donum adumbrarint gentiles. Animi enim, & ſermonis contentionem intentis viri verendis expreſſerunt. Qua de re ſic Herodotus in Euterpe: Τοῦ δὲ Ἑρμέω τὰ ἀγάλματα ὀρθὰ ἔχειν τὰ αἰδοῖα ποιεῦντες, οὐκ ἀπ᾽ Αἰγυπτίων μεμαθήκασι, ἀλλ᾽ ἀπὸ Πελασγῶν, πρῶτοι μὲν Ἑλλήνων ἁπάντων Ἀθηναῖοι παραλαβόντες, παρὰ δὲ τούτων ὧλλοι. Ἀθηναίοισι γὰρ ἤδη τηνικαῦτα ἐς Ἕλληνας τελέουσι Πελασγοὶ σύνοικοι ἐγένοντο ἐν τῇ χώρῃ· ὅθεν περ καὶ Ἕλληνες ἤρξαντο νομισθῆναι. *Ut verò Mercurii ſtatuas facerent cum rigido ac porrecto veretro, non ab Ægyptiis, ſed à Pelaſgis, didicerunt: & primi quidem Græcorum omnium acceperunt Athenienſes, ab his autem alii. Nam ea tempeſtate Græcis aliis præſtabant Athenienſes: in quorum regione cohabitabant Pelaſgi: unde & cœpere haberi pro Græcis.* Myſticè eo vis ſermonis notabatur; ut Plutarchus nos docet; qui & addit, ſolere Mercurium manibus & pedibus mutilum effingi. Locus eſt, libro, An ſeni ſit gerenda Reſpublica; ubi ſenem, ait, poſſe eſſe immunem ab iis, quæ corpore obeuntur, ac ſufficere, ut conſilio valeat. Subdit inde: Διὸ καὶ τῶν Ἑρμῶν τοὺς πρεσβυτέρους, ἄχειρας καὶ ἄποδας, ἐντεταμένους δὲ τοῖς μορίοις, δημιουργοῦσιν αἰνιττόμενοι, τῶν γερόντων ἐλάχιστα δεῖσθαι διὰ τοῦ σώματος ἐνεργούντων, ἐὰν τὸν λόγον ἐνεργὸν, ὡς προσήκει, καὶ γόνιμον ἔχωσιν. *Propterea & Mercurios ſeniores, ſine manibus ac pedibus, rigido fingunt veretro; hoc obſcurè quaſi per ænigma innuentes, haudquaquam à ſenibus requiri, ut corporis miniſteria obeant; dummodo ratio iis, atque oratio, efficax ſit ac fœcunda.* Eodem refero illa Porphyrii apud Euſebium a: Ὁ δὲ ἐντεταμένος Ἑρμῆς δηλοῖ τὴν εὐτονίαν· δείκνυσι δὲ καὶ τὸν σπερματικὸν λόγον τὸν διήκοντα διὰ πάντων. Quæ ſic vertit interpres: *At Mercurius erecto quidem & intento corporis ſtatu, tum vim orationis contentionemque repræſentat; tum vero ſeminalem quoque oſtendit rationem cuncta permeantem.* Non videtur mentem cepiſſe Porphyrii. Cenſeo ego, vocem ἐντεταμένος b ſignificare, eum parte illâ tentum, quæ exinde Catullo c, & Horatio d, *tentum* nominatur. Nam valde hoc convenit cum illo, quod dicit Porphyrius, ſignificari eo λόγον σπερματικὸν, *ſermonem ſeminalem ac fœcundum.* Ἐντεταμένος igitur valet ἐντεταμένος τῷ μορίῳ e, ut Plutarchus hoc extulit; quemadmodum antea vidimus. Idem de faſcino refert Phurnutus: atque addit, juniores Mercurios cum languente faſcino efformatos, ad animi, & ſermonis, infœcunditatem in iis ſignificandam.

a Lib. 3 Præparat. Evangel. cap. 11.
b Extenti.
c Epig. ad Gellium.
d Epod. ad 12.
e Intentam habens eam partem corporis, qua viri ſumus.

Atque ex his ſatis eſt videre, quomodo, & quamobrem Mercurium præfecerint, ingenio, & ſermoni; & ut ab eo artes crediderint inventas, ad quas ſermone, vel ſollertiâ, opus eſt. Venio nunc ad alterum, cur negotiis, & quæſtui, præeſſe exiſtimarint. Hoc quoque ex iis, quæ expoſuimus, non obſcurè deducitur. Nam & ingenium ſubactum in mercatura requiritur; & commercia ſermone conſtant, ac eo ſæpe fraudulento; unde & Mercurius impoſtor, & fur fingitur. Gallus etiam ei victima erat, quia in mercatore exigitur vigilantia. Poſſis ab hac præfectura etiam nomen Mercurii arceſſere. Non multum enim à *Mercurio* abit מַרְכֹּלֶת f, *negotiatio*, à רָכַל, *negotiari, mercari.* Quod etymon placuit neceſſario ac propinquo meo, Joanni Brunæo J.C. Reip. Middelburgenſis Senatori ac Quæſtori, viro Orientalium linguarum peritiſſimo, nec aliis eo ſtudiis inferiori.

f Ezech. 28, 16.

Supereſt tertium, cur Mercurium etiam viarum fecerint præſidem. Planè videtur hic honos potiùs competere Mercurio, ut Solem ſignat, quàm ſtellæ Mercuriali. Solari enim lumine vias de die cognoſcimus; quod noctu præſtat Luna. Itaque ut Diana, quæ Luna, vocitata eſt Ἐνοδία: ſic dictus eſt Ἑρμῆς Ἐνόδιος, qui non alius ac Ἀπόλλων Ἀγυιεύς: quin verò Apollo Sol ſit, dubium non eſt. Putidius autem ſit, hanc viarum notitiam tribuere, non lumini Solari, ſed minutæ Mercurii ſtellæ, & rariùs apparenti. Atque hoc etiam dictum nobis cap. XIII. Interea nunc occurrit etiam ratio, quâ poſſis referre hoc decus ad Mercurii ſtellam. Nam hæc, ut paullo antè dicebamus, præerat loquelæ: at ut cogitationis ſymbolum eſt loquela, ita loquelæ ſignum eſt ſcriptura, vel aliud, quod eandem habeat vim. Quid mirum igitur, ſi & viæ monſtratio Mercurii ſtellæ ſit attributa, quando *Mercurium* fingerent formâ capitis humani impoſita lapidi quadrato, cui inſcriptum foret, quò via duceret. Ponebantur autem hujuſmodi Hermæ in biviis, triviis, quadriviis. Eoſque magnam partem facie truncavit Alcibiades; ut eſt apud Andocidem, oratione de Myſteriis habitâ, item Plutarchum in Alcibiadis vita. Ac quia caput Mercuriale imponeretur cubo, eo Mercurius τετράγωνος g dicebatur h. Ab eadem cauſſa eſt, quòd Mercurium vocarint lapidum congeriem. Iſidorus in Gloſſis: *Mercurii, lapidum congeries in cacumine collium.* Nempe viator quiſque in acervum mittebat lapidem, ut ſic creſceret, ac faciliùs viam monſtraret. Eaque lapidum congeries Mercurio erat ſacra, quia in via indicanda præſtaret vicem linguæ, quæ Mercurio ſacrata, uti inſtrumentum loquelæ, quæ Mercurii beneficium cenſebatur. Quam verò rationem gentiles ſint commenti de jactu lapidum à Deorum ſingulis, cùm Mercurius interemti Argi reus ageretur, eam ex Anticlide vide ſis apud Didymum ad Odyſſ. Π i, annotatione extremâ, quæ in illud eſt poëtæ:

Ἤδη k ὑπὲρ πόλιος, ὅθι Ἑρμαῖος λόφος ἐστίν.

Item apud Etymologici magni auctorem, voce Ἑρμαῖον, ubi Xanthum ejus hiſtoriæ laudat teſtem, Lydiacorum ſcripto-

g Quadrangulus, ſive quadratus.
h Phurnutus.
i Verſ. 471.
k Jam ad locum urbi imminentem, ubi Mercurialis eſt acervus.

ſcriptorem, Straboni, Plinio, Hephæſtioni, atque aliis etiam, memoratum. Ab hoc ritu proverbium eſt apud Hebræos: *Spargis lapidem in Merkolis*. De quo Druſius proverbiorum claſſe I, lib. II, prov. XXXIV. Sed Salomon pro *Merkolis*, ſive *Marcolis*, dixit מרגמה, *Margemah*. Locus eſt Proverb. XXVI, 8: *Sicut qui mittit lapidem in acervum Margemah, ſive Mercurii: ita qui tribuit inſipienti honorem*. Sententia eſt, non magis ex eo gratiam ſperandam, quod ſtultum honore augeas: quàm acervus lapidum Mercurii ſibi honorem habitum agnoſcit, ſi lapidem in tranſitu adjeceris. Perdere igitur beneficium, qui id conferat homini bruto ac inſipienti. Eos acervos dixere Ἑρμαίους λόφους, ut ait Didymus ſive alius ad Od. Π. Ἕρμακας vocat Nicander in Theriacis:

Τῶν οἱ μὲν λιθακάς τε, καὶ ἕρμακας, ἐνναίοντες.

Ferarum, inquit, *ſive ſerpentum alia in rupibus & lapidum cumulis habitantes, ſive deliteſcentes.*

Ubi ſic ſcholiaſtes: Ἕρμακας, ἀντὶ ἑρμαίους καὶ λιθώδεις τόπους· ἢ ἕρμακας, λίθους σεσωρευμένους εἰς τιμὴν τοῦ Ἑρμοῦ. HERMAKAS, *Mercuriales ac lapidoſos locos: ſive* HERMAKAS, *lapides concervatos in honorem Mercurii.* Hæc lapides jaciendi conſuetudo etiam obtinuit apud Indos, & Arabas: hodieque in uſu eſt apud Muhammedanos, non quaſi eam Muhammedes tradiderit, ſed quia apud Saracenos repertam non mutârit. Qua de re illuſtris eſt locus hominis Chriſtiani, ſed qui Arabicè adverſus Muhammedanos ſcripſerit. Ejus verba Latinè reddita legere eſt apud Vincentium Bellovacenſem lib. IV Speculi Hiſtorialis. Quæ licet jam adducta à Scaligero videam in V de Emendatione Temporum *a*, & Druſio in Hebræorum Proverbiis *b*, tandem tamen in animum induxi hoc etiam loco memorare. Sunt verò iſtiuſmodi: *Duarum Indiæ gentium, quæ vocantur Zechiam, & Albarachuma, antiqua conſuetudo fuit, nudos & decalvatos, magniſque ululatibus perſonantes ſimulachra dæmonum circumire, angulos quoque oſculari, & projicere lapides in acervum, qui quaſi pro honore Diis exſtruebatur. Inde eſt, quòd in libro Salomonis dicitur: Qui projicit lapidem in honorem Mercurii. Faciebant autem hoc bis in anno; Sole ſcilicet exiſtente in primo gradu Arietis, & rurſum, cùm eſſet in primo gradu Libræ: hoc eſt, initio Veris, & Autumni. Hæc ergo conſuetudo cùm ab Indis ad Arabes deſcendiſſet; eamque ſuo tempore apud Mecham in honorem Veneris Mahumed celebrari reperiſſet: ſic illam manere præcepit, cùm tamen cætera idololatriæ veſtigia removiſſet. Illud verò ſoli Veneri in illa celebratione dicitur exhiberi ſolitum, ut lapilli retro, id eſt, ſub genitalibus membris, projicerentur, eò quòd Venus illis maximè partibus dominetur. Unde id adhuc hodie fit in domo Dei illicita quam vocant.* Hactenus ille. Ex quo videmus ritum, qui à gentibus aliis in honorem Mercurii fieri ſolet, eum à Saracenis præſtitum honori Veneris. Cauſſa hujus rei, quantum video, etiam fugit homines erudiſſimos. Eam autem arbitror, quòd Orienti, ut ex Porphyrio antea diximus, Mercurius, quatenus rationis præſes, Sol crederetur; quatenus orationis, putaretur Hecate, ſive Luna, quæ & Venus Orienti. Cùm igitur gentes aliæ Mercurium colerent, quatenus Sol eſſet: Saraceni ſive Arabes coluere eundem, quaſi foret Venus ſive Luna: ut quam in præcipua dignatione haberent: unde hodieque eſt, quod uti Chriſtianorum in templis ac turribus crucem eſt videre: ita in illis Muhammedanorum conſpicere ſit Lunam corniculatam, quam *Helal* nuncupant.

a Cap. de primo Muharram Hegiræ.

b Claſſ 1, lib. 2, proverb. 34.

Quod verò dicebamus, Mercurium Orienti eſſe Solem: id in veteribus Celtis quoque locum habet. Ideo ſuperiùs eò etiam reducebamus Germanicum Mercurium *Wodan* dictum. Eodemque refero Teutatem: de quo egimus lib. I, cap. XXXVII, ac libri hujus cap. XIII. Item *Ermenſul*, ſive *Irmenſul*: cujus numinis mentio eſt in vita Karoli Magni, extremis Ludovici Pii temporibus ſcriptâ, atque à Pithœo editâ. Item in vetuſtis Francorum annalibus ab eodem editis, ad annum DCCLXXII, his verbis: *Carlus Saxoniam bello adgreſſus, Eresburgum caſtrum cepit, & idolum Saxonum, quod vocabatur* IRMINSUL, *deſtruxit.* Ubi *Irminſul* plerique qui proximis ſeculis vixerint, interpretantur *Mercurii ſtatuam*: ut ſit ex *Irmen*, ſive Ἑρμῆς *a*, & *ſuyle*, id eſt, *columna*. Aliqui quaſi *idermans-ſuyl*: hoc eſt, cujuſvis columna, ſive univerſalis, omniaque ſuſtinens columna. Poſterius eſt in Chronico Conradi à Lichtenau *b*: quo loco de origine Saxonum agit. Sed Albertus Crantzius, Saxoniæ ſuæ lib. II, cap. IX, eò magis inclinat, ut Mars fuerit: eoque interpretatur, *idermans-ſuyl*, hoc eſt, *Mars communis*: non quaſi *ſuyl* propriè eſſet Mars; ſed quia propriè eſſet *aſylum*, unde κατ' ἀφαίρεσιν *ſuyl*; pro aſylo autem eſſet ſtatua non Mercurii, ſed Martis: pro qua ſententia facit, quòd ſtatua illa eſſet Dei toto corpore armati. Etiam Georgius Fabricius in Saxonia ſua, cùm antea *c* dixiſſet, *Irmen-ſuyl* Mercurium eſſe; poſtea *d*, ſitne Mars, an Mercurius, ambigit. Interim, ne hæc quidem opinio caret controverſiâ. Nam quid ſi, quæ Georgii Spalatini erat conjectura, ſtatua hæc fuerit conſtituta Hermanno, ſive, ut Romani vocitabant, Arminio, inclyto, ac fortiſſimo Germaniæ heroi? Potuit ea ſtatua primitus eſſe poſita heroici honoris ergo, quæ poſtea ceſſerit in divinum: qualia ſuperiori libro aliquot retulimus exempla. Magis ſaltem hoc placet, quam ut dicatur, quaſi *irmen-ſtal*; atque hoc ſonet *Luni Dei ſtabulum*: prout derivat, ac exponit, magnum Hornæ ſuæ, ac totius Hollandiæ, ornamentum, Hadrianus Junius, Bataviæ ſuæ cap. VIII. Quod ſi de Arminio placet, mixto cultu in Arminio venerati ſint Martem, vel Herculem: cujus cultum eſſe Arminio vetuſtiorem, & Cæſare, & Tacito, non obſcurè cognoſcimus. Vide, quæ diximus lib. I, cap. XXXVII. Sed eſto ſanè, ut, quemadmodum communior eſt opinio, *Irmen-ſuyl*, ſit Irmi, ſive Hermæ, hoc eſt, Mercurii ſtatua, vel aſylum: non tamen hoc loco tam Mercurii ſtellam intellexerint, quàm Solem: cujus rei cauſſæ ex illis petendæ, quæ primo dicebamus libro: videri poteſt & lib. II de Vitiis ſermonis, cap. XX.

a Mercurius.

b Pag. 103. edit. Baſil. an. 1569.

c Pag. 93.

d Pag. 426.

Atque ex his eâdem dilucet, quid judicii quoque ferri debeat de ara Mercurii à Gandavenſibus, poſtquam eos S. Amandus converterat, dejecta: ut in S. Bavonis vita refert Theodericus, abbas S. Trudonis. Item liquet inde, quid ſtatui debeat de Mercurii ſimulachro in Walachria, quod S. Wilibrordus ſive Clemens deſtruxit; ut eſt apud Bekam in ejus vita: ac rei ejuſce meminit quoque Alcuinus in vita ejuſdem; ſed contentus eſt vocare *antiqui erroris idolum*. Id ſimulachrum fuiſſe Weſtcapellæ Walachriæ in Zelandia pago, conſtat ex Chronico vetuſto, Belgicis rhytmis conſcripto: item Chronico eâdem lingua Goudæ in Batavia excuſo, anno CIƆCCCCLXXXVIII. Uterque autem eorum ait, Mercurii fuiſſe. Jacobus Eindius, Haemſtedæ dominus, in Chronico Zelandiæ lib. II meminit Chronici MSi in bibliotheca Corbejenſi, interque libros indice Expurgatorio prohibitos adſervati. Unde hæc verba adducit: *Teſtes quoque ſunt Eccleſiæ, quas per ſingula loca conſtruxit. Et ſicut Wallacriæ idolum Mercurii, Walcher, nomine, rejecit, Eccleſiam Dei conſecravit; ut illic Weſtcapellis, ubi idolum adhuc oſtenditur, patet.* Ubi videmus, ut in Walachria idolum Mercurii *Walcher* nominatum dicat. In quo ſi non fallit, rectè conjectat Eindius, Mercurio id nomen fuiſſe ex eo, quia tutela illi inſulæ ſive litorum eſſet commiſſa. Nam quid *Walcher* aliud ac *Wal-heer*, hoc eſt, *litorum potens*, ſive dominus litoralis? Quippe *Walle* eſt agger aquis oppoſitus; item litus, ripa, ſive crepido aquæ.

Atque hæc de Mercurii apud gentes tam varias cultu, quatenus non ἱστορικῶς, prout primo ſpectavimus libro, ſed φυσικῶς conſideratur: quomodo, ut vidimus, nunc per eum Solis ſidus, nunc Mercurii ſtella, intelligitur: quandoque item ratio ſignatur, vel oratio; atque ut quando rationem ſignat, in Sole; ita, quando orationem denotat, in Luna ejus vis collocetur.

Cap. XXXIII.

Acceditur ad tres planetas ſuperiores: quorum varia hîc nomina exponuntur. Nempe ut Saturnus etiam dictus ſit Phænon, *&* Lampon; *Jupiter*, Phaëthon; *Mars*, Pyroïs. *Præterea ut Saturnus crederetur* Nemeſis; *Jupiter*, Oſiris; *Mars*, Hercules, *vel* Thurras. *De his allata veterum teſtimonia: ex quibus etiam elucet de planetis duobus ſuperiori capite memoratis: puta ut Mercurius non ſolùm ſit* Stilbon *dictus; ſed etiam habitus ſit* Apollo: *atque ut Venus non modò vocaretur* Phoſphorus, *ſive* Lucifer, *aut* Veſper, *ſeu* Heſperus; *ſed etiam* Juno; *imò & appellaretur* Calliſtus, *puta* Alter. Ἄρεως *etyma, unum è Græco; geminum ex Hebræo:* Martis *item unum ex Græco; atque ex Hebræo fonte duplex.* Μαζεύς. *In Feſto Pompeio conjectura.* Mundus, *pro puro, unde derivatum videatur.* Heſus *Germanis Mars: unde dies, qui vulgo Martis, Germanis eſt* hiiſ-dag, *vel* diiſ-dag. Heſium *oſtium, & oppidum* Hilæ, *etymo conveniunt.* Erich-dag. *Jupiter eidem genti* Taranis *ſive* Taran, *& fortaſſe etiam* Tanar, *ex quo* Donner, *unde* Donnerſdag. *Saturnus iis* Krod; *& ut hoc ex eius figurâ collegerint.*

SUperſunt tres planetæ ſuperiores Sole; Mars, Jupiter, Saturnus: quorum priùs varias conſiderabimus appellationes: poſtea autem vires & effectus, quibus diſtinctos in Diis honores ſunt conſecuti.

Nomina iis etiam in Oriente ſunt diverſa. Quod de Iovis ſtella oſtendit Heſychius: Μολοβόβαρ, Διὸς ἀστὴρ παρὰ Χαλδαίοις *a*. Sed pro μολοβόβαρ legendum, Μολὲχ βαὰλ, &c. Nec mirum, ſi Moloch dicatur Iovis ſtella, licet potius de ſtella Saturni dici ſoleat. Nam Saturnus, & Jupiter, idem numen Orienti; nempe Solis: ſed Aſtrologi varia unius Solis nomina partiti ſunt inter planetas. Par ratio apud Græcos, & qui hoſce ſequuntur, Latinos. Paucis id oſtendit Martianus Capella lib. VIII: *Saturnum Phænona vocant; Iovemque Phaëtonta; Pyroenta Martem.* Quibus de reſiduis duobus ſubjungit: *Venerem Phoſphorum, Mercurium Stilbonta nominarunt.* Sed quæ paucis ille, hæc pluribus alii: quorum verba apponam. Agmen ducat, ob magnitudinem nominis, Ariſtoteles, ſive potiùs alius de Mundo: Συνεχὴς δὲ ἐστὶ ἀεὶ ταύτην τὴν θέσιν, ὁ τοῦ Φαίνοντος ἅμα, καὶ Κρόνου καλούμενος κύκλος. ἐφεξῆς δὲ, ὁ τοῦ Φαέθοντος, Διὸς λεγόμενος. εἶθ᾽ ὁ Πυρόεις, ὃ Ἡρακλέους τε, καὶ Ἄρεος προσαγορευόμενος. ἑξῆς δὲ ὁ Στίλβων. ὃν ἱερὸν Ἑρμοῦ καλοῦσιν ἔνιοι, τινὲς δὲ Ἀπόλλωνος· μεθ᾽ ὃν ὁ τοῦ Φωσφόρου, ὃν δὲ Ἥρας προσαγορεύουσιν· Quorum ſententiam ſic expreſſit Appulejus *b*: *Hic Phænonis globus, quem appellamus Saturnum: poſt quem Phaëton ſecundus eſt, quem Iovis dicimus: & loco tertio, Pyrois, quem multi Herculis, plures Martis ſtellam vocant. Hanc ſequitur Stilbon, cui quidam Apollinis, cæteri Mercurii, nomen dederunt. Quintus Phoſphorus, Junonia, imò Veneris ſtella cenſetur.* Similiter Julius Firmicus lib. II, cap. II. Deque Saturno, Iove, Marte, Geminus, εἰσαγωγῇ εἰς τὰ φαινόμενα. Sed inſignis etiam eſt locus Achillis Tatii in Iſagoge ſua: Αἰγυπτίοις γὰρ, καὶ Ἕλλησι, ὁ τοῦ Κρόνου ὁ ἀστὴρ, καί τοι ἀμαυρότατος ὢν, Φαίνων λέγεται. ἀλλὰ παρ᾽ Ἕλλησι μὲν κατὰ τὸ εὔφημον λέγεται οὕτω· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις Νεμέσεως ἀστήρ. Δεύτερος ὁ Διὸς καθ᾽ Ἕλληνας Φαέθων· κατὰ δὲ Αἰγυπτίους Ὀσίριδος ἀστήρ. Τρίτος ὁ τοῦ Ἄρεως παρὰ μὲν Ἕλλησι Πυρόεις· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις, Ἡρακλέους ἀστήρ. Τέταρτος ὁ τοῦ Ἑρμοῦ, ὃ καλεῖται παρὰ μὲν Ἕλλησιν Στίλβων· παρὰ δὲ Αἰγυπτίοις, Ἀπόλλωνος ἀστήρ. Πέμπτος ὁ τῆς Ἀφροδίτης, παρὰ μὲν Ἕλλησι, Ἑωσφόρος· πρῶτος δὲ Ἴβυκος εἰς ἕνα συνέστησε τὰς προσηγορίας. *Ægyptiis, & Græcis, Saturni ſtella, utcunque obſcuriſſima ſit, Phænon, hoc eſt, lucidiſſima dicitur. Sed Græcis ſic quidem boni ominis cauſſa vocatur: ab Ægyptiis verò Nemeſis ſtella nominatur. Altera eſt ſtella Iovis, ſecundùm Græcos Phaëthon, Ægyptiis verò ſtella Oſiridis. Tertia eſt Martis, ſecundùm Græcos Pyrois, at Ægyptiis Herculis ſtella. Quarta eſt Mercurii, quæ Græcis dicitur Stilbon, Ægyptiis ſtella Apollinis. Quinta eſt Veneris, Græcis Lucifer. Primus Ibycus appellationes has in unum redegit.* Sed de Saturno, & Venere, paulò aliter Faſti Siculi ſive Chronicon Alexandrinum *a*: Ταῦτα δὲ ἀρχαῖα καὶ παλαιὰ βασίλεια τῶν Αἰγυπτίων Μανεθὼ συνεγράψατο. Καὶ ἐν τοῖς συγγράμμασιν αὐτοῦ ἐμφέρεται, ἄλλως λέγεσθαι τὰς ἐπωνυμίας τῶν πέντε πλανητῶν ἀστέρων. Τὸν γὰρ λεγόμενον Κρόνου ἀστέρα ἐκάλουν τὸν Λάμποντα· τὸν δὲ Διὸς τὸν Φαέθοντα. τὸν δὲ Ἄρεως, τὸν Πυράδη*, (leg. τὸν Πυρόεντα) τὸν δὲ Ἀφροδίτης τὸν Κάλλιστον· τὸν δὲ Ἑρμοῦ τὸν Στίλβοντα. *Hæc verò antiqua ac vetuſta Ægyptiorum regum palatia Menetho* (ſive Manetho) *deſcripſit. In cujus commentariis refertur, aliâs fuiſſe cognomina erraticarum quinque ſtellarum. Saturnum enim vocabant Lampontem; Iovem, autem, Phaëthontem; Martem dixere Pyroenta; Venerem, Calliſtum; Mercurium autem, Stilbontem.* Quod autem Venerem ſive Heſperum aliter, Κάλλιστον, hoc eſt, *Pulcherrimum* ait vocatum, id metuo ne profectum ſit ex verſu hoc Homerico *b*, ſuperiùs *c* etiam adducto nobis:

> Ἕσπερος, ὃς κάλλιστος ἐν οὐρανῷ ἵσταται ἀστήρ.
>
> *Heſperus æthereo longè* PULCHERRIMUS *orbe.*

Quod verò Appulejus, & Græcus ille, quem liberiùs tranſtulit, ſcriptor, eandem ajunt ſtellam eſſe Herculis, & Martis, idem legas apud Macrobium lib. I Saturn. cap. XII: *Salios autem Herculi, ubertate doctrinæ altioris, adſignat Virgilius: quia is deus, & apud pontifices, idem, qui & Mars, habetur. Et ſanè ita Menippea Varronis affirmat, quæ inſcribitur,* Ἄλλος οὗτος Ἡρακλῆς *d. in qua cùm de Hercule multa loqueretur, eundem eſſe & Martem probavit. Chaldæi quoque ſtellam Herculis vocant, quam reliqui omnes Martis appellant.* Unde colligimus, non modò Herculem pro Solis ſidere; ſed etiam pro Martis ſtella; accipi ſolere. Babyloniis ſtella Martis vocata Θοῦρας: indeque nomen hoc accepit rex Aſſyrius, qui Nino ſucceſſit: ut ex Chronico Alexandrino diximus lib. I, cap. XVI. Sic ſæpe vocatur à Dorotheo Sidonio poëta, nunc ἀνθεπικῶς Θοῦρος Ἄρης, nunc ἁπλῶς Θοῦρος. Cui & Jupiter Φαέθων, Mercurius Στίλβων, Saturnus Φαίνων. Vide Salmaſium Exercitationibus in Solinum *e*.

Ἄρης verò Græcis dictus, ſi Suidam audimus, ab α στερητικοῦ, & ἐρέω, ſive *dico*, ὅτι ἐν τῷ πολέμῳ οὐ λόγων, ἀλλ᾽ ἔργων χρεία· *quoniam in bello non verbis, ſed opere eſt opus.* Quod & illud Homeri *f* confirmat:

> Ἐν γὰρ χερσὶ τέλος πολέμου· ἐπέων δ᾽ ἐνὶ βουλῇ.
>
> *In manibus eſt finis belli; verborum autem in conſilio.*

Sed veriſimilius eſt, Ἄρης originem ducere à fonte Hebræo. Puta à הָרַם, *deſtruere*, vel à עָרִיץ, hoc eſt, *terribilis, validus*: ut diximus lib. I, cap. XXII; ubi & ab eo Ἄρης derivavimus. Eſt verò עָרִיץ, ab עָרַץ, *frangere, prævalere, terrere*: unde in Hiphil הֶעֱרִיץ, à quo *Mars* fuerit. Niſi malis à עָרַץ, *validum ac potentem eſſe*: quod etymon adduximus libri hujuſce cap. XIII. Nempe id eo amplectebamur, quòd duriùs videretur deduci ab Ἄρης, quia ſic M apponi initio ſit opus. Sed fortaſſe nulla ſit opinio hac veriſimilior. Nam Romani à Phrygibus oriundi: Phryges autem literam μ, vel etiam ſyllabam μα, præmittere ſolent. Unde pro Ζεὺς dixere Μαζεύς. Heſychius: Μαζεὺς, ὁ Ζεὺς, παρὰ Φρυξί. *Mazeus eſt Zeus, ſive Jupiter, ſecundum Phryges.* Ac videntur in magna Græcia ſimiliter pro Ζῆν, ſive Ζὰν, dixiſſe μηζὰν, vel μαζάν. Suſpicionem eam injiciunt verba Feſti in October: *Salentini*, inquit, *apud quos Menzana Iovi* (equus) *dicatus vivus conjicitur in ignem.* Ubi pro *Menzana*, puto *Mazani*, vel *Mezani*, legendum. Niſi Ζανᾶς ideo dixerint pro eo, quod Dorum aliis ζάν. Quod ſi placet, rectum erit apud Feſtum *Mazana* vel *Mezana*: ac ſolùm unius liquidæ additione peccarint librarii. Saltem hoc probabilius, quàm ut legamus, *Manzane*, hoc eſt, μηνὶ Ζανᾶ, *menſe*

a Iovis ſtella, Chaldæis.

b Lib. de Mundo.

a P. 109.

b Il. χ.

c Cap. 31.

d Alius hic Hercules.

e Pag. 1235.

f Iliad. π, verſ. 630.

Iovis: quæ Scaligeri ad Feſtum erat conjectura. Nec in Phrygiis ſolum μ capiti apponitur; ſed etiam Græcis, & Latinis. Sic dixere ὄσχος, & μόσχος. Galenus in lexico Hippocratis: Ὄσχος γὰρ καὶ μόσχος, τὰ κλήματα, καὶ αἱ ἕλικες. OSCHOS *enim*, & MOSCHOS *palmites*. Ab *unda* etiam *mundus*, & *mundare*: ut propriè ſit ſordes unda abluere: quomodo & Belgis *waſſen*, hoc eſt, *mundare*, *lavare*, fit a *waſſer*, hoc eſt, *aqua*.

Sed quia Græcas Romanaſque appellationes excuſſimus; nominibus etiam, quibus Germani tres hoſce errones vocarint, videamus.

Martem dixere *Heſum*; ut colligere eſt ex illo Lucani lib. I:

—— *Horrenſque feris altaribus Heſus.*

Quippe, ut Jornandes ait libro de rebus Geticis: *Martem ſemper aſperrimâ placavere culturâ. nam victima ejus mortes fuere captorum.* Et ante eum Procopius ſimiliter in II rerum Gothicarum; ubi de Thules, ſive Scandinaviæ (ſic enim cepit) incolis, hunc in modum ſcribit: Τῶν ἱερείων σφίσι τὸ κάλλιστον ἄνθρωπός ἐστιν, ὅνπερ ἂν δοριάλωτον ποιήσαιντο πρῶτον. τοῦτον γὰρ τῷ Ἄρει θύουσιν, ἐπεὶ θεὸν αὐτὸν νομίζουσι μέγιστον· *Hoſtiarum illis pulcherrima eſt homo, quem bello primum ceperint. Hunc verò ſacrificant Marti, quoniam illum Deorum cenſent maximum.* Porrò quem Romani *Heſum* extulere, is Germanis, abſque terminatione Romana, fuit *Hees*, vel *Hies*, vocali variatâ: ut Rheni oſtium, quod Romanis *Helium*, id Batavis *Hiel*; unde pagus *Wiid-hiel*, ubi latiùs Helus ſeu Hilus fluit: item *Bree-hiel*, unde contractum *Briel*; oppidum Brilæ ad Helium oſtium, quaſi dicas latum Helum ſeu Hilum. Similiter igitur. *Heſus* vel *Hiſus*: unde *hiſes-dag*, & contractè *hiiſ-dag*; qui Romanâ linguâ *Martis dies*. Vulgò uſitatius, *t*, vel *d*, ut in aliis multis, præmiſſo, *thiiſ dag*, vel *diiſ-dag*. Niſi malis fuiſſe priùs *chiiſ-dag*, à *Cheſus*, ſeu *Chiſus*. Nam olim H & CH, variabant, haut ſecus ac S & T: unde iidem, pro diverſâ dialecto, *Catti*, *Chatti*, *Heſſi*. Nonnullis etiam gentis Germanicæ Martis dies dicitur *Erich-dag*: cujus vocabuli pars prior magnam habet convenientiam cum Græco Ἄρης *a*, vel ἔρις *b*.

a Marſ.
b Lis. contentio.

Interim Germani, non ut Romani, Martis nomine ſidus Martis; ſed, ut cenſeo, Iovem, vel Apollinem, intellexere: uti per Mercurium quoque non ejus nominis planetam; ſed Iovem, & Apollinem, hoc eſt, Solem, vel cælum, deſignabant. Hæc ſatis cognoſcere eſt ex iis, quæ de Marte, & Mercurio dicebamus cap. XIII, & XXXII. Tam Martem verò, quàm Mercurium, à Germanis fuiſſe cultum, etiam oſtendit Tacitus lib. XIII Annal. *Sed bellum Hermunduris proſperum; Cattis, exitio fuit; quia victores diverſam aciem Marti ac Mercurio ſacravere: quo voto equi, viri, cuncta victa, occidione dantur.*

Martis templum variis Germaniæ locis, & vicinarum regionum, fuit. In his Dureſtadi: de quo B. Marcellinus presbyter in vita S. Suiberti, qui S. Willebrordi σύγχρονος *c* fuit. Ipſum adi apud Surium *d* Kal. Mart. Hungaris quoque Mars, & Hercules, pro Diis habebantur: ut refert Bonfinius Hungaricarum rerum lib. XI *e*.

c Æqualis.
d Pag. 14.
e P. 201. edit Oper. 1568.

Jupiter Celtis veteribus *Taranis*, quaſi βροντᾶον, ſeu *Tonantem* dicas. Nam hodieque Cambro-Britannis, ſive Wallis, tonitru vocatur *taran*. Quod, trajectis ultimis duabus conſonis, foret *tanar*. Sed Saxones pro eo *donner*, aliqui *tonner*: Batavi, & vicini Belgæ, *donder*: unde Iovis dies *donnerſ dag*. Imò ex *Taran* κατ' ἀφαίρεσιν fecere & *Tor*, ſive *Thor*: quem tonitrui ac fulmini præſediſſe, docet Ericus Olaus Hiſtoriæ Suecicæ lib. I, cap. I: *Thor*, inquit, *tanquam potentiſſimus & ſummus Deorum, in medio, & aliis altior, reſidebat, imagine viri nudi, dextrâ quidem ſceptrum, ſiniſtrâ vero ſeptem ſtellas praſeferentis, inſignis.* Et mox: *Pro pluviis, & aura neceſſaria, invocabat Thorum, tanquam potentem in ſublimi: cujus etiam patrocinio ſe ſperabant ab incommodis impreſſionum, tonitru ac tempeſtatibus, fulmine grandineque, conſervari: cui ſingulis hebdomadis quinctâ feria per deputatos ſacerdotes ſacrificia offerebat* (Suecorum populus) *à quo erat dies illa dicta Thorſdag.* Valde autem latè Germaniâ totâ, & omni Septentrione, Iovis patuit cultus. Mitto quòd Hammonem Iovem aliqui ab Hamburgenſibus cultum arbitrantur: de quo meritò ambigit Crantzius in Saxonia lib. II, cap. XVI. Illud apertiùs, Iovi, Marti, Bellonæ, & Plutoni, aſino litâſſe Bohemos; quod indicat Coſmas Pragenſis, in Chronico Bohemico *a*. In Suecia etiam Iovem cultum, liquet ex iis, quæ de eo, & malleolis Iovialibus, prodit Saxo Grammaticus lib. XIII *b*. Sed omnes infimæ vetuſtatis auctores de talibus perſequi, longum foret.

a Pag 8. edit. Hanov. ann. 1602.
b Fol 125. a. edit. Aſcenſ.

Celtis etiam cultum eſſe Saturnum, teſtis eſt Dionyſ. Hal. lib. I Antiq. Rom. Et Ciceronis eſt in III de Nat. Deorum: *Saturnum vulgo maximè ad Occidentem colunt.* Sed, quomodo dixerint eum Celtæ, non ſatis liquet. Aliqui *Satar*, vel *Sater* vocatum, ex eo conjectant, quia nobis ſeptima feria *Saterdag* dicatur. Sed fortaſſe hæc appellatio eſt ex Latino *Saturni* nomine. Sunt quibus videatur nominatus *Krodo*: ut Crantzio lib. II Saxoniæ ſuæ, cap. XII: ubi hoc numen Hartesburgi in Saxonia venerationi fuiſſe ait. Sanè & apud Saxonem Grammaticum lib. I hi Saxonum Dii referuntur; Crodus, Hama, Irmus, Flinnus, Siba. Ex quibus, quod de Crodo ait Crantzius, eo confirmatur, quòd Saturno, temporis præſidi, videatur convenire illa Crodi, ſive Crodonis effigies, quam Georgius Fabricius proponit lib. I Originum Saxonicarum *c*, his verbis: *Qui gentis annales ediderunt, numen populare memorant, Crodum quendam, meſſoris ſpecie, qui cinctum lineum geſtat, dexterâ ferens vaſculum roſis repletum, ſiniſtrâ erectâ rotam currus. Pedibus nudis inſiſtit piſci ſquammoſo & aſpero, quem percam vocamus.* Hanc ſtatuam, & alias aliorum numinum, dejeciſſe memoratur Carolus M. Suſpicor autem, Saxonas accepiſſe hoc numen à Græcis, Iſtri accolis: atque ut *Irmus* eorum videtur eſſe ex Ἑρμῆς, ita & nomen *Crodi* corruptum eſſe ex *Croni*. Κρόνος enim ſive Saturnus, quo Tempus ſignatur, Græcis etiam, ac Romanis eſt Deus falciger: &, ut mittam cætera, rota currus optimè exprimit, quàm volubile ſit tempus: unde & vitam humanam ſcitè Anacreon rotæ comparavit:

c Pag. 61.

Τροχὸς ἅρματος γὰρ οἷα,
Βίοτος τρέχει κυλισθείς·
Rota nam velut curulis,
Properat volucris ætas.

Hæc de ſuperorum trium erronum nominibus. Quod ſi etiam animus eſt nôſſe, unde profectæ ſint figuræ, quibus ab Aſtrologis ſignantur: adi Solinianas Salmaſii Exercitationes: ubi eruditè, ut ſemper, vulgarem de iis refellit opinionem, figuraſque uſitatas manâſſe docet ex initio nominum, quibus vocari ſolent: nempe Saturni ex Κρόνος, vel Φαίνων: Martis ex Θοῦρος, vel Θοῦρας: Iovis ex Ζεύς: Veneris ex Φωσφόρος: Mercurii ex Στίλβων. Quæ ſic à nobis jejunè, & aridè nimis dicuntur. Sed conſultus vir maximus facilè famem explebit.

CAP. XXXIV.

Martem, Iovem, Saturnum, prout à Sole propiùs, vel longiùs, diſtant, ita magis minuſve calefacere. Martem videri nobis quandoque propiorem ipſo Sole. Cur belli Deus habitus, & præcipuè præfectus Thracibus, ac Scythis. Cur Septentrionales robore, Auſtrales ingenio, plurimùm præſtent. Quando Mars crudeles faciat, ac tyrannos. Cur aliæ gentes magis aliis colant Martem, & Venerem, juxta Ptolemæum. Iovis magnitudo, ac ſublimitas: & cur ei fulminum poteſtas præcipuè attributa: & appellationes, quibus propterea à Pindaro, & aliis, ornatur. Unde Iovis Ægiocho, & mari Ægæo nomen. Iovis vis in elementa, ac homines. Abſurda Albumaſaris, & Aponenſis opinio, putantium a conſtitutione Iovialis ſtellæ dependere, ut certò exaudiantur divinitus, qui ſapientiam expoſcunt.

ſcunt. Cur Saturni motus, cùm velociſſimus ſit, tardus dicatur. Cur fingatur Jupiter Saturnum vinxiſſe, atque ita præcipitâſſe in Tartara. Cur Saturnus creditus ſit animis hominum indere vim ſublimium ſpeculatricem; poſteaque, ſi ſapienter ſe geſſerint, eò, unde dimiſſæ ſunt, revocare. Sedendo melius judicari, deliberari, ac ſacris etiam dari operam. Cur Saturnus ſit præfectus atræ bili, ſpleni, oſſibus, quartanæ, phthiſi, & id genus morbis; imò agricolis, & horum inſtar melancholicis; etiam indignationi. Cur octimeſtris partus non ſoleat eſſe vitalis. Cur Orientales, & Auſtrales, credantur præcipuè coluiſſe Saturnum, ac Venerem. Cur dies hebdomadis à planetis nomen acceperint ordine longè alio, quàm obtinent in cælis. Ritus faſcinantium in lamina corpori alliganda. Quatuor planetæ Iovem ambientes, veteribus incogniti: duo item aſſiſtentes Saturno, iiſdem ignoti. Interim Phavorino jam olim non abſurdum eſſe viſum, ſi plures eſſent planetæ, quàm putaretur vulgo.

NUnc videamus de eorundem viribus, & effectibus. De quibus ſic Vitruvius lib. VI, cap. I: *Iovis ſtella inter Martis ferventiſſimam, & Saturni frigidiſſimam, media currens temperatur.* Quod pleniùs explicatur ab eodem lib. IX, cap. IV: *Eſſe autem alias ſtellas temperatas, alias ferventes, etiamque frigidas, hac eſſe cauſſa videtur, quòd omnis ignis in ſuperiora loca habet ſcandentem flammam. Ergo Sol, æthera, qui eſt ſupra ſe, radiis exurens, efficit candentem; in quibus locis habet curſum Martis ſtella: itaque fervens ab ardore Solis efficitur. Saturni autem, quod eſt proxima extremo mundo, tangitque congelatas cæli regiones, vehementer eſt frigida. Ex eo Iovis, cùm inter utriuſque circuitiones habeat curſum, à refrigeratione, caloreque eorum medio, convenientes temperatiſſimoſque habere videtur effectus.* Addam de iiſdem non ita multò juniorem C. Plinium lib. II, cap. VIII: *Saturni ſidus gelidæ ac rigentis eſſe naturæ: multoque ex eo inferiorem Iovis circulum, & ideo motu celeriori duodenis circumagi annis. Tertium Martis, quod quidam Herculis vocant, ignei, ardentis à Solis vicinitate, binis ferè annis converti. Ideoque hujus ardore nimio, & rigore Saturni, interjectum ambobus, ex utroque temperari Iovem, ſalutaremque fieri.* Videmus, ut varios trium erronum effectus (ac par aliorum planetarum ratio eſt) tribuant calori, & frigori; humori, ac ſiccitati: quibus humanum etiam corpus, ac ingenium, vel vegetum fiat, vel torpidum & ſegne. Alii negant, conſiſti poſſe in qualitatibus primis: quippe altius eſſe penetrandum ad qualitates earum latentes, ſive proprietates occultas. Siderum enim colorem diverſum eſſe, non ob Solem diverſum, ſed ob variam ſtellarum conditionem: pro qua conditione tam diverſa, diverſo etiam colore imbuantur à Sole; aliter, etiam, atque aliter influant in ſublunaria.

Sed de particulari influendi ratione videbimus in fato Aſtrologico: nunc conſiderabimus ea, quorum ratio ex qualitatibus primis reddi poſſe videatur. Ordior ab eo, qui Soli eſt proximus; eoque ejus imprimis participat naturam. Is eſt Mars: quo nomine etſi etiam ſignetur Jupiter Ἄρειος, ſive *Martius*, vel *pugnax*; cui ſacrificari ab Epirotarum regibus ſolet; ut eſt apud Plutarchum in Pyrrho: nunc tamen vocabulo hoc non intelligo Iovem Martialem, hoc eſt, Solem; quem & Iovem, & Martem eſſe, antea probavimus: ſed ſtellam erraticam, Sole quidem ſuperiorem; Iove autem, & Saturno, inferiorem. Hujus ſtellæ ea proportio eſt ad terram, quæ eſt trium ac decem ad unitatem: à terræ verò centro diſtat ſemidiametris hujus 1176, cùm proximus eſt: at, quando remotiſſimus eſt, ſemimetris 8232, ſecundùm Junctinum *a*. Tycho Braheus in epiſtola ad Chriſtophorum Rhotmannum *b* refert, ſe anno CIↃ IↃ LXXXII ſubtili & accurata inquiſitione obſervâſſe, Martem acronychum terris Sole ipſo fuiſſe propiorem: quod Ptolemaicis hypotheſibus in ſcholas receptis magnopere adverſatur. Dixeris cum Tannero *a*, & aliis, Tychonem in eo deceptum videri; quia ſic conſequatur, profundè ingredi orbem Solis. Sed Tychonis ſententiam de Marte, cœlum Solis pervadente, certatim variis propugnari terris, verè ait Chriſtophorus Scheiner Roſæ Urſinæ lib. IV, parte II, cap. XXIX.

a In ſphæram Ioan. Sacr. c. 1. pag. 295, edit. Lugd. Sed apud Merſennum in Gen. 1, 10, col. 872, perperam pro eo expreſſum eſt 61176.

b P. 149. epiſtol. Aſtronom. Tych. Br.

a Diſſertatione de Cœlis, quæſt. 7, §. 6.

Rutilum hoc, & ſanguineum ſidus colore ſuo ſatis arguit calorem, & ſiccitatem ſuam, qua bilem accendit: unde iræ, ac bella, & animi ardor, ac robur: quæ & cauſſa eſt, cur belli Deus credatur. Eò & Thracibus, ac Scythis, præeſſe exiſtimatus. Sunt enim hæ gentes plurimùm ingenio inferiores; ſed robore ſuperiores: cujus ratio eſt, quod ſub frigido axe membra quidem indurentur ad quidvis tolerandum: ſed, ob concluſum interius calorem, habeant ſanguinem craſſiorem; contra quàm uſu venit auſtralibus: quippe quibus in calore illo externo ſanguis & ſpiritus ſit ſubtilior; unde & ingenio ac ſapientia prævalent.

Porrò à Marte quidem eſt animi ardor, & vis Herculea: ſed quæ ad virtutem valeat, ſi benigno ſidere juvetur. Sin Mars ſit infeliciter diſpoſitus, flava bilis nimis exæſtuat; eoque creditur facere crudeles, & injuſtos, & ſi ambitio acceſſerit potentiæ, impotentis animi tyrannos.

Mirificum verò, quod Ptolemæus tradit in ſecundo Apoteleſmatum, illis, qui inter Meridiem & Occaſum degunt, eò Martem & Venerem pro numinibus præcipuè haberi, quia ambo ſubjiciantur triplicitati humidæ; cui præſint, Mars, & Venus, cum Mercurio. Eam ſententiam ubertim refellit Joannes Picus Mirandulanus in IV contra Aſtrologos, cap. X.

Proximè ſupra Martem eſt Iovis ſtella; quæ Marte major; ut cujus proportio ad terram cubicam ſit eadem ac 14 ad unitatem. Quanto etiam ſublimior ſit, arguit, quod cùm proximè à centro terræ abeſt, diſtet ſemidiametris *b* terræ 8232; cùm maximè, 13171. Quia autem longius à Sole abeſt, quàm fervidus Mars; propiùs, quàm frigidus Saturnus, ut jam vidimus: eò fulmina illi, ac tonitrua, præcipuè adſignantur. Hoc ſic explicat Plinius lib. II Nat. Hiſt. cap. XX: *Magnâ cæli affectatione compertum à principibus doctrinæ viris, ſuperiorum trium ſiderum ignes eſſe, qui decidui ad terras fulminum nomen habeant: ſed maximè ex iis medio loco ſiti: fortaſſis quoniam contagium nimii humoris ex ſuperiore circulo, atque ardoris, ex ſubjecto, per hunc modum egerat.* Ubi, ut jam aliis obſervatum, pro *humoris*, reponendum *algoris*. Quippe Saturnus non eſt humidus, ſed ſiccus: nec humori, ſed algori ardor opponitur; de quo mox ſequitur. Subdit deinde Plinius, ut fulmina vim habeant fatidicam, quia præſcita ſecum adferant, certiſſimo argumento, ea utcunque pars ſint abdicata, non tamen deſtitui prorſus Iovialis ſideris divinitate. De quo pluribus dicam, cùm de Fulmine agetur. Ab hac fulminum poteſtate variè à Pindaro Jupiter nuncupatur: ut Olymp. od. IV, ἐλατὴρ ὑπέρτατος βροντᾶς ἀκαμαντόποδος, *altiſſimus tonitrus infatigabilis pedibus vibrator.* Et od. IX, φοινικοστερόπας, *rubentia fulmina jaculans*: ut Horatius lib. I, od. II, ait, *Rubente dexterâ ſacras jaculatus arces.* Idem eâdem odâ, αἰολοβρόντας, hoc eſt, αἰόλας καὶ ταχείας βροντὰς ἐγείρων καὶ βάλλων, *varia velociaque tonitrua ac fulmina emittens ac jaculans.* Item Pyth. od. VI, Βαρυόπας στεροπᾶν κεραυνῶν τε πρύτανις· *graviſonus fulgurum, fulminumque dominus.* Iſthm. od. VIII, βαρυσφάραγος, hoc eſt, ὁ βαρέως σφαραγῶν, *graviter ſtrepens.* Ac ſimiliter Orpheo eſt ἀρχικέραυνος, *ſummus fulminator*; Heſiodo ὑψιβρεμέτης, *altifremus*; aliis ἀστραπαῖος, *fulgurator*; κεραύνιος, *fulminator*; de cujus ara Pauſanias lib. V; βρονταῖος, ut Latinis *Tonans*; qui cum triſulco fulmine in vett. fingitur nummis. Qua occaſione poſt bellum Cantabricum ædem ei in Capitolio exſtruxerit Auguſtus, Suetonius *c* dicet. Etſi verò Hetruſci, & hos ſecutus Plinius, tradant, nomina, quæ diximus, præcipuè Ioviali ſideri convenire: aliter tamen Seneca; qui per Iovem

b Junctinus in Sacrobeſci cap. 1, pag. 295, & ex eo Merſennus in Geneſ. 1, 10, col. 872.

c In Auguſt. c. 29.

a *Lib. 2 nat. quæſt. cap. 45.*

Tonantem intellexit (ut verbis ejus *a* utar) *cuſtodem rectoremque univerſi, animum ac ſpiritum, mundani hujus operis dominum, & artificem.* Eundemque addit, & fatum, & providentiam, & naturam, & mundum appellari. Quare Jupiter Fulgurator, vel Tonans, nihil aliud eſt, ac ſpiritus mundanus, quatenus in aëre ciet fulmina ac tonitrua. Sed hæc ab eo dicuntur ex Stoicorum ſententia. Aliter, ut vidimus, Hetruſci, ut & Aſtrologi; qui putarunt, à Ioviali ſidere præcipuè fulmina provenire ob naturam ejus intermediam inter frigus Saturni, & æſtum Martis. Imò, quia hoc & Jupiter, & Venus habent, quod moderatè ſint calidi, ac ſicci; eo & utrumque hoc ſidus creditur commodare, tum aëri ac terris, tum hominibus. Itaque ajunt, ſi Jupiter cum Venere congrediatur, aëra reddi tranquillum ac temperatum: qua ratione, ut Plinius fulminum, ita poſſis Ioviali ſideri nimborum & ventorum tribuere poteſtatem. Quippe Jupiter ſi affulſerit, tempeſtates compeſcit. Itaque tum αἴθριος dicitur, quod Appulejo *ſerenator*; tum αἰγίοχος, quod non tam ab ægide eſt, vel, ut Phurnutus voluit, ἀπὸ τοῦ ἀΐσσειν, quod eſt *impetu ferri*; quam, ut ἀναλογία indicat, ἀπὸ τοῦ αἶγας ἔχειν, ut ſignificet, quod poëtæ dicunt, *maris tempeſtatumque potentem.* Nam procellæ ac fluctus Doribus Αἶγες. Heſychius: Αἶγες, κύματα, Δωριεῖς *b*. Quod firmant alia hinc deducta. Ut nomen maris Ægæi, quaſi fluctivagum ac procelloſum dixeris. Quod enim Αἰγαῖον dicerent more communi, id Dores maluere Αἰγαῖον: ut iidem αἶθε dicunt pro εἴθε. Eſtque ab eadem origine αἰγιαλὸς, *litus*: quò pertingunt αἶγες ἁλὸς, *fluctus maris*: non quaſi αἶα τῆς ἁλός, ut ajunt. Nam illud γ indicat eſſe ab αἶγες, non ab αἶα *c*. Nec in aëra modò, & aquas, vim ſuam exerit Ioviale hoc ſidus; ſed etiam in terras, quas moderato ſuo calore fertiles reddit. Item in hominem ipſum; præcipuè in ſanguinem, idque ob naturæ convenientiam. Quippe is, inſtar ejus ſideris, mediocrem habet calorem; cujus exceſſus eſt in Marte, defectus in Saturno. Et quia à temperamento, quale Iovis, etiam ingenii vis dependet; hinc ab Iove etiam creditur provenire ingenii ſagacitas, & vis ea exſequendi, quæ cum æquitate ſint conjuncta. Quid multis opus? Si Capellam audimus in VIII, quo loco de hoc planeta diſſerit, *Jupiter ſalutaris ad omnia.* Quod generale pronunciatum commodè liceat interpretari. At impietate non caret, quod Albumaſar tantas Ioviali ſideri attribuat vires, ut nunquam non impetrentur à Deo, quæ poſtulantur, modò Iovi jungatur Luna cum capite Draconis. Nec puduit Petrum Aponenſem ſcribere, ſeipſum comperiſſe, hoc eſſe veriſſimum. Nam, quali tempore Albumaſar ſignificat, à Deo ſe quoque petiiſſe ſapientiam: atque, ab eo tempore, magna in ſapientiæ ſtudiis feciſſe incrementa. O hominem inſipientem! qui quod ſapientiæ habuit, malit ſideribus tribuere, quam precibus, & divinæ bonitati; vel ſaltem ingenio, & induſtriæ ſuæ. Equidem Aponenſem hunc, quem ante annos trecentos ſub Ludovico IV. claruiſſe conſtat, multum in naturæ arcanis profeciſſe non diffiteor: ſed hæc ejus ſapientia non fuit ſine magna dementiæ, imò impietatis etiam mixtura.

b *Aiges, fluctus, Doribus.*

c *Terra.*

Supereſt ex planetis Saturnus: cujus ea eſt ad terram cubicam proportio, quæ eſt viginti duorum ad unum. Eſt verò ſupra Martem, ac Iovem: qui quantum à nobis diſtent, vidimus antea. Saturnus autem, ex mente Franciſci Junctini *d*, ubi à nobis minimum abeſt, diſtat terræ ſemidiametris 13171: quando plurimùm, 17571. Quæ licet antiquis non æquè cognita fuerint; gentes tamen illæ, quæ Aſtrologiæ vacarent, quales Chaldæa, & Ægyptia, ſcivere planetarum omnium eſſe maximè ſublimem. Ab iis verò nationibus Græci hoc didicerunt. Ob hanc altitudinem etiam motus ejus tardior videtur. Nam in ſe quidem tardior non eſt, cùm longè majus conficiat ſpatium: videtur tamen tardior, quia ſpiſsè adeò curſum abſolvat periodicum, ut difficile ſit ejus motum cognoſcere. Nam demum totum peragrat Zodiacum annis XXIX, diebus CLV, horis VII, minutis XXXVI. Hinc origo fabulæ de Saturno, à Iove filio, ligato, inque Tartara conjecto. Audiamus Lucianum de hoc diſſertantem lib. de Aſtrologia: Οὐδὲ τὸν Κρόνον ὁ Ζεὺς ἔδησεν, οὐδὲ ἐς τάρταρον ἔῤῥιψεν, οὐδὲ τὰ ἄλλα ἐμήσατο, ὁκόσα ἄνθρωποι νομίζουσι· ἀλλὰ φέρεται γὰρ ὁ Κρόνος τὴν ἔξω φορὴν, πολλὸν ἀπ' ἡμέων, καὶ οἱ νωθρή τε ἡ κίνησις, καὶ οὐ ῥηιδίη τοῖσιν ἀνθρώποισιν ὁρᾶσθαι. διὸ δή μιν ἑστάναι λέγουσιν, ὅκως πεπεδημένον. τὸ δὲ βάθος τὸ πολλὸν τοῦ ἠέρος τάρταρος καλέεται. *Nec Saturnum Jupiter in vincula conjecit, inque tartara dedit præcipitem: neque alia machinatus eſt, quæ homines putant. Sed fertur Saturnus externo motu longè à nobis: eſtque motus illi ſegnis, nec hominibus facile conſpicuus. Quamobrem illum, veluti vinctum, ſtare dicunt. Ingens autem aëris altitudo Tartarus vocatur.* Altera etiam, cur vinciri à Iove dicatur, ratio adfertur. Nam ſalutare Iovis ſidus infringit, & retardat malignitatem ſideris Saturnini. Siquidem Jupiter, & Venus, ſunt ſalutares; Saturnus, & Mars, maligni. Etiam quia Saturnus ſublimis, cæloque ſupremo, unde animæ immitti credebantur, proximus degeret; creditum eſt eum animæ cælitus deſcendenti indere vim intelligendi, & contemplandi ſublimia. Quæ Plotini, aliorumque etiam Platonicorum, opinio fuit. Eademque etiam de cauſſa judicatus animas ſapientum (ut verbis utar Materni) *innumeris anguſtiis liberatas ad cælum, & ad originis ſuæ primordia, revocare.* Neque, ob ſublimitatem modò, Saturnum ſapientiæ præſidem putarunt: ſed etiam ob motus periodici tarditatem, ex ſublimitate illa conſequentem. Nam ex tarditate collegerunt, eum eſſe animi ſenilis ac prudentis. Senes enim, ac melancholici, non tam, juventutis inſtar, diſcurrunt hac illac, quam meditabundi conſident, vel, animo ſedato, tardè procedunt. Ideo & creditum, rectiùs judicari à ſedentibus. Aliqua de eo diximus Oratoriarum Inſtitut. lib. VI, cap. XI, §. 11. Parque ratio in conſiliis capiendis. Notum proverbium *a*: *Romanus ſedendo vincit.* Quò & ſpectat illud Plautini *b* Tranionis:

—— Nimio plus ſapio ſedens.

a *Varro lib. 1 de R. R. c. 2.*

b *Moſtell. act. 5. ſc. 1.*

Servium adi in Æn. IX, verſ. 4. Imò & propterea ſeſſio in ſacris viſa decentior; quippe index animi magis compoſiti, & hoc agentis. Notum Pythagoræ ſymbolum, Numæ *c* etiam attributum: καθῆσθαι προσκυνήσαντας· *Adoraturi ſedeant.* Sic malim, quàm, ut Cruſerius, *Sedeas cùm adoraveris.* Nempe quaſi ſit προσκυνήσοντας. Etiam II Sam. VII, 18, *Ingreſſus eſt rex* (David) *& ſedit coram Domino.* Ita ad verbum B. Hieronymus reddidit. Sed & LXX: Καὶ ἐκάθισεν ἐνώπιον Κυρίου. Etiam *ſedendi* vocem retinuere Pagninus, Leo Judas, Munſterus, Vatablus: qui tamen annotat, poni *ſedit*, pro *ſtetit*, *manſit*. Aliqui etiam reddidere, *reſtitit*; ut in *ſedendi* voce κατάχρησις ſit. Sed ut ſtatio, ita ſeſſio, convenire precantibus viſa; quoniam quiete illâ magis animus ſit compoſitus, & ad precandum idoneus.

c *Plutarchus in Numa.*

Porrò, quia Saturnus crederetur tardus, eo & frigidus habebatur. Maro I Georg.

Frigida Saturni ſeſe quò ſtella receptet.

Potiùs tamen frigidus, hoc eſt, minùs Marte ac Iove calidus eſt, quia à Sole, caloris fonte, abſit longiùs; uti antea dictum. Aliam etiam rationem, ab aquis ſupercæleſtibus petitam, adferunt Auguſtinus de Geneſi ad literam lib. II, cap. V, de Gen. imperf. cap. VIII, & Beda Quæſt. in Geneſ.

d *In lib. 1 Joan. de Sacrobosco, cap. 1.*

Quia autem Saturnus frigidus, & ſiccus; eò fingebatur ſenex pallidus, & tardigenulus, corporibuſque præfectus ſenilibus; quippe frigidis, & ſiccis. Parum enim calefacit, idemque, expreſſis partibus tenuioribus, exſiccat. Atque ex his altera apparet ratio, cur prudentes facere credatur. Senes enim ſunt prudentes ob ætatem, longamque experientiam, conferente ad hoc etiam corporis conſtitutione. Siquidem copia atræ bilis, quam Saturnus excitat, eſt à frigida & ſicca temperie: melancholici autem & dicta, & dicenda, melius concoquunt, ac digerunt: cùm contra videamus, cholericos judicium ſuum ſæpius præcipitare. Hinc igitur quorum in genitura appareat Satur-

Saturnus, eos atræ adjudicarunt bili: Saturnumque ſpleni præfecerunt, quia is recipit atram bilem. Atque itidem triſtitiam ab Saturno deduxere, quia melancholici ſunt triſtes. Etiam Saturnus oſſibus præfectus, quia oſſa frigida ſiccaque; qualis Saturnus. Ob eandem cauſſam non ſolum quartanam febrim dixere filiam Saturni: ſed dominari ajebant morbis omnibus frigidis & ſiccis: uti tabi, paralyſi, hydropi, elephantiaſi etiam, & cancro; præcipuè ſi reperiatur in ſexta domo, &, ut nugantur, in Cancri ſigno. Imò propterea præfecere hominibus, quos melancholicos crederent: ut agricolis, & coriariis, &, quia eos ſimiles his putarent, etiam Judæis.

Ulterius quoque ejus vim extenderunt. Nam quos frigidos ſtatuerent, & ſiccos, eoſdem putarunt avaros, invidos, & malignos. Quò & pertinet, quòd, uti Marti τόλμαν ſive *audaciam*, Jovi νίκην ſive *victoriam*; ita Saturno adjudicarint νέμεσιν, ſive indignationem: quemadmodum Hermes Ægyptius tradidit in Πανάρετῳ.

Imò quia frigus & ſiccitas ſint vitæ inimica; eò creditum, octimeſtrem partum rarò eſſe vitalem. Quippe volunt, primò à conceptu menſi præeſſe Saturnum, alteri Jovem, tertio Martem, & ita porrò pro ordine orbium cæleſtium recepto; eoque menſi ſeptimo præfectam Lunam, terris proximam: quo tempore ſi fœtus prodierit, ob naturam ejus parturientibus commodam, (unde & partui præfecta, dictaque *Juno Lucina*) fœtum eſſe vitalem: ſin, decurſis ſeptem errantium ſiderum ſpatiis, ad Saturnum redeatur, frigore & ſiccitate ejus, quæ repugnant vitæ humanæ principiis, quippe in calore & humore conſiſtentis, fœtum, ſi tum exire paret, perimi, vel editum ſic congelari, ut eſſe diu nequeat ſuperſtes. Sed nono menſe redire imperium ad Jovem, ſidus calidum & humidum, eoque fœtui ſalutare: unde tum vitalis eſſe ſoleat.

Imò totis etiam nationibus dominari, opinio erat. Sic Ptolemæus, in ſecundo Apoteleſmatum, ait, quia Saturno, & Veneri, ſubſit terrena triplicitas, hoc eſt, Tauri, Virginis, ac Capricorni ſidus, & quicquid terrarum illis ſubjectum erat; eò Aſiaticorum illos, qui ad Orientem ac Meridiem vergunt, Saturni ac Veneris numen venerari. Quæ ſanè ſatis putida ſunt, & abundè refelluntur à Phœnice ſui ſeculi, Joanne Pico Mirandulano, lib. IV contra Aſtrologos, cap. X.

In anno quoque eum præfecere auctumno; in hebdomade, diei ſeptimæ. Quin ex Chriſtianis ipſis Rogerius Bacon haut veritus eſt ſcribere, planè tum Judæorum more eſſe feriandum, quia ſegne ac tardum Saturni ſidus parum ſit felix ac idoneum rebus agendis. Quaſi in cauſſis nominum, quibus dies à Sole, Luna, & quinque erronibus, nuncupantur, ad hujuſmodi aliquid reſpexerint gentiles. Longè aliter de hoc Pythagorici: qui ex numeris ſubtiliter de eo diſceptarunt; ut ex Maximo Planude, atque aliis, oſtenſum eſt Baptiſtæ Egnatio Racemationum capite poſtremo. Sed verius alii, qui geminam cauſſam attulerunt. Una earum eſt, quod Ægyptii rationem habuerint harmoniæ διὰ τεσσάρων *a*. Nam quaſi tetrachorda ſeptem in cælo ſtatuerunt: quo pacto primum tetrachordum erit à Saturno ad Solem, alterum à Sole ad Lunam, tertium à Luna ad Martem, quartum à Marte ad Mercurium, quinctum à Mercurio ad Jovem, ſextum à Jove ad Venerem, ſeptimum à Venere ad Saturnum. Altera ratio eſt iſta. Singulis diei horis præfectus eſt unus è ſeptem ſideribus memoratis. Quod ſi primæ horæ primi diei Sol præeſt, ſecundæ Venus, tertiæ Mercurius, quartæ Luna, quinctæ Saturnus, ſextæ Jupiter, ſeptimæ Mars, octavæ Sol, & ita porro: omnino proximæ diei primæ horæ præſit Luna, tertiæ Mars, quartæ Mercurius, ac ita deinceps. Refert has duas cauſſas Dio Coccejus lib. XXXVII; item in ejus epitome Joannes Xiphilinus; & ex utroque Philander ſuis ad Vitruvium *b* notis; ubi & utrumque, unde hauſerat, auctorem laudat. Sed cùm Græcè ſit l'νεώτης ὁ Ξιφιλῖνος, ſemel neutrumque *Oxiphilinum* vocat: ut perperam Ὀξιφιλῖνος legiſſe videatur.

a Quaternaria.

b Lib. 9, cap. 4.

Quos verò ſeptem diebus, eoſdem ſeptuplici metallo præfecerunt: Solem auro, Lunam argento, Saturnum plumbo, Jovem ſtanno, & ita in aliis. Eò faſcinatores ſolent attendere, ut metallo cuique proprium inſcribant characterem: quemadmodum & cui corporis parti applicent laminam ſic inſcriptam. Quare opinio iis eſt, tum demum ſe conſequi à planeta, quod expetunt, ſi convenientis metalli laminam cum proprio charactere convenienti corporis membro alligarint.

Hactenus de quinque erronibus; quot tantummodò veteribus noti erant. Ignoti qui eſſent, non potuere eſſe tam felices (ſi ea felicitas eſt dicenda) ut à ſtultis mortalibus honorem ſortirentur divinum. Tales ſunt illi, qui ſeculo noſtro obſervati ſunt teleſcopio, ſeu Batavo tubo. Ut quatuor ſtellæ, non terram quidem proprio circulo, ſed Jovem proprio ambientes motu. Eas Medicæa ſidera, in honorem domus Medicææ, nuncupavit Galilæus à Galilæis, magnum Aſtrologiæ ac totius Matheſios decus. Præterea ſtellæ duæ: quæ ſemper Saturno, velut individui comites, aſſiſtunt. Neque deſunt, quibus maculæ illæ circa Solem, niſi Soli potiùs inſint, moveri ſolitæ, nihil aliud videantur, quàm ſtellæ Solem circumeuntes. Borboniorum ſiderum nomen, in honorem regiæ Borboniorum domus, iis impoſitum eſt à Joanne Tarde Gallo.

Nec propter novos planetas novorum orbium conſtitutione opus eſt. Siquidem ſtellæ iſtæ moventur propriè non circa terram, ſed ſupra terram. Interea videmus, ut minimè opinionis ſuæ falſus fuerit Phavorinus; quando (Agellii verbis utar *a*) *mirabatur, id cuiquam pro percepto liquere, ſtellas iſtas, quas multi erraticas, Nigidius errones vocat, non eſſe plures, quàm vulgo dicerentur: poſſe enim fieri exiſtimabat, ut & alii quidam planetæ eſſent: neque eos tamen cernere homines poſſint, propter exſuperantiam vel ſplendoris, vel altitudinis.* Verùm hos planetas cùm neſciret vetuſtas, nec habere potuit pro Diis: niſi quatenus poteſtate & confuſè continerentur in generali illo pronunciato, ſidera omnia, ſeu cognita, ſeu ignota, Deos eſſe.

a Lib. 14, cap. 1.

Cap. XXXV.

Unde ſtellæ orbis, ut vocant, octavi appellentur fixæ. *Videri Adamum iis nomina impoſuiſſe: & fortaſſe ex iis eſſe vocabula earum, quæ leguntur apud Jobum, & Amos. Quàm antiqua Græcis ſint nomina* Orionis, *&* Arcturi. *Hujuſmodi nominibus fas eſſe uti Chriſtiano: etſi ea, ut Hieronymus ait, idolorum ſint: quod & Vettii Aſtrologi juramentum per ea oſtendit. Expenduntur quatuor illa, quæ ſtellis fixis conciliarunt divinitatis honorem. Horum primum eſt ſublimitas: quæ non tam inde evincitur, quòd ſcintillent, quàm quòd non habeant ſenſibilem parallaxin: eaque occaſione, quid parallaxis ſit, expoſitum: quantaque ſit diſtantia fixarum à terris. Alterum eſt earum tum magnitudo, cujus comparatio ad terram inſtituitur; tum multitudo, quæ noſtris notior eſt temporibus, quàm antiquis. Tertium eſt motus; à quo eas & θεῶν nomen accepiſſe, veterum aliqui putarunt. Eum motum tum diurnum eſſe, tum multorum ſeculorum. Prioris admiranda celeritas, Solarem etiam, ac longiſſimè quidem, exſuperans. Poſteriorem eſſe tum in longitudinem, tum in latitudinem. Illum in longitudinem perperam vocatum* Trepidationis motum, *vel* Acceſſus & Receſſus: *cùm continuus ſit, nec redeat ullum ſidus ad priorem locum, niſi orbe expleto: quod ſit poſt* XXXVI *annorum millia, ut is* annus Platonicus *ſit dicendus. Quod etiam in latitudinem moveantur, ex eo provenire, ſecundum Braheum, quod poli Eclipticæ deſeruerint ſedes veteres. Quartum eſt virtus fixarum; quam in ſublunaria exſerunt, partim luce aëra rarefaciente; partim motu, non* ἁπλῶς *quidem, ſed quatenus ille lucem circumvehit; partim qualitate occultâ; cujus interim prætex-*

tu multa à multis, quæ incertiſſima ſint, pro certis tradantur.

NEc ſtellæ ſolùm erraticæ ſunt honorem ſortitæ divinum: ſed cæteræ etiam, quæ à Tullio *cælo infixa* dicuntur in 1 de Nat. Deor. Ac ſimiliter loquitur Macrobius lib. I in Somnium Scipionis cap. XVII: *His illud adjiciendum eſt, quod præter duo lumina, & ſtellas quinque, quæ appellantur Vaga, reliquas omnes alii infixas cælo, nec niſi cum cælo moveri, dixerunt.* Hoc inde collegerunt, quia ſimilem perpetuò ad ſeſe invicem obtineant diſpoſitionem, ac diſtantiam. Quod ita eſſe, liquet tempora hæc conferenti cum iis, quæ Timochares, Hipparchus, & Ptolemæus, tradiderunt: ut videre eſt apud Ptolemæum Μεγάλης συντάξεως, quam *Almageſtum* Arabes vocant, lib. VII, cap. III. At Ptolemæus quidem annis poſt Chriſtum CL vixit: Hipparchus autem Rhodius, CXX annis ante natalem Chriſti: Timochares, annis ante eundem natalem CCC. Par ratio Albaregnii, circa annum Chriſti IↃCCCLXXX: Alphonſi, circa CIↃCCL: Copernici, CIↃIↃXXV: Tychonis Brahe, CIↃIↃLXXX: item hac ætate viventium. Ut jam de annis quaſi bis mille liqueat, eandem ſemper poſituram fuiſſe, & intercapedinem, quantum ſenſibus licet obſervare. Diſpar interea ratio eſt circa ſtellarum latitudines; quas abiiſſe ab antiqua ratione, liquidò jam olim deprehenſum; ut paullò poſt exponam.

Non dubitandum autem, quin & ſua ſtellis nomina impoſuerit Adamus; quibus à patriarchis ſoleant nuncupari. Sed ea nomina perierunt, paucis exceptis, quæ habemus ex veritate Hebræa. Ut quæ LXX apud Jobum IX, 9, Πλειάδα, καὶ Ἀρκτοῦρον vocant: quibus medius inſeritur Ἕσπερος. Latinus interpres habet, *Qui facit Arcturum, & Oriona, & Hyadas.* Etiam Amos V, 8, *Arcturus*, & *Orion*, ab eodem Latino interprete memorantur. Recténe, an ſecus, ita reddita ſint, parum convenit. Nam aliis עש, *Has*, non Arcturus ſolùm eſt, ſed univerſum Bootæ ſidus, vel etiam Septentriones. כְּסִיל, *Chesil* eſſe *Oriona*, per eſt veriſimile: quamquam Aben-Ezra *cor Scorpii* malucrit: qui item כִּימָה, Chima, cenſet *Arietis caudam*, non *Hyadas*. At Vatablo ſunt *Pleiades*. Eſſe autem appellationes Græcas valde antiquas, ex eo cognoſcimus, quod non modò earum uſus ſit apud Sophoclem, & Euripidem; ſed Heſiodum quoque, ac Homerum; quibus ſcriptores antiquiores non habet Græcia. Utuntur autem iis quoque Chriſtiani; idque LXX ſeniorum, & Latini interpretis exemplo. Non quaſi eos fugerit, nomina illa peti ex iis, quæ de Diis & heroibus ſuis fabulati ſunt Græci: ſed quia alia eorum vocabula non ſuppeterent, niſi Hebræa vellent retinere. Audiamus de hoc B. Hieronymum *a* lib. de veſte ſacerdotali: *Nec alicui gentilis videatur expoſitio. Non enim, ſi cæleſtia, & Dei diſpoſitionem, idolorum nominibus infamarunt: idcirco Dei eſt neganda providentia, quæ certa lege currit, & fertur, & regit omnia. Nam & in Job, Arcturum, & Orionem, & מַזָּלוֹת, hoc eſt, Zodiacum circulum, & cætera aſtrorum ſidera, legimus: non quòd eadem apud Hebræos vocabula ſint; ſed quod nos non poſſumus, quæ dicuntur, niſi conſuetis vocibus intelligere.* Videmus, ut conſueta illa ſiderum nomina dicat eſſe idolorum. Et ſanè omnem cæli militiam (ut Hebræorum more loquar) pro Diis cultam eſſe, præter ea, quæ cap. XXX adduximus, oſtendit etiam juramentum illud apud Vettium Antiochenum Aſtrologum in procemio Ἀνθολογιῶν, ſive Floridorum: quod ex ſcriptore eo majorem partem inedito jamdudum Joannes Seldenus v. cl. in eruditiſſimo de Diis Syris Syntagmate adduxit: Ἐντυγχάνοντας ὁρκίζω Ἡλίου μὲν ἱερὸν κύκλον καὶ Σελήνης ἀνωμάλους δρόμους, τῶν τε λοιπῶν ἀστέρων δυνάμεις, καὶ κύκλον Δυοκαίδεκα Ζωδίων, ἐν ἀποκρύφοις ταῦτα ἔχειν, καὶ τοῖς ἀπαιδεύτοις ἢ ἀμυήτοις μὴ μεταδιδόναι, τιμὴν τε καὶ μνήμην τοῦ εἰσηγησαμένου ἀπονέμειν. εὐορκοῦσι μὲν εὖ εἴη, καὶ καταθύμιοι οἱ ΠΡΟΚΕΙΜΕΝΟΙ ΘΕΟΙ. Ἐπιορκοῦσι δὲ τὰ ἐναντία. *Eos, qui in hæc inciderint, adjuro, per ſacrum Solis circulum, & inæquales Lunæ curſus, ac reliquorum ſiderum vires, & ſigniferum circulum, ut iſta in reconditis habeant, nec imperitis, vel non initiatis tradant; ſed, doctoris ſui memores, honorem ei tribuant. Sanctè jurantibus bene ſit, Diique ante memorati ſint propitii; pejerantibus contraria ſint.* Poterat aliquis exiſtimare, Vettium Aſtrologorum juramentum exigere per ſidera, ut res caras, etſi pro diis non haberet: quomodo per liberos jurатum olim, & alia acceptiſſima: quomodo item Muhammedani jurant per ſtellam veſpertinam, ac ſidera; ut antea *a* dictum. Sed obſtat, quod ſubjungit, Θεοὶ προκείμενοι, *dii antea relati nobis.*

a Tom. 3.

a Extremo cap. 31.

Divinitatis unde opinionem conceperint, univerſè eſt cognoſcere ex iis, quæ de ſideribus aliis diximus. Nunc igitur ea ſolùm adducam, quæ particulatim ſpectant ſtellas adfixas. Cauſſæ autem petuntur, partim ex loco, ratione ſublimitatis; partim quantitate, ratione tum magnitudinis, tum multitudinis; partim motu gemino, uno velociſſimo, altero, qui præ illo tardiſſimus ſit; partim denique effectibus in terras, ubi multiplex utilitas attenditur. De ſingulis illorum ordine diſpiciam. Ac in ſublimitate quidem duo ſpectantur; ut erraticis ſint ſuperiores, & quanto à nobis diſtent intervallo. Prius ex eo comprobari ſolet, quia tremulum lumen vibrent, aliæ magis, aliæ minus. Rarò Sol id facit, aut Luna, nec niſi κατὰ συμβεβηκὸς *b*, interjecto aëre impuro, & hinc inde agitato. At ſtellæ adfixæ fere ſemper: idque, ut volunt, quia moveatur diaphanum interjectum: quod cùm fixarum recipiat ſtellarum formam, ipſæ etiam vibrari videntur: uti fluentis pellucidis formæ ſpectantur tremulæ. Id in planetis fieri negant, quia propiores ſint viſui, eoque facilius ac vehementius penetrent. Sed aliis hæc firma parum videntur: quia Saturnus, etſi remotior, rariùs vibret radios ſuos, quàm Mars: de quo aliquid diximus initio capitis XXXI. Addunt etiam, itidem in Venere & Mercurio ſibi ſcintillationem hanc obſervatam; ſed in his quoque minùs eſſe ratam, quàm Saturno. Colligunt igitur, non poſſe ex tremulo fixarum lumine certò ſtatui de earum ſublimitate: eoque longè aliam eſſe ſublimitatis cauſſam; fortaſſe illam, quòd ſtellæ tum fixæ, tum erraticæ, contrà quàm Peripateticis creditum, circa propria centra gyros ducant. Sanè ſtellas univerſas circa centrum ſuum verti, eamque eſſe ſcintillationis cauſſam, Raphaëli Averſæ viſum fuit. Rectiùs igitur fixarum ſublimitas ex eo comprobatur, quod non habeant ſenſibilem parallaxin, hoc eſt, viſus variationem, quam diverſitatem adſpectus appellant. Hæc paullo fuſius diducam. Siquid in ſublimi fuerit, atque tum è centro terræ, tum è ſuperficie ejus, ad illud linea ducatur; non eundem in locum lineæ viſuales incident; ſed ſeſe interſecantes angulum efficient, qui oſtendat, quàm adſpectus è terræ centro differat ab illo è ſuperficie terræ. Quæ diverſitas adſpectus παράλλαξις nuncupatur Græcis, voce etiam Latinis nunc uſurpatiſſima. Angulus ille quanto fuerit obtuſior, tanto res eſt propior terris: quanto idem acutior, tanto & remotior à terris. Imò tandem in longiſſimo ſpacio angulus conſpectum fugit: uti uſu venit in ſideribus ſphæræ octavæ. Quæ tamen Saturni gyro ſuperiora eſſe, ex legibus ſidereorum motuum colligitur. Imò ne in Saturni quidem ſphæra hæc parallaxis obſervatur. At Solis parallaxis percipi poteſt: ut quæ trium ſit minutorum à terra: magis etiam conſpicua eſt in Luna: ut quæ totum quandoque gradum adæquet: uti à Mathematicis ſummis, præcipuè Tychone Brahæo, eſt obſervatum.

b Per accidens.

Quanta verò ſit firmamenti diſtantia à nobis, non per omnia convenit Mathematicis. Exactiores ſequar: quorum idem Brahæus cenſet, intervallum id eſſe decies novies millenarum ſemidiametrorum terræ; Merſennius *c* autem, vicies millenarum. Ac tradit hic, intervallum id eſſe leucarum Francicarum, (quarum ſingulæ trium milliarium) 53961647. Atque inde colligit, ſi lapis è firmamento dejectus quoque minuto conficeret leucam Francicam, priuſquam is lapis terram contingeret, opus fore diebus 37473, & minutis 527: quos dies ſi diviſeris per 365, reſultant anni centum & duo.

c Ad Gen. 1, 1.

Hæc

Hæc de ſublimitate. Ejus verò magnitudinis ſunt ſtellæ fixæ, ut minimæ earum æquales ſint Lunæ, & Mercurio: majores autem Venere, ac Marte. Cumque in ſex claſſes, pro magnitudine, quam obtinent, referantur: proportio ſtellarum ſextæ magnitudinis ad terram cubicam eſt, ut 1 ad 1: quinctæ magnitudinis ad eam, ut 1½ ad 1: quartæ, ut 3½ ad 1: tertiæ, ut 11: ſecundæ, ut 28: primæ, ut 70 ad 1.

Numerus ſtellarum innumerus eſt: unde Geneſ. xv, 5, arenæ maris comparatur. Quanto itaque acutiùs quiſque tuetur, tanto plures videt: præſertim ſi tubo utatur Batavo: cujus beneficio Galilæus de Galilæis tot novos detexit planetas, tot fixas novas, novas etiam ſiderum facies. In fixis novis eſt illa in capite Orionis nubecula ſubalbida, quæ *nebuloſa ſtella* dicitur. Hanc obſervavit non ſtellam eſſe unicam, ſed plurium ſtellarum congeriem.

Veteribus autem numerabantur ſtellæ cIↃ XXII, quæ in XLVIII imagines diviſæ, & ſex magnitudinibus diſtinctæ, iis exceptis, quæ obſcuræ & nebuloſæ vocantur.

Habemus de magnitudine & multitudine. Venio ad motum, qui quin divinitatis opinionem ſideribus cunctis vel pepererit, vel foverit; nemini dubium eſſe poteſt; cùm ex eo etiam θεοὺς dictos eſſe, Platonis fuerit opinio in Cratylo. Primùm enim ait, eos, qui Græciam primi incoluere, in eadem, ac barbaros multos, opinione fuiſſe: nam eos pro Diis habuiſſe Solem, Lunam, ſidera. Verba ejus Græce adduximus cap. XXX. Poſtea autem ſubjungit: ἅτε οὖν αὐτὰ ὁρῶντες πάντα ἀεὶ ἰόντα δρόμῳ καὶ θέοντα, ἀπὸ ταύτης τῆς φύσεως τῆς τοῦ θεῖν, θεοὺς αὐτοὺς ἐπονομάσαι. *Cum ergo hæc omnia in perpetuo eſſe curſu conſpicerent; ab hac natura* τοῦ θεῖν *a* θεοὺς *b nominaſſe.* Illuſtris etiam de iſto eſt Macrobii locus in primo Saturnalium libro, cap. tertio & vigeſimo: ubi adducit iſta ex Homeri Iliad. A c:

a *Curſus.*
b *Deos.*
c *Verſ. 423. & ſeqq.*

Ζεὺς γὰρ ἐς Ὠκεανὸν μετ' ἀμύμονας Αἰθιοπῆας
Χθιζὸς ἔβη μετὰ δαῖτα, θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο,
Δωδεκάτῃ δέ τοι αὖθις ἐλεύσεται Οὔλυμπόνδε.
Jupiter enim in Oceanum ad inculpatos Æthiopas
Heſternus ivit ad convivium, (dii verò ſimul omnes ſunt ſecuti)
Duodecimâ autem rurſum veniet ad cælum.

Poſtea ſubdit Macrobius: *Jovis appellatione Solem intelligi, Cornificius ſcribit; cui unda Oceani velut dapes miniſtrat. Ideo enim, ſicut & Poſidonius, & Cleanthes, affirmant, Solis meatus à plaga, quæ uſta dicitur, non recedit; quia ſub ipſa currit Oceanus; qui terram ambit, & dividit. Omnium autem phyſicorum aſſertione conſtat, calorem humore nutriri. Nam quod ait,*

—— Θεοὶ δ' ἅμα πάντες ἕποντο d:

d *Dii ſimul omnes ſequebantur.*

ſidera intelliguntur; quæ cum eo ad occaſus ortuſque quotidiano impetu cæli feruntur, eodemque aluntur humore. Atque iſta docent, ſidera eſſe Deos. Sed à curſu ſive motu ſuo ſic vocari, oſtendunt, quæ continuò addit: θεοὺς *enim dicunt ſidera, ſtellas,* ἀπὸ τοῦ θεῖν, *id eſt,* τρέχειν, *quòd ſemper in curſu ſint.* Hinc poſtremum etiam Homeri verſum ſic interpretatur: *Addit poëta,* Δωδεκάτῃ δέ τοι αὖθις e, *non dierum, ſed horarum ſignificans numerum, quibus referuntur ad hemiſphærii ſuperioris exortum.* Satis iſta monſtrant, multos ipſum *Deorum* nomen à motu ſive curſu deduxiſſe, manifeſto indicio, ſidera etiam propter motum admirandum ab iis habita eſſe pro Diis. Iccirco miranda hæc paucis exponam.

e *Duodecima autem rurſum.*

Eſt motus ſiderum geminus: unus diurnus, alter longè plurimorum ſeculorum. Quorum diurnus præcipuè divinitatem ſtellarum arguere viſus eſt. Nam vulgus etiam non poterat non ſtupere tantam earum velocitatem; utcunque exactè ſoli metiantur Aſtrologi. Merſennius quidem ex eo, quod de fixarum à terris diſtantia paullò antè dicebamus, tantam eſſe earum colligit celeritatem, ut illæ, quæ ſunt in æquinoctiali ſitæ, unius horæ minuto conficiant leucas, quales dixi, 5768750. Quid ad hoc globi velocitas pulvere pyrio è machina bellica emiſſi? qui ut vel pari ſemper motu ferretur, vix horis centum terrarum orbem ambiret. Quippe qui uno minuto vix ter mille paſſus provolet. Imò quid ad hæc etiam velocitas Solis? qui globi tamen ejuſmodi menſuram exſuperat quinquies millies. Quippe Solem ipſum ſtellæ, quæ æquinoctiali ſunt propinquæ, quadragies vincunt velocitate. Tanta velocitas penè omnem exſuperat humani ingenii captum: ut nihil ſit mirandum, ſi etiam doctiſſimi, ſed verum neſcientes Deum, etſi non tam accuratè iſta ſcirent, ſtellas divinæ eſſe naturæ participes arbitrarentur. Sed Nicolaus Copernicus, & qui eum ſequuntur, ne ſtupendam adeo velocitatem ſiderum concederent, cum veterum nonnullis ſtatuerunt motum terræ diurnum: ut ea ſingulis horis ducenta & viginti quinque milliaria Germanica conficiat: ſive, ut Cæſar la Galle lib. de Phænomenis cap. VII numerat, Italica nongenta & viginti ſeptem.

Multis autem ſeculis non alius, quam diurnus, fixarum motus fuit cognitus. Sed poſtea fuit obſervatum, fixas in conſequentia ſignorum procedere. A quo motu eſt, quòd Arietis ſidus nunc occupat Tauri locum, Taurus Geminorum, & ita porrò: ut ſigna Zodiaci non iis ſint adſtricta locis, quæ ab illis denominantur: credo, quia hæc tum illis convenirent, quando primum iſta ſtatueretur ſtellarum figuratio. Hoc illarum motu obſervato, qui antea earum orbem pro ultimo habuerant, alium ſuperaddiderunt, quem vocarunt Nonum. Nondum tamen conſtabat, utrùm fixæ continuè promoverentur in conſequentia, an aliquouſque promoti ad priora reverterentur. De hoc difficile erat ſtatuere: ſed videbantur ſibi animadvertere, motum hunc nunc tardum eſſe, nunc celerem. Quamobrem credere maluerunt, ſigna poſt aliquem in conſequentia exceſſum redire in priora: motumque hunc vocarunt *Acceſſus*, & *Receſſus*; alii verò motum *Trepidationis*: quia capita ſive initia Arietis & Libræ, quaſi in minutis circulis, nunc in hoc, nunc in illud latus moverentur. Eſt verò motus ille tardiſſimus. Ac Hipparchus quidem, & Ptolemæus ſtatuerunt, eum decennio fieri ad min. VIII, & ſecunda XXX: hoc eſt annis C, grad. I, min. XXV. Eoque gradus CCCLX, quot habet Zodiacus, non poſſint peragrari niſi annorum triginta ſex millibus. Quo ſpatio exacto, Platonici priſcam putarunt redituram omnium rerum faciem: prout Maro etiam in Eclogis deſcribit; licet alio ab aliis referatur.

Cæterum à Tychone Braheo a animadverſum fuit, fixas à verna Zodiaci ſectione non ſolùm abire in longitudinem, ſed in latitudinem quoque. Nec tamen in omnibus id fixis locum habuit; ſed ſolùm illis, quæ viciniores ſunt partibus Eclipticæ maximè declinantibus. Magna enim latitudinis mutatio animadvertitur in illis, quæ Tropicis ſunt propiores: exigua circa Arietem, vel Libram: at media ratio eſt illarum, quæ medio inter Tropicos & Æquatorem loco ſunt ſitæ. Ut appareat, hanc rem ſe habere pro inclinatione Eclipticæ jam octavo ab hinc ſeculo ab Albategnio obſervata. Vidit enim ille, non tantam eſſe declinationem, quàm Eratoſthenes, & Ptolemæus, tradidiſſent. Atque ab Albategnii temporibus minor minorque ea declinatio fuit. Nec propterea putandum eſt, æquatorem mutâſſe ſedem, ſed eclipticam; nec æquatorem ad eclipticam, ſed eclipticam accedere ad æquatorem. Niſi viſum cum Copernicanis hujus mutationis cauſſam tribuere annuo terræ motui.

a *Diſſertatione de Nova ſtella anni 1572.*

De fixarum motu, quod ſatis eſt, diximus. nunc de viribus, & efficacia earum, videamus. Nec enim dubium eſt, quin illarum virtutes multum ponderis habuerint ad conciliandam iis divinitatis opinionem. Virtutes has primi ex populo ruſtici notant, ac nautæ. Videbant nempe tempeſtates cieri ab Orione, Arcturo, & Corona; ventos, à Capra, & Hædis; pluviam, ab Hyadibus, & Pleiadibus; æſtum, à Caniculis, & anterioribus partibus Leonis. Hæc in inferioribus, ſecundùm Ariſtotelem, præſtant duobus iſtis, luce & motu. Alii lucem motu circumvectam ad iſta, & rerum omnium generationem, ſufficere arbitrantur. Calorem enim, qui partus eſt lucis, principium & cauſſam eſſe omnis generationis: motu verò lucem, eoque & calorem, nunc adduci, nunc reduci: ut calori, & frigori,

gori, humori & ſiccitati, ſint vices ſuæ. Malim ego illis ſubſcribere, qui arbitrantur, ſidera in hæc inferiora agere, non ſolum, per lucem motumque, rareſaciendo aëra: ſed præterea qualitate aliqua hominibus hactenus incognitâ, ac, ut vereor, nunquam cognoſcendâ. Si enim necdum ſcimus herbarum vires, quas manibus tractamus; quid de ſtellis ſperemus tanto diſſitis intervallo? Plurimi tamen ex Aſtrologis eò uſque progrediuntur, ut ſcribere non dubitent, quomodo fixæ cum planetis congredientes eorum immutent vim & efficaciam. Atque ut hinc aliquæ dicantur iis Saturninæ, quæ frigidæ ſint, & grandinem gignant: quædam Joviales, quæ ventoſæ, ſed ſalubres: quædam Martiæ, quæ tonitrua cieant; & procellas: quædam Solares, quæ æſtuoſæ, ventoſæque: quædam Venereæ, quæ humidæ & frigidæ: quædam Mercuriales, quæ ſe ἀδιαφόρως a habent, ſi in ſe ſpectes; ſed varient pro ſidere alio; ut ſociatæ Venereis fiant venenoſæ ac peſtilentes; Jovialibus additæ, excitent tempeſtates. Sed multum in iſtis omnibus ineſt incerti: etſi facile conceſſero, magnam ſtellas haſce fixas vim exerere planetarum potentiis in actum deducendis, cùm planetæ ab his, ut feminæ à viris, reddantur prægnantes, atque ita fœcundatæ in terras ſuos dimittant fœtus. Quæ omnia melius cognoſcentur, cùm de Fato Aſtrologico inferiùs diſputabitur.

a Indifferenter.

CAP. XXXVI.

Memorantur ſidera cœlo adfixa, particulatim Dei nomine honeſtata. Ut Canis, qui Iſis, & Sothis, dicebatur: item Sirius, quod commune ei cum Sole nomen. Ad hæc Mæra nominatim. Piſcis auſtralis avus, aut parens habitus duorum Zodiaci piſcium. Phacetis ſive Aphacitis, vel filia erat Veneris, vel ipſa Venus, quæ Dea Syria vocatur. Templum ejus, quod in Aphacis Phœniciæ erat, demolitus eſt Conſtantinus Magnus. Engonaſin erat Hercules, ſecundùm Panyaſin, Heracleidos ſcriptorem vetuſtiſſimum. Ophiuchus quoque aliis Hercules creditus, aliis Æſculapius. Aries eſt Jupiter Ammon. Germanici interpres emendatus. Etiam Aries Minervæ ſidus, & cauſſa ejus rei. Taurus fortaſſe Oſiris, vel Joſephus patriarcha. Gemini aliis ſunt Caſtor, & Pollux; aliis Hercules, & Apollo; aliis Triptolemus, & Jaſion; aliis Zethus, & Amphion; aliis Dii Samothraces. Virgo vel Aſtræa, vel Ceres, ſive Iſis, vel Atergatis, vel Fortuna, vel Concordia, vel Pax. Concordiæ, & Pacis templa Romæ. Panda quæ Dea, & unde dicta. Piſces Zodiaci crediti Venus, & Cupido; qui & Dii Syri: atque ut Syri abſtinuerint captura eſuque piſcium, metuentes, ne ſi eos eſitarent, corpus à Dea Syria inflaretur. Capella, Arietis, Lyra, aliorumque ſiderum apud Peruanos cultus.

DE cauſſis, cur adfixa etiam ſidera pro Diis culta ſint, ſatis dictum eſt. Nunc particulatim expediam, quod numen in præcipuis earum coli putarint. A Cane ordiar; quia, ut inter erraticas prima honore divino aucta eſt Veneris ſtella, quam Phoſphorum, & Heſperum, dicimus: ita inter fixas primò ad tantum decus evecta eſt illa, quæ vocatur Ἀςρῷος κύων, ſive *Cæleſtis canis*, vel etiam *Sirius*. Imò ab Ægyptiis quoque Heſpero eſt prælata, dignataque nomine Iſidis; quæ cum Oſiride ſupremum iis numen erat. Hac de re ſic Plutarchus, lib. de Iſid. & Oſirid. Λέγουσιν οἱ ἱερεῖς, καλεῖσθαι Κύνα μὲν τῆς Ἴσιδος ὑφ᾽ Ἑλλήνων, ὑφ᾽ Αἰγυπτίων δὲ Σῶθιν. ſive, ut alibi apud eum legitur, Σῶθιν. *Ajunt ſacerdotes, Canem quidem Iſidis à Græcis, ab Ægyptiis autem Sothin vocari.* Horapollo, ſive interpres ejus Philippus, Hieroglyphicôn cap. III. Quomodo annum ſignarint Ægyptii: Ἴσις δὲ παρ᾽ αὐτοῖς ἐστιν ἀστήρ, Αἰγυπτιστὶ καλούμενος Σῶθις. Ἑλληνιστὶ δὲ ἀστροκύων (perperam Aldus ἀστρομύων) ὃς καὶ δοκεῖ βασιλεύειν τῶν λοιπῶν ἀστέρων. *Eſt autem Iſis iis aſtrum Ægyptiace dictum Sothis, Græce verò Aſtrocyon; qui & inter ſidera reliqua principatum videtur obtinere.* Subjungit deinde, cur principatus illi videatur deberi, atque ut ex ſideris ejus exortu obſervent Ægyptii, quæ anno ſint integro agenda: unde non Sirium modò, ſed annum etiam, *Iſidem* appellent.

Nec mirum ſanè, ſi ex hoc ſidere potiſſimùm judicarint; quandoquidem fulgore reliquas exſuperat ſtellas; ita ut meridie ipſo, ſi aquis imponas ſpeculum, cernere illud liceat: imò qui acumine præpollent, citra etiam ſpeculum, vel videant, vel videre ſibi videantur. Unde &, quorundam judicio, commune Sirii nomen Soli, & Cani, datum fuit; ut Suidas ait in Σείριος. Ita ſanè plerique Grammatici quædam in Heſiodi ἔργοις de Sirio loca interpretantur. Imò hoc Virgilii quoque ſic aliqui capiunt IV Georgicon; ſed contra Servii mentem:

> *Jam rapidus torrens ſitientes Sirius Indos*
> *Ardebat cælo.*

Qua de re plura Hadrianus Junius Miſcellan. lib. I, cap. V. Ubi & locum Hygini a emendare conatur, ſcribentis, Sirium aliter vocari *Meram*. Cenſet enim, pro *Meram* reſcribendum eſſe *Nearam*: idque quia ſic nuncupet Cæſar Germanicus, ſive ejus interpres Baſſus. Sed Germanici loco emendatiùs nunc Morellianâ legitur editione, *Mæra*. Siquidem Μαιρα dicitur Heſychio, & Nonno in XVI Dionyſiacorum: uti oſtendi libri ſuperioris cap. XXX. Præter Ægyptios Romani etiam hoc ſidus religioſe coluerunt. Feſtus ſive Paullus: *Catularia porta Romæ dicta eſt, quia non longe ab ea ad placandum Caniculæ ſidus, frugibus inimicum, rufæ canes immolabantur, ut fruges flaveſcentes ad maturitatem perducerentur.* Idem: *Rutilæ canes, id eſt, non procul à rubro colore, immolantur, ut ait Ateius Capito, canario ſacrificio pro frugibus deprecandæ ſævitiæ cauſſa ſideris Caniculæ.* Atque hinc etiam obſcurum non eſt, cur deo Robigo, ſive Rubigini, præter ovem etiam Canem ſacrificarent in Aprili. Unde Ovidius in Faſtis:

a In Poëtico Aſtronomico, ubi de Arctophylace. p. 9. ed. Morell.

> *Flamen in antiqua lucum Rubiginis ibat,*
> *Exta canis flammis, exta daturus ovis.*

Nec ſolus in Meridionalibus ſideribus Canis, honore cultus eſt divino: ſed etiam Piſcis, Græcis dictus Νότιος, uti & Hygino b; Ciceroni c item Auſtralis; Germanici autem interpreti Magnus: qui de eo, & divinitate ejus, ſic ſcribit: *Piſcis magnus (cujus nepotes dicuntur Piſces, qui in circulo zodiaco conſtituti ſunt) dicitur in aſtra collocatus, eo quòd decidens in Bocth ſtagno Phacetis, filia Veneris, in Piſcem ſit transfigurata; quam Syri Deam nominaverunt.* Ubi malim, *Syriam Deam*. Subjungit deinde: *Quidam autem dicunt, quòd de ſtagno filiam Veneris ſalvaverit. Unde uſque hodie Syri Piſces argenteos in templo ſacraverunt.* Quàm verò ridiculum, ac jocoſum, quod ait, hujus piſcis illos Zodiaci piſces eſſe nepotes. A quo paullum abit Hyginus, cùm filios facit. Sic enim de hoc Auſtrali piſce ſcribit: *Eratoſthenes autem ex eo piſce natos hos eſſe dicit, de quo poſt dicemus.* Ubi vulgo legitur: *natos homines dicit.* Fortaſſe tamen pro *homines* ſuffecerit, ſi *hos* reſcribas: quod placuit clariſſimo Salmaſio. Nam potuit librarius putare, *hos* compendio literarum, lineolaque ſuperducta, pro *homines* ſcriptum fuiſſe. Etiam in ſuperiori Hygini loco pro *Phacetis* legendum videtur *Aphacitis*: quod monitum Seldeno d. Vel, quod non minus placet, *Phacetis*, aut *Phacitis*, ſit factum ex *Aphacitis*; ut *Derceto*, ex *Atergatis*; quemadmodum dictum lib. I, cap. XXIII. Faciléque eidem adſenſero Seldeno, apud Macrobium, cujus verba adduximus cap. IV hujus libri, pro *Architidis Veneris* reponenti *Aphacitidis*. Niſi *Phacetidis* malis, ut eſt apud Hyginum. Aphacitis Venus memoratur Euſebio in vita Conſtantini lib. III, cap. LIII. Nam Græcè eſt, ἄλσος ἦν καὶ τέμενος ἐν ἀκρωρείας μέρει τοῦ Λιβάνου ἐν Ἀφάκοις ἱδρυμένον· hoc eſt, *nemus, & delubrum in parte verticis montis Libani in Aphacis exſtructum.* Ubi pro *in Aphacis* perperam Muſculus, *in fruticeto*: uti Chriſtophorſonus, *inter arbuſta*. Hoc Aphacitidis Veneris templum demolitus Conſtantinus M. ut

b In Poëtico Aſtronom.
c In Arateis.
d De Diis Syris Syntagm. 2, cap 3.

ut ibidem ſcribit Euſebius: item Socrates lib. I, cap. XIV, ubi dicitur τὸ ἐν Ἀφάκοις τοῦ Λιβάνου ἱερὸν τῆς Ἀφροδίτης· *templum Veneris in Aphacis ad montem Libanum.* & Sozomenus lib. II, cap. IV, cui eſt, ναὸς ὁ ἐν Ἀφάκοις τῆς Ἀφροδίτης περὶ τὸν Λίβανον τὸ ὄρος, καὶ Ἄδωνιν τὸν ποταμόν. Quod apud Caſſiodorum in Tripartita lib. II, cap. XX, ſic redditur, *In Aphacu juxta montem Libanum, & Adonim fluvium, Veneris domus.* Similiter Nicephori interpres lib. VIII, cap. XXXIII, *Apud Aphacos ad Libanum montem Veneris delubrum.* Orteliοque in Theſauro Geographico jamdiu obſervatus locus ille Zoſimi lib. I, ubi de Zenobia ab Aureliano capta agit: Ἄφακα χωρίον ἐστὶ μέσον Ἡλιουπόλεώς τε καὶ Βίβλου, ἐν ᾧ ναὸς Ἀφροδίτης ἵδρυται. *Aphaca locus eſt inter Heliopolin, & Biblum, ubi fanum Veneris eſt conſtitutum.*

In Septentrionalibus extra Zodiacum ſignis eſt is, qui Græcis Ἐν γόνασι dicitur; impropriè ſatis, quando non utroque genu, ſed altero tantùm poplite nititur. Aliter tamen de hac imagine Cicero in Arateis:

Ἐν γόνασιν vocitant, genibus quod nixa feratur.

Quis ille geniculator ſit, diu non convênit; his Theſeum, illis Orpheum; aliis Thamyrim, vel alium, exiſtimantibus. Panyaſis autem tradidit eſſe Herculem: quod indicat Feſtus Avienus in Arateis:

Illa laboranti ſimilis ſuccedit imago
Protinus, expertem quam quondam dixit Aratus
Nominis, & cujus latuit quoque cauſſa laboris.
Panyaſi ſed nota tamen, cui longior ætas
Eruit excuſſis arcana negotia rebus.

Sententia eſt, Aratum neſciſſe nomen ſideris: ſed ſciſſe Panyaſin; qui ut ſeculis aliquot Arato erat antiquior, ita melius noſſe potuit res vetuſtate propemodum obliteratas. Fuit Panyaſis ille Herodoti vel avunculus, vel patruelis: quod ejus antiquitatem arguit. Is hanc imaginem eſſe Herculem dixit. Quod traditum ab eo in Heracleide, XIV librorum opere, quo geſta Herculis complectebatur. Plura de eo diximus in Hiſtoricis Græcis lib. IV, cap. VI. Panyaſin in eo ſecutus quoque Eratoſthenes. Unde Hyginus in poët. aſtron. *Engonaſim Eratoſthenes Herculem dicit, ſupra draconem collocatum.*

Apud eundem legas, ut Ophiuchus, qui Latinis *Anguitenens*, & *Serpentarius*, ab aliis quidem creditus ſit Hercules, à quo in Lydia ad fluvium Sagarim ſerpens eſt interemtus: ab aliis verò Æſculapius, in cujus tutela eſt anguis. Poſteriorem ſententiam etiam Servius ſequitur in XI Æn. ubi agit de Minervæ ſidere. Verba ejus paullo poſt adducam. Et hæc quidem ſidera ſunt extra Zodiacum.

Videamus nunc de Zodiaci ſignis. Aries habitus eſt Jupiter Ammon: ut traditum Iſidoro lib. III Orig. cap. ult. Eique hac parte prævit Germanici interpres: *Nigidius hunc Arietem dicit ducem & principem eſſe ſignorum Zodiaci circuli. Immortali autem honore donatum, quod cùm Liber exercitum in Africam duceret, & aquæ inopiam pateretur; ſubitò Aries ex arena exivit, & Liberum cum ſuo exercitu ad aquam perduxit divinitus. Hoc facto Liber eum Arietem Iovem Ammonem appellavit, eique fanum magnificum fecit eo in loco, in quo reperta eſt aqua: & abeſt ab Alexandria itinere dierum novem. Præterea Aries dux aquæ immortalis mutatus, & cœli ſidera conſecutus.* De genitura Arietis ejus hæc corruptiſſimè ſic in Morellii editione leguntur: *Genitum autem hunc Arietem dicunt ex Neptuno, & Theophane, Altidis* (lego *Atidis*) *filia: quam cum adamaſſet, in inſulam Crimiſſam* (malim *Crioneſon*, Κριοῦ νῆσον, hoc eſt, Arietis inſulam) *traduxit, inque ovem convertit: cum qua in Arietem mutatus, concubuit; ex qua aries Chryſovellus natus.* Ubi pro *Chryſovellus* lege *Chryſomallus*, χρυσόμαλλος, hoc eſt, *aurati velleris.*

Nec Aries ſolùm Iovis ſymbolum; ſed etiam Minervæ. Unde Maro XI Æn.

Supplicia, & ſcelerum pœnas expendimus omnes
Vel Priamo miſeranda domus: ſcit triſte Minervæ
Sidus, & Euboicæ cautes, ultorque Caphareus.

Ubi eruditè Servius: *Revera conſtat, Græcos tempeſtate laboraſſe æquinoctio vernali; quando manubiæ Minervales, id eſt, fulmina, tempeſtates graviſſimas commovent: unde peritè dicendo* SIDUS, *utrumque complexus eſt. nam ſidus & tempeſtatem ſignificat, & revera ſidus. Hæc autem numina, quæ inter ſidera non videmus, licet ſua ſigna propria non habeant, cum aliis poteſtate ſunt permixta. Ut Ophiuchus ipſe eſt Æſculapii: Gemini Apollinis & Herculis eſſe dicuntur: ſic Minervæ Aries eſſe dignoſcitur.* Neque, cùm Minerva ſit conſilii Dea, obſcurum eſt, cur Aries Minervæ ſidus ſit. Quippe ipſe eſt dux ſignorum: ut ex ſuo conſilio præcedat; cætera ex ejus conſilio ſequantur. Hinc Manilius in ſecundo Aſtronom.

Conſilium ipſe ſuum eſt Aries, ut principe dignum
eſt:
Audit ſe, Libramque videt.

Neque Iovi patri injuria fit, ſi & filiæ ejus Minervæ hoc ſignum dicatur, quando amborum conſilium idem; quodque filiæ, id quoque patri collibitum eſt. Unde Callimachus in Palladis Lavacro:

Ὣς φαμένα κατένευσε. τὸ δ' ἐντελές, ᾧ κ' ἐπινεύσῃ
Παλλάς· ἐπεὶ μώνᾳ Ζεὺς τόγε θυγατέρων
Δῶκεν Ἀθαναίᾳ, πατρῷα πάντα φέρεσθαι.

Hoc ſic vertit Politianus:

Adnuit his Pallas dictis; quodque adnuit illa,
Perficitur. ſoli Iupiter hoc tribuit
Natarum è turba, quæ ſint patris, omnia ferre.

Quod ſi ab Ægyptiis princeps Zodiaci ſignum figuram Arietis accepit in honorem Chami, ſive Iovis Ammonis, qui ad potentiam ſignificandam arietinis fingebatur cornibus: quid impedit, quo minùs credamus, ſecundum Zodiaci ſignum figuram accepiſſe Tauri: perque illud intellectum vel filium Chami Oſirim, ſive Meſorim, ſeu Mizraim: à quo Ægyptus edocta agriculturam (quippe & agriculturæ ſymbolum erat bos:) vel Joſephum patriarcham, qui propter ſervatam in fame ingenti Ægyptum bovis ſymbolum meruit, & tandem in eo divinos adeptus eſt honores: ut fusè oſtendimus lib. I, cap. XXIX. Inque hac de Joſepho conjectura præeuntem videas illuſtriſſimum, & omni laude majorem, Hugonem Grotium, in Sophomphania tragœdia: ubi ab eo Phamo inducitur ſic Joſephum compellans:

Tibi ſalutem debet Ægyptus ſuam,
Et ego quietem. Cuncta quòd non à viris
Deſerta ſquallent arva, quod terris nova
Spes manet aratri, muneris totum tui eſt.
Ideoque honores ad tuos addi volo,
Vt, more Eoæ gentis, aſtriferæ plagæ
In ſpatia venias nominis titulo tui,
Grandiſque meriti grande monumentum ferat
Agricola Taurus, arce ſidereâ micans:
Sicut propinquas Arietis ſtellas tenet
Inſcriptus Hammon, Meſoris antiqui pater.

Quos eò lubentiùs verſus appoſui, quia ex eo ſunt poëmate, quod cùm argumento & tractatione omnibus bonis doctiſque amori ſit & admirationi: tanto impenſius à me amatur, quanto majoris me facere æquum eſt; ut cujus, licet immerentis, nomini inſcriptum prodire ſummus vir juſſerit in lucem.

Gemini, quos Græci ſimiliter Διδύμους nuncupant, receptiori Aſtrologorum opinione ſunt *Tyndaridæ*, ſive *Ledæi juvenes*, Caſtor & Pollux: quos (ut Hyginus [a] ait) *Iupiter inter notiſſima ſidera conſtituiſſe exiſtimatur; Neptunus autem pari conſilio muneraſſe: nam equos his, quibus utuntur, donavit; & dedit poteſtatem naufragis ſaluti eſſe.* Hic Horatius lib. I, od. III:

Sic fratres Helenæ, lucida ſidera,
Ventorumque pater.

Et Od. XII:

[a] *In poët. aſtronom. cap. de Geminis.*

Dicam & Alciden, puerosque Ledæ;
Hunc equis, illum ſuperare pugnis
Nobilem: quorum ſimul alba nautis
Stella refulſit,
Defluit ſaxis agitatus humor,
Concidunt venti, fugiuntque nubes,
Et minax (quod ſic voluere) ponto
Unda recumbit.

Unde hæc opinio profluxerit, docet Cæſius ſive Calpurnius Baſſus commentario in Aratea Cæſaris Germanici; ubi ſic ſcribit: *Nigidius dicit, Caſtorem & Pollucem, Tyndaridas, Geminorum honore decoratos, quod principes pacationis dicantur: quòd mare totum prædonibus maleficiſque pacatum reddidiſſent, & quo in tempore navigaverint cum Jaſone atque Hercule ad pellem inauratam auferendam, multis laboribus tempeſtatibuſque conflicti, periculorum atque animorum experti, impendia laboribus liberare ſtuduerunt: atque cum à Iove eſſent elati, petierunt à patre, ut ſibi liceret in eo cæli loco conſtitui, unde mortalibus auxiliantes proſpicere poſſent.*

Non tamen in hoc omnes conveniunt. Nam, ut Hyginus ait in poëtico Aſtron. *Alii dixerunt, Herculem eſſe, & Apollinem. Nonnulli etiam Triptolemum, & Jaſiona, à Cerere dilectos, & ad ſidera perlatos.* Priorem opinionem etiam apud Servium legas in illis, quæ de Ariete, Minervæ ſigno, adduximus: eamque Arabes ſunt ſecuti, quibus ille Cancro vicinior, *Abrachaleus* appellatur; alter, *Avellar*: ſed hoc, ut Scaligero *a* monitum, ex *Apollo* eſt corruptum; illud autem ex Ἡρακλῆς, à quo recto obtinet patrius caſus Ἡρακλῆος. Sed en alias etiam opiniones duas, ex memorato antea interprete Germanici. *Alii*, inquit, *volunt Zethum, & Amphionem, eſſe: ideo unus zonam, alter lyram habet. Nigidius Deos Samothracas dixit; quorum argumentum nefas ſit ememorare: propter eos, qui myſteriis præſunt.* Ita rectè Hugoni Grotio *b* emendatum, ubi pro *ememorare* vulgo *enumerare*. Cùm verò Nigidius Geminos ait eſſe eoſdem, ac *Deos Samothraces*; ducem ſequitur eum, cujus ſub Orphei nomine hymni vel Initia potiùs exſtant. Nam Carmine eo, quod Κουρήτων θυμίαμα inſcribitur, ſic de iis canit:

Οἵ τε Σαμοθρᾴκην ἱερὴν χθόνα ναιετάοντες.
Quique Samothracen ſacram tellurem habitantes.

Et poſt aliqua:

Κουρῆτες Κορύβαντες, ἀνάκτορες εὐδύνατοί τε,
Ἐν Σαμοθρᾴκῃ ἄνακτες·
Divi Curetes, Corybantes, & induperantes,
Dique Potes, Reges Samothraces.

Et mox:

Οἵ τε καὶ οὐράνιοι Δίδυμοι κλῄζεσθ' ἐν Ὀλύμπῳ.
Et qui cæleſtes Gemini vocitamini Olympo.

Virginis ſignum, ex vulgari ſententia, eſt Aſtræa, ſive Juſtitia, vel Æquitas. Hinc Aratus:

—— καί ἑ Δίκην καλέουσι.
—— *Et Juſtitiam vocitarunt.*

Hæc, hominibus ab æquitate declinantibus, ad ſuperos tranſiit; ut Nigidius ait apud Germanici interpretem. Ac continuò ante legas ibidem: *Nonnulli eam eſſe Cererem, eo quod ſpicas teneat; alii Atergatin; quidam verò Fortunam, pro eo quod ſine capite aſtris infertur.* Similiter Hyginus in Virginis ſigno: *Sed hanc alii Fortunam, alii Cererem dixerunt. Et hoc magis non convenit inter eos, quòd caput ejus nimium obſcurum videtur.*

Feſtus Avienus in Arati Phænomenis:

Aut Peluſiaci magis es Dea litoris Iſis,
Digna tori conſors, & cura latrantis Anubis:
Seu tu diva Ceres.

Nihil verò attinebat pro diverſis adferre opinionibus, quòd aliis ſit Iſis; aliis Ceres. Nam, quæ Iſis Ægyptiis, hæc Ceres erat Romanis. Eſſe verò Cererem potiùs, quàm Fortunam, eo comprobatur, quòd ſpicam manu teneat; ut mox ſubjicit Avienus. Sed verſus ſunt corruptiſſimi, quos ſic corrigebat maximus Salmaſius:

—— *Sic nam tibi fragrat ariſta,*
Et ſeu Siriaco torretur ſpica calore
Protentata manu: ſeu qua pernicibus alis, &c.

Aliis autem Virgo non eſt Juſtitia, vel Ceres: ſed Concordia, vel Pax. Pro Cerere eſt Virginis imago in veteri Venetâ Hygini editione *a* expreſſa. Nam ſpicas manu tenet. Sed pro Concordia, aut Pace, eſt illa veteris MSSi à Commelino in Hygino ſuo, item ab H. Grotio in Arateis Germanici, efformata: ubi manu dextrâ olivam, ſiniſtrâ caduceum tenuit. Concordiam verò, & Pacem, inter numina eſſe habita, ſatis convenit. Nam Concordiæ templum fuit in Capitolio juxta ædem Junonis Monetæ. Pax templum habuit foro proximum: quod Cæſar quidem Claudius exorſus fuit; Veſpaſianus verò abſolvit. Atque eò reſpexit Cæſar Domitianus cognomento Germanicus, in Arateis ad patrem ſuum Veſpaſianum:

Pax tua, tuque adſis nato, numenque ſecundes.

Eadem vocabatur *Panda*. Gloſſ. Philoxeni: *Panda*, Εἰρήνης θεός *b*. Nomen ex eo fuerit, quia pacis tempore pandantur urbium portæ. Aliis tamen placet, *Pandam* eſſe Cererem; atque eo ſic dictam, quia panem daret. Varro lib. I de vita populi Romani *c*: *Hanc Deam Ælius putat eſſe Cererem; ſed quòd in aſylum qui confugiſſet, panis daretur, eſſe nomen fictum à pane dando pandere, quod eſt aperire.* Sed *pando* non eſt à *panem do*; verum ex πετάω, quod idem notat. Onomaſticum: *Pando*, πετάζω. N inſertum, ut à πήγω ſive Dorico πάγω, *pango*, à θίγω, *tango*, à πτίσσω, *pinſo*, & ſimilia. Nec *Panda* eſt Ceres, cùm apertè diſtinguat Varro ipſe, Satyra Menippea, quæ inſcribitur Σκιαμαχία *d*:

Ted Anna e Perenna, Panda f, *te Lato* g, *Pales,*
Neriene, & h *Minerva, Fortuna, ac Ceres.*

Alia prætereà ſententia eſt. Nam apud Arnobium lib. IV legas, *quòd Tito Tatio Capitolinum ut caperet collem, viam pandere atque aperire permiſſum eſſet, Deam Pandam eſſe appellatam, vel Panticam.*

Piſces duo à veteribus dicuntur Dii Syri. Germanicus in Arateis:

—— *Et Syriæ duo numina Piſces.*

Numina ea ſunt Venus, & Cupido: ut oſtendunt hæc Hygini verba in poëtico Aſtronom. *Diogenetes Erythræus ait, quodam tempore Venerem cum Cupidine ad flumen Euphraten veniſſe, & eodem loco repentè Typhona giganta apparuiſſe. Venerem autem cum filio in flumen ſe projeciſſe, & ita figuram piſcium formâ mutaſſe: quo pacto periculo eſſe liberatos. Itaque poſteà Syros, qui locis ſunt proximi, deſtitiſſe piſces eſitare, quod vereantur eos capere: ne ſimili cauſſa aut Deorum præſidia impugnare videantur, aut eos ipſos captare.* Aliter tamen ex Nigidio Germanici interpres; qui ait, hos eſſe Piſces, qui ex Euphrate evolverunt ingens ovum illud, unde, cùm columba ei inſediſſet, poſt aliquot dies nata eſt Dea Syria, quæ dicitur Venus: eoque Syros piſcium, & columbarum eſu abſtinere. Quia verò Syri capturam piſcium averſati; ut ex Hygino antè vidimus; eò poëta incertus in VI Ἀνθολογίας *i* ait, Heliodorum rete ſuum dicaſſe Deæ Syriæ: ſed

Ἁγνὸν ἀπ' ἰχθυβόλων θήρης·
Purum ab venatione piſces capiente.

Nam ſi piſces eo jam capti fuiſſent, reti hujuſmodi nihil fuiſſet Deæ ingratius. Credebant autem, illis, qui piſces eſitarent, tumorem à Dea Syria inmitti. Unde Martialis lib. IV, epigr. XLIII:

Iuro per Syrios tibi tumores.

Perſius ſat. V *k*:

Incuſſere Deos inflantes corpora.

Hoc eſt, Deam Syriam, quam Venerem dicunt, & filium ejus Cupidinem. Vide Scaligerum ad Manilium *l*; & Salmaſium in Solini Polyhiſtora *m*, quæque de Atergatis cultu dicebamus lib. I, cap. XXIII: ubi Deam Syriam, ut animale numen ſpectavimus; hic verò, ut naturale, conſideramus: quomodo tum in Luna colitur, uti dictum antea; tum in Piſcium ſigno, quemadmodum proximè expoſuimus.

a *In Manil.*
b *Notis in Aratea*

a *Anni* 1512.
b *Pacis Dea.*
c *Apud Nonium in* Pandere.
d *Apud Agellium lib. 13. cap. 21.*
e *Bad. Aſcenſius edidit,* Theanna. *Sed rectum* Ted. *Inſertum* D *ad explendum hiatum: quo de more vide, quæ dixi lib. 2 de arte Grammatica, c. 14.*
f *Aſcenſius,* Pranda: *ſed perperam.*
g *Aſcenſii editio,* Celato. *Unde faciendum* Te Lato. *Nempe Doricum* Λατώ, *pro* Λητώ.
h *Copula* & *eſt in Aſcenſiana: quæ malè in Stephanica præteritur. Niſi malis,* Te Neriene: *quod placuit Carrioni Antiquarum Lect. l. 1. cap. 1.*
i *Tit.* περὶ ἁλιέων, de piſcatoribus.
k *Verſ.* 187.
l *P.* 344. *edit. Raphelang.*
m *P.* 282.

Nec

Nec ſolùm Oriens, & ejus exemplo, Græci, ac Romani, ſtellas omnes pro Diis habuere; ſed etiam gentes aliæ: quod uti de erraticis antea oſtenſum, ita de fixis ex variis conſtat ſcriptoribus. Imò ſuperiori, noſtroque ſeculo, idem honos iis fuit apud Peruanos: qui, Acoſta teſte, præter Deum creatorem, (quem ſuâ linguâ *Viracocham*, ac, poſt commercia cum Hiſpanis, etiam *Dios* nuncupant) venerati quoque ſunt Solem, Lunam, erraticas quinque, & ſtellas cæteras. Hiſpanicum hunc ſcriptorem, ſed Latinè loquentem *a*, audiamus: *Ex ſtellis Colca, quem nos Cabrillas ſive Capellam vocamus, invocarunt. Et ſtellis quidem aliis hoc, aliis aliud munus, injungebant: quæ deinde ſingulæ à ſingulis adorabantur, prout cujuſque neceſſitas poſcebat. Opiliones ſtellam Urcuchillay adorabant. Eam Arietem diverſicolorem fingebant; cujus hæc unica eſſet cura, ut cuſtodiret pecora. Putatur vero id ſidus, quod Aſtrologi Lyram nuncupant. Præter has duas, etiam alias eis vicinas invocabant, Catuchillay, & Urcuchillay dictas. Finguntque earum alteram ovem, alteram agnum eſſe. Fuere, qui ſtellam aliam Machuacuai venerarentur, ſerpentibus, ac colubris, imperantem; à quibus hoc pacto ſe tutos fore perſuaſum habent. Itidem aliam adorant ſtellam Chuquichinchai, id eſt, tigrem vocatam: quam tigribus, urſis, ac leonibus præfectam tradunt. Nullum uſpiam animal, ſeu quadrupes, ſeu volatile, in terra eſſe credebant, cujus ſimulachrum in cælo non ſplenderet; unde ſimile in terris procrearetur, ſuumque acciperet incrementum. Itaque cum diverſiſſimis ſtellis ipſis res erat; quas Chacana, Topatarca, Mamana, Mirco, Mequiquiray, & aliter nominabant; adeoque cum Platone, ubi de Ideis tradit, apprime conſentiebant.* Atque hæc de ſideribus univerſis: quorum admiranda naturâ, & tot bona, cùm quaſi manu ducere poſſent, ac deberent, ad opificem, rectoremque ſupremum: pravitate tamen humani cordis planè contrà evênit, ut nationes non altiùs adſurgentes in corpore hoc ſenſibili ſubſiſterent, ac ut Solem, & Lunam, ſic ſtellas tum erraticas, tum adfixas, veris pro numinibus haberent.

a Lib. 5. cap. 2.

CAP. XXXVII.

Priusne Æthera, an Sidera, coluerint, diſſertatum. Gemina adfertur ratio, cur ſpatium inter ſidera, ac terras, neceſſe fuerit corpore oppleri. Unde αἰθὴρ, & οὐρανὸς, nuncupentur. Cælus *Latinis, qui Græcis* Uranus; *& cur ſtatuatur Saturni parens: quare item dicatur genitalibus deſtitui. Qui Ἄκμων, & Ἀκμονίδης dicantur. Iovem non Saturni modò, ſed etiam Ætheris, habitum filium. Perſis quoque Cælum fuiſſe pro Deo: item Pythagoræ; qui tamen non pro ſummo habuerit Deo; ſed tali, quem ſummus crearit: imò &* divûm lyram *à Pythagoricis vocari.*

A Cultu Solis, Lunæ, & Stellarum, ab aliis quidem cogitari cœpit de divino honore Ætheri præſtando, ſive Cœlo; ab aliis autem de eodem Elementis exhibendo. Quanquam exiſtimare aliquis poſſit, mortales, cùm primò recedi cœpit à Deo, pro vero numine, univerſum hoc moderante, totam coluiſſe naturam, ſub nominibus Molochi, Saturni, atque aliis: poſtea autem eos hac veneratione dignatos eſſe ſuperiorem, & nobiliorem Naturæ partem; puta Æthera, vel Cœlum, quod Iovem nuncuparunt. Imò quòd Jupiter fugâſſe Saturnum de regno dicitur, id queas ſic interpretari, quòd pro Natura tota, quæ eſt Saturnus, præcipuè cultui eſſe cœperit Æther ſive Jupiter. Quo pacto ſi proceſſum fuit; poſt Æthera demum, ſive Iovem, cultus ſit Apollo ſive Sol. Nam ut Naturæ pars Æther, ſic Ætheris Sol; quippe Iovis oculus alter, ut tradiderunt. Verùm contra hæc ſtatuendum, divini honoris decus eſſe priùs attributum ignibus illis cæleſtibus, quàm ætheri. Atque hoc ex eo non obſcurè colligimus, quòd illorum, & magnitudinem, & pulcritudinem, ac ſummam etiam utilitatem, viderent univerſi; ætheris non item: imò multorum ea foret opinio, quòd æthera dicimus, nihil aliud eſſe, quàm magnum inane, per quod ſidera ſuum conficerent curſum. Quos interea nimium quantum ratio fugit. Nam neceſſe fuit, cælum corporeæ eſſe ſubſtantiæ, quò duplicem præſtaret uſum: unum ſideribus ferendis, quia, ut Peripatetici ſciſcunt, omnis motus fit ſuper immobili: alterum verò, ut ſidera agere poſſent in inferiora, quod fieri non poterat, ſine contactu, ſive is per ſe foret, & ſine corporis alterius interventu, ſive per aliquod fieret intermedium. Ut neceſſe ſit omnia vel continua eſſe, vel contigua ſaltem, quò ſuperiora poſſint inferioribus impertire lumen ac calorem ſuum. Cùm igitur à ſiderum cultu deventum ſit ad venerationem Cœli: ordinis hoc ratio exigere videtur, ut poſtquam de ſideribus, quod ſatis eſt, diximus, nunc ad Cœlum ſe noſtra convertat oratio.

Quod Latinis Cœlum, id Hebræis שָׁמַיִם ſchamaim. Vocis ejus etymon inferiùs adducam. Thalmudici in Bereſchit rabba ſect. IV, adducunt ſeptem alia cæli nomina: ſed quæ parum huc faciant. Græcis dicitur αἰθὴρ, ſive ἀπὸ τοῦ ἀεὶ θεῖν hoc eſt, Appulejo interprete, *quòd curſibus rapidis ſemper rotetur*; quæ Ariſtotelis *a* opinio erat: ſive, ut Anaxagoras putabat, ἀπὸ τοῦ αἴθεσθαι, hoc eſt, *ab urendo*, quia igneus ſit, & incenſus: vel ut aqueæ, aut aëreæ ſit naturæ; tamen complectantur ignes illos cæleſtes, quos ſidera dicimus: ſive ab אַדִּיר addir; quod quantitatem pariter, & qualitatem comprehendit, & nunc *ingens*, vel *ſublimis*; nunc *præclarus*, vel *potens*, exponitur. Quæ non malè ætheri conveniunt; unde Ennius in Thyeſte:

Aſpice hoc ſublime candens, quem vocant omnes Iovem.

Etiam apud Ciceronem habes in II de Nat. Deor.

Vides ſublime, fuſum, immoderatum æthera.

Quod ex Euripide eſſe expreſſum, alibi oſtendimus *b*.

Οὐρανὸς verò eſt, non ex eo, quia omnia cernat; nempe ab ὁρᾶν, *videre*, & ἄνω, *ſurſum*; quod voluit Plato: non παρὰ τὸ ὁρῶ, τὸ φυλάττω, quod cuſtodiat omnia, ac conſervet: non ἀπὸ τοῦ ὁρίζειν, *finire*, quia univerſam rerum naturam terminet: ſed à Chaldaico אוּרָא ora, hoc eſt, *lux*: unde & ὁρᾶν, & αὔριον *c*, & *aurora*, & *aura* pro ſplendore, & *aurum*. Ipſum verò eſt ab אוּר, *lucere*, *illuminare*. Unde & אוּר ur, *ignis*: à quo *uro*, & Græcum πῦρ *d*, & πυρῶ *e*, & *buro*, ex quo *buſtum*, & *comburo*.

Latinis Οὐρανὸς eſt *Cœlum*, & antiquè *Cælus*: de cujus etymo in Originibus diximus. Pro numine uſus Ennius I Annal.

Saturnus, quem Cælu' genit.

Teſtes Nonius in *Cælus*, & Chariſ. lib. I. Ac habes quoque in antiqua inſcriptione Romæ effoſſâ in monte Cælio: OPTIMUS MAXIMUS CÆLUS ÆTERNUS. Integram vide apud Aldum in Orthographia, & Inſcript. Grut. Ac meminere etiam Benedictus Ægius, notis in Apollodorum, & Stephanus Pighius in Themide Dea. Adi etiam, quæ diximus Grammaticæ Artis lib. I de Analogia, cap. XXXVII.

Ut verò *Cælus* Romanis erat numen, ſic Græcis Uranus: unde Saturnus Οὐρανίων, quaſi *Cæli filius*. Quod optimè convenit cum Ennii verbis proximè adductis. Sed ſi Saturnus eſt rerum natura, Cœlus pars naturæ ſublimior: quomodo Saturnus Cæli filius? Nam liberi potiùs pars ſunt parentum. Dixerim, qui Saturnum Cæli filium vocarunt, conſiderâſſe eum, vel ut planetarum ſupremum; qui verè Cæli pars, quatenus uno complexu orbes, & ſidera, conſideramus: vel per Saturnum hìc ſignari tempus, qui cæli quodammodo eſt effectus. Nam menſura ejus petitur è motu cæleſti: quam rationem adfert Claudius Thuſcus *f*: Ὁ γὰρ χρόνος ἐκ τῆς τοῦ οὐρανοῦ κινήσεως γεγένηται· *Tempus ex cæli motibus procedit.*

Quæritur porrò, cur Cælus dicatur genitalibus privatus à Saturno. Cenſeo eò reſpexiſſe, quòd Cælum vel tempore, vel naturâ ſaltem, prius ſit ſideribus: ſidera autem ſint cæli pars, eòque quaſi progenies cæli cenſeantur: præſer-

a Lib. I de cælo, cap 3 ac ſimiliter ſcriptor libri de mundo, & paraphraſtes ejus Apulejus.

b Orator. Inſtit. l. 4. cap 6. ſect. 7.

c Cras.

d Ignis.

e Uro.

f Apud Columnam in Ennii Fragmenta.

tim ſi cælum igneum eſt, nec ſidera aliud ſunt, quàm ignes cæleſtes: uti ſatis conſentaneum eſt iis, quibus *æther* ἀπὸ τοῦ αἴθειν *a* dictus videtur. Nec minùs convenit Peripateticorum ſententiæ: quando ſidera iis nihil aliud ſunt, quàm denſiores, eoque lucidiores ſui orbis partes. Quod ſi Cælus ſit ſiderum parens; non abſurdè à poëtis dicitur, priùs habuiſſe genitalia; hoc eſt, vim aliquid ex ſe producendi. Sed, productis ſideribus, deſiit illa vis; quia, ut communior eſt opinio, nihil novi gignitur in cælo. Ab eo igitur tempore reſecta dicuntur genitalia. Nihil quidem, niſi vi cæleſti, generatur in terris, vel aquis. Sed non ſunt ea naturæ cæleſtis, uti ſidera; quibus convenientiùs tribuitur filiorum nomen; præſertim ſi planè ejuſdem ſunt materiæ, ac parens Cælus. Atque hæc, ſi rem potiùs, quàm fabulæ involucrum, ſpectes; magnam conveniunt partem hiſtoriæ Moſaicæ: quæ narrat, primo die conditum eſſe cœlum, ſed mornatum: die autem quarto eſſe ſtellis exornatum, ac diſtinctum. Unus ſolùm ſcrupulus reſtat; an, ex Moſaica mente, ſol, luna, ſidera, ſint ex cæleſti corpore confecta. Ita vulgò dictitant, quibus digitum tranſverſum ab Ariſtotele recedere religio eſt. Mihi longè fit veriſimilius, Deum ex corpore illo lucido, quod primo diem triduo efficiebat, feciſſe in cælo tum magna duo luminaria, tum etiam ſtellas. Quod pleniùs poſteà *b* explicabitur.

a Ab urendo.

b Cap. 39.

Quæri præterea video, utrùm Saturnus, an Cælus, intelligi debeat apud Theocritum, vel potiùs Simmiam Rhodium, in Alis, cùm ait: Λεῦσσέ με τὸν γᾶς τε βαθυστέρνου ἄνακτ' Ἀκμονίδαν· *Cerne me Telluris lato pectore præditæ regem Acmonidem.* Sanè ſcholiaſtes ad hæc verba ſic annotavit: Ἀκμονίδαν δὲ λέγει τὸν Οὐρανόν· *Acmonidem autem dicit Cælum.* Non diſplicet, ſi potiùs intelligamus Cæli filium. Quippe patronymicum eſt ex Ἄκμων, quo non *incus* modò notatur, ſed etiam *Cælum*: quod ſic dicitur, quaſi ἀκάμας, ſive ἄκμητος, *indefeſſus*. Nec enim cælum ſeu ſidera unquam circuitu perpetuo fatigantur. Niſi malis, ipſum Cæli patrem ſic dictum; deque natura ejus colligi ex natura Cæli; quia parentes, ac liberi, ejuſdem eſſe ſoleant participes naturæ. Utrique ſententiæ favet Heſychius. Sic enim ille: Ἀκμονίδης, ὁ Χάρων, καὶ ὁ Οὐρανός. Ἄκμονος γὰρ παῖς· *Acmonides, Charon, & Cælus. Nam Acmonis filius.* Ac continuò ſubditur: Ἄκμων, ἀπαθὴς, Κρόνος, Οὐρανός, ἡ σίδηρον ἐφ' ᾧ ὁ χαλκεὺς χαλκεύει. *Acmon, omnia perferens, Saturnus, Cælus, vel incus.* Vide & Euſtathium in Iliad. Σ *c*, & Etymologicon in Ἄκμων. Sed de hoc, ut videtur, diſſenſu, eo minùs laborandum, quia pro diverſa conſiderandi ratione, ut inferiùs oſtendam, unum idemque numen, nunc Saturnus, nunc Cœlus, videatur. Unde & Jupiter, non modò Κρονίδης ſive *Saturnius* dicitur; ſed etiam Ætheris filius: ut legere eſt apud Clementem Alexandrinum Admonitione ad Gentes. Sed uſitatius Græci Romanique per Iovem intellexere cælum. Quod factum imitatione Orientis, inque his Perſarum: de quibus ita Herodotus in primo: Κύκλον πάντα τοῦ οὐρανοῦ Δία καλέοντες· *omnem Cæli gyrum vocantes Iovem.* Et Strabo in XVI: Τὸν οὐρανὸν ἡγούμενοι Δία· *Cælum exiſtimantes Iovem.* In hac opinione non modò vulgus Græcorum ſtultè cum Perſis ſapiebat: ſed etiam Plato in Epinomide, unde & ea verba exſcripſit Theo Smyrnæus lib. I Mathematic. cap. I *d*: Τίνα δὴ καὶ σεμνύνων ποτὲ λέγω Θεόν, ὦ Μέγιλλέ τε, καὶ Κλεινία; σχεδὸν οὐρανόν. ὃν καὶ δικαιότατον, ὡς ξύμπαντες ἄλλοι δαίμονες, ἅμα καὶ θεοὶ τιμᾶν τε, καὶ εὔχεσθαι διαφερόντως αὐτῷ. τὸ δὲ καὶ τῶν ἄλλων αἴτιον ἀγαθῶν πάντων ἡμῖν αὐτὸν γεγονέναι, πάντες ἂν ὁμολογοῖμεν, δοῦναι δὲ ἅμα καὶ ἀριθμόν, &c. *Quem Deum, ô Megille, & Clinia, laudibus effero? Cælum omnino; quem Deum maximè æquum eſt cæteros omnes dæmones, & deos imitantes eximiè nos venerari, votaque, & preces apud ipſum fundere. hoc etiam omnes facile agnoſcemus bonorum omnium nobis eſſe auctorem, numerumque dediſſe, &c.* Platoni verò in hoc prævit magnus Pythagoras. Quippe & illi Cælus, ſive Æther, Deus erat; ſideraque ejus eſſe numinis oculos judicabat. Hac de re ſic Epiphanius adverſus Hæreſes lib. I, hæreſi gentilium v *a*: Σῶμα δὲ ὁ Πυθαγόρας λέγει εἶναι τὸν Θεόν, τουτέστιν οὐρανόν· ὀφθαλμοὺς δὲ αὐτοῦ καὶ τὰ ἄλλα, ὥσπερ ἐν ἀνθρώπῳ, ἥλιον καὶ σελήνην, καὶ τὰ ἄλλα ἄστρα, καὶ τὰ κατ' οὐρανὸν στοιχεῖα· *Pythagoras Deum ait eſſe corporeum: videlicet cælum: ejus oculos, cæteraſque tanquam in homine partes, Solem, & Lunam conſtituit, ac reliquas ſtellas, & elementa cæleſtia.* Sed cautè hæc capienda. Nam certum eſt, ex Pythagoræ mente unicum fuiſſe numen; à quo univerſum hoc ſit creatum. Quod veterum teſtimoniis comprobat Steuchus Eugubinus de Perenni Philoſophia lib. III, cap. III. Interim fatebatur Pythagoras, cælum etiam à ſpiritu mundi animari, ac reapſe Deum eſſe. Quod etiam Hierocles, in Aurea ſcribens Carmina, agnoſcit. Siquidem penè initio commentarii memorat τὸν δημιουργικὸν μόνον θεόν, ὃν θεὸν θεῶν κυρίως ἀνεῖπέ τις, καὶ θεὸν ὕπατον, καὶ ἄριστον· *opificem unicum Deum, quem Deum Deorum propriè aliquis dixerit, & Deum ſummum, & optimum.* At idem, ubi poſtea de quaternario tractat, ſic ſcribit; Ἔστι γὰρ δημιουργὸς τῶν ὅλων, καὶ αἰτία ἡ Τετρὰς, θεὸς νοητὸς, αἴτιος τοῦ οὐρανίου, καὶ αἰσθητοῦ θεοῦ· *Eſt Quaternarius ipſe omnium opifex, atque cauſſa, Deus mente perceptibilis, principium ac cauſſa Dei illius cæleſtis, ac qui ſenſu percipi poteſt.* Ubi clarè videmus, diſtinguere inter Deum νοητὸν, ſive qui mente percipitur; & αἰσθητὸν, ſive qui percipitur ſenſu: atque illum, quem ſymbolicè Τετράδα ſive *Quaternarium* dixit, putare ſummum Deum, omnium conditorem; hunc verò, puta Cælum, à ſummo Deo productum, inque ſenſus incurrentem. Imo fortaſſe Pythagorici quod hunc ſenſibilem Deum ſtatuerent, vulgo tantummodo dederunt: quicum loquendum, non ſapiendum, judicabant. Sanè ſic Plato ſenſit; ut alibi dicimus. Et conſtat, Pythagoreos cælum potiùs habuiſſe pro muſico Deorum organo. Nam eorum, uti & Platonis, opinio erat, circumvolutione orbium cæleſtium concitatiſſimâ admirandum excitari concentum. Atque eò, uti antea *b* dictum, reſpexit quoque Varro Sat. ὄνος λύρας:

c Romana edit. pag. 1150. verſ. 58. & pag. 1154 v. 23. & ſeq.

d Pag 10.

a Pag. edit. Pariſ. 12.

b Hujus libri c. 12.

Quàm mobilem Divûm lyram Sol ἁρμογῇ
Quadam gubernans motibus Diis veget.

Ubi videmus, cælum à Varrone nuncupari *Divûm lyram*: nempe ob ſuaviſſimam orbium cæleſtium harmoniam, quam diximus. Sed hujuſmodi harmoniam refellit Ariſtoteles lib. II de Cælo, cap. IX. Imò ne illud quidem, an complures reapſe ſint orbes cæleſtes, controverſia caret; ut inferiùs explicabitur.

Cap. XXXVIII.

Gentiles, ut cælo divinitatem tribuerent, duobus potiſſimum eſſe adductos: quorum prius ſit, quòd citra mutationem ſui duret; imò, ſi Ariſtotelem audimus, fuerit a ſe ipſo, aut nullo; vel ſi à Deo, ſaltem ab æterno; nec voluntate moveatur divinâ, ſed neceſſitate fatali. Verum impiam hanc eſſe ſententiam, & contradicere ſibi Philoſophum, dum mundum putat æternum, & nihilominus nullum in rebus ſtatuit infinitum. Elementalem materiem cælo aſſignari à Philoſophis, & claris ante Ariſtotelem, & poſtea conſecutis; item Sanctis Patribus. Utroſque etiam, & Ptolemæum ipſum, liquidam ac perviam cælo naturam tribuiſſe. Iidem Philoſophos gentium, ac veteres Theologos noſtros, ſidera crediddiſſe ignea. Occurritur Thomæ Aquinati, & aliis; qui in hoc negotio reſpuunt auctoritatem SSorum Patrum, quia hac parte, ut ajunt Platonizent.

POſtquam vidimus, ut gentiles honore divino cælum fuerint proſecuti: adferemus etiam, quæ eos ad venerationem hanc impulerint, & eâdem, quam infirma hæc fuerint, expendemus. Ac primùm eos, ut magnificè adeò de cælo ſentirent, impulit corporis ætherei ſublimitas, quia nihil eo viderent excelſius; magnitudo, quia omnia

omnia complexu ſuo contineret; pulchritudo, quia intermicantibus aſtrorum luminibus, velut floribus, eſſet pictum, ac tanquam gemmis diſtinctum; perennitas, quia nihil generetur in corpore æthereo, aut corrumpatur; ac denique immenſa operationis utilitas, cùm inferiora omnia virtute regantur cæleſti.

Ex hiſce duo poſtrema inprimis in conſiderationem veniunt; incorruptibilitas ſive perennitas, & operatio, ſive gubernatio univerſi. Nam omnes per Deum intelligunt naturam perpetuam ac conſtantem, univerſi gubernatricem. At cælum creditur incorruptibilis, ac conſtantiſſimæ naturæ. Creditur etiam in inferiora hæc agere, omniaque gubernare. Quæ cum cogitarent, ut cum Apoſtolo dicam *a*, *ἐματαιώθησαν ἐν τοῖς διαλογισμοῖς αὐτῶν*; *vani ſunt facti in cogitationibus ſuis*. Vero enim numine deſerto, cælum ſideraque pro Deo habuerunt. Atque hoc, quod diximus, palmarium erat philoſophorum argumentum: eoque dignius eſt, ut non levi brachio perſtringatur; ſed cum cura aliqua excutiatur à nobis. Faciemus hoc eo lubentius, quia utcunque gentiles in admiratione cælorum modum omnem exceſſerint: (quippe qui eo perducti ſint, ut opificium pro ipſo venerarentur opifice) tam admiranda tamen ſit corporis cæleſtis natura ac conſtitutio, ut, quibus non planè cor, Marpeſiæ inſtar cautis, obriguit, minimè in opere ſubſiſtant, ſed pertingant aliquouſque ad ejus conditorem: quantoque in notitia ejus plus profecerint, tanto magis admirentur, ament, laudibus celebrent, imò vitam ad ejus gloriam componant. Hoc igitur generoſæ eſt mentis, hoc animi pii ac devoti, quibuſdam gradibus, ex ſordibus hiſce, in quibus verſamur, attollere ſeſe ad contemplationem cæli ac ſiderum; atque ſcalis inde alteris adſcendere ad cælorum noſtrique conditorem, & gubernatorem univerſi.

a Ad Rom. 1. 28.

Perennitatem, ſive æternitatem cùm dico, non more Peripateticorum loquor; quibus Cælum ſemper fuit, ſemper erit: ſed prout eo uti vocabulo ſolemus de omnibus, quæ ſibi conſtant, naturâque ſuâ, ſeu materiæ, ſeu formæ vi, & generationem, & corruptionem, ignorant. Cujuſmodi æternitatem etiam Scholaſtici tribuerunt mundo; etſi cœpiſſe eum, & deſiturum, faterentur. Eam verò colligebant, partim ex figura & motu circulari, & quidem in loco ſublimi: partim ex duratione, quia, ut ajunt, tot ſeculis nec ſtella cælo acceſſerit, nec deceſſerit. Ariſtoteles verò longè ulterius proceſſit. Nam eò uſque ſe abripi paſſus fuit, ut ſtatueret, mundum nunquam cœpiſſe, nunquam interiturum; ac ut intelligentias, ita tum cælum ſideraque, tum elementa, putaret eſſe à ſe ipſis, cunctaque hæc eſſe coæterna: nec Deum agnoſceret, ut cauſſam ſui efficientem, ſed tantùm ut primum finem omnia ſub ſeſe ordinatiſſimè diſponentem: & proinde, ut primum appetibile, in quo poſitum ſit bonum cæterorum, quæ ab eo, ut fine, dependeant. Itaque in hoc uno conſtituebat Dei principatum, quòd principium ſit omnium, non in ratione efficientis, ſed ſolùm ratione finis: qui eſt cauſſa cauſſarum, habetque cauſſalitatem independentem, cùm non finis ab efficiente, ſed efficiens impellatur à fine.

Non pauci tamen cenſent, putaſſe Ariſtotelem, mundum eſſe à Deo, non quidem per veram efficientiam, quæ tranſmutationem requirit; ſed per impropriam, quæ emanatio dicitur, ac reſpectus ſit conſequens ad motum hunc metaphoricum. Atque iidem ajunt, mundum Deo quidem eſſe coæternum; attamen Deum, ob metaphoricam illam efficientiam, eſſe priorem mundo, non tempore, ſed naturâ; quomodo Sol prior eſt illuminatione. Fuit hæc quoque ſententia Procli: ſed rectè jam olim ei occurſum *b* fuit, etiam ſecundùm tempus, Solem eſſe priorem illuminationibus, non universè quidem, ſed ſingulatim conſideratis: quomodo &, ſi motus mundi eſſet æternus, Deus tamen anteceſſiſſet motum, non ratione totius, ſed quod ad ſingulas partes. Sed tali efficientiæ mundi, qualem Ariſtoteli affingunt, valde ipſe repugnat Philoſophus. Quippe ſic corruat demonſtratio illa in VIII Phyſicorum; ubi colligit, ſi mundus eſt factus, per motum eſſe factum. Etiam ſecundùm Ariſtotelem contradictionem implicat, efficere ſine motu: quandoquidem cùm alibi, tum Metaphyſ. lib. II, textu V, & lib. V, textu II, efficiens definitur, principium motus. Objectant ex ſecundo de Ortu & interitu, text. LI, quicquid compoſitum eſt ex materia & forma, aliud agnoſcere, à quo ſic compoſitum ſit: atque ab Ariſtotele diſertim addi, non hoc ſolùm habere locum in iis, quæ corruptioni ſunt obnoxia, ſed etiam æternis. Hinc verò ſic colligunt: cum cælum ex materia & forma componatur; habere id quoque compoſitionis ſuæ cauſſam efficientem: cumque idem ſit æternum; non poſſe efficientem ejus cauſſam eſſe aliam, quam primam Mentem. Sed qui ſic ratiocinantur, parum cogitant, Ariſtotelem illic agere non de compoſitione cæli, verùm inferiorum: in quibus æternitas conſideratur ratione ſpecierum; quæ permanent, utcunque individua fiant, & corrumpantur. In ſpeciebus igitur requirit cauſſam efficientem, eamque ſtatuit Cælum: ut ita compoſitio omnis ſublunaris, quatenus æterna, uti habet æternum principium paſſivum, materiam primam; ita etiam habeat æternam cauſſam efficientem, motum cæleſtem. Atque hoc pacto Ariſtotelis locum etiam intellexit Cæſar Cremonius de Motoribus Cæli abſtractis ſect. IV, cap. IV.

b Simplicius in 8 Phyſic digreſſione prima contra Joannem Grammaticum.

Verùm enimvero demus hoc illis, Ariſtotelem putâſſe, intelligentias ac mundum, non eſſe à ſe ipſis; ſed à Deo: ſaltem putavit ab eo eſſe non voluntate, ſed naturæ neceſſitate; ita ut non potuerint non eſſe ab æterno. Quippe exiſtimâſſet, à Dei eſſe voluntate, ſi vidiſſet, etiam potuiſſe incipere in tempore. Imò ſi credidiſſet, vel motum mundi eſſe ab eâdem voluntate; vidiſſet etiam, mundum quandoque poſſe non moveri. Nunc à Deo quidem moveri arbitratur, ſed fatali neceſſitate; ſic ut Deus non poſſit non illum movere: eaque res præcipuum eſt fundamentum, cur mundum cenſeat perennaturum; neque poſſe interire, vel non moveri. Hæc multis comprobare eſt Ariſtotelis locis: nec aliter ejus mentem cepere Simplicius, Themiſtius, Averroës: quos vide in octavum φυσικῆς ἀκροάσεως. Adi & Gregorium Ariminenſem in II Sentent. Diſt. I, Qu. I, Art. I, & Gabrielem Vaſques tom. I, Quæſt. XIX, Diſp. LXXXI, cap. I, num. III *a*: item Benedictum Pererium de communibus Princip. & Affect. lib. V, cap. VII, & toto penè lib. XV. Nec abſolvere eſt Ariſtotelem ab ἀντιλογίᾳ *b*, dum libb. φυσικῆς ἀκροάσ. *c* docet, ne cogamur infinitum agnoſcere in cauſſis ſucceſſivis, neceſſariò eſſe deveniendum ad motorem primum: atque idem è contrario in libb. de Cælo contendit, cælum ab æterno fuiſſe cum motuum ſucceſſione: quo pacto infinitæ fuerint gyrationes cæleſtes. Imò, ſi ſtatuit animas immortales, ſint animæ actu infinitæ: atqui omnem ipſe infinitatem damnat actualem.

a P. 493.

b Contradictione.

c Naturalis auſcultationis.

Super falſo adeò, atque abſurdo dogmate, quod mundus fuerit ab æterno, illud etiam exſtruxit Ariſtoteles, cælum non elementalis eſſe materiæ, qualia generantur, & corrumpuntur: ſed quinctam eſſe eſſentiam, atque hoc non in orbibus modò, ſed ſideribus etiam, locum habere. Nequis igitur illis, qui divinitatem cælo tribuerunt, aliquid in Ariſtotele præſidii relictum arbitretur; prius philoſophi ſententiam de orbium materie, deinde de materie ſiderum refellam. Bifariam autem id fiet; autoritate, & ratione. Autoritas partim philoſophorum erit gentilium, partim ſcriptorum Eccleſiaſticorum, partim Sacræ Scripturæ. Philoſophi illi vel ante Ariſtotelem fuere, vel poſt eum. Primùm igitur ei obducimus priores: qui mundum à Deo fatebantur originem ducere, ac naturæ eſſe elementalis. Ita judicavit Plato. Clarè enim in Timæo mundum ait conſtare quatuor ſolùm elementis; & ex quarto ignis elemento plurimum ineſſe cælo. Eamque opinionem fuiſſe Platonis, Taurus quoque tradidit commentario in Timæum; ut Philoponus refert. Etiam idem de Platone traditum Porphyrio, Plotino, ac Proclo. Item ante Platonem ea mens fuit Empedoclis: de quo ſic Plutarchus in placitis philoſophorum lib. IV, cap. XI, & iiſdem

a Pag. 52, 53. verbis Stobæus in Eclogis phyſicis, cap. de Cæli natura *a*: Ἐμπεδοκλῆς στερέμνιον εἶναι τὸν οὐρανὸν ἐξ ἀέρος συμπαγέντος ὑπὸ πυρὸς κρυσταλλοειδῶς, τὸ πυρῶδες καὶ τὸ ἀερῶδες ἐν ἑκατέρῳ τῶν ἡμισφαιρίων περιέχοντα· *Empedocles* (dixit) *cælum eſſe ſolidum, glaciei in modum ab igne & aëre compactum; quod ignitam aëreamque naturam in utroque globi ſemiſſe contineat.* Subdit ibidem Stobæus, Anaximandro cælum eſſe de calido, ac frigido, mixtum: quomodo & apud Achillem Tatium in Phænomena *b* legas, ſtatuiſſe eum οὐρανὸν πτηνὸν πυρὸς μετέχοντα· *cælum volucre, ignis particeps.* Parmenidi tamen, Heraclito, Stratoni, & Zenoni, tantum igneum eſt; ut ibidem tradit Stobæus. Sed quid multos adducere opus, quando Ariſtoteles ipſe agnoſcit, priores omnes cælum ſtatuiſſe, alios aëriæ, igneæ alios naturæ? Sic enim ſcribit in ſecundo de Cælo cap. IX, text. LVI: Εἴπερ ἐφέρετο τὰ σώματα τούτων, εἴτ᾽ ἐν ἀέρος πλήθει κεχυμένου κατὰ τὸ πᾶν, εἴτε πυρός, ὥσπερ ΠΑΝΤΕΣ φασίν· *Si corpora horum* (ſiderum) *ferantur, ſive in aëris multitudine per univerſum, ſive ignis, ut* OMNES *dicunt.*

b Pag. 85, edit. Flor.

Nec opinionem ſuam ſic potuit Ariſtoteles comprobare iis, qui poſtea ſunt ſecuti, ut non innumeri mallent antiquiorum ſequi ſententiam. in quibus etiam Cicero eſt in II de Nat. Deor. ubi fusè tradit, mundum univerſum quatuor conſtare elementis; quartum eſſe æthera, in quo ſidera ſint. Idem de Seneca ſtatuendum; quem videas in VII Natur. quæſt. apertè tradere, cœlum conſtare quarto ætheros ſive ignis elemento. Etiam igneum putavit Plinius. Verba ejus adferam ex lib. II. Hiſt. Natur. cap. V: *Nec de elementis video dubitari, quatuor ea eſſe; igneum ſummum; inde tot ſtellarum collucentium illos oculos. Proximum Spiritus; quem Græci, noſtrique, eodem vocabulo aëra appellant.*

Quid quòd ſancti Patres magno conſenſu Ariſtotelem impugnant; unoque ore docent, cælum hoc eſſe elementale; aliqui quidem igneum; ut Beda lib. de natura rerum, cap. V, & Alcuinus ſive Albinus Flaccus quæſt. in Geneſin: at multo plures aqueum; in quibus & Cyrillus Hieroſolymit. qui in Catech. ait, ſidera ignea per cæli aquas diſcurrere; nec hoc mirandum eſſe ob contrarias naturas, cùm & in Ægypto ſapiens Deus dimiſerit ignem in grandine. Quia verò vel igneum, vel aqueum, putarunt; eo quoque non ſolidum, ſed pervium, crediderunt. In qua opinione quàm multi fuerint, ordine exponam.

Ac de philoſophorum illis, qui præceſſere Ariſtotelem, legas hoc apud ipſum lib. II. de Cælo, text. XLIII, ac deinceps: idemque de iis Cicero tradit lib. II. de Natur. Deorum: ubi & addit, ſidera paſci vaporibus Oceani; quibus, niſi cœlum eſſet liquidum, non pateret adſcenſus uſque ad ſidera. Secutus quoque Seneca in VII Natur.
c Cap. 13. quæſt. *c* ubi increpat Artemidorum, quòd cælo inducat duritiem, cum pervium id ſit, tum ſideribus, tum halitibus, quibus ſidera aluntur. Eadem (quando de Latinis dicere jam cœpimus) ſententia eſt Hygini lib. I, & IV Aſtronomici Poëtici; Calpurnii Baſſi, vel alterius, commentario in Aratea à Germanico Cæſare verſa: Manilii compluribus locis: Martiani item Capellæ lib. VIII, cap. de Mundo. Sed Græcos iterum videamus. Quorum ſimiliter Ptolemæus; ut agnoſcit Thomas Aquinas part. I, quæſt. LXX, art. I, ad III. *Dicendum*, inquit, *quod ſecundum Ptolemæum, luminaria non ſunt fixa in ſphæris; ſed habent motum ſeorſum à motu ſphærarum.* Eamque Ptolemæi fuiſſe opinionem, etiam apud alios legas. Uti Dionyſium Richelium ſive Leeuwium Carthuſianum,
d Multa qui ſcripſerit. Theologum ut pereruditum, ita πολυγραφώτατον *d*, eoque mihi cariorem, quia communem cum parentibus ac majoribus meis habuerit patriam Ruræmundam. Is ante ſeculum, & quod excurrit, ſic ſcripſit in Geneſ. cap. I, art. X: *Plato in Timæo dicit, ſtellas non eſſe fixas in firmamento; ſed meare, & choream ducere in eodem: & in hoc Ptolemæus Platonem ſecutus eſt. Unde dicunt, non cælum, ſed ſtellas cæli moveri, & circumferri.* Sed & Hieronymus Vilielmus Venetus, Argoliceníis prius, poſteaque Æmoniæ epiſcopus, qui patrum claruit ætate, operis De ſex diebus conditi orbis Lect. XX, clarè ait, Ptolemæum excentricos & epicyclos poſuiſſe in planetarum orbibus, non quia re vera in iis eſſe putaret; ſed quia ex iſtiuſmodi hypotheſibus erraticarum cognoſcerentur ſtellarum effectus. Et profectò, ſi Ptolemæus cælos eſſe ſolidos duroſque exiſtimaſſet; quomodo putaſſet idem, ſidera ali vaporibus Oceani?

Etiam liquidum ac pervium ſiderum curſui cælum ſtatuunt Hebræi; teſte Jacobo Naclanto, epiſcopo Clugienſi in ſua Medulla. E noſtris Juſtinus Martyr, ſive alius, ad quæſt. XXXIX Orthod. ubi clarè ait, moveri aſtra, cælum eſſe immobile. Item Cælius Lactantius, quem & teſtem adducit eruditiſſimus Chriſtophorus Scheinerus in Roſa Urſina *a*. Sed incautè addit, vixiſſe ætate B. Hieronymi: a Pag. 719.
cum ille quidem Conſtantini Magni, & ejus filiorum; hic Theodoſii Magni, & liberorum illius ætate, claruerit. Ait autem Lactantius lib. III, cap. XXIV, *aſtra per ſpatia cæli divinâ, & admirabili ratione decurrere.* Nec aliter ſenſit Baſilius homil. I Hexaëm. & Homil. III: ubi & puerile ait, putare eſſe cryſtalli inſtar congelatum. Atque eadem mens fuit fratri ejus Gregorio Nyſſeno in Hexaem. Item Diodoro Tarſenſi in Catena Lipomani: Euſebio Emiſſeno in Catena Martinengi *b*, & Lipomani *c*: Ambroſio, more ſuo Baſilium ſequenti, Hexaëm. lib. I, cap. VI: Cyrillo Hieroſolymit. cap. IX: Chryſoſtomo homil. VI in Geneſ. & homil. XVI in epiſt. ad Hebr. & homil. XII ad populum Antiochenum: Auguſtino lib. II de Geneſ. ad literam, & lib. XI de Civitate Dei, cap. XXXIV: Cyrillo Alexandr. in Jeſ. cap. LI, ad illud, *Quoniam cæli ſicut fumus* &c. Andreæ Cæſarienſi in Apocal. cap. LXIV, ſerm. XXII: Eucherio in Gen. cap. III: Caſſiodoro in Pſal. CXLVIII: Junilio in Hexaëmeron: Procopio Gazæo in Geneſ. cap. I *d*; ubi tum eo pugnat, quod *Deus luminaria* dicatur *poſuiſſe in firmamento*; tum quod Joſue cap. X legamus, *Stet Sol*; non *Orbis Solem deferens.* Similiter quoque Zacharias Mitylenæus de Mundi opificio *e*: S. Maximus Confeſſor commentario in Dionyſium cognomento Areopagitam *f*: Iſidorus lib. III Orig. cap. XXX: ubi cælum ait eſſe aëra puriorem. Vide & eum lib. XII, cap. XXX. Item Bedam quæſt. in Geneſ. & Damaſcenum lib. II Orthod. Fid. cap. VI; ubi & Baſilium citat, cumque ait hoc didiciſſe è Scripturis, quæ ſtatuunt, materiem ejus inſtar fumi tenuem. Similiter Haymo in Pſal. CXLVIII, Philippus Solitarius Dioptræ ſuæ lib. III, cap. VI, Rupertus Tuitienſis in Gen. cap. XXII, & XXIII, Petrus Trec. Comeſtor. in Hiſtor. Scholaſt. Richardus Pampolit. in Pſalm. CXLVIII. Sed quid multis opus? Diodorus Tarſenſis *g* gentile dogma vocat. Ac Philaſtrius, quem ſe Mediolani cum S. Ambroſio vidiſſe ait B. Auguſtinus *h*, inter hæreſes reponit *i* opinionem eorum, qui ſidera cælo eſſe affixa opinantur. Ubi, quin laxè admodum hæreſin ſumat, pro quavis opinione receptæ Catholicorum ſententiæ adverſanti, minimè ambiguum eſt. Nec enim, hoc, an illud ſentias, ad fidei pertinere fundamentum, intelligentior quiſquam dixerit.

b In Gen. cap. 1, p. 1011. c Pag. 30. d Pag. 26, & 27, ed. Tigur. item in Catena Martinengi p. 1012. e Pag. 519. 535. 537. 539. ed. Pariſ. f Pag. 130, edit. Lanſell. g In Catena Lipomani. h Epiſt. ad Quodvult-Deum. i Hæreſi 8. k Lib. 2 de placit. phil. c. 13. l In eclogis phyſicis, pag. 55. & ſeq. ed. Plantin.

De elementali, eaque liquidâ cælorum materie ſatis diximus. Deinceps videamus de materie ſiderum, itidem elementali. Fuit hæc ſententia philoſophorum, qui ante Ariſtotelem fuerunt. Unde Plutarchus *k*, & Stobæus *l*: Θαλῆς γεώδη μὲν, ἔμπυρα δὲ τὰ ἄστρα· *Thales* (putavit) *terrena quidem aſtra, ſed ignita.* Subjicit deinde uterque, ut Empedocles ſtatuerit, eſſe eas ex igne illo, quem aër primò continuit, ſed prima edidit ſeparatione. Anaxagoras, Democritus, Metrodorus, ut ibidem legere eſt, credidere Solem μύδρον *m* διάπυρον· *globum lapideum, vel ferreum, ſed ignitum.* Plato ſtatuit ſtellas majorem partem igneas; ſed ex aliis tamen elementis aliquid trahentes. Similia alii, quæ, qui volet, apud Stobæum, & alios, reperiet.

m De μύδρος ſimiliter ſcholiaſtes Apollonii ad 1 Argonaut. verſ. 497, & ſcholiaſtes Euripidis in Hippolyt. verſ. 597. Sed μύδρον ὁ πέτρος διάπυρος, ut apud Stobæum, ita etiam eſt apud Plutarchum lib. 2 de plac phil. cap. 20. Vide & quæ diximus ſupra lib. 1, c. 8.

Etiam hæc ſanctorum Patrum opinio fuit. Tertullianus quàm apertè in libro de Animâ: *Sol, corpus; ſiquidem ignis. Sed quod aquila confiteatur, neget noctua.* Baſilius

quo-

a Pag. 38. edit. Baſil. quoque in Hexaëmeron homil. III *a* ait: Τὸν δὲ αἰθέρα τίς ἀμφιβάλλει μὴ οὐχὶ πυρώδη εἶναι καὶ διακαῆ; *Jam verò æthera ipſum quis dubitat igneum eſſe, & uſtivum?* De b Pag. ſeq. Peripateticis verò hæc ſubjungit *b*: Καὶ τοίγε οὐδὲ θερμὸν εἶναι τὸν ἥλιον ἐκεῖνοι λέγουσι. τοσοῦτον αὐτοῖς τοῦ λέγειν περίεστι. *Quamquam nec illi dicant ſolem eſſe calidum. Tanta illis ſupereſt copia temporis ad verba inania.* Nec aliud voluit eruditiſſimus in Batava Academia collega meus Wilibrordus Snellius, cùm ſic ſcribit *c*, c Lib. de cometa an. 1518, cap. 7. *Non ſum neſcius, ne calidum quidem ſolem quibuſdam credi. ſed iſtas pueriles ineptias refutare non eſt operæ pretium.* Quam acrimoniam in eo culpat Scipio Claramontius Cæſenas *d*. d Præfat. operis de ſede ſublunarium cometarum. Quaſi aliud dicat, ac S. Baſilius. Præſertim ſi ſequamur Latinum interpretem, qui ſic reddidit: *Tanta iſti ſuperfluit ad deliras & aniles nugas copia temporis.* Baſilio conſenſit frater Gregorius Nyſſenus: & more ſuo eundem ſecutus Ambroſius Hexaëm. lib. I, cap. VI. Ac ſimiliter B. Auguſtinus de verbis Apoſtoli ſerm. I, item ſerm. I Domin. proximâ ante Nativitatem; & Theodoretus in Gen. quæſt. XI, ubi ait, Deum aquas diviſiſſe, illas autem ſuperiùs poſitas fuiſſe, μὴ συγχωρῇ τῷ πυρὶ τῶν φωστήρων λωβήσασθαι τὸ στερέωμα, *ne finerent igni luminarium corrumpi firmamentum.* Vide & in Pſal. CXLVIII. Item Claudium Mar. Victorem in Geneſ. lib. I. Etiám cælum vel eſſe aëra puriorem, vel igneum, vel aëra igneum, ſtatuit Iſidorus lib. III Orig. cap. XXX; uti & lib. XIII, cap. IV, V, & VII; nec non libro Differentiarum; ubi Cælum, & Æthera, diſtinguit. Adi & Anſelmum lib. I de Imagine mundi, cap. XXIV; ubi & de æthere cenſet angelos ſibi corpora ſumere, quando in terras deſcendunt. Mitto Petrum Damiani, Brunonem Carthuſ. Rupertum Tuitienſem. A quibus paullum abit Hugo Victorinus; qui Solem quidem igneum, ſed ſidera cætera facit aërea. Interim, elementalia eſſe, ei cum aliis convenit.

Neque niſi Sol igneus, naturâque calidus ſit, contrà quàm Peripateticis videtur; argumentum procederet Sanctis Patribus, quando adverſus Arrianos diſſerunt, atque ad Trinitatis myſterium, pro imbecillitate humanâ illuſtrandum, tria hæc ajunt Soli ineſſe; motum, ſplendorem, calorem. Dixeris cum Scholaſticis, eos hoc ſolum intellexiſſe effectivè; formaliter non item. Sed acutiores erant Arriani, quàm ut non perſpicerent, nullo tum negotio occurri huic poſſe argumento. Vidit hoc Thomas Aquinas in II Sentent. Diſtinct. XIV, quæſt. III; ubi ingenuè agnoſcit, eam, quam diximus, opinionem, ut philoſophorum omnium ante Ariſtotelem, ita receptiſſimam fuiſſe apud SS. Patres. Mirificè autem & horum, & illorum, auctoritatem eludere conatur. *Omnes*, inquit, *ante Ariſtotelem dixerunt, cælum eſſe de natura elementorum: quod Ariſtoteles primitus improbavit, ponens cælum eſſe ſine gravitate & levitate, aliiſque contrariis; ut patet primo cæli, & mundi. Et propter efficaciam rationum ejus poſteriores philoſophi, ſcilicet Peripatetici, conſenſerunt ei: unde nunc omnes opinionem ejus ſequuntur.* Poſteaque idem fatetur, Sanctos Patres contrarium docere: *ſed* inquit, *Baſilius, Auguſtinus, ac plures Sanctorum, ſequuntur in his, quæ philoſophiam concernunt, opiniones Platonis: ideo ponunt cælum eſſe naturæ elementaris. In talibus ergo dicta Sanctorum non ſunt majoris auctoritatis, quam philoſophi, quos ſequuntur.* Quæ & ex eo adducit Dionyſius Carthuſianus in Geneſ. e Pag. 30, ed. Colon. cap. I, art. XII *e*. Sed profectò in hoc Aquinas audiendus non eſt: quod plurimi jam ex Theologis, & Philoſophis, confitentur. Nihil enim apertius eſt, quàm Sanctos Patres ad Scripturas provocare. Hoc facit Juſtinus, ſive alius, Reſp. ad quæſt. XCIV; ubi ex epiſtola B. Petri cælos eſſe corruptioni obnoxios oſtendit. Scripturis quoque pugnat Baſilius in tertia, quam diximus, Hexaëm. homilia. Eumque hoc facere, tradunt quoque Damaſceno lib. II Orthod. Fid. cap. VI. Baſilii more, ut ſolet, agit Ambroſius Hex. lib. II, cap. III. Nec aliam inſiſtit viam Chryſoſtomus de incomprehenſibili Dei natura homil. III. Imò tantum abeſt, ut à Platone, non Scripturis, hauſerint hoc ſancti Patres; ut potius Plato hanc doctrinam didicerit è Moſaicâ illâ tralatione, quæ ante illam LXX ſeniorum fuit: ſanè à Moſe hauſiſſe, ait Juſtinus Martyr Apol. II, & Cohortat. ad Græcos. Atque ut Moſis nullam vidiſſet interpretationem, cognoverit in Ægypto à poſteris Judæorum, qui tempore Nabuchodonoſori eò profugerant; vel Ægyptiis, qui à Judæis percepiſſent. Adde quod, ſi Patrum ſententia parvi ſit momenti, quia eam didicerint à Platone; nihilo plus ponderis habere debeat opinio Scholaſticorum, quia illam hauſerint ab Ariſtotele. Et ſi Scholaſtici non verentur de ſanctis Patribus dicere, eos in dogmatis, quæ naturam ſpectant, tantum non juraſſe in Platonis verba: quanto nos juſtius hoc objectabimus Scholaſticis, juraſſe eos in verba Ariſtotelis; eoque, abeundo ab illis, non ipſos, ſed unum rejici Ariſtotelem. Suntque hæc aperta adeò, ut propterea quoque eorundem nonnulli ex Ariſtotelis caſtris transfugerint in caſtra Veritatis: quales Ockamus, Gabriel, aliique; præſertim qui commentati ſunt in Creationis hiſtoriam. Similiterque Ægidius tractatu de materia Cæli: ubi & ipſe docet, cælum eſſe naturæ ejusdem, ac elementa. Atque eadem mens Cæſaris Scaligeri Exercit. LXI. Nec multum abeunt, qui ajunt, eandem quidem eſſe cæli ac elementorum materiam: ſed à forma ſua ſic, uti loquuntur, actuari, ut conditione ſit longè meliori, ac propterea alius etiam materiei dici poſſit. Cum his nobis nunc negotium non erit, ne videamur λογομαχεῖν *a*. a De verbis certare. Satis enim liquet, non tam Ariſtotelem ſic cum aliis conciliari, quàm ab eo liquidò recedi: & duntaxat dari hoc honori philoſophi, ut cùm planè deſeritur, non prorſus tamen deſertus videatur.

Cap. XXXIX.

Cælos aquis debere originem, ex Moſe comprobatum: proque ea ſententia etiam facere ἔτυμον vocis ſchamaim, *licet à variis variè allatum. Ex eodem Moſe adſtruitur, Solem ſideraque eſſe ignea natura: idemque argui ex aquis ſupercæleſtibus. Cælum eſſe liquidum, oſtenditur argumentis è rerum natura petitis. Quid impulerit vel Ariſtotelem, ut, prioribus deſertis, induceret orbes cæli ſolidos; vel Hipparchum, ut, relicto. Eudoxo & Calippo, orbes eos excentricos arbitraretur. Phyſicorum, & Mathematicorum, de iis diſſenſus ex Bonaventura productus. Et quantum ab excentricis abhorruerit Fracaſtorius. Occurritur iis, qui putarunt, nihil in cælis generari. Variæ diverſorum temporum ſtellæ novæ; ac Clavii de iis opinio. Quomodo Sol non videatur tot ſeculis imminutus, ſi igneus ſit. Cælum non eſt levitatis expers. Anaxagoras cur damnatus.*

SEd non ulteriùs urgebo, vel Philoſophorum ante Ariſtotelem, vel Theologorum ante Scholaſticos, opinionem. Potiùs tum auctoritatem adferam ſacræ Scripturæ, tum rationes utriuſque partis ponderabo.

Divinus Moſes, quo non alter melius primordia rerum intellexit, Geneſios cap. I docet, primæ diei opera eſſe, terram rudem, incultamque, aquam terræ undique circumfuſam, & lucem, ſive lucidum ignis corpus. Refert deinde, ut die altero facta ſit expanſio; idque in medio aquarum; ita ut & infernè haberet aquas terræ proximè circumfuſas, & supernè alias, quæ ſupercæleſtes dicuntur. Hæc expanſio, (quæ ſuperiori parte ſui *æther* vocatur; inferiori autem, qua terræ & aquæ globo incumbit, *aër* dicitur) non facta eſt è nihilo, cùm nulla non corporea ſubſtantia materiem ſuam primæ debeat diei. Ex terra verò eſſe, dici nequit; cùm opacum terræ corpus, & pellucidus aër atque æther, tantopere diſſideant naturâ. Ex aquis igitur expanſio ſit: pro quo etiam facit, quod aquæ ſint pellucidæ, & expanſio illa facta ſit in medio aquarum.

Cælum verò aquis originem debere, præter ea, quæ diximus, etiam indicare videtur etymon vocis שָׁמַיִם: quando penè omnes poſteriorem hujus vocabuli partem cenſent eſſe מַיִם Majim, hoc eſt, *aqua*. Sed major con-

tro-

troverſia eſt, priorne ejus pars ſit שָׁם *illic*, *iſtic*: quaſi dicas, *illic aquæ*: puta & ſuperiores, & inferiores, & illæ, quibus cælum conſtat. Ita interpretatur B. Hieronymus ad Oceanum, & R. Joſeph Kimchi. Vel שָׁאָה, *ſtupere*, quaſi dicas, ſtupendas aquas, quia nihil admirandum magis, quàm ſuſpenſas illic teneri. Vel אֵשׁ, *ignis*, quia cæli ſunt ex aquis, ſed ſidera ex igne. Quod ἔτυμον placuit R. Bechai initio Paraſchæ בראשית. Inque Bereſchit rabba ſect. IV dicitur Deus initio ignem, & aquam, permiſcuiſſe, atque exinde fabricâſſe cælos. Et hæc de expanſione, ſive cælis.

Nunc de Sole, ac ſideribus, videamus. Hæc creavit Deus quartâ die in ſuperiori parte expanſi, quam æthera dicimus. Fecit verò, non ex aqua (nam quid commune aquæ, & aſtris?) ſed ex luce illa primogeniâ primæ quippe diei opere: quam nequaquam condiderat Deus, ut ubi triduo, præſens quidem diem, abſens verò noctem præſtitiſſet, confeſtim deſtrueretur; ſed potius, ut ex igneo hoc lucis corpore igneum faceret ſolem. Lux igitur remanſit ſecundùm formam, & naturam; ſed non ſecundùm ſtatum priorem; quia indita eſt Soli, ad ornatum majorem, & lucem clariorem; tum etiam, ut non ſolum dies noctesque alternaret, ad quod diei primæ lux ſuffeciſſet; ſed ut præterea annos, & menſes, aliaque tempora, diſcriminaret. Nam ad hoc quoque lucem illam diſcerpi, & magnitudine ac locis diſtingui, attinebat: eamque rationem adducit ipſe Moſes Geneſ. 1, 14. Eleganter verò hanc primæ lucis immutationem veteres expreſſere. Uti Apollinaris, quando ait, Τοῦ δὲ πρωτογόνου φωτὸς, ὅσον μὲν καθαρώτατον ἐνέθηκε τῷ ἡλίῳ· τὸ δὲ λοιπὸν σελήνῃ, καὶ τοῖς ἄστροις ἐμέρισε· *E primogenia luce, quicquid puriſſimum foret, indidit Soli: reliquum vero lunæ, & aſtris, impertivit.* Item Baſilius *a* ſidera vocat lucis ὀχήματα, *vehicula*: uti Damaſcenus δοχεῖα, *conceptacula.* Theodoretus *b*, ἐκεῖνο τὸ φῶς διελὼν, ὡς ἠθέλησεν, τοὺς φωστῆρας τοὺς μεγάλους καὶ μικροὺς κατεσκεύασεν· *lucem diſtinguens, prout vellet, luminaria magna, & parva condidit.* Maximus item in Dionyſium Scholiis *c*: Τὸ πρωτόκτιστον φῶς τῇ πρώτῃ ἡμέρᾳ μετεσχηματίσθη εἰς ἥλιον· *primâ die conditam lucem in Solem transformavit.* Didymi quoque locum ſimilem reperies in Catena Lipomani, & apud Steuchum in Coſmopœia. Etiam ſic Procopius in Geneſ. cap. 1. Ac alia apud alios antea nobis laudatos. Hos nunc ſolos adduximus, ut parêret, ſimiliter Moſaica verba ab antiquis eſſe intellecta. Legaſque ſententiam eandem apud Lombardum, Halenſem, Bonaventuram, Toſtatum, alios; ut de noſtræ ætatis ſcriptoribus taceam.

a Hexaëm homil. 6.
b In Gen. qu. 14.
c P. 134. edit. Lanſell.

Neque niſi ſidera ſint ignea, videre eſt, cur ſupra cælum collocatæ ſint aquæ: quod ex Moſe, & aliis Scripturæ locis, cognoſcimus. Nunc facilis eſt ratio: nempe ut exæſtuantem ſiderum ignem reprimerent, ac temperarent, ne ardore eorum diſſolveretur cælum. Quam ejus cauſſam ſtatuunt etiam Baſilius hom. III, & qui eum ſequi ſolet, Ambroſius Hexaëm. lib. II, cap. III, Theodoretus Quæſt. in Gen. cap. 1, Procopius in Gen. cap. 1, Damaſcenus lib. II Orthod. Fid. cap. IX, Beda lib. de rerum natura cap. VII, Thomas, non Angelicus, ſed Anglicus, Poſtillà in Geneſin. Nec Cabaliſtæ hanc improbant rationem; ut ait Vilielmus lect. XIV. Eo & Chriſtiani plerique cenſent, extremo die, aquis exareſactis, ſupercæleſtem mundum conflagraturum. Ita inter alios Cæſarius in Dialog. Quæſt. LXXI.

Hactenus ſolùm pugnamus Scripturis. Nunc diſtinctè videamus rationes, quibus elementalem tum cæli, tum ſiderum naturam, illis etiam comprobemus, quos nec humana, nec divina ſatis movet auctoritas.

Cælos aëriæ eſſe naturæ, ac liquidos, multa evincunt. Uti quod cometæ ſupra orbem Lunæ ſeſe elevent. Quod Luna ſit inæqualis, & lacunis, ac vallibus plena. Quod Venus, ac Mercurius, ſemper volvantur circa Solem. Quod quatuor planetæ ſemper ambiant Iovem; duo alii ſtipent Saturnum. Quod in Sole variè oriantur, & occidant maculæ, ac faculæ. Quod item Mars manifeſtè, & profundè penetret Solis orbem, ſic ut eo quandoque ſit inferior: quod non modò à Tychone Braheo, & aliis, obſervatum, aſſertumque: ſed hodieque certatim variis in terris propugnatur: ut jure ait Chriſtophorus Scheiner Suevus, Societatis Jeſu Theologus, Roſæ Urſinæ lib. IV, part. II, cap. XXIX *a*.

a P. 763. Prodiit Bracciani, an. 1630.

Præterea ſi Luna, cujus globus circa centrum ſuum menſtruo circumagitur ſpatio, non eſt Mathematicè rotunda, planeque lævis & polita; ſed, uti tubo Optico, ſive teleſcopio Batavo cognoſcitur, aſpera & inæqualis; non poſſet ea duris in cælis commoveri, niſi vacuo conceſſo, vel penetratione corporum. Quæ cum ſint abſurda; conſequitur, cælum eſſe liquidum, in quo illa motu agatur epicyclari.

Nec parum hanc ſententiam fulcit, quòd nullis ſit eccentricis, vel epicyclis, opus, ſi cælum dicatur, non ſolidum, aut denſum; ſed, ut convenit ex aquis facto, liquidum ac pervium; ita ut in eo non ſidera cum orbibus, tanquam nodi in rota, ſed per ſeſe circumferantur, deque loco in locum transvolent. Atque hoc meliùs intelligetur, ſi retulero, quam levibus inducti argumentis ab antiquiſſimis receſſerint jam olim; ac primùm quidem orbes ſolidos, poſtea etiam eccentricos, induxerint.

Ariſtoteles, cùm cælum ſtatuiſſet initii ac finis expers, ac naturæ ab elementis planè diverſæ; etiam de qualitatibus multa determinavit: ante omnia illud, cælum eſſe corpus ſimplex: ſimplicis corporis motum eſſe ſimplicem: in cælis tamen varios obſervari motus: conſequi igitur, varios eſſe orbes, quorum unicuique motus ſit proprius: cumque diverſus ille motus non ſit imaginarius, ſed verus; etiam orbium octonarium non ab animis fingi humanis, ſed reapſe ſic ſe habere: cumque ſidera moveri in cælis conſpiciamus; abſurdum autem ſit, corporum cæleſtium unum ab altero penetrari ac ſcindi: clarè evinci, orbes eos eſſe, non fluidos, ſed ſolidos, & denſos; ſideraque eſſe partes orbium denſiores, quæ cum orbibus in gyrum vertantur; non autem per ſe moveantur, ut aves in aëre, piſces vel navigia in aquis. Atque in his quidem plurimi Ariſtotelis ſententiam ſunt ſecuti: qui tamen in eo inter ſe diſcrepabant, utrùm orbes, ut loquuntur, concentrici, eſſent, an eccentrici: hoc eſt, idemne, ac mundus, an diverſum haberent centrum. Priorem ſententiam ſecuti ſunt Eudoxus, ac Calippus: ſed non potuere rationem multorum reddere φαινομένων *b*: ut cur planetæ quandoque non directo ferrentur motu in Orientem, ſed retrogradi fierent, vel ſtationarii. Alii igitur, ut hunc ſupplerent defectum, induxere eccentricos. Atque hoc inter primos fecit Hipparchus: qui & librum edidit pro ſententia ſua adverſus Eudoxum, & Calippum. Hipparchum ſecutus quoque Ptolemæus Peluſienſis: uti illum poſtea alii, atque alii. Secundùm hos, quòd planetæ nunc eleventur, nunc deprimantur, id eo fit motu, quem planeta habet in epicyclo, epicyclus in eccentrico, eccentricus circa centrum proprium, quod à centro mundi diverſum. Atque hunc quidem in modum Mathematicorum ſententiam explicat Bonaventura in II Sententiarum, Diſt. XIV, Part. II, Artic. 1. Ac deinde Ariſtotelis, ac Phyſicorum, ut vocat opinionem triplici poſitione his verbis comprehendit: I. *quod planetæ non moventur, niſi motu ſuorum orbium, ſicut clavus fixus in rota movetur motu rotæ, non proprio: & hoc ponunt, propter illius corporis incorruptibilitatem, propter quam non poteſt ſcindi, nec tranſitum præbere alii corpori.* II. *Ponunt etiam, centrum eſſe idem orbium ſuperiorum, & inferiorum; ſcilicet centrum mundi, propter rotunditatem perfectam orbium ipſorum, qui circulariter moventur, ita ut unus non ſubintret alterum.* III. *Ponunt etiam cum hoc majorem, & minorem velocitatem in orbibus; & ex hoc habere, modo retrogradationes, modò progreſſiones; quia, cum unum corpus multum præcedit alterum ſuâ velocitate, alterum videtur retrocedere.* Et ſine ab eccentricis valde etiam abhorruit vir undecunque doctiſſimus, Hieronymus Fracaſtorius, in opere, quod *Homocentrica* inſcripſit. Eo oſtendit, ut epi-

b In cælis apparentium.

epicycli, vel eccentrici, minimè ſtatuantur; poſſe tamen defendi uniformem cæli motum, ſi ſphæræ ponantur variè denſæ, vel raræ, & intercurrentibus orbibus, quæ nunc velociùs, nunc impeditæ tardiùs volvantur. Quanto autem putárit opinionem eam cæleſti corpori convenientiorem; hæc ejus in præfatione verba indicio ſint: *Eccentrici inique, & quodammodo impie, de divinis illis corporibus ſentiebant.* Et mox: *Adverſus hoſce, quantum ad Eccentricos pertinet, omnis ſemper philoſophia, imò ipſa Natura magis, ac orbes ipſi, ſemper reclamavere. Nemo enim, qui philoſophus eſſet, hactenus inventus eſt, qui inter divina illa, & perfectiſſima corpora, monſtroſas ſphæras ſtatui audire poſſet.* Haſce monſtroſas, ut Fracaſtorium vocare videmus, ſphæras, nullâ ratione melius effugere licet, quam ſi cum antiquiſſimis ſtatuamus orbes, non duros, & eccentricos; ſed liquidos, naturæque propemodum aëreæ, per quos ſiderum ignes diſcurrant. Verùm, inquiunt, ſi vel cælum ſit aqueum, aut aëreum, vel ſidera ignea: utraque ſint elementalis naturæ; ac proinde obnoxia generationi, & corruptioni: cui rei tot ſeculorum experientia contradicit: cùm nulla hactenus in ſiderum vel magnitudine, vel numero, vel claritate, facta ſit differentia. Quæ cùm dicunt, parum cogitant, ſe judicium ferre de corpore tam remoto à ſenſibus noſtris: ubi innumeræ eſſe mutationes poſſunt, ad quas oculorum noſtrorum acies non pertingat. Nam prope ſimile eſt, ac ſi è cælis contemplaremur terram: cujus eadem ſemper magnitudo ac forma nobis videretur, utcunque corruptioni obnoxia ſint ſingula. Adhæc eorum ſententiam liquidò refellunt ſtellæ novæ; quæ variis in cælo temporibus apparuerunt. Uti illa Plinio *a* memorata, obſervata autem ab Hipparcho: qui temporibus claruit Ptolemæi Evergetæ II, & Antiochorum Sidetis ac Cyziceni. Alia item notata eſt tempore Hadriani Cæſaris. Alia ſub Othone primo, idque in Caſſiopea. Alia circa eandem anno CIↃCCLXIV. Et quid dicemus de illa anni CIↃIↃLXXII itidem conſpectâ in eadem ſede Caſſiopeæ? quam in firmamento verè fuiſſe, gemino præcipuè argumento Clavius colligebat: uno, quia ex diverſiſſimis Europæ locis in eodem Caſſiopeæ loco ab omnibus conſpiceretur: altero autem, quòd quamdiu duravit (id toto fere biennio fuit) conſtanter motum non planetæ unius, ſed ſtellarum fixarum, fuerit ſecuta. Novam autem ſtellam fuiſſe, anteaque inviſam, ſenſere omnes Mathematici, ſi exceperis Annibalem Raimundum Veronenſem: qui, loco Hygini malè intellecto deceptus, putavit *b* eſſe veterem undecimam Caſſiopeæ in erectione ſedis poſitam. Ac primò id perſuaſit quoque Bartholomæo Reiſachero, Mathematico Viennenſi: ſed is poſtea mutavit, cùm obſervaſſet, undecimam illam ſeorſum apparêre. Quocirca ſtatuendum, ſi cæli conſtent materiâ, potiùs igneâ, quàm aqueâ, ut multorum fert opinio, novam, quam dixi, ſtellam fuiſſe ex materia cæleſti: ſed non ſolidè adeò, & ad perpetuitatem elaboratâ, uti aliæ ſolent, quæ quia compactiores, eò etiam ſunt perfectiores, nec æquè diſſolubiles. Hodieque etiam hiatus ibi conſpicitur, ubi ſtella illa priùs comparuit. Non diſputo, utrùm proprio luxerit lumine, an lumine illuſtrata ſolari. Illud ſufficit, quòd materies ejus non fuerit è terris eò evecta. Nam quomodo ea elevetur ſupra Solem ipſum? quo pacto item ex terræ globo tam craſſa exhalet materies, eaque trecenties major terræ & aquæ globo? Ea enim magnitudo ſtellæ illius initio fuit. Itaque cùm fusè de hoc ſidere egiſſet Clavius, ſubjicit tandem: *Videant Peripatetici, quomodo Ariſtotelis opinionem defendere poſſint. Dicendum enim fortaſſis erit, Cælum non eſſe quinctam quandam eſſentiam: ſed mutabile corpus, licet minus corruptibile ſit, quam corpora hæc inferiora.* Quibus verbis etſi quaſi dubius loquatur, non obſcurè tamen, quid ſuſpicatus ſit, docet. Quid dicam de ſiderum aliis, poſtea itidem, mathematicorum judicio, in æthere prognatis? uti illo anni CIↃIↃLXXVII, quod ſeptem hebdomadis comparuit: alio anni CIↃIↃC, in pectore cygni: alio anni CIↃIↃCIV, in XVIII gradu Sagittarii. Et ſanè ſeu ſtellam ſeu cometen anni CIↃIↃCXVIII *probati Aſtrologi omnes in cælo collocarunt*: ut ait Chriſtophorus Scheiner in Roſa Urſina *a*. Ubi & illa legas: *Cometas aliquos certè ſupralunares eſſe apud Aſtronomos indubitatum, & nunc communis receptiſſimaque illorum eſt doctrina: neque ſolidè contrairi poſſe, facilè crediderim.*

a Lib. 2. cap. 26.

b Lib. edit. an. 1573.

a Lib. 4. part. 2. cap 39. pag. 195.

Aliud præterea objectant. Si, inquiunt, Sol igneus foret, tot ſeculorum ſpatio fuiſſet abſumtus; vel ſaltem ita imminutus, ut longè minor videretur, ac olim. Atqui ſi homines arte poſſint ignes facere perpetuos, ex igne pabulum, ex pabulo ignem continuantes: an non idem longè magis Deus in cælis poſſit? Et ſi imbribus quotannis, vel ad palmi magnitudinem, atque amplius, decedat de montium jugis; nec tamen vel montes videantur minores, vel valles altiores, vel Oceanus, in quem flumina deferunt limum, minoris appareat profunditatis, aut magis mare exundet ultra litora: mirumne ſit, ſi in Sole, qui tanto à nobis eſt diſſitus intervallo, non poſſit ulla animadverti imminutio?

Nihilo validius illud, ſi cælum foret elementale, fore grave aut leve: at hoc falſum eſſe, quia gravia & levia rectum habeant motum; cælum, circularem. Quippe fruſtra ſunt, quando hoc ſibi ſumunt Peripatetici, cæleſte corpus non eſſe idoneum ſurſum ferri. Fortaſſe enim, ut Ficinus in Timæum ait, cæli pars detracta ſurſum ferretur. Sanè & Plato judicavit, remanere in cælo aptitudinem motus recti: eademque mens Plotini. Imò Homerus, & antiquiſſimi quique, videntur ſenſiſſe cælum eſſe grave, cùm fulciri id ajunt humeris Atlantis. Quamquam iſtud quidem non inſcitè eludit Ariſtoteles in libro de Communi animalium motu *b*: ubi per Atlanta ſignari putat axim, circa quem cælum volvi fingitur.

b Cap. 2.

Atque hæc ſufficiant de elementali, eoque corruptibili materie; aqueâ quidem cæli, igneâ verò ſiderum: quæ quantopere divinitati cæleſtium adverſentur corporum, facilè viderunt Athenienſes: apud quos, ut Sotion in Succeſſionibus, & ex eo Laërtius tradidit, Anaxagoras impietatis à Cleone fuit accuſatus; & licet à Pericle diſcipulo defenderetur, quinque nihilominus talentis multatus, exilioque damnatus fuit; idque quia dixiſſet, Solem eſſe μῦδρον διάπυρον, *maſſam candentem*, ſive *ignitam*. Plura verò qui volet de Solis & ſiderum materia, quam verum & materialem eſſe ignem diximus, adeat Chriſtophorum Scheinerum in Roſa Urſina lib. IV, parte II, Franciſcum Patricium lib. XIX Παγκοσμίας, pag. 108, & Franciſcum Reitam a Talleacotio Meteorologias lib. I, ubi de igneis agit meteoris, cap. X.

Cap. XL.

Ut porrò intelligatur, in quo divinitatem cæli poſuerint Peripatetici; eorum opinio adfertur de forma cæli, puta anima ejus: deque ea diſſenſus, ſitne forma informans, an aſſiſtens. Oſtenſum, Ariſtoteli animam eſſe formam, quæ cælis det eſſentiam, ac motum; unde & cælum dicatur vivere, & περιθεῖν, & partes habere dexteras, ac ſiniſtras; ſuperas, & inferas: & quibus cæli partibus has appellationes locales attribuat. Etiam ab eodem cælum eo animatum putari, quia pro partium raritate & denſitate, diverſimodè in hæc inferiora operetur: item quia, niſi animam haberet, vilia animalcula eo eſſent præſtantiora. Nec cum his pugnare, quod moveri dicatur ab intelligentiis, formis à materie ſeparatis, & magnitudinis expertibus. Nam, ſi Aphrodiſienſem audimus, duplices eſſe motores; animas, & intelligentias: & in quo motus amborum poſuerit diſcrimen. Quas facultates animæ cæli communes habeat cum anima humana, & quibus diſtinguatur. Refelluntur, qui ſenſus, & imaginationem tribuerunt. Quo pacto animæ cæleſti, & intelligentiæ, detur intellectus ſi ſenſu careant. Excellentiori modo Deum dici ſupremi orbis motorem, quam orbium inferiorum. Simplicii, item

Cæſalpini, de primo motore opinio refellitur. An inferiores intelligentiæ ſint imperfectæ. Quem locum Ariſtoteles aſſignet Deo. Minorem animæ cæleſti perfectionem dari, quàm intelligentiæ.

ABunde iis occurrimus, qui cùm cælum judicarent materiæ eſſe perennis, ac incorruptibilis; eo fuere compulſi, ut divinæ illud eſſe naturæ arbitrarentur. Deinceps expendam alterum eorum argumentum, quod petitur à præſtantia formæ cælum informantis. Hæc biſariam conſideratur; tum in ſe, tum ut ſuâ vi agit in mundum ſublunarem. Si in ſeſe ſpectes; forma cæli eſt anima ejus. Nam cælum Ariſtoteli eſſe animatum, idque formaliter; etiam patet ex Aphrodiſienſi, interpretum ejus, qui exſtant, antiquiſſimo, & quo nemo magis Ariſtotelis opinionibus inſtiterit. Hunc cælo tribuere animam, à qua moveatur, à Simplicio quoque traditum eſt VIII Phyſ. comment. XXXI, & in II de Cælo comment. III. Nec cælum modò animatum, ſed etiam intelligens, divinæque eſſe naturæ tradiderunt. Non tamen uno ſe modo explicant interpretes. Siquidem multi eorum arbitrantur, duarum cæli partium unam eſſe eam, quæ ſit materia actu; alteram autem eſſe intelligentiam cælo unitam; atque ab hac cælum dici animatum, quia intelligentia ſit forma cæli informans. Quo pacto cælum propriè Deus erit. Nam intelligentiæ omnes Peripateticis ſunt Dii; ut poſtea dicetur. Aliorum autem opinio eſt, cæli partem eſſe unam orbem cæleſtem, materiâ, & formâ conſtantem: alteram eſſe intelligentiam, non ut formam, per quam cælum id ſit, quod eſt; ſed ut principium motus externum. Hoc dicunt, principium non informans, ſed adſiſtens: ut illa intelligentiæ ſive Dei moventis, & cæli ab eo moti compoſitio penè ſit, qualis nautæ, & navis; rotarii, & rotæ; equorum aurigæque, & currus. Ex Averrois ſectatoribus alii hoc, alii alterum, ex doctore ſuo collegerunt: cujus cauſſa eſt, quòd philoſophus ille, licet acutiſſimus, ac maximus, non ſemper eodem loquatur modo. Quod etiam de Stagirita noſtro dixerim. Nam illuſtria ſunt loca, ubi cælum cenſeat animatum, atque ab anima moveri: alia item, ubi dicat, ſubſtantias à materia, & magnitudine, ſeparatas, eſſe cauſſam ac principium motus cæleſtis. Ac cælo quidem animam motricem clarè tribuit in ſecundo de Cælo, cap. II, contextu ſive particula XIII: Ὁ δ' οὐρανὸς ἔμψυχος, καὶ ἔχει κινήσεως ἀρχήν· *cælum eſt animatum, atque principium habet motus.* Quid apertius, quàm id velle, cælum actu vivere, movereque ſe ipſum? Quæ dici non poſſunt, ſi intelligentia ſolùm eſſet cælo conjuncta ei aſſiſtendo. Idem ejuſdem libri cap. XII, contextu LXI, ſic de corporibus ſcribit cæleſtibus: Ἡμεῖς ὡς περὶ σωμάτων μόνον αὐτῶν καὶ μονάδων τάξιν μὲν ἐχόντων, ἀψύχων δὲ πάμπαν, διανοούμεθα. δεῖ δ' ὡς μετεχόντων ὑπολαμβάνειν πράξεως, καὶ ζωῆς. *Sed nos de ipſis, ut de corporibus ac unitatibus, ordinem quidem habentibus, inanimatis autem penitus, cogitamus: oportet autem exiſtimare, ipſa eſſe viventia, atque etiam agentia.* Hæc certè non poſſunt intelligi de intelligentia aſſiſtente; ut exponunt cum aliis Pererius, & Conimbricenſes: ſed de habentibus internum vitæ & actionis principium. Omnia verò, quibus hanc cæli animationem Ariſtoteles tuebatur, eò redeunt imprimis, quòd in rebus à ſenſu remotis judicium ferri debeat è ſenſui propinquis: in his autem illud perpetuum ſit, ut quæ in loco naturali de loco in locum moveantur à ſe ipſis, ea moveantur ab anima, ut principio conſtitutivo, ac forma, quæ det eſſe. Hinc eſt, quòd philoſophus in VIII Acroamaticor. cap. IV, contextu XXIX, locutus de iis, quæ ὑφ' αὑτῶν κινοῦνται, *moventur à ſe ipſis*; mox ſubdat, ζωτικὸν γὰρ τοῦτο, καὶ τῶν ἐμψύχων ἴδιον, hoc eſt, *vitam habentium, & animatorum proprium.* Itaque πρᾶξιν, quæ ſanè animatorum, tribuit cælo. Ut lib. II de Cælo, cap. XII, cont. LXI. Verba paullo ante adduximus. Ac ibidem context. LXIII ſubjungit: Διὸ δεῖ νομίζειν, καὶ τὴν τῶν ἄστρων πρᾶξιν εἶναι τοιαύτην, οἵαπερ ἡ τῶν ζώων, καὶ τῶν φυτῶν· *cenſendum verò eſt, aſtrorum eſſe praxin, qualis animalium eſt, & plantarum.* Quare ſic ſtatuendum; Ariſtoteli animationem cæli eſſe formalem, quia anima cælo jungitur; non ut motor mobili, nauta navi; ſed ut principium cæleſtis motus internum, cæli κατ' οὐσίαν a conſtitutivum: eoque motus cæli ab ejus anima ſit, uti motus corporis noſtri eſt ab anima noſtra; hoc tamen diſcrimine, quod noſtra trahat corpus; eoque corpus ab ea agatur præter naturam; unde & laſſatio; quæ nulla in cælo; ut cui nulla inſit ad quietem inclinatio; unde conſequitur, nec intercedere alterationem in movendo. Quare & cælum vivat actu; nec aliter potentiâ vivere dicatur, quàm Ariſtoteli b anima definitur actus corporis organici potentiâ viventis. Nempe ut noſtra corpora, ſic cæleſte corpus dicitur vivere potentiâ in ordine ad animam; quia non vivit, prout eſt corpus, ſed quatenus eſt animatum. Cælum autem Ariſtoteli eſſe corpus organicum; indicat etiam, quòd in II de Cælo contextu XIII, ei ſtatuit ineſſe dextrum, & ſiniſtrum; non tralatitiè, ſed propriè ac ratione ſui: ut liquet etiam ex libro de inceſſu animalium cap. IV. Vis argumenti in eo conſiſtit: Si cælum habet internum motus principium, & locum determinatum, unde motus incipiat; obtinet etiam dextrum, & ſiniſtrum. Nam dextrum eſt, unde inchoat motus: quod ſi habet, etiam habet ſiniſtrum; quia conſequitur; id partem eſſe ſiniſtram, quod opponitur parti, unde eſt motus. Atque hinc etiam colligit, cælum habere partem ſuperiorem, & inferiorem: illam eſſe polum auſtralem, hanc ſeptentrionalem: quia alioqui cælum verteretur à ſiniſtris: quod naturæ adverſatur, ſi ex animali terreſtri judicium eſt ferendum de cæleſti, cujus terreſtre creditur menſura: unde & Simplicius jubet, ſic unumquemque imaginari cælum, quaſi homo ſit ſupra axim conſtitutus. Quomodo cum loquuntur Peripatetici, conſiderant cælum ratione motus diurni; quem ſtatuunt ab octavo orbe eſſe, cujus intelligentia eſt prima Mens. Nam ſi planetarum motus attendamus, planè aliter ſit; quia ab occaſu feruntur ad ortum; eoque ſit polus auſtralis ſic inferior.

a *Secundum eſſentiam.*

b *Lib. 2. de Anima cap. 1.*

Etiam cælum eſſe corpus organicum, ex eo concludunt, quia partium ejus aliæ raræ, denſæ aliæ: cumque ſidera habeantur pro partibus ejus denſioribus; uti in animantibus membra variant facultatibus, aliaque vis eſt cerebri, alia cordis, pulmonum, aut jecoris; alia item linguæ, alia manuum, vel pedum: ſimiliter aliam eſſe virtutem Lunæ, ac Solis, Veneris, vel Martis; eſtque par ratio in fixis; cum diverſimodè operentur in terras, varieque dirigant genus humanum.

Præterea eo ſe tuentur Peripatetici, quòd corpori primo, & nobiliſſimo forma conveniat nobiliſſima: Cælum autem primum eſſe corpus conſtet: cui nec divinitatem tribuere Ariſtoteles dubitavit lib. II φυσικ. ἀκροάσ. cap. IV, text. ſive partic. XLV, & I de Cælo, cap. II, text. XIII, & cap. IX, text. C. & lib. II, cap. II, text. XVI, & lib. I de Partibus animal. cap. I, & VI, item VI Nicomach. cap. VII. At præterea, ajunt, convenire animam eſſe præſtantiorem formâ inanimâ. Colligunt igitur, cælum eſſe animatum. Alioqui, inquiunt, cælum eſſet ignobilius pulice, & aliis viliſſimis inſectis: quippe quæ ſaltem animam habeant.

Nec contenti, cælum ſtatuere animatum, iidem, quia multiplex ſit cælorum motus, pro eorum numero tradunt eſſe animas cæleſtes: inferiores animas eſſe Ariſtoteli Deos minores: ſupremam animam, eſſe ſummum Deum: unde & ſupremam ſphæram dixere Mentem primam, conſiderando ſphæram hanc, non ut eſt materia, vel corporeum quid; ſed ut eſt aggregatum ex corpore & anima principe.

Sed nihil æquè huic opinioni repugnare videtur, quàm quòd Ariſtoteles ipſe in VII Φυσικῆς ἀκροάσεως, inque XII Metaphyſ. & alibi, intelligentias orbium motrices ſtatuat eſſe ſubſtantias à materia & magnitudine abſtractas. Quomodo enim ſecretum à materia dicatur, quod materiam informet?

Ad nodum hunc exſolvendum, variè à variis ſudatum. Multi ajunt, cælum etiam Ariſtoteli eſſe inanimum: ſed per metaphoram ab eo animatum dici, conſiderando aggregatum ex cæleſtibus orbibus, & intelligentiis, ſuperadditis ad movendos orbes. Verùm, in Ariſtotele ſine præjudicio verſatis, ſatis eſt apertum, propriè ab eo animatum dici. Nam vivere ait cælum. Quis autem rotam dicat vivere, quia à rotario verſetur? Nec aliter, ac diximus, Ariſtotelem cepit princeps interpretum ejus Alexander. Veriſimilius igitur illi, qui animam cæli bifariam ajunt conſiderari; ratione eſſentiæ, ſive quatenus informat cælum; & ratione operationis, ſive quatenus movet cælum. Priori modo ſi ſpectes, animam Ariſtoteli eſſe formam corporis; uti anima noſtra dicitur ei *a* *ἐντελέχεια* *b* corporis organici. Sin poſteriori attendas modo, rectè vocari ſubſtantiam à materia abſtractam, quia orbes movet citra interventum corporalis alterationis: quomodo & in III de Anima text. VI. rationalis anima dicitur incorporea, (*ſive, ut apud Ariſtotelem eſt*, *οὐ μεμιγμένη σώματι*, non immixta corpori:) quia intellectus poſſibilis non utatur corporis inſtrumento.

a Lib. 2 de Anima, cap. 1.
b Actus primus.

Interea ſic quoque videtur obſcurum, quomodo à materia & magnitudine ſeparatum dicatur, quod, ſi eſſentiam ſpectes, nunquam non in alio ſit, nunquam non erit. Nulla igitur expeditior ea conciliandi ratio eſt, quàm ſi ſequamur antè dictum Alexandrum: qui animas cæleſtes ab intelligentiis diſtinxit; atque illas docet eſſe formas cæli informantes, has verò adſiſtentes; ut refert quoque Simplicius in VIII Phyſ. comment. LI, & in II de Cælo, comment. III, & IV. Hanc qui ſententiam ſequuntur, duplices ſtatuunt eſſe cælorum motores; nempe animas, & intelligentias: ſed proximè orbes moveri ab animis, animas ab intelligentiis; interim moveri motus genere admodum diverſo. Ab animis enim commoveri cælum, ut ab animâ noſtra corpus humanum. Ab intelligentiis cieri animas; ut intellectus noſter ab ſuo movetur objecto. Quippe ab animis cæleſtibus & cognoſci, & amari atque appeti intelligentiarum præſtantiam. Hanc excellentiam partim eſſe in æternitate intellegentiæ; partim in perfecta bonitate. Intelligentiæ æternitatem, ut hi ajunt, imitantur per motum circularem: quia, ut mentes illæ, à materia ſeparatæ, intelligendo in ſe ipſas revolvuntur; ita animæ cæleſtes, ad internæ hujus revolutionis exemplum, orbes ſuos externâ revolutione verſant. Quæ æternitas videtur dici poſſe: quia, utcunque revolutiones ſemper aliæ ſint, atque aliæ; univerſæ tamen quodammodo unus ſint motus; quippe continuus, non interruptus. At bonitatis perfectionem, ſecundum hos, imitantur animæ, dum cognoſcunt, intelligentias eſſe cauſſas ordinis in univerſo; atque eas appetunt, ut bonas, eiſque aſſimilari cupiunt per eundem modum exerendo ſuam bonitatem in orbem univerſum. Qui fuſiùs iſta cognoſcere volet, Cæſarem adeat Cremoninum libris de natura cæli, ac præcipuè de motoribus cæli abſtractis.

Atque idem, quas animæ cæleſti facultates tribuat Ariſtoteles, paucis eſt complexus, libro de Natura Cæli ſect. V, cap. VIII: *Nos conſtituimus, animam eſſentialiter cælum informantem eſſe animam, quæ ſit prædita potentiâ intellectivâ, quia debet cognoſcere intelligentiam; ſit prædita potentiâ motivâ, quia debet movere orbem; & appetitivâ, quia debet appetere intelligentiam; nec poteſt eſſe motus ſine appetitu.* Sed quæri ſolet, an anima cæleſtis, uti ſecundùm Ariſtotelem habet facultatem intellectivam, appetitivam, & motivam; ita etiam, ſecundùm eundem, habeat ſenſitivam. Exiſtimavit hoc Plutarchus Lydus; ut Simplicius refert, nec non Philoponus in Ariſt. III de Anima comment. LXI. Sed longè aliud voluit Ariſtoteles: quippe loco Ariſtotelis memorato; ubi ait, fieri non poſſe, ut corpus habeat animam intelligentem, ſenſum haut item; ſermo de iis eſt, quæ corruptioni ſunt obnoxia; non de cæleſtibus, & generationis expertibus. Quod ita eſſe, liquet ex ſecundo de Anima context. XV, & XXXII: ubi de ſolis ait mortalibus capiendum, quod dicitur, facultates præſtantiores præſupponere eas, quæ minus ſunt præſtantes. Atque ita locum antea adductum etiam Philoponus cepit: uti & Simplicius; qui tamen in hoc ipſo ab Ariſtotele receſſit. nempe, ut aliàs ſæpe, ita eâ parte etiam, ſequi maluit Platonem, qui ſenſus tribuit cælo. Sed profectò, cui bono ſenſus cælis Ariſtoteles aſſignaret? Animantibus hi dantur ad ſui conſervationem. Nam neceſſe habent foris quærere alimentum: tum item injuriæ ac pericula ſæpius foris propulſanda. At cælum non paſcitur: nec alicunde ei periculum eſt. At, inquiunt Platonici, ſenſibus cælo opus fuit, ad cognoſcendos motus particulares; cùm intellectus quidem feratur ad univerſale, ſenſus verò ad particulare. Ac ſi cælum non habeat ſenſum, nec ei tribui poſſit intellectus, quia intellectio fiat per ſpeciem. Avicennas, ut huic ſatisfaciat difficultati, imaginativam cælo adſignat, qua particulares revolutiones cognoſcat. Imaginatio fortè ei eſt non ſpeciei per ſenſus receptio, ſed intellectus ad particularia applicatio. Alioqui neque ſic Avicennas ſatis occurrat difficultati de ſpecierum neceſſitate: neque adhæreat Ariſtoteli, qui tum exteriorem, tum interiorem in cælo ſenſum refugit. Alii igitur Platoni ſic obviam eunt, duos Ariſtoteli eſſe modos intelligendi; unum per receptionem ſpeciei, alterum per eſſentiam. Priorem locum habere in hominibus; quibus ad intelligendum eſt opus ſenſuum interventu, ac ſpeciei productione; eò quod ſenſibile ſit res materialis recipienda immaterialiter. Poſteriorem habere locum in anima cæleſti, cujus objectum ſit res purè intellectualis; ut recipiatur prout eſt, nec ſpeciei illius productione ſit opus. Noſtrum intellectum verſari in abſtractis, fundamentum in re ſenſibili habentibus: eoque phantaſiæ eſſe adſtrictum, & omnia per diſcurſum addiſcere. At objectum animæ cæleſtis ſimpliciter eſſe abſtractum; inque abſtractione rationem intelligentiæ conſiſtere; eoque animam cæleſtem phantaſmate non indigere, nec diſcurſu ullo. Hæc mens etiam fuit Alexandri lib. I Quæſtionum Natur. cap. XXV: pluribuſque eam exponit Cremoninus libri ante memorati cap. IX. Ubi inter cætera ſic ſcribit *a*: *Cælum intelligit recipiendo rem, quam debet intelligere: non illius ſpeciem, quia ipſa eſt per ſe intelligibilis; & non requiritur ſpecies, niſi ubi res per ſenſus eſt intelligenda, & eſt materialis.* a P. 130.

Hæc oſtendunt, Peripateticos genuinos cælo tribuere animam longè præſtantiorem humanâ: noſtra enim indiga eſt ſpecierum, & diſcurſus; cæleſtis non item. Ac ratione hujus mentis, cælum Peripateticis eſt Deus. Unde lib. II de Cælo, cap. III, ſive context. XVII: Ἕκαστόν ἐστιν ὧν ἔργον ἐστὶν, ἕνεκα τοῦ ἔργου. θεοῦ δ' ἐνέργεια, ἀθανασία. τοῦτο δ' ἐστὶ ζωὴ ἀΐδιος. ὥστε ἀνάγκη τῷ θείῳ κίνησιν ἀΐδιον ὑπάρχειν. ἐπεὶ δ' ὁ οὐρανὸς τοιοῦτος. σῶμα γάρ τι θεῖον. διὰ τοῦτο ἔχει τὸ ἐγκύκλιον σῶμα, ὃ φύσει κινεῖται κύκλῳ ἀεί. *Vnumquodque eorum, quorum eſt opus, id eſt operis cauſſa: Dei verò operatio immortalitas eſt. Hoc autem eſt perpetua vita. Quare Deo perpetuum ineſſe motum, neceſſe eſt. Cùm verò cælum ſit tale (eſt enim corpus quoddam divinum) eo corpus habet rotundum, quod naturâ ſemper in orbem movetur.* Ajunt cum Thoma Conimbricenſes, cælum hic vocari Deum, more Platonico. Sed profectò Alexander, & alii, ſenſere Ariſtotelem loqui ex mente ſua: longeque id veriſimilius eſt. Nam Ariſtoteli Deus eſt vivens continuum, & ſempiternum: inque Deo vivere eſt intelligere. Nos non ſemper intelligimus, ſed aliquot annis; & iis, quibus vivimus, intellectio noſtra non continua eſt, ſed interciſa: motores autem cæleſtes, ſecundùm Ariſtotelem, & ſectatores, ſunt principii ac finis neſcii; eoque ſemper intelligentes; quod divinæ eſt naturæ proprium. Non tamen parem omnibus divinitatem tribuebant. Siquidem intelligentiam, quæ orbem moveret Lunarem, minùs intelligentem credebant intelligentiâ, à qua Solis orbis moveretur: ac univerſos orbium, qui planetarum dicuntur, motores judicabant minùs habere perfectionis, quàm qui ſupremum orbem commoveret. Nam qui

primus motor vocatur, eſt Ariſtoteli ſumma ratio ordinis in univerſo: cæteri autem motores, ſecundùm eundem, ſunt ordine diſpoſiti cum habitudine inferiorum ad ſupremum: & activè quidem ſe habent ratione orbium ac mundi: ſed paſſivè ratione primi motoris, in quo conſtitutum eſt bonum univerſi. Satis autem liquet, me primi motoris nomine nunc uti ſtrictè pro motore primi orbis. Cæteroquin non me fugit, Ariſtotelem ferè per primum motorem omnes ſignare Cæli motores: quomodo pariter & Deum ſupremum, & ſeptem intelligentias, ut minores ac miniſtros Deos, comprehendit. Nempe primus motor Ariſtoteli adæquatè ſunt octo intelligentiæ: principaliter autem prima intelligentia ſive ſuprema. Hoc ita eſſe, liquet ex Metaph. XII, cont. XLIII: ubi cùm retuliſſet, quod in VIII Phyſicorum demonſtrârat, eſſe primum motorem immobilem, & indiviſibilem: quærere nihilominus non dubitat, quot eſſent ejuſmodi motores: atque reſpondet, tot eſſe eos, quot eſſent cæli circumvolutiones: eas autem octo ipſe ſtatuebat. Aliter tamen ſenſit Simplicius in VIII Phyſicorum, & nonnulli ex Latinis: quibus primus motor Ariſtoteli non ſummus Deus videtur, ſed intelligentia ſummi poſt Deum loci, ac dignitatis. Eò impulit Simplicium, quòd plurimùm ſtuderet Platonem & Ariſtotelem conciliare. At Platoni ſupremam Bonum ipſum, hoc eſt, Deus, obtinet dignitatem: proximam Mens, Dei progenies, naturæ architecta: tertiam Natura, Mentis opus. Sed Ariſtoteles hoc Dei, & Mentis primæ diſcrimen non agnovit: ſemperque per primum motorem intelligit, vel Deum ſupremum ἁπλῶς, vel eundem cum inferioribus ſeptem Diis, ſive intelligentiis: ut ſatis parebit conſulenti VIII Phyſ. context. ſive partic. XLVIII, XLIX, & LII, item XII Metaphyſ. context. XLIII.

Andreas tamen Cæſalpinus cenſet, *motrices cælorum cauſſas non eſſe per ſe multas; ſed ſolum ob cæleſtes ſphæras videri multas, cùm per ſe una tamen ſint ſubſtantia.* Sed hoc parum cum eo convenit, quod Ariſtoteles lib. VIII φυσικ. ἀκροάσ. cap. X, cont. LXXVIII, ait, primum movens eſſe ἀμερὲς, καὶ μηδὲν ἔχειν μέγεθος· *partibus vacans, & nullâ præditum magnitudine.* Eoque levior nobis in iſto eſt auctoritas Cæſalpini: quòd idem nec dæmones, vel angelos, aliud eſſe cenſeat, quàm particulas Dei corporibus tenuiſſimis ſociatas: imò & beſtiarum, & hominum animas itidem Dei particulas exiſtimârit. Dæmones igitur multos fatebatur; ſed ratione materiæ; extra quam nullam eſſe multitudinem putavit. Ideo & unam ſtatuit intelligentiam humanam; ſed multiplicari ſecundum hominum multitudinem. Quæ ſanè impietate non carent. Sic igitur concludimus, Ariſtoteli præter ſupremi orbis præſidem ac motorem, diurni motus cauſſam, eſſe & minores Deos, inferiorum orbium motores.

Dixeris, Peripateticos non agnoviſſe ullam in Deo imperfectionem: at ſi octonæ ſint intelligentiæ, quarum prima ſola omnimodam habeat perfectionem; fore ut aliqua inferioribus tribuenda ſit imperfectio. Sed reſpondent Peripatetici, ſe & illis minoribus Diis tribuere perfectionem; attamen in gradu remiſſo: tantam videlicet, quantæ, pro conditione naturæ ſuæ, ſunt capaces: quomodo, ex communi Theologorum ſententia, primus homo non eſt conditus à Deo imperfectus: utcunque non obtineret eam perfectionem, quam haberent mentes angelicæ.

Sed plurimi, ut de inferioribus ſeptem intelligentiis aſſentiuntur iis, quæ proximè Ariſtotelem ſenſiſſe dicebamus: ita perſuadere ſibi non poſſunt, ab acutiſſimo philoſopho ſupremum numen orbi ſupremo, ſolumque ei movendo, quaſi alligari. Contendunt igitur, ab eo Deum ſtatui ubique: ſed ſedem tribui in ſphæra ſuprema, quia illic præcipui ejus reluceant effectus. Atque hanc opinionem illi quoque tribuit Toletus in VIII Phyſ. cap. X. Ita opinionem eam aſſignant Ariſtoteli, quam habuiſſe eum vellent: eoque etiam peſſimè dicta in meliorem torquent ſenſum. Et ſanè tolerabiliùs peccant, qui ſic faciunt: quàm qui, ut alii ſolent, etiam quos minimè omnium deceret, optimè à quoque dicta in deteriorem rapiunt partem. Germanam autem Ariſtotelis mentem cognoſcere eſt ex Phyſ. lib. VIII, cap. X, context. LXXXV: ubi ſic argumentatur. Primum movens, vel eſt in centro, vel in peripheria, vel intermedio loco. At non eſſe in centro, nec in medio, ſed in peripheria, ex eo cognoſcitur, quia, quæ moventi proxima ſunt, celerrimè moventur: ſupremus autem orbis movetur celerrimè: iſtic igitur eſt primum movens. Hoc volunt verba illa: Ἀλλὰ τάχιστα κινεῖται τὰ ἐγγύτατα τοῦ κινοῦντος. τοιαύτη δ' ἡ τοῦ ὅλου κίνησις. ἐκεῖ ἄρα τὸ κινοῦν. *Verum celerrimè moventur, quæ moventi proxima ſunt: cujuſmodi univerſi motus eſt. ibi igitur movens eſt.* Τὸ ὅλον ſive *univerſum* appellat extimum orbem, quia univerſa contineat. Indeque colligit, ubi orbis eſt extremus, ibi eſſe primum movens, ſive Deum. Similiter lib. I de Cælo, cap. IX, context. ſive particul. XCVI: Ἕνα μὲν τρόπον οὐρανὸν λέγομεν, τὴν οὐσίαν τὴν τῆς ἐσχάτης τοῦ παντὸς περιφορᾶς· ἢ σῶμα φυσικὸν τὸ ἐν τῇ ἐσχάτῃ περιφορᾷ τοῦ παντός. εἰώθαμεν γὰρ τὸ ἔσχατον καὶ ἄνω μάλιστα καλεῖν οὐρανὸν, ἐν ᾧ καὶ τὸ θεῖον πᾶν ἱδρῦσθαί φαμεν. *Uno quidem modo cælum dicimus, ſubſtantiam ultimæ Univerſi converſionis, aut id naturale corpus, quod eſt in ultima Univerſi converſione: conſuevimus enim ultimum ac ſuperum corpus appellare Cælum: in quo &* OMNE DIVINUM *conſiſtere dicimus.* Videtur tamen obſtare, quòd ibidem, context. centeſimo, iſta ſubjungit: Οὐδ' ἐστὶν οὐδενὸς οὐδεμία μεταβολὴ τῶν ὑπὲρ τὴν ἐξωτάτω τεταγμένων φοράν, ἀλλ' ἀναλλοίωτα καὶ ἀπαθῆ, τὴν ἀρίστην ἔχοντα ζωὴν, καὶ τὴν αὐταρκεστάτην διατελεῖ τὸν ἅπαντα αἰῶνα· *Neque ullius eorum ulla eſt mutatio, quæ ſunt conſtituta ſuper ultima converſione: ſed nullis alterationibus, nullis planè paſſionibus ſubjecta, optimam in univerſa æternitate vitam & ſufficientiſſimam habent.* Ubi non modò primam Mentem ſive ſupremum Deum; ſed intelligentias quoque, ſupra octavum orbem collocat. Quod attendens Franciſcus Suarez in Metaphyſicis, Diſputatione XXX, Sectionis ſeptimæ part. XLVIII a, ait, *Eſt ergo ſatis lubrica mens Ariſtotelis in hac parte.* Mihi hæc ab alio jam olim inſerta videntur. Saltem non conveniunt cum iis, quæ antea dixerat; neque eo, quod ibidem ait, Ἔξω δ' οὐρανοῦ οὔτε τόπος, οὔτε χρόνος ἐστίν. *extra cælum neque locus eſt, neque tempus.* Valde ſe in eo torquent interpretes. Conimbricenſes quidem ſcribunt b hoc pacto: *Quænam entia ponat Ariſtoteles extra mundum, non conſtat inter ejus interpretes. Quidam putant ſolum Deum: alii Deum, & intelligentias: quibus hinc ſuppetit argumentum in Peripatetica doctrina, ad probandum, Deum eſſe actu in ſpatio imaginario extra mundum: alii volunt, non dici ab Ariſtotele, hujuſmodi ſubſtantias immateriales eſſe extra mundum, quaſi exiſtant in ſpatio illo imaginario, ſed extra conditionem & ſortem rerum materialium phyſicas eas mutationes ſubeuntium.* Et profectò aut poſtrema hæc conciliationis ratio eſt ineunda, aut ſecum pugnat Ariſtoteles, aut aliunde verba ſuperiora fuerint ingeſta. Quod poſtremum malo credere. Nam & modus ille conciliandi duriſſimus eſt: & eodem in loco acutiſſimum philoſophum ſibi manifeſtè adeò contradixiſſe, parum fit veriſimile. Quare honeſtiùs de eo, niſi ſecum pugnare velimus, ſentire non poſſumus, quàm ſi dicamus, aliquid ab alio Ariſtoteli eſſe inſertum: ac mentem philoſophi germanam eſſe, Deum non eſſe diffuſum per totum mundum ſecundùm ſubſtantiam: ſed ſedem ſuam habere in præcipua cæli parte, hoc eſt, ſupremo orbe: nempe ut rex totum gubernat regnum per adminiſtros; in ſola autem regia habitat: ut item anima noſtra non eſt in omnibus corporis membris; ſed uno præcipuo, unde cætera participant vitam. Hanc enim de anima mentem eſſe Ariſtotelis, liquet ex lib. I de motu animalium cap. penult. ac vidit hoc etiam Albertus lib. II de Anima, cap. VII.

a Tom. 2. pag. 76. edit. Colon. an. 1600.

b Ad adlatum proxime Ariſtotelis locum.

Ut melius ſenſiſſe Ariſtotelem credamus, verba non ſinunt: facilè autem, ut deterius ſenſerit: quæ Achillini, Piccolominæi, & aliorum, ſententia fuit. Ex quorum opi-

opinione, Ariſtoteli cæli forma informans eſt anima cæleſtis; nec aliud eſt anima hæc, quàm intelligentia. Quomodo cælum componetur ex orbe ſuo, ut corpore, & anima ſive intelligentia, ut forma perficiente. Atque ita Deus ſit corporeus, quatenus Dei nomine orbis corpus, & motorem ejus, complectimur. Orbis igitur, qui movetur, ignobilior pars divinæ fuerit ſubſtantiæ; ut corpus noſtrum pars eſt vilior hominis. At pars nobilior ſit motor, ut anima in nobis. Ex quibus non obſcurum eſt cognoſcere, quo in genere formarum eſſentialium, hos ſi ſequamur, reponi debeat primus motor. Nam formarum quædam ſic in materia ſunt; ut extra eam eſſe non poſſint; ſed ab ea dependeant, non modò actionum, ſed etiam eſſentiæ ratione. Atque hujuſmodi ſunt formæ naturales; quæ partes omnes materiæ ſuæ informant: ac videntur in his etiam eſſe formæ plantarum, quæ vix animatum nomen merentur. Aliæ autem formæ eſſentiales ſunt quidem in materia: ſed corpus propriè non informant, verùm formâ ſuâ præditum perficiunt: interea ipſæ nec operari, nec eſſe extra illud valent: ut ſunt animæ mutorum animantium; quæ eorum formæ dicuntur, non quatenus corpora ſunt naturalia, ſed quatenus ſunt viventia. Aliæ autem, etſi ratione quarundam operationum non pendeant à corpore: ratione tamen eſſentiæ, & operationum aliarum, à corpore dependent. Ac tales ſunt animæ humanæ corporibus ſociatæ: &, ſecundum eos, de quibus proximè diximus, etiam animæ cæleſtes, ſive intelligentiæ: ut quæ ſine corporis ætherei ope intelligánt; utcunque nunquam ab eo ſeparentur. Aliæ verò non ſunt in materia, nec eam vel informant, vel perficiunt: ineſt tamen iis habitudo ad corpus: ut ſunt animæ humanæ à corporibus ſeparatæ, quæ corporibus iterum jungi deſiderant. Aliæ denique ne quidem habitudinem hanc obtinent: ut ſubſtantiæ illæ abſtractæ, quas Platonici dæmonas, Chriſtiani angelos nuncupant. Ac tales etiam ſunt intelligentiæ, ex mente eorum, qui animas cæleſtes, & intelligentias, diſtinguunt, ac intelligentias dicunt animis cæli perfectiores, quia etſi animæ appetant & imitentur intelligentias, non tamen has tam capiant perfectè, quàm ſe ipſas norint intelligentiæ.

Cap. XLI.

Cæli divinitas convellitur, quia ſit inanimum: atque hoc fine oſtenſum, ſidera non per aliud, ſed proprio cieri motu: & propterea æthera non denſum eſſe, non rarum, ſed tenuem: nec ratione motus naturalis corpus tam in duo, ut Ariſtoteles voluit; quàm tria in genera diſpeſci. Vnde corporibus vita proveniat. Si ſidera per ſe moveantur, cauſſam tantæ eorum velocitatis ex mira cælorum tenuitate peti oportere: ſin ea cum orbibus moveantur, rationem eſſe, quòd in loco volvantur proprio, eoque nihil iis reſiſtat. Non eſſe in cælo dextrum, & ſiniſtrum, vel alias differentias locales. Nec ſemper animâ præditum præſtare inanimo, cùm potiùs ex fine, ac bono univerſi, æſtimanda ſit rei cujuſque excellentia. Vtcunque cælum non eſſet inanimum; fruſtra tamen, cùm cauſſa motus adferuntur, vel animis cæleſtibus ſuperaddi intelligentias; vel intelligentiis animas ſubdi: imò motoribus incorporeis planè opus non eſſe. Ac licet ab intelligentiis cælum moveretur; non tamen ſolum octonas cum Ariſtotele ſtatui oportere; ſed multis partibus plures. Calippi de orbium numero opinio. Perperam vulgo intelligentias cum angelis confundi.

QUæ Ariſtotelis fuerit opinio de natura divina, ſatis expoſuimus. Ac clarè ex iis liquet, non poſſe tantum philoſophum effugere, quin creaturæ pro creatore divinum tribuiſſe honorem dicatur. Utcunque enim intelligentias à cæleſtibus animis diſtinxiſſet; inferiores tamen intelligentiæ fuerint creaturæ: cùm non niſi unicum eſſe numen poſſit. Quod ſi Deum ex orbe, & intelligentia, compoſitum putàrit; tanto magis huic crimini fuerit obnoxius. Ut hæc fiant planiora, deinceps oſtendam, nihil æquè mirandum eſſe, quàm Peripateticos veteres, homines tam acuta ingenii acie, obtuſis adeò, planeque luſoriis magis, quam decretoriis pugnaſſe armis, ut grande illud evincerent, cælo animam, imò intelligentiam longè animâ excellentiorem, & quid iſta dico? etiam divinam tribui majeſtatem oportere. Ab anima ordiar, qua ſi cæli corpus deſtituitur, quanto minùs intelligit: ac ſi intelligendi vi caret, quis mentis adeo ſit dementis, ut Deum dixerit?

Familiam in Peripateticorum ducit argumentis, quòd cælum per ſe moveatur; ac proinde internum habeat vitæ, ac motus principium. De vita longè aliter adſtruebant, quàm qui putarent, ſidera nutriri vaporibus. Perſuaſiſſimum enim Peripateticis fuit, abſumi vapores, priuſquam ad cælos pertingant. Potiùs igitur vivere cælum ex motu colligebant. Per cælum autem intelligebant orbes cæleſtes.

Sed ſidera videmus moveri, orbes non item; nec contrarium quæ ſuadeat ratio eſt ulla, vel ſaltem non ſatis gravis: ut longè veriſimilius videatur, nullos eſſe planetarum orbes, ſed cælum eſſe continuum: nec ſidera per aliud moveri, ut orbium partes: ſed cælum per ſe quieſcere, ſidera autem cieri per ſe, & motu proprio. Ac propterea non craſſus eſt æther; uti aqua, vel aër, ubi craſſitie opus fuit, illic ad natandum, hic ad volandum. Imò neque rarus eſt; quale quod eſt, poros habet; & eo plures, vel majores, quo rarius; ut rariſſimum ſit, quod maximè poroſum. At cælum habere poros temere dicatur. Sed eſt æther longè tenuiſſimus, ut à ſideribus faciliſſimè, & citiſſimè, tranſmeetur. Tenue enim dicitur, quod facile cedit. Tale eſſe cælum neceſſe eſt, ob ſummam & prope incredibilem ſiderum velocitatem. Neque enim ſidere locum mutante, cælum propterea cogitur, ac condenſatur; ut fieret, ſi raritatis beneficio ſidera permearent: ſed duntaxat pars una in alterius locum migrat; uti tenuium natura oſtendit. Non igitur ex ſiderum motu, de circumvolutione orbis cæleſtis judicandum: eo minùs, quia ſidera non ſunt ejuſdem naturæ ac orbis cæleſtis, ſed planè diverſæ; ut antea dictum. Imò ut orbes per ſe, & cum iis ſidera moverentur; non eò animâ præditi ſint. Nam ſic quoque principium proximè movens fuerit natura eorum, ſive vis à Deo indita, ut ea rectè dicatur virtus ſeu facultas propria ac nativa. Itaque ut tellus naturâ ſuâ movetur deorſum, ignis ſurſum: ſic cælum naturâ in orbem volvitur. Ut videatur triplex eſſe corpus naturale: ſublunare inanimum, quod ſuo loco quieſcat: cæleſte inanimum, quod ſuo loco moveatur, ſed motu uniformi: ac animatum, quod & ipſum in loco naturali moveatur, ſed modis variis. Fruſtra igitur Ariſtoteles ex inanimo ſublunari colligit de cæleſti. Quod ſi ab alio cieretur, &, pro Ariſtotelis mente, de cæleſtibus ex ſublunaribus rectè procederet argumentum: omnino haberet inſtrumenta ſui motus, inſtar animalis; cujus corpus inſtrumentis eget, quia ab alio, nempe ab anima, movetur. Nec enim corpus per ſe vivit; ſed per animam, quæ vigorem, qua vivant & moveantur, in membra corporis transfundit. Sic conſtat, ab anima in corde humano arterioſum ſanguinem imbui virtute vitali: is deinde ſe inſinuat per corpus univerſum, facitque ut vigore eo omnia vivant membra. Iccirco ſi obſtruantur arteriæ, moriuntur artus illi, ad quos penetrare nequit ſpiritus ac ſanguis vitalis. Hæc ſi cælis accommodentur, quid ſimile reperiemus? Ecquid in iis dicere poſſumus analogum cordi, arteriis, ſanguini, & membris?

Verùm eſto, ut orbes per ſe moveantur, ſidera per aliud. Sic quoque is motus non ab anima ſit, ſed naturâ: quæ grande illud corpus breviſſimo verſet tempore, quia in loco proprio verſet. Nam quæ recto feruntur motu, uti lapis, vel aliud, cum difficultate moventur; quia ſunt extra locum naturalem; ad quem ut pertingant, neceſſe habent aëra ſcindere, vel aquam. At quæ in orbem moventur, ut de orbibus cæleſtibus eſt perſuaſum, in loco ſunt naturali; eoque celerrimè moveantur, quia nihil eorum motui reſiſtat.

Planè autem frivolum eſt, quod cælum eſſe animatum colligunt, quia in eo ſit ſurſum & deorſum, dextrum & ſiniſtrum: ut eo ſe evincere poſſe arbitrantur, quia dextrum ſit latus, unde ſit motus; & cæli motus ſit ab Oriente. Quæ cùm dicunt, parum cogitant, in corpore rotundo non eſſe locales iſtas differentias. Fons verò & caput erroris eſt, quòd ex motu recto colligere volunt de rotundo: cum longè maximum inter eos ſit diſcrimen. Nam, quæ recto cientur motu, in ſua feruntur loca: at, quæ volvuntur in orbem, ea, ratione totius, non mutant locum, ſed quieſcunt; ac tantùm ratione partium commoventur. Itaque nec verum eſt, quod ajunt, initium motus eſſe ab Oriente. Nam ut de contrario planetarum motu nihil nunc dicam: ſecus quoque eſt de motu diurno. Ubique enim Sol oritur, ubique occidit.

Quàm minutum etiam, cùm cælum eſſe animatum concludunt, quia alioqui inſectis vilius foret. Quaſi ſemper animatum præſtet inanimo. Hoc nec ipſi credunt, quando ſic argumentari non verentur. Scyphum enim aureum pulici; domum magnificam prætulerint muſcæ. Et quis eos propterea dementiæ arguat? Scimus enim creata omnia eſſe metienda non tam ex forma, quàm ex fine: utpote cauſſa independente, unde & meritò cauſſa dicitur cauſſarum. Itaque Deus ipſe, pro fine, quem in ſingulis propoſitum habuit, ſuam cuique formam eſſe juſſit. Proinde licet cælo forma ſit vitæ expers: præſtantior tamen eſt animatis omnibus, unum ſi exceperis genus humanum, cujus gratia imprimis cælum Deus fecit. Cogitandum igitur, quanta utilitas redundet erga homines ex Sole, Luna, ſtellis: de quorum ſingulis antea diximus. Cum fine tam utili, tam neceſſario, quis contulerit finem pulicis, aut pediculi? qui ex putredine ſuccreſcunt, magis dixerim in pœnam, quàm bonum hominis: eoque fortaſſe ne fuiſſent quidem, niſi homo peccaſſet.

Abunde illis occurrimus, quibus probatum ivere, cælum eſſe animatum. Mirum verò, aliquos præterea ſuperaddidiſſe intelligentias. Si enim cælum eſt animatum, nihil opus eſt ponere intelligentias motrices: quando animata omnia habent principium motus internum. Vel ſi intelligentiæ moveant cælum, nihil profectò attinet dicere, eſſe animatum, cùm intelligentiæ cieant illud, ſi non contactu eſſentiæ, attamen virtutis. Quod verò ajunt, opus præterea eſſe intelligentiis, ut animæ orbium, intuendo illas, velut exemplum, tanto quoque ſimiliores iis fiant: id quàm facilè dicitur, tam facile negatur. Planèque philoſopho eſt indignum, talia promere, nec probare aut velle, aut poſſe.

Et quid opus ſtatuere motores incorporeos, cùm ea, quæ naturâ moventur, non indigeant motore incorporeo; excepto quòd omnia pendeant à Deo? Imò, utcumque diſſentiant Peripateticorum complures, Ariſtoteles non ſtatuit motores incorporeos, ut motus eſſet; ſed ut motus eſſet æternus. Nam ex motu æterno colligebat eſſe ſubſtantiam, quæ moveret æternùm. Atqui motus non eſt æternus, ſed finitus: idque à principio finito; nempe naturâ: quæ tamen non poſſit eſſe aliunde, quàm à principio infinito, quod Deum dicimus.

Quod verò pro octuplici ſiderum motu, totidem eſſe orbes, ac pro orbibus totidem animas, & pro his intelligentias totidem, eſſe collegerunt: id quàm infirmum ſit, liquet ex argumentis, quibus alii concludunt, cælum eſſe liquidum, & omnes ſtellas, vel planetas ſaltem, ſuâ vi moveri. Qua de re abunde antea diximus. Adde quod, ſi cum Ariſtotele ſtatuendum, moveri orbes ab intelligentiis; quarum unaquæque unum verſet orbem: non octonæ ſolùm intelligentiæ erunt, ſed longè plures, propter eccentricos, & epicyclos. Statuuntur enim in univerſum orbes triginta tres *a*: ex quibus viginti ſeptem ambiant terram; ſex autem epicycli toti exſtent extra terram. Imò, ſi cum Fracaſtorio *b* concentricos ſtatuere orbes malis; jam ſeptem vel noveni ſupra ſeptuaginta erunt; octo ſtellati, cæteri ἄναστροι *c*, atque ex his ſeni ſupra ipſum firmamentum. Nam in eo quoque idem receſſit, tum ab Ariſtotele, qui nullum agnovit orbem ſupra firmamentum; tum Aſtrologis poſtea conſecutis, qui duos ſolum ſuperaddiderunt. Medium verò inter hos numerum iniit Calippus, aſtrologus Ariſtoteli, Plinio, Cenſorino, ac multis aliis, laudatus: cui orbes partim ferentes, partim reſtituentes numero erant quinquagintaquinque. Accurate ejus ſententiam idem Fracaſtorius expoſuit Homocentricorum cap. XXV. Secundùm hos igitur, ſi ex Ariſtotelis principiis judicandum, longè major fuerit intelligentiarum numerus, quàm Peripatetici tradiderunt.

a Clavius in cap. 4. Joannis à Sacrobosco.
b Lib. de Homocentricis.
c Sine ſtellis ullis.

Sed his refellendis ultra inſiſtere non eſt animus, quia nec concentricis, nec eccentricis cum orbibus, ſed per ſe ſidera moventur; ut vel ea evincunt, quæ concentrici eccentricis, eccentrici concentricis objectant. Nam nervoſè ſatis deſtruunt opinionem adverſam; ſed ſuam parum ſolidè adſtruunt: quod utriuſque partis ſententiam jure reddit ſuſpectam.

Mirum verò, Ariſtotelem, qui ex falſo de motus æternitate principio colligit æternos eſſe motores, eoſque eſſe ſubſtantias immateriales, nulli alii rei, quam contemplationi, & circumvolutioni cælorum intentas: hunc non agnoviſſe dæmones, vel angelos bonos maloſve: quos argumentis magis veris & apertis cognoſcere etiam gentiles potuere; uti oſtenſum nobis lib. I, cap. VI. Hoc cum junioribus diſpliceret, cælum dixere ab angelis moveri. Sed longè aliud eſſe Ariſtoteli intelligentias, quam Platoni ſint dæmones, Chriſtianis autem angeli boni malique: ſatis eluxit ex iis, quæ proximè quidem de intelligentiis, libro autem primo cap. VI de dæmonibus, atque angelis, dicebamus.

Cap. XLII.

Divinitatem cæli malè colligi ex eo, quod dicatur gubernare omnia Lunæ ſubdita; cum impropriè hic gubernationis vocabulum ſumatur. Nec cælum propriè agere per motum, cùm is hoc ſolum præſtet, quod deferat variiſque terris applicet virtutem cæli operativam: puta lucem, tum autem qualitatem occultam: ad multorum interea generationem ſubterraneos ignes concurrere. Triplex cæli conſideratio pro triplici modo, quo in terris res fiant; ratione, fortuna, & neceſſitate: proque iſtis tria numina introducta; Minerva, Fortuna, & Fati; ſive Parcarum. Unde ſint Ἀθηνᾶς, *& Minervæ, nomina. Eandem Ægyptiis dictam eſſe* Νηΐθ: *ac ſecundam eſſe ex Minervis quinque, quæ à Tullio, & aliis, memorantur. Cum autem per* Minervam *dicitur intelligi cælum: imprimis ſignari æthera ſupremum, & cum ea mentem ætheris ſummi præſidem, & mentis hujus prudentiam: interim cum ſummo æthere etiam Solem, & Lunam, & aëra, in conſiderationem venire; quia ab his ingenium ac ſagacitas hominum quodammodo dependeat: ſingulaque horum veteribus ac locupletibus teſtibus firmata: ex quibus etiam cognoſcere ſit, cur Minerva Jovis filia, non uxor, dicatur.*

Habemus de forma cæli in ſe ſpectata. Quare videamus nunc de eàdem, prout agit in omnia Lunæ ſubdita. Nam hæc, ut philoſophi conſentiunt, à corporibus cæleſtibus reguntur. At nulli, præterquam Numini, convenit terrarum, maris, atque aëris imperium. Quare videri poſſint gentiles jure optimo tribuiſſe cælo divinitatem. Præſertim quando & B. Auguſtinus in tertio de Trinitate fateatur, *inferiora corpora à cæleſtibus gubernari*. Et ſimilia etiam reperias quandoque apud alios è ſanctis Patribus. Sed enim, ut dici ſolet, figurativa non eſt argumentativa. Atqui Chriſtiani *gubernationis* nomine in hoc negotio non utimur proprio pro actione voluntaria, ut illi qui cælum ſideraque pro Diis habent: ſed κατὰ μεταφορὰν *a*, pro operatione rei inanimæ in elementa, & exinde compoſita, vim eam exerentis, quam cum eſſentia à Deo accepit. Non liberè igitur, ſed neceſſitate naturæ, operatur: idque, ex Ariſtotelis opinione, per duo illa, lucem, & motum.

a Per tranſlationem.

motum. Ac de luce quidem aſſentiendum; quia ſatis liquet, eam attenuare, & calefacere hæc inferiora. At motus, quatenus eſt motus, non agit. Aëra eo ajunt impelli: verùm impulſus illius vix aliquid ad nos pertingit. Interea à motu eſt delatio operativæ virtutis, quam Deus indidit cælis. Utcunque enim non agat ſiderum motus, ſidera tamen agunt: quæ, ut cap. xxxv orſi eramus dicere, motu illo adducuntur, & reducuntur, ut viciſſitudo ſit caloris, & frigoris, & reliquarum qualitatum. Sic videmus Solem minus calefacere manè, quàm veſperi; minus veſperi, quàm meridie. Ubi quid apertius, quàm majorem minoremve calorem provenire à Sole; non à motu, præciſè loquendo: & tamen motum etiam in conſiderationem venire, quatenus ille Solis, & Cæli virtutem circumducit, variiſque applicat terrarum locis? Proinde etiam cùm Sol ſtaret tempore Joſuæ, lucebat ille: ſed lux non progrediebatur. Siquidem à Sole erat illuminatio: ſed, ſi Sol non ſtetiſſet, à motu fuiſſet lucis circumlatio. Utcunque igitur ſemper ſtaret, non eò minùs luceret; ſed vehementiùs ageret in terras, aquaſve ſubjectas. Nec mundus tantâ ſui parte, uti nunc, foret habitabilis. Neque temporis hiberni, & æſtivi, foret viciſſitudo. Quocirca rectiùs alii, qui ubi ſermo de illis, per quæ cælum operatur in hæc inferiora, cum luce non motum jungunt, ſed qualitatem occultam. Nam potiùs videtur à virtute eſſe hominibus incognitâ, quòd in tellure intima, quò radii ſiderum penetrare non poſſunt, metalla & lapides generentur; eaque tam diſpari naturâ: uti arguit, quòd magnes attrahit ferrum, ſapphirus fuget anthracem. Imò nec opus in terræ viſcera penetremus: cùm in aliis etiam, quæ cælo exponuntur, tam diſpar, ac miranda ſit natura, ut magis ab occultis quibuſdam cælorum viribus proficiſci videatur. Quale eſt, quòd ſuccinum trahit feſtucam, remora ſiſtit navem: item quòd agaricum pituitam, rhabarbarum bilem, epithymum atram expurget bilem: quod etiam leonem terreat conſpectus galli gallinacei; torpedinis contactu obſtupeſcat piſcatoris manus. Efficientem quidem horum cauſſam proximam ignes putamus; tum ſubterraneos, tum cæleſtes. Multis enim experimentis compertum, plurimos & maximos eſſe ſub terris ignes, eoſque ad generationem rerum non mediocriter conferre. Qua de re erudite Georgius Agricola in cauſſis ſubterraneorum, ac Thomas Lydiatus lib. de Origine fontium. Sed enim multa (quod oſtenſum doctiſſimo Fromondo in Meteorologicis *a*) clarè arguunt, univerſalem magis cauſſam eſſe cæleſtes ignes, quàm ſubterraneos. Porrò in cæleſtibus illis non omnia luci ſimpliciter, ſed multa occultæ virtuti tribui oportere; ſatis docent, quæ antea diximus. Neque hic ſiſtendum cum illis, qui propter mirandos cæli effectus ei divinos tribuerunt honores. Adſcendendum altiùs ad cauſſam omnium remotam, ipſum cælorum opificem: qui & æthera, & ætheri ſubjecta, moderatur ſapientiſſime.

a Lib. 1, cap. 4, artic. 2.

Cæcæ nationes, cùm iſta non ſatis penetrarent, hoc cæleſte regimen trifariam conſiderarunt. Primùm, quatenus ab ætherea natura, unde decerpta eſſe anima humana à multis credebatur, provenit tum Ratio, tum Voluntas; quâ liberè homo ſecundùm rectam rationem poſſit vivere. Hoc intuitu cælum ab acutioribus nominabatur *Minerva*. Deinde ſpectabatur cælum, quatenus eſt cauſſa per accidens rerum, ut aliarum, ita etiam humanarum, quæ cæco ferri caſu viderentur. Ac dicebatur tum *Fortuna*. Denique attenderunt Cæli influentiam in res omnes Cælo ſubditas, quatenus eas neceſſitate illâ conſtringit, ut ſic, & non aliter fiant. Atque hinc Cælo dedere nomina *Fatorum*, *Parcarum*, & alia eandem vim habentia. De tribus hiſce nunc ordine dicere aggredior. Incipiam à vocibus.

Græcum Ἀθηνᾶς nomen eſt, (ut loquitur Phurnutus) δυσετυμόλογον, hoc eſt, ejuſmodi, ut difficile ejus ſit cauſſam adferre. Atque hoc ſatis appâret ex frivolis illis rationibus, quas non Grammatici modò, ſed Philoſophi quoque, & in his Plato in Cratylo, adducunt. Mihi dubium non eſt, quin ab Oriente, vel Ægyptiis, nomen hoc acceperint. Non abſurde deducas ab אֵיתָן, quòd eſt, *fortis*, *perennis*. Malim tamen à Chaldæo, ac Thalmudicis etiam frequentato, תְּנָה, quod idem valet, ac שְׁנָה. Nempe ut Græcis, ita Orienti etiam mos, S & T literas, commutare. Valet autem utrumque, *meditari*, *commentari*, *ſtudere*, *docere*. Itaque hinc doctores, qui excepere ſynagogam magnam, *Tanaim* dicti: de quibus alibi tractamus. Inde igitur Ἀθηναία, ſeu Ἀθηνᾶ, ſtudiorum ac doctrinæ præſes. Articulus Hebræo *Tana* præmittitur, ſed ſpiritu mutato; quod in compluribus fieri, oſtendimus non uno loco.

Minervæ etymon, nec Tullius, nec Cornificius, viderunt. Meliùs ex Verrio Feſtus; qui *Minervam* ait vocatam à monendo: quomodo Telemacho ea monitrix apud Homerum. Græcis enim vis animi μένος, unde Latinum *mens*. Ab eadem origine *meneo*, quod valet, *in mentem revoco*, *animo alicujus conſilium ſuggero*. Sed pro *meneo* poſtea maluere *moneo*; ut *bonus* fecere ex *benus*. A *meneo* etiam vel *meno* ſunt *mentio*, *memini*, *memor*, *reminiſcor*, atque alia. Ab hoc igitur *meneo*, vel *meno*, foret *Menera*; unde, digammâ inſerto, *Menerva*, ut ab *aro*, *arvum*, ab ὕλη, *ſylva*; à σκαιὸς, *ſcævus*. Sed ut pro *leber*, quod à λίβος, poſtea dixere *liber*; & ex *Eanus*, *Ianus*: ita pro *Menerva*, *Minerva*. Quod ſi à *meno*, eſt *memini*, & fortaſſe *memino*, quando *meminens* dixit Livius Andronicus *a*, hodieque eſt apud Auſonium *b*: non multum ab his abierit Arnobius in tertio, ubi ſic ſcribit: *Minervam dixerunt memoriam nonnulli: unde ipſum nomen Minerva, quaſi quædam Minerva formatum eſt.*

a In Erotopægniis, teſte Priſciano in undecimo.
b Tumulo Minervii Rhetoris.

Cultus Minervæ ſine dubio ab Oriente eſt, vel Ægyptiis: quibus nominatur *Neith*. Teſtis Plato in Timæo; ubi cùm dixiſſet, præfecturam Saiticam ſic vocari à regionis urbe maxima, cui nomen Sais; inde ſubjungit *c*: Τῆς πόλεως θεὸς ἀρχηγός ἐστιν, Αἰγυπτιστὶ μὲν τοὔνομα Νηΐθ, Ἑλληνιστὶ δὲ, ὡς ὁ ἐκείνων λόγος, Ἀθηνᾶ. *Urbis præſes Dea, Ægyptiacè quidem Neith, Græcè autem, ut illorum* (Ægyptiorum) *fert opinio*, ATHENA, *id eſt Minerva.* Unde omnino Heſychii locus hic corrigendus: Νηΐθη, Ἀθηνᾶ παρ' Αἰγυπτίοις· nempe Νηΐθ, ἡ Ἀθηνᾶ, reſcribendum.

c Pag. 21, edit. Henr. Steph.

Hæc Saitica Minerva eſt ſecunda ex quinque illis Tullio memoratis in tertio de Natura Deorum. Nam prima ei eſt *Apollinis mater*: Arnobio ſimiliter in tertio adverſus gentes, *ex Vulcano Apollinis procreatrix.* Imò, ut Tzetzes in Lycophronem ſcribit *d*. Ἀθηνᾷ τινι βασιλίδι, τῇ καὶ Βελονίκῃ λεγομένῃ, θυγατρὶ δὲ Βροντέως ὑπαρχούσῃ, Ἥφαιστος γάμοις μιγεὶς, γεννᾷ Ἐριχθόνιον, ὃς ἐβασίλευσεν Ἀττικῆς. *Minervæ, reginæ cuidam, dictæ etiam Belonicæ, Brontei filiæ, Vulcanus, cum eam uxorem duxiſſet, permixtus, genuit Erichthonium, qui in Attica regnavit.*

d Pag 25, edit. Oporini: ſive pag. 24, edit. Paulli Stephani.

Altera Tullio eſt ea, de qua diximus: nempe *Nilo orta, quam Ægyptii Saitæ colunt.* Similiter de ea Arnobius: *Nili altera proles, & quæ eſſe perhibetur Ægyptiis Sais.* Imò & Strabo in XVII: Καὶ ἡ Σεβεννυτικὴ δὲ πόλις, καὶ ἡ Σαῒς μητρόπολις τῆς κάτω χώρας, ἐν ᾗ τιμῶσι τὴν Ἀθηνᾶν. *Atque Sebennitica urbs, & Sais, inferioris regionis metropolis, in qua Minervam colunt.*

Tertia eſt *Jove genita*: ſed Arnobio, *Saturni filia, & quæ uſum excogitavit armorum.* Quæ ei curæ eſſe, etiam Heſiodus in Theogonia tradit.

Quarta Ciceroni dicitur *Jove nata, & Coryphe, Oceani filiâ; quam Arcades* KOPAN *nominant, & quadrigarum inventricem ferunt.* De eâdem ſic Arnobius: *Jovis quarta progenies, quam Meſſenii Coryfaſiam nominant.* Vide, quæ ad ſuperiorem Tullii locum Xyſtus Betulejus, vir eruditus, multæque lectionis, annotavit.

Quincta Ciceroni eſt *Minerva Pallantis, quæ patrem dicitur interemiſſe, virginitatem ſuam violare conantem: cui pinnarum talaria affingunt.* Arnobio itidem vocatur *Minerva, quæ Pallantem patrem occidit, inceſtorum appetitorem.*

Ex

Ex his liquet, recte quidem Iſac. Tzetzem in Lycophronem ſcripſiſſe: Πολλαὶ ἦσαν καὶ Ἀθηναῖ, καὶ Ἀφροδῖται, καὶ οὐ μία· *Multæ erant Minervæ, & Veneres; non una modo.* Sed non æquè illud apertum, quæ ex his Deæ fuerint animales, quæ naturales. Animalis videri poſſit ea, quæ Pandoram docuit, ut Heſiodus in Theogonia tradit,

—— Πολυδαίδαλον ἱστὸν ὑφαίνειν,

—— *Valde dedalam, ac artificioſam telam texere.*

Eſtque eadem, quæ Platoni in Sympoſio dicitur, ἱστεργίας θεός· *textorii operis Dea.* Nec tamen Ægyptus jure ſibi hanc artem vindicat. Potiùs Minerva illa, telæ ac lanificii repertrix, fuerit Naama, Tubalcaini ſoror: de quo diximus libro I, cap. XVII. Nobis hoc loco conſideranda Minerva, quatenus eſt Dea naturalis: qualem cenſeo illam primo loco memoratam, Apollinis ex Vulcano procreatricem. Nam Minerva, æther; Vulcanus, ignis; Apollo, Sol; cujus itidem ignea eſt natura.

Sic verò Minerva eſt æther, ut potiſſimùm intelligi debeat ſummus æther: quia, ex gentium opinione, æther quidem eſt Deus, ſed altiſſimus æther eſt ſupremus Deus: unde M. Cicero in Somnio Scipionis, ubi de orbibus agit cæleſtibus: *Quorum unus eſt cæleſtis extimus, qui reliquos omnes complectitur, ſummus ipſe Deus, arcens, & continens cæteros.*

Porrò cùm ætherem ſummum intelligerent, cùm æthereo corpore complexi etiam fuere mentem ejus præſidem, quæ animaret æthera, ac præcipuè ſe exſereret in celſiſſimo æthere; uti mens humana maximè operatur in cerebro.

Cumque mente hac attenderunt virtutem ejuſce mentis divinæ, mundo huic, ac præcipuè rebus humanis, providentem. Atque eò dixere Minervam eſſe ſapientiam, vel providentiam divinam.

Quando autem Minerva iis erat complexus ſummi ætheris, & prudentiæ divinæ; comprehendere etiam Solem, Lunamque, ut duo ſidera præcipua: videlicet Solem ob magnitudinem, & quia ex ſupremi ac puriſſimi ætheris ſubſtantia ſumtus putaretur; at Lunam, ob propinquitatem: utrumque verò ob temporum per ea diſtinctionem, & vim atque efficaciam in iis, quæ cælis ſubſunt.

Imò aër quoque Minervæ appellatione continetur, quoniam ætheris & aëris eadem putaretur natura; ac æther haut aliud, quàm purior aër, crederetur. Nec obſcura eſt ratio, quando æther per Solem Lunamque in noſtrum ſive inferiorem aëra agit; proque aëre diverſo humanum variet ingenium: unde Satyricus *a*;

Bœotum in craſſo jurares aere natum.

Denique per Minervam concepere in homine vim ætheris, Deique; maximè autem memoriam, & ejus fœtum prudentiam: juxta illud Afranii in Togata *b*, quæ Sella dicebatur:

Uſus me genuit, mater peperit Memoria,
Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam.

Atque hinc quoque liquet, cur Minervam *Mentis filiam* dixerint; ut eſt apud Arnobium in III.

Ac hujuſmodi noſtra eſt opinio de Minerva. Quam teſtibus deinceps antiquis firmabimus: ac primùm Græcis.

Diodorus Siculus lib. I, ubi de Ægyptiorum religione tractat, ſic ſcribit: Τὸν δ' ἀέρα προσαγορεῦσαί φασιν Ἀθηνᾶν, μεθερμηνευομένης τῆς λέξεως, καὶ Διὸς θυγατέρα νομίσαι ταύτην, καὶ παρθένον ὑποστήσασθαι, διὰ τὸ ἄφθαρτον εἶναι φύσει τὸν ἀέρα, καὶ τὸν ἀκρότατον ἐπέχειν τόπον τοῦ σύμπαντος κόσμου. διόπερ ἐκ τῆς κορυφῆς τοῦ Διὸς μυθολογηθῆναι γενέσθαι ταύτην. ὀνομάζεσθαι δ' αὐτὴν Τριτογένειαν ἀπὸ τοῦ τρὶς μεταβάλλειν αὐτῆς τὴν φύσιν κατ' ἐνιαυτόν, ἔαρος, καὶ θέρους, καὶ χειμῶνος. λέγεσθαι δ' αὐτὴν καὶ Γλαυκῶπιν, οὐχ, ὥσπερ ἔνιοι τῶν Ἑλλήνων ὑπέλαβον, ἀπὸ τοῦ τοὺς ὀφθαλμοὺς ἔχειν γλαυκούς (τοῦτο μὲν γὰρ εὔηθες ὑπάρχει) ἀλλ' ἀπὸ τοῦ τὸν ἀέρα τὴν πρόσοψιν ἔχειν ἔγγλαυκον *c*. *Aëri porrò Minervæ nomen, quadam vocis interpretatione, attribuiſſe; Iovisque filiam hanc, & virginem putari, eò quòd aër natura corruptioni non obnoxius ſit, & ſummum univerſi mundi locum obtineat. Unde etiam fabula, è Iovis vertice illam enatam. Vocari autem Tritogeniam, quòd ter in anno naturam mutet; vere, æſtate, hyeme. Et Glaucópin dici, non quod glaucos, id eſt, cæſios habeat oculos (inſulſum enim hoc eſſet) ſed quia aër glauco ſit adſpectu.* Similiter Phurnutus: Ἡ δ' Ἀθηνᾶ ἐστιν ἡ τοῦ Διὸς σύνεσις, ἡ αὐτὴ οὖσα τῇ ἐν αὐτῷ προνοίᾳ· καθὸ καὶ Προνοίας Ἀθηνᾶς ἱδρύονται ναοί. Γεννηθῆναι δ' αὐτὴν ἐκ τῆς τοῦ Διὸς κεφαλῆς λέγεται, τάχα μὲν τῶν ἀρχαίων ὑπολαβόντων τὸ ἡγεμονικὸν τῆς ψυχῆς ἐντοῦθεν, καθάπερ καὶ ἕτεροι τῶν μετὰ ταῦτα ἐγνώκασι. τάχα δ' ἐπεὶ τοῦ ἀνθρώπου τὸ μὲν ἀνώτατον μέρος τοῦ σώματος ἡ κεφαλή ἐστι, τοῦ δὲ κόσμου ὁ αἰθήρ. ὅπου τὸ ἡγεμονικὸν αὐτοῦ ἐστι, καὶ ἡ τῆς φρονήσεως αἰτία. κορυφὴ δὲ θεῶν κατ' Εὐριπίδην, ὁ περὶ χθόνα ἔχων φαεννὸς αἰθήρ. *Minerva Iovis eſt intellectus; qui idem eſſe fertur, ac providentia, quæ in ipſo ſita eſt. Hinc in honorem Minervæ templa Providentiæ poſita eſſe conſtat. Eſſe dicitur è cerebro Iovis prognata; nimirum, quod veteres in ea corporis parte totius animæ regimen eſſe voluerint. Hanc ſententiam tenent & juniores: fortaſſe quia ſuprema corporis humani pars, caput eſt; ſicuti etiam mundi pars ſumma eſt æther, & in capite ſedem habet corporis regimen, & prudentia. Deorum autem vertex, ſive pars ſuprema eſt, juxta Euripidem, lucens circa terram æther.* Ac poſt aliqua: Τάχα δ' ἀπὸ τοῦ αἰθέρος, ὡς καὶ οἱ παλαιοί, ταύτην ἔλεγον Αἰθερώνειαν· *Fortaſſe & ab æthere veteres eam dixere Ætheroniam.*

Latinos quoque videamus. Arnobius lib. III: *Ariſtoteles, (ut Granius memorat) vir ingenio præpotens, atque in doctrina præcipuus, Minervam eſſe Lunam probabilibus argumentis explicat, & literatâ auctoritate demonſtrat. Eandem hanc alii ætherium verticem, & ſummitatis ipſius eſſe ſummam dixerunt: memoriam nonnulli; unde ipſum nomen Minerva, quaſi quædam Meminerva formatum eſt.* Ac mox ſubdit, quibus ſignificet, ut ea, ſed falsò, habita ſit *Mentis filia*, vel *Victoria, Iovis elata de cerebro, inventrix oleæ, magiſteriis artium & diſciplinarum varietatibus erudita.* Macrobius l. I Sat. c. XVII: *Minerva Solis eſt virtus, ſicut & Porphyrius teſtatur, quæ humanis mentibus prudentiam ſubminiſtrat. Nam ideo hæc Dea Iovis capite prognata memoratur: id eſt, de ſumma ætheris parte edita; unde origo Solis eſt.* Idem lib. III Sat. cap. IV: *Qui diligentius eruunt veritatem, dixerunt, eſſe medium æthera Iovem, Junonem vero imum aëra cum terra, & Minervam ſummum ætheris cacumen.* B. Auguſtinus lib. IV de Civit. Dei, c. X: *Ætheris partem ſuperiorem Minervam tenere dicunt, & hac occaſione fingere poëtas, quod de Iovis capite nata ſit.*

Atque his locis ſatis commodè, cur Minerva Iovis filia dicatur, ea affertur ratio, quòd Minerva ſit prudentia; hæc autem obtingat ab æthere, qui *Jupiter* vocatur. Quòd ſi ab æthere derivetur, ætherea ſit virtus, ac potiſſimùm ſupremi ætheris: unde itidem videre eſt, cur eam non attribuerint Iovi conjugem. Nam ſummus æther non eſt Iovi ſubjectus. Atqui eas naturæ partes alteri uxores dabant, quæ forent ei ſubjectæ. Ita Juno uxor Iovis, quia aër eo intelligitur, qui inferior æthere. Ac ſimili de cauſſa Salacia data uxor Neptuno; Proſerpina, Plutoni. Nam φυσικῶς Salacia eſt inferius mare; Proſerpina, terra infima: ut eſt apud Auguſtinum lib. IV de Civ. Dei, cap. X. Porrò de Minerva quæ dicebamus, etiam firmat Martianus Capella in Deæ illius deſcriptione lib. VI:

Virgo armata, decens, rerum ſapientia Pallas,
Ætherius fomes, mens & ſolertia fati,
Ingenium mundi, prudentia ſacra Tonantis,
Ardor doctificus, noſtræque induſtria ſortis,
Quæ facis arbitrium ſapientis prævia curæ,
Ac rationis apex, divumque hominumque ſacer νοῦς,
Ultra terga means rapidi ac ſplendentis Olympi,
Celſior una Iove flammantis circulus æthra.

CAP. XLIII.

Quomodo Fortuna à Chaldæis, ac philoſophis, referatur ad Cælum: & quo diſcrimine, tum ad Æthera, tum

a Horat. l. 2. ſat. 2.

b Apud Agellium lib. 13. cap. 8.

c Male in vulgatis ἄγλαυκον: cum contrarium ſententia requirat: uti & Rhodomanno obſervatum

tum ad Solem, Lunamque, reducatur: utut longe aliter conciperetur vulgo. Ubi præcipue ſit culta: cur finxerint cæcam: cur in Deos retulerint: cur diſſenſerit hac parte Ariſtoteles: & quid ille per Fortunam, & Caſum, intellexerit: quid Stoicis Fortuna fuerit: quid item Platonicis, quos ex parte ſecutus B. Auguſtinus. Ne in ludo aleæ quidem fieri aliquid plane fortuito, vel caſu. A Peripateticis non agnoſci dæmonas. Nullam eſſe cauſſam per accidens, ubi cauſa per ſe ſuppetat nulla. Quomodo de rerum generatione a Democrito abierit Epicurus: & ut ſtatuerit triplicem atomorum motum.

A Minerva tranſeo ad Fortunam. Inter quas duas major eſt convenientia, quàm prima facie videatur. Nam uti Minervam vidimus eſſe ſupremum æthera, tum item Solem, Lunamque: ita Fortuna quoque creditur eſſe ſiderum diſpoſitio, tum præcipuè Lunaris poteſtas, ſive ejus influxus. Siquidem, ſecundùm Chaldæos ſive Genethliacos, pro Solis, Lunæ, & quinque erraticarum ſtellarum cœtu, ac motibus, omnia rerum humanarum, magna, minuta, ſideribus quaſi aurigantibus ac ducentibus, contingunt. Maximam verò in his vim eſſe Lunarem, à Phyſicis traditur; præſertim in rerum ortu, & interitu: ut abunde oſtenſum, cùm de Junone, Lucina, Ilithya, ac ejuſdem poteſtatis numinibus, ageremus. Nec ſolùm Lunam putarunt cauſſam eſſe, cur res generentur, & corrumpantur: ſed etiam naſcentibus vim quandam imprimere, pro cujus diverſitate, varietur hominum temperamentum: unde & eorum mores ſint diverſi; & pro moribus etiam varient fortunæ; ac pro hiſce omnibus, meliùs, aut pejùs, citiùs, aut tardiùs, vita hominis decurrat. Fortuna igitur eſt Æther, & particulatim Luna. Et tamen, ſecundùm eoſdem eſt ab Æthere, & Luna. Ac in Æthere, quidem, vel Luna, conſtituunt, ut ſatis apertis Scholaſticorum vocibus utar, virtualiter; quia nempe vis ſit cæleſtis, quæ cuncta determinet. Sed ab iis eſt formaliter, prout extra cauſſas res humanæ reapſe reducuntur ad eventum ſuum.

Sed cùm hoc pacto conſideramus Fortunam, Chaldæos, atque Aſtrologos ſequimur. Vulgò autem Fortuna non credebatur Luna, vel Æther; aut ſiderum diſpoſitio, & adſpectus; ſed mens quædam è cælis ablegata in hunc inconſtantiæ orbem, ac cæco in terris impetu cuncta verſans. Quam Plinius [a] ait, *ſolam in tota ratione mortalium utramque paginam facere.* Quam etiam tantopere coluere Græci: inque Italia Antiates, ac Prænestini, & cui etiam Romani ædem ſtatuerunt trans Tiberim.

[a] Lib. 2 cap. 7.

Cæcam hanc finxere, quia ſæpius faveret indignis. Addere poterant, quia plurimùm cæcos reddat, quos complectitur. In Deorum eam numerum retulerunt, quia non viderent, cui potiùs cauſſa eſſet adſcribenda multorum, quæ aliter, quàm putarant, evenirent: præſertim cum ſtultis multa feliciter, ſapientibus infeliciter contingerent. Quò pertinet illud Ariſtotelis in ſecundo Magnorum Moralium cap. VIII: Οὗ πλεῖστος νοῦς καὶ λόγος, ἐνταῦθα ἐλαχίστη τύχη· οὗ δὲ πλείστη τύχη, ἐνταῦθα ἐλάχιστος νοῦς. *Ubi plurimum mentis ac rationis, ibi minimum fortunæ: ubi autem plurimum fortunæ, ibi minimum mentis.* Abſurdum autem Ariſtoteli videbatur, Fortunam eſſe Deam, moderantem actus humanos, ſæpeque probis inimicam, ac faventem improbis. Nam, inquiebat, cùm Deus ſit ſapientiſſimus, potiùs ſapientibus faveret, quàm ſtultis. Sic igitur colligebat, Fortunam hoc pacto fore Mentem amentem, Deam divinitatis expertem. Propterea dicere maluit, Fortunam nihil eſſe aliud, quàm voluntatem humanam, quatenus cauſſa eſt rei per accidens. Uti Caſum idem rebus in naturalibus cenſet eſſe Naturam; prout ea eſt cauſſa per accidens. Conveniunt igitur fortuna, & caſus, quòd locum ambo habeant in raro (adde, vel æquè) contingentibus; quodque ſint cauſſæ per accidens; ſed illic in voluntariis, hic in naturalibus. Utriuſque exempla adduximus lib. I, cap. I [b].

[b] Pag. 4.

Multum verò ab hac ſententia abiere Stoici: quibus, quæ fortuita vocantur, cauſſam habent per ſe, Mentem ſapientiſſimam, quam Deum dicimus: hanc enim quatenus æthera pervadit, Iovem nuncupari; quatenus maria, Neptunum; prout frumentum producit, Cererem eſſe; prout bona largitur, quæ exinde Fortunæ nominantur, Fortunæ nomen habere: ac ſimiliter eandem, ut Laertius in Zenone ait, πολλαῖς ἑτέραις ὀνομασίαις προσονομάζεσθαι· *multis aliis nomenclaturis ſolere appellari.* Unde & Seneca in IV de Beneficiis, cap. VII: *Quæcunque voles, nomina propria Deo aptabis, vim aliquam effectumque cæleſtium continentia: non errabis. tot appellationes ejus eſſe poſſunt, quot munera.*

Platonicis autem Fortuna non tam ſummus & unus erat Deus, quàm genius aliquis, per quem Deus efficeret ea, quæ temere & fortuitò fieri videntur. Hinc Plato in IV de Legg. [a] ὡς θεὸς μὲν πάντα, καὶ μετὰ θεοῦ Τύχη, καὶ Καιρός, τἀνθρώπινα διακυβερνῶσι ξύμπαντα· *Deum quidem, & cum Deo Fortunam, Opportunitatemque, omnia gubernare.* Idem cùm in epiſtolis Fortunam nominat, δαίμονα ſubjungit. Proclus quoque in Timæum ſcribens, cauſſam fortuitorum refert in mentem corporea hac natura ſuperiorem: Fortunamque non temerariam, aut cæcam, ait; ſed divinam, vel dæmoniacam poteſtatem, cauſſas divulſas in unum congregantem. Vide ſis Ficinum in Plotini Ennead. III, lib. III, cap. II.

[a] P. 709. edit. H. St.

Nec alienus ab hac opinione B. Auguſtinus fuit: uti oſtendunt illa in V de Civit. Dei, cap. IX: *Sufficit omne, quod fit, non niſi cauſſâ præcedente fieri. Nos enim eas cauſſas, quæ dicuntur fortuitæ, unde etiam Fortuna nomen accepit, non eſſe dicimus nullas, ſed latentes; eaſque tribuimus vel veri Dei, vel quorumlibet ſpirituum voluntati.* Poſteaque ſpiritus hoſce interpretatur angelos tum bonos, tum malos. Quare, ex Patris ejuſce ſententia, quòd nonnulli in ludo aleæ (ac par ſimilium ratio eſt) ſemper penè vincant, perdant alii: id vel occultis naturæ cauſſis tribuendum, vel genio adſiſtenti, qui jactum dirigat. Quod minimè difficile eſt geniis, cùm eventus pendeat, tum ab alearum poſitu, tum jactu earum vehementiore, vel remiſſiore, & ſimilibus; quæ nobis quidem jacientibus ſic variant, ut ludo exercitatus aliquid videat præ alio; nunquam tamen eò induſtriæ pertingat, ut omnia in artem redigi poſſint. Spiritus autem, quia intellectu, & experientiâ, plus valent, plus etiam cernunt: ac præterea levi motu inter jaciendum præſtare poſſunt, ut jactus ſit felix, vel adverſus. Nec ſanè poſſim in animum inducere, caſum ineſſe in rebus: ſed omnia cenſeo vel à naturæ neceſſitate, vel à noſtro, aut alieno dependêre arbitrio. Nempe quod de morbis nonnullis Cous ille vates ait in primo Præſagiorum; id non minùs dixero de alea, ac cæteris: quæcunque, propter noſtri ignorantiam, fortunæ, aut caſui, tribuuntur, in iis θεῖόν τι [b], & ineſſe, & cogitari oportere.

[b] Divinum quid.

Quorundam ea eſt ſententia, non pugnare hæc cum illis, quòd Fortuna, & Caſus, dicuntur cauſſæ eſſe per accidens. Nam ratione cauſſæ proximæ, *Fortunam* vocari, vel *Caſum*: at cauſſam per ſe habere, ſi ſpectemus cauſſas remotas. Eſtque hæc ſententia non ſolùm Philoponi, ac Simplicii, in ſecundum φυσικῆς ἀκροάσεως, ſed etiam Boëthii in I de Conſol. Philoſ. Avicennæ in primo ſuæ Sufficientiæ cap. III: ut Thomam Aquinatem, & Scholaſticorum alios, prætercam. Sed licet vera hæc ſint; non tamen Peripatêtica ſunt; eoque Ariſtoteles ſic neutiquam cùm Platonicis, vel etiam Stoicis, conciliatur. Siquidem Ariſtoteles non agnovit dæmonas ſive genios in iis, quæ ſub cælis ſunt, Dei adminiſtros: quin credidit, eum non curare ſingularia, ſed illa neſcire. Nihilo magis Ariſtotelem conciliare poſſis cùm Aſtrologis, ſtatuentibus fortuitorum omnium cauſſam ab æthereo influxu peti oportere. Quippe Ariſtoteli, quod poſtea planius fiet, cælum tantùm cauſſa eſt univerſalis. Ut dubium non ſit, quin eorum, quæ præter intentionem naturæ, aut voluntatis, fiunt, nullam per ſe cauſſam eſſe exiſtimarit. Ea autem ſententia conſiſtere nequit, quia nihil non aliquam per ſe cauſſam habet,

bet, utcunque neſciatur. Si in templum iturus incidam inſperatò in creditorem, cauſſa per ſe eſt concurrens & creditoris, & debitoris, voluntas, eo tempore exeundi, eâ viâ commeandi: quarum utràque poſita, naturaliter fieri aliter non potuit. Si ante ſeculum theſaurus in agro defoſſus, nec inde ablatus. Si locum hunc fodero, ubi abditus, utcunque defoſſum neſciam, non poſſum non in eum incidere. Par ratio eorum, ubi Caſum ſtatuunt. Nam tegulâ ſic conſtitutâ, ut vento facilè decuteretur, & vento ſic ſpirante, uti flabit, & eo intervallo à tecto uſque ad viam, qua tranſitur: & parato Titio illâ viâ, illo tempore, illo greſſu, progredi; nec quoquam volente moram injicere eunti, ac pat circumſtantiarum ſimilium ratio eſto; non niſi Deus impedire naturam volet, poterit aliter evenire, quàm ut tegula in caput Titii decidat.

Atque hoc argumento etiam Epicuri ſententia diluitur; qui, rejecto omni fato, de quo poſtea dicam, nonmodò in actibus humanis, ſed in rerum quoque generatione, fortuitò omnia fieri ſtatuebat. In quo abiit à Democrito, atomorum auctore; ſi Tullium quidem audimus. Nam Laërtius id tribuit Leucippo. Democritus is putabat, atomos eſſe omnium rerum primordia: ut quarum, dum moventur, contactu mutuo, atque implicatione & nexu, omnis fieret generatio. Porrò ne à corpuſculis illis individuis motus auferret naturales, eò ſtatuebat, omnia fieri neceſſariò. Hac parte eum, quem imitari alioqui ſolet, deſeruit Epicurus, inducendo motum minimæ declinationis, cujus cauſſa foret nulla. Itaque, ut Plutarchus teſtett, triplex illi erat atomorum motus. Primus fuit ponderis ſive lineæ, qui Græcis κατὰ στάθμην: quando, ut Ciceronis verbis dicam, *gravitate feruntur ad perpendiculum corpora individua rectis lineis.* Alter erat motus declinationis, Græcis κατὰ παρέγκλισιν, cùm, ut idem ait, *declinat atomus intervallo minimo*: quod ἐλάχιστον etiam Epicurus vocabat. Tertius eſt motus conflictûs ſive plagæ, Græcis κατὰ πληγήν: quando (verba item Tullii ſunt) *atomus ab atomo pulſa declinat.* Quod Lucretius [a] ſic expreſſit:

a Lib. 2.

> —— *Nam cita ſuperne*
> *Obvia cum flixere, ſit ut diverſa repente*
> *Diſſiliant.*

Ex tribus iſtis medius ille puſillæ declinationis motus Epicuro erat fortuitus, non naturalis. Neque enim ob pondus fit: alioqui rectâ in præceps lineâ deferretur. Neque item ob plagam: quandoquidem ea contingit, priuſquam atomi conflixerint. Unde conſequitur, declinationem iſtam fieri ſine cauſſa. Valde igitur à phyſicis deriſus eſt Epicurus, quod doceret, aliquid eſſe ex nihilo, ac ſine cauſſà: quod ex fortuita iſta atomorum declinatione conſequitur. Præterea in mundo omnia ſunt compoſitiſſima: ut is etiam tacitus clamet, non ſe ſic temere coaluiſſe.

Cap. XLIV.

Parcas etiam ad Æthera reduci, ac particulatim ad Lunam. Eandem habitam eſſe Parcam, Mœram, ſive Fatum, Neceſſitatem, Nemeſin, & Adraſtiam. De Μοίρᾳ, *ſive Mœra, pluribus id veterum locis comprobatum. Ac quia* Μοῖρα *pars, eo partilia Fata dici Ammiano. Itidem variis ſcriptoribus oſtenſum,* Fata *pro* Parcis *dicere Latinos; utcunque interdum diſtinguantur. Triplex ratio adfertur, cur qui Parcam eandem facerent ac Lunam, tres eſſe Parcas putarint. Una petitur a triplici facie Lunæ. Altera ex eo, quia Luna præſit partui, ac triplex imprimis ſit partus menſis, octavus, nonus, decimus: unde & duarum Parcarum nomina,* Nona, *&* Decima. *Caſellium, & Minucianum, perperam putâſſe,* Mortam *eſſe unam Parcarum, ac à* morte *ſic nuncupatam. Livii Andronici verſus numeris ſuis redditus. Parcæ etymon, ex ſententia Varronis.* Partula. *Tertia ratio, cur tres ſint Parcæ, petita à triplici hominis conſideratione, naſcentis, viventis, morientis: & cur prima trium Venus habeatur. Cur Parcæ ſint habitæ filiæ, aliis quidem Noctis, aliis vero Neceſſitatis. Variorum adductæ ſententiæ de tempore tripartito, quod Clotho, Lacheſis, & Atropos deſignant.*

PORRÒ ab Aſtrologis, & aliis, ut Fortuna, ita etiam Parcæ, quarum illam ſpuriam vocant ſororem, ad æthera reducuntur, ac ſiderum politurain. Nempe Parca iis vis eſt cæleſtis, vitæ productrix ac conſervatrix ad certum uſque ſpatium, quod excedi poſſit à nemine: ut cognoſcere eſt ex Homero Iliad. ζ, Euripide in Ione, & Apollonio in primo Argonaut. Philoſophorum autem plerique, uti Fortunam, ſic & Parcas, ad Lunarem potiùs poteſtatem particulatim retulere. Sic enim exiſtimarunt, prout Luna blandè, aut torvè adſpexerit, ita homines celeriter aut tardè naſci, & deniſci, ingeniumque ſortiri, & mores, & pro iis fortunas.

Idem verò ſunt Parca, Fatum, Neceſſitas; imò & Nemeſis, ac Adraſtia: ut cenſet ſeu Ariſtoteles, ſeu alius potiùs ſcriptor antiquus, epiſtolâ ad Alexandrum: unde quædam adducit Stobæus in Eclogis Phyſicis. Habes ea hodieque libro de Mundo; qui vulgo Ariſtotelis nomine circumfertur: ut pareat, jam Stobæi ævo opuſculum hoc pro Ariſtotelico habitum eſſe. Verba eò lubentiùs adducam, quia & vocum origine ſententiam ſuam firmat: Οἶμαι δὲ καὶ τὴν Ἀνάγκην οὐκ ἄλλο τι λέγεσθαι πλὴν τοῦτο, οἷον ἀκίνητον οὐσίαν ὄντα. Εἱμαρμένην δὲ, διὰ τὸ εἴρεσθαί τε καὶ χωρεῖν ἀκωλύτως· Πεπρωμένην δὲ, διὰ τὸ πεπερατῶσθαι πάντα, καὶ μηδὲν ἐν τοῖς οὖσιν ἀπείρον εἶναι· καὶ Μοῖραν μὲν ἀπὸ τοῦ μεμερίσθαι· Νέμεσιν δὲ ἀπὸ τῆς ἑκάστῳ διανεμήσεως· Ἀδράστειαν δὲ, ἀναπόδραστον αἰτίαν οὖσαν κατὰ φύσιν· Αἶσαν δὲ, ἀεὶ οὖσαν. *Exiſtimo autem, Neceſſitatem non aliud dici, quàm hoc ipſum: puta immobilem naturam: Fatum autem a connectendo, & procedendo ſine impedimento: Pepromenen, eo quòd omnia circumſcribat, ac termines cuncta; nec aliquid in rerum natura termino careat: & Mœram ſive Parcam, quod partita ſit: & Nemeſin, a facta unicuique diſtributione: Adraſtiam, quia cauſſa ſit immutabilis, ſecundum naturam: Aeſan denique, quia ſit ſemper.* Ubi quod primo loco dicitur, idem eſſe Neceſſitatem, ac Fatum; planè ex ſententia eſt Parmenidis, Heracliti, ac Democriti: ut eſt apud Plutarchum lib. I de Placitis philoſophorum, cap. XVII. Quod poſtea ſubdit, etiam Fatum, quod Græcis εἱμαρμένη, ac πεπρωμένη, idem eſſe ac Parcam, ſive Μοῖραν: id quoque multis ſcriptoribus comprobatur. Homerus Iliad. ε [a]:

a Verſ. 83.

> Ἔλλαβε πορφύρεος θάνατος, καὶ μοῖρα κραταιή.
> *Mors hunc purpurea apprendit, violentaque Parca.*

Vel ſimalis,

> —— *Violentaque Mœra.*

Cenſorinus de die Natali cap. VIII: *Sunt autem hæ particulæ in unoquoque ſigno tricenæ, totius verò Zodiaci numero* CCC LX. *Has Græci Mœras cognominarunt: eo videlicet, quod deas Fatales Mœras nuncupent: & ex particulæ nobis quaſi fata ſint.* Similiter ſeculo prope toto antiquior Agellius lib. III, cap. XVI. Sed quod viri eruditi [b] etiam apud Senecam extremâ epiſtolâ LVIII, *mortis mœras*, vel *mortes*, & *mœras*, legunt, id ſecus puto; rectumque cenſeo, *mortis meras*; nempe ut *mortis* ſit incuſandi caſus pro *mortes*. Quod & probatum Lipſio, Mureto, Modio, Grutero. Sed uſus eſt eo Sidonius ad Polemium epiſtolâ: ac ſimiliter idem in Epithalamio:

b Joan. à Wouweren ad Sidonium.

> —— *Ter denas tropico prope currere mœras.*

In MSSis tamen utrobique eſt *mira*, non *Mœra*. Quomodo in iiſdem ex σολοικισμὸς, *ſolicismus*; ex κοιμητήριον, *cimiterium*; ex μέτοικοι, *metici*; ex ποικίλη, *picile*; & alia ſunt ex aliis: uti oſtenſum maximo Salmaſio in Spartiani Hadrianum [c]. Quia verò Μοῖρα eſt à μείρω, *partior*; ideo Ammianus *partilia Fata* exponit in XIV, ubi de Adraſtia: *Subſtantialis tutela generali potentiâ partilibus*

c Pag 60.

libus præſident Fatis. Alii contenti ſunt ἁπλῶς *Fata* dicere. Ut Agellius ex Varrone libro III, cap. XVI: *Iccircoque eos nomina Fatis tribus feciſſe à pariendo, & à nono, atque decimo menſe.* Sic idem Salmaſius teſtis, legi in optimo codice, qui eſt in Chriſtianiſſimi regis bibliotheca. Ubi pro *Fatis* vulgo eſt *Parcis*; quod, credo, ex gloſſemate irrepſit. Similiter Auſonius in Ternario:

Tres Charites, tria Fata. ——

Mirum tamen, aliquanto antè apud eum legi:

—— *Tres ordine Parcæ:*

Quaſi aliud ſint *Fata*, ac *Parcæ*. Ut liqueat, aliquos ea diſtinxiſſe. Credo & Maro, cujus eſt illud Ecl. IV:

Talia ſecla ſuis dixerunt currite fuſis
Concordes ſtabili Fatorum numine Parcæ.

Nempe eos eſt ſecutus, quibus Fata ſunt Iovis effata, ſive divina voluntas: Parcæ autem hæc fata exſequuntur. At promiſcuè alii utuntur. Unde & Fulgentius Planciades Mytholog. lib. I: *Tria enim iſti Plutoni deſtinant Fata: quarum prima Clotho, ſecunda Lacheſis, tertia Atropos.* Et mox: *Quod prima ſit nativitatis educatio: ſecunda, vitæ ſors, quemadmodum quis vivere poſſit: tertia mortis conditio, quæ ſine lege venit.* His etiam Procopius acceſſit: Ἔχει δὲ τὸ νεὼν ἐν τῇ ἀγορᾷ πρὸ τοῦ βουλευτηρίου, ὀλίγον ὑπερβάντι τὰ τρία Φᾶτα. οὕτω γὰρ Ῥωμαῖοι τὰς Μοίρας νενομίκασι καλεῖν· *Habet autem in foro templum prope curiam, paullum ſi ſupergreſſus ſis illud Trium Fatorum. Sic Romani Parcas ſolent appellare.*

Cur tres ſtatuantur Parcæ, parùm inter veteres convênit. Sunt, qui rationem arceſſant à triplici facie Lunæ: uti Epigenes libro ſuo de poëſi Orphei: ex quo ſic Clemens Alex. in quincto Στρωματ. Μοίρας ἀλληγορεῖσθαι τὰ μέρη τῆς σελήνης, τριακάδα, καὶ πεντεκαιδεκάτην, καὶ νουμηνίαν· διὸ καὶ λευκοστόλους αὐτὰς καλεῖν τὸν Ὀρφέα, φωτὸς οὔσας μέρη· *Parcas allegoricè dici partes Lunæ, trigeſimam, quintamdecimam, & novam Lunam. Ideo & candidatas dici ab Orpheo; ut quæ ſint partes lucis.*

Varro potiùs attendebat Lunarem poteſtatem in maturando partu: unde per Fatum ſive Parcam pariendi tempus intelligebat, Agellio teſte lib. III, cap. XVI. Ac eadem quoque ſententia erat Cæſellii Vindicis; ut ibidem monitum Agellio. Erat tamen, in quo hi duo differrent. Nam Cæſellius ſtatuebat Parcarum nomina, Mortam, Nonam, Decimam: Varro autem, Parcam, Nonam, Decimam. Conveniunt igitur in Nona, & Decima; quibus nomen à nono ac decimo tempeſtivi partus menſe. Diſcrimen in una, quæ Varroni Parca, Cæſellio autem Morta: eumque ſecutus (ut apud Cælium Rhodiginum *a* eſt) Cæcilius Minucianus Appulejus: qui & ipſe putavit, *quia partus octimeſtris fere vitalis non eſt, Parcis tribus facta nomina, Mortuam* (ſic apud Cælium eſt) *Nonam, Decimam.* Sed de etymo multum metuo, ne & Cæſellius, & Minucianus, fallantur. Nam ſi rectum eſt *Morta*: id potiùs ſit ab eadem origine, unde eſt μοῖρα: nempe à μείρω, *partior*: ut Μόρτα, vel Μορτὴ dicatur pro μάρτη, ab ἡμαρ(?). Μορτὴ igitur pars ſive portio erit: & ſpeciatim ita fructuum portio dicta; ut ex Heſychio conſtat, in Μορτὴν: ac Euſtathio idem ex lexico Rhetorico monitum in Odyſſ. τ *b*. *Morta* igitur hic idem ſit ac portio fatalis, ſive μοῖρα: quæ vox & ipſa ab eodem fonte derivatur. Ita *Mortæ* vocabulo uſus eſt Livius in Odyſſeâ:

a Var. Lect. lib. 22. c. 13.

b P. 1854. *edit. Rom.*

Quando dies adveniet, quem profata Morta eſt.

Ubi metri ergo vel hoc, vel ſimile iſti, malim:

Quando dies ille adveniet, quem Morta profata
eſt.

Fortè & pro *Morta* legendum *Mora*, vel *Mœra*; ex Græco Μοῖρα: quæ Turnebi ſententia eſt Adverſariorum lib. XVIII, cap. XXXIV, & Joannis de Wouweren in Sidoni epiſtolam ad Polemium *c*.

c In Carminum libro, præmiſſam Carmini 14.

Quòd ad Parcæ ἔτυμον, ſi Varronem audimus, priùs fuit *Parta*: atque hoc ex eo, quòd Parca ſit Luna; hæc verò partui præſtituat tempus. Credamus ſanè Varroni, priùs fuiſſe *Parta*: ſed hoc ſi eſt, potiùs erit à *partiendo*: quando, uti dictum, Græcis ſimiliter à μείρω, id eſt, μερίζω, Μοῖρα dicebatur: imò & hinc ſit εἱμαρμένη. Nam veriſimilius hoc, quàm ut ſic vocetur (quod apud Appulejum de Mundo legas) *à tractu quodam invicem cauſſarum ſe continentium.* Nempe quaſi εἱρμὸς, hoc eſt, *connexio*, ſive *cohærentia.*

Sed neque adſentiendum Nicolao Loënſi *a*, quando apud Agellium, pro *Parta* legere jubet *Partua*. Quippe adverſatur ei, quod Agellius dicat, ex *Parta* fieri *Parca*, *unius literæ immutatione.* Si enim *Partua* ſcripſiſſet, præter literæ mutationem, tolli quoque unam ſit opus. Sed de vocabuli hujus etymo, plura dicimus in Originum libris. Nunc addam, pro *Parta* etiam formâ diminutivâ *Partula* dixiſſe. Tertullianus lib. de Anima cap. XXXVII. *Omnem autem hominis in utero ſerendi, ſtruendi, fingendi paraturam aliqua utique poteſtas divinæ voluntatis miniſtra modulatur, quamcunque illam rationem agitare ſortita. Hæc æſtimando etiam ſuperſtitio Romana Deam finxit Alemonam, alendi in utero fœtus. Et Nonam, & Decimam, à ſollicitioribus menſibus, & Partulam, quæ partum gubernet, & Lucinam, quæ producat in lucem: nos officia divina angelos credimus.* Ubi per *officia*, more Juriſconſultorum, intelligendi ſunt officiales, ſive qui officia adminiſtrant.

a Epiphyllidum l 3. cap. 11.

Etiam tertia eſt ratio, qua tres Parcæ ad Lunam referantur: nempe ut attendatur triplex vis Lunaris, pro triplici hominis conſideratione; quia vel vitæ origo ſpectatur, vel curſus, vel exitus. Origo debetur Veneri; quæ proinde prima eſt Parca. Curſus pendêre creditur à Fortuna; quæ propterea erit altera. Exitus eſt à Morte; quæ icciirco Parcarum erit tertia. De prima ſic Pauſanias in Atticis: Τὸ δὲ ἐπίγραμμα σημαίνει, τὴν Οὐρανίαν Ἀφροδίτην τῶν καλουμένων Μοιρῶν εἶναι πρεσβυτάτην· *Epigramma verò indicat, eſſe Venerem cœleſtem, earum, quæ Parcæ vocantur, natu maximam.* De altera idem in Achaicis: Ἐγὼ μὲν οὖν Πινδάρου τά τε ἄλλα πείθομαι τῇ ᾠδῇ, καὶ Μοιρῶν τε εἶναι μίαν τὴν Τύχην, καὶ ὑπὲρ τὰς ἀδελφάς τι ἰσχύειν· *Equidem carminibus Pindari cùm alia credo, tum verò Fortunam eſſe unam Parcarum, & eam ſororibus ex parte antecellere.* De tertia ſic idem in Eliacorum priori: Τοῦ Πολυνείκους δὲ ὄπισθεν ἕστηκεν ὀδόντας τε ἔχουσα οὐδὲν ἡμερωτέρους θηρίου, καί οἱ καὶ τῶν χειρῶν εἰσιν ἐπικαμπεῖς οἱ ὄνυχες. ἐπίγραμμα δὲ ἐπ' αὐτῇ εἶναί φασι Κῆρα. *A tergo autem Polynicis adſiſtit quædam dentes habens haut minus belluâ immanes, manuumque ei ungues aduncæ. Inſcriptio verò indicat eſſe Parcam.* Sed apud eundem Pauſaniam etiam legas in Arcadicis: Λύκιος δὲ, ὃς ἦν ἀρχαιότερος τὴν ἡλικίαν, Δήλιος, ὕμνους καὶ ἄλλους ποιήσας, καὶ ἐς Εἰλείθυιάν τε, Εὔλινόν τε αὐτὴν ἀνακαλεῖ, δῆλον ὡς τῇ Πεπρωμένῃ τὴν αὐτήν, καὶ Κρόνου πρεσβυτέραν φησὶν εἶναι. *Lycius verò, ætate ſuperior, patriâ Delius, hymnis & in alios conſcriptis, & in Ilithyam, Eulinon eam* ſive Lanificam *appellat, eandem innuens eſſe, ac Pepromenen, ſive Fatum, & Saturno antiquiorem.* Ubi perperam Abraham Loeſcherus vertit, *Ipſoque fato ac Saturno antiquiorem eſſe perhibet*: cùm Pauſanias dicat, eandem ac Fatum, ſed Saturno vetuſtiorem. Quare meliùs Romulus Amaſæus; niſi quòd parum Latinè dicat, *eandem cum ea, quæ Pepromene dicitur*: pro, *eandem ac eam, quæ Pepromene dicitur.* Sed in iſto peccari ſolet prope à doctiſſimo quoque: ut oſtendi in opere de arte Grammatica libro VII, qui eſt de Conſtructione, cap. LVIII. Illud ponderis eſt majoris, in proximè adlatis Pauſaniæ verbis, vel Fati nomen generatim ſumi pro Parcis omnibus: vel ſi una intelligatur è tribus, eam fore primam, hoc eſt, Venerem: quippe quæ rerum præſit generationi. Movet etiam, quòd ea Parcarum à Pauſania dicatur antiquiſſima. At hanc, de qua proximè ſermo, idem ait grandiorem natu Saturno. Quam verò potiùs è Parcis putemus ante Saturnum fuiſſe, quàm earum natu maximam? Accedit, quòd Pauſanias referat, à Lycio Delio, hymno in Ilithyam, hanc, ut Saturno priorem, celebrari: ut eadem videatur ac Ilithya, ſive conceptus ac partus præſes, quæ eſt Venus. At dixeris, Venerem, juxta poëtas, eſſe filiam Iovis; eoque non poſſe dici antiquiorem Saturno. Sed nulla hic eſt ἀντιλογία *b*, quia cùm Venus ſtatuitur filia

b Contradictio.

Iovis,

Iovis, per hunc ſignatur Æther; per illam, appetitus generandi, quem cælitus habent res ſublunares. Cùm autem ea dicitur non Iove ſolum, ſed Saturno ipſo vetuſtior: Saturnus non φυσικῶς accipitur, ſed ἱστορικῶς, pro homine primo; ſeu illum Adamum, ſeu Saturnum, ſeu Mannum, ſeu aliter, libeat vocare. Ante hunc hominem Luna fuit: ut, ſi ea eſt Venus, Venerem eſſe majorem natu Saturno neceſſe ſit. Longeque res apertior, ſi Fatum conſideres, non ut eſt à Luna, vel à poſitura ac motibus ſiderum: ſed à mente divina; quæ, ex Stoicorum etiam mente, ſingula certo fine fecit, ac vitæ quoque humanæ & menſuram, & ordinem præſcripſit. De hoc Fato veterum erat opinio, fuiſſe illud non modò ante Saturnum ἱστορικῶς ſumtum, hoc eſt, hominem primum; ſed etiam φυσικῶς acceptum: id eſt, priuſquam Deus chaos digereret, & rerum conderet naturam; quæ itidem per Saturnum intelligitur.

Nec ratione caruerunt, qui Parcas, quemadmodum & Mortem, Noctis dicerent filias. Ut Heſiodus in Θεογονίᾳ:

> Νὺξ τ' ἔτικτε συγερόν τε Μόρον, καὶ Κῆρα μέλαιναν,
> Καὶ Θάνατον·
> *Nox atram peperit Parcam, Fatumque odioſum,*
> *Et Mortem.*

Ratio eſt, quòd fatalia ſint obſcura. Nam, ut Pindarus ait Olymp. od. XII: Τῶν μελλόντων τετύφλωνται φραδαί· *Futurorum excæcatæ ſunt cogitationes.* Atque, ut Horatius ait lib. III. od. XXIX:

> *Prudens, futuri temporis exitum*
> *Caliginosâ nocte premit Deus.*

Nec incommodè Plato, & Plotinus; quibus Parcæ ſunt Neceſſitatis filiæ. Nam eò id pertinet, quod, ut Orpheus, ſive Onomacritus appellat, ſint ἀμετάτροποι a. Unde & tertia earum nuncupatur Ἄτροπος, hoc eſt, *immutabilis*. Quemadmodum media, quia fatum ſortitò cuique obtingit, Λάχεσις vocatur ἀπὸ τοῦ λαχεῖν, hoc eſt, *ſortiri*. Ac quoniam ſuum cuique penſum netur; prima, quæ eſt Κλωθώ, ſic ἀπὸ τοῦ κλώθειν, quod eſt *nere*, nomen adepta eſt. Atque ita quoque de iis vetus Heſiodi ſcholiaſtes b. Apud B. Auguſtinum, lib. XX contra Fauſtinum cap. IX, videas tres ſtatui Parcas pro triplici vitæ humanæ tempore; anteactæ, præſentis, ac reſiduæ: præteritam notari per Ἄτροπον, præſentem per Κλωθώ, futuram per Λάχεσιν: quæ & Ariſtotelis, ſive alterius potiùs de Mundo ſcriptoris, ac interpretis ejus Appuleji, opinio eſt. Sed Platoni magis placet, Κλωθὼ præeſſe vitæ, dum fluit: per Λάχεσιν intelligi jam exactam: Ἄτροπον ad id vitæ, quod ſupereſt, pertinere. Verùm ea ut non incommodè dicantur de homine in curriculo vitæ conſtituto: aptari tamen nequeunt naſcituris; ubi nihil niſi futurum: neque denatis, ubi nihil niſi præteritum: neque naſcentibus, ubi nihil præteritum. Tantò impenſiùs placent, qui, præterito hoc tempore tripartito, etiam hominem trifariam conſiderant; quatenus gignitur, vivit, moritur; ac Parcarum ſtamina ad hæc tria extendunt; ut antè dicebamus, ac Iſidorus etiam facit lib. VIII Orig. cap. ult.

a *Verti, mutarique neſciæ.*

b P. 249. *edit. Raphaleng.*

Cap. XLV.

Ut variantes de Fato ſententiæ antiquitatis faciliùs, ac certius, intelligantur, diſtinctè de ſingulis earum agere aggredimur. Ac primum de iis, qui eo, quòd Deum tollerent, vel in dubium vocarent, propterea nec Fatum, vel Providentiam Dei, agnoſcerent. Deinde de illis, qui ſic faterentur Deum, ut negarent curare humana: ſicuti Epicurus; qui nec ipſe iccirco Fatum eſſe ullum putaret. Poſtea de iis, qui Fatum ponerent in rebus naturalibus; ſive univerſis, ut videtur de Pythagora, Leucippo, Heraclito; ſive æthereis ſolum, quam Ariſtoteli mentem tribuit Chalcidius, ſcriptor perperam à Vannino traductus. Nec tamen Ariſtotelem Fatum, aut Providentiam Dei, ſimpliciter removiſſe à ſublunaribus: ſed ſolùm à ſingularibus, quatenus ſunt ejuſmodi. Quæ eum adduxerint in hanc opinionem. Interim agnoviſſe providentiam circa ſpecierum conſervationem. Quod ex Ariſtotele ipſo contra Chalcidium oſtenditur. Etiam Alexandro Aphrodiſeo Fatum idem eſſe, ac Naturam; item Themiſtio, & Aven-roi. Hos, cùm magiſtro Ariſtotele, conſenſiſſe in eo, Deum nec curare, nec ſcire, quæ ſingulatim in terris fiant: & quid eos in impiam adeo impulerit ſententiam. In illo item lapſos eſſe Peripateticos, quod putarent, nihil poſſe à Deo fieri contra Naturalem, ſive, ut illi loquebantur, Fatalem ordinem.

QUantum verò ſit Parcarum numen, & quæ vis eorum fuerit tabulis tributa: abunde illud arguit, quòd Iovem ipſum Fatis ſubjecerint, non poëtæ ſolum, ſed etiam philoſophi, Stoici præcipuè. Quare valde fallatur, ſiquis ex iis, quæ aride jejuneque adeò de Fatis, ſive Parcis, adduximus, quicquid de iis ab antiquis dictum fuit, cognoſci poſſe arbitretur. Proinde, ſi cum cura de ullo numine, poſt Iovem ſaltem, dicendum fuit, de hoc operæ id fuerit pretium. Variantes igitur opiniones veterum de Fato exponam: atque hoc eò faciam lubentiùs, quia ne quidem antiqui eas ſemper candidè ſatis referant: nedum candorem hunc exſpectemus à junioribus; qui veteribus ſubinde meliores tribuunt opiniones, quàm habuerunt; ut à Scholaſticis factum in Ariſtotele: ſubinde item deteriores; dum in ſectis non diſtinguunt, qui audiendi ſint ut judices, quique ut partes.

Initium ab illis ducam, qui eo, quòd Dei tollerent naturam; nec Fatum, nec ullam Dei providentiam agnoſcere potuerunt. Tales habiti olim Diagoras Melius, & Theodorus Cyrenaicus. De quorum priori, ſi minùs ſuffecerint, quos adduxi ſcriptores lib. I, cap. I; vide ſis Diodorum Siculum lib. XIII, Valerium Max. lib. I, cap. I, Ælianum lib. II Var. Hiſt. cap. XXXI, & lib. II, cap. XXIII, Epiphanium in Ancorato ſect. CV. Ut de Theodoto, Plutarchum in Plac. philoſ. Galenum in Hiſt. Philoſ. Ælianum loco priùs memorato. Atque his Plutarchus, & Ælianus, addunt Euemerum Meſſenium; de quo item antea dictum. Proximè autem ad hos acceſſit Protagoras; cui, an Dii eſſent, non liquebat. Vide de ſophiſte hoc, ſi voles, Agellium lib. V, cap. III: item Laërtium, Philoſtratum, Suidam. Horum omnium opinio excuſſa exploſaque nobis eſt initio libri præcedentis.

Altera eorum eſt opinio, qui ſive ex animo, ſive verbis ſaltem, Deum eſſe faterentur: at apertè interim divinam rejicerent providentiam. Quales fuere omnes ex Epicuri ſchola. Horum opinio ex eo profluxit, quòd beatitudinem conſtituerent in vacuitate à curis, & negotiis. At in eo vehementer ſunt decepti, quia potiùs ſita eſt in εὐπραξίᾳ a. Etiam eo Epicurus propugnatur apud Tullium, quòd ſi liberum ſit arbitrium, fatum eſſe non poſſit: uti contrà Stoici plerique colligebant, quia fatum ſit, non eſſe arbitrii libertatem. Sed duo hæc, dum Fatum commodè intelligatur, non pugnare, inferiùs monſtrabitur.

a *Bona operatione.*

Porrò Epicurus non modò Fatum ſuſtulit in iis, quæ ab libertate hominis pendeant: ſed etiam in rebus naturalibus, ſeu neceſſariis; quemadmodum oſtenſum, cùm de Fortuna ageremus. Etiam illis, qui omne negarent Fatum, aggregavit ſe Anaxagoras Clazomenius. Neque obſtat, quòd Græcorum docuerit primus, mundum hunc eſſe compoſitum à Mente divina: unde idem Νοῦς, ſive *Mens*, Laërtio teſte, dicebatur. Nec enim hoc impedit, quò minùs excluderet Fatum; imò inane ejus eſſe nomen diceret; quemadmodum Alexander Aphrodiſienſis auctor eſt lib. de Fato.

Nunc venio ad illos, qui aliquod agnoſcerent Fatum. Hi quoque in varias abeunt ſectas. Primùm de illis videamus, qui illud poſuere in ſolis naturalibus, ac neceſſariis: idque univerſis, ſic ut eorum nihil non fatali fieret neceſſitate. Hæc Pythagoræ opinio fuit. Nam, ut eſt apud Stobæum in eclogis Phyſicis cap. VIII, Πυθαγόρας ἀνάγκην ἔφη περικεῖσθαι τῷ κόσμῳ· *Pythagoras Neceſſitatem*

tem dixit eſſe mundo circumdatam. Etiam addit, opinionem eſſe Leucippi: Πάντα κατ' ἀνάγκην· τὴν δ' αὐτὴν ὑπάρχειν εἱμαρμένην. Λέγει γὰρ ἐν τῷ περὶ νοῦ· Οὐδὲν χρῆμα μάτην γίνεται, ἀλλὰ πάντα ἐκ λόγου τε, καὶ ὑπ' ἀνάγκης· *Omnia fieri Neceſſitate; atque eandem eſſe Fatum. Ait enim libro de Mente: Nulla res fruſtra fit: ſed omnia fiunt ratione, atque ex neceſſitate.* Heraclitus quoque Fatum ſtatuebat, nihil aliud eſſe, quàm λόγον τὸν διὰ τῆς οὐσίας τοῦ παντὸς διήκοντα, *rationem permeantem per omnem naturam*: ut eſt apud Plutarchum lib. I de Plac. philoſ. cap. XXVIII: & Stobæum in Eclog. Phyſ. cap. IX. Ac ſubjicit uterque: Αὕτη δ' ἐστὶ τὸ αἰθέριον σῶμα, σπέρμα τῆς τοῦ παντὸς γενέσεως, καὶ περιόδου μέτρον τεταγμένης· *Hæc autem æthereum eſt corpus, ſemen procreationis Univerſi, certæque periodi menſura.* Ubi videmus, ut Æthera dicat Fatum, & ab eo eſſe fatalem naturalium omnium neceſſitatem.

Ariſtoteles quoque in naturalibus Fatum poſuit, ac ratione eorum divinam agnovit Providentiam: ſic tamen, ut hæc non extenderet ſe ultra Lunam. Sed quod dicitur, eam non pertingere ad ſublunaria, id bifariam intelligi poteſt; vel ſimpliciter, vel ratione individuorum, non ſpecierum. Priorem ſententiam Ariſtoteli tribuit Chalcidius,
a Pag. 345. edit. Leid. in Timæum Platonis, his verbis a: *Ariſtoteles Dei providentiam uſque ad Lunæ regionem progredi cenſet: infra verò neque providentiæ ſcitis regi, nec angelorum ope, conſultiſque, ſuſtentari: nec verò dæmonum proſpicientiam putat intervenire; propterea que tollit omnem divinationem, negatque prænoſci futura.* Hæc Chalcidius; quem Cæſar Vaninus, in ſuo æternæ Providentiæ Amphitheatro Exercitat. XXX, non aliter unquam, quàm *Chalcidicum* nuncupat: perperam ſanè; ſed gravior culpa, quòd appellat *circumforaneum blateronem*: qui inſignis non Platonicus modò, ſed Chriſtianus quoque ſcriptor fuit, & bene antiquus: quippe qui, ſi non temporibus vixerit Conſtantini Magni, opuſque ſuum Oſio illi ſive Hoſio dicârit, qui Synodo præfuit Nicenæ: ſaltem junior haut fuerit temporibus Theodoſianis. Interim agnoſcimus, non examuſſim eſſe aſſecutum mentem Ariſtotelis, & ſectatorum: quippe qui non removerint prorſus Fatum, aut providentiam Dei, à ſublunaribus; ſed ſolùm à cura individuorum, quatenus ſunt talia. Nam de ſpeciebus fatebantur, omnia fieri fato: Cælum quippe à primo motore ſive Deo verſari: atque ab eo pendere in ſublunaribus conſervationem ſpecierum. Ut verò negarent ad individua etiam, quatenus hujuſmodi eſſent, Fatum, vel Providentiam Dei, pertinere, duobus adducti ſunt argumentis. Prius ad eorum contingentiam attinet. Nec enim videre poterant, quomodo, ſi Deus curaret contingentia, non ſæpius fine ſuo fruſtraretur: quod ejus argueret impotentiam. Quare legem velle imponere contingentibus, hoc, ut ex
b Lib. 2. de Fato, cap. 1. eorum mente loquitur Pomponatius b, *perinde eſt, ac ſi quis vellet aſinum docere philoſophiam.* Præterea ajebant, ita ſublatum iri liberum arbitrium. Nam ſi Deus ſic ac clavum ſedeat Univerſi, ut velit gubernare ſingula: quicquid boni egerit homo, divinæ fore voluntatis: quicquid fecerint mali, attribuendum eſſe caſui; quia factum ſit præter voluntatem gubernantis: haut aliter ac cum Grammaticus optimus malè loquitur, vel Muſicus eximius in cantu paullum aberrat, non arti hoc, ſed caſui adſignamus. Quamquam verò ob ea, quæ diximus, negarent Deum curam habere ſingulorum: non tamen excludebant ſpeciei cujuſque providentiam. Quippe, inquiebant, mens divina gubernat cælum: ab hoc autem dependent omnia ſub Luna: ut cujus virtute mutentur elementa, mixtorumque fiat generatio: plantæ quoque, & mutæ animantes, pro cæli varient plagis: homines etiam, pro cælo, ingenio, ac moribus diſtent. Atque hinc colligebant, non poſſe Fatum penitus excludi à ſublunaribus, ſi ſpecies, non individua, cogitemus. Ac diluto hoc ſermone arbitrati ſunt, bellè ſatis ſe conciliâſſe eorum ſententias, qui Fatum, quique rerum aſſererent contingentiam. Hæc potiùs, quàm illa à Chalcidio adlata, Ariſtotelis mens fuit: quemadmodum non uno philoſophi loco evincitur. Nam & ſublunaria fato generari, ac interire, diſertim ait: ut in quincto Φυσικ. ἀκρ. context. LVII; ubi dividit φθοράν, ſive *corruptionem*, in illam, quæ eſt παρὰ φύσιν, *præter naturam*, & illam κατὰ φύσιν, *ſecundum naturam.* Prioris generis ait eſſe τὴν βίαιον, *violentam.* Ac pariter inquit, γενέσεις εἰσὶν ἔνιαι βίαιοι, καὶ οὐχ εἱμαρμέναι, αἷς ἐναντίαι αἱ κατὰ φύσιν· *ſunt & ortus quidam violenti, non fatales, quibus contrarii ortus naturales.* Ubi clarè, & ortus, & interitus eos, vocat fatales, qui contingunt ſecundùm legem ac curſum naturæ univerſalis; ſive etiam particularis, ſed quatenus ea legi ſubdita eſt univerſali. Itaque, ſi accendatur ſilva, vel bello homines occidantur, aut naufragio pereant; non fuerit is vel arborum, vel hominum interitus, fatalis; quippe violentus, & adverſus legi naturæ univerſalis: quæ eſt, ut miſta pereant per putrefactionem, nec animatum moriatur, niſi reſoluto jam humore ultimo à proprio calore, qui, conſumto à ſe humore, exſtinguitur. Idem fusè cognoſcere eſt ex eo libro, quem ad Severum, & Antoninum Cæſares, perſcripſit Alexander Aphrodiſienſis. Ubi Anaxagoræ quidem Clazomenii opinionem rejicit; qui, ut dixi, inane eſſe contendit Fati nomen: interim ipſe non aliud agnoſcit Fatum, quàm conſuetum naturæ curſum. Quippe ait, Fati nomine à ſe intelligi, οἰκείαν φύσιν· *naturam propriam*: ut quæ ſit ἀρχὴ ἑκάστου καὶ αἰτία τῆς γινομένων ἐν αὐτῷ κατὰ φύσιν τάξεως· *principium cujuſque & cauſſa ordinis eorum, quæ in eo fiunt ſecundum naturam.* Quo ſignificat, fato fieri, quæ eveniunt ſecundùm ſeriem, & conſequentiam, quam res habent in ſe ipſis. Itaque cùm alia fiant alicujus gratiâ, alia nullius; ac priora vel naturâ ſint, vel ratione ſive prælectione: fatum eſſe in iſtis, quæ alicujus gratiâ fiunt à natura; nequiquam verò locum habere in illis, quæ ab humano pendeant arbitrio. Quamobrem ſtatuere non dubitat, idem eſſe fatum, ac naturam: fato Solem lucere, ignem urere; ex equo generari equum; hominem quoque fato mori, qui diſſoluto diem obeat temperamento: at præter fatum eos decedere, qui de equo decidant, vel gladio pereant: ad cujuſmodi mortes, ſi Alexandrum audimus, non extendit ſe Fatum, quia non fiunt neceſſitate naturali, ſed contingentia ſint: qualia excludi à cura divina, apud eundem Aphrodiſienſem etiam legas in Problematis Naturalibus. Atque hunc ſecutus in eo Themiſtius: Themiſtium Aven-roes in lib. XII. Metaphyſ. context. LI, item in lib. de Somno & Vigilia. In eo igitur convenit hiſce omnibus, individua caduca primò directèque non cadere ſub divinam providentiam; ſed ſolùm ſecundariò, indirectè, & quatenus includuntur in univerſali. Imò ne quidem arbitrantur, ſcire Deum particulatim, quæ ſub Luna fiant: tum quia individua ſint infinita, infiniti autem non ſit ſcientia: tum quoniam individua hodie ſint, cras eſſe deſierint, quaſi rerum mutatione mutabilis etiam fieret ſcientia Dei: tum quòd ſint materialia; quorum notitia eò menti adverſetur divinæ, quia hæc ſit omnis materiæ expers; quippe actus puriſſimus: ac denique quòd in ſublunaribus hiſce ſint inſecta, cloacæ, & vilia id genus; quibus, ut ajunt, vileſceret mens divina: ut ſaltem particulatim ea noſſe illam dedeceat. Ac favet his locus ille Ariſtotelis Metaphyſicorum lib. XII, cap. IX: ubi conſiderat θειότατον, καὶ τιμιώτατον· *diviniſſimum, maximeque honorabile*: &, quaſi dubius quidem, ſed non obſcurè tamen ſignificans, quò inclinet, mox ſubjungit, ἄτοπον τὸ διανοεῖσθαι περὶ ἐνίων· h. e. diviniſſimum illud etiam *cogitare de quibuſdam eſt abſurdum.* Hæc philoſophis tantis adeò gravis momenti viſa ſunt, ut, non ſine grandi ſacrilegio, ſtatuerent, Deum quæ ſingulatim in terris fierent, nec curare, nec ſcire: eoque nec Fatum, ſive divinam potiùs Providentiam, ad ſublunaria hæc, particulatim conſiderata, pertinere. Præterea hoc quoque iis vitio vertendum, quòd ne in cæleſtibus quidem, vel ſpeciebus ſublunaribus, quale Fatum ſuum foret, ſatis cognoſcerent. Licet enim numen divinum ſuum præſcripſerit ordinem cælis: non propterea tamen immutandi ejus jus ſibi præripuit; quandoquidem & Solem ſtare juſſit. Et ſi in illis, quæ cælis ſub-

ſubdita ſunt, malimus exempla: præter naturæ ordinem, quem fatalem vocant, mandato ejus peperit Virgo; cæci recuperarunt viſum; ac mortui ſæpius ſunt ad vitam revocati. Neque me fugit, cujuſcemodi ſint, quæ obduci illis ſolent. Sed à compluribus philoſophis Chriſtianis obviam illis itum; atque id non ſolidè minus, quàm perſpicuè. Actum verò agere non eſt animus.

Cap. XLVI.

Platonem ſic ſtatuere Fatum, ut apertum ſit, non tolli ab eo arbitrii libertatem. Atque hoc ut liqueat, quid ei Fatum ſit, exponitur; & lex animis ſancita humanis, quâ, ſi ex Dei præſcripto vixerint, poſtmodo feliciter agant ad longiſſimum temporis ſpatium: ſin Deo non obtemperarint, neceſſe habeant crimina ſua expiare: & quis ille annorum circuitus ſit felicitati, vel infelicitati animarum, præfinitus. Legem hanc vocari Adraſteæ legem, & orationem Lacheſis: qua voluntati ſic præſcribatur parendi neceſſitas, ut relinquatur non obtemperandi libertas. Ac propterea à Platone, & ſectatoribus ejus, diſtingui inter fatum, & fatale; ſive inter præceſſionem, & conſecutionem; ſive inter promerendi libertatem, & præmii pœnæve conſequendæ neceſſitatem. Item diſtingui ab iis inter hæc tria; Deum, Providentiam, & Fatum: Fatumque tum præſcribere animæ mundanæ, quæ à Deo eſt diverſa: tum animis mundanæ animæ ſubjectis; ut ſunt Natura, Caſus, Fortuna, & Dæmones.

VEnio nunc ad eos, qui Fatum etiam agnoſcunt in rebus contingentibus, & actibus humanis. Cujus ſententiæ patroni in tres ſcinduntur partes. Quippe aliqui ſic ſe explicant, ut omnes videant, relinqui ab iis arbitrii libertatem: alii, ut omnium judicio eam tollant: alii autem, ut diſputent hodièque eruditi, utrùm eo pacto ſalva ſit voluntas, an minus.

De Platone nemo dubitat, quin ſic Fatum agnoſcat, ut non eripiat homini libertatem. Nam ſtatuit, ut Alcinous ait cap. XXVI, πάντα μὲν ἐν εἱμαρμένῃ εἶναι, οὐ μὴν πάντα καθειμάρθαι· *Omnia quidem eſſe in Fato; non omnia tamen eſſe in Fato decreta.* Ac Plutarchus ita enarrat Platonis mentem lib. 1 de Plac. Philoſ. cap. XXVII: Τὴν εἱμαρμένην συμπλοκὴν εἶναι αἰτιῶν τεταγμένην, ἐν ᾗ συμπλοκῇ καὶ τὸ παρ' ἡμᾶς· ὥστε τὰ μὲν εἱμάρθαι, τὰ δὲ ἀνειμάρθαι. *Fatum eſſe connexum cauſſarum ordine contentum, quo etiam concludantur ea, quæ à nobis fiunt: ut ſic alia haberi debeant fatalia, alia non decreta fato.* Hinc Platonicus a P. 279. & 280, ed. Meurſiana. Chalcidius, commentario in Timæum a: *Qui omnia fato fieri dicunt, meritò reprehenduntur ab iis, qui probant, eſſe aliquid in noſtra poteſtate. Qui omnia in noſtra poteſtate conſtituunt, nec quicquam fato relinquunt, falli deteguntur. Quis enim ignoret, eſſe aliquid in fato, & extra noſtrum jus? Sola igitur vera illa ratio eſt, fixaque & ſtabilis ſententia, quæ docet, quædam fato fieri, alia porrò ex hominum arbitrio, & voluntate, proficiſci.* Eſt verò Platoni Fatum, λόγος ἀΐδιος, καὶ νόμος ἀΐδιος τῆς τοῦ παντὸς φύσεως· *ratio æterna, perpetuaque lex naturæ Univerſi*: ut eſt apud Stobæum b. b In Eclogis Phyſic. cap. 9. Sed hæc etiam pertinent ad legem eam, quam Deus rebus præſcripſit naturalibus: nunc eâ de lege videamus, quæ ſancita eſt præditis intellectu. Hæc apud Platonem in Phædro, & exinde Plutarchum libro de Fato, ejuſmodi memoratur: Ἥτις ψυχὴ συνοπαδὸς γενομένη κατίδῃ τι τῶν ἀληθῶν, μέχρι τῆς ἑτέρας περιόδου, εἶναι ἀπήμονα· κἂν ἀεὶ δύνηται τοῦτο ποιεῖν, ἀβλαβῆ εἶναι· *Quicunque animus, Dei comes factus, aliquid veri perſpexerit, is uſque ad alteram circuitionem à ſupplicio ſit immunis: & ſi poſſit perpetuo id facere, perpetuo erit illæſus.* c Pag. 278. Quæ fuſius ſic enarrat Chalcidius c: *Legi qui pareat ſequaturque principis Dei veneranda veſtigia, beatam ſemper vitam agit; juxta legis perpetuæ ſanctionem; quod eſt, juxta fatum. At vero, quæ Dei comitatum animæ neglexerint, rurſum & ipſæ, alio quodam contrarioque genere ſecundum fatum vitam exigunt: donec pœniteat eas delictorum ſuorum, expiatiſque criminibus deinceps ad immortalis Dei, & æternarum divinarumque poteſtatum choros, revertantur; & ille legis rigor ex deteriore fortuna tranſitum fieri ſinat ad beatam.* Porrò in verbis Platonis per ἑτέραν περίοδον, *alterum circuitum*, intelligitur ſtellarum fixarum, & erraticarum omnium reditus ad habitum, & conditionem præteritam: quâ conſtellatione inſtauratâ, omnia, & in cœlis, & in terris, ſe habeant, ut priùs. Hinc Plato, interprete Chalcidio a: *Eſt tamen intellectu facile, quod perfectus temporis numerus perfectum annum compleat tunc demum, cum omnium octo circumactionum curſus peracti, velut ad originem, & caput circumactionis alterius, revertentur: quam ſemper idem, atque uniformis motus dimetietur.* a Pag. 240. Hoc ſpatium eſſe annorum triginta ſex millium, jam ante retulimus. Porrò legem fatalem, quam animis diximus promulgatam, Plato in Phædro appellat θεσμὸν Ἀδραστείας, *legem Adraſteæ*: item in libris de Rep. Ἀνάγκης θυγατρὸς, κόρης Λαχέσεως, λόγον *orationem virginis Lacheſis, filiæ Neceſſitatis.* Hæc lex, ut vidimus, pariter & parendi obſequium continet, & contumaciam: nec voluntatibus neceſſitatem alterutrius imponit, ſed ſuæ eas relinquit poteſtatis. Nam, ut idem Chalcidius b ait, *Quod anima hominis natura talis ſit, ut interdum ad virtutem ſe applicet; interdum ad malitiam præponderet, perinde ut corpus, modò ſoſpitati, modò ægritudini proximum; fixum plane eſt, & decretum ex origine. Quis porro malus ſit futurus, aut bonus; neque decretum, neque imperatum. Proptereaque leges, magiſteria, deliberationes, exhortationes, revocationes, inſtitutiones, nutrimentorum certa obſervatio, laus, vituperatio, quæque his ſimulantur: quia rectè vivendi optio penes nos eſt.* b Pag. 255. Ubi pro *ſimulantur*, malim, *ſimilia, adhibentur*: vel tale quid. Plenius planiuſque hæc explicabimus.

In anima omni rationabili ſpectantur, alia quidem ex præceſſione meriti; alia autem ex conſecutione animadverſionis, vel præmii. Priora ſunt ex motu animæ libero. Cujus exemplum adfertur, quòd anima Socratis, ſecundum Adraſteæ ſive Lacheſis legem, comitem ſeſe præbuerit Deo. Hoc proprium dicitur opus Socratis. Ac tam hoc, quam cùm animæ aſpernantur comitatum Dei, *præceſſionem* vocant, quia ſunt cauſſæ præcedentes ex meritis noſtris.

Poſteriora non ſunt in hominis poteſtate, ſed ſequuntur ſecundùm fatum: unde & *Fatalia* dicuntur. Aliud enim *fatum*, aliud *fatale*. *Fatum* eſt lex ipſa. *Fatale* eſt executio legis. Ut quòd Socrates, quia juxta fati legem vixiſſet, beatus uſque ad alterius circuitus tempus, dicitur perſeveraturus: quemadmodum &, ſi in altero circuitu pariter ſe compoſuerit, pari poſtmodo fruetur felicitate; infelix idem futurus, ſi tandem anima ejus in circuitu aliquo non comitetur Deum; idem tamen ad felicitatem reverſurus, ſi in circuitu novo evaluerit bonæ frugis. Hanc præceſſionem meriti ex libero arbitrio, & conſecutionem mercedis, vel pœnæ, ex lege fatali, paucis ſic conſtrinxit Chalcidius c: *Peſſime agere vitam eſt in hominis arbitrio: puniri plane eſt ex neceſſitate fatali: utpote quod legem ſequatur.* c Pag. 271. Ut alibi idem: *Quod præcedit, in nobis; quod ſequitur, ſecundum fatum.* Ac luculentè idem illuſtrat exemplo Laji, his verbis d: *Hac ratione Lajo prædictum eſt ab Apolline:* d Pag. 244.

Cave, ne vetitos liberùm ſulcos ſeras.
Generatus ille te mactabit impie:
Et omnis aula reſpergetur ſanguine.

His quippè oraculis oſtendit, penes Lajum fuiſſe, ne fereret: quæ præceſſio eſt. Quod porro inſecutum eſt, jam non in poteſtate Laji, ſed potius in neceſſitate fatali, juxta meritum præceſſionis. Atque eodem exemplo idem illuſtrat Alcinous cap. XXVI: ubi & alterum addit de Paride, & Helena. Sed pro eo Chalcidius attulit de Achille, & Thetide. Poſteaque Chalcidius Platonis eam fuiſſe mentem probat verbis ejuſce philoſophi. Quæ autem Latinè

addu-

adducit, non appoſito, unde hauſerit, libro, ea ſunt in decimo de Rep. ubi ſic puella Lacheſis, Neceſſitatis filia, loquitur *a*: Ψυχαὶ ἐφήμεροι, ἀρχὴ ἄλλης περιόδου θνητοῦ γένους θανατηφόρου· οὐχ ὑμᾶς δαίμων λήξεται, ἀλλ' ὑμεῖς δαίμονα αἱρήσεσθε. πρῶτος δ' ὁ λαχὼν πρῶτος αἱρείσθω βίον, ᾧ συνέσται ἐξ ἀνάγκης. ἀρετὴ δὲ ἀδέσποτον, ἣν τιμῶν καὶ ἀτιμάζων, πλέον καὶ ἔλαττον αὐτῆς ἕκαστος ἕξει. αἰτία ἑλομένου· θεὸς ἀναίτιος. *Animæ diurnæ, adeſt primordium alterius circuitus, deſtinatum generi mortali, ac letifero. non veſtri aliqua ſortitò ſub dæmonum veniet imperium: ſed vos dæmonem eligetis. Qui verò primus veſtri fuerit ſortitus, primus vitam eligito, quam degat neceſſario. Virtus autem domini expers, ac libera eſt. quam ut quiſque colit, aut negligit, plus minuſve ejus habebit. Cauſſa eſt* ELIGENTIS: DEUS *autem eſt extra culpam.*

a Editionis Steph. pag. 617.

Neque propterea putabat Plato, nihil Fatum poſſe in animis humanis: ſed non ſic agere, ut tolleretur arbitrii libertas. Aliquas autem & Fati partes credidiſſe, indicat Plutarchus lib. I de Placitis philoſoph. cap. XXVII: Πλάτων ἐγκρίνει μὲν τὴν εἱμαρμένην ἐπὶ τῶν ἀνθρωπίνων ψυχῶν καὶ βίων· συνεισάγει δὲ καὶ τὴν παρ' ἡμᾶς αἰτίαν. Οἱ Στωικοὶ Πλάτωνι ἐμφερῶς· καὶ τὴν μὲν ἀνάγκην ἀνίκητόν φασιν αἰτίαν καὶ βιαστικήν. τὴν δὲ εἱμαρμένην συμπλοκὴν αἰτιῶν τεταγμένην, ἐν ᾗ συμπλοκῇ καὶ τὸ παρ' ἡμᾶς, ὥστε τὰ μὲν εἱμάρθαι, τὰ δὲ ἀνειμάρθαι· *Plato quidem admittit fatum in animis hominum, vitâque eorum: ſed addit etiam cauſſam quæ ab arbitrio pendeat noſtro. Stoici, Platonis in eo ſimiles, Neceſſitatem ajunt invincibilem eſſe cauſſam, & violentam: Fatum autem eſſe complexionem cauſſarum ratam ſtatamque; quo in nexu etiam contineantur, quæ à nobis dependeant: ut alia quidem ſint fato decreta, alia non item.* De Platone aſſentimus. An verò idem Stoici ſenſerint, poſtea patebit.

Ac tale Platoni eſt Fatum. Provenit autem id à providentia divina. Ut tria hic diſtinxerit Plato: primum eſt Deus, ſummum bonum. Alterum Providentia, ſive mentis divinæ in intelligendo actus æternus. Tertium eſt Providentiæ proles, Fatum, ſive lex divina ad ſapientem rerum omnium gubernationem promulgata; naturæ quidem præſiniens, quæ neceſſariò fiant; at liberæ voluntati mandans honeſta, prohibens contraria. Præſcribitur autem lex, ſecundùm eundem *b*, tum animæ mundanæ; tum animis ei ſubjectis. Anima mundi, ut a mente divina diſtinguatur, vocatur *ſecunda mens, intellectuſque*: & hæc dicitur *quaſi quædam cuſtos legis æternæ*. Nempe quia anima hæc mundum gubernet ſecundùm legem æternam à Providentia ſancitam; cæleſtia quidem neceſſitate beatâ; voluntaria autem ratione, & ordine, ſecundùm ſuam cujuſque naturam. Tripartitam hanc dixere animam, quia præſit, tum ſtellis fixis, tum planetis, tum rebus ſubjectis; quales dæmones cùm ignei, tum aërii; natura item humecta, & tellus.

b Chalcid pag. 277. & 278.

Animæ mundanæ ſubeſſe dicuntur (ut ejuſdem Chalcidii verba retineam) *rationabiles animæ, legi obſequentes: miniſtræ poteſtates; Natura, Fortuna, Caſus; & Dæmones inſpectatores, ſpeculatoreſque meritorum.*

CAP. XLVII.

Acceditur ad fatum, quod tum Mathematicum, tum Aſtrologicum, tum etiam Chaldaicum, nuncupatur. Chaldæos, & Babylonios, non per omnia conveniſſe. Fatum hoc Aſtrologicum fere intelligi à ſanctis Patribus, quando Fatum impugnant, ac ne quidem ejus nomen audire ſuſtinent. Cum fatum ſtatuerent nationes, multa vere allegaſſe ad ſiderum vim comprobandam: quod particulatim de Sole, Luna, ſtellis, oſtenſum. Sed exorbitare plane, cum membris ſingulis ſingulos præfecere planetarum: hoc χειρομάντεις *feciſſe in partibus manus; aſtrologos, in membris univerſis. Sed ut iſta pro tolerabilibus haberentur, nullâ poſſe ratione ferri, quod tantam ſiderum vim ſtatuerent in ipſas animæ facultates, ſive illæ (quando de his variatum) ternæ ſint, aut quaternæ; ſive octonæ etiam, aut ſeptenæ. Nec vanum minus videri, quod planetas pro climatibus diſtinxerint. Poſt illa à planetis abimus ad ſtellas fixas: ac prius oſtenſum, ut e duodenis ſtellati illius balthei ſignis unumquodque alicui præfecerint humani corporis membro, propriamque in illud vim attribuerint. Tum autem, ut planetarum cuique ſuum, & locum, & effectum, aſſignarint in Zodiaco. Et, ne longiores in his vanis eſſemus, ſcriptores indicati, unde, qui volet, accuratam horum, qualium qualium, petere poſſit notitiam.*

AC tale Platonis fatum fuit: quo, uti dictum, ſua eſt relicta libertas humanæ voluntati. Sequitur, videamus illo de fato, quo, ſi non ab omnibus ejus defenſoribus, prope tamen ab omnibus, liberum tollitur arbitrium. Fatum hoc nuncupatur Mathematicum, vel Aſtrologicum, vel etiam Chaldaicum. Nomina iſta ſunt ab iis, qui hujus ſe fati gnaros profiterentur: quales *Mathematicos* vocat Seneca in ἀποκολοκυνθώσει, Tacitus lib. I Hiſtor. Juvenal. ſat. VI, & XIV, Paullus Sententiarum lib. V, cap. XXI. *Aſtrologos* appellat Ulpianus Digeſtis, De injuriis, Lege XV, §. Siquis. *Chaldæos* autem dicit Cicero lib. I, & II de Divinat. item Agellius lib. I, cap. XV: uti diſciplinam ipſam χαλδαϊκὴν Sextus Empiricus contra Grammaticos cap. I. Cauſſa ejus nominis eſt, quòd diſciplinam hanc repererint Chaldæi. Quamquam Ægyptiis inventum iſtoc tribuat Herodotus *a*: quemadmodum & ab iis oracula, ſacraque, & ceremonias, cœpiſſe, ab eodem traditur. Sed pro Chaldæis, vel Medis eſt, quòd priſcus Aſtrologus Beleſis, ut Diodorus Siculus *b* ait, prædictionibus ſcientiæ ſuæ impulerit Medos ad occupandum Aſſyriorum regnum. Ac imprimis pro iis facit, quòd Simplicius *c* ex Calliſthene tradat, antequam Babylona caperet Alexander Magnus annis quaſi bis mille, annotâſſe Chaldæos, qualis pro cujuſque ſideris ortu effectus ſequeretur. Ex cujuſmodi particularibus obſervationibus collegere univerſales concluſiones; quæ principia ſunt artis genethliacæ. Atque ex his etiam obſcurum non eſt, cur Fatum hoc dicere etiam poſſis *Babylonicum*: juxta illud Horatii libro I, od. XI:

a Lib. 2, cap. 82.

b Lib. 2.

c In lib. 2. de Cœlo, pag. 123, ed. Aldin.

Tu ne quæſieris (ſcire nefas) quem mihi, quem tibi,
Finem Di dederint; nec Babylonios
Tentâris numeros.

Malim tamen *Chaldaicum* vocare, quam *Babylonicum*; quia gentes hæ non per omnia convenerunt; uti oſtendit illud Lucretii in V:

Ut Babylonica, Chaldæam doctrina refutans,
Aſtrologorum artes contra convincere tendit.

Utcunque autem aliquis fuerit diſſenſus, laxiùs tamen voce Chaldaici fati nomine accepto, ſub eo Babylonicum etiam complexi videntur. Imò, cùm Fatum impugnant Theologi veteres, utcunque ſubinde de Stoico loquantur, plurimùm tamen ab iis Chaldaicum hoc ſive Aſtrologicum intelligitur. Liquet illud ex non uno B. Auguſtini loco: ubi ipſum etiam Fati nomen improbat. Ut lib. V de Civit. Dei, cap. I: *Si propterea quiſquam res humanas fato tribuit, quod ipſam Dei voluntatem, vel poteſtatem, fati nomine appellet; ſententiam teneat, & linguam corrigat. Cur enim non hoc primum dicit, quod poſtea dicturus eſt, cùm ab illo quiſpiam quæſierit, quid dixerit fatum? nam id homines quando audiunt, non intelligunt, niſi vim poſitionis ſiderum.* Et cap. IX: *Nulla fieri fato dicimus, quoniam fati nomen, ubi ſolet à loquentibus poni, (id eſt, in conſtitutione ſiderum, quâ quiſque conceptus, & natus eſt) quoniam res ipſa inaniter aſſeritur, nihil valere monſtramus.*

Propriè igitur fatum erat prædictio ex ſideribus: nomenque eſt ab ea ſignificatione *fandi*, qua prophetis convenit: qui & ab eadem origine *vates* dicuntur. Nam *fari* eſt à φάω, unde φάτις, item φάτις, ſicut Latinis *dictio* pro *oraculo*.

Fati hujus fundamentum poſuere, partim in veris certiſque;

tiſque; partim incertis, ac conjecturâ valde dubiâ ſubnixis; partim falſis, abſurdis, impiis.

Vera certaque ſunt plurima, quæ de virtute ſiderum in elementa, atque humana etiam corpora prodiderunt. Primùm Solem conſideremus. Quid manifeſtius eſt, quàm eum, decurſu ſuo per ſigna duodena, ſingulis menſibus variare anni qualitates? Quam rem pleniùs exponit Proclus, vel alius in librum I τετραβίβλου: Ὁρῶμεν γὰρ ὅτι κατὰ τὴν τοῦ ἡλίου κίνησιν αἱ ὧραι τοῦ ἔτους γίνονται, καὶ συμμεταβάλλονται ταῖς ἐτησίαις ὥραις τὰ ἡμέτερα σώματα. καὶ τί χρὴ λέγειν περὶ τῶν ἐτησίων τροπῶν; ὅπου ἐν ἡμέρᾳ ταῖς γινομέναις τροπαῖς παραπλησίας οὔσας ταῖς καθόλου εὑρίσκομεν μεταβαλλούσας ἡμᾶς. ἀνίσχων γὰρ ὁ ἥλιος, καὶ εἰς τὴν τοῦ ἔαρος μεθιστῶν τὸν ἀέρα, τοιαύτην καὶ τοῖς ἡμετέροις σώμασι δίδωσι τὴν ἀπόρροιαν. καὶ προϊούσης τῆς ἡμέρας, ἔστιν ἰδεῖν τὰς καθόλου κράσεις ἐν ταῖς μερικαῖς ἐμπεριεχομένας. Εἰ δὲ ὅλως ἐναργής τις γίνεται ἀπόρροια, χρὴ ἡμᾶς καὶ τὴν ἄδηλον αἴσθησιν τῷ λογισμῷ κρίνοντας εὑρίσκειν. *Cernimus enim motu Solis, anni tempora diſtingui, unaque cum eis corpora noſtra immutari. Et quid attinet de annuis converſionibus dicere? cum quotidianas converſiones illis annuis conſimiles eſſe in nobis immutandis animadvertamus? Sol enim oriens, & aërem ad veris temperiem redigens, talem etiam corporibus noſtris qualitatem inſinuat: &, die progrediente, videre eſt univerſalia temperamenta in particularibus contineri. Quod ſi omnino evidens quidam contingit influxus, nobis etiam occultus ſenſus rationis judicio eſt indagandus.*

Ac par Lunæ eſt ratio; quemadmodum abundè oſtenſum nobis cap. XVIII, XIX, XX. Nunc ſolùm adponam verba ejuſdem Ptolemaici interpretis: qui ſuperioribus continuò ſubjungit: Ἡ δὲ σελήνη, οὐχ ὅτι μείζονα τοῦ ἡλίου κέκτηται δύναμιν, δοκεῖ ἡμᾶς ἐναργέστερον μεταβάλλειν, ἀλλ' ὅτι περιγειοτέρα τυγχάνουσα, πλείστην ἡμῖν ἐνδίδωσι τὴν ἀπόρροιαν· ὁρῶμεν γὰρ, καὶ τὰ θαλάττια ζῶα συναυξανόμενα, καὶ συμμειούμενα τῇ σελήνῃ. καὶ ἡμῶν δὲ αὐτῶν τινα μέρη τοῦ σώματος· οἷον ὄνυχας, καὶ τρίχας, ἦν δέ τι καὶ ἱερὸν ζῶον ἐν τῇ Αἰγύπτῳ, ταῦρος ἀνακείμενος τῇ θεῷ. Οὗ ἡ οὐρὰ συνηύξανεν αὐτῇ, καὶ συνεμείου. εἰσὶ δὲ καὶ νῦν, συμφθίνοντες, καὶ συναυξοῦντες λίθοι τινὲς τῇ θεῷ. *Apparet autem Lunam, non quòd Sole majorem vim habeat, nos evidentius immutare; ſed quod terræ vicinior, magis nos ſuo lumine & motu afficiat. Videmus enim & marinas animantes unà cum Luna & creſcere, & decreſcere; & noſtri corporis partes quaſdam; ut ungues, & crines. Fuit etiam quoddam ſacrum in Ægypto animal, videlicet taurus, huic Deæ ſacer; cujus cauda cum Luna, & augebatur, & minuebatur. Sunt etiam hodie lapides quidam, qui unà cum ea, & accreſcunt, & decreſcunt.*

Nec de nihilo eſt, quòd divina ſapientia Solis, & Lunæ curſui, qui dierum, menſium, annorum ſpatia definivit, etiam quinque addiderit errones. Ex quibus tardus Saturnus circulum annis abſolvit triginta: fulgidum Jovis jubar, annis XII: rutilans Mars, biennio: Venus autem Solem comitatur, nunc horis prævius matutinis, nunc aſſecla ejus veſpertinis: Mercurius quoque circa Solem motibus variis fertur. Fruſtrane Deus tot numero errones condiderit; ſic magnitudine, locis, & colore, diſtinxerit, tamque varios iis tribuerit motus? Quid dicam de fixis orbis octavi ſtellis? Fateri cogimur nec vilia animalcula, vel plantarum minimas, incaſſum eſſe. Quin perſpicuum eſt, ſic eas viribus differre, ut iis cognoſcendis humanum non ſufficiat ingenium. Et in lucidis illis ac cæleſtibus corporibus, ubi tanta eſt varietas, non admirandam eſſe efficaciam credamus?

Quanquam quid rationibus pugnamus, quando ſenſus ipſe, longuſque rerum uſus tot ſeculis aliud edocuit? Conſideremus ſtellas fixas. Ex earum ortu, & occaſu, nautæ, atque agricolæ, anniverſarias prævident tempeſtates. Iidem obſervant, ab Arcturo tempeſtates cieri, ab Hyadibus pluvias, ab Orione nimbos. Etiam Capram cæleſtem ortu ſuo viribus nocere; apud Pauſaniam legas in Corinthiacis. Jam quanta eſt vis quinque erraticarum! quod peritiores hujus artis maximè obſervant, quando cum Sole, & Luna, aut ipſæ inter ſe conjunguntur. Soli enim Saturnus additus aëra reddit nubilum, ac turbidum. Jupiter, ac Mercurius, ſi arctiùs ſocientur, ventos procreant & tempeſtates. Mars, & Venus, ſi aptis cæli locis jungantur, imbres generant, & quandoque etiam fulmina, ac tonitrua. Atque hæc inprimis contingunt in Lunæ συζυγίᾳ [a], vel ortu etiam fixi ſideris ex illuſtrioribus. Imò ne [a] *Conjunctione.*
minores quidem ex fixis effectu carent, ſi cum planetis copulentur. Nimirum ſtellæ omnes fixæ ſunt inſtar feminarum; quæ, ſteriles per ſe, gravidæ fiunt, ſi jungantur planetis. Sic ſtellæ Cancri nebuloſæ à Ptolomæo dicuntur *ſuffocantes*, & *peſtilentes*. Sed vis ea concipitur à planetis. Ut anno factum CIↃ IↃ LXIII; cùm, in Leonis initio, juxta eas ſtellas pariliter jungerentur Sol, & Saturnus, atrox eſt peſtilentia aliquot conſecuta annis per Europam univerſam.

Quod ſi ea ſit ſiderum vis in elementa, & hinc conflata: etiam vis cæli ſe exeret in corpora humana, cùm homo ex elementis conſtet, aëra hauriat, cibo & potu nutriatur. Sed vis ſideris ſe nullius prodit manifeſtiùs, quàm Lunaris. Nam morbo caduco, & ſimilibus, laborantes, vehementiores habent paroxyſmos circa novilunia, plenilunia, & medias quadraturas: nonnulli etiam tantummodo ſe malè tum habent. Nec hydropici unquam laborant vehementiùs, quàm circa plenilunia: ac penè omnes etiam circa id temporis moriuntur.

Atque hæc vera ſunt certaque. Progredior nunc ad ea, quæ partim ſunt dubia incertaque; partim ejuſmodi, ut falſa miſceantur veris. Partim verò pertinent ad mundum totum; partim ad homines ſingulos. Priorem prædictionem dicemus univerſalem; alteram, particularem. Univerſalis vel eſt de mundi duratione vel converſione. Durationis ſpatium anno magno definitur: ſive is ſit XXXVI millium ſive quadraginta novem, ſive majori vel minori ſpatio eadem redeat ſiderum omnium conſtitutio. Converſiones mundi ſtatuuntur octonæ, pro octonis cæli orbibus: ſeptenis quidem planetarum; uno autem ſtellarum fixarum. Pro hiſce converſionibus totidem ſunt mundi ætates. Ac creditur Deus prodigiis quibuſdam commonefacere intelligentes rerum naturalium, quando fiat fatalis converſio, ac mundus de ætate una in alteram tranſeat. De univerſali hoc, ſive totius mundi fato, nihil eſt illuſtrius verbis Plutarchi in Sylla; ubi prius narrat, quomodo inter alia prodigia etiam claro ac ſereno cælo auditus eſſet ſonus tubæ acutus ac lugubris, ſic ut omnes exhorreſcerent ejus magnitudine: deinde hæc ſubjungit: Τυρρηνῶν δὲ οἱ λόγιοι μεταβολὴν ἑτέρου γένους ἀπεφαίνοντο καὶ μετακόσμησιν ἀποσημαίνειν τὸ τέρας. εἶναι μὲν γὰρ αὐτοῖς ὀκτὼ τὰ σύμπαντα γένη διαφέροντα τοῖς βίοις καὶ τοῖς ἤθεσι δι' ἀλλήλων· ἑκάστῳ δὲ ἀφωρίσθαι χρόνων ἀριθμὸν ὑπὸ τοῦ Θεοῦ συμπεραινόμενον ἐνιαυτοῦ μεγάλου περιόδῳ· καὶ ὅταν αὕτη σχῇ τέλος ἑτέρας ἐνισταμένης κινεῖσθαί τι σημεῖον ἐκ γῆς ἢ οὐρανοῦ θαυμάσιον. ὡς δῆλον εἶναι τοῖς πεφροντικόσι τὰ τοιαῦτα καὶ μεμαθηκόσιν, εὐθὺς ὅτι καὶ τρόποις ἄλλοις καὶ βίοις ἄνθρωποι χρώμενοι γεγόνασι, καὶ θεοῖς ἧττον ἢ μᾶλλον τῶν προτέρων μέλοντες. τά τε γὰρ ἄλλα φασὶν ἐν τῇ τῶν γενῶν ἀμείψει λαμβάνειν μεγάλας καινοτομίας, καὶ τὴν μαντικὴν ποτὲ μὲν αὔξεσθαι τῇ τιμῇ καὶ κατατυγχάνειν τῶν προαγορεύσεων, καθαρὰ καὶ φανερὰ σημεῖα τοῦ δαιμονίου προπέμποντος, αὖθις δ' ἐν ἑτέρῳ γένει ταπεινὰ πράττειν, αὐτοσχέδιον οὖσαν τὰ πολλὰ καὶ δι' ἀμυδρῶν, καὶ σκοτεινῶν ὀργάνων τοῦ μέλλοντος ἀπτομένην. Ταῦτα μὲν οὖν οἱ λογιώτατοι Τυρρηνῶν, καὶ πλέον τι τῶν ἄλλων εἰδέναι δοκοῦντες, ἐμυθολόγουν. *Hetruſci vates mundi converſionem prædicaverunt oſtendi hoc oſtento, & mutationem in aliam ætatem. Eſſe enim earum octo genera, vita & moribus inter ſe diſſidentia. Unicuique præfinitum à Deo certum temporum numerum, qui magni anni ambitu limitetur. Quum unius terminus adſit, inſtante alia, moveri ex terra vel cælo miraculum, ut illis, quibus hæc curæ ſunt, & qui hæc percepêre, perſpicuum ilico ſit, natos eſſe homines, qui alia vita, aliis ſtudiis utantur, & quorum gerant dii majorem, vel minorem curam. Quippe cum alia referunt, magnas ex illorum generum capere vicibus nova-*

novationes, tum vaticinandi ſcientiam modò incláreſcere, & certa præſagire, liquidis a Deo, & dilucidis inſignibus præmiſſis, modò alia in ætate abjectam eſſe, quòd fere claudicet, exilibuſque & involutis veſtigiis futurum attingat. Hæc Hetruriæ peritiſſimi vates, & qui præſtare arte videbantur cæteris, fabulabantur. Etiam inter ejuſmodi mundanæ converſionis prodigia cenſebatur conſpectus phœnicis. Plinius lib. x, cap. II, *Cum hujus alitis vita, magni converſionem anni fieri, prodidit Manilius; iterumque ſignificationes tempeſtatum, & ſiderum, eodem reverti.* Solinus cap. XXXVI: *Cùm hujus vita magni anni fieri converſionem, rata fides eſt inter auctores.* Orus Apollo lib. II, cap. LVII: Ἀποκατάστασιν πολυχρόνιον βουλόμενοι σημαίνειν, φοίνικα τὸ ὄρνεον ζωγραφοῦσιν. ἐκεῖνος γὰρ ὅτι γεννᾶται, ἀποκατάστασις γίνεται πραγμάτων· *Inſtaurationem diuturnam, & quæ poſt multa fiat ſecula, volentes indicare, phœnicem avem* (Ægyptii) *pingunt. Hic enim dum naſcitur, rerum viciſſitudo fit, & innovatio.* Hæc partim ſolos reſpiciunt planetas; partim ſola zodiaci ſigna, partim planetarum in ſigno aliquo poſituram.

De ſingulis planetis tradunt, eos propriam vim in ſingula habere membra: imo chiromantes etiam manus partes ſingulis ſubjecere planetis. Nimirum montem, ut ipſi vocant, hoc eſt, tuberculum pollicis, Veneri; indicis, Iovi; medii, Saturno; annularis, Soli; auricularis, Mercurio; trianguli ſpatium, Marti; hypothenar ſive manus percuſſionem, Lunæ. Quamquam in nonnullis iſtorum à Tricaſſo, Coclite, Indagine, & Taiſniero, diſſentiant Tybertus, & Cardanus: quem vide lib. II de rerum varietate, cap. LXXIX, &, præter memoratos, Georgium Raguſæjum de divinat. lib. II, cap. I; qui commenta hæc ſolidè refellit.

Sed contineamus nos potiùs intra Aſtrologorum opiniones. Hi planetarum vim in quodque corporis membrum colligunt ex quadam ἀναλογίας: eoque cor, à quo vitalis ſpiritus, reſpondere ajunt Soli, unde vivificus mundi calor: cerebrum humidum, humectanti Lunæ, quicum etiam creſcit, & decreſcit: jecur, quod officina eſt ſanguinis, analogum eſſe Iovi, planetæ ſanguineo, ac vitali: renes, qui vires largiuntur partibus generationi inſervientibus, ſubjectos eſſe Veneri, ſigno prolifico: ſplenem, atræ bilis receptaculum, competere Saturno, planetæ frigido, & ſicco, eoque melancholici humoris præſidi: ac fel, ſive choleram convenire Marti, planetæ igneæ naturæ, eoque, ut ajunt, cholerico, & iracundo: pulmonem, qui aërem, ac ſpiritum, attrahit, & emittit, ac præterea loquelæ inſervit, ſubdi Mercurio, planetæ ventoſo, qui Soli ſemper eſt præſtò, nunc hac, nunc iſtac diſcurrens, inſtar nuncii emiſſi, ac facundè promentis mandata domini ſui.

Atque hæc quidem, quia ad corporis naturam pertinent, ubi ſine dubio magna eſt cæli vis, credibilius, ſaltem tolerabilius, proferuntur. Sed non hic ſteterunt. Deventum quippe eò, ut ſingulis animæ facultatibus aliquem præficerent ex planetis. Etſi verò Ariſtoteli tres eæ numero ſint; φυτικὴ ſive θρεπτικὴ, quam *vegetativam* appellant, αἰσθητικὴ ſive *ſenſitiva*, & λογικὴ ſive *rationalis*: maluere tamen addere quartam, φωνητικὴν ſive *vocalem*, vel *ſermocinativam*; quia homo & ratione, & oratione, mutis antiſtet animantibus. Atque idem à Stoicis factum; qui iccirco, cùm pro ſenſitiva unica ponerent quinque ſenſus, neceſſariò animæ octo ſtatuerunt facultates; vegetativam ſive ſeminatricem vim, quinque ſenſitivas, ſermocinativam, & gubernatricem ſive rationalem. Si Græcè malis, Laertii eſt in Zenone: Φασὶ δὲ τὴν ψυχὴν εἶναι ὀκταμερῆ· μέρη γὰρ αὐτῆς, τά τε πέντε αἰσθητήρια, καὶ τὸ φωνητικὸν ὄργανον, καὶ τὸ διανοητικὸν, ὅπερ ἐστὶν αὐτὴ ἡ διάνοια· καὶ τὸ γεννητικόν· Ac ſimiliter de Zenone tradit Nemeſius libro
a Cap. 15. de Natura hominis a: ſed τὸ γεννητικὸν dicit ille, mente eâdem, σπερματικὸν: at τὸ διανοητικὸν vocat ἡγεμονικόν. Porrò Chaldæi ſive Aſtrologi, uti & Peripatetici, diſtinxere à ſenſitivâ propriè ſic dictâ, hoc eſt, à quinque ſenſibus externis, & phantaſia, aliiſque internis, facultatem appetitivam: illamque diſtribuêre in iraſcibilem, & concupiſcibilem: rationalem autem diſpeſcebant in ſpeculatricem, & activam. Ita ſeptem erunt animæ humanæ facultates, pro numero ſiderum, quæ ſub ſtellis ſunt fixis; Solis, Lunæ, & quinque erronum; ſive (Sole Lunaque erronum numero comprehenſis) ſeptem erronum malis dicere. Unum igitur ex ſideribus ſeptem erraticis, ſeptenis præfecere animæ facultatibus: idque hoc pacto. Rationale contemplativum, ſecundùm eos, gubernat Saturnus; rationale activum Jupiter: appetitui iraſcibili præeſt Mars; ſenſibus quinque externis, & phantaſiæ, ſive imaginativæ, Sol; appetitui concupiſcibili præfecta Venus; vocali ſive ſermocinativæ virtuti, Mercurius: infimus planetarum Luna, uti dictum, vim eſt adepta vegetativam, ſive ſeminatricem.

Propterea cùm duo illa magna luminaria, Solem, ut Regem; Lunam, ut Reginam, ſtatuiſſent: Saturnum ſpectarunt, ut conſiliarium, ſenio & prudentiâ venerandum; Iovem, ut totius ditionis gubernatorem; Martem, ut univerſo exercitui præfectum; Mercurium, ut legatum, atque oratorem; Venerem, ut amorem, ac delicias omnium.

Præterea multorum ajunt ſeculorum experientiâ eſſe obſervatum, homines genus vitæ amare, prout planetæ in ortu illuxerint. Nam pro conſtitutione eorum diverſum eſſe temperamentum; pro temperamento variare propenſionem animi, & mores; pro his quoque fortunam ſequi: quique Lunarem ſortirentur naturam, amare navigationem, ac piſcaturam; ſi qui à Mercurio adflentur, ingenioſis artibus, uti mercatura, gaudere; quos Venus adſpexit, amoribus, canticis, ac ſimilibus delectari; quibus Sol affulſit, ad dignitates, & honores adſpirare: bella ac rixas amare, quos exagitat Mars judicia ac potentiam quærere, quos Jupiter adſecit: ſublimi, ac reconditæ ſcientiæ ſtudere, quos ſublime afflavit Saturni ſidus.

Inſuper dominia planetarum pro climatibus diſtinxerunt: quod ex Ptolemæo liquet. Et de terris poſtmodo repertis à Campanella idem factum: qui & de Ptolemaica ratione judicium appoſuit. Longioris res inſtituti ſit, ſi inſiſtam. Ipſum adi Aſtrologicorum lib. II, Articul. II. Et hæc de planetis.

Sequitur de Zodiaco: quem in XII, nec plura ſigna diviſere, quia Sol, dum ſuum permeat circulum, duodecies cum Luna coit: ſingulaque ſigna diſtribuêre in gradus triginta, quia Luna diebus XXX iterum conjungitur cum Sole: unde etiam liquet, cur gradus ſuit CCCLX, quando tot conſiunt, ſi duodecies ſumas triginta. Atque hæc ratione conſtant manifeſtâ. Non item illud, cur ſingulis corporis membris aliquod Zodiaci ſignum præfecerint; Arietem capiti; Taurum cervici, & jugulo; Geminos humeris, lacertis, & manibus; Cancrum pectori, & coſtis; Leonem diaphragmati, ſtomacho, ac ventri; Virginem præcordiis, & hypochondriis; Libram, renibus, vertebris, ac natibus; Scorpium, ilibus; Sagittarium femoribus, genibus, & poplitibus; Capricornum ſuris, & talis; Piſces pedibus. Quam rem his verſibus expreſſit Manilius in ſecundo; prout reſtituit Joſephus Scaliger:

—— Aries caput eſt ante omnia princeps
Sortitus: cenſuſque ſui pulcherrima colla
Taurus: at in Geminis æquali brachia ſorte
Scribuntur connexa humeris: pectuſque locatum
Sub Cancro eſt: laterum regnum, ſcapulæque, Leonis:
Virginis in propriam deſcendunt ilia ſortem:
Libra regit clunes: at Scorpius inguine gaudet:
Centauro femina accedunt: Capricornus utriſque
Imperat in genibus: crurum fundentis Aquarii
Arbitrium eſt: Piſceſque pedum ſibi jura repoſcunt.

Atque ex his Leo, grandes vires, & leoninis ſimiles, dicitur conferre; Virgo, pulchritudinem; Sagittarius, qua parte homo, pulcros; quâ equus, fortes reddere perhibetur; Cancer, Capricornus, Piſces, & robore, & pulchritudine deſtituunt.

Etiam, de quo ſuperiùs tertio me loco dicturum receperam, ſigni cujuſque domum huic, vel illi planetæ, tribuerunt. Ut Soli Leonis, quia calidus eſt, & ſiccus, eoque maſculus: Lunæ Cancri, quia calidus eſt, & frigidus, ac propterea femineus: Mercurio aſſignarunt Geminos, partim ut proximos Cancro, domui Lunæ; uti Lunæ propinquus Mercurius: partim quia Solem ipſe comitetur, nec ab eo recedat gradibus amplius duodetriginta. Virginem credidere domum aptam Soli; quia Leoni, Solis domo, vicina. Similiter Veneri Taurum, & Libram dedere: parque in cæteris ratio eſt.

Hiſce ita conſtitutis, ſic ulterius ſunt progreſſi: Solem in Aquario, Lunam in Capricorno, Saturnum in Leone, & Cancro, noxios eſſe: imò naſcentes futuros cæcos, ſi Saturnus foret in domo XII, & Solem, Lunam, ac Martem, trigonâ radiatione ſpectaret: ſurdos autem, ſi Saturnus eſſet in domo ſextâ; cælique medio, cæteris altior planetis, quadrato Martis apponeretur. Similiter pronunciant de vitiis linguæ, de morbo comitiali, icterico, aliis: quæ legere eſt è veteribus apud Ptolemæum in Centum Sententiis ad Syrum fratrem, Firmicum Maternum in Matheſios libris ad Mavortium Lollianum, & M. Manilii Aſtronomico. E junioribus, apud Iovianum Pontanum commentario in Ptolemæum, & XIV libris rerum cæleſtium. Item Junctinum, Cardanum, tot alios: ſed omnium inſtar fuerit Campanella in ſex Aſtrologicorum libris. Nec enim hanc artem, (ſi ars ea dicenda eſt, quæ tot vana habet, incertaque) aliquis præceptis meliùs conſtrinxit. Particulatim verò examen eorum, quæ de moribus gentium ex ſigno iis dominante tradiderat Ptolemæus, vide apud eum lib. II, cap. V.

Cap. XLVIII.

Diſtinctè actum de duplici Mathematicorum genere: ac priùs de illis, qui neceſſitatem inferri ajunt voluntati humanæ. Bardeſanis Syri, & Priſcillianiſtarum, de Fato ſententia. Occurritur illi, quòd ajunt, utcunque homo neceſſitate bonum malumve agat, non minus amore, aut odio dignum eſſe. Prædictio Theagenis, Thraſylli, Aſcletarionis, & aliorum. Prædici multa, vel ex commercio cum ſpiritu maligno; vel familiaritate occulta cum hominum illis, qui ſint magna rerum pars; vel conjecturâ callidâ, ſubinde tamen fallaci. Vana prædictio Papæ Joannis XXI. Βλακεννόμιος *Alexandrinum, & unde nomen acceperit. Mathematici Urbe exacti ſub imperatoribus gentilibus, imò antea quoque: Scripturis itidem, & à ſanctis Patribus, ac concilio Braccarenſi, & Chriſtianis etiam imperatoribus, damnati. Extrema eorum impudentia, qui & virtuti ſiderum tribuunt Chriſti miracula, ac religionem Judaicam, Chaldaicam, Ægyptiam, Saracenicam, Chriſtianam, item regnum Antichriſti. Vanitas prædictionis tum Albumaſaris de duratione religionis Chriſtianæ, tum R. Abraham Avenaris de adventu Meſſiæ. Acceditur ad Ptolemæum, & Mathematicorum alios, qui putant, voluntati hominum non afferri neceſſitatem à ſideribus; ſed ſolùm ab iis eſſe propenſionem quandam, cui poſſit reſiſti, & ubi mala eſt, etiam debeat: ac vel maxime in eo utilitatem conſiſtere Aſtrologiæ judiciariæ, quòd, prævisâ ſiderum inclinatione, faciliùs caveamus nobis à noxiis, quæ ſidera minantur. Atque idem de chiromantia ſtatui à multis. Sed, ut daretur, à ſideribus eſſe aliquam animorum propenſionem, & eorum, quæ hinc dependent; non tamen, cujuſmodi ea futura ſint, poſſe prævideri; quia minuta adeo portio ſit, quæ ſciatur; & quod quodammodo ſcitur, frivolis adeo incertiſque nitatur conjecturis, ut magnæ ſit dementiæ, ſi quis ex iis de hominum conditione, non certo dico, ſed vel veriſimiliter, prædicere aliquid præſumat.*

QUi hactenus conveniunt, in duas ſcinduntur partes. Multi enim, quæ diximus, pro certiſſimis aſſerunt; eoque audacter pronunciant de vitæ cujuſque duratione, mortis genere, connubio, fortunis, honoribus, & cunctis id genus. Nempe, ex eorum mente, omnes & ſinguli hominum actus determinantur à cælo: nec per contingentiam aliquid, ſed neceſſariò omnia, atque inevitabiliter fiunt.

Hanc ſententiam amplexus quoque Bardeſanes Syrus; ut eſt apud B. Auguſtinum lib. de hæreſibus, cap. XXXV. Item Priſcillianiſtæ; ut idem eopſe libro eſt auctor c. VIII.

Adverſus hos, & ſimiles, cùm diceretur, ſi ſic omnia à ſideribus dependeant, nec probos amore, nec improbos odio dignos fore; eo ſe eludere poſſe exiſtimabant, quòd naturâ etiam amemus bona; velut cibos ſalubres, ac delicatos: & quæ naturâ ſunt noxia, odio nihilominus proſequamur; uti venena omnia. Quæ ad excuſandum fatum ſuum Aſtrologicum ſic verſibus expreſſit Manilius lib. IV:

Nec tamen hæc ratio facinus defendere pergit,
Virtutemve ſuis fraudare in præmia donis.
Nam neque mortiferas quiſquam minus oderit herbas,
Quòd non arbitrio veniunt, ſed ſemine certo:
Gratia nec levior tribuetur dulcibus eſcis,
Quòd natura dedit fruges, non ulla voluntas.
Sic hominum menti tanto ſit gloria major,
Quòd cælo gaudente venit: rurſumque nocentes
Oderimus magis in pœnam culpamque creatos.

Sed profectò quid eſt confundere naturalem amorem vel odium, cùm amore odioque morali, ſi à Manilio hoc non fit? Qua de re plura dicerem, niſi de amoris, & odii moralis natura, abunde egiſſem in ſecundo Oratoriarum Inſtitutionum, cap. IV, & V.

At contentos ſe ajunt prudentiſſimo & veriſſimo Galeni judicio; qui, de ipſis aſtrorum effectibus loquens, ait, *ſophiſticum eſſe manifeſtæ experientiæ velle contradicere.* Ingentem etiam adferunt copiam eorum, qui res maximas ex ſideribus præviderint. In his eſt Theagenes, qui prædixit Auguſto imperium; teſte Suetonio in Octavio cap. XCIV. Thraſyllus item, qui Tiberio ipſi oſtendit, gnarum ſe periculi ab Cæſare ſibi imminentis; de quo Tacitus in VI Annal. & Dio lib. IV. Ex quo etiam Xiphilinus refert, ut Mathematici, à Vitellio Urbe pulſi, prædixerint ei, fore, ut intra Kalendas Octobris periret: intraque id tempus deceſſiſſe. De Aſcletarione etiam mirabile, quod narrat Suetonius in Domitiano: *Hunc* (Aſcletarionem mathematicum) *delatum, nec inficiantem, jactâſſe ſe, quæ prævidiſſet ex arte, ſciſcitatus eſt Domitianus, quis ipſum maneret exitus; & affirmantem, fore, ut brevi laceraretur à canibus, interfici quidem ſine mora; ſed, ad coarguendam temeritatem artis, ſepeliri quoque accuratiſſime imperavit. Quod cùm fieret, evênit, ut repentinâ tempeſtate, dejecto funere ſemiuſtum cadaver diſcerperent canes.* Paullo tamen aliter ex Dione hoc refert Xiphilinus. Vide & quæ Eunapius de Ablabio in vita Ædeſii ſcribit: item Zonaras, aliique, de Athenaide; quæ poſtea fuit uxor Theodoſii Junioris. Etiam Rodolpho Habſpurgenſi imperium eſt prædictum; ut narrat Cuſpinianus: Pontificatus item Leoni X, & Hadriano VI; de quibus Paullus Jovius; ut cæteros prætercam. Sed non adeò operoſum eſt iſtis occurrere, quàm arbitrantur. Trifariam enim fit, ut eventus prædictioni reſpondeat. Eſt cùm aliquid præſcitur è commercio cum dæmone; qui ob ſubtilitatem, & experientiam, raró fallitur; & ſæpe, quod prædicit, Deo permittente, facere decrevit. Eſt item cum Aſtrologi familiares ſint viris magnis, &, quæ illi moliantur gnari, multa ex ſideribus ſe jactent præſcire, quæ aliunde didicerunt. Eſt denique, cùm ςρεψίμαντεις a ac fraudibus ſubacti, in multis falſis aliqua dicant, quibus eventus caſu reſpondeat. Nec enim verum ſemper dicere, innumeris comprobatur exemplis. Nunc ſolùm promam illuſtre illud de Joanne XXI, antea dicto Petro Hiſpano, Summularum auctore, Philoſopho, Aſtrologo, & Medico: qui cùm coram familiaribus longam ſibi pollicitus vitam fuiſſet, quarto poſt menſe, pontificatus autem octa-

a *Verſipelles.*

octavo, deceſſit. Teſtis Stella in Vitis Pontificum, & ex eo, atque aliis, Antonius Delrio Magicarum Diſquiſitionum lib. IV, cap. III, quæſt. I.

Et ſanè ſapientiſſimi quique gentilium artem hanc non artem putarunt, ſed imposturam; eique credulos damnarunt dementiæ. Itaque erat, Suida teſte, ἐν Ἀλεξανδρείᾳ τὸ τέλος τὸ βλακεννόμιον, ὃ οἱ ἀστρολόγοι τελοῦσι, διὰ τὸ τοὺς μωροὺς εἰσιέναι πρὸς αὐτούς· *Alexandriæ quoddam tributum nomine Blacennomium, quod Aſtrologi penderent, quia ad eos accederent ſtulti.* Nempe eò quòd, ut ibidem legas, βλάκα vocarint εὐήθη καὶ ἀνόητον· *fatuum & amentem.* Vide &, quæ adverſus aſtrologos diſſeruntur apud Ciceronem lib. II de Divinat. Item, quæ de Phavorino refert Gellius lib. XIV, cap. I. Ac ſimiliter Sextus Empiricus contra Grammaticos cap. X. Ex iis, inquit, quæ artes dicuntur, quædam ἐπαγγέλματι μὲν εἰσὶ τέχναι, οὐ πάντως δὲ, καὶ κατ' ἀλήθειαν, ὡς Χαλδαϊκή τε, καὶ θυτική· *profeſſione ſunt artes, non revera; ut Chaldaica, & aruſpicina.* Etiam τοὺς ἀστρολόγους, καὶ γόητας a, jungit Dio Cocceius lib. LVII: atque addit, Tiberium utroſque affeciſſe mortis ſupplicio: quamvis ipſe non ſolùm aſtrologo uteretur Thraſyllo; ſed artem hanc etiam exerceret. Vitellius item (verbis utar Tranquilli b) *nullis infenſior, quàm vernaculis* c, *& mathematicis, ut quiſque deferretur, inauditum capite puniebat.* Atque antea jam, quod ibidem refertur, edicto juſſerat, ut *intra Kalend. Octobris urbe Italiâque mathematici excederent.* Ac memorat idem Xiphilinus ex Dione. De Imperatorum edictis, quibus Urbe ejecti, vide Ulpianum in Digeſt. De injuriis L. XV, §. Siquis. Imò etiam ante Imperatores id factum, M. Popilio Lænate, & Cn. Calpurnio coss. ut eſt apud Val. Maxim. lib. I, cap. III. Scitè Tacitus in primo Hiſtoriarum: *Mathematici genus hominum potentibus infidum, ſperantibus fallax; quod in civitate noſtra, & vetabitur ſemper, & retinebitur.*

a *Aſtrologos, & præſtigiatores vel circulatores.*

b *In Vitellio cap. 14*

c *Turnebus pro vernaculis legit* divinaculis: *Scaliger veraculis, aut* vericolis: *Caſaubonus per* vernaculos *intelligit γύλτας ac circulatores.*

Sed quid huc recurrere opus Chriſtianis, quando opinio ea ipſis refellitur Scripturis? Eſt enim Jeſaiæ cap. XLVII, 13: *Stent, & ſalvent te augures cali, qui contemplantur ſidera, & ſupputant menſes, ut ex iis enuncient eventum tibi.* Idem XLI: *Dicite Diis veſtris, ut ventura prænuncient; eoſque vere Deos confitebimur.*

Magno etiam conſenſu à SSis Patribus refelluntur, quotquot ex ſideribus ſic de futuris omnibus pronunciant, velut humani quidam Ioves. Vide eos in illud I Geneſ. *Fiant luminaria in firmamento cœli, & ſint in ſigna,* &c. Item Euſebium lib. VI Præparat. Euangel. Baſilium in Hexaëmero; ubi hanc artem vocat πολυάσχολον ματαιότητα d: Ambroſium item in ejuſdem tituli opere, Hieronymum in Jeſ. cap. XLVII, Auguſtinum lib. II de doctrina Chriſtiana. Etiam error hic damnatur concilii Bracarenſis I, cap. VIII: *Siquis animas, & corpora humana, fatalibus ſtellis credit adſtringi, ſicut Pagani, & Priſcillianiſtæ dixerunt; Anathema ſit.* Ubi vis ineſt verbis, *ſicut Pagani, & Priſcillianiſtæ dixerunt.* Nec enim omnis ex ſideribus prædictio negatur: ſed illa Chaldæorum, & ſimilium: qua tollitur arbitrii libertas, ſine qua homo id, quod eſt, eſſe deſinit: tollitur item Reip. ſalus, quæ hinc mandatis, & præmiis, inde interdictis, & pœnis conſtat: iiſdemque de cauſſis, religio omnis, ipſa etiam tollitur Chriſtiana.

d *Vanitatem ex abundantia otii profectam.*

Jure igitur ab Chriſtianis quoque Imperatoribus eſt decretum, ut Aſtrologi hujuſcemodi Urbe ejicerentur: quemadmodum eſt in Codice tum Theodoſiano, tum Juſtinianeo, lib. IX; utrobique Tit. de Maleficis, & Mathemat. Atque hoc, ſine dubio, longè etiam vehementiori ſtudio feciſſent, ſi jam illis temporibus eò veſaniæ Aſtrologorum prorupiſſet impudentia, ut non modò, quæ à voluntate pendent humana, verùm illa etiam, quæ unius Dei ſubjacent arbitrio, ut miracula omnia, vi ſiderum dicerent neceſſariò ſic proveniſſe. Ut quando nativitatis Chriſti de Virgine, & tot tantorumque ejus miraculorum rationem, ex horoſcopo adferre non verentur. Similis impudentia eſt, quando è ſiderum conſtitutione judicium ferunt de religione Judæorum, Saracenorum, ac gentilium. Siquidem Judæorum quidem religionem natam volunt ex conjunctione Iovis cum Saturno, ut planetarum ſummo: Chaldæorum autem ſectam, quia Hebræorum, ſive Noachi religionem prima excepit, exortam eſſe ex ejuſdem Iovis conjunctione cum Marte, ut planetarum proximo. Ex conjunctione Iovis cum Sole, planetarum quarto, ortam eſſe hæreſin Ægyptiam, quæ Chaldaicam eſt conſecuta. Ac ſimiliter ex conjunctione cum Venere proveniſſe Saracenicam: ex conjunctione Iovis, & Mercurii, originem ducere Chriſtianam: ac denique cum Luna proventurum eſſe imperium Antichriſti. Hæc legas apud Albumaſarem lib. II de Mag. Conject. tract. I, differ. IV. Quantum verò fidei hæc mereantur, vel fidem fecerit, quòd idem Albumaſar tradidit, religionem Chriſtianam duraturam eſſe annis non amplius mille quadringentis, & ſexaginta. Nam à tempore eo, quo Chriſtus prædicare in terris cœpit, jam & ultra ſeſquiſeculum eſt ſupra ſpatium ab Albumaſare præfinitum: nec interea imminuta eſt religio Chriſtiana, ſed incrementa etiam, novo orbe invento, cœpit longè maxima. Ejuſdem farinæ eſt, quòd ex illis ſcilicet fati conſciis ſideribus R. Abraham Avenaris Judæus collegit, venturum eſſe promiſſum Meſſiam anno Chriſti CIↃ CCCC XLIV, quo Jupiter cum Saturno futurus eſſet in Cancro: vel ſaltem viginti annis pòſt, quando eadem conjunctio foret in Piſcibus. Nam utrumque hoc intervallum jam ab annis CLXX. exſpiravit: fruſtraque miſelli alium exſpectent Meſſiæ adventum, quàm glorioſum illum, quo in nubibus veniet ad judicandum orbem. Ac ſatis de Mathematicorum iſtis, qui ſic fatum ſtatuunt, ut planè interficiant arbitrii libertatem.

Alii tolerabilius errant: ut qui non vereantur quidem, ex ſiderum poſitura prædicere etiam, quæ honores, fortunas, vitæ terminum, & alia hujuſmodi ſpectant: at fateantur interea, quæ dicunt, ejuſmodi eſſe, ut duntaxat ſignificent, quò natura ac voluntates noſtræ inclinentur à ſideribus. Secundùm hos igitur nulla infertur animis noſtris neceſſitas: quia inclinatio iſta non ſit integra actionis cauſſa, cùm voluntas propenſionem illam mutare poſſit, & ubi eſt ad mala, non minus debeat, quàm poſſit: atque ut faciliùs poſſit, multum conferant diſciplinæ, ac conſuetudo; quæ altera eſt natura: idque ſæpius in corporibus quoque, ubi major eſt cæli vis, habeat locum. Atque hoc ſenſit etiam Ptolemæus: ut qui non uno dicat loco, ſidera quidem inclinare ac diſponere hominem; at non dirigere, quia hoc facultatis ſit potentioris, voluntatis nempe; cui nulla adferatur neceſſitas, cùm ſemper adverſari poſſit proclivitati à ſideribus allatæ. Vide eum de aſtrorum Judic. lib. I, cap. IV, text. XXIV, & XXV. Inter alia ait, ut magnes, ſi non impedias, fatali lege trahet ferrum; at non attrahet, ſi allium illeveris: ita humanas agere voluntates pro ſiderum poſitura, modò ſiveris eò ferri, quò propendent; ſed acturas contrarium, ſi hoc ſtudeant. Itaque in eo ſummam ponit Aſtrologiæ utilitatem, quòd, ubi ex ea didicerimus, quò aſtra inclinent; adverſus malum prævisum cavere nobis meliùs ſciamus, vel planè illud amoliendo, vel ſaltem reddendo levius. Atque hanc eſſe rationem ait, cur Ægyptii Medicinam cum Aſtrologia conjungant: quippe eos, pro conſtitutione cæli, præſcribere alia atque alia remedia. Eodem pertinet quoque illud Ptolemæi libro ad Syrum fratrem, qui Καρπὸς, vel *Centum dicta*, inſcribitur, aphoriſmo V: Δύναται ὁ ἐπιστήμων πολλὰς ἀποτρέψαι ἐνεργείας τῶν ἀστέρων· *poteſt ſcientiæ hujus gnarus multas avertere ſiderum operationes.* Summum igitur ex notitia ſiderali concluſeris de animi propenſione, non de vita ipſa. Quod in phyſiognomonia etiam locum habet; ut ex Socrate liquet: qui ſe naturâ mulieroſum fatebatur; prout artis ſuæ fiduciâ dixerat Zopyrus: ſed ſtudio ac commentatione illud ajebat emendâſſe; ut Tullius ait in II Tuſculanarum: idemque, & præterea Aphrodiſienſis, uterque libro de Fato.

Porro animus non eſt, cùm iis ſerram reciprocare, qui non aliam vim tribuunt ſiderum poſituræ: quippe ſic quoque ſalva permanet arbitrii libertas. Quin, ſi volunt, largiar illis, admirandam ſiderum varietatem (ſeu magnitudinem, ſeu colorem, ſeu motum ſpectemus) perſuadere nobis, vim quandam eſſe inſitam ſideribus, qua non in elementa modò, & muta agant animantia, ſed etiam in corpora hominum; ac pro iis inclinari animos ad hoc, vel illud agendum. Sed hoc ſi dedero iis, non propterea conceſſero, Aſtrologos in cæleſti illo libro legere poſſe, quò cujuſque animus naturâ vergat. Eſto, ut etiam propenſio omnium inde dependeat. At liber ille adeò ſubtiliter eſt ſcriptus, ut præter eum, qui ſcripſit, non dico, nemo illum plane planeque apprehendat (nam hoc ne in vulgaribus quidem artibus, ac ſcientiis, locum habet) ſed ii quoque, qui artis hujus habeantur intelligentiſſimi, exiguam ſolùm portionem capiant; eaque ipſa particula tota ſit ςοχαστική a. Quod ita eſſe, multis evincitur argumentis. Ajunt quidem, à Chaldæis obſervatum eſſe, ut pro hoc, vel illo cæli ſitu, hi vel illi effectus in homine conſequantur. Sed quomodo ſimilis per omnia ſit ſiderum poſitura, ſi demum, ut Ptolemæus ait, fixarum ſtellarum orbis circumvolvitur annis ſepties millenis? nona verò XXXVI millibus; imò, juxta alios, eadem cæli facies demum redeat exactis annorum XLIX millibus; quod *annum magnum* appellant. Præterea, ut in Chaldæa, ubi condita hæc fertur diſciplina, locum ea haberet: non propterea alibi, variante cælo, idem ſequeretur effectus. Adhæc illa, quæ de homine prædicant, vel temperamentum reſpiciunt, vel caſus fortuitos. Fortuita non pendent à cœlis, quia alioqui non fortuita eſſent, ſed neceſſaria. Temperamentum verò non duntaxat oritur à cœlo, ſed inſimul à parentibus. Proinde, ut de inclinationibus hominum poſſent prædicere, exquiſito opus erat, non modò de facie cæli, ſed etiam de temperamento parentis utriuſque. Nec ea vis eſt in tempore nativitatis, quæ in illo conceptionis. Quid quod multum etiam diſcriminis adfert, quòd alii aliis diutius geſtantur, ſeptem aliqui, nonnulli octo, alii novem, vel decem menſibus? Jam quàm incertam hanc reddit diſciplinam, quod crebrò naturalis illa propenſio, quæ infantiæ inerat, alia longè fit in adulto: quia educatio, & diſciplina, mutent hominis indolem? Atque ut hoc non eſſet, multa incidunt, ob quæ mens hominis, quæ libera eſt, inclinationem vincat. Denique nonne videmus, uno prope momento maximos cædi exercitus, ac plurimos eodem tempore, vel naufragio perire, vel peſtilentia? Haut dixerint, eodem eſſe natos tempore, cùm tanta ſit ætatis diverſitas. Sed hic repperere aliqui, quo ſe ictum illum exire arbitrentur. Ajunt, vim eam, quæ naſcentibus imprimitur, magnam quidem eſſe; at particularem interea; eoque vinci ab univerſali; quales ſunt bellum, peſtilentia, & ſimiles: atque hinc eſſe, quod mortes ſint diſſimiles, ſimili licet natis horoſcopo. Sed hoc cum dicunt, non videntur videre, quantum cauſſæ præjudicent propriæ. Quid enim probabiliter prædixeris, ſi inclinatio humana ſemper cauſſæ ceſſerit univerſali? Hujuſcemodi ſatis oſtenduntur, hanc de ſideribus fati conſciis, ut Manilius ea vocat, diſciplinam, parum habere veriſimile, etiam cùm de ſola hominum propenſione ex horoſcopo judicatur: atque illos etiam nimium diſciplinæ huic arrogare, qui ajunt, ut principia ejus non ſint tam certa, quàm geometrica, vel arithmetica; ejuſmodi tamen eſſe, ut plurimùm ſic contingant: eoque ſimiliter hic habere, ac in medicorum conſiliis, & prædictionibus; quæ etſi fallant quandoque, non propterea contemni mereantur. Siquidem hæc immane quantum diſtant; ut cuivis perſpicuum eſt.

a Conjecturalis.

Cap. XLIX.

Acceditur ad Fatum Stoicum; quo cum nihil non neceſſario fieri dicatur, plane arbitrii ſpoliamur libertate. Quomodo Stoici Fatum definiant, ac tueantur. Quo inter alia pertinet diſtinctio cauſſarum principalium, ac adjuvantium: item inter conditionem hominis ſimpliciter, & hominis ſic affecti: adhæc ſimilitudo cylindri, in quo devolutio aliter eſt a forma propria, aliter ab impulſu alieno: denique diſtinctio eorum, quæ res naturales debent opifici, & quæ materiæ; quia duo Stoicis fuerint principia, quemadmodum Magis. Quorſum preces fieri putarint in hac fatali neceſſitate. Manilii rejecta ſimilitudo, qua improbum merito cenſet exoſum, utcunque alius eſſe non poſſit, inſtar herbæ venenatæ. Interea fatendum, Stoicæ ſectæ complures probitate nulli alterius hæreſios fuiſſe inferiores, præſertim in ferendis adverſis dogmate eos fatali factos magis patientes. Qua mente Deum vocarint Fatum, & aliis nominibus.

HAbemus de Fato illo, quod Chaldæorum dicitur, ac Divinationem eam conſtituit, quæ ex ſideribus petitur, ſive, ut Plotinus putabat, ſidera ipſa hoc Fatum neſciant, ſed homines, divinandi artem edocti, hoc in ſiderum libro legant, velut in Deorum tabulis; quomodo nec aves in auſpiciis ſcire credebantur, quæ prænunciabant: ſive ſidera omnium ſint gnara, non tamen efficiant omnia, quæ aliorum eſt opinio: ſive etiam Fata in ſe incluſa circumgeſtent, &, quæ facto opus ſciant, ea foris efficiant: quam opinionem, ut dubius tamen, Seneca a proponit; Manilius b autem amplexus fuit: quippe qui non contentus *ſidera* dicere *fati conſcia*; continuò ſubjungat, a Epiſt. 88. b Lib. 1. initio.

—— *Diverſos hominum variantia caſus.*

Hanc verò è ſideribus divinationem aliquo etiam in loco Stoici habebant: idque eò lubentiùs, quia hinc colligere ſit, Fatali omnia fieri neceſſitate. Qui ſidera quoque, unde divinatur, divina eſſe corpora judicabant: imò & Deos dicebant, ut pleniùs explicabitur, cùm in Naturæ numine de Stoicorum agemus Deo. Ipſum etiam Fatum Dei nomine, & Deum Fati vocabulo nuncupabant: quod aliquanto pòſt planum fiet. Etſi autem Fatum Stoicum nonnihil differat à Chaldæo illo, quod res omnes alligat neceſſitati: in præcipuo tamen conveniunt, quia utrumque arbitrii aufert libertatem. Siquidem καθ' εἱμαρμένην πάντα γίνεσθαι, *omnia fato contingere*, etiam ea, quæ contingenter, fortunâ, aut caſu, fieri dicuntur; traditum Zenoni, & Chryſippo, Poſidonio item, & Boëtho; ſingulis horum in iis, quæ de Fato ex profeſſo prodidere; teſte Laërtio. Eſt verò iis εἱμαρμένη ſeu Fatum, ut ibidem legas, αἰτία τῶν ὄντων εἰρομένη, ἢ λόγος καθ' ὃν ὁ κόσμος διεξάγεται· *cauſſa rerum implicata, ſive ratio, per quam mundus adminiſtratur.* Ac ſimiliter apud Stobæum in Eclog. Phyſ. λόγος καθ' ὃν τὰ μὲν γεγονότα γέγονε, τὰ δὲ γινόμενα γίνεται, τὰ δὲ γενησόμενα γενήσεται. *ratio, per quam facta ſunt facta; quæ fiunt, fiunt; fient, quæ futura.* Apud Agellium quoque lib. VI, cap. II, dicitur, ſecundùm Chryſippum, Εἱμαρμένην εἶναι φυσικὴν σύνταξιν τῶν ὅλων, ἐξ ἀϊδίου, τῶν ἑτέρων τοῖς ἑτέροις ἐπακολουθούντων, ἀμεταβόλου καὶ ἀπαραβάτου οὔσης τῆς τοιαύτης συμπλοκῆς· *Fatum eſſe naturalem compoſitionem univerſorum, ab æterno, mutuò ſeſe conſequentium, immutabili & inviolabili hac complicatione.* Vel, ſi malis interpretationem Agellianam, *Fatum eſt ſempiterna quædam & indeclinabilis ſeries rerum, & catena, volvens ſemetipſa, ſeſe & implicans per æternos conſequentiæ ordines, ex quibus apta connexaque eſt.* Primùm dicitur Chryſippo φυσικὴ σύνταξις, *naturalis compoſitio*, quia naturâ rebus ineſt: unde & *Natura* ſæpe à Stoicis vocatur. Additur ſeries τῶν ὅλων, *omnium*, hoc eſt, etiam eorum, quæ (ut loquimur) contingenter, fortunâ, aut caſu fiunt; quoniam nihil non fato fit. Sequitur ἐξ ἀϊδίου, *ab æterno*: quia cum Deus Naturam crearet, fatum hoc rebus omnibus indidit. Subjicitur de complicatione immutabili, quia cauſſæ omnes in fatali hac catena nexu junguntur indiſſolubili: unde Fatum hoc Stoicis etiam vocatur *cauſſa*, *veritas*, & *neceſſitas*. Nec quicquam, ut diximus, hinc excipitur, non ulli actus humani, nedum terminus vitæ. Hanc ſententiam ſuam

com-

comprobant ex eo, quia non modò in naturalibus, ſed etiam in voluntariis, ſint cauſſæ antecedentes, cùm nihil ſine cauſſis fiat: eoque & voluntates humanæ includantur ſempiternæ cauſſarum ſeriei, quæ Fatum dicitur. Idem eo adſtruebant, quod pronunciatum omne ſit verum, aut falſum, exempli gratiâ: Cypſelus Corinthi, Piſiſtratus Athenis, Cæſar Romæ invadet imperium. Hæc futura fuiſſe, ex eo, quòd facta ſunt, cognoſcitur. Ab æterno igitur verum fuit pronunciatum hoc. At quod ab æternitate verum, id etiam certum: quodque certum, idem immutabile; cùm è vero in falſum converti non poſſit. Adhæc eo pugnabant, quòd ſit divinatio: ut oſtendunt vatum effata, atque oracula. At, inquiebant, nullæ forent de actibus humanis, vel certo mortis genere, temporeque, ante annos ſæpe multos prædictiones, ſi quæcunque futura prædicuntur, vereque futura ſunt, poſſent non fieri.

Interim in iſto cauſſarum nexu ſempiterno diſparem eſſe naturæ, ac voluntatis rationem, fatebantur. Nec enim exiſtimabant, hunc cauſſarum nexum ex æterno pendentium in voluntariis eſſe κυρίων ἢ συνεκτικῶν αἰτιῶν, hoc eſt, cauſſarum principalium, quæque efficienter antecedunt: ſed eſſe tum cauſſarum adjuvantium; ſine quibus res effici non poſſit. Quomodo colloquium cum virgine cauſſa eſt amoris, atque amor inhoneſti concubitus. Utcunque enim non ſequatur in omnibus, vel ex congreſſu amor, vel ex amore flagitium: in quibus tamen ſequuntur iſta, ſunt ea, ut Tullius ait, præcurſiones ad efficiendum. Ac tam adjuvantes cauſſæ, quàm principales, in fatali ſerie, licet diverſimode, includebantur: eoque & illæ præcurſiones, etiamſi non ſemper idem efficiunt, tamen quando efficiunt, non poſſunt non efficere, & cum non efficiunt, efficere non poſſunt: quia fatalis ſeries à Deo conſtituta omnium ſit rerum cauſſa; quàm humana mens infringere minimè valet. Hanc rem ſic Chryſippus declarabat libro de Providentia, Agellio interprete, lib. VI, cap. II: *Quamquam ita ſit, ut ratione quadam principali neceſſario coacta atque connexa Fato ſint omnia: ingenia tamen ipſa mentium noſtrarum proinde ſunt Fato obnoxia, ut proprietas eorum eſt ipſa, & qualitas. Nam ſi ſint per Naturam primitus ſalubriter utiliterque facta, omnem illam vim, quæ extrinſecus ingruit, inoffenſius tractabiliuſve tranſmittunt. Sin verò ſint aſpera & inſcita, & rudia, nulliſque artium bonarum adminiculis fulta; etiamſi parvo, ſive nullo, fatalis incommodi conflictu urgeantur, ſuâ tamen ſcævitate & voluntario impetu, in aſſidua delicta & errores ruunt. Idque ipſum, ut eâ ratione fiat, naturalis illa, & neceſſaria rerum conſequentia efficit, quæ Fatum vocatur. Eſt enim genere ipſo, quaſi fatale, & conſequens, ut mala ingenia peccatis & erroribus non vacent.*

Adverſus iſta nihil æquè urgeri ſolet, quàm ſic omnium, etiam delictorum ac ſcelerum, Deum fore auctorem: quod naturâ animus omnium abhorret credere. Sed Chryſippus contendebat, etſi nihil non fiat neceſſariò, quia Fatum eludi nullâ vi, aut aſtu hominis, poſſit: tamen culpam in delictis, non Fato, vel Deo, ſed humanæ malitiæ, adſcribi oportere. Diſtinguebat autem inter hominem, conſideratum ſimpliciter, & hunc hominem, hoc eſt, hac vel illâ præditum ingenii proprietate. Ut exemplo iſta illuſtrem: quis dixerit, hominis, prout homo eſt, hanc eſſe naturam, ut ſit truculentus, vel libidinoſus? Quam multi enim cohibere libidinem, temperare etiam à cædibus ſciunt! Attamen ſi ſanguinarium conſpexeris, præſertim qui impune aliquid poſſit, quis aliud ſibi perſuaſerit, quàm, ſi atroci injuriâ affectus videatur, cæde hoc alterius ulturum? Eſt alius in Venerem proclivis. Adeſt famoſa Lais, vel occaſio eſt illudendi pudicitiæ formoſæ provincialis uxoris; quàm ἑλκυστικὸν *a* aliquid habere, ajebat Varro. Quid aliud fiet, quàm, ut paratus omnibus, præceps, tauri inſtar, in Venerem ruat? Colligebat hinc Chryſippus; utcunque neceſſariò quidque fiat, non tamen Deum eſſe cauſſam cædis, ſed hominis truculentiam: nec penes Deum eſſe culpam volutationis cum ſcorto, vel commiſſi adulterii; ſed penes animum hominis libidine diffluentis. Unumquodque enim cenſeri è cauſſa proxima: hanc autem non Deum eſſe, ſed hominis voluntatem, atque ingenium; quod uni contigerit mite, aſperum alteri; huic continentiæ amans, illi in libidines pronum. Declarabat autem hoc ſimilitudine cylindri; qui ſi pede impellatur, initium dederis motus: at porrò ille præceps feretur, non quia tu moveris (nam quadro ſi idem feceris, mox quieſcet) ſed propriam ob volubilitatem, quam ex forma, modoque ſuo, habet. Similiter, inquiebat, à fato quidem eſſe impulſum aliquem voluntatis; ſed cædem eſſe à propria voluntate, ingeniique truculentia: atque itidem libidines fœdas incontinentiæ animi, ut cauſſæ proximæ, tribui convenire. Quam ſimilitudinem non apud Agellium *a* modò, ſed Tullium *b* etiam, legere eſt.

Sed adverſus iſta objeceris, Deum eſſe opificem naturæ, tam ſanguinariæ, quàm lenis; tam libidinoſæ, quàm continentis: unumquodque autem agere pro natura, quam Deus indiderit naſcenti; eoque, ubi neceſſarius eſt nexus, veriſſimum eſſe illud pronunciatum, cauſſam cauſſæ eſſe cauſſam cauſſati. Viderunt & hanc difficultatem Stoici: ſed negarunt, Deum eſſe cauſſam totius naturæ: duo enim eſſe ejus principia; activum unum, Mentem æternam; & paſſivum alterum, materiem ei coæternam. Mentem eſſe optimam; ſed materiei quædam ineſſe vitia: eoque hominum alios aliis eſſe meliores, prout ex meliore, vel deteriori ſunt materie: neque in mala natura eſſe aliquam opificis culpam, qui ex materie iſtiuſmodi id fecerit, quod potuit: quomodo nemo, quòd vitreum, aut fictile vas, fragile ſit, aut quod vas ferreum ferrugine obducatur, artem fabri culpaverit, cum hoc vitium conſtet eſſe à materie, non ab opifice. Similiter igitur δύναμιν τῆς ὕλης κινητικὴν *c* (ut Chryſippus vocabat) cauſſam fecere mali tam culpæ, quàm pœnæ. De malo illo interno ſic Seneca præfat. lib. I Nat. Quæſt. *Utrùm Deus, quod vult, efficiat; an in multis rebus illum tractanda deſtituant; & à magno artifice formentur prava multa, non quia ceſſat ars, ſed quia id, in quo exercetur, inobſequens arti eſt.* Ubi id, in quod ars ſe occupat, materies eſt; quæ inobſequens eſt artifici, quia in ea lateat indoles malefica. De externis ſunt illa ejuſdem lib. de Providentia cap. V: *Quare tamen Deus tam iniquus in diſtributione Fati fuit, ut bonis viris paupertatem, vulnera, & acerba funera adſcriberet? Non poteſt artifex mutare materiam: hæc paſſa eſt.* Valdeque hæc Stoicorum ſententia eſt vicina opinioni magorum, qui duo ſtatuerunt principia; boni, bonum dæmonem, nempe Oromaſdem, ſive Jovem; & mali auctorem malum, Arimanium, ſive Plutonem: ut tradidere Ariſtoteles, Hermippus, Eudoxus, & Theopompus; atque ex iis Laërtius in Præfatione ſui operis. Deque eo ex antiquorum aliis dictum à nobis lib. I, cap. V.

Objici præterea ſolet, ut ſic Deus fuerit extra culpam, eaque reſideat tota penes materiem hominis; in iſta tamen actuum humanarum neceſſitate fruſtra ad Deum preces fundi. Sed Stoici regerebant, & preces, & leges, & præmia, ac pœnas, eſſe in cauſſis & effectis fatalibus. Itaque cum Zeno cæderet ſervum in furto deprehenſum, atque hic inclamaret, fato ſe furatum; reſpondit ille, *Et fato cæderis*: ut eſt apud Laërtium.

Dixeris, quid noſſe hujuſmodi fatum juvat, cujus ſcientia & pietati, & virtuti, obſit magis, quàm proſit? Nam quantillus pietatis, vel quis honos erit virtutis, ſi nihil agere aliud valeam, quam faciam? Huic ſic argumento obviam iſſet Juſtus Lipſius: ex Stoicorum mente *d*, primas, ac inſitas Fato cauſſas, à voluntate humanâ leviter inclinari, indeque aut præmium eſſe, aut pœnam. Sed quod ab Scholaſticis in Ariſtotele factum eſſe, non ſemel dicimus, ut meliorem ei affingerent opinionem, quàm habuiſſet; nempe ne tanti nominis philoſophus à veritate Chriſtiana, extra ea, quæ ad Chriſtum, & Spiritum ejus pertinerent, longè nimis abiiſſe videretur: idem ab Lipſio factum fuit in

a *Attrahendi vim habens.*

a *Lib. 6, cap. 2.*

b *De Fato.*

c *Vim materiæ motricem.*

d *Lipſ. lib. I Phyſiol. Stoic. cap. 14.*

in Stoicis, dum videri vult, propiùs eos abfuiſſe à Chriſtianis, quam revera erat. Tuetur ſe eo, quem vel teſtem vel interpretem allegat, Manilio. Verſus ejus adduximus, cùm de Fato Aſtrologico *a* ageremus. Verùm nihil aliud ille dicit, quàm, utcunque voluntas neceſſariò agat, nihilominus probos diligi, improbos odio eſſe: haut ſecus ac mortiferas odimus herbas, & fruges amamus,

a Cap. 47.

Quæ non arbitrio veniunt, ſed ſemine certo.

At quo pacto hinc elicias, prout homines Fati conditionem in melius flexerint, aut pejus, ita vel præmium mereri, vel pœnam? Imò quid apertius eſt, quàm plane eos contrarium dicere? Longè igitur aliud fuiſſet, quo Stoici hoc ſe argumentum eludere poſſe arbitrarentur. Nempe non urſiſſent principia illa de Fato; unde, quid ſequatur, non diſputabo: ſed principia alia, de vita non ſecundùm affectus, verùm rationem, componenda. Et profectò cogitemus ipſum ſectæ conditorem: à quo proverbium illud *b*, Τοῦ φιλοσόφου Ζήνωνος ἐγκρατέστερος· *philoſopho Zenone continentior.* Cogitemus etiam Catonem, Senecam, Epictetum, & tot alios. Fateri cogemur, genuinos Stoicos vitæ probitate nulli ex ſectis aliis fuiſſe inferiores. Ut videri queant alia habuiſſe principia vivendi, alia diſſerendi.

b Laërt. in Zenone.

Præterea ajebant, ſectam hanc inter alia ad hoc prodeſſe, ut cogitantes omnia evenire fatali quadam neceſſitate, patientes ſimus in adverſis, gnari eos, qui non lubentes fatis obſecundent, obluctando ſibi onus reddere gravius, quia fruſtra de eo ſe cruciant, quod corrigere eſt nefas.

Atque hujuſmodi eſt Stoicorum opinio de Fato: quo nomine etiam Deum ipſum intelligebant. Nempe cum unum eſſe agnoſcerent Deum, multis tamen vocabulis, pro vi diverſa, appellabant. Unde Laërtius in Zenone ait, eundem Deum & Jovem dici, & Mentem, & Fatum. Et Seneca in IV de Benef. cap. VII: *Vis illum Fatum vocare? non errabis. Hic eſt, ex quo ſuſpenſa ſunt omnia, cauſſa cauſſarum. Vis illum Providentiam? recte dices. eſt enim cujus conſilio huic Mundo providetur, ut inconcuſſus eat, & actus ſuos explicet. Vis Naturam vocare? non peccabis. eſt enim ex quo nata ſunt omnia, cujus ſpiritu vivimus. Vis Mundum? ipſe eſt enim totum, quod vides, totus ſuis partibus inditus, & ſe ſuſtinens ut ſua.* Ubi videmus, Fatum Stoicis eſſe Providentiam; ſed quæ afferat rebus neceſſitatem: eſſeque eam Providentiam Numinis, ſed ita Naturæ ac Mundo permixti, ut hæc ſint Dei ipſius corpus. Quam rem plenius explicabimus, cum de Natura ſive Mundo agemus.

Cap. L.

De Fato Chriſtiano. Fati vox à veterum aliis rejecta, aliis admiſſa: rejecta, quando per illud intelligeretur nexus cauſſarum in ſublunaribus cunctis vi ſiderum neceſſariò proveniens: recepta, ſi ſic vocaretur divina de rebus creatis conſtitutio. Conciliati Auguſtinus, & Boëthius; quorum illi Fatum eſt voluntas divina; huic vero ſecundarum cauſſarum ordo. Neutrum interea propriè dici: veriuſque fatum eſſe complexum cauſſarum omnium, prout à Dei providentia dependent. Ne naturales quidem effectus eſſe ab neceſſitate abſoluta; nedum actus humanos. Neceſſitatem fatalem ſpectari tum in præviſione omnium, tum in decreto Dei. Ex præviſione Dei non conſequi aliam neceſſitatem, quam impropriè dictam, ſive illam infallibilitatis. Nec decreto Dei aliam induci, quam illam ex hypotheſi, quæ conſequentiæ neceſſitas vocatur. Ut proinde optime conveniant, arbitrii libertas, & fatalis neceſſitas.

POſt tam multa de multiplici gentilium Fato non immeritò aliquis requirat, ut Chriſtianorum etiam de eo, ac antiquorum præcipuè, judicium afferamus. Ubi primùm de vocabulo, mox de re diſpiciendum. Nec enim è veteribus deſunt, qui in totum damnare videantur ipſum Fati nomen. Uti B. Auguſtinus in V de Civitate Dei: cujus verba ſuperiùs *a* adduximus. Atque idem tractatu XXXVII in Joannem ait: *O ſi cor tuum non eſſet fatuum, non crederes fatum.* Sequitur quoque Gregorius Magnus homilia X in Evangelia: *Abſit à fidelium cordibus, ut Fatum eſſe aliquid dicant.* Sed non refugit vocabulum hoc Boëthius in IV de Conſolat. Philoſoph. proſ. IV; ubi Fatum definitur, *inhærens rebus mobilibus diſpoſitio, per quam providentia divina ſuis quæque nectit ordinibus.* Nec rem improbat Auguſtinus, dummodo per illud intelligatur voluntas vel poteſtas Dei: ſed eò vocabulum rejicit, quia ſumeretur vulgò pro vi poſitionis ſiderum. Damnat igitur Fatum Chaldaicum; non illud, quo ſua voluntati humanæ relicta eſt voluntas. Sed ſic quoque aliquis inter Auguſtinum, & Boëthium, diſſenſus videtur. Nam Auguſtino Fatum eſt voluntas Dei; Boëthio, ordo ſecundarum cauſarum, quatenus ſubeſt providentiæ divinæ. Sed ſunt iſta non difficilia conciliatu. Nam Auguſtinus Fatum ſpectabat, ut loquuntur, cauſſaliter; Boëthius, formaliter. At quid refert, utrùm Fatum dicatur, voluntas Dei in cauſſis ſecundis ordinem conſtituens: an ordo in cauſſis ſecundis à voluntate Dei conſtitutus? Utrobique enim agnoſcitur, ordinem cauſſarum eſſe à Deo, ac ſecundùm illum omnia certò & infallibiliter evenire. Minùs tamen propriè Auguſtinus. Sed nec propriè ſatis Boëthius, cum ordo ſit relatio, Fatum autem relatio non ſit: quippe pertinet ad cauſſam efficientem: relatiò autem propriè non efficit. Sic verò ad cauſſam efficientem refertur Fatum, ut non ſit cauſſa unica, ſed congeries ac nexus cauſſarum ſecundarum, quatenus ſubjectæ ſunt providentiæ Dei.

a Cap. 48.

Interim hæc colligatio cauſſarum aliter ſe habet erga res naturales, aliter erga voluntates humanas. Valde enim falluntur, ſiqui fatalem illam neceſſitatem in eo conſtituant, quod Deus ſic in creata agat omnia, ut & naturalia ſemper operentur pro vi ſemel inditâ, & humanæ voluntates pro impulſu divino bene maleve operentur, nec agere ſecus poſſint. Siquidem ne naturales quidem effectus ſunt ab neceſſitate abſoluta: quia multa contingunt interventu voluntatis humanæ, vel boni malive ſpiritus, per quos ſæpe natura à Deo impeditur. Ac longè minus voluntas humana agit ex neceſſitate abſoluta: quia ſic tollatur ex rerum natura res omnium pulcherrima, libertas arbitrii; atque adeo religio ipſa. Nexus igitur cauſſarum ſecundarum ejuſmodi eſt, ut illa quidem neceſſario fiant, quæ cauſſas habent neceſſarias contingenter autem, quæ cauſſas habent contingentes. Atque utrarumque cauſſarum colligatio dicitur fatalis, quatenus in ea ſpectatur tum præviſio Dei, tum decretum. Præviſio, etſi certiſſima eſt, minimè tamen pugnat cum libero hominis arbitrio. Utcunque enim millies cernam, aliquem nimus ſe poculis perdentem; non eò ſcientia mea efficit, quò minùs ille liberè ſe inebriet, ac perdat. Quare cùm certiſſimò idem prævidet Deus, non eo præviſio illa libertatem tollet humanam, ac vel ebrietatis crebræ, vel interitus, fuerit cauſſa. Poſſis tamen dicere, neceſſariò, hoc eſt, certò, & infallibiliter, hominem ſe poculis perditurum; quia falli nequeat intellectus divinus. Sed hæc neceſſitas eſt impropriè dicta; quæ cauſſa rei dici nequit. Altera neceſſitas conſideratur ratione decreti; quò Deus cuique ſuum præſtituit finem, & hujus, & alterius vitæ ratione. Sed nunc intra hanc vitam conſiſtamus. Illud convenit, non hominem, ſed Deum, ſtatuere cuique vitæ ſuæ terminum. Negari quidem nequit, hominem nimiâ Venere, & Baccho, & aliis id genus, naturam ſi ſpectes, vitam reddere breviorem. Sed conſtat item, Deum, auctorem naturæ, agere poſſe, & ſubinde agere, præter naturam. Ut quando impedit, quò minùs natura agat ex vi ſua. Innumera ſunt ejus rei exempla. Sed in termino me vitæ continebo. Convenit, ut arbitror, Regis Ezechiæ *b* morbum fuiſſe ſuâ natura letalem: à quo tamen convaluit, Deo morbi vim præpediente. Contra item IV Reg. cap. VIII videmus, ut Benhado, Syriæ regi, dicat Eliſæus, *Sanaberis*: quia morbi naturam ſpectaret: at ſubjungat deinde, *Oſtendit*

b Lib. 2. ſive 4 Reg. cap. 20.

mihi

mihi Dominus, quod morte morieris: puta non morbo, ſed gladio Azaëlis: cujus propoſitum de interimendo Benhadad minimè decrêrat Deus impedire. Quare nec Ezechias ſervatus fato Phyſico; nec eo periit Benhadad. Nec enim cur ille ſuperviveret, vel hic moreretur, fuit αἴτιον φυσικὸν, quod ſemper in natura mundoque includitur: ſed pependit utrumque à principio externo. In cauſſis verò voluntariis nullum fatum agnoſcebant Peripatetici: quia ſi ut in rebus naturalibus ſunt cauſſæ naturales & antecedentes: ſic forent etiam in voluntariis: tolleretur voluntatis libertas, & quod Stoici vocant, τὸ ἐφ' ἡμῖν, nihilque in noſtra foret poteſtate. Unde Tullius quoque lib. de Fato: *Qui introducunt cauſſarum ſeriem ſempiternam, hi mentem hominis voluntate liberâ ſpoliatam neceſſitate fati devinciunt.* Quare, uti dixi, ne in talibus quidem naturalis ſimpliciter eſt neceſſitas, ſed ſpectanda eſt Dei voluntas: quæ, morituro aliquo, ſtatuit permittere, tum ut agat homo, quibus ſibi, ſecundùm naturæ curſum, ad immaturam mortem paret viam: tum ut etiam natura more agat ordinario, quia non impedire eam decrêrit. His poſitis, neceſſitas moriendi conſequitur; quia non poteſt non fieri, ubi Deus ſtatuerit aliquid permittere, quod, ſi ſinat, certò videat fore. Sed neceſſitas iſta eſt comparatione non voluntatis humanæ, verùm præſcientiæ ac decreti divini: nec eſt neceſſitas phyſica, ſive interna, vel conſequentis; ſed logica, ſive ſyllogiſtica, vel conſequentiæ. Sit enim hoc majus pronunciatum. Si talis fuerit ordo rerum (exempli gratiâ) ut Fabius, vel Manius, propenſus ſit ad libidinem, inque aula, vel inter Venereos vivat nepotulos; ac Deus talem rerum ordinem, nullum vero virtuti naturali decernat impedimentum; certò iſtic loci, illo etiam morbo, qualis lues Venerea, corripietur, ac peribit. Minus pronunciatum eſt: At Deus decernit, ut ejuſmodi rerum ordo decurrat: utcunque prævideat, hominem ſic ſibi relictum vagâ & illegitimâ Venere peccaturum, &, ſe nullum virtuti naturali afferente impedimentum, fore prorſus, ut miſerè homo pereat. Complexio eſt: Fabius igitur, vel Manius, & tum, & ſic peribit. Recteque hanc neceſſariam vocari conſecutionem, oſtendit Ariſtotelica a ſyllogiſmi definitio; ubi concluſio omnis neceſſariò conſequi dicitur, propter ea, quæ præmittuntur. Verùm uti hæc non eſt neceſſitas conſequentis, ſed conſequentiæ: ita nec decretum, quod dicebamus, ejuſmodi eſt, ut vim humanæ adferat voluntati. Quippe neque ſic conditionatum eſt, ut incertam relinquat præviſionem numinis: neque ſic abſolutum, ut hominis evertat libertatem: aliâ interim mente, & abſolutum dixeris, & conditionatum. Licet enim non homo ſibi quiſquam; ſed Deus illi præfiniat dies ſuos: non tamen ab decreto hoc excluduntur cauſſæ naturales, & actus humani; quibus ad terminum illum, culpâ ſæpe humanâ, eâque evitabili, devenitur. Alioqui non Deut. v, 16, juberemur honorare parentes, quò prolongentur nobis dies: nec Pſal. LV, 24, dicerentur viri ſanguinis, ac doli, non dimidiaturi dies ſuos. Etiam eſt Proverb. x, 27, *Timor Domini apponet dies: & anni impiorum breviabuntur.* Et ſimilia ſunt alia præceptorum, promiſſionum, minarum, exempla. Licet autem non arbitrer, ullum hominis ingenium ſatis penetrare, quomodo decretum Dei, & libertas hominis, de certo vitæ fine conveniant: videtur nihilominus multum imminui difficultas, ſi præviſionem Dei conſideremus bifariam; ut antecedit actus humanos, & ut ſequitur. Præcedit ea cum conditione; eoque nihil ponit. Sequitur abſolutè, quia ubi ad præviſionem conditionatam decretum de certa rerum ſerie à Deo acceſſerit: quod erat conditionatum, quodammodo naturam decreti induit abſoluti. Conditionata quidem nihil ponunt, niſi poſitâ conditione: ſed ponitur conditio, decernente Deo, ſe non impediturum actus liberos, quos fore prævidet, ſi non impediat. Cujuſmodi præviſio cùm ſit certiſſima; ubi decretum de non impediendo acceſſerit, neutiquam relinquitur meta vitæ incerta: ſed ut incerta à nobis attenditur, præſcindendo intellectum à decreto; quia permiſſio non eſt cauſſa ſufficiens: ut certiſſima autem conſideratur, quatenus decretum Dei ſpectatur, ut naturâ ſuâ poſterius eſt actibus hominis præviſis. Sunt igitur decreta Dei, & voluntas humana, ὑπάλληλα a: nec quam Deus homini libertatem dedit, ullo ejus tollitur decreto; nec divinum infringitur decretum libertate hominis: ſed pariter Deus, & diſponit atque ordinat cauſſas, quæ ſunt ab homine; & de fine decretum facit immutabile. Quibus abundè refellitur σόφισμα, quod dicitur λόγος ἀργός b, & ab Tullio lib. de Fato, ac Origine adfertur in ſecundo contra Celſum. Optimè etiam hæc conveniunt cum iis, quæ B. Auguſtinus ſcribit lib. de bono perſeverantiæ cap. XVII, & de correptione ac gratia cap. VII, & XIII: ubi oſtendit, ut alios celerius, tardiùs alios, auferat ex hac vita, quò pariter & homini ſua conſtet libertas, & Deo ſuum decretum, cuique ſuum conſtituens terminum. Quod ſi alia etiam, quæ pro hac ſententia, vel quoque adverſus eam, adduci poſſe videantur, ſcire ſit cupido: Scholaſtici adeantur, more ſuo in utramque partem diſſerentes: ſed ſic, ut homini acuto, & tamen magis ſtudioſo pietatis, quàm ingenii laudem affectanti, non obſcure eluceat, quò trahat veritas. Juvabunt etiam complurium eruditorum de vitæ termino judicia, quæ in epiſtolica de hoc argumento quæſtione publici juris fecit vir amiciſſimus, atque ambigo, num elegantioris ingenii, an exquiſitioris doctrinæ, Joannes Bevervicius, Dordrechtanæ Reip. Senator, ac Medicus.

a *Lib. 1 Analyt. priorum, c. 1. §. 8.*

a *Subalterna.*

b *Ignava ratiocinatio.*

DE IDOLOLATRIÆ ORIGINE AC PROGRESSU,

LIBRI SECUNDI

PARS II.

Quæ eſt de cultu Elementorum.

Cap. LI.

A corporum cæleſtium cultu divinum ad honorem tranſitur, qui præſtitus eſt elementis. *Unde* elementa *dicantur. Ut definiantur ab Ariſtotele, & Galeno; qui ea conſiderarunt, ut corporum ſunt prima, non corporum primorum principia. Sola ut principia ſint mixtorum; etſi cælum, ab Ariſtotele etiam, laxiùs voce hac acceptâ,* elementum *appelletur: & quò attenderit Philoſophus, cùm ſic loquitur. Ex his allata cauſſa, cur divinitas ſit attributa elementis. Duplex ratio conſiderandi elementa, una pro ratione gravitatis, ac levitatis; altera pro qualitatibus primis: atque ut ex utroque quaternarium elementorum numerum collegerint. Et hæc, inter cætera, compuliſſe Pythagoram, ut* τετρακτὺν *pro ſacro haberet numero; imò pro Deo, per quem juraret. Quid Orphei tetrachordo ſignificetur. Quid Platonem impulerit, ut certas elementis figuras tribueret. Cur flamma faſtigiatim aſſurgat, vera ex Theophraſto ratio adfertur. Propriè nullas eſſe elementis figuras: & quid attenderint, qui rectilineam tribuêre figuram: quo item, qui circularem; idque meliùs aliis, licet per accidens ſolùm intelligatur. E philoſophis Prodicum Ceum, & Empedoclem, elementis habuiſſe honorem cæleſtem. E gentibus Perſas præiſſe: cumque hac ſententia conciliati, qui unum coluiſſe Solem tradiderunt. Ex elementis prima Tellus in Deos relata. Sed primò Telluris nomine comprehenſam univerſæ vim Naturæ, ab Æthere, & Sole, concipientem ſemina, ad alia, atque alia ſingularia, ſecundum ſpeciem ſuam, producenda. Quomodo ad Terram etiam referatur Ignis Veſtalis. Quod dixeramus de Tellure primò ex Elementis culta, (niſi de Ægyptiis aliter fuit) id ratione, & teſtibus, comprobatum: ac propterea mirum videri, Græcum Salomonicæ Sapientiæ ſcriptorem, dum memorat tot Naturæ partes, veneratione divinâ exceptas, ſilentio ſuo præteriiſſe Tellurem.*

A Cæleſtis naturæ cultu deventum eſt ad venerationem corporum inferiorum tum ſimplicium, tum mixtorum. Quorum priora dicuntur *elementa*: nempe, ut ἀναλογίᾳ ductus ſuſpicor, à priſco *eleo*: quomodo ab *alo*, *alimentum*, ab *doceo*, *documentum*; à *moneo*, *monumentum*; ac par ratio in *ſacramentum*, *juramentum*, *rudimentum*, *incrementum*, & aliis. *Eleo* antiquis idem ac *oleo*; ut *hemo*, dixere pro *homo*, *benus*, pro *bonus*; unde *bene*, & *bellus*. *Oleo* autem quandoque notat *creſco*; unde *olus*, quia terra ſuccreſcit: item *oleſcere*, *adoleſcere*, & fortaſſe *exoletus*, qui oleſcere deſiit; juxta Feſtum, Cæſellium, Priſcianum, Bedam. Elementis igitur fuerit nomen, quia ex illis, ut principiis, omnia generentur, & ſuccreſcant. Atque hoc etiam definitione eorum firmatur. Nam, ut eſt Metaphyſ. lib. IV, ſeu Latinis, V, cap. III, Στοιχεῖον λέγεται, ἐξ οὗ σύγκειται πρώτου ἐνυπάρχοντος, ἀδιαιρέτου τῷ εἴδει εἰς ἕτερον εἶδος· *Elementum dicitur, ex quo quid componitur primò, ſic ut inſit, & ſpecie ſit indiviſibile in aliam ſpeciem.* Et mox: Τὰ τῶν σωμάτων στοιχεῖα λέγουσιν, εἰς ἃ διαιρεῖται τὰ σώματα ἔσχατα, ἐκεῖνα δὲ μηκέτ' εἰς ἄλλα εἴδει διαφέροντα σώματα· *Corporum elementa dicunt ultima, in quæ corpora dividuntur, illa verò non ampliùs in ſpecie differentia corpora.* Nec ab his abit definitio illa in tertio de Cælo, cont. XXXI: quam Scotus perperam putabat ſoli competere materiæ primæ. Omnino enim convenit, non abſolutè quidem, ut corpora ſunt naturalia, attamen relatione factâ ad mixtum: quod pluribus oſtendit doctiſſimus Cardinalis Contarenus, opere de Elementis. Nec aliud voluit Galenus, cùm initio operis ſui de Elementis ait, ea eſſe πρῶτα καὶ ἁπλούστατα μόρια τῆς φύσεως, καὶ μηκέτ' εἰς ἄλλα διαλυθῆναι δυνάμενα· *partes naturà primas & ſimpliciſſimas, quæque in alia reſolvi nequeant.* Loquitur autem Galenus nobiſcum de elementis corporeis; non materiâ, & formâ; quæ principia cenſet, non elementa. Ac ſimiliter diſtinguit Plutarchus de Placitis philoſophorum. Nempe Galenus, & Plutarchus, ſequuntur Hippocratem, & veterum alios. Primus ſanè Plato, quem Ariſtoteles ſecutus, στοιχείων *a* nomine pro incorporeis principiis uſus eſt: ut ex Eudemo tradit Simplicius prooem. Phyſic. Nobis hic ſermo duntaxat de elementis, ut à principiis diſtinguuntur: hoc eſt, de primis & ſimpliciſſimis corporibus, ex quibus componuntur mixta inanima, & animata; tum rationis expertia, tum eâ prædita. Atque ex his etiam liquet, elementorum numero nunc excludi cælum. Scio, Ariſtotelem ipſum initio libri tertii de Cælo illud appellare, τὸ πρῶτον τῶν στοιχείων, *elementorum primum*: utcunque putaret, non ingredi illud compoſitionem mixtorum. Sed Ariſtoteles, cùm ſic loquitur, reſpicit compoſitionem non mixtorum, ſed mundi: quem conſtare docet quinque ſimpliciſſimis corporibus, primò omnium cælo, ac præterea quatuor aliis, unde mixta generantur. *a Elementorum.*

Quod ſi mixta omnia producuntur ex elementis: non obſcura eſt ratio, cur iis divinitatem tribuerint gentes. Nam ſic colligebant: ſi parentes colendi, quia illis originem debemus: quanto magis cultus eſt exhibendus elementis, unde parentes ipſi, & omne humanum genus, ut nunc cætera præteream, ortum ſuum ducunt.

Conſiderantur verò elementa, tum ut partes mundi, tum ut principia mixtorum. Priori modo, pro differentiis formam conſtituentibus, gravitatem, & levitatem eſſe, tradidit Averroës in IV de Cælo *b*. Nam, inquiebat, pro duobus iſtis elementa locum occupant in univerſo: ſummè leve, ignis, ſupremum; remiſsè leve, aër, proximum: remiſsè grave, aqua, tertium: ſummè grave, terra, infimum. *b Comment. 1. & 14.*

tuum. Quo argumento quatuor etiam, nec plura eſſe elementa, comprobavit. Poſteriori ratione pro differentiis formarum conſtitutivis habentur primæ quatuor qualitates: quæ ſententia eſt Alexandri, Ammonii, Philoponi, & Simplicii. Proque harum etiam συζυγίᾳ *a* quadruplici, quaternarius elementorum numerus colligitur. Nam ſi calor acceſſerit ſiccitati, eſt ignis: ſi humori, aer. Si frigus ſocietur humori, eſt aqua: ſi ſiccitati, terra. Plato in Timæo in duobus abit. Nam ignis nomine etiam cæleſte corpus comprehendit: ac præterea diſtinguit elementa qualitatibus ſecundis: aliter tamen, quam ab Averroe factum vidimus. Siquidem ignis ei ſubtiliſſimus, acutiſſimus, mobilis: aër ſubtilis, obtuſus, mobilis: aqua craſſa, obtuſa, mobilis: terra craſſiſſima, obtuſiſſima, immobilis.

a Conjunctione.

Hunc elementorum quaternarium præcipuè attendit Pythagoras, cùm ei tantam vim etiam in rebus tribueret naturalibus. Unde Hierocles *b*: καὶ ἁπλῶς τὰ ὄντα πάντα ἡ τετρὰς ἀνεδήσατο, στοιχείων, ἀριθμῶν, ὡρῶν τε ἐτῶν, ἡλικιῶν συνοικισμῶν· *Et ut verbo dicam, quæcunque exiſtunt, quaternarius colligavit: in elementis, in numeris, in anni tempeſtatibus, in ætatum contuberniis.* Ideo quaternarium vocabat πηγὴν ἀενάου φύσεως, *fontem æternæ naturæ*: etiam Deum dicebat, & quidem undecunque divinum: neque ſanctius habuit juramentum, quam per quaternarium. Sed hæc infra fuſiùs exponentur.

b In aurea carmina Pythagoræ.

Nihil verò æquè mirandum in elementis, quàm tam concors diſcordia. Hanc eorum harmoniam figurabat Orpheus ſuo tetrachordo. Nam uti in hoc quatuor ſunt chordæ, quorum ſonis permixtis ſuaviſſimus editur concentus: ita ex quatuor elementorum concurſu mixta omnia generantur. Ac ut in tetrachordo ὑπάτη ὑπάτων ſonum edit graviſſimum; νήτη, acutiſſimum: atque ad graviſſimum proximè accedit παρυπάτη ὑπάτων; ad acutiſſimum proximè παρανήτη: itidem in elementis, ut diximus, unum eſt graviſſimum, Terra: unum leviſſimum, Ignis: ac præterea duo ſunt intermedia, unum gravius, Aqua; alterum levius, Aër. Hic admirandus elementorum concentus oſtendit, eſſe numen, per quod tantopere diſſita, pugnantiaque, in mixtione rerum ita conſentiant ac conſpirent.

Idem cognoſcere eſt ex comparatione illa à Platone inſtituta: cùm figuras quatuor ſic illis accommodat, ut pyramis igni reſpondeat, ὀκτάεδρον *c* aëri, εἰκοσάεδρον aquæ, terræ autem cubus. Nempe ſic ſolent Platonici rerum naturam tegere abſtractionibus Mathematicis. E. G. Terræ cubicam tribuerunt figuram ob ejus conſtantiam, & ſtabilitatem. At igni ajebant reſpondere pyramidem, tum quia figura hæc baſes habeat pauciſſimas, eoque ad penetrandum ſit maxime idonea, uti in elementis nihil eſt penetrantius igni: tum autem, quia ignis, modò eum ex igni noſtro metiamur, baſin habeat latiorem, inque acumen deſinat. Sed de igne noſtro magis placet ratio à Theophraſto adlata libro de Igne: nempe ut eo faſtigiata ſit flamma, quia quanto eſt ſuperior, tanto longius abſit à pabulo ſuo. De octaëdro, & icoſaëdro, quæ objiciat Joannes Grammaticus, videre eſt apud ipſum libro de Mundi æternitate. Sed ex Plutarcho de Oraculorum defectu occurrit illi Carpenterius in Alcinoi cap. 11.

c Sex baſium. Vide de his figuris, ſi vìſum, Euclidem, lib. 13. propoſit. 13, 14 & deinceps.

Propriè verò loquendo elementa figuram certam non habent: cujus cauſſa eſt, quòd in miſtura neceſſe fuit ea omnes recipere figuras. Aliqui tamen rectam iis tribuunt, aliqui circularem. Priores reſpiciunt ordinem elementorum in natura conſtituenda: poſteriores eum attendunt in natura conſtituta. Nam elementa extra locum naturalem rectà feruntur, vel verſus centrum, vel verſus cælum. Sed profectò non ſi rectà tendant ſurſum, aut deorſum, eò rectam habent figuram: neque hoc dicit Ariſtoteles in 1 de cælo: ſed ſolùm ait rectæ eſſe dimenſionis. Meliùs poſteriores, qui attendunt figuram in natura conſtituta. Nam cùm gravia verſus centrum ferantur, neceſſe eſt ea in orbem figurari: & levia cùm cælum petant, quod ſphæricum eſt, conſequitur ea ſic figurari, uti illud, quo continentur. Interim liquet, figuram hanc non propriam eſſe, ſed accidentalem.

Venio ad illa, quæ propiùs tangant honorem elementorum divinum. Qui ſic primo attributus iis, ut non eo propterea cæleſtia exciderent corpora; ſed hunc cum cælis haberent communem. Quod de philoſophorum etiam ſententia dictum velim. Ita cum Sole, & Luna, elementa eſſe Deos, credebat Prodicus Ceus. Quod ſi in quorundam ſententia ſiderum cultus non exprimatur; hi, credo, cæleſtes illos ignes intellexere. Uti fortè, cùm Simplicius ſcribit, Empedoclem Agrigentinum pro numinibus habuiſſe elementa cum lite & concordia. De gentibus totis res eſt liquidior. Quemadmodum de Græcis, & Romanis: qui Rheæ, Neptuni, Junonis, aliiſque nominibus, elementa ſignabant. Item Perſis, qui præter cælum, Solem, Lunam, & Venerem, venerati etiam ſunt, καὶ πῦρ, καὶ γῆν, καὶ ἀνέμους, καὶ ὕδωρ, *& ignem, & terram, & ventos, & aerem*: ut clarè dicunt Herodotus in primo, & Strabo in xv. Diſſentit tamen Trogus: qui unum ait Solem coluiſſe, ut antea *a* vidimus. Sed eo conciliare hos poſſis, quod antiqui Perſæ Solem duntaxat venerati ſint: at poſtea Perſarum natio etiam πολυθεότητα *b* admiſerit: quod ita eſſe, planius poſtea faciemus.

a Cap. 9.

b Multitudinem Deorum.

Ex elementis ante alia, ut arbitror, Tellus divinos obtinuit honores: idque laxe eâ voce acceptâ, ut ſignat hunc globum terræ & aquæ; qui opponitur cæleſti, hoc eſt, æthereo, & aëreo corpori. Nec enim primitus inter ætheream, & aëriam ſubſtantiam diſtinxere: nec, Terram colentes, ſeorſum aquam honore dignabantur cæleſti. Imò ſapientes, ut poſtea dicetur, in Tellure univerſam coluere Naturam; quatenus ea, ut femina conſideratur. hoc eſt, prout attenditur vis Naturæ ſeminibus, è maſcula Naturæ vi conceptis, novas rerum formas, nova corpora producens; ſive alia, atque alia ſingularia, quando omnia hæc caduca ſunt ac fluxa, ejuſdem generis ac ſpeciei pariens. Uti maſculam illam Naturæ vim Oſiridem, Saturnum, aliiſque nominibus vocarunt: ita femineam hanc, Iſidem, Opim, & aliter, ut inferius oſtendam. Paullatim autem gliſcente Deorum Dearumque numero, ſeparato dignati ſunt cultu terram, & aquam; ſeparato item æthera, & aëra. Cùm verò ignis vel æthereus ſit, vel terreſtris (nam illum inter lunarem orbem, & aëra, non agnovere antiqui) æthereum coluere, cùm cælum, ſolem, ſidera venerati: terreſtrem, cùm terram honore proſequerentur divino. Niſi quòd ignis Veſtalis quodammodo ad utrumque referatur. Nam in terris erat, & terreſtri fomite conſtabat: idem tamen, ſi exſtinctus eſſet incuriâ Veſtalium, ad Solis accendi radios ſolet: atque adeo Solis etiam, ſive ætherei ignis ſymbolum erat. De Ægyptiis tamen non refragor, ſiquis Aquam ab iis priùs cultam arbitretur: cujus cauſſam inferiùs adducam. Sed de nationum cæteris longè aliter cenſendum. Ab iis enim prima ex elementis Tellus honorem nacta eſt divinum. Cujus etiam rei laudare teſtem poſſumus Platonem. Ut qui in Cratylo tradat, Græcorum antiquiſſimos tantummodo coluiſſe Solem, Lunam, Aſtra, Cælum, Tellurem. Nec mirum adeò, ſi miſeri illi ab æthereis corporibus prolapſi etiam ſunt ad cultum Telluris: quando poſt cælos ea princeps eſt Mundi pars: unde & Cæli ac Terræ nominibus, etiam in Sacris literis, rerum intelligitur univerſitas. Imò Deus die prima feciſſe dicitur Cælum, & Terram: ut planè his debeatur principatus; utcunque diebus ſequentibus major iis acceſſerit ornatus. Etiam uti in cælis Sol, & ſidera, continuò ſe ingerunt in ſenſus: ita in partibus mundi inferioribus primò oculis, & corporis, & mentis, Tellus ſe bona offerebant. Videbant homines, hanc eſſe locum & ſedem ſuam; atque eandem eſſe altricem & hominum, & omnium animantium: hanc quoque eſſe metallorum, & omnium divitiarum, productricem. Heſiodus ideo principem illi in elementis tribuit locum: uti & Pherecydes Syrius. Plato quoque in Timæo vocat Deorum antiquiſſimam. Etiam Avicenna libro de Cælo cap. ult. cenſet: Naturam primo ſibi propoſitam habuiſſe productionem Terræ; deinde autem elementa cætera, quia his egeat terra ad cuſtodiam ſui. Denique prope omnium ea eſt vete-

rum opinio, Terram eſſe Antiquam matrem: quam Cælo nuptam dixere, quia ut in rerum generatione Cælum refert marem; ſic in eadem Tellus eſſet alma mater. Non dubium igitur, quin ea præ aliis viſa ſit cultum promereri divinum. Ut mirer à ſcriptore Sapientiæ Salomonicæ cultum eum præteriri. Nam cap. XIII, 2, refert cultum cæli, ſiderum, ignis, aëris, venti, & aquæ: de terra ſilet, quam tot gentes coluere. Hoc, ut liqueat, de gentium præcipuis dicam.

Cap. LII.

De cultu Telluris, ac primùm apud Phrygas: ubi Cybele *dicta*, Dindymene, Berecynthia, Peſſinuntia, Mygdonia, *atque aliter: ac ratio nominum oſtenſa. Cur eadem* Aſporene *potiùs, quam* Aſpordene, *nuncupata. Cur* Phaſiana, *&* Cimmeris, *vocata: cur item* Cybeba. *Quomodo hæc Dea in veteribus fingatur aris. Quando ejus ſimulachrum Romæ, & à quibus, & quomodo ſoleat circumferri: atque ut illud una cum leonibus mos fuerit abluere in fluvio Almone. Amaſius Deæ dictus* Attes, Attis, Attin, Atys. *Neronis Cæſaris verſus immeritò irriſi à Perſio. Qua mente à Catullo Attin* mulier *dicatur.*

INitium eſto à Phrygibus; quibus colebatur Tellus ſub nomine Rheæ, Cybeles, & aliis, quæ cum cauſſis ſuis referam poſtea. Quæcunque autem de hac Dea ab antiquis accepimus, ea vel veterem tangunt hiſtoriam, vel ad rerum pertinent naturam. Priori modo trifariam poſſumus Rheam intelligere. Uno, ut Rhea, quæ communis omnium mater dicitur, ſit Eva, mater omnium viventium, uxor Adami, qui antiquiſſimus eſt Saturnus, quatenus Saturni nomine hominem capimus, non naturam. Altero autem, ut Rhea ſit uxor Noachi, qui & ipſe Saturni nomine cenſetur, quatenus ab eo ſunt, qui progeniti poſt univerſalem cataclyſmum. Tertio, ut particulatim ſignetur veterum Phrygum regina, quæ Attin bubulcum adamavit, & à morte ſua communis omnium mater dicta eſt, quia cum Tellure, verè omnium matre, uno eodemque honore divino coleretur. Hoc modo conſideravimus Rheam lib. I, cap. XX. Quare tum ea nobis adducta, quæ ad hiſtoriam tum reginæ hujus, tum amaſii ejus, pertinerent.

Nunc alteram de Cybele ordiar diſſertationem, quatenus ea conſideratur, ut pars eſt naturæ: perque illam vel ſola, vel præcipuè, Terra adumbratur. Omnis hæc diſquiſitio nobis tripartita erit, vel ſi malis, ſex membrorum, cùm quæque trium partium alias minimùm duas ſub ſe comprehendat. Primùm enim dicam, tum de variis matris Deûm nominibus, ac ſimulachro ejuſdem: tum de vero amaſii ejus nomine, & cur, qui natura erat vir, mulier dicatur. Deinde enarrabo, tum diverſa nomina, quibus vocantur Cybeles ſacerdotes; ac ritus, qui eos propiùs ſpectent: tum de ſacris ipſis, quis eorum auctor fuerit, & qui præcipuè in iis ritus obſervati. Denique exponam, quid tum per Cybelen, & Attinem, tum per ſacra eorum, myſticè denotetur.

Rheæ nomina longè ſe offerunt plurima: magnam verò partem ea petita ſunt à locis, ubi Diva coleretur. Talis eſt appellatio *Matris Phrygiæ*: ubi cur *mater* vocetur, exponam poſtea: quia autem in Phrygia, uti dictum, præcipuè coleretur, indeque cultus is Romam ſit tranſlatus, eò *Mater Phrygia* dicta eſt: uti & aliis vocata nominibus multis, pro locis Phrygiæ diverſis; ut ex Strabonis X attingebamus lib. primo. In his etiam eſt *Cybele*, vel *Cybelle*. Mediam enim nunc correptam habet apud poëtas, nunc porrectam. Servius putabat ſic vocari, quia Cybelejo furore correpti ſoleant κυβιςᾶν τὴν κεφαλὴν a. Sed Strabonis nobis potior eſt auctoritas: cui & favet Heſychius: Κύβελα, ὄρη Φρυγίας. Κυβέλη, ἡ μήτηρ τῶν θεῶν. *Cybela, montes Phrygiæ: Cybele, mater Deorum.* Stephanus: Ἔςι καὶ Κύβελλα Φρυγίας, καὶ Κύβελλον ἱερόν, ἀφ' ὗ Κυβέλη ἡ Ῥέα λέγεται, καὶ Κυβεληγενής, ἢ Κυβελίς. *Etiam Cybella in Phrygia, & Cybellum templum; unde Rhea dicitur Cybele, & Cybeligena, & Cybelis.* Similiter quoque Feſtus, Suidas, & Etymologus: qui addit, Κύβελον montem in Bithynia ſtatui ab Alexandro Polyhiſtore. Nempe loca in confiniis conſtituta, nunc huic, nunc vicinæ tribui ſolent regioni.

a Caput rotare.

Item Δινδυμήνη, ἢ Δινδυμία, teſte Stephano; qui Δίνδυμα ὄρη τῆς Τρῳάδος facit. Δινδυμήνην, ut Strabo in X, ſic & Pauſanias dixit in Achaicis, & Bœoticis: Horatius item lib. I, od. XVI; μητέρα Δινδυμίην Apollonius in primo Argonauticon Minutum hoc, propriori corruptè eſſe apud Heſychium, Δινδυμηνή, μήτηρ θεῶν ἀπὸ Δινδύμων ὀρῶν τῆς Φρυγίας· *Dindyme, mater Deûm, à Dindymis, Phrygiæ montibus.* Vel Δινδυμίην, μητέρα reſcribendum.

Ἰδαία item ab Ida, monte Phrygiæ; ut eſt apud eundem. Atque ita Idæam matrem vocitat Halicarnaſſenſis lib. II: item Livius, Lucretius, Maro, Naſo, & quis non?

Berecynthia itidem à Berecyntho, Phrygiæ urbe; unde & regio ejus *Berecynthia*, iiſdem teſtantibus.

Peſſinuntia à Peſſinunte; quæ à Tullio de Aruſp. Reſp. dicitur, *ſedes domiciliumque matris Deorum.* In Galatia collocat Stephanus: ſed eà parte ſitum, quà Galatia magnam attingit Phrygiam, ut gemino eſt Strabonis loco in X. Et priùs Phrygiæ fuit. Ammianus lib. XXVI: *Valens Peſſinunta ſigna properè tulit, Phrygiæ quondam, nunc Galatiæ oppidum.* Hinc Dea Romam tranſlata, ut à Livio traditum lib. XXIX, & Strabone lib. X; ac de eodem ſic Ammianus lib. XXII: *Unde dextrorſus itinere declinato, Peſſinunta convertit, viſurus vetuſta Matris magnæ delubra: à quo oppido, bello Punico ſecundo, carmine Cumano monente, per Scipionem Naſicam ſimulacrum tranſlatum eſt Romam.* Imò non defuere, qui hanc in urbem cælitus fuiſſe delapſum Deæ ſimulachrum putarent: atque inde urbi, nempe ἀπὸ τοῦ πεσεῖν, quod eſt *cadere*, *Peſſinunti* nomen datum fuiſſe.

Etiam *Mygdonia mater* dicta eſt, non à Mygdonia Macedoniæ, ſed Phrygiæ: quam itidem agnoſcit Stephanus: Μυγδονία, μοῖρα Μακεδονίας, καὶ ἑτέρα Φρυγίας τῆς μεγάλης ἀπὸ Μύγδονος· *Mygdonia, pars Macedoniæ, & altera Phrygiæ Majoris, ſic dicta à Mygdone.* Nec de alia intelligere licet illud Horatii lib. III, od. XVII:

Quam ſi Mygdonius regnum Haliattici
Campis continuem.

Ubi Mygdoniam non obſcurè contiguam regno facit Haliattico, hoc eſt, Lydiæ; cui primo Haliattis, pòſt Crœſus filius, præfuere. Ut neque dubitandum ſit, quin vera ſit lectio, quam omnes ejuſdem poëtæ codd. præferunt lib. II, od. XII:

Aut pinguis Phrygia Mygdonias opes.

Utcunque genuinum alioquin videri poſſit:

Aut pinguis Phrygiæ, aut Mygdonias opes.

Quomodo Servius citat in illud ſecundo Æn. *Trojanas ut opes*: credo, quia non altera, quàm illa Macedoniæ Mygdonia, toto mari Ægeo, & ultrà, diſſita à Phrygia, animo nobilis Grammatici obverſaretur. Mygdoniæ matris meminit Valerius Flaccus lib. III Argonaut.

—— Ancipitem lymphaverat urbem
Mygdoniæ Pan juſſa ferens ſæviſſima matris.

Quemadmodum & per *Mygdonios planctus* ſacra Phrygia intelligit lib. VIII:

Sic ubi Mygdonios planctus ſacer abluit Almo,
Lætaque jam Cybele.

Claudianus de conſulatu, quem Manlius Theodorus cum Eutropio geſſit:

Perfoſſique ruant populo pallente leones,
Quales Mygdonio curru frenare Cybelle
Optat.

Strabo in decimo, inter alia nomina, quæ Dea à Phrygiæ locis acceperit, etiam eſſe ait, quòd Πυλήνην vocarint. Quis locus dederit hoc nomen, nuſquam dicit.

In

a P. 146. In epitome *a* Strabonis pro eo eſt, Πυλώνη, καὶ Κυμήνην. Πυληκαῖον in Phrygia agnoſcit Ptolemæus.

Etiam Phrygiæ eſt mons Ἄγδιϛις, ſecundùm Pauſaniam in Atticis. Indeque etiam Rhea *Agdiſtis*, vel *Agdeſtis*, eſt vocata; quemadmodum ait Heſychius *b*. Aliis non Dea, ſed Attis, Cybeles amaſius, *Agdeſtis* videtur nuncupatus. Sed de iſto abunde dictum nobis lib. I, cap. XX.

b In Ἄγδιϛις.

In Troade, quæ Phrygiæ minoris pars, ſunt Ἄνδειρα oppidum, ac ſub Anderis μητρὸς θεῶν Ἀνδειρηνῆς ἅγιον· *Anderenæ, matris Deorum, delubrum*; ut eſt apud Strabonem in XIII. Ac aliquantò pòſt apud eundem legas, ut prope Pergamum ſit civitas Ἀσπόρδηνον: quo in nomine quia audiri videtur obſcena vox πορδῆς, *peditûs*, eò ab aliquibus vocari Ἀσπόρηνον: atque hic, inquit, eſt τὸ ἱερὸν τῆς μητρὸς τῶν θεῶν Ἀσπορηνῆς· *fanum matris Deûm Aſporenæ*.

Nec ſolùm à Phrygiæ, vel conterminis; ſed aliis etiam, quibus coleretur, longeque diſſitis locis, nomen Dea accepit. Uti cùm in Colchide dicta eſt *Phaſiana*. Meminit Arrianus in periplo Ponti Euxini: Εἰσβαλόντων δὲ εἰς τὸν Φᾶσιν, ἐν ἀριϛερᾷ ἵδρυται ἡ Φασιανὴ θεός· εἴη δ᾽ ἂν ἀπό γε τοῦ σχήματος τεκμαιρομένῳ, ἡ Ῥέα. Καὶ γὰρ κύμβαλον μετὰ χεῖρας ἔχει, καὶ λέοντας ὑπὸ τῷ θρόνῳ, καὶ κάθηται ὥσπερ ἐν τῷ μητρῴῳ Ἀθήνησιν ἡ τοῦ Φειδίου. *Intrantibus Phaſin à ſiniſtris Phaſiana Dea apparet; quam, ex ejus ſpecie atque forma, Rheam eſſe, conjicere licet. Manibus enim tenet cymbalum, leones habet ſub throno, ſedetque, ut illa Phidiæ Athenis in æde matris Deorum.*

Imò culta etiam Dea apud Cimmerios: unde Κιμμερὶς vocitata. Heſychius: Κιμμερὶς, ἡ μήτηρ τῶν θεῶν· *Cimmeris, mater Deorum*.

Atque hæc ſunt nomina à locis, præcipuè Phrygiæ, impoſita huic Divæ. Ex cæteris unum ſuffecerit dixiſſe, quia cauſſa ejus ex ſacris Deæ petita eſt. Eſt hoc Κυβήβη, & Κυβήβα. Feſtus: *Cybebe mater, quam dicebant magnam, ita appellabatur, quod ageret homines in furorem, quod Græci κυβηβᾶν dicunt.* Nec eſt, quòd quis *Cybelen* legendum arbitreatur. Nam continuò ſubdit: *Cybele verò eadem dicta à loco, qui eſt in Phrygia.* Etiam *Cybebe* agnoſcit Euſtathius in Odyſſ. B *c*: Κυβήβα διὰ τοῦ α, ἢ Κυβήβη διὰ τοῦ η, ἡ Ῥέα. *Cybeba per A, vel Cybebe per E, Rhea.* Etiam apud Heſychium legendum, Κυβήβη, ἡ μήτηρ τῶν θεῶν. *Cubebe, mater Deorum.* At perperam vulgo Κυβήκη. Uti & apud eum legas, Κυβῆκαι, θεοφορεῖται, κορυβαντιᾷ. Ubi malim, Κυβηβᾷ. Sanè apud eundem eſt, Κύβηβος, γάλλος, κίναιδος. Nempe uti Dea ipſa Κυβήβη, ita ſacerdos ejus Gallus Κύβηβος, vel potiùs Κύβηβις, pro quo Κύβηβος eſt apud Euſtathium, loco antè memorato: ac ſimiliter Etymologus: Κύβηβος, παρὰ τὸ κύπτω, ὁ κατακύψας. Κυβηβᾶν, κυρίως τὸ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν ῥίπτειν. Atque ad hoc κυβηβᾶν, quod notare ait *rotari in caput*; addit, matrem Deûm dictam eſſe Κυβήβην, quia Galli, qui ei miniſtrarent, furore correpti, capita vi jacerent, ut de Mænadibus loquitur Catullus *d*. Itaque & pro Κυβικὸς, puto Κύβηβος, vel Κυβηβὸς, reſcribendum eſſe in illis Heſychii verbis, ut nunc leguntur: Κυβικὸς, ὁ κατεχόμενος τῇ μητρὶ τῶν θεῶν, κυβηλιτικὸν τρόπον· *Cybicus, occupatus afflatuſque à matre Deorum, ad morem Cybeliticum*, ſive, *ſacerdotum Cybeles*.

c Pag. 1431. edit. Rom.

d Carm de Atte, & Berecynthia.

Atque hæc quidem de nominibus Deæ. Etſi verò in extrema demum operis hujus parte de ſimulachris Divûm agere animus ſit: hoc tamen loco non refugiam memorare aliqua de effigie matris Phrygiæ, quæ vetuſtis in aris comparet. Multum enim inde lucis acceſſerit iis, quæ ad ſacra Deæ pertinent.

Romæ ara eſt marmorea in ædibus, quæ fuere Cardinalis Cæſii. In ea eſt Cybele, capite turrito, inſidens curruí a leonibus vecto; dextrâ ſpicas ac milium, lævâ autem tympanum tenens; ac pedum habens à tergo. Inſcriptio eſt, M. D. M. I. ET ATTINIS: ubi ſingulares literæ valent, *Magnæ Deûm Matri Idææ*, ut dixi lib. I. Subeſt verò inſcriptio iſta:

L. CORNELIUS. SCIPIO. ORFITUS
V. C. AUGUR. TAUROBOLIUM
SIVE. CRIOBOLIUM. FECIT
DIE. IIII KAL. MART
TUSCO. ET. ANULLINO. COSS.

Dextro latere binas eſt conſpicere inciſas faces tranſverſas, unà cum crotalis; ſiniſtro autem fiſtulas. Quorum omnium figuræ in Collectione Inſcriptionum Gruterianâ exprimuntur pag. XXVII, num. III. Etiam Romæ, haut procul à Cæſiæ domo, eſt ara Cybeles; cujus prima facies habet inſcriptionem: averſa facies, duas lances, poculum, lituum, aliud inſtrumentum ad cochlearis modum. In latere dextro eſt pinus, & ſub ea taurus: appendent item tympanum, & fiſtulæ. In ſiniſtro autem latere eſt pinus, & ſub ea aries, atque appendent mithra, pedum, & quiddam ſimile lanciæ. Figuram etiam inſtrumentorum ibidem eſt videre expreſſam.

Item Romæ ædis Sancti Nicolai in Calcaria habet aram ingentem: inſcriptum ei hexaſtichon Græcè, cujus initium antea adduximus: Latinè verò habentur iſta:

PETRONIUS. APOLLODORUS. V. C
PONTIFEX. MAJOR. XV. VIR. SACR.
FAC
PATER. SACR. DEI. INVICTI. MITHRÆ
TAUROBOLIO. CRIOBOLIOQ. PERCEPTO
UNA. CUM. RUF. VOLUSIANA. C. F
CON
JUGE. XVI. KAL. JULIAS. DD. NN
VALENTINIANO. ET. VALENTE.
AUGG. III. COSS. ARAM. DICAVIT

In latere aræ dextro turrita eſt Cybele à leonibus vecta: adſtat pinus, & ſub ea taurus. In lævo latere habes mithratum Attin, bis cinctum: dextra tenet fiſtulas, & crotala; læva autem pedum. Superiùs eſt cernere tympanum; ponè autem pinum, & ſub illa arietem: ſub hiſce ſeorſum eſt taurus. In parte averſa videas tranſverſas tædas, lituum, pateram, guttum ſive urceum, & ſympuuium. Habes apud Gruterum pag. XXVIII. Ac ibidem pluria reperias id genus.

Atque ex his inter alia videre eſt, qualis effingi ſoleat Cybele. Simulachrum hoc ejus circumgeſtabatur Romæ VI Kalend. April. Quod fieri quomodo ſoleat, docet Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. II Antiquit. Ubi ſic de matris Idææ ſacris ſcribit: Θυσίας αὐτῇ, καὶ ἀγῶνας ἄγουσιν ἀνὰ πᾶν ἔτος οἱ ϛρατηγοὶ κατὰ τοὺς Ῥωμαίων νόμους· ἱερῶνται δὲ αὐτῆς ἀνὴρ Φρὺξ, καὶ γυνὴ Φρυγία· καὶ περιάγουσιν ἀνὰ τὴν πόλιν οὗτοι μητραγυρτοῦντες, ὥσπερ αὐτοῖς ἔθος, τύπους τε περικείμενοι τοῖς ϛήθεσι, καὶ καταυλούμενοι πρὸς τῶν ἑπομένων τὰ μητρῷα μέλη, καὶ τύμπανα κροτοῦντες. Ῥωμαίων δὲ τῶν αὐθιγενῶν οὔτε μητραγυρτῶν τις, οὔτε καταυλούμενος πορεύεται διὰ τῆς πόλεως, ποικίλην ἐνδεδυκὼς ϛολὴν, οὔτε ὀργιάζων τὴν θεὸν τοῖς Φρυγίοις ὀργιασμοῖς, κατὰ νόμον, ἢ ψήφισμα βουλῆς. *Quotannis enim Romani prætores ſacrificant ei, ac ludos celebrant: ſacrum autem faciunt Phryx, & Phrygia, Deamque per urbem circumferunt, ſtipem colligentes magnæ Deæ, ex more, imagines de pectore geſtantes, & ad eorum, qui ſequuntur, in honorem matris Phrygiæ, hymnos tibiâ concinentes, tympanaque pulſantes. Nullus vero eſt ex indigenis Romanis, qui matri magnæ ſtipem colligat, aut tibia canens per urbem incedat, varia indutus veſte, aut orgia ejus Phrygio ritu celebret: idque ſic ſtatutum lege, aut ſenatus-conſulto.*

Etiam ſimulachrum hoc Deæ Almonis fluvii undis abluebatur. Ovid. IV Faſt.

Eſt locus, in Tiberim qua lubricus influit Almon,
Et nomen magno perdit in amne minor.
Illic purpureâ canus cum veſte ſacerdos
Almonis, dominam, ſacraque lavit aquis.

Ubi non ſolam Cybelen lotam indicat; ſed etiam ſacra; uti leones; unde Claudianus:

Prælatoque lavas Phrygios Almone leones.

Reate Umbriæ in Sabinis opidum Rheæ ſacrum: unde Silius lib. VIII.

—— Magnaque Reate dicatum
Cælicolum matri.

A cognominibus Deæ, & iis, quæ ad ſimulachrum ejus attinent, venio ad amaſium ejus: in cujus nomine non conveniunt veteres. Plurimùm Ἄττης vocari ſolet: unde Pauſanias in Achaicis, ὁ αὐτὸς Ἄττης *a*: &, Ἄττη τὸ ποιήμιον *b*: item, τὰ ἐς τὸν Ἄττην *c*. Apud Heſychium etiam eſt, Ἄττης, τὸν Ἄττην φασὶ Λάκωνες *d*. Aliis tamen Ἄττις. Harpocration: Ἄττις, Δημοσθένης ὑπὲρ Κτησιφῶντος. Ὁ Ἄττις παρὰ Φρυξὶ μάλιστα τιμᾶται, ὡς πρόπολος τῆς μητρὸς τῶν Θεῶν. ATTIS, *de quo Demoſthenes pro Cteſiphonte: Attis à Phrygibus maximè colitur, velut famulus matris Deorum.* Verùm hodie Demoſthenis codd. habent Ἄττης. Sed alterum etiam rectum eſſe, liquet ex Suida, qui Ἄττις agnoſcit; ſi ſtandum editione Mediolanenſi, Aldinâ, & poſtea conſecutis: imò & in MSo ſic reperit H. Stephanus. Interim ſuſpectior eſt locus, quia non ordine ſuo vox ea ponitur; ſed inter Ἀττίζω, & Ἀττάγας. Adducuntur ibidem verba hæc Demoſthenis, orat. pro Cteſiphonte ſive de Corona: Ὕης Ἄττις, Ἄττις Ὕης. Sed hodie apud Demoſthenem ibi Ἄττης legitur. Ac Strabonem quoque; qui & ipſe in decimo *e*, ubi iſta ex Demoſthene adducit, Ἄττης habet. Validius, quòd ibidem adferuntur hæc ex Theopompi comœdia, quæ Καπηλίδες *f* inſcribebatur: Κολάσομαί γέ σε, καὶ τὸν σὸν Ἄττιν· *Puniam te, tuumque Attin.* Unde Suidas collegit, accuſandi caſu non Ἄττια dici, ſed Ἄττιν. Ac habes hoc non ſemel apud Diodorum in tertio. Eſt igitur, ut ὄφις: ac gignendi caſu Ἄττιος, & Ἄττιδος facit. Unde & in veteri ara, quæ eſt Romæ in æde Beati Nicolai:

Μητέρι τῇ πάντων Ῥέῃ, παίων τε γενέθλῃ,
Ἄττιδί θ' ὑψίστῳ, καὶ συνιέντι τὸ πᾶν.
Omnium Opi matri, ſimul omni progeniei,
Attique excelſo, quem nihil orbe fugit.

Accuſativum ejus reperias in Latina etiam inſcriptione:

Qui colitis Cybelen, & qui Phryga plangitis Attin.

Sed poſſit hæc forma etiam eſſe ab Ἄττις Ἄττιδος, ut dicimus, Πάριν à Πάρις, Πάριδος, & Πάριδα, & Ἡλέκτρ. Sic & Ἄττιδος σῶμα *g* eſt apud Diodorum Siculum loco antè memorato. Eſt quoque Romæ, in S. Luciæ, ara ingens marmorea; cujus inſcriptio ſic incipit *h*: DIS. MAGNIS. MATRI. DEUM. ET ATTIDI SEXTILIUS, &c. Similiter habes in veteri inſcriptione aræ, quæ Romæ eſt in ædibus Colotianis *i*: M. D. M. ID. ET ATTIDIS MINOTURANI *k*. Ubi priora, ut dictum, valent, *Magnæ Deum Matris Idææ*. In ſummo item aræ eſt: M. D. M. IDÆÆ. ET ATTIDI MINOTAURO.

Imò & rectus eſt Ἄττιν Ἄττινος. Nempe ut alia pleraque tum in Σ, tum in Ν exeunt: qualia ἀκτίς, ἀκτίν· δελφίς, δελφίν· Σαλαμίς, Σαλαμίν: & Latinis, *pollis, pollen*; *ſanguis*, antiquè *ſanguen*. Xiphilinus ex Dione in Nerone: Ἐκιθαρῴδησέ τε Ἄττιν τινα, ἢ Βάκχας ὁ Αὔγουστος, *Auguſtus cecinit Attidem, & Bacchas.* Sic enim optimè in Catulli Gallijambum emendavit Scaliger: ubi in utraque Stephanica: Ἄττιν τινα, *Attin quendam.* Macrobii quoque eſt lib. I Saturn. cap. XXI: *Circa matrem Deum, & Attinem.* Item inſcriptione aræ marmoreæ, quæ Romæ eſt in ædibus Cardinalis Cæſii: M. D. M. I. ET ATTINIS; ubi ſingulares literæ quid valeant, nihil attinet toties repetere. Etiam Menoreæ in Hiſpania eſt fragmentum cum inſcriptione hac:

M. BADIUS. HONO
ET. CORNELIUS. SILV
TEMPLUM. MATR. MA
ATTHIN DE. S. P.

Ubi extrema valent, *Matri Magnæ, & Attini de ſua pecunia*: vel, *de ſuo poſuit.* Rectè uſus Cæſar Nero *a*:

—— Berecynthius Attin,
Et qui cæruleum dirimebat Nerea delphin.

Quæ cur Perſius derideret, non magis cauſſa erat, quàm hoc ejuſdem:

Sic coſtam longo ſubduximus Apennino.

Vel etiam:

Et raptum vitulo caput ablatura ſuperbo.

Ac imprimis illud:

Torva Mimalloneis implerunt cornua bombis.

Ubi ob oculos habuit Nero illud Catulli de nuptiis Pelei, & Thetidos:

Multi rauciſonis efflabant cornua bombis.

Nec immeritò Seneca *b* diſertiſſimum vocat verſum illum Neronis:

Colla Cytheriacæ ſplendent agitata columbæ.

Denique & Ἄττυς & Ἄττυος dixere; ut Φόρκυς Φόρκυος, & Φόρκυς Φόρκυνος. Imò & conſonarum, quæ geminantur, alterâ abjectâ, *Atys, Atyos.* Unde Galliambis in veteri editione *c* Catulli inſcriptio eſt, *De Berecynthia, & Aty.* Ac poëta ipſe ſic carmen orditur:

Super alta vectus Atys celeri rate maria.

Et ſimiliter toto poëmatio.

Quia verò Attis ſeſe eviràrat, ideo ſe apud Catullum vocat mulierem:

Ego mulier, ego adoleſcens, ego ephebus, ego puer.

Ita quoque eſt in editione prima; quæ Regii Lepidi prodiit anno CIƆ CCCC LXXXI. Aliqui legunt *puber*: ſed obſtat, quod Attis pro temporis ratione conditionem ſuam recenſet, ac per gradus ac puerinam devenit: ut non potuerit pubertatis mentio fieri, niſi poſt adoleſcentiam. Sententia igitur eſt, nunc in mulierem ſum converſus, qui ante adoleſcens, ante ephebus, imò ante puer eram. Seſe autem vocat mulierem, uti pro *Gallos* inibi maluit dicere *Gallas*. Nihilo melius eſt *inuber*: quod duobus placuit eruditiſſimis viris. Nempe ut *inuber* ſit ἀπογάλακτος, ſicut *ſububer* ὑπομάστιος, ut veteres gloſſæ interpretantur. Nec enim *inuber* eâ ſignificatione dicitur: ſed longè alia; idque ab *uber* pro *pingui*: quomodo Agellius *d* *oſtreas inuberes* dixit, quæ ſenio Lunæ factæ ſunt macilentæ.

Cap. LIII.

Sacerdotes matris Phrygiæ vocati Curetes; *ſed diſtinguendi Curetes Ætolici, Phrygii, ac Cretici. Unde* Curetes; *ac eâdem, unde* Acarnanes *dicantur. Nec* Curetes *ſolum, ſed &* Corybantes *appellatos, &* Cabiros, & Telchines, & Gallos, *& eorum antiſtites* Archigallos; *rationque horum adducta nominum. Sacerdotes Cybeles Samii eviratos teſta, tanquam aliis cotibus acutiori: nec propterea rectè putaſſe Nonium, Samium idem eſſe ac acutum.* Gallantes, *pro furentibus. Veſtis Gallorum diverſicolor. Capuut iidem rotabant; unde tremuli dicuntur B. Hieronymo. Inungebant capillos; faciem candidâ velabant byſſo; mulierem inſtar formabant greſſum ſuum; ut Deam ſanguine ſuo placarent, lacertos cruentabant; denique à populo mendicabant æra. Sacra Deæ vocata* Μητρῷα. *Sacros Deæ ludos vocari Megalenſes; à quibus diverſos eſſe ludos Magnos, ſive Romanos. Quis auctor ſit Megalenſium. Dea Phrygia à leonibus geſtata. Aries ei mactatus, unde* Criobolia *dicta: item taurus, ex quo nomen* Taurobolio; *quod &* vulgo Tauropolium. *Pinus in his ſacris geſtata, quæ cæſa ex luco Cybeles. In iiſdem ſoniſſe lituum, crotala; præcipueque cymbala, tympana, tibias. Edilſe ſe jactabant ex tympano,*

a *Ipſe Attes.*
b *Attæ ſanctum, dicatumque.*
c *Illa Atten ſpectantia.*
d *Attes, ſic Atten vocant Lacones.*
e P 471. *edit. Pariſ. an.* 1620.
f *Copæ, ſive mulieres cauponantes.*
g *Attidis corpus.*
h *Collect. Grut. pag.* 28. *num.* 2.
i *Ibid. num.* 4.
k *Pro* Minoturani *reſcribendum* Menotyranni: *ac inſcriptione item proxima* Menotyranno *pro* Minotauro: *ut monitum Cl. Salmaſio, notis in Lampridium* Μηνοτύραννος *eſt menſium rex, & anni moderator: quid Soli convenit. At Attis eſt Sol: ut planius fiet c.* 54.

a *Apud Perſium ſat.* 1.
b *Lib.* 1. *Natural. Quæſt. cap.* 9.
c *Regii Lepidi an.* 1481.
d *Lib.* 20. *cap.* 8.

no, bibiſſe ex cymbalo: deque variis, unde biberent, vaſis; item aliis ſacrorum inſtrumentis.

DE variis matris Deûm nominibus, & ſimulachro ejus; de amaſio item Attine; hactenus vidimus. Accedo ad ſecundum; quod eſt de ſacerdotibus, & ſacris. In ſacerdotibus duo conſiderabimus; tum nomina, quibus variè ſunt appellati; tum ritus, qui eos propiùs tangunt.

Sacerdotes Rheæ quàm multa ſortiti ſint nomina, docet his verbis Strabo in x: Οἱ παραδιδόντες τὰ Κρητικὰ, καὶ τὰ Φρύγια, ἱερουργίαις τισὶν ἐμπεπλεγμένοι *a*, ταῖς μὲν μυστικαῖς, ταῖς δ᾽ ἄλλαις, περί τε τὴν τοῦ Διὸς παιδοτροφίαν τὴν ἐν τῇ Κρήτῃ, καὶ τοὺς τῆς μητρὸς τῶν θεῶν ὀργιασμοὺς ἐν τῇ Φρυγίᾳ, καὶ τοῖς περὶ τὴν Ἴδην τὴν Τρωϊκὴν τόποις. Τοσαύτη δ᾽ ἐστὶν ἐν τοῖς λόγοις τούτοις ποικιλία, τῶν μὲν τοὺς αὐτοὺς τοῖς Κουρῆσι τοὺς Κορύβαντας, καὶ Καβείρους, καὶ Ἰδαίους Δακτύλους, καὶ Τελχῖνας ἀποφαινόντων· τῶν δὲ, συγγενεῖς ἀλλήλων, καὶ μικράς τινας αὐτῶν πρὸς ἀλλήλους διαφορὰς διαστελλόντων *b*· ὡς δὲ τύπῳ εἰπεῖν, καὶ κατὰ τὸ πλέον ἅπαντας ἐνθουσιαστικούς τινας, καὶ Βακχικοὺς, καὶ ἐνοπλίῳ κινήσει, μετὰ θορύβου, καὶ ψόφου, καὶ κυμβάλων, καὶ τυμπάνων, καὶ ὅπλων, ἔτι δ᾽ αὐλοῦ καὶ βοῆς ἐκπλήττοντας κατὰ τὰς ἱερουργίας ἐν σχήματι διακόνων τι, καὶ τὰ ἱερὰ τρόπον τινὰ κοινοποιεῖσθαι· ταῦτά τε, καὶ τὰ Σαμοθρᾳκῶν, καὶ τὰ ἐν Λήμνῳ, καὶ ἄλλα πλείω· διὰ τὸ τοὺς προπόλους *c* λέγεσθαι τοὺς αὐτούς· Ea ſic reddidit interpres: *Qui Cretenſes res tradunt, Phrygiaſque, ii quibuſdam ſacris miniſteriis implicant Curetes, cùm arcanis, tum aliàs Jovis in Creta educationi puerili, & Matris Deum ſacrificiis in Phrygia ac locis circa Idam Trojæ montem. Ingens eſt diverſitas iſtarum narrationum: alii eoſdem cum Curetibus ponunt Corybantas, Cabiros, Idæos Dactylos, Telchines: alii cognatos inter ſe, & exilibus diſtinctos differentiis. Ut in ſumma dicam, ab omnibus furore quodam divino correpti, & bacchantes deſcribuntur; qui armatâ ſaltatione cum tumultu & ſtrepitu, tintinnabulis, tympanis, armis, tibiâ, & clamore, in ſacrificiis perterreant homines ſub adminiſtrorum ſpecie. Atque hæc ſacra quodammodo communia habere pleraque cenſentur cum Samothracius, Lemniis, aliiſque compluribus; ideo quòd iidem omnium famuli perhibentur.* Hactenus Strabo. Κουρῆτες unde dicti ſint, non convenit. Cujus cauſſa eſt, quòd triplices ſint Curetes; Ætoli, Phrygii, & Cretici. Ætolici inhabitarunt Chalcidem cumque priùs comam alerent, ſed ab iis, quibuſcum de Lelanto campo decertarent, capillis apprehenderentur in pugna, noluere deinceps pugnare intonſi: atque ex eo dicti Κουρῆτες, quia κουρὰ eſt *tonſura*: uti contrà, qui trans Acheloum habitarent, vocari *Acarnanes*, quia non tonderentur, ex ἀστερητικῷ, & κείρειν, ſive καρεῖν, quod eſt *tondere*: unde & nomen *carminis*, non ejus quod canitur, ſed quo carminatur. Ab his igitur Chalcidis Curetibus cenſent Curetas Phrygiæ matris adminiſtros eſſe ortos: ac propterea nomen, quod ſecum attulerant, retinuiſſe. At Curetas Creticos ſic nominatos cenſent, vel ab ætate, quia κοῦροι, ſive κόροι, hoc eſt, adoleſcentes forent: (tales enim erant, qui in armis ſaltarent) vel à miniſterio, quia Jovem κόρον, hoc eſt, puerum, educaſſent. Aliis tamen placet, Rheam partui propinquam è Phrygia arceſſiviſſe Curetas in Cretam: quomodo vetus nominis ratio & in his habuerit locum. Et favet huic opinioni Euripides in Bacchis; ubi Curetas magnæ matris, & Jovis alumnos, pro iiſdem habet. *Corybantes* dici putarunt, quia κορύπτοντες βαίνοιεν, hoc eſt, *ſaltantes incederent*. Cumque de Curetibus ambiguum ſit, num origine ſint Chalcidenſes, an Phryges: de Corybantibus magis convenit, eos eſſe αὐτόχθονας *d*, & Aborigines Phrygum. *Cabiros* ajunt vocatos à Cabiro, Berecynthiæ monte. *Idæos Dactylos*, dictos quidem *Idæos* ab Ida monte, ad cujus pedem habitarunt: *Dactylos* autem, quia quinque eſſent numero, ac totidem haberent ſorores: ut juncti repræſentarent numerum τῶν δακτύλων, ſive *digitorum*. Denique *Telchines* appellatos, quia noverunt numero Rheam è Rhodo comitati eſſent in Cretam: quæ priùs *Ophiuſis*, poſtea *Telchinis e*, uti incolæ *Telchines*. Nec tamen de iſtis veteres omnes convenere: ſed alii alias adduxere cauſſas: quas apud Strabonem legere eſt. Planèque eſt veriſimile Καβείρους potiùs ab Hebræo fonte eſſe; ut diximus cap. xxxi.

a *MSus ἐμπεπλεγμένα.*
b *MSus διαστελλομένων.*
c *MSSi προπόλους.*
d *Indigenas.*
e *Strabo in 14.*

Sacerdotes quoque Deæ hujus *Galli* vocabantur. De nominis cauſſa diximus antea *a*. Nunc itaque contentus ſum Herodiani illo lib. 1: Ἐν δὲ τῷ προειρημένῳ Πεσσινοῦντι πάλαι μὲν Φρύγες ὠργίαζον ἐπὶ τῷ ποταμῷ Γάλλῳ παραρρέοντι, ἀφ᾽ οὗ τὴν ἐπωνυμίαν φέρουσιν οἱ τῇ Θεῷ τομίαι ἱερώμενοι· *Peſſinunte eo quem diximus, Phryges olim celebrabant Orgia, juxta fluvium Gallum: à quo etiam evirati Deæ ſacerdotes nomen ſuum obtinent.* Præcipui eorum dicebantur *Archigalli*: uti Plinio lib. xxxv, cap. x, Tertulliano in Apologetico cap. xxxv, veteri Juvenalis interpreti in ſat. ix *b*, & in vett. inſcriptionibus: ubi legas *c*, IVLIANI ARCHIGALLI: ſed imprimis illuſtris illa *d*: C. CAMERIUS. CRESCENS. ARCHIGALLUS. MATRIS. DEVM. MAGNÆ. IDÆÆ. ET. ATTIS. POPVLI ROMANI. VIVVS. SIBI. FECIT.

In hiſce ſacerdotibus, ac famulis Deæ Matris, novem iſta præcipuè ſpectantur; eviratio, furor, veſtitus multicolor, capitis jactatio, capillorum inunctio, mollities inceſſus, lacertorum ſectio, ejulatus, & ærufcatio.

Solitos evirari, idque ad tibiæ cantum, oſtendimus lib. 1, cap. xx. Fiebat autem id teſtâ Samiâ. Cauſſam adfert Plinius lib. xxxv, cap. xiii *Samiâ teſtâ Matris Deûm ſacerdotes, qui Galli vocantur, virilitatem amputant; nec aliter citra perniciem, ſi M. Cælio credimus; qui linguam ſic amputandam objecit gravi probro.* Gallorumque exemplo quidam ſimplicis homo ingenii, ut ſeſe ulciſceretur de uxore, Samiâ teſtâ ſibi, & penem, & coleos demeſſuit. Quâ de re ſic Lucillius in vii Sat.

Hanc ubi vult malè habere, ulciſci pro ſcelere ejus,
Teſtam ſumit homo Samiam, ſibique illico telo
Præcidit caulem, teſteſque una amputat ambo.

Adducit Nonius in *Samium*: quod Grammaticus ille exponit *acutum*: ridiculè planè, cùm coticulæ quidem ſectioni maximè accommodatæ è Samo peti ſoleant: eoque *ſamiare* dixerint pro *Samia cote acuere*: at non propterea gladium, roſtrum, vel ſaxum, Samium pro acuto liceat dicere. Verba autem Lucilii adduxi, uti corrigit Hadrianus Junius. At pro iſtis, *Sibique ilico telo*, in membranis Nonii noſtri MSSis eſt, *Ibi an uno telo inquit*: in aliis autem pro *an uno*, eſt *anulo*. In vulgatis etiam pro *præcidit*, eſt *præceſſit*. Ac Victorius lib. xvii, cap. xvii ait, *Animadvertendum illic à præcido præteritum tempus præceſſit e formatum eſſe*. Sed nunquam à *præcido*, fit *præceſſi*: & in optimis, quas dixi membranis noſtris, clare *præcidit* legitur: quæ abſque dubio vera eſt lectio.

Alterum erat de furore Gallorum: de quo item pluſcula diximus lib. 1, cap. xx. Suffecerit igitur hoc loco, quòd inde *gallare* dicantur, qui Gallorum imitantur inſaniam. Varro Eumenidibus *f*:

Nam quæ venuſtas hic adeſt gallantibus g?
Quæ caſta veſtis?

Ubi & mentio veſtis: quæ tertium ex novenis erat. Hæc multicolor fuit. Ποικίλην στολὴν *h* vocat Dionyſius lib. ii Antiq. Unde Fulgentius in Mythol. *Ideo &* (ſacerdotes Cybeles) *multiplici veſte, quod omnis potentia ornata ſit.*

De capitis jactatione itidem diximus *i*. Ac meminit ejuſdem Naſo in iv Faſt.

—— molleſque miniſtri
Cædunt jactatis vilia membra comis.

Et Lucanus lib. 1 *k*:

—— —— Crinemque rotantes
Sanguineum populis ulularunt triſtia Galli.

Ac ad hanc capitis rotationem, non, uti Eraſmus putabat, ad Divæ anilitatem, pertinet, quod *tremuli* dicuntur apud B. Hieronymum epiſt. ad Marcellam: *Hiſtrio nunc mollis in Venerem frangitur, nunc tremulus in Cybelen.*

Crines etiam aromatis erant diliburi. Præterea vultum candidâ velabant byſſo. Sic molles iſti, corporibus luxu-

a *Lib. 1, cap. 20.*
b *Verſ. 62.*
c *Gruter. Collect. pag. 306 num. 2.*
d *P. 308, num. 7.*
e *Niſi placet Victorium ſcripſiſſe* præcidit: *ut non Victorii ſit culpa, ſed librarii. Nempe id voluerit* præcidit *eſſe à* præcido *penultima longa, quatenus eſt* à cædo, *non autem* à cado.
f *Apud Nonium in Caſtrum.*
g Gallatibus *eſt in Aldina, & MSo noſtro. Sed* gallantibus *jam olim rectè editum in Mediolanenſi anni* 1500.
h *Variam ſtolam.*
i *Lib. 1, cap. 20.*
k *Verſ. 565.*

rie diffluentibus, femineum in morem incedebant. Quæ tria, inter alia, complexus eſt B. Auguſtinus lib. VII de Civit. Dei, cap. XXVI: *De mollibus eidem Matri Magnæ, contra omnem virorum mulierumque verecundiam, conſecratis, qui, uſque in heſternum diem, madidis capillis, facie dealbatâ, fluentibus membris, inceſſu femineo, per plateas, vicoſque Carthaginis, etiam a populis, unde turpiter viverent, exigebant.* Madidis quippe capillis dicit, ut Iarbas de Ænea, ad Cybeles comites alludens, IV Æn. ait:

Et nunc ille Paris, cum ſemiviro comitatu,
Mæoniâ mentum mitrâ, crinemque madentem,
Subnixus, rapto potitur. ——

Ubi Servius, *madentem* exponit, *unguentatum*. *Facie dealbatâ* idem ac *lintea veſtis candore puro luminoſi*; ut pro eo dixit Appulejus XI Met. *a* Fluentia membra cum inceſſu femineo adſignat; uti de Mæcenate dixit Vellejus in ſecundo: *Otio, & mollitiis, penè ultra feminam fluens.* Quomodo item Martialis ait lib. V, epigr. XLII:

Spadone cum ſis eviratior fluxo.

Et tam molles tamen quædam maſculè videbantur agere. Nam, inſpectante populo, lacertos ferro cruentabant: partim ad placandam Deam, quia ſanguine, ac præcipuè humano, propitiari numina credebantur: partim ob cauſſam naturalem, quam inferiùs dicam. Hoc de ritu ſic Statius Papinius in decimo Thebaidos:

Sic Phryga terrificis genetrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, conſumtaque brachia ferro
Scire vetat.

Appulejus lib. VIII Metam. *Diuque capite demiſſo, cervices lubricis intorquentes motibus, crineſque pendulos rotantes, & nonnunquam ſuos incurſantes muſculos, ad poſtremum ancipiti ferro, quod ferebant, ſua quiſque brachia diſſecant.* Tertullianus Apologet. cap. XXIV: *Archigallus ille ſanctiſſimus ſanguinem impurum lacertos quoque caſtrando libabat.* Prudentius Paſſione S. Romani:

Cultrum in lacertos exſerit fanaticus,
Sectiſque Matrem brachiis placat Deûm.

Sidonius carm. XI, ſive Epithalamio Ruricii, & Iberiæ:

Hic &, Sigæis ſpecubus qui Dindyma ludit,
Jam ſectus recaces Corybas.

Quem locum non ſatis cepit doctiſſimus Savaro: nam *ſectus* interpretatur, ſincipite tonſus, unde κυρῆτες vocati. Atqui longe eſt veriſimilius, eum reſpicere ad illud, quòd Corybantes in ſacris Cybeles brachia ſecarent ferro. Niſi ſimplicius videatur, *ſectus* exponere *eviratus*, *caſtratus*, ἐκτετμημένος τὰς ὄρχεις, qui & ſimpliciter ἐκτομίας. Poſſis etiam ad hanc ſectionem referre Ovidii, & Tibulli locos, quos adduxi lib. I, cap. XX.

De ejulatu ac planctu Gallorum, ibidem lege.

Stipem quia cogerent mendicando, eò dicti μητραγύρται, hoc eſt, *æruſcatores magnæ matris*. Vidimus de eo Oratoriarum Inſtitut. lib. IV, cap. VI, ſect. IV. Ac infrà, cùm de Idæa matre agetur, oſtendam, hoc commune fuiſſe Rheæ, & Iſidi. Romæ autem nonniſi ad paucos, eoſque præfinitos dies, colligere ſtipem licuit: idque ne implerent animos ſuperſtitione: quam rationem adfert Tullius in ſecundo de Legibus. Atque hæc æruſcatio etiam Carthagine obtinuit B. Auguſtini temporibus: ut cognoſcere eſt ex verbis ſuperiùs *b* adductis.

A ſacerdotibus Cybeles, venio ad ſacra ipſa, ubi priùs ut dicta ſint, videndum: deinde conſiderabimus rem ipſam. Sacra hæc, quia fierent in honorem matris Idææ, eò Μητρῷα vocabantur: unde Μητρῳακὴ βίβλος *c* Procli Lycii: quo de opere inferiùs *d* loquar. Quia verò eadem Dea appellaretur Μεγάλη θεὸς, ἢ μήτηρ, eò & ſacra ejus Μεγαλήσια dicebantur: unde & Latinis *Megalenſes ludi*: nempe quia in honorem Magnæ Matris fierent. Hoc liquidò teſtantur Cicero de Haruſpicum Reſponſis, Varro lib. V. de L. L. Livius lib. XXIX. At valde fugit ratio ſive Donatum, ſive Aſperum, vel alium, cujus de Comœdia & Tragœdia quædam vitæ Terentii, à Suetonio Tranquillo perſcriptæ, ſubjiciuntur. In iis legere eſt: *Megalenſes, magnis Diis conſecrati.* Quod longè aliter eſt. Nam magnis Diis, quales tres illi, Jupiter, Minerva, Juno, conſecrati erant ludi Romani, ſive Magni: quod clarè dicit M. Cicero lib. V Act. in Verrem. Atque hos inſtituit Tarquinius Priſcus; ut eſt apud Livium lib. I. At Megalenſes demum inducti, ubi Mater Magna Peſſinunte advecta eſt Romam: quod contigit anno Urbis IↃXLIX, M. Cornelio Cethego, & P. Cornelio Tuditano coss. Hunc antiqui illius Grammatici errorem ſecutus etiam eruditus Hiſpanus, Antonius Goveanus: eoque nomine reprehendi meruit à diſertiſſimo Mureto *a*.

a P. 201. ed. Raph.
b Hoc ipſo capite.
c De Sacris magnæ matris.
d Cap. ſequenti.

Hæc de nomine ſacrorum matris Idææ. Nunc de re dicendum: ubi quinque hæc occurrunt. Primùm ab auctore. Deinde de animantibus ad ſacra Deæ pertinentibus. Hinc de arbore, quæ in ſacris ejus geſtabatur. Exinde de ſacris Muſicis, quorum iis uſus. Denique de poculis, facibus, aliiſque inſtrumentis, quæ in iiſdem ſacris uſurpabant.

Sacra Cybeles primus inſtituit Dardanus; ut ait Clemens Alex. Admonitione ad gentes. Sed Attes Lydus, de quo tam multa antè diximus, primus eorum auctor ſtatuitur à Luciano de Dea Syria. Multum verò honori eorum detractum eſt temporibus Conſtantini Magni, qui Dindymenen matrem, unà cum leonibus utrinque ſimulachro appoſitis, in forum tranſtulit Byzantinum; ut à Zoſimo in ſecundo Hiſtoriæ novæ proditum eſt.

Proximum eſt, videamus de animantibus, quæ cernere erat in ſacris Cybeles. Hujuſmodi erant leones, vehendæ Deæ: item aries, & taurus, ut mactarentur. De leonibus, ex Arriani periplo locum antea adduximus, cùm de Phaſianâ matre ageremus. De iiſdem Zozimus loco proximè memorato. Item Claudianus lib. I de R. P.

—— —— *Blandique leones*
Submiſere jubas, adytis gaviſa Cybelle
Exilit, & pronas intendit ad oſcula turres.

Ab ariete, qui & in vett. lapp. conſpicitur, dictum ſacrum κριοβόλιον: cujus in iiſdem mentio fit. Is aries arbori alligabatur, priuſquam mactaretur. Quod Julius Firmicus tractum ait ab exemplo Abrahæ patriarchæ. *Vide*, inquit, *quid ſibi ludibrioſus hoſtis invenerit. Abraha immolaturo filium juſſu Dei aries ſupponitur, & in vicina arboris radicibus immolatur.*

Idem taurus, quem in iiſdem aris videmus, nomen ſacro dedit taurobolio, ibidem memorato. Imò ut criobolii, ſic taurobolii quoque mentio eſt apud eundem Firmicum, ſecundùm certiſſimam doctiſſimorum hominum *b* emendationem. Quare cognomen hoc ταυροβόλου variis convenit Deabus. Nam & Minerva Ταυροβόλος in Andro inſula colebatur, teſte Suida: & Diana quoque vocata eſt ταυροβόλος, quia confecerit telis ſuis taurum à Neptuno immiſſum Hippolyto, ut fabulantur. Simplicius ſanè dixeris, id nomen tributum Dianæ, ut Deæ venatrici.

Cæterum apud Heſychium, & Suidam, etiam ταυροπόλη, & ταυροπόλιον: atque itidem in Collectione Inſcriptionum Gruteriana non ſolùm *Taurobolium*, ſed etiam *Tauropolium* legitur. Quid mirum? quando & Diana non modò ταυροβόλος, ſed etiam ταυροπόλος nuncupatur. Hoc nomen ei Iſter *c* in III Miſcellan. datum putabat, quia taurum illum Hippolyto immiſſum in varias egerit terras. Apollodorus autem malebat ex eo eſſe nomen, quia Dea ipſa tauri inſtar cuncta circumeat: quod Græcè eſt πολεῖν. Simpliciſſimè dixeris, Lunam, quæ eſt Diana, jure vocari ταυροπόλον, quia corniculata, eoque tauri referens cornua, curſu ſuo diu noctuque omnem luſtrat terrarum orbem.

De pinu libro primo diximus, ut ea in medio continens ſimulachrum Attinis, ac lanis circumvoluta, & ramis coronata violaceis, geſtari ſoleat in ſacris. In geſtatione ea cum planctu & ululatu illidebant pectus ſuum: unde Statius Papinius *d*, verſibus ex parte antea memoratis:

Sic Phryga terrificis genitrix Idæa cruentum
Elicit ex adytis, conſumtaque brachia ferro

a Annotat. in Terent.
b Jos. Wouwerii, & aliorum.
c Apud Suidam in ταυροπόλῳ.
d Lib. 10 Thebaid. verſ. 165. & ſeqq.

Scire vetat: quatit ille ſacras in pectora pinus,
Sanguineoſque rotat crines.

Ubi extrema verba videntur expreſſa ex iſto Lucani lib. I, paullo ante nobis adducto:

—— *Crinemque rotantes*
Sanguineum populis ulularunt triſtia Galli.

Sic enim pro *Sanguinei* reſcripſi, partim Papinii loco impulſus, partim vett. editt. atque etiam MSS*is*: in his illo, quem habeo comitate Ampliſſimi, & veteri amicitiâ, atque affinitate, junctiſſimi, Davidis de Ruyter, in Brabantica Fœderatæ Belgicæ Curia Senatoris.

De pectore autem in pinum illiſo ſimiliter Claudianus lib. I in Eutropium:

Cymbala ferre licet, pectuſque illidere pinu,
Inguinis & reliquum Phrygiis abſcindere cultris.

Ea pinus cædebatur ex luco pineo Cybelæ ſacro: de quo ſic Dea ipſa IX Æneidos:

Pinea ſylva mihi multos dilecta per annos
Lucus in arce fuit ſummâ.

Et Prudentius in martyre Romano:

An ad Cybelles ibo lucum pineum?

Inſtrumenta muſica, quibus in ſacris Cybeles uterentur, varia erant. In his etiam lituus, & crotalum: ut ex vett. aris ſuperiùs vidimus. Sed præcipua fuerunt cymbala, tympana, & tibiæ: cymbala ex ære, tympana ex tergo animantis, & tibiæ ex buxo. Unde Statius Papinius in VIII Thebaidos:

—— *Geminæ æra ſonant, Idææque terga,*
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.

Ac eopſe etiam ordine junxerat Catullus carmine ſæpius memorato:

—— *Sequimini*
Phrygiam ad domum, Cybelles Phrygia ad nemora Deæ.
Ubi cymbalûm ſonat vox, ubi tympana reboant,
Tibicen ubi canit Phryx curvo grave calamo.

Itidem tria hæc, ac præterea cornua, expreſſit Lucretius lib. II:

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concava, raucisonoque minantur cornua cantu,
Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia mentis.

Sæpius duo ex his jungere contenti ſunt poetæ. Ut tibiam, & cymbalum, Claudianus lib. I de R. P.

Non buxus, non æra ſonant. ——

At tympana, & cymbala, lib. I in Eutropium:

—— *Habeas pro Marte Cybellen,*
Rauca Celenæos ad tympana diſce furores,
Cymbala ferre licet.

Sæpe etiam unius ſolìm meminere. Ut cymbali Maro III Æn.

—— *Corybantiaque æra.*

Unde dea dicta Χαλκόκροτος. Heſychius: Χαλκόκροτος, ἡ Ῥέα, διὰ τὰ κύμβαλα· *Ærisona, Rhea, propter cymbala.* Tympani item mentio in hoc Catulli de Attine:

—— *Cepit manibus leve tympanum*
Leve tympanum Cybelle, tua mater initia.

Atque alibi Varronis locum adducimus ὄνος λύρας. Ad tibiam pertinet illud in Ciri:

Ictave barbarico Cybeles antiſtita buxo.

Et Papinii hoc, quincto Thebaidos:

—— *Cùm ſacra vocant, Idæaque ſuadet*
Buxus. ——

Portò ex tympano etiam comediſſe, ex cymbalo bibiſſe, arguit Clemens Alexandrinus Admonitione ad Gentes: ubi commemorat, ut initiati ſacris Atyos, Cybeles, & Corybantum, ſoleant dicere: Ἐκ τυμπάνου ἔφαγον, ἐκ κυμβάλου ἔπιον, ἐκερνοφόρησα, ὑπὸ τὸν παστὸν ὑπέδυον· *Ex tympano comedi, ex cymbalo bibi, craterem geſtavi, ingreſſa ſum thalamum.* Julius Firmicus hanc formulam ſic refert libro de errore profan. relig. *De tympano manducavi; de cymbalo bibi; & religionis ſecreta perdidici:* quod Græco ſermone dicitur: ἐκ τυμπάνου βέβρωκα, ἐκ κυμβάλου πέπωκα, γέγονα μύστης. Ita ille.

Poculis etiam variis uſi. De cymbalo, unde biberent, jam vidimus. Variæ etiam formæ vaſa referunt aræ vett. ſuperiùs memoratæ: quæ poculi, pateræ, gutti ſive urcei, & ſympinii vocabulis nuncupant editores.

Alia quoque inſtrumenta in iiſdem repræſentantur: ut mitra, faces, lances, pedum. Ferrum etiam geſtabant. Lucretius lib. II *a*: a Verſ. 621.

Telaque præportant violenti ſigna furoris.

Ubi ſignificat cultros, quibus lacertos ſive brachia vulnerabant; ut aliquanto ante vidimus.

Cap. LIV.

Per Matrem Phrygiam ſignificari principium Naturæ paſſivum, præcipueque Lunam ac Tellurem: ſive vim generatricem, quatenus à Luna derivatur, à Terra autem recipitur. Cur dicta Mater tum Deorum, tum hominum. Cur vocetur Μαῖα, Δημήτηρ, Φερέφαττα. *Attis notat tum fruges, tum Solem. Procli Lycii* Μητρῳακά. *Quid ſignificarint per Gallorum caſtrationem, per lacertorum cruentationem, per Deæ ablutionem, per caput ejus turritum. Cur* Ὀρεία *dicta. Unde ſit, quòd feminæ Ciliſſæ, ac Myſicæ, caput velent tegmine, quod turrim referat. Quid in ſacris Cybeles ſignarint faces, tympanum, cymbalum: quid item Attinis fiſtula, & virga. Cur aër terram vehere dicatur. Cur Rheæ cor ſacrarint.*

Quæ hactenus attulimus de Cybeles ſacris, ea partim adducta, ut meliùs veteres intelligantur ſcriptores; partim ut animadverſa cæcitate gentilium, gratiores erga Deum ſimus, Chriſtumque ejus; qui Euangelii luce tenebras de mentibus diſpulit noſtris. Nunc ad alterum venio caput, quomodo pleraque omnia eorum, quæ hactenus enarravimus, rerum adumbrarint naturam.

Ab ipſa ordiar Dea. Hæc ſi attendatur, prout numen eſt naturale: quemadmodum per Saturnum intelligitur principium naturæ activum, ac cælum imprimis, inque cælo potiſſimum Sol: ita quoque per uxorem ejus capere oportebit principium naturæ paſſivum, ac præ naturæ cæteris, in cæleſtibus quidem Lunam, in elementis autem Tellurem. Itaque Heſychius, cùm priùs dixiſſet, Κυβήβην (ſic enim apud eum eſſe legendum, diximus antea) ſubjungit, eandem eſſe Rheam, per quam nunc Luna intelligitur, vel Tellus; nunc junctim vis Lunaris, & Tellus eam recipiens, utraque ut rerum omnium generatrix. Addit Heſychius, eandem eſſe Βένδιν: nempe quia hoc nomine comprehendebant Lunam, & Tellurem; ut pleniùs dicetur, cùm de Thracum cultu agam. Sed utcunque Rhea, & Bendis, tum Lunam, tum Tellurem ſignet; hic loci ſolùm conſideramus, quatenus Tellurem deſignat; unde & *Rhea* dicta eſt. Nec enim Ῥέα eſt ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, quod eſt *fluere*, ſive quia ſit cauſſa pluviæ; quam rationem adducit Phurnutus: ſive quòd per eam intelligatur fluxus naturæ ſeminalis; prout tradit Epiphanius in Ancyroto: ſed ut gentium ſacerdotes pro ἀὴρ maluere, literis trajectis, Ἥρα: ita iidem pro ἔρα, quæ eſt *Terra*, myſterii ergo maluere ῥέα. Hanc dixere *Matrem magnam*, quia matris eſt parere, & uberibus nutrire. Tellus autem eſt omnium hominum materies, & alimonia. Ac omnium quidem Deorum mater vocatur, quatenus deſignat principium totius Naturæ paſſivum; ut Saturnus, maritus ejus, activum; quod antea paucis attigi, & pluribus poſtea demonſtrabitur. Sed prout hominum omnium mater dicitur, intelligi per eam debet Terra, communis omnium noſtri mater. Quò pertinet illud Lucretii in ſecundo *b*: b Verſ. 657.

Concedamus, ut hic terrarum dicat & orbem
Eſſe Deum matrem.

Et paſſim ſe alia offerunt id genus. Contentus igitur ero hoc Julii Firmici, ſive Villium malis dicere: prout in plerìſque codd. exaratum eſſe, Lilius inquit Gyraldus in c De Rhea pag. 39.
ſuo de Diis ſyntagmate *c*. Ejus Firmici verba ſunt: *Phryges,* verſ. ult.

ges, qui Peſſinuntem incolunt, circa Galli fluminis ripas, terræ cæterorum elementorum tribuunt principatum: & hanc volunt omnium eſſe matrem. Propterea etiam Μαῖα eſt nuncupata; ut Proclus in Timæum *a* teſtatur: ſed addit, & Nocti id nomen datum; ut in iſto:

a P. 294. edit. Baſil.

Μαῖα θεῶν ὑπάτη νὺξ ἄμβροτε, πῶς τάδε φράζεις;
Maja ſuprema Deum, Dea Nox, qui talia faris?

Sanè & Somnus nos alit; imò, ut creditur vulgo, glires eo pingueſcunt. μαῖα autem τροφὸς, *nutrix*. Verum cùm Rheæ id nomen tribuitur, non ſolùm *nutricem*, ſed & *matrem* liceat reddere. Nam, Euſtathio *b* teſte, μαῖα etiam *genetrix*, atque adeò *avia*. Utraque appellatio optimè convenit Rheæ, ſive Telluri: unde & Δημήτηρ, (quæ quaſi Γῆ μήτηρ dicitur *c*, eſtque frugum productrix) etiamque Περσεφόνη ſive Φερέφαττα, quatenus eadem, ac Δημήτηρ, habetur: Μαίας nomine nuncupatur. Utrumque nemo nos meliùs docuerit Porphyrio in quarto de Abſtinentia animalium: Τῆς δὲ Φερεφάττης, παρὰ τὸ φέρβειν τὴν φάτταν, φασὶν οἱ πολλοὶ τοὔνομα τῶν θεολόγων. ἱερὸν γὰρ αὐτῆς ἡ φάττα. διὸ καὶ αἱ τῆς Μαίας ἱέρειαι, ταύτην αὐτῇ ἀναλιθέασι. Μαῖα δὲ ἡ αὐτὴ τῇ Περσεφόνῃ, ὡς ἂν μαῖα καὶ τροφὸς οὖσα. Χθονία γὰρ ἡ θεὸς, καὶ Δημήτηρ ἡ αὐτή. *Multi ex theologis ajunt, nomen Pherephattæ, quæ Proſerpina eſt, eſſe conflatum ex* φέρβειν, *alere* (niſi legendum, φέρειν, ferre) *&* φάττα *palumbus: quoniam palumbus ei ſacer. Ideo &, quæ ſacerdotes ſunt Majæ, palumbum ei offerunt. Maja autem eſt Proſerpina, quæ vere* μαῖα, *ſive nutrix. Terreſtris enim Dea eſt, ac eadem quæ Ceres.* Et fortaſſe eadem eſt Romanorum Dea Maja: de qua inferiùs dicetur.

b Iliad. α. pag. 10. Rom. edit. & alibi.
c Vide plenius de hoc c. LVIII.

Nunc videamus, quid ſignificetur per amaſium Cybeles, ab ea caſtratum, hinc mortuum, ſed qui poſtea revixerit; uti fabulantur. De iſto ſic Julius Firmicus *d* ſcribit: *Etiam hæc ſacra phyſicâ volunt eſſe ratione compoſita. Amare terram volunt fruges: amatum vero hoc ipſum volunt eſſe, quod ex frugibus naſcitur: pœnam autem, quam ſuſtinuit, hoc volunt eſſe, quòd falce meſſor maturis frugibus facit. Mortem ipſius dicunt, quod ſemina collecta conduntur. Vitam rurſus, quòd jacta ſemina annuis vicibus reconduntur.* Aliter tamen hæc interpretatur Macrobius lib. 1 Saturn. cap. XXI: ubi per Attinem, non fruges capit, ſed Solem; cujus adſpectu nihil eſt jucundius terræ. Nempe ut par ratio ſit, ac eſt fabulæ de Venere & Adonide: ubi itidem Venus eſt Terra, Adonis autem Sol. Nihil igitur mirum, ſi inſcriptione eâ, cujus initium ſuperiùs appoſuimus, omnia toto orbe dicatur Attis noſſe. Quid enim fugiat Solem?

d Lib. de errore profanæ religionis.

—— *Videt hic Deus omnia primus:*

ut de eo cecinit Naſo *e*. Sed facilè iſta conciliaveris; quando, ut dictum *f*, & Venus, & mater Phrygia, non ſolùm ſunt Tellus, ſed etiam Luna. Quatenus Luna intelligitur, Sol amatur: quatenus Tellus capienda, & Sol amatur, & fruges.

e Met. 4. fab. 5.
f Cap. 27. hujus lib.

A Cybele, & Attine, venio ad ſacra eorum; de quibus præclarè olim diſſeruerat Proclus Lycius; is cujus commentarium in Timæum, deque Platonica Theologia opus, & tot alia habemus. Μητρωακὴν βίβλον inſcripſerat, de quo ita Suidas: Ἔγραψε Πρόκλος μητρωακὴν βίβλον, ἣν εἴ τις μετὰ χεῖρας λάβοι, ὄψεται ὡς οὐκ ἄνευ θείας κατοκωχῆς τὴν περὶ τὴν θεὸν θεολογίαν ἐξέφηνεν ἅπασαν. ὥστε μηκέτι θορυβεῖσθαι τὴν ἀκοὴν ἐκ τῶν ἀπεμφαινόντων θρήνων. *Scripſit Proclus librum de Magna Deorum Matre: quem ſiquis ſumſerit in manus, videbit, ut, non ſine inſpiratione divina; omnem de illa Dea theologiam manifeſtârit; ne aures hominum amplius turbentur ob lamenta, & planctus, qui in ſacris Deæ exhibentur.* Poſtquam verò inſigne hoc opus injuriâ temporum periit; non abs re erit, ſi & de ſacris iſtis præcipua myſticè exponamus. Præit autem Varro lib. XVI rerum divinarum, apud Auguſtinum lib. VII de Civit. Dei *g*: *Eandem dicunt matrem magnam: quod tympanum habeat, ſignificari eſſe orbem terræ: quod turres in capite, oppida: quod ſedes fingantur circa eam, cùm omnia moveantur, ipſam non moveri: quod gallos huic deæ, ut ſervirent, fecerunt, ſignificare eos, qui ſemine indigeant, terram ſequi oportere; in ea quippe omnia reperiri: quod ſe apud eam jactant, præcipitur, qui terram colunt, ne ſedeant; ſemper enim eſſe, quod agant. Cymbalorum ſonitus, ferramentorum jactandorum, ac manuum, & ejus rei a crepitus, in colendo agro, quid ſit b, ſignificat. Ferramenta illa erant c ideo ex ære, quod eam antiqui colebant ære, antequam ferrum eſſet inventum. Leonem adjungunt ſolutum ac manſuetum, ut oſtendant, eſſe nullum genus terræ tam remotum, ac vehementer ferum, quod non ſubigi, colique conveniat.* Pleraque iſtorum illuſtrabimus: etiam ſuperaddam aliqua hic intacta.

g Cap. 24.
a Fort. pro ejus rei, leg. æris.
b Pro quid ſit fortaſſe leg. quod ſit.
c Verba hæc Ferramenta illa erant, in quibuſdam codd. deſiderari, monet Vives.

Ac primùm videamus, cur, ut pluribus veterum teſtimoniis antea oſtendimus, ſacerdotes virilia reſecuerint, cur laceràrint lacertos, cur fluvio laverint ſimulachrum Deæ. Primum reſpicit ſegetem, quæ demetitur. Eſt autem in meſſe vis ſeminalis. Nam ut vis prolifica eſt à verendis, ſic ſemina à ſegete. Ut ſemina hæc terræ mandentur in novæ ſegetis ſpem, aratro ſcindendus eſt ager. Hoc aratione lacertorum repræſentabant. Sed non ſufficit ager, niſi irrigetur, vel flumine, vel pluviâ. Itaque ſimulachrum Deæ die ſolemni abluebatur. Ita hæc ſacra interpretatos eſſe gentiles, docet Tertullianus adverſus Marcionem lib. 1, c. XIII: *Ipſa quoque vulgaris ſuperſtitio communis idololatriæ, cum in ſimulacris de nominibus, & fabulis veterum mortuorum pudet; ad interpretationem naturalium refugit, & dedecus ſuum ingenio obumbrat, figurans Iovem in ſubſtantiam fervidam* d, *& Junonem ejus in aërem* e, *ſecundùm ſonum Græcorum vocabulorum: item Veſtam in ignem; & Camenas in aquas, & Magnam Matrem in terram ſeminalia demeſſam, lacertis aratam, lavacris rigatam.*

d Quia Ζεὺς, à ζεῖν, hoc eſt, fervere, dici credebatur.
e Quoniam ἥρα ex ἀὴρ κατὰ μετάθεσιν.

Cur turrim Dea capite gerat, exponit Lucretius in ſecundo:

Muralique caput ſummum cinxere coronâ,
Eximiis munita locis quod ſuſtinet urbis.

Niſi cum Giffanio, & optimis membranis noſtris, malis *eximis*; quod valebit *planè imis*: ut *ex* ſit αὐξητικὸν, quemadmodum in *edurus*, & ſimilibus. Eandem cauſſam adfert Servius in III Æn. *f*. *Quod autem turritam geſtat coronam, oſtendit, ſuperpoſitas terræ eſſe civitates, quas inſignitas turribus conſtat.* Atque idem tradit in X Æn. *g* Item Phurnutus his verbis: Πυργωτὸν δὲ (ἡ Ῥέα) περίκειται ςέφανον, ἤτοι διὰ τὸ κατ' ἀρχὰς ἐπὶ τῶν ὀρῶν τίθεσθαι τὰς πόλεις ὀχυρότητος ἕνεκεν, ἢ ἐπεὶ ἀρχηγός ἐστι τῆς πρώτης, καὶ ἀρχετύπου πόλεως τοῦ κόσμου. *Turritam circumdata eſt coronam, vel quia antiquitus in montibus ædificarentur urbes, quo eſſent munitiores: vel quoniam eſſet cauſſa, & origo principalis mundi ſubſtantiæ.* Sed prior ratio eſt ſimplicior: ut turrita dicatur, quia Tellus turres & oppida habet: unde & Maro *h*;

f Verſ. 113.
g Verſ. 254.

Alma parens Idæa Deûm, cui Dindyma cordi,
Turrigeræque urbes.

h Lib. 10. verſ. 252.

Ex eo autem, quòd Dea geſtaret turrim, factum eſt, ut feminæ Turcicæ hodieque gaudeant tegumento turrim imitante: velut oculatus teſtis P. Gillius. Verba eruditiſſimi apponam viri è lib. II de Boſphoro, cap. XIX: *Templum Phrygiæ Deæ, matris Deorum, Rheæ nuncupatæ, in clivis debuit potius eſſe, quam in maritima planitie; ex eo, quòd montibus gaudeat, ideoque* Ὀρεία *i appelletur, & Turrita Dea; quia olim arces, quibus Rhea patrocinatur, in montibus ſitæ eſſent, ob loci robur. Rheam, habentem caput turritum, mulieris Cilices, & Turcicæ, & Myſiæ, imitantur, ferentes capitis tegmen, turris ſimilitudinem gerens.*

i Diodorus Siculus lib. 3. & Phurnutus cap. de Rhea.

Faces notabant fulmina; tympana autem, & cymbala, ſignabant tonitru. Eſt hæc ſententia Phurnuti: qui eò magis inclinavit, quia Ῥέαν ἀπὸ τοῦ ῥεῖν, quod eſt *fluere*, dici putaret; atque eo reſpici, quòd imbres cælo mittantur. Atqui, inquit, οἱ ὄμβροι ὡς ἐπὶ πολὺ μετὰ βροντῶν καὶ ἀςραπῶν συμβαίνειν γίνεσθαι· καὶ ταύτην παρεισάγουσι τυμπάνοις, καὶ κυμβάλοις, καὶ κεραυνοῖς, ἢ λαμπαδοφορίαις χαίρουσαν· *Imbres enim ut plurimùm cum tonitru, ac fulmine, contingunt. Quare eam inducunt, ut gaudentem tympanis, ac cymbalis, & fulminibus, ſive facibus geſtatis.*

Cur

Cur fiſtulâ Attis ornetur, & virgâ, optimè expoſuit Macrobius loco proximè memorato. Nempe virga ſymbolum eſt regiæ poteſtatis, quam Sol obtinet omnium moderator. Fiſtulâ verò ſignificatur ventus, ſive aër, qui terram ambit, imò etiam velut ac ſuſtinet: ut loquitur, non Lucanus modò, qui à Cæſare quoque Scaligero *a* reprehenſus, propter illud *b*:

a In 6 de Poëtica, qui Hypercriticus inſcribitur.
b Lib. I, verſ. 88.

—— Dum terra fretum, terramque levabit
Aër: ——

ſed etiam Claudianus, cujus eſt:

Et qui perpetuo terras ambitque, vehitque,
Nec premat incumbens, nec ceſſerit ignibus aër.

Imò Plinius ipſe, qui lib. II, cap. V, de aëre ſic ſcribit: *Hujus vi ſuſpenſam, cum quarto aquarum elemento, librari medio ſpatio tellurem.* Atque aeris hujus, qui terris ſubeſt, & hunc terræ & aquæ globum vehit, ſymbolum etiam ſunt leones, vehentes currum matris Peſſinuntiæ. Unde Lucretius in II:

Hanc veteres Grajûm docti cecinere poëtæ
Sublimem c *in curru bijuges agitare leones,*
Aeris in ſpatio magnam pendere docentes
Tellurem, neque poſſe in terra ſiſtere terram.

c Lambinum ſecutus ſum. Optimæ tamen membranæ noſtræ habent, Sedibus.

Et Macrobius loco antea memorato: *Hæc Dea leonibus vehitur, validis impetu ac fervore animalibus: quæ natura cæli eſt; cujus ambitu aer continetur, qui vehit terram.*

Quia item omnia è terra naſcuntur, eò & cor illi ſacratum, quod vitæ fons eſt. Phurnutus in Rhea: Καρδίαν δ' ἀνατιθέασιν αὐτῇ, παρεμφαίνοντες, ὅτι αἰτία τῆς ζωογονίας αὕτη ἐγένετο· *Cor ei conſecrant, indicantes eam eſſe cauſſam generationis animalium.* Quanquam & ſimplicius poſſis interpretari, quòd corde, tanquam affectus ſymbolo, toto ſeſe ipſos animo devoverint.

Cap. LV.

Acceditur ad Syros: quo nomine ſtrictius uti Scripturas, laxius autem ſcriptores externos. Venenum pro colore. Venus Byblia tum Luna eſt, tum Terra & Aquæ globus. Per Adonidem ab apro interemtum denotari Solis in hiberna ſigna ingreſſum. Itidem per Deam Syriam, ſive Hierapolitanam, ſeu Junonem Aſſyriam, unà cum Luna intelligi Tellurem, omnemque naturam Lunæ ſubditam. Variæ ex Luciano opiniones de eo, qui condiderit Deæ Syriæ templum. Similiter per Atergatin, ſive Derceto, unà cum Luna Tellurem indicari.

Diu multumque inſtitimus Ideæ Deûm matri: unde plurimum lucis capient alia aliarum gentium numina, itidem ad Tellurem reducenda: in quibus propterea futuri ſumus breviores.

Ordiar (ut primùm intra Aſiam me contineam) à Syris; inde in Ægyptum abiturus. Syriæ autem nomine non jam Scripturæ more utor; ubi *Aram*: (quam Syriam reddunt interpretes LXX) tum de Meſopotamia dicitur, quæ vocatur *Aram Naharaim*, & *Padan Aram*: tum de Cœleſyria, unde legas *Aram Dammaſek*, hoc eſt, Syria Damaſcena: item *Aram Zoba*, hoc eſt, Zophena, ut vocat Joſephus, & ita in aliis. Itaque eædem Sacræ literæ nomine Aram diſtinguunt Syriam à Phœnicia, & Palæſtina; ut videre eſt Jud. X, 6, & II ſive IV Reg. XXIV, 2. Laxiùs igitur Phœnices etiam complectimur; idque more Græcorum, ac Romanorum: quibus & Aſſyriorum, ac Syrorum nomina confunduntur. Unde Ciceroni *a* Sardanapalus Syriæ rex, & eidem *b* Chaldæi in Syria ſtatuuntur: Maroni *c* item *Aſſyrium venenum* pro *Phœnicio.* Tyriam enim purpuram intelligit: quam *venenum* vocat exemplo tum Græcorum, quibus itidem φάρμακον pro *tinctura*; tum illo Cn. Martii *d*,

a Tuſcul. 5.
b Lib. I de Divinat.
c Georg. 3.
d Apud A. gell. l. 20. cap 9.

Quos concha purpura imbuens venenavit.

Phœnicibus Venus Byblia magno in pretio erat. Lucianus de Dea Syria: Εἶδον ϗ ἐν Βύβλῳ μέγα ἱρὸν Ἀφροδίτης Βυβλίης, ἐν τῷ ϗ τὰ ὄργια ἐς Ἄδωνιν ἐπιτελέουσι· *Vidi & Bybli templum magnum Veneris Bybliæ: in quo & ſacros ritus in Adonidis honorem celebrant.* Quibus ceremoniis hic cultus conſtiterit, ex eodem Luciano, & aliis, diximus cap. IV. Eſt verò Venus Byblia aggregatum ex Luna, & globo Terræ ac Aquæ, quatenus ab iis generantur omnia, quibus genus nutritur humanum: ut ſatis appoſitè *Venus* dicta ſit, quia per eam vis generatrix intelligitur. Etſi verò & Venus Byblia ſit Luna: ſi tamen fabulam de ea, & Adonide, penitiùs conſideremus; parebit, magis omnia ad Terram, ſive Terræ & Aquæ globum, quàm ad Lunam pertinere. Atque hoc etiam Macrobius oſtendit; cujus verba ibidem *a* adduximus. Eamque interpretationem etiam in primo Uraniæ ſequitur Jovianus Pontanus. Nam cùm fabulam iſtam enarraſſet, ſubjungit deinde:

a Cap. 4.

Terra etenim Solem queritur deſerta cadentem,
Invidit quem triſtis hyems, cui ſævior apri
Horret cana gelu facies ——

Sol cadere dicitur, quando planè eſt auſtralis, terraſque noſtras radiis ferit maximè obliquis. Id fit, Sole ingrediente ſignum Capricorni. Tum vitalis calor terras maximè deſtituit: unde Adonis, id eſt, Sol, dicitur occidi ab apro, hoc eſt, hieme, quæ apri inſtar ſævit; vel Capricorno, quandoquidem Græcis eſt κάπρος, qui nobis κατ' ἀφαίρεσιν *aper.* Tota igitur hieme luget Venus, hoc eſt, terra, ſive terræ vis generatrix. At quarto poſt menſe incipit ſe Venus erigere, quia Sole Arietem ſubeunte, vernus terras calor aperit, ac laxat, eaſque fœcundat, inſtar mariti. Unde ibidem Pontanus:

Ipſa Venus, poſtquam lachrymæ effluxere, geniſque
Defecit liquor, & capiti coma longa revulſa eſt,
Ter menſem exanimis jacuit, vix denique quarto
Lucem hauſit, vultus & adhuc ſuſpirat amatos.

Et poſtea:

Ergo ubi Sol imo victor convertit ab Auſtro,
Tum gravidos aperitque ſinus, & cæca relaxat
Spiramenta, novas veniat quà ſuccus in herbas,
Et tandem complexa ſuum lætatur Adonim.

Quod verò de Venere Byblia diximus, idem ſtatuendum videtur de ea, cujus templum in Libano, unius diei à Byblo itinere, à Cinyra, rege antiquiſſimo, erat exſtructum; teſte Luciano *b.*

b De Dea Syria.

Nec Aſtarte tantummodo Luna, ſed & Tellus intelligenda; ut dictum cap. XXI: ubi fusè de hac egimus.

Itidem Syris, ſive Aſſyriis, Dea Syria non ſolùm Luna eſt; ſed etiam Terra. Idem enim numen ſunt, ἡ τῆς Συρίης θεός, Ἥρη ἡ Ἀσυρία, καὶ ἡ ἐν τῇ ἱρᾷ πόλει θεός· *Dea Syria, Juno Aſſyria, & Dea Hierapolitana.* De hac exſtat erudita Luciani diſſertatio: quam ſic orditur: Ἔστιν ἐν Συρίῃ πόλις, οὐ πολλὸν ἀπὸ τοῦ Εὐφρήτεω ποταμοῦ· καλέεται δὲ ἱρή, καὶ ἔστιν ἱρὴ τῆς Ἥρης Ἀσυρίης· *Eſt in Syria civitas non longè ab Euphrate fluvio; vocatur autem Sacra, & eſt ſacra Junoni Aſſyriæ.* Nec quòd Dea Syria ſit Juno, obſtare ei exiſtimandum, quod Tellurem ſignare dicebamus. Nam Juno Orienti eſt aggregatum ex Luna, & omni naturæ Lunæ ſubjectâ; Aëris dico, & Terræ, atque Aquæ elementis: quâ de re inferius agetur. Quocirca probè hoc convenit cum eo, quod Lucianus ibidem refert, audiſſe ſe ex ſapiente viro, Deam hanc Hierapolitanam eſſe Rheam. Quod deinde his verbis confirmat: Σημήια δὲ ἡ θεὸς τὰ πολλὰ ἐς Ῥέην ἀποχρέεται· λέοντες γάρ μιν φέρουσι, καὶ τύμπανον ἔχει, καὶ ἐπὶ τῇ κεφαλῇ πυργοφορέει, ὁκοίην Ῥέην Λυδοὶ ποιέουσι· *Multa ſigna adſunt Deæ, quæ faciant, ut Rhea videatur. Nam & leones ipſam ferunt, & tympanum habet, & coronam in capite turritam geſtat: qualem & Lydi Rheam effingunt.* Poſtea autem aliud etiam ſubdit, in quo itidem conveniat hæc Dea cum Rhea. Nam ut Galli Rheæ, ſic & Hierapolitanæ Deæ ſacerdotes caſtrari ſolent, exemplo Attinis.

Divæ hujus Hierapolitanæ ſimulachrum tota mulier erat. Plinius *c* tamen, de Bambyce, ſive Hierapoli, loquens, Deam hanc prodigioſam vocat: atque eo hoc ſuperiore retulimus libro *d*, quod, eodem Luciano auctore, in Phœ-

c Lib. 5. cap. 23.
d Cap. 23.

nicia coleretur Dea quædam figurâ ſemimulieris, & ſemipiſcis. Sed hanc fuiſſe imaginem Atergatidis, ſive Dercetûs, de qua mox dicemus, credamus ſane Plinio, ac Luciano. At parum fit veriſimile, Aſſyriam Junonem ſic Bambyce ſive Hierapoli effictam: neque id temerè aliquis dixerit, qui de Syria Dea legerit Lucianum, hominem non modo doctiſſimum, ſed præterea Syrum, teſtemque omnium oculatum: qui & cuncta ex ſacerdotibus ipſis, atque aliis, ſe exquiſiiſſe profiteatur.

Templum hoc Hierapolitanæ ſeu Syriæ Deæ condidit Stratonice, Antiochi Σωτῆρος noverca, & uxor, quæ Combabum perditè adeo amavit. Sed vetus illius templum à quo exſtructum ſit, ob antiquitatem ejus non convenit. Aliqui tribuêre Libero, cùm in Orientem ſuſcepiſſet expeditionem. Alii Attini Lydo ex Phrygia in Syriam profecto. Alii Semiramidi, cujus & imago ad ſiniſtram templi erat, dextrâ ædem demonſtrans, ut oſtenderet, non ſe, ſed Deam Hierapolitanam, coli oportere. Semiramidis autem fuiſſe imaginem, argumento erat columba aurea in vertice: quod ſymbolum non alterius, quam Semiramidis fuiſſe, liquet ex iis, quæ libro ſuperiori *a* dixímus. Alii denique tribuère Deucalioni Scythæ: quo nomine non illum Moſis æqualem, ſed Noachum ſignari: liquet ex iis, quæ eruditus ille Syrus narrat *b* de antiquis hominibus univerſali diluvio ſublatis, & λάρνακι ſive arca, qua Deucalion cum uxore, & liberis, & omnis generis animantibus, fuerit ſervatus.

a Cap. 23.

b *Lib. de Dea Syria.*

Deæ Syriæ ſæpius mentio eſt in Collectione Inſcriptionum Gruteriana pag. LXXXVI: unde & diſcere eſt, quomodo ſoleat effingi. Nempe, velata caput tiarâ, ſive diademate lunato, ac dextrâ tenens noctuam, lævâ autem quiddam non abſimile cochleari, parte pectoris nuda, reliquâ vero laciniosâ veſte contecta.

Præterea Tellus intelligebatur ab Aſſyriis per Atergatin: quæ & Derceto, κατ' ἀφαίρεσιν: nempe uti ab *aſparagus*, *ſparagus* c, *trux*, ab *atrox*, & ita in ſimilibus. Numen hoc bifariam conſideratur; ἱστορικῶς, ut eſt mater Semiramidis; quomodo ſpectavimus libri ſuperioris cap. XXIII: & φυσικῶς, prout eſt Rhea, hoceſt, ἔρα, ſive Tellus; quo pacto exponit Phurnutus περὶ θεῶν, ut ibidem diximus. Ac ſimiliter Macrobius lib. I Sat. cap. XXIII: *Aſſyrii Deo, quem ſummum maximumque venerantur, Adad nomen dederunt: ſubjungunt eidem Deam nomine Adargatin: omnemque poteſtatem cunctarum rerum his duobus attribuunt, Solem Terramque intelligentes.* Et mox: *Simulachrum Adad inſigne cernitur radiis inclinatis: quibus monſtratur, vim cæli in radiis eſſe Solis, qui demittuntur in terram. Adargatis ſimulachrum ſurſum verſus reclinatis radiis inſigne eſt; monſtrando radiorum vi ſuperne miſſorum, enaſci quæcunque terrâ progenerat. Sub eodem ſimulachro ſpecies leonum ſunt, eâdem ratione terram monſtrantes, quâ Phryges finxere matrem Deûm, id eſt, terram, leonibus vehi.* Idem eo comprobatur à nobis, quod Virgo, quæ Erigone dicitur, eadem credatur ac Atergatis, aut Ceres, eo quod ſpicas teneat; ut teſtis eſt Baſſus, ſive alius, commentario in Germanici tralationem Arateam, ubi de Virginis ſigno tractat. Multum interea eò inclino, ut Atergatin non ſolam exiſtimem terram; ſed omnem naturam Soli ſubjectam: quæ partim cœleſtis, ut Luna; partim elementalis, uti Aer, & Terra. Tria enim hæc Solis lumine illuminantur. Et ſanè receptæ eſt convenientius opinioni, radios dare Lunæ, quam Terræ. Nec credibile eſt, Aſſyrios, quibus in ſummo honore duo erant dii, Adad, & Atergatis, eos Terram quidem alterutrum putâſſe numen; Lunam verò, quæ regina cœli dicitur, prorſus præteriiſſe. Denique alios etiam in Oriente videmus, uno eodemque numine Lunam, Aërem, Terramque, comprehendiſſe: uti Hieropolitanos; de quibus jam diximus.

c *Varro apud Nonium in* Sparagos.

CAP. LVI.

Iſis cur Τιθήνη, & Πανδεχής, vocitata. Sacra ejus fiebant in honorem tum Lunæ, tum Telluris. Eadem Iſis, ac Ceres: unde & ſacra utrinſque conveniebant repræſentatione luctus. Eſſe hoc ab Amythaone, qui ſacra Cereris ex Ægypto detulit in Græciam. Ori Ægyptii natales, & quid per eum ſignificetur. Et Cybelen eſſe eandem, ac Iſidem: atque hinc provenire, quod in utriuſque ſacris uterentur cymbalo, ac tympanis; item pane abſtinerent, ſtipem mendicarent, ferro ſeſe cruentarent. Eum qui totam atque integram ſacrorum gentilium cauſſam ſcire volet, & in hoc de Iſide negotio, & cæteris, attendere oportere, nec ad ſolam hiſtoriam, nec naturam ſolam, ſed ambarum convenientiam. Iſis maxime culta Bubaſti, & Copti, urbe Thebaidos vetuſta, Ægyptiorum & Arabum emporio; a qua & Αἴγυπτος, quaſi αἶα Κόπτου nuncupata.

AB Aſia magna in vicinam proficiſcor Ægyptum: ubi ſummus Iſidis honos fuit. Hoc nomine Lunam intelligi, oſtendimus cap. XXIV. Nec eò minus ad Tellurem reducitur; unde dicta Τιθήνη, *nutrix*, & Πανδεχής, *ſusceptrix*: ut ex Platone monitum Plutarcho *a*. Idem aliter monſtrabimus. Antea diximus, genti Ægyptiæ in cælis principium boni effectivum eſſe Solem; ſub cælis, Nilum: utrumque Oſiridis nomine contineri. Similiter verò principium in cælis paſſivum erat iis Luna: quia à Sole illuminatur: ſub cælis verò Terra, quia Nili ſive Oſiridos defluxus eam aqua fœcundat: utraque autem, & Luna, & Tellus, Iſidos nomine comprehenditur. Ac de Terra, cujus de numine agere jam nobis propoſitum eſt, arguit Servius in VIII Æn. & ex eo Iſidorus lib. VIII, cap. XI. *Iſis*, inquiunt, *linguâ Ægyptiorum eſt Terra; quam Iſin volunt eſſe.* Macrobii quoque eſt lib. I Saturnal. cap. XX: *Iſis junctâ religione celebratur, quæ eſt vel terra, vel natura rerum ſubjacens Soli: hinc eſt, quod continuatis uberibus corpus Deæ omne denſetur, quia terræ, vel rerum naturæ altu nutritur univerſitas.* Sed imprimis illuſtris eſt locus apud Julium Firmicum de errore profan. relig. Verba ejus, malâ interpunctione laborantia, adducam prout cenſeo diſtingui oportere: *Defenſores eorum volunt addere phyſicam rationem, frugum ſemina Oſirim dicentes eſſe, Iſin terram, Typhonem calorem. Et quia maturatæ fruges calore ad vitam hominis colliguntur, & a terræ conſortio ſeparantur, & rurſus, appropinquante hieme, ſeminantur: hanc volunt eſſe mortem Oſiridis, cum fruges reddunt: inventionem verò, cùm fruges, genitali terræ fomento conceptæ, nova rurſus cœperint procreatione generari.*

a *Lib. de Iſide & Oſir.*

Præterea hoc inde cognoſcitur, quòd Ceres ſit terra frugifera; ut inferius fiet planius: Iſis autem ſit eadem ac Ceres; quemadmodum locuples teſtis eſt Herodotus in Euterpe: Ἶσις δέ ἐστι, κατὰ τὴν Ἑλλήνων γλῶσσαν, Δημήτηρ· *Iſis verò ſecundum linguam Græcorum eſt Ceres.* Et poſtea: Αἰγυπτιστὶ δὲ Δημήτηρ Ἶσις ἐστί· *Ægyptia linguâ Iſis eſt Ceres.* Eadem mens Apollodori bibliothecæ libro ſecundo: Ἱδρύσατο δὲ ἄγαλμα Δήμητρος, ἣν ἐκάλεσαν Ἶσιν Αἰγύπτιοι, καὶ τὴν Ἰὼ Ἶσιν ὁμοίως προσηγόρευσαν· *Conſtituit autem* (Io) *ſtatuam Cereri, quam Ægyptii Iſidem vocarunt: ac Ionem ſimiliter nominarunt Iſidem.* Plutarchus quoque, libro de Iſide & Oſiride, hanc firmat ſententiam: imò & Minervam Saitidem eandem ac Iſidem eſſe, diſertim tradit. E noſtris eadem de Cerere, & Iſide, mens eſt B. Auguſtini, lib. VIII de Civit. Dei, cap. XXVII. Verba ejus adducebamus lib. I, cap. XXVII. Ubi & illud monitum nobis, Iſin Ægyptiam, & Cererem Atticam, magno diſtare temporum intervallo; ut ſatis liqueat, quando eædem dicuntur, id capiendum de iis, quatenus non ad hiſtoriam veterem, ſed ad rerum pertinent naturam. Quomodo & eædem ſint Cedreno. Sic enim ſcribit *b*: Ἶσις καὶ Δήμητρα λέγεται ἐφευρεῖν τὸν σῖτον, καὶ τὴν κριθήν. αὕτη δέ ἐστιν ἡ παρ' Αἰγυπτίοις τιμωμένη Ἶσις. *Sic & Ceres dicitur reperiſſe frumentum, & hordeum. Hæc eſt, quæ Iſidis nomine colitur ab Ægyptiis.*

b Pag. 24.

Quod

Quod ſi eadem Iſis, ac Ceres, quemadmodum tot ſcriptoribus convenit: nihil mirandum, ſi ut in Iſidis, ita in Cereris ac Proſerpinæ ſacris, luctus divæ ſoleat repræſentari. Quippe ad rationem naturalem, prout ex Firmico vidimus, luctus uterque referendus. Atque id eo de Cereris etiam ſacris veriſimilius eſt, quoniam ea ab Amythaone ex Ægypto tranſlata ſunt in Græciam; teſte Clemente Alexandrino Admonitione ad Gentes.

Etſi verò Iſis, ac Ceres, idem ſint numen; non tamen univerſa per Iſidem terra ſignatur; ſed, ut Plutarchus *a* ait, ea quam Nilus fœcundat. Eoque ex Nili, & Iſidis concubitu, Orus naſcitur. Uti enim ex cœleſti Oſiride, ac Iſide, genitus eſt Orus, quatenus eo notatur annus, vel tempus; ſicut Heſychius, & Erotianus, interpretantur: ita ex ſubcœleſti illo Oſiride, & Iſide, hoc eſt, Terræ à Nilo irrigatione, fit Orus ſubcœleſtis; quo indicatur tum aëris, tum terræ temperies, rebus producendis apta. Diciturque is Orus, ut docet Plutarchus *b*, apud Butum educatus à Latona; quia terra illic irrigua eſt, &, quæ talis eſt, magis emittat vapores, quibus ſiccitas etiam aëris ad temperiem revocetur.

a Lib. de Iſide & Oſiride.
b Lib. de Iſide & Oſiride.

Etiam Iſidem eſſe Tellurem, comprobatur ex convenientia ſacrorum Iſidos, & Rheæ; quam Tellurem eſſe convenit. Tale eſt, quod ut in ſacris Cybeles, quemadmodum vidimus *c*, ita & in ſacris Iſidos cymbala, & tympana obtinebant; imo & ſiſtra. Auſonius epiſt. xxv:

Cymbala dant flictu ſonitum, dant pulpita ſaltu
Icta pedum, tentis reboant cava tympana tergis.
Iſiacos agitant Mareotica ſiſtra tumultus.

c Cap. 53.

In utriſque etiam ſacris, ad luctum indicandum, abſtinebant pane. Hinc Tertulliani *d* ille locus, alibi etiam nobis adductus *e*: *Sed bene, quod in noſtras xerophagias blaſphemias ingerens, caſto Iſidis, & Cybeles, eas adæquas.* Ac ſimiliter junxit hæc ſacra B. Hieronymus; cujus verba itidem *f* retulimus.

d De Jejuniis.
e Lib. 1, cap. 20.
f Ibidem.

In utriſque etiam ſacris, & Iſidos dico, & Cybeles, mendicando ſtipem quærebant. Unde Ovidius lib. I de Ponto, eleg. I:

Ecquis ita eſt audax, ut limine cogat abire
Jactantem Phariâ tinnula ſiſtra manu?
Ante Deûm matrem cornu tibicen adunco
Cùm canit, exiguæ quis ſtipis æra neget?

Ubi videmus, ex vulgi opinione, ſociari Iſidem, & Cybelen, ut diverſa numina: nec tamen ignoraſſe poëtam, utrumque reduci ad unum, oſtendit, quòd continuò ſubjungat:

Scimus ab imperio fieri nil tale Dianæ.
Unde tamen vivat, vaticinator habet.

Nam & Iſidem, & Cybelen, συνεκδοχικῶς uno complectitur nomine Dianæ: idque eo præcipuè motus, quod, ut ex Macrobio antea vidimus, tam Iſis, quàm Cybele, ſignificent Naturam Solari ſubditam poteſtati, ubi præcipuè in conſiderationem veniunt Luna, & Tellus.

Sunt & alia, quæ ſacrorum arguant convenientiam. Quemadmodum etiam in ſacris Cybeles, quod ſuperiùs *g* oſtenſum, pectus tundebant, & brachia ferro vulnerabant: ita & in illis Iſidos. De quo ſic Maternus Firmicus lib. de errore prof. relig. *Hæc eſt Iſiaci ſacri ſumma. In adytis habent idolum Oſiridis ſepultum: hoc annuis luctibus plangunt: radunt capita, ut miſerandum caſum regis ſui, turpitudine dehoneſtati defleant capitis: tundunt pectus, lacerant lacertos, veterum vulnerum reſecant cicatrices; ut annuis luctibus, in animis eorum, funeſtæ ac miſerandæ necis exitium renaſcatur.* Ubi cauſſam ſacrorum ab veteri arceſſit hiſtoria. Sed integram ſi cauſſam poſcimus, ea fuerit hiſtoriæ veteris, ac naturæ imitatio: ut quemadmodum de aliis ſacris, toto penè opere docemus; ita hic etiam non ſimplex ſit adducenda ratio, ſed duplicanda. Quippe ſacerdotes, hiſtoriæ, ac naturæ gnari, attendebant in re geſtâ, quid ſimile foret in natura: ac pro utroque formabant ſacra ſua, ut ita miſcellaneo cultu rei geſtæ memoriam, & rerum celebrarent naturam: illam, ad honorem principum defunctorum, ac ſolatium ſuperſtitum: hanc, ad inſtitutionem initiatorum, qui eâdem & ſacrorum ceremonias, & naturæ ſcientiam addiſcebant. Sed qui pleniùs ſacra Iſidos noſſe avet; inter alios Appulejum adeat poſtremo Mileſiarum libro.

g Cap. 53.

Magnopere Iſis culta eſt Bubaſti: ubi & ei templum illuſtre in medio inſulæ Delta: ut eſt apud Herodotum in Euterpe. Etiam culta eſt Copti. Papinius lib. I Thebaidos:

Melius votis Mareotica fumat
Coptos, & æriſoni lugentia flumina Nili.

Ubi ſic vetus interpres: *Coptos, civitas Mareotica Ægypti; in qua Io verſa in Iſidem colitur, cujus ſacris ſiſtro celebratis Nilus exæſtuat.* Hujus urbis vetuſtatem ex eo cognoſcimus, quòd regina Iſis iſtic nuncium acceperit de nece mariti ſui Oſiridis, præque dolore abſciderit capillos: quo exemplo Iſiaci erant calvi; unde Juven. ſat. VI:

Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo.

Imo & urbi, ubi hoc cognovit Iſis, hinc Κόπτος, vel Κοπτώ, nomen eſſe datum, putarunt Græci, quia κόπτειν *a* ſignificat ἀφαιρεῖν καὶ τεμεῖν *b*, ut ait Euſtathius. Sed alii ex eo hoc vocabulum Urbi impoſitum exiſtimant, quia cùm in ea degeret, privata ſit Oſiride: nam *Copti* vocem linguâ Ægyptiâ privationem notare. De utroque ſic Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride: Τὴν δὲ Ἶσιν αἰσθομένην, κείρασθαι μὲν ἐνταῦθα τῶν πλοκάμων ἕνα, καὶ πένθιμον στολὴν ἀναλαβεῖν, ὅπου τῇ πόλει μέχρι νῦν ὄνομα Κοπτώ· ἕτεροι δὲ τοὔνομα σημαίνειν οἴονται στέρησιν· τὸ γὰρ ἀποστερεῖν, κόπτειν λέγουσι. *Iſin, ubi hoc perſenſit, cincinnorum alterum reſecuiſſe, ac veſtem induiſſe lugubrem, iſtic, ubi eſt urbs nomine hodieque dicta Copto. Alii verò putant, vocem eam notare privationem: nam quod privare eſt nobis, id Ægyptiis eſſe* COPTEIN. Itaque & illic inclytum fuit Iſidos templum: quemadmodum indicat Ælianus de Animalibus lib. X, cap. XXIII. Item Pauſanias in Phocicis: ubi cùm retuliſſet, ut Ægyptii tum celebrent Iſidis feſtum, cùm Oſirin lugent, & quia tum Nilus incremento augeri anniverſario incipit, ſic vulgo eſſe perſuaſum, id provenire ab lachrymis Iſidos, ſuum lugentis Oſiridem; poſtea in hunc modum ſcribit: Τότε οὖν τῶν Ῥωμαίων, ὃς ἐπετετράφατο Αἴγυπτον, ἄνδρα ἔφη χρήμασιν ἀναπείσαντα ἐς τὸ ἄδυτον καταπέμψαι τῆς Ἴσιδος τὸ ἐν Κόπτῳ. καὶ ὁ ἐσπεμφθεὶς ἀνέστρεψε μὲν ἐκ τοῦ ἀδύτου· διηγησάμενος δὲ ὁπόσα ἐθεάσατο, καὶ τοῦτον αὐτίκα ἐπυνθανόμην τελευτῆσαι. *Tunc temporis ab homine Romano, qui provinciam nactus eſſet Ægyptum, quendam auro perſuaſum miſiſſe in adytum Cereris, quod Copti erat: atque illum quidem reverſum eſſe: ſed mox, ubi viſa ſibi expoſuerat, vitâ exceſſiſſe cognovi.* Hæc oſtendunt, Coptum fuiſſe urbem & antiquiſſimam, & vetuſtâ Iſidos religione celebrem. Vetuſtatem ejus quoque indicat Geographia Nubienſis, climatis ſecundi parte IV, ubi agens de urbe Ægyptia *Cuts* dicta, ſubjungit, (ut ex Arabico reddidere duo Maronitæ) *eſt hæc de antiquioribus urbibus, ædificata primis Coptitarum temporibus.* Ut planè iis aſſentiam, quibus Coptos toti Ægypto creditur nomen dediſſe. Nempe ut Αἴγυπτος dicatur quaſi αἶα Γύπτος, ſive Κόπτος, vel τῆς Κόπτου. Atque hanc opinionem admodum firmat Ignatius, patriarcha Antiochenus, vir reconditæ eruditionis, epiſtolâ eâ, quam Arabicè perſcripſit ad ſummum virum, Joſephum Scaligerum. Verba illius Arabicè adducit in quinto de Emendatione Temp. capite eo, quod inſcribitur, *De epocha Ægyptiorum Diocletianea.* Ac ibidem Arabica ſic Scaliger ipſe reddidit Latinè *c*: *Præterea quæſiviſtis ſuper æra martyrum uſitata ab Ægyptiis, quænam illa ſit, & ob quam cauſſam ita appellata. Scito, ejus initium eſſe ab anno Regis Diocletiani impii* (ἀθέου) *decimo nono; in quo auxit perſecutionem contra Chriſtianos, cùm edixiſſet, eorum eccleſias deſtruere; item, ut quicunque idolis non ſacrificaret, interficeretur. Quocirca hoc edicto martyrio affecti ſunt* (ἐμαρτυρήθησαν) *fidelium terræ* τῆς Κόπτου, *ſive Ægyptiæ, centum quadraginta quatuor millia; ſeptingenta autem in fugam diſſipata.* (διεσκορπίσθησαν) *Ab eo tempore incipit æra Elcupti,* (ſive æra Coptia) *quam vocant*

a Scindere, recidere.
b Diviſionem ac ſectionem.
c P. 465. edit. Raphelengianæ.

ÆRAM MARTYRUM; *eorum nempe, quorum ſanguinem profudit Diocletianus.* Ubi clarè videmus, terram Elcupti, ſive Copti, eandem dici, ac terram Ægyptiam. Strabo lib. XVI urbem vocat Κοπτὸν τῆς Θηβαΐδος *a*, ac libro proximo appellat πόλιν κοινὴν Αἰγυπτίων τε καὶ Ἀράβων *b*: ac ut paullo poſt dicitur, eò deferebatur ὁ Ἰνδικὸς φόρτος ἅπας, καὶ ὁ Ἀράβικος, καὶ ὁ Αἰθιοπικὸς ὁ τῷ Ἀραβίῳ κόλπῳ καταχομιζόμενος; *mercimonium omne Indicum, & Arabicum, & Æthiopicum etiam, quod Arabico ſinu advehitur.* Pluraque ibidem de hac urbe reperias. Ab ea dicitur præfectura ſive Nomos Coptites, Plinio lib. V, cap. IX. Quem & vide lib. VI, cap. XXIII. Ptolemæus conſtituit ſub XXVI latitudinis, LXII longitudinis gradu. Athenæus lib. II Δειπνοσοφ. iis, qui calidioribus vexantur morbis, imprimis commendat vinum Thebaicum circa Coptum naſcens. Atque hæc de Copto; quæ, ut diximus, Iſiacis ſacris inclyta fuit, & univerſæ regioni Ægyptiæ nomen dedit.

a Coptum Thebaidos.
b Communem urbem Ægyptiorum, & Arabum.

Cap. LVII.

De Samothracum ſacris acturi, primùm exponimus, unde inſula hæc nomen acceperit: tum, quis ſacra ea inſtituerit primus: inde, ut aliis duo fuerint Samothracum Dii, Tellus, & Cælus; qui Græcis θεοὶ δυνατοί, *Latinis* Dii Potes: *aliis autem tres; Jupiter, Minerva, Juno; & ut hæc opinio rerum naturæ accommodetur: aliis quatuor Cabiri; Axieros, Axiocerſa, Axiocerſus & Camillus: quorum tres priores reducuntur ad Terram; quartus eorum eſt miniſter: atque hoc tum propria* Camilli *ſive* Caſmilli *ſignificatione variis è ſcriptoribus comprobatur; tum etymo vocis, quod è fonte arceſſitur Chaldæo. Nec aliud à* Camillo *eſſe* Cadolum; *cujus vocabuli itidem ratio adfertur. Etſi vero Mercurius per Camillum ſive Cadolum, ſignificetur: non utrumque tamen capiendum, ſed tantummodo Mercurium Terreſtrem; cui ſacrarant* Χύτρας, *ſive Ollare feſtum: eundem haut alium eſſe à Charonte; quæ vox itidem profecta ab Hebræis. A Diis Samothraciis acceditur ad Deos Thracum: à quibus* θρησκείας *vocabulum. Inter gentis ejuſce Deos, præter Pleſtorum, & alios, fuiſſe, cùm Dianam Orthesiam, cujus nominis ratio adlata: tum Bendin; de qua expoſitum, cur gemina illi vis, una cæleſtis, terreſtris altera, tribuatur: item ut ſacrum Deæ,* Bendidia *dictum, etiam receptum fuerit ab Athenienſibus.*

A Phrygibus, Syris, Ægyptiis, magnum iter proficiſcor ad inſulam Thraciæ finitimam, Dardaniam priùs vocatam; ſed poſtquam Samii, imperante apud hos Leogoro, ſeu Proclis *a*, ſeu potiùs Patroclis *b* filio, ab Epheſiis expulſi eò conceſſerunt, nomen & ipſam Sami indeptam, attamen cum diſcrimine hoc, ut *Thracium Samos,* ſive *Samothrace* diceretur: unde Maro in VII magni operis:

Threiciamque Samon, quæ nunc Samothracia fertur.

Hic primùm ſacra, quæ inde *Samothracum* vocantur, inſtituit Eetion; ut eſt apud Clementem Alexandrinum, Admonitione ad Gentes. Culti hac inſulâ Terra, & Cælum, ſive potius, ut in ſacris dicti, Tellus, & Cælus. De iis ſic Varro lib. IV de L. L. *Terra, & Cælum, ut Samothracum initia docent, ſunt Dei magni, & hi, quos dixi, multis nominibus. Nam neque, quas ante portas ſtatuit duas viriles ſpecies aheneas, dei magni; neque, ut vulgus putat, hi Samothraces dii, qui Caſtor, & Pollux: ſed hi, mas, & femina; & hi quos augurum libri ſcriptos habent ſic,* DIVI POTES: *& ſunt pro illis, qui in Samothrace* θεοὶ δυνατοί. Subjicit mox: *Hæc duo, cælum, & terra: quod anima, & corpus; humidum, & frigidum.* Ubi pro *frigidum* puto *aridum,* vel *calidum,* reſcribendum.

a Pauſanias in Achaicis.
b Strabo lib. 14. Niſi idem utrumque ſit nomen, ac Procles ex Patrocles contractum; cujus generis propria multa affero lib. 4. Inſtitut. Orat. lib 4. cap. 1, ſect. 5.

Nec multùm abierunt, qui tres Samothracum Deos ſtatuere: nempe eos ipſos, qui in Capitolio juncti ſunt templo; Iovem, Minervam, & Junonem. Nam his medius & imus æther cum ſummo aëre eſt Jupiter: ſupremus æther, Minerva: medius, & imus aer cum terra, Juno. Qua de re ſic Macrobius lib. III Saturn. cap. IV: *Varro, Humanarum ſecundo, Dardanum refert Deos Penates ex Samothrace in Phrygiam, & Æneam ex Troja in Italiam detuliſſe. Qui ſint autem Dii Penates, in libro quidem memorato Varro non exprimit: ſed qui diligentius eruunt veritatem, Penates eſſe dixerunt, per quos penitus ſpiramus; per quos habemus corpus; per quos rationem animi poſſidemus. Eſſe autem medium æthera, Iovem; Junonem verò, imum aëra cum terra; & Minervam, ſummum ætheris cacumen. Et argumento utuntur, quod Tarquinius, Demarati Corinthii filius, Samothraciis religionibus myſticè imbutus, uno templo, ac ſub eodem tecto, numina memorata conjunxit.* Atque ex his liquet, quomodo, ſive duos, ſive tres ſtatuere viſum ſit Samothracum Deos; Tellus imus ſuum obtineat locum.

Aliis quatuor ſunt Samothracum Dii, qui & *Cabiri* iis dicuntur: ſed ſic quoque, uno excepto, cæteri ad Terram pertineant. Audiamus veterem Apollonii interpretem in primum Argonauticon: Μυοῦνται δὲ ἐν τῇ Σαμοθρᾴκῃ τοῖς Καβείροις, ὧν Μνασέας φησὶ καὶ τὰ ὀνόματα. τέσσαρες δ' εἰσὶ τὸν ἀριθμόν· Ἀξίερος, Ἀξιόκερσα, Ἀξιόκερσος, Κάσμιλος. Ἀξίερος μὲν οὖν ἐστιν ἡ Δημήτηρ· Ἀξιόκερσα δὲ ἡ Περσεφόνη· Ἀξιόκερσος δὲ ὁ Ἅδης· ὁ δὲ προστιθέμενος τέταρτος Κάσμιλος ὁ Ἑρμῆς ἐστιν, ὡς ἱστορεῖ Διονυσόδωρος. *Initiantur verò in Samothrace Cabiris: quorum & Mnaſeas nomina memorat. Sunt autem quatuor numero: Axieros, Axiocerſa, Axiocerſos, Caſmilus. Et Axieros quidem eſt Ceres; Axiocerſa, Proſerpina; Axiocerſus autem Pluto: qui verò quartus apponitur Caſmilus, is Mercurius eſt: quorum meminit Dionyſodorus.* Hinc colligo, ex Cabiris, ſive Samothracum diis, Axieron eſſe terram frugiferam: interiorem autem terram, ratione virtutis activæ, dici Axiocerſum; ratione paſſivæ, Axiocerſam: at virtutem famulantem numini, cælitus homini ac terris ſe inſinuantem, Caſmilum vocari; uti Græcis Ἑρμῆν, Romanis *Mercurium.* Sed an, uti Tellus, ita & miniſtra cæli virtus, ſit in magnis Samothracum Diis, meritò in dubium vocetur. Scrupulum his verbis injicit Varro in VI de L. L. *In Medo Ennius:*

Cælitum camilla exſpectata, advenis? ſalve hoſpita.

Qui gloſſemata interpretati, dixerunt, Adminiſtram. Addi oportet, In his, quæ occultiora. Igitur dicitur in nuptiis Caſmillus, qui cumerum fert; in quo quid ſit in miniſterio, plerique extrinſecus neſciunt. Hinc Camillus nominatur, in Samothraces myſteriis, Deus quidem adminiſter Diis magnis. Verbum Græcum arbitror, quod apud Callimachum in poematis ejus inveni. Videmus, hic à Varrone Caſmilum non reponi in Diis magnis, qui & *Cabiri* vocabantur à magnitudine ſive potentia; ut antea relatum nobis *a*: ſed eorum dici adminiſtrum. Nempe erat quidem in Diis Samothraciæ: ſed non claſſicis ac primi ordinis Diis, cùm, qui aliis famulantur, in ſummis eſſe non poſſint; niſi latè eorum numerum extendas: uti a Romanis factum in Diis Conſentibus, qui XII numero; ſive Selectis, qui numero XX: in utriſque enim eſt Mercurius. Sed quid hoc ad Samothracum Deos? ubi ex Mnaſea, & Dionyſodoro, tria vidimus Numina ad Terræ vim pertinentia. Huic, Iove ipſo præterito, quartum apponi, credibile eſt, cujus opera omnis ſit, ut tribus illis adminiſtret? Porrò Caſmilum hunc eſſe Mercurium, nec niſi miniſtrum Deorum magnorum, etiam Dionyſius Halic. oſtendit in ſecundo Antiq. Rom. Ὅσα δὲ παρὰ Τυρρηνοῖς, καὶ ἔτι πρότερον παρὰ Πελασγοῖς, ἐτέλουν ἐπί τε Κουρήτων, καὶ Μεγάλων θεῶν ὀργιασμοῖς οἱ καλούμενοι πρὸς αὐτῶν Κάδουλοι, ταῦτα κατὰ τὸν αὐτὸν τρόπον ὑπηρετοῦσι τοῖς ἱερεῦσιν οἱ λεγόμενοι νῦν παρὰ Ῥωμαίων Κάμιλλοι. *Quæ autem apud Hetruſcos, ac prius etiam apud Pelaſgos, in Curetum, & Magnorum Deorum myſteriis peragebant ii, qui vocabantur Cadoli, hæc miniſteria eodem mo-*

a Cap. 13. hujuſce libri.

modo ſacerdotibus præſtabant, qui nunc à Romanis dicuntur Camilli. A Juba etiam traditum eſt, Plutarcho teſtante in Numa, κάμιλον appellatum τὸν ὑπηρετοῦντα τῷ ἱερεῖ τοῦ Διὸς ἀμφιθαλῆ παῖδα· *puerum patrimum, & matrimum, ſacerdoti Jovis miniſtrantem.* Feſti quoque eſt: *Flaminius camillus puer dicebatur ingenuus, patrimus, & matrimus, qui flamini Diali ad ſacrificia præminiſtrabat. Antiqui enim miniſtros camillos dicebant.* Item in *Camera*: *Sacrorum miniſtrum κάμιλλον appellabant.* Macrobius lib. III Saturn. cap. VIII: *Statius Tullianus de vocabulis rerum lib. I ait, dixiſſe Callimachum, Tuſcos Camillum appellare Mercurium; quo vocabulo ſignificant præminiſtrum Deorum. Unde Virgilius ait, Metabum Camillam appellaſſe filiam, Dianæ ſcilicet præminiſtram. Nam & Pacuvius, cum de Medea loqueretur:*

Cælitum Camilla exſpectata, advenis? ſalve hoſpita.

Romani quoque pueros, & puellas, nobiles & inveſtes, Camillos & Camillas appellant, flaminicarum & flaminum præminiſtros. Quæ iiſdem verbis apud Servium legas in illud XI Æn.

—— —— *Matriſque vocavit*
Nomine Caſmillæ, mutatâ parte, Camillam.

Niſi quòd apud Servium pro *Callimachum* corruptè eſt *Callimadium*: & pro *Thuſcos* perperam eſt *Thebanos.* Videmus præterea, ut Macrobius, Serviuſque, verſum illum Pacuvio tribuant, quem ex Ennii Medo citat Varro: ut aut memoria fugerit duos nobiles grammaticos, aut verſum illum ex Ennio exſcripſerit Pacuvius. Addam poſtremò, tum ex gloſſis Philoxeni; *Camilla*, ἱέρεια: tum vetus carmen ruſticum, à Servio adductum in I Georgic. *a*

a Verſ. 100.

Hiberno pulvere, verno luto, grandia farra, Camille, metes.

Sic igitur ſtatuendum, ut veteres dixere *pœna*, & *pœſna*; *Camena*, & *Caſmena*; *dumus*, & *duſmus*: ita etiam extuliſſe *Camillus*, & *Caſmillus*. *Camillus* autem à fonte venit Chaldæo. Nam (ut Schindlero annotatum) כְּמַר, quod Chaldaicè כּוּמְרָא eſt *camillus*, ſive *ſacerdos*, ſeu *ſacrorum miniſter*, præſertim idolorum, ac ſacrorum gentilium. Habes II ſive IV Reg. cap. XXIII, 5: *Et abolevit*, ſive *ceſſare fecit* כְּמָרִים *Kemarim*: hoc eſt, *camillos.* LXX reddidere, Καὶ κατέπαυσε τοὺς χωμαρείμ. Etiam uſurpat Hoſeas X, 5. Ut à *lapis*, *lapillus*; à *pugnus*, *pugillus*; ſic à *camir*, *camirus*, *camillus.* Nempe, quia non ſacerdotes ipſi, ſed miniſtri eorum, ſignarentur, eò placuit forma diminutiva. Uti & in *Cadolus* factum. Nam à קַדִּי, eſt *cadus*, unde *cadolus*. *Cadoli* verò, Hetruſcâ linguâ, (quæ ferè à Syris habet cuncta ſacrorum nomina) iidem vocati, qui Romanis *Camilli*: ut teſtis eſt Halicarnaſſeus, verbis iis, quæ ſuperiùs adducebamus.

Quærat aliquis, quo miniſterio inter Deos Samothracum fungatur Caſmilus, ſive Mercurius. Hoc meliùs intelligetur, ſi conſtet, duplicem eſſe Mercurium; Ὀλύμπιον, ſive Cæleſtem, & Χθόνιον, ſive Terreſtrem: quos, ut pleraque in argumento hoc tam vario, confundere vulgò ſolent. At optimè diſtinxit Ariſtophanis ſcholiaſtes ad Ranas, de χύτροις, ſive ollari feſto agens: Ἔπειτα θύειν αὐτοῖς ἔθος ἦν, Ὀλυμπίων μὲν θεῶν οὐδενὶ τὸ παράπαν· Ἑρμῇ δὲ Χθονίῳ. *Hinc ſacrificare iis mos erat, Olympiorum quidem Deorum nemini; Mercurio autem Terreſtri.* Is Mercurius, qui Camillus trium erat numinum terreſtrum, ipſe etiam terreſtris fuit: atque ejus munus creditum, deducere animas ad Orcum; ut eſt apud Plutarchum in Quæſtionibus Romanis. Sanè mortui animam ab eo ſuſcipi, uti corpus à terra; indicat & Homerus in Odyſſea, & Lucianus in dialogis. At alter ille Mercurius, quem Ὀλύμπιον ſive Cæleſtem dicebamus, medius putabatur inter homines, & Deos ſuperos: unde Maro eum inducit nuncium Jovis ad Æneam. Nihil igitur apertius, quàm alium eſſe Mercurium, qui ab Olympo provolat ad Æneam; ut eſt in quarto Æneidos: alium autem, qui de terra deſcendit ad inferos, & *animas*, ut ibidem legas:

—— —— —— *evocat Orco*
Pallentes, alias ſub triſtia Tartara mittit;
Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat.

Poſterioris hujus meminit idem ſcholiaſtes ad Acharnanes: ubi ex Theopompo narrat, ut cùm Deucalianæo diluvio genus deperiiſſet humanum: ſuperſtites omne ſeminium genus in olla coxerint Mercurio Terreſtri, quo mortuis eum redderent propitium: neminem verò ex olla hac guſtare auſum: atque illud eſſe initium feſti ejus, quod Χύτροι, ſive *ollare feſtum* diceretur. Alius interim Mercurius hic, quàm Pluto, ſive Dis. Potiùs cenſeo, Mercurium Olympium eſſe Solem noſtrum: Terreſtrem autem eſſe illum Antipodum. Hinc igitur duplex miniſterium: de quo & Horatii, ac Claudiani verſus adduximus cap. XIII. Nec dubium, quin Hippocrates de Somniis, quando nominat Deos Χθονίους, ſive *Terreſtres*, non Plutonem modò, & Proſerpinam; ſed infernum hunc etiam Mercurium intelligat. Planè item eò inclino, ut Charon Græcis, ac Romanus, non alius ſit quàm Mercurius ille infernus, de quo diximus. Et nomen fortè, à חָרוֹן, *ira*, quia miniſter ſit iræ divinæ. Ut propriè ſit angelus malus animas malas deferens ad loca ſuppliciis deſtinata. Sanè Pſal. LXXVIII, 49, habes hanc vocem. Latinè eſt: *Miſit eos in iram* (חָרוֹן) *naris ſuæ, excandeſcentiam, & furorem, & anguſtiam, immiſſionem angelorum malorum.* Ubi Rabbini ex eo, quod ſubjicitur de angelis malorum, colligunt, Iram, Excandeſcentiam, Furorem, & Anguſtiam, eſſe nomina ſpirituum, quibus Deus utitur in malis puniendis.

Atque hæc de diis Samothracum: qui cur *Cabiri* dicantur, diximus antea *a*. Nunc ſuffecerit, quamque ex ſententiis tribus, ſuperiùs adductis, Tellurem referre in diis Samothraciis. Nec tamen ignoro, quod ab Apollonii interprete proditum eſt, eſſe qui duos ſtatuant Cabiros; ſeniorem unum, Jovem; juniorem alterum, Dionyſum, ſive Liberum. Sed de Dionyſo parum credibile eſt, niſi non de Thebano, ſed φυσικῶς ſumas nobiſcum; ut pro ſummis habuerint numinibus, calorem, & humorem, quæ duo ſunt generationis omnis principia. Sic, fateor, Telluri in Cabiris non fuerit locus.

a Libri hujus cap. 31.

E Samothracia quò potiùs iter mare per undoſum faciamus, quam in Thraciam ipſam? præſertim quando ab Orpheo Thrace ſua Græcis ſacra eſſe traduntur: unde & religio ipſa θρησκείας nomen creditur accepiſſe. Quod non modo apud Suidam, & Euripidis ſcholiaſtem, atque etymologum, legere eſt: ſed Plutarchum quoque in vita Alexandri.

Thraces, præter Πλείστωρον, ἐπιχώριον θεὸν *b*, de quo teſtis Herodotus in Calliope; præter item Mercurium, per quem ſolùm jurabant, & à quo ſe oriundos prædicabant; ut idem ait in Terpſichore; præter item Martem, & Liberum, ut ibidem legere eſt; coluere inſuper Dianam: eamque, ut in Melpomene eſt, dixere *Orthesiam*: nempe ἀπὸ τοῦ ὀρθοῦν *c*, quia parturientes, imò mortales univerſos, elevet, & adjuvet. Sed & eandem, teſte Heſychio, vocarunt Βένδιν. Idem tradit Proclus, ac Thracium ait eſſe nomen Lunæ, & ſic vocari ab Orpheo: Παντοίη τε, Εὐφροσύνη, Βένδις τε κραταιά. Attamen non hoc nomine Lunam duntaxat ſignarunt; ſed etiam Terram; more priſco, quo Lunam, & Terram, eodem cultu complectebantur; ut ſæpius diximus. Per Βένδιν autem intelligi Terram, oſtendunt hæc verba Heſychii: Μεγάλη θεός· Ἀριστοφάνης ἔφη τὴν Βένδιν. Θρᾳκία γὰρ θεός· *Dea Magna. Sic Ariſtophanes dixit Bendin. Thracum enim Dea eſt.* Eandem verò Lunam eſſe, teſtis eſt Palæphatus, ubi agit de filiabus Phorcynis: item Suidas, Phavorinus, & ante utrumque Heſychius: Βένδις, ἡ Ἄρτεμις, Θρᾳκιστί· παρὰ δὲ Ἀθηναίοις ἑορτὴ Βενδίδεια· *Bendis, Diana, linguâ Thracum: Athenienſibus verò feſtum Bendidium.* Habes & in Κυβήκη hanc Thracum Βένδιν. Sed memorabilis imprimis locus in Διλόγχον, hoc eſt, *binas geſtans lanceas*: ubi eruditus ille Grammaticus ſic ſcribit: Τὴν Βένδιν οὕτω Κρατῖνος ἐν Θρᾴτταις ἐκάλεσεν· ἤτοι, ὅτι

b Pleiſtorum, indigenam Deum.

c Erigere, ac dirigere.

δύο τιμὰς ἐκληρώσατο, οὐρανίαν τε, καὶ χθονίαν· ἢ, ὅτι δύο λόγχας φέρει, κυνηγετικὴ οὖσα· ἢ τὸ, ὅτι δύο φῶτα ἔχει, τὸ ἴδιον, καὶ τὸ ἡλίου. τὴν γὰρ σελήνην Βένδιν, καὶ Ἄρτεμιν, νομίζουσιν· *Sic Bendin vocavit Cratinus in Threiſſis. Videlicet, quia geminum ſortita ſit honorem, cæleſtem, & terreſtrem: vel quia gerat duas lanceas, utpote venatrix: vel quoniam geminum habeat lumen, proprium, & ſolare. quippe Lunam Bendin, & Dianam, vocant.* Ubi quod Bendis dicitur duplicem adepta honorem, cæleſtem, & terreſtrem: id ſic interpretor, in Diis habitam cæleſtibus, quippe Luna quæ eſſet: & inſimul in terreſtribus, quia eadem foret Rhea ſive Tellus. Porrò à Thracibus cultus hujus divæ Athenas tranſlatus. Feſtum Βενδίδεια dixere. Meminerunt ejus Xenophon in ſecundo Ἑλληνικῶν, Plato in primo de Rep. & ex hoc Strabo in x: Proclus item commentario in Timæum. Sed & apud Livium libro XLVIII, *Bendidiorum templum*, non *Mendidiorum*, legi oportere, jamdiu obſervatum Lilio Gyraldo Syntagmate de Diis XII.

Cap. LVIII.

Cælus, & Tellus, Athenienſibus connubiorum præſides; quibus iccirco ante nuptias ſacrificabant. Unde dicta Δημήτηρ, *& cur ei ſacrum fecerint ſcrophâ gravidâ. Rhea* ἔτυμον. Tellumonis *ac* Telluris *diſcrimen. Unam Telluris ædem exſtructam in area, quæ fuerat Spurii Caſſii: alteram autem non abfuiſſe longè à Carinis. Ab Ope Romana diſtinguendam Græcorum* Ὦπιν *ſive* Οὖπιν, *vel* Ὦπιν: *quomodo nunc Diana ipſa, nunc una ex nymphis ejus dicebatur. Servius ſemel iterumque emendatus. Unde Tellus dicta ſit Ops, & à quo primùm ei templum ſtatutum. Ædem eam parum Romanè dici* Rheæ *pro* Opis; *utcunque poëta* Idæam Opem, *pro* Rhea *dixerit.* Opalia. Opiconſiva *unde nuncupata.*

HInc jam ad Græcos proficiſci ordine pergamus; mox ad Romanos relaturi orationem. Utriſque Tellus culta eſt, partim eo nomine, quo vulgo hoc dicitur elementum; partim appellatione aliâ à ſacerdotibus impoſitâ. Græcis elementum hoc eſſe cultum nomine vulgari, ex eo elucet, quod Athenienſibus Οὐρανὸς, καὶ Γῆ *a*, Dii fuerint Γαμήλιοι *b*. His enim, qui connubio jungerentur, ſacra illa faciebant, quæ προτέλεια γάμων dicebantur. Unde Proclus in Timæum Platonis, Comment. v: Καὶ ἔοικε διὰ ταῦτα τῷ Οὐρανῷ τούτῳ καὶ Γῇ προσήκειν ὁ γάμος, ὡς ἐκείνων ἱερὸν, καὶ γὰρ ἐκείνην ἐπικοινωνιζομένοις. ὃ δὴ καὶ οἱ θεσμοὶ τῶν Ἀθηναίων εἰδότες, προσέταττον, Οὐρανῷ καὶ Γῇ προτελεῖν τοὺς γάμους. *Ac videntur iccirco & Cælo illi, & Tellùri, convenire nuptiæ, quia in his imaginem ſit videre Cæli hujus, & Telluris. Cujus gnaræ Athenienſium leges ſtatuerunt, ut ante nuptias Cælo, Telluri, ſacra fierent.*

a Cælum, & Terra.
b Nuptiales.

Leviculâ etiam immutatione elementi nomen habes in Δημήτηρ: ut quæ ſic dicatur, quaſi Γᾶ μήτηρ. Id Joannes Tzetzes, Heſiodi interpres, factum ait more Dorum, qui pro γ ponunt δ: ut δνοφερὸν pro γνοφερὸν, *caliginoſum*. Ac favet etymo Orpheus, ſive Onomacritus:

> Γῆ μήτηρ πάντων, Δημήτηρ πλουτοδότειρα.
> *Terra mater omnium, Ceres datrix divitiarum.*

vel ut *Jupiter* dicitur quaſi Jovis pater, *Marſpiter* quaſi pater Mars: ſic Δημήτηρ, quaſi Δηὼ μήτηρ, nam Δηὼ Ceres. Orpheus in Argonauticis: Καὶ τότε δὴ Ἑκάτην Δηὼ τέκεν εὐπατέρειαν. Unde Δηώϊος, *Cerealis*. Et ſanè hoc verius. Saltem veriſimilius illo, quod eſt apud Platonem in Cratylo *c*: Δημήτηρ μὲν φαίνεται, κατὰ τὴν δόσιν τῆς ἐδωδῆς, διδοῦσα ὡς μήτηρ, Δημήτηρ κεκλῆσθαι· *Ceres videtur ob alimenti donationem* DEMETER *vocari, quaſi dans mater.* Sed ut de prima vocabuli parte fallatur; rectè interim docet, *matrem* vocari ab effecto, quia fœta bonis ſit ad nos alendos. Hæc & cauſſa eſt, cur porca ei fœta ſacrificaretur. Arnobius in VII: *Si quia virgo Tritonia eſt, iccirco ei convenit virgines hoſtias immolari; & quòd Tellus eſt mater, conſimiliter gravidis accipienda eſt ſcrofis, &c.*

c Pag. 404, edit. H. Steph.

At paullùm elementi nomen eſt immutatum in *Rhea*. Nam Ῥέα κατὰ μετάθεσιν ex ἔρα: uti hoc ex Hebræo ארץ, *eretz*; unde & Belgicum *eerde*; quorum ſingulis terra denotatur.

Uti verò apud Græcos Γῆ, ac apud Romanos, tum elementi, tum numinis appellatio erat *Tellus*: quæ & *Tellumo*. Nempe quia in Terra non ſolùm attenditur vis activa, ſed etiam paſſiva; eò coluere illam, tum ut marem, quomodo *Tellumo* vocabatur; tum ut feminam, quâ ratione dicebatur *Tellus*. Varro in XVI rerum divinarum, apud Auguſtinum in VII de Civitate Dei, cap. XXIII: *Una eademque terra habet geminam vim; & maſculinam, quòd ſemina producat; & femininam, quod recipiat, atque nutriat: unde à vi feminina dicta eſt Tellus; à vi maſculina Tellumo.*

Telluris ædis, quæ Romæ prima memoretur, ea eſt, quam exſtruxere in area Spurii Caſſii, publicata anno CCLXVIII. Meminit Cicero pro domo ſua, & Valerius Maximus lib. VI, cap. III. Anno quoque CCCCLXXXV P. Sempronius Sophus ædem Telluris vovit; cùm, acie jam inſtructâ adverſus Picentes, terra contremuiſſet, eaque res ingentem incuſſiſſet horrorem Romanis, ſicut ad pugnandum vix poſſent compelli. Auctores Florus lib. I, cap. XIX, & Oroſius lib. IV, cap. IV. Etiam Deæ hujus ædem memorat Plinius lib. XXXIV, cap. VI. Non multùm abfuiſſe à Carinis, indicat Suetonius de illuſtribus Grammaticis; quo loco agit de Lenæo, Pompeji Magni liberto. Item P. Victor, qui in quarta collocat Urbis regione, itidem non procul à Carinis.

Ab eâdem cauſſâ *Ops* nominatur: quæ vox vim ſive potentiam auxiliatricem ſignificat; unde *inops*, & *cops*, quaſi *coops*, à quo *copiæ*. At alia ut plurimum eſt Græcorum Ὦπις, prout communi linguâ dicitur, quæ Ionicè Οὖπις, velut apud Callimachum; & Doricè Ὦπις, unde *Opim* priori porrectâ reperias apud Maronem in XI. Id nunc nomen eſt unius è virginibus Dianæ, ut loco Maronis memorato; nunc ipſius Dianæ, ut apud Callimachum *a*. Ex cujus interprete antea *b* geminam adduximus rationem, cur Diana ſic vocetur. Una erat, quia parturientes ὀπίζεται, hoc eſt, *curat*. Nam ὄπις, *cura*. Eamdemque nominis rationem adfert quoque Etymologus *c*. Altera fuit, quia Diana hoc nomen aſſumſerit amore virginis Hyperboreæ, *Opis* nuncupatæ: quæ ſacra Apollinis, & Dianæ, ἱεροῖς δράγμασιν, ut Callimachus vocat, hoc eſt, (ut apud Servium *d* eſt) *in ſacris mergitum occultata*, pertulerit in Delum. De diſcrimine Opis Romanæ, ac Grajæ, verba ſunt iſta Servii in IV Æn. *Cum terram dicimus, hæc Ops facit: ſi nympham dicamus, hæc Opis: ſi divitias, hæ opes, numero tantùm plurali.* Et in XI: *Opim quando dicimus, Nympham ſignificamus: ſi autem dicamus Opem, auxilium intelligimus. Opes verò numero plurali, cenſus accipimus. Nam Ops uxor eſt Saturni, quam Græci Rheam vocant.* De illo autem Dianæ cognomento *Opis*, continuò adjungit: *Sanè hoc nomen ipſius Dianæ fuiſſe ab Epheſiis dedicato templo ei impoſitum, Alexander Ætolus poëta in libro, qui inſcribitur Muſæ, refert.* Idemque ex Alexandro hoc memorat Macrobius lib. I Saturn. cap. XXII; ubi & verſus ejus poëtæ adfert. Poſtea hæc ſubdit: *Quidam dicunt, Opim, & Hecaërgon, primos ex Hyperboreis ſacra in inſulam Delon occultata in faſcibus mergitum pertuliſſe. Alii dicunt, Opim, & Hecaergon, nutritores Apollinis, & Dianæ, fuiſſe. Hinc itaque Opim Dianam ipſam cognominatam; Apollinem verò, Hecaërgon.* Apud Servium nunc legitur, priori quidem loco *Optimeticaërgea*: & *Opimeticaergon*. Quæ disjunctim ſcribenda, & ſic corrigenda, Ὦπιν, & Ἑκάεργον. Ut ſatis liquet ex Callimacho, & ejus ſcholiaſte: cujus verba adduximus libri hujus cap. XXIX. Nec primò id nobis obſervatum, video ex iis, quæ ὁ πάνυ Salmaſius annotavit ad Conſecrationem tem-

a Hymno in Dianam.
b Lib 2, cap. 29.
c In Οὖπις. Vide & Ὀπιζεται apud eundem.
d 6 Æn. Verba mox adducam.

templi in agro Herodis Attici triopio. Porrò, poſt allata, ibidem apud Servium inter cauſas, unde Opis dicatur, etiam hæc affertur, *quod proxima luna, quæ Dianæ terris facile conſpiciat quoniam inta.* Sic enim corruptiſſimè hæc leguntur. Vide, an non ſcripſerit Servius: *quod proxima Luna terris, quæ Diana, facile conſpiciat omnia elementa.* Nempe ut Ὦπις ſit ab ὤπες, id eſt, *oculi*, ſive inde derivato, ὀπίζεσθαι, vel ὀπτάζεσθαι, quod Heſychius interpretatur, σκοπεῖν, ὁρᾷν, *conſpicere*, *videre*. Satis hæc oſtendunt, utcunque Ὦπις eadem ſit ac Ops, quatenus Ὦπις eſt Diana; Lunaque, & Tellus, uno eodemque cultu à multis colerentur: propriè tamen aliam eſſe Ὦπιν Græcam, aliam Opem Latinam: illam eſſe ſolam Dianam, vel nympham, unde nomen hoc Diana acceperit; hanc ſolam eſſe Rheam, ſive Tellurem: Dianam dictam videri *Opim*, vel ab ὀπίζεσθαι, quod eſt *curare*, quia curam gerat parturientium; vel ab ὀπίζεσθαι, *conſpicere*, quia videat omnia Lunæ ſubdita, præcipuè Terras: Tellurem vocatam *Opem*, quia ope ac beneficio ejus vivamus. Varro duriuſculè deduxit ab *opus*. Sic enim ille lib. IV de L. L. *Terra Ops, quod hic omne opus: & hac opus ad vivendum.* Veriùs idem ille, cur *mater* dicatur. *Ideo*, inquit, *dicitur Ops mater, quod terra nutriat. Hæc enim terris gentes omnes dedit, & reſumit denuo, quæ dat cibaria; ut ait Ennius.* De eadem ſic antea dixerat: *Principes in Latio* (Dii) *Saturnus, & Ops.* Ac mox Saturnum quidem Cælum, Opem autem interpretatur Terram.

Primus Opi ſtatuiſſe ædem traditur Titus Tatius, qui cum Romulo regni Romani conſors fuit. Auctor Varro in IV de L. L. & Dionyſius Halicarnaſſ. lib. II Antiquit. Rom. ubi id conditum ait τῇ Ῥέᾳ. Hoc uterque interpres, Lapus, & Portus, *Rhea* reddiderunt. Mallem *Opi* dixiſſent; more Romano: unde Auſonius in Monoſyllabis:

—— *Poſt hanc Rhea, quæ Latiis Ops.*

Sed ut templum *Rheæ* pro *Opis* non legatur apud Romanos: Tibulli tamen eſt de Phrygia matre lib. I, eleg. IV:

Idææ currus ille ſequatur Opis.

Et Macrobius lib. I Saturn. cap. X, Philochoro proditum ait, à Cecrope primùm in Attica aram fuiſſe conſtitutam Saturno, & Opi. Ubi Philochorus ſine dubio *Rheæ*, non *Opi*, ſcripſerat. Feſtum ejus *Opalia*, teſte Feſto. Ea incidebant die III poſt Saturnalia; ut eſt apud Varronem in V de L. L. hoc eſt, XIV Kal. Jan. ut Macrobius auctor loco memorato.

Dea hæc etiam particulare cognomen habuit *Conſivæ*, à *conſerendo*. Feſtum ejus *Opiconſiva* incidebat in VIII Kal. Sept. ut liquet ex veteri Kalendario. De eo ſic Varro in V de L. L. *Opeconſiva dies ab Dea Opeconſiva, cujus in regia ſacrarium; quod ideo actum, ut eò præter Virgines Veſtales, & ſacerdotem publicum, introeat nemo. Is, cum eat, ſuffibulum haut habeat.*

CAP. LIX.

Veſtem eſſe Tellurem, & cur Euripides eam dicat in aëre conſidere: ut item à Platone comparetur foco domiciliorum; vel, ſi vulgatos Ciceronis codd. ſequamur, domicilium Deorum *ſtatuatur: & quomodo idem videri & numen poſſit, & locus Deorum. Veſtæ etymon. Ut pariter Tellurem, & Ignem, coluerint templo Veſtæ: & cur id fuerit rotundum. Per Junonem etiam terram quandoque ſignari: & quàm variè* Jupiter, & Juno, φυσικῶς *ſumantur: & quomodo conciliari poſſit, quod tum mater Ops, tum filia Juno, terra eſſe dicantur. Imò & Cererem eſſe terram, ſed frugiferam ſolum: & unde* Ceres *dicta, quæ &* Γῆ *Dupliçem eſſe Cererem; Cæleſtem unam, hoc eſt, Lunam: Subcæleſtem alteram, hoc eſt, Terram; cujus Cereris feſtum* Χθόνια *dictum. Cur Ceres dicta* Legifera, & *feſtum ejus* Theſmophoria: *fuiſſeque hac Cereri, & Proſerpinæ, communia. Cur in utriuſque hujus Deæ feſto Syracuſis circumgeſtarint naturæ muliebris figuram. Unde ſit, quòd per Venerem etiam intelligatur Terra, ſive vis ejus generatrix. Ut* Ἄδωνις, & Αἰδωνεὺς, *reducantur ad Solem Antipodum. Cur aliqui dixerint, idem eſſe numen Veneris, & Veſtæ: etſi hac nihil caſtius, illa nihil laſcivius haberetur.*

POrrò Tellus non modò Rhea, vel Ops, dicitur; ſed etiam Veſta, & Juno, & Ceres, & Venus. De Veſta teſtis Suidas in Γῆς ἄγαλμα: &, cujus potior auctoritas, Euripides his verſibus:

Καὶ Γαῖα μῆτερ, Ἑστίαν δέ σ' οἱ σοφοὶ
Βροτοὶ καλοῦσιν, ἡμένην ἐν αἰθέρι.
Et Terra mater, Veſta quæ ſapientibus
Vocaris, ipſo conſidens in æthere.

Ubi Veſtam ait conſidêre in Æthere ſive aëre, quia undique aëre, ac æthere, ambitur. Per Veſtam itidem Terram intellexit Plato; ut indicant illa in Phædro ſive de Pulchro *a*: Ὁ μὲν δὴ μέγας ἡγεμὼν ἐν οὐρανῷ Ζεὺς, πτηνὸν ἅρμα ἐλαύνων, πρῶτος πορεύεται διακοσμῶν πάντα καὶ ἐπιμελούμενος· τῷ δ' ἕπεται στρατιὰ θεῶν τε καὶ δαιμόνων, κατὰ ἕνδεκα μέρη κεκοσμημένη. Μένει γὰρ Ἑστία ἐν θεῶν οἴκῳ μόνη. *Magnus igitur dux ſive auriga in cælis Jupiter, volucrem agens currum, primus incedit, omnia adminiſtrans ac procurans. Hunc ſequitur Deorum Dearumque exercitus ſive cætus undenas in partes diſtributus. Nam Veſta in domo Deorum manet ſola.* Ubi per domum Deorum intelligitur totius mundi compages. In hac choragus, ac præſultor, ſtatuitur Jupiter: undecim Deorum chorus hunc ſequi dicitur. At unica, inquit, Veſta pedem non movet, ſed quaſi incluſa domi ſemper ſiſtit. Hæc ſanè nulli meliùs conveniunt, quàm Telluri: unde hæc *habitatio Deorum* dicitur. Idem Plato in XII de Legg. *b* Γῆ μὲν οὖν, Ἑστία τε οἰκήσεως, ἱερὰ πᾶσι πάντων θεῶν. *Terra quidem, Veſtaque, omnibus Diis ſacrum eſt habitaculum.* Eò inclinat Juſtus Lipſius *c*, diſtingui à Platone inter Terram, & Veſtam. Magis mihi placet, copulam hic eſſe ἐξηγητικὴν, quaſi dicat, *Tellus*, ſive *Veſta*; vel *Veſta*, *ſive Focus domicilii*, aut *domiciliorum*. Præit ad hanc ſententiam M. Tullius in II de Legg. *Platoni*, inquit, *prorſus aſſentior, qui, ſi interpretari potuero, his fere verbis utitur: Terra igitur, ut focus domiciliorum, ſacra Deorum omnium eſt.* Ita enim eſt in MSSis, quibus uſus Turnebus; item iſtis; quibus Janus Gruterus noſter. In vulgatis eſt, *domicilium ſacrum Deorum eſt.* Sed prius convenientius verbis Platonis: etſi & vulgata quodammodo poſſit excuſari. Dicat aliquis, non ſatis convenire, ut Dea ſit Deorum domicilium. Verùm & Cælus eſt inter Deos; licet Cælum ſit ſedes Deorum. Nimirum Cælum, & Tellus, bifariam conſiderantur, ut loca ſunt, quibus continentur corpora cætera: atque ut ipſa ſunt corpora, & quidem generationis omnium principia. Priori modo ſunt domicilia, ac ſedes Deorum hominumque: tellus Deorum, & mortalium; cælum, Deorum primævorum, & indigetum: quo pacto Dii non ſunt. Poſteriori ratione, ſi omnes Naturæ partes Dii ſunt; longè magis hæ duæ prænobiles nomen Deorum poſſident.

Præterea, Veſtam eſſe Terram, ex vocabuli origine colligebat Phurnutus *d*: ut qui dicat, ταύτην διὰ τὸ ἑστάναι διὰ παντὸς προσηγόρευσαν οἱ παλαιοί· ἢ διὰ τὸ ἐπ' αὐτῆς, ὥσπερ ἐπὶ θεμελίου, τὸν ὅλον ἑστάναι κόσμον· *Hanc* ESTIAN *à Græco* ESTANAI, *quod eſt ſtare, ſiſtere; quia ſtet per res univerſas, veteres dixere: vel quòd ſuper illo, tanquam fundamento, inſiſtat totus mundus.* Ac Latinum ajunt *Veſtæ* etymon convenire. Unde Ovidius *e*:

Stat vi Terra ſuâ; vi ſtando Veſta vocatur.

Et Arnobius in tertio: *Terram nonnulli Veſtam pronunciant, quod in mundo ſtet ſola, cæteris ejus partibus in mobilitate perpetuâ conſtitutis.* Alii (ut ex Servio videre eſt I Æn.) ſic dictam putant, *quod variis veſtita ſit rebus.* Hocquoque Terræ optimè convenit. Sed de etymo, tam Græco, quàm Latino, planè eos ratio fugit. Nam Ἑστία ſive *Veſta*, propriè idem eſt ac ἐσχάρα ſive *focus*: nec Telluri ea attributa eſt appellatio, niſi prout eſt ignifera: hoc

a Tom. 3, pag. 246, & 247, ed. H. St.

b P. 950, ed. H. St.

c Lib. de Veſta, cap. 1.

d Cap. de Cerere, & Veſta.

e 6 Faſt.

hoc eſt, quatenus continet focum univerſi, ac calorem vitalem, quo plantæ generantur, & animantia: ut pleniùs exponam, ubi deventum erit ad Ignem, qui & ipſe per Veſtam, ac propriè magis, intelligitur. Uno interim templo Romæ ſub Veſtæ nomine & Tellus, & Ignis, colebantur. Unde eſt, quòd Ovidius Veſtam, nunc Terram, nunc Ignem, dicat: & de Igni arguit ſempiternus ignis ab virginibus cuſtoditus Veſtalibus: de Terra autem, quòd templum Deæ, ut in nummis etiam Neronis videas, erat rotundum; idque ut repræſentaret terræ pilam. Ovidius VI Faſt.

Hîc locus exiguus, qui ſuſtinet atria Veſtæ:
Et paries lento vimine textus erat.
Forma tamen templi, quæ nunc manet, ante fuiſſe
Dicitur: & formæ cauſſa probanda ſubeſt.
Veſta eadem eſt, & terra: ſubeſt vigil ignis utrique:
Significant ſedem terra focuſque ſuam.
Terra pilæ ſimilis nullo fulcimine nixa
Aëre ſubjecto tam grave pendet onus.
Par facies templi: nullus procurrit in illo
Angulus: à pluvio vindicat imbre tholus.

a *In* Rotundam. Feſtus Pompejus *a*: *Rotundam ædem Veſtæ Numa Pompilius, Rex Romanorum, conſecráſſe videtur, quòd eandem eſſe terram, qua vita hominum ſuſtentaretur, crediderit; eamque in pilæ formam eſſe, ut ſui ſimili templo Dea coleretur.*

Accedo ad Junonem; per quam itidem ſignatur Terra. Nam Juno eſt natura Iovi ſubdita: ac pro multiplici Iovis acceptione variat etiam Junonis ſignificatio. Interdum *Jupiter* eſt æther, ſive cælum: atque ita *Juno* ſit aër. Interdum *Jupiter* eſt aër: & hoc pacto *Juno* eſt tellus. Ser-
b P. 489 *edit. prima.* vius in VIII Æn. *b*. *Hanc autem porcam Trojani in Campania invenerunt cùm fœtu circa Laurentem agrum: quam ideo Æneas immolavit Junoni, quia ipſa dicitur terra:*
c *Georg.* 2. *ut eſt* c:

Conjugis in gremium lætæ deſcendit. ——

Interdum *Jupiter* eſt cælum cum aëre ſuperiori: quo pacto *Juno* eſt aër inferior cum terra; ut Junonem interpretatur Macrobius lib. III Saturnal. cap. IV. At perperam Ludovicus Vives ad Auguſtinum de Civitate Dei, lib. IV, cap. X ait, Junonem eſſe terram, & aquam; ejuſque rei teſtem laudat Servium. Nam pro *aqua aera* dicere, ſi non voluit, ſaltem debuit. Ut *Juno* pro aëre ponatur univerſo, inferiùs dicetur. Pro terra verò ea, ut *Jupiter* pro aë-
d 2 *Georg.* re, ſumitur à Marone verſibus iſtis *d*:

Tum pater omnipotens fœcundis imbribus æther
Conjugis in gremium lætæ deſcendit. ——

Unde expreſſum hoc in Pervigilio Veneris:

In ſinum maritus imber fluxit almæ conjugis.

Porrò non de poëticis figmentis, ſed de philoſophorum libris, à Virgilio hoc prolatum eſſe, meritò dicit B. Auguſtinus lib. IV de Civitate Dei, cap. X. Qui & ibidem, cùm Saturnum monuiſſet eſſe temporis longitudinem, iſta ſubjungit: *Quid indignum dicitur, cùm Jupiter, & Juno, nati dicuntur ex tempore, ſi cælum eſt ille, & illa terra, cum facta ſint utique cælum & terra? Nam hoc quoque in libris ſuis habent eorum docti atque ſapientes.* Sed, ſi Terra eſt Juno, & hæc ſoror ac conjux eſt Iovis; quomodo Terra quoque eſt Rhea, uxor Saturni, mater Iovis & Junonis? His occurritur diverſà conſideratione Telluris. Nam aliter ea attenditur, cùm vocatur *Ops*, & dicitur uxor Saturni: aliter cùm nominatur *Juno*, & ſtatuitur ſoror, atque uxor Iovis. Priori modo conſideratur, quatenus in ea præcipuè conſpicimus vim univerſæ naturæ paſſivam: uti in æthere imprimis attenditur naturæ totius vis activa. Hinc Varro in IV de L. L. *Principes Dei, Cælum & Terra. Hi Dei iidem, qui in Ægypto Serapis, & Iſis; qui ſunt Taautes, & Aſtarte, apud Phœnicas; ut iidem principes in Latio, Saturnus, & Ops.* Et poſtea ſubdit, Cælum Terramque eſſe, ut marem, & feminam; ut animam & corpus; atque, ut legendum antea diximus, ſicut humorem, & calorem. Ubi, ut apertum puto, Terra non conſideratur nudè, prout pars eſt univerſi infima: ſed τὴν πανδοχὴν totius, quatenus in ea maximè relucet vis naturæ receptrix, & ſeminatrix. Hoc vel ex iis cognoſcere fuit, quæ de Iſide, & Aſtarte, diximus. Oſtendimus enim, Lunam quoque per eas intelligi. Imò, univerſa fortaſſe ſidera lumen ſuum recipiunt à Sole: quod minimùm de Venere, & Mercurio, ſtatuendum, propter earum eclipſes, noſtro ſeculo, uti & in Iove, obſervatas; quemadmodum dixi cap. XXXI. At quando Tellus ſive ſola, ſive unà cum imo aëre, Juno nominatur, ac Rheæ ſive Opis filia, Iovis autem dicitur ſoror & uxor: ſpectatur hoc elementum, ut infima pars univerſi. Nam ut naturæ vis activa, & paſſiva, attenduntur, tanquam mas, & femina; ita partes ejus conſiderantur, ut liberi: ac tres dicuntur mares; Jupiter ſive æther, Neptunus, ſive aqua, Pluto, ſive terra inferior: tres item feminæ, Juno; ut aër imus, vel is unà cum terra ſupera; Ceres, ut terra frugifera: Veſta, ut eadem ignifera. De Iove, Neptunoque, in aëris, & aquæ elemento, videbitur: de Veſta, in Igni. Nunc quia de Junone ſatis dictum eſt, de Cerere acturi ſumus. Quam propterea, quæ dicebamus, diverſam eſſe habitam; ſacrorum diverſitas oſtendit. Nam, ut Servius ait in IV Æn. in illud, *Legiferæ Cereri*, &c. *Cum Eleuſinæ Cereris ſacrum fit, ædes Junonis clauditur. Item cùm Junoni Eleuſinæ fit, templum Cereris clauditur: nec ſacerdoti Junonis licet guſtare, unde Cereri ſit libatum.*

A nomine initium capiemus. *Ceres* multis ſic videtur nuncupata quaſi *Geres*, quia fruges gerat. Olim enim C pro G ſcripſere; ut vel ex roſtrata Duilii columna conſtat. Hoc etymon, ut Varroni *a*, Tullioque, ita & Arnobio a *Lib* 5.
placuit in tertio. Sed ſi *Geres* priùs dixere, potiùs ſit à *de* L. L.
גֶּרֶשׂ *b*, quod eſt frumentum contuſum, ſive contritum. b *Lev.* 2.
Nam, priuſquam molerent, fruges piſtillo comminue- 14.
bant. Atque etymon hoc placuit ſocero meo Fr. Junio *c*. c *In elogio*
Fueritque ab eadem origine Γῆρυς. Heſychius: Ἀχερώ, *linguæ*
καὶ Ὦπις, καὶ Ἑλλὴ, καὶ Γῆρυς, καὶ Γῆ, καὶ Δημήτηρ, ἡ *Sanctæ, &*
αὐτή. *Achero, Opis, Helle, Gerys, Tellus, & Ce-* *lexico Hebræo, bæ-*
res, eadem. Nec ineptè tamen deduxeris Ceres à חָרַשׁ, *Bennus me-*
arare: quia (ut poëta ait:) *dito.*

Prima Ceres unco glebam dimovit aratro.

Vel, ut Servio viſum in I Georg. à creando, quia frugum creatrix. Nam *cereo* olim idem ac *creo*: unde in carmine Saliari apud Feſtum *d* eſt *cerus manus*, quod idem d *in Ma-*
exponit *creator bonus*. *trem.*

Eſt verò, ut dictum cap. XXVII, duplex Ceres, cæleſtis & terreſtris. Cæleſtis eſt Luna: terreſtris autem eſt tellus frugifera; hoc eſt, terra pariter, ac fruges; unde & μετωνυμικῶς à poëtis pro *frugibus* accipitur. In Cerere ſe ratio habet ſimiliter, ac in Iſide: quæ, quia omnia germinant beneficio Lunæ, ac Telluris, eò utrumque numen comprehendit. Hoc nos docet Plutarchus lib. de Iſide, & Oſiride: ubi tradit, qui Ægyptiis eſt Oſiris, hunc eſſe Græcis Bacchum ſive Liberum: quæque Ægyptiis Iſis, hanc Græcis eſſe Cererem: ac Oſiridem quidem eſſe Solem, & Humorem aqueum; Iſidem autem Lunam, & ſiccitatem terreſtrem. Hinc cognoſcimus, cur ἡ χθονία
θεὸς *e* ſit Ceres: & feſtum Cereris dicantur Χθόνια *f*, ut e *Dea Terreſtris.*
eſt apud Pauſaniam in Corinthiacis, & Ælianum de Hi- f *Terre-*
ſtor. Animal. lib. XI, cap. XII. Etiam eadem liquet, cur *ſtris.*
ſubterranea haberetur. Nam ut cæleſtes Dii in cælis, ita terreſtres habitant in terris, ſive ſub terris. Hoc nugandi occaſionem præbuit illi, qui cum Cerere ſe apud inferos collocutum diceret: ut legimus apud Originem lib. II adverſus Celſum. Verba ejus ſunt *g*: Ῥαμψίνιτον ἐν Αἰγύπτῳ g *Pag.* 96.
συγκυβεύειν ἐν ᾅδου τῇ Δημήτρᾳ, καὶ ἀπολαῦσαι δῶρον παρ' αὐ- *edit. Au-*
τῆς χειρόμακτρον χρυσοῦν φέροντα. *Rampſinitum Ægy-* *guſt. Vind.*
ptium aleâ luſiſſe apud inferos cum Cerere, & ab ea dono abſtuliſſe aureum mantile, quod ſecum ferret. nempe ut certiſſimum & muneris ſuæ ad inferos, & reditus ab iiſdem, argumentum.

Ceres hæc dicta quoque θεσμοφόρος: ut Maroni IV h *Theſ-*
Æn. *Legifera*: ac ſacra ejus apud Athenienſes θεσμοφόρια, *mos, lex*
quaſi *divinæ legis latio*. Nam θεσμὸς, νόμος θεῖος *h*, ut *divina.*
Heſy-

Heſychius exponit. Urbibus quidem ab ea leges latas, etiam Callimachus hymno in Cererem ait. Rationem ex Servio appono ad IV Æn. *Leges Ceres dicitur inveniſſe. Nam & ſacra ipſius Theſmophoria, id eſt, legum latio, vocantur. Sed hoc ideo fingitur, quia ante frumentum inventum à Cerere, paſſim homines ſine lege vagabantur; quæ feritas interrupta eſt, poſtquam ex agrorum diſcretione nata ſunt jura.* Uti autem per *Cererem* ſignatur terra frugifera, & cum his fruges: ita per filiam ejus, quam dixere Περσεφόνην, ſive *Proſerpinam*, denotantur ſemina, quæ terræ mandantur. Itaque θεσμοφόρια erant ſacra non Cereri modò, ſed & Proſerpinæ: ac quamquam majori colerentur caſtimoniâ, quàm Eleuſinia; Syracuſis tamen in hoc feſto utrique Deæ ferebant μυλλούς. Athenæus lib. XIV: Ἡρακλείδης ὁ Συρακούσιος ἐν τῷ περὶ θεσμῶν φησι, τοῖς παντελείοις τῶν θεσμοφορίων ἐκ σησάμου καὶ μέλιτος κατασκευάζεσθαι ἐφήβαια γυναικεῖα· ἃ καλεῖσθαι κατὰ πᾶσαν Σικελίαν μυλλοὺς, καὶ περιφέρεσθαι ταῖς θεαῖς. *Heraclides Syracuſis, libro de vetuſtis & ſancitis moribus, ſcribit, apud Syracuſios in extremis Theſmophoriis ex ſeſamo & melle fingi pudenda muliebria, quæ* MULLOI *per totam dicebantur Siciliam, ac circumferebantur Deabus.* Flagitioſiſſimos, ſymbolicos tamen. Nam ut in Oſiridis, & Bacchi ſacris, phallus eſt circumgeſtatus ad ſignandam generandi vim activam; quæ eſt in Sole, & Humore: ita in Syracuſanis Theſmophoriis circumferebatur μυλλός, ad ſignificandum principium generationis paſſivum.

Sed quomodo, ſi Rhea, ſive Ops, mater Cereris, ſit Tellus; etiam Ceres, ejus filia, Tellurem ſignet? Non eſt operoſum hunc nodum exſolvere ex iis, quæ de Rhea, & Junone, diximus. Nam & Juno eſt Rheæ filia, ut & Veſta, Ignis præſes: quæ nihilominus ſunt filiæ; juxta illud Auſonii *a*:

a Idyll. 4. ſive gripho ternario.

Juno, Ceres, & Veſta, ſecus muliebre ſorores.

Quamobrem ſic ſtatuendum, non terram omnem dici Cererem, ſed frugiferam duntaxat: Opem autem, ſive Rheam, eſſe terram univerſam. Hæc igitur eſt mater; Ceres filia: quia terra eſt totum; frugiferum ſolum, pars ejus: terra item fert fruges, ut mater liberos.

Præterea ad Terram refertur Venus. Quippe ut aliàs, vel Luna eſt, vel Heſperus; ita ſubinde eſt vis Naturæ generatrix: quæ ut cælis proficiſcitur, ita ab aquis, ac præcipuè terra, recipitur, inque hac potiſſimùm elucet. Hinc Macrobius lib. I Saturn. cap. XXVIII: *Phyſici ſuperius hemiſphærium terræ, cujus partem incolimus, Veneris appellatione coluerunt: inferius verò hemiſphærium terræ Proſerpinam vocaverunt.* Quod autem diximus antea, per Adonin, amaſium Veneris, intelligi Solem, hoc non modò locum habet, ſi per Venerem capiamus Lunæ, aut Luciferi ſidus: ſed etiam ſi Tellurem intelligamus. Nam & Tellus Solem deſiderat, ut femina marem. Sed imprimis deperit abſentem, hoc eſt, cùm ad Antipodas conceſſit. Quomodo Adonis quidem Sol erit; ſed ille inferius illuſtrans hemiſphærium. Unde apud Auſonium Epigramm. XXVIII:

Βάκχος ἐνὶ ζωοῖσιν, ἐνὶ φθιμένοισιν Ἀδωνεύς·
In vivis Bacchus, ſed Adonis lumine caſſis.

Sic ſanè Græcum verſum legit Mariangelus in Diatribis: ac ſimiliter reperio in Veneta anni CIↃCCCCXCIV. In aliis tamen codd. eſt:

—— Ἐνὶ φθιμένοις Αἰδωνεύς.

Ut Latinè poſſis reddere:

Bacchus ſum in vivis: in defunctis Aidoneus.

Αἰδωνεὺς autem eſt Ἅδης ſive *Pluto*. Quæ ſententia non repugnat priori, modò per Plutonem intelligas Iovem Stygium, hoc eſt, Solem inferiori illucentem telluri: quem cum cardine auſtrali, ſecundùm poëtam *b*,

b 1 Georg.

Sub pedibus Styx atra videt, maneſque profundi.

Cùm autem Venus ſit Terra, atque eadem, quatenus ignifera eſt, (ut antea orſi eramus dicere, & pleniùs poſtea explicabitur) etiam Ἑστίας ſive Veſtæ habeat nomen: non obſcura eſt ratio, cur eandem aliqui Venerem, & Veſtam, eſſe dixerint. Unde B. Auguſtinus lib. IV de Civitate Dei, cap. X: *Quis ferat, quod cum tantum honoris, & quaſi caſtitatis, Igni tribuerint, aliquando Veſtam non erubeſcant etiam Venerem dicere?* Nempe gentilium iſti, quos ſignat, reſpexere Veſtam matrem, quæ eadem ac Tellus; non Veſtam filiam, quæ eſt Ignis, ac focus Urbis publicus.

CAP. LX.

Per Proſerpinam intelligi Tellurem. Græcis dici Περσεφόνην, *ſeu* Περσεφόνειαν, *& unde id nomen eſſe credatur. Eandem eſſe* Πολύβοιαν. *In Heſychio conjectura. Nullam eſſe pugnam in iſtis, ut Proſerpina ſit terra frugifera, & eadem nihilominus filia ſit Cereris, quæ itidem frugiferum ſolum deſignat. Frequentiùs interim per Proſerpinam intelligi tum ſemen, tum interiorem terram: unde, quia tellus ea furva, & ipſa Diva* furvæ *habuit cognomen, ac eidem furvæ mactabantur hoſtiæ. Divitias, à quibus* Pluto *nomen accepit, triplices eſſe: quaſdam alimoniæ, quam terra producit: alias cadaverum, & aliorum, quæ tellus recipit, ubi corrupta ſunt: alias præterea metallorum, quæ tellus intus gignit, & donec effodiantur, continet. Dubitatum, an Latinis ſit nomen* Dis *ab iiſdem divitiis, an ex eo, quia Jupiter Græcis dicatur* Δίς, *& Pluto ſit, ut Maro appellat, Jupiter Stygius.* Ἔτυμον *Orci,* Ἅδου, *Erebi, Acherontis, Erythræi maris, Attinis.*

POſtremo oſtendam loco, Tellurem etiam intelligi per Proſerpinam, & maritum ejus Plutonem. De Proſerpina ſic Iſacius Tzetzes in Lycophronem *a*: Περσεφόνη δὲ καὶ Ἶσις, ἡ Γῆ, καὶ Ῥέα, καὶ Ἑστία, καὶ Πανδώρα, καὶ ἑτέροις μυρίοις ὀνομάζεται· *Tellus Proſerpina, & Iſis, & Rhea, & Veſta, & Pandora, & innumeris aliis nominibus nuncupatur.* Idem clariùs elucet ex Φερσεφονείας etymo, de quo Heſychius: Φερσεφόνεια, ἡ τῆς Δήμητρος θυγάτηρ, ἡ φέρουσα τὸ ἄφενος, τουτέστι τὸν πλοῦτον, διὰ τὸν καρπὸν, ἀπὸ τοῦ φέρειν ὄνησιν· PHERSEPHONIA, *Cereris filia, divitias adferens, propter fructus, ex Pherein, hoc eſt, ferre, & Oneſin, id eſt, utilitatem ac fructum.* Imò terræ conveniat hoc nomen, ſi ab Hebræo fonte arceſſas, ut ſit ex פְּרִי peri, & צפן ſaphan: quorum prius *fructum*, alterum *tegere* notat. Tegit enim ſemina ab agricola ſibi commiſſa. Quod ſi Φλοία ſit *Proſerpina*, hæc quoque Tellus erit. Favet Heſychius: Φλοιὰν, τὴν κόρην, τὴν θεὸν οὕτω καλοῦσι Λάκωνες· *Phlœam, Liberam deam ſic vocant Lacones.* Nempe, ut Latinis *Liber*, Bacchus; *Libera*, Proſerpina: ſic Græcis *Liber*, Φλοιός; *Proſerpina*, Φλοιά. De Libero indicant verba Plutarchi: Ἔνιοι δὲ θύουσι Διονύσῳ τῷ Φλοιῷ. *nonnulli ſacrificant Libero Phlæo.*

Etiam vocata eſt Πολύβοια. Idem Heſychius: Πολύβοια, θεός τις. ὑπὸ ἐνίων Ἄρτεμις, ὑπὸ δὲ ἄλλων κόρη· *Polybœa, Dea quæpiam, nonnullis Diana; aliis Libera, ſeu Proſerpina.* Nempe à βόω, ſive βόσκω, *paſco*; ut idem ſit ac Homeri πολυβότειρα, *multos paſcens*; aut παμβῶτις γῆ, *terra omnes paſcens*; quod apud Sophoclem Philoctete. Ac fortaſſe ſimiliter Heracleenſes matrem ejus Cererem dixere Παμβότανον, quaſi *omnium herbarum productricem.* Licet apud Heſychium nunc legatur: Παμπάνος, ἡ Δημήτηρ ἐν Ἡρακλείᾳ.

Sed ut ſuperiùs de Rhea, & Cerere; ita hic de Cerere, & Proſerpina, controverſia eſt: quomodo eadem eſſe Tellus poſſit, eaque frugifera; cùm Ceres quidem mater, Proſerpina autem ſit filia. Verùm lib. II, cap. XVIII, Cererem, & Proſerpinam, bifariam interpretabamur. Primùm, ut Ceres ſit Luna; Proſerpina autem vis Terræ frugiferæ. Sic Proſerpinam eſſe Cereris filiam, ſatis liquet. Deinde ut Ceres eſt ſeges; Proſerpina autem ſemen. Ac eâ quoque ratione Proſerpina eſt filia Cereris, hoc eſt, ſegetis; ſed ſic, ut quodammodo etiam mater dici poſſit; quia & ſeges è ſemine, & ſemen à ſegete, matre patiente filiam, filia reddente matrem. Alii malunt dicere, ſege-

a P. 203. edit. Baſil.

tem

tem eſſe à ſemine, ſemen à terra. Non hæc pugnant: quippe terra eſt materies ſegetis aliquo modo permanens, quia elementorum formæ manent, ſed fractæ: unde alia ex mixti forma, quàm elementi: ſemen autem eſt materies periens, quia, adveniente formâ plantæ, recedit forma ſeminis.

Sed utcunque Proſerpina etiam ſit terra frugifera, ac ſeges: uſitatiùs tamen accipitur pro ſemine, ejuſque receptrice terrâ inferâ. Unde & *furva*, hoc eſt, nigra dicebatur. Horat. lib. II, od. XIII:

Quàm penè furvæ regna Proſerpinæ,
Et judicantem vidimus Æacum!

Ubi Acro: *Furva myſtico nomine dicitur Proſerpina.*

Itidem & quia infera loca luce deſtituuntur; eò furvas Diis inferis hoſtias mactabant. Imo, ut Porphyrius docuit in opere de philoſophia ex Apollinis reſponſis; quo inferiores eſſent Dii, eò triſtiores, longiuſque à colore albo recedentes, ſacrificatæ ſunt hoſtiæ, idque in foveis, non aris, uti Diis fiebat ſuperis, & terreſtribus.

Quemadmodum autem interior tellus, ratione virtutis paſſivæ, *Proſerpina* nuncupatur: ita quoque ratione maſculæ virtutis eſt Πλούτων, & Πλουτεύς. Atque idem apud Phurnutum legere eſt. Lucianus de Luctu ſic vocari ait, quia omnia in terram recidant, mortuiſque diteſcat. Ut Pluto ſit terra, quatenus eſt cadaverum receptrix. a Lib. 1. od. 4. Itaque Horatio *a* ſepulcrum vocatur *exilis domus Plutonia.* Interim & altera ratio eſt, eaque potior: puta quòd, ut idem Lucianus in Timone refert, ſit πλουτοδότης, καὶ μεγαλόδωρος· *divitiarum donans, magnaque largiens.* b P. 403. edit. Steph. Eamque cauſſam etiam adducit Plato in Cratylo *b*: imò & Tullius, in ſecundo de Natura Deorum, utramque cauſſam his complectitur verbis: *Terrena autem vis omnis, atque natura, Diti patri dedicata eſt; qui dives, ut apud Græcos* Πλούτων, *quod recidant omnia in terras, & oriantur è terris.* Oriuntur autem è terris fruges, ac fructus cæteri. Sed & metalla illi debentur, quia effodiuntur terrâ. Quare, & per Plutonem capimus Tellurem, quatenus eſt metallifera.

Sed quod Tullius ait, ut Græcis Πλούτωνα, ſic Latinis *Ditem* nuncupari; id quanquam per eſt veriſimile; in dubium tamen vocari poſſit. Nam cur non putemus, Latinum *Dis* eſſe ex Græco Δὶς, hoc eſt, *Jupiter*? Nam c 4 Æn. ſic Maro *c* eum *Jovem Stygium* dixit. Sed priùs malim: quando & Tibullo *Orcus*, qui idem ac *Pluto*, *dives* nuncupatur. Sic enim cecinit lib. III, el. III:

Dives in ignava luridus Orcus aqua.

Eundem verò eſſe, ac Plutonem, etiam origo indicat. Nec enim id nominis vel ab *urgendo* eſt; uti Varro credidit in IV de L. L. nec item, quod Verrius putabat, contractum ex οὐραγὸς, quo *caudam agens*, hoc eſt, *extremi agminis ductor* ſignificatur: ſed neque ab ὅρκος, hoc eſt, *juramentum*, quia Dii per Stygiam jurarent paludem: verùm ab Hebræo ארקא, *terra*: ut uſurpat propheres Jeremias x, 11.

Idem Ἅδης dicitur nominatus παρὰ τὸ ἀειδὲς, hoc eſt, *inconſpicabile*; quia tenebricoſo agat loco: qui & propterea dicitur ἔρεβος: nempe ab ערב, *ereb*: quod veſperam vel noctem ſignat. Ut in Scripturis *Tenebrarum* nomine notatur Matth. XXII, 13: ubi eum, qui ſine nuptiali advenerat veſte, conjici Rex jubet εἰς τὸ σκότος τὸ ἐξώτερον· *in tenebras exteriores.* Ac ſimiliter *Acheron* dicitur ab אחרון, h. e. *ultimum*, *extimum*, ſive, quod longiſſimè abeſt.

Nec tamen hæc controverſia carent: præſertim quod de Ἅδου etymo dicebamus: etſi, vulgo ita ferri, apud d P. 304. edit. H. St. Platonem legimus in Cratylo *d*. Multis enim partibus veriſimilius cenſeo, vocari Ἅδην ab אדמה, *Adama*, hoc eſt, terra. Quod ab אדם, *rubuit*, quia terra inculta rubet. Unde אדם, *homo*, quaſi dicas, *terrenus.* Abſque ה ſemper eſt appellativum; cùm eo, proprium. Atque eâdem origine אדום, *Edom*, hoc eſt, *rufus*: qui eſt Eſau: unde Ἰδουμαῖοι, *dumæi*, q. d. Eſavitæ, vel rufi, aut rubri; ut mare Ἐρυθραῖον, hoc eſt, Idumæum, dicitur rubrum, quemadmodum & alibi monui, ab Erythra ſive Eſavo, hoc eſt accolis, qui Edomi erant poſteri.

Fortaſſe autem & ejuſdem ac Ἅδης originis eſt Ἄττης, amaſius Rheæ, ſive Cybelles. Quantillum enim abeunt Ἅδης, & Ἄττης. Quod ſi placet, Ἄττης bifarium ſpectatur, vel ut Sol eſt; vel ut vis activa Terræ inſita. Utroque modo Rheæ, hoc eſt, Terræ, vel amaſium, vel maritum dixeris. De etymo interim nihil certi ſpondeo; quando aliter Timotheus; ut ex Arnobio monebamus lib. I, cap. XX.

Cap. LXI.

Ad Tellurem varia referuntur nationum numina. Ubi Maja, *cujus etiam nominis ratio adfertur:* Bona Dea; *cujus ſacrum cur Damium diceretur, aliter exponitur, quam Feſtus putabat: adhac non* Faunus *minus, quam* Fauna, *quæ &* Fatua: *præterea* Flora, *ac* Pales: *ſed &* Puta, Pomona, Sera, Segeſta, *vel* Segetia, Tutulina, Nodinus, *vel* Nodina, Lactucina, *vel* Lactens, Patalena, Hoſtilina, Volutrina, Deverrona, Runcana, Spinenſis, Robigus, Sterculius. *Sed Deam* Fornacem, *frumenti, quod torretur, præſidem, ſi frumentum quidem attendas, ad Cererem ſeu Tellurem frugiferam: ſed quatenus id torretur, ad Vulcanum potius ſive Ignem pertinere. Ejus feſtum* Fornacalia.

QUos Deos ad Terram proximè reduximus, tam cogniti fuere Romanis, quàm Græcis. Sed fuere præterea numina, vel ſaltem nomina, quæ fugerent Græcos. Cujuſmodi ſeu numen, ſeu inane nomen, tum *Majæ* fuit, tum *Bonæ Deæ.* Sic enim de utraque proditum à Cornelio Labeone libro de Diis, & ex eo à Macrobio lib. I Saturnalium, cap. XVI. De Maja quis dubitet, quin, ut Labeo ait, ſit Magna Mater? Sed non æque liquet, num inde nomen impoſitum ſit, quia *majus* veteri Romanorum linguâ idem ſit, ac *magnus*: unde Jupiter *Deus Majus*; & *majeſtas* pro magnitudine, & fortaſſe comparativus *major* a: an potiùs acceperimus hoc à Græcis; a De quo dictum nobis lib. 2 de Analogia, c. 24. quando & illis Μαῖα eſt mater Deûm: imò & vocabulum hoc Græcis, tum *nutricem*, tum etiam *matrem* ſonat; ut antea dictum.

Utcunque de Maja ſit, ſaltem Romanum eſt numen *Bonæ Deæ.* Ejus feſtum, Pompejo teſte, *Damium* appellabatur. Δάμιον autem Doricum eſt, ac Tarentinum, pro Δήμιον, hoc eſt, δημόσιον, ſive *publicum.* Sed cauſſam cur *publicum* diceretur, non ſatis perſpexit idem Feſtus. Credebat ille, *publicum* dici, quaſi *minime publicum*: eò quòd viro nulli liceret ei intereſſe. Nos abunde omnem ἀντίφρασιν exploſimus Oratoriarum Inſtitutionum libro quarto, cap. XIII, §. X. Veraque nominis ratio eſt, quòd pro populo fieret: ut ibidem pluribus oſtendi. Quod autem diximus de Bona Dea, idem locum habet in Fauno, Fauna, & Fatua Dea. Nam *Faunus* eſt Tellumo: *Fauna* ſive *Fatua* eſt Tellus, ſeu Bona Dea: ut obſervatum nobis libro primo hujus operis, cap. XII. Atque ibidem etiam multis monſtravimus, *Floram*, quæ præſtare credita, ut arbores plantæque omnes meliùs floreſcant, numen eſſe non animale, ſed naturale. Nempe & ea eſt Tellus plantifera, ac præcipuè florifera, ut Ceres frugifera.

Quod ſi *Ceres*, ac *Flora*, ſint Tellus, etiam *Pales* terra erit. De hac ita Servius in Georg. III: *Pales Dea eſt pabuli: quam alii Veſtam, alii matrem Deûm vocant. Hanc Virgilius genere feminino appellat. Alii, inter quos Varro, maſculino genere, ut hic Pales. Huic ſacra ſolvuntur* XI *Kal. Majas, die, quæ Palilia vocatur.*

Quodque de Cerere, ac Pale, & Flora, vidimus, idem cenſendum de cunctis numinibus, quæ plantarum curæ præfecerant Romani. Qualis *Puta*, cui nomen ab arboribus putandis: & *Pomona*, pomorum præſes. Adhæc

Sera

Sera à ſerendo ſic dicta: item *Segeſta*, nomen hoc ſortita à ſegete, Plinio teſte lib. XVIII, cap. II. Utriuſque ſimulachrum in Circo. Nec alia à *Segeſta* videtur *Segetia*, quam cernere eſt in nummo Saloninæ, uxoris Gallieni Cæſaris. Par ratio *Tutulinæ*, quæ tutatrix ſegetis: *Nodini*, vel *Nodoti*, ſic vocati à nodis, & geniculis plantarum: *Lactucinæ*, vel *Lactenis* Dei, a lactenti frumento: *Patalenæ*, cùm ſegetes & folliculi pateſcunt: *Hoſtilinæ*, cùm in ſegete ariſtæ novæ aliæ alias hoſtiunt, hoc eſt, æquant: *Volutinæ*, involucris ſegetis præfectæ, de qua ex Auguſtino etiam Papias: *Runcanæ* Deæ, cùm runcanda frumenta: *Spinenſis* Dei, ab evellendis ſpinis: *Deverronæ* à deverrendo, quo in coacervandis frugibus opus: *Robigi*, robiginem à ſegete arcentis, cujus feſtum *Robigalia*; ut eſt apud Varronem in V de L. L. Verrium ſive Feſtum in Robigalia, & Plinium lib. XVIII, cap. XIX. Si, voles, his numinibus accedat *Stercutius*: uti dixere Deum, cujus beneficio feliciter ſuccederet agrorum ſtercoratio. In cujuſmodi numinis cultu non ſtercori res fiebat divina; ſed Telluri, fimo lætanti, vel Naturæ virtuti, qua plantæ, poſt fimum agro adſperſum, feliciter provenirent.

At Dea *Fornax* fortaſſe potiùs ad Ignem referenda, quàm Terram. Nam præerat quidem Fornax frumento: ſed cùm fornacibus torreretur. Atqui, ut frumentum Cereris nomine intelligatur, quæ eſt Tellus frugifera: quatenus tamen torrebatur, ad Ignem refertur. Maro I Georg.

— *Frugeſque receptas*,
Et torrere parant flammis, & frangere ſaxo.

a Pag. 28. edit. Pariſ. Quo & pertinet illud in Servio Fuldano *a*, ex Accii Troadibus:

Nocturna ſaxo fruges frendes torridas.

Ita enim legendus is locus. Perperam ibi *Nocturnam*, pro *Nocturna*. Sermo enim eſt ad Troadum aliquam.
b Verſ. 538. *Nocturna* pro *noctu*, ut Maro de lupo dixit III Georg. *b*

— *Nocturnus obambulat.*

c In Fremere, & Frendere. Pro *franges* autem, ut apud Servium eſt, repono *frendas*, Nonium *c* ſecutus. *Frendere* idem, ac *frangere*, unde *faba freſſa*. *Torridas* valet, quod Maro ait *flammis toſtas*.

d In lexico philologico. Deæ hujus feſtum *Fornacalia*; de quibus Feſtus. Miratur vir eruditiſſimus *d*, in lexico veteri Fornacem ſtatui Deam. Nempe non veniebat ei in mentem Ovidii illud in erudito de Faſtis opere lib. VI:

Et Fornacali ſunt ſua ſacra Deæ.

Item hoc ejuſdem in ſecundo:

Facta Dea eſt Fornax: læti Fornace coloni
Orant, ut vires temperet illa ſuas.

CAP. LXII.

Tellus etiam culta Gallis, ſub nomine Ditis; *unde & genus ſe ducere jactitabant: item Germanis, ſub nomine* Herthæ; *&, aut inde* Heroes *dici putârit Capella, adverſus Lipſii opinionem, diſcuſſum: adhæc ut Scythis culta ſit ſub nomine* Apiæ; *item Kyrgeſſis in Tataria venerationi fuerit, & cujuſmodi id ſymbolo teſtatum fecerint: inſuper Peruanis, quibus dicta* Pachamama. *Divinus quoque honos attributus terræ partibus: ut montibus apud Cappadoces, & Dacos. Particulatim illud de Carmelo aſſertum, & unde is cultus promanârit: item ut hic montium cultus etiam apud Peruanos ſit repertus. In Urbibus quoque Roma erat pro numine.* Genios magnos *dici, qui Urbibus ac Regionibus præeſſent.* Nemeſtrinus, Collina, Vallina. *Paucula adverſus Telluris cultum.*

NEc ex Europæis gentibus ſolùm cùm Thraces, tum Græci, & Romani, coluere Tellurem: ſed etiam Galli, Germani, ac Scythæ. Gallis quippe DIS maximè in pretio fuit: imò ad Ditem originem ſui generis referebant: ut eſt apud Cæſarem in VI de bello Gallico. Credo, eò ſpectabant, quòd omnes è terra originem ducimus. Nam terrena omnis vis, atque natura, Diti patri dicata eſt; ut ait Cicero in II de Natura Deorum.

De Germanis auctor nobis Tacitus in libro de Germania: ubi tradit, huic genti cultam eſſe *Hertham*, quam Terram interpretatur. Sane Terra Germanis *êrde*, uti Anglis *earth*: quæ ejuſdem originis ac Græcum ἔρα: nempe ut ante diximus, ab Hebræo ארץ, quod idem ſignat. Martianus Capella lib. II ait, *Heroës* dici ab *Hera*, id eſt, terra. Suſpicatur Lipſius, eò reſpexiſſe, quòd Germanis *êrde*, ſive *êrth* ſit terra. Non arbitror, id Afro illi conſtitiſſe: nec, ut ſciſlet, inde deduxiſſet vocem Græcam. Potiùs cenſeo, in animo ei fuiſſe ἔρα, unde Ἥρα deducebamus. Nam ſic dixiſſe veteres, oſtendunt ἔραζε, *humi*, ſive *in terram*: ἐνέροι, οἱ καταχθόνιοι, *inferi*, *mortui*, quia ſint ἐν τῇ ἔρᾳ, hoc eſt, γῇ. Plura de Hertha in Theologia Symbolica aſſeremus.

Scythis dea Tellus vocabatur Ἀπία: ut teſtis eſt Herodotus in Melpomene. Verba ejus inferiùs adducimus.

Tartaris quoque, ſive Tataris potiùs, Tellus pro numine erat: proque ſymbolo ejuſce venerationis erat terræ cultus cum lacte, ſanguine, & fimo, admixtis. Qua de re ſic Alexander Gagninus in Sarmatia Europæa, eâ parte, ubi Tatariam deſcribit: *Kyrgeſſi Tartari catervatim in campis degunt, habentque ritum gentilem hujuſmodi. Sacrificus ipſorum, quo tempore rem divinam peragit, tunc ſanguinem, lac, & fimum jumentorum, terramque ſumit, commixtioneque inſimul factâ, in vas quodammodo infundit, & unà cum hoc arborem adſcendit, ad populumque circumſtantem concionatur. Concioneque peractâ, in ſtultam plebeculam, prædictam commixtionem ſpargit: populus verò in terram pronus provolvitur, adſperſiunculamque hanc* PRO DEO *colit, firmeque credit, nihil eſſe perinde ſalutare humano generi, ac terram, pecus, armentaque.* Ex poſtremis interim verbis liquet hoc, quod ſic venerarentur, partem magnam ſymbolicum fuiſſe. Videlicet, quod terræ erat admixtum, id fuit ſignum totius elementi: at lac, ſanguis, fimus, pecoris, & armentorum erant figura. Ex ſymbolis igitur iſtis de elementi ipſius cultu colligimus.

Et cur non aliquid alterius orbis addam? ubi Peruanis Terram eſſe cultam, atque ab iis dici *Pachamama*, refert Joſephus Acoſta lib. V, cap. IV.

Quæ hactenus adduximus, ea totam reſpiciunt Tellurem, vel ſaltem interiora terræ univerſa, aut ſuperioris regiones cunctas. Verùm exiguæ etiam Terræ portiones honore affectæ ſunt divino. Quomodo montes pro Diis habuere Cappadoces, & Daci: ut in Oratoriis Inſtitutionibus *a* oſtendi ex Strabone, & Maximo Tyrio: qui ſermone XXXVIII Atlantem, etiam Mauris ait pro numine vel numinis ſymbolo fuiſſe. De Dacorum monte ſacro ſic Statius lib. I Sylv. a Lib. I, cap. 5. ſect. 39.

— *Tutardum in fœdera montem*
Longo Marte domas.

De Carmelo monte ſic Tacitus in ſecundo Hiſtoriarum: *Eſt Judæam inter, Syriamque, Carmelus. ita vocant montem, Deumque. nec ſimulacrum Deo, aut templum: ſic tradidere majores: aram tantum, & reverentiam.* Suetonius in Veſpaſ. cap. V: *Apud Judæam Carmeli Dei oraculum conſulentem.* Et longè his antiquior Scylax Caryandenſis: Κάρμηλος *b* ὄρος, ἱερὸν Διός. *Carmelus mons, Iovis delubrum.* Significat montem, & Deum eſſe, & Dei ſedem ac fanum. Nullum enim in eo templum, ut Tacitus indicat; ſed ipſe mons Carmelus quaſi templum erat numinis: imò & corpus ejus. Nam Carmelus Deus conſtabat genio loci, & vaſto montis corpore. Veriſimile autem eſt, hanc opinionem paullatim irrepſiſſe ex eo, quod Elias Thisbites hîc habitârit, ſcholamque habuerit: ut quidem prodidit Joannes Hieroſolymitanus patriarcha *c*. Prope ſanè eum ſacerdotes Baal ab Elia occiſos, legimus I ſeu III Reg. XVIII. Ac Eliæ diſcipulum Eliſæum hic aliquamdiu ſedem fixiſſe, cognoſcimus ex IV Reg. cap. II, & IV. Quia igitur prophetæ

b Vox hæc in Scylace ſupplenda.
c De inſtitutione primorum monachorum ſub veteri lege. &c.

tanti hunc locum elegere ad incolendum, ſacraque præſtanda: eò diu ille pro ſancto habitus eſt, gratioremque in eo fore numini cultum, judicatum. Nondum tamen mons ipſe pro Numine habebatur: non magis ſanè quàm lapis ille faſtigiatim aſſurgens inſtar montis credebatur Deus ipſe Elagabalus: qui ſymbolum ejus ſolùm habebatur. Nam *Elagabalus* quidem *Deum montem*, vel *montis Deum* ſignat: ſed eo nomine non mons, intelligebatur; verum Sol, cujus delubrum in monte Emeſſeno erat: quemadmodum diximus cap. v. Similiter igitur non montem primò, ſed ſancti montis numen coluere: ac credibile eſt, itidem id Solem putaſſe. Tandem tamen ipſe Carmelus mons habitus pro Deo: idque occaſione ea, quam ex Tacito dicebamus.

Etiam apud Scylacem Caryandenſem, in Syriæ & Phœniciæ deſcriptione, legas: Ὄρος Θεοῦ πρόσωπον *Mons Dei facies.*

Nec Aſiaticis modo mons cultus fuit, ſed etiam Romanis. Tertullianus lib. I adverſus Gentes, cap. x: *Mentior, ſi nunquam cenſuerant, Ne qui Imperator fanum quod in... o a voviſſet, prius dedicaſſet, quam Senatus probaſſet: ut contigit M. Æmilio, qui voverat Alburno Deo.* Et Apologetici cap. 5: *Vetus erat decretum, ne qui Deus ab Imperatore conſecraretur, niſi à Senatu probatus. Scit* b *M. Æmilius de Deo ſuo Alburno.* Idem lib. I adverſus Marcionem, cap. XVIII: *Alioquin ſi ſic homo Deum commentabitur, quomodo Romulus Conſum, & Tacitus Cloacinam, & Hoſtilius Pavorem, & Metellus Alburnum, & quidam ante hoc tempus Antinoum: hoc aliis licebit.* Ubi mirum dici Metellum, qui prius M. Æmilius. Sed priorem lectionem agnoſcit etiam Euſebius lib. II Hiſt. Eccleſ. cap. II: ubi ſic Tertulliani verba expreſſit: Μάρκος Αἰμίλιος οὕτως περί τινος εἰδώλου πεποίηκεν Ἀλβούρνου. Similiterque ex Euſebio Nicephorus.

a Prælio, vel bello deſiderari rectè vidit Gothofredus.

b Sic optimi MSS: non ut. Eſt tamen & οὕτως apud Euſebium, ut mox legebit: ut videri poſſit ſic legiſſe pro ſcit.

Quàm altè autem opinio hæc de montium cultu radices in animis egerit humanis, argumento illud erit, quòd etiam montes pro Diis culti ſint Peruanis: quemadmodum refert Joſephus Acoſta lib. v, cap. II.

A montibus ad urbes tranſeo: quomodo Romanis, & Græcis, Roma habebatur Dea. Unde Martialis lib. XI, ep. VIII:

Terrarum Dea gentiumque Roma,
Cui par eſt nihil, & nihil ſecundum.

Et Frontinus de aquæductibus lib. II: *Regina & domina orbis, quæ terrarum Dea gentiumque conſiſtit, cui par nihil, & nihil ſecundum.* Quod non κατὰ μεταφορὰν ſolum, ſed propriè etiam accipere poſſumus: cùm ſit, ut Claudius Rutilius in primo Itinerarii ſui ait,

Inter ſidereos Roma recepta polos.

Itaque & templum Deæ Romæ erat: cujus meminere Livius, & alii multi: uti pluribus dictum mihi Oratoriarum Inſtitutionum lib. IV, cap. VI, ſectione v.

Cæteroquin Romani non tam loca habuere pro Diis, quàm locis quibuſque ſuos præfecere genios. Qui & Urbium erant, ac Regionum. Atque hi vocabantur *Dii Magni.* Ut inſcriptione ea, quæ Puteolis reperta: DEO MAGNO, GENIO PUTEOLANORUM, ET PATRIÆ SUÆ. Nempe διακριτικῶς c. Nam genius quidem, in cujus tutela quiſque erat ab nativitate ſua, ἰδίως dicebatur *genius*; ſed ille totius patriæ nuncupatus eſt *Deus magnus.* Ac poſſis non modo ad terræ partes, ſed ad genios etiam referre, tum maſculum numen, *Nemeſtinum*, nemorum Deum: tum fœmineum, *Collinam*, collium; *Vallinam*, vallium Deam. Ac par eſt ſimilium ratio.

c Diſcriminis cauſſa.

Atque hæc de cultu Telluris, & ejus partium: cujus in eo præcipue ratio conſtituit, quòd Terra nos producat, & nutriat, eoque meritò vocetur *mater*: cui quin pietas debeatur, minimè in ambiguo eſt. Sed neque materna pietas eſt divina; neque terræ debemus idem, ac parentibus: quandoquidem, quod barbarè dici ſolet, figurativam non eſſe argumentativam, id hic etiam locum habet; quia tralaticia eſt locutio, Terram vocare matrem. Quod Lucretius non malè admonet lib. II:

Heic ſi quis mare Neptunum, Cereremque vocare
Conſtituet fruges, & Bacchi nomine abuti
Mavolt, quam laticis proprium proferre vocamen:
Concedamus, ut hic Terrarum dictitet orbem
Eſſe Deûm matrem, dum re non ſit tamen apſe.

Mirum autem, potuiſſe pro Deo coli, quod vulgo omnes pro corpore haberent inanimo: eoque ligonibus fodicare, calcare pedibus, cibi etiam retrimentis, & humore obſcœno conſpurcare, non vererentur. Stultitiam hanc videbant prudentiores. Itaque dixere, Tellurem eſſe animal, vel partem magni animalis, quod Mundum dicimus. A qua ſententia noſtro ſeculo non abhorruiſſe ſummus videtur Mathematicus Keplerus. Nam non contentus dicere, Tellurem diurno circumagi ſpatio, ait hunc motum ab ſua anima habere: eandem ſiderum & cometarum eſſe intelligentem, eoque exhorreſcere, cùm inde cognoſcit, initare motus, vaporeſque eò præ horrore ſummo exſudare. Audiamus eum loquentem libro de cometis anni poſt milleſimum & ſexcenteſimum ſeptimi, atque item duodevigeſimi: *Facultas mundi ſublunaris cometam* PERSENTISCIT, ET OBSTUPESCIT, *unaque facultates cæteræ omnium rerum ſublunarium.* Ac poſtea: *Facultas telluris, inſolenti Cometæ apparitione* CONSTERNATA, *uno terreſtris ſuperficiei loco multum exſudat vaporum, pro qualitate illius partis ſui corporis. hinc diuturnæ pluviæ, & eluviones.* Quæ referre eſt refellere. Quare diluendis illis in re tam aperta non inſiſtam.

Cap. LXIII.

A Terræ cultu ad illum Ignis acceditur. Origo proverbii, à Veſta ordiri. *Elementum nullum majorem habere vim agendi, quàm Ignem: atque in eo etiam convenire cum natura cæleſti, quòd non putreſcat; &, ignium cæleſtium inſtar, lucem de ſe fundat: imo plus nos debere Igni, quàm Terræ, quia ab hac quidem ſit brutum corpus, ab illo autem calor vitalis. Igni ineſſe vim purgandi: ob quam à gentibus Vulcano, & Luæ, cremari ſoleant arma hoſtium devictorum. Quid ſignarint linguæ igneæ, quæ Pentecoſtes feſto conſpiciebantur in Apoſtolis. Cur Deus dicatur* ignis conſumens. *Unde* Seraphim *vocentur. Particulatim actum de igne ſubterraneo: quem eſſe ex montibus ignivomis elucet: atque inde etiam conjecturam capi de aliis, qui, occluſo meatu, non erumpant: humanique id corporis ſimilitudine illuſtratum. Unde ſit, quod canes venatici feras odorentur longè etiam remotas. Cur fumet terra hieme effoſſa, ac nix ei incidens citiùs liqueſiat: & unde major feracitas Campaniæ, Siciliæ, agri etiam Somerſetenſis apud Britannos. Præterea unde ſit, quod in tantum aquæ adſcendant, ut in jugo etiam montium oriantur fontes.* Alembici ἔτυμον. *Unde ex aquis, tum quæ de planitie ſoli, tum etiam e montibus emanant, aliquæ exiſtant calidæ, odoremque ac ſaporem habeant ſulfureum. Ab ſulfure eſſe, quod faces quædam non exſtinguantur aquis tinctæ; quin aquæ aliquæ flammam rapiant; oleum etiam frigidæ inditum ſic ferveat, ut manu nequeat teneri. Cur aqua calce incaleſcat. Quàm celeriter in locis ſulfureis terra in ſulfur vertatur. Unde aquæ fontanæ ſæpius ſint frigidæ, licet origo omnibus ſit ab ignibus ſubterraneis. Cur utcunque etiam ignes perpetui ſint, alii tamen fontes exareſcant, alii non item. Ab ignibus jam memoratis cauſſam eſſe terræ motus, variiſque hoc argumentis monſtratum: & obiter dictum, quis docuerit primus, pulvere pyrio cuniculis immiſſo militaribus, evertere arces, cunctaque munimenta. Atque ex hiſce concluſum, etiam ventos ſuam igni huic originem debere.*

A Tellure tranſeo ad Ignem: unde ex elementis primò ordiri animus erat: ut hic quoque locum haberet adagium vetus, ἀφ' Ἑστίας ἀρχόμενος, *à Veſta incipiens.* Cujus dicti cauſſa eſt, quia primitias offerrent Veſtæ: ut

eſt

eſt apud Heſychium, Euſtathium Odyſſ. Η, & Zenobium Centur. 1, Proverb. XL. Veſtam autem eſſe ignem, poſtea parebit, cùm de Græcanico, & Romano Ignis cultu, dicam.

Et profectò ſi præſtantiam elementorum ſpectemus, ab Igni initium ducere oportuerat. Nam quoquid majorem habet vim agendi, eo eſt excellentius. Atqui, ut Simplicius ait in 1 φυσικ. ἀκροάσ. comment. L 1 *a*, ineſt igni τὸ δραστικὸν, *agendi vis*: ac propterea μᾶλλον αὐτὸ εἴδει ἀναλογεῖ, ἀλλ' οὐχὶ τῇ ὕλῃ· *magis reſpondet formæ, at non materiæ*. Hinc τὸ πῦρ τεχνικὸν *b* dicebat Zeno *c*. Etiam ignis longè ſimilior cælo. Nec enim putredini eſt obnoxius, dum in natura ſua permanet, contrà quàm in cæteris fit elementis. Cùmque tellus ſit opaca, ignis eſt pellucidus, cauſſaque lucis ac ſplendoris. Nec eo principatus debetur terræ, quia nos nutriat. Quippe majus hoc, quòd vitalis calor ſit ab igni. Nec tellus à ſe hoc habet, quòd alat hominem; ſed à mixtione aliorum; tum etiam à vi cœleſti. Notum illud Catulli *d* de flore in ſecretis naſcente hortis,

a *Fol.* 44. *b. verſ.* 3.
b *Ignis artificioſus.*
c *Apud Laërtium.*
d *Carm.* 63.

Quem mulcent auræ, mulcet Sol, educat imber.

Alia etiam, quæ hanc de caloris atque ignis principatu opinionem firment, haurire eſt ex iis, quæ fusè diſſerit Balbus apud M. Tullium in ſecundo de Natura Deorum. Et potuerat inde etiam petere argumentum, quòd vim habeat purgandi. Unde & apud inferos, ſicut ait Maro in VI magni operis;

—— *Aliis ſub gurgite vaſto*
Infectum eluitur ſcelus, aut exuritur igni.

Ideo ad expiandas cædes arma cremabant, tum Marti, & Vulcano, tum Minervæ, & Luæ. Nempe Marti, & Minervæ, ut Diis bellicis; Vulcano, ut armorum fabro; Luæ propriâ ratione, quia *Lua* idem ac *purgatrix*; quemadmodum inferiùs dicetur. Ac ne in ſolis gentium numinibus conſiſtam; etiam verum numen, quod colimus, cùm feſto Pentecoſtes mitteret Apoſtolis Spiritum ſanctum, ſymbolum ignearum elegit linguarum: linguarum nempe, & quidem diſſectarum, propter prædicationem Euangelii in varios populos diſpergendam: ignearum autem, quia Spiritus Sanctus purgat ac renovat corda noſtra. Quamquam & in aliis ſymboli ejus ratio conſiſtit. Nam ut ignis illuminat aëra, ita Spiritus S. pellit tenebras intellectus noſtri: & ut ignis ferrum, ita Spiritus S. mollit dura hominum corda: ut item ignis ligna, ita Spiritus S. accendit in cordibus noſtris fidem, ſpem, & charitatem. At aliam habet cauſſam, cur Deus à Moſe *e*, & divino epiſtolæ ad Hebræos *f* ſcriptore, dicatur ignis conſumens. Nam hoc pertinet ad ſignificandum judicii divini zelum quemadmodum & ab hac cauſſâ potiſſimùm eſt, quòd angeli, per quos Deus iratus ſe vindicat, vocentur שרפים, *ſeraphim*, quaſi accenſi ardore juſtitiæ divinæ. Hanc præcipuam eſſe nominis ejus rationem, ſatis parebit attentius conſideranti Jeſaiam cap. VI: quo loco in uno *Seraphim* memorantur, idque ut exſecutores eorum, quæ Deus præcipit, quando conſidet in ſolio juſtitiæ ſuæ, ac ſecundùm eam genus judicat humanum.

e *Deut.* 4.
f *Hebr.* 12.

Sed univerſas elementalis ignis vires commemorare ſi velim, tempore atque otio abutar, in re etiam vulgo, vel ſaltem iis, qui pedem paullùm extra inſcitiæ lutum ponere cœperint, neutiquam obſcurâ. Propterea non hærebo in iis, quæ universè ignem attinent, & clarè perſpiciuntur ex igne focorum, & fornacium: qui profectò quantilla eſt portio ignis elementalis! Sed neque diſſeram de igne aliquo, qui inter æthera, & aëra, proprium occupet locum: qualem non ratio magis evincit, quàm ſenſus comprobat; ut multis jam aliis ſolidè oſtenſum. Potiùs in hoc nunc operam inſumam, ut perſpiciamus vim ignis elementalis ex eo, qui terris permixtus, ac maximè, qui eò, quod terris ſit abditus, ut oculorum aciem rarò ſubit, ita propemodum ignoratur; atque adeo, ſi perpaucos exceperis, vel præteriri, vel perfunctoriè ſolùm attingi ab iis ſolet, qui elaborarunt in aſſignando elementorum numero, & memorandâ multiplici eorum vi, ac poteſtate: ob quam divino hoc elementum honore coluit vetuſtas.

Eſſe autem ignes ſubterraneos, eoſque plurimos, & maximos, ſatis cognoſcitur ex Ætna, Veſuvio, Hecla, & aliis montibus ignes ingenti copiâ eructantibus. De quibus, præter alios, vide ſis Ariſtotelem, ſive alium, libro Mirabilium Auſcultationum, & Vitruvium lib. II, cap. VI. In America itidem reperiri ejus generis montes valde ſublimes: ut legere eſt apud ſæpius nobis memoratum Joſephum Acoſtam lib. III, cap. XXIV. Amœnum autem eſt, quod de avaro quodam ſubjungit, eum opinatum eſſe aurum imo excoqui monte; eoque lebetem in caminum ferreâ dimiſiſſe catenâ: ſed eum operâ ridiculâ perdidiſſe lebetem: quippe momento penè temporis fuiſſe conflatum, abſumtumque. Porrò per eſt veriſimile, ejuſmodi ignes plurimis etiam terrarum locis non erumpere; ſed ſolùm per meatus diffundere calorem ſuum quaquaverſum: uti in animantibus uſu venit: ubi calor nativus à corde diſpergitur per omnia viſcera, & corporis membra: ac quia halitibus, & fuliginibus inde excitatis, non ſufficerent os, & nares, grandiora & apertiora ſpiracula, etiam undique pertuſa eſt cutis, ut poris ejus fiat tranſpiratio: cujus odore, & dominos ſuos internoſcunt canes, & quà ſe feræ receperint. Nam odor is non aëri modò, qui vehementi vento faciliùs difflatur, ſed ipſis etiam veſtigiis imprimitur.

Alterum hujus caloris ab ignibus ſubterraneis argumentum eſt, quòd fumare ſoleat terra, ſi hiberno effodias tempore: quodque citò liquefiat nix, quæ agro ceciderit recens inarato. Inque extimâ etiam terræ ſuperficie calorem hunc leviter perſentiſceremus, niſi pori terræ ab aëre ambiente ſtiparentur, ſic ut vapores non inveniant exitum; ad modum fere, quo tempore hiberno in noſtris fieri corporibus ſentimus. Quare, etſi veriſſimè doceat Ariſtoteles, exhalationes à Sole, & ſideribus, educi è terris, & aquis: cùm tamen nec calor Solis, nec aqua pluvia, de qua Seneca *a* teſtis, nec arborum altiſſimarum radices, ultra decem pedes, ſive paſſus duos, ſubeant terram: omnino, præter Solem illum cœleſtem, quendam agnoſcere oportet quaſi ἀντήλιον, ſive Solem vel ignem adverſum: unde cæcos per meatus calor ſe undique diffundat. Ac quanquam ad plantarum generationem cœleſtis calor terras ſubiens plus pollet: magna tamen etiam vis eſt illius ex ignibus ſubterraneis: ut vel fidem fecerit fœcunditas Campaniæ, in qua Veſuvius; item Siciliæ, quæ horreum erat populi Romani, ubi Ætna. In Anglia item magna eſt fertilitas agri Somerſetenſis; ubi aquæ calidæ Bathonienſes.

a *Lib.* 3. *Nat. Quæſt. cap.* 7.

Tertium nobis argumentum ignium iſtorum ſunt, quòd fontes in ſummis oriantur montibus. Nam, utcunque cauſſæ plures concurrant, videtur tamen principem in iis locum obtinere, quod, ob ignes iis ſuppoſitos, vapores per venas ſe varias diffundentes, inque unam decurrentes tandem, & intermedio ſpatio tum naturâ ſuâ, tum frigore locorum, per quæ commeant, in naturam aquæ converſo, tandem unâ ebulliant venâ. Nempe comparatum hic, ſicuti in deſtillationibus; ut fons ſe habeat velut caput vaſis ejus, quod voce hybrida, *Alembicum* vocant; nempe ab Græco ἄμβιξ, quod Heſychius χύτραν, κάδον *b*, exponit, & præfixo Arabum articulo *al*, quem in *Alchymia* etiam, & *Almageſtus*, & *Almanach*, & aliis, videmus. Hoc enim in vaſe planè idem uſu venit. Quin ſimiliter quoque in nobis vapores è ſtomacho adſcendentes frigore cerebri condenſantur, poſteaque in os, & aures, & aliò, depluunt.

b *Ollam, cadum.*

Quartum pro ignibus hiſce ſubterraneis, & eorum vi, argumentum præbent thermæ, è terræ planicie, quandoque etiam erumpentes è montium jugis. Imò lacus quoque; ac, inter cæteros, calidis nonnullos aquis, in Peruanis montibus reperiri, memoriæ prodidit Joſephus Acoſta lib. III, cap. XVI. At unde quæſo hoc, niſi ab ignibus, qui ſubſunt, provenire credamus? Præſertim quando calidæ hæ aquæ præcipuè iis ſunt locis, ubi montes,

aliave loca, ignem eructant: uti in Campania, & in Peruana. Adde quòd thermæ iſtæ & ſaporem, & odorem, habent bituminis, ac ſulfuris: hæc verò conſtat pabulum eſſe ignis; ſic ut in ipſis flagrent aquis; quod non ignorabant Romanæ illæ, de quibus ſic Livius lib. XXXIX: *Matronas Bacchorum habitu crinibus paſſis, cum ardentibus facibus, decurriſſe ad Tiberim, demiſſaſque in aquam faces, quia vivum ſulphur cum calce ineſſet, integrâ flammâ extuliſſe.* Ac Fallopius tradit, thermarum aquas in agro Parmenſi continuò ad ſe rapere ignem; nec poſſe, niſi vento, vel panno, exſtingui: quod ob bitumen, ac naphtham ei admixtam, fieri, dubium non eſt. Etiam Anſelmus Boëthius, Cæſareus, dum viveret, Medicus, lib. II de Gemm. cap. CCXCIII, cùm dixiſſet, calorem calcis vivæ ineſſe ſali ejus, ac ſi aquam vel frigidiſſimam infuderis, ob ſubitam contrariorum pugnam, calorem latentem in actum deduci; ſubdit deinde, ſimiliter, *oleum ſulphuris verum, ſi aquæ miſceatur frigidæ, tam calidum in vitro reddi, ut id manu vix teneri poſſit.* Nec periculum, ne ſi ignes ſubterranei perpetuò flagrent, brevi bitumen & ſulphur deficiant. Nam ſunt ex eorum natura, quæ facilè regenerantur. Itaque in agro Mutinenſi, ſi locum, poſt ſulphur effoſſum, terrâ repleveris, ea annum intra quartum, vel circiter, in ſulphur convertitur; ut obſervatum Fallopio. Sic igitur colligimus, calorem aquæ fontanæ clarè teſtari, eſſe ignes ſubterraneos. Nec propterea exiſtimandum, fontes frigidos non provenire ab ignibus. Nam, ut antea diximus, frigidi etiam fontes ignibus iſtis originem debent. Sed tum calorem ſuum aqua retinet fontana, quando laxiori currit venâ. Siquidem ſi vel venâ fluat anguſtiore, vel per ambages, ac mæandros, longius latiuſque diſcurrat; nihil mirum, ſi calorem deponat. Unde & cauſſam videmus, cur locis vicinis, aquarum, quas ab eadem origine manare eſt veriſimile, aliæ fervidæ, tepidæ aliæ, quædam etiam frigidæ ſint. Videlicet à vena anguſtiore, aut laxiore, item longiori, aut propiori fluxus intervallo, omne hoc eſt diſcrimen. Porrò quòd fontes iſti tum calidi, tum frigidi, ſæpe nec pluribus exareſcant ſeculis, vel etiam nunquam, id provenit pro copia aquarum. Nam ſi magni ſunt lacus ſubterranei, nihil mirum, ſi ob ſuppoſitos ignes perpetui ſint vapores, atque hi, unà cum aëre admixto, in aquam commutati, novoque aëre foris prioris in locum ad implendum ſpatium per meatus alios ſemper tranſeunte, fontem gignant & æſtate ac hieme perpetim manantem. Et tamen ejuſmodi quoque interdum exareſcunt, ſive quia meatus terræ aliquâ concuſſione, ſive alia de cauſſa, obturentur. Ubi verò non ſubſunt vaſti lacus, ſæpius id uſu venit: quomodo videmus in grandi æſtu deficere fontes, quia non juvantur pluviæ, aut nivalis aquæ, acceſſu.

Quinctum pro ignibus iſtis argumentum à terræmotu petere licet. Nam & hi ſunt ab ignibus ſubterraneis; qui ſæpe ſubſunt maris fundo, ac montium inſularumque radicibus; profundeque adeo latent, ut longe lateque maximas & plurimas undique concutiant regiones. Ab ignibus his exhalat ſpiritus ſulfureus, & igneus: unde & ſubinde, dehiſcente terrâ, ignes emicant. Etiam aquæ puteanæ, paullo ante tremorem terræ, ſolent ſulfureum habere odorem, eo quòd ſpiritus hujuſmodi jam elevare ſe, & fundo putei miſcere cœperint. Atque huc pertinet illud Plinii lib. II Hiſtor. Nat. cap. LXXIX: *Perhibetur & Pherecydis, Pythagoræ doctoris, alia conjectatio; ſed & illa divina; hauſtu aquæ e puteo præſenſiſſe ac prædixiſſe ibi terræ motum.* Nec leviter hæc illo comprobantur, quòd ea maximè loca terræ motui ſunt obnoxia, quæ montes habent ignivomos: ut Campania, Sicilia, alia; etiam America, de qua teſtis Acoſta. Itaque conſtat, priuſquam Veſuvini illud montis incendium foret, quod Plinium Veronenſem abſumſit, præceſſiſſe motum terræ. Hodieque minùs Sicilia terræ motui obnoxia eſt, quàm olim, quia, effracto carcere, meatum nunc laxum habet, quo ignes & ſpiritus erumpant. Suntque hæc ſatis etiam conſentanea Peripateticis: quia & Ariſtoteles, etſi rarius ignium ſubterraneorum faciat mentionem, in hoc tamen argumento pronunciat *a*, terræ motum fieri, τῆς γῆς ὑπὸ τοῦ ἡλίου, καὶ τοῦ ἐν αὐτῇ πυρὸς, θερμαινομένης, *terrâ à Sole, & igne, qui ineſt terræ, calefacto.* Et ſane veterum aliquos hunc ignibus aſſignâſſe terræ, tum tremorem, tum pulſum, etiam apud Senecam legas in ſexto Natur. quæſt. cap. XI. Nec lucem modò, ſed robur quoque, his addit, quòd ſimiliter diſrumpantur nubes à fulmine. Atqui, ut Plinius ait lib. II, cap. LXXIX, *Non aliud eſt in terra tremor, quam in nube tonitruum.* At tonitru eſt ſonus nubis ruptæ. Rumpitur autem nubes ab incluſo ſpiritu igneo, qui, ut ibidem dicitur, *luctatur, & ad libertatem exire nititur.* Iisdem hæc illuſtrantur, & firmantur, cuniculis militaribus; quibus immiſſus pulvis tormentarius, atque accenſus, disjicit propugnacula, & arces, & maximas montium rupes. Cujus artis primus, ſed à Franciſco Georgio Senenſi edoctus, experimentum prope Neapolim in arce Luculliana, quæ *Ovi* dicitur, fecit Petrus Navarrus Cantaber: uti obſcurum neutiquam erit, ea conferenti, quæ de Senenſi quidem Georgio Cardanus in ſecundo Subtilitatum *b*; at de Cantabro Petro Guicciardinus retulit lib. IV *c* Hiſtoriarum ſui temporis. Ac ſimiliter ea ante nos conciliabat in Pyrotechnia ſua Vannocius Biringucius Senenſis: ut de uno altero præterea taceam.

a *Lib. 2. Meteorolog. c. 8.*

b Pag 63. *edit. Lugdun. an.* 1580.

c P. 539. *edit. Baſil. an.* 1567. *ex tralatione Cælii Sec. Curionis.*

Quod ſi ſpiritus ille terram ſic concitans ſit ab ignibus occultis: conſequi etiam videtur, non Solem modò, ſed eoſdem ignes quoque, cauſſam eſſe ventorum, qui aëra noſtrum perflant. Nempe ut tum halitus iſti præcipuè oriantur, cùm ignis ille terram adurit humentem, & poros ejus laxando, viam aperit halitibus; qui continuò, ut poëta *d* ait,

Quà data porta ruunt, & terras turbine perflant.

d 1 *Æn.*

Denique ad foſſilium etiam generationem concurrere hunc ignem ſubterraneum, veriſimile eſt. Videlicet, ut materies eorum à calore igneo excernatur, & percoletur; poſteaque, ſi parum aquei habeat humoris, ab eodem compingatur calore, & induretur. Sin multum ejus obtineat humoris, frigore condenſetur; eoque & poſtea calore igneo liqueſcat. Atque ex his facile eſt ea conciliare, quæ cùm Ariſtoteles, & Theophraſtus, tum etiam Georgius Agricola, diligens & eruditus ſcriptor, de hoc argumento tradiderunt.

Hæc tot elementalis ignis bona, & mirandos ejus effectus, eò commemoravimus hoc loco, ut magis in amorem & admirationem rapiamur numinis cæleſtis; longè iis abſimiles, qui vel eorum, & ſimilium ignorantia, propemodum obbruteſcunt, vel, inani ſpeculatione contenti, naturæ potiùs myſtæ facti ſunt ac ſacerdotes, quam illius, qui hominum cauſsâ ſic condidit naturam.

CAP. LXIV.

A Nemrodo credi primò inſtitutum Ignis cultum. Sitne Nemrod idem ac Ninus, uti putabat Chronici Alexandrini ſcriptor. Sacerdotes Ignis nomen dediſſe civitati Camarinæ, ſive Ur, vel Uroë, uti & regioni Orchoë. Fabella de Abrahamo ab igne Chaldæorum divinitus liberato, Harane autem in eo combuſto. Perſas ſacrificâſſe Igni. Quid Maximo Tyrio ſit ἄγαλμα ἐφήμερον. *Etiam Ignem à Medis cultum; & aliis Aſiæ gentibus, item Macedonibus. Ignem ſacrum Perſarum regibus in publicum prodeuntibus prælatum, atque eundem, rege exſtincto, exſtingui ſolere. Cappadocum gens Perſas in cultu ignis imitata: & de eorum Pyræthis, ac Pyratheis. Cultum quoque Phrygibus. Imò & ætate Benjamini Tudelenſis in inſulis Chenerag obtinuiſſe. Ægyptiis Vulcanus credebatur utrumque ſexum habere, uti & Minerva: ac eundem ab iis Solis pater diceretur.*

PRimus autem, ut ajunt, ignem colere Nemrod juſſit: quem aliqui Ninum arbitrantur. Chronici Alexandrini ſcriptor *a*: Αὐτὸν Νῖνον ὃ Νεβρὼδ οἱ Ἀσσύριοι προσηγόρευσαν.

a Pag 64.

ρᾶσαι· Οὗτος διδάσκει Ἀσσυρίους σέβειν τὸ πῦρ. Ἔνθεν καὶ πρῶτον αὐτὸν βασιλέα μετὰ τὸν κατακλυσμὸν ἐποίησαν οἱ Ἀσσύριοι τοῦτον, ὃν μετωνόμασαν Νῖνον· *Nemrodo autem cognomen Nini impoſuerunt. Hic pro Deo ignem colere docuit. Unde primum eum, poſt diluvium, Aſſyrii regem fecere, Nini cognomine impoſito.* Mihi tamen non paullo veriſimilius videtur, Nemrodum eſſe eum, qui gentibus dicitur *Belus*, hoc eſt, *dominus*: ex eo autem prognatum eſſe illum, cui nomen ex re *Nini*, hoc eſt, *filii*, datum. Abunde de iſtis actum nobis lib. I, cap. XXIV.

Credibile verò eſt, ab eo, quem diximus, cultu, *Ur* vocatam Babyloniæ urbem; quæ aliter *Urie*, & *Camarina*; ut ex Eupolemi opere de Judæis Aſſyriis traditum eſt Euſebio lib. IX Præpar. Euang. cap. XVII: Ἐν πόλει τῆς Βαβυλωνίας Καμαρίνῃ, ἣν τινας λέγειν πόλιν Οὐρίην· εἶναι δὲ μεθερμηνευομένην, Χαλδαίων πόλιν· *Camarina, quæ Babyloniæ civitas eſt, ac quam nonnulli Urien dicunt, id autem ſignificare Chaldæorum civitatem.* Nempe eò ſpectat, quòd ſacerdotes Chaldæorum κατ᾽ ἐξοχὴν Græcis dicerentur Χαλδαῖοι: Chaldæis autem כומרין, *Cumerin*; ut Hebræis כְּמָרִים, *Cemarim*. Unde & quartus ex diis Samothraciis, qui Axiero, Axiocerſæ, & Axiocerſo, miniſtraret, nominatus eſt *Camillus*, ſive *Caſmillus*; ut oſtendimus cap. LVI. Ab eadem igitur origine eſt *Camarina*, quia in ea degerent *Cumerin*, id eſt, ſacerdotes, ac philoſophi gentis, vulgò vocati Χαλδαῖοι, quomodo Abraham dictus reperiſſe τὴν Χαλδαϊκὴν, hoc eſt, Chaldæorum philoſophiam. At eadem civitas *Ur*, & *Uroë*, nuncupata, quia, ut dixi, Ignis in ea coleretur, ſive cultus is proprius fuerit, ſive ſymbolicus. Sanè & regio tota ab eadem cauſſâ Ὀρχόη dicta Ptolemæo. Et puto etiam, inde *Ur* nomen caſtello eſſe Perſico. Nam Perſis maxima in veneratione Ignis fuit; ut mox oſtendam. At uti אור Or, *lux*, *lumen*, *Sol*; (unde Ægyptium Ὦρος, & Græcorum αὔριον, *cras*, q. d. ubi Sol iterum illuxerit;
a 6 Æn. 204. item Latinum *aura* pro *ſplendore* apud Maronem *a*; ſed & *aurum*, & *aurora*) ſic אור ur, eſt *flamma*, *ignis*, *focus*; à quo Latinum *uro*, & Græcum πῦρ, ac Germanicum *vuer*, & *vier*. In civitate Ur natum Abraham,
b Geneſ. cap. 11, 31. eſt veriſimile; quando ex ea dicitur profectus *b*, & Haran fratrem ibi mortuum *c* conſtat. Imò & de eo fabellam hanc apud B. Hieronymum reperias, quæſtionibus ſive
c Ibid. verſ. 28. traditionibus in Geneſin *d*: *Pro eo, quod legimus, In*
d Ibid. *regione Chaldæorum* (ἐν τῇ χώρᾳ τῶν Χαλδαίων) *in Hebræo habetur*, אור כַּשְׂדִּים, UR CHASDIM, *id eſt, in igne Chaldæorum. Tradunt autem Hebræi, ex hac occaſione, iſtiuſmodi fabulam, Quod Abraham in ignem miſſus ſit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus, de idololatriæ igne profugerit. Quod in ſequentibus ſcribitur, egreſſum eſſe Tharan cum ſobole ſua de regione Chaldæorum: pro eo, quod in Hebræo habetur, de incendio Chaldæorum: quòd videlicet, ignem nolens adorare, igne conſumtus ſit.* Habes fabulam eam in Medras Haggada: ac referunt etiam Salomon Jarchi, & Moſes Gerundenſis.

Sed quicquid de Chaldæis ſit, illud conſtat, Perſis Ignem pro numine fuiſſe. Cauſſam refert Julius Firmicus lib. de error. prof. relig. *Perſæ, & Magi omnes, qui Perſiæ regionis incolunt fines, ignem præferunt, & omnibus elementis putant debere præponi.* Ac primò quidem Ignem coluere, ut Dei ſymbolum; ſed ſic, ut paullatim penè apud omnes, vulgum ſaltem, ſymbolicus ille in proprium tranſiret. Ad proprium hunc cultum retuleris, quod Lucianus in Jove tragœdo ait, Perſas Πυρὶ θύειν, *igni ſacrificare*. At ut ſymbolicum interpretabatur Maximus Tyrius diſſertatione XXXVIII: τὸ βάρβαρον ὁμοίως ἅπαντες μὲν ξυνιᾶσι τοῦ Θεοῦ· κατεστήσαντο δὲ αὑτοῖς σημεῖα ἄλλοι ἄλλα· Πέρσαι μὲν πῦρ, ἄγαλμα ἐφήμερον, ἀκόρεστον καὶ ἀδηφάγον· *Barbari omnes pariter Deum eſſe intelligunt. conſtituêre interim ſibi alia, atque alia ſigna. Ignem Perſæ, imaginem, quæ unum duret diem, vorax quid, & inſatiabile.* Ita cum reddere locum malim, quam ut ἄγαλμα ἐφήμερον ſit *elementum quotidianum*; quod placuit viro ſummo. Nam id, puto, voluit Tyrius ille, cùm in Græcia, & aliis in terris, ſimulachra Deorum ad annos durent multos, quandoque etiam aliquot ſeculis: Perſas, ut Mithræ ſive Solis ſymbolum, colere ignem, ſimulachrum unius dieculæ. Ex ſcriptoribus Eccleſiaſticis cultum hunc fuiſſe apud Perſas, tradunt etiam B. Ambroſius, ſive potiùs Hilarius, diaconus Romanus, in I ad Corinth. c. IX, & Iſidorus Origin. lib. XIV, cap. III. E Græcis, Theodoretus lib. V Hiſtor. Eccleſiaſt. cap. XXXVIII, & Socrates Hiſtoriæ ſuæ lib. VII, cap. VIII: quo loco pulcrè narrat, quâ fraude Magi in ſpecu, ubi ignem colerent, hominem occultarint ad decipiendum regem Iſdegirdim, atque ut dolum hunc detexerit Maruthas, Meſopotamiæ epiſcopus. Sed ante eos cultum illum prodidere etiam Clementes duo; unus, qui dicitur Romanus, in IV Recognitionum libro *a*; alter autem Alexandrinus, in Admonitio- a Fol. 57. b. edit. Pariſ.
ne ad Gentes: ubi non modò Perſas Ignem veneratos teſtatur; ſed etiam Medos, atque alias gentes, quæ Aſiam incolerent; imo & Sauromatas, de quibus poſtea dicam; atque adeo Macedonas quoque, ſecundùm Diogenem in primo Perſicorum. Qua ratione autem Perſæ ſacra fecerint Igni, exponit Strabo in XV; ubi eadem oſtendit, diverſum fuiſſe modum, quo Aquæ ſacrificaretur. Ignis hic etiam præferebatur regibus Perſarum; idque ſacrariis quibuſdam, quæ πυρεῖα, & πυραιθεῖα, Græci vocant. Ammianus Marcellinus lib. XXIII de Magis: *Feruntque etiam, ſi juſtum eſt credi, ignem cælitus lapſum, apud ſe ſempiternis foculis cuſtodiri: cujus portionem exiguam, ut fauſtam, præiſſe quondam Aſiaticis regibus dicunt.* Extinguere tamen hunc ignem ſolebant, ſi rex moreretur: ut eſt apud Diodorum Siculum lib. XVII.

A Perſis hunc ignem ſacrum accepere Cappadoces: de quo ſic Strabo lib. XV: Ἐν τῇ Καππαδοκίᾳ πολὺ ἐστὶ τὸ τῶν μάγων φῦλον, οἳ καὶ Πύραιθοι καλοῦνται· πολλὰ δὲ καὶ τῶν Περσικῶν θεῶν ἱερά· *In Cappadocia eſt maxima magorum multitudo, qui Pyrathi vocantur, & multa Perſicorum Deorum templa.* Ab his Pyræthis (pro quo in vulgatis Πύρεθοι) dicta πυραιθεῖα: de quibus ibidem mox legas: Ἔστι δὲ καὶ πυραιθεῖα (vulg. πυρεθεῖα) σηκοί τινες ἀξιόλογοι. ἐν δὲ τούτοις μέσος βωμός, ἐν ᾧ πολλή τε σποδὸς καὶ πῦρ ἄσβεστον φυλάττουσιν οἱ μάγοι· *Sunt & Pyræthea ſepta quædam ingentia, in quorum medio ara eſt: in eâ magi & cinerem multum, & ignem perennem, ſervant.* Narrat deinde, quomodo in Pyrætheis ſacra faciant: ſed hoc jam expoſitum nobis cap. IX hujus libri; ubi de Omano tractamus.

Nec Cappadoces tantummodo in eo æmuli fuere Perſarum, ſed etiam Phryges: ſi, ut à ſcriptoribus accepimus Romanis, Phrygum, unde originem ducerent, exemplum ſecuti ſint Lavinienſes; hos autem propago eorum Albani, uti Albanos coloni illorum Romani; de quibus inferiùs demonſtrabitur. Etiam apud Maximum Tyrium legas ſermone XXXVIII, pro Deo eſſe Lyciis ignem illum, quem Olympus eructat, non Ætnæi inſtar montis, ſed placidum compoſitumque.

Hactenus de Aſiaticis antiquis. Quantopere vero in Aſia radices egerit inſana hæc religio, documento erunt, quæ in itinerario ſuo prodidit Rabbi Benjaminus; qui ab Abrahamo Zacutho *b* vixiſſe dicitur anno mundi quater b In Juchaſin ſive Chronico.
milleſimo nongenteſimo nonageſimo tertio, (is à Chriſti fuerit natali CIↃCLXXIV) ac ab Aria quidem Montano, viro ſummo, Latinè redditus; ſed beneficio nobilis, & amiciſſimi in Leidenſium Academia nuper collegæ mei, Conſtantino L'Empereur, Hebraicè primùm lucem vidit, ac nova tralatione, & pereruditis illuſtratus notis fuit. Is Benjaminus *c* narrat, ut in Chenerag, inſulis Aſiaticis, c P. 108.
ad quas ſe ex Haaulam, hoc eſt, Zeilam, navigâſſe ſcribit, incolas repererit ignis cultores, vocarique *Dugbijim*: ac ſacerdotes ejus numinis ſic præſtigiis cæteros orbis exſuperare, ut æquiparari hac parte poſſit nemo. De modo etiam cultus complura adjungit, quæ apud illum legi malo.

Imò hodieque in Perſia, ut Solis, ſic Ignis cultus obtinet: præcipuè in inclyta Perſarum urbe Spahan. Eam inter-

terfluit fluentum Senderot; pars trans fluentum conſtituit oppidum Julfa, ubi Chriſtiani degunt, qui Armenii dicuntur. Cis illud vocatur oppidum Gauriſebat, gentilium ſedes, quibus corpus craſſum, habitus à Perſarum aliis diverſus, candoris magis ſtudium quàm fuci; feminæ etiam pudicæ, ac à ſcortatione alienæ. Atque hi ſunt, qui veterem Perſarum, ut dixi, cultum retinent. Quæ accepi ab amiciſſimo Andrea Colvio Dordrechtano, viro non divinis modo literis, ſed etiam philoſophiæ, & politioris literaturæ, variarumque linguarum ſtudiis, egregio. Is verò ſe hauſiſſe ea profitebatur ex itinerario manu exarato familiaris ſui, viri fide digniſſimi, Joannis Mivaſii, mercatoris Leodicenſis; qui annis duodeviginti in regno Perſiæ vixerat.

Habemus de Aſia: videamus nunc de vicina Ægypto. Vulcanus, per quem partim ignis, partim ejus artificium intelligebatur, in Diis erat Ægyptiorum: qui duos ſolùm habuere Deos ἀῤῥενοθήλεις, *maſculofeminas*, Vulcanum, & Minervam: quemadmodum prodit Orus Apollo lib. I, cap. XIII. Nec hoc malè convenit cum eo, quòd poëtæ Vulcanum fingunt marem, ſed mulieroſum; Minervam mulierem, ſed viraginem.

Dicunt autem Ægyptii, Vulcanum eſſe patrem Solis, quia ſidera ſint ignea. Chronici Alexandrini ſcriptor *a*: Μετὰ δὲ τὴν τελευτὴν Ἡλίου τοῦ βασιλέως, υἱοῦ Ἡφαίστου, ἐβασίλευσεν Αἰγυπτίων Σῶσις· *Poſt obitum Solis regis, filii Vulcani, imperavit Ægyptiis Soſis.* Ubi quidem non de corporibus inanimis, ſed antiquis Ægyptiorum regibus, ſermo eſt: ſed reges vetuſtiſſimi, & Dii naturales, iiſdem vocabantur nominibus; ſi credimus iis, quæ Manethos prodidit Ægyptius, atque ex iis, qui ſuperſunt, Diodorus Siculus libro primo bibliothecæ, & exinde Euſebius in ſecundo Præparationis Euangelicæ, cap. I. a P. 106.

Cap. LXV.

Ignem eſſe à Græcis cultum philoſophis, uti Hippaſo, & Heraclito: item ſacerdotibus tum Græcis, tum Romanis; idque ſub nomine Veſtæ: ſed hic juniorem intelligi Veſtam, non matrem idem nomen habentem. Servius emendatus. Veſtam, & Ἑστίαν, propriè eſſe focum publicum; idque etymo utriuſque vocabuli oſtenſum. Cur nomen ignis proprium ſit communicatum telluri, triplex ex antiquis ratio adducta. Servius iterum correctus. Trifariam creditum corpora purgari; aëre, aquâ, terra: ſed terræ hanc vim tribui, quatenus eſt ignifera: igniferam autem intelligi, partim ratione materiæ uſtilis, quam continet; partim quatenus per terram diffunditur calor, tum naturalis, tum alienus. Refelluntur, qui alienum quidem calorem eſſe elementalem, ſed nativum duntaxat cæleſtem eſſe, arbitrantur. Datam eſſe operam, ut focus Veſtæ foret ſempiternus; ac quomodo, ſi exſtingueretur per imprudentiam, Romani eum inſtaurarint; quomodo item Græci. Romanos Veſtæ ſacra accepiſſe ab Albanis. Cur parum ſit veriſimile, à Romulo hæc ſacra eſſe inſtituta. Nec è Tullio ultra colligi quicquam, quam ea eſſe, vel à Romulo, vel Numa. Albanos autem ſacra iſta didiciſſe à Lavinienſibus, hos à Trojanis, vel, ſi Prudentium audimus, fortaſſe ab Athenienſibus. Cur Romani cuſtodiendo igni ſacro præfecerint virgines: Græci autem viduas, & quidem jam natu grandes. Obtinuiſſe hæc ſacra non Delphis modò, & Athenis: ſed aliis etiam Græciæ locis: & unde πρυτανεῖον, ubi ſacer ille ignis aſſervaretur, fuerit nomen.

Ab Aſia, & Ægypto, iter ad Græcos capeſſo, & Romanos. Ubi quid mirum, ſi Ignis à vulgo haberetur Deus, quando & eum pro Deo coluere Hippaſus Metapontinus, & Heraclitus Epheſius: ut apud Clementem legimus Admonitione ad Gentes. Sed de philoſophis alius ſe offeret dicendi locus: præſertim ubi Stoicorum de Natura opinionem explicabimus. Nunc videamus de religione publica, tum Græcorum, tum Romanorum. Utriſque Ignis nunc erat Ἑστία, ſive *Veſta*; nunc Ἥφαιστος ſive *Vulcanus*. De priori ſic Ovidius VI Faſt.

Nec tu aliud Veſtam, quam vivam intellige flammam.

Eſt hæc Veſta junior, ſoror Cereris, & Junonis; filia autem ſenioris illius Veſtæ, quæ aliter *Rhea*, vel *Ops*, dicebatur. Hinc Servius in illud II Æn.

—— Manibus vittas, Veſtamque potentem,

*Veſtam, Deam ignis, quæ, in medio mundo librata, vi ſuæ * vaſtet, & ignem intra ſe habeat.* Ubi lego, *quia, in medio mundo librata, ſua vi ſtet.* Idem mox in illud,

Æternumque adytis effert penetralibus ignem:
Ecce ipſe expoſuit, quid eſt Veſta.

Nempe *æternus ignis.* Atque hæc ſignificatio magis etymo convenit. Nam *Veſta* eſt ex Ἑστία, ut ab ἴς, *vis*; ab ἑσπέρα, *veſpera*. Servius in illud I Æn. *Cana Fides, & Veſta*: *Veſtam Religionem dicit, quia nullum ſacrificium ſine igne eſt, ipſaque in omnibus invocatur. Veſta autem dicta ἀπὸ τῆς Ἑστίας, ut digammos ſit adjecta: ſicut* Ἦρ, *Ver*; Ἐνετὸς, *Venetus.* Ἑστία, autem *focus*: ſed cum pro Dea ſumitur, intelligitur κοινὴ πόλεως· *focus urbis publicus*: ut vocat Dionyſius *a*. Unde Cicero in II de Legg. *Virgines Veſtales in Urbe cuſtodiunto ignem foci publici ſempiternum.* Item III de Legg. *Cumque Veſta quaſi focum urbis, ut Græco nomine eſt appellata, complexa ſit.* Et II de Nat. Deor. *Veſtæ nomen ſumtum eſt a Græcis; viſque ejus ad aras, & focos pertinet.* Quod ſi propriè Ἑστία referatur ad aras, & focos publicos: valde eſt veriſimile, cùm pleraque omnia vocabula ſacra ſint ab Oriente; etiam *Veſta* ſive Ἑστία eſſe ab אש, id eſt, *ignis*, & יה uno ex Dei nominibus: ut אשיה ſonet *ignis Deus*, vel potiùs *ignis Dei*; eoque propriè ſymbolum potiùs numinis, quàm numen ipſum, ſonet. a Lib. 2. Antiq.

Sed hæc ſi ſint, jure quæratur, unde hoc Ἑστίας ac *Veſtæ* nomen etiam Telluri ἁπλῶς, quàm Rheam, Opem, Deûm matrem, nuncupant, fuerit attributum. De iſtoc ne inter veteres quidem convênit. Triplicem autem rationem invenio. Prima eſt, quia cæleſtes ignes, quæ ſidera dicimus, alantur vaporibus, quos terra emittat. Hanc cauſſam adducit Dionyſius Halic. lib. II Antiqu. Ἑστίᾳ δ᾽ ἀνακεῖσθαι τὸ πῦρ νομίζουσι, ὅτι γῆ τε οὖσα ἡ θεὸς, καὶ τὸ μέσον κατέχουσα τοῦ κόσμου τόπον, τὰς ἀνάψεις τοῦ μετεώρου ποιεῖται πυρὸς ἀφ᾽ ἑαυτῆς· *Veſtæ autem dicatum eſſe Ignem putant, quòd, cum Dea hæc ſit Tellus, mediumque teneat mundi locum, ignes illos in ſublimi ex ſeſe accendat.* De ea autem veterum opinione, quòd tellus pabulum ignibus præbeat cæleſtibus, varios cap. LXVII. laudabimus ſcriptores: ac pertinet eò quoque, quod dixerunt veteres, *Veſtam nutricem Jovis*; ut eſt apud Martianum Capellam *b*. b Lib. I. de Philolog.

Altera opinio eſt, ut eo Tellus vocetur Ἑστία, hoc eſt, *Focus*, quia ignes continet ſubterraneos. quos arguunt apertè Ætna, Veſuvius, Hecla, alii montes; etiam in America reperti, de quibus Joſephus Acoſta Hiſtoriæ Indicæ lib. III, cap. XXIV: imò ignes hoſce præcipuam eſſe cauſſam eorum, quæ ex terra & aquis exhalant, contendit doctiſſimus Georgius Agricola *c*: ac argumentis ſat validis, & multis, hanc antea ſententiam adſtruximus. Eam de Veſta opinionem ſequitur Servius in I Æn. *Veſta dicitur eſſe Terra, quam Ignem habere, non dubium eſt; ut ex Ætna, Vulcanoque, datur intelligi.* Quomodo & hunc locum adducit I. Lipſius *d*. Sed pro *Vulcano* legere *Veſuvio* malim: imò planè ſic reſtituendum, indicat MSus Fuldenſis; quia in eo poſt *Vulcano* ſubjicitur, *& aliis locis ardentibus.* c Lib. de cauſſis ſubterraneorum. d Lib. de Veſta & Veſtalibus cap. I.

Tertia, & quæ maximè arrideat, ratio eſt, quòd ignis elementum ſit permixtum & aquis, & aëri, & imprimis terræ. Unde eſt, quòd terra etiam purificari corpora hominum putarent. Siquidem Servius in VI Æn. ea trifariam dicit purgari; terrâ, aquâ, aëre: terrâ, quæ terreſtri; aquâ, quæ marino; aëre, quæ aërio jungerentur corpori. Nec obſtat, quòd terra potiùs ſordes afferat, quàm purget. quippe, ut ait, quæ terra purgantur, ea purgationem

tionem debent igni, quem terra continet. Verba ejus, inter alia, ſunt: *In terra* (animæ) *purgantur, quæ nimis oppreſſæ ſordibus fuerint, deditæ ſcilicet corporalibus blandimentis: id eſt, tranſeunt in corpora terrena; & hæc igni dicuntur purgari. Ignis enim ex terra eſt, quo exuruntur omnia. nam cæleſtis nihil perurit.* Ubi quod ignem ex terra eſſe ait, eò reſpicit, quòd ignis ſit è lignis, quæ terra producit. Ac magis hoc dixiſſet Servius, ſi cogitaſſet, Theſprotios cremâſſe carbones foſſiles, teſte Theopompo *a*; vel ſi conſtitiſſet illi de uſtilibus terræ apud Batavos teſſellis. Sed nec in ignis materie ſiſtendum. Quippe non per ea ſolùm, quæ uſtilia ſunt; ſed terram per omnem ſe ignis diffundit; ut argumento eſt proprius mixtorum calor: qui ſi mediocritatem ſervet, naturalis vocatur, ac rem conſervat: ſin mediocritatem exceſſerit, alienus nuncupatur, non quaſi aliunde ſit, quàm naturalis (uterque enim eſt ab eodem ignis elemento) ſed quia, quatenus modum non retinet, à natura mixti eſt alienus; quippe quam corrumpat, & abſumat, ut fit in febricitantibus. At valde eos ratio fugit, qui exiſtimant, calorem nativum eſſe cæleſtem: alienum ſolùm ab igni eſſe: atque id, quia, ut ajunt, ignis noſter diſſipet cuncta, ac perdat. Nam & noſtrum ad rerum generationem conferre, argumento cùm alia ſunt multa, tum quòd in Ægypto hodieque obtinet, ut ab lento & moderato igni ex ovorum vel tribus millibus & amplius, furno ſuppoſitis, pulli excludantur: quod artificii genus in Galliis etiam à Neapolitano quodam eſſe patrum noſtrorum, hoc eſt, proavorum noſtrorum ætate exercitum, Brodæus refert in tertio Miſcellaneorum, cap. xxv. Quare exiſtimandum, cùm calore illo interno, quem ab ignis elemento diximus provenire, ſic eſſe comparatum, uti cum calore illo ignis externo, ad quem carnes aſſamus. Nam mediocris eas temperat, ac coquit: immoderatus ac diuturnus exſiccat nimis, ac tandem adurit.

Sed talis eſt Veſta, prout per eam intelligitur ignis tribus elementis ad rerum generationem & conſervationem infuſus. Redeo ad appellationem Veſtæ, quatenus particulatim ſignificatur ignis ille in focis publicis. Is cæleſtium erat ignium, Solis imprimis, ſymbolum. Unde Florus lib. II, cap. II: *Imprimis* (Numa) *focum Veſtæ virginibus colendum dedit, ut ad ſimulacrum cæleſtium ſiderum cuſtos imperii flamma vigilaret.* Itaque jugi erat, & aſſiduâ opus curâ, ut ſemper luceret. Ac ſi exſtingueretur, non ab igni noſtro accendere fas fuit, ſed Romanis quidem (ut Feſti *b* utar verbis) *mos erat tabulam felicis materiæ tamdiu terebrare, quouſque exceptum ignem cribro æneo Virgo in ædem ferret.* Græcis autem in fomentis vaſculo cavo impoſitis, & Solis radiis in ejus centro exceptis, flammam concipere conſuetudo erat, Plutarcho *c* teſte.

Romani hunc Veſtæ cultum accepere ab Albanis; unde Livius lib. I: *Virgines Veſtæ* (Numa) *legit, Albâ oriundum ſacerdotium, & genti conditoris* (Romuli) *haud alienum. His, ut aſſiduæ templi antiſtites eſſent, ſtipendium de publico ſtatuit: virginitate, aliiſque ceremoniis, venerabiles fecit.* Romulus quo minùs id ſacerdotium inſtitueret (utcunque ei Plutarchus *d*, & Propertius *e*, tribuant) in cauſſâ illud erat, quòd non videret, quomodo honeſtè ſatis perpetuam exigeret virginitatem, quando mater ſua Ilia, quæ & ipſa Veſtalis erat virgo, cum Marte, hoc eſt, Martis ſacerdote, vel Martiali quopiam, ac militari homine, rem habuiſſet; quo ex concubitu natus ipſe foret. Rationem hanc etiam Dionyſius adducit. Cicero quò abeat, non ſatis eſt apertum. Oratione de Haruſpicum reſponſis ait: *Quod ſacrificium tam vetuſtum, quam hoc* (Veſtalium) *quod à regibus æquale huic Urbi accepimus?* Videri poſſit à Romulo deducere, quia dicat, *æquale Urbi ſacrificium.* Sed cùm addat, à regibus acceptum; nihil impedit, quo minùs παχυλῶς *f* capiamus, ut æquale ſit Urbi, quod à duobus eſt regibus primis; quorum alter imperium condiderit diſciplinâ, ac legibus; imprimis iis, quæ ad belli artes pertinerent; alter pietatem inſtillando, quo faciliùs pareretur. Nec enim pauciora Patres religione conſecuti ſunt à plebe, quam legibus: imò extrema quaſi anchora ſæpe iis erat religio; quâ animis injectâ, ſubinde potuerunt, quod nulla extorſiſſet potentia humana. Albani autem, quos & ſacrum hoc, poſtquam tranſlatum Romam fuit, retinuiſſe conſtat, habuere illud à Lavinienſibus: quorum urbs, Dionyſio teſte, XXX annis exſtructa fuit, priuſquam ab Aſcanio Alba Longa conderetur. Lavinienſes idem accepiſſe traduntur ab Ænea Phryge: de quo Maro in II, ut antea dictum:

Sic ait, & manibus vittas, Veſtamque potentem,
Æternumque adytis effert penetralibus ignem.

Hinc Ovidius Faſt. VI:

Vidimus Iliacæ transferri pignora Veſtæ.

Nam *Iliacam* nuncupat, quia Ilienſes eam, duce Ænea, intulerint Latio. At tranſlatam refert, quia, cùm antea Veſtæ ſacra forent in regia Numæ, Auguſtus ea, ubi factus eſſet Pontifex, traduxerit in domus ſuæ partem, quam publicavit, ac donavit Veſtæ: quemadmodum eſt apud Dionem lib. LIV. Atque haſce tres civitates, Albam, Lavinium, ac Ilium, in animo habuit B. Auguſtinus, quando ait lib. III de Civit. Dei, cap. XVIII: *Sacra illa fatalia* (Veſtæ) *quæ jam tres, in quibus fuerant, preſſerunt civitates.* Ambigit tamen Prudentius, an non ea Romani acceperint ſacra ab Athenienſibus. Verba ejus ſunt in II adverſus Symmachum:

—— In his quoniam Veſtalis origo favillæ
Urbibus, ut memorant, primo de fomite ſumta eſt:
Sacravitque focos, aut Phryx, aut Grajus, alumnos.

Nempe ut hauſerint ea Romani à legatis ſuis anno Urbis trecenteſimo in Græciam miſſis, quò de Draconis, ac Solonis, legibus cognoſcerent.

Hunc Ignem cuſtodiebant Romæ virgines, ex eo dictæ *Veſtales.* Ex Plutarcho colligunt, virgines iccirco ſacro eſſe igni præfectas, quia ut ignis abſumit ligna, ex quibus is exſtruitur, ut hæc materies, & quaſi parentis inſtar videantur: ita virgo, ſi manſerit intacta, quodammodo ſuos occidat parentes: quippe per quam ſtet, quo minùs poſt fata etiam in ſuis vivant hæredibus. Sed quanto ſimplicius eſt, veriuſque, eò id factum, quia ut purus ignis, ſic pura virgo: atque ut nihil generat ignis extra mixtionem, ita nec virgo. Unde ipſe Plutarchus in Numa: Νυμᾷ ϗ τὴν τ̃ ἑστιάδων παρθένων καθιέρωσιν, καὶ ὅλως τὴν περὶ τὸ πῦρ τὸ ἀθάνατον, ὃ φυλάττουσιν αὗται, θεραπείαν τε ϗ τιμὴν ἀποδιδόασιν, εἴτε ὡς καθαρὰν ϗ ἄφθαρτον τὴν τοῦ πυρὸς οὐσίαν ἀκηράτοις ϗ ἀμιάντοις παρατιθεμένου *a* σώμασιν, εἴτε τὸ ἄκαρπον καὶ ἄγονον τῇ παρθενίᾳ συνοικειοῦντος *b*. *Numæ Veſtalium virginum conſecrationem, omnemque æterni ignis, quem adſervant hæ, cultum ac honorem adſignant: ſive puram & incorruptam Ignis naturam integris & inviolatis credidit corporibus; ſive ſterilem & infæcundam virginitati quaſi contubernio conjunxit.* Ac ſimiliter Ovidius VI Faſt. & ex eo Lactantius lib. I, cap. XII. Adde quòd virgines ſint immunes à rei domeſticæ curis: eoque faciliùs, & certiùs, advigilent ad ſacri ignis cuſtodiam: qui ſi exſtingueretur, Urbi grave credebatur periculum portendi. Quam rationem etiam Tullius adducit in ſecundo de Legg. *Veſtæ,* inquit, *colendæ virgines præſunt, ut advigilent faciliùs ad cuſtodiam ignis.* Et eâdem de cauſſâ viduæ in Græcia præfectæ, & quidem ætate provectæ: nempe quia nuptæ non poſſunt ſatis advigilare ignis cuſtodiæ; quia ſint mariti, & rei domeſticæ curâ, diſtrictæ: uti neque nupturientes, quippe aliò applicantes animum. Hac de re ſic Plutarchus in Numa: Τῆς Ἑλλάδος ὅπου πῦρ ἄσβεστόν ἐστιν, ὡς Πυθοῖ, καὶ Ἀθήνησιν, οὐ παρθένοι, γυναῖκες δὲ πεπαυμέναι γάμων, ἔχουσι τὴν ἐπιμέλειαν. *In Græcia ſicubi ſit ignis æternus, ut Delphis, & Athenis; non virgines, ſed viduæ, quarum ætas ad iterum nubendum præterit, curæ ejus præfici ſolent.* Sed parùm cautè ſic loquitur Plutarchus, quaſi Delphis, & Athenis ſolùm, Veſta à Græcis coleretur. Nam itidem Tenediis, Argivis, Naucratitis, ſacrum fuiſſe hunc ignem, jam antea vidimus: atque idem de Rhodiis,

a Apud Antigonum Caryſtium Hiſtor. Mirab. cap. 186.

b *In* Ignis Veſtæ.

c *In Numa.*

d *In Romulo.*

e *Lib. 4. el. 4 quæ eſt de Tarpeja.*

f *Pingui Minerva.*

a *Sic reponendum pro* παρατιθεμένους, *ut vidit Muretus.*

b *Ubi perperam vulgo, etiam in Stephanica, & Pariſina anni 1624.* συνοικειοῦντες.

diis, Cyzicenis, Mileſiis, Epheſiis, Naxiis, atque aliis, diximus in Oratoriis *a*; oſtenſumque id fuſius Caſaubono in xv Athenæi.

a Inſtit. Orat. lib. 4. cap. 6. ſect. 4.

Hujuſmodi viduæ vocabantur πρυτανίτιδες, quia viverent ἐν πρυτανείοις. Πρυτανεῖα autem dixere loca Veſtæ ſacrata: nempe, ut apud Pindari ſcholiaſten eſt, quaſi πυρὸς ταμεῖα, quoniam in iis ignis, hoc eſt, lucerna ardens, cuſtodiretur diu noctuque, ne defectu olei exſtingueretur. Pindari Nem. od. xi, quæ eſt honori ſcripta Ariſtagoræ, Prytanis Tenedii:

> Παῖ Ῥέας ἅ τε πρυτανεῖα λέλογχας Ἑστία,
> Ζηνὸς ὑψίστου κασιγνήτα, καὶ ὁμοθρόνου Ἥρας.
> *Filia Rheæ, cui ſortitò obvenere Prytanea, Veſta,*
> *Iovis altiſſimi ſoror, & eodem ſolio conſidentis Junonis.*

Ubi ſic ſcholiaſtes, Πρυτανεῖά φησι λαχεῖν τὴν Ἑστίαν, παρόσον αἱ πόλεων ἑστίαι ἐν τοῖς πρυτανείοις ἀφίδρυνται· καὶ τὸ ἱερὸν λεγόμενον πῦρ ἐπὶ τούτων ἀπόκειται· *Ajunt, Veſtam obtigiſſe Prytaneis, quoniam foci publici conſtituti ſunt in Prytaneis; inque iis reponitur Ignis, qui ſacer nuncupatur.* Poſtea geminum adducit etymon *Prytanei*; ac repetit, quod dixerat, ἱδρῦσθαι ἐν τοῖς Πρυτανείοις τὴν Ἑστίαν· *conſtitui in Prytaneis Veſtam.* Hoc prytaneum Æſchylus Supplicibus vocat βωμὸν, καὶ ἑστίαν χθονὸς *b*: ipſumque regem nuncupat πρύτανιν ἄκριτον, hoc eſt, ἀνυπεύθυνον *c*. Sed verba chori ad regem integra apponamus *d*:

b Aram ac focum terræ.
c Qui nulli rationem reddere habeat neceſſe.
d P. 320. edit. H. St.

> Σύ τοι πόλις, σὺ δὲ τὸ δήμιον
> Πρύτανις ἄκριτος ὢν, κρατύνεις βωμὸν ἑστίαν χθονὸς
> Μονοψήφοισι νεύμασι σέθεν.
> *Tu populus, tu omnis populi poteſtas,*
> *Rector nullius judicio ſubditus, moderaris aram focumque regionis Argivæ*
> *Unius tui decreto, ac nutu.*

Dionyſius Halicarnaſſ. in ii Antiq. Ἐν τοῖς Ἑλληνικοῖς πρυτανείοις, ἑστία κοινὴ τῶν φρατριῶν· *In Græcorum prytaneis communis eſt focus omnibus curiis.* Etiam ex ſecundo Hermiæ de Apolline Gryneo refert Athenæus in quarto, ſolitos Naucratitas ἐν τῷ πρυτανείῳ δειπνεῖν γενεθλίοις Ἑστίας πρυτανίτιδος· *in prytaneo convivium celebrare die natali ejus, quæ Veſtæ ſacris præeſſet.*

Cætera, quæ ad Veſtam, & Veſtales, pertinent, veterum nemo fuſiùs ac diligentiùs eſt perſecutus Dionyſio Halicarn. Antiquit. Rom. lib. ii: operæque iis jungere, quæ habet Agellius lib. i, cap. xii: juniorum autem, ut aſpernanda non eſt erudita opera Lilii Gyraldi; ita nullus ea meliùs illuſtravit Juſto Lipſio, peculiari de Veſta & Veſtalibus ſyntagmate.

Cap. LXVI.

Vulcani nomine deſignari Ignem, non æthereum quidem, qui in ſideribus relucet, ac Iovis *potius nomine intelligitur; ſed elementalem, & unde hic* Ἥφαιστος *nominetur: imo ab elementali etiam igne excipi illum foci publici, qui Veſtæ eſt ſacratus: Vulcano autem attribui illum e nubibus, vel montibus, erumpentem: item iſtum in ſacrificiis, vel lucernis, ac præcipue in opera fabrili; unde Deus is cum malleo, aut forcipe, effictus. Feſtum ejus* Χάλκεια, *vel* Πάνδημον. *Primo hoc ſacrum fuiſſe Minervæ, inde dictæ* Ἐργάνη. *Utrùm convenientius Vulcano, an Minervæ, Deo, an Deæ, ignis, & ars fabrilis, tribuantur. Quomodo Vulcanus ſit Junonis filius, ſive per Junonem aëra, ſive terram, intelligas. Cur Vulcanus fingatur claudus, ratio adlata, tum juxta poëtarum fabulam, tum ſecundum rerum naturam, quæ fabulâ adumbratur. Cur Venerem dicant poëtæ uxorem Vulcani. Etiam Vulcanum eſſe cultum à Germanis; falli autem, qui Solem, aut Martem, per eum intellexiſſe arbitrantur. Sarmatis quoque Ignem fuiſſe pro Deo, & inter alios Lituanis, quibus Znicz dicebatur.*

PRæterea Ignis dicebatur Ἥφαιστος, Latinis *Vulcanus*; qui in Valeriani Imperatoris nummo VOLKANUS. Sanè per Ἥφαιστον nec Zeno aliud, quàm τὸ τεχνικὸν πῦρ *a*, intelligebat: quemadmodum ex Laërtii lib. vii antea dictum. Sed non omnis Ignis cenſetur Vulcanus. Quippe alius ignis cæleſtis, alius ſub cælis. Prior ille, qui purior, ex Phurnuti ſententia, eſt Jupiter, & creditur vulgo Ζεὺς vocatus ἀπὸ τοῦ ζέειν, quod eſt *fervere*. At eidem noſter ille, qui impurior, nominatus eſt Ἥφαιστος παρὰ τὸ ἧφθαι, quod eſt *accenſum eſſe*. Sed neque omnis iſte ſub cælis Vulcanus eſt habendus. Nam, ut ſuprà vidimus, Veſta eſt ignis ille in focis, præſertim publicis terebratione ligni felicis, vel de cælo, & fortaſſis aliâ etiam ratione accenſus, curâque humanâ perpetuus. Sed Vulcanius non terebrationi, aut cælo debet originem; nec in publico aſſervatur foco, ut cæleſtis ignis ſymbolum: ſed partim in nubibus exardeſcit; unde Vulcanus Iovi dictus fulmina fabricare: partim eſt ſub terris, unde & ſubinde erumpit: quippe eſt hæc (ut Cornelius Severus in Ætna canit) *fallacia fatum*, ſive opinio malis poëtarum, ſi ex carmine de eorum ſenſu judicandum,

a Ignem artificioſum.

> —— *Tumidis è faucibus ignem*
> *Vulcani ruere, & clauſis reſonare cavernis*
> *Feſtinantis opus.*

Partim etiam in ſacrificiis Deorum conſpiciebatur: unde & Papinio Thebaidos primo *b*, *ignis*, qui ſacrificaretur Nocti, vocatur *Vulcanius*. Partim privatis uſibus illucebat; ut qui laternis circumgeſtatus: unde Plautus Amphitryone *c*;

b Verſ. 508.
c Act. I. ſc. I.

> *Quo ambulas tu, qui Vulcanum in cornu concluſum geris?*

Partim denique in fabrorum fornacibus armis inſerviebat cudendis, & aliis è metallo apparandis. Atque hic ignis potiſſimùm Vulcani nomine capiendus. Itaque & Deus iſte à gentibus cum malleo pingebatur: quod Arnobio quoque traditum in vi. Ac in L. Cælii nummo cum forcipe ſpectatur. Et Athenis ei ſacra Χάλκεια *d*: quæ etſi & ab opificum aliis, celebrarentur; unde hoc feſtum Πάνδημον *e* vocarunt: præcipuè tamen id à fabris fiebat. Primitus interim hæc Minervæ erant ſacra: quia omne opificium ſit Sapientiæ inventum. Atque hinc Minerva dicta eſt Ἐργάνη. Sed Phanodemus, ut auctor nobis Harpocration, Vulcani feſtum ait. Videlicet, cùm omnium haberetur opificum, Minervæ vocabatur: at, credo, quia in opificibus fabri ferrarii primas ferrent, ac præcipuè hoc ſibi feſtum vindicarent; ſolius haberi cœpit Vulcani; cui idcirco etiam tribuit Pollux. Quæras, utrius potiùs numinis hoc artificium videatur, ſi ex philoſophorum opinione judicium ſit ferendum. Cenſeo Minervæ, ſi per eam intelligas ſapientiam divinam. Rectè tamen etiam tribuas Vulcano, ſi hoc capiatur juxta hiſtoriam veterem, ut ſit Tubalcainus, fabrilis artis inventor; velut ex Moſe diximus lib. i, cap. xvi. Sed ſi φυσικῶς malis conſiderare; ſic quoque ratio ſe offert, cur numen maſculum, quale Vulcanus, huic præficerent arti. Nam Vulcanus, ut oſtendimus, eſt ignis fabrilis. At is inſtrumentum eſt artis: inſtrumenta autem non ad materiem pertinent, quæ à *matre* ſic dicta eſt; ſed ad efficientem cauſam, qualis pater. Adde quòd duri artis fabrilis labores molli mulierum ſexui minus conveniant. Atque ita, credo, ſpectarunt, cùm Deo potiùs, quàm Deæ, hoc inventum tribuerunt.

d Æraria.
e Totius populi.

Deus ſic Junonis filius habebatur. De quo ſic Apollodorus lib. i: Ἥρα δὲ χωρὶς εὐνῆς ἐγέννησεν Ἥφαιστον· ὡς δὲ Ὅμηρος λέγει, καὶ τοῦτον ἐκ Διὸς ἐγέννησε· *Juno citra cujuſquam concubitum peperit Vulcanum. Sed, ut Homerus ait, & hunc ex Iove conceperit.* Hæc quoque rerum naturam adumbrant. Juno enim ſubcæleſtis vel aër eſt, vel terra. Si aëra capias, rectè Servius in vi Æn. eam adducit rationem, quòd ignis noſter conſtet de ligno, & aëre. Nam quid aliud eſt flamma, quam aër, vel fumus ardens? Nempe aër calore æthereo, quem per Iovem intellexere, accenditur; ut idem frigore concreſcit in

aqueum

aqueum humorem. De qua elementorum converſione ita Lucretius in primo:

> *Et primùm faciunt ignem ſe vertere in auras*
> *Ætheris, hinc imbrem gigni, terramque creari:*
> *Ex imbri, rurſuſque à terra, cuncta reverti;*
> *Humorem primum, mox aera, deinde calorem.*

Sin, ut ſæpe fit, per Junonem deſignatur terra; appoſita magis ratio petetur ex illis, quæ Servius eodem tradit libro: *Ignis*, inquit, *ex terra eſt, quo pereuntur omnia. Nam cæleſtis nihil periit.* Hoc eſt, quod Philoſophi dicunt, ignem noſtrum eſſe exceſſum caloris in elemento alieno.

Nec indignum conſideratione de claudicatione Vulcani. Prius fabulam videbimus. Apollodorus, loco antè memorato, refert, ut cùm Vulcanus Junoni, matri ſuæ, à marito de cælo ſuſpenſæ, vellet opem ferre, à Iove de cælo præceps datus ſit in terras; ac à Themide quidem ſervatus ſit; ſed poſtea ex caſu illo claudicârit. Unde apud Homerum *a*, eum mater ipſa; vocat Κυλλοποδίωνα *b*. Hoc durè aſpereque videretur dictum non cogitanti, vitia corporis nulli eſſe probro vertenda; quam rationem etiam adducit Plutarchus. Et eò attendit quoque Alcamenes, levi cum aliqua Deum claudicatione effingens: ut teſtis eſt nobis Tullius, in primo de Deorum natura. Atque hæc oſtenduntur, qualis ſit fabula, & ut, ſi ratione morum eam cogites, alioqui, ob claudicantem Deum, ſatis abſurdam; planè, ut de talibus loquitur B. Hieronymus *c*, honeſta videatur oratio.

a Iliados o.
b Pedibus claudum.
c In Chronico Euſebii.

Nunc videamus, quomodo hæc ad rerum pertineant naturam. Vulcani claudicatio notat ignis noſtri imperfectionem. Nec enim ætherei inſtar ignis, perpetim vivit; ſed, niſi ligna ac materiem appoſueris, perbrevi tempore exſtinguitur. Quam rationem ejus fabulæ Heraclides quoque Ponticus adducit. Sed alteram etiam reperio, quia flamma, præſertim vento agitata, claudicantis inſtar, nunc in hanc, nunc in alteram ſe vertat partem. Neque hoc noſtrum eſſe commentum, ſed ex mente dici gentilium; indicio erunt verba illa B. Auguſtini contra Fauſtum lib. xx, cap. ix, *Ad naturam rerum interpretari conantur, Vulcanum claudum, quia Ignis terreni motus ejuſmodi eſt.*

Ibidem etiam addit, *Venerem credi Vulcani uxorem, quia ex calore voluptas neceſſariò naſcitur.* Nec, quatenus calor ab igni, veriſimilius occurrit.

His de Græcis, Romaniſque, aliquid ſubdam de gentibus Europæ, quas barbaras dixere; nec univerſis tamen, ſed contentus nunc ero Germanis, & Sarmatis. Vulcanum ſive Ignem eſſe cultum Germanis, auctor eſt Cæſar in vi de bello Gallico: imò, ut idem ait, præter Solem Lunamque, cultus eſt illis ſolus. Unde etiam elucet, diſtinxiſſe vulgo à Sole: utcunque eundem, ac Solem, exiſtimet Philippus Cluverius in primo Germaniæ antiquæ. Potiùs igitur Vulcanus Germanis fuerit Jupiter, ſive aëris poteſtas, tonitrua ciens ac fulgura. Quomodo & Etruſci Vulcanum ajunt Iovis ignem è nubibus jaculari *d*. Neque cauſſæ ſatis video, cur idem vir eruditiſſimus Germanis eundem cenſeat Vulcanum, ac Martem. Romanos ſaltem diſtinxiſſe, argumento eſt, quòd Marti devota potuerint ſuſpendi in templo: vota Vulcano, comburerentur. Unde Livius lib. xxx: *Magna vis armorum capta; ea omnia imperator, Vulcano ſacrata, incendit.*

d Servius in i Æn. verſ. 46.

A veteribus etiam Sauromatis ignem eſſe cultum, refert Clemens Alexandrinus Admonitione ad Gentes: deque eo teſtem laudat Nymphodorum in libro de legibus barbaricis. Eoque magis fidem facit, quia à Lituanis, gente Sarmatica, priuſquam Chriſtum amplecterentur, quod contigit circa annum ciɔ cc xxx, honore divino cultum eſſe Ignem, quem dixere *Znicz*, ſcribant, qui de Sarmatia Europæa egere: ut Alex. Gaguinus cap. de priſca Lituanorum religione.

De Afris etiam ſic Cæſar Scaliger Exercitat. c c l v i i i, ſect. i: *Scriptum eſt in hiſtoriis Africanis, ignem in Libya pro Deo habitum; quem Veſtalium ritu perpetuum ſervarent.* Hauſit verò hoc ex Joannis Leonis Africani lib. i *a*.

a Cap. de priſcorum Afrorum fide ac religione, ſive p. 59 edit. Batavæ.

Cap. LXVII.

Acceditur ad Aquam: cujus multiplex utilitas oſtenditur. Quibus de cauſſis gratia Spiritus ſancti Aquæ comparetur in Scripturis. Quanta ſit latitudo aquæ, ſi cum terra comparetur: deque eo opinio apocryphi Eſdræ rejecta, imò & illa Cæſaris Scaligeri. Quanta maris ſit profunditas. Fuſiùs paullò contra receptam opinionem oſtenſum, Deum non tertiâ die, ſed ſecundâ, diſcreviſſe aquas a terris: ac de eo verba Moſis in hiſtoria creationis aliter, ac fieri ſolet, declarata. Cur Deus aquas ſecreverit à terris: cur item montes oppoſuerit litoribus. Falsò credi, mare eſſe altius terrâ.

Egimus de Terra, & Igni: quorum illa ex elementis vim habet minimam; hic maximam; intermediæ autem poteſtatis ſunt Aqua, & Aër. Ac Aër quidem cum Igni unâ convenit qualitate; nempe calore: alterâ cum Aqua, puta humore: ut faciliùs Ignis convertatur in Aëra, quam Aquam. Proclivius enim unius fit immutatio, quàm duorum. Et quid flamma aliud, quam aër ac fumus ardens? Antiquior interim cultus eſt Aquæ, quàm Ignis. Quare hanc temporis magis, quàm illam naturæ rationem, ſecutus, de Aëre poſteriùs dicam: nunc autem quaſi ab Igni deſcendam in Aquas. Quod ſi ullo in elemento, in hoc Aquæ profectò, magnopere divina ſe exſeruit providentia. Nam ſine illâ foret, nulla fieret ſimplicium concretio. Quippe & Aquæ frigore temperari opus calorem Ignis: & ejus humore neceſſe eſt molliri duritiem Terræ. Ac propterea ſunt & aquæ in venis, ac meatibus ſubterraneis: quæ ſeſe quovis, quandoque etiam in altum, diffundunt; cujus rei cauſſam antea adduximus. Sunt item aquæ cæleſtes; quibus depluentibus, terra irrigatur. Abſque iis eſſet, inidonea foret tellus ad cibos animantibus producendos. Nec terram ſolùm, ſed hæc etiam terreſtria animantium corpora, potu irrigari fuit neceſſe: unde & Græci Neptuno nomen dedere, ut inferiùs exponam. Plurimum item aquæ conferunt ad purgationem: & munditias: unde huic Latini dederunt nomen, ut itidem poſtea referam. Jam quid dicam de aquarum uſu ad navigandum quaquavorſus, ac brevi ſæpe ſpatio perveniendi ad terras longiſſimè diſſitas? Ut jure optimo principem Olympiorum odam Dircæus ille vates hoc pacto ordiatur, Ἄριστον μὲν ὕδωρ. *Optima quidem aqua.* Sed Plinium quoque audiamus facundo ſic ore præſtantiam aquæ prædicantem lib. xxxi, cap. i: *Hoc elementum cæteris omnibus imperat: terras devorant aquæ, flammas necant, ſcandunt in ſublime, & cælum quoque ſibi vindicant, ac nubium obtentu vitalem ſpiritum ſtrangulant. Quæ cauſſa fulmina elidit, ipſo ſecum diſcordante mundo? Quid eſſe mirabilius poteſt aquis in cælo ſtantibus? At illæ, ceu parum ſit in tantam pervenire altitudinem, rapiunt eò ſecum piſcium examina. Sæpe etiam lapides ſubvehunt, portantes aliena pondera. Eædem cadentes omnium terra naſcentium cauſſa fiunt, prorſus mirabili naturâ, ſi quis velit reputare, ut fruges gignantur, arbores fruticeſque vivant, in cælum migrare aquas, animamque etiam herbis inde vitalem deferre; juſtâ confeſſione, omnes terræ quoque vires aquarum eſſe beneficii.* Et profectò ob tot bona Aquarum Deus ipſe in Verbo ſuo gratiam Spiritus S. cum aquis maximè comparavit. Præcipuè tamen, quia ut aqua fluidâ ſuâ denſitate ſordes abluit exteriores, imò etiam viſcidum illud venis adhærens detergit; ſic & gratia divina abluat animam noſtram à peccatis: & ut aqua refrigerat ſtomachi, ac viſcerum ardorem; ita Spiritualis gratia exſtinguat ardorem iræ, libidinis, & aliarum perturbationum: ut item aqua humectat ariditatem faucium, ac ventriculi; ſic Spiritus S. expleat deſideria animæ Deum ſitientis: ac denique ut aqua vehiculum eſt cibi, & tum animantium, tum plantarum etiam ve-

venas replet ſucco ad præſtandos actus vitales; ſic gratia Spiritus S. influat in animam, eique vires infundat ad actus veræ pietatis; qui ſoli habent promiſſionem vitæ æternæ. De hac ſpirituali aqua ſic Samaritanæ ait Chriſtus apud Joannem *a*: *Qui biberit ex aqua, quam ego dabo ei, non ſitiet in æternum: ſed aqua, quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ ſalientis in vitam æternam.* De eadem eſt apud Jeſaiam LV, 1: & hinc illud Apoc. XXII, 17: *Qui ſitit, veniat; &, qui vult, accipiat aquam vitæ gratis.* Infideles autem, quia gratiâ ſpirituali carent, dicuntur propterea ab Apoſtolo Petro *b* *fontes ſine aqua.* Votum igitur hoc addamus cum Samaritana *c*: *Domine, da nobis hanc aquam, ut non ſitiamus.*

a Cap. 4. v. 14.
b 2 Epiſt. cap. 2.
c Joan. 4. 15.

Atque hæc univerſè de bono aquarum dicta ſint. Nunc, ut meliùs divina in elemento hoc bonitas ac providentia intelligatur: primùm videbimus de mirandis Oceani, & maris interni: poſtea conſiderabimus aquas pluvias, fontanas, fluviales, cæteras.

In mari tum extremo, tum interno, imprimis animo ſe offerunt, quantitas, qualitas varia, & motus.

In quantitate attenditur tum longitudo, & latitudo; tum profunditas.

Longitudo, & latitudo ejus, par, aut ſuppar, eſt magnitudini telluris non obtectæ mari; ſi ex orbe cognito judicium faciendum. Adeò vaſtum eſſe Oceanum, Alexander Piccolomineus eſt teſtis *d*, qui cum cura eſt dimenſus. Ut valde fugerit ratio apocryphum illum ſcriptorem, cujus liber vulgo *quartus Eſdræ* inſcribitur. Nam tradit ille, ſex telluris partes aquis eſſe obrutas, ſeptimam verò aquis nudam. Alium, minorem tamen, errorem errat Scaliger adverſus Cardanum Exercit. XXXVIII; ubi ait, tertiam modò terræ partem eſſe extra aquas; cætera ejus mari premi.

d Lib. de magnitudine terræ, & aquæ.

Profunditas maris, judicio eorum, qui ætatem navigationibus trivere maritimis, raro dimidium ultra milliare Italicum pertingit; ſi gurgites aliquos exceperis, quibus ad milliare integrum ſe extendit, & pauca loca, ubi nullâ fundus bolide attingitur; ut plurimùm fit circa inſulas Flandricas: idemque experti ſunt Hollandi circa aliquas Pacifici maris inſulas.

Tantum mari alveum Deus die tertiâ excavavit, ex ſententiâ communi; vel potiùs ſecundâ, ut veriſimilius mihi videtur, Moſaica verba attentiùs conſideranti. Sanè primus dies propriè creationis fuit, quia eo Deus è nihilo res fecit: proximus ſecretionis, quia facta diſtinxit: cæteri ornatus, quibus ſic facta & diſtincta inſtruxit. Tertio enim die terram veſtivit plantis, in his etiam paradiſo. Quarto cælum illuſtravit ſideribus. Quincto aër aves, aqua piſces accepit. Sexto terris data animalia terreſtria; tum ratione carentia, ut pecora, & jumenta; tum prædita hac, ut homo. Diſtinctio autem, quæ ſecundâ fiebat die, duplex fuit: una, ut dixi, aquarum ſuperiorum ab inferioribus; altera aquarum inferiorum à terra. Utrumque eſt ſecretionis opus, eoque uni eidemque diei conveniens. Eruditiſſimi tamen homines malunt poſteriorem tribuere diei tertiæ: ut tum ſecretio terræ ab aquis, tum plantarum productio, eidem competant diei. Sed hos ſi ſequamur, fateri cogimur, die tertio bis dici de bonitate operis; ſecundo autem nec ſemel ejus fieri mentionem. Nam in LXX quidem; at non in Hebræo, Chaldæove codice, vel Latino etiam interprete, legas, *vidiſſe Deum, quòd bonum erat ejus diei opus.* Jam olim eos, quibus non alia præter receptam cognita erat ejus loci interpretatio, valde hic ſcrupulus punxit: unde varia illi evellendo ſunt commenti. B. Hieronymus dicebat, ideo ſecundâ die illud de bonitate operis præteriri, quia binarius myſticè eſt malus. Quam rationem meritò ridet Lyranus. Quomodo enim homo dicat, binarium eſſe malum: cùm Deus ipſe dicat, non eſſe homini bonum, ut ſit ſolus, eoque uxorem ei dederit adjutorium? Judæi igitur malunt dicere, eò Moſen non appoſuiſſe de bonitate operum diei ſecundæ, quia Deus tum fecerit etiam gehennam: hæc autem homini mala ſit, nec Deo per ſe grata. Nam ſi non delectetur morte hominis temporali: multo minus voluntate antecedenti velle mortem ejus æternam. Gehennam autem ſecundo eſſe die factam, comprobare conantur ex Jeſaiæ XXX, 33: ubi heſternâ die (id *ſecundam* interpretantur) תָּפְתֶּה, *Tophthe*, dicitur creatum. Sed longè aliam ejus eſſe loci ſententiam, liquet ex interpretum multis: cumque Moſes dicat, creatum tunc cælum, illi ajunt, creatam tum gehennam; quæ nimium quantum diſtant. Tertia eorum opinio eſt, qui eò omiſſum à Moſe de bonitate cæli arbitrantur, quia cælum adhuc eſſet imperfectum; quippe necdum ſideribus ornatum. Sed ſi terra potuerit bona dici ſine plantis, aqua ſine piſcibus, aër ſine avibus; cur non & cælum ſine ſideribus? Quarta nonnullorum eſt Rabbinorum ſententia, quorundam etiam Chriſtianorum; in his doctiſſimi Petri Pichatelli *a*: qui credidere (& rectè meâ quidem ſententiâ) Geneſios cap. 1, verſum nonum, & decimum, ad ſecundæ diei opera referri: quomodo verba hæc verſus decimi, *Et vidit Deus, quod eſſet bonum*, pertinebunt ad diem ſecundam: ac pro eo, quod nunc eſt verſu IX, *Et dixit*, reſcribi ſit ſatius, *Et dixerat*: quandoquidem ſatis conſtat, vocem hanc Hebræam, & ſimiles, nunc præteriti perfecti, nunc pluſquamperfecti habere ſignificationem. Vel argumento fuerint illa ſequenti capite verſ. ſeptimo, octavo, nono: ubi videas, non perfecto, ſed pluſquamperfecto, transferri, *formaverat hominem, plantaverat hortum, & germinare fecerat.* Quare ſic ea legimus, geminam aquarum ſecretionem diei ſecundæ à Moſe eſſe attributam; unam ſuperiorum ab inferioribus; alteram inferiorum à tellure: ac proinde ſingulis diebus, &, quotus is foret, apponi, & bonitatem operis ab ipſo commendari Deo. Hæc mihi maximè ſententia probatur. Nolim tamen de eo ſerram reciprocare cum hominibus eruditiſſimis: quorum promeritis lubens laudibus adſurgo. Sive autem tertiâ, ſive, ut putamus, ſecundâ die hæc à Deo facta eſt excavatio alvei marini: in ea omnino ſapientia ac bonitas elucet divina. Nam quis ignorat, terram naturâ graviorem eſſe aquis? quod particula terræ compactioris injecta aquis ſatis probat. Proinde naturâ aquæ circumfunderentur terris; ut primo die factum eſſe, Moſes docet. At nunc illis quidem locis terra eſt depreſſior, ut aquæ innatent, in tantum quandoque, quemadmodum dixi, ut fundus non deprehendatur: aliis verò locis terra longiſſimè ſupra aquas eminet, altiſſimis in montibus imprimis. Nempe divina ſic juſſit ratio, ut pars terræ eſſet in ſicco, propter homines, & animantia, quæ in aquis vivere non poſſunt; pars item terris incumberet, unde nobis piſcium eſſet alimentum.

a Paraphraſi, & annotationibus in Coſmopœjam.

In eo quoque Dei conſpicimus providentiam; quòd montes marinis oppoſuerit fluctibus. Plerique id factum ajunt, quia mare altius ſit terrâ. Sed hoc ſi foret, nautæ magnâ difficultate adverſus gibbum aquæ velificarentur, nulloque æſtu, aut vento, decurrerent in portus. Quare verius eſt, terram, & mare, unum conſtituere globum, communeque habere centrum. Ut potiùs Deus mari obduxerit montes ob periculum à tempeſtatibus. Cujus ergò, illis in locis, ubi non conſtituit montes, maria voluit aggeribus arceri. Quod & aliquibus in locis Belgicæ, præcipuè Hollandiæ, fit; ubi revera terra eſt mari depreſſior. At ubi abunde exſtat ſolum, iſtic nec Deus montes, nec humana induſtria aggeres oppoſuit. Ut de campis Venetis, Ferrarienſibus, & Appulis, Julius Scaliger eſt teſtis Exercitatione XXXVIII adverſus Cardanum: ubi & videas illum non fuiſſe ignarum ejus, quod de Hollandia noſtra dicebamus.

CAP. LXVIII.

Acceditur ad maris ſalſedinem, & amarorem: ab illa ſalum *dici, ab hoc* mare; *ſed origine Hebræâ, unde* amarus. *De variis ſalſedinis cauſſis. Perperam Scaligerum putare, mare in imo eſſe dulce. Præcipuam ſalſedinis cauſſam proficiſci a bitumine ac ſulfure, & ignibus*

bus ſubjectis. Cur mortuum mare, & mortuum, & mare, *dicatur*; *item* mare ſalis, & *ut homines vincti, ſi huic injiciantur lacui, non merguntur*, & *quæ ejus ſit rei cauſſa. Etiam fervorem maris provenire à bitumine, ac ſulfure. Et cur naves onuſtæ, tranſmiſſo mari, quandoque merguntur in flumine.*

PRogrediamur hinc ad alia Numinis miranda, qualitates Maris conſiderando; præcipuè duas illas, ſalſedinem, & amarorem, quas guſtu experimur. Ac à ſalſedine quidem *ſalum* vocatur poëtis, vel etiam *ſal*: ut in
a Æn. 1. illo *a*,

—— *Spumas ſalis ære ruebant.*

Ob amarorem autem dictum eſt *mare*. Nam & *mare*, & *amarus*, veniunt ab Hebræo מַר, quod notat *amarum eſſe*. Salſedinem hanc Deus indidit mari, tum plurimorum piſcium ergo, quibus nonniſi in ſale vivere datum eſt: tum adverſus putredinem aquarum ſtagnantium, quas recipit. Ad conſervationem autem ſalſedinis, aliquid conferre putandum, quòd Sol continuò ex ſuperficie ejus tenuiores dulcioreſque educit vapores, relictis craſſioribus; qui cùm per ſe ſalſi ſint, ſalſiores redduntur, ſole eos adurente. Unde æſtate, ac ſub zona torrida, mare eſt ſalſius. Quam Solis, & aquarum naturam cum attenderent Ægyptii, è Nilo ad diurnum potum noctu potiſſimùm hauriebant aquam, priuſquam Sol, quod tenuius dulciuſque foret, extraxiſſet: ut eſt apud Plutarchum in Sympoſiacis lib. VIII, quæſt. V. Sed quod propterea cum
b Adverſus Cardanum Exercitat. 51. Ariſtotele credidit Cæſar Scaliger *b*, in fundo maris aquas eſſe dulces, ac urinatores vitreis aquarum vaſis è fundo dulcem attollere aquam: id meritò ridetur à Batavis noſtris Argonautis. Nam ne placido quidem mari, ſi vaſculum fune in profundum demittas, cujus orificium poſtea aperias, ut cunque celerrimè vas attollas, eò minor fuerit ſalſedo, quàm aquæ illius in ſummo mari. Quin contrà credibilius eſt, aquam in fundo magis eſſe ſalſam; quandoquidem ſal gravius eſt aquâ; unde ſi in aquam, aut vinum, ſal conjectes, confeſtim fundum petit. Quare, niſi mare continuò agitaretur; nulla, vel exigua, in ſummo foret ſalſedo: præſertim mari anguſto, ubi dulces fluvii incurrunt. Nam quod ad Solis aduſtionem, id exiguum eſt: cùm nec minuti, nec maxime etiam fluvii, eò reddantur ſalſi, quia perpetuò exponantur Soli. Sed hoc meritò in diſquiſitionem venit, an non illo primæva maris ſalſedo cum amarore maximè conſervetur, quòd maris fundus abundet bitumine, & ſulfure: unde ab ignibus ſuppoſitis,
c Cap 63. de quibus in elemento Ignis ſatis diximus *c*, exeant halitus ſalſi, & amari, perque mare ſparſi ſimili illud imbuant ſapore, vel potiùs eo jam à mundi incunabulis imbutum, adverſus impluentium, & influentium aquarum dulcedinem conſervent. Compluria hanc ſententiam confirmant.

Primùm quòd variis in locis bitumen innatet mari. Ut quibuſdam temporibus fit in mari Thracio juxta montem ſacrum: quemadmodum prodidit Eudoxus; & ex eo Callimachus Cyrenæus opere de Peloponneſi, & Italiæ admirandis: ex Callimacho autem Antigonus Caryſtius hiſtoriarum Mirabilium cap. CXLIV. Qui & cap. CLXIX ex eodem Eudoxo tradit, picem è lacu efferri Zacynthio. Perpetuum verò hoc in mari eſt mortuo, ſive lacu Aſphaltite; de quo ſic Juſtinus lib. XXXVI: *In ea regione lacus eſt, qui propter magnitudinem, & aquæ immobilitatem, mortuum mare dicitur. Nam neque ventis movetur, reſiſtente turbinibus bitumine, quo aqua omnis ſtagnatur; neque navigationis patiens eſt, quoniam omnia vitâ carentia in profundum merguntur; nec materiam ullam ſuſtinet, niſi quæ alumine illinatur. Mare* hic lacus dicitur, tum ob magnitudinem, more Hebræo; tum etiam ob amaritiem. Nam longè eſſe amariſſimum, traditur quoque in Itinerario Hieroſolymitano. Etiam ſalſedinem arguit, quòd Hebræis inde *mare ſalis*, ſive, ut vulgatus reddit interpres, *ſalſiſſimum* nuncupetur Num. XXXIV, 3, & Joſuæ XII, 3, ac XV, 2. Idem *mortuum* vocatur, quia reſes ſit, ac immobile; nempe quia flos innatat bituminis; quod ſequaci ac lentâ naturâ picem vel reſinam refert: unde maris hujus aqua, quemadmodum ait Galenus, tanto craſſior eſt marinâ, quanto marina ſpiſſior eſt fluviali. Eſtque hujus craſſitiei argumentum, quòd etiam natare neſcii, ſi vinctis à tergo manibus injiciantur, fluitent, nec merguntur: uti Veſpaſianum etiam expertum refert Joſephus lib. V de bello Judaico cap. V. Porro bituminis, ac nitri florem, duntaxat innatare; indicio eſt, quòd limoſior pars innatare non poſſit; ſed mergatur, uti in alumine ac nitro experimur. Porrò ſalſuginem quoque hinc eſſe, arguit, quòd Ægyptiis pro ſale ſit Nili aqua in nitrarias immiſſa, inque nitrum à Sole excocta; haut aliter ac aqua marina ahenis indita, ubi ignem iis ſuppoſueris, & partes evaporarint ſuperiores, in ſalem excoquitur: ut ſi non, quemadmodum loquuntur, formaliter, ſaltem quod ad materiam, ſalem mari ineſſe, ſatis ſit apertum.

A bitumine etiam eſſe exiſtimandum, quòd mare circa Æoli inſulas ad ſpatium duorum jugerum ſic ferveat, ut ob æſtum intrare hoc nemo valeat: quemadmodum ex Theophraſto narrat Caryſtius Hiſtor. Mirabil. cap. CXL.

A bitumine itidem eſſe videtur, quòd marina aqua ſit pinguior, nec exſtinguendis æquè flammis idonea: cujus rei exemplum habemus apud Dionem lib. L; ubi narrat, ut in pugna Actiaca milites Antonii marinâ aquâ nequierint exſtinguere ignem à Cæſariano milite navibus injectum: imò incendium etiam auxerint, quia minutis aquam infunderent ſitulis, &, ut trepidantes ſolent, ſemiplenis.

Quia item bituminoſa, ac ſalſa, eò & denſior, graviorque. Ac denſitatis argumentum eſt, quòd naves in mari non altè adeò immergantur, quàm in flumine: unde & quas naves ſuſtinuit mare, quandoque merguntur in flumine. Ovid. IV de Ponto:

Innatat unda freto dulcis, leviorque marina eſt.

CAP. LXIX.

De triplici maris externi motu, & ejus cauſſis: ac primum de illo aſſiduè hinc inde litora flagellante: quo pertinent fluctus decumani: ſed rejecta opinio illa, qua putarunt, & ovum, & fluctum decimum, prioribus eſſe novenis majorem. Deinde de motu illo ab Septentrione in Auſtrum; deque eo doctiſſimi Valleſii opinio rejecta. Denique de tertio, qui eſt ab Ortu in Occaſum: eum non eſſe à motu cæleſti, ſed à venti Orientalis conſtantia. Triplex maris interni motus, & cujuſque cauſſa. Refellitur fabella de iſthmo ab Hercule perfoſſo, ubi nunc eſt fretum Gaditanum. Cauſſam motus diurni, Veniliam, & Salaciam, *comprehendentis, rectè jam olim à Poſidonio expoſitam. Interim, cur obtineat etiam, cùm Luna adverſum illuſtrat hemiſphærium, difficulter percipi, niſi gurgites ſtatuantur de hemiſphærio uno in alterum pertingentes. Ab Luna quoque eſſe incrementa, & decrementa maris menſtrua. Quid Saxones vocarint* Malinas, & Lidunas, *vel* Ledonas; *deque origine eorum nominum, & ut jam Theodoſianis temporibus uſurpata ſint ab iis, qui Romanâ uterentur linguâ. Eſſe & incrementum maris annuum, quod Poſidonius ſe à Gaditanis didiciſſe profiteatur. Hoc ſecundùm Plinium, & Tacitum, à ſidere æquinoctii provenire.*

DE qualitatibus maris quoniam, quod ſatis eſt, dixiſſe me puto, nunc convertam ſermonem ad ejus motum. Qui ut à variis eſt cauſſis, ita varius ipſe, ac multiplex. Nihil attinet dicere de illo exlege, qui pro venti ratione ſe habet, unde nunc tempeſtatibus horret mare; nunc, ut Ovidius epiſtolâ Canaces ait,

—— *Fit tremulum, tenui cùm ſtringitur aurâ.*

De cæteris videbimus: ac ſingulorum etiam apponam rationem: quò ex Naturæ admirandis non bonitas modò, vel potentia; ſed ſapientia etiam eluceat divina.

Ac primùm eſt alterna ac aſſidua à litore ad litus adverſum reciprocatio. Ad quam reſpexit, ut puto, Jeſaias cap. LVII, 2, cùm ait: *Impii quaſi mare fervens, quod quieſcere non poteſt.* Nam ſignificat, ſic animos impiorum perpetuò jactari, uti ſæpiùs intra horam, mari quoque placido, utrimque litoribus alliditur, mareque nunc in hoc, nunc in illud litus, loripedum inſtar, vacillat. Hanc quaſi flagellationem litorum provenire putandum ab fluminibus undique in mare irruentibus, & propellentibus partes propinquas; à quibus mox protruduntur aliæ atque aliæ, donec ab alio flumine fluctus alius vim prioris planè infringat, aut imminuat.

Ad hunc motum pertinet opinio de decumo quoque fluctu majore. Nota Feſti verba: *Decumana ova dicuntur, & decumani fluctus, quia ſunt magni. Nam & ovum decimum majus naſcitur, & fluctus decimus fieri maximus dicitur.* Sed uti illa de ovis decumanis opinio eſt nugatoria: ita & altera de fluctibus decumanis: quos nihilo majores eſſe cæteris, non ſemel ad mare obſervavi, cùm per familiares, ac comites meos, majoribus animum intendere non liceret. Veriùs à decumis decumanos dixeris fluctus, quos decumis ſuis in Belgica, paullo ante me natum, Dux Albanus, occulto Dei judicio, concitavit. Quibus motibus factum, ut tot ſontes, inſontes, ſummæ, imæ, mediæ ſortis homines, ſolum verterent, ac mihi quoque inter tot millenos, pro dulci Belgica, magnæ, nec unquam pudendæ Germaniæ natale obtingeret ſolum.

Alter motus eſt maris, quo perpetuò ac conſtanter, vel ſaltem ut plurimùm, de uno cæli cardine verſus alterum fertur. Talis eſt ille à Septentrione verſus Auſtrum: cujus indicium eſt, quòd faciliùs à Septentrione verſus Auſtrum navigatur, ut à Norvegia, vel Dania, in Hollandiam; quàm contrà. Id Valleſius in ſuo de ſacra philoſophia *a* opere fieri putabat, quia, ut Varro *b* loquitur,

a Cap. quinquageſimo.
b Marcipore, apud Nonium in Syrus.

Phrenetici Septentrionum filii,

frigore & craſſitie ſuâ faciliùs ſcindant, ac penetrent, tepidum & tenuem meridionalem aëra: quomodò & faciliùs ex Flandria in Hiſpaniam navigatur, quia Boreas frequentiùs adſpirat. Sed magis hæc placeret ſententia, niſi conſtaret, etiam vento ſecundo difficiliorem eſſe navigationem verſus Septentrionem. Quare non paullo veriſimiliùs eſt, hoc partim fieri quia fundus maris Septentrionalis ſit altior, ſive naturâ loci, ſive limo à fluminibus advecto: partim etiam contingere ob vim tot fluminum, quæ in frigida illa Zona ex nivibus majori impetu ruunt in mare Septentrionale. Poſteriorem rationem non leviter fulcit, quòd quandoque etiam mare vehementiùs fertur Septentrionem verſus. Nempe ut fluminibus hinc è Scandinavia, inde ex Iſlandia & Groenlandia, in Oceanum Septentrionalem invectis, non poteſt non agi is auſtrum verſus: ita & mari Balthico fluminibus aucto, hinc è Scandinavia, inde è Germania, Sarmatiaque delatis, & Oceano poſtea ſuperfuſis, neceſſe planè eſt eum agi verſus Septentrionem. Priùs cùm fit, nautæ Danici vocant *Nordenwaſſer*, q. d. aquam Septentrionalem: alterum ſi contingat, iidem nuncupant *Sudenwaſſer*, q. d. aquam Auſtralem: ut traditum, Dano doctiſſimo, Bartholino, Enchiridii lib. IV, cap. VIII.

Præterea in Oceano conſiderandus eſt motus ab Oriente in Occidentem. Nam è Moluccis inſulis facilis eſt navigatio ad promuntorium Bonæ ſpei: at difficilis ea, ac longi temporis eſt, quando à promuntorio illo tenditur ad Moluccas. Similiter ab Hiſpania in Americam intra menſem pervenitur: at vix ternis inde, aut quaternis, in Hiſpanias reditur. Cauſſam plurimi collocant in motu cæli diurno, qui raptus vocatur. Cenſent enim à cælo rapi mare in occaſum. Sed id ſi eſſet, multò magis nubes ſemper raperentur ab ortu in occaſum. Quod cùm non fiat, parum eſt credibile, motum illum raptus pertingere uſque ad mare, ac attrahere tantam aquarum vim. Veram autem rationem experientia ſunt edocti nautæ noſtri Hollandici. Obſervarunt enim, hunc motum provenire à conſtantia venti Orientalis iis maris locis, quæ diximus. Quod verò non eadem in terris eorum ſit conſtantia, hoc præcipuè à montibus, ventos repellentibus, provenire eſt exiſtimandum.

Et hæc de motu Oceani. Venio ad motum maris mediterranei, & aliorum, quæ in illud influunt; uti pontus Euxinus, & ſinus Adriaticus. In mediterraneo etiam obſervatur motus ab ortu ad occaſum. Multò enim celeriùs, pari licet vento, ex Ægypto, aut Phœnicia, navigatur in Hiſpaniam, quàm reditur. Cujus cauſſa eſt, quòd tanta aquarum vis ex Mæotide, Ponto Euxino, Propontide, in mare influat Ægæum, indeque in Mediterraneum: quæ adverſis Africæ littoribus illiſa, quia rectà redire nequit, fertur obliquè, partim verſus mare Adriaticum, cujus nuda litora Dalmatiæ, & Liburniæ, alluit; unde Venetias appulſa, litora præterfluit Italiæ, donec ab Apulia in Ortum tendat: partim verò fertur verſus litora Italiæ, Galliæ, Hiſpaniæ, quod imprimis faciliorem, ut dixi, verſus Hiſpaniam navigationem ab Oriente facit: partim denique delata in fretum Gaditanum, exundat in Oceanum: abſque quo freto foret, periculum eſſet, ne terræ, quas diximus, copiâ aquarum, ex Septentrione affluentium, obruerentur; ut hic quoque magnum habeamus argumentum providentiæ divinæ: facileque eorum refellitur opinio, qui iſthmum olim fuiſſe inter Hiſpaniam, & Africam, eumque ab Hercule perfoſſum, arbitrantur. Sanè *Herculeum* quidem illud fretum dicitur; ſed ab Hercule Phœnicio, qui, eò miſſus, in Gadium inſula, & vicina Hiſpania, coloniam duxit: ut expoſuimus libro primo hujus operis, cap. XXXIV. Nec iſthmi perfoſſi fabulam aliunde puto originem cepiſſe, quàm quòd, cùm primitus non conſtaret Phœnicibus de hoc freto, ſed Hiſpania Africæ contigua crederetur: Hercules Tyrius Phœnicum primus extra illud navigârit, ibique inſulam occupârit, quam Phœnicio nomine *Gades* dixit. Nempe naturâ quidem locus iſte pervius ſemper fuit: quia alioqui mare internum terras obruiſſet ob aſſidua ex Mæotide in Pontum Euxinum, indeque in mare Ægeum, incrementa. Sed qui re ipsâ pervius erat, non erat pervius Phœnicum opinione: quam primus longiùs diſſitarum gentium animis Hercules Tyrius exemit.

Oſtendi cauſſam motus pro locis, & cæli cardinibus variantis. Deinceps dicam de motus differentia ratione temporis: quo pacto motus maris alius eſt diurnus, alius menſtruus, alius annuus. De ſingulis eorum ex Poſidonio agit Strabo lib. III.

Diurnus, qui Græcis ἡμερίσιος, eſt reciprocum ac quotidianum maris incrementum ac decrementum: quorum hoc Romani *Salaciam* dixere, quia unda in ſalum redit: illud *Veniliam*, quia eadem venit ad litus. Ejus rei rationem jam olim Poſidonius petiit à Lunæ circuitu. Nam ubi, inquiebat, Luna ſupra horizontem cœpit elevati, intumeſcit mare, uſque dum pervênit Luna ad cæli faſtigium. At, eâdem tendente hinc ad occaſum, ubi mare antea tumuerat, ibidem detumeſcit. Poſtquam autem Luna infra horizontem conceſſit, attollitur mare, quod ab horizonte eſt uſque ad punctum meridiei oppoſitum: ſubſidit ibidem, ubi Luna à medio illo cæli infra terram pertigerit uſque ad ortum, unde ejus apud nos refluxus. Hæc Poſidonii ratio, ob manifeſtam experientiam, ab omnibus comprobatur: ſolùm ambigitur, utrùm Luna mare attollat ſubjectum lumine ſuo, illud rarefaciendo; an potiùs facultate propria, qua ſic attrahat aquas, uti magnes ferrum. Illud etiam parùm eſt exploratum, quomodo cùm antipodas illuſtrat, ex altero hemiſphærio noſtrum quoque ſuſtollat. Non abſurde fortaſſis hinc colligat aliquis, compluribus terram locis pertuſam eſſe, ac perforatam; non quidem per diametrum, ac centrum; ſed tamen de hemiſphærio uno in adverſum; perque gurgites ejuſmodi, expertes fundi, agere Lunam in aquas utriuſque hemiſphærii. Ac probabilem utcunque hanc ſententiam reddunt voragines non paucæ, ubi nullis funium ſpiris ad fundum hactenus potuerit pertingi. In

Septen-

Septentrionali quidem mari, ad cautes præcipuè, tales aſſignat Olaus Magnus in ſecundo rerum Septentrionalium, cap. duodecimo.

a Lib. 3. Nunc videamus de motu maris menſtruo: de quo ſic Strabo ex Poſidonio *a*: Τὴν δὲ μηνιαίαν (περίοδον λέγει) ὅτι μέγισται μὲν αἱ πλημμύραι γίγνονται περὶ τὰς συνόδους· εἶτα μειοῦνται, μέχρι διχοτόμου· πάλιν δ' αὔξονται, μέχρι πανσελήνου· καὶ μειοῦνται πάλιν, ἕως διχοτόμου φθινάδος· εἶθ' ἕως τῆς συνόδου αἱ αὐξήσεις· πλεονάζει καὶ χρόνῳ, καὶ τάχει, τὰς αὐξήσεις. *Menſtruum porro* (circuitum dicit Poſidonius) *quòd maximi refluxus fiant circa novilunia: poſteaque minuantur, uſque dum luna ſit dimidiata: iterum hinc augeantur, uſque ad plenilunium: ac tum imminui rurſum, donec decreſcens dimidiâ parte luceat: poſtea ad coitum uſque augeri: ea autem incrementa exſuperare & tempore, & celeritate.* Confirmat hæc experientia, quæ docet, maximè intumeſcere mare in plenilunio, aliquanto minùs in interlunio, minimè omnium, cùm luna eſt dimidiata. Hæc incrementa, & decrementa, vocabulis jam olim diſtinxere Saxones, & eorum exemplo Anglosaxones in Britannia. Nam maris receſſum, hoc eſt, quando detumeſcit, *Lidunam* dixere: at acceſſum ejus, ſive cum intumeſcit, *Malinam* nuncuparunt. Ut quod in diurno motu ſunt *Salacia*, & *Venilia*; hoc in menſtruo ſunt *Liduna*, & *Malina*: quemadmodum liquet ex Bedæ de ratione temporum libro, cap. XXVIII *b*, ubi ſic ſcribit: *Imitatur Lunæ curſum mare, non ſolùm communi* c *acceſſu, & receſſu: ſed etiam quodam ſui ſtatus profectu, defectuque; ita ut non tardior ſolùm perenni, quam pridie, verùm etiam major, minorve quotidie redeat æſtus: & creſcentes quidem* MALINAS, *decreſcentes autem placuit appellare* LEDONES (in aliis Bedæ codd. eſt LEDONAS) *qui, alternante per ſeptenos octonoſve dies ſucceſſu, menſem inter ſe quemque quadriformi ſuæ mutationis varietate diſpertiunt: ſæpe quidem aquâ utrque ſorte, ſeptenis diebus ac dimidio curſum conſummantes: ſæpe vel ventis impellentibus, aut repellentibus, vel aliâ qualibet accedente, ſive naturali vi cogente, tardiùs, citiuſve venientes, aut minus ampliuſve ſolito fervent es; ita ut aliquoties, ordine turbato, Malina plures ſibi æſtus hoc menſe, pauciores vindicet in alio: unde uterque motus, nunc veſpertino naſci, nunc matutino conſuevit in æſtu. Et ſiquidem æſtu veſpertino, vel novilunio, vel plenilunio inſtante, Malinam naſci contigerit, idem æſtus quotidie per* VII *Malinæ dies ſubſequentes fit major, & violentior, æſtu matutino. Similiter matutino, ſi fuerit Malina orta ſub æſtu, matutinus jam major per dies contegit æquore terras. Porro veſpertinis finibus, quos matutinus æſtus cœperat, contentus, ulterius curſum extendere negligit: quamvis quibuſdam in menſibus uterque æſtus in diſſimili per omnia incremento proficit. Quanto autem plus æſtus major litora terraſque contexerit, & fluvios ac freta compleverit; tanto latius recedens, eadem litora maris exhaurire, atque enudare, conſuevit.* Quem ad locum *d* annotavit Joannes Noviomagus, dici *Ledonam*, quaſi *laſam undam*: ſatis ridiculè, cùm vox ſit Saxonica, ac Danica: veraque ſit ſententia doctiſſimi Olai Worm, Dani, in Faſtis *e* ſuæ gentis: ubi ait, *Magle* Danis eſſe magnum, & inde maris incrementum vocari *Malina* pro *Maglina*: at *Liden* iiſdem eſſe parvum, atque inde *Lidun*, & *Lidunas*, vocari maris imminutionem. Porrò *Malina*, & *Liduna*, voces trecentis & quinquaginta ante Bedam annis reperias apud Marcellum Empiricum: qui oſtendet, homines ſuperſtitioſos ad medelam alias herbas legere ſolitos tempore Lidunæ, alios in Malina, quaſdam abſque eo diſcrimine collegiſſe.

b *Ac ſimilis apud Bedam locus libro de Natura rerum, cap. 39.*

c *Diurnum intellige.*

d *Uti & ad Bedæ de Natura rerum cap. 39.*

e *Lib. 1. cap. 11.*

Supereſt motus annuus: de quo ſic ex Poſidonio Strabo lib. III: Τὰς δὲ ἐνιαυσίους παρὰ τῶν ἐν Γαδείροις πυθέσθαι φησί· λεγόντων ὡς κατὰ θερινὰς τροπὰς μάλιστα αὔξοιντο, καὶ αἱ ἀναχωρήσεις, καὶ αἱ ἐπιβάσεις. Εἰκάζει δ' αὐτός, ἀπὸ τῶν τροπῶν μειοῦσθαι μὲν ἕως ἰσημερίας· αὔξεσθαι δὲ ἕως χειμερινῶν τροπῶν· εἶτα μειοῦσθαι μέχρι ἐαρινῆς ἰσημερίας· εἶτα αὔξεσθαι μέχρι θερινῶν τροπῶν. *Annuos verò maris* (circuitus) *ſe à Gaditanis* (Poſidonius) *accepiſſe ait: quippe qui dicant, circa æſtivum ſolſtitium maximè augeri acceſſus, & receſſus maris. Conjecturam autem capit, eoſdem exinde imminui uſque ad æquinoctium; ac rurſum accreſcere uſque ad brumam; ab hac decreſcere uſque ad æquinoctium vernum; ac poſtea augeri uſque ad ſolſtitium æſtivum.* Sed Plinius aliter lib. II, cap. XCVII: *Æquinoctiis maximè tumentes, & auctumnali amplius, quam verno: inanes verò brumâ, & magis ſolſtitio.* Ex Plinii igitur mente, non ſolſtitii tempore (quo nomine veteres ſolùm intelligunt æſtivum) ſed tempore æquinoctii eſt incrementum maris; ac majus quidem auctumnali, quàm verno. Straboni ſive Poſidonio etiam fidem derogat Tacitus in primo Annalium: *Sidere*, inquit, *æquinoctii, quo maximè tumeſcit Oceanus.*

Cap. LXX.

Tranſitur ad aquas, quæ bibuntur. Scientiæ naturalis finem ultimum non eſſe, ut ſciatur; ſed partim pietatem, ut Deus, ex operibus cognitus, ardentius colatur; partim præſidium hujus vitæ, ut diutius & commodius vivatur. Quinque aquarum, quæ bibantur, genera. Anapus & Crimiſus, Siciliæ amnes, in ſummo frigidi, in imo calidi. De calidis aquis Myteſtrati, paludis prope Mylas, lacuum Palicorum prope Leontinos. Mira tenuitas aquæ Cubali, Sidis, Boryſthenis, Phaſidis. Quantopere aquæ varient colore, & unde hæc diverſitas. De fluviis ſaporis dulcis, ſalſi, amari, acidi. De aliis graveolentibus, & unico boni odoris in Meſopotamia.

Ab aquis marinis, & ſalſis, venio ad potabiles; quarum bona, mirandaque, deinceps percurram. Nam ut naturæ univerſæ; ita horum etiam notitia, ad pietatem in hominibus accendendam, augendamque, plurimum confert. Neque ignoro, ita vulgo eſſe perſuaſum, ſcientiam naturalem eſſe θεωρητικὴν *a*, non πρακτικὴν *b*. Verùm pulcrè B. Bernardus ait ſuper Cantica ſerm. XXXVII: *Scire velle eo fine tantum, ut ſcias, curioſitas* c *eſt. Sed ſcire velle, ut ædifices, charitas eſt. Scire velle, ut ædificeris, prudentia eſt.* Hoc igitur iis, qui rerum exquirunt naturam, propoſitum eſſe debet, non ut in curioſa ejus indagatione conſiſtant, ſcire contenti: ſed partim ut hinc Deum diſcant magis amare, ac ardentiùs colere, quod eſt pietatis cæleſtis opus: partim ut meliùs, & commodiùs, tueri valeant valetudinem, & vitam; quod prudentiæ eſt humanæ: quomodo pertinet ad medicinam, agriculturam, architecturam, veſtiariam & artes cæteras.

a *Speculativam, ac ſcientia contentam.*

b *Activam, ſive cujus ſcientia pro fine habeat actionem.*

c *Imò turpem curioſitatem vocare ibidem Bernardus non veretur.*

Aquarum, quæ bibantur, varia ex Rufo genera complexus eſt Aëtius de re medica lib. III, cap. CLXXV *d*: Τῶν ποτίμων ὑδάτων πέντε εἰσὶν αἱ καθόλου διαφοραί· ὄμβριόν τε γὰρ, καὶ πηγαῖον, καὶ φρεάτιον, καὶ ποτάμιον, καὶ λιμναῖον. *Aquarum, quæ bibuntur, quinque in univerſum ſunt differentiæ; pluvia, fontana, putealis, fluvialis, & ſtagnis.* Ad pluvias refert illas etiam è nive, & glacie; quia itidem ſunt è vaporibus in cælum elevatis. Sub ſtagnantibus autem comprehendit lacuſtres, & paluſtres.

d *Fol. 62. b. edit. Ald.*

In tot aquarum generibus primùm conſiderabo qualitates παθητικάς, ſive quæ ſenſum adficiant: deinde exponam δυνάμεις φυσικάς, *potentias naturales*: denique de motu earum dicam.

Qualitatum, quæ ſenſum adficiunt, aliæ percipiuntur tactu, aliæ alio ſenſu. Tactiles vel primæ ſunt, vel ſecundæ. Primæ, ut calor, & frigus. Utcunque enim aquæ naturâ ſuâ frigeant, quædam tamen calent: quod contra naturam evenire, exinde cognoſcimus *e*, quòd quas inde aquas hauſeris, ad naturam redeundo, paullatim frigeſiant. Quædam verò non calent modò, ſed etiam fervent; imò & ardent nonnullæ. Cùm ſuperiùs *f* ageremus de elemento Ignis; cauſſam illorum eſſe oſtendimus bitumen, & ignes ſubterraneos. Nihil attinet hic, ubi de

e *Vitruvius lib 8. extremo pene c. 2.*

f *Cap 63.*

Aquis agendum, eadem reponi. Suffecerit nunc, ſi indicta nobis paucula aquarum ejuſmodi exempla adferamus. Lycus Butheras Rheginus in hiſtoria Siciliæ, & ex ea Antigonus Caryſtius in hiſt. mirab. *a* prodidere, in Sicilia duos eſſe fluvios, Capæum, & Crimiſium, vel potiùs Anapum, & Crimiſum; qui in ſummo frigidi, in imo ſint calidi: nempe in ſummo eos deſtituit calor; ut qui ſit prope fundum, ob vicinum bitumen. Ab eodem Lyco, & Antigono *b*, traditum eſt, in Sicilia eſſe fontem Cyſtritatum, vel potiùs Myriſtratum, (quomodo reſcribi oportere, v. cl. Jo. Meurſius annotavit) qui à Pleiade uſque ad Arcturum de die ferveat, ac fumet; noctu autem etiam inflammetur. Item & Lycus, & Antigonus *c*, retulerunt, prope Mylas Siciliæ eſſe paludem, in cujus medio, ut frigidæ, ſic calidæ etiam ſcaturiant aquæ. Item ab duobus his traditum, in Sicilia *d* apud Leontinos eſſe lacus duos tanti fervoris, ut elixorum nihil ſit calidius. Intellige Palicorum lacus; quos incolæ vocant κρατῆρας, & Δέλλους: ut indicat Macrobius Saturn. lib. v, cap. xix: qui & teſtem laudat Calliam in vii rerum Sicularum.

a Cap. 148.
b Cap. 154.
c Cap. 170.
d Antigonus cap. 175.

A qualitatibus primis venio ad ſecundas. Quales ex tactilibus duæ imprimis attenduntur; levitas, & gravitas. Sunt autem quædam aquarum ita tenues ac leves, ut baculum, vel lapidem, in ſua repræſentent figura, citra refractionem ullam. Quod de aqua Cubali inter Patavium, & Vincentiam, proditum eſt Vitellioni lib. x, theorem. xlii. Quædam etiam aquæ, præ tenuitate nimiâ, non ſuſtinent navium onera. Qualis Sides, ſive, ſecundùm codices alios, Sideris. De hoc Plinius *e* ſic: *Cteſias tradit, Siden vocari ſtagnum in Indis; in quo nihil innatet, omnia mergantur.* Eſt item in Sarmatia Europæa *Boryſthenes, omnium*, ut idem Plinius *f* ait, *aquarum tenuiſſimus; ideoque innatans Hypani: in quo & tenuitatis argumentum aliud eſt, quòd nullum halitum, non modo nebulam, emittat.* Arrianus tamen, in periplo Ponti Euxini, cenſet, Phaſin omnium, quos nôſſet, fluviorum eſſe leviſſimum: atque hoc non modò colligit ex eo, quòd ſupernatet Ponto; ſed etiam ex pondere. Sed de levitate aquarum mox dicam pluribus; ubi de earum ſalubritate erit agendum.

e Lib. 31. cap. 2.
f Lib. 31. cap. 5.

Confero me nunc ad qualitates eas, quæ alio, quàm tactus ſenſu, percipiuntur. Uti viſu diſcernimus earum colores. Diſcrimen iſtoc, & cauſſam ejus pleniùs, & breviùs prioribus, complexus eſt Philander *g*. *Colorem*, inquit, *nanciſcuntur à ſuccis, terris, ramentiſque ſaxorum, quibus inficiuntur. Inde albi ſive lactei coloris, Nar, Umbriæ fluvius; lutei, Ochra Saxoniæ; flavi, Tyberis; fulvi, Acidula Sueviæ prope urbem Goppingam ad Vilſum fluvium; ſanguinis fere colore Telephus fons, juxta Pateras; punicei, Rubicon; viridis, Neuſola in Carpatho monte; glauci, Thermopylarum, juxta lavacrum, quod Chytros muliebres vocant; cærulei, Iſara Norici fluvius; nigri, Galeſus Calabriæ; nigerrimi, Allera Saxoniæ, qui in Viſurgim influit; & ſi quæ ſunt alius coloris aquæ. Nam qui ob alvei terram, arenam, calculos, ſaxa, ſtirpes etiam ripis inhærentes, induuntur, proprii non ſunt aquarum; ſed eos videntur habere.*

g Ad Vitruvii l. 8. cap. 3.

Nunc ponam de diſcrimine, quod guſtu deprehenditur. Vitruvius lib. viii, cap. iii: *In Sicilia flumen eſt Himera, quod à fonte cum eſt progreſſum, dividitur in duas partes: quæ pars profluit contra Ætnam, quòd per terræ dulcem ſuccum percurrit, eſt infinita dulcedine: altera pars, quæ per eam terram currit, ſalſum habet ſaporem.* Atque idem traditum Antigono Mirandorum cap. cxlviii. At deceptus eſt Solinus cap. xi; cùm pro *ſalſo* ait *amarum*. Nam experientia hodieque reclamat. Sequitur deinde apud Vitruvium: *Item Paratonio, & quo eſt iter ad Hammonem, & Caſſio ad Ægyptum, lacus ſunt paluſtres; qui ita ſunt ſalſi, ut habeant inſuper ſe ſalem congelatum. Sunt autem & aliis pluribus locis, & fontes, & flumina, & lacus; qui per ſalſifodinas percurrentes, neceſſario ſalſi perficiuntur.* De amaris fontibus, & fluminibus, poſtea ſubdit: *Sunt ex amaro ſucco terræ fontes exeuntes, vehementer amari: ut in Ponto eſt flumen Hypanis, qui à capite profluit circiter millia quadraginta ſapore dulciſſimo: deinde, cùm pervênit ad locum, qui eſt ab oſtio ad millia centum ſexaginta, admiſcetur ei fonticulus oppido quàm parvulus. Is cùm in eum influit, tunc tantam magnitudinem fluminis facit amaram; ideo quòd per id genus terræ & venas, unde ſandaracha foditur, ea aqua manando perficitur amara.* De amarore Hypanis, teſtis quoque Mela lib. ii, cap. i, & Solinus cap. xxiv. De acidis aquis ſic Vitruvius ibidem: *Sunt nonnullæ acidæ venæ fontium: uti Lynceſtos, & in Italia Virena; Campana Teano, aliiſque locis plurimis.* Alia deinde addit de vi aquarum ejuſmodi; quæ inferiùs adducam.

Nec colore modò, vel ſapore; ſed odore etiam diſtinguuntur. Unde ſic ibidem Vitruvius *a*: *Sunt odore, & ſapore non bono, frigidi fontes; qui, ab inferioribus penitus orti, per loca ardentia tranſeunt, & ab his, per longum ſpatium terræ percurrentes, refrigerati perveniunt ſupra terram, ſapore, odore, coloreque corrupto: uti in Tyburtina via flumen Albula, & in Ardeatino fontes frigidi eodem odore, qui ſulfurati dicuntur, & reliquis locis ſimilibus.* Hæc ad odorem malum pertinent. At, ut Plinius ait lib. xxxi, cap. iii: *Unus in toto orbe traditur fons aquæ jucundè olentis in Meſopotamia Caburæ. Fabulæ rationem afferunt, quoniam eo Juno perfuſa ſit. De cætero aquarum ſalubrium ſapor odorve nullus eſſe debet.*

a Lib. 8. cap. 3.

Cap. LXXI.

De vi aquarum quarundam in res inanimas: uti injecta immutandi in lapidem; vel ſe ipſas ſic durandi, ut ex iis lapides fiant ſtructuris idonei. Varia iſtorum exempla adferuntur, & ratio eorum naturalis. Non mereri fidem, quod à Muciano ter conſule proditum eſt, in Andro inſula fontem Liberi ſeptem diebus fluere vino. Ut quædam aquæ aliis ſupernatent; imo & innatantes immergant: & quæ hujus rei ratio ſit. Aquæ variæ, colorem inde bibentium mutantes; præſertim in pecudum pilis; alicubi etiam in hominum cute.

STrictim dixi, quæ ad qualitates ſenſum afficientes attinent. Nunc breviter exponam, quæ attingunt φυσικὰς δυνάμεις *a*. Quarum aliæ tantummodo pertinent ad res inanimas: aliæ autem vel ſolùm, vel æquè, tangunt animata.

a Vires naturales.

Prioris generis eſt, quòd quædam eam habeant vim, ut injecta poſſint ἀπολιθοῦν, ſive *in lapidem vertere*: ut Muabus in Pamphylia, teſte Caryſtio Hiſtor. Mirab. cap. cl. Simile profert exemplum Vitruvius lib. viii, cap. iii: *Eſt in Cappadocia in itinere, quod eſt inter Mazacam, & Tuanam, lacus amplus; in quem lacum pars ſive arundinis, ſive alii generis, ſi demiſſa fuerit, & poſtero die exemta; ea pars, quæ fuerit exemta, invenietur lapidea: quæ autem pars extra aquam manſerit, permanet in ſua proprietate.* Item Plinius lib. xxxi, c. ii: *In Perperonis fons eſt, qui, quacunque rigat, lapideam facit terram: item calidæ aquæ in Eubœæ Delio. Nam quà alluit rivus, ſaxa in altitudinem creſcunt. In Eurymenis dejectæ coronæ in fontem, lapides fiunt. In Coloſſis flumen eſt, in quo lateres conjecti lapides extrahuntur. In Scyretico metallo arbores quæcunque flumine alluuntur, ſaxa fiunt cum ramis.* Addam illud, in Cepuſio Daciæ, quas aquas hauſeris, & urceis infuderis, ex parte unam intra noctem in lapidem immutari: uti teſtis nobis Georgius Agricola lib. iv de ortu & cauſſis Subterraneorum, cap. xi.

Atque hæc de vi aquarum immutandi ea in lapides, quæ receperint. Sed præterea & ipſæ, ubi deſinunt agitari, lapides fiunt. Antigonus quidem Caryſtius, Hiſtoriarum Mirabilium cap. clxxvii, refert ex Eudoxo, apud Coos rivum eſſe omnes, per quos fluxerit, aquæductus in lapides commutantem. Etiam ex Eudoxo, & Callimacho,

ad-

addit, theatrum eſſe apud hos exſtructum è lapidibus ſic in lapidem inde induratis. Vitruvius quoque lib. VIII, cap. III, tradit, aquam Hierapolitanam apud Phrygas in cruſtam lapideam ſic indurari, ut inde faciant in agris ſepta. Cauſſam addit, *quòd in his locis, & ea terra, quibus is naſcitur ſuccus, ſubeſt coaguli naturæ ſimilis.* De hac aquæ ejus natura etiam apud Strabonem eſt lib. XIII. Alia hujuſce generis adducit Plinius lib. XXXV, cap. II: *At Nonacrin Arcadiæ putant nimio frigore eſſe noxium: utpote cùm profluens ipſa lapideſcat.* Et paullo poſt: *Deſtillantes quoque guttæ in lapides dureſcunt in antris Coryciis.* Acoſta quoque eſt teſtis, in Peruvia eſſe fontem calidum, qui ſic in rivo induretur in rupem, ut inde lapides exſcindantur ædificiorum ſtructuris idonei.

Nec operoſum adeò eſt rationem reddere, tam aquarum, quæ vicina, vel injecta, in lapides vertant; quàm quæ ipſæ in lapidem concreſcant. Priores illæ habent ſuccum lapideſcentem, aquis permixtum; qui ſe per meatus inſerit corporibus injectis, aut propinquis; & quia, iis contentus, non amplius agitatur, ſed quieſcit, eò frigore conſtringitur; corporaque, quibus ſe inſinuavit, lapideæ reddit naturæ. Quod verò aquæ ipſæ in alveo ſuo lapideſcant, ex eo eſt, quia & aquæ iſtæ ſucco admodum craſſo, & lento, conſtent: &, alveis receptæ, deſinant agitari; ideoque ab aëris ambeuntis frigore denſentur. Sed de his accuratius dicam lib. VI, qui erit de Metallorum, ac Lapidum natura.

Sed verumne, abire aquas etiam in vinum? Id de fonte in Andro inſula retulit Plinius ex hiſtoriis Licinii Muciani ter conſulis; qui Neronis, & Veſpaſiani vixit tempo-
a Lib. 31. cap. 2. ribus. Verba Plinii *a* ſunt: *Mucianus Andri è fonte Liberi patris, ſtatis* (ait) *diebus ſeptenis ejus Dei vinum fluere; ſi auferatur è conſpectu templi, ſapore in aquam tranſeunte.* Omnino ſacerdotum, vel figmentum, vel fraus, erat: niſi concurriſſe malis dæmonum impoſturam. Nolim diffiteri, aquarum aliquas vinorum habere ſaporem, etiam mentem tentare, ac pervertere. Sed fidem non meretur, ſic naturâ eſſe comparatum, ut hoc ſtatis fiat diebus ſeptenis, Libero ſacris: ne quidem ſi inde effugium pares, non Liberi hoc virtute contigiſſe; ſed gentiles propterea dies illos Libero ſacràſſe. Vide quæ ex Epiphanio & aliis Baronius ad an. XXXI, pag. 98.

Ab virtute aquarum, quæ ſe in gignendis lapidibus, ac, ſi ſic videatur, in vino etiam, utràque re inanimâ, exſerit; venio ad ea, quæ vel æquè, vel tantummodo, res ſpectent animatas. Videor mihi iſta ad duo poſſe genera revocare; quorum utrumque ſit bipartitum. Nam vel externa tangunt, vel interna. Illa prioris generis, vel ſuperinducunt aliquid ſuperficiei, vel eam quoque immutant. Poſterioris quæ ſunt generis vel valetudinem corporis, vel animum attingunt.

Ex quatuor iſtis primi eſt generis, quòd aquæ nonnullæ vim habeant quaſi oleo inungendi. Sanè pingues eſſe
b Al. Titareſſus. fluviorum nonnullos, indicio erit Titareſius *b*, Theſſaliæ amnis, ſecundùm Strabonem in IX, & Vibium Sequeſtrum cap. de Fluminibus. Meminit & ejus Homerus in
c Iliad. β. verſ. 752. Bœotia *c*, & Lucanus in VI *d*. Aliter dictus *Europus*, ut
d Verſ. 376. eſt in Strabonis epitome *e*; vel *Eurotas*, ut eſt apud ipſum Strabonem lib. IX. Is fluvius, ut idem Strabo ait *f*, non
e Lib. 7. mergitur, aut immiſcetur Peneo; ſed, olei inſtar, ſuper-
f Lib. 9. natat. Quod ipſum etiam Plinio proditum lib. IV, c. VIII: *Accipit amnem Euroton, nec recipit; ſed olei modo ſupernatantem, (ut dictum eſt Homero) brevi ſpatio portatum abdicat; pœnales aquas, dirisque genitas, argenteis ſuis miſceri recuſans.* Pro *Euroton* tamen *Orcum* eſt apud Vibium his verbis: *Titareſſus Theſſaliæ, qui & Orcus, in Peneum decidit; nec ei miſcetur, quia ſuper eum funditur.* Imò apud Plinium quoque pro *Euroton*, *Orcum*
g Ann. 1476. legas in nonnullis MSSis, & veteri editione Parmenſi *g*. Sed rem videamus. Nempe uti ſucci graves multum obtinent terreſtris: ita ſucci leves, (tales autem ſunt pingues) multum habent aërei: unde ſupernatant aquis. Sed ſi non admodum ſint pingues, innatant quidem, at non inungunt. Ad quod opus, ut admodum pinguibus erumpant venis. Qualibus & originem debent ſulfur, bitumen, ſuccinum, gagates. De hujuſcemodi aquis ita Vitruvius lib. VIII, cap. III: *Alii* (fontes, flumina, & lacus) *per pingues terræ venas profluentes, uncti oleo erumpunt: uti Solis (quod oppidum eſt Ciliciæ) flumen nomine Liparis, in quo natantes, aut lavantes, ab ipſa aqua unguntur.* Ubi per *oleum* intellige bitumen liquidum. Eſt enim hoc pingue: quippe multum habens aërei, & ignei; unde & facilè adeò accenditur. Etiam bitumen iſtoc capiendum in iis, quæ idem Plinius de Æthiopiæ lacu, & Indiæ, & fonte Carthaginis, ſubjungit. Poſteaque apud eumdem legas de fontibus Zacynthi, Dyrrachii, & Apolloniæ; qui (ut ait) *picis magnam multitudinem cum aqua vomunt.* Item de lacu Judææ; qui eò quòd (verba iterum Plinii retineo) *habeat ſupernatans liquidum bitumen*, quod ἄσφαλτος dicitur, ἀσφαλτὶς nuncupatur. Ibidem legas, Joppen in Syria, & Arabiam Numidarum, *emittere bituminis maximas moles.* Atque hoc mirandum negat; quia *crebræ ſunt ibi lapicidinæ bituminis duri. Cùm ergo per bituminoſam terram vis erumpit aquæ, ſecum extrahere bitumen.*

Alterum eſt aquarum genus, quæ & extrinſecus immutent; ſive alium pilis inducendo colorem, ſive etiam cuti. Quod à Varrone eſſe proditum, teſtis nobis Solinus cap. XXXIII. *Ultra Peluſiacum oſtium Arabia eſt, ad Rubrum pertinens mare; quod Erythræum ab Erythra rege, Perſei & Andromedæ filio, non ſolum à colore, appellatum Varro dicit; qui affirmat in litore maris iſtius fontem eſſe; quem ſi oves biberint, mutent vellerum qualitatem, & antea candidæ, amittant, quod fuerint, uſque ad hauſtum, ac furvo poſtmodum nigreſcant colore.* Idem, ſed præterito Varronis, ac Solini nomine, memorat Martianus Capella lib. VI, cap. de Ægypto. Pluraque ejus generis refert Seneca lib. III Natur. Quæſt. cap. XXV: ac imprimis Vitruvius lib. VIII, c. III: *Sunt*, inquit, *Bœotiæ flumina Cephiſſus, & Melas, Lucaniæ Crathis, Trojæ Xanthus, inque agris Clazomeniorum, & Erythræorum, & Laodicenſium, fontes ac flumina, cùm pecora ſuis temporibus anni parantur ad conceptum partus, per id tempus adiguntur eo quotidie potum; ex eoque, quamvis ſint alba, procreant, aliis locis leucophæa, aliis locis pulla, aliis coracino colore. Ita proprietas liquoris cùm init in corpus, proſeminat intinctam ſui cujuſque generis qualitatem. Igitur quoniam in campis proximè flumen armenta rufa, & pecora leucophæa naſcuntur, ideo id flumen Ilienſes Xanthum appellaviſſe dicuntur.* Similia adfert Plinius lib. XXXI. cap. II: *Eudicus in Heſtiæotide fontes duos tradit eſſe; Ceronem, ex quo bibentes oves nigras fieri; Melan, ex quo albas: ex utroque autem varias: Theophraſtus in Thuriis, Crathin candorem facere.* Pro quo, *flavedinem conciliare* dicit Ariſtoteles de mirabilibus auditionibus: idemque ex Timæo prodit Caryſtius Hiſtor. Mir. cap. CXLIX. Hinc ſequitur apud Plinium: *Sybarim* (facere) *nigritiam bobus, ac pecori. Quin & homines ſentire nigritiam eam. Nam qui Sybarim bibant, nigriores eſſe, durioreſque, & criſpo capillo: qui ex Crathide, candidos molliores-que, ac porrectâ comâ. Item in Macedonia, qui velint ſibi candida naſci, ad Aliacmonem ducere; qui nigra, aut fuſca, ad Axium.* Idem Plinius ſic alibi *a* de Cli- a Lib. 2. cap. 103.
tumno, Umbriæ fluvio: *Clitumni amnis aqua candidos boves facit.* Quod & Servius ex eo memorat in II Georg. Sed de iſto pluribus agam, cùm particulatim dicetur de cultis à gente Romana fluminibus. Nec de candore magis, quàm nigritie, mirandum. Si enim ſenectus nos canos reddat, imò & anxia unius noctis ſollicitudo tantum valuerit in nonnullis *b*: cur non aquæ, longo b Scaliger adverſus Cardanum Exercit. 312.
tempore adſumtæ, ſic temperiem poſſint immutare, ut candorem, aliumve inducant colorem?

Cap. LXXII.

Quæ aquarum ſaluberrima. Hirtius, & Aëtius, conciliati; quorum ille inſalubrem, ſalubrem hic aquam dixerat Niloticam. Quercetani de aquis lutoſis, ac pinguibus, opinio diſcuſſa. Quo diſcrimine, ratione ſalubritatis, diſtent aquæ pluviæ, & nivales, tum crudæ, tum decoctæ; item ex grandine, vel glacie liquefactæ. Etſi aquæ ſint ſalubriores, quæ leviores, & levitas ea ponderando cognoſcatur: ſubinde tamen leve adeo diſcrimen eſſe, ut ad alia recurrere indicia ſatius ſit: quale eſt, quæ citiùs incaleſcant, aut frigeſiant, & quarum accolæ meliùs valeant. Quàm variis morbis medeantur aquæ. Ecquæ ſint, quæ juventutem inſtaurent. Vim etiam noxiam aquis inditam; ut inferendi ſterilitatem, & varios morbos; imò & mortem: quod de Menaidos, ſive Palicorum fonte traditum; aliter tamen, atque aliter, hanc rem narrantibus antiquis.

EXpediam nunc de tertio aquarum genere; quod ſalutares, vel noxias habet vires corporibus humanis.

Valetudini autem corporum ſalubres ſunt aquarum illæ, quæ, ut Plinius ait *a*, *aëri ſimillimæ*: hoc eſt, quæ maximè tenues, & pellucidæ. Ut hac parte videatur commendandus in Sabinis *Blanduſiæ fons lucidior vitro*; velut de eo Horatius *b* ait. Cujuſmodi non ſunt aquæ Nili. Nam, ut Hirtius, ſive quiſquis auctor de bello Alexandrino, ait, *quæ Nilo flumine fertur aqua, adeò eſt limoſa, atque turbida, ut multos varioſque morbos efficiat.* Quare commodè capiendus eſt Aëtius lib. III de re medica, c. CLXXV; ubi aquas omnes fluviales, ac ſtagnantes, vituperat, unà exceptâ Niloticâ; quam pollere ait omni genere virtutis: ac virtutes eas deinde pluribus exponit. Conciliare autem ea cum Brodæo *c* poſſis ex Galeno; qui & ipſe lib. primo de ſimplicium medicamentorum facultatibus, ut & in VI Epidemiorum, aquam prædicat Niloticam, velut ſalubrem; ſed addit, iterum, atque iterum, fictilibus percolandam vaſis, uſque dum planè fuerit defæcata, ac limpida. Hodieque is apud Ægyptios mos obtinet, ut toto in teſtis triduo adſervetur, donec penitùs ſubſederit limus. Quibus verò mora hæc moroſior moleſtiorque videatur, injectis ei amygdalis amaris, & contuſis eorum putaminibus, diem intra reddere ſolent puram, claramque. Hirtius igitur locutus eſt de aqua Nilotica, recentiſſimè hauſta; ut fiebat à militibus Romanis, conſuetudinis Ægyptiæ neſcius. At Aëtio eſt ſermo de aqua percolata; qualem etiam intelligunt juniores illi, qui ſic eam laudant; ut Maurinus Sanutus *d*, Petrus Martyr ab Angleria *e*, & alii magno numero. Propterea non per omnia aſſentio Joſepho Quercetano, qui in Diætetico polyhiſtorico c. VII ſic ſcribit: *Cùm illud Nili flumen lutoſius ſit, quàm arenoſius, à quo tota Ægypti regio, cùm ab alveo ſuo excurrit, impinguatur: omnes fluviorum pingues aquas, pari modo, aliis ex torrente arenoſo profluentibus eſſe præferendas.* Subjungit deinde: *Hinc fit, ut Sequana lutoſa, & pinguis, Ligerinam aquam ſabuloſam bonitate ſuperet. Non enim ex Ligeri exundante impinguantur arva; quæ potiùs adeò arenâ conteguntur, ut inde ſteriliſcant. At cùm Sequana lutoſam aquam, & pinguem, per opima arva tranſfluens, meliorem idcirco exhibet aquam; tum quòd onera ferat graviora, quàm alii Galliæ fluvii; tum quòd equos impinguet, leguminaque citiùs & celeriùs coquat: quæ aquæ bonæ certiſſima ſunt indicia.* Quibus ſic occurrimus. Quemadmodum aqua Nilotica arvis conducit, quæ inundans pinguia facit; at hominibus eſt inſalubris, niſi percoletur: ita Sequanam quidem agros reddere pingues, ſed non eo optimam eſſe, niſi percolatam. Et hinc favet nobis ex parte Quercetanus ipſe, quando ſuperioribus ſubjicit: *Hinc concludimus, inter optimas recenſendas eſſe Sequanæ aquas, præſertim ſi ab hypoſtaſi ſua repurgatæ fuerint, aut in ciſternas depurandæ infundantur.*

a Lib. 33. cap. 3.
b Lib. 3. od. 3.
Vide Salmaſium ad ἱππωνᾶ Achillis Tatii pag. 630, 631.
c Lib. 4. Miſcell. cap. 29.
d Lib. 2. part. 4. cap. 14.
e Legat. Babylon. lib. 3.

Sed neque aëri ſimiles, hoc eſt, leves, & pellucidæ, ſunt aquarum illæ, quibus miſcentur exhalationes terræ. Nam hujus opacitate magis fiunt turbidæ, & denſæ. Unde conſequitur, minùs ſalubres eſſe. Fusè de iſto Plinius lib. XXXI, cap. III, Aëtius lib. III, cap. CLXXV, ac tot alii; ex junioribus etiam, inter cæteros, Joannes Bruyerinus Campegius de re cibaria lib. XVI, præcipuè cap. IX, ac X; ſed & reliquâ libri parte. Eſt tamen, in quibus inter ſe viri diſſentiant eruditiſſimi: eoque, puto, non abs re fuerit, ſi & ſententiam de eo noſtram conſignem. Mihi ſic videtur, & duces habeo, quos ſequar, homines ſeculi noſtri pereruditos, & in natura rerum longo uſu ſubactos, minùs ſalubres eſſe pluvias. Sunt illæ quidem leves; imò, ut Celſus *a* ait, leviſſimæ; ac levitatem earum princeps prædicavit Hippocrates *b*. Verùm vapores, unde concreſcunt, habent aliquid admixtum halitus terreſtris, qui interdum è terris educitur peſtilentibus. Decoqui igitur eas eſt opus. Ac minùs his ſalubres ſunt nivales, quia frigore includuntur halitus, quos dixi; unde Nero excogitavit artem (ut Plinius *c* ait) *decoquendi aquam, vitroque, demiſſam in nives, refrigerandi.* Nimirum, ut ibidem non obſcurè docet, quò halitu per cocturam expulſo, frigore autem retento, voluptas eſſet innoxia. Magis etiam nivalibus inſalubres illæ ex grandine reſolutæ. Plus enim terreſtris continent halitus. Meliores paullò glaciales, præſertim è ſumma glacie, quæ ex leviori aqua eſt. Nec tamen dixeris ſalubres prorſus, quia miſtæ ſunt imo aëri, qui ut gravior eſt, ſic impurior. Atqui, quo aqua tenuior, leviorque, eo magis idoneum eſt cibi vehiculum.

a Lib. 2. cap. 18.
b Lib. de aëre, aquis, & locis.
c Lib. 31. cap. 3.

Ineſſe autem aquis hoc diſcrimen ponderis, certiſſimum eſt.

Namque nec errantes undis labentibus amnes,
Nec merſi puteis latices, aut fonte perenni
Manantes, par pondus habent; non denique vina,
Quæ campi, aut colles, nuperve, aut ante, tulere.

Ut cecinit ſcriptor libri de ponderibus & menſuris; ſive illi Remo Favino, ſive Remmio Fannio, nomen erat. Nam Priſciani non eſſe, utcunque in MSSis cum ejus opere grammatico jungi ſoleat, pro explorato habeo. De liquidorum autem diſcrimine in ponderando, vide Georgium Agricolam in tertio eorum, quæ de menſuris & ponderibus pereruditè, ut omnia, ſcripſit. Adi & experimenta Clariſſimi quondam in Lugdunenſi Academia collegæ mei, Willibrordi Snellii in Eratoſthene Batavo lib. II, cap. VI. Hac levitate commendabilis fuit amnis Eulæus, Suſianen ab Elymaide diſterminans: cujus cotyle Attica drachmam minùs pendebat, quàm illa Tigris, aut Euphratis. Itaque, ut Plinius tradit lib. VI, cap. XXVII, *reges Parthorum non ex alio bibunt, & ob id in longinqua portant.* Idemque de Choaſpe tradit lib. XXXI, cap. III. Illud tamen ponderis argumentum difficile cenſet, & alia ſuggerit. Sic enim ibidem loquitur: *Quidam ſtaterâ judicant de ſalubritate, fruſtrante diligentiâ, quando perrarum eſt, ut levior ſit aliqua.* Sed abunde occurrit Plinio Brodæus lib. IV Miſcellan. cap. XXVIII. Subjicit deinde Plinius: *Certior ſubtilitas, inter pares meliorem eſſe, quæ calefiat refrigereturque celerius.* Quod poſtremum indicium & Celſus refert lib. II, cap. XVIII. Nec obſcura eſt ratio. Quanto enim rarior eſt materies, eò citius calor abit; quò denſior, eò caloris eſt retinens magis: quod Hippocrati jam olim *d* obſervatum; Galeno item monitum in lib. V Aphoriſmorum comment. XXVI. Sed minimè interim negligendum, quòd Palladius etiam jubet attendere ad eos, qui fluvium accolunt. Qui ſi ſiant longævi, nec nephritici ſint, vel pulmonibus laborent, aut ſimili vitio; non leve hoc ſalubris fuerit aquæ argumentum. Vide fuſiùs iſta enarrantem Palladium lib. I de R. R. Titul. IV, qui eſt de aqua probanda.

d Aphoriſ. 26. lib. 1.

Plurimæ verò aquæ etiam medendi vim habent, calidæ imprimis. Qua de re generatim ſic Vitruvius lib. VIII, cap. III: *Omnis aqua calida ideo eſt medicamentoſa, quòd in pravis rebus percocta aliam virtutem recipit ad uſum.*

uſum. Namque ſulfuroſi fontes nervorum labores reficiunt, percalefaciendo exſugendoque caloribus è corporibus humores vitioſos. Aluminoſi autem, cùm diſſoluta membra corporum paralyſi, aut aliqua vi morbi, receperint, fovendo per patentes venas refrigerationem contrariâ caloris vi reficiunt, & ex hoc continenter reſtituuntur in antiquam membrorum curationem. Bituminoſi autem interioris corporis vitia, potionibus purgando, ſolent mederi. Eâdem mente Plinius lib. XXXI, cap. II: Sunt, inquit, *tepidæ egelidæque auxilia morborum conferentes, &, è cunctis animalium, hominum tantùm cauſsâ erumpentes. Nuſquam tamen largiùs, quàm in Bajano ſinu, nec pluribus auxiliandi generibus, aliæ ſulfuris, aliæ aluminis, aliæ ſalis, aliæ bituminis, aliæ nitri, nonnullæ etiam acidâ ſalsâve miſturâ. Vapore quoque ipſo aliquæ proſunt.* Et poſt pauca, *Jam generatim*, inquit, *nervis proſunt pedibuſve, aut coxendicibus; aliæ luxatis, fractiſve. Inaniunt alvos. Sanant ulcera. Capiti, auribuſque, privatim medentur; oculis verò Ciceronianæ.* Nempe aquæ poſt exceſſum Tullii in Academia, Ciceronis prope Puteolos villâ, enatæ, ac à liberto ejus Laureâ Tullio celebratæ carmine, ut ibidem Plinius dicit, digno ubique, & non ibi tantùm legi. Extremam ſolùm partem apponam:

Nimirum locus ipſe ſui Ciceronis honori
Hoc dedit, hac fontes cum patefecit ope:
Ut quoniam totum legitur ſine fine per orbem,
Sint plures, oculis quæ medeantur, aquæ.

Poſtea ibidem Plinius ſubjungit alia aliarum aquarum bona. *In eadem*, inquit, *Campaniæ regione Sinueſſanæ aquæ ſterilitatem feminarum abolere produntur. In Ænaria inſula calculoſis mederi.* Et mox: *Juxta Romam Albulæ aquæ vulneribus medentur, aptiſſimæ ſtomacho, nervis, univerſo corpori. Theſpiarum fons conceptus mulieribus repræſentat: item in Arcadia flumen Elatum. Cuſtodit autem partum Linus fons in eadem Arcadia, abortuſque fieri non patitur. Cydnus, Ciliciæ amnis, podagricis medetur: ſicut apparet in epiſtola Caſſii Parmenſis ad M. Antonium. Tungri, civitas Galliæ, fontem habet inſignem. Purgat hic corpora, tertianas febres diſcutit, calculorumque vitia. Leucogæi fontes inter Puteolos, & Neapolim, oculis & vulneribus medentur.*

Ophiuſa item in Alo impetiginem delet; ſecundùm Eudoxum, & inde Antigonum Caryſtium *a*. Sunt & aquæ, quæ ſtrumis medeantur. Vitruvius lib. VIII, c. III: *Eſt aquæ frigidæ genus nitroſum; uti Pinnæ Veſtinæ, Cutiliis, aliiſque locis ſimilibus; quod potionibus depurgat, per alvumque tranſeundo, etiam ſtrumarum minuit tumores.* Idem tradit Plinius lib. XXXI, cap. III. Imò & Strabo lib. V: ſed is aquas eas eſſe dicit ἐν Κωτισκολίαις. Verùm certum eſt, Κωτιλίαις reſcribi oportere. Nam & ſic Sotion vocat de Mirandis aquarum, & Dion lib. LXVI. E Latinis item *Cutilias* nominant Varro lib. IV de L. L. Seneca Nat. Quæſt. lib. III, cap. XXV, Tranquillus in Veſpaſiano, cap. XXIV, & Macrobius lib. I Sat. cap. VII. Quamquam non contenderim, ſi Κοτυλία malis; ut eſt apud Dionyſium Halic. lib. I Antiq. uti & ibidem Κοτύλην legas: imò *Cotylen* quoque eſt apud Feſtum Pompejum. Quod verò de Tungrorum fonte tradit Plinius, eum calculo mederi; idem de aliis multis prodit Vitruvius ibidem. Sed & rem totam egregiè illuſtrat. Itaque de morbo, eruditis perfamiliari, non verebor totum adſcribere locum: *Sunt nonnullæ acidæ venæ fontium, uti Lynceſtos, & in Italia Virena* b; *Campana Teano, aliiſque locis pluribus; quæ hanc habent virtutem, uti calculos in veſicis, qui naſcuntur in corporibus hominum, potionibus diſcutiant. Fieri autem hoc naturaliter ita, ideo videtur, quòd acer, & acidus ſuccus ſubeſt in ea terra, per quam egredientes venæ intinguntur acritudine: & ita, cum in corpus inierunt, diſſipant, quæ in aquarum ſubſidentia in corporibus, & concreſcentia, offenderant. Quare autem diſcutiantur ex acidis eæ res, ſic poſſumus animadvertere. Ovum in aceto ſi diutius impoſitum fuerit, cortex ejus molleſcet, & diſſolvetur. Item plumbum, quod eſt lentiſſimum, & graviſſimum, ſi in vaſe collocatum fuerit, & in eo acetum ſuffuſum, id autem opertum, & oblitum ſi erit; efficietur, uti plumbum diſſolvatur, & fiat ceruſſa.* Mox etiam docet, ut æs, & margaritæ, aceto diſſolvantur; atque hinc ita colligit: *Ergo cum has res ante oculos ita fieri videamus; ratiocinemur, iiſdem rationibus ex acidis propter acritudinem ſucci, etiam calculoſos è natura rerum ſimiliter poſſe curari.* Utrùm autem acida, uſque dum ad veſicam pertingant, vim iſtam retineant, vel quatenus reſervent, alterius eſt loci. Particulatim vero *de balneis, quàm ea ſalubria ſint, tum ad valetudinem tuendam, tum ad morbos curandos*, dialogum adverſus medicos recentiores doctè ſcripſit Joannes Franciſcus Brancaleo Neapolitanus, dicavitque Paullo III. Pontifici. Quemadmodum & ejuſdem Brancaleonis de Vini natura duo exſtant libri, eruditè item, & cum cura exarati.

a Cap. 153.

b De cujus ſitu Baptiſta Porta Magiæ naturalis lib 8 c 6. ſect. 7.

Sed nihil æquè, modo fidem mereatur, aquarum commendat naturam, ac illud apud Petrum Martyrem ab Angleria Mediolanenſem de rebus Oceani, & novo Orbe, decadis II, libro X *a*: *Inter terras ad latus Hiſpaniolæ ſeptentrionale repertas, ad leucas ab Hiſpaniola quinque ac viginti ſupra ter centum, unam eſſe inſulam fabulantur, qui eam explorarunt ad intima, nomine Bojuca, alias Agnaneo, fonte perenni adeo nobilem, ut ejus fontis aquâ epotâ ſenes rejuveneſcant. Nec arbitretur tua Beatitudo, hoc dictum jocosè, aut leviter. ita ſeriorem hanc per curiam univerſam auſi ſunt ſpargere, ut populus omnis, & ex iis, quos virtus, aut fortuna, ſecernit à populo, non pauci rem eſſe veram arbitrentur.* Commemorat idem Gaudentius Merula lib. I Memorabilium, cap. I. Item Cardanus lib. II Subtilitatum *b*: ubi conſtantem ait famam eſſe, fonte eo *ſenes reſtitui: non tamen canos mutare, nec tollere jam contractas rugas.* Subjungit huic: *Oviedus conſtanter negat. Nos eſſe poſſe non dubitamus: eſſe haud fatemur.* Sed omnino pro fabula habendum. Ad quam non ætatem pertingerent novi orbis domini, ſi aqua eſſet ejuſcemodi? Non repugno tamen; quo minùs quædam vel naturales ſint aquæ, vel arte fiant, quæ multum corrigant vitia ſenectutis, partim purgando, & abſtergendo ſordes ex alimonia venis adhæreſcentes, & vitalem imminuturas calorem: partim ſuâ bonitate ex parte replentes & inſtaurantes humidum radicale, quod abſumtum erat à calore nativo.

a P. 202. edit. Colon. an. 1574.

b Pag. 72. edit Lugd. an. 1580.

Nec propter tot aquæ bona, quæ humanis præſtant corporibus, eò putandum, non nocere corporibus. Juſtus Deus multis aquarum etiam, in pœnam noſtri, vim indidit noxiam, & cauſſas ob alias; quas adduximus, de bono venenorum differentes lib. primo hujus operis, cap. V. Itaque non fœcunditatem ſolùm præſtant aquæ, ſed etiam adferunt ſterilitatem: ſive frigore nimio calorem exſtinguendo; ſive calore nimio humorem exſiccando. Unde Plinius, loco ſæpius memorato *c*: *E diverſo in Pyrrhæa flumen, quod Aphrodiſium vocatur, ſteriles facit.* Quod & prodiderat Theophraſtus lib. IX Hiſt. Plant. cap. XX, & de cauſſis Plant. lib. II, cap. VIII. Eſt verò *Pyrrhæa*, pars Theſſaliæ, ſic à Pyrrha, Deucalionis, ut ajunt, uxore, nuncupata; quod conſtat ex Stephani Ethnicis. Eò autem calori id tribuere malim, quia flumen hoc, ſive palus exſiccata, ardeat: ut à Phania (credo, Ereſio illo, Ariſtotelis diſcipulo) proditum fuit; teſte Antigono Caryſtio cap. CLXI. Sed apud hunc Πυραίων, pro Πυῤῥαίων, legi debet: ut jamdiu obſervatum Clariſſimo, & amiciſſimo, Joanni Meurſio, magno non ſuæ modò Bataviæ, atque etiam Belgicæ univerſæ; ſed jam Daniæ quoque, imò totius Reip. literariæ, ornamento.

c Lib. 31 cap. 2.

Quam multos etiam corporibus afferunt morbos! de quo ſic Vitruvius lib. VIII, cap. III: *Ubi aurum, argentum, ferrum, æs, plumbum, reliquæque res earum ſimiles fodiuntur, fontes inveniuntur copioſi; ſed hi maxime ſunt vitioſi. Habent enim vitia contraria aquæ calidæ, quam ſulfur, alumen, bitumen emittit: quia per potiones, cum in corpus ineunt, & per venas permanan-*

do nervos attingunt, & artus, eos durant inflando. Igitur nervi inflatione turgentes, ex longitudine contrahuntur, & ita aut nevricos, aut podagricos efficiunt homines, ideo quòd ex duriſſimis, & ſpiſſioribus, frigidiſſimiſque rebus, intinctas habent venarum cavitates.

Imò & vis ineſt letalis aquarum nonnullis: qua de re ſic Vitruvius ibidem: *Etiam inveniuntur aquæ genera mortifera, quæ per maleficum ſuccum terræ percurrentia, recipiunt in ſe vim venenatam: uti fuiſſe dicitur Terracinæ fons, qui vocatur Neptunius: ex quo qui biberant imprudentes, vitâ privabantur: quapropter antiqui eum obſtruxiſſe dicuntur. Et apud Cychros in Thracia lacus; ex quo non ſolùm, qui biberint, moriuntur; ſed etiam, qui laverint.* Ubi pro, *& apud Cychros*, in editione Florentina *a*, quam Jucundus Veronenſis exhibuit, omiſſo præverbio, legas, *& Cychros*. Inque aliis editionibus veteribus eſt, *& Chropſi*: quod Turnebus *b* probat propter illa Sotionis: Θεόπομπος ἱστορεῖ, κρήνην ἐν Χρηψὶ τῆς Θρᾴκης, ἐξ ἧς τοὺς λουσαμένους παραχρῆμα μεταλλάσσειν· *Theopompus refert, fontem eſſe Thraciæ, in quo qui laverint, continuò vitam morte commutent.* Apud Plinium *c* tamen, in veteri etiam editione Parmenſi *d*, itidem legitur, *Cychros*: ac licet Turnebus Plinium primò, & exinde etiam Vitruvium, fuiſſe corruptum arbitretur: non aſpernanda tamen ea, quæ pro vulgata Plinii lectione ad hunc Hermolaus Barbarus annotavit. Inter letales aquas etiam eſt illa Menaidis, ſive Paliceni fontis, ſeu craterum, aut ſtagnorum Palicorum: quæ in Sicilia fuere juxta Leontinos, & Menas, ac Palicam civitatem. De ea ſic Fazellus dec. I, lib. III, cap. II: *Aquas hujus ſtagni ſi mane ante Solis exortum bruta potaverint, repentino prope interitu occidunt. nam licet frigidæ ſint, turbidæ tamen, & dirum exhalantes odorem; qui ex ſulfuris bituminiſque materia, qua ſtagni fundus plenus eſt, ut bullæ aliquando ex eo enatæ indicant, generatur.* Sed hoc ſolùm ad muta pertinet animantia. At homines ipſos tangit, quod Macrobius narrat lib. V, cap. XIX, ab hoc Palicorum fonte, qui fideliter juràſſet, abiſſe illæſum: qui falsâ juràſſet conſcientiâ, mox vitam amiſiſſe. Quamquam metuo, ne hoc interea, quæ vulgò ſic, ſed falsò, ferrentur, poſſis numerare. Sanè paullò aliter Ariſtoteles de admirandis auditionibus, & Stephanus in Ethnicis: quorum uterque ait, juramentum ſolere inſcribi tabellæ: quæ, ſi innatâſſet, creditum verè juràſſe; falsò autem, ſi mergeretur, ac propterea hominem combuſtum. Diodorus verò Siculus lib. XI contentus eſt dicere, pejerantes repente ſolitos à numine puniri, ac nonnullos templo exiſſe oculis captos. Eamque ſententiam amplexi quoque Solinus c. X, & Rhemnius Fannius: ſed perperam uterque fontem eum in Sardinia ponunt: perperam etiam, quod uni veteres fonti, id pluribus hi adſignant. Solini ſunt iſta: *Oculis medentur, & coarguendis valent furibus. Nam quiſquis ſacramento rapium negat, lumina aquis attrectat: ubi perjurium non eſt, cernit clarius: ſi perfidia abnuit, detegitur facinus cæcitate, & captus oculis admiſſum tenebris fatetur.* Fannio autem ſcriptum:

Quod ſanant ægros, pandunt damnantque nefando
Perjuros furto, quos tacto flumine cæcant.

Hæc verò de ſupplicio inconſtantia veterum facit, ut exiſtimem, eos, qui Palicorum fano præeſſent (id antiquitate, & religioſâ veneratione commendabatur) ad terrorem mentibus incutiendum humanis, ſuperſtitioſâ Siculos opinione implêſſe, quaſi ea eſſet aquæ divinitas, ut coargueret fures ac perjuros. Interim hoc boni conſequebantur, ut qui criminis ejus ſibi eſſent conſcii, jurare apud Menaida formidarent: quod etiam ex Vibio Sequeſtro cognoſcere eſt. Et fortaſſe juſtum Numen interdum, quod fidem conſervari vult in gentibus, nec eas prorſus deſtituit, per angelorum miniſterium aliorum quidem teſtabatur innocentiam; de aliis autem, qui furti crimen falſis accumularent juramentis, pœnas in omnium ſumebat conſpectu.

a An. 1522.
b Lib. 6. Adverſar. c. 13.
c Lib. 31. cap. 2.
d Anni 1476.

Cap. LXXIII.

Quantum aquæ etiam in animam poſſint. In dubium vocatum, an fons Cyzicenus amorem auferat, vel aquæ Sinueſſanæ aboleant inſaniam. De Mnemes & Lethes fontibus in Bœotia. Utrùm Ciliciæ fons, Νοῦς, an Ἄνυς, fuerit appellatus: deque proverbio, Habet, *vel,* Non habet Ceſcum. *Suidæ locus emendatus. Fons Chius dementiam concilians: uti & Phrygiæ fluvius Gallus, & fons ruber in Æthiopia: aquæ aliæ vini inſtar inebriantes, ut fons Paphlagoniæ, & aqua Lynceſti: contrà Clitorio amne bibentes reddi abſtemios. Cur fluviales aquæ paluſtribus præſtent. Cur maximi orbis fluvii fere ab Septentrione fluant verſus auſtrum. De aquis, quæ vel Oceani æſtum æmulentur, vel motu ferantur contrario; & quæ cauſſa ejus rei videatur.*

SEd de corporibus hactenus: nunc ad animam tranſeamus. Nam & in eas magna eſt vis aquarum; quædam noxia, alia ſalutaris. Quantum profectò eſt, quòd *in Campaniæ regione Sinueſſanæ aquæ inſaniam abolere produntur*: ut ait Plinius *a*. Quanti & illud, quòd, ut idem *b* ait, *Cyzici fons Cupidinis vocatur, ex quo potantes amorem deponere Mucianus credidit.* Quamquam dum Plinius ſic Mucianum addit crediſſe, videri poſſit ipſe non crediſſe. Non tamen, vel C. Plinio, vel Licinio Muciano, pertinaciter adverſer. Nam quid ſi aquæ, ut inducunt ſterilitatem, ſic & lubidinem frigore ſuo exſtinguant? Et ſi aquæ Sinueſſanæ, eodem teſte *c*, abolent inſaniam: cur non & aliquæ medeantur amoribus inſanis? Mirum interea, ſi hujuſmodi ſint aquæ in Campania; regionem eam, & totam Italiam, ab omni prope ævo tot luxiſſe funeſtos amantium caſus. Cur enim agnati, & gentiles, aquis hujuſcemodi non conſulunt inſano illo amore correptis? Utcunque ſit de iſto; multùm aquas poſſe in ſenſum ac rationem; his verbis idem Plinius *d* docet: *In Bœotia, ad Trophonium Deum juxta flumen Orchomenon, duo ſunt fontes; quorum alter memoriam, alter oblivionem affert, inde* (Μνήμης & Λήθης *e*) *nominibus inventis. In Cilicia apud oppidum Creſcum rivus fluit* ΝΟΥΣ *f*: *ex quo bibentium ſubtiles ſenſus fieri, M. Varro tradit. At in Coa inſula fontem eſſe, quo hebetes fiant.* Puto, pro *Creſcus*, legendum eſſe *Ceſcus*: à quo tamen paullum abit vetus editio Parmenſis *g*; ubi pro *Ceſcus* eſt *Juſgus*. Nec multum adeò recedit *Viſgus*: quod in antiquo reperit chirographo Pintianus. Sed mirum, quod hic legas, Νοῦν, hoc eſt, mentem, dici: quia ſenſus reddat ſubtiles, cùm Suidæ dicatur Ἄνυς, quaſi reddat hebetes. Sic enim ſcribit: Κίσκος ἦν πόλις ἐν Κιλικίᾳ, καὶ παρ' αὐτὴν ποταμὸς Ἄνυς ὄνομα. Διόπερ οἱ ποιηταὶ παίζοντες, τοὺς νοῦν οὐκ ἔχοντας, κίσκον ἔχειν φασί. *Ceſcus erat urbs Ciliciæ, & juxta eam fluvius nomine* ANUS, (hoc eſt, EXMENS) *Quamobrem poëtæ homines amentes, ludere volentes, dicunt, habere Ceſcum.* Multum metuo, ne ſciolus aliquis locum corruperit: quia cùm videret, dementes dici, Κίσκον ἔχειν *h*: planè ſibi perſuaſerit, Ceſco non fuiſſe nomen Νοῦς, ſed Ἄνυς. At cogitare debuerat, Suidam dicere, ſic poëtas loqui παίζοντας *i*: hoc eſt, per ironiam. Vel hoc ſi diſplicet, legendum, Κίσκον οὐκ ἔχειν φασί· *Ceſcum non habere, ajunt.* Quam opinionem firmant iſta Heſychii verba: Κίσκος, ποταμὸς Κιλικίας, ὅθεν καὶ παροιμία γέγονε, Πόλις Κίσκον οὐκ ἔχουσα. Εἴρηται δὲ ἐπὶ τῶν νοῦν μὴ ἐχόντων. *Ceſcus, fluvius Ciliciæ, unde proverbium ortum: Urbs non habens Ceſcum. Dictum verò de iis, qui dementes forent.* Nec alium fluvium, quàm memoratum, capio, cùm idem ait Heſychius: Νοῦς, ψυχὴ, ποταμὸς, καὶ ἡ μονάς· NOUS, *anima, flumen, & unitas.* Etſi non ignorem, & Nilum ab Ægyptiis eſſe vocatum Νοῦν, atque hoc νέον ſignificare: ut eſt apud Philippum, Ori Apollinis interpretem, lib. I: quo loco agit de Nili adſcenſu, & exundatione. Verùm eſto, ut Heſychius hic Nilum reſpexerit. Saltem fluvio

a Lib. 31. cap. 2.
b Ibidem.
c Lib. 31. cap. 2.
d Ibid.
e Memoriæ. & Oblivionis.
f Mens.
g Anni 1476.
h Ceſcum habere.
i Ludentes.

iſti Ciliciæ non fuiſſe nomen Αὖος, ſed Νοῦς, etiam indicant illa Euſtathii in Odyſſ. Λ *a*: Παυσανίας γοῦν φησιν, ὅτι Κέσκος λιμήν που, ᾧ παραρρέει ποταμὸς Νοῦς καλούμενος· *Pauſanias ait, eſſe alicubi Ceſcum portum, cui vicinus ſit fluvius, nomine* NOYS. Quæ tamen verba hodie fruſtra in Pauſania quæras: ut videantur eſſe ex deperdito Aſiaticorum opere.

a Pag. 1392. edit. Rom.

Sed aliorum etiam fluminum vim in animos noſtros proſequamur. Vitruvii ſunt iſta lib. VIII, cap. III: *Eſt inſulâ Chio fons, e quo qui imprudenter biberint, fiunt inſipientes: & ibi eſt epigramma inſculptum, eâ ſententiâ: Jucundam eſſe potionem fontis ejus: ſed qui biberit, ſaxeos habiturum ſenſus.* Ipſum deinde epigramma Græcum ſubjungit. Similem memorat fluvium his verbis Plinius *b*, loco ſæpius memorato: *In Phrygiæ Gallo flumine potando neceſſarius modus, ne lymphatos agat: quod in Æthiopia accidere his, qui fonte rubro biberint, Cteſias ſcribit.* Judicium hoc Cteſiæ de fonte Æthiopiæ apud Photium etiam habes cod. LXXII. Idemque refert Sotion *c*, his verbis: Κτησίας δὲ ἐν Αἰθιοπίᾳ κρήνην ἱστορεῖ τῷ χρώματι κινναβάρει παραπλησίαν· τοὺς δὲ πίνοντας ἀπ᾽ αὐτῆς παραλλάττειν τὴν διάνοιαν· ὥστε καὶ τὰ κρυφίως πεπραγμένα ὁμολογεῖν. *Cteſias narrat, in Æthiopia eſſe fontem colore rubro referentem cinnabari; indeque bibentibus ſic mentem immutari, ut etiam confiteantur, quæ occultè commiſerunt.* Quin & Philo, qui navigationem in Æthiopiam, Strabone *d* teſte, conſcripſit, in memorato Æthiopicorum opere idem prodidit: ut eſt apud Antigonum Caryſtium cap. CLX. Videlicet aqua iſtæc ex halitu metallico vim habebat inebriandi. Quod de aqua Lynci, Epiroticæ urbis, etiam proditum Theopompo, & exinde eidem Caryſtio cap. LXXX. Ait verò, εἶναι ὕδωρ ὀξύ· τοὺς δὲ ἐκ τούτου πίνοντας, ὥσπερ ἐπὶ τὸν οἶνον, ἀλλοιοῦσθαι· καὶ τοῦθ᾽ ὑπὸ πλειόνων μαρτυρεῖσθαι· *aquam eſſe acidam: quique eam biberint, mente immutari, quaſi vinum bibiſſent, ejuſque rei complures eſſe teſtes.* Atque, ex eodem Theopompo, idem traditum Sotioni in Excerptis. De alia item aqua Vitruvii eſt lib. VIII, cap. III: *Sunt etiam fontes, uti vino mixti: quemadmodum eſt unus Paphlagoniæ: ex quo, etiam ſine vino, potantes fiunt temulenti.* At de Lynco ipſo hoc Plinii eſt lib. II, cap. CIII: *Lynceſtis aqua, quæ vocatur acidula, vini modo temulentos facit.* Quare hiſtoricâ, non poëticâ fide, cecinit Naſo XV Metam.

b Lib. 31. cap. 2.

c Opere de fluminibus, fontibus, ac lacubus.

d Lib. 2.

Hinc fluit effectu diſpar Lynceſtius amnis;
Quem quicunque parum moderato gurgite traxit,
Non aliter titubat, quàm ſi mera vina bibiſſet.

e Al. gutture.

Continuò ante contrarium de Clitorio, Arcadiæ amne, præmiſerat:

Clitorio quicunque ſitim de fonte levavit,
Vina fugit, gaudetque meris abſtemius undis.

Quod & aſſertum Vitruvio lib. VIII, cap. III: *In Arcadia vero civitas eſt non ignota Clitori; in cujus agris eſt ſpelunca profluens aquæ, quam qui biberint, fiant abſtemii.* Ac Græcum de eo epigramma ſubjungit lapidi inſcriptum: quod Latinè redditum reperias apud Philandrum. Atque hæc ſufficiant de aquis, ſeu corpori humano, ſeu animo, vel ſalubribus, vel noxiis. Licet ejus generis multa ſit alia reperire apud alios. Nam non ſolùm, quod Ariſtoteles *f* ait, ὕδατος πολλὰ εἴδη ἐστί, καὶ διαφορά *g*: verùm etiam, ut Plinius *h* inquit, *in nulla parte naturæ majora ſunt miracula.*

f Problematum ſect. 1. quæſt. 13.
g Multa ſunt aquarum genera variaque.
h Lib. 31. cap 2.

Supereſt, ut antè in mari fecimus; ita hoc loco de aquarum potabilium motu videamus. Hoc enim eſt tertium illorum, de quibus me dicturum receperam. Porro ex hoc motu quoque bonitas elucet divina. Nam quæ aquarum moventur, difficiliùs putreſcunt. Paluſtres igitur, & his ſimiles, minimè ſunt ſalubres: contrà fluviales, ob perpetuum fluxum, commendantur. Quomodo & citiùs ſeneſcere videmus plana cavaque inhabitantes loca, quàm qui in montibus degunt.

Nec ratione carere exiſtimandum, quòd ſic divina juſſit providentia, ut motus in maximis orbis fluviis ferè ſit ab Septentrione verſus Auſtrum. De iſtoc ita Vitruvius lib. VIII, cap. II: *Capita fluminum, quæ orbe terrarum chorographiis picta, itemque ſcripta, plurima maximaque inveniuntur egreſſa ab ſeptentrione. Primumque in India Ganges, & Indus, a Caucaſo monte oriuntur: Syriâ, Tigris, & Euphrates: Aſiâ, item Ponto, Boryſthenes, Hypanis, Tanais, Colchis, Phaſis: Galliâ, Rhodanus: Belgicâ, Rhenus: citra Alpes, Timavus, & Padus: Italia, Tybris: Mauruſiâ, quam noſtri Mauritaniam appellant, ex monte Atlante, Dyris;* (aliis *a* ipſe Atlas eſt *Dyris*: ſed, credo, monti cognominis erat fluvius) *qui ortus ex ſeptentrionali regione, progreditur per occidentem ad lacum heptabolum, & mutato nomine dicitur Niger.* Cenſeo autem, eo maxima flumina præcipuè ab ſeptentrione profluere; quia ſi ſeptentrionalem, & auſtralem tractum, conferas, illum liquet frigidum eſſe, atque humidum; hunc, calidum, & aridum. Ut conveniens ſit, capita quidem fluminum oriri in ſeptentrione; at decurrere meridiem verſus.

a Strabo lib. ult. Plinius lib. 5. c. 1. Solinus cap. 37.

Admirationi etiam fuit, quòd ex aquis aliæ ſequerentur æſtum maris; aliæ contra augeſcente mari decreſcerent, decreſcente verò augerentur. Qua de re Polybii, Artemidori, Silani, & Poſidonii ſententiam, & ſuam ſimul, adducit Strabo lib. III. De eodem ſic Plinius lib. II, cap. XCVII: *Gadibus, qui eſt delubro Herculis proximus, fons incluſus ad putei modum, aliàs ſimul cum Oceano augetur, minuiturque, aliàs verò utrumque contrariis temporibus. Eodem in loco alter Oceani motibus conſentit. In ripa Bætis oppidum eſt, cujus putei creſcente æſtu minuuntur, augeſcunt decedente, mediis temporibus immobiles. Eadem natura in Hiſpali oppido uni puteo, cæteris vulgaris.* Nempe maris æmula eſt aqua, cùm è mari propinquis ac rectis decurrit venis. At contrario afficitur modo, quoties longinquo à mari ſpatio fluit, vel varios per mæandros. Siquidem priuſquam aqua in puteum devenerit, mare antea tumidum jam detumuit: poſteaque, quod prius detumuerat, intumuit rurſum.

CAP. LXXIV.

Propiùs acceditur ad Aquæ venerationem. Cur, qui Salomonis Sapientiam ſcripſit, non ἁπλῶς Aquam, & Aëra, ſed violentam Aquam, & celerem aëra, divino affectam honore dicat. Aquam in ſumma fuiſſe veneratione Ægypiis. Per Oſiridem his aquam Nili intellectam; marinam autem, per Typhonem. Unde Nili nomen. Qua mente Deus dixerit Abrahamo, ſe daturum illi terram uſque ad Nilum. Cur idem flumen in Scripturis dicatur Schichor. *Per* Schichor, *& torrentem* deſerti, *vel Ægypti, notari in Scripturis fluentum prope Rhinocoruram: atque hoc nomen propterea pro eo eſſe repoſitum à* LXX. *Cur Nilus priſcis Romanis dictus ſit* Melo. *Cur Oſiris effingeretur niger. Conjectatum, unde* Oſiris *nomen acceperit. Nilus aliter* Siris, *quod* κατ᾽ ἀφαίρεσιν *ex* Oſiris. *Unde ſidus Canis vocetur* Sirius. *Unde* σειριᾶν *ſit. Eundem eſſe Ægyptium Oſiridem, ac Græcorum* Διόνυσον, *ſive Liberum: quod cùm aliunde, tum phalli in utriuſque ſacris geſtatione oſtenſum, & quid eo fuerit ſignificatum. An rectè ὗ etymon adduxerit Plutarchus. De Canopo, & ſacris Ægyptiorum hydriis.*

QUæ hactenus, tum universè de aquarum utilitate, tum particulatim de miranda quarundam natura, diximus: ea, ſi pauca exceperis, quæ longa dies docuit, minimè effugerunt vel oculos, vel animos gentilium: imò multo maximam partem ea ab iis ipſi accepimus. Sed cùm Deum propterea glorificare eos oporteret, honorem Numini debitum Aquis transſcripſerunt: quemadmodum etiam legas in libro Sapientiæ cap. XIII, 2. Ubi ſcriptor is appellat βίαιον ὕδωρ, *violentam aquam*: ſive quia magna vis cuivis aquæ inſit: ſive non omnem aquam, illam etiam reſidem, ac ciſternis concluſam, reſpexerit, ſed duntaxat vaſti maris, aut prætereà fluminum magnorum. Quò

Quò enim major in corpore aliquo ſe vis exſereret, eò judicabatur illi plus ineſſe divini. Ac propterea ibidem quoque non ἁπλῶς dicitur, aëra fuiſſe cultum; ſed ταχινὸν ἀέρα, *celerem aëra.* Nempe quia, ob tenuitatem ſummam, facilè adeo & ſcinditur, & unitur, & ventis actus velocitate adeo provolat pernici.

Porrò cunctarum gentium præcipuè Aquam eſſe venerati videntur Ægyptii, & Perſæ. De prioribus ita Plutarchus libro de Iſide, & Oſiride: Οὐδὲν οὕτω τιμὴ Αἰγυπτίοις, ὡς ὁ Νεῖλος· *Nihil in majore eſt Ægyptiis honore, quàm Nilus.* Et è noſtris Athanaſius, qui Ægyptius ipſe fuit,

a Pag. 20. edit. Commel.

orat. contra Gentes *a*: Ἄλλοι ποταμοὺς καὶ κρήνας, καὶ πάντων μάλιστα Αἰγύπτιοι τὸ ὕδωρ προτετιμήκασι, καὶ θεοὺς ἀναγορεύουσι· *Alii fluvios, & fontes, & omnium maxime Ægyptii, aquam præcipuè venerati, deoſque appellant.* Similiter Julius Firmicus de err. prof. relig. *Ægyptii incolæ, aquarum beneficia percipientes, aquam colunt, aquis ſupplicant, aquas ſuperſtitioſâ continuatione venerantur.* Vide & Vitruvium in præfat. lib. VIII.

Cujuſmodi autem hæc fuerit veneratio, intelligitur ex iſtis, quæ antea diximus de corporum cæleſtium apud Ægyptios cultu. Par enim utrobique ratio eſt. Liceat igitur paucis nunc reponere, quod pluribus antea demonſtravi de duplici principio effectivo; uno boni, altero mali; atque ut illud boni *Oſiridem*; mali iſtud, *Typhona* nuncuparint. Oſtendimus autem, in cælis Solem, quatenus Lunam ſuo implet lumine, eſſe *Oſiridem*: ſed *Typhona* eundem eſſe, quatenus torret, & exurit. Lunam quoque conſiderari, tum quatenus lumen recipit à Sole; quomodo *Iſis* dicitur, & uxor eſt Oſiridis: tum quomodo, gravidata à Sole, agit in res ſublunares, & moderato calore, ac humore, res omnes producit: quo pacto, jam viri præſtans munia, *Oſiris* nominatur.

Ex iſtis lucem fœnerant, quæ hujus propria ſunt loci. Similiter enim ſub cœlis conſiderare oportet, tum principium boni activum; quod & hic *Oſiris* vocatur: tum principium mali effectivum; quod & hic *Typho* nuncupatur. Ac ut in cælis Sol, pro diverſo effectu, tum *Oſiris* eſt, tum *Typho*: ſic in ſubcæleſtibus Aqua, & *Oſiris* eſt, & *Typho*: *Oſiris* quidem, quatenus Nilus attenditur; *Typho* autem, ſi conſideremus mare. Quod ergo

b Fol. 110. edit. Pariſ. Sonn.

Clemens Romanus in x Recognitionum *b* aquam ait Oſiridi dicatam: id propriè capiendum de aqua Nili; non marinà, quæ Typhonis, & mali principii nomine intelligebatur. Cautiùs igitur Plutarchus libro ſæpius memorato *c*, ac deinceps nominando, Οὕτω παρ' Αἰγυπτίοις Νεῖλον εἶναι τὸν Ὄσιριν, Ἴσιδι συνιόντα τῇ γῇ· *Sic Ægyptiis Nilum eſſe Oſiridem, congredientem cum Iſide, quæ eſt Terra.*

c De Iſide, & Oſiride.

Sed ut meliùs percipiatur, cur Nilus ſit principium boni activum, ac propterea *Oſiris* vocetur; mare autem habeatur principium mali activum, ac dicatur *Typho*: diſtinctè primùm agemus de Oſiride, ſive Nilo; deinde de Typhone, ſive mari Ægyptum alluente. De priori priùs exponam ea, quæ pertinent ad appellationes Nili præcipuas; eundemque eſſe Ægyptiorum Oſirin, & Græcorum Liberum, oſtendam. Hinc conſiderabo Nili naturam: ac ſacrorum inde rituum cauſſas diducam.

Qui vulgò Nilus, is in Scripturis gemino vocatur nomine: uno communi, altero magis proprio. Communis appellatio eſt נַחַל מִצְרַיִם, *nachal Mitzraim*: hoc eſt, *fluvius Ægypti.* Sanè *nachal* τοῖς ἑβδομήκοντα *d* crebrò vertitur ποταμὸς, *fluvius*; item χειμάῤῥους, *torrens.* Sed ut in Aſia per *flumen* κατ' ἐξοχὴν *Perath*, ſive *Phrath*, is, qui Græcis *Euphrates*, intelligitur: ita in Ægypto ſic dicebatur *Nilus.* Quomodo & R. Salomon, & R. Kimchi, exponunt Geneſ. xv: ubi Deus dicit, ſe Abrahamo daturum terras à fluvio Ægypti, uſque ad fluvium magnum Euphratem. Sed non hic per fluvium intelligendus eſt integer Nili alveus, (nunquam enim Hebræi omnem Ægypti terram cis Nilum poſſederunt) ſed uſque ad initium Nili, ſive rivum ex brachio Peluſiaco Judæam verſus procurrentem, indeque profluentem in mare Ægyptium, ſive Phœnicium. Hoc enim fluentum terminus erat Palæſtinæ. Meminit ejus Strabo in XVI; item Guilielmus Tyrius lib. xx, cap. xv: etiam Brocardus Monachus, & Leo Afer; ut alios mittam. Porrò pro *Nahal*, ſive *Naal*, Syri, & Ægyptii, dixere *Neel*; ut Phœnices, & alii, pro *Bahal*, ſive *Baal*, *Beel*: atque ut ex *Beel*, *Bel*, unde Βῆλος; ſic ex *Neel*, *Nel*, vel *Neil*, unde Νεῖλος. Nec enim audiendi ſunt Græculi, quando vocis Ægyptiæ originem arceſſunt è Græcia. Et talis eſt communis appellatio; ſed Ægypti fluvio, fluviorum regi, κατ' ἀντονομασίαν attributa. Ac ſimiliter *Niger* fluvius, qui multum cum Nilo convenit, *Nuchul* nuncupatus: ut iiſdem verbis legas apud Oroſium lib. I, & Æthicum in Coſmographia. Mela etiam lib. III, c. x, tradit, Nili fontem in Æthiopia ab incolis *Nuchul* vocari. Quid inde apertius, quàm & *Nuchul* eſſe ab *Nachal*, unde Νεῖλος antea deduximus?

d Septuaginta interpretibus.

Alterum Nili nomen in Scripturis eſt שיחור *ſchichor*; ut Jeſ. XXIII, 3, & Jer. II, 18. Id ad verbum notat *nigrum.* Nam *denigrari* Hebræis שָׁחַר, *ſchachar*: unde & priſca Latinorum vox *ſcurus*, & cum præpoſitione *obſcurus.* Eſt verò Nilus turbidus, & ſubfuſcus, ac nigricans: puta ob limum, quem advehit ſecum ex partibus ruens Auſtrinis. Altera quoque nominis ejus ratio eſt. Nam, terram humectans, eam reddit nigram: quomodo & in juvenibus nigricant capilli ob humorem; qui poſtea ejus defectu caneſcunt. Sed ut Geneſ. xv, 18, per *nachal Mitzraim*; ita & Joſuæ XIII, 3, per *Schichor*, non Nilus integer capiendus; verùm illud brachiolum Nili, quod aliter *torrens deſerti* vocatur Amos VI, 14. Perperam enim Vatablus ſignari putat mare mediterraneum: etſi non diffitear, torrentem hunc, ut è Peluſiaco brachio in deſertum, ita inde in mare procurrere Ægyptium. Similiter *nachal* capitur Jeſ. XXVII, 12. *Percuſſis adverſariis veſtris, ab alveo fluminis, uſque ad torrentem Ægypti.* Quod Hieronymus interpretatur, *uſque ad Nilum*: hoc eſt, brachiolum Nili memoratum. LXX verò ἕως Ῥινοκορούρων, *uſque ad Rhinocoruram.* Nempe, ut ibi annotat B. Hieronymus, LXX *non tam verba Scripturarum, quàm ſenſum verborum, exprimunt.* Videlicet pro torrente Ægypti ponunt *Rhinocoruram*, ſive *Rhinocoluram* (utroque enim modo exaratur) oppidum Cananitidis, ſive Palæſtinæ, torrenti illi proximum; uti & monti Caſio, quem Herodotus propterea Ægypti, & Palæſtinæ, terminum ſtatuit. Quid mirum verò, ſi Scriptura *nachal Mitzraim*, & *ſchichor*, non ſolùm pro Nilo ipſo, ſed etiam pro rivo, etſi exiguo, & eapropter ne navigabili quidem, uſurpet: quando in homogeneis, qualis eſt aqua, idem eſſe ſoleat nomen totius, & partis? Nec veteres igitur errant, qui Nilum vertunt; nec recentiores, quando non ipſum ajunt Nilum, ſed rivum ejus, intelligi. Optimè enim hæc duo conveniunt; ut vidimus.

Quemadmodum verò Nilus Hebræis ob nigricantes aquas, & quia, terram humectans, eam reddat nigram, *Sichor*, ſive *Sior*, hoc eſt, *Niger* dictus eſt: ita & Græcis eàdem de cauſſa vocatus eſt Μέλας; Plutarcho, & Euſtathio, teſtibus. Indeque & Latinis veteribus appellatus *Melo*; ut Feſtus, & Servius, tradidere. Qua de re pluribus dixi in Oratoriis noſtris Inſtit. lib. IV, cap. XI, ſect. V. Ex quibus etiam cognoſcere licet, cur Ægyptii, Plutarcho teſte, Oſirin effingant nigrum. Nempe nigrum Nili colorem attenderunt. Et quid ſi dicamus, ipſum nomen *Oſiris* eſſe ex *Schichor*, ſive, ut molliùs pronunciant, *Sior*? Nam *Sior*, trajectis literis, ſit *Oſir*: unde, terminatione additâ Græcanicâ ac Romanâ, *Oſiris.* Jam ante in vocabulis Ῥέας, καὶ Ἥρας, oſtendimus, gentiles in Deorum nominibus iſtiuſmodi trajectione gaviſos, ne, ſi vulgata eorum retinerentur vocabula, haut aliud viderentur, quàm elementa.

Pro *Oſiris* autem, truncato, ut in aliis multis, vocabulo, etiam dicebant *Siris.* Nam ſic Æthiopes, & Ægyptii, Nilum vocabant. Dionyſius Περιηγητής:

Σῖρις

Σεῖρις ὑπ' Αἰθιόπων κικλήσκεται. ——
Siris ab Æthiopibus vocatur. ——

Per aliquot millia ſic dici, ait & Plin. lib. v, cap. IX. Atque ab hoc Nili nomine etiam Canis ſideri nomen datum Σείριος, quaſi dicas Νειλαῖος. Puta, ob ſummam conſpirationem inter Canem, & Nilum. Nam Caniculatibus diebus maximè exundat Nilus: ut pariter, & Canis in cælo, & Nilus æſtuet in terris.

Nec ignoro, Græcos putare, σείριος eſſe ἀπὸ τοῦ σειριᾷν, vel σειριᾷν: quod exponunt λάμπειν, ἀστράπτειν *a*. Sed ſi ſic veteres eo fuerint verbo uſi, potiùs σειριᾷν, vel σιριᾷν, ſit à σείριος. Præterea ſi Σῖρις eſt ab Æthiopibus, & Ægyptiis, οὐ χρὴ ζητεῖν ἑλληνικὴν ἐτυμολογίαν αὐτοῦ· *non oportet ejus quærere Græcanicam originem*: ut rectè cenſet Euſtathius, Dionyſii interpres.

a *Splendere, coruſcare.*

Nunc ad illud venio, quòd loco ponebam ſecundo, eundem eſſe Ægyptiorum Oſiridem, ac Græcorum Liberum: quà de re ſic Herodotus in Euterpe: Θεοὺς οὐ τοὺς αὐτοὺς ἅπαντες ὁμοίως Αἰγύπτιοι σέβονται, πλὴν Ἴσιός τε, καὶ Ὀσίριος, τὸν δὴ Διόνυσον εἶναι λέγουσι. τούτους δὲ ὁμοίως ἅπαντες σέβονται. *Non eoſdem Deos ſimiliter colunt univerſi Ægyptii, præter Iſidem, & Oſiridem, quem Bacchum eſſe aiunt. hos ſimiliter colunt univerſi.* Ubi *Iſis* eſt Luna, & Tellus: *Liber* autem eſt Sol, & Nilus: quemadmodum dictum. Etiam aliquantò antè ſic idem Herodotus de incolis inſulæ Meroës loquitur: Λέγεται δὲ αὕτη ἡ πόλις εἶναι μητρόπολις τῶν ἄλλων Αἰθιόπων. οἱ δ' ἐν ταύτῃ, Δία θεῶν καὶ Διόνυσον μούνους σέβονται· τούτους τε μεγάλως τιμῶσι· *Dicitur hæc civitas* (Meroë) *metropolis aliarum Æthiopiæ urbium. Cujus incolæ ſolos Deorum colunt, Iovem, & Liberum; eoſque magnopere venerantur.* Ubi *Jupiter* fuerit æther, ſive aër cum æthere; unde ſit ſpiritus noſter, quia & is naturæ credatur ætheteæ, ac ſiccæ. Per Liberum autem capiendus Nilus, ac univerſè Humor, quatenus ille ad generationem concurrit. Ad hanc interpretationem præit Plutarchus: Δία μὲν Αἰγύπτιοι τὸ πνεῦμα καλοῦσιν, ᾧ πολέμιον τὸ αὐχμηρὸν καὶ πυρῶδες. τοῦτο δὲ ἥλιος μὲν οὐκ ἔστι, πρὸς δὲ ἥλιον ἔχει τινὰ συγγένειαν· ἡ δὲ ὑγρότης σβεννῦσα τὴν ὑπερβολὴν τῆς ξηρότητος αὔξει καὶ ῥώννυσι τὰς ἀναθυμιάσεις. *Iovem Ægyptii ſpiritum vocant, cui ſicca & ignea natura eſt adverſa & inimica. ea verò non eſt Sol, ſed quandam habet cum Sole cognationem. humor autem, exſtinguens exceſſum ſiccitatis, auget, & roborat exhalationes, quibus ſpiritus alitur, & viget.* Et ſanè Liberum eſſe Ægyptiorum Oſiridem, eo idem Plutarchus probat, quòd Anticlides Iſidem Liberi faciat uxorem: quòd item edera, quæ apud Græcos ſacra erat Baccho, Ægyptiis dicatur *chenoſiris*, hoc eſt, *planta Oſiridis*: quòd denique geſtatione phalli, & aliis tam multis; Græca Bacchi, & Ægyptia Oſiridis ſacra, conveniant. Nimirum utriſque in ſacris phallus generationis erat ſymbolum. Eo igitur ſignificabant, ab ſemine Dei, hoc eſt, humida natura, eſſe rerum omnium originem; ut idem refert Plutarchus. Qui & cenſet, eò ὑὴν dici ἀπὸ τοῦ ὕειν *b*, ut ejuſdem ſit originis, ac ὕδωρ *c*. Sed de etymo magis placet, ὑὸς eſſe ab הָיָה, γίνομαι: quomodo Latini pro eo à *naſcendo* dicunt *natum*, & fortaſſe à *generando*, *gnatum*, quaſi *generatum*.

b *A pluendo.*
c *Aqua.*

Canopus etiam Ægyptiorum numen erat: nec aliud per eum intelligebatur, quàm aqua. Quomodo verò Canopus, fraude ſacerdotis Ægyptii, devicerit Ignem, deum Chaldæorum; refert Rufinus Hiſtor. Eccleſ. lib. II, cap. XXVI, item Suidas in Κάνωπος. Hiſtoriæ illi acceſſerit lux, ſi conſtiterit, hydriam fuiſſe Canopi ſymbolum. Sed an eædem ſacræ Ægyptiorum urnulæ? quæ ut ſoleant effingi, cognoſcere eſt ex Appuleji ultimo Mileſiarum: *Urna*, inquit, *faberrimè cavata fundo quàm rotundo, miris extrinſecus ſimulachris Ægyptiorum effigiata. Ejus orificium non altiuſculè levatum, in canalem porrectum longe rivulo prominebat. Et aliâ parte multum recedens, ſpatioſâ dilatatione adhærebat anſa, quam contorto nodulo ſuperſedebat aſpis ſquameæ cervicis ſtricto tumore ſublimis.* Addam ritum inſignem ex Vitruvii præfatione libri VIII: *Qui ſacerdotia gerunt moribus Ægyptiorum, oſtendunt, omnes res e liquoris poteſtate conſiſtere. Itaque cum hydriam tegunt, quæ ad templum, ædemque, caſtâ religione defertur, tunc in terra procumbentes, manibus ad cælum ſublatis, inventionibus gratias agunt divinæ benignitatis.*

Cap. LXXV.

Quantum Ægyptii debeant Nilo, ob ſoli malignitatem; cum hoc flumine, quia pluvia id non ſit, irrigetur; ac præterea, dum inundat, pingui obducatur limo. Nili fontes, de quibus res adeò controverſa fuit antiquis, eſſe in Gojomia, regione Abyſſini regis. Duplicem eſſe Æthiopiam; Orientalem, in Aſia magna, & Occidentalem, ſub Ægypto: ex priori fuiſſe conjugem Moſis; ut cum fuiſſe dicitur è terra Chus, Arabiſſa intelligatur. Longitudo Nili. Incrementi ejus, & decrementi tempus, ac cauſſa. Unde promanarit mos hodieque uſitatus, tum oriſicio fontis, & aquæductus, tum ædium, ſacrarum præcipuè, clauſtris, leoninum apponendi caput rictum diſtendens. Cauſſæ quatuor, cur menſe Athyr lugeri ſoleat Oſiris. Per Typhonem intelligi mare. Cur Romani ſalis appoſitu crediderint ſacrari menſas; Ægyptiis contra religio fuerit, eum menſis inferre. Cur Ægyptiis exoſi nautæ; cur item piſcis odii iis fuerit ſymbolum; ſacerdotes vero eorum nec guſtare piſces ſoleant: & exinde collectum, Typhone nihil Oſiridi, vel Oro, inimicius creditum eſſe, quia vita noſtra in humido conſiſtat, ac ſalſa humorem depaſcant. Cur Typho fingeretur rufus, & ſubpallidus. Cur Ægyptii refugerint commercia cum rufis. Præterea Typhonem fuiſſe exoſum, quia mare ſit infeſtum Nilo. Cur dixerint Oſiridem oriri à læva, perire à dextra. Alia item cauſſa odii erga Typhonem; amoris erga Oſiridem, & Orum; quia cum antea Ægyptus mari occultaretur, (quod triplici oſtenſum argumento) terra ejus limo, quem Nilus apportat, paullatim altior evaſerit: atque hoc dixiſſe eos victoriam Ori de Typhone: occurſumque metuentibus, ne tellus, pluviæ neſcia, tandem etiam careat Nilo. Ut Oſiridis uxor Iſis, ita Typhonis Nephthys: & ut ex illis natus eſt Orus, ita ex his Anubis: atque ut Iſidis eſt terra ſupera, ita Nephthyos infera; Anubidis autem horizon; & cur hic per canem ſymbolicè notetur.

EXpoſuimus præcipuas Nili appellationes, & ut idem ſint numen, Oſiris Ægyptius, ac Liber Græcanicus: per utrumque enim aquam potabilem ſignari. Nunc ſeorſum referam Nili naturam: ac ut ea in ſacris Oſiridos ſoleat repræſentari. Erit verò doctrina hæc tripartita. Initio exponam, quantum Nilo debeat Ægyptus. Deinde dicam de Nili origine, ac magnitudine. Denique, quæ ad tempora pertinent incrementi ejus, & decrementi. Quippe & iſta auxere admirationem Nili: hæc autem ad majorem ejus cultum non leve attulit momentum.

Ad Nili bona quiſquis attenderit, mirari deſinet, nuſquam gentium majori in honore Aquas fuiſſe, quàm apud Ægyptios. Abſque enim Nilo ſi foret, quid tota eſſet Ægyptus? Siquidem ſolum ejus eſt nitroſum, ac ſolibus aduſtum, & prope in modum lapidis induratum; multis etiam locis ſic hians, ut equitationi non ſit idoneum. Nec malo huic medetur pluvia; quam Ægyptus neſcit, ſi Alexandriam, & loca alia mari vicina, exceperis. At Nilus Ægyptio eſt ſolo pro Iove pluvio: unde, non Ovidius quidem, quod L. Seneca *a*, memoriâ lapſus, refert; ſed æqualis ejus Tibullus *b*, cecinit:

Te propter, nullos Tellus tua poſtulat imbres,
Arida nec pluvio ſupplicat herba Iovi.

a *Lib. 4. Nat. Quæſt. cap. 27.*
b *Lib. 1. eleg. 7.*

Parmenonis etiam Byzantii eſt apud Athenæum, Αἰγύπτιε Ζεῦ Νεῖλε· *Ægyptie Jupiter Nile.* Philoni ideo, lib. de profugis, dicitur μονονουχὶ ἀντίμιμος οὐρανοῦ· *tantummon æmulus cæli.* Imò Heliodorus in IX ab Ægyptiis

ait

a *Imitatorem at æmulum cæli.*

ait diſertim, ἀντίμιμον τοῦ οὐρανοῦ *a* vocari: & rationem addit, quia abſque pluvia irriget, & velut imbre humectet. Eſt hoc prius Nili beneficium. At parum eſſet, ſolum nitroſum, ac ſterile, irrigari. Divinâ igitur providentiâ & alterum accedit, quòd *cùm recedit*, non *mollitos* modò, ſed *& oblimatos relinquit agros*: ut eſt apud Cic. in II de Nat. Deor. pleniuſque de eo Seneca lib. IV Quæſt. Nat. cap. II: *Nilus arenoſo & ſitienti ſolo, & aquam inducit, & terram. Nam cùm turbulentus fluat, omnem in ſiccis, atque hiantibus locis, fecem relinquit, &, quicquid pingue ſecum tulit, arentibus locis illinit: juvatque agros duabus ex cauſſis, & quòd inundat, & quòd oblimat.*

Quod ad Nili originem, quam prorſus ignorari, multi & veterum, & juniorum, prodiderunt, rectè de ea Philoſtratus lib. I Icon. Νεῖλυ μὲν Αἰγύπτιοι ἔχουσι τὰς ἐκβολάς, Αἰθίοπες δὲ τὰς πηγάς· *Ægyptii quidem habent exitus, oſtiaque Nili; Æthiopes autem ejus fontes.* Nam ab aſperis rupibus, qui Lunæ montes dicuntur, per Æthiopiam decurrit in Ægyptum. Quod rectè monitum Paullo Iovio lib. duodevigeſimo hiſtoriarum ſui temporis, & Hieronymo Oſorio lib. IX de geſtis Emanuelis. Prius tamen, de montibus præcipitans, ingentem efficit lacum: cujus & Pauſanias meminit lib. V. Et veritatem ejus rei comprobavit experientia: ut videre eſt ex Nicolao Leonico lib. II de Var. Hiſt. cap. LVI. Regio, ubi oritur, dicitur *Goyome*: eſtque in ditione Regis Abyſſini: qui & in titulis imperiorum, inter cæteros, ſcribit; *Rex de Goyome, ubi Nilus oritur.* Teſtis Rex Æthiopiæ, David, literis ſuis ad Emmanuelem, Portugalliæ regem: & exinde Damianus à Goes, Luſitanus. At, qui crediderunt fluere è paradiſo, immane quantum aberrarunt. Nec obſtat, quod Gichon Moſi dicatur alluere terram Chus; quæ eſt Æthiopia. Nam Moſes loquitur de Chus orientali, ſive Arabia; non occidentali, quæ eſt Æthiopia ſub Ægypto. Duplicem hanc Æthiopiam Homerus agnoſcit, & ex eo Strabo lib. I, & Plinius lib. V, cap. VIII: Quando Moſis uxor *Æthiopiſſa* vocatur, *Arabiſſa* intelligitur. Erat enim Sephora filia Jethro, ſacerdotis, vel principis in terra Madian, quæ in Arabia. Aliiſque etiam locis non paucis compàret, terram Chus fuiſſe Palæſtinæ vicinam.

Decurrit hic fluvius per gradus XV. Et ſi mæandros etiam, atque ambages, annumeres, pluſquam nongentorum fuerit milliarium Germanicorum.

Nunc ſpectemus, quando incipiat creſcere; quando totam inundet Ægyptum; quando terris recedat. Creſcere incipit mox à ſolſtitio circa XV Kal. Quinctiles. Cujus cauſſa ſunt perpetui imbres juxta circulum Æquinoctialem: ubi eſt hyems, quando æſtas eſt illis, qui ſub Tropico Cancri, & cis eum, habitant. His igitur imbribus Septentrionem verſus conſertim ruentibus, tota inundatur Ægyptus. Quod quia Leonis cæleſtis beneficium crederetur, eò Ægyptiis Leo erat exundationis ſymbolum: ac ſi tubos fontium, & aquæductuum, formabant, ut aquæ è capite leonino patulo hiatu rictum diducente evomerentur. Eumque morem ab architectis Ægyptiis accepere Græci, ac Romani: ab his nos, & gentes aliæ. Uti & ab iiſdem fuit Ægyptiis ad nos derivatum, quòd clauſtris ædium, templorum imprimis, leonis capita, rictuſque, apponamus. Audiamus Plutarchum de Iſid. & Oſir. Λέοντα τιμῶσι, καὶ χάσμασι λεοντείοις τὰ τῶν ἱερῶν θυρώματα κοσμοῦσιν, ὅτι πλημμυρεῖ Νεῖλος,

Ἠελίου τὰ πρῶτα συνερχομένοιο λέοντι·

Leonem venerantur, ac rictibus leoninis templorum fores exornant, quia Nilus exundat,

Titanis primùm curru tangente Leonem.

Sed hic leo, ut Pierio quoque in Hieroglyphicis obſervatum, vigilantiæ potiùs, ac cuſtodiæ ſymbolum videtur. Ut quod animal prope ſit inſomne, atque oculis dormiat ſemiapertis. Porrò ceſſantibus Æthiopiæ ejus, quæ ſub Ægypto eſt, imbribus hibernis, Nilus etiam decreſcit. Imò Sole in Virgine conſtituto, paullatim ſic imminuitur, ut priuſquam id ſignum exeat, jam ſe contineat intra ripas: ac quibus antea locis navigia ambulabant, equitem cernere ſit numeroſium. Itaque menſe Athyr, qui poſteriori parte noſtro reſpondet Octobri, periiſſe Oſiris dicitur, ac propterea lugetur, quæriturque. Tum enim Eteſiæ deficiunt; Nilus decreſcit; terra nudatur, ſtirpibus folia amittentibus; dies etiam noctu fiunt minores. Quæ quatuor luctûs eſſe cauſſam, ab eodem Plutarcho accepimus.

Habemus de aqua Nilotica: ſequitur de marina: quam Græci *Neptunum*, Ægyptii *Typhona* nuncuparunt. Sed non eo Ægyptiis loco Typho fuit, quo Neptunus Græcis. Pelaſgis enim in ſumma veneratione erat Neptunus, cumque cultum accepere à Libybus, qui ſemper hoc numen veneratione ſunt proſecuti. Teſtis nobis Herodotus eſt in Euterpe. At Ægyptii, eodem auctore, Neptunum ſic fatebantur, ut nullis dignarentur ſacrificiis. Imò Typhone nihil inimicius vel Oſiridi putabant, vel Oro, Oſiridis ex Iſide filio. Hac de inimicitia nunc agemus.

Quemadmodum in cælis Sol eſt Typho, quatenus torret ille, & exurit: ita ſub cælis Mare eſt Typho, quia, quod ſalſum eſt, vim habet exſiccandi: unde & carnes ſalimus, ut ſal noxios depaſcat humores, atque ita putredinem arceat. Ob beneficam illam vim ſalis, Romani, Arnobio *a* teſte, credebant, ſacras fieri menſas ſalinorum appoſitu. Contrà ſacerdotibus Ægyptiis minimè erat moris, ſalem menſis inferre; quia, ut ajebant, Typhonis eſſet ſpuma. Sanè cum Libyes magno in honore haberent Neptunum; Ægyptii agnoſcebant quidem id numen, ſed nullo dignabantur cultu: ut eſt apud Herodotum in Euterpe. Quin verò etiam oderant Typhonem; ut argumento eſt, quòd propter mare, ut Plutarchus *b* auctor eſt etiam averſarentur eos, qui uterentur mari: item quòd in ſcriptura hieroglyphica ſignarent odium per figuram piſcis, tanquam incolæ elementi ſibi maximè inviſi. Imò ſacerdotibus, ut eidem Herodoto *c* proditum eſt, ἰχθύων οὐκ ἔξεστι πάσασθαι· *de piſcibus geſtare eſt nefas.*

a *Lib. 2.*

b *Lib. de Iſide. & Oſiride.*

c *In Euterpe.*

Cauſſam, cur Typho Oſiridem, & Orum, odiſſe diceretur, jam vidimus. Nempe quòd vita noſtra in calido, & humido, conſiſtat: ſal autem vim habeat exſiccandi: ſiccitas verò, & humor, contraria ſunt. Nihil mirum igitur, ſi Mare non minùs, quàm Sol, dicatur Typho. Nam per Typhonem intelligitur ignea natura humorem ingenti ſuo depaſcens calore. At & Sol æſtu ſuo exſiccat, & idem aqua præſtat marina. Ob igneam iſtam Typhonis naturam, cum eſſe rufum & ſubpallidum, dictitabant: eumque eſſe colorem auctumni; qui, humorem ſubducendo, & plantis eſt inimicus, & morbos adfert homini. Quare nec lubentes Ægyptii cum coloris ejus hominibus converſari ſolent; ut monuit Plutarchus *d*.

d *Lib. de Iſide & Oſiride.*

Sed, præter hanc odii cauſſam, altera quoque, eaque manifeſtior erat. Videbant enim Nilo, cui vitam ad unum omnes deberent, nihil inimicius eſſe, quàm mare: ut quod Nilum, quantum in ſe eſt, perdat. Siquidem Nilus ab Auſtrina parte, à Lunæ montibus, decurrit in Septentrionem, uſque dum, ſe in mare mediterraneum præcipitans, diſpergatur, ac pereat. Unde & Oſiridem, hoc eſt, Nilum, oriri ajunt à ſiniſtris; perire à dextris. Faciem quippe Oſiridos ſtatuère ab Oriente, quia idem eſt Sol, & Oſiris: Sol autem ab Oriente procedit: ut Septentrio ei ſit à dextris, Meridies à ſiniſtris.

Tertiam etiam odii cauſſam erga Typhonem; amoris erga Oſiridem, & Orum, invenio. Antiquiſſimis enim temporibus, vel Ægyptus necdum erat; ſed tota immerſa mari, vel magnam ſaltem partem obruta undis fuit. Cujus rei tergeminum à Plutarcho adfertur argumentum. Nam & Homerus ait, Pharum diei unius curſu abeſſe ab Ægypto: at ea nunc pars eſt Ægypti, cùm terrâ, tum flumine id opplente, quod intermedium mare obtinebat. Præterea in montibus multa reperiuntur conchylia, veteris maris reliquiæ: quæ & Herodoti ſententia eſt in Euterpe. Denique nunc etiam videmus, Nilo limum aggerente, terram fieri altiorem, ac mare paullatim recedere.

Nem-

Nempe, quia Nilus, uti dictum, dum Ægyptum inundat, limum advehat ex partibus auſtrinis, atque ita terra Ægyptia, (quæ ſi non tota, plurimis ſaltem locis, undis fuerat marinis contecta) ſeſe progreſſu temporis ſupra undas quaſi elevârit. Hoc terræ Ægyptiæ incrementum appellabant Ori de Typhone victoriam: eo ſignantes, partim antiquam illam victoriam, quâ poſt diluvium terra jam olim mari emerſit: partim quotannis obvenientem, quia & nunc limus à Nilo aggeritur, eoque aggeſto mare magis, & magis, terras fugit: adeo ut fortaſſe metus eſſe poſſit, ne plurimorum ſeculorum decurſu in tantum ſe tellus tandem attollat Ægyptia, ut à Nilo non ampliùs inundetur. Sed de iſto nos ſecuri curam omnem committimus ſapientiæ eorum, qui terræ illi præſunt, imprimis Patris cæleſtis, qui nutu ſuo temperat univerſum.

Uti verò Oſiridi tribuêre conjugem Iſidem, prolem Orum: ita Typhoni aſſignarunt uxorem Nephthyn, prolem Anubin. Ac Nephthyi dedêre partem terræ pedibus noſtris adverſam: uti Iſidi eam, quæ horizonte noſtro continetur. Ipſum horizonta Anubidis eſſe dixerunt. Ac huic dicarunt canem: quia ut canis diu noctuque videt, & domi cuſtodit: ita Anubis & noſtrum, & oppoſitum videat hemiſphærium, & quaſi cuſtos ſit utriuſque. Maro *a*:

a 8 Æn. 698.

> *Omnigenumque Deûm monſtra, & latrator Anubis.*

Ubi Servius, Anubin dici latratorem, *quia capite canino pingitur.* Sed cur ſic fingeretur, non addit. Cauſſa verò eſt, quam ex Plutarcho *b* diximus. Non igitur ſtultè adeo ſapiebant ſacerdotes Ægyptii, ut Deo ſuo putarent eſſe caput caninum: ſed ſymbolo hoc aptè naturam horizontis exprimi credebant. Ibidem ait Servius: *Hunc volunt eſſe Mercurium, quia nihil eſt cane ſagacius.* Potiùs cenſeo, Mercurium habitum, quia Mercurii terreſtris, (de quo vidimus cap. LVII) eſſe munus crederetur, animas ad Orcum, hoc eſt, à terris ſuperis ad inferum deducere hemiſphærium, quod Nephthyi ſacratum fuiſſe dicebamus.

b Lib. de Iſide & Oſir.

CAP. LXXVI.

Quantopere Aquas venerati ſint Perſæ. Herodotus manifeſti de Xerxe mendacii arguitur. Per Atergatin Aſſyriam intelligi Lunam, & Mare, ſive vim à Luna diffuſam, & à Mari receptam. Eadem ſignari per Palæſtinum Dagonem. Hebræos de eo loqui, ut numine maſculo. Græce non tam Σιτὼν reddendum, ut factum à Philone Byblio, quàm Ἰχθυὼν. Simulacrum ejus ſupernè fuiſſe ſemihominem: infernè ſemipiſcem cum pedibus humanis. Itidem Ὠάννης Babylonius, ſemipiſcis: & Chaldaicus Ὠδάκων, qui fortaſſe idem ac Dagon. Ὤης corpore humano, pelle veſtitus cetacei piſcis.

DE Ægyptiis ſatis, quibus & paucula de Libybus admiſta. Nam ex Herodoto diximus, iis impensè cultum eſſe Neptunum, atque ab his, non Ægyptiis, venerationem ejus ad Pelaſgos perveniſſe. Nunc in Aſiam tendo.

Hic à Perſis divinus Aquæ honos præſtabatur: ut teſtantur inter alios Laërtius in proœmio operis ſui, Clemens Alexandrinus Admonitione ad Gentes, Arnobius lib. VI, Sidonius Apollinaris panegyrico Leon. Agathias lib. II. Imò Herodotus in I, & Strabo in XV, referunt, uſque adeò flumina veneratos, ut religio iis eſſet in ea mejere, vel alvum exonerare, vel inſpuere, vel cadaver, aut ſordidum quid conjicere, atque adeò vel manus vivo flumine abluere. Itaque & in expeditione Xerxis, magi, ubi ad Strymonem deventum, albis ei equis litaverunt: ut refert idem Herodotus in VII. Tyridates quoque Euphraten cum Vitellio, & copiis, transmiſſurus, equum immolavit, ut flumen hoc haberet placatum: quemadmodum apud Tacitum eſt in VI Annalium. Idem Tyridates, de Armenis ad Neronem iturus, eo noluit navigare, quoniam (Plinii verba ſunt lib. XXX, cap. II) *exſpuere in maria, aliiſque mortalium neceſſitatibus violare eam naturam, fas non putaret.* Meritò autem Magi, & Perſæ, Herodotum malæ fidei arguunt ſuper eo, quòd ſcripſerit, Xerxem, expeditione adverſus Græcos ſuſceptâ, & ſagittis impetiiſſe Solem, & mari injeciſſe compedes. Nec enim ullo pacto veriſimile eſt, tam irreligioſè Regem eum ſe geſſiſſe, erga Solem, & Aquam, qui, more gentis, pro ſummis ea numinibus haberet.

Etiam Aſſyriorum Atergatis ad Aquas refertur. Nam, ut antea *a* dictum, per eam intelligitur, quicquid ſolari ſubditum eſt poteſtati. Hujuſmodi autem in Cælis quidem Luna eſt: ſub cælis autem Aër, Terra, Aqua. De Terra vidimus ex Macrobio. Sed Aquam non minùs per Atergatin ſignari, arguit, quod Lunaris virtus vel maximè ſe exſerat in hoc elementum: quemadmodum oſtenſum eſt ſupra *b*. Idem ex ejus figura cognoſcitur. Erat enim supernè mulier, inferiùs autem piſcis: imo nomen *Atergatis*, *magnum* vel *excellentem piſcem* ſonat: & honori ejus elixos & aſſos piſces comedebant ſacerdotes in Deæ conſpectu. Quæ omnia libro primo *c* comprobavimus. At ſatis eſt apertum, piſces convenientius eſſe ſymbolum poteſtatis marinæ, quam terreſtris, vel aëriæ. Quare ſic ſtatuo, Atergatin φυσικῶς *d* eſſe poteſtatem à Sole in Lunam, à Luna in elementa tria, præcipueque in Aquas, diffuſam.

a Cap. 55. hujus libri.
b Lib. hujus c. 19.
c Cap. 23.
d Quatenus ad rerum pertinet naturam.

Itidem ad hanc in maria vim refero Palæſtinorum Dagonem: ut complexu ſuo contineat, tum Lunam, ſive Lunum, ut principium activum; tum Mare, ut paſſivum. Ratione prioris erat maſculum numen Hebræis. Ac ſimiliter LXX, 1 Sam. V, 4, Δαγὼν πεπτωκὼς ἐπὶ πρόσωπον αὐτοῦ. Quaſi dicas, *Dagon provolutus in faciem ſuam.* Et interpres Sanchoniathonis Philo, apud Euſebium in primo Præparat. Euang. Δαγὼν, ὅς ἐστι Σιτών. *Dagon, qui eſt Siton.* Ibidem unum ex quatuor Cæli filiis facit. Ac credit ei nomen eſſe à דגן dagan, hoc eſt, *frumentum*: eoque idem cenſet, ac Σιτὼν: quaſi dicas, *Frumentivus*; nempe quà formâ à *furtum* eſt *furtivus*. Sed de iſto fallitur: quia planè eſt à דג dag, hoc eſt, *piſcis*: ut meliùs dicturus fuerit Ἰχθυὼν, q. d. *Piſcio*, vel *Piſcinus*. Utramque ſententiam etiam adduximus lib. I, cap. XXII. Pro poſteriori autem eſt figura ejus. Nam erat ſemihomo, ac ſemipiſcis: unde R. David Kimchi, cùm in urbe Azoti ſimulachrum Dagonis ſic corruiſſet, ut caput, & manus, à reliquo corpore avulſa in limine jacerent; *tantummodo piſcis in eo formam relictam* ait. Cæterùm erant ei & pedes humani, quaſi ad caudam adnati: unde LXX, loco è primo Samuelis adducto, verba iſta habent, quæ fruſtra in Hebræo fonte quæras: ἀμφότεροι τὰ ἴχνη τῶν ποδῶν αὐτοῦ ἀφῃρημένα· *utraque pedum plantæ ei ablatæ.*

Etiam Babylonius Ὠάννης ſemipiſcis; ut pleniùs ex Beroſo Alexander Polyiſtor, ex Alexandro Euſebius, ex illo ὁ πολυμαθέστατος Seldenus enarrat ſyntagmatis de Diis Syris, cap. III. Ac ex eodem Beroſo Apollodorus quatuor commemorat Oannes, quos Anendotos vocarint. Hos ait è mari Erythræo enatâſſe, figurâ partim hominis, partim piſcis. Sed præterea ei temporibus Aedorachi, regis Chaldaici, ejuſce figurâ fuiſſe dicitur Ὠδάκων; qui fortaſſe ὁ Δαγών. Nam ut figuræ, ita etiam magna eſt nominis ſimilitudo. Quin etiam Helladius in Chreſtomathia, apud Photium in Bibliotheca *e*, refert, ut Ὤης (fortaſſe vocabulum id ex Ὠάννης contractum) hominis ſic habuerit figuram, ut, quia pelle indueretur cetaceâ, etiam piſcem referret. Pluribus de hiſce, loco memorato, Clariſſimus Seldenus. Planè autem cenſeo, & figmenta hæc pertinuiſſe ad repræſentandam vim, tum Lunarem, tum Marinam.

e Codice 279.

Cap. LXXVII.

Unde ὕδωρ, νῆϛις, *& cognata quædam vocabula. Quàm variè tres Empedoclis verſus de elementis legantur apud antiquos; quam item variè ab iis exponantur.* Aquæ ἔτυμον, *item* Acheloi; *& ut* Acheloum *pro quavis aqua dixerint veteres. Cur Oceanus fingatur antiquior Neptuno.* Oceanus *unde dictus.* Ὤγυγος, *&* Ὠγυγίδαι. *Utrùm Siracides voluerit fluvios ἀμέσως, ſed per cæcos meatus, ortum ducere à mari; an potiùs ἐμμέσως, prout ſenſit Ariſtoteles: cujus judicio à mari ſunt vapores, è vaporibus fontes, ac fluvii. Quid per* benedictiones abyſſi *intelligat patriarcha Jacob, cùm Joſepho benedicit. Veterum fuiſſe opinionem, ſidera paſci vaporibus è terra marique eductis: atque ut hanc opinionem ſecutus quoque ſit B. Ambroſius; imò Hippocrates etiam ratione ſubnixam putârit: ut item quorundam ſententia ſit, talium defectu vaporum fore tandem mundi exuſtionem. Cur Prometheæ amicum Oceani finxerint poëtæ. Alexandrum Magnum ſacrificaſſe Oceano. Unde* Ποσειδῶν, *&* Neptunus *vocetur. Cur dicatur* γαιήοχος, *&* ἐννοσίγαιος. *Quamobrem, ſi fuiſſet terræmotus, ferias quidem decreverint in honorem Dei, ſed incerti.* Nereus *unde appellatus. Quomodo idem nunc Neptuni, nunc Ponti filius, dicatur. Ponti nomen κατ' ἐξοχὴν Euxino tribui; non primò, proprieque.* Nerei ſimum pecus *de piſcibus, vel delphinis ſolis. Quamobrem Nerea poëtæ inducant vaticinantem: & quid per quinquaginta ejus filias ſignarint.*

VEnio ad Græcos, & Romanos: quorum illis elementum hoc ὕδωρ: ſed impropriè, cùm ſit ἀπὸ τοῦ ὕειν, quod eſt *pluere*; eoque naturâ ſuâ *aquam* ſignet *pluviam*. Aptior vox νῆϛις, qua pro *aqua* uſus eſt Empedocles. Nam eſt id à νάειν, quod eſt *fluere*: ut apud Homerum Iliad. φ *a*: atque inde item νήχειν, & Latinum *no*; uti ab ſupino hujus, *nato*. Sed & ejuſdem originis ſunt νῆσος, ναῦς, ſive νηῦς, *Naides*, & *Nereus*, de quo poſtea. Verſus Empedoclis, quos dixi, legas hoc pacto apud Plutarchum lib. 1 de Placitis philoſ. cap. III:

a Verſ. 197.

> Τέσσαρα τῶν πάντων ῥιζώματα πρῶτον ἄκουε·
> Ζεὺς, αἰθὴρ, Ἥρη τε φερέσβιος, ἠδ' Ἀϊδωνεύς·
> Νῆστίς θ' ἣ δακρύοις τέγγει κρούνωμα βρότειον·

Utcunque ita expreſſeris:

> *Rerum cunctarum primordia quatuor audi:*
> *Jupiter æthereus, Juno vitalis, & Orcus,*
> *Humanoſque rigans Neſtis lachrymando meatus.*

Sic verò hæc ibidem exponit Plutarchus: Δία μὲν γὰρ λέγει τὴν ζέσιν, καὶ τὸν αἰθέρα· Ἥρην τε φερέσβιον, τὸν ἀέρα· τὴν δὲ γῆν τὸν Ἀϊδωνέα· Νῆστιν δὲ, καὶ κρούνωμα βρότειον, οἱονεὶ τὸ σπέρμα, καὶ τὸ ὕδωρ. *Iovem enim dicit fervorem igneum, atque æthera: Junonem, vitalem aëra; & Orcum, ſive Plutonem, terram: Neſtin autem, & humanos canales ſeu ſcatebras, quaſi ſemen, & aquam.* Paullùm tamen variant in Empedoclis verſibus Laërtius lib. VIII, & Athenagoras legatione pro Chriſtianis. Nam pro Ζεὺς αἰθὴρ, ponunt Ζεὺς ἀργὴς, *Jupiter candens*. Præterea apud Laërtium verſus poſtremus habet:

> Νῆστίς θ' ἣ δακρύοις ἐπιτέγγει ὄμμα βρότειον·
> *Et Neſtis, lacrymis oculos quæ replet amaris.*

Mirùm verò, cùm Plutarchus per *Junonem* intelligat aëra, per *Plutonem* terram; Laërtium contrà, & Athenagoram, per *Junonem* capere terram, per *Plutonem* aëra. Plutarchus omnino convenientiùs Stoicis. Interea & verum eſt, aliis tum Ἥραν eſſe terram; ut antea oſtenſum: tum Ἀϊδωνέα ſive *Plutonem* eſſe aëra caliginoſum; de quo poſtea agemus.

Romanis hoc elementum *Aqua* nominatur ab Dorico αἰγὸς, hoc eſt, *æquus*, ſive *lævis*: qua de re alibi *b* dictum nobis. Etſi nec abſurdè Cæſar Scaliger in primum Theophraſti de Plantis: ubi & Græcos ſic appellâſſe antiquitus, colligit ex nomine Ἀχελῶος. Nam *Aqua* vox

b Orat. Inſtit. l 4. cap. 6.

initio quodammodo auditur, & pars altera videtur Doricum λῶειν, pro λούειν, *lavare*, *abluere*, *mundare*. Sanè triplex maximè aquarum eſt uſus; in irrigando, in abluendo, in navigando. Et firmat hanc opinionem, quòd, Euſtathio teſte *a*, qui tamen aliam adducit *b* originem, Ἀχελῶον dixere pro quavis aqua: quod imitatus Maro, primo Georg. ait:

a Iliad. β. pag. 353. edit. Rom. & Iliad δ. pag. 500. b Iliad. α. p. 1367. ejuſdem edit.

> *Poculaque inventis Acheloja miſcuit uvis.*

In numinibus Aquarum maſculis principatus dabatur Oceano, & Neptuno: quorum ille notat Aquam, quatenus humor eſt principium rerum; hic eandem ſignat, prout eſt ex præcipuis mundi partibus. Non abſurdè igitur Oceanum finxere Neptuno antiquiorem. Nam Oceanus, & Tethys, Cæli quidem, & Telluris, ſunt liberi; parentes autem Saturni, & Opis; unde Jupiter, Neptunus, & Pluto, generati. Hoc nos docet Plato in Timæo: Γῆς τε, καὶ Οὐρανοῦ, παῖδες Ὠκεανός τε, καὶ Τηθὺς, ἐγενέσθην. Ἐκ τούτων δὲ Φόρκυς τε, καὶ Κρόνος, καὶ Ῥέα, καὶ ὅσοι μετὰ τούτων. Ἐκ δὲ Κρόνου, καὶ Ῥέας, Ζεὺς, Ἥρα τε, καὶ πάντες, ὅσους ἴσμεν πάντας ἀδελφοὺς λεγομένους αὐτῶν. Quæ ſic M. Tullius vertit, libro de Univerſitate: *Sic igitur, ut ab iis eſt traditum, horum Deorum ortus habeatur, atque dicatur: ut Oceanum Salaciamque Cæli ſatu, Terræque conceptu, generatos editoſque memoremus. Ex iis Phorcyn, Saturnum, & Opem; deinceps Iovem, atque Junonem, reliquos, quos fratres inter ſe, agnatoſque uſurpare, atque appellare ſolemus, & eorum, ut utamur veteri verbo, proſapiam.* Suntque iſta ſatis conſentanea Græcorum principi Homero: cui Aqua non ſolùm pro numine fuit, ſed etiam pro numine primo & antiquiſſimo: ut hoc verſu oſtenditur Iliad. Ξ *c*.

c Verſ. 201. & 302.

> Ὠκεανόν τε θεῶν γένεσιν, καὶ μητέρα Τηθύν.
> *Oceanumque Deûm patrem, & Tethyn genitricem.*

Ac fortaſſe origo nominis eſt ab antiquitate. Nam ὠγένιον, παλαιὸν *d*: ut eſt apud Heſychium: pleniuſque Suidas: Ὤγηνος, ἀρχαῖος θεός, ὅθεν Ὠγηνίδαι, καὶ Ὠγήνιοι, ἀρχαῖοι· OGENUS *Deus antiquus, unde* OGENIDÆ, *&* OGENII, *antiqui*. Sed cùm Oceanus propriè notet mare externum, orbem ambiens univerſum: veriſimilius ſit, ὠκεανὸς eſſe ex ὠγὴν: quomodo prius vocatum eſſe Oceanum, Heſychius docet: ὠγὴν autem eſſe ab חוג, quod valet *circulum*, ſive *ambitum*. Ac videtur eodem ſpectâſſe Papias, cùm ita vocatum ait, *quod in circuli modum ambiat orbem*. Sed addit etymum alterum, *à celeritate, quod ocius currat*. Nempe ab ὠκέως νάειν. Quod verò putarit Homerus, Oceanum Deorum eſſe vetuſtiſſimum, id fortaſſe eſt ab reliquiis traditionis antiquæ. Nam & Moſes Aquam primo creatam die tradit. Nec tamen dubitandum, quin & reſpexerit poëta ad rationem occultam, quòd prolifica ac generatrix vis in humido conſiſtat: unde & Thaleti Aqua rerùm omnium principium credebatur. Atque hæc oſtendunt, ut non ineptè Oceanum putarint avum Neptuni. Nempe, uti dicebamus, in Oceano attenderunt Humorem aqueum, velut principium ad rerum conſtitutionem neceſſarium: in Neptuno conſiderarunt eundem, ut nobilem in natura conſtituta partem. Aliud etiam occurrit. Vulgo enim *Oceanus* ſumi ſolet, pro mari externo, omnium aquarum receptaculo: *Neptunus* autem pro quavis Aquarum parte; ac ſæpius maris interni; ut Græcis, Romaniſque, notioris. Quare fortaſſis, cùm Oceanum finxere antiquiorem Neptuno, ſimpliciſſimum ſit dicere, eò ſpectâſſe, quòd mare omne internum effluat ab externo.

d Ogenium, antiquum.

Etſi verò non dubium eſt, quin ad divinitatem Oceano tribuendam multum contulerit opinio hæc de ejus antiquitate: plus tamen momenti in eo poſuiſſe crediderim, tum quòd vaſtus adeò ſit, tantæque potentiæ, præſertim ſi agatur tempeſtatibus: tum quòd ex eo, ut dixi, omnis ſit aqua maris interni; imò & omnis, quam bibimus. Unde Homerus ait Il. φ *e*:

e Verſ. 197.

> Ἐξ οὗπερ πάντες ποταμοὶ, καὶ πᾶσα θάλασσα,
> Καὶ πᾶσαι κρῆναι, καὶ φρείατα μακρὰ νάουσιν.

Unde

Unde liquor fluvio quovis, ſimul æquore toto,
Fontibus & cunctis manat, puteiſque profundis.

Huic ſententiæ favet Jeſus Siracides parabolarum, ſive Sapientiæ, aut πανάρετε, vel, ut Latinis κατ' ἐξοχὴν dici ſolet, Eccleſiaſtici cap. I: *Omnia flumina intrant in mare, & mare non redundat: ad locum, unde exeunt flumina, revertuntur, ut iterum fluant.* Hoc ipſum tamen menti Ariſtotelis ſic accommodare nituntur. Ex mari ajunt attrahi vapores, ex his aquas fieri pluvias, ac nivales: eas terris receptas materiam eſſe fontium: unde torridâ æſtate ſæpe fontes exareſcant: ex fontibus autem in alveos deductis flumina oriri; hæc tandem in mare relabi: atque ita eſſe rerum circuitum. Sed enim longè hæc petita: ac qui citra præjudicium allata attenderit verba, facilè videbit, potiùs eam eſſe illorum ſententiam; ex mari, per venas ſubterraneas, oriri fontes fluminaque, quæ poſtea refluant in mare. Atque ejuſmodi ſubterraneos meatus, per quos ex Oceano fontes, & flumina, naſcuntur, innuere videtur patriarcha Jacob; cùm Geneſ. XLIX, 25, ait, *benedictionibus cæli deſuper, & benedictionibus abyſſi inferne.* Sententia eſt, habitaturum Joſephum in terra fertili; ut quæ & ſupernè madeſiat rore, ac pluviâ; & ex abyſſo, ſive profundis terræ, irrigetur aquâ fontanâ, ac inde proveniente fluviali. Atque eadem mens verborum Moſis Deut. XXXIII, 13: *Ad Joſeph verò dixit: Benedicta eſt à Domino terra ejus a delicatiſſimis, & dulciſſimis fructibus cæli, à rore, & ab abyſſo infernè cubante.* Prout Leo Juda reddit; nec multum Vulgata, & aliæ, abiêre.

a Cap. 65. hujus libri.

Ac proinde Oceano debetur, quicquid de bono Aquæ ſuperiùs diximus *a*. Quid quòd veteres uſum ejus non ſolùm extendêre ad terras, ægroſque mortales; ſed redundare etiam putarunt ad cælos ipſos? Quippe cenſent, Oceani aquis, ſive vaporibus potiùs, paſci Solem, ac ignes illos cæleſtes. Atque hoc nobis Homerus ipſe (ut Macrobius ait) *ſub poëtici nube figmenti ſapientibus dedit intelligi: quando Jovem, cùm Diis ceteris, id eſt, cùm Stellis, profectum in Oceanum, Æthiopibus eum ad epulas invitantibus, ſcripſit, ſignificans hauriri de humore nutrimenta ſideribus.* Homerum ſecuti poëtæ Græci: ut Anacreon od. XIX. Imò placuit hæc ſententia Stoicis: ut Cleanthi, & Chryſippo, apud Laërtium. Ex Romanis ſcriptoribus idem tradunt Cicero II de Nat. Deor. Lucanus lib. VII *b*, & X *c*, Seneca lib. II Nat. Quæſt. cap. V, Plinius lib. II, cap. IX, & LXVIII, ſcriptor Panegyrici Conſtantino dicti, Macrob. lib. I in Somn. Scip. Rutilius lib. I Itiner. Imò ſic ex noſtris etiam B. Ambroſius lib. II Hexaëm. cap. III: *Frequenter Solem videmus madidum, & rorantem: in quo evidens dat indicium, quòd alimentum ſibi aquarum ad temperiem ſui ſumſerit.* Sed quod Ambroſius *evidens indicium* appellat, id ſolâ eſt fultum opinione vulgi. Ratione autem pugnabat Hippocrates: qui arbitrabatur, cæleſtes illos ignes non magis ſine ſpiritus pabulo durare poſſe, quàm noſtrum. Verba ejus ſunt libro de Flatibus: Τῷ γὰρ πυρὶ τὸ πνεῦμα τροφή· τοῦ δὲ πνεύματος τὸ πῦρ στερηθὲν οὐκ ἂν δύναιτο ζώειν· *Igni enim pabulum eſt ſpiritus. Spiritu autem privatus ignis non poſſit vivere.* Itaque nec deſunt, qui, quòd ſtellas cælo caſuras dicitur Jeſaiæ cap. XXXIV, Matth. XXIV, Apocalypſ. V, item in apocrypho Eſdræ lib. IV, cap. V; id fore putent deficiente iſtac ſtellarum alimoniâ: quam tamen hæreticorum opinionem appellat Magius lib. III de Exuſtione Mundi cap. VII.

b Verſ. 5.
c Verſ. 258.

Sed quantacunque ſint Oceani commoda; magna etiam damna dat, tum terris, quas ſæpe abſorbet; tum navigantibus; præſertim ſi imperitus ſit gubernator. Propterea Oceanum Promethco amicum finxere: unde ipſe ſic Promethea affatur apud Æſchylum *d*:

d In Prometheo, pag. 22. edit. H.St.

Οὐ γὰρ ποτ' ἐρεῖς, ὡς Ὠκεανοῦ
Φίλος ἐστὶ βεβαιότερός σοι.
Nunquam dices, Oceano mage
Quod tibi quiſquam firmus amicus.

Videlicet cauſſa eſt, quòd mari navigantibus magnâ ſit opus prudentiâ; cujus typus Prometheus, ut nomen ipſum ſonat. Nam à μῆδος *a*, vel μήδεσθαι *b*, eſt τὸ προμηθὲς, ſive ἡ προμήθεια: quæ idem ac *providentia*, ex quo *prudentia.*

a Cura, conſilium.
b Curare, conſulere.

Oceanum autem non modò à poëtis, ut Deum, celebrari; ſed pro tali habitum à prudentiſſimis quibuſque; indicat illud de Alexandro apud Juſtinum lib. XII *c*: *Expugnatâ deinde urbe, reverſus in naves, Oceano libamenta dedit, proſperum in patriam reditum precatus.*

c Cap. 10.

Nunc venio ad Neptunum: qui ut ab Oceano (utcunque confundi ſoleant) diſtinguatur; ſatis ex iis liquet, quæ antea diximus. Græcè eſt Ποσειδῶν: cujus vocabuli triplex ἔτυμον legere eſt apud Platonem in Cratylo: *d* ſed veriſimilius eſt, Ποσειδῶνα dici, παρὰ τὸ πόσιν δοῦναι, *quia potum det.* Salſas quidem aquas non bibimus. Verùm & fontana, & fluvialis, & puteana aqua, Neptuno, ſive mari, originem debet: ut ex Homero, imò & Siracide, antea vidimus. Latinis vocatur *Neptunus*; non quaſi *Nuptunus*, quia terras obnubit, ſive contegit; quam nominis rationem adduxit Varro in IV de L. L. & ex eo Arnobius lib. IV adverſus Gentes: ſed, ut non paullò acutiùs perſpexit Julius Scaliger in primum de cauſſis Plantarum, ἀπὸ τοῦ νίζειν, quod eſt *lavare, abluere*: quippe uno ex tribus Aquæ uſibus antea memoratis. Et convenit, quòd propterea Germani dicant *waſſen*, hoc eſt, lavare, à *waſſer*; quod iis aliâ dialecto *water*, id eſt, *aqua*; fortaſſe à veteri *waden*, quod eſt, *fluere*. Quo pacto priùs dixerint *waſſer*, quàm *water*.

d P. 402. edit. H St.

Cognomenta Neptuni varia ſunt. Quale γαιήοχος, quia terram continet, & concitat. Item ἐνοσίγαιος, ob vim aquæ, quæ meatibus quibuſdam quovis permeans, efficit terræ motus: ut Thaletis quidem, & Democriti Abderitæ, erat ſententia. Atque hi eo nitebantur, quòd in terræ motibus ſæpe novi conſpicerentur fontes, & abyſſi. Sed veriùs alii cauſſam putarunt ventorum vim in cavis terræ. Cujus ſententiæ Ariſtotelem auctorem laudat Agathias lib. V. Utramque conjungit rationem Agellius lib. II, cap. XXVIII: *Ne inter phyſicas quidem philoſophias ſatis conſtat, ventorumne vi accidant, ſpecus, hiatuſque terræ, ſubeuntium; an aquarum ſubter in terrarum cavis undantium fluctibus: ita uti videntur exiſtimaſſe antiquiſſimi Græcorum, qui Neptunum ἐνοσίγαιον, καὶ σεισίχθονα, appellaverunt.* Ideo, ut ibidem dicitur, Romani in terræ motu ferias imperabant: ſed Dei nomen non exprimebant. Vide & Senecam Natur. Quæſt. lib. VI, cap. VI.

Etiam inter maſcula Maris nomina, & numina, Nereus fuit. Dictus Νηρεὺς *e* à νηρὸς, quod & ναρὸς, id eſt ὑγρὸς *f*; ut ex Heſychio, & aliis, conſtat. Nempe à, νάω, id eſt, *fluo*; unde νῆσος, & alia, quæ antea adduximus. Filius Neptuni dicitur Apollodoro lib. I. Bibliothecæ: Κανάχη δὲ ἐποίησεν (planè ἐγέννησεν reſcribendum) ἐκ Ποσειδῶνος Ὁπλέα, καὶ Νηρέα, καὶ Ἐποπέα, καὶ Ἀλωέα, καὶ Τριόπα. *Canache ſuſtulit ex Neptuno Opleum, Nereum, Aloëumque, & Triopa.* Idem tamen antea Ponti, & Terræ filium, dixerat. Ac Heſiodo quoque in Theogonia Nereus Ponti eſt πρεσβύτατος παίδων· *filiorum natu maximus.* Non difficulter hæc conciliantur, quia φυσικῶς *g* idem eſt Pontus, ac Neptunus. Nec enim ἰδίως *h* Pontus Euxinus nomen habet *Ponti*, etſi id Suidas putârit: ſed κατ' ἐξοχὴν, ut *poëtam* dicimus pro Homero: propriè verò omne mare vocatur *pontus*: ut præter Euſtathium tradit Strabo in primo. Vel, ſi ab Oceano reliqua diſtinguere maria ſit viſum; ſaltem internum omne, ut *Neptunus*, ſic *Pontus* erit. Imò Nereus etſi unus ſit è Neptuni ſive Ponti filiis; tam latè tamen patet, quàm *Pontus*, aut *Neptunus*. Cujus cauſſa eſt, quòd gentium theologi in ſua theogonia crebrò attendant, non ad partes, ſed affectiones diverſas. Sanè *Nerea* tam latè extendi, ac diximus; arguit illud, quòd ubique marium Nereidas agnoſcant: tum etiam, quod piſces univerſè dicantur Νηρῆια τέκνα *i*: atque iidem, ut Plauto *k* vocitantur *Neptuni pecus*; ſic à Livio Andro-

e Nereus.
f Humidus.
g Conſiderando, prout pertinet ad rerum naturam.
h Propriè.
i Nereïſoboles.
k Pſeudolo.

ni-

nico *a* vocantur, *Nerei ſimum pecus.* Niſi hoc de delphinis particulatim capere malis; de quo partim in Oratoriis *b* Inſtitutionibus, partim notis in Tragicorum fragmenta, ſatis diximus. Quia vero Nereus marinus eſt Deus, eo & præſcius eſt tempeſtatum, ac periculorum marinorum. Unde apud Horatium *c* quoque Paridi navigaturo vaticinatur mala omnia, quæ ei eventura. Quinquaginta illi filiæ ex Doride, ab eo dictæ *Nereides*: quarum complures recenſet Homerus Iliad. Σ. Per eas certas interni maris partes, vel etiam affectiones, intelligere oportet.

a *Apud Nonium in Pecus, & Luſtrare.*
b *Lib. 4. cap. 13. ſect. 10.*
c *Lib. 1. od. 15.*

Cap. LXXVIII.

Acceditur ad muliebria Maris numina. Unde dicantur Amphitrite, *&* Tethys. *Quomodo differant* φυσικῶς Oceanus, *&* Thetys; *item* Tethys, *&* Thetis; *& cur hæc etiam pro univerſo capiatur mari. Origo duplex fabulæ de Thetide nubente Peleo. Proverbium*, ex Oeneo facere Pelea. *Quæ poëtis eſt Thetis, ea, ſecundum hiſtoriam*, Philomela, *Actoris Myrmidonis filia, fuit. Nereidum numerus.* Oreades, Dryades, Hamadryades, Limoniades, Napeæ. *Unde* νύμφη, *&* νύμφη *dicatur.* Hydriades, *&* Ephydriades.

IN muliebribus Maris numinibus familiam ducunt Tethys, & Amphitrite: quarum hæc Neptuni uxor, & ita dicta, περὶ τὸ ἀμφιτρίβειν τὴν γῆν, hoc eſt, quia circumquaque terram fluctibus ſuis atterat. Τηθὺς verò, uxor Oceani, eſt à τήθη, vel τηθὶς: quorum prius *aviam*, vel *nutricem*; poſterius *amitam*, vel *materteram*, ſignat: ut cognoſcere eſt ex Polluce, Ammonio, Suida, & Euſtathio. Aptè autem hæ, ac præcipuè aviæ, vel nutricis, appellationes conveniunt Oceani uxori, omnium nympharum matri, ὅτι κυρία ἐςὶ τῆς ὑγρᾶς οὐσίας, ἀφ' ἧς πάντα τρέφεται· *quia principatum tenet in natura humida*; ut ait Etymologus: qui tamen perperam derivat à τρέφω *a*, vel τηθὴ *b*, etſi, ſi rem ipſam ſpectes, nihil intereſt. Latinis *Salacia* dicta eſt; ut Tullius indicat lib. de Univerſitate, & ex eo Servius in 1 Georg. Favet igitur Tullius iis, quibus *Tethys* mare. Aliquibus tamen connubium Oceani, & Tethyos, eſt maris, ac terræ. Euſtathius in Il. Ξ *c*: Τὸν Ὠκεανὸν τὴν ὑγρὰν δηλαδὴ φύσιν, καὶ τὴν Τηθὺν, ὅ ἐςι τὴν κοινὴν τροφὸν γῆν, εἰς μίαν ἀλλήλοις ἄγει συζυγίαν. διὸ ὑγρότητος ἡ γονιμότης ἐκκαλεῖται τῆς γῆς. *Oceanum, humidam videlicet ſubſtantiam, & Tethyn, hoc eſt, communem nutricem terram, eodem connubio jungit. quippe per humorem fœcunditas terræ elicitur ac provocatur.* Accedit, quòd Oceanus Terram, ut conjugem, complexu ſuo tenet. Unde Ovid. v Faſt.

a *Nutrio.*
b *Nutrix.*
c *P. 978. edit. Rom.*

> *Duxerat Oceanus quondam Titanida Tethyn,*
> *Qui terram liquidis, qua patet, ambit aquis.*

Sic quoque τηθὺς à τηθὴ erit: niſi malis ab Hebræo טיט, *lutum.* Sed omnino receptius eſt, ut Τηθὺς ſit mare, quàm tellus. Opponit enim hæc Lucanus in x:

> *Luna ſuis vicibus Tethyn, terrenaque miſcet.*

Atque apud eundem *Tethyos unda* legas in primo: & *æquora Tethyos* in tertio. Epitheta idem docent: ut cùm eidem Divæ hæc *vaga*, Silio *reciproca*, Ovidio dicitur *cana.* Denique ipſius eſt Maronis 1 Georg.

> *Teque ſibi generum Tethys emat omnibus undis.*

Nec ſi & Oceanus, & Tethys, mare deſignent, eo ineptè hæc Oceano nupſiſſe fingitur. Nam Oceanus ſæpe conſideratur quaſi ſpiritus, vel anima marina; unde δύναμις ἐνεργητικὴ, ſive vis tanta elementi. At Tethys eſt quaſi corpus maris, & principium paſſivum, quod vim illam recipit. Et ut Tethys ab Oceano, ita etiam Amphitrite à Neptuno, diſtinguitur.

At aliud *Tethys*, quàm *Thetis.* Tethys enim ex Oceano Doridem ſuſtulit; Doris ex Nereo Thetidem: ut Tethys fuerit Thetidis avia. Clarè ſic diſtinguit Catullus carm. de nuptiis Pelei, & Thetidos:

> *Tene Thetis tenuit pulcherrima Neptunine?*
> *Tene ſuam Tethys conceſſit ducere neptem?*

Nec cum eo, quòd una erat Nereidum, pugnat illud, quòd *Neptuninen* hic Catullus vocat. Nam eos ſequitur poëta, quibus Neptunus ex Canache genuiſſe dicitur Nerea: quomodo Neptuni fuerit neptis. Quare ſecundùm hos quidem *Neptuninen*; ſecundùm alios autem *Oceaninen* rectiùs nuncupes. Imò dicere etiam poſſis, *Neptunum* poni pro *Oceano.* Nihil enim hic inſolens; quia itidem, cùm poëtæ ajunt, Neptuno maris imperium obtigiſſe; non internum duntaxat, ſed externum etiam mare, intelligunt. Illud magis mirum, Thetin, quæ nympha ſolùm marina erat, atque ex quinquagenis Nereidibus una: non minus tamen, quàm Tethyn ipſam, Oceani uxorem, mari pro toto uſurpari. Ut apud Maronem in Pollione:

> *Quæ tentare Thetin ratibus, quæ cingere muris*
> *Oppida.*

Quod vix aliter excuſaris: quàm per συνεκδοχὴν partis. Quod autem Thetis nupſiſſe dicitur Peleo; id quoque ad connubium Maris, & Terræ, pertinet. Nam Πηλεὺς à πηλὸς, *lutum.* Quò etiam reſpexere olim, cùm dicerent, Μὴ δεῖν τὸ Οἰνέα Πηλέα ποιεῖν· *Oeneanon convertendum eſſe in Pelea.* Nimirum Οἰνεὺς, & Πηλεὺς, heroum nomina, ponuntur pro οἶνος, *vinum*, & πηλὸς, *lutum.* Ut ſententia ſit, cavendum eſſe pincernæ, ne vinum effundat in terram, atque ita lutum faciat. Quemadmodum ex Athenæo, Demetrio, & Euſtathio, in Oratoriis Inſtit. *a* retulimus. Poſſis & illud de nuptiis Pelei, & Thetidos, referre ad communem mortalium generationem. Facit hoc Clemens Romanus in x Recognitionum *b*: ubi Achillem ait Pelei eò, & Thetidos filium dici, quia homines cuncti componantur ex arido, & humido: ex quibus duobus fit lutum: unde & gigantes non ſolum dicuntur γηγενεῖς, hoc eſt, *terrigenæ*; ſed etiam πηλογόνοι, hoc eſt, *lutigenæ.* Et hoc pacto quidem Pelei, & Thetidos nuptiæ, ad rerum pertinent naturam. Sed reducere etiam ad veterem liceat hiſtoriam. Nam Ariſtoteles Thetidem ait filiam fuiſſe Chironis Centauri. Ac Daimachus filiam ait Actoris, nomine proprio Philomelam. Quæ unde *Thetidos* nomen acceperit, neſciremus, ut arbitror, abſque veteri eſſet Apollonii interprete *c*. Narrat ille ex Staphyli tertio rerum Theſſalicarum libro, ut Chiron, cùm Peleo gratificari, & decus ingens afferre vellet; prævidiſſet autem ex ſiderum ſcientia, quâ excellebat, eo tempore, quo Peleus ducturus eſſet uxorem Philomelam, Actoris Myrmidonis filiam, priùs quidem cum ipſa, credo, collocutum Philomelâ, nempe nequid peccaret in fabula, quam moliretur; poſtea autem hunc ſparſiſſe rumorem, Thetidem, Nereidum unam, Peleo dari uxorem, ac Deos ipſos, ejus conſanguineos, affore nuptiis cum imbre, & ingenti tempeſtate: cumque Aſtrologi hujuſce prædictioni reſpondiſſet eventus, facilè eſſe perſuaſum, quod dixerat: itaque exoleſcente Philomelæ nomine, ſi non apud cordatos, vulgo ſaltem obtinuiſſe, ut Thetis nupſiſſe Peleo crederetur.

a *Lib. 4. c. 6. ſect. 5.*
b *Fol. 113. b. edit. Sam.*
c *Editionis Stephanicæ p. 205.*

Hæc de Thetide nympha, Nereidum unâ: præter quam XLIX aliæ erant Nereides, itidem nymphæ marinæ. Quare nonnulla univerſè de Nymphis ſubjiciam.

Nympharum valde generalis eſt appellatio, cùm & quædam terris præſint: ut *Oreades*, quæ præfectæ ſunt τοῖς ὄρεσι, hoc eſt, *montibus.* Item *Dryades*, ſylvarum præſides, ſic nuncupatæ à δρυὸς nomine, quo *quercus*, imò omne arborum ac lignorum genus denotatur. Atque eædem, particulâ ἅμα, hoc eſt, *ſimul*, præfixâ. *Hamadryades* vocatæ: quia (ut verbis utar Plutarchi *d*) ἰσοδένδρου τέρμα ζωῆς ἀιῶνος λαχοῦσαι· *eundem cum arboribus ævi terminum ſortitæ*: quippe cum iis naſcentes, & morientes, quod & Servius annotat ad initium 1 Georg. Præterea Λειμωνιάδες, quæ præſunt λειμῶσι, hoc eſt, *pratis*, ac *campis*; quarum meminere Sophocles in Philoctete, & Heſychius. Adhæc *Napeæ*: de quibus ſic Servius in illud IV Georg.

d *In Erot.*

—— *Fu-*

—— *Faciles venerare Napeas*:

Napeæ, inquit, *vel Naides*, *fontium nymphæ*. Ubi pro *vel* omnino reſcribe *vallium*, hoc pacto; *Napeæ vallium*, *Naides fontium nymphæ*. Nam *vallem* dixere νάπην, & νάπος: nempe quia humida, puta à נוף, nuph, hoc eſt, *ſtillare*, *effundere*. A qua voce Hebræa etiam generale eſt *Nympharum* nomen: ut propriè νύμφη ſit *aqua*. Latini, N in L, ut aliàs ſæpe, converſo, dixere pro eo *lympha*, ſeu *limfa*. Feſtum vide. Propriè igitur convenit *Nympharum* vocabulum Deabus aquarum præſidibus: quæ ex eo dictæ *Hydriades*, vel *Ephydriades*. Meminit præter alios Alexander Ætolus apud Parthenium in Eroticis *a*:

a Cap. 14. ſive de Antæo.

Αὐτὸς δ' ἐς νύμφας ᾤχετ' Ἐφυδριάδας.
Ipſe iter ad nymphas ivit Ephydriadas.

Sed utcunque hoc *Nympharum* vocabulum ſit generale, non tamen cenſeo de Nereidibus uſurpari: quippe non fluminum præſidibus, ſed deabus marinis.

Cap. LXXIX.

De numinibus fluminum, aliarumque aquarum, quæ bibuntur. Qualia Liber, & Oſiris. Ut Liber tum ſol ſit, tum liquor potabilis: & cur Lunæ filius dicatur. Idem cur Cabirorum alter iis fuerit, qui duos ſolum agnoſcerent: cur item commune Cereri, & Libero, Thalyſiorum feſtum. Maronis locus aliter, ac à viro docto, expoſitus. Sacrificatum amni Pamiſo à Meſſeniis: Meandro, & Marſyæ, à Phrygibus. Fontis Clitumni divinus apud Umbros cultus. Boves ad Clitumnum paſcentes aquâ ejus albi fiebant: unde à triumphantibus hinc petebantur, quos mactarent Iovi Capitolino.

HAbemus de præcipuis numinibus marinis: ſequitur de iis, per quæ humor potabilis ſignatur. Hujuſmodi eſt Διόνυσος, ſive *Liber*, vel *Bacchus*. Nam, ut antea dictum, idem Græcis Διόνυσος, qui Ægyptiis *Oſiris*. Oſiris autem, quatenus naturale, non animale eſt numen, partim eſt cœleſtis, & idem eſt ac Sol; partim ſubcœleſtis, & idem eſt ac Humor potabilis; qualis Aqua Nilotica. Nam mare iis non Oſiris eſt, ſed Typho, Oſiridi adverſus. Similiter igitur Græcis, poſtquam ſacra recepere Ægyptia, nomine Oſiridis in Διόνυσον, uti Iſidis in Cererem, converſo, Liber quidem Cœleſtis fuit Sol; Subcœleſtis verò, Aqua, ſive Liquor potabilis; qualis pluvia, fluvialis, fontana, & putealis. Unde cauſſam arceſſo, cur à nonnullis Liber Lunæ filius diceretur. Ulpianus in Orat. Demoſthenis contra Midiam: Ἔνιοι δὲ καὶ παῖδα Σελήνης Διόνυσον καλοῦσι *a*. Nempe eò attenderunt, quòd Luna imperium habeat in Humorem ſive Aquam: quod abunde oſtenſum antea. Hinc quoque rationem elicio ejus, quòd ſcribit Apollonii ſcholiaſtes in primum Argonauticôn: Οἱ δὲ δύο εἶναι τοὺς Καβείρους φασὶ πρότερον· πρεσβύτερον μὲν Δία, νεώτερον δὲ Διόνυσον· *Quidam verò duos primò fuiſſe ajunt Cabiros: ſeniorem quidem, Iovem: juniorem autem, Liberum.* Ubi *Jupiter* eſt calor cœleſtis; *Liber* eſt humor ſubcœleſtis: quæ duo ad generationem imprimis exiguntur. Nunquam enim Tellus fruges, aut flores, plantamve ullam, producat, niſi, ut cum Catullo loquar *b*,

a Aliqui & Liberum vocant filium Lunæ.

b Carmine nuptiali.

—— *Firmet Sol, educet imber.*

Etiam ex iſto rationem peto, cur agricolis in ſummo fuerint pretio duo hi Dii; qui itcirco jungi ſolent; Ceres, & Liber: imò ſacris etiam communibus colebantur, quæ dicta ſunt Θαλύσια. Menander Rhetor cap. περὶ λαλιᾶς: Τῶν λόγων τὰς ἀπαρχὰς ἀνατιθεὶς τῇ πατρίδι, καὶ τοῖς πολίταις, ὥσπερ τῇ Δήμητρι, καὶ τῷ Διονύσῳ, οἱ γεωργοὶ τὰ Θαλύσια· *Primitias orationum dedicans patriæ, & civibus, ut agricolæ Thalyſia Cereri, & Libero.* Nempe per *Cererem* intelligitur Tellus fruges producere idonea: *Liber* autem eſt Aqua, quâ opus Tellurem humectari, ad rerum generationem. Junxit hæc numina etiam Maro primo Georg.

Liber, & alma Ceres.

Sed quod ſequitur,

—— *Veſtro ſi munere Tellus,*
Chaoniam pingui glandem mutavit ariſtâ:

id minimè ad utrumque numen pertinet: licet vir doctiſſimus id collegerit ex eo, quod poëta, *veſtro* dicat *munere*. Quippe communiter quidem ait, *veſtro ſi munere*: ſed de utroque numine mox alia partiliter ſubdit: ratione quidem Cereris Chaoniâ de ariſta, quia Dea hæc dicitur docuiſſe ſationem, & uſum frugum loco glandium; ratione autem Liberi, quod continuò ſubjicitur,

Poculaque inventis Acheloia miſcuit uvis.

Liber enim eſt, qui monſtraſſe creditus plantationem vitium, & aquæ vinique mixturam. Unde eadem liquet, poëtam hæc numina non tam φυσικῶς conſideraſſe, Stoicorum more; quàm ἱστορικῶς, ſecundùm Theologiam civilem.

Sed de aqua potabili hoc generatim dictum eſto. At verò particulatim etiam pro numine culti ſunt fluvii. Sic Sybotas, Dotadæ filius, inſtituit apud Meſſenios, ut Reges Pamiſo amni ſacra facerent: quemadmodum teſtis eſt Pauſanias in Meſſenicis. Itidem Phryges, qui Celænas accolunt, ſacrificarunt Mæandro, & Marſyæ, fluminibus: quamquam hi ad barbaros potiùs pertineant, quàm Græcos; quando Phrygia κατ' ἐξοχὴν *Barbaria* eſt nominata: de quo abunde dictum nobis in Oratoriis Inſtitutionibus lib. IV, cap. X, ſect. V. Porrò de duobus hiſce fluminibus auctor nobis Maximus Tyrius ſerm. XXXVIII, uti & refert, ut Maſſagetis ac Tanais, palus Mæotica & deus ſit, & jusjurandum, & ſtatua.

De fonte Clitumni, Umbriæ fluvii, ſic inter alia Plinius Novocomenſis lib. VIII, epiſt. VIII ad Romanum: *Rigor aquæ certaverit nivibus; nec color cedit. Adjacet templum priſcum, & religioſum. ſtat Clitumnus ipſe, amictus ornatuſque prætextâ. præſens numen, atque etiam fatidicum, indicant ſortes. ſparſa ſunt circa caſtella complura; totidemque Dei ſimulacbra. ſua cuique veneratio, ſuum nomen: quibuſdam vero etiam fontes. nam, præter illum, quaſi parentem cæterorum, ſunt minores, capite diſcreti, ſed flumini miſcentur.* Et paullò pòſt: *In ſumma nihil erit, ex quo non capias voluptatem. nam ſtudebis quoque; & leges multa multorum omnibus columnis, omnibus parietibus inſcripta, quibus fons ille, deuſque celebratur.* Quin Clitumno huic *Iovis* nomen dedere. Nam templum, quod juxta nemus, dixere *Iovis Clitumni*. Unde Vibius Sequeſter in catalogo fluminum: *Clitumnus, Umbriæ: ubi Jupiter eodem nomine eſt.* Dixeris hic de cultu fluminum agi, non Dei, qui præſideat fluvio. Sed Deus, qui flumini præeſſet, pars ejus cenſebatur; ut anima hominis. De quo & dictum antea, & pluribus infra agetur. Tanto autem honore cur Clitumnum dignarentur, laudes ejus faciebant, à Plinio fusè memoratæ, eâ, quâ dixi, epiſtolâ. Sed mirum in iis prætereiri illam, quòd boves, juxta amnem hunc paſcentes, albi redderentur; ac propterea hinc peterentur boves, qui cæderentur à triumphantibus. Virgil. III Georg.

Hinc albi, Clitumne, greges, & maxima taurus
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro,
Romanos ad templa Deum duxere triumphos.

Ubi ſic Junius Philargyrus: *Clitumnus & Deus, & lacus, in finibus Spoletinorum; ex quo bibentia pecora alba fiunt.* Ad ritum autem triumphantium, quem dixi, reſpexit etiam Claudianus in Panegyrico de VI Honorii conſulatu:

Quin & Clitumni ſacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis,
Viſere cura fuit.

Cap. LXXX.

Apud Samios puteus, niſi pluteus legendum, Junoni erat ſacer. Naidum *nomen unde ſit, & quibus proprie conveniat. Nymphæ*, Κρηνίδες, *ſive* Πηγαῖαι, Ποταμίδες, *ſive* Ἐπιποταμίδες, Λιμναῖαι, *ſive* Λιμνάδες, *ac denique* Φρεατιαῖαι. *Cur Pegaſus ungulâ ſuâ aperuiſſe Hippocrenen fingatur. Ut per* Pegaſum *quandoque intelligatur navis, & quæ rei hujus ratio ſit. Etiam in poetarum fabulis* equum *dici pro nave; uti &* currum *pro eodem poſuere. De Salmacide nympha, & Arethuſa, quam Alpheus ſubire credebatur: fabulaque ea refellitur. De delubro ſacri Fontis, dicato Camenis, & aqua ejus uſu in Veſtalium ſacris, ejuſque cuſtodia, & ut per* Camenas *etiam aquæ intelligantur. Blanduſiæ fonti ſacrificatum hœdo: ut capro faciebant Libero, & Tempeſtatibus.* Iſmenides, Pactolides, *& aliæ fluviales nymphæ. An & in his locus debeatur Annæ Perennæ: deque Juturnæ nomine, ac templo.*

ATque hæc maſcula ſunt aquarum, quæ bibuntur, numina. Venio ad muliebria; quale eſt, quod apud Arnobium legas in ſexto contra gentes: *Aethlius memorat, ante uſum diſciplinamque fictorum, puteum Samios* (coluiſſe) *pro Junone.* Sed fortaſſe puteus is non pro Junone habitus, ſed Junoni ſacratus: de quo certiora afferremus, ſi exſtaret Aëthlius ille, Athenæo *a* etiam, & Clementi Alexandrino *b*, memoratus. Imò ne *puteus* quidem, ſed *pluteus*, legendum videtur: quando, ut Theodoro Cantero *c* jam ante nos monitum, σανίδα pro eo eſt apud Clementem Alexandrinum. Quare, miſsâ Junone, nunc de nymphis dicam antea indictis, hoc eſt, iis, quæ à marinis differant. Harum aliæ ſic nomine vocantur generali, ſed quod uſus ad aquam potabilem reſtrinxerit: aliæ particulari, non tamen certi fluminis, aut fontis proprio: aliæ denique certi ſunt fluminis, aut fontis.

a *Lib.* 14. *idque gemino loco.*
b *Admonitione ad Gentes.*
c *Lib.* 2. *Var. Lect. cap.* 22.

Primi generis ſunt *Naides*, ſive *Naïades*: quarum appellatio eſt à fluxu. Nam νάειν *fluere*; unde *Naides*, quaſi *Fluonias* diceres. Licet verò omnis aqua fluat; *Naidum* tamen nomen nuſpiam, puto, de Nereidibus ſumi; ſed de fluminum, fontium, ſtagnorum, puteorum, Nymphis. Firmat iſta tam de origine vocabuli, quam ejus particulari uſu, Porphyrius, de antro Nympharum, apud Homerum: Καὶ τὰς νύμφας ἀνατιθέασιν ἄντρῳ, καὶ τούτων μάλιστα ταῖς Ναΐσιν, αἳ ἐπὶ πηγῶν εἰσι, καὶ τῶν ὑδάτων, ἀφ' ὧν εἰσι ῥοαί, Ναΐδες ἐκαλοῦντο. *Etiam antra Nymphis conſecraverunt, maximeque Naidibus, quæ fontibus præſunt, & ab aquarum fluxu Naides dicuntur.* Ac poſtea: Νυμφῶν οὐκ Ὀρεστιάδων, οὐδ' Ἀγραίων, ἢ τινῶν τοιούτων, ἀλλὰ Ναΐδων, αἳ ἀπὸ τῶν ναμάτων οὕτως κέκληνται. Νύμφας δὲ Ναΐδας λέγομεν, καὶ τὰς τῶν ὑδάτων προεστώσας δυνάμεις ἰδίως· *Non Montanarum nympharum, aut Agreſtium, vel ſimilium; ſed Naidum, quæ à fluxibus ſic dicuntur. Nymphas vero Naidas dicimus peculiariter poteſtates, quæ aquis præſunt.* Et aliquanto pòſt: Ἀνακείσθω δὲ τὸ προκείμενον ἄντρον ψυχαῖς, καὶ ταῖς μερικωτέραις ἐν δυνάμεσι νύμφαις, αἳ ναμάτων, καὶ πηγῶν προεστῶσαι· Πηγαῖαί τε, καὶ Ναΐδες, διὰ τοῦτο κέκληνται. *Pro confeſſo igitur habeatur, antrum hoc ſacratum eſſe animis, & magis particularibus poteſtatibus: puta Nymphis, quæ fluxui, ac fontibus, ſunt præfectæ; eoque Fontanæ, ac Naides,* (quaſi Fluoniæ) *dicuntur.*

At particulares magis appellationes, ut jam dicere ſum aggreſſus, vel fontium ſunt, vel fluviorum, vel ſtagnorum, vel puteorum. Illæ fontium ex re dicuntur Κρηνίδες, ſive Πηγαῖαι, prout vocantur Porphyrio, loco proximè memorato. Imò & Homeri *d* eſt:

νύμφαι Κρηναῖαι, κοῦραι Διός. ——
Nymphæ Fontanæ, gnatæ Iovis. ——

d *Odyſſ.* P, 241.

Quæ fluviorum erant, dictæ Ποταμίδες, vel Ἐπιποταμίδες. Meminit vetus Papinii interpres in III Thebaidos. Quæ ſtagnorum creditæ, nominabantur tum Λιμναῖαι, pro quo perperam Λημναῖαι eſt apud Apollonii interpretem, & Phavorinum; tum etiam Λιμνάδες; ut Theocrito, Idyll. v:

Οὐ μὰν, οὔ τ' αὐτὰς τὰς Λιμνάδας, ὦ, γαθὲ, νύμφας.
Non per, non ipſas per Limnades, ô bone, nymphas.

Atque hinc *Limniaces* nomen finxit Naſo in v Metam. fab. 1:

Edita Limniace vitreis peperiſſe ſub undis
Creditur.

Denique & puteis ſuas eſſe Nymphas, docet Artemidorus lib. II, cap. XXII: ubi cœlibi, & ἀπαιδὶ *a*, uxorem ait, & liberos portendi, ſi in ſomnio viderit puteum domi: ac rationem hanc adducit: νύμφαι γάρ εἰσιν ἐν τῷ φρέατι· *Nymphæ enim ſunt in puteo.* Atque hæc universè de nymphis fluvialibus ac cæteris; quarum appellatio magis communis eſt, quam propria; quia pluribus eâdem convenit ratione. Nunc vocabula adferam, quæ certi ſunt fontis, aut fluminis, aut ſtagni; eoque propriè magis propria dicuntur.

a *Liberis carenti.*

Initium faciam à propriis fontium nominibus, ſive quoniam inde fluviis origo, ſive quia fontium aqua ſit aliis purior, & aëri ſimilior: unde etiam in altos adſcendit montes, equi inſtar alati. Eaque res cauſſam præbuit fabulæ de Pegaſo, percuſſu ungulæ, dum cælos petit in Helicone, monte Bœotiæ altiſſimo, aperiente fontem, nomine *Hippocrenen*, quaſi *equi fontem* dicas. Atque hoc ipſo etiam *Pegaſi* nomine firmatur: ut quod ſit à πηγὴ, quo *fons* ſignificatur. Etſi fatendum, quandoque accipi pro nave: ut cùm Bellerophon dicitur Pegaſo vectus avolàſſe. Sed qui ſic *Pegaſi* voce utebantur, potiùs formarunt hoc vocabulum à πήγω, ſive πηγνύω, vel πήγνυμι *b*: nempe quia è tabulis naves compingantur. Ac facilè hominibus aſſentio doctiſſimis, qui etiam per equos intelligunt naves, cùm Neptunus dicitur Ἵππιος, ſive *Equeſtris*: item in fabula de Heſione, Laomedontis filia, marino expoſitâ ceto, & eam liberaturis Hercule, ac Telamone; ſed præmii loco depoſcentibus, tum ut Heſionem in Græciam abducere liceret; tum etiam equos regios ſuper aquas, imò & ariſtas, ambulantes, hoc eſt, velociſſimas navium è claſſe Laomedontis. Hanc equorum, & navigiorum, ſimilitudinem etiam Artemidorus indicat Oneirocriticôn lib. I, cap. LVIII. Eſtque ſimilis tralatio, cùm Catullus *c* navem Argo vocat

—— *Levi volitantem flamine currum.*

b *Pango, ſive compingo.*
c *Carm. de nuptiis Pelei, & Thetidos.*

De cujuſmodi formis loquendi diximus Oratoriarum Inſtitut. lib. IV, cap. VI, ſect. II. Sed ad fontes redeamus.

Talis Salmacis Nympha ſive Nais. Utroque enim modo ſemel iterumque dicitur Ovidio IV Met. fab. XI. Eſt verò Salmacis Halicarnaſſi fons in Caria: cujus aqua vulgò effeminare credebatur. Vide de eo Strabonem in XIV, Vitruvium lib. II, cap. VIII, Feſtum in *Salmacis*, & quæ annotavimus ad Tragicorum fragmenta *d*. Talis quoque *Arethuſa*: quam Ovidius in V Metam. narrantem inducit, ut ab Alpheo (is Elidis fluvius) adamata, ſubter terras mariaque profugerit in Siciliam, atque hic eam, ſed proſequente eò uſque Alpheo, favente autem, quam coleret, Dianâ, exceperit Ortygia inſula, quæ & Naſſos, quaſi νῆσος. Claudit poëta fabulam his verbis:

—— *Cæcis ego merſa cavernis*
Advehor Ortygiam; quæ me cognomine divæ
Grata meæ ſuperas eduxit prima ſub auras.

d *In ea, quæ petita ſunt ex Ennii tragœdia incerta.*

Fabulæ inde origo, quia ſic vulgo eſſet perſuaſum, Alpheum influere in Arethuſam: quod eo nitebatur, quia quæ in Elidis Alpheum infunderentur, hæc in Arethuſæ fonte poſtmodo comparerent. Creditum enim, quincto quoque anno, quo ludi celebrarentur Olympiaci, impuram eſſe aquam Arethuſæ ex eo, quòd in Elide tum equi, ſe abluendo, aquas ſordidarent. Sed enim hanc ſententiam, quàm tot ex Græcis, & Romanis, in his Pindarus, ac Timæus *e*, amplexi fuere, ſolidè eo refellit Strabo in ſexto; quòd Alpheum conſtet in mare incurrere

e *Etiam apud Antigonum Caryſtium Hiſt. Mir. cap.* 155.

Pelo-

Peloponneſiacum; ac proinde abſurdè dicatur, per cccc amplius milliaria ſubterraneis meatibus ferri ſub mare ſic, ut non intermiſceat illi undam ſuam. Alterum etiam adduxere argumentum, quòd patera quædam prolapſa in Alpheum delata ſit in Arethuſam. Sed enim huic quoque occurrit Strabo: nec tamen, quid voluerit, ſatis eſt apertum, quia, injuriâ temporum, aliquot eſt verborum defectus. Cæterùm aut dixit hoc, aut dicere potuit, ſtultè credi, ſubterraneos illos meatus per tam ingens intervallum, ſic quà patera deferretur, fuiſſe ubique æquabiles, ut nuſpiam illa adhæreſceret.

Ab Arethuſa Sicula me refero ad Romanum Camenarum fontem: qui & in Deos relatus, ac delubro honoratus fuit. Cicero III de Divinat. *Fontis delubrum Maſo ex Corſica dedicavit.* Juvenalis ſat. III:

Nunc ſacri Fontis nemus, & delubra locantur
Judæis.

Fons iſte erat extra portam Capenam in luco, quem medium irrigabat: fontemque eum Numa conſecràrat Camenis, quibuſcum ſibi colloquia eſſe fingebat: ut eſt apud Plutarchum *a*. Addit verò: Τὴν δὲ πηγὴν, ἣ καταρδεῖ τὸ χωρίον, ὕδωρ ἱερὸν ἀποδεῖξαι ταῖς ἑστιάσι παρθένοις, ὅπως λαμβάνουσαι καθημέραν, ἁγνίζωσι καὶ ῥαίνωσι τὸ ἀνάκτορον· *Fontem, qui locum irrigat, Aquam ſacram attribuiſſe virginibus Veſtalibus, ut quotidie inde haurirent ad purificandum, & adſpergendum ſacram ædem.* Sanè non quavis aquâ licebat uti Veſtalibus, ſed jugi; qualis iſta Veſtæ ſacrata. Reſides refugiſſe, indicat & Feſtus in *Muries*; quomodo veteres pro *Muria* dixere, ut *materia*, & *materies*. Verba ſunt Feſti: *Muries eſt, quemadmodum Veranius docet, ea quæ fit ex ſale ſordido in pila pinſato* b, *& in ollam fritilem* c *conjecto, ibique operto, gypſatoque, & in furno percocto, cui Virgines Veſtales ſerra ferreâ ſecto, & in ſeriam conjecto, quæ eſt intus in æde Veſtæ in penu exteriore, aquam jugem, vel quamlibet, præterquam quæ per fiſtulas venit, addunt, atqui ea demum in ſacrificiis utuntur.* Unde aquam illam jugem hauſerint, liquet ex Plutarchi loco antè memorato. Nec dubito, quin aquæ hujus cuſtodiam ſpectarint Suidas, ac Cedrenus, cùm virginibus ajunt Veſtalibus commiſſam pariter fuiſſe ignis, & aquæ, cuſtodiam. Quomodo &, ex Strabonis xv, Perſas conſtat Ignem pariter, & Aquam coluiſſe. Ut ad Camenarum redeam fontem, per *Camenas* μυθικῶς *d* intelligi aquas, etiam Tertullianus ait lib. I adverſus Marcionem, cap. XIII: *Ipſa quoque vulgaris ſuperſtitio communis idololatriæ, cùm in ſimulachris de nominibus, & fabulis veterum mortuorum pudet, ad interpretationem naturalium refugit, & dedecus ſuum ingenio obumbrat, figurans Iovem in ſubſtantiam fervidam, & Junonem ejus in aërem: item Veſtam in ignem, & Camenas in aquas.*

a *In Numa.*

b *Vel* pinſito *legendum, vel potius* piſato, *ut eſt in codice Farneſiano. Ut* cubare, & cumbere; *ſic* piſare, & pinſere.

c *Farneſianus codex,* fictilem: *quod verius.*

d *Ex fabulari interpretatione.*

Similiter Blanduſiæ fons in Sabinis prope oppidum Regillum, Nympharum aliarum inſtar, honore affectus divino. Horatius Carminum lib. III, od. XIII:

O fons Blanduſiæ, ſplendidior vitro,
Dulci digne mero, non ſine floribus,
Cras donaberis hœdo.

Ubi hœdi potiſſimum meminit, quia is ſacrificaretur Nymphis. Unde & hœdi caput Romæ inſculptum viſitur aræ exiguæ quadratæ, quæ ſacrata Cœruleo fonti. Inſcriptionem ejus Pighius, qui illam vidit, refert initio ſeptimi Annalium Romanorum. Nempe eâdem de cauſsâ, ob quam caprum immolabant Libero; & qui ipſe præſes humoris erat potabilis; uti dictum. Hinc idem Horatius lib. III, od. VIII:

Voveram dulces epulas, & album
Libero caprum.

Item Tempeſtati: quò pertinet hoc lib. Epod. od. X:

Libidinoſus immolabitur caper,
Et agna Tempeſtatibus

De fontanis nymphis ſatis. Nam omnes enarrare non eſt hujus inſtituti. Sufficit, quòd ex iſtis facile ſit ſtatuere de cæteris. Accedo igitur ad Flumineas: quales *Iſmenides*, præſides Iſmeni in Bœotia fluvii. Idem Ovid. III Met.

Thuraque dant, ſanctaſque colunt Iſmenides aras.

Item *Ionides*; quæ fontem habuere, & templum, prope Cytheron fluvium in Elienſium agro. Vide de iis Pauſaniam, in Eliacorum poſteriori. Similiter *Pactolides*, *Anigrides*, aliæ, à fluviis ſic vocatæ. Nec Græcis modò, ſed & Romanis; ut *Tiberiades*. Etiam his accenſeri ſolet *Anna Perenna*; juxta illud Ovidii III Faſt.

Ipſa loqui viſa eſt. Placidi ſum nympha Numici.
Amne perenne latens Anna Perenna vocor.

Sed libro primo cap. XII oſtendimus, idibus Martiis Romanos à numine poſcere ſolitos, ut annum, quem exorſi eſſent, feliciter tranſigere daretur: & quia exiguum id eſſet, ſi unicum duntaxat annum ſupervivèrent, eo rogâſſe etiam, ut perennarent, hoc eſt, complures annos ſupereſſent; quod Latini dicunt *perennare*; ut Columella de Arboribus cap. XVI: *In ea fructus diutius perennat.* Nec dubium, quin inde nomen finxerint *Annæ Perennæ*. Itaque & Ovidius ex eo colligit, Martium veteris fuiſſe anni initium, quod tunc Annæ Perennæ fierent ſacra. Neque enim vota hujuſcemodi, niſi anno ineunte, ſatis conveniſſent. Poëtam ipſum audiamus in III Faſtorum:

Nec mihi parva fides, annos hinc iſſe priores,
Anna quòd hoc cœpta eſt menſe Perenna coli.

Annotavit Scaliger ad Feſtum in *Perenne*, populum omnem ſolere Idibus Martiis tranſire amnem auſpicatò, quò Annæ Perennæ ſacrum faceret. Vellem antiquum ejus rei laudâſſet auctorem. Nec enim ad Annam hanc pertinet, quòd prætores, vel proprætores, ad bellum ituri, auſpicatò amnem tranſirent: cujus rei teſtis Tullius in ſecundo de Divin. Ubi perperam libri quidam, *per omnes tranſeant*; pro, *per amnes*: ut etiam habet editio vetuſtiſſima, atque adeò omnium princeps. Nihilo magis ad Annam attinet primum Catulli epigramma: ubi corrigunt,

—— *Quod, ô Perenna virgo,*
Plus uno maneat perenne ſeclo.

Nec enim Anna ſtudiis præerat, ut libris daret perennitatem: ſed hoc erat Palladis, eruditorum, & eruditionis *patronæ*: ut quin *patrona* rectum ſit, minimè debeat dubitari. Nam nihilo rectius *patrima*; de quo alibi *a* actum nobis.

a *Grammaticarum inſtitutionum lib. I. cap. 23.*

His, quæ de fontibus, & fluminibus, diximus, ſubdam de nympha Juturna; quod nomen & fontis, & fluminis, & lacus ſive ſtagni, fuit. Juno quidem apud Maronem in XII appellat

—— *Deum, ſtagnis quæ, fluminibuſque ſonoris,*
Præſidet:

mox item ſic compellat,

Diva, decus fluviorum. ——

Ubi ſic Servius: *Juturna fons eſt in Italia ſaluberrimus, cui nomen à juvando eſt inditum.* Lacum etiam appellat Ovidius II Faſt.

Circa Juturnæ compoſuere lacus.

Item *ſtagnum* nominat VI Faſt.

Quæ ſimul ac tetigit Juturnæ ſtagna ſororis.

Naidis verò ei competere nomen, oſtendit, quòd mox Naida Laram ſic Junoni loquentem inducit:

Naida Juturnam vir tuus, inquit, amat.

Unde *Juturna* nomen ſit, docet Varro in IV de L. L. *Nympha Juturna, quæ juvaret. Itaque multi, propter id nomen, hinc aquam petere ſolent.* Idem ἔτυμον adducit Servius in XII Æn. Ac rationem his verbis ſubdit, quòd, *cùm naturaliter omnis aqua noxia ſit extraneorum corporibus, hic omnibus ſaluberrimus fons eſt.* Ubi pro *extraneorum* debere *ægrotorum* legi, ex Varronis etiam verbis liquet. Nempe, ut putavit, à *ſatu*, hoc eſt, ſatione, dici *Saturnum*; ſic à *jutum*, hoc eſt, adjuvando, *Juturnam* vocari, judicavit. Sed *Saturnus* aliundè eſt, ut alibi dicimus. Et ſi conjecturæ eſt locus, quid ſi, ut *Jupiter* eſt ex *Iovipater*, quod integrè *pater Iovis*; ubi *Iovis* eſt

eſt rectus: ſimiliter *Juturna*, ſit ex *Joviturna*: ut verum quidem nomen fuerit *Turna*, quando frater ejus *Turnus* nominatus: ſed hæc *Joviturna* ſit nominata, quia à Iove ſit adamata: ſive id ſecundùm fabulam intelligas, de qua Ovidius II Faſtor. ſive φυσικῶς, propter ſalubritatem, quæ à Iove, hoc eſt, cælitus obtingit. Templum Juturnæ in campo Martio, prope aquam Virgineam, fuit: ut non modò ex P. Victore conſtat, ſed etiam iſto Ovid. Faſt. VI:

Te quoque lux eadem, Turni ſoror, æde recepit;
Hic ubi virgineâ campus obitur aquâ.

Cap. LXXXI.

Deorum juramentum per Stygis majeſtatem, ac quæ pejerantium pœna. Stygis ἔτυμον *triplex.* Silentes *pro* Manibus. *Stygis Arcadicæ natura: præter quam & alteram eſſe in Campania, ubi & alteri Cimmerii: quæque poëtæ de Styge, atque aliis inferorum fluviis, fabulantur, quæ item de Cimmeriis Stygi vicinis prodidere, ea non tam petita eſſe ab Styge Arcadiæ, vel Cimmeriis circa Mæotidem, ac Boſphorum Cimmerium: ſed Italicâ Styge, & Cimmeriis ejuſdem terræ. Unde Bajarum calor. Cur Avernus ante Auguſti tempora gravem exhalârit odorem, poſteaque is tractus à ſalubritate fuerit commendatus.* Styx, & Acheron, *pro Averno Italiæ. Eſſe & cum alibi, tum in Epiro, Acheronta; uti & Cocytum. Cocyti nomen non competere primo inferorum fluvio; ſed eò eſſe tranſlatum: uti factum quoque in* gehenna.

AC de aquis quidem ſuperis, & uſui aptis humano, quod ſatis eſt, dixiſſe me puto: conſequi videtur, ut breviter exponam de aquarum illis, quæ apud ſuperos quidem ſunt, ſed infames; eoque à poëtis ad inferos transferuntur. Hujuſmodi ſunt Styx, Acheron, Pyriphlegethon, & Cocytus: quæ quatuor inferorum flumina facit Homerus Iliad. x. His adde Avernum, quo ad inferos itur. Dicam de ſingulis.

Stygis tanta fuit veneratio, ut per hanc ſolam Deos ju-
a *Iliad.* Θ. rare crederetur. Notum ex Homero *a*, Heſiodo *b*, Apol-
b *Theogon.* lonio *c*. Item Marone *d*, Ovidio *e*, Seneca *f*. Eſt &
c *Lib.* 2. *Argon.* Appuleji VI Metam. *Diis etiam, ipſique Iovi formida-*
d 9 & 12 *Æn.* *biles aquas iſtas Stygias vel fando comperiſti? quodque vos dejeratis per numina Deorum, Deos per Stygis majeſtatem*
e *Metam.* I. *ſolere?* Notum quoque illud Auſonii in Technopægnii parte eâ, quæ eſt de Diis:
f *Hercul. Fur.*

Quæque piat Divûm perjuria nocticolor Styx.

Fabula eſt hujuſmodi. Jupiter cum in pugna adverſus gigantes propitiam, ſenſiſſet Victoriam, Stygis filiam, hanc matri habuit gratiam, ut per eam Dii omnes jurarent: quique eorum pejeraſſent, hi annum integrum,
g *Theogon. verſ.* 795. ſecundùm Heſiodum *g*, jacerent νήυτμοι, hoc eſt, ἀυτμῆς, ſive ſpiritus atque animæ expertes. Orpheus tamen paullo aliter: ut indicat his verbis Servius ad VI Æn. *Fertur namque ab Orpheo, quòd Dii pejerantes per Stygiam paludem novem millibus annorum puniuntur in Tartaro.*

Quod ſi *Stygis* nomen primò competit paludi apud inferos, dici poſſit, Στύγα eſſe ex שְׁתִיקָה, *ſetika*, eliſo ſcheva, ut fiat *ſtika*. Notat ſetika *ſilentium*, à שָׁתַק, *ſiluit*. Vox apta defunctorum animis. Maro in VI:

—— *Umbræque ſilentes,*
Et Chaos, & Phlegethon, loca nocte ſilentia latè.

Et de Minoë ibidem:

—— *Ille ſilentûm*
Concilium vocat.

Sed non cenſeo, *Stygis* nomen primò attributum fluvio inferorum. Quare ſi a ſilentio ſit appellatio: fuerit ex eo, quia locus ejus eſſet ſilens, quippe qui ſolitarius foret, nullis frequentantibus aquam tantopere exoſam. Imò fortaſſis ex eo ipſo nomen, quia exoſa foret. Nempe ἀπὸ τοῦ ςυγεῖν, hoc eſt, *odiſſe*, *averſari*, *reformidare*.

Sed ſic quoque in quæſtionem venit, ubi Stygis ille fluvius ſit, unde ad fictum inferorum flumen nomen fuit accommodatum. De hoc duplex opinio eſt. Una vulgatior; de qua priùs dicam. Nempe ut intelligatur Styx illa ad Nonacrin, Arcadiæ oppidum, profluens ex rupe prærupta, atque inde delabens ad fluvium Crathin. Eſt ea frigidiſſima, partim à venæ profunditate, partim etiam à miſtura hydrargyri ſive argenti vivi, vel etiam nitri. Hinc eſt, quòd aqua ejus epota confeſtim enecet; nec vaſa vel vitrea, vel lapidea, aut oſſea, aut ferrea, aliuſve metalli, vim ejus ſuſtineant, ſed ſolâ equi, aut mulæ, vel aſini Indici ungulâ poſſit contineri. Eoque veneno Alexander ab Antipatri filio Caſſandro interemtus perhibetur. Vide, præter eos, qui Alexandri vitam reliquere, Antigonum Caryſtium Hiſtor. Mirab. cap. CLXXIV, Vitruvium lib. VIII, cap. III, Strabonem lib. VIII, Plinium lib. II, c. CIII, & lib. XXX, cap. XVI, Plutarchum de primo frigido, Ælianum lib. X de Animalibus cap. XL, Pauſaniam in Arcadicis, item apud Photium in μυριοβίβλῳ, tum Iſidorum in Damaſcii vita, tum Ptolemæum Hephæſtionem initio tertii Hiſtoriarum: alios item, in his Grammaticos etiam, ut Euſtathium in Iliad. Θ: ex junioribus autem, Paullum Leopardum Emendationum lib. IV, cap. VIII, & Andream Schottum in vita Demoſthenis ad Olympiadis CXIV, an. I, ſive Demoſthenis LVIII.

Nec tamen exiſtimandum, ſolùm Arcadiæ Styga occaſionem præbuiſſe commento de inferna Styge. Imò contrà videtur, Homerum, eorum, quæ de Styge, Acheronte, & aliis inferorum fluminibus, tradidit, vel præcipuè occaſionem cepiſſe ex calidis illis fontibus Campaniæ prope Lucrinum, & Avernum lacum; ubi & Cimmerii ab eo collocantur, qui nec orientem vident Solem, nec occidentem. Hoc cognoſcere eſt ex Odyſſ. decimo: ubi Circe, cui domicilium in Circeio, novi Latii monte, ſic alloquitur Ulyſſem à ſe proficiſcentem ad Cimmerios: quod unius diei iter facit *a*:

Νῆα μὲν αὐτοῦ κέλσαι ἐπ' Ὠκεανῷ βαθυδίνῃ· a *Verſ.* 511. & *ſeqq.*
Αὐτὸς δ' εἰς Ἀΐδεω ἰέναι δόμον εὐρώεντα.
Ἔνθα μὲν εἰς Ἀχέροντα, Πυριφλεγέθων τε ῥέουσι,
Κωκυτός θ', ὃς δὴ Στυγὸς ὕδατός ἐστιν ἀπορρώξ.
Navem quidem illic ſiſte in Oceano profundorum vorticum.
Ipſe autem in Plutonis eas domum obſcuram:
Ubi in Acherontem, Pyriphlegethon fluunt,
Et Cocytus, qui Stygiæ aquæ eſt emanatio.

Cimmerios verò hîc ſtatui à poëta, atque ad eos unâ à Circejo die perveniſſe, indicant illa Ulyſſis initio lib. XIII:

Τῆς δὲ πανημερίης τέταθ' ἱστία ποντοπορούσης,
Δύσετό τ' ἠέλιος, σκιόωντό τε πᾶσαι ἀγυιαί·
Ἡ δ' ἐς πείραθ' ἵκανε βαθυρρόου ὠκεανοῖο·
Ἔνθα δὲ Κιμμερίων ἀνδρῶν δῆμός τε πόλις τε,
Ἠέρι καὶ νεφέλῃ κεκαλυμμένοι· οὐδέ ποτ' αὐτοὺς
Ἠέλιος φαέθων ἐπιδέρκεται ἀκτίνεσσιν.
Totâ autem die paſſis velis per mare navigavimus.
Occidit & Sol, omneſque vici inumbrabantur.
Illa (navis noſtra) *ad fines pervenit profundi Oceani.*
Hîc erat Cimmeriorum hominum populus, & oppidum;
Qui caligine, & nubibus (ſunt) *contecti; neque unquam eos*
Sol lucidus intuetur radiis.

Audiamus & Lycophronem in Caſſandra:

Βαιοῦ δ' ἀμείψας τοῦ κυβερνήτου τάφον,
Καὶ Κιμμέρων ἔπαυλα, καὶ Ἀχερουσίαν
Ῥόχθοισι κυμαίνουσαν οἴδματος χύσιν,
Πυριφλεγές τε ῥεῖθρον, ἔνθα δύσβατος
Τείνει πρὸς αἴθραν κρᾶτα πολυδέγμων λόφος·
Ἐξ οὗ τὰ πάντα χύτλα, καὶ πᾶσαι μυχῶν
Πηγαὶ κατ' Αὐσονῖτιν ἕλκονται χθόνα,
Λίμνην τ' ἄορνον, ἀμφιτορνωτὴν βρόχῳ,
Καὶ χεῦμα Κωκυτοῖο λαβραθὲν σκότῳ
Στυγὸς κελαινῆς νασμόν, ἔνθα Τερμιεὺς
Ὁρκωμότους ἔτευξεν ἀφθίτοις ἕδρας.

Baji

Baji porro tranſiens nautæ ſepulchrum,
Et Cimmeriorum domicilia, Acheruſiamque
Procellis fluctuantem undæ ſcaturiginem,
Et Pyriphlegethontem fluvium, ubi difficilis adſcenſu
Tollit in æthera caput capax collis,
Unde omnia fluenta, & omnes ſpecuum
Fontes per Auſoniam emanant terram;
Paludemque Avernam, circumductam laqueo,
Et fluentum Cocyti, abſorptum tenebris.
Stygis nigræ fluvium, ubi Terminus
Jurisjurandi ſtatuit Diis ſedes.

Liquidò in Auſonia, Italiæ parte, & Cimmerios, & Acherontem, & Pyriphlegethontem, & Stygis fluvium, reponit. Etiam hoſce Homeri Cimmerios non juxta Boſphorum, ſed magnæ Græciæ Avernum, conſtituunt Strabo lib. I, Plinius Hiſt. Nat. lib. III, cap. V, Maximus Tyrius diſſertatione XXVI, & Feſtus his verbis: *Cimmerii dicuntur homines, qui frigoribus occupatas terras incolunt: quales fuerunt inter Bajas, & Cumas, in ea regione, in qua convallis ſatis eminenti jugo circumdata eſt, quæ neque matutino, neque veſpertino tempore, Sole contegitur.* Sic igitur colligimus: Homero, vel iis, quos ſecutus eſt Homerus, fingendi iſtos inferorum fluvios occaſionem eo præbitam eſſe, quòd illa Campaniæ pars, ubi Avernus, & Bajæ ſunt, tot calidos habeat fontes, & priſcis temporibus graviſſimi odoris.

Cauſſa autem iſtorum eſt à ſulfure, & ignibus ſubterraneis: unde ea loca deſcribens Dio lib. XLVIII: Τὰ ὄρη ταῦτα, τὰ πρὸς τὸν ἔνδον θαλάσσαις ὄντα, πηγὰς πυρός τε ἅμα πολλοῦ καὶ ὕδατος συμμιγοῦς ἔχει· *Montes illi, qui ſunt ad interiorem maris ſinum, fontes habent ignis multi cum aqua commixti.* Ac ſimiliter Strabo in quincto: ubi cur Dicæarchia, quæ Averno eſt proxima, aliter vocetur *Puteoli*, cauſſam hanc adducit, ὅτι τὸ χωρίον ἐκεῖ θείου πλῆρές ἐστι, καὶ πυρὸς, καὶ θερμῶν ὑδάτων· *quòd omnis ille tractus ſit plenus ſulfuris, & ignis, & calidarum aquarum.* Itidem Varro in quarto de L. L. *A puteis oppidum Puteoli, quòd ſint circa eum locum aquæ frigidæ, & calidæ multæ. niſi à putore potius, quòd putidus ſit odoribus ſæpe ex ſulfure, & alumine.* Poſteriorem rationem adducit & Feſtus. Clarè etiam de Averno ſic Servius in III Æn. *Hic Averni lacus ante ſylvarum denſitate ſic ambiebatur, ut exhalans inde per anguſtias aquæ ſulphureæ odor graviſſimus ſupervolantes aves necaret: unde & Avernus dictus eſt, quaſi ἄορνος: quam rem Auguſtus Cæſar intelligens, dejectis ſylvis, ex peſtilentibus amœna reddidit loca.* Tria hinc cognoſcimus. Unum ſpectat nomen Ἄορνος, unde digamma inſerto, & vocali quartà abeunte in ſecundam, ut in aliis fit trecentis, *Avernum* fecere Latini. Ἄορνος autem, quia, quæ advolarint aves, fœtore loci emoriebantur; ut eſt apud Antigonum Caryſtium cap. CLXVI. Qui & addit, ſimilem eſſe amnem in Sarmatia, ſecundùm Heraclidem. Quamquam verò & idem de Averno traditum ſit à Lucretio lib. VI, & ex Varrone à Plinio lib. XXXI, cap. II: pro fabula tamen habet Strabo lib. V. Alterum eſt, quòd Servius cauſſam graveolentiæ refert in aquas ejus ſulfureas, & denſitatem ſylvæ. Adde altitudinem collium, quibus ambitur. Nam & Ariſtoteli in Admirandis traditum eſt, περιέχεσθαι λόφοις κύκλῳ· τὸ ὕψος οὐκ ἔλαττον τριῶν σταδίων· *circumdari collibus: quorum altitudo non minor ſit, quàm trium ſtadiorum.* Denique addit Servius, ut Auguſtus exciderit ſylvam ſuperincumbentem. Quod ab Agrippa, ſed juſſu Auguſti, factum eſſe, Strabo narrat in quincto. Inde igitur loci in poſterum ſalubritas: quò reſpiciens Silius ait in XII:

Ille olim populis dictum Styga, nomine verſo,
Stagna inter celebrem nunc mitia monſtrat Avernum.

Ubi videmus, Stygis etiam nomen, quam in Arcadia poſuimus, Averni in Campania putaſſe. Itidem Acheronta hic collocat, & calorem ejus à ſulfure eſſe, & ignibus, tradit Servius in illud VI Æn.

—— Tenebroſa palus Acheronte refuſo:

Paludem pro lacu poſuit. Nam Avernum ſignificat: quem vult naſci de Acherontis æſtuariis. Et mox: *Acheron fluvius dicitur inferorum, quaſi ſine gaudio. Sed conſtat locum eſſe haut longe à Bajis undique montibus ſeptum; adeò ut nec orientem, nec occidentem Solem poſſit adſpicere; ſed tantùm medium diem. Quod autem dicitur ignibus plenus, hæc ratio eſt: omnia vicina illic loca calidis, & ſulfuratis locis ſcatent.*

Nec tamen in ſola Campania Acheron eſt: ſed & ejus nominis fluvius prope Heracleam Ponti, item alter Epirotarum, alius item Elidis in Peloponneſo. Vide Apollonium in Argonaut. II a, Strabonem non uno loco, Trogum ſive Juſtinum in XII, atque alios. Itidem præter Cocytum Campaniæ, a Verſ. 351. & ſ99.

Parthenopen inter, magnæque Dicarchidos arva:

(ut de eo eſt apud Petronium Arbitrum) etiam Cocytus eſt in Epiro prope Cichyrum urbem; teſte Pauſania in Atticis. Sed ex iis, quæ diximus, obſcurum non eſt; Homerum, quem alii ſecuti, potiùs à Campaniæ Cocyto, uti & ab ejuſdem Acheronte, & Styge, & Pyriphlegethonte, has appellationes ad commenticios inferorum fluvios tranſtuliſſe. Neutiquam verò iis aſſentio, qui Cocytum primò putant inferorum amni competere, ac ſic dici ἀπὸ τοῦ κωκύειν, quod eſt *lugere, flere, ejulare.* Nempe ſecundùm illud Scripturæ *b*: *Iſtic erit fletus, & ſtridor dentium.* b Matth. cap. 28.
Nihilo magis placet, ut ſit à קאקתא *cacata*, quod idem ac קאת, hoc eſt, *onocrotalus*, aliave avis immunda: ut verſ. 12.
liquet ex Jeſ. XXXIX, 11. Cujuſmodi avium nomina ſe- & c. 22.
cundùm Hebræos, etiam ſpiritibus tribuuntur agentibus v 23. item cap. 24.
in locis deſertis. Omnino autem veriſimiliùs eſt, poëtas v. 51. &
nomina hæc à ſuperis ad inferos tranſtuliſſe. Quomodo Luc. 13.
etiam videmus ab Hebræis factum in *gehenna.* 28. Quippe ea propriè vallis erat prope Hieroſolymam: ubi cùm Judæi antea ſoliti eſſent Molocho offerre liberos; rex Joſias, quò locum hunc profanaret, cadavera immundaque omnia eò juſſit inferri: unde poſtea factum, ut ad tormenta impiorum ea transferretur appellatio: quemadmodum pluribus enarrat B. Hieronymus in Matth. Euang. cap. X.

CAP. LXXXII.

Aqua veteribus Schithis pro numine erat, ut quibus Thamimaſades *idem fuerit, ac Romanorum* Neptunus. *Obiter de Artimpaſa, ac vocabulum hoc correctum apud Origenem, & Heſychium. Fontibus & lignis ſacrificatum ab Heſſis, & Bohemis. Peruanis divino honore affectum mare, nomine* Mammacocha: *item flumina, ac fontes.*

POſt Græcos, & Romanos, venio ad Scythas, Celtas, ac novi etiam orbis incolas. Scythis, ut Sol, & Luna; aër & terra; ſic aqua etiam colebatur. Sed nomina eis longè alia: ut oſtendit Herodotus in Melpomene: Ὀνομάζονται δὲ Σκυθιστὶ Ἱστίη μὲν, Ταβιτί· Ζεὺς δὲ καλεόμενος Παπαῖος· Γῆ δὲ, Ἀπία· Ἀπόλλων δὲ Οἰτόσυρος. Οὐρανίη δὲ Ἀφροδίτη, Ἀρτίμπασα. Ποσειδέων δὲ, Θαμιμασάδης. *Veſta Scythice vocatur Tabiti; Jupiter autem, Papæus; Tellus, Apia; Apollo, Oetoſyrus; Cæleſtis Venus, Artimpaſa; Neptunus, Thamimaſades.* Quem locum etiam Origenes adducit contra Celſum l. VI. Sed apud eum perperam Ἀργίμπασα, pro Ἀρτίμπασα, legitur. Nam poſterius hoc comprobatur veteri inſcriptione *a*: ΔΙΙ. ΠΑΤΡΙΩΙ. ΑΡΤΙ: :ΠΑΣΑ. Unica ſolùm litera μ excſa. Heſychius: Ἀρτιμήασαν, οὐρανίαν Ἀφροδίτην ὑπὸ Σκυθῶν· Ubi η priori loco pro ι, poſteriori pro π irrepſit. Unde verò & Veneris, & Neptuni, & cætera, quæ dixi, numina trahant nomina iſtæc Scythica, poſt tot ſecula difficile eſt dictu: cùm ne illud quidem ſatis conſtet, utrùm Herodotus ea fideliter expreſſerit. Fere enim ita uſu venit, ut cùm nomina in aliam transfunduntur linguam, multum de genuinis deperdant, ſic ut illi, unde profecta, vix ea agnoſcant pro ſuis. Sed ſi

a Inter Gruter. pag. 60. num. 6.

 ta-

tamen de origine eorum commentari animus ſit; non ea aliunde arceſſam, quàm e veteri Germanorum lingua, cui proxima erat iſta Scytharum: quando ex Aſiatica Scythia Scythiam Europæam, viciniaſque magnæ Germaniæ gentes, genus ducere, validis evincere argumentis admodum nobis ſit proclive. Sed non eſt id hujus inſtituti: & paucis defungi ſi velim, videar ſine ratione βεκκεσέληνος, vel, ſi malis, βεκκεσελωίζειν.

Ad propiora igitur me ſecula confero. Ac primùm illud, quo Cattos ſive Heſſos convertit S. Winfrid, cognomento Bonifacius primus epiſcopus Moguntinus; cujus vitam, ſed interpolatam, legas apud Surium a. d. v Junii. Id quod dicam, apud eum reperias cap. XXII *a*. Sed ſcriptor ejus vitæ, præfatione ad fratres Fuldenſes, ait, ſe ea, quæ obſcurius ſcripſerat S. Willibaldus, primus epiſcopus Eiſtetenſis, aperto enarrâſſe ſermone. Eum Willibaldi librum edidere Caniſius quarto Antiquarum Lectionum libro, part. II *b*, & Serrarius unà cum S. Bonifacii epiſtolis. Verba igitur hujus Willibaldi, miſſo exſcriptore, & interpolatore, excerpam ex cap. VIII: *Tum verò Heſſorum jam multi Catholicæ fidei ſubditi, ac ſeptiformis ſpiritus gratiâ confirmati, manus impoſitionem acceperunt. Et alii quidem, necdum animo confortati, intemerata fidei documenta, integre recipere renuerunt: alii etiam lignis, & fontibus clanculò, alii autem apertè, ſacrificabant.*

Itidem Bohemos fontibus ſacrificâſſe, lego apud Joannem Dubravium lib. I Hiſtoriæ Bohemicæ *c*. Qui & huic rei firmandæ de nympharum ab hac gente cultu, & id genus numinum, verba adducit è Procopii hiſtoria Gothica *d*. Idem Dubravius in nono hiſtoriæ ſuæ *e* ſic ſcribit: *Cætera in Bojemia tranquilla erant, niſi quod ad vomitum ſuperſtitioſi rurſus revertebantur, Lares, & Lemures, colentes, victimaſque tum ad fontes, tum ad lucos, & compita mactantes.*

Abſolvam, ubi aliquid de novo orbe adjecero. Mare pro Deo coluere Peruani, ac numen hoc dixere *Mammacocha*: item flumina ac fontes ab iis habebantur pro Diis. Teſtis de his locuples Joſ. à Coſta lib. V, cap. II, & IV.

a *Sive prioris editionis Colonienſis, quæ anni eſt 1572, & capita adſcripta non habet, pag. 477.*
b *P. 343.*
c *Pag. 5. editionis Wechelianæ.*
d *Procopii locus eſt l. 3. p. 277. editionis Auguſtanæ ab Hoeſchelio Græce procuratæ. Sed de ſylvarum cultu, de quo addit Dubravius, nihil apud Procopium legas. Decepit Dubravium interpres Chriſtophorus Perſona: qui ubi Græce eſt ποταμὸς, oſcitantius ſylvas vertit, cum fluvios deberet.*
e *Pag. 68. edit. Wechel.*

CAP. LXXXIII.

Acceditur ad aëra, qui & ipſe cæli nomine continetur, ac quandoque διαχεαστικῶς *hoc cælum, nominatur. Aëris profunditas quanta ſit ex Brahæi ſententia. Quæ ſuprema aëris regio dici ſolet, in duas diſpeſcitur; unam expertem, alteram participem fumoſæ exhalationis. Non eſſe proprium elementalis ignis locum inter aëra ſupremum, & orbem Lunarem: imò nec Ariſtotelem id putâſſe. Perperam* crepuſculi *nomine etiam* diluculum *intelligi. Quouſque eleventur halitus terreſtres. Altitudo quanta Caucaſi, Tenariffæ, Pariacacæ. Verticem Atlantis, ac Pelii montis, infra nubes eſſe. Quantum nubes abſint à nobis. Cur Deus aëra fecerit pellucidum, fluidum, item exhalationum, & caloris ac frigoris capacem. Cur reſpiratione nobis ſit opus. Lactantius emendatus. Anima, & aër, unde dicta.*

AB aquis venio ad corpus, quod inter cælum ſidereum, & aquæ terræque globum, eſt interjectum: puta cælum aëreum; quod nunc *cælum* nomine totius, nunc particulatim *aër* vocatur. Nam, ut Varro ait apud B. Auguſtinum *a*, *Mundus dividitur in duas partes, Cælum, & Terram; & Cælum bifariam, in Æthera, & Aëra.* Ac ſimiliter idem Varro in V de L. L. *Cælum dupliciter dicitur, & ſupremum illud, ubi ſtellæ; & hoc totum, quod complexu continet terram.* Lucretius lib. IV *b*:

Conſtituuntur in hoc cælo, qui dicitur aër.

Sunt viri eruditi, qui exiſtiment, aëra non dici *cælum*, ſed, ut hic loquitur Lucretius, *hoc cælum*; ac ſimiliter Græcis, non οὐρανὸν vocari, ſed τὸν οὐρανόν; Hebræis non רקיע, *rakia*, ſed cum ה demonſtrativo, הרקיע, *harakia*. Sed id in nulla linguarum, quas adduximus, perpetuum eſt.

a *Lib. 7 de Civit. Dei, cap. 6.*
b *132.*

Quemadmodum autem *cælum*, ita & *Jupiter*, non pro ſidereo tantùm cælo, ſed pro aëre etiam, uſurpatur. Sed hoc inferiùs comprobabitur.

Quàm vaſtum ſit hoc aeris corpus, argumento eſt, quòd (ut Tycho Brahe ſe obſervâſſe ſcribit) ab terra uſque ad Lunam ſint ſemidiametri terræ quinquaginta duæ. Quomodo is, ut colligit Chriſtophorus Rhotmannus *a*, major erit centies millies globo aquæ terræque.

Dividitur autem non à Peripateticis modò, ſed Stoicis quoque, in regionem ſummam, mediam, imam. Ita Seneca lib. II Nat. Quæſt. cap. X, & Plin. lib. II, cap. XXIII. Poſſis tamen, ut arbitror, commodè eam diſtribuere in regiones quatuor. Suprema enim illa eſt duplex: una purior, liquidiorque; altera fumoſas habens exhalationes. Prior iſta, quæ plurimùm immunis eſt à meteoris, extendit ſe, ex ſententia Peripateticorum, uſque ad elementum ignis; ut malunt alii, uſque ad concavum ætherei orbis, in quo Luna infimum obtinet locum. De puro igne, Lunæ proximè ſubdito, inane eſt ſuſpicari, ac ne Ariſtoteles quidem illud putavit. Solùm inter æthereos orbes, & purum aëra, intereſſe tradit, ἀναθυμίασιν ξηρὰν καὶ θερμὴν, *exhalationem ſiccam, & calidam*; ut videre eſt Meteorologicorum lib. I, cap. VII. Illud autem ὑπέκκαυμα, (quaſi *incenſionis fomitem* dixeris) ut non ſit aër purus, ita nec eſt ignis purus, ſed fuerit aër fervens ex calidarum exhalationum mixtura. Tantùm verò abeſt, ut exiſtimemus, inter aëra, & æthera, puri eſſe ignis elementum, ut aëra credamus, ſi non toto eſſe æthere, ſaltem uſque ad cælum ſtellarum fixarum: ac raritate quidem ab æthere, non tamen ſpecie, totâque differre naturâ: quemadmodum ſatis ex iis eſt cognoſcere, quæ de materie cæli diximus libri hujus cap. XXXVIII. Sed de ætheris ſubſtantia nunc mittamus: ac videamus ſolùm de aëre inter planetarum infimum, & aquæ terræque globum, intermedio. Et quia diximus de parte illâ Lunæ proximâ, à meteoris magis immuni; nunc accedamus ad alteram, propiorem nubibus, intra quam ſe fere fumoſæ continent exhalationes utriuſque crepuſculi, vel, ut more potiùs loquar Romano, quàm barbaro, tum diluculi, tum crepuſculi: hoc eſt, illi halitus, qui longè ſupra altiſſimos montes elevantur, primique mane Solis admittunt radios, & veſperi eos retinent poſtremi. Exhalationes iſtæ elevantur à terra milliaribus Italicis LII, ſive Belgicis XVII, ſive Germanicis XII. Quam ſententiam ab Alhazeno, & Vitellone olim aſſertam, variis certiſque argumentis Tycho Braheus comprobavit. Ac in tantum quidem attollitur inferior ſupremæ regionis pars; intra quam exhalationes fumoſæ fere conſiſtunt. Pauci verò montes in hanc uſque partem elevantur. Talis Caucaſus in Aſia; qui, Ariſtotele teſte *b*, tertiâ noctis parte retinet crepuſculi radios: item Tenariffa in Canariis; qui cum in mari conſpiciatur ex quatuor graduum intervallo, perpendiculum habet milliarium IX, ac dimidii: ut in Eratoſthene ſuo collegit vetus collega & amicus, ὁ μακαρίτης Wilibrordus Snellius: adhæc in Americæ parte ea, quæ Peruviæ nomen habet, montes varii, quibuſcum Alpes comparatæ videantur caſæ præ palatiis: unus autem eorum Pariacaca in jugo aëra habet adeò tenuem, & ſubtilem, ut magna cum difficultate, & moleſtia, ac vix ſine nauſea & vomitu, poſſis reſpirare. De quo Joſephum Acoſtam vide lib. III Hiſt. Ind. cap. IX. Plurimùm verò excelſos etiam montes, vel infra, vel ſaltem intra mediam conſiſtere regionem, argumento erunt, non modò Alpes nivoſæ, ſed etiam Atlas, quem non Maro *c* tantùm nubibus in vertice cingi, ventoque & imbribus cecinit pulſari: ſed Dio *d* etiam, etſi altiſſimum crederet montium, perpetuâ tamen

a *Lib. I. Tychonis Brahe epiſt. Aſtrolog. p. 122.*
b *Lib. I. Meteor. cap. 3.*
c *4 Æn.*
d *Lib. 75.*

men ait nive conſperſum. Pelii quoque montis verticem eſſe intra nubes, obſervavit Ptolemæus Philadelphus, cùm ſciendi curioſus eum adſcendiſſet; ut eſt apud Plutarchum in Paullo. Ac licet ſic vulgò de Hæmo ferretur, ex eo proſpectari, hinc mare Adriaticum, & Alpes, inde autem Pontum Euxinum: Philippus tamen, Macedonum rex penultimus, cùm eum adſcendiſſet, comperit, (Livii *a* verba ſunt) *ubi jugis appropinquabant, adeo omnia contecta nebulâ, ut haut ſecus, quam nocturno itinere, impedirentur.*

a Lib. 40.

Ex hiſce, quæ de montium altitudine diximus, ſtatuere etiam licet de altitudine mediæ, vel ſi ſupremam nobiſcum in duas diſpeſcas, tertiæ aëris regionis. In quo tamen non per omnia convenit hominibus eruditiſſimis. Sed vel veriſſima eſt, vel proximè à vero abit, opinio eorum, quibus videtur, concavum nubium abire à nobis paſſibus quingentis, ſive ſpatio milliaris Italici dimidii. Tantum enim abſunt nubes, cùm graviſſimæ ſunt, & in pluviam ſe jam reſolvunt. Convexum autem nubium abeſt plus minùs Italicis milliaribus quatuor: à quo non multum abiit Poſidonius, qui, Plinio *b* teſte, ajebat, *non minus* XL *ſtadiorum à terra altitudinem eſſe, in quâ nubila, ac venti, nubeſque proveniunt.* Id quinque fuerit Italicorum milliarium. Nam octona ſtadia millenis conſtant paſſibus. Cardanus, in XVII Subtilitatum, ut de proximis aſſentit nubibus, (nam ait, vix quingentis abeſſe paſſibus) ita de remotiſſimis modum videtur nimis coarctaſſe: ut qui ſummas etiam arbitretur vix ad bis mille paſſus elevari: id verò iis refellitur, quæ de perpendiculari diximus altitudine montium, qui nivibus obteguntur.

b Lib. 2. cap. 23.

Sive verò tripartitum malis, ſeu quadripartitum ſtatuere hunc aëra; ſive item regiones eas univerſè, prout aëris ſunt; ſive particulatim, ut hujus ſunt, vel illius regionis, conſideres: undecunque divina ſe exerit providentia.

Ac primùm in eo, quòd corpus ſit, non opacum, quale terminat viſum; ſed perſpicuum, quod lucem ac colores tranſmittit. Quare niſi perſpicuus aër foret, quid magis oculi prodeſſent, quàm cæcis? Et eo major eſt admiratio, quòd ſimul tot colorum ſpecies eundem tranſeant aëra ſine mixtura, ac confuſione. Ut liquet, ſidera, prata, hortos, ædificia, animantia, contemplanti.

Alterum eſt, quòd aër non ſolidum ſit corpus, ſed tenue ac fluidum. Tenuitas ac ſubtilitas magna eſt in aranearum filis. Cernuntur tamen. Aër fugit conſpectum omnium. Fila aranearum, ut facile rumpas, ſic difficulter jungas. Aër non facilè modò ſcinditur, ſed ſciſſus etiam facilè unitur. Abſque hac tenuitate & fluxu aëris foret, non naturali, non ſpontaneo ſecaretur animalium motu. Quàm difficulter terram animalia penetrant ſubterranea! Qui progrediamur, ſi paries obſtet? Quàm difficilis ingreſſus per aquas ipſas! Per aëra autem quàm velociter volant aves, ambulant homines, corpora quoque alia de loco transferuntur in locum. Etiam tenuis illa ac fluida natura requirebatur tum ad loquendum, tum ad audiendum. Nam & opus erat aëra ſonum loquentium recipere: qui autem loquitur, neceſſe habet linguæ plectro variè aëra ferire, ac figurare. Opus etiam fuit, aëra, quem ſonum recepit, transvehere ad aures. Quare abſque aëre eſſet foremus, quaſi ſurdi, & muti. Atque admirationem hic auget, quòd eopſe tempore, per aëra eundem, diverſæ ſonorum ſpecies pervadant ad aures noſtras. Ut ſi hinc audias ſuſurrum fluminis, inde arboris; ponè cantillent aviculæ, à fronte cantant pueri ſymphoniaci.

Præterea utilitatem aëris commendat, quòd tum caloris ac frigoris eſt capax, tum vaporis etiam, ac fumoſæ exhalationis. Vapore in nubes, ac pluviam, concreſcente, terra humectatur: unde plantæ & animantia nutriuntur, ac augentur. Fumoſæ exhalationis utilitas ex iis cognoſcetur, quæ de fulmine dicentur, & aliis meteoris igneis. Sed imprimis calor, & frigus, requiruntur, quia abſque iis non ſit rerum generatio, vel conſervatio. Sed omnia exſuperat, quòd cùm homo, ad paucos dies, ſupervivere poſſit ſine cibo, & potu, non tamen id poſſit, niſi ſpiritum ducendo. Nam opus eſt illi tum ἀναπνοῆ, ſive inſpiratione per os, nares, arterias; tum διαπνοῆ, ſive tranſpiratione per cutis meatus. Exiguntur autem hæc propter tria; ἐμψύχειν, ſive *refrigerationem*, ῥιπίζειν, ſive *ventilationem*, καὶ γένεσιν πνεύματος ψυχικοῦ, *generationem ſpiritus animalis.* Neceſſe enim eſt, attrahendo pulmonibus aëra frigidum, temperari continuò caloris nativi æſtum. Unde &, aëre, quem attraximus, calefacto, eundem pulmonibus exſpirari opus eſt. Propterea Galenus, libro an ſanguis in arteriis contineatur, ait, aëra attrahi, non quia ejus requiratur ſubſtantia, ſed quia egeamus ejus frigore. Ventilatio præterea tributa nobis ad ignem caloris nativi excitandum; qui alioqui tepeſceret, ut ignes noſtri cineribus obducti. Denique nutriri neceſſe ſpiritum animalem; qui pulmonibus adductus, & corde receptus, in eo elaboratur, ac cerebro perficitur; hinc per corpus diffunditur, ut proximum ſit inſtrumentum ſenſus, & motus. Unde Vitruvius, præfatione lib. VIII: *Corpora ſine ſpiritu redundanti non poſſunt habere vitam, niſi aer influens cum incremento fecerit auctus, & remiſſiones continenter.* Imò ex multiplici ejus uſu, quem diximus, collegere aliqui, animam eſſe aëra. Ut Varro, apud Lactantium lib. de Opificio Dei cap. XVII: *Anima eſt aër conceptus ore, defervefactus in pulmone, tepefactus in corde, diffuſus in corpus.* Prout & optimæ habent editiones: ſed, naturâ rei ſic poſtulante, legendum cenſeo, *tepefactus in pulmone, fervefactus in corde.* Interea rectè ſubjicit Lactantius, *Hoc apertiſſimè eſt falſum.* Attamen non Varro animam ipſam dixiſſet aëra, niſi ſpiritus animalis aëre gigneretur, & nutriretur. Nempe anima propriè eſt ventus; ut in illo Horatii *a*, *Impellunt animæ lintea Thraciæ*: item halitus oris; ut cùm dicimus, *animam fœtere*, vel *efflari.* Accommodata deinde vox animæ ſenſitivæ, quia ſe exſerit τῷ ἄειν, *ſpirando.* Tandem & vox ea rationali aptata animæ. Proprietatem vocabuli cognoſcimus ex eo, quòd ἄνεμος ſit ab ἄημι, hoc eſt, *ſpiro.* Imò & ἀὴρ ſic nominatus putatur, quia per eum ſpiramus, & vivimus. Malim tamen, ſic dici, quia eſt ſpirabilis naturæ: ut idem propriè ſit, ac *ventus.* Nam ſatis conſtat, *ſpiritum* ſæpe, & *ventum*, ſumi pro aëre; à Stoicis imprimis, ut apud Senecam III Nat. Quæſt. cap. XIV. Atque idem epiſt. CXVII ait: *Hæc ſunt elementa, quibus hic mundus adminiſtratur; Aqua, Terra, Spiritus.* Saltem veriſimilius hoc etymon utroque eorum, quæ Plato adducit in Cratylo. Nec ab Græca origine veriſimilius deduxeris. Sed fortaſſe poſſis ab Hebræo fonte. Nimirum ut *Aër* prius fuerit *Aor*, ab אור, hoc eſt, *lux*, *lumen*, *ſplendor.* Ratio nominis erit, quia aër & recipiat lucem, & tranſmittat. Ac ſimiliter Saxonibus, & Belgis, *aër* dicitur *licht*, & *locht*, à *licht*, quod non ſolùm *leve* notat, ſed etiam *lumen.* Nempe a Græco λύχνος, vel Latino *lucis* vocabulo. Solent enim Belgæ apponere *t* in fine: de quo nos alibi.

a Lib. 4. od. 12.

Cap. LXXXIV.

Aër pro numine habitus Anaximeni Mileſio, & Diogeni Apolloniatæ: ſimiliter ſapuiſſe Aſſyrios, & Arabas: quibus per Venerem Cæleſtem tum Luna, tum aër ſubjectus, intelligebatur: item Ægyptios, qui aëra dixere Minervam: adhæc Græcos, & Romanos; quibus aër eſt mas, quatenus ſpiritus eſt vegetans ac movens, dicitúrque Jupiter: *femina autem, quatenus recipit exhalationes, & quæ inde generantur, &* Juno *nuncupatur. Quid pedem dixerint in re nautica.* Dijovis, Dieſpiter, Lucetius.

Cur Juno tum ſoror ſtatuatur Iovis, tum uxor, ac cur à marito dicatur ſuſpenſa de cælo appenſis ei incudibus duabus: Cur ab albis ulnis laudetur Homero. Quamobrem Soſpitæ *ei datum cognomentum; item* Argivæ: *& quod nomen fuerit primæ ejus apud Argivos ſacerdoti.*

ATque horum conſideratio cùm ſuſtollere mentes deberet humanas ad cultum ejus, qui aëra creâſſet: contrà evênit, ut mirâ iis cæcitate deprimerentur ad venerationem creaturæ: nec vulgares ſolùm animæ, ſed etiam maximi nominis philoſophi: inter alios Anaximenes Mileſius; & Diogenes Apolloniates. De priori ſic Tullius in primo de Nat. Deorum: *Anaximenes aëra Deum ſtatuit, eumque gigni, eſſeque immenſum, & infinitum, & ſemper in motu: quaſi aut aër ſine ulla forma Deus eſſe poſſit, cum præſertim Deum non modò aliquâ, ſed pulcherrimâ ſpecie, eſſe deceat: aut non omne, quod ortum ſit, mortalitas conſequatur.* Quibus non modò Anaximenis ſententiam clarè proponit; ſed ſolidè etiam refellit. Atque ex hoc Tullii loco eandem Anaximeni opinionem tribuit B. Auguſtinus epiſt. LVI, quæ eſt ad Dioſcorum. Ac ſcitè idem lib. X Confeſſionum, cap. VI, quo tractat, Deus quid ſit, & quomodo cognoſcatur: *Interrogavi*, ait, *auras flabiles, & inquit univerſus aër cum incolis ſuis: Fallitur Anaximenes: non ſum Deus.* De Diogene ſic poſt ſuperiora Tullius: *Quid aër? quo Diogenes Apolloniates utitur Deo, quem ſenſum habere poteſt, aut quam formam Dei?* Item Auguſtinus lib. VIII de Civ. Dei, cap. II: *Diogenes, Anaximenis alter auditor, aërem quidem dixit eſſe materiem, de qua omnia fierent: ſed eum eſſe compotem divinæ rationis, ſine qua nihil ex eo fieri poſſet.* Sed, miſſis philoſophis, de totis potiùs gentibus videamus.

De Aſſyriis, & Arabibus, teſtis eſt Herodotus lib. I: qui & auctor eſt, vocatam iis Ἀφροδίτην Οὐρανίαν *a*. Interim ex iis, quæ antea diximus, liquet, Orientales per Venerem Uraniam, ſive Cæleſtem, intellexiſſe, tum Lunam, tum Aëra; ut eadem iis Diva fuerint Venus, & Juno. Quod obſcurum non eſt ex Plutarcho in Craſſo: quo loco de Dea agit Hierapolitanâ: ubi aliis eam ait Junonem, aliis Venerem credi. Οὐρανίην vocat Herodotus in primo. Ab Aſſyriis, & Arabibus, ejus eſſe cultum, ait Pauſanias in Atticis. Aperteque imprimis Julius Firmicus lib. profanarum religionum: *Aſſyrii, & pars Afrorum aërem ducatum habere elementorum volunt, & hunc imaginatâ veneratione venerantur. Nam hunc eundem nomine Junonis, vel Veneris virginis, ſi tamen Veneri placuit aliquando virginitas, conſecrarunt.* Virginem Venerem Orientales dixere, ut Romani, & Græci, Virginem Dianam. Nempe hic ſignatur non terreſtris Venus, ſed cæleſtis: quæ partim eſt Luna, partim aër pro Lunæ ratione mutationibus obnoxius.

a Venerem Cæleſtem

Ægyptii autem intellexere aëra per Minervam; teſte Euſebio lib. III Præparat. Euangel. cap. II: ubi cùm dixiſſet, Oſiridem iis eſſe Solem, Iſidem Lunam, Iovem ſpiritum cuncta pervadentem, Vulcanum ignem, Oceanum humorem, ac Nilum; ſubdit iſta, Τὸν δὲ Ἀέρα φασὶν αὐτοὺς προσαγορεύειν Ἀθηνᾶν. *Aëra verò ajunt ab iis Minervam vocari.*

Expediam de Græcis, ac Romanis: quibus aër, partim conſideratur, ratione potentiæ activæ, ac *Jupiter* dicitur: partim paſſivæ, & vocatur *Juno*. Seneca lib. III Quæſt. Nat. cap. XIV: *Aëra marem judicant, qua ventus eſt; feminam, qua nebuloſus, & iners.* Nempe ut Athenagoras Legatione pro Chriſtianis refert, ἀέρα διφυῆ ἀρσενόθηλυν τὸν Δία λέγουσιν· *aëra duplici naturâ præditum maſculofeminam Iovem vocant.* Iovem pro aëre ſumi, ait Servius in VI Æn. & pro exemplo adducit hoc Horat. lib. I, od. I:

— *Manet ſub Iove frigido Venator.* —

Eſtque ejuſdem od. XXII hujus libri:

Quod latus mundi nebulæ maluſque
Jupiter urget.

Similiter Maro I Georg.

— *Jupiter humidus Auſtris*
Denſet, erant quæ rara modò, & quæ denſa
relaxat.

Item in ſecundo:

Et jam maturis metuendus Jupiter uvis.

Eſt & Ennii apud Varronem in IV de L. L.

Iſtic eſt is Jupiter, quem dico, quem Græci
vocant
Aërem, qui ventus eſt, & nubes, imber poſtea,
Atque ex imbre frigus, ventus poſt fit, aër denuo.

Unde & liquet, cur *Iovem* pro *vento* dixerit Catullus Carm. VI:

— *Sive utrumque Jupiter*
Simul ſecundus incidiſſet in pedem.

Sententia eſt; ſive ventus vela implêrit. Nam *pedem* dixere Romani pro fune, quo velum tenditur, imâque veli parte, & κατὰ συνεκδοχὴν pro ſinu veli, qui vento impletur. Qua de re & alibi *a* dixi. Ratio tralationis eſt ex eo, quia ut pes ima eſt corporis pars, ita & id, quod dicimus in velo. Nempe quomodo *pedem menſæ* dicunt Ovidius *b*, & Plinius *c*, *pedem vinaceorum* Columella *d*, *betaceos pedes* Varro *e*. Etſi Martinus de Roa Cordubenſis *f* cenſeat, *pedem* Catullo propriè eſſe ſinum ſive medium veli, quia ejus beneficio, ubi vento impletum, ambulent maria, quaſi pedibus, qui ſunt ambulationis inſtrumentum.

a Inſtitut. Orator. l. 4. c. 12. ſect. 3.
b 12 Metam.
c Lib. 12. cap. 1.
d Lib. 12. cap. 43.
e Lib. 1 de R. R. c. 2.
f Singularium l. 6. cap. 10.

Ad Iovem, quatenus aër eſt, pertinet quoque *Dijovis*, & *Dieſpiter*. Varro in IV de L. L: *Dialis à Iove, qui Dijovis eſt.* Et aliquanto ante: *Aelius Gallus, Dius Fidius, dicebat, Dijovis filius; ut Græci* Διόσκουρον, *Caſtorem.* Et ibidem: *Olim Dijovis, & Dieſpiter dictus, hoc eſt, aër, & dies pater.* Et poſt pauca: *Idem hic Dieſpiter dicitur, infimus aër, qui eſt conjunctus terræ: ubi omnia oriuntur, ubi aboriuntur.* Agellius quoque lib. V Attic. Noct. cap. XII, cùm dixiſſet, *Jupiter* integrè eſſe *Iovispater*: ſubdit, *Item Iovis Dieſpater appellatus eſt: id eſt, diei, & lucis pater: idcircoque ſimili nomine Dijovis dictus eſt, & Lucetius: quòd nos die, & luce, quaſi vitâ ipſâ, afficeret, & juvaret.* Ac plura inibi in hanc mentem.

Habemus de Iove: nunc ſubjiciam de Junone. Quo nomine Romanis quidem, ac Græcis, Luna etiam intelligitur, ac Terra; ut antea oſtenſum: ſed plurimùm Ἥρα, ſive Juno, eſt aër. Imò, ut non ſemel dixi, Ἥρα ſolùm trajectis literis, ex ἀὴρ factum: quod & monitum Athenagoræ in apologia ſua. Sic quoque Stoici interpretabantur. Cicero in II de Nat. Deorum: *Aer, ut Stoici diſputant, interjectus inter mare, & cælum, Junonis nomine conſecratur: quæ eſt ſoror, & conjux Iovis, quod ei ſimilitudo eſt Ætheris, & cum eo ſumma conjunctio.* Nempe ſubtilitate eſt ſimilis, & germana; hoc eſt, ſoror: loco autem ſocia, & conjugata; hoc eſt, uxor. Et ad hanc conjunctionem pertinet, quòd dicat Homerus, à Iove catenâ fuiſſe de cælo ſuſpenſam, dependentibus de ea incudibus duabus. Nam aër cælo ſubjicet, quaſi de eo dependens: & ſubduntur pendenti quaſi incudes duæ,

ter-

terra, & aqua. Eadem ob aëris perſpicuitatem dicta eſt λευκώλενος, hoc eſt, *niveis prædita ulnis*, ſeu *brachiis*.

Sed cur & Juno nuncupata eſt *Soſpita*? Credo, quia in aëre, quem attrahimus, valetudo multùm ſita eſt. Nam, ut eſt apud Hippocratem, libro de Natura hominis: Αἱ νοῦσοι γίνονται, αἱ μὲν ἀπὸ διαιτημάτων, αἱ δὲ ἀπὸ τοῦ πνεύματος, ὃ εἰσαγόμενοι ζῶμεν· *E morbis alii quidem fiunt à victus ratione: alii verò à ſpiritu ſive aëre, cujus attractione vivimus.* Nempe à prava quidem victus ratione proveniunt morbi cujuſque proprii, qui σποράδες, hoc eſt, *diſperſi* appellantur: at populares, omnibuſque communes, ac peſtilentes, ab aëre ſolent proficiſci. Imò idem Hippocrates, libro de Flatibus, (ſi is auctor ejus libri ſit genuinus) etiam priorum morborum aëra cauſſam facit: neque id reprehendi poteſt, dummodo non cauſſam intelligamus ſolitariam, ſed adjuvantem. Nam & ambientis aëris calor putredinem ſæpe, ac febrim, conciliat. Quandoque & eandem accendit, dum frigore ſuo meatus intercludit, ac tranſpirationem impedit. Ac ſimiliter nunc humidus nimis febres longas, alvi profluvia, comitialem morbum, parit: nunc ſiccitate nimià gignit acrem ac biliosum humorem. Quæ ſatis diſcere eſt, partim ex tertia ſectione Aphoriſmorum Hippocratis; partim ex libro ejus de aëre, locis, & aquis.

At Ἀργεία ſive *Argiva* dicebatur Juno, quia Argis Dea eſſet tutelaris: ut cui Inachus terram hanc dicaſſet. Et veriſimile eſt, hinc cultum Junonis promanaſſe ad Græcorum alios: atque inde opinionem ortam, Junonem Argis natam. Et quia Juno numen muliebre, eò & femina præerat Junonis Argivæ ſacris. Primaque ſacerdotio functa dicitur filia Piranτis; ſive ejus nomen fuerit Callirrhoe, ut vulgo quidem legitur apud Hyginum fabulâ CXLV: ſive, quòd multò veriſimilius, Καλλιθόη, ut Phoronidos ſcriptori dicitur apud Clementem Alexandrinum *a*: vel Καλλίθυια, ut ex Plutarcho vocatur Euſebio in III Præparat. Euangelicæ *b*: aut Καλλιθέα, quemadmodum eſt apud Theonem in Aratum.

a *Lib.* I. *Strom.*

b *Cap.* 8.

FINIS LIBRI SECUNDI.

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
IDOLOLATRIÆ
ORIGINE AC PROGRESSU;
LIBRI TERTII
PARS PRIMA;
Quæ eſt de cultu corporis imperfectè mixti.

CAP. I.

Ab elementis acceditur ad meteora. Cumque τῶν μετεώρων appellatione ſæpe etiam ſidera intelligantur, hoc loco eſſe ſermonem; de iis, quæ ſub cælo ſiunt, & aliter μετάρσια nuncupantur. Quis locus proprius ſit quarti μετεωρολογικῶν libri. Quid Ariſtoteles per μετέωρα intellexerit, & quotuplicia ea ſint. Quomodo divino Pſaltæ ignis, & ſpiritus procellarum, verbum Dei facere dicantur. Cur ventum hoc loco inter corpora potius naturalia, quàm affectiones corporis, referamus, non ſine veterum exemplo. Ventum à Perſis pro Deo cultum. Conciliati, qui ventum corpus, quique affectionem corporis, arbitrantur. Uſonem in Phœnicia templum ſtatuiſſe Ventis. Græcos quoque ſupplicaſſe Ventis. Quid nomine Boreæ, rapientis Orithyam, intelligatur. De ventorum cultu apud Sicyonios. Quis Circius, & ut vento huic templum ſtatuerit Auguſtus. Cur Zephyro albam mactarint pecudem, inque circo album ei ſacrarint aurigarum colorem. Cur Æolus ſit ventis præfectus. Philoſophos eſſe poëtarum judices. Exponitur Maronis locus à Seneca reprehenſus.

POſtquam Deorum loco habiti ſunt, non modò ſpiritus; ſed & ſol, luna, ſtellæ, æther; imò quatuor etiam elementa: nihil mirandum videtur, ſi mox, quaſi præcipiti gradu, decurſum ſit ad cultum eorum, quæ ex elementis conſtarent. Unde quadruplicem ſtatuit idololatriam Maimonides libro de cultu planetarum, ac ſiderum, cap. 11, §. 1. Quia igitur de primo illorum vidimus libro primo; de altero autem, tertioque, libro ſecundo: reſtat, ut expediamus de quarto, & ſingulis ejus partibus: ut ſunt quinque corporis mixti ſpecies; meteora, foſſilia, plantæ, muta animantia, & ratione prædita.

In his dignitate infimus eſt meteoris locus; quia corpora ſunt imperfectè mixta. Sed doctrinæ ordine his primus dari ſolet, quia ab eo, quod eſt imperfectius, ad perfectius adſcenditur.

Μετέωρα autem trifariam dicuntur. Nam ſic vocantur, tum generatim, quæ in ſublimi ſunt ſuſpenſa, tum particulatim, quæ vel in æthere, vel in aëre, conſpicimus. De generali illa ſignificatione nihil attinet dicere, ſi & in æthere, & in aëre, μετέωρα nominari, comprobemus. Priori modo etiam ſiderum conſiderationem μετεωρολογίαν dixere. Unde de Abrahamo ſic Philo libro de nominum mutatione: Μετεωρὸν φαμὲν τὸν ἀπὸ γῆς εἰς ὕψος αἴροντα καὶ ἐπισκοποῦντα τὰ μετάρσια· μετεωροπολοῦντα καὶ μετεωρολογικὸν, ἐρευνῶντα τί ἡλίου μέγεθος, τίνες αὐτοῦ φοραί, πῶς τὰς ἐτησίους ὥρας διανέμει προσιὼν καὶ ἐξαναχωρῶν πάλιν, ἰσοταχέσι ταῖς ἀνακυκλήσεσι, καὶ σελήνης περὶ φωτισμῶν, σχηματισμῶν, μειώσεως, αὐξήσεως, καὶ τῶν ἄλλων ἀστέρων κινήσεως, ἀπλανοῦς τε καὶ πεπλανημένης· METEORUM dicimus illum, *qui ſe-ipſum in altum extollit, eaque obſervat, quæ in ſumma ſunt cæli regione: iisdem* METEOROLOGUM, & METEOROLOGICON, *vocamus, qui ſcrutatur, quæ ſit magnitudo Solis, quæ converſiones ejus, quomodo anni converſiones, ſuo ad nos acceſſu & receſſu, efficiat, æquali velocitate & revolutione: itemque de Lunæ illuſtrationibus, formæ varietatibus, ſenio, augmento, deque aliarum ſtellarum curſu, & motu anquirit, tam earum quæ fixæ ſunt, quam errantium.* Similiter Achilles Statius in Iſagoge *a*: Διαφέρει μεταρσίων μετέωρα· ᾗ τὰ μὲν μετέωρα ἐν οὐρανῷ καὶ αἰθέρι ἐστίν· ὡς ἥλιος, καὶ τὰ λοιπά. μετάρσια δὲ, τὰ μεταξὺ τοῦ ἀέρος, καὶ γῆς. οἷον ἄνεμοι, νεφέλαι, ὄμβροι, ἀστραπαί, βρονταί, &c. *Differunt a meteoris, quæ dicuntur metarſia. Meteora enim ſunt in cælo, & æthere; ut Sol, & id genus cætera. Metarſia, quæ inter aërem, & terram; velut venti, nubes, imbres, fulgura, tonitrua,* &c. At longè aliter μετέωρα intelligit Ariſtoteles in tribus μετεωρολογικῶν libris. Nam quartus longè alius eſt argumenti; ut Alexandro, & Themiſtio, obſervatum: ac vel libros de generatione, & corruptione proximè ſequitur; vel potiùs, licet meteorologicus non ſit, tamen rectè iis ſubjungitur, quia poſt conſiderationem imperfectè mixtorum agendum fuit de mixtione perfecta. Quæ & Averroïs opinio fuit, & Alberti, ac Thomæ, & Petri Pomponatii *b*, ut alios mittam. Sunt autem μετέωρα Ariſtoteli elementa quidem, ſed poſtquam alienam acceperunt qualitatem; eoque mixta quodammodo; attamen ſic, ut non devenerint ad temperiem perfectam, ſed ſubſtantialem elementi formam reſervent. Hujuſmodi corpora ſunt duo: quorum utrumque ſit halitus ſive exhalatio: ſed unum ex corpore humido educitur, & ἀτμὶς ſive *vapor* vocatur: alterum reſolvitur ex corpore ſicco, ac nominatur καπνὸς, ſive *fumus*, & κατ' ἐξοχὴν etiam ἀναθυμίασις, ſive *exhalatio*. Ex priori ſunt pluviæ, nix, grando; ex altero fulgur, & venti. Et hæc, & illa invitant nos ad celebrationem nominis divini: unde Pſaltes in CXLVIII, 7, 8: *Laudate Dominum, ignis, grando, nix, glacies, ſpiritus procellarum, quæ faciunt verbum ejus.* Ubi *ignis* ſumitur pro fulmine, & fulgetro; *ſpiritus procellarum*, pro vento procelloſo. Quæ omnia cùm non temere vel caſu ſiunt,

a Cap. 32.

b *Dubitatione prima in quartum Meteorologicôn.*

ſed

ſed voluntate divinâ: meritò *verbum Dei facere*, hoc eſt, juſſa Dei exſequi, dicuntur.

E corporibus hiſce imperfectè mixtis primùm videbimus de ventis. Neque ignoro, iis, quibus placet, ventum nihil aliud eſſe, quàm fluxum aëris, ab ſideribus, vel angelis, concitatum; viſum iri, conſiderari hæc inferiùs oportuiſſe, ubi de affectionibus corporum agemus, non hoc loco, ubi corporum cultus ſpectatur. Mihi verò nec hac parte à veteribus viſum recedere: qui de corporum naturalium cultu loquentes, etiam ventos in iis recenſent.
a Septuaginta interpretum. Facit hoc ſeu antiquior Philo, unus τῶν ἑβδομήκοντα *a*, ſeu alius ſcriptor operis ejus, quod Salomonis Sapientia inſcribi ſolet. Hic de variorum cultu ſic loquitur XIII, 2: Μάταιοι μὲν γὰρ πάντες ἄνθρωποι φύσει, οἷς παρῆν θεοῦ ἀγνωσία, καὶ ἐκ τῶν ὁρωμένων ἀγαθῶν οὐκ ἴσχυσαν εἰδέναι τὸν ὄντα, οὔτε τοῖς ἔργοις προσέχοντες ἐπέγνωσαν τὸν τεχνίτην· ἀλλὰ ἢ πῦρ, ἢ πνεῦμα, ἢ ταχινὸν ἀέρα, ἢ κύκλον ἄστρων, ἢ βίαιον ὕδωρ, ἢ φωστῆρας οὐρανοῦ, πρυτάνεις κόσμου θεοὺς ἐνόμισαν· *Etenim vani ſunt omnes homines naturâ, in quibus ineſt ignoratio Dei, & qui ex iis, quæ ſpectantur, bonis, eum, qui eſt, non potuerunt intelligere: neque ex operibus conſideratis opificem cognoverunt: ſed aut ignem, aut ventum, aut celerem aërem, aut aſtrorum orbem, aut violentam aquam, aut lumina cæli, rectores mundi deos eſſe putaverunt.* Ubi videmus, ventos non ſolùm inter corpora referri: ſed ſeorſum etiam ab aëre memorari. Verùm Herodotus, & Strabo, quando narrant, ut Perſæ inter corpora naturalia coluerint ventos; ignem quidem, aquam, & tellurem referunt, cæterùm aëra prætereunt. Verba quippe Herodoti ſunt iſta lib. I: Θύουσι δὲ ἡλίῳ τε, καὶ σελήνῃ, καὶ γῇ, καὶ πυρὶ, καὶ ὕδατι, καὶ ἀνέμοισι· τούτοισι μὲν δὴ μούνοισι θύουσι ἀρχῆθεν· *Sacrificant verò Soli, & Lunæ, & Telluri, & Igni, & Aquæ, & Ventis. His enim ſolis ſacrificant jam ab initio.* Similiter Strabo lib. XV: Τιμῶσι δὲ καὶ Ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίθραν· καὶ Σελήνην, καὶ Ἀφροδίτην, καὶ πῦρ, καὶ ἀνέμους, καὶ ὕδωρ. *Colunt Solem, quem Mithram vocant. Item Lunam, & Venerem, & Ignem, & Tellurem, & Ventos, & Aquam.* Exiſtimet aliquis, hic per ventum ſignati aëra, quia is memoratis elementorum aliis ſolus præteritur. Sed locus ille, è Sapientiæ libro adductus, docet, ſeorſum à Vento Aëra fuiſſe cultum. Quare *ventum* propriè capio: ſic tamen, ut eo non excludatur aëris cultus, ſed includatur. Quippe exhalatio calida, ac ſicca, frigore condenſatur in ventum; uti vapor in aquam. Etſi verò exhalatio ea ſit terreſtris (uti argumento eſt, quòd venti, quò origini ſuæ ſunt propiores, ut juxta promuntoria, eò ſunt valentiores) non tamen merè eſt terreſtris; ſed tum vapores habet admiſtos, quos ſecum trahit; tum aëra anteriorem, quem propellit, aliò mox ad vacui fugam ſuccedente. Quæ oſtendunt, ventum non modò eſſe ſubſtantiam; ſed verò eſſe ſubſtantiam compoſitam, ex terreſtri exhalatione, vapore, atque aëre. Illis verò, qui tantummodo accidens eſſe arbitrantur, hoc ſolùm, ac lubentes largimur, in vento non ſubſtantiam duntaxat attendi; ſed motum etiam localem, ſive fluxum circa terram; qui eſt cauſſa formalis venti. Nec enim hoc volumus, exhalationem ſimpliciter eſſe ventum, ſed exhalationem fluentem: à quo fluxu ventus hoc habeat, ut ventus & ſit, & dicatur, & per eum definiatur. Nimirum ventus eſt compoſitum accidentarium: quale eſt annulus, ubi aurum, & figura, annulum conſtituunt: & ſubſtantialis quidem forma eadem eſt, ac auri: annuli autem figura, quam aurifex introduxit, eſt forma conſtituens annulum, quatenus eſt annulus. Sic igitur colligimus, rectè à ſcriptore Sapientiæ Salomonicæ ventum culta inter corpora referri, ac ſeorſum ab aëre memorari: nec malè tamen ab Herodoto, & Strabone, cùm ventos nominaſſent, aëra præteriri. Nam hi, quia ab exhalatione terreſtri, permixtâ vaporibus, aër propellitur, novo ſuccedente; eò in vento aëra ſunt complexi: ac quamquam & aëra, & exhalationem terreſtrem, quæ frigore fit ventus, Perſæ divino colerent honore; Deum tamen hunc Ventum, quàm Aëra, dicere maluerunt; quia, quò quid vim habet majorem, eò divinius judicabant: quanta autem vis ſit venti præ aëre tranquillo, per ſe ſatis eſt manifeſtum. Cæterùm non Perſæ ſolum Ventos coluere, ſed etiam Phœnices: quod ex Phœnicia Sanchuniathonis Theologia liquet. Euſebius enim in primo de Præparatione Euangelica refert ex ea, Uſonem Phœnicem templum iis poſuiſſe. Præterea Græcis etiam in Diis erant. Cùm enim maximus iis metus eſſet incuſſus ob adventantem Xerxis exercitum: oraculum Delphicum juſſit eos ἀνέμοισι εὔχεσθαι, *ventis ſupplicare.* Et ratio addita, quia ab his maximè auxilium maneret Græciam. Itaque tum in delubro Thuiæ, Cephiſi filiæ, ara eſt Ventis conſtituta, iiſdemque ſacrificatum. Auctor Herodotus lib. VII: atque addit: Δελφοὶ μὲν δὴ κατὰ τὸ χρηστήριον ἔτι καὶ νῦν τοὺς ἀνέμους ἱλάσκονται. *Ac Delphi propter hoc oraculum nunc quoque ventos propitiant.* Etiam apud Platonem in Phædro legas de ara ab Athenienſibus Boreæ conſtitutâ: ubi is Orithyiam rapuiſſe dicebatur. Quem tamen cultum fuiſſe mixtum, cenſeo; ut unà cum Borea cultus ſit vir magni nominis è Boreali tractu adveniens, à quo rapta Orithyia. Niſi malis, principem hanc puellam periiſſe tempeſtate, quam phreneticus ille Boreas concitaverat: ac propterea placuiſſe, ut Boreæ ſupplicaretur, quò in poſterum magis propitius foret navigantibus. Sic cogimur conjectare in rebus ab omni hominum memoria remotis.

In Sicyoniæ urbe Titane, deſcendenti à vertice, ubi templum Minervæ, (verba Pauſaniæ *a* ſunt) Βωμός ἐστιν ἀνέμων· ἐφ' οὗ τοῖς ἀνέμοις ὁ ἱερεὺς μιᾷ νυκτὶ ἀνὰ πᾶν ἔτος θύει· *ara eſt ventorum; ad quam ſacerdos quotannis nocte unâ ſacrificat.* Addit ibidem, ut ad quatuor foveas arcana quædam concinat, ἡμερούμενος τῶν πνευμάτων τὸ ἄγριον· *ad placandam ventorum ſævitiam.* Ipſe etiam Auguſtus Cæſar ſacrificavit Circio, vento Galliæ, præcipuè Narbonenſi, peculiari, valdeque infeſto; ut ſi Latinam vocis habeat originem, ſic dictus videatur à vertigine, quia in *circum* ſive gyrum flet. De eo ſic L. Seneca Natur. Quæſt. lib. V, cap. XVII: *Galliam infeſtat Circius: cui, ædificia quaſſanti, tamen incolæ gratias agunt, tanquam ſalubritatem cæli ſui debeant ei. Divus certè Auguſtus templum illi, cùm in Gallia moraretur, & vovit, & fecit.* Quamobrem, quod apud Maronem in tertio magni operis mactat Æneas a Lib. 2.

— *Pecudem Zephyris felicibus albam:*

Id non ex poëtarum modò, ſive fabulari theologia, ſed civili etiam prolatum eſt. Eò autem albam pecudem dixit poëta, quia ventus is eſt albus ac ſerenus. Unde etiam in Circo Romano albus aurigarum color ſacer erat Zephyris; teſte Tertulliano de ſpectaculis cap. IX, & Iſidoro l. XVIII Originum, cap. XLI.

Quod verò poëtæ ventis præfecerint Æolum, id potiùs ab veteri hiſtoria tractum videtur; ut magis ad animales, quàm naturales, pertineat Deos. Vixiſſe enim dicitur Iliacis temporibus: ac poſt ſocerum ſuum Liparum in inſulis regnâſſe Vulcaniis, quæ poſtea Æoliæ ab eo nominatæ. Addunt fuiſſe regem, ut pium, juſtumque, ita ſideralis & nauticæ rei, pro temporibus illis, peritiſſimum, hominesque ab eo edoctos vela facere, & ex nebulis ſurgentibus prædicere tempeſtates; item de ventis futuris multo antè ſtatuere ex anni tempore: atque ob iſta poſt mortem habitum eſſe ventorum Deum. Hæc cognoſcere eſt ex Polybio, quem ſequitur Strabo: item ex Diodoro Siculo, Palæphato, Servio Varronem exſcribente, ſed & Tzetze, atque aliis. Notiſſimi de eo verſus poëtarum principis *b*: b 1 Æn.

— *Hic vaſto rex Æolus antro*
Luctantes ventos, tempeſtateſque ſonoras,
Imperio premit, ac vinclis & carcere frenat.

Quos verſus, (obiter ut hoc addam) etiam Seneca *c* adducit; ſed ut culpet. *Non intellexit*, inquit, *nec id, quod clauſum eſt, eſſe adhuc ventum; nec id quod ventus eſt, poſſe adhuc claudi. Nam, quod in clauſo, quieſcit, & aëris ſtatio eſt. Omnis in fuga ventus eſt.* Unde videmus, c Lib. 6. Natural. Quæſt. cap. 18.

mus, nobilem philoſophum, ac poëtam, non putaſſe
a Errare neſcium. ſolum poëtam *ἀναμάρτητον a*, poëſin philoſophiæ fontem, nec poëtarum ſententias ad philoſophorum trutinam, ſed ſententias philoſophorum poëtico debere exa-
b Veritatis exceſſu. mine expendi. Nimis iſta *ὑπερβολικῶς b*, ac licenter, vel ludicrè, ab hominibus eruditis dicuntur, ac ſcribuntur. Admiramur poëtas: ſed non ut eorum admiratione meliorum & ſanctiorum fiamus ſtudiorum contemtores:
c Lib. 29. quomodo, ut Livius *c* narrat, ex P. Scipionis admiratione, Indibili, Illergetum regulo, L. Lentuli, & L. Manlii Acidini, obortus erat contemtus; quæ admodum miſerè illi ceſſit. Sed hanc de præſtantia poëſios præ philoſophia jactationem abunde refellimus in primo eorum, quos de poëtica ſcripſimus. Nec tamen propterea defugimus, quoties poſſumus, patrocinari poëtis. Uti hoc ipſo in loco, quem Seneca reprehendit. Nam ſi vulgi ſe opinioni accommodavit Maro, quid fecit præter poëtarum morem? ſin agi cum eo, ut philoſopho, cupimus: dicam per ventos terræ incluſos *μεταυυμικῶς* intelligere materiem fumoſarum exhalationum, quæ è terra eductæ, dum calor & levitas manet, rectà adſcendunt; refrigeratæ autem, ac condenſatæ, venti fiunt. Quod ſiquid peccatum à Marone, quanto magis culpæ reum peragere ſit Home-
d Odyſſ. κ. verſ. 20. rum *d*, apud quem Ulyſſes ventum habet utri incluſum!

Cap. II.

Iis, quæ à poëtis prodita ſunt de origine Titanum, & eorum pugna cum Diis, repræſentari primam mundi conſtitutionem. Titia *pro tellure, & unde hoc nomen, curque filii ejus ſimiliter* Titanes *dicti. Quare Phœnices* Thoth, *&* Bau, *vocarint, quod Græcis eſt* chaos. *Cur Titanes pugnàſſe cum Diis, cur item dicantur fratres Saturni. Titanum etiam originem, ac pugnam, ad ventos reduci. Quamobrem Titanes Cæli Terræque filii, ac centimani etiam, perhibeantur. Quid ſignificetur per Gygen, Briarea, & Cottum; ac unde nomen hoc ſingulis: eoſdem* τελτοπάτορες *nuncupari: & cur hi tres, in pugna Titanum, à partibus Iovis ſtetiſſe dicantur. Aquilonem quæ urbes ſpectant, ſalubriores ſunt omnibus, ſi eas, quæ Orientem reſpiciant, exceperis.* Leuconotus *cur ſic appelletur. Cur Horatius* candidos *dicat* Favonios primi veris. *Qui venti ſignentur per Titanas Iovi infeſtos. Ventos in terras demiſſos deſcendere ob pondus, quippe aëre noſtro graviores. Refelluntur obiter, qui nubes exiſtimant eſſe graviores aëre noſtro. Scythis etiam videri ventum fuiſſe pro Deo.*

SEd quia non incommodè delapſi jam ſumus in Theologiam poëticam: quid impedit, quò minùs proximè ſubjungam, ut ad ventos etiam pertineant, quæ poëtæ de Titanibus, & antiquâ eorum origine, cumque Diis pugna, prodiderunt?

Eſt verò doctrina hæc bipartita: partim enim repræſentat primam mundi conſtitutionem: partim autem naturam rerum conſtitutam. Utroque nunc modo conſiderabimus. De priori ita res habet.

Terra, qualis primò fuit, rudis nempe & inculta, aquis item obruta, eoque lutoſa, juxta veterem gentium Theologiam dicta eſt Τιθεία, טיט, *tith*, hoc eſt, *lutum*. Apol-
a Verſ. 1125, 1126. lonius lib. 1 Argon. *a*

Μητέρα Δινδυμίην πολυπότνιαν ἐγκαλέοντες,
Ἐνναέτιν Φρυγίης, Τιτίην θ' ἅμα, Κυλλήνιόν τε.
Matrem Dindymenen multum venerandam invocantes,
Habitatricem Phrygiæ, Titiamque ſimul, & Cyllenum.

Ubi ſcholiaſtes ex Menandro refert, Μιλησίους, ὅταν θύωσι τῇ Ῥέᾳ, προθύειν Τιτίᾳ, καὶ Κυλληνῷ· *Mileſios, quando Rheæ ſacrificant, prius rem divinam facere Titia, & Cylleno.* Et quâ de cauſâ Tellus vocata eſt *Titia*, etiam
b Lib. 1. cap. 17. filii ejus *Titanes* vocabantur: nempe ab eodem טיט, quaſi πηλογενεῖς, ſive *lutigenas* dixeris; vel, ut Florus *b* loquitur, *terrigenas*; quod ſit γηγενεῖς. Unde & quæ *τιτανομαχία* fuerit, non eſt obſcurum. Nempe primò attendebant chaos: quod, ut Servius in VI Æn. exponit, elementorum eſt confuſio, rerum primordium. Phœnicibus *a* confuſa hæc materies dicebatur *Thoth*, & *Bau*; a Sanchoniathon apud Euſebium in I de Præpar. Evang.
quæ abſque dubio ſunt facta ex תהו ובהו, *tohu, & bohu*; quæ habemus Geneſ. 1, 2. Non poterant verò priſci aliud ſibi perſuadere; quin, cùm è chao, ſive confuſione illâ, omnia locum peterent, quem nunc obtinent, magna fuerit rerum omnium perturbatio, aliis in alia impingentibus. Quare cùm mundum hunc omnem, & ſingulas ejus partes, eſſe animatas judicarent, (qua de re ſuperiùs ſatis diximus) ſpeculabantur cum animo ſuo rudis illius cæli, rudiſque terræ filios è chao prodeuntes, quaſi animis erga Jovem infeſtis: tum verò, quomodo Jupiter gravia depreſſerit, levioribus adſcendentibus. Ut Jupiter ſit *εὐκρασία, καὶ εὐταξία b*, ſive utriuſque auctor. Pugna b Bonitas temperiei, & ordo bene compoſitus.
iſtæc commiſſa eſt à Titanibus, Saturni, hoc eſt, temporis fratribus; quia cum mundo tempus cœpit, & cum tempore pugna iſtæc & facta eſt, & diremta. Hanc elementorum pugnam verſibus iſtis deſcripſit Ovid. 1 Metham.

Obſtabatque aliis aliud, quia corpore in uno
Frigida pugnabant calidis, humentia ſiccis,
Mollia cum duris, ſine pondere habentia pondus.
Hanc Deus, & melior LITEM *natura diremit.*

Altera Titanum phyſica conſideratio pertinet ad naturam jam conſtitutam. Atque ita per Titanes intelligentur venti, & cæteræ exhalationes, etiam igneæ. His quoque Titanum, hoc eſt, lutigenarum, nomen convenit, quia terra quidem eſt mater ventorum, ſed imprimis lutoſa. Sanè terra imbri rigata, macerataque, magis idonea eſt, quæ à Sole calefacta exhalationes emittat. Jure igitur Titanes dicuntur filii Cæli, & Terræ, cùm ventorum cauſſa efficiens ſit cælum: terra autem ſit unde prodeunt. Heſiodo dicuntur *ὑπερήφανα τέκνα, ſuperba proles*. Quid enim vento levius? Unde *ventus* pro oſtentatione: & Maroni *ventoſa lingua*, pro ſuperba, & oſtentatrice. Centum iis manus tributæ, quia omnia rapiunt: manus autem rapinæ inſtrumentum, dextra imprimis: nam ſiniſtra furtis accommodatior, unde *tagax* dicitur: dextra rapinis, unde Horatius *c*. c Lib. 3. od. 3.

Omne ſacrum rapiente dextrâ.

Ex ventis tres iſti Heſiodo memorantur in Θεογονίᾳ; Γύγης, Βριάρεως, Κόττος. Latent in terra obſcuri; unde nomen Γύγης. Nam γυγαῖος eſt σκοτεινός, interprete Heſychio. Validi ſunt, & inde vox Βριάρεως. Nam βριάειν, *validum reddere*, ἀπὸ τῆς βίας *d*. Terram feriunt, d A vi.
unde vox Κόττος. Siquidem κόττειν valet τύπτειν, juxta Heſychium. Fere ſimiliter vetus Heſiodi ſcholiaſtes: Κόττον μὲν φησι τὴν κινητικὴν δύναμιν, παρὰ τὸ κοτεῖν· Βριάρεων δὲ, τὸ ἰσχυρόν· Γύγην, τὴν δύναμιν. ὅτι δὲ λέγονται ἐκνέφελοι ἄνεμοι. εἰσὶ δὲ ἁρπακτικοὶ πάντες. διὰ τοῦτο καὶ ἑκατόγχειρες μυθικῶς, διὰ τὸ ὁρμητικὸν τῆς μάχης. *Cottum ajunt vim habere motricem, indeque Cottum dici, quia* κοτεῖν *notet ferire. Briareum autem ſignare validum; ac Gygen, vim ſive poteſtatem. Et hi dicuntur venti è nubibus delati. Ac univerſi ſunt raptores. Iccirco etiam centimani ſunt, ſecundùm fabulas: nempe propter impetum bellicum.* Atque hi tres vocabantur τελτοπάτορες *e*: quem- e Tertio loco parentes: puta poſt Solem, & Lunam: de quo ex Philochoro Etymologus.
admodum tradidit olim is, qui in Phyſicum Orphei eſt commentatus.

Et favet Demon in Atthide: qui ventorum hanc ait appellationem. De utroque teſtis Suidas in τελτοπάτορες.

Porrò etſi *τιτανομαχία* ſit, quando venti inter ſe confligunt, atque, ut poëta *f* ait, f 1 Æn.

Unà Eurusque, Notusque, ruunt, creberque procellis
Africus:

Non tamen omnes obnubilant cælum, quod *Iovis* nomine ſignatur: ſed quidam illud ſerenum reddunt. Ideo in Titanum conflictu aliqui dicuntur ſtetiſſe à partibus Iovis: nempe proximè memorati; Cottus, Gyges, Briareus, venti cælum reddentes ſerenum. Qualis eſt

aqui-

aquilo: unde ipſe de ſe apud Naſonem VI Metam. ait:

—— *Hac triſtia nubila pello.*

Hinc Theophraſto de ventis ὁ βορέας εὐδιεινός a: quia nempe, frigidus licet, ſerenus tamen. Unde & Ariſtoteles in VII Polit. cap. XI, ait, poſt urbes eas, quæ Orientem ſpectant, proximè, ut ſalubriores, eſſe laudandas, quæ reſpiciunt Aquilonem; quia magis εὐχείμεροι b. Mirum autem, quàm hic varient interpretes; Aretinus, Perionius, Strebæus, Sepulveda. Sed vide, quæ hoc de loco ſcripſit, non modò Franciſcus Valleriola lib. II Locorum communium cap. V: ſed & Federicus Bonaventura Urbinas, in Theophraſti librum de Ventis c.

a Boreas ſerenus. b Hieme convenientes. c In textum 32. ſive p. 165.

Serenus etiam eſt Leuconotus: de quo Vitruvius lib. I, cap. VI, & Vegetius lib. IV de re militari, cap. XXXVIII: è Latinis Auſonius in Monoſyllabis:

Velivolique maris conſtrator Leuconotus Libs.

Et ante eum Horatius lib. I, od. VII:

Albus ut obſcuro deterget nubila cælo
Sæpe Notus, neque parturit imbres
Perpetuos,

Imò ante hos omnes Theophraſtus, lib. περὶ ἀνέμων d, ſic ſcribit: Οἱ γὰρ ἠρινοὶ νότοι, καθάπερ ἐτησίαι τινὲς εἰσιν· οὓς καλοῦσι λευκονότους. αἴθριοι γὰρ, καὶ ἀσυννεφεῖς. *Verni Auſtri ſunt velut Eteſiæ quidam, quos Albos vocant Notos. Sunt enim ſereni, & abſque nubibus.* Nempe λευκόνοτοι dicuntur, quia ab iis λευκαίνεται ὁ ἀὴρ, *aer redditur albus.* Ut appellatio ſit διὰ τὸ αἰθρίας ποιεῖν· *quia faciunt ſerenitatem*; ut ait Alexander Aphrod. in II Meteorolog. ſive διὰ τὸ ἀτάραχον καὶ γαληνὸν τῆς πνοῆς, *propter placiditatem, & tranquillitatem aeris*; ut eſt apud Olympiodorum. Verni etiam Favonii ſunt ſereni: unde eos, ut rectè viſum eidem Federico Bonaventuræ Urbinati e, candidos vocat Horatius lib. III, od. VII:

Quid fles Aſterie, quem tibi candidi
Primo reſtituent vere Favonii?

Nam quod Dionyſius Lambinus arbitrabatur, *candidos* poni pro jucundis, quomodo Catullus f ait,

Fulſere quondam candidi tibi ſoles:

id eo facilè refellitur, quòd, ut Theophraſtus lib. de Ventis g ait, Favonii primo vere ſpirantes (de quibus apertum eſt loqui Horatium) frigore ſuo ſint moleſti; nec niſi adulto vere ſint lenes ac jucundi: quod etiam liquet ex Ariſtot. ſect. XXVI, probl. XXXI, & LV. Scio, & putare Lambinum, poſſe nihilominus favonios dici jucundos, quia virum reſtituent uxori deſiderantiſſimæ. Sed omnino hoc longiùs quæſitum, ut eò recurrere opus non ſit, ſi favonii primo ſpirantis vere ea ſit natura, quam dicebamus. Et hæc de Titanibus, Iovi amicis. At cæteri Titanum adverſabantur Iovi. Quo ſignificatur, ventos prope omnes aëra reddere nubilum, & turbidum, ſic ut cælum ipſum ſuis impetere tempeſtatibus videantur. Cùm verò ad terras depreſſiſſe eas dicitur Jupiter, per hoc itidem ſignificatur εὐκρασία h; quæ requirit, ut, quæ levia ſunt, adſcendant, graviaque omnia petant inferiora loca. Scio, vulgarem eſſe opinionem, deorſum pelli à nube, vel frigore mediæ aëris regionis. Sed rectiùs dixeris, proprio id pondere fieri. Ut enim vapos, ubi concrevit, guttatim decidit ob pondus: ſic exhalatio terreſtris, ubi frigore, quod calori ſucceſſit, condenſata eſt, haut aliter, ac aqua per canalem, concidit in terras. Ut penitus errent, qui ventos exiſtimant leviores eſſe aëre noſtro. Ac planè ſimilis error, cùm arbitrantur, nubes eſſe aëre noſtro graviores: quod ſi eſſet, non innatarent aëri. Feſellit, non vulgares modò animas, ſed ſummos etiam philoſophos, ſόφισμα, ſive ἀσυλλογισία quædam, quæ iſtiuſmodi eſt: Gravia omnia ſunt opaca. Et nubes eſt opaca, ſaltem præ aëre infero. Inferiori igitur aëre gravior eſt. Non jam dicam de formæ vitio pueris conſpicuo. Obducam modò ſimile argumentum. Graviora cuncta ſunt opaca. Atqui lignum eſt opacum præ aquis, quibus ſupernatat. Lignum igitur gravius eſt aquis. Quid ſtultius? cùm nihil ſit manifeſtius, quàm lignum eſſe opacum magis aquis pellucentibus; & nihilominus iiſdem levius, quia alioqui mergeretur, quod nunc innatat. Et contrà vitrum non eſt opacum (viſum enim non terminat) ſed pellucidum; ſic ſaltem, ut minùs habeat opaci, quam aquæ craſſiores. Et tamen non innatat aquis, ſed peſſum it. Nimirum peccari eo ſolet, quòd, ubi quid vident pellucere, continuò colligunt de levitate: atque ubi conſpiciunt præ opacitate terminari viſum, gravius eſſe credunt pellucentibus. Quaſi non lapillus etiam pellucidus fundum petat; lignum, quod opacum eſt, innatet aquis. Dixeris, ex opaco, & pellucido, judicium eſſe ferendum; non ex pondere, quia lapillus, etiam unius unciæ, fundum petat; at fluitet trabs multarum adeò librarum. Sed qui craſſe adeo philoſophantur, parùm cogitant, attendi talia oportere pro ſpatio, quod occupant. Trabs quidem lapillo gravior eſt: attamen non moles ſpectanda, ſed ſpatium, quod pari mole occupant in aquis. Lapilli minutum cogita ſpatium, quòd obtinet: graviorem eſſe aquis proximè ſubditis, res docet. Cogita item, quantum aquæ ſpatium ſit, cui innatat trabs. Tanta aquarum moles, quin gravior trabe ſit, minimè dubitandum.

d De ventis. e In Theophraſtum de ventis, pag. 122. f Carm. 8. g Text. 40. h Temperies bona.

Poſt iſta de Romanis, & Græcis, mantiſſæ loco erit, etiam Scythis videri ventum fuiſſe pro Deo. Nam Lucianus in Toxaride ait, eorum fuiſſe juramentum, μὰ τὸν ἄνεμον, καὶ τὸν ἀκινάκην· *per ventum, & acinacen, ſive gladium.* Videlicet, quia aër vitam conſervet; gladius auferat. Nec tamen argumentum hoc planè eſt invictum: quando & per ea jurabant gentiles, quæ cariſſima erant, utcunque ea non haberent pro Diis. Sed de hoc inferiùs diſſeremus.

CAP. III.

Duobus, inter alia, adductos eſſe gentiles, ut, nimiâ ventorum admiratione, eos colerent pro Diis. Eorum unum eſſe, quòd origo ventorum ignoretur: deque hoc locus Pſalmi CXXXIV declaratus. Alterum eſſe, quod leve ventorum corpus motu feratur obliquo: ac de iſto illuſtratus Jobi locus cap. XXVIII. Cauſſam ejus obliquitatis non eſſe frigus mediæ aëris regionis: nec enim regionem illam natura eſſe frigidam; ſed frigeſieri, cùm vapores in ea, excluſo calore, condenſantur. Proinde cauſſam motus obliqui eſſe à proprio halitus frigore, quia calor ille, quo exſuperante exhalatio prius adſcendit, agitatione in tantum evolavit ſurſum, ut non amplius, quod terreſtre graveque erat, vincatur à levi & igneo: ſed utrinſque ſit partis æquilibrium: unde & gravior partium earum pugna, quæ motum ventorum reddit vehementiorem.

NUnc videamus, quid miſeras impulerit gentes, ut ventos etiam haberent pro Diis. Non dubitandum autem, quin ante omnia eos moverit ſtupenda eorum violentia: qua arbores frangunt, vel evellunt, ædificia proſternunt, vaſtas in mari naves mergunt. Atque admirationem hanc auxit, quòd illud tam violentum non ſit oculis cernere: imò vulgò etiam incognita ejus ſit origo: quid vulgò dico? quando vel eruditiſſimi homines de ea certent magnam partem incerti. Quò reſpicitur Pſal. CXXXIV: *Qui producit ventos de theſauris ſuis.* Nec enim per theſauros, ut plerique enarrant, angelos capio: ſed potentiam Dei, eamque abditam, & divitem. Duo quippe iſta in theſauro concurrunt, quòd rerum ſit & abditarum, & pretioſarum, ut voce ea commodè potuerit indicari potentia Dei ſecreta, & dives. Quamquam & per *theſauros* loca liceat intelligere ſubterranea. Quomodo Nævius *Orcivum* dixit *theſaurum* a, quod Horatius b *domum* vocat *Plutoniam*; nempe mortuorum receptacula. At magis ventorum cavernis, quàm ſepulcris, *theſauri* vox conveniat, quia ſepulcra quidem ſciuntur; quibus verò terræ, aut maris locis, venti erumpant, ignoretur. Sed ſive ſecretam Dei potentiam, ſive abdita intelligere hic loca malis: ad occultam illam venti originem reſpexerit etiam

a Apud Agellium l. 1. c. 24. b Lib. 1. od. 4.

Chriſtus Joan. III: *Spiritus, ubi vult, ſpirat, & vocem ejus audis: ſed neſcis, unde veniat, & quò vadat.*

Quin verba ex Pſalmo CXXXIV ſuperiùs allata, non ſolùm reſpiciunt locum, unde venti originem ducunt: ſed etiam cauſſam mirandi eorum motus. Unde B. Auguſtinus, eum enarrans locum: *Quia*, inquit: *flat ventus, ſentis: quâ cauſsâ flet, vel de quo theſauro rationis eductus ſit, neſcis.* In hac cauſſa motus, nihil æquè humana vexat ingenia, quàm illud: cùm exhalatio fumida, quæ venti eſt materies, adſcendat, cur ventus nihilominus feratur obliquè. Aliquò uſque tamen in eo quoque ex Scripturis pertingere licet. Nam ait B. Job cap. XXVIII, 25: *Ut faciat vento pondus, & aquas appendat in menſurâ.* Sententia enim eſt: Deum omnia facere in menſura: ſic aquis modum præfinire, ne terras obruant: ſic ventos appendere, ac librare, ut, licet exhalatio antea levitate ſuâ adſcenderit, poſtea tamen, hac amiſsa, eò uſque deſcendat, donec in confinio levioris, ac gravioris aëris, conſtitutus, nec adſcendat, quia non ſuperat levitas, nec deſcendat, quia non ſuperat gravitas: ſed hujuſmodi ſit temperamento, ut neutrum principium ab altero vincatur, eoque motu feratur obliquo circa terras. Cenſet igitur S. Job Deum quaſi lanci impoſuiſſe, tum quod terreſtre ineſt exhalationi, ac naturâ eſt grave, tum τὸ θερμὸν ſive calidum, hoc eſt, portionem igneam, quæ eidem ineſt, ac naturâ eſt levis: ac quemadmodum, cùm calor excederet, adſcendebat: ita poſtquam temperato, & coërcito calore, partes duæ, una terreſtris, ignea altera, redactæ ſunt ad æquilibrium; mox, quod ſuperius, eoque levius eſt, detinere exhalationem, ne adſcendat; quod verò inferius, eoque gravius eſt, vetare ne deſcendat, ac proinde ferri in obliquum, quia hac parte non impediatur. Nec ignoro, Latinos Ariſtotelis interpretes fere in ea eſſe opinione, exhalationem fumidam, ubi ad mediam aëris regionem pervenerit, ejus frigore repelli, ac quia naturalem ob levitatem repugnet ei, ut deſcendat, eò, mixto motu ex naturali, & violento, ferri obliquè. Verùm his obſtat, quòd ſic motus ventorum non eſſet naturalis, ſed violentus. Præterea nec ſemper media aëris regio eſt frigida: ſed frigeſit, cum vapores in ea condenſantur. At venti ſæpe generantur ac flant cælo non obſeſſo nubibus. Adhæc frigus eſt qualitas poſitiva, non privativa duntaxat: eoque quod regio hæc ſit remotior à ſideribus, nec radii in eam Solares reflectantur, idonea dici ratio nequit, cur regio ea ſit frigida naturâ. Poſitivæ enim qualitatis poſitiva adduci ratio debet. Proinde ſic ſtatuendum cum Ariſtotele, aëra omnem naturâ eſſe calidum: eum quoque, qui mediam occupat regionem; imò hunc naturâ calidiorem eſſe, quàm illum infimæ regionis: quia quo levior eſt rariorque, eo quoque eſt calidior. At mediæ regionis aër naturâ ſuâ eſt levior rariorque illo imæ regionis: alioqui enim deſcenderet. Ergo omnino media regio eſt calida,
a Lib. 2. Meteorol. cap. 4
dummodo conſideretur, ut cum Ariſtotele *a* dicam, κατ' οἰκείαν φύσιν *b*: frigus verò, quod ſæpe obtinet, ab
b Secundum propriam naturam, ſive qualitatem nativam.
externa & adventicia eſt qualitate. Non igitur exhalatio fumida ab regione media, ſaltem non quando aër eſt ſerenus, frigore ejus pellitur deorſum: ſed, quòd deſcendit, id fit à frigore proprio. Nec obſtat, quòd antea adſcenderit. Nam cùm è terra ferretur in ſublime, plus inerat ignei, quàm terreſtris. Dum verò adſcendit, agitatione iſtâ diſgregatur, calorque ſive illud igneum, quod habebat, ſurſum ſe recipit, uſque dum in tantum excluſus ſit calor, ut pars terreſtris ſive gravis non amplius vincatur à levi & ignea. At[illegible] hinc quoque certamen eſt portionis igneæ, & terreſtris, in qua pugna, ob partes libratas, exhalatio nec adſcendere valet, nec deſcendere: contrà quam fit in perfectè mixtis: ubi ex elementis una reſultat forma ſubſt[illegible]: unde, pro elemento prædominante, vel adſcendunt, vel deſcendunt. Diſpar eo eſt ratio in ventis, [illegible] meteoris aliis; quia hæc non ſunt propriè vereque κεκραμένα, ſive *mixta*: ſed κατὰ παράθεσιν ἑνωθέντα, *per appoſitionem conjuncta*: quæ imperfecta eſt mixtio; veriuſque congeries & appoſitio unius elementi ad alterum, remanentibus formis ſubſtantialibus, non novâ effloreſcente. Proinde permanet natura geminæ φορᾶς *a*, ſu-
a Latinis, ſive motionis,
peræ, & inferæ: atque dum neutra vincit, exſurgit media, in obliquum: haut aliter ac contingit in capillis criſpis. Nam proveniunt hi ex calida, & ſicca exhalatione: ac quia calidum ob levitatem aſcendit naturâ; ſiccum terreſtre deprimit; in temperamento autem iſto neutrum ſuperat: eò nec ſimpliciter adſcendunt, nec deſcendunt, ſed criſpantur capilli: ut eſt apud Ariſtotelem lib. V de Ortu Animalium, cap. III. Atque hæc de ventorum motu dicta nobis ſunt ex ſententia Theophraſti: cujus liber quidem de meteoris deperiit, unde ea plenius eſſet cognoſcere: ſed illius hac de re judicium tradi[illegible]t nobis Alexander Aphrodiſienſis in Ariſtot. lib. II Meteorol. context. XX, & Olympiodorus primi Meteorolog. actione XX. Ex junioribus verò in aperienda hac cauſſa, cur in obliquum ferantur venti; Latinorum omnium induſtriam vicit doctiſſimus & acutiſſimus Peripateticus Federicus Bonaventura Urbinas: qui & in eo multus eſt, ut oſtendat, contrà quàm putavit Olympiodorus, Theophraſtum hac parte non receſſiſſe à magiſtro Ariſtotele.

Cap. IV.

Variæ ventorum vires, quibus gentiles quidem ad eorum cultum adducti ſunt: ſanæ autem mentes impelluntur ad notitiam & amorem creatoris. Quomodo, cùm ventorum materies exhalatio ſit fumida, quæ ſemper eſt calida, ventorum aliqui nihilominus frigidi dicantur: qualis aquilo, ſi comparetur cum auſtro, qui calidus, & ſiccus: ſed ſiccus in Africa, pluvius Europæis, atque ejus cauſſa adlata. Noti *etymon geminum, ſed alterum rejectum. Cur venti nunc lenius, nunc vehementius ſpirent: quidam item continuo, quidam flatu interrupto; aliqui diutius, alii brevi tempore: quidam indiſcriminatim, alii certo anni tempore; ut Eteſiæ, Chelidoniæ, Ornithiæ: quidam quavis diei horâ oriantur, & occidant, quidam certâ; ut qui occidunt cum Sole, vel qui, ut Eteſiæ, oriuntur horâ diei tertiâ; & quæ ejus rei cauſſa, & ut inde* ſomniculoſorum *retulerint cognomen. Quomodo iidem nunc Aquilonibus, nunc Favoniis, accenſeantur. Ut Eteſiæ Aquilonares vertantur in Subſolanos; & fortaſſe etiam Auſtrini. Budæi* παρόργμια. *Locus Nigidii illuſtratus. Cur Subſolani magis flent hieme, Favonii vere, & æſtate. Ventorum alii rectâ flant lineâ; alii reflexâ, ut Cæcias, deque eo proverbialis ſenarius. Quantopere venti proſint nobis, & obſint. Ac primum: quid præſtent plantis. Deinde quantum commodent animantibus, præcipueque homini, ratione aëris, ſine quo vivere non poſſumus. Diſtantia ortus atque occaſus, æſtivi & hyberni. Cur auſter corporibus ſit inſalubris. Cur* plumbeus *dicatur Horatio. Interdum tamen prodeſſe. Diſcrimen ventorum hac parte; pro loco, unde ſpirant. Quam ventorum notitia medico ſit neceſſaria. Utilitas venti ad humana commercia, & Evangelium omni prædicandum creaturæ.*

EX his natura ventorum generatim cognoſcitur. Nam & materialem cauſſam vidimus, quæ fumida eſt exhalatio; & formalem, quæ eſt motus obliquus; & motus hujus cauſſam efficientem, quam ſtatuimus in æquilibrio partis terreſtris, & igneæ, ac utriuſque inter ſe pari ex paribus viribus pugnâ. Sed præterea Theophraſtus *a*
a Lib de ventis.
ſpectare jubet τὰς δυνάμεις, καὶ τὰ συνακολουθοῦντα, *vires, & conſequentia.*

Sunt enim ventorum hi calidi, illi frigidi; hi humidi, illi ſicci. Non dubium, quin omnis exhalatio ſit calida: ſed pro aëre, cui ſe miſcuerit, ventus aut calidus dicitur, aut frigidus. Eſt enim is aggregatum ex aëre, & exhalatione. Itaque Auſter eſt calidus; quemadmodum Hippocrates ait in II de diæta, & Ariſtoteles in II Meteorol. cap. III, & problem. ſect. XXVI. At frigidior eſt Aquilo,

quia

quia exhalatio frigido miſcetur aëri Septentrionali. Item Auſtri in Africa ſunt ſicci: idque ex ſiccitate cæli iis in terris. At idem ventus in Græciam, vel Italiam, per mare mediterraneum delatus, humoreſque de eo ſecum trahens, fit ὑδατωδέστερος, ſive *pluvius*: unde & Græcis νότος vocatur, quia νοτὶς, *humor*: non quaſi νοσώδης, ſive *morbidus*: ut in Ariſtotelis fragmento *a* de ventorum ſitu legere eſt.

a Ex libro Ariſtot. περὶ ἀνέμων.

Item ventorum hi lenes ſunt, & placidi; illi vehementes: & horum aliqui initio validiores; alii, ubi diutius ſpirarint. Cùm initio univerſa flatus concurrit materies, vehemens is principio eſt: ſed languidè deſinit, quia parum materiæ tum ſupereſt. At cùm magis & magis materies accreſcit, ut leniùs cœperit, in progreſſu tamen violentiùs flat ob materiam copioſiorem. Eſt & cùm idem ventus primò leniùs, tum vehementiùs, hinc iterum leniùs ſpirat, ac ſimiliter vel in ſingulas variet horas. Uti fit in ventis, qui ab inæqualibus ſpirant locis; nempe partim è montibus, partim planitie. Quod cùm fit, nunc ſe diffundunt, nunc remittunt. Inæquales etiam ſunt Eteſiæ, quia nunc celeriùs, vel uberiùs; nunc tardiùs, vel minori copiâ, materies accedit.

Quidam etiam è ventis continui ſpirant; quidam per intervalla. Aquilonares Eteſiæ continuantur, qui & propriè magis Eteſiæ dicuntur: at Auſtrini Eteſiæ per intervalla flant, materie errante, parteque unâ ſuccedente poſt aliam.

Quidam venti diuturni, quidam brevi flant ſpatio. Aquilonaris, ut Ariſtoteles, & Theophraſtus, tradunt. non ſolet minùs durare triduo, quia Septentrionales regiones, aſſiduas ob pluvias, exhalationibus abundant. Sed auſtri ſunt magis diuturni, ob cauſſam potentiorem; quæ eſt calor vehementior.

Quidam inſuper quavis anni parte ſpirant; quidam certâ: unde *Eteſiæ* ſive anniverſarii dicuntur. Sic Eteſiæ aquilonares flant ἐν ὀπώρᾳ, ſive poſteriori parte æſtatis. Chelidoniæ autem, qui ſic dicuntur ab hirundinis viſu, & ſunt ex favoniis, ſpirant VII Kal. Martii: ut eſt apud Plinium lib. II, cap. XLVII. Ac, ut ibidem legas, Ornithiæ, (quibus id nomen ab avium adventu, & quia idonei ſint ad avium fœturam) flare incipiunt uno & ſeptuageſimo die poſt brumam. Nimirum tunc oriuntur, quia tum annus intepeſcat.

Quidam è ventis quavis diei parte ſpirare incipiunt, quidam certâ. Sic ſunt, qui cum Sole oriantur, & occidant: unde Maro III Æn.

Interea feſſos ventus cum Sole reliquit.

Videlicet quas exhalationes fumidas Sol conciverat, eas & ſuo jam conſumſerat fervore. At ſæpe item, occidente Sole, oriuntur flatus. Itaque meridie quidem ſilent, calore ſolari, ut potentiore, detinente infirmiorem exhalationis calorem. At veſperi exhalationes eas Sol abiens dimittit: unde & ob frigus aëris flare tum incipiunt. Sic & circa eclipſes venti magis ſpirant, quia ob luminis defectum majus eſt frigus. Uti &, eandem ob cauſſam, aër eſt frigidior in coitu Lunæ. Eteſiæ autem non cum Sole vel oriuntur, vel occidunt; ſed, ut Plinio *b* memoratum, fere deſinunt noctu; oriuntur autem tertiâ diei horâ: unde, quaſi mane ſurgere neſcii, à nautis *ſomniculoſi* dicuntur, ac *delicati*: ut eſt apud Senecam lib. V Quæſt. Natur. cap. XI. Tum demum autem oriuntur, quia tunc, Sole invaleſcente, nives in Septentrione liquefiant: ut eſt apud Ariſtotelem in II Meteorolog. Hoſce ventos flare à Septentrione, vel argumento eſt Lucretii illud *c*,

b Lib. 2. cap. 47.

c Lib. 5. 741.

—— *Eteſia flabra Aquilonum.*

Vitruvius tamen lib. I, cap. VI ait, flare ab occaſu æſtivo. Conciliare hæc poſſis ex ſcriptore de Mundo, qui perperam Ariſtoteles putatur. Is ait, Eteſias μίξιν τινὰ τῶν ἀπὸ τῆς ἄρκτου φερομένων, καὶ ζεφύρων· quod Budæus tranſtulit, *cinnum quendam conficere Septentrionum, atque Subſolanorum.* Omnino aliò mentem diviſerat doctiſſimus vir, cùm *Subſolanorum* ſcripſit, ac *Favoniorum* ſine dubio vellet. Quibuſdam tamen terris ex Aquilonibus ſe vertunt in Subſolanos; ſi verè Plinius; *in Hiſpania, & Aſia, ab Oriente flatus eſt eorum.* Et fortaſſe ſimiliter de auſtralibus Eteſiis Nigidius Figulus in XI librorum de Vento *a*: *Et Auſtri anniverſarii ſecundo Sole flant.* Nempe ut & hi ex Auſtris fiant Subſolani. Id ſi diſplicet, dicendum, *Sole ſecundo*, valere, τοῦ ἡλίου συνεργοῦντος, q. d. *Sole conferente ad eorum excitationem.*

a Apud Agellium l. 2. c. 22.

Etiam ventorum alii vere, & æſtate, ut Favonii; alii hieme, ut Subſolani, magis flant. Teſtis Theophraſtus lib. de ventis. Nimirum hieme Occidens, ob frigus, parum eſt idoneus, ad gignendas exhalationes fumidas: magis aptus Oriens, quia ſit temperatior. Æſtate verò etiam Occidens modicum habet calorem. Quam rationem quoque Vicomercatus adducit comment. in Ariſtotelis Meteorolog.

Præterea, ſecundùm libri de Mundo ſcriptorem, ventorum alii ſunt εὐθύπνοοι, *qui directo feruntur ſpiritu*: alii ἀνακαμπτόμενοι, qui flant, ut Appulejus vertit, *flabris reciprocis* b; ut Budæus, *lineis reflexis, & refractis.* Talem idem ſcriptor dicit eſſe Cæciam: nempe quia, dum flat προσγειότερος, *prope terras*, in eminentia incidit terrarum loca, ac propterea ſurſum delatus, mox reflectitur, ac quaſi regurgitat, & reſupinatur. Nubes propterea non propellit; ſed retrorſum, unde ipſe venerat, adducit: ex quo ſenarius vetus:

b Ita quidem eſt in vulgatis. Sed vide, an non vera hæc lectio ſit: Excurſores venti habentur, qui directo ſpiritu; reflabri, qui reciproco; ut Cæcias putatur eſſe. Prout in codice noſtro, qui Scaligeri olim fuit, manu ſummi illius viri annotatum reperio. Uti & alia multa in eodem correxit, quæ candide, nobis volentibus, publici juris fecit amicus noſter ὁ μακαρίτης Gevverhartus Elmenhorſtius.

Καν' ἐφ' αὑτὸν ἕλκων, ὡς ὁ Καικίας νέφος·
Trahens mala ad ſe, ut Cæcias nubes ſolet.

Meminit Ariſtot. Probl. ſect. XXVI, 31, & Agellius lib. II, cap. XXII.

Hæc tam varia ventorum natura, & ad divinum Ventis honorem præſtandum impulit gentiles: & homines ſanos in admirationem ejus rapuit, qui condidit ventos. Utrumque eorum pleniùs intelligetur ex ventorum effectis, quibus homini vel commodant, vel incommodant.

Præter enim dicta, tum amorem ventis conciliarunt tot emolumenta, quæ generi præſtarent humano: tum metum eorum incuſſere tot damna, quibus homines ſæpe afficerent. Conſiſtunt utraque in multis. Ac primùm in plantis; unde animantibus alimonia; homini etiam veſtitus, & habitacula. Grande hoc bonum ventis debemus, alternis nunc gignentibus pluvias, quibus terræ irrigantur; nunc ſerenitatem, ut ea, quæ tellus producit, maturentur. Quâ ratione autem utrumque præſtent, exponit Theophraſtus libro de Ventis: Ὅθεν ἕκαστος πνεῖ, (ἄνεμος) παρ' ἐκείνοις αἴθριος. ὅπου δ' ἀπωθεῖ τὸν ἀέρα, παρ' ἐκείνοις ἐπινεφὴς καὶ ὕετιος. Διόπερ ὁ μὲν Βορέας, καὶ μᾶλλον οἱ Ἐτησίαι, τοῖς πρὸς μεσημβρίαν καὶ ἀνατολὴν οἰκοῦσιν, ὕετιοι. ὁ δὲ Νότος, καὶ οἱ ἐξ ἐκείνου τοῦ τόπου πνέοντες, τοῖς πρὸς ἄρκτον. *Ibi ſerenus eſt* (ventus) *ubi primum oritur: contrà nubilus, ac pluvius, quò pellit aëra. Quare Aquilo, & imprimis Eteſiæ, iis, qui ad Meridiem, & Orientem habitant pluvii ſunt. Notus verò, & alii venti à meridie ſpirantes*, (pluvii ſunt) *iis, qui* (habitant) *ad Septentrionem.*

Nec ſolùm plantis profuit, quatenus irrigant terras: ſed etiam calore, ac frigore, nunc juvant, nunc nocent. Qua de re ſic ibidem Theophraſtus: Ὅτι δὲ τοὺς καρποὺς, τοὺς μὲν φθείρει, τοὺς δὲ τρέφει, καθόλου μὲν ἐκεῖνο ἀληθὲς εἰπεῖν· ὃ καὶ κατὰ τῶν ἄλλων κοινόν. ὅτι τρέφει μὲν, ὅταν ψυχρὸς πνεῖ τοῦ θέρους· ἀπόλλυσι δὲ, ὅταν θερμός. καὶ πάλιν τοῦ χειμῶνος, καὶ τοῦ ἦρος ὁμοίως· ὅταν μὲν ψυχρὸς, ἀπόλλυσι· ὅταν δὲ θερμὸς, τρέφει καὶ σώζει, ἐναντίαν τῆς ὥρας τὴν ποιὰν ἔχων. τοῦτο δ' ἐστὶν, ὅταν ἐκ θαλάσσης ᾖ. θερμὴ γὰρ αὕτη χειμῶνος. *Quòd autem fructus alios corrumpit, alios nutrit, in univerſum hoc verè dixeris, quod & aliis commune: nutrit enim, quando æſtivo tempore frigidus ſpirat: corrumpit autem, quando calidus: ac par ratio eſt hiberno tempore, & verno. Ubi quidem frigidus, perdit: ubi autem calidus, nutrit ac ſervat; ſpiritu tempeſtatibus contrario. Hoc autem contingit, quando ortum ducit à mari. Eſt enim hoc calidum hyeme, frigidum æſtate.*

Jam profectò quanti hoc eſt, quòd venti aëra ventilant, ac

ac purgant, nec quietus putreſcat, ac varios pariat morbos. Quanti etiam alterum hoc, quòd pro aëre variat hominis, imò cunctorum animantium temperamentum; aër autem variat pro ventis; venti verò pro cæli plaga, unde ſpirant, & terrâ, vel aquâ, unde oriuntur.

Qui ab Oriente flant, moderatè calefaciunt: qui ab Occidente, moderatè frigefaciunt. Itaque & ſenſus reddunt vegetos, & corporibus ſunt ſalubres, quorum fere conveniunt temperamento. Nec tamen par ratio ſemper, cùm triplex ſit ventus uterque, & Orientalis, & Occidentalis; alio ab æquinoctiali ſpirante circulo; alio ab circulo cancri; alio ab illo capricorni: unde triplex ortus, & occaſus, ſtatuitur; æquinoctialis, æſtivus, & hibernus; quorum æſtivus, & hibernus, à ſe diſtant gradibus XLVII; ab æquinoctiali autem XXIII, & dimidio: ut non poſſit non magnum in ventis inde ſpirantibus eſſe diſcrimen.

Quod ad ventos ſeptentrionales, ac meridionales; ſunt priores, ut antea quoque diximus, frigidi, & ſicci; alteri calidi, & humidi. Itaque iſti quidem putredini adverſantur, corporaque reddunt valida, ac robuſta, ſenſus item vegetos: at contra (ut Hippocrates in Aphoriſmis *a*, & libro de Humoribus, ait) νότοι βαρυήκοοι, ἀχλυώδεες, καρηβαρικοὶ, νωθροὶ, διαλυτικοί· *Noti, auditum hebetantes, caliginoſi, caput gravantes, pigri, diſſolventes.* Quæ verba ſic illuſtrat Galenus: Τὴν δ' αἰτίαν, δι' ἣν οἱ νότοι βαρυηκοΐαν ποιοῦσι, καὶ ἀχλυώδη τὴν ὄψιν, οὐ χαλεπὸν ἐκ τῆς κράσεως αὐτοῦ καταγνῶναι, θερμῆς καὶ ὑγρῆς τὴν φύσιν ὑπάρχοντος. *Cauſſam verò, ob quam auſtri graviorem reddant auditum, & viſum caliginoſum, non difficile eſt ex ejus temperamento cognoſcere; quod naturâ eſt calidum, & humidum.* Ab eadem cauſſa eſt, quòd apud Theophraſtum, memorato ſæpius libro de Ventis, legas, notos, calidum inducendo humorem in articulos, febres gignere; quia nempe febris provenit ex caloris, & humoris, acceſſu. Atque ait idem, omnino ſpirante auſtro, pejus ſe homines habere, quia humor in articulis, in quibus vis motrix conſiſtit, ab auſtro ſolvatur. Verba iterum Theophraſti apponam: Τὸ γλισχρὸν, ἐν τοῖς ἄρθροις πεπηγὸς, κωλύει κινεῖσθαι ἡμᾶς· ὑγρὸν δὲ λίαν ὂν, ἀποτείνεσθαι. *Viſcidum illud, quod in articulis eſt ſi congeletur, motum impedit: ſin humeſcat nimis, impediat tenſionem membri.* Atque ex his liquet, cur auſter corpora noſtra gravet, ac majoris reddat ponderis: quemadmodum tradit Ariſtoteles in problematis *b*, Hippocrates in Aphoriſmis *c*, & Galenus ſuis in eum commentariis. Nec Horatius fortaſſe, cùm auſtrum vocat plumbeum, tam eò reſpexit, quòd corpora noſtra reddat coloris plumbei, ac pallidi, quàm quòd illa, quaſi plumbea, faciat; ut quo ingraveſcant. Locus eſt lib. II, ſat. VI:

a Lib. 3. aphor. 5.

b 1 Sectionis problemate 24 1 & ſect. 26. problem. 42.

c Sect. 3. aphoriſmo 5. & 17.

Nec mala me ambitio perdit, nec plumbeus auſter,
Autumnuſque gravis, Libitinæ quæſtus acerbæ.

Quandoque tamen juvat auſter; ſed pluvius, ac moderatus: quia, ut idem ait Theophraſtus, τὸ ὕδωρ καταψύχει τὴν ἕξιν· *pluvia refrigerat, & attemperat corporis habitum.*

Præterea, ut dixi, variant venti pro terra, vel aqua; unde originem ducant. Ac quidem, ut Hippocrates docet in ſecundo de Diæta, ſicciores ſunt ex mari; humidiores ex fluminibus, ac ſtagnis: atque hi, ſi moderati, juvant, quia modicè corpora noſtra humectent, ac refrigerent: aëra quoque purgando, faciunt, ut purius ſit æthereæ illius auræ pabulum, quod ſpiritu attrahimus. Sicciores item ſunt venti è terra, quia ex materie ſicciori proveniunt. Exque his maligni ſunt è locis metallicis: qui è cloacis, & ſpeluncis, ſæpius peſtilentes.

Propter hæc, & alia, neceſſe eſt medicum nôſſe ventorum omnium naturam: nec universè modò, ſed particulatim quoque ejus regionis, in qua medicinam facit. Unde Hippocrates libro de Aëre, Aquis, & Locis: Ἰητρικὴν ὅστις βούλεται ὀρθῶς ζητεῖν, τάδε χρὴ ποιεῖν. πρῶτον μὲν ἐνθυμέεσθαι τὰς ὥρας τοῦ ἔτεος, ὅ τι δύναται ἀπεργάζεσθαι ἑκάστη. ἔπειτα δὲ τὰ πνεύματα, τὰ θερμά τε καὶ τὰ ψυχρὰ, μάλιστα μὲν τὰ κοινὰ πᾶσιν ἀνθρώποισιν· ἔπειτα δὲ καὶ ἐν ἑκάστῃ χώρῃ ἐπιχώρια ἐόντα. *Quicunque artem medicam integrè adſequi velit, primùm quidem temporum anni rationem habere debet, cogitareque quantum unumquodque efficere valeat; deinde ventorum calidorum pariter, ac frigidorum; præcipuè illorum, qui omnibus ſunt hominibus communes; proximè verò eorum, qui cuique regioni ſunt proprii.* Sanè ad naturam regionis eſſe attendendum, fidem fecerit, quòd in Italia, & locis aliis, venti occidentales ſint moderatè calidi, ac humidi, eoque ſalubres. Hoc enim oſtendunt tot zephyri præconia apud poëtas: imò & nomen, cùm ſic dicatur, quaſi ζωηφόρος *a*. Atqui (ut Scaliger adverſus Cardanum ſcribit Exercit. CCLXXXV) *in Vaſconiam tantum adfert perniciei, ut rarò ſine incolarum pavore, deteſtatione, vaſtitate, ingruat.*

a Vitam adferens.

Præterea beneficio ventorum patet aditus per orbem univerſum; ita ut inter gentes omnes ſint commercia, quaque earum præbente, quo abundat, & recipiente, quo deficit: quando, ut ait poëta *b*,

—— *Non omnis fert omnia tellus.*

b 1 Georg.

Chriſtiani verò hoc ultrà capiunt utilitatis, longè profectò maximum, quòd navigatione quovis pateat via ad annunciandum ſalutare Evangelium, juxta mandatum Servatoris noſtri *c*.

c Matth. 28. Marc. 16.

CAP. V.

Cur à gentium philoſophis homo ſit minor mundus nuncupatus; & in quibus utrinſque ſimilitudo conſiſtat. Viſire. Veſicæ ἔνυμον. *Sic à veteribus tradi, flatus ventris gentilibus fuiſſe in Deorum numero. Sed ſi id durum eſt credere; hoc ſaltem ſtatuendum, fuiſſe eos gentibus divinitatis ſymbola; cauſſaque ejus rei adducta.*

QUæ hactenus diximus, ea pertinent ad ventos, qui amplo in aëris ſpatio concurrunt, ac depræliantur. Nunc veniemus ad eos, qui non vaſtum illum, ſed minorem mundum, hoc eſt, hominem, perflant. Eſt enim major mundus imago minoris: imò, uti Scriptura *a* ait, hominem creatum ad imaginem Dei; ita gentiles ajunt, factum eſſe ad imaginem mundi. Hinc Manilius lib. IV:

a Geneſ. 1.

—— *Quid mirum, noſcere mundum*
Si poſſunt homines, quibus eſt & mundus in ipſis,
Exemplumque Dei quiſque eſt in imagine parvâ?

Ubi per Deum capiendus eſt mundus, qui gentilibus cenſebatur Deus. Manilii hanc eſſe mentem, indicat Julius Firmicus. Nam ſi Auguſti ætate Manilius ſcripſerit, eum Firmicus expreſſerit: ſin ætate demum Theodoſii fuit, potiùs carmine reddiderit Firmicum. Firmici autem verba ſunt iſta, præfatione tertii Matheſios libri: *Nam ita corpus hominis, ut mundi, ex quatuor elementorum commixtione compoſuit: ut omnium iſtorum conjunctio temperata, animal, ad formam divinæ imitationis, ornaret: & ita hominem, artificio divinæ fabricationis, expoſuit, ut in parvo corpore omnium elementorum vim, atque ſubſtantiam, naturâ cogente, conferret, ut divino illi ſpiritui, qui ad ſuſtentationem mortalis corporis ex cæleſti mente deſcendit, licet fragile, ſimile tamen mundo, pararet hoſpitium. Hac ex cauſſa hominem, quaſi minorem quendam mundum, ſtellæ V, ☉ etiam, & ☽, ignitâ, ac ſempiternâ agitatione circumſtant, ut animal, quod ad imitationem mundi factum eſt, ſimili divinitatis ſubſtantiâ gubernetur.* Præclarè etiam Chalcidius; qui & ipſe quarto à Chriſto vixit ſeculo. Sic enim ille in Timæum Platonis *b*: *Corpora noſtra ex quatuor materiis eſſe compoſita, in promtu eſt. Eſt enim quiddam contiguum in iis, quod tactui reſiſtit; idque ſine terrenâ ſolidiſtate non eſt. Eſt etiam calidum aliquid, idemque viſibile: porrò, quæ talia ſunt, ſine igne eſſe non poſſunt. Eſt præterea plenum ſpiritus; ut ſunt hæ venæ, quæ arteriæ nuncupantur. Eſt etiam humor, ut ſanguis, & cætera, quæ manant ex corpore. Sed neque humor ſine aqua, neque ſpiritus ſine aëre,*

b P. 290. & 291. editi. Leidenſis, ſive Meurſianæ.

con-

conſiſtet unquam. Eſt igitur in corporibus noſtris aquæ portio, & item aëris, nec non ignis, & terra. Unde opinor, hominem mundum-brevem a veteribus appellatum; nec immeritò. Quia totus mundus, & item homo totus, ex iiſdem ſunt omnibus; corpore quidem eaſdem materias habente; animâ quoque unius, ejuſdemque naturæ. Ubi videmus, ut ſimilitudinem majoris, & minoris mundi, in eo conſtituat, quòd ſeu corpus, ſeu animam, attendas, & corpus utriuſque quatuor conſtet elementis, & anima utrique ejuſdem ſit naturæ; ſicuti & Platonicorum alii cenſent, quibus anima noſtra eſt particula animæ mundanæ, eoque divinæ, quia mundus iis eſt Deus, ut dicebamus. Cùm verò hominem ait propterea à veteribus vocatum *mundum-brevem*, exprimere voluit Græcorum μικρόκοσμος. Unde Olympiodorus in lib. I Meteorolog. Ariſtot. Ἔστιν ἡ ἡμέρα μικρὸς ἐνιαυτὸς, ὥσπερ ἄνθρωπος μικρὸς κόσμος· *Dies eſt annus parvus, ſicuti homo eſt mundus parvus.* Ac Arnobio item homo, in ſecundo adverſus nationes; *mundus* dicitur *minor*. In quibus autem majoris minoriſque mundi ſimilitudo conſiſtat, oſtendit Andreas Laurentius Anatomices lib. I, cap. II. Hoc loco ſolùm conſideramus, quatenus ſimilis ſit μετεώροις. Quomodo fulgura referunt excandeſcentium oculi coruſcantes; tonitru, ructus, & inteſtinorum murmura, quæ Græci βορβορυγμὸς & βορβορυσμὸς appellant; pluviam, humores è cerebro in nares, laryngem, pulmonem, deſtillantes; rorem, lachrymæ; ventos, cruditatum exhalationes, auriumque ſibili ac tinnitus; terræmotum, palpitatio cordis, membrorumque convulſio. Ad ventos etiam refert flatus eos ventris, quos Græci βδεσμοὺς, Latini *viſia* dicunt; uti pro βδέειν, *viſire*, unde & *veſica*. Niſi hoc eſſe ex eo malis, quia *veſica* Græcis φῦσα, à φυσᾶν, *flo*. Tonitrua itidem referunt obſceni ſtrepitus, qui Græcis πορδαὶ, Latinis *peditus*. De quibus duobus nunc ſolis dicendum, quia, judicio ſtolidarum nationum, præ aliis, quæ proximè memoravimus, in Deorum numerum referri meruerunt. Credo, inter alia eò reſpexerit Plinius, quando ait lib. II, cap. VII: *Gentes quædam animalia, & aliqua obſcena, pro Diis habent, ac multa dictis magis pudenda, per fœtidos cibos, & alia multa jurantes.* Sed expreſſiùs Clemens Romanus in V Recognitionum, ubi de Ægyptiorum diis agit: *Crepitus ventris pro numinibus habendos eſſe docuere.* Item Minucius Felix in Octavio: *Iidem Ægyptii cumpleriſque vobiſcum non magis Iſidem, quam cæparum acrimonias, metuunt; nec Serapidem magis, quam ſtrepitus per pudenda corporis expreſſos, extremiſcunt.* Malim tamen de Ægyptiis credere, iſtos ſeu crepitus, ſeu peditus, non Deos propriè putâſſe, ſed (quia tota fere eorum theologia erat ſymbolica) pro ſignis potiùs habuiſſe potentiæ divinæ. Nempe quia & ſervandi, &, ſi retineantur, perdendi hominis habeant poteſtatem. Unde & Græculus poëta, Nicarchus, regibus ipſis par habere imperium nugatur in ſecundo Ἀνθολογίας, Tit. εἰς πορδὴν. Hæc tetricus aliquis, non tam ſimilis, quàm ſimia Catonis, indigna chartis dixerit. Sed enim faciunt Minucio, & aliis veterum Theologorum, intelligendis. Ac quanto perſpectior nobis impia ſit gentilium pietas: tanto ſanè gratiores erimus ſummo Deo, qui nos è tenebris iſtis eduxerit, menteſque noſtras illuſtrârit Verbi & Spiritus ſui face.

CAP. VI.

Acceditur ad naturam fulminum, quæ vel maximè terrorem incutiunt homini, & faciunt, ut aliquid ſupra ſe timeat. Hoc oſtenſum quoque exemplo Auguſti, Caligulæ, imò totius Romani exercitus. Materies fulminis ignea eſt exhalatio, nube erumpens: ac videri illud etiam à S. Job ſignificatum. Materiem hanc eſſe ſulfuream; ut odor etiam indicio eſt. Perſius, & Tzetzes, enarrati. Cur vultures, ac canes, abſtineant fulguritis. Unde pulvis pyrius componatur. Ciceronis, vel Stoicorum, de fulminis materie error. Cur poſt æſtus ſummos plurimùm fulminet. Cauſſa fulminis effectrix eſt, quam ἀντιπερίστασιν dicunt. Prodigii loco habitum, ſi cælo tonaret ſereno: nec abſurdè credi, fulmen ejuſmodi extraordinariâ ratione à ſpiritibus procurari, qui aëri præſident. Falſos interea Priſcillianiſtas cum fulmina omnia à diabolis eſſe arbitrarentur; erroremque eum jam olim concilio Hiſpaniæ damnatum. Cur ignis nube concluſus eam rumpat. Qua de cauſſâ fulmen inferiora petat loca. Cur idem obliquè feratur. Quamobrem hieme, & æſtate, minus fulminet, quam vere, & autumno. Cur à pluvia immunis ſit Ægyptus; uti & Æthiopia. Crebra eſſe fulmina locis ſulfureis, ut ubi montes ignivomi; rara cretaceis, qualis Britannia.

DE ventis, meteoro aëreo, hæc dicta ſunto. Nunc loquamur de meteoris igneis; ut ſunt fulmina, cometæ, ignes fatui. Ex his nihil eſt, quod cæcas hominum mentes æquè ad falſos impulerit Deos; nihil item, quod ſic ad veri Dei cultum adhortetur, quàm fulmina faciunt, & tonitrua, quæ fulminum ſunt effectus. Si enim naturam eorum conſideres, quid profectò mirandum eſt magis? Unde Plutarchus Sympoſ. lib. IV, quæſt. II, ubi loquitur de iis, quæ niſi evenire videremus, omnem omnino exſuperarent fidem, ſic ait inter alia: Πάντων ἀπιστότατον, ἐκ μὲν ὑγρῶν φλόγας, ἐκ δὲ μαλακῶν νεφελῶν ψόφους σκληροὺς ἀναδιδομένους· *omnium minimè credibile eſt, ex humido prodire flammas, ex molli edi ſonos vehementes.*

Nec iſta modò, quæ Plutarchus hic memorat, admirationem merentur; ſed etiam tot varii eorum effectus, noxii plures, aliqui etiam ſalutares. Utroſque cum cauſſis ſuis poſtea referam.

Adhæc habent fulmina vim pectora terrendi mortalia. Omnia quidem fecit Deus, ut timeatur ab hominibus; quemadmodum Salomo in Eccleſiaſte ait III, 14: ſed imprimis id faciunt fulmina, cometæ, terræmotus. De fulmine ſic Maro Venerem inducit loquentem in I Æn.

> —— *O qui res hominumque, Deûmque,*
> *Æternis regis imperiis, & fulmine terres.*

Petronii quoque Arbitri eſt:

> *Primus in orbe Deos fecit timor: ardua cælo*
> *Fulmina cum caderent, diſcuſſaque mœnia flammis,*
> *Atque ictus flagraret Athos.*

Nimirum fulmina coercent animos, atque incutiunt, ut cum Seneca *a* dicam, *inevitabilem metum, ut ſupra nos aliquid timeremus.* Quàm Auguſtus ea formidârit, dicam cap. VII ex Tranquillo. A quo etiam narratur *b* de Cæſare Caligula, ut tantus numinum ſuorum contemtor, *ad minima tonitrua, & fulgura, caput obvolvere; ad verò majora, proripere ſe è ſtrato, ſub lectumque condere, ſoleat.* Imò non hic modò, vel ille, ſed toti etiam exercitus, non vera dico, ſed ſimulata quoque tonitrua, expaverunt. Ut exercitus Romanus, cùm Parthi tympanis, & cymbalis æneis, tonitrua ementirentur: quemadmodum Plutarchus prodidit in Craſſo.

a Lib. 2. Natur. Quæſt. cap. 42.
b In Caligula c. 51.

Quanto autem magis hæc miranda ſunt, & terribilia, planeque ejuſmodi, ut quàm clara ſunt fulmina, tam clarè ex iis eluceat, ſupra hominem eſſe aliquid, quod iſta moderetur, ac temperet: tanto etiam ſtudioſiùs in hoc incumbendum eſt nobis, ut videant omnes, non fulmen, aut tonitru, eſſe numen: ſed neque Ioviale ſidus, vel aëra, qui *Iovis* nomine vocari ſolet; verùm conditorem, & rectorem univerſi. Cujus ſapientiam, & numen, liquidiùs cernemus, ſi divini utriuſque operis, & fulminis, & tonitrus, tum cauſſas, tum effectus videamus. Satis quidem convenit, Deum eſſe, qui tonat, & fulminat; imò qui & ſuſpendat nubes *c* in aëre, ac pluat. Sed non agit iſta Deus ſine cauſſis ſecundis: quas inquirimus, ut ex operibus diſcamus ſapientiam Dei.

c Job. 26.

Materies fulminis eſt exhalatio calida, & ſicca, in ſublime evecta, hinc nube concluſa, & occurſu ejus ſe colligens, eoque igneſcens, magniſque hinc viribus nube erumpens. Atque huc ſubtiliter R. Levi referebat verba

Jobi xxxvi, 32, 33: *Super nubes tegit lucem, & præcipit propter illud de occurrente. Annunciat de eo ſocius ejus: tuncque acquiſitio iræ eſt ſuper adſcendentem.* Per *lucem* enim capit exhalationem igneſcentem. Per *occurrentem* ſignari ait nubem frigidam; quâ perruptâ, à fulmine fiat tonitru. Ac placuit hæc interpretatio etiam Franciſco Vatablo, Lamberto Danæo, & aliis compluribus. Exhalatio iſta eſt ſulfurea, ac nitroſa. Unde non Juvenalis quidem, (ut memoriâ lapſus Hadrianus Junius *a* putavit) ſed Perſius ſat. ii:

a *In Nomenclatore, voce* Fulmen.

Ignoviſſe putas, quia cum tonat, ocius ilex
Sulfure diſcutitur ſacro, quàm tuque, domuſque?

Ubi *ſulfur* pro *fulmine* poni, ſatis eſt apertum; monitumque id jam olim Cornuto. Et valde firmat Joannes Tzetzes Chil. xii, hiſtoriâ cccc xl:

Θεῖον δ' αὐτὸν τὸν κεραυνὸν πάλιν κεκλῆσθαι νόει.
Sulfur autem & ipſum fulmen hic vocari cogita.

Ubi perperam interpres reddidit, *excludi cogita.* Nempe corrupto eſt deceptus codice, quia vulgo pro κεκλῆσθαι legitur κεκλεῖσθαι.

Eſſe autem fulmen naturæ ſulfureæ, vel odor ſit argumento: unde ibidem Tzetzes:

Θειώδη γὰρ ὁ κεραυνὸς βαρεῖαν ὀδμὴν ἔχει,
Sulfureum enim fulmen gravem odorem habet.

b *Verſ.* 220.

Atque idem traditum Lucretio in vi *b*, Senecæ Nat. Quæſt. lib. ii, cap. liii, & Plinio lib. xxxv, cap. xv: *Fulmina*, inquit hic, *& fulgura quoque, ſulfuris odorem habent, & lux ipſa eorum ſulfurea eſt.* Ac, credo, ob hunc odorem ſulfureum canes, & aves, quod a Plutarcho *c* proditum eſt, abſtinent cadaveribus animalium de cælo tactorum. Idem eo comprobatur, quòd loca prope montes ignivomos, quæ ſulfurea eſſe conſtat, præ cæteris ſint fulmini obnoxia. Exemplum etiam capere poſſumus ex bombardis noſtris: quarum flammæ convenientiam habent maximam cum fulmine; ſonus cum tonitru. At pulvis earum pyrius ex ſulfure fit: pro majoribus quidem machinis, ut Vannocius Bitinguccius *d* tradit, ex tribus partibus halinitri, ſive ſalpetræ, duabus carbonis, una ſulfuris: pro mediocribus, ex halinitri partibus quinque, unâ ſulfuris, unâ dimidiaque carbonis: pro minimis, denis halinitri partibus, ſulfuris unâ, unâ item carbonis ex nucis avellanæ virgis. Ac ſulfur quidem eſt, à quo facile adeo accenditur halinitrum: halinitrum verò, ſulfure ſubitò deflagrante, vim exerit tam mirandam. Atque ex his eâdem liquet, quàm longè à vero abſit, quod apud M. Tullium legas in ii de Divinatione: *Placet enim Stoicis, eos anhelitus terræ, qui* FRIGIDI *ſint, cùm fluere cœperint, ventos eſſe: cùm autem ſe in nubem induerint, ejuſque tenuiſſimam quamque partem cœperint dividere, atque diſrumpere, idque crebrius facere, & vehementius; tum & fulgura, & tonitrua exiſtere: ſi autem nubium conflictu ardor expreſſus ſe emiſerit, id eſſe fulmen.* Planè enim fulminis materies non frigida, ſed fervida eſt.

c *Sympoſ. lib.* 4. *quæſt.* 2.

d *In Pyrotechnia.*

Quia verò materies fulminis eſt fervida, ac ſicca: eò maximè ſolet fulminare poſt æſtus maximos; qui partim à radiis proveniunt Solaribus, aëre receptis; partim ab exhalationibus ſulfureis, qui è terra educti adſcendunt. Quod ſi poſt æſtum ejuſmodi etiam cælum videamus nubibus prætexi, colligere licet, materiem fulminis jam eſſe nubium concavo concluſam.

De materie vidimus. Cauſſa verò efficiens eſt gemina. Una remota, quæ materiem accendit; proxima altera, quæ deorſum vibrat. Prior non abſurdè à Peripateticis ſtatuitur ἀντιπερίστασις, quaſi *circumobſiſtentiam* dixeris; puta frigidæ, & humidæ nubis. Quippe ea contrariis qualitatibus, quas jam diximus, ſic conſtringit, inque unum cogit, calidam, & ſiccam, quam continet, exhalationem; ut diſcurſu iſtoc, ac minutarum partium attritu, magis magiſque incaleſcat, & tandem planè igneſcat. Dixeris, vanum videri de eo, quod nube halitum quaſi conglobari dicebamus. Nam, (etſi id neget Lucretius in vi *e*) interdum & cælo fulminare ſereno: quomodo die ſereno, fulmine ictus eſt M. Herennius; ut ait Plinius lib. ii, cap. li. Sed enim habitum id inter Catilinariæ conjurationis prodigia; ut ibidem legas. Ac aliàs quoque id factum: ſed nunquam non creditum aliquid portendere. Hinc Homerus Odyſſ. Υ *a*:

e *Verſ.* 246. *item* 399.

a *Verſ.* 112. *& ſeqq.*

Ζεῦ πάτερ, ὅς τε θεοῖσι καὶ ἀνθρώποισιν ἀνάσσεις,
Ἦ μεγάλ' ἐβρόντησας ἀπ' οὐρανοῦ ἀστερόεντος·
Οὐδέ ποθι νέφος ἐστί· τέρας νύ τεῳ τόδε φαίνεις.
Jupiter, qui Diis, & hominibus imperas,
Profectò valde tonuiſti è cælo ſtellifero;
Neque alicubi nubes eſt. Prodigium igitur aliquod
tuum nobis oſtendis.

Etiam tonitru ejuſmodi, ut prodigioſum, refert Maro i Geor. & viii Æn. item Horat. lib. i, od. xxxiv. Ac eodem puto referri oportere, lugubrem illum quaſi tubæ ſonitum, qui fuit exauditus in aëre, proximè ante bellum civile inter Marium, Syllamque. Nam & hic ſudo contigit cœlo: eoque majus prodigium meruit haberi à vatibus Hetruſcis. Vide Plutarchum in Sylla: ex quo nunc illa ſolùm exſcribam: Τὸ δὲ πάντων μέγιστον, ἐξ ἀνεφέλου καὶ διαίθρου τοῦ περιέχοντος, ἤχησε φωνὴ σάλπιγγος, ὀξὺν ἀποτείνουσα, καὶ θρηνώδη φθόγγον, ὥστε πάντας ἔκφρονας γενέσθαι, καὶ καταπτῆξαι τὸ μέγεθος. *Quodque omnium fuit maximum, cælo nullas habente nubes, & planè ſereno, ſonuit vox tubæ, ſono ſe efferens acuto ac lugubri, ſic ut omnes obſtupeſcerent, & ejus magnitudinem exhorreſcerent.* Quid ſi igitur credamus, fulmen ejuſmodi eſſe à geniis ſive poteſtatibus aëris? præſertim quando & Jobi cap. i legere eſt, à Satana fuiſſe, quòd oves, & cuſtodes earum, cælo fuerint tactæ. Sed ut quandoque fulmina à diabolo jaciantur; plurimùm tamen Dei, vel bonorum angelorum, opera ſunt: quemadmodum argumento eſt, quòd Deus in Sodomis ipſis, cæleſti igne perdendis, bonorum voluit angelorum miniſterio uti. Adde quòd Jobi xxviii, 26, dicitur, Deum *facere viam coruſcationi fulminum.* Sed & ii Samuelis xxii, 15, legas: *Et miſit ſagittas, & diſſipavit eos* בָּרָק *fulgur, & turbavit eos.* Fulminaque Pſalmi xcvii *b*, 4, dicuntur *ignis Dei*: *Illuminarunt* בְרָקָיו *fulgura ejus orbem.* Zachar. x, 1: יְהוָה עֹשֶׂה חֲזִיזִים, *Dominus faciens fulgura.* Ac Siracides Eccleſiaſtici xxxix, 33, 34, 35, non obſcurè idem docet. Ut omnino fœdus fuerit error Priſcillianiſtarum, quando fulmina diaboli opus, non divinum, arbitrarentur. Quem errorem damnat Concilium Braccarenſe primum cap. viii: *Si quis credit, quod aliquas immundas creaturas diabolus fecerit: & tonitrua, & fulgura, & tempeſtates, & ſiccitates, ipſe diabolus auctoritate ſua facit, ſicut Priſcillianus dixit; anathema ſit.* Nec abſimilis, niſi idem prorſus, error erat Manichæorum. Et profectò, ſi panem, eſuri eum, exſecrabantur priùs, tanquam mali Dei opus: quid mirum, ſi & fulgura, ac tonitrua, à malo eſſe Deo cenſerent: eoque maledictis inceſſerent? Unde Cyrillus Hieroſolymitanus, qui lxx *c* annos eſſe ait, ex quo cœperit error Manetis, Catecheſ. vi *d*: Βροντᾷ ὁ Θεός, καὶ πάντες τρέμομεν, κἀκεῖνοι βλασφημοῦσιν. ἀστράπτει ὁ Θεός, καὶ πάντες εἰς γῆν ἐπικλινόμεθα. κἀκεῖνοι περὶ οὐρανῶν τὰς δυσφημίας ἔχουσι γλώσσας. *Tonat Deus: & omnes contremiſcimus. At illi balſphemant, ac convicia ingerunt. Fulgurat Deus: & in terram procumbimus univerſi: illi verò ad maledicendum cælis linguas exſerunt.* Hactenus de cauſſa remota.

b *Sive Lat.* 96.

c *P.* 141. *edit. Pariſ. a.* 1608.

d *Cap. de hæreſibus p.* 154.

In cauſſa proxima tria attendimus; cur nubem rumpat, cur item deorſum potiſſimùm vibretur, & cur per aëra motu feratur obliquo. Eò effringit nubem, quoniam, ubi materies illa ſulfurea, ac nitroſa, accenditur, longè maximum requirit ſpatium. Sane pyrius noſter pulvis, qui inter alia ſulfure conſtat, ut diximus, quique multa adeò cum materie fulminis habet communia; ſic accenſum ſe extendit, ut granum ejus unicum ſeſe diſpergat per ſpatium centenis & viginti-quinque granorum millibus majus: quemadmodum obſervatum memini clariſſimo & optimo in Lugdunenſi Academia collegæ meo τῷ μακαρίτῃ Wilibrordo Snellio.

Deor-

Deorſum autem fertur fulmen; quia, quanto magis ejus materies cogitur, tanto fiat gravior; tanto etiam magis inferiora nubis petat; ac propterea parte eà potiſſimùm erumpat, quà faciliùs penetrat.

Obliquè fulmen fertur, quia motus is compoſitus eſt ex recto, & obliquo. Levitate enim flamma adſcendit; ſed violentià deſcendit. Unde Seneca *a*: *Natura ignem ſurſum vocat, injuria deorſum premit.* Adde quòd, quo magis deſcendit, hoc magis penetrandus eſt aër craſſior; eoque, aëre magis & magis reſiſtente, rectus porrò motus eſſe nequit. Denique multimodis transverſà itur lineà; unà tantummodo perpendiculari ad centrum. Quanto igitur proclivius ei eſt quapiam ex tranſverſis tot lineis ferri, quàm unicà, ad centrum rectà ducente? Atque obliquus iſte motus in cauſſa eſt, cur montes altiſſimi, inſanæque ſtructuræ, maximè fulminibus impetantur.

a Lib. 2. Natur. Quæſt. cap. 58.

De tempore etiam, & locis magis fulmini obnoxiis, videamus. *Hieme, & æſtate, rara fulmina*; ut ait Plinius lib. II, cap. LI. Fulminat nempe, quando terra fumat ſulfure. At hieme terra eſt gelu conſtricta, ut parum exhalet fumi. Æſtate multum fumat, ſed Solis id fervore conſumitur. Vere, & auctumno, media eſt ratio, quia ob aëra tepidum educitur multum, nec tamen conſumitur multum. Miti tamen hieme etiam fulminat; præſertim regionibus temperatis: ut in Italiæ locis à Septentrione magis remotis; velut Latio, & Campania; de quibus teſtis Plinius *b*. Ac ibidem de Scythia, & Ægypto, ſic ſcribit: *Omnis terrarum exhalatio rigens ac gelida, quicquid accipit ignei vaporis, exſtinguit. Quæ ratio immunem Scythiam, & circa rigentia, à fulminum caſu præſtat: & è diverſo nimius ardor Ægyptum. Siquidem calidi ſiccique halitus terræ raras admodum, tenueſque, & infirmas, denſantur in nubes.* Ubi quod de Ægypto dicitur, idem de Æthiopia tradunt. Nam & eam eſſe à pluvia immunem, refert Plutarchus περὶ δεισιδαιμονίας.

b Lib. 2. cap. 50.

Nec ſolum aëris frigus, vel calor, attenditur, ſed etiam natura ſoli. Nam maximè fulminat, ubi loca ſunt ſulfurea, & nitroſa. Ideo, ut dixi, prope montes ignivomos plurima ſunt fulmina. Non item in locis cretaceis: qualis Britannia; ubi ea prodigii penè loco habentur. Quanquam & altera ejuſce raritatis eſt cauſſa, eaque à vaporibus marinis. Atque hæc univerſè fulmen attingunt.

CAP. VII.

Fulminis duo genera: quorum poſterius Dei ſagittas *nominet Scriptura.* Fulmen, *&* fulgur, *ſubinde confundi. Perperam à Seneca tonitrus generationem conferri cum ſono, qui concuſſis excitatur palmis. Vehementiam ſonitus, tonante cælo, non ſolum eſſe à laceratione nubis, ſed etiam aëris vicini. Fulmen propriè ita dictum, hoc eſt, quod cum ſonitu ſit, vel diſcutiens eſſe, vel infuſcans, vel clarum: & cur poſtremum hoc* ἀργῆτες *vocetur. Cur theatri Romani, de cælo tacti, flamma non potuerit ullis aquis exſtingui. Cur poſt fulmina aceſcant vina. Unde ſit, quod, vaſe clauſo, evaporet vinum. Qui fulmen, illæſo dolio, vinum ex eo educat. Quomodo ſiſtat vinum extra dolium, ne diffluat. Qui lapides, & metalla gignat in aëre. Quo pacto liquefaciat metalla, ſalvis iis, quibus continentur. Cur, cùm fulminat, melius proveniant tubera. Cur, cùm tonat, faciliùs pariant cervæ: deque eo Scripturæ locus illuſtratus. Ut fulmen exanimarit fœtum, ſalvâ eâ, quæ geſtaret. Ut ſubitò hominem ſic in cinerem redigat, ac diſſiet, ut nihil ejus uſpiam compareat. Refelluntur, qui negant fulmen quicquam poſſe, vel in laurum, aut ficum; vel in phocam, aut hippopotamum; inque iſto ſuperſtitio Auguſti, ac Severi, vel in aquilam, & cur ea Iovis fulmina geſtare perhibeatur; vel in hiænam, & quam alia etiam fabuloſa de hac quadrupede fingant; vel in hominem dormientem, &, ſi vanum id non ſit, quæ vera ejus ſubſit ratio.*

SEd juvat particulatim etiam in hoc opere Dei terroris plenissimo, conſiderare particulatim varia ejus genera, varioſque effectus. Sunt verò duo fulminum, hoc eſt, coruſcationum, genera. Eſt cùm fiant abſque ſono; quæ propriè magis dicuntur *fulgura*, quaſi fulgores, ſive coruſcationes: ut eſt apud L. Senecam Nat. Quæſt. lib. II, cap. XII. Suntque ab igne languido; eoque ictu quidem imbecilli nubes diducunt; ſed nihil igneum ejaculante in terras: unde eſt, quòd coruſcationem quidem videmus, at nec ſonum tam minutum audimus, nec adverſi aliquid perſentiſcimus. Eſt item cùm fiant cum ſono, quæ propriè magis, Seneca *a* eodem judice, *fulmina* nominantur: ſuntque ab igne multo; unde ictu valido nubem perrumpunt, inque terras uſque vibrantur. Cujuſmodi fulminibus inprimis convenit nomen *ſagittarum Dei*: quod eſt Pſal. XVII *b*, 15, & Pſal. CXLIII *c*, 6. Utrobique agitur de judicio Dei in impios. Imò Italis ſimiliter *ſaetta*, quod eſt ex *ſagitta*, non telum modò, ſed etiam fulmen notat: neque id poëtis modò, ſed in ſermone quoque vulgari. Cujus me commodè commonuit Nobiliſſimus & amiciſſimus Georg. Ratallerus Dubletius, antea Comitatenſis litoralium præfectus, nunc ſummæ in Hollandia Curiæ Senator. Nec tamen hoc vocum earum diſcrimen obſervatur. Nam & *fulgur* pro *fulmine* poni, docet Aldus Manutius, epiſtolà ad Octavium Ferrarium, quæ eſt in reſponſis ad Quæſita per epiſtolam. Et origo utrique eadem. Nempe à *fulgeo*: uti & Hebræis בָּרָק *d* barak, *fulgur*, *fulmen*: à בָּרַק barak, hoc eſt, *ſplenduit*, *coruſcavit*. Hinc liquet, rectè ab Ariſtotele *e* tonitru inter effectus fulminis referri. At non audiendus Seneca *f*, quando ait, ut manuum colliſione plauſus, ſic nubibus colliſis tonitru cieri. Nam palmis quidem plauſum excitamus, non manu averſà. At in colliſione nubium, non concavum concurrit nubium, ſed convexum. Sunt præterea nubes corpora mollia, ac facilè cedentia, ut ſonus tantus ab colliſione ejuſmodi eſſe non poſſit. Denique ſæpe tonitrus ſonum audimus: nec ullas concurrere nubes cernimus. Quamobrem ſine dubio longè, ut dixi, verior eſt ſententia Ariſtotelis *g*: cui tonitru eſt vehemens ſonus ab exhalatione igneſcente, dum nubem rumpit, excitatus. Quamquam non à ſola nubis ruptura eſſe dixerim: ſed & laceratione vicini aëris; uti quoque in bombardis noſtris uſu venit. Nam horrendus ille ſonus cietur à flamma ex anguſtià tubi erumpente in liberum aëra, magnâque cum violentia diſcerpente eum, ac propulſante. Hoc fulmen, quod tonitru ciet ictu validò, Plinio *h* judice eſt triplex. Primum eſt ſiccum, quod tenuitate ſuà, venti inſtar, diſſipat cuncta. Alterum eſt humidum, quod tantummodo fuſcum inducit colorem. Tertium illorum per meatus in intimas penetrat partes. Primum *diſcutiens* vocatur. De duobus poſterioribus ſic ſcriptor libelli de Mundo, qui Ariſtoteli tribuitur: Οἱ μὲν αἰθαλώδεις (κεραυνοὶ) ψολόεντες λέγονται· οἱ δὲ ταχέως διᾴττοντες, ἀργῆτες· *Quæ (ex fulminibus) fuligine inficiunt, fuliginoſa dicuntur. Quæ raptim tranſmittuntur, celeriterque provolant, Argetes vocantur.* Nempe ψολόεντες quidem, quia ψόλος eſt *fuligo*: fulminaque ſolent μελαίνειν, ſive *fuſcare*. Ἀργῆτες autem, non quidem ab ἀργὸς, prout *celer* notat, ut Homero dicuntur κύνες ἀργοὶ *i*: ſed quatenus *albus* ſignificat: unde *clarum* hoc *fulmen* vocat Plinius, loco antè memorato *k*.

a Ibid.

b Hebr. 18.

c Hebr. 144.

d 2 Sam. 22.

e Lib. 2. Meteor. cap. 9.

f Lib. 2. Natur. cap. 16.

g Lib. 2. Meteor. cap. 9.

h Lib. 2. cap. 51.

i Veloces canes.

k Lib. 2. cap. 51.

Miranda autem eſt fulminis vis, tum in inanima, tum animata. Prioris generis ſunt, vel liquida, vel dura. Liquida, ut aqua, vinum, cerevisia. De vi adverſus aquas, liquet ex theatro Romæ, tempore imperatoris Macrini, ipſis Vulcanalibus, accenſo; nec vel fluminea, vel pluvia aquâ, exſtingui quito; ut refert Dio, ſive Xiphilinus. Nempe id fuit à bitumine admixto: cujus ea eſt natura, ut ardeat in aquis; quemadmodum antea dictum.

Vinum in vaſe aceſcit poſt fulmina: ac multò etiam magis recens cerevisia. Nimirum halitus tenues ac ſulfurei, vas ſubeuntes, ſe per liquorem diffundunt. Recens verò cere-

cerevisia magis acori eſt obnoxia, ſpiritibus, quibus turget, faciliùs rapientibus ſulfureum fulminis ſpiritum. Quid quòd, ut Plutarchus ait lib. IV Sympoſ. quæſt. II, οἶνον ἐκ πίθων ἠφάνισε, τοῦ κεράμου μηδὲν παθόντος; *vinum e doliis abſumſit, vaſis illæſis?* Ac ſimiliter Seneca lib. II, cap. XXXI, & Plinius lib. II, cap. LI. Item ante

a Verſ. 230. hos Lucretius lib. VI *a*:

Curat item, ut vaſis integris vina repente
Diffugiant.

Rationem hanc continuò ſubdit:

—— Quia nimirum facile omnia circum
Conlaxat, rareque facit lateramina vaſi,
Adveniens calor ejus, ut inſinuatur in ipſum, &
Mobiliter ſolvens differt primordia vini.

Malim dicere, mirè tenues ac fervidos fulminis ſpiritus per poros in dolium penetrare; ibi calore ſuo rarefacere vinum; deinde rarefactum per eoſdem illud meatus educere.

Quod ſi craſſior ſit fulminis materies, quàm ut permeet poros; vas rumpit; vinum autem interdum humore ſic undique incruſtat, ut aliquantiſper, nec diu tamen, conſiſtat. Paucis id complexus Seneca *b*: *Stat fracto dolio vinum, nec ultra triduum rigor ille durat.* Atque, ut idem aliquanto poſt *c* auctor eſt, *vinum ſic fulmine gelatum, cum ad priorem habitum redit, potum aut exanimat, aut dementes facit. Ineſt fulmini vis peſtifera. Ex hoc aliquem remanere ſpiritum in eo humore, quem coëgit, gelavitque, veriſimile eſt. Nec enim alligari potuiſſet, niſi aliquod illi eſſet additum vinculum.* Valde autem impropriè utitur *gelandi* verbo, cùm fulmen calidum ſit: eoque vim iſtam, ſic vinum extra dolium ſiſtendi, ſatius ſit tribuere humori viſcoſo, caloríque eum induranti.

b Lib. 2. Natur. Quæſt. cap. 31.
c Cap. 53.

Hæc de liquidis: ad duriſſima venio, ut lapides ſunt, & metalla: quorum utraque in aëre producit; metalla verò etiam liquefacit in terris. Nempe ex materie terreſtri, ac viſcoſá, in nubes elevatâ, ſubitò in aëre, & in ipſo etiam caſu; prout materies fert, nunc lapidem excoquit; nunc æs, aut ferrum. De hujuſmodi lapide Cordubæ delapſo, teſtis Avicenna; qui & eum ſibi viſum, ac odorem habuiſſe ſulfureum, naturamque ammoniaci, retulit. Vide Averroem lib. II Meteorol. cap. II. Atque idem Avicenna tradidit, in Perſiam ænea cecidiſſe corpora ſagittis hamatis ſimilia. Georgius item Agricola *d* prope Lurgeam ait maſſam decidiſſe ferream quinquaginta librarum: ſed non potuiſſe molliri, ac malleis duci.

d Lib. 5. de ortu & cauſſis ſubterraneorum, c. 13.

Jam de liquefactione metalli, ſic Lucretius in VI:

Et liquidum puncto facit æs in tempore, & aurum.

Varro lib. III Rerum divinarum *e*: *Lucius Scipio, cùm aurum factum haberet in ciſta viminea, fulmine ita eſt icta, ut ciſta eſſet integra, aurum colliquiſſet.* Plutarchus lib. IV Sympoſ. quæſt. II: Ζώνην χαλκῆς ἐχούσης ὑπεζωσμένης διέτηξε. *Colliquavit æs cinguli, quo erat obductum.* Similiter Plinius lib. II, cap. LI: *Aurum, & æs, & argentum, liquatur intus, ſacculis ipſis nullo modo ambuſtis, ac ne confuſo quidem ſigno ceræ.* Et ſimiliter ante eum Seneca lib. I Nat. Quæſt. cap. XXXI: *Loculis integris ac illæſis flatur argentum.* Idem tradit cap. LII. Rationem addit: *Valentiora quia reſiſtunt, vehementiùs diſſipat: cedentia nonnunquam ſine injuria tranſit.* Et mox: *Ignis tenuiſſimus per occulta foramina tranſcurrit. Quicquid autem, ut ſolidum, invenit, ut contumax vincit.* Nempe in contumacibus moram ignis ducit: in iis, quæ cedunt, non item: quomodo nec manum uſſeris, ſi ſubitò per flammam moveris. Ab eadem cauſſa eſt, quòd fulmen, vagina etiam ſalva, liquefacit gladium, Seneca eodem *f* teſtante: vel ſaltem mucronem; quod ſui etiam famuli, eodem ſecum cubili dormientis, gladio contigiſſe, ad Senecæ Quæſtiones Naturales Antonius Muretus annotavit.

e Apud Nonium in Liquidum.

f Lib. 2. Natur. quæſt. cap. 31.

Ab inanimis venio ad animata. Ac primùm videndum de plantis: ad quarum generationem multum conferunt fulmina, non per ſe, ſed ratione aquæ tepentis, & multum habentis ſpiritum; qualis eſt ea, quæ depluit è nube a fulmine ruptâ. Plutarchus Sympoſ. lib. IV problem. II: Τὰ δ' ἀστραπαῖα τῶν ὑδάτων διαλδῆ καλοῦσιν οἱ γεωργοί, καὶ νομίζουσι· *Aquas, quæ in fulgurando decidunt, vocant agricolæ nutriferas, & tales credunt.* Particulatim verò hujuſmodi aquâ, terris receptâ, & permixta, creſcere ſolent tubera. Quod cum propriè ſit ab aqua fulgurita, vulgò tamen à tonitru provenire credebatur. Unde Juvenalis ſat. V:

—— Poſt hunc raduntur tubera: ſi tunc
Ver erit, & faciunt optata tonitrua cœnas
Majores.

Plinius lib. XIX, cap. III: *Cùm fuerint imbres autumnales, ac tonitrua crebra, tubera tunc naſci, & maximè è tonitribus.* Unde Scaliger Exercitat. CXXX colligit, *imbribus quidem materiam comparari; tonitribus autem terram quati, ac rariorem fieri.* Sed de concuſſione terræ parvi puto momenti. Nam & ea horrendis quatitur ventorum tempeſtatibus; nec tamen ſe laxat ad tubera edenda. Quare cum Plutarcho acquieſcendum cenſeo, ἐν τοῖς ἀστραπαίοις, καὶ κεραυνίοις ὕδασι, καὶ πνεύμασι, καὶ θερμότητι εἰς βάθος ἐλαυνομέναις· *in fulguralibus & fulminalibus aquis, & ſpiritibus, & caloribus altè penetrantibus.* Quippe ejuſmodi aquæ ſunt genitales, ac vivificæ, peculiaremque temperiem, & ſaporem complutis induunt: ut vel maximè mereantur nomen *maritorum imbrium*; quod eſt apud Catullum, vel alium, in Pervigilio Veneris. Quod ſi præterea laxari terram ſit opus: ad hoc quoque humor ejuſmodi ob calorem, & ſpiritum, imprimis eſt idoneus.

Jam de animalibus videamus, cùm rationis expertibus, tum imprimis ea præditis. Ac primùm quidem de conchis ſic Plin. lib. IX, cap. XXXV: *Si fulgeret, comprimi conchas, ac pro jejunii modo minui. Si vero & tonuerit, pavidas, ac repente compreſſas, quæ vocant phyſemata efficere, ſpeciem modo inani inflatam, ſine corpore: hos eſſe concharum abortus.* Hebræi verò ajunt, fulgura, tonitruaque, cervis, animali timido, pavorem incutiendo, conferre ad excutiendum partum, qui alioqui foret difficilior. Atque huc referunt illud Pſal. XXVIII, ſive Hebr. XXIX, 9: ubi LXX vertunt: Φωνὴ Κυρίου καταρτιζομένη ἐλάφους: vulgata Latina, *Vox Domini præparantis cervos.* Per *vocem Domini* tonitru ſignatur. Sed poſteriora verba alii aliter interpretantur. Symmachus reddit: Φωνὴ Κυρίου πληροῦντος πεδία, *Vox Domini implentis campos.* Ut ſententia ſit, campos germinare poſt tonitru, quia fulminales aquæ magis fœcundant ſolum, quam aliæ pluviæ: ut ex Plinio antè diximus. Diſſenſus eſt ex eo, quia Hebræum אילות ajaloth, nunc ſignat *campos*, nunc *cervos.* Unde & Pſal. XLI, ſive Hebr. XLII, I, (ubi eadem vox) Aquila quidem vertit, Ὡς αὐλὼν πρασιάσει, *ut vallis vireſcit*: Symmachus autem, Ὡς σπεύδει ἔλαφος, *ut feſtinat cervus*: nempe contrà planè, quàm hic factum, ubi cùm Symmachus verterit πεδίον, Aquila reddidit ἐλάφους. Sic enim ille, Φωνὴ Κυρίου ὠδίνοντος ἐλάφους· *vox Domini facere parientis cervos.* Uti & quincta editio, μαιουμένη ἐλάφους· *obſtetricantis cervis.* Ac firmatur hæc interpretatio iis, quæ de cura Dei erga cervas, tempore partus, apud Jobum leguntur XXXIX, 1, 2, 3.

Sed non æque in humano genere felicia ſunt gravidis fulmina, vel tonitrua. Nam quia periculum magis intelligitur, eo abortum potiùs faciunt, quam partum juvant. Imò & gravidam cum fœtu exanimant. At illud [illegible] inſolens; quod refert Plinius lib. II, cap. LI; *[illegible], princeps Romanarum, icta gravida, partu exanimato, ipſa citra ullum aliud incommodum vixit.* Nimirum tenello fœtui faciliùs nocuit fulmen.

Sed neque adultis parci, indicat hoc Virgilianæ Didûs:

Vel pater omnipotens adigat me fulmine ad umbras.

Ac interdum ſic nocet, ut nullam exteriùs notam relinquat: interdum, ut exterius inducat nigritiem: de quo illuſtre in ſeptem melloribus Lemnius exemplum apud Cardanum habemus in octavo de rerum Varietate,

cap. XLIII. Imò & in cinerem quandoque hominem redigit. Cujus exemplum præbuit in Flandria publicanus quidam Gerardimontenſis: ut quidem Henricus Culens, (qui cùm paſtor ejus fuerit loci, perſcribere iſta fideliùs potuit, ac debuit) in Strenis ſuis prodidit: & exinde retulit doctiſſimus Fromundus Meteorologicôn lib. II, cap. III, art. VI. Sed hoc ipſo majus, quòd interdum corpus ſic in cineres redactum etiam confeſtim diſſipetur in ventos, ita ut nihil ejus deinceps conſpicuum ſit. Exemplum de quodam ſic evaneſcente in via, quâ Lipſiâ itur Torgam, memoratur Wolfango Meurero in Meteorologicis. Nec ingentis fulmineæ poteſtatis noſtris deſunt temporibus ac terris exempla. Ante annos circiter octonos propè Middelhamiſſam, & Somelsdicum, fulmen arbores radicitus evulſit, inque ſublimè raptas tranſtulit in pomaria vicina ultra ſepes, arboreſque alias, iſtis fulgurītis altitudine non minores. Adhæc molendinum in varias diſtractum partes multis inſpectantibus in oram trajecit adverſam, quæ trans fluminis oſtium eſt, atque ad bis mille paſſus Italicos diſtat. Interim, ne dira tantum loquar, etiam claudo dedit, ut deinceps recto incederet talo. Ea, ut merebantur, conſtanter mox per Bataviam, Zelandiamque omnem, fuere ſermone, ac literis diffuſa; relataque mihi etiam ab Nobiliſſimo, & ſummo viro, Georgio Ratallero Dubletio; cui paullo poſtquam hæc contigiſſent, loca illa viſenti, incolæ & accolæ fide digniſſimi iſta expoſuerunt coram, partim etiam commonſtrarunt.

Cùm tanta ſit vis fulminis, nonnulla tamen eſſe prædicant, in quæ non habeat poteſtatem: uti, in plantis, laurum, ac ficum; in piſcibus, vitulum marinum; in avibus, aquilam; in quadrupedibus, hiænam; in hominibus, dormientes omnes. De lauro auctor Plinius lib. II, cap. LV, & lib. XV, cap. XXX. Sed id jam exploſimus libri ſuperioris cap. XII. De ficu quoſdam prodidiſſe, narrat Plutarchus gemino in Sympoſiacis *a* loco. Sed contrarium teſtantur Maſſilienſes: quorum ager hoc arboris genere abundat. Vide Brodæum lib. III Miſcell. cap. II. Ubi & meritò ridet, quòd eandem vim tribuêre *b* phocæ, ſeu vitulo marino. *Siquis*, inquit, *de gobio, aut ſcaro, eadem comminiſci auderet, ecquando mendacii eum arguéremus? ecquando, per Deum immortalem, alterum horum piſcium fulmine exanimatum viſuri ſumus?* Pro vulgari tamen opinione etiam eſt Plinius lib. II, cap. LV. Ac ſimilem vim hippopotamo tribuit collector Geoponicôn, ſive is Caſſianus Baſſus Scholaſticus, ſive Dionyſius Uticenſis. Is librum primum claudit his verbis: Ἱπποποτάμου δέρμα κατόρυξον ἐντὸς τοῦ χωρίου, καὶ οὐ πεσεῖταί κεραυνὸς ἐκεῖσε· *Hippopotami pellem intra locum defodito, & iſtic loci fulmen non cadet.* Et non abſimilia Palladius lib. I, Tit. XXXV: *Grandini creditur obviare, ſiquis crocodili pellem, vel hiænæ, vel marini vituli, per ſpatia poſſeſſionis circumferat, & in villæ, aut cortis ſuſpendat ingreſſu, cùm malum viderit imminere.* Mirum, nugis iſtis magicis creditum quoque eſſe ab Imperatoribus prudentiſſimis, Auguſto, ac Severo. De priori ita Suetonius lib. II, cap. XC: *Tonitrua, & fulgura, paullo infirmiùs expaveſcebat: ut ſemper, & ubique, pellem vituli marini circumferret pro remedio.* De altero referunt veteres, ut, ne cælo tangeretur, lecticam corio ejuſce vituli obtexerit.

a Lib. 4. probl. 2. & lib. 5. probl. 9.

b Plutarchus utroque Sympoſiacorum loco quem diximus.

De aquilis ita Plinius lib. II, cap. LV: *Nec ex volucribus* (fulmen percutit) *aquilam: quæ ob hoc armiger hujus teli fingitur.* Itaque in nummis Romanis, imò etiam Locrenſium, & aliorum, aquilam conſpicere eſt pedibus geſtantem fulmen triſulcum. Uti & in argenteis Karoli V Imperatoris. Sed quòd Plinius ait, eo armigeram Iovis putari, quia non tangatur de cælo; id profectò controverſiâ non caret. Potiùs cenſeo, ab antiquiſſimis temporibus aquilam Iovi, Deorum regi, ſacratam, ut avium generoſiſſimam; & aliarum regem: ſimul etiam, quia fulmineâ quadam celeritate prope ad nubes ſe efferret; unde proverbium, Αἐτὸς ἐν νεφέλαις *c*. Aliti igitur Iovis nihil convenientius putarunt, quàm ſi Iovis geſtaret fulmina: indeque commentum alterum, ſacram Iovis alitem non tangi ejuſce Dei fulmine.

c Aquila in nubibus.

De hyæna idem prodi ſolere, ut paulò antè ex Palladio vidimus, & teſtis Plutarchus Sympoſ. lib. IV, quæſt. II: ubi ait, pelli ut phocæ, ſic hyænæ, tribui δύναμιν ἀντιπαθῆ, *vim fulmini adverſam*; ac propterea, inquit, pellibus earum τὰ ἄκρα τῶν ἱςίων οἱ ναύκληροι καταδιφθεροῦσι· *extrema velorum contegunt, & quaſi veſtiunt.* Eandem vim memorat lib. V Symp. probl. IX. Sed hoc eandem fidem meretur, ac tot alia, quæ de animante eo prodiderunt: ut quòd quotannis ſexum mutet: ut eſt apud Orum ſive Philippum in Hieroglyphicis, Ovidium XV Met. Oppianum lib. III Κυνηγετ. & Clementem Alexandr. Pædag. II, cap. II: imò & ſtatuit idem Artemidorus lib. II, cap. XII. Aut quòd idem Orus ait, hyænæ pelle ſuccinctum intrepidè ferri medios in hoſtes; nec lædi à quopiam. Aut quòd corium frontis hyænæ tutum præſtet adverſus omnem faſcinationem: ut eſt apud Plinium lib. XXVIII, cap. VIII.

Ad homines venio: quorum qui dormiunt de cælo non tangi, opinio vetus eſt; ut videre ex Plutarchi lib. IV Sympoſ. cap. II. Siquid autem veri ſubeſt, ex rationibus, quas adducit, ſola probabilis eſt iſta: τῷ καθεύδοντι περίβλημα τὸ ἀναίσθητον ἐςι· *præſidio eſt dormientibus, quòd non ſentiant.* Nempe quia dormientes non expaveſcant, eo rariùs fulmine exanimantur; cùm contrà, qui vigilant, ſæpe, ex conſpectu vicini fulminis, ſolo moriantur metu.

CAP. VIII.

In Theologia poëtica fulmen ac tonitru ſignificari per Geryonem. Unde is nomen acceperit, cur triceps fingatur, cur ejus boves abegiſſe dicatur Hercules, quamobrem rex habitus Erythea, vel Gadium, cur filius dictus Chryſaoris, & Calirrhoës. Cur Chryſaor fingatur è terris ſubvolaſſe ad Iovem: Calirrhoë autem Oceani filia tradatur. Quid de fulmine, ac tonitru, ſenſerint Romani, ac Græci, ſecundum Theologiam civilem. An Fulgur *ſit cognomen Iovis. Feſtus emendatus. Fulmen ſacrum. Qui Deorum præcipui fulmina ejaculentur. Mirifica Plinii opinio, fulmen exſpui à Ioviali ſidere: id priuſquam fiat, eſſe ejus partem numinis: ubi verò exſputum, eſſe numinis ejus partum, & opus: ac ex eo, quod pars fuerit, in hoc partu Iovis vim ineſſe fatidicam. Quæ dicantur* fulmina familiaria, *& in quot annos aliquid deſignent. Fulmen conſiliarium, auctoritatis, vel ſtatus. Bygoïs nympha fulguralem reperit diſciplinam. Nigidii βροντοσκοπία ex Tagete. Novogrodienſibus Fulmen pro Deo, quem* Perun *dixere, & quale ejus numinis ſimulacrum, deque perenni igne ei adſervato: atque ut idem colatur à Lituanis. Ingas etiam in Peruvia colere Tonitru; ſed minori honore, quàm Solem. Varia ejus nomina: cujuſmodi ſit ejus ſimulacrum: quod ſi conſideres, videri non tam Tonitrûs eſſe, quam ſtellæ Iovialis, vel genii, qui tonitrui, fulmini & aliis præſideat meteoris.*

HActenus aperuimus fulminis, & tonitrus naturam; nec varios modò, & mirandos eorum effectus, ſed etiam cauſſas omnium adduximus; ex quibus clarè Dei eluxit tum ſapientia in rebus condendis, tum providentia in gubernandis: non ſine teſtificatione, hinc miſericordiæ, inde autem juſtitiæ ejus. Deinceps exponam ea, quæ ad falſas nationum opiniones pertinent. Ac primùm enarrabo, quid traditum ſit Theologiâ poëticâ. Deinde referam judicium Theologiæ civilis, juxta Romanos, ac Græcos. Denique commemorabo, quem cultum iis noſtro, & ſuperioribus ſeculis, gentes attribuerint, terris extra veterum Romanorum imperium ſitis.

In Theologia poëtica, & fulmen, & tonitru, deſignat Γηρύων, qui & Γηρυόνης *a*, & Γηρυονεύς. Nomen eſt à

a Pindar. Iſthm. od. I.

ſono. Nam γηρύειν, φωνεῖν, λέγειν, φθέγγειν, ut Heſychius exponit. Unde & apud Pindarum γαρύσομαι *a*, & γαρυέμεν *b* pro γηρύειν. Et, puto, Latinum *garrio* à Dorico γαρύω, pro γηρύω: quod à γῆρυς, hoc eſt, φωνὴ, *vox*: id à גרן *guttur*. Fingitur Geryon triceps, quia triplex vis fulminis. Nam eſt & terebrans, materie ſubtili; & diſcutiens, materie ventosâ; & urens, materie viſcosâ. Hinc & telum Iovis triſulcum dicitur. Boves tribuuntur Geryoni ob tonitrua: quæ bubus comparantur ob boatum, ſive horrendum ſtrepitum, quem edunt. Abigit Hercules eos boves, quando ignea illa vis, nube ruptâ, in terras vibratur. Cùm aliqua bubus hiſce ſedes eſſet tribuenda, datus in Occidente, idque in inſula; partim quia ex locis humidis proveniunt vapores, materies nubium; partim quoniam intra nubes fulmina continentur, donec eruperint. Inſulæ illi nomen factum *Erythia*; quæ inſula Luſitaniæ, ſecundùm Melam. Straboni autem eadem Γάδειρα, ſive *Gades*. Sed Erythiæ appellatio eſt Græcanica: altera, Plinio & Solino teſte, Punica, à גדר, id eſt, *ſeps*, quia Erythia Pœnis ſepimenti loco eſſet adverſus Hiſpanos. Ait Heſiodus in Theogonia, natum eſſe Geryona ex Chryſaore, & Calirrhoë. Et hæc optimè cum prioribus conveniunt. Quippe Χρυσάωρ propriè eſt *aureum geſtans enſem*: unde & Apollinis quandoque epitheton eſt. Sed hic intelligitur materies fulminis viſcoſa, quæ poſtea igneſcit. Dicitur Chryſaor è terra in æthera ſubvolâſſe; ibique Iovi attuliſſe tonitru, & fulmen. Nam materies fulminis è terra attollitur in mediam aëris regionem. καλλιῤῥόη ad verbum notat *pulchriflua*. Eo nubes intelligitur, qua fulmen conſtringitur. Calirrhoë autem Oceani filia, quia nubes mari ortum ſuum debet. De poëtica Theologia ſatis.

a Iſthm. od. 1.
b Nem. od. 3. & 7.

Venio nunc ad civilem: ac primùm illam, quæ obtinuit apud Romanos, & Græcos. Videri poſſit *Fulgur* Romanis numen fuiſſe; ſed idem ac Jupiter. Feſtus: *Provorſum fulgur appellatur, quod ignoratur noctu, an interdiu, ſit factum. Itaque Iovi Fulguri, & Summano fit, quòd diurna Iovis, nocturna Summani fulgura habentur.* Quomodo non modò eſt in editis, ſed etiam in MSo Farneſiano. Ac Lilius quoque Gyraldus *c* *Fulgur* inter cognomenta Iovis reponit. Imò & apud Vitruvium lib. I, cap. II eſt; *Cùm Iovi Fulguri, & Cælo, & Soli, & Lunæ ædificia ſub divo hypæthraque conſtituuntur.* Ita eſt in editione Florentina anni CIↃ CCCC XCVI.

c Syntagmate de Diis gentium.

Uti & illa, quam emiſit Philander. Veriſimilius tamen eſt, ut Græci Iovem dixere κεραύνιον, & βροντᾶιον; quæ Appulejus *Fulminatorem*, & *Tonitrualem* vertit: ita hic quoque non *Iovi Fulguri* legendum, ſed, ut cenſeo, *Fulgenti*; verbo augurum, qui *Fulgere* dixere pro *Fulgurare*. Cicero in II de Nat. Deorum: *Hinc etiam augures noſtri cùm dicunt*: IOVE FULGENTE TONANTE. *Dicunt enim, cælo fulgente, tonante.* Si tamen *templi Iovi Fulgurio ſacri meminit Vitruvius*; quod Xyſtus Betulejus ad eum Ciceronis locum annotavit: libentiùs, unicâ apud Feſtum appoſitâ literulâ, pro *Iovi Fulguri*, reſcripſerim *Fulgurio*. Quamquam vero Fulmen non haberetur Deus; habebatur tamen ſacrum quid, & divinum. Ariſtoteles problematum ſectione XXIII, quæſt. XIX: Διὰ τί τὰ θερμὰ λουτρὰ ἱερά; Ἢ ὅτι ἀπὸ τῶν ἱερωτάτων γίνονται, θείου, καὶ κεραυνοῦ; *Cur calida balnea ſunt ſacra? an quia à ſulfure, & fulmine, rebus duabus maximè ſacris, proveniant?* Ideo & fulmen Perſio ſat. II, *fulmen ſacrum*; Ammiano lib. XXIII, *ſacer ignis* nuncupatur. *Philoſophi*, inquit, *candorem ignis ſacri repente conſpecti nihil ſignificare ajebant: ſed eſſe acrioris ſpiritus curſum ex æthere aliquâ viâ ad inferiora detruſi.*

Porro Plinius lib. II, cap. XX, & LII, refert, ſecundùm Hetruſcam Tagetis diſciplinam, undecim eſſe Deos, qui ejaculentur fulmina: ſed præcipuè à Romanis adſignari tribus ſideribus ſupremis, Saturno, Iovi, Marti. Qui ſubtilius hæc conſectati, eos Saturno ait tribuere fulmina rectos habentia ictus, quæ infera appellantur, Marti autem, cremantia. Cumque Hetruſci trina Iovis credant fulmina; Romanos duo ex iis ſervare, diurnum Iovi tribuentes, nocturnum Summano. Quod poſtremum etiam apud Feſtum legimus verbis paullo ante adlatis. Ibidem *a* Plinius tradit, fulmen à Iove miſſum, fuiſſe priùs ipſius Dei, hoc eſt, Iovialis ſideris partem: ſed cæleſtem illam Iovis flammam exſpuiſſe hunc ignem fulmineum, ac poſt exſputionem iſtam deſiiſſe eſſe partem Iovis: non tamen ſic exuere naturam priorem, ut non etiam, poſt abdicationem ſui, retineret quodammodo omniſcii Dei naturam: atque inde eſſe, quòd ipſum quoque cognita habeat Fatorum occulta; vel ſaltem ſigna habeat impreſſa, unde homines prudentes, & fulguralem Hetruſcorum diſciplinam edocti, fatorum reddantur conſcii. De hac fulminum divinitate ita Plinius ibidem: *Ergo ut e flagrante ligno carbo cum crepitu; ſic à ſidere cæleſtis ignis exſpuitur, præſcita ſecum adferens, ne abdicata quidem ſui parte in divinis ceſſante operibus.* Ubi clarè videmus, ut fulmen tum partem Iovis, tum opus ejus vocet. Per Iovem ſignari Ioviale ſidus inter Saturnum, & Martem, conſtitutum, ſatis ex præcedentibus liquet. Cumque ſidera omnia gentilibus ſint Dii, Ioviali attributus eſt principatus. Cauſſam adduximus, cùm de planetis ageremus. Hujus igitur Dei pars fulmen cenſetur, priuſquam ab eo ſeparetur. Separatum autem eſt ejus opus, quia ſidus exſpuit hunc ignem. Ut verò non amplius tum pars ſit, niſi quatenus intelligitur pars abdicata; tamen eſt ejus opus; imò & partus. Nam *gravidi ſideris partum* mox appellat. A principali igitur divinitate, quæ eſt in ſidere Ioviali, remanet, ut dixi, in parte abdicata, ſive partu ejus, participata illa divinitas, ut fulmen ſit *præſagum*, prout vocat Servius in I Æn. *b* ſive *fatidicum*, quemadmodum appellat Plinius: qui & de virtute hac divina ſic ibidem *c* ſcribit: *Vocant & familiaria, in totam vitam fatidica, quæ prima ſiunt familiam ſuam cuique indepto. Cæterum exiſtimant, non ultra decem annos portendere privata; præterquam aut matrimonio primo facta, aut natali die: publica non ultra trigeſimum annum, præterquam in deductione oppidorum.* Addam & Servii locum in VIII Æn. *Tria genera fulguris eſſe dicuntur: unum Conſiliarium, ubi quid cogitantibus nobis accidit, quod vetat, aut hortatur: Auctoritatis, quod evenit re geſtâ, quod probet: tertium Statum eſt, ubi nec novi quicquam geſſimus, ſed quietis noſtris rebus fruimur.* Conſiliarii fulminis meminit & Ammianus lib. XXIII: ubi de Ioviano, adhuc milite, fulmine percuſſo.

a Lib. 2. cap. 52.
b In illud, Et fulmine terres.
c Lib. 2. cap. 52.

De arte hac fulgurali Bygois nympha ſcripſerat apud Tuſcos: ut idem Servius prodit in VI Æn. *d* Ac Cicero in primo de divinatione auctor eſt, egiſſe de ea *Etruſcorum & haruſpicinos, & fulgurales, & rituales libros; Romanos etiam, augurales.* Vide obſervationes ejuſcemodi apud eundem Tullium in II de Divinatione. Etiam præter Plinium, de quo ante diximus, adi Senecam Natural. Quæſt. lib. II, cap. XLVII, ac ſequentibus tribus, & inprimis Ἐφήμερον βροντοσκοπίαν ἐκ τῶν τοῦ Τάγητος *e*, quam Romanæ urbis propriam Nigidius Figulus arbitrabatur. Eam bono publico primus divulgavit v. cl. Janus Rutgerſius lib. III Var. Lect. cap. XVI. Operæ etiam erit conſultus Hadr. Junius lib. V Animadv. cap. XVI: ubi & exponit, cur fulmen dicatur *telum triſulcum*: quam rem attingere ſuperiùs eramus contenti.

d In verſum illum, Te quoque magna manent regni penetralia noſtri.
e Conſiderationem fulminum & tonitruum, & eorum ſignificationem per ſingulos anni dies, petitam ex libris Tagetis.

Supereſt tertium, ut gentes barbaræ, ac ignotæ Romanis, Fulmen venerati ſint, non ut partem & partum Dei, vim fatidicam à toto, ſive à parente, participantem: ſed longè illuſtriùs, ut verum plerumque numen. Quo jam ab aliis *f* video relatum illud B. Bernardi Serm. X. Dom. I. Quadr. art. II. *Sed etiam hodie exſtant in barbaria de gentibus Aquilonis, qui Tonitru pro Deo adorant.* Honore eo dignati fulmen dicuntur Novogrodienſes; quibus *Perun* dicebatur; unde & vicinum monaſterium *Perunski* nominatur. Eſt verò Novogardia, ſive Novogrodia, metropolis Ruſſiæ, ſic dicta quaſi *nova civitas*, vel *novum munimentum*. Nam *gorod* Ruſſis locus muro, vel aliter, ſeptus, munituſque. Peruni ſimulachrum habuit for-

f Aloyſ. Novarino lib. 6. ſacro-profanorum. cap. 17.

formam hominis manu tenentis lapidem ignitum ad modum fulminis; unde & nomen. Quippe *perun* Ruthenis, & Polonis, *fulminis* habet ſignificationem. Inque ejus honorem perpetuus ex quercu ignis exſtruebatur: is ſi negligentiâ exſtingueretur, qui præerat, capite pœnas luebat. Nempe quia is ignis ſymbolum foret ignis cæleſtis; ut Romanis ignis ille, quem ſervabant Veſtales. Ajunt, cùm idolum Perun conjiceretur in flumen, natâſſe illud flumine adverſo, vocemque hanc exauditam, *Hæc vobis, Novogardienſes, in mei memoriam*: imò & fuſtem in pontem conjectum: hodieque certis anni diebus exaudiri vocem *Perun*: ac tum ab incolis concurri fuſtibus infeſtis, ſic ut difficulter à præfecto tumultus ſedetur. Auctores Sigiſmundus L. B. in Herbeſtein comment. rerum Moſcoviticarum, & Alexander Gaguinus Veronenſis in deſcriptione Sarmatiæ Europeæ: quorum prior etiam narrat de Wolodimero rege, ut in Chiovia ad Boryſthenem idolum Peruni ſtatuerit: uti & Deorum meminit, Uſlad, Corſa, Daſwa, Striba, Simaergla, & Macoſch. Apud alterum verò hæc verba de Lituanis legas: *Fulmen quoque, quod Perunum Slavonicâ linguâ appellabant, pro Deo colebant.* Ab Joſepho etiam Acoſta proditum eſt, Ingas, dominos Peru, poſt Viracocham, ſupremum numen, tum Solem colere, tum Tonitru: ac Tonitru quidem triplici nomine appellare; *Chuquiilla*, *Catuilla*, & *Intiillapa.* Ait quoque, effingi hoc numen à Peruanis figurâ hominis cum funda, aut clava: manu præterea continere pluvias, grandinem, tonitru, & alia hujusmodi: eſſeque Guaca ſive cultum hunc Peruanis omnibus communem: varieque illi Deo ſacrificari: imò in Cuſco, regia gentis, etiam ei, quemadmodum Soli, pueros immolari. Sed ſi, ut Acoſta ait, formâ eum effinxere humanâ, qualis ſanè tonitrus non eſt; ſi præterea non tonitru modò, ſed alia etiam meteora, manu continebat: in dubium vocari poſſit, an non potiùs creditum hoc numen ſit ſecundarium duntaxat, ac miniſtrum; ut cui Viracocha commiſerit poteſtatem aëris. Ac hujus etiam poteſtatis ſymbolum fuerit funda, aut clava. Ita non tam ipſum Tonitru iis fuerit numen, quàm Tonans: ſive is Jupiter, hoc eſt, ſidus Ioviale, vel aër; ſive Genius aliquis naturæ aëris præfectus. Sanè & Sclavi, etſi nymphas, aliaque colerent dæmonia, imprimis tamen venerati ſunt non Tonitru quidem, ſed Tonitrus fabricatorem: quem ſummo pro numine, imò unico, habebant: quemadmodum Procopius refert lib. III hiſtoriæ Gothicæ *a*, & ejus fide Dubravius in primo Hiſtoriæ Bohemicæ *b*. Hæc de gentibus barbaris. Negari verò nequit, Chriſtianos etiam ingenti fulgure, ac tonitru, vehementer ſæpe percelli: præſertim ſexum imbecillem, & ex veterum loquendi forma, non religentem modò, ſed etiam religioſum. Itaque cùm puer admodum: mox ab exceſſu parentum, tutorum curâ viverem annis aliquot in ædibus viduæ nobilis, & pectoris Deo devotiſſimi: quoties crebrius, & valentius fulminaret, vel intonaret, neceſſe habebat tota domus in genua provolvi, precibuſque Deo fuſis ſe ejus miſericordiæ commendare. Nec abludit factum Sanctæ Hedwigis Poloniæ Ducis, & S. Eliſabethæ, quæ Landgravio Thuringiæ nupſerat, materteræ: de qua iſta in vita ejus legas *c* ex Trebnicenſis cœnobii codice, & Engelberto Ciſtercienſi monacho concinnatâ: *Coruſcationes, & tonitrua, multùm formidabat, quòd his elementorum commotionibus extremi diei judicium, & divinæ ultionis gladium, ad memoriam revocaret, eaque commemorans tota contremiſceret; & cum Beato Job, quaſi tumentes ſuper ſe fluctus, ſemper Dominum timeret.* Refert deinde, quomodo S. Hedwigis tum ſacerdotum ſoleat advocare: & ſub manuum ejus umbraculo, genu flexo in precibus ad Deum, durante perſiſteret tempeſtate. Joannes Sareſberienſis lib. I Policratici, cap. XIII, quando fulminat, cogitare jubet verba illa: *A ſignis cœli ne metueritis, quæ timent gentes: quia ego vobiſcum Dominus Deus veſter.* Priora ſunt ex Jerem. X, 2: poſteriora ex Aggæi I, 13. ac II, 15: & ſimilibus locis. Addit verò, *Hæc verba inter tonandum vel audita, vel dicta, ſcribuntur à quibuſdam noxam fulminis amoviſſe*, quæ ſuperſtitioſè capi non debent. Nulla enim vis per ſe verbis ineſt: ſed efficacia omnis à precibus dependet, & fiducia in Deum, quæ iſtis verbis à Numinis metuentibus indicatur.

a P. 277. *verſ.* 11. *ſecundum editionem Græcam Auguſtanam.*
b *Pag.* 5. *&* 6. *edit. Wechel.*
c *In Collectaneis Surii ad* 15. *Octob.*

Cap. IX.

Cometas neceſſariò ab iis habitos eſſe pro Diis, qui ſtellas omnes Deos putarent; inque harum numerum (multorum quæ philoſophorum ſententia fuit) cometas referrent. Quamdiu cometæ durent: ac quanta eorum, qui in æthere conſpicui, magnitudo ſit. Fere eos aliquid triſte portendere: nec tamen ipſos intelligere illa, quæ ſignificant; ſed divinitus ordinari ad indicanda iſta, quæ nos ad pœnitentiam peccatorum adducant: atque id pio Ludovici Pii Cæſaris dicto firmatum. Prodeſſe inſuper cometas, eos ſaltem, qui ſub Luna exiſtunt, ad aëra purgandum. Quicquid de ipſis ſit cometis; ſaltem eorum capillos, & barbas ſive caudas, eſſe radios Solares per cometæ corpus trajectos. Falſum Tychonem Braheum, quando univerſos cometas judicat in æthere generari. Vicomercati ἀναχρονισμός. Quàm magnum ſpatium ex minuto etiam corpuſculo occupare halitus ſeu fumus poſſit. Sed non eſſe credibile, cometarum eos, qui in æthérea conſpiciuntur plaga, terreſtri materia conſtare. Ridicula Vulcani Homerici aſſertio. Diverſa aëriorum & ætheriorum cometarum materies. Cometarum naturam necdum ſatis eſſe perſpectam. Bodini de cometis opinio rejicitur. De anima Julii Cæſaris in cometam, ut creditum, converſa.

NUnc videndum de cometis: quos ipſos Deorum in numero habuere gentiles; ſaltem, qui ſtellas omnes putarent eſſe Deos, & cometas ſtellis annumerarent. At communis ea, ac, ut cum Tertulliano loquar, paſſiva inter nationes opinio erat, ſidera Deos eſſe: quemadmodum oſtendimus lib. II, cùm alibi, tum cap. XXXV. Atqui multi etiam ex philoſophis ſummis, cometas ad ſtellas retulere. Ut qui putarunt, illos eſſe planetarum συμφασιν, hoc eſt, coaleſcere eos, eoque ſimul apparêre. Quæ Anaxagoræ, & Democriti, opinio erat, ſecundùm Ariſtotelem *a*. Zenoni quoque eandem tribuit Luc. Seneca *b*. Par ratio exiſtimantium, cometam quemque eſſe unum ex planetis poſt longum temporis intervallum apparentem: quæ Italicorum ſive Pythagoreorum in Magna Græcia opinio fuit; teſte eodem Ariſtotele *c*; qui & eandem ait ſententiam fuiſſe Hippocratis, non Coi Medici, ſed Chii Mathematici; item diſcipuli ejus Æſchyli.

a *Lib.* 1. *Meteor. cap.* 6.
b *Lib.* 7. *Natur. quæſt. cap.* 19.
c *Ibid.*

Etiam ut cometas in Deorum numero reponerent, duratione eorum impelli potuerunt. Nam ſi ignes fatuos, breviculo tempore innatantes aëri, haberent pro Diis, ut inferiùs dicetur: quanto faciliùs hoc perſuadere ſibi potuerint de cometis? qui licet poſt majus longè ſpatium nec ipſi conſpicerentur tandem; non tamen prorſus interire, ſed tantummodo ſubducere ſe conſpectui noſtro, credebantur. Quàm diuturni autem ſint cometæ, cognoſcere eſt ex Plinii lib. II, cap. XXV: ubi auctor eſt, minimùm eos eſſe dierum ſeptem: quandoque autem dies durare CLXXX: etſi vulgo LXXX tantum dierum apud eum mentio legatur. Sed non dubitandum, quin attenderit memorabilem illum cometam, qui, Nerone principe, ſex menſibus fuit conſpicuus: ut de eo proditum Senecæ in Quæſtionibus Naturalibus *d*. Quare aſſentiendum Mureto, cùm apud Plinium ait excidiſſe centenarium. Ut nempe Seneca, & Plinius, conveniant; quandoquidem par eſt ſpatium CLXXX dierum, ac ſex menſium.

d *Lib.* 7. *Natur. Quæſt. cap.* 21.

Præterea admirationem peperit magnitudo. Sanè illi etiam magni admodum ſint neceſſe eſt, qui in aëre ſummo conſpiciuntur. At quàm iſti terris ſunt propinqui, ac proinde minuti, præ aliis, qui in æthere comparent! Qualis iſte anni cIↃ IↃ LXXVI, & alter anni cIↃ IↃ C XVIII. Priorem dimenſus eſt Tycho Brahæus; qui abſuiſſe à nobis

bis ait ſemidiametris terræ ccx: diametrum verò ejus fuiſſe milliarium Germanicorum ccc LXXVIII: at longitudinem caudæ habuiſſe ſemidiametros terræ xcvi. At quæque ſemidiametrus ejus complectitur octingenta, & ſexaginta milliaria Germanica. De poſteriori autem cometa ſic cenſuit Cyſalus, æquâſſe in ambitu ſemidiametros telluris cccc XLV, hoc eſt, milliarium Germanicorum triginta octo millia, ducenta, & ſeptuaginta: ut ſeptuagies major fuerit, quàm maximus terræ circulus. Hujuſmodi nos rapere debent in admirationem maximi Numinis cometas condentis. Sed cæcas gentes, quæ quidem eò uſque in Naturæ arcanis penetrarent, compellere potuerunt ad cultum creaturæ præſtandum.

Credibile etiam plurimùm apud nationes valuiſſe, quòd ſoli Dii fatorum ſint conſcii: ac cometæ eorundem conſcii viderentur. Nam omnes, tanquam humanarum rerum præſcios, denuntiare aliquid triſte, communis erat opinio: teſte Tullio lib. II de Natura Deorum, Marone primo Georgicôn *a*, Lucano in primo *b*, Silio in octavo *c*, Plinio lib. II, cap. XXV, Tacito XIV Annalium, Suetonio in Nerone, cap. XXXVI; ut tot alios mittam. Adi & Cardanum in II Ptolemæi de Aſtrorum judiciis, text. LIV.

a *Verſ.* 488.
b *Verſ.* 527. *& ſeq.*
c *Non longe à fine.*

Alii paucos memorant ſalutares. Ut qui viſus, Auguſto celebrante ludos Veneri Genetrici; de quo mox dicam: quique exortus initio imperii Neroniani; ut eſt apud Sen. lib. VII Nat. Qu. cap. XVII. Sed potiùs rei triſtis eſſe nuncios, omnium oſtendit temporum hiſtoria. Nec tamen inde conſequitur, eos intellectu præditos eſſe; ſed eſſe numen, quod per eos mortale genus ad pœnitentiam vocet. Optimè hoc intellexit Ludovicus Pius, Karoli M. filius: quemadmodum in ejus Vita prodit coætaneus ſcriptor, addo, & familiaris huic Cæſari nomine, & re Pio. Tota apponi narratio meretur: *Mediante feſtivitate Paſchali* (puta III April. anno IↃ CCC XXXVI) *dirum ſemper ac triſte portentum ibidem cometa ſidus in ſigno Virginis apparuit, in ea parte ejuſdem ſigni, qua penulam ejus, ſubtus caudam vero ſerpentis, ſimiliter corvumque conſtringunt. Quod cùm non, more* d *ſeptem errantium ſiderum, Orientem verſus peteret; per viginti quinque dies, quod mirum eſt dictu, idem ſidus, & Leonis, & Cancri, nec non Geminorum tranſiens ſigna, in capite Tauri tandem ſub Auriga pedes igneum globum, jubarumque prolixitatem, depoſuit, quas uſquequaque porrexerat antea. Quam rem cum primum imperator, talium ſtudioſiſſimus, conſpexiſſet, conſtitit, & antequam quieti membra committeret, accitum quendam, itemque me, qui hac ſcripſi, & qui hujus rei ſcientiam habere credebar, percunctari ſtuduit, quid ſuper ea re mihi videretur. A quo cùm tempus peterem, ut faciem ſideris conſiderarem, ac per hac rei veritatem inveſtigarem, & cognitam in craſtinum nunciarem: Imperator ratus, quod erat verum, tempus me redimere velle, ne cogerer triſte aliquid reſpondere; Perge, inquit, in mœnia huic domui contigua, & nobis, quæ reſpexeris, nuncia. Novi enim, à me hanc ſtellam nequaquam præteritâ veſperâ viſam, vel à te monſtratam; ſed ſcio, hoc ſignum cometarum eſſe: de quo jam præteritis diebus locuti ſumus. Quid autem tibi portendere videatur, edicito. Quumque aliquid dicerem, & aliqua tacuiſſem: Unum eſt, inquit, quod adhuc ſilentio premis. Mutationem enim regni, mortemque principis, hoc portento monſtrari dicunt. Quumque ego teſtimonium Prophetæ in medium protuliſſem, quo dicitur* e, *A ſignis cæli ne metueritis, quæ pavent gentes: ille ſolitâ uſus magnanimitate, & prudentia: Non alium, inquit, timere debemus, præter illum, qui noſtri, & hujus ſideris, creator eſt: ſed ejus clementiam non ſatis laudare, & mirari poſſumus, qui noſtram inertiam, cùm ſimus peccatores, & impœnitentes, talibus indiciis dignatur admonere. Quia ergo, & me, & omnes communiter, hoc oſtentum tangit, omnes pro poſſe, & ſapere, ad meliora feſtinemus, ne forte, miſericordia mi illo prorogante, & noſtrâ impœnitudine impediente, nos illa inveniamur indigni. His dictis, & ipſe pauliſper mero indulſit, & omnibus id facere juſſit, & unumquemque ad ſua ſe colligere præcepit, noctemque illam, ut nobis perlatum eſt, pervigilem duxit, ac Dei laudibus, & obſecrationibus honoratam, luci ſupervenienti præſentavit: in cujus crepuſculo miniſtros aulicos vocavit, & eleëmoſynas quàm largiſſimè pauperibus, ac ſervis Dei, tam monachis, quàm canonicis, porrigi juſſit; miſſarumque ſolemnia, per quoscunque potuit, celebrari fecit, non tantum ſibi metuens, quantum Eccleſiæ ſibi creditæ proſpiciens.*

d Puto, pro non more ſeptem errantium, ſcribendum, more ſeptem errantium. *Nam ait, à Virgine abiiſſe ad Leonem, hinc Cancrum, tum Geminos, exinde Taurum. Quod vere eſt, Orientem petere; ut planetæ faciunt motu proprio. Nam communi feruntur verſus Occidentem.*
e *Jerem.* 10, 2.

Atque is finis ad pietatem, æternamque hominis ſalutem facit. Præter quem alter erat, ratione hujus vitæ. Nam, quod de fulminibus conſtat, idem in cometis locum habet, bono mortalium purgari iis aëra ab exhalationibus noxiis.

Quod tamen non aliter locum habet, quàm ſi, ut Ariſtoteles cenſuit, cometæ gignantur in ſublunari regione; & quidem verè ſint igniti. A qua ſententia bifariam receditur. Primò, ſi non vere ardeant, ſed radiis ſolaribus perfuſi ardere ſolùm videantur: quod minimùm de capillis eſt ſtatuendum in illis, qui propriè vocantur κομῆται, deque barbis, & caudis, in iſtis, qui Ariſtoteli laxe nuncupantur πωγωνίαι. Sunt enim iſta nihil aliud, quàm radii Solis per cometam trajecti: uti ſigno iſto cognoſcitur, quòd, poſt Solis occaſum, caudam porrigant orientem verſus, ſemperque eam projicere ſoleant in partem à Sole averſam.

Inſuper ab Ariſtotele (qui tamen nihil de cometis, quàm quod duntaxat veriſimile ſit, promittere audet *a*) receditur in eo, quòd cometas omnes in meteoris ponat, eoſque in ſuprema arbitretur regione aëris generari. Contrà enim, ſi Tychonem Brahe audimus, omnes cometæ in corpore fiant æthereo. Vide eum lib. II de mundi ætherei recentioribus phænomenis cap. X, memb. I *b*; & epiſt. ad Rotmannum anni CIↃ IↃ XCV. Jun. XIV. Sed de omnibus cometis id durum eſt credere. Mittam ſtellam, quæ magos duxit ad præſepe Chriſti; quam ad cometæ ſimilitudinem fuiſſe, ait Origenes in primo contra Celſum. Saltem elementalem fuiſſe, neceſſe eſt eum, qui, cùm Ariſtæus ἄρχων, ſeu prætor Athenis foret, effulſit, ſplendoremque ſuum per tertiam cæli partem, velut ſaltu, diffudit: ut pluribus refert Ariſtoteles lib. I Meteorolog. cap. VI. Item alium, qui paullo antè mortem M. Vipſanii Agrippæ, generi Auguſti, ἐπὶ πολλὰς ἡμέρας ὑπὲρ αὐτοῦ τοῦ ἄστεος αἰωρηθεὶς, ἐς λαμπάδας διελύθη· *cùm multis diebus Urbi imminens apparuiſſet, in faces abiit*: ut eſt apud Dionem lib. LIV. Item illum, qui Seneca teſte *c*, *Attalo regnante, initio apparuit modicus; deinde ſuſtulit ſe, diffuditque, & uſque in Æquinoctialem circulum venit; ita ut illam plagam cæli, cui Lacteæ nomen eſt, in immenſum extentus æquaret.* Putat Franciſcus Vicomercatus Mediolanenſis *d*, eruditus Ariſtotelis interpres, eſſe hunc eundem, ac illum, quem prætore Ariſtæo fuiſſe, ex Ariſtotele dicebamus. Qui fœdus eſt ἀναχρονισμὸς *e*. Nam quis ignorat, Attalum, regem Pergamenum, multò poſt Ariſtotelem fuiſſe? Ptolemæorum enim, Seleucidarum, &, quod tardiùs cœpit, regum Pergamenorum regnum, diviſo Alexandri M. imperio enatum fuit. Idem cenſendum de lampade ſive cometa lampadia, de quo Plinius lib. II, cap. XXXV. Item illo, qui anno integro impendit Hieroſolymis ante Urbis excidium: ut eſt apud Joſephum in ſeptimo belli Judaici, cap. XLIV. Item qui tempore Arcadii imperatoris ſupra Conſtantinopolin effulſit εἰς αὐτὴν σχεδὸν τὴν γῆν διήκων, *ad ipſam ferme terram uſque pertingens*: ut refert Sozomenus lib. VIII, cap. IV. Adhæc iſte, qui, (ut Georgius Phranzes teſtatur lib. V hiſtoriæ, cap. XXI) anno CIↃ CCCC L, veſperis ſingulis apparuit ad modum romphææ, cumque Lunam ſubiret, ſidus hoc obtexit, uti Sol in Eclipſi obſcuratur à Luna. Ac ſimilia etiam exempla referuntur à ſcriptoribus poſtea conſecutis. De hujuſmodi ſublunaribus cometis non repugnamus Ariſtoteli, quo minus gignantur ex halitibus terreſtribus; ſive ardeant verè, ſive radiis

a *Lib.* I *Meteorol. cap.* 4.
b *P.* 246.
c *Lib.* 7. *Natur. Quæſt. cap.* 15.
d *Comment. in Ariſtot.* I *Meteor. cap.* 6.
e *In temporis conturbatione error.*

So-

Solaribus perfuſi, ſplendeant duntaxat. Non caret tamen difficultate, quomodo in tam ſublime aëris ſpatium fumi tantâ poſſint copiâ adſcendere. Sed cogitandum, quantum fumi exhalet ex minuto titione: item ut ex pulviſculo tormentario fumus exeat, qui (velut τῷ μακαρείτῃ Snellio noſtro obſervatum) ſpatium occupet duodecies millies & quingenties majus priori. Si ſic attenuari res poſſunt: quid impedit, quo minus fumi magis magiſque rareſcentes longiſſimè ſupra nubes, ac prope ad Lunam, levitate ſua adſcendant? Sed id non æquè credibile de cometis nullam habentibus parallaxin, ac ſupra Solem, penè ad firmamentum evectis. Nam ut fumi illi eâ celeritate adſcenderent è terra, quâ globus fertur bombardâ exploſus, non niſi poſt nonaginta annos, vel juxta alios, centum & duos, ad firmamentum pervenirent. Atque idem cap. xxxv libri II dicebamus de ſpatio, quod requirat lapis è firmamento dejectus, ut pertingat in terras. Ut ſatis pateat, quam malus Mathematicus fuerit Homerus, cùm Iliad. A, Vulcanum inducit dicentem, unum intra diem ſe decidiſſe de cælo in inſulam Lemnum. Niſi errorem hunc tribuere malimus Vulcano, cui vertigine capitis in caſu iſto ſeu centeni ſeu nonaginta anni unicus ſolùm dies viderentur. Quò feſtivè recurrit doctiſſimus Fromondus.

Atque hoc ſpatii, & temporis intervallum, planè commovet, ut non poſſim in animum inducere, cometas æthereos ſuam terris & aquis materiem debere. Longeque veriſimilius cenſeo, ut cometæ ſupremi aëris fiunt ex halitibus terreſtribus; ſic cometas æthereos gigni ex halitibus ſiderum: ſive halitus illi verè igneſcant, ſive, ut diximus, fulgor eorum fit inde, quòd Solis radios, & fixorum imbibant ſiderum lucem. Cùm enim cæli ſideraque ſint ex materie elementali: quemadmodum Scripturis, Patribus, ratione naturali, ſuo loco *a* comprobavimus: nihil profectò in eo abſurdi eſt, ſi & cæleſtes ſtatuantur exhalationes, ſive, ut ignes noſtri emittunt fumos, itidem faciant ignes illi cæleſtes: ſive potiùs, ut Sol è terra, & aqua, halitus extrahit; ſic idem Sol exhalationes educat ex æthere, & ſtellis. Ac placuit ea opinio quoque ante annos pauculos amiciſſimo in Leidenſi Academia collegæ meo Willibrordo Snellio τῷ μακαρείτῃ. Camillo item Glorioſo *b*, Liberto Fromondo *c*, atque aliis, præclaræ & doctrinæ, & exiſtimationis, viris.

a *Cap.* 38. *hujus libri.*
b *De Cometis lib.* 5. *cap.* 4.
c *Lib.* 3. *Meteor. c.* 6. & 7.

Interim nec iſta pro certiſſimis adducimus. Necdum enim natura cometarum ſatis cognita videtur. Multa adeò arcana eorum latent. Ut cur in iis cauda incurvetur: quare item, præter motum illum cum ſideribus communem, ut ab Ortu ferantur in Occaſum; quem à primo mobili eſſe arbitrantur; alterum etiam habeant, eumque proprium ſibi, quo ferantur in Ortum, item Auſtrum verſus, &, quod frequentius, in Septentrionem. Hujus quia motus rationem, ignoramus (nam valde infirmæ ſunt cauſſæ, quas adferunt viri eruditi) confugiamus ſanè, dum certiora ſe offerant, ad anchoram extremam, ut angelico eum ductu fieri credamus.

Mirum verò Bodinum, virum alioqui eximium, tam ſtultè ſapuiſſe, ut cometas omnes putaret eſſe animas heroum. Sic enim ſcribit II Theatri: *Democriti ſententia in mentem mihi venit, ut exiſtimem, Cometas eſſe illuſtrium virorum mentes; quæ poſteaquam innumerabilibus ſeculis, tandem obituræ, (ut omnia, quæ oriuntur, occaſum minantur) extremos peragunt triumphos, aut in cælum ſtellatum, quaſi ſplendida ſidera, revocantur. ac propterea ſequuntur fames, morbi populares, civilia bella: quaſi civitates ac populi ducibus illis optimis & gubernatoribus, qui divinos furores placabant, deſererentur.* Ubi quod animas mori ait, id, ſi non aliud voluit dicere, quàm verba videntur ſonare, ſanè impietate ſummâ non vacat. Tolerabilius, quod ait, heroum animas in ſidera revocari. Gentiles quidem facile habuiſſet aſſenſores. Imò hi animas heroum, vel heroinarum, in ſidera mutari ajebant, ac propterea ſidera eſſe animata, ac intellectu prædita, & ſacrificiis, ut Deos, honoranda. Hæc opinio de anima Julii Cæſaris fuit. Unde Ovidius in xv Metamorph.

Hic tamen (Æſculapius puta) *acceſſit delubris advena noſtris:*
Cæſar in Urbe ſua Deus eſt; quem Marte, togâque
Præcipuum, non bella magis finita triumphis,
Reſque domi geſtæ, properataque gloria rerum,
In ſidus vertere novum, ſtellamque comantem,
Quàm ſua progenies.

Lucemque adfert Tranquillus in Julio, lib. 1, cap. ult. *Ludis, quos primò conſecratos ei hæres Auguſtus edebat, ſtella crinita per ſeptem dies continuos fulſit, exoriens circa undecimam horam. Creditumque eſt, animam eſſe Cæſaris in cælum recepti. Et hac de cauſſa ſimulachro ejus in vertice additur ſtella.* Atque hæc quoque argumento ſunt nobis, cometas habitos pro Diis. Nam quod Cæſar in Deos relatus fuit; non tam de corpore creditum, cujus cineres urnâ concludebantur; quam de anima in cometen converſa. Nimirum cùm ita vulgo, imò & Stoicis, ac philoſophorum aliis, perſuaſum foret, mentem hominis eſſe igneam: credibile etiam viſum, ignem illum, qui à morte Cæſaris in cælo conſpici cœpiſſet, eſſe animam ejus in cælos receptam.

Cap. X.

De Caſtore, & Polluce, item Helenâ, & quomodo generentur: cur item illi navigantibus ſalutares, hæc crederetur infelix: deque ſanctorum nominibus, quæ in locum gentilium iſtorum fuerint ſurrogata.

Sunt & inter ignea meteora Dioſcuri, ſive Caſtor, & Pollux; item Helena. Qui non aliter ab igne fatuo differunt, quàm loco. Nam qui, in terra conſpectus, vocatur *ignis fatuus*; is in mari, ſi unicus fuerit, *Helena*: ſi geminus, *Caſtor*, & *Pollux*, nuncupatur. Satis convenit, conſtare exhalatione pingui, & viſcoſâ. Dubium interim, an ea jam de die fuerit accenſa à Sole, ac demùm conſpiciatur in tenebris; ſicut aſtra de die ſunt in cælo, licet non videantur, Solis lumine minora iſta offuſcante: an potiùs accendantur demum de nocte, eâ frigore ſuo partes condenſante ſubtiliores, quæ attritu mutuo, motu etiam, quo innatant, ſive, (quando eques Caſtor erat, unde ambo *Caſtores* dicuntur) inequitant aëri fluctuanti, plurimùm adjuvante ad hoc, tandem igneſcunt: præſertim ſi ex calore diurno in iis fuerit ſcintilla, partes unde cæteræ rapiant flammam. Duæ ſi flammulæ conſpiciantur, credantur nautis ſalutares; uti olim ſalutares Caſtor, & Pollux: qui mare à piratis repurgarunt. Sin flamma foret unica, judicatum eam calamitoſam, Trojanæ inſtar Helenæ, quæ multis cauſſa exitii fuit. Siqua ſit ratio naturalis, ea fuerit, quòd gemina flamma ſit indicium materiæ jam diſſolutæ, ac propemodum conſumtæ; eoque tempeſtatis deſituræ: at unica ſit ſignum materiei compactæ, eoque tempeſtatis duraturæ. Sed ſapientiùs omnino Seneca; qui non ex numero, ſed motu ac quiete, conjecturam capere jubet. Sic enim ille lib. 1 Natur. Quæſt. cap. 1: *In magna tempeſtate apparent, quaſi ſtellæ velo inſidentes. Adjuvari ſe tunc periclitantes exiſtimant Pollucis, & Caſtoris numine. Cauſſa autem melioris ſpei eſt, quòd jam apparet frangi tempeſtatem, & deſinere ventos.* Nomina nunc alia. Fromondi *a* de hoc verba ſunt: *Hiſpani, & Galli, circa mare Mediterraneum, S. Hermi, aut S. Telmi ignes; Itali, S. Petri, & S. Nicolai, ignes vocant.* Natalis Comes Mythologicôn lib. VIII, cap. IX: *Has geminas flammas nunc Divos Nicolaum, & Hermum, navigantes appellant.* Et mox: *Credidit navigantium noſtri temporis multitudo, cùm Divos ſingulatim in auxilium petit, eas flammas eſſe illos Divos, ad quorum nomina evanuerint.* De vulgo loquitur. Sapientiores enim non tam Divos propriè arbitrantur: quàm μετωνυμικῶς, hoc eſt; divorum fortaſſe præſentiæ ſymbola. Imò nec ſapientiores gentilium cenſeo tam flammulas haſce putaſſe Caſtorem, & Pollucem, qui in Geminorum ſignum eſſe con-

a *Meteorolog. lib.* 2, *c.* 2. *art.* 2.

converſi credebantur; quàm ſolùm præſentiæ ſive favoris eorum ſymbolum.

Atque hæc de Dioſcuris, quatenus ſunt μετέωρα. Nam prout animales ſunt Dii, de iis dictum lib. I, cap. XIII. Prout item ad naturales quidem Deos pertinent, ſed Geminorum per eos ſidus intelligitur, abunde de iis vidimus libri II, capite XXXVI.

Cap. XI.

Acceditur ad meteora aquea, & quæ eorum ſit materies. Aliqua horum gigni in aëre imo; uti rorem. Quem veterum aliqui ab aſtris deſudari, vel exſpui, perperam putarunt. De loco ejus, lapſus Alberti Magni, & Chryſoſtomi Javelli. Quo tempore imprimis generetur. Robigo, ſegetis vitium è rore in ea putrefacto: cui malo avertendo præfectus Deus Robigus, honorique ejus inſtituta Robigalia. Cur pecudibus ros immodicè alvum cieat, & inde mortuis viſcera flavi ſint coloris. Cur ros proſit plantis; pruina autem, quæ ros eſt congelatus, iiſdem obſit. Pruinæ ἔτυμον, & ut trifariam noceat: eſſe interea, quo etiam commodet plantis. Mel componi ex rore, & ſucco herbæ, cui ros inſederit. Cur Sardoum mel amarum; Ponticum autem venenatum: illud verò Hiſpaniæ, ac Ruſſiæ, ſic commendetur. Nondum mel eſſe, quod apes ex floribus domum referunt; ſed ulterius ab iis elaborandum. Cur deterius ſit mel Peruvianum: deque melle ſylveſtri, quo veſcebatur Joannes Baptiſta. Cur mel putredinem arceat, cholericis tamen obſit. Ariſtæus cum alia reperit, tum mellificii rationem; & qui ejus majores: & ut propter reperta in Deos ſit relatus, & Jupiter, ac Apollo dictus, quia communibus cum utroque ſacris coleretur. Mannam non vulgare modò; ſed etiam, quo Iſraëlitæ in deſerto paſcebantur, rori debere originem: nec hoc, & illud manna, diſcrepâſſe naturâ, ſed tantummodo accidentibus: eamque diverſitatem fuiſſe ab angelis, ſic materiem ejus ſubigentibus; unde & in Scripturis panis angelorum *dicatur.*

SEquuntur meteora aquea, quæ fiunt è vapore, vi caloris diurni educto è terris; poſteaquam autem calor igneus paullatim exſpiravit, condenſato; ac propterea, pondere ſuo, decidente in terras. Horum alia in infima fiunt aëris regione, alia in mediâ. Prioris generis eſt, ut quidem poëta loquitur in Pervigilio Veneris,

Humor ille, quem ſerenis aſtra rorant noctibus a.

Non tamen ex aſtris humor iſte deſudatur, quod poëta hic cenſet: quomodo & mel ſudorem cæli, vel ſiderum ſalivam Plinius *b* putavit. Nam ſeculo amplius opus foret, antequam è ſideribus deflueret in terras: ut liquet ex iis, quæ de ſiderum altitudine dicebamus cùm alibi *c*, tum lib. II hujus operis, cap. XXXV. Imò ne Alberti quidem Magni *d*, & Javelli Canapicii *e*, vera eſt opinio, qui gigni tradunt in ſumma parte mediæ aëris regionis: quomodo & pluviâ ac nive altiùs generetur. Quæ ſententia ſatis eo refellitur, quòd in montibus altiſſimis nix reperiatur, ros non item. Sed ſummùm invenias in collibus, & montibus exiguis: ut de monte Gelboë legas lib. II Reg. ſeu Sam. cap. I: deque Sion Pſal. CXXXII. Sed nec in iſtis ros eſt copioſus. Magis comparet in arboribus excelſis, maximeque in humillimis plantis: quæ, ubi loci generetur, non obſcurè oſtendunt. Nempe ſummùm ad milliaris quaſi ſpatium à terris. Quod autem ad tempus, maximè gignitur vere, & auctumno; quia quod tum vapor educitur è terra, nec calore abſumitur æſtivo, nec in pruinam conſtringitur frigore hiberno. Hoc enim à rore differt pruina, quòd vapor, priuſquam ros fiat, congeletur. Huic Lunæ filiæ (ſic enim ros, quia noctu gignatur, vocatur ab Lyrico Alcmane, ut antea *f* dictum) ſua quoque ſunt incommoda. Nam ſi in ſegetem impluerit, nec defluxerit, calore Solis in ea putreſcit: unde vitium ſegetis robigo. Cui averruncando præfectus à gentilibus Robigus: de quo Varro lib. V de L. L. *Robigalia dicta ab Robigo. ſecundum ſegetes huic Deo ſacrificatur, ne rubigo occupet ſegetes.* Meminit & ejus numinis Agellius lib. V, cap. XII, ubi cum Averrunco conjungit: item Feſtus in *Robigalia*; quæ facta ait VII Kal. Majas.

a *Sive, ut eſt apud Fulgentium in primo Mytholog.* Humor algens, quem ſerenis aſtra ſudant noctibus.
b *Lib.* II, *cap.* 12.
c *Cap.* 9. *libri* 3.
d *Lib.* 2. *tract.* 1. *cap.* 3.
e *Lib.* 3. *Meteorol. cap.* 1.
f *Lib.* 2. *cap.* 19.

Etiam ros pecudi nocet, ſi ſummo mane in agros egeris roſcidos. Quod ſedulò cavent opiliones, & caprarii; ut ante tria hæc ſecula monitum quoque Thomæ Cantipratenſi libro de Apibus. Nempe & ſubtilitate ſuâ penetrat inteſtina, & calore facultatem excitat motricem: eoque alvum ciet: ac quandoque id vehementer adeò facit, ut auferat vitam. Quia autem & bilem auget, eò animalia ſic mortua, ſi viſcera aperias, crocei reperiuntur coloris.

Sed hæc incommoda cavere humana poteſt prudentia. At certiſſima ſunt ejus commoda. Nam plantas diutino marcentes æſtu recreat ac reficit tum moderatiori calore, tum humore ſuo: in quibus duabus qualitatibus vita animatorum omnium conſiſtit; ut docet Ariſtoteles lib. de vita ac morte. Ex quo etiam videmus, cur contrà pruina ſic noceat plantis. Nam eas frigore ſuo adurit: unde & *pruinam* dixere, quaſi *perurinam*: ut quidem Feſto viſum. Nec enim minùs placet, ſic vocari, quaſi πρωινήν, hoc eſt, matutinam, quia circa auroram gignatur. Nec tamen æque ſemper nocet. Eſt cùm exteriùs ſolium decoloret, ad modum ambuſtorum. Eſt cùm penitiùs ſe inſinuet, non ſic tamen, ut regerminandi adimat facultatem. Eſt denique cùm in intimas penetrans fibras omnem exhauriat ſuccum vitalem. Leve eſt damnum, ſi exteriùs ſolum afficiat, quia ſic quoque hoc boni præſtat, ut, conſtringendo poros terræ, impediat, ne exſpiret calor, qui eſt circa plantarum radices. Ut videamus, & pruinam non leve habere commodum.

Interim longè plus boni ros præſtat; ut vidimus. Atque iis accedit beneficium mellis. Nam etſi id non ſit ros merus: fit tamen ex rore, & halitu floris, vel herbæ odoriferæ, in quam ros deciderit. Ac propterea tanti intereſt, cujuſmodi herbis inſideant apes: ut à quibus magis, quàm à rore, tanta ſit ſuavitas. Itaque in Sardinia mel eſt amarum, quia legitur ex abſynthio. Imò in Heraclea Pontica eſt venenatum, quia colligatur ex aconito. Proinde qui de hoc melle ederint, & mentis fiunt impotes, ac ſudore etiam diffluunt: ut auctor eſt Dioſcorides lib. II, cap. LXXV, & lib. VI, cap. VIII, & Plinius lib. XXI, cap. XIII. Imò iiſdem ex herbis mel lectum variat pro diverſa regionum ratione. Itaque melli Belgico præfertur Hiſpanicum ob calidiorem plagam: imò illud Ruſſiæ magnopere etiam commendatur; quia licet ea tellus ſita ſit ad Septentrionem, ob longiores tamen dies æſtivos, ros diutius à Sole excoquitur. Quid quòd non ſufficit roridum ex herbis ſuccum colligi: ſed præterea opus eſt, hunc, quem apes domum retulere, ore & viſceribus apicularum porrò immutari? Quod ſi apes ſint infirmiores, quàm ut ſatis poſſint elaborare, eo mel deterioris fuerit notæ. Ut in Peruvia, ubi apes adeò exiguæ ſunt, ut muſcis ſimiles videantur. Nec ejuſdem bonitatis eſt mel ſylveſtre: ut quod in arborum truncis conficeretur, aut fiſſuris petrarum, indeque deflueret per terras. De illo videas I Sam. ſeu Reg. XIV, 27, de altero Pſal. LXXXI, 17. Sylveſtri hoc melle contentus erat Joannes Baptiſta: ut legere eſt Matth. III, 4.

De bono autem mellis quid plura dicam? Satis & ſapore commendatur, & ſalubritate: præcipuè eo, quòd, ob calefaciendi & exſiccandi vim, putredini reſiſtat. Imprimis autem prodeſt phlegmaticis: non item cholericis, qui in bilem vertunt. Et ſanè, quanta ſint mellis bona, non leviter arguit, quòd ob mellificii inventionem in Deorum numerum retulerint gentes Ariſtæum, cognomento Battum, Cyrenes conditorem: ut eſt apud Juſtinum lib. XIII. Plinius lib. XIV, cap. IV, auctor eſt, primum hunc mel cum vino miſcuiſſe. Sed nihil impedit, quo minus utrumque repererit. Præſertim quando & aliis nominibus celebratur. Nam Apollonii interpres *a* inveniſſe

a *In libri* 2 *verſ.* 500. & *ſeqq.*

niſſe ait τὰ μελισσουργικὰ, καὶ τὴν τῆς ἐλαίας κατεργασίαν *mellificium omne, & confectionem olei.* Fuit autem Ariſtæus iſte Hypſei ex Cyrene filia nepos, pronepos Penei, & Creuſæ; de quibus illud Ovidii:

Te quoque promiſſam Xantho, Penee, Creuſam
Phthiadum terris occuluiſſe ferunt.

De hoc Ariſtæo jam aliquid attigimus lib. 1, cap. XIII; fuſiuſque acturi ſumus, cùm de mixto cultu dicetur. Nam cum Iove, & Apolline, communi cultus eſt honore: ſic ut & ipſe *Jupiter Ariſtæus*, & *Apollo Nomius*, ſive *paſtoralis*, item *Apollo* Ἀγρεὺς, ſive *Venator* diceretur. Quare in cultu ex animali, & naturali, compoſito, convenientiſſimus fuerit pluribus de eo agendi locus.

Atque hæc de melle; quod non eſſe meteorum, meteoro tamen debere originem, ſatis ex iis, quæ diximus, liquet. Et quod de melle cenſemus, idem judicandum de rore Syriaco, quem, Arabas ſecuti, *manna* appellamus. Ad mel referri indicat, quòd Galeno ἀερόμελι, *mel aërium*; & δροσόμελι, *mel roſcidum*, nominatur. Nec multò aliter cenſendum de manna Iſraëlitarum: quod propterea Nonnus *a* vocat αἰθέρος ἄρτον μελίῤῥυτον *ætheris panem melliſluum.* Sed utcunque manna hoc ab altero non differret naturâ; accidentibus tamen diſcrepabat: eaque diverſitas ab angelis erat; unde *panis angelorum* vocatur Pſal. LXXVII *b.* Nempe hi rorem, & vapores, ſic ſubigebant, ut non modò pultes inde fieri poſſent, quemadmodum ex Polonico, menſe Junio, ac Quinctili, collecto: ſed pro pane eſſet, & cibo ſolido: imò naturâ (niſi pariter à conſuetudine id fuiſſe malis, cujus quoque vis maxima eſt) hoc haberet, ut corpora haut nimis laxaret, ſed ſolida conſervaret, compactaque: præterea ut, non quidem dico, nunc piſcis, nunc carnis, pro cujuſque deſiderio, obtineret ſaporem: (nam mellis cum ſimila ſaporem habuiſſe, diſertim refert Moſes *c*) attamen ut interea, in tanta palatorum diverſitate, omnium ſe guſtui probaret. Nec cenſeo locum Sapientiæ XVI, 20, 21, multò ulterius urgeri oportere. Hæc igitur ab angelis fuerunt: uti & quòd plueret pridie ſabbathi, ſabbatho non item: quodque ſi ultra demenſum ſumeretur, putreſceret, excepto homer, quod in ſabbathi diem reponeretur. Sed ejuſmodi non variant ſpeciem, ſive naturam totam.

a *Paraphr. Joan. c. 6. verſ. 32.*

b *Sive Hebr. pſ. 78. v. 25.*

c *Exod. 16, 31.*

Cap. XII.

Quomodo nubes generentur. De iiſdem repetitum, cur in tantum adſcendant, & quantum à vertice noſtro abſint. Nubes, etſi planæ videantur, figuram habere rotundam; contra quàm viſum fuit Cardano. Ut nubes, quæ incumbere videntur horizonti viſibili, longè ultra eum prætendantur: imo minimum denis milliaribus Belgicis abſint ab oculis noſtris: cùm horizon viſibilis, curatè loquendo, ſolùm diſtet uno milliari Belgico: tribus autem, ſi metiaris ex iis, quæ aliquantulum ſupra horizontem, qualia navium ſunt vela, ſeſe extollunt; eaque non ex ſeſe æſtimes, ſed vapidi aëris refractione. Nubium utilitas multiplex. Pluvia triplex naturalis. Prodigioſæ variæ, & earum cauſſæ naturales. Cur nix candida. Nives plantis conducunt, partim quia frigore ſuo terræ calorem retineant, ne exſpirent, certâ radicum ac ſeminum pernicie: partim quia non confertim, ut aquis fit pluviis; ſed ſenſim, alimentum humoris ad radices deſtillent. Improbatum in Ovidio, cùm Atho montem ait grandine caneſcere. Cur grando alia ſit triangularis, aut pyramidalis; alia rotunda. Quid propriè calamitas, ſtrages, aut clades, dicatur. Grandinis calamitas etiam gentilibus credebatur ab irato immitti Deo. Socrates, ſi improbiſſimo Ariſtophani credimus, Nubes coluit, ut Deas. Etiam Judæi, & Chriſtiani, per calumniam traducti, quaſi nubicolæ ac cælicolæ forent, vel etiam inter orandum, nubes, aut lacunaria, numerarent.

SEquuntur meteora, quæ in media generantur aëris regione; ut ſunt nubes. Hæ ex vapore fiunt, non tamen ſubtili & pauco, ut ros, & pruina: ſed denſo multoque; licet non mero, ſed fumidæ exhalationi permixto. Neque enim ex terra exhalat vel humidum ſine ſicco, vel ſiccum ſine humido: ut eſt apud Ariſtotelem lib. II Meteorolog. cap. IV, & IX. Sed denominatio fit ab ea parte, quæ dominatur. Porrò quemadmodum exhalatio fumida, tenuior facta, immutatur in ignem; ſed retentâ terreſtri parte, calore autem remiſſo, deſcendit ob pondus, ac fit ventus: ita & vapor, retento calore, attenuatur, & fit aër merus; remiſſo autem calore, inque ſuperum aëra expreſſo, condenſatur in nubem: quod media fit aëris regione. Nec enim vapor ille deſinit elevari, donec paris fuerit, ac aër, ponderis. Non mirum igitur, ſi in tantum adſcendat, cùm aëre inferiore multò ſit levior. Imò Tychonis Brahei judicium eſt, infimum aëra ſextuplo eſſe denſiorem, ac proinde etiam graviorem, aëre iſto gradibus XXX à terra diſtante, ubi ſiderum deſinunt refractiones. Longe tamen aliter de hoc, non juniores modò prope omnes; ſed & Plinius lib. II, cap. XLII; ubi, nubes eſſe aëre hoc denſiores, ex eo colligit, quia aer noſter ſit pellucidus: nubes non ſint, cùm & Solis ipſius conſpectum ſæpe eripiant nobis. Sed quis neſcit, ſuberem, ac pumicem, minùs pellucere; at leviores nihilominus eſſe vitro, ac gemmis? Nempe error omnis eſt ex eo, quòd vulgo non diſtinguant inter opacum, denſumque: qua de re non reponam, quæ attuli libri hujus capite tertio. Atque ex hoc diſcrimine etiam ratio ejus cognoſcitur, quòd Plinius ſic miratur, cùm ait lib. XXXI, cap. I: *Quid eſſe mirabilius poteſt, aquis in cælo ſtantibus?*

Quantum nubes diſtent à vertice noſtro, expoſui, cùm de tribus aëris regionibus ageretur *a.* Nempe dixi, noſtri, & nubis maximè diſſidentis, intervallum eſſe quatuor, vel ex Cardani ſententia, quam multis video placere, duorum milliarium Italicorum. Sin ea ſit gravitas, ut quàm proximè deſcenderit, jamque in pluviam reſolvatur: haut longiùs abeſſe, quàm paſſibus quingentis, ſive ſemimilliari Italico.

a *Lib. 2. cap. 83.*

Etiam nubes formâ commendantur. Nam, etſi Cardano *b* aliter viſum, extra controverſiam tamen poni debet, nubes eſſe rotundas. Siquidem terra eſt circularis, unde adſcendunt. At æquè gravia æqualiter adſcendunt. Proinde & nubis partes, ſi ſint paris ponderis, circulum imitabuntur: quæ figura eſt perfectiſſima. Nec obſtat, quod planæ, non orbiculares videantur. Nam hoc fit ob amplitudinem curvaturæ: propter quam etiam terra nobis, & dorſum maris, plana apparent.

b *Lib. 17. de Subtilitate.*

Quod ſi nubes fuerint rotundæ, & ea ſit diſtantia à vertice noſtro, quam dicebamus: non fuerit operoſum, ex regula tangentium, ſtatuere, quantum ab oculis noſtris etiam illæ abſint, quas longiſſimè quaſi horizontem noſtrum coronantes conſpicimus. Quippe diſcrimen hoc ſe habet, ut ſexagenorum ad unum. Quare, ſi pluvia nubes à vertice abſit ſemimilliari Italico, ſive paſſibus quingentis; illa, quam putamus horizonti incumbere, diſtabit milliaribus Italicis XXX, ſive denis Belgicis. Cumque nubes non elevetur ſupra verticem, niſi ad milliaria duo Italica; aberit ab oculis illa, quæ horizonti incumbere putatur, milliaribus Italicis CXX, ſive Belgicis XL. Atque hæc etiam Cardani eſt ſententia in XVII de Subtilitate, & Fromondi Meteorol. lib. V, cap. V, art. II.

Nec obſtat, quod vulgo ſtatuunt ſemidiametrum horizontis viſibilis eſſe octodecim milliarium Italicorum, ſive ſex Belgicorum. Nam hoc pinguiori ſic dicitur Minervâ, æſtimatione nautarum; qui judicant, quantum, non horizon, ſed eo elevatiora navium vela abſint ab oculis; ac quidem refractione imi & vaporoſi aëris accenſitâ. At nos, quando ſemidiametrum horizontis dicimus unius eſſe milliaris Belgici, ſive trium Italicorum; de ipſa terræ vel maris ſuperficie loquimur, nullâ eam refractione adjuvante. Atque iſta altitudinem nubium indicant: quæ res multum ad eorum admirationem impulit gentiles, ut-

cunque

cunque non exactè adeo diſtantiam vulgo perſpicerent. Satis erat, quòd & nubes cæleſtia putarent corpora; ac proinde nec illa omnino eſſe expertia naturæ divinæ; quippe quam cæleſtia cuncta obtinerent.

Præter hoc, quòd in cælo apparerent ſublimes, admirationem etiam genuit, quòd in nubibus & fulmina fiant, & tonitrua: quibus duobus maximè ad numinis metum compulſi homines putantur; ut antea *a* diximus. Hinc Ariſtophani vocantur νεφέλαι βροντησικέραυνοι, quaſi dicas, *Nubes tonitrufulminantes*. Verba Comici inferiùs adducam.

a Libri hujus cap. 6.

Adhæc nos quidem ad majorem Dei amorem accendunt, gentiles autem hac parte ad Naturæ cultum impellebant, tres nobiles ejus effectus; pluvia, nix, grando.

De pluvia hanc opinionem inſinuabat maximus ejus uſus in vita humana. De quo, ut alia præteream, antea *b* nobis memorata, quid apertius, vel certius; illis Plinii *c* verbis: *Eadem* (nubes) *cadentes omnium terrâ naſcentium cauſſa fiunt, prorſus mirabili naturâ, ſiquis velit reputare, ut fruges gignantur, arbores fruticeſque vivant, in cælum migrare aquas, animamque etiam herbis vitalem inde deſcendere.*

b Cap. 67. & 6 ſequentibus

c Lib. 31. cap. 1.

Nec tamen omnes pluviæ commendantur, ſed μέτριοι, ſive *moderatæ*. Eſt enim triplex pluvia Ariſtoteli lib. I Meteorol. cap. XI, & XII. Una, ſi κατὰ μικρὸν φέρηται, ψεκάδες· *ſi minutis feratur partibus, tenuis pluvia.* Altera, ſi κατὰ μείζω μόρια, ὑετός· *partibus majoribus, pluvia.* Nempe generali nomine: & magis particulariter, *imber*. Tertia, ſi μόρια ἀθροώτερα, διὰ τὸ τάχος τῆς πυκνώσεως· *partes coacervatæ, ob celeritatem denſationis*: cujuſmodi pluviam dicimus *nimbum*. Hebræis eſt גֶּשֶׁם *geſchem*: ut Geneſ. VII, 12: quanquam & videatur quandoque ſimpliciter ſumi pro מָטָר *matar*, quod & aliam pluviam notat. Hoc tertium genus eſt immoderatum. Sed & pſecades, & quæ ſimpliciter *pluviæ* dicuntur, immoderatæ fiunt, ſi diu admodum durent. Alii igitur diſtinguunt, quòd imber ſit denſus, & jugis; nimbus, brevis, idemque repentinus, & præceps magis. Vide Apulejum de Mundo.

Ac hujuſmodi ſunt pluviæ naturales. Sunt aliæ prodigioſæ; quæ præter communem rerum ordinem fieri, ac propterea portendere aliquid putabantur. Ut cum (ſicut apud Livium *d*, & alios, legitur) ſanguine pluit, aut lacte, aut terrâ, lapidibus. Interim nec in iſtis omnino deficit cauſſa naturalis. Lacteus enim color eſt, quia vapor educitur è locis cretaceis: ſanguineus, quia idem exhalat è locis minio, aut rubricâ, abundantibus: quomodo nix in Armenia quandoque eſt rubra, ob minium, quo regio illa abundat; teſte Euſtathio Il. Α *e*. Vel ſanguineus ſit è locis ſanguinolentis: quomodo, quòd poſt prœlium Cimbricum ſanguine pluerit, magnæ hominum ſtragi tribuitur à Plutarcho in Mario. Vel lacteus quidem color fuerit à moderato Solis calore, ita aquam excoquente, ut alborem acquirat. Sanguineus autem ſit à calore Solis intenſo. Calore enim ruborem aquis conciliari, cognoſcimus ex urina febricitantium; item aquis per calidos cineres percolatis. Ex eo, quod de albore diximus, etiam judicium ferendum de rore argenteo, qui ſub Severo pluit in forum Auguſti, Dione *f* teſte. Nec enim verè fuiſſe liquorem argenteum, arguit, quod nummi eo obliti triduo tantùm colorem hunc retinerent. Ex eo item, quod de ſanguinis pluvia retulimus, ex parte etiam cognoſcimus cauſſam, cur in Suevia anno CIↃ IↃ XXXIV pluerit in veſtes crucibus rubris. Nam eo rubri fuerint coloris, quia pluvia ſanguinei erat coloris; cujus cauſſam vidimus. Et fortaſſe etiam pulverulentæ ad hoc veſtes contulerunt. Sed eo crucibus pluit, quia texturæ filamentis forma ſit hujuſcemodi. Nam decuſſatim ſe habent fila in tela: unde & *trama* nomen à trameando. Altera etiam ratio eſt. Nam & ſanguinea pluvia latè incidens in veſtes, in medio, credo, majori cohæſerit copia, indeque in extimas defluxerit partes. Etſi nihil repugnem, ſiquis eàdem Angelorum miniſterio ſacratiſſimum hoc ſignum malit tribuere; cùm nihil ſit, cujus memoria magis refricari animis debeat humanis, quam Soſpitatoris pro nobis crucifixi. Terra pluit (de quo Livius lib. XXXVII, & alibi) ſi halitus admodum fuerint terreſtres, indeque Solis calore humor fuerit expreſſus. Terrâ, vel lapidibus pluit, quia attollitur halitus craſſus, ac viſcoſus, Soliſque calore induratur. Itidem ferro pluit, quia idem contigit in exhalatione ſulfurea ac metallica. Diximus de utroque iſtorum aliquanto antea *a*. At de pluvia lapidum, quæ fuit temporibus Joſuæ, vidimus lib. I, cap. XXVI. Apud Cardanum quoque lib. XIV de rerum Varietate cap. LXXII legere eſt, ut anno CIↃ IↃ X in Lombardia in agrum fluvio Abduæ conterminum cælo deciderint lapides mille ducenti: atque horum unus LX, alius CXX pondo, miraculi ergo, delati ſint ad ſatrapas regis Galliæ: fuiſſe eos ſummæ duritiæ, coloris ferruginei, odoris ſulfurei: præceſſiſſe horâ tertiâ ingentem in cælo ignem: horâ quintâ auditum lapidum decidentium ſonum: ut duabus horis intermediis lapides iſti ab igne fuerint excocti. Ranis an pluat, dubitatur. Mihi quidem id parum fit veriſimile. Nec tamen cenſeo, ranunculos iſtos, quibus pluiſſe videtur, è latebris ſuis prodiiſſe dulcedine aquæ pluviæ pellectos. Planè credo, generatos in terra compluta. Prius enim in terra nullos videas ranunculos: cumque obtutum ab eo loco non dimoveas, paullo tamen poſt ibidem eos conſpicere eſt, non quidem aliunde venientes, ſed iſtic loci, ubi ſunt, enatos. Nempe pluvia incidens in pulverem generationi idoneum, ſic fermentat ac temperat eum ſpiritu & humore ſuo, ut ranunculi creentur: haut aliter ac ex Nili limo gignuntur mures: quos interdum cernas priori parte ſui abſolutâ, altera etiamnum terreſtri. At planè ridiculum eſt, vitulum pluiſſe: quod tamen prodidit Avicenna. Nec enim, citra miraculum ingens, perfectum animal ſubitò adeò generetur. Quare credibilius, cùm in monte aliquo paſceret, turbine inde abreptum. Scitè Cardanus, cùm narraſſet, vento ſibi in Apennino pileum, quaſi ſagittâ excuſſum: ſi, inquit, ruſtici alicubi eum repetiſſent in prato, juràſſent, pileis pluiſſe. De pluvia ſatis.

d Lib. 34.

e P. 830. edit. Romana.

f Sive Xiphilino p. 322. edit. H. Steph.

a Lib. hujus cap. 7.

Alter nubium effectus eſt nix. Gignitur hæc è nube non denſiori quidem, eoque pluviæ magis idoneâ; ſed rariori, cujus particulæ aliæ poſt alias ſtringantur frigore, ac quaſi diſcerpantur in floccos: unde lanæ divinus aſſimilat pſaltes *b*. Eſtque ab hoc frigore etiam albor nivis: quando, ut dicitur, frigus mater eſt alboris: unde candidiores ſunt gentes ad Septentrionem ſitæ. Item eſt albor ab ſpiritu aëreo copioſè admiſto: quia corporis perſpicui condenſatio gignit alborem: uti nigroris cauſſa eſt, quod multum miſceatur corporis opaci: teſte Philoſopho libro de Senſu, & Senſibili. Pedo tamen Albinovanus ad Liviam dixit:

b Pſalm. 147. 16.

Brachia purpureâ candidiora nive.

Sed abunde de iſtoc egimus lib. IV Oratoriarum Inſtitutionum cap. XIII, ſect. VIII.

Bifariam autem plantis conferunt nives: ut docet Theophraſtus in ſecundo de cauſſis Plantarum, cap. II *c*. Primùm τῇ πιλήσει, καὶ τῇ καταπνίξει τοῦ ψύχους, hoc eſt, *ſtipatione, & compreſſione frigoris*. Calor enim hoc pacto cogitur, denſaturque; atque ita corroboratus præſtat, ut radices fiant grandiores, & validiores; ac ubi cæli fuerit clementia, planta & amplius & citius erumpat è terra. Hinc ibidem ait: Ἅμα τε καὶ τὴν γῆν ἀναζυμοῖ συγκατακλείουσα καὶ ἐναπολαμβάνουσα τὸ θερμόν. *Simul enim fermentat terram calore circum concluſo, quem deprehenderit.* Quaſi dicat, calorem terræ non ab ea ſuffocari, ſed ſervari; ut arvum quaſi coquatur ab eo.

c Sive aliis primo, quibus præfatio non cenſetur pro capite primo, ſed caput conſequens.

Præterea altero prodeſt, quia ἡ χιὼν τηκομένη κατὰ μικρὸν διαδύνεται πρὸς τὸ ἔδαφος, καὶ μὴ ἀθρόον τὸ ὑγρὸν ἀποῤῥυῇ προσπεσόν· *nix paullatim liqueſcens, non confertim corruens in terram, uno dilabatur influxu.* Nempe hoc differt à pluvia, quæ non ſenſim, ſed ſimul influit. De eodem ſic Plinius lib. XVII, cap. II; *Vota arborum, frugumque, communia ſunt, nives diutinas ſedere. Cauſſa non ſolum, quia animam terræ, evaneſcentem exhalatione,*

ne, includunt, & comprimunt: retroque agunt in vires frugum, atque radices: verùm, quod & liquorem ſenſim præbent, purum; prætereaque leviſſimum. Ergo humor ex his non univerſus ingurgitans, diluenſque; ſed, quomodo ſititur, diſtillans, velut ex ubere alit omnia, quæ non inundat: tellus quoque illo modo fermenteſcit, & ſucci plena, ac lacteſcentibus ſatis non effœta, cum tempus aperit, tepidis arridet horis. Ita maximè frumenta pingueſcunt.

Tertius nubium effectus eſt grando; quæ nihil eſt aliud, quàm pluvia inter cadendum frigore conſtricta. Nec longè adeò à terra concreſcere, argumento illud erit, quòd in altis montibus nivem quidem reperias, grandinem non item: etſi Ovidius in Ibin non dubitârit ſcribere:

Quàm multâ fiet grandine canus Athos.

Quo verò propiùs ceciderit à terris, hoc magis erit triangularis, vel pyramidalis: & contrà, quo longiùs à terris concreverit, hoc erit rotundior, angulis ejus longâ viâ obtritis. Meritò autem grando pluviæ, ac nivi, poſthabetur. Utcunque enim & nimii imbres quandoque noceant, & nives nimium diuturnæ frigore ſuo fere exſtinguant plantarum calorem: certiora tamen, & crebriora, grandinis damna eſſe ſolent. Raro ſiquidem prodeſt. imò *calamitatis* vocabulum non aliunde trahit originem, quàm à *calamis* ſegetis grandine confractis: uti *ſtrages* propriè eſt damnum arborum tempeſtatibus *ſtratarum*; & *clades*, cùm vento, vel nimio fructuum pondere, fracti ſunt arborum κλάδοι, hoc eſt, *rami*. Nam ab ruſtico hoc uſu ad alia etiam extenſa eſt iſtorum ſignificatio. Interim hanc nocendi potentiam eo divina mitigat bonitas, quòd nimbus, unde gignitur, fere uni impendeat agro, ventoque is propulſus, longiùs, quàm latiùs, noceat. Imò etiam, cùm vehemens eſt calamitas, animum ea hominis ad Deum attollit, qui damnum immiſit. Atque hoc gentium quoque judicium fuit. Nam ſingulatim hanc crediderunt eſſe ξυμφορὰν θεήλατον: ſive, ut Cicero [a] id reddidit, *irâ cælitum invectum malum.* Unde Theophraſtus lib. v de cauſſis Plantarum, cap. ix, de variis plantarum morbis agens, ſic inter alia ſcribit: Ἔνιαι πληγαὶ καὶ ἀπὸ τοῦ δαίμονος συμβαίνουσι· καθάπερ ἡ χαλαζοκοπία· *Quædam* (plagæ) *etiam à Deo contingunt: ut ſi calami ſegetis grandine quaſſentur, frangantur que.*

a Lib 4. Tuſcul. Quæſt.

Atque hæc de nubium, tum naturâ, & diſtantiâ, universè: tum particulatim de triplici ejus effectu. Quæ ipſa, vel pleraque eorum, cauſſa fuerint Nubium cultûs, ſi & his præbitus fuerit in Diis locus. Hoc à Socrate ipſo factum fuiſſe, ait Ariſtophanes in Nubibus. Nam apud eum ſic Socrates affatur Strepſiadem:

Βούλει τὰ θεῖα πράγματ' εἰδέναι σαφῶς,
Καὶ συγγενέσθαι ταῖς Νεφέλαισιν ἐν λόγοις,
Ταῖς ἡμετέραισι δαίμοσιν;
Divina apertè noſſe vis negotia,
Sermone nec non colloqui cum Nubibus,
Noſtris Deabus?

Poſteaque ſic idem adfatur Aëra, Æthera, ac Nubes:

Ὦ δέσποτ' ἄναξ, ἀμέτρητ' Ἀὴρ, ὃς ἔχεις τὴν γῆν μετέωρον,
Λαμπρός τ' Αἰθὴρ, σεμναί τε θεαὶ Νεφέλαι βροντησικέραυνοι.

Sententiam, quantumvis alio carminis genere, ſic, puto, liceat nobis παραφράζειν:

O rex, ô Aër vaſte, telluris ſola
Qui contines ſuſpenſa, nec non Ætheris
Coruſca vis, Nubeſque, venerandæ Deæ,
Quæ fulguratis & tonatis deſuper.

Sed quis in iſtis poëtæ nequiſſimo (nec propterea ingenio ejus, vel facundiæ aliquid detractum velim) facile habeat fidem de philoſophorum longè optimo? Multoque minùs audiendus eſt Juvenalis ſat. xiv, ubi nubes ait cultas à Judæis:

Quidam ſortiti metuentem ſabbatha patrem,
Nil præter nubes, & cæli lumen [b] *adorant.*

b *Ita pro* numen *rectè reſcribit Scaliger.*

Atque idem de Chriſtianis exiſtimatum. Unde de utriſque Tertullianus Apologetici cap. xxiv: *Alius, ſi hoc putatis, nubes numeret orans, alius lacunaria.* Nempe qui, contemtis gentium numinibus, verum Deum ſublatis in cælum oculis invocarent, hi propterea ſtolidis viſi nationibus orare, vel etiam numerare nubes, modò ſub dio precarentur; vel lacunaria, quoties hoc facerent ſub tecto.

Cap. XIII.

Quomodo iris generetur. Ut in ea cum ἀνακλάσει etiam aliqua διάκλασις concurrat. Iridis aream non habere varios colores, quia radii ab ea ſparſi non habent angulos tales, quales eſſe neceſſe eſt eos, qui ad oculos repelluntur. Interim eoſdem in area colores eſſe, quia ubi eſt uni pars areæ, ibi alteri ſit pars arcus: cùm diverſi ſint arcus, quos diverſi vident, unius arcu alterius ſemper arcum interſecante. Cur iridis forma ſit circuli dimidii. Quanta ejus διάμετρος. Tres præcipui iridis colores, & quæ eorum cauſſa. An & quartus, atque adeo ſeptimus quoque, ſit ejus color: & quomodo millecolor *dicatur. Unde ſecunda, tertiaque ſint iris: & an quarta videatur. Veterum opinio, odoratiores eſſe plantas, quibus iris incubuerit: & quæ ejus rei cauſſa adferatur: atque, ut propter odorem illum gentiles in ſacrificiis gauderent lignis, in quæ impluiſſet nubes arcu conſpicua. Quid iris ſignificet, ex inſtituto fœderis divini: atque iſti etiam inſtituto aliquam ſubeſſe rationem naturalem. Iridem poëtis eſſe Deam, ac cur ab iis fingatur Thaumantis filia: unde &* Thaumantias *vocata eſt. Duos ſtatui Deorum nuncios; concordiæ quidem* Ἑρμῆν, *ſive Mercurium; Irin autem diſcordiæ. Etymon Iridis,* Ἐρμῆς, *& verbi* εἴρω. עיר *quidem pro angelo ſive nuncio accipi: ſed impropriè, cùm propriè vigilantem ſignificet. Purpureus navigantium color in Circo Romano Iridi ſacratus fuit. Peruanis iridem eſſe pro numine, & ut eam cum duobus à latere ſerpentibus effingant.*

Meteora, de quibus hactenus diximus, ſunt καθ' ὑπόστασιν, vereque pro quatuor qualitatum primarum miſtura ſubſtantiam afficiunt. Videndum nunc de illis κατ' ἔμφασιν, quæ uti non ſunt figmenta cerebri noſtri, ita neque qualitates ſunt fixæ, ſed ſpecies apparentes, ex lucis, & umbrarum miſtura ortæ. In his principatum ducit iris, ſive arcus cæleſtis. Loquemur autem nunc de arcu Solari, qui per ἀντονομασίαν *iris* vocatur. Eſt is figura referens arcum diſcolorem in nube roridâ Soli oppoſitâ, radiorum ejus refractione, & reflexione, repræſentata. In hoc quoque multa ſe miranda offerunt; quæ nos ad auctorem ejus Deum, cultumque numinis divini, quaſi manu ducant.

Ac primùm, quem non in admirationem rapiat pulchritudo? De qua Siracides ſic in Eccleſiaſtico cap. 111, 12, 13: *Vide arcum, & benedic eum, qui fecit illum. Valde ſpecioſus in decore ſuo: gyravit cælum in circuitu gloriæ ſuæ. Manus excelſi aperuerunt eum.* Ubi tria imprimis in conſiderationem veniunt: figura, unde *arcus* dicitur: color, quia eſt multicolor, quæ res imprimis ſpecioſum reddit: & locus ſublimis, quia in cælo ipſo conſtituitur; nempe in nube rorida ex adverſo Solis. Quippe (ut ab iſtoc ordiar) materies ſive ſubjectum ejus eſt nubes pluviæ vicina: efficiens autem eſt Sol, ſive radius Solaris in vaporem receptus, inque eo refractus, propter diverſa receptacula; unum rarius, aëra; denſius alterum, puta vaporem; qui & Solarem recipit radium, & in oculum reflectit. Ut hìc concurrat, & aliqua ἀνάκλασις, ſive radii luminoſi in profunditate vaporis refractio: & prætera διάκλασις, ſive radii ejuſce ad oculum reflexio. Quæ non poſſent ſociari, niſi in nube rorida, ac jamjam in pluviam reſolvenda. Nam hujuſmodi ſola in tantum quidem rara eſt, ut eam aliquantum radius penetret Solaris: atque in tantum denſa,

ſa, ut ubi is paullum ſe inſinuârit, eundem repercutiat. Ejuſmodi autem nubem ex adverſo Solis conſtitui, non obſcurè eo evincitur, quòd mane conſpicitur ad Occidentem; veſperi ad Orientem; nec nobis, ultra tropicum Cancri habitantibus, ad Meridiem videatur unquam; quia nunquam nobis Sol ſit Septentrionalis. Imò nec ſufficit, nubem ejuſcemodi eſſe Soli adverſam: ſed ut arcus ille multicolor conſpicuus ſit, neceſſe eſt oculum eſſe medium inter Solem, & nubem; imò & ſitu, & intervallo, opus eſt determinato. Nec enim ex quavis diſtantia pervenire ad oculum poteſt reflexio: ſed neceſſe eſt, ut omnes illæ nubis partes, quæ lumen Solare in oculum reflectunt, pariter ab oculo diſtent, quia non repræſentabitur figura arcus, niſi lineæ omnes ab oculo ad peripheriam arcus ſint æquales. Eſt quidem tota nubes, quatenus eſt oppoſita, radiis illuminata Solaribus, plenaque coloribus; ſed non hi cernuntur; quia ut conſpicui ſint, opus eſt, radios luminoſos ad oculum reflecti ex certa vaporis altitudine, certiſque angulis; nempe, ut Maurolycus cenſet, ſemirectis. Totam verò aream variis eſſe coloribus pictam, clarè arguit, quod ſi ab uno iridis cornu ad alterum procedas, iridem circumferas, cornu uno præcedente, ſequente altero: ut iris conferri poſſit crocodilo; qui & ipſe fugit ſequentem, ſequitur fugientem. Non quaſi iris locum mutet, ſed quia alia atque alia videatur. Itaque me in arcus medio conſiſtente, aliis propiùs cornu dextro vel ſiniſtro, illi in medio areæ cernent colores, ſed illorum arcus interſecabunt illum mihi conſpicuum.

Semicircularis autem eò eſt iridis figura, quia centrum iridis eſt in horizonte: ut cujus axis per centrum Solis, & iridis tranſeat. Quamquam judicio Timonis, peracuti Pariſienſium philoſophi Nominalis, ſi oculi noſtri in tantum elevarentur, ac oculi gruis altivolantis, non dimidium, ſed integrum circulum cerneremus. Magnitudo interim ejus non major eſſe poteſt, quam altitudo nubis. Itaque & iridis, & oculi diameter, non multò amplior, quàm dimidii eſſe milliaris ſolet.

Colores verò iridis, quos imprimis pulchritudinem afferre dicebamus, tres ſunt præcipuè: eaque varietas provenit ex varia lucis, & umbrarum miſtura, idque ex diverſa profunditate vaporum, unde radii prodeunt. Cùm primùm ii ſubeunt nubem, quia minùs tranſitur opaci, color eſt ardens, & rubicundus, ſive punicans, qui Græcis φοινικοῦς. Ubi paullo magis radius penetrârit, aliquantum impeditur coloris ardor: ac fit πράσινος, hoc eſt, *porraceus*, ſive *viridis*. At in profundum vaporis admiſſus, uſque ad infimam arcus curvaturam, ob opacitatem maximè remittit color, eſtque fuſcus, ſive ἀλουργὴς, hoc eſt, *cæruleus*, vel *purpureus*. Ariſtoteles tamen tribus hiſce coloribus addit quartum, nempe ξανθὸν, ſive *flavum*: quem inter puniceum, & viridem, interſerit. Sed ille, ut in amborum conſtitutus confinio, ex
a In 3 Meteorol. Ariſt. utriuſque fit miſtura. Olympiodorus *a* narrat, à Ptolemæo viſam eſſe iridem colorum ſeptem. Sed qui numerantur extra quatuor iſtos, planè ſunt diluti, & anguſti, velut limbi minuti: eoque ab Ariſtotele inſuperhabiti. At
b 4 Æn. ὑπερβολικῶς planè dictum illud à Marone *b*:

Mille trahens varios adverſo Sole colores.

Jam admirationem iridis quantum augent effectus, & ſignificatio earum! Inter effectus eſt, quòd alteram etiam iridem gignit, interdum & tertiam. Refert Vitellio, & quartam ſe vidiſſe Patavii. Sed pro Iride habuit, quod
c In 3 Meteorol. Ariſt. non eſſet iris: ut optimè docet Vicomercatus *c* comm. xxxi. Efformari autem iridem ſecundam à prima, argumento eſt, quòd ſi in primaria depereat pars, eadem evaneſcat in ſecundaria. Eſt verò hoc diſcriminis, quòd ſecundaria iridis primariæ colores ordine referat inverſo: cujus cauſſa ex Opticis cognoſcitur.

Inter effectus etiam refertur, quòd quibus locis imminet iris, iis arbores, & herbæ, ſint odoratiores. Traditum id Plinio quoque lib. xii, cap. xxiv, & Plutarcho Sympoſiacôn lib. iv, quæſt. ii. Non tamen iris hoc per ſe præſtat, ſed per accidens; ut docent Ariſtoteles problematum ſect. xii, quæſt. iii, & Theophraſtus lib. vi de cauſſis Plantarum, cap. xxv. Nempe id fieri volunt in locis aduſtis, & compluris: ut cauſſa ſit à præcedenti uſtione, & pluvia conſequenti. In utroque tamen cenſent requiri τὸ συμμετρον *a*, quia nec in ſuffimentis mox ignis a Mediocritas. abſumens odorem præſtat, ſed mollis: nec imbrifera tempeſtas odorem ex herbis diffundit, ſed roratio, ac tempus ſubſtillum. Calore igitur, & humore, eſt opus. Et quia calor eſt neceſſarius; eo minùs locis Septentrionalibus herbæ creſcunt odoratæ, quàm Orientalibus: minùs etiam in Meridionalibus locis, velut Africà, quàm Oriente; ut Syrià, & Arabia. His quippe terris eſt τοπος γεώδης, hoc eſt, humidus locus, ob naturam terræ humidam; unde & ab *humo*, *humidum* dicimus. Africæ autem γῆ ἀμμώδης, καὶ ἄνικμος· *terra arenoſa, & ſiticuloſa*: ut Ariſtoteles loco ait memorato. Iſta arborum, quibus iris incubuiſſet, εὐωδία *b*, in cauſſa eſt, cur, b Bonus odor. Plutarcho *c* teſte, ſacerdotes ſoleant ea potiſſimùm ligna c Loco Sympoſiacôn ante memorato. cremare in ſacrificiis; quibus nubes arcu inſignis impluiſſet in plantas. Scio, apud Plutarchum legi, καλοῦσι, *vocant*. Sed certa eſt eorum obſervatio, qui pro hoc reponunt καίουσι, *cremant*. Nam ſermo eſt de eo, cur ligna, quibus incubuiſſet iris, magis forent idonea, ut honori crementur divino.

Significatio iridis partim naturalis eſt, partim ſupernaturalis. Naturalis Ariſtoteli, & aliis, pluvia eſt: quandoque verò & ſerenitatis futuræ eſt argumentum. De utroque inferiùs in pluviæ & ſerenitatis prognoſticis pluribus dicam. Significationem ſupernaturalem nos docet Deus ipſe Geneſ. ix: *Arcum meum ponam in nubibus, & erit ſignum fœderis inter me, & terram; cumque obduxero nubibus cælum, apparebit arcus meus, & recordabor fœderis mei, quod pepigi vobiſcum, & cum omni anima vivente, quæ carnem vegetat; & non erunt ultra aquæ diluvii ad delendam univerſam carnem.* Quod non ita capiendum, quaſi non exſtiterit ante diluvium. Nam cùm ante & Sol fuerit, & nubes; iridem etiam fuiſſe, non eſt dubitandum. Mens igitur Moſis eſt, poſt diluvium demum cœpiſſe eſſe ſignum fœderis divini. Id verò indicium eo potiſſimùm elegit Deus, quia ſignum ſit naturale. Nam non fit iris in nube admodum denſà, ſed rorante: neque fit, ſi & adverſa ſit nubes, quia ſic Sol non poſſet radios mittere in nubem oppoſitam. Atqui ad diluvium univerſale requirantur nubes denſæ, & totum cælum obducentes. Hoc pacto Moſen etiam interpretatur
d Meteorol. lib. 7. c. 3. § ult. Chryſoſtomus Javellus *d*. Addam &, quæ ex Arabum literis prodit Cardanus, commentariis in Ptolemæum *e*: e Lib. 2 de aſtrorum judiciis, cap. 67. textu 72. *Cauſſa hujus eſt, ut bene Haly inquit, quia arcus cæleſtis ſit à nube rorida ſparſa. Si igitur ſuccedat ſerenitati, ſignum eſt, quod aër humectatur, & craſſeſcit. Ideo ſignificat hyemes, id eſt, imbres magnos. Si verò ſuccedat imbribus, cùm hi ſint à denſis nubibus, & denſo aëre, cæleſtis arcus ſignificat utrumque jam rareſcere. Ob id Moſes ſcribit, Deum poſuiſſe iridem in ſignum fœderis ipſius cum humano genere. nam cum Iris fiat, ut diximus, à nube rorida, atque diſgregata; nec inundationes, nec ſquallores ſuccedere poſſunt.*

Quid apertius ex iſtis, quàm ſignificationem iridis proximè allatum, & ejus pulchritudinem, ac tot mirabilia, quaſi δακτυλοδείκτως *f* monſtrare magnum numen, quod f Digitum intendendo. ſic rerum condidit naturam? Sed gentiles poëtæ, etſi & ipſi mirandam cernerent naturam iridis, ex ea potius Divam fecerunt: quam filiam finxere Thaumantis. De hoc ita Plato in Thæteto: καὶ ἔοικεν ὁ τὴν Ἶριν Θαύμαντος ἔκγονον φήσας, οὐ κακῶς γενεαλογεῖν· *& videtur, qui Irin Thaumante ait progenitum, non male originem indicare.* Ac inde Plutarchus lib. iii de Placitis philoſ. cap. v: Πλάτων φησὶ Θαύμαντος αὐτὴν γενεαλογῆσαι τοὺς ἀνθρώπους, διὰ τὸ θαυμάσαι ταύτην. *Plato ait, homines ejus genus deducere à Thaumante, quòd eam admirarentur:* quod Græcis eſt θαυμάζειν. Eamque opinionem etiam Cotta memorat apud Tullium in Tertio de Nat. Deor. Præivit

au-

autem his omnibus Heſiodus in Theogonia; ubi Thaumantis filia dicitur, & Electræ. Unde *Thaumantias* vocatur Maroni ix Æn.

Ad quem ſic roſeo Thaumantias ore locuta eſt.

Ubi ſic Servius: *Thaumantis filia. Ceterum ex admiratione hoc nomen accepit, quæ admiratio de ejus coloribus naſcitur.*

Etiam Diva hæc poëtis *nuncia* dicitur *Junonis.* Nimirum quia Juno eſt aër: iris autem denunciat, qualis ſit futura aëris conſtitutio. Ut duo imprimis Deorum nuncii celebrentur; Hermes, ſive Mercurius, & Iris, ſive arcus cæleſtis. De iis ſic Servius ad v Æneid. *Ex magna parte ſervatur, ut Mercurius ad concordiam, Iris ad diſcordiam mittatur: unde & iris dicta eſt, quaſi ἔρις.* Sed
a P. 391. edit. Rom. de origine vocabuli multò rectius Euſtathius in Il. γ a: ubi εἴρειν interpretatur ἀγγέλλειν, atque inde venire ait tum
b Nunciant ea, quæ ſunt Deorum. Ἶρις, tum Ἑρμῆς, quia ἀγγέλλουσι τὰ τῶν θεῶν b: imò & hinc eſſe nomen Iri Ithacenſi. Ac videri poſſit, ipſum εἴρω, vel, ſi malis, Ἶρις, ac Ἑρμῆς, ἀμέσως venire ab Hebræo עיר, quod angelum ſive nuncium deſignat: μεταληπτικῶς tamen, cùm propriè notet *vigilem*: unde Clemens Alexandrinus in Pædagogo lib. II; Μακάριοι οἱ ἐγρηγορηκότες εἰς αὐτὸν, σφᾶς αὐτοὺς ἀπεικάζοντες ἀγγέλοις, οὓς ἐγρηγόρους καλοῦμεν *beati vigilantes in ipſum, ſe ipſos ſic ſimiles angelis reddentes, quos* EGREGOROS, *ſive vigiles nuncupamus.* Allatum Iridis etymon firmat quoque hoc Nonni Dionyſiacôn xx:

Ἄγγελον Ἶριν ἔπεμψε δυσάγγελον. ——

Nuncium Iridem miſit mali-nuncium. ——

Ac hujuſmodi quidem poëtarum de iride Theologia fuit. Sed civilis illa Romana non videtur eam habuiſſe pro numine. Hoc enim indicant verba illa M. Ciceronis in III de Nat. Deor. *Cur autem arcus ſpecies non in Deorum numero reponatur? Eſt enim pulcher, & ob eam cauſſam, quia ſpeciem habet admirabilem, Thaumante dicitur eſſe nata.* Interea Romani, quia Iris eſt purpurea, eò in Circo Romano ſacrarunt Iridi purpureum aurigarum colorem; ut teſtis eſt Iſidorus lib. XVIII Originum, cap. XLI. Sed ut Romanis Iris non eſſet Dea; aliter tamen ſapuere gentes aliæ. Nam Peruani, ut Joſephus Acoſta auctor eſt, coluere Iridem: eamque effingere ſolent cum duobus à latere ſerpentibus. Ut eadem videamus, non Ægyptiis modò, vel Phœnicibus, ac Græcis; ſed Peruanis etiam, ſerpentes fuiſſe ſymbolum divinitatis.

CAP. XIV.

De ventorum, imbrium, tempeſtatis, ac ſerenitatis prognoſticis. Super eo expoſita Chriſti verba apud Evangeliſtam. Εὐδία quid. Quem ventum indicet rubedo cæli. Imbris eſſe ſignum, ſi Sol videatur cavus, & ratio ejus. Quid Maroni ſit Auſter cadens. *Cur conſueto intenſior calor matutinus, aut veſpertinus, pluviam ſignet, aut ventos: item ſi ſolito ſol videatur major: & unde ſit, quod idem interdum conſpiciatur, priuſquam ortus ſit. Certiora ſunt ſigna ex ſole oriente, quàm occidente. Quid Lunæ, quid item Solis labores appellet Maro. Qui Lunæ dies maximè obſervandi. Veteres in ſiderum ortu, & occaſu, præcipuè attendebant ad Arcturum, Orionem, Canem, & Virgilias. Trajectio ſtellarum indicium ventorum. De variis nubium coloribus, & quid quiſque ſignificet, & ejus rei cauſſa. Quæ fulmina, ac tonitrua, magis ventos, quæ item magis pluviam deſignent: & à quâ parte minentur pluviam, aut ventum: quæ item majores pluvias, quæ minores, ſignificent. Caligo quomodo generetur: & quando ſerenitatem, quando item indicet pluviam, & ratio utriuſque naturalis. Ridicula veterum opinio, Iridem utroque cornu bibere aquas, quas mox refundat. Cur pluviam ſignificet: & ut nunc eam ſignet majorem, nunc minorem: cur item quandoque inducet ſerenitatem: nec tamen ſigna hæc ſatis eſſe certa. Cur pluviam etiam ſignificent parelii; virgæ item, etſi minores pareliis: & cur coronæ nunc pluviæ, nunc venti, præbeant ſignum.*

EX iis, quæ hactenus de meteoris diximus, tum naturam illorum cognoſcere fuit: tum quantum ea commodent homini, vel incommodent. Magnum autem eſt divinæ bonitatis argumentum, quòd conceſſerit homini facultatem prænoſcendi ea, quæ ſic proſunt, vel obſunt. Quanti enim intereſt, ut viator præſciat aëris immutationes: ut agricola proſpiciat ſerenum, aut pluvium cælum: ut nauta prævideat procellarum pericula! Quæ poſſe præſciri, & experientia teſtatur, & B. Hieronymus agnoſcit. *Senſus*, inquit, *manifeſtus eſt, quòd elementorum ordine, & conſonantiâ, poſſunt ſereni, & pluvii dies, prænoſci.* Sed ipſum potiùs Chriſtum audiamus: ad cujus verba hæc beatus ille pater annotârat. Locus eſt Matth. XVI, 2, ubi Dominus noſter ſic increpat Phariſæos: *Facto veſpere dicitis, ſerenum erit; rubicundum eſt enim cælum: & mane, hodie tempeſtas; rutilat enim triſte cælum. Faciem ergo cæli dijudicare noſtis; ſigna autem temporum non poteſtis?* Sed verba Chriſti non tam aperta ſunt, quàm multis videtur. Siquidem ab antiquis Naturæ myſtis traditum eſt, rutilum cæli colorem non tam ſerenitatis, quàm ventorum, eſſe indicium. Sic Theophraſtus, Aratus, Virgilius, Plinius, Ptolemæus, alii. Id cernens Albertus M. in III μετεωρολογ. non tam laborat, ut Chriſti ſermo veterum auctoritati, quàm ut Naturæ ſaltem conſentiat. Itaque ait, rubedinem matutinam indicio eſſe, ſolem in altum elevare exhalationes, eoque fore tempeſtatem: rubedinem veſpertinam ſignificare eaſdem à Sole trahi ad inferius hemiſphærium, ac propterea fore ſerenitatem. Sed ex Ariſtotele, & Theophraſto, imò experientiâ quoque, conſtat, ſolem occidentem ſæpe etiam ex infero hemiſphærio halitus attrahere in ſuperum. Præterea rubedo ſemper eſt venti indicium; matutina quidem venti Orientalis; veſpertina autem Occidentalis. Nam ubi rubedo, inde ventus; quia Sol conſpicitur per fumidam exhalationem, quæ venti eſt materies. Quare malim aſſentire doctiſſimo Bonaventuræ Urbinati a; qui a Comment. in Theophraſtum de ſignis ventorum, & pluviarum.
ait, non hoc ſimpliciter dicere Chriſtum, cùm cælum veſperi rubet, fore ſerenitatem; ſed fore ventum ſerenum. Id enim valere εὐδίαν, eſſeque eam ab Auſtrino vento: unde Ariſtot. lib. I. Meteor. cap. XI: Ὁ μὲν γὰρ νότος εὐδίαν ποιεῖ. Quo ſignificat, flatum Auſtri cum ſerenitate eſſe conjunctum. Nempe ob ortus propinquitatem. Quod imprimis veriſſimum eſt de Palæſtina tota, cui Africæ continens eſt ab occaſu brumali: unde Auſter flat Palæſtinis. Sic igitur colligimus, non de quavis εὐδίᾳ loqui Chriſtum; ſed eâ, quam Auſter præſtaret. Minorem habet difficultatem, quod Chriſtus ait, cælum, ſi mane rubeat, tempeſtatem indicare. Nam Græcè eſt, Σήμερον χειμών· πυρράζει γὰρ στυγνάζων ὁ οὐρανός· Ubi vox πυρράζειν quidem rubedinem indicat: ſed στυγνάζειν, ſive *triſtem eſſe*, notat nigrorem. Rubor autem eſt ex fumida exhalatione: nigror ex vaporibus in nubem concretis. Eo concurſus ille ruboris, & nigroris, qualis in nube eſt punicea, præſagit χειμῶνα, ſive tempeſtatem; hoc eſt, ventos pariter, atque imbres. Sed de Chriſti verbis ſatis. Nunc alia ad ſigna veniamus.

Itidem enim vel imbrem, vel ventum, præcipueque auſtrum portendit, ſi Sol oriens appareat cavus: quia hoc indicium eſt ſplendori Solis circumſtare aëra, ob contentos halitus, obſcuriorem ac nigricantem. Atque hoc ſignum intellexit Maro I Georg. b cum ait: b Verſ. 355.

Ipſe pater ſtatuit, quid menſtrua Luna moneret,
Quo ſigno caderent Auſtri.

Neque enim cum Servio putandum, *cadere* hic valere, *lenire*, *remittere*, *ceſſare*: ſed planè eſt, *ruere ab alto*: unde de hoc ipſo ſic poſtea c canit: c Verſ. 441. & ſeqq.

Ille ubi naſcentem maculis variaverit ortum
Conditus in nubem, medioque refugerit orbe;
Suſpecti tibi ſint imbres. Namque urget ab alto
Arboribuſque, ſatiſque Notus, pecorique ſiniſter.

Præterea cùm Sol oriens, vel occidens, ſolito eſt fervidior; ſignum eſt ventorum, aut pluviæ ſaltem. Nam calor aëris intenſior provenit ex copia fumidarum exhalationum, aut vaporum: quorum illi ventorum, hi pluviæ ſunt materies. Utcunque igitur ſerenum fuerit cælum; ex fervore tamen aëris certò colligitur, paratam jam eſſe materiem alterutrius halitus. Quippe halitibus aër redditur craſſior: denſitas ea radios repellit ad perpendicularem, ut duplicentur; unde caloris incrementum: uti & fit Auſtro flante, quia & is aëra reddit craſſiorem.

Atque ex iſtis alterum etiam ſignum capere eſt. In hac enim craſſitie diffluunt ſpecies aëri impreſſæ: eoque ſol major videtur; ſed hebetatis radiis obſcuriùs lucet: quomodo ſi in charta ſcribas humidâ, literæ & majores fiunt, & obſcuriores. Hac ſimilitudine uſus quoque eſt Aphrodiſienſis lib. III Meteorol. comment. XVI. Idem eo illuſtratur, quòd nummus aquâ tectus major appareat. Nimirum quia aqua, per quam cernitur, aëre fit denſior. Sic Sol eſt minor, cùm aër eſt purus, ac defæcatus: major, cùm eſt denſus. Item & oriens, & occidens, putatur major, quia videtur per infimum aëra, qui propter vapores craſſior eſt ſuperiori. Ideo etiam, quando aër eſt purus; Sol, antequam ortus eſt, apparet XXXIV ſcrupulis ſupra terram; ut Tycho Brahe obſervavit.

In hiſce autem ſignis ex ſole oriente magis colligere eſt de ſtatu diurno: ex ſole occidente, magis de nocturno. Ac quia ſol matutinus magnum habet ſpatium commorandi ſupra horizontem; quod de veſpertino dici nequit: eo certiora omnino ſunt Solis orientis ſigna, quàm quæ petuntur ex magnitudine, vel colore, Solis occidentis. Etſi non ignorem, aliter de hoc viſum fuiſſe Arato, & hunc ſequenti Theoni: imò Maroni itidem, & eum ſecuto Servio.

Illuſtria quoque ſigna præbent

Defectus Solis varii, Lunæque labores:

a Georg. 2. ut verſu utar Maronis *a*: quem tamen ſic refert Sacro-

b Sphæra lib. 4. cap. de eclipſi ſolis. boſco *b*;

Defectus Lunæ varios, Soliſque labores.

Sed perperam, quia Solis eſt ἀπόλειψις, Lunæ ἔκλειψις, ut diſtinguit Theophraſtus: hoc eſt, Sol deficit non verè, ſed ratione noſtri. Proinde non laborat, uti Luna, quæ

c 1 Æn. verè deficit. Nam quod legas alibi *c*;

— *Errantem Lunam, Soliſque labores:*

hoc, uti jam aliis obſervatum, non ad deliquium Solis pertinet, ſed curſum ejus per duodena cæli ſigna. Subinde autem circa eclipſes oriuntur terræmotus: cujus cauſſa eſt imminutio caloris ex luminis defectu: quem defectum Peripatetici, ut ex Ariſtotele, & Alexandro liquet, tum *μάρανσιν*, ſive *marcorem* vocant: tum *ἀμαύρωσιν*, quaſi *obſcurationem*, & *hebetationem luminis* dixeris.

Extra defectus hoſce maximè attenditur tertia, quartave Luna: cujus ſignum ſe extendit uſque ad octavam: at illa uſque ad quartamdecimam: & ita per ſeptenarios procedendum; ut eſt apud Theonem. Alba Luna ſerenitatis eſt index: uti & candor Solis. At ſi palleat, arguit pluviam, quia index eſt nubis denſioris, & aquoſæ.

Illuſtre etiam ſignum capere eſt ex ſiderum ortu, & occaſu. Nec tamen omnia æquè ſignificant, ſed ſpectandi

d Stellæ illuſtriores, & magis efficaces. ἀστέρες οἱ λαμπρότεροι, καὶ δραστικώτεροι *d*: quomodo illuſtrior eſt ortus, & occaſus Sirii: efficax magis Pleiadum, & Hyadum. Quatuor autem ſunt ſidera, quæ veteres cum philoſophi, & aſtrologi, tum medici quoque, imprimis attendebant. Ea ſunt Arcturus, Orion, Canis, & Virgiliæ. Ex quibus Arcturi ortus veſpertinus auctumnum orditur, veterum conſenſu: at matutinus ortus ver iiſdem inchoabat; ut ex Heſiodo liquet. Nec obſtat, quòd is hieme dicat oriri: quia vernum æquinoctium, quo oritur, hiemi accenſet. De ſideris hujus vehementia ſic Plautus Ru-

f Prolog. dente *e*:

Nam Arcturus ſignum ſum omnium quàm acerrimum:

Vehemens ſum exoriens; cùm occido, vehementior.

Horatii quoque eſt lib. III, od. I:

Nec ſævus Arcturi cadentis

Impetus, aut orientis Hædi.

Orionis ſidus itidem *vehemens* vocat Plinius lib. XVIII, cap. ult. *Aquoſus*, & *nimboſus* dicitur Maroni. Canis vis cognita omnibus: & de eo ſatis diximus, cùm de Nilo, & Diis Ægyptiis, ageremus. Virgiliarum occaſu frigus gliſcit; unde humor, eoque pluvium cælum.

Ventos præterea indicat creber ſiderum diſcurſus, ſive ejaculatio. Fit enim ex halitu fumido. Inde autem ventus erit, unde ſtellæ hæ, ut vocant, emittuntur. Sin aliæ verſus alias ferantur, ventorum erunt prœlia.

Nubium color trifariam indicat pluviam. Primus eſt color πράσινος, ſive porraceus; ubi lumen, quod album, miſcetur cum denſa nube, quæ nigra. Proximus eſt ἁλουργὸς, ſive purpuraſcens; qui eſt ex mixtura lucis cum nube minus denſa, quàm cùm color πράσινος; magis autem denſa, quàm ſi color ſit puniceus. Quippe puniceus eſt ex mixtura luminis cum rara nube: eoque moderatiores pluvias indicat, quàm purpureus: uti purpureus minores, quàm porraceus ſeu viridis. Quo enim rarior tenuiorque nubes; hoc, ſi cætera ſunt paria, magis erit alba, quia lux eam tranſit: quo autem denſior, eo minùs aberit à nigra, quia lux tranſire eam nequit. Denſa autem eſt aquoſa, eoque index imbris: quia ſignificat, aëra eſſe oppletum vaporibus, qui jam cogantur in nubem, ac mox reſolventur in pluviam. At rubeus nubis color ventos indicat, quia arguit exhalationem fumidam, quæ eſt venti materies. Vide inter alios Olympiodorum in III Meteorol. actione XXXVII.

Jam quid mirum, fulmina, ac tonitrua, ſpondere pluvias, aut ventos: cùm fiant, ſpiritu concluſo nubem rumpente? Eſt interea non unum hîc diſcrimen. Cùm enim magna multaque fiunt tonitrua, ventorum eſt indicium, quia ſignum eſt nubis magnas & plures habentis concavitates, quas incluſus concutiat ſpiritus. At ſi nubes æqualiter ſit denſa, majoris eſt pluviæ argumentum. Ab eâ autem parte vel pluet, vel flabit, qua plurima conſpiciuntur fulmina, vel audiuntur tonitrua. Sin magis fulſerit, quàm tonuerit, pluviæ ex ea parte erunt: ſi magis tonuerit, quàm fulſerit, ab ea parte erunt venti. Præterea, ut Theophraſtus libro de ſignis pluviarum ait, cùm tonitrua vel æſtiva ſint, vel hiberna; utraque autem vel matutina, vel hiberna: hiberna matutina majores ſignificant pluvias, quàm veſpertina. Nam æſtivo quidem tempore Sol calore ſuo faciliùs diſcutit nubem, cælumque reddit ſerenum: hiberno autem tempore non facile vincitur nubes denſa; qualis, unde tonitru erumpit: ac præſertim conſtitutione infirmiori, cujuſmodi eſt matutina. Contrà æſtiva meridiana, vel veſpertina, majores indicant pluvias, quàm matutina; quia potentia Solis ad vincendas pluvias diuturnior eſt mane, quàm cùm occidit, vel properat ad occaſum.

Caligo quoque, quæ à vapore fit, tum multo, quo à rore, & pruina, differt; tum raro, quo diſcrepat à nube; partim ſerenitatem, partim pluviam ſignificat. Serenitatem quidem, ſi terras petat; pluviam verò, ſi adſcendat. Petit autem terras ob gravitatem. Ea gravitas inde eſt, quia vaporem ſuus deſerat calor: quo deperdito, frigore condenſatur. Quod verò adſcendat quandoque, id non tam eorum fit vaporum beneficio, quibus naturâ ſuâ caligo conſtat: quàm quia vapores tenuiores è terrâ adſcendunt, qui gravioribus illis ſeſe miſcent, ut hi, jam facti leviores ex miſtura, ipſi etiam alleventur. Quod igitur caliginem ſequitur pluvia, id non prioribus tribui vaporibus debet, ſed poſtea conſecutis.

Iris pluviam ſignificat, ideoque à poëtis dicitur ὑετόμαντις: ut ait Olympiodorus III Meteor. action. XXXIII. a Pluvius vates.

Atque hoc Plautus attendens, ait Curcul. act. 1, ſc. II:

— *Ecce autem bibit arcus; pluet,*

Credo, hercle hodie.

Maro item I Georg.

— *Et bibit ingens*

Arcus.

Quo

Quo de loco Seneca lib. I. Natur. Quæſt. cap. VI.

Propertius lib. III, eleg. IV:

Purpureus pluvias cur bibit arcus aquas.

Affineque hoc Tibulli lib. I, eleg. IV:

Venturam admittat imbrifer arcus aquam.

Item illud Martial. lib. XII, epigr. XXIX:

Caſuras altè ſic rapit iris aquas.

Ac ne poëtis inſiſtam, Vitruvius eſt lib. IX, cap. IV: *Per calorem videmus non minus aquæ vapores à fontibus ad nubes per arcus excitari.*

Videntur crediditſſe, ut elephanti proboſcide, ciconiæ roſtro; ſic iridem bibere vapores cornu utroque terris incumbente. Verùm non vapores ab arcu attolluntur; ſed à cauſſa arcus, Sole nimirum. Pluviam autem eò ſignificant, quia non fiunt, niſi in nube rorida; qualis plurimùm in pluviam mox reſolvitur, nec tamen id ſine diſcrimine. Oſtendit hoc Seneca lib. I. Nat. Quæſt. cap. VI: *Non* (arcus) *eaſdem, undecunque apparuit, minas adfert. A meridie ortus magnam vim aquarum vehet. Vinci enim non potuerunt valentiſſimo Sole: tantum eſt illis virium. Si circa occaſum refulſit; rorabit, & leviter impluet. Si ab ortu, circave refulſit; ſerena promittit.* De ſerenitate non videtur veriſimilior poſſe cauſſa adferri, quàm quòd altiùs mox Sol aſſurget, eoque calor erit intenſior, ac proinde idoneus magis ad abſumendos vapores. Eſt interim hoc incertum, quia vapori abſumto ſuccedere poteſt novus. Quare non immeritò Plinius lib. II, cap. LIX: *Arcus ne pluvios quidem, aut ſerenos dies, cùm fide portendunt.* Multum interim prodeſt temporis obſervatio. Nam veſpertina iris leviores indicat pluvias, uberiores matutina, uberrimas quæ mox à meridie; quia neceſſe eſt, ut valde denſa ſit nubes, quam, ut dicebamus è Seneca, ne meridianus quidem Sol potuerit vincere. Certiores item indices pluviæ, ſi non pluerit: poſt pluviam autem, nunc pluviam, nunc indicat ſerenitatem. Quod & in geminata iride locum habet. Unde idem Plinius lib. XVIII, cap. XXXV: *Arcus, cùm ſunt duplices, pluvias nunciant; à pluviis, ſerenitatem non perinde certam.*

Nec irides ſolùm pluviæ, vel ſerenitatis, argumentum exhibent: ſed alia etiam meteora apparentia; velut parelii, coronæ, virgæ. Ac in pareliis quidem candor eorum arguit, reflexionem radiorum ad Solem fieri à nube denſa, magiſque ſolida, quàm illæ planæ, in quibus conſpiciuntur virgæ: ut Olympiodorus ait in III Meteorol. Act. XL. Nempe in pareliis tota nubes eſt aquoſa, eoque æqualis denſitas. At cum virgas conſpicimus, non eſt par ejus denſitas, eoque minus eſt vaporis condenſati. Itaque & ab ea ſolùm virgarum parte pluvia indicatur, qua nubes eſt aquoſa. Corona circa Solem ſignificat nubem aquoſam, quam Sol nequeat vincere. Si tamen diſrumpatur, indicium eſt venti, à quo fit diviſio. Circa Lunam quoque ſignificat ventum; quem ſidus hoc, ob imbecilliorem calorem, non potuit diſſolvere.

CAP. XV.

De ſignis, tum ex lucernarum lumine purpureo, & earum fungis, ſcintillis, radiis reflexis, & difficili incenſione: tum ex cineribus favillas diſpergentibus, & ignium murmure, ac flammis obliquis. Alia indicia ex aquis, ut cùm, iis tranquillis, murmur auditur, aut litorum & riparum ſonus, vel etiam cum aquæ intumeſcunt, vel bullant. Alia item ex terris: uti montium ſonitu, & ſylvarum mugitu. Alia ex animalibus, ac primùm piſcibus ut delphinis laſcivientibus, aut ſpargentibus aquam, vel ex loliginum volatu. Deinde ex avibus: ut gallorum, & paſſerum cantu; hirundinum, aliarumque avium volatu. Hinc ex quadrupedibus, ut iterato eorum coitu, vel tempore ejus anticipato: vel ex bubus aëra captantibus, aut lambentibus ungulas: vel ex voracitate quadrupedum, quod ſignum & commune iis eſt cum inſectis. Signa ex ranis, veſpis, cicadis, & ſimilibus.

QUæ hactenus ſigna adduximus, deſumta ſunt ex cælo: hoc eſt, æthere, & aëre; ſideribus, & meteoris. *Ab his*, ut Plinius a ſcribit, *terreni ignes proximè ſignificant.* Ut ignis lucernæ, quando eum aër ambit craſſior, eoque humidior, ac proinde pluviæ index. Sed hoc indicium non uno fit modo. Primùm eſt, cùm lumen circa lucernam non album apparet; ſed purpureum, ad modum iridis. Fit hoc hieme, flante auſtro; qui aëre reddit humidum, eoque indicat pluviam auſtrinam. Ab humenti iſtoc aëre, & fuligine candelæ, radii, quaſi ab ſpeculo nigro, reflectuntur; præcipuè iis, quibus viſus eſt imbecillis: ut Ariſtoteles indicat lib. III Meteorol. cap. IV.

a *Lib. 18, cap. ult.*

Fungi etiam indicium ſunt pluviæ, ventique auſtrini. Si enim auſter ſpiret, pluvia ſequetur. Sin nondum flet, conſequetur eum pluvia. Eo autem concreſcunt fungi, quia ob aëris craſſitiem, quæ eſt à vaporibus, favillæ non eventilentur unà cum fumo; ſed reſideant circa lucernas, inque putrium fungorum imaginem coaleſcant. Etſi de iſto aliquanto aliter Theo in Aratum.

Item pluviæ (non venti, quod Plinius putabat) argumentum eſt, ſi lucernæ ex ſe emittant, & quaſi ejaculentur, ſcintillas. Quemadmodum enim, ſi humoris aliquid inſpergas in lucernam, ea mox illud diſcutit: ſimiliter, ſi aër ſit humidus admodum, humore illo in lucernam incurſante, flamma illum reſpuit, quia non poſſit accendi.

Inſuper pluviam indicat, ſi radii è lucerna reflectantur. Fit enim hoc ob aëris ex vaporibus denſitatem: quæ lumen cogit, & auget, ſic ut reflecti videatur. Quid mirum? quando, ut Ptolemæus ait in ſecundo ἀποτελεσμάτων, radii etiam Solis eapſe ob cauſſam in ipſum reflectantur Solem: eoque & hoc pluviæ indicium ſit.

Lucernæ itidem cùm ſe vix patiuntur accendi, magni hoc in aëre humoris eſt indicium.

Imbres ſimiliter, aut ventos ſignat, cùm ignis cineribus contectus favillas ſpargit. Nam indicium eſt vel moti aëris, vel humeſcentis. Motus eſt à ventulo in cineres ſpirante. Humor eſt à vaporibus; qui ad ignem pertingunt, ſed inde reſiliunt, inſtar ſalis in ignem conjecti.

Atque ex his etiam cauſſa dilucet, cur, ut Plinius ſcribit, *pallidi murmurantesque ignes tempeſtatum nuntii ſentiantur: pluviæ, cùm tollentibus ollas carbo adhæreſcit: venti, ſi flexuosè volitet flamma; & cum carbo vehementer perlucet.*

Ab iſtis tranſit Plinius ad Aquas. *Eſt*, inquit, *& aquarum ſignificatio. Mare, ſi tranquillum in portu à curſu ſtabit, & murmuraverit intra ſe, ventum prædicit. Si identidem, & hiemem, & imbrem. Litora, ripæque, ſi reſonabunt tranquillo, aſperam tempeſtatem; item maris ipſius tranquillo ſonitus. Sæpe & ſilentio intumeſcit, flatuque altius ſolito jam intra ſe eſſe ventos fatetur.* Ac ibidem inter ſigna adfert *aquas bullantes.* Quod & factum à Theophraſto. Nimirum indicium præbent frigidi quidem aëris; in quo condenſentur vapores: calidæ autem terræ, mariſque; unde ex fundo ſpiritus adſcendat, & agitatione aquæ bullas gignat. In cauſſa eſt ἀντιπερίστασις b perpetua inter aëra, & terram: unde, quo aër eſt calidior, eo terra, & mare fluminaque, ſunt frigidiora: & contrà, quo eſt frigidior aër, eo & terra, & aqua, magis calent. Itaque & hiemē, ac novilunio, quando aër magis friget, maria maximè æſtuant.

b *Circumobſiſtentia, ſive caloris, aut frigoris compreſſio, & coartatio ob contrariam, circumfuſi corporis qualitatem.*

Eſt & tempeſtates colligere ex ſitu terrarum: præcipuè montibus, quia mediæ ſunt aëris regioni propiores. Maximeque ſignificant, qui mari ſunt vicini, & ſylvas habent. Sanè montium ſonitus, nemorumque mugitus, non obſcurum præbent ventorum argumentum. Quorum ratio ſatis eſt evidens.

Præterea ſunt præſagia ex animalibus. Ordiar à piſcibus cum Plinio c, cujus hæc verba: *Delphini, tranquillo mari laſcivientes, flatum* (præſagiunt) *ex qua veniunt parte: item, ſpargentes aquam turbato, tranquillitatem.* Cauſſa prioris eſt, quòd, ſi aër frigidior ſit, mare ſit calidius:

c *Lib. 18. cap. 35.*

lidius: cumque delphini calorem perſentiſcentes, incaleſcant & ipſi; à quo calore eſt major corporis agitatio. Poſterioris ratio eſt, quòd ſimulac præſentiunt mutari hunc calorem, ipſi etiam immutati aquam diſpergant. Subdit deinde Plinius: *Loligo volitans tempeſtatis ſignum.* Ubi loligo eſt, quæ Plutarcho τευθίς: qui & ejus rei rationem conatur reddere in Quæſtionibus Naturalibus. Cenſet autem id fieri, quia ſit ex piſcibus iis, qui teſtâ, & ſquamis, careant; eoque ob carnis nuditatem, ac tenuitatem, citiùs ſentiant frigus. Atque eam rationem quoque probat Cælius Rhodiginus lib. XXIV Antiquarum Lectionum, cap. XXVIII. Sed magis exiſtimo, fieri id ob ἀντιπερίστασιν antè memoratam. Nempe quia frigeſcente aëre incaleſcat mare. Quippe calor conveniens eſt loliginis naturæ, eoque qualiquali volatu quandam teſtatur alacritatem.

Nec minus aves ſignificant. Galli imminente pluviâ crebrius canunt, horiſque inſolitis. Nimirum hoc animal perſentiſcit vapores adſcendentes, & quia naturæ eſt calidæ, refrigerari iis gaudet. Paſſer manè cantans, non pluviam modò indicat, ſed etiam tempeſtatem. Nam indicium eſt validioris cauſſæ. At veſperi ſi canat, ſolùm indicat imbres, quia argumentum eſt cauſſæ imbecillioris. Hirundines, animal calidum, & ſiccum, (unde & ſtercus earum, ob calorem nimium, excæcavit Tobiam) amore modici humoris petit lacus, & alis eos ſæpius percutit. Et contrà aves multæ, aquis aliàs gaudentes, tum loca deſerunt humida, inque ſiccum ſe conferunt. Nimirum perſentiunt jam & ſiccis in locis aëra eſſe vaporibus humectatum, eoque & illa naturæ ſuæ convenire. Et fortaſſe tum etiam ex tetro aliquo odore, quem aquæ ex æſtu fundi exſpirant, fugantur ad loca naturæ ſuæ magis idonea.

Jam quadrupedia videamus. Quale eſt, quòd, Theophraſto teſte, oves, & capræ, quæ circa finem auctumni ſolent congredi, iterum coëant, aut ſolito celeriùs coitum accelerent. Significant enim, imminere frigus hibernum. Nempe animantes iſtæ citiùs nobis ſemina quædam frigoris perſentiunt in aëre. A frigore autem eo calor introrſum fugatur: unde, hoc concervato, ſemina celeriùs perficiuntur, ac abundantiora ſunt; animantiaque ipſa ad coitum valentiora. Sane ab majori hoc viſcerum calore etiam ratio peti debet, cur bis oves pariant in Magneſia, & Africa: ut Ariſtoteles refert ſect. x problem. Etiam hinc cauſſam videmus, cur frigidum aëra, ventumque Aquilonem, ad coitum conferre plurimùm, dicat idem Hiſtoriæ Animal. lib. VI, cap. XIX.

Eſt & pluviæ argumentum cùm bos caput altius elevat, & naribus patulis captat aëra. Nam perſentiſcit humorem in naribus; quo copioſius hauſto gaudet ad cor refrigerandum. Simile ſignum, cùm lambit ungulas. Eſt enim hoc animal dolori pedum obnoxium: ut ait Ariſtoteles Hiſtor. Animal. lib. VI, cap. XXI, & lib. VIII, cap. VII. Atqui aëre immutato partes imbecilles maximè afficiuntur dolore: quod & homines experiuntur vulnere faucii, vel clavo pedum laborantes, ac ſimiles.

Eſt & inſtantis pluviæ argumentum, ſi animantia ſint magis voracia. Quod in cunctis animantibus locum habet. Nempe aëre à vaporibus frigefacto, intenditur calor ventriculi: qui famis eſt cauſſa. Itaque & muſcæ, & pulices, tum vehementius mordent: quia ob calorem interius auctum ad paſtum ſtimulantur magis.

Denique nullum eſt animal, quin, cùm aër convenit naturæ, indicium gaudii præbeat, ſeu motu, ut ſaltu, curſu, volatu; ſeu voce, ut de gallis, & aliis, diximus. Ac ſimile eſt, quòd inſtante pluviâ ranæ coaxant vehementius, quia & illæ aëre gaudent humido. Multitudo etiam veſparum, cicadarum, & ſimilium, pluvii eſt anni argumentum. Humore enim generantur. Plura qui volet pluviæ, venti, tempeſtatis, & ſerenitatis, ſigna, is adeat Ariſtotelem, Theophraſtum, Aratum, Senecam, Plinium, Ptolemæum: ut de junioribus nihil nunc dicam. Nobis ſuffecerit hoc loco, non ſolùm attuliſſe præcipua, ut inde cognoſceretur bonitas Dei, præſentibus nos inſtruentis de futuris; ſed etiam cauſſas eorum appoſuiſſe; ut quanto altiùs penetremus naturam, tanto meliùs intelligamus ſapientiam ejus, qui ſic condidit naturam.

DE IDOLOLATRIÆ ORIGINE AC PROGRESSU, LIBRI TERTII

PARS II.

Quæ eſt de cultu naturaque perfectè mixtorum.

Cap. XVI.

Tribus de cauſſis introductum eſſe hominum, dum etiamnum viverent, cultum divinum. Obtinuiſſe eum apud Babylonios, Medos, Perſas, Parthos, Lydos, Ægyptios, Æthiopas, Libyas. Quo artificio Pſaphon evaſerit Deus, & ut idem fruſtra ſtuduerit Anno Carthaginenſis.

Venio ad perfectè mixta: quæ quatuor ſunt generum; homines, muta animantia, plantæ, & inanima, ſive foſſilia, velut lapides, & metalla. Ex his primùm homines divinum adepti ſunt honorem: quod factum ambitione Principum; ut qui non mortui demum divinis affici honoribus, ſed ſuperſtites quoque ſuis intereſſe ſacris vellent. Hanc rationem etiam adfert Thomas Aquinas tractatu de Symbolo Apoſtolico. Præterea videbant, ſecuriùs ſe victuros, ſi numen aliquod ineſſe ſibi crederetur. Et quid non efficiat ambitio aulicorum? Quandoquidem, ut Juvenalis ait ſat. IV:

> —— *Nihil eſt, quod credere de ſe*
> *Non poſſit, cum laudatur Dis æqua poteſtas.*

Plus quoque Joannes Sariſberienſis ait Policratici ſui libro III, cap. IV: *Nihil eſt, quod credere de ſe non poſſit, cùm laudatur, non modò Dis æqua poteſtas; ſed quæcunque anima de fermento ſuperbiæ intumeſcit.* Magna etiam eſt judicii imbecillitas in plebe, ut facilè tam eminenti loco conſtitutos æſtimet ſupra ſortem mortalium. Unde eſt, quòd, ut Auguſtinus ait in X de Civitate Dei, cap. IV, *multa de cultu divino honoribus deferuntur humanis humilitate nimiâ.* Denique & vulgus, & ſummates, & qui in his medium obtinent locum, facilè percellit metus, dum vident, apud tyrannos leviùs puniri in Deum peccantes, quàm in Principes. Quod non alibi æquè locum habuit, quàm apud Romanos Cæſares: ubi, ut Minucius in Octavio ait, *erat tutius per Iovis genium pejerare, quàm Regis.*

De hominum hoc cultu acturus, ordiar ab Aſiaticis. Ubi primùm ſe offert Babylonius Nabuchodonoſor: de quo nota hiſtoria ex Daniel. III. Paucis rem complexus Sulpicius Severus lib. II Hiſt. *Nabuchodonoſor, elatus rebus ſecundis, ſtatuam ſibi auream immenſæ magnitudinis poſuit, adorarique eam, ut ſacram effigiem, præcepit.* Puduit mandare, ut ſibi ſacrificarent ſuperſtiti: juſſit igitur ſacra fieri ſtatuæ ſuæ: quia non inſolens eſſet, ſic coli ſtatuas regum. Defunctis hæc ſtatui ſolent. Sed ambitio eo impulit, ut vivo idem ſibi fieri vellet: quemadmodum res clamat, & Iſidorus Peluſiota ait lib. II, epiſt. CLXXVII, quæ ad Theodotum presbyterum.

A Babyloniis ut imperium, ita & conſuetudo adorandi regis, tranſiit ad Medos, in tantum, ut & reges colerent, ſicut Deum ipſum. Perſas vero à Medis eandem accepiſſe conſuetudinem, auctor eſt Strabo lib. XI. Unde Artabanus Perſa ſic Themiſtoclem affatur apud Plutarchum a: Ἡμῖν δὲ πολλῶν νόμων καὶ καλῶν ὄντων, κάλλιστος οὗτός ἐστι, τὸ τιμᾶν βασιλέα, καὶ προσκυνεῖν εἰκόνα θεοῦ, τοῦ τὰ πάντα σώζοντος. *Cùm verò multæ ſint nobis leges, ac præclaræ, tum verò pulcherrima eſt iſta, quòd regem veneramur, & adoramus, imaginem Dei omnia conſervantis.* Cleo, Alexandri adulator, apud Curtium lib. VIII ait, *Perſas non piè ſolùm, ſed etiam prudenter, reges ſuos inter Deos colere. Majeſtatem enim imperii ſalutis eſſe tutelam.* Idemque, eo Perſarum exemplo, hortatus eſt Macedones ad cultum hunc præſtandum Alexandro. Unde continuo antè legas: *Cleo, ſicut præparatus erat, ſermonem cum admiratione laudum ejus inſtituit. merita deinde recenſuit. quibus uno modo referri gratia poſſit, ſi quem intelligerent Deum eſſe, confiterentur; exiguâ thuris impenſâ tanta beneficia penſaturi.* De προσκυνήσει, quæ regibus Perſicis ſolet exhiberi, varia veterum loca congeſſit Barnabas Briſſonius lib. I regni Perſici. Ea inde peti malo, quàm exſcribere hoc loco. Tantùm nunc illud dicam, hodieque Perſas regem ſuum honore proſequi divino. Eâ de re ſic M. Gaſpar, Soc. Jeſ. presbyter, in epiſtolis: *Idem fertur de Xoa Perſarum Imperatore, qui pro Deo à ſuis colitur. Aquam ex pelvi, ubi ille pedes lavit, religiosè, ut rem ſanctam videlicet, & ſalutare morborum, omnium medicamentum, ſublatam reponunt. Dominus, qui cælum terramque fulciat, atque ſuſtineat, appellatur.*

a In Themiſt.

Jam quanto honore reges ſuos proſequi ſoleant Parthi, indicat Martialis lib. X, ep. LXXII. ubi cùm dixiſſet, deſiiſſe tum Romæ morem colendi imperatorem, ut Dominum, Deumque, ſubjungit continuo:

> *Ad Parthos procul ite pileatos,*
> *Et turpes, humileſque, ſuppliceſque,*
> *Pictorum ſola baſiate regum.*

Deque iiſdem, in minori item Aſia Lydis, inque Africa Ægyptiis, non obſcurè hoc ipſum innuit Maro in IV Georg.

> *Præterea Regem non ſic Ægyptus, & ingens*
> *Lydia, nec populi Parthorum, aut Indus Hydaſpes,*
> *Obſervant.*

Quem ad locum Servius adducit illud Salluſtii: *Adeò illis* (gentibus) *ingenita eſt ſanctitas regii nominis.* De Ægypto arguit, quòd, ut idem Servius tradit in VIII Æn. *Cleopatra ſibi tantum adſumſerat, ut ſe Iſin vellet videri.* At Iſidos numine nil ſanctius Ægyptiis.

Æthiopes itidem ſub Ægypto publicè pro diis habent reges ſuos, ac privatim etiam alios, qui benefecerint. Strabo lib. XVII: Θεὸν δὲ νομίζουσι, τὸν μὲν ἀθάνατον, τοῦτον δ' εἶναι τὸ αἴτιον τῶν πάντων· τὸν δὲ θνητὸν, ἀνώνυμόν τινα, καὶ οὐ σαφῆ. ὡς δ' ἐπὶ πολὺ τοὺς εὐεργέτας, καὶ βασιλικοὺς θεοὺς νομίζουσι. καὶ τούτων τοὺς μὲν βασιλέας κοινοὺς ἁπάντων μὲν σωτῆρας καὶ φύλακας, τοὺς δ' ἰδιώτας, ἰδίους τοῖς εὖ παθοῦσιν ὑπ' αὐτῶν. *Deum putant, alterum immortalem, qui rerum omnium cauſa ſit; alterum mortalem,*

talem, qui nomine careat, & non ſit cognitu facilis: plerumque autem eos, à quibus beneficium acceperunt, & regios, pro diis habent: ac putant reges ſuos communes omnium ſervatores & cuſtodes eſſe; cæteros verò, privatos eorum, quibus benefecerunt. Loqui autem de regibus ſuperſtitibus, oſtendunt, quæ non multo antè legas: Σέβονται δ' ὡς θεοὺς τοὺς βασιλέας, κατακλείστους ὄντας, καὶ οἰκουροὺς τὸ πλέον· *Reges colunt, ut Deos, qui fere clauſi conſident domi.* Cujus rei teſtis quoque Diodorus lib. III. Vide autem, an in allatis Strabonis verbis pro βασιλικοὺς, quod puto ſignet purpuratos regis, non ſcribendum ſit, βασιλεῖς, quandoquidem ſic eſt in epitome Strabonis: vel βασιλικοὺς θεοὺς corruptum ſit, ex βασιλεῖς ὡς θεοὺς, regulos ut Deos.

Habemus & exemplum apud Libyas. Nam Pſaphon, homo non magnæ rei, pro Deo à Libycis cultus, cùm aves varias docuiſſet domi, Μέγας θεὸς Ψάφων, dimiſſæque illæ hoc in ſylvis ceciniſſent: ut eſt apud Michaëlem Apoſtolium *a*, & Arſenium Monembaſienſem *b*. Ac ſimile conatus Anno Carthaginenſis. Sed diſpari ſucceſſu. Nam dimiſſæ aves, canere oblitæ, quod captivæ didicerant; ad cantum rediere nativum: ut varia in Hiſtoria refert Ælianus lib. XIV, cap. XXX.

a *Centuria 20. proverb 100.* b *In Apophthegmatis voce* Ψάφων.

Cap. XVII.

Mutia, & Lucullea, *feſti dies ab Aſiaticis inſtituti in honorem Mutii Scævolæ, & L. Luculli. De cultu Alexandri Magni, & ſuper eo Athenienſium decretum, Spartanorum item: deque honore, quem habitum iere Græci, non Demetrio Poliorcetæ modò, ſed etiam fœdis ejuſce adulatoribus. Deque cultu Pyrrhi Epirotæ, & ſpleneticis ab eo miraculosè, ut creditum, ſanatis. Ut Cæſar Auguſtus, dum viveret pro Deo habitus ſit Romanis: ac Horatius eum videri voluerit eſſe Mercurium, qui deſcenderit cælis: deque aris illi erectis, &* ἀποθεώσει, *quam eidem ſcripſit Ovidius, & ſacerdotibus ei dicatis, quos* Auguſtales *dixere. De cultu Tiberii, Caligulæ, Claudii, Domitiani, Cæſarum. Atque ut Chriſtiani etiam imperatores, alio licet ſenſu, varias retinuerint formulas divinitatis à gentilibus introductas. Quâ mente* numinis *appellatio ſit attributa illis, qui divini numinis vicem obtinerent. Utrum Germani Veledam habuerint pro Dea, an muliere divinâ: deque Raſdi ſeu Varaſolo, culta ab Hungaris. Item ut Calliſthenes quoque, gentilis licet, hunc hominum cultum improbarit.*

A Barbaris ad Græcos venio, & Romanos. Primùm de Græcis videamus, qui Aſiam habitarunt peninſulam. Ubi feſtos ſtatuêre dies Romanorum illis, qui juſte ſancteque provinciam adminiſtraſſent. Id factum fuit Q. Mutio Scævolæ. Unde Cicero in Verrem lib. II: *Mithridates in Aſia, cùm eam provinciam totam occupaſſet, Mutia non ſuſtulit; hoſtis, & hoſtis in cæteris rebus nimis ferus & immanis: tamen honorem hominis, deorum religione conſecratum, violare noluit.* Meminit hujus feſti & Aſconius in Divinat. & in Verr. III. Itidem *Lucullea* inſtituerunt in honorem Luculli: quo de feſto Plutarchus in Luculli vita, & Appianus de bello Mithridatico.

Jam in Europam navigemus. Satis eſt notum, ut Alexander Magnus, non à Perſis modò Deus voluerit haberi; ſed ſuis etiam Macedonibus, & Græcorum aliis; qui hac parte Macedonibus erant faciliores. De Demade Athenienſi ſic legas apud Ælianum Var. Hiſt. lib. V, cap. XII: Ἐκκλησίας οὔσης Ἀθηναίοις παρελθὼν ὁ Δημάδης, ἐψηφίσατο θεὸν τὸν Ἀλέξανδρον τρεισκαιδέκατον· *Convocatâ Athenienſium concione exſurgens Demades, decreto ſtatuit, ut Alexander Deus eſſet decimus tertius.* Hoc eſt, ut acceſſio fieret XII Conſentium. Quod tamen indignè adeò tulerunt Athenienſes, ut iccirco centum talentis multarint Demadem. Arguteè verò, ex gentis more, ſic decrevere Spartani, Ἐπειδὴ Ἀλέξανδρος βούλεται θεὸς εἶναι, ἔστω θεός· *Quandoquidem Alexander vult eſſe Deus, eſto Deus.* Memorat Ælianus lib. II Var. Hiſtor. cap. XIX.

Quomodo autem Athenienſes adulati ſint Demetrio Poliorcetæ, refert Clemens Alexandrinus Admonitione ad Gentes: Ὅπου γε καὶ ὅλα ἔθνη, καὶ πόλεις αὔτανδροι, κολακείαν ὑποδυόμεναι, ἐξευτελίζουσι τοὺς μύθους περὶ τῶν θεῶν, ἰσοθέους ἄνθρωποι καταχηματίζοντες ἑαυτούς, ὑπὸ δόξης πεφυσημένοι, ἐπιψηφιζόμενοι τιμὰς ἑαυτοῖς ὑπερόγκους· νῦν μὲν τὸν Μακέδονα τὸν ἐκ Πέλλης τὸν Ἀμύντου Φίλιππον, ἐν Κυνοσάργει νομοθετοῦντες προσκυνεῖν, τὸν τὴν κλεῖν κατεαγότα, καὶ τὸ σκέλος πεπηρωμένον, ὃς ἐξεκόπη τὸν ὀφθαλμόν. αὖθις δὲ τὸν Δημήτριον, θεὸν καὶ αὐτὸν ἀναγορεύοντες· καὶ ἔνθα μὲν ἀπέβη τοῦ ἵππου Ἀθήναζε εἰσιών, καταβάτου ἱερόν ἐστι Δημητρίου· βωμοὶ δὲ πανταχοῦ, καὶ γάμος ὑπὸ Ἀθηναίων αὐτῷ ὁ τῆς Ἀθηνᾶς ηὐτρεπίζετο· οἱ δὲ τὴν μὲν θεὸν καὶ αὐτὸν ἀναγορεύοντες· ὁ δὲ τὴν μὲν θεὸν ὑπερηφάνει, τὸ ἄγαλμα γῆμαι μὴ δυνάμενος· Λάμιαν δὲ τὴν ἑταίραν, εἰς Ἀκρόπολιν ἀνιὼν, καὶ τῷ τῆς Ἀθηνᾶς ἐνεφύρετο παστῷ, τῇ παλαιᾷ παρθένῳ τὰ τῆς νέας ἐπιδεικνὺς ἑταίρας σχήματα. *Cùm etiam integræ gentes, & cum ipſis viris urbes, adulatione utentes, ſermones de Diis viles & contemptos reddant, homines ſeipſos efficientes, Diis æquales. inflati à gloria, immodicos ſibi honores decernentes: nunc quidem Macedonem Pellæum, Amyntoris filium, Philippum, in Cynoſarge adorandum decernentes; cui & fractus erat jugulus, & fracta tibia, cui fuerat excctus oculus: & rurſus Demetrium ipſum quoque Deum vocantes; & ubi is ex equo deſcendit Athenas ingrediens, eſt templum Demetrii Deſcenſoris. Ubique autem aræ, & nuptiæ, Minervæ ei parabantur ab Athenienſibus. Ille autem deam quidem deſpiciebat, cùm non poſſet nubere imagini: ſed cum Lamia meretrice aſcendit in arcem, & in Minervæ thalamo volutabatur, veteri virgini, meretricis juvenis figuras & habitus oſtendens.* Nec ſolùm ſic aſſentati ſunt Demetrio; ſed ejus etiam adulatoribus tribus. Nam & his divinos decrevere honores; ut ex vigeſimo hiſtoriarum Democratis prodit Athenæus lib. VI. Nomen illis Buricho, Adimanti, & Oxythemidi; quibus ſtatuiſſe ait καὶ βωμοὺς, καὶ ἡρῷα, καὶ σπονδάς· *& aras, & ſacella, & ſacra.*

Pyrrho quoque, Epirotarum regi inclyto, divinus honos habebatur. Credebatur autem mederi liene laborantibus, modò gallum offerrent gallinaceum, velut Æſculapio alteri, ac lienem dextro pede leniter preſſiſſet. Nulli ille hoc beneficium, nec egentiſſimo, negabat: gallum quoque, qui, ſacrificio peracto ei offerebatur, velut præmium accipiebat lubens. Cenſeo equidem, de reſtitutis hoc pacto ſpleneticis, figmentum fuiſſe eorum, qui adularentur Regi: vel ſiqui verè liberati ſint morbo, proveniſſe hoc ab ingenti fiducia, quam in Pyrrho reponerent: ut pleniùs dicemus, ubi ad Deam Opinionem fuerit deventum. Hæc de Græcis.

Apud Romanos divino primus honore, dum viveret, affectus eſt Auguſtus. Maro Ecl. I:

> *Namque erit ille mihi ſemper Deus: illius aram*
> *Sæpe tener noſtris ab ovilibus imbuet agnus.*

Ubi Servius: *Semper, id eſt, poſt mortem, & dum vivit. Alii imperatores poſt mortem in numerum referuntur Deorum: Auguſtus templa vivus emeruit.* Horatius lib. III, od. III:

> *Hac arte Pollux, & vagus Hercules*
> *Innixus, arces attigit igneas:*
> *Quos inter Auguſtus recumbens,*
> *Purpureo bibit ore nectar.*

Et od. V:

> —— *Præſens divus habebitur*
> *Auguſtus.*

Item lib. II, epiſt. I:

Præ-

Præſenti tibi maturos largimur honores,
Jurandaſque tuum per nomen a ponimus aras.

a Niſi cum Barthio malis numen. Sed omnino per nomen Auguſti, ipſe intelligitur Auguſtus: ut nomen Romanum pro Romanis. Tuum igitur nomen, id eſt, te.

Quin idem, ut fœde ſatis aduletur Auguſto, videri eum vult eſſe ipſum Mercurium, cæloque deſcendiſſe formâ indutum humanâ: eoque, ubi mortale hoc corpus deponere velet, non tam iturum in cælum, quàm rediturum: quod ut ſerò fiat, exoptat. Sic enim ſcribit *b*:

b Lib. 1. od. 2.

Sive mutatâ juvenem figurâ
Ales in terris imitaris, alma
Filius Majæ, patiens vocari
Cæſaris ultor:
Serus in cælum redeas, diuque
Lætus interſis populo Quirini.

Primitus tamen ea fuit Auguſti modeſtia, ut nullum pateretur Romæ ſibi templum exſtrui: imo nè in provinciis quidem, niſi pariter nomine Romæ, & ſuo: uti eſt apud Tranquillum in vita ejus cap. LII. Sed paullatim, ut ſolet, crevit ambitio. Itaque Lugduni, eodem Tranquillo *c* teſte, ara Auguſto erecta eſt, Julo Antonio, & Fabio Africano, conſulibus; eo ipſo die, quo natus eſt Claudius imperator: Narbone item in foro conſtituta ei fuit ara, T. Statilio Tauro, & M. Æmilio Lepido coss. Quibus diebus, & quomodo ejus numini ſupplicandum fuerit, & hoſtiæ immolandæ, marmoreæ docet tabulæ inſcriptio: quam habes in Collectaneis Inſcriptionum Gruterianis pag. CCXXIX.

c In Claudio cap. 2.

Imò Auguſti, ſuperſtitis inquam, ἀποθέωσιν *d* ſcripſit Ovidius: ut ipſe refert in IV de Ponto eleg. VII, & IX. Ab eadem eſt cauſſâ, quòd apud Propertium legas, libro III, eleg. III:

d Conſecrationem.

Arma Deus Cæſar dites meditatur ad Indos.

Sacerdotes ejus dicti ſunt *Auguſtales*: qui genium viventis adorabant in compitis: dabantur autem huic cultui homines libertini. De Tiberio Cæſare ſic Scribonius Largus epiſtolâ ad Julium Calliſtum: *Tradendo ſcripta mea medicinalia Deo meo Cæſari.* Ita habet cùm Pariſina Ruellii editio, tum Baſileenſis Cratandri: unde perperam illud *Deo* rejecere poſteriores.

De C. Cæſare Caligula ſic Tranquillus lib. IV, cap. XXII: *Templum etiam numini ſuo proprium, & ſacerdotes, & excogitatiſſimas hoſtias inſtituit. In templo ſimulachrum ſtabat aureum Ionicum. Amiciebaturque quotidie veſte, quali ipſe uteretur.* De eodem Cajo Cæſare, ut ſuperſtite, ſic loquitur L. Seneca libro de Tranquillitate animæ cap. XIV: *Nec jam procul erat tumulus, in quo Cæſari Deo noſtro fiebat quotidianum ſacrum.*

Claudius etiam vivus in Britannia cultus eſt pro Deo. Unde ad illum poëta ejus temporis *e* ſic ſcribit:

e Lib. 2. epigrammatum, & poëmatiorum veterum, p 60. ed. Pariſ. an. 1580.

Oceanuſque tuas ultra ſe reſpicit aras.
Qui finis mundo eſt, non erit imperio.

Seneca in ἀποκολοκυνθώσει: *Parum eſt, quòd templum in Britannia habet: quòd nunc* (Lipſ. *hunc*) *barbari colunt, & ut Deum orant.* Tacitus in XIV. Annal. *Ad hæc templum Divo Claudio conſtitutum adſpiciebatur; delectique ſacerdotes, ſpecie religionis, omnes fortunas effundebant.*

Domitiani impudentia longè eſt notiſſima: de qua Tranquillus in ejus vita cap. XIII: *Pari arrogantiâ, cùm procuratorum ſuorum nomine formalem dictaret epiſtolam, ſic cœpit: Deus & Dominus noſter ſic fieri jubet.* Quomodò & eum appellat Martialis lib. V, epiſt. VIII:

Edictum Domini Deique noſtri.

Mirum verò ſub Chriſtianis imperatoribus, etſi gentilem illum non admitterent cultum, modos tamen loquendi eſſe reſervatos. nempe ne eorum vileſceret auctoritas, qui Dei vicem obtinerent inter homines. Hinc Amulinus, proconſul Africæ, epiſt. ad Conſtantinum M. apud B. Auguſtinum epiſt. LXVIII: *Scripta Cæleſtia Majeſtatis veſtræ accepta, atque adorata.* Ac ſimiliter Latinus Pacatus panegyrico, quem dixit Theodoſio: *Deum dedit Hiſpania, quem videmus.* Et Claudianus præfat. de tertio Honorii conſulatu:

Me quoque Pieriis tentatum ſæpius antris
Audet magna ſuo mittere Roma Deo.

Symmachus lib. X, epiſt. XXI, quæ ad Theodoſium, & Arcadium Auguſtos: *Præcipua quidem beneficia numinis veſtri populus Romanus exſpectat, Divi imperatores. Sed en jam quaſi debita repetit, quæ æternitas veſtra ſponte promiſit.* Dixeris, non placuiſſe talia imperatoribus Chriſtianis. Imò ſecus eſt, quando de ſeſe ſic ipſi loquuntur. Sic *Noſtram divinitatem* dixere Theodoſius & Valentinianus AA. L. III Cod. de ſumm. Trinit. ac eâdem lege eſt, *Noſtrum divinum præceptum.* Honorius item, & Theodoſius de ſe, *noſtrum numen*, inquiunt L. VIII, & IX Cod. de ſacroſanctis Eccleſiis. Videas & imperatores juſſionem ſuam vocare, nunc *cæleſte oraculum*; ut L. X Cod. de Sacroſanct. Eccl. nunc *ſacrum oraculum*; ut L. V Cod. Si contra jus, vel utilit. publ. nunc *divinum verbum*; ut L. II Cod. de Mandat. Princip. Suntque alia id genus in eorum edictis complura. Verum enimvero non propriè ſic loquuntur; quomodo hæc ſoli conveniunt Numini ſupremo: ſed ſolùm κατὰ μεταφορὰν, quatenus vicem Dei obeunt in terris. Unde Theodoſius ipſe in Theodoſ. Cod. L. XV, tit. IV: *Siquando noſtræ ſtatuæ, vel imagines, eriguntur; ſeu diebus, ut adſolet, feſtis, ſive communibus, adſit Judex, ſine adorationis ambitioſo faſtigio; ut ornamentum diei, vel loco, & noſtræ recordationi, ſui probet acceſſiſſe præſentiam. Ludis quoque ſimulachra propoſita tantùm in animis concurrentum, mentiſque ſecretis, noſtrum numen, & laudes vigere demonſtrent. Excedens cultura hominum dignitatem ſupremo Numini reſervetur.* Ubi clarè videmus, diſtingui inter cultum convenientem numini imperatoris, & illum, humanam qui excedit culturam, numinique convenit ſupremo. Et ſanè *numen* naturâ ſuâ idem eſt ac *nutus*; ut *momen*, ex quo *momentum*, idem ac *motus*; *augmen*, unde *augmentum*, idem ac *auctus*; parque ratio in aliis. Hæc cauſſa eſt, cur διακριτικῶς *a* dicamus, *numen divinum*. Sed quod ἁπλῶς *b* *numen* pro divino numine dicimus, id fit κατ᾽ ἀντονομασίαν *c*. Quod verò ad *Dei* nomen, id ſatis conſtat in Scripturis ſæpius tribui hominibus in dignitate conſtitutis: ut Exod. VII, 1, & XXII, 8, item 1 Sam. XXVIII, 13. Pſal. XLVII, 10, & LXXXII, 6. Joan. X, 34. Fit hoc ob communicatam quodammodo poteſtatem Dei: ita ut jus dicentes Deum repræſentent, velut imago ejus. Unde Corippus Africanus in laudem Juſtini Auguſti Junioris lib. II:

a Diſtinctionis ergo.
b Simpliciter.
c Per figuram, qua generale vocabulum pro excellentiori ſpecie accipitur.

Terrarum dominis Chriſtus dedit omnia poſſe.
Ille eſt omnipotens, hic omnipotentis imago.

Jam à Romanis ad Europæorum eos veniamus, quos illi, pro faſtu ſuo, *barbaros* vocitabant. Qualis Germanorum natio; cui feminæ etiam pro Deabus habitæ creduntur, propter illud Taciti lib. IV. Hiſtoriarum: *Mummius Lupercus, legatus legionis, inter dona miſſus Veledæ. Ea virgo, nationis Bructeræ, latè imperitabat, vetere apud Germanos more, quo pleraſque feminarum fatidicas, & augeſcente ſuperſtitione arbitrentur deas.* Sed non de nihilo eſt, quod ait, *augeſcente ſuperſtitione.* Quaſi dicat, tandem id fieri in animis quorundam imperitiorum; quales præ cæteris ſunt ſuperſtitioſi. Ideo alibi ait, *pleroſque ſic deſipere.* Ut ſatis liqueat, non eam fuiſſe opinionem omnium, vel majoris partis. Locus, quem dixi, ac quo item pro Diis habitas adſtruunt, eſt libro de moribus Germanorum: *Ineſſe etiam ſanctum aliquid, & providum* (feminis) *putant: nec aut conſilia earum aſpernantur, aut reſponſa negligunt. Vidimus ſub divo Veſpaſiano Velledam, diu apud pleroſque numinis loco habitam. Sed & olim Auriniam, & complures alias, venerati ſunt, non adulatione, nec tanquam facerent Deas.* Mihi verborum Taciti hæc potiùs mens videtur, Germanos, pro Apollinari, & ſimilibus oraculis, conſuluiſſe virgines, vel feminas, quibus divini

vini aliquid ineſſe exiſtimarent. At pro deabus iccirco habitas non dicit; imò diſertim negat. Solùm igitur hoc voluit, habitas eſſe pro vatibus, ac divinis. Quomodo & accipi oportet verba illa Dionis in ἐκλογαῖς περὶ πρεσβειῶν, à Fulvio Urſino editis, fragmento XLIX: Ὅτι Μάσυος ὁ Νασαμώνων βασιλεὺς, καὶ Γαύνα παρθένος ἡ μετὰ τὴν Βελήδαν ἐν Κελτικῇ θειάζουσα, ἦλθον πρὸς τὸν Δομιτιανὸν, καὶ τιμῆς παρ' αὐτοῦ τυχόντες, ἀνεκομίσθησαν· *Maſyus Naſamonum rex, & Gauna virgo, quæ poſt Veledam in Celtica ſive Germania, furore fuit afflata divino, ad Domitianum venerunt, honoreque ab eo affecti, domum ſunt reverſi.* Fulvius monet, verba illa, μετὰ τὴν Βελήδα, corrupta videri. Credo, non occurrebat illi Veleda Tacito memorata; uti & Statio Papinio; ex quo diſcimus, captum eſſe poſtea, ductamque in triumphum. Locus eſt lib. I Silvarum, Soteriis pro Rutilio Gallico:

> —— *Arctoas acies, Rhenumque rebellem,*
> *Captivæque preces Veledæ.*

Et ſanè poetæ ejus verba non eſſe hac parte corrupta, fidem etiam fecerit Suidas in Θειάζουσα: ubi hunc Dionis locum, ſed, ut ſolet, præterito ſcriptoris nomine, adducit; planè ſimiliter, niſi quòd pro Μάσυος, habet Μέσυος; pro Νασαμώνων, Σεννόνων; pro Γαύνα, Γάννα; & pro μετὰ τὴν Βελήδα, quod eſt, *poſt Veledam*, μετὰ τῆς Βελήδας, *cum Beleda.* Quæ nihil faciunt ad ſummam rei. Solùm pro Σεννόνων reſcribe Σεμνόνων: qui ad Albim, teſtibus Strabone, Tacito, Ptolemæo, Zoſimo, imò & Vellejo.

Poſt Germanos etiam conſideremus Hungaros: de quibus M. Joannes de Thwrocz in Chronicis Hungaricis parte II, cap. XXXIX, refert, ut Janus, filius Vathæ de caſtro Beli, qui primus Hungarorum dæmoniis ſe dedicârat, pro Dea coluerit Raſdi, quæ capta à Chriſtiano rege Bela, carcereque concluſa fuit, uſque dum proprios comedens pedes moreretur. Quam verò Thwroczius nuncupat *Raſdi*: eam Antonius Bonfinius lib. XII *a* rerum Hungaricarum *Varaſolo* appellat.

a P. 223. verſ. 45. edit. Oporinianæ.

Atque hæc de cultu hominum cæleſtes honores uſurpantium in terris: quos egregiè refellit Calliſthenes, apud Curtium quidem lib. VIII diſſerens adverſus Cleonem: apud Arrianum autem in IV, Anaxarcho reſpondens.

Cap. XVIII.

Tranſitur ad hominis naturam, nos deducentem ad Deum creatorem. Quid per calorem nativum, & humidum radicale, intelligatur. Cujus temperamenti homines vitam ducant vitalem magis. Inter cauſſas vitæ ſubſtantiales externas primus locus datus aëri, & qualis aer noceat. Cur ingenio Auſtrales, Septentrionales robore præſtent. Quando largius aſſumi conveniat alimentum. Quam noxia ſit retentio eorum, quæ excernimus: ac in his ſeminis genitalis. Sudor tale excrementum eſt concoctionis tertiæ, quale urina eſt in ſecunda. Inſenſilis perſpiratio quam vitæ ſit neceſſaria, & contrarium ejus, quod ἀδιαπνευστίαν vocant, quam noxium ſit, & quibus à cauſſis proveniat, & quo indicio deprehendatur.

OStendimus, ut homines, etiam dum in terris agerent, ſint habiti pro Diis. Nunc aperiam, ut homo cognitione ſui perducatur in amorem & cultum veri numinis, quod eum fecit. Tria autem præcipuè ſunt, quibus Deus beneficentiam oſtenderit erga omne genus humanum; vita, ſenſûs, & uterque λόγος, ſive ratio, & oratio.

Vitam an etiam foſſilia, habeant, poſtea fortaſſe videbimus. Illud quidem inter philoſophos convenit, eſſe eam homini non cum mutis modò animantibus, ſed cum plantis etiam, communem: ſic tamen, ut clariùs & excellentiùs ea reluceat in homine, qui omnium eſt viventium menſura.

Vita (quæ à Græco βιοτὴ, ſeu Doricè βιοτὰ, ſic dicitur) eſt conjunctio animæ cum corpore: ut ſit modus exiſtentiæ, nec à vivo differat, niſi ut modus, & res. Fit hæc conjunctio vinculo caloris nativi, & humoris radicalis. Caloris autem nativi nomine non eum modò, qui nobis ab ortu ipſo ineſt; ſed illum quoque complector, qui in animantibus quotidie ex corde, velut fonte, in reliqua influit membra. Itidem per humorem radicalem intelligo tum primogenium, quem à parentibus habemus; tum influentem, qui ex benigniori alimentorum ſucco naſcitur. Humidum convenit eſſe non aquoſum, ac tenue; ſed aërium, pingue, & bene compactum. Calidum item, non igneum, & acre, eſſe oportet; ſed benignum, & blandum. Hujuſmodi temperamentum magis reperias in ſanguineis: ac propterea per ſe magis ſunt vivaces. Sed per accidens fit, ut ſæpe aliis celeriùs diſcedant. Quemadmodum ſi nimis indulſerint Veneri, & Baccho, quæ naturam nimis debilitant. Proximum poſt eum locum obtinent cholerici, qui minùs ſunt vivaces ſanguineis, quia calor eorum eſt igneus, non blandus. Ab cholericis item vincuntur phlegmatici, quia parum his eſt calidi nativi; at humor eſt copioſus; neque is aëreus, ſed aqueus. Minimè omnium vivaces ſunt melancholici; quia cum vita in calido, & humido conſiſtat, hi temperamento ſunt frigido, & ſicco. Temperamentum autem intellige non illud Arithmeticæ proportionis, quod vocant æquale ad pondus: ſed proportionis Geometricæ, ubi qualitas una majori eſt gradu, quàm altera: nec eo minus eſt commoda temperies, quia talis diſpoſitio tali convenit naturæ.

Nec tamen longitudo, aut brevitas vitæ, ſolùm ab interiori temperie dependet; ſed etiam ab cauſſis externis: quarum aliæ ſubſtantiæ ſint, aliæ accidentia duntaxat. Subſtantiæ ſunt triplices; aër, alimentum, excrementum. Quorum ſingulis attributa à Deo vis juvandi, & lædendi.

Aer conducit moderatè calidus, purus, & ventilatus. Nam, niſi moveatur, putreſcit. Frigidus admodum per ſe nocet: prodeſt tamen per accidens populis Septentrionalibus, quippe & robuſtis, & vivacibus magis: idque quia frigore aëris ſic calor conſtringatur nativus, ut non diſſipetur. Ac propterea earum etiam regionum arbores ſunt aliis proceriores, & aptiores ædificiis. Fere tamen ingenio aër iſte frigidus obeſt: unde communis eſt opinio, gentes Septentrionales magis parandis eſſe imperiis idoneas, quam conſervandis.

Alterum erat alimentum; quod à calore innato attenuatum, & immutatum, in ſanguinem, & vires, tranſit. Tantum ne ſit vel alienum à corporibus noſtris, ut venena: vel immoderatum, quale non reficit, ſed opprimit vires: vel varium, cujuſmodi expetitur à ſtomachis faſtidientibus; ſed non citra noxam, quia turbulentâ, & inæquali concoctione inquinat magis, quàm alit: vel denique ne non ſuo ſit ordine adſumtum, cùm multum quoque referat, ne ea, quæ tardius concoquuntur, prius comedantur illis, quæ facilè putreſcunt. Tempus etiam anni eſt conſiderandum. Æſtate enim parcior convenit cibus, quia tum diſpergitur calor innatus. Hieme conceditur largior, quia tum calor ab externo frigore interius pulſus cibum melius & concoquit, & digerit. Æſtate item amplius bibitur, quia aër ſiccior ſiticuloſos reddit. Hieme convenit meracius, quo membra exteriori frigore torpentia calore vini intepeſcant. Similiter ætatis faciendum diſcrimen. Dum corpus incrementum capit, plus alimoniæ requirit. Uti & ſi laboribus exerceatur corpus. Multum quoque refert, quanto adſueverimus, cùm ſubita etiam in melius commutatio noxia eſſe ſoleat. Exemplo, præter alios, nobis ante hos annos XXV clariſſimus, & amœniſſimi vir ingenii, Dominicus Baudius fuit; qui multo feciſſet ſapientius, ſi majori vitæ parte immodico adſuetus mero, non derepente, ſed paullatim, genium defrudaſſet.

Quid quod non ab alimentis modò, ſed excrementis

etiam,

etiam, dependeat vita? Sic meminimus, Senatorem ampliſſimum, & nobis, dum viveret, amiciſſimum, lotio retento, paucos intra dies deceſſiſſe. Celſi quoque eſt lib. I, cap. III: *Ex ventre ſuppreſſo inflammationes, capitis dolores, aliaque ſuperioris partis mala increſcunt.* De retentione ſeminis notum vel exemplo Michaëlis Verini, de quo Politianus: *Ne ſe pollueret, maluit ille mori.*

Sed hac parte, ut tempora nunc ſunt, peccari neutiquam ſolet. Contrà fit plurimùm, ut (quemadmodum ait Tullius in Catone) *libidinoſa intemperanſque adoleſcentia effœtum corpus tradat ſenectuti.* Nec obſcura eſt ratio. Quippe immoderata Venus, & calorem juſto magis auget in jecore, & renibus: & ob meatus patentiores reſolvit ſpiritus in corde, cerebro, & ſtomacho. Hinc in jecore ſanguis fit nimis bilioſus: in renibus oritur nephritis: in corde & artubus palpitatio, & ab eadem cauſſa deliquium animi: à cerebro, catarrhi: in ſtomacho, cruditas, & variæ hinc obſtructiones; æſtate imprimis, quia cibus tum difficiliùs concoquitur, & digeritur. Oculi quoque læduntur, quia avocatur ab iis ſpirituum copia: oculorum tunicæ indurantur, meatus vix pervii fiunt. Quæ omnia ſingulos ſpectant: ſed præcipuè ſenes; quos Venus frigidiores, & quia tranſpirationem impediat, graviores plurimùm reddit. Ac propterea utile eſt attendere etiam, quomodo quis affectus ſit poſt Venerem, & ſomnum. Si poſt ea conſequatur corporis laſſitudo, reſpiratio difficilis, & pro agilitate corporis, gravitas ejus major: indicium habemus, plus Venere eſſe ablatum, quàm acceſſerit ſomno.

Etiam ad excrementa pertinent ſudor, & inſenſile illud, quod perſpiratur. De ſudore nemo, quod dixi, mirabitur, niſi idem miretur de urina. Nam, ut Galenus ait in decimo de ſimplicium medicamentorum facultatibus: Ἱδρὼς, ὅς τι καὶ τοῦτο τῶν ἐν σώματι τοῦ ζώου γινομένων ὑγρῶν, ὕλην τε τὴν αὐτὴν ἔχον, τὸν τρόπον γενέσεως τὸν αὐτὸν τοῖς οὔροις. Ἐκ γὰρ τῆς πινομένης ὑγρότητος ἡ γένεσις ἀμφοτέρων ἐστὶ, θερμαινομένης τε ἅμα κατὰ τὸ σῶμα, καί τι χολώδους οὐσίας προσλαμβανούσης. Ἐπιπλέον γὰρ ὁ ἱδρὼς κατείργασται, διεξεληλυθὼς ἄχρι τοῦ δέρματος ἅπαντα τὰ μεταξὺ μόρια. *Sudor, & hic unus eſt humorum in corpore provenientium humano, eandem & materiam habens, & generationis modum, ac urina. Siquidem uterque generatur ex eo, quem bibimus, humore, calefacto in corpore, & bilioſæ aliquid ſubſtantiæ adepto. Attamen ſudor magis eſt elaboratus, quia, tranſmiſſis partibus omnibus, ad cutem uſque pervenit.* Ut igitur urina Lucretio *a ſaccatus corporis humor* dicitur: ita & ſudor eſt liquor colatus ſeroſi illius humoris, qui ſanguini miſcetur, & præcipuè à ſpiritu irruente propelli foras ſolet.

a Lib. 4. v. 1022.

Inſenſile, quod perſpiratur, partim per os abit, partim per poros, cùm corpus naſſæ inſtar ſe habeat, niſi quòd foramina ejus ſint valde exigua. Per os non ultra ſelibram exſpiratur: quod arguunt guttæ ſpeculo ori oppoſito affuſæ. Sed per poros, ſi de die adſumtus ſit cibus octo librarum, tranſpirabitur plus minùs libris quinque. Nempe ut plurimùm. Neque enim certi aliquid hic præſcribi poſſit, quia omne hoc variat pro ratione naturæ, ætatis, regionis, ciborum, & ſimilium. Sunt verò ejus, quod tranſpiratur partes duæ: una levior, quæ, ſimulac tranſpirata eſt, evolat: gravior altera, quæ emiſſa obſidet corpus, ac materies eſt pediculorum, & cauſſa contagionis in unà cubantibus. Quod ſi inſenſilis tranſpiratio ceſſet (ἀδιαπνευσίαν Græcè dixeris) putreſcunt humores; unde varia morborum genera. Provenit hoc malum ab aëre frigido; præſertim ſi frigeamus, dum ſomnum capimus: item oritur à cibis craſſis, & viſcoſis; vel ſi negligatur omne corporis exercitium; vel valida corpora diu nimis abſtineant Venere. Retentæ autem tranſpirationis eſt argumentum, ſi corporis pondus ſolito magis auxerit; nec tamen vel plus ſolito adſumtum ſit alimenti, vel plus retentum ſit excrementi. Sed omne hoc argumentum qui accuratius noſſe volet, adeat Sanctorium Sanctorii in Statica ſua Medicina *b*.

b Venetiis edita anno 1614.

Denique ad excrementa etiam pertinent flatus ventris: unde Stoicorum *a* erat opinio, non minùs eos liberos, quàm ructus eſſe oportere. Quale quidem de iis edictum meditatus fuerit Claudius Cæſar, in ejus vita dicet Tranquillus *b*.

a Cicero lib. 9. epiſtolarum, ea quæ incipit, Amo verecundiam.
b Cap. 32.

Cap. XIX.

Quantum ad vitam proſint exercitia corporis. Interim diſpiciendum eſſe, ne vel à cibo nos multum exerceamus; vel alias etiam, ne nimis vehemens ſit exercitium; vel ne poſt laſſitudinem aquis natemus gelidis, aut frigidæ potui indulgeamus. Dii palæſtrici, Mercurius, Apollo, Hercules, Caſtor. Labor inter Deos inferos. Quies Dea erat Romanis: fanum ejus fuiſſe extra portam Exquilinam, ut docuit Strabo; non Collinam, quæ mens fuit Auguſtini. Cur Romani, cùm Quietem pro numine colerent, non tamen ei publicè ſacrificarint. Orcus Quietalis. *Somni bona, & Affectuum, eò attinguntur dumtaxat, quia de illis inferiùs agetur.*

De corporibus iis vidimus, quibus vel aſſumendis, vel excernendis, vita conſervatur humana. Ab hiſce cauſſis, quas ſubſtantiales nuncupant, confero me ad accidentales: ut ſunt motus, & quies; ſomnus, & vigilia; varii item affectus animorum. Singulorum ex iſtis maxima à Deo data eſt vis in vita, vel tuenda, vel deſtruenda.

Motus enim, ſive exercitium, torpentem in nobis excitat calorem, eoque & ſpiritus reddit vegetos, & alacres: atque ut ventilatio paleas è tritico, & ſpicas inanes, flatu diſpellit: ita exercitatio quoque fugat noxios è corpore humores. Quâ ſimilitudine hoc ipſum illuſtrat Lucianus de Gymnaſtica. Atque idem Galenus indicat lib. I περὶ ὑγιεινῶν· Γυμνάσια δύναται τὰ περιττώματα λύειν, καὶ διὰ τῶν πόρων ἐκκενοῦν. *Exercitationes poſſunt ſuperflua diſcutere, & per meatus evacuare.* Imò, Vegetio *a* auctore, *Rei militaris periti plus quotidiana armorum exercitia ad ſanitatem militum putarunt prodeſſe, quàm medicos.* Propterea & Socrates ſæpius, Laërtio *b* teſte, ſaltitabat; gnarus, uti aquæ deſides putreſcunt, ita & corpora noſtra corrumpi otio atque ignavia. Quod egregiè Ovidius expreſſit in ſexta miſſarum de Ponto elegiâ:

a Lib. 3. cap. 2.
b Lib. 2.

Cernis ut ignavum corrumpant otia corpus?
Ut capiant vitium ni moveantur aquæ?

Imò de ingenio ſic idem in quincto Triſtium eleg. XII:

Adde quòd ingenium longâ rubigine læſum
Torpet, & eſt multò, quàm fuit ante, minus.

Tantum attendatur, quando quis ſe exerceat, & quantopere, & ut pòſt ſe componere debeat. De primo ſic Hippocrates lib. VI Epidem. ſect. IV aphoriſ. ult. Πόνοι σιτίων ἡγείσθωσαν· *Labores antecedant cibos.* Alioqui labore calor diſſipatur per corpus, & à ſtomacho ad exteriora vocatus, concoctionem impedit; unde corpus crudis repletur humoribus. De altero cavendum illud, ne immoderata ſint exercitia, quæ humidum radicale exſiccant: imò, ut Seneca *c* ſcribit, *conſumunt, quicquid in nobis mite placidumque eſt, & acria concitant.* Jam, quod tertium ſpectat, exercitio laſſis videndum, ne aquis natent gelidis: quod in ingens vitæ periculum conjecit Alexandrum, ut eſt apud Curtium in tertio: vel frigidam avidiùs bibant, quòd tantopere damno fuit exercitui Pompeji ad Cambyſem amnem: quemadmodum eſt apud Dionem lib. XXXVII.

c Lib. 3. de Ira, cap. 9.

Cùm autem plurima ſint bona moderati laboris, nullum tamen in Diis meruit locum; ne ille quidem palæſtricus. Sed palæſtritæ coluere Mercurium, Herculem, & Caſtorem. Unde Tertullianus lib. de Spectaculis, cap. IX: *Sed & gymnicas artes Caſtorum, & Herculum, & Mercuriorum diſciplina prodiderunt.* Hinc Ἑρμῆς Ἐναγώνιος Pindaro Pyth. od. II, & Ἀγώνιος Iſthm. od. I,

antiſtr. iv. Imò Mercurio, & Herculi, commune in ſtadio templum poſuere Arcades, teſte Pauſania a. Illuſtre quoque illud Salviani lib. vi de Gubernatione Dei: *Colitur & honoratur Minerva in gymnaſiis, Venus in theatris, Neptunus in circis, Mars in arenis, Mercurius in palæſtris.* Sed & Apollo Ἐναγώνιος colebatur; ut videre eſt ex Plutarcho in viii Sympoſ. Luciano in Anacharſide, & aliis. Vide ſis, quæ de Diis palæſtræ præſidibus tradita ſunt Petro Fabro Agoniſtici lib. i, cap. xvi, & xvii.

a *In Arcadicis.*

Sed ut Labor ille non eſſet in Diis, qui fieret, ut morbum effugiamus, ac robuſti ſimus, atque agiles; quos gymnaſticæ fines facit Ariſtoteles in viii Politicôn, & Galenus in iii Hygieinôn: is tamen labor, qui ſuſcipitur ad fugiendam famem, & egeſtatem, relatus in Deos fuit; ſed à poëtis, nec niſi inter numina infera: unde Maro collocat ante Orci veſtibulum; ubi & Famem, & Egeſtatem, & ferreos Eumenidum ſive Furiarum thalamos conſtituit. Contentionis filius, Noctis nepos, dicitur Heſiodo. Sic enim ille in Theogonia b:

b *Verſ.* 226.

Αὐτὰρ Ἔρις στυγερὴ τέκε μὲν Πόνον ἀλγινόεντα.

Sententiam ſic expreſſeris:

Sed peperit dirum Contentio dira Laborem.

Ubi, cujuſmodi Labor intelligatur, indicat, quòd ei fratres tribuat Prælia, Cædes, Mendacium, Legum contemtum, Perjurium: ad cujuſmodi ſæpe adigi homines videas egeſtate, & ærumnabilis laboris fuga. De Labore ſatis.

At Quies (quæ, ſecundùm Ariſtotelem c, privatio eſt motus in eo, quod moveri eſt idoneum) pro Dea ab ipſis habita eſt Romanis. Ejus fanum fuit in via Labicana, teſte Livio in iv: *Cùm, inquit, hæc agerentur, jam conſul Labicanâ ad fanum Quietis erat.* Via hæc Labicana à porta Exquilina ſtadiis cxx, hoc eſt xv milliaribus, ducebat Labicum, vetus oppidum, ſed jam Strabonis ætate dirutum: ut legere apud eum eſt lib. v. Sanctus tamen Auguſtinus lib. iv de Civit. Dei, cap. xvi, ait, Quietem fanum habuiſſe extra portam Collinam. Atqui inter portam Exquilinam, quæ nunc vocatur Divi Laurentii, & Collinam, quæ dicitur Salaria, interjecta erat porta Viminalis, quæ nunc B. Agnetæ. Omnino Straboni hac parte potiùs acceſſero, quàm magno Hipponenſium antiſtiti. Ait idem antiſtes, non ſolere Quieti publicè ſacra fieri: & cauſſam adducit geminam, quarum una eſt, quia populus Romanus eſſet inquies. Num hoc voluit, fuiſſe amantiorem belli, quàm pacis? Utcunque eſt, cenſeo eò ſacra ejus publicè neglecta, quia ſegnium videretur, amare quietem magis, quàm laborem: tum etiam quòd quies propria ſit mortuorum; unde *quieti* pro *defunctis* apud Maronem in iv Æn. d & Orcus, quia omnibus afferat quietem, eſt *Quietalis* e dictus; ut conſtat ex Feſto. Notum illud poëtæ Sulmonenſis f:

c *Lib.* 5. *Natur. Auſcult. cap.* 6. *ſive aliis* 8.
d *Verſ.* 379.
e *Sic recte eſt in MSo pro* Quietalus.
f *Lib.* 2. *Amor. eleg.* 9.

Longa quieſcendi tempora Fata dabunt.

Sed veriſimile eſt, eos, qui Quietem inter Numina retulerunt, illam potiùs cauſſam ſpectâſſe, qua honeſtè gravia diffunduntur negotia, ut ſic vita prorogetur, & edulcetur. De qua luculentè Seneca libro de Tranquillitate Animi cap. xv. Merebatur locus adſcribi; ſed prolixior eſt: & quid iſtoc opus, quando ſapiens ille Hiſpanus manibus omnium viritim teritur; ſanè debet?

Sequitur Somnus; cujus multa item bona, dummodo eum aliquo poſt cibum intervallo, non ſaturi mox capiamus. Alioqui crudo cibo vis gravatur concoctrix, ac ſpiritus opprimitur, haut aliter ac ſi natantibus onera appendas. Ut juvet quoque, aſſumendus eſt, non ad ſocordiam; ſed ad medicinam. Nimius enim exſtinguit calorem nativum; unde animi pariter, ac corporis torpor. Ut verò Somnus in Deos quoque ſit relatus, in Affectionibus corporum dicetur.

Denique & affectus ſunt idonei vel producere, vel corripere vitam. Plurimùm enim ad longævitatem confert animus tranquillus, ac ſerenus. Triſtitia quippe cum metu conſtringit fibras, atque ita exſiccat humorem corporis nativum; haut ſecus ac, ſi compreſſeris ſpongiam, prope omnis inde exſtillat liquor. Sed de Affectibus inferiùs majori curâ erit dicendum: ubi bona, malaque Affectuum exponam, & ut propter eam vim illis ſit attributus in Diis locus.

Cap. XX.

Quomodo Varro dimenſus ſit hominis ætates. Qui μελλέφηβοι, ἔφηβοι, ἐξέφηβοι, *& quam laxè Homerus vocabulo* ἥβης *utatur,* Maro *item* juventis. Hebe, *ſive* Juventas *Dea,* Iovi à poculis. *Etiam apud Romanos Juventutis templum fuit.* Bona ætas, *pro* juventute; *ut* mala *pro* ſenectute. *Senectus poëtis numen, ſed inferum; & cauſſa ejus. Ut Solon per ſeptenarios diſtinxerit ætates. De climactericis nobilioribus tribus: uno, qui reſultat ex annis ſepties ſeptenis; altero, qui ex novies novenis; tertio, qui ex ſepties novenis, ſeu novies ſeptenis. Ut ſeptenarius corpus, novenarius animum ſit creditus immutare: ac ille propterea Apollini, corporis medico; hic Muſis, quæ animæ medentur, fuerit ſacratus: atque ut Platoni, quia exactis annis novies novenis mortuus eſſet, à Magis fuerit ſacrificatum. Alii item, qui eâ ætate deceſſerint. Cur aliqui, anni ſexageſimi tertii minorem eſſe potentiam exiſtiment, quam quadrageſimi noni, vel octogeſimi primi. Quo anno ætatis deceſſerit Ariſtoteles. Climactericos non eſſe Chriſtianis extimeſcendos. Cujuſmodi ſeparatio animæ intelligatur, cum Mors definitur: eaque occaſione locus in Actis Apoſtolicis enarratus. Mors alia naturalis, alia violenta; & ut hæc fiat per* μαρασμὸν, *aut* σβέσιν; *& variæ utriuſque genera.* Decrepitis *unde nomen. Cur naturalis mors nullum, vel exiguum, adferat dolorem. Quare exitialis ſit halitus carbonum accenſorum cubiculo concluſo. De morte Catuli, & Cæſaris Ioviani. Qua de cauſſâ cicuta hominem exſtinguat. De morte Diogenis Cynici, & ſcurræ Veneti. Ut plantæ vel æſtu, vel frigore nimio, exareſcant. Mors poëtis Dea, cui & ſacrificatum: deque ara ejus apud Gaditanos.*

HÆc de cauſſis vitæ. Duratio verò ejus propter mutationes, quæ certis contingunt intervallis, in varias diſtinguitur ætates. Quam diverſas autem vias inſtiterint veteres in ſpatiis hiſce dimetiendis, accuratè dicet Cenſorinus de die natali cap. xiv. Inter alia commemorat doctiſſimi Varronis opinionem: cui impubes ſunt uſque ad annum decimumquintum; adoleſcentes inde uſque ad trigeſimum; hinc juvenes uſque ad quadrageſimum quintum; exinde ſeniores uſque ad ſexageſimum; reliquâ autem ætate ſenes. Sed de impubibus quod ſimpliciter ait, ſolis de maribus capiendum. Nam in femellis pueritia extenditur ad annum xii exactum. Sub adoleſcentibus verò & adoleſcentulos comprehendit. Quales anno decimoquinto ſunt μελλέφηβοι, decimoſexto ἔφηβοι, decimoſeptimo ἐξέφηβοι: ut ibidem legere eſt. Satis verò eſt apertum, vocabula hæc eſſe impoſita ἀπὸ τῆς ἥβης a: qua voce tum lanugo inguinis, tum ætas, quæ ea ſuccreſcit, indicatur. Porrò Homerus, contrà quàm juniores ſolent, latè adeò extendit ἥβης tempus, ut non modò conveniat adoleſcentulis; ſed adoleſcentibus quoque. Sicut contrà Latini nomen *juventutis* capiunt pro *adoleſcentia.* Unde Maro viii Æn. a *A pube.*

Tum mihi prima genas veſtibat flore juventa.

Itaque Dea, quæ Græcis Ἥβη, ea Latinis non *Hebe* ſolùm; ſed etiam *Juventas* nominatur. Hæc pocula fingitur diis miniſtrare, quia Dii ſemper vigorem habeant juvenilem. Homerus ait Herculi nuptam: quia Herculeum robur juvenili convenit ætati; non ſenili, quæ animi magis, quàm corporis viribus pollet. Nec poëtis ſolùm Dea eſt; ſed etiam pro numine culta eſt Romanis. Livius lib. xxxvi b: *Item Juventutis ædem in Circo Maximo C. Licinius Lucullus duumvir dedicavit. Voverat* b *Cap.* 36.

eam

eam ſexdecim annis ante M. Livius Coſ. quo die Aſdrubalem, exercitumque ejus, cecidit. Nec mirabitur, Juventutem fuiſſe cultam pro Dea, qui cogitârit, quanta ſint bona ejus ætatis. Unde &, uti Nonio obſervatum, *bonam ætatem* pro *juventute* poſuit Marcus Tullius libro de Senectute: *Quod ſi ipſis voluptatibus bona ætas fruitur lubentiùs, primùm parvulis fruitur rebus.* Ut contrà *malam ætatem* pro ſenectute dixit Afranius Vopiſco:

Mala ætas nulla delinimenta invenit.

Hoc eſt, puellæ quidem formoſæ à natura habent, quo ſuos demulceant amatores: ſed anûs nec à natura, nec à philtris, inveniunt, quo delinire animos adoleſcentiæ, & in ſui pertrahere amorem, poſſint.

Et tamen hæc quoque mala ætas relata eſt à poëtis in Deos; ſed inferos. Nempe non attenderunt ad ſenectutis bona; qualis eſt prudentia, & tot alia à Tullio recenſita libro de Senectute; ſed tantummodo illa, quæ vulgus conſiderat, corporis imbecillitatem, & ſæpius triſtem ac querulam vitam. Unde Maro in VI Æn.

Veſtibulum ante ipſum, primis in faucibus Orci,
Luctus, & ultrices poſuere cubilia Curæ,
Pallenteſque habitant Morbi, triſtiſque Senectus,

Ibidem mox addit:

Ferreique Eumenidum thalami.

Sanè Eumenides in Diis: uti & in Morbis Febris, ipſis Romanis. Ut, quin Senectus itidem Maroni inferatur, tanquam numen, minimè ſit dubitandum.

Mirum verò & in creſcente, & ſtatâ, & decreſcente ætate, fere pro ſeptenariis ſic variare corpus: quod pro planetarum ſeptem dominio fieri putatur. Solon hanc diverſitatem oſtendit verſibus illis, quorum initium, Παῖς μὲν ἄνηβος ἐών. Sententiam ſic expreſſit Cenſorinus *a*: *Fere poſt ſeptimum quemque annum articulos quoſdam, & in his aliquid novi, natura oſtendit; ut & in elegia Solonis cognoſcere datur. Ait enim, in prima hebdomade dentes homini cadere, in ſecunda pubem apparere, in tertia barbam naſci, in quarta vires, in quincta maturitatem ad ſtirpem relinquendam, in ſexta cupiditatibus temperari, in ſeptima prudentiam linguamque conſummari, in octava eadem manere, in qua alii dixerint oculos albeſcere, in nona omnia fieri languidiora, in decima hominem fieri morti maturum.* Cumque natura, ut ex iſtis liquet, ſeptennio quoque variet: tum maximam ajunt fieri mutationem, ubi, duplicato hoc numero, exacti ſint anni ſepties ſepteni: hoc eſt, anno quinquageſimo; quando etiam mulierum fere fœcunditas conquieſcit: non quaſi vis ulla numeris inſit, ſed quia ſic Deus fecerit naturam, ut pro certo temporum agat intervallo.

a Cap. 14.

Quamquam verò Solon dicat, pro ſeptenariis tum corpus, tum animum, mutari: aliorum tamen opinio eſt, ſeptimo quolibet variare corpus; at nono quovis immutari animos noſtros: atque hoc in novenariis fieri, uſque dum, & hoc numero duplicato, hoc eſt novies novenis exactis, mens à ſe abeat. qui quadratus numerus, ſed eo, quo interpretabamur, modo, potentiſſimus eſt in iis, in quibus animi potiùs, quàm corporis, natura dominatur. Imò ferè, ſi Cenſorino *b* credimus, *qui tales fuerunt, non priùs vitâ excedunt, quam ad annum illum octogeſimum & unum pervenerint: in quo Plato finem vitæ, & legitimum eſſe exiſtimavit, & habuit legitimum.* Ac propterea Platonem magi plus quàm hominem exiſtimarunt. Unde Seneca epiſt. LVIII: *Nam hoc ſcis, puto, Platoni diligentiæ ſuæ beneficio contigiſſe, quod natali ſuo deceſſerit, & annum unum atque octogeſimum implevit, ſine ulla deductione. Ideo Magi, qui fortè Athenis erant, immolaverunt defuncto; amplioris fuiſſe ſortis, quàm humanæ rati, quia conſummaſſet perfectiſſimum numerum, quem novem novies multiplicata componunt.* Etiam, ut Cenſorinus *c* ait, *hoc anno & Dionyſius Heracleotes, ut vitâ abiret, cibo abſtinuit: & contrà Diogenes Cynicus cruditate in choleram ſolutus eſt. Eratoſthenes quoque, ille orbis terrarum menſor, & Xenocrates Platonicus, veteris Academiæ princeps, ad eundem annum vixerunt.*

b Cap. 15.
c Cap. 15.

Quia verò, ut diximus, pro ſeptenario quidem corpus, pro novenario autem variare animus exiſtimatur: eò prior numerus ſacratus eſt Apollini, qui corpori facit medicinam: at poſterior Muſis, quæ animos ſanant: nam animis Muſicam perturbatis mederi, ſatis conſtat. Plutarchus lib. IX Sympoſiacôn quæſt. III: Ἡ γὰρ ἐννεὰς δή που τῶν Μουσῶν, ἡ δ' ἑβδομὰς τῷ Μουσηγέτῃ προσκεκλήρωται· *Novenarius Muſis, ſeptenarius eſt Apollini dicatus.* Cenſorinus cap. XIV: *Plerique duos iſtos numeros ſubtiliter diſcreverunt, dicentes, ſeptenarium ad corpus, novenarium ad animum pertinere: hunc medicinæ corporis, & Apollini attributum; illum Muſis, quia morbos animi, quos appellant πάθη, Muſica lenire, ac ſanare, conſueverit.*

Quòd ſi ſeptenarius, & novenarius, concurrant, tum animi, tum corporis variare vis ſolet: minùs tamen tum vehemens eſt corporis immutatio, quàm cum ſeptimus eſt ſeptenarius: minùs etiam validè impetitur animus, quàm cùm nonus eſt novenarius. Nempe potentiùs agere creditur natura in numeris quadratis: qualis non eſt, ſi ſepties novena, vel novies ſeptena, componas. Audiamus & de iſto quoque diſſerentem Cenſorinum: *Itaque primum climactera annum quadrageſimum, & nonum, eſſe prodiderunt; ultimum autem octogeſimum, & unum; medium verò ex utroque permixtum; anno tertio & ſexageſimo; quem vel hebdomades novem, vel ſeptem enneades conficiunt. Hunc licet quidam periculoſiſſimum dicant, quod & ad corpus, & ad animum pertineat: ego tamen cæteris duco infirmiorem. nam utrumque quidem ſupradictum continet numerum, ſed neutrum quadratum: & ut ab utroque non eſt alienus, ita in neutro potens. Nec multos ſanè, quos vetuſtas claros nomine celebrat, hic annus abſumſit. Ariſtotelem Stagiritem reperio: ſed hunc ferunt naturalem ſtomachi infirmitatem, crebraſque morbidi corporis offenſiones, adeo virtute animi diu ſuſtentaſſe; ut magis mirum ſit, ad annos ſexaginta tres eum vitam protuliſſe, quàm ultra non protuliſſe.* Atque hæc dum ſcribo, in mentem venit, pauculis ſolùm menſibus abeſſe ætatem meam ab medio iſtoc climacterico. Sive autem is verè infirmior eſt climactericorum aliis, ut ait Cenſorinus: ſive id ſcripſit, ut metum demeret Q. Cærellio, eum extimeſcenti: nec is, nec climactericus quiſquam, nec mors ipſa, formidini eſſe debet homini Chriſtiano. Nam cùm gentilis etiam poëta *a* in magna beatitatis parte ponat, ſi

a Martialis lib. 10. epigr. 47.

Summum nec metuas diem, nec optes:

quanto minus nos mortem convenit timere, quibus ea eſt melioris vitæ initium? Quare ſi nondum eò perfectionis devenimus, ut cum Apoſtolo *b cupiamus diſſolvi, & eſſe cum Chriſto*: ſaltem voluntatem noſtram ſubjiciamus divinæ, eo nos ſolantes, quod, ut idem ait Apoſtolus *c*, *nemo nos ſeparare poſſit à dilectione Chriſti*: ac, *ſive d vivimus, ſive morimur, Domini ſumus.*

b Philipp. 1, 23.
c Rom. 8, 35.
d Rom. 14, 18.

Sed quia jam à vita ad mortem nos perduxit oratio, hujus quoque cauſſas conſideremus.

Quemadmodum anima cum corpore permanet, dum calor durat nativus; quod *vitam* vocamus *e*: ſic eadem à corpore ſeparatur, cùm calor is deficit prorſus. Intellige autem ſeparationem non ratione ſitus, & loci: ſed ratione conjunctionis perſonalis. Nam utcunque anima in corpore ſit; ſi tamen non ampliùs informet, jure dicitur ſeparata, quia non vivificat corpus. Atque ita capienda ſunt verba Pauli Actor. XX, 10, cùm de Eutycho jam mortuo, ſed mox vivificando, ait, τὴν ψυχὴν αὐτοῦ ἐν αὐτῷ εἶναι· *animam ejus in ipſo eſſe.* Nec enim illa corpore exceſſerat: duntaxat diſſolutum erat vinculum ejus cum corpore. Ac, puto, ſimiliter capiendus eſt locus Matth. IX, 24, cùm Chriſtus puellam, quam reſuſcitaturus erat, non mortuam ait, ſed dormire.

e Ariſt. de juv. ſen. vita & mor.

Cur omnimoda ſeparatio ſit neceſſaria, eam Ariſtoteles adfert rationem, quòd cuncta ſuam habeant originem, & quæ orta ſint, occidere ſit neceſſe. Sed cauſſa hæc non ſimpliciter eſt vera; cùm angeli, & animæ noſtræ, ſint im-

immortales. Dixeris, de corporeis eſſe ſermonem. Verùm ſic quoque Galeno adſentiam, qui libro περὶ μαρασμοῦ a cenſet, ut argumentum hoc Ariſtotelis probabile fuerit, nullà tamen neceſſitate fulciri. A Galeno tamen in illo abiero, quòd putat, experientiâ ſolâ id conſtare. Planè enim arbitror, ratione niti, cur omnibus ſit moriendum. Nam ut mittam primorum parentum culpam, quâ & ſibi mortem meruere, omneque genus humanum eidem involverunt neceſſitati: à natura noſtra eſt, quòd ex alimento humidum quidem abſumatur à calore nativo; id verò, quod terreſtre eſt, ex parte relinquatur; eoque corpus humanum exſiccetur magis, & magis; quæ & cauſſa eſt rugarum in corpore ſenili.

a De marcore.

Eſt verò mors alia κατὰ φύσιν, ſive *naturalis*: alia παρὰ φύσιν, ſive *violenta*. De utraque earum ſic M. Tullius in Catone Majore: *Adoleſcentes mori ſic mihi videntur, ut cùm aquæ multitudine vis flammæ opprimitur: ſenes autem, ſicut ſuâ ſponte, nullâ adhibitâ vi, conſumptus ignis exſtinguitur. Et quaſi poma ex arboribus, ſi cruda ſunt, vi avelluntur; ſi matura, & cocta, decidunt: ſic vitam adoleſcentibus vis aufert, ſenibus maturitas.* Verùm & adoleſcentes morte moriuntur naturali, & ſenes violentâ. Quare paullo explicatiùs de utrâque dicendum. Naturalis eſt mors, quæ eſt à principio inſito, ſive ab ipſo animante; ut cum humidum nativum à calore proprio ob temporis diuturnitatem paullatim abſumitur; eoque conſumto, ob pabuli inopiam, calor contabeſcit. Uſu hoc venit in ſenibus decrepitis: qui exſtinguuntur inſtar lucernæ ſuâ ſponte langueſcentis, ac tandem defectu pabuli cum crepitu exſpirantis: unde & *decrepitos* vocari, Scaliger non abſurdè conjicit ad Feſtum. Veriſimilius interea eſt, ſic dici, quia ſimiles ſint curribus veteribus, aliiſque rebus fragilibus, quas difficulter loco moveas, quin crepitum edant. Hujuſmodi mors fit citra dolorem, ut Plato ait in Timæo: vel ſaltem cum dolore exiguo, cùm magnus dolor ſemper ſit ab cauſſa aliqua præter naturam; quales externæ. Quæ verò mortis genera proximè ad hanc accedant, vide apud Cardanum lib. VIII de rerum Varietate cap. XL.

Violenta eſt mors, cùm caloris exſtinctio provenit à principio externo. Eſtque duplex. Quemadmodum enim duo ſunt modi, quibus ignis perit: unus alimenti defectu, qui μαρασμὸς vocatur; Latinè *marcorem*, vel etiam *exſiccationem* dixeris: alter à contrario, nempe materiâ frigidâ, & humidâ; quæ σβέσις, ſive *exſtinctio* nominatur: ita & in corporibus noſtris calor nativus duobus corrumpitur modis: quos & ipſos κατὰ μεταφορὰν ſimiliter, atque id, præeunte Ariſtotele *b*, *marcorem*, & *exſtinctionem*, nominamus. Sed cùm mors etiam naturalis fiat per marcorem; nunc ſolùm loquor de marcore violento: cujus ratio eſt triplex; una ab aëre, altera à pabulo, tertia à corde.

b De juvent. ſeneƈt. vit. & mort.

Ac ab aëre quidem bifariam eſt cauſſa mortis: puta quia is vel nullus, vel noxius. Deficit enim apoplecticis, & laqueo ſtrangulatis: quales moriuntur, quia aër, quo ad refrigerandum cordis calorem opus eſt, attrahi nequeat, ſpiritûs meatibus interclusis. Atqui, niſi juge ſit refrigerium, duplicatur calor internus, ſubitoque omnem conficit humorem. At inconveniens aër attrahitur, ſi vel nimis calidus ſit, vel corruptus. Priori & meſſores quandoque ſub dio moriuntur in æſtu ingenti: aliqui item in balneis, ubi non omnis deficit aër, ſed frigidus. Minimeque omnium conveniens aër venenatus; qualis ille, qui halitu peſtilente, vel aliter, infectus.

Concurrere poſteriora duo videntur, ſi in cubili undique concluſo, & tectorio calcis recentis obducto, prunæ accendantur. Nam cùm ſpiritus noſter ſit tenuis, moderatè calidus, & lucidus: nihil ei inimicius eſt halitu illo tetro ex calore prunarum, & madore parietum. Quippe & fervore ſpiritum accendit, & nigrore lucem ejus offuſcat, & craſſitie tandem plane obſtruit meatus, ut non poſſit liberè commeare. Sic ſponte vitam finiiſſe Lutatium Catulum, narrat Appianus lib. I de bello civili. Ac ſuorum inſidiis ſimiliter interiit Cæſar Iovianus: quod obſcurè narrat Ammianus Marcellinus lib. XXV. Ac quamquam de mortis genere abeant B. Chryſoſtomus homil. XV. in illam ad Philippenſes; alii item, teſte Zonara; quos & ſecutus Suidas in Ἰοβιανός: Ammiano tamen ſubſcribunt B. Hieronymus epiſt. ad Heliodorum, Sext. Aurel. Victor in ejus vita, Oroſius lib. VII, cap. XXXI, Socrates lib. III, cap. XXII, Sozomenus lib. VI, cap. VI, ac alii complures.

Imò, ut de calce recenti nihil eſſet, idem prunæ valeant in loco anguſto, & undique concluſo. Nec ſine horrore recordor, quàm, penè, ante annos hoſce circiter XXX, eo mortis genere in muſæo ſuo fuerit exſtinctus neceſſarius, ac propinquus meus, Joannes Antonides Corputius, vir ut vetuſti generis ſplendore, & quæſtoriâ dignitate, ita virtute, ac variis animi dotibus egregius. De quo actum fuiſſet, ac conclamatum, niſi jam animo defectum, famuli indicio, uxor Maria Buſenia, matrona præſtantiſſimi cujuſque judicio, variis rariſque virtutibus ſexum ſuum longè ſupergreſſa, ac poſtea illuſtri fœderatæ Belgicæ ad Venetos legato Joanni Berkio Equeſtris Ordinis viro nupta, primùm aperiendo fores, ac feneſtras, mox in frigidiorem, ac puriorem aëra deportando, quaſi ab Orco revocaſſet.

Præterea exſtinguitur calor, vel defectu pabuli, vel exceſſu, vel vitio ejus. Ac defectu quidem obeunt, qui fame enecantur. Copiâ verò, qui ſe cibo potuque nimio onerant quotidie. Vitio autem alimenti excedunt hydropici; quibus humidum aqueum eſt pro lento, & oleoſo. Adhæc, qui aconito, vel aliis pereunt venenis. Inſuper qui cibos aſſumunt, quos concoquere non poſſint; ſive ob naturam eorum, ſive ob imbecillitatem caloris nativi. Quomodo Diogenes Cynicus mortuus eſt, cùm crudam comediſſet ſepiam, aut πολύποδα, ut eſt apud Athenæum *a*: pro quo βοὸς πόδα perperam legitur apud Laërtium. Etiam Nicolaus Leonicus Thomæus *b* narrat, Venetiis ſibi notum fuiſſe ſcurram famoſum, qui, ut riſum præberet præſentibus, vivam deglutierit anguillam; ſed unde quartum intra diem exceſſerit.

a Lib. 7.
b Comment. in Ariſtotel. de juvent. ſeneƈt. vit. & mort.

Præterea, cùm cor ſit focus caloris nativi, motu cordis labefactato etiam flacceſcit ſpiritus: quò etiam refer, quando præ nimiâ lætitiâ ſpiritus planè à corde avocatur.

Expoſuimus, quo pacto fiat μαρασμὸς βίαιος, *marcor violentus*. Sequitur alter mortis violentæ modus, qui σβέσις, ſive *exſtinctio*, nuncupatur. Eſtque is ſimilis flammæ multitudine aquarum oppreſſæ. Hujus generis eſt, quando homines in magno æſtu gelidæ potu enecantur: vel quia per nives longum iter facientes dormiant in via. Ac Galenus huc etiam referebat, quando pereunt cicutâ. Cenſet enim, frigore ſuo calorem exſtinguere, ac ſic meatus omnes coarctare, ut ſpiritum planè intercipiat. Nives tamen cicutâ ſunt frigidiores, nec interimunt hominem: ut hoc de cicuta fortaſſe ſit à qualitate noxia, quâ ſpiritum inficiat.

Ex iis verò, quæ de hominis, aliorumque animalium, morte diximus, etiam ſtatuere eſt de plantarum interitu. Similiter enim pereunt ob alimenti inopiam; quæ vel ab nimio æſtu eſt, vel frigore nimio. Nam maximo aëris circumfuſi fervore ſic plantarum laxantur pori, ut evaporet tenuis earum calor, qui naturam temperabat: terra etiam arefacta, niſi opem imbres tulerint, alimentum negat.

Ingenti autem frigore exſtinguitur exiguus ſtirpium calor, vel ob ἀντιπερίστασιν *c* interiùs ſe recipit; ubi adauctus duplicatuſque, alimentum, quod habet, citò abſumit: nec terra aliud ſuggerere valet ob humores frigore congelatos.

c Circumquaque obſiſtentem qualitatem contrariam.

Etſi verò natura hominis à nullo æquè abhorreat, ac à morte: tamen & illi apud poëtas in numinibus eſt locus. Unde Maro in XI:

Multa boum circa mactantur corpora Morti.

Ubi Servius annotat, & Mortem eſſe Deam, memoratam

ratam quoque Lucano, Statioque: hujus eſſe *a*, *In ſcopulis* b *Mors ſæva ſedet*: illius autem,

—— Ipſamque vocatam,

Quam petat a nobis, Mortem tibi coge fateri.

Sed & in Orphei initiis habes hymnum Morti, cui mannâ thuris ſacrificatum. Eſt numen hoc implacabile, cùm eam effugere liceat nemini. Itaque nulla ei fuit ara conſtituta, exceptâ unâ apud Gaditanos: uti teſtis Euſtathius in Iliad. ix, & Dionyſii περιηγήσει. Meminit & Ælianus in Hiſtoria Varia; ut alibi diximus.

a *Lib. 4. Thebaid. verſ.528.*
b *Ita eſt apud Servium. Sed apud ipſum Statium eſt:* In ſpeculis Mors atra ſedet.

Cap. XXI.

De prima animæ vegetativæ facultate, quæ nutritionem præſtat: & triplex ejus ratio; & cur pueritiæ cicatrices ad ſenectutem uſque perdurent. Cur humidum, quo ſpiritus alitur, non aqueum, ſed pingue, & unctuoſum eſſe oporteat. Quamobrem aſſa magis nutriant, quàm elixa. Quæ de cauſſa item tanto durent tempore lapides, & metalla. Non eſſe optimam inſtaurandi humoris roſcidi, & ſanguinis viam, ſi adſumantur illa, quæ jam in ea ſint converſa. Quomodo nutriantur plantæ. Cur cocta corporibus noſtris magis conveniant, quàm cruda. Appetitum ſtomachi fallacem eſſe menſuram cibi adſumendi. Duplex inteſtinorum uſus. De ſex partibus unius, & ejuſdem inteſtini, ac pro illis varia ſortiti nomina, & quæ nominum illorum ratio ſit: quanta item inteſtini longitudo, & cur id tot anfractibus diſtinguatur. Cur gemina ſit tunica inteſtinis: & quis uſus meſaræi, & unde ſit meſaræi *nomen: atque ut aliter* menſenterium *dicatur, deque eo lapſus Ciceronis. De concoctione ſecundâ; quæ præſtat fel, ſanguinem, pituitam, & atram bilem: & quæ horum quatuor humorum ſint receptacula. Quomodo accipi debeat vulgatum illud,* Splen ridere facit. *De duplici ſanguinis diffuſione per corpus: unâ per venas, alterâ per arterias. Poſterioris fontem eſſe cor. Hujus ſitus, & ratio ejus, adfertur: deque gemino cordis ventriculo: & ut vitalis in eo ſpiritus elaboretur, inde in cerebrum perductus fiat animalis. Spiritum mediæ eſſe naturæ inter flammam, & aëra. Eundem toto corpore eſſe continuum; cerebro tamen humano uberius contineri, quàm alio membro: ſecus eſſe in reptilibus, imo & aviculis, & utriuſque indicia. Calorem non ſolùm à ſpiritu innato abſumi, ſed aere etiam externo. Cur inſecta, electro incluſa, in multa durent ſecula, hac parte regibus beatiora. Exinde colligi, utile eſſe, ſi excludatur aër nimius è corporibus noſtris: ac fieri hoc bifariam, coarctando poros frigore, vel obſtruendo eos unguento, aut re alia. Atque hinc Hibernos videri longævos: imo & Britannos, & Pictos, qui ſe glaſto pingerent. Quo pacto in cerebro generetur ſpiritus animalis, & ut multifariam functio ejus impediatur. Quomodo tertiâ concoctione fiat alimenti adglutinatio. Unde oriatur fames, & quid ea ſit. Unde item ſudor, ſcabies, pediculi. Quadruplex functio ad nutritionem requiſita. Quibus juventur ſtomachus, hepar, cor, cerebrum. Ut, præter quotidianam, alia etiam ſit ratio, quâ nutriantur homines. De facultate auctrice. Tardius creſcere viros, quia illis compactior ſit humor, ut majori in extenſione opus ſit morâ. Diutius autem creſcere eoſdem, quia major iis ſit calor; eoque, quamdiu oſſa non ſunt indurata, longiori tempore ſufficere ad humorem protrudendum.*

Vidimus de principiis Vitæ, & Mortis: quarum utraque magnum eſt Dei beneficium; ſed illis, qui ſe ad normam compoſuerint divinitus præſcriptam. Quanto enim plus vivimus, tanto majus eſt ſpacium bene merendi de genere humano: non alio autem propiùs accedimus ad numen cæleſte, quàm benefaciendo. Jam ad mortem quod attinet, quid ægris mortalibus beatiùs, quàm liberari tandem ſeculi vitiis pariter, & miſeriis; ac vitâ, & felicitate potiri æternâ, Dei cultoribus promiſsâ?

Nunc rerum ſeries exigere videtur, ut agamus, tum de affectionibus vitæ, tum multiplici ejus functione. Affectio gemina eſt Sanitas, & Morbus. Sed de ambobus dicam, ubi deventum erit ad corporum accidentia: & eàdem oſtendam, ut utrumque horum nationes retulerint in Deos.

Functionum autem quædam ſunt homini communes cum plantis; quædam non plantis, attamen cum mutis animantibus; quædam denique ſolis conveniunt hominibus. Primi generis ſunt nutritio, accretio, & generatio.

Nutritio fit, cùm humor à calore ſpiritûs, & aëris, abſumtus reſtituitur. Ubi duo attenduntur; conſumtio, & reparatio. Porrò vel tantundem reparatur, ac amiſſum eſt; ut quando eadem manet corporis conſtitutio: vel plus inſtauratur, quàm deperditum; unde vel accretio conſequitur, de qua poſtea; vel pinguedo: vel minus reponitur, quàm ablatum, ſive id ſecundùm naturam fiat, ut in ſenibus: ſive præter naturam, ut in tabidis, & morboſis. Tam verò inſtaurationem, quàm conſumtionem, humidi eſſe dicebamus. Humidum enim abſumi, non ſiccum, argumento ſunt cicatrices; quæ à prima pueritia ad ultimam permanent ſenectutem. Ac quemadmodum id à calore tum innato, tum externo, abſumitur: ita à calore ſpiritus, ex alimento foris adſumto, per concoctionem reparatur. Nec tamen humor quivis corpori noſtro convenit. Alienus ſanè aqueus, vel tenuis nimis; quia ſi nimis fuerit ſubtilis, facilè exhauritur à calore & innato, & externo. Etiam facilè adeò penetrante eum aëre, putredini eſt obnoxius: ut quæ proveniat à calore externo. Ac propterea conducit, ſi aqueus humor in nobis leniter exſiccetur, quod moderato fit exercitio. Eſto igitur humor pinguis, & oleoſus: quando eum minùs penetrat aër externus, nec tam facile eum deprædatur calor innatus. Propterea meliùs nutriunt aſſa, quàm elixa. Plus enim olei ineſt ſiccioribus; uti ſunt aſſa: ex humidis autem, qualia elixa, plus aquæ elicias. Etiam humori pingui hoc ineſt boni, quòd magis detinet ſpiritum innatum. Quomodo ſaxa & metalla, (quibus ipſis etiam ſui generis ſpiritus ineſt) eo diutius durant, quia exire nequeat ſpiritus detentus. Nec quia requirebamus ſpiritum roſcidum, & unctuoſum, eò adſumendus quoque eſt iſtiuſmodi cibus: uti neque, quia ex alimento fit ſanguis, ex ſanguine ſpiritus; eò hauriendus eſt ſanguis. Nam quæ jam eo perfectionis devenere, ut ſint ſanguis, vel humor roſcidus; ulteriori concoctione fiunt deteriora: eoque convenientiora ſunt corpori heterogenea, ut ſubacta à corpore fiant homogenea.

Hæc ut melius intelligantur, juvabit diſtinctius agere de pleriſque partibus corporis humani, & uſibus earum. Præſertim quando ſapienter adeò fabricavit Deus tabernaculum hoc, in quo anima noſtra degit; ut perſpicientes inde Creatoris potentiam, ſapientiam, bonitatem, aſſiduè eum amemus, & animo atque operibus celebremus. Et, cùm, ut Philoſophus *a* ait, naturâ omnes ſcire deſideremus, quid fœdius ſit turpiuſque, quàm ſi in hoc tabernaculo noſtro hoſpites ſimus, nec ſciamus miranda corporis, quod ubique circumferimus? Age igitur conſideremus hoc loco, quibus corporis noſtri partibus, tum alimenti concoctio fiat, tum conglutinatio. His enim duobus conſtat nutritio hominis, imò & muti animantis, atque adeò etiam plantarum: ſed ſic, ut prope omnia in ſtirpibus ſint imperfectiora. Quippe his ſolùm eſt opus, ut attrahant ſuccum terreſtrem, atque is deinde per fibras tranſmittatur in truncum, & ramos, inque nutriendi corporis ſubſtantiam convertatur. In hominibus exquiſitiori opus alimento. Nam cum plantæ, uti dictum, alantur terreſtri ſucco: muta autem animantia nutriantur plantis; quædam etiam carnibus animantium: homini, & plantæ, etiam muta animantia pro alimento eſſe ſolent. Eoque melius erit nutrimentum, quo magis erit præparatum.

a *1 Metaphyſ. c. 1.*

tum. Carnes enim elixæ, vel aſſæ, magis ad naturam hominis accedunt, quàm crudæ: coque & meliùs alunt. Sed iſtæc externa eſt præparatio. At inſuper in animantibus cibum opus manducari: cui in quibuſdam accedit ruminatio.

Cibus ore præparatus per œſophagum demittitur in ventriculum: quem ſapientiſſimus Deus ἀμέσως *a* conſtituit ſub ſepto transverſo, medio inter utrumque hypochondrium loco: ſic tamen, ut major ejus pars ſiniſtrum occupet præcordium. Nempe eo id opus fuit, quòd jecur ob magnitudinem, majus; lien, qui in latere ſiniſtro, minus exigeret ſpatium.

a Proximè.

Ventriculi munus eſt in omnium membrorum uſum calore ſuo cibum concoquere. Qui cibis & ipſum ali putant, valde hallucinantur: uti & illi, qui inteſtina exiſtimant ex chylo attrahere, quo alantur. Omnino enim, ut membra alia, ita & ventriculus, ac inteſtina, nutriuntur ſanguine per venas ex hepate attracto, quibus abundant. Illud verò ſatis conſtat, ut recta ſit ventriculi concoctio, aſſumendum eſſe cibum pro facultate concoctrice; quæ his minor, illis major: non autem pro appetitu; cùm frigidus ſtomachus non rarò plus appetat, quàm valeat concoquere. Si quantitas alimenti excedatur, facilè obſtruuntur venæ, & meatus anguſtiores; unde ejus, quod aſſumtum eſt, putredo oritur. Si potu ſimiliter peccetur; crudi vapores, ob ſui tenuitatem, petunt ventriculos cerebri, valdeque lædunt nervorum propagines. Maximeque illis, quibus infirmior eſt calor nativus, (ut fere iis, qui ſtudiis aſſidui ſunt) obeſſe id ſolet, ſi in cœnis modum exceſſerint; quia impar ſit calor, & cibo concoquendo, & abſumendo humori.

Facta in ventriculo concoctione, chylus per pylorum dimittitur in inteſtinum: unde venæ meſaraicæ puriorem tenuioremque attrahunt portionem: impurior craſſiorque per anfractus inteſtini progreditur, uſque dum excernatur.

Duplex igitur eſt uſus inteſtinorum: unus, ut chylum à ventriculo excipiant, ac digerant: alter, ut *retrimenta cibi*, prout Varroni *b* dicuntur, colligant, perque anum egerant. Ac initio quidem eſt rectum, ubi vocatur δωδεκαδάκτυλον ſive *duodenum*, quia duodecim digitorum apices ſit longum: item poſtremâ parte, quod peculiariter ὀρθὸν ſive *rectum* nuncupatur. Duodeno, quod à ventriculo cibum excipit, proximum eſt jejunum ſive νῆστις: ac ſic dicitur, non quia planè, ſed quia prope vacuum ſit: idque partim ob hepatis venas & majores, & majori copiâ hic chylum exſugentes; partim ob bilis acrimoniam, ſuccum protrudentes ulterius. Nam meatus veſiculæ fellis in hoc inteſtinum ſeſe egurgitat. Tum excipit εἰλεὸν, quod ita vocatur ἀπὸ τοῦ εἰλύειν, *convolvere*, quia pluribus ſit anfractibus involutum: eſtque id, quod ſæpius incidit in ſcrotum. Atque tria hæc inteſtina ſunt gracilia. Ex craſſis primum eſt τυφλὸν, ſive *cæcum*, uno ſolum foramine pervium; unde hybridâ voce appellant *monoculum*, quod rectiùs μονόφθαλμον, vel *unoculum*, nuncuparent. Proximum eſt id, quod Celſo eſt inteſtinum laxius, & plenius: Græci poſteriores κῶλον vocant: convenientiùs autem nominarent κοῖλον *c*, ob laxitatem. Ab eo dicta κωλικὴ ὀδύνη, ſive κωλικὸν ἄλγημα *d*. Præ cæteris enim hoc inteſtinum doloribus infeſtatur, partim quia in eo ob amplitudinem pituita generatur, quæ frigida eſt: partim quòd aëra à partibus recipiat inferioribus; unde flatibus incrementum. Arabes nuncupant *cellulatum*, quia diſtinguatur cellulis, in quibus figurantur feces. Poſtremum eſt ἀπευθυσμένον, ſive *rectum*; quod ad os pubis, & porrò, rectâ protenditur ab oſſe ſacro; cui & alligatur, ne pondere procidat: extimâ verò parte muſculos in orbem habet, qui *ſphincteres*, dicuntur, quia iis feces σφίγγονται, hoc eſt, conſtringuntur, ne nobis egerantur invitis. Ut præcipuè evenit ingenti metu perculſis. Et puto, inde fuiſſe, quòd cum Pompejus juſſiſſet, ut Cn. Papirius Carbo, III. Conſul necaretur (anno id Urbis erat DCLXII.) ac is jam ſtrictum enſem videret: ſolum petierit, tantillum ſibi temporis daretur, ut priùs liceret alvum exonerare. Nempe ex timore, ſpiritu ſe, cor verſus, recipiente, muſculus ille reſolvi incipiebat: nec vir tantus fœdè conſpurcatus, ludibrio à morte eſſe voluit. Ut σφιγκτῆρος illius uſus ſatis ſit manifeſtus. Quæ omnia oſtendunt magnam Dei ſollicitudinem erga nos. Ut qui nec iſta putarit eſſe indigna curâ ſuâ, quæ animis plebejis vilia, ac ſordida judicantur. Etſi verò inteſtinum hoc tam varia ſortiatur nomina: unicum tamen eſt; ſed quod longitudinem habeat tredecim cubitorum; ut eſt apud Hippocratem *a*. Andreas Laurentius, nobilis Anatomicus, obſervavit, eſſe ſepties homine longius: ſed exſiccatum, & flatu diſtentum. Id minutum, rectumque eſſe noluit ſapientia divina; quia ſic perpetuò vel fame laboraremus, vel itaremus ad naturæ requiſita. Atque hoc ſagaciter perſpexit Plato, cùm eò ait inteſtinum variis eſſe gyris anfractuoſum, ut cibo diutius in eo commorante, meliùs negotiis, & divinorum contemplationi vacaremus.

b Seſqui-Ulyſſe: cujus verba ſic legi debent: Retrimenta cibi, quà exirent, per poſticum, canalem feci. In vulgatis eſt, quæ exirent.

c Cavum.

d Colicus dolor.

a Lib. de hominis ſtructura.

Illud etiam divinæ eſt providentiæ argumentum, quòd inteſtinis geminam dederit tunicam: quò, ſi interiorem acrimonia bilis arroderet, vel ſordes putrefacerent, altera earum ſalva foret. Item illud, quòd inteſtinis circumdedit meſaræum, ne implicentur temere, aut deorſum dilabantur. Involucrum hoc vocatur μεσάραιον, quia in medio inteſtinorum tenuium, vel ventre, ponatur. Nam ſecundùm Heſychium, Ἀραιὴ, γαστὴρ, καὶ λεπτὰ ἔντερα *b*. Aliter vocatur μεσεντέριον, quaſi μέσον τῶν ἐντέρων *c*. Cicero in ſecundo de Natura Deorum interpretatur *medium inteſtinum*. Sed non tam medium eſt inteſtinum, quàm inter inteſtina medium. In hoc meſaræum ex hepate deſcendunt venæ, quæ inde *meſaraicæ* dicuntur. Hæ ex inteſtino puriorem chyli partem exſugunt. Quodque ſic attraxere, id ipſæ per venam portæ deferunt in hepar: ibique ſecundò concoquitur chylus in quadruplicem humorem: unum calidiorem ac tenuiorem, nempe flavam bilem, quæ igni reſpondet: alterum temperatioris caloris, puta ſanguinem, qui magis aëreus: tertium frigidiorem & humidiorem, videlicet pituitam, quæ ſimilis eſt aquæ: quartum ut frigidiorem & ſicciorem, ſic craſſiorem; nimirum atram bilem, quæ maximè terrea. Ex his flavam bilem attrahit veſicula fellis, jecori ἀμέσως *d* ſubjecta. Inde bilis defertur in ſummam inteſtini jejuni partem, quò illud ſtimulet ad expellendas feces: atque hìc à bile ſuperfuſâ flavedinem nanciſcuntur excrementa. At pituitam adducunt renes, qui dorſo adnectuntur, & coſtis nothis. A renibus ſeroſus iſte humor veſicam petit: unde it in meatum, ac caulem illum, qui lotio egerendo ultimus inſervit. Atram bilem attrahit ſplen: quo non fungente ſuo munere, melancholicis corpus humoribus impletur. Dicitur igitur cauſſa riſus, non per ſe, ſed per accidens. Sanguinis verò duo ſunt ex hepate itinera: unum in cor, ac porrò in cerebrum, ad generationem ſpiritus vitalis, & animalis: alterum per venas totius corporis, ut tertia perficiatur concoctio. De priori priùs, ac eadem de corde videamus. Hujus baſis in medio ponitur thorace, ut ſpiritum vitalem, qui ſe pulſu & reſpiratione exſerit, quaquaverſum per corpus diffundat. Mucrone interea ſe exporrigit lævam ſub papillam; ne, ſi neutrum in latus inclinaret, motus impediretur diaphragmatis, quod reſpiratio perpetua quieſcere non ſinit. Duo ejus ſunt κοιλίαι *e*, ut vocat Hippocrates: ſive κόλποι *f*, prout nuncupat Julius Pollux. Quorum dexter ſanguinem craſſum patenti excipit oſtio à vena cava, eumque, ut Realdo Columbo *g* obſervatum, per arterioſam defert venam unde cum aëre in pulmonibus elaborato per arteriam venoſam in ſiniſtrum defertur cordis ventriculum. Atque ita vitalis fit ſpiritus ex ſanguine tenuiſſimo, & aëre, permixtus. E ſiniſtro autem cordis ſinu per arteriam aortam ſive magnam per univerſum diſpergitur corpus, quò calore ſuo foveat innatum partium omnium calorem: ut cæteros ejus uſus taceam. Eſt verò hic ſpiritus nec flammeus planè, cùm flamma ſit momentanea; nec aëreus omnino,

b Aræa, venter, & tenuia inteſtina.

c Medium inteſtinorum.

d Proximè.

e Ventriculi.

f Sinus.

g Lib. 7. de re Anatomica.

ho, cùm aër ſit fixus; ſed mediæ naturæ, magis durabilis flammâ, minùs durabilis aëre. Quid mirum? quando partim alitur humore pingui, & oleoſo; oleum autem cum natura convenit flammea: partim aëre externo, cui miſceri jam diximus. Nec tamen flammæ nimium naturam referre debet. Siquidem nimis æſtuans citò omnem deprædetur corporis humorem. Uti fiat, ſi multum vinis, & aromatis, indulgeatur. Similis igitur eſto flammæ, quæ ſtramen, non truncum, incendat: humoremque non ſorbeat, ſed quaſi pitiſſando bibat: quo pacto futurum, ut inſtauret, non diruat. Eſtque ſpiritus hic non interruptus, ſed continuus: interea partim contentus cerebri ventriculis, quaſi cellis; partim arteriarum ramis, quaſi canalibus quibuſdam. In inſectis tamen, imò & anguillis, & ſerpentibus, ſpiritus æqualiter toto corpore funduntur: unde, iis diſſectis, partes moventur ſingulæ: ſic ut vulgi ſit opinio, hoc eas ſtudere, ut iterum ſocientur. Etiam aviculæ, capite abſciſſo, leviter ſubſultant: quia paullum tantùm ſpiritus eo continebatur, ob cellularum parvitatem. Nec ab innato ſolùm calore humorem abſumi, ſed etiam externo; argumento eſt, quòd locis Sole exuſtis homines magis ſunt exſucci. Nimirum ea caloris alieni vis eſt, ut calorem diſſipet nativum, quandoque & exſtinguat. Talis quoque vis humorum eſt putrefactorum in febribus ardentibus. Atque ex his etiam liquet, cur non putreſcant corpora muſcæ, vel alterius inſecti, ſi electro fuerint incluſa. Nec enim aër eò penetrat; & electrum ejus eſt naturæ, ut nihil recipiat ex natura inſecti. Sepultura igitur eſt durabilior illis, quàm regibus in ſuis mauſoleis. Proinde & corporibus noſtris eſt ſalutare, ſi, ad excludendum nimium aëra, meatus vel conſtringantur, vel oppleantur. Conſtringuntur frigore: unde diutius vivunt Septentrionales. Opplentur pinguibus: ut ab iis, qui intus mulſo, exterius aſſumendo oleo, ſe factos dixere longævos. Et juvat Hibernorum, præcipuè ſylveſtrium, exemplum. Sunt enim longævi: quod inter alia obtingit, quia ad ignem ſoleant ſe oblinere butyro ſalſo, ac vetere: uti &, ubi morbus eos invaſerit, lintea de ſtratis removent, contenti laneis; quippe magis pinguibus, & oleoſis. Etiam huc facit, quod glaſto *a* ſe oblinebant veteres Britanni *b*; imò & Picti, quibus ex eo nomen fuiſſe veriſimile eſt. Nam ſatis eſt veriſimile, cùm fuerint longævi, inter alia hoc fuiſſe in cauſſa. Pluriaque in hanc mentem apud nobilem, ac ſummum virum, Verulamium, Vicecomitem S. Albani, in Hiſtoria Vitæ ac Mortis legere eſt.

a Sive potius guaſto. Vide Salmaſ. Sol. Exercit.
b Cæſar. lib. 5. belli Gall. Plin. l. 22. c. 1. Tac. Agric. vit. Solin. cap. 25.

Porrò ſpiritus vitalis, in cerebrum delatus, ejus frigore temperatur, fitque animalis: ac uti vitalis per arterias diffunditur in corpus, quò functiones vitæ exſequatur: ita hic in cerebro elaboratus per nervos ſpargitur quaquaverſum, ut obeat functiones animales; hoc eſt, ut proximum ſit inſtrumentum ſenſus, & motus. Ceſſat igitur ſenſus, & motus, ſi in ventriculos cerebri irruat ſanguis, aut phlegma. Idemque fit in contuſione capitis, quia ſic ſpiritus animalis redigitur in anguſtias ventriculorum cerebri: quemadmodum & opium, ac narcotica, hunc ſpiritum conſtringunt: & ingens ebrietas copiâ humoris eos obruit: imò nimius ſanguinis profluxus eos exſtinguit. Quid mirum? cùm ſpiritus unà cum ſanguine evolet; nec continuò novus reliquo è ſanguine ſpiritus generetur.

Vidimus de itinere ſanguinis in cor, & cerebrum, ad generationem ſpiritus. Nunc agendum de altero ejus ex hepate itinere. Siquidem hinc quoque ſe diffundit per venas omnes: inque vaporem reſolutus, per tunicas, & oſcula venarum exſudat, & influit in cuncta corporis membra, iiſque vi caloris nativi agglutinatur. Cæterùm ubi, quantum ab alimento acceſſerat, à ſpiritu fuerit abſumtum; atque etiam, ab aëre externo, qui & ipſe, ut dixi, humorem deprædatur: partes illæ, quæ aëri proximæ, fuerint evacuatæ: humorem appetunt à partibus proximis, illæ item à vicinis, atque ita porrò, uſque dum continuâ ſerie deveniatur ad ventriculi venas: quibus alimento defectis, fit ſuctionis ſenſus, unde novus oritur appetitus alimenti; non naturalis, ut in plantis; ſed animalis, quia eſt cum ſenſu: atque hunc appetitum *famem* dicimus. Ex quibus cognoſcere eſt, quomodo in nobis viciſſitudo fiat perpetua, nunc abſumpti humoris, nunc reparati.

Porrò extremæ etiam concoctioni ſua ſunt excrementa, alia certæ partis, ut mucus, & aurium marmoratum: alia univerſi corporis, ut ſunt tum halitus per poros cutis tranſpirantes, quibus retentis provenit ſcabies: tum ſudor, ac ſordes cuticulæ, quarum copia materies eſt pediculorum, & cimicum: tum pili ex vapore fuliginoſo, ac rariori per cutis ſpiracula prorumpentes; unde prolixiores mulieribus capilli, quia magis hujuſcemodi fuliginibus abundant. Radices pili habent in adipe, à quo & nutriuntur. Eſt verò is inter membranam carnoſam, & cutim, quæ proximè ſubeſt cuticulæ, ſive, ut Græci appellant, ἐπιδερμίδι.

Ex his videre eſt, quàm multiplici functione, quamque variis ad nutritionem partibus, ſit opus. Functio enim quadruplex requiritur: attractrix ſucci per fibras rectas; retentrix, per fibras obliquas; alteratrix, per calorem nativum; & expultrix, per fibras tranſverſas. Partium verò, quæ nutritioni inſerviunt, aliquæ miniſtrant primariis; ut ſplen, ren, veſica, aliæ, quemadmodum vidimus: principes verò ſunt hæ quatuor; ſtomachus, jecur, cor, cerebrum. Eoque iſtorum ingens eſſe nobis cura perpetuò debet. Videndum ergo, ne ſtomachus intemperie laboret, vel nimis laxus ſit, vel oppleatur humoribus nauſeam generantibus, vel aliter ὄρεξιν *a* perdat, quæ digeſtionem juvat. Hepar ne obſtructum ſit, vel, ut ſenili fit ætate, torridum. Cor juvetur aëre, odoribus, affectibus. Aër ſit loci perflatilis, ſicci, non tamen arenoſi: ac laudatior flante zephyro matutino, vel borea pomeridiano. Vapores ſint boni odoris, nec tamen continui: neque calidi, ſed refrigerantes: qualis prædicatur ex aceto, aqua roſacea, & vino generoſo; ſi portione hæc æquali imponantur ferro propè candenti. De affectibus poſtea me dicturum recepi. Cerebrum adjutatur balneatione pedum, ſuffitu, capitis inunctione: imò à ſtomacho ſic dependet, ut cuncta ei proſint, quæ ſtomachum roborant.

a Appetitum.

Quæcunque verò hactenus diximus, ea ad quotidianam pertinent inſtaurationem corporis humani. At aliter fit in corporibus malè affectis. Ajunt enim, tabidos etiam nutriri balneis ex lacte; & clyſteribus quoque accedere aliquid nutrimenti. Quicquid de iſto ſit, etiam alitur corpus quomodocunque, ſi calor quidem nativus ſit paucus, & imbecillis, ſicque exigui nutrimenti indigus; pituita autem non acris, & ſalſa; quæ morſicando ventriculum, excitaret appetitum; ſed dulcis, & idonea, ut in bonum convertatur ſanguinem. Sic videmus, qui iter faciunt per loca inculta, ad famem ſitimque ſedandam inter labrum inferius, & dentes, collocare catapotia, ſive pilulas ex Nicotiana, ut hujus vi ex cerebro humores pituitoſi in ventriculum deſtillent, inde concocti mittantur ad hepar, & porrò ad venas. Itidem humoribus ejuſcemodi nutriuntur urſi, ac glires, cùm hieme totâ in ſpeluncis deliteſcunt. Et videtur idem de cepis, & ſimilibus plantis, ſtatuendum; quæ, aliquot jam menſibus ſeparatæ à terra, nihilominus germinant. De nutritiva vi ſatis.

Auctricis facultatis beneficio pertingunt corpora ad convenientem quantitatem: quod fit plus apponendo, quàm à calore eſt abſumtum. Appoſitio autem ea per univerſam fit ſubſtantiam, ſic ut ſingulæ particulæ à calore rarefiant, novâque in poris materie receptâ, & agglutinatâ, extendantur, majoremque occupent locum. Nunquam æquè augetur corpus, ac in pueritia: cujus cauſſa eſt, quòd tum humor ſit multus, corpus molle ac ſpongioſum, eoque alimentum facilè in quaſvis ejus partes à calore tranſmittatur. Unde etiam liquet, cur corpus ſit infantibus ſucculentum, capilli albi, aut flavi. Sanè ubi corpus ſiccius, capilli nigreſcunt. Tardiùs creſcunt viri,

quia iis humor fere eſt lentus & compactus; qui difficiliùs à calore protruditur. Sed compenſatur hoc eo, quòd diutius adoleſcant: nempe ad annum ſæpe XXV; cùm feminarum incrementum, ob calorem minorem, fere deſinat mox poſt tertium ſeptenarium, aut annum proximum. Calor verò nimius, quia oſſa celeriùs indurat, brevioris ſtaturæ cauſſæ eſſe ſolet. Quod imbecilliorem eſſe feminis calorem dixi, id eo quoque firmatur, quòd propterea neceſſe habet quotmenſibus profluvium per uteri venas foras emittere.

Cap. XXII.

Unde utrique ſexui naturales ſint in Venerem ſtimuli. Cur Natura in viro verenda non fecerit oſſea, ut in plerisque animantibus. Generari hominem inter lotium, & merdam: quod typhum in nobis retundere poterat, ſi originis noſtræ magis memores eſſemus. Ariſtoteles refellitur, qui negabat, à feminis emitti genituram. Quo ordine, & intra quod temporis ſpatium, formentur nobiliores humani corporis partes; ut ex abortibus colligitur. Cur animal ex diverſis ſpeciebus maternæ ſit naturæ. Quare nunc mares validi, aut viragines; nunc exigui roboris maſculi, aut femellæ, naſcantur. Unde ſit, quòd liberi ſimiles ſint parentibus, quandoque etiam alicui majorum. Vis imaginativæ in producendis liberis monſtroſis, vel aliquâ notâ inſignitis; imprimis ſi materies ſeminis, vel abundet, vel deficiat, vel vitio quopiam laboret. Quo artificio Jacob gregem reddiderit diſcolorem: interim non hoc miraculoſum minus, quam naturale, dici poſſe. Ova non ſolùm ab animantibus, ſed aliter etiam multifariam excludi. Quâ ratione fiat, ut imaginatio figuret infantem, & ut in hoc præcipua ſit terroris vis, & quo geſtationis tempore plus poſſit phantaſia. Cur mulier plurimùm producat fœtum ſimplicem. De quaterno, quino, ſepteno partu. Fabella rejicitur de ſeptenis uteri cellis. Refellitur item altera de Mathildi, vel potiùs Margareta Comite, CCCLXV *uno partu fœtus edente. Quæ gemini ſit fœtus cauſſa. Cur fœtus unus alteri interdum adhæreſcat. Quæ cauſſa ſit, cur interdum plures concipiantur. Unde ea ſit, quæ ſuperfœtatio nuncupatur. Quo pacto alatur fœtus in utero, & quomodo reſpiret. Unde potiſſimùm ſint partus dolores, & miranda Dei providentia in hoc opere ſe exerens. Varia geſtationis tempora in animantibus, ac genere etiam humano. Cur octavo menſe fœtus rarò ſit vitalis. Cur nono menſe plurimum edatur partus. Utile quandoque eſſe exſecari infantem, etiam matribus vivis.*

NUtritivæ & accretivæ facultati addita eſt à Deo vis γεννητική, ſeu *generatrix*: ut cùm individua ſint corruptioni obnoxia, ſpecies ſaltem ſint perpetuæ. Propterea eos ſapientia divina ſtimulos naturæ indidit humanæ, ut mas ſic afficiatur ſequioris ſexus partibus, quæ verè ſordium ſint cloacæ: mulier item, quo minùs Venereo indulgeat ludo nec pudore abſterreatur, nec laborioſâ novem menſium geſtatione, nec partu periculi pleniſſimo; ſæpe etiam exitiali; nec educatione prolis tam ſollicitâ, & moleſtâ. His enim inſuperhabitis, uterque in Venerem ruunt: ſæpe etiam, cùm nihil minùs propoſitum habent, quàm augere humanum genus. Nec, dummodo caſtus ſit animus, inutile eſt conſiderare, quid utrumque ſic incitet ſexum. Nimirum ſtimuli iſti ſunt à ſpiritibus confertim ruentibus eas ad partes, quas Natura generationi deſtinavit. De membri ejus ſitu in mare ſatis eſt apertum. Uti & illud, noluiſſe Deum, ut eſſet oſſeum, velut cani, vulpi, lupo, ne prominens ſemper multis obeſſet vitæ officiis: ſimul etiam ſic meliùs eſſe conſultum honeſtati, ac pudori. In muliere autem uterus eſt ſitus inter veſicam, & inteſtinum rectum. Ita homo, ſuperbum illud animal, inter excrementa naſcitur. Ac anteriori quidem parte connectitur oſſi pubis; & coxendici: poſteriori autem tum oſſi ſacro, idque munere ſeminalium vaſorum; tum membranæ cuipiam, quam muſculum Veſalius nuncupat. De longitudine colli ſive cervicis, quaſi undecim digitorum apices æquante; de rugarum ἐν τοῖς ἀφροδισίοις uſu; de eugii ſive naturæ membranis, uterum à pulvere & frigore tuentibus; nihil nunc addere eſt animus, quia, quæ providentiſſimum artificem in iſtis etiam oſtendunt, ea, utcumque velamento verecundiæ obtegerentur, fortaſſe à mentibus tamen laſcivis longè aliter caperentur. Ut igitur ad ſpiritus redeam, eorum copiâ in formatas inguinibus res, prout Arnobius *a* nuncupat, per arteriam geminiam delata, ramus ille intumeſcit, ac geſtit ſpiritus eos cum ſanguine vaſis ſuis ad generationem elaborato, foras protrudere: idque alliciente ad hoc etiam blando & jucundo feminæ calore: quæ & ipſa deſiderio afficitur ob copiam ſpirituum ſeſe itidem receptantium, quò imaginatio juſſit. Ac gliſcit illi voluptas ex receptu genituræ; fortaſſe quia obſcenus viri humor illo genituræ muliebris ſit calidior vividiorque. Nec tamen concipit, niſi genitale ſemen etiam ab ipſa fuerit: in quo vehementer aliquando erravit Ariſtoteles *b*, cùm ſolùm virilem genituram in generatione ſtatueret. Nam hoc ſi eſſet, fruſtra mulieri Natura interiùs tribuiſſet teſtes. In quibus & ſemen adeò concoctum & elaboratum, ac in ullis conſpexiſſet viris, & reperiſſe, & ſpectatoribus ſe commonſtraſſe, ait Realdus Columbus lib. XII. Utrimque ſemine emiſſo, clauduntur loci: ac ſpiritus, per venarum, arteriarum, nervorumque orificia in uterum ſe inſinuans, excitat vim ſeminis formatricem. Et partes quidem genituræ tenuiores, & calidiores, recondit centrum verſus; craſſiores, & magis terreſtres, in ambitum ablegat, ut inde fiant membranæ fœtum continentes. Eæ ſunt χορίον, ſeu χωρίον, & ἀμνειὸς: quæ ſociata dicuntur δεύτερον, Latinis *ſecunda*: primæque hæ fiunt membranæ, ne tenellus fœtus duritie uteri lædatur. Ubi hoc vallum factum, ſpiritus ſemen immutat, & prima quaſi ſtamina fœtus efformat: ac ſeptimo jam die cordis, cerebri, jecoris, item venarum, arteriarum, nervorum, rudimenta comparent; ut ex abortibus liquet aquæ impoſitis. Simulque oſſa figurantur, ſed tardiùs perficiuntur. Fitque ſpermaticarum partium abſolutio in maribus quidem die trigeſimo, in femellis autem XL, aut XLII: ut ab divino Hippocrate *c* traditum eſt.

a *Lib. 5. tralatione verſiculorum Orphei.*

b *Libb. de generatione Animalium. Sed Hiſtoria Animal. lib. 10. etiam feminam emittere genituram agnoſcit.*

c *Lib. de natura pueri, & de partu ſeptimeſtri.*

Poſt conformationem hanc partium ſpermaticarum ſequitur altera ex ſanguine per umbilici venam affluente: quo ſpatia inter fibras triplici explentur carne: unâ hepati, cordi, & aliis adnaſcente viſceribus, quæ παρέγχυμα vocatur; alterâ muſculorum fibris adhærente, quæ particulatim *carnis* nomine ſolet appellari; tertiâ ſingularum partium propriâ.

Cùm autem triplex ſit in animantibus ſimilitudo, ſpeciei una, altera ſexus, tertia vultus, & ſimilium accidentium: prima imprimis eſt à matre, quia plus materiei ad generationem confert. Itaque ex ariete, & caprâ, gignetur capra; ex hirco autem, & ove, ovis. Alterius cauſſâ eſt à ſeminis qualitate. Si enim utriuſque parentis ſemen ſit calidum; mares, iique validi generabuntur: ſi frigidum utriuſque, feminæ imbecilles. Si maris calidum, feminæ frigidum; mas quidem, ſed minus validus, fuerit, dominante virili ſemine: femina autem imbecillis erit, ſemine vincente muliebri. Si maris frigidum, feminæ calidum erit, generabitur virago. Sanè veriſimiliora hæc, quàm illa apud Lactantium De opificio Dei, cap. XII. Interim nec negâro, ad iſta etiam conferre uteri temperiem, & fœtus in eo ſitum: ac mares fere dextro, feminas ſiniſtro uteri latere concipi. Similitudo autem oris, & effigiei, partim eſt à feminis natura, partim à phantaſia. Naturâ enim ſemen ſimile gignit ejus, cujus eſt ſemen: δυνάμει *d* quippe ſimilitudo hæc ei ineſt. Sed quandoque impeditur illa vis, & gignitur ſimilis avo, aut proavo, quia & vis ea latet in ſemine. Multum etiam vis valet imaginativa. Unde & adulteræ, dum metuunt ἐν αὐτοφώρῳ *e* deprehendi, aſſiduâ prope cogitatione maritis ſimiles gi-

d *Poteſtate.*

e *In furtiva Venere.*

gnere

gnere judicantur. Etſi & ſæpe hic ceſſet imaginatio; ſed naturæ ordo valeat, quia mulier, ut Julia Auguſti de ſe dicebat [a], non niſi ſaburratæ tollunt vectorem. Utcunque illud, non dubium, quin magna ſit vis imaginativæ. Itaque, quæ materie abundant, ſi vehementer, & diu imaginentur caput grande, ſæpe fiet, ut producant puerum cum grandi capite. Quibus deficit materies, ſi obverſetur aſſiduè animo homo cum pede unico, faciliùs talem producent. Si multæ inſint humoribus fuligines, & cogitetur perpetuo de hirſuto animante, facilè contingat, ut & fœtus ſit hirſutus. Ac par ratio in cæteris. Idcirco Dionyſius tyrannus, cùm propterea, quòd deformior eſſet, prolem nollet ſibi ſimilem gignere, in cubiculo ſuſpendit picturam formoſam, ut eam potiùs, quàm mariti vultum, uxor in animo haberet. Teſtis Soranus, medicus antiquus, & ex eo B. Auguſtinus adverſus Julianum Pelagianum lib. v, cap. ix. Evidens quoque exemplum nobis præbet divinus Moſes Geneſ. xxx; ubi narrat, quid fecerit Jacobus Patriarcha, ut ſibi cederent oves, quæ ex unicoloribus (variegatas enim ſeparabat) varii naſcerentur coloris. Item ut deinde idem parârit virgas triplices: primum לבנה, libneh, *populi*: deinde לוז luz, *amygdali*, ut vulgata vertit, vel, ut alii, *coryli* (ſanè ab Hebræo *luz*, eſt Latinum *nux*, familiari duarum liquidarum tranſitu, ut *lympha*, *nympha*, denique ערמון armon, hoc eſt, *caſtaneæ*, ut cum Davide Camio Salomon Jarchi putavit; ſive *platani*, ut expoſuit vulgatus interpres; favente paraphraſte Chaldæo, cùm דלבוב diblub exponit; quod etſi Paullus Fagius *caſtaneam* reddat, verè tamen *platanum* notat; ut (quemadmodum Druſio obſervatum) Arabicâ etiam linguâ commonſtratur; ubi dilub *platanus*. Harum Jacob arborum ramis viridibus (qualibus facilè cortex demitur) dicitur partem corticis abſtuliſſe, partem reliquiſſe; ut ita rami eſſent partim albi, partim viridis, ac nigreſcentis coloris: atque eos ramos ſic poſuiſſe in aqualiculis, ut oves, in coitu cernentes hoſce ramos diverſicolores, diverſicolorem & ipſæ gignerent fœtum. Præterea hoc jam natos colore obvertebat ad varii coloris oves, ut diverſicolores itidem naſcerentur. Nec propterea exiſtimandum, imaginationem pecudum totam hujus rei cauſſam fuiſſe. Quippe ſi tanta ejus fuiſſet vis, ut effectus ſemper, imò plurimùm ſequeretur; ſanè hodieque opiliones noſtri, ſatis artis ſuæ gnari, imitarentur exemplum. Proinde fatendum, imaginationem pecudum tantùm fuiſſe cauſſam adjuvantem: ac plus in hoc negotio virtuti eſſe tribuendum divinæ; quæ ſuo concurſu ſic debilem adauxit cauſſæ ſecundæ vim, ut quod ſola non poſſet ſecundùm naturam, id divinâ benedictione præſtaret ſupra naturam. Atque hæc etiam ſententia eſt B. Chryſoſtomi Homil. LVII in Geneſin, ubi miraculo id factum refert: & Theodoreti in Geneſin quæſt. LXXXVIII, ubi ait de Jacobo, *τὰς ῥάβδους ἐλέπισεν, οὐ ταύταις θαῤῥῶν, ἀλλὰ τὴν θείαν ἐπικουρίαν περιμένων· virgas decorticavit, non in iis confidens, ſed opem exſpectans divinam.* Et ſanè Gen. xxxi, 9, 10, 11, 12, ipſe Jacob in ſermone ad uxores ſuas hoc omne divinæ tribuit bonitati, ac potentiæ. Quamobrem errare eos arbitror, qui totum hoc virtuti adſcribunt naturali: cujus tamen aliquas fuiſſe partes agnoſcimus. Ac longè magis falluntur, qui gallinam ajunt, ſi ova vario ſignâris colore, vel, ante ovis incubantem, variegatum ſuſpenderis linteum, pullos excluſuram varii coloris. Nam imaginativa gallinæ nullam habet poteſtatem formatricem in ova, quæ ſunt extra eam: ſolumque illæ ſunt partes gallinæ, ut calore ſuo ſuſcitet latentem in ovis, ac ſopitam vim formatricem. Quod & mulier poſſit, ſi inter ubera aſſiduè ovum circumgeſtet; ut conſtat experimento Liviæ Auguſtæ: imò aliquando & famulæ meæ experimento id obſervarunt domeſtici. Quod diximus de gallinis, idem judicium eſto de pavis in Norvegiam illatis: quæ albas excludere pavas dicuntur, quia in oculis ſemper habeant nivium colorem; quemadmodum Gilberto Longolio traditum Dialogo de avibus, & exinde Ritterſhuſio in Oppiani Κυνηγετ. [b] ut mittam cæteros. Quid quòd neque ſemper opus calore animantis? In Ægypto enim excluduntur calore fimi, vel egelido aquæ tepore, vel aſſiduè tepentis furni: qua de re Ariſtotelem vide in vi Hiſt. Animal. cap. 11, & Cæſarem Scaligerum adverſus Cardanum Exercitat. xxiii. Solum igitur poteſt imaginativa aliquid in corpus proprium; vel alienum quidem, ſed internum, quale eſt fœtus. Ac ne quidem directè, & effectivè, ſive per ſe, propriâque virtute, agit in fœtum: ſed per accidens duntaxat, alias movendo potentias, quæ per ſe agant, & immediatè. Fit illud hoc pacto. Phantaſia vehemens, & diuturna, ſpecies conceptas imprimit, tum ſpiritui, qui virtutis eſt formatricis inſtrumentum; tum ſanguini, qui fœtus eſt alimentum, ac materies. Eadem phantaſia in actu Venereo dirigit ſpecies verſus ſemen, eique eas imprimit, ut quandoque & patris imaginatio veniat in partem. Sed poſt conceptum ſola aliquid poteſt mater, cujus anima ſemper fœtui eſt præſens. Multò autem faciliùs ſignum fœtui imprimitur à mulieribus ſimplicibus, & meticuloſis, quàm prudentibus, & animoſis. Nam affectus, uti ira, metus, terror, & ſimiles, adigunt ſpecies verſus fœtum: non voluntate, quaſi hoc intendat mater (nulla enim optet naſci ſibi prolem notâ aliquâ inſignitam) ſed naturali inſtinctu, ac proprietate. Quomodo (ut de Venereis taceam) conſpectu oſcitantis, aut ſocii mejentis, oriri ſolet inclinatio ad idem agendum, utcunque etiam repugnes. Nimirum, hac ſpecie conceptâ, ſpiritus fertur naturâ ſuâ ad eas partes, per quas natura tale opus exſequitur: unde illa ad ſimile inclinatio. Nullius verò affectus plura in gravidis exempla ſuppetunt, quàm terroris. Nempe, ex affectibus memoratis, femina, animal timidum, huic præcipuè eſt obnoxium. Is autem affectus conturbat ſpiritus, & humores. Hi impetunt vim formatricem: unde fit, ut quæ alioqui formaret infantem ſecundùm propriæ vim naturæ, ea ſequatur exemplum externum, quod imaginatio ſuggeſſit. Agit igitur & imaginatio, & vis conformatrix: ſed illa, inſtar objecti, & exempli: hæc verò effectivè, non autem propriâ ex naturâ. Ab affectu enim ſeducta, directaque, diſponit fœtum ſecundùm imaginativæ exemplum. Secundùm propriam agere naturam nequit, quia phantaſia, ut dictum, ſpiritus, & humores, turbavit: quibus disjectis, ac diſſipatis, depravatè etiam vis conformatrix formationem exſequitur, non ſuâ, ſed malè dirigentis culpâ. Quanquam verò fœtus formatio multum pendet à primis diebus, quibus ejus fiunt rudimenta: magna tamen etiam vis eſt poſtea, præcipuè primis menſibus; valdeque circa tertium, quia ob menſes retentos, exindeque obortos humores putridos, qui in ſtomachum & cerebrum adſcendunt, non paucæ picâ ſolent laborare, hoc eſt, appetitu vario, & multiplici, qui vim formatricem debilitat & corrumpit, ut depravata vix poſſit non agere depravatè. Magnopere quoque vim imaginativæ arguit, quòd multi vel cibo quopiam mirificè capiantur, vel ab eo abhorreant. Præterea quòd multi etiam ferre nequeant præſentiam hujus, vel illius animantis. Sic novi, qui, latitante in cubiculo fele, deliquium animi paterentur. Illuſtris de eo locus eſt apud Thomam Eraſtum libro de occultis proprietatibus. Eum librum non arbitror ſeorſim exſtare: ſed reperies Medicis inſertam Miſcellaneis Nobiliſſimi viri, Electoralis Medici, Henrici Smetii, ſtudiorum gratiâ chari, chariorìs, quia optimam optimæ meæ ſocrus ſororem duxerat uxorem. Ejus operis cap. xxxiv, narrat Eraſtus de principe femina ſibi nota, eaque admodum cordata, quæ hunc in modum erga feles eſſet affecta. Ac cauſſam ejus retuliſſe ajebat in matrem. Nam cùm ab eâ geſtaretur utero, felem de ſublimi propè matrem decidiſſe; hac illam tantopere fuiſſe exterritam, ut incideret in animi deliquium: pavoremque eum diebus duraſſe compluribus. Nimirum credibile eſt, terrore iſtoc ſpiritui ac temperamento tenelli fœtus impreſſam fuiſſe ἀντιπάθειαν quandam iſtius animantis.

Nec ſolum divina relucet providentia in conceptu, & foe-

[a] *Macrobius lib. 2. Saturn. cap. 5.*

[b] *Lib. 1. v. 328.*

formatione fœtus: ſed in eo quoque, quòd cum animalium alia eodem tempore multiplicem edant fœtum: homo ſimplici fere ſit contentus. Nimirum hoc inde eſt, quia homo ſit vivax; muta animantia vitæ brevis: eamque brevitatem multitudine fœtus voluerit Deus compenſare. Eò quoque opus fuit, multiplices eſſe mutorum animantium fœtus, quia hominum alimento, imò & veſtitui cedunt: alia etiam ab aliis abſumuntur. Homo raró plures parit, quàm gemellos, pro duobus uteri lateribus, duobus item uberibus, quibus alit fœtus. In Ægypto tamen ſeptenos edi partu unico, retulit Trogus *a*. Et Agellius *b* ex Ariſtotele tradit, mulierem in Ægypto quinque pueros uno eſſe enixam partu: totidem quoque peperiſſe ancillam Cæſaris Auguſti in agro Laurente, ac monumentum matri, paullo poſt partum mortuæ, factum eſſe ab Auguſto viâ Laurentinâ, inque eo ſcriptum fuiſſe numerum puerperii. Cæſar Scaliger, commentariis in Ariſtotelis Hiſtoriam animalium *c*, refert, Agenni Nitiobrigum, ubi iſta ſcriberet, vixiſſe illo tempore mulierem, quæ ter peperiſſet quaternos. Et memini, cùm Dordrechti, primariâ à multis ſeculis Batavorum urbe, degerem, mulierem quatuor enixam eſſe filios: quos, honoris ergo, proceres civitatis de ſacro levarunt fonte. Quod in utero ajunt ſeptenas eſſe cellulas, tres dextro in latere, totidem in lævo; in medio item unam, atque inde progigni hermaphroditos: id pro anili ducendum commento, etſi aliquos non aſpernandos habeat auctores. Omnino enim unica eſt uteri cavitas: pluresque fœtus non cellis, ſed, ut mox dicam, membranis, diſtinguuntur. Nec minus fabuloſum, quod à tot ſcriptoribus proditum eſt, Mathildim ut vocant Cuſpinianus, & Meyerus, ſive potiùs Margaretam, ut plures nuncupant, Florentii IV, Hollandiæ Comitis filiam, Hermanno Hennebergenſi Comiti nuptam, Guilielmi, imperatoris deſignati ſororem, tot uno partu liberos enixam (ut Varronis verſiculo utar)

Quot luces habet annus abſolutus.

Scio, id traditum etiam ab Eraſmo, Vive, Guicciardino, Chriſtiano Maſſæo, Corn. Gemma, H. Junio, aliiſque. Sed enim tantum miraculum, quod in annum refertur ciͻ cc LXXVI (non ciͻ ccc XXII, ut eſt apud Maſſæum) memoraſſent ejus temporis ſcriptores, Batavi, Belgarum alii, Germani, Galli, Britanni. Nunc apud antiquiores omnes ſilentium eſt. Nec eo tempore Ultrajectinus epiſcopus, à quo ſacro baptiſmate abluti dicuntur infantes, vel Otho, ut nominat Meierus, vel, ut H. Junius, Guido vocabatur: ſed Joannes Naſſovius; qui undequadrageſimus Ultrajectinorum epiſcopus fuit. Jam quàm recentis eſt auctoritatis, quòd in tabella de iſto Loſduni ſuſpenſa legitur hodie, depromtam eſſe hiſtoriam *ex vetuſtis tam manuſcriptis, quàm typis excuſis Chronicis.* Nam demum prope duobus pòſt ſeculis typographia vigebat.

Cauſſa gemellorum, vel plurium liberorum, eſt à diviſione ſeminis: ut docet Hippocrates lib. I de diæta. Nec enim ſemper ſemen omne uno nixu in uterum emittitur; ſed eſt cùm bis, ter, ſæpiuſve, efferveſcat, ac ſat validum, variis uteri partibus receptum, multiplicem efficiat fœtum. Sed neceſſe eſt, ut cum plures figurantur, ſuis diſtinguantur membranis. Alioquin alii aliis adnaſcantur. Cujuſmodi monſtroſi partus varia ſuppetunt exempla.

Ἐπικύησιν, quam *ſuperfœtationem* dicunt, inſolens eſt, quia poſt conceptum uterus arctiſſime clauditur. Quandoque tamen eo contingit, quia aliquibus uterus nonnihil conniveat, vel nimiâ etiam libidine dehiſcat ad ſemen denuo recipiendum. Sed raró tum fœtus vitalis eſt: quia prior jam validior multò poſteriùs conceptum, eoque infirmiorem, neceſſario fraudat alimento.

Jam quàm ſagaciter Deus, & nutritioni, & ſpirationi fœtus, in utero proſpexit! Si ore alterutrum fieret, aquas, quibus innatat, hauriret, atque ita ſuffocaretur. Itaque Deus voluit, ut per umbilicum perciperet alimentum; ut ait Hippocrates libro de natura pueri. Nec quia paucis prægnantium fluant menſtrua, eo menſtruo paſci ſanguine exiſtimandum. Nam quòd non fluant menſes, alias cauſſas habet: puta quòd non gignatur ſanguis ſupervacuus, cùm ad fœtum nutriendum multum optimi ſanguinis requiratur. Is purior, magiſque percoctus, per venam attrahitur umbilicalem, atque inde fertur in ſingulas fœtus partes. Et quia non caret omni ſero, quod ſanguini pro vehiculo fuit; eo poſtquam illud ſua explevit munia, partim exſudatur, partim per renes, hinc ureteres, tum veſicam; inde non per pudendum, ſed per οὐραχὸν, canalem à veſicæ fundo perductum uſque ad umbilicum, diffunditur in amnion, membranam tum ſudori, tum urinæ excipiendæ, dicatam. Itidem per geminam arteriam umbilicalem attrahit ſpiritum; quo vita, & nativus calor fœtus conſervatur. Reſpiratione, quæ per os & nares fit, fœtui non eſt opus: ſufficit διαπνοή, ſive *tranſpiratio*, quæ per cæca fit ſpiracula.

Cùm verò planè in Dei admirationem rapiamur iis, quæ de fœtus nutritione diximus: tum nihil æque eſt ſtupendum, quàm naturæ conatus in partu enitendo. Nam cùm mox à conceptione arctè adeò claudi ſoleat uterus, ut nec acus cuſpidem ſit admiſſurus; contrà, ubi maturuerit partus, ita dehiſcit, ut grandiuſculus etiam exeat fœtus. Eſtque Hippocratis *a* opinio, cùm uterus ab antica parte habeat os pubis, à poſtica os ſacrum, & coccygem; à lateribus autem oſſa ilium: in partu pubis, & ilium oſſa diſtrahi, & ex ea divulſione tantum oriri dolorem parientium. Hanc ſententiam ſequitur quoque Avicenna: qui & divinam inde providentiam magnopere ait relucere. Sic enim ſcribit lib. III, ſen. XXI., tractatu I, cap. II: *Quando ſeparatur fœtus, aperitur uterus apertione tali, cujus ſimilem efficere non valet in alia hora, ut neceſſarium ſit ſeparari quaſdam juncturas, & ſuſtentari adjutorio Dei excelſi, præparante, vel diſponente ad illud: deinde reverti eas ad continuationem naturalem: & eſt operatio illa validiſſima ex naturæ operibus.* Audiamus quoque Zoar Rabbi Simeonis Ben in Exodi cap. I: *Haud facile quicquam magis in rerum natura reperies, quam diſtractionem illam oſſium pubis, quæ fit in parturientibus magis naturæ præſidio, ſeu providentiâ Dei, cui natura ipſa miniſtrat. Etenim nulla fieri poſſet, quantumvis validiſſimâ vi, & nixu; ſicut nec in cornibus cervorum, quæ quotannis decidunt, & denuo renaſcuntur.* Alii tamen, in quibus & Andreas Laurentius, nobilis Anatomicus, fuit, cenſent, oſſa ilium, & pubis, ſic eſſe coagmentata, ut nequeant divelli: ac proinde ea non tam planè diduci, quam leviter dehiſcere: imò ne id quidem ſat certum eſſe; ſed ſufficere, cartilagineum illud ſacri oſſis, quod κόκκυγα nominant, prorſus retrahi, atque ita amplius reddi ſpatium fœtui ad exeundum. Et ſanè ſic quoque miranda relucet naturæ vis, & providentia divina.

Non verò, uti animantium aliis, ita homini etiam, certò præfinitum eſt pariendi tempus. Columbæ ſingulis menſibus ova ſua excludunt; canis quarto ſemper menſe parit; equa nono; elephantus, quia, ob vaſtitatem corporis, tardè fœtus conſequitur perfectionem, biennio indiget. Mulier autem & ſeptimo parit menſe, & octavó, & nono, & decimo, & ultra. Nam etſi Ulpianus neget, ad hæreditatem admitti, qui natus ſit poſt decimum; idque præeunte magno Hippocrate, qui libro de natura pueri, menſem decimum ſtatuit geſtationis terminum: tamen idem Hippocrates, libro de partu ſeptimeſtri, & octomeſtri, auctor eſt, quoſdam menſe naſci undecimo: ac Hadrianus quoque Cæſar *b* judicavit, in undecimo partum edi poſſe. Sed fidem penè exſuperat, quod Plinio traditum lib. VII Hiſtoriæ Nat. cap. V; & inde Agellio quoque exſcriptum lib. III, cap. XVI: *Maſſurius auctor eſt, L. Papyrium prætorem, ſecundo herede lege agente, bonorum poſſeſſionem contra eum dediſſe, cùm mater partum ſe XIII menſibus tuliſſe diceret: quoniam nullum certum tempus pariendi ſtatutum videretur.* Avicenna item refert, viſum ſibi partum XIV menſium. Hujuſmodi ſi ſint recipienda, ſaltem rariſſima ſunt. Omnino enim,

ex

a Teſte Plinio lib. 7. cap. 3. ac ſimiliter Solinus cap. 3.

b Lib. 10. cap. 2.

c Lib. 3. ſectione 22. ſive pag. 294.

a Fine libri de natura pueri.

b Agell. lib. 3. cap. 16.

ex communi naturæ ratione, menſe ſeptimo eſt partus initium; decimo autem eſt terminus. Ac ſeptimo quidem initium, quia tum fœtus perfectam habet conformationem partium corporis: unde & tentat exitum, & feliciter ſæpe. At ſi ob debilitatem conatus ſit irritus, idem quandoque ſtudet menſe octavo: at infeliciter plurimum. Nam priori laſſatus conatu, & dolore partus accedente, mox ægreſcit; ſic ut, ſi mortuus non edatur, non diu ſaltem ſupervivat. Sed nono, decimoque menſe, ſic firmatæ ſunt vires, ut par ſit ferendis partûs doloribus. Duplex verò eſt ratio, cur tum potiſſimùm prodeat infans: nempe id præſtant contentio, tum fœtus, tum fœtæ: fœtus, quidem, quia is grandeſcens plus puri requirit alimenti: atque id deficit, partim quia impurior ſit indies ſanguis maternus; partim quoniam, quod purioris eſt ſanguinis, ad ubera recedat. Ratione autem fœtæ, quoniam uterus oneratur grandi fœtus pondere, eoque excutere moleſtum onus ſatagat. Sic fœtu quærente exitum, melioris, majoriſque alimenti ergo: & fœtâ optante exonerari, rumpuntur à fœtu membranæ, amborumque conatu is in lucem prodit. Eſt tamen cùm is conatus eſt irritus. Ut ſi puer grandior ſit; anguſtius verò fuerit uteri os, aut vulva: ſive naturâ id ſit, ſive ob tumorem, vel inflammationem, aut ſimile quid. Ac ſiquid ejuſmodi partum impediat, remedium hoc triſte ſupereſt exſecandi fœtus ex utero. Si enim jam exſpectatum uſque dum mater moreretur, quid opus præterea perire fœtum? Sin ſupereſt mater, ſatius eſt, eam fœtus ergo periculum hoc ſubire, quàm certo perire ambos. Nec enim de matre res deſperata, quia naturâ ſuâ non ſunt letalia, non dico epigaſtrii, & peritonæi vulnera; de quibus ſatis conſtat; ſed neque uteri ipſius. Ὅλη γὰρ ἡ μήτρα πολλάκις ἐξῃρῆται ἀφαιρεθεῖσα, καὶ θάνατον ἐπὶ τούτοις μὴ ἠκολουθῆσαι *traditur, totam ſæpe matricem ablatam, nec mortem inde conſecutam*: ut ait Paullus Ægineta. De generatione, & partu, ſatis: quibus magnam Deorum, Dearumque, numerum præfecere gentiles. Sed nunc contenti ſumus ex his Naturæ mirandis deducere hominem ad creatorem ſuum. De gentium autem numinibus, quæ præeſſe his animæ functionibus putarunt, agemus in Diis, qui ad affectiones corporum naturalium pertineant.

Cap. XXIII.

Oſtenſum, viſui inter ſenſus externos deberi principatum. Gemina ratio, cur nobis data ſit vis etiam longe diſſita conſpiciendi. Qua parte tactus, & auditus, viſum vincant, & ab eodem vincantur. Cur oculi ſint conſtituti in ſublimi, & parte capitis anteriori: cur item ſint bini, ac inter frontem poſiti, & naſum. Palpebrarum utilitas contegendis oculis. κορυβαντιᾶν *dicti, qui oculis dormiunt apertis: & unde hoc vitium. Alia palpebrarum duo commoda. Cur, ut acutius aliquid videamus, corrugemus frontem, vel ei admoveamus manum. Quare piſces obtuſius videant. Cur pejus cernant, quibus palpebræ albæ, quam quibus nigræ. De uſu ſex muſculorum in oculo commovendo. Unde ſit, quod aliqui ſint ſtrabones, vel oculos habeant aſſiduè tremulos, ac nictantes. Plinii error in Philarcho non ſatis capientis,* ἵππον *etiam dici hanc oculorum inſtabilium affectionem. Cur oculi rotundi. De ſex oculorum tunicis. Quare cornea ſit polita, ac denſa. Cur uvea ſit nigra. Cur foramen ejus pupilla vocetur. An ſemper ante mortem deſinat oculus referre imagunculam intuentis. Plinius in hoc lapſus. Ejuſdem alius error, pupillam credentis tunicæ eſſe corneæ, cùm ſit uveæ. Cur hæc nigra ſit: deque varia ejus in variis animantibus figura. Unde iridis nomen in oculis. Quamobrem gentium aliæ oculos fere habeant nigros, aliæ glaucos. Unde tunicæ araneæ nomen. Tunicæ retinæ uſus, ac quomodo variet viſus, prout ea à cryſtallino humore propius, vel longius abeſt: prout item rarior eſt, aut denſior. Cur aquilæ rectâ valeant Solem intueri. Humor oculi triplex; aqueus, cryſtallinus, & vitreus: & unde cryſtallino, ac vitreo, nomen: & ut pro criſtallini globoſiore, aut latiore formâ, variet viſus: ut item humor cryſtallinus in animante liquidus ſit, ſed frigore concreſcat: ac ut vitreus quoque fluat. Unde ſit, quod non fallatur viſus, etſi aqueus humor faciat refractionem. Non humorem cryſtallinum, ſed tunicam retiformem, propriè eſſe viſionis organum. Oculorum gratiâ caput eſſe verſatile. Nervorum opticorum uſus.*

HActenus præſtantiam ac dignitatem hominis perſpeximus ex iis, quæ illi communia ſunt, non modò cum mutis animantibus; ſed etiam cum plantis. Nunc venio ad ulteriorem excellentiæ gradum, facultates nempe, & affectiones animalis proprias: quarum aliæ magis hoc nomen merentur; ut ſenſus, appetitus, locumutatio, & reſpiratio: aliæ minùs propriè; ut vigilia, & ſomnus; quò & ſomnia referuntur. Sunt verò ſenſus vel externi, vel interni. Externi ſunt nuncii & ſatellites animæ, quibus animus omnia, quæ foris geruntur, cognoſcit. Quinque eos eſſe, ſatis conſtat: in quibus principatum obtinet viſus. Atque id primùm ratione objecti; quo nullum, vel excellentiùs, vel latiùs, ſe per naturam diffundit. Nam quid præſtantius luce? Quam latè etiam patet color? Jam præter iſta, quot ſunt objecta viſus communia! ut magnitudo, figura, numerus, motus, & quies. Deinde ratione modi, quia nihil eo ſenſu vel certius eſt, vel velocius. Nam cum auditu quidem ſi conferas, quis non oculis ſuis credere malit, quàm teſtibus auritis? Notum illud Gygis apud Herodotum in primo: Ὦτα τυγχάνει ἀνθρώποισι ἐόντα ἀπιστότερα ὀφθαλμῶν a. *a Magis incredulæ ſunt aures hominibus, quam oculi.*
Quanto etiam celeriùs fulgur videmus, quam tonitru audimus! Similiter quopiam ligna cædente in ſylva, conſpicimus jam elevatam ſecurim ad ictum alterum, priuſquam ſonus prioris ad aures pervenerit noſtras. Quæ millies jam ab aliis dicta ſunt. Et quid multis opus, cùm momento etiam ad ipſos pervolet cælos? Ex quibus omnibus elucet, rectè quidem dicere eos, qui ajunt, eò animali datam eſſe facultatem videndi valde diſſita, ut ex longo etiam intervallo cernere poſſit ſalutaria, ac evitare noxia. Interim alteram etiam ejuſce rationem eſſe, ut homo ad magnarum rerum contemplationem, quas videt, & per eas ad ſummi boni, quod non videt, amorem, & notitiam perduceretur.

Non dubitant tamen aliqui, tum tactum viſui præferre, tum etiam auditum. Nam ſine tactu, inquiunt, eſſe non poſſumus; poſſumus ſine viſu. Et per auditum breviculo tempore cognoſcimus, quæ per experimenta vix ſciremus longiſſimo temporum intervallo. Itaque & multi à nativitate cæci plus ſapiunt iis, qui ab incunabulis vident. Sed enim, qui viſum habet, tactu etiam præditus eſt: eoque viſus præſtat, quia tactum præſuppoint, & ingens ei bonum ſuperaddit. Et quid apertiùs, quàm caduca eſſe, quæ contrectamus: videri autem cæleſtia quoque? Eoque ut tactus prior ſit naturâ, viſus tamen prior eſt dignitate. Jam quod ad auditum, per accidens quidem, Ariſtotele *b* teſte, diſciplinarum is ſenſus eſt, *b Lib. de ſenſu & ſenſil. c. 1.*
quia in ea vitæ brevitate non poſſumus omnium capere experimenta. Sed per ſe potior eſt viſus, quoniam is ſenſus eſt certus, auditus fallax. Atque ut audiamus viros experientes, & veraces: tamen hoc, quod auditu cognoſcimus, ab experientia originem trahit: ut viſus alienus fundamentum ſit eorum, quæ ab aliis audimus. Quare cùm tanta ſit viſus præſtantia: nihil mirum, ſi tam oculos amemus. Unde Catullus *c*: *Ni te plus oculis meis amarem.* *c Epigr. 14.*
Et *d*, —— *Seu quid carius eſt oculis.* Plauto item *e*, *ocullus amare*. Et, *homo oculiſſime* f. Et, ex quorundam g ſententia, *oſtium oculiſſimum* h. Sed iſtic metrum planè exigit *occluſiſſimum*. *d Epigr. 83.* *e Cornicularia, apud Nonium.* *f Curcul. 1, 2.* *g Feſti, Turnebi, Mureti, Stephani, Duzæ.* *h Ibid. 1, 1.*

Verùm ut meliùs intelligatur, quantum debeamus Deo propter attributam videndi facultatem; diſtinctè conſiderabimus; id quod videt, illud quod videtur, & modum

quo

quo quid videt, aut videtur. Id quod videt, principem ſi cauſſam attendas, anima eſt per facultatem viſivam: at, ratione inſtrumenti, id eſt oculus cum nervo, ac ſpiritu optico. Quod propriè videtur, tum lux eſt, tum lumen, tum color. Modus viſionis eſt ſpeciei viſibilis, per corpus perſpicuum, indeque per oculi humorem cryſtallinum, in tunicam retinam receptio, atque ex ea à ſpiritu viſivo per nervum opticum tranſmiſſio in ſenſum communem.

Oculus à Deo conſtitutus eſt in ſublimi, ut longiùs proſpectaremus: in parte antica, quia conſtare debet, quò dirigatur greſſus. Binos oculos dedit, ut plura, & evidentiùs, cerneremus; ſimul, ut certiùs diſtingueremus corporum diſtantiam. Nam facilè aberret in illo, qui alterum claudat oculum, ut patebit hoc pacto aliquid è ſublimi pendulum tangere volenti. Securitatis gratia oculus in oſſeis latet receſſibus. Prominet interim aliquantum, ut illa à latere etiam videantur. Conſtitutus eſt inter frontem protuberantem, & naſi prominentiam, ut, umbrâ horum, majus lumen minùs offendat. Ideo & frontem corrugamus, & adducimus, ut acutiùs videamus. Et qui ſunt naribus truncati, queruntur, moleſtiùs ſibi eſſe majus lumen, quam ſoleret.

Oculorum cauſſâ etiam palpebræ ſunt, ac ſupercilia: ut quorum officium ſit munire eos adverſus illa, quæ alioquin inciderent. Itaque palpebrarum vitium eſt, ſiquis oculis dormiat apertis. Nec tamen id ſemper morbo contingit, ut ſi ab ulcere, aut vulnere, ſurſum attrahantur: ſed natura quoque, quandoquidem novi, qui ab ortu ipſo hoc vitio laborarint. Nimirum naturâ iis palpebræ fuere juſto breviores ob materiæ defectum. Sic, leporino more, dormientes, κορυβαντιᾷν dicunt Græci; Plinio teſte lib. XI, cap. XXXVII. Præter hoc officium, quod diximus, alia etiam duo munia oculis præſtant palpebræ, eaque longe maxima. Prius eſt, quod tum mollitie, lævore, & æqualitate, tum limbo ſuo cartilagineo, detergeant de tunica cornea, partim humorem viſcoſum, quem exſudant; partim pulviſculos extrinſecus incidentes (eſt enim aer iis refertus) quibus cornea impetita ſcabreſceret, ac ſic tenebreſceret viſus. Poſterius eſt, quòd opacitate ſuâ impediat, ne lumen nimium inſinuet ſe per pupillam. Tale enim viſui obſtaret: ut arguit, quòd, cùm acutiùs, & diſtinctiùs aliquid eſt ſpeculandum, nunc palpebras contrahimus, ſic ut penè concurrant: nunc manum fronti admovemus, ut pupilla magis obumbretur. Quod etiam diximus antea, cùm oſtenderemus, cur fronti Deus oculos ſubjecerit. Nam par in iſto frontis, & palpebrarum, ratio eſt. Ac pro hac ſententia etiam eſt, quòd Averroës, in lib. de ſenſu & ſenſili, tradat, longiùs proſpicere animalium illa, quibus palpebræ ſunt craſſiores. Ab eadem cauſſa eſt, quòd piſces, & inſecta, obtuſiùs cernant. Palpebris enim carent. Etiam hæc firmantur artificio in conclavi tenebricoſo videndi ad parietem depicta, quæ foris ſunt. Nam & hic juvat, ſi ſupra foramen feneſtræ extrinſecus aliquid prominens apponas, quod impediat, ne, pariete nimis illuſtrato à lumine per foramen intrante, ſimulachra ac colores vel prorſus deliteſcant, vel dilutè admodum obſcureque compareant. Dignum etiam memoratu, quod narrat Philippus Montalto lib. IV Opticæ cap. VIII. Refert is, hominem ſibi notum oculis fuiſſe glaucis, palpebris candidis; inque pueritia, & adoleſcentia, meliùs vidiſſe de nocte, pejus de die; ſed virili ætate id fuiſſe immutatum. Addit item, Mauros ei capto palpebras tinxiſſe atramento, ac vidiſſe tum acutiùs; ſed rediiſſe vitium vetus, ſi atramentum deterſiſſet. Cauſſam ab eo prætermiſſam optimè doctiſſimus Plempius noſter perſpexit: nempe quòd palpebræ candidæ nimium ea diluerent, quæ in tunica retiformi pingerentur.

Hoc quoque egregium divinæ erga nos curæ eſt indicium, quòd ſex muſculos oculis attribuerit; quorum ſingulis unus ſit uſus, ad eum rectà, vel obliquè, pro arbitrio movendum. Ex quatuor rectis unus oculum ſurſum trahit, alter deorſum, tertius movet ſiniſtrorſum, quartus dextrorſum. Obliquorum duorum unus ſuperiùs, alter inferiùs, convertit oculum, ac circumfert. Septimus, quem Veſalius addit, in quadrupedibus ſolum comparet. Inæqualis viſio, qualis eſt ſtrabonum, à muſculis hiſce proficiſcitur; quia præter naturam oculum movent. Ab iiſdem etiam eſt, quòd nonnullis oculi natura ſunt tremuli, & quietis neſcii. Quo oculorum vitio laborantem habuimus eruditiſſimum collegam. Eſtque non abſimile vitium naturali dentium ſtridori: cui & comparat Galenus primo εἰς τὸ προγνωστικόν. Hanc perpetuam oculorum nictationem Græci vocant ἵππον: quod non attendit Plinius lib. VII, cap. II, his verbis: *Philarchus (prodit) & in Ponto Thibiorum genus, multoſque alios ejuſdem naturæ: quorum notas tradit in altero oculo geminam pupillam, in altero equi effigiem.* Nec enim dubitandum, quin Philarchus, cùm de oculorum vitiis ſermo ſit, ἵππον ſcripſerit: quod Plinius, ambiguitate vocis deceptus, perperam reddiderit *ejus effigiem*: ut ante nos doctiſſimo Dalecampio obſervatum.

Jam quanta Dei ſapientia relucet in ipſa oculorum fabrica! Rotundos fecit, ut plura percipiant. Satis enim convenit, figuram hanc cæteris eſſe capaciorem. Potiſſima verò conſideratio eſt tunicarum ejus, & humorum, quos continent tunicæ. Una tunicarum eſt ἐπιπεφυκὼς, ſive *adnata*; altera κερατοειδὴς, ſive *cornea*; tertia ῥαγοειδὴς, ſeu *uvea*; quarta ἀραχνοειδὴς, ſive *aranea*; quincta ὑαλοειδὴς, ſeu *vitrea*; ſexta ἀμφιβληστροειδὴς, ſive *retiformis*. Quibus à nonnullis additur tendinea quædam, præeunte Realdo Columba *a*, Anatomico Romano. Quam primo loco ponebamus, eam τὸ λευκὸν *b* dixit Hippocrates. Atque hæc cæteras comprehendit, originemque habet à pericranio. Cornea anteriori parte cornus raſi ac politi inſtar pellucet; unde & nomen accepit. Julius Paullus Craſſus Patavinus, Rufi Epheſii interpres, vocat quoque *cornicularem*; non à *cornicula* profectò, ut propterea cornicari ſit exiſtimandus: ſed à *corniculo*; unde *cornicularii* iidem ac κεραῦλαι, ſive *cornicines*. Eo autem cornea polita eſt ac lævis, ne ſpecies deferat pravè, ac cum deformitate: uti fieret, ſi aſpera eſſet ac rugoſa. Eadem ob denſitatem ſuam detinet humorem aqueum. Originem autem ducit à membrana exteriore nervi optici.

a Lib. 12. ubi inter adnatam, & corneam, ponit quandam nomine carentem.
b Albuginem.

Uvea ſic vocata eſt, quia uvæ refert cæruleæ acinum, cui avulſus ſit pediculus: oriturque à tenui membrana nervi optici, vel à cerebri meninge. Hæc nigrore ſuo obſcura reddit penitiora oculi, ut ſic meliùs videamus: quemadmodum ſi conclave fuerit obſcurum, meliùs perfectiuſque in pariete depinguntur, quæ geruntur foris. Eadem feneſtellam habet, quæ *pupilla* vocatur Latinis, ut Græcis κόρη. Propriè utrumque notat *puellam*. Nam ut à *pupus*, *pupulus*, *pupillus*; ſic à *pupa*, *pupula*, *pupilla*. Poſtremo hoc pro *puella* uſus Martialis lib. IV, epigr. XX:

Dicit ſe vetulam, cùm ſit Cærelia pupa.

Uti *pupillam* pro eodem apud Appulejum legas Apol. II. At in oculo *pupulam* pro *pupilla* dixit Calvus *c*: *Jam gravis ingenti connivet pupula ſomno.* Ac ſimiliter Lucretius lib. III; imò & Varro apud Nonium. Ratio hujus tralationis eſt, quòd in oculo pueritia ſibi, dum oculos ea mutuò intuetur, puelli, vel puellæ, imaginem conſpicere videatur. Atque hoc fit ob lævorem oculi. Quæritur porrò, an fides habenda ſit Phyſicis antiquis; de quibus ſic Servius in illud IV Æn. *Dat ſomnos, adimitque, & lumina morte reſignat. Phyſici dicunt, pupillas, quas in oculis videmus, morituros ante triduum non habere: quibus non viſis eſt ſumma deſperatio.* Imò Plinii eſt lib. XXVIII, cap. VI: *Augurium ex homine ipſo eſt, non timendi mortem in ægritudine, quamdiu oculorum pupillæ imaginem reddant.* Sed id perpetuum non eſt. Quandoque enim a morte etiam, ut lævor, ſic imagunculæ hæ durant. Valde itidem ratio fugit Plinium, cùm corneam tunicam cenſet eſſe feneſtratam: ut videre eſt lib. XI, cap. XXXVII. *Uveam* enim dicere debuiſſe, liquet ex iis, quæ diximus. Nigricat pupilla, quoniam ſita eſt in profundo, cujuſmodi umbram faciunt. Figura

c Apud Priſcianum lib. 9.

ejus in homine eſt circularis, in bove ovalis, in fele oblonga, inſtar rimæ ſupernè deſcendentis. Sunt &, qui geminam credantur pupillam habere; ut ex Philarcho referentem antea Plinium audiimus. Nempe hoc inde eſt, quòd circulus iridis exterior nigricante colore alteram referat pupillam. In aliis enim iris varii eſt coloris; unde & *iris* dicitur; etſi non ſit ſemicircularis, ſed coronæ ſimilis. Varietas ea coloris eſt ex eo, quòd ſpiritus, & humor aqueus, particulis aliis copioſior ſit, aliis paucior. Niſi malis, colores ſolùm eſſe apparentes, eoſque ex refractione luminis in ambitu corneæ provenire. Quòd ſanè veriſimilius, quia lumine recedente non manent hi colores. At qui dicuntur oculi colores, veri ſunt; ut eo cognoſcimus, quòd pro lumine non varient. Tales cæſius, niger, & medius ille, qui à caprarum oculis vocatur *caprinus*. Cæſius, ſive glaucus, frequens eſt Belgis, Germanis, Britannis: quia multum quidem iis humoris, ſed à calore nativo; qui, à frigore externo ſtipatis corporis poris, intus conſtringitur, attenuatur, & rareſit. Contrà Libyes, Æthiopes, Syri item, & Indi, oculos ſemper penè habent nigros: quia, cùm in calidis vivant regionibus, magis quidem ſunt exſucci, ſed humor multum habet terreſtre; quòd calor nativus, per poros exſpirans, non valeat eum tantopere attenuare.

Sequitur tunica aranea; quæ ex eo nomen hoc accepit, quia tenuitate, (non tamen imbecillitate, cùm durior ſit, & valentior) telas referat aranearum. Pellucida eſt, ac humorem continet cryſtallinum, & per proceſſus ciliares aliis adnectitur partibus. Tunica vitrea nunc dicitur, quæ vitreum continet humorem, eumque ab aqueo diſcernit, ne confundantur. Ac fortaſſe non alia eſt ab ea, quam veteres *araneam* vocarunt. Ex minutis enim fibris contexitur, ut laceranti eam ſatis eſt evidens. Itaque nihil mirum, ſi cùm araneæ vitream continuari putarent, unam eandemque arbitrarentur. Tunica retiformis ſic dicta eſt, non quia retis inſtar ſit cancellata: ſed quoniam referat rete contractum. Nam, ut ait Rufus Epheſius, ex anguſto in latum diffunditur, ſinuaturque. Veſalius non incommodè dimidiato ovi putamini conferebat. Is, quem & antè dixi, Fortunatus Plempius, magnum ut Lovanienſis Academiæ, ſic patriæ Amſtelodamenſium civitatis, Hollandiæque totius, ornamentum, ſcitè etiam comparabat *a* operculo, quod glandi quercinæ ſuperadditur. Tunica hæc colores ſibi à cryſtallino humore impactos retinet, ac repræſentat. Species enim viſibiles pupillam ſubeuntes tranſeunt omnes oculi humores, uſque dum repræſententur in tunicâ retinâ. Quòd ſi longiùs ab ea abſit tunica, ſolùm videas propinqua: ſin propiùs, tantùm longinqua. Poſteriori modo ferè cernunt ſenes: priori illo myopes, etiam juvenes. Aliter quoque pro diſcrimine retinæ variat viſus. Nam ſi rara ſit, lumen profundiùs penetrat: quæ res moleſtiam parit, ac ingenti in lumine, quale eſt Solare, lachrymas etiam ciet invitis. Denſa autem prohibet, ne altè ſe inſinuet lumen. Ac credibile eſt, hoc pacto affectum eſſe oculum aquilinum, qui & ſolare lumen rectâ intuetur. A tunicis nunc ad humores tranſeo.

a Lib. 1. Ophthalmographia, c. 15.

Humores ſunt tres; ὑδατώδης, ſive *aqueus*; κρυσταλλοειδής, ſive *cryſtallinus*; & ὑαλοειδής, ſive *vitreus*. Horum extimus eſt aqueus; perque eum ſpecies ad humorem cryſtallinum deferuntur: uveam quoque ſeparat à cryſtallino; & corneam tunicam diſtendit, ne, ſi corrugetur, ſpecies perperam ad cryſtallinum tranſmittantur. Ut liqueat, ne in tantillo quidem aliquid non magnum ob uſum eſſe factum à Deo. Excellentior tamen utilitas humoris eſt cryſtallini: qui ſic vocatur, quia cryſtallum, ſive glaciem referat; non quaſi ejus inſtar ſit durus; ſed quia ſit pellucidus, & omnis coloris expers, ut omnem bonâ fide colorem repræſentet. Vopiſcus Plempius lib. 1 Ophthalmiæ cap. XVII ſcitè obſervat partem ejus anteriorem, cui humor innatat aqueus, rotunditate eſſe lentis inſtar depreſsâ: poſteriorem autem, quà vitreo invehitur, aſſurgere in conum: eſſe interim, quibus ſitus ejus ſit globoſior; ut myopibus, qui concavis juvantur ſpecillis: eſſe alios, quibus idem obtigerit latior; eoque, ad propinqua etiam cæcutientes, ſpecillis utantur convexis. Hoc de humore intelligendus eſt illuſtris ille Hippocratis locus libro de carnibus *a*: Πολλάκις ὀπώπαμεν ἐπὶ συῤῥαγέντος ὀφθαλμοῦ ἐξιὸν ὑγρὸν, κολλῶδες. καὶ μὲν ἢ ἔτι θερμὸν, ὑγρόν ἐστιν. ἐπειδὰν ᾗ ψυχθῇ, ἐγένετο ξηρὸν, ὥσπερ λιβανωτὸς διαφανής· *Sæpe conſpeximus, oculo diſrupto exiiſſe humorem glutinoſum: qui dum calet, eſt liquidus: at poſtquam perfrixit, ſiccus ſit, ac thuris eſt inſtar perſpicuus.*

a Sect. 3. pag. 34. edit. Wecheliane.

A tergo cryſtallini humor eſt vitreus, ſic dictus à ſimilitudine vitri, partim liquefacti, partim frigefacti. Nam fluit inſtar liquefacti: ſed differt ab eo, quòd vitrum non pelluceat liquefactum. Pellucet vitri inſtar frigefacti: ſed differt ab eo, quòd hoc non fluat.

Ex humoribus hiſce aqueus facit refractionem. Nec propterea exiſtimandum, alio res loco ſpectari, quàm naturali. Nam cryſtallinus humor eſt compactior & aqueo, & vitreo: eoque ſpecies ob refractionem alioque aberratura redit ad perpendicularem.

Cæterum in humore cryſtallino confuſa etiam fit viſio: eoque ulteriùs etiam procedendum ſpeciei fuit viſibili; nempe ad tunicam retiformem. Quemadmodum enim ſpecies per aërem immiſſa in vitrum, quo foramen feneſtræ obturatur, inde in obſcuri conclavis parietem, vel tabellam de pariete ſuſpenſam, defertur; ibique cum coloribus ſuis rem pingit: ita nec in humore triplici ſpecies conſiſtit, ſed inde impingit in tunicam retiformem: ut is demum ſit ultimus receptæ in oculo ſpeciei terminus, & κυριωτάτως *b* viſionis inſtrumentum. Atque hæc dicta ſunto de fabrica ac uſu oculorum: quorum gratiâ duntaxat caput Deus verſatile fecit: ut hoc quoque ſit illuſtre argumentum, quanta ſit eorum præſtantia.

b Maximè propriè.

Nec tamen ſoli oculi ſunt organum viſus, ſed nervi etiam viſorii: de quibus propterea pauca addemus. Horum munus eſt ſpecies viſibiles retinæ impreſſas recipere, & deferre ad ſenſum communem. Id verò, quod propriè ſpecies recipit, eſt ſpiritus animalis, meatu opticorum contentus. Et quia, ob multiplicem oculi actionem, nulli ſpiritus animales celeriùs abſumuntur, quàm viſorii: eo Deus nervos hoſce aliis fecit craſſiores: quoque uberior ſpiritus eos permeat, meliùs videmus. Proinde ſi nimis paucus ſit, debilis erit viſus. Ac gutta oritur ſerena, & cæcitas, ſi deficiat planè: quod nonnullis contingit ex eo, quia nervi optici à vaſis vicinis nimis comprimantur. Ut nihil mirandum ſit, ſi quidam receperint viſum accepto vulnere in fronte. Nam evacuatis vaſis proximis, patentior fit opticorum meatus, ac affluxus ſpiritûs copioſior. Eo & aliqui frontis venam ſecant ad viſum recuperandum. Sunt & quibus ſternutantibus humor in opticos defluxerit, unde ſunt excæcati. His quandoque prodeſt, ſi ſternutationem cientia præbeantur, ut humor ſternutatione receptus eâque alio derivetur. Periculum interea eſt, ne, ſternutatione alterâ, major eodem materies affluat.

Porrò interdum ſpiritus opticis contentus motu fertur inordinato: unde obverſari oculis ſcintillæ videntur, noctu præcipuè, vel de die etiam, ſi oculos clauſeris. Quod ſi ſpiritus in orbem feratur, omnia, quæ cernuntur foris, circumferri videbuntur: uti ebriis crebrum, item ex alto deſpectantibus. Nam ob pavorem conſiſtere ſpiritus nequit: eoque fugit, & cùm rectà non poſſit, in gyrum fertur. Livius lib. XLV, ubi Tempe deſcribit: *Rupes utrimque ita abſciſſæ ſunt, ut deſpici vix ſine vertigine quadam ſimul oculorum animique poſſit.* Atque hæc de organo viſûs, cui viſiva animæ facultas alligatur.

CAP. XXIV.

Objectum viſus aliud per ſe, aliud per accidens: prius vel proprium, vel commune: deque communi, luxu ni-

nimis opticorum numerus refellitur. Umbræ, & tenebrarum, diſcrimen; lucis item, & luminis; coloris in corpore planè opaco, & perſpicuo viſum terminante; coloris denique, & lucis; deque temperie colorum ex perſpicuo, & opaco, & diverſo eorum effectu; coloris item veri, & apparentis differentia.

TRanſeo nunc ad id, quod videtur. *Objectum* vocant. Quale aliud per ſe, aliud per accidens. Poſteriori modo cernuntur ſubſtantiæ: nempe per qualitatem viſiblem. Quod autem per ſe videtur, vel objectum eſt proprium, vel commune. Proprium intelligo, quod ſolo cognoſcitur viſu: commune, quod, ſi non omnibus ſenſibus, ut Themiſtius volebat, pluribus ſaltem percipere ſit. Cujuſmodi ab Opticis recenſentur viginti: ſed quædam perperam; ut tranſparentia, umbra, obſcuritas: imò & pulchritudo, & deformitas; ſimilitudo, & diſſimilitudo: atque adeò etiam, ſitus, & intervallum. Cuncta enim hæc revocantur vel ad illa quinque communia, Ariſtoteli memorata; motum, quietem, figuram, numerum, & magnitudinem: vel ad objecta propria, lucem, & colorem. Nam umbra eſt lumen imminutum. Idem de tenebris dictum velim. Siquidem tenebræ noſtræ nihil aliud ſunt, quàm umbra major: ſicut colores, contrà quàm in minori fit umbra, non compareant.

Cùm lucem viſus objectum ſtatuo, vocabulum hoc tam laxè ſumo, ac Græci ſuum φῶς: nempe ut comprehendat tum lucem corpori lucido inhærentem, quæ ſtrictè proprieque *lux* nominatur: tum illam à corpore lucido in perſpicuum diffuſam, quæ propriè vocatur *lumen.* Cùm colorem facio alterum viſus objectum proprium, attendo, tum extremitatem corporis planè opaci, hoc eſt, lumini neutiquam pervii, neque rerum ſimulachris: tum extremitatem, & tranſparentiam corporis perſpicui, ſed hactenus opaci naturam participantis, quòd terminet viſum: quomodo cernimus aquam, vitrum, & gemmas pellucidas. Imò & colorem omnem lucis nomine poſſumus intelligere: quia color eſt lux opacitate terreſtri obſcurata. Ut enim temperies oritur ex proportione primarum qualitatum: ita & naſcitur color ex proportione lucidi, & opaci. Unde & Vitellioni dicitur eſſe lux incorporata, hoc eſt, corpori inſita: Keplero item lux ſepulta in pellucidi materia. Ariſtoteles verò, cùm libro de ſenſu, & ſenſil. cap. III, colorem definit extremitatem perſpicui in corpore terminato, abſolutè eum ſpectâſſe dicendus non eſt. Uti neque ab eo id actum libro de coloribus: quo ſaltem id fieri oportuit. Nunc utrobique tantummodo attendit relatè; neque tam ſignificat, quid color ſit, quàm cui inhæreat. Imò commodiùs dixeris, colorem eſſe extremitatem opaci, quàm perſpicui. Quin neque in perſpicuis ſolùm videmus, quòd exterius eſt; ſed etiam, quod continetur interius: ut cernere eſt in lapillis pellucidis, viridibus, rubris, aliis. Interea agnoſcimus, omne opacum eſſe particeps perſpicuitatis, ac propterea eſſe coloratum: omne item pellucidum, ſi videri poſſit, eſſe particeps opacitatis; ut de gemmis pellucidis diximus. Differunt igitur lux, lumen, & color. Lux eſt primùm viſibile: unde per ſe videtur. Lumen eſt effluxus lucis à corpore lucente. Color autem temperies perſpicui, & opaci. In albore plus eſt perſpicui, quàm opaci: in nigrore minus perſpicui, quàm opaci. Parque ratio in coloribus intermediis. Ubi & nonnulli menſuræ modum, de quo penes eos ſit fides, exprimere conantur. Nam in puniceo volunt eſſe duos gradus lucis, & diaphani: unum duntaxat opaci: at in cæruleo tres gradus opaci, duos lucis. Unde de cæteris eſto conjectatio. Colores enim, ſi extremos exceperis, alii ex aliis fiunt: ut purpureus ex rubro & cæruleo; aureus ex flavo, & rubro. Atque ut pro varia miſtura alius, atque alius, eſt color: ſic quoque diverſi ſunt effectus. Albor diſgregat viſum, nigror congregat; ſed ita, ut congregando etiam hebetet. Nam longè obtuſiùs vident, qui annis aliquot delituere in carcere obſcuro. Rubedo inflammat; quia ſanguinem è centro, quomodocunque id fiat, vocat ad peripheriam. Ideo & tauros color is efferat; imò & gallinas Numidicas. Cæruleus verò, ac viridis, maximè afferunt viſui voluptatem. Diſtinguendum tamen inter colorem verum, & apparentem. Verus eſt ſtabilis; atque hoc ab lucis inſitæ, & perſpicui cum opaco mixtione: alius eſt apparens, qui ab lumine eſt adventicio, atque iccirco non ſtabilis eſt, ſed varius; prout magis, vel minus, imbibit lumen externum. Sic, ut verſu utar Cæſaris Neronis à Seneca [a] laudato,

Colla Cytheriacæ ſplendent agitata columbæ.

Nec enim tam varius color verè inhæret; uti fit in pannis variegati coloris: ſed alius, atque alius, apparet; prout lumen nunc rectà, nunc obliquè, immittitur.

[a] Lib. 1. Natur. Quæſt. cap. 9.

Cap. XXV.

Acceditur ad viſionis modum, quem aliqui receptione; alii emiſſione, fieri arbitrantur. Quatenus in priori convenerint Democritus, & Ariſtoteles: in poſteriori, Pythagoras, & Plato. Improbatum in Ariſtotele, quòd maluerit meteororum apparentium cauſſas ex Mathematicorum adferre principiis, quàm ſuis. Contra Platonem, & Galenum, variis oſtenditur argumentis, non fieri viſionem emiſſione ſpirituum. De ſpeciebus viſibilibus quæſitum, ſintne corporeæ, ut voluit Empedocles; an immateriales, ſive accidentia, ut cenſent Peripatetici: ac poſterior ſententia adſtruitur: Galeni hic etiam argumentis occurritur. Variis item refelluntur argumentis, quibus contrarium placet. Illi quoque refutantur, qui, cùm à Platone, & Galeno, abeant; nihilominus negant, viſibilium ſpecierum ope ad viſionem eſſe opus.

SUpereſt tertium, de modo videndi: quæ quæſtio multum & antiquorum, & recentium, vexavit ingenia; certiſſimo humanæ imbecillitatis argumento, quòd nec oculis, nec animo, id ipſum ſatis videamus, quomodo videamus. Præcipua autem quæſtio eſt, utrum viſio fiat ſolâ receptione imaginum, quæ objecta de ſe in oculum diffundant: an præterea opus ſit, ſpiritus ab oculo emitti, ſive ad objectum uſque, ſive ſaltem aliquò uſque, donec concurſus fiat imaginis emiſſæ ab objecto; & ſpiritus emiſſi ab oculo. Democritus, (deque Leucippo, & Epicuro, idem ſtatuendum) non agnovere emiſſionem ſpiritus ſive radiorum ab oculo: ſed ſufficere putarunt ejaculationem materialium imaginum ab objecto in oculum. Paullùm ab hâc ſententia deflexit Ariſtoteles. Nam libro de ſenſu, & ſenſili, & in ſecundo de Anima, ſtatuit viſionem fieri receptione ſpecierum. Hoc ſolùm differunt Democritus, & Ariſtoteles; quòd ille putârit, viſum noſtrum à potentia ad actum deduci per imagines materiales, ſed ſubtiliſſimas, ſeque per poros tum aëris, tum pupillæ, inſinuantes nobis: hic verò exiſtimârit, eas eſſe immateriales; non quaſi non inhæreant aëri, & oculo; ſed quia ſolùm ſint aëri, & oculo, impreſſæ, ut ſigillum ceræ. Ab utroque abiere Pythagoras, & Plato. Quippe requirebant ſpiritum ab oculo exeuntem, ſive lumen, rectà emiſſum, quod *radium* dicimus. Cumque hactenus convenirent, non eodem tamen ſe modo explicabant. Pythagoras, quem & ſecutus eſt Hipparchus, voluit lumen ab oculis pertingere ad objectum: atque ubi hoc attigerit, imprimi lumini, ſive ſpiritui, imaginem objecti: tum radium illum viſualem unà cum imagine reflecti eò, unde venerat. Plato autem judicabat, & ab oculo exire ſubtilem ac lucidum ſpiritum, & ab objecto effluere radium quendam ſive ſplendorem: utrumque hoc lumen, ubi aliquò uſque in aëra progreſſum fuerit, concurrere, & coaleſcere: unde hoc, ut ex Plutarcho videmus, *συναύγειαν* vocarunt, quaſi dicas *radiorum concurſum*, vel ſi malis voce ſimplici, *corradiationem.* Non obſcurè Plato illud indicat in Sophiſta, & libb. de Legg. Sed imprimis de iſto illuſtris eſt locus in Timæo; ubi tradit, ineſſe corpo-

poribus noſtris ignem æthereo ſimilem, non abſumentem, verùm illuminantem: portionem ejus craſſiorem permanere in nobis, ſed tenuiorem evolare per oculos in aëra; noctu autem ob tenebras evaneſcere & exſtingui: contrà de die lumen externum, & illud oculorum, ſociari ob ſimilitudinem. Atque hoc Platoni eſt lumen illud mixtum, eoque validius ad movendum in nobis ſpiritus animales, proximum ſenſus inſtrumentum; quod ſimplici lumine torpeſceret, nunc autem gemino excitatur ad res foris cognoſcendas. Mirum verò, Ariſtotelem, cùm locis antea memoratis ſententiam illam de luminis ſive ſpirituum emiſſione refellat; eundem tamen in Meteorologicis *a*, ubi de iride, halone, parelio, & virgis, diſſerit, cauſſas iſtorum non ex ſua petere ſententia, ſed ad illam alibi rejectam, velut ad ſacram recurrere anchoram. Scio, philoſophum, in exotericis, atque ubi obiter, & perfunctoriè aliquid dicendum, vulgares ſequi opiniones ſolitum: quomodo & hoc loco Ariſtotelem excuſant Alexander Aphrodiſienſis, & Auguſtinus Niphus. Sed enim in Meteorologicis proprius erat locus afferendi cauſſas iſtorum. Quare cùm ex alienis hic maluerit principiis cauſſam arceſſere, quàm ex ſuis: aliud videre non poſſum, quàm difficultate rei territum, cùm ex ſuis principiis minus poſſet, rationem reddidiſſe ex opinione Mathematicorum, utcunque eam non uno impugnaſſet loco.

a Lib. 3. cap. 3.

Nec propterea ab Ariſtotele, cui jam olim id objecit Galenus, in eo recedimus, quòd putârit, receptione ſpecierum fieri viſionem. Multa enim eam evincunt, ſpirituum autem emiſſionem refellunt. Nec tamen quorumvis argumentis pugnâro. Ut illo, ſi viſio fiat ſpiritus emiſſione, vel reverti ſpiritum, vel reditus oblviſci. Si non redeat, viſionem fieri extra hominem. Sin poſt longa etiam ſpatia emenſa reverti ſciat, animatum eſſe, ac partem hominis: eoque extra hominem partem eſſe hominis. Huic enim facilè occurri videtur, ſi continuatus ſit ſpiritus inter objectum, & oculum: atque idem, ut objecti indagator, ita quoque index credatur. Quare illud potius objecero, ſi animales ab oculo ſpiritus emanent, omnino propinqua, & diſſita, aſſiduè ſpectando, longè imbecilliores nos fore, quàm fuimus. Nam ſi & actu Venereo, & emiſſione ſanguinis, breviculo tempore, magna virium fit imminutio: quid erit de continua longiſſimi temporis viſione; non dico ejuſdem rei, ubi fortaſſe continuari idem radius dicatur: ſed rerum diverſarum, uti inter ambulandum: ubi, puto, ut objectum aliud, atque aliud, ita alium, atque alium eſſe radium, fatentur. Nec dicere poſſint, animalem duntaxat ſpiritum conſumi, non vitalem, cùm animalis in cerebro fiat è vitali. Sed ſi hoc telum ſatis validum negant, ſaltem nunquam levi alterum amictu excant; quòd, cùm ſpiritus animalis ex puriori ſanguinis portione elaboretur, etiam corporeum eſſe, neceſſe ſit: ἀντιλογίαν *b* autem contineat, corpus aliquod eodem tempore eſſe diverſis in locis. Atqui ſomno expergefactus, confeſtim cerno ſtellas orbis ſupremi. Dixeris, non in inſtanti id fieri, ſed exiguiſſimo tempore, ſic ut obſervari ſpatium nequeat. Verùm enimvero, quale illud, tantillo tempore propè immenſum cælorum ſpatium pervolari? Id cujuſmodi ſit, liquere arbitror ex iis, quæ de tanta extimi cæli à terris diſtantia diximus libro ſuperiori. Verum mittamus corpora lucida. Nonne de die quoque cernimus montes altiſſimos, & ex alto etiam vaſta maria; etſi multorum millium paſſibus diſſita? Præterea quomodo, cùm duo ſe intuentur, ſpiritus ſibi occurrentes non greſſum impediunt ulteriorem? quo pacto neuter alterum cernet: vel ſi validior ſpiritus alterum de rectâ deturbet viâ, alterutri tantum alterius videndi poteſtas fiet. Mitto quòd flante vehementiori vento tenuia iſta corpuſcula procul depellerentur. Et ſunt alia id genus, quæ, ne longior ſim, prætereo. Sic igitur colligo, viſionem fieri non emiſſione ſpiritus, ſed receptione ſpecierum: eaſque naturales eſſe rerum imagines, in notitiam nos eorum perducentes, quorum ſunt imagines.

b Contra-d. Bionem.

Sed utrum & hæ accidentia ſint, an ſubſtantiæ, nec olim convênit. Empedocli ſunt corpuſcula tenuiſſima, educta ex objectis iis, quæ repræſentant. Ac eadem mente alii dicunt eſſe ſpiritus ſubtiliſſimos, vel ſemina exiguiſſima ex objecto per aërem immiſſa in oculum, ut ſint inſtrumentum efficax viſionis. Peripateticis autem magis placet, ut ſigillum aureum ceræ, non aurum, ſed ſigilli ſolùm imprimit figuram: ita objecta quoque viſibilia, non ſubſtantiam ſui diffundere, ſed aëra ſpiritali modo pingere, eaſque picturas eſſe, quas *ſpecies viſibiles* dicimus. Uti illam de emiſſione ſpirituum, de qua antè vidimus; ita hanc etiam de ſpeciebus viſibilibus ſententiam, valde impugnat Galenus in ſeptimo de Hippocratis & Platonis ſententiis, item in x de offic. part. & comment. in lib. 1 προγνωσ. Imò idem libro de oculis, qui & ipſe Galeno adtribuitur, legere eſt. Ac, quantum video, inter argumenta, quibus pugnat, familiam ducit, quòd per minutam adeò pupillam nequeat permeare tanta viſibilium ſpecierum copia: quarum ſingulæ repræſentent rem prout ſeſe habet. Nec negare poſſumus, magnum id eſſe, ac mirandum: præſertim cùm imagines iſtæ per minutam adeò pupillam penetrantes in humorem cryſtallinum, ac tunicam retiformem, longè feliciùs rem exprimant, quàm ullus faceret Apelles, aut Lyſippus. Nec enim ex ſtatua hominis, vel ædificii pictura, colligere poſſis de magnitudine. At illæ ſpecierum viſibilium picturæ, ac ſimulachra, quæ objecta è qualibet ſui parte ejaculantur in quamlibet perſpicui partem, non ſolùm repræſentant formam rei, ſed etiam magnitudinem. Verum hæc ut bellè pro Galeno afferantur; corruunt tamen, ſi dicatur, ſpecies eas eſſe in ſe exiguas, ſed virtute ingentes, ut ſupra omnes picturas, etiam magnitudines referant. Quippe quæ non reales ſint ſpecies, ſed, ut vocant, intentionales, ſive virtuales: quod pluribus explicaremus, niſi in hoc multi adeò jam deſudaſſent ex Peripateticis.

Objicit quoque, quòd ſaltem ſpecies diſtantiæ, & ſitûs, tranſire nequeat per pupillam. Quaſi non color deferatur in pupillam circumſcriptus, &, ut loquuntur, modificatus à ſitu & diſtantia. Nihil quoque eſt, quòd ait, eandem montis magnitudinem videri à multis; eſſe autem abſurdum, eandem ſpeciem viſibilem plurimorum oculis percipi. Nam idem quoque ſonus in aliquot millium aures pertingit. Nempe ſimiliter & hîc comparatum eſt, quia ſpecies quoque viſibiles ſunt continuatæ quædam emanationes in quamvis perſpicui partem ejaculatæ, ut rem coloratam, & in propria quidem magnitudine, per omnem, ut loquuntur, activitatis ſuæ ſphæram repræſentent.

Nonnullis tamen, eorum etiam, qui nobiſcum à Galeno diſſentiunt, hæc ſententia penitus improbatur: ut è Platonicis Plotino *a*; è Scholaſticis, Occamo *b*, & Durando *c*. Volunt autem objecta per ſe videri citra ſpecies ullas. Atqui res non recipitur ab oculo; ſed ſpecies ejus, & per hanc objectum cognoſcitur. Quomodo enim percipi poſſit, quod abeſt? At abeſt objectum. Alio igitur opus, quod adſit, & vices ſuſtineat objecti abſentis. At quid aliud hoc ſit, quàm ſpecies, objecti ſimulachrum? Aliter quoque has ſpecies evincimus. Primum quoniam in ſpeculo videmus ea, quæ ſunt à tergo. Nam unde hoc, niſi quia ſpecies in ſpeculum impingant, indeque repercuſſæ in oculum deferantur? Præterea nummum priùs in vaſis fundo non video: at, ubi quis aquâ vas replêrit, eundem cerno, eodem ſitu ac diſtantiâ conſiſtens. Quid inde manifeſtius, quàm ſpeciem nummi aqua in ſumma conſpici? Jam quid niſi ſpecies eſt viri cum rubello, quando iis pingitur, aut mantile, aut paries? Denique vulgatum jam artificium nobile, ea, quæ foris geruntur, in cubiculo repræſentandi ad parietem: feneſtra tamen priùs perforatâ, oppoſitoque foramini vitro orbiculari, quod in medio craſſius ſit, quàm ambitu; ut luculente, &, ut arbitror, primus reperit, vel expoſuit, Joannes Baptiſta Neapolitanus lib. XVII Magiæ Natur. cap. VI. Quid in hujuſmodi ad parietem pictura aliud, quàm ſpecies rerum, cernimus, quæ ſunt foris? At de tota videndi ratione,

a Lib. 5. ennead. 4.
b In 2. quaſt. 17. & 18.
c In 2. diſt. 3. qu. 6.

non aliunde melius, quàm ex artificio iſtoc, judicium ferre licet. Ubi vitrum reſpondet pupulæ noſtræ, humorique cryſtallino: paries autem ſe habet, ut in nobis tunica retiformis.

Cap. XXVI.

An ad viſionem ſit opus corpore medio, per quod tranſmeent ſpecies: deque eo diſcrepantes Democriti, & Ariſtotelis opiniones. Opaci etymon. *Perſpicuum quid dicatur. Laxius perſpicui nomen à Peripateticis ſumi, quàm convenit. Perſpicuum duplex. Ariſtotelica perſpicui definitio iterum expenſa. Nec raritatem, nec partium interiorum fluxum, cauſſam videri perſpicuitatis. Ne illud quidem ſatis eſſe apertum, num lumine ſit opus ad colorum ſpecies eliciendas ex objectis; an verò ea ſemper, etiam in tenebris, ſpecies emittant. Avempacis error in iſto, quòd putaret, colores non eſſe colores, niſi illuminentur. Muta quædam animantia in tenebris conſpicere colores: imò & homines quoſdam in tenebris eos videre. Sed quicquid de coloribus ſit, ſaltem lucem etiam cerni ab oculo in tenebris conſtituto. Et cur diſpar ratio ſit coloris, ac lucis. Senſus non falli circa ſpecies, ſed animum circa objecta. Nervorum opticorum meatus obſervatus ab Herophilo, ſexcentorum corporum ſectore. Videri etiam, quæ ex adverſo pupillæ ſita non ſint. Uti lux magis conſpicua eſt coloribus, ita alborem magis nigritiâ videri: & quæ utriuſque ratio ſit. Minus pellucida in magis pellucidis conſpici, ut cryſtallum in aqua. Cur nummus in aquis videatur major; item remus fractus, aut flexus. Quare nebula remota appareat denſior, & aër remotus videatur coloratus: veræ item, & apparentis condenſationis diſcrimen.*

AD modum etiam viſionis pertinet, utrùm objectum, ſive ſpeciem ejus, neceſſe ſit ad oculum deferri per corpus medium, idque perſpicuum. Corpore medio opus eſſe, negabat Democritus: ſecundùm quem in cælis etiam formicam cerneremus, ſi inane eſſet inter nos, & cælum. Et eandem opinionem, quaſi ab Orco, revocavit ſummus vir Keplerus. Atque eo inter alia pugnat; ſi, quo purior tenuiorque ſit aër, eò aliquid meliùs cernatur: omnino, ſi nullus ſit aër, nihil planè morari poſſe viſum, eoque per inane nos acutiſſimè viſuros. Nec operoſum fuerit hanc tueri opinionem, ſi, ut Empedocles ſtatuebat, lumen ſit corpus ſubtile. Nam per inane etiam moveri aliquid poſſe, ſolidè ſatis contra Ariſtotelem à variis *a* eſt comprobatum. Sed multò aliter eſt ſtatuendum, ſi lumen eſt qualitas è corpore lucente effluens: quæ Ariſtotelis eſt opinio. Neque enim accidens per inane poteſt deferri; ſed corpore opus eſt, cui inhæreat. Quare cùm Ariſtoteles lumen eſſe putaret qualitatem; convenienter doctrinæ ſuæ requirebat corpus medium luminis, & tenebrarum capax.

a Philoponus, Avempace, Avicenna, Thoma, Scoto; quem vide in 2 Sent. diſt. 2. qu. 9. ſub ejus quæſtionis finem.

Corpus hujuſmodi διάφανον, ſive *perſpicuum*, aut *pellucidum* dicimus. Cui opponitur *opacum*. Opacum enim eſt, quod lumen non tranſmittit. Quale imprimis elementum terræ: unde & nomen. Nam Ops eadem, ac Tellus, magna Deûm, vel hominum potiùs, mater. Quo igitur aliquid magis eſt terreſtre, eò & magis eſt opacum. Itaque fumus, & nubes, corpora ſunt rara quidem; ſed opaca, quia multum habent terræ admixtum. Sunt interea cauſſæ etiam aliæ opacitatis. Ut ſi corpus naturâ pellucidum imbibat aliquem colorem; præſertim nigrorem: vel ſi ſuperficies ſit confragoſa; quæ res itidem umbras gignit. Perſpicuum contra eſt, quod cunctis ſui partibus lumen, & tenebras ſuſcipere eſt idoneum. Atque hoc ipſum, quod lumini ſit pervium, eſt actus corporis perſpicui, non quatenus eſt corpus, ſed quatenus eſt perſpicuum.

De perſpicui natura præclarè diſſerit princeps Ariſtotelis interpres, Aphrodiſienſis in Ariſtotelem de ſenſu & ſenſili: item Priſcianus Lydus in Theophraſtum de ſenſu, phantaſia, & intellectu. Sed nobis tellus non eſt perſpicua; utcunque ſit ignis, eoque & coloris particeps. Nempe non quincuplex, vel quadruplex nobis, uti illis, perſpicuum eſt, ſed duplex duntaxat: unum, quod non videtur; ut aër: eſtque hoc verè perſpicuum: alterum, quod ſecundùm exteriores conſpicitur partes; ut aqua, cryſtallus. Eſtque hoc internus quandoque coloratum; ut ſmaragdus, hyacinthus, ſapphirus: quorum interior color etiam exteriùs comparet. Quibus latiùs multò perſpicuum patet, hi urgent Ariſtotelis illud lib. II de Anima, cap. VII, cont. LXVIII: Διαφανὲς λέγω, ὃ ἐςι μὲν ὁρατὸν, ἐ καθ' αὑτὸ ἢ, ἀλλὰ δι' ἀλλότριον χρῶμα· *Perſpicuum, ſive pellucidum eſt, quod eſt quidem adſpectabile, non verò per ſe, ſed per alienum colorem.* Quem ad locum annotat Julius Pacius, Philoſophus, & Juriſconſultus nobilis, per *alienum colorem* ſignari *ſuperficiem coloratam, inter quam, & oculum, corpus pellucidum eſt interjectum.* Atqui aër vel maximè perſpicuus eſt; nec tamen videtur per ſuperficiem coloratam, quam non habet. At cryſtallus, aliaque id genus, tum interiùs videntur, tum foris; ut cap. XXIV dicebamus. Itaque obſcura nimis hæc definitio videtur; ſi non, ut metuo, falſa.

Quæ cauſſa ſit perſpicuitatis, non ſatis liquet. Multi raritatem dicunt. Sed fumus, & nubes, ſunt rara: nec pellucida tamen. Suber, & pumex, non pellucent: rariora tamen ſunt vitro, quod perſpicuum eſt. Aqua ſic agitata, ut ſpumeſcat, non pellucet: ſed demum, ubi redierit ad naturam. At tum rarior non eſt; quin denſior potiùs, cùm agitatione exſpirarint partes tenuiores. Nec vitrum liquefactum denſius eſt frigido. Hoc tamen pellucet, illud non item. Aliis placet, perſpicuitatem eſſe à fluxu partium interiorum. Sed obſtare videtur, quòd cornu pelluceat: & interea ſit denſum, imò laminis nullis actu diſtinguatur. Nec locum id habet in charta, ubi oleum imbiberit, pellucente. Ita videmus, ut ne illud quidem perſpicuum ſit nobis, unde quid perſpicuum ſit.

a Averroes in Ariſt. l. 2. de Anima, com. 67.

Æquè caligat mens humana in perſpicienda cauſſa, cur lumine ſit opus, Ariſtoteles quidem in ſecundo de Anima cap. VII, cenſet à lumine colorem moveri ad ſpeciem ſui gignendam, quæ per corpus perſpicuum ad oculum permeet. Nam niſi lumine illuſtrentur colores, nunquam fore, ut ſpeciem emittant. Quorundam tamen opinio eſt, etiam in tenebris aëra ſpeciebus repleri; utcunque non videantur actu. Similiter enim hic comparatum eſſe ac in colore, qui actu etiam eſt color in tenebris, cùm coloratum actu ſemper habeat potentiam ut videatur, etſi non videatur actu: quod non ſatis perſpexit Avempace *a*, præceptor magni Averrois: ut qui putârit, colorem, niſi ab externo lumine irradietur, potentiâ eſſe colorem, eoque eſſentiam ſuam lumini debere. Quemadmodum igitur in iſto aberravit Avempace: ita hi alios falli exiſtimant, quòd aëra putent ſpecierum in tenebris expertem, quia eas non videamus. Contrà enim hi volunt, objectum nunquam non diffundere de ſe ſpecies. Nam, inquiunt, feles, & id genus animantes, in cellis etiam ſubterraneis, nihil luminis admittentibus, venatui murium, aliorumque, quibus paſcantur, indulgent: eoque ſine lumine externo conſpiciunt ſpecies, citra quas colores non videntur. Imò & exempla hominum afferunt, qui colores ſive ſpecies in tenebris viderunt. Mitto Iſidori illud lib. IX Orig. *Albanorum glauca oculis, id eſt, picta ineſt pupilla: adeo ut nocte plus, quam die cernant.* Plinium potiùs adducam, cujus hoc lib. XI, cap. XXXVII: *Ferunt Tiberio Cæſari fuiſſe naturam, ut expergefactus noctu paulliſper, haut alio modo, quam luce clarâ, contueretur omnia, paullatim tenebris ſeſe obducentibus.* Similiter de eo Tranquillus lib. III, cap. LXVIII: *Erat prægrandibus oculis, & qui, quod mirum eſſet, noctu etiam, & in tenebris viderent; ſed ad breve; & cum primum à ſomno patuiſſent, demum* b *rurſum hebeſcebant.* Eſt & Sexti

b Barthius Adverſ. l. 23. c. 23. ex Opſopæi codice, pro demum *mavult* deinde: *quia* demum, *ſit ſignum tarditatis cui repugnet, quod Suetonius dicat,* ad breve. *Sed* demum *hic ſimpliciter valet* poſt, *ut Feſtus exponit. Eoque ſententia ſit,* paullo poſt videre deſiiſſe. *Porro quod de Tiberio hic narrant Plinius, & Tranquillus; idem legas apud Heliodorum Lariſſæum in Opticis.*

a Pag. 17. Sexti Empirici in primo Pyrrhoniarum Hypotypoſeon *a*: Τιβέριος ὁ Καίσαρ ἐν σκότῳ ἑώρα. *Tiberius Cæſar in tenebris videbat.* Quod cum de Tiberio retuliſſet Cælius Rhodiginus lib. XV Antiqu. Lect. cap. 11, ſubjungit de ſe ipſo: *Id ipſum & mihi quandoque obtigiſſe, Deo teſte, non mentior.* Similiter de ſe Hieronymus Cardanus lib. VIII de rerum Varietate, cap. XLIII. Deque parente ſuo, Cæſare Scaligero, idem prodidit Joſephus Scaliger *b*: atque addit, & ſibi id contigiſſe uſque ad annum ætatis vigeſimum tertium. Caſaubonus, ad allatum Tranquilli locum, refert, idem de ſe narrare ſibi ſolitum doctiſſimum alium, maximæque famæ virum. Etiam De Aquapendente *c* memorat, Piſis ſibi cognitum, qui in tenebris probè videret. Et planè credibile eſt, in vulgo ſic affectos eſſe non paucos, utcunque ipſi ea, ſere de ventre duntaxat ſolliciti, negligant referre, vel ſaltem iſta non perveniant ad aures eruditiorum; quibus ſere placet illud *d*, *Odi profanum vulgus & arceo.* Quamobrem poſſit non abſurda eorum videri opinio, qui & nocturnis in tenebris cenſent aëra ſpeciebus eſſe viſibilibus refertum. Nam abſque iſto, quomodo non muta modò animantia quædam, ſed etiam hominum aliqui, qui ſicco eſſent cerebro, & oculis flammantibus, ope ſolius interni oculorum luminis, ut dixi, rerum ſpecies conſpicerent? Niſi fortè pro Ariſtotele, externum ſemper lumen exigente, dici hoc poſſit, ab iſtiuſmodi oculorum lumine copioſo foras prodire lumen aliud, quod colores irradiando ab iis eliciat ſpecies. In quo ſicujus animus acquieſcat, quando aliquid hoc profectò eſt, & melius occurrit nihil, equidem non multum refragabor.

b *Epiſtola de vetuſtate generis Scaligeræ.*

c *Lib. de viſus organo part. 2. cap. 4.*

d *Horat. l. 3. od. 1.*

Verùm de iſto nunc certi aliquid ſignare non eſt animus. Eſto igitur, ut colores cerni non poſſint, niſi, quod aëris eſt interjectum, illuminetur: id ſaltem extra controverſiam poſuero, lucem etiam ſpiſſis cerni in tenebris poſſe. Uti candelam feneſtris appoſitam: cujus ſplendorem, longiſſimo diſſiti intervallo, videmus, aëre adeò tenebricoſo, ut ſiquid oculis objeceris, album, an atrum ſit, dignoſcere nequeas. Nempe multum eſt diſcriminis inter lucem, & colorem. Illa uti per ſe inhæret corpori lucido, ita primò, & per ſe, cernitur. At color eſt ſecundarium viſus objectum; eoque non videtur, niſi beneficio luminis à luce exeuntis. Nec ſolùm lucem ignis noſtri in tenebris videmus: ſed etiam oculorum felis, vel lupi, item λαμπυρίδος, ſive cicindelæ, cornuum quorundam, putrium lignorum, & faucium in piſcibus nonnullis. Qualia Ariſtoteles *e* fatetur, λάμπειν, *lucere*: at non lucem emittere. Nonnulli tamen ajunt, & ab iſtis aliquid luminis in aëra prodire. Eſto ſane: erit tamen id adeò minutum, ut minimè valeat illuminare aëra vicinum oculis noſtris. Quamobrem fatendum, lucem etiam eminus videri, quando colores, & rei lucenti, & oculo tuo vicinos, ob tenebras non diſcernas.

e *Lib. 2. de Anima, cont. 72. & lib. de ſenſu, & ſenſili c. 3.*

Extremo illud loco in conſiderationem venit, an viſus etiam fallatur circa objectum ſuum. Quod ſanè ſi eſt, multum deceſſerit de præſtantia hujus ſenſus, atque adeò de pretio beneficii divini, quo videndi attribuit facultatem. Quid enim certi erit in rebus humanis, ſi nec iis credere licet, quæ videmus? Verum enimvero non fallitur ſenſus circa ſpecies; verùm animus decipitur circa objecta; quod falsâ fit ratiocinatione: idque defectu alicujus conditionis, quæ vel organum attingat, vel objectum, vel medium. Organum dicebamus eſſe oculum, & nervum opticum. Oculi varia eſſe vitia poſſunt, alia ratione tunicarum, alia humorum. Ut ſi tunica cornea ſit corrugata, quod umbram facit: ſi item humor aliquis, ſive is aqueus, ſive vitreus, ſive cryſtallinus (omnes enim eos ſpecies transmeare debet) vel ſpiſſior fiat, vel coloretur. Prius offuſcet viſum, quia caliginem gignit. Alterum facit, ut non offerat ſe viſui color genuinus.

Etiam nervus opticus quandoque in vitio eſt, nunc dexter, nunc ſiniſter. Duo enim ſunt pro binis oculis, iique in bene affectis & longitudine, & craſſitie æquales. Uti autem, iis obſtructis, cæcitas oritur, ita & pejus videmus, ſi vel leviter aliquid humoris adfluxerit. Mirè enim anguſtus eſt meatus, quo ſpiritus permeant. Atque hæc eſt cauſſa, cur eum negent multi. Sed obſervavit eum, Galeno teſte, Herophilus is, quem Tertullianus *a* prodidit, ad fabricam hominis cognoſcendam ſexcenta diſſecuiſſe corpora. Etiam in bubus foramen hoc, licet δυσθεώρητον *b*, ſagaciſſimo naturæ myſtæ, Fortunato Plempio, obſervatum in florentiſſima hac Amſtelodamenſium urbe, priuſquam inde ad medicæ artis profeſſionem arceſſeretur in inclytam Lovanienſium Academiam. Atque hæc de viſus inſtrumento.

a *Lib. de Anima cap. 10.*

b *Vix conſpicuum.*

In objecto autem requiritur, ut juſtæ ſit magnitudinis. Nam nimis exigua nequeunt ſic ſpeciem ſui pingere, ut viſibilia ſint. Situs etiam ejus attenditur, ac intervallum. In ſitu confert illud, ut opponatur pupillæ, ſive foramini uveæ. Scio, etiam à latere ſpecies irradiare ac fluere in latus pupillæ, & tunicæ retiformis: imò paullò plus dimidio hemiſphærii noſtri à latere conſpicimus. Sed ea, quæ ſic à latere cernimus, nonniſi confuſè videmus: eoque proclivior tum eſt error. Jam intervallo etiam certo definitur vis videndi. Hoc ſpatium vocitant ſphæram activitatis viſoriæ: extra quod neutiquam irradiant ſpecies. Sed ſphæra iſthæc variat pro objecto, & organo. Pro oculo enim diverſa eſt videndi facultas, ut nullum certum ejus ſpatium poſſit præfiniri. Lux præterea è longinquo videtur, etiam unde color non conſpicitur, & è coloribus albor magis nigrore cernitur. Quorum ratio ex iis cognoſcitur, quæ Alexander Aphrodiſienſis de colorum principiis diſſerit lib. 1 quæſt. natural. cap. 11. Nempe uti in aëre præſentia lucis, hoc eſt, corporis lucidi, quod primum eſt viſibile, cauſſa eſt, cur illuminetur aër, vel aqua, ejus verò abſentia cauſſa eſt tenebrarum: ita in coloribus, qui ſecundum ſunt viſibile, eo quiſque magis eſt conſpicuus, quo plus habet perſpicui admixtum, ut fit in albore: eo minus conſpicuus, quo plus habet opaci, ut fit in nigrore.

Adhæc medium attenditur, quod eſt perſpicuum. In hoc requiritur, ut ſit coloris expers: cùm per vitrum viride, omnia viridia; per flavum, omnia flava; per rubrum, omnia appareant rubra. Etiam in pellucidis, ut videantur, opus ea minus eſſe pellucida illo, per quod videntur. Nam in aëre propinquo non conſpicimus aëra; nec aquam ab aqua dignoſcimus: ſed cryſtallum in aqua cernimus, quia minùs pellucet cryſtallus. Quod cum dicere aliqui vellent, cryſtallum dixere eſſe rariorem aquis. Atqui pumex, ut retuli *c*, cryſtallo eſt rarior. Nec per eum tamen conſpicimus: quia magis quidem rarus cryſtallo, ſed magis quoque opacus. Non raritatem igitur hic attendimus, ſed perſpicuitatem; quæ ſæpe aliunde eſt, quàm raritate. Hoc quoque ne fallamur facit, ſi medium ſit uniforme: quale conſtanter ſpeciem reſervat. Sin diſforme, hoc eſt, nunc denſius, nunc rarius; ſpeciem immutat. Nam, ſi è denſo prodeant in rarius, diſpergunt ſe ſpecies à perpendiculari: ſin ex raro ferantur in denſum, addenſant ſe circa perpendicularem. Nummus itaque in aqua per aëra conſpectus ſpeciem gignit ſeſe majorem: quia ea, ex medio ſpiſſiori in rarius, abit à perpendiculari, magiſque attenuatus diſpergitur. Remus item, cujus pars in aquis, pars extra eas, fractus videtur, quia ſimulac exit ex aquis, ob medium diverſum, geniculum ſive flexuram facit, atque ita nobis fluxus apparet. Res enim videtur, prout ſe ſpecies nobis offert. At defertur ſpecies flexa. Quod non fit in medio uniformi; ubi radii ſemper recti ac ſimplices. Ad deficientem etiam medii conditionem pertinet, quòd nebula propinquæ minor videatur diſtante. Nam, ut Cæſari Scaligero *d* bellè obſervatum, tranſlucidi corporis partes ob ſpatii, per quod videmus, amplitudinem, in recta linea præbent ſpeciem corporis condenſati. Non eſt quidem vera condenſatio, quia hæc fit per partium compoſitionem: eſt tamen condenſatio apparens, quæ fit per diſpoſitionem partium multarum in recta linea. Unde & aër propinquus non videtur coloratus, ſed remotus.

c *Cap. ſup.*

d *Ad Card. exercit. 61. ſect. 3.*

Cap. XXVII.

Poſt viſum cæteris ſenſibus præſtantiorem eſſe auditum. Quæ ſonum ſimpliciter cieant, quæ item majorem gignant: & cur veſicæ non ſonent, niſi ſubito diſploſæ: unde item ſit campanarum ſonus diuturnior. Sonum non eſſe immediate à colliſione corporum, ſed à fractione aëris. Quid vox ſit. Cur cicadæ non ſint vocales: neque item piſces maximam partem. Et cur iis abſtinuerint Pythagorici. Gemina vocis diviſio. Cur ſurdaſtri manum concavam auribus admoveant. Quamobrem Deus eas nobis dederit cartilagineas, & exſangues. Cur interioris auris meatus ſit rotundus, anguſtus, confragoſus. Quare membrana, cui tympano nomen, ſit tenuis, denſa, ſicca. Oſſicula tria ἀκουστικὰ æqualia credi in ætate puerili, ac virili. Non ſolùm poſſe auribus audiri; ſed canaliculo etiam, qui in os defertur. Alii duo uſus canaliculi hujus. Per aquas etiam audiri: imò & piſces nomina ſua addiſcere. Quomodo ſonus gyris quibuſdam, qui paullatim augeantur, à colliſis corporibus in aures pertingat. Aëra interiorem non eſſe corporis humani partem, eoque nec organum eſſe auditus.

VIſui dignitate proximus eſt auditus: ob cujus item beneficium Deo plurimum debemus. Eſt enim homo animal πολιτικὸν *a*, ac ſociale: ſermone autem (qui, niſi auditu præditi eſſemus, fruſtra inſtitueretur) alter alteri ſenſa animi aperimus, atque exponimus. Jam quid pulchrius artibus ac diſciplinis liberalibus: quibus rerum divinarum, humanarumque ſcientia continetur? Scio, & legendo eas addiſci. Attamen nemo dubitaverit, quin magis imprimantur animis noſtris, quæ vivâ haurimus voce, quàm quæ tantummodo leguntur. Itaque nec defuere, qui in ſenſibus externis auditui tribuerent palmam. Sed enim abunde iis, ni fallor, occurrimus, cùm viſus præſtantiam prædicaremus *b*.

a Civile.
b Cap. 23.

Ut verò natura auditus cognoſcatur, conſiderare eſt opus, & ſonum, qui auditur, (objectum vocant:) & aurium inſtrumentum, quo audimus: & aëra externum, atque interiorem, per quorum utrumque ſonus defertur.

Sonus ἀμέσως *c* provenit ex aëris fractione, vel aquæ. Sed plurimum aëris; idque colliſione duorum corporum ſolidorum. Nam pulveris, & plumæ colliſio non excitant ſonum. Imò nec duo ſolida collidi eſt ſatis: ſed exigitur, ut hoc contingat celeriter, & cum violentia. Nempe ut ejus fiat ictus aëris, quàm commodè is poſſit cedere. Unde Ariſtoteles lib. II de Anima *d*, Ὁ ἀὴρ ἐὰν ταχέως καὶ σφοδρῶς πληγῇ, ψοφεῖ· δεῖ γὰρ φθάσαι τὴν κίνησιν τοῦ ῥαπίζοντος τὴν θρύψιν τοῦ ἀέρος, ὥσπερ ἂν εἰ σωρὸν ἢ ὁρμαθὸν ψάμμου τύπτοι τις φερόμενον ταχύ. *Aër ſi cito vehementerque percutiatur, ſonat. Opus eſt enim, ut percutientis motus diffuſionem præveniat aëris: perinde atque ſi cumulum aut acervum arenæ, cùm fertur, velociter quis verberet.*

c Immediate.
d Cont. 79.

Atque hoc etiam locum habet, ſi citra concurſum ſolidorum fiat ſonus: ut cognoſcere eſt ex veſicis inflatis, quæ ſonum cient nullum, ſi aër egrediatur ſenſim: magnum verò, ſi cum impetu ſubitò erumpat. Quàm verò decipiantur, qui ſemper requirunt ſolidorum colliſionem ad ſonum, multa oſtendunt. Nam facilè eos refellit, quòd unda undæ illiſa excitet ſonum; & nubes rupta à fulmine; & aër virga, aut flagello, ſubitò percuſſus; inque tibiis, vel aliis alliſus muſicis inſtrumentis; & ignis, ſi aquam infuderis; & alia id genus multa. Quare utcunque id facere neglexerit Ariſtoteles *e*; diſtingui opus inter ea, quæ quomodocunque faciunt ſonum, & quæ ſonum efficiunt, vel majorem, vel diuturniorem. Major ac vehementior eſt, quando concurrunt corpora ſolida, ac dura; ubi unum reſilit alteri, priuſquam fugam capeſſat. Item levia ac polita; quia ſi aſpera & inæqualia fuerint, cavis ſive depreſſis partibus non editur ſonus; eoque nunc ſonans, nunc non item, minor eſt, & imminutior. Contrà fit in politis; ubi quævis pars aëra atterit, & frangit. Concava autem, uti tintinnabula, & campanæ, ſonum faciunt longiorem: quia iis impulſis, aër non invenit, quà exeat; eoque ab uno latere impingente in alterum, reſonant hæc inſtrumenta, etiam ubi deſiere pulſari. Porrò etiam cùm iſta concurrunt, ſonus non eſt ἀμέσως *a* à colliſione corporum iſtorum; ſed à fractione aëris, quæ fit à corporibus alliſis. Itaque & pannus recens, licet res mollis, vehementem edet ſonum, ſi rumpas: quod inde eſt, quia dum frangitur, aër vicinus variè diſcerpitur. Neque ſonus eſt in corporibus colliſis; ſed in aëre intermedio, qui à colliſis corporibus attritus frangitur, fractus ſonat, ſonumque receptum porrò ad aures defert.

e Lib. de Anima cap. 8.
a Immediate.

Sonus vel eſt rei animatæ, h. e. vitâ & ſenſu præditæ, vel rei inanimæ. In inanimis generali nomine *ſonus* vocatur; in animatis, *vox*. Nec enim cuncta animantia vocem edunt. Exſanguium quippe, ut ſunt inſecta, vox non eſt: ne cicadarum quidem, licet canere dicantur. Non enim ſonus is fit ore, ſed alliſione ſpiritus ad membranam ſub pectore: ut obſervare licet digito admoto. Etiam ex ſanguine præditis piſces vocales non ſunt: unde proverbium, ἀφωνότερος ἰχθύος *b*. Ac propterea Pythagoras interdixit ſuis eſu piſcium. Notum illud ejus ſymbolum, ἰχθύων μὴ γεύεσθαι *c*. Sanè apud Plutarchum in Sympoſiacis lib. VIII, quæſt. VIII, inter alias ejus cauſſas adfertur, quòd piſces propter ſilentium videantur contubernales Pythagoreorum. His enim, quos in diſciplinam recepiſſet Pythagoras, minimùm biennii indicebat ſilentium; quo tempore dicebantur ἀκουστικοί; uti ſilentii lex ἐχεμυθία: de quo Agellius lib. I, cap. IX.

b Piſce magis mutus.
c Ne guſtes piſces.

Vox igitur non aliud eſt, quàm aëris reſpiratione attracti ad arteriam aſperam colliſio. Ea vel eſt ἄναρθρος *d*, ut grunnitus, barritus: vel ἔναρθρος *e*, ut ſermo humanus, & ejus in pſittacis, picis, aut corvis, imitatio.

d Inarticulata.
e Articulata.

Sonus præterea vel primus eſt, vel reflexus. Poſterior *Echo* vocatur: de qua, quia in Diis locum meruiſſe viſa, commodiùs agam, cùm affectiones corporum explicabimus numinum loco habitas. Nunc ex humanæ naturæ mirandis animus eſt deducere hominem ad Deum; in cujus notitia conſiſtit ſapientia noſtra: poſtea cum his ſtultitiam gentium comparabimus.

Auditus organum ſunt aures: in quarum fabrica, multa gignunt admirationem. Primùm exteriorem conſideremus aurem. Eâ carent, quæ plumis, vel ſquamis, ſunt obtecta: ſed homini, & aliis data eſt animantibus, ut meliùs excipiatur ſonus, ac ſi jam is meatum prætervolârit, à parte poſtica antrorſum pulſus ſubeat eundem. Unde videas, ſurdaſtros, ut meliùs audiant, cavam auri manum admovere. Atque id quoque Hadrianus Cæſar facere ſolebat: deque Arriano conſule idem prodidit Galenus. Nec dubium eſt, quin ob longas aures acutiùs audiat aſinus, (nihil enim temere fecit natura) verùm animal ſtupidum non capit quicquam voluptatis ex ulla harmonia; ſed omnia metitur ventre. Ne illud quidem de nihilo eſt, quòd datæ ſint nobis aures, non carneæ, quales mollitie ſuâ facilè conciderent; non oſſeæ, quæ facilè frangerentur, & in ſomno forent impedimento: ſed cartilagineæ, & exſangues, ut eandem ſemper retineant fornicis figuram, ad ſonum commodè excipiendum.

In aure interiori, quæ verum eſt auditus inſtrumentum, primùm occurrit meatus anguſtus, & rotundus: & anguſtus quidem, ne aër exterior ſubitò, ac confertim irruens, læderet membranam, quæ meatum hunc terminat. Eâdem fit, ut minùs pateat ingreſſus inſectis noxiis, vel pulveri etiam. Imò ſiquid inciderit, id, quia meatus eſt obliquus, ac ſurſum ducit, mox decidit. Simul obliquitas iſta cum anfractibus facit, ut aër ſonum deferens, eum certius retineat, ne aliò diffluat. Meatum hunc ἀκουστικὸν *f* excipit membrana exigua inſtar pellis in tympano tenta: unde & ea vulgo *tympani* nomine vocatur. Eſt hæc tenuis, ut faciliùs externum recipiat ſonum: & den-

f Auditorium.

denſa, ne tam facile frangatur, ſi ſonus ſit admodum vehemens: & ſicca, ut interiùs majorem reddat ſonum. Sanè ſurdi ſunt, quibus ea eſt craſſior. Uti & malè audiunt, quibus humor viſcidus ad pelliculam hanc adfluxerit. Membranam eam ſequitur meatus alter, qui Ariſtoteli *cochlea* nominatur, à figura. Hic aër eſt, qui diſcriminis ergo *internus*, multis etiam *innatus* vocatur. Atque is aër, ab externo percuſſus, efformat ſoni imaginem: quod fit, tum tribus, quæ continet, oſſiculis; tum chordâ tenui, tympano obtensâ; tum muſculo perexiguo. Oſſiculis ob ſimilitudinem data ſunt nomina, malleoli, incudis, & ſtapedis. Id verò non ſatis mirari licet, quòd produnt *a*, parem ea magnitudinem obtinere per omnem vitam, ut nec minora ſint infanti, quàm ſeni. Jucundiſſimæ etiam eſt conſiderationis, quòd ab aëre interno canaliculus in os defertur: & inde fit, ut, qui vitio membranæ ſive tympani non percipiunt ſonum externum, hi audiant ſono per canaliculum illum delato ad aëra interiorem: unde porro per anfractus anguſtos (*labyrinthum* nuncupant) recipit ſe ad nervum ἀκουστικὸν *b*: uti inde ad ſenſum communem. Si tamen labyrinthus, vel nervus ἀκουστικὸς, fuerit obſtructus, nihil canaliculus juvat. Nam duabus quidem viis fertur ſonus ad aëra innatum: ſed inde una ſolum via eſt ad ſenſum communem. Cæterùm uti, quò exteriorem ſonum percipiamus per tympanum, neceſſe eſt aëra interiorem quieſcere: ita &, ut ſonus per canaliculum ſubiens recipiatur ab aëre interiori, opus eſt, ut ne ſonus ullus ex manducatione cibi in ore ſit. Cujus rei experimentum ex me habeo. Nam ante annos circiter duodetriginta cùm obſtructâ tympani pelliculâ admodum eſſem ſurdaſter (quod malum, cùm alioqui acutiſſimè, & ad multorum admirationem, audiiſſem, tribus plus minus menſibus duravit) nihil planè, ſi cibum manderem, intelligebam; ſed neceſſe erat, ut cibus ore jam receptus neutiquam verſaretur, vel dentibus comminueretur, donec, qui loqueretur mecum, ſermonem abſolviſſet. Quamquam verò haut levis iſte canaliculi illius uſus eſt; non eo tamen ſolum ſurdis, aut ſurdaſtris, prodeſſe exiſtimandum. Planè enim ad omnes hoc pertinet, quòd per hunc canaliculum aër ore receptus pervenit ad aëra innatum, ad eum reficiendum: & inde revenit in os, ad eum repurgandum: ſimiliter nempe, atque ad cordis reſpirationem, tum inſpiratione, tum exſpiratione aëris, opus eſt. De organo ſatis.

a *Laurentius Anatom. l. 11. cap. 12.*

b *Auditorium.*

Medium, quo ſonus defertur, eſt duplex: unum externum, alterum internum. Externum fere eſt aër exterior: quandoque etiam aqua *c*. Nam in aqua audiri, teſtes ſunt urinatores. Et piſces cum ſilentio capiuntur: conſuetudine etiam quidam in vivariis ad cibum congregantur cum plauſu: ut Plinius refert l. x, cap. LXX. Sed mirandum magis, quod addit: *in piſcinis Cæſaris genera piſcium ad nomen venire, quoſdam ſingulos.* Eſt & Ciceronis lib. 11 ad Att. epiſt. 1: *Noſtri principes digito ſe cælum putent attingere, ſi mulli barbati in piſcinis ſint, qui ad manum accedant.* Ac Lucianus de Dea Syria ſimiliter de piſcibus: Οὗτοι δὲ καὶ οὐνόματα ἔχουσι, καὶ ἔρχονται δὲ κεκλημένοι· *Hi & nomina habent, atque iis vocati adveniunt.*

c *Ariſt. lib. 2. de anima cont. 79.*

Quod ad modum attinet, quo ſonus per aëra defertur, res ſeſe habet in aëre ſonum diffundente, uti in aquis lapillo aquæ injecto: ubi circuli fiunt primùm exigui, mox majores, majoreſque. Quam rationem ſcitè refert Vitruvius lib. v de Architectura cap. 111, ubi de theatro diſſerit: *Vox*, inquit, *eſt ſpiritus fluens, & aëris ictu ſenſibilis auditui. Ea movetur circulorum rotundationibus infinitis: uti ſi in ſtantem aquam lapide immiſſo naſcantur innumerabiles undarum circuli, &, quàm latiſſime poſſint, vagantes; niſi anguſtia loci interpellaverit, aut aliqua offenſio, quæ non patitur deſignationes earum undarum ad exitus pervenire. Itaque cum interpellentur offenſionibus, primæ redundantes inſequentium diſturbant deſignationes. Eâdem ratione vox ita ad circinum efficit motiones. Sed in aqua circuli aquæ planitie in latitudinem moventur: vox & in latitudinem progreditur, & altitudinem gradatim ſcandit. Igitur ut in aqua undarum deſignationibus; ita in voce, cum offenſio nulla primam interpellaverit, non diſturbat ſecundam, nec inſequentes; ſed omnes ſuâ a reſonantiâ perveniunt ad imorum, & ſummorum aures.* De innumerabilibus aquarum circulis, ex lapillo injecto, idem legas apud L. Senecam lib. 1 Quæſt. Nat. cap. 11. Ac auditum ſimiliter fieri, judicium quoque fuit Alexandri Aphrodiſienſis: ſicut teſtes nobis Philoponus, & Simplicius. Eſtque ejuſdem ſententiæ Themiſtius: uti & Averroës in lib. 11 de Anima contextu ſive particulâ LXXVIII.

a *Sua repoſui, ſic exigente ſententia ex editione Florentina an. 1522. In Turneſiana anni 1588. pro eo ſine editum: ſed perperam.*

Per hoſce igitur aëris gyros ſonus tandem pervenit in concavum aurium; atque hìc allidi tur ad tympani pelliculam, & aërem interiorem; qui alterum eſt auditus medium. Nam ut aër exterior pulſatur ab colliſione corporum ſolidorum: ſic interior hic percutitur ab aëre exteriori, & imaginem ſoni externi exhibet intus, oſſiculorum trium, & aliorum, quæ diximus, interventu.

Plerique aëra hunc interiorem eſſe organum auditus arbitrantur. Quæ ſententia eo ſatis refellitur, quòd ſi organum ſit corporis, pars quoque erit. At hoc de aëre innato dici nequit. neque enim vel ex ſemine, vel ſanguine fit; ſed aëre externo: neque id per concoctionem & elaborationem, ut in ſpiritu; ſed ſolo acceſſu aëris externi; qui eò penetrat, partim per narium meatus, partim per canaliculum in os deſinentem. Itaque nec ab externo aëre aliter differt, quàm puritate, & quiete.

Cap. XXVIII.

Quæ bona nobis à ſenſu tactus proveniant. An cutis, & carnis mollities, certum ſint ſignum ingenii ſubtilioris. Non cor, non carnem, non nervos duntaxat, eſſe organum tactus; ſed ſingula hæc, imò quælibet corporis membra, præter oſſa. Cutim verò de principatu in iſtoc cum nervis certâre. An ob tantam tangibilium qualitatum multitudinem, iis ſit aſſentiendum, qui putant, tactum non eſſe ſenſum unicum, ſed multos. Titillationem Veneream non eſſe ſextum ſenſum exteriorem. Ad tactum non requiri medium; deque eo Ariſtotelis opinio rejecta.

TRes præterea ſunt ſenſus exteriores; ex quibus, quin tactus præcellat, minimè eſt dubitandum. Imò non defuere, qui principem ei locum darent, quia ſine viſu, & auditu, malè nobis erit; ſine tactu planè eſſe non poſſumus. Sed illis ſuperiùs occurrimus. Interea minimum illi tertium deberi locum, indicat; quòd cùm ſenſus cæteri in certa corporis parte ſuum habeant organum; hujus ſe per corpus diffundat univerſum. Et quàm multa, vitæne noxia ſint, an profutura, tactu exploramus! Ut omnino eo opus ſit ad acquirendam, uti naturæ ſcientiam, ſic etiam prudentiam. Omnis enim generis artificia eo exercemus. Nec leve illud ducendum, quod niſi tractes, regi non poſſint muta animantia: quorum in omni vita utilitatem quis ignorat? Hoc etiam tam præclaro ſenſu, ſi Ariſtotelem in ſecundo de Anima *a* audimus, homo cuncta exſuperat animantia. Propterea quoque hominem cenſet eſſe animantibus cunctis prudentiorem: ac indicium ejus rei capere jubet, quòd οἱ μὲν σκληρόσαρκοι, ἀφυεῖς τὴν διάνοιαν· οἱ δὲ μαλακόσαρκοι, εὐφυεῖς· *quòd, qui dura ſunt carne, ii ſunt tardi ac ſtupidi: qui vero carne ſunt molli, hi ingenioſi ſint.* Vult igitur, ingenii ſubtilitatem pendere à temperamenti bonitate: hoc autem cognoſci ex cutis ac carnis mollitie. Quod difficile eſt conciliare cum eo, quòd in Problematis *b* ait, melancholicos eſſe ingenioſos: quales ſine dubio corpus habent durum terreumque. Atra enim bilis terræ reſpondet. Sed & feminæ molliori cute carneque ſunt viris: nec eò vincunt ingenio. Et quàm ingenioſi ſunt elephanti! quàm duro tamen corio obtecti!

a *Cap. 9. context. ſive particula 94.*

b *Sect. 30. quæſt. 1.*

Organum tactus Themiſtio, & Simplicio, eſt cor;

 præcun-

præeunte, ut videtur, Ariſtotele, neque id uno ſolùm loco. Aphrodiſienſi autem, & Philopono, imò & Averroi, eſt caro. Nervus verò Galeno; uti & Alberto Magno, Thomæ, Scoto, Janduno, aliis. Sed ut nihil horum non tactùs eſt organum: ita nihil eorum ſolùm eſt organum. Nam ſi oſſa exceperis, quorum planè terreſtris eſt natura: nulla non corporis pars tactu prædita eſt. Nec cur nervos organum, cutim tantùm eſſe medium tactus putarent, cauſſa erat juſta. Siquidem cutis nervorum eſt propago: ut citra dubium facultatis ejuſdem ſint participes. Imò cutis, Galeno teſte *a*, vel maximè eſt tactus organum. Utcunque enim nervi ob duritiem magis ſentiant diviſionem continui: cutis tamen, ob melius temperamentum, faciliùs percipit calidum & frigidum, humidum & ſiccum.

a Lib. 1. de temperam. cap. 9.

Objectum tactus exprimi nequit uno nomine. Unde quæſtio eſt, utrùm tactus ſit ſenſus unicus, an multi. Ægidius Romanus diſtinctos ſenſus putat, eum, quo calidum, & frigidum, & illum, quo humidum, ac ſiccum, ſentimus. Sed id nihil eſt, quia, cùm hæ ſint qualitates primæ, formaliter conveniunt. Sunt enim iſtæ objectum tactus primarium; uti ſecundarium ſunt durum, molle; aſperum, politum; grave, leve: ac par ratio in cæteris qualitatibus ſecundis. Sed quæſtio eſt, an ad tactus ſenſum etiam pertineat ille, quo ſentimus aduſtionem, vel vulnus, vel Venereum pruritum. Planè ita ſtatuendum. In aduſtione enim moleſtia eſt à calore nimio, qui qualitas eſt tactilis. Et ſatis liquet, tactu percipi diviſionem continui. At in Venereis titillatio eſt, ab adblandientium tum qualitatum, tum ſpirituum appulſu. Quippe appulſus ille, ubi tactu in partibus ei rei deſtinatis percipitur, voluptatem tantam ciet: ut ſuperiùs *b* quoque diximus. Quare non audiendus eſt Cæſar Scaliger *c*, cùm Venereum pruritum facit ſenſum ſextum exteriorem.

b Cap. 22.
c Exercit. ad Card. 286. ſect. 3.

Medium, quod τὸ μεταξὺ Ariſtoteli, tactui eſt nullum. Scio ſi nervos conſideres, rectè cutim, & carnem, medium dici internum. Sed non ſunt ea medium neceſſarium; quia & cutis, ac caro, per ſe ſentiunt, & ablatis illis, ſentiunt nervi. Multò minùs, quod Ariſtoteles *d* putabat, opus eſt aëre, & aquâ, ad hunc ſenſum. Nam ut aliquid aëris, vel aquæ, intermedium ſit, ſi arctè jungantur duo corpora aſpera, & inæqualia: nihil tamen tale, ſi plana ſint, læviaque. Non igitur in tactu, uti neque guſtu, locum habet effatum illud Ariſtotelis *e* de ſenſuum objectis: ἐπιτιθεμένων ἐπὶ τὸ αἰσθητήριον, οὐκ αἰσθάνεται· *impoſitorum ſupra ſenſus inſtrumentum non eſt ſenſus.*

d Lib. 2 de Anima contextu ſive particula 113.
e Lib. 2. de anima, cont. 116.

Cap. XXIX.

Guſtum eſſe ſenſum à tactu diverſum. Eſſe & illum ingens Dei beneficium. Quo fine Deus linguam fecerit ſpongioſam, ac bibulam. Cur ea melius guſtet mucrone, quàm radice. Unde ſit, quod palato etiam guſtemus, & an nobiſcum hoc commune habeant beſtiæ. Saporis materies conſtat ſicco terreo, & humido aqueo. Calor autem eſt, qui iſta miſcendo temperandoque efficit ſaporem. Tria iſta, ut Ariſtotelem, ſic etiam Theophraſtum, definitione ſaporis complexum. Etſi idem partes habeat ſiccas, & humidas, ſaporem tamen propriè humori ineſſe: proque humidi percolatione & concoctione majori, aut minori, ſaporem eſſe meliorem, vel deteriorem. Dulce, & amarum, ſapores eſſe extremos. Ad dulce referri pingue, ad amarum autem ſalſum. Sed pingue non tam eſſe propriam ſaporis ſpeciem; quàm communem plurium ſaporum affectionem. Quatuor intermedii ſapores; acre, auſterum, acerbum, & acidum. Quod Comico vinum aſperum. *Cur Democritus, Epicurus, Lucretius, putarint unum idemque huic eſſe dulce, illi amarum: & ratio ejus opinionis, una cum ſententia ipſis, quæ & Theophraſto placuit, adducta. Refellitur opinio veterum, exiſtimantium, objectum idem uni imprimere ſaporem dulcem, alteri amarum. Salivæ in guſtando uſus. Cur ægrotis videantur amara, quæ ſunt dulcia.*

Poſt tactum ſequitur guſtus: quia, ut Ariſtoteles *a* inquit, τὸ γευστόν ἐστιν ἁπτόν τι. *guſtabile eſt quiddam tangibile.* Sanè citra tactum nihil guſtare poſſumus. Uterque etiam ſenſus non ſpecies modò objecti, ſed ipſa recipit objecta; nempe qualitates, ut vocant, reales: quæ magnam oſtendunt cognationem. Nec propterea, guſtu ad tactum revocato, quatuor ſolùm erunt ſenſus exteriores. Cunctæ enim corporis partes tactu præditæ ſunt: ſoli linguæ, vel unà cum hac palato, guſtus ineſt. Imò nec lingua, ſi prorſus inſipida admoveris, guſtat, licet tangat. Quin igitur objecto differant, eoque ſenſus ſint diverſi, minimè dubium eſt.

a Lib. 2 de anima, cont. 101.

Etſi verò eorum damnemus voluptates, qui ventri obedientes, ſe cibi & potus gaudiis dedunt: non diffitendum tamen, in guſtus etiam ſenſu magnopere bonitatem relucere divinam. Nam eo diſcernuntur alimenta ab iis, quæ non ſunt idonea ad nutriendum; ſed tantùm ad medicandum, vel etiam ad neutrum horum. Saporum verò gratia ac diverſitas facit, ut magis alliciantur animantia ad corporis ſui conſervationem. Homo præterea iis invitatur ad amandum, & celebrandum Deum; qui tantam etiam curam geſſerit corporis noſtri. Muta item animantia, ad utilitatem, & voluptatem hominis, ſaginata, hoc pacto ei redduntur addictiora. Meretur igitur præclarum hoc Dei beneficium, ut diſtinctè in eo conſideremus, & quid illud ſit, quo guſtamus, & quid guſtemus, & quomodo id fiat.

Organum guſtus exterius quidem eſt cuticula, ſive membrana linguæ cum rarâ ejus, & laxâ carne; quæ eo fungoſa eſt, ſive ſpongiæ ſimilis, ut humores, quibus ſapor defertur, faciliùs imbibat. Interius autem organum ſunt nervi in membranam linguæ ſe ſpargentes ac diffundentes; ſive ſpiritus guſtatorii nervis iſtis contenti. Ac cuſpide quidem linguæ meliùs guſtamus, quàm medio ejus, vel radice; ut experientia oſtendit. Nam ingratos ſapores mox à primore lingua devolvimus ad interiorem, quò minùs eos guſtemus: gratos autem ab interiori revocamus ad cuſpidem, quò ſapore meliùs fruamur. Et ratio horum obſcura non eſt. Nam mucro linguæ mollior eſt, ſeu carnem, ſeu nervum attendas. Habet etiam humoris quantum ſatis ad percipiendum ſaporem. Interior verò ſæpe ſalivâ ſic abundat, ut ob humorem nimium ſapor aliquid deperdat ſui. Cur verò etiam ſe porrigat guſtus ad palatum; cauſſa hæc videtur, quòd lingua, & palatum, imò os totum, membranam habeant communem. Muta tamen animantia linguâ ſolâ guſtare, Plinii *b* judicium eſt. Sed ſi in his membrana ſe ſimiliter habet; cur diſparem cenſeat guſtandi rationem, non ſatis video.

b Lib. 11. cap. 37. multo poſt dimidium longi capitis.

Objectum guſtus eſt ſapor. Ad cujus generationem concurrunt ſiccitas terrea, humor aqueus, & calor externus. Horum priora duo ſe habent, ut materies; tertium, ut efficiens. Siccitas requiritur, non ignea, quæ evanidum quid eſſet, ob materiei tenuitatem; ſed terreſtris, ob materiem craſſiorem. Humor exigitur non aëreus, qui & ipſe citò diſſiparetur; ſed aqueus, qui vim habet alendi. Denique calore eſt opus, ut ab eo ſiccum & humidum commodè miſceantur, & concoquantur. Hujuſmodi enim miſturam præſtat calor: qui, ut liquet ex fructibus Soli, vel carnibus igni noſtro, expoſitis, concoctione ſaporem conciliat alimentis. At locis frigidis, aut etiam ſi frigidus ſit annus, non perducuntur fructus ad juſtam concoctionem, ac maturitatem. Tria, quæ diximus, Ariſtoteles definitione eâ ſaporis eſt complexus; quæ exſtat libro de ſenſu & ſenſili cap. IV. Idem fecit Theophraſtus lib. VI de cauſſis plantarum, cap. I, ubi ſic deſcribitur χυμός, ἡ τοῦ ξηροῦ διὰ τοῦ ὑγροῦ διήθησις ὑπὸ θερμοῦ· *ſapor eſt partis ſiccæ per humorem ex vi caloris percolatio.* Intelligi autem ξηρὸν γεῶδες, *ſiccum terreſtre,* ipſe dicit Theophraſtus: uti & Ariſtoteles expreſſit. Utrùm

verò

verò plus ſit ſicci terreſtris, an humidi aquei, nihil intereſt. Eſt ubi prius habeat locum; ut in zingibere, & cineribus, qui amari: eſt ubi obtineat poſterius; ut in lacte, aut vino: eſt ubi nunc hoc, nunc illud ſuperet; ut in pomis. Semper interea ſapor magis in partibus eſt humidis, quàm ſiccis. Ut argumento eſt, quod ſalem non guſtamus, niſi is, ſalivâ priùs admotâ, liqueſcat: nec piper vel cinnamomum guſtaremus, niſi humectarentur ab eadem ſaliva. Eo autem melior eſt ſapor, quo humidum magis ſit percolatum per terreum, & à calore magis concoctum. Contrà eo is deterior fuerit, quo imperfectior erit concoctio.

Quemadmodum verò duo ſunt extimi colores, albus, & niger; cæteri ſunt intermedii, alii tamen aliis magis vergunt ad extremos: ita quoque ſe res habet in ſaporibus, ſecundùm Ariſtotelem in II de Anima, *a*, & lib. de ſenſu & ſenſili *b*. Extrema autem ſtatuit τὸ γλυκὺ, καὶ τὸ πικρὸν, *dulce, & amarum*. Verùm inquit, ἑχόμενα, τῷ μὲν τὸ λιπαρὸν, τῷ δὲ τὸ ἁλμυρόν· *Hæret dulce quidem pingui: amaro autem ſalſum*. Ubi pingue, & ſalſum, ad dulce revocat, & amarum, non ut ſpecie eadem, ſed ut cognata. Sed de pingui etſi adſentientem habeat Theophraſtum, Plinium, alios; à magiſtro tamen abit Cæſar Scaliger *c*: atque id ob rationem, ut cenſeo, minimè aſpernandam. *Pingue*, inquit, *non ſapor eſt, ſed affectus; ſicut ejus contrarium. Eſt enim in ſaporibus macredo quædam.* Ac mox: *Pingue etiam invenias in ſaporibus contrariis. Scilicet vel ad calorem vergentibus, vel cum ſummo frigore conjunctis: ut in adipibus, lachrymis coniferarum, papaveris lacte, & lactuca. Nec minus in inſipidis, quales ſunt axungiæ. Ita in dulci, velut in ovi[...]acte; atque in acri, ut euphorbio; in mediocri, ut tragacantha.* Intermedios autem ſapores quatuor Ariſtoteles ponit: τὸ δριμὺ, αὐστηρὸν, στρυφνὸν, καὶ ὀξύ· quorum primum eſt acre, ut piper: alterum auſterum, ſive aſperum, quomodo aſperum vinum leni opponit Comicus *d*; eſtque & tale meſpilum: tertium eſt acerbum, ſive immite, ut cornum: poſtremum denique acidum, ut rumex.

a Cap. 10. part. 105.
b Cap. 4.
c Exercit. 298. ſect. 12.
d Heaut. act. 3. ſc. 1. verſ. 49.

Quæſtio eſt non inamœna, an quod uni dulce eſt, vel amarum, id omnibus hujuſcemodi ſit. Id negat Lucretius in IV de rerum Natura *e*. Ac cauſſam arceſſit ex eo, quòd ſemina, unde conſtant omnia, figuris ſint diverſis: quibus viæ palati, ac figuræ ſaporis, ſic ſe habent, ut facilis ſit ſaporibus tranſitus ob lævitatem; iis aliquid videri dulce. Sin textura palati ſit anguſta, aut multangula, ac ſapores fuerint hamati, jam per poros tranſitum reddi moleſtum, eoque aliquid talibus eſſe amarum. Hanc autem de ſaporum figuris refert quoque ex Democrito Theophraſtus lib. VI de cauſſis plant. cap. 11. Quamquam verò de figuris diſſentit; de eo tamen accedit Democrito, quòd uni quid dulce ſit, alteri amarum. Sic enim ſcribit: Οὐδὲν κωλύει τὸ ἡμῖν γλυκὺ, ἑτέροις τισὶ τῶν ζώων εἶναι πικρόν· *Nihil prohibet, ut quod nobis eſt dulce, id aliquibus animantibus ſit amarum.* De quo adſentire neutiquam poſſum. Nec enim ſenſus fallitur circa objectum ſuum: eoque quod re vera amarum, id omnibus eſt amarum. Sed in iſto eſt diſcrimen, quòd varient animantium temperamenta; eoque nonnullis, quod dulce eſt, ſit ingratum; gratum contrà, quod amarum: non quaſi non percipiant eſſe amarum, ſed quia amaro ſapore capiantur. Quomodo in hominibus aliquos melimela, ut pueros, delectant; alios verò acida juvant, vel alii ſapores. Quod autem de febriculoſis objectat Lucretius *f*, id proximè refellemus.

e Verſ. 634. uſque ad 674.
f Lib. 4. verſ. 665.

Medium guſtus (ſive cum Ariſtotele malis τὸ μεταξὺ) eſt humor linguam madefaciens. Hic enim ex objecto elicit ſaporem, eumque, inſtar vehiculi, devehit in fungoſam linguæ carnem, ac nervos ejus, ſpiritum guſtatorium continentes. Hinc eſt, quòd lingua arida non guſtet res ſiccas. Etiam hinc cauſſam videmus, cur morbo regio laborantibus dulcia videantur amara: nempe quia ſaliva linguæ iſto ſapore eſt infecta: idque ob flavam bilem, quæ ſe per corpus diffudit. Itaque non falluntur ægri in eo, quòd ſe amarum guſtare judicant: ſed in illo falluntur, quòd amaritiem illam cibi eſſe exiſtimant, non humoris inſiti. Matutino quoque tempore melius ſapores diſcernimus, quia tum lingua nondum alios imbibit ſapores.

CAP. XXX.

Odoratus cognatio cum guſtu. Hunc quoque ſenſum nobis datum eſſe ad philoſophandum. Pythagoricorum opinio de odoribus nos nutrientibus: & ut pro ea adduci ſoleant Aſtomi Indiæ, & factum Democriti: de Aſtomis eſſe fictitium: de Democrito non aliud evincere, quam odore firmari ſpiritus animales. Odoratus bonum in iſto præcipue conſiſtit, quod eo exploretur, ecquid ſit alimentum idoneum. Proxime in illo, quod odoramenta aëra purgent, & cerebrum ſive ſpiritus ejus roborent. Odorem rem eſſe divinam, ut quo placare ſoleant numen: & unde gentiles conjecerint, ſuffitibus Deos propitiari. Nec tamen odores ſolùm cerebrum reficiunt, cor exhilarant: ſed etiam, ſanguinem turbando, caput implent vaporibus, ac gravedinem, & dolorem gignunt: & quæ cauſſa ejus rei. Hinc colligi, odorem vel eſſe halitum fumeum, vel ſaltem hujuſmodi exhalationem pro vehiculo habere. Utrum vultures ſpatio tam remoto halitum, an ſpeciem ſolum, olfaciant. Cur flores melius oleant, ſi paullum abſis. Etſi homines ſoli capiantur odoribus, quatenus ſunt odores: tamen & beſtias odorari odores eos, qui non ſunt alimenti: atque id oſtenſum, canum, tigridum, vulturum, felium, & aliorum exemplis. Materiam odoris eſſe indigam humoris: propriè tamen conſiſtere in ſicco terreſtri. Cur Oriens magis ſit aromatum ferax, quam Septentrio. Cur roſa prope allia conſita meliorem habeant odorem. Quare odor, & ſapor, interdum ſic diſcordent, ut alter placeat, alter diſpliceat. Cur aromata cieant urinam. Quamobrem odoramenta ſi calefeceris priùs, majorem de ſe odorem emittant. Unde ſit, quòd Alexander M. bonum corpore odorem ſpirârit. Cur poma acerba vix habeant odorem. Cur excrementa alvi fœteant. Saporis & odoris collatio, ac utriuſque definitio. Species odoris à guſtus ſpeciebus nomina ſortiri. Organum odoratus nec naſus, nec cerebrum, nec os cribriforme, dici poteſt; ſed ſunt id caruncula mamillares; & unde iis hoc nomen impoſitum ſit. Quis uſus ſit operculi, quo mamillaria hæc tubercula conteguntur. Ne ſpurcos admittamus odores, ſolum eſſe opus, ut paulliſper contineamus ſpiritum. Cur canes Laconici imprimis laudarentur. Triplex in animantibus naſi uſus; quartus quoque in elephanto. Etiam piſces ſub aquis odorari: homines tamen non item, & quæ cauſſa ſit ejus diverſitatis. Quomodo medium odoratus unico vocabulo, vel Græco, vel Latino, poſſit nuncupari.

GUſtum excipit odoratus. Quos inter ſenſus amica eſt conſpiratio. Quippe ſi frigus ambiens, exſtincto calore, ſaporem tollat; odor quoque rem deſtituet. Et ratio ſatis eſt aperta: quia tam odor, quam ſapor, ſit à calore externo, ſiccum terrenum commiſcente cum humido aqueo: ut ex parte dictum, & in odoris natura mox pleniùs explicabitur.

Infimum verò odoratus in ſenſibus locum obtinet. Nullus enim minùs eo eſt neceſſarius. Imò Thomæ Aquinatis *a* verba ſunt, *Odoratus totaliter videtur neceſſitati nutrimenti deſervire, parum vero prudentiæ: unde in omnibus, in quibus eſt perfecta prudentia, eſt deficientiſſimus iſte ſenſus.* Atque ex hiſce concludunt, non datum eſſe hunc ſenſum ad notitiam, & philoſophiam. Sed de eo planè eos ratio fugit. Omnia enim, quæ fecit Deus, facta ſunt ad philoſophandum: hoc eſt, ut uſum eorum

a De ſenſu & ſenſ. cap. 2.

indu-

indagando, cauſſas item rerum inquirendo, prudentiùs vitam hanc componeremus, magiſque cognoſceremus ſapientiam conditoris. In hiſce imprimis eſt locus cauſſæ finali; quæ in multiplici odoratus utilitate conſiſtit. Ac præcipuus eſſe uſus putatur, quòd eo quoque nutriantur animantia. Id quidem Ariſtoteles *a* negat. Sed aliter Pythagorici, ut Ariſtoteles *b* agnoſcit. Quos qui ſequuntur, objectant Aſtomos, Indiæ populum, juxta Gangis oſtia; quem vivere ajunt odore florum, pomorumque. Quod ex Oneſicrito prodidit Strabo lib. xvi, & Plinius lib. 11, cap. xxi. Democritus quoque Abderita, Theſmophoriorum triduo, mellis, vel panis odore ſuſtentavit vitam: ut eſt apud Laërtium lib. ix, & Athenæum in 11. Qualia Guilhelmum quoque Pariſienſem *c* moverunt, ut & ipſe putaret, fumidis etiam exhalationibus hominem nutriri. Sed de Aſtomis fabella eſt. Autoritatem verò Oneſicriti non moramur. Nam imprimis quidem Daimachus, & Megaſthenes; ſed poſt eos Oneſicritus, Nearchus, multa ſunt de Indis mentiti: ut Strabo ipſe agnoſcit lib. 1. Democritus verò non tam odore eſt nutritus, quàm imbecilles cerebri ſpiritus odorato halitu ad breve fovit, & firmavit. Quamobrem illa potiùs præcipua nobis odoris utilitas videtur, quòd de ſapore priùs judicium faciamus ex odore. Multa quippe ſunt quæ alioqui non abſque vitæ, aut ſaltem valetudinis periculo, aſſumerentur pro alimento. Nunc ſagaci odoratus indicio periculum cavetur. Sic videmus, canes, & alia animantia, priùs quid naribus explorare, quàm comedant.

a Lib. 2. de ſenſu & ſenſ. c. 5.
b Ibidem.
c In Sacramentali.

Præter hanc utilitatem duæ ſunt aliæ. Nam quia odores non ſpecies ſunt, ſed ἀναθυμιάσεις καπνώδεις *d*, *halitus fumei*, iique ex rebus bene temperatis educti; vim habent tum aëra purgandi, tum, ubi cerebro ſunt recepti, (ut ex memorato Democriti exemplo liquet) recreandi ſpiritus, & ad tempus conſervandi. Nec dubitandum, quin ob iſta præcipuè odorum & ſuffituum uſus fuerit in ſacris: quod rem, alioqui evanidam, non mediocriter commendat. Hac ratione enim eadem res etiam divina dici mereatur: præſertim cùm ſuffituum uſus non modò fuerit in ſacris gentium, ſed illis etiam à Deo per Moſen inſtitutis. Gentes verò ait Scaliger *e* eò ſpectâſſe, quòd putarent, aëre per ſuffitus purgato, *locorum naturam aptam reddi ad numina ſuſcipienda.* Id cujuſmodi ſit, haut facilè dixerim. Sanè locis penè innumeris eodem tempore, eidem numini, thure, & ſuffimentis aliis, ſacra faciebant. At non fuit ea gentilium opinio, numen unum uno tempore eſſe plurimis in locis. Quid ſi igitur potiùs credamus, eò attendiſſe, quòd Dii cælos incolant, & odores cælos petant: quòd item Dii ſpiritus ſint & odores reficiant ſpiritus. Si nihil horum placet; dicamus, nationes id traditione à piis accepiſſe majoribus. Nam magna ceremoniarum gentilium pars ex patriarchalibus, ac Moſaicis, originem traxit.

d Ariſt. lib. de ſenſu & ſenſili cap. 2. & ad hunc librum Alexander Aphrodiſ.
e Adverſus Cardanum exercit. 104. ſect. 4.

Sed contineamus nos in uſibus humanis; quos maximos fuiſſe, jam oſtendimus. Propterea non levem in iſto operam nobiles poſuere medici, ut traderent ſuffitus, & odoramenta, quæ cerebrum reficiant, ac roborent, & cor exhilarent. Præter quæ & pulmonum ſolvunt pituitam, ac cerebri impediunt deſtillationes. Hujus generis medicamenta compluria inter alios vide apud Joannem Fernelium lib, iv Meth. med. cap. ult. Nec tamen negandum, habere etiam vim nocendi. Siquidem crebrò, calore halituum (ſunt enim ἐκ πυρὸς *f*, teſte Ariſtotele *g*) ſanguis in venis, & arteriis, ſic efferveſcit; ut fumi inde adſcendentes capitis gignant dolorem. Itaque & Strabo in xvi narrat, Sabæos καρῶδες ὑπὸ τῆς εὐωδίας, *à fragrantia induci in altum & gravem quendam ſoporem.* Et Hippocrates lib. v Aphoriſmo xxviii ait, ἀρώματα καρηβαρίας ἐμποιεῖν· *aromata capitis ingenerare gravitatem.* Hæc non leviter firmant ſententiam Galeni *h*, & Avicennæ *i*; item quorundam e ſcholaſticis *k*; è junioribus etiam Fernelii *l*: qui nullum eſſe odorem putant citra exhalationem fumeam.

f Exigui.
g Lib. de ſenſu & ſenſili c. 2.
h Lib. 4. de ſimplic. medic. facult. c. 21.
i 6 Nat. qu. p. 2 c 5.
k Ut Alberti in ſumm. de hom.
l Lib. 6. Phyſiolog. cap. 1.

Nec propterea odorem eſſe ſubſtantiam exiſtimo: ſatis enim eſt, ſi odorem dicamus exhalationi ineſſe, quæ exſpirat: ſive eum eſſe halitum, ſed ſubjective, non formaliter. Et fortaſſe idem voluit Heraclitus quem Ariſtoteles *a* reprehendit, quia dixerit, odorem eſſe exhalationem corporis odorati. Objectant, quòd res tota brevicula abſumeretur tempore, ſi cum odore aliqua ſemper exſpiraret materies: præſertim in ſpatia etiam longiſſimè diſſita, ut cùm vultures odorantur cadavera multis millium paſſibus remota: eoque cum Thoma Aquinate *b* dicere malunt, ut initio ſit evaporatio, poſtea ſpiritualiter medium immutari. Sed non cogitant, ut minutum etiam quiddam, non dico in infinitum, quæ Peripateticorum opinio eſt, ſed penè tamen in infinitum, poſſit dividi, ſingulæque particulæ longiſſimè diffundi, præſertim eò, quò tulerit ventus. Et minutum ſi pyrium pulviſculum, ubi accenderis, per amplum adeò ſpatium cernas fumigare: quò non penetrabit aliquid halitus ſic attenuati, ut ejus videas nihil, imprimis cum in particulas diſcerpatur ſpatiis diſtinctas, quorum aliquam ſi vulturis odoretur ſagacitas, ſufficiat, ut iſtius monitu eò tendat, unde hæc aliti occurrit, & pro loci proximitate plures pluresque ſeſe halitus particulæ offerant. In iſta enim, ut vocant, activitatis ſphæra, eò amplius eſt odoris, quo propiùs ad centrum ejus devenitur. Hoc ſolùm diſcriminis eſt, quòd prope centrum omnes penè aëris pori halitu replentur, remotiùs pauciores, & tandem aut pauciſſimi, aut nulli. Item quòd, quo longius à centro abitur, eo halitus ſint tenuiores, donec tandem planè evaneſcant. Et hinc rationem etiam petere eſt, cur flores non tam grati ſint odoris, ſi proximus ſis, quàm ſi pauxillum diſtes. Nam in propinquo halitus ſunt craſſiores, quia non ſint florum duntaxat; ſed etiam herbæ, atque adeò terræ; unde, ob terreſtrem naturam, non poſſunt longè admodum avolare. At ubi, relictis portionibus terrenis, odor ille floris ſubtilior, eoque ſincerior fuerit; non poteſt non gratior naribus accidere; niſi in tantum ſit attenuatus, ac diſcerptus, ut homo eum, qui ſatis obtuſo eſt odoratu, percipere neutiquam valeat. Atque hæc non aliena ſunt ab iis, quæ Ariſtoteles tradidit in problematis *c*.

a Lib. de ſenſu & ſenſibili cap. 4.
b In 2. de Anima, cent. 97.
c Sect. 3. num. 2.

Utcunque autem rationis expertia odoratu plus hominibus valeant: amplius tamen ex eo boni ad homines, quàm ad cætera accedit animantia. Homo enim mirificè afficitur odore florum, & unguentorum; à tetro item magnopere abhorret: & quidem his gaudet, ac dolet, quatenus ſunt odores. Beſtiæ autem, tametſi capiantur odoribus; non tamen univerſis, ſed illis, quibus aluntur; ut videantur non delectari odoribus, niſi quatenus idonei ſunt indices alimenti. Hac mente igitur rectè dicitur, odoribus ſolos homines oblectari. Sed ut beſtiæ non capiantur odoribus, prout ſunt odores; non propterea illis veterum acceſſero, qui ſolos alimentariæ rei odores ab iis percipi tradiderunt. Aliud evincunt canes venatici; quando per prata currentes florifera, aliave loca odorata, avertuntur odoribus hiſce à fera inſectanda. Nempe tum iis ſenſum obtundit odorum diverſitas. Odoratæ igitur plantæ eos afficiunt, quibus non aluntur. Aliud quoque indicium habemus. Nam quem fugit, eos odoratu inveſtigare, inque tenebris etiam dignoſcere, dominos ſuos? Tigrides ſimiliter abreptos indagant catulos: ut à Mela *d*, Plinio *e*, Solinoque *f*, traditum eſt. Beſtiæ etiam capiuntur odore pantherarum; teſtantibus id Ariſtotele *g*, Theophraſto *h*, Plinio *i*. Imò pantheras quoque aromatis gaudere, proditum eſt à Philoſtrato lib. 11 de vita Apollonii, cap. 1. Et ne de gratis ſolum odoribus loquamur, necantur muſcæ odore ſulfuris; galbani odore fugantur ſerpentes; vultures interficit odor unguentorum; ut ab eodem Theophraſto *k* accepimus. Ac magiſter ejus, vel alius *l*, prodidit, ſcarabæos interire odore roſæ. Etiam Plutarchus *m* refert, τὸ αἴλουρον ὀσμῇ μύρων ἐκταράττεσθαι, καὶ μαίνεσθαι· *felem unguentorum odore conturbari, ac furere.*

Natura, ut ſaporis, ſic odoris, in mixtura humidi ac ſicci conſiſtit: ſed ut in ſapore dominatur humidum, ita in odore ſiccum; Ariſtotele *n* auctore. Humore quidem

d Lib. 3. cap. 5.
e Lib. 7. cap. 18.
f Cap. 21.
g Probl. ſect. 13. qu. 4.
h Lib. 6. de cauſſis Plant.
i Lib. 8. cap. 17.
k Lib. 6. de cauſſis Plant. c 4. & 5.
l Ariſt. ſeu quiſquis auctor lib. de Admirandis auditionibus.
m In Connubialibus præceptis.
n Lib. 2. de anima cap. 9. tont. 100.

dem opus, quandoquidem odorata, ſi exareſcant, odorem amittunt; ut ex cineribus ligni odorati oſtenſum Theophraſto *a*: & ex terra etiam, diuturno æſtu torrida, cuivis liquet: nec enim ea odorem ſpirabit, niſi poſt æſtum iſtum compluatur. Itaque herbæ, & arbores, creditæ ſunt odoratiores, quibus iris incubuiſſet: & ſacerdotes propterea arborum iſtiuſmodi lignis utebantur in ſacrificiis; ut antea *b* diximus ex Plutarcho *c*. Sed utcunque humor requiratur: odorem tamen ſicco ineſſe, oſtendit, quòd non ſit odor ſine fumida exhalatione, ubi præ humido ſiccum dominatur. Idem liquet ex pipere, caryophyllo, & aliis aromatis; quæ ſicca ſunt, valdeque odorata. Etiam tellus, quæ odorem ſpirabat poſt ardorem compluta, eundem diuturnâ pluviâ amittit, quia humor tum vincit. Et in Syria, Arabiaque, plantarum eſt odoratarum copia major, quia loca magis ſunt ſicca. Et roſæ odoratiores ſunt, ſi in propinquo allia conſeveris; quia hæc calore ſuo attrahunt, & exſugunt humorem ſoli.

a *Lib. 6. de cauſſis plant. cap. 19.*
b *Lib. 3. cap. 13.*
c *Sympoſ. l. 4. qu. 2.*

Atque ex his etiam liquet, calorem eſſe, qui ſic humorem attenuet, & temperet, atque ex corpore bene maleve temperato bonum malumve eliciat odorem. Frigore enim odor congelatur; ſæpe etiam exſtinguitur: ut eſt apud Ariſtotelem lib. de ſenſu & ſenſili *d*. Calor contrà, uti dictum, tum temperat humidum & ſiccum, unde ſapor, odorque: tum laxat poros, ut odor prodeat foras. In hacce mixtura, quia odor eſt in ſicco, ſapor in humido, eò quandoque aliter afficitur à calore humidum, quàm ſiccum, dum hoc illo meliùs pejuſve digeritur ac miſcetur: unde fit interdum, ut, quæ bene ſapiunt, mali ſint odoris, vel quæ bene olent, ſint ſaporis mali: uti etiam obſervatum Thomæ Aquinati *e*. Calori in odoribus obtinenti etiam tribuendum illud, quòd aromata cieant urinam. Nempe calore ſuo, ut concoctionem juvant, ſic laxant poros: quemadmodum eſt apud Ariſtotelem in problematis *f*. Nec calor modò aperit poros odorantis, ſed & odorati. Hæc enim cauſſa eſt, Themiſtio teſte *g*, cur odorata magis oleant, ubi calefeceris. Sic aqua roſarum ſtillaticia majorem tum ſpirat odorem: alia etiam magis olent æſtate, quàm vere; vere, quàm hieme. Ob hancce caloris naturam ſatis eorum veriſimilis eſt opinio, qui, quòd Alexander M. bene oleret, id ex eo proveniſſe arbitrantur, quòd naturæ eſſet calidæ; à calore autem eſſet bonitas temperamenti; à temperamento, bonitas odoris. Qua de re ſcitè Plutarchus in vita Alexandri: Ὅτι δὲ χρωτὸς ἥδιστον ἀπέπνει, καὶ τὸ στόμα κατεῖχεν εὐωδία, καὶ τὴν σάρκα πᾶσαν, ὥς τε πληροῦσθαι τοὺς χιτωνίσκους, ἀνέγνωμεν *h* ἐν ὑπομνήμασιν Ἀριστοξενείοις. αἰτία δ' ἴσως, ἡ τοῦ σώματος κρᾶσις, πολύθερμος οὖσα καὶ πυρώδης. ἡ γὰρ εὐωδία γίνεται πέψει τῶν ὑγρῶν ὑπὸ θερμότητος, ὡς οἴεται Θεόφραστος· ὅθεν οἱ ξηροὶ καὶ διάπυροι τόποι τῆς οἰκουμένης τὰ πλεῖστα καὶ κάλλιστα τῶν ἀρωμάτων φέρουσιν. ἐξαιρεῖ γὰρ ὁ ἥλιος τὸ ὑγρὸν, ὥσπερ ὕλην σηπεδόνος ἐπιπολάζον τοῖς σώμασιν. *Odorem ex cute ejus gratiſſimum afflaſſe, os ejus, totumque corpus reddidiſſe fragrantiam, quam interiores tunicæ retinebant, in commentariis Ariſtoxeni legimus. In cauſſa fuit fortaſſis fervidum & igneum corporis ejus temperamentum. Gignitur enim odoris ſuavitas (ut Theophraſti eſt opinio) concoctis à calore humoribus. Unde aridi & fervidi tractus plurima, & optima aromata edunt. Exhaurit enim ſol humorem in ſummis corporibus exiſtentem, ut putredinis materiam.* Quem locum etiam in bibliotheca ſua Photius exſcripſit cod. CCXLV. Quare non dubium, quin bonus ille Alexandri odor fuerit à calore: ob quem etiam, ut Plutarchus ibidem ſubdit, vinoſus fuit. Sed ut bene quid oleat, calorem hunc eſſe oportet in pingui aërio, eoque bene temperato: ut rectè ſentit Thomas in II de Anima, cont. XCV. Icirco poma acerba non olent: ſed boni fiunt odoris, à Sole excocta: mali, ubi putredo invaſit; quod fit, ſi calor modum exceſſerit. Uti & fit in excremento alvi. Nam iis, qui ſunt calidæ admodum naturæ, ea magis fœtent. Ut non accedam Ariſtoteli, quando in problematis cruditatem excrementorum fœtoris cauſſam facit. Satis hæc oſtendunt, tam odorem, quàm ſaporem, eſſe à calore: atque hoc modò diſcriminis eſſe, quòd ſapor ſit in humido aqueo, ex admiſtione ſicci terrei: odor verò in ſicco terreo, ex admiſtione humidi aquei. Quemadmodum igitur ſapor Ariſtoteli *a* eſt affectio in humido à ſicco effecta, guſtum, qui poteſtate eſt, ducens ad actum: ita odor ſit affectio ſive qualitas in ſicco terreſtri, odorandi facultatem ad actum deducens.

d *Cap. 5.*
e *In 2. de Anima, cont. 94.*
f *Sect. 12. num. 12.*
g *In 2. de Anima, cont. 100.*
h *Apud Photium pro eo, πολλοὶ γεγράφασι. multi tradiderunt. Sed commutatio ea eſt à Photio.*
a *Lib. de ſenſu & ſenſili c. 4.*

Species odorum variæ ſunt: ut dulcis, amarus, pinguis, alii. Nomina verò, teſte Ariſtotele *b*, accepere ex ſpeciebus guſtûs; quia odoratus fere eſt propter guſtum; ſenſuſque is, ut acrior, ita notior eſt.

Organum odoratus ab Ariſtotele *c* ſtatuitur circa cerebrum. Explicatiùs verò idem tradunt, quibus placet, id eſſe carunculas mamillares. Per naſum quidem deferuntur odores in cerebrum; uti & per os cribriforme, & ei adhærentem membranam. Nihil tamen horum eſt organum. De naſo, vel ejus etiam membrana, id dici nequit; quia ſic citra inſpirationem etiam olfaceremus. Nunc inſpirari interiùs opus eſt. Neque cerebrum eſt id inſtrumentum, cùm vix tactu præditum ſit. Et cùm cerebrum attrahat halitus fumeos, quorum ſæpe odor noxius eſt: neceſſe fuit ab aliquo priùs explorari odores. Neque item organum id eſt os cribriforme, quod interjectum quidem inter nares, & cerebrum: ſed oſſa omnia, cùm terreſtris ſint naturæ, nihil, aut vix ſentiunt. Supereſt igitur, ut facultas odorandi attributa ſit tuberculis illis, ſive carunculis, quæ inter nares, & cerebrum ſunt; ac ob ſimilitudinem, quam cum papillis habent, *mamillares* dicuntur. Sanè præter eum, quem dixi, uſus earum apparet nullus.

Magna verò etiam ſapientia Dei elucet in eo, quòd hoc organum obtexit operculo, ut vocat Ariſtoteles; hoc eſt, membranâ narium extimâ, quæ inſpiratione attollitur ab aëre, atque ita admittit odores ad carunculas mamillares. Hac membranâ arcetur à cerebro nimius calor, & frigus intenſum. Præterea data eſt, ut ejus ope effugiamus tetros odores; quod fit ſpiritum paulliſper cohibendo, donec aliò nos contulerimus, vel odor ſponte ceſſarit. Vulgò hac fini nares manu occludunt: ſed inani operâ, cùm ſolum ſit opus, ne ſpiritum ducamus, donec ſpurcum effugerimus odorem. Sic enim, tuberculis mamillaribus à memorata obtectis membrana, odor ad eas non pertinget. Sanè, ut Galenus ait, ſi in loco ſimus odoribus refertto, ac fiſtulâ aliquis odores impellat in nares, nihilo plus odorabimur, donec nulla in interiora fiat inſpiratio.

Medium odoratus tum adnatum eſt, tum externum. Prius ſunt duo narium meatus: unde, niſi aliud obſtiterit, quibus nares ſunt porrectæ, plus valent olfactu. Sanè hanc ob cauſſam canes Laconicos ſagaciùs odorari, Ariſtoteles prodidit in V de generat. animal. cap. 11. Nec tamen hujus ſolùm officii ergò Deus nares fecit. Nam & opus iis partim ad reſpirationem, ſine qua vivere non poſſumus: partim ut per eas ſupernè defluant ſordes, quas emungimus. Elephantis vero naſus etiam manus præſtat beneficium; ut inferiùs dicetur.

Externum medium eſt aër: qui vehiculum eſt fumidæ exhalationis odorem deferentis. Propterea non odoramur, quando aëra naribus exſpiramus: ſed tum tantùm, cùm fit inſpiratio. Eoque aëre naribus attracto, etiam aperitur illud tegumentum carunculatum mamillarium, de quibus antè vidimus. Nec tamen ſolus aër medium eſt, ſed etiam aqua: quandoquidem & aquatilia odore alliciuntur ad alimentum. Neque obſtat, quòd urinatores dicant, nihil ſe ſub aquis olfacere. Nam quæcunque reſpirant, odorari nequeunt ſine inſpiratione. Diſpar ratio piſcium, qui non reſpirant: eoque nec patulum illud odoratus habent organum, ſed aliud reconditum. Quia verò non ſolùm aër, ſed etiam aqua, medium eſt odoratus: eò Ariſtoteles *d* id medium eſſe ἀνώνυμον *e* dicit. Sed uti in viſu utrumque medium comprehendimus, id διαφανὲς vocantes; ita in odoratu hoc aliqui dixere δίοσμον: ut teſtis nobis, non Theophraſtus quidem, ut apud Conim-

b *Lib. 2. de Anima, cap. 9. cont. 95.*
c *De ſenſu & ſenſ. cap. 2.*
d *Lib. 2. de Anima, cap. 7. cont. 76.*
e *Nomine carens.*

a Fol. 81. a. edit. Aldinæ.
b Cap. 34. tralationis ſuæ.

bricenſes legas, ſed Themiſtius in 11 de Anima *a*. Hermolaus Barbarus *b* reddebat *perolatiam*, vel *perolortam*. Putem ego, ut à *ſpecie*, vel *ſpecio* eſt *perſpicuum*: ſic commodè ab *odore*, vel *odoror*, *perodorium*, vel *perodorium* transferri poſſe.

Cap. XXXI.

Eos, quos vulgò ſenſus dicimus externos, non eſſe veros ſenſus: ſummum dici poſſe ſenſus inchoatos. Quantopere philoſophi de interiorum ſenſuum numero diſſentiant. Nou poſſe ex ventriculis cerebri multitudinem ſenſuum colligi: & quibus uſibus hi cerebri ſinus inſerviant. Interea facultatem intus ſentiendi varias obtinere functiones. Unde ſenſus communis ſic dicatur: ac triplex ratio, cur nobis divinitus ſit attributus. Cùm ſenſus communis ſolùm ſit præſentium, phantaſiam etiam eſſe abſentium: & cùm ille confuſius proponat, hanc diſtinctè ordineque judicium ferre: & cùm illam intra nudam ſe notitiam contineat, hanc ex judicio de rei naturâ elicere, quid amplecti, quid fugere, oporteat. Fruſtra ab Aquinate phantaſiæ ſuperaddi vim æſtimativam; cùm æſtimatio etiam eorum, quæ organis externis nequeant comprehendi, (ut ecquid, inviſum antea, ſit utile, an noxium) phantaſiæ ſit effectus; quam variè Deus determinavit; atque hinc eſſe eum, quem naturalem inſtinctum vocamus. A temperamento eſſe, quòd animantium aliæ aliis plus polleant phantaſiâ. Phantaſiæ vis in formis novis effingendis; & cur hæ quandoque longè abeant ab iis, quæ foris comparent. Avicenna, & alii, refelluntur, qui virtute imaginativâ arbitrantur fieri, quæ vel poteſtate divinâ, vel arte eveniunt diabolicâ.

HActenus Dei conſideravimus bonitatem, & ſapientiam, in quinque ſenſibus externis: ſi modò hi ſenſuum nomen ſatis mereantur; ac non potiùs tribui illud nomen ſoli debeat virtuti interiori, quæ foris percepta dijudicat: hi verò, qui ſenſus externi vocantur, nominari potiùs debeant apprehenſiones ſenſilium externæ. Nam oculus quidem eſt, quo ſpeciem recipimus; animus autem eſt, qui videt, neque is oculo ineſt, ſed interiùs ſpeculatur. Audiamus Ariſtotelem de ſenſu, & ſenſili cap. 11; ut locus is legi debet *a*: οὐκ ἐπὶ τῷ ἐσχάτῳ ὄμματος ἡ ψυχὴ, καὶ τῆς ψυχῆς δύναμις αἰσθητικῆς ἐστιν, ἀλλὰ δῆλον ὅτι ἐντός. *Neque enim animæ facultas viſiva, eſt in oculo extremo; ſed, ut patet, interiùs eſt.* Idem ex eo cognoſcimus, quòd, eodem modo ſe animo habente, vis viſiva deficiat. Ut liquet ex ſenibus; qui ſi oculos juvenum reciperent, horum inſtar acutè cernerent. Sanè & ebrii malè vident ob offuſos oculis humores: ſed ubi crapulam omnem edormierunt, cernunt ut antè. Oculus igitur tantummodo eſt, quod viſibiles recipit ſpecies, ut eas ad ſenſum communem tranſmittat. Ac par aliis in organis ratio eſt. Organorum itaque ſolùm eſt paſſio, quatenus recipiunt. Sed ut ſenſus communis quodammodo patiatur recipiendo objectum; perfectio tamen ejus in hoc potiùs conſiſtit, quòd in illa organis ſenſoriis ad ſe delata, animadvertat; quæ actio eſt. Atque hinc quæſitum, an ut intellectus, ita etiam ſenſus, rectè dividatur in agentem, & patientem: qua de re exſtat Auguſtini Niphi diſſertatio. Utcunque hoc eſt, ſi receptionem ſpecierum in organa ſenſum vocare placet; non alium intelligere poſſumus, quàm ſenſum inchoatum.

a Vide Alexandrum.

De numero interiorum ſenſuum magnus eſt diſſenſus. Aliqui ponunt quinque: ſenſum communem, phantaſiam, vim imaginatricem, æſtimativam, & memoriam. Quo ordine eos recenſet Avicenna *b*. At Algazel *c* imaginatricem phantaſiæ præmittit. Et ſimiliter Albertus M. *d* Alii, ut Averroes, Thomas, Cajetanus, Ferrarienſis, quatuor ſtatuunt. Atque hi vim imaginatricem ſub phantaſia comprehendunt; ſed ab ea diſtinguunt vim illam, quæ in beſtiis æſtimativa, in hominibus cogitativa nuncupatur. Communis verò eſt opinio, tres eſſe, quia tam æſtimativa, quàm imitatrix, ad phantaſiam revocetur. Nonnulli autem malunt, ſolùm eſſe binos; & hi vel ſenſum communem ſubjiciunt phantaſiæ; ut Plato in Timæo: vel memoriam ad eam referunt; ut Ariſtoteles agit in libris de Anima *a*. Denique Alexander ab Ales *b* unum tantùm facit ſenſum internum; utcunque, ob diverſos operandi modos, videantur multi.

b Lib. 6. Natural. part. 4. cap. 1.
c Lib. 2. de anima, tract. 4. cap. 4.
d Lib. 2. de Anima, tract. 4. cap. 7.
a Lib. 2. c. 2. & 3.
b Part. 2. quæſt. 70. memb. 2.

Qui plures uno eſſe volunt, eo fere pugnant, quòd non fruſtra quinque ſint in cerebro ventriculi. Sed his facilè occurritur, quia ſinus iſti alios uſus habent; ut Galenus *c* docet. Quorum unus eſt, aëris puri inſpiratio, & vaporum exſpiratio. Alter autem, ut in iis elaboretur ſpiritus animalis: quem uſum & Veſalius, ac Realdus Columbus, agnoſcunt. Tertius eſt, ut in eos derivetur è cerebro pituita ac ſordes, donec omne id in palatum diſtillet, atque hinc foras propellatur: quod & ſenſit Fernelius.

c Lib. 8. de uſu partium.

Equidem de numero ſenſuum, ſeu unum, ſeu duos, ſeu plures, ponere malit, cum nemine contendero. Satis eſt, interioris eſſe ſensûs functiones diverſas: ac ſæpe, unâ læsâ, ſalvam eſſe alteram: quomodo nonnulli in morbo videre ſe putant, quæ non vident; ſed, pro apprehenſione tali, bene judicant: alii malè rem æſtimant, ſed probè omnium meminerunt: & contrà. Sed ſi plures ponere ſenſus viſum, ſaltem nihil urget, cur excedatur adducta ſuperiùs tripartita partitio: cui iccirco hoc tempore inſiſtam.

Ordiar à ſenſu communi; quem tres ob cauſſas nobis Deus conceſſit. Prima eſt, ut formas omnes ſenſiles recipiat: unde & *ſenſus communis* vocatur. Nam habet ſe ad ſenſus externos, ut centrum aliorum; quia ab ſenſu communi ſpiritus ſenſorii deferuntur ad organa; &, receptis inde formis ſenſibilibus, eas deferunt ad ſenſum communem, tanquam ad judicem, & arbitrum. Altera eſt, ut colores, ſonos, figuram, magnitudinem, aliaque naturæ tam diverſæ, dijudicet ſive diſcernat. Neque enim ſenſus exterior alborem à nigrore, ſaporem ab odore, diſtinguit: ſed demum judicium id fit, ubi formæ iſtæ in ſenſum communem ſunt admiſſæ. Hoc igitur ſenſu ſentimus nos ſentire: id eſt, qui oculo ſpeciem recepit, ſcit ſe videre: & ita in cæteris. Tertia eſt cauſſa, ut quia hic ſenſus non operatur, niſi objecto præſente, idque paullo confuſiùs facit; eò examinandas tradat ſpecies phantaſiæ, tanquam ſubſellii ſuperioris judici.

Phantaſiæ uſus is præcipuus eſt, ut imagines à ſenſu communi confuſiùs acceptas ordinet, diſtincteque de ſingulis judicium ferat. Cumque ſenſus communis ſolùm ſit objecti præſentis: φαντάσματα, ſive *viſa*, (quæ objectum ſunt phantaſiæ) & præſentium ſunt, & abſentium. Phantaſia quippe etiam præterita recolit, futura cogitat, ut his expenſis, utilia amplectatur, fugiat noxia. Atque hic miranda ſe iterum exſerit Dei majeſtas. Unde enim eſt, quòd oves æſtimant fugiendum ſibi lupum, etiamſi nunquam id animal conſpexerint? Non ſanè color, aut magnitudo animantis res ſunt tam horrendæ, ut id per ſe poſſint. Aves quoque unde paleâ ſciunt tam affabre nidificare? Omnino fatendum, eſſe ab inſtinctu illo, quem Deus indidit phantaſiæ, determinando eam ſic, ut, pro cujuſque objecti natura, oriatur in animantibus æſtimatio, qua videant, hoc ſibi amplectendum, illud fugiendum. Thomas Aquinas, cùm illa phantaſiæ vires excedere arbitraretur, præter eam animantibus tribuit æſtimativam. Sed æſtimatio hæc, ut dixi, phantaſiâ fit. A cujus naturali inſtinctu itidem eſt, quòd formicæ tempore æſtivo colligant grana in hiemem; quòd ea ſagacitate muribus inſidientur feles; aliaque id genus innumera, bonam partem inferiùs nobis, σὺν Θεῷ *d*, memoranda: quæ niſi experientiâ comperiremus, planè iremus inficias; quia non viderentur niſi ab humano poſſe judicio proficiſci. Non dubium igitur, quin phantaſia quædam ſit imago rationis; ejus autem æſtimatio, qua quid judicat, ſequendum, aut fugiendum eſſe, ſpecies ſit ratiocinationis; ſive concluſio iſta ſit elicita ex principio, quod didicerit ani-

d Deo juvante.

animal experientiâ: ſive ex eo, quod Deus, naturæ conditor, indiderit phantaſiæ. Plurimùm nihilominus phantaſia cedit rationi, etiam in homine; utcunque eam perfectiorem ſit ſortitus. Quàm enim abſurda ſæpe ſunt, quæ phantaſia nobis, ceſſante ratione, nectit in ſomnis!

Nec beſtiæ ab homine modò phantaſiæ bonitate vincuntur: ſed earum etiam aliæ aliis hac parte præſtant. Nempe ut in homine, ita quoque mutis animantibus, pro temperamento cujuſque, aut perfectior illa eſt, aut imperfectior. Nec enim in hominibus duntaxat melancholici ſunt ingenioſi, phlegmatici autem ſtupidi: ſed in beſtiis ſimiliter vulpes, quia atrâ bile abundant, ſunt verſutæ; oves, quia phlegmaticæ, eò ſtolidæ.

Alia quoque eſt phantaſiæ vis; quæ in effingendis novis ſpeciebus conſiſtit. Ut cùm in ſomnis varia effotmat ad ſimilitudinem eorum, quæ interdiu percepimus. Item cùm vigilantes imaginamur montem aureum, quia & montem vidimus, & aurum. In phreneticis verò, febricitantibus, & melancholicis, imagines, quas effingunt, ſæpe ſunt admodum monſtroſæ; nec eorum ſimiles, quæ viderunt. Cujus cauſſa eſt ab inflammatione inſtrumentorum interiorum, & vaporibus cerebrum implentibus.

Quanta ſit phantaſiæ vis in formando fœtu, diximus antea. Avicenna verò, & Algazel, putarunt, tantam ejus vim eſſe, ut divino etiam facta miraculo, vel vi magicâ ſeu diabolicâ, ab valida imaginatione proficiſcantur. A qua opinione nec ſatis receſſere Marſilius Ficinus in Theologia Platonica lib. III, cap. I, Pomponatius De Incantatione, Cælius Rhodiginus Lectionum Antiquarum lib. XX, cap. XV, & alii non pauci. Sed ſi imaginationis ea eſſet efficacia, ut extra ſe corpora moveret loco, vel immutaret: poſſent hoc univerſi homines, vel ſaltem ſapientes, aut pii. At hi nec totum diem, imo etiam menſem, imaginando, vel feſtucam valeant loco movere. Nempe nulla eſt imaginationis vis naturalis, niſi per potentias, quas habet, materiales: unde, læſo corpore organico, læditur quoque operatio: ut liquet ex paralyticis, qui movere nequeunt partem ſui corporis morbidam; nedum animæ vis ἀμέσως *a* pertingat ad res externas.

a Immediate.

Cap. XXXII.

De magno Memoriæ uſu in omni vita. Duplex Memoriæ definitio ex Ariſtotele adducta. Et quomodo differant φάντασμα, ac μνημόνευμα. Unde ſit, quòd aliqui, quæ imaginati aliquando ſunt, ea ignari narrent aliis, quaſi re verâ contigiſſent: &, quod crebriùs contingit, hæreant in eo ipſi, utrùm, quod in mentem venit, aliunde acceperint, an primi ejus ſint auctores: unde item, quòd ægroti magno ſic ſtudio adlaborent, ſua aliis ſomnia perſuadere, tanquam certiſſima. Cur oblivio facile capiat pueros, ſenes, affectu aliquo turbatos. Quomodo à memoria differat reminiſcentia. Cur quibus velox memoria eſt ad complectendum, iis ſæpe difficilis ſit ad continendum; & multis, ſatis obliviosis, facilè eorum refricetur memoria, quæ majorem exciderant partem.

PRoximos poſt phantaſiam honores ſibi vindicavit Memoria; quam Græci Μνημοσύνην vocant, inque Dearum retulere numerum: ut in affectionibus, inter numina habitus, pluribus exponam. Nec ſtultitiam hanc nimiùm mirabitur, qui cogitabit, quanto animantium, ac præcipuè hominum bono, illis ſit attributus hic phantaſiæ theſaurus, rerumque conceptarum cuſtos. Nam quantillum ſit, ſolùm comprehendere & æſtimare præſentia, niſi etiam retineamus præteritorum imagines; ut, ubi uſus erit, ex iis de futuris judicemus! Itaque nullius tantum eſt ingenii flumen, ut ſatis nobis prædicare poſſit Memoriæ bona. Sine hac nullus erit ſermo humanus. Nam omnimoda erit oblivio vocabulorum. Sine hac nec artibus, aut ſcientiis, nec religioni ipſi fuerit locus. Nam pariter rerum omnium erit oblivio. Erimus igitur non muti ſolùm; ſed etiam infrunti, inſubidi, numinis, ut neſcii, ſic contemtores. Dixeris, & tales, aliorum omnium ſecuros, præſentibus poſſe indulgere; edere unà, unà bibere, & ludere: & bene inter bonos fore congerrones, quia non habeat tum locum vetus illud: Μισῶ μνήμονα συμπότην *a*. Equidem nec tantum illis conceſſero. Nam inſuſurrat mihi magnus vates *b*:

a Odi memorem compotorem.

b Il. ν

> Πάντων μὲν κόρος ἐστὶ, καὶ ὕπνου, καὶ φιλότητος.
> *Cunctorum eſt ſatias, etiam ſomni, Venerisque.*

Nec excutiam illud de luſibus, num Venereos intelligant, an alios, qui ſine memoria conſtare non poſſint. Rem altius arceſſam; ut pareat, abſque memoria non vitam, nedum voluptates, durare. Si enim matres ſemper fœtus ſui capiat oblivio, quæ fuerit ejus educatio, ſine qua conſtare nequit vita? Jam abierit lactandi tempus; puellus poſtea nunc digitum adurat, vel cultello lædat, nunc à cane fuerit morſus, vel aquis propemodum abſorptus. Si immemor ſit omnium, eoque nullo horum, & ſimilium, cautior reddatur: quomodo non mille eum ſemper circumſtent pericula: &, ſi fata ſic ſinerent, mille ei mortibus ſit moriendum, priuſquam ad ſenilem pertingat ætatem? Sed enim hoc quoque demus, omnia eluctando pericula aliquem tandem fieri ſenem: quæſo, quo ſenilis animus animo præſtabit infantium, ſi, memoriâ ſublatâ, vetera omnia tam ſeni videantur nova, quàm fuere infanti? Quæ ſi ſunt, quid apertius eſt, quàm non poſſe hanc vitam vivi à nobis, ſine noſtra vel aliena nos curantium memoria. Atque ut aliter eſſet, ſaltem miſeram fore vitam, nec diuturnam. Imò, ut quoque diu vita prorogetur, animo nihil diſcrepaturos à juvenibus ſenes. Sic igitur ſtatuendum, hoc quoque nomine Deo nos plurimum debere, quòd non modò phantaſiam nobis, ſed etiam memoriam conceſſerit, ut ea phantaſiæ ἀμέσως *c* inſerviret.

c Immediate.

Ab hoc memoriæ uſu bifariam ea definitur ab Ariſtotele, libello de Memoria, & Reminiſcentia. Prioris hæc ſententia eſt: Memoria affectus eſt ſenſûs, & opinionis, quatenus ſunt rei præteritæ. Per ſenſum, & opinionem, intelligitur ſenſus communis, & phantaſia, cui ea inſervit. Præterea fit temporis præteriti mentio; quia memoria non eſt, cùm ſimpliciter imaginor triangulum; ſed cùm me eundem cogito antehac conſpexiſſe. Altera eſt definitio: Memoria eſt habitus phantaſmatis, quatenus imago eſt illius rei, cujus eſt phantaſma. Nam phantaſma, ſive viſum, bifariam apprehenditur; tum quatenus eſt phantaſma; & hoc pacto pertinet ad phantaſiam: tum quatenus eſt imago rei illius extra animum, cujus phantaſma animo ineſt; & eo modo ad memoriam refertur. Nempe ſimiliter hic comparatum, ac cum pictura: quæ vel per ſe conſideratur, prout his illisve lineamentis, ac coloribus pingitur: vel quatenus eſt alterius imago, leonis puta, aut elephanti. Itidem enim ſpecies etiam animo impreſſa attenditur, vel prout imaginatione concipitur, ac per ſe eam contemplamur, & φάντασμα *d* vocatur: vel prout imago eſt rei extra animum conſtitutæ, imaginatione priùs conceptæ, ſed conſervatæ, & animo repetitæ; quomodo μνημόνευμα *e* nuncupatur.

d Aliquid revera tum apparens.

e Aliquid memoriâ repetitum.

Ex diverſa hac phantaſmatis conſideratione etiam cognoſcere eſt, cur aliquando, ut Antipherontis Oritani exemplo declarat Ariſtoteles *f*, quæ quis imaginatus, narret, ut vera, idque dolo nullo. Item ut, quod crebriùs uſu venit, de iis, quæ nobis in mentem veniunt, dubitemus, utrùm ea tum demum cognoſcamus, atque ipſi ea invenerimus, an aliunde illa audierimus. Præclarè enim illud obſervatum eſt ab Ariſtotele, eò nos dubitare, quoniam eſt obſcurum, utrùm ſpecies oblata offerat ſe, ut φάντασμα, ſive aliquid, quod per ſe contemplationi pateat: an verò ut μνημόνευμα, hoc eſt, ut imago alterius. Rarò tamen μνημόνευμα ſe offeret, ut φάντασμα, niſi, cùm quid fieret, animo fuerimus parùm attento. Similiter hinc liquet, cur qui gravi laborant morbo, ea, quæ ipſi-

f Lib. 3. Meteorol. cap. 4. ſed nomine Antipheontis præterito.

ipſimet imaginati ſunt, adſtantibus tanquam vera narrent. Nam, Ariſtotele etiam judice, quod eſt viſum, ſive φάντασμα, id verſant, ut imaginem ſive μνημόνευμα: nempe ob cerebrum malè affectum.

Quæritur, cur pueri, ſenes, atque item irati, aut alio perturbati affectu, meminiſſe minùs valeant. De pueris hanc Ariſtoteles adfert rationem, quòd cerebrum in iis humidum ſit; uti in ſenibus quia durum. Itaque illud puerilis ætatis confertur cum aqua fluenti; ubi diffluunt ſpecies impreſſæ, quia humida eſt, ac mobilis. In ſenibus verò eleganter ab Ariſtotele comparatur parieti vetuſto; qualis non retinet, quæ impreſſeris, quia duritiès facit, ut non niſi ſuperficie ſummâ imaginem admittat. Altera eſt ratio, quod ejuſmodi paries in perpetuo ſit motu: aſſiduè enim ob antiquitatem decidit aliquid calcis ac tectorii. At ſic quoque neceſſe eſt, perire paullatim, quæ inſcripſeras. Nec multò aliter res habet in iratis, vel pudore affectis, aut metu conſternatis. Nam & iſtis, ob vehementem affectum, cerebrum quaſi fluctuat. Cujus rei ex ſummis Oratoribus exempla adduximus in Oratoriis noſtris *a*. Ubi & oſtenſum, quo pacto memoria conſervetur, atque augeatur. Vide & quæ de admirabili multorum memoria expoſui libro de Natura ac conſtitutione Rhetoricæ cap. xx. Atque hæc de Memoria.

a Inſtitut. lib 6. c 9. ſect. 2.

Ἀνάμνησις verò, ſive Reminiſcentia eſt cùm ex principio quopiam, cujus meminimus, in alterius venimus notitiam, quod exciderat. Ad reminiſcentiam igitur requiritur, ut imagines partim ſint obliteratæ, partim non ſint. Tum enim reminiſcimur, cùm ex veſtigiis imaginum, quæ ſuperſunt, colligimus de iis, quæ interciderunt. Differunt itaque memoria, & reminiſcentia, quòd memoria eſt imaginum conſervatarum; reminiſcentia verò obliteratarum: unde à Tertulliano *b* ſcitè vocatur *memoria recidiva*. Atque eâdem mente dixeris, memoriam eſſe reminiſcentiam continuam: reminiſcentiam eſſe memoriam interciſam. Hoc diſcrimen deſumtum eſt à natura memoriæ, & reminiſcentiæ. Eſt & alterum, quod petitur ab temperamento hominum, quibus utraque ineſt, & pro temperie hujus, vel illius, vi majore. Nam βραδεῖς ſive ſtupidi valent memoriâ, non reminiſcentia: at contrà εὐμαθεῖς, ſive dociles, reminiſcentiâ pollent, haut memoriâ. Cujus ratio eſt, quòd anima ſenſitiva operetur pro organi ratione: id autem cerebrum ſit; quicum ſimiliter, ac cum cera, ſit comparatum. Nam ut hæc, ſi fuerit dura, formam ſigilli difficulter admittit, diu tamen retinet admiſſam; ſin mollis erit, facilè & accipit, & perdit; ac proinde & facilè perditam recipit: ita etiam, ſi durum fuerit cerebrum, non facilè aliquid recipiet, quod ſtupidi eſt; receptum tamen fideliter cuſtodiet, quod eſt prædíti memoriâ. At ſi mollis fuerit, facilè quidem recipit, quod eſt docilis; ſed facile etiam perdit, quod eſt obliviosi: ex relictis interim ſignis, ac veſtigiis, celeriter colligit; quod eſt valentis reminiſcentiâ. Itaque dociles plurimùm valent reminiſcentiâ; quia propter ἀγχίνοιαν *c* & agilitatem animi, ex veſtigiis facilè de reliquis præſumunt. Stupidi verò eâ parum valent, quia non polleant eâ mentis ſagacitate, ut obliterata facilè colligant ex relictis: quippe quod fiat ratiocinatione ex perſonis, rebus, & circumſtantiis: unde eſt, quod recordari, ſive reminiſci, ſolius ſit hominis.

b Lib. de Anima, cap. 24.

c Sagacitatem.

C a p. XXXIII.

Quod Galenus ſcribit, ab Hippocrate animam ſenſitivam in cerebro conſtitui, id meritò in dubium vocari, cùm non ſemel cor ejus ſedem faciat. Quædam quoque Platonis loca adducuntur, ubi philoſophus ille ſenſum ponat extra cerebrum; contra quam de eo traditum non à Galeno ſolùm, ſed etiam Sebaſtiano Foxo. Idem Foxus refellitur, quod & ab Ariſtotele putarit cerebrum αἰσθητήριον primum conſtitui. Democriti, Stratonis, Eraſiſtrati, Herophili, Parmenidis, & Epicuri, de ſenſus ac mentis ſede opiniones adducta. Ab Ariſtotele viſus, & auditus ſenſum poni in cerebro; guſtus, & odoratus, in corde; odoratus autem mediam rationem putari: atque hanc convenientiſſimam eſſe rationem conciliandi varia in Ariſtotele, quæ alioqui pugnare videantur. De guſtus, odoris, & tactus ſenſu, decipi Ariſtotelem: ſolumque hoc ei concedi poſſe, in corde eſſe eorum principium remotum. Non rectè à Fernelio negari, medullam cerebri eſſe ſenſus ſedem. Sed conceſſum eidem, membranam cerebri quoque pollere hac facultate. Quæ partes cerebri magis idoneæ ſint ſenſuum ſedes. Argumenta, quibus tres ſenſus interiores ſedibus ac locis diſtingui, probant, allata, & excuſſa: ac phantaſiam ſuas obire functiones non ſolum in medio capitis, ſed capite univerſo, vel ſaltem quoque in occipite, ubi eſt μνημονευτικῆς ſedes.

JAm quàm illud mirandum, quàm certum etiam humanæ inſcitiæ ac imbecillitatis argumentum, quòd cum ſciamus nos videre, audire, aliis etiam ſenſibus ſentire; ac ſatis conſtet, id quod ſentit, eſſe animam ipſam; eam autem non ineſſe organis externis, ſed interiùs eſſe, ubi ſenſus verè perficitur: de ſede tamen animæ ſenſitivæ tam parum inter veteres conveniat: imò de hoc ipſo diſputetur, quæ fuerit opinio Hippocratis, Platonis, Ariſtotelis. Si Galeno ſtandum *a*, Hippocrates, & Plato, eam conſtituerunt in cerebro; Ariſtoteles in corde. Sed ſingula horum non carent controverſiâ. Ac primùm, quod ad Hippocratem attinet, etſi is fragmento *b* libri de Inſania (ſi is modò Hippocratis eſt) dicat, ſapere hominem, dum cerebrum quieſcit: libello tamen de Corde (qui pro genuino cenſetur) ait magnus ille Cous, de cordis ventriculis agens: γνώμη ἡ τοῦ ἀνθρώπου πέφυκεν ἐν τῇ λαιῇ κοιλίῃ· *Mens humana in ſiniſtro cordis ventriculo à naturâ inſita eſt.* Atque addit, hic eam paſci, non cibo, ac potu; ἀλλὰ καθαρῇ καὶ φωτοειδεῖ περιουσίῃ, γεγονυίῃ ἐκ τῆς διακρίσιος τοῦ αἵματος. *ſed purâ & clarâ copiâ, ex ſanguinis ſecretione ortâ.* Item libello de iis, quæ pertinent ad virgines, refert, quandoque evenire, cùm hæ ſunt maturæ ac nubiles, ut menſtrua, occluſo uteri orificio, exitum non reperiant, eoque reſiliat ſanguis verſus cor, & ſeptum tranſverſum. His oppletis, inquit, ἐμωρώθη ἡ καρδίη· εἶτα ἐκ τῆς μωρώσιος νάρκη· ἐκ τῆς νάρκης παράνοια ἔλαβεν· *ſtolidum fit cor; poſtea ex ſtoliditate ejus oriuntur torpor; ex torpore invadit delirium.* Atque hinc etiam ait provenire, quòd in puteos inſiliant, ſeque præcipitent, vel ſtrangulent. Quare non dubitandum, quin ſenſum mentemque ſtatuerit in corde.

a Libro de Placitis Hippocratis, & Platonis.

b Tom. 7. qui ἐπιστολὰς continet, inter epiſtolas.

Platonem quoque (de quo idem, ac Galenus, prodit Sebaſtianus Foxus *c*) extra cerebrum conſtituiſſe vim ſenſitivam ac rationalem, compluribus evincitur locis. Ut cùm in Timæo *d* ait, τὰ φλέβια, δοκιμεῖα τῆς γλώττης, τεταμένα ἐπὶ τὴν καρδίαν· *vena, quibus lingua explorat, inde protenſæ ad cor*: ut nempe ſapores annuncient. Et poſt aliqua *e* de ſuavi & moleſto odore ait, iis aut mulceri, aut offendi, ὅσον ἡμῶν μεταξὺ κορυφῆς, τοῦ τε ὀμφαλοῦ, κεῖται· *quicquid interjectum nobis inter verticem capitis, & umbilicum.* Paullo poſt *f* de ſono, & auditu, ſic loquitur: Ὅλως μὲν οὖν φωνὴν θῶμεν, τὴν δι' ὤτων ὑπ' ἀέρος ἐγκεφάλου τε καὶ αἵματος μέχρι ψυχῆς πληγὴν διαδιδομένην· τὴν δὲ ὑπ' αὐτῆς κίνησιν, ἀπὸ τῆς κεφαλῆς μὲν ἀρχομένην, τελευτῶσαν δὲ περὶ τὴν τοῦ ἥπατος ἕδραν, ἀκοήν· *Omnino igitur vocem ſtatuamus eſſe quendam impulſum ab aëre per aures, cerebrum, & ſanguinem, uſque ad animam ſeſe porrigentem. Motionem autem exinde natam à capite quidem initium ducentem, & deſinentem in hepatis ſedem, auditum nominemus.* Idem in Thæteto *g* comparat κηρὸν, ſive *ceram*, & κῆρ, ſive cor: atque ait, uti molli ceræ facilè aliquid imprimitur, ſed imagines illæ non ſunt diuturnæ; in duriori autem ſe contrà res habet: ita etiam in corde habere τὸν κηρὸν τὸν ἐν τῇ ψυχῇ, *ceram animæ*; quia ſi in ceram cordis nec nimis mollem, nec duram nimis, aliquid in-

c Lib. 4. de conſenſione Ariſtotelis & Platonis.

d Pag. 65. edit H. Steph.

e Pag. 67.

f Pag. eadem.

g P. 194. edit. H. St.

inſcribatur, homines ſint πρῶτον μὲν εὐμαθεῖς, ἔπειτα μνήμονες· *primum quidem dociles, exinde memores.* Hæc ſatis oſtendunt, cum memoriæ, & reminiſcentiæ ſedem, quæ phantaſiæ ſunt adnexæ, in corde repoſuiſſe.

Ad Ariſtotelem verò quod attinet, rectè Galenus putavit, in corde ab eo ſedem putari ſenſus ac mentis. Scio, Sebaſtianum Foxum *a* tradidiſſe, animam ab illo in cerebro conſtitui: quædam etiam apud Ariſtotelem legi, quaſi in hac fuerit opinione: ſed pauculis id locis: infinitis verò cor facit πρῶτον αἰσθητικὸν, *primum ſenſitivum.* Et ſanè ab eo, & Empedocle, & tota Stoicorum ſchola, cor animæ ſedem putari, etiam legas apud Theodorum Cyrenſem lib. v de curatione Græcarum affectionum: ubi & alias aliorum opiniones commemorat. Hippocratem enim, Democritum, & Platonem, vim animæ principem in cerebro ait collocaſſe, Stratonem, in medio ſincipite; Eraſiſtratum, juxta membranam cerebri, quam Epicranidem nominat; Herophilum, in ventre cerebri; Parmenidem, & Epicurum, in toto thorace. Quod verò ad ἐναντιοφανῆ *b* Ariſtotelis loca, non aliunde meliùs ea conciliare eſt, quàm ex lib. 11 de Partibus Animal. cap. x: ubi diſtinguit inter principem animæ ſenſitivæ ſedem, & locum eum, quo ἀμέσως *c* ab externis ſenſuum inſtrumentis, imagines ſive ſpecies ſenſibiles feruntur. De priori ſic ait: ὅτι ἀρχὴ τῶν αἰσθήσεών ἐστιν ὁ περὶ τὴν καρδίαν τόπος, διώρισται πρότερον ἐν τοῖς περὶ αἰσθήσεως· *Principium ſenſuum eſſe cordis locum, definitum jam eſt, cùm de ſenſu ageremus.* De poſteriori autem ſcribit hunc in modum: Αἱ μὲν δύο (αἰσθήσεις) φανερῶς ἠρτημέναι περὶ τὴν καρδίαν εἰσὶν, ἥ τε τῶν ἁπτῶν, καὶ ἡ τῶν χυμῶν· τῶν δὲ τριῶν, ἡ μὲν τῆς ὀσφρήσεως μέση· ἀκοὴ δὲ, καὶ ὄψις, μάλιστ' ἐν τῇ κεφαλῇ, διὰ τὴν τῶν αἰσθητηρίων φύσιν· *Duo ſenſus, nempe ille tangendi, & alter guſtandi, apertè dependent ex corde: unus ex reliquis tribus, qui eſt olfaciendi, medium tenet: duo, id eſt, audiendi, & videndi, maximè in capite poſiti ſunt, propter ſenſoriorum naturam.* Cenſet igitur tactûs ac guſtus imagines, ſive ſpecies ſenſiles, ab organis externis rectà ad cor deferri: olfactus ſpecies mediæ eſſe naturæ: ſpecies viſûs & auditus priùs deferri in cerebrum, ac inde demum ad cor deſcendere.

a *Lib. 4. de conſenſione Platonis, & Ariſtotelis, c. 4.*

b *Ea, quæ pugnare inter ſe videntur.*

c *Immediate, ſive proximè.*

In hocce veterum diſſenſu eos ſequi malumus, qui non tantum ſedem viſus, & auditûs; ſed etiam guſtus, olfactus, & tactus, in cerebro poſuerunt. Remotè quidem pendet ſenſus à corde, quod vitales gignit ſpiritus: ſed in cerebro è vitali ſpiritu fit animalis, qui proximum eſt inſtrumentum ſenſus, & motus. Quemadmodum igitur, ſi loco legam aprico, lumen, cujus beneficio cerno, aëri ineſt: ſed principium ejus eſt à Sole, unde emanat; is autem eſt in æthere: ita &, cùm ſentio, fit hoc in cerebro à virtute, quæ è corde promanet. Anima enim toto ſe corpore diffundit, ac pro organi ratione variè operatur: ſed ratione principii, ac radicis, in ſolo eſt corde. Quare hoc ſolùm Ariſtoteli largimur, cor eſſe interioris ſenſus principium remotum, non proximum.

Sed ſic quoque in medio relinquitur, utrùm ſenſus ſit in cerebri medulla, an membrana: utrùm item aliquo loci diſcrimine, an nullo. Quod ad prius; cenſeo, neutiquam excludi medullam. Utcunque enim parum fortaſſe ſentiat, ſentit tamen. Et ex medulla hac nervorum eſt origo, per quos à ſpiritibus ſpecies deferuntur. Quare non repugno Galeno, qui in ſeptimo de Placitis arbitratur, hic ſenſus eſſe ſedem. Sed non æquè auſim ſubſcribere in eo, quod membranas cerebri ſolùm datas cenſet, ut contineant & coerceant cerebrum. Nam veriſimile eſt, & has ſenſus eſſe ſedem; ſaltem tactus. Nam cum medulla vix particeps ſit tactus, membrana, præſertim craſſior, & exquiſitiſſimo tactu prædita eſt. Cæterùm quando contra Fernelium in cerebri etiam medulla ſenſum eſſe dicimus, maximè intelligimus partes ejus magis pellucidas, naturâque ſuâ glutinoſas ac tenaces. Tales enim faciliùs retinent ſpecies, ac diutiùs conſervant. Unde liquet, cùm in cerebro exigitur, ut ſit moderatè humidum & ſiccum, non alienum intelligi humorem, ſed naturalem, cumque lucidum, & quodammodo viſcidum.

Jam ad ſitum, locive diſcrimen, quod attinet: non ea Arabum modò; ſed etiam Alberti Magni, Thomæ Aquinatis, & aliorum fuit opinio, in ſincipite eſſe ſenſum communem; in capitis medio, phantaſiam; in occipite, memoriam. Nam & læſo ſincipite, lædi ſenſum communem; & læſo vertice, lædi phantaſiam; & læſo occipite, lædi memoriam. Præterea ſinciput eſſe humidum, ut facilè recipiat, quod haut diu retinere ſit opus: medium capitis eſſe temperatum, quia & recipere, & aliquamdiu retinere ſit neceſſe: occiput eſſe ſiccum, ut quod admiſerit, diu reſervet. Jam autem ſenſus communis eſſe recipere, ac ſolùm retinere objecto præſente: phantaſiæ eſſe recipere, & diutius verſare, etiam abſente objecto: memoriæ verò eſſe recepta fideliter reſervare. Ut functioni ſenſus cujuſque interioris optimè conveniat partium cerebri temperamentum. Etiam tertium addunt de cellis quatuor: quarum duæ ſint ſincipitis, ac ſenſus communis; tertia verticis, ac phantaſiæ; quarta occipitis, & memoriæ. Neque ex quatuor cellis rectè eò colligas, quatuor fore ſenſus interiores: quia ex primis duabus non una in alteram, ſed utraque procurrit in tertiam: eoque tam duæ illæ cellæ ſint unius ſenſus communis, quàm oculi bini ſint viſus; binæ aures, auditus.

Sed argumentum à cellis exigui eſt momenti, quia longè alius eſt illarum uſus; ut capite vidimus ſuperiori. Nec magnæ eſt rei illud de temperamento; quando parum veriſimile eſt, ſic variare iſtas cerebri partes: omniaque abunde munia explere ſit idoneum; modò nec anticâ, nec mediâ, nec poſticâ parte, ſit calidum, aut frigidum; humidum, aut ſiccum nimis; ſed undecunque temperatum; &, ut dixi, pellucidum, ac glutinoſum; quale & facile recipiet, & receptum diu reſervabit. At primum argumentum majoris eſt ponderis: controverſum tamen, quando Medici Græciæ univerſæ læſâ memoriâ non occipiti, ſed univerſo jubent cerebro remedia adhibere. Quod non aliunde eſt, quàm quia putarent, vim φανταστικὴν toti ineſſe cerebro, ac unam eandemque vim, & ſpeculari φαντάσματα, & reſervare μνημονεύματα. Atque hæc ratio etiam Fernelium impulit, ut ſenſus iſtos ſitu, locove, diſtingui negaret. Nihil tamen impedit, quo minùs phantaſia vel cerebro toto, vel eo loci duntaxat excepto, quòd ſenſui tribuunt communi, ſuas ubique obeat functiones: & tamen, ubi ſpeculari deſiit, in occipite ſolo ſpecies recondat; inde eas ſuſcitet, ſi denuo contemplari juvet; inque iſto tum eaſdem loco ſpeculetur ac verſet, ubi repoſuerat; eorum inſtar, qui conſpectis familiæ monumentis, vel dulcibus dominæ, ac ſodalium μνημοσύνοις, non alium ſe in locum ſermocinaturi recipiunt; ſed, ea habentes ob oculos, ibidem longos ſæpe de iis texunt ſermones.

Cap. XXXIV.

Quomodo ſomnus, & vigilia, ab Ariſtotele definiantur. Cerebrum, non cor, contra quàm Ariſtoteles putavit, primum eſſe αἰσθητήριον. Bonam cauſſam malè agi à Galeno, cùm eo probat, cor non eſſe primum ſenſitivum, quia ſemper moveatur; utpote vitalis fons. Somni perfecti, & imperfecti diſcrimen. duplex item diſcrimen ſenſus communis, in ſomno ceſſantis, & in morbo. Geminus ſomni finis. Animalia cuncta, etiam piſces, & inſecta, dormire. Cur animantia, cùm dormiunt, ronchos edant. Fœtum in utero vitam non tam à vigilia ordiri, aut ſomno, quàm torpore quodam, utriuſque extremi participe. Cur plantis non competat ſomnus. Prior ſomni cauſſa efficiens: quæ eſt ab alimenti, ac ſanguinis, evaporatione. Cur cibus aſſumtus reddat ſomniculoſos; inedia autem inſomnes. Quamobrem, ſi ſtomachus nimis fuerit cibis refertus, non facilè dormiamus. Cur & calida, ut vinum;

num; & frigida, ut papaver, ſomnum afferant. Quare, qui atrâ bile abundant, edaces ſint; ſed exigui ſomni. Cur quibus ſedentibus ſomnus obrepit, capite nutent. Unde anguſtas qui habent venas, diutius; qui laxas, minus dormiant. Cur pumili, ſive nani, longioris ſint ſomni. Quid infantes reddat ſomniculoſos. Cur iidem magis obnoxii ſint epilepſiæ. Cur cavendæ ſint nutrices vinoſæ. Cur meditantes, temporeque æſtivo, vel apud focum, citius obdormiſcamus. Altera ſomni cauſſa, quæ eſt revocatio ſpirituum, ſive caloris nativi, ad interiores partes: & quibus hæc cauſſa auctoribus, quibus item rationibus comprobetur. Unde palleant dormientes. Cur iidem initio ſomni frigeant. Unde ſudor dormientibus. Quare aliqui præ anxietate ſudent, imo ne alvum quidem cohibeant. Quomodo tenebræ, & ſilentium, ſomnum concilient. Somno melius cibos concoqui, licet majus intercedat ſpatium inter cœnam, & prandium, quam prandium, & cœnam. Cur noceant valetudini ſtudia nocturna. Quare ſomnus triſtitiæ ſit remedium. Cur ſomnus poſt longiorem inediam magis etiam imminuat vires, quàm ſi vigiles: præſertim ſi corpus noxiis abundet humoribus. Cur pedum titillatio ad ſomnum conferat. Duas ſomni cauſſas, quas adduximus, non pugnare, ſed concurrere: atque id in laſſis oſtenſum. Potiorem tamen cauſſam eſſe revocationem caloris nativi, quàm exhalationem alimenti. Quamobrem cantus, arborum ſuſurri, cunarum agitatio, ſomnum faciant. Somno etiam locum futurum, utcunque Adamus non peccâſſet.

A Senſu interiore venio ad modos ejus: ut ſunt vigilia, & ſomnus, atque inſomnia. Ac vigilia quidem eſt liber uſus ſensûs communis; ſomnus verò, ligatio ejuſdem. Qua mente & Ariſtoteli definitur ὕπνος, ἠρεμία τοῦ πρώτου αἰσθητικοῦ· *quies ſive ceſſatio primi ſenſitivi*: ſive, ut idem ait, ὕπνος ἐστὶ πάθος τοῦ αἰσθητικοῦ μορίου, οἷον δεσμός τις, καὶ ἀκινησία· *Somnus eſt paſſio ſenſitivæ partis, quaſi vinculum, & immobilitas.* Similiterque eidem ἐγρήγορσις, τοῦ αἰσθητικοῦ μορίου λύσις καὶ ἄνεσις· *vigilia eſt partis ſenſitivæ ſolutio, ac libertas.*

Sed definitiones iſtas non paullò aliter interpretamur, quàm ab Ariſtotele factum fuit. Illi enim primum ſenſitivum, ſive ſomni ſubjectum, eſt cor: nobis, qui hac parte Galenum ſequi malumus, cerebrum. Neque enim, ad ſomnum conciliandum, cordi, ſed cerebro, remedia applicantur: quod, inter alia, certiſſimum eſt argumentum, licet dormiat animal totum, eſſe tamen membrum, cui ſomnus præ aliis competat; atque id cerebrum ſtatui, non cor, oportere. Sed utcunque Galeno hac parte adſentiam; parum ſolidè tamen impugnat Ariſtotelem, cùm eo evincere conatur, ſomnum, qui eſt primi ſenſitivi ceſſatio, primò cordi ineſſe, quia cor nunquam ceſſet. Hoc quippe planè eſt σοφιστεύειν *a*: quia cor eſt τὸ πρῶτον ζωτικὸν, καὶ αἰσθητικὸν, *primum vivens, & ſentiens.* Cor nunquam ceſſat, ut eſt principium vitæ: quieſcit tamen, ſecundùm Ariſtotelem, ut eſt principium ſenſus. Hoc igitur voluit philoſophus, ſomnum eſſe ἠρεμίαν πρώτου αἰσθητικοῦ ὡς αἰσθητικοῦ· *quietem ſenſitivi, in quantum eſt ſenſitivum.* Galenus verò id ſimpliciter, etiam quatenus eſt primum vivendi principium, interpretatur.

a Sophiſtam agere.

Quando autem ſomnum ſtatuimus eſſe quietem, ac vinculum, primi ſenſitivi; de ſomno loquimur perfecto. Qualis præcipuè eorum, qui nec, nomine ſæpius inclamati, imò ut vel caput quaſſes, expergiſci ſciunt. At imperfectus eorum, qui continuò ſentiunt, ſi leviter quid expoſcas, aut ſi digito attigeris, aut lumen aliquod ſubitò inducas, aut ſuſpenſo etiam gradu præter eos inceſſeris. Quales multi leviſomni; præſertim ſi metu aliorum vix ſomnum capere auſint.

Sed ulteriùs quoque reſtringenda eſt allata definitio; ſive eam ex Ariſtotelis, ſeu ex Galeni mente, capere lubet. Nec enim ſomnus eſt, quandocunque primum ſenſus ſubjectum ceſſat à ſenſu; ſed quoties ἀδυναμία τοῦ αἰσθητικοῦ *a* provehit à natura. In epilepſia enim, ſuffocatione, λειποψυχίᾳ *b*, & ſimilibus, ceſſant ſenſus exteriores: nec tamen ſomnum dixerit quiſquam; quia provenit quies non à natura, ſed à morbo, οὐκ *c* ἕνεκα σωτηρίας (σώζει γὰρ ἡ ἀνάπαυσις *d*) ſed ad perniciem animalis. Duplici igitur diſcrimine ſomnus ab alia quavis primi ſenſitivi ceſſatione diſtinguitur; cauſſa finali, & efficiente. Finalis eſt gemina. Prior eſt, ut potentia ſenſitiva, ac motiva, per operationem continuam laſſata, perfruatur alternâ requie, ſine qua nihil eſt durabile. Altera eſt, ut quia labore exhauriuntur ac deficiunt ſpiritus, eò novi meliùs reparentur: quod fit ſpiritu ab exterioribus membris ad cor, ſtomachum, viſceraque alia, revocato. Nam & cor, acceſſu ſpiritus exterioris roboratum, meliùs elaborat ſpiritus vitales: ſtomachus quoque, jecur, alia viſcera, in concoctione, & aliis, meliùs ſua quæque munia exſequuntur. Sic novi ſpiritus ſuccedunt in locum eorum, qui labore priore abſumti; ut homo ſufficere novo poſſit labori. Hæcce bona indicat poeta *e* illis verſibus:

a Impotentia ſenſitivi.
b Animi defectu
c Ariſtoteles extremo libello de ſomno & vigilia.
d Non ſalutis gratia. (conſervat enim quies.)
e Ovid 11 Met.

> *Somne, quies rerum, placidiſſime Somne deorum,*
> *Pax animi, quem cura fugit, qui corpora duris*
> *Feſſa miniſteriis mulces, reparaſque labori.*

Tertulliani quoque eſt De anima cap. XLV: *Somnus eſt recreator corporum, vel redintegrator virium, probator valetudinum, pacator operum, medicus laborum, cui legitime fruendo dies cedit, nox legem facit, auferens rerum colorem.* Hoc non in homine modò, aut jumentis, & animantibus domeſticis, de quibus ſatis eſt apertum, habet locum; ſed cunctis animantibus; ut & neceſſitas ejus ſenſus evincit, & Ariſtoteles tradit Hiſtor. Animal. lib. IV, cap. X, & lib. de Somno & Vigilia cap. II. Plinii quoque verba ſunt lib. X, cap. LXXV: *In terreſtribus omnia, quæ conniveant, dormire manifeſtum eſt. Aquatilia quoque exiguum quidem, etiam qui de cæteris dubitant, dormire tamen exiſtimant: non oculorum argumento, quia non habent genas: verum ipſâ quiete cernuntur placida, ceu ſoporata, neque aliud, quàm caudas, moventia. De thynnis confidentius affirmatur. Juxta ripas enim, aut petras, dormiunt. Plani autem piſcium in vado, ut manu ſæpe tollantur. Nam delphini, balænæque, ſtertentes etiam audiuntur. Inſecta quoque dormire, ſilentio apparet, quia ne luminibus quidem admotis excitentur.* Ubi videmus, ut audiri dicat balænarum ronchos: uti & delphinorum, qui ſupini in ſomno ab æſtu feruntur mari ſummo, donec in vada impingentes expergefiant. Hoc roncho edito cognoſcitur; & quod mox ſeſe ab vadis dirigant, quietem exinde capientes. Ronchi autem cauſſa tam in balænis, quàm delphinis, intelligitur ex hominibus: qui ronchos edunt, quia non poſſit aër liberè per nares permeare: ut iis præcipuè uſu venit, quibus craſſior eſt ſanguis, aut qui, poſt largiorem potum, ſe cubitum receperint.

Ex iis verò, quæ diximus, ſatis etiam perſpicuum puto, fœtus quoque in utero vigiliæ ac ſomni eſſe participes. Sed quæritur, ab utro incipiat vita. De hoc ita ſtatuendum, naturam gradatim perfici; eoque perfectam animantium vitam non incipere à ſomno, quia is, ſi Ariſtotelem *f* audimus, ſemper eſt à vigilia: nec eſſe à vigilia, quia initio nequit animal vigilare, aut expergiſci, propter humorum copiam, & inſtrumentorum imperfectionem: ſed eſſe à torpore, qui propriè nec vita ſit, nec non-vita; eoque nec vigilia, nec ſomnus; ſed interlunium inter utrumque; impropriè tamen ſomnus magis, quàm vigilia, dici mereatur. Hæc de animalibus.

f Lib. de Somno & Vigil. c. 1.

Plantæ verò non dormiunt, quia nec vigilant: cui autem non convenit habitus, ei nec privatio. Et quorſum illis ſomnus, quando non, uti ſenſitiva facultas operatione ſuâ laſſatur, ita & vitalis ac naturalis? Senſu enim, motuque, abſumuntur ſpiritus animales. At vitalis, ac naturalis facultas, elaborat ſpiritûs: quomodo non deficit natu-

natura, ſed proficit; contrà quàm fit ſenſu, motuque aſſiduo. Habemus de fine.

De efficiente cauſſa non conveniunt Philoſophi. Priùs Ariſtotelis opinionem ponam; quia communior eſt, vulgatiorque. Secundùm eam efficiens ſomni eſt halitus ex inferiori corpore, ac ſtomacho potiſſimùm, in cerebrum adſcendens; ibi cerebri frigore condenſatus, eoque radices nervorum ita obſtruens, ut ſpiritus ad ſenſus exteriores liberè nequeant commeare. Ubi tria diſtinctè in conſiderationem veniunt. Primo enim loco dicebamus, vapores cerebrum petere. Sed vapores illi non ab una ſunt cauſſa. Plurimùm enim è ſtomacho adſcendunt à cibo, & potu. Quandoque etiam è corporis venis, fumante ſanguine ob calorem exercitio vehementiori concitatum. Alterum erat, vaporem ſublatum in cerebro condenſari. Nam uti cor omnium eſt membrorum calidiſſimum; quippe unde oriantur ſanguis & ſpiritus, vehicula caloris nativi: ita frigidiſſimum omnium eſt membrorum, vel ſaltem corde frigidius eſt cerebrum: quod & arguunt catarrhi inde deſtillantes. Tertium fuit, à vaporibus ſic denſatis obſtrui nervorum radices, ac ligari ſenſum communem: unde & Ariſtoteles *a* ajebat, ſomnum eſſe ſimilem epilepſiæ. Nam utrobique fit nervorum obſtructio. Sed hoc eſt diſcriminis, quòd in ſomno id fiat à vapore ſalutari: in epilepſia autem ab humore maligno, ac depravato.

a *Lib. de ſomno ac vigilia cap.* 3.

Hanc eſſe ſomni cauſſam oſtendit, quòd tam multorum, quæ ad ſomnum pertinent, rationem hinc reddere poſſumus.

Ac primùm inde liquet, cur à cibo & potu ſimus ſomniculoſi; & contrà, ob inediam, noctem ducamus inſomnem. Nam ſi nihil adſumtum, nulla fit alimenti ἀναθυμιάσεως *b*. Poſt cibum verò, ut Ariſtotelis *c* verba reſervem, ἀθρόον πολὺ ὑγρὸν καὶ σωματῶδες ἀναφέρεται· *copioſus admodum humor, & corpulentus adſcendit.* Sed hoc de vaporibus craſſis, confertim tum ſurſum commeantibus, ſic reſtringendum; dummodo ne ſtomachus nimis cibo potuque oneretur. Atque hoc ejuſmodi ſimilitudine Ariſtoteles illuſtrat, quòd ſimiliter πῦρ καταψύχεται ἐπιτιθεμένων τῶν ξύλων· *ignis exſtinguitur, lignis impoſitis.* Sententia eſt, ut ſi igni pauco multa impoſueris, & craſſa ligna; periculum eſt, ne ignis exſtinguatur; & ut hoc non ſit, tardè ſaltem ea accenduntur; præſertim ſi aliqua ſint humidiora: ita quoque, ſi nimium cibi ingeſtum ſit ſtomacho, calor penè ſuffocatur, ac tarda omnino fit concoctio; potiſſimùm ſi magna fuerit ciborum diverſitas; eoque aliud citiùs, ſeriùs aliud, concoctione maturetur; unde, aceſcente chylo, crebri ructus, & multa corporis jactatio; quæ & ipſa impediunt ſomnum.

b *Exhalatio.*
c *Lib. de ſomno & vig. cap.* 3.

Liquet quoque, cur vinum ſit ὑπνωτικὸν *d*: quippe fumoſum, quia adfert καρηβαρίαν *e*. Quod idem Ariſtoteles *f* pronunciat de papavere. Párque ratio lactucæ, nymphææ, ac ſimilium; quæ frigida ſunt, attamen fumoſa; eoque, alieno excitata calore, vapores emittunt, quales dixi.

d *Somnum afferens.*
e *Gravationem capitis.*
f *De ſomno & vigil. cap.* 3.

Itidem inde cauſſa petitur, cur melancholici, licet ſint edaces, exigui tamen ſomni ſint. Nam atra bilis eſt frigida, ac ſicca. Quia igitur naturæ ſunt ſiccæ, eò & edaces: ſed vapores non ita multos emittunt, quoniam interiora iis ſunt frigida. Hinc Ariſtoteles *g*: Ἡ μέλαινα χολὴ φύσει ψυχρὰ οὖσα, καὶ τὸ θρεπτικὸν τόπον ψυχρὸν ποιεῖ, καὶ τὰ ἄλλα μόρια, ὅπου ἂν ὑπάρχοι δυνάμει τὸ τοιοῦτον περίττωμα· *Bilis atra, quæ naturaliter frigida eſt, refrigerat officinam altricem, & partes alias, in quibus recrementum hoc potentiâ ineſt.*

g *Ibid.*

Etiam hinc rationem arceſſit Ariſtoteles *h*, cur dormientes capite nutent, καὶ ἀδυνατοῦσιν αἴρειν τὴν κεφαλὴν, καὶ τὰ βλέφαρα· *non poſſint attollere caput, & palpebras.* Nam homo, revocato calore, ἐκλείπει καὶ καταψύχεται, καὶ διὰ ψύξιν καταπίπτει τὰ βλέφαρα· *deficit, & refrigeratur; atque ob frigus palpebræ deficiunt.* Nec ſanè, capite vaporibus gravato, ſpiritus liberè fluunt in venas cervicem ſuſtinentes.

h *Ibid.*

Item liquet, cur τὸ ὅλον φίλυπνοι οἱ ἀδηλόφλεβοι, καὶ νανώδεις, καὶ μεγαλοκέφαλοι· *ſomniculoſi ſint, qui conditas habent venas, & pumiliones, & qui capite prægrandi.* Nam iis, inquit *a*, quibus anguſti ſunt meatus, haut facilè decidunt humores; unde obſtructio diuturnior: at è laxis meatibus iidem facilè effluunt. Et quo caput eſt grandius, ut in pumilis fieri videmus, eo magis vaporum copiâ repletur: quantoque ea major, tanto tardiùs à calore concoquitur.

a *Ariſt. ibid.*

Eademque ratio eſt, cur & infantes ſomni ſint multi. Quippe natura illis humida eſt, &, pro corpuſculorum modo, ſuperiora exſuperant mole. Ac propterea etiam morbo eſſe comitiali obnoxios, ab eodem, ut dixi, Ariſtotele accepimus: Ὅμοιον γὰρ ὁ ὕπνος ἐπιλήψει, καὶ ἔστι τρόπον τινὰ ὁ ὕπνος ἐπίληψις· *Similis eſt ſomnus comitiali morbo, ac quodammodo morbus eſt comitialis.* Iccirco etiam non infantibus modò, ſed nutricibus quoque, interdicit vino, niſi pauco, & diluto, Πνευματώδης γὰρ ὁ οἶνος, καὶ τούτου μᾶλλον ὁ μέλας· *Vinum enim eſt ſpirituoſum, ac præcipuè, quod eſt nigrum.*

Liquet quoque, cur nobis accuratè aliquid meditantibus, aut legentibus, obrepat ſomnus. Nam dum ſpiritus animalis eſt phantaſmatis intentus; neceſſe eſt impediri concoctionem; eoque craſſiores halitus cerebrum petunt. Æſtivo etiam tempore, cumque hyeme foco adſidemus, faciliùs incidimus in ſomnum: quia aër calidus excitat in corpore vapores.

Atque hæc dicta ſunto pro iis, qui ſomnum ajunt provenire à vaporibus ſtomachi, vel ſanguinis, in cerebrum immiſſis, atque ibi obſtruentibus ſenſum communem. Aliorum verò ſententia eſt, efficientem ſomni cauſſam eſſe reditum ſpirituum ab organis externis; ſive caloris nativi ab exterioribus ſenſibus revocationem ad interiora: unde & ſomnum definiunt, impotentiam ſenſuum ob naturam ſpiritus retrahentem; vel ceſſationem ſenſus communis propter naturam ſpiritus revocantem. Eſt in hac ſententia Galenus lib. I de ſympt. cauſ. cap. ult. & lib. III de cauſſis pulſ. cap. IX; ubi docet, motum caloris foras tendentem, vigilias; ſin fiat introrſum, ſomnum producere. Similiter Avicenna XIII tract. XLI, Averroës lib. II Colliget, cap. XXI, Conciliator, ſive Aponenſis, different. CVIII: cui ſomnus eſt internus caloris conventus. Nec aliud voluiſſe videtur Plinius lib. X, cap. LXXV; ubi ſomnus definitur, *animi in medium ſeſe receſſus.* Sic enim & reperio in MSo, & editione antiqua Parmenſi. *In ſe medium*, idem, ac *in medium ſui.* Imò Ariſtotelis ipſius eſt *b*: Φανερὸν ἐκ τῶν εἰρημένων, ὅτι ὁ ὕπνος ἐστὶ σύνοδός τις τοῦ θερμοῦ εἴσω· *Ex iis, quæ dicta ſunt, apertum eſt, ſomnum eſſe coitum quendam caloris ad intima refugientis.* Hanc verò de ſomni cauſſa ſententiam ſtrenuè tuetur Joannes Argenterius de Somno & Vigilia lib. I, cap. XI. Multaque adeo pro ea adferri poſſunt. Ut quod ſomnus ſit blandum quid, & naturæ jucundiſſimum; unde, uti dictum, *placidiſſimus Deorum* poëtæ nuncupatur. Quam bene cum hoc convenit, ſi ſtatuamus, ſpiritus laſſos ſuaviter revocari ad quietem: & quia labore jam pars eorum abſumta erat, novam ſuffici, ut pars vetus, laſſitudinis expers, cùm nova auxiliatrice dimittatur ad functiones priores, rem naturæ jucundiſſimam. At violentum quid ſomnus erit, ſi ſpiritus à vaporibus immiſſis in cerebrum vi detineantur; parati, quantum in ſe eſt, clauſtra vaporum perrumpere, & ut poëta *c* loquitur de ventis, qua data porta ruere. Nec leve illud, quòd ut vigilantibus color eſt rubicundior ac vividior, quoniam ſpiritus, ac calor nativus, extimis inhæreant membris: ita dormientes palleant, quia calor ſe receperit introrſum. Et quid certius, quàm initio ſomni frigus membra occupare exteriora? Unde & fit, ut vapores corporis, qui de die membris ob motum calentibus, poriſque laxis, evolant ac diſſipantur: hi noctu circa poros hæreant, moraque iſtâ concreſcant, donec magis magiſque incaleſcente corpore, & poris jam apertis, exſudentur. Nonnulli tamen, initio etiam ſomni, ſudare ſolent: ut quibus exte-

b *Lib. de Somno & Vigil. c.* 3.
c I *Æn.*

riora abunde calent, partim naturæ beneficio, partim temporis, ut æſtate. Nam facultas retentrix facile tum humorem dimittit, quia, nativo calore internus occupato, parum virium habet ad continendum: quemadmodum & valde anxii, ob caloris verſus interiora fugam, toto ſudant corpore; imò quandoque nec retinere ſatis valent vel ipſa ciborum retrimenta.

Inſuper revocationem caloris eſſe ſomni cauſſam, oſtendit, quòd tenebris ac ſilentio, non de nocte modò, quando recurri poterat ad frigidam ac humidam noctis temperiem; quæ vapores excitare eſt idonea; ſed de die etiam, ſi in locum te abdas undique concluſum, ſomnus conciliatur. Quippe per tenebras ereptâ videndi facultate; per ſilentium item, audiendi, & pariter aliorum fere ſenſuum ceſſante exercitio; ſpiritus interiùs recedunt, paulliſper illic feriaturi à ſenſibus externis, motuque arbitrario. Etiam argumento eſt, quod ſomni tempore meliùs concoquimus cibum, ob calorem interiùs ſe condentem. Nam quia calor eſt concoctionis inſtrumentum; quò ille major, hoc melior eſt concoctio. Nec ignoro, Laurentium Joubertum in Paradoxis *a* ſuis, ſubinde ἀδόξοις, putare, faciliùs coqui à nobis cibos de die, quàm ſomno nocturno: ac pro ſe illud adſerre, quòd ad concoctionem cibi veſpertini longiori utamur temporis intervallo, quàm ad concoctionem meridiani: cùm paucæ à prandio horæ intercedant ad cœnam: à cœna autem ad prandium altera etiam parte plus temporis ſit; cujus & bonam partem dormitur. Quæ etſi primâ facie abblandiantur; corruunt tamen, ſi cogitemus, quanto plus oneris ſuſtineat vis concoctrix à cœna, quàm à prandio. Horis enim pomeridianis ſolùm concoquitur, quod cibi eſt meridiani: unde non pauci in ſtomacho relinquuntur humores crudi, imprimis ex cibis durioribus. At à cœna, præſertim in ſomno, præterquam quòd cibus veſperi comeſtus concoquatur; etiam corriguntur humores, è cibo meridiano in ſtomacho reſidui.

a Decad. 1. parad. 8.

Ex eodem videmus, cur tantopere noceant continuæ lucubrationes. Nam & ſpiritûs animales conſumunt: & dum non ſinunt, ut calor nativus ſe referat ad interiora viſcera, impediunt, quo minus à corde ſat novi ſufficiatur ſpiritûs in locum abſumti: & concoctio eſt imperfectior, unde humores crudi.

Itidem inde perſpicere eſt, cur nihil æquè mœrentibus conducat, ac ſomnus. Nam ſpiritus, imaginatione triſtium laſſus, introrſum retrahitur ad quietem; perque eam, quod turbidum erat, fit tranquillius. Novus etiam, & purus ſpiritus ad novas vires perfectiùs à corde elaboratur.

Adhæc ex eo cognoſcitur, cur ſi, longiorem poſt inediam, ſomno nos demus, magnopere corpus flacceſcat; imò tanta oriatur imbecillitas, ut quandoque in deliquium animi incidatur. Nempe hoc inde eſt, quòd jam antè inedia multum vires imminuerit: unde nativo calore, qui ſupererat, interiùs retracto, membra exteriora ejus prope fiunt expertia. Imò ſi in jejunorum corpore multi ſint noxii humores, ut in morbidis; calor ſic retractus colliget eos in præcordiis; unde quandoque cor, vitæ fons, ſic inficietur, ut vita haut diu vitalis eſſe poſſit.

Denique pro hac ſententia facit, quòd pedum titillatio, Aphrodiſeo etiam teſtante, ſomnum adfert: non profectò ob alimenti vapores; ſed, ut rectè Argenterio obſervatum, quia ſic è cerebro advocentur ſpiritus ad pedes, parteſque intermedias.

In hocce diſſenſu aſſentio Fracaſtorio lib. II de Intellectu; ubi utramque cauſſam ſociat. Quomodo videmus, ambas concurrere in laſſis. Nam uti labor agitatione corporis diffuderat calorem ac ſpiritus per extima membra: ita, ubi quis ceſſare incipit, redit calor ſive ſpiritus eò, unde venerat: partim ut id quieſcat, quod ejus ſupereſt; partim ut reparetur, quod deperiit. Simul verò intentior ex motu vehementi calor facit, ut ex ſtomacho, concretiſque membrorum humoribus quaſi liqueſcentibus, & venarum fumantium ſanguine, vapores ſe undique in cerebrum attollant. Quam rem ſic Ariſtoteles *a* expreſſit: Ἔτι ϗ ἐκ κόπων ἐνίων ἀναθυμίασις· ὁ μὲν γὰρ κόπος συντηκτικόν· τὸ ἢ σύντηγμα γίνεται, ὥσπερ τροφὴ ἄπεπτος, ἂν μὴ ψυχρὸν ᾖ. *Præterea exhalatio fit à laboribus nonnullis. Nam fatigatio vim habet liquefaciendi: id autem, quod colliquatum, niſi frigidum fuerit, vicem præſtat alimenti incocti.* Atque addit, idem contingere morbis quibuſdam; ut lethargo. Nam humores calore morbi colliquantur; unde evaporatio, uti hinc ſomnus.

a Lib de ſomno & vigil. c. 3.

Sed porrò quæritur, utra ex duabus hiſce cauſſis potior ſit. Cenſeo, priorem locum obtinere revocationem ſpirituum à ſenſuum & motus organis: poſteriorem verò, obſtructionem cerebri factam a vaporibus in cerebrum ſublatis, & ejus frigore condenſatis. Ac ſimiliter Foreſtus lib. X Obſervat. Med. cap. XXXIII: *In ſomno naturali calor, & ſpiritus, intro revocantur, & hujus revocatio, nempe caloris, & ſpiritus, eſt cauſſa communis, & immediata ſomni: ſed fovens, & juvans, eſt evaporatio alimenti.* Sanè prior ratio ſemper locum habet. Eſto enim, ut vapores priùs obſtruant meatus cerebri: ſic quoque ſpiritus revocantur ad interiora, quia tranſitus negetur ad ſenſûs, motûſque voluntarii inſtrumenta. At ſubinde etiam ſomnus obrepit vaporibus nullis elevatis, ſolumque calore inſtrumentis ſenſuum ſubducto. Ut iis, quibus, etiam jejunis, tenebræ, ac ſilentium, item titillatio pedum, ac ſimilia, ſomnum conciliant. Etiam huc refero, quando ſuavitas cantus, & lenis aquæ decurſus, & arborum ex ventulo ſuſurrus, ſoporem ſuadent, & inducunt. Nec enim in iſtis tam ad vapores ſtomachi, vel ſanguinis, recurram: quàm ad hoc, quòd, animâ ad ſonum magnopere intentâ, ſpiritus confertim ad auditus organum ſe conferant: ac aliorum ita ſenſuum oblivio quodammodo obrepat: eoque, qui ſpiritus his ſenſibus ſeſe occupaſſent, interiùs ſe recipiant feriatum: imò & illi, qui ad auditum confluxerant, leni hoc ſono deliniti, jam & ipſi prope feriari ſibi videantur, & dum ſic demulcentur, à reliquo animali ſpiritu deſerti, quaſi eorum exemplo, ſe intus recipiant, quò invitantur. Sanè non paullo hæc veriſimilior eſt ratio, quàm illa ab Aphrodiſienſi in Problematis *b* allata. Nec dubium, quin eadem cauſſa locum habeat in pueris faciliùs obdormiſcentibus ad ſonum cunarum, dum agitantur. Sed hic altera etiam ſe offert, quia motitatione illâ in humidis corpuſculis facilè excitantur vapores, qui cerebrum petunt, & nervos ætatulæ illius anguſtos nullo negotio replent. Imò ex quorundam opinione & hæc ratio adferri poſſit in cantu delinitis. Nam ſpiritum ajunt, caloremque, qui in auditus organum ſe recepit, humidi ſiquid reperiat, reſolvere illud in vapores; quibus & meatus auditorius obſtruatur.

b Lib. 2. quæſt. 45.

Harum utraque cauſſarum reperiſſet locum in Adamo, licet nunquam peccâſſet. Nam utcunque ſomnus ille non proveniſſet ex ſenſuum exteriorum, ſive ſpirituum iis inſervientium, laſſitudine, (nec enim in felici illo ſtatu labor habuiſſet locum;) licet etiam non contigiſſet ad reparandos ſpiritus ex parte à calore nativo abſumtos, (nec enim ulla tum fuiſſet virium jactura, ac diſpendium:) non caruiſſet tamen oblectatione illâ homo, quæ ex ſomno capitur, quia vapores tum quoque ex alimento petiiſſent cerebrum; ſpiritus etiam interiùs fuiſſent allecti ad ceſſationem: atque inde iterum invitati ad functiones exteriores. Et ſuadet hanc etiam opinionem (quæ magno quoque Aquinati placuit) ſopor ille Adamo immiſſus à Deo. Scio, à LXX ἔκστασιν, hoc eſt, *mentis exceſſum*, vocari: & certum eſt ἐκστάσεως argumentum, quòd mentis oculis viderit coſtam ſibi adimi, atque inde formari Evam: unde experrectus continuò in hæc verba prorumpit *c*: *Hoc nunc os de oſſibus meis, & caro de carne mea.* Sed non ſi ecſtâſis ſit, eò ſopor non erit. In ſomno quippe divinitus ſic elevata eſt mens Adami, ut videret, quæ fierent à Deo. Ac firmat hæc vox Hebræa תַּרְדֵּמָה, tardema: quæ *profundum ſomnum* notat. Ideo, Hieronymo teſte, Aquila vertit καταφορὰν, Symmachus κάρον. Eſt

c Gen. 2.

verò

verò καταφορᾷ ſomnus profundus citra febrim: cujus genera ſunt ἀποπληξία, κάρος, καὶ κατοχὴ, juxta Galenum lib. XIII Meth. Med. Quomodo verò hæc tria differant, vide apud Gorræum in definitionibus Medicis *a*.
a Voce κάρος.
Cleopatra ex mortium generibus prætulit (ut Zonaras ait) τὸ δῆγμα τῆς ἀσπίδος ἄνευ σπασμοῦ κάρον ὑπνώδη ἐφελκόμενον ἱδρῶτι μαλακῷ· *morſum aſpidis, carum cum molli ſudore inducentem citra convulſionem.* Sanè à caro abeſt convulſio: quo differt ab epilepſia.

Cap. XXXV.

Ne ſomnia quidem, rem tam frivolam, expertia eſſe bonitatis divinæ. Ariſtotelica ſomnii definitio. Cur in ſomnio decipiamur: ac geminâ illud ſimilitudine ex Nyſſeno, S. Baſilii fratre, oſtenſum. Mutis etiam animantibus ſomnum competere; item infantibus. Sedem ſomnii eandem eſſe, ac memoriæ, vel ſaltem phantaſiæ. Somnii cauſſa materialis, formalis, efficiens. Ut ſomnus perfectus ſit ſomnii expers: at ſi nec perfecta ſit quies, nec magnus ſpirituum motus, ſed lenis ac moderatus; mediam obtinere rationem inter ſomnium, & vigiliam. Somnia naturalia variare pro quatuor iſtis: cibo, temperie, affectibus, & actibus diurnis. Fabas, ac caput polypi, ſomnia parere turbulenta; item recentes auctumni fructus. Quod ad temperiem, ſiquis multum de aquis ſomniet, huic medicinam faciendam, ut phlegmatico. At ſiquis de rebus ſomniet horrendis, atrâ cum bile abundare: atque ita de humoribus cæteris. Quod ad affectus: biliosos iracunda habere ſomnia; ſanguineos, læta; pituitoſos, meticuloſa; melancholicos, triſtia: ut pro diurnis cogitationibus ſomnia eſſe ſoleant. Cur melioris ſit temperiei argumentum, ſi ea conveniant cum actibus diurnis, quam ſi contrà contingat. Quare in ſomno, quæ minuta ſunt, phantaſiæ ſe offerant tanquam magna: deque eo verba Ariſtotelis adlata. Ea ſolùm ſomnia divinationem è natura habere, ubi nexus eſt inter cauſſam, & ſigna: cætera non item. Divina ſomnia duûm generum; quædam ab ipſo Deo, quædam miniſterio angelorum immiſſa. Occurritur Ariſtotelis argumentis, qui putabat, nulla eſſe ſomnia à Deo. Cur Deus hominibus, quid velit per ſomnium, & ſubinde verborum ambage exponat. Cur gentilibus etiam ſomnia immittat. An ſomnia fœda, quæ non proveniunt à cogitatione diurna, nec poſtea aſſenſum reperiunt, pro peccatis ſint cenſenda. Gentiles, ut remedium edocerentur pro morbo, incubare ſolitos in fano Æſculapii, Amphiari, &, ſi Maronem audimus, Fauni. Incubare Iovi. *Conſuetudo vetus in pellibus dormiendi: unde & verbum* dormio *originem ducit. Nabarce, oraculum incubantium. Nefarium eſſe, remedium à Diis gentium expoſcere. A forti imaginatione, & ſpirituum ſubtilitate, ac latente muſculorum vi, quam phantaſia & ſpiritus concitarint, provenire illud, quòd aliqui ambulent in ſomnis: motumque illum non eſſe à rationis judicio, ſed impetu imaginationis. Quæ cauſſa ſit morbi, quem* incubum *vocant.*

ACcidit iis, qui ſomnum capiunt, ut ſomnient. Poſt ſomnum igitur agemus de inſomniis. De re, dixeris, nihili? Nam quid levius ſomnio? Unde & Græcis ὀνείρατα *a*, & Latinis *b ſomnium*, pro re futili, in proverbium abiit. Sed enim in his quoque egregium divinæ bonitatis argumentum habemus. Nam, ſi bonus eſt ſomnus, bona quoque ſunt ſomnia; quia, ut animus de die veris occupatur, ne dormiat: ita noctu diſtinetur falſis, quò diutius perfruatur ſomni bono. Somniantes enim tardiùs expergeſiunt. Grande etiam bonum eſt divinatio è ſomniis; quemadmodum mox planius fiet.
a Lucian. Harmonide, & alibi.
b Ter. Adel.

Somnium Ariſtoteli definitur, apparens in ſomnis phantaſma, à quo decipimur. Neceſſe eſt, ut ſit in ſomnis, quia quæ imaginantur phrenetici, etſi illudant, ſomnia non ſunt, eo quòd per vigiliam fiant. Et cum quis ſomniat ſe ſomniare; propriè non eſt ſomnium, quia in ſomnis quidem eſt, ſed non fallimur. Eo autem illudimur in ſomnis, quia animus quieſcit, vel perperam operatur, non ſuâ, ſed organi culpâ. Quam rem non inſcitè explicuit Gregorius Nyſſenus lib. de hominis opificio cap. XIV. Quemadmodum, inquit, ſi Muſicus videat, malè eſſe compoſitos lyræ nervos; vel abſtinebit ab ea manum; vel, ſi fortè, quibus oportuit, locis, eam ex arte admoverit, ſonus tamen abſonus erit, & inconcinnus: ſimiliter in ſomnis, quia cerebrum vaporibus eſt prægravatum, ceſſat animus à labore; vel ſaltem languidiùs, & obſcuriùs, operatur, quia organum non eſt idoneum ad commodè excipiendas animi operationes. Idem etiam mentem ſomno ſopitam comparat cum igniculo paleâ multâ obtecto; qui nec circumquaque paleas abſumat, nec tamen exſtinguatur; fumum interea per paleas emittat; ſed unde non eluceat flamma, quamdiu agitatio, ac flatus eſt nullus. Τὸν αὐτὸν τρόπον, inquit, καὶ ὁ νοῦς τῇ ἀπραξίᾳ τῶν αἰσθητηρίων ὑπὸ τοῦ ὕπνου συγκαλυφθεὶς, οὔτε μὴν ἐκλάμπειν δι' αὐτῶν δυνατῶς ἔχει, οὔτε μὴν παντελῶς κατασβέννυται· ἀλλ' οἷον καπνωδῶς κινεῖται, τὸ μέν τι ἐνεργῶν, τὸ δὲ οὐ δυνάμενος. *Ad hunc modum mens quoque ſenſibus in ſomno quieſcentibus quaſi contecta, neque per eos elucere poteſt, & omnino etiam non exſtinguitur: ſed ut ignis fumum, ſic ipſa motum aliquem retinet, partim agens, partim in agendo deficiens.* Vide & Symneſium de Inſomniis.

Eſt verò ſomnium affectio animalium. Nam & beſtiis ea convenire, argumento eſt, quòd canes dormientes mutiant, hirriantque. Idemque ex capris, & aliis, calidioris ſanguinis animantibus, liquet. Imprimis tamen homo ſomniat, tum quia, ob tenuitatem ſanguinis, copioſiores in cerebrum vapores emittit: tum ob agiliora, expeditioraque ſenſuum inſtrumenta. De infantibus tamen non ſatis convenit. Ariſtoteles lib. IV Hiſtor. Animal. cap. X, ait, hominem quarto demum, quinctove anno, ſomniare. In contraria autem ſententia ſunt Plinius lib. X, cap. LXXV, Galenus in lib. III Aphoriſm. com. XXIII, & Tertullianus de Anima cap. XLIX. Proque his eſt, quòd etiam anno primo in ſomno rideant, ſonum edant, nutent, apprehendant. Ut ſomnium etiam, licet imperfectius, tribuere iis cogamur.

Locus ſomnii non cor eſt, ut Ariſtoteles cenſet; qui & ſomni, & memoriæ ſedem, ac proinde ſomnii quoque, in corde conſtituit: ſed cerebrum; in quo & phantaſiæ & memoriæ locum eſſe, antea oſtendimus. Ac pro hac etiam ſententia facit, quòd qui cerebro ſunt calidiori, ut melancholici, memoriâ valent: quique cerebro ſunt frigidiori, memoriam habent vel exiguam, vel nullam. At de eo non contendam, utrùm ſomnii ſedes ſit in occipite, quia illic eſt memoriæ locus, ubi ſpecies adſervantur; ac veriſimile eſt illic phantaſiam imagines ſpeculari, ubi reconduntur: an potiùs ſpiritus animalis ſuſcitatas in occipite ſpecies ad medium retrahat, ac bajulet, cerebrum; ibique præbeat ſpeculandas; quemadmodum multi, ſed, ut cenſeo, levi nimis ratione compulſi, maluerunt.

Atque ex his etiam cognoſcere eſt, quæ ſit materies ſomniorum: puta ſpecies memoriâ reſervatæ.

Forma eſt omne illud, quod in ſomnis variâ ex compoſitione ſpecierum reſultat.

Efficiens cauſſa, vel eſt principalis, ut phantaſia, ſive imaginativa; vel inſtrumentalis, quæ eſt moderatus ſpirituum motus. Siquidem, dum vigilamus, organa ſenſuum nunc ſublimi contemplatione, nunc meditatione aliâ, diſtinentur: quæ res facit, ut ſpecies olim impreſſæ neglectui ſint, nec à phantaſia attendantur: haut ſecus ac parvus ignis quaſi obſcuratur à minori: dolor etiam, ac voluptas minor, ceſſat majori oboriente.

Variè autem ſe ſomnus habet pro copiâ, aut paucitate vaporum. Dum enim copioſi ſunt, magnoque impetu cerebrum petunt; haut facilè ſomniamus, quia cerebrum

im iis repleatur, ut ſpecies vel agitatione iſtâ prorſus diſſipentur, vel, ob nebulam eorum circumſtantem, à phantaſia nequeant dignoſci. Ubi verò is motus, & pariter craſſitudo vaporum, cœperint imminui; repræſentant ſe ſpecies; ſed partibus confuſis ac diſturbatis; unde monſtroſæ ac terrificæ figuræ. Poſtquam autem erit agitatio vix ulla, vapores quoque concoctione fuerint multum attenuatæ; ſpecies integrè clareque ſe offerunt. Atque hanc rem ſcitè illuſtrabat Ariſtoteles *a* ſimilitudine ab aquis petitâ. Nam, inquit, ſi aqua conturbetur, imagines in ea, aut planè non repræſentantur, aut certè non integrè: ſic etiam ſpecies non niſi confuſe cernuntur in ſomnis, quamdiu iſta eſt in cerebro ſpiritus ac vaporum agitatio. Ex his igitur obſcurum non eſt, cur, qui bene paſti ſe ſomno dant, hi fere primo ſomno non ſomnient; medio ſæpius habeant ſomnia confuſa; ultimo magis frequenria diſtinctaque. Quod ſi paucæ adeo exhalationes cerebrum occupent, ut judicemus, non videre nos res veras, ſed imagines rerum: operatio erit partim dormientis, partim vigilantis: quia vera videmus, non autem decipimur; contrà quàm perfecti in ſomnii definitione requiritur, ut antea vidimus.

a Lib. de ſomniis.

Et hæc universè de ſomniis dicta ſunto. Dividuntur autem ea in naturalia, divina & diabolica. Naturalia fiunt à natura. Id fit quadrifariam, pro quadruplici cauſſâ interna. Proveniunt enim vel ab alimento, vel ab humoris dominio, vel ab affectu animi, vel à cogitationibus diurnis.

Ciborum alii aliis magis ſomnos cient: uti docent fabæ, & caput polypodis. Plutarchus Sympoſiacôn lib. VIII, quæſt. X: Ὅτι δὲ ἐστὶ τῶν βρωμάτων ἔνια δυσόνειρα, καὶ ταρακτικὰ τῶν καθ' ὕπνον ὄψεων, μαρτυρίοις ἐχρῶντο τοῖς τε κυάμοις, καὶ τῇ κεφαλῇ τοῦ πολύποδος, ὧν ἀπέχεσθαι κελεύουσι τοὺς δεομένους τῆς διὰ τῶν ὀνείρων μαντικῆς· *Eſſe cibos quoſdam, qui moleſta giguant ſomnia, animamque perturbent, teſtatum faciebant fabis, & capite polypi: quibus abſtinere juſſi, qui divinare ex ſomnis cuperent.* Tota autem diſſertatio iſta Plutarchi in eo eſt, ut expendat, quod Ariſtoteles dixerat, comeſtos in auctumno fructus recentes, humoreque turgidos, gignere in nobis multos ac turbulentos ſpiritus, ac pro iſtis eſſe ſomnia ſolere. Obſervatu igitur utile eſt, qui cibi ſomnia pariant placida ac jucunda; ut ciborum illis inſiſtamus: quæ item triſtia, aut turbida; ut alimoniâ ejuſmodi abſtineamus.

Altera erat cauſſa ab humoribus, ſive temperamento: de quo non minùs certum. Nam ſanguinei ſomniant de hortis, & pratis amœnis: item conviviis, choreis, complexibus, & aliis rebus lætis. Phlegmatici de imbre, nive, grandine, navigationibus, ſubmerſione. Cholerici de rixis, pugnis, incendiis. Melancholici de fumis, caligine, denſis tenebris, ſpectris, mortibus. Nimirum anima, quando non vacat ſenſibus externis, profundiùs ſentit ea, quæ ad corporis diſpoſitionem pertinent: ut pluribus exponit Galenus libro de Præſagiis ex inſomniis. Sunt verò hæc ex humoribus ſomnia minùs confuſa, & turbulenta illis, quæ ab cibis proveniunt.

Tertia fuit cauſſa ab affectibus. Meticuloſi, etiam de die, oblatâ in agris ſpecie canis, autumant ſe videre lupum. Qui amant, ſi in platea ultima cernant non abſimilem amaſiæ, eam eſſe credunt, quam exoptant. Quid mirum, ſi ſimiliter pro affectibus judicent in ſomno?

Quarta cauſſa fuit à cogitationibus diurnis: de quo ſic Lucret. lib. IV:

In ſomnis eadem plerumque videmur obire.
Cauſſidici cauſſas agere, & componere leges.
Endoperatores pugnare, ac prælia obire.

Pluraque mihi in hanc mentem. Ac tale fortaſſis Ennii ſomnium fuit,

b Enn. 1 Annal.

—— *Cum* b *viſus Homerus adeſſe poëta.*

Unde Tullius in VI de Rep. *Fit fere, ut cogitationes ſermoneſque noſtri pariant aliquid in ſomno tale, quale de Homero ſcribit Ennius: de quo videlicet ſæpiſſime vigilans ſolebat cogitare, & loqui.* Hippocratis *c* autem ſententia eſt, bonæ eſſe temperiei argumentum, ſi ea, quæ, animo de die verſavimus, obverſentur nobis in ſomnis. Sic enim cognoſci, animam non ita repletione, vel exinanitione, vinci; ut minùs perſtet in cogitationibus diurnis. Vinci autem, ſi ſomnia cogitationibus adverſentur: eoque de remedio eſſe tempori cogitandum: ac quidem, ſi ſomnia non admodum contraria ſint cogitationibus diurnis, indicium eſſe minoris mali: propterea ſufficere tum, ſi in quinctam uſque diem de cibo partem demas tertiam; à cibo item deambules, ac contentionem adhibeas vocis. Sin major eorum contrarietas majus arguat malum, opus præterea fore vomitu; ambulationibus etiam frequentioribus, & concitatioribus: idemque de aliis quoque corporis exercitiis ſtatuendum. Hoc ſapientiſſimi Hippocratis judicium oſtendit, non exiguæ eſſe ſagacitatis, nec fructûs minoris, ex naturalibus ſomniis judicare de temperie ægri. Eſtque hoc artificium ratione ſubnixum, quia naturalis eſt conjunctio inter cauſſas, ſignaque. Habetque etiam nexus ille locum de die: ſed vehementes diei cogitationes obſcurant inclinationes ab temperie profectas; ut antea diximus. In ſomno autem, quia animus majoribus non diſtinetur: quæ minuta ſunt, videntur magna. Leviculus fulgor fulmen putatur; minutus ſonus, tonitru. Pituita paullum diſſluens exiſtimatur mel, vel ſiquid eo dulcius. Puſillus ſanguinis calor inhærens ulli corporis parti ſomnium injicit vivicomburii, vel inceſſus per ignes. Quam rem fuſiùs, ſed egregie, expreſſit Ariſtoteles *a*, his verbis: Λέγουσι καὶ τῶν ἰατρῶν οἱ χαρίεντες, ὅτι δεῖ σφόδρα προσέχειν τοῖς ἐνυπνίοις· εὔλογον δ' οὕτως ὑπολαβεῖν, καὶ (μὴ ἀπιστεῖν) τοῖς τεχνίταις μὲν, σκοπουμένοις δέ τι καὶ φιλοσοφοῦσιν· αἱ γὰρ μεθ' ἡμέραν γινόμεναι κινήσεις, ἂν μὴ σφόδρα μεγάλαι ὦσι, καὶ ἰσχυραὶ, λανθάνουσι παρὰ μείζους τὰς ἐγρηγορικὰς κινήσεις· ἐν δὲ τῷ καθεύδειν, τοὐναντίον· καὶ γὰρ αἱ μικραὶ μεγάλαι δοκοῦσιν εἶναι. δῆλον δ' ἐπὶ τῶν συμβαινόντων κατὰ τοὺς ὕπνους πολλάκις· οἴονται γὰρ κεραυνοῦσθαι, καὶ βροντᾶσθαι, μικρῶν ἤχων ἐν τοῖς ὠσὶ γινομένων· καὶ μέλιτος, καὶ γλυκέων χυμῶν ἀπολαύειν, ἀκαριαίου φλέγματος ἀπορρέοντος· καὶ βαδίζειν διὰ πυρὸς, καὶ θερμαίνεσθαι σφόδρα, μικρᾶς θερμασίας περί τινα μέρη γινομένης· ἐπεγειρομένοις δὲ ταῦτα φανερὰ τοῦτον ἔχοντα τὸν τρόπον. ὥστ' ἐπεὶ μικραὶ πάντων αἱ ἀρχαὶ, δῆλον ὅτι καὶ τῶν νόσων, καὶ τῶν ἄλλων παθημάτων, τῶν ἐν τοῖς σώμασι μελλόντων γίνεσθαι· φανερὸν οὖν ταῦτα ἐν τοῖς ὕπνοις εἶναι καταφανῆ, ἢ ἐν τῷ ἐγρηγορηκέναι· *Ajunt Medicorum nobiliores, ſomniis ſedulo eſſe attendendum. Planeque eſt rationi conſentaneum ſic exiſtimare, nec fidem abrogare, artem quidem exercentibus, ſed qui de re meditati ſint, ac philoſophati. Nam diurnæ motiones, niſi magnæ admodum ſint, ac validæ, offunduntur majoribus illis, quæ vigilantibus obtingunt. In ſomno autem contrà uſu venit. Quæ enim minuta ſunt, tum videntur magna. Id verò manifeſtum eſt ex iis, quæ ſæpe in ſomno eveniunt. Ut cum putant, fulminare, & tonare, cùm ſonus leviculus auribus eſt exceptus. Tenui etiam pituitâ ſtillante, ſibi frui videntur melle, aut alio dulci ſucco: item per ignem incedere, valdeque calefieri, exiguo calore in quibuſdam partibus exorto. Expergefactis autem iſta ſic ſe habere eſt conſpicuum. Cùm igitur initia omnium ſint manifeſta, manifeſtum quoque eſt, morborum etiam, aliarumque affectionum exordia, quæ in corpore contingunt, imbecilla eſſe oportere. Planum igitur eſt, hæc evidentiora eſſe in ſomnis, quàm in vigilia.*

c Libro de Inſomniis.

a Lib. de divinat. per ſomnum c. 1.

Sed uti pulcherrimum eſt, ex ſomniis cognoſcere de temperie hominis; ubi naturalem eſſe nexum dicebamus: ſic mera eſt impoſtura, quando ex ſomniis judicant de iis, quæ non dependent ex natura. Ut cùm ex eo, quoniam quis ſomniet, cæcum ſe factum; colligitur, amiſſurum filium, quia is oculi inſtar ametur. Aut cùm ſomnio de ſtella, in atrium concidente, ac mox exſtinctâ, ſignificari putatur, fruiturum gratiâ principis, ſed minimè diuturnâ. Quorum prius eſt apud Artemidorum lib. I, cap. II: alterum apud Cardanum lib. IV de Somn. cap. IV. Nam quæ conjunctio eſt inter oculum, & filium; ſtellæ caſum,

caſum, & gratiam principis? Nec aliter de eo ſentiendum, quando bona ſomnis loco habent, ſi monachus ſomniet caput ſibi radi, quia id convenit cum vitæ ejus inſtituto. Sin qui magiſtratum gerit, vel uxorem habet, ſimile habuerit ſomnium, infortunium portendi: quia hoc à vita ejus ſit alienum. Hujuſmodi prope omnia ſunt, quæ leguntur apud ὀνειροκριτικῶν ſcriptores, vaniſſimos & ſtultiſſimos nugarum inſtitores. E quorum numero nec Artemidorum excepero, virum alioqui pereruditum; nec Cardanum, ſummum ſanè virum: ſed quorum uterque ingenium hac parte in re nimis futili occuparit.

Objectant nobis longè plurima, ubi eventus reſponderit interpretationi. Sed enim ea partim ſunt commenticia; partim vera, ſed ubi fortuitò aliquid ita ceciderit, uti interpretatum. Quemadmodum enim fieri nequit, quin, qui aſſiduè aleâ ludit, is aliquando Venerem jaciat: ita quoque, qui perpetuò conjectant, in mendaciis innumeris quandoque verum dicunt. At quanto ſatius eſt, ſi ob mille mendacia uni, quod verè dixerint, derogemus fidem, quàm ſi eam mille habeamus mendaciis ob unum quid, quod fortuitò verum eſſe contingat. Nulli verò in plura incidunt ſomnia vera, quàm melancholici. Cujus cauſſa eſt, quòd ob atram bilem ingenio valeant: aut de die magis ſint cogitabundi, ita de nocte etiam plura ſomnient, & pro ſomniorum copia, plura etiam vera; imò & pro temperie, quia ut ingenioſi acutiùs cogitant de die, ita & ſubtiliùs imaginantur de nocte. Hæc de cauſſa interna: unde ſomnia dicuntur naturalia; niſi, quòd aliqui, quæ à diurnis occupationibus proveniunt, *animalia* malunt nuncupare.

Externa ſomniorum cauſſa ſunt Deus, angelus bonus, malusve: unde ſomnia vocantur divina, aut diabolica. Divina à Deo inſpirantur vel nullo interveniente, vel angeli miniſterio. Sed Deus ἀμέσως *a* id facere valet, etiam novas imprimendo ſpecies, ſeu ſenſiles, ſeu intelligibiles, ac præterea, ſi ſit opus, lumen animæ infundendo. Angeli autem ſolum valent variè ordinare ſpecies relictas, ac humores commovere ad affectum quempiam excitandum.

a *Immediatè.*

De divinis ſomniis eſt hoc Num. XII, 6. *Si quis fuerit inter vos propheta Domini, apparebo illi in viſione, aut per ſomnium loquar ad illum.* Et Joël II, 28, uti & in concione Petri, Act. II, 17: *Effundam de Spiritu meo ſuper omnem carnem, & juvenes veſtri viſiones videbunt, & ſeniores ſomnia ſomniabunt.* Exemplorum vero affatim eſt: ut in Veteri inſtrumento, ſomnium Abrahæ, Abimelechi, Jacobi, Labanis, Joſephi, Pharaonis, Salomonis, Nabuchodonoſoris, Danielis, Mardochæi, Judæ Maccabæi: in Novo autem, Joſephi, Magorum, uxoris Pilati, Pauli. Quibus abunde diluitur Ariſtotelis opinio, quando argumento illo probat, non eſſe à Deo ſomnia ulla, quia μὴ τοῖς βελτίστοις καὶ φρονιμωτάτοις, ἀλλὰ τοῖς τυχοῦσι πέμπειν, ἄτοπον· *non optimis, & ſapientiſſimis, ſed vilibus ac plebejis, ea immittere, ſit abſurdum.* Nec enim ſimplicibus ac imperitis ſolùm ea inſinuari, exempla adlata ſatis docent. Sed fefellit Ariſtotelem, quòd ſomnia, quæ pro divinis jactabant gentiles, fere hominum eſſent vulgarium. Nempe ſimplicioribus, ac credulis, faciliùs abuti poterat diabolus. At quos antea adduximus, prope omnes viri fuere ſapientiâ & ſanctimoniâ, plerique etiam ſublimi dignitate, illuſtres. Unde & refellitur, quòd arbitrabatur idem, divinationem omnem legibus eſſe introductam, ut ex meliùs à populo obſervarentur. Nam, quæ diximus, certiſſimæ ſunt veritatis. Imò in ſomniis quoque gentilium multa fuere, quæ non fraude conſtarent humana, ſed aſtu diabolico; ut poſtea patebit. Aliqui eo Ariſtotelem tuentur, quòd Deus potiùs vigilantes doceret, quàm dormientes; verbis apertis, quàm ſomniis ſæpe obſcuris. Verùm Deus non uno nos modo vult inſtruere. Præter ordinarium igitur modum, quo nos lectione, aut prædicatione Verbi ſui, de myſteriis cæleſtibus ac voluntate ſuâ, certos reddit: adhibere voluit & alteram rationem, qua etiam non videntes, nec audientes, arcanorum ſuorum faceret participes. Præterea conſtat, mentem humanam magis in ſomnis idoneam eſſe ad recipienda cæleſtia; quia tum vacua eſt, & immunis à curis terrenis. Etiam expergrectis, ac ſomnium ruminantibus, tenebræ, & nocturnum ſilentium, majorem gignunt venerationem erga res divinas. Sanè nox idonea eſt meditationi rerum gravium: unde eam εὐφρόνην, παρὰ τὸ εὖ φρονεῖν *a*, dixit Pindarus *b*. Metum etiam incutit ſacra tractanti: cujus nec ignari gentiles, ſacra Jacchi, & Eleuſinia, non niſi noctu celebrari voluerunt; teſte Tullio *c*. Imò hoc quoque ad venerationem conferebat, quòd ſomnia non ſemper eſſent aperta. Simul eo pacto accendebantur homines ad expoſcendam eorum intelligentiam à Deo, aut viris divinis. Itaque magnum hoc quoque divinæ erat bonitatis argumentum, quod quandoque & gentilibus regibus immitteret ſomnia: ſed quorum interpretationem non à Magis ſuis haurirent, verùm à viris ſanctis: ut Pharao à Joſepho, Nabuchodonoſor à Daniele. Hoc pacto enim & reges, & eorum ſapientes, imò ſubditos univerſos, invitabat Deus ad agnitionem cæleſtis, ac veri numinis, & reſipiſcentiam à peccatis.

a *A rectè ſapiendo.*
b *Nemeor. od. 7. verſ. 4.*
c *Lib. 2. de Legg.*

Qua verò ratione angeli boni ſomnia immiſere hominibus; eâdem id facere diaboli potuerunt: nimirum ſpiritus ac humores turbando, varieque relictas ſpecies componendo. Sic interdum iis conceſſum, ut ſanctis hominibus impura objicerent, teique nunquam cogitatæ ſomnia: de quibus habemus judicium B. Juſtini Martyris, vel alterius potiùs antiqui ſcriptoris, libro reſponſionum Chriſtianarum ad Orthodoxos, Reſp. XXI. Tradit eo loco, nullam eſſe hominis culpam in hoc, quòd diabolus iſtiuſmodi ſomnia immittat; quia hoc à voluntate noſtrâ non dependet: ſed fieri hominem peccati reum, ſi expergefactus ſomnio delectetur: uti contrà, ſi ob illud dolore afficiatur, conſilium dæmonis fruſtratur, deque eo triumphat.

Magnopere verò malignus ſpiritus illuſit gentilibus, remedia indicando in ſomnis, quibus ſanitati reſtituerentur. Hoc animo in templo dormiebant Æſculapii. De quo Ariſtophanes Pluto *d*:

— Κατακλινεῖν αὐτὸν εἰς Ἀσκληπιοῦ
Κράτιστόν ἐστι *e*.

Et Plautus Curculione *f*:

Id eo ſit, quia hic leno ægrotus incubat
In Æſculapii fano.

d *Act. 2. ſc. 3.*
e *Cubitum reponere eum in Æſculapii fano optimum eſt.*
f *Act. 2. ſc. 1.*

Cicero lib. II de Divin. *An Æſculapius poteſt præſcribere per ſomnium curationem valetudinis; Neptunus gubernantibus non poteſt?* Sed & Jamblichus, de myſteriis Ægyptiorum ſegmenti tertii cap. III, ait, medicinæ artem ſacris conſtare nocturnarum apparitionum inſomniis; inque Æſculapii fano morbos hoc pacto tolli inſomniis divinitus immiſſis. Apud Herodianum item lib. IV refertur, ut Antoninus Caracalla abierit εἰς Πέργαμον τῆς Ἀσίας χρήσασθαι βουλόμενος θεραπείαις τοῦ Ἀσκληπιοῦ· *Pergamum Aſiæ, ut Æſculapii curationibus uteretur.* Atque addit, captâſſe hic ſomnia, quamdiu voluit. Philoſtratus quoque memorat in vitis Sophiſtarum, ut Polemoni, ob morbum articularem, eodem profecto, inque Æſculapii templo cubanti, apparuerit in ſomnis numen hoc, ac juſſerit ἀπέχεσθαι ψυχροῦ ποτοῦ· *abſtinere potu frigido.* Itidem in Amphiarai templo apud Oropios ſolent, ut ait Pauſanias in Atticis, κριὸν θύσαντες αὐτῷ, καὶ τὸ δέρμα ὑποστρωσάμενοι καθεύδειν ἀναμένοντες δήλωσιν ὀνείρατος· *arietem ubi Amphiarao immolaſſent, ejuſque pellem ſubſtraviſſent, dormire, in ſomnio expectantes reſponſum.* Ac ſimilem in Fauni templo conſuetudinem deſcribit poëta in VII Æn.

— *Huc dona ſacerdos*
Cùm tulit, & cæſarum ovium ſub nocte ſilenti
Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit;
Multa modis ſimulachra videt volitantia miris,
Et varias audit voces, fruiturque Deorum
Colloquio, atque imis Acheronta affatur Avernis.

Quem ad locum ita Servius: *Incubare dicuntur propriè hi,*

hi, qui dormiunt ad accipienda reſponſa. Unde eſt, Ille incubat Iovi: id eſt, dormit in Capitolio, ut reſponſa poſſit accipere. Ubi reſpicit illud Plauti Curculione *a*:

a Act. 2. ſc. 2.

Namque incubare te ſatius fuerat Iovi.

Quod verò Maro, & Pauſanias, ajunt, ſolere ſubſterni δέρμα, ſive pellem, id ex veteri conſuetudine dormiendi in pellibus tractum: unde & originem ducit hoc verbum. Nam à δέρμα prius *dermire* dixerunt, poſtea vocalem quartam repoſuerunt in locum ſecundæ: ut ex *benus*, *bonus*; ex *hemo*, *homo*; à *tego*, *toga*; à Κέρκυρα, *Corcyra*, & trecenta alia. Hanc incubationem, & quidem in pellibus, neque neſcivit B. Hieronymus, in illud cap. XXV Jeſaiæ *b*: *Qui habitant in ſepulchris, & in delubris idolorum*, &c. *Nihil*, inquit, *fuit ſacrilegii, quod Iſraël populus prætermitteret; non ſolùm in hortis immolans, & ſuper lateres thura ſuccendens: ſed ſedens quoque, vel habitans in ſepulchris, & in delubris idolorum dormiens; ubi ſtratis pellibus hoſtiarum incubare ſoliti erant, ut ſomniis futura cognoſcerent. Quod in fano Æſculapii uſque hodie error celebrat ethnicorum, multorumque aliorum, quæ non ſunt alia, niſi tumuli mortuorum.* Quam verò latè patuerit hæc incubantium conſuetudo; argumento eſt, quòd & prope mare Caſpium in Anariacæ urbe, nomine Ναβάρκη, monſtraretur *μαντεῖον ἐγκοιμωμένων oraculum incubantium*: ut eſt apud Strabonem in XI. Ac duràſſe apud Romanos incubandi morem, temporibus etiam Gratiani ac Theodoſii Impp. indicat Prudentius in Hamartigenia. Nec operoſum fuit ſpiritibus malis remedia etiam indicare hominibus ignota; cùm ingenio, & rerum experientiâ, longè antecellant; eoque etſi ſupra naturæ vires nihil præſtant; multum tamen valeant ſupra omnium medicorum artem. Nec quia nihil poſſunt, niſi ex viribus naturæ, quæ Deum habet auctorem: eò fas eſt recurrere ad ejuſmodi medicinam. Nam qui, vero numine relicto, à Diis gentium in ſomnio remedium quærit, is auxilium atque opem expoſcit à Dei & humani generis hoſte. Neque id in hujuſmodi ſolùm remediis ſuperſtitioſum eſt, ac nefarium: ſed quoties ex conjectoribus nôſſe cupimus res occultas. Quid enim illo hominum genere vanius, ineptiuſque? quæ illis pietas, ac ſanctimonia? ut ſtultum ſit putare, eos commercium habere cum Deo, vel angelis ejus. Siquid igitur revelatione acceperint, id omne eſt à diabolo. Et qui tales conſulunt, implicitè ſaltem cum malis habent ſpiritibus commercium: quæ & Thomæ Aquinatis, ac Cajetani, opinio fuit.

b P. 244. edit. Froben.

Quæri poſſit, quid ſtatui debeat de ſomnio Caji Sempronii Gracchi, quando viſus ſibi videre fratrem Tiberium dicentem, quàm vellet, cunctaretur: tamen eodem illi leto, quo ipſe interiiſſet, pereundum eſſe. Quod ſomnium ſuum ipſe Cajus narravit multis, & L. Cœlius Antipater, certus hiſtoriæ Romanæ ſcriptor, retulit, id ſe audiviſſe ex ipſo C. Graccho: ex Antipatro autem id prodidere Cicero lib. I de Divinat. & Val. Max. lib. I, cap. VII. Plutarchus in Gracchi vita paullò aliter memorat. Nam ait, à fratre magiſtratum petere, & ab ſe moram movere juſſum, quòd fata utrique eandem ſtatuiſſent mortis viam. Hoc ſomno impulſus contemſit ſalubria matris Corneliæ, & amicorum conſilia. Non video, cur non credere liceat, hoc ſomnium fuiſſe à cogitationibus diurnis. Sed ſi à ſpiritu fuit, is fuerit malus: qui hoc pacto, & Gracchum ſtuduerit perdere, & lacerare Remp. Rom. Sanè cùm C. Graccho cæſa ab Opimianis CIƆ CIƆ CIƆ CC L. Primaque civilium bellorum ſemina ab hoc fonte ac capite deinceps promanarunt.

Eſt & ſomnii genus, quod in ſomnis gignat deambulationes *c*. Huic magis obnoxii ſunt, quibus temperamentum eſt melancholicum; ſpiritus autem ſubtiles, & fervidi. Quales cùm vehementi admodum imaginatione circa aliquid occupantur; ſpiritus, per ſe tenues ac fervidi, magis incaleſcunt, atque accenduntur; incenſi majus ſpacium quærunt, igneâque ſuâ tenuitate facilè penetrant humores alioqui viſcidos, ac tenaces; nervos quoque, & muſculos concitant ad id conſequendum, quod validè adeò ſunt imaginati. Nec metuunt [illegible]n ambulare per trabes, & lacunaria; quia, ratione ſopita, periculum non vident. Etiam talia loca feliciter pervadunt; quia ſpiritus iis animales in extimis hærent membris; ut cuncta firmiſſimè comprehendant. Eoque ſimiliter eſt cum iis comparatum, ac cum phreneticis; quos eâdem de cauſâ videmus viribus præſtare. Miretur aliquis, ſic permeare loca, quaſi cernant. Verùm non eſt perfectus eorum ſomnus; ſed potiùs ſemiſopiti merentur dici. Quin puſillo etiam tempore vigilant, oculiſque ſunt ſemiapertis. Sed non caret res grandi periculo, ſiquis eos nomine proprio compellet, dum in præcipitiis ſunt, aliiſve locis periculoſis. Nam qui, mente vaporibus obnubilatâ, non videbant periculum; hi, illis diſcuſſis, planeque expergefacti, æſtimare illud incipiunt; unde vehemens conſternatio. Præterea, ſpiritibus refugientibus verſus cor; cerebrum, nervi, & muſculi, robore privantur, quod antea habebant. Etſi autem muſculi ſint inſtrumentum motus voluntarii: non tamen motus iſte in ſomnis voluntarius dici meretur. Nam magnitudo periculi, quod nunquam adirent vigilantes, ſatis oſtendit, ut non egerint hoc ad rationis arbitrium. Quare fatendum, facere iſta, non ἐκ προαιρέσεως, ἀλλὰ καθ᾽ ὁρμὴν τῆς φαντασίας *a*, ſive, non rationis judicio, ſed imperio imaginativæ; ut in mutis fit animantibus.

c Quid ſi, quâ formâ dicimus funambulos, eâdem hoſte ambulatores nocturnos, non quidem noctambulos dicamus (cum multis ea conſuetudo de nocte ambulare in muſæo, aut cubiculo, ac de ſtudiis, vel Rep. vel ſtultis cogitare divino) ſed ſomnambulos potiùs? & quid ſi hoc, quod agunt, ſomniſurgia nuncupemus?

a Non ex conſilio, ſed impetu quodam imaginativæ.

Eſt & dormientium affectio, quam Græci ἐφιάλτην, Latini *incubum*, nuncupant. Oritur is, quando humor viſcidus, ſive denſi ac fuliginoſi halitus, primò quidem cor, mox & cerebrum, replent. Ut imprimis contingere iis ſolet, qui dormiunt ſupini. Sic enim ſpina dorſi, cor propiùs contingens, liberum ejus impedit motum. Halitus igitur craſſiores circa cor congregantur, ac deinde, in cerebrum delati, monſtroſas gignunt imaginationes, & terrificas: pulmones etiam premunt, atque ita vocem veluti intercipiunt, ut dormiens opem implorare minimè poſſit.

Cap. XXXVI.

Diſcrimen appetitus naturalis, & animalis: & ut fames ad utrumque referatur: ac quo ordine fames fiat. Contrà quàm Ariſtoteli factum, nec famem calidi, nec ſitim frigidi definiendum eſſe appetitum: imò formaliter neutram eſſe appetitum, ſive proſecutionem; ſed potius fugam mali ejus, quod in ventriculi vellicatione conſiſtit. Laxè tamen poſſe conſiderari, ut dolorem ex convulſione ſtomachi, & appetitum eorum, quibus convulſioni medemur. Quomodo appetitus ſenſitivus excitetur. Appetitum cum ſenſu convenire ſubjecto, & propterea interdum ſub ſenſu comprehendi. In Ariſtotele conjectura. Quo pacto differant appetitus, & affectus. Triplex motus ad appetitum concurrens: quorum medius ſit forma appetitus; at primus, cauſſa; poſtremus autem ſit effectus. Affectus non eſſe opiniones, oſtenſum contra Stoicos. Impropriè tamen etiam Ariſtotelem ſic loqui. Haut rectè affectus per ſpirituum, & humorum commotionem, definiri. Cùm in affectibus actio, & paſſio, concurrant; cur à poſteriori potiùs πάθη vocentur. Etſi omnis propè infelicitas ex eo ſit, quod affectibus indulgeatur; affectus autem ſint à natura; at naturæ auctor ſit Deus: immeritò tamen vel malos putari affectus, vel Deum credi imprudentem, qui hos nobis indiderit. Obſtare enim, quod idem rationem nobis dederit, quâ vincamus affectus. Etiam ab improbis eos vinci poſſe, etſi difficulter: ac licet tanti eſſent habitus vitiorum, ut ſecus agere non poſſent: nihilominus habitus eos rectè dici humanæ poteſtatis, quoniam in poteſtate fuerint actiones illæ, quibus habitus quiſque eſt comparatus. Non affectus modò poſſe regi à ratione: ſed in hoc ipſo conſiſtere prudentiam, ac virtutes morales. De Stoicis affectus damnantibus. Variare affectus, pro ratione cordis. Diſcrimen appetitus concupiſcentis, & iræ

iraſcentis: deque ſex affectibus ad priorem, quinque ad poſteriorem, pertinentibus: & ut quidam affectuum illorum alia accipiant nomina, vel ab gradu ſive intenſione; vel ab objecto particulari. Cur aliqui repentino gaudio, alii dolore diuturno, exſtinguantur. Unde metuentium tremor, & unam intra noctem canicies. Cur ira tam vehemens ſit affectus, eâque perciti nihil recti videant, vel agant. Etiam aliis aliquot problematis de affectibus occurritur.

HActenus de ſenſu. Sequitur appetitus: quæ vox latè admodum patet. Nam & materia appetit formam: & gravia leviaque appetunt locum inferum, aut ſuperum: & plantæ appetunt alimentum. Sed omnis iſte appetitus fit citra cognitionem. Nunc agendum de appetitu cognitionem conſequenti, eoque animalis proprio, quo illud expetit aliquid naturæ ſuæ conveniens, & averſatur, quod eidem repugnat. Fames ad utramque pertinet appetentiam: ad naturalem, quatenus venæ inanes redditæ ſic naturâ ſuâ appetunt repleri, ſicut in ſtirpibus venæ nutrimentum appetunt è radice, radix è terra. Ad animalem autem refertur, quatenus ventriculus ſentit ſe vellicari à venis emulgentibus, eaſque non exſugere alimoniam, ſed aliud, unde moleſtiam capiat: ad quam evitandam idem deſiderat alimoniam; quia hoc pacto futurum, ut venæ attrahant cibos, ſicut corpori expedit: & ex iiſdem cibis ventriculus trahat, quod invito ſibi à venis fuerat exſuctum. Planiora hæc fient, ſi intelligatur, quo ordine oriatur fames. De eo paucis diximus cap. XXI. Pluribus ſic habe: Abſumto in membris exterioribus humido craſſiori, & ſolidiori, ſugunt hæc membra venas parvas ſive capillares, ſuccum proximè deferentes: quæ ſuctio eſt exſiccatio, & contractio quædam venularum. Capillares venæ, ubi areſactæ ſunt, areſaciunt, & contrahunt venas majores. Hæ item venam maximam: illa ipſum hepar: quod imprimis ſuctione iſtâ incaleſcit, & exſiccatur. Dum ſic mulgetur hepar à vena cava, viciſſim ſugit, & vellicat venam portæ: hæc venas meſaraicas: illæ inteſtina ventriculo proxima: hæc ipſum ventriculum: cujus orificium magis eſt nervoſum: unde iſtic potiſſimùm oritur vellicatio, & corrugatio, quæ proxima eſt cauſſa famis. Eſt igitur naturalis quidem appetitus in venis, quia ex partibus oritur vacuatis citra ſenſum. Sed animalis eſt appetentia in ſtomacho, quia is ſuum ſibi à venis emulgentibus eripi ſentit, eoque impenſius deſiderat aliter illis proſpici, quàm damno ſuo, mox in corporis totius injuriam redundaturo. Atque eodem ſe modo res habet in ſiti. Hoc ſolum diſcriminis eſt, quòd fames ſit appetitus calidi, & ſicci; ſitis autem humidi, ac frigidi: ut quidem ea deſcribit Ariſtoteles lib. II de Anima, cap. III *a*. Sed omnino Minervâ pinguiori hæc ſcripſit. Nam famelici etiam lactucas appetunt, ac ciborum alios tot frigidos. Et contrà ſitientes etiam vinum bibimus, quod calidum. Ac Romani, & Græci, ad majorem voluptatem bibebant actu calidum: quo fine erant thermopolia. Nota jam, quæ de hoc more annotarunt Lipſius in Electis *b*, Salmuthus ad Pancirollum *c*, atque alii. In his Freinshemius lib. de... Adde quòd frigidum per ſe minimè concurrit ad vitam; ſed ſi hoc expetatur, ſit illud, ut modus ſit calori nativo, ne nimis humidum depaſcat. Quare ſatis erat, ſi diceretur, ſitim eſſe appetitum humidi; famem, humidi pinguis. Nam in fame expetitur, non quodvis humidum, ſed pingue, quo paſcitur calor nativus; ut ubertim expoſitum libri hujus cap. XXI. Sitis verò etiam humidi eſt aquei, quod per ſe & quatenus humor eſt, non præſtat alimoniam: ſed tantùm, quatenus humido pingui miſcetur. Expetitur tamen humor, ut humor, idque partim ut cibus ejus tenuitate faciliùs deferatur per meatus anguſtos: partim ut eo irrigentur membra areſacta; ſive exſiccatio ea ab ratione fuerit ordinariâ; ſive ab externo æſtu, uti Solis, aut balneorum; ſive à propria intemperie, vel partis alicujus, ut jecoris, aut lienis; vel totius corporis, ut in febriculoſis.

a Cont. 28.

b *Lib.* 1. *cap.* 4.

c *Cap. de cibi capiendi modo veteribus uſitato.*

Quod ſi ulteriùs etiam cum philoſopho pedem ſtruere viſum; fortaſſe nec famem, aut ſitim, rectè per appetitum definivit. Propriè enim uterque eſt dolor ex ſenſu tactûs, qui percipit convulſionem ventriculi; unde eſt, quòd amoliri præſens malum cupimus: id autem fit cibo, potuque. Quare nec fames, nec ſitis, tam δίωξις eſt, ſive actus expetendi, quàm φυγὴ, ſive actus fugiendi. Interea famem, & ſitim, conſequitur appetitus cibi & potus, tanquam remedii ad pellendum læſi ventriculi malum. Dicere igitur liceat, famem & ſitim eſſe dolorem ex convulſione ventriculi cum appetitu cibi & potus ad medendum convulſioni.

Præter appetitum hunc, quem oſtendimus, partim ad vegetativam facultatem, partim ad ſenſitivam pertinere; alius eſt ſoli conveniens ſenſitivæ: ut qui non fiat, niſi per motum à ſenſu provenientem, idque hoc ordine. Primum res percipitur à ſenſu externo, idque ſub propria objecti forma; ut color à viſu, quatenus eſt color. Deinde apprehenditur eadem à ſenſu communi, ut jucunda, aut moleſta: quia nempe ſpecies illâ impreſſione ſui in ſenſum voluptatem creat, aut dolorem. Hinc recipitur à phantaſia, quæ objectum imaginatur, & æſtimat, tum præſens, tum abſens; tum ſub ſpecie objecti ſenſilis, tum ſub ſpecie jucundi, aut moleſti. Denique ex hac imaginatione excitatur appetitus, ſive inclinatio animalis ad illud conſequendum, quod opinatur naturæ convenire; vel fugiendum, quod ei videtur adverſari. Senſus igitur, & appetitus, conveniunt ſubjecto, quia ubi ſenſus, ibi & appetitus; ut ait philoſophus lib. II de Anima cap. III *a*. Imò ob hanc cauſſam quandoque appetitum ſub ſenſu comprehendit: ut eodem libro cap. II *b*; ubi inquit, ἡ ψυχὴ τούτων ἐστὶν ἀρχὴ, καὶ τούτοις ὥρισται, θρεπτικῷ, αἰσθητικῷ, διανοητικῷ, κινήσει· *anima eſt horum principium, & his definitur, nutritivo, ſenſitivo, dianoëtico, motu.* Niſi excidiſſe hîc vocem ὀρεκτικὸν *c* putemus. Sanè addit eam initio capitis ſequentis *d*, ubi ſic ſcribit: δυνάμεις δ᾽ εἴπομεν, θρεπτικὸν, αἰσθητικὸν, ὀρεκτικὸν, κινητικὸν κατὰ τόπον, διανοητικόν. *facultates diximus, nutritivum, ſenſitivum, appetitivum, motivum ſecundùm locum, & dianoëticum.*

a Cont. 27.

b Cont. 18.

c *Appetitivum.*

d Cont. 27.

Sed utcunque hæc duo conveniant ſubjecto, differunt tamen objecto: quia aliud eſt conſiderare τὸ αἰσθητὸν, ſive, quatenus quid ſenſu cognoſcitur; aliud τὸ ὀρεκτὸν, ſive, quatenus putamus aliquid nobis vel proſequendum, vel vitandum.

Motus appetitivæ hujus facultatis dicuntur Affectus: eoque Appetitus, & Affectus differunt, ſicut actus primus, ſeu principium, & actus ſecundus, ſeu operatio. Nam appetitus eſt facultas habilis ad appetendum, aut fugiendum: quemadmodum appetitio eſt ipſa habilitas. Affectus autem ſignificat præſentem commotionem; puta cùm anima jam actu excitatur.

Sed hoc meliùs intelligetur, ſi diſtinguamus triplicem animæ motionem. Prima eſt facultatis cognitivæ, ſive ſenſûs, ſive intellectûs. Ab hac eſt judicium; quæ prima eſt motio: eſtque ea in cerebro. Altera eſt facultatis appetitivæ; à qua eſt appetentia, ſive deſiderium, & averſatio: eſtque ea motio in corde. Tertius motus commutat ſpiritum & ſanguinem; ſic ut nunc ſe ad exteriora recipiant, nunc ad interiora recurrant. Prima harum motionum eſt cauſſa efficiens affectûs. Nam facultas appetitiva commovetur à cognoſcente. Altera eſt affectûs forma. Nam propriè is, & formaliter, conſiſtit in functione facultatis appetitivæ, quæ nunc appetentia eſt, nunc fuga. Poſtrema motio eſt affectuum σύμπτωμα, ſive effectus.

Ex hiſce multi confundunt motionem primam, & ſecundam; imprimis Stoici; qui affectus cenſent eſſe opiniones. Tradunt enim, gaudium eſſe opinionem boni præſentis; dolorem, mali præſentis; ſpem, opinionem boni futuri; metum, mali futuri. Quæ vel eo refellere eſt, quòd opinio omnis ſit facultatis cognoſcentis; inque cerebro ſedem habeat: affectus autem ſit facultatis appeten-

tentis; ſitque in corde, ut diximus. Hinc Ariſtoteles lib. v Nicomach. cap. 11, ait, quod in facultate cognoſcente eſt κατάφασις, καὶ ἀπόφασις, *affirmatio, & negatio*: hoc in appetitiva eſſe δίωξιν, καὶ φυγήν· *perſecutionem, & fugam.* Impropriè tamen dicere poſſis, affectus eſſe opiniones, quia ex judicio ſive opinione facultatis cognitivæ proficiſcuntur. Itaque & Ariſtoteles ipſe quandoque ſic loquitur: ut lib. iv Nicomach. cap. vi; ubi metum eſſe dicit προσδοκίαν κακοῦ, *exſpectationem mali.* Quod nonniſi μετωνυμικῶς verum eſt: quatenus nempe metus gignitur ex mali exſpectatione.

Alii confundunt motionem ſecundam, tertiamque: ut qui affectus cenſent eſſe commotiones ſpiritûs, ac humorum. Sanè, ut idem ait philoſophus a, ἔοικε τὰ τῆς ψυχῆς πάθη πάντα εἶναι μετὰ σώματος· *omnes animæ affectus videntur eſſe cum corpore.* Et ratio videtur idem comprobare, quia affectus dependent à temperie corporis. Sed facilè his occurritur. Nam temperamentum aliquem tantummodo proclivem ad hunc, vel illum affectum facit. Illa autem, quam ajunt, ſanguinis, & ſpirituum perturbatio, conſequitur affectum; ut ſe habeat ad affectus, quemadmodum is ad opinionem. Nam opinio commovet affectus, affectus ſanguinem, ac ſpiritus, ut diximus.

a *Lib. 1. de anima, cap. 1. cont. 14.*

Atque ex his eadem cognoſcimus, quomodo motiones appetitus partim ſint paſſiones, partim actiones. Nam appetitus movetur à judicio, ſive opinione facultatis cognoſcentis. Moveri autem eſt pati. Sed appetitus ſic motus excitat in ſe affectûs. Quorum productio ſine dubio eſt actio. Etſi verò actio, & paſſio, in affectibus concurrant: maluere tamen ea vocare πάθη, hoc eſt; *paſſiones*, propter manifeſtos effectus, quos homo perpetitur: ut ſunt pallor in metu, rubor in pudore, ardor oculorum in ira, ac ſic in aliis; quod mox pleniùs explicabimus. Ac licet affectuſ ſemper ſint πάθη, ſive paſſiones: tum tamen hoc nomen maximè merentur, quando, ratione excuſſâ, dominantur. Nam cum eam ſequuntur ducem, magis relucet actio. At verè patitur homo infelix, quando animus ipſe abripitur, &, quod in re alia ait poëta b,

Fertur equis auriga, neque audit currus habenas.

b *1 Georg.*

Atque ita plurimùm fit in genere humano. Pauci enim non mentem affectibus mancipant: ut prope ſic deſcribere hominem poſſis, eſſe eum animal, quod cum rationem acceperit, vivat tamen ſecundùm affectus. Itaque & homini imperito, quo nihil iniquius eſſe ſolet, planè illud videatur bonitati repugnare divinæ; quòd animis noſtris indiderit ſemina tot affectuum; unde omne vitiorum genus, & totius vitæ infelicitas. Nam Deus eſt naturæ auctor: affectus autem ſunt naturales: ut arguit, quod calidi ſint proclives ad amorem, iram, audaciam, æmulationem, invidiam; præſertim calidi & ſicci, ut bilioſi: minùs calidi, & humidi, ut ſanguinei; qui propenſi ad gaudium, eaque quæ lætitiam pariunt. Frigidi, ſi humidi, ut pituitoſi, affectus habent leves, & frigidos: vehementiores autem, ſi fuerint frigidi & ſicci, ut melancholici. Sunt autem affectus frigidorum, triſtitia, timor, deſperatio. Jam ſi ad hanc naturæ propenſionem vel conſuetudo, vel ignoratio recti, acceſſerit, quales evadant homines, ſatis eſt conſpicuum. Verùm ex iſtis malos naturâ eſſe affectus, minimè conſequitur. Quod tum demum foret, ſi voluntas non poſſet obſiſtere, & refragari affectibus. Nunc animus nobis datus, ut de eo initio Jugurthinæ Salluſtius ſcribit: *dux atque imperator vitæ mortalium*, qui, ut paullopòſt ſubdit, *rector humani generis, agit atque habet cuncta, neque ipſe habetur.* Quod ſi affectus de ratione triumphent; non id vitio fit conditoris, ſed culpâ creaturæ, abutentis poteſtate ſibi conceſſa. Dixerit aliquis, quoſdam non poſſe non vivere ſecundùm affectus; quales frangas citiùs, quàm corrigas. Non planè diffiteor. Sed enim licet vix in poteſtate improborum ſit aliter vivere, quàm improbè: non tamen neutiquam in eorum eſt poteſtate ſecus agere. Mali habitus ut difficulter exuantur, exempla tamen ſuppetunt eorum, qui ex peſſimis optimi evaſerint. Præterea cogitandum, quod ab Ariſtotele a dictum eſt, ἐκ τῶν ἐνεργειῶν περὶ ἕκαστα τὰς ἕξεις γίνεσθαι· *naſci habitus ex actionibus, quæ circa ſingula verſantur.* Cùm igitur ſingulæ actiones, quibus habitum compararunt, in eorum fuerint poteſtate; etiam habitus improbos in hominis eſſe poteſtate dicendum, quia illi ex principiis ſuis cenſeri debent. Conſuetudine quidem malè agendi homines evaſerunt mali; ſed in poteſtate eorum fuit, ne adſueſcerent malo.

a *Lib. 3. Nicom. cap. 6.*

Jam quàm præclara res ſint affectus, ſi non modò rationi poſſint obedire, ſed in eo ipſo conſiſtit virtutis! Virtutis enim hoc opus b, ſervare in affectibus συμμετρίαν, ac mediocritatem. Ut qui affectus tollere velit, virtutes etiam, earumque operationes, tollere ſit dicendus. Et ſanè ipſi illi, qui affectus prohibent, gaudent interea excellentium virorum exemplis accendere alios ad æmulationem eorum: pueros quoque adſuefaciunt, ut (quod Lacon ille ſe facere c ajebat) gaudeant honeſtis, doleant turpibus. Reprehenſione item pœnitentiam, & dolorem incutiunt. Nec, puto, ſine amore gloriæ, ac honeſti nominis, Zeno, Chryſippus, Seneca, tanti evaſiſſent. Sed quid multis opus? quando & in Scripturis nobis affectus commendantur; ἀστόργους autem vituperat Apoſtolus d? Quare qui negant ſapientem affectibus affici, ſi per eos intelligunt affectus immoderatos; non re, ſed vocabulis tantùm diſſident à Peripateticis. Sin & de moderatis loquantur; defendi non merentur. Neque enim verum eſt, quod ſibi ſumunt, omnes affectus eſſe morbos animi, vel ejus perturbationes, cùm & citra animi perturbationem affectus rectam rationem ſequi ducem poſſint. Sed de hoc affectûs, & perturbationis diſcrimine, in Oratoriis e etiam diximus.

b *Ariſt. lib. 2. Nicomach. cap. 3.*
c *Plut. de virt. mor.*
d *Rom 1. 31. & 2 Tim 3. 3.*
e *Inſtitut. Orat. l. 2. c. 1. ſect. 1.*

Uti autem ſedes affectuum propria eſt cor, unde & maximè commovetur: ita inſtrumentum eorum tum ſpiritus ſunt, quos cor effundit in membra exteriora ad objecti perſecutionem: tum etiam humores, qui pro affectuum varietate diverſi provocantur. In ira cietur flava bilis; in triſtitia, atra bilis; in lætitia, ſanguis; in odio, flava & atra bilis.

Quia verò cor ſpirituum officina eſt, eò pro cordis etiam quantitate, & qualitate, humani variant affectus. Quibus cor magnum, ſed laxum, hi affectus quidem conſtantes habent, ſed, ob ſpirituum diffuſionem, minùs vehementes. At quibus cor magnum, & ſolidum, vel parvum quidem, bene tamen compactum, hi magna appetunt. Jam quo quis calidiori corde ac ſicciori, eo affectus ſunt vehementiores: quo frigidiori, & humidiori, eo languidiores.

Præterea cum affectus ſint appetitivæ facultatis effectus; neceſſe eſt eas variare pro duplici appetitu, ἐπιθυμητικῷ, ſive *concupiſcente*, & θυμικῷ, ſive *iraſcente*: quorum ille citra difficultatem bona ſequitur, mala fugit; hic verò non bonum ſimpliciter ſibi propoſitum habet, ſed bonum arduum; ad quod non ſine obſtaculis pervenitur. Ad appetitum concupiſcentem ſex pertinent affectus. Ex opinione boni, primùm amor, mox cupiditas, tandem, ſi potiare, gaudium. Item ex opinione mali, primò odium, hinc fuga, denique, ſi effugere non valueris, triſtitia. Incipit igitur appetitus ab amore, aut odio, quia primò res in ſe placet, aut diſplicet. Procedit deinde in deſiderium, & abominationem ſeu fugam. Deſinit in lætitiam, doloremve; ubi bonum, malumve, jam præſens.

Ad appetitum iraſcentem referuntur affectus quinque. Nam bonum, malumve, aut eſt præſens, aut futurum. Si bonum futurum, & conſequi poſſumus, ſpes erit; ſi non poſſumus, deſperatio. Ubi verò jam adeptus ſis bonum ejuſmodi, deſinit habere rationem boni ardui; eoque ratione illius nullus eſt affectus. At ratione mali ardui, is triplex eſt. Nam ſi exſuperare valemus, erit audacia; ſi non valemus, fuerit timor. Sin jam malum nos premat, gliſcit ira ad ei reſiſtendum.

Interdum affectus hi alia accipiunt nomina, partim pro gradu, partim pro objecto. Pro gradu quidem, cùm ze-

lum

lum dicimus amorem adeò intenſum, ut non patiatur conſortem: aut cùm vehementem dolorem *mærorem* nuncupamus ὑπὸ τῆς μοίρας, quia ſæpius is fatalis, hoc eſt, letalis: intenſam etiam iram vocamus *furorem*.

Ab objecto variat appellatio, cùm gaudio ex infelicitate alterius (qui dirus affectus unius eſt hominis) proprium ἐπιχαιρεκακίας nomen damus. Ac par ratio eſt, quando dolorem, ob idem malum, *miſericordiam* dicimus; aut *invidiam*, dolorem ob alterius bonum. Eſt & timor futuri operis: quem affectum aliqui communi cum oppoſito habitui nomine *ſegnitiem* vocitant.

Quod autem ſuperiùs dicebamus, varia ab affectibus συμπτώματα concitari in corde, ſpiritibus, ac humoribus: hoc planius fiet, ſi particulatim eorum præcipuos attendamus. Ab lætitia ordiar quando affectu hoc nullus hominibus gratior obtingit. Ab lætitia eſt ſuavis quædam alternatio ſpirituum circa cor, & ipſius cordis expanſio, ac dilatatio. Itaque ſi lætitia ſit moderata, qualis nec foras ſe nimis exſultando prodet; idonea erit ſpiritibus roborandis. Talis enim ſic ſpiritus ciet, ut non exſolvat. At ſi magna fuerit, & diuturna, ac valde ſe exſeret foras; nimis ſpiritus attenuat, ac diffundit: unde non tam longam, quàm brevem, vitam facit. In admiratione prius lætitiæ genus eſſe ſolet. Quod etiam dixero de iis, qui ſpeculari ſolent naturæ miranda; dummodo ne in cauſis earum rimandis crucem ſibi figant. Sanè ſpeculatio rei novæ, & magnæ, aut pulcræ, ſuaviter ſpiritus oblectat: unde videmus, Democritum, Parmenidem, & alios naturæ admiratores, ad longam adeò perveniſſe ætatem. Quod credo etiam Ariſtoteli eveniſſet, niſi ſtudio immodico incidiſſet in κακοχυμίαν *a*. Tamen ſic quoque non ante climactericum, hoc eſt, annum LXIII, obiit; ut ex Cenſorino antea *b* diximus. Etiam philoſophorum alii ſæpius fuere vivaces: ſed imprimis, quos præterea orationis caperet ornatus. Ut argumento fuerit Plato, qui annum exceſſit octogeſimum; quemadmodum ſuperius *c* quoque retuli. Nempe omnes fere delectantur pulcris; maximè qui inde ſperant æternum nominis decus. Conſideremus Gorgiam, Protagoram, Iſocratem. Longævos evaſiſſe comperiemus. Uti & è Latinis M. Senecam, Rhetorem, philoſophi parentem. Quare non dubium, quin maximè valetudini & longævitati conferant ſtudia minimè anxia, & moroſa: eoque & logodædali, & omnes qui pro ſolida dape ſtudiorum amœnitates ſectari malunt; modò vitæ ſuæ modum ſciant, nec Veneri, aut Baccho, ut ſæpe fit, nimis litent; fere ad longam pertingunt ætatem; quia haut nimis exhauriunt ſpiritus; ut qui eos detineant in rebus, unde iis capere ſit lætitiam, ac voluptatem.

a *Vitioſum corporis humorem.*
b *Cap. 20.*
c *Ibid.*

Lætitiæ etiam naturam ſpes ſequitur: quia gaudet aliquis intuitu boni, quod animo concepit. Hinc eſt, quòd in ſummis quoque malis, & ſpe animum, & animo corpus ſuſtentat. Tibulli *d* eſt in hanc mentem:

Jam mala finiſſem leto: ſed credula vitam
Spes fovet, & melius cras fore ſemper ait.

d *Lib. 2. el. 7.*

Sed ut oblectantur multi bono, ad quod ſenſim contendunt; ita, ſi ſpe omni excidant, ſæpe vitâ excidunt.

Quemadmodum verò in lætitia ſpiritus ad membra ruunt exteriora, ut quaſi amplectantur illud, quo gaudent: ita iidem in dolore, ut quàm longiſſimè abſint à contrario ſuo, recipiunt ſe verſus cor: unde eſt, quòd extima langueſcant: item, tremor, aliaque, de quibus Ariſtoteles in Problematis. Etiam Spiritus ille ſic intra cor condenſatus, humorem depaſcit nativum: ac ſi gravis adeò ſit dolor, ut remedii curâ ſpiritus divexetur, & æſtuet; quaſi lento igne cor torretur, ut ſenſim quis abſumatur, & ſic abſumti cor nigricans ſit: quod de Pyrrhi corde aliqui tradiderunt. Imò tanta quandoque fit caloris, ac humoris immutatio, ut nonnulli unicâ etiam nocte cani evaſerint: cujus exemplum Cæſar Scaliger ſuggeret Exercitat. CCCXII. Et apud Vopiſcum in Caro legas, *tonitruum terrore multos exanimatos*.

Quandoque tamen triſtitia prodeſt: videlicet, ſi non ſit nimia, & metus abſit. Tum enim refrigerat ſpiritus, & condenſat: atque ita præſtat, ut ne humorem nativum depaſcat nimis.

Ad dolorem etiam referuntur miſericordia, pudor, & invidia; quemadmodum antea oſtenſum. Sed miſericordia nunc juvat, nunc nocet. Juvat, ſi ille, cujus miſeremur, perpeſſus ea ſit, quæ credamus, neque nos, neque aliquem ſubiturum noſtri. Hujuſmodi enim mala non magnopere ad animum revocamus, quia putemus, nos illa pati non poſſe. Leviculus igitur ex malo alieno dolor nonnihil prægrandem cordis æſtum refrigerat. Sed ſi nos, ſi noſtri quempiam, exiſtimemus, poſſe eadem perpeti: metus quoque oritur; unde angor ille animum diſcrucians: qui fere (in tam varia enim temperie nihil certi deſignem) & animo, & corpori, eſſe noxius conſuevit.

Quod verò ad pudorem attinet, ſi levis ſit, leviter contrahit ſpiritum; quem mox diffundit; eoque juvare ſolet. Vehemens autem ſic ſpiritum conturbat, & coarctat, ut omnia honore metienti ſæpius confeſtim, vel ſenſim, nimiâ ſpiritus compreſſione, vitam auferat.

Etiam dolor ille, qui invidos torquet, ac vexat, quia feriari neſcit, mirè ſpiritus ac corpus abſumit; ut nulli magis his miſeri videantur. Pœnas enim nunquam evadunt, cùm & ſe ipſos puniant; dum corde, oculis, & corpore toto, contabeſcunt; quam rem veterum auctoritate in Oratoriis *a* ſatis firmavimus.

a *L. b. 2. Inſtit. Orat. c. 12. ſect. 1.*

Quod verò de ſimplicibus dixi affectibus; idem in compoſitis locum habet. Ut in ira; ubi dolor, & gaudium, concurrunt. Nam priùs dolet quis ob injuriam, quâ ſibi affectus videtur: eoque cor ſe contrahit, evocato calore, & ſpiritu, à partibus exterioribus. Mox homo ſe effundit in lætitiam quandam, quia vindictam ſperat, in cujus cupiditate animus ſuaviter occupatur: unde fit, ut ſpiritus, & ſanguis, ab internis partibus iterum ſe conferat ad exteriores. Ob contrarios hoſce, atque adeò vehementes motus caloris, & ſpiritus reciprocantis, fit, ut ſanguis corpore univerſo, imprimis autem circa cor, efferveſcat, atque ebulliat; ſic ut verſus principium ſuum, quod eſt hepar, regurgitet; hic ſeſe exundet in veſiculam fellis hepati adhærentem; ea autem profundat bilem flavam, quam continet. Inſuper ſanguis, excandeſcentiâ illâ attenuatus, ut levia omnia, aſcendit, atque ita cerebri ventriculos pervadit, ut, ſpiritu humoribuſque perturbatis, ſenſus, & ratio, officium facere non poſſint. Imprimis autem ſpiritum vexat, ac carpit, ſi comprimatur. Sin foras ſe pandere permittamus, eos, qui frigidâ ſunt temperie, etiam adjuvat, calorem excitando. Militem quoque robuſtiorem idcirco facit; unde Peripatetici iram dicebant fortitudinis cotem, teſte Tullio *b*.

b *4. & 6. Tuſcul. & 4. Academ. Quæſt.*

Quodque de ira diximus, idem in odio quodammodo locum habet. Quid mirum? cùm ea ſit ira inveterata.

Atque hæc de affectibus: de quibus ſubtiliter multa Julius Scaliger adverſus Cardanum exercitat. CCCXIII, & quatuor conſequentibus. Quatenus verò cognitio eorum ad Oratorem pertinet, ſuſiſſimè de iis tractamus lib. II Oratoriarum Inſtitutionum: qui luculentus erit commentarius eorum, quæ Ariſtoteles in ſecundo Rhetoricorum præclarè ſcripſerat. Quomodo autem affectus in Deos ſint relati, inferiùs conſiderabimus, cùm agemus de affectionibus habitis pro Diis.

Cap. XXXVII.

A motu imperante, qui eſt appetitûs, diſtinguitur motus exequens, qui eſt locomotiva. Quomodo corporis noſtri motus, etiam cùm adſcendimus, ſit naturalis. Inſtrumentum ejus primum ſpiritus; medium nervi; proximum muſculi. Tam motorios, quàm nervos ſenſorios, à cerebro originem ducere. Quomodo fiant reptatio, volatus, natatio, progreſſus. Faciliima ſurgendi ratio. Oſſium commiſſuræ in motu ſe habent, ut cardines. Cardo maſculus, & femina. Natationem, & volatum, non adverſari iſti, quod dicitur, motum omnem fieri

fieri ſuper immobili. De triplici ratione, qua animantia in progreſſu flectunt articulos ſive juncturas membrorum; antrorſum, retrorſum, & in latera. Cauſſæ motûs impellentes duæ. Multiplex peregrinationis bonum.

PErgamus nunc commemorare beneficia Dei; qui non contentus animantibus tribuere ſenſum, & appetitum, (quorum ille quaſi imperfectior eſt intellectus, hic imperfectior voluntas) etiam ea donavit motu. Eſt quidem & appetitus animæ motus, quia intus movemur vel appetendo aliquid, vel fugiendo: ſed eſt is motus imperans, quia præcipit membris, ut hoc vel illud præſtent, quò ſic appetitus obtineat, quod cupit. De iſtoc motu ſatis dictum antea. Nunc verò ſermo erit nobis de alio motu; eoque gemino. Ac priori quidem loco agendum de motu exequente, quo paremus appetitivæ, vel omnia, vel aliqua corporis membra loco movendo: unde & vis ejus dicitur *locomotiva*: definiturque, facultas animalis cupiditatem, & affectum, conſequens; per quam vel totum corpus, vel pars ejus, locum mutat.

Eſtque is motus naturalis, quia eſt à principio interno. Nec obſtat, quòd grave ſit corpus, & tamen locomotivæ beneficio adſcendat. Utcunque enim is motus non conveniat corpori ex ſua natura, competit tamen ei, ut animato. Unde Ariſtoteles lib. VIII Phyſ. cap. IV *a*: Τὸ μὲν ζῷον ὅλον φύσει αὐτὸ ἑαυτὸ κινεῖ· τὸ μέντοι σῶμα ἐνδέχεται καὶ φύσει, καὶ παρὰ φύσιν κινεῖσθαι· *Totum quidem animal naturâ ſe ipſum movet: corpori autem accidit, ut moveatur naturâ, & præter naturam.* Sententia eſt, ſi corpus animalis attendas, habitâ ratione animæ; ejus motus eſt naturalis, quia eſt à principio interno. Sed ſi conſideres, non ratione animæ, ſed elementi prædominantis; nunc eſt ſecundum naturam, ut in deſcenſu; nunc contrà, ut in adſcenſu.

a *Cont.* 27.

Organum locomotivæ vel eſt magis activum: ut ſpiritus: vel paſſivum magis, ut ſunt nervi, & muſculi.

Ordo in movendo eſt iſtiuſmodi. In animali appetitus ſive affectus (inque homine etiam voluntas) excitat ſpiritus vitales, & animales. Hi intendunt nervos, per quos ſpiritus aſſiduè fluit; unde illis humore obſtructis, motus impeditur; ut in paralyticis fit. Nervi hi motorii (de his enim nunc loquor) ſunt animæ inſtar habenarum; cientque muſculos, qui carnosâ ſuâ ſubſtantiâ nervos veſtiunt, & calefaciunt. Muſculi commovent oſſium commiſſuras: quibus motis vel pars corporis, vel corpus totum, commovetur. Sed cùm iſtæ compages oſſium ſe habeant inſtar cardinis, quod pleniùs poſtea explicabitur: non tam ut moventia, quàm ut mota, conſiderari merentur. Proximum igitur, & immediatum motus principium, ſunt muſculi. Primum autem ejus principium ſunt ſpiritus. Intermedium locum obtinent nervi, qui imperium motûs deferunt, ut muſculi exſequantur. Eſſe nervos movendi organum, etiam à Platone proditum eſt in Timæo. Sed unde originem ducant, ubique ſilet. A corde eorum originem arceſſit Ariſtoteles. Sed αὐτοψία *b* eſt pro Galeno. Clarè enim in ſectione corporum videre eſt, nervos quidem ſenſorios, qui naturâ ſunt molles, naſci ex anteriori cerebri ſinu: motorios autem, qui duri ſunt, originem debere poſteriori cerebri ventriculo, ac ſpinali medullæ.

b *Oculorum fides.*

Motus totius animalis continet progreſſum, natationem, volatum, & reptationem. Reptilia nunc corpus intendunt, nunc laxant: unâque dum corporis parte innituntur, progrediuntur alterâ. Volatus fit agitatione alarum in aëre: natatio, agitatione pinnarum in aquis, ac directione caudæ, quæ id avi eſt, quod navi clavus. Progreſſus fit alternatione pedum, ſive illi bini, ſive quaterni, ſive plures: ſuntque hi numero pares, niſi quòd in ſcolopendris, ac ſimilibus, paullo id ſit obſcurius.

Utile autem, & jucundum eſt conſiderare, ut Deus animantibus ſingulis corpora ad motum idonea fabricârit: atque ut omnis motûs cauſſa è geometricis peti debeat. Exempli gratiâ: ſi ſedens ſurgat, ſitus ejus, quo pedes & ſpina in lineis ſunt parallelis, immutatur in ſitum, quo caput, ſpina, & pedes, ſunt in linea rectâ. Qui motus ſurgentis indiget angulis acutis, vel femoris cum tibia; vel thoracis cum femore. Imò tanto faciliùs ſurgitur, quanto anguli fuerint acutiores. Unde imbecilles, tam thoracis cum femore, quàm femoris cum tibia, angulis ſurgere acutioribus gaudent.

Id quod primò movetur, habet in ſe motus principium, & finem; cujuſmodi ſunt oſſium commiſſuræ. Hoc Ariſtoteles illuſtrat exemplo cardinis; ubi eſt quod init, eſt quod initur: *cardinem maſculum*, & *cardinem femellam*, per tralationem dixeris cum Vitruvio *a*. Itidem in oſſium juncturis concurrunt unius principium, & alterius finis. E. G. in καρπῷ eſt initium manus, finis brachii; in cubito initium brachii, finis lacerti; & ita in aliis. Porrò ſi manus movetur, quieſcit brachium; ſi brachium ſe movet, quieſcit lacertus; uti ſi lacertus moveatur, humerus quieſcit. Ac ſemper movetur os illud, quod convexâ ſui parte inſeritur parti concavæ oſſis alterius quieſcentis. Nimirum, ut optimè idem docet *b*, omnis motus fit ſuper immobili. Habetque id theorema locum, non in motu animalium duntaxat; ſed etiam in aliis omnibus. Unde videmus, cur contus, duriori litori aut fundo infixus, validiùs navem propellat: & contrà, cur difficilior nobis inceſſus ſit per loca arenoſa. Dixeris, & aquas natationi, & aëra volatui, convenire; etſi utrumque elementum mobile ſit. Sed enim, quando Ariſtoteles ait, immobile eſſe, ſuper quo aliquid movetur; uti &, cùm locum aliquid ſuſtinentem πέρας ἀκίνητον *c* vocat, intelligit non immobile ἁπλῶς, ſed quantum ſufficit illi, quod movetur. Atqui, cùm aves pennis aëra, piſces pinnis aquas, vel homines brachiis, tranant; ſic aqua conſtringitur, & firmatur; ſic aër ſub alis collectus veluti denſatur, & firmatur; ut corpori, quod movetur, non cedat, ſed renitatur, quantum ad partium applicationem eſt ſatis. Interea, quo craſſiora hæc elementa, eo facilior ſuper iis eſt motus, quia meliùs ſuſtinent. Hinc aviculæ craſſiori aëre volant expeditiùs: & natatio nobis facilior eſt in aquis marinis, quia ſunt craſſiores fluvialibus.

a *Lib.* 9. *cap. ult.*

b *Lib. de progreſſu animal.*

c *Terminum immobilem.*

Etſi autem motus animalis ſemper fiat in flexibus, ſive juncturis: non tamen unâ id ratione contingit. Sanè tam avis bipes eſt, quàm homo. Sed hic reflectit crura ad περιφέρειαν ſive ambitum: illa contrà ad concavum; quomodo & homo brachia incurvat. Quod ad quadrupedia, diſpar eſt ratio in viviparis, ac oviparis. Vivipara proferunt anteriora crura ad ambitum, poſteriora ad concavum. At quæ ova pariunt, ut lacerti, crocodili, chamæleontes, rationem habent peculiarem. Nam flectunt crura obliquè, ſive in latus. Hæc pluribus tradit Ariſtoteles in Hiſtoria animalium: ſed quod iſtic non fecerat, cauſſas eorum adducit lib. de animalium inceſſu. Ipſum vide, & eruditum ejus, nec inelegantem interpretem Nicolaum Leonicum Thomæum. Hæc tam diverſa movendi ſe ratio oſtendit divitias ſapientiæ divinæ. Bonitatem verò cognoſcimus ex duabus motûs localis cauſſis προκαταρκτικαῖς, ſive impellentibus; quarum una eſt bonum, quod appetitur, ut paſtus: altera malum, quod vitatur, quale lepori eſt canum conſpectus. Proque boni, ac mali hujus ratione, vel exiguo opus motu, vel non paullo majore, vel maximo etiam, inque terras longè diſſitas. Ut in ciconiis, gruibus, hirundinibus, elucet: item thynnis, aliiſque piſcibus Ponticis; qui, pro anni tempore ſedes mutant; ut memoratum etiam Oppiano eſt in primo Ἁλιευτικῶν. Pertinuitque eo illud Salluſtii apud Servium fragmentum: *Qua tempeſtate ex Ponto vis piſcium erupit.* Sed minuta ſunt hæc de mutis animantibus, præ ingentibus commodis, quæ ad ſocietatem redeunt humanam ex itineribus iſtis in terras longinquas. Primùm, cùm appetimus bonum, vel animi, vel corporis, vel fortunæ. Animi illud mirè variat. Familiam ducit, quod à pietate proficiſcitur. Ut quòd Apoſtoli, & diſcipuli Chriſti, & horum porrò diſcipuli, & inde porrò alii, atque alii, to-

tum iere per orbem ad converſionem gentium. Ad prudentiam facit, ſi iter ſuſcipiatur ad cognoſcendum gentium ritus ac mores, & civitatum formas: quomodo decemviri Roma miſſi in Græciam, ut terræ ejus, & Solonis præcipuè, leges cognoſcerent. Ac fortaſſe vel eodem, vel ad artem, referendum, quòd Ulyſſes ſe contulerit ad Æolum, ventorum, ut fabulantur, regem. Nam eo ſignificabatur, quod velificandi arte excelluerit; ut eſt apud Diodorum. Scientiæ incrementum quæſiere Pythagoras, Plato, Apollonius, cùm varias luſtrarent terras. Hiſtoriam gentium, & terrarum ſitus, ſibi propoſuere Diodorus Siculus, & Strabo, tot terras luſtrando: Pauſanias item circumiens Græciam: Arrianus, Pontum Euxinum. Denique linguarum notitia non paucos ad peregrinationem impulit: ex quibus unum nominabo, amicum noſtrum, & annis aliquot in Lugdunenſi Batavorum Academia collegam, Jacobum Golium, virum pietate, prudentiâ, doctrina præcellentem: qui non contentus in Arabicis inſtitutione ſummi viri, collegæ itidem noſtri, Thomæ Erpenii, priùs Mauritaniam adiit, poſtea etiam jam Erpenio τῷ μακαρίτῃ ab Nobiliſſimis Academiæ Curatoribus ſucceſſor datus, longinquum in Syriam iter inſtituit; inque ea commoratus, quamdiu, quantum Arabica in literatura proficeret, minimè pœniteret. Jam ſi corporis bona attendamus, quam multi peregrinationem inſtituunt ad valetudinem inſtaurandam, vel robur acquirendum? Denique, quia, ut poeta *a* ait,

—— *Non omnis fert omnia tellus*:

eò adeunda quoque loca extera propter merces exoticas: ut Batavis ſunt vina, aromata, metalla, gemmæ, ſericum, & tot alia, partim ad uſum, partim etiam ad luxum. Et hæc pertinent ad priorem cauſſam impellentem peregrinationis in terras exteras, ſæpe etiam longinquas. Alteram autem ſtatuebamus mali fugam. Id malum ſimiliter vel animi eſt, vel corporis, vel fortunæ. Animi malum eſt idololatria: propter quam ex Ur Chaldæorum in Meſopotamiam priùs, inde in Cananæam profectus eſt patriarcha Abrahamus.

Corporis malum eſt morbus: e. g. lues Veneria, quam aliqui morbum Hiſpanicum, alii Neapolitanum *b*, vel Gallicum appellant. Eo cum laboraret Hiſpanus, & cogitaret ſecum, morbum Europæis eſſe novum (primùm enim innotuit Carolo VIII. Gallorum Rege Neapolim obſidente, quod anno fuit cIↄ cccc xcv) eundem autem cognitiſſimum eſſe Indis occidentalibus, ſive, ut poſtea dixere, Americanis: in hanc cogitationem *c* venit, nullos illi morbo meliùs remedium ſcituros, quàm quibus à longo eſſet tempore familiaris: & fortaſſe jam aliquid de hoc cognôrat ex iis, quos ex inſula S. Dominici ſecum apportârat Chriſtophorus Columbus, vel qui cum iis ſermonem ſeviſſent, aut cum mulieribus Indicis conſueſſent: utcumque illud eſt, hinc conſilium cepit, ut à diro hoc malo liberaretur, longum iter navigandi novum in orbem. Atque hic edoctus eſt uſum ligni Guaiaci, ſive ſancti, (quod nomen fecere per illud à morbo curari, ut credebant, incurabili) ſive ebeni Indici, ut etiam Menardus vocat lib. XVII, epiſt. III, ubi agit de electione ejus, & uſu. Remedium verò illud Hiſpanus, quem dixi, liber à morbo, ac redux, docuit Europæos; apud quos paſſim nunc obtinet. Atque ita, uti horrendum hoc malum ab novo orbe profectum (niſi cœpiſſe malis, Gallis *d* in obſidione Neapolitana bibentibus de vino Græco, ab Hiſpanis, antequam fugerent ex Veſuvini montis oppido, ſanguine leproſorum infecto) ita & felix Hiſpani in eundem orbem iter, ac reditus inde ad ſuos, remedium hoc attulit Europæis.

Denique fortunæ malum eſt pauperies: quæ quàm multos compellat ultimum in orbem, experientiâ ſatis temporibus noſtris conſtat. Imò jam olim ſic de eo Horatius *e*:

Impiger extremos currit mercator ad Indos
Per mare pauperiem fugiens, per ſaxa, per ignes.

a 1 *Georg.*

b *Mirum Campanum vocari, ac lepræ ſimilem dici; jam à Papia Longobardo, qui anno claruit* 1200. *Vide eum in Vocabulario voce* Campanius *Mirum & Volaterranum Philologia lib.* 24. *ubi de elephantiaſi agit, putare, jam tempore Heraclii Cæſaris morbum hunc fuiſſe; ſed anno rediiſſe* 1496.

c *Zamgerus Methodi Apodemicæ l.* 1. *cap.* 1.

d *Cæſar Cæſalpinus artis Medicæ lib.* 4. *c.* 2.

e *Epiſt.* 1. *lib.* 1.

Cap. XXXVIII.

Quo diſcriminis ſpiratio, tum ad ſenſitivam, tum ad vegetativam, referatur. Diviſa ſpiratio in reſpirationem, & tranſpirationem. Quomodo fiat reſpiratio: atque inde oſtenſum, partes ejus eſſe duas, inſpirationem, & exſpirationem. Inſpirationis neceſſitas ſimilitudine ex Galeno declarata. Cur ranæ uſque adeo diu ſub aquis ſe valeant continere. Atque idem minoribus de piſcibus oſtenſum. Et cur piſcium majorum diſpar ſit ratio. Ut ſpiritus non reſpiratione ſolum, ſed frigidis etiam & alimentis, & odoribus, refrigeretur. Languidis calidos; validis autem frigidos magis odores convenire. Cujuſmodi aër ad cordis refrigerium exigatur. Cur ſtrangulati ſic toto corpore intumeſcant. Quare morientes valide adeò exſpirent. Spiritum noſtrum aëre ali externo. Quantum differat aër inſpiratus, & exſpiratus. Triplicia reſpirationis inſtrumenta. Etiam phthiſicos, & pulmonibus exulceratos, peregrinatione valetudini reſtitui. Reſpiratione διαστολὴν, & συστολὴν, contineri. Quæ partes corporis ad reſpirationem concurrant. Ὀρθόπνοια. Cur poſt acrem animi intentionem reſpiremus vehementius.

Et hæc quidem de locomotiva: quæ facultas ſequitur appetitivam, nec perpetuò operatur. Præter verò hujus motum alter quoque eſt in animalibus; qui ſine intermiſſione fit, nullâ etiam præcedente cogitatione, vel affectu. Talis eſt ſpiratio. Eſtque motus is naturalis, ſive vitalis. Nam ad animam quidem ſenſitivam refertur, quatenus omnibus, & ſolis convenit animalibus. Interea tamen propriè pertinet ad animalis facultatem vegetativam, cùm fiat ſine prævia cognitione, & finis ejus ſit conſervatio vitæ.

Spiratio hæc, quam Græci πνοὴν, & πνοίαν vocant, vel ἄδηλος, ſive inſenſilis eſt, quæ Hippocrati, & Galeno, vocatur διαπνοὴ, hoc eſt, *perſpiratio*, vel *perflatus*; nempe quòd per occultos fiat cutis meatus: vel ſenſilis eſt, quia conſpicui ſint ejus ductus; uti os, & nares: & vocatur ἀναπνοὴ, ſive *reſpiratio*. Quam diſtinctionem etiam apud Galenum legas libro de ſalubri diæta.

Reſpiratio fit hoc pacto. Attrahitur aër externus per arteriam aſperam in pulmones adminiculo diaphragmatis. Pulmones verò aëra adductum effundunt in cor, quò id refrigeretur. Ubi aër iſte in cordis meatibus incaluit, iterum effunditur in pulmones; qui ſeſe tum contrahunt, & contrahendo aëra calefactum per arteriam aſperam ejectant foras, & unà cum eo fuligines, ut qui remanent ſpiritus ſint puri.

Hinc liquet, reſpirationis vocabulo geminam vim, & inſpiratricem, & exſpiratricem, contineri. Inſpirationem jam diximus fieri, ut refrigeretur cordis calor frigore aëris per arteriam aſperam recepti. Nempe, ut Galeni *a* utar ſimilitudine, ſicut flamma anguſto concluſa loco, nec aëre ventilata, marceſcit: ſic etiam calor nativus frigidi aëris defectu priùs languet, tabeſcit deinde, ac tandem exſtinguitur. In cauſſa eſt, quòd niſi nimius æſtus frigidiori miſceatur aëre, ac temperetur; tantas calor ſumtitus ſit vires, ut celerrimè abſorbeatur, quicquid eſt humoris nativi. Itaque animal eò frequentiùs reſpirat, quò major eſt calor cordis: eoque rariùs, quo is minor. Hinc ranæ longo adeò tempore ſe ſub aquis continent. Nec enim magnopere indigent refrigerio, quia ſanguis iis frigidus, & paucus. Minores autem piſces ne reſpirant quidem; ut qui pulmonibus careant. Majores tamen vel reſpirant, vel aliquid reſpirationi analogum habent. Natando enim, aut luctando, vehementer ſe commovent: ſæpe etiam excandeſcunt. Ut non poſſit non iis æſtuare ſanguis circa præcordia. Eoque, quin refrigerio cordis egeant, dubium non eſt. Nec refert, ſi pulmones non habeant; quia pro iis, ſicut communis eſt opinio, bran-

a *Libro de uſu reſpirationis.*

chiæ ſufficiunt ad aëra attrahendum, & aquam; ut libro proximo in piſcium natura plenius exponetur.

Oſtendunt iſta, quantopere hoc curæ fuerit Deo, ut ſpiritus foveretur & mitigaretur, ne momento animal conflagraret. Ob cujus rei tam grande periculum, aliter etiam ſpiritui noſtro refrigerando divina bonitas conſuluit. Nam fit idem per alimenta frigida. Sed is modus eſt lentus, quia ad eum circuitu opus eſt. Fit præterea frigidis vaporibus: uti odore terræ recens effoſſæ; quæ pulcrè compeſcit ardorem ſpiritus. Item ſi humi ſparſeris herbas frigidas aquâ maceratas, paullumve aquis adſperſas. Tales lactuca, nymphæa, folia mori, vel cucumeris, flores violarum, rumices, portulaca, & hujus generis alia. Ut contraria iis virtus ſit, ac aromaticis. Hæc enim, uti & vina generoſa, non ſolùm adſumta in alimentum, ſed odoratu etiam ſuo, ſpiritum reddunt calidiorem; eoque conducunt languentibus: illa verò, quæ antea diximus, reddunt eum frigidiorem, ac propterea apta ſunt robuſtis, ut refrigerato ſpiritu, acrimonia illius, inque depaſcendo vis, retundatur.

Interim non ſemper duo iſti modi ſunt præſtò, noſtræque poteſtatis. Naturalis verò refrigeratio, quæ eſt per reſpirationem, quamdiu noſtræ ſponte ſumus, noſtra eſſe non deſinit. Sunt tamen, quæ hic etiam, ut ne obſit, attendere conveniat. Curandum enim, ne aër nimis expoſitus ſit radiis Solis: qualis ob æſtum ineptus eſt ad magnopere refrigerandum. Par ratio in balneis. Inque amplis etiam conviviis, videas gravidas, & fere imbecilliores omnes, ob halituum copiam, & nidorem ciborum, præſertim ſi laquearia non ſunt alta, & fervens ſit anni tempus, animi deliquium pati, niſi tempori ſibi conſulant, paullisper ſecedendo in aëra frigidiorem, addo & puriorem. Neque enim hos calor modò vexat; ſed etiam craſſities, & impuritas aëris. Optimus igitur aër moderati frigoris, idemque tenuis ac purus; qualis in campis eſt umbroſis, ſed quos venti perflent: item in ſiccis montium jugis, dummodo ne ob nimiam altitudinem vapores in tantum non adſcendant, eoque ea ſit ſubtilitas, ut non ſatis ſufficiant refrigerando cordi: quemadmodum fit in Peruviæ monte Pariacaca, ubi opus ſpongiâ aceto immersâ, ad ſpiritum reficiendum: ut ex Joſepho Acoſta *a* cognoſcere eſt. Hæc de inſpiratione.

a Lib. 3. Hiſtor. Indica, c. 9.

At exſpiratio præſtat, ut purior ſit ſpiritus vitalis. Nam abſque exſpiratione foret, fuligines cor ſuffocarent: cujus exemplum habemus in ſtrangulatis. Quippe venæ ſunt iis intenſiores, protuberant oculi, tota turget facies. Atque inde etiam cognoſcimus, cur morientes exſpirent validiùs, quam inſpirant. Nimirum copia fuliginum major majorem injicit exſpirandi neceſſitatem.

Atque hoſce reſpirationis uſus etiam Ariſtoteles agnovit. Sed alius præterea eſt, de quo tacet philoſophus. At non Hippocrates libro de pueri natura, cùm ait: Πᾶν τὸ θερμὸν τῷ ψυχρῷ τρέφεται τῷ μετρίῳ. *Calidum omne frigido moderato nutritur.* Sanè ſpiritus vitalis, & animalis, non ex ſolo generatur ſanguine; ſed aëra etiam habet admiſtum: nec illo modo ſufficeret ſibi, niſi ab aëre exteriori acciperet alimentum. Puerilis verò error eſt, exiſtimare, eundem prorſus, & qualem aëra attrahimus, exire ſemper. Nam portio ejus remanet intus, ut eo nutriatur ſpiritus, velut ſubſtantiâ maximè cognatâ. Quique aër exſpiratur, non jam purus eſt amplius; ſed fumidos habet vapores admiſtos.

Sunt & alia reſpirationis bona. Ceſſaret enim odoratus, niſi, reſpirantibus nobis, aër externus, quo deferuntur odores, naribus attraheretur. Etiam ejus in loquela uſum poſtea exponemus.

Inſtrumenta reſpirationis trium ſunt generum: quædam ſpiritum deducunt; ut nares, larynx, arteria aſpera: quædam recipiunt; ut pulmones: quædam motui ſpiritus inſerviunt, quales muſculi ſunt. Cùm autem pulmones, ob reſpirationis neceſſitatem, in perpetuo ſint motu: his partibus læſi, ut phthiſici, aut nullam admittunt ſanationem, aut potiùs difficilem ſatis. Aliquando enim juvit peregrinatio in terras longius diſſitas: ut de Annæo Gallione memorat Plinius lib. xxxvi. Addit interea, mederi iter, non ob terram ipſam, ſed propter navigandi longiquitatem. Etiam Plinius junior lib. v epiſt. *a* narrat, ut libertum ſuum Zoſimum eodem miſerit, cùm jam ſanguinem rejectaret: ſalvumque, & ſoſpitem reverſum. Plura de iſto Hieronymus Mercurialis lib. iii de Arte Gymnaſtica, cap. xiii. Hæc de reſpiratione universè.

a Epiſt. antepenultima, quæ ad Paullinum.

Partes reſpirationis ſunt duæ, διαστολὴ, ſive dilatatio, συστολὴ, ſive contractio. Dilatatione cordis attrahitur ex pulmonibus aer: ab hepate etiam ſanguis infunditur in dextrum cordis ventriculum: quò inde (ſed non ſine ambage, ut capite xxi, diximus) in ſiniſtrum cordis ſinum deferatur, atque ibi ex eo elaboretur ſpiritus vitalis. Contractione autem fuliginoſis, & æſtuans aër in pulmones regurgitat. E ſiniſtro etiam cordis ventriculo profunduntur ſpiritus vitales in arterias. Quæ ut, dilatando ſe, recipiunt ſpiritum à corde: ita per occultos corporis meatus expellunt hujuſce ſpiritus fuligines.

In reſpiratione cor ſe habet ratione finis. Fit enim reſpiratio, ut cor refrigeretur, & expurgetur. Pulmoque hic pro ſubjecto eſt: ut quod præcipuum in patientibus obtineat locum: imò nomen ex eo accepit, cùm πνεύμων, unde πλεύμων *b*, ejuſdem ſit originis ac πνεῦμα *c*. Subjectis adde & λάρυγγα, ſive guttur, initium arteriæ aſperæ; quæ aëra primo excipit, poſtremoque emittit. Principale autem agens eſt thorax; qui ſe habet in reſpiratione, ut crura in ambulatione. Agit hic tum per muſculos pectoris, numero lxv; tum per diaphragma ſive ſeptum transverſum. Atque ex his liquet, cur Hippocrates in Prognoſticis dicat, facilem reſpirationem in morbis acutis magnam habere vim ad ſalutem. Siquidem ea argumento eſt, vim animalem, & quæ inſunt thoraci, bene ſe habere. At contrà eſt in difficili reſpiratione; vel denſiori, ut aſthmate, ſive ex vehementi curſu oboriente: ſive ex lento humore in pulmones infarcto: ſive etiam aliunde. Eodem pertinet quoque ὀρθόπνοια, cùm cubantes, ut aſpera arteria ſe dilatet, erigere ſe, rectoque thorace, unde & nomen *d*, ſpiritum ducere coguntur. Hoc eſt, quod Theodorus Priſcianus *e* ait: *ſedendo magis, quàm jacendo, reſpirant.* Accuratè autem ſi noſſe voles, quam variis à cauſſis difficultas reſpirationis obtingat: adi Galenum in iv de locis affectis. In febribus quidem fere ea provenit ab vehementi intemperie partium, quæ reſpirationi inſerviunt. Quod autem ſani etiam, ſi vehementiùs aliquid fuerint meditati, vehementer reſpirent: hoc inde eſt, quia ſic cogitatione in re aliqua fuerint defixi, ut muſculi thoracis, & diaphragma, neglexerint motum reſpirationis. Id cùm diuturnum eſſe non poſſit, ubi ad reſpirandum adigit neceſſitas, ceſſationem eam ſtudent magnitudine συστολῆς, & διαστολῆς, compenſare. Quam rationem etiam Alexander adducit problemate primo libri poſterioris: ſi modò problemata illa ſint Alexandri, quod minimè viſum Theodoro Gazæ; ut Petrus Crinitus ait epiſtolâ ad Picum Mirandulanum ſubditâ tranſlationi Alexandri prioris libri, quam dedit Politianus.

b Pulmo. c Spiritus.

d Non κατ' ἀντίφραξιν, quia depravet reſpirationem, non corrigat: quod veterum aliquos cenſuiſſe, apud Cælium Aurelianum videas Chronium ſive tardarum paſſionum lib. 3. c. 1. e Logici ſui lib. 2. cap. 25.

Cap. XXXIX.

Reſpirationis effectus duplex: palpitatio cordis, & micatio arteriarum: utramque eſſe animalium propriam: non tamen ad vim eorum ſenſitivam, ſed vegetalem pertinere. Cordis motus geminus, diſtentio, & contractio: utrumque à ſua excipi quiete: & quæ utriuſque ſit utilitas: motus iſtos nunc natura convenire, nunc à morbo proficiſci: & cur in palpitatione cordis morbidâ tepeant membra exteriora. Arteriarum motum provenire à motu cordis, contrà quàm credidit Praxagoras. Vim pulſificam non ineſſe arteriarum canali, ſed tunicis. Prout ſe habet cordis διαστολὴ & συστολὴ, ita & arteriarum: atque aliter ſi eſſet, eas ſibi mutuo fore impedimento. Cauſſæ pulſus attinguntur. Utilitas artis ex arteriarum pulſu judicandi, ac medendi: eamque

que Hippocratis temporibus fuiſſe aliquam, ſed, rudem, & imperfectam. Acceſſum ad perſpirationem per poros, & quanta ejus ſit neceſſitas. A poris laxis magis provenire morbos acutos: ab occluſis, diuturnos, item catarrhos. Perſpirationem imprimis prodeſſe calori nativo: & quomodo is calor differat ab influente. Cur hyſtericæ citra reſpirationem poſſint vivere.

HÆc de reſpiratione: quam à voluntate pendêre, ex eo cognoſcimus, quòd omnes eum poſſint cohibere; multi etiam hoc agendo mortui ſint. At diſpar eſt ratio virtutis pulſatilis, quæ reſpirationem conſequitur. Continet ea & motum cordis, & arteriarum. Quorum uterque cum animalium proprius ſit, hoc loco præteriri non poſſunt, ubi exponere illa propoſitum nobis, quæ maximè in homine ſunt admiranda, eoque nos ad Deum quaſi manuducunt. Naturâ tamen ſuâ pertinent ad facultatem vegetativam. Nam vis pulſifica eadem eſt in animantibus, ac facultas vitalis. Hoc ſolùm differunt, quòd *vitalis* dicitur, quatenus ſpiritum procreat vitalem, qui calore ſuo omnium fovet partium calorem. *pulſifica* verò nominatur, quatenus hi ſpiritus vitæ munia exercent. Cumque refero ad facultatem vitalem, eâdem reduco ad naturalem. Diſtinguit quidem Galenus inter naturalem, & vitalem: utraque tamen pertinet ad vegetativam: cùm vitalis ſit pars nutritivæ: nutritiva autem vegetativæ. Priùs de cordis pulſu agemus.

Quemadmodum duæ ſunt reſpirationis partes, inſpiratio, & exſpiratio: ita & geminus eſt cordis motus, διαστολή, ſive *dilatatio*, & συστολή, ſive *contractio*. Ac ut in reſpiratione, ita & hic, diſtentionem quies, quietem contractio, illam iterum quies excipit. Ita enim naturâ eſt comparatum, ut duo contrarii motus non conſequantur ſe nullius interventu: ſed qualiſcunque quies ſemper ſit intermedia: quod fieri etiam videmus in adſcenſu, ac deſcenſu lapidis, ſurſum conjecti. Eo autem ſe cor attollit, atque explicat, ut à pulmonibus attrahat aëra, quo refrigeretur, & alatur. Eo idem ſe contrahit, ut aëra fuliginoſum, & æſtuantem, in pulmones regurgitet, atque hi ſimiliter foras propellant. Quamquam & aliud inde ad nos commodum redundat. Siquidem vitalis per eam ſpiritus fertur in πλέγματος ἢ συστρέμματος χοροειδοῦς, hoc eſt, venularum & arteriolarum in ſuperioribus cerebri ventriculis plexus ac contextus; in quibus ſpiritus vitalis præparatur, & attenuatur, ut fiat animalis.

Cordis motus vel naturalis eſt, cùm cor convenienter, & ob ingreſſum ſpiritus intenditur, & ob exitum contrahitur; vel depravatus, ſive ab venis occluſis, & ſpiritibus interceptis, ſive ob evaporationem bilis, vel aliam intemperiem; ut ex iis liquet, quæ de reſpiratione antea diximus. In morbidâ hac cordis palpitatione exteriora membra non quidem frigent, quia in illis calor remanet nativus: tepent tamen, quia vel calore carent influenti, vel non tantum ejus obtinent, quantum ſatis eſt. Quomodo autem differant hi duo calores, mox exponam.

Sequitur arteriarum motus, qui Hippocrati σφυγμός. Imò is primus ſic vocavit, ut Galenus auctor eſt lib. de differentiis pulſuum. Habet hic motus ſe pro motu cordis: cujus cauſſa eſt, quòd arteriæ ſint continuæ cordi, atque ex ſiniſtro ejus ventriculo ſpiritum accipiant, qui cum tenuiſſimo ſanguine per corpus univerſum diffunditur. Quare nec dubitandum, quin arteriæ non ſuâ moveantur vi, ut Praxagoras credebat: ſed vi cordis influente, idque in tunicas arteriarum. Hæ enim ſunt, quæ cordis vim recipiunt ac deferunt, non cavum arteriarum: quia ſi canalem totum immiſſo calamo obturâris, nihilominus pulſus durat, ceſſaturus continuo, ſi filo vincias arteriam, vel aliter preſſeris. Obſervatum hoc Galeno lib. de pulſuum differentiis. Vim autem pulſificam à corde eo defluere, argumento illo idem comprobavit, quòd ſi arteriam vincias, pulſet ſupra ligaturam, inferiùs non item. Itaque & corde ſe attollente, extollit ſe arteria: eodem ſe comprimente, arteria quoque deprimitur. Hujuſce rei quivis ex ſe capere poteſt experimentum, unam quidem manum admovendo pectori, alterâ autem carpo manûs alterius applicitâ. Etiam Andreas Laurentius *a* refert, ſe in mutorum animantium ſectione expertum, ſimiliter ſe in iis habere pulſum, quem diximus, cordis & arteriarum. Atque aliter ſi foret, contrario eorum motu impediretur refrigeratio, fuligineſque ob contractas arterias abirent in ventriculum cordis ſiniſtrum. Pluribus ibidem Laurentius diſputat adverſus Eraſiſtratum: quem tamen cùm Cardanus, & Scaliger, tum etiam Fernelius, ac Columbus, ſequi maluerunt. Quàm varius ſit pulſus, tabella ſua complexus eſt Gorræus in definitionibus Medicis. Quod ad cauſſas, celeritas ejus provenit à calore; ſive is ſit à natura, ſive à febri, ſive irâ, aliove motu repentino. Tarditas eſt à cordis languore; ut cum ab inimica oppugnatur qualitate. Sed accuratiùs de iſtis Gorræus ibidem, Capivaccius lib. VI Med. Pract. cap. IX; & quis non ex medicorum filiis? Multum verò Deo debemus, tum ob pulſum arteriarum, quia ſine eo vita non eſſet, ut oſtenſum: tum propter artem σφυγμικήν, cujus tenuia ſolùm initia fuere tempore Hippocratis; paullatim verò, juniorum induſtriâ, in ſcientiam tam nobilem excrevit. Quid enim pulcrius, vel humano generi utilius, quàm ſi, manu ſolùm admotâ arteriæ, judicare inde liceat de temperie cordis, & corporis univerſi?

a Lib. 9. Anatom. quæſt. 10.

Habemus, non de reſpiratione modò; ſed etiam duplici ejus effectu, cordis, & arteriarum pulſu. Præter reſpirationem verò, quæ per os fit, & nares, etiam eſt perſpiratio, ſive tranſpiratio: ut docet Hippocrates, ſive mavis Polybus, libro de ratione victus. Suntque & diſflationi ſive perſpirationi huic meatus ſui, quos Græci πόρους vocant. Per hos eadem, ſed gradu diſpari, præſtat perſpiratio, quæ reſpiratio. Nam & in perſpiratione tria efficit aër circumfuſus; refrigerat, pabulum præbet, & recipit fuligines. Niſi enim ope meatuum refrigerarentur interiora, non iis obſtructis accenderetur calor corporis; iiſque apertis idem diſſiparetur calor; ut Galenus ait IX Methodi. Quorum utrumque imprimis liquet, ſi vel fervida, vel frigida admodum ſit aëris conſtitutio. In fervidâ, laxatis poris, inflammatur ſpiritus; unde morbi acuti. In valde frigidâ, poris occluſis, teter vapor nequit exire; unde putredo. Præterea inde humores denſantur; unde deſtillationes, & morbi diutumi.

Cùm verò perſpiratio imprimis refrigerandi cauſſa fiat, maximè inſervit calori nativo: qui in quibuſlibet corporis partibus à generatione, ſive primâ formatione, ex elementali mixtione obtinet; inque iis, quamdiu vivunt, durat: unde non ſolum *nativus*, vel *congenitus*, ſed etiam *fixus*, vel *permanens*, vocatur. Hic calor eſt mitis, ac debilis: eoque non eguit tanto cum aëre commercio, ac calor *influens*: prout vocatur is, qui in corde elaboratur, atque è ſiniſtro ejus ventriculo per arterias in ſingula defertur membra; idque ad juvandum calorem nativum in operando. Is enim amplas ſatis, & gutturis, & pulmonum vias habet, tum ad inſpirationem aëris puri ac frigidi; tum ad exſpirationem ejus jam calefacti, ac fuliginibus inquinati. Innatus autem membrorum omnium calor non niſi per anguſtos cutis meatus vel aëra recipit, qui refrigeret, vel eundem cum fuliginibus tranſpirat. Eſt igitur tum reſpiratione opus, propter calorem cordis: tum tranſpiratione, propter calorem ſingulis in membris. Utrobique etiam tum inſpiratio, tum exſpiratio, concurrit. Sed quandoque fit, ut calor cordis à qualitate vitioſa proſternatur: ac tum ſufficit tranſpiratio ad aliquantiſper vivendum. Ut in hyſtericis: quas citra tranſpirationem vivere, arguit, quòd quædam, cùm mortuæ putarentur, terris ſint mandatæ. At vixiſſe eas, docuit poſtea experientia. Ut illam in Hiſpania, quæ in ſepulchro eſt enixa: item aliam Coloniæ Agrippinæ; cujus ſepulchrum cum noctu eſſet apertum à violatoribus, illa, ſic à furibus, ſed nihil minùs cogitantibus, ſervata, domum rectà abiit. Etiam infan-

tes in utero tantummodo tranſpirant. Solùm etiam perſpiratio eſt inſectis: de quibus poſtea dicetur.

Cap. XL.

Acceditur ad tertium vitæ gradum, qui eſt rationalis: atque ut anima ἁπλῶς viventibus, ita rationalis anima homini principium ac cauſſa ſit triplici ratione. Scientiarum nos excellentiam metiri ex præſtantiâ objecti, uti artium ſæpe ex materiæ vilitate. Doctrinæ de anima utilitas in pluribus diſciplinis. Ut in tribus imago Dei conſiſtat. Ex Theologis antiquis non paucos putaſſe, animas eſſe ſubtiliſſimi corporis. Ut multi è philoſophis crediderint, animam eſſe elementalem. Paucula è multis argumenta, ex quibus conſequi videatur, animam Ariſtoteli eſſe mortalem. Ciceronis error, exiſtimantis ἐντελέχειαν Ariſtoteli notare motionem aſſiduam. Unde ἐντελέχεια dicatur. Quomodo idem forma ſit, ac finis. Etiam Juſtinum Martyrem, & Gregorium Nazianzenum, tradidiſſe, animas Ariſtoteli eſſe mortales. Unde Platonici, & alii, judicarint, animas in corpora derivari. Joannis Grammatici de anima opinio proponitur, & paucis excutitur. Ut nonnulli etiam ex Theologis vetuſtis in homine duas ſtatuerint animas, atque animam ſenſivam perire; ſolamque rationalem interitus expertem putarint: & quorundam judicio, Scripturæ loca, quæ afferuntur pro animæ mortalitate, ad animam ſenſivam, non rationalem, pertinere: & quo pacto iidem μετεμψύχωσιν Pythagoream ad ſanum ſtudeant ſenſum revocare. Hoc de duabus hominis animis olim eſſe damnatum, tum in Jacobitis, tum in Manichæis. Et quid in iſto veterum diſſenſu tutius credatur. Non ſolùm ex Scripturis adſtrui, animas poſt mortem ſupereſſe: ſed etiam finem ignorare. Atque idem è natura comprobari à gentilibus pariter, ac Chriſtianis. Idem conſtare traditione. Cur Apoſtolus imaginem Dei conſtituat in juſtitia, ac ſanctitate: & quomodo hæc duo differant. Eandem conſiſtere in dominio hominis: unde & viris principibus tribuatur Dei *nomen. Qua mente à nonnullis etiam imago Dei in corporibus noſtris agnoſcatur. Platonis, & ejus ſectatorum opinio, animam eſſe hominem, refellitur. Utrùm anima rationalis ſit hominis forma, an potiùs informet animæ rationalis, & corporis organici, in unam eſſentiam conſpiratio, ac conſenſus. Quæſtio etiam mota, utrùm anima ſic corpori uniatur, ut tota ſit in qualibet totius corporis parte; an in ſolo cerebro, aut corde.*

SAtis pro inſtituto noſtro diximus de vita vegetali, ac ſenſiva: quarum prior nobis cum plantis eſt communis, cùm mutis animalibus altera. Nunc, quò nos ſeries perduxit, accedamus ad tertium vitæ gradum, qui prioribus ſuperaddit τὸ ἡγεμονικὸν, ſive partem principalem, & dominam; hoc eſt, vim intellectualem, quæ animæ quaſi anima eſt. Nam ut anima principium eſt animatorum, teſte Ariſtotele in I de Anima, cont. II: ita principium hominis eſt anima rationalis. Quodque Philoponus ad eum locum annotavit; animam ratione viventium omnium trifariam principium eſſe: id de anima rationali ſimiliter ratione hominis dicere poſſumus. Habet enim anima iſta ſe, ut cauſſa efficiens; quia hæc ea eſt, quæ intelligit, & vult: item ut cauſſa formalis, quia per eam homo eſt id, quod dicitur; & finalis, quia corpus nobis datur propter animam, tanquam inſtrumentum. Itaque in omni ſcientia naturali pars nulla hac nobilior eſt. Quò enim id præſtantius eſt, circa quod ſcientiæ verſantur: eò & ſcientiæ ipſæ excellentiæ magis cenſentur: contrà quàm in artibus fieri ſolet, quæ ποιητικαὶ *a* dicuntur. In his ſiquidem ſæpe, quò materia vilior eſt, & fragilior, eò difficilius recipere ſolet artificium; ac proinde eo magis ingenium artificis elucet. Jam ſi dignitatem ψυχολογίας *b* ex uſu metiamur, ſumma ejus utilitas eſt in moralibus, cùm niſi facultates animæ notæ fuerint, virtutum doctrina intelligi non poſſit. Item in Metaphyſicis, & Theologia, quia ad primam philoſophiam pertinet, quatenus ſeparata à corpore ſubſiſtit: & ex ſimilitudine ejus meliùs capiuntur, quæ diſſeruntur de Deo, & intelligentiis.

a Effectivæ.
b Doctrina de anima.

Sed contineamus nos intra excellentiam animæ, quatenus eâ, quod præcipuum eſt, deducimur ad cognoſcendam Dei præſtantiam, qui nos condidit ad imaginem ſuam: ut eſt Gen. I, 26, & V, I: item ad Coloſſ. III, 10. Hæc inter Deum, & animam noſtram, ſimilitudo in tribus attenditur; in eſſentia, in facultatibus, inque habitibus. Ratione eſſentiæ duo quodammodo communia habet cum Deo. Prius eſt, quod ſit ſpiritualis. In quo à philoſophorum variis aberratum fuit. Ut Anaximene, Anaximandro, Anaxagora, & Archelao; qui credebant, aëriæ eſſe naturæ. Item Parmenide, Hippaſo, & Heraclito; qui igneam illi naturam tribuerunt. Empedocles conflabat ex æetherea, & aëria ſubſtantia. Critias componebat ex ſanguine, & humido. Epicurus, Nicoclis filius, ex ſubſtantia ignea, aëria, ſpirituali, & aliâ necdum nomen ſortitâ. Quorum omnium auctor eſt nobis Theodoretus in quincto Græcarum affectionum *a*. Galenus quoque ſtatuit, eam eſſe temperamentum humani corporis: ut cognoſcere eſt ex lib. III de locis affectis, cap. VI, & libro, Quod animæ mores ſequantur temperamentum corporis. Licet idem, lib. VII de uſu partium, nihil certi auſit polliceri; quia, ut ait, naturam animæ non ſatis habeat compertam. Nobis vero ſufficit, quòd anima dicatur ſpiritus, Eccleſ. XII, 7, Eſai. XXVI, 9, Matth. XXVII, 5, Luc. XXIII, 46, Joan. XIX, 30, Actor. VII, 60, & I Cor. II, 11, & VI, 20, & II Cor. VII, I, item ad Hebr. XII, 9.

a Pag. 72. edit. Commel.

Spiritualis autem idem eſt, ac incorporea. Itaque incorpoream fuiſſe Chriſti animam (par aliarum autem ratio eſt) legas quoque in epiſtola Sophronii, patriarchæ Hieroſolymitani, in Concilio Conſtantinopolitano III, ſive Oecumenico VI, Act. XI *b*.

b Pag. 53. col. 1. edit. Colon. an. 1606.

Non tamen *incorporei* vox ſimiliter ab omnibus intelligitur. Receptior hodie opinio eſt, animam ſimpliciter eſſe incorpoream; quia alioqui daretur penetratio corporum. At veterum multis placuit, ſpiritum dici, quia ſit corpus ita ſubtile, ut oculorum fugiat conſpectum. Nec enim, Chriſto teſtante *c*, habet ſpiritum & oſſa. Sic intellexit B. Hieronymus in cap. X Matth. ubi propterea cùm dixiſſet, *Anima inviſibilis & incorporalis eſt*, continuò ſubjungit: *ſecundùm craſſiorem dico noſtri corporis ſubſtantiam.* Unde lucem capit illud Hilarii, Commentario in Matth. cap. V *d*: *Nihil eſt, quod non in ſubſtantia ſua, & creatione, corporeum ſit: & omnium, ſive in cœlo, ſive in terra, ſive viſibilium, ſive inviſibilium, elementa formata ſunt. Nam & animarum ſpecies, ſive obtinentium corpora, ſive corporibus exulantium, corpoream tamen naturæ ſuæ ſubſtantiam ſortiuntur: quia omne, quod creatum eſt, in aliquo ſit, neceſſe eſt.* Etiam ſic, vel aliter, reſtringendum, quòd Joannes Epiſcopus Theſſalonicenſis ait ſynodo Nicena II, initio actionis V: *De Angelis, & Archangelis, & eorum poteſtatibus, quibus & noſtras animas adjungo, ipſa Catholica Eccleſia ſic ſentit, eſſe quidem intelligibiles, ſed non omnino corporis expertes; verùm tenui corpore præditos, & aëreo ſive igneo.* Ac poſtea: *Nemo vel angelos, vel dæmones, vel animas dixerit incorporeas.* Nec ea Joannis verba aliis rejiciuntur, qui ſynodo intererant. De angelis verò plura veterum teſtimonia adduximus lib. I, cap. VI. In hac vocabuli ὁμωνυμίᾳ, tutius cenſeo, propter damnatam in nonnullis opinionem de anima corporali, animam dicere ἀσώματον, ſive *incorporalem*: ut loquitur, inter tot alios, Iſidorus Peluſiota lib. IV, epiſt. CXXV: imò & ſynodus Oecumenica VI. In quo tamen & animæ noſtræ, & angelorum, ut ſic dicam, incorporalitas ab divina differat incorporalitate; meliùs, & certiùs, ſciemus craſſis hiſce corporibus ſoluti.

c Luc. 24. 39.

d In illud Matth. 6. 25: Nonne anima pluris eſt, quàm cibus.

Alterum eſt, quòd anima ſit immortalis. Nam eo quidem à Deo differt, quòd hic, ut infinitus eſt, ſic principii ſit neſcius: iſtud interea cum eo habet commune, quòd ſpiritus ſit nunquam deſiturus. Hoc inde, quòd ad imaginem Dei conditi ſumus, colligit etiam Gregorius Nyſſenus *a*. Pluraque in hanc mentem inferiùs adducam. Peccatum autem in hoc ab Democrito *b*, Dicæarcho, Epicuro; cujus ſententiam, Romanos inter ſcriptores, Lucretius expreſſit. Galenus quoque ſimiliter opinatus: eumque propterea Iſidorus Peluſiota reprehendit, & refellit, lib. IV, epiſt. CXXV. Complurium etiam opinione non multò melior Ariſtotelis opinio fuit. Utcunque enim illam cenſeat eſſe formam ſubſtantialem, nec ſuam debere originem elementis: putant tamen, eam ſtatuere interitui obnoxiam, atque hoc inter cætera eo colligunt, quia, ex opinione ejus, mundus ſit æternus, & nihil ſit actu infinitum: at ſi animæ ſint immortales, eædem ſint infinitæ; & quia aliæ adduntur quotidie, majus aliquid, imò infinitis partibus futurum ſit majus, ipſo infinito: quæ planè ſunt ἀσύστατα *c*. Neque aliter huic argumento occurrere potuit Durandus *d*, quàm dicendo, Ariſtotelem, dum non ſatis circumſpectè quædam tradit, nec attendit, quid ex quoque conſequatur; pugnantia docuiſſe. Ac placuit idem reſponſum Gregorio de Valentia *e*. Etiam, ſecundùm Ariſtotelem, ex nihilo nihil fit; eoque & anima generatur: at quicquid generatur, hoc, ex ejuſdem *f* ſententia, corrumpitur, atque ut principium, ita finem habet. Cui itidem difficile occurritur; niſi vel fateamur, animas putaſſe mortales, vel ſecum pugnare. Præterea Juſtinus Martyr, cohortatione ad Græcos *g*, ait, animam ab Ariſtotele vocari ἐντελέχειαν: atque inde colligit, eſſe mortalem. De quo nihil ſtatuere poſſumus, niſi quid ἐντελέχεια ſit, ſciatur. Si Ciceronem in primo Tuſculanarum quæſt. audimus, ἐντελέχεια fuerit *continuata quædam motio, & perennis.* Sed Joannes Argyropylus vehementer increpare ſolet Ciceronem, quòd non diſtinxerit inter ἐνδελέχειαν, & ἐντελέχειαν, licet diverſiſſima; cùm ἐνδελεχὴς ſit *aſſiduus, continuus:* ἐντελεχὴς *perfectus*; nempe ex ἐντελὲς, & ἔχω; unde ἐντελέχεια *perfectio, conſummatio*: ad verbum *perfectihabiam* tranſtulit Hermolaus Barbarus. Sic autem vocatur, non ἐνέργεια ſive actus vel actio, (quomodo interpretatur quoque Theodoretus *h*) ſed forma eſſentialis: nempe quia hæc ea eſt, quæ adferat rei τὸ ἐντελὲς, hoc eſt, perfectionem, ſive finem ultimum. Nam ἐντελὲς, quod habet τέλος, ſeu finem ſuum. Idem autem ſunt finis ultimus, ac forma. Sed finis dicitur, priuſquam obtinetur; forma, ubi jam introducta. Mirum, à Politiano *i* tam ſtudioſè defendi manifeſtum Tullii errorem: longeque rectiùs de iſto Budæus in primo de Aſſe. Sententia igitur hæc Juſtini Martyris fuit: ſi nihil aliud eſt anima, quàm forma corporis viventis organici: cùm corpus pereat, etiam animam interire. Nam forma nonniſi ratione ſeparatur à materia: ut Ariſtoteles ipſe ait lib. IV φυσικ. ἀκροάσ. text. XII, & lib. IV, text. XVII. Multoque hoc magis conſequitur, ſi per ἐντελέχειαν intelligamus actum, ſive operationem. Et ſanè etiam Gregorius Nazianzenus, orat. I de Theologia *k*, damnat in Ariſtotele hæc duo, τὴν μικρολόγον πρόνοιαν, καὶ τοὺς θνητοὺς περὶ ψυχῆς λόγους· *providentiam exiguis limitibus circumſcriptam, & mortales de anima ſermones.* Ubi per priorem errorem intellige, quòd (ut pluribus hoc explicat Theodoretus in V Græcarum affectionum *l*) τὴν γῆν τῆς θείας κηδεμονίας ἐστέρησε· τὰ γὰρ δὴ μέχρι σελήνης ἰθύνεσθαι ἔφησε τὸν θεόν· τὰ δέ γε ἄλλα ὑπὸ τὴν εἱμαρμένην τετάχθαι· *terrarum orbem divinæ providentiæ exſortem facit: ait enim ad Lunam uſque divinam ordinationem proferri: cætera vero fato eſſe ſubjecta.* Loquitur autem de fato naturali, ſive naturæ neceſſitate: quo de Ariſtotelis errore ſatis dictum lib. II, cap. XLV. Jam quod ad alterum attinet errorem, ibidem Theodoretus de illo quoque conſentit Nazianzeno. Nempe quòd ſenſerit Ariſtoteles τὴν ψυχὴν θνητήν· *animam eſſe mortalem.* Similiterque de philoſopho hoc judicat Cajetanus lib. III de Anima, cap. II. Ut

a *Matrina, ſive diſputatione de anima, & reſurr.*
b *Theodoret. lib. 5. Græcan. affect. p. 72. edit. Commel.*
c *Inconſiſtibilia.*
d *In 2. ſent. diſt. 18. qu. 3. num. 9.*
e *Diſput. 6. gen. de homine, quæſt. 1. de eſſentia animæ, puncto 3. §. 2.*
f *Lib. 1. de cælo, text. 102.*
g *Pag. 6. edit. Commel.*
h *Lib. 5. Græcanicarum affect.*
i *Lib. 1. Miſcell. cap. 1.*
k *Sive orat. 33. pag. 535. edit. Morell.*
l *Pag. 77. edit. Commelin.*

præteream Plutarchum lib. V de placitis philoſophorum, cap. I: atque alios, adductos nobis lib. I hujus operis, cap. X.

Non pauca tamen in Ariſtotele legas, quæ contrarium docere videantur. Sed exigui ea momenti erunt, ſi philoſophum fluctuaſſe in iſto dogmate, nec ſatis ſecum ſemper conſentire, dicamus: ut Scotus *a*, Hervæus *b*, alii voluere: ac præcipuè ea corruunt, ſi putarit, intellectum eſſe aliquid ab animæ ſubſtantia ſeparatum: qua de re agemus inferiùs, cùm explicabimus intellectus agentis naturam. Ut verò Thales, Pherecydes, Plato, animas docuerint immortales; ſatis antea *c* dictum. Ac ſimiliter Pythagoras, Anaxagoras, Diogenes, Empedocles, & Xenocrates, auditor Speuſippi. De quibus teſtis nobis Theodoretus loco antè memorato. Agnoſcit tamen, Anaxagoram, & Empedoclem, elementalem ei originem tribuiſſe; ut vidimus paullo ante. Magis conſentanea illi tradiderunt, qui cum animas putarent æternas, eaſdem credidere cœlitus in corpora deſcendere. Sic à Diis in mundum demitti, tradidit Taurus, deperdito in Timæum Platonis commentario. Etiam Plotinus, Porphyrius, Amelius, animam cælo derivarunt. Heraclides Ponticus è Galaxia: nonnulli ex ſphæris omnibus: alii è locis circa Lunam, vel ſub Luna: ut de ſingulis iſtorum in Eclogis Stobæi Phyſicis legere eſt. Qui omnes, etſi valde errarunt, tamen in eo ſunt laudandi, quòd, licet gentiles, animas tamen crediderint eſſe immortales.

a *In 4. ſent. diſt. 43. q. 2.*
b *Quodl. 1. qu. 11.*
c *Lib. 1. cap. 10.*

Homini Chriſtiano id etiam pro fidei eſt fundamento. Nec enim pro Chriſtianis ſunt habendi Thnetopſychitæ; quos, molli nimis nomine, inter hæreticos refert Joannes Damaſcenus *d*. Hi, circa annum Iↄ XXX, eodem teſte, *hominum animos* (Latinè ſolùm verba ponam, quia Græcè nondum prodiit) *pecudum animis ſimiles inducunt, atque eos, unà cum corporibus, dicunt interire.*

d *Lib de hæreſibus.*

Multis partibus leviùs peccarunt, qui circa annum Chriſti CCXLIX, animas non minùs, quàm corpora, perire putarunt: attamen extremo reſuſcitari judicio. Hi *Arabici* vocabantur; cumque ingens eorum cauſsâ conveniſſet concilium; in eo omnes ad fidem rectam ab Origene ſunt converſi. Vide de illis Euſebium lib. VI Hiſtoriæ Eccleſiaſticæ, cap. XXXVII *e*, Auguſtinum hæreſi LXXXIII, Rufinum cap. XXVII, Nicephorum lib. V, cap. XXIII. Fuere etiam, qui agnoſcerent, animas à morte ſemper ſupereſſe; ſed certiſſimam veritatem mirificè incruſtarent. Qualis ex Chriſtianis philoſophis Joannes Philoponus fuit. Secundùm eum tres homini animæ ſunt: ac primò quidem, ex craſſiori genitura, enaſcitur anima vegetativa; per quam homo vivit vitam plantæ. Deinde, elaborato jam corpore, ex ſanguinis portione ſubtiliſſimâ, enaſcitur ſpiritus; qui ſit ſedes & vehiculum ſenſus. Poſtremo Deus creat animam rationalem; quæ, foris adveniens, cùm vegetativa, & ſenſitiva, ſociatur. Sed, homine moriente, pereunt duæ priores: rationalis autem perrennat, diſpari tamen conditione. Nam animæ impiorum pœnis deſtinantur. Incorporeum quidem non patitur à corporeo: ſed ſubtili hæ veſtiuntur ſpiritu; in quo, pro affectuum ratione, quibus peccarunt, pœnas ſufferunt. Durant hæ, donec corpus ſit conſumtum: interea errant circa ſepulcra, & variis ſe oſtendunt figuris: ſpirituſque nutritur vaporibus, quos is ſpongiæ inſtar attrahit. Corpore autem conſumto, anima cenſetur expiata: eoque ſubvolat in cælum, ſive in ſtellam ſuam, ut in ea piarum inſtar animarum vivat. Quæ omnia ſunt à mente Ariſtotelis aliena; pleraque etiam falſa. Nam quale illud, quod ſpiritum ait eſſe ſubjectum ſenſus? qui potiùs inſtrumentum eſt animæ ſenſitivæ. Aliter ſi eſſet, animatus foret, atque ita anima fuerit forma corporis ſimilaris, non organici. Illa quoque de tali purgatione animæ, nec ratione naturæ ſunt ſubnixa, nec Scripturis, nec traditione Eccleſiaſticâ. Quod creari ait animas, fatemur: non tamen id gentiles videre, quibus ex nihilo nihil. Æternitatem etiam

e *Sive Lat. c. 30.*

rectè ſtatuit: ſed an Peripateticum hoc ſit, jure ambigitur; uti dictum. Illud quoque expendi meretur, quod ait, tres ineſſe homini animas: ubi explicare oportuit (quod & malè Platoni neglectum, Ariſtoteles *a* ait) quomodo uniantur. Et ſi animarum una ante aliam pereat, exempli gratiâ, vegetativa ante ſenſitivam, nonne futurum, ut homo ſentiat, nec nutriatur? Propter quæ Ariſtoteles cenſuit, unam homini eſſe animam: ſed ejus tres eſſe partes, ſive facultates: à parte autem principe denominari rationalem; quæ ſenſitivam, & vegetativam comprehendit, uti circulus quadratum, & triangulum.

Fuere tamen ex theologis Chriſtianis, qui hominem dividerent in ſubſtantias tres; corpus, animam, & ſpiritum: ac ſecundùm hos anima eſt *ἄλογος b*; ſpiritus eſt mens, quam dicimus animam rationalem. Atque hi adferunt pro ſe illud Pauli I ad Theſſal. cap. V: *Ut integer ſpiritus veſter, & anima, & corpus, ſine querela, in adventu domini noſtri Jeſu Chriſti ſervetur.* Ubi Didymus quoque, lib. III de Spiritu ſancto, per ſpiritum intelligit animam rationalem; per animam autem, ſolam ſenſitivam. Ac meminit ejus interpretationis quoque B. Hieronymus epiſtolâ ad Edibiam. Etiam eo ſe tuentur, quòd pugnent inter ſe potentia ſenſitivæ animæ, quæ *carnis* nomine vocatur, quia carni grata appetit; & potentia intellectualis, quæ *ſpiritus* dicitur: atque eo referunt hoc Pauli *c*, *Caro concupiſcit adverſus ſpiritum, & ſpiritus adverſus carnem.* Varia etiam ex Sanctis patribus pro hac opinione adferuntur ab hominibus eruditis: ſed quædam infirmiora. Adducit Robertus Parkerus *d* Tertulliani illud lib. de Carne Chriſti cap. XLI: *Secunda anima in morte plaga partem illam, quæ eſt nobis cum brutis communis, illi eripit.* Ubi per *partem* intelligere facultatem licet. Sic enim Ariſtoteles loqui ſolet. De ſola etiam facultate, non anima diſtincta, capere poſſumus, cùm Gregorius Nyſſenus lib. de Anima ac Reſurrectione, interire ait τὰ θυμικὰ, ϗ ἐπιθυμητικὰ *e*. Sed ſolidiora videntur, quæ adducuntur ex Juſtino Martyre, dialogo cum Tryphone *f*; ubi, abeunte ſpiritu ſupereſſe animam negat: item Irenæo lib. V, cap. VI; quo loco animam, & corpus, ait eſſe adiaphora; at ſpiritum ſemper eſſe bonum. Ac propterea etiam B. Hieronymus in V. ad Epheſios *g* dicere non veretur, ſe ſpiritus mortem nequaquam legere, animæ non ſemel. Parkeri *h* quoque, & aliorum quorundam, opinio eſt, non aliunde faciliùs exſolvi, quæ de mortalitate animæ objectantur è Scripturis *i*. Putant etiam, Pythagoræorum μετεμψύχωσιν non multum continere abſurdi, ſi non aliud per eam intelligatur, quàm ſicut corpora ex elementis compoſita in ſua abeunt principia: ita & animam illam, communem nobis cum mutis animantibus, in ſuam abire materiem. Nec leve interim huic ſententiæ præjudicium adfert, quòd veterum alii hanc damnarunt ſententiam in Jacobo Syro, eo à quo Jacobitæ ſunt denominati; ut ait Damaſcenus de hæreſibus *k*. Ac ſit, ut Jacobi, ſic Jacobitarum mentio, etiam à Timotheo presbytero, vaſorum in Conſtantinopolitana Eccleſia cuſtode, libello de differentia eorum, qui accedunt ad fidem noſtram. habes eum in bibliotheca SS. Patrum *l*: ſed longè idem auctior eſt apud Poſſevinum in Apparatu Sacro *m*. Jacobum illum Monophyſitam, ſive Eutychianum, fuiſſe, ait Nicephorus Calliſtus lib. XVIII Hiſt. Eccleſ. cap. LII. Dogma autem antea memoratum in eo damnat Gennadius Maſſilienſis lib. de Eccleſiaſticis dogmatibus, cap. XV, his verbis: *Neque duas animas eſſe dicimus in uno homine, ſicut Jacobus, & alii Syrorum diſputatores, ſcribunt, unam animalem, qua animetur corpus, & quæ immixta ſit ſanguini; & alteram ſpiritalem, quæ rationem miniſtret: ſed dicimus, unam eſſe, eandemque animam, in homine; quæ & corpus ſuâ ſocietate vivificet, & ſemetipſam ſuâ ratione diſponat, habens in ſe libertatem arbitrii, ut in ſuæ ſubſtantia eligat cogitatione, quod vult.* Quæ etiam habes apud ſcriptorem de Spiritu, & anima, cap. XLVIII. Miretur aliquis, eam in Jacobo Syro damnatam fuiſſe opinionem, quæ non paucorum, nec incelebrium, fuerit ex antiquis. Sed ſic fere fit, ut ſententiæ vel veræ, vel tolerabiles, ſubinde damnentur, ubi illis homines uti cœperunt ad gravem firmandum errorem. At Jacobus ille, ut dixi, Eutychianus fuit. Unde mihi conjectura, ſic eum argumentari ſolere: quemadmodum in homine duæ ſunt animæ; una, rationalis; irrationalis, altera; eæque in unam coaleſcunt naturam: ſic ἐν τῷ Λόγῳ *a*, in unam miſceri naturam, divinam, & humanam. Et ſuſpicio erat Gregorii de Valentia *b*, quando concilio Conſtantinopolitano IV, quod habetur Oecumenicum octavum, (pro Ignatio id, cultuque imaginum, contra Photium anno ɔCCCLXIX celebratum fuit) itidem hæc de animis duabus opinio damnata eſt: non tam id factum eſſe odio hujus ſententiæ, quàm quia abuterentur eâ Manichæi ad hæreſin ſuam fulciendam; quæ iſtiuſmodi erat: duo eſſe principia, unum boni, Deum bonum; mali alterum, diabolum: ac à bono quidem Deo eſſe animam rationalem; à diabolo autem corpus cum anima ſenſitiva. Verba concilii ſunt iſta act. X, can. X: *Cum vetus, novaque lex teſtamenti, doceat, unicam homini, ratione intelligentiâque pollenti, eſſe animam; eandemque ſententiam Patrum omnium, & doctorum ſanctorum Eccleſiæ doctrina firmet: ſunt tamen, qui dicant, duas homini eſſe animas, & quibuſdam vitioſis ratiocinatiunculis ſectam ſtabiliant: ſancta hæc, & œcumenica ſynodus, hujus impietatis conditores cum tota ſecta ſua anathemate damnat, exertâque voce dicit: Quicunque poſthac contraria ſenſerit, anathema eſto.* Sive autem huc reſpexerit concilium, ſeu ſecus; ſaltem eò attendit B. Auguſtinus, quando in Manichæis hanc de duabus animis opinionem tantopere rejicit. Hoc videre eſt libro de duabus animabus contra Manichæos cap. XIV, & lib. VI contra Fauſtum, cap. VIII, & lib. X in Geneſin ad lit. cap. XIII. Quod de Valentiæ opinione paullò antè ajebam, id verba hæc ejus arguunt poſt memoratam Auguſtini contra Manichæos ſententiam: *Id forte etiam octava Synodus citata anathematizare intendit.* Propterea neque idem Valentia, licet ſynodus illa, (quam dixi contra Græcos celebratam) pro univerſali Romanæ cenſeatur Eccleſiæ, opinionem contrariam pro manifeſta hæreſi habet; ſed cautiùs iſtum in modum ſcribit *c*: *Itaque unicam eſſe tantum in homine animam, vel eſt dogma fidei, vel fidei proximum; ut ſine maxima temeritate nequeat contrarium aſſeri.*

Tutius interea videtur, unum ſtatuere animam rationalem; quæ ſenſitivâ quoque, & vegetativâ virtute prædita ſit. Quippe Scriptura ſic loqui amat. Ut in illo Matth. X, 28: *Nolite timere eos, qui occidunt corpus; animam autem non poſſunt occidere.* Ubi videtur ſolum corpus ſtatui corruptibile: animaque omnis humana, ſenſitiva quoque, & vegetativa, incorruptibilis dici. Etiam Geneſ. II, 7, legimus: *Inſpiravit in faciem ejus ſpiraculum vitæ, & factus eſt homo in animam viventem.* Hebraicè eſt נִשְׁמַת חַיִּים, niſmath chaiim: quod eſt, *ſpiraculum vitarum.* undè Cajetanus argutè colligebat, unam eſſe animam triplici vivendi gradu præditam. Nam una, inquit, anima, quia *ſpiraculum*, non *ſpiritus*, dicitur: id verò ſpiraculum non ſolum vitam continet rationalem, ſed etiam duos inferiores vivendi gradus; quia non *vitæ* ſed *vitarum* eſt in Hebræo.

Sed de iſtis ſentiat, quiſque ut volet; dummodo ſpiritum hominis æternum eſſe, ac pro vitâ eam anteactâ credat vel fruitionem cœlorum manere, vel pœnas æternas. Quod cùm Scripturis teſtatiſſimum ſit; mirum ſanè, à nonnullis reponi in dogmatis, quæ neſciremus, niſi ſic Eccleſiæ definiiſſet auctoritas. Hoc ſolum enim Scripturis cognoſci putant, animas poſt mortem ſupereſſe: ut ex eo, quòd Chriſtus latroni ait *d*: *Hodie mecum eris in paradiſo.* Item quòd Matth. X dicitur, homines non poſſe animam occidere: quaſi in ſolum corpus vim habeant. Adhæc cum Luc. X refertur, animam Lazari fuiſſe in ſinu Abrahæ; divitis epulonis, apud inferos. Tum præcipuè, quòd Apoſtolus *e*, ut perfecta ſit immortalitas, fore ſpon-

a Lib. I. de Anima.
b Rationis expers.
c Ad Gal. 5, 17.
d Lib. 2. de deſcenſu Chriſti ad inferos, ſect. 47. ſive pag. 75, 76.
e Iraſcibile ac concupiſcibile.
f Pag. 173. edit. Commel.
Sed ex iis, quæ antea dixerat, de ſola impiorum anima loqui l. quet.
g In illud verſ. 14. Surge qui dormis.
h Loco ante memorato ex lib. 2. de Chriſti deſcenſu ad inferos.
i Eccleſiaſtæ cap. 3. verſ. 19. & 21. quæ ex perſona impiorum dici maluit Thom. 1. part. q. 75. art. 6. ad 1.
k Fol. 584. edit. Baſil.
l Tom. 6. col. 619. & ſeq. edit. 2.
m In Timotheo presbytero.

a In Verbo.
b Theol. controv. Tom 1. diſp. 6 q. 2. puncto 3.
c Theolog. controverſ. Tom. 1. diſp. 6. q. 2. puncto 3.
d Luc. 23, 43.
e 1 Theſſ. 5, 23.

ſpondeat, ut toti, animâ pariter ac corpore, cœleſti beatitudine perfruamur. Hiſce, inquiunt, ac ſimilibus aliquot locis, ſignificatur, animam à morte ſupereſſe: ſed ſemper ſuperfore, id non aliunde ſcimus, quàm auctoritate Eccleſiæ; in qua ubique, ſemper, & ab omnibus, ſic creditum fuit. Sanè ſacroſancta mihi eorum auctoritas, ubi tria hæc concurrunt. Nihilque apertius, quam id definitum eſſe concilio generali VI, act. XI; ubi approbatur epiſtola Sophronii, patriarchæ Hieroſolymitani, recitata in act. XI. Quomodo etiam immortales ſint additur.
a Tom. 3. Concil. pag. 55. & 56. edit. Colon. 1606. Verba ſunt *a*: *Sic hominum animæ permanent incorruptæ, ſic angeli immortales perſeverant; non naturam revera incorruptam, propriève immortalem habentes eſſentiam; ſed gratiam à Deo ſortiti ſunt, quæ immortalitatem largitur, & incorruptionem eis providet.* Quæ & mens Irenæi lib. II, cap. LXIV. Sed enim hoc dogma è Scripturis etiam cognoſcitur. Nam Lucæ XX, 36, legas; eos, qui ad vitam reſurgent, mori amplius non poſſe, quia ſint
b Angelis æquales. futuri *ἰσάγγελοι b*. Atque idem tot in locis docemur, quibus æterna poſt hanc vita promittitur piis. Ut Joan. X, 18: *Ego vitam æternam do eis.* Joan. XVII, 3: *Hæc eſt vita æterna, ut cognoſcant, te ſolum Deum, &, quem miſiſti, Jeſum Chriſtum.* Similiter Joan. V, 24. & VI, 68. Item ad Rom. VI, 23: *Donum Dei eſt vita æterna in Chriſto Jeſu domino noſtro.*

Sed quæſtio eſt, utrùm animæ perennitas aliter etiam, quàm è ſacris cognoſcatur literis, vel etiam Eccleſiæ teſtimonio. Tertulliani quidem eſt libro de Reſurrectione carnis cap. III: *Quædam & naturâ nota ſunt; ut immortalitas animæ penes plures; ut Deus noſter penes omnes.* Quorundam tamen ea opinio eſt, quod de Scripturis aliquos perperam ſenſiſſe, dicebamus, ſolùm inde intelligi, ſupereſſe eas à morte, ut præmium referant, aut pœnas luant: id verè dici poſſe de lumine naturæ. Quippe eo quidem perſpici, cùm Deus ſit juſtus, & bonis hic plurimùm male, malis bene ſit; alteram fore vitam, ubi cuique ſua ſit merces: quo argumento etiam pugnat Chryſoſtomus ſerm. IV de Providentia. Sed enim parum ſolidè hinc concludi de præmii, aut pœnæ æternitate; quia & pœna ſit condigna, ſi ſatis ſit gravis, & diuturna: & præmii quoque abunde ſit futurum, ſi ſeculis duret compluribus. Et huc uſque è gentilibus proceſſere etiam Stoici; quemadmodum diximus è Tullio lib. I, cap. X. Ac firmat idem Theodoretus lib. V Græc. affect. Οἱ Στωϊκοὶ τὰς χωριζομένας τῶν σωμάτων ψυχὰς διαρκεῖς μὲν καθ' ἑαυτὰς ζῆν ἔφασαν· ἀλλὰ τὴν μὲν ἀσθενεστέραν, ἐπ' ὀλίγον. τὴν δέ γε ἰσχυροτέραν, μέχρι τῆς τῶν πάντων ἐκπυρώσεως. *Stoici ſejunctas à corporibus animas ſibi ipſis ad vitam ſufficere affirmarunt: eas tamen, quæ ſunt paullò imbecilliores, exiguo temporis ſpatio ſupereſſe: quæ autem validiores, perdurare uſque ad mundi conflagrationem.* Sed iſtis ſic occurrimus: ut ratione non cognoſceretur immortalitas, traditione tamen cognoſci. Ad quod comprobandum, non cum nobiliſſimo Pleſſæo *c* ad Zoroaſtris ac magorum recurram oracula, vel Triſmegiſti Pœmandrum, aut etiam Phocylidæ ψευδεπιγράφου carmen: quorum nihil non Chriſtiano eſt nomine recentius. Pro
c Lib. de religione Chriſtiana c. 15. iſtis igitur malim dicere, hauſiſſe id gentes ab Abrahamo inter Chaldæos; ab Moſe inter Ægyptios; ab aliis piorum, qui aliis in terris non fiverint gentiles ſalutaris illius doctrinæ eſſe expertes. Sed antiquiora traditionis initia habemus à Noacho; qui, ſic à majoribus, & Deo ipſo, edoctus, hoc inter potentes illos ante diluvium, hoc diluvii tempore in familia ſua, hoc poſtea etiam poſteris ſuis, nunquam deſtitit prædicare. Hinc igitur eſſe putandum, quòd immortalitas animæ ab omni ævo omnibus credita ſit gentibus. Nam gentes in eo conſentire,
d Lib. I. c. 10. etiam Seneca confitetur: cujus verba antea *d* adduximus. Hujus traditionis quoque veſtigia habemus in vetuſtis Græcorum fabulis de campis Elyſiis, & variis apud inferos pœnis; quas apud Homerum legere eſt. Et ne inter Græcos, vel Romanos, me contineam, in hac animæ immortalitate conſpiraſſe videmus Indorum Brachmanes, Gallorum Druidas: item Ægyptios, Thraces, Germanos, gentes alias. Eandem quoque opinionem habent nationes hoc ſeſquiſeculo repertæ: ut narrant, qui eas deſcripſerunt. Aliqua de ſingulis exceperem, niſi id jam feciſſet vir ſummus Ludovicus Crocius, in præclaro Sacræ Theologiæ ſyntagmate lib. II, cap. II. Quare ut lumine naturali eo uſque non pertingeremus; conſtaret tamen hoc traditione, quàm in gentibus etiam barbaris divina providentia conſervavit. Adde quòd traditio hæc ejuſmodi eſt, ut ratio humana nihil valeat comminiſci, quod eam refellat: imò contrà rationi multò magis conſentanea ſit, quàm opinio adverſa. Nec enim dubitandum, quin Deus, quo nihil meliùs cogitari poteſt, ut humanam excitaret ſocordiam ad colenda virtutis officia, ad quæ jure etiam naturæ obligamur, tale præmium propoſuerit, quo majus nullum nobis conveniret. At hujuſmodi non ſit, ſi animis noſtris tandem ſit pereundum. Hæc ſiquidem cogitatio non eſſet mœroris expers, & quo diutius fuiſſemus beati, hoc magis gliſceret dolor, quia eo propiores eſſemus interitui; à quo naturâ ſuâ etiam mutæ abhorrent animantes. Quanto igitur amplius ad mortem, Dei & virtutis amore oppetendam, in animis noſtris poterit, ſi beatitudo nos maneat non diuturna, ſed perpetua. Hoc unum enim eſt, quod maximè nos excitare valeat ad virtutis labores, rerumque caducarum contemtum: ſine quo nos ſemper fere voluptas, propriave utilitas, abriperet ab eo, quod eſt honeſtum, juſtumque. Credibilius igitur eſt, Deum velle, ut perſuaſi potiùs ſimus de felicitate perenni, quàm longa. Quod ſi id nobis voluit perſuaſum, veriſſimum quoque erit: cùm non egeat mendacio, ut ſegniciem noſtram incitet ad virtutem. Jam quanti illud, quòd natura animæ ſit hujuſmodi, ut à nulla re creata dependeat; ſed à ſolo conditore, quem exſtinguere eam velle, credibile non eſt: præſertim cum magis ejus bonitati conveniens ſit, ut hanc velit ſimilem ſibi reddere, quatenus naturæ illius conditio id ferat. Et ſanè in animæ ſimilitudine cum Deo, (ad quam immortalitas etiam pertinet) jam olim felicitatem hominis poſuere Plato, ac Pythagorici. Nihil verò attinet alia etiam repetere, quæ de immortalitate animæ diximus lib. I, cap. X. Dignitas hujus argumenti, & dogmatis neceſſitas, præſertim impiis hiſce temporibus, fecit, ut quia jam eo nos rerum ſeries perduxiſſet, ut ex humanæ naturæ admirandis adſcenderemus ad Deum, pluſcula illis, libro primo memoratis, hoc loco adderemus. Quæ utrobique diximus, multum & lucis, & roboris, capient, ſi adeatur, è gentium ſcriptoribus, M. Tullius, extremo Catone ſuo ſive de Senectute; item Proclus in Alcibiadem. Ex Chriſtianis autem conſulatur Gregorius Nyſſenus de anima, & reſurrectione; Auguſtinus libro, quem de Immortalitate animæ inſcripſit, & Æneas Gazæus in Theophraſto, libro ejuſdem argumenti. Is Zenonis, & Anaſtaſii Impp. temporibus vixit. Nec alius ab eo liber eſt, qui à Conrado Geſnero in bibliotheca, & Joanne Molano in bibliothecarum materie, attribuitur Zachariæ Mitylenenſi. Claruit hic Juſtini, & Juſtiniani Cæſarum ætate: inque actis concilii Oecumenici V non epiſcopus ſolùm, ſed etiam metropolita, nuncupatur. Habes & eodem pertinentia apud antiquiorem eo Claudianum Mamertum Viennenſem libris tribus, quos de ſtatu animæ, adverſus æqualis ſui Fauſti (ejus qui Maſſilienſibus ſeu Semipelagianis favit) de creaturis libellum ad Sollium Apollinarem reliquit. E junioribus ſeorſum hoc argumentum tractarunt Nicolaus Leonicus Thomæus, Ludovicus Vives, carmine item Aonius Palearius. Ut de Gregorio Valentia *a* taceam, & totaliis, qui a Commentariorum ſive Theologiæ Scholaſticæ tom. 1. diſp. 6. qu. 2. punct. 2. ſuperiori, vel ſeculo hoc, ſcripſere in partem primam Summæ Aquinatis. Hactenus de ſpirituali, & immortali animæ eſſentia; in qua potiſſimum Dei ſimilitudo conſiſtit.

Præterea verò anima noſtra imaginem Dei geſſit in facultate intelligendi, & liberè volendi: de quarum utraque poſtea uberum agemus.

Ad-

Adhæc imago ea ſita eſt in habitibus: nimirum ſapientia in mente; in corde autem juſtitia, & ſanctitate: quibus duobus maximè ad Dei ſimilitudinem acceditur: unde & illis Epheſ. IV, 24, imago Dei definitur. Ac ſanctitas quidem Deum, ſive priorem reſpicit tabulam: juſtitia autem ad proximum, ſive tabulam pertinet poſteriorem. Itaque & junxit ea B. Lucas Evangelii 1, 24: *Serviamus illi in ſanctitate, & juſtitia, omnibus diebus vitæ noſtræ.* Sed Adam quidem intelligebat verum ac bonum ſupernaturale: voluntas quoque ejus idonea erat ſequi, quod ſanctimoniæ ac juſtitiæ regula dictabat. Nos verò etſi ab integritate ea longiſſimè receſſimus, eorundem nihilominus habituum, per gratiam Dei, reddimur capaces.

Nec in ſola tamen anima, ſed in toto etiam homine, imago Dei ſita eſt: idque ratione imperii in cuncta animantia, reſque omnes inferiores: ut eſt Geneſ. 1, 26, & 28. Quanquam ſic quoque hic imperii imago toto in homine reluceat, ut interea maximè ad animam pertineat. Nam in eo propriè magis eſt imago Dei, quod cæteris imperat. At imperat homo non tam corporis, quam animæ ratione. Agnoſcit etiam hoc imperium Naſo, cùm ait 1 Metamorph. fab. 11:

Sanctius his animal, mentiſque capacius altæ,
Deerat adhuc, & quod dominari in cætera poſſet;
Natus homo eſt.

Hac in re tamen vir, ob poteſtatem etiam in uxorem, præcellit: ac propterea 1 Cor. XI, 7, κατ' ἐξοχὴν nuncupatur imago, & gloria Dei: quemadmodum & magiſtratus, propter imperium in homines à Deo ipſo attributum, *Dii* appellantur. Unde illud in Pſalmis *a*, *Ego dixi, Dii eſtis.* Quod Chriſtus etiam apud Joannem *b* objicit Judæis; ut doceat, ſi vocentur Dii, qui, cæteris præ hominibus, divini haberent nihil, niſi quòd participes fuiſſent ſermonis divini; uti illi, quos vicem ſuam obtinere juſſit in terris: longe magis hanc Dei appellationem competere illi, qui de cælo deſcendit, atque eſt ipſe Dei Λόγος *c*.

a Pſal. 81. ſive 82. verſ. 6.
b Cap. 10. 34.
c *Verbum, ſive Sermo, vel Ratio.*

Imò nec deſunt viri eruditi, qui in corpore etiam conſpici Dei imaginem exiſtiment. Nam, inquiunt, ſi anima eſt imago Dei, quia ſit immortalis: in corpore etiam fuerit imago Dei. Quippe etſi naturâ ſuâ non ſit immortale, factum tamen eſt ad immortalitatem: partim quia mors non venit in mundum, niſi invidia diaboli *d*: partim quia Chriſtus etiam corpora noſtra redemit *e* ad immortalem vitam. Præterea ſi in anima ratione ſapientiæ, ſanctimoniæ, juſtitiæ, ſimilitudo eſt Dei: eadem in corpore erit, propter eas perfectiones, quæ per corpus exercentur. Quomodo brachium noſtrum fuerit ſimilitudo brachii Dei ſpiritualis, hoc eſt, omnipotentiæ ejus: & ſic cæteris in membris, quæ Deo quoque per ἀνθρωποπαθειαν *f* tribuuntur. Poſſe enim & corporeum eſſe typum incorporei, arguit Apoſtolus ad Hebr. cap. VIII, IX, X; ubi librum, vaſa, victimas, vocat exemplaria, & umbras rerum ſpiritualium. Quanquam verò hæc de imagine divina, in corporibus noſtris conſpicua, plurimùm abſint ab Anthropomorphitarum, & Audianorum errore; qui ita imaginem hanc quærunt, ut Deo membra tribuant humana: longiùs tamen, quàm opus erat, videntur arceſſita: eoque contenti ſumus ponere imaginem hanc, partim in animæ eſſentia, facultatibus, & habitibus; partim in dominio homini in creaturas cæteras collato.

d Sapient. 2. 24.
e Rom. 8. 23.
f *Tralationem ab hominibus petitam.*

Hæc de imagine Dei valde nos debent accendere ad amorem Dei. Quid enim formoſius eſt exemplari divinitatis, ad quod Deus nos dignatus eſt condere? Nec diffitendum, poſt lapſum primorum parentum multum obſcuratam eſſe in homine hanc imaginem: veruntamen ſic quoque magna permanſit ejus dignitas, & excellentia. Quam conſiderans Plato in Timæo, genus humanum vocat θεῖον, ἡγεμονοῦν *g*. Pleniùs M. Tullius, lib. de Univerſitate, ſic locum expreſſit. *Qui tales creantur, ut Deorum immortalium quaſi gentiles eſſe debeant, divini generis appellentur: teneantque omnium animantium principatum.* Idem Plato in primo de Legg. hominem vocat θαῦμα θεῖον *a*. Ciceroni item in primo ejuſdem argumenti homo appellatur *animal providum, ſagax, multiplex, acutum, memor, plenum rationis, & conſilii.* Quæ etſi de homine ſimpliciter dicantur, tamen præcipuè intelligenda ſunt ratione animæ: imò anima eſt ipſe homo, ſi Platonem in Alcibiade audimus: eumque in hoc ſequuntur, qui Platonici vocantur; ante omnes Plotinus Ennead. 1, lib. 1, cap. VI. Ob hancce Platonis opinionem Varro, ut apud B. Auguſtinum *b* legitur, *utrum anima ſola ſit homo, ut ita ſit ei corpus, tanquam equus equiti, quærendum putat.* Sanè, ut ibidem legimus, *Eques non homo & equus, ſed ſolus homo eſt: ideo tamen eques dicitur, quia aliquo modo ſe habet ad equum.* Cæterùm Varro, ut poſtea ſubdit, à Platone receſſit, *hominemque nec animam ſolam, nec ſolum corpus; ſed animam ſimul, & corpus, eſſe arbitrabatur.* Et veriorem hanc eſſe ſententiam, arguit, quòd longè arctior ſit conjunctio animæ & corporis, quam equitis & equi; vel, cui alii aſſimilant, nautæ & navis; ſive, ut generatim loquuntur, ſicut motoris & mobilis. Nec enim corpus ſolum eſt inſtrumentum animæ; ſed eandem recipit ſic, ut una ex duobus fiat ſubſtantia. Unde eſt, quod homo, non autem ſola anima, dicatur videre, audire, imaginari, cogitare, appetere, gaudere, triſtari, ratiocinari, velle. Et quid apertius, quàm non poſſe hominem acquirere ſpecies intelligibiles, niſi beneficio ſenſuum, qui ſunt potentiæ corporis organici? Neceſſe igitur fuit animam ſociari corpori; & ita ſociari, ut unum fierent per ſe. Eſt proinde anima pars hominis; nobilior quidem, pars interim: pars autem non eſt ipſum totum; eoque de hominis eſſentia eſt, ut corpus habeat, ſineque eo anima eſt ſubſtantia imperfecta. Vide Thomam 1 part. quæſt. LXXV, art. IV, Paulum Soncinatem lib. VII Metaph. quæſt. XXVI, & Cajetanum in tractatu de ente & eſſentia cap. V.

g *Divinum, & imperans aliis.*
a *Divinum miraculum.*
b Lib. 19 de civit. Dei cap. 3.

Atque hæc veriſſima ſunt, ſive anima propriè ſit hominis forma, ut communis eſt opinio: ſive potiùs forma dici debeat ejus coexiſtentia, hoc eſt, compoſitio ac nexus eſſentialis cum corpore organico. Neque enim levi adeò tibicine hæc ſententia fulcitur; cùm ubi duæ ſunt partes, quarum utraque ſeparatim ſubſiſtere ſit idonea, unum non poſſit propriè eſſe forma alterius. Atqui Adamo priùs corpus fabricârat Deus, quàm animam illi inſpiraret. Etiam Lazari anima erat in ſinu Abrahæ, cùm ejus corpus eſſet in terris. Adhuc Chriſti corpus pendebat in cruce, cùm anima eſſet in paradiſo. Imò anima etiam in corpore fuerit; nec homo erit; quia partes non coaluerint in unam ὑπόστασιν *c*: ut de Eutycho vivificato à B. Paulo dicebamus libri hujus cap. XX. Quibus ſanè non abſurdè colligi videtur, animam non per ſe & ἀμέσως *d* hominem informare ac conſtituere; ſed animâ cum corpore eſſentialiter ſociata, fieri ὑφιστάμενον *e*, quod hominem dicimus. Id igitur, quod hominem propriè conſtituit, erit conjunctio animæ & corporis: quæ naturaliter ſequitur ultimam corporis diſpoſitionem ad hanc conjunctionem. Unde & homo, etſi non generet animam (quæ ut Adami corpori olim eſt inſpirata, ita nunc quoque à Deo creatis infunditur corporibus *f*) nihilominus dicitur hominem generare: quia eſt cauſſa immediata ultimæ illius diſpoſitionis, ad quam animæ & corporis compoſitionem, quæ hominem conſtituit, naturâ ſuâ ſequi dicebamus.

c *Subſiſtentiam.*
d *Sine ullo interventu.*
e *Subſiſtens, pro quo ſuppoſitum dici ſolet.*
f *Hieronymus epiſt. ad Pammachium, & lib. 2 Apolog. adverſus Rufinum, in qua 12 cap. Eccleſiaſtæ: Theodoretus lib. 4. & 5. de curandis Græcorum affect. Gennad. de Eccleſ. dogm. cap. 14. Leo Magnus epiſt. 93. quæ ad Toribium. Qui omnes id pro certiſſima habent veritate. B. tamen Auguſtinus hic fluctuat incertus ut videre eſt epiſt. 28. quæ eſt ad B. Hieronymum: Eucherius quoque cap. 2 in Geneſin, negat de eo quicquam in Scripturis, vel à Sanctis, manifeſte pronunciari.*

Interea neque illud ſatis eſt apertum, quomodo anima corpori ſocietur: utrùm ſic, ut tota ſit in toto corpore, & tota in quâlibet ejus parte: an potius ita, ut ſecundùm præcipuam ſuam perfectionem, hoc eſt, quatenus eſt rationalis, in cerebro ſit, aut corde. Prius placuit B. Auguſtino lib. VI de Trinitate, cap. VI, & libro contra epiſtolam fundamenti cap. XVI. Et hanc ſequitur P. Lombardus lib. 1, diſt. VIII: uti Lombardum Thomas, atque alii maximo numero. Alterum prætulit Tertullianus lib. de anima cap. VI. Qui & Scripturæ id con-

convenientius cenſet, quia Matth. IX ſit, *Ut quid cogitatis mala in cordibus veſtris?* Et Rom. x, *Corde creditur ad juſtitiam.* Similiter B. Hieronymus in hoc Matth. xv: *De corde exeunt cogitationes pravæ. Ex hoc*, inquit, *loco probatur animæ principale, non ſecundùm Platonem in cerebro; ſed juxta Chriſtum in corde eſſe.* Ubi videmus, prætetito illo modo, ut anima ſit tota in qualibet parte, duo tantum referri; ut in cerebro, vel in corde ſit; quorum poſteriorem amplectitur Hieronymus. Sed ut priorem cum Platone ſequamur, ſic quoque anima ſecundùm principale non erit tota in qualibet corporis parte. Quam opinionem ex Peripateticis etiam rejicit Simon Portius lib. de mente humana cap. VII. Et ſanè difficile eſt perceptu, quomodo anima ſecundùm principalem gradum tota etiam ſit in genu, & digitis pedum: longeque difficilius, quomodo hæc opinio non involvat contradictionem; cùm ſic ſequi videatur, unum idemque totâ ſuâ eſſentiâ eodem temporis puncto quieſcere & moveri, moverique antrorſum, & retrorſum; dextrorſum, & ſiniſtrorſum. Ut ſi ſedens, vel ſtans, pandam brachia verſus meridiem: in ſiniſtra manu anima tota feretur verſus orientem: in dextra, tota verſus occidentem: totaque nihilominus in reliquo quieſcet corpore. Sic ſi ſedens ſurgam, anima tota in poplitibus, & capite ac lumbis antrorſum proferetur: tota in coxendice, & natibus retrorſum. Nec tamen odioſè de eo contendero cum quoquam, gnarus, quàm difficulter, in hiſce mentis humanæ anguſtiis, anima noſtra ſe ipſam intelligat. Quod non de iſto duntaxat: ſed etiam de aliis quibuſdam, ad animam pertinentibus, dictum velim.

CAP. XLI.

Stratonis, & Æneſidemi judicium, idem eſſe ſenſum, & intellectum. Abſurda Pereiræ opinio, canes, cæteraſque mutas animantes, eſſe ſenſus expertes: quas enim operationes earum ajunt ab anima provenire ſenſiva, eas eſſe naturales, ac ſimiles attractioni magneticæ. Præter univerſale diſtributivum eſſe univerſalitatem ratione cauſſæ, vel eſſentiæ, vel prædicationis. Ex ſententia Scoti, etiam in unico individuo, ineſſe univerſalem naturam, ſed potentiâ remotâ: propinquâ verò, ut eadem eſt in pluribus actu individuis: ſed poſt abſtractionem intellectus, haberi univerſale actu: ut univerſale potentiâ, pro diverſo conſiderandi modo, tum in anima ſit, tum extra eam. Etſi rationis expertia pertingant ad notitiam aliquam univerſalem: eſſe tamen eam ſimplicis intelligentiæ: item confuſam admodum, & præ illa humana, umbratilem veriùs: adhæc ad paucula adeò ſe extendere, ut infinitis prope partibus vincatur ab humana. Si ἄνθρωπος dicatur à ſuſpiciendo, id potiùs capiendum eſſe de oculis mentis, quàm corporis. Καλλιώνυμος piſcis, quàm variè appelletur. Eo etiam differre hominem à beſtia, quòd hæc ſolùm attendat bonum præſens, & delectabile: item quòd non liberè operetur, ſed naturæ impulſu, eoque uno ſemper agat modo. Quid Plutarchus in cauſſa eſſe putârit, cur animæ beſtiarum, etſi rationabiles, non tamen ſecundùm rationem operentur. Ut Pythagorei crediderint, non cujuſvis hominis animam in cujuſlibet beſtiæ corpus commigrare: ſed ejuſmodi animantis, cujus ingenium, ac mores, vitæ conveniant anteactæ. Cur iidem animantibus abſtinuerint. Simileque de his Empedoclis judicium. Occurſum Pythagoricis, eo ſe tuentibus, quod omnes unâ colligemur animâ mundanâ. Vulgaris de λυκανθρωπίας opinio refellitur. Quomodo intelligi debeat, quod à Daniele Propheta dicitur de Nabuchodonoſoro, in muti animantis ſenſum, figuramque, converſo.

QUæcunque verò hactenus de imagine Dei, & excellentia animæ rationalis, præ ſenſiva, adduximus, planè corruunt: ſi idem ſunt αἴσθησις, καὶ διάνοια *a*, eoque ſenſus ſine mente eſſe non poſſit. Hæc olim opinio fuit tum Stratonis Phyſici, qui Theophraſti auditor *b* fuit: tum Æneſidemi, qui *c* in Pyrrhonia introductionem conſcripſit. De utroque teſtis nobis Sextus Empiricus adverſus Mathematicos *d*. Hoc conſtituto, conſequitur, vel beſtias non habere ſenſum, cùm non habeant rationem; vel eas, cùm ſenſu præditæ ſint, etiam rationales eſſe. Prior ſententia, quod ſciam, veterum placuit nulli. Sed avorum noſtrorum temporibus amplexus illam fuit Gometius Pereira, Philoſophus ac Medicus Hiſpanus, in opere *e* triginta à ſe annis elaborato: quod, ab Antonii, & Margaritæ, parentum ſuorum, nominibus, *Antonianam Margaritam* inſcripſit. Eandemque opinionem tuetur in Margaritæ hujus apologia, qua objectionibus Michaëlis à Palacios, Theologi Salmanticenſis, reſpondet. Utrobique docet, (ut verbis *f* ejus inſiſtam) *illos motus brutales, quicunque in brutis viſuntur, non fieri à brutis videntibus, aut audientibus, aut guſtantibus, ſeu per quemcunque alium ſenſum exteriorem, ſeu interiorem, vitaliter ſenſifice immutatis: ſed vel ab ſpeciebus objectorum inductis in eorum organis, noſtris ſenſitivis ſimilibus, cum præſentia ſunt ſequenda, vel fugienda: vel à phantaſmatis, cum hæc abſunt.* Nimirum cenſet ea, quæ nos facultati ſenſivæ tribuimus, proficiſci à quadam ſympathia, & antipathia: quemadmodum enim ſuccinum trahit paleas, magnes ferrum; ſic muta animantia trahi à ſpeciebus rerum amicarum: à natura quippe hanc vim eſſe inditam rebus, ut non omnia moveat, ſed res certas: itaque, re amicâ præſenti, maxillas animantis naturâ moveri ad illam recipiendam: re præſenti inimicâ, eaſdem naturâ refugere cibum, planeque averſari. Quod ſi natura voluiſſet ſenſum mutis dare animantibus; daturam etiam fuiſſe mentem: at ea ſic habituras fuiſſe animas indiviſibiles, eoque à corpore ſeparabiles. Hanc ſententiam, ſed prætetito popularis ſui nomine, paucis refellit Franciſcus Valleſius de ſacra philoſophia, cap. LV. Et ſanè ridiculum, imò inſanum eſt, putare, canem non ſentire, cùm videamus, eum odoratu priùs cibos explorare; & prout magis, vel minùs famelicus ſit, vel etiam delicatiùs, aut viliùs ſit eductus; ita vel opipari quid expetere, vel deterioribus eſſe contentum. Itidem videas, ſic dominum ſuum revereri; ſic etiam eos odiſſe, qui malè fecerint; illis adulari, hos adlatrare; ejulare, ſi percuſſeris, ſupplicare, ſi mineris. Et quid apertiùs, quàm coitûs ſic deſiderio affici; catulorum ſic curâ tangi; præ metu etiam aliò eos transferre? Denique multos etiam in annos meminit, & beneficii, & injuriæ acceptæ; ut alia id genus prætercam.

a *Senſus, & cogitatio mentis.*
b *Laërt. lib. 5. ſive in Stratone.*
c *Laërtius in Pyrrho.*
d *Cap. de homine, ſive p. 201. edit. Aurelian.*
e *Excuſo Methymnæ Campi an. 1554.*
f *Apologiâ primi paradoxi.*

Sed ictus hoſce levi amictu exire ſe poſſe Pereira arbitratur. Putat enim, ut nos non ideo rationem tribuimus beſtiis, quia tam multa actus faciant ſimillima humanis: ita neque iis adſcribendum eſſe ſenſum, etſi, quæ agant, ſimillima ſint actibus animæ ſenſivæ. Nec eo movetur, quòd tam diſſimiles ſint animantium actus, imò contrarii prorſus: quia, ut ait, natura etiam pro rebus, in quas agit, contraria operetur. Unde poëta *g*:

Limus ut hic dureſcit, & hæc ut cera liqueſcit,
Uno eodemque igni.

g *Pharmaceutria.*

Sed longum eſſet omnia ex opere tam operoſo hominis & acuti, & docti, adferre pro ridicula ſententia, quam diximus. Nunc ſuffecerit, quòd longè aliter ſacra philoſophetur Scriptura: ut quæ Jobi cap. XXXIX, 28, dicat, equum exhortatione ducum ad bellum incitari: & Jeſa. I, 3, à bove cognoſci poſſeſſorem ſuum, & ab aſino præſepe domini ſui.

Ab hac opinione, qua beſtiæ ſenſus creduntur expertes, ad alteram venio: ſecundùm quam, ut Sextus Empiricus *h* ait, οὐδέν ἐστιν ζῷον ἄλογον, ἀλλὰ καὶ νοῦ, καὶ ἐπιστήμης δεκτικὰ ἐστι πάντα· *nullum eſt animal rationis expers; ſed omnia ſunt intelligentiæ, & ſcientiæ, capacia.* Hanc ſen-

h *Pyrrhoniarum Hypotypoſ. lib. 2. c. 5.*

ſententiam Parmenidi, Empedocli, & Democrito, tribuit Stobæus in Eclogis Phyſicis *a*. Anaxagoras quoque interdum in hanc opinionem inclinavit; teſte Ariſtotele lib. 1 de anima, cap. 11 *b*: ubi agnoſcit quidem, non uno loco dicere, mentem eſſe ejus cauſſam, quod rectè, & pulchrè, ſe habet: ſed addit, alibi tradere, τὸ νοῦν εἶναι τὸ αὐτὸν τῇ ψυχῇ· ἐν ἅπασι γὰρ ὑπάρχειν αὐτὸν τοῖς ζώοις, καὶ μεγάλοις καὶ μικροῖς, καὶ τιμίοις, καὶ ἀτιμοτέροις· *idem eſſe mentem, & animam: mentem enim omnibus ineſſe animalibus, tam parvis, quàm magnis; tam vilioribus, quàm honeſtioribus.* Plutarchi quoque ea eſt opinio, libro, quòd beſtiæ utantur ratione: item lib. de comparatione aquatilium, ac terreſtrium. Adhæc Porphyrii in 111 de Sacrific. Ex junioribus ſimiliter Valla Dialect. cap. 1x, & Antonius Cittadinus in lib. 1 Poſt. Analyt. cap. 111.

a Pag. 93. edit. Plantin.
b Cont. 24.

Moventur hi omnes mirandis illis, quæ à mutis fiunt animantibus. Sed non aliud ex iis evincitur, quàm ineſſe beſtiis umbram quandam, ac ſimilitudinem rationis humanæ: ut non propriè, ſed ſolum κατὰ μεταφορὰν, ratiocinatio iis tribui poſſit. Nec obſtat quòd experientiâ conſtat, etiam beſtias delirare. Delirium enim non rationis, ſed ſenſuum interiorum affectio eſt. Dixeris, à mutis etiam animantibus intelligi univerſalia. Tam enim canes, & feles, quàm infantes noſtros, primùm ignem attingere intrepidè: ſed, ſæpius læſos, diſcere hoc, ut ſibi caveant: nec aliunde id provenire, quàm quia experimento cognorint, ignem urere; eoque tam beſtiam, quàm hominem, ex particularium notitia devenire ad cognitionem rei univerſalis. Equidem non in eo operam inſumam, ut omnis univerſalium notitia beſtiis adimatur. Sufficit, ſi illa hominum, & beſtiarum notitia diſtent immane quantum: ut ſatis liquebit, ſi, quid univerſalia ſint, diſtinctiùs expoſuero. Neque jam loquar de univerſali intentionali, ut ſunt *omnis*, *multus*; quod eſt diſtributivum: ſed de reali duntaxat, cujus univerſalitas conſiſtit (liceat uſitatis Scholaſticorum vocibus uti) vel in cauſſando, vel in eſſendo, vel in prædicando. Primi generis ſunt Deus, & materia prima: quæ à mutis cognoſci animantibus, nemo dixerit. Nàm materia prima non intelligitur, niſi ex ἀναλογίᾳ rerum artificialium; ubi videmus, ea, quorum unum ex altero fit, materiâ convenire; ut omnino de naturalibus, quæ itidem commutantur, idem ſtatui oporteat. Religione autem, & cultu divino, vel maximè à beſtiis diſcernimur. Univerſale in eſſendo vocant, quod aliter *univerſale in multis*: uti illud in prædicando vocatur *univerſale de multis*. Hoc univerſale in multis, uti & illud de multis, trifariam attenditur. Primum, ut eſt ipſum ſingulare, non ἁπλῶς quidem; ſed quatenus in eo conſideratur natura communis per indifferentiam. Exemplo fuerit Sol, qui unicus eſt: & tamen non ſolùm conſideratur, ut ſingulare, ſive ut eſt actu: ſed etiam, ut univerſale in ſingulari illo concluſum. Ac par ratio hominis, conſiderando id tempus, quo ſolus Adam foret. Nam attenditur hic natura humana, tum ut in uno fuit Adamo, ac incommunicabilis erat: tum in ſe, quomodo communicabilis fuit, & actu poſtea communicata eſt Evæ, ac communibus liberis, & poſteris. Priori modo habemus ſummum unitatis gradum, planeque individuatum: ac Scoto dicitur *hæcceitas*. Altero modo eſt minor unitas, quia jam conſideratur natura, ut communicabilis: eſtque univerſale, ſed potentiâ remotâ; ut idem Scotus ajebat. Eſt quidem utrobique res una: attamen conſiderandi modus eſt diverſus. Quippe unum animo obverſatur abſque altero; homo ſine hoc homine. Quis verò dixerit, beſtias ex uno, quod viderint, individuo, mox reapſe cogitationem concipere de naturæ talis communicabilitate cum aliis individuis? Alter autem modus univerſe conſiderandi naturam humanam eſt is, quo ſpectatur, ut jam actu communicata pluribus; puta Evæ, Caino, Abelo, aliis. Dicitúrque hoc univerſale potentiâ propinquâ. Atque id ſolum eſt, cujus confuſam fortaſſe notitiam aliquam beſtia nanciſcatur. Eſtque ea cognitio ſimplicis intelligentiæ. Tertius autem modus conſiderandi eſt in illo, quod univerſale eſt actu: ubi non ſimplex eſt intelligentia; ſed comparativa, ſive in ordine ad ſingularia. Quippe hic natura illa communis conſideratur abſque conditionibus individuantibus: atque ita opponuntur homo, ut eſt ſpecies; & hic homo, puta Adamus, vel Socrates. In triplici hac conſideratione univerſalis in eſſendo, prima ſe habet inſtar hominis vincti; ubi eſt remota ad curſum potentia. Altera inſtar ſoluti, ſed adhuc ſtantis; eſtque propinqua ad currendum potentia. Tertia autem confertur homini actu currenti. Uti verò extra animam non reperitur, niſi actu ſingulare: ita actu univerſale non eſt, niſi in anima. Potentiâ autem univerſale, ſeu illa ſit proxima, ſeu remota, tum in anima invenitur, tum extra animam. Ac quidem extra eam, quia citra conſiderationem noſtram homines conveniunt naturâ communi. In anima autem, quatenus mens communem hanc naturam abſtrahit ab iis, quæ ſingularibus conveniunt, ut talia ſunt: ſic enim opponuntur ſpecies, & individua. Dixeris, univerſale omne eſſe in rebus cum conditionibus individui propriis: eoque falſum eſſe intellectum, ſi aliter conſideretur. Sed, ut rectè ait Ariſtoteles, lib. 11 φυσικῆς ἀκροάσεως cont. xviii, οὐ γίνεται ψεῦδος χωριζόντων. *abſtrahentium non eſt mendacium.* Nempe *abſtrahere* nihil eſt aliud, quam ex rebus conjunctis unum conſiderare ſine altero. Ut ſi in cratere attendas circulum, non materiem auream; in pomo colorem, non ſaporem. Porrò quin illa univerſalis naturæ ab individuantibus conditionibus abſtractio ſit hominis propria, nemo in dubium vocarit. Videmus igitur, ut concedamus, beſtias ad aliquam pertingere notitiam univerſalem; id non niſi ad ſecundam univerſalium notitiam pertinere. Jam hæc ipſa, præterquam quòd confuſa adeo ſit, & diſtinctæ illius umbra; quàm ſanè anguſtis limitibus continetur! Hoc parebit cogitanti, ut prorſus exigua ſit omnis notitia, quam ſingulæ ſpecies beſtiarum ſortitæ ſunt. Canis, ut nôrit leporem ſectari, neſcit cuniculos agere, inſtar leporis. Lepus, ſive cuniculus, ut ſciat cuniculos agere, neſcit venari inſtar canis. Nec ut naturam hanc mutent, humanâ poſſunt inſtitui induſtriâ. Et utcunque paullò latiùs quorundam pateat ſagacitas: ſolùm tamen cura eſt ac ſollicitudo rerum earum, quæ faciunt ad corporis conſervationem. Homo autem ſe diffundit per omne artium genus. Animo complectitur doctrinas univerſas. Quot ejus inventa! Urbes, legeſque condit. Alia innumera utiliter proſpicit. Nec modò cogitat de propinquis; ſed etiam ſpeculatur, quid rerum geratur apud Antipodes. Et, quod omnium præcipuum, animum ipſis infert ſideribus: eorum motus, & magnitudines, obſervat: inde & anni quantitatem, & dierum noctiumque inæqualitatem cognoſcit: deliquia cæleſtia, quotquot fuere, recolligit, futuraque prænunciat. Atque ob iſtorum contemplationem, quæ tam varia eſt, tam miranda, ex communiori opinione, ἄνθρωπος dici putatur, non quidem, quaſi ἀναθρῶν ἃ ὄπωπε, *perſpiciens, quæ vidit*; uti apud Platonem eſt in Cratylo *a*: ſed potiùs, ut eſt apud Etymologum, ex ἄνω, *ſurſum*, & ἀθρεῖν, *videre*; quia Deus, ut Naſo ait *b*,

Os homini ſublime dedit, cælumque tueri
Juſſit, & erectos ad ſidera tollere vultus.

a P. 399. edit. H. St.
b 1 Met. fab. 2.

Nec tamen hic conſiſtendum in oculis corporis. Nam, ut Galenus *c* objectat, ad cælum iis intuendum magis eſt idonea ejus piſcis figura, qui non tantum λύκος *d*, *lupus*, ἡμεροκοίτης *e*, q. d. *de die dormiens*, καλλιώνυμος, ſive *pulchri nominis*; ſed etiam dictus eſt οὐρανοσκόπος *f*, hoc eſt, *cæli ſpeculator*; nempe quia, velit, nolit, ſemper cælum videt; ſic ut neutiquam ſit opus cum reflectere collum; quod in homine exigitur, ſed aſino pariter. Imò & aves collo oblongo, & ſurſum, & quaquavorſum, omnia commodiùs homine intuentur. Quamobrem non quidem negârim, hominem rectum

c Lib. 3. de uſu part. cap. 3.
d Athenæus l. 7.
e Oppianus, & Heſychius.
f Athen. lib. 7.

eſſe conditum, ut videat cœlum, atque inde fortaſſe etiam ἀνθρώπῳ ei nomen datum eſſe: ſed contendo, ſi à ſuſpiciendo ſic dictus eſt, non tam ab operatione ſenſus, quàm rationis, ita nuncupatum: præſertim cùm iis, qui proſâ ſcripſere, ἀθρεῖν potiùs *conſiderare*, quàm *videre*, ſignificet.

Ad intellectum illud quoque pertinet, quòd cùm ſenſus appetat jucundum, fugiat moleſtum: intellectus contrà, ſive ratio, phantaſiam & appetitum moderetur, ac temperet. Atque inde eſt, quòd beſtiæ præferant bona præſentia, ac jucunda: homo autem, dum rationi auſcultat, bonum honeſtum, ac quod poſtmodo erit ſalutare, præponat iis, quæ in præſentia ſummam adferrent delectationem.

Nec intellectu ſolùm homo à cæteris differt animantibus; ſed etiam voluntate; cùm liberè anima agat humana, illa aliorum animalium, neceſſariò. Quippe homo deliberat, an expediat hominem interficere; & ut optimè id fieri queat. Non itidem conſultat felis, an necare murem velit, & quâ id viâ facillimè poſſit. Non enim, uti homo nunc hoc, nunc iſto agit modo; ſed ſimiliter ſemper. Quomodo & hirundines eâdem ſemper ratione nidificant; ſub tectis, non ſub arboribus: araneæ etiam ſimili ratione telas texunt: ut ſatis liqueat, ea ab inſtinctu fieri naturæ.

Atque ex hiſce apparet, quantum operationibus humana antiſtet anima belluinæ. Cæterum Pythagoras, imò, ſi Plutarchum *a* audimus, etiam Plato, arbitrabatur, ſolas quidem hominum animas hoſce nobiliſſimos actus edere: illas verò beſtiarum λογικὰς μὲν εἶναι, οὐ μὴν λογικῶς ἐνεργεῖν διὰ τὴν δυσκρασίαν τῶν σωμάτων, καὶ τὸ μὴ ἔχειν τὸ φραστικόν· *rationales eſſe, tametſi non agant rationabiliter, cùm propter temperamentum inidoneum, tum quod careant facultate eloquendi.* Nec ſanè aliter ſtatui queat; ſi animæ humanæ in alia tranſeant corpora, ſive hominum, ſive rationis expertium: ut Pythagoram ſenſiſſe, etiam in vita ejus legas apud Laërtium, & Malchum ſive Porphyrium: item Plutarchum in Sympoſiacis, Philoſtratum lib. VIII de vita Apollonii. Idem ex poëtis tradunt Horatius lib. I, od. XXVIII, Ovid. XV Metam. Auſonius epigr. in Marcum: ex Grammaticis, Hyginus fab. CXII, & Agellius lib. IV, cap. XI: ex Theologis noſtris, Tertullianus, cùm alibi *b*, tum de anima cap. XXVIII, XXXI, & XXXII, Tatianus adverſus gentes, Origenes in I contra Celſum, Lactantius lib. III, cap. XXVIII, & XXIX, item lib. VII, cap. XXIII, Hieronymus apolog. adverſus Rufinum, & lib. II adverſus Jovinianum: adhæc Chryſoſtomus, Auguſtinus, Cyrillus, alii. Putabant autem Pythagoræi, corpora cuique aptari pro vitæ genere, quod antè egiſſet. Quomodo &, ſecundùm Platonem in X de Legibus, Orpheus à morte eſſet cygnus; Thamyras, philomela; Ajax Telamonius, leo; Agamemnon, aquila. Sic ab iis creditum (verba B. Ambroſii *c* ſunt) *magnorum philoſophorum animas in apes, aut luſcinias, demigrare; ut qui ante hominum genus ſermone paviſſent, poſtea mellis dulcedine, aut cantus ſuavitate, mulcerent.* Ac hoc quidem philoſophis illis tributum pro præmio. Par que ratio pœnarum, quæ manerent improbos. Nam, ut Theodoretus *d* ait, bilis amaritie, & iracundiæ veneno plenos, converti putabant in ſerpentes; rapaces, in lupos; fraudulentos, in vulpes; & ita in cæteris. Atque ejuſmodi (ut Tertullianus *e* vocat) *animæ recidivatum*, etiam credidit Julianus Deſertor: qui & ſe habere ajebat animam Alexandri M. eoque intrepidè adeo ſe præſentibus quibuſque objectabat periculis. Vide Socratem lib. III Hiſtor. Eccleſ. cap. XXI.

Ut autem fœcundus eſt error; cùm Pythagorici putarent, animas eſſe ambulatorias; eandemque nunc hominis, nunc beſtiæ, animam eſſe: propterea quoque abſtinebant eſu carnium; *ne fortè*; ut Tertullianus *f* ait, *bubulam quis de aliquo proavo ſuo obſonaret.* Noti hac de re verſus Ovidii in XV Met. Empedoclis quoque eandem in mentem verſus habemus apud Sextum Empiricum adverſus Mathematicos *a*. Nec dubito, quin Empedocleos illos in animo habuerit Naſo. Iis Siculus ille conqueritur, quòd dum multi interimunt beſtias, & inde ciborum lautitias apparant; ſubinde fiat, ut patrem filius necet, deque eo epuletur; liberi item matres ſuas perimant, ac viſceribus condant.

Ei tuendo inter cætera pugnabant Pythagoræi, quòd unus ſit mundi ſpiritus; quo proinde homo, & beſtia, colligentur, ac regantur: nec vinculum hoc, quo natura, ſive Deus, utrumque eorum obſtrinxit, citra injuſtitiam rumpi queat. Sed non inſcitè hos eo refellit Sextus Empiricus *b*, quòd ſpiritus iſte, quem & mundi animam nuncupant, etiam permeet plantas, ac lapides; & Pythagorici tamen fateantur, nullo naturæ vinculo homines obligari, quo minùs & plantis veſcantur; lapidibus verò, atque aliis, utantur ad uſus ſuos, etiam ſpurcos dixerim.

Imò hoc de ciborum diſcrimine ſponte ſuâ corruit everſo dogmate μετενσωματώσεως, ſive παλιγγενεσίας; quod etiam deſeruit Timæus Locrus, licet Pythagoricus: ſolidèque id diluit Lactantius lib. III, cap. XVIII; ubi ſic loquitur: *Animas de corporibus in aliorum corpora commeare, & vanum, & impoſſibile eſt. Vanum, quia neceſſe non fuit, veteres animas in nova corpora inducere; cùm idem artifex, qui primas aliquando fecerat, potuerit ſemper novas facere. Impoſſibile, quia rectæ rationis anima tam immutare naturam ſtatus ſui non poteſt, quàm ignis, aut deorſum niti, aut in tranſverſum, fulminis modo flammam ſuam fundere.* Mirum interea, Lactantium non ἁπλῶς hic dicere, ἀδύνατον *c* eſſe, ut anima immutet naturam ſtatus ſui; ſed hoc tantùm contendere de anima rectæ rationis. Quare videtur aliter ſenſiſſe de animis impiorum: ut in quos poteſtatem habeat ſpiritus malignus, unde in arte magica verti poſſint in lupos. Cujuſmodi converſionem non ſolùm agnoſcunt Maro *d*, & poëtarum alii: ſed Plinius quoque lib. VIII, cap. XXII. Sed parùm ad rem facit, piine, an impii ſint, quorum animæ in beſtias tranſeant. Omnino enim, ut ex perfecto animali aliud fiat animal perfectum, longè exſuperat vim creatam: quodque Deus creaturis omnibus negavit, id non abſque impietate illis adſcribitur. Nec obſtat confeſſio propria eorum, qui ſe lupos prædicant. Subinde enim morbi eſt genus, quod λυκανθρωπίαν vocant. Proficiſcitur autem à copia atræ bilis: hoc ita hominum phantaſiam depravat, ut videantur ſibi lupi; aliqui etiam, lupino more, oves, vel homines, invadere ſtudeant. Vide Paulum Æginetam lib. III, cap. XVI, & Aëtium lib. VI, cap. X. Talem ſe credidit pater Præſtantii, apud B. Auguſtinum lib. XVIII de Civit. Dei, cap. XVIII. Item Boruſſus ille, de quo Georgius Sabinus in Ovid. VII Metam. Præterea alius Joa. Ewichio lib. de nat. ſag. memoratus; qui, cùm ſibi lupus videretur, ſub fœnum ſe recipiebat, & à ruſticis nimis credulis jam cœperat excoriari, avidis cognoſcere, an non quia λυκάνθρωποι dicantur *e* pellem vertere, pilos interiùs haberet. Equidem vix video, utrùm magis miſereri conveniat miſeri λυκανθρώπου, qui medici ſapientis curæ debuit committi: an potiùs ſimplicium ruſticorum, eum, ut verſipellem, excoriare volentium. Nec enim confeſſioni atrâ bile laborantis; ſed ſuis eos oculis credere oportuit. Et tempora ſunt, cùm nihilo plus ipſi ſapiunt Judices; præſertim, ubi vindictæ, vel lucri ſpes, affulſerit. Ut plerique in collegio eorum ſint viri vitæ integræ: unius tamen alteriuſque impia ſtultitia, ſive malis ſtulta impietas, ſufficeret ad impune illudendum judicium cæteris. Neque propterea exiſtimo, morbo ſemper tribuendum, quoties de λυκανθρώποις in quæſtionem venit. Nec enim pertinaciter inficias iero, ſpiritus malignos, ubi vident ſe nanciſci decipi idoneos, (ut ferè ſunt atrâ bile laborantes) formâ interdum lupi apparere; vel veros excitare lupos, qui oves dilanient, aut alia dent damna; interea verò in melancholicis illis, ſomno ſopitis, ſic

a De placitis philoſoph. lib. 5. cap. 20.

b Adverſus gentes cap. 48. & de Reſurr. cap. 1.

c Lib. de bono mortis cap. 10.

d Epitome divinorum decretorum cap. de Homine.

e De Reſurrect. carn. c. 1.

f Apologetici c. 48.

a P. 331. edit. Aureliana an. 1621.

b Ibid.

c Impoſſibile.

d Ecl. 9.

e Plinius lib. 8. cap. 22.

ſic phantaſiam dirigere, ut hi omnia ſibi agere videantur, quæ faciunt lupi, aut dæmones formâ lupi adſumtâ. Hoc etiam largiar, quandoque homines ipſos in dilaniatione ovium eſſe præſentes: quia; quæ vulnera ſint inflicta lupis, ea illis poſtea compareant corporis humani locis, ac partibus, quæ reſpondeant lupinis. Ut dicendum videatur, homines à ſpiritu malo lupinâ pelle circumveſtiri, aut ex aëre non abſimile quid circumfundi: perque pellem lupinam, ſic membris adaptatam, aut per aëriam ſpeciem facilè cedentem, ita ictus penetrare, ut reapſe iis locis ferro vulnerentur. Vel ſi hoc durius creditu eſt, ſaltem, dum à dæmone, vel lupis veris, iſta fiunt inter pecudes: mali ſpiritus alto ſopitis ſomno vulnera ſimilia infligunt domi: quæ hi foris credunt accepta, quia, quæ foris fierent, in phantaſia à dæmone repræſentarentur domi. Utrumque iſtorum placuerit, extra controverſiam poni debet, nec animas humanas in corpora migrare lupina, nec humana corpora in lupina converti.

Objectant nobis de Nabuchodonoſoro; de quo Daniel *a* narrat, *à filiis hominum abjectum cor ejus cum beſtiis poſitum, & cum onagris habitâſſe, herbam tanquam bovem comediſſe, rore cæli corpus ejus tinctum, donec corpus illius pilis, ſicut aquilæ plumis, veſtiretur; ungues etiam eſſent, ſicut avium.* Sed non tam hæc ſignificant, feram factum; quàm ita efferatum, ut in figura humana feræ eſſet ſimilis, temperamento immutato, corruptâ imaginativâ, ſic ut morbo, eoque lycanthropiæ non abſimili, quadrupes ſibi videretur, atque, ejus inſtar, humani fugiens conſortii, manibus, & pedibus inter feras diu noctuque ſub dio reptaret, gramine etiam veſceretur, pilis & ungnibus inhorreſceret, nec loqueretur, ſed potiùs incondito ſtrideret ſono. Quomodo Rupertus Tuicenſis propheten interpretatus in ſexto de victoria Verbi Dei, cap. poſtremo. Ac ſententiam hanc etiam admittunt, quæ de eo legas apud Gregorium Magnum in Jobum lib. v, cap. vi. Ubi priùs inquit, *In irrationale animal verſus eſt.* Subjicit autem, *Quem communem cum hominibus habuit ſenſum hominis amiſit.* Planeque repudianda eſt ſententia, quam Flavio Joſepho, ſed perperam, tribuunt Nicolaus Lyranus, & Dionyſius Carthuſianus. Item, quæ de ipſo legere eſt apud Dorotheum Tyrium *b*: ſed ſuppoſititium ſcriptorem, judicio etiam Molani, Bellarmini, Poſſevini: fortaſſe Dorotheum, abbatem Romanum, ut viſum Baronio *c*. Scio idem legi apud Epiphanium in vita Danielis. Sed nec opuſculum illud de prophetarum vita, & interitu, magno illi Salaminis apud Cyprios epiſcopo ſatis dignum exiſtimo. Multa adeò ex Thalmudiſtis hauſit incerta, imò falſa. Nec ejus libelli meminit Theologorum veterum quiſquam.

a *Cap. 4. verſ. 22. & 30. & cap. 5. verſ. 21.*

b *In Synopſi de vitiis, ac morte prophetarum, & Apoſtolorum.*

c *Ad Martyrologium Rom. Jun. 5.*

Atque hæc universè ſufficiant de dignitate, & excellentia, animæ humanæ ſupra belluinas. Ac debent iſta nos plurimùm excitare ad amandum, & laudandum Deum, qui nos creârit homines. Sed ut pleniùs aſſequamur tam nobile beneficium; deinceps etiam particulatim, & diſtinctè, vires ſive facultates animæ conſiderabimus. Nam quomodo ſatis grati ſimus, ſi nec eorum fuerimus gnari, quibus nihil majus, ac præſtantius, nobis divina contulit bonitas?

Cap. XLII.

Duas eſſe animæ rationalis facultates; unam intelligendi, volendi alteram. Eas ab anima eſſe re ipſa diverſas; ſed inter ſe differre conſiderandi modo; idque trifariam; objectis, officiis, & operandi ratione. Diſcrimen intellectus agentis, & patientis; idque illuſtratum ſimilitudine lucis, oculi, ac coloris. Quid impulerit Ariſtotelem, ut induceret intellectum agentem. Cur agenti, & patienti intellectui, hæc data ſint nomina. Cur prior intellectus Ariſtoteli vocetur forma formarum, *&* locus earundem. *Quomodo intellectus ſpeculativus è corporibus adſcenderit ad animam, hinc ad intelligentias, inde ad Deum. De triplici mentis operatione; ad quarum tertiam etiam conſcientia pertineat. De operatione intellectus rectâ, & reflexâ. Mens intelligit tum ſingulare à phantaſia repræſentatum; tum univerſale, quatenus univerſalem naturam abſtrahit à conditionibus individuorum. Utrum prior ſit ſingularium, an univerſalis intelligentia. Fœdus Averroiſtarum error de uno hominum intellectu tam patiente, quàm agente, refellitur. Si intellectus agens Ariſtoteli ſit ſubſtantia κατ' οὐσίαν ſeparata ab anima humana; non per eum intellexiſſe intelligentiam infra Lunam humano generi deſtinatam; ſed neque intelligentiam orbis Lunaris; verum mentem ſupremam, quæ diurnum motum efficere putatur: eaque opinio ex Aphrodiſienſi declarata. Nihil opus eſſe, duabus animæ rationalis facultatibus, intellectui, & voluntati, ſuperaddere tertiam, memoriam eorum, quæ ſolâ ratione percipimus.*

Quemadmodum duæ ſunt facultates animæ ſenſitivæ, ſenſus, & appetitus; cui locomotiva ſubſervit: ita & animæ rationalis gemina eſt facultas; una apprehenſiva, quæ eſt intellectus; appetens altera, nempe voluntas. De iis Durandi *a* illa opinio eſt; etſi hæ facultates reapſe differant ab anima; non tamen re ipſa differre inter ſe; ſed unam eſſe potentiam pro diverſis officiis diverſimodè nuncupatam. Contrà Scoti *b* opinio eſt, nec inter ſe, nec ab anima diſcrepare; ſed eas ipſam eſſe animam diverſimodè conſideratam. Tertia eſt opinio Thomæ *c*, uti & Cajetani, intellectum, & voluntatem, & ab anima, & à ſe invicem, eſſe diverſa. Quibus de ſententiis ſic Gregorius de Valentia *d*: *Qualibet ſententia ex his eſt probabilis; neque aliqua illarum manifeſte demonſtrari poteſt; neque magni etiam refert, quanam ſit probabilior.* Interim Scoti ſententiam, ut ferè alias, ita hac etiam parte, ſequi maluit Cæſar Scaliger Exercitat. ccc vii, § 15. Eam his verbis ſatis dilucidè expreſſit: *Intellectus ac voluntas, etſi ſint una res; tamen diſtinguuntur ratione. Sunt enim affectus animæ proprii, non accidentales, ſed una res cum ipſa. Sicut Unum, Bonum, Verum, ſunt affectus ipſius entis: una ſanè res, atque eadem cum ipſo ente. Sed & ab eo, & inter ſe diſtinguuntur per definitionem, ad hunc ſanè modum. Quia in prima natura ſtatuitur ipſum ens. Quæ natura quodammodo ſe ipſam profert, atque efficit, ut ſint Unum, Bonum, Verum. Quæ eſt alia formalitas ab illa prima formalitate, Quia alia eſt apprehenſio entis, ut eſt Ens; alia, ut eſt Unum. Hoc enim ex illo ſequitur, atque ex eo naſcitur; ſed non extra ipſum. Una enim res eſt. Sic una res, anima, intellectus, voluntas. Anima tamen eſſentiam dicit. Intellectus ea eſt ipſa eſſentia, ut apprehendit. Voluntas eſt idem, quod illa eſſentia intelligens, atque extendens ſeſe ad illam rem cognitam potiundam.* Secundùm hanc opinionem, dicendum, eam eſſe animæ ſimplicitatem, ut non agat per quædam ſibi inhærentia; ſed per eſſentiam ſuam, & intelligat, & velit. Mihi Durandi opinio imprimis placet. Nam eam eſſe animæ noſtræ ſimplicitatem, vix in animam induco; eoque non paullo illud ſimplicius ac verius videtur, facultates reverà ab anima differre, ut anima ſit ſubſtantia; facultates verò accidentia ſint, quæ ex ſubſtantia ejus fluant; non per actionem animæ, ſed per ſimplicem emanationem. Sed quicquid eſt de iſto; ſaltem facultates inter ſe non differunt, niſi formaliter, ſive conſiderandi modo. Quod diſcrimen in tribus conſiſtit. Primùm in objectis, quatenus ſunt objecta. Nam licet ens, verum, bonum, ſint ἀντιστρέφοντα *e*: unumquodque tamen apprehenditur, ac cognoſcitur, quatenus ens: appetitur autem, quatenus eſt bonum. Itaque intellectus perficitur cognitione veri; voluntas, fruitione boni. Quod in ſupernaturali etiam beatitudine locum habet. Nam cognitione Dei ad eum acceditur, ut ea ſolùm ſit beatitas inchoata. Ex intellectione illius oritur amor; qui deſi-

a *In 1. diſt. 3. qu. 2.3.4.*

b *In 2. diſt. 16. qu. 1.*

c *Part. 1. qu. 77. art. 1.*

d *Controverſ. Theol. tom. 1. diſp. 6. qu. 3. de potentiis animæ punct. 2.*

e *Reciprocantia.*

niri

niri ſolet appetitus unionis. Volumus igitur Deo frui, ut ſummo bono: unde ſtudium, ut ei ſimiles reddamur. Nam & in ſimilitudine Dei conſiſtit hæc conjunctio cum Deo: quoque ei ſimiliores ſumus, hoc magis tanti boni participes reddimur. Alterum harum facultatum diſcrimen eſt in officiis. Siquidem intellectus eſt ſuadere; voluntatis, jubere. Ubi enim intellectus cognôrit, ac judicârit, aliquid eſſe bonum: ſuadet hoc voluntati, quæ id deinde fieri jubet. Itaque imperium intellectus eſt πολιτικὸν *a*, voluntatis δεσποτικὸν *b*. Tertium, quo differant, eſt in operandi modo. Nam, ut cognoſcatur objectum, ferri illud ad animam oportet: in volendo autem mens potiùs ad proſequendum trahitur objectum.

a *Civile.*
b *Herile.*

Nec quia intellectui tribuimus vim apprehenſivam, eo id cuivis intellectui concedimus, ſed ſolùm patienti: non quaſi duæ ſint ſubſtantiæ diverſæ, quarum una aliquid imprimat phantaſmatis, ut iis conſpectis altera intelligat; ſed quia unus idemque intellectus vim habeat duplicem. Nam intellectus agens, qui Ariſtoteli *c* ποιητικὸς, cauſſa quidem eſt apprehenſionis: non autem, quatenus eſt talis, apprehendit, nec intelligit; ſed hæc ejus beneficio fiunt. Quippe illuſtrat phantaſmata, illuſtrataque offert intellectui, ut Ariſtoteles *d* vocat, παθητικῷ, ſive *patienti*; ut ita eum de potentia in actum deducat. Intellectus autem patiens, ex phantaſmatis ab intellectu agente illuſtratis, elicit ſpecies intelligibiles, per abſtractionem à conditionibus materialibus: atque ita ex intellectu potentiâ fit intellectus actu. Intellectus igitur potentia fit omnia: intellectus ἐνεργείᾳ facit omnia. Perficit enim intellectum potentia, ut fiat id, quod comprehendit. Quibus non parum lucis acceſſerit, ſi intellectum agentem conſideremus inſtar lucis *e*; intellectum patientem, inſtar oculi; phantaſma illuminatum, inſtar coloris actu viſibilis. Quemadmodum enim lumen colores poteſtate viſibiles facit actu viſibiles: ſic & intellectus agens phantaſma poteſtate intelligibile facit actu intelligibile. Præterea ſicuti lumen non ſolum, ſed cum colore conjunctum, locum habet unius agentis in phantaſiam: ſic & intellectus agens non ſolus, ſed phantaſmatibus conjunctus, unum conſtituit agens; ac phantaſma quidem ſive objectum reſpicit, ut ejus actus, & perfectio; intellectum verò patientem, ut agens. Denique quemadmodum lumen facit, ut in corpore quovis non modò tota imago confuſè, ſed & diſtinctè, lineæ etiam minutiſſimæ appareant: ſic intellectus agens facit, ut in phantaſmatis non conſpiciantur duntaxat affectiones principium individuationis ſequentes; ſed omnes rei naturæ, ac quidditates: idque ut intellectus patiens ſumat inde, quod vult, & quod non vult, dimittat: ac propterea ſegreget naturam ſingularem, aſſumat univerſalem; quod *abſtractionem* vocant: ut hinc pareat, eam ſolius eſſe intellectus patientis. Quare intellectus agens nihil aliud eſt, quàm lux à natura mentibus inſita humanis, per quam intellectus patiens, phantaſmatis illuſtratis, actu intelligat. Nempe cùm in anima ſit facultas intelligendi, ac nulla facultas ſive potentia ſit fruſtra, & aliud ſit potentia, quam actus: judicavit Ariſtoteles *f*, præter intellectum δυνάμει *g*, etiam opus eſſe intellectu ἐνεργείᾳ *h*. Imò Simplicius, eo non contentus, duos ſtatuebat intellectus agentes, quorum uno intelligat homo ſe ipſum, & mentes ſuperiores; alter autem illuminet phantaſmata ad intelligenda intelligibilia materialia, quatenus ſunt intelligibilia.

c *Lib* 3. *de Anima, cap.* 5. *ſive aliis* 6. *cont.* 17.
d *Lib.* 3. *de Anima, cont.* 20.
e *Ariſt. lib.* 3. *de Anima, cont.* 18.
f *Lib.* 3. *de Anima, cont.* 17.
g *Poteſtate.*
h *Actu.*

Quod ad appellationes ipſas attinet; quemadmodum intellectus agens ſic dicitur, quia agit in phantaſma, quod illuminat, & in patientem intellectum, quem de potentia in actum deducit: ſic intellectus patiens, judice etiam Averroë *i*, vocatur, quia ſpecies intellectus recipit: recipere autem eſt pati. Sed paſſio hæc eſt non perimens, ſive corrumpens: verùm perficiens: quomodo nimirum luna patitur à Sole, cùm ab ea lumen recipit; aer item à Sole, & Luna. Nec ineleganter ejus nobis naturam Ariſtoteles *k* deſcribit, cùm vocat εἶδος εἰδῶν, *formam formarum*. Nam *forma* eſt reſpectu corporis, quia forma eſt humani corporis, quatenus illud animat; ſive quatenus coalitus ejus cum corpore organico hominem conſtituit. *Formarum* autem additur, quia non utitur organo ad apprehendendas, & cognoſcendas ſpecies intelligibiles; ut facultas apprehenſiva animæ ſenſitivæ facit ad cognoſcendas ſpecies ſenſibiles: ſed ipſamet in ſe formas recipit, quas cognoſcit. Eandem ob cauſſam etiam ab Ariſtotele *a* vocatur τόπος εἰδῶν, *ſpecierum locus*. Cum enim actu nullum ſit ex iis, quæ ſunt; omnia tamen ſpiritaliter recipere, & cognoſcere, aptus eſt. Atque ex his eâdem videre eſt, cur vulgò etiam dicatur *intellectus capax*, *materialis*, *poſſibilis*, *aut potentialis*.

i *In* 3. *de Anima, cont.* 17.
k *Lib.* 3. *de Anima, cap.* 9. *ſive aliis* 8. *cont.* 38.
a *Lib.* 3. *de Anima, cap* 4 *ſive aliis* 5. *com.* 6.

Intellectus patientis duplex eſt munus. Nam vel ſpeculatur, vel agit. Speculando pro fine habet verum: agendo autem ſibi proponit bonum. Quæ ſpeculatur, quatuor ſunt generum; corpora, animæ, intelligentiæ, Deus. Primùm corporea attendit; ubi ante omnia ſingularia conſiderat, inde ſpecies cognoſcit; ut mox pleniùs dicam. A corporeis venit ad cognitionem animæ: atque hic perpendit, ut à conditionibus ſingularium, quatenus ſingularia ſunt, ſpecies abſtrahat: quod vere eſt ipſam animæ intellectionem intelligere. Ab anima ulteriùs provolat ad ſpiritus ab omni materiei concretione ſeparatos: ad quorum notitiam ex animæ cognitione pertingit. Denique ex mentibus ſive ſpiritibus hiſce, qui velut radii ſunt mentis divinæ, ad ipſum adſcendit Deum; eumque ſpeculatur, velut Solem; cujus luce hæ ſplendeant mentes, aliaque omnia.

At quando intellectus ad agendum ſe applicat, ea attendit, quæ à nobis fiunt: ac vel quemque privatim, vel familiam, vel terrarum regimen attingunt.

Altera etiam eſt patientis intellectus partitio, pro triplici ſuâ operatione. Prima eſt cognitio rerum ſimplicium: ut ſunt tum decem ſumma rerum genera, & quæ ſub iis continentur: tum affectiones illis convenientes pro habitudine ac modo conceptus noſtri. Priora dicuntur *notiones primæ*; ſuntque entia realia. Affectiones verò ſunt entia rationis, ac vocantur *notiones ſecundæ*.

Altera operatio eſt conjunctorum: hoc eſt propoſitionum, ſive enuntiationum, quæ Ciceroni *effata* dicuntur. Barbari vocant *complexa*: nec barbarè tamen, cùm non inſcitè tralatio ſit petita à corollis, quæ plectuntur.

Ad ſecundam hancce operationem pertinent αἱ κοιναὶ ἔννοιαι *b*: ut ſunt principia tum theoretica, tum practica, pro duplici conſideratione intellectus, quia vel contemplatur, vel agit; ut antè vidimus.

b *Notiones communes.*

Tertia mentis operatio eſt ex conjunctis diſcurſus, ſive argumentando, ſive ordinando. Argumentatio omnis innititur principiis, de quibus diximus; theoreticis quidem illa, quæ cognitionis gratiâ aliquid colligit: practicis verò, quæ eò ſpectat, ut perficiatur voluntas fruitione boni. Pro quibus duobus duplex eſt vita; contemplativa, & practica: imò quidam & tertiam vivunt, ἀπολαυστικήν, ſive voluptariam. Deque triplici hoc vitæ genere eſt decantatum illud in ſcholis philoſophorum: eum, qui ſecundùm ſenſum vivit, vitam degere belluinam: vivere humanam, qui eam componat ſecundùm intellectum practicum: at qui vitam inſtituat ſecundùm intellectum theoreticum, vitam vivere divinam.

Inter alia, quæ ex principiis practicis concludimus, etiam ea ſunt, quæ dictat cuique ſua conſcientia, ſive συνείδησις, vel συντήρησις *c*. Eſt enim conſcientia ſyllogiſmus, cujus major eſt principium practicum à conſcientia ſuggeſtum: minor eſt bona, malave actio noſtra: concluſio autem actionem ad normam iſtius principii collatam, aut probat, aut improbat: ex quo, pro concluſionis diverſitate, vel tranquillitas animi ſequitur, vel intranquillitas. Porrò hoc quoque conſcientiæ judicium clamat, Numen eſſe, quod omnia gubernet, & cuique pro factis præmia, aut pœnas, decernat: præſertim quando ſua quemque conſcientia vel ſecurum, vel anxium, in iis etiam reddit, quæ mortalium ſciat nemo. Quod in

c *Συνείδησις, quia ſciamus cum legiſlatore Deo, ejus lege ſe inſinuante animis noſtris, & his idem teſtantibus. Συντήρησις ἀπὸ τοῦ συντηρεῖν, quod eſt,* conſervare, *quia eſt habitus principiorum practicorum, quos animus conſervat.*

tyrannis quoque, circa mortem imprimis, locum habet. Apoſtolum vide ad Rom. II, 15, & Sap. XVII, 11. Item B. Bernardum de interiori domo, ſive conſcientia ædificanda.

Tertia autem eſt diviſio intellectus. Unaquæque enim ex hiſce tribus operationibus, quas diximus, vel recta eſt, vel reflexa. Recta, quæ primò fit: ut cùm apprehendo hominem, vel hominem eſſe animal, vel colligo eum habere animam immortalem. Reflexa autem, quando anima cogitat, ſe iſta facere. Sic enim intellectus per reflexionem intelligit ſe ipſum. Imò in omni judicio videtur eſſe intellectus reflexio. Eſt enim judicii opus, ruminare, quod inveneris, vel ab alio didiceris. Id autem quoties fit, ea, quæ priùs animo conceperat, perpendit, ac recognoſcit. Unde & vis ea intellectus à Cæſare Scaligero *a* definitur, *reflexio mentis ſuper priorem notionem.* Pleniuſque antea dixerat *b*: *Judicium ipſa eſt ratio: ſed differt à ſe ipſa reflexione tantùm. Expoſita enim quæ reperit, aut accepit, accuratius recenſet: ac quadam admittit, notas aliis inurit.*

a *Exercitat.* 307. §. 18.
b *Ibid.* §. 5.

Valde autem ratio fugit, tum Alexandrum, Themiſtium, Philoponum, tum Capreolum, Cajetanum, Antonium Mirandulanum; cùm ab intellectu humano cognoſci negant ſingularia. Nam ſi naturæ intellectuali, ut ajunt, repugnaret ea cognoſcere, nec Deus illa intelligeret. De humano autem intellectu, contrarium docemur vel iis, quæ de conſcientia proximè diximus. Atque hæc intelligentia ſingularium etiam à morte permanet: ut cognoſcimus ex divite epulone, Luc. XVI. Objectant nobis, quòd paſſim dicat philoſophus, ſenſum eſſe ſingularium, intellectum univerſalium. Sed enim hoc ſic reſtringendum, ut ſenſus tantummodo ſingularium dicatur: intellectus verò hoc excellentius habeat, quòd univerſalium etiam ſit capax. Sed neque eo modo capit intellectus ſingularia, quo ſenſus. Hic percipit, ut αἰσθητὰ *c*; ille, ut νοητὰ *d*. Quæritur, priuſne ſingularia cognoſcat, an univerſale. Nihil certius, quàm intellectum noſtrum incipere à notitia ſingularium. Interea illud quoque evidens, non cognoſci ſingularia perfectè, ignoto univerſali. Verùm facilè iſta conciliantur. Prius enim cognoſcimus ſingularia cognitione confuſâ. Hinc devenimus in cognitionem maximè univerſalium: quia eorum facillima eſt abſtractio. Tum in iſtorum, quæ minus minùſque univerſalia: ubi abſtractio operoſior. Quoque univerſalia magis cognovimus, hoc diſtinctiori notitiâ ſingularia intelligimus.

c *Senſilia.*
d *Intelligibilia.*

At fœdior hoc ipſo eſt error Averrois lib. III de Anima, cap. V; ubi unum facit omnium hominum intellectum, re ab animæ ſubſtantia ſeparatum, ſed ſingulis conjunctum per inſidentes phantaſiæ imagines; etiam equo, & aſino, lapidi, & metallo, aſſiſtentem; ſed citra fructum, quia materies ſit inepta. Nempe quemadmodum cœlum, & elementa, faciunt σύστημα *e*, quod mundum dicimus: ita cenſet intellectum ipſum patientem, ac animæ facultatem ſenſivam, unum fieri ſecundùm aggregationem, atque ordinem. Itaque bifariam jubet conſiderare hominis intellectum; ut eſt intellectus, & ut eſt forma, quam obtinet, dum nobis unitur. Priori modo ait eum à morte noſtra ſupereſſe; quippe æternum: nec dare homini eſſentiam, ſed uniri illi per operationem ſuam phantaſmatum interventu. Hanc ſententiam etiam ſequitur Antonius Mirandulanus everſ. ſingul. certam. lib. XXXII, ſect. 1, & lib. ſeq. ſect. II, & VI. Similiterque Cardanus *f*: quem propterea reprehendit, ac refellit Cæſar Scaliger Exercit. CCCVI, ſect. 30. Et ſanè ea ſententia Scripturis è diametro averſatur; ut quæ ſuam cuique animam, ſua etiam à morte præmia, & pœnas, adſignent. Itaque & damnari meruit concilio Lateranenſi III, ſeſſ. VIII. Sed neque opinio ea Ariſtotelica eſt. Ariſtoteli enim anima non tantùm eſt operationis principium, ſed etiam actus corporis: nec ſeparatum quid ab animæ eſſentia, ſed ejuſdem animæ facultas. At ſi tantùm per operationes uniretur principium illud, quo intelligimus, & movemur: non jam foret pars eſſentialis compoſiti, quatenus compoſitum; nec homo intelligeret, ſed aliud extra hominem.

e *Compagem.*
f *Commentario de Animæ immortalitate.*

Faciliùs igitur adducar, ut Ariſtoteli cenſeam intellectum patientem eſſe partem ſive facultatem animæ humanæ; ſolumque intellectum agentem eidem eſſe ſubſtantiam, ab anima humana eſſentialiter ſeparatam, atque extrinſecus advenientem, ut animæ noſtræ ſociata ex intelligente δυνάμει faciat intelligentem ἐνεργείᾳ *b*. Sed, præterquam, quòd ſic Ariſtoteli anima humana fuerit mortalis; in controverſia manet, quæ ſit illa ſubſtantia ſeparata, & æterna. Juniorum quorundam opinio eſt, eſſe intelligentiam infra orbem Lunarem hominibus deſtinatam. Sed hoc Ariſtoteles voluiſſe nequit; quia non agnovit dæmones, vel intelligentias ullas, præterquam eas, à quibus cœli volvantur. In duodecimo quidem Metaphyſicorum, cont. XLIII, & XLIV, diſertim ait, tot eſſe ſubſtantias à materia ſeparatas, quot ſunt orbes cœleſtes: harum autem numerum ex Aſtrologia peti oportere. Non igitur agnovit intelligentiam ullam orbe Lunari inferiorem. Quare veriſimilior priorum eſt opinio, qui intellexere intelligentiam, quæ orbem rotet quempiam, præcipuè Lunarem, quippe nobis propiorem. Sed obſtat, quòd ea, & omnes intelligentiæ, à quibus planetarum orbes moventur, ſint virtutes particulares, propriis ſingulæ orbibus applicitæ. Hoc cùm attenderet Alexander Aphrodiſienſis, ſtatuit, intellectum agentem eſſe ipſum Deum, ſive mentem ſupremam: ut quæ, movendo orbes univerſos, univerſum etiam mundum virtute ſuâ conſervet, ac homini quoque vel ad eſſe, vel ad intelligere, ſit neceſſaria. Verùm hic alia ſe offert difficultas. Nec enim facile intellectu, quomodo intelligentia illa nobiſcum uniatur, noſque illuminet; cùm Ariſtoteles, cujus hi ſe interpretes profitentur, non agnoſcat cœlum agere in inferiora, niſi motu & lumine. Hunc nodum ſic exſolvere conatus eſt Simon Portius *c*: quemadmodum Solis virtus agit in inferiora per virtutem corporalem: ſic Deum, vel intelligentiam, agere per virtutem ſpiritualem ex ſeſe emanantem in animam humanam: vimque iſtam foris advenientem, ac ſeſe diſſeminantem per animum, eſſe id, quod Ariſtoteles dixit intellectum agentem. Zabarella *d* idem ſentit; & illuſtrat hanc opinionem eo, quòd Alexander *e* tradat, humanum intellectum, qui poſſibilis, ſive patiens dicitur, eſſe inſtrumentum intellectus divini ad intellectionem producendam: nullum verò agens operetur, niſi in ſubjecto idoneo. Quemadmodum igitur Solare lumen vitrum tranſit, non parietem; lutum indurat, non ceram: ſimiliter lumen ſupremæ mentis intellectionem efficere in ſolo intellectu hominis paribili: quia nulla ſub cœlo res ſit intellectus capax, præter animam humanam. Præterea huic firmando adducit illud ejuſdem Alexandri in primo ſui operis de Anima cap. de Intellectu agente: quòd in omni genere diſtingui oporteat, quid per ſe, & primò; quidque ſecundario tale ſit: quodque ſecundario hujuſmodi eſt, ab illo dependeat, quod primò eſt tale: ac proinde, uti in cunctis viſibilibus primum viſibile eſt lux Solaris, & omnis bonitas eſt ex participatione primi boni, hoc eſt, Dei: ita quicquid intelligimus, intelligibile reddatur à prima intelligentia, ſive numine divino; quod idcirco per ſeparatum illum æternumque intellectum agentem ab Ariſtotele intelligatur. Ac videri poſſit Ariſtoteles eam hauſiſſe ſententiam à Platone: quem ita ſtatuiſſe, Plutarchus tradidit, & ex eo Joannes Philoponus ad lib. III de Anima, cont. I. Utrùm hoc Ariſtoteles ſenſerit, haut facilè dixerim. Equidem difficulter adducor, ut credam, Ariſtoteli fuiſſe perſpectum hunc ſpiritualem agendi modum in mentes humanas. Sanè & apud Ariſtotelem, & Alexandrum, & Themiſtium, atque alios, qui præ cæteris philoſophi mentem putantur aſſecuti, altum ubique de eo ſilentium eſt.

a *Poteſtate.*
b *Actu.*
c *Lib. de mente humana.*
d *Libro de Mente agente cap.* 13.
e *Lib.* 2. *ſui de anima, cap* 4.

Atque hæc dicta ſunto de intellectu, quatenus intelligit. Idem verò etiam conſideratur, quatenus intellecta con-

conſervat: ac memoria intellectualis nuncupatur. Eam Thomas intellectui, & voluntati, ut tertiam animæ rationalis facultatem, ſuperaddit: idque quia non ſolùm retinemus phantaſmata, ſed etiam notiones univerſales, & ſimplices, & complexas. Sed memoria hæc, ut dixi, nihil eſt aliud, quàm intellectus, quatenus ſpecies reſervat. Imò fortaſſe ne id quidem verum eſt, ſpecies ab intellectu retineri. Nam quid ſi dicamus, memoriam (quæ ſenſivæ eſt animæ facultas) reſervare ſingularia: inque iis intellectum intueri naturam univerſalem, quoties lubet. Eſt quidem ad id opus abſtractione, de qua antea diximus: ſed univerſalia ſæpe repetuntur: unde in intellectu habitus oritur facilè abſtrahendi univerſale ab individuo.

CAP. XLIII.

Acceditur ad voluntatem; quæ, ut ab appetitu ſenſivo differat, oſtenſum. Aliter nos finem velle, aliter quæ volumus propter finem: diſcrimen etiam eſſe operum, quæ per naturam poſſumus, & quæ per gratiam: aliter item comparatum eſſe cum libertate angelicâ; aliter illâ piorum in hac vita. Arbitrii libertatem non ineſſe omnibus ſpontaneis; quando & finem ultimum ſponte, ac neceſſariò nihilominus, volumus: ſed verè propriéque ineſſe in illis, ubi poſſis velle, nolle, vel judicium ſuſpendere. Eamque libertatem veteribus etiam ſynodis conſtitui in voluntate: ac Scripturis id conſentaneum videri. Idem ratione comprobatum: atque iis quoque, quæ ex Scripturis obducuntur, occurſum. Non ab judicio determinari voluntatem, ut multorum eſt opinio; ſed à ſe ipſa. Nec poſſe hominem aliter velle malum, quàm prout boni ſpecie veſtitur. Voluntatem eſſe intellectum protenſum: eoque ab intellectu ſolùm conſiderandi modo differre.

PErgamus conſiderare, qualis ſit natura noſtra. Nam quid prodeſt nôſſe mundi cætera, ſi nos ipſos ignoremus? ubi locum habet illud pii, & cordati, Thomæ Kempenſis, *Quando omnia percurriſti, quid, te neglecto, profeciſti?* Nec enim iſta Thomæ verba duntaxat locum habent ratione imbecillitatis noſtræ, quæ nos ſpiritualem quærere medicum jubet, Jeſum Chriſtum: ſed etiam ratione præſtantiæ naturalis; quia abſque hoc fieri nequit, ut cognoſcamus, quod, & quantum ſit Dei beneficium, quod nos condiderit ad imaginem ſui. Quippe, ut antea dictum, non ea tantùm in intellectu, ſed voluntate etiam conſiſtit. Deus enim, & ſapientia eſt, cujus luce mens fulget divina; & juſtitia eſt, cujus plenitudine divina pollet voluntas. Ab intellectu igitur nunc accedamus ad voluntatem, ſive, ut Ariſtoteles appellat, appetitum rationalem: per quem cognita ab intellectu ſub ratione boni, aut mali, proſequimur, vel fugimus. Differt proinde, ab appetitu ſenſivo, quòd hic propoſitum habeat bonum à ſenſu monſtratum; voluntas autem, à ratione oſtenſum. Atque inde liquet, cur ſæpius hi duo appetitus animum in diverſa trahant: dum appetitus ſenſivus ad illud attendit, quod ſuadet phantaſia: appetitus autem rationalis ſequi mavult conſilium intellectûs. Nempe phantaſia non percipit futurum: eoque duntaxat videt, quid in præſentia ſenſibus ſit jucundum: ratio autem, quæ & futurum proſpicit, etiam conſiderat, quid in poſterum proſit. E. G. Ægrotus pharmacum reſpuit appetitu ſuo ſenſivo; quia cogitat eſſe amarum, eoque ſenſui ingratum. Ratio autem dictat, ut ebibat; quia ſic priſtinam recuperare valeat ſanitatem. Accedit etiam, quòd cùm nihil ſit in intellectu, quod non priùs fuerit in ſenſu: priùs judicium ferat phantaſia, quàm ſpecies deferatur ad intellectum. Itaque interdum ſit, ut ſi ingens bonum, malumve, offeratur; appetitus ſenſivus prorumpat ad conſequendum objectum, priuſquam ratio, quid fieri conveniat, juſſerit: unde poſtea ſæpe ſera ſubit pœnitudo.

Non verò unus eſt volendi modus. Nam, ut non uno loco rectè obſervat Thomas Aquinas, voluntas ſe habet bifariam: ut natura appetitiva, & ut principium electionis. Priori modo tendit ad ſummum bonum; quod ubi intellectui cognitum, non poſſumus non id velle. Poſteriori modo ex iis, quæ finem tangunt, liberè aliquid eligimus. Quando finem volumus, quod neceſſitate ſit naturæ, & ſine electione, θέλησις quidem, ſive *volitio*, vocatur; at non βούλευσις, vel προαίρεσις, hoc eſt, *deliberatio*, vel *conſilium*, aut *electio*. Sunt enim hæc eorum, quæ ad finem tendunt. Atque in iſtis eſt, quod Græcis αὐτεξούσιον, Latinis vocatur *liberum arbitrium*.

Sed hìc quoque diſtingui eſt opus. Nam bonorum alia ſunt naturæ, alia excedunt naturam: in prioribus eligendis homo libertate ſuâ utitur: alia expetere nequit, niſi gratia Spiritus ſancti illuminârit. Sive enim intellectum attendas; non habet is fidem principiis naturâ ignotis: ſive conſideres appetitum rationalem; in ea à lapſu primævo, corruptione naturæ, quæ quodammodo ceſſit in naturam, appetitus ſenſivi inſultus reprimi nequit à voluntate, quæ velle nequit ignotum.

Præterea aliter ſe habet libertas in angelis; aliter in hominibus. Quippe in angelis, bonis dico, voluntas naturâ ſuâ, ac neceſſariò, fertur, in id, quod ſpecie eſt bonum; inque eo ſolùm eſt libertas, quòd, ubi omnia adſint, quæ requiruntur ad actum voluntatis eliciendum, poſſit vel hoc bonum eligere; vel bonum aliud præferre. At homo regenitus, eodem tempore, & bonum valet anteferre per gratiam, & malum per naturam: &, quoties utrumque vel bonum eſt, vel malum; uti bonorum unum uni præferre, ita malorum unum alteri queat poſthabere.

Ex his liquet, liberum arbitrium eſſe ipſam voluntatem, quatenus per eam liberè hoc, vel illud, volumus. *Arbitrii* autem vocabulo, etiamſi utique actum potiùs videatur ſignare; hic tamen eo utimur pro facultate: ac quamvis propriè videatur vis intellectus, quia ejus eſt arbitrari, hoc eſt, judicium ferre de eligendis; hic nihilominùs ſumitur pro vi electivâ, cujus actus à voluntate proficiſcitur, & intellectu poſterior eſt. Nec enim in eo ſolùm differt homo à beſtia, quòd is, priuſquam ſponte, & libenter, quid velit, præcedat judicium, ſive apprehenſio intellectus: ſed inſuper, quòd, poſt judicium iſtud, poſſit aliter velle, aut omnino nolle, vel etiam ſuſpendere voluntatem, aliove eam deflectere, quàm ratio monſtrârat. Nimirum poſtquam homo per facultatem intellectivam apprehendit, ac dijudicavit objectum; in idem illud volendi facultate, ut lubitum, fertur; vel ſequendo illud, quod intellectus ſuadet, vel ab eo ſe, quod diſſuadet, avertendo. Nam ut plurimùm quidem homo ſequitur judicium rationis practicum; imò, dum rationabiliter agit, ſemper id facit: poteſt tamen poſt longam etiam deliberationem, vel aliud eligere, quàm ratio dictârat; vel nihil eorum eligere, de quibus erat deliberatum.

Hanc ſententiam etiam confirmat, quòd libertas ſit potentia activa, exſe, ſuaque natura, vim habens, vel exercendi, vel ſuſpendendi actum ſuum: ſicut, poſitis omnibus requiſitis, poſſit agere, & non agere. Atqui ſi voluntas determinetur à judicio intellectus, in determinatione eâ magis ſe habebit paſſivè; quippe mota ab intellectu.

Libertas arbitrii eſt potentia, non re, ſed ratione ſolùm ab intellectu, & voluntate differens. Intellectus non formaliter, ſed radicaliter pertinet ad liberum arbitrium; quia potentia appetitiva ſequitur cognitivam.

Præterea libertas ſignificat indifferentiam. At intellectûs objectum formale eſt veritas: quæ indifferens non eſt, ſed conſiſtit in indiviſibili. Voluntatis autem objectum eſt bonitas: unum verò, idemque & bonum eſt, & malum, pro diverſa conſiderandi ratione.

Ad-

Adhæc ſi judicium rationis ſic exigitur ad agendum, ut voluntas non poſſit non ei conſentire: voluntas nequit, poſitis omnibus requiſitis, velle, aut nolle, vel actum ſuſpendere. Atqui id ſi eſt, voluntas non erit facultas libera; quia, judicio conſtituto, in ſenſu compoſito non erit voluntati vis ad reſiſtendum. Pugnant enim iſta, ut quid ad actum unum determinetur, & liberum tamen permaneat. Quod B. Bernardus vidit libro de Gratia, & libero arbitrio, ubi ait: *Eſt ratio data voluntati, ut inſtruat illam; non, ut deſtruat: deſtrueret autem, ſi neceſſitatem ullam imponeret, quo minus pro arbitrio ſuo ſeſe volveret.* Unde liquet, ex Sancti illius mente, non conſiſtere libertatem in actu rationis: ſed poſt eum exſpectari conſenſum, ſive influxum voluntatis; in cujus poteſtate ſit, vel conſentire, vel conſenſum ſuſpendere.

Adhæc, ut potentiam ad utrumlibet, quæ philoſophis *formalis* dicitur *libertas*, non in intellectu ſitam putem; ſed in voluntate: facit illud, quòd ea 1 Cor. VII, 17, vocetur ἐξουσία περὶ τοῦ ἰδίου θελήματος, *poteſtas ſua voluntatis.* Et Sancti Patres appellant *liberam voluntatem*, & *liberum voluntatis arbitrium.* Ut Ambroſius lib. II de Fide, cap. III, Auguſtinus lib. V. de Civit. Dei, cap. IX, & lib. de Libero arbitrio cap. I: item Damaſcenus Orth. Fid. lib. II, cap. XXV. Præterea illud antiquitati eſt congruentius; ad vocationem efficacem, & vivificationem hominis ſpiritualis, non ſufficere illuminationem mentis; ſed porrò requiri emollitionem cordis. Alioqui nihil opus foret, Deum, poſt lumen intellectus practici, dona infundere in voluntatem: quod adverſatur Patribus Africanis Concilii Carthaginenſis III *a*, can. 5. Verba ejus ſunt: *Item, quiſquis dixerit, eandem gratiam Dei per Jeſum Chriſtum, Dominum noſtrum, propter hoc tantum nos adjuvare ad non peccandum, quia per ipſam nobis revelatur, & aperitur, intelligentia mandatorum, ut ſciamus, quid appetere, quid vitare, debeamus: non autem per illam nobis præſtari, ut, quod faciendum cognoverimus, etiam facere diligamus, atque valeamus: anathema ſit. Cum enim dicat Apoſtolus* b, *Scientia inflat, charitas verò ædificat: valde impium eſt, ut credamus, ad eam, quæ inflat, nos habere gratiam Chriſti: ad eam, quæ ædificat, non habere: cum ſit utrumque donum Dei; & ſcientia, quid facere debeamus, & diligere, ut faciamus: ut, ædificante charitate, ſcientia non poſſit inflare. Sicut autem de eo ſcriptum eſt* c, *Qui docet hominem ſcientiam: ita etiam ſcriptum eſt* d, *Charitas ex Deo eſt.* Unde illud conſequi putamus, lucem ſive infuſam, ſive affuſam intellectui, non ſic afficere, ac dirigere intellectum, ut voluntas pendeat ab eo, velut à cauſſa ad amorem boni determinante, quaſi non poſſit non ei adhærere, & ejus ductum ſequi: ſed ſic pendêre, ut interim homo determinare aliter voluntatem poſſit, quàm ſuaſit intellectus. Hæc ita eſſe, etiam Scripturis firmatur. Ut illo Lucæ XII, 47, & 48: *Ille ſervus, qui cognovit voluntatem Domini ſui, & non præparavit, & non fecit ſecundùm voluntatem ejus, vapulabit multis. Qui autem non cognovit, & fecit digna plagis, vapulabit paucis.* Clarè dicit, vapulare quemvis, qui non fecit voluntatem Domini: magis autem vapulare, qui ſcivit voluntatem ejus, nec fecit. Hoc eſt, cujus mens hactenus illum nacta ſit gradum per gratiam divinam, ut intelligat, quid facto opus ſit; gratiæ interea ductum ſequi nolit.

a *Sive ejus, quod perperam vulgo Milevitanum vocatur: ut oſtendimus Hiſtoriæ Pelagianæ lib. I. cap. 44.*

b 1 *Cor.* 8.

c *Pſal.* 63.

d *Joan.* 5.

Et profectò quis neſcit, errorem in judicio mentis habere locum: culpam moralem ab eo manare principio, quod voluntarium, & liberum eſt? Præcepta etiam divina non intellectui fiunt, ſed voluntati; cujus obedire eſt proprium. Neque obſtat, quòd Apoſtolus Joannes dicat prioris epiſtolæ cap. II, 4: *Qui dicit, Novi Deum, & mandata ejus non ſervat, mendax eſt, & in eo veritas non eſt.* Item cap. IV, verſ. 7, 8: *Quiſquis diligit, ex Deo natus eſt, & novit Deum. Qui non diligit, non novit Deum.* Nec enim hic de quavis eſt cognitione ſermo; ſed ſalutari duntaxat. Ut ſententia ſit, notitiam Dei, charitatis expertem, tanti eſſe, ac ſiquis non cognôrit Deum. Quod locum habet in cunctis, qui Deum norunt; ſed non glorificant eum, nec obediunt, aut qui ab ejus obedientia reſiliunt: ut videre eſt Rom. I, 21, & 2 Petr. II, 20, item 1 Johan. cap. II, & III.

Quamobrem licet fateamur, intellectu non illuminato à Spiritu Sancto, voluntatem erroneo judicii motu neceſſariò ferri in malum: negamus nihilominus, ſi is in tantum ſit illuſtratus, ut clare perſpiciatur cœleſtis veritas, neceſſariò, ſemperque, ex hujuſmodi ſcientia reſultare volitionem ſpiritualis boni.

Quorundam tamen opinio eſt, ut magnes trahit ferrum, ſic à judicio rationis practico trahi voluntatem; eoque non in ſummo quidem bono; quod, ut finis, non poteſt non appeti; in actibus tamen ad finem directis ſic à ratione affici voluntatem, ut hæc non valeat reſpuere, quæ animus vera, rectaque, eſſe agnoſcat. Nam, inquiunt, aut unum eſt objectum, quod animo ſe offert, aut multiplex. Si unicum, quomodo aliud velit voluntas, quàm quod ſolum monſtrat intellectus? Sin multiplex, quomodo non id ſequatur, quod pro illo loco, & tempore, meliùs videatur? Voluntas enim non eſt cæca, ſed fertur in bonum cognitum; electioque eſt præmeditata appetitio uniùs è pluribus: mali verò non eſt appetitus ſub ratione mali. Quanto hæc magis ſpecioſa ſunt, eo digniora, quibus occurratur. Ac primò de unico objecto ſic ſtatuimus: non, ſi intellectus judicet, illud eſſe conveniens loco, temporique: propterea cenſere ideo loco, temporeque, amplectendum. Nam quia in iis, de quibus conſultatio eſt, bonum, malumque, obverſatur; poteſt, poſt latum de convenientia judicium, differre actum in aliud tempus, quo iterum, atque accuratiùs, exquirat. Quâ differendi poteſtate inter alia mutis præſtamus animantibus. Quod ſi plura ſint objecta, poſſint ea eſſe æqualia: poſſint etiam præ inſcitia videri hujuſcemodi. Æqualium petamus exemplum ex intellectu divino. Habuit Deus in infinitæ ſapientiæ ſuæ theſauris alios etiam modos nec meliùs, nec deteriùs, creandi hominis, leonis, arboris, Lunæ, Solis, mundi univerſi. Nec eo non condidit hæc iſtum in modum: ſed in æqualibus liberè modum elegit, quem voluit. Et cui fiat veriſimile, ſi homini famelico duo offerantur panes, quos paris eſſe bonitatis intelligat, paris etiam diſtantiæ eſſe videat; ſic hæſurum eſſe, utrum eligat, ut fame potiùs moriatur, quàm, quia diſcrimen ſit nullum, eo unum præ altero eligat? At, inquiunt, ſemper diſcrimen erit, vel verum, vel apparens. Minimè verò, quia ut in bilance aliquid apponendo, vel demendo, tandem exacta eſt æqualitas: ſic agi hic poteſt, etiam operâ humanâ, dum alter ingenuè ſemper confiteatur, quantillo ex duobus alterum præferat; & ab altero ſemper ſuppleatur, quod deeſſe alter putat; donec tandem nihil habeat, quod oggerat æqualitati. Sed quicquid de homine ſit, ſaltem Deus ea poteſt proponere homini, ubi nihil ſciat diſcriminis: nec tamen nulla eo futura eſt electio hominis, ubi alterutrius eligendi eſt neceſſitas. Quod ſi objecta fuerint inæqualia, poſſis ſic quoque non eligere, quod melius cenſeas: quia id non neceſſarium putes ad finem, quem propoſueris. Sin judicium fuerit, abſque eo non poſſe te pertingere ad id, quod voles: determinabitur quidem voluntas ad id volendum: ſed neceſſitas volendi non fuerit ex proximo judicii actu, ſed prioris actus voluntate. Exemplo fuerit juvenis, qui, vulgivagæ Veneris mala pertæſus, planè decrêrit, uxorem ducere, ſimulac ſe obtulerit virgo bene nata, bene educata, formâ uxoriâ, nec ſuo genere indigna. Offert tandem ſe hujuſcemodi. Judicat igitur hanc ſibi poſcendam uxorem: nec, durante talis ducendæ judicio, poteſt non velle eam conjugem. Sed neceſſitas hujus eſt ex volitione, quam præceſſiſſe multò antè dicebamus; non ex actu judicii, qui proximè anteceſſit.

Neque hinc conſequitur, poſſe voluntatem velle malum, quà malum. Nam intellectus, & voluntas, non ſunt duæ ſubſtantiæ, ſed unius animæ facultates duæ: proprieque anima, ſive homo eſt, qui per facultatem intellectivam dijudicat, perque vim volendi fertur in objectum: atque ita fertur, ut quandoque, relicto bono, quod ratio judicàrat, bonum aliud ſequatur, ſeu verum, ſeu apparens. Tum bono maxime eligendo præfert bonum impar, & inæquale. Sed hoc bonum non eligit ut malum, imò nec ut minùs bonum: ſed ſimpliciter, ut bonum. Nam homini non ſolum ineſt τὸ λογικὸν *a*, unde agit κατὰ προαίρεσιν *b*: ſed etiam τὸ ἄλογον *c*, eoque cum mutis animantibus agere poteſt καθ᾽ ὁρμήν, ſive naturæ inſtinctu. Ut cùm, rejectâ omni cogitatione majoris boni, fertur in bonum minùs eligi dignum: ſive id fiat bruto quodam impetu, ſive more tyranni; cujus illud *d*,

a Rationale. *b Ex conſilio.* *c Ratione carens.* *d Juvenal. ſat. 6. 222.*

Sic volo, ſic jubeo; ſtet pro ratione voluntas.

Nam voluntas etiam, nulla ratiocinatione prævia, quædam imperat, tantùm quia vult. Ut valde fallantur, qui ad volitionem omnem deliberationem eſſe neceſſariam exiſtimant; cùm ſufficiat, ut objectum ſit præcognitum. Plurimùm quidem prævia eſt conſultatio. Non tamen hoc de volitionis eſſentia eſt, cùm etiam, Ariſtotele *e* teſte, ſine ea eſſe poſſit.

e Lib. 7. Ethicor. Nicomachiorum, cap. 8. prope finem.

Nec propterea voluntatem eſſe cæcam exiſtimandum. Nam utcunque intellectus, & voluntas, duæ ſint facultates formaliter: revera tamen una ſunt facultas: nec voluntas aliud eſt, quàm intellectus protenſus ad volitionem. Non igitur ea fertur in bonum incognitum; ſed notitiâ indiget objecti, in quod fertur. Unde licet conſequatur, voluntatem eſſe poſteriorem judicio intellectus: perperam tamen hinc colligunt, judicium hoc eſſe tale, ut abſolutè determinet, aliquid eſſe omnino eligendum: cùm ſufficiat, judicium hoc eſſe ejuſmodi, ut ſtatuat, aliquid inter alia eſſe eligibile. Eoque judicium iſtud non imponit volendi neceſſitatem; ſed relinquit libertatem eligendi. Alioqui intellectus haberet actum per modum imperii; quod voluntatis eſt proprium; non intellectus, qui eſt potentia cognitiva; ac propterea non exercet actum ſuum, niſi per modum apprehenſionis, ſive judicii; quod non deſtruit libertatem.

Hæc eo pluribus ſum proſecutus, quia libertatis hujus nomine multum Deo debemus. Nam quod eſt rationis expers, caret libertate agendi: eoque hominis in eo perfectio conſiſtit, quòd habeat libertatem cum aliis ſubſtantiis ſpiritualibus communem.

Cap. XLIV.

Actus voluntatis, vel elicitus eſt, vel imperatus: ac poſterior hic vel communis nobis cum beſtiis, vel proprius hominis. Canes, gallinas, & ſimiles animantes, loqui, judicio Sexti Empirici: ex opinione autem Lactantii, habere quid ſimile loquelæ; quem quaſi ſermonem nos licet non capiamus, ipſæ tamen animantes naturâ intelligant. Aſinam Bileami non intellexiſſe, quæ ipſa diceret; uti nec ſerpentem, cum loqueretur Evæ; neque canes, aut boves, qui in hiſtoriis Romanis ſæpius locuti leguntur. Apollonii Tyanei dolus, ſimulantis ſe avium linguam intelligere; ſed fine bono, ut ſic Epheſios faciliùs ad concordiam redigeret. Antonii Delrio geminus error. Vana Erici Norvegiani jactatio. De cane Simonis magi, tauro Rhodio Iovi ſacrato, pico Martieno, columbis Dodonæis, equo Xantho, Argonavi, ulmo gymnoſophiſtarum, Cauſo flumine, uſi illud Neſſum malis dicere: quibus omnibus ſermonem humanum ſtulti tribuêre gentiles. Quinque inſtrumenta loquelæ; guttur, ſive aſpera arteria, palatum, lingua, labium, & dentes: & ut pro iſtis magiſtri Hebræi ſuas dividant literas. Cur idiomata ſermonis vocemus linguas. Miracula elinguium, qui loquerentur. Ex Ariſtotelis opinione, vocem à corde provenire: & quid eum in hanc impulerit opinionem: & ſententia huic obductum, quod & canes ſonum edant, & homines loquantur, corde exemto. Fabula rejicitur de Cercyda, & filio Polycriti Ætoli, & capite tum Publii, præfecti militaris, tum Orphei; de quo, an fuerit unquam, jam olim eſt dubitatum, & ut verè fuerit, ſexcentis ſit annis antiquior Cyro; cujus temporibus mortem regis prædixiſſe fingitur. Quæ loquelæ materia, quæ forma. Mentiri etiam homines verum dicendo, ſi falſum putent: & veraces eſſe, falſum dicentes, dummodo verum exiſtiment. Quâ mente Plato dicat, voces naturâ ſignificare. Refelluntur, qui cenſent, hoc peculiare eſſe linguæ Hebrææ, quod ea ſit à natura. Ne illud quidem controverſiâ carere, utrum lingua Hebræa, an Syra, vel Chaldæa, ſit antiquior. Hebræis unde datum nomen. Nihil ſolidi pro iis poſſe adferri, qui nos poſt hanc vitam ajunt Hebraice locuturos. Quorundam judicio, quòd furore correpti, linguâ loquantur, quam nunquam didicerunt, à natura hominis proficiſci. Contra oſtenſum, ſiquando id contingat, eſſe illuſionem dæmoniacam. Quàm miſera ſit futura hominum vita abſque ſermone. Cur poetæ fingant, Tithonum eſſe converſum in cicadam.

Actus voluntatis alii ſunt eliciti, alii imperati. Elicitos anima per ſe ipſam exercet: ut ſunt intelligere, velle. Quamquam verò voluntas eſt intellectûs promotio, eoque ſemper exit; non tamen ſemper extra hominem fertur. Eſt enim cum ſe extendit ad aliquid interiùs agendum: ut cum volo quippiam accuratiùs meditari. Actus imperatus eſt, quem anima exſequendum inferiori mandat facultati. Eſtque vel cum rationis expertibus communis; ut manducatio, progreſſus, & ſimiles; de quibus antea vidimus: vel hominis proprius; ut loquela, ſive ſermocinatio. Sextus tamen Empiricus, libro primo Pyrrhoniarum Hypotypoſeôn, quo loco de primo ἐποχῆς *a* modo agit *b*, cùm retuliſſet, ut canes varient vocem pro affectu, atque idem in aliis contingat animantibus, (uti in gallinis, & ſimilibus, quotidie videmus) colligit inde hunc in modum: Διὸ ταῦτα εἰκότως λέγοι τ᾽ ἄν, καὶ τοῦ προφορικοῦ μετέχειν λόγου τὰ καλούμενα ἄλογα ζῶα· *Meritò propterea animalia, quæ rationis expertia dicuntur, non expertia orationis eſſe dicantur.* Sed cautiùs de iſto Lactantius lib. de Ira Dei cap. VIII: *Proprius homini ſermo eſt: tamen & in brutis quædam ſimilitudo ſermonis. Nam & dignoſcunt invicem ſe vocibus; & cùm iraſcuntur, edunt ſonum jurgio ſimilem; & cùm ſe ex intervallo vident, gratulandi officium voce declarant: Nobis quidem voces eorum videntur inconditæ, ſicut illis fortaſſe noſtræ: ſed ipſis, qui ſe intelligunt, verba ſunt. Denique in omni affectu certas vocis notas exprimunt, quibus habitum mentis oſtendant*, &c. Fuſéque hoc argumentum tractavit nobilis medicus Patavinus De Aquapendente. Sed tantum abeſt, ut iccirco illis λόγος προφορικὸς, ſive ſermo, tribui debeat, ut ne quidem id dicere poſſimus de pſittacis, picis, corvis, humanum imitantibus ſermonem; utcunque eum intelligamus. Omnis enim ſermo eſt actio intellectualis, atque, ut Democritus, & Epicurus, ajebant, rationis flumen; quia, ut à fonte eſt flumen, ſic à rationis conceptu ſit oratio, ratione quaſi ſtillante in linguam, ut ea, plectri inſtar, aëra percutiens, voces efformet conceptuum, qui à ratione ſunt, ſignificativas. Dixeris, obſtare his, quòd Num. XXII refertur, aſinam Bileami, brutum animal, locutam. Sed huic rei optimè occurrit Cajetanus ad eum locum: *Ne*, inquit, *ſis adeo rudis, ut putes per hoc colloquium inter aſinam, & Bileam, intellexiſſe aſinam verba, quæ dicebat. Angelico ſiquidem miniſterio formabantur verba, aſinino ore: quaſi anima intelligeret, & tueretur cauſſam propriam.* Nempe hoc vult, ſermonem iſtum non fuiſſe intellectualem actum ratione aſinæ; ſed ſolùm ratione angeli, voces iſtas in aſinæ ore formantis. Atque idem dixero de ſerpente, qui parentes primos decepit. Non intellexit ſerpens, quæ diceret: ſed

a Judicii ſuſpenſi. *b Pag. 6.*

intellexit diabolus, qui per ſerpentem loquebatur. Nec multò aliter ſentiendum, quando de mutis animantibus ſimile quid legimus in annalibus Romanis: *Canem locutum*, inquit Plinius *a*, *in prodigiis accepimus*. Et poſtea *b*: *Eſt frequens in prodigiis priſcorum, bovem locutum: quo nunciato, Senatum ſub dio haberi ſolitum.* Quamquam non dubium, quin ſæpius iſta fuerint commenticia.

a Lib. 8. cap. 40.
b Lib. 8. cap. 45.

Qui veram eſſe beſtiis loquelam volunt, & quidem habere vocabula noſtris reſpondentia, obducere jam olim ſolent Apollonium Tyaneum; de quo Philoſtratus *c* narrat, ut cùm in luco aliquando Epheſios ad concordiam, ſeque mutuò alendum, hortaretur; paſſeres taciti in arbore conſederint: tum unus ediderit vocem, ac deinde avolarit; cæterique, clamore item ſublato, mox eum ſint conſecuti: Apollonium primò tacuiſſe, quaſi nihil dicturum: ſed cùm videret præſentes, quaſi portento aliquo, exhorreſcere; retuliſſe iis, puerum quempiam cum cecidiſſet, effuſo frumento, negligenter fatis id collegiſſe, granis plurimis in angiporto relictis: hoc paſſerem aliis indicaſſe: pleroſque tum ille ſpectatum, verane dixiſſet: Apollonium in ſermone progreſſum: redeuntibus qui abierant, nec ſine admiratione ac clamore rem veram narrantibus, Apollonium caſtigaſſe Epheſios, quòd, in iſta diſcordiâ, paſſeribus eſſent deteriores; quando hi tantâ viverent concordiâ, ut alii aliorum gererent curam. Quod Philoſtratus fusè refert, id Porphyrius ſolùm attingit. Sed pro paſſere hirundinem reponit: proque frumento effuſo à puero, aſinum ait cum onere concidiſſe. De onere frumentaceo ſi dixiſſet, culpari poterat, quia hirundines non veſcantur frumento. Nunc nihil ἀσύςατον *d* ait; etſi eo nomine culpetur ab multijugæ lectionis viro, Antonio Delrio *e*: qui & addit, Eunapium propterea prudentius dicere paſſerem. In quo itidem memoria eum decepit, vel alios, quos is ſecutus. Nam apud Eunapium de hoc ſilentium eſt. Philoſtratum debuit dicere. Idem Porphyrius arbitratus, beſtiis ſuum eſſe ſermonem; ejus fuiſſe intelligentes refert Tireſiam, & Melampum *f*. Quaſi aliter hi cantus avium intellexerint, quam augurum alii, qui ex oſcinum cantu de futuris conjectant. Cæterùm hoc de Apollonio vel planè fabuloſum, vel dæmonis indicio cognitum Apollonio, vel à fraude profectum humana; ut ſi jam ante cum agaſone, vel puero, de effundendo frumento, atque aliis, tranſegerit Apollonius. Sane Apollonium hunc magnum fuiſſe impoſtorem, etiam teſtabitur Luciani pſeudomantis ſive Alexander. Pro fabula quoque vel dæmonis præſtigiis, habendum; quod apud Olaum Magnum legas lib. III, cap. XIV, Ericum Norvegianum pulte magicâ, (ſicut ſanguine draconis alii, ſecundùm Philoſtratum *g*) eam rerum omnium ſcientiam conſecutum, ut ferarum pecudumque voces intelligeret. Et, ut ad vetera redeam, ejuſdem farinæ eſt, quod de cane Simonis magi, Petrum Apoſtolum compellante, in Itinerario Petri legere eſt, ac Glyca quoque in Annalibus. Etiam fraudi diabolicæ tribuitur à Cyrillo lib. III contra Julianum, quòd Iſigonus Citienſis ſcripſerat, taurum Iovi ſacratum in Rhodo inſula non eſſe humani ſermonis ignarum. Nec veriſimile eſt picum Martium Matienæ, Sabinorum oppidi, oracula dediſſe: aut Dodonæas columbas idem feciſſe in Chaonia: etſi utrumque apud Dionyſium Halicarnaſſ. & alios, legere ſit. Sed, qui oraculo præerant, uſi ſunt hiſce avibus, ut ſimplici populo imponerent. Niſi columbæ illæ Dodonææ duæ erant feminæ fatidicæ, quibus inde columbarum nomen datum, quia eſſent peregrinæ, ac columbarum inſtar aliunde advolaſſent. A poëtis verò nemo exigit veritatem; ut quando (ſicut Ælianus ait lib. IV Hiſt. de Animal. cap. LIV) Ὅμηρος ἔδωκεν ἵππῳ φωνήν· *Homerus ſermonem tribuit equo.* In animo autem erat locus Iliad. XIX; ubi equus, nomine Xanthus, Achilli mortem prædicit. Nec animalibus duntaxat ſermonem attributum legas; ſed etiam plantis, rebuſque inanimis: ut quercui, in qua columbæ Dodonææ, proximè memoratæ, conſederunt. De Argo navi fatidicâ, (ut eſt apud Apollonium in IV Argonauticôn) id ſatis eſſe à poëtis confictum liquet. Quorum more & Claudianus in Panegyrico Minervam ait

c Lib. 4. cap. 1.
d Abſurdum, ſive quod conſiſtere nequeat.
e Magicarum diſquiſit. lib. 2. cap. 19.
f In 3. de abſtinentia p. 249 edit. Lugd. an. 1620.
g Lib. 3. de vita Apollonii.

Arbore præſagâ tabulas animâſſe loquaces.

Audaciùs etiam Lycophron navim eam in Caſſandra dixit λαλήθρον κίσσαν, *loquacem picam*. Sed hæc poëtis concedamus.

Specioſiùs paullò, quod & ulmus Gymnoſophiſtarum ſalutavit Apollonium; ut eſt apud Philoſtratum. Atque hoc ejus, vel Damidis, aut alterius, commentum Hierocli quoque, ut fabuloſum, Euſebius objectat libro VIII Confutationis. Nihilo verius, quod apud Malchum ſive Porphyrium legas in vita Pythagoræ, philoſophum hunc à Cauſo *a* flumine, cùm illud tranſiret, clarè, & audientibus ſodalibus, compellatum eſſe his verbis, Χαῖρε Πυθαγόρα· *ſalve Pythagora*. Idem narrant Apollonius cap. VI Hiſtoriarum admirabilium. Hanc veram eſſe operis inſcriptionem, oſtendimus alibi *b*. Item Diogenes Laërtius lib. VIII in Pythagoræ vita; Ælianus Variæ hiſtoriæ lib. II, cap. XXVI, & lib. IV, cap. XVII; Cyrillus lib. III adverſus Julianum: ubi flumen illud *Cauſum* vocat; non *Neſſum*, ut eſt apud Diogenem; non *Caucaſum*, ut perperam vulgo apud Porphyrium legitur. Porrò Cyrillus non quidem hoc, ut fabulam rejicit; ſed dæmonium in flumine locutum arbitratur. Atque ex his abunde liquet, loquelam eſſe hominis propriam.

a Sic legendum pro Cauſo fl. ut ex Cyrillo liquet.
b De Hiſtoricis Græcis lib. 1.

Nunc videamus de cauſſis loquelæ: ac primùm de efficiente, ſive inſtrumentali cauſſa, quæ multiplex. Fit enim loquela hunc in modum. Aër è pulmonibus ſurſum expreſſus, & per λάρυγγα ſive aſperam arteriam ad palatum delatus, linguâ, dentibus, & labiis ſic flectitur, & concinnatur, ut moderatione eâ fiat vox articulata; quam loquelam dicimus. Inſtrumenta igitur ejus ſunt quinque, quæ dixi: unde & Hebræi literarum alias ajunt gutturis, ut אחהע; quia ſpiritum edunt motâ radice linguæ: alias palati, ut גיכק; quia mediæ linguæ motu aëra repercutiunt ad palatum: alias linguæ, ut דטלנת; quia extima lingua extimum feriens palatum, gignit tinnitum: alias dentium, ut זסשרץ; in quibus mucro linguæ ad dentes aëra collidit, ut ſibilus fiat: alias labiorum, ut בומף; ubi ore & labiis comprimitur aër; duæ etiam, מ, & נ, adjuvantur naribus. De hiſce inſtrumentis ſic ſcribit Lactantius lib. de Ira Dei cap. X: *Lingua intus concluſa vocem motibus ſuis in verba diſcernit, & eſt interpres animi; nec tamen ſola poteſt per ſe loquendi munus implere, niſi acumen ſuum palato illiſerit, niſi adjuta vel offenſione dentium, vel compreſſione labiorum. Dentes tamen plus conferunt ad loquendum. Nam & infantes non ante incipiunt fari, quàm dentes habuerint; & ſenes, amiſſis dentibus, ita balbutiunt, ut ad infantiam revoluti denuo eſſe videantur.*

Quia verò inter hæc inſtrumenta principem lingua obtinet locum: inde eſt, quòd etiam idiomata ſermonis, quibus nationes diſcernuntur, *linguarum* nomine appellamus. Et ſanè abſque lingua loqui non poſſumus, niſi Deo per miraculum ſupplente ejus defectum: ut factum in Reparato, & aliis Confeſſoribus Vandalis: quemadmodum legere eſt apud Victorem Uticenſem de Perſecutione Vandalica lib. III. Eſt & in Codice Juſtinianeo Tit. XXVII, de officio præfecti prætorio Africæ L. I: *Vidimus venerabiles viros, qui abſciſſis radicitus linguis pœnas ſuas miſerabiliter loquebantur.* Idem teſtantur Marcellinus Comes, Æneas Gazæus in Theophraſto, Procopius de bello Vandalico lib. I, Gregorius Mag. dialog. lib. III, cap. XXXII, & Iſidorus Hiſpal. in Chronico Vandalorum.

Ariſtotelis opinio eſt in animantibus cunctis vocem à corde proficiſci. Quod ſi eſt, idem de loquela ſtatuendum. Ac cenſet Realdus Columbus lib. XIV in hanc deveniſſe opinionem, quia vox amittatur, ſi unà cum arteriis carotidibus vincias nervum recurrentem, ſeu reverſivum, h.e. vocalem, qui adhæret arteriæ aſperæ, inque

eam immittitur. Nempe quia non pateat aditus ſpiritui, qui corde generatur. Sententiam verò Ariſtotelis eo impugnat Columbus, quòd ſi *mirá celeritate quatuor cordis vaſa arctè colliges; deinde cor abſcindatur; eodemque tempore vincula abſcindantur, quibus crura quatuor juncta erant; & in pedes projiciatur: canem abſque corde vociferari audias, & progredi videas.* Atque id ipſum etiam oculis noſtris Leidæ in anatome Clariſſimi Medici, & Anatomici, Petri Pauwii, conſpeximus. Idemque in homine locum habet. Sanè Franciſcus Baro de Verulamio, Sancti Albani Vice-Comes, narrat in Hiſtoria Vitæ ac Mortis *a*, ut cùm ſunitum eſſet ſupplicium de proditore; eo jam eviſcerato, ac carnifice cor penitus avulſum manu tenente, auditum ſit nihilominus, cum tria quatuor precum ſuarum verba profari. Imò ajunt, in Caria, cùm Cercydas quidam occidiſſet Iovis Hoploſmii ſacerdotem, caput interemti reſectum protuliſſe hunc ſenarium:

Ἐπ' ἀνδρὸς ἄνδρα Κερκιδᾶς ἀπέκτανε.

Virum necavit Cercydas ſuper viro.

a P. 404. edit. Lugd. Bat. an. 1637.

Narrat illud Ariſtoteles in tertio de Partibus animalium, cap. x: ſed ei fidem non habet. Nam, inquit, ἀδύνατον φθέγγεσθαι κεχωρισμένης τῆς ἀρτηρίας, καὶ ἄνευ τῆς ἐκ τοῦ πνεύματος κινήσεως· παρά τε τοῖς βαρβάροις, παρ' οἷς ἀποτέμνουσι ταχέως τὰς κεφαλάς, οὐδέν πω τοιοῦτον συμβέβηκεν· ἔτι δ' ἐπὶ τῶν ἄλλων ζῴων διὰ τίν' αἰτίαν οὐ γίνεται; *Fieri nequit, ut caput, reſectâ arteriâ, & ſine motu pulmonis, loquatur. Nec apud barbaros, qui capita cum ſumma celeritate abſcindunt, tale quid unquam accidiſſe accepimus. Adhæc in cæteris animalium cur id non aliquando contingat?* Verùm hic locum habet effatum illud ipſius Ariſtotelis *b*, οὐκ ὀκνητέον τῆς διαιρέσεως· *non eſt negligenda diſtinctio.* Quippe eſt aliqua virtus reſidua in ſpiritu animali, quam ei cor impreſſit, priuſquam avelleretur. Id liquet exemplo canis jam memorato, & proditoris illius in Britannia, quem dixi. Qualia tamen in homine ſunt rariſſima; nec in ullo proveniunt animante, niſi à vehementiſſimo affectu, & celerrimè ab anatomico, aut carnifice, ablato capite; vel corde exemto. Mox enim & vis iſta ſpiritus à corde ſeparati flacceſcit, ac prorſus perit. Atque hoc etiam liquet ex vervece illo, quem Averroës quidem in VII Phyſicæ Auſcultationis ait capite abſciſſo progreſſum: ſed nunc quidem in hoc, nunc in illud latus inclinantem, ac ſic quoque nonniſi ad pauxillos paſſus proceſſiſſe. At planè ἀδύνατον *c*, ut caput reſectum dicat, quæ homo integer non decrêrat dicere: eoque meritò illud de Cercyda, quod diximus, pro fabula habet Ariſtoteles. Atque idem judicium eſto de illo, quod ex Hierone ſive Alexandrino, ſive Epheſio, narrat Phlegon Trallianus *d* de capite infantis à Polycrito, Ætolorum præfecto, geniti; quod, poſt corpus à ſpectro devoratum, multa prædixerit. Item quod ex Antiſthene Peripatetico idem *e* refert de capite Publii, militaris apud Romanos præfecti, quòd, comeſto corpore à lupo, longum carmen pronunciârit, quo futura continebantur. Qualia ſatis oſtendunt, mendacem Græciam, ut poëta *f* queritur, nihil non in hiſtoria audere. Jam quid de eo cenſendum, quòd Philoſtratus in Heroicis *g* narrat, Orphei caput, Lesbo appulſum, vaticinari ſolere, ac Cyro etiam regi, cùm aliquos illud conſultum Babylone miſiſſet, reſpondiſſe hunc in modum: Τὰ ἐμά, ὦ Κῦρε, σά. *Mea, ô Cyre, tua.* Id Cyrum accepiſſe de locis; eoque ad incrementum imperii retuliſſe: oraculum autem locutum de ſorte, ſimilique vitæ exitu: quod ut Orpheo contigit à Threiſſis, ſic Cyro à femina Scythica præcidendum eſſet caput. Siquid tale prædictum, quod minimè cenſeo, fraus fuerit humana, aut dæmoniaca. Nam ut Orpheus fuiſſet ſuperſtes, præſcire iſta nequiiſſet. Nunc inter Orphea, ac Cyrum, interjecti ſunt anni ſexcenti. Imò fortaſſe Thracius ille Orpheus nunquam fuit. Cenſuit id Ariſtoteles *h*, teſte Tullio in primo de Natura Deorum: pluraque de hoc dicimus lib. de Natura ac Conſtitutione Artis Poëticæ. De inſtrumentis loquelæ ſatis egimus: nunc de cauſſis, quæ naturam ejus conſtituunt, videamus.

b Lib. 2. Sophiſt. Elench.

c Impoſſibile.

d De rebus mirabilibus cap. 2.

e Ejuſdem operis ſive fragmenti cap. 3.

f Iuvenal. ſat. 10.

g In Philoctete.

h In iis, quæ perierunt.

In loquela, ut in aliis arte factis, tum materiam ſpectamus, tum formam. Materia, & quaſi corpus ſermonis, eſt ſonus, ſive vox articulata. Forma, & quaſi anima, eſt ſignificatio. Significant autem voces articulatæ animi noſtri conceptus: uti hi ſigna ſunt rerum, quas animo concipimus. Si aliter res apprehendamus, quam ſe habent, error eſt intellectus. Sin ſecus oratione efferamus, ac animo concepimus, mendacium eſt. Nec refert, utrùm res ſe habeat, ut dicimus, modò ſe aliter habere exiſtimemus. Ut ſi famulus, ignarus dominum per pſeudothyrum exiiſſe, quò fallat creditorem, domi eſſe dominum neget. Si orationem cum re conferas, verum dixerit: ſin cum mente, fuerit mentitus. Magis autem æſtimanda eſt oratio ex conceptu, quàm re. Ad hoc enim ſermo eſt inventus, ut ἀμέσως *a* eo mentem animi interpretemur. Quare pro mendace non eſſet habendus, ſi cum domi eſſe dominum putaret, id ingenuè dixiſſet; etſi ſic oratio à re diſſideret. Nigidius Figulus *b* putabat, huic difficultati ſatis occurri, diſtinguendo inter *mentiri*, & *mendacium dicere.* Sed qui dicit, quod ſentit, propriè mendacium quidem dicit: at verè enunciat res falsò apprehenſas. Quod & Cæſaris Scaligeri judicium eſt Exercitat. ſecundâ adverſus Cardanum; ubi fuſiùs de hoc diſſerit.

a Sine alterius interventu.

b Agellius lib. 11. cap. 11.

Significant voces conceptum animi, non naturâ, ſed κατὰ συνθήκην, *ex inſtituto*: ut docet Ariſtoteles lib. περὶ ἑρμηνείας *c*. Imò fortaſſe nec Plato in Cratylo, cùm vocabula ait ſignificationem habere naturalem, aliud voluit, quàm bonum ac peritum ὀνοματοθέτην *d* nomina rebus quibuſque imponere, quæ naturis earum conveniant. Sic quidem Platonem, & Ariſtotelem, conciliant Ammonius, & Pſellus. Ac hoc pacto vel maximè naturalis eſt ea lingua, quâ rebus vocabula dedit Adamus. Sed id quibuſdam non ſufficit; qui exiſtimant *e*, *propterea quod natura feratur ad unum, & cupiat omnes homines inter ſe conſociare unius linguæ communione: manifeſtè apparere, unam aliquam linguam toti humano generi à natura integra & perfecta datam eſſe; quia deſiderium naturale nullum fruſtra eſſet; ut docet Ariſtoteles* I *Ethic. cap.* I. Atqui ſummùm ex hoc argumento ſequitur, naturam primævam, ac necdum peccato inquinatam, intendiſſe illud, ut una eſſet omnium hominum lingua. Una autem fuerit quoque, ſi una ſit inſtituto. Admodum etiam eſt imbecille, quod ab iiſdem *f* ſcribitur, *hominem ferri naturaliter ad linguam primam, & eam, quæ in æternum eſt manſura. Primam autem linguam eam eſſe, quâ homo omnium primò uſus eſt, & poſtquam omnes aliæ extiterunt: eam autem eſſe Hebræam.* Sanè complura adverſus hæc adducere poſſis. Theodoretus *g* enim Syram linguam credebat vetuſtiſſimam: idque quia origines vocabulorum *Adam*, *Cain*, *Abel*, *Noë*, propria ſint linguæ Syriacæ. Nec dicere poſſumus cum Villalpando, ſub lingua Syriaca etiam Hebræam complecti: nempe laxiori ejus vocabuli uſu; de quo egimus, cùm alibi hoc opere, tum imprimis lib. II, cap. LV. Nam Theodoretus *h*, in hac ipſa quæſtione, opponit linguam Syriam Hebrææ. Alii item linguam Chaldæam putant vetuſtiſſimam: indeque origines vocum Moſaicarum optimè omnium peti contendunt. Addunt quoque, pro hac ſententia facere, quòd in Chaldæa conditum ſit genus humanum, tum autem, quòd inde in Cananæam profectus ſit pater credentium Abraham: ut priùs Chaldaicè ſciverit, quam didicerit Cananæam. Nec enim Abraham Chaldaicè loqui docuit gentes Cananæas: ſed peregrinus ipſe, ſi intelligere, & intelligi vellet, coactus eſt linguam diſcere Cananæam. Ideo Iſaiæ XIX, 18, cùm Euangelium Ægyptiis dicitur annunciandum ſermone Cananæo: intelligenda eſt lingua, non quæ in Chaldæa obtinuit, quam poſteri Abrahæ ante captivitatem Babylonicam neſcivere; ſed illa, quam hauſere in Cananæa, vel ſaltem, quæ in Judæa erat tempore Chriſti, & Apoſtolorum: quæ Syra potiùs, quam Hebræa, dicebatur. Hac enim in Ægypto (de qua iſtic ſermo) Euangelium Chriſti annuncia-

c Cap. 1. ſive de Nomine.

d Nominum impoſitorem.

e Keckermannus ſyſtematis Phyſici lib. 4. c. 8.

f Keckermannus ibid.

g Qu. 59. in Geneſin.

h Loco proximè memorato.

runt B. Marcus, & alii, qui ab Apoſtolis eò miſſi erant. Nec propterea exiſtimandum, eandem planè linguam fuiſſe, Judæorum, & aliorum Cananææ incolarum. Nam B. Hieronymus, ſuo in Jeſaiam commentario lib. VII, cap. XIX, verſ. 18, contentus eſt dicere, *linguam Cananitidem, & Hebræam, eſſe confines*: & B. Auguſtinus in Joan. cap. XV, *Cognatæ*, inquit, *ſunt linguæ, & vicinæ, Hebraica, Punica, & Syriaca.* Qui etſi Hebraicè, vel Syriacè, neſciret; nunquam tamen iſtud dixiſſet, niſi ſic accepiſſet ab earum linguarum intelligentibus. Quare ſic ſtatuendum linguam Cananæam, & quâ utebantur Iſraëlitæ, ſolùm diſcrepaſſe dialecto: nempe ſicut ea differunt Hollandi inter ſe, vel iidem à Flandris; ſaltem non ampliùs, quàm Germani ſuperiores ab illis, qui Belgicam incolunt. Hæc ſi placent, eadem fuerit lingua Hebræa, ac Cananæa: Hebræa autem dicta ſit, quia ex Cananæorum monumentis non alia ad nos ſcripta pervenerint, quàm Hebræorum, hoc eſt, Abramidarum. Nec enim omnes Heberi filii dicti ſunt *Hebræi*; ſed ſolus Abraham cum poſteris. Itaque nec controverſiâ caret, quod ab Hebero, Abrahæ tritavo (nam ſextâ ab eo generatione Abraham natus) Abramidas nomen *Hebræorum* accepiſſe, putant Auguſtinus *a*, Eucherius *b*, & alii. Minimè enim abſurda eorum eſt opinio, qui ajunt, ex eo eſſe nomen Hebræum, quòd Abraham ex locis trans Euphratem veniſſet in Palæſtinam, ab עֵבֶר *trans*: juxta illud Joſuæ XXIV: *Ego tuli patrem veſtrum Abraham* מֵעֵבֶר *ex trans flumen.* Et LXX hinc Gen. XIV, 13, pro *Abraham Hebræo* legunt Ἀβραὰμ τῷ περάτῃ, id eſt, *tranſitori.* Ac placuit hoc ἔτυμον quoque Theodoreto quæſt. LX in Geneſ. Denique, ut lingua Hebræa omnium fuerit prima, (quando & B. Hieronymus *c* eam omnium linguarum matricem vocat) quomodo hinc ſolidè adſtruas, eâdem nos uſuros poſt hanc vitam? Multa enim tum variabunt; ipſa etiam formandæ vocis ratio. Ut alia mittam; nunc opus eſt, linguâ vibremus ac moderemur aëra. At in cælis non eſt futurus aër: niſi placeat dicere cum nonnullis, tantum cuique aëris in os à Deo inditum iri, ut hoc ſufficiat ad vocem formandam. Cujuſmodi aſſertiones, nullo fultas fundamento, faciliùs rejicias, quàm admittas. Præterea ut vel penes Adamum iterum eſſet futurum jus linguæ condendæ; cauſſam non video, cur neceſſe ſit, eadem iisdem ab eodem imponi nomina. Multa adeò in unius rei natura ſe offerunt animo, unde peti poſſit denominatio. Quod clariùs patebit unius rei varias conſideranti appellationes, & in eadem linguâ, & in diverſis. Nihil igitur impedit, quo minùs Adamus tum alia rebus indat vocabula, naturam rerum æquè, vel magis, exprimentia. Quod ſi Deo ipſi viſum erit, inſpirare beatis omnibus alicujus linguæ notitiam: quis dubitet, linguam eam longè aptiùs omnia expreſſuram, quàm excogitare aliquam valeat ulla virtus finita?

a Lib. 16. de Civit. Dei, c. 11.
b In Gen lib. 2. c. 7.
c In Sophoniam cap. 3. verſ. 18.

Alia etiam hîc quæſtio exſurgit: ſi, ut dicebamus, ſermo ab hominibus ſit inſtitutus; neque illi naturale inſit quicquam: quomodo furore correpti linguis loquantur; quas nunquam didicerunt. Exemplum commemorat Michaël Pſellus dialogo de operatione dæmonum: ubi fuiſſe ait quandam linguâ loquentem Armeniorum, μηδέποτε μηδ' εἰς ἄλλην ἀφιγμένην τούτοις, μὴ ὅτι θαλάμου καὶ κερκίδος εἰδυῖαν πλέον οὐδέν· *quæ nunquam veniſſet in eorum conſpectum; nec ultra thalamum, & colum, ſciret quicquam.* Jam & Petrus de Apono, qui Conciliator dicitur, ſimile adfert exemplum ad Ariſtotelis ſectionis XXX, problem. I: aliud item Pomponatius libro de Incantatione *d*: aliud Eraſmus, & ex eo Cardanus in Encomio Medicinæ: aliud Fernelius lib. II de abditis rerum cauſſis. Eſt poſtremum hoc, de nobili Gallo Græcè loquenti in morbo, cùm ejus eſſet linguæ ignarus. Agnoſcit idem Levinus Lemnius in ſecundo de occultis naturæ miraculis, cap. II: ſed cauſſam ejus petit à natura hominis. *Sunt*, inquit, *humores tam violenti, atque atroces, ut eorum fuligo in cerebrum delata* (*quod in meraciſſimo quoque vino, affluenter hauſto, obſervamus*) *peregrinam linguam extorqueat.* Ac paullò pòſt id penitiùs explicat; aitque, non abſurdè ſtatui à Platone *a*, noſtrum ſcire haut aliud eſſe, quàm reminiſci: mentem enim imbutam eſſe artibus, ante illarum uſum: ſed ut ignis, cineribus obrutus, foveri & exſuſcitari poſtulat, quo reſplendeat lumen: ſic ingenitos nobis igniculos, mole corporis, & denſis oppreſſos humoribus, aliquo indigere ſuſcitabulo, quò veterum reminiſcamur. Verùm, puto, ſi ad Literas ſacras, & veteris Eccleſiæ canones, Lemnius attendiſſet: non eam amplexus eſſet ſententiam, quam ſemper antiqui Patres improbarunt. Horum quippe opinio erat, quoties fraus abeſt humana (nam ſæpe hanc intervenire, experientiâ abunde compertum) dæmones eam ſcenam adornare. Sed enim, inquit Lemnius, *ſi à malis geniis perficeretur, non conſileſcerent morbi purgantibus medicamentis; nec iis, quæ ſomnum conciliant, diſcuterentur. Nunc his, & plerisque aliis, quibus abunde inſtructa eſt res medica, rite adhibitis, reſtitui illos videmus; atque ad conſuetum loquendi uſum, mentemque ſaniorem, reduci. Cùm itaque ferventiſſima ſit humorum ebullitio, vehemens quoque ſit ſpirituum agitatio: quæ voces quaſdam inauditas, linguamque priùs incognitam, extundit; non ſecus, quàm ex contritu ac colliſione ſilicis, emicantes, ignitasque ſcintillas elici videmus.* Verùm nihil his infirmius eſt. Utcunque enim, ſi medicamentis humor expurgetur melancholicus, continuò deſinat vis ſermone loquendi incognito: non propterea tamen humoris ea melancholici vis eſt, ut concitando ſpiritus, tum vitales, tum animales, tantum poſſit, ut linguâ loquamur, quam non didicimus. Potiùs dicendum, dæmonem, qui omnia penè poterat mente amente, (quippe ab humore atro adhuc obnubilatâ, nec magis ſui compote, quàm in ebriis fieri ſolet) deſerere hoſpitium vetus; quia videt ſe non poſſe, quod poterat prius. Neque enim ſpiritus; (quippe creaturæ, eoque finitæ poteſtatis) poſſunt, quæ volunt: ſed ſolùm illa, quæ non exſuperant vim naturæ. Subjecto igitur idoneo iis opus eſt, ut perſonam hanc agant. Homo verò per ſe, ac ſine dæmone, tale nihil poteſt. Nam excedit vires, ut aliquis, non dico verbum unum alterum caſu promat linguæ, quam neſciat: ſed ut perpetuum contexat ſermonem, & ad quæque non præmeditata aptè reſpondeat linguâ citra ejus diſciplinam. Quod ſi fiat, (nec id evenire, inficiari prorſus animus) à dæmone fieri putandum; qui in homine, non compote ſui, ſic regat inſtrumenta, ut exſequantur, non quæ homo, ſed quæ ipſe velit.

d Cap. 10.
a In Menone: quem refellit Ariſtoteles Analyt. poſt. lib. 1. cap. 1. & 2.

Nemo autem facilè dixerit, quantum debeamus Deo pro beneficio hoc, quòd non ratione modò, ſed oratione etiam, voluerit nos mutis præſtare animantibus. Quàm miſera enim, ac injucunda foret hominum vita, niſi alii aliis interpretaremur animum noſtrum! Hoc cognoſcere vel ex eo licet, quando adſumus, non dico mutis, ſurdisque; ſed iis, qui loqui neſciant, niſi linguâ ignotâ. De quo ſic B. Auguſtinus in XIX de Civit. Dei, cap. VII: *Quando*, inquit, *homines, quæ ſentiunt, inter ſe communicare non poſſunt, propter ſolam linguarum diverſitatem: nihil prodeſt ad conſociandos homines tanta ſimilitudo naturæ: ita ut libentius homo ſit cum cane ſuo, quàm cum homine alieno.* Itaque voluit Deus, ut etiam cùm vires deficiunt, non deficeret ſermo: ut non modò in multis videmus ægris; ſed etiam in ſenibus; quibus fere nihil loquacius: unde & poëtæ fabulantur, Tithonum, ob longam ſenectam, tandem in cicadam, debile, ſed vocale animal, eſſe converſum.

CAP. XLV.

Sermonis ſymbolum eſt ſcriptura: quæ ut in aliquo vincatur à ſermone, in aliquibus tamen ſuperat. Cur voluerit Deus Verbum ſuum ſcribi: & quantum nos firmet in veritate cæleſti, quod idem nobis conſervarit tam multos ex ſingulis ſeculis, qui Eccleſiam ſcriptis ſuis do-

docuerunt. Inventio literarum ad Deum relata ab Ægyptiis. Picturam, (quæ cælaturam etiam, ſculpturamque continet) antiquiorem eſſe temporibus Iliacis; contrà quàm à Plinio proditum eſt. In quo pictura ſermoni præcellat. Etiam manus homini eſſe pro lingua; quomodo loqui docet chironomice.

HÆc de ſermone; cujus imago ac ſymbolum eſt ſcriptura, imò & pictura. Quamquam verò magis fere afficiant, quæ audimus, quàm quæ legimus: eſt tamen, ubi ſcriptura etiam ſermonis vim exſuperet. Nam cùm oratio ſolùm fiat ad præſentes, eóſque non longè diſſitos: epiſtola eſt, quæ abſentes præſentes facit. Hoc pacto igitur commercium cum toto habemus mundo. Imo, quod multò amplius, ſcriptura ad poſtfutura omnia ſecula transmittitur. Poſſunt quidem & res geſtæ ore, quaſi de manu in manum, tradi: ſed non eâ fide, ob labilem hominum memoriam. Atque idem in artibus, & ſcientiis, locum habet. Nam ſæpe nobis excellentis alicujus doctoris non eſt copia. Neque enim magni viri quotidie naſcuntur: & ut nulla iis ætas careret, non quævis eos tellus habet: etiam paupertas, quæ ſoror eſſe bonæ mentis ſolet, adhæc valetudo infirmior, item bella, atque alia, impediunt ſæpe, quo minùs ad tales ſuſcipi poſſit peregrinatio. Hæc ſatis oſtendunt, quantum Deo debeamus pro nobili hoc munere, ſenſa animi ſcribendo exprimendi. Ac magis hoc beneficium elucebit cogitantibus hiſtoriam, & præcepta, propheticis & apoſtolicis ad nos ſcriptis propagata. Nec enim dubium eſt, quin eò voluerit Deus à ſervis ſuis, Spiritu S. afflatis, illa, quorum notitia ad fidem & ſalutem noſtram requiritur, ſcriptis conſignari, ut doctrina tam neceſſaria ab oblivione, & corruptelis hominum, vindicaretur. Quemadmodum & ob humani intellectus in torquendis Scripturis protervìam, divina nobis providentia conſervavit tot Eccleſiæ doctorum in ætatibus ſingulis monumenta, ut ne novitiis commentis nos pateremur ab ſimplici veritatis tramite abduci: ſed in fidei fundamento conſtanter teneremus, quod ubique, & ſemper, & ab omnibus, creditum eſt.

Nationes caruere Scripturis, quæ omnibus ſunt lucerna ambulantibus in viis Domini *a*. Et tamen alios propter uſus, quos ſcribendi ars præſtat, ſic admirati ſunt literarum inventionem, ut ejus rei gloriam tribuerint Deo; qui Ægyptiis Theuth. Fusè de hoc diximus lib. I de arte Grammatica, cap. IX. Multaque etiam alia eo libro exponimus, quæ ad naturam præſtantiamque hujus artis pertineant. Ea inde peti malo, quàm ut me ipſum exſcribendo onerem, & opus hoc ſine cauſſa nimium procudam.

a Pſal. 118. ſive Heb. 119. verſ. 104.

Nec ſermone ſolùm res geſtas pandimus, vel, quæcunque in oculos incurrunt, cujuſmodi ſint, ſignificamus: ſed eadem quoque facit pictura: ut & ipſa (prout τὴν γραφικὴν *b* Socrates deſcribebat) ſit εἰκασία τῶν ὁρωμένων, *imitatio ſive repræſentatio eorum, quæ videntur.* Quamquam verò Iliacis temporibus necdum fuiſſe picturam, à Plinio *c* traditum ſit: facile tamen hæc ſententia refellitur eò, quòd Homerus *d* narrat, ut Vulcanus in Achillis clypeo artificioſe cælarit cælum, ſidera, & terras. Uti & iis, quæ de cælatura clypei Herculei Heſiodus cecinit. Quamquam dixeris fortaſſe, à poëtis hæc eſſe conficta pro ratione temporum ſuorum, non heroum Iliacorum: quomodo & Maro *e* triremes tribuit Trojanis, quas non uno poſt ſeculo demum reperit Aminocles Corinthius. Pluraque id genus apud eundem, & alios, legas: ut oſtenſum nobis Oratoriarum Inſtitutionum lib. V, cap. IX, ſect. VII: item in primo de Re Poëtica, quo loco de poëtarum erroribus diſſerimus. Verùm ut iſta alicujus ſint momenti: nihil obducere liceat Moſi; qui ſeculis tribus claruit ante bellum Trojanum. Divinus hic legiſlator refert, qualis cælatura ac ſculptura requiratur in arca Domini exſtruenda. Ac artifices etiam ab eo memorantur Beſeleel, & Ooliab *f*. Imò Seruch, Abrahami avus, ut Cedrenus narrat, πρῶτος οὗτος πράξαντάς τι ἀνδρεῖον ἀρετῆς καὶ μνήμης ἄξιον, ἀνδριᾶσι στηλῶν ἐτίμησε· *primus eos, qui memorabile aliquid ex virtute egiſſent, ſtatuâ honoravit.* Quæ hauſit ex Chronico Euſebii, & Epiphanii panarii lib. I. Juxta quos etiam Thara, parens Abrahami fuit πηλουργὸς καὶ πλάστης· *imaginum ex luto fictor*: Abraham item εἴδωλα τοῦ πατρὸς ἔκαυσε. *patris ſui Deos accendit.* Ut omnino tum fuerint imagines, ac ſimulachra. Quomodo autem hæc ars creverit apud Græcos, longum eſſet referre. Plinium de eo potiùs vide duodecim primis capitibus libri XXXV.

b Picturam.

c Lib. 35. cap. ...

d Iliad. Σ. verſ. 483. & ſeqq.

e Lib. 5. Æn. verſ. 119. & 120. ubi Maro, triplici verſu: & ad hæc Servius: Omnes enim triremes fuerunt.

f Exod. 36. 1.

Quod de ſcriptura diximus, eam in hoc vincere ſermonem, quòd abſentes facit præſentes: id hic quoque locum habet. Nam & pictura faciem hominum, rerumque, in terris longè diſſitis repræſentat. Innumera quoque ſunt, quæ nullus orator, longo etiam ſermone, commodè expreſſerit. Pictor verò ſic penicillo ſuo ea oculis ſubjiciet, ut uno adſpectu omnia & meliùs videas, & certiùs dijudices. Naturam autem, & præſtantiam hujus artis fusè eruditeque tribus de Pictura veterum libris deſcripſit nobiliſſimus vir, atque affinis mihi conjunctiſſimus, Franciſcus Junius, Franciſci Fil.

Præterea ſermonis etiam vices ſupplent geſtus, præſertim manus: unde Lucianus περὶ ὀρχήσεως: Ἀκούω ἄνθρωπε, ἃ ποιεῖς, οὐχ ὁρῶ μόνον· ἀλλά μοι δοκεῖς ταῖς χερσὶν αὐταῖς λαλεῖν· *Audio, homo, quæ facis, non video ſolùm; ſed videris mihi manibus ipſis loqui.* Eandem χειρονόμων autem ſignat apud Terentianum Petronius Arbiter:

> *Tinctus colore noctis,*
> *Manu puer loquaci,*
> *Ægyptius choreutes.*

Sic legere malim, quàm cum Scaligero, *choraules.* Propiùs enim accedit ad *choreates*; quod in libris eſt veteribus. Porrò χοροδιδάσκαλος idem hìc ac ὀρχηστής, qui & χειρονόμος; ac pantomimus *a*. Plura de his diximus lib. de Natura ac Conſtit. Rhetoricés cap. IX, & Oratoriarum Inſtitut. lib. VI, cap. XI, ſect. IV. Atque hæc tum de oratione, ſymbolo conceptuum noſtrorum; tum de triplici orationis ſymbolo; ſcripturâ, picturâ, & chironomice.

a Lucianus de Saltatione: Οἱ Ἰταλιῶται τὸν ὀρχηστὴν παντόμιμον καλοῦσι.

Cap. XLVI.

A ſermone acceditur ad riſum. Opinio eorum, qui arbitrantur, non eſſe ridendum homini Chriſtiano: hujus enim vitæ officium eſſe fletum: ſed riſum eſſe beneficium alterius vitæ. Riſum non eſſe naturâ malum, è Scripturis, & Natura, oſtenditur. De preſſiori ſignificatione riſus, quatenus fit ob aliquid turpe, nec tamen valde noxium, ac præterea novum. Cur alii aliis ad riſum ſint propenſiores. De riſus ſede variorum ſententiæ excuſſæ. Riſum eſſe motum involuntarium. Cachinnus unde proveniat. Amati Luſitani de ſede riſus opinio rejecta. Cur ſplen riſus organum ſtatui ſoleat. Cur ſtulti ad riſum adeò ſint propenſi. De riſu impropriè dicto: qualis eſt, cùm ridentes moriuntur, quibus vulneratum eſt ſeptum tranſverſum, aut qui comedunt herbam Sardoam. An quod infantes quandoque moribundi rident, obtingat ex conſpectu angelico.

PRæter affectiones, quas diximus, duæ ſunt aliæ, item hominis propriæ, riſus, & fletus; ille hilaritatis, hic mœroris index. Quamquam ambo quandoque concurrunt: ut ſiquid ſit luctuosè ridiculum, vel ridiculè luctuoſum. Cujus generis innumera ſe offerunt in vanis ſeculi rebus: ut eas non minùs ridere poſſit aliquis Democritus Chriſtianus, quàm flere Chriſtianus quiſpiam Heraclitus.

Non defuere tamen, qui riſum exiſtiment vix convenire homini Chriſtiano. Unde & ſororem ſuam ab eo, quod abſtineret illo, laudat Gregorius Nazianzenus orat. XI *b*:

b Pag. 181. edit. Morell. an. 1609. Sed non 11. verum nona eſt oratio in editione Frobeniana anno 1531,

Τίς ἡ τοσοῦτον γέλωτος καταγέλασεν; ὡς μέγα δοκεῖν ἐκείνῃ καὶ ὁρμὴ μειδιάματος· *Quæ riſum ita irriſit? adeo ut magnum quiddam ei videretur, ſi vel parumper fuiſſet ad riſum commota.* Nec tamen ſimpliciter dicitur non riſiſſe; ſed ſolùm ſubriſiſſe, & id raro. At, inquiunt, ipſius eſt Salomonis Eccleſ. 2, 2: *Riſum reputavi errorem, & gaudio dixi, Quid fruſtra deciperis?* ut habet editio vulgata. Propiùs ad Hebræa accedit hæc tralatio: *De riſu dixi, Inſanis: & de lætitia, Quid hoc facit?* Id eſt, *Qui riſui indulgent, inſaniunt: nihil boni lætitia adfert.*

Sed quod Salomonis vel Siracidæ potiùs, locum attinet, de eo ſic Salonius Viennenſis in Galliis epiſcopus: *Non reprehendit Salomon riſum naturalem, id eſt, modeſtum, & honeſtum: unde alibi a dicit, Vir bonus tacitus ridebit: ſed riſum diſſolutum & immoderatum, atque perſtrepentem. Talis nempe riſus vocatur cachinnus. Similiter non ſpirituale, ſed temporale gaudium vocat deceptionem. Illi verò, qui præterita mala ſua non plangunt, neque intelligunt ruinam peccatorum ſuorum; & cachinnant, & gaudent in rebus temporalibus, quia nova & brevia, putant eſſe bona perpetua, & iccirco, ſuavitate præſentis vitæ decepti, quotidie hujus ſeculi errore vexantur.* Satis ſignificat, decipi homines iſtos mundanis rebus immerſos, qui nunquam cogitant de peccatis ſuis, nedum ea deplorent; ſemper autem propter vana hæc & caduca riſum tollunt, gaudioque exultant. Naturalem verò riſum, qui ex honeſta hilaritate provenit, non damnat. At, ajunt, fleviſſe quidem legimus Chriſtum, cum Lazarum eſſet ſuſcitaturus b: item cum Hieroſolymam intueretur poſt annos XL perituram c: imo & in cruce cum clamore valido lachrymas emiſit d. At riſiſſe nuſquam legimus: ut obſervat Chryſoſtomus homil. VI in Matthæum e: Τοῦτον μὲν πολλάκις ἐστὶν ἰδεῖν αὐτὸν δακρύοντα, γελῶντα δὲ οὐδαμοῦ· *Flentem quidem ſæpe eſt videre, ridentem nunquam.* Similiter, præter alios, S. Auguſtinus, vel alius potiùs, ſerm. XXXV de Sanctis f, & Salvianus Maſſilienſis lib. VI de Gubernatione Dei g: *Tale nobis Chriſtus reliquit exemplum; quem fleviſſe legimus, riſiſſe non legimus.* Sed enim Chriſtus an riſerit, nihil ſcire interfuit noſtra. Illud vero referebat ſcire, quàm miſericordem haberemus Dominum: qui propter nos miſeros peccatores è cælis deſcenderit, formâ ſervi adſumtâ, humiliando ſe, ut nos exaltaret, paſſioneque ac morte ſuâ expiaret peccata noſtra.

a Siracides Eccleſ. 21. 23. Ubi tamen vulgata, vir ſapiens vix tacitè ridebit.

b Joan. 11. 35.
c Luc. 19. 40.
d Ad Hebr. 5 7.
e Etonenſis edit. pag. 41. ſive Commeliniana p 59.
f Tom. 10. col. 1238. edit. Baſil. an. 1556
g Pag. 206. edit. Rittershuſ.

Et profectò non pauca ex Scripturis adferre eſt, quæ doceant, riſum naturâ ſuâ malum non eſſe. Nam eadem ratio eſt in honeſtis lætitiæ ſignis: manibus autem plaudere, & exultare jubet Deus; ut videre eſt Pſalm. XLVI h, 2. Præterea ſi riſus eſſet naturâ vitioſus, non ipſi eum Deo ſacra tribueret Scriptura: ut Pſalm. II, 4, & XLVII, 2; item Proverb. 1, 26 &c. Ad hæc Luc. VI, 21 ait Chriſtus: *Beati, qui fletis nunc, quia ridebitis.* Quem locum imprimis in animo habuit B. Sabina; cùm rogata à Smyrnenſi æditiuo, & ſatellitibus, cur rideret, reſpondit i: *Ita Deo placet. Chriſtiani enim ſumus, & fide qui ſunt in Chriſtum firmâ, atque conſtanti, riſu ridebunt perpetuo.* Nempe attendit ad hoc, quòd Chriſtianorum hilaritas poſt hanc vitam erit perpetua: in hac autem eo ſit major, quò fides firmior. Ac ſimiliter Chriſti verba cepit B. Baſilius homiliâ de gratiarum actione k: Γέλωτα λέγει, οὐ τὸν διὰ τῶν παρειῶν ἐκπίπτοντα ψόφον ἐν τῷ τοῦ αἵματος ἀναβρασμῷ, ἀλλὰ τὴν ἄκρατον καὶ ἀμιγῆ παντὸς σκυθρωποῦ ἱλαρότητα. *Riſum dicit, non cachinnum, hoc eſt, ſonum exeuntem ex genis, effervеſcentiâ ſanguinis: ſed hilaritatem ſinceram, & à qua prorſus abſit vultus tetricus ac mæſtus.* Videmus, non damnare vultum compoſitum ad riſum; neque item riſum omnem: ſed effuſum cachinnum, riſumque immodicum; qui levitatis habetur argumentum, ac virum dedecet gravem, magnæque auctoritatis, imprimis Chriſtianum. Quid multis opus? τὸ γελαστικὸν l eſt proprietas humanæ naturæ; ut Porphyrio quoque traditum in Iſagoge. At Deus, qui naturæ eſt auctor, nullius eſt mali cauſſa. Etiam joci & riſus pertinent ad εὐτραπελίαν a: quæ eſt virtus ὁμιλητικὴ b, ut Ariſtoteles docet lib. IV Nicomach. cap. VIII, & paraphraſtes ejus Græcus. Spiritualis verò gratia non tollit virtutes morales; ſed eas dirigit, ac perficit. Præterea quis ignorat, quot, & quantis difficultatibus involvatur genus humanum! quibus ferendis ſumus impares, niſi interdum diſcutiatur triſtitia jocis, & aliis rebus amœnis. Nemo neſcit pervulgatum illud Phædræ ad Hippolytum c:

h Sive Hebr. 47.
i In actis Pionii apud Metaphraſten die 1 Feb.
k Pag. 360. edit. Pariſ. Sonnii.
l Ridendi facultas.
a Urbanitatem.
b Dextræ converſionis.
c Ovid. epiſt. Phædra.

> *Quod caret alternâ requie durabile non eſt:*
> *Hæc revocat vires, feſſaque membra levat.*

Nempe riſus & hilaritas, ſi modum teneat, calorem excitat nativum, ſpiritum reddit puriorem ac vegetiorem; eoque principes corporis facultates corroborat, ſanguinem reddit meliorem, ingenium quoque acuit, atque ad omnia vitæ officia hominem reddit magis idoneum.

Atque hæc dicta ſunto de riſu laxè accepto: hoc eſt, quolibet muſculorum motu circa os, qui ex hilaritate animi contingat. Quod autem de motu iſto dixi, id meliùs intelligetur ex iis, quæ deinceps exponam de riſu preſſiùs ſumto.

Ariſtoteli enim, & aliis, plurimùm riſus objectum eſt ridiculum, ſive turpitudo minimè noxia, eaque nova, & admirationem ciens. Ut turpe ſit ſine læſione, is, quem dixi, Ariſtoteles requirit libro de re Poëtica. Veluti, ſi ſenex facie, & cruribus diſtortis, ad tibiam ſaltet. Sed læſio abeſſe debet; ut ſiquis vultum fœdè diſtorqueat, quia miſerè vulneratus. Nam hæc res dolorem homini adfert non inhumano. Requiritur etiam, novum ut ſit, unde admiratio: quæ deſinit, ſiquid novum eſſe deſierit. De admiratione tamen, nec Ariſtoteles opere memorato, nec Tullius in diſputatione de ridiculis, quæ eſt in II de Oratore, dicendum aliquid putavit.

Cauſſa hujuſmodi riſus eſt ſpecies apprehenſa rei citra læſionem turpis, novæ item, & admirationem parientis. Hinc liquet, cur apud amicos difficiliùs riſum contineamus: ut ait Ariſtoteles problematum ſect. XXVIII, quæſt. VIII. Nam & benevolentia hilaritatem parit, & apud amicos ridicula quæque promere vix veremur. Liquet etiam, cur ſolus homo rideat. Solus enim intelligit, quid ridiculum ſit. Qui verò hoc judicio non pollent, hi quoque vel exigui ſunt riſus, vel nimii. Itaque ſtolidi ſunt admodum propenſi ad riſum. Nec enim res diſcernere valent. Idem dixero de inſanis pleriſque. Sed hoc pleniùs mox explicabo.

Ab judicio illo animus voluptate afficitur: unde provenit ſpiritûs, ac caloris nativi agitatio. Quoque homo calore magis abundat, eò impenſiùs ridet. Hoc liquet ex ſanguineis, & bilioſis. Ac contrà ſe res habet in melancholicis, & phlegmaticis. Eſtque à caloris illâ, & ſpirituum agitatione eorundem ſpirituum reſolutio. Itaque multi, præ riſu vehementi, ita viribus deficiunt, ut neque pedibus ſuis conſiſtere valeant. Ab eadem caloris & ſpirituum effuſione dilatatur cor. Unde & Ariſtoteles ſedem riſus in corde ſtatuit, ac cum eo Michael Epheſius, III de partibus animalium, cap. X. Ad motum cordis quoque movetur diaphragma, ſive ſeptum transverſum; quod Græci etiam φρένας vocant; non quaſi ea ſit ſapientiæ ſedes; ſed quoniam, ob cordis propinquitatem, pro iſtis bene maleve affectis, etiam mens vel bene ſe habeat, vel laboret. Quam ejus nominis rationem Hippocrates d quoque, & Ariſtoteles e, adducunt. Septum autem transverſum etiam ſedem riſus ſtatuit Plinius lib. XI, cap. XXXVII, *Præcordia, inquit, appellant quia cordi prætenduntur, quod Græci appellaverunt φρένας. Huic membranæ certè refertur accepta ſubtilitas mentis: ideo nulla eſt ei caro, ſed nervoſa exilitas. In eâdem præcipua hilaritatis ſedes; quod titillatu maximè intelligitur alarum, ad quas ſubit, non alibi tenuiore cute humanâ, ideo ſcabendi dulcedine ibi proximâ.*

d Prope finem libri de ſacro morbo.
e Lib. 3. de partibus animal. cap. 10.

Præ-

Præterea ad cordis, & ſepti transverſi dilationem, commoventur muſculi circa oris latera; quibus rictus ille fit ad ſpiritum effundendum. Eſtque omnis iſte motus involuntarius; ut qui apprehenſione fiat ſpeciei ridiculæ, voluntate neutiquam motum eum imperante. Cujuſmodi ἀκούσιον κίνησιν, ſive *motum involuntarium*, ex Ariſtotele cognoſcimus lib. de motu animalium cap. ult. Idem arguit, quòd ſæpe cùm riſum volumus continere, non poſſimus: atque adeo, cùm magnam vim fecimus virtuti retentrici, ſolvamur in cachinnum, ſpiritu ob muſculorum diſtentionem omnino exitum quærente. Id Ariſtoteles quoque obſervat lib. VII Nicomachiorum, cap. VIII: ubi id Xenophanto contigiſſe ait. Imò nec riſus deſinit, quando volumus; ſed durat, quamdiu ridiculi ſpecies animo obverſatur. Uti verò cor, & ſeptum transverſum, ſedem riſus interiorem: ita partes circa buccas, ubi ſpiritus geſtit in proſcenium procurrere, exteriorem dicere riſus ſedem poſſumus. Amati verò Luſitani opinionem probare haut ſatis poſſum: qui lib. VII Medicinalium Curationum, quartâ & vigeſimâ Curatione, ſedem ejus facit cerebrum; novè prorſus, nec verè; ut ex iis liquet, quæ diximus. Nec deſunt, qui ſplenem potiùs ſedem ejus arbitrentur. Quæ opinio licet falſa, ex vero tamen originem traxit. Splen enim ſedes eſt humoris melancholici: eoque ſi magnus ſit ſplen, & bellè attrahat humorem melancholicum, nec patiatur per univerſum corpus diffundi; homines ſolent ad riſum propendêre: uti etiam attigimus hujus libri cap. XXI. Atque idem jam olim monitum Alexandro Aphrodiſienſi problem. lib. I, quæſt. CXXXVI. Imò inde etiam liquet, cur, ut diximus, ſtulti crebrò adeò rideant. Nam atra bilis non eſt iis bene temperata: quæ res facit, ut nec ſpiritus animalis ſit, qualem oporteret, hoc eſt, ſtabilis, ac fixus; ac proinde nec ſpecies ei ſatis imprimatur; rebuſque parùm penſicularis, magnus ſit judicii defectus, in diſcernendis iis, quæ proprium eſſe riſus objectum dicebamus. Et hæc de riſu propriè dicto: de quo & egimus Oratoriarum Inſtitutionum lib. III, cap. V, ſect. XII: ac aliquid dicendum erit in affectionibus relatis in Deos. Nam & riſus Spartanis, ac Hypatenſibus Theſſalis, pro Deo colebatur; ut tum dicetur.

Impropriè autem ſic vocatur, qui ex titillatione provenit, ſiquem ſub alis, vel præcordiis, attrectemus: ut etiam apud Ariſtotelem eſt Problematum ſect. XXXV, quæſt. VIII. Quo pacto calor inducitur; unde motus cordis, & ſepti transverſi, & muſculorum circa buccas. Ac eo magis titillatio hæc efficit in homine quòd is cutis ſit tenuiſſimæ. Mirandum verò, etiam riſum hunc gigni, ſiquis ſit vulneratus in ſepto transverſo: ut teſtis eſt Ariſtoteles in III de partibus animalium, cap. X. Plinius quoque lib. XI, cap. XXXVII, cùm dixiſſet, nuſquam ſubtiliorem eſſe cutim ac ſenſum, quàm membranis, quæ cordi prætenduntur: ſubjungit, *Ob hoc in præliis, gladiatorumque ſpectaculis, mortem cum riſu trajecta præcordia attulerunt.* Similiter impropriè riſus eſt morientium eſu herbæ Sardoæ. Labra enim contrahunt ridentium inſtar, cum intus diſcrucientur: de quo Dioſcorides in VI. Imò in aliis etiam animam jamjam acturis ſpeciem eam riſus ex contractis buccarum muſculis obſervare eſt: præſertim infantulis lento obeuntibus morbo: uti in propriis etiam liberis comperi. Hujuſmodi quando ſimpliciores conſpiciunt, pro vero infantis riſu habent, atque cum ex lætiſſimo angeli conſpectu, qui ad excipiendam animulam ſe ſiſtat, provenire arbitrantur. In quo licet diſſentiam, nolim tamen laborare in errore innoxio triſtibus matribus eximendo: præſertim quando & ſolatioli aliquid inde percipiunt; & veriſſimum ſit, angelos adſtare paratos ad animam in beatas ſedes deferendam: utcumque nimis debile videatur argumentum vultus riſum referentis; unde hoc à bonis ſeminis colligitur.

CAP. XLVII.

Fletum eſſe hominis proprium, nec rationis expertibus, niſi impropriè, tribui: uti equis à Plinio. Objectum fletus per ſe eſt res triſtis: nec qualibet tamen, ſed ea ſolùm, quæ atrox non ſit. Ariſtotelis error, de Amaſi referentis, quod Pſammenito evenit. Utrùm, quibus lachrymæ excidunt, ſi memoria defuncti refricetur amici, magis fleant gaudio, ob jucundam priorum temporum memoriam; ut Seneca putavit: an dolore, quia ſodalem tam gratum amiſerint. Cur flêrit Philadelphus, viſâ tralatione LXX interpretum. Cauſſam fletus eſſe rei triſtis ſpeciem animo receptam, unde ſit cordis, ac ſpiritus compreſſio: uti hinc coarctatio vaſorum cerebri, & fumi vaporiſque, qui eò adſcenderat è corde, in aquam converſio: ac denique è cerebri vaſis in oculorum glandulas deſtillatio, & ex iis expreſſio. Unde ſit, quòd homines tam diu lachrymis ſufficiant. Quibus de cauſſis alii aliis ſint ad fletum proniores. Sprengerus, & alii, refelluntur; qui, ſi accuſatæ magicarum artium non lachrymentur, certum id ejus criminis argumentum eſſe contendunt. Pluſcula ex Bodino allata, quibus pateat, crudele fore, atque impium, ſi ex ejus doctrina exerceatur judicium adverſus magiæ accuſatas. Non ſolum temperamentum eſſe in cauſſa, cur quis non lachrymetur; ſed etiam quia atrox ſit malum, in quod inciderit. De γελαγκλαυσί obiter. Fletum etiam interdum voluptatem adferre: ſed præcipuè, ſi defleamus peccata noſtra. Prodeſſe ſæpius fletum, quia abſque eo præcordia magis æſtuant dolore. Quantum pœnitentium lachrymæ valeant apud Deum. Majoris eſſe laudis in Sacerdote, lachrymas ciere, quam plauſum conſequi. De lachrymis impropriè dictis: quales ex lippitudine, aut vento, aut Solis intuitu. Quæ lachrymæ calidæ, quæ frigidæ, & cauſſa diſcriminis.

HÆc fere ſunt, quæ de riſu dicere habui: deinceps ad fletum tranſeamus; qui & ipſe hominis proprius eſt. Itidem enim provenit à mentis judicio, cujus is index. Quare non acceſſero Plinio ſic ſcribenti lib. VIII, cap. XLII: *Equi præſagiunt pugnam, & amiſſos lugent dominos, lachrymaſque interdum deſiderio fundunt.* Nam ἀκύρως a plane hæ *lachrymæ* dicuntur: de quo vocis ejus uſu poſtea loquar. Quod autem Maro IX Æn. equum Pallantis inducit lachrymantem, & ora grandibus humectantem guttis: id ad popularem magis ſenſum confinxit poëta, quàm convenienter naturæ. Utcunque enim mutis etiam animantibus (quod in canibus, domeſtico animali, crebrò videmus) ſtillent oculi: non tamen is fletus dicendus: imo nec in hominibus ſemper, præcipuè in lippis, hoc vocabuli habet locum. Crocodilos aliquis dixerit flere, quia lachrymæ eorum abiere in proverbium. Sed eſt hoc de lachrymis fictis, non veris: nec ſatis conſtat, ecquid veri ſubſit fabellæ de lachrymis crocodili ſimulatis.

a Impropriè.

Objectum fletus aliud eſt per ſe, aliud per accidens. Per ſe eſt res triſtis: ut obitus conjugis, vel filii dilecti. Per accidens etiam res læta, ut poſtea exponam. Nec quælibet triſtitia lachrymas ciere idonea eſt. Nam ſiquid non ſolùm triſte ſit, ſed etiam atrox: ſic ſtupent rigentque membra, ut nec lachrymula exeat. Notum de Pſammenito, rege Ægyptio, ut cùm amicum videret mendicantem, non continuerit lachrymas; licet nullam emiſiſſet, cùm magis miſera conſpiceret in liberis. Cujus ipſe hanc cauſſam victori adferebat Cambyſi, quòd unum miſerabile eſſet, alterum atrox. Hoc contigit Olympiadis LXIII. anno IV. Ut ſatis ſit manifeſtus Ariſtotelis error, quando in ſecundo Rhetoricorum hoc narrat de Amaſi; ſive memoriæ lapſu, ſive alios ſecutus, quos memoria fefellerit. Omnino enim priori quidem anno Amaſis eſt defunctus; eo autem, quo dixi, capta eſt Ægyptus, regnante Amaſis filio: ut ex Herodoti Thalia conſtat. Qui Ariſtotelem

ab omni errore immunem putant, (æquè ridiculè, ac qui de Marone illud imperitè ſomniant) hi ajunt Herodotum ex Ariſtotele corrigendum: in quo ab nonnullis Ariſtotelis interpretibus etiam deceptum video, (ut de Keckermanno *a* taceam) Philippum Camerarium in Succiſivis lib. 1, cap. xxix.

a *Syſtematis Phyſici lib. 4. cap.* 8

Interdum autem hinc eſt triſtitia, inde lætitia. Itaque Seneca epiſt. xcix *b*, cùm egiſſet de lachrymis ex mœrore mero obortis, ſubjungit: *Hæ lachrymæ per eliſionem cadunt, nolentibus nobis. Aliæ ſunt, quibus exitum damus, cum memoria eorum, quos amiſimus, retractatur. Et ineſt quiddam dulce triſtitiæ, cum occurrunt ſermones eorum jucundi, converſatio hilaris, officioſa pietas: tunc oculi in gaudio relaxantur.* Cenſeo tamen, tum quoque lachrymas provenire magis ex dolore, quòd talem amiſeris; quàm gaudio, ex memoria veteris voluptatis. Ac ſimile eſt, ſi videas fratrem, vel amicum, patriæ, & amicis redditum, poſt longam, & miſeram captivitatem: ubi quin fletus præcipue obtingat ex recordatione prioris fortunæ, ambiguum non eſt. Et fortaſſe hoc etiam locum habuit, cùm Ptolemæus Philadelphus, ut apud Fl. Joſephum *c* legere eſt, lachrymaret, ſacras videns Scripturas, eâ redditas lingua, quam ipſe, & Græcorum alii, intelligerent. Nam cur non potuerit dolere, quòd & ipſe, & Græci, tam diu tanto caruiſſent theſauro?

b *Al.* 100.

c *Lib.* 12. *Antiq. Jud. cap.* 2.

Interim etiam, ubi merum eſt gaudium, lachrymæ provocantur. Uti enim triſtia lachrymas cient, meatibus ſic conſtrictis, ut lachrymæ exprimantur, velut è ſpongia: ſic lachrymæ erumpunt præ gaudio, meatibus ita laxatis, ut intra vaſa ſua non contineat ſe humor. Quam rationem adducit Alexander Aphrodiſ. in problematis ſect. 1, particula xxix.

Cauſſa fletus propriè dicti eſt receptio ſpeciei animo triſtitiam adferentis. Hinc enim illa cordis, & ſpiritus, compreſſio. Quam rationem etiam adducit B. Baſilius homilia de gratiarum actione *d*: Δάκρυον ἐκ πληγῆς τινος, τῇ προσβολῇ τοῦ αἰσθητοῦ, τὴν ψυχὴν τύπτοντος καὶ συστέλλοντος καταθλιβομένου τοῦ περικαρδίου πνεύματος ἀποτίκτεσθαι πέφυκεν· *Lachrymæ exoriri ſolent ex impetu quodam, & impreſſione minus præviſa, ac ſi illata eſſet plaga, qua percelleretur anima, & contraheretur, compreſſo & coarctato ſpiritu circa cor.* Ex conſenſu autem cordis, & cerebri, etiam vaſa hujus coarctantur. Vapores igitur, qui fumigantes mœrentis cor obſidebant, in cerebrum delati, frigore ejus, & vaſorum compreſſione, in aquam immutantur: quæ cùm alias in corporis partes, tum etiam derivantur verſus glandulas, angulos oculorum occupantes. Quod idem Baſilius *e* paullo poſt verba memorata exponit. Hæ glandulæ priùs ex oculis deſtillant humorem, quem habent ex tertiæ concoctionis excremento. Sed, eo exhauſto, imbibunt humorem proximum è cerebro defluentem, ac pariter eundem exſudant. Quæ humoris copia eſt cauſſa, cur tam longo tempore ſufficiant homines in lachrymas.

d *Pag.* 359. *edit. Pariſ. Somm.*

e *Pag.* 361.

Nec tamen exiſtimandum, pariter omnes ad lachrymas eſſe propenſos. Nam quis neſcit, faciliùs flere pueros, feminas, & his ſimiliores viros? Omnino enim, quibus mollior animus, magis dolent, eoque faciliùs plorant. At aliter animati ſunt homines cordati, qui incertum ſciunt rerum humanarum. Temperamentum etiam valet plurimùm. Nam melancholicis, quia frigidi ſunt, ac ſicci, ſæpe ægrè adeò lachrymas, quàm ex pumice elicias aquam. Unde videre eſt, quàm imbecilli argumento, ante hos annos centum & quinquaginta, Jacobus Sprengerus, in ſuo Maleficarum Malleo, pro certo habuerit magarum, ſive lamiarum indicio, ſiquæ feminæ magiæ accuſatæ, inque judicium productæ, lachrymas non emitterent. Quaſi aliud inde ſummùm colligi poſſit, quàm eſſe eas temperamenti frigidi, & ſicci. Quàm autem miſere erit mulieribus, ſi quæcunque eo fuerint temperamento, propterea exiſtimandæ ſint renunciaſſe Chriſto, & cum Satana habere commercium! Atrox id crimen, & flammis dignum: ſed de quo non debeat pronunciari ex tam fallaci indicio. Ut enim verum eſſet, omnes ſagas eſſe melancholicas: non eo, quotquot ſunt melancholicæ, etiam fuerint ſagæ. Horret animus, cùm cogito, viros quandoque non malos, ſed valde ſimplices, ficulno hoc argumento innixos, inter noxias etiam, innocentes non paucas adjudicare vivicomburio. Et tamen Sprengerum, & alios, hac parte, ſequi non dubitavit Joannes Bodinus, in opere inconſideratiſſimo, quod Δαιμονολογίαν inſcripſit, lib. iv, cap. 1; ubi & alia in hoc argumento multa adeò peccat. Non abs re fuerit, ſi id planum omnibus fiat. Sic autem ſcribit: *Exploratum illud eſt, nunquam lachrymari ſagas: præſumtio validiſſima, quia femina tempeſtive, & intempeſtive, lachrymas & ſuſpiria jaculatur.* Et poſtea: *Si nihil fateantur, mutandæ veſtes, & pilus omnis abradendus: ita ad interrogationem veniendum: ſin probationis aliquid, aut violentæ præſumtiones habebuntur, adhibendus equuleus. quod olim Domitianus Imperator Apollonio Tyaneo feciſſe apud Philoſtratum Lemnium a legitur, eum nudari plane, & abradi jubens.* Et poſtea: *Si fateri abnuat, utile erit, perſuaderi ipſum a ſociis criminis accuſatum eſſe, licet tale nihil fuerit cogitatum. Sic fortaſſe ulciſcendi animo par pari referet. Hæc omnia licent divino, & humano jure: quicquid Auguſtinus in libro de Mendacio, & Aquinas, ſentiant; in octo mendacii generibus, quæ exponunt copioſe, abſtinendum eſſe.* Idem cap. 11: *Antiquata majorum norma, reum abſolventium, niſi clara plane, integraque extaret probatio.* Et poſtea: *In criminibus adeo abſtruſis præſumtio, & conjecturalis probatio, ſufficit; non quidem ad judicium mortis ferendum; ſed ad quaslibet alias pœnas, exceptâ morte, irrogandas.* Et aliquanto pòſt: *In hoc horrendo, & tam abſtruſo crimine, ut ad quæſtionem rapiatur reus, ſufficit unius teſtimonium, qui nullius infamiæ fuerit notatus. Damnatus & infamis teſtis ad teſtimonium dicendum admittitur. In hac certe cauſſa opus eſt mulieribus haberi fidem, quamvis ſint infames ex facto: aut etiam ignominioſæ, cujuſmodi mulier impudica eſt.* Ac poſtea: *Ab affinibus ejuſdem criminis ſufficienter probari judicatur, niſi capitalis eſt inimicus, qui dicit teſtimonium.* Nec multo pòſt: *In tam horrendo crimine nihil neceſſe eſt religioſe hærere quemquam regulis procedendi refellendorum, recipiendorumve teſtium, ordinariis.* Ac poſt pauca ait hic, *regulis juris conſtringi non oportere; ſed potiùs legitime ex jure agi, ſi ordo juris omittatur. Itaque teſtis, qui non citatus ſeſe obtulerit, ut contra magum dicat teſtimonium, audiri debet; licet aliis in cauſſis admitti non ſit legitimum.* Nec aliena ab his ſunt, quæ dicit cap. iii. Idem cap. iv: *Dicitur, vocem populi negligendam eſſe, eamque vanam exiſtimari* b. *Sed in Magorum cauſſa vix fieri poteſt, ut vox popularis erret.* Denique poſt multa dicere non veretur: *Hujus execrandi criminis judicium extra ordinem oportet fieri, diverſa a criminibus cæteris ratione: in quo ſiquis ordinem juris, forenſeſque formulas, obſervare voluerit, jus divinum & humanum plane perverterit.* Hæc pluribus ſum proſecutus, ut appareat, non atramento, ſed ſanguine, præſertim adverſus imbecillem ſexum, maxime deformes, & melancholicas, opus id ſcriptum videri. Planè, ut dixi, non ii ſumus, qui negemus, eas extremo eſſe afficiendas ſupplicio, quæ Deo renunciantes pactum inierint cum dæmone. Sed iſtam cum Bodino ſi inſiſtamus viam, plures perituræ ſunt innocentes, ſubinde etiam judicibus ipſis longè ſanctiores. Longum eſſet inſiſtere ſingulis, quæ inconſiderate adeò, ut nihil graviùs, hoc eſt, veriùs, dicam, ab eo ſcripta eſſe jam vidimus. Nunc ſuffecerit nobis, quod non lachrymari in judicio manifeſtum ſagarum eſſe judicium ait. In quo, quos ſequatur, oſtendunt illa ejuſdem libri cap. iv: *Si non fleverit Saga, præſumtionem Paulus Grillandus, & Inquiſitores alii, quorum opera crematæ fuerunt innumeræ, annotant eſſe valentiſſimam.* Nobis contrà in melancholicis, quales præter ſagas plurimæ, judicium hoc prorſum invalidum eſſe, per

a *Lib. 7. de vita Apollonii, cap. 14: ubi tamen de derasione nihil legas; ſed ſolum, ut Domitianus capillos & barbam ei detonderi, ac præterea illum juſſerit vinciri.*

b *L. decurionum. Cod. de pœnis.*

eſt

eſt manifeſtum. Adde quòd fieri queat, ut interdum, etiam non melancholicæ, eæque Dei metuentiſſimæ, ſui & familiæ honoris ſtudioſæ, tam infame mortis genus exhorreſcentes, nec lachrymulam unam poſſint emittere. Nam mala atrocia ejus ſunt naturæ, ut ſic rigeſcat homo, & obſtupeſcat, ut flere prorſus nequeat. Quod ex adducto antea Pſammeniti exemplo liquet. Et Andromaches eſt in Senecæ Troadibus:

—— Levia perpeſſæ ſumus,
Si flenda patimur. ——

Æquè infirmum eſt indicium γυναικηλύσιας, ſive purgationis per aquam frigidam: quod petitum ex gentilium ὑδρομαντείᾳ *a*. Sed de iſto non eſt hujus loci agere. Et Bodinus ipſe hoc argumentum rejicit: ac à Leidenſi, Marpurgenſi, & aliis eſt Academiis damnatum; ſolidè etiam refutatum à Conrado ab Anten, Juriſconſulto Lubecenſi.

a Divinatione ex aquis.

Nec ob ridendi modò, ſed lachrymandi quoque, facultatem, Deo debitores ſumus. Nam & lachrymæ animum oblectant; ſecundùm illud poëtæ Sulmonenſis *b*;

b 4 Triſt. el. 3.

—— Eſt quædam flere voluptas.

Sed imprimis id locum habet in lachrymis pœnitentiæ ac confeſſionis. De quibus B. Auguſtinus in Pſal. CXXVII: *Niſi haberet aliquam ſuavitatem panis iſte, nemo illum manducaret. Cùm quantâ ſuavitate plorat, in gemitu qui orat! Dulciores ſunt lachrymæ orantium, quàm gaudia theatrorum.* Jam utilitatem etiam ſi attendas, ad mundanam pariter ea, ac ſpiritualem ſe vitam extendit. De priori ita Ovidius *c*:

c 4 Triſt. el. 3.

Expletur lachrymis, egeriturque dolor.

Quod ſi, ut idem poëta *d* loquitur,

d 13 Metam.

—— Lachrymas introrſus obortas
Devorat ipſe dolor:

fit fere, quod alibi *e* apud eum legas:

e 5 Triſt. el. 1.

Strangulat incluſus dolor, atque exæſtuat intus:
Cogitur & vires multiplicare ſuas.

Sed præcipuum lachrymarum bonum vitam tangit ſpiritualem. Quales illæ Davidis, adulterio, & homicidio commiſſo. Unde Pſal. VI ait: *Laboravi in gemitu meo, lavabo per ſingulas noctes lectum meum, lachrymis meis ſtratum meum rigabo.* Qui ſic cum Davide peccata ſua deplorant, remiſſionem eorum impetrant per & propter Chriſtum. Unde B. Ambroſius Luc. XXII: *Bonæ hæ lachrymæ, quæ culpam lavant.* Ac propterea non tam presbyteri laudantur, qui, ut ſæpe fit, argutiolis, & ſcitamentis verborum, plauſum, vel auram populi, venantur: quàm qui ita præterita vitæ peccata ob oculos ponunt, ut audientes cum lachrymis veniam eorum poſcant, & ad vitam meliùs inſtituendam, divinam gratiam implorent. Hinc Bernardus ſerm. LIX in Cantic. *Illius doctoris vocem libenter audiam, qui non ſibi plauſum affectando, ſed mihi planctum movendo, conciliare nititur.*

Quemadmodum autem riſus etiam eſt improprius, ita & fletus: ut qui aliunde oritur, quàm ab triſtis objecti apprehenſione, & proveniente hinc commotione animi. Eſtque is vel à cauſſa interiori, ut oculorum intemperie, ſicuti in lippientibus, & ebrioſis: vel exteriori, ut à Sole, aut vento. Quò pertinet apud Ariſtotelem problema illud ſect. IV, quæſt. XIII, cur, qui equo vehuntur, quò longiùs provecti, eò lachrymentur magis. Id verò fieri ait, vel ob aëris ictum, qui ſemper alius atque alius: vel quia perpetuò aër frigidus oculis obverſetur, cùm ob breve tempus à corpore humano calefieri non poſſit: vel etiam propter Solem adverſum, quando calor, & lux nimia, ſic meatus oculorum laxant, ut continere nequeant humorem.

Interea qualitate differunt lachrymæ mœrentium, & oculis laborantium: illæ calidæ, quia concoctæ; hæ frigidæ, quia crudæ: ut idem philoſophus docet problematum ſectione XXXI, quæſt. XXIV. Atque ad fletum hunc impropriè dictum, etiam pertinent, quæ de lachrymis mutorum animantium initio dicebamus.

Cap. XLVIII.

Aræ duæ, una Menti, Veritati altera, ab Anaxagorâ philoſopho conſtitutæ. Homo *pro viro.* *Ætas Plinii Valeriani, qui* εὐπόριςα *reliquit. Rectum de ſexu ſuo judicium, tum Gorgoniæ, quæ Nazianzeni erat ſoror; tum etiam S. Julittæ. Ex Scripturis eſſe apertiſſimum, mulierem non poſſe fraudari appellatione* hominis; *niſi voce eâ utamur per antonomaſiam. Quippe quæ ad ſimilitudinem, ut viri, ſic Dei, condita ſit: ac disertim à Moſe* homo *dicatur: quæ item fidei ac pietatis ſit capax, & per Chriſtum hæres vitæ æternæ. Cajetani lapſus, ea, quæ de formatione Evæ ex coſta Adami narrat Moſes, parabolicè malentis interpretari, quàm ſecundùm ſenſum, quem vocant literalem. Quâ mente à philoſophis mulier dicatur, vir imperfectus. Utcunque natura particularis virum in generando ſibi proponat, ut perfectius quid: univerſalem tamen etiam pro fine feminam habere, & ſæpius fortaſſe, quàm virum.*

HÆc de anima rationali, & propriis illius effectis. Ex quibus, ut naturam, ſic præſtantiam ejuſdem, ſatis cognoſcimus. Quæ gentiles minimè fugerunt. Itaque cùm in ea divinius aliquid perſpiceret Anaxagoras; geminas poſuit aras; unam Menti, alteram Veritati; teſte Æliano lib. VIII Var. Hiſt. cap. ult.

Nec minùs, quæ hactenus diximus, ad mulierem, quàm ad virum, pertinent: etſi *hominem*, & *mulierem*, à declinantis Latinitatis ſcriptoribus quandoque videas opponi. Sic Paullus lib. V Sentent. *a Quod ſi eo mulier, aut homo, perierit.* Nempe Græcorum exemplo; quibus ἄνθρωπος idem, ac ἀνήρ: ut illo Æſchyli, Ἄνθρωπος, καὶ γυνή *b*. Similiter Plinius Valerianus lib. II, cap. XXXVII: *Ad veſicæ dolorem, nec non ad loca mulierum, quæ res & homines à morte revocat.* Plinius iſte Gallus fuit, ac Empiricus; opuſque ejus εὐπορίςων *c* libros rectè dixeris: antiquitatem verò indicat, tum quòd etiam Marcello Empirico, Theodoſiani ſeculi ſcriptori, memoretur: tum quòd ipſe cap. LVIII referat, ſuâ ætate cadavera etiamnum cremari ſolere. Nam & iſtud argumento eſt, vixiſſe eum ſub Cæſaribus gentilibus. Simile exemplum lib. II de vitiis Sermonis adducimus ex Formulis veteribus. Sed utcunque ſic veteres, collapſâ Latinitatis puritate ac caſtimoniâ, loquantur interdum; (unde illud quoque derivatum eſt ad Gallicum idiotiſmum:) impropria tamen locutió eſt, quæ fit κατ' ἀντονομασίαν, ſive κατ' ἐξοχήν. Nec enim ſexus ſpeciem mutat: quia diſcrimen non ab anima petitur, ſed corporis, partiumque ejus, diſpoſitione. Unde Gregorius Nazianzenus orat. XI, quæ funebris eſt in laudem ſororis Gorgoniæ *d*: Ὦ γυναικεία φύσις τὴν ἀνδρείαν νικήσασα, διὰ τὸν κοινὸν ἀγῶνα τῆς σωτηρίας, καὶ σώματος διαφορὰν, οὐ ψυχῆς τὸ θῆλυ καὶ τὸ ἄῤῥεν ἐλέγξασα. *O femineam* (Gorgoniæ) *naturam, quæ, propter commune ſalutis certamen, virilem naturam ſuperaſti: atque illud oſtendiſti, marem, & feminam, corporis, non item animæ, diſcrimen eſſe.* Idem ſenſit S. Julitta, ſive S. Baſilius; apud quem beata illa martyr ſic mulieres ad conſtantem fidei Chriſtianæ confeſſionem adhortatur *e*: Ἐκ τοῦ αὐτοῦ φυράματος τοῖς ἀνδράσιν ἐσμέν· κατ' εἰκόνα Θεοῦ γεγόναμεν, ὡς καὶ οὗτοι. ἀρετῆς δεκτικὸν τὸ θῆλυ ὁμοτίμως τῷ ἄῤῥενι παρὰ τοῦ κτίσαντος γέγονε. καὶ τί γάρ, ἡ συγγένεια τοῖς ἀνδράσι διὰ πάντων ἐσμέν; *Eâdem maſſâ, quâ viri, & ipſæ conſtamus. Ad imaginem Dei, perinde ac illi, & nos conditæ ſumus. Opifex æquè, ac viros, honore nos illo decoravit, ut virtutis eſſemus capaces. Quid mirum, quando viris per omnia conſanguineæ ſumus?* Rectè, cùm mulier Adamo ſimilis dicatur. Nam Dei verba ſunt Geneſ. II, 18, (ut LXX reddidere) ποιήσωμεν αὐτῷ βοηθὸν κατ' αὐτόν: *faciamus ei adjutorium, ſecundùm eum*: hoc eſt, *ei ſimile*, ut vulgatus vertit interpres. Ac eâdem mente Chaldæus:

a L. Siquis aliquid. §. 5. de pœnis.
b Homo, ac mulier.
c Facile parabilium.
d P. 1847 edit. Morelliana.
e Homilia in martyrem Julittam, pag. 369. edit. Paris. Sonnii.

Faciamus ei adjutorium, quaſi eum. Nempe quia Hebræum נֶגֶד neged, notat *coram; apud.* At ſi mulier ſimilis ſit viro, etiam ſimilis ſit Deo, ad cujus ſimilitudinem Adam conditus eſt. Atque idem apertiùs oſtendit locus ille Moſis Gen. 1, verſ. 27: *Creavit Deus hominem in imagine ſua: in imagine Dei creavit eum: marem, & feminam creavit eos.* Ubi non modò utrumque ad imaginem Dei conditum; ſed etiam hominem eſſe utrumque, ſatis clarè pronunciatur. Addit S. Julitta, itidem eſſe virtutis capaces. Quod capiendum non modò de virtute morali, prout in gentiles cadit: ſed etiam, ut ex fide proficiſcitur, ac pietatis Chriſtianæ propria eſt, & promiſſionem habet vitæ æternæ. Nam & mulier Servatorem habet Jeſum Chriſtum, & templum eſt Spiritus Sancti. Eoque cùm Cujacius contenderet, mulieres non eſſe homines, credò à ſeriis animum remittens (prope *amittens*, in tali negotio, dixerim) pauxillum voluit nugari: quod, poſt magnum virum, aliis etiam nugandi præbuit occaſionem. Etſi & dici poſſit, mulierem non eſſe hominem, ſi voce eâ utamur κατ' ἀντονομασίαν, ſive κατ' ἐξοχὴν: quomodo Geneſ. 11, 25, pro, *Adam, & uxor ejus*, aliqui vertunt, *homo, & uxor ejus*: quaſi dicas, ὁ ἄνθρωπος, *homo ille.*

Imprimis verò illi, qui mulierem etiam monſtrum eſſe contendunt, non erga parentes modò, ſed etiam naturam, naturæque auctorem Deum, injurii ſunt. Naturam ajunt ſemper ſibi proponere, quod perfectius eſt; eoque referunt quoque iſta Cajetani in 11 Geneſ. 21, *Gravis ille, & profundus ſomnus à Deo immiſſus Adæ, ex quo formata eſt Eva, metaphoricè ſignificat defectum virtutis virilis: ex quo defectu accidit, ut generaretur femina. Homo enim dormiens ſemihomo eſt: & ſimiliter principium generans mulierem ſemivirile eſt. Quocirca mulier à philoſophis appellatur vir læſus, & imperfectus.* Ubi in eò admodum fallitur Cajetanus, quòd exiſtimet, Scripturâ dicente, cùm ſoporem Deus immiſiſſet Adamo, ex coſta ejus formaſſe Evam, non hiſtoricè debere intelligi, de prima feminæ formatione ex viro; ſed allegoricè, de productione univerſi ſexus muliebris. Quod autem ait, mulierem eſſe virum imperfectum; id quidem conſentaneum eſt iis, quæ Ariſtoteles tradit lib. 1 de generatione animalium, cap. xx; ubi ait, eam provenire ex ἀδυναμίας a ſeminis propter frigus. Sed enim rectè ipſe Cajetanus diſtinguit inter naturam particularem, quæ ſemper ſibi proponit marem, velut perfectiorem; & illam univerſalem, quæ etiam pro fine habet feminam; ſine qua non conſervetur humanum genus, quo nihil in rerum natura præſtantius. Imò ſæpius, credo, feminam ſibi proponit, quàm marem; quia convenientius eſt naturæ, ut (quod multis fit terris) vir unus uxores habeat multas; quàm, quod nuſquam videas, feminæ uni multi ſint mariti. *a Impotentia.*

Cap. XLIX.

Generatim attingitur, quàm multa tum animæ, tum corpori inſint rationis expertium, quæ nos accendere debeant ad Deum laudandum. Deque hoc divini Pſaltæ loca, & præcipuè Jobi cap. xxxviii*: cujus de animantibus verba* περιφραστικῶς *declarantur.* De Philomelæ *auctore, dracone marino, corvis Deum implorantibus, & ſtruthionis indole.*

Diximus de homine. Sequitur de mutis animantibus: quæ ut longiſſimè vincuntur ab homine, ita plantas multis exſuperant modis. Siquidem habent ſenſus; quorum bona qui neget, ſenſibus carere ipſe ſit dicendus. Eſt quoque illis appetitus; quo utilia ſibi, vel jucunda, ament; damnoſa verò, vel injucunda, averſentur; nec quæ ſibi modò talia ſint, ſed etiam, quæ generi propagando, vel profutura ſint, vel noxia. Adhæc addita eſt iis vis locomotiva, ut grata non ſolùm perſequi, ſed etiam aſſequi; ingrata non vitare modò, ſed evitare etiam, valeant. Atque iſta pertinent ad animæ facultates. Quod autem attinet ad corporis partes; ſunt quæ nutritionis, vel generationis; ſunt quæ ſenſus, vel motus ſint inſtrumenta: ſunt item, quæ, ut inſtrumenta iſtis, ſed non ἀμέσως a, inſerviant. Miranda etiam hic ſe offert varietas, & in ea varietate conſtantia. *a Immediate ſive proxime.* Non pulex ad muſcæ, nec paſſer ad aquilæ; non canis ad equi, nec bos ruſticus ad bovis Lucæ, ſive elephanti, magnitudinem adſurgit. Adhæc, ut Spartianus in Antonio Geta ait; *agni balant, porcelli grunniunt, palumbes minurriunt, urſi ſæviunt, leones rugiunt, leopardi rictant, elephanti barriunt, ranæ coaxant, equi hinniunt, aſini rudunt, tauri mugiunt.* Quam vocum varietatem pleniùs exſequitur Philomelæ ſcriptor, Ovidius falſo olim creditus; cùm homo fuerit Grammaticus, ut indicio eſt dictio; & quidem Chriſtianus, ut docent extrema; ubi ait, cuncta animantia Domino Deo laudes depromere die noctuque, ſeu canant, ſeu ſileant. Id carmen caſtigatiùs reperies apud Andr. Schottum Obſervationum Poëticarum cap. lii. Nec minor in aliis animantum affectionibus eſt diverſitas. Hoc animal pedibus velox, illud pennis, pinnis aliud. Quod pulmonibus hoc, id branchiis aliud præſtat. Videas, quæ vix edita in lucem ſolidum petant cibum: alia item, quæ lac ſugant, docente nullò. Quod ſi attendas τὸ θυμικὸν b, hæc fronte, cornibus alia, aliaque unguibus ſe defenſitant. *b Facultatem iraſcibilem.* Et quàm diſparia hæc, quòd quædam cavernas ſibi, vel cuniculos fodiant: quædam verò ſibi, & pullis, parent nidos. Jam prope viatico opus ſit, ſi hac via enumerare etiam velim ſolertia animantium ingenia: de quibus, & aliis multis, particulatim poſtea dicetur.

Atque horum notitia rapere nos debet in admirationem magni Numinis, quod muta hæc animantia ſic condidit; unde ea ad laudandum Dominum invitat divinus Pſaltes in cxlviii, verſ. 10: *Laudate Dominum, beſtiæ, & univerſa pecora, ſerpentes, & volucres pennatæ.* Ad piſces verò pertinet, quod anteceſſit: *Laudate Dominum de terra, dracones, & omnes abyſſi.* Nam quod de abyſſis ſubditur, arguit, rectè à Chryſoſtomo, Theodoreto, atque aliis intelligi dracones aquaticos, ſive balænas, & cete immania. Quomodo & vox ea accipitur Pſal. lxxiii (ſive Heb. lxxiv) 14, & Pſal. ciii; ſive civ, 26. Item Jeſaiæ xxvii, 1, ubi vulgata, *Occidet cetum, qui in mari eſt*: lxx habent, Καὶ ἀνελεῖ τὸν δράκοντα. Quantopere etiam S. Job nos ex conſideratione animalium ad Deum excitat cap. xxxviii, 36: *Quis*, inquit, *poſuit in viſceribus hominis ſapientiam? vel quis dedit gallo intelligentiam?* Quem tamen locum multo aliter reddidere lxx: nempe de mulieribus, quæ more Babylonio, vel Phrygio, aut verſicoloribus texunt liciis, aut acu variè pingunt floſculos, & animalium formas. Sed de gallo gallinaceo, cantu ſuo horas diſtinguente nocturnas, præter vulgatum interpretem Latinum, etiam cepere Thalmudici, & Hebræorum alii. Chaldæus paraphraſtes utramque interpretationem conjunxit. De hac verò galli intelligentia Plinium adi lib. x, cap. xxi. Sequitur verſ. 39, & 40: *Numquid capies leænæ prædam, & animam catulorum ejus implebis, quando cubant in antris, & in ſpecubus inſidiantur?* Quaſi dicat: Quòd leones, & ſcylaces eorum, cùm in luſtris ſuis inſidias demiſſo ſtruunt corpore, ut ſic ex præda vivant; utrùm id humanæ eſſe credis induſtriæ, an providentiæ potiùs divinæ? Quamquam & alteram interpretationem legere poſſis apud Franciſcum Valeſium Philoſophiæ ſacræ, cap. lv. Hinc verſ. 41: *Quis præparat corvo eſcam ſuam, quando pulli ejus clamant ad Deum, vagantes eò, quòd non habeant cibos?* Ubi famelici corvorum pulli dicuntur Deum implorare, non quaſi numen aliquod eſſe intelligant; ſed quia, ut ex Ariſtotele, Plinio, & Æliano, conſtat, mos corvis eſt pullos ſuos maturè nido expellere ad cibum conquirendum. Hi ergo, tum à parentibus deſerti, cum clamore vagantur; quem errantium clamorem Deus habet pro precatione: unde iis, alioqui perituris, proſpicit à cibo. Gregorius M. in Moralibus cepit hunc locum de pullis in nido altis.

altis. Sed obſtat, quod de pullis jam vagantibus ſermo ſit. Tamen ſic quoque divinæ fuerit providentiæ commendatio, ſecundùm illud Chriſti apud Matthæum VI, 26: *Videte volatilia cæli*, &c. Et hoc Jobi, ſic caput XXXIX ordientis: *Nunquid noſti tempus partus ibicum in petris, vel parturientes cervas obſervaſti? Dinumeraſti menſes conceptus earum, & ſciſti tempus partus earum? Incurvantur ad fœtum, & pariunt, ut rugitus emittunt. Separantur filii earum, & pergunt ad paſtum: egrediuntur, & non revertuntur ad eas.* Hebræi ajunt, eò reſpici hoc loco, quòd ibices, ſive, ut Plinius vocat, rupicapræ, inſtante partu, rupes conſcendant, inde dejecturæ fœtum: Deus autem ſummittat aquilam, quæ alis excipiat, ne pereat: quòd item, cervis parere nequeuntibus, mittat ſerpentem, quæ, arrodendo ejus matricem, aperiat viam fœtui. Sed ſunt hæc planè commenticia: eſtque ſententia ſimpliciſſima; neſciri exactè, quando pariant ibices, & cervæ: præterea, animantia hæc difficilis eſſe partus, ſed divinam iis curam obſtetricari. Quomodo ſulmen faciliorem credatur partum cervis reddere, diximus hujus libri cap. VII. Ac ex Ariſtotele, & Plinio, conſtat, eas ſeſeli herbâ ante partum veſci, ut is facilior ſit: ac poſt partum quoque eâ uti ad ſeſe purgandum. Sequitur deinde apud Jobum: *Quis dimiſit onagrum liberum, & vincula ejus quis ſolvit? Cui dedi in ſolitudine domum, & tabernacula ejus in terra ſalſuginis? Contemnit multitudinem civitatis, clamorem exactoris non audit. Circumſpicit montes paſcuæ ſuæ, & virentia quæque perquirit.* Non, inquit, cùm onagro comparatum eſt, uti cum equis, & bubus; quibus, quia in hominis ſunt poteſtate, facilè à victu proſpicitur: onager verò, immunis ab omnibus vinculis, vagatur per ſolitudinem, & terram ſalſam, ſive ſterilem: nempe ejus cura eſt Deo, qui ei in montibus proſpexit ab herbis virentibus. Subjicitur hinc: *Numquid volet rhinoceros ſervire tibi, aut morabitur ad præſepe tuum? numquid alligabis rhinocerota ad arandum loco tuo? aut confringet glebas vallium poſt te? numquid fiduciam habebis in magna fortitudine ejus, & derelinques ei labores tuos? numquid credes illi, quòd ſementem reddat tibi, & aream tuam congreget?* Quantacunque, inquit, potentia ſit rhinocerotis, ſive, ut alii reddere malunt, monocerotis: non tamen eò adduces, ut terram aratro proſcindat. Hinc iſta ſubjunguntur in Jobi hiſtoria; *Penna ſtruthionis ſimilis eſt pennis erodii, & accipitris. Quando derelinquit ova ſua in terra, tu forſitan in pulvere calefacies ea? Obliviſcitur, quod pes conculcet ea, aut beſtia agri conterat. Duratur ad filios ſuos, quaſi non ſint ſui: fruſtra laboravit, nullo timore cogente. Privavit enim Deus ſapientiâ, nec dedit illi intelligentiam. Cùm tempus fuerit, in altum alas erigit: deridet equum, & adſcenſorem ejus.* Ita reddidit vulgatus interpres. Sed quæcunque mens ſit primi ex iſtis verſiculi, (de quo neque inter ſe Hebræi ſatis conſentiunt) ſequentia ſaltem nulli magis conveniunt, quàm ſtruthiocamelo. Hoc enim animal, cùm ingentia habeat ova, (qualia ſæpius conſpeximus) excluſiſſe ea contentum, defodit illa ſub arenis Libycis; parùm interea cogitans de periculo, quòd ſic facilè poſſint conculcari. Verùm, in ſtupore iſtoc ſtruthionis, curam Deus ovorum gerit; quia facit, ut ea ardore Solis excludantur. Eamque excludendi rationem prætulit Deus, quia ſtruthio tam vaſto ſit corpore, ut incubando ſit ova confracturus. Interim hinc Dei quidem providentia; ſed pariter etiam relucet, ut pullorum oblivio capiat ſtruthionem. Atque hoc attendit
a Cap. 4. Jeremias, cùm in Threnis *a* ait: *Filia populi mei crudelis, quaſi ſtruthio in deſerto.* Poſtremorum, quæ attuli, verborum Jobi ea mens eſt: ſtruthionem, dum fugit equitem, ac venatores, pandendo alas, quaſi ludibrio habere inſequentes: tantæ enim eſſe velocitatis, ut curſu ſuo, quem & adjuvat qualiſcunque ejus volatus, facilè equorum, & canum, celeritatem exſuperet. Poſt iſta ſequitur: *Numquid præbebis equo fortitudinem, aut circumdabis collo ejus hinnitum? Numquid ſuſcitabis eum, quaſi locuſtas? gloria narium ejus terror. Terram ungulâ fodit, exultat audacter: in occurſum pergit armatis. Contemnit pavorem, nec cedit gladio. Super ipſum ſonabit pharetra, vibrabit haſta, & clypeus. Fervens, & fremens, ſorbet terram; nec reputat, tubæ ſonare clangorem. Ubi audierit buccinam, dicit, Vah* a: *procul odoratur bellum, exhortationem ducum, & ululatum exercitus.* Quibus ſignificatur, à Deo eſſe terribile illud equi robur; hinnitum illum, penè tonitrui ſimilem; generoſum illud, quando, conſiſtere neſcius, ungula terram cavat; impavidus in bellum prodit; nec tot ſibi & equiti imminentibus terretur telis; eâque velocitate procurrit, ut ſorbere, aut deglutire viam, videatur; etiam, buccinâ militem ad arma ciente, quaſi *euge* dicere, gratulantem ſibi, quòd prœliandum ſit. Tandem his Deus ad Jobum verbis ſermonem ſuum concludit: *Numquid per prudentiam tuam plumeſcit accipiter, expandens alas ſuas ad Auſtrum? numquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus. Inde contemplatur eſcam, & de longè oculi ejus proſpiciunt. Pulli ejus lambent ſanguinem, & ubicunque cadaver fuerit, ſtatim adeſt.* Sententia eſt: Deine, an hominis, opus putas inſtinctum illum naturalem, quo accipiter, dum pennas accipit novas, vel (ut Hebræa vox יאבר potiùs ſonat) dum pennis utitur, potiſſimùm volet Auſtrum verſus, qua parte cælum eſt calidius? Vel quòd aquila ſic ex nido altiſſimo prædam proſpectat; velut cuniculos, lepores; quorum ipſa carnem vorat, pulli autem lambunt ſanguinem?

a Vel potius, Euge.

Cap. L.

Pergitur ad particularem notitiam animantium rationis expertium: ac primum ad quadrupedes; in his ad elephantum; de quo prolixus Jobi locus enarratur. Quando primum reperta videatur ratio necandi elephantum. Quàm large bibat. Quamopere magnitudine varient elephanti Indici, ac Libyci. In India elephantis nothis ſive minoribus arari. Quandoque ad annum pertingere ducenteſimum, imò ultrà. Quanta animalis ejus ſit ſagacitas, partim iis oſtenſum, quæ naturâ norunt, partim quæ diſciplinâ addiſcunt. Cur, priuſquam bibant, aquam proboſcide conturbent. Quare in flumine tranſmittendo præeant minores. Elephantos etiam funambulos fieri: maleque in dubium id vocari à Cæſare Scaligero. Eos adorare regem, ſaltare in choreis, geſticulari in ſpectaculis. An ad Lunam diurna meditentur præcepta; quod ajunt veteres; pro falſo autem, vel incerto, habet Cæſ. Scaliger. Immerito eſſe Juſto Lipſio ſuſpectum, quod Strabo ſcripſerit, etiam natationem addiſcere. Quomodo tantæ molis, virium, & ſagacitatis bellua cicureſcat; atque ut hominem timeat, etiam antequam manſueſeceris. Hanc hominis reverentiam eſſe à natura, ſive Deo, datam beſtiis: idque ipſos gentiles per nebulam vidiſſe. Eoque etiam pertinere, quod ſævire nolint in homines hunc in finem ſibi objectos. In elephantis exemplum æquitatis, & aliud probitatis, aliud reverentiæ erga majores. Lycurgi lex de honore præſtando grandibus natu. De amore elephanti erga vitulos ſuos: deque eorundem pudore. De multiplici uſu, quem ex iis mortuis capere eſt.

VIdemus ex iſtis, quantopere nos Deus ipſe incitet ad conſiderandam animalium naturam; atque hoc propterea, ut inde adſcendamus ad eum, qui illa condidit. Quamobrem non abs re erit, ſi argumento huic paullùm inſiſtam, ac particulatim quædam dicam de ſingulis animantium generibus. Sunt autem animantia quinctuplicia; quadrupedia, aves, piſces, reptilia, & inſecta.

Quadrupedes inter elephas principatum tenet: de quo ſic Jobus cap. XL, 10: *Ecce nunc Behemoth, quem feci tecum, herbam tanquam bos comedit.* Ubi per *Behemoth*, LXX, & Chaldæus, intelligunt omnem beſtiam ter-

terreſtrem vaſtæ molis: Hebræi autem ex ejus generis animantibus ſignari arbitrantur ſolum elephantum: quos & Thomas Aquinas, & Nicolaus Lyranus, ſequuntur. Hunc, inquit Deus, feci tecum, hoc eſt, eodem, ac te, die creavi, & in eâdem, ac te, terra conſtitui. Addit, boum more herbam comedere: quaſi dicat, tam vaſtam belluam non incutere nobis metum, quia bovis inſtar contenta ſit iis, quæ in terra ſuccreſcunt. Et ſanè tantum abeſt, ut homini ſit metuenda, ut odore, quo plurimum valet, animadverſo hominis veſtigio, intremiſcat; ſicut ex Plinio inferiùs dicemus. Mox verſu ſequente robur ejus celebratur: *En nunc potentia in lumbis ejus, & fortitudo ejus in umbilico ventris ejus.* Ubi quod in lumbis robur conſtituit, id animantium commune eſt: ſed quantum mole, tantum lumborum robore, elephas præcellit. Verſu XII ait: *Celeriter movet caudam ſuam, quæ eſt, ſicut cedrus: nervi teſticulorum ejus perplexi ſunt.* Hoc eſt, utcunque cauda ejus videatur magnitudine cedrum referre, (quod καθ' ὑπερβολὴν intelligendum) tamen eam agitat, & impellit, quocunque viſum. Teſtes verò ſic implicitos habet, & intortos, ut ſimiles ſint ramis perplexis. Verſ. XIII: *Oſſa ejus baculi ærei; oſſa, inquam, ejus, ſicut virga ferrea.* Ubi videmus, oſſium ejus duritiem conferri cum chalybe, & malleis ferreis. Verſ. XIV: *Ipſe eſt principium viarum Dei, qui fecit eum: applicabit ei gladium ſuum.* Quibus verbis elephantum inter animantia ſtatuit eſſe opus Dei tum magnitudine, tum robore, primarium. Neque etiam eſſe opus hominis, eum interimere; ſed eſſe hoc Dei proprium. Quod de Jobi temporibus capiendum videtur. Nam, ut Plinius ait lib. VIII, cap. VI, *Proboſcidem facillimè amputari, Pyrrhi præliorum experimentis patuit.* Poſtmodo etiam reperta eſt ratio necandi tam vaſtam belluam. Nempe ſi, ut Livius ait lib. XXVII, *fabrile ſcalprum ipsâ in compage, quâ jungitur capiti cervix, quanto maximo fieri poteſt, ictu mallei adigatur: primuſque eam celerrimam mortis viam in tantæ molis belluâ inſtituerat Aſdrubal.* Aſdrubal ille, Annibalis frater, non totis L annis cæſus eſt ante cædem Judæ Maccabæi. Tredecim igitur ſeculis circiter prior Jobus fuit; ſi is Moſi æqualis, eove antiquior: de quo diximus lib. II hujus operis cap. III. Quia igitur elephanti hæc necandi ratio temporibus Jobi nota erat mortalium nemini: meritò dicere potuit divinus ſcriptor, à ſolo poſſe Deo interimi. Sequitur hinc verſu XV: *Profectò germen montes ferunt ei, & omnes beſtiæ agri ludunt ei.* Hoc eſt, Quamvis vaſtiſſimus eſt, abunde tamen pabuli ſuppetit ei in montibus: eſtque ita manſuetus, ut ſine terrore coram eo minora luſitent animantia. Verſ. XVI, & XVII: An *ſub arboribus jacet? in ſecreto calami & limo?* An *tegent eum arbores*, ut ſint *umbra ejus? circumdabunt eum ſalices torrentis?* Sic interrogativè hæc cepere R. Levi, & Kimchi in lib. Radicum. Sed adſentio Mercero, ut habitatio ejus deſcribatur in locis limoſis, & paluſtribus, ac ſub arboribus umbroſis, & ſalicibus ad torrentes creſcentibus: cujuſmodi locis umbram captat, & refrigerium quærit; imò & ſomnum capit; quod tum ſtans facit arbori acclinis, tum flexis cruribus *a* cubans. Subditur verſ. XVIII: *En rapiet fluvium, ita ut non feſtinet; confidit, quòd educet Jarden in os ſuum.* Sententia eſt, Tantæ eſt molis, ut ſi bibat, videatur feſtinum fluminis curſum moraturus; imò & totum abſorpturus Jordanem. Quæ in ſcripto poetico ὑπερβολικῶς, ut alia quædam, dici, ſatis eſt apertum. Denique verſu XIX ſic ſermonem hunc claudit: *Oculis ſuis tollit illum, & offendiculis perforat naſum.* Hoc eſt: Ubi oculos in Jordanem conjecerit, videtur hauſturus univerſum; ſuamque promuſcidem profundè adeò flumini immergit, ut eam quandoque ad ſudes, ſaxa acuta, vel alia, in aquis latentia, offendat, ac vulneret. Plurimùm ſanè potare arguit, quòd, Ariſtotele *b* teſte, quidam biberit aquæ metretas Macedonicas quatuordecim, & veſperi inſuper octo. Quod magis mirabitur, qui metretarum magnitudinem ex iis cognorit, qui de menſuris veterum ſcripſere.

a Ariſtoteles. Plinius, alii, falsò id negante Solino, & vulgo.

b Lib. 8. hiſt. animal. c. 9. ſive ex diſt. Caſ. Scal. c. 12. ſect. 116.

Quod verò ad elephantorum magnitudinem attinet, variant Indici, & Libyci: de quo ſic Philoſtratus lib. II de vita Apollonii, cap. VI: Ὅσον ἵππος Νισαίος μείζων ὁ Λιβυκὸς ἐλέφας, τοσοῦτον τῶν ἐκ Λιβύης οἱ Ἰνδοὶ μείζους· *Quanto eſt equo Nyſæo major Libycus elephas, tanto Libycis elephantis majores ſunt Indici.* Et ante eum Plinius lib. VIII, cap. IX: *Indicum Afri pavent, nec contueri audent: nam & major Indicis magnitudo eſt.* Ac ante utrumque Livius lib. XXXVII; quo loco Romanam adverſus Antiochum in Aſia aciem deſcribit: *Sexdecim elephantos poſt triarios in ſubſidio locaverunt. Nam præterquam quòd multitudinem regiorum elephantorum (erant autem quatuor, & quinquaginta) ſuſtinere non videbantur poſſe; ne pari quidem numero Indicis Africi reſiſtunt: ſive quia magnitudine (longè enim illi præſtant) ſive robore animorum vincuntur.* Sunt verò Indici novem cubitos alti, quinos lati; ut refert Ælianus lib. XIII de Animal. cap. VIII. Atque addit, maximos dici πρόμους; proximos magnitudine, τεξίλας vocari.

Nec tamen in continente Indiæ ſunt omnium maximi: majores illi, imò & robuſtiores, & dociles magis, qui in inſula Taprobane; ut proditum eſt eidem Æliano lib. XVI de Animal. cap. XVIII. Atque idem Luſitanorum navigationibus compertum. Cæſar Scaliger, commentario in Ariſtotelem *a*, etiam Arabicos ait Indicis minores eſſe. Sed parùm ſolidè id firmes illo Plinii lib. VIII, cap. I: *Indis Arabici minores: quos nothos vocant:* prout editum eſt in Pannenſi. Nam *arant*, non *Arabici*, in MSo etiam invenio: quod rectum puto. *Indis* enim valet *genti Indorum.* Ut ſententia ſit, Indos in agricultura elephantis nothis uti pro bubus. a Lib. 2. Hiſt. Animal. ſect. 133.

De robore elephantorum vel cognoſcere eſt ex eo, quòd turres geſtent, unde decem, vel quindecim etiam milites, mittant jacula, aut ſagittas: ut Philoſtratus refert loco proximè memorato *b*. Imò Maccabaicæ, ſive Aſmonæorum hiſtoriæ lib. I, cap. VI, 37, narratur, ut bello Antiochi Eupatoris adverſus Judæos, tergo in turribus ligneis ac validis geſtarint milites XXXII cum Indo, belluæ magiſtro. Etiam, ut Oppianus in II de Venatione cecinit *c*, b Lib. 2. de vita Apoll. cap. 6. c Verſ. 531. & ſeqq.

Ἐν μὲν ἄρα χλοερῇσι πολυκνήμοισί τε βήσσαις
Καὶ φηγοὺς, κοτίνους τε, καὶ ὑψικάρηνα γένεθλα
Φοινίκων πρόρριζα κατὰ χθονὸς ἐξετάνυσσεν,
Ἐγχρίμψας γενύεσσιν ἀπειρεσίαις φονίοισιν.
Et in floridis ſaltuoſiſque paſcuis
Et fagos, oleaſtroſque, & aereum excelſumque genus
Palmarum, radicitus in terram proſternit,
Incidens acutis, & ingentibus maxillis.

Nec magni modò ſunt, & robuſti; ſed etiam vivaces. Nam ducentos, trecentoſve annos, vivere, teſtes ſunt Ariſtoteles lib. VIII Hiſtor. Animal. cap. IX, & lib. IX, cap. XLVI, Plinius lib. VIII, cap. X, Ambroſius lib. VI Hexaëmeron, & Nonnus lib. XXVI Dionyſiacôn.

At majus hiſce omnibus, quod ſic excellant ingenio, & ſagacitate; quando, ut Tullius *d* ait, *elephanto belluarum nulla prudentior: &*, ut ejuſdem *e* verbis utar, *eſt illi belluæ quædam cum humano genere ſocietas:* quomodo & Straboni in VI dicitur, ἐγγὺς εἶναι λογικῶν ζώων, *prope abeſſe ab animali ratione prædito.* Et Philoſtratus in ſecundo *f* de vita Apollonii Tyanei, ſtatuit, eſſe ζῶον δεύτερον ἀνθρώπου, κατὰ ξύνεσίν τε καὶ βουλὴν, *animal ab homine ſecundum ac proximum, & prudentiâ, & conſilio.* d Lib. 3. de Natura Deorum. e Lib. 7. epiſt. 1. ad Marium. f Cap. 7.

Sagacitatem verò ſuam partim iis oſtendunt, quæ didicerunt à nemine; partim iſtis, quibus docile hoc animal imbui ſolet. Prioris generis eſt, quòd adverſus æſtum cœno ſe totos immergant: hoc refrigerium majus gratiuſque iis, quàm à ſpeluncis umbroſis, vel arboribus opacis; ut eſt apud Ælianum lib. IX de hiſtor. animal. cap. LVI.

Cum bibere volunt, priùs aquam proboſcide conturbant, ne ſimul animalia hauriant inſecta, aut ab iis lædantur in aquis. Hæc enim veriſimiliora ſunt, quàm eò hoc

hoc fieri, quia imaginem ſui in aquis conſpicere formident; planè abſimiles fabuloſi illius Narciſſi: eam licet rationem adducat Theophylactus Simocatus problemate tertio.

Iiſdem flumen tranſeuntibus, præeunt minores, quia, ſi fundus à majoribus priùs eſſet calcatus, majores minùs eum poſſent vadari: ut idem Ælianus eſt auctor operis memorati lib. VII, cap. XV.

Quantâ ſollertiâ foſſarum inſidias obſervent, atque ut, iis animadverſis, retro ſe convertentes, impetum faciant in venatores; idem narrat ejuſce operis lib. VIII, cap. X.

Apud Plutarchum etiam lib. de ſollertia animalium, & Ælianum de Anim. lib. VII, cap. XLV, refertur, eos proboſcide leniter, ac citra noxam, extrahere ſpiculum, boni inſtar chirurgi. Niſi hoc jam inter ea eſt, quæ addiſcant.

a Lib. 8. cap. 3.
b Lib. 8. cap. 4.
c Lib. 2. ſect. 133.

Utcunque id ſit, diſciplinæ ſaltem eſt, quod iis tribuit Plinius *a*, *per auras arma jacere non auferentibus ventis, inter ſe gladiatorios congreſſus edere, aut laſciviente pyrriche colludere, per funes incedere.* Ubi, ut idem *b* ait, *mirum maximè, adverſis quidem funibus ſubire; ſed regredi magis utique pronis.* In dubium hæc vocat Cæſar Scaliger Commentario in Ariſtotelis hiſtoriam Animalium *c*: *Mihi*, inquit, *incredibile fit, per funes inceſſiſſe, ut à Plinio ſcriptum. Quæ enim contentio, aut qui demum finis tam bello funambulo ſatis eſſe videatur?* Sed non eſt noſtræ modeſtiæ, ea inficias ire, quæ geſta ſunt totâ ſpectante Româ. Hujuſmodi autem eſt de elephantis, funambulorum more per catadromum incedentibus: ut cognoſcimus, non ex Plinio ſolùm, ſed etiam Seneca epiſt. LXXXVI, Suetonio in Nerone cap. XI, & in Galba cap. VI, item Dione, vel potiùs Xiphilino in Nerone *d*.

d Pag. 166. edit. H. St.
e Secundùm diſt. Caſ. Scal. cap. 72.

Jam alia etiam eorum artificia adducam: quale, quod diſcant adorare regem; ut ait Ariſtoteles in nono Hiſtor. Anim. cap. XLVI *e*, Ælianus lib. XIII de Animal. cap. XXII, item Plutarchus περὶ τύχης. Ac fidem quoque facit, quòd Hieronymus Oſorius Luſitanus, epiſcopus Algarbienſis, refert in IX de geſtis Emanuelis regis, ut anno cIↄ Iↄ XIV elephantus Indicus Romæ (ubi id animal poſt inclinatam imperii Romani majeſtatem viſum nunquam erat) Leonem X *pontificem ter genibus flexis, & demiſſo corporis habitu, venerabundus ſalutârit.* Ubi cùm genua flexiſſe dicitur, hoc ſignificatur, leviter flexiſſe calcaneum. Nec enim elephantus ſtans genua valet flectere; unde &, credo, hæc bellua Ægyptiis (quod eſt apud Orum in Hieroglyphicis *f*) ſymbolum erat regis. Nam rex ſupplicat nemini. Plutarchus loco memorato addit, etiam edoctos ſaltare in choreis. Augerus ſimiliter Busbequius in epiſtolis Turcicis ſcribit, viſum ſibi elephantum juvenem, qui ad cantum, tripudiantium more, alternos moveret pedes. Eundem & pilâ luſitaſſe, quam palmæ vice feriret proboſcide. Etiam geſticulari in ſpectaculis, eſt apud Plutarchum de ſollertia animalium. Imò, ut Plinius *g* id verbis dicam, *certum eſt, unum tardioris ingenii in accipiendis, quæ tradebantur, ſæpius caſtigatum verberibus, eadem illa meditantem noctu repertum.* Atque idem traditum Plutarcho lib. de Sollertia Animal. Quamquam quod Plinius certum ait, id incertum videtur Cæſari Scaligero *h*: *Noctu*, inquit, *meditari præcepta, quæ interdiu dictata ſint, neſcio cui, aut quomodo id cognitum eſſe poſſit.* Verùm quid refert, num magiſter belluæ id caſu, an aliter, deprehenderit? utrùm item ludus elephanto fuerit, ad Lunam agere, quæ de die conſpexiſſet: an ſtudium ſerium, ut plagas effugeret, quarum dolore, vel memoria, ſomnum capere non poſſet? Quid iſtorum tantopere mirandum in tam ſagaci ac memori bellua? Multa, ſcio, alienâ fide Plinius. Sed cùm id certum dicat, cur dubitemus, quin in iſto gravem, & locupletem, ſecutus ſit auctorem?

f Lib. 2. cap. 86.
g Lib. 8. cap. 3.
h Comment. in Ariſt. Hiſtor. Animal. lib. 2. ſect. 133.

Sed alia etiam, quæ diſcant, perſequamur. Strabonis eſt in XV: Οὕτως ἐντιθασσεύοντας εἶναι, ὥς τι καὶ λιθάζειν ἐπὶ σκοπὸν μανθάνειν, καὶ ὅπλοις χρῆσθαι, νεῖν τε κάλλιστα. *adeò manſueſcere, ut lapidem ad ſcopum jacere, & armis uti, & optimè natare, addiſcant.* Ubi tamen τὸ νεῖν ſive *natare* Juſto Lipſio *a* eſt anceps, ac ſuſpectum: quia, ut ait, *nec alteri id traditum, & alienum à natura elephantis, qui aquas profundiores horret.* Atqui nulla non quadrupes natare quodammodo idonea eſt. Scio, Plinium ſcribere libro VIII, cap. X: *Gaudent amnibus maximè, & circa fluvios vagantur, cùm alioquin nare, propter magnitudinem corporis, non poſſint.* Sed de iſto æſtimandum ex Ariſtotele, quem exſcripſit. Is Hiſtoriæ ſuæ lib. IX, cap. XLVI *b*, ſic loquitur: Ἔστι δὲ τὸ ζῷον φιλοποτάμιον· νεῖν δ' οὐ πάνυ δύναται, διὰ τὸ τοῦ σώματος βάρος. *Animal verò hoc fluvios accolere amat. Nare verò non omnino valet, ob corporis molem.* Ubi non ait, πάνυ οὐ δύναται, *omnino nequit*: ſed οὐ πάνυ δύναται, *non omnino poteſt*: ut non omnem adimat natationem, ſed plenam, & exactam. Quam habere negat propter magnitudinem corporis: ut & Plinius inquit. Sed cautè hoc capiendum. Major enim balæna. Verùm hæc marinum animal, eoque naturâ hunc proprium habens modum de loco ſe movendi. In terreſtri autem animali is modus eſt ſecundarius, utilis duntaxat ad tranſmittendas aquas. Hoc igitur voluit philoſophus, in quadrupedibus, quibus natatio non æquè convenit ac piſcibus, minùs illi idoneos eſſe elephantos, quàm quadrupedum alia: idque ob vaſtam corporis molem. Proinde non eſt naturâ planè ineptus ad natandum: quodque naturâ aliquo habet modo, id aliquanto exactiùs arte conſequitur: ut qui pro mole illâ tandem ſat bellè natet: quod ſolùm voluit Strabo.

a Centur. 1. Miſcell. epiſt. 50. qua ad Janum Hautenum.
b Sive cap. 72. ſect. 495. ex diſt. Caſ. Scal.

Jam quantopere ex eo divina relucet bonitas, ac providentia, quòd tam vaſta, tam valida, tam ſagax bellua, non ſolùm fraude capitur humanâ; de quo Ariſtoteles lib. IX Hiſtor. Animal. cap. I: ſed & capta manſueſcit. Unde Ovidius IV Triſt. eleg. VI:

Quæque ſui juſſis obtemperat Inda magiſtri
Bellua, ſervitium tempore victa ſubit.

Quin etiam regitur à puero XIII annorum; ut eſt apud Philoſtratum libro II de vita Apollonii. Jugum quoque ſubit, ac currum trahit: quod non ſolùm ex ſecundo Oppiani de Venatione, ſed vett. pariter nummis videmus. Imò etiam priuſquam domueris, jam hominem timet. Siquidem ſi veſtigium viderit, ex odore (quo plurimùm valet) cognoſcit, ſitne beſtiæ, an hominis: neque id modò, quando is nudis inceſſerit pedibus, ſed etiam calceis indutus: quod ſi humanum eſſe veſtigium animadverterit, utcunque hominem non conſpexerit (ut Plinii *c* verbis utar) *intremiſcit inſidiarum metu, circumſpectat,* c Lib. 8. cap. 4. *nec calcat, ſed erutum proximo tradit, ut ille ſequenti, nuntio ſimili, uſque ad extremum, circumagente tunc agmine, & revertente.* Quibus ſimilia refert Ælianus lib. IX de Animal. cap. LVI. Meritò autem miratur Plinius, metui, quem nunquam viderint; cum ſylvæ, in quibus elephanti, minimè frequententur. Addit deinde: *Sane miremur ipſam veſtigii raritatem: ſed unde ſciunt, timendum eſſe? imo verò cur vel ipſum conſpectum paveant, tanto viribus, magnitudine, velocitate præſtantiores?* Videlicet illuſtre & hic habemus argumentum providentiæ Dei: qui cuncta homini animantia ſubjecit: ut cognoſcimus ex Geneſ. 1, 26, & Pſal. VIII, 7, 8. Scio, dominii hujus multum deperiiſſe homini per peccatum: nec ſic tamen, ut non magnam partem remanſerit. Hinc igitur metus ille in maximis etiam belluis. Etſi autem ad veram cauſſam non penetrarit Plinius: non tamen nihil eſt, cùm quæſtioni ſuperiori ſic occurrit: *Nimirum hæc eſt natura rerum, hæc potentia ejus, ſæviſſimas ferarum, maximaſque, nunquam vidiſſe, quod debeant timere, & ſtatim intelligere, quod eſt timendum.* Per *rerum naturam potentiamque*, tum Deum, ut auctorem naturæ; tum naturam, ut ejus opus, intellige (in ſcholis illam *naturam naturantem*, hanc *naturatam* vocitant:) nihilque profectò meliùs dixeris. Ad hanc venerationem hominis lu-

lubens etiam retulerim, quod non patiantur ſe adverſus eum adduci, ut miniſtri fiant ſævitiæ alienæ. Qua de re ſic idem Plinius lib. VIII, cap. V: *Cùm Bocchus rex triginta elephantis, totidem, in quos ſævire inſtituerat, ſtipitibus alligatos objeciſſet; procurſantibus inter eos, qui laceſſerent, non potuiſſe effici, ut crudelitatis alienæ miniſterio fungerentur.* Sed compertum, ad hujuſmodi etiam poſſe adduci vino ſaucios. Quid mirum? in homine ipſo, ut poëta a ait, *Quid non ebrietas deſignat?* Propterea Ptolomæus Phyſcon eos inebriaverat, priuſquam illis Judæos cum liberis, & uxoribus, nudos vinctoſque conculcandos ſubjiceret. Sed divinâ contigit providentiâ, ut potiùs impetum facerent belluæ in amicos regios, nec eorum paucos interimerent. Narrat Joſephus lib. II adverſus Apionem. Ptolemæus verò Philopator, ſimili fine, quo magis efferaret eos, juſſerat & vinum thure conditi: ut eſt III Maccab. cap. V, verſ. 1, & 30.

a Horat. lib. 1. epiſt. 5.

Quanti etiam illud putandum, quod varia ex iis capere ſit illuſtrium virtutum exempla! Ita egregiæ eſt æquitatis, quod Petrus Bellonius Cenomanus, Petri Gillii Helvii, (cujus præterea, quæ de Græco tranſtulit, extat eruditum opus, topographia Conſtantinopoleos, & alterum de boſphoro Thracio) in peregrinatione Aſiaticà comes, ſeu Gillianis, ſeu propriis laboribus celebris, ſummo viro, Carolo Cluſio. is autem clariſſimo Juſto Lipſio b narravit. Laſſus ab itinere elephantus, ac famelicus, in ſtabulum deductus, ubi aſinum reperit hordeum comedentem, præſepi eum depulit, & ipſe, quod reperit, comedit. Mox, elephanti ſui memor, dominus advenit, ac hordei aſſatim præbuit elephanto. Ille memor injuriæ, præ fame nimia, aſino illatæ, omne illud promuſcide diviſit; parte ſibi reſervata, alteram dedit aſino, qui avidè devoravit.

b Vide epiſt. ad Janum Hautenum centuria 1. Miſcell.

Inſignis etiam illud eſt probitatis, quod ſi per furorem fortè interemerint altiorem: tantâ poſtea ducantur pœnitudine, ut inediâ ſibi vitam adimant; teſte Strabone in IV.

Ea quoque eſt iis erga grandiores reverentia, ut non loco duntaxat, ſed cibo etiam, potuque, cedant ſemper: quemadmodum eſt apud Ælianum lib. VII de Animal. cap. XV: ubi ſcitè hoc addit, naturæ ductu id agere, nullo metu legum Lycurgi. Eò autem reſpicit, quòd Lacedæmone ex Lycurgi lege oporteret (ut Plutarchus in Laconicis ait) τὸυ νέυς, ὐ μόνον τὸυ ἰδίυς αἰδεῖσθαι πατέρας, ἢ ὑπηκόους τούτων εἶναι, ἀλλὰ πάντας τὺς πρεσβυτέρυς ἐντρέπεσθαι, καὶ ὁδῶν ὑποχωρῦντας, καὶ καθ᾽ ἕδρας ὑπεξισταμένους, ἢ παριόντων ἡσυχάζοντας· *juniores non ſolùm ſuos patres revereri, eiſque obedire: ſed ſeniores univerſos obſervantiâ proſequi; ſic ut & de via illis decederent, & de ſedibus iis adſurgerent, & conſiſterent, dum illi tranſirent.* Poſt illud memoratum ex Æliano ſubjicitur, quomodo elephanti confectos ſenio, & morbo correptos curent, eorumque ſtudeant incolumitati: imò ſi defendi eos ſit opus, vulnerentur potiùs, quàm fugiant. Addit quoque de affectu erga vitulos ſuos. Si enim venatores urgeant, malle vitam amittere, quàm ut eos deſerant. Idem teſtis eſt, ſi in foſſas inciderint vituli, ſeſe in eos dare præcipites, ut pariter potiùs mortem oppetant, quàm deſerant ſuos. Hoc legas lib. IX, cap. VIII.

Pudorem eorum indicat, quod Plinius lib. VIII, cap. V dicat, *nunquam niſi in abdito coire.* Ac ſimiliter de iis Ariſtoteles Hiſt. lib. V, cap. II.

Veriſimile autem eſt, ſereniſſimos Daniæ reges ad hæc, & alia virtutum ſimulachra reſpexiſſe, elephanti imaginem ſuis ſubdendo inſignibus; atque ordini equitum beatæ Mariæ à ſe inſtituto pro ſymbolo torquem dando aureum ex elephantis caſtella gerentibus, & calcaribus, ſigno dignitatis equeſtris.

Uſus elephantorum alius in bello, alius in ludis. In bello terrorem incutiunt corporis magnitudine, odore, barritu, criſtarum magnitudine: ac præcipuè robore, dum turribus tot milites geſtant: de quo ſuperiùs diximus: cùm de elephantorum robore ageremus. Pluraque de utilitate hac εἰς τὴν τῶν πολεμικῶν χρείαν· *ad uſus bellicos*, apud Philoſtratum legas in primo de vita Apollonii, cap. VI: Plinium item lib. octavo, cap. VIII. Inter alia ait: *Domiti militant, & turres armatorum in hoſtes ferunt, magnaque ex parte Orientis bella conficiunt. Proſternunt acies, proterunt armatos.* Sic Antiochus M. bello adverſus Romanos habuit in exercitu elephantos CXX: ut eſt in primo Aſmonæorum ſive Maccabaicæ hiſtoriæ, cap. VIII, 6. Tardè autem in militia uſi Europæi. Primus in Græciam intulit Alexander M. primus in Italiam Pyrrhus Epirota: ac quia tum in Lucania eos primùm videre Romani, eò *boves Lucas* vocarunt: de quo plura cap. ſeq. & in Inſtitut. Oratoriis lib. IV, cap. VI, ſect. II, & V. Primus autem, Pyrrho ex Italia fugato, Romam adduxit M. Curius Dentatus. Sed plane fabuloſum eſt, quod Plutarchus (junior ille, non Chæronenſis) minoribus prodidit parallelis, Paullum Æmilium CLX elephantos, devicto Pyrrho, Romam miſiſſe. Atque hujus rei ille Critolaum in tertio rerum Epiroticarum laudat auctorem. Ita nullum mendacium Græculo caret teſte. Nunquam Paullo Æmilio cum Pyrrho pugnatum. Veriſimiliùs dixiſſet de Manio Curio: à quo victus Pyrrhus Italiâ exceſſit. Sed is ſolùm quatuor Romam vexit, ut ait Eutropius: ſummùm octo, quod traditum Zonaræ. Primùm autem in bello elephantis uſi ſunt Romani anno ⅠↃ LV P. Sulpicio Galba, & C. Aurelio Cotta coss. de quo ſic initio belli Philippici, ſive Macedonici primi, Livius lib. XXXI: *Ante prima ſigna* (a conſule Sulpicio) *locati elephanti: quo auxilio tum primùm Romani, quia captos aliquot bello Punico habebant, uſi ſunt.* Quid verò elephantis in acie objici poſſit, ut in ſuos potiùs faciant impetum, & longè lateque omnia proterant, docebit Hirtius in bello Africano, ſcriptor belli Hiſpanienſis, Plutarchus in Pyrrho, Curtius lib. VIII, Appianus in bellis Punicis, & imprimis Vegetius lib. III, cap. XXIV.

Præterea Romani elephantis uſi ad voluptatem: ut *altero Cn. Pompeji conſulatu, dedicatione templi Veneris, quando pugnavere in circo* XX *elephanti, Getulis ex adverſo jaculantibus*; quemadmodum Plinio proditum lib. VIII, cap. VIII. Atque alia ibidem addit circenſis pugnæ exempla. Sed & publicè exhibiti, ut inſtar Pyladis alicujus, aut Bathylli, variis geſticulationibus oblectarent; item funambulorum more decurrerent per funes: de quo antè dictum.

Aſiatici etiam, & Afri, utebantur, ad naves in mare deducendas: de quo illuſtre exemplum ex Acoſta antea vidimus. Parque ratio in aliis magni ponderis rebus protrahendis. Si quoſdam Plinii codices audimus, & Indi in arando iis uſi: de quo item dictum.

Quæ hactenus retuli, vivos attingunt elephantos. Nunc paucis oſtendam, eam fuiſſe bonitatem divinam, ut è mortuis etiam multa variaque perciperemus commoda. Sed quædam memorant magica, & planè ſtulta: quale hoc apud Plinium lib. XXVIII, cap. VIII: *Magorum vanitas perunctis elephanti adipe faciliorem gratiam apud reges populoſve promittit: præcipuè tamen eo pingui, quod ſit inter ſupercilia; ubi eſſe nullum poteſt. Similia dentis, maximè à dextra parte, villique è roſtro inferiori, promiſſa ſunt.* Veris inſiſtimus. Adeps elephanti valet contra venena: unde, quibus procedendum adverſus feras venenatas, ſolent eo inungi; ut eſt apud Ælianum lib. I, cap. XII, & lib. X, cap. XII. Ubi & refert, in cibis eſſe eorum promuſcidem, labra, & cornuum medullam. De cæteris negat. Sed Vartomannus prodidit, in regionibus nonnullis etiam regibus pro ferculo delicatiſſimo ſolere renes apponi. Imò ex Plinio, Solino, & aliis, notum, carnes ipſas à quibuſdam gentibus edi ſolere: quæ inde *elephantophagorum* nomen ſortitæ fuerunt. Jam quis neſcit, dentium elephanti, ſive eboris uſum in ſimulachris, quibus effingerent deos, in ſellis & ſceptris virorum principum, in tabellis, pectinibus, & tot aliis, in uſum etiam privatum? in his menſarum

rum etiam pedibus, qui ſæpius pardos hiantes repræſentabant. Unde Juvenal. Sat. XI.

Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu.

Ob tam multa, dentium ſolùm gratiâ, venabantur elephantes in Libya; quemadmodum Ælianus narrat. Et Herodotus eſt auctor, Æthiopas, tributi loco, dentes hoſce Perſidis regi pendere ſolere. Nec tamen tam latè ejus uſus patet, quàm Oppianus putavit in ſecundo de Venatione, ubi ſic canit:

——— Ἐκ δὲ κεράων
Τόξα τε κυκλοτερῆ, καὶ μυρία τεύχεται ἔργα.
——— *Ex cornibus verò*
Arcus rotundi, & innumera fabricantur opera.

Planè etiam fallitur, cùm ex ebore fieri putat arcus. Quippe materies ejus rigida eſt, non flexilis. Sed nec ubique grande eſt dentium iſtorum precium, cùm vile id ſit, ubi elephanti degunt. Nam, ut Plinius lib. VIII, cap. V, ex Polybio, is autem ex Guluſſa regulo prodidit, *in extremis Africæ, qua confinis Æthiopiæ eſt, poſtium vicem in domiciliis præbent, ſepeſque in iis, & pecorum ſtabulis, pro palis elephantorum dentibus fiunt.*

CAP. LI.

Licet tam multa in elephantorum natura rapiant nos in admirationem conditoris: non propterea tamen quibuſdam aliis habendam fidem, quæ Græci ſint commenti. Ut, quòd dicantur Solem, novamque Lunam, venerari; patrium intelligere ſermonem; imò & loqui, & ſcribere; homini etiam erranti monſtrare viam; & victori elephanto, more humano, terram ac verbenas porrigere; humana & adulteria, & homicidia, obſervare, ac detegere: quorum ſingula, quàm infirmo nitantur argumento, oſtenſum. Itidem veteres deceptos, cùm elephantos cor ajunt duplex habere; uterum decem geſtare annos; ſemel, & tantùm ſingulos gignere. Quo nomine vocandi elephantorum fœtus. Unde elephanto nomen bovis Lucæ. Prægnas *pro* prægnans. Campans, *vel* Campas genus, *pro* Campano. *Nec Ariſtoteli ſatis conſtitiſſe, quando elephantis primus ſit Veneris uſus. Veriſimilius ſentire, exiſtimantes cornua eſſe elephanti, qui ejus dentes dicuntur.*

ET iſta quidem, quæ attulimus adhuc, vel certiſſima ſunt, vel iſtiuſmodi ſubnixa auctoribus, ut non temere putem in dubium vocari oportere. Sed alia ſunt omnem exſuperantia fidem: qualia lubens Græculorum tribuerim vanitati. Tale eſt, quod ab iis hauſit Plinius lib. VIII, cap. I: ubi ineſſe iis dicitur, *religio ſiderum, ac Solis, Lunæque veneratio.* De Sole auctor quoque Plutarchus lib. de Sollertia animalium. Æliani item eſt lib. VII Hiſt. Animal. cap. XLIV: Τὸν ἥλιον ἀνίσχοντα προσκυνοῦσιν ἐλέφαντες, τὴν προβοσκίδα ὡς πρὸς τὴν ἀκτῖνα, ὡς χεῖρας, ἀνατείναντες· *Solem exorientem venerantur elephanti, proboſcidem, tanquam manum, verſus radios Solis tendentes.* Refert deinde, ut rex Ægypti Ptolemæus Philopator Deo Soli, cujus beneficio ſe credebat adverſus Antiochum victoriam adeptum, quatuor ingentes ſacrificârit elephantos: ſed divinitus in ſomnio monitus ſit, numen averſari victimam tam religioſi animalis: eoque, ad Solem placandum, æreos quatuor elephantos illi pro immolatis conſecrârit. Colligit hinc, Solem eſſe Deum, & colendum nobis, ne pietate vincamur à mutis animantibus. Sic enim ſcribit: Ἐλέφαντες μὲν οὖν θεοὺς προσκυνοῦσιν, οἱ δὲ ἄνθρωποι εἰ ἄρα γε εἰσὶ θεοὶ, καὶ ὄντες εἰ φροντίζουσιν ἡμῶν, διαπορoῦσι; *Ergone Deos venerantur elephanti: homines autem, num Dii ſint, &, ut ſint, num noſtri curam gerant, ambigunt?* Verùm ut elephanti Solis exorientis intuitu geſtiant præ gaudio: eone pro numine habere Solem credendum? Quis veri numinis gnarus ſibi perſuaſerit, hunc animum à natura, vel Deo potiùs, inditum eſſe elephantis, ut pro creatore colant creaturam? Nihilo credibilius, quod produnt de cultu Lunæ novæ. Nam apud eundem Ælianum legas, De Animal. lib. IV, cap. X, eos, quando poſt interlunium nova Luna conſpici cœpit, κατά τινα φυσικὴν καὶ ἀπόρρητον ἔννοιαν, *naturali quodam, ac quem nemo dicere poſſit, conceptu*, è ſylva, ubi paſcunt, ramos decerpere, eos in cælum attollere, tum Lunam intueri, motis leviter ramis ſuis, ut videantur hoc pacto ſupplicare Deæ, quò ſibi eſſe velit favens, ac propitia. Aliter etiam Lunam recreſcentem colere ajunt. Priuſquam enim eam adorent, aquâ ſe purificare, more hominum, quando ingredientes templum, è vaſe, quod Græcis ἁγιστήριον, & περιρραντήριον vocatur, luſtrali ſe aquâ adſpergunt. Hæc de re ſic Plinius [a] poſt ea, quæ adduximus: *Auctores ſunt, in Mauritaniæ ſaltibus ad quendam amnem, cui nomen eſt Amilo, niteſcente Lunâ novâ, greges eorum deſcendere: ibique ſe purificantes ſollemniter aqua circumſpergi, atque ita ſalutato ſidere, in ſilvas reverti.* Prope eadem tradit Dio lib. XXXIX: Καὶ τὰ ἐν τῷ ἱερῷ γινόμενα σωιαπν. ὥς τε καὶ ἐν τῇ νουμηνίᾳ, πρὶν ἐς ὄψιν τοῖς ἀνθρώποις τὴν σελήνην ἐλθεῖν, πρὸς τε ὕδωρ ζῶν ἀφικνεῖσθαι, κἀνταῦθα καθαρμόν τινα σφῶν ποιεῖσθαι. *Eos & rerum cœleſtium intelligentiâ eſſe præditos: atque hinc in noviluniis, priuſquam luna in hominum veniat conſpectum, ad aquam accedere perennem, & illâ ſe luſtrare.* Ubi videmus, Dionem tradere, ire elephantos πρὸς ὕδωρ ζῶν; pro quo Plinius dixerat, *ad amnem, cui nomen Amilo.* Sic enim & in MSo reperio. In aliis tamen, & vetuſtis quidem, pro *Amilo* legitur *Anulo*, vel *Amnulo*. Ut Plinius videatur *Amno* ſcripſiſſe, quia ἀενάος proprium putaret. Ceterò autem, in eo erratum eſſe ab antiquis, quòd crederent, ablutionem iſtam actum eſſe religioſum, cùm naturâ munditiem ament. Nam animal hoc, ut Ælianus ait lib. XIII, cap. VIII, ἥδεται τῷ λουτρῷ, κατὰ τοὺς τῶν ἀνθρώπων ἁβροτέρους· *delectatur lavacris, ſicut homines molliores.* Atque hæc de cultu religioſo; quem, præter memoratos ſcriptores, iis etiam tribuunt Solinus cap. XXVIII, Arrianus lib. de rebus Indicis; ubi θεοσεβὲς ζῶον [b] propterea vocat, & Philoſtratus de vita Apollonii lib. II, cap. VIII.

Jam quàm parum fidei etiam meretur, quòd à Plinio [c] iis tribuitur *intellectus ſermonis patrii*: quodque Ælianus [d] dicit, συνιέναι γλώττης ἀνθρωπίνης καὶ ἐπιχωρίας [e]; Dio [f], φωνῆς τῆς πατρίου αὐτῶν ἐπαΐειν [g]. Nomina ſua, & alia multa, conſuetudine addiſcunt: quòd cum canibus habent commune. Sed aliud eſt, cujus occaſione hoc Dio ait: nolle eos naves conſcendere, niſi priùs reditus promittatur: & propterea eos, cùm à Pompejo in theatro eſſent producti, ut cum armatis depugnarent, ac plerique jam eſſent interemti; cæteros, vulneribus ſaucios, à pugna deſtitiſſe; ſed, proboſcide ad cælum ſublatâ, lamentatos: eoque occaſionem ſermoni præbuiſſe vulgari (quem nec probare, nec improbare, audet Dio) tum implorâſſe eos Deorum vindictam adverſus illos, qui iis ex Africa tranſmiſſuris in Italiam, juraſſent, nunquam illis damno fore, quòd navem conſcendiſſent. Quod Plinius loco antè memorato his verbis ſignificat: *Alienæ quoque religionis intellectu, creduntur, maria tranſituri, non antè naves conſcendere, quàm invitati rectoris jurejurando de reditu.* Quaſi & religionem, & ſermonem hominum, intelligant.

Nec intelligere ſolùm ajunt linguam patriam; ſed etiam loqui. Nam, ut Joſephus Acoſta [h] narrat, in urbe Cochin elephas, cujus operâ uti ſolebant in transferendis magni ponderis rebus, cùm, admodum feſſus, nullis poſſet adduci blanditiis, ut liburnicam traheret in mare: ſimulac dictum, ſaltem hoc in gratiam faceret regis Luſitani, inclamavit, HOO, HOO, (id autem Malabarum linguâ ſonat, VOLO, VOLO) ac confeſtim in mare navigium protraxit. Sed enim inconditus ille elephanti ſonus, qui viſus eſt referre *hoo*, non à propoſito Malabicè loquendi, ſed ab lætitia ſimplici, profectus fuit. Credo, ad verba illa de rege largiùs illi demenſum dari ſolet; eoque, hiſce auditis, redditus eſt alacrior, dum de uberiore cogitat, vel ſapidiore, paſtu, non de majeſtate regia: quippe qui idem fuerit facturus, ſi adſuevitſſet

ho-

[a] Lib. 8. cap. 1.

[b] Divinorum intelligens animal

[c] Lib. 8. cap. 1.

[d] Lib. 4. cap. 34.

[e] Intelligere linguam hominum indigenarum.

[f] Lib. 39.

[g] Sermonem patrium intelligere.

[h] Lib. de aromatibus.

honeſtiùs haberi agendo quid in gratiam muris, vel draconis, quos ſic exhorret.

Nec ſatis viſum, ſi loqui dicerent, etiam ſcribere ajunt: quod Æliano proditum, ac Philoſtrato. Imo, ut
a Lib. 8. cap. 3. eſt apud Plinium *a*: *Mucianus ter conſul auctor eſt, aliquem ex his, & literarum ductùs Græcorum didiciſſe, ſolitumque perſcribere ejus linguæ verbis*: IPSE EGO HÆC SCRIPSI, ET SPOLIA CELTICA DICAVI. Sed ex aliis etiam, quæ ab eodem Muciano prodita ſunt, videre eſt, vel eum Græculo fuiſſe ingenio, ut vana fingeret; vel facilè habuiſſe Græculis fidem, ut nimis credulus talia proderet.

b Lib. 8. cap. 4. Ne illud quidem facilè admiſerim, quod Plinio *b*, ſed fide traditum fuit alienâ: *Elephas, homine obvio fortè in ſolitudine, & ſimpliciter oberrante, clemens placiduſque etiam demonſtrare viam traditur.* Fortuitò crediderim aliquem, dum elephantum ſequitur, eò perveniſſe, quò decrêrat; non hoc ſibi proponente elephanto. Nam unde ſciat, quò tendat homo? Et quomodo ſic affectus ſit erga hominem, qui odore etiam non nudorum modò pedum, ſed calceis quoque indutorum, ut ibidem ait Plinius, *veſtigio hominis animadverſo, priuſquam homine, intremiſcit, inſidiarum metu circumſpectat, nec calcat, ſed erutum proximo tradit, ut ille ſequenti, nuncio ſimili, uſque ad extremum, circumagente tunc agmine, & revertente.* Non hæc bellè cum eo conveniunt, ut ſponte adeat hominem, & ei monſtret viam, quem ſic timet.

c Lib. 8. cap. 5. Apud eundem Plinium *c* legere eſt: *Victus vocem fugit victoris* elephanti: *terram ac verbenas porrigit.* Priùs cum cane, & gallo gallinaceo, habet commune: ſed poſterius, de danda victori herba, unde ſciunt elephanti, quod neſciant homines, niſi majorum inſtituto? de quo Feſtus Pompejus, idemque Plinius lib. XXII, cap. IV. Itidem, licet mos iis, ut ex Plinio antea diximus, *nunquam niſi in abdito coire*; quæ & camelorum, & felium, eſt indoles: difficulter tamen adducar, ut credam, humana obſervare, & odiſſe adulteria; ſic, ut Romæ, imperante Tito, elephantiſtæ conjuge cum alio mœchante, utrumque propterea dentibus transfixerit; necatos ſtragulo contexerit; alterique advenienti, rejecto operimento, & facinus, & ſe oſtenderit ultorem. Quod apud Ælianum legas Hiſt. lib. X, cap. XV. Item quod idem lib. III, cap. XVII, refert, cùm magiſter elephanti, amore alterius captus, necâſſet uxorem, & ad præſepe elephanti ſepeliiſſet: hunc novam eò traxiſſe conjugem, cornibus ac pedibus refodiſſe priorem, ut ita oſtenderet, quaſi altera hæc marito nupſiſſet. Credo, ut odoratu valet, olfeciſſe cadaver; id ſignificare voluiſſe dominæ; cujuſmodi multa de canibus experientiâ comprobantur. At non fit veriſimile, hoc egiſſe, ut ſtultas dominæ ſuæ nuptias exprobraret.

Sunt & aliqua, non tam ad mores pertinentia, quàm naturam elephanti; in quibus non minùs aberratum fuit. Ut cùm, ex Maurorum ſermone, duplex eos cor habere ait Ælianus lib. XIV de Animalibus, cap. VI. Item cùm,
d Lib. 8. cap. 10. Plinio *d* teſte, *decem annis geſtare vulgus exiſtimat.* Quod etiam apud Plautum legas Sticho, act. I, ſc. III. Imò Oneſicritus, qui Alexandrum M. comitatus in Indiam fuit, idem prodidit; teſte Strabone in XV. Sed ipſe Strabo aliter. Nam ait, cùm celerrimè pariunt, eſſe id ſub menſem ſextum decimum: tardiſſimè autem menſe duodevigeſimo. At paullò aliter ſcripſerat Ariſtoteles in ſexto Hiſtoriæ Animalium, cap. XXVII: Ὅταν δὲ ὀχευθῇ ἡ θήλεια, φέρει ἐν γαστρί, ὡς μὲν τινες φασίν, ἐνιαυτόν, καὶ ἓξ μῆνας· ὡς δ' ἕτεροι, τρία ἔτη. τοῦ δὲ μὴ ὁμολογεῖσθαι τὸν χρόνον, αἴτιον τὸ μὴ θεωρεῖσθαι τὴν ὀχείαν. *A coitu femina gerit uterum, ut ajunt nonnulli, ſeſquiannum; ut alii, annos tres. Controverſiæ temporis in cauſſa eſt quod coi-*
e Ibidem. *tum non obſervarint.* Plinius *e* tamen ait, Ariſtotelem ſtatuere biennii geſtationem. Subjungit deinde, *non amplius, quàm ſemel, gignere; pluresve, quàm ſingulos.* Quod ſi eſſet, jam diu defeciſſet omne elephantorum genus.

Nam ex gemino parente tantùm unus poſſit enaſci: & multi morbo obeunt, aut certamine inter ſe, vel cum dracone, aliiſve animantibus, vel bello inter homines. Adde quòd ſæpius matrem comitentur terni, vel quaterni σκύμνοι, ut vocant Ariſtoteles *a*, & Philoſtratus *b*. Sanè (ut obiter id dicam) vocem eam non ſolùm leonibus (quomodo & Lucretius in quincto ait *c*, a Lib. 6. Hiſtor. Anim. cap. 27. ſect. 359. ex diſt. Cæſ. Scalig. b Lib. 2. de vita Apollonii, cap. 4. c Verſ. 1035.

At catuli pantherarum, ſcymnique leonum)

ſed aliis etiam animantibus convenire: ſatis oſtendunt iſta Heſychii verba: σκύμνους ἐκγόνους λεόντων, καὶ ἄλλων ζώων *d*. Latinè non tam *pullos* fortaſſe, ut in equis; quàm, ut in bubus, *vitulos* appelles: quando Latini elephantum, ut antea *e* dictum, vocarunt bovem Lucam: *bovem* quidem, quia non haberent animal, cui magis conferrent; *Lucam* autem, quia in Lucania primùm vidiſſent. Nam ex *Lucanus* κατὰ συγκοπὴν primò fuit *Lucans*, hinc *Lucas*. Ac *Lucans* quidem ex *Lucanus*, à *Lucania*: ut à *Piceno*, *Picenus*, inde *Picens*; à *Laurento*, quod poſtea *Laurolavinium*, *Laurentius*, inde *Laurens*. Nam idem *Laurentius*, & *Laurens*. Unde Maro X Æn. d Scymnos, fœtus leonum, & aliorum animalium. e Cap. ſuperiori.

—— Multos Veſulus quem pinifer annus
Defendit, multoſque palus Laurentia. ——

Ubi Servius: *Laurentia pro Laurens. Nam hæc eſt vera, & recta derivatio.* Ex *Lucans* autem altera συγκοπῇ eſt *Lucas*, ut *prægnas* ex *prægnans*, hoc fortaſſe ex *prægenans*: ut non ſolum *genere*, ſed & *genare* dixerint, velut Græci γεννᾶν. Simileque *Campanus*, *Campans*, *Campas*. Ut apud Plautum Trinummo *f*, *Campans genus*, prout eſt in Nonii codd. etiam optimo MSo noſtro: ſive *Campas genus*; ut eſt in codd. Plauti etiam MSSis, quibus uſus Camerarius. Ridiculè verò Jo. Petr. Valla intelligebat inſecta, quæ & Columella nunc *erucas*, nunc cum Græcis *campas* vocat. Sed ab inſtituto abimus. Redeo ad illud. Iſti, quod de multis elephanti ſeu ſcymnis, ſeu vitulis, diximus, videri poſſit obſtare, quod apud Ariſtotelem legas lib. IX de Animal. cap. XLVI: Ὃ δ' ἂν ὀχεύσῃ, καὶ ἔγκυον ποιήσῃ, τούτου πάλιν οὐχ ἅπτεται. *Quam impleverit coitu, eam rurſus non attingit.* Sed hoc reſtringendum ex iſtoc lib. V, cap. XIV: Πάλιν δὲ βαίνει μετὰ τὴν ὀχείαν διὰ τρίτου ἔτους· *Coitum poſt tertium annum repetit.* Quare &, quod ibidem ſubdit, non attingere, quam gravidam fecerit, id de biennio quo geſtat, & anno proximo, capiendum. Interim cum aliis, & poſt triennium fortè cum eadem, coit. Cæterùm Ariſtotelem inconſtantiæ notat Cæſar Scaliger *g*, quòd, cùm Hiſtoriæ ſuæ libro V *h* ſcripſiſſet, elephantum marem coire anno quincto, vel ſexto; feminam duodecimo, aut cùm ſerò, decimoquarto: idem in ſexto *i* dicat, & marem, & feminam, coire ὑπὸ τῶν εἴκοσιν ἐτῶν· *intra annum vigeſimum.* Cum priori ſententia magis convenit Plinius *k*, qui ait, *marem coire quinquennem, feminam decennem.* Interea ſententiarum hæc diverſitas arguit, ut nec magnis illis naturæ myſtis ſatis de hoc conſtiterit. f Act. 2. ſc. 4. g Commentar. in lib. 2. Hiſt. ſect. 133. h Cap. 14. ſive Cæſ. Scal. cap. 13. ſect. 140. i Cap. 27. Cæſ. Scal. ſect. 359. k Lib. 8, cap. 5.

In illo etiam veteres decepti videntur, quòd, quæ cornua ſunt, eſſe elephanti dentes putarunt. Ut poſt Herodotum, Ariſtoteles lib. III de part. anim. cap. II, & lib. II Hiſt. Anim. cap. V, Dionyſius Afer in περιηγήσει, Plinius lib. VIII, cap. III, Philoſtratus lib. II, cap. VI. Etiam Livius extremo libro XXXVII, ait L. Cornelium Scipionem Aſiaticum tuliſſe in triumpho eburneos dentes mille ducentos viginti. Sed opinionem eam Oppianus lib. II Κυνηγετ. gemino oppugnat argumento. Quorum unum eſt, quòd cornua hæc artifices poliant, ac varia inde affabre conficiant: at nihil tale in dentibus habeat locum. Alterum addit, quòd, ut cornua omnia, è cranio naſcantur. Nam è temporibus enata, ſuperiorique è mandibulâ reſupinata, per os ſeſe extollunt. Quo etiam argumento uſus Pauſanias lib. V: Ἐλέφαντι οὖν τὰ κέρατα ἴστω τις διὰ κροτάφων κατερχόμενα ἄνωθεν, καὶ οὕτως ἐς τὸ ἐκτὸς ἐπιστρέφοντα. τοῦτο οὐκ ἀκοὴν γράφω, θεασάμενος δὲ ἐλέφαντος ἐν γῇ τῇ Καμπανῶν κρανίον ἐν Ἀρτέμιδος ἱερῷ· *Elephanti verò cornua ſciat quivis à temporibus exorta ſupernè, ac ſic exterius reſupinata.*

Hoc

Hoc ego non ex auditu ſcribo; ſed poſtquam in Dianæ templo, quod in Campania eſt, elephanti cranium vidi. Etiam Mauritaniæ rex Juba, (quo nemo, ſive regiam dignitatem, ſive regionem Africam conſideres, meliùs hæc noſſe potuit) ea, quæ vulgus dentes, cornua appellat; ut eſt apud Plin. lib. VIII, cap. III. Item Philoſtratus lib. II de vita Apollonii cap. VI, idque ob eamdem cauſſam: τῷ φύεσθαι μὴ αὐτὰς, ὅθεν περ οἱ κέρατα φύοιτο· *eo quod naſcantur è temporibus.* Magiſque id probat Ælianus lib. XIV Hiſt. Animal. cap. V, & lib. IV, cap. XXXI; niſi quòd eò tandem inclinat, ut mediæ eſſe naturæ inter dentes, & cornua, arbitretur. Jubam tamen argumento non uno impugnat Philoſtratus, loco antè memorato. Sed occurrit ei Bodinus Comment. in Oppiani lib. II de Venat. *a* Si voles, ipſum adi. Nec enim eum exſcribere vel animus eſt, vel otium.

a *Pag.* 82.

CAP. LII.

Leoni plurimùm tribui inter quadrupedes principatum. Leonis ἔτυμον. Quid ליש, *&* μυρμηκολέων, ארי, χάροπος. *Quàm diſpari de cauſſa Chriſtus, & diabolus, leoni comparentur. Quæ ſecundùm Philen arguant fortitudinem leonis. Iterum de leonis etymo: & unde* ארי: *variaque leonis epitheta ad viſum pertinentia. Phænarete, Socratis mater, cur Platoni* βλοσυρὰ *vocetur. Leo præcipue inter* καρχαρόδοντα. *Cur nonniſi averſis currat falculis. Leonis collum vertebris conſtare, etſi aliter de eo veteres. Prope omnia leonis oſſa eſſe medullæ expertia, adeoque ſolida ac dura, ut ex iis, tanquam è ſilice, elicias ignem; ac perperam id videri ab Athenæo. Cur Semiramis credatur magis læta eſſe leænâ, quàm leone capto. Varia, ex quibus generoſa animi vis in leone, leænaque, reluceat.* Θυμολέοντες. *Quomodo incedant leones, & ut inceſſus ejuſmodi in hominibus etiam generoſi animi ſymbolum habeatur. Leonum animos ex cauda cognoſci, & cauſſa ejus ex phyſicis adlata: uti & cur canes adulentur caudâ. Cur leonis cauda dicatur* ἀλκαία. *Quare credatur leo faciliùs contineri clathris ligneis, quam ferreis. Cur, niſi novi nihil valuerit venari, pridianæ prædæ reliquiis abſtineat. Ut, quando opus, evomat cibos, quo ad fugam ſit levior. Sagaciſſima leonis leænaque vindicta de urſa, ob catulos interemtos. Sagacitas leænæ ſe poſt congreſſum cum pardo abluentis, ne odor adulterii crimen leoni prodat. Cur leo obtutum in terram figat quoties venatores inſtant. Quo corporis ſigno diſtinguere ſit generoſiores leonum a magis pavidis. Nullos eſſe* ἀρχολέοντας: *ſed apud Capitolinum vel* ἀγελολέοντας, *vel* ἀρχολέοντας, *ſcribi oportere. Etiam pro regionibus, unde apportantur, variare leonum & ſagacitatem, & generoſitatem, & vires. Libycorum leonum vis. Utrùm, in Annalibus Romanis, per* urſos Numidicos *intelligendi ſint leones, an veri urſi.*

POſt elephantum de leone dicam: qui κατ᾽ ἐξοχὴν ab Æſchylo *a*, Oppiano *b*, aliis θὴρ ſeu *fera*; Latinis *Lybiæ fera*, nominatur. Nempe quia ei, plurimorum judicio, inter feras debeatur principatus. Suidæ *c* eſt, ſine dubio ex veteri aliquo ſcriptore, Ἀρχὴ ἡ μὲν φυσική, ὡς λέοντος ἐν ζώοις, καὶ ἀετοῦ ἐν ὀρνέοις. *d* ἡ δὲ χειροτονητή, ὡς ἐπὶ βασιλέως ἀνθρώπων· *Principatus alius quidem eſt naturalis; ut leonis inter animalia terreſtria, & aquilæ inter aves: alius vero per electionem, ut in hominum rege.* Et Oppianus in tertio Κυνηγετ. *e* vocat

a *Eumenid.*
b *Lib.* 3. *de Venat.*
c *In voce* Ἀρχή.
d *Addunt aliqui*, ἢ δράκοντος ἐν ἑρπετοῖς, & *draconis in reptilibus.*
e *Verſ.* 62.

—— κλυτὸν βασιλῆα λέοντα·
—— *Inclytum regem leonem.*

Iſidori quoque eſt lib. XII Orig. cap. II: *Leo Græce, Latine Rex interpretatur, eo quod ſit princeps omnium beſtiarum.* Sed de etymo, abſurde; cùm λέων nunquam, niſi κατὰ μεταφορὰν *f*, regem ſignet. Sed eſt forte λέων *g* à λάω, vel λεύσσω *h*, de quo mox dicam, cùm de viſu leonis agam: vel potiùs ab אֵל, *fortis*, literis trajectis: vel ab eadem origine ac λὶς, unde Homero accuſativus λῖν. Eſt verò λὶς à לַיִשׁ: quod unum ex ſex leonis appellationibus: de quibus, ſi voles, Druſium vide lib. X Obſervat. cap. IV. Habes לַיִשׁ Jobi cap. IV. Sed Hieronymus reddit *tigris.* Eſtque magna ſimilitudo inter leonem, & tigrim: maculosâ tamen pelle à leone differt tigris. Verùm quin leo ſignetur, dubitandum non eſt; ſive, ut LXX ibidem reddunt, ſit μυρμηκολέων, aut μυρμηκοκολέων, nempe ex eo, quia & μύρμηκες ſint leonum genus, Straboni deſcriptum lib. VI. Vel eſt לַיִשׁ ſcymnus, ſive catulus leonis, juxta Chaldæum interpretem, imò ipſos LXX, Eſai. cap. XXXV, 6: vel leo ſit provectæ ætatis: quæ opinio eſt R. David Kimchi. Habes & Proverb. XXX, 30: *In beſtiis* לַיִשׁ *fortis eſt.* Hoc eſt, leo beſtiarum fortiſſimus. Cui geminum eſt illud ad Samſonem Jud. XIV, 18, *Quid fortius leone?* Sed hic eſt אֲרִי: de cujus etymo inferius dicam: eſtque ab eo χάροπος; quomodo dicitur λέων Μακεδόσι *a*, ſecundùm Tzetzem in Lycophronem *b*. Ob hanc leonis fortitudinem etiam Jeſus Chriſtus *leo* vocatur Apocalypſ. V, 5: *Ecce vicit leo de tribu Juda, radix David, ut aperiat librum.* Cùm enim ſpirituum nullus poſſet aperire librum, id potuit Jeſus: quod præluſtre eſt fortitudinis argumentum; unde *leo* dicitur; ut poſtea *c agnus*, ob innocentiam. Cùm verò non ſimpliciter appelletur *leo*, ſed *leo de tribu Juda*, reſpicit B. Joannes prophetiam, quæ eſt Geneſ. cap. XLIX, 9: quam, inter alios, Chriſto accommodat Julius Pomerius, Toletanus Archiepiſcopus, lib. I adverſus Judæos. Etiam diabolus ab Apoſtolo Petro *d* leoni confertur; ſed non ἁπλῶς, verùm rugienti, hoc eſt, famelico, iracundo, devorare homines cupienti. quæ nihil commune habent cum iis, ob quæ Chriſtus illi comparatur.

f *Per tranſlationem.*
g *Leo.*
h *Video.*
a *Leo Macedonibus.*
b *Pag.* 74. *edit. Baſil.*
c *Ibid. verſ.* 8.
d 1 *Ep. cap.* 5. 8.

Ex quibus fortitudo leonis reluceat, collegit Philes in jambis: ubi ait, cum inter beſtias μοναρχίαν *e* obtinere: atque iſtud, ut inquit, arguunt,

e *Regnum.*

Καὶ στέρνα, καὶ γόνατα, καὶ σφυρῶν βάσεις,
Καὶ βλέμμα, καὶ θρὶξ, καὶ κατάφρακτον στόμα,
Ῥώμη τε πλευρῶν, καὶ βρεχμὸς ἰσχίον,
Καὶ νεῦρα πυκνὰ, καὶ ποδῶν μέγας ὄνυξ,
Καὶ βῆμα, καὶ σκίρτημα, καὶ δρόμου τάχος,
Αὐχὴν παγεὶς ἐκ τοῦ ἐξ ἀναρθρῶν ὀστέων.

Sic ſenariis expreſſeris:

Pectuſque, genuaque, tibiarumque is ſtatus,
Et vultus, & pilus, oſque munitum undique,
Roburque laterum, firmitas coxendicis,
Nervique ſpiſſi, & ungula magna pedum,
Greſſuſque, ſaltus, atque curſus celeritas,
Compacta cervix oſſe perpetuo rigens.

Paullùm præcipuis inſiſtam. Primo loco memorat pectus. De quo & Plinius lib. VIII, cap. XVI: *Leoni vis ſumma in pectore.* Et Macrobius lib. I Saturn. cap. XXI: *Validus eſt pectore, & priore corporis parte: ac degenerat poſterioribus membris.* Sequitur de genibus, in quibus & homini, & aliis animantibus, vires. Unde Homerus Iliad. Δ *f*:

f *Verſ.* 314.

Ὦ γέρον, εἴθ᾽ ὡς θυμὸς ἐνὶ στήθεσσι φίλοισιν,
Ὥς τοι γοῦναθ᾽ ἕποιτο, βίη δέ τοι ἔμπεδος εἴη·
O ſenex, utinam, qualis tibi animus eſt in charis præcordiis,
Talia etiam genua forent, vireſque firmæ & ſtabiles.

Notum illud varis Venuſini *g*: *Dumque virent genua.* Nempe & leoni, dum vigent vires, genua ſunt idonea curſum ad celerem. Eodemque pertinet, quod addit de talis, ſive pedum malleolis, per quos tibias intellige κατὰ συνεκδοχήν.

g *Epod. od.* 13.

Poſtea Philes ſubdit τὸ βλέμμα, ſive *viſum.* Viſu enim mirè valet. Imò & Euſtathio *h* ex eo λέων dici putatur, à λάω, *video*; unde ἀλαός, *cæcus*; Porphyrio item à λεύσσω, quod itidem valet βλέπω: ac fortaſſe ſimiliter Hebræis vocatur אֲרִי, à רָאָה, *videre*: niſi malis ab אָרָה, *carpere, decerpere.* A viſu leones quoque χάροποι dicuntur, & γλαυκιόωντες, ut *cæſii* Catullo *i*. Idem σμερδαλέως nuncupat ἀπὸ τοῦ μέρδειν, hoc eſt, μαρμαίρειν, *lucere, ſplendere.*

h *Iliad.* λ.
i *Epig* 46.

Sed & Heſiodo *a* leo βλοσυρὸς: quod ipſum inter leonis epitheta Pollux *b* reponit. Βλοσυρότης verò propriè eſt *torvitas*: ſed cum ſic vocari videmus, capiendum de illa oculorum ferocia, quæ in benenatis, & iccirco alios præ ſe contemnentibus, relucet. Quomodo & Socrates apud Platonem in Thæteto *c* ait: Ὡς ἐγώ εἰμι ὑὸς μαίας μάλα γενναίας τε ϗ βλοσυρᾶς Φαιναρέτης· *Sum filius obſtetricis valde generoſæ, ferocique præditæ animo, Phanaretes.* Quo de loco, perperam reprehenſo ab Athenæo, diximus etiam in Inſtitutionibus Oratoriis lib. II, cap. XIV, ſect. VIII.

a In Scuto Herculis verſ. 175.
b Lib. 5. cap. 12.
c P. 149. Tom. 1. edit. H. Steph.

Hinc meminit pilorum, quod imprimis ad jubam referendum. Nam præcipue fortes ſunt, quorum colla, armoſque, veſtiunt jubæ. At generati è pardo, qui ignobiles *d*, jubâ carent: imò nec leones ſunt, ſed leopardi.

d Plin. 8. 16.

Inde memorat os: quod illi Ariſtoteles ait eſſe διμεγέθες, *præamplum.* Sed cum Philes tribuit ei os κατάφρακτον, reſpicit vallum dentium; qui acuti, & ſerrati, limæque inſtar aſperæ. Hinc Anacreon od. II, cùm tauris cornua ſint, aliis alia; datum ait λέουσι χάσμ' ὀδόντων· *leonibus hiatum dentium*: Oppianus *e*, eâdem mente, δολερὸν χάος *f*. Hujuſmodi animantia ſerratis dentibus valida Ariſtoteles *g*, & alii, καρχαρόδοντα appellant.

e Lib. 4. de Ven. verſ. 92.
f Doloſum hiatum.
g Lib. 5. de anim. generat. c. 8.

Sequitur paullo pòſt de magnis pedum falculis, ſive unguibus: quibus quia, quantum poſſint, ſciant; eò in gradiendo retrahunt in corpus, ne inceſſu, fugâque imprimis, obtuſos reddant. Solinus cap. XXX: *Gradientes, mucrones unguium vaginis corporum claudunt, ne acumina attrita retundantur. Hoc adeo cuſtodiunt, ut non niſi averſis falculis currant.* Sic enim in ſchedis Palatinis optimè reperit Salmaſius: pro quo contrario & falſiſſimo ſenſu Delrius ediderat, *adverſis falculis*, hoc eſt, planè exertis.

Tum jungit Philes de greſſu, qui illi (ut traditum Ariſtoteli in Phyſiognomicis *h*) eſt νεανικὸς, hoc eſt, ſtrenuus, qualis juvenum. Is cujuſmodi ſit, inferiùs dicetur.

h Cap. 5.

Mox ſubjungit Philes, cervicem leoni unico conſtare oſſe, vertebris nullis; quod & Ælianus prodidit: eique id cum lupo, Ariſtoteles *i*; cùm lupo & hyæna, commune eſſe, Plinius ait. Sed de leone falli eos, planeque ejus collum vertebras habere, proditum eſt à Cæſare Scaligero Exercitat. CCLVIII, ſect. I.

i Lib. 4. de part. animal.

Paullo pòſt Philes etiam aliud fortitudinis refert argumentum:

Καὶ κοῖλον ὀςοῦν οὐκ ἔχει τὸ θηρίον.
Nec fiſtulæ inſtar oſſa ſunt illi cava.

Solis enim brachiis, & femoribus exceptis, quæ aliquid habent medullæ, omnia oſſa ei ſunt medullæ expertia; adeò autem ſolida, ut ſi invicem collidas, ignem velut è ſilice elicias. Id legas apud Ælianum lib. IV Hiſt. de Anim. cap. XXXIV: qui hoc hauſit ex Ariſtotelis lib. II de generat. animal. cap. IX. Apud Athenæum tamen lib. VIII id ridetur, interque ea reponitur, quæ cum incerta ſint, vel etiam falſa, ſtultis nihilominus miracula videantur. Sed reprehenſio hæc ejus eſt generis, cujus pleraque alia ibidem ex Epicuri epiſtolis hauſta.

Cùm verò leo ſit θηρίον ἀλκιμώτατόν τε ϗ δυσμαχώτατον *k*: tum imprimis hoc de leæna produnt: credo, ob affectum erga catulos ſuos. Ideo Semiramis Babylonia non tam exultabat, ſi leonem, quàm ſi leænam, interemiſſet: ut eſt apud Ælianum lib. XII Var. Hiſt. cap. XXXIX.

k Robuſtiſſimum, & ſuperatu difficillimum.

Nec leone modò, vel leænâ, nihil fortius, verùm neque generoſius: unde II Samuelis XVII, 10, Chuſai de Davide ait ad Abſolomum: לִבּוֹ כְּלֵב הָאַרְיֵה, *Cor ejus, ſicut cor leonis.* Imò propterea leoni etiam nomen לָבִיא à לֵב *cor*: quaſi *cordatum* dicas, diciturque hoc pacto, ubi non catulus modo, ſed & leunculus eſſe deſiit; parumque abeſt, quin ſit inter adultos. Hinc etiam hominem fortem, ac generoſum, θυμολέοντα, ἢ λεοντόθυμον, dixere; de quibus Heſychius. De hac animi leonini magnitudine ita ex Ariſtotele Plinius lib. VIII, cap. XVI: *Generoſitas leonis in periculis maximè deprehenditur: non in illo* a *tantummodo, quòd, ſpernens tela diu, ſe terrore ſolo tuetur, ac velut cogi teſtatur* b; *cooriturque non tanquam periculo coactus, ſed tanquam amentia iratus: illa nobilior animi ſignificatio: quamlibet magnâ canum & venantium urgente vi, contemtim, reſtitanſque cedit in campis, & ubi ſpectari poteſt: idem ubi virgulta ſylvaſque penetravit, acerrimo curſu fertur, velut abſcondente turpitudinem loco.* Similiaque habet Solinus cap. XXX.

a Salmaſius, non illo.
b Salmaſ. velut cogitat ſtatum, *hoc eſt, poſituram corporis ad reſiſtendum, non verò fugiendum.*

Etiam excellam hanc indolem declarat, quòd dolis careant, atque, ut Ariſtotelem accepere Plinius, & Solinus, nunquam limis intueantur oculis. Item quòd progrediantur pedatim, humeris ad greſſus ſingulos commotis: quod Ariſtoteli eſt τοῖς ὤμοις ἐπισαλεύοντες: idemque in hominibus etiam generoſi eſſe animi indicium, ait: atque Adamantius cum dixiſſet, eſſe hoc argumentum μεγαλονοίας ϗ ἀνδρείας, *magnanimi, ac fortis*: ſubdit, οὕτω γὰρ καὶ λέων βαίνει· *quippe & ita leo incedit.* Inter alia animi indicia, hæc vis animi è cauda apparet: quæ immota illi, quando placidus eſt: at blandiri ſi volet, leviter eam commovet. Sed raro talis eſt. Nam naturâ eſt iracundus, ac quoties iraſcitur, prius caudâ terram verberat; gliſcente irâ, etiam tergum eâ flagellat. Teſtes iſtorum Plinius *c*, & Solinus *d*: ſed verba eorum, quæ corruptè leguntur, corrigenda ſunt juxta felicem Salmaſii reſtitutionem *e*. Similia quoque apud Ælianum legas lib. V Hiſt. Anim. cap. XXXIX, & lib. VI, cap. I. Cur verò iratus caudâ id oſtendat, cauſſam è natura rerum promit Alexander Aphrodiſienſis in problematis lib. I, quæſt. CXLIV: ubi & adjungit, cur canes item caudâ ſuâ blandiantur. Nempe, inquit, quia iis medulla ſpinalis porrigatur uſque ad caudam; eò vis animalibus illis, & magna, & prompta; ut hac parte præſtent, quod homo manu. Uti igitur homo, cùm lætus conſpicit amicum, manum porrigit; ita canis agitat caudam, partem agilem: & ut homo, præ indignatione, manu percutit pluteum, vel aliud; ita leo, præ ira, priùs terram, mox etiam tergum flagellat. Ab hoc fortis, & generoſi animi indicio, Græci caudam leoninam dicunt ἀλκαίαν; nempe ἀπὸ τῆς ἀλκῆς *f*. Heſychius: Ἀλκαία, κέρκος, οὐρὰ τοῦ λέοντος. ALCÆA, *cauda leonis.*

c Lib. 8. cap. 16.
d Cap. 30.
e Plinianarum Exercit. pag. 326.
f A robore.

Ad vim animi generoſam etiam referri video, quòd quomodocunque ſe patiatur cancellis includi ligneis; ferreis, ut ajunt, non item. Hoc interpretantur, quaſi flecti poſſit, ut cedat: ſed non vi ita cogi, ut meritò victoriæ extorqueas confeſſionem. Putare enim, indignum eſſe, aliquid vires ſuas exſuperare: ac propterea rumpere clathros ferreos.

Etiam magnitudinem animi colligunt ex eo, quòd fere aſpernetur reliquias pridianas: quaſi ſic ſecum reputet, nullam debere diem abire, quin committatur cum vivo animante, atque ita victoriæ ſuæ præmium reportet. Ideo cadaver non attingere; ſed vivo veſci animali, aut recenti prorſus; ut Joannes Tzetzes ait Chil. V, cap. IX. Sed metuo alia ne ratio ſubſit. Nempe ne eò ab illis abſtineat, quæ pridie ſit venatus, quia ab gravi ejus anhelitu jam putredo ac fœtor pervaſerit cadaver. Sanè cancellis incluſus non modò cadavere veſcitur; ſed, quod nihil habet generoſi, placentis mellitis: ut Tzetzes *g* ait. Quamquam dicere poſſis, nihil eſſe, quod non generoſos etiam animos cogat neceſſitas.

g Ibidem.

Jam quantæ eſt prudentiæ, quod ſi, Plinio *h* teſte, nimio gravatum cibo ventrem ſentiat, carnes, inſertis in os unguibus, educat; præſertim ſi neceſſe habeat fugere, eoque levitate corporis ſit opus. Hoc ſæpius uſu venit: quia leo incontinens eſt, ac vorax: unde prædam nactus opimiorem, ſubinde adeò ſe explet, ut biduo, vel etiam triduo, abſtinere cibo cogatur. Hoc optimè ab Ariſtotele *i* monitum; peſſimè autem a Solino expreſſum. Nam philoſophus dicit, eum ἀσιτεῖν διὰ τὸ ὑπερπεπλῆσθαι *k*: uti Plinius *l*, *à ſaturitate interim triduo abſtinere*: hoc eſt, quandoque: nam *interim* pro *interdum*, ut ſæpe: Solinus *m* verò, ait, *alternis cibum capere*; quaſi diebus alternis ſem-

h Lib. 8. cap. 16.
i Lib. 8. Hiſt. animal. cap. 5.
k Cibo abſtinere, quia ſupra modum ſe ſatiaverat.
l Lib. 8. cap. 16.
m Cap. 30.

ſemper nunc edat, nunc jejunet: quod nemo veterum docuit.

Sed illuſtre imprimis ſagacitatis in eo argumentum habemus, quòd, cùm urſa in Pangæo, Thraciæ monte, ingreſſa eſſet antrum, inque eo catulos leonis interemiſſet; parentes à venatu reduces, hiſce viſis, urſam fuerint inſecuti: atque hac in primam ſe arborem recipiente, leæna quidem ad arborem permanſerit; leo autem totis montibus erràrit, donec incidiſſet in fabrum lignarium: cui primo, præ metu, ſecuris de manibus decidit: ſed ille blandiebatur homini, pede monſtrabat ſecurim, ut tolleret: eo non intelligente, quid vellet, ore illam præbuit: tandemque hominem caudâ amplexatus, ad luſtrum ſuum duxit: acceſſit & leæna: uterque cladem catulorum oſtendunt: ſimul arborem ſuſpectant, in qua urſa ſe contineret: tum faber conjectans ab urſa hanc injuriam acceptam, arborem ſuccidit: concidente eâ cum urſa, mox hanc leo leænaque diſcerpunt: hinc leo hominem ad locum, ubi ligna antea cædebat, ſoſpitem reducit. Vide iſta ex Eudemo paullò fuſiùs narrantem Ælianum lib. III de Animal. cap. XXI.

Quantæ etiam hoc eſt ſagacitatis, quòd apud Plinium *a*, & alios, legimus de leænis? Quippe ajunt, eas, ſi coierint cum pardo (ita mas ſolus dicitur, ut *pardalis* femina) non continuò ſolitas redire ad leonem, quem acerrimum adulterii vindicem ſciunt: ſed priùs nive, aut flumine, ſe abluere, atque ita obliterare adulterii odorem. Altæ etiam mentis imaginem refert, quòd, ubi venatores inſtant, in terram conjicit oculos. Cauſſam his verbis adfert Solinus cap. XXX, & ex eo Iſidorus lib. XII Orig. cap. II: *Septi à venatoribus terram contuentur, quo minùs, conſpectis venabulis, terreantur.*

a Lib. 8. cap. 16.

Nec tamen par omnium eſt leonum vel ſagacitas, vel generoſitas, vel robur. De animi magnitudine meritò id negat Ariſtoteles, & ex eo Plinius his verbis lib. VIII, cap. XVI: *Leonum duo genera* (Ariſtoteles tradit) *compactile, & breve, criſpioribus jubis: hos pavidiores eſſe, quàm longo ſimplicique villo: eos contemtores vulnerum.* Ac generoſiores iſti Baptiſtæ Egnatio, & aliis, videntur eſſe, qui *archoleontes* dicuntur in vulgatis editionibus Julii Capitolini *b*; ſi principem editionem exceperis, in qua, uti & MSSis, eſt *acroleontes*: unde Conradus Geſnerus, eumque ſecuti Scaliger, & Caſaubonus, fecere *agrioleontes*, ut hi opponantur leonibus manſuetis. Sed propiùs abit, quod Salmaſio placuit, *argoleontes*: hoc eſt, leones albi, ſive minus flavi vulgaribus. Mentio eorum in epiſtola Alexandri M. ad Ariſtotelem.

b In Gordianis.

Præterea qui leonum fuere inter Acheloum, & Neſſum (nunc in Europa ſunt nulli, niſi ex illatis, curâ gignantur humanâ) hi viribus, & animis, præſtabant illis Libyæ, & Syriæ; ut Ariſtoteles *c* auctor eſt, & ex eo Plinius *d*. Oppianus initio tertii de Venatione laudat Armenios, Arabicos, Libycos, & Æthiopicos: Libycis autem tribuit principatum. Nulli in iſto plus fidei debemus, quàm homini Granatenſi, inque Africa educato, & ab eo, qui de ſacro baptiſmatis fonte ſuſceperat, (Joanne de Medicis, ſive Leone X) Joannis Leonis nomen ſortito. Is in deſcriptione Africæ lib. IX refert, ut bis parum abfuerit, quin à leone devoraretur. Eſſe autem leones terræ Africæ tam validos, ac feroces: ut unus vel ducentos invadat equites; quinos etiam, vel ſenos, interficiat. Ob ſingulare hoc robur, eos potiſſimùm nominat Martialis lib. XII, epigr. LXII:

c Lib. 9. Hiſt. Anim. c. 28.
d Lib. 8. cap. 16.

Intàuros Libyci ruunt leones,
Nec ſunt papilionibus moleſti.

Cùm Indicis eoſdem junxit Catullus epigr. XLVI:

Solus in Libyâ, Indiâve toſtâ,
Cæſio veniam obvius leoni.

Juſtus Lipſius in Electis lib. II, cap. IV, tradit, hos leones Libycos, quia ex Numidia afferrentur, eò dictos eſſe *urſos Numidicos*: non quaſi leve ſit diſcrimen inter leonem, & urſum; ſed quia primitùs id non ſatis eſſet cognitum. Sic verò ait appellatos in Annalibus Romanis: in quibus notatum (ut Plinius monet lib. VIII, cap. XXXVI) *M. Piſone, & M. Meſſalla coss. ad XIV Calendas Octobr. Domitium Ænobarbum, Ædilem curulem, urſos Numidicos, & totidem venatores Æthiopas, in Circo dediſſe.* Subjungit deinde Plinius: *Miror adjectum Numidicos fuiſſe, cum in Africa urſos non gigni conſtet.* Quod itidem ait lib. ejus cap. LVIII. Negat igitur Lipſius, Plinio in mentem veniſſe, per *urſos Numidicos* hic ſignari leones ex Numidia advectos. Eaque mihi ſententia olim in Oratoriis noſtris, ante annos duos ac triginta primùm editis, poſteaque ſemel iterum recuſis, admodum arriſit. Tandem, ut mutarem, fecit maximus Salmaſius Exercitationibus Plinianis. Parùm enim credibile eſt, ſi Romani pro leone dixiſſent *urſum Numidicum*, ignoraturum id fuiſſe Plinium: qui meminerat & apud Maronem *a* Aceſtem veſtitum indui

a Æn. 5. verſ. 37.

—— pelle Libyſtidos urſæ.

Lipſius tamen non dubitat, quin & hic intelligatur leo: uti & cùm Juvenalis *b urſos Numidas*; & Martialis *c Libycos urſos* dicit. In hanc opinionem eum præcipuè impulit, tum quòd in Domitii Ædilis nummo non urſam, ſed leonem videas cum homine depugnantem: tum quòd Plinius neget, in Africa urſas inveniri. Sed non ſi in nummo ſolus conſpiciatur leo, eò Domitius ſolos dederit leones. Hic ſolus eſt expreſſus, quia nobilior ea ſit fera. In Africa autem urſas eſſe, præter Herodotum *d*, & Solinum *e*, teſtis Strabo lib. ultimo, ubi Mauros refert leonum, pardalium, & urſorum, pellibus indui. Et Dio ſive Xiphilinus in vita Claudii, clarè ſeparat ab urſis θηρία Λιβυκά, ut Capitolinus in Gordianis, *feras Libycas*. Denique aliter ſi eſſet, veterum aliquis tam inſolentis locutionis meminiſſet; uti teſtes ſunt nobis pro elephanto dixiſſe *bovem Lucam*; pro camelopardali, *ovem feram*; imò & pro ſtruthiocamelo, *paſſerem marinum*; ut oſtendimus lib. IV Oratoriarum Inſtit. cap. VI, ſect. II. Etſi de poſtremo hoc adverſarium ſciam optimum & doctiſſimum virum, τ̃ μακαρίτην Contradum Rittershuſium, in Oppiani lib. III κυνηγετ. *f* Ubi intelligi ait, quem Ariſtoteles lib. V Hiſt. Animal. vocat στρουθὸν θαλάσσιον, piſcem rhombo ſimilem. Nobis potior eſt Verrii auctoritas, quem Feſtus exſcripſit: item Auſonii epiſt. XI: utcunque eos errare Rittershuſius arbitretur. Quemadmodum verò de urſis Numidicis deceptus eſt Lipſius: ita & falſus, cùm veteres cenſet pro pantheris dixiſſe *mures Africanos*. Sed hunc errorem ſatis, ut arbitror, in Oratoriis Inſtit. *g* refutavimus. Nec tale quid legas apud antiquos.

b Sat. 4. verſ. 100.
c Lib. 1. epig. 105.
d In Melpomene.
e Cap. 29.
f Verſ. 497.
g Lib. 4. c. 6. ſect. 2.

Cap. LIII.

Leonis exuviæ pro indumento, vel ſtragulo. Quibus leonis carnes fuerint pro cibo: quæque ejus partes in medicina ſint utiles. Leonis amor erga canem ſocium. Clementia ejus erga ſupplices. Non modò leonis ſidus, ſed etiam leonem animal, ad naturam Solis referri. Cicurari etiam leones. Dormire eos oculis apertis, eoque Ægyptiis eſſe vigilantiæ ſymbolum, rictuque leonino templorum januas ornâſſe. An leo dormiens moveat caudam, ne dormire videatur. Variæ rationes venandi leonem. Cur leo ſit Vulcano dicatus. Tantopere etiam domari leones, ut, equorum inſtar, currum trahant. Hanno damnatus à Pœnis ob repertam rationem domandi leones. Ratio adſtringendi os leonis, ne mordeat, ac via triplex veneno eum necandi. Secundùm Afros, non lædi feminam à leone, quæ verenda ei detexerit. Facilis modus terrendi leonis, ſi pannum objeceris oculis ingruentis. A Lyſimacho interemtum leonem, qui inter venandum incurſabat; vel, cui is, ſecundùm alios, Alexandri juſſu fuerat objectus. Leonem terreri circumactu rotarum, & tympani pulſu: eundem obtorpeſcere, ſi folia ilicis calcârit. Refelluntur Herodotus, & Orus, de leæna ſemel duntaxat, unumque ſcymnum,

 num,

num, pariente. Item de eo, quod veteres tradunt, metui à leone gallum gallinaceum. In dubium vocatur vis juſculi gallinacei, cui allium incoctum: item, quod ajunt, leonibus quartanâ laborantibus mederi eſum ſimiarum.

MIretur fortaſſe aliquis, Naturam, vel potiùs Deum, animal hocuſque adeò infeſtum nobis, eâ ſagacitate, tantoque robore, inſtruxiſſe. Sed iis, quos admiratio hæc ſubit, multis occurritur modis. Primùm cogitemus, nihil eſſe tam noxium, quin idem proſit. Hoc de venenis ipſis dicebamus lib. I, cap. V. De leone autem idem liquet, ſive attendamus ea, quæ ex corpore ejus ad nos redeunt; ſive exempla, quibus animus noſter inſtruitur. Ac ad corpus quidem quod attinet, pellis ejus olim habitus fuit heroum: uti Herculis. Nono etiam Æneidos legas:

Dat Niſo Mneſtheus pellem, horrentiſque leonis
Exuvias.

Hac de re inferiùs loquar in Theologia gentium ſymbolica. Hodieque Turcis, ac Mauris, ejus uſus pro pallio eſſe dicitur. Etiam antiquitus eo ſternebant toros. Unde VIII Æn.

—— Gramineoque viros locat ipſe ſedili,
Præcipuumque toro, & villoſi pelle leonis,
Accipit Æneam. ——

Agriophagi, (gens ita dicta, quia ἄγρια, ſive carnes efferorum animantium, comederet) leonibus, & pantheris, veſcebantur: ut à Plinio *a*, & Solino *b*, traditum eſt. Liene tamen abſtinere dicuntur *c*. Etiam Philoſtratus *d* ſcribit, à barbaris inter Caucaſum montem, & Cophenem flumen, habitantibus, eorum animantium carnes eſſe oblatas Apollonio Tyaneo. Quin Alberto M. *e* ſi credimus, utcunque is cibus tardè digeratur, ac ſuccum gignat craſſum ſiccumque, & propterea hominem reddat melancholicum: paralyticis tamen is utilis eſt. Imò Plinius *f* ait, cor leonis comeſtum mederi quartanæ: fel aquæ immiſtum, oculis, ſi eo inungas, afferre claritatem: adipe ejus inunctos eſſe tutos ab omnibus beſtiis: pro quo ſanguine leonis dicere maluit Sextus Placitus ſeu Platonicus *g* Papyrienſis; qui & varias adipis leonini vires enarrat. In hemetritæo quoque, ut ait Serenus Sammonicus,

Nonnulli memorant adipem prodeſſe leonis.

a Lib. 6. cap. 30.
b Cap 33.
c Io. Bruyerius de re Cibaria l. 12. c. 17.
d Lib 2. de vita Apollonii, c. 3.
e Lib. 22. de Animal.
f Lib. 38. cap. 8.
g Libro de Medicina animalium c. 10.

Quem & corporis partibus frigore aduſtis, uti perniionibus, mederi, ab Eduardo Wottono, & aliis, proditum eſt. Calceos ex corio leonino, vel lupino, magnopere podagricis prodeſſe, traditur à Geſnero. Atque hæc tangunt commoda, quæ ex corpore leonis mortui percipimus.

Quod ad animum noſtrum, (id enim alterum erat) ex conſideratione leonum multa addiſcimus, quibus accendamur ad ſociorum amorem, clementiam, animum gratum, humanitatem, & vigilantiam.

Primi exemplum ex Eudemo refert Ælianus lib. IV Hiſt. Animal. cap. XLV. Ait, à juvene pariter educatos leonem, urſam, canem: ac primò eos pacem & amicitiam coluiſſe. Poſtea rupiſſe hoc fœdus urſam: nam ubi aliquantiſper colluſiſſet cum cane, ad naturam rediiſſe, ac unguibus dilaceràſſe ventrem canis: leonem autem ita graviter cepiſſe hanc injuriam contubernali illatam, ut pares ab urſa pœnas exegerit.

De clementia ejus ita Plinius lib. VIII, cap. XVI: *Leoni tantùm ex feris clementia in ſupplices: proſtratis parcit: &, ubi ſævit, in viros priùs, quàm in feminas, fremit: in infantes non niſi magnâ fame.* Subjungit deinde de femina exemplum: unde licet non colligatur, intellectum precum ad feras pervenire; illud tamen ſequitur, ſupplici voce ac geſtu mulceri. Quod verò Julius Camillus in Theatro ſuo ait, eſſe Solare animal, id apud Ælianum *h*, ac Macrobium *i* quoque, legas: imò & Proclum *k*: ſed hic addit, magis interim Solare animal eſſe gallum gallinaceum, cùm ejus cantu leo ipſe perterrefiat. Hoc cujuſmodi ſit, inferiùs expendam: nunc ſatis erit explodere Camilli judicium; quando ait, leonem nobilibus parcere, tanquam cognatis ſuis. Inane enim hoc ſomnium eſt, ad nobilium illis palpandum, qui ſolos ſe homines eſſe arbitrantur, cæteros fœnum eſſe oportere.

h Lib. 5. de Animal. cap. 39.
i Lib 1. Saturn. cap. 21.
k Lib. de ſacrificio, & magia.

Grato eſſe leones animo erga parentes, arguit, quòd eos nutriant, ubi ſenuerint; ut eſt apud Joannem Tzetzem. Imò quoſvis leones ſenio confectos, aliâ junioribus, tradit Plutarchus comparatione aquatilium, & quadrupedum. Idne ita ſit, an ſecus, haut facilè dixerim. Sed ſi cæteros quoque alant, longè magis parentes. Quàm grati etiam ſint erga homines, qui benefecerint, exemplo erga Mentorem Syracuſanum, & altero erga Elpidem Samium, docet Plinius lib. VIII, cap. XVI. Sed & vide, quæ de Androclo, ſeu potiùs Androcle ſervo, ex Apione Polyhiſtore Agellius narrat lib. V, cap. XIV: item Ælianus lib. VII Hiſt. Animal. cap. ult. eundemque ſignare videtur Seneca lib. II de beneficiis, cap. XIX. Tempora enim conveniunt, cùm ſub Tiberio id contigiſſe ſcripſerit Apion, ac tum quoque vixerit Seneca, ulteriùs licet ætatem produxerit.

Quàm turpe ſit hominum aliquos nec beneficiis miteſcere, nec præceptis; leones ſunt argumento, qui, licet tam efferi, quantopere manſueſcant, non uno antea exemplo oſtendimus. Proinde, ut rectè ait Horatius *a*,

Nemo adeo ferus eſt, ut non miteſcere poſſit,
Si modò culturæ patientem commodet aurem.

a Lib. 1. epiſt. 1.

Vigilantiæ ex eo capiunt ſignum, quòd, haut aliter ac lepores, oculis dormiant apertis; licet non ſtudio id faciant, ſed naturâ, ob palpebras juſto breviores; ut cognoſcere eſt ex libri hujus cap. XXIII. Id, Varroni *b* eſt, *non umbrari ſomno pupulas*: Græci in homine appellant κορυβαντιᾶν; ut loco proximè memorato ex Plinio *c* monebamus. Sic dormire leones, refert Orus in Hieroglyphicis *d*: ac favet Plutarchus in Sympoſiacis *e*. Propterea, ut idem Orus ait, Ægyptii, vigilantem ſignaturi cuſtodem, leonem pingunt: atque, ut nobis alibi ex Oro *f*, Plutarcho, aliis, dictum, cùm olim ea conſuetudo fuit, tum hodieque obtinet, ut templorum, & magnificarum ædium clauſtris, ex ære apponatur rictus leonis. Imò ex Phile in Jambis exiſtimet aliquis, leonem inter dormiendum eò caudam ſuam commovere, ne, ſi dormire credatur, aliorum reddatur injuriis obnoxius. Sed enim imaginatio iſtiuſmodi non cadit in verè dormientem. Quamobrem ita cenſeo, caudam ſtudio duntaxat movere, dum non penitus dormit.

b Prometheo.
c Lib. 11. cap. 37.
d Lib. 1. cap. 19.
e Lib. 4. cap. 5.
f Lib. 1. cap. 21.

Credo, agnoſcet aliquis, & harum, & aliarum virtutum exempla, è leonibus petere nos poſſe: ſed cùm ea quoque ex animantibus minimè noxiis, (ut de Sapientum præceptis, nihil nunc dicam) haurire liceat: Deum luculentiùs fuiſſe amorem ſuum oſtenſurum erga genus humanum, ſi & leonibus, & aliis id genus feris, careremus. Quibus illud reſponſum velim, damna, quæ ab iis perpetimur, eſſe ab ira Dei erga peccatum, per quod homo magnam partem privatus eſt dominio, quod in animantia ei divina conceſſerat bonitas. Præterea ſic quoque clarè elucet cæleſtis erga nos cura, quòd homini dederit & prudentiam, & robur, & arma, quibus evadere periculum, imò leonem, de quo nunc ſolo loquimur (verùm aliorum quoque par ferè ratio eſt) vel interimere, vel vivum capere, domareque poſſit. Princeps ad iſta eſt venationis modus: unde & Aſcanius apud Maronem *g*,

Optat aprum, aut fulvum deſcendere monte leonem.

g 4 Æn.

Geminum autem eos venandi modum Claudianus proponit lib. III de laudibus Stiliconis: ubi ſic de leonibus inquit:

Non illos tædæ ardentes, non ſtrata ſupernè
Lapſuro virgulta ſolo, non vocibus hædi
Pendentis ſtimulata fames, non foſſa fefellit.

Prior ratio eſt, ſi ignibus oſtenſis, clamore præterea ſublato, & metu canum, in retia adigantur. Ignibus autem leones terreri, etiam Homerus ait Iliad. Λ *h*, ubi ſic de iis canit:

h Verſ. 553.

Καί-

Καιόμεναί τε δεταί, τὰς τε τρεῖ ἐσσύμενός περ.

Incenſaque faces, quas is, violens licet, horret.

Eo poëtæ loco, ad hoc comprobandum, etiam Ariſtoteles utitur lib. IX Hiſtor. Animal. cap. XLIV. Idem tradit Plinius lib. VIII, cap. XVI, & Ælianus lib. VI de Animal. cap. XXII. Obiter etiam lib. VII, cap. VI, ait, ut leones, ſic elephantos, ignem extimeſcere. Rationem autem ab ignea leonis natura, & acuta oculorum acie, arceſſit Alexander Aphrodiſienſis lib. I problematum, ſect. LXVIII. Pleniuſque de hoc Ælianus lib. XII de Animal. cap. VII: Διάπυρον δέ ἐστι τὸ ζῶον ἰσχυρῶς· καὶ ἐντεῦθεν τῷ Ἡφαίστῳ ἀνῆψαν αὐτὸ Αἰγύπτιοι. τὸ δὲ ἔξωθεν πῦρ δυσωπεῖται καὶ φεύγει, πλήθει τοῦ ἔνδοθεν φασίν. *Eſt vero hoc animal naturæ admodum igneæ: ac propterea id Vulcano conſecrarunt Ægyptii. Exteriorem autem ignem ob interioris ignis copiam ægre intuetur, ac fugit, ut ajunt.* Adi & Oppianum IV Κυνηγ. Orum in Hierogl. Philen in Jambis.

Altera venandi leonis ratio eſt, ſi per foveas ſtruantur inſidiæ, ſtratis ſupernè virgultis inque foſſa media agno ſubrumo, vel hædillo, de columna ſuſpenſo. Eſt & alius modus, equite cum duobus canibus prodeunte; & his quidem mordentibus, ac divexantibus, illo interim certiſſima jacula emittente. De his, & aliis modis, vide Oppianum in IV Κυνηγετικῶν, Beliſarium Neritinorum ducem, (qui tamen Oppiani quædam perperam reddidit) alios item, qui de Venatione ſcripſerunt: ac Paullum Venetum, in Tartariæ, ſive Tatariæ potiùs, deſcriptione *a*.

a Sive de regionibus Orientalibus lib. 2. cap. 17. & 18.

Captos verò exarmare quoque poſſumus dentibus & unguibus, ne noceant: ut olim, ab Heliogabalo factum *b*. Domari etiam queunt; ut oſtendit hoc poëtæ Sulmonenſis *c*:

b Lampridius in Heliogabalo.

c Ovid. lib. 4. Triſt. el. 6.

Tempore Pœnorum compeſcitur ira leonum,
Nec feritas animo, quæ fuit ante, manet.

Imò ita paullatim manſueſcunt, ut impune manu contrectes; etiam eam ori indas. Seneca lib. I de benef. cap. III: *Leonum ora à magiſtris impune tractantur.* Idem epiſt. LXVIII: *Leonibus manum inſertat, oſculatur tigrin ſuus cuſtos.* De leone quoque eſt hoc Martialis lib. II, epigram. LXXI:

Inſertamque pati blandus in ora manum.

Quid quod etiam diſcunt currum protrahere, aliaque ſervilia opera præſtare? Qua de re ita Plinius lib. VIII, cap. XVI: *Jugo ſubdidit eos, primuſque Romæ ad currum junxit M. Antonius; & quidem civili bello, cùm dimicatum eſſet in Pharſalicis campis, non ſine quodam oſtento temporum, generoſos ſpiritus jugum ſubire, illo prodigio ſignificante. Primus autem hominum leonem manu tractare auſus, & oſtendere manſuefactum, Hanno è clariſſimis Pœnorum traditur: damnatuſque illo argumento, quoniam nihil non perſuaſurus vir tam artificis ingenii videbatur: & malè credi libertas ei, cui in tantum ceſſiſſet etiam feritas.* De Hannone idem, paullo aliter, refert Plutarchus in Præceptis politicis. Ælianus lib. XII de Animal. cap. XXIII narrat, in Adonidis templo, quod eſt in regione Elymæa, eſſe leones adeò manſuefactos, ut eos, qui templum ingrediuntur, adulentur, & quaſi ſalutent benignè, invitati ad menſam accedant, & quidquid offeras, accipiant, ac deinde modeſte recedant. Idem lib. XVII ejuſce operis cap. XXVI, leones Indicos ita cicurari ait, ut his utuntur ad venandos tauros, aſinoſque ſylveſtres, & animantia alia. Similiaque de Tartariis habet Paullus Venetus *d*. Alii *e* item narrant, ut Luſitaniæ rex Joannes II, leonem ſemper habuerit ſecum, canis inſtar accubantem. Paullus quoque Jovius teſtatur, ſimilem à rege Chriſtianiſſimo fuiſſe donatum Cardinali Hippolyto Medicæo. Quàm interea nec leoni cicurato ſemper fidere liceat, oſtendit exemplum de pueris duobus ab eo laceratis in circo; quod narrat Martialis lib. II, epig. LXXV: & alterum de magiſtro ab iis interemto, libello de ſpectaculis epig. X. Quare ſic Seneca epiſt. LXXXVI: *Tigres leoneſque nunquam feritatem exuunt, aliquando ſubmittunt, & cùm minimè exſpectaveris, exaſperatur torvitas mitigata: nunquam bonâ fide vitia manſueſcunt.*

d Lib. 7. cap. 17.

e Petrus Meſſias lib. 2. cap. 3.

Ut omnino plus debeamus naturæ, quòd nobis conceſſerit vim leonis necandi, venabulis, ſagittis, laqueis; quam ob illam domandi ejus viam, tam ancipitem, & incertam. Aliter etiam adverſus has feras conſuluit nobis Natura. Si Plinium *a* audimus, chalcantho tanta eſt vis adſtringendi, ut ſi ori adſperſeris leonino, nequeat mordere. Si in biviis, vel quadriviis, ſparſeris cineres leontophoni *b*, (id animal eſt Syriæ) vel ſi aconita miſcueris ciborum illis, quibus gaudent leones, eo pereunt veneno. Pardalianches itidem, ut pardales *c*, ſic leones, occidit; quemadmodum Ariſtoteles *d* narrat. Sunt in Armenia piſces nigri, quorum aliquid ſi in apertis ovium, vel caprarum, lateribus abdatur, deque eo comedant leones, mori eos ait Ælianus *e*. Dubito autem, an id, quod ſubjungam, apponi mereatur. Scribit Joannes Leo *f*, ex multis ſe, viris pariter, ac feminis, cognoviſſe in Africa, (ubi & ipſe ab leonibus vehementer ſit periclitatus) ſi femina in leonem incidat, eique pubem commonſtret, magnum edere clamorem oculis demiſſis, atque ita recedere. Sed nec ipſe, qui id memorat, fidem accommodat. Placuit tamen id Ulyſſi Aldrovando, vel Bartholomæo Ambroſino: apud quos legas *g*, *leones non virum, non mulierem; ſed tantummodo feminæ pudenda averſari.* Ἀντιπάθειαν vocant. Mihi, ſi verum id eſt, quod Leo refert, potiùs eo generoſum hoc animal recedere videtur, quia feminam eſſe cognoſcat. Nam, niſi fames ſtimulet, *pueris, & maxime feminis, abſtinet vires*; ut Plinius *h* ait. Sed hoc in medio relinquamus. Dignius eſt referri, quod idem Plinius *i* retulit his verbis: *Principatu Claudii caſus rationem docuit, pudendam penè talis feræ nomine, paſtoris Gætuli ſago contra ingruentis impetum objecto: quod ſpectaculum in arenam protinus tranſlatum eſt, vix credibili modo torpeſcente tantâ illâ feritate, quamvis levi objectu operto capite, itaut devinciatur non repugnans. Videlicet omnis vis conſtat in oculis. Quo minus mirum ſit, à Lyſimacho, Alexandri juſſu, ſimul incluſo, ſtrangulatum leonem.* De Lyſimacho idem tradit Seneca lib. III de Ira, cap. XIII, & de Clementia lib. II, cap. XXV, ac Pauſanias in Atticis. Curtius tamen in VIII de objecto ab Alexandro leone fabulam vocat: leonemque à Lyſimacho inter venandum in Syria occiſum tradit.

a Lib. 34. cap. 12.

b Plinius lib 8. cap. 38. & Ælianus lib. 4. de Animal. cap. 18.

c Plin. lib. 8. cap. 27.

d Lib. 9. cap. 6.

e Lib. 17. de Anim. cap. 31.

f In deſcriptione Africæ lib. 9. cap. de leone.

g Lib. 1. de quadrupedibus digitatis viviparis, ſect. de ſympathia & antipathia, ſive pag. 22. & 23.

h Lib. 8. cap. 16.

i Ibidem.

Ajunt, præterea terreri leonem circumactu rotarum; de quo Seneca lib. II de Ira, cap. XII: *Elephantos porci vox terret: leones rotarum verſata facies.* Ac ſimiliter Plinius lib. VIII, cap. XVI: item tympanorum impulſu, quod ex Alcæi, & Antipatri epigrammatis in Ἀνθολογίᾳ conſtat. Ut taceam de ἀντιπαθείᾳ, tum foliorum ilicis, quibus calcatis leo torpeſcit, teſte Æliano *k*: tum herbæ adamantidos, in Armenia Cappadociaque creſcentis, quâ admotâ leones reſupinantur cum hiatu laxo; ut apud Plinium *l* legere eſt. De gallo gallinaceo inferiùs dicam. A ſerpente etiam interimitur. Scorpium item fugit. Ut liqueat, Deum, bono hominis, & plantas, & animalia produxiſſe leoni infeſta. Quantæ etiam eſt bonitatis, quod paucis adeo terris animal hoc periculoſum gignatur! Eoque nomine Europæi præcipuè ſibi poſſunt gratulari. Miretur aliquis, hactenus præteritum eſſe à nobis, quòd vel præcipuè Dei providentiam declaret. Id eſt, quod animal hoc ſemel tantùm pariat in vita, ac quidem fœtum unicum: ut Herodotus in Thalia, atque ex eo refert Agellius lib. XIII, cap. VII. Ratio etiam hæc adjicitur, quòd ſcymnus ſive catulus acutis unguibus ſic vulneret matricem, ut deinceps ſit nulla, vel non idonea geſtationi. Id ab Ægyptiis accepiſſe, eſt veriſimile. Nam & Orus Apollo in Hieroglyphicis narrat, leænam, quia non pariat bis, apud Ægyptios ſymbolum eſſe mulieris ſemel tantùm enixæ. Atque eam opinionem etiam ſecutus eſt B. Baſilius Hexaëm. homil. IX. Sed hanc μονοτοκίαν *m* leænæ, tum Homerus negat; ut Agellius oſtendit loco antè memorato; tum Ariſtoteles refellit lib. VI Hiſtor.

k Lib. 1. de animalibus, cap. 36.

l Lib. 24. cap. 17.

m Semel duntaxat pariendi facultatem.

Animal. cap. xxxi: ubi tradit, Syriacos leones primo partu dare quinque ſcymnos; altero, quaternos; & ita porrò ſemper uno pauciores, donec poſt unicum editum ſterileſcant. Quodque hic de Syriæ prodit leonibus, id de univerſis pronunciat lib. vi de generatione animal. cap. xxxi. Sequitur verò Plinius lib. viii, cap. xvi. Uti & Oppianus initio libri quincti de Venatione. Nec aliter Philoſtratus lib. i de vita Apollonii, cap. xvi.

Hæc res oſtendit, non omnia, quæ de leonum natura à veteribus prodita ſunt, albâ à nobis lineâ ſignari oportere; præſertim ubi non conveniunt inter ſe. Quanquam non in his modò, ſed etiam ubi minimè diſſentiunt, ſubinde vereat calculum adjicere. Tale eſt, quòd refert Zoroaſtres in Geoponicis lib. x, item Plutarchus lib. de invidia, & odio, ac Ælianus lib. vi Hiſt. Animal. cap. xxii: & lib. xiv, cap. ix: è Latinis autem Lucretius lib. iv, ac Plinius lib. viii, cap. xvi, & hos, atque alios, ſecutus duces S. Ambroſius cum Alberto M. item Iſidorus lib. xii Orig. cap. ii. Quippe ajunt, gallos gallinaceos terrori eſſe leonibus, ac imprimis eorum cantum. Tantum autem abeſt, ut gallum formident, ut, ubi poſſint, invadant, cumque gallinis abripiant. Contentus nunc ero illis Camerarii verbis in Symbolis: *Noſtris temporibus in aula ſereniſſimi Principis Bavariæ unus ex leonibus, miris ſaltibus, in vicinam cujuſdam domus aream ſeſe demiſit, ubi gallinaceorum cantum aut clamores nihil reformidans, ipſos una cum plurimis gallinis devoravit.* Eo magis ſuſpectum illud Plinii *a*: *Gallinaceo jure perunctos, præcipuè ſi & allium fuerit incoctum, pantheræ, leoneſque, non attingunt.* Si verè dicit, ab allii ἀντιπαθείᾳ id fuerit. Atque hoc etiam illuſtre ſit divinæ bonitatis argumentum.

a *Lib. 29. cap. 4*

Planè quoque ſuſpectum eſt, quòd leonem ajunt in ſenecta laborare quartanâ, eique mederi ſimiis comeſtis. Sic Ælianus lib. i Var. Hiſt. cap. ix, Orus in Hieroglyphicis, Philes in Jambis: atque addit hic, ſimiliter delphinum marinum, ſi ægrotet, mederi ſibi marinæ ſimiæ paſtu. Sed cui hoc, vel qua occaſione, obſervatum unquam? Equidem licet de leonibus haut verum putem, faciliùs tamen de his credidero: nam dixeris, tale aliquid cognitum eſſe ex leonibus manſuetis. Quamquam à quo veterum tale experimentum traditur nobis? Equidem metuo, ne id homo quiſpiam catus confinxerit, ut συμβολικῶς *b* ſignificaret, viris principibus, quando præ ſenio, viriumque impotentia, domi conſidere coguntur, ac quid rerum potiſſimùm geratur, ignorant; quartanâ & querquerâ febre nocentiores eſſe adulatores, qui ſimiarum inſtar ſecundas agere, ac paraſitari tantùm ſciunt: nec peſtifero huic aularum morbo præſentius eſſe remedium, quàm ſi leo ſimias iſtas voret: hoc eſt, ſi rex adulatores iſtos malè perdat, vel longiſſimè arceat ab aula ac conſpectu ſuo.

b *Per ænigma, ac figuram.*

Cap. LIV.

Quadrupedes vel ſolidæ ſunt ungulæ, vel biſulcæ, vel multiſidæ. Mures, qui citra coitum generantur, quales, non in Ægypto ſolùm, ſed ubique ſunt terrarum, in eo differre ab aliis, quod inteſtinum habeant rectum. Poëtarum commentum de equis è vento conceptis. Equas Luſitanicas non concipere è vento, ut falſo veteribus traditum; vel ſaltem non niſi quid ſimile iſti, quod in virginibus μυλακρίας, ſive molucrum, *vocatur. Cujuſmodi animalia averſo coitu generentur. Fabula refellitur de hyæna quotannis ſexum mutante. Veterem eſſe errorem, corium hyænæ reſiſtere faſcino. Quamdiu uterum geſtent lupa, canis, ſus, capra, ovis, equa. Mulas in Cappadocia parere eſt crebrum; terris aliis, prodigii loco habitum; & quæ raritatis ejus cauſſa. Falli, qui arbitrantur, lupam, pardalim, tigridem, ſemel duntaxat parere omni vita. Interea tam noxiorum animantium raros eſſe partus; idque benignitate fieri divinâ. Contrà magnam eſſe fœcunditatem eorum, quæ plurimum homini, & aliis, cedunt in cibum. Vulgaris error exiſtimantium, urſos parere fœtus informes, & unde opinio hæc provenerit. Iiſdem refellitur de muſtela auribus concipiente, pariente ore: & cur Deus Iſraëlitis muſtelæ eſu interdixerit. Quod vitæ ſpatium attributum ſit lepori, feli, arieti, capræ, ſui, cani, equo, aſino, mulo, camelo, cervo: & cauſſa, de pleriſque eorum, allata. Heſiodi fabella de longiſſima quorumdam animalium ætate.*

EXſpectet fortaſſe aliquis, ut deinceps, ſicut in elephanto, & leone, fecimus; ita de ſingulis ordine animantibus agamus, tum illis μονωνύχοις, ſive μονοχήλοις, atque, ut Plinius *a* vocat, *ſolidipedibus*; tum διχήλοις, ſive *biſulcis*; tum πολυσχιδέσι, ſive πολυδακτύλοις, *multiſidis, multoſque quaſi digitos habentibus*: in quæ tria genera quadrupedes diſpeſcuntur. Sed hanc ſi viam inſiſtere parem, ad tam longam multiplici face, & largo nobis viatico, opus ſit. Quocirca ſatis erit, ſi de cæteris per ſaturam potiùs egero: in quibus ipſis tamen non ſic brevitati ſtudere animus eſt, ut non interea in iis luculenta admodum afferam divinæ providentiæ argumenta. Hoc enim præcipuè eſt, in quo nunc opera deludat noſtra.

a *Lib. 10. cap. 65.*

Ordiar à vita, inde de variis vitæ functionibus dicturus. In vita contentus ero his duobus; quomodo animantia generentur, & quam ſint longæva. Utrobique ſolùm, quæ admirationem magis mereantur, excerpam. In generatione attendam, fœtus conceptionem, geſtationem in utero, & partum. In conceptione nihil æquè ſtupendum, quàm quod videmus, quædam citra coitum concipi: ut mures agreſtes è putredine. Id non tam in inſectis fieri, mirum, quàm in animalibus perfectis, ut ſunt mures. Sed hi inteſtinum habent unicum, ac rectum: quod à medico quodam, eos diſſecante, repertum, refert Geſnerus in Quadrupedum hiſtoria. Neque ignoro, putare aliquos, nullos citra coitum gigni. Sed, præter cætera, obſtat, quòd poſt Nili receſſum à terris, reperiantur in Ægypto parte priori corporis inchoatâ, priori adhuc terrenâ; ut apud Plinium *b* eſt.

b *Lib. 10. cap. 58.*

At ſine dubio fabuloſum eſt, quòd equos Achillis è Zephyro conceptos canit Homerus Iliad. xvi, item Q. Smyrnæus lib. iii. Qui & Martis equos è Borea conceptos, tradit lib. viii: & in iv, equum Arionem ex Borea, & Harpyia, natum refert. Similiaque ſunt apud Maronem Georg. iii, & Silium lib. iii. Sed iſta poëtis condonanda: qui non aliud, quàm æmulam ventorum velocitatem, ſignificare voluerunt. Quo & refer, quòd Claudianus de tigride ait,

Vide & Diodorum in primo.

—— Fremit illa marito
Mobilior Zephyro.

Eoque Oppianus rectè in iii Κυνηγετ. cùm dixiſſet, tigrim pernicem adeò eſſe, ac Zephyrum genitorem; mox ſe corrigens ait, illud de conceptu tigrium ex Zephyro, eſſe *c* κενὴν φάτιν, *inanem famam.* Mittamus igitur poëtas. De hiſtoricis, & aliis, magis mirandum. Ex quibus, Luſitanicas equas concipere è vento, prodit Varro lib. ii de R. R. cap. v; quem & teſtem citat Servius in iii Georg. Præterea Columella lib. vi, cap. xxvii, Plinius lib. viii, cap. xlii, Solinus cap. xxx. Quibus omnibus fidem demere, nimiæ ne audaciæ ſit, verentur homines quidam eruditi *d*. Nobis id audax non videtur; qui ſcimus, alia id genus multa apud veteres reperiri, quæ indigenæ refellant. Tale hoc quoque; ut cognoſcere eſt ex Trogi, hominis Hiſpani, eoque talium imprimis gnari, libro ultimo *e*; ubi & fabulæ originem promit. Item ex eruditiſſimi Luſitani, L. Andreæ Reſendii, lib. i Antiquitatum Luſitanicarum, eo capite, quod de Monte Tagro inſcribitur: ubi negat, incolis, vel accolis ejus loci, quicquam de iſto conſtare: ſed ſe cùm eò, rei inquirendæ gratiâ, eſſet profectus, cognoviſſe ex colono agri Beneventani juxta Tagum, cum equam in media Tagi inſula incluſiſſe; hanc, licet ſola hic ageret, nec

c *Verſ. 351.*

d *Rittershuſius ad Oppiani lib. 3. Κυνηγετ.*

e *Sive epitome Juſtini lib. 44.*

equum

equum admiſiſſet, ſecundo poſt menſe gravidam eſſe compertam, ſeptimoque propemodum menſe enixam, ſed informem materiem, quam abortum crediderit. De hujuſmodi geſtatione non valde adverſer: qualis & in virginibus obtingit, ſi credimus illis Afranii verbis in Virgine *a*:

—— Ferme virgini
Excreſcit b *uterus, tanquam gravidæ mulieri.*
Molucrum vocatur. tranſit ſine doloribus.

a *Apud Feſtum in* Molucrum.
b *Perperam vulgo*, Creſcit.

Vulgo μύλην, & *molam* dicunt: quod aliter μυλόσαξ Heſychio: & fortaſſe ſimiliter μυλοκρέας, unde *molucrum*, quæ maximi Salmaſii opinio eſt. Verùm enimvero quod Afranius cenſet, virgini quoque id contingere, parum fidei meretur. Sanè aliter de eo Hippocrates lib. I περὶ γυναικείων: qui molam, ſeu molucrum, eſſe ait à ſemine pauco, & morboſo. Pluraque de hoc Andreas Laurentius lib. VIII rei Anatomicæ, cap. IV, quæſt. XIII.

Jam quale putandum, quod Oppianus in ſecundo de Venatione *c* ait, omnes rhinocerotes eſſe mares. Nam hoc ſi eſt, quomodo conſervatur rhinocerotum genus? Refellitur quoque hæc opinio eo, quòd Solinus dicat, Venere miſceri, ac modum addit. Sic enim ſcribit cap. XL: *Averſi coëunt, nec hi tantum leones: ſed & lynces, & cameli, & rhinocerotes, & elephanti, & tigrides.* Et ante eum Plinius lib. X, cap. LXIII: *Coitus averſus elephanti, camelis, tigridibus, rhinoceroti, leoni, daſypodi, cuniculis, quibus averſa genitalia.* Ubi videmus, etiam cauſſam averſi coitus adferri: nempe quam & Ariſtoteles adduxit lib. V Hiſt. Anim. cap. II: Οὐ μὴν ὁμοίως γε πάντα πλησιάζουσιν, ἀλλὰ τὰ μὲν ὀπισθουρητικὰ, συνιόντα πυγηδόν· οἷον λέοντες, καὶ δασύποδες, καὶ λύγκες· *Verùm non omnia ſimili modo conjunguntur: ſed quæ retro urinam emittunt, averſa coëunt: ut leones, daſypodes, lynces.* Ubi pro *daſypodes* perperam Gaza *lepores*, cùm Ariſtoteli, & veterum aliis, λαγῶς, & δασύπους, ſemper pro diverſis habeantur. Si igitur rhinocerotes, ut alia ὀπισθουρητικὰ *d*, coëunt πυγηδὸν *e*; etiam ſexu diſtinguuntur.

c *Verſ.* 560.
d *Retro lotium reddentia.*
e *In averſum.*

Cujuſmodi præterea videtur, quòd lepores ajunt eſſe ἀνδρογύνους, ac tum inire, tum iniri? Hic error, ut dixi cap. LXVIII, inde profluxit, quòd non mares modò circa veretrum, ſed etiam femellæ circa naturam, utrinque habent tumorem, qui teſtium figuram præbeat. Atqui non eſſe teſtes, arguit, quòd ex folliculis illis non ſunt meatus ad penem. Sed par ratio eorum, ac tumorum in fele zibethi, & moſchi animalis: de quibus itidem dictum nobis antea.

Quale item credendum, quòd hyæna quotannis ſexum dicitur mutare? Quod legas apud Ovidium XV Metam. Plinium lib. VIII, cap. XXX, Oppianum in III Κυνηγετ. Orum in Hieroglyph. qui ait, hyænam Ægyptiis propterea notare hominem timidum & inſtabilem: ad hæc Artemidorum, qui lib. II, cap. XII hyænam in ſomnis viſam ſignificare dicit androgynon, & cinædum: & Philen in Jambis, qui & ſæpius in anno ſexum commutare ait. Sed meritò hæc falſa eſſe, dicit Ariſtoteles in VI Hiſt. Animal. cap. XXXII, & lib. III de Generat. eorum cap. VI: ubi tum Herodorum refellit, qui ait, alternis annis tum inire, tum iniri: tum illos, qui opinantur, duplex habere genitale, maris, & feminæ. Mirum verò, unde hoc ſomnium in mentem venerit ſcriptoribus, cùm raro adeò capiantur, adeò ut ex undenis unam duntaxat feminam à venatore captam, tradat Ariſtoteles. Alioqui ſatis frequentes ſunt, non in Africa modo; de quo teſtis Herodotus lib. IV: ſed in Turcia quoque prope Antyram; de quo Augerus Busbequius Epiſt. I. Ubi (ut obiter hoc addam) idem refert, hodieque in Turcia corium hyænæ in magicis adhiberi. Quod ex antiquo eſt errore. Nam & Plinius lib. XXVIII, cap. VIII, ait, pellem hyænæ, ſi eâ frontem obligaveris, faſcinationi reſiſtere. Quod inter alia credulæ vetuſtatis deliramenta eſt reponendum.

Nunc de geſtatione aliquid dicamus. Ejus tempus mirè variat. Lupus menſem, vel ſummùm dies XL *a*, geſtatur: canis novem *b* hebdomadibus: ſus quatuor *c* menſibus: capra quinque menſibus *d*: ovis *e*, circiter ſex menſibus: bos parit, ut Plinius *f* ait, *menſe decimo: quicquid ante genitum, inutile eſt.* Idemque *g* equum undenis gerere menſibus auctor eſt.

Tertio loco numerus partûs conſiderandus. Ac quadrupedum quidem aliqua nunquam dicuntur parere; ut mula: quam fœtum eniti, prodigii loco habuere Romani: unde crebrò illud relatum in annales. Theophraſtus tamen, Plinio *h* teſte, *vulgo parere in Cappadocia tradit: ſed eſſe id animal ibi ſui generis.* Eſt mula, ut plurimùm, admodum frigida: unde rariſſimè concipit. Si concipiat, pariatque, quod ſæpius factum ex Livio, Obſequente, & aliis *i*, dixi, temperamento fuerit ſolito calidiori. Sunt qui negent, eo parere, quia non ſit ex animantibus, quæ Deus creavit, & quibus dictum ſit *k*, *Creſcite, & multiplicamini*: unde & benedictionis hujus ſit expers. Sed obſtat iis, quod vulgo in Cappadocia, & quandoque aliis pariant terris.

Alia animalium dicuntur contenta eſſe ſemel peperiſſe. Ita lupum ajunt ſemel duntaxat eniti in vita: quam opinionem refellit Ariſtoteles lib. VI Hiſtor. Animal. Hoc ipſum de tigride retulit Iſidorus lib. XII, cap. II. Item de panthera, auctor libri de Natura rerum. uti & Jacobus Vitriacenſis lib. I Hiſtor. Orientalis, cap. LXXXVIII *l*. Quæ ſanè ſi vera eſſent, jamdiu interiiſſet luporum, tigrium, & pantherarum genus. Quare de his idem cenſendum, ac de leænis antea diximus. Interea fatemur, raros eſſe horum animantium partus, Deo meliùs ſic generi proſpiciente humano: cui nunc quoque, in eâ paucitate, hæ animantes abunde periculi creant.

a *Sed Ariſtoteli Hiſt. An. lib. 6, cap. 35, ut canis, hoc eſt, hebdomadibus novem.*
b *Plin. lib. 8, cap. 40; ſexageniis diebus.*
c *Plin. 8, 50.*
d *Plin. 8, 51.*
e *Ut ait Plin 8, 47. diebus ſexaginta.*
f *Lib. 8, cap. 44*
g *Lib. 8, cap. 42.*
h *Lib. 8, cap. 44.*
i *Plin. loco proximè memorato.*
k *Geneſ. 1.*
l *Pag. 177.*

Contrà multorum animalium mira eſt fœcunditas: imprimis leporis, de cujus ſuperfœtatione res notiſſima. Vide Theophylactum Simocatum problemate phyſico XI. Etiam naturalem fœcunditatis cauſſam vide his apud Ariſtotelem lib. IV de Gener. Animal. cap. V, & Sect. I, probl. VII. Altiùs verò adſcendit Herodotus in Thalia; qui à divina hoc providentia eſſe ait, ut, quæ plurimis cederent in cibum, ea imprimis eſſent fœcunda: leporem verò, & à quadrupedibus comedi, & ab avibus, & ab homine; eoque, ſi eſſet ὀλιγόγονος *m*, citò defecturum fuiſſe leporinum genus. Quanta autem ea fœcunditas ſit, inter alia arguit, quòd quoddam Hiſpaniæ oppidum ab iis ſit everſum; ut è Varrone eſt proditum Plinio lib. VIII, cap. XXIX: quòd item Baleares ab Auguſto Cæſare per legatos petierint auxilium militare adverſus lepores; ut eſt apud Strabonem lib. III, & Plinium lib. VIII, cap. LV.

m *Paucorum generatione.*

Maxima item eſt murium fœcunditas. Difficile tamen creditu, tum illud ab Æliano *n*, & Plinio *o* relatum, muris prægnantis utero aperto, in eo repertam eſſe femellam jam gravidam: tum quod idem Plinius *p* ex Ariſtotele narrat, murem uno nixu parere fœtus centum, viginti. Locus Ariſtotelis, quem dixi, eſt lib. VI Hiſt. Anim. cap. ult.

n *Lib. 17. Hiſt. Animal. cap. 17.*
o *Lib. 10, cap. 65.*
p *Ibid.*

Duplicem verò partum faciunt ſcriptores: unum animantis jam perfecti; alterum informis. Nihil enim pervulgatius, quàm urſas parere maſſam rudem ſine oculis, ſine pilo, unguibus tantùm prominentibus: informeque hoc ab urſa lambendo formari: Maroniſque *q* exemplo dicere videas homines eruditiſſimos, nolle ſe ingenii ſui fœtus dimittere de manu ſuâ in hominum conſpectum, priuſquam limando refinxerint, & quaſi ad urſæ morem, lambendo figurarint. Hanc de fœtu urſæ opinionem habuere Ariſtoteles lib. VI Hiſtor. Animal. cap. XXX, & Orus *r* in Hieroglyph. Etiam Ovid. XV Metam. fab. XXXIII: item Petronius illo verſu,

Sic format linguâ fœtum cùm protulit urſa.

Adhæc Plinius, lib. VIII, cap. XXXVI, Plutarchus περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα φιλοστοργίας, Pollux lib. V, cap. XII, ſect. II, Ælianus lib. II de Animal. cap. XIX, Solinus cap. XXIX,

q *Agellius lib. 17, cap. 10.*
r *Lib. 2, cap. 83.*

B. Am-

B. Ambroſius lib. VI Hexaëm. cap. IV, Iſidorus lib. XII Orig. cap. 11. Sed planè fabuloſa hæc eſt opinio: eſtque partim inde orta, quòd craſſæ admodum ſint ſecundinæ urſarum; quod nihil ad fœtum contentum (hunc enim membra habere prorſus diſtincta, gravidas cum urſas diſſecuiſſent, compertere venatores) partim inde, quòd lambant fœtus ſuos; quaſi non aliæ hoc animantes faciant, ad ſordes abluendas. Suntque in hac etiam ſententia Cæſar Scaliger Exercitat. VI, & ſect. XV, & Ex. CLXXXII, ſect. 11, Camerarius cent. II, embl. XXI, Andreas Laurentius rei Anatomicæ lib. VIII, cap. IV, quæſt. XIII, Dalecampius ad memoratum Plinii locum: qui & ſibi conſpectos ait fœtus ejuſmodi exenteratos; ſed nullâ membrorum parte informes.

Partim verò ad conceptum, partim ad partum attinet, quòd muſtela, quam Græci γαλῆν dicunt, credatur auribus concipere, ore autem parere. Hæc Ægyptiorum, credo, fuit opinio; apud quos fortaſſis vixerit etiam ſeu verus, ſeu, ut cenſeo, Helleniſta ἀποβολιμαῖος *a*, Ariſteas, qui de interpretatione τῶν ἑβδομήκοντα *b* ſcripſit. Is de eo hunc in modum refert *c*: Διὰ τῶν ὤτων συλλαμβάνει, τίκτουσι δὲ τῷ στόματι· *Auribus concipit, ore autem parit fœtum ſuum.* Ac ſubjungit, hoc eſſe ſymbolum eorum, qui διὰ ἀκοῆς λαβόντες, ταῦτα τῷ λόγῳ σωματοποιοῦντες, κακοῖς ἑτέρους ἐνεκύλισαν· *auribus percipientes, eaque ſermone exaggerantes, malis alios involvant.* De tam mirifico partu etiam apud Ovidium *d*, & veterum alios, legere eſt; de conceptu, apud juniores; quibus inde emblematis occaſio, ea dicenda eſſe, quæ audivimus, non quæ finximus. Sed utramque opinionem ſolidè ex Ariſtotele *e* refellas; quia muſtelæ non fruſtra habeant vulvam, cum Deus, & natura, nihil faciant incaſſum: præterea quia ex ἀνατομῇ *f* conſtet, nullam eſſe viam ab auribus ad vulvam, aut à vulva ad os. Hanc verò ſtultam opinionem inde profectam putat, quia muſtela puſillos parit fœtus, &, quod etiam alia quædam faciunt animantia, ſæpius conſpiciatur fœtus ſuos de loco uno in alium ore transferre. Vide Philoſophum lib. III de generat. animal. cap. VI. Quodque ad Ariſteam, non eadem cauſſa, quam is dicit, muſtulæ eſu interdixit Deus: ſed potiùs, ut Procopius Gazæus ad Levit. cap. XI *g* annotavit, voluit eo hominem deterrere à rapinis, & inſidiis: quibus vivit muſtela, animal maleficum; quod ne quidem abſtineat cadaveribus humanis; imprimis verò, ut gallinarum ova ſolet, ita & defunctorum oculos exſorbeat; quemadmodum eſt apud Ælianum de Animal. lib. XV, cap. XI.

a Suppoſititius. *b* 70 interpretum. *c* Pag. 45, edit. Oporini. *d* Lib. 9, Metam. fab. 6. *e* Lib. 3 de Generat. Animal. cap. 6. *f* Sectione corporis. *g* Sive pag. 344. edit. Tigurinæ.

Hæc de vitæ origine: nunc de ejus duratione dicam. Eſt ea his brevis, aliis diuturna. Lepores, & feles, non pertingunt, niſi ad annos ſex, aut ſeptem: aries, & caper, rarò ad decem. Tam brevis vitæ cauſſam rejiciunt in hoc, quod ſint ſemper morbidi. Sus pertingit ad XV, vel etiam XX *h*: canis ſæpe ad annos pervenit XIV, at non ultra XX: bos etiam non excedit annos XVI: cujus hæc ratio, quod tantùm herbis veſcatur. Equi mares ad annum XXXV vivunt: ut ait Ælianus lib. XV de Animal. cap. XXV. Ob ſalacitatem enim brevioris ſunt vitæ quàm feminæ. Hæ etiam ad Venerem ſufficiunt annis XL: vivunt autem annis L: imò quandoque ulteriùs pervenire, veterum eſt conſenſus: nempe vel ad LXXV, ut Plinius ait lib. VIII, cap. XLII. Vide ſis quoque Ariſtotelem, Albertum, Niphum; ut juniores his prætercam.

h Plinius lib. 8, cap. 51.

Aſinus, ut Plinius ait lib. VIII, cap. XLIII, *gignit vitâ totâ, quæ eſt et ad trigeſimum annum.*

De mulorum vivacitate ſic idem Plinius *i*: *Mulum* LXXX *annis vixiſſe, Athenienſium monumentis apparet. Eo gaviſi, cùm templum in arce facerent, quod, derelictas ſenectâ, cadentia jumenta comitatu niſuque exhortaretur, decretum fecere, quo caveretur, ne frumentarii negotiatores ab incerniculis eum arcerent.*

i Lib. 8, cap. 44.

De camelis ſic idem *k*: *Vivunt quinquaginta annis; quidam & centenis.*

k Lib. 8, cap. 18.

Sed præ cæteris animantibus longævi ſunt cervi. Plinius lib. VIII, cap. XXXII: *Vita cervis in confeſſo longa, poſt centum annos aliquibus captis cum torquibus aureis, quos Alexander Magnus addiderat, adopertis jam cute in magna obeſitate.* Hinc Maro Ecl. V:

Et ramoſa, Mycon, vivacis cornua cervi.

Juvenali item ſat. XIV, *cervina ſenectus.* Diu adeò vivere ajunt, quia felle careat, teſte Ariſtotele lib. II Hiſt. Anim. cap. XV. Plinii quoque eſt lib. XI, cap. XXXVII: *Cervus fel non habent; quod hominum paucis non eſt, quorum valetudo firmior, & vita longior.* Nec tamen prorſus felle deſtitui exiſtimantur: quia etſi non obtineant illud in jecore, habeant tamen ſive in inteſtinis, unde iis, niſi pinguia fuerint, abſtinent canes: vel in cauda, ubi reperire eſt ſuccum viroſum viridis aut flavi coloris, qui color etiam eſt fellis. Eſtque ſuccus iſte adeò venenatus, ut in cibo, vel potu, adſumtus, ſyncopen adferat, imò præſens vitæ periculum; niſi antidoto ſuccurratur, quale ex Avicenna, & Rhaſi, Petrus Aponenſis, ex eo Matthiolus tradidit. Nec quivis tamen cervi in cauda fel hoc habent; ſed, ut Ariſtoteles ait, οἱ ἀχαΐναι, hoc eſt, annum jam agentes ſecundum, qui & πατταλίαι, & σπαθίναι, ut inferiùs dicetur.

Quamquam verò extra controverſiam ſit, cervos eſſe vivaces admodum: non tamen adeò ſunt longævi, ac fabuloſè continetur Auſonii idyllio X, ex Heſiodi verſibus expreſſo. Eo dicitur homo vivere annos XCVI: cornix id tempus novies ſuperare; hoc eſt, annis vivere DCCCLXIV: cervus id ſpatium vincere quater; eoque vivere annis CIƆ CIƆ CIƆ CCCCLVI. Ut jure Heſiodeam illam de cervorum ætate ſententiam rejiciat Plinius lib. VII Nat. Hiſt. cap. XLVIII. Imò hoc ipſum, quod ex Plinio de torquatis illis cervis diximus, eo ſuſpectius videtur, quia cervus quinto anno perficiatur; cornuaque, quæ quotannis decidunt, & renaſcuntur, poſt id tempus ſuccedant fronte magis conjunctâ, & minùs ramosâ: ut Verulamio *a* monitum in Hiſtoria vitæ, ac mortis.

a Pag. 76. edit. Leid.

CAP. LV.

Refellitur eorum error, qui chamaleontem ajunt aëre duntaxat paſci. Inde tamen vulgo cauſſam arceſſi, quod omnes referat colores, præter album, & rubrum. Videri autem & hos referre: nec tam veriſimile eſſe, id provenire ex aëris paſtu, quàm cute pellucente, & refundente colores, quos acceperit. Urſos hieme in latebris ſuis vivere humore eo, quem prioribus ex pedibus, tum intumeſcentibus, exſugunt. Etiam latebrarum tempore urſinum in vaſis adipem exundare. Ambiguum videri, utrum id de crudis duntaxat, an de coctis etiam carnibus, prodiderit Theophraſtus. An ſtruthiones ferrum concoquant ſtomachi fervore. Unde oves in Hiſpania aureæ, in Creta coloris flavi; ubi & quadricornes. Proverbiales locutiones à camelorum magnitudine petitæ apud Syros: unde & cameli vox. De magnitudine caudæ arietum, oviumque, variis in terris, & quæ ratio ſit naturalis. Nullum animal à minori magnitudine pertingere ad majorem, quam crocodilum. Magnitudo lacertarum in Braſilia, & Æthiopia; item teſtudinum in Taprobana.

Vidimus de origine, ac duratione vitæ: nunc de multiplici ejus functione exſequar. Ac primùm loquar de iis, quæ ad vegetativam facultatem retulerunt: ut ſunt nutritio, & incrementum molis, ac roboris.

Fortaſſe tamen non omnibus cibo, potuque, opus eſt. De chamæleonte enim ſic Plinius lib. VIII, cap. XXXIII: *Ipſe celſus, hianti ſemper ore, ſolus animalium, nec cibo, nec potu alitur; nec alio, quam aëris alimento.* Ac ſimiliter Solinus cap. XLIII. Sed diu quidem famem tolerat; non tamen in totum cibo abſtinet. Ore enim hianti, linguaque mucco ſemper oblita, captat muſcas, formicas, ſcarabæos, locuſtas, ac ſimilia inſecta, eaque comedit; quod Cæſar Scaliger refert Exercitat. CXCVI, ſect. IV,

Joan.

Joan. Brodæus lib. VI Miſcel. cap. XXI, Petrus Bellonius Obſervationum lib. II, cap. XXIV. Nec quicquam certius. Ipſe id comperi Dordrechti in chamæleonte, quem in horto haberet compater meus, Franciſcus Perſinius, Archiatros urbis ejus, ac unà mecum ampliſſimus vir, & affinis conjunctiſſimus, Jacobus Corputius Senator, ſive potiùs, ut nunc loquimur, Scabinus Dordrechtanus, & antehac in Collegio præfectorum rei maritimæ delegatus: ut cæteros prætercam, rerum quoque talium curioſos. Quod autem aëre ſolo vivere putatur, ex eo eſſe dicitur, quòd prælargo pulmone prope corpus repleat univerſum, aëraque avidè adeò captet, ut totum inde corpus pellucere videatur. Inde etiam dictus, ut Plinius ibidem ait, *mutare colorem ſubinde, & reddere ſemper, quemcumque proximè attingit, præter rubrum, candidumque.* Quod etiam legas in excerptis Theophraſti ab H. Stephano editis, initio fragmenti de iis, quæ colorem mutant: item Solinum cap. XLIII: ac Plutarchum *a* de cauſſis Natur. cap. XIX: qui & libro de dignoſcendo adulatore ab amico, ſcitè ait, ut chamæleon nunquam induit colorem album, ita & adulatorem non niſi turpia imitari. Sanè albor candidæ mentis, rubor pudoris ſymbolum eſt. Ovidius tamen nullum videtur colorem excipere. Sic enim ſcribit in XV Metamorph.

a *Lib. de dignoſcendo amico ab adulatore.*

Id quoque quod ventis animal nutritur, & aurâ,
Protinus aſſimilat, tetigit quoſcunque colores.

Et ſanè apud Aldrovandum, & Ambroſinum, lib. de quadrupedibus digitatis, legas, ut vir nobiliſſimus donatum ſibi chamæleontem involverit ſudario, atque ubi domum veniſſet, aperto ſudario, dum oculis non ſatis attentis inſpicit, errore deceptus, effugiſſe animal putârit: nimirum quia candidum ſudarii colorem referret. Id ſi eſt, ut puto, falſi veteres, qui candidum adſumere colorem negarunt. Par autem rubri coloris ratio eſt. Quippe, credo, ſi ſudarium id rubrum fuiſſet, eundem tenuiſſet colorem. Nam cur minùs hunc referat, quàm cæteros?

Neque ea mutandi colorem cauſſa, quam adduximus, controverſiâ caret. Nam aliorum opinio eſt, eò omnes adſumere colores, quia cutim habeat corneam, ac perſpicuam; quæ ſpeculi, vel aliorum lævium corporum inſtar, quoſlibet recipiat ac referat colores. Et ſanè, ut puto, longè hæc veriſimilior ratio eſt; quæ & in polypo, & tarando, locum habet.

Nec exiguum providentiæ divinæ argumentum præbet, quòd urſis etiam proſpectum ſit hieme deliteſcentibus, nec idoneis ad cibum foris quærendum. Dum enim ſomno ſopiuntur, adeps ſic iis gliſcit, ut exundet; quem è prioribus pedibus exſugunt, ut inde vivant. Refert hoc Plinius lib. VIII, cap. XXXVI, Artemidorus lib. V, cap. XLIX, & Oppianus in III de Venat. Ariſtoteles de Audit. admirandis, prodidit, in vaſis etiam exundare. Pleniuſque de eo Theophraſtus libro περὶ ὀσμῶν *b*: quæ ſic Latinè expreſſit maximus Turnebus: *Hujuſmodi autem naturæ conſenſio atque contagio in aliis etiam quodammodo evenit. Vinum enim, cùm uva efflore ſcens tentari videtur; & allia cepaque tum acerrimi ſunt odoris, cùm in terra germinant: atque omnino omnia, quæ tunicatâ conſtant radice, modò non exaruerint, germinationis tempore moventur; cùm inſita cuique vis ſollicitetur, & excitetur. Sed omnium iſtorum admirationem facilè excitat, quod in adipe urſino evenit, qui latebrarum tempore exundans, intumeſcenſque, vaſa implet.* Quod verò hîc videmus Theophraſtum ſcribere de urſino adipe in vaſis, (quam rem & ſimili aliorum naturâ egregiè illuſtrat) id eum de carnibus urſæ coctis prodidiſſe, tradit Plinius lib. VIII, cap. XXXV. Sed parum eſt veriſimile, coctas etiam carnes naturam illam retinere: eoque facilè adſentio Mureto, qui hoc μνημονικὸν Plinii ἁμάρτημα *c* arbitratur lib. XIII Var. Lect. cap. III. Vel hoc ſtatuendum, vel alibi illud prodiderit Theophraſtus: optima ſanè de eo agendi occaſio fuerit libro περὶ φωλευόντων *d*, quem ſcripſiſſe, teſtis eſt Laertius.

b *De odoribus.*

c *Memoriæ errorem.*
d *De iis, quæ latibula & foſſas faciunt.*

Ad nutritionem etiam pertinet conſumtio alimenti. In qua nihil æquè mirandum, quàm quòd ſtruthio, ſive ſtruthio camelus, dicitur ſtomacho eſſe adeò fervido, ut ferrum concoquat. Id Alexander Aphrod. in præfatione ſuorum problematum, valde ait eſſe abſurdum. Nam, inquit, id ſi foret, & leo, qui ſtomachi eſt calidioris, concoqueret ferrum. Cenſet igitur, id potiùs tribui debere ἰδιότητί τινι, *cuidam proprietati.* Mihi verò ne id quidem veriſimile fit. Si tamen certa foret res, de cauſſa non contenderem. Sed ſic quoque parùm huc faciat. Nam ſtruthionem inter terreſtria quidem animalia poſſis numerare, at non quadrupedia. Siquidem ſatis conſtat, eſſe bipedem, & alatum. Quare inter alites de eo iterum *a*, ac fuſiùs agemus. Magis hujus eſt loci, quòd lupus adeò ſtomacho eſt valido, & fervent, ut oſſa quoque perdura molliat, ac concoquat. Atque ab eodem ſpiritus fervore cenſet eſſe Plutarchus in II. Sympoſ. quòd quæ lupus admomordit, ea carne ſint magis tenera ac delicata, etſi & faciliùs putreſcant. Hinc Horatio *b* in deliciis.

a *Lib. 4. cap. 7.*
b *Lib. Epod. od. 2.*

—— *Hædus ereptus lupo*:

qui Martiali *c*:

Hædus inhumani raptus ab ore lupi.

c *Lib. 10. epig. 44.*

Quem locum non ſatis cepit Raderus. Nam *raptum* ait ἁρπακτικῶς dici, qui potuit rapi, ſive qui obnoxius fuerit prædationi. Poëta autem verè ereptum voluit; ſed receptum.

Quantum autem referat, quibus animal nutriatur; argumento ſit, quòd boves ad Clitumnum paſti fierent albi; ut dictum lib. II, cap. LXXIX: oves item nigreſcant bibentes ex fonte litoris maris Erythræi; ut expoſui ejuſdem libri capite LXXI. Eoque cauſſæ nihil eſt, cur fidem detrahamus Martiali, homini Hiſpano; quando non uno in loco meminit ovium Hiſpanicarum vellera habentium aurei coloris. Quomodo & Oppianus lib. II Κυνηγετ. *d* ait, in Creta oves eſſe flavi coloris; uti & quadricornes.

d *Verſ. 377.*

A nutritione venio ad incrementum: ubi in conſiderationem venit, quàm vaſta animantium multis obtigerit magnitudo. De elephantis antea vidimus. Notum etiam de camelis: unde ἀντίθεσις *e* illa Chriſti apud Matth. XXIII, 24, de excolantibus culicem, & deglutientibus camelum: quales, qui mandata Dei poſthabent humanis. Nec dubitandum, quin Matth. XIX, 24, ubi ὑπερβολικῶς *f* dicitur, *facilius eſſe camelum ingredi per foramen acus, quàm divitem ingredi in regnum cælorum*; id intelligi debeat non de fune nautico, qui potiùs κάμιλος *g* dicitur: ſed animali Syris perfamiliari, à quibus etiam (ut Varro *h* rectè ait,) *Syriaco nomine in Latium venit.* Nam iis eſt, גמלא, quomodo & Syrus interpres in memorato Euangeliſtæ loco reddidit.

e *Oppoſitio.*
f *Per exceſſum.*
g *Ariſtophan. & Suid.*
h *Lib. 4. de L. L.*

M. Paulus Venetus ait *i*, in regione Camandu, ſic dictâ ab urbe ejuſdem nominis, arietes eſſe aſinis non minores, caudamque habere librarum XXX: eſſeque eos arietes ut pulchros, & pingues, ita optimi ſaporis. Ac Vartomannus *k* refert, viſum ſibi talem in ædibus regis Arabum: caudâque æquâſſe pondus librarum XXX. Quod Hieronymus Cardanus *l* frigori temperiei adſignat. Ubi enim nequeant cætera extendi oſſa, humorem in caudam tranſmittere, ne pinguedine obruatur. Ac videtur ratio hinc etiam arceſſenda, cur & ovibus ſic in nonnullis regionibus caudæ excreſcant. In Africa quidem arieti eſt decem, aut XX pondo; etiam cùm ſponte pingueſcit. In Ægypto autem, ubi magnâ curâ verveces hordeo, & furfure, ſaginant, ſic augetur, ut ob pondus progredi non poſſint; eoque neceſſe ſit jungere illos minuto curriculo, eique caudam imponere. Teſtis horum oculatus Joannes Leo lib. IX deſcriptionis Africæ. Atque addit, ſe Aſiotæ, quæ Ægypti ad Nilum civitas eſt, CL millibus paſſuum ab Alcairo diſtans, conſpexiſſe caudas LXXX pondo, atque alios addidiſſe, ſibi viſas, quæ & CL pondo æquarent. Nimirum omnem horum animantium pinguedinem ineſſe caudæ: nec ullas ejus pinguedinis inveniri, niſi Tuneti, & in Ægypto: ubi & oves ipſas Græcis eſſe majores, ab Ariſtotele *m* proditum eſt.

i *Lib. 1. cap. 22.*
k *Navigationis lib. 2. cap. 5.*
l *De Subtilit. l. 10.*
m *Lib. 8. Hiſtor. Anim. c. 28.*

Crocodilus duodeviginti adæquat cubitos. Naſcitur ex ovo, quantum anſeris. *Nec aliud animal* (ut Plinius *a* ait) *ex minori origine in majorem creſcit magnitudinem.* Imò, ut poſtea ſubdit, *Quidam hoc unum animal, quamdiu vivat, creſcere arbitrantur.*

a Lib. 8. cap. 25.

Lacertam ſeptem pedes longam, craſſitie brachii humani, in Braſilia ſibi viſam, refert Lerius Hiſt. cap. x. Imò Raphaël Volaterranus *b* memorat, quandam cubitorum octo, tanto oris rictu, ut caperet infantem, ex Æthiopia fuiſſe advectam, mandato Cardinalis Ulyſſiponenſis: & miraculi gratia ſuſpenſam cerni tholo B. Virginis ad portam Flumentanam.

b Philologiæ lib. xxxv.

Narrat Cæſar Scaliger *c*, ad Taprobanam eſſe teſtudines tantas, ut pependerint centum tria pondo. Plinius *d* refert, eſſe ejus magnitudinis, ut teſta una ſit pro tecto caſæ habitabilis: imò inter rubri maris inſulas navigantes utantur iis pro cymbis.

c Exercit. 196. ſect. 2.
d Lib. 9. cap. 10.

Cap. LVI.

Proverbium, Nullus ovium uſus, ſi abſit paſtor. *Ignea vis in dentibus aprorum. Canum quorundam id robur, ut etiam elephantum proſternant, aut leonem: & ut gentes variæ eorum operâ uti ſoleant adverſus hoſtes: deque canibus* CCCC *hunc in uſum Carolo* V *Imp. ab Angliæ rege Henrico* VIII. *miſſis. Unde rhinoceroti nomen. Quando rhinoceros, licet viribus inferior, & quomodo vincat elephantum. Quis animal id primus oſtenderit populo Romano. Commiſſum illud cum uro. Monocerotis bellum cum elephanto. Livium Andronicum boves dixiſſe* coniſfrontes: *etſi aliter viſum Joſ. Scaligero.* Uri *vox etiam veterum Gallorum, & Germanorum. Jam Plinii ætate Romani* bubalum *pro* uro *dixerunt: antiquioribus autem bubalus erat e caprearum genere. Biſonum robur, & unde ita dicti. Cur bonaſo etſi vaſtiſſima ſint cornua, ad pugnam tamen inutilia ſint, & ut aliter ei proſpexerit Deus, ac quouſque ejaculetur fimum.* Orgya *quid. Cur cervus nihil præſidii ponat in amplis cornibus. De animali alio cervum magnâ parte referente, dentibus valido, ſeque, cornuum beneficio, ſecurè de turri demittente. Quanta ſylveſtri tauro, ac hippopotamo, ſit tergoris durities. Qua parte imprimis valeant urſi, & quanta iiſdem capitis imbecillitas. Onagri, & alcis, vis in ungulis; crocodili, in cauda; hyſtricis, in ſpinis.*

NEc corpus ſolùm mole augetur, verùm robore etiam: quo alia aliis longiſſimè antiſtant. Ovibus quidem nec vires ſunt ad ſe tuendum, nec arma ad alios impugnandum; imò nec celeritas ad capeſſendam fugam, neque ingenium ad ſe alicubi condendum: ut placidum hoc animal præ cæteris egeat paſtore; unde vetus adagium *a*: προβάτων οὐδὲν ὄφελος, ἐὰν ὁ ποιμὴν ἀπῇ· *ovium nulla utilitas, ſi paſtor abſit.*

a Apud Diogenianum, & Suidam.
b Eraſmus, Προβάτων χωρὶς ποιμένος ἀνά. ut ſenarius ſit, Latine autem, Namque uſus ovium nullus, ubi paſtor deeſt.

Contrà aliorum quadrupedum multa mirum in modum robore valent, præcipuè cornibus, vel dentibus. Unde Appulejus penè initio lib. VIII Metam. *Nec enim Charite maritum ſuum quærere patiebatur beſtias armatas dente, vel cornu.* Priori valet aper. Unde Martialis lib. XIII, epigr. XCIV:

Dente timetur aper. ——

Imò dentes iis tanti ſunt ardoris, ut, ſi admoveris pilos, criſpentur, & urantur: ſi credimus Xenophonti in Cynegetico, Polluci Onom. lib. v. cap. XII, & Oppiano in tertio Κυνηγετ. Et vel ſic, vel impropriè, accipere poſſis hoc Ovidii x Metam. fab. de Adonide:

Fulmen habent acres in aduncis dentibus apri.

Quodque Appulejus prope initio VII Metam. ait: *Aper exſurgit dentibus attritu ſonaci ſpumans, oculis adſpectu minaci flammeus, impetu ſævo frementis oris totus fulmineus.* Et mox: *Incendio feritatis ardeſcens beſtia, dente compulſo, quem primum inſiliat cunctabunda, rimatur.* Ac ſimiliter Oppianus lib. I Κυνηγ. πυρσεύτας κάπρους *a*, & Statius II Achilleidos *fulmineos ſues* dixit.

a Igneos apros.

Canibus etiam præcipuè in dentibus præſidium eſt. Robore quantum valeant, is documento fuerit, quem Alexandro M. donârat Albaniæ rex. Elephantum enim proſtravit; ut Plinius refert lib. VIII, cap. XL: atque idem, paullo tamen aliter, narrat Solinus cap. XX. De canibus quatuor Indicis, eidem ab Sopithe rege donatis, qui leonem eximiæ magnitudinis interemere, vide Diodorum lib. XVII, Strabonem in XV, Curtium lib. IX; qui tamen in dubium id vocat. *Equidem*, inquit, *plura tranſcribo, quàm credo. Nam nec affirmare ſuſtineo, de quibus dubito; nec ſubducere, quæ accepi.* Sed ex eo, quod de Albano cane retuli, ſatis fides adſtruitur iſti, quod Curtio eſt ſuſpectum. Deque leonibus victis à canibus Indicis, etiam legas apud Pollucem lib. v, cap. v. Et facit eodem, quòd propter ſingulare robur (quamquam & fidem in dominos) in bello iis auxiliaribus uti ſoleant: ut de Gallis teſtis eſt Strabo in IV; de Colophoniis, & Caſtabalenſibus, Plinius loco memorato; de populis Caſpiis, Valerius Flaccus lib. VI Argonauticôn; de Magnetibus, Julius Pollux Onomaſt. lib. v, cap. v. Nec dubium, quin Henricus VIII, Angliæ rex, ob hunc præcipuè uſum Carolo V. in reliquis auxiliis cum quadringentis militibus totidem miſerit canes adverſus Galliarum regem: ut ex Anglici legati ad Poloniæ regem literis narrat Olaus Magnus Hiſtoriæ Septentrionalis lib. XVII, cap. VII.

Rhinoceroti autem ſua vis eſt in cornu; quod unicum habet in nare, ac prævalidum. Scio, Pauſaniam, in Bœoticis, geminum tribuere; in nare unum, quod dixi; alterum ſupra illud, minutum: verùm ſcriptores poſteriores raró habent rationem. A majori igitur, validiori cornu, quod in nare habet, *rhinoceros* dicitur, quaſi *naricornem* dicas. Atque cornus hujuſce fiduciâ concurrere audet cum elephanto, viribus licet impar. Nam ſi ventrem nequeat contingere proboſcide, & dentibus, ab elephanto ſuperatur. Sin ad eum pertingendi copia ſit, cornu (quod ad cautes acuere ſolet, ſic ut ferro certet) ventrem aperit, atque ita elephantum exanimat. Refert id Agatharchides libro primo de mari rubro, cap. XXXVI; atque ex eo Photius Μυριοβίβλῳ cod. CCL: paucis item Plinius lib. VII, cap. XX, his verbis: *Rhinoceros unius in nare cornu: alter hic genitus hoſtis elephanto: cornu ad ſaxa limato præparat ſe pugnæ, in dimicatione alvum maximè petens, quem ſcit eſſe molliorem: longitudo ei par, crura multò breviora, color buxeus.* Similia Diodorus Siculus lib. IV bibliothecæ. De forma ejus vide inter alios Strabonem in X, Artemidori de eo verba adducentem. Primus hoc animal in ſpectaculo exhibuit, non Auguſtus quidem; quod Dio ſcripſit lib. LI: ſed Cn. Pompejus Magnus; ut refert Plinius lib. VIII, cap. XX, & Solinus cap. XLIII. Eundem Cæſar, ſeu Titus, ſeu Domitianus, commiſit cum uro. De quo certamine ſic Martialis, vel alius, in Spectaculorum libello *b*:

b Epigr. 22.

Namque gravem gemino cornu ſic extulit urum,
Jactat ut impoſitas taurus in aſtra pilas.

Sententia eſt iſta: Ut nullo taurus negotio pilas jactat in aëra: ita & rhinoceros urum ſuſtulit, gemino licet cornu gravem. Et meritò ait gravem hac parte, ſi cornua ejus, ut ait Plinius *c*, binas impleant urnas. *Uri* autem, non *urſi*, legi hoc loco oportere, non dubium Bataviæ ſuæ ornamentum Janus Douza acutè vidit, &, Martialis ille ſoſpitator, Petrus Scriverius, abunde comprobavit. Et profectò, qui tam impar urſi, & rhinocerotis certamen oblectâſſet populum, cùm vulgari etiam tauro ſuperare urſum minimè ſit operoſum?

c Lib. 11. cap. 37.

Eſt & in cornu ſua vis monoceroti: cui itidem in Mangi provincia perpetuum cum elephanto eſt bellum: ut refert Nicolaus de Comitibus Venetus in Itinerario ad Indos. Sed rhinocerotem ille vocat: perperam omnino, quando ipſe agnoſcit, cornu illud, quod bipedali habet magnitudine, in fronte geſtare, non nare: ut

non poſſit *rhinoceros* dici, hoc eſt, *naricornis*; ſed vocandus ſit *monoceros*, hoc eſt, *unicornis*. Quamvis & rhinoceros unum habeat cornu. Unde Tertullianus adverſus Judæos libri cap. x: *Non utique rhinoceros deſtinabatur unicornis, vel minotaurus bicornis; ſed Chriſtus in illo ſignificabatur.* Verùm non ſi *unicornem*, eò & *naricornem*, rectè dixeris; ſed *fronticornem*, vel *cornifrontem*; quomodo de bubus Livius Andronicus ait apud Nonium *a*:

a In Armentas.

Tu cornifrontes paſcere armentas ſoles.

Scio, Scaligerum *b curvifrontes* reponere: ſed citra cauſſam, & contra MSSorum fidem, etiam noſtri, optimæ fidei; in quo, non multùm abeunte ſcripturâ, eſt *connifrontes*.

b Pene mitto Conjectaneorum in Varronem. Ubi & male hoc fragmentum adſignat Pacuvio.

His etiam cornifrontibus armentis, bubus inquam, & præcipuè tauris, quantum in cornibus ſit roboris, ſatis illud docet, quòd Anacreon od. II, & Porphyrius lib. III de abſtinentia ab animalibus, naturam ajunt, cùm alia aliis tribuiſſet, tauris cornua dediſſe. Plautus quoque Aulul. II, II, poſtquam dixiſſet,

Aſini me mordicibus ſcindant, ——

hoc eſt, dentibus, ſubdit,

—— *Boves incurſent cornibus.*

Imo Romani in Circo taurum etiam committebant cum rhinocerote, aut leone. De priori eſt apud Martialem libello de Spectaculis: de altero lib. I, epigram. LII.

Quod ſi tantum ſit robur tauri vulgaris: quid exiſtimandum de bubus feris, ac ſylveſtribus? ut ſunt uri, quos etiam cum rhinocerote commiſſos, antea vidimus. De iis ſic Cæſar in V de bello Gallico: *In ſylva Hercynia naſcuntur, qui appellantur uri. Ii ſunt magnitudine paullo infra elephantos, ſpecie, & colore, & figura tauri. Magna vis eſt eorum, & magna velocitas: neque homini, neque feræ, quam conſpexerunt, parcunt.* Macrobius Saturn. lib. VI, cap. IV, cùm citâſſet hoc Maronis *c*, *Silveſtres uri aſſiduè*; ſubdit, *Uri enim Gallica vox eſt, qua feri boves ſignificantur.* Ubi *Gallica vox*, eadem, ac *Celtica*; quia ante tot gentium tranſmigrationes prope eadem omnium erat Celtarum lingua. Celtæ autem non Galli modò vocantur; ſed etiam Germani: imò & Hiſpani, Britanni, Illyres: quâ de re diximus lib. I hujus operis, cap. XXXIII. Germanicum eſſe, docent Gloſſæ Philoxeni: *Uror*, βοῦς Γερμανός. Legendum enim: *Uros*, (vel *Urus*) βοῦς Γερμανοῖς. *Ur* autem Germanis, tum *ſylveſtre* notat, tum *vaſtum* ac *validum*. Hodieque Germanis *urus* eſt *ur-ochs*, hoc eſt, bos ſylveſtris, vel validus ac potens: quomodo & *ur-haen*, ſylveſtris gallus. *Uros* autem aliâ dialecto *urox*, vel *aurox*; imò & *thuros*, vel *thurox*. Martinus Cromerus in ſua Polonia ſcribit: *Uri, id eſt ſylveſtres boves, quos nos thuros dicimus, in ſolis Maſoviticis ſylvis apud Viskitos exſtant.* *Thur* pro *Uro* dici in Samogithia, & Mazovia, etiam refert Cæſar Scaliger Exercit. CCVI, ſect. III. Geſnerus *d* tradit, juniores uros vocari Polonis *turones*; ac putat eſſe veterum *tarandos*. Sanè *turon*, & *tarandus*, perparum abeunt. Quæ autem adduximus de uris, eadem intelligimus de bubalis, non Græcorum illis, ſive ex boum minorum, ſive ex caprearum genere ſint: ſed vulgari ſignificatione ita dictis. Nam etſi aliud ſit *bubalus*, ac *urus*, ſi accuratè rem perpendas: jam ſtante tamen Rep. Romanâ, *bubalum* pro *uro* nominabant. Plinius lib. VIII, cap. XV: *Uris imperitum vulgus bubalorum nomen imponit, cùm id gignat Africa, vituli potiùs, cervive quadam ſimilitudine.* Quod & Solinus tradit cap. XXV. Sic *bubali* nomine uſus Martialis, vel alius, libello de ſpectaculis cap. XXII:

c 2 Georg. 373.

d In Quadrupedum hiſtoria.

Illi ceſſit atrox bubalus, atque biſon.

Quæ animalia etiam junxit, ſed proprio ſermone, Seneca in Hippolyto act. I, ſc. I:

Tibi villoſi terga biſontes,
Latiſque feri cornibus uri.

Similiter bubalum pro uro uſurpat B. Hieronymus Amos cap. VI, *Numquid currere queunt in petris equi, aut arari poteſt in bubulis?* Quem ad locum hæc annotavit: *Utrunſque domus ruinas & ſciſſiones equis & bubalis comparat: quorum priores in petris currere nequeunt: poſteriores tam indomiti ſunt, ut jugum cervicibus non recipiant, & cum ſylveſtres boves ſint, propter feritatem nolint terram vomere ſcindere.* Hæc ſanè optimè conveniunt uro: qui hodieque ob feritatem ad arationem eſt ineptus. Capiendus itaque is locus de bubalo vulgari, qui in bubus eſt ſylveſtribus; inque Germania naſcitur: non de illo Græcorum è genere caprearum, qui frequens in Africa: quos confundit Iſidorus lib. XII Orig. cap. I. Nam cùm dixiſſet, bubalum eſſe ſimilem boum; ſed adeò indomitum; ut præ feritate jugum cervicibus non recipiat: (quæ, more ſuo, ex B. Hieronymo exſcripſit:) ſubdit, eum in Africa naſci: quod non de bubalo vulgari, ſed Græcorum illo, verum eſt.

De biſontibus (quos & ipſos multi cum bubalis, atque uris, confundunt,) hunc in modum ſcribit Solinus cap. XXXIII: *In tractu ſaltus Hercynii, & in omni Septentrionali plaga, biſontes frequentiſſimi ſunt, boves feris ſimiles, ſetoſi, colla jubis horridi, ultra tauros pernicitate vigentes, capti adſueſcere manu nequeunt.* Jubatos dicit Plinius, ut vidimus: item Oppianus in tertio de Venatione, qui & barbatos eſſe addit. Vulgo apud eum legitur βίσωνες: nempe quia dicit, nomen habere à Biſtonia, quæ eſt Thracia. Verùm verſus jubet, ut βίσων ſcribamus; pro quo & βίσωνα dixere; ut eſt apud Dionem. Nec nomen biſoni, ſeu biſonti, à Biſtonia; ſed à *viſent*, ſeu *wiſent*; ut nuncupant Germani. Nam B, & V, crebrò commutantur. De hoc Oppiani loco diximus etiam lib. II de arte Grammatica, cap. XVI. Tantum autem biſonibus in cornibus eſt robur, ut iis equum cum equite in aëra projectent.

Tauro quoque, vel biſonti, ſimilis eſt bonaſus, unde cum eo confundit Albertus Magnus *a*. Sed huic non idem eſt in cornibus præſidium; quia ſunt adunca, & in ſe inflexa, eoque pugnæ inutilia; ampla alioqui, ac tam capacia, ut contineant ἡμίχουν *b*, ſive dimidium congium; hoc eſt, tres ſextarios; ut Theodorus Gaza, & Julius Scaliger, perperam *ſemiſextarios* verterint. In hac verò cornuum inutilitate ad pugnam, aliter ei Deus proſpexit. Nam, ut Plinius *c* ſcribit, *dum fugâ ſibi auxiliatur, reddit fimum interdum & jugerûm trium longitudine: cujus contactus ſequentes, ut ignis aliquis, amburat.* Quod & apud Solinum legas cap. XLIII. Sed planè id eſt incredibile, cùm jugerum habeat longitudinem CC XL pedum. Quod animal proluviem alvi per tantam egerat longitudinem? Quare Ariſtoteli inſiſtendum, cùm ait, fimum ejaculari vel ad quatuor orgyas. Orgya autem Heſychio eſt ἡ τῶν ἀμφοτέρων χειρῶν ἔκτασις, *ambarum manuum extenſio*: nempe una cum pectoris latitudine; quanta homini cuique ſua eſſe longitudo ſolet. Quare non ſatis dixere Gaza, & Scaliger, cùm *orgyam* vertunt *paſſum*.

a Lib. 22. de Animal.

b Ariſtot. lib. 9. Hiſt. Animal. cap. 45. Sed ex Scaligeri diſtinct. cap. 71. ſect. 476.

c Lib. 8. cap. 15.

Cornibus etiam præditi ſunt cervi: unde Martialis *d*, loco ante memorato:

d Lib. 13. epigr. 94.

—— *Defendunt cornua cervum.*

Sed hoc animal non tam timetur, quàm ipſum timet, ut lepores, & pleraque alia animantia ingenti corde prædita: in quibus ob laxitatem minus ſtipatur calor nativus.

Subdam de natura alterius animantis, cervo non abſimilis. Nicolaus Menardes inter alia de animantibus, unde bezoar lapis extrahi credatur, narrat, animal ſibi viſum, ex remotis Africæ terris apportatum: quod cervo quidem ſimile foret magnitudine, capite atque ore, item agilitate, pilis, ac colore: cornibus autem in tergum reflexis, inque extremo contortis, præterea etiam pedibus, ingenti hirco ſimile videretur. Hoc animal tanti ait roboris fuiſſe, ut vinciendum eſſet ferreis catenis, quia funes dentibus confringeret. Idem præterea de turri deſiliens in cornua illæſo corpore concidiſſe, ac ut folles ſive pilæ vento plenæ in humum collapſæ ſolent, citra noxam ſubſultaſſe. Quod ut magni roboris, ita & eximiæ agilitatis, indicium eſt.

Sunt & animalia, quibus ſitum ſit in duritia tergoris. Ut tauris ſilveſtribus cum alce decertantibus. De his ſic Plinius lib. VIII, cap. XXI: *Tergori*, inquit, *duritia ſilicis, omne reſpuens vulnus.* Par ratio hippopotami: de quo ſic idem lib. ejuſdem cap. XXV: *Tergoris eſt ad ſcuta galeaſque impenetrabilis, præterquam ſi humore madeat.* Eſt id animal Niloticum, quadrupes, amphibium, ac quamquam ab equi ſimilitudine nomen acceperit, magis tamen ſimile vituli, aut porci: ut liquet ex Adriani Cæſaris numiſmate, & coloſſo Nili in Vaticano.

Urſis robur ſuum eſt in brachiis, & lumbis; ut Solinus ait cap. XXIX. Atque addit, inde eſſe, quòd interdum poſticis inſiſtant pedibus. Caput verò, ut ibidem legas, invalidum eſt. Ut mirandum non ſit, quemdam in arena ſolo colapho exanimatum, ut Plinius *a* narrat. Præcipuè metuendæ earum vires raptis catulis: unde Chuſai ad Abſolonum *b*: *Tu noſti patrem tuum, & viros, qui cum eo ſunt, eſſe fortiſſimos, & amaro animo, veluti ſi urſa raptis catulis in ſylva ſæviat.*

a Lib. 8. cap. 36.
b Lib. 2. Regum ſive Samuelis, c. 17.

Sunt & quadrupeda, quorum robur ſit in ictu pedum: ut onagri ſive aſini ſilveſtris, quem cum alce perperam confundit Olaus Magnus *c*. De hoc ſunt iſta Ammiani Marcel. lib. XXIII: *Aſini feri, cùm venatibus agitantur, ita eminus lapides poſt terga calcitrando emittunt, ut perforent pectora ſequentium, aut perfractis oſſibus capita ipſa diſplodant.* Philes quoque in Jambis de onagro inquit:

Φονεύς γάρ ἐστι χἂν πατρὶ λάθῃ λακτίσας.

Namque is necat, ſi calcitrans acceſſerit.

c Lib. 18. Septentr. cap. 1.

Alce unico ungulæ ictu interimit quandoque lupum; uti & canem, eoque elabente oppoſitam arborem elidit: qua de re Olaus M. in undecimo ſuæ Hiſtor. Ubi in eo peccat, quòd alcen, & onagrum, pro eodem habeat.

Crocodilo robur ingens in cauda: cujus ictu validæ etiam quadrupedis pedis cuncta crura confringit: ut relatum Petro Martyri *d*.

d Lib. tertio legationis Babylonicæ, pag. 443. edit. Colon. ann. 1573.

Eſt & aliud armorum genus. Nam hyſtrix ſpinarum aliquam, tergo laxato, validè adeò immittit, ut vulneret canes: quemadmodum Plinius indicat his verbis lib. VIII, cap. XXXV: *Hyſtrices generat India, & Africa, ſpinâ contectas, ac erinaceorum generis: ſed hyſtrici longiores aculei, &, cùm intendit cutem, miſſiles. Ora urgentium figit canum, & paullo longius jaculatur.* Ac ſimiliter Athenæus lib. V, Oppianus lib. III Κυνηγετ. & Suidas in Ὕστριξ. Hinc Ariſtophanes Εἰρήνῃ *e*:

—— Μῶν ὕστριχις εἰσέβαλ᾽ ἐς σοῦ
Εἰς τὰς πλευρὰς πολλῇ στρατιᾷ. κἀδενδρόμησέ σου τὰ νῶτα;

—— *Irrupit hyſtrix an tua*
In latera multo exercitu, & tergum tuum
Ceu arbores diſſecuit?

e Scenâ, cujus initium, Χαῖρ᾽ ἀεὶ πάντες.

Similiter Solinus cap. XXXIII; Iſidorus lib. XII Originum, cap. II; & eleganter imprimis fuſeque Claudianus poëmatio, quod Hyſtrix inſcribitur. E junioribus M. Paulus Venetus etiam in Tartaria eſſe dicit lib. I, cap. XXXIII, ubi de civitate Scaſſem agit: *Sunt*, inquit, *in regione illâ multi ſues ſpinoſi, qui cum capiuntur, ſpinis ſuis ſæpe homines & canes lædunt.* Ubi cum *ſuem ſpinoſum* vocat, propè expreſſit Græcum ὕσθριξ, quod eſt ex ὗς, id eſt, *ſus*, & θρὶξ, *pilus*: quamquam non ὕσθριξ modò, ſed etiam ὕστριξ, & ὕστρυξ dicatur. Italis ſimiliter vocatur *porco ſpinoſo*: Germanorum pleriſque *dornſchweyn*.

Cap. LVII.

Cervorum pulchritudinem præcipuè conſiſtere in cornibus; & cur iis careant cervæ. Inque iſto Anacreontis, & Sophoclis, error, à Julio Polluce jam olim obſervatus. Cur cornua quotannis decidant cervo, ac nova ſuccreſcant. Qui dicantur νεβροὶ, πασσαλίαι, σπαθίναι, ἐχχαῖαι, δικερῶται, κλαδίαι, κεράσται. Vehementer decipi, qui putant, cervinis cornibus non plures excreſcere ramos, quam ſenos. In dubium vocari, quod de annuo cornuum recidivatu prædicatur. Cervos Octobri, & Novembri menſe, æſtro Veneris perculſos, cornibus ferocire; ut ad ſui etiam tutelam, non ſolum formæ gratiâ, hæc acceperint. Simiæ in deformibus dari locum.

Uti autem à facultate vegetativâ magnitudo, ac robur, dependent, ita & pulchritudo: quæ ſua cuique eſt quadrupedum: hæc equo, illa cani, atque ita in aliis. Inque hac ipſa eſt tanta varietas, ut in iſto etiam nemo ſatis celebrare, vel æſtimare, poſſit ſapientiam Dei infinitam. Longum hoc loco foret ire per ſingula: quiſque mentem per ea circumferat, quæ conſpexit: & quia alii hoc, aliud alii pulchrum videtur, ſaltem animum paullisper deligat in illa, quæ plurium judicio commendantur. Nobis quidem ſuffecerit hoc loco, ſi cervum contemplemur: cujus pulchritudinem ſic depinxeris, recentioris, ſed magni viri verbis; Budæi dico, in poſteriori de Philologia libro: ubi ita deſcribit *a* cervos, quos venatores præcipuè laudant: *Capite*, inquiunt, *præditus eſt commodè nato, compactili, concinno, rectè, ordine, decenter conſtituto. Stipitem enim corneum, quam vos materiem dicitis, aptè ajunt erumpere è molis ſuis, & exiſtere: quæ ſedimenta ſunt cornuum, tum tabulata ipſa fruticantia è molis concinnè in ramos eſſe expanſa: ſcapos è caudice proportione enatos: è ſcapis porro corniculà producta in mucrones congruè deſinere: non contractiora ipſa, quam juſtum eſt, non diffuſiora, non abſurdè confornicata, tum probè clavatum eſſe caput, & congruenter patulum, & æquabili fruticatu decorum; materiam autem ipſam caudicis, pulchrè ſulcatam eſſe, atque inter ſulcos ſtriaſve (quas vos quaſi colliquias appellatis, atque ſtillicidia) ſcabritiem eminere æquabiliter unionatam: quod mihi verruculoſam ſignificare viſum eſt.* Sic ille, ſatis diſertè: ſed more noſtro, potiùs inſiſtamus antiquis: ut Oppiano, in tertio Κυνηγετικῶν *b*: ubi pulchritudinem cervi conſtituit in capite arduo, oculis grandibus, pingui pictoque tergo, ac imprimis cornibus: de quibus illud *c*:

a Pag. 80. edit. Baſil. an. 1557.
b Verſ. 174. & ſeqq.
c Verſ. 194.

Ὀξύκερων κεράων πολυδαίδαλον αἰόλον ἔρνος.

Acutum cornuum, affabre factum, variumque ramale.

Mox & cornua vocat εὐσχιδέα, *pulchrè fiſſa*. Maronis etiam eſt I Æn.

Ductoreſque ipſos primùm capita alta ferentes,
Cornibus arboreis ſternit.

Sanè pulchritudinis præcipuè cauſsâ iis cornua data eſſe, Plinius *d*, & Oppianus *e*, tradunt. Quocirca non injuriâ miretur aliquis, naturam non attribuiſſe tam feminæ cornua, quàm mari; cùm ſequior ſexus videatur à forma potiùs debuiſſe commendari. Sed, ut ubique, ita hic quoque, ſe divina exſeruit providentia. Nam cùm cervus cervâ validior ſit; par fuit mas geſtandæ amplorum cornuum moli: feminæ autem, ut infirmiori, ea, præſertim tempore geſtationis, fuiſſent permoleſta. Cui rationi favet Ariſtoteles lib. III de partibus animalium, cap. II. Pleraque tamen poëtæ etiam cervæ tribuunt cornua: ut oſtendit Ælianus hiſt. animal. lib. VII, cap. XXXIX. In his, præter Euripidem, Anacreon, & Sophocles; quorum uterque dixit κεροέσσαν ἔλαφον, *cervam cornutam*. Teſtis Pollux *f*; ſed eos propterea reprehendit: & omnino eſt error poëtarum, non κατ᾽ αὐτὴν ποίησιν, ἀλλὰ κατὰ συμβεβηκός *g*: quemadmodum, & Ariſtoteles in poëtica refert, & nos in primo de eâdem arte, ubi de poëtarum erroribus diſſerimus. Admirationem verò de cornibus cervinis auget, quòd ea hieme decidant, vernoque tempore renaſcantur, atque id quotannis. Ac creduntur cervi tum intelligere, multum ſe amiſiſſe de ſua pulchritudine. Nam latere dicuntur, donec nova ſuccreſcant. Sed hoc accuratiùs examinabimus inferiùs, cùm ad pudoris affectum erit deventum. Nunc illud expendamus, cur vetera quotannis decidant, novaque renaſcantur. Quorundam ſententia eſt, prius provenire à tenuitate membranarum cerebri, & calore veris: his enim exareſcere imas cornuum partes. Alterum exi-

d Lib. 11. cap. 37.
e Lib. 2. de Venat. verſ. 183. & ſeqq.
f Lib. 5. cap. 12. ſect. 2.
g Non in poëſis natura, ſed per accidens, ſive in ſcientia alia.

exiſtere à vena cephalica magnam humorum copiam ſuggerente. Has rationes adducit Ælianus: uti & Philes de monocerote agens. Sed non in his ſolis ſiſtendum. Illud enim vel præcipuè in conſiderationem venit, cornua cervorum, non, uti cornutis cæteris, continua eſſe oſſi cranii, ſed cuti duntaxat adhærere: præterea cornua hæc priùs æſtivo calore exſiccari; hinc frigore condenſari hiberno, ita ut exiguus omnino liquor, nec is lentus ſatis, in ea ob poros penetret ſtipatos. Decidunt igitur, uti ab arboribus folia, ob glutinoſi humoris defectum. Eoque faciliùs cadunt, quia, paullatim adveniente veris calore, intus protuberat novorum cornuum materies, quæ cornua vetera protrudit, donec malè nexa prorſus decidant.

Sic hic controverſia incidit, quomodo iſta ſatis conſiſtant, ſi annis ſex primis cornua capiunt incrementum; ut Ariſtoteles docet lib. v de Animal. cap. quincto. Anno enim primo ſunt νεβροί, hoc eſt, hinnuli, ſive inulei: perque ætatem cornua necdum gerunt; nec, ſi caſtrentur, geſturi unquam. Solùm minutum quid iis tum protuberat. Altero anno vocantur πατταλίαι, quia eo anno recta iis ſimpliciaque cornua naſcuntur, velut πάτταλοι, hoc eſt, paxilli, ſive clavi lignei. Item σπαθίναι, ἀπὸ τῆς σπάθης, hoc eſt, *à gladio, radiove textorio*, lana involuto; quia cornua propè lanam mollitie referant. Præterea ἀχαΐναι, non ab Achaja quidem, ſed, ut optimè

a Exercitationibus Plinianis, pag. 222. eximio Salmaſio*a* monitum, quia ἀχαιαὶ ſint ἔρια μαλακὰ, *lanæ molles*: ut non tantùm apud Heſychium, ſed etiam in necdum editis Theocriti ſcholiis traditum eſt. Anno tertio nomen illis δικροῖται, quia tum cornua δίκρουν φύουσι, ut Ariſtoteles ait, hoc eſt, in furcam exeunt. Quarto vocantur κλαδίαι, à voce κλάδος, hoc eſt, ramus; quia tum cornua fiant ramoſa. Quincto autem his ramis craſſities accedit. Sexto jam ſuam cornua perfectionem habere creduntur: unde κεραίσται vocantur, quod

b Ad lib. 4. Argonauticôn, verſ. 175. & ſcholiaſtes*b* Apollonii indicat. De quibus fuſiùs diſſertat idem ille non ſine laude dicendus Claudius Salmaſius, in Exercitationibus Plinianis. In ſexto autem anno cum Ariſtotele etiam Solinus deſinit. Sic enim ſcribit: *Pro ætate autem ramos augent: id incrementum per ſex annos perſeverat: denique numeroſiora non poſſunt fieri cornua, poſſunt craſſiora.* Non tamen hæc ſic accipi debent, quaſi quia Ariſtoteles in ſexto anno ſiſtit, eo cervorum cornua nunquam niſi ſex ramos producant: quod exiſtimare aliquos videas, Ariſtotelem erroris graviſſimi arguentes, propter interpretationem doctiſſimi Gazæ hac parte non ſatis fidam. Nam longè aliter eſſe, docet Albertus; qui de undecimo teſtatur ramo; uti Geſnerus de quinctodecimo: & de Guilielmo, Bavariæ Duce, refertur, habuiſſe cornua cervina ramorum viginti, & unius. Sed ſi anno quolibet primi ſexennii aliquid accedit ramis, quomodo decidunt, & renaſcuntur quotannis? Si id pro comperto habent venatores, (ut audio) equidem cum iis pedem ſtruere non auſim, ponamque inter naturæ maximè admiranda, breviculo adeo tempore, tam ſolida duraque tantæ molis cornua enaſci. Alioqui magis eò inclinet animus, ut credam, cornua, quæ repeciuntur, non ſponte & naturâ decidiſſe, ſed à venatoribus vi avulſa, eoque eſſe conjecta: illa verò ramoſa, quæ in priorum locum ſucceſſerint, non niſi annorum aliquot intervallo ad eam magnitudinem & duritiem perveniſſe. Ne illud quidem controverſiâ caret: quod Ariſtoteles, Plinius, Solinus, tradunt, cervis ſi caſtrentur, cornua eâdem ſemper magnitudine permanere. Nam contrà Oppianus

c Verſ. 194. in II Κυνηγετ.*c* tradit, caſtratis defluere cornua de capite. Atque hæc de cornibus cervinis, præcipuè pulchritudinis cauſſâ attributis: nec tamen ejus ſolius gratiâ, quando, cum Venere ſtimulantur, ut ex Marone*d* alibi dici-

d 3 Georg. mus, valde iis in homines ſæviunt; qua de re, quia

e Pag. antè hanc ſecunda. Budæum jam cœpi*e* adducere, ejus potiùs verba, quàm alicujus veteris, ſubjungam. Sic autem ille libro antea

f Pag. 81. memorato*f*; *Ad decimumoctavum Kal. Octobris cervos libidinari incipientes catulientium cervarum conciliabula quærere, & velut ad forum Veneris undique convenire. Quo tempore ſi cervum venandum quis duxerit, indagandi ratio mutanda eſt. Neque enim à circumſcriptâ indagine venandi initium faciunt, ut ſollenni tempore; quoniam rabie prurriginis admiſſarii efferati & canes, & homines, atrociter invadunt, cum primum adſpexerunt.* Et mox: *Libidine autem flagrantiſſimâ admiſſarii ad menſem agitantur: deinde paullatim deſævientes, alterum paullo minùs menſem abſumunt.* Cùm igitur tantopere tum cornibus ſæviant: liquere arbitror, non ſolùm pulchritudinis cauſſâ, ſed etiam roboris, ea cervis eſſe à Deo tributa. Atque hujuſce ſævitiæ poteram adferre exempla, quæ, (ut præteream cæteros) partim è venatoribus acceperat, partim in venando ipſe obſervârat, facundeque in menſa retulit nobis, non omnifaria minus doctrinâ, quàm generis ſplendore ornatiſſimus, Franciſcus Junius, Franc. Fil. affinis meus. Sed enim jamdudum ad alia feſtinat animus.

Quod ſi poſt ſpecioſum cervi animal quoddam etiam deforme poſcimus, id ſimiam ſive clunam, vel cluram, dicere poſſis. Unde Ennius*a*: a Apud Cicer. lib. I. de Natur. Deorum.

Simia quàm ſimilis turpiſſima beſtia nobis!

Sed formæ damnum ingenio rependit; cum ſit docilis ac ſagax; ut poſtea planius fiet.

Cap. LVIII.

Lynces acumine viſus inter quadrupedes præcellere exiſtimantur. Unde à poëtis Lynceo *nomen datum fuit Argonautæ cuidam; quem ad Styga uſque contendere oculos tradidere. Videri hujus fabulæ originem eſſe ex eo, quòd is primus docuerit Græcos artem effodiendi metalla, vel propter ſiderum obſervationes. Quidam, cognomine Strabo, perhibetur ita viſu valuiſſe, ut è Siciliæ promuntorio numeraret naves Karthaginenſi è portu vela pandentes: & quantum id ſpacium ſit, quo viſus penetrârit, ſi famæ creditur. Dorcades caprearum, non cervorum genus. Unde iis nomen. Cur Chriſtus dorcadi comparatus in Cantico Salomonis, judicio Origenis, Nyſſeni, & aliorum: & quam veriorem cauſſam credamus. Cur hiænæ, & alia quædam animantia, noctu etiam videant. Talpa Ægyptiis cujus rei ſymbolum. Falli interea, qui putant, prorſus eſſe viſus expertes: tantum enim videre, quantum ſic viventi neceſſe. Cur lepus Ægyptiis ſit ſymbolum auditus. Quantopere cameli, cervi, & equæ Libycæ, Muſicâ delectentur. Cur ſues cœno gaudeant. Eoſdem fugere unguentum; uti & ſcarabæos. Simia creditur guſtu præcellere.*

SEnſiva ſequitur facultas: quæ tum ſenſus complectitur, quos exteriores vocant; tum etiam internos. In externis primum dedimus*b* viſui locum. Eo præſtant b Cap 23. hujus libri.
lynces: ſecundùm illud Plinii lib. XXVIII, extremo capite VIII: *Peregrinæ ſunt & lynces, quæ clariſſimè omnium quadrupedum cernunt.* Oppianus propterea in III Κυνηγετ.*c* c Verſ 97.

Εὔγληνοι λύγκες τε, πυριγλήνοιό τε λέοντες. d Non πυρίγληνοι, ut eſt in editione Leidenſi.

Et perſpicaces lynces, & flammantibus pupillis leones.

Hinc arbitror *Lyncei* cognomentum illis datum eſſe, qui ſeu corporis, ſeu mentis oculis, plus cæteris viderent. Ut illi, quem Orpheus ponit in Argonautis. Sic enim de eo ſcribit*e*: e Verſ. 179. & ſeqq.

Λυγκεύς θ᾽ ὃς τηλίστα δι᾽ αἰθέρος ἠδὲ θαλάσσης
Βένθεα, καὶ Πλούτωνος ὑποχθονίοιο βέρεθρα,
Μοῦνος ἀπ᾽ ἀνθρώπων δηνοῖσιν ὀπώπεεν ὄσσοις.

Quæ interpres Orphei Cribellus Mediolanenſis ita reddebat:

Quique procul longè trans æthera, trans mare Lynceus,
Et ſubter Plutum, terræque barathra profunda,
Solus in humanis viſu penetravit acuto.

 Si-

Similiter Apollonius lib. 1 Argonaut.

—— Λυγκεὺς δὲ καὶ ὀξυτάτοις ἐκέκαστο
Ὄμμασιν, εἰ ἐτεόν γε πέλει κλέος, ἀνέρα κεῖνον
Ῥηιδίως καὶ νέρθε κατὰ χθονὸς αὐγάζεσθαι.
—— *Lynceus oculis inſtructus acutis:*
Perfacile hunc quondam, ſi vere didita fama eſt,
Contendiſſe oculos ſub terram in Tartara nigra.

Eſt & Valerii Flacci primo Argonaut.

At frater magnos Lynceus ſervatur in uſus,
Quem tulit Arene: poſſit qui rumpere terras,
Et Stygatranſmiſſo tacitam deprendere viſu.

Fabulæ originem præbuit, quòd multa obſervâſſet ſecreta naturæ: in his metalla primus, vel ſaltem illa, quæ beare imprimis creduntur, nempe aurum argentumque, effodere terris docuiſſet. Vel quoniam multa, ſeu idem, ſeu alius, ad ſcientiam pertinentia ſideralem comperiſſet: quale quod noviſſimam primamque lunam (ἕνην καὶ νέαν Græci *a* dicunt) eodem die in ſigno conſpexiſſet Arietis; quemadmodum Plinius refert lib. II, cap. XVII. Indeque jam memoratus Flaccus eodem libro:

a *Heſychius.*

—— *Solus tranſibit nubila Lynceus.*

Ac ob hoc oculorum acumen, quiſquis ille Lynceus, celebratur Pindaro Nemeorum idyll. I, Ariſtophani in Pluto, Theocrito in Dioſcuris. Similiter Lynceis fuiſſe oculis dixeris Strabonem illum, minime ſtrabum; qui, ut ex Varrone prodit Solinus cap. VI, è Lilybæo, Siciliæ promuntorio, ſi fas credere, naves numerabat è Carthaginenſi portu ſolventes. Id ſpatium CXXXV millia paſſuum continet; ut ibidem ait Solinus: imò mille ac quingenta ſtadia, ſive M. P. ducenta; ut ex maritimo Antonini itinerario *b* colligitur.

b *Pag. 113. edit. Surita, ſive Colon. an. 1600.*

Sunt præter lyncas & aliæ quadrupedum viſu pollentes: inque his δορκάδες, ſive δορκαλίδες, caprarum ſylveſtrium genus. Perperam enim cum cervis confundunt Varinus, & alii. Hæ acutè admodum de altiſſimis etiam petris proſpectant; unde & nomen: nempe ἀπὸ τοῦ δέρκειν, quod eſt, *videre*. Plinius lib. XXVIII, cap. XI: *Capras negant lippire, quoniam eæ herbas quaſdam edant: item dorcades.* Firmantur hæc iis etiam, quæ plerique veterum annotarunt in illud Cantic. II, 9: Ὅμοιός ἐστιν ἀδελφιδός μου τῇ δορκάδι, ἢ νεβρῷ ἐλάφων ἐπὶ τὰ ὄρη Βαιθήλ. *Similis eſt fratris filius*, (ſed Symmachus reddidit, ἀγαπητός μου, *dilectus meus*) *dorcadi*, ſive capreæ) *vel hinnulo cervorum, in montibus Bethel.* Ubi per ἀδελφιδὸν, vel ἀγαπητὸν, Chriſtum intelligunt veteres. Origenes quidem ſic ſcribit homil. III *c*: *Hoc animal, quantum ad Græca vocabula, nomen à videndo, atque clarius proſpiciendo, ſortitum eſt. Et quis eſt, qui ita videat, ut videt Chriſtus? Solus namque eſt, qui videt, id eſt, agnoſcit patrem.* Et mox: *Caprea habet in natura ſua, ut non ſolum videat ipſa, & perſpiciat acerrimè; ſed & aliis viſum præbeat. Afferunt namque hi, quibus medicinæ peritia eſt, ineſſe huic animali intra viſcera humorem quendam, qui caliginem depellat oculorum, & obtuſiores quoſque viſus exacuat. Meritò ergo capreæ vel damulæ Chriſtus comparatur, quia non ſolum videt ipſe patrem, ſed & videri ab aliis facit, quorum viſus ipſe curaverit.* Etiam Gregorius Nyſſenus in Cant. homil. V *d*: Ἡ δορκὰς σημαίνει τὴν ὀξυωπίαν τοῦ τὰ πάντα ἐπιβλέποντος. φασὶ γὰρ τοῦτο τὸ ζῶον ὑπερφυῶς δερκόμενον, ἐκ τῆς ἐνεργείας ἔχειν τὸ ὄνομα· ἀλλὰ μὴν ταὐτόν ἐστι τῷ θεάσασθαι τὸ δέρκεσθαι. *Caprea ſignificat viſus acumen in eo, qui omnia intuetur. Ajunt enim, animal hoc ſupra modum acute videns nomen habere ab operatione. Quippe idem eſt* θεάσασθαι *ac* δέρκεσθαι: *puta videre.* Michael Pſellus in paraphraſi Cant. *Caprea allegoricè videntem ſignificat. Nam ipſe* (ſponſus Chriſtus) *omnium corda intuetur.* Similiterque ad hunc locum Philo Carpathius; ut cæteros mittam. Etſi verò convenienter ſatis ab antiquis capreæ comparetur Chriſtus, qui & cogitationes hominum cernebat: non tamen eò Salomonem ſpectaſſe arbitror, ſed potiùs ad egregiam ſponſi formam. Nam quid formoſius Chriſto? Et ſi veteres attenderunt ad Græcum *dorcados* etymon: quanto juſtiùs nos conſideremus etymum vocis Hebrææ, qua uſus eſt Salomo? Ea autem eſt צבי, quod primariò notat, *decus, ornamentum*: unde autem ob pulchritudinem accommodatum eſt capreolis, & capreis. Sic voce eâ utitur Scriptura Deuter. XII, 22, & XIV, 5: item 1 Reg. IV, 23. Syri pro eo dicunt טביתא: unde Act. IX, 36, nomen diſcipulæ in Joppe ταβιθὰ exponitur δορκάς. Confirmat etiam hanc ſententiam, quòd Salomo ibidem, ut jam vidimus, ſponſum confert hinnulo cervorum: de cujus animantis pulchritudine ex iis cognoſcere eſt, quæ de cervis ſuperiori capite dicebamus. Hinnulorum autem vocabulum laxiùs hic ſumunt interpretes, ut non ſolùm intelligantur νεβροὶ, ſed etiam, quos πεταλίας vocatos dicebamus *a*; fortaſſe &, qui ἀναθῖναι nominari. De dorcadibus ſatis.

c *Pag. 624. edit. Froben. an. 1536.*

d *Pag. 539 edit. Pariſ. an. 1615.*

a *Cap. ſup.*

Hiæna noctu videt, de die cæcutit: unde Oppianus in III de Venat. *b* vocat νυκτιπόρον, καὶ νυκτιπλανῆ, *noctigradam, & noctivagam*: atque addit:

b *Verſ. 268.*

Οὕνεκά οἱ διὰ νυκτὸς φάος, σκότος αὖτε μετ' ἠῶ.
Quoniam ei per noctem eſt lumen, caligo autem poſt auroram.

Idem tradit Alexander Aphrodiſ. lib. I, problem. LXVIII; ubi, quòd hiænæ, & νυκτερίδες, ſive veſpertiliones, imò & αἴλουροι, ſive feles, (quos κάττους ἰδιωτικῶς *c* nominari, ait Callimachi ſcholiaſtes) noctu videant, in cauſſa eſſe ait, quòd ſpiritus viſorius ſit mirè tenuis, ac ſubtilis; eoque non ita frigore ſpiſſeſcat nocturno, ut ad objectum nequeat pertingere: cùm contra de die ſic in veſpertilione attenuetur, ut diffundatur magnopere, ac propemodum evaneſcat. Sed, quod dicunt, ſubnixum eſt illâ Opticorum hypotheſi, fieri viſum emiſſione radiorum. Atqui, quàm hoc ſit incertum, (ut nihil dicam gravius) vidimus libri hujus cap. XXV. In ælutis illud præterea obſervatum, oculos eorum ad Lunæ vices, vel ampliores fieri, vel anguſtiores; teſte Agellio lib. XX, cap. VII. Cauſſam adduximus operis hujus lib. II, cap. XIX.

c *Cattos, vulgari dialecto.*

Sed uti quadrupedum quædam viſu præcellunt: ita plurima pars longiſſime vincitur: imò non deſunt, quæ naturâ producantur luminibus capta. De talpis quidem id etiam pronunciat Maro *d*. Ægyptii quoque, cùm idem putarent, talpam pro ſymbolo habuere hominis cæci. Sed omnino, ſi cutem detraxeris, veſtigia oculorum conſpicua ſunt: ut Ariſtoteles ait lib. I Hiſt. Animal. cap. IX, & lib. IV, cap. VIII. Imò, quantum iis ſatis eſt, vident. Nam, ut Geſnerus refert, *prominent extra cutem veluti puncta nigra, magnitudine ſeminis milii, vel papaveris, nervo affixa.* Idem memorat, ab viro erudito diſſectas, inque iis & fœtus repertos, & capitibus fuiſſe majuſculis, in quibus & oculi. Atque hæc de viſu.

d *1 Georg.*

Auditu mirè valent lepores: eoque Ægyptii picto lepore auditum ſignificant: ut eſt apud Plutarchum in Sympoſiacis lib. IV, quæſt. V. Ad auditum etiam pertinet, quòd cameli ſic ſint φιλόμουσοι *e*, ut ſi longo itinere defatigentur, non verberibus ſint urgendi; ſed cantilenis, quarum ſuavitate capti celeriter curſum conficiunt, ſic ut inſequi nemo poſſit. Auctor hujus locuples eſt Jo. Leo, Africæ ſuæ lib. IX, cap. de camelo: & ex eo, ſed præterito, ut ſolet, Leonis nomine, Cæſar Scaliger Exercitatione CCIX.

e *Cantus amantes.*

Cervi quoque, Plinio teſte, lib. VIII, cap. XXXII, *mulcentur fiſtulâ paſtorali, & cantu.* Imò ſic deliniuntur cantu, ut, ſui obliti, capiantur. Ariſtotelem vide lib. IX Hiſt. Anim. cap. V, & Ælianum de lib. XII, cap. XLVI. Icirco Ægyptiis mos erat pingere cervum cum tibicine, ſi vellent ſignificare hominem, cui adulatores impoſuerint. Teſtis Orus in Hieroglyphicis *f*.

f *Lib. 2. cap. 91.*

Equæ Libycæ uſque adeò delectantur tibiæ ſono, ut eo manſueſcant: quin, ut Ælianus ait lib. XII de Animal. cap. XLIII, contentiori cantu ſic afficiuntur, ut præ gaudio lachryment. Sed puto, tantummodo voluptate ex cantu ſic omnia laxari membra, ut humor oculis effluat. Atqui id propriè lachrymari non eſt; ut liquet ex iis, quæ ſuperius *g* de fletu dicebamus. Ait ibidem Ælianus, equos

g *Cap. 47. hujus libri.*

equos à peturigis ad ineundum incitari tibiæ cantu: ut is ſit illis pro hymenæo, & carmine nuptiali. Mirum autem, quòd Plinius ſcribit lib. VI, cap. XXX, apud Sambros, gentem Æthiopiæ ſub Ægypto, *quadrupedes omnes eſſe ſine auribus, etiam elephantos.*

Odoratu quàm valeant canes, nemo ignorat. Suibus verò is ſenſus eſt debilis: unde fætore cœni non moventur: imò ſtercore etiam veſcuntur. Nam ita Deus illis conſuluit, ut fœdum eorum, quibus ſaginentur, odorem neutiquam percipiant. Atque hoc eſt, quod Alexander Aphrodiſienſis in primo problematum ait, probl. CXLI: Διὰ τί ὕες τῇ κόπρῳ τέρπονται; κατὰ Ἀριστοτέλην, ὅτι παχύρυγχοι ὄντες, ἴσχουσι διαφραγμένην τὴν ὄσφρησιν, καὶ μὴ ἀντιλαμβανομένην τῆς δυσωδίας. *Cur ſtercore gaudent ſues? ſecundùm Ariſtotelem, quia ſunt naribus craſſis, & interceptis, vim olfaciendi hebetem habent, quaque fætorem percipere non poſſit.* Et ſanè ſues non gaudere ſpurcis, niſi quatenus vel inde iis pabulum eſt, vel refrigeratio corporis, illud arguit, quòd alioquin munditiei non ſint inimici. Hinc Columella lib. VII, cap. IX: *Diligens porculator frequenter ſuile converrat, & ſæpius haras. Non quamvis prædictum animal in pabulationem ſpurcè verſetur, mundiſſimum tamen cubile deſiderat.* Unguentorum nihilominus odorem averſantur. Unde Lucretius lib. VI:

Denique amaracinum fugitat ſus, & timet omne
Unguentum. nam ſetigeris ſubus acre venenum,
Quod nos interdum tanquam recreare videtur.

Nempe quid ſui cum unguento? at cœnoſæ aquæ ad nutritionem intus, & foris ad refrigerium conferunt. Quare cum ſuibus eſt hac parte comparatum, uti cum ſcarabæis; de quibus ſic Plutarchus *a*: Λέγονται οἱ κάνθαροι τὸ μύρον ἀποθνήσκειν, τὰ δὲ δυσώδη διώκειν. *Dicuntur ſcarabæi unguentum fugere, ac ſectari graveolentia.* Nimirum quia paſtus eorum naturæ convenientiſſimus eſt ex iſtis, quæ graviter olent.

a De Stoicorum. dogmatis.

Guſtu præ cæteris animantibus ſimia valere fertur. Unde vulgati verſiculi:

Nos aper auditu, lynx viſu, ſimia guſtu,
Vultur odoratu præcellit, aranea tactu.

Ideo & deliciis gaudet: ſoletque earum aliquid recondere in cavo maxillarum: unde id poſtea digitis adducit, ut mandat.

Cap. LIX.

De phantaſiæ vi. Simplicitas ſive ſtupor bubali, ſtruthionis, cervi, capreæ, ovis. Χρυσόμηλον, *ſive* χρυσοῦν πρόβατον, *deque eo Dio deceptus.* Verveceum caput. Arietinæ mentes. *Sui anima pro ſale. Cœno gaudere, non quaſi ſordibus capiatur; ſed quia in temperamento tam calido egeat refrigeratione. Muhammedica de origine ſuis fabula.* Μιμώ. *Simia* ἔτυμον. *Simia latrunculis ludens, haſtas eludens, capella inequitans, & ex ea mittens jacula, ſaltans, tibiâ canens, aurigans, aliaque ſagacitatis ſumma edens documenta. Equi docilitas. Sollertia capræ, capreæ, lupi, pantheræ, hianæ, cameli, & quomodo hunc edoceant ſaltare ad tympanum. Multùm Cæſarem Scaligerum in Exercitationibus ſuis debere Joanni Leoni; utcunque nomen ſcriptoris ſemper ſuppreſſerit. Docilitas cynocephali. Ichneumonis aſtus: item erinacei, ſive echini, ſciuri, muris tum vulgaris, tum Alpini, criceti, ſive hamſtri. Quadrupedum quædam præſcire in prima ætate, qua parte ſint poſtmodo valitura. Scire & naturæ inſtinctu, quomodo morbo ſuo poſſint mederi. Bovis Cyprii merenda. Quædam fabuloſè quadrupedibus attributa: ut leocrocotta, hiana, & mantichora, imitatio ſermonis humani. Etymon leocrocotta, & hyæna. Crocodilus elinguis.*

Habemus de ſenſibus, ut vocant, externis. Nunc dicam de phantaſia, cujus cuſtos memoria. Hoc igitur loco conſiderabimus, quæ vel inſignis amentiæ, vel altæ cujuſdam mentis, imaginem præbent. Ad prius pertinet natura bubali, ac bubalidis, animalis tam ſimplicis, ut, ſi caput occultârit, totum ſe latere arbitretur; eâque amentiâ fit leonis præda: quemadmodum Oppianus refert in quarto Ἁλιευτικῶν *a*: ubi & mox ſubjungit *b*, inter aves ſimiliter ſtruthionem ſeu ſtruthiocamelum, ne videatur, caput occultare. Non quidem nominat ſtruthionem; ſed luculentè ſatis circumſcribit, cùm vocat,

a Verſ. 625.
b Verſ. 630.

—— Λιβύης πτερόεν βοτὸν αὐχενόδειρον.
—— *Libyæ alatum pecus curvicervicum.*

Ac fortaſſe eò reſpexit Corbulo, quando Ovidii Naſonis generum (ejus, ut puto, maritum, quam in Libya fuiſſe ait poëta *c*, cùm ſolum vertere juberetur) *ſtruthiocamelum depilatum* dixit; teſte L. Seneca *d*. Niſi veriſimilius eſt, reſpexiſſe eum, non amentiam hominis; ſed corporis deformitatem, præcipueque gracilitatem colli, & crurum. Cùm verò *depilatum* addit, mollitiem exprobrat vulſi corporis. Sed redeo ad quadrupedes, unde abduxerat Oppianus. Prope par ſtultitia eſt cervis: de quibus ita Plinius lib. VIII, cap. XXXII: *Cætero cervus, animal ſimplex, & omnium rerum miraculo ſtupens;* in tantum, *ut equo, aut buculâ accedente propius, hominem juxta venantem non cernant, aut ſi cernant, arcum ipſum ſagittaſque mirentur.* Nec levis imprudentiæ eſt, quòd capreæ ſi in aulæis ſimiles conſpiciant intextas feras, ad eas, tanquam veras ſui generis, aſſiliant. Quod ſe in aula patrui ſui Bonifacii vidiſſe, refert Cæſar Scaliger *e*.

c Lib. I. Triſt. eleg. 3.
d Lib. de conſtantia ſapientis cap. 17.
e Exercitatione 207.

Ovium tanta eſt ſtultitia, (quemadmodum Ariſtoteles docet in IX Hiſt. Animal.) ut ſæpe ſtabulo, citra cauſſam ullam, in deſertum abeant: hinc, ſi occupentur nive, redire neſciant: ac niſi paſtor compellat, & arietem ducat, quem reliqui ſequantur, totus grex ſit frigore, & nivibus, periturus. Itaque Diogenes *f* imperitum, ſed ſplendidè amictum, vocavit χρυσόμηλον, voce ambiguâ, quia *aureum malum*, & *ovem auream* ſignificaret. Etiam Cajus Caligula ſocerum ſuum M. Junium Silanum (quem etſi ſummo in honore apud Tiberium fuiſſet, ludibrio ſemper habuit) appellabat χρυσοῦν πρόβατον, *aureum pecus*: ut eſt apud Dionem lib. LIX *g*. Atque idem legas apud Tacitum initio XIII Annalium. Sed ut Dio deceptus, cum honoris ergo ſic vocatum putaret: ita Tacitus duos confudit Silanos; quemadmodum Juſto jam Lipſio *h* obſervatum. Plauti item eſt Perſa *i*, *verveceum caput*. Sic enim rectè pro *verbereum* reſcribunt. Et ex Antidami Moralibus adducit Fulgentius Planciades: *Quis averruncâſſet tam arietinas hominum mentes?*

f Apud Laërtium.
g Anno 790.
h Ad initium 13. Annal. Tac.
i Act. 2. ſc. 2.

Et quis magnam exſpectet ſapientiam ab ſue? cui animam datam, ne putiſceret, Chryſippus ajebat, & poſt eum Varro lib. II R. R. cap. IV. ac meminit Plinius quoque lib. VIII, cap. LI.

Nec tamen tantus ejus animalis eſt ſtupor, ac multi putarunt. Ipſe enim Plinius continuò ſubjungit: *Compertum, agnitam vocem ſuarii furto abactis, merſoque navigio, inclinatione lateris unius remeâſſe. Quin & duces in urbe forum nundinarium, domoſque petere, diſcunt: & feri ſapiunt veſtigia palude confundere, urinâ fugam levare.* Imò ne illud quidem, tam amentiæ eorum tribuendum, quàm ſapientiæ, quòd ſic gaudeant luto, ſe volutare: ſecundùm illud Lucretii in VI:

At contrà nobis cœnum teterrima cùm ſit
Spurcities, eadem ſubus hæc res munda videtur;
Inſatiabiliter toti ut volvantur ibidem.

Omnino enim, ut temperamento ſunt calidiſſimi, Theophraſto teſtante: ita quoque ingenio ſunt callidiſſimi in iis, quæ naturâ conducunt. Atque hujuſce caloris etiam argumentum putatur, quòd, cum bubus, & canibus, hieme decidant pili, idem ſuibus non fiat: ut eſt apud Ariſtot. in probl. ſect. X, qu. XXII. Ob hunc igitur totius corporis fervorem, ut capite ſuperiori, de ſuum odoratu agentes, dicere cœperamus, clareque Columella ait lib. VII, cap. X, *hoc animal non eſt contentum potione aquæ, niſi obeſam illuviem, atque diſtentam pabulis alvum demerſerit, ac refrigeraverit: nec ullâ re magis gaudet, quàm rivis,*

rivis, atque cœnoſo lacu volutari. De hac re ſic idem lib. VII, cap. IV: *Si credimus Epheſio Heraclito, qui ait, ſues cœno, cohortales aves pulvere, vel cinere, lavari.* Eſt & Varronis lib. II de R. R. cap. IV: *In paſtu locus huic pecori aptus uliginoſus, quòd delectatur non ſolùm aquâ, ſed etiam luto. Itaque ob eam rem ajunt lupos, cum ſint nacti ſues, trahere uſque ad aquam, quòd dentes fervorem carnis ferre nequeant.* Et poſtea: *Admiſſuras cùm faciunt, prodigunt in lutoſos limites, ac luſtra: quæ eſt illorum requies, ut lavatio hominis.* Ubi videmus, ut volutationem illam *requiem* dicat eſſe ſuibus. At quies hoc animal pinguefacit. Ariſtoteles lib. VIII Hiſt. Animal. cap. VII: Μάλιϛα τὰ ἔχοντα κοιλίαν ἀγαθὴν ἡ ἀτρεμία πιαίνει. *Maximè quies & immobilitas pinguefacit ea, quibus venter eſt calidus.* Ac continuò ſubjicit: τὰς δ' ὗς καὶ τὸ λούεσθαι ἐν πηλῷ· *Sues autem etiam* (pinguefacit) *quòd ſe lavent, ac volutent in luto.* Hæc veram oſtendunt rationem, cur ſus delectetur luto. Muhamet fabulabatur, hoc inde eſſe, quia, quo tempore Noë arca veheretur, productus ſit è fimo, partim elephantino, partim humano: atque hoc ab ipſo Jeſu proditum eſſe, impoſtor ille ajebat. Vide fabulam apud Matthæum Pariſium in Hiſtoriæ Anglicanæ parte eâ, quæ eſt de Henrico III *a*.

a Pag. 413. editionis Tigurinæ.

Sed de ſuibus non contendero magnopere, ſolone ſapore, an & ſapientiâ, commendentur. De animantibus iis dicam, quæ ſagacia eſſe, minimè ſit dubitandum. In iis princeps, vel inter principes, ſimia eſt. Saltem nullum eſt, quod ingenioſè adeò imitari omnia ſolet. Unde & poſterioribus Græcis μιμὼ vocatur: ut conſtat ex Suida in Πίθηξ, & Πίθηκος. Ac ſic uſus ſæpius Achmes cap. CCLXXXVII. Id nomen eſſe ἀπὸ τοῦ μιμεῖσθαι, ſatis liquet. Imò & *ſimiam* inde quaſi *mimiam* dici, aliqui putarunt: ſed perperam, cum id nomen ſit à ſimis naribus. *Simus* autem à σιμός: qua mente admittimus, quod Iſidorus *b* Græcum eſſe nomen ait: nempe ratione originis remotioris. Eſt verò hoc animal adeò docile, ut & diſcat latrunculis ludere: quod ex Muciano ter conſule Plinius narrat lib. VIII, cap. LIV. Armare eam olim ſolent galeâ, parmâque; ut ſic ab haſtis ſe defendat: unde Martialis lib. XIV, diſt. CCII:

b Lib. 12. Orig. cap. 2.

Callidus emiſſas eludere ſimius haſtas.

Et Juvenal. ſat. V *c*:

c Verſ. 154.

Qui tegitur parmâ, & galeâ, metuenſque flagelli
Diſcit ab hirſuta jaculum torquere capella.

Nempe capellæ inequitare, & inde jaculari, docebantur. Flagelli autem meminit poëta, quia eo ſolent officii commoneri. Ita hunc locum rectè accepit V. Nob. Jan. Rutgerſius lib. III Var. cap. XV. Alia quoque docilitatis argumenta refert Ælianus. Nam lib. V de Anim. cap. XXVI, ait, nihil eſſe, quod non diſcat: ſi ſaltare, ſi tibiâ canere doceatur, egregiè adſequi: imò ſibi conſpectam, quæ, aurigæ obiens munia, ſcitè habenas adduceret, & temitteret, ac flagello etiam uteretur. Idem lib. V, cap. VII narrat, ut (quod naturalis erat inſtinctûs) de ſummis dependendo ramis, eluſerit felem perſequentem. Idem lib. VII, cap. XXII, memorat, ut, cum vidiſſet, quomodo nutrix infantem è lectulo tolleret, faſciis exſolveret, aquis mundaret, ingenioſè ſingula ſit imitata, præterquam quòd, dum diſcrimen aquæ neſcit, (nec in homine id mirandum foret, primum talis rei faciente experimentum) pro tepida aqua tenellæ cuti è cacabo ſuperfuderit ferventem, atque ita miſerè perdiderit infantem. Notum quoque, & pluribus jam relatum, de ſimia in aula Papæ Julii II, quæ ſeu felis, ſeu catelli pedibus uteretur ad extrahendas caſtaneas, à miniſtris, dum ſubitò avocantur, in cineribus fervidis relictas. Nec levis ingenii eſt argumentum, quod de Thomæ Mori, Angliæ Cancellarii, prægrandi ſimia, cuniculos mirificè adverſos muſtelam tutante, Eraſmus in Colloquiis narrat. Ipſum vide dialogo de Amicitia. Etiam ſummus vir, ſocer meus, Franciſcus Junius, referebat de ſimia quadam nobiliſſimi in Galliis viri: ut cum ex adverſo eſſet ſutrina, poſtquam ſæpius proſpectaſſet in ea ſutorem pueris corium ſcindentem, unde ſuerent calceos: illa dum, prandentibus cunctis, vacua eſt officina, in eam per feneſtram travolârit, ac ſcalpro itidem corium conciderit: hoc cum egiſſet ſæpius, ſutorem, offenſum ob damnum, id vindictæ genus finxiſſe commentum: ex adverſo ſimiæ ſcalprum collo admoviſſe, ſimulaſſeque ſe ferro ſibi jugulum reſolvere. Poſtea, abſente itidem ſutore, ſimiam & hoc imitari geſtientem re vera ſibi jugulum petiiſſe, eoque ex vulnere exſpiraſſe, non ſine offenſa viri nobilis; qui multis partibus damnum vicino refundere, quàm hoc pacto tam ingenioſi animalis jacturam facere maluiſſet.

Vulpium aſtutiam, neque ignorant, qui necdum ære lavantur. Quare uno hoc documento contentus ero, quòd, tranſituræ amnes congelatos, priùs aures admovent ad glaciem, ut inde de craſſitie ejus faciant conjecturam: quemadmodum Plinio relatum lib. VIII, cap. XXVIII. Sed plura ſi voles, adi Ælianum *a*, Oppianum *b*, Epiphanium *c*, alios.

a Lib. 7. cap. 27. & 29.
b Lib. 3. de Venat. v. 451. & 459. item lib. 2. de Piſcat. verſ. 110.
c In Phyſiologo.

De canum ſagacitate illuſtria aliquot exempla legere eſt apud Plinium lib. VIII, cap. XL. Vide & de eadem Ovidium in Halieuticôn fragmento, ab illis verbis, *Quæ laus prima canum.* Item Oppianum extremo libro primo Κυνηγετ. E junioribus verò abunde omnium animos expleverint, quæ congeſſere Juſtus Lipſius epiſtolâ ad X contubernales *d*, & Philippus Camerarius in Operis Subſicivis *e*. Nec imaginativæ vi ſolùm pollent canes, ſed etiam memoriæ: quo de ſic Plinius loco proximè memorato: *Soli nomina ſua, ſoli vocem domeſticam agnoſcunt. Itinera, quamvis longa, meminere: nec ulli, præter hominem, memoria major.*

d Centur. 1. ad Belg. epiſt. 44.
e Centur. 1. cap 24.

Docilitas equi, Plinio *f* teſte, *tanta eſt, ut univerſus Sybaritani exercitus equitatus ad ſymphoniæ cantum ſaltatione quadam moveri ſolitus inveniatur.* Quam rem fuſiùs narrat Ælianus lib. XVI de Animalibus, cap. XXIII. Attingit autem lib. VI, cap. X. Memorat & Athenæus lib. XII: ubi verbis quoque Charontis Lampſaceni refert, ut Cardianorum equi itidem edocerentur ſaltare ad tibiam ſolùm pedibus innixi poſterioribus, prioribus verò erectis: atque ut horum quoque exercitum devicerit Onaris, Biſaltarum dux, cùm tibicinam juſſiſſet præcinere modulis iis, ad quos equi Cardiani in convivio adſueverant ſaltare. Alia item de equorum ingenio, docilitate, ac memoria, diſſerit Gryllus apud Plutarchum. Præterea vide ſis, quæ Cappadocum de equorum natura fusè narrat Solinus cap. XLVII.

f Lib. 8. cap. 42.

Cervi ea eſt ſagacitas, ut, audito canum latratu, ſecundâ fugiant aurâ, quò pariter recedat veſtigiorum odor; ut Plinius docet lib. VIII, cap. XXXII; item Solinus cap. XXII. Magnum ſanè hoc magni eſſe ingenii argumentum, negaverit nemo. Fortaſſe tamen ſimplicius dixeris, quia fervidum eſt animal, eò hoc facere, ut in curſu illo refrigeretur vento. Sic ſanè ſus, ut alibi dicimus, luti volutabro lætatur, non illuviei amore, ſed ut ſeſe refrigeret. Fortaſſe igitur magis prudentiæ eſt, quòd cervus ſagittâ, vel aliter, ſaucius, eâ parte, quâ vulnus accepit, caveat ſibi à radiis Solaribus. Nam, modò à radiis moleſtiam perſentiat nullam, cur facere id putemus, niſi fore ſciat, ut alioqui vulnus putreſceret? Quod ſi alia, & fortaſſe certiora, ſcire voles: vide quæ de ſagacitate, uti & captura ejus animantis, non indiſertè refert Guilielmus Budæus in II Philologiæ libro.

De capreis ita Plinius lib. VIII, cap. L: *Sollertiam ejus animalis Mucianus viſam ſibi prodidit in ponte prætenui, duabus obviis è diverſo: cum circumactum anguſtia non caperent, nec reciprocationem longitudo in exilitatem, torrente rapido minaciter ſubterfluente, alteram decubuiſſe, atque ita alteram proculcatæ ſupergreſſam.*

De capreis ſive ibicibus, capræ ſylveſtris genere, ita Cæſar Scaliger Exercitat. CCVII: *Mira caprearum comperta nobis prudentia. Ubi errabundæ quærunt novas ſedes, aut paſcua; proſpectâ proximâ rupe, projecto pede ſæpe periclitantur ejus fidem: nempe mobilis ne ſit, an fortaſſe lubrica.*

Lupis etiam quæ ſagacitas! Siquando enim cum armentis eſt certandum, terrâ implent ventrem, quò ponderè ejus irruant vehementiùs. Iidem quoque, ſi aquæ ſint tranandæ, ne earum impetu auferantur, nonniſi bene ſaburrati ſe illis committunt, atque alii aliorum caudas apprehendunt. Refert Ælianus lib. III de Animalibus, cap. VI.

Memorabile pantherinæ ſollertiæ exemplum ex Demetrio Phyſico adducit Plinius lib. VIII, cap. XVII.

Mirum etiam, hiænam ante ſtabula vomitionem hominis imitari, ad ſollicitandos canes, quos invadat: ut eſt apud Ariſtotelem de Mirabil. audit. Plinium lib. VIII, cap. XXX, Ælianum lib. III de Animal. cap. VII.

Camelus ad tympanum ſaltare hoc pacto addiſcit. Dum juvenculus eſt, in hypocauſtum introducitur, cujus ſic caleat pavimentum, ut vix pedes ferant. Alternis igitur eos elevat, tympano foris perſonante. Sic animum ubi adſueverit, in publico etiam, modò tympanum pulſetur, priorum memoriâ, frigido licet ſolo, pedes, ut ante, attollit, ac ſpeciem refert ſaltantis. Teſtis Joannes Leo, lib. IX deſcriptionis Africæ, cap. de Camelo: ubi ſe id oculis ſuis in Alcairi urbe vidiſſe refert. Eandem rem narrat Cæſar Scaliger Exercitat. CCIX: ubi & alia de camelo miranda legas: ſed ex uno hoc Leone exſcripta, nomine auctoris præterito: quod ſummo viro ſollemne eſſe, ſuperiùs etiam querebamur.

Narrat Plinius lib. VI, cap. X, ut Ægyptii ſub Ptolomæis cynocephalos docuerint literas, ſaltationem, tibiarum cantum, & citharæ pulſum. Etiam docilitatis hujus illuſtre exemplum, ſibique viſum, dabit, quem dixi, Cæſar Scaliger Exercitat. CCXIII: *Cynocephalum*, inquit, *unum barbatum vidimus, fœdum adſpectu, nigrum, maleficum, moribus infamem. Magot genus illud maximum Galli vocant. In aula Regis unus fuit, qui dtu bipes deambulabat, amictus ſagulo militari, enſiculo accinctus. In ſella, juſſus, continuit ſeſe pernox, aut perdius publico ſpectaculo: ita ut non deeſſent, qui hominem putarent verum.*

Ut ichneumon, qui & ἰχνευτής, miro aſtu crocodilos, & aſpides necet, fusè docet Oppianus in III Κυνηγετ. Vide & Ælianum de Anim. lib. X, cap. XLVII.

Et quàm vafrum, quòd echinus, qui & eres, ſive erinaceus, quia ore unum duntaxat pomum deferre cavas in arbores poſſit, corpore toto ſeſe volutet per poma jacentia, quò plurima ſic ſpinis adfixa deportet: ut Plinius refert lib. VIII, cap. XXXVII. Continuò addit: *Iidem mutationem Aquilonis in Auſtrum, condentes ſe in cubile, præſagiunt.* Unde videmus, cur prævidere tempeſtatem dicat Suidas in Ἐχῖνος. Pleniùs hanc rem explicat Ariſtoteles lib. IX Hiſtoriæ Animalium, cap. VI: ubi ſubdit, quemdam Byzantii habitum pro divino, quia, cùm erinaceum haberet domi, ventum inde prædiceret. Plutarchus quoque, Comparatione terreſtrium, & aquatilium, idem prodit: ſed quod Ariſtoteles Byzantii, hoc ille ait Cyzici eveniſſe. Interim in natura erinacei conveniunt: uti & è Theologis antiquis, Baſilius Magnus, orat. IX Hexaëm. & Ambroſius, lib. VI Hexaëm.

Atque idem de ſciuro traditum eſt Plinio lib. VIII, cap. XXXVIII. Sed quod dicitur, hoc fieri ad fugiendam venti moleſtiam, controverſiâ minimè caret. Nam & altera ſe ratio offert, à Lactantio jam adducta lib. de Ira Dei cap. VII, his verbis: *Sunt animalia, quæ latibulis ſuis diverſos, & plures exitus pandant: ut, ſiquod periculum inciderit, fuga pateat obſeſſis: quod non facerent, niſi ineſſet illis intelligentia, & cogitatio.* Atque hoc de mure etiam refert Comicus Truculento act. IV, ſc. IV:

> *Cogitato, mus puſillus quam ſit ſapiens beſtia,*
> *Ætatem qui uni cubili nunquam committit ſuam:*
> *Quia ſi unum oſtium obſideatur, aliud perfugium gerit.*

Ac, (quando de mure jam ſermo,) quantæ ſagacitatis, quòd narrat Albertus M. *a* ſe in ſuperioribus Germaniæ partibus murem conſpexiſſe ſic edoctum, ut candelam tenens, ad nutum magiſtri, ea prælucerct cœnantibus. Id parum credibile de mure vulgari. Credo, fuerit mus Alpinus, qui dicitur *murmont*, quaſi dicas, *mus montanus*: Germanis *mamelthier*, ſive corruptâ voce ex illo *murmont*, & additâ voce feræ, quæ Germanis *thier*, ex Græco θὴρ: ſive ex eo, quia, latebris prodeuntes, inter ſe colludant murmur quoddam edentes. Deſcribit hoc animal Matthiolus in Dioſcoridem lib. II, cap. XLIII. Nos ſolùm hoc loco attendimus, quæ ingenium ſpectant. Quale illud, quòd poſtquam hieme delituere in caverna, vernoque Sole allecti prodierint foras, unus, quaſi latibuli cuſtos, prope illud velut è ſpecula obſervat, homone, aut fera adventet. Quale quid ubi conſpexerit, acutùm inclamat: mox cuncti ad latibulum recurrunt: cuſtos ille cryptæ poſtremus cavernam ſubit.

a Lib. XXI. de Animal.

Nonnulli etiam muribus, aliis muſtelis accenſent animal, quod Germanis *hameſter*, *cricetus* aliquibus nuncupatur: Græcis quibuſdam ἀρκτόμυς, quia partim urſum referat, partim murem. Huic non exiguum, ſed inſidum eſſe ingenium, oſtendit, quòd poſtquam maſculus communi operâ tantum frumenti in cavernam eſſe congeſtum videt, quantum ſibi ſatis ſuperque eſſe credat, ſemellam excludat: illa autem, non minùs vafrâ, cauſſâque meliori nitens, ab latere adverſo viam ſibi ad frumentum paret, indeque non minus, mare neſcio, ſuæ conſulat fami. Videri tamen poſſit non habuiſſe iſti fidem Georgius Agricola: cui id præteritum in deſcriptione ejus, libro de animantibus ſubterraneis *a*.

a Cap. 19. ex recentiori diſtinctione.

Nihil verò æquè mirandum, quàm quòd animantes, quâ parte ſint valituræ, etiam priuſquam valeant, naturæ inſtinctu ſciant. Scite de hoc Lucretius lib. V:

> *Sentit enim vim quidque ſuam, quam poſſit abuti.*
> *Cornua nata prius vitulo, quam frontibus exſtant:*
> *Illis iratus petit, atque infenſus inurget.*
> *At catuli pantherarum, ſcymnique leonum,*
> *Unguibus, & pedibus, jam tum, morſuque repugnant,*
> *Vix dum etiam cùm ſint dentes, unguesque, creati.*

Ovidius item in fragm. Halieut.

> *Accepit mundus legem: dedit arma per omnes,*
> *Admonuitque ſui: vitulus ſic namque minatur,*
> *Qui nondum gerit in tenerâ jam cornua fronte.*

Aliaque ibidem in hanc mentem.

Quantæ etiam ſagacitatis eſt, quòd tam multæ quadrupedes naturâ ſciant, quæ morbis ſuis medeantur. Quale eſt, quòd panthera, ſi comederit aconiti genus, (id *pardalianches*, quaſi *pantheranginam* dicas, vocant) ſtercus quærat humanum, ut eo ſibi medeatur. Hujus rei nec ignari paſtores de arbore in vaſe id ſuſpendunt: ut illa, frequenti aſſultu defatigata, faciliùs capiatur. Refert id Ariſtoteles in Audit. Mirab. & Hiſtor. Animal. lib. IX, cap. VI *b*: item Cicero lib. II de Nat. Deorum: *Auditum eſt pantheras, quæ in Barbaria venenatâ carne caperentur, remedium quoddam habere, hominis nempe excrementa.* Similiter Plinius lib. VIII, cap. XXVII. Ac paullò antè idem dixerat: *Teſtudo cunilæ, quam bubulam vocant, paſtu vires contra ſerpentes refovet: muſtela, rutæ, in murium venatu, cum iis dimicatione conſertâ.* Aliaque aliis de animantibus adducit; quorum aliqua ad ſetam inferiùs in remediis, quæ homines edocti ſunt à mutis animantibus.

b Sive cap. 8. ſect. 95. & 96. diſt. Scalig.

Nec, quando agimus de quadrupedibus, quæ ſibi medeantur, prætereundus eſt bos, *animal* quidem, ut apud Naſonem *c* eſt,

> —— *ſine fraude doliſque,*
> *Innocuum, ſimplex, natum tolerare labores*:

c 15 Metam. fab. 2.

attamen, quod Plinius referat lib. XXVIII, cap. ult. *in Cypro, contra tormina, hominum excrementis ſibi mederi.* Unde proverbium, *Bos es Cyprius*, apud Diogenianum Centuriæ III, proverbio XLIX, & Suidam: qui ait, dici ἐπὶ τοῦ χυδαίου καὶ ἀναισθήτου, *in futilem & ſtupidum.* De quo ambigo. Nam prudentiæ potiùs fuerit, ſi non paſtus, ſed remedii cauſſâ, eo utatur; quod Plinius dicit. Veriſimiliùs igitur Heſychius: Βοῦς Κύπριος,

κοπροφ-

κοπροφάγος, εἰκαῖος, ἀκάθαρτος· *Bos Cyprius, ſtercus vorans, temerarius, impurus.* Ubi quod εἰκαῖον interpretatur, non ſatis convenit cum Pliniano illo: nec enim εἰκῇ ſive *temere* id facit, quod medicinæ gratiâ agit. At optimè deinde interpretatur, *impurum*, ſive *ſordidum.* Quomodo & in ſordidos convenit illud Ennii verſu Sotadico, *Cyprio bovi merendam.* Meminit Feſtus; atque addit, *In inſula Cypro boves humano ſtercore paſcuntur.* Heſychius ſimiliter, poſt verba ante allata: Καὶ Εὔδοξος ἀφηγεῖται, ὅτι κοπροφαγοῦσι. *Etiam Eudoxus refert, edere ſtercus.* Sed an medicinæ cauſsâ id faciant, neuter addit. Atque ut aliter eſſet; ſufficit, ſi cibus ille tam conveniens ſit boum naturæ; quam eſt terris utilis ad eas fœcundandas, unde lætiores homini ſegetes.

Sed cùm magna ſit quadrupedum ſagacitas, ac docilitas: in nonnullis tamen nimium iis tribui videas. Ut quòd mures ajunt eſſe ζῶον μαντικώτατον *a.* Hoc inde colligunt, quòd domo, præ vetuſtate ruinam minante, primi fugiant, atque aliud domicilium quærant: ut eſt apud Ælianum lib. I Variæ Hiſtoriæ, cap. XI. Item quòd terræmotum præſentiant primi. Quippe (ut apud eumdem lib. XI Hiſt. Animalium legas, cap. XIX,) quinque diebus, antequam Helice periret, mures catervatim profugêre viâ, quæ Cotiam duceret. Quod & fecere muſtelæ, ſerpentes, ſcolopendræ, aliaque id genus animantia. Sed ut de re facilè aſſentiamus, falluntur tamen in cauſſa. Hæc non alia fuit, quàm quòd, cùm levia ſub terris initia forent ruinæ ex vetuſtate, vel terræmotu, quæ nondum perſentiſcerent homines: jam cavernæ cœpiſſent arctari, vel etiam terrâ oppleri, ſic ut idonea latibula deficerent. Miranda etiam, ſed æquè falſa, produnt de quadrupedum ſermone. Quale eſt, quod leucrocotta humanam dicitur vocem imitari: ut eſt apud Plinium lib. VIII, cap. XXI. Eſt ea Æthiopiæ fera, ut ibidem legas; uti & Solinum cap. XXX. *Leucrocottam*, autem dixere pro *leocrocottam*; ut *Laumedon*, pro *Laomedon*; *lautumia* pro *latomia.* Nec aliud videtur animal, quam ὁ κροκόττας, Diodoro etiam memoratus libro tertio. Latini *leocrocottam*, ſive *leucrocottam*, dicere maluerunt, quia ſit (ut ibidem Plinius refert) *collo, caudâ, pectore, leonis.* Nec *crocotta* aliud à *corocotta*; quod nomen præfert ludicrum teſtamentum Porcelli; dicti, *M. Grunnii Corocottæ.* Uxor ejus *Quirine*, puta, ut Salmaſio in præclaro Plinianarum Exercitationum opere, obſervatum, ex χοιρίνη, quod à χοῖρος, *porcus. Crocotta* autem, ſive *corocotta* vocabulum, à porcello non eſſe alienum, arguunt hæc Solini verba cap. XXX: *In Æthiopiæ parte* (hiæna) *coit cum leæna: unde naſcitur monſtrum, cui crocotta nomen.* At hyæna ex eo nomen, quia ſpinis horreat ſui ſimilis. Eſtque ὕαινα, ab ὗς, ut piſcis μύραινα, *muræna*, ſive *flua*, à μύρος, quod à μύρω, *fluo.* Porrò quod ex Plinio dicebamus, veteres, ſed falsò; putaſſe, crocottam, ſive leocrocottam, imitari voces humanas; idem de hiæna legere eſt. Sic enim de ea Plinius ejuſdem libri cap. XXX: *Multa præterea mira tradunt; ſed maxime, ſermonem humanum inter paſtorum ſtabula aſſimulare, nomenque alicujus addiſcere, quem evocatum foras laceret.* Etiam Augerus Busbequius legationis Turcicæ epiſt. I *b* refert, ſiquis ingrediatur ejus cavernam, (quam nullo negotio ex oſſium cumulo cognoſcere licet) dummodo ſubiens dicat, JOCTUR JOCTUR UCALA, hoc eſt, hyænam non eſſe intus; illam inde colligere, ſe non conſpici; eoque immotam permanere, utcunque crus ſibi fune obligetur. Ubi verò venator exiit, & clamat, planè hyænam intus eſſe; eo intellecto, fugam capeſſere; ſed quia jam crus vinctum ſit, vel ſic capi, vel occidi.

Æquè fabuloſum, quod Plinius poſt verba proximè adlata ſubjungit: *Hominum ſermones imitari & mantichoram in Æthiopia, auctor eſt Juba.* Eſt verò Plinio *mantichora*, quam Pauſanias in Bœoticis *martichoram*, alii aliter vocant, ut inferiùs, occaſione tigridis Indicæ dicetur pluribus. Non tamen in Æthiopia, ſed India naſci, Cteſias prodidit: ut ex iis conſtat, quæ Photii *a* induſtria nobis conſervavit.

Crocodilo etiam ſermonem tribuunt Stoici in ſophiſmate ſuo, quod *crocodiliten b* dixere. Sed hoc eo eſt habendum loco, quo Æſopici ſermones. Nam, ut Plinius ait lib. VIII, cap. XXV: *Unum hoc animal terreſtre linguæ uſu caret.*

a Animal vel maxime præditum vaticinandi ſcientia.

b Fol. 33. b. edit Pariſ. an. 1595.

a Cod. 72.

b Quintil. lib. I. cap. 16. Lucianus in Vitarum venditione & Doxapater.

CAP. LX.

Furor quadrupedum in Venerem: etiam ſuis manſuetæ, ſecundùm Maronem in Georgicis: etſi Victorius putarit, poëtam ejus animantis mentionem in Georgicis averſatum. Imperfectio memorati operis, quod hujus pecoris curam Maro neglexerit. Male moderatum Veneris uſum à Plutarcho in ſuibus prædicari. Subare, & ſurire, *propriè de ſuillo genere dicuntur. Suis famelica* ἀσελγία *in vorandis ſuculis: neque id prodigii loco habitum eſſe à Romanis. Simiæ amor erga ſimiolos ſuos, quos oſtentare gaudet, quaſi nihil iis formoſius credat. Utrùm amore, an odio, alterum necet fœtum. Cur Romani in culeo unà cum parricida etiam ſimiam inſuerint. Aſina, ut periclitanti opem pullo ferat, per ignes ſuccurrit; per aquas idem facere reformidat. Unde amor prolis in cunctis animantibus. Amor equorum erga pullos, etiam alienos; præcipue qui matrem amiſerint.* Συμπάθεια *inter quadrupedes quaſdam, & aves aut piſces. De antipathia durante in corio lupino, & ovillo; imo, ut vulgo volunt, etiam chordis ex inteſtinis utriuſque animantis. Inimicitiæ elephanti erga rhinocerotem, & ſuem. Deceptum videri Ælianum, cum tradit, ſuum beneficio Romanos de Pyrrho victoriam retuliſſe. De diſſidio ſuis cum lupis, hiæna cum pardali, & canibus: quæ tanta, ut ſiquis hiænæ pelle tegatur, eum canes non mordeant. De Ariſtotelis loco perperam ab interpretibus intellecto. Inimicitiæ etiam quadrupedibus ſunt cum avibus, ſerpentibus, inſectis. Pardi amor erga hædum unà eductum. Equi amor erga dominum. Fabella de rhinocerotis amore erga virgines.*

OStendi, quantum huic loco ſatis eſt, tam interiorum, quam exteriorum ſenſuum in quadrupedibus vires. Jam antea *a* quidem nobis de iis actum erat: ſed quatenus univerſè conſiderantur, præcipueque in hominibus ſe exerunt. Proximè autem in rationis expertibus, ac propriè quadrupedibus, ſe noſter continuit ſermo. Sequitur nunc, ut ordine agamus de facultate appetitiva, locomotiva, & ſpirativa: quatenus & hæ in ſolis attenduntur quadrupedibus. Satis autem liquet, ad appetitivam pertinere affectus: & eos non ineſſe modò rationis expertibus, ſed etiam dominari. Quid igitur attinet multa nunc dicere de ira tigridis orbæ, aut pantheræ, de timore cervi, ac leporis, & ſimilibus? Nec tamen ea pars præteriri propterea penitus meretur: ſed ſufficerit affectus unicus; verùm is Amoris; quando hoc nihil eſt potentius. De eo quadripartita erit oratio noſtra. Primùm exponam de amore Venereo: hinc de illo prolis: tum de amore, vel odio, erga alterius animantes: denique de amore quorundam erga homines.

a Libri hujus cap. 23. ac deinceps ſequentibus.

Venereus ardor tantus pleriſque eſt quadrupedum, ut vertatur in furorem. De hoc ita divinus poëta in III Georg.

Tempore non alio catulorum oblita leæna
Sævior erravit campis: nec funera vulgo
Tam multa informes urſi, ſtragemque dedere.
Per ſylvam tum ſævus aper, tum peſſima tigris:
Heu male tum Libyæ ſolis erratur in agris.
Nonne vides, ut tota tremor pertentet equorum
Corpora, ſi tantum notas odor attulit auras?
Ac neque eos jam fræna virûm, nec verbera ſæva,
Non ſcopuli, rupeſque cavæ, atque objecta retardant

Flu-

Flumina, correptos undâ torquentia montes.
Ipſe ruit, denteſque Sabellicus exacuit Sus,
Et pede proſubigit terram, fricat arbore coſtas,
Atque hinc, atque illinc, humeros ad vulnera durat.

Et mox:

Quid lynces Bacchi variæ, & genus acre luporum,
Atque canum? quid? quæ imbelles dant prælia cervi?

Atque, ut ſubjungit,

—— *Ante omnes amor eſt inſignis equarum.*

Adducta autem Maronis verba oſtendunt, præ amore furere non fera modò, ſed manſueta etiam animalia: in quibus ſues domeſtici. Nam de ſue cicure loqui poëtam, etiam Servius annotavit. Ut valde erret Petrus Victorius, cùm in Variis Lectionibus lib. XVII, cap. XI tradit, *poëtam libro tertio Georgicôn verbum de ſuibus manſuetis non feciſſe.* Sanè & poſtea, de cicurum ſuum anginâ, ſic ſcribit *a*:

a Verſ. 497.

—— *Et quatit agros*
Tuſſis anhela ſues, & faucibus angit obeſis.

Id tamen cum Victorio fatendum, poëtam, non uti de equis, bubus, ovibus, capris, dat præcepta; ſic idem facere in ſuibus: eoque imperfectè egiſſe de re ruſtica; cùm omiſerit partem non ignobilem de animanti eo, quod Romanis tantopere in deliciis erat, ut fusè poſteà oſtendam. Nunc ad ſuillum amorem redeamus. In hoc eos eſſe continentes ſatis, moderateque uti Venere, Gryllus ait apud Plutarchum: ſed repugnat Maro, ut vidimus, imò & veterum alii: in his autem Plinius lib. X, cap. LXIII, ait: *Sues coituſpumam ore fundere: verrem ſubantis auditâ voce, niſi admittatur, cibum non capere uſque in maciem: feminas autem in tantum efferari, ut hominem lacerent, candidâ maximè veſte indutum.* Subjungit poſtea, *quadrupedum prægnantes Venerem haud arcere equam, & ſuem.* Eſtque à libidine hac ſuum *ſubandi* vox, teſte Feſto; vel *ſuriendi*, quæ apud Appulejum; ac in gloſſis quoque Philoxeni legas, *Sirit*, κνηθᾷ: in illis Cyrilli, κνηθᾷ, *prurit*: ubi *ſurit* legendum. Nempe ut à *ſubus* pro *ſuibus*, *ſubare*: ſic *ſurire* ab antiquo *ſueris* pro *ſuis*: quale & *boveris*, pro *bovis*; ſimiliaque *Ioveris*, *axeris*, pro *Iovis*, *axis*.

Deinceps in quadrupedibus conſideremus amorem erga fœtum. Hac tamen parte ſolet ſus vituperari. Quippe cujus tanta ſit ἀστοργία *b*, ut fame ſtimulante, proprios etiam fœtus voret: quemadmodum de illo Ælianus prodidit lib. ſeptimo de Animalibus cap. XIX. Cùm verò Romani tam multa prodigii loco haberent, propter quæ ſupplicatione, & ſacris piacularibus, ad iram Deûm averruncandam, opus eſſe arbitrarentur; nihil tamen ejuſmodi, ob ſuculas à matre comeſtas, decernebant; quia id fieri ſcirent ob ventriculi fervorem. Hinc enim eſt illa ſuum voracitas, quodque famem diu perferre non poſſint. Unde Columella lib. VII, cap. XI: *Sunt quædam ſcrofæ, quæ mandunt fœtus ſuos: quod cum fit, non habetur prodigium. Nam ſues ex omnibus pecudibus impatientiſſimæ famis ſunt: ita ut aliquando ſi indigeant pabuli, non tantum alienam, ſi liceat, ſobolem; ſed etiam ſuam, conſumant.* Plinius de iis breviter lib. VIII, cap. LI: *Comeſſe fœtus his non eſt prodigium.*

b Defectio, & imbecillitas amoris erga fœtum.

Nec magnopere ab amore erga fœtum, vel etiam prolem, commendari merentur tigrides mares. Nam, conſpectis venatoribus, fugiunt mares, relictâ matre, ac catulis: ideo mares non capiuntur: eaque cauſſa eſt, cur omnes tigrides eſſe feminæ credantur. Memoriâ deceptus eſt Tzetzes Chil. XII, cap. CCCCXXXIX *c*: ubi ait, tigrides omnes eſſe mares. Hoc enim nemo veterum putavit. Sed fuere, qui omnes putarent feminas, ob rationem adductam.

c Sive pag. 239. edit. Baſil.

Contrà amore erga fœtum, ſimiæ cedunt nulli. Idem Plinius lib. VIII, cap. LIV: *Simiarum generi præcipua erga fœtum affectio. Geſtant catulos, quos manſuefactæ intra domos peperere; omnibus demonſtrant, tractarique gaudent, ſimiles gratulationem intelligentis.* Interea in amore neſciunt modum. Nam, ut ſubjungit, *magna ex parte complectendo necant.* Non utrumque tamen ſimiæ enecant fœtum; ſed, geminum parientes, alterum duntaxat; ut Oppianus ait lib. II Κυνηγετ. *a* Item Orus in Hieroglyphicis, & Avienus in fabulis Æſopeis. Attamen inter eos non convenit, utrùm amore, an odio, priorem interimant. Sed prius non paullo eſt veriſimilius. Romani nihilominus alteram videntur ſententiam ſecuti, cùm ſimiam unà cum paricida culeo inſuerent. De quo Cicero pro Roſcio Amer. & L. penult. D. de leg. Pomp. de parricidiis, & L. unica C. de his qui par. vel lib. occid. & tit. ult. Inſtit.

a Verſ. 605.

Verùm quid ſimiis inſiſto? quando, non hominibus dico, quod Euripides Phœniſſis ait; ſed animalibus obtigit cunctis φιλότεκνος βίος *b*. Duo videri poſſint huic rei obſtare; ſtupor, & feritas. Sed quid ſtupidius aſino? Atqui aſinæ, ut ait Plinius lib. VIII, cap. XLIII, *partus charitas ſumma. Per ignes ad fœtus tendit.* Solùm aquas ita reformidat, ut ne prolis quidem cauſſâ pedes auſit tingere, ſi minimus interſit rivus: quod ibidem Plinius indicat.

b Vita prolis amans.

Jam quid efferum magis, ſive leænis, de quarum erga fœtum amore antea vidimus: ſive tigribus, de quibus Philoſtratus lib. II vitæ Apollonii, cap. VII: ſive lyncibus, & pantheris; de quibus, uti & illis proximè memoratis, idem teſtatur Oppianus in tertio de Venatione *c*. Sanè ſic propugnant fœtus, ut nulla vulnera, vel ictus extimeſcant. Atque hanc στοργὴν eſſe à natura (contrà quàm Epicurei *d* volebant) rectè ait Diodorus Siculus lib. II Hiſt. Ἀγαθὴ ἡ φύσις διδάσκαλος ἅπασι τοῖς ζώοις ἐστὶ πρὸς διατήρησιν οὐ μόνον ἑαυτῶν, ἀλλὰ καὶ τῶν γεννωμένων, διὰ τῆς συγγενοῦς φιλοζωΐας, τὰς διαδοχὰς εἰς ἀΐδιον ἄγουσα διαμονῆς κύκλον. *Natura eſt optima magiſtra cunctis animantibus ad conſervationem non ſui modò, ſed & ſobolis: idque inſito vivendi amore, ad perpetuum durationis orbem propagationem ſui generis extendendo.* Hoc argumentum Plutarchus fusè proprioque tractat libello, quem inſcribit, περὶ τῆς εἰς τὰ ἔκγονα στοργῆς *e*.

c Verſ. 98.
d Cic. ad Att. lib. 7. epiſt. 2.
e De amore naturæ inſito erga prolem.

Quibuſdam verò animantibus non modò στοργὴ *f* ineſt erga fœtus proprios; ſed etiam ſui generis alienos. Appâret hoc ex eo, quod Plinius ait lib. VIII, cap. XLII: *Amiſſâ parente in grege armenti, reliquæ fœtæ educant orbum.* Quod & ante proditum Ariſtoteli lib. IX Hiſt. Anim. cap. IV.

f Amor naturâ inſitus.

Nunc videamus de amore, odiove, erga alterius generis animantia, itidem rationis expertia. Mira eſt inter quadrupedes, & avium quaſdam συμπάθεια *g*: cujus generis ab Oppiano in ſecundo de Venatione *h* memorantur, cervi, & attagenis; damæ, & perdicis; equi, & otidis; lupi, & pſittaci. Similiſque amor, ut ibidem dicitur; eſt inter ſubum, animal amphibium, & piſces. Vide de hujuſmodi diverſi generis animantium amore mutuo Cyrum, ut poſteriores Græci dixere, hoc eſt, Κύριον, ſive *dominum*, Theodorum Prodromum, de Amicitia exulante; & Eraſmum, Colloquio de Amicitia.

g Naturæ conſenſio.
h Verſ. 403. & ſeqq.

Contra ἀντιπάθεια *i* eſt ſumma in aliis. Cujus non aliud celebratius habemus exemplum, quam lupi, & agni. Ea durare quoque creditur in pellibus. Nam ſi pariter pulſentur tympana duo, lupino unum, ovillo alterum corio obductum; illius ſonus validus erit, & terribilis; hujus, præ priori, vix poterit audiri. Atque ajunt, idem habere locum in chordis è lupinis, & ovillis inteſtinis. Ariſtotelem adi lib. IX Hiſtor. Animal. cap. I Plinium lib. X, cap. LXXIV, Oppianum lib. III Κυνηγετ. Sed eſt cauſſa iſtius naturalis, quia tympanum, & chordæ è pelle lupina, ſint duriores, & clariùs ſonent; ut inferiùs dicemus. Cameli, ut Plinius *k* ait, *odium adverſus equos gerunt naturale.* Exemplum odii ejus habemus in prœlio inter Cyrum, & Crœſum, apud Herodotum lib. I: & tangit Ælianus lib. III de Animalibus, cap. VII.

i Naturæ diſſenſio.
k Lib. 8. cap. 18.

Simi-

Simile odium inter elephantum, & rhinocerotem. De quo ſic Plinius lib. VIII, cap. XX: *Alter hic genitus hoſtis elephanto. Cornu ad ſaxa limato præparat ſe pugnæ, in dimicatione alvum maxime petens, quam ſcit eſſe molliorem.* Vide & Oppianum in II de Venatione. Ac Sebaſtianus Munſterus narrat lib. V Coſmograph. Emmanuelem, Portugalliæ regem, anno CIↃ IↃ XV inter ſe commiſiſſe hæc animantia; ſed rhinocerotem fuiſſe victorem.

Itidem ſunt inimicitiæ ſui, & elephanto: ut legas apud Ælianum lib. I de Animalibus, cap. XXXVIII, Suidam in Κεχαραγμός, Philen in Jambis cap. XIV. Ac Suidas addit, eò aliquando de turri, ſuſpenſos ſues, ut grunnitu ejus terrerentur elephanti. Imo Ælianus *a* non veretur ſcribere, eo Romanos artificio victoriam dici de Pyrrho, Epirotarum rege, reportaſſe. Sed hoc antiquiorum prodidit nemo: credo, recentior aliquis nugator Græculus illuſerit Æliano. Veriſimilius id, quòd narrat Poliænus lib. IV, cùm Antigonus Megara obſideret, & elephantos quoque mœnibus admoviſſet, porcos à Megarenſibus eſſe illitos liquidâ pice, eâque accensâ dimiſſos: incidiſſe deinde in elephantos; hos œſtro ſic agitatos, ut alii aliò diffugerint: atque ab eo tempore Antigonum imperaſſe elephantorum magiſtris, quos *Indos* vocant, ut unà cum elephantis alerent ſues: nempe ut illis ſues minus eſſent terroti, poſtquam iis adſueviſſent. Itidem diſſident ſues cum lupis, teſte Ariſtotele, ac muſtelis, ut Plinius narrat. lib. X, cap. LXXIV; ubi & legas de diſſidio thois, ac leonis.

a Lib. I. de Animal. cap. 38.

Adhæc pardalim hiæna perhorreſcit, ut ait Ælianus lib. VI de Animal. cap. XXII. Etiam inimicitiæ ſunt hyænæ cum canibus. Unde Jeſus Sirach in Panareto cap. XIII: *Quæ pax hiænæ adverſus canes? quæ pax diviti erga pauperem?* Hujus ἀντιπαθείας argumentum etiam comparet in pelle hyænæ. Nam ſi eam momorderit canis, dentes ejus obſtupefacit; ut qui hanc geſtant, immunes ſint à morſu canino; quemadmodum Oppianus tradit in III Κυνηγετ. Porrò eum ad Oppiani locum vir optimus, & doctiſſimus, Conradus Ritterſhuſius, annotavit, non ſolùm geſtando hyænæ pellem; ſed etiam, ſi nos proſternamus coram cane, poſſe ejus morſum effugere, modò fides ſit Ariſtoteli, quem id ſcribere ait in ſecundo Rhetoricorum *b*: decepere eum Ariſtotelis interpretes, qui putarunt, loqui ſummum Rhetorem ac philoſophum de lenitate canum erga homines ſe proſternentes, cùm ſermo ei ſit de canibus, qui parcunt canibus peregrinis, ſi ſedeant, vel, humi ſtrati, ſeſe quaſi victos fateantur: ut diximus quoque Oratoriarum Inſtit. lib. II, cap. III, ſect. III.

b Cap. 3.

Sunt & quadrupedum inimicitiæ cum avibus. Ita diſſident muſtela, ac cornix; vulpes, & æſalo. Vel cum ſerpentibus, ut vulpes cum Nili anguibus. Vel cum inſectis; ut ichneumon, ac veſpæ. De quibus Plinius loco proximè memorato.

Quantopere interim natura immutetur etiam efferorum animantium, ſi ſimul educentur; argumento erit exemplum, quod Ælianus *c* narrat de pardo unà educto cum hædo. Hoc enim mortuo, carnibuſque pardo objectis, licet famelicus, abſtinuit ab iis, non ſuſtinens edere veterem contubernalem. At, oblatis alterius hædi carnibus, avidè eas devoravit.

c Lib. 2. de Animal. cap. 24.

Tertio me loco dicturum receperam de amore hominis. Is erga bene meritos magnus equis ineſt. Nam, ut Plinius ait lib. VIII, cap. XLII: *Amiſſos lugent dominos. Interfecto Nicomede rege, equus ejus inedia vitam finivit. Philarchus refert, Centaretrum d e Galatis, in prælio occiſo Antiocho, potitum equo ejus, conſcendiſſe ovantem. At illum, indignatione accenſum, domitis frenis, ne regi poſſet, præcipitem in abrupta iſſe, exanimatumque una.* Atque idem narrant Ælianus lib. VI de Animal. cap. XLIV, & Solinus cap. XLVII. In nomine tamen ducis paullum variant. Nam qui Plinio *Centaretrius* (ita & in MSSis Salmaſii reperitur) is Æliano Κενταρέτης, Solino *Centaretrius a*. Sed de equorum, imò & canum erga dominos amore, inferiùs *b* quoque aliquid dicemus.

d Huic lectioni, quæ & in Parmenſi eſt edit. anni 1476. Ælianus favet: ſed ſi Salmaſium ſequimur, legendum. Centaretro è Galatis in prœlio occiſo, Antiochum potitum, &c.

a Imo & ſic in Plinio Parmenſi, editionis ejus, quam proxime dixi. b Cap. ſeq.

Ajunt & rhinocerotem eſſe feminei ſexus amatorem: nudâ autem virgine ſic affici, ut in ejus ſinu deponat caput: atque ita exuere feritatem omnem: in ſinu autem ejus ſoporatum capi. Referunt Albertus M. & alii juniorum: nec memini me apud antiquiorem legere, quàm Iſidorum Hiſpalenſem Originum lib. XII, cap. II. Eodem vero hoc loco habendum, ac fabulæ Æſopicæ. Commento enim hoc ſignificare voluerunt, nullam eſſe vim tam efferam, quin amore dometur: unde & poëtæ finxerunt, Iovis ſui ſuperbiam Cupidini ſe ſubmittere.

Cap. LXI.

Quâ mente jus naturale eſſe dicatur, quod natura omnia docuit animalia. Capræ, ac ſoricis pietas erga parentes. Grati etiam animi veſtigium pardo ineſſe. Equorum, ac canum, erga dominos fides. Tauri abſtinentia a vacca, ubi conceperit: ſolamque equam, & ſuem, gravidas marem admittere: & cur mulier quoque fœta viri ſit patiens: etſi quædam, ut Zenobia, ubi gravidam ſe ſciret, concubitu abſtinuerint. Quorſum Deus caudam tribuerit quadrupedibus. Camelus in congreſſu Maſſagetis verecundior. Quantopere, & cameli, & equi, coitum cum matre averſentur. Generoſitas equi, & canis. Moloſſicorum, & Chaonidarum canum origo, ſecundum poetas. De vulpe Teumeſſia. Proverbium, Ubi cervi cornua abjiciunt. *Diſſentire in hoc veteres, utrum cervi, dum cornibus carent, eò deliteſcant, quod deformiores conſpici pudeat; an quia tum imbecillitati ſuæ diffidant.*

Ab appetitu, quò amor, cæterique pertinent affectus, conferam me nunc ad virtutes, quæ affectus eos in nobis moderantur. Neque ignoro, rationis expertia propriè virtutes habere nullas, uti neque vitia moralia. Attamen, ut rationis habent umbram ac veſtigium; ita & iis inſunt multæ virtutum imagines, ac ſimulachra: ut Tullius in II de Finibus jure ſtatuat, beſtias eſſe ſpecula naturæ. Ac Juriſconſulti propterea non refugiunt dicere, jus naturale eſſe, quod natura omnia docuit animalia; non quaſi beſtiæ etiam ſint juris intelligentes; ſed quia multa, quæ homines agunt ratione, beſtiæ faciant inſtinctu naturæ: ut non aliunde meliùs, quàm ex beſtiis, quid ſit juris naturalis, cognoſci poſſit. Ex hiſce moralium virtutum ſimulachris nonnulla apponam: & quia de prudentia, virtute dianoeticâ moralium directrice, antea vidimus, cùm de ſagacitate phantaſiæ ageremus: deinceps dicam de tribus illis, quas itidem cardinales vocant virtutes, juſtitiâ, temperantiâ, fortitudine: ex quibus temperantia ſe habet inſtar fundamenti, fortitudo velut muri, juſtitia pro tecto, ac faſtigio perfectioneque cenſetur. Temperantia concupiſcentem dirigit facultatem; fortitudo, iraſcentem; juſtitia, utramque.

Juſtitiæ eſt ſuum cuique tribuere: ut huc etiam pertineat, quòd parentibus, aliiſque bene meritis, ſuus rependitur honos. Quale eſt, quod capræ parentes ſenectute confectos cibo potuque alant, & foveant. Elegantiſſimis eam rem verſibus, mutuamque illam στοργὴν *a*, expreſſit Oppianus in II de Venatione *b*. Sorices quoque (ut apud Plinium legas lib. VIII, cap. LVII) genitores ſuos, feſſos ſenectute, alunt inſigni pietate. Hæc de grato erga parentes animo.

a Charitatem naturalem.
b A verſu 343 uſque ad 374.

Erga quoſvis verò, qui bene fecerint, ſe gratos præſtant (ut alia prætercam animantia) pardi, efferum licet animal. Hoc elucet exemplo, quod contigit Philino, ſapientiæ affectatori: de quo Plinius lib. VIII, cap. XVII.

Illud quoque juſtitiæ eſt, fidelem eſſe erga dominos; ſaltem eos, à quibus quis honeſtè habeatur. Hac parte magna eſt laus equorum, ac canum. De equis, (ut Home-

merum, de equis Achillis; Maronem, de Pallantis equo; & poëtarum alios de aliis mittam) Plinius videndus lib. VIII, cap. XLII, & Ælianus lib. VI, cap. XLIV, item lib. VII, cap. XLVI. Apud Xiphilinum etiam ex Dione, in vita Severi habes, ut cùm imperator is urbe expuliſſet prætorianos, ob id crimen, quod erga imperatorem ſuum Helvium Pertinacem admiſerant: equus prætoriani cujuſdam noluerit dominum profugum deſerere, ſed hinniens ſit proſecutus: miles autem, fide equi cognita, credo, cogitavit, magis fidelem eſſe, quàm ipſe fuiſſet Pertinaci) & illum, & ſe interemerit: ac ſubdit: Καὶ ἰδόντες τοῖς ὁρῶσι καὶ ὁ ἵππος ἡδέως ἀποθνήσκων· *& equus is ſpectatoribus eſt viſus libenter mori.*

a *Verſ.* 862.

Canum fidem, & vigilantiam, indicat Lucretius in v. *a*:

Et leviſomna canum fido cum pectore corda.

Illuſtria fidei eorum erga dominos exempla habes apud Plinium lib. VIII, cap. XL, Ælianum lib. VII de Animal. cap. XIII, Julium Pollucem lib. V, cap. V, veterumque alios. Etiam in duobus canibus venaticis egregium eluxit fidei documentum erga Florentium V Hollandiæ comitem. Nam eo à Gerardo Velſio, & conjuratorum aliis, interemto, cadaver cuſtodiere: etiam, cum navi imponeretur, Alcmariam deferendum, primi in eam inſiluerunt: adhæc, ubi templo illatum, adſederunt perpetuò, nec avelli inde potuere, priuſquam humo conditum foret. Antiquiſſimus eorum, qui id prodiderit, Æmilius Stokius fuit in Chronico Hollandiæ rhythmico *b*, linguâ Belgicâ, mox à cæde Comitis, conſcripto *c*. Recentiora etiam duo exempla memorat Cæſar Scaliger adverſus Cardanum Exercitat. CCII, ſect. VI. Itaque ab omni ævo his videtur commiſſa fuiſſe domus, corporiſque cuſtodia. Hinc Tobiæ filio comes canis: ut eſt hiſtoriæ ejus cap. VI, I, & XI, 9; ſi vulgatam ſequimur editionem. Nam Græca nihil tale habet; non Complutenſis, non Aldina, Baſileenſis, Romana, vel alia. Etiam apud Homerum Telemachus cum cane in concionem prodit: Euander verò apud Maronem cum gemino procedit. Maſaniſſa item ſe canum cuſtodiâ vallabat: ut Valerius ait lib. IX, cap. XIII. Bituiti quoque regis Gallici legatus ad Cn. Domitium venit, non hominum modò, ſed canum itidem ſatellitio ſtipatus; ut eſt apud Appianum Fragmento XI. Hodieque Ceſalæ in Africa regem canibus ſtipari ducentis, legas apud Andr. Theuetum in Coſmographia.

b *Fol.* 43.
c *Anno* 1305. *novembris à cæde Florentii* V.

Venio nunc ad temperantiam; ad quam etiam continentia refertur. Exemplum hujus, præter alios, taurus. Ubi enim vacca concepit, congreſſu ejus abſtinet. Unde, ut ab Oro in Hieroglyphicis *d* traditur, taurus Ægyptiis erat ſymbolum viri fortis, ac temperantis. Imò plus eſt, quòd Plinius refert lib. VII, cap. I: *Præter mulierem pauca animalia coitum novere gravida.* In paucis iis animantibus ſunt equa, & ſus: ut idem Plinius ait extremo capite LXIII libri decimi. Sed ſolius equæ meminit Ariſtoteles lib. IV de generatione animal. cap. V: μόνα τῶν ζώων ὀχείαν ἐπιδέχονται κυοῦντα, γυνὴ, καὶ ἵππος. *Animalium ſola mulier, & equa, cum gravidæ ſunt, ſe iniri permittunt.* De muliere autem, cur eam, etiam fœtam, voluerit Deus viri eſſe patientem, Lactantius docet lib. VI, cap. XXIII. De Zenobia tamen, Palmyrenorum regina, ſic Trebellius Pollio *e*: *Zenobiæ ea caſtitas fuiſſe dicitur, ut ne virum ſuum quidem ſciret, niſi tentatis conceptionibus. Nam cum ſemel concubuiſſet, exſpectatis menſtruis continebat ſe, ſi prægnans eſſet: ſin minus, iterum poteſtatem quærendis liberis dabat.*

d *Lib.* 1. *cap.* 46.
e *In* 30 *tyrannis.*

Ad continentiam etiam, ex eorum ſententia, qui quatuor ſtatuunt virtutes cardinales, referri ſolet verecundia. Huic conſultum voluit natura, cùm quadrupedibus tribuit caudam. Neque enim hoc pacto id ſolùm conſequitur, ut nates minùs exponantur frigori: vel, ut in nonnullis quadrupedibus uſu venit, eâ arceat muſcas: ſed etiam, ut velentur partes verendæ.

Sed hoc potiùs tangit vim animæ formatricem. Contineamus nos in actibus facultatis appetitivæ. Quale eſt, quòd camelus coitum refugit in propatulo, eoque ejus gratiâ ſolitudinem quærat. Atque hac parte à feris, & præcipue camelis, vinci Maſſagetas, qui in propatulo ſine pudore coeunt, ait Ælianus lib. VI de Anim. cap. LX. Utrùm tamen id verecundiâ faciant, an & illud ſit φύσεως δῶρον ἀπόῤῥητα *a*, ſcire ſe negat: ſeque id diſputandum relinquere Democrito Phyſico; qui obſcuratum omnium rerum cauſſas ingenio ſe adſequi poſſe non deſperaret.

a *Naturæ donum ſecretum occultumque.*

Ab inceſtu autem tantopere idem animal abhorret, ut cum aliquando, qui id genus animantis curaret, quia admiſſarius eſſet nullus, matre obtectâ, genitalibus exceptis, admiſiſſet pullum; in coëundo autem decidiſſet tegmen, atque eo pacto ille agnoviſſet matrem; ſic pullus irâ exarſerit, ut fœdi coitus procuratorem interemerit; ſeque ipſum deinde præcipitem dederit; ita facti ab inſcientiâ profecti pœnitudine voluntariam ſibi mortem conſciſcens. Vide, cùm Ælianum lib. III de Animal. cap. XLVII: tum Ariſtotelem in Admirandis cap. II, & lib. IX Hiſt. Anim. cap. XLVII. Ubi & de equis ſimilia narrat. Sexto tamen operis ejus libro cap. XXII ait, ab equis, & matrem, & prolem iniri, armentumque videri tum perfectum, quando id facit. Atque, ſic ferente argumento; eam ſequi opinionem placuit Naſoni in X Metam. cùm Myrrham ita loquentem inducit:

——Coeunt animalia nullo
Cætera delicto; nec habetur turpe juvencæ,
Ferre patrem tergo; fit equo ſua filia conjux.

Sed priorem maluit ſequi Varro lib. II de R. R. cap. VII: *Cum equus matrem ut ſaliret adduci non poſſet, & eum capite obvoluto perorigà* b *adduxiſſet, & coegiſſet matrem inire, cùm deſcendenti demiſiſſet* c *ab oculis, ille impetum fecit in eum, ac mordicus interfecit.* Plinius lib. VIII, cap. XLII: *Equum detracto oculorum operimento, & cognito cum matre coitu, petiiſſe prærupta, atque exanimatum. Equæ* d *eadem ex cauſſa in Reatino agro laceratum proriganı inveuimus. Namque & cognationum intellectus in iis eſt.* Similiter Ælianus lib. IV de Animal. cap. VII, & Oppianus Cyneget. lib. I *e*. Unde jure Seneca in Hippolyto *f*:

Feræ quoque ipſæ Veneris evitant nefas,
Generiſque leges inſcius ſervat pudor.

Vide & Juſtinianum Novell. Conſtitut. XII *g*.

b *Scalig. & hic & ſeq. loco Plinii mallt,* pruriga; à pruritu: *vel, ut in MSSis eſt* prauriga, *quomodo dicimus* claudere, & cludere.
c *A* ii, demiſiſſet.
d *Pet. Victorius legit* Æqua ex cauſſa.
e *Verſ.* 239.
f *Verſ.* 913.
g *Tit.* 7. *de inceſtis & nefariis nuptiis. cap.* 1.
h *Lib.* 3. *Georg. verſ.* 84.

A temperantia, & iis, quæ eò, à Stoicis præcipuè, referuntur, tranſeo ad fortitudinem; quò pertinet magnanimitas. Quam excelſo ſint animo leones, antea vidimus. Admodum etiam generoſus eſt equus: atque ut leo caudâ, ita is auribus animum hunc prodit; Plinio teſte lib. VIII, cap. XVI. Hinc Maro *h* in notis equi animoſi:

——Micat auribus, & tremit artus.

Quid etiam canibus generoſius? Atque eo nomine imprimis olim laudabantur Arcadici, Celtici, Hircani, Indici, Laconici, Locrides, Moloſſici. De quibus Cælius Rhodiginus in Antiquis lib. XVII, cap. XXVIII. Si veterem malis auctorem, generoſiores recenſet Julius Pollux lib. V Onomaſtici, cap. V. Ex quibus Arcadicos ait progenitos è miſtura canis cum vulpe, Arcadicos cum leone, Indicos cum tigride: quod poſtremum ab Ariſtotele hauſtum: ſed, ut ibidem Pollux refert, Nicandro Colophonio traditum, eos eſſe progeniem canum Actæonis; qui, poſt dilaceratum dominum, à rabie liberati tranſmiſerint Euphratem, inque Indiam variis erroribus devenerint. Etiam inter generoſiores memorat Pollux Moloſſicos; quos, uti & Chaonidas, auctore eodem Nicandro, natos fabulatur ex æreo illo à Vulcano fabricato, &, poſt infuſam animam, Jovi donato; à quo eum Europa, uti ab hac Minos, inde Procris, à quo Cephalus, acceperit. De hoc, ut ait, in fatis erat, ne quod animal eum effugeret: uti de vulpe Teumeſſia, ne à cane quoquam caperetur. Itaque, ne Fata ſibi eſſent contraria, & canem Cephali, & Teumeſſiam vulpem, in lapidem à Diis converſos fingunt. Eandem fabulam narrat Antonius

a Extrema Metamorphoſios fabula.

Liberalis*a*. Alii quoque canes à generoſa indole olim laudati: ſed ipſum de iis Pollucem adi.

b Lib. 2. Κυνηγετ. verſ. 215.

Magnitudinem etiam animi indicare in cervo dixeris, quòd, ut Oppianus ait*b*, conſpici pudeat ſine cornibus, uſque dum nova ſuppullulent: quod quotannis menſe fit Θαργηλιῶνι, ut Ariſtoteles ait, hoc eſt, Aprili. Imò nequod ignominiæ ſignum compareat, cornua hæc, quæ abjicit, defodere dicitur abditis in locis. Unde adagium: Ὅπου αἱ ἔλαφοι τὰ κέρατα ἀποβάλλουσι, *ubi cervi cornua abjiciunt*. Quod Zenobius*c*, Diogenianus*d*, & Suidas*e*, dici ajunt de iis, qui moleſtis laboribus diſtinentur, locisque degunt difficilibus. Ac hoc quidem excelſioris animi fuerit, ſi pudeat conſpici, quia ſciant in cornibus illis ramoſis, tum pulchritudinem ſuam conſiſtere, ut ſuperiùs dicebamus; tum quoque, quòd roboris obtinent. Sed etiam duplici aſſignare hoc timori poſſis: nempe partim, quia vereantur, ne carnes teneræ, unde cornua decidêre, ab culicibus infeſtentur, & id genus inſectis; quam rationem adducit Ariſtoteles in lib. IX Hiſtor. Animal. cap. V: partim quia animal per ſe meticuloſum tum formidet magis feras, adverſus quas non poſſit ſe defendere, ut ante; quæ ratio placuit Theophylacto Simocato problemate V. Videturque eò inclinaſſe Plinius, cùm de iis ait lib. XXXIII: *Latent amiſſis cornibus, velut inermes.*

c Centuria 5. proverb. 52. d Centur. 7. proverb. 7. e In Ὅπου.

Cap. LXII.

De ſimulachris vitiorum moralium in beſtiis. Ἵππος *pro femina libidinoſa. Exſtingui libidinem equæ, ſi jubam detonderis, idque fieri præ pudore. Ut* ἱππομανεῖν *de equa, ſic* ταυρᾶν *de vacca. Quouſque vacca exaudire credatur tauri mugitum, quando Venerem appetit.* Juvenca, *pro femina libidinis æſtro percitâ. Cur Io in vaccam converſa fingatur. Taurum unum quindecim ſufficere vaccis: interim nimiâ & hunc Venere marceſcere. Taurus æneam iniens vaccam. Libido etiam ingens cervo, cynocephalo, hirco. An Tiberius ſit vocatus* Caprineus. Hirquitallire. *Canis adulter. Dornadillæ, Scotiæ regis, interdictum, ne, qui canes alerent venaticos, ſinerent eos cum matribus miſceri. Hippopotamus patrem, ſi libidini adverſetur, interimit, quo cum matre ſecure conſueſcat. Canis, animal impudens. Pardi deditì vino, quo & capiuntur. Cur Poetis fingantur Bacchi nutrices. Cur Alexander M. in Danielis prophetia comparetur pardo. Biſariam peccari à facultate iraſcente; exceſſu, ut a leone; defectu, ut a cervo.* Cervus, *pro ſervo fugitivo. Ingrati ſunt lupus, & ſidus: pardus autem verſutus in tegendis improbe inſidiis.*

NEc tamen in quadrupedibus virtutum duntaxat exempla ſuppetunt: ſunt & illis ſua vitiorum ſimulachra. Quid mirum? beſtiæ ſunt. Sed nobis, qui ratione ſumus præditi, turpe fuerit, ſi non iis præſtemus longiſſimè. Nempe animis noſtris obverſari debet illud divini Pſaltæ*f*: *Nolite fieri, ſicut equus, & mulus, quibus non eſt intellectus.* Non ſequendus igitur, nedum vincendus nobis, beſtiarum furor in Venerem: de quo cap. LIX agebamus. Nunc, quia ardor ille conſideratur, tum ut eſt affectus, tum ut in eo eſt exceſſus, itque nobis morale vitium ſit; pauca de eo hoc loco adtexam. Talis eſt furor equarum: ut ex Marone vidimus. Imò eas poſt hominem maxime libidine incendi; tum Ariſtoteles refert lib. VI Hiſtor. Animal. cap. XVIII, & XXII; tum ex eo Ælianus lib. IV Hiſt. Animal. cap. XI: atque addunt uterque, hinc feminas ſalaces vocari ἵππας*g*. Ac equarum quidem libido exſtinguitur, juba detonſa, fronſque tum redditur triſtior. ut Ariſtoteles ait priori loco ex proxime memoratis, & ex eo Plinius*h*. Præ pudore tunc furorem, & libidinem, remittere, Æliani judicium eſt lib. XI, cap. XVIII. Hominum autem non alia exſtinguendæ ejuſdem convenientiora ſunt remedia, quam hinc jejunia, & preces ad Deum: inde ſi res agat; quo pacto Cupidinis perire arcus, ipſe etiam amorum magiſter*a* profitetur.

f Pſal. 31. ſive Hebr. 32. verſ. 9.

g Equas.

h Lib. 10. cap. 63.

a Lib. 1. de Remedio amoris.

Quod de fugienda equarum libidine præceptum, idem de illa vaccarum dictum velim; quæ proxime ab illa equarum abeſt: atque ut equæ dicuntur ἱππομανεῖν, quod *equire* tranſtulit Plinius*b*; propriè autem ſonat *equi amore furere*: hoc in vaccis eſt ταυρᾶν, q. d. *taurire*, ut Gaza vertit: hoc eſt, *furere amore tauri*. Vide Ariſtotelem lib. VI Hiſt. Animal. cap. XVIII, & XXII. Atque, ut inquit Ælianus lib. X de Animalibus, cap. XXVII, καὶ ἀπὸ τριάκοντα σταδίων ἀκούειν ταύρου βοῶντος ἐρωτικὸν σύνθημα, καὶ ἀφροδίσιον μυκωμένου φασί· *vaccam à XXX ſtadiis audire ajunt tauri mugientis ſignum, ac velut teſſeram Veneream.* Iccirco Helenam Oenone vocat *juvencam* in Ovidianis Heroidum epiſtolis:

b Ibidem.

Graja juvenca venit, quæ te patriamque, domumque,
Perdat. Io, prohibe, Graja juvenca venit.

Cumque Io à poëtis in vaccam dicitur converſa, non alio æque attenderunt, quàm quòd fuerit impudica. Unde de ea Ovidius in primo de arte Amandi:

Nec fuge Niligenæ Memphitica templa juvencæ.
Multas illa facit, quod fuit ipſa Jovi.

Sententia eſt, dum religionis prætextu ad templum Iſis multæ commeant puellæ, quæ magis amatorem quærunt; redire tales, quales Io ab Iove; hoc eſt, gravidas. Quò libidini tantæ par ſit taurus, etiam a natura ei conceſſum eſt, ut vel unus taurus quindecim ſufficiat vaccis: quemadmodum ſcribit Columella lib. VI de R. R. cap. XXIV. Tantum roboris in libidine a magno provenit calore. Itaque, ut Seneca in Oedipo refert,

Taurus armento pereunte marcet.

Nimirum quia non eſt, ut libidinem ſatis expleat: unde & Maro Ecl. III:

Eheu quam pingui macer eſt mihi taurus in arvo.
Idem amor exitium eſt pecori pecoriſque magiſtro.

Magnæque in illis libidinis eſt argumentum, quòd, ut Livius ait lib. XLI, *Vacca ænea Syracuſis, ab agreſti tauro, qui pecore aberràſſet, inita ſit, ac ſemine adſperſa.*

Cervi prætèrea admodum ſunt libidinoſi: ut indicat Ariſtoteles lib. V, & VI Hiſtor. Animal. ac Plinius lib. X, cap. LXIII. Atque hac parte eos cum gallis gallinaceis comparat Oppianus in ſecundo Κυνηγετ.*c* Quamquam hæc ad robur etiam referre poſſis, quòd tantopere in Venerem ſufficiant.

c Verſ. 187. & ſeqq.

Adhæc libidinoſi admodum ſunt cynocephalus, & hircus: quorum uterque & inire virgines, ac feminas, dicitur; teſte Æliano lib. VII de Anim. cap. XIX. Etiam de libidine hirci, ſive capri, complura Diodorus Siculus lib. I. Nec invalidus eum affectum ſatis regit. Notum proverbium: *Hircum vetulum capreæ*d *naturam ligurrire.* Quod in Atellanico exodio dictum, maximo exceptum eſt applauſu*e*, quaſi in Tiberium Cæſarem foret prolatum: nimirum, quia in Capreenſi ſeceſſu mirà libidinum infamia flagravit. Itidem ad caprarum caprearumve libidinem alluſum, cum Tiberium Cæſarem καπρίζειν dicerent. Scio, apud Suetonium lib. III, cap. XLIII legi, *Caprineum dictitabant.* Sed non dubium, quin veriſſima ſit divini viri, Hug. Grotii conjectura, καπρίζειν *eum dictitabant.* Etiam ab hircorum libidine, & axillis hircum olentibus, τραγίζειν Græcis, Latinis *hirquitallire* dicuntur, qui pubertatem ingrediuntur; ut ex Cenſorino*f*, & Feſto Pompejo, cognoſcimus. Ac quia ab ætate iſta ſtultè ſapientiam requiras, ut quæ maximè affectibus ſerviat; eò in veteri Onomaſtico *irquitallus* exponitur ἐμπληκτότατος, hoc eſt, *ſtultiſſimus*. Sanè *ſtulte agere*, pro *libidine aliquid turpe committere*, Plautus non uno dixit loco: ac ſimiliter loquuntur Hebræi: qua de re dixi Oratoriarum inſtitutionum lib. IV cap. VIII, ſect. II.

d Grateris capreis legit, ut manifeſtior ſit ad Capreas inſulam alluſio.

e Sueton. in Tiber. cap. 45.

f De die natali cap. 4.

De canum libidine, domeſtici animalis, res notiſſima. Et quam fœdæ illud eſt libidinis argumentum, quod, ut ab Æliano proditum eſt lib. VII de Anim. cap. XIX, Ro-

mæ maritus uxorem accuſatæ adulterii, inque judicio adulter propalam canis diceretur? Notum & illud, nec matribus parcere. Quod cùm deteſtaretur Dornadilla, Scotorum rex à Ferguſio vigeſimusquinctus; interdixit, nequis id permitteret eorum, qui canes alerent venaticos. Teſtis Hector Boethius Hiſt. Scoticæ lib. II. Atque addit, ſic vulgo exſtimatum, eos, qui coitu tali producerentur, neutiquam eſſe venationi idoneos.

Hoc tantopere in canibus eſt improbatum, ſi non canum, at ſaltem exempli humani gratiâ. Quanto igitur magis deteſtabile putandum exemplum hippopotami? qui, ſimulac ætate eſt firmatior, vires periclitatur, certando cum patre: ſi pater ceſſerit, vivere eum patitur; ſed congreditur cum matre: ſin reſtiterit pater, eum interimit: quemadmodum apud Ælianum legere eſt lib. IX de Animal. cap. XIX.

Atque hæc ad intemperantiam in Venere pertinent. Ad quam etiam refertur impudicitia. Nam ut caſtitas, ſic pudicitia quoque, Veneris voluptates compeſcit, & intactam animi puritatem præſtat. Impudentes autem ſunt canes; ut qui in propatulo libidinem diſpument. Quamquam & aliter eorum impudentia appareat: ut quod nec cedant, nec repelli ſe patiantur; quemadmodum Ælianus ait lib. VII de Animal. cap. XIX. Sed, utcunque hinc impudentes eſſe colligat Ælianus, non dubium tamen, quin prius illud potiùs attenderit Homerus Iliad. Α; quando Agamemnona ait κυνὸς ὄμματ᾽ ἔχειν a, cùm impudentem vellet dicere.

a *Canis oculos habere.*

Nunc de gulæ intemperantia dicam. In hac refugiendum pantheræ exemplum: quippe vinoſæ; teſte Oppiano in tertio de Venatione b. Itaque inter modos capiendæ pantheræ etiam is eſt, ſi inebrientur vino: quod traditum Oppiano lib. IV Κυνηγετ. c Eò autem vinolentas ait, quia quondam fuiſſent nutrices, & comites Bacchi. Necdum enim omnem dedidiciſſe Bacchici liquoris amorem. Contrà ego dixero, fingi iſta, quia vino deditæ ſunt; ac Bacchus vino præſit. Nec abſurdè ſtatuas, in viſione Danielis prophetæ cap. VII, imperium Græcorum, ſive Alexandri Magni, comparari pardo, quia Alexander M. fuerit vinoſus, uſque adeò, ut ſi eos minùs ſequi fuerit viſum, qui veneno interiiſſe arbitrantur, ſatis tamen cauſſæ ſola in vinolentia fuerit, cur periret Babylone. Interea iis magis acceſſero, qui in prophetia hac attendi potiùs cenſent ad pantheræ pernicitatem; de qua capite proximo dicemus. Siquidem, μηδὲν ἀναβαλλόμενος d, duodecim annorum ſpatio, à Græcia omnia, ultra Indum uſque, devicit.

b *Verſ.* 80.

c *Verſ.* 228. & *ſeqq.*

d *Nihil differendo.*

Ad gulæ intemperantiam quoque pertinet, quòd canes adeo ſint ἀκοινώνητοι e, & conſortii impatientes, ut non minùs de oſſibus decertent, quàm Menelaus, & Paris, de Helena; ut ſcitè Ælianus lib. VII de Animal. cap. XIX. Excipit tamen canes Mendeſios, qui ſoli dicuntur rapta in medium adferre, & ſimul comedere.

e *Societatis expertes.*

Hæc dicta ſunto de vitio non moderante cupiditates: quo fit, ut beſtiæ Venerem, aut gulam, non compeſcant ratione, quâ carent; ſed bruto ad voluptates impetu ferantur. Hoc vitio beſtiis ſimilis fuit Sardanapalus; cujus ſepulchro, ut ajunt, Aſſyriâ inſcriptum lingua erat f:

Hæc habeo, quæ edi, quæque exſaturata libido
Hauſit.

f *Cic. Tuſcul. Qu. lib.* 5. *Græcèque habes in Anthologia: item apud Diodorum, Strabonem, Athenæum, Clementem, & Theodoretum.*

Item Xerxes, qui edicto præmium propoſuit cunctis novum deliciarum genus invenientibus. Philoxenus g quoque, qui gruis collum optabat, ut diutius cibi, ac potus, guſtum perſentiret. Et ſunt id genus exempla, ſemperque erunt, ἴσα κόνει h.

g *Athenæus lib.* 1, *item lib.* 8, *ex Machone Comico.*

h *Inſtar pulveris.*

Tranſeo ad vitium alterum, quod ad facultatem pertinet iraſcentem: eſtque geminum pro duplici exceſſu. Nam uti virtus hic eſt duplex; prius iram ſe efferentem deprimens; poſterius animum depreſſum excitans: ita & geminum eſt circa affectum hunc vitium; unum effrenis iræ, alterum abjecti metus. Prius ineſt leonibus,

Pectora qui fremitu rumpunt plerumque gementes,
Nec capere irarum fluctus in pectore poſſunt:

Ut eſt apud Lucretium lib. III a.

a *Verſ.* 298.

Poſterius ſe exſerit in cervis, quibus tam pavor inſitus naturâ, quàm exceſſus leoni animus. Unde idem Lucretius in III b:

b *Verſ.* 742.

Denique cur acris violentia triſte leonum
Seminium ſequitur? dolus vulpibus, & fuga cervis
A patribus datur, & patrius pavor incitat artus?

Itaque Achilles Il. Α Agamemnoni tribuit cor cervi, cùm timidum dicere vellet, atque ignavum. Et Romani *cervos* dixere pro *ſervis fugitivis*; teſte Sexto Pompejo, in *Servorum*. Atque ita uſus eſt Martialis lib. III, epigr. XCI. Nam omnino pro *puero* (quod videas etiam placuiſſe Ramirezio de Prado) ex libris vett. *cervo* eſt reponendum: ut primus optimè perſpexit Petrus Crinitus c: cui ſubſcribunt Palmerius in Spicilegiis, Fulvius Urſinus ad Feſtum d, & Scriverius noſter animadverſ. in Martial. Imprimis autem timidi ſunt pulli cervini; quos Græci ἰνοὺς, Latini *inulos*, ſive *inuleos* vocant. Horat. lib. I, od. XXIII:

c *Lib.* 19, *cap.* 8.

d *In Servorum.*

Vitas inuleo me ſimilis Chloë.

Quod ex Anacreonte eſſe expreſſum, H. Stephanus obſervavit.

Præter cervos in timidis animalibus etiam oves, & lepores, Ariſtoteles reponit Hiſt. de Animal. lib. II, cap. I. Quibus capreas, damas, & pygargos, addere licet ex Æliani lib. VII de Animal. cap. XIX.

Dictum de vitiis, quæ vel circa ſolas verſentur cupiditates, vel circa iram duntaxat ſeu exceſſu, ſeu defectu, peccent. Injuſtitia autem æquè ſe diffundit circa facultatem, tum concupiſcentem, tum iraſcentem: ut capite antecedenti de juſtitia dicebamus. Nihil verò iniquius, quàm pro beneficio maleficium rependere. Quomodo lupi ingrato erga eos ſunt animo, qui nutriunt: unde Socratis illud e, κακοὺς ποιῶν εὖ, θρέψαις λύκους· *malis bene faciens, nutrias lupos.* Eſt & in Ἀνθολογίᾳ epigramma elegans de capra uberibus ſuis alente lupum, qui poſtmodo eam eſſet voraturus. Etiam σῦβος f, animal amphibium, animo eſt ingrato, & crudeli erga piſces eum ſectantes, ut oſtendit Oppianus in ſecundo de Venatione g.

e *Apud Theocriti ſcholiaſten in verſ.* 38. *ſive* ὀδοιπόρ. *Ubi* λύκους *etiam Eraſmus in Chiliad. legit. Sed alii* κύνας, *canes.*

f *Subus.*

g *Verſ.* 438.

Nec injuſtitia ſolùm ſe exſerit erga bene meritos, ſed etiam alios quoſvis. Siquidem juſtitia ad æqualitatem ſocietatis humanæ pertinet. Ne igitur ſimiles ſimus pardo: qui, Oro h teſte, Ægyptiis ſymbolum eſt hominis vafri, nequitiam tegentis. Quippe lento greſſu alia perſequitur animantia, ne ſi ſua innoteſcat pernicitas, magis ſibi ab eo caveant. Præterea ut aromatibus ipſe capitur, quemadmodum eſt apud Philoſtratum i: ita & odoris ſui fragrantia animantes ad ſe allicit, quas poſtea capiat, ac voret. Teſtis Theophraſtus libro de Odoribus, & de cauſſis Plantarum lib. VI, cap. XXVI, Plutarchus in Comparat. Animal. Ælianus lib. V de Animal. cap. XL, & LIV: ubi quoque legas, ſic imprimis ſimiis inſidiari. Nec dubium, quin de fragrantia idem voluerit Orus: nempe ut non ὁρμὴν, id eſt, *impetum* ſcripſerit, prout eſt in Aldinâ: ſed ὀσμὴν, hoc eſt, *odorem*; ſicuti in MSo Auguſtano eſſe, annotavit Hœſchelius. De eodem hæc Plinii verba ſunt lib. VIII, cap. XVII: *Ferunt odore* (pantherarum) *mire ſollicitari quadrupedes cunctas: ſed capitis torvitate terreri. Quamobrem, occultato eo, reliquâ dulcedine invitatas corripiunt.*

h *Lib* 2. *cap.* 90.

i *Lib* 2. *de vita Apollonii, cap.* 1.

CAP. LXIII.

Univerſa leporis membra affabre ad velocitatem eſſe facta: etiam aures, quibus curſum moderatur. Propterea has prolixas ei tributas: ſimul, ut audiat acutius: ac viſus imbecillitatem compenſari bonitate auditus. Provenire hanc aurium longitudinem a frigida, & ſicca temperie; quæ in aurium generatione plurimum poteſt; quia ſunt cartilagineæ: cartilagines autem, cum mediæ ſint inter oſſa, & carnem natura, omnino à frigore duritiem accipiunt. Atque eandem eſſe

eſſe cauſſam longarum aſini aurium. Etiam à frigido eſſe temperamento, quod lepores ſic timeant: multumque ad hoc conferre, quod amplo ſint corde præditi: atque idem in cervis, muribus, & glis, habere locum. Velocitas cervi, leocrocottæ, pantheræ, tigridis. Unde tigridis *appellatio. Celeritas alcis, equi, cameli, aſini, ſtruthionis, felis Malabaricæ, feræ rangiferæ, muſtelæ. De hyſtrice error quorundam. Unde tam facilis ſit natatio cervis. Capras ſpiritum ſuum cornibus ducere.*

NUnc conſiderationem intendamus in ea, quæ pertinent ad facultatem locomotivam; ubi præcipuè admiratione eſt velocitas. Naturam verò, cum ſingulis fere animantibus conferret, quo valeret; leporibus celeritatem tribuiſſe, ait Anacreon oda II. Xenophontis etiam eſt lib. de Venatione *a*: Οὐδὲν τῶν ὄντων ἰσομέγεθες τούτῳ ὅμοιόν ἐστι πρὸς δρόμον. *Nullum eſt animal par magnitudine lepori, quod eum æquet curſu.* Ac deinde ex conformatione capitis, colli, ſcapularum, crurum, pectoris, laterum, ilium, coxarum, femorum, pedum, comprobat, omnia leporis membra ad levitatem eſſe compoſita. De auribus nihil initio addit. Sed paullò pòſt ſubdit *b*: Οὐρὰν δὲ οὐκ ἐπιτηδείαν ἔχει πρὸς δρόμον. ἰθύνειν γὰρ οὐχ ἱκανὴ τὸ σῶμα, διὰ τὴν βραχύτητα. ἀλλὰ τῷ ὠτὶ ἑκατέρῳ τοῦτο ποιεῖ. *Caudam habet ad curſum minus idoneam. Nec enim apta eſt ad corpus dirigendum, propter brevitatem: ſed utrâque hoc præſtat aure.* Idemque firmare eſt ex inedito Xenophontis junioris de hoc argumento opere; ſed propediem, ut ſpero, lucem viſuro, filii beneficio. Nempe uti leones ſe ad robur majus excitant caudâ: ſic lepores ſe auribus ad curſum incitant, eumque moderantur. Ac propterea Deus lepori longas dedit aures. Talibus enim certiùs dirigit curſum. Quamquam & altera eſt ratio, quòd longis auribus meliùs percipiantur ſoni: ut animali tam timido erat neceſſe, quò tempori capeſſat fugam. Alteram etiam accipe rationem. Sanè pejus vident lepores; quia, ut ibidem memorat Xenophon, ſic oculi protuberent foras, ut nec toti palpebris tegi poſſint; ſed oculis dormiant ſemiapertis. Diximus de hoc quoque cap. XXIII. Hanc igitur imperfectionem viſûs compenſare Natura voluit longis auribus ad liquidiùs audiendum: quemadmodum etiam, ut cap. XXVII monebamus, earum beneficio clarius audit aſinus; etſi, ob ſtuporem, ſonorum harmoniam non majoris faciat, quam ſonos abſonos & abſurdos. Atque iſtæ quidem finales ſunt cauſſæ; ob quas Deus lepori tantas tribuerit aures. Cauſſa autem efficiens peti debet ex eo, quòd animal ſit frigidum, ac ſiccum: ex cujuſmodi materie generantur oſſa, & cartilagines, quæ ad oſſeam materiem proximè accedunt. Atqui aures ſunt cartilaginoſæ: ut ad earum non generationem modò, ſed & incrementum, frigida corporis temperies plurimum poſſit. Hæc ratio ab Ariſtotele *c* etiam adducitur: nec in leporinis, modò, ſed etiam aſininis auribus, habet locum. Quemadmodum & temperies eadem melancholica in cauſſa eſt, cur ſic paveant lepores: nempe & id eſt à frigore temperamenti. Quamquam & altera ratio eſt, magnitudo cordis; quæ facit, ut ſpiritus vitales nimis diſſipentur: uti contra à ſtipatione ſpirituum in corde exiguo provenit audacia. Hanc rationem adfert Plinius, verbiſque ejus apponi hic meruit *c* lib. XI, cap. XXXVII: *Bruta exiſtimantur animalium, quibus cor durum riget; audacia, quibus parvum eſt; pavida, quibus prægrande. Maximum autem eſt portione muribus, lepori, aſino, cervo, pantheræ, muſtelis, hyænis, & omnibus timidis, aut propter metum maleficis.*

a P. 982. edit. Pariſ. an. 1625.
b Pag. eâdem.
c Sect. 10, probl. 53.

Ut verò lepores à velocitate prædicat Anacreon: ita cervis hanc gloriam tribuit Maximus Tyrius ſerm. XII. Nimirum cum provida Natura, ſive Deus potiùs, ad ornatum iis tribuiſſet ramoſa illa cornua, quæ caput prægravant, ad compenſandum hoc incommodum eximia eos donavit corporis agilitate. Hinc *cura* Horatio *d*, cùm celerrimam indicare vellet, *ocior cervis* dicitur. Et Plautus in Pœnulo *a* jungit curſum cervorum, ac gradum cacalatorum ſive calonum, quia & militares greſſus ſunt celerrimi.

d Lib. 2. od. 16.
a Act. 3. ſc. 1.

Alii alias animantes à velocitate extollunt. Jacobus Vitriacus lib. II Hiſtor. Orient. cap. LXXXVIII ait, beſtias univerſas pernicitate vinci a leocrocotta, ſeu leucrocotta. Sed pro eo corruptè apud illum *Cencrocota* editum eſt. Nempe librarii errore L, & C, confuderunt.

Pantheræ, (quod nomen commune eſt maribus, & feminis; etſi illi propriè, nec ſemper tamen, *pardi*, hæ *pardales* dicantur) ter quater equum, licet pernicem, adſequuntur: unde propheta Habacuc I, verſ. IX: *Leviores ſunt pardis equi ejus.* Tigridis item miranda eſt velocitas; unde & nomen accepit. Nam Armenus, Medis, ac Perſis, *tigris* notat ſagittam: à cujus pernicitate, animali, imò & rapidiſſimo Hyrcaniæ fluvio, *tigridis* nomen datum fuit: ut eſt apud Varronem lib. IV de L. L. Strabonem in XI, Plinium lib. VI, cap. XXVII, & Iſidorum lib. XII, cap. II. Sanè in *Tigri* poſteriorem habemus ſyllabam Chaldæi גִּר, id eſt, *ſagitta*: unde ſi fuerit *tigris*, T fuerit Heemanticum. De velocitate ejus Plinium adi lib. VIII, cap. XVIII. Ac inde fama, ſed inanis, ex zephyro concipi; ut diximus cap. LIV.

Alce tantum itineris uno conficit die, quantum equus triduo. Septentrionalibus eſt uſus ejus in trahendis vehiculis. Atque intra νυχθημέρου *b* etiam, citra cibum, & potum, conficit milliaria Italica, non quingenta quidem; quod apud Ulyſſem Aldrovandum legas lib. I de quadrupedibus cap. XXXII *c*: attamen ducenta Italica, ut eſt apud Olaum Magnum lib. XI, cap. XXXVI. Ubi illud quoque legas; nonnullis Sueonum locis interdictum eſſe eorum uſum, ne iis aliqui utantur ad prodenda exteris regni ſecreta.

b Horas 24.
c Pag. 871. edit. Bonon. an. 1621.

In equo etiam unà cum robore præcipuè celêritas laudatur. Unde proverbii more de omni conatu dicitur, *velis, equiſque.* Et Theognis, cum dicere vellet, bonos juventutis annos cito pede labi, ſubjungit,

Οὐδ' ἵππων ὁρμὴ γίγνεται ὠκυτέρη.
Pernix non ipſis vis magis inſit equis.

Ideo Ulyſſes, ut eſt apud Homerum, cùm ſtultitiam ſimulare vellet, aratro junxit equum, & bovem, diſparia valde animalia, quia ille celer admodum, hic tardus. Magnum autem hoc celeritatis eſt argumentum, quod, intra νυχθημέρου *d*, ſecundum Arabes, iter expediunt centenorum milliium: ut eſt apud Ludovicum Roman. lib. IV Navigat. Ac apud Vopiſcum in Probi imperatoris vita legas, quomodo, *ſive ex Alanis, ſive ex aliqua alia gente, repertus ſit equus, non decorus, neque ingens, qui, quantum captivi loquebantur, centum ad diem milliaria currere diceretur, ita ut per dies octo, vel decem, continuaret.* Celeritate autem equa præſtat mari: unde Horatius *e* maluit dicere,

d Horas 24.
e Lib. 2. od. 16.

——*tibi tollit hinnitum*
Apta quadrigis equa.——

Et Maro Georg. III:

——*Eliadum palmas Epirus Equarum.*

Quem ad locum Servius annotavit, *equas* dicere, quia hæ velociores, & ejus è Plinio rationem reddit, cujus hæc verba lib. VIII, cap. XLII: *Scythæ per bella feminis uti malunt, quoniam urinam curſu non impedito reddunt.* Eſtque ejuſdem Plinii lib. X, cap. LXIII: *Viciſſe Olympia prægnantem Echecratidis Theſſali invenimus.* Apud Herodotum quoque in ſexto *f* legas, de equabus Cimonis Athenienſis, Steſagoræ filii: Τέθαπται δὲ Κίμων πρὸ τοῦ ἄστεος, πέρην τῆς διὰ Κοίλης καλεομένης ὁδοῦ. καταντίον δ' αὐτοῦ αἱ ἵπποι τετάφαται αὗται αἱ τρεῖς Ὀλυμπιάδας ἀνελόμεναι. ἐποίησαν δὲ καὶ ἄλλαι ἵπποι ἤδη τοῦτο Εὐαγόρεω Λάκωνος. πλέω δὲ τουτέων οὐδαμαί. *Sepultus vero Cimon ante urbem, trans viam, quæ vocatur Diacœle, ac è regione ejus ſepultæ ſunt equæ illæ, quæ tres Olympiacas victorias reportarant. Fecerant hoc jam aliæ equæ, quæ fuerant Evagoræ Laconis: nec aliæ præterea ullæ.* Cæterùm extrema illa verba non hoc indicant,

f Pag. 419. edit. H. Steph.

id fuiſſe infrequens, ut equæ ſuperarent; ſed ut ter ſuperarent; qui honos equorum tum, ut videtur, obtigerat nulli. Fortaſſe igitur audiendus non eſt Oppianus *a*; cujus judicio,

a *Lib.* 1. *de Venat. verſ.* 159. *&* 160.

— Χερειότεροί εἰσι πόδεσσι
Θηλύτεραι, πλέειν δολιχὸν δρόμον ἐν ξυλόχοισιν,
— *Deteriores ſunt pedibus*
Feminæ ad conficiendum longum curſum in ſylvis.

Ac propterea in venatione ait equos præſtare equabus: ſimul etiam, ne coitus appetentes hinnitu aëra compleant, atque ita hinnulos, capreas, & lepores, fugent. Sed de equis ſatis.

De camelorum velocitate ita Plinius lib. VIII, cap. XVIII: *Omnes aut jumentorum miniſteriis dorſo funguntur, aut etiam equitatûs in prœliis. His velocitas, ut equis: ſed ſua cuique menſura, ſicut vires.* Sic locum corruptiſſimum in Plinianis exercitationibus feliciter emendavit vir nunquam ſatis laudatus Claudius Salmaſius *b*.

b P. 987.

Aſini quoque utcunque tardi audiant, reperias tamen in Arabia equis celeritate pares, vel ſuperiores. Qua de re ſic Xenophon lib. 1 Expeditionis Cyri *c*: Καὶ οἱ μὲν ὄνοι, ἐπεί τις διώκοι, προδραμόντες ἀνειστήκεσαν (πολὺ γὰρ τοῦ ἵππου θᾶττον ἔτρεχον) καὶ πάλιν ἐπεὶ πλησιάζοι ὁ ἵππος, ταὐτὰ ἐποίουν· *Aſini quidem iſti, ſiquis perſequeretur, præcurrentes ſubſiſtebant (quippe equo erant velociores multo:) equo item propiùs accedente, idem factitabant.* Origenis quoque ſunt iſta lib. 1 *d* in Jobum, nempe in cap. 1, verſ. 3: *Quod nunc equi, & muli perficiunt, hoc nihilominus aſini adimplebant: præſertim tales, quales ſunt in regione Arabia, & Palæſtinorum aſini; qui veloces ſimiliter ſunt, ut equi.* In Ægypto etiam ſunt, qui die unâ citra noxam conficiant quadraginta paſſuum millia: quod & Cæſari Scaligero proditum adverſus Cardanum Exercitat. CCXVII.

c P. 256. *edit. Pariſ. an.* 1625.
d P. 425. *edit. Baſil. an.* 1536.

Struthionis etiam ſive ſtruthiocameli celeritas celebratur à Xenophonte lib. primo operis jam memorati: ubi Arabiam deſcribens ait *e*: Στρουθὸν δὲ οὐδεὶς ἔλαβεν. οἱ δὲ διώξαντες τῶν ἱππέων ταχὺ ἐπαύοντο. πολὺ γὰρ ἀπέσπα ἀποφεύγουσα, τοῖς μὲν ποσὶ δρόμῳ, ταῖς δὲ πτέρυξιν αἴρουσα ὥσπερ ἱστίῳ χρωμένη. *Struthiocamelum nemo cepit; adeoque, qui perſecuti eos equites fuerunt, cito deſtiterunt. Longè enim volans aufugiebat, pedibus quidem currens, alis autem expanſis utens pro velo.* Etiam pernicitatem hanc prædicat Oppianus in tertio κυνηγετικῶν *f*: ubi ei tribuit ἴσον τάχος οἰωνοῖσιν *g*. Nempe quia, ut ex Xenophonte vidimus, pariter & currat, & volet. Qua de re etiam Jobus cap. XXXIX. Dixi de iſto loco cap. XLIX. Adeatur & Franciſcus Valleſius de Sacra philoſophia cap. LV.

e P. 256. *edit. Pariſ. an.* 1625.
f *Verſ.* 502.
g *Parem avibus celeritatem.*

Auctor eſt Scaliger *h* in provincia Malabar feles eſſe agreſtes in arboribus agentes, ejus velocitatis, ut potiùs ſaltu valeant, qui & volatus ſpeciem habet. Nam pedes, cruraque, non attingentes terram, agitant in aëre, ut per eum currere videantur.

h *Exercitatione* 217. *ſect.* 9.

Rangifera Septentrionis fera die uno, Olao *i* teſte, triginta conficit milliaria Gothica, ſive Germanica.

i *Hiſtoria de Gentibus Sept. lib.* 17. *cap.* 28.

Etiam Conrado Geſnero *k* retulit aliquis, muſtelam ſe vidiſſe, quæ ſaltibus continuatis ſuperaret fluvium Limagum: nec enim unquam altiùs immerſam natâſſe, ſed per ſummam proſiliiſſe aquam. Atque addit Geſnerus, ſe fidem huic habere ſermoni ob ſummam ejus animalis levitatem, & agilitatem.

k *Hiſt. quadrup. cap. de Muſtela, ſect. c. ſive tertia.*

Hyſtricem quoque inter velociſſima memorant animalia: proque hac ſententia adferunt, quòd apud Callimachi legatur ſcholiaſten *l*: Ὕστριξ θηρίον τι ταχύτατον *m*. Sed Rittershuſius *n* rectè vidit, hic legendum τραχύτατον, vel τετραχύτατον, ob ſpinarum aſperitatem, quibus echinum refert, ut corporis magnitudine lupum.

l *Hymno in Dianam verſ.* 96.
m *Hyſtrix animal quoddam velociſſimum.*
n *In Oppiani l.* 3. *Κυνηγ. verſ.* 391.

Ad loci mutationem pertinet, etiam natatio. Commodè autem, & longè, natant cervi: cujus ratio eſt, quòd, ut Adrianus Junius in ſua docet Batavia *o*, pilos habeant cavos; quò iis ſe ſuſtineant, ſicut urinator veſicâ vento turgidâ. Quomodo autem natent, narrat Plinius lib. VIII, cap. XXXII: *Maria tranant gregatim, nantes porrecto ordine, & capita imponentes præcedentium clunibus, vicibuſque ad terga redeuntes. Hoc maximè notatur à Cilicia Cyprum trajicientibus.* Similiter Oppianus in ſecundo de Venatione *a*.

o *Cap.* 15.
a *Verſ.* 218. *& ſeqq.*

Eſt & reſpiratio quidam loci motus: unde Ariſtoteles quoque de ea egit in libro de motu animalium: ſed ſic, ut idem ſeorſim de ea ſcriberet. Nunc tantummodo dicam, in hac etiam apparere Naturæ miranda. Uti illo, quòd capræ non naribus, ſed cornibus, ſpiritum ducant. Proditum id Alcmæoni fuit; ut eſt apud Ariſtotelem lib. 1 Hiſt. Animal. cap. XI: ſive Archælao; ut eſt apud Varronem lib. II de R. R. cap. III, Plinium lib. VIII, cap. L, & Ælianum lib. 1 Hiſt. Animal. cap. LIII. Tradidere idem Orus in Hieroglyph. *b* Oppianus in ſecundo de Venat. & Philes in Jambis. Eo verò id argumento ita eſſe colligunt, quòd, ſi nares occluſeris non offendantur: at ſpiritus intercludatur, ſi meatum illum cornuum obturaveris cerâ.

b *Lib.* 2. *cap.* 68. *Sed addit idem, & naribus reſpirare.*

Cap. LXIV.

De alimento, quod quadrupedia dant; ac primùm illo lactis. Quomodo id generetur. Lacte repleri pilis prædita: inque his veſpertilionem quoque reponendum. Etiam habere lac balænas, & delphinum. Hircus Lemnius, ex cujus lacte caſei fierent. Quis color lac commendet, & cauſa ejus: vulgataque in Ariſtotele ſuper eo lectio defenſa. Bonitatis gradus in lacte, tum ejus, quod ſanis datur, tum quod phthiſicis. Suillum etiam his conducere: non tamen iis, qui ad lepram propendent. Tres lactis partes, quarum ab una ſerum, ab altera butyrum, à tertia caſeus. Unde ſit, quod ſero tum humectandi vis inſit, tum etiam refrigerandi. Butyri commoda, & incommoda. Romanis ejus uſus erat nullus, niſi in medicina. Κατ᾽ ἀντονομασίαν βούτυρον *dici, etſi non è ſolis ſit bubus. Hecatæo vocari* ἔλαιον ἀπὸ γάλακτος. *Lac magis minuſve prodeſſe, prout plus minuſve* τυροῦ *habet: caſeorum item in cibis diſcrimen pro primarum diverſitate qualitatum, & diſcrimine ſtomachorum.*

POſtremo loco bonitatem Dei conſiderabimus ex multiplici quadrupedum uſu. Ubi familiam illud ducere videtur, quòd tum alimentum nobis præſtent, tum morbis medeantur: ac utrumque faciant tum viva, tum mortua. Viva alimoniam præbent lactis, & eorum quæ inde fiunt; uti ſeri, butyri, caſei. Prius de lacte dicam ſimpliciter: hinc de partibus ejus, ſive iis, quæ partium ſecretione bono inde fiunt humano.

Ut homini, ita quadrupedibus etiam, Deus quò imbecilli conſuleret fœtui, mammas dedit: in quas ſanguine confluente, ac ſpongioſâ earum materiâ colorem commutante, lac fiat. Hac fœtum alunt animantium illa quæ ſunt pilis prædita: cujuſmodi ſunt canis, equus, alia: non item, quibus plumæ, ut aves. Veſpertilionem aliquis exceperit, quia illi mammæ ſint, & lac. Sed huic pro plumis ſunt pili: nec pennis, ſed cute volitat. In aquatili genere etiam aliquibus lac: ut balænæ, & delphino. Addit Ariſtoteles *a* vitulum marinum. Sed rectè monet Scaliger *b*, eum ſub habentibus pilos contineri. Interdum verò nec lac deſtituit mares. Quod in hominibus etiam locum obtinet. Sanè propinquum habui virum gravem, inque dignitate egregiâ conſtitutum: qui junior è papillis ſibi lac eliceret. Sed nunc in quadrupedibus conſiſtendum. Ariſtoteles *c* narrat, ut hircus in Lemno uberibus binis, quæ prope genitale forent, tantum lactis dederit ad mulctram, ut inde minuti fierent caſei. Sed hujuſmodi uſque adeò rara ſunt, ut penè prodigii loco cenſeantur. Notum παροιμιῶδες *d* illud de re abſurda, *mulgere hircum* e. Magnum verò τῶν γαλάκτων *f*, (ſic cum Ariſtotele *g* ipſo loquimur) diſcrimen faciunt veteres. Uti enim feminæ candidiores, quia pituitoſæ ac frigidæ magis ſint, eo lac habent deterius ſubfuſcis: ita & in

a *Lib.* 3. *Hiſt. anim. ſect.* 237. *ex diſtinct. Cæſ. Scalig.*
b *Ad locum Ariſt. memoratum.*
c *Lib.* 3. *Hiſt. Anim. ſect.* 248.
d *Proverbiale.*
e *Maro ecl.* 3.
f *E variis lactis generibus.*
g *Lib.* 5. *de animal. ſect.* 240.

quadrupedibus præſtat πελιδνότερον γάλα, *lac lividius.*
a *Lib. 3. de Anim. ſect. 273.* Teſtis Ariſtoteles loco ante memorato *a*. Nec enim audiendus Jo. Coſtæus lib. 1 de facili medicina, cap. XXI; ubi verba Ariſtotelis corrupta ſuſpicatur, proque, τῶν γυναικῶν τὸ πελιδνότερον γάλα βέλτιον ἢ λευκὸν τοῖς τιθηνουμένοις *b*, legi oportere, ἢ πελιδνότερον γάλα βέλτιον τὸ λευκόν *c*. Plane enim veriſimilius eſt, lac candidius eſſe frigidum magis, minuſque concoctum. Nam frigus, ut dici ſolet, candoris eſt mater. Quod autem lac frigidius, idem quoque eſt pituitoſum magis.

b *Lac mulierum, quod eſt magis lividum, præſtat candido ad alendos infantes.*
c *Lividius lacti præſtat candidum.*

Poſt lac muliebre, quod tum ad alimoniam, tum medicinam, vim habet præcipuam, maximè nutrit vaccinum; proximè caprinum, camelinum, equinum, & aſininum. Diſpar tamen phtiſicorum ratio; quos præcipuè juvat aſininum, hinc caprinum, tum camelinum, inde equinum. Sed & ſuillum lac iiſdem eſſe utiliſſimum, Plinius tradit lib. XXVIII, cap. IX. Ubi & legas, teneſmo, & dyſenteriæ, mederi. Hoc tamen lepram adferre, Ægyptii tradiderunt; ut Plutarchus docet lib. de Iſide, & Oſiride, ac Manethos Ægyptius, non ſuppoſititius ille Annii Viterbienſis, ſed genuinus, apud Ælianum lib. x de Animal. cap. XVI.

In quovis autem lacte tres ejus partes in conſiderationem veniunt: una aquea, ὑγρὸν ὑδατῶδες, ὃς καλεῖται ὀῤῥὸς, *ſuccus aquoſus, qui dicitur ſerum*: altera aërea, ἡ λιπαρότης, *pinguedo*, ſeu pars ἐλαιώδης, *oleoſa*, unde *butyrum*: tertia terrea, τὸ σωματῶδες, ὃ καλεῖται τυρός· *corpulentum illud, quod vocatur caſeus.* Nominat ſic eas
d *Lib. 3. Hiſt. Anim. ſect. 239. & 250.* Ariſtoteles *d*. Chymici noſtri aliter efferunt. Nam ad Mercurium referunt ſerum; ad ſulfur, butyrum; coagulum, unde caſeus, ad ſalem.

Serum lactis, quia aqueum eſt, & phlegmaticum, eò vim habet humectandi, & refrigerandi. Ideo illius uſus eſt in remediis refrigerantibus. Interea &, præter hanc partem, habet aliam ſalſam, & bilioſam, eoque acrimoniâ ſuâ etiam vim obtinet detergentem. Iccirco adhibetur in potionibus ad purgandam bilem, vel melancholiam. Nempe ut nutriat parum, habet tamen vim alvum ciendi. Hæc de aquea parte lactis, unde ſerum.

Altera ejus pars eſt oleoſa: unde eſt butyrum, eoque partem hanc vulgo *butyroſam* vocant. Itaque partis illius vis ex butyro cognoſcitur: quod licet ſit pingue ac viſcoſum, eoque obturet, difficulter etiam, ſi immodicum, & vetus ſit, digeratur, inflammare etiam idoneum ſit; tamen modicè ſi ſumatur, leniter purgat, ac deterget, imò impedit, ne calculus gignatur, aſthmate etiam, ac tuſſi laborantibus, hoc præſtat, ut celeriùs exſpuatur. Dolores denique mitigat. Hoc in cibis neſcivere Romani: imò nonniſi barbaros eo veſci, Plinius tradidit lib. XXVIII, cap. IX: *E lacte*, inquit, *fit butyrum, barbarum gentium laudatiſſimus cibus, & qui divites à plebe diſcernat.* Quamquam verò fiat quoque ex lacte ovillo, aut caprino; imò equino etiam, vel aſinino; *plurimum tamen e bubulo: & inde nomen*; ut ibidem legas. Componitur enim βούτυρον ex βοῦς, *bos*, & τυρός, non prout *caſeum*, ſed quatenus *coagulum* notat. Cùm igitur ovillum, vel caprinum dicitur *butyrum*: ſimile eſt, ac cum κώνειον uſurpatur de poculo venenato, quod non eſt ex cicuta, quæ propriè κώνειον: aut cum πυξὶς, ſive *pyxis* vocatur, licet non ſit è πύξῳ, ſive *buxo*: aut cùm vocabula *libri, codicis, tabellæ, papyri*, extenduntur ad chartam è membranis, vel linteis. Hæc de parte, quæ habet ἐλαιῶδές τι *e*: unde eſt, ut dixi, butyrum; quod ideo *oleum e lacte* veteres dixerunt: ut cùm apud Athenæum lib. x Hecatæus Pæonas ait ἀλείφεσθαι ἐλαίῳ ἀπὸ γάλακτος *f*. Nam eam butyri eſſe circumlocutionem, ſatis convenit inter eruditos.

e *Oleoſum quid.*
f *Inungi oleo ex lacte.*

De tertia lactis parte ſic idem Ariſtoteles *g*: Τροφιμώτατον τὸ πλεῖστον ἔχον τυρὸν, ὑγιεινότερον δὲ τοῖς παιδίοις τὸ ἔλαττον· *maximè nutrit, cui plurimum caſei: ſed ſalubrius eſt infantibus, cui minus eſt caſei.* Nempe quia difficiliùs concoquatur, meatus obſtruat, & calculum producat.

g *Ibid. ſect. 275. & ſeq.*

Pro partibus hiſce lac diſtinguitur. Bubulum plus habet caſei, quàm butyri, aut ſeri: aſininum plus ſeri, quàm butyri, vel caſei: caprinum mediam inter utrumque obtinet naturam.

Inque caſeo etiam, tum ætatem ejus, tum ſtomachum urentis attendimus. Recens humidus eſt, & frigidus; eoque conducit ventriculo calido, & ſicco. Vetus eſt calidus, & ſiccus; ac propterea utilis eſt ſtomacho frigido, & phlegmate obſito. Pituitam enim de pelliculis ejus deterget, & devehit ad alvum. Ita videmus, ut hac parte etiam pro temperie omnibus divina conſuluerit providentia. Sed plerique mortalium de palato magis ſolliciti ſunt, quàm de ſtomacho: & qui non tam ſaporem, quàm valetudinem cogitant, de ſecurandis magis ſolliciti ſunt, quàm de honorando eo, qui tot bona, tamque varia, nobis conceſſit.

Cap. LXV.

De carnis eſu, tum preſsè, tum laxius ita dicta. Utrùm ante diluvium obtinuerit eſus carnis, & quæ utrimque afferantur, & quomodo conciliari hæ poſſint opiniones. Antiquiſſimos abſtinuiſſe à carnibus, ne gentiles quidem penitus ignorarunt. Ut Manichæi quoque illas averſarentur. Tertulliani opinio, tantummodo indultas eſſe hominum carnes, non tributas. Suillam imprimis nutrire: aſſatam autem præſtare elixæ: præterea diſcrimen eſſe ab ætate, & locis, ubi educati ſues. Rhazis judicium, hædinam eſſe ſuilla potiorem. Vitulina bubulæ præferenda, dummodo ne vituli ſint recens editi. Arietinam, contrà quam putavit Galenus, ab Rhaze, & Averroe, præponi vitulinæ, quodammodo etiam hædinæ. Cervina qualis, ac leporina; item equina, aſinina, camelina. Quâ mente Heliogabalus dixiſſe videatur, ſtruthionum carnem fuiſſe Judæis præceptam. Etiam illam tigridum pro cibo fuiſſe. Judicium veterum de carne urſorum, pardorumque.

PRæterea ad cibum proſunt quadrupedes poſt mortem. Veſcimur enim carnibus; tum iis, quæ propriè ſic dicuntur; ut tergo bubulo, de quo & apud Maronem *a*, armo ovillo, petaſone, & ſimilibus: tum laxiùs accepto *carnis* vocabulo; ut in bove ſeptem hiſce; cerebro, linguâ, corde, jecore, omaſo, inteſtino, & medullâ. a 8 *Æn. verſ. 183.*

Sed in controverſiam hîc venit, ſemperne, puta etiam ante diluvium, obtinuerit carnium uſus. Negant id Lyranus, Toſtatus, Carthuſianus, majorque ſacrorum interpretum pars. Ac primùm eo pugnant, quia Geneſ. I, 29, ſolum fiat mentio plantarum. Sunt enim hæc Dei verba: *Ecce dedi vobis omnem herbam producentem ſemen, quæ eſt in ſuperficie univerſæ terræ, & omne lignum, in quo eſt fructus ligni ſeminificans ſemen, vobis erit in eſcam.* Ubi videtur Deus victum humanum certis concludere cancellis: nempe eorum, quæ è terra naſcuntur. Accedit, quòd demum à diluvio dictum ſit Geneſ. IX, 3: *Omne reptile, quod eſt vivens, vobis erit ad veſcendum: ſicut germen herbæ dedi vobis omnia.* Sententia videtur, ſicut antea permiſſum à me, ut herbis omnibus veſceremini: ita nunc poteſtatem vobis facio comedendi animantium carnes. Denique nullum poteſt exemplum adduci in contrarium.

Sed his obduci ſolet, quòd Abel fuerit paſtor. Verùm dicere poſſumus id partim fuiſſe ob pelles, quibus veſtiebantur; partim ob lac, quo veſcebantur; partim etiam ſacrificiorum cauſâ.

Aliud quoque objiciunt, & quod vehementiùs urgeat. Nam ſacrificabant Deo carnes. At non offerebant Deo, niſi divinitus conceſſa uſibus humanis. Adhæc Geneſ. IV, 4, dicitur Abel obtuliſſe de primogenitis pecudum ſuarum, & de adipe. At ſi carnibus non veſcebantur, nihil in eo laudis erat, ſi pingue potiùs offerrent, quàm macrum, quia neutrius eſſet homini uſus. Imò magis laudem meruiſſent offerendo macrum: quia macilentæ pecudes magis ſoleant commendari à lana, ac lacte;

lacte; ut & obſervatum Cajetano. Et ſanè parum veriſimile eſt, licuiſſe Patribus occidere animantes propter pelles: carnes autem, quia religio foret iis veſci: beſtiis objeciſſe. Nec opinionem hanc prorſus deſtituit veterum auctoritas. Nam & ante diluvium obtinuiſſe carnium eſum, opinio eſt Chryſoſtomi homil. in Gen. XXVII, & Theodoreti in Gen. quæſt. LV.

Videntur hæ ſententiæ duæ ſic commodè poſſe conciliari, ſi dicatur, quicquid ſit de ſtirpe Caini, (quam tam continentem fuiſſe, ut deliciis carnium abſtineret, parum ſanè credibile eſt), Sethi ſaltem familiæ ordinarium fuiſſe cibum, cùm è lacte, tum è plantis: ſed extra ordinem ediſſe carnes in ſacrificiis. Quæ & ſententia fuit clariſſimi ac doctiſſimi Theologi, ſoceri mei, Franciſci Junii. Nec ſanè levis erat ratio, cur a diluvio ordinariè etiam carnibus veſci concederetur. Siquidem cuncta aquis reddita erant deteriora: eoque plantis non eadem erat vis nutriendi, ac priùs. Magis autem nutrire carnes, ſatis convenit.

Cæterùm homines antiquiſſimos carnibus abſtinuiſſe, etiam gentiles traditione acceperant. Unde Pythagoras ſic apud Ovidium loquitur XV Metamorph.

At vetus illa ætas non polluit ora cruore.
Tunc & aves tutæ movere per aëra pennas,
Et lepus impavidus mediis erravit in agris.

Sed valde errat, cùm mox ſubjungit:

Heu quantum ſcelus eſt in viſcere viſcera condi,
Alteriuſque animantem animantis vivere letho!

Quem Pythagoreorum errorem etiam ſecuti fuere Manichæi *a*. Nam & illi nefas ducebant animal necare. Et certè Tertullianus quoque, ſed jam Montaniſta, libro de Jejuniis contra Pſychicos cap. IV, cenſet, carnium eſum ſolùm eſſe humanæ indultum incontinentiæ. Cui obſtat, quòd videmus, ſtatim à diluvio animantes homini datas in cibum. Nec iis eo facta eſt injuria, quia non ſolùm conditæ ſunt propter hominem: ſed etiam in diluvio fuere ob eundem ſervatæ.

a Auguſtinus lib. de hæreſibus c. 46. Vide & eum l. 19. contra Fauſtum.

Atque hoc primum eſt argumentum bonitatis divinæ; quòd non plantas modò, ſed carnes etiam; dederit pro alimento. Alterum eſt, quòd tantâ carnium varietate conſultum ab eo ſit ſtomachi faſtidio: ut nihil addam de eo, quòd diverſa corporum temperies etiam diverſas exigere carnes videbatur. Ut varietas hæc carnium magis appareat, præcipuas earum ſuis gradibus diſtinguam.

Ac cæteris quidem, contrà quàm vulgi fert opinio, præſtat ſuilla: ut Artemidorus quoque indicat lib. I, cap. LXXII: Ἄριστα πᾶσι τὰ χοίρεια. καὶ γὰρ εἰκός. Ζῶν μὲν γὰρ χοῖρος οὐδὲν εὔχρηστος ἀνθρώποις· ἀποθανὼν δὲ, μάλιστα ἐδώδιμος τῶν ἄλλων· *Optimæ omnibus ſunt carnes porcinæ: atque id veriſimiliter: porcus enim vivus hominibus nullus eſt utilitatis: mortuus verò magis aliis eſt eſui idoneus.* In cauſſa eſt, quòd nullæ magis nutriant, & corroborent: ut loco non uno ait Galenus *b*. Eſſeque eas humanis ſimillimas, illud etiam arguit, quòd multi appoſitas ab ſceleſtis hoſpitibus humanas comedère pro ſuillis: quòd idem Galenus *c* non ſemel teſtatur, & ſeculo etiam noſtro pluribus in locis, vel ex digitis in artocrea repertis, vel alio indicio, confeſſioneque ſceleſtorum, deprehenſum fuit. Solùm hoc vitii habent, quòd, quia viſcoſum, craſſumque humorem gignant, facilè obſtruant jecoris ac renum meatus; præcipue iis, qui hos anguſtiores habent: eoque, Hippocrate etiam judice, præſtant aſſatæ; quoniam ignis calor attenuat, & conſumit aliquantum illius lentoris ac craſſitiei. Hinc & Daldianus Artemidorus, loco ante memorato: Τὸ μὲν ὀπτὰ δοκεῖν ἐσθίειν τὰ χοίρεια, παντελῶς ἀγαθόν· *Aſſatas edere ſuillas omnino bonum eſt.* Addit deinde, tantummodo elixas minoris eſſe bonitatis: cujus cauſſa ex iis pâret, quæ attulimus.

b Lib. 3. de aliment. c. 5. item lib. 6. methodi medendi, c. 6. & lib. de attenuandi victus ratione c. 6.

c Lib. 3. de aliment. facult. cap. 1 & lib. 10. de ſimpl. medic. facult. cap. 2.

Quæ verò de bonitate ſuillæ diximus, neque de minutis capienda ſunt porcellis, cùm hi abundent excrementis: neque de veteribus porcis, quæ ob ſiccitatem, & duritiem, difficilis ſunt concoctionis, ac ſuccum gignunt vitioſum: ſed mediæ ætatis, puta anniculorum, vel bimulorum: ut ab eodem Galeno *a* accepimus. Inque his ipſis, ut idem nos *b* docet, domeſticis ſuibus præſtant agreſtes, ac montanæ; quia in meliori aëre vivunt, & magis exercentur, eoque minùs habent excrementicii.

Proximam ſuillæ dignitatem Galenus tribuit hædinæ *c*. Rhazes verò (cujus ſcripta etiam Almanſoris nomine laudantur, quia regis ejus juſſu ſcripſerit) non dubitat eam quodammodo præponere ſuillæ. Nam, judicio illius, ſuilla quidem utilior eſt validis, & valde ſe exercentibus: uti athletis, agricolis, foſſoribus, & aliis id genus; qui firmum craſſumque exigunt alimentum; ut hædina caro iis minùs conducat, quia valido exercitio facilè abſumitur: at contrà mediocri exercitio contentis magis hædina prodeſt, quia ſit temperatior, eoque ſanguinem generet medium inter ſubtilem, craſſumque, atque hunc minimè vitioſum. Rhazis igitur judicio, iis, qui ſe totos dedunt literis, multò conducibilior eſt hædina, quàm ſuilla.

a Lib. 6. Epidem. part. 3. aphoriſ. 4.

b Lib. de cibis boni & mali ſucci, c. 4.

c Lib. 8. meth. med. cap. 2 l. 3. de aliment. fac. cap. 13. & lib. de cibis boni & mali ſucci, cap. 12.

Tertium locum Galenus *d* dat vitulinæ: quas illis boum perfectorum præſtare, dubium non eſt. Nam talis bubula durior eſt, ſicciorque; tantoque magis, quanto bos ætate eſt provectior. Itaque difficultet & concoquitur, & digeritur, ſuccumque gignit melancholicum, ut lienis tumore, & atra bile laborantibus, minime conducat; ſed iis ſolùm, qui ſtomacho valent, & vehementi exercitio indulgent. Ut autem nocent boves vetuli, ita & vituli recens editi, quia carnes iis nimis mucoſæ & excrementiciæ. Laudabiles igitur vituli bimuli, vel circiter; quia his caro & boni eſt ſucci, & facilis concoctionis.

d Lib. de cibis boni & mali ſucci, cap. 12.

Vitulinæ hujuſmodi poſtponit Galenus *e* ovillam, præcipueque agninam, idque ob lentorem mucoremque. Sed in eo, quòd Galenus hædinæ etiam vitulinam poſthabuit, diſſentit iterum ab eo Rhazes *f*. imò Galenum ab omnibus propè medicis abire, ſcribere non dubitat Averroës *g*. Uterque autem multò præfert arietinam; ut melioris temperamenti, ac niſi plus excrementi haberet hædinâ, huic ipſi præponendam, quòd magis augeat vires ob ſuccum craſſiorem. In arietinis præcipue commendatur vervecina, hoc eſt, illa arietis caſtrati.

e Lib. de cibis boni & mali ſucci, cap. 11. & libro de attenuanda victus ratione c. 7.

f Lib 3 ad Almanzorem, cap. 9.

g Collectaneorum lib. 5. cap. 32.

Caprina ab Hippocrate *h*, ac omnibus fere, improbatur; præterquam ineunte vere, vel mediâ æſtate, quando capri tenellis fruticum, & arborum germinibus, habitiores fiunt. Nam alimoniam multùm ad bonitatem carnis conferre, comprobatur è vulpibus; quæ melioris ſunt carnis in auctumno, quia tum uvis paſcuntur: uti & paſſeres, & ficedulæ, tum redduntur meliores ob meliorem paſtum.

h Lib. 4. de victus ratione acutorum, aphoriſ. 2.

Cervina eſt concoctu difficilis, & ſuccum gignit melancholicum, Galeno *i* judice. Idem tradit Simeon Sethi *k*: atque addit, æſtivo tempore etiam eſſe viroſam, quia cervi tum ſerpentibus, ac viperis veſcantur.

Itidem leporina generat atram bilem; ut ajunt Ægineta, & Rhazes. Itaque obſtructiones hepatis parit, ac lienis. Prodeſt interea, ut Simeon Sethi ait, iis, qui corpus ſtudent exſiccare: omninoque & cervorum, & leporum juniorum carnes, ſunt meliores; quia ob minorem ſiccitatem minùs gignunt atram bilem.

i Lib. de rerum affect. dign. & medicat. cap. 16.

k Lib. de cibariorum facultat. Græc. in Ἔλαφος.

Non deſunt, quibus in cibis etiam ſint carnes equinæ, aſininæ, camelinæ: ſed omnes ſunt ſucci melancholici: quique iis veſcuntur, ii & corpore, & animo, aſinini ac camelini videntur Galeno *l*. Apud Lampridium tamen legas de Heliogabalo: *Struthiones, & camelos, exhibuit in cœnis aliquoties, dicens, præceptum Judæis, ut ederent.* Arqui Levit. cap. XI, & Deuter. XIV, clarè camelorum eſus interdicitur Judæis. Neque id penitùs ignorare potuit Heliogabalus, cùm homo fuerit Syrus, & ſacerdos Dei ſui Heliogabali; cui & templum Romæ exſtruxit, opinione eâ, *ut Judæorum, & Samaritanorum religiones, & Chriſtianam devotionem, illuc transferret*; ut idem Lampridius refert. Quare omnino, ut ὁ πάνυ Salmaſius in Palatinis reperit MSSis, *ſtruthiocamelos*

l Lib. 1. de aliment. facult. cap. 2. & lib. 3. cap. 2 & 6.

legen-

legendum: cujus eſu, quantum videre poſſum, non interdicitur Judæis. Quod autem Heliogabalus dicit, [a] Judæis fuiſſe præceptum, id interpretor, *conceſſum*. Ut ſententia ſit, nulli debere eſſe religioni, ſi ſtruthiocamelinâ veſcatur; quando nec adeò ſuperſtitioſa Judæorum natio eâ abſtineret.

Ex Damide etiam narrat Philoſtratus libro ſecundo de vita Apollonii, cap. XII, Indos in menſis ſuis apponere, ut leones, ſic tigrium clunes: cæteris enim ejus animalis partibus abſtinere, quia ſimulac natum eſt, priores pedes Orientem verſus attollat: quod religioſum eſſe animal, oſtendit. Sed in Congitana regione, totâ tigride veſcuntur; carne eâ, in qua muſtaces, exceptâ, eò quòd venenatam hanc arbitrentur. Teſtis eorum Joannes Linſchotus in deſcriptione Guineæ. Nec carnes tigridis deteriùs ſapere bubulis, referebat is, qui ederat, Joannes Ledeſma Hiſpalenſis: ut prodit Petrus Martyr Oceaneæ Decadis III lib. II *a*.

a *Sive pag.* 222. *edit. Colon. anno* 1574.

De urſinis carnibus ita ſcribit Joannes Bruyerius lib. XIII rei cibariæ, cap. XLI: *Helvetios quoſdam, Alpinoſque populos, & Allobroges, urſorum venatui deditos eſſe, haud dubium eſt, horumque carnibus veſci. Memini, me aliquando Lugduni, in cœna apud Symphorianum Campegium* b, *urſuli carnes ediſſe: quæ conditæ ita ſuaviter erant, ut non minorem gratiam ſaporis haberent, quam alia ferina. Germani quidam nobiles, qui illic agebant, illum domi educaverant, & altilem fecerant: deinde canibus acriter exagitatum mactaverant.* Jure autem poſtea ſubjungit: *Illiberalem planè eſcam eſſe, & inſalubrem, non ambigimus, urſinam. nam & iniquum ſuccum creat, & atrabiliarium; ſtomachoque adverſatur. vix enim concoquitur, & præſertim genitorum: nam catulorum tolerabilior.* Platinæ quoque eſt lib. IV de tuenda valetudine, ac popinæ ſcientia *c*: *Caro urſæ tarde concoquitur, spleni, atque hepati obeſt, multa recrementa generat, appetentiam tollit, ac faſtidio edentes afficit.*

b *Sive* Champerium; *ut ipſe Symphorianus ſe vocat, Cribrationibus Galeni, Avicennæ, & Conciliatoris, ab Alcenſio editis an.* 1516. *Eques auratus fuit, & Lotharingiæ Ducis ἀρχίατρος.*

Non incommodè autem à Galeno *d* mihi dictum videtur; uti equorum, & aſinorum carnes hominibus conveniunt aſininis: ita illas pardorum, urſorum, (parque eſt tigridum ratio) ſolùm permittendas hominibus efferis; quales ſunt, quibus inde nomen eſt Ἀγελοφάγοις *e*.

c *P.* 231. *edit. Baſil.* 1541.

d *Lib* 3. *de facult. alimentorum, cap.* 1. & 2.

e *Ferivorus.*

Interim & hic non leve eſt diſcrimen. Nam, ut ibidem Galenus cenſet, inter ferarum carnes pardorum illæ præſtant urſinis: elixæ item meliores aſſatis. Liene interea abſtinendum. Sanè abſtinent, qui carnes earum edunt: ut quoque ait Bruyerinus Campegius lib. XII de re cibaria, cap. XVII. Et ratio eſt, quia ob calidam animalis ejus temperiem aduſtus ſit, eoque nigricet; ut non alium poſſit ſuccum gignere, quàm melancholicum.

CAP. LXVI.

In quadrupedum minorum deliciis primas, ſi Martiali fides, mattyæ leporinæ tribuendas; in majorum autem, aprugnæ. Quæ partes in animante utroque maxime commendari ſaporis gratiâ ſoleant. Delicatiores eſſe lepores intra menſem ætatis ſuæ ſecundum, & octavum: ſuum autem eos, qui majales dicuntur; & unde id nomen. Quo exemplo, ac fine, feminas caſtrarint Lydi, ex veteri Lydorum hiſtorico relatum. Quinquaginta prope modis carnem etiam domeſtici ſuis ſic poſſe condiri, ut totidem ferinæ carnis ſpecies videantur. Cur leporinâ Deus interdixerit Judæis. De leporum ſalacitate, ſexu, ſuperfœtatione. Triplex ratio adfertur, cur non permiſerit Deus Judæis eſum ſuillæ. Abſtinuiſſe eâdem Ægyptios, Peſſinuntios, Arabas Scenitas. Nec eâ veſci Turcas, Sinenſes, vel Tartaros. Origo vulgaris dicti, aliquem lepore comeſto fieri formoſiorem. Quæ canis venatici forma imprimis commendetur. Bove veſci aratore Athenienſibus interdictum. Vetus opinio, ferreo demum ſeculo comedi cœpiſſe.

Ulteriùs etiam ſe bonitas Dei erga nos in alimonia è quadrupedibus oſtendit. Nec enim ſolùm explent famem; ſed etiam implent deliciis; quibus ſapiens ſic uti ſcit, ut animum non ſolvant, ſed reficiant.

Deliciarum, ut in avibus turdo, ita lepori inter quadrupedes principatum tribuit Martialis. Nam eum primam vocat *a* mattyam: ματτύα verò Ariſtophani, Athenæo, alíis, *epularum lautitias* ſignat. Etiam inter delicias leporem reponit Juvenalis ſat. XI:

a *Lib.* 13. *ep.* 89.

Sumine cum magno lepus, atque aper, atque pygargus.

Ubi videmus, aprum inter cupedias jungi lepori. Atque idem alibi *b* vocat

b *Sat.* 1.

—— *apros animal propter convivia natum.*

Eſt verò aper ex ſuillo genere: unde Græcis dicitur ὕαχρος, & ὗς ἄγριος *c*. Quodque de apris ait Juvenalis, id universè de porcis tradit Varro in II de R. R. cap. IV: ubi ait, *ſuillum genus à natura donatum ad epulandum.* Ideo Saturnalibus, optimo dierum, ut Catullus *d* nominat, porcum imprimis mactabant. Hinc ait Martialis *e*:

c *Sus ſylveſtris.*

d *Epig.* 14.

e *Lib.* 14. *epig* 70.

Iſte tibi faciet bona Saturnalia porcus,
Inter ſpumantes ilice paſtus apros.

Utcunque igitur in lautitiis minorum quadrupedum primus leporinæ fuerit honos, quod Martialis indicat: in cupediis tamen quadrupedum majorum præcipua fuit gloria carnis aprugnæ, ſive ſuillæ. Erat interea in utroque animali partium diſcrimen. Nam in leporibus maximè ſapere exiſtimabantur, tum anteriori parte armi; tum poſteriori, coxæ. Aprugnæ autem, ſuillæque deliciæ erant glandia ſive glandulæ, & lumbi. Unde de utroque hoc animante ſic idem Martialis lib. VII, epigr. XIX:

Ter poſcit apri glandulas, quater lumbum;
Et utramque coxam leporis, & duos armos.

Delicatiores etiam porci partes indicat illud Plauti Carbonariâ apud Feſtum:

Peto pernam, ſumen, ſueres, ſpetile, callum, glandia.

Idem Menæchmis Act. I, ſc. III inter ſcitamenta, quibus de foro obſonarent, refert

Glandionicam, ſuillam, laridum, peronidem,
Sinciput, polimenta porcina. ——

Adde & varias farturas; de quibus Varro in IV de L. L. & Iſidorus lib. XX Orig. cap. II. Archeſtratus apud Athenæum laudat:

Γαστέρα, καὶ μήτραν ἑφθὴν ὑὸς, ἔν τε κυμίνῳ,
Ἔν τ' ὄξει δριμεῖ.

Ventrem, & vulvam profundam ſuis, in cumino,
Et aceto acri.

Horatius lib. I, epiſt. XV:

—— *Vulvâ nil dulcius amplâ.*

Plinii quoque eſt lib. VIII, cap. LI: *Hinc Cenſoriarum legum paginæ, interdictaque cœnis abdomina, glandiæ, teſticuli, vulvæ, ſincipita verrina.* Martialis *f* item memorat

f *Lib.* 2. *epig.* 37.

Mammas ſuminis, imbricemque porci.

Quibus exponendis nunc non inſiſtam. Id in Originum libris facimus.

Nec partium modò diſcrimen erat, ſed etiam in animantibus totis. Nam ſapidiores, ac delicatiores multò, carnes habitæ leporum, quæ bimeſtres ſolùm forent, aut trimeſtres, vel ſummùm octimeſtres; præcipuè ſi in montanis eſſent locis ſerpyllo, ac pulegio paſti. Porcorum autem ſapidiores habebantur caſtrati. Nec enim caſtrabantur duntaxat, ut à Venere abſtinendo fierent pinguiores; ſed etiam delicatiores. Ac nomen tum mutabant. Nam ut ante caſtrationem vocati ſunt *verres*: ita poſtea dicti *majales*, à Dea Maja, cui ſacrificari ſolent. Eſt autem Maja eadem, quæ Ops, ſive Tellus, magna omnium mater, ut alibi *g* dictum. Nec porci ſolùm caſtrabantur, ſed etiam porcæ: à quo more, ſive Gyges, Lydorum rex, ut Heſychius Illuſtris, ac Suidas tradunt; ſive Andramytes, Crœſi frater, ut Athenæus prodidit, exem-

g *Lib.* 2. *cap.* 61.

exemplum petiit feminas caſtrandi; quò florenti ſemper ætate iis uteretur. Scriptores, quos dixi, ejuſce rei auctorem laudant Xanthum in Lydiacorum opere. Nec in iſtiuſmodi fides ei detrahi debet; cùm fuerit hiſtoricus Sardianus, & eo tempore vixerit, quo Sardes, Lydorum urbs imprimis inclyta, ac quondam regia *a*, captæ & incenſæ ab Ionibus, & Athenienſibus: unde origo belli inter Perſas, & Græcos. Id fuit Olympiadis LXX, an. I, annis XIII ante natum Herodotum, hiſtoricorum, quos habemus, antiquiſſimum.

a *Strabo lib.* 13.

Neque ſuilla tanto in pretio ſolùm erat, quia ſaporis eſſet delicati: ſed & quia, ſi variè condiatur, varios habeat ſapores. Qua de re ita Plinius lib. VIII, cap. LI: *Neque alio ex animali numeroſior materia ganeæ: quinquaginta prope ſapores, cùm cæteris ſinguli.* Non ignoravit hoc hoſpes ille Chalcidenſis; qui, T. Quinctio Flaminio variam ſtupente venationem, reſpondit, *condimentis varietatem illam, & ſpeciem ferinæ carnis, ex manſueto ſue factam*: ut eſt apud T. Livium lib. XXXV. Atque idem apud Plutarchum legas in Flaminio, & Apophthegmatis.

Nullum verò majus gulæ argumentum porco Trajano; quem ita, Macrobio *b* auctore, dixerunt, quia ſic foret *aliis animalibus gravidus; ut ille Trojanus equus gravidus armatis fuit.* Quamquam non ſolùm animalibus, ſed aliis etiam cupediis, farciretur. Ut ille, de quo Athenæus lib. IX: in quo turdi, & aliæ aviculæ, item vulvæ conciſæ, ovorum vitelli, & iſicia. Qui cùm exenteratus, & variè adeò repletus foret; non tamen apparebat corpore ejus ullum ſignum jugulationis, vel apertionis. Præterea cum integer apponeretur; dimidiâ tamen ſui parte erat elixus, alterâ autem aſſatus.

b *Lib.* 3. *Saturn. cap.* 7.

Cum verò & leporina, & ſuilla caro, tantopere in deliciis fuerit Romanis, atque aliis; lepores etiam juniores, præſertim ſerpyllo paſti, ſuccum præſtent ſalubrem; ſuilla autem caro præ cæteris maximè nutriat: Judæi tamen, ex lege Moſaica *c*, utrâque abſtinebant. Ac de lepore quidem cur interdixerit Deus, ratio hæc fuit; quòd animal id ſit libidinoſum, imò ſubinde unum idemque & ineat, & ineatur: non quaſi omnes lepores ſint androgyni, ut à multis traditum eſt; ſed quia non pauci utrumque habeant ſexum. Hanc rem Clemens Alexandrinus pluribus explicat in ſecundo Pædagogi ſui libro. Ubi, cur leporinâ à Moſe ſit interdictum, haſce adfert cauſſas; quòd lepus omni coëat tempore, ſingulis concipiat menſibus & ἐπικυΐσκηται, ſive ſuperfœtet, nec uno contentus ſit matrimonio, & lactens etiam concipiat: quibus fuſiùs enarratis, tandem ſubjungit, Ἀπέχεσθαι οὖν σφοδρῶν τε ὀρέξεων, καὶ ἐπαλλήλων συνουσιῶν, καὶ τῆς πρὸς τὰς ἐγκύους ὁμιλίας, καὶ ἀλληλοβασίας, καὶ παιδοφθορίας, καὶ μοιχείας, καὶ λαγνείας, ἡ τοῦ αἰνίγματος τοῦδε ἀπαγόρευσις παρῄνεσεν· *A vehementibus ergo abſtinere appetitionibus, mutuiſque congreſſibus, & coitu cum feminis prægnantibus, & initu alterno, & puerorum ſtupris, & adulteriis, & laſcivâ feminis profuſione, hujus nos ænigmatis adhortata eſt prohibitio.* Altera fortaſſis etiam ratio acceſſit, eaque petita à natura: quando vetuli lepores planè ſint inſalubres; temperamenti quippe frigidi & ſicci; de quo antè ſatis diximus.

c *Levit. cap.* 11. *verſ.* 6, & 7.

Cur verò Judæis ſuilla fuerit prohibita, triplex imprimis ratio fuit. Una eſt, quòd animal hoc nec humanis abſtineat carnibus: qua de cauſſa & Ægyptios ab ea abſtinere, Ælianus judicat lib. X de animalibus, cap. XVI. Ac Deum quoque eò attendiſſe hoc veriſimilius eſt, quoniam Geneſ. IX, 4, ſimiliter interdixerit eſu ſanguinis, & ſuffocati, quò magis deterreret homines à ſanguinis effuſione. Altera eſt ratio, quòd animal hoc gaudeat cœno ſe volutare. Quare voluerit Deus homines abſterrere à cœno ac volutabro peccatorum. Ac duæ iſtæ cauſſæ reſpiciunt mores. Tertia ad naturam pertinet: quia in Judæa, uti & aliis quibuſdam Orientis terris, item Ægypto, eſus ſuillæ conciliaret lepram ac vitiligines; ut eſt apud Plutarchum in Sympoſiacis lib. IV, quæſt. V. Atque idem, credo, movit Ægyptios, ut eâdem abſtinerent. Suillum quidem lac idem præſtare, proditum eſt à Manethone Ægyptio. Ægyptios autem averſari ſuillam, præter memoratos, etiam apud Herodotum *a* legas. Atque hæc oſtendunt, Judæos non veneratione, ſed abominatione, abſtinuiſſe à ſue. Sed Ægyptii etiam cultus ergo ejus eſum averſabantur. Nempe quia ſus roſtro humum fodiendo ſemina terræ commiſſa adoperit, ne ab avibus devorentur. Præter Judæos, & Ægyptios, ſuillam averſati fuere Gallogræci Peſinunta incolentes; teſte Pauſania in Achaicis: & Arabes Scenitæ, ut eſt apud Solinum cap. XXXVII: Sed addit; *Sanè hoc animalis genus, ſi invectum illo fuerit, moritur illico.* Hodieque abſtinent Muhammedani; ut conſtat ex Azoar XXXIII, & XXXIV: in quo tamen a Turcis abeunt Perſæ. Sed neque Sinenſes, qui vulgo male Chinenſes, ea veſci, ex Pereira conſtat, & aliis, qui Sinenſium res ſignarunt. Denique & de Tartaris idem proditur. Atque horum alii quidem id, credo, fecerunt imitatione Iſraëlitarum: alii autem ob immundiciem ejus animalis, vel lepræ fugâ.

a *In Melpomene.*

Hactenus de bono quadrupedum vidimus, quatenus iis veſcimur, ad explendam vel famem, vel voluptatem. Ajunt præterea, & carnes quaſdam prodeſſe ad conciliandam homini pulchritudinem. Hoc enim leporinam præſtare ad dies ſeptem: ut eſt apud Plinium lib. XXVIII, cap. XIX, Martialem lib. V, epigr. V, & Lampridium in Alexandro Severo, qui leporinâ quotidie veſcebatur. Convivalis ea quæſtio eſt, quæ hujus rei cauſſa ſit? *Frivolum jocum*, ait Plinius: *cui tamen aliqua debeat ſubeſſe cauſſa in tanta perſuaſione.* Sunt, qui cauſſam hanc adferant, pulpamentum leporis vim habere abſtergendæ bilis, atque ita exhilarandi. Sed quomodo bilem abſterget, ſi ſuccum gignit frigidum, & ſiccum, ſive melancholicum; ut antea diximus? Veriſimilius igitur puto, caput fontemque hujus fabulæ eſſe, quòd illis facilè agentibus, quibus inter cætera lepus cum ſuo condimento menſam ſolet ornare, dummodo hi edendi teneant modum, neutiquam macie fiant deformes, vel colore lurido fœdiores. Nihil quidem tale in iis deprehendas, quibus is cibus non infrequens. Quin hilaritas menſæ, qualis iis fere, qui deliciis moderatis gaudent; formæ decus non conſervat modò, ſed etiam auget. Quod verò, cùm id leporinæ carni commune ſit cum deliciarum aliis, particulatim reſtringere ad leporinam, id puto originem cepiſſe ab hominibus facetis magis, quàm ſeriis. Nempe, ut dixere *melos*, & *melus*; de quo Nonius: ita & viſa eſſe vicina, *lepos*, & *lepus*: a quorum priori aliquem lepidum vocamus: quaſi uti lepidus eſt, cui multus ineſt lepos: ita &, cui lepus comeſtus, eo amoribus ſuis lepidior, formoſiorque, videretur. Nec enim dictorum omnium cauſſæ à virorum gravium judicio peti debent: ſed ſubinde eas ab amantium amentiumque nugis arceſſere ratio jubet.

Cæterùm non ob ea modò quadrupedum, debitores Deo ſumus, quæ comeſta naturam inſtaurant, vel dum veſcimur, delicatum juvant palatum; vel, ſi ita omnino viſum, etiam conciliant formam: verùm & propter illa obſtringimur, quorum uſus eſt nobis in hiſce venatu, vel aliter, conſequendis. Hac parte laus canis præcipua eſt, potiſſimùm feminæ: unde videas, poëtas ſæpius muliebri genere dicere *venaticam*, ut Ennius *b*; *montivagam*, ut Lucretius *c*. Eſt & Senecæ Hippolyto Act. IV, ſc. I:

Mœſtæque domini membra veſtigant canes.

Ac Appulejus VIII Metam. *Canes venationis indagini generoſa.* Menſibus etiam vernis editi præferuntur illis, qui æſtate naſcuntur. Quæ forma præcipuè commendetur, docent in Cynegeticis ſuis Xenophon, Gratius, Oppianus, Nemeſianus: in libris de re Ruſtica, Varro *d*, Columella *e*, & ex Frontone ſeu Caſſianus Baſſianus Scholaſticus, ſeu Dionyſius Uticenſis *f*. Adhæc Julius Pollux Onomaſtici lib. V, cap. X. E junioribus non ineleganter de hoc Angelius Bargæus *g*: cujus judicio omne punctum laturus videtur, qui capite ingenti, vultu atroci,

b *Lib.* 10. *annal.*
c *Lib.* 1. *verſ.* 404.
d *Lib.* 2. *cap.* 9.
e *Lib.* 7. *cap.* 12.
f *In Geoponicis Conſtantino dicatis lib.* 19. *cap.* 2.
g *In* 5 *Cynget.*

ocu-

oculis rubicundis, naribus apertis, dentibus acutis, labro ſuperiori pendulo, collo tumido, pectore amplo, colore helvo, qui inter rubrum albumque, ſuppreſſiore alvo, pedibus magnis, unguibus recurvis. Sed imprimis attenditur, ut ſint ſagaces, & venatu gaudeant. De priori ſic Cicero in primo de Divinat. *Nos elephantorum acutiſſimis ſenſibus, nos ſagacitate canum ad utilitatem noſtram*
a *Act.* 1. *ſc.* 3. *abutimur.* Et Plautus Curculione *a*:

Canem eſſe hanc quidem magis par fuit: ſagax
Naſum habet.

b *Act.* 1. *ſc.* 2. De altero ita idem Sticho *b*:

Stultitia eſt, pater, venatum ducere invitas canes.

A cane venio ad bovem: quod animal utroque modo juvat, quia tum ad agriculturam utile eſt, tum etiam in cibum cedit. Apud Athenienſes tamen bove veſci aratore nefas: ut conſtat ex Æliani Varia Hiſtor. lib. v, cap. XIV. Varronis quoque eſt lib. II, cap. V: *Hic* (bos) *ſocius hominum in ruſtico opere, & Cereris miniſter. Ab hoc antiqui manus ita abſtineri voluerunt, ut capite ſanxe-*
c *Lib.* 8. *cap.* 45. *rint, ſiquis occidiſſet.* Addam & verba Plinii *c*, alibi etiam adducta nobis: *Socium laboris, agrique culturæ, habemus hoc animal, tantæ apud priores curæ, ut ſit, inter exempla, damnatus à populo Romano, die dicta, qui concubino procaci rure omaſum ſe ediſſe negante, occiderat bovem: actuſque in exilium, tanquam colono ſuo in-*
d *In Domit. cap.* 9. *teremto.* Etiam Domitianus Cæſar, Tranquillo teſte *d*, *inter initia uſque adeo ab omni cæde abhorrebat, ut abſente*
e *Georg.* 2. *verſ.* 537. *adhuc patre, recordatus Virgilii e verſum,*

Impia quàm cæſis gens eſt epulata juvencis,

edicere deſtinaverit, ne boves immolarentur. Aratus quo-
f *In Phænomenis verſ.* 132. que *f* ait, ferreo demum ſeculo edi cœpiſſe boves aratores. Sic enim de ejus ætatis hominibus ſcribit:

Οἳ πρῶτοι κακοεργὸν ἐχαλκεύσαντο μάχαιραν
Εἰνοδίην, πρῶτοι ἢ βοῶν ἐπάσαντ' ἀροτήρων.

Hæc Cicero ſic vertebat:

Auſaque (ferrea putà proles, ut proximè anteceſſerat) *funeſtum prima eſt fabricarier enſem,*
Et guſtare manu victum, domitumque juvencum.

At Cæſar Germanicus hunc in modum:

Ferrique invento mens eſt lætata metallo,
Polluit & taurus menſas adſuetus aratro.

Et apertiùs ſanè Germanicus (quem Domitianum Cæſarem videri, alibi diximus) quàm Tullius. Ille enim βοῦν ἀροτῆρα reddidit, *taurum aratro adſuetum*: hic, *manu victum domitumque juvencum*; quod eſſet χειρὶ δαμέντα. Opponitur ei βοῦς ἀδμήτης. Ut cùm, apud Ho-
g *Verſ.* 292. merum Il. K *g*, Diomedes ait, velle ſe Minervæ ſacrificare,

——βοῦν ἦνιν, εὐρυμέτωπον,
Ἀδμήτην, ἣν οὔπω ὑπὸ ζυγὸν ἤγαγεν ἀνήρ·
Bovem hornam, latifrontem,
Indomitam, quam necdum ſub jugum duxit vir.

Sanè ſacrificium hoc convenit legi Atticæ, antè memoratæ, βοῦν ἀροτῆρα μὴ θύειν, *Bovem aratorem ne*
h *Bovem aratorem.* *macta.* Imò fuit, cum non modò βοῦν ἀροτῆρα *h*, ſive
i *Domitum.* δαμέντα *i*, ſacrificare Athenis eſſet interdictum; ſed ſimpliciter lege caveretur, βοῦς μὴ καταθύεσθαι *k*. Sed hoc
k *Boves ne mactato.* tantùm erat, cùm ob ingentem boum raritatem metus eſſet, ne, ſi ſacrificiis porrò eorum numerus imminueretur, ceſſaret tandem agricultura: ut Philochorus apud Athenæum ait lib. IX.

Deus verò neutiquam populo ſuo bovis eſu interdixit: eoque non modò inſervit nobis ad agriculturam, (quò
l *Deuter.* 25. pertinet illud Moſaicum *l*; *Bovi trituranti os non obligabis*: quod etiam ad alendos Eccleſiæ doctores accommo-
m 1 *Cor.* 9. dat Apoſtolus *m*:) ſed ad hoc quoque, ut corpora noſtra carne ſuâ ſuffulciat ac reficiat, imò & in deliciis habeat locum: unde Matth. XXII, 4, rex iis, quos ad nuptiale filii ſui convivium invitârat, ait: *Ecce prandium meum paravi: tauri mei, & altilia, occiſa ſunt, & omnia parata: venite ad nuptias.*

Cap. LXVII.

Veterum opinio, à ſue homines didiciſſe aratri uſum; &, ut conjectabat Claudianus, jaculandi artem ab hyſtrice: imò, ex Ambroſii Paræi opinione, à lupis artem bellandi. Et, (ut ſolum videamus de re medica) adverſus venena vim cunilæ bubulæ hauſtam à teſtudine; rutæ autem, à muſtela; artem ſecandi venas, ab hippopotamo; à cervis, dictamum extrahendis ſagittis: vel, ut alii malunt, à capris; vomitoria, à gulone, ſive vulture quadrupede.

NUnc venio ad illud, quòd etiam quadrupedibus multa debeamus, quæ nobis ſunt in medicina. Fit hoc bifariam. Partim enim docuere nos iſta, quæ medeantur morbis: partim ipſi experientia edocti ſumus, quomodo ex quadrupedibus faciamus nobis medicinam.

Nec mirandum, ſi dicamur, quædam à quadrupedibus hauſiſſe; cùm tanta ſit earum ſollertia, ut antè vidimus. Itaque veteres etiam putarunt, nos primò aratri uſum ab ſue didiciſſe. Unde & vomer Græcis ὕνις dici creditur ab ὗς, id eſt, *ſus*. Quod legas apud Plutarchum lib. IV Sympoſ. quæſt. V.

Jaculandi quoque artem ab hyſtrice nos accepiſſe, conjectat Claudianus. Sic enim claudit poematium de hyſtrice:

Quod ſi omnis noſtræ paullatim induſtria vitæ
Fluxit ab exemplis: quicquid procul appetit hoſtem,
Hinc reor inventum, morem hinc traxiſſe Cydonas
Bellandi, Parthoſque retro didiciſſe ferire,
Prima ſagittiferæ pecudis documenta ſecutos.

Imò ulteriùs progreditur Ambroſius Paré, Chirurgices lib. I, cap. XVI; ubi ait, homines à lupis edoctos bellandi rationem. Lupos enim magno colligi numero ante pagum; unum eorum ingredi, caneſque excitare; iis inſequentibus hunc fugere, uſque dum perduxerit canes ad locum cæterorum luporum; quorum ſinguli tum canem aliquem arripiant, ac vorent.

Sed, hujuſmodi miſſis, me continebo intra ea, quæ ad medicinam pertinent. Sanè, ut Plinius *a* ait, *Omnia animalia quæ ſint ſalutaria ipſis, norunt, præter hominem.* Hunc igitur ab animalibus ſibi ſalutaria diſcere, quid miremur? a *Lib.* 27. *cap.* 3.

Cunilam, & rutam, valere adverſus venena, à teſtudine, & muſtela hauſtum ajunt. Plinius lib. VIII, cap. XXVII: *Teſtudo cunilæ, quam bubulam vocant, paſtu, vires contra ſerpentes refovet: muſtela rutæ, in murium venatu cum iis dimicatione conſertâ.* Deque cunila idem tradit lib. XX, cap. XVI: *Cunila, quæ bubula appellatur, contra ſerpentes in vino bibitur. Teſtudines cum ſerpentibus pugnaturæ hac ſe muniunt.* Idem legas quoque apud Ariſtotelem lib. IX Hiſt. Animal. cap. VI, & lib. de Admirandis audit, ac Plutarchum de Sollertia animal. De ruta quod dixi, tradit id ipſum Plinius lib. XX, cap. XIII: *Quacunque ruta per ſe pro antidoto valet, foliis tritis, & ex vino ſumtis: contra aconitum maximè, & viſcum: item fungos, ſive in potu detur, ſive in cibo. Simili modo contra ſerpentium ictus: utpote cum muſtelæ, dimicaturæ cum his, rutam prius edendo ſe muniant.* Porrò in eo, quòd muſtelam id facere ait ante pugnam; cum Ariſtotele quidem, & veterum aliis, conſentit: ſed juniores ajunt, id facere, poſtquam dimicavit. Quanquam quid impedit, quo minùs utrique verum referant?

Dicimur quoque ab hippopotamo eſſe edocti utiliſſimam venas ſecandi artem. Plinius lib. VIII, cap. XXVI: *Hippopotamus in quadam medendi parte etiam magiſter exſtitit. Aſſiduâ namque ſatietate obeſus exit in litus, recentes arundinum cæſuras ſpeculatus: atque ubi acutiſſimum videt ſtirpem, imprimens corpus, venam quandam in crure vulnerat, atque ita profluvio ſanguinis morbidum*

alias

alias corpus exonerat, & plagam limo rurſus obducit. Idem de animante hoc tradit Solinus cap. xxxv.

A cervis Creticis didicere homines dictamum ſive dictamnum valere contra venena. Nam hæ venenatis fixæ ſagittis herbam eam quærunt, qua paſtis decidunt tela: ut & apud Plinium cap. proximo legas: *Dictamnum herbam extrahendis ſagittis cervi monſtravere, percuſſi eo telo, paſtuque ejus herbæ ejecto.* Quod pro fabuloſo haut temere habendum: quando & alia ſunt, quæ comeſta, vel adſumta in potu, tela, aliave ejiciant. Hujuſmodi Cæſar

a *Ad Ariſt. lib. 9 Hiſt. animal cap. 8. ſect. 93.* Scaliger *a* eſſe ait, radicem calami, oxyacanthæ, narciſſi: item propolim, rotundam ariſtolochiam: gladiolum quoque, & ſpatham geminam, commendat. Cæterùm, quod Plinius hoc loco adſignet cervis, uti & lib. xxv,

b *Vers. 70.* cap. VIII, ac Servius in IV Æn. *b* id capris, & capreis, ab

c *Al. 8.* aliis tribuitur. Ut Ariſtotele lib. IX hiſt. animal. cap. VI *c*, & de admirandis auditionibus: item Cicerone in II de Nat. Deor. Dioſcoride lib. III, cap. XXXVII, Valerio

d *Vers. 414.* lib. I, cap. ult. ut Maronem mittam XII Æn. *d*

Sed quid ſi cum Geſnero dicamus, pro *cervi* apud Plinium legi debere *capræ*? Niſi & cervos, & capras, placet id in Creta monſtraſſe. Nec enim Creta omnino cervis caret, cùm Plinius excipiat Cydoniatarum agrum: & Creticæ cervæ meminit Maro IV Æn. Deque venatione Cretica capiendus videtur verſus ille adductus à Clemente Alexandrino in IV Στρωματέων:

Κρῆσσα κύων ἐλάφοιο κατ' ἴχνιον ἔδραμε γοργῶς.
Creſſa canis cervi per veſtigium cucurrit acriter.

Subjungit deinde Plinius in iis, quæ edocti ſimus à beſtiis: *Iidem percuſſi a phalangio, quod eſt aranei genus, aut aliquo ſimili, cancros edendo ſibi medentur.* Quòd & tradit lib. XX, cap. VI. Ariſtoteles quoque Hiſt.

e *Sect. 86. juxta ſect. Cæſ. Scalig.* Anim. lib. IX, cap. VI *e*: Ὅταν δὲ δηχθῶσιν αἱ ἔλαφοι ὑπὸ φαλαγγίου, ἢ τινὸς τοιούτου, τοὺς καρκίνους συλλέγουσαι ἐσθίουσι· *Cervi a phalangio, aut aliquo ejuſmodi, puncti, collectos cancros eſitant.* Præterea id legas apud eum in Audit. Mirabilibus.

Quorundam etiam, inque iis Oſvaldi Crollii, libro de ſignaturis rerum, quem baſilicis chymicis ſubjunxit, judicium eſt, homines rationem vomitorii & cathartici me-

f *Olaus de Sept. cent. lib. 18. pag. 5.* dicamenti, hauſiſſe ab animali, quod Suecis *Ierff f*, Sclavis *Roſomacha*, Germanis *Vilfraſſ*, Latinè nunc *Gulo*,

g *Exercit. 203.* Cæſari Scaligero *g vultur quadrupes* nuncupatur; *vultur* quidem, quia cadavera, vulturis inſtar, conſectetur; *quadrupes* autem, ut ab ave diſtinguatur. Eò autem, quæ dixi, ab hoc animante homines ajunt accepiſſe, quia illud tantopere ſe rapto expleat cadavere, ut inflatum, ac tympani modò extentum, ferre ulteriùs, quæ voravit, non poſſit; eoque ſubeat anguſtias rupium, vel alias, atque iſtic conſtrictum, & ore evomat, & poſticâ parte emittat, quicquid oneri erat naturæ; atque hoc faciat identidem; quia ubi ſe exhauſit, ad cadaver recurrit.

CAP. LXVIII.

De remediis ex quadrupedibus. Cervinæ vis adverſus febres; item caninorum crocodili dentium. E muſtelis, ac capris, medicina contra elephantiaſin: à mulo, muſtela, cervo, contra venena: à monocerote, & rhinocerote, adverſus eadem: quod tamen pro dubio relictum: quia vis è cornu monocerotis promanans videatur potius eſſe ab arte, qua cornu imbuitur. Contra eadem medicina à capris, è quibus lapis bezoar, & unde id vocabuli. Remedium capitis dolori e lepore: phrenitidi, ab ove: hydrophobiæ, e cane: lycanthropiæ, è capris; quo pacto & Prætides ſanatæ à Melampode. Medicina lethargo, ac veterno, ex aſino, capro, apro, muſtela, ove, fibro: paralyſi, e teſtudine: epilepſiæ, è cameli calcaneis, propterea ab Heliogabalo commendatis: item ex urſo, apro, ſue, lepore, aſino, equo, capro, fibro, muſtela, ove, teſtudine, alce. Parùm interim videri compertum, utrùm caprina caro epilepſiam tollat, an magis inducat. Unde canis Pontici, *& bebrinarum pellium, appellatio. Error veterum de caſtore ſibi teſtes amputante. Caſtorei vis multiplex in capitis morbis. Varia ſenſus medentia, præcipuè oculorum.*

ATque hæc oſtendunt, nôſſe quadrupedes ea, quibus medeantur ſibi, atque homines varia iis remedia debere. Nunc docebo, ut homines ratione, atque uſu, didicerint mederi morbis ſuis quadrupedum carne, ſanguine, oſſibus, cornibus, lacte, lanâ, & ſimilibus. Ubi vel ſola enumerare ſi velim, quæ ſe animo nunc offerunt,

Ante a diem clauſo componat veſper Olympo. a *Virgil. I Æn.*

Quamobrem intra pauciſſima me continebo. Interea, ne varie noſtra erret oratio, diſtinctè de præcipuis morborum generibus dicam. Ac primò agam de morborum illis, quæ totius ſunt corporis. Cujuſmodi eſt febris. Hemitritæo medicinam eſſe adipem leonis, ex Sammonico dictum cap. LIII. Plinii quoque eſt lib. XXVIII, cap. VIII: *Cor elephanti in cibo ſumtum quartanis medetur: adeps cum roſaceo, quotidianis febribus.* Sed, ut de leone, ſic elephanto, antè dictum ſeorſim. Nunc aliis animantibus inſiſtendum. Cervinæ carnis hæc virtus putatur, quòd febres arceat. Plinius lib. VIII, cap. XXXII, quod eſt de cervis: *Febrium morbos non ſentit hoc animal: quin & medetur huic timori. Quaſdam nos principes feminas ſcimus, omnibus diebus matutinis carnem eam deguſtare ſolitas, longo ævo caruiſſe febribus: quod ita demum exiſtimant ratum, ſi vulnere uno interierit.* De crocodilo ſic idem lib. XXVIII, cap. VIII: *Canini crocodili dentes febres ſtatas arcent thure repleti (ſunt enim cavi) ita ne diebus quinque ab agro cernatur, qui adalligaverit. Idem pollere & ventre exemtos lapillos adverſus febrium horrores venientes tradunt.*

Eſt & totius corporis morbus elephantiaſis. Eam, ut Plinius ait lib. XXX, cap. XIII, *ſanguis & cinis muſtelæ emollit*: imò, ut idem refert lib. XXVIII, cap. XII, *fel caprinum illitum tollit.* Erinacei etiam terreſtris carnem huic morbo mederi, proditum Dioſcoridi lib. II Ὑλικῶν, cap. ſecundo. Atque addit, auxiliari etiam καχέκταις, ſeu malo corporis habitu præditis.

Ad univerſi itidem corporis morbos referuntur, qui à venenis proveniunt. Atque hac quoque parte adverſus eos magna e quadrupedibus capimus commoda. Ita veneno infectis prodeſt, ſi includantur mulo recens interfecto, atque id ſæpius fiat, donec animantis evanuerit calor. Teſtes Ponzettus Cardinalis, & Marantha de Simplicibus.

Ut multimodis veneno reſiſtat γαλῆ κατοικίδιος, *muſtela domeſtica*, Dioſcorides refert lib. II, cap. XXVII. Genitale cervi maris tritum, atque ex vino potum, medetur morſis à vipera: ut apud eundem legas cap. XLIII. Aprinum item jecur areſactum, ac ſimiliter potum, contra ſerpentium morſus venenatos adſumendum ait cap. XLVIII.

Et quem fugit, quanta vis adverſus venena tribuatur cornu monocerotis, & rhinocerotis? Ac favet Philes in Jambis cap. XXXVI: item Tzetzes hiſt. Chil. V, cap. VII. Apud antiquiores tamen omnes de eo, ut puto, ſilentium eſt. Et de re tota hodieque ambigunt eruditiores. Utcumque enim cornuum iſtorum aliqua videantur vim talem obtinere: non ſine cauſſa tamen eò multorum vergit opinio, cornua iſta variis fuiſſe antidotis temperata, ut non tam cornibus, quàm ei, quod acceſſit fraude humanâ, vis illa debeatur. Hujuſce argumentum petere inter alia licet è cornu iſto monocerotis, quod à Judæo quopiam fuit Senatui Veneto divenditum. Nec tamen inficias ivero, eſſe cornu animalis, unico cornu prædíti, ac magnas id adverſus venena vires habere. Sed quod id animal ſit, non ſatis eſt apertum. Quinque animalia ſunt unico cornu prædita. Atque hoc in cauſſa eſt, cur, qui monocerotem deſcribunt, tum de veterum, tum juniorum, uſque adeo in hoc varient. Vide accuratè de tota hac differentem Anſelmum Boetium lib. II de Lapp. & Gemmis, cap. CCXLIV.

Cer-

Certo etiam caprarum generi debemus lapidem bezoar: prout officinæ vocant, quem Arabes *hager bezahar* nuncupant: ac meliùs alii dicendum ajunt *a belzoar*, aut potiùs *belpazar*; ex *bel*, quod dominum notat, & *pazan*, ut Arabes & Perſæ vocant hirci genus, unde lapis ille educitur. Qua in parte corporis creſcat, parum convenit. Quidam è ventriculo peti, nonnulli è renibus, alii è fellis veſica, alii item ex inteſtinis, vel alia etiam corporis parte, tradiderunt. Huic lapidi Serapio, Rhaſis, Avenzoar, & Arabum alii (veteribus enim Latinis, ac Græcis, neſcitur) tantam vim adverſus venena attribuunt; ut dicant, radicem ipſam veneni, & omnem ejus quantitatem exſuperare, ac prorſus exſtinguere: variaque ejus rei experimenta adducunt. Etiam prodeſſe docent adverſus febres peſtilentes, ſyncopen, epilepſiam, lumbricos, calculum, vertiginem, & affectus melancholicos. Adeatur Nicolaus Monardes Hiſpalenſis, libello de lapide bezoar, & herba ſcorzonera: ac imprimis Caſpar Bauhinus Baſileenſis, qui accuratè admodum, fuſeque, egit de lapidis hujus origine, natura, atque uſu.

a *Alias etiam origines vide apud Anſelmum Bœtium in Gemmarum & lapidum hiſtoria lib. 2. cap. 191. & iis, quæ ad eum locum Adrianus Tollius, pereruditus Reip. Leidenſis medicus adnotavit.*

Nunc venio ad partium morbos. ac primùm dicam de internis, inque his ab illis capitis ordiemur. Cujuſmodi eſt capitis dolor, qui κεφαλαία, & κεφαλαλγία nuncupatur. De mitigando eo ſic Plinius lib. XXVIII, cap. XI: *Leporinus cinis cum oleo myrteo capitis dolores ſedat: item aqua pota, quæ e bovis, aut aſini potu relicta eſt: & cornus cervini cinis illitus ex aceto, vel roſaceo, aut ex irino.* Auris dolorem ſedat adeps vulpinus liquefactus, aurique infuſus: ut eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. XLI.

Si ratio ſive imaginatio læſa ſit, delirium vocatur. Cujus ſpecies, phrenitis, mania, melancholia. Ac phrenitis quidem cum febri eſt. Novè, at parum purè, *phreneſin* nominat Juvenalis *b*. Remedium ei ab œſypo; ut Plinius tradit lib. XXIX, cap. III: *Prodeſt & phreniticis ſuffitu lana ſuccida.*

b *Sat.* 14.

Mania autem, & melancholia, ſunt citra febrim. In poſteriori harum eſt timor cum mœſtitia: quo à mania differt. Ac pertinet ad eam quoque ὑδροφοβία. Remedia ejus varia à cane adferuntur. Plinius lib. XXIX, cap. V: *In canis rabidi morſu tuetur à pavore aquæ, capitis canini cinis illitus vulneri. Idem & in potione proficit. Aliqui & vermem è cadavere canino adalligavere. Eſt limus ſalivæ ſub lingua rabioſi canis, qui datus in potu, fieri hydrophobon non patitur.* Vide & Dioſcoridem lib. II, cap. XLIX.

Ad μελαγχολίαν referenda itidem λυκανθρωπία: quo nomine intelligenda non modò ea, cum quis in lupum ſe converſum putat, ut Græcum nomen ſonat; ſed etiam, quando in vaccam, aut aliud. Medicina iſti morbo eſt à lacte caprarum. Plinius lib. XXV, cap. V: *Melampodis fama divinationibus cognita eſt. Ab hoc appellatur unum ellebori genus Melampodium. Aliqui paſtorem eodem nomine inveniſſe tradunt, capras purgari paſto illo animadvertentem, datoque lacte earum ſanaſſe Prætidas furentes.* Prœtides iſtæ ſe in vaccas putabant converſas. Unde Maro Ecl. VI:

Prætides implerunt falſis mugitibus agros.

Ubi ſic Servius: *Præti, & Sthenebœæ, ſive Antiopæ ſecundum Homerum, filiæ, cùm ſe Junoni in pulchritudine prætuliſſent, illa irata hunc errorem earum immiſit mentibus, ut ſe vaccas putarent. Has Melampus poſtea purgâſſe perhibetur.*

Hæc de læſa imaginatione. Memoria autem vitiata eſt lethargo, & veterno laborantibus, morbis admodum vicinis, ſi non idem. Remedium tale apud Plinium lib. XXVIII, cap. XVII: *Excitat lethargicos aſini lichen, naribus illitus ex aceto: & caprini cornus nidor, aut pilorum; jecur aprinum. Itaque & veternoſis datur.* Item lib. XXX, cap. XVII: *Veriſimile lethargum olfactoriis excitari: inter ea fortaſſis muſtelæ teſticulis inveteratis, aut jecinore uſto. His quoque pulmonem pecudis calidum circa caput adalligari putant utile.* Adhæc lib. XXXII, cap. III: *Caſtorea lethargicos odoris ſuffitu excitant.* Quod & Dioſcoridi traditum lib. II ὑλικῶν, cap. XXVI.

Ab læſo motu ſunt epilepſia, & paralyſis. De poſteriori hac ſic Plinius lib. XXXII, cap. IV: *Teſtudinum, in cœno, & paludibus viventium, evulſæ carnes coquuntur in aqua congio, ſale modicè addito: ita decoctarum ad tertias partes ſuccus, paralyſin, & articularios morbos ſentientibus, bibitur.* De epilepſia verò idem lib. XXXVIII, cap. VIII. Ubi, cum dixiſſet, *Fel cum adipe elephanti comitiales morbos diſcutere, levi guſtu, & ut protinus, qui ſumſere, curſu id digerant*: de camelo mox ſubdit: *Cameli cerebrum areſactum, potumque ex aceto, comitialibus morbis ajunt mederi: item fel cum melle potum.* Fortaſſe igitur, etſi valde teneram eſſe carnem calcanei camelini veteres teſtentur; non tamen ex ſolo luxu, ſed ex perſuaſione etiam fuit, quòd Varius Heliogabalus diceret, eum epilepſiæ mederi. Sic enim de eo Lampridius: *Comédit ſæpius ad imitationem Apicii calcanea camelorum: quod qui ederet, ab epilepſia tutus diceretur.* Idem Plinius ejuſce libri cap. XVI: *Comitiali morbo teſtes urſinos ediſſe prodeſt, vel aprinos bibiſſe ex lacte equino, aut ex aqua: item aprinam urinam ex aceto mulſo: efficaciùs, quæ inaruerit in veſica ſua. Dantur & ſuum teſticuli inveterati, tritique in ſuis lacte, præcedente vini abſtinentiâ, & ſequente continuis diebus. Dantur & leporis ſale cuſtoditi pulmones, cum thuris tertia parte in vino albo, per dies XXX. Item coagula ejuſdem.* Quod etiam apud Dioſcoridem legas lib. II, cap. XXI. Idem Dioſcorides libri memorati cap. XLII narrat, comitialibus mederi aſini caput inaſſatum; ſed ſi jejunum edatur. Ex eodem animante morbo iſti varia petit remedia Plinius: ut qui poſt proximè relata continuò ſubjungat: *Aſini cerebrum ex aqua mulſa, infumatum prius in foliis, ſemunciâ per dies* a: *vel ungularum ejus cinis cochlearibus binis toto menſe potus. Item teſte ſale aſſervati, & adſperſi potioni, in aſinorum maximè lacte, vel ex aqua. Membrana partus earum, præcipuè ſi marem pepererint, olfactata, accedente morbo comitialium, reſiſtit. Sunt qui e mare, nigroque, cor edendum cum pane ſub dio, primâ, aut ſecundâ lunâ, præcipiant. Alii carnem, aliqui ſanguinem aceto dilutum, per dies XL bibendum.* Hinc petita ab aliis animalibus remedia ſubjungit: ac primum de equo: *Quidam urinam equi aquæ ferrariæ ex officinis miſcent, eademque potione & lymphaticis medentur. Comitialibus datur & lactis equini potus, lichenque in aceto mulſo bibendus.* Quod ipſum Dioſcoridi traditum lib. II, cap. XLV. Lichenes verò interpretatur ipſe τύλους κατ' ἐπιγκαφλὼ ἐντετυλωμένους περὶ τοῖς γόνασι, καὶ περὶ ταῖς ὁπλαῖς· *callos circa genua, & ungulas, in earum partium flexu induratos.* Sequitur deinde apud Plinium: *Dantur & carnes caprinæ in rogo hominis toſtæ; ut volunt Magi. Sevum earum cum felle taurino pari pondere decoctum, & in folliculo fellis reconditum, ita ne terram attingat, potum verò ſub limine* b *ex aqua. Morbum ipſum deprehendit caprini cornu, vel cervini uſti nidor.* Poſtrema ſic Dioſcorides expreſſerat lib. II, cap. XLVII, ubi de caprino jecore agit: Φασὶ δὲ καὶ ἐπιληπτικὰς ἐλέγχεσθαι φαγόντας (τὸ ἧπαρ αἰγὸς) μάλιστα τὸ τράγειον ἧπαρ. *Ajunt & comitiales deprehendi eſu ejus (jecoris caprini:) maximè autem hircini.* Præterea apud Plinium legas libri ejuſce cap. XIX: *Cerebrum capræ magi per annulum aureum trajectum, priuſquam lac detur infantibus, inſtillant, contra comitiales, cæteroſque infantium morbos.* De remedio ex capris mox dicam pluribus. Idem Plinius cap. XXXI, è caſtore ſeu fibro medicinam petere jubet: quod cujuſmodi ſit, inferiùs itidem diſcutiemus. Nunc enim, ne remediorum ſeries interrumpatur, alia potiùs id genus ſubnectam. Idem Plinius lib. XXX, cap. IV ait: *Quidam & muſtelæ cineres dant comitialibus quotidie potu.* Cui geminum, quòd muſtelæ ſanguinem comitialibus mederi, Dioſcorides retulit libri memorati cap. XXVII.

a *Ita non in editis modo, ſed etiam MSo invenio. Sed omnino numerus dierum deſideratur.*

b *Parmenſis anni 1476. habet* Sublime. *S. dum MS. invenio,* ſub limine; *quod conveniens ſuperſtitioni magorum, de qua hic ſermo. Ac placuit idem Sigiſmundo Gelenio.*

Idem Plin. libri ejuſce cap. x: *Utiliſſimum comitialibus morbis æſypum cum myrrhæ momento, & vini cyathis duobus, dilutum, magnitudine nucis avellanæ, a balneo potum.* Et lib. xxxii, cap. iv: *Teſtudinis ſanguis adverſus comitiales morbos manditur cum polenta.* Ac mox: *Comitialibus inſtillatur teſtudinis ſanguis, ore diducto, his, qui modicè corripiuntur.* Similiterque Dioſcorides lib. ii, cap. xcvii. Erinacei item carnem, uti & jecur ejus arefactum, convulſionibus cunctis prodeſſe Dioſcorides narrat lib. ii, cap. ii: & ejuſdem libri cap. lxxxv ait, leporis πυτίαν, ſeu coagulum, credi maximè comitialibus ſalutare in potu. Ungulæ item alcis non modò vim habent θεραπευτικὴν a, ſed etiam προφυλακτικὴν b. Nam & morbo eo laborantibus medentur, & ne recurrat, prohibent. Pleríque tamen ajunt, tum demum hanc vim habere, ſi vivis animantibus fuerint præciſæ. Vide, quæ fuſiſſimè de tota hac re ſcripſit Apollonius Menabenus c.

a Curatricem morbi, poſtquam eſt.
b Præſervatricem, ſive ablatricem cauſſæ morbum minantis.
c Tractatu de Alce, Coloniæ edito, ann. 1581.

Priuſquam verò à comitiali morbo recedam, expediam duo illa, de quibus, Pliniana adverſus comitiales remedia enarrans, ſeorſim me dicturum receperam, quia paullùm iis inſiſti opus eſſet. Prius eſt de caprini cornu, vel cerebri virtute. Alterum de teſtibus caſtoris ſive fibri. De priori, favet quoque Clemens Alexandrinus libro ſeptimo d: Συμβάλλεσθαι τὴν τῶν τραγείων κρεῶν βρῶσιν πρὸς ἐπιληψίαν λέγουσι· *hircinarum carnium eſum dicunt conferre ad morbum comitialem.* Sed cur timidè huic ſententiæ ſubſcripturus ſim, facit, quòd capræ ipſæ laborent epilepſiâ; ut Hippocrates tradidit, teſte Galeno Prognoſt. lib. i, text. iv: item libro, an ſanguis contineatur arteriis. Ac Plutarchus quoque in Romanis problematis refert, ſacerdotes antiquos carnibus abſtinuiſſe caprinis; quia capræ morbo, quem diximus, obnoxiæ ſint; idque ob faucium anguſtias, per quas dum ſpiritus fertur, ſæpius ſoleat intercipi, atque intercludi: & anguſtiam hanc etiam argui gracilitate vocis. Hippocrates verò ait, provenire iis hunc morbum, quòd cerebrum, (ut, ſi caput diſſecueris, liquet) pituita ſit repletum, eoque malè olenti. Sed iſta minimè pugnant; ut veriſimile videatur, has cauſſas concurrere. Saltem morbidum eſt animal. Semper febricitare, proditum Archelao e; eumque ſecutis Varroni f, ac Plinio g. Quare potiùs acceſſero iis, qui putant, comeſtas caprarum carnes morbum gignere comitialem; uti & ſi ſomnus ſuper pellibus caprinis capiatur. Utrumque legas apud Cælium Aurelianum Siccenſem, qui Soranum Latio donavit, lib. i Χρονίων, ſive Tardarum Paſſionum, cap. iv, quod eſt de Epilepſia. Verba ejus ſunt h: *Vini, atque carnis imperant abſtinentiam: & magis porcinæ, vel bubulæ, & caprinæ. Prohibent præterea ſupra pellem caprinam dormire, ſive jacere ægrotantem: ſiquidem paſſionis facit motum.* Cauſſam tamen de pelle non videtur aliunde arceſſere, quam ab odore ſpurco. Sic enim poſtea ſubdit i: *Caprina vero pellis, odoris tetri cauſſâ, noxia capiti judicatur: non ſpeciali, atque privatâ ratione.*

d P. 516 edit. Lugd. Bat.
e Vel Alcmæoni, ſecundum Ariſtot.
f Lib. 2. de R. R. c. 3.
g Lib. 8. cap. 50. & lib. 28. cap. 10.
h P. 286. edit. Rovillianæ.
i P. 280.

Nunc ad alterum venio: quod erat de caſtoreis, ſive fibrorum teſtibus: quos ad omnes convulſiones, omniaque nervorum vitia, prodeſſe, apud Dioſcoridem etiam legas lib. ii, cap. xxvi: ubi & alia eorum remedia tradit. Tantuſque in medicamentis uſus compulit Archigenem, ut integrum de iis volumen conderet. Maro k etiam eorum indicat pretium, cùm memorans, quæ tellus quæque ſummittat, inter alia inquit,

—— *Viroſaque Pontus*
Caſtorea.

k 1 Georg.

Ac, quia (ut Maro hic ait) è Ponto apportarentur, inde fibris etiam *canis Pontici* nomen datum eſt. Imò fortaſſis & à Ponti incolis eſt appellatio *fibri*: quando lingua Celtica, & Scythica, valde fuere affines: ac hodie quoque Germanis, Belgiſque, id animal vocatur *bever*: q. d. *bebrus*: unde *bebrinæ pelles*: cui favet illud apud veterem Juvenalis interpretem: *Alias*, inquit, *Bebryaci, id eſt, Pontici: unde pelles bebrina. Galba enim Ponticus fuit.* Ajunt verò, quia fibri ſe teſtium cauſſâ peti ſciunt, eos ſibi, periculo urgente, præcidere: ut non modo eſt apud Juvenalem ſat. xii, ſed & Plinium lib. viii, cap. xxx, Appulejum lib. i Metam. Ælianum lib. vi de Animal. cap. xxxiv, Iſidorum lib. xii Orig. cap. ii: ubi & Ciceronis de hoc verba adducit ex orat. pro Scauro: *Redimunt ſe eâ parte corporis, propter quam maximè expetuntur.* Sed opinio hæc planè eſt falſa; ut optimè docet Dioſcorides loco antè indicato, his verbis: Μάταιον δ' ἱστόρηται, ὅτι διωκόμενον τὸ ζῶον ἀποσπᾷ τοὺς διδύμους, καὶ ῥίπτει· ἀδύνατον γάρ ἐστιν ἅψασθαι αὐτῶν προσεσφιγμένων ὄντων, ὥσπερ ὑός. *Fruſtra ſunt, cùm referunt, animal hoc, quando id perſequuntur, teſtes ſibi avellere, atque abjicere, quandoquidem, uti in ſue, ſunt ſubſtricti.* Similiter Sextius: de quo ita Plinius lib. xxxii, cap. iii: *Caſtorea, teſtes fibrorum, quos caſtores vocant, amputari ab ipſis, negat Sextius, diligentiſſimus medicinæ. Quin imo parvos eſſe, ſubſtrictoſque: nec adimi ſine vita animalis poſſe.* Proinde vel ſola magnitudo fidem fecerit, vulgare caſtoreum non eſſe caſtorum teſtes. Iis igitur aſſentiendum, qui ajunt, illud potiùs eſſe tumores inguinis, inter quos penis fibri abſconditur. Quippe ex his elicitur liquor pinguis, & oleoſus, vi eâ præditus, quam caſtoreo veteres tribuêre. Nempe quia penem non cernunt, propterea vulgò tumores iſtos putant eſſe teſtes. Atqui ſi id foret, ab iis ad penem eſſet meatus aliquis; qui neutiquam comparet. Suntque hæc eò veriſimiliora: quia, & vulgo, gemino decepti errore, credant, lepores eſſe androgynos; dum tumores inguinis, è quibus ipſis etiam liquor promanat, teſtes eſſe arbitrantur. Imò credibile eſt, ſimiliter ex tumoribus inguinis in moſcho beſtia profluere pus illud odoratum, quod *moſchum* dicimus. Eum moſchi liquorem cum caſtoreo multi confundunt; inter alios Ludovici Vartomanni interpres: ac ſecutus eum quoque Cardanus in x de Subtilitate, qui eſt de perfectis animalibus. Quare hoc nomine caſtigari meruit à Cæſare Scaligero Exercitat. ccxi, ſect. vi.

Meritò autem antea ex Dioſcoride dicebamus, caſtoreos non modò comitialibus, ſed aliis etiam morbis, eſſe ſalutares. Sunt in iſtis varii capitis morbi, de quibus nunc ſolis loquimur: iique partim memorati, ut paralyſis, lethargus, phrenitis: partim adhuc indicti, nonnulli propriè alicui medentes ſenſui. Plinium audiamus lib. xxxii, cap. iii: *Sternutamenta olfactu movent. Somnum conciliant, cum roſaceo, & peucedano, peruncto capite, & per ſe poti in aqua: ob id phreneticis utiles. Item lethargicos odoris ſuffitu excitant: vulvarumque exanimationes vel ſubditi. Medentur & vertigini, opiſthotonis, tremulis, ſpaſticis, nervorum vitiis, paralyticis, perunctis omnibus.* Et poſt aliqua: *Medentur & dentibus, infuſi cum oleo triti in aurem, a cujus parte doleant; aurium doloribus melius, ſi cum meconio. Claritatem viſus faciunt cum melle Attico inuncti.* Et ſanè Galenus a etiam caſtorei uſum prædicat in collyrio ad oculos, & oleo ad aures; quia calore ſuo diſcutit humores frigidos, ac ſpiritus flatulentos. Atque hinc etiam ratio in promtu, cur dolori dentium, ut Plinius ait, medeatur.

a Lib. 13. meth. med. cap. ult.

Verùm, (ne ultra caſtoreo inſiſtam) ex aliis etiam animantibus ſimilia ſenſibus Deus medicamenta conceſſit. Ita luſcioſis, quos Græci νυκτάλωπας vocant, prodeſt jecoris caprini ἰχὼρ ſeu ſanies, dum aſſatur, deſtillans, ac poſtea inuncta; ut eſt apud Dioſcoridem lib. ii, cap. xlvii. Oculorum fluxui, & ulceribus, medetur cornu cervinum in fornace uſtum, donec albeſcat, ac cadmiæ modo elutum; ut idem ait libri ejuſce cap. lxiii: additque etiam, non modò expurgare dentes, ſed & eorum dolores ſedare. Etiam fel capræ adverſus caligines, ac ſuffuſiones oculorum adſumi; præter Dioſcoridem b, & Plinium c, memorat Serenus Sammonicus d:

Hyblæi mellis ſucci cum felle caprino
Subveniunt oculis dirâ caligine preſſis.

b Lib. 2. cap. 96.
c Lib. 28. cap. 11.
d Cap. 13.

Aliud quoque remedium è Plinii ponam lib. xxix, cap. vi: *Murium capitum, caudarumque cinis, ex mel-*

melle, inunctis claritatem viſus reſtitui dicunt: multoque magis gliris, aut muris ſylveſtris cinere. Ac eadem fere Sextus Placitus ſeu Platonicus cap. XXI. Aliaque multa è quadrupedibus remedia, adverſus capitis morbos, Plinius ſuppeditabit lib. XXVIII, cap. XI, & XII.

Cap. LXIX.

Divina bonitas iis ex remediis adſtruitur, quæ percipimus ex quadrupedibus, adverſus tonſillarum ulcus, uvam, ſuſpirium, exulcerationem pulmonis, palpitationem cordis, ulcera ſtomachi, & dolorem ejus, vel jecinoris, morbum item regium, & ſplenis, vel renum vitia. Utrùm ſanguis hircinus calculum frangat. Præterea remedia iisdem contra ulcera veſicæ, & inteſtinorum, doloremque colicum. Cur natura vermes generet in inteſtinis. Varia eorum genera, & ut medicina fiat longis illis, qui fere inteſtinum tenue occupant. Quæ ex quadrupedibus conducant adverſus dyſenteriam, & cæteros alvi fluores morbidos. Item ſalutaria vitiis genitalium, & ariburidi. Adhæc vulneribus, aliiſque externis partium humani corporis membris; etiam illis unguium, ac pilorum.

HInc venio ad illa è quadrupedibus remedia, quæ ſalutaria ſunt faucium, ac thoracis, morbis.

Adverſus tonſillarum ulcera gargarizatur lac recens, præſertim bubulum; ut ait Pedacius Dioſcorides lib. II, cap. LXXVII. Deque lacte ovillo idem Plinius tradit lib. XXX, cap. IV. Ejuſdem verba ſunt eodem capite: *Uva, & faucium dolor, mitigatur fimo agnorum, priuſquam herbam guſtaverint, in umbra areſacto.* Et aliquanto pòſt: *Tradunt & murem cum verbenaca excoctum, ſi bibatur is liquor, remedio eſſe anginæ: & corrigiam caninam, ter collo circumdatam.*

Suſpirioſis, quos Græci ἀσθματικοὺς vocant, prodeſt vulpis pulmo, ſi areſactus bibatur; ut Dioſcoridi obſervatum libri ejuſdem cap. XLI. Item jecur ejus meatus ſpirandi laxat; ut apud Plinium eſt lib. XXVIII, cap. XIII: ubi & ſanguinem equorum ſylveſtrium, & lac hircinum, ac urſinum fel, conferre iis tradit, & utendi etiam modum præſcribit.

Pulmonis, uti & gutturis ulceribus, ſalutare eſt lac omne decoctum; præſertim ſi ſilices igniti tertiam ejus partem abſumſerint; ut idem refert poſtea cap. LXXV. Plinii quoque eſt lib. XXVIII, cap. XII: *Purulentas exulcerationes pectoris, pulmoniſque, & à pulmone grave olentium halitus, butyrum efficaciſſime juvat cum pari modo mellis Attici decoctum, donec rufeſcat, & matutinis ſumtum ad menſuram ligulæ.*

a Lib 4. cap. 4. Præterea, ut Celſus *a* ait, jecur vulpis vim habet ſuccurrendi pulmonibus malè affectis. Ita & ejus pulmo. Nempe eò exulceratis prodeſt, quia ulcera exſiccat. Sin inveteratum ſit malum: pulmoque nonniſi tuſſi poſſit expurgari; ea autem ille dilaceretur, ac inflammetur magis: imprimis profuerit lac aſinæ; quia nullum non trium

b Cap. 64. ejus partium, quas ſuperiùs *b* retulimus; eſt ſalutaris. Serum enim deterget. Τυρός, ſive caſeoſa ſubſtantia, conſolidat. Butyroſa, ut vocant, nutriendo maciem imminuit. Utcunque igitur malum non prorſus tollat: vim tamen ejus infringit, atque ita & vitam producit, & facit, ut minori aliquis moleſtiâ fato concedat. Magis verò lac proderit cum ſaccharo roſato, & tribus poſtea horis vitello ovi adſumto.

In cordis morbis eſt palpitatio. Adverſus eam caſtorea, de quibus tam multa diximus antea, utiliter adſumi; apud Galenum legere eſt libro de tremore, palpitatione, convulſione, & rigore, cap. V.

Nunc de ventris morbis ponam: ut illis ſtomachi, jecoris, κύστεως χοληδόχου, ſive folliculi fellis, lienis, renum, veſicæ, & inteſtinorum.

De ſtomacho ita Plinius lib. XXVIII, cap. XIII: *Stomachum exulceratum lactis aſinini potus reficit: item bubuli. Roſiones ejus, caro bubula admiſto aceto, & vino cocta.* Dolori illius medetur lana ſuccida: ut eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. LXXXII.

De jecore ſic Plinius verbis antea allatis continuò ſubdit: *Jecinoris dolores, lupi jecur aridum ex mulſo: aſininum jecur aridum cum petroſelini partibus duabus, ac nucibus, ac melle tritum, & in cibo ſumtum: ſanguis hircinus cibo aptatus.*

Ab obſtructione etiam jecoris, vel κύστεως, eſt aurigo: ut Scribonius vocat. Aliter *regius morbus*, vel *arcuatus*, Græcis ἴκτερος nominatur. Ac fit, quoties jecur, præ nimio calore, humores non tam elixat, quàm aſſat. Plus igitur eſt fellis, quàm συμμετρία *a* exigit: ac quod nimium eſt, ad cutim ſe, ut commune receptaculum, diffundit. Huic morbo medetur cornu cervi uſtum, lotumque, ſi binûm cochlearium menſurâ bibatur: ut docuit Dioſcorides lib. II, cap. LXIII. — a Commenſuratio, ſive proportio.

Spleneticos quid juvet, ſic Plinius exponit, poſtquam retulerat, quantam magi vim lieni tribuant vituli: *Prodeſt & pulmo vulpium cinere ſiccatus, atque in aqua potus. Item hædorum lien impoſitus.*

Renum vitiis medetur caro echini terreſtris aſſiccata, & cum melle, aut aceto mulſo, appota: ut legas apud Dioſcoridem lib. II, cap. II. Atque idem ait, ejus jecur præſtare vaſe fictili areſactum. Hircinum etiam ſanguinem nephriticis, calculoque laborantibus, magnopere prodeſſe, ſententia eſt Aëtii, Tralliani, Æginetæ, Avicennæ, & Alberti: qui & modum, ut præparetur, docet. Julius etiam Scaliger eum in renibus, & veſica, calculum frangere, tam certum eſſe ait, quàm meridie lucere. Vide eum Exercitat. CCCXLIV, ſect. VIII. Aliorum quoque multorum hæc eſt ſententia: ſed adverſante Jacobo Sylvio, methodo de componendis medicamentis *b*: — b Cap. de animalibus.
eumque ſecuto Michaële Montano, operis Gallicè ſcripti *des Eſſais* lib. II, cap. ult. Etiam amiciſſimus Joannes Bevervicius, Dordrechtanus medicus, ingenio, doctrinâ, experientiâ excellens, refert libro de renum & veſicæ calculo, cap. XII, cuidam ſe, hoc morbo graviter laboranti, continuis diebus decem, drachmam hircini ſanguinis ex vino albo præbuiſſe: nec tamen in lotio ejus aliquid deprehendiſſe ſabuloſi: ac propterea ſe, aliis ſi facienda eſſet medicina, etiam aliis poſtmodo eſſe uſum remediis.

Ulceribus renum, veſicæ, inteſtinorum, prodeſt lac ſic coctum, ut ſilices igniti tertiam ejus partem abſumſerint: quemadmodum tradit Dioſcorides lib. II, cap. LXXV. Etiam veſicæ doloribus medetur cornu cervi uſtum lotumque, & cum tragacantha adſumtum: ut idem ait cap. LXIII.

Colico dolori, ac torminibus diutinis, medetur talus ſuis combuſtus, è nigro albeſcens, ac deinde tritus, potuſque: ut Dioſcorides refert lib. II Τ ἀλικῶν, cap. LXII.

Sunt & acerbi ventris dolores à vermibus, quos natura in inteſtinis è putri gignit materia; neque id inſipienter; quia, ut Avicenna ait, præſtet materiam illam animari, quàm magis indies putreſcere. Hoc enim graviora daret mala animantibus. Magnum interea hic diſcrimen. Minùs periculoſæ ἀσκαρίδες, quæ anum obſident. Magis noxii lati illi in medio ventre; qui quandoque ad XXX pedes excreſcunt; chylumque exſugendo, hominem cruciant, imprimis jejunum. Nam, cibo adſumto, placantur. Mirè etiam noxii longi illi, ac rotundi, in tenuibus inteſtinis: quos negligi prohibet Ægineta, quia & ab iis homines convulſi, vel exeſi, moriantur. Hi, ut egerantur, alliciendi ſunt clyſtere lactis, butyri, cum ſaccharo, & melle. Infantibus etiam in pulte inſpergitur pulvis cornùs cervini: item cervi medullâ linitur venter, & ſpina. Eſt enim cervus ἀντιπάθεια *c* quædam adverſus vermes; haut ſecus ac contra ſerpentes; de qua ſuperiùs ſatis dictum. — c Contraria affectio.

Eſt dyſenteriæ genus à bile profectum, priùs quidem abradente mucum, quo natura oblinit inteſtina, ut facilior ſit dejectio; poſtea verò eadem exulcerante, unde

fluor

fluor cruentus. Huic medetur *ſanguis hædinus ad cyathos ternos cum aceto acri*; ut Plinius ait lib. XXVIII, cap. XIII. Item cervini cornus cinis elotus, & binis epotus ligulis; ut Dioſcoridi traditum lib. II, cap. LXIII. Ad hæc lac ovillum, caprinum, bubulum, ſi candentium ſilicum ope coquatur; ut idem docet lib. II, cap. LXXVII. Atque addit, etiam conferre inani egerendi voluntati, quæ dyſenteriam ſolet præcedere, atque ἀπὸ τοῦ τείνεσθαι τεινεσμὸς vocatur; non τενεσμός; & ſi cum vulgo utrumque in doctiſſimo ſuo Nomenclatore H. Junius agnoſcat.

Idem Dioſcorides inibi commendat adverſus inteſtinorum toſiones, & ulcera, lac cum hordeacia ptiſana, vel alicæ cremore. Sed ſi dyſenteria laborans febricitet; lac non convenit, quia febricitantibus obeſt; ut Dioſcorides *a* tradit. In aliis ardorem bilis temperat, & obtundit.

a Lib. 2. cap. 78.

Eſt & alvi profluvium ſine cruore: ut κοιλιακοῖς, & laborantibus λειεντερίᾳ. In hac alimenta prorſus cruda egeruntur: ſic ut ſæpe etiam agnoſcantur egeſta. In cœliacis non omnino ſunt cruda, propter moram aliquam in ventriculo. Cœliacis prodeſt cornus cervini cinis eo modo adſumtus, ac de dyſentericis diximus. Auctor Dioſcorides lib. II, cap. LXIII. Idem tradit lib. II, cap. II, erinacei carnem ξηραίνειν τὰς περὶ τὰ σπλάγχνα ῥευματισμούς, *exſiccare viſcerum fluxiones*. Atque addit, idem præſtare jecur erinacei in vaſe fictili, ſolibus peruſto, areſactum. Item, ut Plinius inquit lib. XXVIII, cap. XIII, *Rheumatiſmos reficit cornus cervini cinis*. Dioſcorides quoque ait, caſeo vetuſtiori alvum ſiſti; laxari eandem butyro. Vide eum ejuſce libri LXXIX, & LXXXI. Cauſſa verò ſatis eſt aperta ex iis, quæ ſuperiùs *b* de tribus lactis partibus dicebamus.

b Cap. 64.

Quid verò impedit, quo minùs nunc aliquid etiam afferamus de partibus, quæ generationi inſerviunt? Ubique enim divina elucet providentia. Quibus is morbus, vel imbecillitas, ut id, quo viri ſunt, arrigatur quidem, at continuò in Venere flacceſcant: iis præſcribitur pulvis teſtium vulpis, vel penis cervini, aut taurini: idque cum vino, vel betonicæ conditaneis. Sed & ſcincus, crocodili terreſtris genus, cùm naſturtio conditus, ſi tenuem ejus drachmæ pondere biberis in vino, Venerem accendere traditur; inhibere autem, ſi lentis decocto cum melle, aut ſemine lactucæ, cum aqua bibatur. Sic Dioſcorides lib. II, cap. LXXI. Etiam pantheræ cerebrum cum erucæ ſucco, ſi maris verendis applicetur, Venerem excitare, apud Albertum M. legas in XXII de Animalibus.

Feminis fluxu vulvæ laborantibus prodeſt cornu cervinum uſtum lotumque, ſi parti laboranti applicetur: ut Dioſcorides ait lib. II, cap. LXXIII. Lac cum hordeacia ptiſana decoctum, aut halicæ cremore infuſum, mitigat vulvæ ulcera. Sic idem lib. II, cap. LXXVIII.

Etiam contra ulcera, duritiem vulvæ, efficax eſt butyrum; ut eſt lib. II, cap. LXXXI: præſertim cum œſypo, & meliloto: ut eſt cap. LXXXIV. Ubi & legas, eandem habere vim emolliendi τοῦ δακτυλίου, ſive *ſedes*. Plinii item eſt lib. XXXII, cap. III: *Fibrorum teſtes menſes, ac ſecundas, cient duabus drachmis ex aqua cum pulegio poti*. Pantheræ etiam teſticulum dextrum magnam habere vim in menſibus provocandis, apud Cardanum eſt in Subtilitatis opere lib. XVIII *c*. Pantheræ medullâ ſedari dolores uteri, apud Albertum M. reperias in vigeſimo ſecundo de Animalibus.

c P. 643. edit. Lugd. an. 1580.

Poſt partes Veneri dicatas fere agi ſolet de arthritide, Veneris, ut plurimùm, progenie. Ἀρθρῖτις autem nomine hoc loco utor non laxè, pro quovis articulorum dolore; quomodo eam ἐν αὐχμοῖς *d* fieri, Hippocrates ſcribit aphoriſ. XVI, ſect. III; ſed pro ingenti dolore ex vitioſi humoris in articulum defluxu: quo humore in pedes incidente, ποδάγρα: in manus, χειράγρα: in membra varia, preſsè ἀρθρῖτις *e* nuncupatur. Interdum autem humor ille, conſumtis partibus tenuioribus, in tophum induratur: unde eſt, quòd aliquando incurventur articuli: ut Aëtio traditum lib. XII, cap. X. Hircinus adeps, quia validiſſimè diſcutit, ſalutaris eſt podagricis: ut tradit Dioſcorides lib. II, cap. XCIV. De adipe ſuillo, ſive axungia, idem monet Plinius lib. XXVIII, cap. IX. Ubi & iſta legas: *Aſininum lac bibendo, qui liberati ſint podagrâ, chiragrâve, inter exempla ſunt. Serum etiam aſinini lactis efficaciſſimè, heminis per intervalla ſingulis diebus quinis, articularibus morbis bibitur*. Etiam iis lac aſininum præcipit Galenus lib. IV Acut. Comm. XVII. Sed id quia in Batavia haberi nequit, eò Zacutus Luſitanus, celebris ac pereruditus Reip. hujus Amſtelodamenſis medicus, uti pro eo ſolet lacte equino, cum multa ſacchari copia: quemadmodum ipſe ſcribit lib. II Praxios Medicæ, Obſervat. CLXXV.

d Per ſiccitates.

e Aëtius lib. 12. cap. 6.

Concludam hanc partem iis, quæ ad externos partium morbos pertinent. Ita, ut Galenus docet in tertio Methodi, in oſſe eſt κάταγμα ſive *fractura*; in carne autem ἕλκος, ſive *ulcus*, & τραῦμα, ſive *vulnus*; illud ab interna, hoc ab cauſſâ externa; ut etiam indicat Celſus lib. V, cap. XXVI. Tum vulneribus, tùm oſſium fracturis, proſunt ἔρια οἰσυπηρά, ſive lanæ ſuccidæ; ut eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. LXXXII. Ac rationem etiam ſubjungit: Δεκτικὰ γάρ ἐστι τῶν ἐμβρεγμάτων, καὶ μαλακτικὰ διὰ τὸν οἴσυπον. *Liquores enim facile recipiunt, quibus immerſeris; emolliendi etiam vim habent propter pinguedinem inhærentem*. Sic οἴσυπον malo interpretari, quia Dioſcorides ipſe cap. LXXXIV ait, Οἴσυπος δὲ λέγεται τὸ ἐκ τῶν οἰσυπηρῶν ἐρίων λίπος· *Oeſypum dicitur collecta è lanis ſuccidis pinguedo*. Fimum quoque bubulum vulnerum inflammationes lenire, idem refert libri ejuſdem cap. XCVIII. Galenus, ſive alius, libro ad Piſonem de Theriaca, exponit, ut vulneri, quod intulerit crocodilus, illitus ejus adeps ſummopere profuerit.

Vulnerum genus ſunt jumentorum morſus. His auxiliatur jecur apri exſiccatum, & ex vino potum; teſte Dioſcoride lib. II, cap. XLVIII.

Pernionibus mederi aſinorum ungulas, prodit Dioſcorides lib. II, cap. XLIV. Hoc ipſum præſtare urſinum adipem, ait libri ejuſce cap. XCIV. Atque ut idem faciat adeps ſuillus, iſque inveteratus, quem axungiam dicunt, Plinius docebit lib. XXVIII, cap. IX.

Apud Simeonem Sethi *a* legas de cervis: Ὁ μυελὸς, καὶ τὸ λίπος, τὰ σκληρὰ τῶν χαρκινωμάτων μαλάσσει ἐπιτιθέμενος· *Medulla, & pinguedo cervorum, ſi ſuperpoſueris, duritiem emollit carcinomatum*.

a De Cibariorum facultatibus ad Michaëlem Ducam Imp. in voce Ἔλαφος.

Ulcera ad cicatricem perducit, & nequid carnis excreſcat, prohibet lana munda, carpiaque, & in crudo fictili uſta. Pleniùs hoc exponet Dioſcorides lib. II, cap. LXXXIII.

Cutis pruritui, & papularum eruptioni, prodeſt lac cum melle crudo, ſale addito, & paullo aquæ dilutum: ut idem docet lib. II, cap. LXXV.

Plinii ſunt iſta lib. XXVIII, cap. IX, ubi de adipe ſuillo, ſive axungia: *E ſue quæ non pepererit, aptiſſimè utuntur ad cutem mulieres. Contra ſcabiem verò quivis, admiſto jumentorum ſevo, pro parte tertia, & pice, pariterque ſubfervefactis. Cicatrices concolores facit ceruſsâ admiſtâ, vel cum argenti ſpumâ. At cum ſulphure unguium ſcabritias emendat*. Idem Plinius lib. XI, cap. XLI, ſic de lacte aſinæ ſcribit: *Conferre aliquid & candori in mulierum cute exiſtimatur. Poppea certe, Domitii Neronis conjux, quingentas ſecum per omnia trahens fetas, balnearum etiam ſolio totum corpus illo lacte macerabat, extendi quoque cutem credens*. Eadem legas lib. XXVIII, cap. XII. Ac Juvenalis quoque eodem reſpiciens Sat. VI, ſic ſcribit:

—— *Atque illo lacte fovetur,*
Propter quod ſecum comites educit aſellas.

Ubi ſic vetus interpres: *Aſinino lacte faciem linit, ut cutem tendat, & candorem eliciat*. Ac paullò antè idem Juvenalis medicamentum hoc *Poppeana* vocat, tanquam ab ea inventum; ut idem ait ſcholiaſtes. Quod ſi de elephanto, de quo tam fuſè antea dictum, non propterea nunc planè ſilendum: fortaſſe præteriti non mereatur, tamento

mento dentis elephantini curari reduvias unguium: ut ait Dioſcorides lib. II, cap. LXI.

Ad illa unguium jam delapſi ſumus. Ad viliora vix poſſumus, quàm ſi de pilis loquamur. Et tamen hac etiam parte conſuluit nobis bonitas Dei. Plinius quidem proximè memoratis ſubjungit: *Medetur & capillo fluenti: & infumata, pilis oculorum.* Ac capite antecedente idem dixerat, hippopotami cinerem explere alopecias. Sic à vulpibus vocarunt, quando ob maligni humoris copiam capilli priùs extenuantur, ac deinde decidunt: ſive quia animal id huic defluvio ſit obnoxium; ſive à ſimilitudine quadam, quia quæ loca vulpes lotio adſperſerit, iis areſcant herbæ priores, nec ſuccreſcant novæ. Huic morbo, quem & *aream* cum Celſo *a* dicere poſſumus, prodeſt quoque corium erinacei combuſtum, ac cum pice liquidà illitum. Ita Dioſcorides lib. II, cap. II. Idem præſtat exuſtum leporis caput cum adipe urſino, aut aceto, perunctum; ut legas ejuſdem libri cap. XXI. Atque addit, ſi ſanguis ejus calidus illinatur, tolli ἐφηλίδας, *maculas à ſole contractas*, & ἀλφοὺς, καὶ φακοὺς, *vitiligines, ac lentigines.* Etiam caprinarum ungularum cinere ex aceto perunctæ alopeciæ ſanantur: eodem teſte ejuſce libri cap. XLVI. Seorſim etiam adipe hoc urſino præſtari tradit cap. XCIV. Alia quoque adverſus alopecias, capillorumque defluvia, & porriginem, ex cornu cervino, felle caprino, aut vitulino, genitali vel urina aſini, fimo item caprino, apud Plinium vide lib. XXVIII, cap. XI. Ac de fructu, quem in medicina è quadrupedibus capimus, hæc ſuffecerint. Plura qui volet, præcipue eundem Plinium libro adeat memorato: qui cap. VIII, ac XI ſeqq. fuſiſſime hoc argumentum perſequitur.

a Lib. 6. cap. 4.

Cap. LXX.

Pecudes juvare hominem lanâ: & unde ea ſit velleris *nomen ſortita. Tonſura pecudis vetus Hebræis. Unde bonitas lanæ Anglicanæ. Laus lanæ Mileſiæ in Aſia; Atticæ, & Megarenſis in Græcia: in Italia autem Tarentinæ, Parmenſis, Altinatis. Vetus Varronis lectio defenſa. Conſuetudo pelle tegendi pecudes. Horatio lux. Pecus* tectum, & colonicum, *opponi.* Lana ſulox. *Mollities veſtium è pilis camelorum Caſpiorum. Joannem Baptiſtam non fuiſſe indutum corio camelino. Coactilia ferro, & igni reſiſtere. Caſtoreorum laus gemina, mollities, & quod non perpluant. Carmentæ ſacello pelliceum aliquid inferre nefas creditum. Coriariis extra urbem domicilium: deque iis ſomniare, mali aliquid portendere exiſtimatum. Cur Deus Adamo, & Evæ, è pellibus potiſſimum veſtes feciſſe videatur. Antiquis temporibus etiam heroinas pelliceis fuiſſe amictas. Cur ruſtici Græcis vocati διφθερίαι. Unde Bacchus* Balliſeus; *Bacchæ,* Balliarides *vocentur. Unde* rhenones *ſic dicantur. Quis ſutrinam invenerit. Perones ex corio crudo: ſenatorum calcei ex aluta; in quibus & lunula, nobilitatis inſigne; ac porrectos fuiſſe uſque ad crus medium.* Caput calceatum, *de eo, quod pelle hædinâ, vel aliâ, obiectum. In bello primum pectoris, ac capitis tegumenta è corio: unde nomina* loricæ, ægidis, galeæ, *aliorumque. Cur olim alterutrâ uſi ocreâ è ferro. Ægyptiorum commentum vulnerari non poſſe, qui indutus ſit pelle hianæ. Pantherinum corium pro tegmine in bello. Clypei, ſcutaque obducta, olim pelle, nunc ſimplici, nunc etiam duplici, triplici, atque adeo ſeptemplici.* Molleſtræ *quæ. Cur Friſiis a Druſo imperatum, ut ſtipendii loco terga bubula darent Romanis. In pellibus dormitum. Etyma aliquot vocum: inque his, unde* dormiendi *vox, &* Pergamenæ chartæ *appellatio: uti &* ſcuticæ, *ac* taureæ. Nummi ſcortei *qui: & unde* ſcorti *nomen.*

PRæterea maximus eſt uſus quadrupedum ad rem veſtiariam. Proſunt autem hac etiam parte, & vivæ, & mortuæ. Vivæ quidem commodant pecudes propter lanam. Hinc Plinius lib. VIII, cap. XLVII: *Magna pecori gratia in uſu vellerum. ut boves victum hominum excolunt; ita corporum tutela pecori debetur.* Et Ovid. XV Metam. ſic de pecore canit:

—— Inque tuendos
Natum homines, pleno quæ fertis in æquore nectar;
Mollia quæ nobis veſtras velamina lanas
Præbetis, vitaque magis, quam morte juvatis.

Hæ lanæ, antequam tonderentur, velli ſolent; unde *velleri* nomen; ut eſt apud Varronem lib. IV de L. L., & in II de R. R. Plinii quoque eſt lib. VIII, cap. XLVIII, *Oves non ubique tondentur: durat quibuſdam in locis vellendi mos.* Sed tondendi conſuetudo Hebræis vetus fuit. Qui & ob ſummos lanæ uſus, tonſuræ tempore, convivium celebrabant: ut Abſalomum *a*, & Nabalem *b*, feciſſe, legimus. Hodie præcipua eſt bonitas lanæ Anglicanæ: cujus qui rationem arceſſunt à pabulis minùs lætis, tueri ſe poſſunt Marone: qui læta opiliones pabula fugere jubet Georg. III *c*. Sane à ſolo parùm fertili lanam reddi ſubtiliorem, Cardani *d* etiam judicium eſt. Addunt de Anglicana alteram item rationem, quòd ea regione oves vix bibant; ſed, ad ſitim extinguendam, cæleſti fere rore ſint contentæ. Sed lanæ hujus bonitas ignota fuit veteribus Romanis. A quibus prædicari in Aſia quidem videas vellera Mileſia, Laodicena, & quædam alia: de quibus Plinius lib. VIII, cap. XLVIII. In Græcia autem extolli à veteribus ſolet Attica: unde apud Athenæum in quincto quæſtio illa, εἰ τῶν Ἀττικῶν ἐρίων ἐστὶν μαλακώτερα, *ſintne lanæ aliquæ Atticâ molliores.* Laudat & Plutarchus lib. περὶ τοῦ ἀκούειν. Ac Laberii eſt, Paupertate *e*:

a Lib. 2. Regum ſive Samuelis, c. 13. verſ. 23.
b Lib. 1. Sam. cap. 25. v. 7.
c Verſ. 386.
d Lib. 10. Subtilitatum, qui eſt de animalibus perfectis.

Nihil refert mollem de lanitia Attica,
An ex hircorum pecore veſtitum geras.

e Apud Nonnum in Lanitia.

Sic ad hiatum metri explendum repono: ubi vulgo, *An pecore ex hircorum.* Itidem commendabatur vicina Megarenſis: de qua mox dicam. In Italia autem (quo nomine & Italiam Gallicam, ſive Galliam Togatam, comprehendo) præcipue in pretio erat illa è magna Græcia: uti Apula, maximeque Tarentina: proxima tum Parmenſis, tum Altinas, illa ex Galliæ Ciſpadanæ colonia, hæc ex Altino, Venetæ regionis municipio. Jungit eas Mart. lib. XIV, diſt. CLV:

Velleribus primis Apulia, Parma ſecundis,
Nobilis: Altinum tertia laudat ovis.

Columella lib. VII, cap. II: *Generis eximii Calabras, Apulaſque, noſtri exiſtimabant; earumque optimas Tarentinas. Nunc Gallicæ pretioſiores habentur, earumque præcipuè Altinates. Item quæ circa Parmam, & Mutinam, macris ſtabulantur campis.* Ex his locis lucem capit Varro lib. II de R. R. cap. II: *Pleraque ſimiliter faciendum in ovibus pellitis, quæ propter lanæ bonitatem (ut ſunt Tarentinæ, & Atticæ) pellibus integuntur, ne lana inquinetur, quo minus vel infici rectè poſſit, vel lavari, ac parari.* Ubi pro *Atticæ*, (ut primus fidem ſecutus MSSorum, repoſuit Petrus Victorius) in prioribus editionibus cunctis erat, *Altinates*: quod aliis ex MSSis expreſſum cenſeo. Quanquam verò Attica lana in pretio erat; ut liquet ex iis, quæ antea diximus: non abſurdè tamen credamus, de ſola Italorum lana, non item Græcorum, loqui voluiſſe Varronem. Alioqui veriſimile eſt, non Tarentinas modò oves; ſed Atticas item, velleribus integi ſolere. Nam de Megarenſibus, Atticæ tam vicinis, diſertum id nos docet Laërtius in Diogene; ubi de eo ſic ſcribit: Ἐν Μεγάροις ἰδὼν τὰ μὲν πρόβατα τοῖς δέρμασιν ἐσκεπασμένα, τοὺς δὲ παῖδας αὐτῶν γυμνοὺς, ἔφη, Λυσιτελέστερόν ἐστι Μεγαρέως εἶναι κριὸν, ἢ υἱόν. *Apud Megarenſes cum vidiſſet oves pellibus tectas, pueros verò nudos; ait, Satius eſt Megarenſis eſſe arietem, quam filium.* Quæ hic Laërtio πρόβατα τοῖς δέρμασιν ἐσκεπασμένα, ac Varroni *oves pellibus intectæ*; eas *pellitas* Horatius dicit libri II, od. V:

Dulce pellitis ovibus Galeſi
Flumen.

Gale-

Galeſus autem, ut eum ad locum vetus annotavit interpres, *fluvius eſt juxta Tarentum; ubi, præ paſturæ copia, vel dulcedine, molliores ovibus lanæ ſunt.* De tectis igitur Tarentinorum ovibus ſermo eſt: quod non animadvertit vir eruditus; qui miratur *pellitarum* epitheton, quia oves omnes, imò & animantium aliæ, ſint pellitæ. Hujuſmodi pecori opponitur *colonicum*: proximæ tamen poſt tectum dignitatis; quia non gramine, ſed rubis, paſcitur. Plinius lib. VIII, cap. XLVII: *Ovium ſumma genera duo; tectum, & colonicum: illud mollius, hoc in paſcuo delicatius: quippe cum tectum rubis paſcatur.* Vilius montanum pecus: de quo ſic Lucilius *a*:

Paſcali pecore ac montano, hirto, atque ſoloce.

Ubi *ſolox* pecus vocatur, quomodo & *lanam ſolocem* pro hirtâ durâque Titinius *b* dixit.

a *Apud Feſtum in* Solox.

b *In* Barathro, *Sic enim legendum apud Feſtum; non* Barrato, *ut erat in cod. Farneſiano. Imo nec* Barbaro; *ut fabula hæc in pleriſque Nonii codd. appellatur.*

Nec ingens modò eſt diſcrimen in pecudum villis; ſed etiam jumentorum. Sanè apud Caſpios pili camelorum adeò ſunt molles, ut lanis certent Mileſiis: unde τῶν Κασπίων πλουσιώτατοι, καὶ δυνατώτατοι, καὶ ἱερεῖς, ἐκ τούτων ἐσθῆτα ἀμφιέννυνται· *Caſpiorum ditiſſimi, & potentiſſimi, ac ſacerdotes, veſtimenta inde conficiunt*: ut eſt apud Ælianum Hiſt. de An. lib. XVII, cap. XXXIV. Hujuſmodi veſte uſum fuiſſe Joannem, planè abſurdum eſt putare. Nec propterea aſſentiendum pictoribus, qui Joannem pelli involvunt cameli. Quos ex parte ſecutus præſtantiſſimus Sebaſtianus Foxius Morzillus Hiſpalenſis, Ethicorum lib. III. cap. XXVII, ait: *Joannem Baptiſtam cameli corio amictum fuiſſe, ſacræ literæ docent.* Nam clarè ea ſententia refellitur hiſce verbis B. Matthæi III, 4: εἶχε τὸ ἔνδυμα ἀπὸ τριχῶν καμήλου· *habuit veſtem de pilis cameli.* Nempe, ut dixi, non è mollibus camelorum Caſpiorum villis: verùm vulgaribus; unde & cilicia veterum Chriſtianorum fiebant. Omnino id auſteræ Joannis vitæ convenientius fuit.

Nec ex lanis textilia ſolùm fiunt; ſed coactilia etiam; quæ & Cæſari *ſubcoacta* dicuntur. Vulgo *vilten* dicimus: imò & jam à compluribus ſeculis vocata *feltra*, vel *filtra*: quomodo nominant Helmoldus presbyter, Hinningus Lector, Herthonus Armenius, pluresque alii: ut cùm clariſſimo Meurſio oſtenſum, in perutili illo Gloſſario Græcobarbaro *c*: tùm etiam nobiliſſimo viro Henrico Spelmanno, Equiti Anglo, in eruditiſſimo ſuo Archæologo *d*. Eſt verò ſatis veriſimile *vilten*, & *filtra*, eſſe ex Græco πιλητὰ, vel πιλωτά. Nam ſic dicuntur τὰ ἐκ τριχῶν συντιθέμενα *e*. Itaque quod Græcis συμπιλεῖν, id Latinis *conciliare*, à ciliis, id eſt, pilis. Varro lib. V de L.L. *Apud fullonem veſtimentum cum cogitur, conciliari dicitur.* Magnus verò eſt coactilium uſus. Nam & pilei inde, & veſtimenta alia, pluviæ arcendæ idonea. In bello etiam juvare, indicat illud Cæſaris lib. III bello Gallico: *Omnes fere milites aut ex ſubcoactis, aut ex centonibus, aut ex coriis tunicas, aut tegmenta fecerant, quibus tela vitarent.* Pleniùs id explicat Plin. lib. VIII, cap. XLVIII: *Lanæ & per ſe coactæ veſtem faciunt: & ſi addatur acetum, etiam ferro reſiſtunt: imo verò etiam ignibus.* Ac ſubdit inde, ut quoque inſerviant tomentis, Gallicano, ut videtur, invento.

c *Voce* φιλτρον.

d *Voce* Feltrum.

e *E pilis compoſita.*

Uti verò in panno, ita etiam magnum eſt diſcrimen coactilium. Sic vulgares petaſos è craſſis villis; delicatiorum, è mollibus conficiunt; ut illis fibrorum ſive caſtorum: indeque & chirothecæ, ac tibialia fiunt: nec mollitie ſolùm commendantur, ſed etiam quòd aquis reſiſtant. Neque id neſcivit Petrus Angelius Bargæus: cùm in quarto Syriados cecinit:

At procul expellunt pluviamque, imbremque cadentem,
Arte laboratæ villoſo è caſtore pelles.

Hæc de lana, ac pilis.

Mortuæ autem quadrupedes ad rem veſtiariam non vilis modò proſunt, ſed etiam pellibus. Ac gentilibus quidem, quia mortua omnia viderentur immunda: eò ſcortea, hoc eſt, è ſcortis ſive pellibus facta, nefas erat inferre ſacello Carmentæ. Ovidius I Faſt.

Scortea non illi fas eſt inferre ſacello,
Ne violent puros exanimata focos.

Quin neque coriariis domicilium in urbe, ſed extra eam: deque arte coriariâ ſomniare, conjectoribus præſagium malum videbatur. Artemidorus lib. I, cap. LIII: Τὸ δὲ βυρσοδεψεῖν πᾶσι πονηρόν. νεκρῶν γὰρ ἅπτεται σωμάτων ὁ βυρσοδέψης, καὶ τῆς πόλεως ἀπῴκισται. *Coriariam exercere, malum omnibus. Quippe coriarius mortua tractat corpora, ideoque ab urbe ſecluditur.* Verùm non paullò honeſtius de coriariis ſenſit B. Petrus: quem apud Simonem, coriarium Joppenſem, divertiſſe, legimus Actorum cap. IX, & X. Imò primus ipſe pelliceas Deus tunicas primis fecit parentibus: ut legere eſt Geneſ. III, 21. Suppetebant quidem Deo & aliæ veſtiendi rationes: ſed videtur hanc prætuliſſe, partim quia meliùs injurias aëris arceat: partim ut homini, conſpectu pellis mortuo animali detractæ, mortalis ſua conditio ſemper animo obverſaretur. Legimus quoque pelliceâ veſte uſum Eliam, II ſive IV Reg. I, 8.

Etiam pelle erinacei propter aculeos in pannis poliendis utebantur. De quo ſic Plinius lib. VIII, cap. XXXVII: *Ipſum animal non verentur plerique dicere vitæ hominum ſupervacaneum eſſe, ſi non ſint illi aculei, fruſtra vellerum mollitie in pecore mortalibus data. Hac cute expoliuntur veſtes.*

In gentibus etiam antiquitus ſolere heroës leonis pelle indui, indicavimus libri hujus cap. LIII. Ac heroinas item gaviſas pelle tigridis, cognoſcimus ex illo Maronis in undecimo magni operis, de Camilla:

—— *Pro magnæ tegmine pallæ*
Tigridis exuviæ per dorſum à vertice pendent.

Quin multis pòſt ſeculis, mediâ in Græcia, ſenes ruſticos διφθέρᾳ, ſive pelle, indui ſolere; liquet ex Ariſtophanis Νεφέλαις *a*, & Polluce *b*: unde hi Comicis dicti διφθερίαι: de quo Petrus Victorius lib. XXVI, cap. XXIII.

Mænades, ſive Bacchæ, ut in Græcia nebride, ſive pelle cervinâ; quemadmodum alibi dictum *c*: ſic in Thracum orgiis induebantur pellibus vulpinis; unde Bacchus *Baſſareus*, Bacchæ *Baſſarides*; nempe, ut uterque vetus Perſii interpres, (Probus unus putatur; alter Cornutus, qui potiùs eſt Acro) à Thracum vocabulo, quibus *Baſſaris* vulpes. Nimirum Scythicè locuti: quorum lingua, ut iidem dictum antè *d*, dialecto ſolùm à Germanica differebat. Hodieque vulpes Germanis *voſſen*; quod Scythis fuit *baſſen*. Nam B, & V, commutari ſolere, notiſſimum eſt.

a *Act.* 1: *ſc.* 1.

b *Lib.* 4. *cap.* 19. *ſect.* 3. *de perſonis tragicis.*

c *Lib.* 2. *cap.* 16.

d *Libri hujus cap.* 68.

Ex agninis pellibus erant Germanorum rhenones: de quibus Cæſar lib. IV de bello Gallico. Salluſtii *e* quoque eſt, *Germani intectum rhenonibus corpus tegant.* Nomen hoc accepere Galli, & inde Germani, à Maſſilienſibus: hi à Græcis, quibus ῥῆνες, *agni*: unde & Hippocrates ῥήνικας vocat ἀρνακίδας. Plura de hoc diximus in Originum libris.

e *In Hiſtor. libb. apud Servium in* 3 *Georg.*

Adhæc, ut hodie, ita olim quoque è corio calcei fuere. Ac veriſimile eſt, Adamum ipſum, terrâ, ex divina comminatione *f*, ſpinas, ac tribulos, proferente, iis pedes ſuos muniviſſe. Facile etiam fuit de iſto cogitare, poſtquam pelliceas à Deo veſtes accepiſſet. Primus igitur is ſutor fuerit: etſi apud Plinium lib. V, cap. LVIII legas, à Boëthio neſcio quo primùm ſutrinam eſſe inventam. Non dubium verò, quin calcei primitus fuerint è corio crudo. Imò apud Romanos quoque tales fuere illi ruſticorum, quin & plebejorum diu; quibus per nives, & lutum ibant. *Perones* eos dixere; quia ſimiles eſſent peræ, ſive ſacco. Sed nobiliorum calcei fiebant ex aluta, ſive corio molliori. Unde Cato lib. VII Originum: *Qui magiſtratum curulem cepiſſent, calceos mulleos alutaos, ceteri perones.* Hi nobiliorum calcei gerebant lunulam, nobilitatis inſigne: ut eſt apud Iſidorum lib. XX Orig. & Philoſtratum in Herodis Attici vita. Hinc Juvenalis ſat. VII *g*:

Appoſitam nigræ lunam ſubtexit alutæ.

Et Martialis lib. I, epigr. L:

Lunata nuſquam pellis, & nuſquam toga.

f *Gen.* 3: 18.

g *Verſ.* 192.

Quia

Quia verò producebantur uſque ad medium crus; hinc Horat. lib. I, ſat. VI:

Nam ut quiſque inſanus nigris medium impedit crus
Pellibus.

Imò & caput pelle hædinâ, vel aliâ, contegebant; ut hodieque conſuetudo eſt calvis. Atque hinc feſtivè Martialis lib. XI ad Phœbum, us caput eſſe calceatum ait.

Nec ſolùm in vita civili, vel ruſticâ, membris tegendis, adverſus aëris injurias, pelles proſunt; ſed is quoque magnus eſt pellium auro pictarum uſus, quòd tapetum modo parietes veſtiant. Verum omnia ejuſmodi adferre, longum foret. Quare potiùs dicam de multiplici eſus utilitate in bello. Nam loricæ primitus è loro, ut nomen indicat ſi Varronem, & veterum alios, audimus. Veriùs tamen eſt, fieri ex θώρηκα, θ in λ abeunte: ut ex Æolico Ὀδύσσης eſt *Ulyſſes*, ex δᾶπα *dautia*, poſteaque *lautia*, teſte Feſto: ex *Thetis*, *Thelis*, ut ait Varro in III, de R. R. cap. IX: ex *Medica*, *Melica*; ut ibidem legas. Sed de etymo quicquid ſit, ſatis conſtat, olim fuiſſe è loro, ſeu pelle. Maro lib. XI de Ornyto:

Cui pellis latos humeros exemta juvenco
Pugnatori operit.

Et Silius lib. VIII:

Pectora pellis obit caſi è venatibus urſi.

a *Pectoris corium.* Ideo Ariſtophanes εἰρήνη vocat θώρηκος σκύτος *a*. Nec dubium, quin & ægis primò fuerit è pelle αἰγὸς, ſive *capra*, indeque αἰγὶς ſit vocata. Poſtea θώραξ placuit ex annulis ferreis, qui inde dictus ἁλυσιδωτὸς *b*: Maro *c* vocat *loricam hamis conſertam*. Tandem prælatus ille ex ſolida lamina: qui Græcis ideo στατὸς *d*. Galeæ itidem primò ex corio muſtelæ domeſticæ, quæ Græcis γαλῆ; unde γαλέην dixere: ut κυνέην, quia è canis pelle: λυκέην, quia è lupina: ἰκτιδέην, quia è pelle muſtelæ ſylveſtris, quæ domeſticâ eſt major: ut Plinius *e* ait. Poſtea, ut etiam diximus lib. I, cap. XXVII, & κυνέης, & *galea*, extenſa eſt ſignificatio: atque id oſtendebamus illo Homeri Il. κ *f*:

b *Catenatus.* c *Æn. 3. 467.* d *Stabilis.* e *Lib. 29. cap. 4.* f *Verſ. 335.*

Κρατὶ δ' ἐπ' ἰκτιδέην κυνέην. ——
Et, ſuper caput muſtelinam galeam. ——

Quem ad locum vide Euſtathium *g*.

g P. 809. & ſeq. editionis Romanæ.

E corio inſuper primò ocreæ fuerunt; poſtea è ferro; ſi non utraque, ſaltem alterutra: ac dextra quidem, ſi comminus eſſet pugnandum; quia in ſtatu tum prior eſt pes dexter: ſiniſtra autem, ſi dimicaretur miſſilibus: quod cum ſit, uiante eſt pes lævus. Vegetium vide lib. I, cap. XV.

Etiam in bello uſi pelle hiænæ. Sed parum fidei meretur, quòd ab Oro in Hieroglyphicis traditum eſt, ſi quis ea ſuccinctus pelle in medios irruat hoſtes, lædi non poſſe: eoque Ægyptios pingere pellem hiænæ, quoties exprimere volunt ſymbolum alicujus intrepidè periculis omnibus, etiam mortis, obviam euntis. Diximus ſuperiùs, canum morſus evitari, ſi induamur pelle hiænæ. Hoc admiſimus, propter tam multa, in quibus ſimilis ſit ἀντιπάθεια *h*. Sed non æque in animum poſſumus inducere, tantam ejus pellis vim eſſe, ubi adverſus hoſtes eſt confligendum. O ſi hoc eſſet, quanto majori fiducia viri principes, & omnes facilè agentes, ſeſe hoſti objicerent! Nec enim opes deſunt, quibus à pelle hiænæ ſibi proſpiciant.

h *Affectio naturâ diſſidens.*

Pantheræ etiam pelle ſe bellantes texere. Maro de Euandro lib. VIII:

Tum lateri, atque humeris Tegeæum ſubligat enſem,
Demiſſa ab læva pantheræ terga retorquens.

Et Polonis fortaſſe mos idem: unde Cromerus in primo Hiſt. Pol. *Cultui vero pelles ſubminiſtrat panthera, ſive is ſit lupus cervarius* (Kis *appellatur a noſtratibus*) *maculoſus ventre, & pedibus.*

Nec corpora modò pellibus, & olim, & hodie, tegere in bello mos fuit; ſed etiam arma. Nam, ut de vaginis enſium taceam, clypei quoque & ſcuta, corio veſtiri ſolent: Unde de Saguntinis ait Silius, de Judæis Hegeſippus, eos in ſumma fame pelles ſcutis, clypeiſque, detraxiſſe, ut cibo eſſent, quando præſidio non poſſent. Nec ſimplex ea clypeis ſemper; ſed etiam duplex, triplex. Qualis clypeo Mezentii; de quo ſic Maro X Æn.

Tum pius Æneas haſtam jacit: illa per orbem
Ære cavum triplici, per linea terga, tribuſque
Tranſiit intextum tauris opus.

At Ajaci etiam clypeus ἑπταβόειος, ſive *ſeptemplex*. Unde Ovid. initio lib. XIII Metamorph.

Surgit ad hos clypei dominus ſeptemplicis Ajax.

Et in III de Arte:

Cui tegmen ſeptem terga fuere boum.

Etiam fundæ, & amenta jaculorum, è corio. Item erant tentoria è pellibus. Præterea galeas exterſere pellibus ovillis. Dixere eas pelles *molleſtras*, teſte Feſto; voce, ut videtur, à mollitie deflexâ, vel à Græco μῆλον, hoc eſt, *ovis*: ut corrupta ſit è μηλωτὴ, quæ Turnebi eſt ſuſpicio Adverſar. lib. III. cap. XI, & lib. XIX, cap. XXIV.

Propter multiplicem adeò corii uſum in bello, Druſus, Tacito teſte, Friſiis imperavit, ut tributi loco tergora boum præberent. Verba ejus ſunt in IV Annalium: *Tributum iis Druſus juſſerat modicum, pro anguſtia rerum: ut in uſus militares coria boum penderent.* Ac ſine hoc etiam Boſphori accolæ quotannis imperatoribus Græcis pendebant τὰς συντελείας τῶν βοῶν, *boum tributum*: ut eſt apud Georgium Cedrenum in temporibus Juſtiniani Magni *a*. Sed quod addit, unde nomen eſſe *boſphoro*: id, ſi verum eſt, ſimile quid, ſub vicinis regulis, antiquiſſimis obtigerit temporibus. Nota enim ejus vocabuli vetuſtas. Quam poëtæ nominis cauſſam attulerunt, in re pervulgata piget referre.

a P. 302.

Inſuper e pellibus ſcuticæ: quibus nomen iccirco à σκύτος, *pellis*, *cutis*: quod ipſum è σκύτος, præciſâ principe literâ. Itidem ex ταυρεία, *taureis* nomen. Plautus ideo Aulul. IV, I *cenſionem bubulam* dixit. Et Moſtell. Act. IV, ſc. I, *caſtigare bubulis exuviis*: ſimiliaque alibi.

In pellibus præterea veteres dormiebant. Unde Maro in VII:

Pellibus incubuit ſtratis, ſomnoſque petivit.

Imò *dormire* à δέρμα, *pellis*. Prius enim *dermire* dixerunt, poſtea *dormire*: ut pro *bonus*, *benus*. Qua de re item dictum libri hujus cap. XXXV.

Jam quanti illud cunctis literarum, & antiquitatis amantibus, faciendum, quòd ſcribi ſoleat in διφθέραις, ſive *pellibus*! De his ita Iſidorus lib. VI Originum, cap. XI: *Pergameni reges cùm charta indigerent, membranas primo excogitaverunt: unde & Pergamenarum nomen huc uſque, tradente poſteritate ſibi, ſervatum eſt.* Sed hanc opinionem alibi *b* refellimus. Verius illud, cùm multis ante Attalicos reges ſeculis, alii in ſcribendo membranis, alii papyro Ægypriâ, uterentur: ortâ inter reges Pergamenos, & Ægyptios, circa bibliothecas æmulatione, papyrum Ægyptiam fuiſſe à Ptolomæo Epiphane, vel alio, ſuppreſſam: eoque ſeu Attalum, ſeu Eumenem, membranas majori præparaſſe induſtriâ, idque copiâ tantâ, & arte, ut inde alias etiam in terras mitterent, eâque occaſione inde *Pergamenarum* nomen acciperent. Atque ita etiam capiendus B. Hieronymus epiſtolâ ad Chromatium: cujus hæc ſunt verba: *Chartam defuiſſe non puto, Ægypto miniſtrante commercia. Et ſi alicubi Ptolomæus maria clauſiſſet, tamen rex Attalus membranas à Pergamo miſerat, ut penuria chartæ pellibus penſaretur. Unde &* Pergamenarum *nomen, ad hunc uſque diem, tradente ſibi invicem poſteritate, ſervatum eſt.*

b *In Originum libris.*

Quid quòd aliquando non marſupia ſolùm, ut hodieque fit, è corio fuere: ſed fortaſſe etiam ejus uſus in cudendis obtinuit nummis. Donatus in illud Maronis I Æn.

Taurino quantum potuit circumdare tergo.

Aliqui dicunt, pecuniam tunc ex corio bubulo fuiſſe, & inde pecuniam dictam, quod ex pecore originem duceret:

tan-

tantumque fuiſſe in precio loci, quantum bovis unius corium conficere potuiſſet. Et hanc veterem conſuetudinem reſpexit etiam B. Hieronymus, cùm ad Rufinum ſcribit: *Ut cùm montes auri pollicitus fueris, ne ſcorteum quidem nummum de theſauris tuis proferas.* Ubi *nummi ſcortei* iidem ac *coriacei*. Nam ut Feſtus ait: *Omnia ex pellibus facta, ſcortea appellantur. Scortes, id eſt, pelles teſtium arietinorum, ab iiſdem ſcorteis pellibus Verrius dictas eſſe ait.* Imò hinc *ſcortum*, pro meretrice: ut Belgæ impuras illas *vellen* vocant, ex Latino *pellis*. Et inde etiam κατὰ
a Transpoſitus literis. μετάθεσιν a *ſcrotum*, pellis teſtes continens.

Cap. LXXI.

Alii quadrupedum uſus. Ac primò integrorum viventiumque: ut felis in venandis muribus, canis in domus cuſtodia; unde Laribus ſacrati: imò & indagandis in bello hoſtibus, cùm ſpelæis ſe abdidere, ut à Romanis factum in Sardinia: præterea ad vecturam, cùm aſinorum, mulorumque: tum equorum, quorum placidiores duntaxat vecturæ idonei; acriores autem, ſpiriores pugnæ in bello. Canterii *unde ſic dicantur. Etiam camelis uſi ad utrumque: unde olim quæſitum, utrum ſub feris, an jumentis, contineantur, & quid de eo ſtatuamus. Quamdiu cameli perferant ſitim. De jaculatoribus, & ſagittariis, pugnantibus è camelis. Item de dromadibus, equiſve, protrahentibus currus falcatos. Parum veriſimile eſſe, quod ait Plinius, camelos, ſi caſtrentur, firmiores reddi. Quædam interim animalia, in his mulum, caſtratione non fieri imbecilliorem. De certarum in animantibus partium uſu: quemadmodum nervorum in fidibus, arcu, funibus, vinculis pedum, ac cervicis: in quibus & nervi vocabulum remanſit, cùm ea fierent è ligno, aut ferro. Cornuum utilitas in convocandis bubus, ac civibus: item militibus, iiſque incendendis: ad quod pro bubulo poſtea uſi cornu æneo. Ex iiſdem arcus. Uſi quoque in conviviis: eoque Bacchus fingebatur cornutus: taurus etiam vocatus, ac tauriformis effictus. Unde hodieque mos ſit bibendi è cornu argenteo. Septentrionales diutiſſime conſuetudinem retinuere bibendi ex vero quadrupedis cornu. De ara cornea Apollinis Delii. De taurini fellis, & hircini ſanguinis uſu in re metallica. Fimi utilitas, ejuſque diſcrimen in agricultura. De excrementis quadrupedum pergratum ſpirantibus odorem.*

HActenus dictum de utilitate, quam ex quadrupedibus percipimus in alimento, medicinâ, & veſtitu. Ubi, quia antiquiſſimi pellibus veſtirentur, neque hodie is uſus exolevit; de his quoque dicendum nobis fuit. Imò nec ea, quæ ad pellium commoda attinerent, variè diſcerperemus: alia quoque earum emolumenta adtexere non abs re putavi.

Nunc ad alios quadrupedum uſus conferam ſermonem. Sunt hi duûm generum. Partim enim uſum eum præbent integra; partim ſui parte, vel etiam excremento. Integra quidem tum domi, tum foris. Domi, ut canis, & feles.

Nec enim ignotus, primæ etiam ætati, felium uſus eſt in venatione murium domeſticorum; unde proverbium Belgis, *abſente fele ſaltare mures*: vel quantum canes proſint in cuſtodia domûs: unde olim Laribus ſive Penatibus ſacrabantur. Foris etiam canum eſt uſus, tum in dominis tuendis; unde & in bello ſe eorum ſatellitio muniebant; ut antea vidimus, cùm de robore, ac fide eorum, loqueremur: tum in iis hoſtium, ferarum more, indagandis, qui latebris ſe abdidiſſent. Atque hujus rei exemplum habemus in bello Romanorum cum Sardis. Canibus enim, ex Italia apportatis, M. Pomponius Matho conſul Sardos in ſpeluncis latentes inveſtigavit, & extraxit, anno Urbis DXXI. Etiam Peruanam Indiam ſimiliter ab Hiſpanis ſubactam, narrant, qui hiſtoriam novi orbis tradiderunt: item Bartholomæus Epiſcopus de las Caſas lib. de deſtructione Indorum.

Ad vecturam inſuper quadrupedes juvant; imprimis equus, aſinus, & mula. Aſinus quidem prodeſt, ut Plinius ait *a*, *operâ ſine dubio geruli mirificâ, arando quo-* a Lib. 8.
que, ſed mularum maximè generatione. Equorum autem cap. 43.
non ad rem militarem minùs, quàm vecturam, uſus eſt. Verùm ad militiam eliguntur acres: ad vecturam, placidi: *propter quod diſcrimen* (ut Varro *b* ait) *maximè inſtitu-* b Lib. 2.
tum, ut caſtrentur equi: & ideo quòd ſemine carent, ii de R. R.
canterii appellati: ut in ſuibus majales, gallis gallinaceis cap. 7.
capi. Sed de etymo fallitur, cùm *cantherius* ſit ex κανθήλιος. Κάνθων, & κανθήλιος, *jumentum*: at præcipuè ingens aſinus: cujus inſtar ubi miteſcit equus, (uti fit, poſtquam exſectus) ipſe etiam *cantherii* nomen viſus promereri.

Ad utramque etiam utiles ſunt operæ camelorum. Ad vecturam adhibebantur Caſpii, qui iis oxyrinchos exſiccatos vehebant Ecbatanâ: ut ait Ælianus lib. XVII de Anim. cap. XXXII. Ad eandem utuntur mercatores Arabes, per Africæ deſerta iter facientes; ut de gentium aliis taceam. Hinc diſputatum olim, utrùm cameli, uti & elephanti (nam & his uſi ad vecturam) inter feras, an jumenta, debeant reponi. De eo ſic Cajus J. C. *c* *Ele-* c L. 2. ff.
phantes autem, & cameli, quaſi mixti ſunt. Nam & ad Leg.
jumentorum operam præſtant, & natura eorum fera eſt: Aquil.
& ideo primo capite contineri eas oportet. Nempe nonniſi cicurati ad vecturam inſerviunt: debet autem unumquodque magis ex natura æſtimari. De hoc commodo ad vecturam vide è junioribus Joannem Leonem in deſcriptione Africæ lib. IX, cap. de camelo. Ex quo etiam cognoſcas, eò hoc animal Arabibus tanto eſſe in uſu, quia onuſtum quinquaginta dierum iter abſque pabulo conficiat. Abſque etiam incommodo, non dico diebus quinque, ut apud Plinium eſt; ſed quod Leo ait, quindecim diebus, ſitim perfert. Satius interea eſt, quinto, aut nono quoque die, potum porrigere. Ante quintum noceat id magis, quàm juvet. Hæc docent, nihil camelis eſſe ad vecturam idoneum magis.

In re verò militari, quod alterum eſt emolumentum, non modò annonâ, & impedimentis portandis, juvant; ſed etiam geſtandis militibus: qui ex iis jacula, vel ſagittas, mittant: vel trahendis quadrigis, præcipuè falcatis; de quarum in bello uſu hiſtoriam Judithæ vide cap. II. In variis etiam expeditionibus eas adhibuit Semiramis; ut de ea ex antiquioribus prodiderunt Suidas in Σεμίραμις, & Jo. Tzetzes Chil. XIII, cap. CCCLII. Ac reperies de hoc pugnæ genere etiam apud Æneam Gazæum in Tacticis, & Vegetium lib. III, cap. XXIII. Eſt quoque illuſtris Livii locus lib. XXXVI: ubi Antiochi aciem deſcribit: *Ante hunc equitatum falcatæ quadrigæ, & cameli, quos appellant dromadas. His inſidebant Arabes ſagittarii, gladios habentes tenues, longos quaterna cubita: ut ex tanta altitudine contingere hoſtem poſſent.* De iiſdem ita Plinius lib. XVIII, cap. XVIII: *Caſtrandi genus etiam feminas, quæ bello præparantur: fortiores ita fiunt, coitu negato.* Dubium interim, an, quod Plinius ait, caſtratione fiant fortiores. Ariſtoteles lib. IX, cap. L, contentus eſt dicere: Ἐκτέμνονται δὲ καὶ αἱ κάμηλοι αἱ θήλειαι, ὅταν εἰς πόλεμον χρῆσθαι αὐταῖς βούλωνται, ἵνα μὴ ἐν γαστρὶ λάβωσι· *Etiam feminæ cameli caſtrantur, cùm iis uti volunt in bello, ne concipiant.* Et puto ſufficere, ſi dicamus, camelos, utcunque caſtrentur, minimè reddi infirmiores, contrà quàm in hominibus fieri videmus. Sic caſtratione nihil de fortitudine decedit mulo: ut ait Pomponius J. C. qui addit, Celſum etiam judicare, non omnia animalia eà reddi imbecilliora. Vide L. XXXVIII. Dig. De Ædilit. edict.

Ab uſu totius animantis, venio ad eum, quem aliquâ præſtant parte ſui, vel ipſo etiam excremento. Ordiar à nervis. Unde in fidibus (citharæ id genus) chordæ dicebantur *nervi*, vel Varroni *d* etiam *nerviæ*; uti & Agel- d Apud
lio *e*. Item, id quo arcus tenditur. Ovid. I de Ponto Nonium in
el. II: Nervia.
e Lib. 9.
cap. 7.

—— *Intentus nervo levis arcus equino.*

Sta-

Statius VII Thebaid.

—— Nervoque obverſus equino
Intendit telum.

Veretro camelino optimè arcum intendi populis Orientis, Ariſtoteles docet lib. V de Animal. cap. 11, & Plinius XI, cap. XLIX.

Præterea funes è nervo torquentur: qualium Vitruvius meminit lib. 1, cap. 1, & lib. X, cap. XV: ubi docet, iis brachia catapultarum contineri. Plautus ſimiliter Curcul. act. V, ſc. III. Antiquitus & inde fiebant vincula cervicum, ac pedum: de quo Feſtus in *Nervus*. Gloſſæ interpretantur ξυλοπέδην. Nempe quia poſtea ex ligno fecere; unde ſimiliter nomen iis κῶλον. Tandem & è ferro fuerunt; ſic quoque veteri *nervi* vocabulo retento. Etiam è bubulis nervis flagella fere erant; quibus cæſos ſæpe martyres legimus. Vide ſcriptores, quos citat Antonius Gallonius de cruciatibus SS. Martyrum cap. IV.

Quantus & oſſium uſus ad multa, quæ inde fiunt! Dente item lævigatur charta: quod & conchâ fit. De utroque Plinius lib. XII, cap. XXI.

Sed imprimis ad varios uſus ſe cornua extendunt. Antiquitus bubuli cornus (βυκάνην Græci, Latini *bucinam* dixere) uſus erat ad convocandos boves. Atque is quidem permanſit. Columella lib. VI, cap. XXIII: *Id ſemper crepuſculo fieri debet, ut ad ſonum bucinæ pecus, ſi quod in ſilva ſubſtiterit, ſepta repetere conſueſcat.* Hinc adhibita ad convocandos cives. Unde Propertius de temporibus Romuli *a*:

a Lib. 4. el. 1.

Bucina cogebat priſcos ad verba Quirites.

Et ne à poeta id confictum putes, ſimiliter Dionyſius Halic. lib. ſecundo: Τὺς δημοτικὺς ὑπηρέται τινὲς κέρασι βοείοις ἐμβυκάνοντες, ἐπὶ τὰς ἐκκλησίας συνῆγον. *Plebejos miniſtri quidam cornibus bovillis inſonantes* (q. d. bucinantes) *ad cœtus* (ſive concionem) *cogebant*. Præterea iis uſi in bello. Hinc Vegetius lib. II, cap. XXII: *Claſſicum appellatur, quod bucinatores per cornu dicunt.* Et ibidem: *Quoties pugnatur, & tubicines, & cornicines, pariter canunt.* Dixeris, cornua hæc fuiſſe ex ære. Non diffiteor. Nam Ovid. eſt I. Metam.

Non tuba directi, non æris cornua flexi.

Item Juvenalis ſat. II *b*:

b Verſ. 118.

Cornicini, ſive hic recto cantaverat ære.

Sed priùs ex boum fuere cornibus. Unde Varro lib. IV de L. L. *Cornua, quod ea, quæ nunc ſunt ex ære, tunc fiebant ex bubulo cornu.*

Præterea cornûs uſus erat ad arcus. Maro Ecl. X:

—— Libet Partho torquere Cydonia cornu
Spicula. ——

Idem, vel alius in Ciri:

Gnoſia Nampacto contentus ſpicula cornu.

Ac ſimiliter Papinius non uno loco, & alii. Inſuper bubulis uſi cornibus in conviviis. Itaque κεραννύειν dixere ἀπὸ τῶν κεράτων: unde καὶ συγκρᾶσιν, ut κέραμα, & κέρασις, ſic κρατὴρ, quaſi κερατήρ: nempe ab antiquo more miſcendi vina in cornibus: de quo Athenæus in Dipnoſophiſticis lib. XI. Ubi iccirco addit, τὸν Διόνυσον κερατοφυᾶ πλάττεσθαι· ἔτι δὲ ταῦρον καλεῖσθαι ὑπὸ πολλῶν ποιητῶν. Ἐν δὲ Κυζίκῳ καὶ ταυρόμορφος ἵδρυται. Ea, in ſua interpretatione, vertere neglexit Dalecampius. Latinè autem ſonant: *Bacchum fingi cornutum; à multis etiam poëtis taurum vocari: Cyzicenis quoque tauriformem habere ſtatuam.* Poſtquam verò è cornibus deſiere bubulis bibere, formam tamen reſervarunt; ut Pindarus in Centauris *c* ait, ἐξ ἀργυρέων κεράτων πίνοντες, *ex argenteis bibentes cornibus*. Qualia hodieque in conviviis nonnullis uſurpant. Et hæc, puto, intellexit B. Ambroſius libro de Elia, & jejunio, cap. XVII: *Per cornu etiam fluentia in fauces hominum vina decurrunt.* Barbaræ verò gentes, præcipuè ad ſeptentrionem, diutiſſimè retinuere hunc morem. Plinius lib. XI, cap. XXXVII: *Urorum cornibus barbari ſeptentrionales potant: urnaſque binas capitis unius cornua implent.* Id quantum ſit, docet Fannius; qui amphoram ait capere duas urnas, unam quatuor congios, congium ſex ſextarios. Quam rem, qui de liquidorum menſuris ſcripſere pleniùs explicabunt.

c Apud Athenæum lib. 11.

Quid quòd inter ſeptem orbis miracula memoretur Delii Apollinis κερατινὸς βωμὸς, ſive ara ex cornibus? de qua illud Ovidii epiſtolâ Cydippes ad Acontium:

Miror & innumeris ſtructam de cornibus aram.

Ac Martialis, aliuſve, ſpectaculorum libello:

Diſſimuletque Deum cornibus ara frequens.

De eadem videre eſt Callimachum hymno Apollinis, Plutarchum in Theſeo, & Comparatione terreſtrium atque aquatilium, item Diogenem in Pythagoræ vita.

Aliarum etiam partium tum organicarum, tum ſimilarium, magna eſt utilitas in artibus variis: organicarum, ut fellis: ſimilarium, ut ſanguinis. Plinius lib. XXVIII, cap. IX: *Taurino felli præcipua potentia, etiam in ære, pellibuſque colore aureo ducendis.* Et paulo pòſt: *Hircorum ſanguinis tanta vis eſt, ut ferramentorum ſubtilitas non aliter acrius induretur, ſcabritia tollatur vehementius, quàm limâ.* Etiam Chriſtiani in Ægypto, butyro in lucernis pro oleo utebantur. Clemens Alexandrinus lib. I Pædagogi cap. VI *a*: Οἱ πολλοὶ δὲ τοῦ καὶ λιπαροῦ τοῦ γάλακτος, ὃ δὴ βούτυρον καλοῦσι, καταχρῶνται εἰς λύχνον, τὸ πολυέλεον τοῦ λόγου δι᾽ αἰνίγματος ἀριδήλου σαφηνίσαντες, ὡς μόνου τοῦδε ἐνδίκως καὶ τρέφοντος, καὶ αὔξοντος, καὶ φωτίζοντος τοὺς νηπίους. *Multi adipe lactis, quod butyrum vocant, utuntur ad lucernam, multiplicem Verbi miſericordiam per hoc ænigma apertè ſignificantes: ut quod ſolum jure nutriat, & augeat, & infantes illuminet.* Nec multum abit mos Abaſſinorum, arvina pro eo in templi lampadibus uſurpantium. Nicolaus Godignus lib. I, de Abaſſinorum rebus, cap. XXII *b*: *Cum matutinum dicitur, præter conſuetas, quæ ante aram lampades ſunt, in quibus arvinâ pingui, loco olei, fovetur ignis, lumen aliud neque in templo, neque in odeo eſt.* Credibile verò eſt, imitatos in eo Ægyptios, ac idem ab utriſque ſymbolicè fuiſſe denotatum.

a Non longe à fine ſive pag. 80. edit. Leid. an. 1616.

b P. 136. edit. Lugd. an. 1615.

Sed quando erit finis, ſi omnia quadrupedum bona referre pergam? Quorum ipſa alvi excrementa tantum adferunt commodi; non in medicina modò, cujus rei exempla adduximus antea; ſed etiam in agricultura. *Ipſa res antiqua*, ut Plinius ait lib. XVII, cap. IX. *Jam apud Homerum c regius ſenex agrum ita ſuis manibus lætificans reperitur. Augeas rex in Græcia excogitâſſe traditur; divulgaſſe vero Hercules in Italia: quæ regi ſuo Stercutio, Fauni filio, ob hoc inventum, immortalitatem tribuit.* Ubi cùm Plinius Stercutium, ſive Stercutum (prout dicitur in aliis codd.) Fauni regis filium facit; vulgarem ſequitur opinionem quâ ante Euandrum in Italia regnâſſe dicuntur quatuor iſti; Janus, Saturnus, Picus, Faunus. Eam verò opinionem ſatis diſcuſſimus lib. I, cap. XII. Oſtendebamus tum, Faunum non hominis eſſe nomen, ſed Naturæ; eundemque eſſe Pana, cujus cultum Euander ex Arcadia intulit Latio. Idemque Euander Latinos docuit agriculturam, rationemque agros ſtercorandi: ut *Stercutus* non alius ſit exiſtimandus quam Arcas ille Euander; à quo Aborigenes ſimiliter literas ſunt edocti; ut fusè expoſuimus lib. primo de arte Grammatica, cap. undecimo.

c Odyſſ. ω

Subjungit deinde Plinius de ſimi diſcrimine. Inter alia ſic ſcribit: *Humanas dapes ad hoc imprimis advocant. Alii præferunt hominum potus, in coriariorum officinis pilo madefacto. Proxime ſpurcitias ſuum laudant. Columella ſolus damnat. Varro præceptis adjicit, equino, quod ſit leviſſimum, ſegetes alendas: prata verò graviore, & quod ex hordeo fiat, multaſque gignat herbas. Quidam etiam bubulo jumentorum præferunt, ovillumque caprino: omnibus verò aſininum, quoniam lentiſſime mandant.* Columellæ verba, quæ in animo habuit Plinius, hujuſmodi ſunt lib. II, cap. IV: *Optimum exiſtimatur ſtercus, quod aſinus, facit: quoniam id animal lentiſſime mandit, ideoque facilius concoquit, & bene confectum, atque idoneum protinus arvo ſimum reddit. Poſt hæc, quæ diximus, ovillum, & ab hoc caprinum eſt, mox cæterorum jumentorum*

torum armentorumque. Deterrimum ex omnibus ſuillum habetur. Eundemque ordinem ſervat Palladius *a*, more ſuo. Columellam enim ſequi, ſæpe etiam ad verbum exſcribere ſolet. At Plinius, ut vidimus, de ſucerda ſive fimo ſuillo, non tam Columellam ſibi ſequendum putavit, quàm Theophraſtum. Nam & is poſt humana retrimenta proximam ſtatuit bonitatem κοπρώσεως τῆς ὑός *b*. Vide eum lib. II Hiſt. plant. cap. VIII. Unde autem illa bonitas ſit ſucerdæ, indicat Plinius lib. XXVIII, cap. IX: ubi cum laudaſſet adipem ſuillum, ſubjungit: *Neque eſt occulta virium cauſſa, quoniam id animal herbarum radicibus veſcitur. Itaque etiam fimo innumeri uſus.* Et veriſimilem hanc etiam ſententiam reddunt tam multa, quæ de laudibus carnis ſuillæ ſuperiùs *c* dicebamus.

a Lib. I. cap. 34.
b Stercorationis ſuillæ.
c Cap. 65.

Cùm verò magnam mereatur admirationem, quòd, benignitate divinâ, etiam ex ſpurcis illis quadrupedum excrementis, imò ipſius ſuis, utilitas ad nos redeat; quæque ciborum eſſent retrimenta, ea, beneficio agriculturæ, proſint nobis ad novum alimentum; ſine quo durare vita nequit: tum verò non exiguum quoque eſt divinæ ſapientiæ, ac bonitatis erga nos, argumentum, quòd etſi vix aliud excrementis fœdius & fœtidius eſſe ſoleat: quibuſdam tamen gratiſſimum indiderit odorem, quò cerebrum, ac ſpiritus animales, recrearent.

Ita moſchum redolent excrementa quadrupedis è muſtelarum genere, quod *martem* vocant, quia Martium ac pugnax ſit animal. Abundant hoc animante regiones frigidæ, qualis Sarmatia. Quod verò excrementa gratum evaporent odorem, id à duplici provenit cauſſa: prior eſt cibus, quia veſcantur cibo ſicco ac ſimplici: quam rationem comprobat Alexander Aphrodiſ. lib. I probl. altera autem eſt, quia plenè perfectèque hoc cibi concoquant. De priori addit Ruellius, veſci Martes herbis ac fruticibus odoratis. Sed id ſe obſervare potuiſſe negat doctiſſimus ac diligentiſſimus Geſnerus.

Inter excrementa etiam eſt ſudor. At odoramentum optimum eſt ex ſudore animantis, quod zibeth, Scaligero catus zibethicus, Indis Algallias vocatur, vulgo his terris *felem civetticum* nuncupamus. Ex Guinea hoc felinum odoramentum deportari longè optimum, etiam apud Hugonem Linſchotanum in Itinerario legas. Paulus Venetus confundit id animal cum animale moſchi: cùm hoc felis habeat ſimilitudinem, prius illud capreolus ſit. Gravi etiam errore Bellonius zibethi felem eſſe hyænam veterum putavit. Porrò liquor hic zibethicus, qui illo moſchi gratior eſt, dimanat circa extimam abdominis partem intra femora: inde ab iis, qui animal id alunt, bis ter de die abſtergetur; ut in Africa ſua prodidit Joannes Leo. Primò albus eſt, hinc ſubluteus, denique nigreſcit: primùm etiam gravis admodum eſt odoris; ſed poſtea virus exuit, & gratiſſimum odorem ſpirat. Eoque cum ladano comparat Cæſar Scaliger Exercit. CCXI. Quod ſiquid ad medicinam pertinens, de qua antea nobis abunde videmur egiſſe, hic etiam, ubi de aliis uſibus propriè ſermo eſt, per occaſionem tamen aliquem invenit locum: ad commendationem hujus zibethi non mediocriter facit vis ejus in ſedando dolore colico, ſi granum ejus imponatur umbilico. Etiam hyſtericas dicitur juvare, ſi cavo umbilici indatur. Quomodo etiam in maribus valeat ad Venerem excitandam, ex Matthiolo, ac Fallopio, peti malo.

Cap. LXXII.

De quadrupedibus noxiis. Gyarenſes, & Abderitæ, à muribus fugati. Oppidum Hiſpaniæ à cuniculis ſuffoſſum Balearibus adverſus eos militari Romanorum auxilio fuiſſe opus: quia & meſſes auferrent, & ſubverterent domos. Vulpes vineis damnoſæ. E duplici cauſſa nominis alopeciæ, *illa præfertur, quod vulpes ipſæ hoc morbo laborent: & unde is morbus proveniat. Urſarum ferocitas, præſertim in plagis Septentrionalibus. Unde origo ſit fabulæ hujus, homini loquelam eripi, ſi lupi eum priores conſpexerint. Quam terribilis ſit fera* lanzani. *De rabie tigridis, ereptis catulis; præſertim Indicæ. De vocabulo, & indole mantichoræ, ſeu martichoræ. Perperam à Pauſania tigridos genus putari. Catoblepas, ſive catoblepon, item gorgon, utrùm adſpectu, an ſpiritu, hominem necent. Melium, ſive taxorum, morſus venenati, & quæ ejus rei cauſſa. Quàm animal id ſomnolentum. Cur canis facile fiat rabidus. Cur à rabido cane morſi formident aquas. Urſinam in rabiem agi, qui urſi cerebrum comederint. Fel pardalis in venenis; imo & fel equi. Equinus ſanguis quam noxius. Deæ Telluris ſacerdotem apud Ægirenſes taurinum haurire ſanguinem, antequam vaticinetur. Caprinum ſanguinem, ſi bibatur, pallorem inducere. Cur taurinus ſanguis peſtifer ſit: &, ſi famæ creditur, eo hauſto Themiſtoclem fuiſſe exſtinctum.*

Recenſuimus hactenus multa magnaque commoda quæ ex quadrupedibus ad hominem redeunt. Sed hic quoque aliquis locum habere dixerit, quod Plinius ait lib. VIII, cap. XXIII: *Non eſt ſateri, rerum natura largiùs mala, an remedia, genuerit.* Hoc ut meliùs intelligatur, duo faciemus. Primùm, quantum damni nobis multæ dent quadrupedes, exponam. Deinde referam, quomodo Deus nobis adverſus varia ab iis pericula proſpexerit.

Quadrupedum noxiarum aliæ iis, quæ poſſidemus, nocent: aliæ impetunt valetudinem, aut vitam. Prioris generis ſunt mures; qui arrodunt ſegetem, panem, caſeum, veſtes, libros, aliaque. Imò Plinius lib. VIII, cap. XXIX, & LVII, narrat, ex Theophraſto, incolas ex Gyaro inſula, Cycladum unâ, fugatos à muribus. Idem lib. X, cap. LXV refert, ab iiſdem patriam coactos deſerere incolas Troadis. Juſtinus ex Trogo memorat lib. XV, *Abderitas propter ranarum muriumque multitudinem, relicto patriæ ſolo, ſedes quæſiviſſe.* Nec iſta mirabitur, qui cogitarit murium fœcunditatem, præſertim in arvis ſiccis. Nam aquæ illis inimicæ: ut apud Photium *a* refertur ex Theophraſti libro περὶ τῶν ἀθρόως φαινομένων ζώων *b*. Notum etiam, quantum ædibus damni dent lepores, ſive potiùs cuniculi. Plinii verba ſunt lib. VIII, cap. LIX: *M. Varro auctor eſt, à cuniculis ſuffoſſum in Hiſpania oppidum.* Ac lib. VIII, cap. LV: *Leporum generis ſunt, & quos Hiſpania cuniculos appellat, fœcunditatis innumeræ, famemque Balearibus inſulis, populatis meſſibus, afferentes.* Et mox: *Certum eſt, Balearicos, adverſus proventum eorum, auxilium militare a Divo Auguſto petiiſſe.* Idem libri hujus cap. LIV diximus: ac ejuſce rei etiam teſtem laudavimus illum, qui ipſius Auguſti temporibus vixit: Strabonem nimirum, qui in III ait, cuniculos (λαγιδεῖς vocat) ſubvertiſſe Balearium domos, atque arbores; ut propterea cogerentur opem implorare Romanam.

a Cod. 278.
b De animantibus, quæ magna copia viſuntur.

Magna etiam ruſticis mala dant vulpes: ut cùm gallinas, & pavones, vorant; aut cum vitibus nocent: unde myſticum illud in Salomonis Cant. II, 15; *Capite nobis vulpes parvulas, corrumpentes vineas, dum uvam habent minutam.* Imò neque creſcit quicquam, ubi lotium reddiderit. Ac, ut dicebamus cap. LXIX, fortaſſe inde morbum illum, quo de capite, vel barba, defluunt pili, *alopeciam* dixere. Sed verior ratio, quam priori loco expoſuimus ibidem. Certum enim eſt, vulpes eo laborare morbo tempore æſtivo: quo ſic iis jecur æſtuat, ut intemperie, & acrimoniâ ſanguinis, exulceretur cutis: unde pilorum defluvium; quemadmodum & canibus, & aliis animantibus calidi accidit temperamenti. A quo eſt, quòd, ut canes, ſic etiam vulpes, de quibus auctor Avicennas, facilè adeò in rabiem aguntur.

Sunt aliæ etiam quadrupedes multæ, quæ ſimiliter rebus noceant noſtris. Sed ad eas feſtinat oratio, quæ homini ipſi eripiant mentem, aut vitam, ſeu vivæ, ſeu etiam à morte. Primùm de iis loquar, quæ vitam auferant. Fit hoc vel vorando vivos, vel inficiendo eos veneno. Ob prius periculum metuendæ ſunt urſæ; præſertim orbatæ catu-

catulis. Quò attendit Sapiens Proverb. cap. XVII: *Satius eſt occurrere urſæ raptis catulis, quàm fatuo in ſtultitia.* Ubi confert periculum ab urſa, ereptis catulis, & à fatuo, dum ſua ſtultitia præceps fertur, nec iræ ſuæ ſcit modum, ſæpe vix cauſſam. Cæteris autem ferociores ſunt urſæ Arctoæ illæ, atque albæ: quod magno ſuo malo cognovere Argonautæ noſtri Batavi expeditione ſuâ in novam Zemblam.

Nec quemquam fugit, lupos etiam non ovibus modò, ſed hominibus ipſis paſci. Imò tanta eſſe hoſtilitas inter lupum, atque hominem, putatur; ut homini, lupo conſpecto, auferatur loquela. Plinius lib. VIII, cap. XXII: *In Italia quoque creditur luporum viſus eſſe noxius: vocemque homini, quem priores contemplentur, adimere ad præſens.* Unde Maro in Eclogis:

—— Vox quoque Mœrim
Jam fugit ipſa: lupi Mœrim videre priores.

Sed fabella hæc non alio nititur, quàm quia homines, viſo lupo, præ metu, ac horrore, ultrà nequeant loqui. Quò & proverbium refer, *Lupus in fabula.* Ac cenſeo, pariter eſſe comparatum cum cane: qui (ut apud Plinium *a* eſt, & Ælianum *b*) umbræ hyænæ contactu dicitur obmuteſcere.

Imprimis verò quadrupedibus ἀνθρωποφάγοις *c* gaudent Aſia, & Africa. De leone abunde vel ex ſolis conſtat Scripturæ exemplis *d*. Eſt & Orientis fera *Lanzani* nuncupata, terribilis adeò, ut ab ejus crudelitate ne tutæ quidem ſint feræ maximè efferæ ac validæ: ac ipſe etiam leo eam extimeſcat: quemadmodum jam annos ante quadringentos in Hiſtoria ſua Orientali prodidit Jacobus Vitriacenſis cap. LXXXIX *e*. Vellem autem addidiſſet, quomodo animal hoc dicatur Latinis, aut Græcis.

a Lib. 8. cap 30.
b Lib. 3. de Animal. c. 7.
c Hominem vorantibus.
d 1 Sive 3 Reg. c. 13. verſ. 24. Item c. 20. verſ. 36. Et 2 ſive 4 Reg. cap. 17. verſ. 25.
e Sive pag. 177. edit. Duac. an. 1597.

Notioribus igitur inſiſtamus. In quibus, quando de periculis ſermo, videtur tigridi, præſertim ereptus catulis, primus deberi locus. Unde Juvenalis ſat. VI:

—— Tunc orbâ tigride pejor.

Et Martialis lib. III, epigr. XLIV:

Non tigris catulis citata raptis,
Non dipſas medio peruſta ſole,
Nec ſic ſcorpius improbus timetur.

Ac firmatur hoc exemplo illo tigridis apud Americanos in Dariene, non minùs infeſtæ vicinis, quàm aper olim Calydoniis fuiſſe perhibetur. Refert illud Petrus Martyr ab Angleria Mediolanenſis Oceaneæ decadis tertiæ lib. II *f*. Sanè ajunt, tigrides ipſis eſſe leonibus infeſtiores, &, quod plurimæ ex feris non faciunt, priores aggredi hominem. De velocitate earum alibi *g* vidimus. De magnitudine, & robore earundem in India apud Praſios, ita ex Megaſthene Strabo in XV; duplo ferè majores eſſe leonibus: adeò autem validas, ut una ex manſuetis, quam homines ducerent quaterni, mulum pede apprehenderit poſteriori, atque ad ſe pertraxerit. Ut non temere Indicam præcipuè tigrin nominet Juvenalis ſat. XV:

Indica tigris agit rabidâ cum tigride pacem.

f P. 223. edit. Colon. an. 1574.
g Cap. 54. hujus libri.

Atque ad Indicam tigrin à Pauſania in Bœoticis refertur quoque μαρτιχόρας, quàm ἀνδροφάγον *h* Græcis ſonare ait: Ariſtoteles in Hiſtor. Anim. lib. II, cap. I, interpretatur ἀνθρωποφάγον *i*: ſed hic μαντιχώρας vocat: ut & Plinius lib. VIII, cap. XXI, & XXII. Æliani codicum lib. IV de Anim. cap. XXI, alii μαρτιχώρας habent, alii μαρτιχόρας: apud Euſebium in Hieroclem *k* eſt μαντιχόρας. De hoc animante, eodem Pauſania teſte, prodidit Cteſias, in utraque maxilla triplicem habere dentium ſeriem: præterea in cauda extrema ei aculeos eſſe miſſiles: his cominus pugnare; eminus verò eos ejaculari in venatores. Addit, ex eodem Cteſia, Ælianus, in locum eorum, quos emiſit, novos ſuccreſcere, ut ſit ἡ κακοῦ ἐπιγονή· *ſucceſſio mali*: adhæc velocitate eſſe cervis parem, ac præcipuè appetere carnem humanam; quòd & Ariſtoteles refert: nec ſingulos modò homines invadere: ſed etiam, ſi bini, ternive, conſiſtant, interimere eos pariter. Denique narrat Ælianus, Cteſiam ſcribere, viſum ſibi hoc animal in Perſia, cùm id Rex Indiæ dono miſiſſet Artaxerxi. Metuo autem, ne prorſus fallatur Pauſanias, cùm idem animal ad Indicas tigres refert. Sanè multum à tigridis forma abire, pluraque cum leone habere communia, liquet attendenti deſcriptionem ejus, quam ex Cteſia adducunt Ælianus, & alii, quos ante diximus. Satis de mantichora; præſertim quando, quæcunque Ariſtoteles, & alii, de ea produnt, nitantur fide unius Cteſiæ, ſcriptoris admodum mendacis: quem, ut de aliis, ita de mantichora etiam, vanitatis arguit Brodæus lib. V Miſcell. cap. XXIV.

h Viros vorantem.
i Homines devorantem.
k P. 454. edit. Pariſ. an. 1608.

A quadrupedibus hominem vorantibus accedo ad ea, quæ veneno nocent. Id trifariam faciunt; vel halitu, vel morſu, aliterve vulnerando: vel aliquo ſui comeſto, aut poto. Venenato halitu ſic catoblepæ aëra inficiunt, ut adſtantibus letales inducant convulſiones. Plinium adi lib. VIII, cap. XXI, & Ælianum Hiſt. Anim. lib. VII, cap. V. Sed quod animal Plinio catoblepas, id Æliano κάτω βλέπον: ac ſimiliter Athenæus vocat extremo libro V. Ubi & gorgon fera ſimilis traditur naturæ: ac ſuper eo adducuntur verba Alexandri Myndii, è ſecundo hiſtoriæ de pecudibus, & quadrupedibus. Verùm ait is, necari hominem, οὐ τῷ πνεύματι, ἀλλὰ τῇ γιγνομένῃ ἀπὸ τῶν ὀμμάτων φύσεως φορᾷ· *non anhelitu, ſed perlato ab oculis veneno nativo.* De quo mihi contra videtur, propter ea, quæ de modo viſionis dixi cap. XXV.

Alter inficiendi modus vel eſt in ungulis; in quibus pardales venenum gerunt; ſi Oppiano credimus in IV de Venatione: vel in dentibus; quomodo melium ſive taxorum (nam idem vulgo, ſed abnuente Salmaſio *a*, animal putatur) morſus eſſe venenatos, Alberti M. judicium eſt. Ac cauſſa creditur, quia animalculis repentibus, ac venenatis, veſci ſoleant. Animal frigidum eſt; unde & hiberno tempore, ſi occaſio detur, penè prunis incubat: ac non quidem hiemem totam, ut de gliribus dicitur: ſed, ut Georgius ait Agricola, magnam ejus partem tranſigit ſomno.

a In Plinianis ad Solinum Exercitat. p. 1009.

Quàm atrox etiam eſt malum, quod à rabido cane diffunditur! Facilè autem rabidus fit canis, quia temperamenti eſt ſicci, ac calidi. Sed nihil triſtius, quàm quòd ab eo morſus caninos quoque induat mores, latrans, & quadrupes ingrediens: ut adoleſcens ille, de quo Philoſtratus in Apollonii vita lib. VI, cap. ultimo. Atque item, ut canis, quemadmodum ibidem legas, τὸ ὕδωρ καὶ ποθεῖ, καὶ δέδιε *b*: ſic etiam, in quem canis morſu ſuo rabiem propagavit, laborat ὑδροφοβίᾳ, ut morbum eum vocant, quia aquas metuat is, qui morſus fuit. Hunc metum plerique, & in his Paullus Silentiarius in quarto Ἀνθολογίας, ex eo cenſent provenire, quòd in aquis videatur ſibi canem videre, à quo eſt morſus: ac propterea ſic exhorreſcere. Sanè & de philoſopho memorant, qui imaginatione ejuſmodi detentus, potum refugeret: ſed quia non planè ex animo deleta eſſent cuncta veteris meditationis, dilucidiori paullum intervallo cogitârit ſecum, quod in proverbio eſt, Quid cani in balneo? eoque, animos ſumens, auſus ſit formidatum ſumere potum: atque hoc pacto convaluerit. Nam, ut Philoſtratus *c* ait, Φαρμακοποσία λύττης, ὕδωρ, ἐὰν θαρρῇ αὐτὸ ὁ λυττῶν. *Medicamentum rabiei eſt aqua, ſi rabioſus auſit eâ uti.* Verùm quod, ob imaginationem corruptam, canem ajunt conſpici in aquis, id perpetuum non eſt. Sæpius enim ejus rei vanitatem ſibi compertam narrat pullus ille Æſculapii, Joannes Bevervicius, in tertio de Medicina veterum, c. II. Nec, puto, multò meliùs, qui ajunt, non canem quidem, ſed ſe ipſos exhorreſcere; quia imaginem ſui conſpiciant rubentium, torvorum, efferorum, vix hominum denique: quod & fieri ajunt intuitu aliarum rerum pellucidarum, ut id proprium aquæ minimè videatur. Sed ecce aliam etiam opinionem. Volunt aliqui, ſic rabiei caninæ veneno abſumi humorem, ut ab omni deinceps abhorreant humore. Nobis ſuffecerit hoc loco, ὑδροφοβίαν eam eſſe melancholiæ genus; ab omni autem melancholia pavorem provenire; & iſtius melancholiæ hoc eſſe proprium, quod ejuſmodi metum, aquarum nempe, gignat.

b Aquam & cupit, & metuit.
c Loco ante memorato.

Ter-

Tertiam vitæ, aut mentis adimendæ rationem conſiſtere dicebamus in noxiis quibuſdam quadrupedum partibus, ſi in cibum potumve adſumantur. Hujus generis eſt, quòd, ſi urſinum comedatur cerebrum, ita corrumpere putatur imaginationem, ut quis ſe urſum credat. Et hoc, & alia, nos Plinius docet lib. VIII, cap. XXVI: *Cerebro (urſi) veneficium ineſſe, Hiſpaniæ credunt, occiſorumque in ſpectaculis capita cremant, teſtato, quoniam potum in urſinam rabiem agat.* Præterea quantopere fel pardalis noceat, arguit, quòd Scythæ eo ſagittarum ſpicula inficere dicuntur, ut certiùs interimant. Illud magis mirandum, fel etiam equinum, ac taurinum ſanguinem, eſſe inter venena: ut Plinii hæc indicant lib. XXVIII, cap. IX: *Damnatur equinum fel, tantum inter venena. Ideo Flamini ſacrorum equum tangere non licet; cum Romæ publicis ſacris equus etiam immoletur. Quin & ſanguis eorum ſepticam vim habet. Item equarum, præterquam virginum, erodit, emarginat ulcera. Taurinus quidem recens inter venena eſt, exceptâ Ægira. Ibi enim ſacerdos Terræ vaticinatura, tauri ſanguinem bibit prius, quam in ſpecum deſcendat. Tantum poteſt ſympathia illa, de qua loquimur, ut aliquando religione, aut loco fiat. Druſus Tribunus plebis traditur caprinum bibiſſe, cum pallore & invidia venenum ſibi dati inſimulare Q. Cepionem inimicum vellet.* De taurino idem dixerat lib. XI, cap. XXXVIII: *Taurorum ſanguis celerrime coit, atque dureſcit: ideo peſtifer potu maximè.* Ac fama fuit, Themiſtoclem ſuâ hunc ſponte bibiſſe, cum, quæ Artaxerxi promiſerat, præſtare vel nollet, vel poſſe deſperaret. Hinc Ariſtophanes Equitibus:

Βέλτιςον ἡμῖν αἷμα ταύρειον πιεῖν.
Ὁ Θεμιςοκλέους γὰρ θάνατος αἱρετώτερος.
Nos bibere tauri ſanguinem ſatius erit:
Themiſtoclis enim mors mage eſt optabilis.

Cap. LXXIII.

Ichneumonis, & muſtelæ uſus in muribus captandis. Duplex venandi ratio, dolo, & vi. Ad dolum pertinere foveas, quibus capiuntur hippopotami: item retia, quibus lupi; uti & laqueos, & hamum; quo & capiantur crocodili: adhæc herbas venenatas, in quibus herba leopardi: *eâ vel allium, vel, quod longe veriſimilius putamus, pardalianchen deſignari. Pardali, ſi pardalianchen ederit, antidoto eſſe ſtercus humanum: quo iccirco gaudet: unde &, eo ab arbore ſuſpenſo, ſæpius capiatur. Lupos captari, ut pardalianche, ſic lycoctono: quam propterea terræ ſuæ inferri, Lycopolitani, quia lupum colerent, vetuerunt. Vulpes necari nucibus Thaſiis ſive amygdalis; non quibuſlibet tamen, ſed amaris: eoque illas certius aloe interire. Modus ſoporandi lupum piſce blenno: ac urſum cultro necandi, ubi ſis armis tectus. Tigres eludi, ac capi, objectis clypeis, aut ſphæris vitreis. Ut feræ ſuperentur vi, referre plurimum, cujuſmodi ſint retia, venabula, & qua parte petantur feræ. De feris maxime efferis exarmandis, & cicurandis. Horatio lux. Interea & à cicuratis magnum ſæpe periculum eſſe. Scoti, ſive potius Hiberni, ætate B. Hieronymi, carnibus veſcebantur humanis, & quas in ſexu utroque partes prætulerint. Unde Joanni, Caroli Calvi deliciis, tum Scoti, tum Erigenæ, ſit cognomentum. Baſiliſcum odore à muſtela, muſtelam afflatu à baſiliſco interimi. Serpentes è ſpecu extrahi, ac necari, odore pantheræ. Utrum idem cervi præſtent anhelitu, an odore: ac ſi odori id tribuendum, iſne totius cervi ſit exiſtimandus, an ſolius cornus cervini. Unde ἔλαφος nomen accepiſſe videatur. Variæ cornus cervini dotes.*

SEd magnæ ſummo ſunt habendæ gratiæ Deo, quòd adverſus tot noxias quadrupedes conceſſerit nobis quadrupedum alias; quarum ope atque auxilio damnum ab iis vitaremus. Fit hoc bifariam. Quædam enim earum hanc operam nobis præſtant ſecuris, ac dormientibus: qualis eſſe felium domi ſolet, ut antè dictum. Atque uti apud nos felium eſt uſus in muribus captandis: ita apud Ægyptios ichneumonis: cujus catulos iccirco Alexandriæ divendunt ruſtici. Vulgo *murem Indicum* appellant, ex conſuetudine eâ, qua omnia ex Oriente, aut huic vicinis allata terris, vocare vulgo *Indica* ſolemus. Muſtela etiam mures non minores modò, ſed majores quoque, quos *rattos* dicimus, venatur, ac vorat: eſtque in his capiendis felicior felibus; quia, ob corporis gracilitatem etiam ſubit cavernas.

Aliæ item quadrupedes datæ nobis, quæ in venandis quadrupedibus humanam requirant artem, atque induſtriam: quomodo canum ſagacitas, ac velocitas, hominem inſimul exigit venandi peritum. Hujus artis beneficio non modò lepores, & cuniculos, timida animalia, capere eſt: ſed etiam urſos, apros, & alia id genus. Fit hoc vel dolo, vel vi aperta. Doli ſunt varii: in his, ſi, ut Xenophon *a*, & alii, docent, foveæ ſuperponas virgulta, inque ejus medio emineat palus, à quo anſer, vel agnus, pendeat. Hujuſmodi fovearum mentio eſt L. XXVIII, qui foveas. D. ad L. Aquiliam. Nec modò locum habent iis in feris, quæ ſolùm in terris verſantur: ſed etiam in quadrupedibus amphibiis; ut hippopotamis: quod animal ſæpe Nilo in prata exit vicina. Ægyptii igitur, ut Achilles Tatius narrat *b*, locis iis, quæ fera frequentat, foveam faciunt, in eâ arcam imponunt ligneam, ſuperſternunt cannas, terramque: fera, non animadverſo dolo, decidit in capſam: tum venatores, qui ſeſe abdiderant, accurrunt, & operculum ſuperimponunt capſæ. Ita animal id vivum abducitur, quod vinculis fruſtra conſtringere ſtuderent; imò ob cutis duritiem nec lanceis, aut ferro, vulneretur; unde & *elephantum Ægyptium* dixere. Proximi ſane ab elephanto roboris judicatur.

a *Lib. de Venat. p. 995. edit. Pariſ. an. 1625.*

b *Lib. 4. de amoribus Clitophontis, & Leucippes.*

Præterea fallere eſt feras retibus, laqueis, hamis. Sic ſæpe lupos capiunt retibus; præcipue terra adeò nivibus contecta, ut in ſylvis feras eis ſectari non liceat; ſed è locis vicinis petere eſcam cogantur. Eoſdem, uti & pardales, capias laqueo, quem funiculo alligaris, à quo pendeat caro. Adhæc, ſi aguina hamum carne occultaris; ubi aſſilierit lupus, dum bolum deglutire ſtudet, unco detinetur. Ita vulpes etiam capi, monuit Petrus Creſcentienſis lib. X de Agricultura. Crocodilos præterea, ut apud Herodotum eſt in Euterpe, fallere hoc pacto ſolent. Hamum circumdabant tergo ſuillo: quod medio fluminis venator immittebat. Hinc ad ripam conſiſtens vivum percutiebat porcellum: cujus grunnitu audito, approperat crocodilus: incidit in tergum ſuillum: id vorat unà cum hamo: mox hamo attrahitur in ripam: & quia ſic quoque abunde moleſtiæ faceſſeret, oculi opplentur cœno, ne videat, quid agat venator.

Ut hamorum, ſic & falcium, in talibus uſus eſt. Quippe Septentrionales quoque, Olao M. teſte *c*, ſub nivibus falces occultant alligatas cadaveri: ad quod dum accurrit lupus, pedes ſibi præcidit.

c *Lib. 18, de gent. Septent. cap. 16.*

Sed multum præterea auxilii eſt à φαρμάκῳ ἀκονιτικῷ, atque offis medicatis. Sic enim, ut Xenophon *d* ait, capere eſt pardos, & pardales. Herba, qua pardalis ſtrangulatur, exinde, ut antea *e* quoque dictum, *pardalianches* vocatur. Fortaſſe eſt illa, quæ Rhaſi vocatur *herba leopardi*. Nam *leopardi*, & *pardi*, ſive *pardalis* nomina, vulgo confundi ſolent. Scio tamen, alios per *leopardi herbam* intelligere *allium*; quia tanta credatur eſſe antipathia inter animal hoc, & plantam memoratam, ut exeat continuò ædibus, ſiquando parietes ea ſunt illiti: ut item abſtineat carnibus cum allio elixis; quod cum leone habere commune, ſuperius *f* ex Plinio *g* retulimus. Ut tamen pardalianchen potius intelligam, facit, quòd hæc proprium à pardali nomen ſortita ſit: nec, puto, Rhaſis interpres, ſi allium, res vulgata, ſignaretur, obſcuro pardalianchæ nomine appellaſſet. Neque tam allium nocet, quam pardalianches; cum pardalis allio ſolùm fugetur: pardalianchen comedens, vitam amittat. Redi-

d *Lib. de Venatione pag. 995. edit. Pariſ. an. 1625.*

e *Libri hujus cap. 53.*

f *Cap. 53.*

g *Lib. 29. cap. 4.*

gitur ea herba in pulverem: deinde carnibus iſtis, quibus gaudent pardales, inſpergitur: tum carnes iis objiciuntur, vel ſuſpenduntur locis, ad quæ commeare pardi ſolent. Sed vide, ut fœcunda rerum natura hic quoque pardis proſpexerit: idque per hominem ipſum. Nihil ſpurcius merda hominis. At ſi pardi ederint de carnibus pardalianche infectis, quærunt, quà poſſunt, ſtercus humanum: quod hac parte antidoto eſt: ut ex Ariſtotele, atque aliis, oſtendimus cap. LIX. Imò in alia quoque ægritudine inde medicinam petunt. Sed nec ſibi hic ceſſandum putavit ingenium hominis. Nam ubi vidit, ſic pantheras hominis capi retrimentis, venatorium excogitavit artificium ſuſpendendi ea de arbore ſublimi: quò, captæ odore hoc feræ, crebrò aſſultarent: ac laſſatæ tandem eo pacto facilius certiuſque conficerentur.

Nec pardalianches modò vitam eripit pardis; unde nomen accepit: ſed etiam lupis; de quo auctor eſt Dioſcorides lib. IV Ὑλικῶν *a*, cap. LXXXI.

a Materiæ medicæ.

Ælianus quoque Hiſt. de Animal. lib. IX, cap. XVIII ait, prope Nilum creſcere herbam dictam λυκοκτόνον, quaſi dicas *lupicidam*: quam ſi lupus calcaverit, convulſionibus moriatur: ac propterea Ægyptiorum illos, qui lupum venerantur, quales ſunt Lycopolitani, prohibere, ne quis in terras ſuas hanc importet herbam.

Præter pardalianchen, quam & vulpes necare Dioſcorides ait loco paullo ante memorato, iiſdem vulpibus letales ſunt nuces Græcæ ſive Thaſiæ, quæ aliter *amygdalæ* dicuntur. De his ſic idem Dioſcorides ejuſce operis lib. I, cap. CLXXVII *b*: κτείνει δὲ καὶ ἀλώπεκας βρωθέντα σύν τινι· *Enecant & vulpes cum quadam eſca devoratæ.* Loquitur autem non de quibusvis amygdalis, ſed amaris: ut ex initio capitis cognoſcere eſt. Cardanus lib. VII de rerum variet. cap. XXXIII, ait, nucem ſiccam eſſe adeò vulpinis pulmonibus noxiam, ut eas, niſi aquam biberint, occidat. Atqui non videtur id de quibuſvis nucibus verum; ſed, ut dixi Græcis, iiſque amaris. Amaror enim eſt, qui tantopere vulpibus adverſetur. Ac propterea alii cenſent, faciliùs certiuſque aloë enectum iri. Sanè Cæſar Scaliger exercit. CC XVII, ſect. XII: *Nos*, inquit, *vulpeculam, aloë cum carnibus devoratâ, vidimus exſtinctam.*

b Edit. Pariſ. ſed Wechelianæ Saraceni c.176.

Præter quadruplicem, quam expoſuimus, rationem, alii etiam ſunt capiendi modi. Lupis blenno piſce, offuſis tenebris, vertiginem induci, atque ita eos ſoporari, ex Diophane traditur in Geoponicis Conſtantino tributis *c* lib. XVIII, cap. XIV. Quomodo pardales vino decipiantur, dicam inferiùs, cùm agam de quadrupedibus huic, illive numini, ſacratis.

c Sed perperam ibi βλῆμμα pro βλέννῳ editum.

Urſum fallendi hæc ratio adfertur à Conrado Heresbachio in Thereutice *d*, quam libris de re ruſtica adjunxit: *Venator armatus aggreditur urſum cultro præacuto accinctus. Urſus, ubi hominem cernit, mox complectitur prioribus pedibus, veluti brachiis, comprimendo necaturus. Interim venator, tutus armaturâ, cultro cor urſi petit, atque occidit.* Sed hic etiam vis concurrit.

d Fol.370. edit. Colon. an. 1571.

Simplex dolus eſt tigridi ſuos auferendi catulos, quem narrat Jacobus à Vitriaco lib. II Hiſt. Orientalis, cap. LXXXVIII. Venatores, ſi inſequantur tigrides, in viam projiciunt clypeos vitreos: in quibus hæ feræ, velut in ſpeculo tigrinam cernentes figuram, fœtus ſuos recuperaſſe ſibi videntur. Vitrum igitur exoſculantur, & ut fœtus educant, pedibus tandem frangunt: eos non reperientes, iterum inſequi parant: ſed interea venatores equo effugerunt in naves: ſolumque tigridi in equum relictum in litore ſæviendi eſt poteſtas. Albertus Magnus, qui XXX circiter annis poſt Vitriacenſem hunc claruit, objicere jubet ſphæras vitreas: in quibus ſe itidem vident, & globi iſti volubilitate ſuâ hoc prætereà commodi habent, quòd, dum rotantur, vivere imagines videntur; ut omnino tigrides ſic faciliùs illudantur. Atque hæc ratio occaſionem doctiſſimo Camerario pulcherrimi præbuit emblematis XXXVI: cujus ea eſt ſententia, ſicut tigris fallitur imagine globi vitrei: ſic humanum genus pluriminùm fallaci rerum imagine deludi. Atque hæc ſufficiant de dolo.

Vi capiuntur feræ multifariam: præcipuè vel arcu, ſive ſagittis, vel venabulo, ſive haſta: proximis autem ſeculis etiam ſclopetis, ut vocant. Sed ut, ſi fallere retium dolo velis, multum refert, cujuſmodi ea ſint; (quia rara illa, ac tenuis fili, conveniant lepuſculis, modò ita ſublimia ſint, ut nequeant tranſilire: ſed ad lupos, vel apros capiendos, è craſſa cannabe valide eſſe contexta oportet:) ita in venabulis etiam refert, ut e fraxino ſint, aliove ligno duriore, ne duræ illiſa cuti frangantur, atque ita deſtituant venatorem. Præterea intereſt, qua parte petatur fera. Si ferire voles apri caput, levi flexu irritus ſit ictus: quare adigendum telum inter ſcapulas, qua parte jugulum eſt. Hanc rem pleniùs explicat Xenophon de Venatione *a*. Itidem in pardo venabulum adigendum in pectus, corque ipſum: quia alioqui, utcunque vulnus acceperit, rectà in venatorem faceret impetum. Atque hoc etiam monitum Julio Polluci in Onomaſtico *b*.

a P. 993. edit. Pariſ. an. 1625.
b Lib. 5. cap. 4.

Cumque magnum ſit Dei beneficium, ſic necare feras poſſe: tum verò non minus, quòd foveis, vino, aliter, ut vidimus, vivas capere liceat. Quomodo captas tum exarmare poſſumus, tum etiam non exarmatas cicurare. De priori ſic Lampridius in Heliogabalo: *Habuit leones, & leopardos exarmatos in deliciis: quos edoctos per manſuetarios ſubito ad ſecundam, & tertiam menſam, jubebat accumbere, ignorantibus cunctis, quod exarmati eſſent, ad pavorem, & ridiculum excitandum.* Ac M. Paulus Venetus lib. II, cap. XVII narrat, magnum Cham inter feras manſuefactas alere leopardos dentibus, ac ungulis relictis, uſque ſolitum venari.

Sed manſuetarii iſti, ut Lampridius vocat, etiam non exarmatos cicurabant. Ac de talibus loquitur Martialis lib. I, epigr. CV:

Picto quòd juga delicata collo
Pardus ſuſtinet, improbæque tigres
Indulgent patientiam flagello:
Mordent aurea quòd lupata cervi:
Quòd frenis Libyci domantur urſi,
Et, quantum Calydon tuliſſe fertur,
Paret purpureis aper capiſtris:
Turpes eſſeda quòd trahunt biſontes.

Subdit deinde de elephantis, ac leonibus. Sed de iis animantibus ſeorſum antea egimus. Nunc videamus de pardis, tigribus, aliis antea indictis, aut obiter tantùm memoratis.

Ad pardos nonnulli perperam trahunt Horatii locum lib. III, od. XVIII, ubi ait, Nonis Decembribus, quæ Fauno ſacratæ, in agro ſuo Sabino, & bovem ab opere ceſſare, & pariter pagum ſive paganos feſtum diem agere. Hic fide quorundam codd. pro pago *pardum* reponunt: quod meritò rejecere, qui naſum haberent criticum. Quid enim abſurdius, quàm putare, pardos degere in agro Sabino, ac aliàs quidem eſſe operi ruſtico intentos: ſed, die Fauno ſacrato, feriari cum bubus? Interea ſuppetunt ſcriptores alii, ex quibus conſtet, & hæc cicurari animalia. Philoſtrati eſt lib. IV de vita Apollonii, cap. XII: Λέοντες, καὶ παρδάλεις, ἐνίοτε κολακευόμενοι, ἡμεροῦνται, καὶ μεταβάλλουσι τὰ ἤθη· *Leones quandoque, & panthera, ſi mulceantur, manſueſcunt, & feros mores immutant.* Cæſar quoque Scaliger Exercitatione CLXXXIX prodit, Cambajæ regem pardis in venatione uti. Sic autem accepimus, ſi incaſſum ſit venatus, ne fera eò irritata in venatorem ipſum ferociat, pacari ſolere agno, vel hœdo, quem hoc fine ſecum domo tulerit venator. Et ſanè quod de leonibus ſuprà *c* dicebamus, ne cicuratis quidem temere fidendum, id in pantheris etiam locum habet. Nam facilè ad naturam redire, argumento erunt leopardi mas, ac femina; qui, Geſnero referente, poſt exceſſum Franciſci Galliarum regis, ſeu negligentiâ, ſeu malevolentiâ cuſtodis, è cavea dimiſſi, in ſylvas proruperc, nec paucos in via prope Aureliam dilaniarunt. Repertaque tum mulierum cadavera, quibus ſolas voraſſent mamillas, quaſi

c Lib. hujus c. 53.

quaſi hanc partem delicatiſſimam putaſſent. Inque hoc ſimile Scotorum judicium fuit: qui Beati Hieronymi *a* tempore ἀνθρωποφάγοι *b* etiamnum erant, atque in deliciis maximè habebant, virorum quidem nates, mulierum verò ubera. Scotorum autem nomine ſignavit Hieronymus Hibernos: ac ſimiliter & Joannes ille, deliciæ Caroli Calvi, à quo Dionyſius, cognomento Areopagita, atque alii, ſcriptores, è Græco redditi ſuperſunt, tum *Scotus* vulgo dictus, tum *Erigena*, hoc eſt genitus in Eria, ſive Eiria, ſive Hibernia: quomodo hodieque *Eir-lant*, Belgis dicitur, ſive *Ier-lant*; voce *Eir*, vel *Ier*, ex *Iver* κατὰ συγκοπὴν contractâ.

a B. Hieron. lib. 2. adverſus Jovinianum, pag. 75. edit. Frob. an. 1553.
b Hominum comeſtores.

Nec pantheræ modò manſueſiunt, ſed etiam tigres: ut ex Martiale antea vidimus. Ovidii quoque eſt in ſecundo de Arte:

Obſequium tigreſque domat, tumidoſque leones.

Ut Plinius *c* ait, *Pompejus M. Q. Tuberone, Fabio Max. coſſ. IV Non. Majas, theatri Marcelli dedicatione, tigrin primus omnium Romæ oſtendit in cavea manſuefactam.*

c Lib. 8. cap. 17.

Nec à quadrupedibus ſolùm adverſus quadrupedes noxias auxilium habemus; ſed etiam ſerpentes. Quod de ichneumone conſtat. Ac muſtela etiam, de qua ſuperiùs dictum, odore interimit baſiliſcum. Is autem conſpectu, vel afflatu potiùs, necat muſtelam. Quare συναποθνήσκοντας, ſive *Commorientes*, meritò dixeris. Plinius lib. VIII, cap. XXI, *Baſiliſco ſerpenti muſtelarum virus exitio eſt. Adeo naturæ nihil placuit eſſe ſine pari. Injiciunt eas cavernis, facilè cognitis ſola tabe. Necant illæ ſimul odore, moriunturque, & naturæ pugna conficitur.*

Similiter ſerpentes enecare dicitur panthera. De quo ſic Jacobus à Vitriaco, Epiſcopus, Cardinalis, & Pontificius legatus, Hiſtoriæ Orientalis lib. I, cap. LXXXVIII: *Pantheræ tantæ ſuavitatis odorem de gutture ſuo emittunt, ut cuncta pretioſa aromata vincat, ac omnes beſtias, exceptis ſerpentibus, qui bono odore necantur, dulcedine ſpiraminis ad ſe trahant.* Ubi quod beſtias docet pantherarum odore capi, præter eos, quos alibi *d* adduximus, ſcriptores, etiam Plutarchus, & Ælianus *e*, prodiderunt. Quod verò ait, ſerpentes earum odore è ſpelæis educi, ac necari; id aliis proditum de cervis. A quibus ſerpentes naribus, & anhelitu, è latebris extrahi, Nicandro traditum in Theriacis, Oppiano in ſecundo Cynegeticorum, & Baſilio in Hexaëmer. Martialis quoque eſt lib. XII, epigr. XXIX:

d Libri hujus cap. 30.
e Lib. 2. de Animal. c. 22.

Cervinus gelidum ſorbet ſic halitus anguem.

Putabat Ælianus lib. II de Animal. cap. IX, ſerpentes ſponte prodire, anhelitus cervini amore allectos. Sed hæc ſententia refellitur naturali illâ inimicitiâ, quæ eſt inter ſerpentes, & cervos: de qua Theophraſtus lib. IV de cauſſis Plantarum *f*, & Oppianus in ſecundo Κυνηγετικῶν *g*, & ſecundo Ἁλιευτικῶν *h*. Quare ſi ab anhelitu eſt, potiùs is vertiginem adferat ſerpentibus, ut propterea in aëra prodire liberiorem laborent: quod ex Xenophonte traditur in Geoponicis lib. XIX, cap. V. Fortaſſe tamen non tam ab anhelitu eſt, quàm ab odore cervini cornus: quandoquidem Euſtathius ait, cervos priùs cornua ad petram atterere, attrituque ea calefacere, ut ἀναθυμιάσεις *i* protrahat ſerpentem. Sanè cornus cervini & aliæ traduntur dotes ab Orpheo, ſive alio, poëmate de lapidibus. Ac Theophraſti eſt in fragmento de invidia animalium: Ὁ ἔλαφος τὸ δεξιὸν κατορύττει κέρας, πρός τε τὰ τῶν φρυνῶν φάρμακα, καὶ πρὸς ἄλλα πολλὰ χρήσιμον· *Cervus defodit cornu dexterum, medicamentum adverſus rubetæ venenum, & ad alia multa utile.* Inter cætera eo prodeſt, quòd, ſi accenderis, fugat ſerpentes: ut eſt apud Varronem, Plinium, Ælianum, Palladium, Solinum. Adhæc Orum in Hieroglyphicis, & Apollonii ſcholiaſten in II Argonauticon.

f Cap. 10.
g Verſ. 233.
h Verſ. 289.
i Exhalatio.

Quamquam, quid ſi dicamus, quòd prodeant ſerpentes, non tam eſſe ab exhalatione cornus: quàm ab odore, & tum exſpiratione, tum tranſpiratione totius cervi? Neque enim ſolius cornus ea eſt vis, ut ſerpentes fuget, de quo mox dicam pluribus: ſed medulla etiam cervina uncti, aut in pelle cervina ſomnum capientes, aut aliud quid cervinum ſecum geſtantes, ab ſerpentibus ſunt immunes: ut à Plinio, & aliis, proditum eſt. Imò & ſerpentibus paſci dicitur. Unde Tertullianus de Pallio cap. III: *Taceo cervum, quòd & ipſe, ætatis ſuæ arbiter, ſerpente paſtus languescit in juventutem.* Sed paſcitur quidem ſerpente: verùm ajunt ſic interiora iis incaleſcere, ut ad ea refrigeranda opus ſit celerrimo curſu peti fontes: atque inde dici pſalmo XLI *a*, I: *Quemadmodum cervus feſtinat ad fontes aquarum.* Ita non Camius modò enarrat, & Aben-ezra: ſed etiam Auguſtinus, Hieronymus, & Theodoretus. Poſſis alioquin & ſimpliciter referre ad ſitim ex curſu celeri, ac diuturno contractam, dum venatores, ac canes fugit. Porrò cùm tanta ſit hoſtilitas cervi, ac ſerpentis: veriſimile fit, non tam Græcum ἔλαφος *b* eſſe à levitate, quaſi λαφρὸς *c*: quàm ἀπὸ τοῦ ἐλαύνειν, ſive ἑλκεῖν τοὺς ὄφεις, ab *attrahendo ſerpentes*; ut eſt apud Plutarchum in comparatione terreſtrium & aquatilium: ſive ἀπὸ τοῦ ἑλεῖν τοὺς ὄφεις· *quòd ſerpentes tollat*; ut eſt apud Athanaſium in Definit. cap. περὶ ἐνεργείας, & Euſtathium in Iliad. Δ *d*. Pro ἑλεῖν apud Etymologum eſt ἕλκειν. Sed omnino id, ut durius, improbandum.

a Al. 42.
b Cervus.
c Levis.
d P. 468. edit. Rom.

Etiam adverſus quadrupedes noxias aliter nobis Deus conſuluit: ut adverſus lacertas, quæ & ipſæ in quadrupedibus ſunt. Lacertus Indicus, qui dicitur *texhuitpezkin*, uſque adeò eſt venenatus, ut ſi vel calceatus calcaris, color calceorum prorſus fiat ater, perque calceos venenum cor petat, brevique hominem necet. Ac negant, hactenus veneno iſti remedium repertum. Sed vide hic etiam bonitatem Dei immenſam. Non nocet is ſerpens, niſi attingas. Solùm igitur cauto hìc eſt opus. Adhæc, ſimulac conſpexeris, lapide, vel ligno interimendi eſt facultas. Tantùm requiritur, ut ea cædis inſtrumenta defodias, vel comburas, quia alioqui & ab illis periculum extimeſcitur. Deſcriptionem ejus lacertæ, paullo ſolùm excedentis dodrantem, vide poſt alios apud Jo. Euſebium Nierenbergium *e*.

e Hiſt. Nat. l. 12. cap. 47.

CAP. LXXIV.

Varia quadrupedum priùs habita eſſe pro ſymbolis Deorum, quibus forent conſecrata; poſtea autem pro ipſis culta eſſe numinibus, ſaltem à vulgo. Id primo oſtenſum quadrupedibus, quæ ab univerſis colerentur Ægyptiis. Uti ſunt duo boves, Heliopolitanorum Mnevis, & Memphitarum Apis: item Cynopolitarum canis; adhæc ælurus, ſive felis: atque hujus occaſione locus Clementis Romani emendatus. Hinc actum de quadrupedibus, quæ à certis colerentur Ægyptiis. Cujuſmodi eſt Saitarum, & Thebanorum ovis; lupus Lycopolitanorum; cynocephalus Hermopolitarum; cebus, ſive cercopithecus Babyloniorum juxta Memphim. Quomodo differant, ſimius, cebus, ſive cercopithecus, & cynocephalus: atque unde nomen cebo ſive cepo datum, item Hebræorum literæ Coph*: ac origo vocabuli, quo cebum nuncupant Germani. De leone culto à Leopolitanis, & variæ ejus venerationis cauſſæ. De cultu capræ, atque hirci, apud Mendeſios. A Coptitis comeſtos capros, ſive hircos: at capras divino adfectas honore, ut delicias Iſidos. Cur Ægyptiorum alii, ut Mendeſii, hircum magis ſint venerati: & quanto apud eos caprarii fuerint in honore. Cur Pan Ægyptiis, ac Græcis, effingi ſoleat capri facie, ac cruribus. Athribitis cultam mygalen, & cujuſmodi hoc animal ſit, atque unde nomen acceperit: quæ item divini illius honoris cauſſæ adferantur. Cur ichneumonem coluerint Heracleotæ: non item illi, qui crocodilum venerarentur. Crocodilum ab Ombitis habitum pro Deo; contra ab Apollonopolitis comedi ſolitum; & quæ cauſſa negati honoris divini.*

Ridicula Ægyptiorum religio, pro felicibus habentium, non eos modò, qui alerent crocodilum: ſed etiam a crocodilo devoratos. Cauſſa cultus Ægyptii petita ab Aſtrologia judiciaria. De cultu Amaſidos in leone.

QUæ de variis quadrupedum generibus, eorumque mirandis, hactenus diximus, elevare animos noſtros debent ad contemplationem Dei, qui ea ſic condidit. Sed cæcæ nationes multis eorum tribuêre cultum religioſum. Ac priùs quidem illa pro divinis habuere ſymbolis: nec ſapientiores fere progreſſi ſunt ulteriùs. At vulgus paullatim eo eſt perductum, ut illis, quæ primo pro ſymbolis duntaxat habita forent, poſtmodo cultus divinus, tanquam veris numinibus, præſtaretur. De hujuſmodi quadrupedibus (ſed quibuſdam aliis animantibus admixtis) ſic Strabo ſcribit in XVII: Τινὰ τῶν ζώων ἅπαντες κοινῇ τιμῶσιν Αἰγύπτιοι, καθάπερ τῶν πεζῶν μὲν τρία, βοῦν, κύνα, αἴλουρον· τῶν δὲ πτηνῶν δύο, ἱέρακα, καὶ ἶβιν· τῶν δ' ἐνύδρων δύο, λεπιδωτὸν ἰχθὺν, καὶ ὀξύρυγχον· ἄλλα δ' ἐστὶν, ἃ τιμῶσι καθ' ἑαυτοὺς ἕκαστοι, καθάπερ Σαΐται πρόβατον, καὶ Θηβαῖται· λάτον δὲ τὸν ἐν τῷ Νείλῳ τινὰ ἰχθὺν, Λατοπολῖται· λύκον Λυκοπολῖται· κυνοκέφαλον δὲ Ἑρμοπολῖται· κεῖπον δὲ (alii libri κῆπον, vel κῆβον) Βαβυλώνιοι οἱ κατὰ Μέμφιν· ἔστι δ' ὁ κῆπος τὸ μὲν πρόσωπον ἐοικὼς Σατύρῳ, τ' ἄλλα δὴ κυνὸς καὶ ἄρκτου μεταξύ· γεννᾶται δ' ἐν Αἰθιοπίᾳ· ἀετὸν δὲ Θηβαῖοι, λέοντα δὲ Λεοντοπολῖται, αἶγα δὲ καὶ τράγον Μενδήσιοι, μυγαλῆν δὲ Ἀθριβῖται· ἄλλοι δ' ἄλλο τι· τὰς δ' αἰτίας οὐχ ὁμολογουμένας λέγουσιν. *Sunt quædam animalia, quæ Ægyptii colunt univerſi: ut de terreſtribus tria; bovem, canem, felem: e volatilibus, accipitrem, atque ibim: ex aquatilibus duo, lepidotum* (five ſquamatum) *piſcem, & oxyrinchum. Sunt & quæ ſeorſum coluntur. Sic Saitæ, & Thebani, ovem; latum vero, qui piſcis quidam eſt in Nilo, Latopolitani; lupum, Lycopolitani; cynocephalum, Hermopolitani; cepum, Babylonii, qui ſunt juxta Memphim. Cepus faciem habet Satyro ſimilem, cætera inter canem, atque urſum: in Æthiopia naſcitur. Aquilam Thebani, leonem Leontopolitani, capram & hircum Mendeſii, mygalen Athribitæ, alii aliud. Cauſſas verò adferunt inter ſe non conſentientes.* Dicam de hiſce animantibus ordine: ſed avibus, & piſcibus, in ea, quæ poſtea dicentur, rejectis. Ac, Strabonis exemplo, primùm loquar de illis quadrupedum, quæ univerſi colunt Ægyptii. Hujuſmodi eſſe ait, bovem, canem, felem. Bos geminus Ægyptiis cultus. De utroque ſic idem Strabo in XVII, poſtquam de Bubaſto, & Bubaſtica præfectura, dixiſſet, ſubdit: Ὑπὲρ αὐτῶν ὁ Ἡλιοπολίτης νομός· Ἐνταῦθα δ' ἐστὶν ἡ τοῦ Ἡλίου πόλις, ἐπὶ χώματος ἀξιολόγου κειμένη, τὸ ἱερὸν ἔχουσα τοῦ ἡλίου· καὶ τὸν βοῦν τὸν Μνεῦιν ἐν σηκῷ τινὶ τρεφόμενον, ὃς παρ' αὐτοῖς νενόμισται θεός, ὥσπερ καὶ ἐν Μέμφει ὁ Ἆπις. *Supra eam eſt regio Heliopolitana, ubi Solis urbs eſt aggeri magno impoſita. Solis templum habet, & Mneuim bovem: qui in ſepto quodam nutritur, & ab Heliopolitanis pro Deo habetur: quemadmodum & Apis a Memphitis.* Nempe uti Romanum, Græcumque vulgus, ſtatuas numinum, propter cultum, qui iis præſtaretur, Deos credebat: ſic Ægyptium vulgus bovem & Heliopolitanum, & Memphiticum, exiſtimabat Deos. Quod ſecutus quoque Plinius ait lib. VIII, cap. XLVI: *Bos in Ægypto etiam, numinis vice, colitur. Apim vocant.* Et mox: *Sunt delubra ei gemina, quæ vocant thalamos auguria populorum. Alterum intraſſe lætum eſt; in altero dira portendit. Reſponſa privatis dat, e manu conſulentium cibum capiendo. Germanici Cæſaris manum averſatus eſt, haud multò poſt exſtincti. Cætero ſecretus, cùm ſe prorupit in cœtus, incedit ſummotu lictorum, grexque puerorum comitatur, carmen honori ejus canentium. Intelligere videtur, & adorari velle.* Sed ut vulgus ſic exiſtimarit, non tamen id Plinius putavit. Alioqui non cautè adeò loqueretur. *Intelligere videtur.* Nam quis ambigit, quin, quod numen eſt, intelligentiâ præditum ſit? Nempe dubitavit, an non aliquid ei divini ab ipſo eſſet numine inſitum, cujus ſymbolum foret. Saltem ſacerdotes, & ſapientiſſimus quiſque gentilium, bovem Heliopolitanum non habuere niſi pro ſymbolo Dei Solis; & Memphiticum pro ſymbolo Lunæ: ut dictum lib. I, cap. XXIX. De hoc bovis apud Ægyptios cultu etiam legas apud Clementem Romanum in quincto Recognitionum, & tot alios ex Chriſtianis.

Poſt bovem ſubdit Strabo de cane, & fele. De canis veneratione eſt apud Ciceronem in V Tuſcul. Juvenalis quoque eſt ſat. XV:

—— Illic
Oppida tota canem venerantur, nemo Dianam.

A Cynopolitanis interim præcipuè cultum, indicat Clemens Alexand. Admonitione ad gentes.

Ælurum, ſive felem, ab Ægyptiis cultum, refert Herodotus in Euterpe: atque addit, mortuum domi, ſolitum ſaliri, atque ita Bubaſtum deferri, ut ſacra in urbe ſepeliretur. De cultura quoque teſtis Cicero, lib. I de Legg. & lib. I de Nat. Deorum, ac V Tuſc. Quæſt. Diodorus Siculus lib. I, Juvenal. ſat. XV, & Plutarchus lib. IV Sympoſiacôn, quæſt. V. Etiam cultum hunc inter alios memorat Clemens Romanus, vel alius, vetus, ſed ſuppoſiticius ſcriptor. Locum apponam integrum ex quincto Ἀναγνώσεων ſive Recognitionum libro: *Alii Ægyptiorum bovem, qui Apis dicitur, colendum tradidere, alii Hircum, alii Gattas, nonnulli Ibim, quidam Serpentem, Piſcem quoque, & Cephas, & Cloacas, crepitus ventris pro numinibus habendos eſſe docuere, & alia innumerabilia, quæ pudet etiam nominare.* Ubi per *gattas* planè hic intellige æluros ſive feles. Nam poſterioribus hoc pacto locuti ſunt ſeculis. Imò ſimiliter etiam Græcis, ſed mixobarbaris, γάτος, & κάττα, *felis*, ut ex Callimachi ſcholiaſte antea dixi: atque idem liquet ex Euagrii lib. VI, cap. XXIV; ubi ait, *αἴλουρον κάττιαν ἡ συνήθεια λέγει, conſuetudo pro fele cattam dicit.* Porrò, ut obiter de aliis quoque hic memoratis quædam addam, pro *Cephas*, ut eſt in Pariſina Sonnii editione, rectiùs quidem ſcripſeris *cebos*; de quo inferiùs dicam. Sed enim inter piſcem puto, & inanima, non inſeruiſſet medium cebum, ſimiæ genus. Quare pro certo habeo, in memorato Clementis loco *cepas* legi oportere; ut eſt in Baſileenſi illâ, quam antea Sichardus, edente Bebelio, procurârat. Ad plantas igitur, non animantia, id pertinet. Uti nec hujus eſt loci de cloacis cultis: aut de ventris crepitu; de quo & ex Minucio Felice antea vidimus. Multa etiam animantium alia coluere Ægyptii: ſed verum quod de ſerpente, & bove, dixi; cultum eum ſagacioribus fuiſſe non proprium, ſed ſymbolicum; id in iſtis quoque locum habet.

Ut Strabonis porrò veſtigiis inſiſtam, deinceps videbimus de quadrupedibus, quas civitates quædam Ægyptiæ ſeorſum coluere: ut Saitæ, & Thebani ovem; teſte etiam Clemente Alexandrino Admon. ad Gentes. Iovi itidem Ammoni fuiſſe arietem ſacratum, auctor eſt Clemens, qui dicitur Romanus, in X Recognitionum. Sed hoc nonniſi ad cultum pertinere ſymbolicum, ſatis eſt apertum. Propriè ajunt cultum à Lycopolitanis eſſe lupum: quod & Clemens Alex. memorat loco proximè indicato. De Cynocephali cultu eſt etiam apud Tertullianum in Apologetico cap. VI. & Auguſtinum lib. II de Civit. Dei, cap. XIII. Sed nec inter veteres convenit, utrùm habitus ſit cynocephalus ipſe Anubis, vel ejus ſymbolum: an potiùs Mercurius, aut ſymbolum hujus. Pro Anubide facit, quod canino fingeretur capite: unde *latrator* dicitur Maroni VIII Æn. Ac cauſſam ejus figuræ attulimus lib. I, cap. XXVII. Pro Mercurio, literarum inventore, eſt, quòd canis ei ſacratus, ob ſagacitatem. Ideo botanici anethum vocant tum *cynocephali*, tum *Mercurii genituram*. Præterea valde huc facit, quòd Strabo ait, cynocephalum eſſe cultum ab Her-

Hermopolitis: quorum civitas, ut vocabulum indicat, τῷ Ἑρμῇ ſive Mercurio ſacra fuit. Eſt autem cynocephalus ſimiæ caudatæ genus; ſed, ut ait Ariſtoteles *a*, cercopitheco majus, & efferatius, capite etiam ad canem propiùs accedens; unde & nomen κυνοκέφαλος, q. d. *caniceps.* Hodie Itali *babuino*, Galli *babion*, Belgæ *baviaen*, vocitant.

a Lib. 2. Hiſt. Animal. c. 8.

Poſt cynocephalum proximè ſubdit Strabo κῆπος, ſive, ut in aliis codd. κῆπον, aut κῆβος. Ariſtoteli lib. II Hiſt. Animal. cap. VIII κῆβος vocatur: facitque ſecundum ſimiarum genus. Primum enim πίθηκος, ſive *ſimia*, quæ caudæ expers, Latinis indeab attritis clunibus *cluna* dicta, vel *clura*, ut à γνώμη, *groma*; à κνέφος, *crepus*, unde *crepuſculum*; à *cancer*, *carcer*; à *condolium*, *cordolium*; à τόρος, *torus*, & ſimilia. Alterum genus ei eſt κῆβος, ut tertium κυνοκέφαλος, de quo actum. Ac κῆβος quidem ei dicitur πίθηκος ἔχων οὐράν *ſimia habens caudam.* Ut planè idem ſit ac κερκοπίθηκος *b*, ſecundum illud Martialis *c*.

Si mihi cauda foret, cercopithecus eram.

b Simiarum caudata.
c Lib. 14. epig. 202.

De cercopitheci cultu legas & apud Juvenalem ſat. XV, & Lucianum in Deorum Concilio. Nempe cercopitheci divinum aliquid habere viſi ſunt. Nam animal eſt valde ingenioſum. Præcipuè eo valent illi, qui ab odore moſchi Itali *moſchini* vocantur: de quibus Scaliger in Exercitat. & Cluſius in Exoticis. Acceſſit tum exterior hominis ſimilitudo, manibus, pedibus, aliis; quibus, quia in oculos incurrunt, non inſiſtam: tum interior etiam; unde Ariſtoteles lib. II Hiſt. Animal. cap. IX: Οἱ δὲ κῆβοι τὰ ἐντὸς διαιρεθέντα ὅμοια ἔχουσιν ἀνθρώπῳ· *Cebi partes interiores habent ſimiles humanis.* Imo omni hoc ſimiæ convenire putatur: unde & anatomici, ſi humanum defuerit cadaver, vivam ſecant ſimiam. Et Galenus, opere anatomico, in hac planè ſententiâ fuiſſe videtur. Neque illud magnopere adverſatur Alberto Magno; qui in ſecundo ac vigeſimo de Animalibus, diverſimodè ſe habere tradit. Nam ſic in pleriſque conveniunt, ut diſcrepent in aliis: quemadmodum oſtenſum Andreæ Veſalio in præclaro volumine de fabrica corporis humani. Denique & illud ad divinum cercopitheco tribuendum facere honorem videbatur; quod hoc animal variet colorem, horti inſtar diverſicoloribus conſiti floribus. Imo inde ajunt ei nomen datum κῆπον, hoc eſt, *horti*: unde poſtea κῆβον fecere. Sed de iſto diſſentio. Omnino enim κῆβος, vel κῆπος, eſt ex Hebræo קוף, Koph, *ſimia*; ut I ſive III Reg. X, 22. Imo & literæ inde *Koph* nomen datum; quia figuram ſimiæ referat, quæ perticæ inſideat. Germanis, & Belgis, hoc animal *meerkatte* dicitur: quod ſonat *marinam felem*: *marinam* quidem, quaſi trans mare advectam, ut Romani ſtruthionem dixere *paſſerem marinum*: *felem* autem, Italorum exemplo, quibus vocatur *Gatto maimone.*

Subjungit poſtea Strabo de leone culto à Leopolitanis. Et ſanè, ſi animali muto hic cultus, ſeu ille proprius, ſeu ſymbolicus, deberet tribui: leoni is præcipuè, quia inter rationis expertia excellit, conveniret. Unde & Perſæ Deum ſuum Mithram, ſive Solem, leoninâ effingebant facie. Huc etiam facit, quod apud Plutarchum lib. IV Sympoſ. quæſt. V, legas, Leonem Soli ſacratum: ſola quia leæna ex quadrupedibus curviungulis fœtum pariat videntem: adhæc quod leo breviſſimo contentus ſit ſomno, & dormientis oculi præſulgeant: quod item Leontini, Sole Leonem permeante, reperiant fontes, & lacunas ſuas nova repletas aqua.

Sequitur apud Strabonem de capræ, & hirci veneratione, apud Mendeſios. A quibus hircum fuiſſe cultum, apud Clementem quoque Alexandrinum legas Admonit. ad Gentes. Etiam capras divino coluerunt honore, incolæ urbis Copti: à qua Ægyptiis omnibus nomen hoc datum eſſe, alibi diximus. Sed ſic Coptitæ ſolent capram ἐκθεοῦν *d*, ut Iſidis ἄθυρμα *e* putarent: quemadmodum refert Ælianus de Animalibus lib. X, cap. XXIII: Σέβουσι δὲ οἱ Κοπτῖται καὶ θηλείας δορκάδας, καὶ ἐκθειάζουσιν αὐτάς· τοὺς δὲ ἄρρενας καταθύουσιν. ἄθυρμα δὲ εἶναι τὰς θηλείας τῆς Ἴσιδός φασι. *Coptitæ ex capris feris feminas colunt, divinitatem etiam iis tribuunt: mares autem comedunt: feminas verò ajunt eſſe oblectamentum ac delicias Iſidos.*

d Pro Deo habere.
e Ludum, & oblectamentum.

Alii tamen Ægyptii caprum ipſum, ſive hircum potiùs, (de quo & apud Maximum Tyrium legas ſermone XXXVIII) honore coluere divino. Cujus rei cauſſam exponit Diodorus Siculus, bibliothecæ ſuæ libro primo: Τὸν δὲ τράγον ἀπεθέωσαν, καθάπερ καὶ παρὰ τοῖς Ἕλλησι τετιμῆσθαι λέγουσι τὸν Πρίαπον, διὰ τὸ γεννητικὸν μόριον. *Hircum inter Deos retulere ob genitale membrum: ſicut Græcis propterea ajunt venerationi eſſe Priapum.* Nempe, ut ſubdit, quia à membro illo eſt generatio omnis, eo exiſtimant, hoc eſſe divinum, & animal id divino honore dignum eſſe, quod membroſius eſt cæteris. Sic enim homines gratam Diis mentem teſtari pro fœcunditate ſuæ gentis. Atque ante hos ita de eodem Herodotus in Euterpe: Σέβονται πάντας τοὺς αἶγας οἱ Μενδήσιοι, καὶ μᾶλλον τοὺς ἔρσενας τῶν θηλέων· καὶ τούτων οἱ αἰπόλοι τιμὰς μείζονας ἔχουσι. *Capris etiam divinum Mendeſii honorem tribuunt: ac magis maribus, quàm feminis. Atque ex iis caprarii præcipuo ſunt in honore.* Subdit deinde, ut ſi caprariorum princeps deceſſerit, ingens totam Mendeſiorum regionem occupet luctus. Imò & iiſdem ab hirci cultu nomen eſſe, ex eo colligitur, quòd ibidem ait, Μένδης Ægyptiis *hircum*, & *Pana*, notare. Ac paullo ante dixerat, Pana, ut Græcis, ita Ægyptiis quoque, pingi ac ſculpi caprinâ facie, & hircinis cruribus: utcunque eum crederent formâ ſimilem eſſe Deorum aliis. Cur verò Pana ſic effinxerint, dicam, cùm de Naturæ univerſæ cultu loquar. Addit quoque Herodotus, ſuâ ætate in Mendeſia mulierem propalam coiiſſe cum hirco: quod non aliò fuiſſe factum, vel permiſſum, credibile eſt, quam ut ea numini hircino gratificaretur, divinamque ex eo prolem conciperet.

Poſtremo loco memorat Strabo, mygalen, quam *murem araneum* interpretantur, ab Athribitis habitam pro Deo. Μυγαλῆ autem dicitur, quaſi μυογαλῆ, ut rectè cenſet Nicandri ſcholiaſtes. Sed perperam ex Amynta tradit, ſic vocari, quia ἐκ μυὸς καὶ γαλῆς γίνηται, *ex mure, & muſtela generetur.* Ridiculum enim eſt putare, cùm mure muſtelam, aut felem, conſueſcere, vel contrà, cùm tantum ea inter animantia diſſidium ſit. Sed veriſimilius multò, inde hoc nomen eſſe, quia partim murem, partim muſtelam, figura ac colore referat. De divino hujus animantis apud Ægyptios honore teſtem quoque habemus Plutarchum lib. IV Sympoſiacon, quæſt. V. In cauſſis tanti honoris eſſe ait cæcitatem, quia tenebras luce antiquiores eſſe exiſtiment. Item quòd è muribus quinctâ naſcatur ætate in novilunio: & quòd jecur ejus, decreſcente lunâ, deficiat. Ex quibus videmus, qualibus miſeræ gentes rationibus inductæ ſint ad colendam pro conditore creaturam.

Denique ſic argumentum hoc concludit Strabo, alia etiam animantia ab aliis coli. Hujuſmodi ſunt, ut intra nunc quadrupeda conſiſtam, ichneumon, & crocodilus: de quibus jam erat locutus Strabo ante verba ſuperiùs adlata. Ichneumonem ab Heracleotis cultum dixerat: idemque refert Ælianus lib. X de Animalibus, cap. XLVII, & Clemens Alex. Admonitione, ad Gentes. Nec niſi ob utilitatem aliquam Ægyptiis cultum eſſe, tradit Cicero in I, de Nat. Deor. Addit Ælianus, ut ichneumones ſacri ſint Latonæ, & Ilithyæ, ſive Lucinæ. Item ut inimicitiæ iis ſint cum aſpide, & crocodilo. Et ſanè, quòd ſerpentes tollant, quibus tantopere obnoxia eſt Ægyptus, præcipuè in cauſſa erat, cur honores iis tribuerentur divini. Iis tamen, qui crocodilum colerent, neglectus ichneumonis cultus fuit: idque quia contereret ova crocodili; imò & ipſos necaret crocodilos. Nam quando ſe hi rictu diducto, Soli exponunt, ora eorum ſubit, viſcera intrat, eaque exedit, & perforato ventre egreditur. Hoc igitur, ut ichneumonas exoſos reddidit crocodili cultoribus;

bus; ita contrà commendavit eorum hoſtibus; quemadmodum Strabo ait in XVII.

Crocodilum pro Deo cultum, præter Strabonem, arguunt Cicero I de Nat. De. & Tuſc. V, Diodorus lib. I, Juven. ſat. XV, Plutarchus lib. IV Sympoſ. cap. V, Ælianus lib. X de Anim. cap. XXI: ubi ab Ægyptiis Ombitis ſic ait coli crocodilum, uti à Græcis, & Romanis, Olympios Deos: non item ab Ægyptiis Apollonopolitis, Tentyritarum parte; qui crocodilum oderint, eoque veſcantur; ſive quòd Typho dicatur ejus formam induiſſe, ſive quòd Pſammymiti, juſtiſſimi regis, filia, à crocodilo fuerit rapta. De hoc Tentyritarum odio etiam legas apud
a Lib. 17. Strabonem *a*. Ait verò ſic vulgo ferri, uti Pſyllis in Cyrenaica vis ineſt nativa adverſus ſerpentes: ita & eam eſſe in Tentyritis contra crocodilos. unde intrepide in aquis urinentur, ac crocodilos pervestigent, atque interimant. Itaque & Romæ, cum in ſpectaculo eſſent populo exhibendi, hos aquam ingreſſos, reti eos eduxiſſe, ut in aprico ſpectarentur, poſteaque retraxiſſe in piſcinam.

Porrò, præter Heracleoticam præfecturam, etiam Arſinoë, quæ priùs *crocodilorum urbs* dicta, mirum in modum coluit crocodilum, eumque σοῦχον vocabat; ut
b Ibidem. idem Strabo *b* refert. Atque addit, quomodo à peregrinis ad lacum advenientibus donarentur placentis, carne, mulſo: & ut à ſacerdotibus, ore ei aperto, placenta vel caro ingeri, mulſum etiam ſoleat infundi.

Maximus quoque Tyrius diſſertat. XXXVIII narrat, ut mulier Ægyptia aluerit fœtum crocodili, ac propterea ab Ægyptiis judicata ſit feliciſſima, ὡς τιθηνουμένη θεὸν· *ut quæ nutriret deum*: atque eo non defuiſſe, qui deum pariter, & nutricem, demulcerent: porro mulieri iſti fuiſſe filiolum paris ætatis, hunc cum crocodilo luſitare ſolitum: ac bene hoc ceſſiſſe, dum crocodilo vires deforent: ubi verò adolevit, exeruiſſe ſe ingenium: ut qui nutricis ſuæ filium devorârit: nec iccirco eam omnia luctu complêſſe: nam contrà, inquit, ἐμακάριζε τὸν υἱὸν τοῦ θανάτου, ὡς γενόμενον δῶρον ἐφεστίῳ θεῷ· *felicem putavit filium, tanquam deo donatum domeſtico.*

Quæ hactenus diximus de cultu quadrupedum apud Ægyptios, ea conſiſtunt intra hanc cautlam, quod cultus, qui primò erat ſymbolicus, paullatim in proprium degenerarit: pro Deorum vero ſymbolis habita ſint ob utilitatem, quam ex iis homines caperent. Unde Tullius quoque in primo de Natura Deorum: *Ipſi, qui irridentur, Ægyptii, nullam belluam, niſi ob aliquam utilitatem, quam ex ea caperent, conſecraverunt: velut ibes maximam vim ſerpentium conficiunt. Poſſum de ichneumonum utilitate, de crocodilorum, de felium dicere; ſed nolo eſſe longior. Ita concludam tamen, belluas à barbaris propter beneficium conſecratas.* Loquitur autem de beneficio, quod ex animalium natura percipiunt. Sed præterea ratio affertur altera ab natura ſiderum ex Aſtrologia ἀποτελεσματικῇ, ſive judiciaria. De hac ita Lucianus, de Aſtrologia libro: Ταῦτα μὲν ὦν Αἰθίοπες ἐν τῷ οὐρανῷ ἐπέβλεψαν. Μετὰ δὲ, γείτοσιν ἐοῦσιν Αἰγυπτίοισιν, ἀτελέα τὸν λόγον παρέδοσαν. Αἰγύπτιοι δὲ παρὰ σφέων ἐκδεξάμενοι ἡμιεργέα τὴν μαντικὴν, ἐπὶ μεῖζον ἤγειραν, μέτρα τε τῆς ἑκάστου κινήσιος ἐσημήναντο, καὶ ἐτέων ἀριθμὸν, καὶ μηνέων, καὶ ὡρέων διετάξαντο, καὶ μηνῶν μὲν σφίσι μέτρον, ἡ σεληναίη, καὶ ἡ ταύτης ἀναστροφὴ ἐγένετο· ἔτεος δὲ, ἠέλιος, καὶ ἡ τοῦ ἠελίου περίφορος. οἱ δὲ καὶ ἄλλα ἐμήσαντο πολλῷ μείζω τουτέων. ἐκ γὰρ δὴ τοῦ παντὸς ἠέρος, καὶ ἀστέρων τῶν ἄλλων, ἀπλανέων τε, καὶ εὐσταθέων, καὶ οὐδ᾽ ἅμα κινεομένων, δυώδεκα μοίρας ἐτάμοντο. ἐν τοῖσι κινεομένοισι, καὶ εἰκόνα ζῶα ἐόντα, ἕκαστον αὐτῶν ἐς ἄλλην μορφὴν μεμίμηται· τὰ μὲν ἐνάλια· τὰ δὲ, ἀνθρώπων· τὰ δὲ, θηρῶν· τὰ δὲ κτηνέων. Ἀπὸ τέων δὴ καὶ ἱερὰ τὰ Αἰγύπτια πολυειδέα ποιέεται. Οὐ γὰρ πάντες Αἰγύπτιοι ἐκ τῶν δυώδεκα μοιρέων πασέων ἐμαντεύοντο, ἄλλοι δὲ ἄλλῃσι μοίρῃσιν ἐχρέοντο. Καὶ κριὸν μὲν σέβουσιν, ὁκόσοι ἐς κριὸν ἀπέβλεπον, Ἰχθύας δὲ οὐ σιτέονται, ὁκόσοι ἰχθύας ἐπεσημήναντο. Οὐδὲ τράγον κτείνουσιν, ὅσοι αἰγοκέρων ᾔδεσαν. καὶ οἱ ἄλλοι τὰ ἄλλα, ὡς ἕκαστοι ἱλάσκονται. καὶ μὴν καὶ ταῦρον ἐς τιμὴν τοῦ ἠερίου ταύρου σεβίζονται. καὶ ὁ Ἆπις αὐτοῖς χρῆμα ἱερώτατον, τὴν χώρην ἐπινέμεται. καὶ οἱ ἐκεῖ μαντήϊόν τε ἀνατιθέασι, σημήϊον τῆς ἐκείνου τοῦ ταύρου μαντικῆς. *Hæc in cælo perceperunt Æthiopes: poſtea finitimis Ægyptiis imperfectam artem tradiderunt. Porrò Ægyptii divinandi rationem, quam ab illis dimidiatam acceperant, in majus provexerunt. Quippe qui menſuram etiam, ad quam unaquæque ſtella movetur, indicarint. Ad hæc annorum, menſium, ac temporum numerum inſtituerunt: atque hi quidem luna, ejuſque converſione, menſes metiuntur: annum vero Sole, ejuſque circuitu, definiunt. Illi etiam his longe majora commenti ſunt. Nam ex univerſo cælo, reliquiſque ſtellis, inerrantibus, & fixis, neque ſimul moventibus, duodecim partes effecerunt: in his etiam, quæ moventur, & unamquamque ſuis animalibus repræſentarunt, partim marinis, partim hominibus, partim feris, partim volatilibus, partim pecudibus. Unde & ſacra Ægyptiorum varie fiunt. Neque enim omnes Ægyptii ex omnibus partibus divinabant; ſed aliis alii utebantur partibus. Itaque arietem colunt, qui ad arietem ſpectant; piſcibus non veſcuntur, qui piſces annotarunt. Nec hircum occidunt, qui capricornum noverunt: & alii alia, prout ſinguli venerantur. Quin etiam Taurum in cæleſtis Tauri honorem colunt. Nam Apis apud illos, res imprimis ſacra, regionem depaſcit: & qui eam incolunt partem, oraculum quoque dicarunt: ſignum videlicet divinationis, quam à cæleſti Tauro petunt.* Ac ſubjungit deinde, quomodo poſtea etiam hanc artem ſint aggreſſi Libyes, apud quos oraculum eſt Iovis Ammonis, qui arietis formâ colebatur: atque in hoc etiam cæli rationem haberi, cùm aries dux ſit duodecim zodiaci ſignorum. Nec Babylonios iſta ignorâſſe, imò ſi ipſis de ſe creditur, hanc ab iis doctrinam accepiſſe Ægyptios.

Poſtremo illud loco adjungam, fuiſſe etiam, cùm relicta quadrupes coleretur ab Ægyptiis: ſed cultores ſe arbitrarentur animam colere humanam. Exemplum habemus apud Philoſtratum lib. V de vita Apollonii Tyanei, cap. XV: ubi narrat de leone manſuetiſſimo, quem Alexandrinis eſſe Amaſin regem perſuaſerit Apollonius: unde οἱ ἱερῆς ξυνελθόντες, ἔθυσαν τῷ Ἀμάσιδι, καὶ κοσμήσαντες τὸ θηρίον στρεπτῷ, καὶ ταινίαις, παρέπεμπον ἐς τὴν Αἴγυπτον αὐλοῦντες καὶ ὑμνοῦντες, καὶ ἐπ᾽ αὐτῷ ᾄδοντες· *ſacerdotes convenientes Amaſidi ſacrificarunt, & belluam torquibus, vittiſque redimitam in interiorem miſere Ægyptum, ante ipſum hymnos, & carmina, decantantes.* Hæc illi, cùm Apollonius ſuaſiſſet, ut leonem deportarent Leontopolin, inque templo collocarent: quia foret indignum, regem maximum, in belluam regiam converſum, mendicando victum quærere.

Cap. LXXV.

Figmentum gentilium de aſini, ac ſuis veneratione apud Judæos: & quam ejus rei rationem, de ſue quidem Plutarchus, de aſino autem, præter eum, Tacitus adducat. Unde opinio fluxerit de aſino Judæis in ſumma ſiti aquam monſtrante. Etiam Gnoſticis hæreticis cultum utrumque tribui: imo aſini illum omnibus Chriſtianis, qui & inde aſinarii vocabantur, & quam monſtroſa Chriſtum figura depinxerint inimici nominis Chriſtiani. Vera cauſſa, cur ſuem adoraſſe fingantur Judæi. De ſuis veneratione apud Cretenſes; ſimiæ apud Pithecuſios, imò hodieque apud Indos Orientales, bovis itidem apud Indos. De muſtelæ cultu apud Thebanos, ovis in inſula Samo, lupi Delphis, leænæ apud Ambraciotas: deque cauſſa venerationis iſtiusmodi. Terreſtris echinus colebatur à ſchola Zoroaſtris. De Muſoritis murem honorantibus. Apollo μυοκτόνος, & Σμινθεύς.

HÆc de Ægyptiis. Nunc ad gentium alias tranſeo. Ubi inclyta Judæorum natio depoſcit, ut primùm de ſe videamus. Si gentibus credendum, & hi

hi ſuem, atque aſinum, coluerunt. Unde Petronius Arbiter:

Judæus licet & porcinum numen adoret,
Et cilli ſummas advocet auriculas.

Ubi in aliis pro *cilli* eſt *cæli*: quomodo ſimile fuerit huic Juvenalis ſat. XIV:

a *Alii, cæli lumen legunt. Sed cæli numen dixerit, ut urbs Antiochiæ. Itaque ſententia ſit, cælum, quod & iis numen, invocant.*

Nil præter nubes, & cæli numen a *adorant.*

Sed magis placet *cilli*: quod Pithœi editio b expreſſit. Quippe *cillus* eſt aſinus. Heſychius: Κίλλαι, ἀςράγαλοι, ἢ ὄνοι. Et mox: Κιλλὸς, ὄνος. De cultu ejus ſic Democritus hiſtoricus apud Suidam c: Χρυσῆν ὄνου κεφαλὴν προσεκύνουν, καὶ κατὰ τριετίαν ξένον ἀγρεύοντες προσέφερον, καὶ κατὰ λεπτὸν τὰς σάρκας διέξαινον, καὶ οὕτως ἀνῄρουν· *Aſini caput aureum adorabant, tertio quoque anno capiebant hoſpitem, eumque offerebant, carnes item diſſecabant minutatim, atque ita interficiebant.* Ab Apione etiam Pliſtonice, qui & Polyhiſtor dictus, ac cymbalum mundi à Tiberio Cæſare vocabatur d, objectum Judæis fuit ab Antiocho Epiphane, repertum fuiſſe caput aſini aureum, quod à gente coleretur. Sed eum abunde refellit Flavius Joſephus, opere eo, quod adverſus nobilem hunc grammaticum ſcripſit. Cur verò Judæi utrumque id animal honorarent, rationem hanc adducit Plutarchus lib. IV Sympoſ. quæſt. V: Καὶ ἴσως ἔχει λόγον, ὡς τὸν ὄνον ἀναφήναντα πηγὴν αὐτοῖς ὕδατος τιμῶσιν· οὕτως καὶ τὴν ὗν σέβεσθαι σπόρου καὶ ἀρότου διδάσκαλον γενομένην. *Ac fortaſſe id ratione nititur, ut ſicut aſino, quia fontem iis aquæ commonſtravit; ſic & ſui, quia ſationis & arationis eſt magiſtra, cultus apud eos ſit religioſus.* Eodem refert Taciti illa in quincto Hiſtoriarum: *Sed nihil æquè, quàm inopia aquæ, fatigabat. Jamque haut procul exitio, totis campis procubuerant; cum grex aſinorum agreſtium, è paſtu in rupem nemore opacam conceſſit. Secutus Moſes, conjecturâ herbidi ſoli, largas aquarum venas aperit.* Et paulo pòſt: *Effigiem animalis, quo monſtrante errorem ſitimque depulerant, penetrali ſacravere.* Cum verò Tacitus, ac Plutarchus, dicant, hunc aſini cultum ex eo traxiſſe originem, quòd Judæi, aſino monſtrante, aquas repererint; concinnè ſatis conjectabat Nicolaus Fullerus in Miſcellaneis Sacris e, inde hoc eſſe, quòd, ut legere eſt Geneſ. XXXVI, 24. Ana, cùm paſceret aſinos Sibeonis patris ſui in deſerto, invenerit ימם *jamim*; ſive terminatione Syrâ *iamim*. Quippe, ut Hieronymus Quæſtionibus Hebr. in Geneſin ait, *nonnulli aquas calidas, juxta Punicæ linguæ viciniam, quæ Hebrææ contermina eſt, hoc vocabulo ſignari putant. Alii putant,* JAMIM *maria appellata. Iiſdem enim literis ſcribuntur Maria, quibus nunc hic ſermo deſcriptus eſt. Et volunt, illum, dum paſcit aſinos patris ſui in deſerto, aquarum congregationes reperiſſe: quæ, juxta idioma linguæ Hebraicæ, Maria nuncupatur: quod ſcilicet ſtagnum repererit. Cujus rei inventio difficilis eſt.* Imò Diodorus quoque Tarſenſis, expoſitione in Geneſin, ait: Ὁ Σύρος, καὶ ὁ Ἑβραῖος, τὸ ἰαμεὶν ὕδωρ βούλονται λέγειν· ἀντὶ τοῦ εὗρε πηγὴν ἐν ἐρήμῳ· *Syrus, & Hebræus, Aquam Jamim vocare ſolent: ut ſit ſenſus, invenit fontem in deſerto.* Hæc ſi interpretatio placet (nam alii ימם *mulos* exponunt, & aſini cum equa congreſſum ab Horæo principe repertum arbitrantur) neceſſe ſit dicamus, quod de aquis ab Horæo repertis proditum erat ab Moſe, id ſpiſſo fuiſſe attributum errore ipſi legiſlatori Moſi.

b *In veterum pictarum epigrammatis.*
c *In* Ἰούδαι.
d *Plin. præfat. hiſt. nat.*
e *Lib. 3. cap. 8.*

Judæorum exemplo Gnoſtici etiam dicuntur utrumque animal coluiſſe. Saltem Deum Sebaoth utrâque expreſſerunt figurâ. De quo ſic Epiphanius: Φασὶ δὲ τὸν Σαβαὼθ οἱ μὲν ὄνου μορφὴν ἔχειν, οἱ δὲ χοίρου· *Ajunt autem Sabaoth, hi quidem aſini, illi autem porci, habere figuram.*

Imò calumnia hæc de aſinini capitis cultu in veros etiam derivata eſt Chriſtianos: ut indicat Minucius in Octavio: *Audio eos, turpiſſimæ pecudis, caput aſini conſecratum, ineptâ neſcio qua perſuaſione, venerari.* Atque inde ſunt dicti *aſinarii*; ut indicat Tertullianus in Apolog. cap. XVI. Imò Chriſtus inde à quodam nebulone pictus auribus aſininis, pedum altero ungulato, librum geſtans, ac togatus, cum hujuſmodi inſcriptione, DEUS CHRISTIANORUM ONONYCHITES: ut ibidem legas, & adverſus Nationes lib. I, cap. XIV. Sed de extrema inſcriptionis voce non conſentiunt codices. In editis quidem eſt *ononychites*: ſed MSSi habent *onocholtes*, *ænocholtes*, *Onochoetes*, *onochoitis*, *onochorſitis*, *onoebotaſis*. *Onocorſites*, propter Vaticanorum codd. auctoritatem, in quibus ita perſcriptum, comprobat ſocer meus Franciſcus Junius: ut ſit ἀπὸ τῆς τοῦ ὄνου κόρσης, *ab aſinino capite*. Jacobus Gothofredus I.C. *onochoetes*, quaſi dicas, τοῦ ὄνου χοητής, *aſini ſacerdos*, voce ex eo ficta; quòd χοαὶ ſint *ſacrificia*. Nic. Rigaltius prætulit ὀνοχοίτης, hoc eſt, *aſinina proſapia*. Alii item aliud excogitarunt. Hæc de aſini cultu.

Quod verò ſuem quoque coluiſſe Judæi dicuntur; id, puto, inde ortum, quòd Judæi porcinâ abſtinerent. Nempe ita colligebant gentiles, cum Judæis eſſe comparatum, uti cum Ægyptiis; qui, quæ animalia adorarent, ea minimè comederent. Sed ſi, quia Judæi non veſcerentur ſue, eò pro numine eam coluiſſe exiſtimandi: idem dicendum ſit aliis de multis animantibus, quibus itidem iis lege fuerat interdictum.

Verum forſan, eam eſſe cultam à Cretenſibus. De quo ſic Athenæus lib. IX: ἱερὸν ἐστι τὸ ζῶον παρὰ Κρησίν, *ſacrum eſt hoc animal Cretenſibus.* Ac deinde: διὸ πάντες τὸ ζῶον τοῦτο σέβασμιον ἡγοῦνται. *propterea omnes animal hoc cenſent ſumma veneratione dignum.* Addit & carne ſuillâ abſtinere. Interim, ſi non aliud argumentum erat, unde religioſè eum coli Cretenſibus colligerent: ſanè nihil de veritate hujus rei ſpondere auſim. Neque Athenæus, ſive apud eum Agathocles, aliud dicit, quàm Cretenſes eſſe ſuem veneratos. Atqui non ſolùm Deos, ſed eorum quoque ſymbola, venerabantur gentiles.

Etiam in Ægyptiis ad Pithecuſios pervénit ſimiarum cultus: qui proprius quidem vulgo; prudentioribus, credo, nonniſi ſymbolicus fuit. Cognoſcere hoc eſt è vigeſimo Diodori: qui clarè quidem ait, habitas ab iis pro Diis: verùm addit, ad modum, quo canes ab Ægyptiis: at qualis fuerit veneratio canis apud Ægyptios, antea vidimus. Verba Diodori ſunt ejuſmodi: Τὰς αὐτὰς οἰκίας οἱ πίθηκοι κατῴκουν τοῖς ἀνθρώποις, θεοὶ παρ᾽ αὐτοῖς νομιζόμενοι, καθάπερ παρ᾽ Αἰγυπτίοις οἱ κύνες. ἐκ δὲ τῶν παρεσκευασμένων ἐν τοῖς ταμιείοις τὰ ζῶα τὰς τροφὰς ἐλάμβανον ἀκωλύτως ὁπότε βούλοιτο. καὶ τὰς προσηγορίας δ᾽ ἐτίθεσαν οἱ γονεῖς τοῖς παισὶ κατὰ τὸ πλεῖστον ἀπὸ τῶν πιθήκων, ὥσπερ παρ᾽ ἡμῖν ἀπὸ τῶν θεῶν. τοῖς δ᾽ ἀποκτείνασι τοῦτο τὸ ζῶον, ὡς ἠσεβηκόσι τὰ μέγιστα, θάνατος ὥριστο πρόστιμον. διὸ δὴ καὶ παρά τισιν ἐπλεόναζεν ἐν παροιμίας μέρει λεγόμενον ἐπὶ τῶν ἀνατεινομένων, ὅτι πιθήκου αἷμα πεπώκασιν· *Eaſdem domus ſimiæ, quas homines, frequentant: & pro Diis habentur apud illos, ut, apud Ægyptios, canes. Paratos etiam in cellis penariis cibos, quando libet, nemine prohibente, hæ beſtiæ ſumunt; nominaque, ut plurimum, a ſimiis, ſicut apud nos à Diis, parentes liberis ſuis imponunt. Qui animal hoc interfecerint, in eos, ut nefariæ impietatis reos, ſupplicio capitis animadvertitur. Ideo apud nonnullos proverbii vicem obtinuit, quod in magnifice ſe efferentes dicitur, Simiæ cruorem bibiſti.*

In Orientali quoque India cercopithecus coli prædicatur. Atque hoc Balbus in Itinerario ſuo, quod Italicè ſcripſit, ex eo colligit, quòd itinere à Mecao ad Pegu inter idola, quæ *Pagodi* Indis vocantur, repererit multa cercopithecorum ſimulachra: ac circa templa, quæ iiſdem *Varrelle* nuncupantur, cercopitheci ſerventur alligati. Divinum autem honorem promereri creduntur, quòd uſque adeo homini, præcipuè manuum ac pedum ratione, ſimiles ſint. Maffæus quoque in primo Hiſtoriæ Indicæ commemorat fanum pulcherrimum ſimiæ dicatum. Ac Joannes Hugo Linſchotanus narrat, ut Luſitani anno CIƆ IƆ LIV, capta inſula Seylon, non contenti eam vaſtaſſe, etiam templum in vertice *Pico d'Adam*, ſive montis Adami, ſpoliare propoſuerint: ſed nihil reperierint præter ciſtulam auro gemmiſque inſignem, in qua ſimiæ dens

aſſervaretur: hunc igitur abſtuliſſe, magno cum dolore regulorum ejus loci: emiſſóſque ab iis legatos, qui Luſitanis prodente eo offerrent ſeptingenta ducatorum millia: nec abhorruiſſe ab venditione Luſitanos: ſed diſſuaſum id iis ab epiſcopo ſuo Gaſparo; qui nefarium ajebat, hoc pacto ſovere horrendam Indorum idololatriam: eoque dentem eum cremaſſe, ac cineres projeciſſe in fluctus marinos.

Etiam bovis cultus ab Ægyptiis ad Indos dimanavit. De quibus hunc in modum Scaliger adverſus Cardanum Exercit. CCLVIII, ſect. 1: *Quemadmodum Iſis olim ab Ægyptiis; ita nunc ab Indis, qui Cuchin regnum incolunt, Bos peculiari cultu pro Deo habetur, & nuncupatur Tambaran. Cui veteri cultui novus hic ut reſpondet: ita priſcum Græcorum inſtitutum novi memoriâ repræſentatur in Coloim; quæ ab illis locis haut multum diſtat orientem verſus. Ibi namque oleo perunĉti palæſtris exercentur.* Sed ad antiquos ſcriptores, & idololatras, redeamus.

Muſtelas coluere Thebani, quia Galanthis, quæ in muſtelam converſa, Alcmenæ parturienti opem tulerit. Fabulam narrat Ovid. lib. IX Metamorph. *a* Deque hoc cultu ejus religioſo etiam Ælianus tradit lib. XII de Anim. cap. V; ubi & eandem adducit cauſſam. Nihil igitur affinxit Thebanis Clemens Alexandrinus in Προτρεπτικῷ: ubi idem de ridiculo hoc Thebanorum cultu legas. Atque addit Clemens, etiam Samiis oves cultas. Fortaſſe tamen nec iſti coluere eas, ut Deos; ſed tantummodo honorarunt, ut anathemata. Nam Ælianus lib. XII Hiſt. Animal. cap. XL, ſic ex Ariſtotele ſcribit: Σαμίοις χρυσίον (ἱερὸν) κλαπὲν πρόβατον ἀνεῦρε, καὶ ἐντεῦθεν Μανδραβόλος ὁ Σάμιος τῇ Ἥρᾳ πρόβατον ἀνάθημα ἀνῆψε. *Samiis aurum* (ſacrum) *furto ſublatum ovis invenit. Quare Mandrabolus Samius Junoni ovem conſecravit.* Sanè anathemata, Diiſque ſacrata, non habentur pro Diis ipſis. Narrat autem Ælianus ibidem, ex Polemone, Delphis lupum coli (τιμᾶσθαι ſimpliciter ait:) idque quia indicium ſacri fecerit auri furto ſurrepti, inque Parnaſſo defoſſi. Item ut Ambraciotæ honorent leænam, velut vindicem ſuæ libertatis. Nam, qui tyrannidem apud illos invaſerat, leænæ catulis ſuis cinctæ obviam factus, ab ea eſt diſcerptus: ut inibi Ælianus reſtatur. Eoque reſpexit Ovidius in Ibin:

> *Fata tibi occurrat patrio popularis in arvo,*
> *Sitque Paphagea cauſſa leæna necis.*

Ubi tyranno nomen facit Paphages: niſi is Phayllus; eoque *Phayllea* reſcribendum: quod Janus Parrhaſius *b* cenſet. Porrò hic quoque Ælianus de Ambraciotis dicere eſt contentus, τιμῶσι *c*: etſi Gillius reddiderit, *ſummâ religione colunt.* Interim Gillio favet Clemens Alexandr. qui in Protreptico, ut dixi, tradit, oves pro numine habitas à Samiis, item muſtelas à Thebanis. Ubi de Ambraciotis quidem nihil: ſed cùm Ælianus jungat Ambraciotas, & Samios; idem honoris genus utrobique intelligendum videtur. Et, credo, ſapientes ovem, lupum, leænam, ut anathema, honorarunt: vulgus inſipiens coluit, ut numina. Nec enim video, ut aliter ſua conſtare fides poſſit Clementi. Vel putandum, Clementi impoſuiſſe Græcos ipſos: qui per calumniam iſta de aliis prodidiſſent. Idem dixero, tum de terreſtri echino; quem tota Zoroaſtris ſchola imprimis venerata; ut refert Plutarchus lib. IV Sympoſiacôn quæſt. V: tum de muribus religioſè cultis; de quibus illud apud Philaſtrium *d* legere eſt, *Muſoritæ ſunt quidam nomine, qui ſorices colunt.* Hoc abſurdum primâ facie videatur; quia, Magorum judicio, mures ſint inviſi Deo: ut eſt apud Plutarchum περὶ φθόνου καὶ μίσους, & in Sympoſiacis lib. IV, quæſt. V. Sed non omnem gentium religionem metiri convenit ex Magis. Conſtat enim, mures Troadis incolis magno fuiſſe in honore, quia in bello hoſtilium arcuum nervos corrodendo corrupiſſent: ut eſt apud Ariſtotelem in ſecundo Rhetoricorum. Mures item ſacri Tenediis, teſte Heraclide Pontico *e*. Verùm & alias cultus ejuſce cauſſas refert Ælianus lib. XII de Animalibus, cap. V. Nec propterea cenſeo, habuiſſe eos pro Diis; ſed animalculis Apollini gratis: qui cum Troadis incolis ſaventior foret, per eos arma hoſtium corruperit. Itaque Apollinem ipſum hinc vocarunt μυοκτόνον, quaſi dicas, per mures interfectorem; ut eſt apud Euſtathium in Iliad. A. Item inde *Sminthea* dixere ἀπὸ τῶν σμίνθων. Sic enim mures genti illi vocabantur. Plura de hoc diximus Oratoriarum Inſtitut. lib. III, cap. II, ſect. II.

a Fab. 6.

b Epiſt. 8. quæ ad Bartholom. Latomicum.

c Honorant.

d Catal. hæret.

e Lud. Nonius in Græcia p. 244. c.

Cap. LXXVI.

Acceditur ad aves, ac primò ad aquilam, avium reginam: quæ, ridiculâ quorundam opinione, eò cum trochilo certamen habet, quia & is rex nominetur. Trochili ſollertia. In Scripturis ſacris aquila ſymbolum regis. Cur ea Iovis armigera ſtatuatur à poëtis. Uſus ejus in auguriis gentium, & conſecrationibus Cæſarum, & quid in ſomniis deſignet. Cur effingatur regiis, & triumphantium inſidens ſceptris. Sua legioni cuique aquila. Sed primitus legionis etiam ſigna fuere lupus, ſus, minotaurus; & quid iis ſignificatum: item equus, aper. Primus C. Marius, rejectis ſignorum aliis, legionibus aquilam dicavit. Lucani locus expenſus. Quid aquilâ bicipiti ſignificatum. De aquilæ magnitudine, robore, velocitate.

A Quadrupedibus nunc gradum capeſſo ad aves: quarum rex *a* eſt aquila: quamquam & nomen id trochilo ſit attributum. Imò Ariſtoteles lib. IX Hiſt. Animal. cap. XI refert, vulgò fuiſſe perſuaſum, aquilæ eò cum hac avicula eſſe certamen, quia καλεῖται πρέσβυς, καὶ βασιλεύς, *vocatur ſenator, & rex.* Sed ridiculum eſt putare, aquilam ſcire, *regis* nomine vocari trochilum ab hominibus Græcis; ac propterea credere, aviculam illum regnum affectare. Nec ſanè id nominis convenit trochilo. Solùm enim laudari meretur, quòd ſit εὐβίοτος, ſeu *boni victus*: quodque imbecillitatis ſibi conſcius, lateat inter ſrutera. Hoc enim τεχνικὸν, ſive *ſollertem*, arguit; ut ibidem ait Ariſtoteles. Sola igitur aquila eſto ἀρχὸς οἰωνῶν, *princeps avium*, ut Pindarus vocat Iſthm. od. VI: ſive οἰωνῶν βασιλεὺς, *avium rex*, ut idem nuncupat in Olymp. Ipſeque Pindarus propterea ſe *aquilam*, ut lyricorum principem; æmulum ſuum, Bacchylidem, *graculum*, nuncupabat. Imò in Scripturis ipſis aquila ſymbolum eſt regis: ut cùm, per aquilas duas, Nabuchodonoſor, Chaldæorum rex potentiſſimus, & Pharao Ægyptius, intelliguntur, apud Ezechielem cap. XVII. Ob hancce aquilæ excellentiam, Iovi eam, ut ſummo Deorum, dicarunt: imò ejus dixere armigeram; unde fulmen triſulcum pedibus geſtantem fingunt. In auguriis quoque illi attributus eſt principatus. Ac jam Homericâ ætate, ſi à dextra alis expanſis perſtrepuiſſet; boni ominis putatum. Eadem Tarquinio Priſco imperium, Alexandro M. victoriam: at Tarquinio Superbo, & Dionyſio Siculo, imperii amiſſionem dicitur portendiſſe. Etiam Iovis hanc alitem aliis prætulere in imperatoribus conſecrandis. Nam, ut eſt apud Herodianum lib. IV, ſimulac rogo ſubjicerent ignem, aquila ſoluta è rogo petebat æthera, quæ in cælum animam deferre imperatoris credebatur. Atque idem Dioni traditum lib. LVI; ubi de funere agit Auguſti. Ac propterea in nummis vett. certas parte unâ effigiem imperatoris; alterâ aquilam, cui inſideat imperator: inſcriptioque eſt ejuſmodi; CONSECRATIO. S.C. Unde liquet, cur ſomniorum interpretes putatint, regibus hoc, & viris principibus, mortem portendere, ſi ſomniarint, ſe aquilâ vehi: ut videre eſt Artemidori lib. II, cap. XX. Et hæc ſacra ſpectant gentilium.

Præterea, ob eandem cauſſam, figurâ ejus ſignificarunt imperii potentiam, ac majeſtatem. Quippe hinc alitem eam effinxere inſidentem ſceptris regiis *b*; uti & eburnis apud Romanos triumphantium ſcipionibus: unde Juvenalis ſat. X:

> *Da nunc & volucrem, ſceptro quæ ſurgit eburno.*

a Rex Græcis, quibus dicitur ὁ αἰετὸς: ſed regina Latinis, quia aquila eſt muliebris generis.

b Dionyſius lib. 3. Livius l. 9. Plutarchus in Romulo.

Pru-

Prudentii quoque eſt περὶ στεφάνων:

Aquila ex eburno ſumit arrogantiam
Geſtator ejus.

Et adverſus Symmachum lib. I:

Poſt trabeas, & eburnam aquilam, ſellamque curulem.

Eâdem de cauſſâ Romanis in primâ legionis cohorte (ſatis notum, decem *a* in legione quaque fuiſſe cohortes, quarum ſingulæ, cùm legio ſex millium foret, ſexcentos pedites complecterentur) pro ſigno erat aquila; cujus cuſtodia erat penes primipilum, ſive primum triariorum centurionem: quem ad honorem fere è primo principe; uti ad primum principum centurionem à primo haſtato, pertingebant. Aquilæ hujus ſeſe expandentis effigies, haſtæ præpilatæ ſuffixa, geſtabatur in acie. Primitus quidem hoc primum legionis ſignum variabat. Nam interdum erat lupus: atque hoc in honorem lupæ, quæ Romulum & Remum, Urbis conditores, aluiſſet. Interdum ſus; ut in quinctâ legione; quoniam, ut Feſtus tradit, bella omnia gerantur propter pacem; cujus conditiones, porcâ cæsâ, iniri ſolent. Interdum Minotaurus; quia, ut hic in labyrintho latuit, ita ducum militarium conſilia cunctos debeant latere. Auctor Feſtus, & Vegetius lib. III. Primus autem C. Marius, is qui ſepties conſul fuit, rejectis ſignorum aliis, in quibus & equus, & aper, aquilam legionibus dicavit; Plinio teſte, lib. X, cap. IV. Quot igitur aquilæ, tot legiones. Incauteque Lucanus lib. I:

a L. Cincius apud Agell. lib. 16. cap. 4.

Ut notæ fulſere aquilæ, Romanaque ſigna.

Nam cùm Cæſar Ariminum caperet, una ſolùm ei legio aderat. Niſi poëtam per συνεκδοχὴν numeri malis excuſare. In nummo veteri videas aquilam bicipitem, argumentum legionum duarum in unam coalitarum.

Nec cum Herodes M. majori portæ templi à ſe exſtructi aquilam impoſuit auream, aliud voluit exhibere, quàm ſymbolum Romani imperii: nempe quia Judæa eſſet in provinciam redacta, & à Romanis ipſe imperium accepiſſet. Sed Judæi quidam adoleſcentes, à magiſtris ſuis impulſi, eam detraxere; quia Moſaicæ legi adverſatur muti animantis conſecratio. Vide Fl. Joſephum lib. XVII Antiq. Jud. cap. VIII, & lib. I belli Judaici, cap. XXI.

Poſterioribus verò temporibus biceps aquila ſignum fuit diviſi Romanorum imperii in Orientale, & Occidentale: quod non, uti Wolphangus Lazius putabat, jam ætate contigit Conſtantini Magni; qui imperium quidem tranſtulit Byzantium; ſed ſic, unum ut eſſe imperium perſiſteret: nec demum imperante Karolo Magno; hanc licet opinionem etiam ſecutus Ulyſſes Aldrovandus in primo Ornithologiæ *b*: ſed à temporibus Honorii, & Arcadii: quorum culpâ imperium ita debilitatum, ut intra ſeculum in Occidente ſub Momyllo ſit Auguſtulo amiſſum: nec niſi trecentos poſt annos, & viginti quatuor, inſtauratum ſub Karolo M. Nec Romani ſolùm imperii, ſed multorum etiam regum, ac principum, aquila ſignum fuit gentilitium: nempe illum ad modum, quo Aventino, Herculis proli, gentis ſuæ inſigne erat hydra ſerpentibus cincta: ut poëta ait VII Æneid.

b Pag. 92.

—— *Clypeoque inſigne parentum*
Centum angues, cinctamque gerit ſerpentibus hydram.

Ubi etiam videmus, clypeo fuiſſe inſignia inciſa. Qui mos, & vetus, & poſtea diu permanſit. Inde etiam clypeo nomen putatur: nempe ἀπὸ τοῦ γλύφειν, quod eſt *ſculpere, cælare*. Hodieque ab iſto more inſigne gentilicium *armorum c* nomine nuncupatur.

c Germanis enim wapen.

Cauſſam aquilæ tantopere celebratæ in quatuor iſtis ſtatuimus: primùm magnitudine corporis cum ſummo robore conjunctâ: hinc volatu ſublimi ac celeri: tum acrimoniâ viſus: præterea prudentiâ, & animi magnitudine. Dicemus ordine de ſingulis.

Magnitudinem quod attinet, Athenæus in V Dipnoſoph. refert, in pompa Ptolomæi Philadelphi viginti fuiſſe aquilas cubitalis magnitudinis. Geſnerus narrat, inter Miſnam, & Dreſdam, Germaniæ urbes, viſos in nido, tres panulas ſuper quercus expanſo, pullos totidem; quorum maximus, cum alas extenderet, iis adæquaret ſeptem ulnarum menſuram.

Robore eſt ingenti: ad quod plurimùm conferunt roſtrum aduncum, & ungues incurvi; quales etiam inter quadrupedes leoni. Præcipuè autem hoc robur ei eſt à nervis; non carne, quæ pro corpore ei non adeò multa eſt: interea & hæc pondus addit.

Roboris hujus argumentum habemus, quòd non oves ſolùm; ſed etiam cuſtodes earum canes, dilaniat. Serpentes quoque vincit: de quo ſic, præter alios B. Ambroſius lib. de Salomone, cap. II: *Avis iſta inimica ſerpentum eſt: quos cum in aëre, alarum remigio ſubvectando, ſupportat, hos obunco roſtro, & armatis quaſi quibuſdam telis, pedibus ſuis lacerat ac divellit: quos cum devorat, calore ſuo interno noxium illud virus extinguit.* Nec modò ſerpentium minores; ſed dracones ipſos, vincit, necatque. Unde Horat. lib. IV, od. IV:

—— *Mox in ovilia*
Demiſit hoſtem vividus impetus:
Mox in reluctantes dracones
Egit amor dapis, atque pugnæ.

Quin & cum cervis, & ipſis tauris, eſt iis certamen. Qua de re dicam inferiùs, cùm ſagacitatem ejuſdem in hac pugna exponam.

Etiam roboris eſt argumentum, quòd longiſſimo tempore, per terrarum ac marium tractus volans, jejunium toleret: ſiti verò ne tentari quidem videatur. Saltem aquâ abſtinet: ac ſanguis ei animantium ſufficit, quem ſorbillat. Quod & Jobus ſignificat cap. XXXIX, 30: *Pulli ejus lambunt ſanguinem.* In ſenectute tamen roſtrum adeò incurvatur, ut cibum capere non poſſit: ſed potu aliquantiſper ſuſtinet vitam: unde proverbium *a*, *Aquilæ ſenectus*. Quandoque tum partem roſtri ad petram illidit, atque ita edendi uſum, & cum eo vires *b* recuperat. Aliud etiam, quo ſenectuti occurrat, habet. Flante auſtro, qui ventus eſt calidus, in ſublime evolans, agitatione iſtâ, & ſimul Solis radiis, incaleſcit: unde, poris laxatis, veteres excidunt pennæ, novæque ſuccreſcunt *c*. Ita rejuveneſcit. Itaque de aquila capiunt illud Jobi cap. XXXIX, 19: *Nunquid per ſapientiam tuam plumeſcet accipiter, expandens alas ſuas ad auſtrum?* Eſt & Pſaltæ divini in CIII: *Renovabitur, ut aquilæ, juventus tua.* Quod tamen hunc in modum ſimpliciter poſſis interpretari: Recuperabis vires, ſic ut aquilæ referas juventutem. Et profectò, quàm parum illud eſt veriſimile, alitem, imò animal ullum, rejuveneſcere! Nec enim in homine modò, pro juventute *annos meliores*, cùm M. Seneca *d*; *bonam ætatem*, cum M. Tullio *e*; pro ſenectute *malam ætatem*, cum Afranio *f*, & Plauto *g*, rectè dixeris; imò & Salomone *h*, qui *diebus juventutis* opponit *dies malos*: ſed in omni omnium animantium ætate, locum habet illud poëtæ Sulmonenſis *i*:

a Terent. Heaut. Act. 3. ſc. 2.
b B. Auguſtinus in pſal. 102.
c Albertus M. lib. 23. de Animal.
d Lib. 1. Controverſ.
e Lib. de Senectute.
f Apud Nonium in Senium.
g Aulul. act. 1 ſc. 1. & Rudent. act. 2. ſc. 3.
h Eccleſ. 12. 3.
i Lib. 3. de Arte.

Non bona tam ſequitur, quàm bona prima fuit.

Credo autem, opinio hæc inde fluxerit, quòd aquila, ut ait Euthymius Zigabenus, ſæpius, ſuis pennis excuſſis, recipiat novas. Unde fortaſſis Michæas cap. I, 15: *Dilata calvitium tuum, ſicut aquila.* Eodem referunt hæc Jeſaiæ verba cap. XL, 31: *Aſſument pennas, ut aquilæ.* Quod LXX reddidere, πτεροφυήσουσιν ὡς ἀετοί. Mirum, quod R. David ad locum illum adnotavit ex R. Rahadia, aquilam, decimo quoque anno uſque ad centeſimum, evolare, donec ad elementaris pervenerit ignis regionem: hinc æſtuare vi caloris: tum in mare ſe dare præcipitem: exinde, rejectis veteribus plumis, ſuccedere novas. Quæ planè cenſeo fabuloſa. Non valde tamen abludunt ab iſtis, quæ tradidit Græcus pſalmorum interpres: ex quo iſta Antonius Agellius, Epiſcopus Acernenſis, adducit *k*: Ὁ ἀετὸς κατὰ φ' ἔτη ἀνακαινίζεται· καυματωθεὶς ὑπὸ τοῦ ἡλίου, καὶ καταδυόμενος εἰς πηγὴν ὕδατος, πάλιν νέος εὑρίσκεται. *Aquila quingenteſimo quoque anno renovatur; aduſta à Sole, & merſa in fontem aquæ, juvenis iterum reperitur.* Ubi pro φ', hoc eſt, *quingenteſimo*, ρ', hoc eſt, cen-

k In pſalmorum commentariis, ad hunc locum.

centeſimum, ſcribi oportere, facilè credo eidem Agellio. Sed ridiculum eſt putare, aquilam evolare in tantum, ut Solis uratur radiis. Nam proximè terras aër eſt calidior, propter radiorum refractiones: ubi autem hi deſinunt refringi, idem frigidior eſt. Quare tale de iſto judicium eſto, quale de alis Icari liquefactis, quòd nimis ſe à terris extuliſſet. Hujuſmodi enim appoſitè auriculis vulgi occinas; cui ſæpius ſe accommodant poëtæ: non eorum, qui philoſophantur ſeriò.

Volatus quoque aquilæ maximè ſublimis eſt, & velox. Nam in nubes ſe extollit; unde proverbium, *αἰετὸς ἐν νεφέλαις* a, *aquila in nubibus*. Hinc & Homero Il. x dicitur *ὑψιπέτης*, *altivolans*. Nidos quoque in celſis extruit arboribus, aut rupibus: partim nempe, ne pulli ab avibus lædantur minoribus; partim ne de præda ſit concertatio. Hinc Job. xxxix, 30: *Nunquid ad præceptum tuum elevabitur aquila, & in arduis ponet nidum ſuum? In petris manet, & in præruptis ſilicibus commoratur, atque inacceſſis rupibus.* Et Hieremias cap. xlix, 16: *Si elevaveris, ut aquila, nidum tuum, inde detraham te.* Ac ſimilis eſt locus Abdiæ verſ. 4. Nec altè modò volat, ſed etiam celeriter: unde idem Jobus ix, 26. *Sicut aquila, quæ volat ad eſcam.* Sanè, ut Tullius ait in ii de Divinat. *Iſtâ avi volat nulla vehementior.* Et Appulejus lib. i Flor. *In prædam ſupernè ſeſe ruit fulminis vice.* Hinc, *velociores aquilis*, *ὑπὲρ ἀετοὺς κοῦφοι* ii Reg. i, 23, Jerem. iv, 13, & Thren. iv, 19.

a *Ariſtophanes Equit.*

Quia verò nulla avium ſublimiùs ſe effert aquilâ; inde Joannes Euangeliſta, qui altiùs prioribus volans, à divinitate Chriſti orſus eſt, huic aliti comparatur: ut ait B. Auguſtinus prolegomenis in hunc Euangeliſtam, item in eum ſermone xxxiv, & lib. i de conſenſu iv Euangeliſtarum. Atque hinc Sedulius extremo libro primo operis Paſchalis:

More volans aquilæ verbo petit aſtra Joannes.

Quamquam & hic viſus acumen, de quo poſtea dicam, attendere licet: quia magis intuitus ſit divinam τοῦ *Λόγου* b naturam: cujus generatio tranſcendit hominum mentes: unde & Gregorius Nazianzenus orat. vi de Spiritu S. ei accommodat, quod Salomo ait cap. xxx, 19. volatum aquilæ cognoſci poſſe à nemine: nempe quia uſque adeò ſit ſublimis.

b *Verbi, ſive Sermonis.*

Cap. LXXVII.

Quàm acutè cernat aquila. Quomodo ad Solem ſuos exploret pullos. Sed id haliaeti proprium videri. Quo fati genere Æſchylus perierit. Aquilam, ut ajunt, non poſſe rectâ intueri lunam plenam. Prudentia ejus aliis in certamine cum tauro, cervo, & dracone. Quandoque tamen una cum dracone perire. Proverbium, Aquila non capiat muſcas. *Et alterum*, Aquilam irritat cornix. *Naſum aquilinum, & oculos χαροπούς, in hominibus etiam haberi argumentum animi generoſi. Aquila quàm ſalax, quàm item fœcunda. Fabulam videri de ſeptem pullis à C. Mario in nido inventis aquilino. An juſtitiæ, temperantiæ, vel liberalitatis ſit, quòd aquila avibus aliis portionem prædæ relinquat. Aquilæ erga pullos amor etiam ſacris celebratus literis. Cur vix ternos educare pullos valeat. Qui ἴξαιμοι dicantur. Uſus aquilarum pellis, ac linguæ. Cur aquilæ eſu Deus interdixerit populo ſuo. Falſum videri, quod ajunt, ſi aquilinis pennis miſceas anſerinas, has ab iis abſumi. Uti nec verum, pelles ovillas ſi lupinis miſceantur, amittere lanam; atque id durantis à morte hoſtilitatis eſſe argumentum. In Alberto M. ſedulò attendendum, ne cuncta ab eo aquilæ attributa, huic putemus aliti convenire, quia quandoque eam cum vulture confundat.*

JAm ad ſenſus veniamus. Si viſum attendas, ajunt aquilam, ut Homerus inquit Iliad. ρ a,

Ὀξύτατον δέρκεσθαι ὑπουρανίων πετεηνῶν·
Acutiſſimè cernere aeriarum volucrum.

a *Verſ. 675.*

Subjungit continuò, in ſublime evectam etiam conſpicere leporem ſub fruticibus latentem. Quem locum Plutarchus quoque adducit in Homeri vita. Ac de lepore idem eſt apud Ariſtotelem lib. ix de Animal. cap. xxxii. Imò & piſciculos videt in æquore natantes, etiam cùm in tantum ſubvecta, ut oculos propè fruſtretur humanos. Meritò igitur Jobus cap. xxxix, 27, 28, 29, perſpicacem aquilarum viſum inde commendat, quòd cùm in rupibus altiſſimis ſuos faciant nidos, inde etiam contemplentur eſcam ſuam. Seneca idcirco in ſecundo de beneficiis vocat *luminis felicem*. Et Horatii eſt lib. i, Sat. iii:

—— *Tam cernis acutum,*
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurius. ——

Etiam à veteribus proditum eſt, ad Solis radios minimè connivere; pulloſque ſuos admovere ad Solare lumen: quod ſi valeant perferre, habere eos pro genuinis; ſin ſecus, rejicere, ut adulterinos. Unde Lucanus in ix:

Utque Jovis volucer, calido cum protulit ovo
Implumes natos, Solis convertit in ortus:
Qui potuere pati radios, & lumine recto
Suſtinuere diem cæli, ſervantur in uſus:
Qui Phœbo ceſſere, jacent.

Item Silius de ea in x:

Obverſam ſpectans ora ad Phaëtontia prolem,
Explorat dubios Phœbeâ lampade natos.

Fuſiuſque idem refert Claudianus præfatione in iii Honorii Auguſti conſulatum. Et ne poëtis inſiſtam, ſimiliter Ælianus lib. ii de Animal. cap. xxvi. E noſtris non ineleganter B. Ambroſius libro de Salomone cap. ii: *Aquila cùm primùm calidis ovis maturo ortu fœtus eruperit interior, pullos educit implumes: hos contra faciem fervidi Solis opponit; ut qui ægram & invalidam coruſco radiorum appulſu aciem ſubmiſerit oculorum, materno damnatus arbitrio, & à fratrum conſortio ſeparetur, & dejiciatur in terram.* Ac ſimiliter B. Auguſtinus tractat. xxxvi in Joannem. Porrò quod de exploratione hac fœtus diximus, hoc Ariſtoteles imprimis tribuit haliæeto: nempe quia id genus imprimis eſt incertum de prole. Nam, ut Plinius ait lib. x, cap. iii: *Haliaeti ſuum genus non habent; ſed ex diverſo aquilarum coitu naſcuntur. Id quidem, quod ex iis natum eſt, in oſſifragis genus habet: è quibus vultures progenerantur minores, & ex iis magni, qui omnino non generant.* Hanc Latinè reddas *aquilam marinam*: nempe quia volucres venetur marinas ac paluſtres. Maro ſive alius in Ciri ait, Niſum, regem Megarenſem, in avem hanc converſum. *Niſi* autem vocabulum ab Oriente. Nam Chaldæis נץ, nets, *aquila, accipiter, haliæetus*, à נצא, *volavit*. Thren. iv, 15.

Utcunque autem acutè cernat aquila, eſt tamen cùm erret. Atque utinam non ſic viſu peccâſſet, quando nobis Æſchylum poëtam perdidit. Nam calvum ejus caput conſpicata, exiſtimavit eſſe ſaxum albicans: eoque, ex more, demiſit teſtudinem, ut allideret, frangeretque, quò carne veſceretur. Hinc Sotades:

Αἰσχύλῳ γράφοντι ἐπιπέπτωκε χελώνη.
Æſchylo ſcribenti ſupercidit teſtudo.

Meminit quoque Ariſtophanes in Ranis. Imprimis adi Valerium Max. lib. ix, cap. xii, Plin. lib. x, cap. iii, Ælianum lib. vii de Anim. cap. xvi, & Suidam in Αἰσχύλος.

Mirum verò avem, quæ oculorum aciem adverſus Solis radios intendit: hanc, ut ajunt, nictare adverſus plenæ Lunæ fulgorem. Sed de iſto judicium meliùs facient, qui aquilam alunt. His enim facile ſit eam noctu conſtituere oculis adverſus Lunam directis. At in cæteris id obſervare qui poſſis, cùm ex rapto vivant: quales de die ſolùm volant?

Hæc de oculorum acie dicta ſunt. Ab ea accedo ad illam quaſi mentis aciem, quæ prudentia dicitur. Eâ quantum valeat aquila, non obſcurè elucet è pugna ejus cum tauro, cervo, & dracone. Tauro in cervicem involat, & roſtro acriter pungit: ubi etiam ad loca deveniſſe declivia obſervat, oculis faceſſit moleſtiam; donec nihil proſpectantem

tem agat præcipitem, ac ſic potiatur prædâ; teſte Æliano lib. II de Animal. cap. XXXIX. Ac ſimiliter cervis, ut Plinius ait lib. X, cap. IV, *multum pulverem volutatu collectum, inſidens ipſorum cornibus, excutit in oculos, ejus ora pennis verberans, donec in rupes præcipitet.* Idem, ut Ovidius ait IV Metamorph.

—— Vacuo cùm vidit in arvo
Præbentem Phœbo liventia terga draconem;
Occupat adverſum: neu ſæva retorqueat ora;
Squamigeris avidos figit cervicibus ungues.

De hac cum dracone pugna vide & Homerum Iliad. M, & Nicandrum in Theriacis: cujus poëtæ Græci verſus cum Ulyſſes Aldrovandus *a* reperiſſet tum proſâ, tum carmine redditos: geminum ejuſdem poëtæ opus perperam, penè dixerim ridiculè, putavit. Adi & è Latinis Ciceronem in fragmento è Mario ſuo, quod habes in primo de Divinat. Virgilium XI Æn. Plinium lib. II, cap. XXXIX: ubi docet, pugnam hanc non ſemper aquilæ feliciter cedere: quia draco quandoque aquilæ, à qua raptus, *multiplici nexu alas ligat, ita ſe implicans, ut ſimul decidant.*

a *Lib. I. ornithologias. pag. 42.*

Nec in aquila ſolùm quandam videre eſt quaſi animi ſagacitatem; ſed magnitudinem quoque. Unde eſt, quòd muſcas indignam ſe prædam putet: quæ res proverbio fecit locum, Ἀετὸς οὐ θηρεύει μυίας· *aquila non captat muſcas.* Eadem provocata à cornice, in ſublime evolat, hac longè infra ſe relictâ. Unde alteri proverbio origo, de impari certamine, Ἀετὸν κορώνη ἐρεσχελεῖ· *aquilam ludificatur cornix.* Nec enim, quòd ſic ſeſe efferat in ſublime, timore cornicis facit; cùm neutiquam ignoret, quàm robore, pondere, impetu, antiſtet: ſed ſolâ animi magnitudine, quia cum cornice committi indignum putet. Interea tamen, ſi ea modum vexandi faciat nullum, tandem arreptam lacerat.

Cum autem non muſcas modò, ſed cornices etiam, inſuper habeat: contrà aggreditur cervos, tauros, dracones; ut antè vidimus. Ac illuſtre imprimis magnanimæ alitis, quamquam & pervicacis, exemplum nobis refert Jacobus Antonius Cortuſius, patricius Venetus, ac Patavini horti præfectus, epiſtolâ de dimicatione ſuâ cum aquila ad Ulyſſem Aldrovandum perſcriptâ, atque ab hoc libro duodecimo Ornithologias *b* inſertâ. Digna eſt hiſtoria, quæ conſulatur. Nil mirum igitur, ſi φυσιογνώμονες *c* eos, qui aquilino ſint naſo, generoſos eſſe ac magnanimos ſtatuant. Sane Cyri majoris, & tot aliis heroum exemplis, comprobatur, non id planè nihil eſſe, quod dicunt. Similiter alti animi, ac excelſi, indicium capere jubent, ſi oculi ſint ſimiles aquilinis: puta non glauci, ſed χαρωποί: hoc eſt, concavi, & profundi: item acres, quia in talibus magis colligitur vis viſiva. Atque iſtud in haliæeto imprimis elucet.

b P. 891.

c *Natura atque indoles humana judices ex corporis, ac præcipue vultus adſpectu.*

In aquila hoc etiam commendari ſolet, quòd alienâ abſtinet prædâ; nec veſcitur, niſi proprio partis labore. Id quoque magni eſſe animi argumentum putatur. Aliis tamen juſtitiæ, ac temperantiæ, potiùs videtur. Uti liberalitatis, quòd poſtquam explevit famem, reliquum aliis avium relinquat. Nec tamen id temperantiæ fuerit, ſi abſtineat eo, quod ſatias jam ceperit, vel illa gravi ſuo anhelitu corrupta contemnat: nec liberalitatis, ſi propterea, quòd aſpernetur, aliis relinquat; imò quibus ipſis quoque ea eſui inidonea ſint, ob halitus aquilini corruptelam; ut Ælianus *d* nobis teſtis eſt. Quare tum tantùm prodeſt, cùm prædam ob pondus nequit auferre; eoque avibus omnis prope generis magno numero circumvolantibus, & aliquid exſpectantibus prædæ, cedere parte cogitur intactâ.

d *Lib. 2. de Animal. c. 39.*

Diximus de iis, quæ inter aves principatum aquilæ contulerunt. Præterea autem commendatur, & fœcunditate, & amore in prolem, & uſu multiplici in medicina.

Ad primum quod attinet, non modò eſt ſalax admodum (nam femella vel decies ter de die à mare compreſſa, ſi ab eo revocetur, recurret: unde & Ægyptii *Venerem* vocarunt *a*) ſed etiam eodem tempore ternos producit fœtus. Nec obſtat, quòd ovis ſuis duos duntaxat pullos excludere, unumque educare; ſcripſerit Muſæus; teſte Ariſtotele lib. VI Hiſt. Anim. cap. VI. Nam & ternos educare, experientia comprobavit: ut Avicenna, & Geſnerus, teſtantur. Imò Mario puero ſeptem in nido pulli inventi dicuntur: ut eſt apud Plutarchum in ejus vita. Sed vel prodigioſus ille partus eſt habendus; vel etiam fabuloſus; ut Plutarchi quoque judicium eſt. Sanè, ut ternos etiam educent, eſt perrarum: cujus cauſſam mox adducam.

a *Orus lib. I, cap. 8. ubi tamen non deriv, ſive aquilam, nominis, ſed ἱέρακα ſive accipitrem. Verum, quia accipiter, aquilini eſt generis, confundi ea ſolent vocabula. Itaque & de aquila id referri videas ab Ulyſſe Aldrovando; qui avium iſtarum diſcrimen ſatis intellexit.*

Magnus item eſt aquilarum erga pullos amor; qui educatione eorum ſatis elucet. Unde Deus ipſe amorem ſuum erga Iſraëlitas cum aquilina comparat curâ erga pullos. Ut Exod. XIX, 4, *Quomodo portaverim vos ſuper alas aquilarum, & adſumſerim mihi.* Et Deut. XXXII, II: *Sicut aquila provocans ad volandum pullos ſuos, & ſuper eos volitans, expandit alas ſuas, & adſumſit eos, atque portavit in humeris.* Atque hæc imprimis in melanaëto videre eſt: imò & aliis, donec volandi poteſtas fiat. Neque obſtat, quòd dicuntur, utcunque tria excluſerint ova, raro ternos educare pullos. Nec enim odio id pullorum faciunt, uti vulgo exiſtimant: ſed quia ſubinde non ſufficiant educandis pluribus. Nam, ob calorem temperamenti, multo egent alimento; quo deſtituuntur, quando incubant ovis. Hinc illa diutina media, vel admodum frugalis victus. Quo ſic emaciantur, & langueſcunt, ut plumæ albeſcant, ungues invertantur. Itaque & poſtea diu haut ſatis idoneæ ſunt ad prædam: eoque vocantur ἐξάετοι, quaſi aquilas degeneres, ac vix jam aquilas dixeris.

Uſus aquilæ in vita eſt multiplex: ac primùm vivæ. Nam utuntur chryſaëto ad aucupium. Ob ferociam tamen vix docilis eſt. Itaque aucupes periti illas è nido auferunt adhuc tenellas, eoque diſciplinæ capaciores. Sed ſic quoque moleſtiæ aliquid faceſſunt. Nam quo ætas magis aggraveſcit, hoc manu difficiliùs geſtantur ob pondus.

A morte certiſſima eſt utilitas pellis. Hoc enim cum vulturina habet commune, quòd ad radicem plumarum, ob teneram lanuginem, plurimùm fovendo conducat ventriculo.

Alios etiam in medicina uſus, non illos magorum modò, quos finxere non ſine contemtu, & irriſu generis humani, ut Plinius *b* judicat; ſed alios etiam, partim veros, partim veriſimiles ſaltem, petere licebit ex libris medicis. De linguæ aquilinæ utilitate adverſus arteriæ aſperæ ac columellæ vitia, tuſſim item, ac difficultatem ſpirandi, adi Galenum lib. III Euporiſtôn, cap. XXXVII. Quantopere in collyriis juvet, idem docet lib. X de Simpl. cap. XIII, & de compoſitione ſecundùm locos lib. IV. Alia etiam apud Marcellum Empiricum, Serapionem, atque alios, reperias.

b *Lib. 37. cap. 9.*

Cum tam multa aquilam commendent; in lege tamen Moſaica *c* reponitur inter immunda: cujus cauſſa partim naturalis eſt, partim myſtica. Prior eſt, quia caro ejus ſit inſalubris. Nam difficulter concoquitur, excrementis abundat, & atrum gignit ſuccum. Poſterior eſt, quia ex rapto vivat. Voluit enim Deus eo hominem à rapinis deterrere. Quàm verò rapax ſit, oſtendit, quòd à junioribus refertur, in nidum unius illatas deprehenſum, anates trecentas, centum anſeres, quadraginta lepores, & multos piſces magnos. Videturque eo deteſtabilior aquilarum rapina, quia, præter morem avium aliarum, ex raptu viventium, ne illis quidem ſui generis abſtineat. Mirum verò, quod ajunt, hanc etiam vim plumis ineſſe aquilæ, ut ſi aliarum alitum miſceantur pennis, eas quaſi devorent. Unde non inſcitè cum his conferuntur bona iniquè parta, quæ ſi honeſtè acquiſitis miſceantur, hæc etiam conſumant. Theophylactus Simocatus problemate ſecundo conatur ejus rei cauſſam adferre. Sed longè eſt credibilius, non tam anſerinas ab aquilinis abſumi, quam ſic videri, quia aquilinæ magis durent. Nam ut non miſceas, ſed ſeorſum & has, & illas, colloces; durantibus aquilinis,

c *Lev. 11.*

jam in pulverem abierint anſerinæ. Cujus ratio eſt, quòd anſerinæ ſint multò humidiores, unde facilis putredo. Sic cadavera eorum, qui ſicci ſunt temperamenti tardiùs putreſcunt iſtis hominum pinguium. Similis error, cùm ajunt, pelles ovillas, lupinis miſtas, lanam amittere. Nam naturâ ſuâ duræ luporum pelles ſunt durabiliores mollibus ovium. Quare invalidum eſt argumentum, cum hinc poſt mortem durare inter eas animantes inimicitias ſive ἀντιπάθειαν volunt. At, inquiunt, & in fidibus chordæ ovillæ, miſtæ lupinis, vix ſonum edunt; imò rumpuntur: & tympana ex ovillâ pelle prope obmuteſcunt inter illa ex lupinâ. Neque hoc idoneum eſt hoſtilitatis argumentum. Nam quia lupi durior eſt pellis; eo lupinæ chordæ diutiùs durant: tympanaque ea ex pelle confecta, ſonum edunt longè clariorem. Quod & monitum eruditiſſimo Geſnero.

Multa etiam alia de aquilis miranda apud veteres, & juniores, legas. Interea, ut in rebus omnibus, ita hac etiam parte, opus judicio eſt: præſertim in Alberto M. qui, quod perperam in Ariſtotele culpat, ipſe committit; ut aquilam, & vulturem, ſæpius confundat. Falſus verò non paucos etiam feſellit juniorum: de quo nunc pluribus dicere non eſt animus. Jamdudum enim properat mens ad avium alias; de quibus ſolùm quaſi per ſaturam agemus; uti antea, poſt elephantum, & leonem, in quadrupedibus fecimus.

CAP. LXXVIII.

Acceditur ad aliarum avium conſiderationem; ſed quodammodo confuſaneam, & miſcellam. Ac primò aves variè diſtribuuntur. Primùm inde, quia quibusdam animantes ſunt pro cibo; quibuſdam plantæ. Priorum genus unum carnivorum, quales fere unguibus ſunt aduncis, quia magis hæ idoneæ ſint aliarum ad animantium prædam. Nec tamen eas vel ſolum, vel ſolas, carnibus veſci. Alterum genus, vel piſcibus, vel vermibus, vel culicibus gaudet. Mergi, *ac* frigillæ σπίνων. *Earum, quæ plantis veſcuntur, quibuſdam cibum eſſe ſemina, quibuſdam fruges, quibuſdam herbas.* Acanthidos, & carduelis *originatio. Altera diſtributio à locis, ubi victus ſtudent. Quædam enim terras amant, quædam ripas, vel litora, quædam etiam in aquis degunt. Prope aquas vivere fiſſipedes; in iis verò palmipedes: & ratio iſtius diſcriminis. Diviſio tertia in diurnas, & nocturnas. Ac aliunde etiam diſtribui poſſe, quaſi digito oſtenſum. Error veterum quorundam, dum vultures omnes eſſe feminas, & è vento concipere, arbitrantur. Refellitur quoque error eorum, qui ibin, & corvum, ore concipere exiſtimant: & à quo fonte hæc opinio profluxerit. Veſpertilio ſola avium vivipara, & fœtum ſuum lactans. Rectiuſne ea inter quadrupedes, an aves, referatur. Unde avis hæc dicatur Hebræis* Ataleph, *& quoddam locuſtæ genus Græcis* Ἀττέλαβος *nominetur. Macrobii lapſus. Ovumne prius, an gallina. Longis ovis, an rotundis, gignantur mares. Putaminis firmitas, colorque varius. Fœtus materies, & cibus, & unde cor. Fugacium fœcunditas. Cognatio earum cum piſcibus. Cur veſicâ careant. Utrùm ex aquis, an terra, ſint condita, ſecundùm Moſem.*

IN avium mirandis primo ſe loco offert tanta earum varietas. Unde & diverſimodè adeò dividi ſolent. Ariſtoteles in octavo hiſtoriæ de Animalibus, cap. III *a*, à victu hunc eas in modum diſpeſcit. Primùm quædam ſunt σαρκοφάγοι, *carnivoræ*; quales omnes ſunt γαμψώνυχοι, *uncungues*, ſive unguibus præditæ aduncis: ut, præter aquilam, etiam ſunt milvus, accipiter uterque, tam palumbarius, quàm fringillarius, oſſifraga, vultur, atque aliæ; quibus eò ungues aduncos divina tribuit ſapientia, ut magis eſſent idoneæ ad prædam. Nec tamen ſolis veſcuntur carnibus; cum quandoque glandes, vel poma, iis ſint pro cibo: nec ſolæ ſunt carnivoræ, cùm & alaudæ carnibus veſcantur; quas tamen rectos habere ungues, dubium non eſt. Etiam carnes edunt, ſi eas objeceris, anares, anſeres, ac gallinæ quoque; niſi dicere lubet, & harum ungues nonnihil incurvari. Sed & quædam γαμψώνυχοι *a* non ſunt carnivoræ: uti hirundo; quam propterea ipſe excepit Ariſtoteles. Itaque Cæſar Scaliger *b* ſcribere veritus non eſt, uncos hirundini ungues, quia non ſit ex rapacium genere, nulli eſſe uſui. Quaſi non aliis in rebus afferre queant utilitatem; uti avium iſtis, quæ ſic facilius quid apprehendunt, aut parieti, & ſimilibus, feliciùs adhærent.

a Sive cap. 6. ex diſt. Cæſ. Scal.

a Uncungula.

b Adverſ. Card. Exercitat. 227.

Proximæ carnivoris ἰχθυοφάγοι *piſcivoræ*: ut mergus, qui & diu, & profundè, ſe aquis immergit, atque indè *mergi* eſt nomen ſortitus. De hoc Cæſar Scaliger *c* narrat, vidiſſe ſe, qui integram ventriculo anguillam contineret.

c In Ariſt. Hiſt. Animal. lib 8. ſect. 77.

Aliæ verò aves ſunt σκωληκοφάγοι, *vermivoræ*: ut paſſer, ficedula, & ſimiles; in iis σπίζα; quam Ariſtoteles in nono Hiſt. de Anim. ait, æſtate tepidis, hieme frigidis locis degere; unde non injuriâ Cæſar Scaliger arbitratur, hanc eſſe, quam *fringillam* à frigore dictam Feſtus *d* tradidit. Et ſanè, quam Aratus σπίνον, hanc & Avienus in paraphraſi *fringuillam* vocat.

d In Fringilla.

Aliæ item κωνωποφάγοι, *culicivoræ*, ſive culicibus veſcentes: quales omnes iſtæ, quæ, quando curru vectamur, ſic per longa nos agrorum ſpatia ſectantur. Nam ut culices ſequuntur equos; ſic aviculæ illæ culices. Etiam veſpertilionibus is cibus.

Atque avium iſtæ animantibus veſcuntur. Aliis autem cibus eſt è plantis. Sic illa, quæ ἀκανθὶς dicta, ſemina τῶν ἀκανθῶν *e*, vel aliud inde carpit. *Spinum* propterea Theod. Gaza; *ſpinulam*, quia minuta eſt, Cæſar Scaliger reddebat. Probus, & Servius, *carduelem* ajunt; cui itidem nomen, quia in carduis degat, atque inde cibum petat. Certum interea, illam quoque frugibus, imò etiam culicibus, ac muſcis minutis veſci. Regulus quoque (is, qui ibidem Ariſtoteli dicitur βασιλεὺς) planè eſt σπερμολόγος, ſive *ſeminilegus*.

e Spinarum.

Ab hiſce, quæ ſeminibus veſcuntur, diverſæ ſunt καρποφαγοῦντες, *frugivoræ*; ut ſunt columbæ. Etiam perdices, & galli, ſunt ποηφάγοι, ſive *herbivoræ*.

Alteram inſuper diviſionem avium Ariſtoteles *f* ſubjungit. Ea non tam à victu, quam à locis ob victum, petitur. Quædam in terra eò perſiſtunt, quia inde iis ſolùm ſit cibus: ut gallinæ, quibus nullus eſt riparum, vel litorum reſpectus; ſed ſatis eſt, ſi quomodocunque reperiant, unde bibant. Aliæ vivunt circa aquas, ut ardeæ. Aliæ item in iis, ut anates. Ex, quæ circa aquas degunt, ſunt σχιζόποδες, *fiſſipedes*: ſive præditæ pedibus fiſſis. In aquis, στεγανόποδες, *palmipedes*, quaſi pedibus dixeris contignatis. Nempe poſterioribus hiſce Deus pedes tribuit, quos & contrahere poſſent, & diducere; ut ita contractis meliùs aquas ſcinderent, diductis autem propellerent, quomodo videmus remiges, ut magis undas impellant, obvertere remorum palmulas. Et in natando plus proficimus junctis, quàm diviſis digitis. Solida etiam ligna magis feruntur ſecundo flumine, quàm feneſtrata. In ſcindendis verò aquis diſpar ratio; quas faciliùs diducas acie gladii, quàm ſi latâ eas ferias laminâ.

f Lib. 8. de animal. cap. 3. ſed ex diſtinct. Cæſ. Scal. cap. 7.

Eſt & tertia avium diviſio apud eundem philoſophum. Quædam enim de die volant: ut aquila, accipiter, cuculus, aliæ: quædam noctu, unde Ariſtoteli νυκτερειναὶ *g* dictæ: quales ex iis, quæ γαμψώνυχες *h*, ſex iſtæ ab eo referuntur, νυκτικόραξ, *nocticorvus*; γλαῦξ, *noctua*; βύας, *bubo*; ἐλεὸς, *ulula*; αἰγώλιος, *capriceps*; σκὼψ, *aſio*: quas omnes, ut aduncis ungulis, ita carnivoras ait.

g Nocturnæ.

h Uncungula.

Quomodo præterea aves dividantur à cruribus, pedibus, eorumque digitis, item roſtro, linguâ, uropygio & cauda; adhæc bibendi more, voce, fœcunditate, incubatione, partu, nidis; vide ſis apud Cæſarem Scaligerum adverſus Cardanum Exercit. CCXXVIII.

In his tam variis avium generibus quædam primò conſiderabimus ad vitæ originem, ac durationem, pertinentia. Hinc videbimus de functionibus vitæ. Tum de multiplici utilitate, quam ex avibus capere eſt. Denique quomodo & his abuſæ ſint gentes, divinum iis cultum exhibendo.

Ad originem vitæ pertinet, quòd vultures omnes volunt eſſe feminas. Planè enim hoc ejuſmodi eſt, ac rhinocerotes omnes eſſe mares: quod refellebamus hujus libri cap. LIV. Quod de vulturibus dixi, proditum quoque Theophylacto Simocattæ quæſtionum phyſicarum octavâ: item Tzetze Chil. XII, cap. CCCCXXXIX *a*. Addit ibidem, è vento concipere. Nempe tam verè, quàm ajunt, è vento concipere equas Luſitanicas: quod itidem refutavimus loco proximè memorato. Nec error iſte demum temporibus Tzetzis, vel etiam ſeculis aliquot antiquioris Simocattæ cœpit: uti neque Iſidori Hiſpalenſis, Simocattæ paris, vel ſupparis. Ex quibus Tzetzes circa annum vixit CIↃ C LX, Iſidorus anno obiit IↃ C XXXVI, Simocattes claruit anno IↃ C XII. Quippe multò ante eos hæc ſententia obtinuit. Ut Chriſtianos primò dicam, ita ex Græcis cenſuit Origenes lib. I contra Celſum, Baſilius Hexaëm. lib. I, Cyrillus Alexandrinus in jambis ad Sergium. Verſus ejus Cyrilli ex poëmate necdum vulgato, quod à Gulielmo Sirleto acceperat, adducit Conſali Ponce de Leon Hiſpalenſis, Sixti V. cubicularius, ſcholiis ſuis in Epiphanii Phyſiologum. E Latinis eam opinionem refert Tertullianus contra Valentinum cap. V: *Dehinc in illo mœrore ex ſemetipſa ſola, nullâ operâ conjugis, concepit ac procreat femina. Miraris hæc? & gallina ſortita eſt de ſuo parere. Sed & vultures, feminas tantùm parere, ajunt, & tamen ſine maſculo.* Probat verò Ambroſius I Hexaëm. cap. XX. Quid mirum? quando iſtoc opere Baſilium ſequi ſolet. Porrò Baſilius non dubitat ex vulturum citra marem conceptu firmare conceptionem B. Virginis. Nempe & hic locum habet, quod dici de nonnullis ſolet, bene quidem dicere, ſed malè probare. Sed ut argumentum ſit invalidum, ſi ſecundùm ſe ſpectes; valebat tamen adverſus nationes, quibus ita perſuaſum fuit. Neque enim illud de vulturum generatione commentum erat Chriſtianorum: quando ſimiliter ante eos gentiles: ut Ælianus lib. II de Animal. cap. XLVI. Ac videntur Græcis præiviſſe Ægyptii; qui, ut Orus prodidit in primo Hieroglyphicôn, propterea Vulcanum, & Minervam, per vulturem ſignabant, quia Diis iſtis unicus eſſet parens. Nam Vulcanus ἀπάτωρ poëtis, quaſi dicas *matrimum*, h.e. qui tantummodo matrem haberet: Minerva iiſdem, in his Euripidi Phœniſſis, ἀμάτωρ, h.e. *patrima*, quia patrem ſolum agnoſceret: unde & εὐπατέρεια nuncupata. Primus verò, quantum video, hunc de vulturibus errorem ſolidè refellit Albertus Magnus: qui ait, inter Treviros, & Vangionum urbem, quæ *Wormatia* dicitur, ſæpe conſpectum, vultures inter ſe miſceri. Ubi & teſtatur, eoſdem hic videri quotannis nidificantes, atque ex congeſtis in nidos cadaveribus fœdum ſpargi odorem. Quibus refellitur, quod in Geoponicorum Collectaneis legas, non nidificare vultures: imò, & illud ab Ariſtotele fuiſſe in literas relatum, collector ille ſeu Baſſianus, ſeu alius, refert. Sed Suppoſiticio ex ſcriptó id credo hauſtum. Nam genuinus Ariſtoteles multò aliter: ut qui nidificare eos dicat lib. VIII de Animalibus, cap. V. Nihilo verius, quod ab Ariſtotele proditum dicitur, eos non parere ova, ſed vivas volucres. Quippe Plinii eſt lib. X, cap. VI, *Umbricius, aruſpicum in noſtro ævó peritiſſimus, parere ait ova tria.* Ubi *tredecim* in nonnullis eſt MSSis. Sed *tria* legendum eſſe ex Ariſtotele, jam diu Hermolaus comprobavit. Porro non abſurdè ſentiunt, qui arbitrantur, eo invaluiſſe opinionem, vultures non coire, quia ſit quoddam vulturum genus infœcundum. Nam, ut Plinius ait lib. X, cap. III: *Haliaëti ſuum genus non habent, ſed ex diverſo aquilarum coitu naſcuntur: id quidem, quod ex iis natum eſt, in oſſifragis genus habet: è quibus vultures progenerantur, & ex iis magni, qui omnino non generant.* Ariſtoteli quoque in Mirabilibus traditur, ex haliaëtis naſci φήνην, ſive *oſſifragam*: hinc περκνὸν, ſive *aquilam anatariam*; exinde vulturem: ex vulturibus hiſce naſci vultures grandes, eoſque ſteriles; ut arguit, quòd nemo eorum nidum unquam conſpexerit. Nec à vero abludit, quod Aldrovandus *a* ſuſpicatur, ut ex aſino & equa, naſcitur ſterilis mulus: ita ex miſtura aquilarum diverſi generis generari vulturem magnum, itidem ſterilem. Atque ex his liquet, quàm debili argumento, ex eo, quòd aliquod vulturum genus Venerem neſciat, collegerint, nullos vultures miſceri: ac proinde, quos videmus, è vento eſſe conceptos.

a Sive pag. 139. ſecundum editionem Oporini.

a Lib. 3. Ornitholog. p. 246.

Ad generationem quoque referendum, quòd ibin ore concipere opinio ſit; uti & corvum; cui inde fœdiſſimum *fellatoris* datum nomen fuit: ut eſt apud Martialem in Xeniis: ſed verſus omnino metuere non apponi. Opinionem eam de ibide Ælianus lib. X, cap. XXIX, Solin. c. XXXV, Marcellin. lib. XXII; at tam de ibide, quàm corvo, refert Plinius lib. X, cap. XII: ſed, ut ibidem legas, refellit Ariſtoteles: puta in III de Generatione Animal. cap. VI. Nam, inquit, ſi ore conciperetur, ſemen in ſtomachum deſcenderet, atque ita excerneretur. Atqui vulvas, & ova, habere, perſpicuum eſt. Cenſet autem, quod & Plinius ex eo narrat, errorem hunc inde ortum, quòd coitus corvorum rarò videatur; ſed ſæpe conjunctio roſtrorum, more monedularum cicurum, atque item columbarum: quas tamen ore concipere, nemo putavit; quia & coitus ſæpe cernitur. Albertus quoque narrat, corvos duos Avicennæ viſos eſſe more aliarum avium congredientes: unde itidem colligit, tum ex oſculis opinionem eam natam; tum quia non coeunt, niſi ante lucem, vel crepuſculo; ut eò homines coitus is fugiat.

Erroribus hiſce rejectis, inſiſtamus porrò verioribus. Quale eſt illud, quòd avis quædam, quadrupedum more, vivum, pariat fœtum, & editum in lucem uberibus lactet. Hoc enim veſpertilio facit; & ſolus. Unde Plinius lib. X, cap. LXII: *Volucrum animal parit veſpertilio tantum.* Nam valde fallitur Raphaël Volaterranus *b*. cùm idem de vulture prodit. Objeceris, veſpertilionem non avem eſſe, ſed veriùs murem, vel ſaltem utriuſque generis participem: nempe avem ſemimurem; unde Germanis, *vleddermuys*, ſive *vleermuys* vocatur, q.d. murem volucrem. Iccirco ſcribere Varronem Agathone *c*: *Quid multa? factus ſum veſpertilio: neque in muribus planè, neque in volucribus ſum.* Præterea dixeris, eſſe quadrupedem, cùm aves ſint biſpedes. Sed enim inter quadrupedes referri non meretur, quia qui priores pedes dicuntur, non pedes ſunt, ſed alarum hamuli, quibus de parietibus etiam dependet: imò ne poſterioribus quidem, qui veriùs *pedum* nomen merentur, ingreditur ſolo: ſed potiùs reptat: unde & credibile eſt עטלף, *Ataleph* Levitici cap. 11, 20, nominari. Quomodo & Græcis, ac Latinis, *Attelabus* d vocatur locuſtæ genus: eoque nihil mirum, ſi & *Ataleph*, & *Attelabus*, in eo conveniant, quòd utrumque ſit reptile alatum. Nec ignoro, non pennis, ſed cutaneis volare membranis; quemadmodum & antea dictum. Ut enim *volucris* dicatur, ſatis eſt, quod volet. Quare hinc liquet, falli Macrobium, cùm potiùs inter quadrupedes recenſet. Sic enim ſcribit lib. VII Saturn. cap. VI: *Volantia univerſa de ovis prodeunt, excepto uno, quod incertæ naturæ eſt. nam veſpertilio volat quidem pellitis alis; ſed inter volantia non habendus eſt; quia quatuor pedibus graditur, formatoſque pullos parit, & nutrit lacte, quos generat.* Sic igitur ſtatuendum, veſpertilionem, etſi ova non pariat, magis tamen in volucribus, quàm quadrupedibus, reponi oportere. Et hæc de volucre vivipara.

b Lib. 25. Philolog. initio cap. de volucribus.

c Apud Nonium in veſpertilio.

d Plin. lib. 29. cap. 4.

De cæteris avium quæſtio eſt jam olim inter philoſophos agitata, priuſne fuerit ovum, an gallina, ſive avis alia: quando par omnium ratio eſt. De hoc videre eſt diſſerentem Plutarchum in Sympoſiacis lib. II, quæſt. III, & exinde Macrobium lib. VII Saturn. cap. ult. Peripatetici,

a Cap. 4. tici, quia, ut eſt apud Cenſorinum *a*, *& ovum ſine ave, & avis ſine ovo, eſſe non poſſit*: inde conſequi ajunt, *orbem eſſe quendam generantium, naſcentiumque; in quo uniuscujuſque gentis initium ſimul, & finis, eſſe videatur.* Scitè quidem, ſi de natura jam conſtituta ſermo ſit: ſed perperam hinc æternitatem mundi collegerunt: qua de re aliquid lib. 1, cap. 1; fuſius autem alio in opere dictum nobis. Et profectò nonne hoc eſt ovo tribuere æternitatem, eoque ovum numen facere? Mirum autem, putaſſe B. Auguſtinum, cùm Deus jubet aquam producere aves, & piſces, intelligendum hoc eſſe de δυνάμει *b*; non ἐνεργείᾳ *c* eoque ova priùs eſſe producta, ex iis deinde aves fuiſſe excluſas. Quippe verba Moſis attendenti, clarum eſt, Deum primitus perfecta produxiſſe animalia.

b Potestate. c Actu.

Difficile verò dictu eſt, quàm apertè in minuto ovo exſerat ſe magna Dei vis & ſapientia. Primùm formam ovi conſideremus. Quid ea pulchrius? Nempe talis hæc, ac antiquiſſimi eſſe figuram mundi putarunt: unde & ovum ſymbolum mundi fuit, ac Bacchicis orgiis, & Cereris ſacris, adhiberi ſolet: quemadmodum in ſymbolica dicetur Theologia. Inque tanta ſimilitudine, ut & proverbio locum fecerit, *ovum ovo ſimilius non eſſe*; tamen & diſcrimen notare ſolent intelligentiores. Quippe Ciceronis eſt lib. IV Academ. quæſt. *Videſne, ut in proverbio ſit, ovorum inter ſe ſimilitudo? tamen hoc accepimus, Deli fuiſſe complureis, qui gallinas alere permultas quæſtus cauſſâ ſolerent. hi, cùm ovum inſpexerant, quæ id gallina peperiſſet, dicere ſolebant.* Imo etiam diſcrimen à gallinariis repertum, unde mares, vel feminæ, excludantur. Quippe Ariſtotelis eſt in VI hiſtoriæ animal. cap. II: Ἔστι δὲ τὰ μὲν μακρὰ, καὶ ὀξέα τῶν ᾠῶν, θήλεα· τὰ δὲ στρογγύλα, καὶ περιφερῆ μᾶλλον ἔχοντα κατὰ τὸ ὀξὺ, ἄῤῥενα· *ovorum oblonga, & acuta, excludunt feminam: rotunda verò, obtuſaque ab ea parte, quæ acutior eſſe ſolet, marem.* Ac ſimiliter lib. III de Generat. animal. cap. 1, & II. Sed iſtius rei incertum arguere videtur Columella: ut qui contrarium dicat lib. IX, cap. 5: *Cum volet quis quamplurimos mares excludi, longiſſima quaque, & acutiſſima, ova ſubjiciet; & rurſus cum feminam, quàm rotundiſſima.* Eumque ſecutus Plinius lib. X, cap. LII: *Feminam edunt, quæ rotundiora gignuntur; reliqua marem.* Ac, ut ibidem legas, præiſſe videtur Catius, & ex ejus ſententia Horatius: cujus hæc lib. II, ſat. IV:

Longa quibus facies ovis erit, illa memento,
Ut ſucci melioris, & ut magis alba rotundis,
Ponere. namque marem cohibent calloſa vitellum.

Et certè neutram regulam eſſe certam, compertum ſibi eſſe, ait Brodæus.

d Lib. 10. cap. 52. Sed magis parebit, quantopere, ut Plinius *d* ſcribit, *generatio avium ſua habeat miracula*: ſi partes etiam ovi conſideremus. Sunt hæ partim exteriores; partim interiores. Externa eſt putamen, ſive cortex: qui cum exit, mollis eſt; ſed aeris contactu indureſcit; idque in tantum, ut ſi cacumen utrumque, & obtuſius, quod primo exit, & alterum, quod acutius, palmis compreſſeris, frangere non poſſis. De quo ejuſdem Plinii *e* verba ſunt: *Firmitas putaminum tanta, ut recta, nec pondere ullo frangantur, nec niſi paullum inflexâ rotunditate.* Putaminis color mirè variat: ut tradunt Ariſtoteles lib. VI de Anim. cap. II, & Plin. lib. X, cap. LIII. Secundùm eos ovorum alia ſunt candida, ut columbæ, & perdicis: alia pallida, ut τῶν περὶ τὰς λίμνας, ſive *avium paluſtrium*: alia κατεστιγμένα, ſive punctis diſtincta, ut meleagridis: alia rubra, qualem Ariſtoteles ait eſſe τῆς κεγχρηΐδος, Plinius tinnunculi; ut eadem hæc eſſe avis videatur. De phaſiano differunt, cùm ille punctis diſtincta, hic rubra eſſe dicat.

e Ibid.

Cortice verò, ac membranâ, qua intus veſtitur, duo continentur colores: nempe τὸ λευκὸν, ſive *albumen*, & τὸ ὠχρὸν, ſive *luteum*. E priori fit pullus: altero autem, quod vitellum dicimus, paſcitur. Horum igitur corruptio potius cenſetur perfectio. Corrumpitur albumen, quia id eſſe deſinit, quod fuit: ſed veriùs tum ovum perficitur, quia id gignitur, propter quod fuit. Quia verò vitellus cibus eſt fœtus, eò, creſcente pullo, ei circumfunditur, ac paullatim deficit. In medio vitelli gutta eſt ſanguinea; unde Ariſtoteles pulli cor, Galenus hepar eſſe exiſtimavit. De iſtis etiam loquentem audiamus Plinium *a*: *A coitu decem diebus ova matureſcunt in utero. Omnibus ovis medio vitelli parva ineſt velut ſanguinea gutta, quod eſſe cor avium exiſtimant, primum in omni corpore id gigni opinantes: in ovo certe gutta ſalit, palpitatque. Ipſum animal ex albo liquore ovi corporatur. Cibus ejus in luteo eſt b. Omnibus intus caput majus toto corpore: oculi compreſſi capite majores. Increſcente pullo, candor in medium vertitur, luteum circumfunditur. Viceſimo die, ſi moveatur ovum, jam viventis intra putamen vox auditur.*

a Lib. 10. cap. 53.

b Quod de albo, luteoque, hic ait Plinius, id negant medici claſſici: quorum ſententiam copioſe propugnat Ludovicus Nonius lib. II. de re cibaria, cap. XXXVII. Sed veriſſimum eſſe, ſibi quoque compertum ait doctiſſimus Brodæus lib. 3. Miſcellan. cap. 25.

Præcipuè autem fœcundæ ſunt aves infirmæ, & fugaces: ut columbæ, & ſimiles. Plinius apertè lib. X, c. LII: *Tribuit hoc avium generi natura, ut fœcundiores eſſent fugaces earum, quàm fortes.* Nempe quia infirmæ, & rapinis earum quæ aduncis ſunt unguibus, obnoxiæ ſunt; eò Deus, ne genus deficeret, virium infirmitatem fœcunditate compenſavit. Quanta ſit hæc fœcunditas, idem naturæ myſtes his enarrat verbis: *Aliqua & ſexagena pariunt ova; aliqua quotidie; aliquæ bis die; aliquæ in tantum, ut effœtæ moriantur. Hadrianis laus maxima. Columbæ decies anno pariunt, quædam & undecies; in Ægypto etiam brumali menſe. Hirundines, & merulæ, & palumbi, & turtures, bis anno pariunt: cæteræ aves fere ſemel.*

Porrò quòd aves ſint oviparæ, id commune habent cum piſcibus. Utriſque ideo major eſt fœcunditas, quàm quadrupedibus. Ova enim facilius in utero augentur numero, quàm fœtus. Hinc etiam videas apud Moſen Geneſ. 1, verſ. 22, ſolis dici avibus, & piſcibus, *Creſcite & multiplicamini.* Omnibus quidem animantibus dictum videtur: ſed ob ſingularem avium, piſciumque fœcunditatem, de his ſolis exprimitur. Eſt & in aliis, piſcium, & volucrium cognatio: de qua B. Ambroſius agit lib. 1 Hexaëm. cap. IX. Et ante eum B. Baſilius Hexaëm. homil. VIII: ubi inter alia ait *c*: Ἔστι τις συγγένεια τοῖς πτηνοῖς πρὸς τὰ νηκτά. *volantibus eſt cognatio cum natantibus.* Sanè ut piſces pinnis natando ſecant aquas; ita aves pennis volando ſecant aëra. Ut ſcitè Maro *d* dixerit, *remigium alarum.* Præterea utraque mammis carent: imò & veſicâ, quia excrementum humoris illis in plumas, his in ſquamas abit. Utrique etiam caudâ dirigunt curſum: ita ut ab avibus quidam navigandi artem didiciſſe hominem putarint. Sanè de milvis ait Plinius lib. X, cap. X: *Iidem videntur artem gubernandi docuiſſe caudæ flexibus, in cœlo monſtrante natura, quid opus eſſet in profundo.* Tantam avium piſciumque ſimilitudinem eſſe arbitrantur, non tam ex eo, quòd utraque ex ovis proveniant; quàm quòd utraque ſint producta ex aquis; ſecundùm illa Moſis Gen. 1, 20: *Dixit etiam Deus: Producant aquæ reptile animæ viventis, & volatile ſuper terram ſub firmamento cœli.* Sic enim vulgata habet tralatio: unde colligi ſolet, Deum ex aquis creaſſe tam aves, quàm piſces. Eaque & B. Auguſtini lib. III de Gen. cap. V, & VI, & Fulgentii lib. de fide ad Petrum cap. III, imo Patrum prope omnium ſententia eſt. Addit B. Auguſtinus, piſces quidem factos ex aqua denſiori; aves autem ex ſubtiliori: quippe quæ temperamenti magis ſint aërei, quàm aquei. Nec tamen hæc ita capienda, quaſi ſolis dicantur aquis originem debere: ſed intelligendum id ratione elementi prædominantis; uti & cùm homo dicitur de terra ſumtus. Quia autem parum rationi conſentaneum videtur, aves ex aqua potiùs, quàm terra eſſe formatas; eo eleganter philoſophantur de ſimilitudine aquæ, & aëris, quæ adeò facilè convertuntur: item conſiderare jubent, quod & aves quædam ſint aquaticæ; ut cygni, anſeres, anates, fulicæ, & quædam aliæ. Nec eo moventur, quod aqua ſit frigida, & humida; aves calidæ, & ſiccæ. Nam, inquiunt, ſal etiam calidus eſt, ac ſiccus: qui tamen ex aqua fit, eoque facile adeò in eam reſolvitur. Præterea eo ſen-

c P. 100. edit. Pariſ. an. 1518.

d 1 Æn. 305.

ten-

tentiam ſuam tuentur, quòd aër iſte terris proximus, quo aves gaudent, non ſit ſerenus, qualis in prima aëris regione: ſed turbidus, ac receptaculum vaporum, qui & ipſi ex aquis prodeunt: ut minus ſit mirandum, ſi quemadmodum vapores ex aquis ob levitatem adſcendunt; ita & aves ex aquis factæ naturâ ſuâ volitent in ſublime.

Ac videntur mihi iſta minimè abſurda: imò ſi vulgari ſtandum tralationi, nefas ſit dubitare, quin aves ex aquis creatæ ſint. Verùm non levem injicit ſcrupulum, quòd Hebræus textus ſonet: *Repere faciant aquæ reptile animæ viventis, & volatile volet ſuper terram, ut ſuperficie firmamenti cæli:* uti vertit Pagninus. Vulgata omiſit verbum *volet*. Sed expreſſit quoque Arias Montanus. Qui ſimiliter habet, *Et volatile volet ſuper terram*. Hìc objectant, in verbis Moſis ante adlatis, ex familiari Hebræorum more intelligi debere אֲשֶׁר, *aſcer*, id eſt, *quod*: ut transferri poſſit, *& volatile, quod volet ſuper terram*. Et ita accepiſſe videntur LXX; qui vertunt, καὶ πετεινὰ πετόμενα ἐπὶ τῆς γῆς. Ac ſimiliter quoque interpretatur Chaldæus paraphraſtes. Quicquid eſt, error librarii videtur eſſe in verſione vulgari. Vel enim ſcripſerat interpres, *volatilia volent*, vel *volatilia quæ volent*. Poſterius non improbarem, niſi obſtaret locus cap. ſeq. verſ. XIX: ubi vulgata quoque ſic habet: *Formatis igitur Dominus Deus de humo cunctis animantibus terræ, & univerſis volatilibus cæli, adduxit ea ad Adam*. Scio, reſpondere nonnullos; *volatilibus* referri ad *formatis*, non item ad illud *de humo*. Sed omnino violenta eſt hæc interpretatio: quam tamen admittere cogeremur, ſi Moſes cap. I dixiſſet, aves etiam ex aqua eſſe formatas. Nunc verò in Hebræo nihil eſt cauſſæ, cur ita interpretemur. Quid enim cogit, ut recurramus ad ellipſin pronominis אֲשֶׁר, *quod*? Sed enim, inquiunt, animantia è terra producta pertinent ad diem ſextum: nunc autem conſtat, aves eſſe opus quinctæ diei. Huic argumento non difficulter occurritur. Nam quincto die creavit Deus animantia, quæ vel mare ornarent, ut piſces; vel aëra, ut aves; unde *volucres cæli* dicuntur. At ſextâ die creata ſunt animantia, quæ terram ornent. Quamobrem aſſentimus Ruperto, Cajetano, Catharino; qui terram eſſe avium materiem arbitrantur. Proque opinione hac multa etiam ex rerum natura poſſunt adferri. Aves quippe omnes, ſi paucas, quæ natare ſciant, exceperis, ſolis gaudent terris. In his quieſcunt, dormiunt, nidificant. Nec diffiteor, aliquas piſcibus vivere. Sed longè plures carne, frugibus, ſemine, arborum fructibus, aliis, quæ terræ debeantur. Atqui in eo conſentiunt Medicorum filii, illo quodque nutriri, unde originem trahit. Adde quòd avium quarundam, ut vulturis, & accipitris, craſſa, ſicca, duraque adeo eſt caro, ut hac parte exſuperet ovillam. Quare non video, quomodo ovilla ſit terreſtris; illa vulturum, vel accipitrum, non item.

Cap. LXXIX.

Heſiodi fabella, quam tot alii ſequuntur, de longæva adeò vita cornicis, & corvi, refutatur. Ex ambiguo γενεᾶς vocabulo proveniſſe, ut Neſtor, qui ultra annum eſſet provectus LXVI, & fortaſſe multis annis, is jam ſupra ducenteſimum vixiſſe diceretur. Vera ætas corvi, ac cornicis. Deque ætate cygni, pſittaci, anſeris, accipitris, pavonis, carduelis, phaſiani, galli, columbæ, paſſeris: & cur plurimæ avium ſint naturæ adeo vivacis.

AB origine vitæ accedo ad ejus durationem. Sunt aves quædam admodum vivaces: uti corvi; quarum, ut ajunt, nunquam conſpectum eſt cadaver. Nec eſt, quod dicatur, avium alias cadaver abſumere; cùm ea avis nulli ſit pro cibo. Præterea longævæ ſunt cornices: unde Theophraſtus naturam dicitur *a* accuſaſſe, quòd cornicibus, quarum nihil intereſſet, vitam tam tribuiſſet diuturnam; hominis autem vitam arctis adeò ſpatiis concluſiſſet. Ideo Aratus dixit ἐννεάγηρον κορώνην *a*: quod Theon πολύγηρον exponit. Et Oppianus in III Κυνηγ. πολυζώους κορώνας *b* appellat. Eſt & Juvenalis *c* de Neſtore:

Exemplum vitæ fuit à cornice ſecundæ.

Nec tamen vel corvus, vel cornix, adeò longæ ſunt vitæ, ac fabulatus eſt Aſcræus vates: cujus hi verſus leguntur apud Plutarchum de oraculorum defectu:

Ἐννέα τοι ζώει γενεὰς λακέρυζα κορώνη
Ἀνδρῶν ἡβώντων· ἔλαφος δέ τε τετρακόρωνος.
Τρεῖς δ' ἐλάφους ὁ κόραξ γηράσκεται· αὐτὰρ ὁ φοῖνιξ
Ἐννέα τοὺς κόρακας· δέκα δ' ἡμεῖς τοὺς φοίνικας
Νύμφαι ἐϋπλόκαμοι, κοῦραι Διὸς αἰγιόχοιο.

Sed pro ἡβώντων *d* jam olim in codd. aliis erat γηρώντων *e*: ut apud Plutarchum ait Demetrius. Atque id magis placet. Etiam ita legit Auſonius; qui humanam quoque expreſſit, ex eodem, ut arbitror, Heſiodo: ſed verſus Græci perierunt. Latinè & eos, & ſequentes, idyllium ejus decimum expreſſit hoc pacto:

Ter binos, deciesque novem, ſuperexit in annos
Juſta ſeneſcentum quos implet vita virorum.
Hos novies ſuperat vivendo garrula cornix,
Et quater egreditur cornicis ſecula cervus.
Alipem cervum ter vincit corvus: & illum
Multiplicat novies Phœnix, reparabilis ales.
Quam vos perpetuo novies prævertitis ævo
Nymphæ Hamadryades: quarum longiſſima vita eſt.

Sic, ut attingebamus libri hujus cap. LIV, homo annis vivat XCVI, cornix Iↄ CCC LXIV, cervus cIↄ cIↄ cIↄ CCCC LVI, corvus decem millibus annorum, & CCC LXVIII annis, phœnix nonaginta tribus annorum millibus, ac præterea CCC XII, Hamadryades nonagenis ternis annorum millibus, & CCC XII, decies multiplicatis. Sed Plinius hæc pro fabulis habet. Sic enim ſcribit lib. VII Natur. Hiſt. cap. XLVIII: *Heſiodus, qui primus aliqua de ſpatio atque longinquitate vitæ prodidit, fabuloſè, ut reor, multa de hominum ævo referens, cornici novem noſtras tribuit ætates, quadruplum ejus cervis, id triplicatum corvis. Et reliqua fabuloſius in phœnice, ac nymphis.* Videmus, Plinium ſimpliciter verba Heſiodi cepiſſe: non, uti Cleombrotus, qui, apud Plutarchum *f*, putat, Heſiodum per γενεὰν annum intellexiſſe unicum: quia intra id ſpatium mundus renovetur. Ita cornix vivat annis IX, cervus XXXVI, corvus CVIII, Phœnix Iↄ CCCC LXXII, Nymphæ novies millenis ſeptingentis & viginti. Sed hæc γενεᾶς ſignificatio non convenit ſatis ei, quod Heſiodus ait tot homines γενεὰς vivere: ut vel univerſa hominis ætas intelligatur, quod ſpatium eſt unius ſeculi, ſive quaſi annorum centum: vel generatio una, hoc eſt, anni XXX, ſive potiùs XXXIII. Quomodo Neſtor, quia XC, vel fortè XCIX, foret annorum, veteri poëtæ Nævio dictus eſt *triſeclisſenex*: uti τριγέρων in primo Ἀνθολογίας.

Sed de fabuloſa corvorum, & cornicum ætate ſatis. Juniorum autem obſervatio eſt, corvum aliquando ad annum pertingere centeſimum; nec multò minùs vivacem eſſe cornicem. Ac vultures quoque ad centeſimum perveniunt. Et omnino carnivoræ omnes magis ſunt longævæ. Cygnus, qui ἰχθυοφάγος *g*, quandoque hanc ætatem excedit. Pſittacus, ut non accenſeas id ætatis, quo in Indiis vixit, priuſquam huc advehatur, (quod quantum ſit, ſciri nequit) tamen ſic quoque ad annum vivere ſexageſimum comperitur: idemque à Verulamia proditum eſt in Hiſtoria vitæ, & mortis. Atque idem anſerem quoque, licet herbivoram, longævam ait: & inde eſſe proverbium Germanis, *nivali anſere ſenior*. Sed annos non expreſſit. At Albertus M. narrat de anſere, qui annum exceſſerat ſexageſimum. Nec abnuit Cardanus *h*, *Exiſtimarem*, inquit, *hæc fabuloſa, etiam illo dicente: verum cùm ſciam carduelem, adeo parvam avem, tredecim annis in cavea educatum, adducor, ut credam, id, quod de anſere relatum eſt: tum præcipue quod duræ carnis admodum ſit, atque ſolidæ. Conſtat enim, ſylveſtrem anſerem, tribus perpetuis diebus excoctum, non potuiſſe emol-*

a Cic. lib. 3. Tuſcul. Quæſt. Vide & Victorium lib. 11. cap. 10.

a Viventem ætates novem.
b Vivaces cornices.
c Sat. 10.
d Pubeſcentium.
e Seneſcentium.
f De oraculorum defectu.
g Piſcivorus.
h Lib. 7. de rerum Varietate, cap. 34.

emolliri: inde objectum canibus, aliiſque animalibus, intactum manſiſſe: quibus adducor, ut credam, ſolidam eſſe carnem illorum, & humido pingui abundare, atque ideo longioris vitæ eſſe. Palumbes quandoque pertingit ad annum quinquageſimum *a*. Nec dubitandum, quin ad vitam adeò longævam conferat multùm, quòd in ſublimi, ubi aër purior, & temperatior, nidificet. Accipiter ſylveſtris annos vivit quadraginta: domeſticus, ob vitam magis degenerem, nonniſi triginta. Pavo annis XXV vitam producit *b*. Etiam carduelis, ut Verulamia *c* ait, etſi minuta avis, ad vigeſimum tamen annum vivere deprehenditur. Atque hoc argumento etiam de ſexagenario anſere fides fiebat Cardano, ut vidimus. Phaſiani, ac perdices, vivunt annis XVI. Galli gallinacei, ob ſalacitatem, non excedunt annum duodecimum. Nec columbæ, aut turtures, facile annum exſuperant octavum *d*. Paſſeribus, quia uſque adeò ſalaces, nonniſi ad biennium *e* circiter ſuppetit vita. Quòd alioquin aves naturâ fere ſint vivaces, id præcipuè deberi videtur humido pingui, magiſque aërio, quàm illud quadrupedum, & piſcium, quibus aqueum magis. Adde quòd ferè aëre fruantur puriori, quàm quadrupedes: præſertim quæ editis in locis faciunt nidos; ut de palumbe dicebamus. Nulla interim avis immortalis: quod de ibide ne Apioni quidem, tam ſtultè credulo, perſuadere potuerunt Heliopolitani *f*.

a *Etſi Plin lib. 10. c. 35. ſolum dicat trigeſimum, aut quadrageſimum. Ambigue loquitur, quia de XXX annis Ariſtoteles loquatur lib 9. hiſt. Anim. cap. 7. at de 40. lib. 6. ejuſdem operis c. 4.*
b *Plin. lib. 10. c. 20.*
c *In hiſtoria vitæ, ac mortis.*
d *Plin. lib. 10. c 35.*
e *Idem ejuſce libri cap. 36.*
f *Ælianus lib. 10. de Animal. cap. 19.*

Cap. LXXX.

Solus alitum pſittacus ſuperiorem movet mandibulam, uti ex quadrupedibus crocodilus. Utrum avibus etiam terra ſit pro cibo. Caprimulgos lac ſugere caprarum, & quæ inde capris incommoda. Struthio quidvis ſine delectu vorat. Error eorum refellitur, qui putant, ferrum concoquere. Quibus animal hoc quadrupedi, quibus item avi ſit propius. Magnitudo ſtruthionis. Verius forte chenocamelum, *quam* ſtruthiocamelum, *dici potuiſſe. Magnitudo tetraonum. Avium pro quantitate diviſio in magnas, minimas, & medias. Accipiter, & noctua, ſymbola victoriæ. Oloris robur, & cum aquila pugna, & quo pacto interdum vincat. Pici Martii robur, & cur δρυοκολάπτης, vel δενδροκολάπτης vocetur: ac quandoque etiam πελεκᾶς: quæ tamen appellatio & alteri avi attributa. Ariſtophani, & Plauto lux. Annua gallorum pugna in publico apud Pergamenſes ſpectaculo. Pulchritudo pſittaci, pavonis, phaſiani, commendata à Papinio. Improbatum in maximo viro, Julio Scaligero, contradicendi ſtudium. Manucodiatæ venuſtas. Oloris à candore, tetraonum & corvi pulchritudo à nigritia. Albos reperiri corvos, etſi Porphyrius putarit, nigritiam eſſe accidens eorum inſeparabile.*

HÆc de avium origine, & vivacitate. Incipiam hinc de functionibus vitæ: ac primùm facultatis vegetativæ. In qua ipſa primò ſe offert nutritio. Nutrimentum primò aſſumitur roſtris, & mandibulis. Omnia enim alata ſunt roſtrata. Solùm autem mandibulam movent inferiorem; ſi exceperis pſittacum, qui ſuperiorem commovet: uti ex animantium cæteris ſolus id facit crocodilus.

Cibus avibus ſunt ſemina, herbæ, muſcæ, vermes, piſces, quadrupedia, & aves, tum ſui, tum alieni generis. Ac de iſto jam diximus antea *a*. Hieronymus Cardanus *b* ait, ſe vidiſſe etiam terrâ veſcentes: ſed dubitat, utrùm id factum ſit fame adigente: an quia aliquid eruerent, vel ſalſedine, vel alio nomine ſuæ conveniens naturæ.

Lac cibi potuſque munia implet; præcipuè caprimulgis; de quibus ita Plinius *c*: *Caprimulgi appellantur grandioris merulæ adſpectu* d, *fures nocturni: interdiu enim viſu carent: intrant paſtorum ſtabula, caprarumque uberibus advolant, ſuctum propter lactis: qua injuria uber emoritur, capriſque cæcitas, quas ita mulſere, oboritur.*

a *Cap. 78.*
b *Lib. 7 de rerum varietate, cap. 35.*
c *Lib. 10. cap. 40.*
d *In MSo reperio,* grandiores. *Ac pro aſpectu Pintianus emendat à* ſuctu. *Ut videatur legendum,* Caprimulgi appellantur, grandiores merulâ, à ſuctu.

Veſpertilionem lactare fœtus uberibus, jam antè dictum.

Struthiocamelus quidvis vorat; nec alitum alteri ea eſt concoquendi vis. Unde Plinius de eo lib. X, cap. I: *Concoquendi, ſine delectu devorata, eſt mira natura.* Imò ferrum concoquere prædicat Scaliger *a*: ſed falsò. Ait quidem Joannes Langius epiſt. XII libri I: *Struthiones numiſmata in horto ducis Ferrariæ deglutire, & concoquere, vidi.* Verùm deglutire vidit, concoquere non vidit. Deglutitum enim poſtea vel evomunt, vel excernunt. Albertus M. ait, avide devorare lapides minutos; ſed poſtea, ut loquitur, reſpuere, hoc eſt, ore ejectare. Ulyſſes autem Aldrovandus *b*, *Ego*, inquit, *ferri fruſtula deglutire, dum Tridenti eſſem, obſervavi; ſed quæ incocta rurſus excerneret.* Etiam integerrimus, doctiſſimuſque, amicus meus Joannes Brenius, quo doctore liberorum meorum inſtitutione cum fructu minimè pœnitendo uſus ſum, narravit mihi, quendam qui ſtruthiocamelum terris variis circumferret, Roterodami, ſuper eo à ſe rogatum, reſponſi hoc dediſſe, non quidem inſolens ei eſſe ferri particulas deglutire; ſed eas excernere integras, vel ſummùm perpuſillò imminutas. Nec ſanè alterum leo poſſet; qui calore ſtomachi ſtruthionem exſuperat. Aliquid hac de re etiam ex Alexandro Aphrodiſeo diximus libri hujus cap. LV. Nempe & inter terreſtria de eo agendi tum erat locus, & nunc inter volucria, propter mediam animalis inter hæc naturam: ut optime expoſitum Ariſtoteli lib. IV de Partibus animalium, cap. XIV. Ubi ait, à quadrupedibus abire, quia alis ſit præditus: ab avibus, quia alæ ejus non ſunt idoneæ, ut multum à terra ſe extollat; ac præterea pilis magis ſimiles ſint. Referre item quadrupedem eo, quòd pilos habeat palpebræ ſuperioris, & glaber ſit capite, ac parte colli ſuperiore: verùm avium inſtar inferiùs integi pennis. Præterea, in modum avium, bipedem eſſe; at, quadrupedum inſtar, non digitos habere, ſed ungulam bipartitam, ſeu biſulcam. Adhæc magnitudinem quadrupedis ei potiùs eſſe, quàm avis: cujus natura magis gaudet corpore exiguo, quia moles vaſta impediat, nequid in ſublime moveatur. Plinii quoque eſt initio lib. X: *Ad hoc demum datæ pennæ, ut currentem adjuvent: cætero non ſunt volucres, nec à terra tolluntur.*

a *Exercit. 230. adverſus Cardanum.*
b *Lib. 9. Ornithologias, c. 2. pag. 593.*

Quomodo bibant aves, indicat Plinius lib. X, cap. XLVI: *Bibunt aves ſuctu; ex his, quibus longa colla, intermittentes, & capite reſupinato velut infundentes ſibi. Porphyrio ſolus morſu bibit: idem eſt proprio genere, omnem cibum aquâ ſubinde tingens, deinde pede ad roſtrum, veluti manu, afferens: laudatiſſimi in Comagene.*

Reliquiæ humoris, quas aves egerunt, non meiendo excernuntur, (imò veſicâ, & renibus, carent) ſed plumarum fiunt materies; ut antea diximus; præeunte etiam Ariſtotele in tertio de Animalibus, cap. III.

A nutritione venio ad incrementum. Quò pertinet magnitudo. Hac memoratus paullo antè ſtruthiocamelus (quem meliùs *chenocamelum* dixiſſent, quia χῆνα, ſive *anſerem* potiùs, quàm στρουθὸν, ſive *paſſerem* c, toto refert corpore) inter volucria principatum tenet. Nam, ut Plinius ait *d*, *ſtruthiocameli Africi, vel Æthiopici, altitudinem equitis inſidentis equo excedunt.* De tetraone ita ibidem *e*: *Alterum tetraonum genus vulturum magnitudinem excedit, quorum & colorem reddit: nec ulla ales, excepto ſtruthiocamelo, majus corpore implet pondus, in tantum a*[illegible]*a, ut in terra quoque immobilis prehendatur.* Maximis avibus etiam accenſetur aquila: quæ icirco *magna avis* dicitur Ezechielis XVII, 3. Sed de ea ſeorſum dictum. Præterea in magnis ſunt, vultur, accipiter, ciconia, grus, cygnus, anſer, pavo, milvus, paucæque aliæ. At pro mediocribus habentur, gallina, perdix, phaſianus, pſittacus, noctua, columba, graculus, pica, turdus, & ſimiles. Minimæ ſunt, carduelis, alauda, hirundo, paſſer, luſcinia, regulus, fringilla, ficedula, aliæque.

c *Niſi cum Caſ. Scaligero gallinam reddere malis; de quo alibi diximus.*
d *Lib. 10. cap. 1.*
e *Lib. 10. cap. 22.*

A nutritione, & incremento, etiam dependent robur,

bur, & pulchritudo. A robore commendatur accipiter. Unde & Ægyptiis ſymbolum eſt victoriæ. Uti quoque nocttua, cui ſuppetias ferre ſolet. Vide, ſi tanti, Pierium in Hieroglyphicis *a*.

a Lib. 20. & 21.

Olor quoque robuſta ac μάχιμος *b* eſt ales: quippe cum aquila etiam, non tamen niſi provocata, decertat: ut ex Ariſtotele refert Athenæus in IX. Imò ſæpiùs eam ſuperat. Sic enim philoſophus in IX Hiſt. Animal. cap. I *c*: Μάχεται δὲ καὶ ἀετῷ αἰγυπιός, καὶ κύκνος· κρατεῖ δὲ ὁ κύκνος πολλάκις. Ubi conſtanter κρατεῖ eſt in codd. Græcis. Nullius ſanè variantis lectionis meminit accuratiſſimus Sylburgius. Theodori tamen Gazæ tralatio habet: *Aquila etiam pugnat vultur, & olor: nutritque eam ſæpius olor.* Num putabimus Gazæ codicem pro κρατεῖ, quod eſt *vincit*, habuiſſe τρέφει, *nutrit*? An potiùs culpa eſt vel typothetæ, vel Ludovici Podocathari Cyprii, qui primus, ex archetypo ipſius Theodori, tralationem hujus operis procuravit Venetiis *d* anno CIↃ CCCC LXXVI. Principem enim hanc editionem habeo; in qua ipſa *nutrit* pro *vincit* editum video. Conſului quoque alias, quas habebam. Uti Venetam anni CIↃ IↃ LX, quæ cum Averrois commentationibus prodiit: & Lugdunenſem Græcolatinam *e*, quam maximus Caſaubonus procuravit. Sed ſimiliter iis editum. Ut autem olor vincat aquilam, ſic alâ eam percutit, ut uno debilitet ictu; quod ſæpius ſibi viſum, Cæſar Scaliger annotavit *f*. Neſcio autem, quid in mentem venerit Ulyſſi Aldrovando, ut vulgatam tranſlationem defenſitaret. Nam ipſe ille Alberti M. locus *g*, quem pro ſe adfert, prorſus ei adverſatur. Quippe nec Græcus Ariſtotelis contextus, nec ſententia, aliud patitur, quàm diximus. Sed eam ſæpius vincere aquilam, veriſſimum eſt: atque id quoque elucet ex Papinio in tertio, octavo, & nono Thebaidos.

b Pugnax.
c Ex diſtinctione Cæſ. Scal. ſect. 42.
d Per Joannem de Colonia, & Joannem Manthem de Gherretzen.
e Jacobi Bubonii an. 1590.
f In Ariſt. lib. 9. Hiſt. Anim. ſect. 42. & adverſus Cardanum Exercit. 231.
g Lib. 1. Ornithologias, pag. 44.

Pici Martii tantum eſt robur, ut roſtro pertundat arbores duriſſimas. Plutarchus in quæſt. Rom. *h* Εὔθαρσής καὶ γαῦρός ἐστι, καὶ τὸ ῥύγχος οὕτως ἔχει κρατερὸν, ὥστε δρῦς ἀνατρέπειν, ὅταν κόπτων πρὸς τὴν ἐντεριώνην ἐξίκηται· *audax eſt & ferox, roſtrumque habet ita robuſtum, ut etiam quercus exſcindat, cum roſtri ictus ad medullam pervenerit.* Ac ſimiliter veterum alii *i*; & τερεβολικώτερον *k* etiam ex Avicenna Albertus. Hinc nomen accepit δρυοκολάπτης, & δενδροκολάπτης. Etiam hinc πελεκάν, vel πελεκᾶς dictus, παρὰ τὸ πελεκᾷν τὰ ξύλα· *quia ſecuris inſtar cædit ligna.* Nam pelecanum eſſe picum Martium, non obſcurum eſt ex Heſychio, & Suida: imò & ſatis eſt apertum, ſic voce eâ uti Ariſtophanem in Avibus *l*: ut qui ad etymon alludens dicat,

Σοφώτατοι πελέκαντες, οἳ τοῖς ῥύγχεσιν
Ἀπεπελέκησαν τὰς πύλας·
Sapientiſſimi pelecantes, ore qui ſuo
Portas dolarunt.

h Quæſt. 21.
i Ariſtot. de mirandis auditionibus. & Hiſt. Anim. lib. 9 cap. 10. item Plin. lib. 10. cap. 18. & Ælian. de An. lib. 1. cap. 45.
k Non ſine veritatis exceſſu.
l Colloquio inter Piſthetærum, & præconem nuncium.

Sed Ariſtoteli in Hiſt. Animalium *m*, item LXX interpretibus *n*, *pelecas* alia eſt avis. Ad hunc arbores tundendi roſtro ſecandique morem reſpexit Plautus Aſinaria *o*:

Sed quid hoc, quod picus ulmum tundit?

Non tamen ſolam tundit ulmum: ſed eò hanc potiſſimùm arborem nominat iſtic Libanus, ut accommodum eſſet ſervi augurium, divinantis, ſe, & Leonidam, ut ſequenti loquitur ſcenâ, fore ulmeos, hoc eſt, manere utrumque ulmeam virgidemiam. Nam ex ulmo decerpebantur virgæ, quibus ſecabantur terga ſervilia, haut aliter ac picus ſecat ulmum, aut quercum.

m Lib. 8. cap. 12.
n Lev. 11. 18. ubi Latinus, onocrotalus.
o Act. 2. ſc. 1.

Conſalus Ponce de Leon Hiſpalenſis, in Epiphanii Phyſiolog. cap. XXIV: *Ego cùm hæc ſcribo, in horto ædium Mag. Alphonſi Ciaconis Dominicani, viri optimi, & doctiſſimi, quas ille in Pincio habet Mediceis hortis contiguas, ferè quotidie picum video in proceriſſima pinu nidum excavantem; ita nimirum induſtriè, & affabre, ut vel admoto circino rotundius reddi foramen à perfectiſſimo geometra vix poſſit.*

Neutiquam etiam inter validas ac pugnaces aves prætereundus gallus. De hoc ſic Plinius *p*: *Cælum ſola voluerum adſpicit crebrò: in ſublime caudam quoque falcatam erigens. itaque terrori ſunt etiam leonibus, ferarum generoſiſſimis.* Et poſtea: *Pergami omnibus annis ſpectaculum gallorum publice editur, ceu gladiatorum.* Cæterum in pleriſque avium iſtarum non robur ſolum commendatur, ſed etiam generoſitas: quæ ad facultatem potius ſenſivam pertinet.

p Lib. 10. cap. 21.

Coloris pulchritudine commendantur pſittacus, pavo, & phaſianus: quas alites icciico jungit Statius in II Sylvarum *a*:

Pſittacus ille plagæ viridis regnator Eoæ,
Quem non gemmatâ volucris Junonia caudâ
Vinceret, adſpectu gelidi non Phaſidis ales.

a Epicedio in Pſittacum Melioris Atedii.

Scaliger tamen in Exercitationibus *b*; quia Cardanus pſittacum commendârat à colorum varietate, ac præterea fulgore; quod & Appulejus facit in ſecundo Floridorum; contrà contendit eſſe deformem; non modò ob fœditatem roſtri, ac crurum, & linguæ; ſed etiam quia ſit coloris fuſci, ac cinericii, qui triſtis. Quid faciamus ſummo viro? Si Cardanus ea dixiſſet, provocâſſet ad judicia poëtarum, atque adeò omnium hominum. Nunc quia pulchri dixit coloris, ille deformis contendit. Hoc contradictionis ſtudium, quod ubique in hiſce Exercitationibus ſe prodit, ſophiſta dignius eſt, quàm philoſopho. Majorem etiam modeſtiam, dum falsè adeò tractat Cardanum, meritò paſſim requiras: præſertim ſi cogites, ſcribere adverſus virum ſummum, ſtudiis quidem humanitatis, & Metaphyſices, non paullò inferiorem: at non ſcientia naturæ, matheſios autem omnibus diſciplinis, in quibus parum omnino Scaliger videbat, albis quod dicitur equis prævertentem. Quæ à me minimè dicerentur, niſi ſeculo hoc viderem quoſdam non tam virtutes ejus viri imitari, quàm unum alterumque (homo enim erat) vitium ἠθικὸν *c*: quo non mediocriter admirandas, planeque heroicas, ingenii doctrinæque dotes depreciavit.

b Exercit. 236.
c Morale.

De pavone, quem Statius, ut vidimus, ſecundo memorat loco, ita Publius Syrus apud Petronium:

Tuo palato clauſus pavo paſcitur,
Plumato amictus aureo Babylonico.

Ubi pavonis plumam referre ait πτίσμα *d* Babylonicum, quia id auro, purpurâ, & aliis coloribus, pictum. Eo & Tertullianus lib. de Pallio cap. III illi plumam ait de cataclitis, hoc eſt, lectis tricliniaribus, quæ plurimùm iis picta coloribus, quos dixi. Sed operæ ſit totum de pavonis pulchritudine locum ex doctiſſimo illo ſcriptore appoſuiſſe: *Quamquam & pavo pluma veſtis, & quidem de cataclitis: imò omni conchylio preſſior, quà colla florent; & omni patagio inauratior, quà terga fulgent; & omni ſyrmate ſolutior, quà caudæ jacent: multicolor, & diſcolor, & verſicolor: nunquam ipſa, ſemper alia; etſi ſemper ipſa, quando alia; toties denique mutanda, quoties movenda.*

d Stragulum.

Pavo oculos ante trimatum non accipit. Verulamius pag. 86.

Tertio loco Statius memorabat phaſianum: quem inter formoſiſſimas aves etiam repoſuit Solon. Sed is gallum addebat gallinaceum; qui cum pulcherrimus plurimùm ſit, minùs tamen à forma laudari ſolet, quia avis ſit uſque adeò vulgaris. De Solone quod dixi, iſtiuſmodi eſt. Cùm videret ſapientiſſimus vir, Crœſum exquiſitum in morem ornatum, & ſublimi in ſolio conſidentem, rogabatur, ecquod pulchrius vidiſſet ſpectaculum. Reſpondit ille, ut apud Laërtium *e* eſt, ἀλεκτρυόνας, φασιανούς, καὶ ταώς· φυσικῷ γὰρ ἄνθει κεκόσμηνται, καὶ μυρίῳ καλλίονι. *gallos gallinaceos, phaſianos, atque pavones: naturali enim nitore, & incredibili veſtiuntur ornatu.* Nec de alite hac adſcribere pigebit, quid ſenſerit Gybertus Longolius Ultrajectinus, Chriſtophori Longolii patruus, eleganti dialogo ſuo de Avibus: *Phaſianis nunquam quicquam ſpecioſius contemplatus ſum. Valeant omnes pictores: ipſe Apelles ſi redivivus foret, varietatem, & ſplendorem pennarum pluſarumque imitari non poſſet.*

e In Solone.

Quanta etiam venuſtas *f* eſt manucodiatarum, ſive apo-

f Cardanus in 10. de Subtil. Et Scaliger Exercit. 228.

apodum Indicarum? quarum plumis icirco ſe Janizari ornant in prœlium ituri cum imperatore: ut eſt apud Bellonium in tertio Obſervationum, cap. xxv.

Quin & alites quaſdam ſimplex color commendat. Nam, ut Plinius *a* ait, *decet tetraonas ſuus nitor, abſolutaque nigritia.* Par ratio oloris, & corvi: de quibus ita Appulejus *b*: *Cum duo colores præſtabiles forent, piceus & niveus, quibus inter ſe nox cum die differunt; utrumque colorem Apollo ſuis alitibus condonavit; candidum olori, nigrum corvo.* Interea fallitur Porphyrius Iſagoges ſuæ cap. v: ubi ait, nigrorem eſſe accidens corvi ἀχώριστον *c*, ſolaque cogitatione ſeparabile. Nam reapſe etiam à corvo nigritia abeſt. Quippe Ariſtoteles in v de generat. Anim. cap. vi, ait, viſum ſibi corvum album. Ipſe etiam conſpexi Londini in ædibus illuſtriſſimi Comitis Arondelii. Et in Norvegia, atque inſulis Cimbricis, quæ ſereniſſimo regi Daniæ parent, aliis item Septentrionis terris *d*, frequentes hujus ſunt coloris. Reperti quoque in America; ut ex iis conſtat, qui continentis ejus hiſtoriam reliquerunt. De Norvegia, & locis finitimis, minùs mirandum, quia frigus mater eſt alboris: unde & in Scythia, Pyrenæis montibus, & Alpibus, reperiuntur albi coloris, tum aquilæ, accipitres, vultures, corvi; tum urſi, ac vulpes.

a *Lib.* 10. *cap.* 22.
b *Lib. de Deo Socratis.*
c *Sive inſeparabile.*
d *Olaus M. lib.* 19. *cap.* 8.

Cap. LXXXI.

Cur avibus diurnis acutus ſit viſus attributus. Quare vultur ſit ſymbolum viſus. Quod aves altivolæ tam longe diſſita conſpiciant, non ſolum præſtantiæ oculi, ſed etiam ſublimi volatui, tribui oportere. Cur aves nocturnæ ſint à Deo relatæ inter immundas. Quàm firmo obtutu aquila ſpectet ſolem. Cur noctua de nocte melius cernat: nec æque tamen vel de nocte cernere, vel de die cæcutire. Euſtathii opinio de igneis noctuarum oculis refellitur. Cur veſpertiliones involent in faces, candelas, gladios. Unde eſſe videatur, quod corvi dicantur fulmen per aera diſpergere. De gypaëto, non autem vera aquila, intelligendum illud, Ubi cadaver, ibi aquila. Magna avis *pro vulture. Quantum odoratu valeant vultures, & cauſſa ejus rei naturalis. Error Philæ de quatuor narium ſpiraculis in vulture. Si verum eſt, vultures advolare ad exercitus, aliquot ante prælium diebus; non odoratui, ſed, ut ſic dicam, mentis ſagacitati, hoc eſſe tribuendum. Vultures roſaceo inunctos unguento mori.*

QUoniam de iis dixi, quæ ad facultatem pertinent vegetativam: nunc expediam de ſenſibus, tum externis, tum internis.

Viſu avibus diurnis acuto opus fuit, tum ut iter proſpicerent, præſertim in terras longinquas; ut cum è Scythia contendunt in Ægyptum: tum etiam, ut deſpicientes ſciant, quid deprædentur in terris. Maronis *a* illud de cygnis notum:

> —— *Nunc terras ordine longo*
> *Aut capere, aut captas jam deſpectare videntur.*

Viſûs principatus eſt penes aquilam: de quo antea egimus, & mox aliquid dicam. Poſt aquilas videtur proximus eſſe vulturibus locus. Imò Orus in Hieroglyphicis *b* ait, Ægyptios, ad ſignificandum viſum, pingere vulturis ſymbolum. Sed adſentio iis, qui vulturem cenſent viſu ab aquila vinci. Imò quòd & aquilæ, & vultures, longè adeo ſibi ſubjecta conſpiciunt, non tam eſſe cenſeo ab organi præſtantia, quàm ex volatu ſublimi: quia quo altiùs ſe efferunt, eò latiùs ſe diffundat viſus per montes & convalles ſubjectas. Idemque judicium eſt Iſidori lib. xii Orig. cap. vii.

a *Æn.* 1. 400.
b *Lib.* 1. *cap.* 11.

Cornices acutè vident: unde qui plus ſapientiſſimis ſapere ſibi videntur, dicuntur cornicum velle oculos configere *c*.

c *Cic. pro Muræna, & L. Flacco.*

Sed de acumine viſus quæ adduximus, ad aves pertinent diurnas. *Contra nocturnarum avium hebetes interdiu oculi*: ut ait Plinius lib. x, cap. xii. Tales dicit noctuam, bubonem, ululam. Hæ aves, quia tenebris gaudeant, eo inter immundas *a* recenſentur; ut illo pacto ſignificetur, fugienda eſſe opera tenebrarum. Quamquam, præter myſticam hanc cauſſam, etiam naturalis ratio eſt, de qua poſtea videbitur. Ob eum viſus defectum, aquila, & noctua, opponuntur. Aquila quippe, quæ non volat, niſi de die, rectà Solem intuetur. Sanè Cæſar Scaliger *b* nigram habuit aquilam, quæ diutiùs Solem directà intueretur acie ac contenta, adeoque inconnivens, ut nec ipſe in ſpeculo tamdiu id potuiſſet. Noctuæ quid ſimile? Scitè itaque Tertullianus noctuis confert eos, qui in rebus etiam apertis cæcutiunt. Sic enim ſcribit lib. de Anima cap. viii: *Solem noctuæ neſciunt: oculis aquilæ ita ſuſtinent, ut natorum ſuorum generoſitatem de pupillarum audacia judicent: alioqui non educabunt, ut degenerem, quem Solis radius averterit. Eſt ideo alteri quid inviſibile, alteri non, quod non ideo incorporale ſit, quia non ex æquo vis valet. Sol enim corpus, ſiquidem ignis. Sed quod aquila confiteatur, neget noctua, non tamen præjudicans aquilæ.* Videt autem noctua meliùs noctu, quàm diu; quia lumen Solare diſgregat viſum, quod tenebræ congregant. Nec tamen vel æque videt de nocte, vel pariter cæcutit de die. Minutum eſt, quod videt meridie; quia pauci, quos habet, ſpiritus diſcutiuntur, ac diſſipantur: nihil eſt, quod videt nocte intempeſtà, & illuni, quia aëre non illuminato nihil cernitur. Sed bene videt (ut de bubone diximus) diluculo, & crepuſculo, quia tum lux eſt moderata. Errat igitur Euſtathius, cùm putat, noctuis eſſe ſpiritus igneos, quibus ſpiſſas etiam tenebras penetrent. Nam ut emiſſione ſpirituum videretur, (quam opinionem refellimus cap. xxv hujus libri:) non tamen ita cum nocturnis eſt oculis comparatum, uti cum ælurinis, ſive felinis, qui ob ſiccitatem cerebri oculis ſunt flammantibus, & interno lumine, quantum ſatis eſt, illuminantibus aëra proximum: quod de noctuis dicere non poſſumus. Hæ enim nocte illuni nihil conſpiciunt, ſic ut acceſſu hominis non moveantur, quia non vident. At feles etiam in locis ſubterraneis, & occluſis, eoque nihil admittentibus luminis, murium venationi ſtudent. Quemadmodum nec iis tam debile lumen, ut diſcutiatur clara ſolis luce. Hæc, quæ de noctuis diximus, etiam declarant, cur veſpertiliones clariori lumine offendantur: indeque cæcutientes in faces, aut candelam ſtipiti vel ſcopis impoſitam, vel gladium protenſum, impingant; ut ſæpius eo pacto capiantur. Fortaſſe & corvis lumen grandius oculos præſtinguit. Admodum quidem ſuſpectum mihi eſt, quod ajunt, eos, quando fulminat, huc illuc per aëra ignem roſtro deferre. Attamen ſi vera res eſt, crediderim, ut cicindelæ, viſu ob nimium lumen obſcurato, advolant ad candelam; ſic & corvis viſum offuſcari ab igne fulmineo: ac quia ignis is rubet, eo corvis carnem putari, & ſcintillas ejus in aëre conſpicuas ore etiam apprehendi. De viſu hactenus.

a *Levit. cap.* 11, *verſ.* 16. 17.
b *In Ariſt. hiſt. Animal. lib.* 9. *cap.* 34. *ſive ex Scalig. diſt. c.* 45. *ſect.* 240. *Item Exercitatione adverſus Cardanum* 228. *ſect.* 3.

Auditu aves non modò valent, ſed etiam ſoni capiuntur dulcedine: ut docent aucupia. Notiſſimum illud Catonianum:

> *Fiſtula dulce canit, volucrem dum decipit auceps.*

Odoratu cæteris avium antiſtant vultures. Unde Appulejus in Apologia: *Si vero naribus nidorem domeſticum præſenſit; vincit idem* (Junius Craſſus) *ſagacitate & canes, & vulturios.* Odore interim valet quoque degeneris aquilæ genus, quod non ſolùm *gypaëtos*, quaſi *vulturinam aquilam* dicas; ſed etiam *hypaëtos*, quaſi *ſubaquila*, nominatur. Deque hoc genere capiendum eſt Hebræorum proverbium, *Ubi cadaver, ibi aquila.* Habes Jobi xxxix, 29 *c*, Matth. xxiv, 28. Luc. xvii, 37. De ſolo autem gypaëto intelligendum & Jobum, & Euangeliſtas, (uti & locum Proverb. xxx, 17) ex eo videmus, quòd aquilarum aliæ abſtineant cadaveribus: ut auctor eſt Ariſtoteles lib. ix Hiſt. Animal. cap. xxxii. Ac propterea B. Chryſoſtomus, Euangeliſtam Matth. *d* enarrans, pro aquilis vultures non dubitat dicere. Nempe

c *Al.* 30.
d *Homil.* 49. *in Matth. cap.* 24.

quia

quia & ſint aquilæ vulturinæ, ſive vultures aquilini. Tanta eſt interdum aquilæ, & vulturis, ſimilitudo; ſeu formam, ſeu etiam magnitudinem ſpectes. Unde & *magnas aves* non pro aquilis modò, ut ſuperiùs *a* oſtenſum; ſed etiam pro vulturibus legas. Ut illo Plauti Rudente act. III, ſc. IV:

a Cap. præcedenti.

Teque ambuſtulatum objiciam magnis avibus pabulum.

Non injuriâ autem miretur aliquis, hanc vulturis in odorando vim. Nam etiam trans mare ab iis cadavera ſentiri, annotavit B. Hieronymus ad ſignatum proximè Euangeliſtæ locum. Imò Thomas Aquinas comment. in lib. II de Anima cont. XCVII, refert, odorari per quingenta paſſuum millia. Id quamvis fabuloſum putat, tamen non dubitandum, quin ad aliquot paſſuum millia pateat eorum odoratus. Nempe ſiccius, & exquiſitiùs multò vulturibus eſt odoratus organum, quàm nobis. Interdum tamen odoratui tribuitur, quod eſt a ſublimi volatu. Nam ſupra montes altiſſimè elevati, cadavera à longiſſimis etiam ſpaciis deſpiciunt. Præterea nec ſi odoratu perſentiſcant valde longinqua, adeo mirandum, quando odores adſcendunt, ac vento ſæpe in ſpacia admodum diſſita per aëra propelluntur: cujus modum expoſuimus libri hujus cap. XXX. Nihil igitur opus, ut propter ſagacitatem odoratus tribuamus vulturi quatuor narium ſpiracula: etſi hanc opinionem etiam Philes in Jambis ſequatur: cui iccirco is dicitur *τετράπνους b.*

b Quadrinaris.

Mirificum planè, quod ait Plinius lib. X, cap. VI: *Umbricius, haruſpicum in noſtro ævo peritiſſimus, tradit, triduo ante, aut biduo, vultures volare, ubi cadavera futura ſunt.* Ex hac opinione Plautus Truculento act. II, ſc. III:

—— Vide jam, ut quaſi vulturii triduo
Prius prædivinant, quo die eſuri ſient.

Atque hinc colligunt, triduo ante, (imò aliqui totâ ajunt hebdomade) odorari, ubi cadavera ſint futura. Verùm illud non falſum modò eſt, ſed planè abſurdum. Nam quo pacto olfacere poſſint, quod non eſt? Nec enim priuſquam cæſa ſint corpora ab iis differunt, quæ non cadent bello. Quocirca, ſi verum eſt, ad exercitus ingentes convolare aliquot ante prœlium diebus: id pertinebit potiùs ad ſagacitatem animæ, qua pugnam imminere præſagiant, unde ipſis large ſuppetere poſſit alimonia. Atque hanc rationem adferre etiam maluit Ælianus lib. II de Animal. cap. XLVI. Plautus quoque iccirco ait *prædivinare*, ut vidimus. Ac ſimiliter Philes in Jambis iis tribuit *φύσιν μαντικὴν*, *fatidicam naturam*: ut qui exercitus comitentur.

Τῶν σωμάτων ἐλπίδι τῶν πεσουμένων.
Spe corporum, quæ mox erunt cadavera.

Mirum quoque, avem ſic odore valentem, non offendi cadaverum fœtore: ac offendi interea odore unguenti optimo. Non capi eo, nihil fuerit novi. Vix enim aliis afficiuntur odoribus rationis expertia, quàm unde iis alimentum; ut diximus libri hujus capite XXX. Sed iſtud cauſſam habet occultiorem, quòd, ut Clemens Alexandrinus ait Pædagogo poſteriore, *Οἱ γῦπες, καὶ κάνθαροι, ῥοδίνῳ χρισθέντες μύρῳ, τεθνάναι λέγονται*· *Vultures, & ſcarabæi, roſaceo inuncti unguento, mori dicuntur.* Quod Ariſtoteli etiam in Mirabilibus dictum, & ex eo memoratum Geoponicôn lib. XIV, cap. ult. Ut de Theophraſto *c*, Plinio *d*, Æliano *e*, nunc taceam.

c Lib. 6. de cauſſis plant. cap. 4. & 5.
d Lib. 12. cap. 53.
e Lib. 3. de anim. cap. 7. & l. 4. cap. 18.

Cap. LXXXII.

Διάνοια, καὶ πάθος, etiam avibus attributa. Sagacitas avium oſtenſa in iis, quæ ad victum pertinent. Ac primùm in corvis, pullos, ſimulac ſibi ſuffecerint, nido, totâque adeo, regione, exturbantibus: deque eo Æliani error, ἀστοργίαν id eſſe exiſtimantis. Vafricies corvi, quòd abſtineat cadavere peſtilenti. Item quod aggerat in ſitulam lapillos, ut facilius, aquam attingat. Adhæc, quod abdat ciborum reliquias. An pecunias furetur. Ardea, platea, vel pelecanis, ſollertia, priùs ſtomacho ſuo concoquentis, quæ poſtea comedat. Oſſifragæ, pici Martii, vulturis, corvi, ibidis, calliditas in iis, quæ cibum tangunt. Poſt iſta ſecundo loco *refertur avium ſollertia in aëre diſtinguendo. Nam peſtilentis aëris, ac ſalubris, diſcrimen ſciri ab iis, & ab his id diſcere hominem poſſe. Eaſdem nôſſe naturâ, qua anni tempeſtate novas regiones petant, vel deſerant veteres: quod præcipue de gruibus oſtenſum. Præterea præſcire ſerenitatem, pluviam, tempeſtates: & quæ ſit ejus notitiæ cauſſa.* Tertio loco *memoratur avium ſagacitas in iſtis, quæ attingunt generationem, & educationem fœtus. Sollertia halcyonis, & paſſeris, in nido exſtruendo. Cur cuculus ova ſua ponat in nido currucæ: & quare curruca alienos magis pullos curet, quàm ſuos. Perperam vulgo* cuculos *dici, quibus uxores adulteræ: ac veteribus Romanis tales potius* currucas *nominari. Quàm callide perdix femina eludat marem, ac ova confringat, atque ut hominem quoque ab ovis abducat. Ut hirundines doceant pullos adultiores fimum egerere extra nidum: atque hanc ejus avis mundiciem intuliſſe ſeniori Tobiæ cæcitatem. Quæ de ſollertia avium Diomedis ferantur. Hinc* quarto loco *narratur prudentia alitum in iis, quæ ad ſui, ſuorumque defenſionem pertinent. Ac primò in gruibus id plurifariam declaratum. Et cujus literæ figuram referant in volatu. Quàm infeſtæ barbaris dicantur eſſe aves Diomedeæ: & utrùm ſint in rerum natura. Diverſas eſſe ab charadriis, contrà quàm Dalecampius putavit. Unde Juba Diomedeis avibus nomen fecerit* catarractis. Mergis *unde id vocabulum. De pavonibus Gracula fabella. Vafricies chenalopicis, cincli, & noctua.*

Nunc videamus de iis, quæ ad interiores ſenſus pertinent, ac *διάνοιαν a*, mox conſideraturi illa, quæ *τὸ πάθος, καὶ ἦθος b*, ſpectant. *Διάνοιαν* verò, *καὶ ἦθος*, etiam avibus tribuimus, Ariſtotelis *c* exemplo; cui *κρὲξ τὸ μὲν ἦθος μάχιμος, τὴν δὲ διάνοιαν εὐμήχανος πρὸς τὸν βίον*· *crex, quod ad mores pertinet, eſt pugnax: quod autem ad ingenium, induſtrius ad victum.*

a Mentem.
b Affectum, ac mores.
c Lib. 9. Hiſt. Animal. c. 17. ſive Caſ. Scal c. 21. ſect. 181.

Ad interiorem ſenſum ſpectat ſagacitas, ſeu ſollertia; quam in quatuor iſtis conſiderabimus; alimoniâ, aëre, generis propagatione, & defenſione ſui ſuorumque. De alimonia primò videndum.

Singularis eâ parte ſollertia eſt in corvis. Quippe magnopere obſervant, quæ terræ paucis, vel multis, ſufficiant alendis. Hinc enim provenit, quòd, pullos educâſſe contenti, uſque dum volare ipſi, & de cibo ſibi proſpicere, ſciant, non tantùm nido, ſed, ſi ſterilius ſit loci ſolum, totâ expellant regione. Non igitur cum Æliano *d* hinc *ἀστοργίαν e* erga pullos liceat colligere, ſed prudentiam potiùs. Itaque videas ſimiliter gentes varias, Septentrionales imprimis, cùm agri non ſufficerent alendis, vel centena hominum millia remotiſſimas expuliſſe in terras; quæ hodieque ab iis *Lombardiæ*, *Normanniæ*, aliaque obtinent nomina.

d Lib. 2 de Animal. cap. 49.
e Amoris defectum.

Etiam corvi prudentiam arguit, quòd corporibus abſtinet peſtilentiâ abſumtis: ut obſervatum Athenis celeberrima illa peſtilentiâ, quam Thucydides *f*, & Lucretius *g*, deſcribunt.

f Lib. 2.
g Lib. 6.

Quantus etiam aſtus, de quo traditum à quibuſdam (ut Plinius ait lib. X, cap. XLIII) *viſum per ſitim lapides congerentem in ſitulam monumenti, in qua pluviæ aqua durabat, ſed quæ attingi non poſſet: ita deſcendere paventem expreſſiſſe tali congerie, quantum potuiſſet h ſufficeret.* Atque idem legas apud Plutarchum in Comparatione terreſtrium, & aquatilium: item Ælianum lib. II de Animal. cap. XLVIII.

h MSt. potui.

Ejuſdem prudentiam ex eo videmus, quòd, quæ comedat poſtea, ſecretum in locum abdat. Furacem cum Alberto M. *i* hinc eſſe colligunt. Id verò nihil eſt, cum corvi non ſit diſtinguere inter privatum, & commune.

i Lib. 23. de Animal.

At, inquiunt, Erfurdiæ, Saxoniæ oppido, corvus etiam de menſa, in qua reponi ſolent pecuniæ, nummos abſtulit, ac ſub vicino condidit lapide: ii nummi quinque ſex florenos æquabant. Nugæ, ut metuo. Quid ſi nequam filius familias, aut è famulitio aliquis, hoc egerit, ut ſi avis innocens, ex eo, quòd in cibis, hoc faceret, etiam in pecuniis facere crederetur, furta magis laterent domeſtica? Aliter ſi eſt, non jam prudentiæ fuerit, ſed ſtultitiæ. Cui enim bono ſint pecuniæ corvis? Monedulam objiciat aliquis. Sed de hac res teſtatior; ut inferiùs dicemus.

Magna item ſagacitas eſt ſive erodii, hoc eſt, ardeæ, ut cenſet Plutarchus in animalium comparatione; ſive plateæ, ut Plinius ait lib. x, cap. xl: quippe *cum devoratis ſe implevit conchis, calore ventris coctas evomit, atque ita ex iis eſculenta legit, teſtas excernens.* Τῷ πελεκᾶνι idem tribuit Ariſtoteles lib. ix Hiſt. Anim. cap. x *a*. Itaque Gaza πελεκᾶνα reddidit *plateam*. Cæſar Scaliger *b* onocrotalum cenſet, qui Italis *tarabuſius*.

a Ex Scaligeri diſt. cap. 14. ſect. 149.
b Commentario ad eum locum.

Adhæc non exiguæ eſt ſagacitatis argumentum, quòd avis ea, quæ Ariſtoteli φήνη, Plinio *oſſifraga* dicitur, inde Romanum hoc nomen accepit, quia oſſa demittat ex ſublimi, quò, iis fractis, veſcatur medullâ: quæ ſententia eſt Alberti M.

Picus Martius arbores roſtro tundit. Cur verò, niſi ut inſecta (velut pulices, & vermiculos) inde educat, ac voret? Nam mox ab egreſſu comedit. Hanc rationem etiam adducit Ariſtoteles lib. ix de Animal. cap. ix. Ut verò ab hoc more tundendi ulmos, vel quercus, δρυοκολάπτης nomen ſit adeptus, diximus ſuperiùs cap. lxxx.

Prudentiæ eſt in vulturibus, imò & corvis, & pleriſque aliis avibus, quòd abſtineant animantibus à venenato ſerpente interemtis: quemadmodum Nicander docet in Theriacis.

Ibis non bibit ex aqua ſordidâ, vel venenis infecta, ſed pura, ac ſalutari: eaque eſſe cauſſa dicitur, cur, ut Ælianus *c* ait οἱ ἐν τῇ Αἰγύπτῳ ἱερεῖς ἑαυτοὺς ἀπορραίνουσιν, οὐ παντὶ ὕδατι, ἀλλ᾽ ἐκείνῳ, ἐξ οὗ πεπιστεύκασιν ὅτι ἀρχὴν καὶ ἶβις πέπωκεν· *ſacerdotes in Ægypto non omni ſe aquâ luſtrent, ſed eâ, unde credant ibin bibiſſe.*

c Lib. 7. de Animal. cap. 45.

Ab alimonia tranſeo ad aëra: cujus trifariam delectum faciunt. Primus eſt, ratione ſalubris, vel peſtilentis. Siquidem naturali inſtinctu præſagiunt mutationem aëris in pejus. Quod quomodo fiat, exemplis quibuſdam oſtendi libri hujus iii, cap. xv. Et ſanè Anaximenem conſtat ex avium receſſu terræmotum prædixiſſe. Ac ſimiliter ex eodem & ſecuturam conjectant peſtilentiam. Nempe ſimulac teter exſpirare halitus ex terræ cavernis, ſive etiam alia de cauſsâ corrumpi aër cœperit, aves in eas avolant regiones, ubi aër melior eſt, ut hoc pacto ſuæ conſulant ſaluti. Equidem Leidæ, graſſante acri peſtilentiâ, neque in noſtro, neque in vicinorum hortis ſuburbanis, avem ullam conſpicere potui, cùm aliàs cantibus earum omnia perſonarent. Itaque & Laurentius Joubertus, medicus inſignis, lib. de peſtilentiâ cap. v, attendere jubet, quò aves concedant: ut & ipſi earum monitu commigremus in loca nondum infecta. Et hoc quoque non infimum eſt divinæ erga nos curæ argumentum, quod à mutis etiam animantibus documentum capere liceat valetudinis tuendæ.

Alterum aëris diſcrimen eſt ratione caloris, & frigoris, pro vernâ, æſtivâ, vel hibernâ anni tempeſtate. Huc reſpexit Jeremias viii, 7, cùm exprobrat Judæis, *quod nequeant agnoſcere tempus viſitationis; cum grus, & hirundo, & ciconia, nôrit tempus ſui adventus.* Hirundines ut hieme adventante abeunt, ſic redire ſciunt vere imminente: unde Cornificius *d* iis comparat amicorum illos, qui præſtò ſunt in fortunâ felici, ſed malis temporibus nos deſerunt. Recipiunt autem ſe hieme verſus loca calidiora, quæque naturæ ſuæ magis conveniunt. Nec paucæ interea remanent: ſed hæ abdunt ſe in fiſſuras petrarum, vel concava putridarum quercuum; ubi & quandoque mortuæ, vel glomeratim cohærentes repertæ. Eaſdem redire, quæ præcedenti anno fuerint nobiſcum, eo deprehenſum eſt argumento, quòd reduces rubrum habuerint filum pedi alligatum, quomodo fuerant dimiſſæ.

d Lib. 4. ad Herenn.

Præterea memorat Propheta grues, & ciconias. Ex iis ciconiæ ſunt æſtatis advenæ; grues, hiemis: quemadmodum ait Plinius lib. x, cap. xxiii. De priori ſic Publius Syrus:

Ciconia etiam grata a, *peregrinhoſpita* b,
Pietaticultrix, gracilipes, crotaliſtria,
Avis exſul hiemis, titulus tepidi temporis.

a Aliqui, Graja.
b *Vet. cod.* peregrina hoſpita.

Quos verſus Petronio perperam tribuit inter cæteros Dalecampius *c*, cum pro Publianis ipſe agnoſcat Petronius in Satirico ſuo.

c Ad locum Plinii memoratum.

Gruum prudentiam, quando terras petunt ſub alio calentes Sole, hoc pacto nobis deſcribit Plin. lib. x, cap. xxiii: *Abituræ congregantur in loco certo: comitatæque* d *ſic, ut nulla ſui generis relinquatur, niſi captiva, & ſerva, ceu lege prædictâ die recedunt. Nemo vidit agmen diſcedentium, cum diſceſſurum appareat; nec venire, ſed veniſſe cernimus: utrumque nocturnis fit temporibus. Pythonos comen* e *vocant in Aſia patentibus campis; ubi congregatæ inter ſe commurmurant, eamque, quæ noviſſima advenit, lacerant, atque ita abeunt. Notatum poſt Idus Auguſti non temere viſas ibi.*

d Cunctatæque *an legendum ſit, ambigit Pintianus.*
e Πύθωνος κώμην. vicum Pythonis. *Perperam in nonnullis.* Pythonis nomen.

Anſeres, & olores, cùm magno agmine commeant, quemadmodum ibidem legas, *colla imponunt præcedentibus: feſſos duces ad terga recipiunt.*

Tertius aëris delectus eſt ratione imminentis ſerenitatis, pluviæ, ventorum. In his magnum ſagacitatis argumentum capere eſt ex prognoſticis; de quibus poſt Aratum, & alios, Maro i Georg. Unde autem ſit, quòd aves præſagiant aëris mutationes, non ſatis convenit inter eruditos. Non defuere, qui inde colligerent, aliquid iis ineſſe divini. Sed vera eſt ratio, quod avium animæ, quia corporibus planè ſunt immerſæ, eo, ut mente minùs, ita plus ſenſu valeant. Citiùs igitur, exactiuſque, vel leviſſimas aëris mutationes intelligunt. Hæc magni Maronis ſententia fuit, tum de opinione, quàm rejecimus; tum illâ, quàm amplectebamur. Sed divinum vatem *f* audiamus:

f 1 Georg.

Haud equidem credo, quia ſit divinius illis
Ingenium, aut rerum fato prudentia major:
Verum ubi tempeſtas, & cæli mobilis humor,
Mutavere vias, & Jupiter humidus Auſtris
Denſet, erant, quæ rara modo, &, quæ denſa, relaxat;
Vertuntur ſpecies animorum, & pectora motus
Nunc alios, alios, dum nubila ventus agebat,
Concipiunt. hinc ille avium concentus in agris,
Et lætæ pecudes, & ovantes gutture corvi.

Interim pro temperamento humidiori, aut ſicciori, variè afficiuntur. Hoc abunde lucem capit ex iis, quæ diximus libri hujus cap. xv.

Ab alimonia, & aëris diſcrimine, nunc ſermonem meum converto ad ſagacitatem in iis, quæ propriè generis propagationem tangunt. Uti ſunt nidorum exſtructio, conceptus, partus, pullorum educatio.

Quanto cum ingenio halcyon, quæ & alcedo vocatur, avicula paſſerinæ magnitudinis, in ſcopulis, vel ipſo mari, exſtruit nidum! Si enim materiem ſpectes, eſt ea ex ſpina piſcis, qui acus *g* dicitur. Si formam, eſt oblonga ad modum cucurbitæ, planè idonea adverſus fluctus. Si tempus, nidificat circa brumam; quo tempore, Deo ſic providente, magna eſt maris tranquillitas: unde *halcyonia*, vel *alcedonia* dixere. Audiamus Plinium lib. x, cap. xxxii: *Nidi earum admirationem habent pilæ figurâ, paullum eminenti ore perquam anguſto, grandium ſpongiarum ſimilitudine: ferro intercidi non queunt, franguntur ictu valido, ut ſpuma arida maris. Nec unde confingantur, invenitur. Putant ex ſpinis aculeatis: piſcibus enim vivunt. Subeunt & in amnes.* Quæ hauſit ex Ariſtotelis lib. ix Hiſt. cap. xiv. Subdit Plinius cap. prox. *Halcyonum nidi figura reliquarum quoque ſollertia admonet: neque alia*

g *Belon.* *Ariſtoteles lib 9. Hiſt. Animal. cap. 14.*

parte

parte ingenia avium magis admiranda. Hirundines luto conſtruunt, ſtramento roborant. Siquando inopia eſt luti, madefacta multâ aquâ pennis pulverem ſpargunt. Ipſum verò nidum mollibus plumis floccisque conſternunt, tepefaciendis ovis, ſimul ne durus ſit infantibus pullis. Subdit mox, quanto ſtudio nidorum mundiciem procurent: de quo paullo pòſt loquar. Hinc agit de nidis hirundinum agreſtium, & ripariarum: item acanthyllidos, pici, galguli, cinnamologi, ſic dicti, quia in cinnami ſurculis nidificet: item Scythicæ avis otidi magnitudine ſimilis, picæ, meropis, perdicis.

Mira pariter ſollertia eſt paſſeris Indici; qui ob eximiam in exſtruendo nido ſagacitatem, εἰρωνικῶς *paſſer ſtultus* nominatur. Vide, quæ de hoc narrat Cardanus in x de Subtilitate.

Magna quoque eſt cuculi prudentia. Scit, ſe exoſam avium aliis; item ſe meticuloſam ac imbellem; ſive potiùs frigidam adeò, ut ova nequeat propria excludere. Ne igitur pereat ſuum genus, in nido ea excludit alieno: ut
a Sive cap. 37. ſect. 211. ex diſtinct. Cæſ. Scal. eſt apud Ariſtotelem Hiſt. Animal. lib. IX, cap. XXIX *a*, & lib. III de Generat. animal. cap. I, Plin. lib. X, cap. IX, Ælianum de Animal. lib. III, cap. XXX. Ariſtoteles quidem inter cætera hoc pacto: cùm, inquit, ſciat, ſe non poſſe pullos ſuos defendere, διὰ τοῦτο ὥσπερ ὑποβολιμαίους ποιεῖ τοὺς ἑαυτοῦ νεοττοὺς, ἵνα σώζωνται· *eâ de cauſâ, ſuos ut pullos ſervet, illos facit ſuppoſititios.* Ponit autem ova ſua in nido palumbis, alaudæ, ac præcipuè curucæ. Hæc verò, ovo excluſo, ubi avem conſpicit ſuis majorem pullis, nimium quantum miratur, nec ullius æquè gerit curam: quamquam de iſto quidem aliter nonnulli. Qui primi Gallorum eam induxere conſuetudinem, ut maritum natos ex adultera liberos educantem pro ſuis, *cuculum* nuncuparent, hi planè confuderunt *cuculum*, & *curucam*. Nam adultero convenit *cuculi*, ſive *cuculli* nomen: *curucæ* autem adulteræ marito. Sic in Aſinaria utitur Plautus act. V, ſc. II: ubi Artemona Demænetum, quia cum filii Argyrippi amica rem habere vellet, in hunc compellat modum:

At etiam cubat cuculus. ſurge amator. i domum.

b Verſ. 275. Item Juvenalis ſat. VI *b*:

Tu tibi nunc curuca places, fletuque labellis
Exorbes.

Ridet enim maritum impudicæ conjugi nimis credulum, & ab uxore ſuppoſitos tenerè amantem, ut proprios. Interea veterem eſſe errorem, ex Acrone videmus, id cuculo tribuente, quod eſt curucæ. Vide eum ad illud Horatii lib. I, ſat. VII:

—— *Magnâ compellans voce cuculum.*

c Fatua. Perdix quoque nihil minùs, quàm εὐήθης *c*. Planè
d Lib. 9. Hiſt. Animal. c. 8. enim, ut Ariſtoteles *d* ait, κακοήθης, καὶ πανοῦργος, *vafra ac malitioſa.* Hujus aſtutiæ Ariſtoteles *e* argumen-
e Ibidem. tum adfert, quòd mas quidem, ut femina admittat Venerem, ova ejus confringat: femina autem, utcumque, ſi partus urgeat, mare præſente ova excludat; eadem tamen, ſi tempus ſuppetat, abeat, pariatque: neque ad ova accedat, niſi commodâ marem decipiendi ratione, ne is, ubi ova ſint, reſciſcat. Imò etiam, ab homine viſa, callidè ante pedes ſe oſtentat, ac ſic fugit, ut ab ovis abducat.

Nec brutæ mentis argumentum eſt, quòd hirundines primitus in pullis neceſſe habeant ferre immundiciem. Sufficit, quòd, ubi nidum ab iis inquinatum conſpexerint, egerant excrementa. At hoc jam diſciplinæ eſt, quòd, ubi adoleſcunt pulli, eos circumagunt, ut & ipſi excernant extra nidos. Eo minùs mirandum, ſi ſenior
f Cap. 2. verſ. 11. Tobias *f* excæcatus fuerit ſtercore extra nidum depoſito. Magis mirandum, fuiſſe ſanatum felle piſcis, cùm non ſtercus modò hirundineum ſit calidiſſimum; verùm fel etiam piſcium: & contraria contrariis ſanentur. Sed de felle inferiùs dicetur.

Magna item ſagacitas eſt avium Diomedearum, de quibus refert Plinius lib. X, cap. XLIV: *Duos ſemper iis duces; alterum ducere agmen; alterum cogere. Scrobes excavare roſtro, inde crate conſternere, & operire terra; in his fœtificare. Fores binas omnium ſcrobibus: orientem ſpectare, quibus exeant in paſcua: occaſum, quibus redeant. Alvum exoneraturas ſubvolare ſemper, & contrario flatu.* Hinc ſubdit, has aves uno ſolùm totiùs orbis loco conſpici: nempe inſulâ maris Adriatici contra Apuliam ſitâ, quæ hodie *S. Maria Trimitina*, teſte Leandro in Italia ſua *a*. Utrùm verò ſint aves Diomedeæ, a Ubi de Apulia Daunia p. 379 edit. Colon. Birnati.
& verane ſint, quæ de iis produntur, exponam, ubi devenero ad caput illud de ſui, ac ſuorum, defenſione: quod quartum erat ex iis, è quibus ſagacitatem alitum me oſtenſurum receperam. Et quia de ſollertia in propagando genere ſuo, ex immenſa copia hæc pauca arbitror ſuffectura, quid impedit, quò minùs jam nunc ad caput illud accedam?

A gruibus, de quorum in aliis ſagacitate dictum antea, hic initium nobis eſto. Eorum prudentiam indicant Pliniana hæc lib. X, cap. XXIII: *Quando proficiſcantur, conſentiunt: volant ad proſpiciendum alte: ducem, quem ſequantur, eligunt: in extremo agmine per vices, qui acclament, diſpoſitos, habent, & qui gregem voce contineant. Excubias habent nocturnis temporibus, lapillum pede ſuſtinentes, qui laxatus ſomno, & decidens, indiligentiam coarguit. Cætera dormiunt capite ſuper alam condito. Dux erecto providet collo, ac prædicit.* Quæ ferè hauſta ex Ariſtotelis lib. IX Hiſt. Animal. cap. X *b*. Ad- b Sive, ſecundum diſt. Cæſ. Scal. c. 14. ſect. 148.
hæc gnaræ, ſe aquilis eſſe infirmiores, eò quoties, è Cilicia migraturæ Septentrionem verſus, neceſſe habent Taurum montem tranſmittere, qui aquilas magno habet numero; noctu transvolant lapillum ore geſtantes, ne clangore ullius prodantur. Quod ſi aquila inſequatur, aciem inſtruunt, atque ita, ſpecie pugnæ præbitâ, injiciunt aquilæ terrorem: nam, eo conſpecto, regreditur, periculoſum cenſens depugnare cum ita bene animatis. Teſtes horum Plutarchus lib. de garrulitate, & Ammianus Marcellinus initio lib. IX. Magnæ quoque eſt ſollertiæ, quòd in volando agmen gruum efformet literam Δ, quia hæc figura facilius aëra ſcindit. Quam rationem adducunt Ælianus, Tzetzes, & alii ante eos; in his Cicero lib. II de Nat. Deorum: *Illud verò ab Ariſtotele animadverſum, (in quo pleraque quis poteſt non mirari?) grues, cum loca calidiora petentes maria tranſmittunt, trianguli formam efficere. Ejus autem ſummo angulo aër ab iis adverſus pellitur: deinde ſenſim ab utroque latere, tanquam remis, ita pennis curſus avium levatur: baſis autem trianguli, quam grues efficiunt, ea, tanquam à puppi, ventis adjuvatur, hæque in tergo prævolantium colla & capita reponunt. Quod quia ipſe dux facere non poteſt, quia non habet, ubi nitatur, revolat, ut ipſe quoque quieſcat. In ejus locum ſuccedit ex iis, quæ acquieverunt, eaque viciſſitudo in omni curſu conſervatur.* Videmus, ut, ex Ariſtotele, inter alia dicat, volatum earum formam habere triangularem. Quod & Ælianus, ac Tzetzes, ajunt. Ac B. Hieronymus ad Ruſticum de vita monaſtica, refert ſimiliter, efficere literam Δ. Nec multum adeo abeunt, qui dicunt referre literam Υ. Nempe ut primæ grues referant pedem literæ, inde divergium gruum fiat. Sanè figuram literæ Υ ex gruum volatu reperit Palamedes: ut ei Ulyſſes objicit in Heroicis Philoſtrati. Sed hæc pluribus exponimus in primo de Arte Grammatica, cap. XXV.

De avibus Diomedeis, (de quibus me promiſeram dicturum) Plinius refert lib. X, cap. XLIV, eos, *advenas barbaros clangore infeſtare, Græcis tantummodo adulari.* Addit, eo Diomedis ſocios in has aves dici converſas, quia in hac inſula, Diomedis tumulo atque delubro inſigni, *ædem quotidie pleno gutture madentibus pennis perluant, atque purificent.* Eadem ferè legere eſt apud Ariſt. in Admirandis auditionibus. Operæ interim eſt cognoſcere, quid tota de hac re cenſeat Cæſar Scaliger Commentario in Ariſt. lib. IX de Hiſt. Animal. cap. XVI, ſect. CLXI: *Diomedeas*, inquit, *aves fabuloſas puto: neque unquam in rerum natura fuiſſe. Figmenta ſunt, mendacium Græcorum.* At aliter eſt, ſi Diomedeæ ſunt aves,

quæ

quæ hodie dicuntur *Arteua*: ut Dalecampio *a* annotatum. Sed miror eum dicere, haſce aves Ariſtoteli *charadrios* vocari. Nuſquam enim Ariſtoteles, quantum meminiſſe poſſum, id charadriis tribuit. Adde quod charadrii variis agant terris, ac ſint, quæ aliter ἴκτεροι vocantur. At Diomedeæ, ut Plinius *b* ait, *uno in loco totius orbis viſuntur.* Nempe inſulâ *contra Apuliæ oram.* In editis, qui nunc ad manum, Plinii codd. *c* (exceptâ Parmenſi *d*) reperio *à Juba dici cataractas.* Sed in MSo, uti & edit. Parmenſi, invenio *cataractas*; rectumque *catarractas.* Nam Ariſtoteles libro de Audit. Mirandis, ubi idem refert, ait, eas aves barbaris in inſulam advenientibus, αἰωρηθείσας καταῤῥάσσειν αὐτοὺς εἰς τὰς κεφαλὰς αὐτῶν *ex alto cum impetu irruere in capita eorum.* Facileque aſſentio doctiſſimo Salmaſio *e*, hoc ipſo ex loco à Juba eis eſſe *catarractarum* vocabulum impoſitum: etſi alioqui ſciam, cunctis avibus prædatricibus id nominis competere, atque Ariſtoteli *f* particulatim *catarractas* dici aves alias, accipitre minores, ſeque in mare mergentes, ac tanto ſpacio in eo manentes, quanto opus ſit, ad jugerum tranſeundum. Quod mergis convenit: unde & iis nomen *mergorum.* Eas verò Ariſtotelis catarractas ab illis Jubæ catarractis eſſe diverſiſſimas, apertius eſt è jam memoratis, quàm ut inſiſtere illi ſit opus.

a Ad memoratum Plinii locum.
b Lib. 10. cap. 44.
c Ut Francofurtenſi an. 1599. Coloníenſi, ſive Genevenſi an. 1615, Lugdunenſi an. 1635.
d Ann. 1474
e In Plin. Exercit. ad Solin. pag. 92.
f Lib 9. Hiſt. Anim. c 12. ſive Scal. cap. 16. ſect. 161.

Magna etiam pavonis eſt ſagacitas, ſi lini radicem inquirit, ac ſub ala geſtat, ut faſcinum amoletum: quod Æliano traditum lib. xi de Animal. cap. xviii. Sed Græculum eſt commentum.

Ab aſtutia vulpina generi cuidam anſeris eſt χηναλώπηξ, ſive *vulpanſeris* nomen datum. Hæc, ut Ælianus ait lib. xi de Anim. cap. xxxviii, audacter procedit hoſti obviam, quo interea pullis tempus ſuppetat avolandi. Maritima amat loca; unde Germanis *zeeganſch* nominatur.

Etiam, ut Ariſt. *g* refert, ὁ κίγκλος πανοῦργος, καὶ δυσθήρατος· *cinclus vafer, & captu difficilis.* Captus tamen, ut idem addit, facilè cicuratur.

g Lib. 9. Hiſt. Animal. c. 12. ſive ex diſt. Scal. cap. 16. ſect. 158.

De noctuarum ſagacitate ita Plinius lib. x, cap. xvii: *Noctuarum contra aves ſollers dimicatio. Majore circumdata multitudine, reſupinæ pedibus repugnant, collectæque in arctum, roſtro, & unguibus tota teguntur.*

Luculentæ etiam ſagacitatis argumenta præbent aves in docilitate loquelæ, ac cantus. Sed illa inferiùs adducam, ubi ad vocis conſiderationem devenero.

Cap. LXXXIII.

Cur alitum aliæ ab aliis non tantopere differant ſollertiâ, quàm quadrupedes inter ſe. Cur ad ova excludenda ter ſeptenis ſit diebus opus. De ſtruthiocameli ſtultitia repetitur. Otis amentia. Unde ei nomen, & cur aliter auſio vocetur. Plinius emendatus. Otum, & otidem, ab Athenæo confundi. Defenſus Ariſtoteles, quem ejuſdem erroris accuſarat Aldrovandus. κίβαλος, *ſeu* κώβαλος. *Planipedes pro mimorum genere: & ut eos cum avibus planipedibus ridiculè confuderit idem Aldrovandus. Cur tam mimi, quàm anſeres, dicantur* planipedes. *Nemeſiani error, tribuentis tetraci ſive otidi, quod eſt aſionis ſive oti. Non omnia ſtulte agi ab oto. Refellitur vir doctus, qui ſcripſerat, Themiſtoclem ſibi propoſuiſſe imitandum Demoſthenis exemplum, injuriâque ab eodem cum oto conferri. Pelecani ſimplicitas. Fabella Græcula de hirundinum memoria.*

Etſi verò magna ſit avium ſollertia; non uſque adeò tamen eâ diſtant, quàm quadrupedes. Neque enim tanto diſcrepant intervallo aquila, & regulus, quàm elephas, & cuniculus. Cujus hanc rei cauſſam adfert Cardanus *a*, quod ſimilis ſit in avibus generatio. Omnes enim ovis excluduntur; idque ter ſeptenis diebus incubando. Diutiùs incubationem non tolerent aves, & brevion ſpatio conformationi animalis perfecti nunimè ſufficiant. Sed ut in eo hæ differunt animantes, ita in iſto conveniunt, quòd ut quædam quadrupedum, ita & avium nonnullæ, inſignis præbeant ſtultitiæ argumentum. Uti ſtruthiocamelus, qui ſi caput cum prælongo collo fruticibus occultarit, corpus reliquum, quod tam vaſtum, latere arbitratur. Hinc de ea Job. xxxix, 20. *Privavit eam Deus ſapientiâ, nec dedit illi intelligentiam.* Diximus de hoc plura, cap. xlix.

a Lib. 7. de Rerum Variet. cap. 34.

Eſt etiam avis, quæ, ſiqua agentes viderit homines, ea imitetur: ac propterea aucupes ex ejus adverſo inungunt oculos pharmaco, inque proximo etiam gluten indunt pelvi: eo conſpecto, avis & ipſa inungit palpebras: quibus conglutinatis, videre ulteriùs nequit; ut nullo jam negotio aucupi fiat præda. Si item è regione quis ſaltarit; ſaltat & illa, ac dum voluptate capitur hujuſmodi, capitur & ipſa ab aucupe. Hanc avem aliqui *otum*, alii *otidem* appellant; cùm diverſæ tamen aves videantur. Nam *otus* eſt noctua aurita: *otis* eſt *tetrax*, & aliter *tarda* nominatur. Ὦτος, Plinio *a* teſte, vocatur ab Græco ὦτα *b*, quaſi *auritum* dixeris. Nempe quia meatus auditorios habet amplos, & peridoneos: deque capite præterea plumæ utrimque, auricularum inſtar, exſurgant. Aliter *aſio*, idque eâdem de cauſſâ, nuncupatur, quaſi *auſio*. Nam pro οὖς Cretenſes dixere αὖς. Hinc Latinis *auſes*, quæ poſtea *aures*: ut ex *Laſes*, poſtea *Lares*; ex *aſa*, *ara*; ex *Papiſius*, *Papirius*. Niſi malis *aſio* eſſe ab Hebræo און oſen, hoc eſt, *auris*. Sed, credo, *aures* ab *auſes*, *auſes* ab αὖς, unde & *auſio*; αὖς vero ab און. At non audiendus Dalecampius, cum ad Plinium *c* annotavit, videri nomen id habere *à voce, quæ rudentem aſinum æmulatur.* In appellatione hujus avis corrupti ſunt codices vulgati. Sic enim legitur lib. x, cap. xxiii: *Otis bubone minor eſt, noctuis major, auribus plumeis eminentibus: unde & nomen illi: quidam Latinè aſionem vocant: imitatrix alias avis ac paraſita, & quodam genere ſaltatrix. Capitur haud difficulter, ut noctua, intenta in aliquo, circumeunte alio.* Verùm in MSo pro *otis* reperio *otus*: & ſimiliter vetus Parmenſis *d*. Et ſanè, quæ Plinius refert, non conveniunt otidi, verum oto: ut, quin ſic legendum ſit, vix liceat dubitare. Sed quod paullo antea dixit, *Abeuntque una perſuaſæ, glottis, & otis, & cychramus*; id optimo jure eſt ſuſpectum. Et hic MSus, & Parmenſis, *otus* repræſentant. Verùm nulla avis nocturna, qualis otus, migrare pro anni tempore alias in terras ſolet. Quare videtur Plinius permiſcere, quæ de oto, deque otide, legerat: nempe quòd ea ejuſdem eſſe avis arbitraretur. Ac fortaſſe vulgari etiam uſu jam olim hæc confundebantur vocabula. Saltem id factum ab Athenæo in nono: ubi cum primo dicat περὶ ὠτίδων, poſtea nobis nominat τὰς ὤτους: poſteriori loco rectè, cum avem vocet nocturnam, & imitatricem, & quæ ſtultitia ſuâ capiatur: ut loco priori pro περὶ ὠτίδων debuerit dicere περὶ ὤτων. Non dubitat Ulyſſes Aldrovandus hujus etiam criminis reum facere Ariſtotelem. Nam, inquit, vocat otum *planipedem*, quod convenit anſerino generi: ad hoc vero otus referri ſolet, etſi nec ipſa planipes. Video, quid Aldrovandum deceperit. Apud Ariſtotelem eſt hoc pacto lib. viii Hiſt. Animal. cap. xii: ἔστι δ' ὁ κίβαλος, καὶ μιμητὴς, καὶ ἀντορχούμενος ἁλίσκεται. Id Gaza reddidit: *Blatero hic eſt, & hallucinator, & planipes. ſaltantes enim imitatur.* Verbum ἁλίσκεται alteri periodo adnexuit. Pro κίβαλος in pleriſque eſt κολοβὸς, hoc eſt, *membris mutilus*, vel etiam *ſermone.* Atque ita quoque legit Cæſar Scaliger, ut conſtat ex ejus in Ariſtotelem commentariis. Nempe viro ſummo in manibus erat editio Aldina, in qua ſic legitur *e*. Id ita eſſe ſcio, cùm codice eo utar, qui ejus quondam fuit, & in quo nonnulla etiam manu ſuâ annotavit. Sed omnino vera lectio eſt κόβαλος, vel κώβαλος, quod ab Heſychio, & Suida, exponitur βωμολόχος, κόλαξ *f*. Uſus Ariſtophanes in Equitibus. Non incommodè igitur *avem paraſitam* Plinius interpretatur. Pro illo μιμητὴς idem Plinius habet *imitatrix ales.* Gaza pro eo poſuit, *planipes.* Nempe quaſi *mimum* diceret, cui no-

a Lib 10. cap. 23.
b Aures.
c Lib. 10. cap. 23.
d Ann. 1476.
e Fol. 111. b.
f Scurra, adulator.

nomen ἀπὸ τοῦ μιμεῖσθαι, quod eſt *imitari*. *Planipes* enim eſt mimus pedarius. Ut opponuntur ſenator curulis, & pedarius *a*: ita mimus, qui in orcheſtram ingreditur, & is, qui *planipes* dictus, quia non in orcheſtra ageret, ſed in plano & humili loco: unde *planipedis* nomen. Verius hoc, quam quod Diomedes *b* ſcripſit, mimos omnes dictos *planipedes*, quia planis pedibus, hoc eſt, nudis, intrarent in proſcenium. Aliud enim plani pedes, aliud nudi. Atque ex his ſatis liquet, Gazam, cùm avem hanc planipedem dixit, attendiſſe ad mimos in orcheſtra ſaltantes, vel etiam planipedes ſaltantes in podio. Unde alites eas mox ait ἀντορχεῖσθαι, quod vertit, *ſaltantes imitari*. Fortaſſe non incommode reddas *redamtruare*, ſecundùm illud Lucilii de Saliis:

a Agellius lib. 3. cap. 18.

b Lib. 3. cap. de poëmatis generibus.

Præſul ut amtruat, inde & vulgu' redamtruat olli.

Valde igitur ratio fugit Aldrovandum, quando *planipes* accepit, quomodo anas, anſer, olor, dicuntur planipedes, ſeu Græcè στεγανόποδες, quia membrana illis pedum digitos στέγει, nec aquam ſinit perfluere: nempe ut contrarium ſit, ac σχιζόποδες, q. d. *fiſſipedes*, quibus pedes digitati. At planè otidem cum oto confudit Nemeſianus fragmento de aucupio, quod nondum contigit videre: ſed varia ex eo, ut genuino, citant eruditi, inque iis doctiſſimus Hadrianus Junius in Nomenclatore ſuo *c*. Verſus ejus apponam:

c Cap. de Avibus, voce Gallinago, ſive Scolopax.

Et Tetracem Romæ, quem nunc vocitare taracem
Cœperunt, avium multò eſt ſtultiſſima: namque
Cum pedicas necti ſibi contemplaverit d *adſtans,*
Immemor ipſe ſui tamen in diſpendia currit.
Tu verò adductos laquei cum ſenſeris orbes,
Appropera, & prædam pennis crepitantibus aufer.
Nam celer oppreſſi fallacia vincula colli
Excutit, & raucâ ſubſannat voce magiſtri
Conſilium, & lætâ fruitur jam pace ſolutus.

d Contemplo, pro contemplor, agnoſcit Priſcianus in 8. Ac Ennii, Plauti, aliorum, id teſtimoniis Nonius confirmat.

Videmus, ut tetraci tribuat, quæ ſunt oti. At tetrax non *otus* eſt, ſed *otis*: Quare manifeſtus eſt error. Cæterum, utcunque otus ſit avis ſtulta, tamen & alicujus ſapientiæ argumentum eſt, quod Nemeſianus utcunque fateatur, tetracem ſive otidem (otum autem intelligere oportet) facile capi, mox tamen à capta eludi aucupem, niſi cautè egerit. Nec levis eſt ſagacitatis illud, quod oti, Plinio *e* auctore, *ſi ventus agmen adverſo flatu cœperit inhibere, ponduſculis lapidum apprehenſis, aut gutture arenâ repleto, ſtabiliti volant.*

e Lib. 10. cap. 23.

Neſcio autem, quid ſibi voluerit Wolfgangus Franzius, Sacræ de animalibus Hiſtoriæ, parte II, cap. IX, ubi cum de otide (otum dicere debuit) multas aves ſtultè imitante egiſſet, hunc in modum ſubjungit: *Talis quoque erat Themiſtocles, qui volebat æmulari Demoſthenem, cum tempora eſſent diverſa; unde graves dedit pœnas.* Quis neſcit Demoſthenem toto demum ſeculo poſt Themiſtoclem claruiſſe? Quomodo igitur Themiſtocles ſibi Demoſthenem præpoſuerit imitandum? An fortaſſe παρόραμα *f* eſt, contraque dicere voluit, Demoſthenem perperam ſic vitam inſtituiſſe, quaſi tempora eſſent Themiſtoclea? At ſaltem id non dixerit de temporibus iis, quibus Demoſthenes exul, peragrans urbes, adjuvit Græcos, & Macedonum ſummovit legatos. Quippe tum, ut Plutarchus *g* ait, πολὺ βελτίων Θεμιστοκλέους, καὶ Ἀλκιβιάδου, παρὰ τὰς αὐτὰς τύχας φανεὶς πολίτης· *civem ſe Themiſtocle, & Alcibiade, in pari fortuna multo præbuit meliorem.* Præterea nec Themiſtoclem, nec Demoſthenem, magnos ſanè viros, cum ave tam ſtolida conferri placet. Neutrius nomen tam atri carbonis elogium promeretur.

f Aluminatio non tamen ex inſcitia, quam inde, quod aliud agatur, nec attendatur ſatis.

g In Ciceronis vita prope calcem.

Ecce alius quoque alitis ſimplicitatem: quam nobis ſuggeſſit Horus in Hieroglyphicis. Quoties aucupes ſcrobi, in qua pelecanus nidificat, quaſi vallum ex ſtercore bubulo circumducunt, atque id accendunt, avis ea, conſpecto fumo, quantum poteſt, alis ventilat: parum gnara, ventilatione iſta ignem non extingui, ſed accendi. Itaque & ali capitur ambuſtis.

Quæ hactenus de ſolertia, & ſtupore, attulimus, ea pertinent ad phantaſiam: præter quam interior eſt memoriæ ſenſus. Atque hac parte etiam quam polleant aves, ſatis indicat, quòd bonâ retinent fide, quæ vel materno edocentur exemplo, vel humanâ induſtria; ut pſittaci, corvi, de quibus poſtea. Nunc hoc ſolum memorabo: hirundinem admirandæ eſſe memoriæ, & præterea plurimis vivere ſeculis, ſi vere ſcribat Plinius lib. X, cap. XXIV: *Thebarum tecta ſubire negatur, quoniam urbs illa capta: nec Bizyæ* a *in Thracia, propter ſcelera Terei.* Niſi placet, à majoribus hoc doceri minores, atque ita & captæ Thebarum urbis, & ſcelerum Terei memoriam, in hirundinum genere ſemper durare. Mirum tam ſtulta fidem reperiſſe apud Græcos, unde iſtud hauſerat Plinius. a Alii, Biziis.

Corvis etſi memoria non deſit, unde, ventre magiſtro, loqui addiſcunt, (de quo, ut jam dixi, inferius diſſeram:) tamen & obliviosi dicuntur. Ac de iſto ſufficerent illa Servii verba adduxiſſe in illud I Georg.

Tum liquidas corvi preſſo ter gutture voces,
Aut quater ingeminant.

Plinius in Naturali hiſtoria dicit, corvos eſſe obliviosos, & plerumque minime ad nidos ſuos reverti. Sed quadam ratione natura hæc congerunt ad ſuos nidos, quæ vermes poſſint creare: ex quibus relictis eorum pulli aluntur interdum. Horum oblivionem probat etiam ex rebus, quas cum abſconderint derelinquunt: quod etiam muſtelæ dicuntur efficere. Id me apud Plinium legere non memini: & multum metuo, ne memoria Servium fefellerit. Interea id veriſſimum eſſe, ruſtici hodieque teſtantur; qui ſæpius reperiunt nuces, & alia, à corvis in ſpecu recondita, & poſtea, oblivione, ut videtur, relicta.

Cap. LXXXIV.

Columbo, & columbæ, æqualis amor ſobolis. Hieronymum tamen exiguum eis amorem tribuere: ſed repugnantibus philoſophis, imo Scripturis, in quibus ſummus Chriſti amor erga ſponſam ſuam amori confertur columbino. Quantus erga prolem affectus ſit gruis, accipitris majoris, &, ut vulgo traditur, pelecani. Sed quæ de pelecano narrant, ſymbolica eſſe, à veteribus ficta ad ſignificandam nobis virtutem paſſionis ac mortis Dominicæ. Amor prolis in gallina, hirundine, veſpertilione. Haud rectè inde colligi, corvos non tangi affectu erga pullos, qui eos nido expellant, & totâ regione exturbent: nec ſoli de hoc convinci, quod illos deſtituere dicantur, cum primitus ovis ſunt excluſi. Meleagridi negligi pullos, & quæ meleagrides *videantur. Unde proveniat, quod avium aliæ aliis amica ſint, vel infeſtæ: variiſque id exemplis declaratum. Fulicæ affectus in educando oſſifrago, quando eum, velut degenerem, aquila non agnoſcit pro ſuo. Accipitris amor erga noctuam, columbæ erga tinnunculum, & unde is oriatur. Odium aquilæ, & cymindis. Oloris amor erga puerum Olenum, & Lacydem philoſophum. Ridiculæ ſuſpicio Plinii, fortaſſe a philoſophiæ amore amorem philoſophi proveniſſe. Quem* Olenum *vocat Plinius, fuiſſe Amphilochum, patriâ* Olenium. *Galli gallinacei amor erga Bithynici regis pincernam; pavonis, erga virginem Leucadicam. Cœlio Rhodigino id vitio datum, quod paſſim diſſimulet fontes, unde veteres hauſit narrationes. Diſcrimen hiſtoriæ, & philoſophiæ; quarum hæc ratione, non teſtimonio: illa contra narrantis auctoritate nixa eſt. Improbatum in Cæſare Scaligero, quod, ſiqua Cardanum fugerint, malit vocare* mendacia, *quam* errores, *quaſi eos ſatis unquam effugere humana poſſit imbecillitas. Meticuloſi otis, paſſer, veſpertilio, ac imprimis columba. Pugna avium Memnoniarum: item Meleagridum. Iracundia oloris. Unde error provenerit, quod columbæ credantur fellis expertes. An ciconia invida, quemadmodum ajunt.*

DE ſenſiva facultate ſatis mihi videor dixiſſe. Venio ad appetitivam; ubi in conſiderationem veniunt affectus; ante alios amor. Qui mirificè relucet in columbis: neque id in venereis ſolùm, ſed eo quoque, quòd mas & femina ſic inter ſe partiantur tempus ovis incubandi. Unde Plinius lib. x, cap. LVIII cùm dixiſſet, columbas parere ſemper marem, ac femellam, pridie marem, femellam poſtridie: ſubdit, *Incubant in eo genere ambo, interdiu mas, noctu femina.* Quanta ſollicitudine mas, & femina jam excluſos curent pullos, vix attinet dicere. Sanè, ut idem ait ejuſce lib. cap. XXXIV: *Amor utrique ſobolis æqualis: ſæpe & ex hac cauſſa caſtigatio, pigrius intrante feminâ ad pullos.* Mirum itaque, ἄστεργον a erga pullos credi B. Hieronymo in Hoſeæ cap. VII: *Aves*, inquit, *ceteræ pullos ſuos etiam cum periculo vitæ protegere feſtinant: & cùm ad nidum ſuum accipitrem, colubrum, corvum, ſive cornicem, accidere viderint, huc illucque volitant, & immittunt ſe morſu, & unguibus lacerant, & dolorem parentis querulâ voce teſtantur. Sola columba ablatos pullos non dolet, non requirit.* Sed Plinio quoque favet Oppianus in tertio de Venatione b: ubi ingentem ei tribuit amorem erga liberos. Ac niſi ſummus eſſet in columbino genere amor: non ei potiſſimùm compararetur amor Chriſti erga Eccleſiam ſuam Cant. V, 2: *Aperi mihi ſoror mea, amica mea, columba mea; immaculata mea.* Ubi poſtremo loco eſt, תמתי, *tammathi*, hoc eſt, *perfecta mea.* Sed operæ pretium videtur monere, in Midras Sir aſſirim, hoc eſt, in expoſitione Cantici canticorum, legi, R. Jinnai dixiſſe, pro eo antiquitus ſcriptum fuiſſe תאומתי teumathi, id eſt, *gemella mea.* Ac Rabbi Judas ex R. Levi dixit, à Salomone, ſive Deo, dici *teumathi*, id eſt, *gemella mea*, ad majorem indicandum affectum; quia etſi amor ſemper eſt inter fratres ſororesque, exuberantior tamen eſſe ſolet inter gemellos: quorum alter alterum tenerè adeò ſolet complecti, ut ſiquid uni eorum obtigerit adverſi, non aliter adficiatur alter, quàm ſi ſibi obveniſſet. Videſis Petrum Galatinum in tertio de Arcanis religionis Catholicæ, cap. XXX.

a *Expertem amoris.*

b *Verſ. 116.*

A columbis nunc verſio ad grues: quæ quàm liberorum ſint amantes, arguit oculatus teſtis, Albertus M. Is refert, viſam ſibi gruem feminam à mare undecim confectam vulneribus, quia à ſe pullos abduxiſſet. Quod exinde etiam relatum Cardano lib. VII de rerum Varietate, cap. XXXIV.

Nec leve affectûs indicium eſt, quòd idem Albertus ſcribit, conſpectum ſibi accipitrem majorem, ſive, ut vocant, aſturem, aves à ſe captas coram pullis dimittentem vivas, ut ab iis necarentur, atque ita hi venatui adſueſcerent. Et hoc quoque memoratum Cardano, loco, quem indicavimus.

Pelecani feminæ in prolem amor inde cognoſcitur, quòd ſic cuſtodiat, ac foveat, pullos ſuos. Attamen hoc ſtultitiæ eſt, quòd ſic complectatur, ut nimiis ſauciet oſculis, ac latera perforet, ut inde moriantur. Mox tamen comparet amor pelecani maris; qui, ubi mortuos reperit pullos, præ dolore proprium fodicat latus, ſic ut ſanguis emanet, qui, ſi fas credere, in pullorum vulnera diſtillans, eos iterum reſtituit vitæ. Sic quidem Epiphanius in Phyſiologo cap. VIII, & Auguſtinus in Pſalm. CI. Sed, utcunque hoc picturis variorum celebretur, tamen tantummodo ſymbolicum eſt: videlicet figura eſt Chriſti, ſanguine ac morte ſuâ vitam nobis reparantis, quam peccato amiſeramus. Atque eò jam olim accommodavit Michaël Glycas c, & ante eum Epiphanius, atque Auguſtinus, locis memoratis: quorum hic non injuria de rei veritate ambigit: uti & facit Iſidorus: ſed paullò rem aliter narrat. Sic enim ſcribit lib. XII Orig. cap. VII; *Pelecanus fertur, ſi verum eſt, occidere natos ſuos, eoſque per triduum lugere; deinde ſe ipſam vulnerare, & adſperſione ſui ſanguinis vivificare filios.* Item aliter, ac priores, rem memorat Albertus M. Quid mirum, variare adeò ſcriptores, quando mera eſt fabula; ſed ad ſignandum rem veram non inutiliter efficta?

c *Parte prima, in operibus quæ ulla dies.*

Jam quantus amor, quæ cum gallinæ, erga pullos ſuos, quos congregat, & alis inumbrat. Unde Chriſtus ait Matth. XXIII, 27: *Hieruſalem, Hieruſalem, quoties volui congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alis; & noluiſti.* Eo de loco ſic B. Auguſtinus lib. I Quæſt. Euang. *Hoc genus animantis magnum adfectum in filios habet, ita ut eorum infirmitate adfecta, & ipſa infirmetur, &, quod difficilius in ceteris animantibus invenies, alis ſuis filios protegens contra milvum pugnat.* Quæ deinceps Chriſto accommodat. Pluribuſque, & de ea gallinæ proprietate, & de Chriſti pro nobis cura, idem docet in illa verba Pſal. LVIII, 5. *Exurge in occurſum meum, & vide.* Etiam gallinarum hanc naturam egregiè illuſtrat Alcæi epigramma lib. I Ἀνθολογίας.

Nec prætereundæ nobis hirundines, ore ſuo pullis ferentes eſcam, quia ſe ipſas defrudent, inque hoc, Plinio a teſte, *ſummâ æquitate alternantes cibum.*

a *Lib. 10. cap. 33.*

Veſpertilio quoque, ut idem Plinius b ait, *geminos volitat amplexus infantes, ſecumque deportat.*

b *Lib. 10. cap. 61.*

Magnæ interim ἀστεργίας erga prolem accuſatur corvus; quòd, ut Ariſtoteles ait lib. IX Hiſt. Anim. cap. XXXI, τοὺς ἑαυτῶν νεοττοὺς, ὅταν οἷοί τ' ὦσιν ἤδη πέτεσθαι, τὸ μὲν πρῶτον ἐκβάλλουσιν, ὕστερον δὲ καὶ ἐκ τοῦ τόπου ἐκδιώκουσι· *ſuos pullos, cum jam poteſtas evolandi eſt, primum nidis ejiciunt, deinde regione totâ expellunt.* Sed (ut liquet ex iis, quæ cap. LXXXII dicebamus) non deficit hic amor erga pullos; verùm poteſtas nutriendi tam voraces. Proinde ſufficit alere eos, donec ſibi ipſis poſſint proſpicere. Quod ſi plures ſint, longiùs expelli opus, quia locus exiguus minimè ſufficiat alendis multis. Sed veriùs poſſit ἀστεργία c videri, ſi excluſis pullis nidos deſerant: ut ſoli tum committantur providentiæ divinæ. Huc referunt illud Jobi cap. XXVIII, 3 d: *Qui præparat corvo eſcam ſuam, quando pulli ejus clamant vagantes, eo quod non habeant cibum.* Et Pſal. CXLVI, 9: *Qui dat pullis corvorum, invocantibus eum, eſcam ſuam.* Gregorius Magnus, in adlatum Jobi locum e, id provenire ex eo arbitratur, quia pulli primitus ſint albi, eoque non videantur genuini. Proque eo adferri illud ſolet, quòd ſimulac cœperint nigreſcere, multum in illis nutriendis operæ ponant.

c *Naturalis amoris defectus.*

d *Alii 38. 41.*

e *Moral. lib. 30. cap. 8.*

Inter aves etiam, quibus exigua eſt στοργὴ, meleagrides ſunt; de quibus ita Clytus Mileſius, Ariſtotelis diſcipulus f, apud Athenæum in XIV: Περὶ δὲ τὸ ἱερὸν τῆς Παρθένου ἐν Λέρῳ g εἰσὶν αἱ καλούμεναι ὄρνιθες μελεαγρίδες. ὁ δὲ τόπος ἐστὶν ἑλώδης, ἐν ᾧ τρέφονται. ἔστι δὲ ἄστοργον πρὸς τὰ ἔκγονα τὸ ὄρνεον, καὶ ὀλιγωρεῖ τῶν νεοττῶν, ὥστε ἀνάγκη τοῖς ἱερεῦσιν ἐπιμελεῖσθαι αὐτῶν. *Circa delubrum Virginis in Lero* (una eſt è Sporadum inſulis) *aves ſunt Meleagrides dictæ. Paluſtris eſt locus, in quo nutriuntur. Animal hoc exiguo eſt erga prolem affectu, pulloſque adeo negligit, ut ſacerdotibus eos curare ſit neceſſe.* Subjungit deinde deſcriptionem meleagridum. Eam doctiſſimus Caſaubonus cenſet convenire gallinæ, quam *Indicam* ſeu *Calecutenſem* dicimus, *gallopavum* Geſnerus vocat. Et ſanè eodem Bellonius, Cæſar Scaliger, & penè eruditi omnes, inclinant. Sed obſtare videtur, quòd Clytus ei tribuit κεφαλὴν ψιλὴν, ἐπ' αὐτῆς λόφον σάρκινον, καὶ τὸ χρῶμα ξυλοειδές· *caput glabrum, ac depile, & ſuper eo criſtam carnoſam, colore ligneo.* Nam gallinæ Indicæ caput obducitur carne rugoſa, & membranoſa, non lignei coloris, ſed rubri, cumque iraſcitur avis, purpuraſcentis, vel cærulei. Et idcirco fortaſſe Hadrianus Junius in Nomenclatore, Meleagridem potiùs cenſet eſſe, quam *Pharaonis avem* dicimus. Vide &, quæ de iſto diſſerit Ludovicus Nonnius in ſecundo de re cibaria, cap. XXV.

f *Lib. 1.*

g *Aliqui Λέρῳ reſcribunt, ſed nihil mutandum.*

Videamus nunc de amore, odiove, erga aves tum cognatas, tum diverſi generis. Amicæ ſunt cornix, & ardeola: item σχοινίλος, ſive *juncarius*, & alauda. Inimicæ contra turtur, & pyralis. Quid mirum? quando eadem tenent loca, eodemque paſcuntur ambo. Sanè ὁμόφυλα etiam, quas *congeneres aves* dicimus, ſi cibi ſit penuria, pugnant inter ſe. Itaque falcones interdum quidem

dem conſident ſimul: ſed tum, quando ſaturi ſunt. At fame ſi laborent, alii alios invadunt. Cuculos eſſe ἀλληλοφάγους *a*, tradit Ariſtoteles lib. VI *b*, & Plinius in X. Ac uterque addit, ſolos à ſuo genere necari. Idem tamen Ariſtoteles in X Hiſt. *c* hoc ipſum de oloribus prodidit. Etiam inter ſe inimicæ, ποικιλίδες, ſeu *variolæ*, & κορυδῶνες, ſive *alaudæ*: adhæc πίπρα, & χλωρεὺς, cujus cauſſa eſt, quòd aliæ aliarum ova edant. Item cornix, & noctua; quia illa *d* de die noctuæ, hæc de nocte cornicis ova voret. Etiam noctuæ inimicus πρέσβυς *e*, quia ab ea nunc ova abſumantur, nunc pulli. Pluribus de hiſce Ariſt. lib. IX de Anim. cap. I *f*.

a Alterum alteri cibum. b Cap. de cuculo. c Cap. I. *ſive al.* 2. d *Ariſt. lib. 9. de Anim c.* 1. *& Ælianus lib. 9. de Anim. cap.* 74. e *Rex avium.* f *Sive cap. 2. ex diſt Caſ. Scal.*

Φήνης, ſive fulicæ, magnus eſt affectus erga oſſifragam, alitem ex aquila degenerantem. De qua complura B. Ambroſius lib. V Hexaëm. cap. XVIII. Ac primò refert, aquilam probare, quos genuit, *ne regale faſtigium degeneris partus deformitas decoloret.* Degeneres verò non agnoſcere pro ſuis: ſed *regalis*, inquit, *avis inclementiam plebejæ avis excuſat clementia. Avis enim, cui fulica nomen eſt, quæ Græce dicitur Phene, ſuſceptum illum, ſive abdicatum, ſive non agnitum aquilæ pullum cum ſua prole connectit, atque intermiſcens ſuis, eodem, quo proprios fœtus, maternæ ſedulitatis officio, & pari nutrimentorum ſubminiſtratione paſcit, & nutrit. Ergo Phene alienos nutrit: nos vero noſtros immiti crudelitate projicimus? Aquila vero ſi projicit, non quaſi ſuum projicit, ſed quaſi degenerem non recognoſcit: nos, quod pejus eſt, quos noſtros recognoſcimus, abdicamus.*

Amorem accipitris erga noctuam arguunt illa Plinii lib. X, cap. XVII: *Noctuæ, a cæteris avibus infeſtatæ, auxiliatur accipiter, collegio quodam naturæ, bellumque partitur.*

Unde is columbarum erga tinnunculum ſit amor, indicant Pliniana hæc lib. X, cap. XXXVII: *Defendit tinnunculus columbas, terretque accipitres naturali potentiâ in tantum, ut viſum vocemque ejus fugiant. Hac de cauſſa præcipuus columbis amor eorum.* At de eo fides ſit, penes auctorem, quod continuò ſubdit, *ſi in quatuor angulis defodiantur in ollis novis oblitis, non mutare ſedem columbas.*

De odio aquilæ, & cymindis, ita idem Plin. lib. X, cap. VIII: *Nocturnus accipiter cymindis vocatur, rarus etiam in ſylvis, interdiu minus cernens. Bellum internecinum gerit cum aquila, cohærentesque ſæpe prehenduntur.*

Quid quod aves etiam amore ſuo ſint homines complexæ? Plinius lib. X, cap. XXII: *Quin & fama amoris,* (ab olore) *Argis dilectâ formâ pueri nomine Oleni, & Glauces Ptolemæo regi citharâ canentis: quam eodem tempore & aries adamâſſe proditur.* Etiam Lacydem, novæ Academiæ principem, Arceſilai ſucceſſorem *g*, fuiſſe anſeri dilectum, prodidit Hermeias Samius, Hermodoti filius, & ex eo Athenæus in XIII. Hic anſer ab Lacyde non ambitiosè minùs, quàm aut filius, aut frater, ſepulturæ traditus fuit: ut Ælianus narrat lib. VII de Animal. cap. XLI. Nempe quia ſeu ſederet, ſeu ambularet, ſeu quieſceret, nunquam ab eo fuiſſet relictus. De eodem ſic Plinius, continuò poſt verba paullo antè memorata: *Poteſt & ſapientiæ videri intellectus iis eſſe. Ita comes perpetuò adhæſiſſe Lacydi philoſopho dicitur, nuſquam ab eo non in publico, non in balneis, non noctu, non interdiu digreſſus.* Sed quòd anſeri ſuſpicatur Lacydem dilectum, quia philoſophus foret, id cui perſuaſerit quæſo? Bene habitum ab eo anſerem credibilius eſt, & hunc amorem. Ac ſimiliter, cibi credo gratiâ, & fortaſſe palpi etiam, quo & animantes mutæ gaudent, olor amavit puerum nomine Olenum; ut Plinius vocat, quemadmodum vidimus. Rem eandem narravit Clearchus lib. I Ἐρωτικῶν. Pueri is nomen præterit: ſed nomen fuiſſe Amphilocho, patriaque fuiſſe Olenium, retulit Theophraſtus ἐν τῷ Ἐρωτικῷ *h*, & exinde Athenæus libro XI Deipnoſoph. quem diximus. Narrat ibidem Athenæus ex ſexto Nicandri de Fortuitis, ut gallus gallinaceus, quem nuncuparent *Centaurum*, amârit quendam nomine Secundum, Bithynici regis pincernam. Item ex Clearcho memoriæ prodit, in Leucadia ſic à pavone adamatam virginem, ut & ille, eâ morbo abſumtâ, mox exſpiraverit. Hæc quoque legas apud Cælium Rhodiginum in Lectionibus Variis lib. XIII, cap. XII, & lib. XVI, cap. XIII. Sed unde iſta hauſerit, non addit. Quàm facile fuerat Athenæi nomen appoſuiſſe! Quid quod Dalecampius, notis ad Plinii lib. X, cap. XXII, eadem refert, ac ad Rhodiginum nos remittit? Credo, quia de Athenæo non occurreret, ad Rhodigini cogebatur recurrere auctoritatem. Nempe hoc actum Rhodigino paſſim, ut, diſſimulatis ſcriptoribus, unde ſua hauſiſſet, non alius, quàm ipſe, teſtis laudaretur. Quaſi eadem ipſi habenda ſit fides, ac Athenæo, & aliis, quorum temporibus ſcripta exſtarent, unde iſta depromerentur. Siquis igitur dubitaret, poterat eos adire, quorum fide ſe niti Athenæus profiteretur. Et hic mos etiam fontes, unde quidque hauſerint, diſſimulandi, ſummis aliquot viris ſeculo noſtro eſt perſamiliaris: vel ſiquos advocent teſtes, eos laudant, qui deperierunt, non appoſito illius nomine, qui ea apud illos olim legiſſet. Quaſi nefas ſit de fide ipſorum, qui ſic ſcribunt, dubitare: ac non ſæpe contingat, ut vel memoria eos fefellerit, vel corruptis ſint uſi codicibus, vel mentem ſcriptorum non ſatis ſint aſſecuti, ſive culpâ ſuâpte, ſive vitioſos ſequendo interpretes. Memini me hoc in magno quodam viro culpare apud hominem doctiſſimum; ſed ab vitio iſtoc non planè alienum. Reſpondit ille, nihil opus eſſe teſtibus antiquis: quia poſt ſeculum non minoris eſſet fides ejus futura, quem iſto nomine reprehenderem, quàm veterum, unde iſta deſumſiſſet. Scio, ſic judicare quoſdam μέγα πνέοντας *a*: ſed boni iſti viri diſtinguere neſciunt inter ea, quæ ratione, quæque teſtimonio ſuffulta ſunt. Ubi ratione certandum, non multum refert, utrùm Ariſtoteles eâ, an Cæſar Scaliger pugnet. Neque enim quis dixerit, ſed quid dixerit, videndum. Itaque interdum hominis non jam ſummi dico, ſed pene è trivio, ſententiam præferimus veteris & claſſici ſcriptoris opinioni. Notum vetus illud, quandoque & olitorem verba loqui opportuna. At in iis, quæ ad actorum hiſtoriam pertinent, longè ſecus eſt comparatum: ubi ſemper diſpiciendum, quanta ſit fides narrantis. Ea enim in geſtis vett. non ulteriùs ſe extendit, quàm adſtrui valeat ex antiquis: in cæteris dicta habenda penè pro indictis. Sanè hoc diſcrimen eorum, quæ memoravi, vel inde dilucet, quòd ſi philoſophia omnis unà cum libris è mentibus hominum deleretur, progreſſu ſeculorum inſtaurari poſſit, rerum manente naturâ, unde eadem obſervarentur. At ſi memoria geſtorum omnium unà cum codicibus etiam ex animis deperiret: nulla ſpes, vel ratio ſupereſſet eorum notitiam recuperandi ſine miraculo divino. Quare cùm etiam in rebus ratione ſuffultis ſatius ſit veteres adducere, quia iis honos primus debetur, qui primi docuerunt: longè magis hoc in illis, quæ teſtimonio ſunt ſubnixa, fieri convenit, ubi altero etiam nomine veterum exigitur auctoritas, cùm abſque ea in rebus ambiguis claudicet omnis ſcribentis auctoritas: eoque non mereantur laudari, qui, quo pro antiquis ipſi rerum antiquarum teſtes, à junioribus advocentur, inani hac gloria, magno ſtudiorum incommodo, mira quidam narrant, ſed animo ingrato æquè ac ſuperbo digitum recuſant ad fontem intendere, unde ipſi profecerint, unde item aliis ſitim plenius certiuſque liceat explere. Sed ad inſtitutum revertor. Ac quia quod ad amorem, odiumque, attinet, expedivi: de aliis quoque affectibus nunc pauca adjiciam. Interim, ne nimium me in tam vaſto diffundam argumento, continebo me intra metum, iram, & invidiam.

g Laërtius lib. 4. h *In Amatorio.* a *Magnum quid ſpirantes.*

Metuere ſibi alitum imbecilliores ab grandibus ac carnivoris, ut columbam ab accipitre, ſatis eſt manifeſtum. Cæſar Scaliger *b* tamen, cùm dixiſſet Cardanus, aquilam eſſe avium maximam, & à cunctis timeri, hoc geminum vocat mendacium. Nam & cygnum eſſe aquila majorem, & aquilam non timeri à paſſere, hirundine, acanthide: nempe quia volatu utantur anfractuoſo, vel eo

b Adverſus Cardan. Exercit. 231. ſect. 1.

ſint adeò veloci, ut aquila non aſſequatur. Sed hoc non impedit, quo minùs ſaltem metuant, aquilâ inſequente; metuere mox ceſſent, ubi effugerint. Quamquam ut aliter eſſet, cur non mavult geminum dicere errorem, quàm mendacium? Errare enim eſt humanum: at viri boni non eſt mentiri. Scripſit autem Cardanus, quod verum putavit. Atqui error, non mendacium eſt, quoties ſermo
a Hujus libri c. 44. cum animo concordat: ut ſuperiùs *a* oſtenſum nobis; imò
b Exercit. 2. Cæſar ipſe Scaliger *b* alibi agnoſcit. Hæc non tangerem niſi ſummus vir, ſic paſſim ſe exercendo, uti plurimùm doctrinâ juvat, ita morum exemplo ſubinde noceret.

Timidia quoque otis: quæ, equo conſpecto, avolat:
c Lib. 2. cap. 50. unde Ægyptii, ut eſt apud Orum in Hieroglyphicis *c*, otidem cum equo pingunt, ut ſignificent hominem timidum, qui fugiat inſequentem. Sunt & paſſeres meticuloſi admodum: ut ait Ælianus lib. VII de Animal. cap. XIX: magis etiam cuculi, ſed ſic ut pariter prudentia eluceat; quemadmodum vidimus, cùm de ſagacitate avium ageremus.

Veſpertilionem etiam, ſecundùm S. Baſilium, timoris arguit, quòd non rectà, ſed tortuoſo volet motu; unde & in obſtantia quæque impingit. Ideo & Hieronymus Vida, quincto Chriſtiados, in προσωπογραφίᾳ Timoris, ei alas veſpertilionis accommodat.

Sed *nihil timidius columbâ*; ut Varro ait lib. III de R. R. cap. VII. Tantoque impenſiùs curare jubet, *ne mus, aut lacerta, quà adrepere ad columbaria poſſit.*

Iræ indices pugnæ inter aves: in his annua illa, tum Memnonidum circa Memnonis tumulum, prope Ptolemaida in Syria; tum Meleagridum, circa tumulum Meleagri in Bœotia: ut de utriſque eſt apud Plinium lib. X, cap. XXVI. Quæ verò Meleagrides credantur, paullo antè diximus.

Olor, avis alioqui minimè carnivora, tantopere tamen indulget iracundiæ adverſus ſui generis aves, ut alter alterum devoret, & abſumat. Atque hæc eſſe cauſſa videtur, cur inter immundas referatur Levit. XI, 18, & Deuter. XIV, 16.

Ne columbæ quidem, quas uſque adeò eſſe timidas, paullò antè dicebamus, iræ prorſus ſunt expertes; ut oſtendit, quòd inter ſe decertant. Objici ſolet, quòd felle careant: uti etiam legere eſt apud Iſidorum lib. XII Orig. cap. VII. Verùm planè id falſum, atque inde profectum, quòd in iis veſicula fellis non jungatur jecori; ut in gallinis fit, & attagenis. Itaque meritò opinionem hanc ridet Galenus de Atra bile cap. IX. Planeque eam refellit Ariſtoteles lib. II Hiſt. Animal. cap. XV: ubi ait, fel in aliis adnecti jecori, in aliis minimè: quædam etiam felle carere; ſed aves, piſceſque omnes, habere fel: piſciumque aliis in jecore poni, in aliis annecti inteſtino, atque à jecore dependere perpetuis quibuſdam ſummæ exilitatis meatibus: imò in quibuſdam utrumque ſitum obtinere: quæ cum dixiſſet, ſubdit: Ὁμοίως δ' ἔχει τοῦτο καὶ ἐπὶ τῶν ὀρνίθων· ἔνιοι γὰρ πρὸς τῇ κοιλίᾳ ἔχουσιν· οἱ δὲ πρὸς τοῖς ἐντέροις τὴν χολήν, οἷον περιστερά, κόραξ, ὄρτυξ, χελιδών, στρουθός· οἱ δ' ἅμα πρὸς τῷ ἥπατι, καὶ τοῖς ἐντέροις, οἷον ἱέραξ, καὶ ἰκτῖνος. *Similiter ſe res habet in avibus. Quædam enim fel habent ad ventrem: quædam ad inteſtina; ut columba, corvus, coturnix, hirundo, paſſer: nonnullæ etiam ad jecur, & ad ventrem; ut capriceps: nonnullæ & ad inteſtina ſimul; ut accipiter, & milvus.*

Invidam eſſe ciconiam, ait Ælianus lib. VIII de Animal. cap. XIX. Atque hoc adſtruit eo, quòd Cranone, Theſſaliæ oppido, ciconia, quæ domi alebatur, cùm videret ſervum cum Alcinoë, abſente marito, rem habere, id neutiquam ferens, in adulteri oculos involarit. Hoc rivali invidiæ adſcribit Ælianus. Sed quid ſi caſtitati tribuamus? ut plauſibilius fecit Conſalus Ponce de Leon Hiſpalenſis, notis ad Phyſiologum Epiphanii cap. XXV,
d Caſtiſſimam avem. quo ciconiam ἁγνότατον ὄρνεον *d* appellat, & cauſſam hanc addit, quia mas nec illecebris feminam ad coitum provocet, nec ei vim inferat.

Cap. LXXXV.

Quomodo quatuor virtutes, quæ vulgo cardinales vocantur, nempe una intellectûs, ac tres morales, differant inter ſe. Sub juſtitia contineri religionem, animi grati præſtationem, & innocentiam. Gallinæ περικαθαρισμός. Religionem perperam gallinæ tribui ab Ariſtotele, Theophraſto, Plinio, Plutarcho. Cauſſa περικαθαρισμοῦ naturalis. Cur prurientes ſe ſcabant, equi item feſſi ſeſe excutiant. Ciconia cur pietaticultrix *dicta. Quare in ſummis regum ſceptris effingatur ciconia, imis ſubjiciatur hippopotamus. Num κακυφὰ ſit eadem ac ciconia; an potiùs Ariſtotelis αἰγόπυς, quando & huic tribuitur parentum educatio: uti & meropi, & ardeæ, & pelecano, & vulturi Africano. Nec ciconias ipſas ſemper ἀντιπελαργεῖν. Corvus erga parentes ingratus. Cur gallus, item ſimia, & canis, culeo inſuerentur cum parricida. Conſuetudo vetus priùs parricidam cædendi virgis ſanguineis; non ſagmineis, ut aliqui putarunt. Quis primus memorato parricidarum ſupplicio ſit affectus. Cuculus ingratus; uti & hirundo. Vultur innocentiæ ſymbolum. Cur eo uſi ſint Romani in auguriis. Quomodo dictus ſit Deſiderius Eraſmus, prinſquam hæc nomina adſumeret. Cur teſtamentorum captatores dicti ſint* vultures, & vulturii. *Corvus unde ſic vocetur. Quare ſit adeò rapax. Cur avis tam rapacis miniſterio Deus paverit Eliam. Milvi rapacitas, & impudentia. Unde* αἰγοθῆλαι *ſive* caprimulgus *dicatur, & cur Plinio vocetur* fur nocturnus. *Cur rex Sedechias perdici conferatur ab Hieremia propheta. Furacitas monedulæ, & unde ei hoc nomen.*

AB affectibus me confero ad virtutes, quibus domantur adfectus. Virtutes hæ vel dirigunt nos in ordine ad alium; ut juſtitia, quæ ſibi bonum proponit alienum: vel in ordine ad nos ipſos; idque tum in rebus tertibilibus; ut fortitudo, quæ inter metum, & fiduciam, mediocritatem tenet: tum in iis, quæ guſtui, vel tactui ſunt jucunda; ut temperantia. Hæ itaque tres ſunt virtutes principales, ad quas cæteræ referuntur, ut partes, vel res adnexæ. Prudentia verò eò à nobis prætcritur, quia non eſt virtus ἠθική *a*, ſed διανοητική *b*: ut quæ ἀμέσως *c* mentem regat, non appetitum. a Moralis. b Intellectualis. c Immediatè.

Cùm verò juſtitiæ ſit ſuum cuique tribuere: ſatis liquet, huc pertinere, cùm alias ejus partes, tum tres iſtas; religionem, quæ debitum Deo cultum præſtat: εὐχαριστίαν ſive grati animi virtutem, quæ parentibus, & aliis bene meritis, debitam refert gratiam: & innocentiam, quâ nulli nocetur, contrà quàm faciunt, qui ex rapto vivunt. Horum omnium in avibus ſimulachra ſunt, vel inelle exiſtimantur. De ſingulis igitur ordine agemus.

Erga Deos pietas avibus ineſt, ſi audimus Plinium lib. X, cap. XLII: *Vulgaribus*, inquit, *gallinis & religio ineſt. Inhorreſcunt edito ovo, excutiuntque ſeſe, & circumactæ purificant, ac feſtucâ aliquâ ſeſe, & ova, luſtrant.* Similiter Alexander Aphrodiſ. præfat. probl. natur. Generatim quoque idem de avibus traditum Ariſtoteli lib. VI de Animal. cap. II, ſive ex Cæſaris Scaligeri diſtinctione cap. III, ſect. XLI. Περικαθαρισμὸν vocat Plutarchus lib. VII Sympoſiacôn, problem. II: ubi hanc rem ait à Theophraſto reponi inter ea, quorum cauſſa ignoretur. Quo loco id ſcripſerit Theophraſtus, non expreſſit: ſed reperio id in fragmento περὶ τῶν λεγομένων ζώων φθονεῖν *d*: quod nobis Photii induſtria conſervavit bibliothecæ ſuæ cod. CCLXXVIII. Interim non religione id faciunt aves: non magis ſanè, quàm elephanti religione ſiderum, ac Solis Lunæque veneratione, quædam agunt: quam Plinii, Æliani, atque aliorum ſententiam refellebamus hujus libri cap. LI. Quippe religionem tribuere rationis expertibus per eſt abſurdum. Lactantium audiamus libro de Ira Dei, cap. VII: *Nullum eſt animal, ut ait Cicero e, præter hominem, quod habeat aliquam notitiam Dei.* d De animalibus, quæ invidia tangi dicuntur. e Lib. I. de Legg.

So-

Solus enim ſapientiâ inſtructus eſt, ut religionem ſolus intelligat, & hæc eſt hominis, atque mutorum, vel præcipua, vel ſola diſtantia. Nam cætera, quæ videntur hominis eſſe propria, etſi non ſint talia in mutis, tamen ſimilia videri poſſunt. Proprius homini ſermo eſt: tamen & in illis quædam ſimilitudo ſermonis. Et poſt aliquammulta: *Longum eſt, ſi exſequi velim, quæ à ſingulis generibus animalium fieri ſoleant humanæ ſollertiæ ſimillima. Quod ſi horum omnium, quæ adſcribi homini ſolent, in mutis quoque deprehenditur ſimilitudo: apparet ſolam eſſe religionem, cujus in mutis nec veſtigium aliquod, nec ulla ſuſpicio, inveniri poteſt.* Dixeris, non eâ parte levem nobis Plinii auctoritatem videri oportere; Ariſtotele præſertim præeunte; qui nunquam id aves putaſſent facere religione, ſi cauſſam ejus vidiſſent naturalem: quam ſibi eſſe ignotam, etiam Theophraſtus fateatur, & unà cum eo Plutarchus, quemadmodum oſtendimus. Sed profectò quid infirmius, quàm eò putare cauſſam eſſe naturalem nullam, quia necdum ea olim fuerit perſpecta? Dies diem docet. Multa ſciunt hæc ſecula, quæ veteres ignorabant: multa ſcient poſteri, quæ nos neſcimus. Præterea ſatis ingenioſè jam ad veram cauſſam penetrari cœptum, præeunte acumine magni Cæſaris Scaligeri, commentario in ſuperiùs ſignatum Ariſtotelis locum. Quippe, ſecundùm eum, ob commotos avium humores, cutis iis corrugatur, atque horreſcit. Uti igitur homines, quando id fit, ad humores diſcutiendos, qui pruritum cient, ſeſe ſcabunt: ita ſe excutiunt aves, ac feſtucâ, vel roſtro fodicant. Ac ſimile etiam in equis videmus, ſeſe à labore excutientibus; quod cum faciunt, nihil æquè ac diſtringi, vel ſcabi, deſiderant.

Grati erga parentes animi exemplum præbet pietaticultrix, ut P. Syrus vocat, ciconia: quippe quæ parentes educet ſenectute confectos: de quo Ariſtoteles lib. IX de Animal. cap. XIII, Plinius lib. X, cap. XXII, & Ælianus lib. III de Animal. cap. XXIII: item è Judæis, ac Chriſtianis, Philo in expoſitione decalogi, Baſilius Hexaëm. homil. VIII, ac libello, de honore quo afficiendi parentes in ſenectute, Ambroſius Hexaëm. lib. V, cap. XVI. Epiphanius Phyſiologi cap. XXV. Atque hinc verbum ἀντιπελαργεῖν, de iis, qui gratiam referunt. Vide de hoc Suidam eâ voce: ubi & Ariſtotelem ait hoc de ciconiis credere, quia idem faciant aves dictæ ἀετώδεις: atque iccirco in ſceptris regiis ſuperiùs effingi ciconiam, inferiùs hippotamum, qui parentibus peſſimam gratiam rependit: nempe ut ita ſignificetur, hoc ſceptri eſſe regii, ſive ſupremæ poteſtatis, quòd juſtitia plus poſſit, quàm violentia. Quod de ciconia diximus, id quoque tangit Orus lib. II Hieroglyph. cap. LVIII. Atque idem cucuphæ tribuit lib. I Hierogl. cap. LV. Fortaſſe igitur iis aſſentiendum, qui putant, κουκουφὰν eſſe, quam aliter πελαργὸν, ſive *ciconiam* dicimus. Sed cum Philippus, Græcus Ori interpres, priori libro κουκουφὰν, altero πελαργὸν dicat: eò magis inclino, ut Ægyptiacè etiam diverſa fuerint vocabula, ac per κουκουφὰν potius ſignetur, quæ Ariſtoteli eſt αἰγοπτύς. Hanc enim ſimilis eſſe naturæ, jam ex Ariſtotele diximus. Imò & avium aliæ ejus ſunt indolis; ut meropes. Teſtis Ariſtoteles lib. IX de animalibus, cap. XIII [a]; ubi de ciconiis quidem ait, id θρυλλεῖται παρὰ πολλοῖς· *celebrari, jactarique a multis*: ſed mox ſubdit, φασὶ δέ τινες, καὶ τοὺς μέροπας ταὐτὸ τοῦτο ποιεῖν, καὶ ἀντεκτρέφεσθαι ὑπὸ τῶν ἐκγόνων, οὐ μόνον γηρασκόντων, ἀλλὰ καὶ εὐθύς, ὅταν οἷοί τ' ὦσι· τὸν δὲ πατέρα, καὶ τὴν μητέρα, μένειν ἔνδον· *Sed ſunt, qui meropes idem facere dicant, vicemque nutricationis reddi, ut non modo eos alant ſeneſcentes, ſed ſimulatque facultas obtigit: patrem autem, matremque, in cubili permanere.* Ubi videmus, majorem tribui pietatem meropi, quàm ciconiæ. Hæc enim ſolùm dicitur in ſenectute parentes alere: illa etiam, cum parentes ſibi à cibis poſſunt proſpicere. Idem tradit Ælianus lib. XI de Anim. cap. XXX. De eadem avi ſic Plinius lib. X, cap. XXXIII: *Merops, genitores ſuos reconditos paſcens, nidificat in ſpecu ſex pedum defoſſâ altitudine.* Ubi quod de nidificatione in ſpecu ait, itidem ab Ariſtotele traditum eſt: ut qui lib. VI de Animal. cap. I, dicat, meropem εἰς τὰς ὀπὰς ἐν τῇ γῇ καταδυόμενον, νεοττεύειν μόνον· *terræ cavernas ſubeuntem, ſolam nidos facere, pulloſque excludere.* Ælianus quoque lib. III de Animal. cap. XXII, quod de ciconiis dicitur parentes alentibus, idem referri ait de ardeis, & pelecanis. Quæ & ipſa oſtendunt id, quod dixi, neceſſe non eſſe, ut apud Orum per *cucupham* ciconia intelligatur. Imò etiam, ut Cæſar Scaliger [a] ſcribit, *vulturem Africanum tamdiu in Libya, & Atlante monte, ubi eum Suer vocant, ajunt vivere, quoad nudus pennis a ſuis alatur pullis: ut aliud verbum jam Græcis fingendum ſit, quam* ἀντιπελαργεῖν: *nempe* ἀντιγυπεῖν. Videlicet quia οἰωνὸς præcipuè dicatur de avibus majoribus: unde auſpicium capiatur: ut ſunt vultures. Nota res è vulturibus Romuli, & Remi.

Videtur interea ne ciconiarum quidem pietas eſſe perpetua. Audiamus Neandrum in Phyſicis: *Quæ à multis auctoribus, Ariſtophane etiam, de ciconiarum pietate in parentes produntur; videmur iis contraria animadvertiſſe in ciconiis Ilfeldenſibus anno* CIↃ IↃ LXXXII; *ubi pulli, præcedenti anno excluſi, & educati in nido Ilfeldenſi à ſedulis parentibus, ſequenti anno reverſi, & loco forſan delectati, matri iterum ova excubanti, quæ recens tria poſuerat, bellum, me & aliis multis inſpicientibus, horâ primâ pomeridianâ, clarâ luce, intulerunt, matrem exturbarunt nido, ova ejus præfracta præcipitarunt, ova ſua in eodem poſuerunt; unde tres prodierunt ciconiæ, quas ſecum in migratione abduxerunt.*

Et ſanè, non deeſſe aves, quæ erga parentes animo planè ſint ingrato, corvus fecerit fidem. Nec enim alit parentes viribus defectos; ut eſt apud Ælianum lib. II de Animal. cap. XLIX. Imò eos, ubi alius defuerit cibus, devorat; ut mox [b] dicam, cum ad rapaces aves devenero.

Impietatis quoque imago eſt in gallo gallinaceo, quia matrem init, & cum patre depugnat. Unde & cum parricida culeo inſuebatur. Hanc enim rationem puto eſſe magis veriſimilem, quàm ſuperbiam animalis, vel quòd gens Gallorum, quæ avi eſt cognominis, tantopere foret exoſa Romanis: quas ſolas Cardanus cauſſas adducit lib. X de Subtilitate. Gallo addita ſimia: unde Juvenalis ſat. XIII:

> *Et deducendum corio bovis in mare, cum quo*
> *Clauditur adverſis innoxia ſimia fatis.*

Et ſimilis locus ſat. VIII. Cur hæc unà inſueretur, dixi cap. LX. Atque adde, quòd ut ſimia homini ſimilis eſt, homo non eſt: ita parricidæ exteriùs habeant formam hominis, intus autem omnia ab natura humana videantur aliena. Canem quoque culeo indebant, tum miram ob impudentiam; tum quia eadem agit, ob quæ gallum culeo inſui dicebamus. De vipera non eſt obſcurum, pleniuſque inferiùs in ſerpentium hiſtoria explicabitur. Parricida ipſe priùs cædebatur virgis ſanguineis, ut Modeſtinus [c] retulit in XII Pandectarum: ubi ſic ait: *Pœna parricidii, more majorum, hæc inſtituta eſt, ut parricida virgis ſanguineis verberatus, deinde culeo inſuatur cum cane, gallo gallinaceo, & vipera, & ſimia; deinde in mare profundum culeus jactetur.* Quo tamen loco Corraſius in primo Miſcellan. cap. V, pro *ſanguineis* legendum putat *ſagmineis*; nimirum a ſagmine, ſive verbena. Sed potiùs ſequendus nobis Turnebus lib. VIII, cap. XXIII: ubi vulgatam tuetur: partim quia nunquam paſſi eſſent Romani, verbenas, herbam ſacram, parricidarum pollui corporibus; partim quia & alibi ſanguinearum fiat virgarum mentio: ut Plinio lib. XIX, cap. X. Nempe quo pacto apud eundem lib. XVI, cap. XXXII *ſanguineos frutices*; apud Maronem VIII Æn. *ſanguineum flagellum*; apud Livium in primo *haſtam ſanguineam*, legimus, hoc eſt, coloris cruenti. Primus verò, qui cum hiſce animantibus culeo inſutus in mare præcipitaretur, Publicius Malleolus (matrem is interemerat) memoratur quinctò C. Marii conſulatu: ut cognoſcere eſt ex Livianæ epitomes lib. LXVIII: cui etiam favet Cicero II de Invent. Cornificius

[a] *Sive ſecundum diſtinct. Scaligeri cap 20. ſect. 1.*

[a] *Exercit. 231. ſect. 4.*

[b] *Hoc ipſo capite.*

[c] *Lib. 48. Digeſt. tit. IX. De lege Pompeja, de parricidiis.*

in primo Rhetoricorum ad Herennium, & Oroſ. lib. v, cap. xvi. Qui verò hac Pompeja lege, quique potius Corneliâ de ſicariis tenerentur; ſi minus apertum ex iv Inſtit. Juſtiniani; vide ſis Ant. Auguſtinum lib. de Legibus, & Senatusconſultis.

Ingrati item animi vitium erga nutricem in cuculo cernimus: quippe qui non modò pullos currucæ genuinos, ſed ipſam etiam currucam voret, à qua eſt educatus. Teſtis Plinius lib. x, cap. ix. Planioraque hæc ex iis, quæ diximus cap. lxxxii.

Hirundines præterea infidæ, ingrataque. Siquidem, cùm ſub tecto noſtro nidificent, pulloſque educent; abeunt tamen nullâ relatâ gratiâ. Unde Pythagoræ ſymbolum, *Hirundines ſub eodem tecto ne habeas.* Hoc eſt, fuge convictores animi ingrati. Quod pluribus adſtruit Plutarchus Sympoſiacôn lib. viii, quæſt. vii. Ac Cornificius quoque, ut antea dictum, Rhetoricis ad Herennium *a*, infidos iis amicos confert; quia ut hæ ineunte vere præſto ſunt, avolant hyeme inſtante: ſic amici ollates blandiantur, dum res proſperè fluunt nobis, at deſerant nos, ubi res ingruunt adverſæ.

a *Lib. 4.*

Accedo ad innocentiam, ſive eam juſtitiæ partem, quâ quis nocet nemini, longe avibus diſſimilis viventibus ex rapto. Ab hac juſtitiæ parte commendatur vultur. De quo ſic Plutarchus in Quæſtionibus Romanis *b*: Λέγει Ἡρόδωρος, ὅτι πάντων μάλιστα γυπῶν ἐπὶ πράξεως ἀρχῇ φανέντων ἔχαιρεν Ἡρακλῆς· ἡγούμενος δικαιότατον εἶναι τὸν γῦπα τῶν σαρκοφάγων ἁπάντων. πρῶτον μὲν γὰρ οὐδενὸς ἅπτεται ζῶντος, οὐδὲ ἀποκτίννυσιν ἔμψυχον οὐθέν, ὡς αἰετοὶ καὶ ἱέρακες καὶ τὰ νυκτινόμα· χρῆται δὲ τοῖς ἄλλοις ἀποθανοῦσιν. ἔπειτα δὲ τούτων τὰ ὁμόφυλα παρίησι. πελεινὸν γὰρ οὐδεὶς ἑώρακε γῦπα γευόμενον, ὡς αἰετοὶ καὶ ἱέρακες μάλιστα τὰ συγγενῆ διώκουσι καὶ κόπτουσιν. καίτοι κατ' Αἰσχύλον·

Ὄρνιθος ὄρνις πῶς ἂν ἁγνεύοι φαγών;

Ἀνθρώποις δὲ, ὡς ἔπος εἰπεῖν, ἀβλαβέστατός ἐστιν, οὔτε καρπὸν ἀφανίζων οὔτε φυτὸν, οὔτε ζῷον ἥμερον κακουργῶν. *Herodorus refert, Herculem in capiendis auſpiciis imprimis eſſe oblatis delectatum vulturibus, eo quod avium omnium carnivorarum hanc cenſeret juſtiſſimam. Primùm, quia nihil animantium tangit, aut necat; ut aquilæ faciunt, & accipitres, & nocturnæ: ſed ſolis veſcitur cadaveribus. Deinde quod ſui generis cadavera præterit. Nemo enim conſpexit à vulture avem guſtari: cum aquilæ, & accipitres maxime, perſequantur eas & occidant. Atqui ſecundum Æſchylum:*

Qui pura avis ſit, ſi qua avem voraverit?

Adhac avis ea minime omnium hominibus nocet; cùm neque fruges perdat, neque plantas, neque ullum manſuetum animal lædat. Hæc Plutarchus, ut oſtendat, cur Romani vulturibus maximè ſint uſi in auguriis. Ac eadem apud eum in Romulo *c* legas. Effugere tamen non potuit vultur quin *avidus* dicatur Catullo *d*, & Senecæ *e*. Imò Belgis à voce *gier*, quæ vulturem notat, avarus *gierig*, quaſi *vulturinum* dixeris. Niſi utrumque ἁμίσας *f* malis eſſe à verbo *gieren*, *geren*, ſive *begeren*: quæ notant *cupere*, *deſiderare*, ὀρέγειν. Unde Eraſmus, cùm diceretur Gerardus Gerardi (id vocabulum ut *avidam*, ſic *deſiderabilem*, & *amabilem* indolem denotat) *Deſiderii Eraſmi* nomen adſumſit. Et idem tamen literas contra quoſdam qui ſe falſo jactant Evangelicos, Vulturio Neocomo inſcripſit, cum ſignaret Gerardum Noviomagum. Ab avidâ hujus avis natura etiam *vultures* dixere teſtamentorum captatores, quod & Origeni annotatum homilia vii in Leviticum. Sic dixit Catullus Carmine lxix, quod ad Mallium:

b *Quæſt. 39.*

c *Pag. 41. edit. H. Steph.*

d *Epigr. 109.*

e *In Agamemnone.*

f *Proxime, &, ut loquuntur, immediate.*

Suſcitat à cano vulturium capite.

Atque eodem alluſit Seneca epiſt. xcvi: *Si vultur es, cadaver exſpecta.* Et Martialis lib. vi, epigram. lxii:

Cujus vulturis hoc erit cadaver?

Imò & imperatores prædæ inhiantes, ac avaros provinciarum præfectos, *vulturios* Cicero pro Sextio, & alibi, vocat.

Juſtiùs inter noxias, & rapaces, referuntur corvi: qui, non contenti cadaveribus, etiam columbas necant; ut ait Varro lib. iii. de R. R. cap. vii: item palleres, alaudas, alioſque alites, piſces item, vivos vorant. Huic aliti eſt nomen ab עֹרֵב oreb, ſive oref, quod eandem avem notat. Atque ut hic apponitur initio C: ita princeps ſyllaba aufertur in Germanico *rab*, ſive *raf*: niſi hoc potius a Germanico Belgicoque, *rooven*, vel *rapen*, quæ notant *rapere*. Et quid mirum, corvos eſſe rapaces, cùm valde ſint voraces; famis autem adeò impatientes, ut ſi mater, vel ſenio confecta, vel alia de cauſſâ viribus deſtituta, non ſufficiat venationi tantæ, ut pullos alere poſſit; hi matrem ipſam aggrediantur, eamque devorent: quemadmodum narrat Ælianus lib. iii de Animalibus, cap. xliii. Idem quoque tradit Philes in Jambis *a*. Sunt igitur parricidæ: quo quid fœdius? Ut convenienter, per tam impias aves, etiam parentem ſubſannatores puniantur, corvis oculos eorum effodientibus. Unde Proverb. xxx, 17: *Oculum, qui ſubſannat patrem, & non audit matrem, effodiant corvi torrentis.* Et tamen Deo viſum per avem tam rapacem, imo, ut ante vidimus, tam immiſericordem, potiſſimùm paſcere Eliam: ut eſt i ſive iii Reg. xviii, 6. B. Chryſoſtomus ſermone de Elia *b*, eo id factum putat, ut Eliam ad miſericordiam populi Iſraëlitici commoveret. Quaſi diceret Deus: *Ne tanto Judæorum, filiorum tuorum, odio teneare, quanto erga pullos ſuos corvi. Et ecce illi nunc converſi ſunt: vide vel eorum miſericordiam. Qui naturâ pulli ſunt immiſericordes, & inhumani, illi ipſi, ut hoſpites, tibi ſerviunt. Abſurdum eſt, ô Helia, quod apud te miſericordiæ meæ patrocinantur corvi: tu autem pro Judæis, in quos ſævio, non intercedis.* Hactenus Chryſoſtomus. Scriptor vero de Mirabilibus Scripturæ, qui perperam B. Auguſtinus putatur, lib. ii, cap. xv, colligit hinc, quàm nobis obnoxia fuiſſent animalia, niſi peccaſſemus. *In hoc*, inquit, *miniſterio illud etiam oſtenditur, qualiter homo, ſi non peccaſſet, etiam infructuoſorum animalium nunc miniſteriis uteretur.*

a *De præprietatibus animalium cap. de Corvo.*

b *Tom. 1. edit. Belleri an. 1614. p. 247.*

Milvi item ſive miluï, qui vulgo, ſed invitis libb. vett. *milvius* dicitur, mira eſt rapacitas: eoque rectè Janus Guilielmius Veriſimil. lib. iii, cap. iv, referebat illud M. Ciceronis ad Q. Fratrem lib. i: *Renunciatur mihi Licinium plagiarium cum ſuo pullo milvino tributa exigere.* Hinc & *milvina*, ὄρεξις vehemens, Plauto Menæchmis act. i, ſc. iii. Maximè autem infamis eſt præda pullorum gallinaceorum: unde Belgis *Kuykendief* vocatur. Eo alludit idem Comicus trochaicis iſtis Pœnulo act. v, ſc. v.

Tene, ſis me arctè, mea voluptas: malè ego metuo miluos.

Mala ea beſtia eſt: ne fortè me auferat pullum tuum.

Et in hac rapacitate mira elucet impudentia. Nam & carnes eripiunt è macello, & pueris de manibus cibum, famulis etiam piſces, dum eos exenterant. Eodem illud de pulmento erepto pertinet apud Plautum Aulul. act. ii, ſc. iv:

Pulmentum pridem ei eripuit miluüs.

Ubi, ut obiter hoc addere liceat, quo verſus ſit ſenarius, in *pridem* poſterior non eliditur: pro *ei* autem, metri cauſsâ reſcribendum *eis*, more veteri: de quo ſatis dixi in arte Grammatica lib. i, cap. xxii.

Poſt aves rapaces aliquid de iis dicam, quæ furto ſunt infames. Ut caprimulgus, qui *fur nocturnus* Plinio *c* vocatur, quia noctu ſoleat capras ſugere, quo ſuctu, & lac illis abolet, & eas efficit cæcas; ut ſuperius *d* ex eodem Plinio dictum. Atque idem memoratum Ariſtoteli lib. ix Hiſt. Animal. cap. xxx *e*. Græce à ſuctu iſto dicitur αἰγοθήλας, quod ad verbum ſonet *caprilactens*. Sed Latini à mulgendo *caprimulgum* dicere maluerunt.

c *Lib. 10. cap. 40.*

d *Cap. 80.*

e *Sive ſecundum diſtinct. Ceſ. Scal. cap. 39. ſect. 213.*

Perdix quoque ſuffuratur ova avium aliis. Unde Hierem. xvii, 10: *Clamavit perdix, incubavit; quæ non peperit, fecit divitias, & non in judicio: in dimidio dierum ſuorum derelinquet eas, & in noviſſimo ſuo erit inſipiens.* Quibus verbis rex Sedechias confertur cum perdice: quia, ut alteri hæc avi ſubducit ova, iiſque incubat; ſed excluſi pulli, ſimulac poſſunt, ad veros avolant parentes:

ſic

ſic Sedechias, cum omnibus impiis, qui in divitiis confidunt, ubi ad medium perveniſſent dierum ſuorum, amiſſuri eſſent opes male partas. Eo pacto hunc locum accepiſſe etiam videtur Chaldæus paraphraſtes: ut Hugonem, Thomam, Lyranum, ac Dionyſium prætercam. Eam autem perdicis eſſe naturam, ante Albertum M. tradidere Ambroſius lib. VI. Hexaem. cap. III, & epiſt. XLVIII, Hieronymus ad locum Jeremiæ memoratum, Auguſtinus contra Fauſtum lib. XIII, & Iſidorus lib. XII Orig. cap. VII. Sed apud Ariſtotelem, Plinium, Ælianum, nihil hujuſmodi invenio.

Neque prætereunda hoc loco nobis monedula, ſive, ut in antiquis Plauti codd. multis ea vox ſcribitur, *monerula*: niſi quia *r*, & *t*, ſæpe in vett. libris confunduntur, *monetula* reſcribendum. Sic origo vocabuli ſuadet: ſi verè Iſidorus ait lib. XII. Originum, cap. VII: *Monedula, quaſi monetula, quæ cum aurum invenit, aufert, & occultat.* Subdit deinde hoc Ciceronis pro L. Valerio Flacco: *Non plus aurum tibi, quam monedulæ, committendum.* Deque hac auri furacitate ſimiliter Ovidius XVII Metamorph.

Mutata eſt in avem, quæ nunc quoque diligit aurum,
Nigra pedes, nigris velata monedula pennis.

Plinii quoque eſt lib. X, cap. XXIX: *Monedulæ ſoli furacitas, auri argentique præcipuè mira eſt.* Audiamus quoque Cæſarem Scaligerum, ſic ſcribentem Comment. in Ariſt. lib. II Hiſt. Animal. cap. XV *a*: *Æra domeſtica, annulos, digitalia, crepundiaque, atque alia talia furantur, reponuntque; proviſo prius, ne deprehendantur, dum tollunt; tum ne theſaurus reperiatur. Obſervato, quo congereret, multa invenimus, quæ exprobrabamus ſubrepta familiaribus. Illa animadvertens, antevertit nobis, ac præcucurrit: magnoque riſui fuit nobis, cum furta egereremus, circumſiliens atque adgarriens.* Nec tamen hæc faciunt etymo probando, quaſi ab moneta, quam furatur, ſic dicta ſit. Quippe uti *moneta* ex eo nomen accepit, quia ſigno impreſſo monet nos pretii, atque auctoris: ſic *monedula*, quia avis oſcen moneret augures in auſpiciis. Videtur autem monedula eſſe imago ſtultè avari, pecunias congerentis, quibus uti neſciat, ſoloque ex earum adſpectu capientis voluptatem. Quod ſi corvus, de quo antè dicebamus, ſimiliter ſit animatus, idem de eo judicium eſto. Sanè in hujuſmodi furtis inquirendis locum non habuerit Caſſianum *b* illud, *Cui bono?*

a Sive ex diſtinct. Cæſ. Scal. cap. 18. ſect. 135.

b Cic. Philipp. 2. & pro Milone, ac Asconius ibidem.

CAP. LXXXVI.

Generoſam animi vim relucere in accipitre, falcone, gallo gallinaceo: cujus exemplo ad animi magnitudinem hortati alios Socrates, & Chryſippus; imò Themiſtocles univerſum Græcorum exercitum. Lex Attica, ut quotannis die quapiam in theatro galli decertarent: nec juvenibus abeſſe ab hoc ſpectaculo licuiſſe. Publicè etiam commiſſas Athenis coturnices. Supplicium ab Cæſare Auguſto ſumtum de eo, qui necaſſet, edịſſetque coturnicem tam ſtrenuam, ut ſemper recederet victrix. Mos Neapolitanus coturnices alendi, & inſtruendi ad pugnam. Adianti herba ad eam rem vis. Qui, veteri proverbio, coturniculæ animam habere dicantur. Coturnices a Phœnicibus Herculi ſacrificatas. Dubium aquilæ ac bubonis certamen. Corvum ſexagenis diebus, quibus ficus matureſcunt, potu abſtinere; & quæ rei iſtius cauſſa ſit. Columbas non violare conjugium, & amiſſo compare, in vita vidua perſiſtere. Similis cornicis mos. Cur nuptiarum tempore virgini ſoleat præcipi, ut eliminaret cornicem. Juvenalis verſus declaratus. Caſtitas corvi, ſacræ aliis: quam, ut libidinoſam, immeritò traducunt. De porphyrione fabella. Libido quanta aquilæ, & paſſeris. Cur Sappho finxerit, currum Veneris a paſſeribus trahi. Cur ſtrutheum pro veretro dixerint. Si Moſaicâ lege ſit præceptum, ut leproſi, recuperata ſanitate, ſacrificarent paſſerem, quæ cauſſa ejus legis fuiſſe videatur: attamen de lege parum ſolide colligi e Scripturis, præſertim ſi Hebræi ſermonis ratio habeatur. Libido galli gallinacei. Perdicis ſalacitas, & fœcunditas. Quam utilis ſit hominum vigilantia galli, imo & oſcinium matutinus cantus. Gloriæ ſtudium in pſittaco, luſcinia, pavone.

AB juſtitia, vitioque oppoſito, nunc orationem conferam ad fortitudinem; cujus imaginem in accipitre habemus. Nam uſque adeò generoſus eſt, ut etiam cum aquila pugnet. Unde Iſidorus lib. XII Orig. cap. VII: *Accipiter, avis regia, quæ plus animo, quam unguibus, eſt armata, & quod in quantitate corporis natura denegat, hoc ei in virtute, & audacia animi rependit.* Iccirco, ut Pyrrhus, rex Epirotarum, ἀετὸς *a* cognomento gaudebat: ita Syriæ rex Antiochus, ἱέραξ *b*, ut eſt apud Ælianum lib. VII de Animal. cap. XLV.

a Aquila.

b Accipitris.

Generoſus item eſt falco. Nam uti ſagacitatis eſt, quòd, ſi aquila ex ſublimi irruere paret, levi declinatione conatum reddit irritum: ita animi eſt magni, quòd deinde non fugiat, ſed poſt aliquot circumgyrationes aggrediatur aquilam, eamque fuget. Quod ſibi conſpectum, ait Cæſar Scaliger exercitat. CCXXXI.

Galli quoque non modo robuſti ſunt, ut dixi; ſed etiam generoſi. Itaque & Socrates *c* Iphicrati animos addidit gallis Midæ tonſoris oſtenſis, qui contra Calliæ gallos dimicarent. Ac Chryſippus quoque libro de Juſtitia ſcripſit: homines ad fortitudinem gallorum exemplo excitari. Atque ante hos Themiſtocles, cùm exercitum educeret adverſus Perſas, & gallos gallinaceos conſpexiſſet pugnantes, non ipſe duntaxat ſubſtitit, ſed exercitum juſſit conſiſtere, eorumque pugnam ſpeculari, atque inde animos ſumere ſe dignos: quando tantum eſſe animorum viderent gallis; licet neque pro patria, neque diis patriis, neque avitis heroibus, nec gloria, libertate, aut liberis, ejuſmodi ſuſcipiant certamen; ſed tantummodo, ne alter alteri cedere cogatur. Ac quod tum iis incitamento fuit, id, ſuperatis Perſis, occaſionem præbuit Athenienſibus, ut lege ſancirent, ἀλεκτρυόνας ἀγωνίζεσθαι δημοσίᾳ ἐν τῷ θεάτρῳ μιᾶς ἡμέρας τοῦ ἔτους· *gallos quotannis die uno in theatro decertarent*: quemadmodum refert Ælianus lib. II Var. Hiſt. cap. XXVIII. Porrò juvenibus cunctis lege imperatum fuit, ὁρᾷν τοὺς ὄρνιθας διαγωνιζομένους μέχρι τῆς ἐσχάτης ἀπαγορεύσεως· *aves videre pugnantes, uſque ad extremam animi defectionem.* Pluraque de hac lege ex Æſchine, Platone, atque aliis, vide apud ſummum virum, Samuelem Petitum, in eruditiſſimo de legibus Atticis commentario *d*. Hujus verò Græcorum conſuetudinis meminit & Columella lib. VIII, cap. II, his verbis: *Omiſſo illo ſtudio Græcorum, qui ferociſſimum quemque alitem certaminibus & pugnæ præparabant: nos cenſemus inſtituere vectigal induſtrii patrisfamilias; non exoſcrum avium laniſtæ, cujus plerumque totum patrimonium, pignus aleæ gallinaceus pyctes abſtulit.* A Pergamenis etiam quotannis gallorum publicè ſpectaculum exhiberi ſolere, diximus cap. LXXX. Quare nihil hic repetere opus. Potiùs exemplum non abſimile ex noſtris adducam temporibus. Id potiſſimùm petam ab laudatiſſima, optimeque de me promerente terra Anglia. In Londinenſi enim urbe crebterrimæ ſunt gallinaceorum pugnæ in amphitheatris hac fine exſtructis. Nempe propoſitum eſt bellicoſæ genti animos ſuorum eo pacto accendere ad virtutem bellicam. Quo fine, nec ſine Romanorum exemplo, tauros etiam urſoſque inter ſe, uti & cum canibus, committunt. Quæ fuſius meliuſque à me alibi, ſi Deus ſirit, dicentur.

c Laërtius in Socrate.

d Pag. 84.

Cæterum Lucianus, libro περὶ γυμνασίων è Solonis perſona oſtendit, non ſolere Athenis gallorum ſolùm certamina exhiberi; ſed coturnicum quoque. Quo exemplo Romani etiam, ſi non publicè; at privatim, ſaltem delectationis cauſsâ, tum gallos commiſere, tum coturnices; ut videmus ex Plutarchi Antonio. Atque, ut idem in Apophthegmatis *e* narrat, Auguſtus Cæſar, qui iſtiuſmodi pugnis delectabatur, Erotem, Ægypti procuratorem, quia coturnicem ſemper victricem, atque inſuperabilem,

e Pag. 365. edit. H. St.

bilem, emiſiſſet & comediſſet, ἐκέλευσεν ἱςῷ νηὸς προσηλωθῆναι· *juſſit malo navis adfigi clavis.* Narrat Herodianus *a*, ut filii Cæſaris Severi in pueritia ſoleant decertare ſinguli, & gallos, & coturnices ſuas committendo cum fraternis. Hodieque apud Neapolitanos obtinet conſuetudo, ut coturnices hoc fine alant, atque ad pugnam inſtruant; is præmium, de quo convenerit, auferat, cujus ales victrix diſceſſerit. Ad anto herba coturnices ad pugnam accendi, Dioſcorides tradit lib. iv, cap. cxxxi. Mirum verò, cùm tam animoſæ ſint hæ aves, nihilominus Ariſtophanem Comicum *b* apud Athenæum in ix, dicere de meticuloſis, eos ὀρτύγων ψυχὴν ἔχειν, *animum habere coturnicula.* Sane ſic cepit Had. Junius in parœmiis. Aliter longè Ariſtides apud Philoſtratum *c*, qui homines feroces, ſeque præparantes pugnæ, ait ὀρτύγων ἀναλαβεῖν φύσιν, *coturnicum naturam adſumere.* Ad generoſam etiam animi vim pertinet, quòd Phœnices Herculi potiſſimùm coturnices ſacrificarent: ut ab Eudoxo Cnidio in primo γῆς περιόδου *d* proditum eſt, & ex eo ab Athenæo, libro quo diximus. Sanè Herculi conveniebat animal pugnax, ut equus Marti; de quo alibi.

a *Lib. 3. pag. 75. edit. H. Steph.*

b *In Ruſtico.*

c *In vita Ariſtidis, quæ in vitis Sophiſtarum.*

d *De circuitu terra.*

Generoſius adhuc eſt bubo: imò, ut inter diurnas aves, aquila; ita hic inter nocturnas tenet principatum. Præter aquilam, & accipitrem, nullam avium pertimeſcit: quandoque etiam cum aquila depugnat; idque dubio Marte. Quid mirum? quando pedibus duntaxat minor, corpore autem par: ut Ariſtot. ait lib. viii de Anim. cap. iii, & Strabo in xvii. Venatur verò non modò avium alias, (in his & anates) ſed etiam, ut aquilæ, cuniculos, ac lepores. De die tamen non exit, quia non fert radios ſolares. Sed neque prodit nocte obſcura, quia tunc nihil videt; ſic ut eam manibus tum etiam comprehendere ſit. Solùm igitur, aliarum nocturnarum inſtar, venatum it tempore diluculi, vel crepuſculi. Cauſſam ejus exponam poſtea, cum dicam, cur noctua ſit Minervæ dicata.

Videtur & hujus eſſe loci, quòd nullæ etiam avium majorum ſic manſueſcant, ut non, ſi propiùs oculos admoveris, eruere eos conentur. De gruibus, ciconiis, corvis, pavonibus etiam, ac gallinis, prædicat illud Cardanus *e*. *Hoc*, inter alia inquit, *periculum à maxime manſuetis gallis paſſus ſum: alii verò etiam jacturam: maxime à pavonibus infantes arcendi ſunt.* Rationem adducit Plinius lib. xi, cap. xxxvii: *Adeoque iis abſoluta vis ſpeculi, ut tam parva illa pupilla totam imaginem reddat hominis. Ea cauſſa eſt, ut pleraque alitum è manibus hominum oculos potiſſimum appetant, quòd, effigiem ſuam in iis cernentes, velut ad cognata deſideria ſua tendunt.*

e *Lib. 7. de rerum variet. cap. 35.*

Supereſt temperantia, quæ moderatur voluptates, tum cibi, potuſque, & *abſtinentia*, ac *ſobrietas* dicitur; tum Veneris, & *caſtitas*, ac *pudicitia* vocatur. Quibus etiam adjici poſſe arbitror, moderationem ſomni, & *vigilantiam* dicere liceat. Abſtinentiæ contraria eſt *guloſitas*; ſobrietati, *ebrietas*; caſtitati, *libido*; vigilantiæ, *inertia* in ſomno deditus; quaſi *ſomniculoſitatem* nuncupes.

Sobrietatis exemplum capere poſſimus ex corvo. Cùm enim avis ſit admodum ſiticuloſa; æſtivo tamen tempore, quo ficus maturеſcunt, perferre ſitim mavult, quàm bibere. Plinius lib. x, cap. xii: *Corvi ante ſolſtitium generant: iidem ægreſcunt ſexagenis diebus, ſiti maximè, antequam fici coquantur auctumno.* Hinc ſic ei Phœbus apud Naſonem *f* comminatur:

At tibi, dum lactens hærebit in arbore ficus,
De nullo gelidæ fonte bibentur aquæ.

f *Lib. 2. Faſt. Vide & Cæſaris Germanici interpretem, ubi de Hydra.*

Nimirum tum profluvio ventris laborat: quod malùm, bibendo, aut cibis humidis, augere non vult. Quam rationem in adducunt Ælianus lib. i de Anim. cap. xlvii, & Theophylactus Simocatus problem. phyſ. xii. At putidum eſt, quod Hyginus *g* exiſtimat, id fieri, *quod corvis guttur habeat perfuſum illis diebus.* Quippe hoc ſi in cauſſa foret, reliquo etiam anno eamplе ob cauſſam abſtinere potu cogeretur. Hæc de ſobrietate

g *In poëtico Aſtron. ubi de Hydra.*

De columbarum caſtitate ſic Plinius lib. x, cap. xxxiv: *Pudicitia illis prima, & neutri nota adulteria. Conjugii fidem non violant, communemque ſervant domum. Niſi cælebs, aut vidua, nidum non relinquit. Et imperioſos mares, ſubinde etiam iniquos, ferunt: quippe ſuſpicio eſt adulterii, quamvis naturâ non ſit. Tunc plenum querelæ guttur, ſævique roſtro ictus: mox in ſatiſfactione exoſculatio, & circa Veneris preces crebris pedum orbibus exoſculatio.* Magnæ itidem temperantiæ eſt, quòd columba, amiſsâ, tori conſorte, vitam deinceps viduam vivat: quemadmodum docet Ariſtoteles lib. ix Hiſtor. de Animal. *a* è noſtris Origenes in Cant. cap. ii, ac eundem ad locum Gregorius Nyſſenus: item Baſilius M. homilia in Hexaëm. & oratione de intemperantia, & incontinentia, Nazianzenus in præceptis ad Virgines, Epiphanius in Phyſiologo cap. x, Hieronymus adverſus Jovinianum lib. i, Auguſtinus lib. xvi de Civit. Dei, cap. xxiv, Cyrillus in Levit. lib. ii, Gregorius M. in Cant. cap. ii, & Michaël Glycas part. i.

a *Cap. 112 ſect 113. & 120. ex diſtinct. Cæſ. Scal.*

Caſtitatem ſimiliter, ac concordiam in conjugio, docet cornix; quæ ſemper connubii legem ſervat. Iccirco ſolitariæ cornicis occurſus mali ominis in nuptialibus auſpiciis cenſebatur. Hinc illud, Ἐκκόρει κόρη κορώνην· *Everre, ſive elimina virgo cornicem.* Habes apud Orum in Hieroglyphicis, & Pindari ſcholiaſten in Pythia: Vide & Ælianum lib. iii de Animalibus, cap. ix; ubi narrat, ut non temere miſceatur, niſi cum compare ſuâ, eâque mortuâ viduam vitam degat ſuperſtes: atque iccirco in nuptiis poſt Hymenæum cornicis nomen invocari, proque ſigno haberi concordiæ in iis, qui liberûm quærendorum gratiâ ſociantur. Adi quoque Politianum in Miſcellaneis cap. lxvii, & Hadrianum Junium Miſcellaneorum lib. i, cap. i. Sed perperam Politianus de concordia cornicis intellexit illud Juvenalis ſat. i:

Quæque ſalutato crepitat concordia nido.

Nec enim roſtro cornix crepitat, ſed ciconia: unde *crotaliſtria* dicitur Publio Syro. Et ea non minùs concordiæ ſymbolum erat; quia mas, & femina, fere in nido ſimul conſpiciantur.

Egregium quoque caſtitatis exemplum habemus in corvo. Nam inviolata ei conjugii fides ſemper conſtat, licet ad annum etiam trigeſimum, atque adeò quadrageſimum, vivat. Aliis tamen hæc avis pro libidinoſiſſima habetur; ut alibi *b* diximus. Imò arbitrantur, propterea à Floro lib. i, cap. xiii, *Satyram* vel *Satyriam avem* vocari. Sic enim in pleriſque editis legi ſolet: *Lucius Valerius, inſidente galeæ ſatyrâ alite adjutus, retulit ſpolia: & inde Corvini.* Ac placuit ea lectio quoque Cælio Rhodigino lib. xix, cap. xxv. Sed putat, *Satyram* avem dici à palude Satura Maroni *c*, Silio *d*, & Vibio Sequeſtro *e*, memoratâ, quæ aliter *Pomptina*, ſitaque erat *f* prope amnem Ufentem, & Tarracinam ſive Anxur oppidum. Contrà aliorum eſt opinio, ob libidinem *ſatyram* dici vel ἀπὸ τῆς σάθης, quomodo *veretrum* vocatur: vel à libidinoſis ſatyris, quibus ab eodem vocabulo id nominis eſſe exiſtimatur.

b *Cap. 79.*

c *7 Æn.*

d *Lib. 8.*

e *In paludum catalogo.*

f *Strabo lib. 5. Plin. lib. 3. cap. 5. Feſtus in Pontina.*

Sed multa eorum adverſantur ſententiæ. Primùm quòd non *ſatyra*, ſed *ſacra alite* legatur in omnibus Flori MSSis: ac ſimiliter reperio in editione ea, quæ recens repertâ typographiâ, non appoſito vel anni numero, vel editoris nomine, (quæ primitus ſæpe negligebantur) omnium prima, ut videtur, prodiit in lucem. Nec aliter hodieque apud Jornandem; qui Florum ſolet exſcribere. Præterea de libidine corvi etiam Ariſtoteles abnuit lib. iii de generat. Animal. ubi refert, aves corvini generis minis valere Venere, raroque coire. Et ſatis eſt veriſimile, contrariam opinionem provenilе ex mutuis corvorum oſculis. Nempe non cogitarunt, caſti poſſe ea amoris eſſe; ut in columbis.

Porphyrio, ſi Æliano *g* credimus, ferre nequit, maritam ſuam cum altero conſueſcere, eoque, ſi ſtuprum ei inferatur, ſe interimit.

g *Lib. 3. de Animal. cap. 42.*

Libi-

Libidinoſæ interim ſunt avium non paucæ. Aquila, de qua ſeorſum vidimus, ſi decies ter mas ſit congreſſus, eo denno advocante iterum accurrit: ut Orus in Hieroglyphicis refert. Atque apud eundem eſt, paſſerem vel ſepties in hora coire. Cæſar Scaliger uno die decies coeuntem vidit. Ulyſſes Aldrovandus non magnâ diei parte conſpexit vicies congredientem. Nec ſolùm ſalaces ſunt paſſeres; ſed etiam, qui iis veſcuntur, ſalaces redduntur; ut quidem Terpſicles *a* prodidit. Præterea, Ariſtotele auctore, adeo ſunt fœcundi, ut ad octo pariant. Ac ob duo iſta finxit Sappho *b*, Veneris currum à paſſeribus trahi: ut eſt apud Athenæum lib. IX. Atque hinc pars hominis maximè ſalax *ſtrutheum* dicebatur. Feſtus: *Strutheum in mimis præcipue vocant obſcœnam partem virilem; a ſalacitate videlicet paſſeris, qui Græce στρουθὸς dicitur.* Mirum Levit. XIV, verſ. 4, & deinceps, præcipi, ut leproſi, poſtquam ſanitati ſunt redditi, duos pro ſe paſſeres offerant. Sane non in re alia paſſerum ſacrificium præcipitur. Hinc factum id putant, ut ſignificetur, leproſo libidinem paſſerinam (nam & leproſi ob acrimoniam humoris mirè ad libidinem ſunt propenſi) deinceps eſſe fugiendam, & una cum libidine cæteras mundi voluptates. Præterea ut cogitet, & vitam anteactam, & qualem deinceps ſit acturus. Nam ad templum Dei admittitur, qui vixerat ſemotus ab aliis, quemadmodum, ut loquitur divinus Pſaltes *c*, *paſſer ſolitarius in tecto.* Quibus timidè aſſentior, quia vox Hebræa צפור tiphor, nuſpiam in Scripturis vertitur στρουθίον, præterquam in Pſalmis, (ubi id perpetuum) item Eccleſ. XII, 4, & Thren. III, 51: aliàs verò redditur vel ὀρνίθιον, ut memorato Levitici capite aliquoties: nec aliter unquam Cyrillus Alexandrinus Γλαφυροῖς in Leviticum, cap. de mundatione leproſi: vel ὄρνεον, ut in reliquo opere Moſaico, item Jobo, Proverbiis, Eccleſiaſte, ac Prophetis, ſemper. Imò ut in Levitico quoque eſſet στρουθὸς, nec ſic neceſſe habeamus ſalacem illam aviculam intelligere: quandoque enim ea vox generalem habet ſignificationem, ac gravioribus etiam alitibus competit. Imò Cæſar Scaliger *d* ex Nicandro, qui priſco more loqui amat, colligit, στρουθὸν antiquiſſimis dictam eſſe gallinam, eoque & ſtruthiocamelum, non tam *paſſerem marinum*, quàm *gallinam marinam*, reddi debuiſſe. Poſteriores nihilominus, non tam de gallinis, quàm de aliis minoribus aviculis, non ſolis tamen paſſerculis, acceperunt. Ob iſta aſſentio clariſſimo Theologo, Franciſco Junio; quem pluribus, & ſæpius, pro meritis laudarem, niſi locer fuiſſet. Is in ſua bibliorum tralatione, Levitici cap. XIV, nuſquam *paſſerem*, ſed ſemper *aviculam* reddidit. Nec profectò quicquam video, cur paſſeres credamus ſacrificatos Deo, præter ſolam Latini interpretis auctoritatem. Imò, ſi Abulenſem *e*, & Cajetanum *f*, audimus, ne quidem ex eo hoc colligi queat. Nam, inquiunt, ſacrificia fiebant in tabernaculo: at paſſer jugulabatur extra caſtra. Sacrificabat ſacerdos: at paſſerem is jubebat occidi; idque eo fine, ut hoc injungeretur leproſus. Unde concludunt, necem paſſeris non ſacrificium fuiſſe, ſed ceremoniam duntaxat.

Libidinoſi etiam galli: ac agreſtes magis cortalibus; ut ait Theophraſtus: qui & tradidit, gallos quidem, ſimulac è cubili veniant; gallinas verò, progreſſo jam die, ad Venerem eſſe proniores. Similiter Athenæus loco memorato. Ubi & ex Ariſtotele alia de gallorum libidine legas. Quibus verò indiciis ſalaciores gallorum dignoſcas, Varro docebit lib. III de R. R. cap. IX.

Perdicum ea eſt libido, ut propterea credantur *voce maris audita concipere.* Archelao id proditum, & exinde Varroni *g*: præterea Clearcho Solenſi, Ariſtotelis diſcipulo, & hinc Athenæo *h*. Sed hoc non minùs fabuloſum, quam muſtelas auribus concipere: de quo ſuo loco *i* dictum. Veriora de earum libidine habes apud Plinium lib. X, cap. XXXIII: *Illæ quidem & maritos ſuos fallunt; quoniam intemperantia libidinis frangunt eorum ova, ne incubando detineantur. Tunc inter ſe dimicant mares deſiderio feminarum: victum ajunt Venerem pati. Id quidem & coturnices, Trogus & gallinaceos aliquando: perdices vero a domitis feros, & novos, aut victos iniri promiſcue. Capiuntur quoque pugnacitate ejuſdem libidinis.* Et poſt pauca: *Neque in alio animali par opus libidinis.* Aliaque mox libidinis argumenta ſubjungit. Salacitas iſta provenit ex eo, quòd plurimum excrementis abundent. Hæc enim res facit, ut non tam volatu, quàm coitu, gaudeant: ſicut Ariſtoteles docet libris περὶ τῶν ζώων γενέσεως. Sane parum volare, etiam eſt apud Xenophontem in primo expeditionis Cyri, & inde apud Athenæum lib. IX. Ubi & legas, effundere genituram, ſi ſeſe in ſpeculo conſpexerint: haud ſecus ac galli gallinacei, ſui in ſpeculo intuitu, ad pugnam ſe parant adverſus propriam imaginem. Atque iſtius quoque auctor laudatur Clearchus Περὶ τῶν πανικῶν *a*. Ab eadem libidine eſt, quòd, ut coitu, ſic & partu, avium aliæ alias exſuperent: ſicuti ab eodem Ariſtotele traditum eſt. Sanè ſeptenos ſimul pullos excludere, refert Ælianus lib. III de Animal. cap. XV. Apud Athenæum verò, libro eo, quem dixi, legere eſt, quandoque ova parere quindecim, aut ſexdecim. Memorat quoque, cùm Aſtypalenſis quidam perdices duas in Anaphen, inſulam maris Cretici, intuliſſet: tantam inde prognatam perdicum multitudinem, ut metus incolas ſubiret, ne aliò ſibi commigrandum foret. Mirum autem, cùm ea, quàm dixi, ſalacitas ſit perdicis, nihilominus tam diu vivere. Nam ad annum pertingere decimumſextum, Plinius narrat lib. X, cap. XXXIII.

Ad temperantiam etiam referebamus moderationem ſomni, & otii: quam *vigilantiam* dicimus. Ad hanc præit gallus gallinaceus. Unde de eo ſic Ambroſius lib. V Hexaemerôn: *Bonus cohabitator, & dormientem excitat, & ſollicitum admonet, & viantem ſolatur, proceſſum noctis canorâ ſignificatione proteſtans: hoc canente, latro ſuas relinquit inſidias: hoc canente, mæſtitiam trepidus nauta deponit.* Pluraque ibi in hanc mentem. Atque hæc galli vigilantia eſt in cauſſa, cur imago illius ab Chriſtianis imponi ſoleat templorum turribus. Quippe epiſcopum, & cunctos Chriſtiani gregis paſtores, vigilare pro ovibus ſibi commiſſis decet. Imò communis illa cultorum Dei & Chriſti domus commune dat nobis præceptum toties à Chriſto, & Apoſtolis, datum; Γρηγορεῖτε, *Vigilate.* Matth. XXIV, 42, XXV, 13. Marc. XIII, 33, 35. Act. XX, 31. & 1 Cor. XVI, 13. & 1 Petr. V, 8. Cui convenit hoc Apoc. XVI, 15: Μακάριος ὁ γρηγορῶν. *Beatus, qui vigilat.*

Nec ſolus hac parte gallus laudem meretur; ſed oſcines univerſæ. Imò minutiſſimæ quæque aviculæ ad vigilantiam nobis matutino ſuo cantu præeunt, laudantes ſuo modo Deum, quatenus hominem excitant ad Deum celebrandum. Itaque nec dubitabat hinc exemplum petere Helinaldus Gallus, monachus Frigidi Montis, in Hiſtoriarum opere, quod complexus eſt libb. XLVIII: ubi ita de ſe ipſo ſcribit: *Audi fabulam, non fabulam; ſed rem geſtam. Philippus, Belvacenſis* b *Eccleſiæ Epiſcopus, aliquando apud nos hoſpitatus eſt, & non, ut quidam, devotionis cauſa, ſed devorationis. Præcepit enim mihi præfatus Epiſcopus, ut eum facerem audire matutinalem miſſam. Ad quem cum die craſtina* c, *primâ jam cantatâ, veniſſem; nemo de familia ſua eum excitare præſumebat. Ego autem acceſſi ad eum propius, & eum excitavi, quaſi jocando dicens: Jam diu eſt, quod paſſeres ſurrexerunt ad laudandum Deum: & adhuc Pontifices noſtri ſtertunt in cubilibus ſuis! Attende, pater, quid dicat Pſalmographus* d: *Prævenerunt oculi mei ad te diluculo: ſuper quo dicit Gloſſa: Indecens Chriſtiano, quod ipſum otioſum in lecto radius Solis inveniat.* Vixit ſcriptor iſte anno Chriſti CIↃ CC. Ac verba allata inde etiam retulit Godeſcalcus Hollen eremita, Commentario in Dominicales epiſtolas *e*; quem una, cum commentario in Decalogum, reliquit primis Maximiliani I. temporibus. Eodem verò, quo Helinaldus argumento, memini me aliquando uti ad meos; cum tale accepi reſponſum a loquaciore quodam famulicii noſtri: Mi domine, quod pace tua dixerim,

a *Athen. lib. 9.*
b *In hymno Veneris.*
c *Pſalm. 102. 8.*
d *Exercit. 230.*
e *In Levit cap. 14. quæſt. 4. & 5*
f *In eundem locum.*
g *Lib. 3. de R. R. cap. 11.*
h *Lib. 9.*
i *Libri hujus c. 54.*

a *De Panic.*
b Bellovacenſis.
c Poſtera, *vel* ſequenti *voluit dicere. Sed talia ſeculo, quo vixit, tribuenda.*
d *Pſalm. 118 ſive al. 119. verſ. 148.*
e *In Dominicam 1 Adventus. Ubi inde quoque Wolfangus Franzius ſacra animalium hiſtoria parte 2 cap. 25.*

frigidiùs hoc dictum. Nam quas nunc aviculas audimus cantillare in hortis harum ædium, ex non quo homines ſunt temperamento, ſed magis calido; nec grandi capite, ſed minuto admodum cerebello; ut breviculo temporis ſpatio & vapores conſumantur, & ſolvatur ſomnus. Nempe inertes etiam non inepti ſunt ſuæ ſocordiæ patroni.

Ad temperantiam quoque pertinet virtus, qua gloriæ ſtudium moderamur. Niſi fortitudini malis ſubjicere. Nec enim ira ſolùm, ſed etiam gloriæ cupiditas, ad gerendas res arduas accendit, atque ad ſuſtinenda animat adverſa. Verum fortitudo potiùs in terribilibus conſiſtit: temperantia in jucundis; ut eſt laudis voluptas; quæ non minus temperanda moderandaque ac cupiditas gulæ, penis, ſomni, otiique. Eſt verò hoc gloriæ ſtudium etiam in avibus. Quantus enim ejus amor ſe exerit in pſittaco, dum meditatur, quæ ſit locuturus! In minuta item luſcinia quantus laudis amor eſt, cùm canendo certatur! Audiamus Plinium lib. x, cap. xxix: *Certant inter ſe, palamque animoſa contentio eſt. Victa morte ſæpe finit vitam, ſpiritu prius deficiente, quàm cantu.*

Laudis item amor eſt in pavone. De quo ſic Plinius lib. x, cap. xx: *Gemmantes laudatus expandit colores, adverſo maxime Sole, quia ſic fulgentius radiant. Simul umbra quoſdam repercuſſus cæteris, qui in opaco clarius micant, conchatâ quærit caudâ: omneſque in acervum contrahit pennarum, quos ſpectari gaudet oculos. Idem caudâ annuis vicibus amiſſâ cum foliis arborum, donec renaſcatur iterum cum flore, pudibundus ac mœrens quærit latebram.* Notum illud Naſonis in primo de Arte:

Laudatas oſtendit avis Junonia pennas.

Ac ſimiliter Plinius, Ælianus, Oppianus, & ante hos Ariſtoteles *a*; qui animal eſſe ait φθονερὸν καὶ φιλόκαλον *b*. Interim opinio invaluit, quoties ſuos conſpicit pedes, caput cum dolore demittere, quia hi corpori cætero non reſpondeant. Sed meritò eam in Cardano opinionem culpat, & anicularem vocat, Cæſar Scaliger Exercit. ccxxxviii. Legas tamen illam apud Epiphanium quoque Phyſiologi cap. xii.

a *Lib.* 1. *Hiſt. animal. c.* 1.
b *Invidum, & elegantiæ amans.*

Cap. LXXXVII.

Triplex avium motus, & quo avium greſſus differat ab humano. Quantopere is greſſus variet in avibus ipſis. Anſeres pedibus ſuis e Morinis eunt Romam. Veſpertilionis alæ, non alæ; quippe non e plumis, ſed membrana. Cur avibus non ſit data cauda, ut quadrupedibus. Veſpertiliones aliqui caudati. Uſus caudæ in muribus. Quare avibus Deus tribuerit viſum acutum, corpus leve, temperiem calidam & ſiccam, pulmonem magnum, pedes graciles, rumen, ſimiliaque. Ἄποδες, *verius* κακόποδες, *& cur* κυψέλοι *vocentur. Error eorum refellitur, qui cenſent, manucodiatas ſemper volitare, ac ſolo rore vivere. Num Moluccani, & Javenſes, putent, ſe geſtatis earum avium plumis fore invulnerabiles. Varii volatus modi. Quid aves reddat altivolas. Volatus vulturis licet altus, tardus tamen. Unde vulturis nomen. Cur accipiter Ægyptiis ſit venti ſymbolum. Quod accipitrum genus velociſſimum. Unde ſint vocabula* ardex, ὄρνιθος, avis, tardæ, otidos.

Jam de locomotiva avium facultate videamus. Loco autem ſe movent trifariam; greſſu, volatu, natatu. Gradiuntur cruribus in adverſum flexis, contrà ac in homine uſu venit. Huic enim geniculatio fit antrorſum; illis, retrorſum. Nec greſſus omnium videtur avium communis. Excipiunt enim apodes, præſertim Indicas; quas volare ſemper arbitrantur. Sed hoc paullo pòſt expendemus.

Quàm varius ſit avium greſſus, docet Plinius lib. viii, cap. xxxviii: *Ambulant aliquæ, ut cornices; ſaliunt aliquæ, ut paſſeres, merulæ; currunt, ut perdices, ruſticulæ; ante ſe pedes jaciunt, ut ciconiæ, grues.* De anſere ſic idem lib. x, cap. xxii: *Mirum in hac alite, à Morinis uſque Romam pedibus venire. Feſſi proferuntur ad primos: ita cæteri a ſtipatione naturali propeduni eos.* Hæc ſatis docent, quantum anſer greſſu valeat. Non enim Belgarum magis Româ diſtabant, quam Morini, unde *ultimos Gallicarum gentium* vocat Mela lib. iii, cap. ii. Inde Maronis eſt viii Æn.

Extremique hominum Morini.

Gens nunc inclyta oppidis Brugâ, Hulſtâ, Nieuportâ, Duynkerkâ, atque aliis: olim vero clara portu Iccio ſeu Geſſoriaco: unde Dubrin in Britanniam breviſſimus erat trajectus.

a *Vulgo eduut cæteris. ſed cæteri, ut exigente ſententiâ, reſcripſi, ſecutus ſidem Manuſcripti, & veteris edit. Parmenſis.*

Hæc de greſſu. Nunc videamus de volatu: ad quem avibus pennas divinitus datas eſſe, ſatis conſtat. Sed veſpertilioni aliter eſt proſpectum. Etſi Ovidii ſit in iv Met.

—— *Parvos membrana per artus*
Porrigitur, tenueſque includunt brachia pennæ.

Meliùs hoc ibidem:

—— *Non illas pluma levavit:*
Suſtinuere tamen ſe perlucentibus alis.

Eſt & in Sympoſii de eo ænigmate:

Pluma mihi non eſt. ——

Sunt enim illis alæ ex cute ſeu membrana: quas iccircò *membranaceas pinnas* appellat Plinius *b*, *Brachiorum membranas* vocat Iſidorus *c*. Quia autem non è plumis, ſed è pelle conſtent, vix *alarum* nomen mereri putabat Serenus Sammonicus. Nam de trichiaſi, ſive vitio palpebrarum oculos infeſtantium (cui & Galenus *d* veſpertilionis ſanguinem prodeſſe ait) ſic ſcribit:

Ergo locum crinis vulſi continge cruore,
Quem dat avis, tremulis ſimulat quæ pellibus alas.

Cauda corporis carent aves, ne carne ejus, oſſibuſque, graventur in volando. Itaque ne veſpertiliones quidem eam habent, etſi muribus ſimiles. Narrat tamen Petrus Bellonius *e*, in Pyramide Memphiticâ viſos ſibi eſſe veſpertiliones caudatos, ac vix alio, quàm alis, à muribus diſtantes. Unde Cardanus *f* colligebat, illos, *vel grandioribus alis, vel leviori eſſe corpore, aut volatu rariore uti & breviori.* Nihil enim naturam fruſtra facere, exiſtimandum. Mures autem, quibus aves iſtæ perſimiles, non fruſtra habere caudam, argumento eſt, quòd viſus etiam mus, qui cibum caudâ implicitum attraheret ad latibulum: ut idem refert Cardanus *g*.

b *Lib.* 10. *cap.* 61.
c *Lib.* 12. *Orig. c.* 7.
d *De compoſitione medicam: interum ſecundum loca lib.* 2. *cap.* 8.
e *Lib.* 2. *Obſervationum, cap.* 42.
f *Lib.* 7. *de varietate rerum, cap.* 34.
g *Ibidem.*

Ut verò aves in ſublime ſe efferrent, nec cibum minùs ex alto deſpicerent, viſu iis acuto opus fuit: quemadmodum diximus, cùm de ſenſibus avium externis ageremus. Præterea tum eâdem de cauſâ, tum ut longè lateque ac diu volitarent, levi eſſe corpore, & alis non exiguis, oportuit. Eoque exigebatur quoque temperamentum calidum, & ſiccum; potus exiguus; pulmo prælargus; veſica nulla, humore in plumas abituro. Hinc videas, aves ex rapto viventes, utcunque ſint calidiſſimæ, non tamen magis aliis eſſe ſiticuloſas. Nimirum ingentes habent pulmones, ut aëre iis attracto refrigerentur interiùs. Sic expeditiores ſunt ad volandum: quæ ſi ſæpius coactæ eſſent bibere, potùs pondere nimis fuiſſent prægravatæ. Adhæc, ut corpore eſſent leviori, pedes dati graciles, caput minutum: unde & illa exigui roſtri forma, ac ſine dentibus. Nec enim neceſſaria illis fuit attritio ea cibi, quæ dentibus fieri ſolet. Non mandunt, ſed deglutiunt. Sed cum ventriculus parvus foret; opus fuit rumine, ſive gutturis veſiculâ, qua præpararetur cibus, ut eò citiùs faciliuſque concoqueretur ſtomacho.

Volatu, non greſſu valent, quæ ἄποδες dicuntur. Poſſis reddere *apedes*, ut dicitur *amentes*. Vel, ad tollendam ambiguitatem in numero ſingulo, ubi ἄπους ſit *apes*, queas cum Cæſ. Scaligero reddere *depedes*, quomodo dicimus *dementes*, *deformes*. Veruntamen, ut Ariſtoteles ait lib. i. Hiſt. Anim. cap. i *h*, meliùs dicantur κακόποδες, *pravipedes*. Habent enim pedes, ſed non idoneos ad greſſum; imò nec ut iis conſiſtant, ſed ut hæreant. Sic capiendus Plinius, cùm negat, habere uſum pedum. Non enim pedes Deus iis fruſtra omnino fecit. Alter vocantur

h *Diſt. Cæſ. Scal. cap.* 2. *ſect.* 12.

κύψελοι, & κυψελίδες, à κυψέλη, quod eſt πλεκτὸν ἀγγεῖον, ſive *alveus*. Cauſſam adducit Ariſtoteles in IX Hiſt. Animal. cap. XXX a: νεοττεύουσιν ἐν κυψέλισιν ἐκ πηλοῦ πεπλασμέναις, μακραῖς, ὅσον εἴσδυσιν ἐχούσαις· *nidificant in alveolis e luto fictis, oblongis, uno aditu arcto, qui ſufficiat.* Quomodo ab hirundinibus dignoſcantur, ibidem legas. Deque iiſdem ſic Plinius lib. VIII, cap. XXIX: *Plurimum volant, quæ apodes, quia careant uſu pedum, ab aliis cypſeli appellantur, hirundinum ſpecie. Nidificant in ſcopulis. Hæ ſunt, quæ toto mari cernuntur: nec unquam tam longo naves, tamque continuo curſu, recedunt a terra, ut non circumvolitent eas apodes. Cætera genera reſidunt, & inſiſtunt: his quies, niſi in nido, nulla: aut pendent, aut jacent.* Ac tales ſunt Ariſtotelis, & Plinii apodes. Longeque minùs greſſus convenit apodum iis, quæ Διαγχελητικαὶ b *Indicæ* vocantur, atque *aliter manucodiatæ*. Hæ enim ſemper volare, nec unquam quieſcere dicuntur. Sed id pro vano prorſus habendum. Nam, ut veriſſime Ariſtoteli proditum eſt, nullum eſt animal, quod vel moveatur ſemper, vel ſemper quieſcat. Nihilo verius, quòd eas ſolo ajunt rore vivere, quem inter volandum mane percipiant. Nec enim ſemper ros decidit, &, cum cadit, non tam puſillo rore, mane excepto, animal tam grandibus alis vitam ſuſtentet. Veritas autem ſic ſe habet. Inſectis vivit, quæ venatur, & aliis, quæ reperit in arboribus. His enim ſe applicat, tum cibi, tum quietis ac ſomni cauſsâ. Sunt hæ aves in inſulis Moluccis, ac Java majori. Nomen eorum *manucodiatæ* ſonat *Dei aves*. Item dicuntur *aves paradiſi*; quia vulgus, Muhammedicum imprimis, perſuaſum habet, venire illas è paradiſo. Imò reguli Moluccani tam ſtultè ſapere dicuntur, ut ſe plumis iſtarum avium ornatos, utcunque vel in primori acie conſiſtant, vulnerari non poſſe arbitrentur. Credibile tamen eſt, quandoque etiam regulos ipſos, aliorum inſtar, bello cadere: eoque experientia vanitatem eam ſatis refelli. Quod cùm ignorare non poſſint, cenſeo, pennas iſtas adſumere, partim ornatus cauſsa; partim ut argumentum ſuæ in Deo fiduciæ, & ſymbolum divinæ erga ſe providentiæ. Nempe ſperant, ſe per iſtas Dei ſive paradiſi aves numini reddi commendatiores. nec facile in prœlio à Deo, cui fidant, iri deſertum: atque, ut cadant, mox transferendos eſſe in ſedes beatas.

a *Diſt. Cæſ. Scal. cap. 38 ſect. 212.*

b *Diſcriminis cauſſa.*

Quàm variè ſe in volando habeant alites, docent hæc Plinii lib. X, cap. XXXVIII: *Expandunt alas, pendentesque raro intervallo* c *quatiunt, aliæ crebrius* d; *aliæ & tota latera* e *pandunt: quædam vero majore ex parte* f *compreſſis volant: percuſſoque ſemel aliqua, & gemino ictu* g, *aëre feruntur, vel, ut incluſum eum prementes,* h *ejaculantur ſe in ſublime, in rectum, in pronum. Impingi* i *putes aliquas, aut rurſus ab alto cadere* k *has, illas* l *ſalire. Anates ſolæ, quæque ſunt ejuſdem generis, in ſublime protinus ſeſe tollunt, atque è veſtigio cælum petunt, & hoc etiam ex aqua. Vultur, & fere graviores, niſi ex procurſu, aut altiore tumulo immiſſæ, non evolant, caudâ reguntur.*

Præterea avium quædam ſolivagæ ſunt; ut merula, quæ inde quia mera ſive ſola volet, & paſcatur, nomen hoc *merulæ* accepit; ut Varro m, & Feſtus n, ſed Fabio o refragante, ſcripſerunt. Quædam catervatim volant; ut ſturni, unde Plinius lib. X, cap. XXIV: *Sturnorum generi proprium catervatim volare, & quodam pilæ orbe circumagi, omnibus in medium agmen tendentibus.*

Pleriſque item avium volatus rectus; hirundini anfractuoſus; unde eam aquila, quæ rectà provolat, ac ſe dimittit, nequit intercipere. Plinius ibidem: *Volucrum ſoli hirundini flexuoſi volatus, velox celeritas: quibus ex cauſſis neque rapinæ cæterarum alitum obnoxia eſt.* Ac addit ibidem: *ſolam avium non niſi in volatu paſci.*

De anſeris greſſu ante dictum. De volatu ejus, ac cygni, ſic Plinius lib. X, cap. XXIII: *Anſeres, & olores, liburnicarum more, roſtrato impetu feruntur, facilius ita findentes aëra, quam ſi rectâ fronte impellerent: à tergo ſenſim dilatante ſe cuneo porrigitur agmen, largeque impellenti præbetur aura.*

c *Ut milvi*

d *Ut accipitres, qui Germanis ſparveri.*

e *Corvi.*

f *Pici.*

g *Carduelis.*

h *Hirundines.*

i *Perdices.*

k *Alaudæ.*

l *Coturnices*

m *Lib 4. de L.L.*

n *In Merum.*

o *Lib. 1. cap. 10.*

Merops, non, ut avium aliæ, εἰς τὸ ἔμπροσθεν, *anteriora verſus fertur*; verum ἐμπαλιν, *retrorſum*, ac verſus caudam, ut Ælianus ait lib. I de Anim. cap. XLIX.

Altum item aliæ aliis & ſublimius volant, & celerius. Quæque calidioris, & ſubtilioris ſunt materiæ, eò altius ſimnt ore... Juvat &, ſi alæ magnæ, ac corpus minutum. Hinc Plinius lib. X, cap. XIX: *Uncos ungues habentes ſunt omnes fere altivolæ, præter nocturnas: & magis majores. Omnibus alæ grandes, corpus exiguum.* Itaque altè volant vultures: ac nidificant in montibus, & rupibus prope inacceſſis. Unde Herodorus, Rhetoris Brysonis pater, (ut eſt apud Ariſtotelem lib. VI Hiſt. Animal. cap. V) credebat, eos ex altero ad nos orbe advolare. Nam, inquiebat, nemo eorum nidum vidit. Id falſum eſſe, ait Ariſtoteles ibidem. Subinde enim conſpici. Cujus ſententiam firmant Juvenalis ſat. XIV, Plinius lib. X, cap. VI: item Albertus M. Georgius Agricola, Petrus Bellonius, & alii plures. Ab hoc tardo quidem (unde & Ovidius in Ibin, —— *tardus trahet ilia vultur*) interea ſublimi, ut dixi, volatu nomen *vultur* accepit. Nam ut prius *voltus* pro *vultus* dixere; ſic *volturis* a, & *voltur*, pro *vultur*. Ac Hebræis ſimiliter hæc avis דאה b a דאה, *volavit*. Alii tamen *milvum* interpretantur.

Accipitris quoque mira velocitas. Et fortè ἱέραξ dicitur, quia ἵεται ῥαδίως, *feratur facile*, hoc eſt, celeriter volet. Sed aliud etiam etymon adferimus inferiùs. Ob hanc velocitatem, Oro c teſte, accipiter pictus de notat ventos. Cùm autem varia ſint accipitrum genera is, qui à palumbis necandis φασσοφόνος vocatur, celeri volatu cæteros vincit; ut Porphyrius ait in tertio de Abſtinentia.

Sublimi etiam volatu volat ardea: imò ex ſententia Cæſaris Scaligeri d *ardea* dicitur à volatu *arduo*: quod eſſe ait ἀπὸ τοῦ ἀέρος δύνειν e. Maro I Georg.

—— *Notaſque paludes*
Deſerit, atque altam ſupra volat ardea nubem.

Sed cùm Græcis hæc avis dicatur ἐρωδιὸς, credibilius planè puto, inde factum eſſe *ardeus*, & mutato genere, quia ad avis reſpiceretur, *ardea* dixiſſe. Multa enim ejus generis ſunt apud Latinos.

Ab hocce avium in volando impetu eſt Græcum ὄρνις: nempe ab ὀρνυσθαι, quod eſt *impetu ferri*. Sane & Heſychius ὀρνυμένη exponit ὁρμῶντος: quod quandoque valet *concitus*, *incitus*. Imò Cæſar Scaliger f putabat, hanc impetus ſignificationem etiam eſſe in *avis*: & inde eſſe *avis*, Æolum more digamma inſerto. Sed *avis* originem potiùs debet Hebræo עוף, quod eſt *avis*, *volucris*, ab עף, *volavit*.

Interim quædam, ſi cum avium aliis conferantur, tardæ potiùs videntur. Hujuſmodi eſt otis. Nam tardè ſubvolat, & citò deficit: unde Hiſpanis jam Pliniano ævo *tarda* dicebatur. Verba ejus ſunt lib. X, cap. XXII: *Proximæ ſunt eis, quas Hiſpani aves tardas appellant, Græcia otidas, damnatas cibis: emiſſâ enim oſſibus medullâ, odoris tædium extemplo ſequitur.* Et fortaſſe Græcis Hiſpanos oppoſuit Hiſpalenſis Iſidorus Originum lib. XII, cap. VIII, cùm ait: *Gradipes apud Græcos vocatur avis, apud nos Tarda, eo quòd gravi volatu detenta, nequaquam, ut cæteræ volucres, attollitur velocitate pennarum.* Sic uterque etiam MSSus noſter bonæ notæ. Sed *Gradipes* Græcum non eſt; ut planè iis ſit adſentiendum, qui pro *Gradipes* reponunt *Bradypus*. Nam βραδύπους ad verbum *tardipes*. Tarditatis ejus argumentum habemus apud Xenophontem lib. I de Expeditione Cyri: ubi narrat, ut milites in Arabia inciderunt in otidas. Tum ſubdit g: τὰς δὲ ὠτίδας, ἄν τις ταχὺ ἀνιστῇ, ἔστι λαμβάνειν, πέτονται γὰρ βραχὺ, ὥσπερ πέρδικες, καὶ ταχὺ ἀπαγορεύουσι· τὰ δὲ κρέα αὐτῶν ἥδιστα. *Otidas, ſiquis celerius ſuſcitet, capere eas poſſit. Ad breve enim ſpatium volant, perdicum more, ac cito eas vires deficiunt. Carnes illarum ſuaviſſimæ erant.* Eſt otis ex anſerum genere, ac frugibus veſcitur: ſic dicta, non quia ſit oto, avi nocturnæ, ſimilis, ut conjicit doctiſſimus Martinius h: ſed quia gra-

a *Ennius apud Soſipatrum lib. Servius ad 6. Æn. & Priſcianus lib. 6. Paulus Merula in Ennium malebat volturus. Sed ſi voltur per ἀποκοπὴν eſſet ex volturus, genitivus foret non volturis, ſed volturi; ut à vieus vir, binc viri; à ſaturus, ſatur, binc ſaturi.*

b *Levit. XI, 14.*

c *Lib 1. cap. 15.*

d *Exercitat. 33.*

e *Ab aëre penetrando.*

f *Comment. in lib 1. Ariſt. Hiſt. Anim. ſect. 49.*

g *P. 256. edit. Pariſ. an. 1625.*

h *In lexico Philolo-gico.*

vi-

aures habeat hirſutas. Unde Oppianus lib. II κυνηγετικῶν *a*:

a Verſ. 407.

> Ὠτίδες, αἷσι πέλει λασιώτατον οὖας.
> *Otides, hirſutis quæ florent auribus uſque.*

Sed de otidis, & otũ differentia abunde diximus cap. LXXIII.

Cap. LXXXVIII.

Soni, vocis, & ſermonis diſcrimen. Vox, & ſermo, *unde derivata.* Sero, & ſequo, *pro* dico. *Onocrotalo vox eſt aſini; tauro avi, bovis; antho, equi. Quæ cauſſa inimicitiarum inter anthum, & equum. Anthum eſſe, quem Galli* phaſianum bruantem *vocant. Perdices* κακκαβίζειν, τρίζειν, πτυβίζειν: *ſed Athenis* κακκαβίζειν, *ſive* caccabare: *ultra Corydalum triſſare, vel tittybiſſare.* Πέρδιξ, καὶ κακκάβη, *etymon. Euſtathii lapſus. Si fides Pratinæ, poetæ tragico, & Æſchylo ὁμήλικι, coturnices, quæ alibi mutæ, ſuave quid cecini ſe in Phliaſiorum agro. Garrulam eſſe avem, quæ Græce* χαραδριὸς, *Hebræis* anapha *vocatur, & unde utraque appellatio. Homines, ex quorundam opinione, Muſicen ab avibus didiciſſe. Unde hæc vocabula ſint,* luſcinia, aëdon, philomela. *Quantum avis ea polleat cantu. Quàm variis de cauſſis canant galli. De cygneâ cantione, veterum & juniorum ſenſus.*

DEinceps in avibus conſiderabimus ſonorum ſive vocum diſcrimina. Nam in iſto etiam divina ſe providentia magnopere oſtendit: & ſi rerum ordinem attendamus, hic proprius fuerit ea conſiderandi locus. Quippe de facultate locomotivâ proximè actum eſt nobis: vox autem eſt à ſpiratione, qui motus eſt quidam. Aliud interim eſt ψόφος, ſive *ſonus*; aliud φωνὴ, *vox*; aliud διάλεκτος, *ſermo*; quæ & philoſophus diſtinxit. lib. IV Hiſt. Anim. cap. IX. Atque aliqua etiam de eo diſcrimine jam diximus libri hujus cap. XXVII. Nempe ſonus eſt qualitas aëris eliſi, quæ percipitur auditu. Sed ſonus etiam excitatur motu alarum, pedum. Vox verò tùm vocatur, cùm à pulmone, ac gutture, proficiſcitur. Quod ſi vox ſit ἔναρθρος *a*, *ſermonis* nomen accipit. Qui idcirco ab Ariſtotele *b* definitur, ἡ τῆς φωνῆς τῇ γλώττῃ διάρθρωσις. Id Cæſar Scaliger reddidit, *vocis dearticulatio per linguam.* Nimirum vox à pulmone exiens foret tenoris unius: ſed cum articulatim ſeu fruſtulatim connectit lingua: ut hujus beneficium ſit τὸ συλλαβεῖν *c*: unde συλλαβῆς *d* vocabulum. Quod ſi ad *vocis*, & *ſermonis*, ἔτυμα, iisdem recurri placet; *vox*, & *voco*, ſunt à βοὴ, vel βοῶ: uti hoc ab Hebræo קרא, *clamavit*. *Sermo* ab antiquo *ſero*, pro *dico*; à quo *adſero*, & *diſſero*, unde *diſertus*. Id *ſero* eſt ab εἴρω, ſive ἐρέω, quod idem ac *dico*. Spiritus enim tenuis quandoque abit in S ut ab ἕπω antiquum *ſequo*. Unde Homericum ἔννεπε initio Odyſſeæ Livius Andronicus *Inſeque* reddidit: & apud Ennium *e* fuit *inſexit*, pro *dixit*. Gloſſ. vett. *Inſeque*, εἰπέ. Similiter igitur ab ἐρῶ, *ſero*; unde *ſermo*.

a Articulata.
b Lib. 4. hiſt. An.
c Comprehendere.
d Syllabæ, q. d. comprehenſionis.
e Feſtus.

Ad ſonum avium etiam cantus pertinet. Propriè verò ſono accidere, arguit, quòd & pulſu barbiti, vel lyræ, cantus editur; ubi vox eſt nulla, nedum ſermo. Sed nunc ſolùm loquemur de tribus iſtis primùm de ſono eo, qui accidit voci avium ſimpliciter. Hinc de cantu earum. Ac denique de loquela.

Quantopere varient avium voces, cognoſcere eſt ex carmine grammatici veteris, quod *Philomela* inſcribitur, interque Ovidio adſcripta legi ſolet. Sunt in his quædam voces, quæ quadrupedes imitentur; ut aſinum. Onocrotalo enim nomen eſt ab aſinino ſono, quem edit, ubi roſtrum aquis immergit, vel inter arundines efflat ſpiritum. Avis eſt ex ardearum genere, admodum guloſa, ac præcipue inſidians anguillis. Pſal. CII, 7. vocem קאת aliqui *onocrotalum*, quidam *plateam*, *pelecanum* alii reddiderunt.

Sunt & alites, quæ bovem, vel equum imitentur. Unde ſic Plinius lib. X, cap. XLII: *Eſt quæ boum mugitus imitetur, in Arelatenſi agro, taurus appellata, alioquin parva. Eſt quæ equorum quoque hinnitus, anthus nomine, herbæ pabulo adventu eorum pulſa imitatur, ad hunc modum ſe ulciſcens.* De Antho, quem *florum* reddidit Theodorus, idem prodit Ariſtoteles lib. IX Hiſtor. de Anim. cap. I *a*. Atque addit, fugari equum, ubi audit hanc avem hinnitum ſuum imitantem: quod ſi equus avem apprehenderit, interficere eam. Nec ſanè mirum, ſi equus exhorreſcat avem tantillam. Nam cum primò, voce ejus auditâ, equum in propinquo eſſe exiſtimet; circumſpiciens ſe videt deceptum. Nec cenſet generoſum animal hanc avi vocem convenire. Inde ira, & indignatio. Poſſis & alteram addere inimicitiarum cauſſam: quòd anthus non ſeminibus modò, & vermibus, ſed herbis etiam veſcatur. Quippe inimicitiam ex eo provenire, ſuperiùs diximus, quòd eodem in loco degant, & eodem paſcantur cibo. Galli hanc avem vocant *phaſianum*; ſed, ob gravitatem vocis, *bruant*; ut ait Scaliger in locum Ariſtotelis memoratum; nec non exercit. CCXXX adverſus Card. Ejuſdem eſt in Ate:

a Al. 2.

> *Haud phaſianus jure dicitur vulgo:*
> *Quare bruantis Francus addidit nomen.*

Porrò varia ſuppetunt exempla avium, quæ ſonum pro diverſis varient locis. Exemplo ſint perdices. De his ita ſimpliciter Ariſtoteles lib. IV Hiſt. Animal. cap. IX: Τῶν περδίκων οἱ μὲν κακκαβίζουσιν, οἱ δὲ τρίζουσι. *Perdicum quædam caccabant, quædam triſſant.* Uti verò hic perdices ait τρίζειν, ita iisdem τρυγμὸν tribuit lib. IX ejuſdem operis cap. VIII. Sed pro τρίζειν, quod perperam *ſtridere*, pro *triſſare*, reddidit Gaza. πτυβίζειν habet Theophraſtus apud Athenæum in IX: Θεόφραστος γὰρ ἐν τῷ περὶ ἑτεροφωνίας τῶν ὁμογενῶν, Ἀθήνησι, φησί, πέρδικες ἐπὶ τάδε τοῦ Κορυδαλλοῦ, πρὸς τὸ ἄστυ, κακκαβίζουσιν· οἱ δ᾽ ἐπέκεινα, πτυβίζουσιν· *Theophraſtus, libro de varia voce animalium congenerum, refert, Athenis perdices citra Corydalum b, oppidum verſus, caccabare: ultra verò tittybiſſare.* Sunt hæc verba à ſono ficta. Κακκαβίζειν enim, pro quo *cacabare* dixit Philomelæ auctor, venit à κακκάβη: quomodo perdix aliter vocatur, teſte Heſychio. Κακκάβη autem eſt ex eo, quòd ſonum edat, quem ſolent cacantes. Nam Græcis κακκᾶν, *ſtercus*. Uſus Ariſtophanes in Εἰρήνῃ. Imò & perdicis vox exinde eſt, quòd ſonum intereundum edit, qualem, qui πέρδονται *c*. Aliis placet, avem ſonare κακκαβὶ: atque inde eſſe κακκαβίζειν: ut à τρὶ, τρίζειν: à πτυβὶ, πτυβίζειν. Quæ vocales magis, hæ dicuntur, κακκαβίζειν. Quæ minùs, τρίζειν, vel πτυβίζειν. Sanè τρὶ, & πτυβὶ, exile quid ſonant. Atque hoc eſt, quod Antigonus Caryſtius Hiſt. Mirabil. cap. VI ait, aliter ſonare τοὺς εὐφώνους *d*, aliter τοὺς ἰσχνοφώνους *e*. Ælianus lib. III Hiſt. Anim. cap. XXXV, contentus eſt dicere, aliter perdices ſonare Athenis, aliter alibi: ſed ſoni diſcrimen petere jubet ex Theophraſto. Id verò jam ex Athenæo vidimus. Et ſimiliter, ac Athenæus, ſive Theophraſtus potiùs, etiam id expreſſit Julius Pollux lib. V, cap. XIII: Καὶ πέρδικας πτυβίζειν, ἢ κακκαβίζειν. Sed quod apud Euſtathium legas in Iliados Β, & Ψ, etiam κικκαβᾶν, & κικκαβάζειν, id erroneum prorſus: locusque ab eo ex Comico adductus eſt ex Ariſtophanis Avibus, qui de noctuis, non perdicibus, loquitur: ut doctiſſimo noſtro Meurſio *f* jamdiu obſervatum.

b Atticæ populum.
c Pedunt.
d Vocales.
e Exili voce præditas.
f Notis in Antigonum.

Quæ de variante, pro loco, avium ſono diximus, etiam capiunt lucem ex coturnice. Nam uni Pratinæ Phliaſio, (cui cum Æſchylo, & Chœrilo, ſeptuageſimâ circiter olympiade, certamen fuit) dramate eo, quod *Caryatides* inſcripſerat, ἡδύφωνος, q. d. *dulciſona*, vocabatur. Quod falſum videtur. Sed Athenæus lib. IX hoc pacto illud interpretabatur: utcunque alibi fuerint mutæ, vocales tamen fuiſſe in agro Phliaſiorum, qui in Peloponneſo erat.

Etiam in iis, quæ vocem attinent, ſimulachrum vitii moralis habemus, garrulitatem. Hac laborat charadrius.

quæ

quæ avis Levitici xi, 19, & Deuter. xiv, 18, memoratur inter immundas, juxta lxx, & interpretem Latinum. Hebraicè eſt אנפה, *anapha*. Ac deducunt ab אנף, hoc eſt, *iraſci*, quia facile irritetur. Ad Levitici locum Radulphus Flaviacenſis, qui anno IↃ cccc, ac deinceps, vixit, hæc annotavit: *Sed & charadrios, avis garrula, nimiam quondam redarguit loquacitatem.* Eſt verò charadrius avis nocturna, atque ita ſecundùm Ariſtotelem *a*, & Ariſtophanis ſcholiaſten, dicitur, quia incolat hiatus ac voragines terræ, quas Græci χαράδρας vocant. Itaque Theodorus Gaza vertit *hiaticulam*, vel *hiaticolam*. Quamquam & *rupicem* appellet, quia in rupibus etiam degat. Ariſtoteles ait, colore voceque pravâ eſſe. Epiphanius in Phyſiologo tradit, totam eſſe albam: quod & proditum Alberto M.

a Lib. 9. de Animal. cap. 11.

A voce citra cantum tranſeo ad Muſicam avium naturalem. Quando, ut eſt Pſalm. civ, 12, *inter frondes dant vocem*, cantuque hoc ſuo humanum etiam animum oblectant. Imò Chamæleon Ponticus, ut eſt apud Athenæum in nono, memoriæ prodidit, τὴν εὕρεσιν τῆς μουσικῆς τοῖς ἀρχαίοις ἐπινοηθῆναι ἀπὸ τῶν ἐν ταῖς ἐρημίαις ᾀδόντων ὀρνίθων, ὧν κατὰ μίμησιν λαβεῖν στάσιν τὴν μουσικήν· *muſicen ab hominibus priſcis inventam & excogitatam ab avibus iis, quæ in ſolitudine canunt, atque ad earum imitationem eſſe inſtitutam muſices diſciplinam.* Similiter ſenſit Lucretius lib. v, ubi Muſices originem exponit.

In cantricibus hiſce præcipua eſt luſcinia, unde Plautus *b*:

Pol ego quoque metuo, luſciniolæ ne defuat cantio.

Et Seneca ep. lxxvi: *Habet vocem: ſed quanto dulciorem, mobilioremque luſciniæ?* Imò ſic dicta à cantu, non quia lugubre canat, ut putabat Varro *c*: nec quia luce primâ canat, quod Iſidorus *d* volunt: ſed quia præcipuè in lucis canat. Hi enim præcipue luſciniæ cantu perſonant: unde Martialis *e*:

Sic ubi multiſonâ fervet ſacer Atthide f lucus.

Itidem *aedon*, quia ἀεὶ ᾄδει *g* dicta, & philomela, quia φιλεῖ μέλος *h*. De hac ita Plinius lib. x, cap. xxix: *Luſciniis diebus ac noctibus continuis xv garrulus ſine intermiſſu cantus.* Hinc digna miratu referens, *Primum*, inquit, *tanta vox tam parvo in corpuſculo, tam pertinax ſpiritus. Deinde in unâ, perfecta muſicæ ſcientia modulatus editur ſonus: & nunc continuo ſpiritu trahitur in longum, nunc variatur inflexo, nunc diſtinguitur conciſo, copulatur intorto, promittitur revocato, infuſcatur exopinato*: pluraque ubi in hanc mentem, ſane eleganter. Poſtea narrat, quantùm cantu certent natu majores. Tum ſubdit: *Meditantur aliæ juniores, verſuſque, quos imitentur, accipiunt. Audit diſcipula intentione magnâ, & reddit, vicibuſque reticens. Intelligitur emendatæ correctio, & in docente quædam reprehenſio.* In quibus & ingenii ſollertia ſe exſerit. Sed imprimis miranda (verùm, ut puto, ὑπερβολικωτέρως, nec ſine omni veritatis exceſſu perſcripta) quæ de ſermonibus die auditis, noctuque ab luſcinia redditis, referuntur epiſtolâ ad Conradum Geſnerum exaratâ, & in tertio Hiſtoriæ Avium inſertâ. Eam nec vererer hic apponere, niſi longior foret, & jam complures eam exſcripſiſſent: ex quorum aliquo, cui Geſnerus ad manum non ſit, petere eam poſſit, ſi volet. Uti Ulyſſe Aldrovando in Ornithologia lib. xviii de Avibus, cap. ii, Neandro in Phyſicis, Wolfango Franzio Hiſtor. Animal. ſacræ part. ii, cap. xxvi, & ſiqui alii.

b Bacch. act. 1. ſc. 1.
c Lib. 4 de L. L.
d Lib. 12 Orig. cap. 7.
e Lib. 1. epig. 54.
f Luſcinia, in quam Philomela Attica fingitur conversa.
g Canit.
h Amat cantum.

Dignus etiam eſt gallus gallicinio ſuo, ut aliquid de eo dicamus. Cum aves vocem edant, ut aliæ rationis expertia, vel alimenti, aut Veneris deſiderio, vel irâ, aut metu: unumquodque iſtorum in gallo etiam gallinaceo locum habet. Mittam nunc, quòd querulum quid ſonat, ſi cibus non præbeatur tempori: item ſi victus fugiat metu ſuperioris. De cantu nunc ſolùm dicam. Canit libidine incitus, ut advocet gallinas. Canit à coitu lætus, quia ſe ſemine nimio, quo onerabatur, exoneravit. Nempe non, ut homo, reſolvitur coitu, qui iccirco à Venere dolet: ſed exhilaratur, quia ſemen, quo ſtimulabat, non eſt amplius moleſtum, & recentis etiam coitus memoria delectatur. Præterea canit ante pugnam: ſi ad eam magno ſe animo paret. Canit victor, victoriâ lætus. Præcipuè autem circa noctis [illegible] canit [illegible], vel proximè ante ſolis exortum. Nimirum partim ubi Sol dimidiam itineris nocturni partem confecerit, partim ex quo ad noſtrum pertigerit finitorem, vel circiter, gallo ſenſus ſolvuntur: quippe animal hoc vi naturæ, ſi cum tempore [illegible] proprietate, ſic à ſole afficitur, ut tum expergefiat. Gaudens igitur, tum quiete ſuaviter perceptâ, tum quòd ſentiat, non ſic, ut antè, pectus vel ſtomachum gravari cibo, (ut qui per totum jam corpus ſit digeſtus) lætitiam cantu, & alarum plauſu teſtatur. Simul etiam quia, ut ſumma aeris conſtitutione, calidus ac tenuis galli ſanguis halitus ac vapores in muſculis excitavit: eo alas complodens, & gutture cantillans, vapores ſtudet unà cum pituita frigore noctis collecta diſſipare, haut ſecus ac animalium alia, vel pandiculatione, vel oſcitatione, flatus propellunt. Quod verò Plinius ait lib. xxix, cap. iv, gallum non canere, ſi collum circulo cinxeris ſarmentitio, id vanum videtur. Ne illud quidem verum, quod ſtatis horis, nempe poſt ternas quaſque, cantum ait diſtinguere: quod experimento proprio diluit Scaliger Exercitat. ccxxix. Sonus gallicinii tam eſt ſonorus, ut vel ad mille paſſus, imò ultrà, exaudiatur.

Inter aves etiam, quæ à cantu commendentur, olor reponitur à poëtis: ut Ariſtophane in Avibus, Theocrito idyllio xix, Callimacho hymno in Apollinem, Dionyſio Afro in Περιηγήσει, Lucretio lib. iv, Horatio lib. iv, od. iii, Seneca Hippolyto, ac tot aliis. Sed quis poëtis fidat, vanitatis toties compertis? Audiamus igitur Ariſtotelem potiùs lib. ix Hiſtor. Animal. cap. xii *a*, ubi ſic de cygnis ſcribit: ᾠδικοὶ δέ, καὶ περὶ τὰς τελευτὰς μάλιστα ᾄδουσιν· *cantores vero ſunt, & ſub mortem potiſſimùm canunt.* Atque addit, à quibuſdam Africam prænavigantibus multos inventos ᾄδοντας φωνῇ γοώδει, *canentes voce lugubri.* Præivit ad hanc Ariſtoteli opinionem Plato in Phædone. Secuti eandem Cicero lib. i. Tuſcul. Quæſt. Appulejus lib. iii Florid. Ælianus lib. v de Animal. cap. xxxiv, Philoſtratus lib. ii vitæ Apollonii, cap. xiv. Imò in proverbium abiit, *Cygnea cantio.* Sed ambigere videtur Ælianus lib. ii de Animal. cap. xxxii. Nec Plinius fidem habet lib. x, cap. xxiii: *Olorum morte narratur flebilis cantus; falsò, ut arbitror, aliquot experimentis.* Iidem Athenæus lib. ix commemorat, Alexandrum Myndium tradidiſſe, multos ſe moribundos proſecutum, ſed nullius audiſſe cantum. Cæſar Scaliger quoque ad memoratum Ariſtotelis locum annotavit: *Ferrariæ multos vidimus; ſed cantores tam malos, neque meliùs anſere canere.* Quodque de illis Africam prænavigantibus narrat Ariſtoteles, (uti & ex eo Ælianus lib. x de Animal. cap. xxxvi) fabulam arbitratur. Cardanus Ariſtotelem ſequitur in x de Subtilitate. Sed refellit idem Scaliger Exercitat. ccxxxii. Etiam Scaligero favet Bodinus in Methodo Hiſtoriæ. Sunt qui agnoſcant, non canere gutture, ſed tamen putent, alis ſuave edere melos, idque ὅταν ἐκπετάσῃ τὸ πτερὸν ταῖς αὔραις, *quando pennas in auras expanderit*: ut eſt apud Nazianzenum orat. xxxiv, ſive ii de Theologia *b*. Ac ſimilis apud eundem locus eſt epiſt. i; ubi ait, ὡς ζεφύρου τὰς πτέρυγας ὑπηνέμου, ἡδύ τι καὶ εὐάρμονιον ᾄδειν· *zephyro alas inſpirante, ſuave quid, & concinnum canere.*

a Sive ex diſt. Scal. cap. 16. ſect. 162.
b Pag. 554. edit. Morelliana.

Cap. LXXXIX.

Annalibus Romanis, ſed ſemel duntaxat, proditum fuit, locutum eſſe gallum gallinaceum: & quid de eo ſtatuendum. Alites, quæ loqui diſcunt, latioris eſſe linguæ, ac propriam mandibulæ ſtructuram habere. De pſittaco in aula Baſilii Cæſaris lugente Leonem; quem, licet filium, in carcerem conjecerat Imperator. Tollitur dubitatio Cedreni, in medio relinquentis, utrum ſic edocta

edocta aliter, an cura disciplinam, fuerit proloquuta. Quomodo psittacus, & qua aetate, magis sit idoneus disciplinae. Plinii error, picis quinos in pede digitos tribuentis: graviorque alter Appulei, ac Solini, qui idem psittacis adscripserunt. Pica imitans tubarum cantum. Memoranda de corvo mature sermoni adsueto, & ob interemtum ejus quas iram populus Romanus; neque hoc mysterio carere cuiquam videatur. De loquela turdi, sturni, perdicis. Ἀκανθυλλὶς Erithacus. Merulae qualis sermo, & pici Martii.

DE cantu habemus. Nunc transeo ad loquelam: quam naturâ aves habent nullae, multae etiam nec disciplina consequi valent. Tales, inter alias, galli gallinacei. Ut vel fabulosum, vel a fraude daemoniaca fuerit, quod Plinius narrat lib. x, cap. xxi: *Invenitur in Annalibus, in Ariminensi agro, M. Lepido, Q. Catulo* coss. *in villa Galerii locutum gallinaceum, semel quod equidem sciam.* Ac multò certius pro fabula habendum, quod ajunt, aves inter se colloqui, & magos cum sermonem intelligere. Qua de re sic idem lib. x, cap. xlix: *Qui credit ista, & Melampodi profecto, aures lambendo, dedisse intellectum avium sermonis dracones, non abnuet: vel quae Democritus tradit, nominando aves, quarum confuso sanguine serpens gignatur; quem quisquis ederit, intellecturus sit alitum colloquia.* Quid de Apollonio Tyaneo, linguas avium intelligente; item de oraculo pici Martii, ac Dodonaearum columbarum, censeam; jam aperui libri hujus cap. xlv. Quare, istis praeteritis, nunc exponam, quae avium dociles sint ad imitandum sermonem humanum. De id genus avibus ita Manilius in quincto:

Quin etiam linguas hominum, sensusque, docebit
Aërias volucres; novaque in commercia ducet;
Verbaque praecipiet naturae sorte negata.

a Lib. 10. cap. 42. Quae vero ad hanc disciplinam sint idoneae, Plinius *a* istis verbis docet: *Latior est lingua omnibus, in suo cuique genere, quae sermonem imitantur humanum.* Addunt alii, & propriam iis esse maxillarum dispositionem: quomodo in psittaco non solùm est latior, sed & structura mandibulae, praesertim superioris, ab avium vulgo variat. Illustre de hac alite docilitatis argumentum habemus in vita Basilii Macedonis imperatoris qui filium Leonem, cognomento Philosophum, imperii fecerat consortem; sed, calumniis Sabatem deceptus, in carcerem conjecerat. Contigit autem, ut dum Imperator cum Senatoribus aliquot convivaretur, psittacus saepiùs inclamaret, Αἲ αἲ

b Ab alio domine Leo. κύριε Λέον *b* Hinc silentium convivis; cujus caussam rogante Imperatore, respondere cum lachrymis. Animal rationis expers luget infelicitatem domini sui Leonis: & nos infortunii obliviscimur. Imperator igitur eos porrò in convivio esse hilares, deque Leone bonum habere animum jussit: nec multò post eum carcere eductum priori restituit dignitati. Narrat rem in Historiarum Compen-

c Pag. 487 edit. Operin. dio *c* Georgius Cedrenus, item in Annalibus Constan-

d Pag. 206 Graeca edit. à Meursio procuratae, sive Lat. 462. tinus Manasses *d*. Sed Manasses avem vocat ὀρνίθιον μουσικόν quod propriè sit, *pullum canorum*. Generatim, *aviculam canoram*, reddidit Leunclavius. Cedrenus autem appellat Ψιττακόν, ζῶον μιμηλόν, καὶ πολύφωνον· *psittacum, animal imitans vocem humanam, ac loquax.* At in medio relinquit, utrùm ista dixerit, πρός τινων διδαχθέν, ἢ τ᾽ ἄλλως πως ἐξ αὐτομάτου· *edoctum ab aliquo, an alia ratione fortuita.* Manasses verò clare ait, edoctam hoc avem a mulieribus assidue Leonem lamentantibus. Nec enim homo, nedum psittacus, sermone loquetur, quem non didicerit. Quippe verba non significant natura, sed ex instituto: ut diximus hujus libri cap. xliv. Qualis ergo ea est adulatio, quando Martialis

e Raderus ad allatum Martialis locum. ait lib. xiv, epigram. lxxii:

Psittacus a vobis aliorum nomina discam.
Hoc didici per me dicere. Caesar ave.

f Ab seipso edoctus. Verùm interpretatus *e* putabat, hoc ita posse excusari, ut psittacus αὐτοδίδακτος *f* dicatur, quomodo corvus ille

interpretatus est, qui salutato Caesare Augusto, eòque discente, emerat. Multorum istiusmodi habere domi; conqueri solitus erat, Opera, & impensa periit. Verùm, utut sutor non venit ad id propositum, quàm ut corvum doceret, *Ave*, vel *salve Caesar*: is tamen & alterum saepiùs audierit; quia sutor, ut Macrobius *a* ait, *impendio exhaustus saepe ad avem non respondentem id dicere solebat.* Quare rectè Appulejus in secundo Floridorum, *Et corvus, & psittacus, nihil aliud, quàm quod didicerunt, pronunciant.* Quomodo autem psittacus doceatur; cum apud Plinium, & Solinum, tum ibidem legas his verbis: *Cum sermonem nostrum cogitur aemulari; ferrea clavicula caput tunditur, imperium magistri ut persentiscat. haec ferula docentis est.* Atque ibidem addit, ut primo solùm biennio docilis sit; senex verò, obliviosus: item ut facilius discat, qui glandibus vescitur, ac cujus in pedibus quini digiti numerantur. Quae omnia hausisse videtur ex Plinii lib. x, cap. xlii. Sed Plinium non bene intellexit; qui haec non de psittacis, verùm picis, scripserat. Verba ejus inferius apponam.

a Lib. 2. Saturn. cap. 4.

Praeter psittacum alias etiam aves, quae loquantur, refert Porphyrius lib. iii de abstinentia ab animalibus: Κόρακες, καὶ κίτται, ἐρίθακοι, καὶ ψιττακοὶ ἀνθρώπους μιμοῦνται· *Corvi, & picae, & erithaci seu rubeculae, & psittaci, vocem humanam imitantur.* Halcae, praeter erithacum, conjunxit Persius; si plerisque codd. fides. Sed de psittaco, & pica, versus sunt à poeta: ille de corvo infertus est a poetastro, eoque à vett. MSSis abest. *Picarum certo generi*, ut Plinius *b* ait, *expressior loquacitas*, quam psittaco: sed *minor nobilitas, quia non ex longinquo venit*: ut psittacus, quem mittit India. Verùm, ut ibidem legas, *addiscere alias sermonis humani species negant posse, quam quae ex genere earum sunt, quae glande vescantur: & inter eas facilius, quibus quini sunt digiti in pedibus: ac ne eas quidem ipsas, nisi primis duobus vitae annis.* Ubi fallitur Plinius, cùm picis quinos tribuit digitos: quippe duntaxat iis quatuor sunt. Magisque deceptus Appulejus, cum ista à Plinio, ut dixi, de psittacis putaret prolata. Nam a psittacis jam ad picas transgressum ista scribere, satis est apertum attentiùs Plinium legenti. Solinus quoque cap. lv hac in re erravit. Nam & is tradit praestantiores psittacorum quinos in pede digitos habere: cum tantùm binos habeat ante, ac totidem ponè.

b Lib. 10. cap. 42.

Quid verò non ales haec imitari discat, cùm exprimat etiam tubarum cantum? Qua de re illustre exemplum habemus apud Plutarchum in Comparatione aquatilium, ac terrestrium, & inde apud Pet. Victorium lib. ix Varr. Lect. cap. xiv. Rectè itaque Ovid. v Metam. dixit,

—— imitantes omnia picae.

Planeque falluntur, qui putant, solùm sermonem imitari humanum.

In corvis non alius memorabilis magis illo, qui (Plinii *c* verba sunt) *Tiberio principe, ex foetu supra Castorum aedem genitus pullus, in oppositam sutrinam devolavit, etiam religione commendatus officinae domino. Is mature sermoni adsuefactus, omnibus matutinis evolans in rostra, in forum versus, Tiberium, deinde Germanicum, & Drusum Caesares nominatim, mox transeuntem populum Romanum, salutabat: postea ad tabernam remeans, plurium annorum assiduo officio mirus. Hunc, sive aemulatione vicinitatis, manceps proximae sutrinae; sive iracundia subitâ, ut voluit videri, excrementis ejus impositâ calceis macula, exanimavit; tanta plebei consternatione, ut primum pulsus ex ea regione, mox & interemtus sit.* Addit deinde, ut huic corvo ea in urbe, in qua multorum principum nemo duxerat funus; neque vel major Africanus habuit sepulcrum, (nam quod ostendi solet *d*, cenotaphium erat) nec minor reperit ultorem; innumeri exequias celebrarint corvo, duobus Aethiopibus (nigrae aliti convenienti hi potissimùm) humeris constratum lectum deferentibus, praelatis omnis generis coronis, praecedente

c Lib. 10. cap. 43.

d Livius lib. 38.

etiam

a *Vide Kirchmannum lib. 2. de funer. Rom. c. 5.*

etiam tibicine; ut in funeribus mos *a* erat: contigiſſeque ea a. d. v Kal. Aprilis, M. Servilio & C. Ceſtio coss. hoc eſt, an. v. c. Iↄ CC LXXXVIII. Porro etſi certam ſpondere minimè auſim; non inficeta tamen eſt conjectura illa Gilberti Genebrardi in Chronico ad annum cIↄ cIↄ cIↄ cIↄ CLX, *funere corvi celebribus exequiis, novo & inuſitato facinore, à populo curato, ſignificaſſe Spiritum ſanctum, Corvum, id eſt, atrum illum Satanam, mox exſtinctum iri Romæ, ubi præcipua ejus erat ſedes, & garritus.* Sed enim calculus fugit Genebrardum, cum ait, id contigiſſe *anno uno ante paſſum Dominum.* Nam iſti, quos diximus, conſules fuere anno XXXV æræ Dionyſianæ, ſive vulgaris; eoque biennio poſt Chriſtum paſſum. Interea, quod ad rem ipſam, de qua Genebrardus, leve id diſcrimen. Siquid in eo myſterii fuit, ſufficit ad hoc, quòd ab Apoſtolis, & viris aliis θεοπνεύστοις *b*, jam cœperat Evangelium prædicari: quo ipſa mox Roma, orbiſque Romani imperii, imò terrarum orbis converſus ad Chriſtum: contra atri corvi ſive mali ſpiritûs imperium infractum, magnamque partem obrutum & quaſi ſepultum fuit.

b *Divinitus inſpiratis.*

Adhæc turdus loqui diſcit. Qualem Agrippina, Claudii Cæſaris conjux, Plinio teſte, habuit, eo tempore, quo Plinius id ſcriberet *c.* Atque addit, *habuiſſe & Cæſares juvenes ſturnum; item luſcinias, Græco atque Latino ſermone dociles: præterea meditantes in diem, & aſſiduè nova loquentes, longiore etiam contextu.* Ac cap. prox. idem ait: *Nunc quoque erat in urbe Roma, hæc prodente me, equitis Romani cornix è Bætica, primum colore mira admodum nigro, deinde plura contexta verba exprimens, & alia atque alia crebro addiſcens.* De ſturno favet Plinio Plutarchus: cui libro de Sollertia animalium, Ψᾶρες, καὶ κόρακες, καὶ ψιττακοὶ μανθάνουσι διαλέγεσθαι, *ſturni, & corvi, & pſittaci diſcunt loqui.* Etiam de eo aſſentit Statius Papinius; ut mox patebit. Imò Ludovicus Nonius in II de re Cibaria, cap. XXXI ait: *Hoc noſtro ſeculo novum non eſt. Paſſim enim viſuntur ſturni; qui humanum ſermonem feliciter imitantur, & aliarum avium voces reddunt.* Hæc ille, ut lucem addat verſibus iſtis Papinianis in ſecundo Sylvarum, carmine in pſittacum Melioris:

c *Lib. 10. cap. 4.*

—— *Plangat Phœbeius ales,*
Auditaſque memor penitus dimittere voces
Sturnus, & Aonio verſæ certamine picæ:
Quique refert jungens iterata vocabula perdix;
Et quæ Biſtonio queritur ſoror orba cubili.

Ubi videmus, etiam perdicem memorari. Sed Domitius Calderinus hunc in locum annotavit: *Perdicem cur docilem dixerit Papinius, viderit ipſe.* Propterea non deſunt, qui *cornix* pro *perdix* reponant. Alii eo vulgatam tuentur lectionem, quòd Porphyrius lib. III de Abſtinentia Animal. cum dixiſſet, ſe circa Carthaginem advolantem ſibi educaſſe perdicem; atque eam conſuetudine planè evaſiſſe manſuetam: mox ſubjungat in hunc modum: Οὐ μόνον σαινόμενος καὶ θωπεύοντος ᾐσθόμεθα, καὶ προσπαίζοντος, ἀλλ' ἤδη καὶ ἀντιφθεγγομένην πρὸς τὸ ἡμέτερον φθέγμα, καὶ καθ' ὅσον ἦν δυνατὸν, ἀποκρινομένην· *non ſolum vidimus adulantem, & quaſi demereri volentem, & adludentem: ſed etiam nobis locutis quiddam contrà reſonantem, & pro ſuis viribus reſpondentem.* Sed hæc ſagacitatem quidem, & docilitatem aliquam, arguunt: non tamen illud dicit Porphyrius, humana voce, ad pſittacorum morem, prolocutam. Fortaſſe igitur ſpecioſius fuerit, quòd apud Athenæum legimus lib. III, libertum Adriani imperatoris, veteris comœdiæ hiſtrionem, vocatum ab eo eſſe Ἀττικοπέρδικα, *Atticam perdicem.* Suſpicor enim id voluiſſe Hadrianum, ut perdices, & pſittaci loquuntur, quæ non intelligunt, ſic libertum ſuum egiſſe comœdias Atticas, quarum ſales ac Veneres non intelligeret. Ob iſta, & alia quædam, non auſim ire inficias, Domitiani ævo, ac deinceps, perdices quoque inſtitutas ad loquelam. Atque hæc dicta ſunto, ut lucis aliquid fœnerarentur Papinio: à quo ordine vidimus referri corvum, ſturnum, picam, perdicem, ac denique philomelam, hoc eſt, luſciniam. In hanc enim Progne ſecundùm Græcos, non in hirundinem, ut fere Latini tradunt, mutata fuit. De quo Heſiodi ſcholiaſten, & Probum vide in Eclogam VI. Interim non meminit Statius ex antea nobis memoratis, vel pſittaci, picæ, cornicis; de quibus res pervulgatior: vel erithaci, qui & ipſe, ut vidimus, Porphyrio *a* dicitur ſermonem imitari humanum. Eſt verò avis ſolitaria, hieme apparens, Ariſtoteli quoque relata lib. IX Hiſt. Animal. cap. XLIX; Heſychio item, ac Suidæ. Inſuper autem merula, ſed tanquam è modulis, ſermocinatur: nec pica modò loquitur, ſed etiam picus; minùs tamen aptè, & pauciora, & rarius. Auctor de utroque Cæſar Scaliger Exercit. CCXXXVII. Cujus & iſti verſus in Ara ſua:

a *Lib. 3. ἀποχῆς.*

—— *Garrulæque aves omnes,*
Quæcunque noſtros æmulantur accentus,
Linguamque lucta ductili probam fingunt,
Seu pſittacus, ſeu pica, corvus, aut turdus,
Merulaque nigra, quæ ore buxeo pipat,
Sturniſque teneras ſtrepitus enecans aures,
Tum Martius Picumnus.

Ubi videmus, perdicem ab eo præteriri, ut ſuſpecta illi fuiſſe videatur Papiniana vel lectio, vel auctoritas. Sed eo id minùs movere debet, quia nec erithaci meminit, de quo, ut dixi, Porphyrius; nec corticis, de quo Plinius, ſicut vidimus.

Cap. XC.

Quantum aves nobis præſtent in cibum: ac primum quidem ovis, quæ pariunt. Oonenſium victus. Romani cœnam orſi ab ovis. Commendatio ovorum à munditie. Ratio coquendi ea citra ignem. Quo in honore aliquando pavonum ova, ac quæ vilitas eorum poſtea. Recentia ova cur præſtent, præſertim tremula, quæ & ſorbilibus prælata: cur item elixa, & ſuffocata, ſint lubriora ſint aſſis, ac præcipuè frixis. Quid ſibi voluerit Simeon Sethi, cum ait, ovis ingenium juvari, ſi cum butyro addas fontem filiarum tauri. Hinc ad carnes tranſitur. Quarum avium carnes magis conducant iis, qui corpus laboribus exercent: ac quarum potius illis, qui ingenium excolunt doctrina. Diſcrimen in avibus petitum ex ætate, anni tempore, victus ratione, & loco, quo vivunt. Annum pluvium, ut prodeſt piſcibus, ſic avibus obeſſe. Ariſtotelis locus excuſſus. Aſſyria Herodoti hiſtoria deperdita.

NUnc ſe noſtra conferet oratio ad varios uſus, quos ex avibus genus percipit humanum. In quibus ſine dubio principem alimonia meretur locum. Nutriunt autem nos aves tum vivæ, tum à morte. Vivæ quidem, ovis ſuis; ut lacte quadrupedes. Nec hac parte malignè nobis ab optimo Deo conſultum fuit. Quæ enim caſa, ubi non ova in cibum ſufficiat gallina? Imò Plinio *b* teſte, ſunt Oonæ inſulæ, ubi incolæ vivant ovis, & avenis. Ab ovo etiam Romani cœnas ordiebantur: unde illud, *Ab ovo uſque ad mala c*: &, *Ad ovum integram famem adferre d.* Imò & in ſecundis ea menſis apponebant; teſte Athenæo in quartodecimo. Nec ſolùm hoc cibo nihil eſt paratius, quaquia iter facias: ſed nihil etiam ſecurius, nihil purius, mundiuſque: quippe nec intus ſordes habet ullas, nec manibus contrectatum inquinatur: unde etiam peregrinantes, quando diverſoria publica immunditiei in parandis cibis ſuſpectiora ſunt, minutiè omnium ova averſantur. Illud quoque ad commendationem facit, quòd ne igni quidem opus ſit, ſi per ſolitudinem circumgeſtes. Fundâ enim circumactum ſic jugi vertigine incaleſcit, ut coquatur citra ignem. Præterea quantæ ovorum lautitiæ! Quàm etiam ſalubria, idoneaque ad nutriendos homines, vel exhauſtos jam, & exſuccos. Non leve interea eorum eſt diſcrimen, ſive ſpeciem animalis diverſant, ſive tempus, ex quo excluſa, ſive præparandi attendas rationem.

b *Lib. 4. cap. 13.*
c *Horat. lib. 1. ſat. 3.*
d *Cicero lib. 9. epiſt. ad Varronem.*

Cu-

Culinarium ſuſcipio negotium: ſed cujus conſideratione etiam animus paſcatur; imò rapiatur in admirationem Dei, tam variè ac luculente proſpicientis vitæ ac valetudini noſtræ.

Quod ad primum diſcrimen, phaſianorum præcipuè ova laudantur. Sed hæc, ob raritatem, vix inferuntur menſis, niſi virorum principum. Proximus datur locus illis gallinarum, quibus vulgatius nihil. Ex ſecundo tamen Athenæi diſcimus, Epænetum, & Heraclidem Syracuſium in Ὀψαρτυτικῷ *a*, pavonum ova omnibus prætuliſſe, ac deinde chenalopecum, ac loco tertio gallinarum. Sed quantopere illa pavonum poſtea viluerint, arguunt hæc Macrobii lib. III Saturn. cap. XIII: *Ecce res non admiranda ſolum, ſed pudenda, ut ova pavonum quinis denariis venierint: quæ hodie non dico vilius, ſed omnino non veneunt.* Anatum, anſerum, & ſtruthiocamelorum ova longe ab aliis bonitate vincuntur.

a Libro rei coquinariæ, ſive de condiendis opſoniis.

Ex tempore tale petitur diſcrimen. Recentia longè optima. Tempore enim deteriora fiunt: ac tandem fœdo ipſo odore putredinem teſtantur.

In præparandi ratione conſideratur, tum gradus, tum modus coctionis. Quod ad gradum, ovorum quædam ſunt ῥοφητὰ, ſive ſorbilia, in quibus albumen necdum coaluit: quædam τρομητὰ, ſive tremula, in quibus id coivit: quædam ἑφθὰ, hoc eſt, planè cocta, cujuſmodi etiam vitello duro ſunt. De eorum diſcrimine poſt Galenum *b* egit Simeon Sethi: qui ad Michaelem Ducam, Imperat. Conſtantinop. de cibariorum facultatibus ſecundùm literarum ordinem ſcripſit, ac parum commodè à Georgio Valla Placentino, longeque rectius à Lilio Gyraldo, diffuſiſſimæ ſolidæque eruditionis viro, redditus Latinè fuit. Ejus judicium eſt: Τὰ μὲν ῥοφητὰ ῥᾷον ὑποχωροῦσι, καὶ τὰς ἐν τῷ φάρυγγι λεαίνουσι τραχύτητας, ἧττον δὲ τρέφουσι. τὰ δὲ ἑφθὰ, δυσπεπτα, καὶ βραδύπορα, καὶ τροφὴν τραχεῖαν ἐμποιοῦσι τῷ σώματι. *Quæ ſorbilia ſunt, facile pertranſeunt, & gutturis leniunt ſcabredinem, ſed minus nutriunt. Quæ verò coquendo induruerunt, difficilius concoquuntur, ac difficilius tranſeunt, & aſperum craſſumve corpori præbent nutrimentum.* Media igitur, hoc eſt, tremula, ſunt optima. Quippe licet ſorbilibus cedant eo, quòd minus tranſeant; magis tamen nutriunt.

b Lib. 3. de Alim. Facult. cap. 22.

Quod ad coctionis modum, quædam fit in aquis, eoque *elixa* dicuntur: nempe quia *lix*, cujus obliquus *liquis*, veteribus *aquam* notabat: unde & *lixarum*, & *liquoris* nomina. Hujuſmodi ova Græcis dicuntur ἑξεφθὰ *c*: unde Simeon interpretatur τὰ ὑπὸ θερμοῦ ὕδατος σκελετευθέντα, *cocta in aqua calida.* Hæc meritò laudantur, quia blandus aquæ vapor ea temperamenti facit melioris. Aliter ſe habent cineribus aſſata, ſive ſi Simeonis verba malis, τὰ ἐν θερμῇ σποδιᾷ ὑποσποδισθέντα. Hæc ab elixis bonitati ſuperantur. Nam ſubtilior, & optima ovi pars tranſpirat. Alia verò ſunt τηγανιστὰ, *frixa in ſartagine*: quæ, eodem Simeone judice, nidorem contrahunt, & gignunt ſuccum craſſum, ſupervacaneum, ac malum. Sunt itaque pejora aſſatis. Alia denique dicuntur πνικτὰ, ſive *ſuffocata*; nempe cocta in vaſe, cujus foramen ſit obturatum. Atque hæc ipſa etiam laudantur; imò à pleriſque præferuntur elixis. Mirum verò, quod Simeo addit, etiam ovorum eſum prodeſſe ad εὐφυΐαν, ſive *ingenii bonitatem*, τοῖς μετὰ νάματος θυγατέρων ταύρων, καὶ βουτύρου συνεχῶς ἐσθίουσι· *iis, qui cum fonte filiarum tauri, & cum butyro aſſidue ederint.* Ubi per fontem filiarum tauri rectè Lilius interpres mel intelligi vidit: nempe, quia apes è cæſis gignuntur tauris: de quo Maro in IV Georg. ac tot alii.

c Sic apud Simeonem Sethi cenſeo legendum: ubi nunc ἐξοπτὰ. Eſt enim ab ἑξέψω, excoquo: unde ἑξεφθὰ, ut ab ἕψω, ἑφθὰ.

De ovis vidimus. Venio ad alimentum, quod à morte ſua nobis præbent carne. Ubi videre eſt Dei bonitatem, quod pro tam vario hominis temperamento tam variè illi proſpexerit. Sanè, qui duris vitam laboribus exercent, eoque firmam requirunt, & ſtabilem alimoniam, nec labore ſtatim abſumendam; his potiùs à Deo deſtinatæ duriores avium carnes; ut anatum, anſerum, olorum. Sed ſiqui robore corporis minùs valeant, ac ſedentariam plurimum vitam degant; iis magis attribuuntur columbæ, gallinæ, capi, phaſiani, perdices, ac ſimiles; quia hæ aves ſanguinem generant tenuiorem, ſpiritus item ſubtiliores, clarioreſque; quibus ad acutius omnia ingenio penetranda eſt opus.

Nec ſolùm in diverſis avium generibus diſcrimen faciendum: ſed etiam in eodem genere diſtinguere neceſſe eſt, & avium ætatem, & anni tempus, & victus, quo uti ſolent, & loci, quo degant. Pulli recentes nimis ſunt humidi ac mucoſi: aves vetulæ nimis ſiccæ, duræque, ſic ut nec aſſæ, nec elixæ, naturam exuant. Optimæ igitur media ætate, vel potiùs aliquanto ante eam.

Quo tempore aves imprimis Veneri indulgent, vel ovis incubant, corpus iis fit exſuccum, ſaporque ingratus. Æſtate commendantur, quæ frugibus veſcuntur; ut perdices. Auctumno autem ficedulæ, & fringellæ; quia tum ficubus vivunt, & baccis. Turdis, merulis, anatibus feris, & cunctis prope aquaticis, frigore fit ſapidior caro.

Quod ad rationem victûs, carnivoris planè abſtinendum. Aquatilibus veſcimur; ſed difficiliùs concoquuntur: ſapor etiam, odorque, in piſcivoris minùs eſt gratus. Columbæ, gallinæ, perdices, & aliæ, quæ frugibus vivunt, bonitate præcellunt cæteras: ut capite prox. planius fiet.

Quæ caveis, vel cortibus, concluſæ ſaginantur (Græci κατοικιδίας *a* vocant) deteriores ſunt τοῖς νομαδικοῖς *b*, quæ libero aëre volitant. Utcunque enim palato ob pinguedinem ſint gratiores: quia tamen ob otium humore abundant excrementicio, minùs ſunt ſalubres. Imò in his etiam, quæ non clauduntur domi, diſcrimen eſt non leve. Nam quæ degunt in aëre tenui, ac puro; ut in æquoribus camporum, ac montibus *c*, ſalubriores ſunt illis, quæ in aëre vivunt graviori; velut in vallibus. Imò contrà quàm in piſcibus, (ſi mugiles, & paucos alios, exceperis) uſu venit, quibus annus pluvius conducit: τοῖς ὄρνισιν οἱ αὐχμοὶ συμφέρουσι καὶ πρὸς τοὺς τόκους· Quorum ſenſum ſic optimè Theodorus Gaza expreſſit, *avibus proſunt ſqualores, tum ad cæteram ſanitatem, tum etiam ad partum.* In quo Ariſtoteles Hippocratem ſecutus eſt libro ſexto Epidem. ſect. IV, textu XXIV. Vide &, quæ eum ad locum Galenus adnotavit. Sanè cùm piſcibus utiles ſint aquæ cæleſtes, quippe ſalubriores, & magis coctæ: avibus contra illæ nulli pænè ſunt bono, præſertim cum iis noceat largiùs bibere: γαμψώνυχα verò, ſive aduncis unguibus prædita, ἄποτα πάμπαν ἐστίν· *omnino potu abſtinent.* Ac ſuper eo ab Ariſtotele caſtigari ibidem meruit Herodotus; qui induxerat aquilam in obſidione Nini bibentem. Hodie tamen hoc apud Herodotum fruſtra quæras: ut propemodum ſuſpicer, eſſe ex hiſtoria ejus Aſſyria, quam in primo libro promittit. Unum obſtat, quod meritò in dubium voces, utrùm ea lucem unquam viderit. Nec enim memini ex illa ab antiquis adduci quicquam. An locum vulgo corruptum credemus? Gaza quidem pro *Herodotus* poſuit *Heſiodus*. Ita enim non poſteriores modò editiones habent; ſed & prima omnium *d* ad Gazæ archetypon bonâ fide procurata. Verum in cunctis & MSSis, & editis Græcis, Ἡρόδοτος reperitur. Quare nihil aliud meliùs adhuc video, quam eſſe ex Herodoti Aſſyriis: quod opus, ut fortaſſe non perfecerit Herodotus, nihil tamen impedit, quo minus jam fuerit affectum; inque eo, vel apud hæredes, vel alios, iſta legerit Ariſtoteles.

a Domeſticas.
b Sylveſtribus.
c Galenus lib. 3. de aliment. facult. cap. 19.
d Veneta an. 1476.

Cap. XCI.

Avium carnes minus nutrire carne quadrupedum, falſò imprimis. Ὄρνις, & ὀρνίθιον, *pro* gallina. *Caro ejus non uno nomine laudatur. Ratio gemina carnem recens occiſæ teneram reddendi. A quibus primo ſaginatæ ſint.* Deliaci *qui. A Deliacis caſtratos gallos. Lege Fannia cautum, ne amplius una altili gallina inferretur con-*

convivio. Gallorum caro bonitate inferior, gallinarum. Unde ſint vocabula, capo, κάπη, κάπηλος, κάπηλον. Caponum caro ſalubris, & delicata; quæque ejus ſit rei cauſſa; & an noceat podagricis. Quibus proſint pulli gallinacei, & cur id ſit. Quid ὀρνιθόπωλον Græci poſteriores dixerint, aliter, quàm à viro perdocto factum, declaratur. Criſta, ac palearia gallorum, num caro, an cartilago, an aliud, debeant cenſeri. Quid de eſu ecorum, & gallinarum, ac caponum cerebellis, judicandum. Teſtes gallorum commendati. An pedes caponum obſint podagricis. Columbina caro quas habeat vires: deque eo diverſum Græcos ſentire, & Arabes: præcipuè, an lepram gignat. Palumbi, & turturis, diſcrimen. Turtur, cibus ſapientum. De perdicis & attagenis carnibus, Arabes conciliantur. Eadem Græcorum σκολόπαξ, Latinorum ruſticula, *ac Gallorum* beccada. *In Aldrovando requiſita major curares metrica, dum poëtarum adducit verſus. An attagen idem ac gallina ruſtica. Attagenis Ionicis principatus deliciarum attributus. Phaſianorum caro æquatur gallinaceæ. Quanti eam fecerit Martialis; item Pertinax, & Alexander Severus Impp. ac præterea rex Ptolemæus Phyſcon: & unde phaſiani mitterentur Romam. Perperam à Ptolomæo Phyſcone tetraones cum phaſianis confundi: niſi diverſis avibus commune fuerit* tetraonum *nomen.*

ATque hæc ad avium carnes pertinent univerſè. Nunc particulatim de præcipuis earum, quibus veſcimur, dicemus. Ac quibus quidem potiſſima laus debeatur, Galenus oſtendit lib. III de Alimentorum facultatibus, cap. XIX; ubi de eo, priùs generatim, poſtea ſpeciatim, ſic ſcribit *a*: Ἔστι δὲ τὸ γένος ἁπάντων τῶν πτηνῶν ὀρνίθων ὀλιγοτροφώτατον, εἰ παραβάλλοιτο τῷ γένει τῶν πεζῶν, καὶ μάλιστα τῷ τῶν ὑῶν, ὧν τῆς σαρκὸς οὐδὲν ἄλλο τροφιμώτερον ἔχεις εὑρεῖν· εὐπεπτοτέρα γε μὴν ἡ σὰρξ ἐστι τῶν πτηνῶν, καὶ μάλιστα πέρδικός τε, ἀτταγῆνός τι, καὶ περιστερᾶς, ἀλεκτορίδος τε, καὶ ἀλεκτρυόνος. *Univerſum genus avium pauciſſimum præſtat alimentum, ſi conferas cum genere greſſilium; ac præcipuè cum ſuilla, quâ non aliam reperias carnem nutrire magis idoneam. Caro tamen volucrium faciliùs concoquitur, ac præcipuè perdicis, attagenis, columbæ, galli gallinacei, & gallinæ.* Ac poſtea cedere iſtis negat phaſianorum carnes. De hiſce itaque univerſis nunc agemus: ſed ordine alio. Primò enim dicemus de gallinis, & columbis: quas ſolas Romani in aviariis habuerunt; illas in plano, has in ſublimi; ut ex Varrone *b* ſuperiùs vidimus. Exinde de perdice, attagene, & phaſiano ſubdam.

a Aldinæ editionis tom. 4. fol. 178. b.

b Lib. 3. de R. R. c. 3.

In gallinaceo genere, (cui hic honos datus à Græcis, ut gallinas non ἀλεκτορίδας modò, ſed κατ' ἐξοχὴν ὄρνιθας *c*, & ὀρνίθια, vocarent) de quinque iſtis ordine agemus. Primum de gallinis ſimpliciter, hinc de gallinis altilibus, tum de caponibus, exinde de pullis gallinaceis, hinc de partibus gallinacei generis.

c Galen. lib. 3. de alim. facult. c. 19. & Athenæus l. 9.

Gallinarum caro, ut jam ex Galeno vidimus, facilè concoquitur. Bonum etiam ſanguinem gignit, nec excrementitii habet multum. De quibus laudibus fusè Conciliator *d* differentia LXVIII. Atque auget eas, quòd cibus ſit parabilis, ſic ut facilis ſit appoſitu, ſi hoſpes imparatum veſperi occupet. Solùm opus, quia durior ſit caro recens occiſæ, ut coquatur cum lapathi ſive rumicis herba, quæ carnes omnes teneras reddit: vel viva immergatur Falerno; ut Catius Epicureus Inſuber, ac Tullio *e* ſemel iterumque memoratus, apud Horatium præcipit lib. II, ſat. IV:

Si veſpertinus ſubitò te oppreſſerit hoſpes,
Ne gallina malum reſponſet dura palato,
Doctus eris vivam miſto merſare Falerno.
Hoc teneram faciet.

d Sive Petrus de Apono, lib. de omnimoda medicina ad Joannem Papam XXII.

e Lib. 5. epiſt. 19. quæ ad Caſſium.

Quem locum cùm etiam adduxiſſet Joannes Bruyerinus *f*, ſubjungit continuò: *Hunc morem multis obſervari novimus.*

f Lib. 15. de re cibaria, c. 21.

Gallinas ſaginare Deliaci cœpere: ut Plinius ait lib. X, cap. L. Erant verò *Deliaci* gallinarii mercatores: de quibus Cicero in Lucullo: *Quoniam gallinarium inveniſti Deliacum, qui ova cognoſceret.* Meminit & orat. II pro C. Cornelio *a*. Item Columella lib. VIII, cap. II. Iidem ex gallis faciebant capones: quò alludens Petronius, de hominibus etiam dixit: *Deliaci manu reciſi.* hoc eſt, *ſpadones.* Quàm verò Romani veteres hujuſmodi gallinarum delicias refugerint, docet Plinius, cùm poſt verba proximè memorata ſubjungit: *Interdictum lege C. Fannii Coſ. XI annis ante tertium Punicum bellum, nequid volucrum poneretur, præter unam gallinam, quæ non eſſet altilis: quod deinde caput per omnes leges ambulavit: inventumque diverticulum, in fraudem earum, gallinaceos quoque paſcendi lacte madidis cibis.*

a Apud Aſconium.

Gallinis bonitate carnis cedunt galli, niſi caſtraveris. Hoc Ariſtoteles *b* fieri docet, ſi binis tribuſve ferramentis extremam alvi partem aduſſeris. Nunc teſtes binos eximere ſolent. Nam alterutro relicto, etiamnum coeunt, ſolito more canunt, nec ſaginatio ſuccedit. Mirum verò, cùm Romani exſectionem gallorum habeant à Græcis, ut ex Ariſtotele etiam liquet: eos tamen proprio caruiſſe vocabulo, quo ὁ ἀλεκτρυὼν ἐκτομίας *c* vocaretur. Nam *capus*, & *capo*, ſunt à Romanis: ſed Græcâ, ut videtur, origine, quia avidè voretur; nempe ἀπὸ τοῦ κάπτειν, quod veteres Grammatici *d* nunc ἐσθίειν *e* exponunt, nunc χανδὸν ἐσθίειν *f*. Sanè ab eodem κάπη, *præſepe*, à quo βουκάπη, *boum præſepe*, quia ab eo cibus capiatur. Atque ab eodem fonte κάπηλος, *caupo*; καπηλίς, *copa*, ſive *cupa*. Ipſum etiam κάπτειν fortè ex καταφαγεῖν, à quo καταφαγᾶς, *helluo*. Hæc ſi placent, *capo* propriè ſonet, quod Belgæ dicerent *ſlockſpijs*. Nam iis *ſlocken* eſt χανδὸν ἐσθίειν. Quantæ enim deliciæ, & laudes, caponum credantur, quis ignorat? Quare de eo ſufficerit appoſuiſſe hæc verba B. Platinæ Cremonenſis in V de Popinæ ſcientia *g*: *Omnium avium laudes; quantum ad obſonia pertinet, una caro gallinacea comprehendit. Quid enim popinis adferunt reliquæ altiles, quod non unus capus in ſe habeat, ſive elixum, ſive aſſum velis? Hujus avis patina ſtomachum juvat, pectus lenit, vocem ſonoram facit, corpus obeſum.* Eo autem caſtratio has alites delicatiores efficit, quia fibroſa duraque gallorum caro, intermiſſione libidinis, reddatur temperamenti humidi, ac teneri; ſanguis etiam planè fiat temperatus. Summus tamen vir, Joannes Crato, trium Cæſarum medicus, arbitrabatur, eſum ejus podagricis obeſſe; idque quia capones podagrâ tententur. Sed non videtur hoc aliis competere, quàm in cavea ſaginatis; idque ob humorem excrementicium iis in pedes defluentem. De quibus non movebimus litem. Omnes enim alites ſic ſaginatas minùs eſſe ſalubres, etiam à Galeno proditum eſt. De caponum cæteris, hoc eſt, non ſic ſaginatis, diſpar ratio videtur.

b Lib. 9. hiſt. animal. cap. ult.

c Gallus exſectus.

d Heſych. Euſtath. in Il. & Etymolog.

e Edere.

f Avidè, & hianti ore edere.

g Cap. de gallinis.

Pulli gallinacei, non ſanos modò, ſed ægros etiam, mirè juvant. De his Simeon Sethi *h*: Τῶν λεγομένων ὀρνιθοπώλων σὰρξ εὔπεπτός ἐστι, καὶ εὔχυμος, καὶ μάλιστα τῶν ἀρχομένων ὠοτοκεῖν· *caro pullorum gallinaceorum facilis eſt concoctionis, & boni ſucci, & maximè gallinarum, quæ cœperunt ovum reddere.* Et paullo pòſt, Ὀρνιθόπωλα δὲ ἀπογεννᾷ αἷμα σύμμετρον τῇ συστάσει, μήτε πάνυ λεπτὸν, μήτε πάνυ παχύ· λυσιτελεῖ δὲ τοῖς ἀγυμνάστοις, καὶ τοῖς ἐμφράξεσι λυσιτελέστερον ἁλισκομένοις. ὑπάγει δὲ τὴν γαστέρα, καὶ ὠφελεῖ τοὺς στόμαχον θερμαινομένους. *Gallinacei pulli temperatum gignunt ſanguinem, nec valde tenuem, nec ſpiſſum. Proſunt autem ſe minùs exercentibus, & quibus facilè obſtruuntur meatus. Ventrem etiam cient, atque eos juvant, qui ſtomachi ſunt calidi.* Valde autem fallebatur M. Fabius Calvus, cum ὀρνιθόπωλα putaret eſſe *trunculos, & pedes gallinarum*: quo nomine à Lilio Gyraldo in Simeonis tralatione reprehendi meruit. Omnino enim ὀρνιθόπωλον eſt *pullus gallinaceus*. Nam ὄρνιθες κατ' ἀντονομασίαν *gallinæ*, ut paullò antè diximus: quique Latinis *pulli*, hi poſterioribus Græcis πῶλοι, ut Demetrio Conſtantinopol. Hieracoſophii lib. I, cap. XLII. Qui & lib. II, cap. XXVII, ſic, ut dixi; ὀρνιθόπωλον uſurpat: non ge-

h Voce Ὀρνιθόπωλα.

neratim pro *ave*; quod vir doctus putabat. Itidem Conſtantino Aſynkio in Viatico, ubi ait, Καὶ ὀρνιθοπουλίτζια, καὶ πέρδικας, καὶ ὅμοια: interpretari oportet, *& gallinaceos pullos, & perdices, ſimiliaque*; non *& avium pullos*, ut generatim nimis expoſuit idem ille longè doctiſſimus vir, aliâ in re potiùs, quàm in iſtâ, ubi paullùm ab eo abimus, nominandus nobis.

Supereſt de partibus gallinacei generis dicamus. Criſtæ, & palearia, Galeno *a* nec probantur multùm, nec damnantur. Nec carnem verè dixeris, imò, Plinio *b* judice, nec cartilaginem, nec callum. Ejus ſuccus eſt piruitoſus, ac craſſus: ſapor, verò obtuſus, unde variè præparant. Criſtas gallinarum cum palmis anſerinorum pedum toſtis condire, docuit Meſallæ oratoris filius; ut alibi eſt apud eundem Plinium *c*.

a *Lib. 3 de alimentorum facultatibus, cap. 21.*
b *Lib. 11. cap. 37.*
c *Lib. 10. cap. 22.*

Gallinarum, caponumque cerebella multis ſunt in deliciis. Corralium tamen avium parum ſalubria exiſtimem, quia humidum eorum pingue ſit, & unctuoſum. Salubrius alitum in montanis degentium. Nempe quò ſiccius, & minùs nauſeam pinguedine movet, eo ſalubrius judicandum. Sed lurcones omnia raritate, ac ſapore, æſtimant. Unde & in Vitellii patina, de qua in vita ejus Tranquillus, etiam fuere cerebella phaſianorum, ac pavonum. Et Heliogabalus, cerebellorum ergò, appoſuit convivis ſexcenta ſtruthiocamelorum capita.

Gallinaceorum etiam reſtes, præſertim ſeroſo lacte imbuti, Galeno judice proſunt convaleſcentibus: quippe facile ait *d* concoqui, boni eſſe ſucci, ac multum nutrire, ſemen etiam augere; alvum autem nec ciere, nec morari.

d *Lib. 3. de aliment. facult. cap. 21.*

Pedes caponum comeſtos podagram ajunt conciliare. Quod parum fit veriſimile. Adeo minutum eſt, quod inde cibi referamus: atque hoc ipſum ſtomachi, & jecoris concoctione, multùm exuit naturam.

Poſt gallinaceum genus de columbino dicam. Columbas, ut facilis concoctionis, commendat Galenus, cùm lib. III de Alim. Facult. cap. XIX, ut diximus: tum de Attenuante victus ratione cap. VII. Mirùm verò, Simeonem Sethi ſic damnare περιστεροπούλων σάρκα, *columbinorum pullorum carnem*. Quæ, ſecundùm eum, θερμή ἐστι καὶ ὑγρά, καὶ περιττωματική, καὶ μάλιστα ἡ τῶν κατοικιδίων. ἀπογεννᾷ δὲ αἷμα τοῦ συμμέτρου παχύτερόν τε καὶ θερμότερον, καὶ διὰ τοῦτο ἐνίοτε ποιεῖ πυρετούς· ὠφελεῖ δὲ τοὺς διὰ ψύξιν ἀλγοῦντας τοὺς νεφρούς, καὶ προστίθησι τῇ γονῇ, καὶ τῷ αἵματι. βλάπτει δὲ τὴν κεφαλὴν καὶ τοὺς ὀφθαλμούς· λέγεται δὲ ὡς συνεχέστερον χρωμένη, λέπρας ποιεῖ. *Calida eſt, & humida, & humore abundans excrementicio, maximè columbinorum domeſticorum. Gignit vero ſanguinem juſto craſſiorem, & calidiorem: eoque interdum generat febres. Sed renes ob frigus dolentes juvat, ac ſemen genitale, & ſanguinem auget. Caput, atque oculos lædit. Ajunt &, ſi continuo utaris, lepram gignere.* Sanè ſunt iſta convenientiora doctrinæ Arabum, quàm Græcorum. Quippe hi, etſi ut ſcabies ad lepram, ita lepra ad elephantiaſin prævia ſit: tamen elephantiaſi laborantibus præſcribunt columbas. Ut Aretæus de Curand. diut. lib. II. c. III: ubi ut his utiles, ab eo junguntur, πέρδικες πᾶσαι, φάσσαι, πελειάδες, καὶ ὁκόσα ἡ χώρη ἄριστα ἴσχει· *perdices omnes, palumbes, columbi, & quæcunque ea regio habet optima.* Et, puto, ſi pulli columbini ad lepram diſponerent, non ſcriberet Florentinus initio decimiquarti de Agricultura: τοὺς τῶν περιστερῶν νεοσσοὺς ἀναγκαίους εἶναι εἰς τὰς τῶν ἀρρωστημάτων ἀναλήψεις· *columbarum pullos eſſe neceſſarios à morbo convaleſcentibus.* Interea nec junioribus de pullis hiſce ſatis convenit. Ludovici Nonnii, Medici Antverpienſis, verba ſunt in ſecundo de re Cibaria, cap. XXIII: *Non capio, quomodo columbarum caro frequenti eſu lepram excitet. Lepra enim non generatur, niſi à ſanguine melancholico, & valde aduſto; qualem columbas non gignere certum eſt, præſertim in temperatis regionibus.* At Renatus Moreau, Medicus Pariſienſis, animadverſionibus in Scholæ Salernitanæ, cap. de Avibus, *Cum*, inquit, *columbæ præfervido ſint ventriculo, Ariſtoteli III Part. Animal. cap. VII, ſanguine calido & aduſto, & craſſo: non mirum, ſi corpora calefaciant, & adurant, & ad elephantiaſin diſponant.* Utcunque eos conciliaveris, ſi ſtatuas, eſum hunc non pro corporum modò, ſed regionum etiam temperamento, variare.

In columbino etiam genere ſunt φάσσα, *ſive palumbus*, & τρυγών, *ſive turtur*. Quomodo differant, docet ex Ariſtotele Athenæus. Nempe quia φάσσα ſit par gallinæ, ac colore referat σποδὸν, ſeu *vivum cinerem*: τρυγὼν ſit columbarum aliis minor, & colorem habeat τέφρης, ſive *cineris exſtincti*.

Palumbi caro bonitate illi columbarum cedit: ut ait Galenus lib. III de Aliment. facult. cap. XIX, & lib. de attenuanti victus ratione cap. VII. Nempe omnino durior eſt, ac difficilior concoctu, quàm caro non columbarum modò, ſed etiam turturum, imò & perdicum.

Turturis verò caro boni eſt temperamenti, præſertim illius, qui in montanis degit; ut Galenus ibidem tradit. Imò quia gignit ſuccum tenuem ac ſiccum, & ſpiritibus generandis peridoneum: eò *cibum ſapientum* vocare ſolet Nicolaus Maſſa, Medicus Venetus, pluribus in arte ſua monumentis celebris. Clunibus imprimis placuiſſe delicatis, indicat hoc Martialis lib. III, epigr. LX:

Aureus immodicis turtur te clunibus implet.

Niſi κατὰ συνεκδοχὴν partis ſimpliciter *magnum* dicere voluit. Nam hi præcipuè laudati. Juvenal. ſat. V:

—— Cariturus turture magno,
Mullorumque jubis.

Poſt gallinas, ac columbas, videtur de perdice, & attagene, agendum: quia hos etiam ante avium eas, quas diximus, memorat Galenus *a*, ut jam vidimus. Itidem bonitatem ſucci, & concoctionis facilitatem, idem commendat De Attenuanti victus ratione cap. VII. Sed de attagene paullo poſt ſeorſum dicam. Nunc intra perdicem conſiſtendum. Ut turturem, ſic perdicem, Galenus *b* prohibet manducari, niſi minimùm ſervâris diem unum. Hoc pacto enim caro magis tenera fit, ac friabilis. Atque idem ex eo tradit Simeon Sethi. Addit verò, λυσιτελεῖν τοῖς ἀγυμνάστοις, καὶ τοῖς τὴν δύναμιν ἀσθενέσι, καὶ τοῖς λεπτῆς διαίτης λεγομένοις, καὶ τοῖς ὑγροῖς τὸν στόμαχον· *prodeſſe iis, qui non exercent corpus, ac viribus ſunt infirmis, ac uti dicuntur tenuis victus ratione, quique humido ſunt ſtomacho.* Arabes non uno de iis loquuntur modo: nam hi calidas, illi frigidas ajunt. Nempe juniores temperamento ſunt calido, & humido; vetulæ autem frigidiori, ac ſicciori. Hodie eſt frequens ſatis, olim rarior: unde Martialis in Xeniis, epigr. LXII:

a *Lib. 3. de alimentorum facult. c. 19.*
b *Lib. de Anim. facult. cap. 8.*

Ponitur Auſoniis perdix rariſſima menſis;
Hanc in lautorum condere ſæpe ſoles.

Ab hac ave, caritate quidem, at non ſapore, vincebatur gallina ruſtica. Plinius *c* ſimpliciter *ruſticulam* vocat, *ruſticam* Martialis: cujus illud in Xeniis epigr. LXXIII:

c *Lib. 10. cap. 38.*

Ruſtica ſim, an perdix, quid refert, ſi ſapor idem eſt?
Carior eſt perdix: ſic ſapit illa magis.

Junxit itidem Plinius *d*: *Currunt, ut perdices, ruſticulæ.* Eſt verò haut alia, ac Ariſtotelis σκολόπαξ. Id nomen ex eo accepit, quia acumine roſtri refert τὸν σκόλοπα, hoc eſt, vallum, ſive palum præacutum. Ac eâdem de cauſâ Galli dixere *beccadam*: quia acuto eſt becco, hoc eſt, roſtro. Nam *beccum* Gallis notaſſe roſtrum, teſtis Tranquillus in Vitellio ſuo. Conſentit per omnia Cæſar Scaliger in Ate ſua:

d *Ibidem.*

Scolopaxque, quam Franciloqua lingua beccadam
Appellitat: nam roſtra nominant beccos.

Similiter Ulyſſes Aldrovandus, qui & in XIII Ornithologias ſententiam ſuam firmat adlatis Scaligeri verbis, & illis, qui proximè antecedunt: ſed eos ſic adducit, ut miram prodat metricæ artis inſcitiam. Nam in adducto loco *appellat* reponit pro *appellitat*, quaſi nihil referat ad verſum: & in iis, quæ paullo antè leguntur, inferciendo *etiam* de ſuo, planè σχάζοντα corrupit:

Quæ lautiores etiam expetuntur ad menſas.

Et mox ſic alium Scaligeri verſum apponit:

Tau-

Taurina gens gallinam vocare juſſit.

Pro iſto:

Taurina gens vocare Galliam juſſit.

Imò perſæpe alibi ſimiliter peccat: quæ non tam à me dicuntur, ut detraham nomini Aldrovandi; viri induſtriâ ſuâ, poſt doctiſſimum Geſnerum, in enarrandâ nobis animantium naturâ, pulcrè de ſtudiis promeriti: ſed ut ſocors videat adoleſcentia, viridibus annis non debere à ſe ſic contemni artem metricam, niſi per omnem vitam ridiculè ſæpiſſimè dare ſeſe volet in veterum verſibus adducendis. Eſtque hoc vitium Aldrovando commune cum aliis non paucis, nec parvi nominis: ſed nominibus parcemus, qui iſta etiam diximus penè inviti.

Fortaſſe autem ruſticula, ſive ſcolopax, eadem eſt ac attagen, ſive attagena: quam cum perdice jungi, & pariter laudari à Galeno, paullo antè dicebamus. Pro eo eſt, quod in vett. gloſſis legas: *Gallina ruſtica*, Ἀτταγήν. Saltem quemadmodum ruſticulæ idem à Martiale ſapor eſſe dicitur, ac perdicis; eoque ſolùm differre, quod cùm cariùs veneat perdix, propterea quoque melioris putetur ſaporis: ita in verbis Galeni ſuperiùs allatis videre etiam fuerit, proximo poſt perdicem loco attagenem collocari. Nec minùs ad laudem ejus facit hoc Ariſtophanis Ciconiis *a*:

a *Apud Athenæum lib. 9.*

Ἀτταγᾶς, ἥδιστον ἑψῶν ἐν ἐπινικίοις κρέας·

Attagen caro perſuavis, digna Epiniciis coqui.

b *Lib. Epod. od. 2.*

Horatio *b* quoque celebratur attagen Ionicus; quomodo dictus, quia ex Ionia in terram Græciam, atque Italiam, apportaretur. Imò fuere, qui perdici præferrent; ut Martialis indicat in Xeniis *c*:

c *Epigr. 61.*

Inter ſapores fertur alitum primus
Ionicarum guſtus attagenarum.

Mirum verò gallinam betulæ cum hac ave confundi ab Gyberto Longolio in erudito de Avibus dialogo.

Laudatiſſimis avibus, de quibus dictum, apponendus eſt phaſianus: idque judice etiam Galeno. Nam cum perdicem, attagenem, columbam, & gallinaceum genus commendaſſet: paullò poſt ſubdit hæc verba: Ὁμοία δὲ τῶν ἀλεκτορίδων ἐστὶν ἡ τῶν φασιανῶν (σὰρξ) εἰς πέψιν, καὶ τροφὴν, ὑπερέχουσα δὲ τῇ κατὰ τὴν ἡδονὴν ἐδωδῇ. *Phaſianorum caro, quod ad concoctionem, & nutrimentum, ſimilis eſt carni gallinarum: ſed voluptate in edendo etiam vincit.* Clarè ait, ſalubritate non cedere, ſapore etiam ſuperare. Sed Averroës, & Petrus Aponenſis, ob ſucci quoque ac nutrimenti bonitatem, avium cunctis præponunt. Pluribuſque ejus temperamentum celebrat Ulyſſes Aldrovandus in XIII Ornithologias. Non dubium autem, quin non iſta ſolùm, ſed raritas quoque, majus eſſe pretium fecerint. Itaque negat Martialis *d*, eum ſe poſſe mittere amico:

d *In Xeniis epig. 42.*

Si Libycæ nobis volucres, & Phaſidos e, *eſſent,*
Acciperes: at nunc accipe cortis aves.

e *Phaſidos maſculi, quam Phaſides. Phaſidos volucres, ut Phaſidos aves, B. Hieronymo epiſt. ad Oceanum. Verba ejus adferam hoc ipſo capite.*

Sed minùs hoc mirandum in equite Romano haut magna in re. Majorem habet admirationem, quod Capitolinus narrat, Pertinacem Imp. nunquam hanc avem privato ediſſe convivio, vel cuipiam amicorum miſiſſe. Nec Alexander Severus eam menſis imponi ſivit, niſi Kalendis Januariis, Hilariis matris Deûm, Ludis Apollinaribus, Iovis epulo, Saturnalibus, & majoribus hujuſmodi feſtis; ut auctor eſt Lampridius. Quid quod de Ptolomæo etiam proditum, non deguſtâſſe unquam phaſianum, ſed velut κειμήλιον *f* ſervâſſe? Proditum hoc Athenæo in XIV. Fuit autem is Ptolomæus ſeptimus cognomento Phyſcon, ſive Evergetes ſecundus: qui hoc de ſe prodidit in duodecimo operis ejus, quo viginti quatuor hiſtoriarum libros complexus erat. Miretur aliquis, regem hunc ſic temperare gulæ ſuæ potuiſſe, qui uſque adeò eſſet incontinens: præſertim cum non modò haberet phaſianos è Media apportatos, ſed alios etiam ex ovis, quæ gallinis cortalibus ſubjecerant, excluſos Alexandriæ; idque tanto numero, ut iis quotidie veſci poſſet: quemadmodum ipſe memoriæ tradidit opere aurea dicto. Sed enim nihil æquè regem impulit, ut oſtentationis cauſsâ tantum phaſianorum aleret, quàm quòd miraculi penè loco haberetur, phaſianos naſci, & educari in Ægypto: Nam convenit iis cælum ſolumque frigidum: quale conſtat eſſe tum Mediæ, unde tranſlati in Ægyptum; tum Colchidos, ubi niſi abundaſſent, non à Phaſide, Colchidis fluvio, *phaſianorum* iis datum foret nomen. Imò in Europam inde tranſvecti. Notum illud Petronii:

f *Aliquid ex recondito theſauro.*

Ales Phaſiacis petita Colchis.

Et hoc Martialis in Xeniis *a*: a *Epigr. 73.*

Argivâ primùm ſum tranſportata carinâ:
Ante mihi notum nil niſi Phaſis erat.

Ad majorem gulæ voluptatem coxere olim, non in aquis, ſed vapore calido ex aquis penetrante. B. Hieronymus epiſt. ad Oceanum *b*: *Domum ſuam bene regentem, non ut opus augeat, non ut regias paret epulas, non ut celatas patinas ſtruat, non ut Phaſidos aves lentis vaporibus coquat, qui ad oſſa perveniant, & ſuperficiem carnis non diſſolvant artifici temperamento.*

b *Epiſt. 87. Num repertus baptiſmum à matrimonio poſſit fieri ſacerdos.*

Porrò quæ diximus de phaſianis, eadem de tetraonibus intelligenda; ſi iidem ſunt; ut Ptolemæus Phyſco ait apud Athenæum in XIV. Sed tetraones potiùs ſunt anſerini generis: ut ex Plinio vidimus, cùm de locomotiva ageremus. Niſi vox *tetraonis* ſit ambigua, & diverſi generis avibus attributa.

CAP. XCII.

Gulæ mancipia ficedulæ, & turdo, inter aves dare ſolitos principatum; ſed injuriâ. Unde συκαλὶς, *ſive* ficedula, *vocetur. Cur piperari ſoleat. Quare non tantus hodie ſit turdis honos, ac olim. Quamobrem Pompejus æger, præſcriptis à medico turdis, iis non ſit uſus; licet innumeri in aviariis Luculli, & aliorum, alerentur. Merulæ, cùm aliis rebus ſimiles ſunt turdis; tum eo, quod itidem carnis ſint fibroſæ, duræque. Cujuſmodi ſit caro paſſerum, & quo anni tempore optima ſit. Pavonis caro uſque adeò fibroſa, ut vix putreſcat: ſed eadem de cauſſa eſſe concoctu perdifficilem; imò interdum morbum adferre letalem: & quis Romanorum primus pavum appoſuerit convivis. Summi lurcones, Callias, & Cteſippus, è Græcis; Hortenſius, & Apicius, è Romanis. A quo pavones primo fuerint ſaginati. Cur pavo dicatur* Samius. *Quando primùm pavo innotuerit Græcis: & quo in pretio fuerit Athenis. Utrum ſtruthio avis ſit, necne, Galeno adoleſcente, à ſophiſta declamatum in utramque partem. Qualis ejus caro. Cur grues dicantur* Melicæ: *deque duritie carnis earum: & quando à Romanis in menſas receptæ. Balearibus ut buteones, ſic vipiones, in honore menſarum.*

JAmdudum, credo, mirabitur aliquis ſilentium noſtrum de ficedulis, & turdis: de quibus ſic Cornelius Celſus lib. II, cap. XVIII: *Ex avibus, quæ volatu fidunt, firmioris ſunt nutrimenti, quæ grandiores, quàm quæ minutæ; ut ficedulæ, & turdus.* Imò Romæ, qui palati deliciis omnia metirentur, bonitatis principatum his duobus tribuerunt. Itaque Tiberius Cæſar, ut in vita illius refert Tranquillus, *Aſellio Sabino HS ducenta donavit, pro dialogo; in quo boleti, & ficedulæ, & oſtreæ, & turdi certamen induxerat.* Atque ut magis eluceat de utriſque; primùm diſtinctè de ficedulis, hinc de turdis dicam. De ficedulis arguit, quòd, ut Favorinus, vetus orator, in oratione adverſus luxum ait apud Agellium *a*, *præfecti popinæ, atque luxuriæ, negarent, ullam avem, præter ficedulam, totam comeſſe oportere.* De turdis indicat Martialis in Xeniis *b*. Horatii quoque eſt lib. I, epiſt. XV: a *Lib. 15. cap. 8.*

b *Epigr. 92.*

Nil melius turdo, vulvâ nil dulcius amplâ.

Sed juſtas laudes non ibo vel ficedulæ, vel turdo, detractum: non tantæ tamen illæ, ut æquari poſſint iis, de quibus antea egimus, nedum præferri mereantur. Utraque enim avis vermibus paſcitur. Tempus quoque, & præparandi ratio, diſcrimen facit. Prius locum ha-

habet in ficedula: quæ auctumno melior eſt, quia tum optimis duobus fructibus veſcitur, uvarum, & ficuum: à quibus & Græcè συκαλὶς, & Latinis *ficedula* (ut Italis *beccafico*) nominatur. Ideo Martialis in Xeniis *a* quærit, cùm utroque fructu paſcatur, cur potiùs à *ficu ficedula* vocetur, quam *uvedula* ab *uva*: uti Græcis alia quædam avis ab uvarum eſu nominatur ἀμπελὶς *b*, & ἀμπελιὼν *c*, quia ἡ ἄμπελος, *vitis*. Fici eſu pingueſcere hanc avem, Varro quoque ait lib. VI de L. L. Imò in tantum pinguis fit, ut neceſſe duxerint piper addere, quò acrimoniâ hujus pinguedo fluens caſtigaretur. Petronius: *Deinde, ut audivi veterem convivam, hic neſcio quid boni debet eſſe: perſecutus putamen manu, pinguiſſimam ficedulam inveni piperato vitello piperatam.* Martialis in Xeniis *d*:

Cerea quæ patulo lucet ficedula lumbo,
Cùm tibi forte datur, ſi ſapis, adde piper.

a Epigr. 49.
b Callimach.
c Pollux lib. 6. cap 9.
d Epigr. 5.

Jam quod ad turdi elogia apud Horatium, & Martialem; illa facilè refelluntur eo, quòd ſint fibroſæ, duræque carnis; Galeno teſtante lib. III de Alim. Facult. cap. XIX. Adde, quòd non oporteat ex veterum menſis æſtimari noſtras. Loquuntur illi de turdis ſaginatis. At hodie fere, ſimulac capti fuerint, aſſantur, plurimùm adhuc macri, præterquam vindemiæ tempore. Quid mirum igitur, ſi gratia ſit diſpar? Puto autem, cùm Pompejus à medico id conſilii accepiſſet, ut turdo veſceretur, non tam altiles, ſive ſaginatos quæſiſſe, quàm recens captos. Dicitur enim non potuiſſe eos reperire, quia tempus eſſet à captura alienum. Eoque hoc conſilii datum Pompejo fuit, ut à Lucullo altiles peteret. Sed reſpondit ille, ut eſt apud Plutarchum in Apophthegmatis: Εἶτα εἰ μὴ Λεύκολλος ἐτρύφα, Πομπήϊος οὐκ ἂν ἔζησε; *Ergone, niſi luxuriaretur Lucullus, non viveret Pompejus?* Ac deinde, ut ſubdit Plutarchus, χαίρειν ἐάσας τὸν ἰατρὸν, ἔλαβε τῶν εὐπορίστων· *medico valere juſſo, uſus eſt iis, quæ facilè pararentur.* Porrò non tam miror, debere vitam noluiſſe Lucullo, (cui quàm inimicus fuerit, ex iiſdem apophthegmatis, & imprimis vita Pompeji, ſatis eſt apertum) quàm quòd aliunde non poſceret. Nam multi adeò erant, qui turdos paſcerent, ut agros ſtercorarent fimo eorum; cui & principatum tribuit M. Varro *e*. Id cùm legiſſet Plinius *f*: *De noſtris*, inquit, *moribus bene ſperare eſt, ſi tanta apud majores fuere aviaria, ut ex his agri ſtercorarentur.* Cur igitur, inquies, non aliunde petiit turdos Pompejus, ſi nollet à Lucullo? Exiſtimo, cùm de Lucullo abnuiſſet, nec ſuſtinuiſſe aliunde poſtulare. Cæteroquin viſus eſſet, id odio dixiſſe Luculli. Nunc temperantiæ, & animo generoſo tributum, quòd nulli lurconum debere vitam vellet.

e Lib. 1. de R. R. cap 38.
f Lib. 17. cap. 9.

Vidimus de avibus, quarum bonitati vel Galenus, ac ſapientum alii; vel inſipientes, gulæque mancipia, principatum tribuerunt. Nunc de aliis agamus, quarum impar erat dignatio. Ac quia proximè de turdis dictum; de merulis primò loquar, ob ſummam earum convenientiam cum turdis. Ut enim turdi, ſic merulæ, vermibus veſcuntur, & locuſtis. Utroſque item ſaginabant Romani. Utrique etiam boni ſunt ſucci; ſed fibroſæ ac duræ carnis; uti & paſſeres: unde de tribus hiſce ita Galenus, cum de perdicibus, attagenis, columbis, & gallinis, eſſet locutus *g*: Ἡ δὲ τῶν κιχλῶν, καὶ κοττύφων, καὶ τῶν μικρῶν στρουθῶν, ἐν οἷς εἰσι καὶ οἱ πυργῖται καλούμενοι, σκληροτέρα τούτων ἡ σάρξ· *Turdi, & merulæ, & paſſerculi, in quibus etiam ſunt turricolæ, carnem habent prædictis duriorem.* In merulis præcipua pars pectoris. Unde Horatius lib. II, ſat. ult.

—— Tum pectore adusto
Vidimus & merulas poni, & ſine clune palumbes.

g Lib. 3. de alim. facult. c. 19.

Merulas excipiant paſſeres: quando, ut jam vidimus, eos, uti & turdos, Galenus conjunxit. Atque idem, lib. de Attenuante victus ratione *h*, tria hæc avium genera ſociat, eaque, nec non perdices, & alias aves monticolas, utiliter ab iis ait manducari, quibus attenuans victus convenit. Cæterùm non omni tempore anni par ratio eſt. Maximè enim auctumno paſſeres commendantur: quoniam tum ob meſſem, & vindemiam, pinguiores, ac melioris ſucci fiunt. Interea ajunt, uti libidinoſi ſunt, ita comeſtos quoque libidinem concitare.

h Cap. 8.

Poſt aves ſuperiores ſubdit Galenus *a* etiam de pavone: cujus caro amea memoratis dicitur eſſe σκληροτέρα, καὶ δυσπεπτοτέρα, καὶ ἰνωδεστέρα· *durior, concoctu difficilior, ac fibroſior.* Ac ſimile prorſus Simeonis Sethi judicium eſt. Jaſon à Pratis Ziricæus, lib. de ſanitate tuenda, illuſtre nobis duritiei hujus argumentum promit. *Carnem ejus*, inquit, *coctam vi:um eſt per annum, citra putrefactionem, vel fætorem ullum, duràſſe incorruptam.* Imò B. Auguſtinus lib. XXI de Civit. Dei, cap. IV, ait: *Quis niſi creator omnium Deus dedit pavonis carni non putreſcere?* Sed paullùm emollit Iſidorus lib. XII Orig. *Pavo nomen de ſono vocis habet; cujus caro tam dura eſt, ut putredinem vix ſentiat, nec facilè coquatur.* Cùm igitur tam fibroſæ ſit duritiei, ut cocta quoque pro ſemicocta poſſit haberi; nihil mirum, ſi repentinæ etiam mortis cauſſa foret: quod Juvenalis queritur ſat. I:

Pœna tamen præſens, cum tu deponis amictus
Turgidus, & crudum pavonem in balnea portas.
Hinc ſubitæ mortes, atque inteſtata ſenectus.

a Lib. 3. de aliment. facult. cap. 19.

Horatius ſimiliter lib. II, ſat. II conqueritur, quòd tanta ſit hominum ſtultitia, ut quia pavones magno veneunt, & pennas habeant pulchras, eò malint pavone veſci, quam gallinâ: quaſi pennis veſcamur, vel pavo, cum apponitur, habeat pennas. Audiamus ipſum:

Vix tamen eripiam, poſito pavone, velis quin
Hoc potius, quàm gallina tergere palatum,
Corruptus vanis rerum: quia veneat auro
Rara avis, & pictâ pandat ſpectacula caudâ:
Tanquam ad rem attineat quicquam. num veſceris iſtâ,
Quam laudas, pluma? cocto num adeſt honor idem?

Quis ad hanc ſtultitiam præiverit, docet è noſtris Tertullianus de Pallio cap. I: *Hortenſius orator primus pavum cibi cauſſâ potuit occidere.* Hauſerat verò hoc è Varrone, vel alio, qui hunc legiſſet. Varronis quidem, qui Hortenſii ipſius ætate vixit, verba ſunt iſta lib. III, cap. VI: *Primus hos Q. Hortenſius augurali adjiciali cœnâ poſuiſſe dicitur. quod protinus factum, tam luxurioſi, quàm ſeveri boni viri laudabant* b. Similiter Plinius lib. X, cap. XX, & Ælianus lib. V de Anim. cap. XXI. Sed is, quod Plinius tacuit, Varroni autem repugnare videtur, propterea Hortenſium ait χειρῶσαι *c*, vel, ut in aliis eſt codd. καταχειρῶσαι *d*. Et ſanè apud eundem Ælianum *e*, ex Athenienſibus quidem Callias, & Creſippus; ex Romanis Apicius, & Hortenſius, ut, præ cæteris lurconibus, gulæ dediti memorantur. Apud Plinium *f* & hoc legas: *Saginare* (pavones) *primus inſtituit circa noviſſimum piraticum bellum M. Aufidius Lurco, exque eo quæſtu reditus ſeſtertiûm ſexaginta M. habuit.* Ob iſta ſic Publius Syrus apud Petronium Arbitrum; qui hiſce negat melius quid dici poſſe:

Luxuriæ rictu Martis marcent mœnia.
Tuo palato clauſus pavo paſcitur,
Plumato amictus aureo Babylonico:

Pluraque inibi in hanc mentem. Porrò per Martis mœnia Romam intellige, Romuli opus, qui Martis filius credebatur: vel antiquè *mœnia* valeat *munia* ſive *partes*. Verſu ſecundo malunt alii, *lautus pavo naſcitur*, vel *oculoſus pavo*, vel *Samius pavo*: nempe quia è Samo, (ubi in templo Junonis Samiæ alebantur) in alias transferrentur terras; ut à Menodoto Samio apud Athenæum refertur. Malui nihilominus retinere lectionem editionis principis: puta Pariſinæ anni CIƆ IƆ XX, quæ MSum fide optimâ expreſſit, ac ſui caſtigationem reliquit eruditis. Planeque cenſeo, reſpici à Publio ad ornithonas; in quibus aluere pavones, turtures, turdos: ut indicat Varro lib. III de R. R. cap. III.

Fuit verò pavus Græcis ipſis ignotus ante tempora Alexandri M. qui cùm eum in India primùm conſpexiſſet, edicto vetuit, nequis necaret: ut Ælianus narrat lib. V de Animal. cap. XXI. Atque ibidem legas, ut Athenis, quibuſque

b *Atque inde apud Macrobium l. 2. Saturn. cap. 9. Unde ſic locum Varronis allatum corrigit Popma:* Quod potiùs factum luxurioſi, quàm ſeveri boni viri laudabant. *Cenſeo ſcripſiſſe Varronem:* Quod protinus factum luxurioſi, quam &c. *Nempe, ut ſæpe,* κατ' ἰλλειψιν *magis intelligitur. Ut ſententia ſit, Luxurioſos magis laudaſſe, quàm ſeveros.*
c *Injus vocatum.*
d *Condemnatum.*
e Lib. 10. cap 20.
f Lib 3. cap. 42.

buſque menſium Calendis, fuerint, qui quæſtum facerent, oſtendendo eos viris, ac mulieribus: item ut Antiphon oratione contra Eraſiſtratum tradat, ibidem marem, & feminam, fuiſſe mille drachmis æſtimatos.

a Cap. 20. Poſt aves proximè dictas quædam Galenus ſubjicit *a* de ſtruthiocamelo, & grue. Sed de ſtruthiocamelo (στρουθοκάμηλον Græci malunt dicere) poterat dubitari, utrùm rectè ei in avibus daretur locus. Quippe narrat, ſe in adoleſcentia audiiſſe ſophiſtam, qui oratione geminâ hoc tractâſſet argumentum; atque unâ ei contendiſſet locum dandum inter aves, alterâ id impugnâſſet. Qua de quæſtione ſententiam Ariſtotelis jam antea *b* expoſuimus. Rectè (b Cap. 80.) verò Galenus ait, non tam referre, ut ſciamus, utrùm inter aves referri debeat, an minus: quàm cujuſmodi alimentum unde percipiamus. Docet *c* igitur, carnem earum eſſe (c Lib. 3. de alimento facult. cap. 20.) περιττωματικὴν, καὶ πολὺ δυσπεπτοτέραν τῶν προειρημένων ζώων· *excrementiciam, ac multo difficiliorem concoctu, quàm prædictarum avium.* Ut ſtruthionem, ſive ſtruthiocamelum, convivis appoſuerit Heliogabalus, dictum cap. LXV.

d Sat. περὶ ἐδεσμάτων. De gruibus autem (quas *Melicas* dixit Varro *d*, quia ex Melo inſula adveherentur Romam) ſic idem Galenus poſtea ſubjungit, eſſe iis carnem fibroſam ac duram; ut propterea, pluribus, antequam edatur, diebus, ſoleat macerari. Romani eam, jam Auguſti ætate, in menſam recepere: ſed ſic, ut ciconias præferrent: quemadmodum ex Cornelio Nepote refert Plinius lib. X, cap. XXIII. Addit, ſiâ contrà ætate ciconias fuiſſe diſpretas, ita ut nemo attingeret; grues verò expetitos inter alitum primas. Plinii verba cap. prox. adducam. Quomodo tam duræ carnis avem præpararint; ex parte indicat Horatius lib. II, ſat. ult.

Mazonomo pueri magno diſcerpta ferentes
Membra gruis ſparſi ſale multo, non ſine farre.

Et Plutarchus de eſu carnium lib. ſeu orat. poſter. Ἄλλοι γεράνων ὄμματα, καὶ κύκνων ἀπορράψαντες, καὶ ἀποκλείσαντες, ἐν σκότῳ πιαίνουσιν, ἀλλοκότοις μίγμασι καὶ καρυκείαις τισὶν αὐτῶν τὴν σάρκα ὀψοποιοῦντες. *Alii vero grues, & olores, oculis prius conſutis, tenebricoſo quodam loco incluſos, ſaginant, ac mirificas intritorum miſcellas & condimenta, carni earum, quæ obſonium futura, addunt.*

Ad grues etiam vipiones pertinent. De his Plin. lib. X, cap. XLIX. Nam cum dixiſſet è Balearibus inſulis prophyrionem mitti, ſubjungit: *Ibi & buteo accipitrum generis in honore menſarum eſt: item vipiones: ſic enim vocant minorem gruem.* Nomen à ſono, ut *pipio e* in (e Lamprid. in Alexandr.) gallinis.

Cap. XCIII.

Qualis ſit ciconiarum caro. Lex Theſſalica, ut, qui ciconiam necârit, haut ſecus puniatur, ac ſi hominem interemiſſet. Sempronium Rufum, virum prætorium, primum eas menſis appoſuiſſe; offenſoque idcirco populo Romano, fruſtra conſularem ambiiſſe honorem. Auguſti principatu magis ciconias placuiſſe, quam grues: at, principe Veſpaſiano, gruem in maximo fuiſſe pretio, ciconiam planè nullo. Ac ſimiliter in aliis quoque cum tempore judicia de ſapore variaſſe. Mularum enim pullos exiſtimatos eſſe optimi ſaporis, ſuperſtite Mæcenate; eo mortuo, non item: ac papæ Hadriani VI ætate creditum Romæ merlucciæ piſces belle ſapere; ſed judicium hoc deſiiſſe, ſimulac Hadrianus deſiit vivere. Coturnicum caro cujuſmodi. Helleboro eas veſci, ut cicutâ ſturnos. Falli Plinium, ac Solinum, cum tradunt, ex mutis animantibus coturnicem ſolam laborare morbo comitiali. Cur Flamini Diali non licuerit nominare capram, nedum tangere, multoque minus edere. Galenum à non paucis in eo deſeri, quòd putârit, ab eſu coturnicum eſſe periculum ἐπιληψίας. Lagopodis *nomen nunc tribui avi, quæ ſimilis coturnici, nunc aliti Alpinæ, columbæ magnitudine; quicum perperam* glaucopidem *confundant. Phœnicopteri lingua, nepotantium deliciæ. Sturnorum caro qualis ſit. Meleagrides poſtremæ menſis receptæ, & anteadem, ac gallinæ Africanæ. Veſpertiliones cibus Borſippenſium. Catonis majoris judicium de anate rejectum. In pretio fuiſſe anſeres altiles, ac fartiles, quos* [illegible] *dixere. Alæ anſerum laudatæ; ſed ſic, ut illæ gallinarum cedant. Iecur, quod anſeri exemerant, lacte mulſo augebant: vivi autem anſeris, paſcendo eum pinguibus ficis. Eupolidis locus illuſtratus.* Iecur *pro ſapientia. Iecur anſeris, alitis exemtum, ſic auxere, ut majus ipſo fieret anſere: & quis primus hoc artificium invenerit. quis item modum torrendi palmas anſerinorum pedum. Chenerotes. Olorum caro improbata: & quomodo olim ſaginari ſoleant.*

HActenus ſolùm egimus de avium illis, quas Galenus nominavit in tertio de Alim. Facult. Niſi quòd occaſione aliâ nobis de ficedulis inſerta quædam. Præterea verò ibidem loquitur Galenus de anſerum carne: quam mediam ait inter illam gruum, & otidum. Verùm de hoc meliùs in amphibiis dicetur. Nunc videamus de aliarum avium præcipuis, quas eo libro non nominat Galenus. Ac quia proximè de gruibus dictum, inque earum tractatione quædam de ciconiis attigi: nunc ut pleniùs res omnis intelligatur, novum ab iis initium fiat.

Ciconiis caro eſt fibroſa, mali ſucci, & concoctu difficilis: imò & peſtilens habetur; credo quia ranis, lacertis, & ſerpentibus, veſcuntur. Saltem hodie propterea videmur iis abſtinere. Theſſalis verò honorandi hinc cauſa erat: de quo ſic Plinius lib. X, cap. XXIII: *Honos iis ſerpentum exitio tantus, ut in Theſſalia capitale fuerit occidiſſe; eademque legibus pœna, quæ in homicidam.* Apud Romanos primus adhibuit menſis Sempronius Rufus, vir prætorius: de quo Horat. lib. II, ſat. II:

Tutus erat rhombus, tutoque ciconia nido,
Donec vos autor docuit prætorius. ——

Eum ad locum vetus interpres hoc in Rufum epigramma eſſe factum memorat, cùm repulſam tuliſſet candidatus:

Ciconiarum Rufus iſte conditor,
Hic eſt duobus elegantior Plancis.
Suffragiorum puncta non tulit ſeptem.
Ciconiarum populus ultus eſt mortem.

Conſulatum ambiiſſe, exinde colligo, quòd vir fuerit prætorius: & ut ædilitatem curulem prætura, ſic præturam ſequeretur conſulatus.

Porrò hinc videmus, cur Apiciis, Hortenſiis, & ſimilibus lurconibus, Rufos addat Tertullianus de Pallio cap. V: ut optimè obſervatum Cl. Salmaſio. Nam prioribus hic tenebræ erant. De eâdem alite ſic Plinius lib. X, cap. XXIII: *Cornelius Nepos, qui Divi Auguſti principatu obiit, cùm ſcriberet, turdos paullò ante cœptos ſaginari; addidit, ciconias magis placere, quam grues: cùm hæc nunc ales inter primas expetatur, illam nemo velit attigiſſe.* Unde liquet, quantopere etiam pro temporibus varient judicia hominum in iis, quæ rem cibariam attinent. Quippe hic videmus, Cornelii Nepotis ætate, in pretio fuiſſe ciconias. Vixit autem ille Attico, Ciceroni, Catullo, amiciſſimus. At hinc uſque ad imperium Veſpaſiani, ſub quo Plinius claruit, anni ſunt CX: quo planè cibus is deſpectui erat. Quod ſi grandiuſculum hoc videatur intervallum: quid de eo ſtatuendum, quòd uno cum homine judicium de alicujus ſapore & naſcitur, & denaſcitur? Neque hoc ſolùm in alitibus, ſed quadrupedibus etiam, ac piſcibus, uſu venit. Ac fortaſſis operæ fuerit, ſi utriuſque generis exemplum demus. E quadrupedibus adfert Plinius lib. VIII, cap. XLIII: *Pullos mularum epulari Mæcenas inſtituit, multum eo tempore prælatos onagris: poſt eum interiit auctoritas ſaporis.* Nempe ob auctoritatem Mæcenatis ſapor earum viſus optimus: eo exſtincto, non item. Sic cum Romæ Hadrianus Pontifex merlucciæ piſce caperetur, qui ſaporis non boni,

eoque pretii vilis habebatur: multi judicium hoc ſecuti ſunt; ut is piſcis mox ſupra mediocre pretium divenderetur, ridente foro piſcario; ut Paullus Iovius ait libro de piſcibus Romanis: ſed addit, *Adrianum Pontificem, ſicut in adminiſtranda Rep. hebetis ingenii, vel depravati judicii, ita in eſculentis fuiſſe inſulſiſſimi guſtus.* Nempe non idem eſt omnium palatum: & in iis etiam, quæ ad gulam pertinent, ſummatium judicium libenter ſequuntur minores, vel fœdâ adulatione, vel etiam admiratione nimiâ.

Nunc de coturnicibus dicam; quia non leve iis hinc nomen acceſſit, quòd his Deus populum ſuum paverit in deſerto. Saporis ſunt boni, nec mali ſucci: præſertim autem commendantur auctumno, quia tum pinguiores ſunt, & magis ſucculenti: pulli verò etiam in lauticiis cenſentur. Romani tamen pro noxiis habuere. Eo autem impulſi fuerunt; quòd helleboro veſcerentur. Hoc enim paſci, etiam prodidit Ariſtoteles, ſive alius, libro περὶ φυτῶν lib. I, cap. V: atque idem tradit Alexander in præfat. problematum: & addit, itidem ſturnis cicutam eſſe pro cibo. E Latinis ſimiliter Lucretius lib. IV:

Præterea nobis veratrum eſt acre venenum,
At capris adipes, & coturnicibus auget.

Atque ex hoc inſalubres eſſe, colligit etiam Plinius lib. X, cap. XXIII: *Coturnicibus veneni ſemen gratiſſimus cibus: quam ob cauſſam eas damnavere menſæ: ſimulque comitialem propter morbum deſpui ſuetum, quem ſolæ animalium ſentiunt, præter hominem.* Idem tradit Solinus cap. XVII. Has igitur, cur iis ſit abſtinendum, adferunt rationes; quia edant helleborum, ſive veratrum; quia propterea morbo laborent comitiali, & quidem ſolæ; quia denique hunc morbum comeſtæ in homines propagent. Dicam de horum ſingulis. Veratro eas veſci, concedimus antiquis: ſed in morbum hinc incidere comitialem, vix poſſim mihi perſuadere. Veratrum enim coturnicum naturæ conveniens eſt; ut Lucretius indicat. Ac pariter ſturnis cicuta prodeſt. Cur autem neutrum iis noceat, hanc B. Baſilius Hexaëm. homil. V *a* adfert rationem, quia anguſtas habeant venas, ut venenum diutiùs iis detineatur, detentum concoquatur, eoque, nonniſi correctum, ad vitalem cordis fontem pertingat. Fortaſſe id aliquid eſt. Cenſeo tamen, occultiorem ſubeſſe rationem, quæ ab ἰδιοσυγκρασίᾳ *b* pendeat.

a Pag. 58. & 59. edit. Pariſ. Tom. I, 8.

b Temperiei proprietate.

Sed neque [illegible]rum eſt, quod à Plinio, & Solino, proditum dicebamus, ſolum hominem, coturnice exceptâ, comitiali morbo vexari. Ariſtoteles quidem ad hanc iis opinionem præivit in problematis: verùm longè aliter eſt. Siquidem Hippocrates, libro περὶ τῆς ἱερῆς νούσου *c*, eodem ait laborare oves, & capras: deque capris idem ſentit Plutarchus in quæſtionibus Romanis, quæſt. CXI; ubi addit, flamini Diali ideo fuiſſe lege interdictum, non modò ne veſceretur caprâ, verùm etiam ne tangeret eam, atque adeo etiam ne nominaret quidem. Item equos eum morbum ſentire, tradit Abſyrtus: uti accipitres, capos, & graculos, Brodæus lib. III Miſcell. cap. XXIII.

c De morbo ſacro.

Supereſt, utrùm coturnices comeſtæ homini comitialem adferant morbum. Cenſet id quoque Galenus: proque hac ſententia facit, quòd idem comm. V in lib. VI Epidem. narret, multos ſe noviſſe in Doride, Bœotia, & Theſſalia, atque adeò Athenis, qui frequenti earum eſu muſculorum diſtentionibus laborarent. Sed hac parte Galeno repugnat Averroës, ac è junioribus Ulyſſes Aldrovandus lib. XIII Ornitholog. item Renatus Moreau comm. in Scholam Salernit. qui negat, ſe in Gallia ejuſmodi quid obſervare potuiſſe. Interea putat, abſtinendum eſſe eâ tempore peſtilentiæ; quia caro illius, ob humores excrementicios, facilè putreſcat, ac propterea febribus excitandis idonea ſit.

Poſt coturnices videamus de lagopode, quia *à coturnicibus magnitudine tantum differt croceo tinctu*; ut ait Plinius lib. X, cap. XLVIII. Eſt verò, ut ibidem legas, *cibis gratiſſima.* Sed *lagopodis* vox eſt, ὁμώνυμος. Sæpius enim per hoc nomen intelligitur avis Alpina, non grati modò, ſed *præcipui ſaporis*; ut idem paullò antè dixerat. De eadem legas inibi: *Pedes leporino villo nomen ei hoc dedere, cætero candidæ, columbarum magnitudine. Non extra terram eam* (de Alpibus ſermo erat) *veſci facile, quando nec vivâ manſueſcit, & corpus occiſæ marceſcit.* Si vulgatis codd. ſtandum, meminerit ejus Martialis lib. VII, epigr. LXXXVI:

Si meus aurita gaudet lagopode Flaccus.

Sed rectè Scaliger, Caſtigationibus in quartum Propertii *a* librum, Arethuſæ ad Lycotam epiſtolâ, *glaucopide* emendat. Nam, *Primùm*, inquit, *lagopus non eſt aurita: eſt enim lagopus, quam perdicem albam Inalpini vocant. Deinde prima ſyllaba corripitur. Poſtremò avis illa pulcherrima eſt: ideoque non videtur inter monſtra, & deformia portenta Naturæ annumeranda: cum tamen hoc agat Martialis, ut oſtendat, monſtra placuiſſe illis viris, quos ordine recenſet. At contrà glaucopis, ſeu bubo, & aurita eſt, & ſane non inter venuſta illa animalia numeranda.*

a Eleg. 3.

Phœnicopterus etiam eſt in honore: ſed præcipuè ob linguam. Plinius lib. X, cap. XLVIII: *Phœnicopteri linguam præcipui ſaporis eſſe, Apicius docuit, nepotum omnium altiſſimus gurges.* Martialis in Xeniis *b* de eodem:

b Epigr. 68.

Dat mihi penna rubens nomen: ſed lingua guloſis
Noſtra ſapit. Quid ſi garrula lingua foret?

Suetonius *c* narrat, Vitellium in dedicatione patinæ, quam *clypeum Minervæ* nuncupabat, cum phaſianorum, & pavonum cerebellis linguas miſcuiſſe phœnicopterûm. Cerebella eorumdem magni æſtimata Heliogabalo; qui, ut Lampridius refert, cum dapes exhiberet Palatinas, phœnicopteri cerebella mullorum extis ſociabat. Etiam Caligulam Cæſarem hoc avitium ſummo in pretio habuiſſe, arguit, quòd cum exquiſitiſſimis ſibi hoſtiis vellet ſacrificari, eas eſſe vellet phœnicopteros, pavones, erythrotaones *d*. Teſtis in ejus vitâ Tranquillus *e*.

c Lib. 7. cap. 13.

d Sic, ubi vulgo tetraones, legendum monuere Sabellicus, & Urſinus.

e Cap. 22.

Sturnorum caro difficulter concoquitur: etiam viroſum habet ſaporem, quia cicutâ paſcantur: ut Galenus fatetur lib. de Theriaca ad Piſones, & lib. III de Temperamentis. De eadem ſic B. Platina in quincto de tuenda valetudine: *Sturni, quos vulgo diabolicam carnem habere dicimus, omnino ab obſoniis lautorum rejiciuntur. Hos comedat Vacerra noſter, qui marſupio magis quàm vitæ, conſultum vult.* Meliores tamen ſunt auctumni tempore, quia mirè appetunt uvas, earumque eſu viroſus ſapor plurimùm corrigitur. Meliùs etiam ſapere dicuntur, ſi, ſimulac captæ fuerint, caput præcideris. Imò Galenus ipſe in VI de Sanitate tuenda, ſturnorum carni locum ab attagena proximùm adſignat, ac convenire iis arbitratur, qui corpore ſunt ſicci ac graciles.

Meleagrides, quæ quotannis in Bœotia circa Meleagri tumulum depugnant, & inde nomen hoc ſortitæ ſunt, *noviſſimæ peregrinarum avium in menſas receptæ propter ingratum virus*; ut ait Plinius lib. X, cap. XXVI. Ait autem, eſſe *Africæ gallinarum genus, gibberum, variis ſparſum plumis.* Quomodo à gallina differat Numidica, docemur his Columellæ verbis lib. VIII, cap. II: *Africana eſt, quam plerique Numidicam dicunt, Meleagridi ſimilis: niſi quod rutilam galeam, & criſtam, capite gerit, quæ utraque ſunt in meleagride cærulea.* Quærat aliquis, ſi Meleagrides ſint Africæ ſive Numidiæ gallinarum genus; quomodo planè eaſdem dicat Varro lib. III de R. R. cap. IX, his verbis: *Gallinæ Africanæ ſunt grandes, variæ, gibberæ; quas μελεαγρίδας appellant Græci. Hæ noviſſimæ in triclinium ganearium* f *introierunt in culina, propter faſtidium hominum.* Satis liquet, ex his Plinium ſua expreſſiſſe. Facileque adeo conciliantur; nempe ſolâ penè diſtinctione, hoc pacto: *Gallinæ Africanæ ſunt grandes, variæ, gibberæ: quas μελεαγρίδας appellant, hæ noviſſimæ in triclinium ganearium introierunt è culina.* Ut ſententia ſit, ex his Africanis gallinis illæ, quæ *meleagrides* dicuntur, poſtremò

f Al. genianum.

ſunt

ſunt in menſas receptæ. Atque hactenus memoratis paſti fuere Græci pariter, ac Romani.

Quid autem, quòd Borſippæ, civitate Babyloniæ prope Meſopotamiam, etiam veſpertiliones in cibum condiunt? ut eſt apud Strabonem lib. XVI.

De amphibiis nunc dicendum: ut ſunt anates, anſeres, olores. Cato Cenſorius in pretio tanto habuit anates, ut his paſceret, ſiquis è familia ſua ægrotaret: quemadmodum ſcribit Plutarchus in vita ejus. Ubi & lepores iis appoſuiſſe narrat. Nempe homo durus, & laboribus adſuetus, ex ſuo temperamento ac viribus, cæteros metiebatur: in quo graviter ab eo peccatum. Siquidem ut lepores, ſic quoque anates, ſuccum gignunt melancholicum: præſertim domeſticæ, quæ volatu ſe minùs exercent; præterea cœno, & iis, quæ è culinis everruntur, ali ſolent. Meliores ſunt ſylveſtres, quia libero aëre, & aquis gaudent fluentibus. Itaque in hac alite ſolum pectus, & cervicem edere, cætera reddi coquo, jubet Martialis *a*. Ex his verò etiam judicium ferre eſt, qualis ſucci ſint boſcas, penelops, querquedula, aliæque anarini generis. a *Xeniorum epigrammate 51.*

Anſeres itidem duræ ſunt carnis, ſuccique mali, & excrementicii. Olim tamen in pretio fuere anſeres σιτευτοί *b*: quales iccirco Ageſilao Lacedæmonio, cùm in Ægyptum veniſſet, unà cum vitulis dono miſere Ægyptii: ut ex Theopompo *c* refert Athenæus lib. IX. Fuere & anſeres fartiles. Nempe, ut porcellos variis implebant animalibus, ac cupediis; (quales ab equi Trojani ſimilitudine dixere *porcos Trojanos*; ut vidimus cap. LXVI:) ita & anſeres rebus variis farciebant: ac quia equum Trojanum δούρειον vocant poëtæ; eò hujuſmodi anſerem quoque δούρειον nominarunt. Diphilus apud Athenæum lib. IX: b *Altiles.* c *Hellenicis, & Philipp. 13.*

Δούρειον ἐπάγω χῆνα τῷ φυσήματι.

Id, puto, reddi poſſe:

Flatu tumentem Durium adduco anſerem.

Alæ anſerum & facilè concoquuntur, & bene nutriunt: ut Galenus tradit lib. III de facult. aliment. cap. XX. Cujus cauſſa eſt, quòd hæ partes præ cæteris moveantur, & exerceantur. Quò autem aves melioris ſunt temperamenti, eò & alæ ſalubriores. Propterea illæ gallinarum præſtant anſerinis; ut ibidem ait Galenus. Præcipuè autem in deliciis fuit jecur anſeris, cujus alimenta lacte fuiſſent imbuta. Tale enim & ſaporis eſt jucundi, & optimi ſucci, ac nutrimenti: facilè etiam concoquitur, & dejicitur. Teſtis Galenus loco jam memorato. De eodem Plin. lib. X, cap. XXII: *Fartilibus in magnam amplitudinem creſcit: exemptum quoque lacte mulſo augetur.* Etiam ut in ſuibus vivis hepar præparabatur ficorum paſtu: quemadmodum Galenus refert loco antè indicato: ita & jecoris cauſsâ potiſſimùm ficis alebant anſerem: unde συκωτὸν dixere. Nam σῦκον, *ficus*. Meminit è Latinis Horatius lib. II, ſat. VIII:

Pinguibus & ficis paſtum jecur anſeris albi.

Athenæus in IX ait, Eupolin quoque in Στεφανοπώλισι meminiſſe jecoris anſerini. Adducit autem hunc verſum:

Εἰ μὴ σὺ χηνὸς ἧπαρ, ἢ ψυχὴν ἔχεις.

Ni vel jecur, vel animus eſt tibi anſeris.

Sed quid iſte verſus ad delicias facit, de quibus loquitur Athenæus? Quippe *jecur* hìc pro ſapientia accipitur: ut iſto veteris epigrammatis in Catonem Grammaticum *d*: d *Apud Tranquillum in Grammaticis illuſtribus.*

En cor Zenodoti, en jecur Cratetis.

De quo pluribus diximus in Oratoriis Inſtit. lib. IV, cap. VII, ſect. VIII. At verè ad delicias referendum hoc Ovidii I Faſt.

Nec defenſa juvant Capitolia, quo minùs anſer
Det jecur in lances, Inachi lauta, tuas.

Quem locum itidem enarravimus jam olim in iiſdem Oratoriis lib. IV, cap. XIII, ſect. VIII. Sed & deliciarum iſtarum meminere Perſius ſat. VI, Juvenalis ſat. V, & Martialis, lib. XIII, epigr. LVIII: ubi jecur hoc magno ait majus anſere; nempe poſtquam fartilibus, & lacte mulſo auctum; ut ex Plinio dicebamus. Quis ſic augendi jecoris anſerini rationem invenerit, nec Plinii ætate convênit: ut liquet ex eo, lib. X, cap. XXII. Ait verò, nonnullos repertum id tribuiſſe Scipioni Metello, viro conſulari; alios M. Sejo, equiti. Uterque horum ætate vixit Varronis: qui itidem eos junxit lib. III de R. R. cap. X: *Horum* (anſerum) *greges Scipio Metellus, & M. Sejus, habent magnos aliquot.* Ut Meſſallinus ' otta primus docuerit torrere palmas anſerinorum pedum, & cum gallinaceorum criſtis condire, ex eodem Plinio *a* ſuperiùs retuli. a *Lib. 10. cap. 22.*

Hæc de Romanis. Britannis in deliciis erant, quos Græci χηναλώπεκας dicunt. Plin. lib. X, cap. XXII: *Anſerini generis ſunt chenalopeces, & quibus lautiores non novit Britannia, chenerotes, fero anſere minores.*

Olores, ut anſeribus majores, ita carnis ſunt durioris, præſertim natu grandiores. Excrementis etiam ſcatent, ut aquaticæ aliæ. Lautioribus inferuntur conviviis: ſed pompæ potiùs gratiâ, quàm ob ſucci bonitatem. Nec olim epulis abeſſe ſolere, teſtis eſt Athenæus in IX. Saginari conſueviſſe, oculis priùs conſutis, apud Plutarchum legas in ſecundo de eſu carnium. Verba ejus adduximus, cùm de gruibus diceremus.

Cap. XCIV.

Ex Celſi monito cavendum, ne in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur. Dacnadum, ſive dacnidum uſus in ſomno impediendo apud Ægyptios, dum convivarentur. Immanis Æſopi hiſtrionis, & filii ejus, luxus. Confiſcare, pro reponere. *Luxurioſa Vitellii cœna. Luxus Romanus ſe ſaturantium inferioribus ſolùm partibus avium, præterquam ficedulæ, quam ſolam comederent totam. Ornithonum magnitudo, & quot aves continerent, & quantum inde pretii quotannis ad dominum rediret. Quantus avium numerus ex uno quarundam pari produci poſſit intra octennium. Atque obiter non abſimilis ratio inita in ovium fæcunditate.*

QUæ hactenus fusè adeò enarravimus, ſatis docent, Deum nobis non aves modò dediſſe ad alimoniam, ſed etiam ad voluptatem. Uti illas, quæ ſucci bonitate commendantur, & ſimul palatum mirè oblectant. Sed hujuſmodi ut merentur in conviviis apponi, ita μονοφάγοι *b* rectiùs iis abſtineant, niſi quando ægri ſunt, vel à morbo convaleſcunt: nempe, ut verbis utar Cornelii Celſi *c*, *ne in ſecundâ valetudine adverſæ præſidia conſumantur.* Magnopere verò dolendum, cùm tanta ſit Dei bonitas, homines non contentos alimoniâ, & modicâ voluptate, ſic donis ejus abuti ad luxum. In quo nunc tacebo de Oriente: cujus luxuriem ignorat nemo. Mittam & Ægyptios: quorum abuſum ſatis arguit dacnadum uſus in conviviis; ne inter compotandum ſomnus obrepat. Pompejus Feſtus: *Dacnades ſunt avium genus, quas Ægyptii inter potandum cum coronis devincire ſoliti ſunt; quæ vellicando, morſicandoque, & canturiendo aſſiduè, non patiuntur dormire potantes.* Heſychius: δακνὶς, εἶδος ὀρνέου. Nempe ἀπὸ τοῦ δάκνειν, quod eſt *morſicare*. Mitto etiam Græcos: de quibus tam multa Athenæus in Dipnoſophiſt. Solùm oſtendam, quàm fœdè ſe geſſerint Romani. Familiam in his ducat Æſopus tragicus, vel ejus filius; cui pater ex arte ducenties ſeſtertium reliquerat; ut præter alios Macrobius *d* narrat. De filio quidem ita Valerius Max. lib. IX, cap. I: *Quem furioſæ luxuriæ juvenem conſtat cantu commendabiles aviculas, immanibus emtas pretiis, in cœna pro ficedulis ponere, acetoque liquatos magnæ ſummæ uniones potionibus adſpergere ſolitum, ampliſſimum patrimonium, tanquam amaram aliquam ſarcinam, quàm celerrimè abjicere cupientem.* At parenti id liquidò tribuit Plinius lib. X, cap. LI: *Maximè*, inquit, *inſignis eſt* b *Qui ſoli comedunt.* c *Lib. 1. cap. 1.* d *Lib. 2. Saturn. cap. 10.*

eſt in hac memoria, Clodii Æſopi, tragici hiſtrionis, patina, ſexcentis H-S taxata: in qua poſuit aves cantu aliquo, aut humano ſermone vocales, nummis ſex ſingulas coemtas; nullâ aliâ inductus ſuavitate, niſi ut in his imitationem hominis manderet; ne quæſtus quidem ſuos reveritus illos opimos, & voce meritos: dignus prorſus filio, à quo devoratas diximus a *margaritas.* Sane filium fuiſſe, à quo comeſtas narrat margaritas; etiam Horatius teſtatur lib. II, ſat. III:

a Lib. 9. cap. 35.

Filius Æſopi detractam ex aure Metellæ,
Scilicet ut decies ſolidum exſorberet, aceto.
Diluit inſignem baccam.

Similiter Tertullianus de Pallio cap. v. At de patina adſcribit patri hiſtrioni. En de utroque verba: *Æſopus hiſtrio ex avibus ejuſdem pretioſitatis, ut canoris, & loquacibus quibuſque, ſexcentûm millium patinam confiſcavit: filius ejus poſt tale pulpamentum potuit ſumtuoſius eſurire: margarita namque, vel ipſo nomine pretioſa, dehauſit. credo, ne mendiciùs patre cœnaſſet.* Sed priora verba ſic cum maximo Salmaſio legere malim: *Æſopus hiſtrio avibus ejuſdem pretioſitatis, ut canoris & loquacibus quibuſque, centum millium patinam confiſcavit.* Hoc eſt, patinam centum millium, quod ejus pretium erat, confiſcatam ſive repoſitam habuit; ut eam, cum vellet, avibus cariſſimè emtis plenam repræſentaret convivis. Nam *confiſcare*; ut gloſſæ vet. exponunt, ταμιεύειν, ἀποθησαυρίζειν, hoc eſt, *reponere, recondere.* Quomodo idem Salmaſius elegantiſſimè interpretatur hoc Tertulliani de Anima, *in confiſcato animam habere.* Et Suetonii illud in Auguſto: *Quam ſummam repræſentari juſſit: nam & confiſcatam ſemper repoſitamque habuerat.* De pretio patinæ fuſiùs eundem diſſerentem vide. Sed quid ſibi vult, quod Plinium audiebamus dicentem, aves ſingulas ſex nummis coemtas? Loquaces, & canoras, ſex nummis? Id ſanè pretium Belgis necdum adæquet ſtuferos quatuor, ſive quinctam floreni partem. Quo quid vilius? At Valerius aviculas ſingulas immanibus ait pretiis comparatas. Quare Hottomannus de re numaria *b* pro *ſex* legit *ſexcentis.* Id pretium Belgis fit octodecim florenorum. Sed neque id juſtum fuerit pretium: quod haurire eſt ex optimo & vetuſtiſſimo clariſſimi Nic. Rigaltii codice. In eo erat: *hsiſvi ſingulas coemtas.* At notum IIS, vel HS, eſſe ſeſtertii notam. Ut certiſſima ſit Salmaſii emendatio, propterea ſcribentis, IIS VI *ſingulas coemtas.* Nempe pro avibus ſingulis ſoluta ſeſtertia ſex, ſive ſex millia nummûm. Quam Plinii ſententiam etiam Tertullianus expreſſit. Sic enim ſcribit: *Aſinius Celer mulli unius obſonium* VI. *M. HS detulit: Æſopus, ex avibus ejuſdem pretioſitatis, ſexcentûm millium patinam confiſcavit.* Ubi clarè inter patinam, & avium pretium, diſtinguit: quæ Budæus in ſecundo de Aſſe confudit.

b Pag. 257. & ſeq.

Ab Æſopo ad aliud tranſeo luxus exemplum. Suetonii eſt lib. VII: *Famoſiſſima ſuper cæteras fuit cœna Vitellio data adventitia à fratre: in qua duo millia lectiſſimorum piſcium, ſeptem avium, appoſita traduntur. Hanc quoque exſuperaverit ipſe dedicatione patinæ, quam ob immenſam magnitudinem Clypeum Minervæ,* αἰγίδα Πολιέχου, *dictitabat. In hac ſcarorum jocinora, phaſianorum, & pavonum cerebella, linguas phœnicopterum, murænarum lactes, à Carpathio uſque, fretoque Hiſpaniæ, per navarchos, ac triremes, petitarum, commiſcuit.*

Quantopere etiam Romanorum luxum arguunt verba hæc Favorini apud Agellium lib. XV, cap. VIII: *Negant ullam avem, præter ficedulam, totam comeſſe oportere: cæterarum avium, atque altilium, niſi tantum apponatur, ut à clunculis inferiori parte ſaturi fiant, convivium putant inopia ſordere: ſuperiorem partem avium, atque altilium, qui edunt, eos palatum non habere.*

Multum etiam luxus comparuit Romanus ex aviariis, ſive ornithonibus: de quibus ſic Varro lib. III de R. R. cap. III: *Nunc ornithonas dico omnium alitum, quæ intra parietes villæ ſolent paſci.* Et mox: *In binas ſpecies dividi poſſunt: in prima parte ut ſint, quæ terrâ modò ſunt contentæ: ut ſunt pavones, turtures, turdi. Altera ſpecies ſiunt, quæ non ſunt contentæ terrâ ſolum: ut ſunt anſeres, querquedulæ, anates.* In hiſce ornithonibus tria imprimis admirationi ſunt; magnitudo earum, multitudo avium, quas continerent, & pretium ingens, quod inde quotannis perciperent. De magnitudine ſic Varro ibidem: *Primus ille gradus antiquus majorum noſtrorum erat, in quo eſſent aviaria duo duntaxat. In plano cohors, in qua paſcebantur gallinæ: & earum fructus erant ova, & pulli. Alter ſublimis, in quo erant columbæ in turribus, aut ſumma villa. Contrà nunc aviaria ſunt nomine mutato, quæ ſunt ornithones; quæ palatum ſuave domini paravit, ut tecta majora habeant, quam tum habebant totas villas; in quibus ſtabulentur turdi, ac pavones.* De multitudine avium ſic cap. v: *Dicam de hoc ornithone, quod fructus cauſſa faciunt. Igitur teſtudo fit magna, in qua millia aliquot turdorum, ac merularum, includere poſſint. Quidam cum eo adjiciunt præterea aves alias quoque, quæ pingues veneunt care; ut miliariæ, ac coturnices.* Magnitudinem pretii inde redeuntis docet nos Axius apud Varronem ejuſce libri cap. II. Cùm enim locutus eſſet de materteræ ſuo fundo in Sabinis, *in hac,* inquit, *villa, qui eſt ornithon, ex eo uno quinque millia ſcio veniſſe turdorum denariis ternis; ut ſexaginta millia ea pars reddiderit eo anno villæ, bis tantum, quam tuus fundus ducentûm jugerum Reate reddit.* Et poſt pauca: *Nonne L. Albutius, homo apprime doctus, cujus Luciliano charactere ſunt libelli, dicebat, in Albano fundum ſuum ſemper vinci à villa? Agrum enim minus dena millia reddere, villam plus vicena.* Pluraque inibi in hanc mentem. Idem lib. III, cap. VI, *Ex pavonibus M. Aufidius Lurco ſupra ſexagena millia nummûm dicitur capere.* Ea ſumma Belgis fit CIↃ IↃ CCC florenorum. Idem cap. VII, ubi de columbis: *Parentes eorum Romæ, ſi ſunt formoſi, bono colore, integri, boni ſeminis; paria ſingula vulgò veneunt ducenis nummis; necnon eximia ſingulis millibus nummûm: quas nuper cum mercator tanti emere vellet à L. Axio, equite Romano; minoris quadringentis denariis daturum negavit.* Quod de Axio referre etiam non piguit Plinium lib. X, cap. XXXVII. Duceni autem nummi Belgis nunc fuerint VI floreni: mille nummi, XXX floreni: quadringenti denarii, CXX floreni. Nempe denarium, qui decem valet aſſibus, unde & nomen, ſex ſtufetis, ſive ſchellingio, ut loquimur, æſtimamus. Quod tam carè hæc avitia venderentur, id præcipuè tribuendum adicialibus, & triumphalibus cœnis. Unde legas lib. III Varronis, cap. II: *Quotuſquiſque enim eſt annus, quo non videas epulum, aut collegia, non epulari; quæ nunc innumerabiles incendunt annonam.* Nihil igitur mirandum, ſi ex villis tantas ſibi opes pararent: præſertim cogitantibus, quanta ſit avium quarundam fœcunditas. Siquidem ex aliquarum pari uno, ſi pro naturæ viribus generent, & ex natis, atque inde porrò genitis, necetur nihil, nec ſponte intereat quicquam; annos intra octo eſſe aves poſſint 33474272. Quod facilè viſurus, qui artem numerandi calleat. Hoc quoque miram Dei bonitatem arguit, qua ſic abutuntur mortales. Nec in avitio modò, ſed etiam quadrupedibus, hanc bonitatem ejus cernere licet. Siquidem oves centenæ intra annos ſexdecim genuiſſe tantum ovium poſſint, ut pretium earum ſit aureorum 61689600. Nec minùs miranda, certiſſima tamen, piſcium, & plantarum fœcunditas eſt; ut inferiùs dicetur.

Cap. XCV.

Remedium pilis vel nigris reddendis, vel albis: item tineæ, capitis dolori, phrenitidi, melancholiæ hypochondriacæ, morbo caduco, paralyſi, vigiliæ morbidæ, ſanguinis è cerebro eruptioni, oculorum caligini, lippitudini

uveæ

uvea tunicæ procidentiæ, ſuffuſioni, humori in oculos defluenti, tuberculo in minore angulorum angulo, oculis ſuâ ſede propulſis foras, putrido narium ulceri. Avis odore ſui reficiens cerebrum. Remedium dolori dentium, anginæ, inflammationi tonſillarum ac gurgulionis, ſpirandi difficultati, pleuritidi, collectioni puris inter thoracem ac pulmonem, & ſputo ſanguinis: in quibus tot divinæ bonitatis argumenta, quot morbos enumeramus.

HActenus conſtitit oratio noſtra in alimonia avium, & earundem deliciis. Nunc eam transferam ad utilitatem, quam inde in medicina bonitas nobis divina conceſſit. Numine quidem irato peccatis noſtris, totæ morborum cohortes incubuerunt terris: ſed, eodem miſerente, rebus variis, inque his, avibus, vis eſt attributa ad valetudinem recuperandam. Hoc primò planum faciam in parte corporis noſtri maximè ſublimi. De capillorum tamen decore mittam: quia in eo non læſæ actionis, ut in morbis, cura ſuſcipitur; ſed ornatûs, ut ad κομμωτικὴν *a* potiùs pertineat. Tale eſt, quòd corvi ovum myrto commiſtum pilos reddit nigros: ſuffitus fellis corvini eoſdem facit albos. Prius tradit Philes in Jambis; alterum Rhaſis.

a Comtoriam, ſive artem formæ lenocinantem.

At propriè in morbis eſt tinea, cutis noſtræ, quâ caput obtegitur, affectio, à ſalſa pituita, aliove ſucco mordaci. Ubi topicis utendum remediis, tum reprimentibus, tum diſcutientibus. In his eſt fel avium, ac præcipuè earum, quæ calidiores ſunt, & ſicciores.

Capitis doloribus, ſive τῆς κεφαλαλγίας, quæ eſt à ſolutione continui in parte nervoſa ob ſanguinem pituitoſum, columbino ſtercore mederi docet Galenus τῶν κατὰ τόπους *b* lib. II, cap. III. Jubet autem capere fimum columbarum montanarum, quia id validum magis. Etiam vulture medicina fit. Sextus Platonicus part. II, cap. II: *Vulturis oſſa de capite, ſuſpenſa collo, capitis dolorem ſanant. Itidem cerebrum ejus, ſi commiſceas cum oleo cedrino, & inde nares frequenter tangas, capitis dolorem aufers.* Similiaque apud Plinium, & Marcellum, legas: imò & Galenum lib. III Euporiſt. cap. XXXIV.

b De compoſitione medicamentorum ſecundum corporis loca.

Ad capitis morbos etiam refertur phrenitis; qua actio ſecundùm imaginationem, ac diſcurſum, depravatur ab inflammatione, ſive intemperie calidâ cerebri, & meningum. In hoc morbo à medicamentis minùs vehementibus initium fit. Taleque eſt, ſi columbæ viventes mox applicentur diſſectæ.

Eſt & hujus loci melancholia hypochondriaca; quando ex hypochondriis, & imprimis ſiniſtro, humor vaporque cerebrum petit, ac imaginationem corrumpit; ſic ut homo deſipiat ſine febri; timeat, & mœreat abſque cauſſa. Eſt verò timor à colore atræ bilis; qui fere lienis vitio ſe ſpiritui miſcet, atque eum tenebricoſum facit. Hic proſunt cùm diaphoretica alia, tum jus galli gallinacei; item columbæ: quarum alitum ventres farciendi rutâ, anetho, chamæmelo, ſerpillo, pulegio, cumino, feniculo, dauco. Hujuſcemodi enim multùm promovent evacuationem eam, quæ tranſpirando fit.

Epilepſiæ quoque, ſive morbi comitialis ſedes eſt in cerebri ventriculis: qui non tantopere quidem obſtruuntur, quàm in apoplexia; ſic tamen impediuntur, ut ſpiritus animalis inde egredi non poſſit. Id provenit à craſſo & viſcoſo humore: quem dum ſpiritus excutere adnititur, convulſio fit, tantaque totius corporis concuſſio, ut etiam ſpumam ore eliciat. Adverſus hunc morbum tale remedium præſcribit Sextus Platon. part. II, cap. II: *Vulturis jecur totum, cum ſanguine ipſius vulturis tritum, & per dies ſeptem potum, caducis prodeſſe didicimus.* Et cap. XII: *Hirundines comeſtæ caducos ſanant. Item lapilli in ventriculis eorum reperti, & brachio alligati, perfectè ſanant.*

Cerebri etiam morbus eſt paralyſis: quando nempe ſpiritus animalis, ob morbum vel nervi, vel ſpinalis medullæ, è cerebro non influit in nervum, vel ab nervo, ob intemperiem ejus frigidam, ac quandoque ſimul humidam, non recipitur: unde fit, ut muſculum motui deſtinatum deſtituat motus. Eſtque ad paralyſin ſæpe prævius tremor corporis, quaſi minuta paralyſis, inque eam ſæpe degenerans: uti torpor ſive ſtupor abit in apoplexiam, epiplexiam, & ſpaſmum; qui muſculi involuntaria eſt ad ſuum principium contractio. *Convulſionem* vulgo nominant. Paralyticis, & quibuſcunque partes aliquæ corporis torpidæ ſunt, aut tremulæ, columbarum eſus conducit: ut ait Rabbi Moſes Maimonides in Aphoriſmis. Spaſticis etiam, ac convulſis, conferre, Serenus Sammonicus *a* pronunciat:

a Cap. 55.

Sin autem ſubitò replicantur corpora morbo,
Contractos revocat nervos caro ſumta columbæ.

Etiam anſerinus adeps conducit convulſioni paralyticæ. Adipis ejus uſus eſt in Comageno. De quo ſic Plinius lib. X, cap. XXII: *Aliud reperit Syriæ pars, quæ Comagene vocatur: adipem eorum in vaſe æreo cum cinnamo nive multâ obrutum, ac rigore gelido maceratum, ad uſum præclari medicaminis, quod à gente dicitur Comagenum.* Et lib. XXIX, cap. III; *Comagenum fit ex adipe anſerum: alioquin celeberrimi uſus eſt ad hoc in Comagene Syriæ parte cum cinnamo, caſia, pipere albo, herba quæ Comagene vocatur, obrutis nive caſis, odore jucundo, utiliſſimum ad perfrictiones, convulſiones, cæcos ac ſubitos dolores, omniaque quæ acopis curantur: unguentumque pariter, ac medicamentum eſt.* Subjungit deinde & alterum modum, quo in Syria fiat.

Si è cerebro excrementicia ſic materies fluat in partes ſubjectas, ut actionem lædat, *catarrhus* vocatur: qui ſi ſalſus erit, coronali ſuturæ applicatur confectum è thapſia & fimo columbino: ut Galenus præſcribit Method. lib. V, cap. XIV. Nempe hoc pacto ſurſum attrahitur materies peccans.

Ut ſomnus, ita & morboſa vigilia, quæ *zaara* dicitur Avicennæ, cerebri affectio eſt. Plinius ait lib. XXX, cap. XV, *cuculum leporinâ pelle alligatum ſomnos allicere.*

Sanguinis eruptiones e cerebri meninge inhibet cerebellum gallinarum, ſi è vino bibatur: ut ait Dioſcorides lib. II, cap. LIII.

Et hæc de pleriſque cerebri vitiis: cui, ut parti principali, aliquantum inſiſtere æquum putavi; præſertim homini philoſopho; quando, hoc malè adfecto, ſpeculari naturam, quod nunc facimus, non licet. Deinceps videamus de oculis; quorum, ad indagationem naturæ, præcipuus ex inſtrumentis ſenſuum eſt uſus.

Oculis claritatem confert hirundinum, pullorumque, cinis combuſtus in olla fictili, cum melle oblitus; ut ait Dioſcorides lib. II, cap. LX. Etiam Sextus part. II, cap. XII adverſus oculorum dolorem, lippitudinem, & caliginem, ſic præſcribit: *Hirundinis pulli cinerem cum melle in oculos mitte; aut hirundinis fel, & ſanguinem, inungito: mirè prodeſt.* Idem part. II, cap. V, adverſus caliginem, ſuffuſionem incipientem, & leucomata, præparare docet *fel perdicis*: ac ſubjungit; *Hoc nos ipſi frequenter tentavimus.* Idem partis ejuſce cap. III dixerat, adverſus caliginem juvare accipitrem coctum cum oleo ſuſino, ſeu λειρίνῳ, hoc eſt, ex liliis. Nam *ſuſinum* dicitur à *Suſa*; quo & lilium notatur, & urbs à copia liliorum ſic nominata: ſicut alibi *b* diximus pluribus. Similiter fere Plinius, niſi quòd pro ſuſino *roſaceum* reponit. Sic enim ille lib. XXIX, cap. VI: *Accipiter decoctus in roſaceo efficaciſſimus ad inunctiones omnium vitiorum in oculis putatur.* Sed, credo, hac parte vis eadem roſis, liliiſque. Præterea caligini occurritur felle vulturino cum porri ſucco, & melle exiguo: ut eſt apud Plinium lib. XXIX, cap. VI, & Sextum part. II, cap. II. In hoc tamen eſt diſcrimen, quòd Plinius dicat, *porri ſuccum*; Sextus habeat, *marrubii ſuccum*. Non dubium eſt, quin uterque ſecutus ſit Græcos. Ac *marrubii* quoque eſt apud Galenum lib. I εὐπορίστων, cap. XLIV. Nec propterea Plinius corrigendus. Ipſum potiùs Plinium vitiato eſſe uſum codice, arbitror. Nempe ubi ſcriptum eſſet πράσιον, hoc eſt, *porrum*;

b Lib. 4. Orat. Inſtit. cap. 7. ſect. 3.

non πράσιον, quod eſt, *marrubium*; ut ipſe Plinius interpretatur lib. XX, cap. XXII.

Ad hæc ophthalmiæ, quam Celſus *lippitudinem* appellat, medetur albumen temporibus, fronti, & partibus oculo proximis applicitum. Idem facit ovi vitellus: imò ovum integrum cum aqua roſacea. Ita Galenus Methodi lib. XIII, cap. ult. Marcellus Empiricus *a* ait, qui ciconiæ pullum eſitârit, eum annis continuis non lippiturum. Jecur anſerinum juvat νυκτάλωπας, h. e. τῶν νυκτὸς ἀλαῶν. Ἀλαοὶ verò à λάειν h. e. videre. Eſt id vitium ab imbecillitate ſpiritus, ac tunicæ, & humorum craſſitudine.

a Cap. 8. Frobenianæ editionis pag. 57.

Si cornea oculi tunica ſic rumpatur, ut procidat uvea; Avicennæ conſilium eſt, adhibere collyrium è croco, amylo, tragacantha cum ovi albumine.

Si tunica ῥαγοειδὴς *b* ſic diſtendatur, ut pupilla dilatetur, & acies hebeſcat (μυδρίασιν vocant Græci, *alintisar* Avicennas) turturis, vel columbi ſanguinem, in oculum deſtillare idem Avicennas jubet.

b Uvea.

Ὑπόχυμα, ſive *ſuffuſio* dicitur, cùm pupilla obſcuratur ob humores affuſos corneam inter tunicam, & humorem cryſtallinum, concreſcentes. Adverſus hoc vitium Galenus τ κατὰ τόπους *c* lib. IV, cap. VIII præſcribit ſanguinem columborum teneris è pennis inſtillatum. Nempe hic leviter diſcutit, & aliquantum adſtringit. Rhaſis, ſiquando perſeverârit dolor, juvare initio ait ovi albumen cum roſaceo. Galenus inde dare jubet ovi vitellum cum vino.

c De medicamentorum compoſitione ſecundum corporis partes.

Ἐπιφορὰ particulatim vocatur humor in oculos aſſiduò defluens, ſic ut lachrymari videaris. Huic tenui occurritur panno linteo, quod ovi albumine madefeceris.

Ἐγκανθὶς hoc loco non tam eſt alteruter oculi angulus, ſive is ῥαντὴρ, qui major, & naſo propior; παρωπίας, qui minor, propiorque temporibus; quàm tuberculum, ſive carnis incrementum in παρωπίᾳ excreſcens, nec permittens, ut facilè palpebras diducas. In hoc morbo applicatur oculo albumen ovi ſedulò agitatum cum aqua roſacea.

Ἐκπιεσμὸς vocatur, quando non uvea ſolùm foras prorumpit; quod malum πρόπτωσιν dicunt: ſed totus ab ingenti inflammatione oculus magno impetu ſuâ propellitur ſede foras. Avicennas jubet occurrere emplaſtro è farina fabacea cum toſis, thure, & ovi albumine. Atque de avium uſu in oculorum morbis hæc ſufficiant.

Ὄζαινα eſt narium non tam tumor, ut in polypo; quàm ulcus; idque ab humore acri, & putreſcente, unde graveolentia; quæ & nomen morbo dedit. Nam ὄζειν, *olere*, *fœtere*. Occurritur huic adipe anſerino.

Quædam aves odore hominem reficiunt. Ita in India occidentali, quam Americam dicimus, aves ſunt corvi figurâ, magnitudine, tardo volatu, carnivoræ, moſchi odore præditæ: ut eſt apud Cardanum de rerum variet. lib. VII, cap. XXXIV.

Dentium dolori medeberis, ſi adipe galli gallinacei inungantur.

Anginâ laborantibus prodeſt hirundinum in olla fictili combuſtarum cinis, ſi cum melle obleveris: ut docet Dioſcorides lib. II, cap. LX. Ac ibidem tradit, mederi inflammationi tonſillarum: quo nomine etiam intellige quadruplicem gurgulionis, ſive columellæ inflammationem Aretæ *d* memoratam. Vulgus medicorum *uvulam* nuncupat.

d Lib. I. de cauſſis & ſignis acutorum morb. c. 8.

Nunc à capitis, & colli morbis ad thoracis, & partium eo contentarum affectiones, tranſeamus. Reſpiratio crebrior præter naturam (nec enim de illa nunc loquimur, quæ eſt a curſu) proficiſcitur ab anguſtia partium pulmonis utrimque ſuſpenſarum; quas Hippocrates *e* ἀορτὰς vocat: alii lobos, fibras, atque etiam alas, quia alarum more explicantur. Eſtque ea anguſtia plurimùm à materie pituitosâ, viſcidâ, & craſſa; ac vel à cerebro recipitur, vel in pulmone ob ejus intemperiem gignitur. Ad diſſipandam ejuſce materiem in thorace confert jus è vetere gallinaceo. Sed ut præparari debeat, è Dioſcoride petas licet lib. II, cap. LIII. Item ex Avicenna, & Meſue, qui fusè de hoc agit. Atque hoc diætam extra paroxyſmum tangit. In paroxyſmo, ne æger ſuffocetur pectori applicatur oleum amygdalinum, decoctum malvæ, item pinguedo gallinæ; uti & ſuis, vituli, vel alius animantis.

e Lib. de morb. major.

Noctuæ etiam ſanguis mederi dicitur ſpirandi difficultati, qua quis nonniſi recto thorace quit ſpiritum ducere. Græci inde ὀρθόπνοιαν vocant. Sed hoc naturæ remedium in dubium vocat Galenus lib. X de Simpl. cap. III.

Πλευρῖτις eſt inflammatio interioris membranæ, quæ τὰς πλευρὰς ſive coſtas ſuccingit. Adverſus vehementes ejus dolores, poſt venæ ſectionem, adhibentur ἀνώδυνα, ſive dolorem delinientia: in quibus, ut malva, althæa, lac, butyrum, amygdalæ dulces; ita adeps gallinaceus, ſuillus, alia. De his inter alios Capivaccius lib. II practicæ Medicinæ, cap. III.

Ἐμπύημα eſt vitium, quo thorax pure completur. Si pus renes, vel alvum verſus feratur, ab eodem Capivaccio cap. ſeq. commendatur jus galli ætate aliquanto provectioris: ſed cum melle roſato, ut fiat evacuatio per alvum, & cum diureticis, ut fiat evacuatio per renes.

In ſputo ſanguinis Galenus lib. V Meth. cap. XIII, inter cætera, quæ inde peti malo, applicat capiti fimum columbinum: nempe ad divertendam materiem à capite profluentem.

CAP. XCVI.

Ex avibus adferuntur remedia jecoris ſcirrho, ſtomachi vitiis variis, dolori colico, alvo duriori, vitiis ſedis, hæmorrhoidi, morbo cœliaco, regio, lienico, renum calculo, veſicæ roſioni, gonorrhææ, impotentiæ Venereæ, menſium profluvio, partûs difficultati, ſecundis extrahendis, morbo articulari, febribus longis ac diuturnis, hecticæ etiam. Ratio corrigendi quædam, quæ febrim creduntur adferre. Remedia ex avibus adverſus venena, & ſerpentium, aliorumque venenatorum, canis item rabidi morſus. Interim in iis, quæ adverſus venena vulgo adferuntur, inveniri ſuperſtitioſa non pauca, vel etiam falſa. Utilitas, quam adverſus venena capere eſt ex ciconia, ibide, vulture, corvo. Iyngi à Magis tributa vis magna in philtris.

NUnc dicemus de ventre: ubi duplicia attendimus inſtrumenta; quædam pertinentia ad facultatem nutritivam, alia verò ad generatricem. In iis, quæ nutritioni inſerviunt, præcipuum eſt jecur. Hujus fluxum mirè ſiſtit hepar anatis. Ejuſdem ſcirrho medentur non modò medulla cervina, & vitulina; ſed etiam adeps gallinæ, & anſeris. Quippe digerunt, & emolliunt. Sed quibus præterea uti conveniat, Capivaccius meliùs dicet lib. III Medicinæ Practicæ, cap. XXII. Atque idem cap. XXIV refert, quomodo, ne à phlegmone hepatis ſuppuratio proveniat, inde autem ulcus, malum fere immedicabile; eò, ad emolliendum, & maturationem juvandam, cum althæa, malva, carica, fœnogræco, & aliis, ovorum quoque vitellis uti conveniat.

Secundaria verò inſtrumenta ſunt ventriculus, inteſtina, veſicula fellis, lien, renes, & veſica urinaria.

Ventriculi vitio mederi dicitur ventriculus avium comeſtus: ac particulatim ſtruthiocameli, & mergi. Sed Galenus lib. III de Aliment. facult. cap. XX hanc reſpuit ſententiam. Neque enim vel ipſe ventriculus facilè concoquitur, vel, inſtar piperis, & zingiberis, vim ullam habet, qua concoctionem juvet. Apud Dioſcoridem tamen lib. II, cap. LIII legas, internam ventriculi partem in gallinaceis, quæ ſubſternitur membranâ cornus inſtar pellucidâ, ac inter coquendum excoriari, & abjici ſolet, ſi arefiat, & teratur, bibaturque è vino, ſtomachicis conferre. Item jus pulli iis, quibus os ventriculi æſtuat, temperare illud vitioſos pellendo humores. Quod tamen in Ruellii tralatione prætentum: ſed non item ne-

neglexit Saracenus. Vide autem, quæ & pro Dioſcoride adverſus Galenum Saracenus ibidem annotavit.

a Lib. 3. medicinæ practicæ, cap. 2. Capivaccius *a* etiam in humida ventriculi intemperie hujuſmodi victus rationem præſcribit, *ex aviculis montanis, e perdicibus, turturibus, pullis gallinaceis; ſed aſſis.* Poſteaque *b* idem in ventriculo admodum calido, b Cap. eodem. & ſicco, *potum* præfinit *è diſtillato jure longo pulli cum* c Cap. 4. *ſucco anguriæ.* Idem *c*, ad tumorem ventriculi emolliendum, medicamentum jubet applicare, in quo cum medulla vitulina adeps anſerinus, & alia, quæ meliùs certiùsque ipſe referet. Ac ſi tumor ſit ab inflammatione, quæ pus & abſceſſum generet; medicamentum præcipit, cùm ex caricis, dactylis, amygdalis, althæa, malva, oleo; tum adipe gallinaceo, vel ſuillo. Etiam in cardialgia cum d Cap. 6. Alexandro ventriculos anſerum exhibet *d*. Item in fame canina, quam Græci κυνορεξίαν, vel κυνώδη ὄρεξιν, e Cap. 7. appellant, Aëtium ſecutus, commendat *e* inter alia adipem anſerinum, ac gallinaceum. Inque ſiti morbidâ, ad refrigerandum, & humectandum, catapotium, ſive pilulas, ſuadet ex ſemine cucumeris hortenſis, melonum, amygdalarum, diadocciωn in forma ſolida: ſed cum ſaccharo, & ovi albumine.

f Lib. de Ponderibus. Rondeletius *f* etiam teſtatur, cineres cuculi valere medendo dolori ventriculi, eidemque humectando.

A ventriculo tranſeo ad inteſtina: ubi præcipuè de colico videndum dolore. Adverſus hunc jus galli decrepiti commendat Avicennas: qui decoqui ait oportere cum ſale, anetho, polypodio, & interdum cum cardamo, ſive naſturtio.

Eidem morbo, ur eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. LIX medetur alauda; quæ aliter *caſſita*, vel *galerita*: nempe à criſtato apice, quem caſſidis vel galeri inſtar in capite geſtat. Necignoro, apud Dioſcoridem in Pariſienſi editione Ruëlli non κωλικὸς legi, ſed κοιλιακὸς. Verùm κωλικὸς legi oportere, rectè viſum Andreæ à Lacuna Secobienſi, & Antonio Saraceno. Similiter enim vetus codex: & ſic quoque Plinius lib. XXX, cap. VII: *Coli vitium efficaciſſime ſanatur ave galeritâ aſſâ, in cibo ſumtâ. Quidam in vaſe novo exuri jubent cum plumis, conterique in cinerem, bibique ex aqua cochlearibus ternis, per quatriduum: quidam cor ejus adalligari femini: alii recens tepenſque devorari. Conſularis Aſpernatum domus eſt; in qua alter è fratribus colo liberatus eſt, ave hac in cibo ſumta, & corde ejus armillâ aureâ incluſo.* Imò & Galeni eſt lib. XI de Simplicibus Medic. Facult. cap. XXXIII: *Galerita, avis puſilla, nobis plerumque obvia, in jure ſimplici elixa, colicos adjuvat. Verùm aſſiduò eam edere cum jure neceſſe eſt.* Similiter quoque Paullus Ægineta, Trallianus, alii. Sed, poſt laudatos tot veterum, diſſimulare non poſſum judicium Thomæ Eraſti libro de occultis medicamentorum proprietatibus, ſcripto, dicatoque Nobil. viro, neceſſario ac propinquo meo, Henrico Smetio; in cujus Miſcellaneis ſecundum librum facit. Sic verò clariſſimus ille vir cap. XLV: *Laudant Galenus, & Aëtius (neque hi ſoli) alaudæ, aviculæ criſtatæ, uſum in doloribus colicis: eamque hos dolores, ſi frequenter comedatur, perſanare adſerunt. Ego colicis ſæpenumero plurimis, & longo tempore exhibui: fructum inde nullum perſenſi.* Nec eo damno antiquos. Potiùs cenſeo, pro cælo, ſoloque, variare, & animantium, & aliorum temperamentum.

Alvum dejicit jus è vetere gallinaceo; ut ait Dioſcorides lib. II, cap. LIII: unde & modus præparandi petatur. At Galenus XI ſimplic. Ὅ γε μὴν τῶν ἀλεκτορίδων ἁπλῶς ζωμὸς ἐπισχετικῆς ἐστι δυνάμεως· ὥσπερ ὁ τῶν παλαιῶν ἀλεκτρυόνων, ὑπακτικῆς· *gallinarum ſimplex jus vim habet alvum cohibendi; uti veterum gallinaceorum, eum ſubducendi.* Similiter Paulus Ægineta lib. VII. At Plinius hoc pacto lib. XXIX, cap. IV: *Jus gallinæ alvum ſolvit; validiùs e vetere gallinaceo.*

g Lib. 29. cap. 3. *Ad ſedis vitia prodeſt* (ut idem Plinius *g* ait) *ex ambuſto cum candido ovorum toſtum hordeum, & ſuillo adipe: infantibus quidem* (prodeſt) *etiam, ſiquid ibi procidat.* Ac poſtea ſubdit, *ſedis vitiis prodeſſe ova durata igni.* Ac mox addit, etiam *proſunt condylomatis cum roſaceo.* Hoc eſt, calloſæ carnis excreſcentiæ in ſede: puta quando ani rugæ intumeſcunt in modum articuli, quem Græci vocant κόνδυλον, unde vitium hoc κονδύλωμα vocatur.

Ibidem, ſed paullò antè legas, *contra hæmorrhoidum morſum illinitur ovum, ſorbeturque totum.* Et continuò pòſt: *Quinque ovorum lutea in vini heminâ, cruda ſorbentur dyſentericis, cum jure putaminis ſui, & papaveris ſucco, ac vino.* Et poſtea: *Dant & dyſentericis pullos in ipſo ovo decoctos, admiſtâ vini auſteri heminâ, & pari modo olei, polentæque.* Antea idem, ſed eodem cap. dixerat: *Dantur* (ova) *cæliacis cum uvæ paſſæ pinguis pari pondere, & malicorio, per triduum æquis portionibus.*

Hinc, ut ordini antea memorato inſiſtam, ad veſiculam fellis eo, & lienem. Quoties bilis excrementicia, vel nigra, ſic inter cutaneas corporis partes ſe diffundit, ut totius corporis color præter naturam immutetur; ἴκτερος, ſeu *aurigo*, vel *morbus regius*, nuncupatur. Ac quidem, ſi lien non recipiat humorem melancholicum: tenſione ejus, & quandoque etiam tumore, ac duritie, id cognoſcitur. Sin veſicula fellis deſit officio: color corporis citrinus erit; retrimenta cibi non citrina, ſed albicantia. Aurigini ſive morbo regio ex avibus remedium præſcribit Plinius lib. XXX, cap. XI: *Morbo regio reſiſtit gallina, ſi ſit luteis pedibus prius aqua purificatis, deinde collutis vino, quod bibatur.* Alterum deinde adjungit: *Cerebrum perdicis, aut aquilæ, in vini cyathis tribus.* Ac ſimiliter Sextus Platonicus partis II, cap. V. Imò & ſi auriginoſus ſive ictericus intueatur charadrium avem, qui & icterus dicitur; ipſe morbo liberatur, ſed avem is corripit: unde, ſi obtutum in eam defixeris, oculos claudit: nempe naturæ inſtinctu gnara, hunc intuitum morbum adferre; ut eſt apud Theophylactum Simocatum probl. XV. Vide & Ariſtophanem, ejuſque ſcholiaſten, Plinium lib. XXX, cap. XI, Ælianum lib. XV de Anim. cap. XXVI. Heliodorum in Æthiopicis lib. III, Suidam in Ἴκτερος: ubi legas, Didymum hoc proverbium ex Ariſtophane adduxiſſe, χαραδριὸν μιμούμενος, *charadrium imitans.* Avis eſt nec bonæ vocis, nec coloris boni, ſed ſubravi: noctuque apparet, de die fugit: ut Ariſtoteles indicat lib. IX Hiſt. anim. cap. XI *a*. Itali *calandrinum* nuncupant, voce ex χαραδριὸς corrupta. Plura de ea diximus ſuperiùs *b*. a Secundum diſt. Scal. c. 15. ſect. 153. b Cap. 88.

Lienicis, ut idem Plinius *c* refert, *dantur ova ex oleo fricta terna, totis ovis pridie maceratis in aceto.* At contrà c Lib. 29. atram bilem auget pavonis eſus; niſi correxeris: quod fit, cap. 3. ſi jugulatum frigido aëri diebus expoſueris quindecim, gravi pondere de pedibus dependente.

Proximè veſiculæ fellis, & lieni, renes ſuperiùs ſubjecimus. Eos purgant pipiones. At calculum renum gignunt ova dura. Contrà prodeſt ei caro perdicum: hinc & attagenarum, ſturnorum, merularum, turdorum: ut Galenus tradit lib. XVI de ſanitate tuenda, cap. XVI. De ſturno objectant, quòd carnis ſit durioris. Rectè quidem: ſed hic attenditur, quòd ob deſiccandi vim non augeat calculum: uti humido copioſoque alimento faciunt aves à cauponibus ſaginatæ, quibus renum obſtructio capit incrementum: ut à Galeno ibidem proditum eſt.

Addam & remedium, quod tradit Ludovicus Nonius, Medicus Antverpienſis, de re cibaria lib. II, cap. XXXV: *Frequenti experientiâ obſervavi; tunicam illam ventriculi gallinarum ſiccatam, atque in pulverem redactam, ex vino potam, renum calculos egregriè pellere.*

Ut Plinius ait lib. XXIX, cap. III, *Prodeſt ovum & renibus, veſicæ roſionibus, exulcerationibuſque.* Alvum ciet capus.

Vidimus de inſtrumentis, quæ inſerviunt nutritioni. Sequuntur, quæ generationis propria ſunt.

Qui laborant profluvio ſeminis, quod præter naturam fit invitis (γονόῤῥοιαν vocant) utuntur iis, quæ

jecur ac renes refrigerant: uti inter alia eſt medicamentum ex aqua roſacea, ſucco limonis, & ovi albumine.

a Rei Venereæ.

Impotentiæ τοῦ ἀφροδισιασμοῦ *a*, ſi defectus ſit ſanguinis, ac ſpirituum, proderunt ea, quæ utrumque producunt; ut ova ſorbilia: item caro pullorum, caponum, phaſianorum, turturum: præterea gallinaceorum teſtes. Sin ſemini opus ſit acrimoniâ; ad ſuſcitandam vim ſopitam, columbi, vel capones, cum macere decoquuntur.

b Epigr. 67.

Salacibus contrà libidinem reſtinguit eſus palumbis. Martial. in Xeniis *b*:

Inguina torquati tardant hebetantque palumbes:
Non edat hanc volucrem, qui cupit eſſe ſalax.

Profluvium uterinum, quo menſes colorem non retinent, curatur iis, quæ evacuant materiem utero contentam: in his medicamento è reſina ſicca, tamariſci folio, ſemine lini vino indito, & cum adipe anſerino clyſteri infuſo. Ova etiam, ut Plinius ait lib. XXIX, cap. III, *ſiſtunt menſes mulierum cocta, & ex vino pota; inflationes quoque vulvæ cruda cum oleo ac vino illita.*

Parturientes adjuvat penna vulturina, pedibus ſubjecta; ſi credimus eidem Plinio lib. XXX, cap. XIV. Ac ſimiliter Sextus Plat. part. II, cap. II.

c Lib. 16. cap. 15.

Partum, ut ibidem legas, *tota ova adjuvant cum ruta, & anetho, & cumino, pota ex vino.* Ac ex Aëtio *c* quoque, Aſpaſiam exſcribente, cognoſcere eſt, ut partum juvet albumen ovi cum decocto malvæ, vel cremore priſanæ. Adde cum dulcium amygdalarum oleo.

Secundas pellit mergi jecur aſſiccatum, potumque ex hydromeli binis cochlearibus; ut ait Dioſcorides lib. II, cap. L.

Atque hæc de morbis, qui pertinent ad tres, ut vocant, ventres. Proximum eſt, ut de artubus videamus.

Nervorum, articulorumque dolori remedium tradit Plinius lib. XXX, cap. XII: *Nervorum nodis medetur, & dolores tollit, adeps vulturinus cum ventre arefactus, contritusque, cum adipe ſuillo inveterato.* Similiter Sextus

d Cap. 55.

part. II, cap. II. Paullò pleniùs Serenus Sammonicus *d*:

Si verò occultus nervos dolor urit inertes;
Vulturis exciſos adipes, rutamque remitte,
Aut ceram, & talis recreabis languida fotu.

Milvus quoque podagricos juvat: ut idem ait Plinius lib. XXX, cap. IX.

Prodeſt item arthriticis jus è vetere gallinaceo: ſicut eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. LIII. Galli tamen Numidici, ſive Calecutenſis eſus podagram accelerat otioſis.

Deinceps conſiderabo, ut Deus per hæc animantia etiam proſpexerit nobis in totius corporis morbis: velut in periculis à febribus, vel venenis.

In febribus calor ille igneus propriè eſt calidi innati: quod non quidem deſtituit cor; attamen qualitas ejus communicatur corpori univerſo; idque ſpiritu per arterias, & ſanguine per venas: ut pluribus traditum Avicennæ, & multis declaratum eſt à Capivaccio Medic. Pract. lib. VI, cap. I, ac deinceps. Pro febrium autem natura variat avium medicina.

Febribus longis, ac diuturnis, utile eſt jus è vetere gallinaceo: ut eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. LIII. Si febricitantium frigidior ſit ſtomachus, præſcribunt potionem exiguam ex ſyr. roſ. ſol. cum pauxillo juris pulli. In febre putridâ ſpiritum ſic reſolvente, ut inde lipothymia, vel

e Capivacc. lib. 6 Med. Pract. cap. 26.

ſyncope, oriatur, in diæta laudantur *e* roborantia: in his, ut ſorbitio ex alica, mala punica, pyra; ſic ovorum vitelli, & gallorum teſticuli: quibus addunt ex quadrupedibus cerebrum ſuillum, ſed probè aſſatum.

Hecticâ laborantibus prodeſt phaſianus: cujus eſus in aliis etiam morbis laudatur. Hinc vulgus, quod *faſanum* vocat, ſic dici ait, quia facit ſanum. Sed à Phaſide eſſe appellationem, oſtendimus ſuperiùs.

Contrà febrim concitant anſeres adultiores. Ideo edendi potiùs pulli anatini. Sed gulæ jugulatorum ſuſſitus boracis immittendus: tum aromatis farciantur, atque ita aſſentur. Idemque in anate fieri expedit. Etiam coturnices ut ſpaſmum, ſic febrim dicuntur adferre. Sed de hac ave quid ſentiendum ſit, antea expoſuimus. Interea dubium non eſt, quin longè ea fiat melior, ſi bonis & ſalubribus herbis educetur.

Supereſt, ut quædam poſtremo dicamus loco de remediis avium contra venena. Columborum ac pipionum uſus tempore peſtilentiæ. Anates Ponticæ, quia in Ponto herbis veſcuntur venenatis, adverſus venena proſunt, ſi ſanguis eorum ſpiſſatus, vinoque dilutus bibatur. Reperit hoc primus Mithridates, rex Ponti: de quo ſic Plinius lib. XXV, cap. II: *Illius inventum autumant, ſanguinem anatum Ponticarum miſcere antidotis, quoniam venenis viverent.* Cenſeo autem, anates hujuſcemodi, ſi citra vinum, vel antidotum, longiori aſſumantur tempore, noxias potiùs fore. Nam tractu temporis carnes etiam animantium, quæ veneficam vim ſoleant vincere, inficiuntur ab alimentis venenatis: ut à Galeno traditum eſt lib. XI Simpl. cap. de viperarum carne. Alioquin fatendum, ad tempus interdum ſuperiorem eſſe vim expultricem. Hoc videre eſt in cervis, & apris, venenatâ percuſſis ſagittâ, vel jaculo. Nam in his venenum vel exſtinguitur, vel ſegregatur, & excernitur: unde excrementa quidem ſunt venenata, carnes non item. Atque (ut in avibus perſiſtam) gallinæ, comeſto ſcorpio, non eò pereunt; ſed venenum exſuperant, idque ſtomachi robore: quo quantopere hominem vincant, illud quoque arguit, quòd fabas, & cruda concoquant cibaria.

Plinii item eſt lib. XXIX, cap. III: *Adverſus ictus ſerpentium ova cocta tritaque, adjecto naſturtio, illinuntur.* Etiam adverſus venenatarum beſtiarum morſus prodeſt gallinarum cerebellum, ſi in vino bibatur; ut Dioſcorides tradit lib. II, cap. II. Idem præcedenti capite dixerat, ſerpentium morſibus opitulari, ſi gallinæ diſſectæ, calenteſque, apponantur: ſed in priorum locum ſufficiendas eſſe mox alias, atque alias. Huic rei lucem adferent Thomæ Eraſti verba lib. de occultis medicamentorum proprietatibus cap. XXI *a*: *Sunt qui viventium gallinarum podicem vulneri à venenato animali inflicto, ac peſtiferis bubonibus, admovent, ut ſic venenum extrahant. Verum hoc non tam ab occulta, ut ego quidem puto, virtute fieri putandum eſt. Moriuntur enim gallinæ, quæ hoc modo venenum proliciunt. Videntur id cucurbitulæ inſtar exſugere, extrahereque, non propter qualitatem aliquam ignotam. Auget ſuſpicionem hanc, quòd imperant medici, talibus gallinis roſtra occludere, ut reſpirare nequeant.*

a Habes lib. 2. Miſcell. Medic. Henr. Smetii.

Itidem morſis à cane rabido, ſi non ſinant cantharides loco morſo applicari, admoveantur affectæ parti columbæ, vel gallinæ, viventes diſſectæ. Nihil tamen hæc proſint, ſi tamdiu exſpectatum, ut quis jam ſit rabioſus. Aliis autem citiùs, aliis tardiùs, rabies venit: quod fit pro copia veneni, & temperamento corporis humani. Si enim canis morſu multùm inſuderit veneni, & homo fuerit bilioſus; vel primum intra menſem rabidus quis fiat. Sin tantummodo paullum admiſerit veneni, nec ſit bilioſus; tardè virus id ſic capiat incrementum, ut corripiat, vitæ fontem. Itaque aliqui ſextum demum poſt menſem, nonò exacto jam anno, rabie corripiuntur.

Multa quoque alia ab alitibus remedia adverſus venena, & morbos, adferuntur; ſed ut multa vera utiliaque, ita nec pauca vana, & ſuperſtitioſa. Audiamus de hoc, quem paullò antè adduxi, Thomam Eraſtum, philoſophum, & medicum eximium *b*: *Quæ Fernelius lib. II de abditis rerum cauſſis cap.* XVIII *de corde hirundinis palpitante, de corde turturis, & corvi, de araneis incluſis in teſta juglandis, ranarum oculis, anate vivâ refert; indigna ſunt, quorum fiat mentio. Aut enim ſuperſtitioſa ſunt, aut ementita, & falſa: quod de aliquibus ipſe periculo facto certiſſime affirmo: aut certè propter manifeſtam cauſſam proſunt. Siquid anas efficit, calore ſuo efficit. Hujus periculum necdum faciendi occaſio data eſt.* Ex quibus videmus, utcunque de multis neget, de pleriſque tamen agnoſcere: ſed putare, cauſſam eorum poſſe adferri; nec

b Lib. de occult. med. propr. cap. 21.

opus

opus eſſe, ut cum Fernelio ad occultas rerum cauſſas, velut inſcitiæ aſylum, recurramus.

Nec alites modò vel ore aſſumtæ, vel corpori adhibitæ, adverſus venena juvant: ſed eo etiam, quòd venenatis ab animalibus terras & aëra expurgent. Ut ciconiæ: de quibus ita Plinius lib. x, cap. xxiii: *Honos ciconiis de ſerpentium exitio tantus, ut in Theſſalia capitale fuerit occidiſſe; eademque legibus pœna, quæ in homicidam.* Juvenalis ſat. xiii:

—— Serpente ciconia pullos
Nutrit; & inventâ per devia rura lacertâ.

Ibidis quoque magna Ægyptiis eſt utilitas, quòd venetur ſerpentes, ac ſcorpiones. Hinc Solinus cap. xxxv: *Ibis ſerpentum populatur ova, gratiſſimamque ex his eſcam nidis ſuis defert, ſic rareſcunt proventus fœtuum noxiorum.* Ac plura ibidem: & penè eadem apud Ammianum lib. xxii. Porrò Ælianus lib. x de Animal. cap. xxix, duplicem adferre cauſſam, cur ſine noxa ſerpentes, & ſcorpios, conficiat. Prior eſt, quia calidiſſimi ſit temperamenti; ut facilè, alioquin noxia, concoquat. Altera eſt, quoniam excrementa nullo egerat negotio. Porro ajunt, ab ejuſmodi interim cibo eſſe, quòd ex illarum ovis facilè gignantur baſiliſci, ac propterea Ægyptios earum ovis inſidiari. Hanc quidem rationem adducit Theophylactus Simocatus problemate xiv.

Vulturis item pennæ combuſtæ fugant ſerpentes; ut ait Sextus philoſ. part. ii, cap. ii. Sanè ab eo adverſus ſerpentes primum eſſe è volucribus remedium, etiam à Plinio traditum eſt lib. xxix, cap. iv. Atque addit: *Annotatum quoque minus virium eſſe nigris. Pennarum ex his nidore, ſi urantur, fugari eas dicunt.*

Corvi non quidem ſerpentes vorant, vel fugant: attamen aliter adverſus venenum proſunt. Siquidem, ne inficiatur aër, præſtant, idque cadavera quadrupedum vorando, item piſces mortuos in litus è mari ejectos. Ac refert Bellonius *a*, propterea in Anglia eſſe interdictum, nequis interimat corvos. Atque hæc ſatis oſtendunt, quantum ſanitatis nomine avibus, vel Deo potiùs, debeamus.

a *Lib. 6 de Avibus. cap. 1.*

Jam quid dicam de viribus, quas avium aliis quoque magi tribuerunt? Ut jyngi, quam Theodorus Gaza, quia collum torqueat, *torquillam* novè appellat. Hæc magnam habere vim credita eſt in philtris ſive amatoriis. Unde Theocritus in Pharmaceutria:

Ἴυγξ ἕλκε τὺ τῆνον ἐμὸν ποτὶ δῶμα τὸν ἄνδρα.
O jynx, tu nunc virum in ædes attrahe noſtras.

Iccirco Veneri ſacrata, ut pluribus dicemus inferiùs. Modum autem, quo jynge in conciliandis utebantur amoribus, attingit Suidas in Ἴυγξ, ac pluribus exponit Pindari ſcholiaſtes in Pyth. od. iv *b*.

b *Pag. 257. edit. Paulli Steph.*

Cap. XCVII.

Aves, ac præcipuè turdos, columbas, gallinas, prodeſſe fimo, quo ſtercorantur agri. Seleucides aves frumentum præſtare tutum à locuſtis, id alioqui abſumturis: ac Zoſimum, & gentiles, id beneficium tribuiſſe Apollini. Accipitris, imò & noctuæ uſus in illiciendis avibus. Aucupii genus, quali nunc gaudent viri illuſtres, non obtinuiſſe apud Græcos, aut Romanos veteres; ſed Thracas, & Indos: temporibus tamen Conſtantini M. fuiſſe etiam Romanis cognitum. Quis primus dicatur venationem accipitrariam ſeu induxiſſe, ſeu revocaſſe in Italiam. Corvo etiam uſi in aucupiis. Clyſteris uſum eſſe ab Ægyptiis: hos eum ab ibide ave didiciſſe. Quid hirundini, & ciconiæ, debeant medici. Pervetuſtum eſſe morem galeas ornandi plumis. Quis inventor ejus rei. Uſus plumarum anſerinarum in culcitis, & cervicalibus, etiam obtinuit apud Romanos. De plumatili opere Americanorum.

COgnovimus in eo bonitatem Dei, quòd aves nobis ſint datæ pro cibo, quòdque vel intus adſumtæ, vel foris applicitæ, medeantur omni penè morborum generi. Cæterum aliter etiam homines, tum alimoniæ, tum medicinæ ratione, juvant. Ac alimoniæ quidem nomine præterea iis debemus quadrifariam. Primò ratione agriculturæ, in qua fimus earum uſum habet maximum. Nam turdorum ille, ut Varro, & ex eo Plinius tradit, imprimis lætas facit ſegetes: proximamque vim columbinus, hinc gallinarius obtinet; ut auctor eſt Columella *a*. Nec mirandum, ſi veteres Romani agros ſtercorarent turdorum, & avium fimo. Nam tanta iis fuere aviaria, ſive, ut poſtea dixere, ornithones, ut multa avium millia continerent, majoraque ſæpius haberent tecta, quam totæ antiquitus villæ fuiſſent. De hoc ſuperiùs *b* ex Varrone ſatis egimus.

a *Lib. 2. cap. 15.*
b *Cap. 96.*

Alter modus eſt, quòd ea, unde nobis cibus paratur, tuta præſtent ab animantibus noxiis. Sic Seleucides aves locuſtas vorant, quæ alioqui abſumerent frumenta. Unde B. Baſilius in Ethicis: Τὴν σελευκίδα τὸ ὄρνεον ἐπ' εὐεργεσίᾳ τῶν ἀνθρώπων ἀκόρεστον εἶναι ὁ κτίσας τῶν ὅλων ἐμηχανήσατο· *Seleucidem avem talem, ut in benefaciendo hominibus eſſet inſatiabilis, univerſi conditor produxit.* Sed gentiles invenere, quo pacto hujus quoque uſus gloriam ad ſuos Deos transferrent. Nam Zoſimus Comes narrat lib. i, ut Seleuciæ, Ciliciæ oppido, fanum fuerit Apollinis Sarpedonii, & circa illud magnâ copiâ degerent aves ab loco dictæ *Seleucides*: ſolereque Apollinem, quando eum homines, locuſtis frumenta infeſtantibus, invocarent, has aves dimittere, ad necandas breviſſimo tempore locuſtas. Addit autem, ſuæ ætatis mortales repudiaſſe tantum Dei beneficium. Ita loquitur homo paganus, quia, inductâ religione Chriſtianâ, paſſim ludibrio erat gentilis ſuperſtitio. Vide ſis de his aviculis etiam Plinium lib. x, cap. xxvii, & Galenum lib. vi de locis affectis, cap. iii. Meminere & Heſychius, ac Suidas.

Tertius modus eſt, quòd illicio ſuo famulentur aucupi. Unde Martialis lib. xiv *c*:

Prædo fuit volucrum, famulus nunc aucupis idem
Decipit, & captas non ſibi mœret aves.

c *Epig. 216. al. 214.*

Nempe uſi aucupes accipitre, non ut prædatrice, quæ ars tum necdum obtinuit apud Romanos; ſed ut aves alliceret: quæ illectæ vel virgis adhærebant viſcatis, vel, reti ſuperfuſo, avolare nequibant. Hinc ſcitè Plautus *d* iſtiuſmodi aucupio quæſtum comparat meretricium:

Eſca eſt meretrix, lectus illix, aſt amatores aves.

d *Aſin. act. 1. ſc. 3.*

Ubi amaſii quidem conferuntur avibus, quæ alliciuntur: lectulus verò, & concubitus, cum accipitre, ave aliarum illice.

Ad avium hoc illicium etiam refer, quod fit noctuâ emiſsâ, vel retibus appoſitâ. Quippe eam de die circumvolant avium ceteræ: ut tum optima ſit occaſio vel viſco, vel laqueis, vel aliter, eas capiendi. Meminit hujuſcemodi aucupii Ariſtoteles de Animalibus lib. ix, cap. i, & Ælianus lib. i de Animal. cap. xxix. Circumvolant eam aves admirabundæ, quia inſolens illius de die ſpectaculum ſit: ſed mox, ubi eam vident inertem, & invalidam, admirationem in contemtum vertunt. Sic enim optimè liceat conciliare duas ejus rei rationes, quas adducit B. Chryſoſtomus Orat. de prima Dei cognitione.

Quartus modus eſt dimittendi accipitrem, aliamve avem prædatricem; quæ deinde in alitum alias involet, & aucupi deferat captas. Hæc ars ſerò cognita eſt à Græcis, & Romanis: ſed iis, quos hi barbaros vocant, eſt pervetuſta. In Thracia enim ars hæc accipitraria jam ævo obtinuit Ariſtotelis: ut liquet ex lib. ix de Animal. cap. xxxvi, & libro περὶ θαυμασίων ἀκουσμ. *e*. Ac de eodem Plinius lib. x, cap. viii: *In Thraciæ parte ſuper Amphipolim homines, atque accipitres, ſocietate quadam aucupantur. Hi ex ſylvis, & arundinetis, excitant aves: illi ſupervolantes deprimunt. Rurſus captas aucupes dividunt cum iis.* Imò de Indis non abſimilia Cteſias apud Ælianum lib. iv de Animal. cap. xxvi. Etiam in excerptis Cteſiæ hæc apud Photium verba ha-

e *De mirandis auditu perceptis.*

a Cod. 72. ſive in excerptis, à Stephano ſeorſum editis, pag. 26.

habes *a*: Λαγωοὺς δὲ, ϗ ἀλώπεκας θηρεύουσιν, οὐ τοῖς κυσὶν, ἀλλὰ κόραξι, ϗ ἰκτῖσι, ϗ κορώναις, ϗ ἀετοῖς. *Lepores, & vulpes, non canibus, ſed corvis, milvis, cornicibus, & aquilis venantur.*

Ex Romanis meminit primus, quantum adhuc video, Julius Firmicus lib. v, cap. vii: *Accipitres tamen, falcones, aſtures, aquilas, & aves hujuſcemodi, ad venandum alere ſtudebunt.* Et cap. viii: *Nutritores accipitrum, falconum, cæterarumque avium, quæ ad aucupia pertinent.* Sed hinc nihil aliud colligas, quàm Romanis ætate jam Conſtantini M. fuiſſe in uſu. Meminit quoque Sidonius Apollinaris panegyrico ad Auguſt. Avit. *b* Id ſeculo toto, & amplius, fuerit poſt Conſtantinum M. Nempe imperantibus in Oriente Theodoſio Juniore, Marciano, ac deinceps. Sed diu poſtea vix in Occidente mos is notus fuit. Unde eſt, quòd in Italia primus intuliſſe dicitur, ſive Fredericus Barbaroſſa, ut eſt apud Leandrum in Italia *c*; ſive Henricus VI, ut traditum Collenutio lib. iv Hiſt. Neapolit. Antiquiſſimus verò omnium, qui hanc artem ſcripto ſignârit, eſt Demetrius Conſtantinopolitanus; quem de Græco Latinè reddidit Petrus Gillius.

b Carm. 7. verſ. 207. & quatuor ſequentibus.

c In Campaniæ deſcriptione pag 279. edit. Colon. an. 1567.

Eſt verò & corvorum in hujuſmodi aucupio uſus. Primus in venando iis uſus dicitur Ludovicus Galliarum Rex *d*. Sed nec hoc venationis genus fuiſſe veteribus ignotum, docent illa Plinii verba lib. x, cap. xliii: *Nec non & recens fama Crateri Monocerotis cognomine, in Erizena e regione Aſiæ, corvorum opera venantis, eo quòd devehebat in ſylvas eos confidentes corniculis humeriſque: illi veſtigabant, agebantque, eò perductâ conſuetudine, ut exeuntem ſic comitarentur & feri.*

d Ulyſſes Aldrovandus lib. 12 Ornithologias cap. 1. pag. 702.

e Al. Troezena.

Varios conſpeximus modos, quibus alites nobis inſerviunt ad alimoniam. Alterum caput erat, quòd incrementa ſui debeat iis ars medica. Nam clyſteris uſum prima homines edocuit ibis, avis Ægyptia: quàm compertum ſæpius alvum exonerare, poſtquam roſtrum immiſerit in anum. Sanè, ut ab Ægyptiis gentes alias clyſteris uſum hauſiſſe, auctor eſt Herodotus in Euterpe: ita Ægyptios eum didiciſſe ab ibide, agnoſcit Galenus in Medico ſuo. Et ante eum ſic Plinius lib. viii, cap. xxvii, *roſtri aduncitate per eam partem ſe perluit, quâ reddi ciborum onera maxime ſalubre eſt.* Mox & alia addit, quæ ab avibus edocti ſumus. *Chelidoniam*, inquit, *viſui ſaluberrimam, hirundines monſtravere, vexatis pullorum oculis illâ medentes. Ciconia origano in morbis ſibi medetur.*

Poſt rei cibariæ, & medicæ, miniſteria, ſeries exigere videtur, ut dicamus de utilitate, quæ ex avibus redit ad rem veſtiariam, & alia huic affinia. Ordiar ab iis, quæ noſtris etiam terris, ac ubique propemodum, obtinent. Tale eſt, quòd milites, ut de aliis taceam, ex more antiquo, galeas, & petaſos, ornent pennis avium elegantiorum; unde πτέρινον φάλον Polybius appellat. Priùs verò galeam ornarunt ſetis ex cauda equina: unde & ea vocabatur ἵππουρις *f*. E tribus Carum inventis primo loco ab Herodoto in Clio memoratur, quòd galeis criſtas illigarint. Id non ad ornatum modò, ſed terrorem etiam, factum eſſe, minimè dubitandum.

f Homer.

Præterea hodieque plumarum eſt uſus in culcitis, & cervicalibus farciendis: quæ conſuetudo itidem eſt vetus. De anſerinis quidem ita Plinius lib. x, cap. xxii: *Candidorum* (anſerum) *alterum vectigal in pluma. Velluntur quibuſdam locis bis anno. Rurſus plumigeri veſtiuntur; molliorque, quæ corpori quamproxima; & è Germania laudatiſſima. Candidi ibi, verum minores, ganzæ vocantur. Pretium plumæ eorum in libras denarii quini. Et inde crimina plerumque auxiliorum præfectis, à vigili ſtatione ad hæc aucupia dimiſſis cohortibus totis. Eoque deliciæ proceſſere, ut ſine hoc inſtrumento durare jam ne virorum quidem cervices poſſint.*

At magis admirationem meretur uſus ille plumarum apud gentes toto à nobis mari Atlantico diviſas. Hæ plumulas minutas pſittaci, & aliarum avium diſcolorum, forcipe ad id præparato extrahunt, apteque ſociant, prout exigit opus id, quod paratur. Nunc enim pileos, perizomata, veſtes; nunc aulæa, & tapetia; nunc clypeorum, & enſium, ornamenta, inde concinnant: imò & imagines, aptè adeò unumquidque referentes, ut ſubinde illa exſuperent, quæ penicillo habemus expreſſa. Etſi verò variæ ſint aves diſcolores, quarum plumæ minutulæ ad hoc idoneæ ſint: facilè tamen principem merentur locum exiguæ illæ in regione Mexicanâ, haut apibus majores, &, harum inſtar, rore ex floribus collecto, viventes, glirium more totam dormientes hiemem: quarum plumulæ vel ſolæ operi ſufficere plumatili creduntur. Ejus generis, aliarumque avium plumulæ diſcolores, divendi in America ſolent nundinarum tempore: imò opes multorum in iis ſolis ſitæ ſunt. De hujuſmodi operibus pluſcula habes exempla apud Ulyſſem Aldrovandum *a*. Compluriaque id generis conſpicere eſt in hac Amſtelodamenſium Urbe, inter tot laudabilia, antea navigationibus in Orientem, & ultimum Septentrionem, nunc etiam in Occidentem, inclytâ. Exiſtimant viri quidam eruditi, nec artem hanc fuiſſe ignotam antiquis: dictoſque *plumarios*, qui ex plumis veſtes texerent: ita apud Nonium vocari Varroni Cat. ſive de liberis educandis: item Vitruvio lib. vi, cap. vii. Sed omnino adſentiendum per textores plumarios intelligentibus eos, qui acu pingerent veſtes ad modum plumarum. Sic *plumatiles* veſtes πεποικιλμένας, ac ſimiliter, ut antè dictum, Publ. Syro *plumatum aureum Babylonicum*; nempe, quia aurum purpuraque acu inſuerentur tapetibus Babylonicis: item Vopiſco, tunicæ *micantes purpurâ, plumandi difficultate pernobiles.* Quem in locum multa præclarè de hac arte ὁ πάνυ Salmaſius annotavit.

a Tom. 2. Ornithologias lib 9. pag. 856.

Cap. XCVIII.

Præſagia augurum ex oſcinum cantu, præpetum volatu, & pullorum tripudio. Et, unde oſcines, præpetes, *ac* tripudium, *dicantur. Aves ſiniſtræ, proſperæ: infelices contrà arculæ, remores, inebræ, volſgræ, cliviæ, alteræ: & unde hæ ſint appellationes: uti &* auſpicii, *ac* augurii *vocabula. Telegonus, & Car, auguriorum crediti inventores. Diſſenſus gentilium, aveſne ſint indices futurorum, quia, ut cælo propiores, meliùs ſciant conſilia Deorum; an ipſæ quidem eorum ſint ignaræ; ſed divinitus ſic dirigantur, ut homines gnaros reddant. Quid ſtatuendum de corvo mortem annunciante Ciceroni; deque aquila Deiotarum regem inſtantis periculi commonente. Pro gentium varietate aliud atque aliud augures collegiſſe. De naturalibus ex avium genere præſagiis, & quod eorum ſit fundamentum. Ex quatuor avibus quatuor anni tempora cognoſci. Cur ſeriùs arantes vocarentur* cuculi. *Aves Hercynii ſaltus, quarum pennæ viatoribus noctu inſerviant ad iter faciendum. Uſus tinnunculorum in epiſtolis perferendis. Cornici ſepulcrum erectum ab Marre, rege Ægyptio, ob hunc uſum. Columbarum utilis in eodem opera, Margaritarum politura a columbis. Oblectamentum adoleſcentulorum, primæque ætatis ex avibus. Arnobii locus illuſtratus. Fabella de corde bubonis, ſecreta muliebria reſerante.*

POſt cibi, medicinæ, veſtium, & ædium bona, nunc alios ad uſus me conferam. In quibus auguralis diſciplina primum ſibi locum vindicabit; idque religionis ergo, ob quem vel antea memoratis præmitti merebatur, niſi de vana gentium religione, pietate planè impia, agendum foret.

Si fides auguribus; belli, nuptiarum, itinerum, ſimiliumque eventus præſagire ſit, tum ex *oſcinum* cantu, quomodo dictæ, quia ore canerent: tum ex *præpetum* volatu; quo pacto vocatæ, quia in volatu anteriora ſemper petant *b*: tum ex *pullorum* paſtu; quam rationem *tripudium* quaſi *terripavium* *c* appellarunt, quia quod cibi ex

b Servius in 3 Æn. & Iſidor. lib. 12. Orig. c. 7.

c Feſtus in Puls.

ore

ore dicidiſſet, id terram paviret, hoc eſt, feriret. Ac ſiniſtras quidem aves putarunt proſperas: ut ſcævum omen, bonum, teſte Varrone, in VI de L. L. Contra aves quæ impedimentum objicerent, Feſto teſte, vocatæ *arculæ*, ab arcendo: imò ut idem ait, *remores*, à remorando: ac eodem, & Servio *a* teſtibus, *inhibræ*, vel *enebræ b*, ab inhibendo: imò & *volſgræ*, ut eſt apud eundem Feſtum, quia ſe vellendo auſpicium facerent malum: & *cliviæ*, quia *cliva* ſint ardua ac difficilia: eodemque referendæ *alteræ*, quæ priori auſpicio, quod felix viſum, vitium facerent. Horum diſciplinam, tum *auſpiciorum*, ab avibus ſpeciendis; tum *augiriorum*, ab avium garritu, dixerunt: Græci οἰωνιστικὴν, ὀρνιθοσκοπικὴν, & ὀρνιθομαντείαν, vocarunt. Barbaris hanc in pretio fuiſſe, auctor eſt Ælianus lib. II Var. Hiſt. cap. XXXI. A Telegono ad Græcos perveniſſe, refert Suidas in Τηλέγονος. Plinius verò lib. VII, cap. LVI ait, eſſe inventum ejus Caris, à quo Caria nomen accepit. Ac vulgo quidem exiſtimatum fuit, aves mentem Deorum tanto nobis meliùs ſcire, quanto eſſent ſuperis propiores. Hinc Ovidius in V Faſt.

a In 3 Æn.
b Feſtus in enubro, & inebræ. Vide & gloſſas Philoxeni in embrum (leg. enibrum) item in enibra, & in Inebra.

—— Nam Dis, ut proxima quæque,
Nunc pennâ veras, nunc datis ore ſonos.

Sed prudentiores aliter. Ammianum Marcellinum audiamus lib. XXI: *Auguria, & auſpicia, non volucrum arbitrio futura neſcientium colliguntur* (*nec enim hoc vel inſipiens quiſquam diceret*) *ſed volatûs avium dirigit Deus: ut roſtrum ſonans, aut prætervolans pinna turbido meatu, vel leni, futura præmonſtret. Amat enim benignitas numinis, ſeu quod merentur homines, ſeu quod tangitur eorum affectione, his quoque artibus prodere, quæ impendent.* Ac deinde parem eſſe aruſpicinæ rationem pronunciat. Illuſtrabimus hæc exemplo corvi, qui in villa Cajetana ferrum horologii, conſpiciente Cicerone, loco movit, & excuſſit, ac protinus ad ipſum tetendit, laciniamque ejus togæ tenuit morſu, donec nunciaret ſervus, advenîſſe milites ad eum occidendum. Hæc variis memorata: ut Valerio M. lib. I Memorabil. cap. IV, Plutarcho in vita Ciceronis, & Appiano lib. IV bell. civilium. Ex Ammiani ſententia corvus quidem neſcivit futura: ſed Deus ſic corvum direxit, ut Cicero de exitu ſuo fieret certior. En alterum quoque exemplum. Deiotarus rex in tecto ſuo aquilam conſpexit. Eâ viſâ, cùm auguralis eſſet diſciplinæ gnarus, tecto abſtinuit, quod nocte imminente ſolo æquatum fuit. Referunt Cicero I, & II de Divin. ac Valerius Max. lib. I, cap. IV. Hic, Ammiani judicio, Deus Deiotarum voluit commonere, ut ne tecto illo diutiùs ſe contineret. Sane ſpecioſa oratio. Sed quanto eſt veriſimilius, ſpiritum malum iſtos alites direxiſſe, ut hominum animos in ſuperſtitione detineret? Nec enim diſciplinam hanc eſſe à Deo, ſed malo ſpiritu, arguit ejus vanitas: unde etiam eſt, quòd, pro gentibus, uſque adeò variabat. Ita Hetruſci in auſpicando ad Occidentem ſe convertebant, Romani ad Orientem. Diverſa quoque auſpiciorum ratio apud Galatas. Unde Deiotarum, Galatarum regem, Cicero; Ciceronem autem Deiotarus de hac diſciplina ſolet interrogare. Et ſanè ne augures audiamus, interdictum nobis Deuter. XVIII. & Jerem. XXVII. Ac ſimiliter omnis Sanctorum Patrum chorus. Ex quibus Cyrillus Hieroſolymitanus catech. I *c*. Οἰωνοσκοπία, μαντεῖα, κληδονισμοί, ἢ περιάμματα, ἢ ἄλλαι κακοτεχνίαι, καὶ ὅσα τοιαῦτα, λατρεῖαί εἰσι διαβόλου. *Auguria, divinationes, amoleta, inſcriptiones in foliis, aliaque malæ artes, & ſimilia hujuſmodi, cultus diaboli ſunt.* Itidem Gaudentius tract. IV. in Exodum, inter diaboli venena, & idololatriæ partes, etiam auguria, ſortes, & ſuballigaturas reponit. Petrus Chryſologus Serm. XVIII nuncupat *diaboli laqueos.* Nec inſcite Zeno Veronenſis, ſive alius potiùs, Serm. de Jona: *Non rapti jecoris ſpirantes conſulunt fibras, nec per varios avium volatus conjecturis inanibus ſtatum pluviæ ſalutis inquirunt: ſed à ſuo corde remedium ſalutare depoſcunt.* Plura verò de auguriis ſi voles, vide

c Pag. 513. edit. Morellianæ an. 1608.

Auguſtinum Niphum libro, quem de Auguriis inſcripſit, Alexandrum Neapolitanum *a*, & ad eum Tiraquelli notas, Peucerum libro de Divinat. Georgium Raguſeium lib. II de Divinat. epiſt. IX, quæ ad Andream Maurocenum.

a Lib. 5. Genial. dierum, cap. 13.

Utcunque verò vana ſit ars auguralis de felici, vel infelici eventu eorum, quæ in natura non habent fundamentum: magnus tamen ex avibus, in omni vita civili, præſagiorum eſt uſus, quando ea ratione nituntur naturali. Ut cùm agricolæ, nautæ, medici, prævident imminentem tempeſtatem, & pro ea componunt, quæ animo agitabant. Vide de iſto Aratum in Prognoſticis, Maronem I Georg. eorumque interpretes, Ælianum lib. VII de Animal. cap. VII; ubi ſerenitatis & tempeſtatis ſigna tradit ex gruibus, ardeâ, noctuâ, corvo, cornice, graculo, monedulâ, anate, mergo, ἐριθάκῳ, ſive rubeculâ, gallo gallinaceo, aliis: quæ peti ex fonte, quàm rivis hiſce noſtris malo. Aliquid interea de eo quoque diximus libri hujus cap. XV. Ubi & cauſſam ejuſmodi præſagiorum attingebamus. Ea eſt, quòd aves aëris ambientis vapore afficiantur. Nonnullis igitur is ob craſſitiem eſt moleſtus: atque eò vellicant pennas, ut excutiant onus, quod incumbere videtur. Sic & corvi alis plaudunt, ut eo pacto humor nimius diſſipetur. Iidem, ac graculi, gregatim volantes, tum voce inſolitâ ad morem reſonant accipitrum, quia humor arteriæ, & pulmonibus, vocis inſtrumentis, oris immutavit ſonum. Galli etiam, ut antea dictum, frequentiùs imminente canunt pluvia, quia aer humidus inſtrumenta vocalia replet pituita, quam cantu ſtudent diſcutere. Quædam item marinæ aves tum, nimii humoris fugâ, in ſiccum ſe recipiunt.

Utrùm verò ex galli cantu cognoſcere ſit horas nocturnas, expoſuimus jam antè, cùm de alitum voce ageremus. Nunc illud potiùs dicam, quatuor, inter alias, avium adventu, quatuor anni horas ſive tempora cognoſci. Quam rem ſic Alciatus expreſſit Emblem. C:

Adveniſſe hyemem fringilla renunciat ales.
Ad nos vere novo garrula hirundo redit.
Indicat æſtatem ſeſe exſpectare cuculus.
Autumno eſt tantum cernere ficedulas.

Ex quibus cuculus indicat ſeræ arationis remedium. Nempe tempeſtivæ arationis jactura reparatur, ſi pluerit (ut Heſiodus *b* cecinit)

Ἦμος κόκκυξ κοκκύζει δρυὸς ἐν πετάλοισι.
Quando cuculus canit quercus in frondibus.

b Ἐργ. καὶ ἡμερ. lib. 2. ſive verſ. 484.

Atque hinc etiam cognoſcere eſt, cur cuculus dicatur de eo, qui ſeriùs araret, quàm conveniret: uti & qui poſt æquinoctium vites putaret. Hoc Porphyrio indicat in illud Horatii lib. I, ſat. VII:

—— Regerit convitia durus
Vindemiator, & invictus, cui ſæpe viator
Ceſſiſſet, magnâ compellans voce cuculum.

Nempe vindemiatore duro, in viatores omne convitii genus ingerente, hi ſolùm regerunt probrum *cuculi*. Idem convitium ſignat Auſonius in Moſella:

Certantes ſtolidis clamoribus: inde viator
Riparum ſubjecta tenens, hinc navita labens,
Probra canunt ſeris cultoribus.

A præſagiis tempeſtatum, & anni temporum, venio ad illud, quòd ex avibus uſus redeat aliquis ad viatores nocturnos, modò quædam reperiantur, quarum plumæ in tenebris præluceant viam. Paucis id indicat Plinius lib. X, cap. XLVII: *In Hercynio Germaniæ ſaltu inſitata* (ſive potiùs, ut Salmaſius *c* emendat, *inviſitata*) *genera alitum accepimus, quarum plumæ, ignium modo, colluceant noctibus.* Sed fuſius rem diduxit Solinus cap. XXIII, his verbis: *Saltus Hercynius aves gignit, quarum pennæ per obſcurum emicant, & interlucent: quamvis obtenta nox denſet tenebras. unde homines loci illius plerumque nocturnos excurſus ſic deſtinant, ut illis utantur ad præſidium itineris dirigendi; præjactiſque per opaca callium, rationem viæ moderentur indicio plumarum fulgentium.* Hercyniam hancce avem Albertus M. ab

c In Solin. exercitat. p. 230.

luce

luce ea, quam noctu diffundit, *Lucidiam* appellat. Noribergenſes vocant *Behemle*, quaſi dicas, avem Bohemicam: nempe quia è Bohemia quotannis finitimas in regiones volet. Id probè convenit cum eo, quòd Hercyniam avem dicant Plinius, ac Solinus. Nam Hercynia ſylva cingit includitque Boiohæmum, veterem (unde & nomen) Bojorum ſedem: quibus pulſis eam terram Marcomanni, duce Maroboduo, occuparunt: ut eſt apud Vellejum, & Strabonem. Quod verò pennæ hujus alitis luceant noctu, id commune habent, cum oculis felis, cicindelâ, putribus lignis, atque aliis: qua de re dictum libri hujus cap. xxvi.

Operam etiam homini præſtant aves in epiſtolis perferendis. Hinc de tinnunculis Plinius lib. x, cap. xxxvii: *Quin & internunciæ in rebus magnis fuere, epiſtolas annexas earum pedibus obſidione Mutinenſi in caſtra conſulum Decimo Bruto mittente. Quid vallum & vigil obſidio, atque etiam retia amne prætenta, profuere Antonio, per cælum eunte nuncio?* Narrat Ælianus lib. vi de animal. cap. vii, ut rex Ægyptius Marres operâ cornicis uti ſoleat in literis, quò terrarum vellet, mittendis: eique mortuæ ſepulcrum ſtatuiſſe, quod ad lacum Myridis, prope Crocodilorum oppidum, oſtendi ſoleat. Sed omnino Ægyptiacæ vanitati tribuendum, quod ibidem dicitur, cornicem, ſimulac audiiſſet, quò perferenda eſſet epiſtola, quæ regiones tranſeundæ, ubi quieſcendum, eò prout acceperat, iter direxiſſe. Captum hæc mutæ animantis excedunt. Sed ſolent homines de magnis loqui majora, ut magis ſint admirationi. Etſi non ignorem, aliquos & his fidem habere; ſed putare, malum genium hanc alitem duxiſſe. Quomodo barbari, Chriſtianis Tyrios obſidentibus, columbæ miniſterio in literis mittendis uſi ſint; Chriſtiani autem in caſtris ſuis, alite conſpectâ, tantum excitarint clamorem, ut ea conciderit, huic literas contrarii alligarint argumenti, atque ita illuſerint obſeſſis, vide apud Paullum Æmilium de Francorum geſtis lib. v, in vita Ludovici Craſſi, & Petrum Juſtinianum hiſtoriæ Venetæ lib. ii. Alia etiam ex Romana, Batavaque hiſtoria, adferrem exempla, niſi exiſtimarem eſſe notiſſima.

Etiam Veneres noſtræ, ac Junones, aliquid avibus debent propter margaritas, quibus ſic colla brachiaque ornant. Margaritæ enim poliuntur columbis præbitæ, ac brevi illis tempore relictæ: ut Cardanus refert lib. vii de Rerum Variet. cap. xxxiv.

Adoleſcentuli etiam aviculis ſe oblectant. Ut Reguli ille filius indulgentiſſimè à parentibus habitus: de quo ſic Novocomenſis Plinius ad Clementem a: *Habebat puer manulos multos, & vinctos, & ſolutos: habebat canes majores, minoreſque: habebat luſcinias, pſittacos, merulas.* Imò & prima ætas hiſce luſitando ſe oblectare ſolet. Unde Plautus Capt. act. v, ſc. iv:

a Lib. 4. epiſt. 2.

> —— *Quaſi patriciis pueris, aut monedulæ,*
> *Aut anates, aut coturnices dantur, quicum luſitent.*

Vel ſi hoc de paullo provectioribus capiendum, ſaltem diſertè de puſionibus eſt illud Arnobii in ſeptimo adverſus nationes: *Ut parvuli puſiones, (ut animis parcant, abſtineantque ploratibus) paſſerculos, pupulos, panes accipiunt, quibus avocare ſe poſſint: ita Dii immortales placamenta iſta ſumunt, quibus iras atque animos ponant?* Poſt *puſiones* cum Heraldo *ut* inſerui, quod propter antecedens *ut* neglexerat librarius. Colvius b pro *animis parcant*, maluit, *quo animos paſcant*, vel *lacrimis parcant*. Sed quid eſt *lacrimis parcere*, niſi, quod ſequitur, *abſtineantque ploratibus?* Nihil ergo mutandum; ut liquet utramque ſimilitudinis partem conſideranti; priorem de pueris, poſteriorem de diis. Quod in illa eſt, *animis parcere*; id in hac eſt, *iras atque animos ponere*. Sententia igitur fuerit, puſionibus dari cruſtula, pupos, aviculas, & ſimilia, ut deſinant iraſci, vel dolere. Quibus mox de lachrymis ſubdit, ut ita, & dolor, has exprimere pueris ſoleant. Quare nihil cauſſæ erat, cur vir eruditus a (cujus operæ Plauto impenſæ non leviter amatores ejus Comici debent) Arnobii locum apponere mallet ex emendatione Colvii, ſed nomine ejus diſſimulato; quàm ſecundùm veterum codicum lectionem, quæ veriſſima erat.

b Ad Apul. lib. 8. Met. pag. 133.

a Taubm. in Capt. 5. 4.

Sed jam ſentio me delapſum ad puſiones, planeque minuta: ut metuam, ne id videar feciſſe, quia deficiant majora. At longe aliter eſt: verùm ſummâ in copiâ ſufficere putavi, ſi quædam omnis generis excerperem. Nonnulla verò etiam judicio omiſi, ut planè falſa. Quale illud, quod Albertus M. tradit, cor bubonis uberibus impoſitum mulieris dormientis, efficere, ut ad omnia reſpondeat interrogata, nec reticeat ſecreti quicquam. Id ait Albertus à fratribus ſuis compertum eſſe longè veriſſimum. Mihi boni fratres videntur os ſubleviſſe nimis credulo Alberto. Potiùs igitur Plinio acceſſero: qui lib. xxix, cap. iv inter portentoſa illud mendacia reponit. Hujuſmodi plura occurrunt: ſed cui bono referam, cùm manifeſtâ ratione refellantur? ut nihil attineat ex iis divinam velle ſapientiam adſtruere, cùm veritas non ſit indiga mendacii.

Cap. XCIX.

De avibus fabuloſis: ac primum phœnice, de quo veterum opinio refertur. Quantopere varient ſcriptores de ſpatio, quo is vivit. Taciti hac de alite opinio. Tertulliani error, exiſtimantis in Sacris etiam Scripturis hujus fieri mentionem. Non eſſe, cur Clemens Romanus negetur parens atque auctor epiſtolæ ad Corinthios, utcunque ſimilitudo in ea petatur ab alite hac, quæ in rerum natura non eſt. De phœnice Indorum, nomine Semenda. *Origenis lapſus, apud Moſem intelligentis fictitium poëtarum gryphem. Deſcriptio gryphis poëtica adfertur, & refellitur. Ex quo commentum de Arimaſpis unoculis originem traxerit. Unde ſit* Scytharum *appellatio. Cur gryphis partim aquilæ, partim leonis, tributa ſit figura. Unde* gryphes *vocentur. Nullum eſſe alitem pegaſum: ſed in poëtarum fabulis per eum* συμβολικῶς *navem deſignari. Cur Pegaſus dicatur proles Neptuni. Primus equus* Scyphius. *Poſſe & per* Pegaſum *intelligi nubes. Fictitia avis* tragopan, *ſic vocata, quia cornua ei tribuantur ſimilia hircinis. Quare Pan pingatur facie rubrâ. Ex antiquorum ſententia, Sirenes infernè non piſces fuiſſe, ſed aves: & quid poëtæ per eas adumbrarint. Harpyiarum fabulam nullis avium melius aptari, quàm ignotis vetuſtati veſpertilionibus Darienes. Antiquos verò phyſice per eas intellexiſſe ventos. Cur dicantur natæ ex Oceani filia. Unde* Aello, Ocypete, & Celæno, *nomen fuerint ſortitæ. Quamobrem Eurus Horatio dicatur niger: ac Hyemi nigra ſoleat hoſtia immolari. Unde* Harpyiarum *vocabulum: & quare vocentur* canes Jovis, *ac Iridis dicantur ſorores, nonnullis etiam Neptuni & Terræ filiæ. Quid, ſecundùm hiſtoriam veterem, per Harpyias capiendum ſit. Item per aves Stymphalidas ab Hercule devictas.*

Multoque minùs ad Deum animus adſcendat humanus ab illis, quæ non jam dico de veris avibus falsò; ſed de omnino falſis falsò prodiderunt. Varias enim aves commenti ſunt Græculi: quorum auctoritas tantum valuit apud poſteros, ut de mirandis illis, quæ tradidere, fidem invenerint, etſi aves ipſæ ne in rerum quidem fuerint natura.

Nam, ut à phœnice ordiar, quis cordatus credat, eſſe avem ſingularem, quæ ſe ipſam igne, cùm Solaribus radiis, tum ventilatione alarum, accenſo, comburat; ex ea in cineres verſa, vel ſaltem medullâ, aut ſanguine ejus effuſo, naſci vermem, qui poſtea, alis adſumtis, hæc avis fiat, eaque unica, ſed ſuâ refecta morte, quia periit, ut viveret, atque ita ſimul ſit parens, & proles: unde &, ubi par oneri,

oneri, prima ei cura ſit, ut (ſi non ex cineribus, ſed medulla, vel ſanguine ſit reformata) patrium cadaver Heliopolim in Solis aram deferat, atque adoleat. Hæc retuliſſe, prope ſit refutâſſe. Multa adeò incredibilia in iis ſe offerunt. Quid quòd illi, qui iſta tradiderunt, in variis ipſi diſſentiant? inter alia de vitæ ſpatio, ubi mira ſcriptorum inconſtantia. Rex Æthiopiæ, in ſuâ ad Pontificem Romanum epiſtolâ, annos ei tribuit trecentos. Herodotus, Ælianus, Philoſtratus, Orus, Æneas Platonicus; ex Latinis Ovidius, Tacitus, Victor, annos dant quingentos quadraginta. Plinius ex Manilio ſexcentos ſexaginta: Martialis, & Lactantius, millenos: alii, ut eſt apud Tacitum, cIↃ CCCC LXI, Chæremon Ægyptius, ut relatum Tzetzi, ſexennium, & ſepties millenos. Hæc cùm ſatis arguant, quid de ave ea ſit ſentiendum; tantopere tamen eſſe hujuſmodi alitem obtinuit, ut Tacitus quòque in XIV Annalium, licet quædam eorum, quæ ſuperiùs adduximus, fabuloſa arbitretur; ipſam tamen avem aliquando in Ægypto conſpici non ambigat. Imò Tertullianus putavit, etiam Scripturas phœnicis meminiſſe. Nam libro de Reſurrectione illud Pſalm. XCI, ſive XCII, Δίκαιος ὡς φοῖνιξ ἀνθήσει· reddidit, *Juſtus ut phœnix florebit*: cùm debuerit, *ut palma*. Simili planè errore, ac alius in Plutarcho, ſicut Mureto in Variis *a* obſervatum, ἐγκέφαλον φοίνικος, *cerebrum phœnicis* tranſtulit, cùm ſignificetur, *medulla palmæ*. Sanè à Davide plantam ſignari, luculentè arguit, quod ibidem ſubjicitur de cedro, & platano. Sed verè hujus avis meminit Apoſtolorum σύγχρονος *b* Clemens Romanus epiſtolâ ad Corinthios priori: quæ pauculos ante annos prodiit in lucem egregiâ V. CL. Patricii Junii curâ. Sunt tamen, qui hanc epiſtolam abjudicent Clementi, quia naturâ avis, quæ nuſquam ſit, illuſtrare ea ſtudeat, quæ ad cœleſtem pertinent veritatem. Sed ex iis, quæ de Plinio, ac Tacito, ſuperiùs dicebamus, ſatis videmus, illis, quibus Clemens vixit, temporibus, communem fuiſſe eam de phœnice opinionem. Atqui hoc ſufficit in ſcripto, eccleſiaſtico quidem, attamen ad κανόνα *c* fidei ac vitæ neutiquam pertinente. Nec enim neceſſe eſt, credamus, Clementem ſciſſe omnia, quæ facerent ad arcana naturæ. Ne id quidem credere eſt opus de Apoſtolis; licet Chriſtus promiſerat *d*, miſſurum ſe Spiritum ſanctum, qui in omnem eos duceret veritatem. Quippe hoc reſtringendum ad veritatem earum rerum, quæ ad ſalutis pertineant negotium: imo ne harum quidem omnium, quia Apoſtoli ipſi *e* ex parte viderunt, ac prophetarunt: ſed omnium, quas ſcire eſt opus alteram ad vitam conſequendam.

a Lib. 13. cap. 12.
b Coætaneus.
c Regulam, ac normam.
d Joan. 16. 13.
e 1 Cor. 13. 9.

Utcunque verò Phœnix ſit commenticius, ajunt tamen aliam eſſe alitem, in qua pleraque eorum, quæ de phœnice referuntur, habeant locum. Sane Cardanus in X de Subtilitate, cùm de phœnice dixiſſet, eſſe fabulæ, quàm veritati, propiorem; ſcribit hunc in modum: *Referunt tamen quidam, in interiore India avem eſſe, nomine Semendam, quæ roſtrum habeat triplici ordine, atque, ut in ellychniis, undique perforatum; quæ moritura dulce canat, cygnorum exemplo; inde collectis ſarmentis motu alarum accendat illa, uraturque; ex cujus cinere vermis, tum ex verme avis denuo renaſcatur: quæ his malui addere ſubtilem ob hiſtoriæ ſenſum, quam ob rei ipſius deſcriptæ incredibilem narrationem prætermittere.* Poſtrema verba non obſcurè indicant, etiam de Semenda Cardano parum credibile videri. At non prorſus fidem abrogat Cæſar Scaliger Exercitatione CC XXXIII: ubi ait, *Phœnicem haud eſſe penitus fabuloſum, legimus in Commentariis navigationum. In mediterraneis Indiæ reperiri. Semenda vocatur ab incolis.*

Gryphes verè ſunt, ſi intelligantur chryſaëti, aliudve genus aquilæ: ut Levitici XI, 13, ubi Moſes inter aves immundas primò refert loco, *aquilam, gryphem, haliæetum, milvum, ac vulturem.* Sane ipſe ordo Moſaicus oſtendit, eſſe aquilæ genus, differens ab aquila vulgari, & haliæeto. Sed Origenes intellexit poëtarum gryphem. Nam lib. IV περὶ ἀρχῶν *f*, varias recenſens leges, quæ non ſecundùm literam, ſed allegoricè ac ſpiritualiter, intelligi debeant; inter cætera ſcribit, Rufino interprete: *Si etiam de impoſſibilibus legibus inquirendum eſt; invenimus gryphum, quem nullus unquam meminit, vel audivit, humanis manibus ſuccurrere: manducari prohibet legiſlator.* Non ita ſcripſiſſet, ſi ſtatuiſſet, Hebræum פרס, *peres*, eſſe aquilæ genus, non autem avem fabuloſam: quæ ut vere foret, nihil erat, cùr ejus eſu interdiceret Moſes. Nam, ut ajunt, in Riphæis ſive Hyperboreis Aſiaticæ Scythiæ montibus vivit: nec in Judæam, aut loca finitima, unquam pervolat. Nunc ne eſſe quidem, pro certo habendum. Hoc ut liquidius fiat, primò dicam, qualem hanc avem fingant: deinde unde ejus fluxerit commentum. Leoni par ſit magnitudine, ſi in Apollonii vita lib. III audiatur Philoſtratus. Cteſias lupo parem dixerat. Sed quid faciamus Joanni de Montevilla, Anglo? qui in peregrinationis ſuæ deſcriptione tradit, mole corporis octo æquare leones. Idemque in literas relatum ab Toſtato Abulenſi. Capite fingunt aquilæ, corpore reliquo leonis; ſed cum alis. Cum Arimaſpis unoculis de auro iis certamen eſſe perpetuum, ab Ariſtea, Proconneſio poëta, proditum fuit. Montevillanus, quem dixi, narrat, tanti eſſe roboris, ut equum unà cum equite attollant in ſublime. Et, ut veteres potiùs adducam, Philoſtratus *a*, ſed adverſante Æliano *b*, refert, eos etiam conſiſtere contra elephantos, ac dracones, cæteraque animalia, tigribus exceptis; quæ ſolæ effugiant ob eximiam pernicitatem. Hæc nunc expendamus. Primùm conſtat, non eſſe aquilas ſemileones, ſive leones ſemiaquilas. Nec in Riphæis montibus, totove Septentrione, aurum gignitur: ut in Sarmatiæ Aſiaticæ deſcriptione tradit Joannes Mechovius. Neque ſi iſtic generetur, de ejus, ut puto, cuſtodia laborent gryphes, cùm neutiquam iis hoc eſſe uſui poſſit. Adhæc nulla eſt unoculorum gens. Figmentum autem de Arimaſpis ex eo originem traxit, quòd Scythæ optimi ſint arquites, ſive ſagittarii: unde & *Scytharum* appellatio. Nam Septentrionalibus, uti & Germanis, *ſchieten* eſt ſagittam arcu emittere. Arimaſpi autem, in collimando, uno utebantur oculo, clauſo altero; ut hodieque faciunt multi: quales cùm in prœlio pugnantes apparerent, præbita eſt occaſio commento, eos unum duntaxat oculum habere. Avibus verò Septentrionales montes incolentibus tributa eſt partim aquilæ, partim leonis figura, quia in illa corporis mole haberent & aquilæ pernicitatem, & robur leoninum. Hæ vaſtæ volucres, ſiqui montes, ubi nidulantur, adſcendant, eos vehementer infeſtant, non auri amore, quod ibi, ut dixi nullum; ſed amore pullorum, quibus ab homine metuunt; ut de gryphe Indico Ælianus *c* tradit. Quod ſi appellatio etiam Scythica ſit; fuerit vocabulum à *grijpen*, quod eſt *capere*, *apprehendere*. Sed quid ſi dicamus, gryphum fabulam promanâſſe ab Ægyptiis; ubi hac, vel formâ non multùm abſimili, ſic numen effingeretur: Græcos verò, figurâ eâ conſpectâ, ficticiæ avi nomen feciſſe γρυπὸς *d* ob roſtrum aduncum? Nam γρυπὸς dicitur, qui naſum habet aquilinum. Præterea in animum induxiſſe, verè eſſe aves iſtiuſmodi: & cùm nuſpiam, ne in Ægypto quidem, comparerent; poëtas iis eſſe locum commentos in Septentrione, ubi aureos colerent montes. Perſas eaſpſe ob cauſſam Indis tribuiſſe: quos Cteſias ſecutus, uti hunc Ælianus lib. IV de Anim. cap. XXVII. Facilis enim ratio mentiendi de gentibus longè adeò remotis.

f P. 875 edit. Froben. an. 1536.
a Lib. 3. de vita Apollonii. c. 14.
b Lib. 4. de Animal. cap. 7.
c Lib. 4 de Animal. cap. 27.
d Gryphis.

Præter phœnicem, & gryphes, de quibus hactenus dictum, etiam pegaſum, tragopana, & ſirenes, inter fabuloſos alites Plinius reponit lib. X, cap. XLIX. *Pegaſos*, inquit, *equino capite volucres, & gryphas aurità aduncitate roſtri, fabuloſos reor; illos in Scythia, hos in Æthiopia. Equidem & tragopana, de qua plures affirmant, majorem aquila, cornua in temporibus curvata habentem, ferruginei coloris, tantum capite phœniceo. Nec Sirenes impetraverint fidem: licet affirmet Dino, Clitarchi celebrati auctoris pater, in India eſſe, mulcerique earum cantu,*

quos gravatos ſomno lacerent. Dicam ordine de anteà indictis. De pegaſo ſic Solinus cap. xxxiv, in deſcriptione Æthiopiæ: *Illius cæli ales eſt pegaſus: ſed hæc ales equinum nihil præter aures habet.* Etiam volucris hujus Euſtathius meminit. Sed enim nuſquam eſt avis pegaſus: verùm per *pegaſum* poëtæ, ut Palæphatus interpretatur, intellexere navem velis remiſque inſtructam. Nam quod in alite alæ, id hic vela; quod illic pedes, hic remi. Unde Artemidorus lib. i, cap. lviii, cùm equum eſſe navigio ſimilem dixiſſet, ſubjungit: Ἵππους γὰρ ὁ ποιητὴς τὰς ναῦς εἶπε· καὶ ἡμεῖς τὸν Ποσειδῶνα Ἵππιον καλοῦμεν· καὶ ὃν ἔχει λόγον ἐπὶ γῆς ἵππος, τὸν αὐτὸν ἐν θαλάσσῃ ναῦς. *Poëta enim naves dixit equos: & nos Neptunum Hippium ſive Equeſtrem vocamus: & ſanè, quam rationem in terra habet equus, eam in mari habeat navis.* Nec etymon adverſatur. Nam eſt πήγασος à πήγω, ſive πηγνύω, hoc eſt, *compingo*: quia navis è multis componatur lignis. Et favet quoque, quòd Pegaſus fingatur Neptuni proles: nempe quia eo maria ſulcamus. Etiam Valerius Probus in i Georgic. ubi poëta ait, terram Neptuni tridente percuſſam primum fudiſſe equum, annotat, equum iſtum vocatum eſſe *Scyphium*: quod magnam habet convenientiam cum navigii appellatione apud Germanos: ut quibus hodieque illud *ſcijff* nuncupetur. Nec abſurdè tamen per pegaſum etiam intelligamus nubes; quæ in altum ſubvolant, & per mediam aëris regionem, avis inſtar, deferuntur. Uti neque incommodè Neptuni proles cenſentur, cum vapores attollantur è mari. Etiam *Pegaſi* nomen iis convenit; ut ſit ἀπὸ τῆς πηγῆς, hoc eſt, *fonte*. Sunt enim nubes fons & ſcaturigo aquæ pluvialis.

Inſuper, ut vidimus, Plinio pro commenticiâ alite cenſetur tragopan: apud quem tamen editum *tragoponadem*, pro *tragopanem*. Uti & apud Pomponium Melam *a*, *tragopomones*, pro *tragopanes*; & apud Solinum *b*, *tragopa*, pro *tragopan*. Perperam Pintianus apud Melam *tragopogones* repoſuit, quaſi ab hircina id barba nomen foret. Omnino enim ut αἰγόπανα, ſic dixere τραγόπανα. Nomen id notat *hircinum Pana*. Ab hirco nomen datum, ob cornua in temporibus curvata: à Pane autem, ob caput puniceum: ut Salmaſio *c* jam monitum. Utrumque horum ei à Plinio tribui, parum è verbis ſuperiùs adlatis. Pani autem caput eſſe puniceum, indicat illud Maronis in Sileno:

a *Lib.* 3. *cap* 10.
b *Cap*...
c *Plinianarum Exercit. pag.* 399.

—— Quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

Ubi Servius: *Facie rubrâ pingitur Pan propter ætheris ſimilitudinem.* Pleniuſque hæc lucem accipient ex iis, quæ de Pane dicam inferiùs, cùm de numine agam totam repræſentante Mundi compagem.

Sirenes præterea in fictitiis Plinio avibus habentur. Id miretur quiſpiam, qui cogitet, vulgo à pictoribus, quia maris monſtra credantur, effingi ſuperiori corporis parte virgineâ, inferiori autem piſcium. Sed tale quid apud veterum legas neminem. His enim ſupernè formoſæ erant virgines, infernè aves. Unde Ovidius lib. v Metam. fab. vii:

—— Vobis Acheloides unde
Pluma, pedeſque avium, cùm virginis ora geratis?

Atque hanc etiam ſententiam legas apud Ælianum lib. xvii de Animal. cap. xxiii: item Servium in vi Æn. & Suidam. Etſi autem variè eas interpretentur antiqui: maximè tamen veriſimile eſt, fuiſſe pſaltrias corpore quæſtum facientes; quæ tranſeuntes allicere, allectos detinere, detentos & animo corrumpere, & pecuniis ac honeſto nomine exuere, ſolerent.

Avium fabuloſarum à Plinio memoratis adde etiam Harpyias: quas ſic deſcribit Maro iii Æn.

Virginei volucrum vultus, fœdiſſima ventris
Proluvies, uncæque manus, & pallida ſemper
Ora fame.

Pleniuſque de iis Apollodorus lib. i de Diis, Diodorus Siculus lib. v Bibliothecæ, Valerius Flaccus lib. iv Argonaut. Tzetzes lib. i, Chiliad. vii. Nulli vero avium generi magis conveniant, quæ de Harpyiis referuntur, quàm veſpertilionibus Darienes in America: qui non modò gallos gallinaſque, ſed & canes feleſque, morſu interimunt; homines etiam infeſtant, ſanguinemque exſugendo in maximum vitæ periculum conjiciunt; quando & nonnulli hinc tabe emortui. Teſtis Petrus Martyr. lib. vi Ocean. decad. iii. Sed hoc genus avium veteribus ignotum fuit: qui φυσικῶς *a* per harpyias intellexere ventos: unde & natæ dicuntur ex Electra, Oceani filia. Ita interpretantur cùm Apollonii, & Heſiodi ſcholiaſtæ; tum etiam Euſtathius. Ac bellè ſatis ei ſententiæ nomina conveniunt, quæ tribuerunt. Nam duæ *b* ſtatuuntur, Aëllo, & Ocypete. Atqui Ἀελλὼ eſt ab ἄελλα, quod eſt *procella*, *turbo*, ἀνέμων συστροφὴ *c*, ut interpretatur Suidas. Ὠκυπέτη ab ὠκὺς, *celer*, & πέτεσθαι, *volare*. Quid autem celerius volat vento? Unde de Aquilone i Georg.

a *Secundum ſcientiam naturalem.*
b *Heſiodo in Theogon. & Apollodoro lib* i.
c *Ventorum convolutio.*

Ille volat, ſimul arva fugâ, ſimul æquora verrens.

Et i Metam. de Daphne:

—— Fugit ocior aurâ
Illa levi. ——

Additur nonnullis tertia Κελαινὼ, quod à κελαινὸν, hoc eſt, *nigrum*. Procellis enim, ventiſque, nigreſcit cælum. Hinc Horat. lib. i, od. v:

—— Aſpera
Nigris æquora ventis.

Et od. x:

Niger rudenteis Eurus inverſo mari,
Fractoſque remos differat.

Et Valerius Flaccus in ſecundo Argonaut.

Inſequitur niger & magnis cum fratribus Eurus.

Itaque & nigram hiemi pecudem immolabant: ſecundùm illud iii Æn.

Nigram hiemi pecudem. ——

Nigricat enim cælum hybernum ob nubes, imbres, & ventos: ac ut à pluvia Latinis dicitur *hyems*, nempe ab ὕω, *pluo*: ſic Germanis, & Belgis, *Winter*, à *wint* hoc eſt, ventus.

Præterea quid rapacius ventis? ut valde etiam idoneum ſit Harpyiarum nomen. Eſt enim id ab ἁρπῶμαι *d*, unde & ἅρπεπις *e*, & ἁρπάζω *f*, ac Latinorum *rapio*. Appollonii quoque eſt in ſecundo Ἀργον.

Ἁρπυίας μεγάλοιο Διὸς κύνας.
Harpyias magni Iovis canes.

d *Falsetor, rapio.*
e *Milvus*, Cretenſibus, teſte Heſychio.
f *Rapio.*

Nempe *Jupiter* eſt aër; ventus vero eſt motus, tum exhalationis per aëra, tum aëris ejus, quem exhalatio ſecum rapit. Exhalationes iſtæ ſunt ex terris, & aquis. Unde Acuſilaus Harpyias Neptuni ac Terræ filias ſtatuit. Heſiodus in Theogonia ait eſſe ſorores Iridis. Nempe quia & venti, & iris, in aëre gignantur. Atque hactenus expoſuimus, quid φυσικῶς *g* per Harpyias intelligatur. Ἱστορικῶς *h* autem capiendæ pellices Phinei regis, quas aulâ expulere Calais, & Zetes, Boreæ, hoc eſt Septentrionalis reguli, ex Orythia apud Iliſſum rapta, filii; quorum ſororem Cleopatram Phineus duxerat uxorem. *Cleopatram* verò appello cum Apollonio lib. ii Argonauticôn, Apollodoro lib. iii de Diis, & Valerio Flacco lib. iv Argonaut. Sed *Cleobulam* vocant Servius ad iii Æn. & Tzetzes ad Lycophr. Caſſand. *i* De Orithyæ à Borea raptu aliquid etiam diximus libri hujus cap. i.

g *In naturali ſcientia.*
h *Secundùm hiſtoriam.*
i *Pag.* 68. *edit. Oporin.*

Æquè fabuloſæ ſunt aves Stymphalides: de quibus Lucretius lib. v:

—— Unciſque timendæ
Unguibus Arcadiæ volucres Stymphala colentes.

Ab Hercule ex Arcadia pulſas fabulantur. Placet verò in hoc Mnaſeæ ſententia, quòd non aves, ſed homines fuiſſe, arbitretur. Cenſeo autem, prædones fuiſſe; qui avibus comparati, quia aliunde, avium inſtar, advolarunt: at uncis fuiſſe unguibus finguntur ob rapinas, quas exercerent. Hi validi adeò erant, ut ad eos extinguendos, vel fugandos, Herculeâ fuerit virtute opus. Planè verò errare exiſtimandi, qui, uti in Mythologia ſua Na-

a Lib. 7. cap. 6. talis Comes *a*, Stymphalidas, & Harpyias, pro iiſdem habent. Clarè enim diſtinguit Petronius:

Tales Herculeâ Stymphalidas arte coactas
Ad cælum fugiſſe reor, pennâque fluentes
Harpyias, cum Phineo maduere veneno
Fallaces epulæ.

Plura de hiſce avibus, ut poëtas prætercam, Pauſanias in Arcadicis, & Apollonii ſcholiaſtes in 11 Argonaut. *b* b Verſ. 1050.

CAP. C.

De avium cultu. Ac primùm, quomodo intelligi debeat, quod ait Clemens Alexandrinus, divinum à Theſſalis honorem eſſe tributum ciconiis. An Ægyptii ciconiam pro numine coluerint; quod plerique Lucianum ajunt ſcripſiſſe. Item num corvus ab iis in Deorum numerum fuerit relatus; quod ex B. Ambroſio colligi ajunt. Sacra Coracina *quæ. Accipiter cultus à Tentyritis, ac Philæis: & quæ honoris tanti ſit cauſſa. In dubium vocatur, quod Straboni ſcriptum, accipitrem pro numine ab univerſis habitum Ægyptiis. Quantum Coptitarum odium fuerit erga accipitres. Ut ibis ab eadem natione honore ſit affecta divino, & quid eam ad hoc impulerit. Cur aquilam coluerint Thebæi. Cur credita ſit regnum portendere. Locus Plutarchi expenſus. Ægyptii ſuem averſati, ac vix etiam in ſacrificiis ea uſi. Iſidis ſtatua pennis vulturis ornabatur. Gryphis forma cujuſmodi, & quid ea ſignificaſſe Ægyptii videantur. Gryphes ſacrati Soli: cujus & currum protrahunt, ſecundum Indos pictores; quorum opinionem etiam ſecutus ſit Claudianus. Si candide exponenda ſit Ægyptiorum opinio, fatendum eſſe, aves non habitas ab iis pro Diis; ſed ſolùm pro vivis Deorum imaginibus.*

NUnc quòd in quadrupedibus poſtremò feci; idem in avibus ultimo agam loco, ut id quoque animal doceam eſſe habitum pro numine. Ac tam fœda ſuperſtitio etiam reperta apud Indos Mexicanos. Nam, mirum dictu, veſpertilionem pro numine adorarunt: ut proditum eſt Paulo Gryſaldo lib. III Hiſtoriæ Indicæ. Sed veteribus inſiſtamus. Quale eſt, quòd ciconias à Theſſalis eſſe cultas, Clemens Alexandrinus tradit in Protreptico. Sed difficulter hoc in animum induxerim de Græcorum ullis. Ac plane video erroris fontem. Clemens enim, ſive is, quem ſecutus hic fuit, ex eo id collegit, quòd Theſſali ex lege illos capitis ſupplicio afficerent, qui ciconiam necaſſent. Plinii *a* de eo verba adduximus antea *b*: ex quibus ſatis dilucet, hunc honorem iis habitum eſſe, quia regionem à ſerpentibus (his enim paſcuntur) expurgarent. Potiùs igitur de Ægyptiis videamus; quos muta animantia pro Diis habuiſſe, communis eſt opinio. Ac de hac ipſa quidem alite, ciconiâ inquam, teſtem adducunt Lucianum in Deorum concilio: ubi primùm loquitur de cultu canis, qui Maroni eſt *latrator Anubis.* Hunc ſic alloquitur, πῶς ἀξιοῖς θεὸς εἶναι ὑλακτῶν; *quomodo Deus eſſe contendis latrando?* Inde meminit tauri Memphitici, qui Apis dicebatur. Hic, inquit, προσκυνεῖται, καὶ χρᾷ, καὶ προφήτας ἔχει· *adoratur, & oraculis reſpondet, & prophetas habet.* Poſt iſta ſubjungit: Αἰσχύνομαι δὲ ἴβιδας, καὶ πιθήκους εἰπεῖν, καὶ τράγους, καὶ ἄλλα πολλῷ γελοιότερα, οὐκ οἶδ' ὅπως ἐξ Αἰγύπτου παραβυσθέντα ἐς τὸν οὐρανόν. Ea ſic reddidit Vincentius Opſopœus: *Pudet me ciconias percenſere, & ſimias, & hircos, atque his longe abſurdiora; quæ neſcio quomodo ex Ægypto uſque in cælum adſcenderunt.* Ac unicus quidem is locus eſt, unde ciconias ab Ægyptiis cultas collegerunt. Nempe Obſopœi eos interpretatio decepit; qui, quia ibis, & ciconia, in eo conveniunt, quòd ſerpentibus paſcantur, propterea ibin eſſe ciconiam putavit: quam opinionem, ut manifeſtè falſam, nihil attinet refellere.

a Lib. 10. cap 23.
b Cap. 93. hujus libri.

Alii corvum ajunt pro numine habuiſſe. De hoc teſtis laudatur B. Ambroſius, ſive alius ejuſdem temporis ſcriptor. Nam Damaſi Papæ temporibus ſcribere ſe ait *a*. Is in epiſt. ad Rom. cap. 1, ubi & volucres reponit inter illa, quibus fuerit ſacrificatum; hoc inde firmat, *quia Coracina ſacra habent pagani.* Ac continuò ſubdit: *Harum omnium rerum, quas memoravi, ſimulacra coluerunt Ægyptii, & alia, quæ nunc dicere non eſt neceſſe.* Credo, hæc ſacra fuere prope Coptum, urbem tanti nominis, ut inde Ægypto ſit appellatio; quemadmodum alibi oſtenſum. Circa eam quidem civitatem bini duntaxat corvi conſpiciebantur: nec enim militibus Romanis, qui ſmaragdi metalla montanis ibi in locis cuſtodiebant, viſi ſunt plures. Atque ibidem Apollinis erat ſimulachrum, cui corvi eſſe ſacri perhibentur. Teſtis horum Ælianus lib. VII de Animal. cap. XVIII. Verùm non video, quomodo hinc conſequatur, corvos illos potiùs fuiſſe Deos, quàm ſymbolum numinis. Potuere enim ſacra etiam κορακίνα, ſive *corvina*, à ſymbolo nuncupari. Nihilo magis id evincit locus B. Hieronymi epiſt. ad Lætam: quem adducit Jo. Lud. de-la-Cerda in Adverſariis Sacris cap. CXLIII, §. v. Adde quod ibi non de Ægyptiis, ſed Perſicis, puta Mithræ ſacris, ſermo eſt. a In 1. ad Tim. c. 3.

Sed ut tam in corvo, quàm ciconia, fuerint decepti: fatendum tamen, à graviſſimis ſcriptoribus varias adduci volucres, quas ut Deos coluiſſe Ægyptii dicantur. Tales ſunt ibis, & accipiter. Utrumque hunc alitem ab univerſis eſſe cultum Ægyptiis, auctor eſt Strabo in XVII: addit autem, aquilam ſeorſum venerationi fuiſſe Thebanis. Verba ejus adduxi *b*, cùm de quadrupedum cultu ageremus. Nunc, uti tum recepi, de tribus iſtis avium generibus pleniùs dicam. Ac de accipitre primùm. Æliani eſt lib. X Hiſt. Animal. cap. XXIV, Σέβουσι δὲ οἱ Τεντυρῖται ἱέρακας· *Accipitres colunt Tentyritæ.* Sunt hi in Ægypto. Refert etiam Strabo lib. XVII, Philarum incolas (hæ in confinio Ægyptiorum, & Æthiopum ſitæ ſunt) avem in templo eſſe cultam, quam accipitrem dicerent. Quare tum Tentyritas, tum Philæos, capimus, cùm Cicero in III de Nat. Deor. accipitres ait barbaris eſſe pro Diis. Diodorus verò Siculus lib. I, & ex eo Euſebius lib. II de Præparat. Euangel. cultus ejus cauſſam adducunt, quia Ægyptum purget à ceraſtis, ſcorpiis, & aliis animalibus. Unde & apud Hermopolim ſimulachrum fuit Typhonis equi fluvialis, cui accipiter inſiſteret cum ſerpente depugnans. Auctor eſt Plutarchus lib. de Iſide & Oſir. Cæterùm quod Strabo ait, accipitrem ab tota coli Ægypto, id quoque, ut puto, non injuriâ aliquis in dubium vocet. Nam Ælianus, loco antè memorato, cum dixiſſet, accipitres à Tentyritis coli; ſubdit deinde, ut Coptitæ contrà crocodilos venerentur; accipitres autem, velut hoſtes crocodilorum, ſæpe agant in crucem. Rationem utriuſque cultus hanc adfert, Εἰκάζουσι δὲ τὸν μὲν κροκόδειλον ἐκεῖνοι ὕδατι, ἔνθεν τοι καὶ σέβουσιν· οἱ δὲ τὸν ἱέρακα πυρί· ταύτῃ τοι καὶ προσκυνοῦσι· *Ac illi quidem crocodilum aſſimilant aquæ: & propterea etiam venerantur. Hi verò accipitrem comparant igni, & idcirco adorant.* De accipitre hactenus. b Libri hujus cap. 74.

De ibidis cultu non modò eſt apud Lucianum in Deorum concilio, cujus verba ſuperiùs adducebamus: ſed etiam apud Ciceronem lib. I de Nat. Deor. & Tuſc. v. item Juven. ſat. XV. Plinii quoque eſt lib. X, cap. XXVIII: *Invocant & Ægyptii ibes ſuas contra ſerpentium adventum.* Eandem ſacri honoris cauſſam adfert Herodotus in Euterpe: ubi & ibides deſcribit, atque ait, capital eſſe Ægyptiis, ſiquis illam, vel accipitrem, ſeu ſciens, ſeu ignarus, occiderit.

De aquilæ cultu apud Ægyptios ſic Diodorus Siculus lib. I: Τὸν δ' ἀετὸν Θηβαῖοι τιμῶσι, διὰ τὸ βασιλικὸν εἶναι δοκεῖν τοῦτο τὸ ζῷον, καὶ τοῦ Διὸς ἄξιον· *Aquilam venerantur Thebæi, quòd animal hoc regium, & majeſtate Iovis dignum, videatur.* Nempe eandem ob cauſſam, ob quam & Græcis, ac Romanis, regnum, & alia grandia, portendere credebatur. Seneca lib. II Natural. Quæſt. cap. XXXII: *Cur aquilæ hic honor datus eſt, ut magnarum rerum faceret auſpicia?*

Præter aves hactenus memoratas, Ægyptii etiam divino honore proſecuti dicuntur gryphas: quod colligi videtur ex hiſce Plutarchi verbis lib. IV Sympoſiacῶn quæſt. V: Εἰ γὰρ δύσμορφον ἡ ὗς, καὶ θολερὸν, ἀλλ' οὐ κάνθαρος, καὶ χυ..., καὶ κροκόδειλος, καὶ αἴλουρος, τὴν ὄψιν ἀτοπώτερον, ἢ τὴν φύσιν ἀμαθέστερον· οἷς ὡς ἁγιωτάτοις ἱερεῖς Αἰγυπτίων ἄλλοι ἄλλοις προσφέρονται· *Quid tum, ſi porcus ſit deformis, ac fœdus? ſcarabæo, gry..., crocodilo, fele turpior adſpectu non eſt, ut naturâ ineptior: quorum alia ab aliis Ægyptiorum ſacerdotibus ſanctè coluntur.* Pro χυ.. (ut eſt in Aldina, Baſileenſi, & Stephanica) χύλλω, vel χυίλλων fuit in MSo Turnebi, & Vulcobii. Sic *porcum* dixere, ut ex Heſychio conſtat. Sed H. Stephano non videtur Plutarchus eâ fuiſſe voce uſurus: cui lubens adſentio. Atque aliter etiam opinio hæc refelli videtur. Nam, ut apparet Plutarchum legenti, controverſia erat, an ſus culta eſſet ab Judæis. Id abſurdum negat Calliſtratus, quia & alia animalia colantur ab Ægyptiis: in his aliis non fuerint χύλλοι, cùm illi ipſi ſint in genere ſuillo. Præterea de Ægyptiis eſt ſermo. At ab iis ſues culti non ſunt: quin potiùs eos exſecrabantur, Solique & Lunæ inimiciſſimos putabant: nec ulli deorum ſacrificabant, niſi Lunæ; idque ſemel duntaxat quotannis. Teſtis Ælianus lib. X de Anim. cap. XVI. Quid ſi igitur γυπὸς legamus, hoc eſt, *vulturis*? Nam in aquilis eſt & γυπαίετος, ſive *aqua vulturina*. At ut accipitrem, ſic aquilam, ab Ægyptiis fuiſſe cultam, jam antea oſtendimus. Scrupulum interea injicit, quod de alite, cui proprium γυπὸς, ſive *vulturis* nomen fuit, tale nihil legimus. Quare licet Ægyptii Iſidis ſtatuam pennis ornarent vulturinis, ut idem Ælianus ait lib. X, cap. XXII: non tamen pro numine, vel ejus ſymbolo, γῦπα *a* habuiſſe arbitrer. *a Vulturem.* Præterea adverſatur, quòd in codd. MSSis non γυ... ſed χυ ſit exaratum. Quare, quod Xylandro, & Stephano, placuit, vera lectio ſit, χυπὸς, *gryphis*. Veriſimile enim eſt, gryphis fabulam promanâſſe ab Ægyptiis; his verò fuiſſe ſymbolum Dei. Nam inter quadrupedes nihil leone; inter aves, nihil aquilâ convenientius eſt, ad naturam numinis repræſentandam. At gryphes, ut ſuperiori capite dictum, conflatæ erant ex leone, & aquila: ut iis utriuſque animalis natura exprimatur. Hanc etiam ſententiam confirmat, quòd aliis item gentibus; quæ ſuam ab Ægyptiis ſuperſtitionem accepiſſe exiſtimantur; gryps ſacer fuerit Apollini ſive Soli, Deorum ſummo. Unde in Gallieni Cæſaris nummo Gryphum videas, cum hujuſmodi inſcriptione: APOLLINI CONS. AUG. hoc eſt, *Apollini conſervatori Auguſto.* Habes inſcriptionem eam quoque in numiſmatis Adolphi Occonis *a*. *a P. 325.* Sed, quod gryphum cum Ulyſſe Aldrovando diximus, contentus eſt vocare monſtrum alatum. Monſtri ejus figuram expreſſit in numiſmatis ſuis Jacobus Biæus *b*. *b Fol. 60.* Imò Apollinis ſive Solis currui eos junxere. Unde Claudianus *c*: *c Panegyri in ſextum Honorii Auguſti conſulatum.*

At ſi Phœbus adeſt, & frenis grypha jugalem
Ripheo tripodas repetens detorſit ab axe.

Eſt verò poëta in hoc ſecutus opinionem Indorum: ut indicat Philoſtratus lib. III de vita Apollonii, cap. XIV, de hac ave loquens: Τὰ γὰρ θηρία ταῦτα εἶναί τε ἐν Ἰνδοῖς, καὶ ἱερὰ νομίζεσθαι τοῦ ἡλίου· τὰ ἐθελητά τε αὐτῶν ὑποζευγνῦναι τοῖς ἀγάλμασι τοὺς τὸν ἥλιον ἐν Ἰνδοῖς γράφοντας· *Has enim aves ajunt eſſe in India, ac Soli eſſe ſacras: ac quadrigis eas jungunt, qui Solem apud Indos pingunt.*

Non dubium itaque, quin ita fuerit perſuaſum Romanis, & Græcis, aves pro Diis haberi ab Ægyptiis. Et, credo, è vulgo Ægyptio non defuere, qui tam ſtultè ſaperent. Sed enim non ſacerdotes modò, verùm etiam alii, qui paullum viderent ſupra vile vulgus, non habuere aves eas alio loco, quam pro Deorum ſymbolis. Nempe ſicut Romanis, & Græcis, colebantur Mercurii, vel Iovis ſtatuæ: ſic Ægyptii honorarunt ſacras iſtas alites. Statuas verò conſtat non pro cælitibus habitas; ſed eorum ſignis. Quod enim *Iovem*, vel *Mercurium*, vocarent, id factum eo ſermonis genere, quod μετωνυμίαν dicimus. Similiter igitur ſe proſtravere Ægyptii coram alitibus, tanquam Deorum ſymbolis. Hoc ſolùm interfuit, quòd ſigna Romana, Græcaque, eſſent manu facta. Ægyptia autem erant ſigna naturalia, ac vivæ quædam Deorum imagines: quemadmodum Clemens Romanus ait lib. V Recognitionum *d*, ac pleniùs exponam, ubi ad Theologiam ſymbolicam fuerit deventum. *d Fol. 63. b. edit. Pariſ. Sam. an. 1568.* Aves coluere quia divinitatis argumentum videatur, quod ex iis augures futura cognoſcant.

FINIS LIBRI TERTII.

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
IDOLOLATRIÆ
ORIGINE, AC PROGRESSU,
Et ex naturæ mirandis adſcenſu hominis ad Deum,
LIBER QUARTUS;
Qui eſt de reliquorum animalium, natura, ac cultu.

CAP. I.

Ab avibus acceſſum ad piſces. Quare hos Deus priùs fecerit, quàm aves. Scripturam ipſam nos hortari ad conſiderandum multitudinem ac varietatem piſcium. Quot piſcium ſpecies ex Plinii ſententia ſint. Qui piſcium vivum pariant animal. Qui pariant ovum perfectum, nec maris operâ indigum ad genituram. Qui ovum pariant imperfectum, ac ſterile futurum, niſi mas ſemen ſuum ſuperfundat. Quàm citò ova, poſt hanc ſeminis adſperſionem, excreſcant, & vivum animal producant. Glanis, & cyprini cura in cuſtodiendis femellarum ovis. Utrùm mugiles ex limo progeniti, ac illi, qui è coitu gignuntur, ejuſdem ſint ſpeciei, ſecundum Ariſtotelem. Fortaſſe autem eos, & piſcium alios, qui quandoque tantummodo ex ſemine, aliàs autem aliunde naſci exiſtimantur, ſemper ex ſemine provenire; ac modus, quo id fieri poſſit, oſtenſus. Apuarum genus numquam non proveniens citra coitum; idque ex ſpuma maris; à quo etiam nomen apuarum *acceperint. Interim & alia eſſe apuarum genera; quæ gobiis, manadibus, vel mugilibus, debeant originem ſui. Unde ſit generatio illis, quæ vocantur ὀσπαργόδερμα, & quæ ratio ſit hujus nominis. Λιμνόσπερμα aliquando in navibus è limo naſci, & ſpumâ putreſcente. Variare eorum ſpecies pro luti natura, unde gignuntur. De anguillarum generatione à Plinio diſceſſum.*

PErſolvi, quæ de avibus promiſeram. Conſequi videtur, ut ſimiliter Dei ſapientiam, potentiam, & bonitatem, in piſcibus perſequamur. Quippe ut quadrupedibus aves, ſic avibus proximè piſces ſuccedunt. Priùs quidem avibus piſces Deus creavit. Sed & aves ante quadrupedes fecit, & quadrupedes ante hominem. Cujus ratio eſt quòd in creando ab imperfectioribus procedere voluerit ad perfectiora. At piſces nec ita viſu, vel auditu, valent, ac aves; nec illâ ſagacitate, aut memoriâ. Imò nec ea membrorum eſt diſtinctio in piſcibus; quod Ariſtoteles quoque ait lib. IV de partibus anim. cap. XIII. Interim & magna ſe oſtendit piſcium, atque avium cognatio: imò recepta eſt opinio, Deum tam aves, quàm piſces, ex aquis creâſſe. Sed de utroque iſtorum nihil attinet repetere, quæ dicebamus lib. III, cap. LXXVIII. Nunc initium nobis fiat à maxima piſcium varietate, ac multitudine: ad cujus rei conſiderationem nos accendit divinus pſaltes *a*, cum ait: *Hoc mare magnum, & latum locis: ibi reptilia* (ſive natantia) *quorum non eſt numerus, beſtiæ puſillæ cum magnis.* Etiam inde nos in admirationem rapit Jeſus Sirachides cap. XLIII, 26, 27. *Navigantes mare narrant ejus pericula; quæ nos noſtris audita auribus miramur. At incredibilia ſunt ibi, & admiranda opera, omnigena varietas animantium, & natura cetorum.* Hanc, ut Sirachides vocat, ποικιλίαν παντὸς ζώου *b* explicat Plinius lib. IX, cap. XIV: *Piſcium ſpecies ſunt ſeptuaginta quatuor; præter cruſtis intecta, quæ ſunt triginta.* Sed locus hic ſine dubio eſt corruptus. Nam eo deinceps libro à Plinio memorantur ſpecies octoginta-quatuor. Nec dubium, quin complura prætererit. Quare locus is corrigendus ex illis, quæ legere eſt lib. XXXII, cap. ult. *Peractâ aquatilium dote, non alienum videtur indicare, per tot maria, tam vaſta, & tot millibus paſſuum terræ infuſa, extraque circumdatâ menſurâ penè ipſius mundi, quæ intelligantur animalia, centum ſeptuaginta ſex omnino generum eſſe, eaque nominatim complecti.* Neque ignoro, à Plinio quandoque piſcem eundem, ob nomina diverſis vel locis, vel ſcriptoribus, variantia, pro diverſis haberi. Sed idem quoque prætериit Septentrionis non paucos; alios item longè diſſitis Oceani partibus degentes; ut illos ante Indiam Orientalem detectam, ac Americam præcipuè, necdum cognitos.

a Pſal. 103. five, ſecundum Heb. 104. verſ. 25.

b Omnigenam animantium varietatem.

In tanta ſpecierum multitudine primùm varietatem eam conſiderabimus, quæ petitur à generatione atque ortu. Deque hac priùs universè agemus, deinde particulatim. Ad generalem doctrinam pertinet, quòd alii ex coitu generentur, alii αὐτομάτως *c*. Hoc eſt, alii generatione naſcuntur univocâ, nempe ex piſcibus ſui generis: alii æquivocâ, ſive ex non piſce, ſed limo putreſcente, vel re ſimili. Quæ propriâ generantur ſtirpe, vel jam viva ſunt animalia, cùm ea mater parit; vel poſtea id fiunt. Illa prioris generis, vel ἀμέσως, ſeu proximè è ſemine gignuntur; vel ex ovo, unde intus vivus piſcis eſt excluſus. Vivum è ſemine animal producunt, è pilo carentibus delphini; quos animal parere, contentus eſt dicere Plinius lib. IX, cap. XIV: at è pilo veſtitis, priſtis, balæna, vitulus: de quibus idem retulerat cap. præcedenti. Ælianus lib. XI de Animal. cap. XXXVII, ſolùm ait, delphinum, ac balænam ζωοτοκεῖν *d*. Quaſi non idem, præter memorata, agant balænæ, phocænæ, orcæ, phyſeteres, homines marini, & quæcunque lacte nutriunt fœtus. Gravriorque fuerit error, ſi vivo de quovis fœtu intellexit.

c Sponte.

d Vivum animal parere.

Nam & acanthia centrina, galeus lævis, lamia ſquatina, vulpecula, & cartilagineorum alia non pauca, vivum pariunt animal: ſed ex ovo prope ſeptum tranſverſum concepto, atque ibidem excluſo.

Piſcium verò, quæ non animal pariunt vivum, ſed ovum duntaxat, duo item genera ſunt. Eſt cùm ova ſunt magna, perfectaque; quibus ruptis, prodeat piſcis. Hoc contingit in ovis rajarum, ranarum, caniculatum item, quas σελάχη nuncupant: ut Ariſtoteles eſt teſtis Hiſtoriæ Animalium lib. VI, cap. X *a*. Eſt item cùm ova ſunt imperfecta, parva puta, molliaque; qualia diutiùs utero nequeunt continere; tum quia is anguſtior ſit, quàm ut ſufficere his poſſit indies incrementum capientibus: tum etiam quia frigidius eſt piſcium temperamentum, quàm ut exteriorem tot ovorum partem reddere valeat ſolidam, duramque. Iſtiuſmodi ovis θορὸν, ut vocat Ariſtoteles *b* (*vitale virus* nuncupat Plinius *c*) ſuperfundit mas. Quod in glaniis declarat idem philoſophus *d*. Mas & femina τοὺς πόρους, ſive meatus genitales, quos aliqui ὀμφαλοὺς, ſive umbilicos vocant, conjungunt. Eo attritu excitatur utrimque libidò. Femella igitur parit ova: mas ejaculatur ſemen ſupra ova. Tantum enim ei ſeminis eſt, ut non ſolùm ſufficiat ad coitum, & primam conſtitutionem; ſed etiam, ut jam ova in lucem edita faciat genitalia. Quæcunque enim ova genitura fuerint adſperſa, ea fiunt utilia ad generationem; cætera ſterileſcunt, ac ſupervacua ſunt. Unde Plinius *e*: *Nec ſatis eſt generationi perſe coitus, niſi, editis ovis, inter ſe verſando mares, & feminæ, vitale adſperſerint virus. Non omnibus id contingit ovis in tanta multitudine: alioqui replerentur maria, & ſtagna; cùm ſinguli uteri innumerabilia concipiant.* Quibus ſemen eſt ſuperfuſum, adſperſione eâ fiunt candida, ac viſcida: unde adhærent radicibus, lociſve aliis, ubi edita ſunt. Tantum verò incrementi ſubitò capiunt, ut primum intra diem, vel proximum ſaltem, jam animadvertere id liceat; in glanio ad magnitudinem ervi; in cyprino autem milii. Mox ſe oculi oſtendunt. Auctis jam piſcibus, excutitur membrana quædam ovum cum piſciculo continens: hinc & ovo rupto piſciculus prodit. Ea tardiùs fiunt in cyprino; magis etiam in glanio: in minimis verò, vel tertio die piſciculos conſpicias. Cæterùm quia tardiſſimum eſt glanio ex ovis augmentum, & femella ova, quæ peperit, negligit: eò mas vel XL, aut L diebus, aſſidere iis, ac obſervare ſolet, ne fœtus à piſcibus occurrentibus devoretur. Ac ſic quoque multa pereunt ex ovis, quæ fluctu auferuntur. Cyprino etiam mos ova cuſtodire: ſed nonniſi ſuis in unum compoſitis intervenerit. Quod cùm forte fortuna fit, amat & ipſe ea ſervare.

a *Sive ex Cæſaris Scaligeri diſtinct. cap. 8. ſect. 102.*
b *Lib. 3. Hiſt. Anim. cap. 20.*
c *Lib. 9. cap. 50.*
d *Lib. 6. Hiſt. Anim. cap. 14. ſive diſt. Cæſ. Scal. cap 13. ſect 156.*
e *Lib. 9. cap. 50.*

Venio ad generationem æquivocam, ſive eorum, quæ ſine ovo, ſine ſemine producuntur. Hos è duplici Ariſtoteles *f* materie ait provenire, ἐκ τῆς ἰλύος, καὶ ἐκ τῆς ἄμμου· *ex limo, & arena.* Duo item piſcium genera facit; quia nonnulli nunquam fiunt è coitu; quidam plurimùm, non ſemper. Poſterioris generis ſtatuit mugilum genus: ut cujus materies interdum ſit limus ex aqua pluvia. Unde liquet, Ariſtoteli animalia, quæ univocâ, quæque æquivocâ generatione fiunt, ejuſdem eſſe generis. Hoc qui negant, objectant, ſpecie differre, quæ principiis differunt. Verùm non principia diſcrepant, quoad οὐσίαν *g*, ſed duntaxat accidenti; quod ſubſtantiam non mutat. Imò non abſurda eorum eſt opinio, qui arbitrantur, æquivocâ generatione naſcentes ex ſemine piſcium ſui generis provenire. Satis enim conſtat, anates, fulicas, ardeolas, aliaſque ejus generis, vorare piſcium ova. At nihil abſurdi ſit, ſi dicamus, ova hujuſmodi, dum ſtomacho concoquuntur fieri ſolutiora, atque ex iis unà cum excremento egeſtis, piſces variè enaſci, pro naturâ ſeminis adſumti, & ſic concocti. Falli verò, qui omne mugilum genus ſponte naſci putant, arguit, quòd feminas *h* invenire ſit ova geſtantes; mares verò cum ſemine genitali. Idem dixero de erythinis, & chanis. Nam, ut Plinius *i* ait, *ovis gravidæ capiuntur.*

f *Lib. 6. Hiſt anim. cap. 15. ſive Cæſ. Scalig cap. 14 ſect. 167.*
g *Subſtantiam.*
h *Ariſtot. loco memorato.*
i *Lib. 9. cap. 16.*

At apuarum eſt genus, cujus generatio ſemper ſit æquivoca. Nec enim prolem procreat, nec grandeſcit, nec diu vivit: ſed ſolùm ab Arcturo auctumnali ad ver uſque. Nempe hæc fiunt ob principiorum infirmitatem. Gignuntur locis fœtidis, & largos poſt imbres caleſcente ſæpius ſpumâ: unde & piſciculi ſic geniti, ἀφροὶ dicuntur Ariſtoteli; Athenæo ἀφρῖτιδες. At apua illa, quæ κωβῖτις vocatur, quaſi *gobialem* dicas, ſemper fit è piſcibus. Nam procreant eam κωβιοὶ *a* μικροὶ, καὶ φαῦλοι, *gobii minuti, & ignobiles*, ſive degeneres. Quemadmodum & alia eſt apua, γόνος *b* μαινίδων, καὶ κεστρέων· *fætura menadum, & mugilum.*

Ex limo, vel putreſcente materia, generatio *c* eſt illis, quæ dicuntur ὀστρακόδερμα, hoc eſt, σκληρόστρακα, ob duram, ac ſiliceam teſtam, quâ operiuntur. Plinius lib. IX, cap. LI: *Quæ verò ſiliceo tegmine operiuntur; ut oſtrea,* (proveniunt) *putreſcente limo, aut ſpumâ circa navigia diutius ſtante, defixoſque palos, & lignum maximè.* Æliano *d* ſunt conchæ, murices, buccinæ, turbines, echini, locuſtæ. Porrò etſi Plinius, poſt verba proximè adlata, ſubjungat; *Nuper compertum in oſtreariis, humorem iis fœtificum lactis modo effluere*: non tamen hinc colligi poſſit, oſtrea coitu generati. In talibus enim ob teſtas affrictus, vel contactus, eſſe nequit. Ariſtoteles quoque lib. III de Generat. Animal. cap. ult. idem eo evincit, quòd in navibus etiam ex limo, & ſpumâ putreſcente, proveniant, quæ λιμνόστρεα vocantur, quaſi dicas, *oſtrea in paludibus progenita*: nempe quia hic plurimùm naſcantur. Item eo, quòd cùm ad Rhodum appuliſſet claſſis, fictilibus in mare projectis, temporis progreſſu, è cœno iis agglutinato oſtrea in illis nata ſunt. Prætereà quòd Chii nonnulli, cùm è Pyrrha Lesbi inſulæ vivas portaſſent oſtreas, inque loca βορβορώδη *e* (perperam Gaza διεχρώδη *f* legit) demiſiſſent; poſt aliquod temporis ſpacium majores quidem, at non plures, repererunt. In hiſce limnoſtreis pro natura luti variat ſpecies. Locis arenoſis conchæ naſcuntur, cœnoſis oſtrea: holoturia autem, & balani, originem capiunt in cavernis petrarum; lepades, ac neritæ, ſummis adhærent petris.

a *Ariſt. lib. 6. Hiſt. An. cap. 15.*
b *Idem ibid.*
c *Idem lib. 5. Hiſt. An. cap. 15.*
d *Lib. 11 Hiſt. An. cap 37.*
e *Putrida.*
f *Reciprocos maris æſtus habentia.*

Anguillæ *g* etiam reponendæ in iis, quæ ſine coitu naſcuntur. In his diſſectis neutrum ſexum; nec vel ova, vel ſemen, deprehendas. Proveniunt non temporibus ſiccis, ſed poſt imbres; idque ex iis, quæ vocantur γῆς ἔντερα, *terræ inteſtina*: quæ fiunt in cœno, & putredine; maritimis quidem locis, quæ algam producunt; in ſtagnis verò, & fluviis, prope ripas, quia tepor ſive calor iſtic putredinem gignit. Veriora iſta ſunt illis, quæ prodit Plinius lib. IX, cap. LI: *Anguillæ atterunt ſe ſcopulis: ea ſtrigmenta viviſcunt: nec alia eſt earum procreatio.*

g *Ariſt. lib 6. Hiſt. An. cap. 16.*

Cap. II.

Ut generatio piſcium intelligatur primùm de coitu agitur. Quid piſces habeant loco teſtium. Interim & teſtes eſſe nonnullis: ut delphino, balænæ, & phocæ. In piſcibus etiam ſitu differre maris, & feminæ teſtes. Cur ii piſcium nullis propendeant foras. Miranda penis magnitudo in balænis; & cur minor obtigerit delphino. Quare teſtes, & penem habentibus dati quoque ſint pulmones. Ex numero piſcium, qui attritu ventrium coeunt, excipi cartilagineos minoris caudæ; quales marem tergo non admittunt. De coitu teſtudinis, anguillæ, vituli marini, cancri, ſepiæ, lolliginis. Cur in piſcium multis obſcurus ſit coitûs modus, contrà quam fit in balænis. Piſces verno imprimis tempore in Venerem ruere: quoſdam interea alio anni tempore congredi. Ad coitum piſces latebras ſectari. A coitu ad geſtationem fœtus tranſimus: ubi attenditur, tum diſpar ſpatium, tum diverſus uteri ſitus. Χηλὼν, & μύξων, *unde nomen acceperint. Denique ad partum devenimus: qui nunc vivi eſt animantis; nunc, uti dictum antea, ovi perfecti, vel imperfecti. De diverſo ovorum colore, & quamobrem cum dolore etiam à* piſci-

piſcibus edantur. Ovorum copiam eſſe imprimis mugili, harengo noſtro, & manidi. Harengus veteribus ignotus fuit; ut nec halex, nec manis, vel leucomanis, vel gerris, debeat putari. Piſcium quorundam ova monilis inſtar cohæreſcere. Quibus locis parere gaudeant piſces. Quot fœtus pariant piſces vivipari; & cur non plures duobus. Cur ovipara tot ponant ova. Quoties pariant lupus, trichias, mulli, cyprini, ſcorpiones, ſargi, ſquatina, ſalpæ, ſquali, ſepiæ: & de pleriſque eorum, quando pariant. Cyprinorum fœcunditas miranda: atque obiter additum de fœcunditate plantarum.

HÆc univerſè dicta ſint de generatione. Nunc particulatim loquar de tribus hiſce; coitu, geſtatione fœtus, & partu.

In coitu ſpectantur ejus inſtrumenta, modus, tempus, locus. Inſtrumenta ſunt, quæ *genitalia* vocamus; ut in utroque ſexu teſtes, in virili penis, in femineo vulva.

Si Ariſtoteli fides in IV de Partibus Animal. cap. XIII, & Hiſt. Anim. lib. III, cap. I; piſcibus nulli intus, vel foris, ſunt teſtes; uti nec ſerpentibus: ſed bini illis meatus ſunt à ſepto tranſverſo, pendentes ex utraque ſpinæ parte, qui coitus tempore ſemine repleantur. Idem tamen initio lib. III Hiſt. Anim. delphinum habere teſtes agnoſcit. Præterea verò balænæ, ac vitulo marino, teſtes ſunt; etiam feminis; ſed ad uteri cornua, non in imo ventre prope veſicam, uti maribus. Porrò in hoc etiam divina ſe exſerit providentia, quòd piſcium hi foris ſint nulli. In natando quippe impedirent, & aquis nimis redderentur frigidi. Qui reſpirant, & teſtes habent, etiam penem acceperunt, eumque parem longitudini vulvæ. In balænis is eſt quatuordecim cubitorum. Ac Rondeletius *a* ait, ſe vidiſſe, qui, à procero homine humeris deportatus, terram contingeret; unde non difficilis eſt conjectura, quantus is ſit libidine concitis. Delphinis ſapienter minor eſt tributus, quia vulva non eſt in alto ſita, facileque copulantur. Quibuſcunque verò provida natura teſtes, & penem dedit, hi ſanguinis ſunt calidioris; eoque, ad refrigerandum eum, pulmones quoque acceperunt. Squamoſi verò, molles, & alii magno numero, hiſce partibus carent. In orpho etiam non reperiri meatus ſeminis, ab Athenæo proditum eſt. Hæc de organis.

a *Lib.* 3. *cap.* 23.

Modum etiam coitus ſcire juvat naturæ myſtas. Nihil quippe eſt in operibus divinis, quod non conſiderationem mereatur. Modum eum Ariſtoteles exponit lib. V Hiſt. Anim. cap. V: item Plinius lib. IX, cap. L, & LI. Ajunt verò, coitum fieri ventrium attritu. Excipit interim Ariſtoteles cartilagineos, non omnes quidem, ſed quibus minor eſt cauda: ut rajam, paſtinacam, ſimiliaque: quæ præterea à tergo marem recipiunt. Id non poſſunt cartilagineorum iſti, quibus cauda eſt lata. Hæc quippe impedit, quò minùs mas à dorſo admittatur. Quædam etiam cartilaginea adverſa inter ſe, ſive caudis inverſis, inſtar canum terreſtrium, cohærent. Recepta eſt opinio, maribus cartilagineis duas circa anum eſſe appendices, quibus coeant. *At*, inquit Rondeletius *b*, *ego illas ſæpe multumque contemplatus, non video, quo pacto his coire illi poſſint: potius igitur ad retinendas feminas factas eſſe arbitror.*

b *Lib.* 4. *de piſc. mar. c.* 5.
c *Lib.* 4 *de piſc. mar. cap* 5.
d *Cruſta contecta.*
e *Ariſt. lib.* 5 *Hiſt. Anim. c.* 7. *ſect.* 51. *& alibi ante.*
f *In averſum.*
g *Retro lotium reddentia.*
h *Sect.* 146. *diſt. Caſ. Scal.*

Teſtudines tam marinæ, quàm paluſtres, tergum feminæ adſcendunt. Anguillæ, murænæ, congri, aliique piſces longi, ventribus admotis congrediuntur. De quo Rondeletius *c*: *Vidi equidem ſæpe anguillas hoc modo copulatas in Lado capi.* Vituli marini, & μαλακόστρακα *d*, ut cancri, locuſtæ, ſquillæ, & ſimilia, ob caudam aliter nequeunt coire *e*, quam πυγηδὸν *f*, more quadrupedum eorum, quæ ὀπισθουρητικὰ *g* dicuntur. Sepiæ, & loligines, in coitu os ori, nares naribus, brachia brachiis jungunt: ut ait Ariſtoteles lib. V Hiſt. Anim. cap. VI *h*. Atque ibidem refert, & ſemen recipere, & ova parere, per φυσητῆρος, ſive fiſtulam. At cap. VII narrat, ut cancri coeant. Nempe minor, qui mas eſt, tergum inſcendit: tum major, ſive femina, invertit ſe in latus: atque ita κατὰ τὰ ἐμπρόσθια, ſive partibus anterioribus, ſociantur, operculis mutuò applicitis.

Sed omnino difficile eſt adferre omnem coitus rationem; quia alii quidem è piſcibus ad coitum latibula quærunt; alii verò, mox ubi congreſſi, digrediuntur; ut tam breviculo ſpatio difficilis ſit obſervatio. Res tamen ſatis aperta eſt in balænis, aliiſque, quæ vivum pariunt fœtum. Hæc enim diutius in coitu occupantur: ut de iis traditum Ariſtoteli lib. IV Animal. Hiſt. cap. V. Quem in locum *a* ſic Cæſar Scaliger annotavit: *Cantabri, cum hæc ſcribebamus, narrarunt nobis, balænam (earum enim apud eos menſe Majo magna captura) à ſe viſam ſæpe inverſam ſupinam marem excipere, & hominum more coire.* De modo ſatis. a *Sect.* 36.

Tempus coeundi mirè variat. Thynnus, pelamys, & ejus generis alia, ſemel quotannis congrediuntur. Lupus, trichias, & cuncti ſaxatiles, bis annis coeunt ſingulis. Similiter ſcorpiones, vere, & auctumno. Mulli ter. Omni verò anni tempore, more humano, conſueſcunt cyprini, murænæ, ſepiæ, vituli marini. Hoc inde cognoſcitur, quia quavis anni parte pariunt. Præcipuè autem, ut quadrupedes, & aves, ſic piſces etiam, verno tempore incaleſcunt: quod Ariſtoteli quoque proditum lib. V Hiſtor. Animal. cap. VIII *b*.

b *Sive ex Cæſaris Scalig. diſtinct. cap.* 9. *ſect.* 55.

Quod ad locum (id poſtremum erat è quatuor iſtis, quæ in coitu conſideranda propoſueram) piſces, aliorum inſtar animalium, fere ad congreſſum, uti & fœtus educationem, latebras quærunt. Atque hoc in cauſſa eſſe diximus, cur pauca adeò de modo coitus ſciantur. Interea hac parte etiam plura ſi nôſſe voles, deſiderium fortaſſe explebit Rondeletius lib. IV de Piſcibus marinis, cap. VI.

A coitûs conſideratione accedo ad geſtationem fœtus. De hac eſt cognoſcere exinde, quòd intra annum omnes parere, pronunciatum ſit Ariſtotelis lib. VI Hiſt. Animal. cap. XIV *c*. Sed ut magis particulatim dicam, novem ea, decemve menſium eſt in balænis, delphinis *d*, & ceteris è ſemine vivum parientibus fœtum. Diuturna quoque illis, qui ex ovo animal pariant vivum: ut vulpes, acanthiæ, galeæ leves. At breve ejus tempus imperfecta edentibus ova, ut ſquamoſis. Quod inde cognoſcitur, quia tam crebrò pariant intra annum. Diebus ſolùm XXX gravidus eſt ſargus; ut Ariſtoteles ait lib. VI Hiſt. de Animal. cap. XVII. Niſi cum Rondeletio hìc pro σάργος legendum σαργῖνος: qui piſcis eſt à ſargo diverſus; ut ex Athenæo *e* cognoſcitur. Idem Ariſtoteles inibi tradit de labeone in mugilum genere: qui Græcis χελὼν à labiis. Cæſar Scaliger cenſet, eundem eſſe, quem Ovidius *f* vocat *labrum*, Plinius *myxonem*, ſive μύξωνα, q. d. *muconem*, ἀπὸ μύξα, id eſt, *mucus*, *pituita*.

c *Sive ſecundum Cæſaris Scaligeri diſt. c.* 13. *ſect.* 150.
d *Plinius lib.* 9 [illegible] 8. *Solinus cap* 22.
e *Lib.* 7.
f *In Halieuticis.*

Uterus, quo geſtatio fit, quibuſdam eſt ad ſeptum tranſverſum; quales intus concipiunt, vivumque pariunt ex ovo: aliis loco inferiori; ut in ſquamoſis.

Supereſt partus; in quo primò attenditur, quid pariant. De iſto jam diximus, quoſdam vivum parere piſcem ex ſemine, quadrupedum more: quoſdam ex ovo intus excluſo, ad modum viperæ: quoſdam non vivum parere animal, ſed ova; eaque vel perfecta, ut fit in rajis; vel imperfecta, quæ foris ſemine maris ſuperfuſa excreſcunt.

Ova ſquamoſis fere omnibus ſunt alba; hippocampi rubent; hirundinis ova colorem referunt corallii; uti & illa cancrorum, aliorumque, quæ conteguntur cruſtâ.

Licet verò ova piſcium ſint minuta; non tamen ea magnum citra dolorem ponunt; idque ob ingentem illorum copiam: imprimis mugil, ut Ariſtoteles *g* teſtatur. Atque idem per eſt veriſimile de harengo noſtro, piſce veteribus, ut videtur, ignoto: ut quibus exigua maris Septentrionalis fuerit notitia. Hic quandoque tantum continet ovorum, ut pondus æquet piſcem ipſum. Itaque nihil mirandum, ſi ob ſummam ejus fœcunditatem tantum haren-

g *Lib.* 6 *Hiſt. anim. cap.* ...

rengorum ſalitorum in exteras mittatur terras. Vulgo *halecem* nuncupant. Sed alius is piſcis. Uti & μαινὶς, quæ Perſio *mæna a*, uti & Plinio. *Halecem* quidem, & *haleculam*, exponit Gaza; inque veteri onomaſtico eſt, *Halec*, μαινίς. Et harengum eſſe, eo ſuſpicari poſſis, quòd Ariſtoteles *b* ait, mænide nihil eſſe fœcundius: nec harengo ſit fœcundius quicquam. Sed hanc ſententiam Rondeletius *c* refellit: ac nihilò magis (quò Maſſarius inclinabat) leucomænides, ſive σμαρίδες, vel Plinii *gerres*, exiſtimari debent, cùm hæ è genere ſint thriſſarum.

a Sat. 3.
b Lib. 6 Hiſt. An. cap. 16.
c Lib. 5 de Piſcib. marinis, cap. 13.

Quidam verò piſces ova ſua fundunt in modum monilium, ſicut, arundine admotâ, attractoque ovorum uno, ſeriem quoque reliquam agglomeres. Hoc videre eſt in glaniis, & percis; uti & ranis. Teſtis Ariſtoteles lib. VI Hiſt. Anim. cap. XIV *d*. Sed pro glaniis, qui & γλανεῖς, & hic, & alibi ſemper, perperam apud Gazam eſt *ſilurus*; cùm eos diſtinxerit Athenæus; ac Ælianus quoque ſimiles, non eundem dicat piſcem. Sed de ſiluro pluribus inferiùs agemus.

d Sive ex diſt. Cæſ. Scal. cap. 13. ſect. 154.

Præterea videndum, ubi, & quoties, & quando pariant. Sed de loco in multis minùs liquet. Nam, ut fœtui conſulant, deliteſcere amant. Λάροι, ſive gaviæ, pariunt in cautibus maritimis: glanii, qui & γλανεῖς, in aquis profundis; majores etiam, ubi ſex pedum altitudo; minores ad radices ſalicis, vel alterius arboris, vel arundines, vel muſcum: ut eſt apud Ariſt. lib. VI Hiſtor. Anim. cap. XIV *e*. Atque ibidem *f* legas, cyprinum, & fere lacuſtrium, ac fluviatilium alios, ut pariant, appellere ſe πρὸς τὰ βράχεα, *ad vada*. Ut hac parte multum differant à glaniis majoribus, de quibus dixi.

e Secundùm diſt. Cæſ. Scal. cap. 13. ſect 155.
f Sect. 162.

Deinceps de numero fœtus diſtinctè agam; priùs de viviparis, hinc de oviparis. Balænæ, & quæcunque vivum pariunt fœtum, ut Ariſtoteles ait *g*, unicum parere ſunt contenti, ſummùm geminos. Delphini *h* item, & phocænæ, rarò binos edunt, unum ſæpius. Vituli marini pariunt binos. Nempe quia duo duntaxat utero ſint ſinus, eo numerus in piſcium memoratis non exceditur, niſi fiat ſuperfœtatio.

g Lib. 6 Hiſtor. Anim. cap. 12.
h Plinius lib. 9. c. 8.

At creberrimus illis partus, qui ova pariunt imperfecta, eaque innumera, & parva. Nam quia plurima eorum pereunt, eò Deus ſapientiſſimus, ne interiret genus, defectum hunc copiâ compenſavit.

Ad ovipara quod attinet, geminum in iis ſe offert diſcrimen. Prius illud, quòd poſtquam ova pepererint; in his citiùs, in illis tardiùs, vivus inde prodeat fœtus. In iis, quæ θορῷ *i* ſuperfundi opus, exigitur triduum duntaxat: in ſiluro, mureque marino, etiam diebus opus L, aut XXX. De quo ſic Plinius lib. IX, cap. LI: *Silurus mas ſolus omnium edita cuſtodit ova, ſæpe & quinquagenis diebus, ne abſumantur ab aliis. Cæteræ feminæ in triduo excludunt, ſi mas attigit.* Et mox: *Mus marinus in terrâ, ſcrobe effoſſo, parit ova, & obruit terrâ. Rurſus triceſimo die refoſſis aperit, fœtumque in aquam ducit.*

i Semine.

Alterum diſcrimen attinet ad anni tempus, & numerum fœtus. Τῶν γαλεῶν, ſive muſtelorum, is qui ἀστερίας dicitur (*ſtellarem* vertit Gaza) bis de menſe parit, teſte Ariſt. *k* Cæteri muſteli bis quotannis, caniculâ exceptâ; quæ ſemel in anno parit *l*. Ut liqueat, caniculam eſſe parum fœcundam; ſteriam, fœcundiſſimum. Mænides pariunt brumâ; pelagici majorem partem æſtate; unde tum neutiquam capiuntur. Tum item parit anthias, & mox aurata, lupus, mormyrus, & quos Ariſtoteles vocat δρομάδας, Gaza reddit *curſiones m*. Coracinus parit περὶ τὸν πυραμητὸν, *circa tempus menſis triticeæ*: ut eſt apud Ariſtotelem *n*. Sed longum fuerit de ſingulis dicere. Contentus ero uno Plinii loco; qui eſt lib. IX, cap. LI: *Piſcium lupus, & trichias, bis anno parit, & ſaxatiles omnes. Mulli ter, ut chalcis.* Sane is Græcis inde τρίγλη, quaſi τρίγονη, hoc eſt, τρίγονος: ut apud Euſtathium legas in Odyſſ. X *o*. Imò hunc partus numerum docuerunt antea Ariſtoteles, & Athenæus: ut oſtendi lib. II, cap. XXIX; ubi & Oppiani de eo locum adduxi. Subdit deinde Plinius: *Cyprinus ſexies parit.* Pro eo, πεντάκις, ἢ ἑξάκις *a*, apud Ariſtotelem legas in Hiſt. Anim. *b*. Hinc ſequitur: *Scorpiones bis, ac ſargi, vere, & auctumno. Ex planis ſquatina bis, auctumno, & Virgiliarum occaſu.* Ac ſimiliter Ariſtoteles *c*. Inde legas: *Plurimi piſcium tribus menſibus, Aprili, Majo, Junio. Salpæ auctumno: ſargi, torpedo, ſquali, circa æquinoctium: molles, vere: ſepia, omnibus menſibus. Polypi hieme coëunt, pariunt vere.* Poſt aliquammulta ſubjungit: *Torpedo octogenos fœtus habens invenitur: eaque intra ſe parit ova præmollia, in alium locum uteri transferens, atque ibi excludens. Simili modo omnia, quæ cartilaginea appellavimus.* Et hæc de piſcium fœcunditate. In quibus illa cyprini eſt ex primis. Nam ſexies illum quotannis parere, dicebamus. Itaque qui numerorum doctrinam tradunt, oſtendunt, cyprinorum propagatione annis XII continuatâ, tantam fore multitudinem, ut, modò cuique eorum ſpatium detur ſex pedum, ne univerſum quidem mare iis poſſit ſufficere. Nec iſtis abludunt, quæ de mira ovium, & avium fœcunditate ſuperiùs afferebamus. Similiter quoque ſe res habet in plantis. Quippe ſi unicum piſum annuatim proferat XXX, tantum inde piſorum intra annos fuerit XII, ut emi nequeat aureis 1060882000000: imò univerſam terram circumtegere valeat ad altitudinem non exiguam. Hujuſmodi ut mirandam naturæ fœcunditatem, ita ſummas bonitatis divinæ erga hominem divitias oſtendunt.

k Lib. 6 Hiſt. An. cap. 11. ſive diſt Scal c. 9. ſect. 110.
l Sect III.
m Curſores mali Scaliger ad lib. 6. ſect. 189.
n Lib. 6 Hiſt anim. cap. 16. Scal. ſect. 205.
o Pag. 1934. edit. Rom.
a Quinquies, vel ſexies.
b Lib. 6. cap 14.
c Lib. 6 Hiſt. An. cap. 11. ſive diſt Cæſ. Scal. cap. 9. ſect. 112.

CAP. III.

Ab origine vitæ piſcium ad durationem ejus tranſitur. Callionymus, ſive uranoſcopus, movet ſe penitus exenteratus. Cor ſalmoni exemtum vivit diem integrum. Quamdiu purpura, & buccina, ſuppetat vita; & quo pacto ætas earum cognoſcatur. Quam longa delphinis ætas, & unde id deprehenſum. Thunnorum ætas, item anguillarum; deque ea Platinæ lapſus. De ætate polypi, ſepiæ, cancri, ranæ. Temporibus Senecæ in piſcinis Cæſareis fuiſſe piſces ſexaginta annis majores. De lucio piſce poſt CCLXVII annos capto, quàm impoſitus eſſet ſtagno ab ipſo imperatore.

HÆc de origine vitæ. Nec ejus ortu ſolùm differunt piſces; ſed etiam duratione. Alii enim aliis magis ſunt vivaces. Callionymo quidem, (ut Ariſtoteles, Dioſcorides, & Ælianus, vocant, qui Plinio, Galeno, & Athenæo quoque, *uranoſcopus* dicitur) piſcis eſt uſque adeò vivax, ut cunctis etiam viſceribus exemtis, moveatur nihilominus: quemadmodum Bellonius *d* de eo teſtatur. Salmonem etiam eſſe vivacem, exinde colligas, quòd cor illius extractum diutius vivat, quàm alterius cujuſquam animalis: ut memoriæ prodidit Albertus M. Atque addit, fraudulentos piſcatores, ut piſces magis ſint vendibiles, cor ejus mortuis, ac morientibus aliis, ſupponere, quò ſuperiores illi vivere adhuc exiſtimentur. De vivacitate eâ cordis, teſtis quoque Robertus Conſtantinus in Supplemento L. L. *e* *Cor exenterati* (ſalmonis) *adſperſum aquoſa ſanie ſalmonis elati, ultra diem vivere conſpeximus Baſileæ.*

d Lib. 1 de Aquatilibus, cap. de callionymo.
e Voce Salmo.

Sed ex iſtiuſmodi, de longâ quidem piſcium ætate capere eſt conjecturam: non tamen de annorum numero præfinire liceat quicquam. Quare de certo in iis vitæ ſpatio deinceps videamus.

Ariſtoteles lib. V Hiſt. Animal. cap. XIV *f*, πορφύραν καὶ κήρυκα, *purpuram, & buccinam*, ait vivere ad annum uſque ſextum: ac manifeſtum quotannis incrementum deprehendi τοῖς διαστήμασι τοῖς ἐν τῷ ὀστράκῳ τοῦ ἑλικος· *ex tortuoſis teſtæ intervallis.* Non multum abit Plinius, cujus verba ſunt *g*: *Purpuræ vivunt annis plurimum ſeptenis.*

f Sect. 149. ex diſtinct. Cæſ. Scal.
g Lib 9. cap. 36.

Delphini etiam vivunt ad annum XXV, vel XXX: quod eo deprehenſum à piſcatoribus, quia, quos in experimentum

tum præciſâ caudâ reddidiſſent mari, iterum tanto pòſt cepiſſent: ut eſt apud Ariſtotelem lib. VI Hiſtor. Anim. cap. XII *a*, & Plin. lib. IX, cap. VIII.

a Diſt. Caſ. Scal. 10. ſect. 125.
b Lib 9. cap. 15.
c Lib. 9. cap. 21.
d Lib. 10. rei culinariæ cap. de anguillis.
e Lib. 9. cap. 30.
f Lib. 9. cap. 31.
g Lib. 9. cap. 51.
h Lib. 9. cap. 53.

Thunnis, ut Plinius *b* ait, *vita longiſſima biennio.* Anguillæ ſeptem octove vivunt annis, ſecundùm Ariſtotelem: poſteriorem numerum ſecutus Plinius *c.* At Platina *d*, credo, vitioſis admodum codicibus deceptus, pro *octonis* annis ſcripſit *octoginta.* Polypis, vel ſepiis, ut idem Plinius *e* refert, *non bimatu longior vita.* Cancris ait *f* vitam longam: ſed annos, non definit. Eodem auctore *g*, *ranæ ſemeſtri vitâ reſolvuntur in limum nullo cernente, & rurſus vernis aquis renaſcuntur, quæ fuere natæ, perinde occultâ ratione, cùm omnibus annis id eveniat.* Nullum autem longioris vitæ exemplum ab eodem *h* relatum, quàm quod nunc ſubjungam: *Ævi piſcium memorandum nuper exemplum accepimus. Pauſilypum villa eſt Campaniæ, haut procul Neapoli: in ea in Cæſaris piſcinis à Pollione Vedio conjectum piſcem, ſexageſimum poſt annum exſpirâſſe, ſcribit Annæus Seneca, duobus aliis æqualibus ejus ex eodem genere etiam tum viventibus.* Quem locum fruſtra quæras in iis Senecæ libris, qui hodie ſuperſunt.

i Præfat. operis de piſcibus.

Nihil verò æquè mirandum, quàm quod de lucio piſce retulit Conradus Celtes, primus Germaniæ poëta laureatus, qui temporibus claruit Cæſaris Maximiliani primi: quodque ex Conrado eo Conradus Geſnerus *i* perſcripſit ad Imperatorem Ferdinandum I; cujuſmodi heroi nemo bonus illudere mendacio velit. Is narrat Cæſari, ut anno partæ per Chriſtum libertatis CIↃ CCCC XCVII, in ſtagno circa Hailprun, imperialem Sueviæ urbem, captus fuerit lucius piſcis cum annulo ex ære Cyprio in branchiis ſub cute, parte ſui ſplendens. Ei annulo inſcriptum erat: Εἰμὶ ἐκεῖνος ἰχθὺς ταύτῃ λίμνῃ πάντων πρῶτος, ἐπιτεθεὶς διὰ τοῦ κοσμητοῦ Φεδερίκου β' τὰς χεῖρας, ἐν τῇ ε ἡμέρᾳ τοῦ Ὀκτωβρίου α' σ' λ'. *Sum piſcis ille primus omnium huic ſtagno impoſitus manibus imperatoris Frederici* II, *die* V *Octobris*, CIↃ CC XXX. Quare, cùm caperetur piſcis ille, annorum jam fuerit CC LXVII; ut non accenſeas ſpatium, quo vixerat, priuſquam ſtagno eum impoueret Cæſar Fredericus.

Cap. IV.

Dividuntur piſces in marinos, fluviatiles, & lacuſtres, vel paluſtres. Marini item vel pelagii ſunt ſive profundi maris, vel ſaxatiles, vel litorales. Marinorum item aliqui etiam ingrediuntur ſtagna, qui λιμνοθαλάττιοι *vocantur: aliqui ſubeunt fluvios; idque vel caſu, vel conſilio; item vel animô redeundi ſuo tempore, vel ut omnem illic vitam exigant. Præterea eſſe piſces amphibios, nunc in aquis, nunc in terra degentes: ut ſunt phocæ, teſtudines, polypi, mures marini, murænæ, exocœti. Unde nomen* exocœto, *& ut aliter dicatur* Adonis; *item ut in terram exiens ſibi caveat ab aviculis. Piſces in Gallia Narbonenſi è terra erui, pro mendacio habitum Pomponio Melæ: ſed pro vero agnitum Ariſtoteli, Theophraſto, Polybio, Straboni, Athenæo: & quam ejus rei cauſſam eſſe Ariſtoteles putârit. Plinii loca varia de id genus piſcibus ex Theophraſto hauſta. Exemplum ejuſdem rei ex hiſtoria Romana, & alia noſtrorum temporum. An piſces foſſiles ſub terris ſine aqua poſſint vivere. Cur piſcium illi, qui in terram cibi, vel ſomni cauſſâ, egrediuntur, alii aliis diutius hic degere ſuſtineant, duplex cauſſa adfertur: quarum prior habet locum in iis, quibus ſunt pulmones; altera in iſtis, qui branchiis reſpirant.*

De vitæ in piſcibus origine, & duratione egimus: nunc conſiderabimus, quomodo differant ratione eorum, quæ vitæ genus tangunt.

Piſcium alii ſunt θαλάττιοι, ſive marini; alii ποτάμιοι, ſive fluviatiles; alii λιμναῖοι, ſive lacuſtres: ſub quibus πλματαίους, ſive paluſtres, comprehendimus.

Marinorum item alii πελάγιοι, qui in imo ſive profundo maris degunt: alii αἰγιαλώδεις, ſive, ut Hippocrates *a* vocat, ἀκταῖοι, quia litora, ſive terris proxima eligunt loca: alii πετραῖοι, qui loca tenent prope ſaxa. Primi generis ſunt thynni, paſtinacæ, aſelli, & ſimiles. Alterius ſunt, mulli, gobii, mugiles, & alii. Tertii, inter cæteros, ſunt ſcari, merulæ, percæ. Hippocrates in ſecundo de victus ratione τοῖς πετραίοις, ſive ſaxatilibus, opponit τοὺς πλανήτας, ſive errones: quales imprimis ſunt, qui πελάγιοι vocantur. Hi enim pabuli ergo huc illuc vagantur. Quare ſubinde & prope ſaxa, & litora etiam, inveniuntur.

a Lib. de Aſſ. Bienibus.

Nec marini ſolùm loca mutant in mari: ſed quidam etiam è mari exundante, vel ventis agitato, in ſtagna ſe recipiunt, vel quoque per alveos effoſſos eò derivantur. Hoc ſæpe uſu venit in rhombis, ſoleis, paſſeribus, lupis, gobionibus, canceris, atque aliis. Hujuſcemodi piſces non ſimpliciter λιμναῖοι, ſive lacuſtres, ſed λιμνοθαλάττιοι vocantur, quaſi partim marini, partim lacuſtres. At verè proprieque lacuſtres ſunt, quando aquæ è montibus ruentes ſtagna faciunt. Hoc pacto inter cæteros lucii, percæ, cyprini, lacuſtres nominantur.

Quemadmodum verò marinorum nonnulli in ſtagna deferuntur: ita alii quidam in fluvios ſe recipiunt. Utrumque non caſu modò fit, ſed etiam conſilio. Plin. lib. X, cap. XIX: *In ſtagna, & amnes tranſeundi pleriſque evidens ratio eſt, ut tutò fœtus edant: quia non ſint ibi, qui devorent partus; fluctuſque minus ſæviant.* Sunt hi duûm generum. Aliqui, in mari producti, ſubeunt fluvios, & hic dulcedine aquæ capti reliquum degunt ætatem. Nonnulli item, licet & ipſi fluvios ingrediantur, non penitùs tamen obliviſcuntur natalis loci: ſed ut veniendi, ita & regrediendi tempus ſciunt. Tales ſunt ſalmones, aloſæ, lampetræ, ſturiones. Ab utroque hoc genere diverſi ſunt, qui ut in flumine naſcuntur, ita ſemper ſe in eo continent. Hi propriè *fluviatilium* nomen poſſident.

Sunt & piſces amphibii, ſive ancipites: qui è mari, aut fluvio, ſe in terras receptant, atque ibi paſcuntur. Plinius lib. IX, cap. III, cùm de Gedroſiis eſſet locutus: *Exeunt & pecori ſimiles belluæ ibi in terram, paſtæque radices fruticum remeant: & quædam equorum, aſinorum, taurorum capitibus; quæ depaſcuntur ſata.* Idem ejuſce libri cap. VII: *Vituli marini, quos vocant phocas, ſpirant ac dormiunt in terra: item teſtudines.* Et lib. IX, c. XXIX: *Soli mollium polypi in ſiccum exeunt.* Et ejuſce libri c. XIX: *Exeunt in terram & qui marini mures vocantur, & polypi, & murænæ. Quin & Indiæ fluminibus certum genus piſcium, ac deinde reſilit.* Ac paullo antè idem dixerat: *Miratur & Arcadia ſuum exocœtum, appellatum ab eo, quòd in ſiccum ſomni cauſſâ exeat.* Nam ἐξώκοιτος dictus, quia illi ἔξω τοῦ ὑγροῦ κοίτη καὶ ἀνάπαυσις, *extra aquas cubile, & quies.* Hauſit verò iſta Plinius ex Theophraſto: apud quem hodieque ea leguntur in fragmento. De piſcibus in ſicco degentibus. Exocœtus verò, de quo poſtremò dicebam, alterum etiam nomen habet. Nam *Adonis* quoque dicitur, ut Clearchus Peripateticus prodidit libro de Aquatilibus, & ex eo Athenæus in VIII: ubi ex eodem quoque piſcem hunc deſcribit, ac memorat, ut ſibi caveat ab aviculis, quæ placido mari paſcuntur circa litus, ut ceryli, ſive alcyones mares: item trochili, ac præterea elotius: his enim conſpectis territum profugere, ac mari ſe abdere.

Piſces etiam quibuſdam locis è terra erui, Theophraſtus prodidit; ut tradit Seneca lib. III Nat. Quæſt. XVI. Proximo tamen capite, ſubdit: *Sunt qui fabulas putent, piſcem vivere poſſe ſub terra, & effodi.* Puto, ab Hiſpano Seneca ſignari Hiſpanum Melam: cujus hæc verba lib. II, cap. V, ubi Galliam Narbonenſem deſcribit: *Juxtà campus minutâ arundine, gracilique perviridis; cæterùm ſtagno ſubeunte ſuſpenſus. Id manifeſtat media pars ejus, quæ abſciſſa proximis, velut inſula natat, pellique ſe, atque attrahi patitur: quin & ex iis, quæ ad imum perfoſſa ſunt, ſuffuſum mare oſtenditur. Unde Grajis,*

noſtriſque etiam auctoribus, verine ignorantiâ, an prudentibus etiam mendacii libidine, viſum eſt tradere poſteris; in ea regione piſcem e terra penitus erui; qui ubi ex alto hucuſque penetravit, per ea foramina ictu captantium interfectus extrahitur. Ex Græcis, quos dicit, ſcriptoribus, fuere Strabo, Polybius, Theophraſtus, Ariſtoteles, ſi is mirandarum Auditionum ſit ſcriptor. Sanè Athenæus in VIII narrat ex XXXIV Polybii Hiſtoriarum, juxta Pyrenæos montes Narbonam uſque campos eſſe, per quos Illiberis, & Ruſcino, juxta civitates ejuſdem decurrant nominis: porrò in ipſis campis, multo gramine herboſis, ſi ad duos treſve cubitos foderis, piſces reperiri ſubterraneos. Idem memorat Strabo lib. IV; aitque, piſces eos limo ali, ſicut anguillas: capi verò τριόδοντι a, quibus majores capere piſces ſolent piſcatores. Ariſtoteles de Mirandis Audit. ejus rei cauſſam eſſe hanc ait, quòd lacus ingens prope Maſſiliam exundans in terras magnâ eas piſcium copiâ repleat: poſtea, Eteſiis flantibus, hos terra obrui, ac ſolidâ ſuperficie redditâ, τριόδοντι magno numero extrahi. Alia etiam de piſcibus foſſilibus adducit Theophraſtus, fragmento antè memorato Περὶ τῶν ἰχθύων ἐν τῷ ξηρῷ διαμενόντων *b*. Fuſiùs ea refert, quàm ut adſcribi commodum ſit. Sed pleraque ex eo narrat Plinius: cujus idcirco verba apponam. Locus eſt lib. IX, cap. LVII: *Piſcium genera etiamnum a Theophraſto mira produntur: circa Babylonis rigua, decedentibus fluviis, in cavernis aquas habentibus, remanere quoſdam: inde exire ad pabula pinnulis gradientes, crebrò caudæ motu, contraque venanteis refugere in ſuas cavernas.* Quæ & apud Ariſtotelem legas de mirandis auditionibus. Subdit deinde Plinius: *Circa Heracleam* c, *& Cromnam, & Lycum, & multifariam in Ponto, unum genus eſſe, quod extremas fluminum aquas ſectetur, cavernaſque ſibi faciat in terra, atque in his vivat, etiam reciprocis amnibus ſiccato litore: effodi ergo: motu demum corporum vivere eos approbant.* Atque his gemina apud Ariſtotelem legas opere memorato. Hinc ſequitur apud Plinium, quæ & ipſa ibidem ab Ariſtotele, vel alio, prodita ſunt. *Circa Heracleam eadem, eodemque Lyco amne decedente, ovis relictis in limo generari piſces, qui ad pabula petenda palpitent exiguis branchiis, quod fieri non indigis humoris: propter quod & anguillas diutius vivere exemtas aquis: ova autem in ſicco maturari, ut teſtudinum.* Ac paullo pòſt: *Idem tradit, in Paphlagonia effodi piſces, gratiſſimos cibis, terrenos, altis ſcrobibus, in his locis, ubi nullæ reſtagnent aquæ: miraturque & ipſe, gigni ſine coitu.* Habemus & exemplum in Hiſtoria Romana. Anno enim ab Urbe condita IↃLXXXI, Poſthumio Albino, & M. Popillio Lenate coſs. (ut initio libri XLII tradit Livius) *in Gallico agro, qua induceretur aratrum ſub exiſtentibus glebis piſces emerſere.* Sed hoc inter prodigioſa habitum. Unde mox Livius ſubdit: *Ob hæc prodigia libri fatales inſpecti, edictumque ab decemviris eſt, & quibus Diis, quibuſque hoſtiis ſacrificaretur.* Sed Philoſophis id non tam prodigioſum, quàm naturale, videatur. Liquet hoc ex eo, quòd Ariſtoteles ejus rei etiam cauſſam adducat; ut vidimus antea ex Auditionibus Mirandis. Vel ſi is liber alterius eſt; ſaltem genuinus eſt ille de Reſpiratione; ubi ſic ſcribit cap. IX: Ἐπεὶ καὶ τῶν ἰχθύων οἱ πολλοὶ ζῶσιν ἐν τῇ γῇ, ἀκινητίζοντες μέντοι, καὶ εὑρίσκονται ὀρυττόμενοι. *Quandoquidem & piſcium multi in terra, ſed immobiles, vivunt, & defoſſi inveniuntur.* Imò & hodie id pluribus fit locis. Ut ad Albim in Germania: in Galliis prope Salſas, arcem regiam, ultra Narbonam: & prope Monpeſſulum in pago dicto *Baillargnet*, ad ripam amnis Liriæ, vulgo *le Liz* dicto. Teſtis Dalecampius ad Plinii locum antea adlatum. Rondeletius etiam de piſcibus marinis lib. I, cap. X, ait: *In terra anguillas, ranas, alioſque piſciculos, ibidem etiam generatos ſæpenumero vidimus: & è terra defoſſas anguillas aliquoties ſpectavimus in villa Joannis Scironii, viri doctiſſimi, Monſpelienſiſque Scholæ principis.* Hæc oſtendunt miram Dei providentiam in terris ipſis piſces nutrientis.

a *Tridentibus.*

b *De piſcibus in ſicco degentibus.*

c *Al.* Circa Heracleam ad Lycum amnem, Tion, & Cromnam.

Nec propterea exiſtimandum, piſces ejuſmodi ætatem omnem ſine aquis poſſe vivere. Nam tales vel locis vivunt limoſis, vel ſolo ejuſmodi, quod aquâ per venulas ſuas irrigetur. Imò piſces iſti, vel iis locis; quibus capiuntur, geniti ſunt, ut anguillæ, & ranæ: vel eò depulſi undis reciprocis, poſteaque humo obtecti. Et hæc de foſſilibus.

Quod verò ad piſcium illos, qui ſponte in terras exeunt, hi univerſi neceſſe habent ad aquas reverti. Ac plerique pauxillo ſolùm tempore extra eas ſuſtinent. Quidam verò diutius: quales antea dixi eſſe vitulum marinum, exocœtum, marinamque teſtudinem, & alios quoſdam: item ranam ex amphibiis; quibus etiam accenſendus eſt crocodilus. Cauſſa verò hujus facultatis non eadem eſt in omnibus. In iis quidem, quos proximè recenſui, ratio peti debet à pulmonibus, quibus aëra recipiunt, ac diutiùs retinent: ut aer his calorem refrigeret vicem aquæ. At ratio eſt diſpar in longis piſcibus; ut anguillis, murænis, & ſerpentibus marinis. Hos eo diutius extra aquas vivere exiſtimat Rondeletius, quia branchias habeant minùs diductas, & patentes; eoque nec copiâ tantâ ſubire aër queat, ut debilem opprimat calorem; nec ſubitò adeò exire, ut non morâ aliqua calorem priùs refocillârit. Sed an branchiarum is ſit finis, quem Rondeletius exiſtimabat, commodiùs exponam, cùm ad ſpirationem piſcium devenero.

CAP. V.

Piſcium appellationes à figura, quam referunt, & unde tanta ſit diverſitas formarum, & quo fine ſic Deus juſſerit. Ut præterea differant colore. Unde carocino *nomen, &* glauco, *ac* mullo. *Romani, more à regibus Albanis accepto, mulleis uſi calceis: idque in triumphis, & ſollemnibus pompis. Aliàs quoque in uſu fuere curulem gerentibus magiſtratum, hinc ſenatoribus cunctis, inde patriciis omnibus, tandem & militibus. Eos coloris fuiſſe punicei. Utrùm* mulleis *a* mullis *nomen; an* mullis *a* mulleis, *his à* mullando. *Vocabulum utrumque potius videri inditum à figura recurva, quia* μυλλὸς, curvus. *Mulleos calceos à Marone intelligi per vincula Tyrrhena. Qui piſcium pro anni tempore varient colorem. Polypum adſumere colorem rei proximæ, duplex inde ad eum commodum redundare, unde hæc ſit coloris immutatio, ac cum ſquatina hoc ei eſſe commune.*

AC hujuſmodi quidem eſt diſcrimen piſcium, quod à loco petitur, ubi degunt. Præterea verò differunt variâ partium figurâ, coloreque, ac corporis magnitudine. Diſcrimen à figura etiam appellationes teſtantur in multis. Interdum enim nomen ſortiuntur rei cæleſtis; ut ſtellæ, lunæ. Interdum quadrupedis; ut arietis, aſini, bovis, canis, capri, elephanti, erinacei, felis, hiænæ, hinnuli, lupi, lacerti, leonis, leporis, lupi, orygis, ovis, muris, muſtelæ, pantheræ, porci, ſimiæ, vituli, vulpis, urſi. Interdum avis; ut accipitris, aquilæ, attagenis, columbæ, corvi, cuculi, galli, graculi, gruis, hirundinis, merulæ, milvi, noctuæ, pari, paſſeris, pavonis, phœnicis, pſittaci, ſturni, turdi, turturis. Interdum piſcis notioris, ut rhombi, ſoleæ. Interdum inſectorum; ut aſelli, cicadæ, culicis, grylli, locuſtæ, muſcæ, pediculi, ſcarabæi. Interdum partis corporis; ut antis, digiti, orchios, pulmonis. Interdum plantæ; ut uvæ, cucumeris. Interdum rei inanimæ; ut acus, lyræ, patellæ, pectinis, item rotæ Oceani Gaditani, *ſic* (ut Plinius *a* ait) *appellatæ à ſimilitudine, quaternis diſtinctæ radiis, modiolos earum oculis duobus utrinque claudentibus.* Item ſerræ, ſphenis, σφύραινα, à figura veru, xiphiæ, ſive gladii, ζύγαινα, ſive libellæ, à jugi figura. a *Lib. 9. cap. 4.*

In tam multis formis præteriri humanam. Sed de ea quoque Plinius teſtis lib. eodem cap. V: *Auctores habeo in equeſtri ordine ſplendentes, viſum ab his in Gaditano Ocea-*

Oceano marinum hominem, toto corpore abſolutâ ſimilitudine: adſcendere eum navigia nocturnis temporibus, ſtatimque degravari, quas inſederit, partes: &, ſi diutius permaneat, etiam mergi. Huc pertinent quoque Tritones, & Nereides: quos qui vidiſſe ſe dicerent, memorat idem inibi. Ac Juvenalis, ut vetus ejus interpres ait, eoſdem intellexit ſat. XIV:

Grande operæpretium eſt, ut tenſo folle reverti
Inde domum poſſis, tumidâque ſuperbus alutâ
Oceani monſtra, & juvenes vidiſſe marinos.

Tritonis quæ figura ſit, dicet Pauſanias in Bœoticis. Ut arbitror Triton balæna, aut aliud monſtrum marinum: cum navigantes primùm conſpexiſſent, ut novis omnibus fit, territi, vel Deum, vel divinum aliquid crediderunt. Mox etiam honore coluerunt divino. Poëtæ autem, fabuloſa natio, planè monſtroſam ei formam tribuerunt, plura inferiùs.

Cur verò tam variæ ſint piſcium formæ, ac quandoque etiam ſe offerant monſtroſæ; Plinius aperit lib. IX, cap. II: ubi à duobus hoc ait proficiſci; ab humoris luxurie, & cauſſis genitalibus è ſublimi. Quibus ſic expoſitis, ſubjungit: *Semper pariente naturâ, pleraque etiam monſtrifica reperiuntur, perplexis, & in ſemet aliter, atque aliter, nunc flatu, nunc fluctu, convolutis ſeminibus, atque principiis.* Itaque, ut ibidem legas, *vera ſit vulgi opinio, quicquid naſcatur in parte naturæ ulla, & in mari eſſe: præterque multa, quæ nuſquam alibi.* Sed rationes, quas Plinius adduxit, ad cauſſam pertinent efficientem, & materialem: nobis altiùs adſcendendum, quo fine piſces Deus tantopere diſcriminârit. Ac primùm is tantâ varietate nobis ob oculos poſuit mirandam ſuam ſapientiam: quippe hinc elucet, mille, atque adeò innumeris modis, res potuiſſe variare. Præterea hinc quoque ſe exerit cura atque amor humani generis. Nam abſque tam vario foret diſcrimine, ſæpe (ut imperiti in plantis ſolent) venenum pro medicina, vel alimento, ſumeremus.

Nec figurâ modò piſces differunt; ſed etiam colore: ubi idem Deo propoſitum fuit. Molles fere omnes ſunt albi. Niger eſt coracinis, ut appellatio indicat; etſi apud Athenæum lib. VII legas, ſic vocari ὅτι δ' ἀδιαλείπτως τὰς κόρας κινεῖν, *quia aſſiduè moveat pupillas.* Rubri pagrus ſynagris, cataphractus, & qui inde dictus erythinus: item cancri, & cruſtâ contecti. Ἀλφησταὶ, ſive cinædi, cerei; niſi quòd quibuſdam partibus purpuraſcant, teſtibus Plinio *a*, & Athenæo *b*. Gobii, & turdi, virides. Galeus eſt cœruleus, ſive, ut Ælianus ait, glaucus. Sed, quæ diximus, non de toto ſemper corpore capienda; verùm parte ejus majore. Quomodo glaucus (piſcis eſt umbræ quidem, ac chromi ſimilis, diverſus tamen) nomen hoc accepit, non quia toto corpore ſit glaucus, ſive cœruleus; ſed quia tergum ejus ſit coloris. Sic mullus albo eſt ventre; aureas etiam lineas habet; ſed dorſo, & capite rubet: quæ res & nomen illi dedit. Nam, ut Plinius ait lib. IX, cap. XVII, *nomen his Feneſtella à colore mulleorum calciamentorum datum putat.* Tam de mulleis, quàm mullo, paullo pleniùs tam commodâ occaſione exponam. Nec enim veteres ipſi fuere hac parte perſpicaces ſatis. Mulleis calciamentis uſi ante Romanos reges Albani; ut ait Feſtus. Hinc &, qui Romæ cepiſſent magiſtratum curulem: de quibus idem auctor ex M. Catonis Originum lib. VII. Præcipuè uſi in triumphis, & ſolemnibus pompis: unde in Epigrammatis antiquæ Urbis Romanæ, & exinde apud Carolum Sigonium Commentario in Faſtos & triumphos, epigramma in C. Marium legas, quod ſic finiat: DE MANUBIIS CIMBRICIS, ET TEUTONICIS, ÆDEM HONORI, ET VIRTUTI, VICTOR VESTE TRIUMPHALI, ET CALCEIS PUNICEIS. Ubi *calcei punicei* ſunt iidem, ac *mullei.* Poſtea & uſi ſint Senatores, ac patricii: ut idem indicat Feſtus. Quod verò dicebam, calceos illos fuiſſe puniceos, id cognoſcere etiam eſt ex Dionis lib. XLIII; ubi, de mollitie Julii Cæſaris in veſtitu agens, ait & uſum τῇ *c* ὑποδέσει ἐρυθροχρόῳ κατὰ τοὺς βασιλέας τοὺς ἐν τῇ Ἄλβῃ ποτὲ γενομένους· *calceamentis rubris, more eorum, qui Albæ quondam regnaſſent.* Diciturque id Cæſar feciſſe, ὡς καὶ προσήκων σφίσι διὰ τὸν Ἴουλον· *tanquam eos genere attingens, propter Julum.* Nam προσήκων, non προσῆκον; Ἴουλον, non Ἰούλιον, legi oportere, & res clamat, & monitum jamdiu Caſaubono ad Tranquillum lib. I, cap. XLV. Nempe regibus Albanis fuit πέδιλον ἐρυθρὸν, ſive φοινικοβαφές: uti poſtea Imperatoribus Conſtantinopolitanis fuiſſe, Zonaras, Nicetas, & alii, referunt. Ejus verò coloris etiam mullum piſcem eſſe, indicat Ovidius in Halieutico:

—— *Tenui ſuffuſus ſanguine mullus.*

Et Oppianus lib. I Ἁλιευτ.

—— Τρίγλης δ' ῥοδόχροα φῦλα νέμονται *a*.

Iſidorus de colore conſentit. Sed contrà calceos à piſce dictos putat. Sic enim ille lib. XIX, cap. XXXIV: *Mullei dicti ſunt à colore rubro, qualis eſt mulli piſcis.* Eique ſubſcribere maluit Turnebus lib. XIX Adverſ. cap. XXIV. Feſto horum placuit nihil. Vult enim dici à *mullando*, hoc eſt, *ſuendo.* Ipſum *mullare* ſit à μύλλειν, quod eſt *ſubigere.* Id verbum ſutoribus convenit; uti & Venerem exercentibus, quomodo uſus Theocritus Id. IV. Hinc Heſychius: Μύλλει, ἐπινοαζει. Sed cauſſa erat nulla, cur particulatim inde nomen daretur mulleis, cum in omni calciamento ſubigat ſubula. Nec propterea de *mulli*, vel *mulleorum* etymo, vel Feneſtellæ adſenſero, vel Iſidoro. Longè enim veriſimilius eſt, quod ad Tertullianum de Pallio Salmaſius annotavit, & *mullum*, & *mulleum* dici à μυλλὸς: quod, teſte Heſychio, notat καμπύλον, σκολιὸν, κυλλὸν, στρεβλὸν *b*. Nam & piſci hæc convenit appellatio: ut docet illud Epicharmi in Hebes Nuptiis *c*:

—— Ἄγε δὴ
Τρίγλας τε κυφὰς, κἀχαρίστους βαιόνας.
—— *Agedum,*
Mulloſque gibbos, ingratoſque baonas.

Ac calceis quoque mulleis id nomen aptum, quia eſſent repandi. Quod cognoſcere eſt ex calceis Tyrrhenis, quales regum quoque Albanorum. Nam mullei erant ſenatorum, & patriciorum; ut ex Feſto diximus. At hi dicti *calcei Tyrrheni*: de quibus Maro VIII Æn.

Et Tyrrhena pedum circumdat vincula plantis.

Ubi ſic Servius: *Tyrrhena vincula. Tuſca calciamenta, & dicit crepidas, quas primo habuere ſenatores, poſt equites Romani, nunc milites.* Idem Salmaſio *d* oſtenſum ex eo, quòd τὸ μυχάλητα (id ὑπόδημα φοινικοῦν *e* interpretatur Heſychius) Λύδιον ἔργον *f* vocet Sappho apud Pollucem *g*; à Lydis verò Tyrrhenos eſſe conſtet *h*. Tyrrhenos autem calceos fuiſſe acuminatos, & repandos, colligit Salmaſius *i* ex eo, quòd tales fuerint militum Romanorum; ut ex Leonis, & Conſtantini Tacticis obſervat. Nam Tuſca calciamenta ad milites tandem Romanos tranſiiſſe, ex Servio jam vidimus. Quamobrem etſi & mulli, & mullei, coloris eſſent rubri: non à colore tamen, ſed figurâ, id nomen accepiſſe, veriſimilius eſt.

Quidam verò piſcium colorem etiam mutant pro anni tempore. Phycis candida eſt, præterquam vere; quo variat colorem. Mænæ, & ſmarides, hiberno tempore candidæ ſunt; nigricant æſtate, longis interim depictæ lineis cæruleis, ac purpureis: de quo Rondeletius lib. II de Piſc. mar. cap. XIII. Sed hæc coloris immutatio paullatim fit. Nihil vero æquè mirandum, quàm quòd polypus, dum vivit, breviſſimo temporis ſpatio ſic variet colores. Nam, ſimulac ſaxis ſe applicuerit, colore iis ſimilis fit: atque hoc pacto, tum majorem piſcium vim effugit, quia ſaxum putant: tum minores piſces capit, quia ſecurè ad eum, ſaxum credentes, adnatant; quos ille mox pedibus comprehendit; ut etiam eſt apud Ovidium in Halieuticis, & Ælianum lib I Variæ Hiſtor. cap. I. Ac Pindari quoque, & Theognidis de hac re verſus adduxit Plutarchus in Comparatione aquatilium & terreſtrium: ut Plinium, & alios, mittam, quos magnus adducit Deſiderius, proverbio, *Polypi:*

a *Lib.* 32. *cap.* II.
b *Lib.* 7.
c *P.* 266. *edit. H. Steph.*

a *Mullorum rubrum paſcitur genus.*
b *Incurvus, gibbus, repandus.*
c *Apud Athenæum lib.* 7.
d *Notis in Vopiſcum.*
e *Puniceum calciamentum.*
f *Lydorum opus.*
g *Lib.* 7. *cap.* 22.
h *Dionyſ. lib* I. *Strabo lib.* 5. *Valer. Max. l.* 2. *cap.* 4. *Vell. l.* I. *Plin. l.* 3. *cap.* 5. *Tacitus* 4. *Ann. Plutarch. Rom. &c.*
i *Ad Tertullianum de Pallio.*

& altero, *Polypi mentem obtine.* Cæterùm apud Plutarchum libro memorato legas: in hoc chamæleontem, & polypum, differre, quod ille timore colorem mutet: hic de induſtria. Illum enim eſſe natura meticuloſum; eoque, cum totum ejus corpus pulmone impleatur, quod arguit plenum eſſe ſpiritus, ſimulac timere cœperit, immutari. Hunc autem ſtudio colorem mentiri, vel ut capiat, vel ne capiatur. Sed ſanè non ea vis ulli animantium, ut, ſimulac volet, colorem variet. Imo nec verè vel chamæleon, vel polypus, mutant colorem. Solùm ſic videtur, quia corpus iis eſt læve ac glabrum, ſic ut ſaxi vel alterius corporis vicini color in eo, velut in ſpeculo, reluceat; quemadmodum dictum nobis lib. III, cap. LV. Sunt qui ſepiam dicant ſimiliter colorem variare; ſed falſò. Nam è piſcibus cum ſola ſquatina id polypo eſt commune: ut Ariſtoteles tradit lib. IX Hiſt. Animal. cap. XXXVII *a*. Eſt vero ſquatina pelle admodum craſſa, ac minimè perlucente: atque eo minùs veriſimile eſt, colorem immutare, ſuccum ſubducendo: quamquam id de polypo cenſeat Cæſar Scaliger *b*. Tanto veriſimilius eſt, hic quoque locum habere cauſſam illam, quam de chamæleonte, & polypo, paullo antè adduximus.

a Sive ex Cæſaris Scalig. diſtinct. cap. 59. ſect. 280.
b Notis ad dictum Ariſtotelis locum.

Cap. VI.

Piſces diſtinguuntur ratione nutrimenti ſui. An alantur aquâ. Piſcis ab Rondeletii conjuge triennio ſolis aquis in vitro non altus modo, ſed ad majorem etiam magnitudinem perductus. Rejicitur commentum Cæſaris Vanini, exiſtimantis in iſto, & ſimilibus exemplis, piſces non aquis paſtos, ſed anhelitu hominum poſt ſumtum cibum vitreamen circumſtantium. Iis occurſum, qui ſolùm negant, aquas marinas eſſe alere idoneas: interim in dubio relictum, utrùm ex nutriant ſolùm dulcibus partibus ſuis; an ſalſis etiam, ſed facultate piſcium internâ dulcibus redditis. Qui piſcium magis refrigerentur aquâ, quàm alantur. Cur piſces quidam cibos non manducent, ſed deglutiant.

POſtquam piſces vitæ origine, & locis, pro quibus variat vita, figurâ etiam, & colore, unde dignoſcuntur, diſtinximus: de facultatibus, quibus præditi ſunt, agemus. Facultatum earum prior cum plantis eſt communis, quæ *vegetativa* nominatur: altera autem, quæ laxè dicitur *ſenſiva*, animalium propria eſt. Vegetativa, quam Medici *naturalem* vocant, continet nutritivam, & generativam. Sed de generativa abunde ex iis cognoſcere fuit, quæ de origine piſcium diximus. In nutritiva (ad quam & altricem refero) duo conſiderabimus; tum cujuſmodi ſit, quo aluntur piſces; tum quæ corporis partes inſerviant nutritioni.

Id, quo piſces nutriuntur, pro natura eorum variat. Sunt piſces, qui aquâ aluntur, inde dicti ψυχότςοφοι: ut mugiles, lepades, ſardinæ, holothuria, aphyæ, oſtrea. Alii verò muco: ut anguillæ, & tincæ fluviatiles, ac paluſtres. Alii luto, cœnoque: unde *lutarium mullum*, & *cœnoſam ſalpam*, legimus apud Plinium. Pelamydes etiam dictæ ἀπὸ τοῦ ἐν τῷ πηλῷ μύειν, *quia in cœno ſe occultent.* Alii arenâ, ſabuloque: ut ille, qui Germanis *grundel*, q. d. *fundulum*. Tales, quia ψάμμος eſt *arena*, *pſammitas* vocat Rondeletius. Stercus, inter cætera, comedunt mulli, lupi, cancri. Ad animata ut veniam, herbis & radicibus vivunt omnes ſaxatiles. Algâ coracinus, & gobius, non ſolùm vivunt, ſed etiam inde nidum ſtruunt. Lupi quoque, & mulli, vermibus paſcuntur, quippe παμφάγοι *a*. Carne piſcium veſcuntur polypus, loligo, ſepia: item cartilaginei omnes, & cetacei. Mullis lepus marinus, etſi venenatus, citra noxam edi creditur, idque ſolus; niſi quòd ſcaro idem tribuat Athenæus lib. VIII: ſed perperam, ut inferiùs exponam.

a Omnivori.

Quod verò dicebamus, piſces etiam aquâ paſci, id à quibuſdam in dubium vocatur. Nam, inquiunt, Galeno teſte, ſimplex nullum nutrit. Qui parùm cogitant, eum de nutrimento hominum loqui, non piſcium in aquis naſcentium. Præterea nec aqua, qua paſcuntur piſces, ſimplex eſt elementum. Aër enim penetrans ad fœcunditatem aquis ſe maritat. Nec parum terreni iiſdem admiſcetur ab alveis, quibus fluunt. Caloris etiam expertes non ſunt, præſertim cùm ventus agitat fluctus; quo tempore aquam, calore concepto, tepidiorem reddi, ſatis conſtat experientiâ. Et profectò piſces multos ſolâ vivere aquâ, liquet ex piſcinis; item naviculis perforatis, quibus includuntur, atque aſſervantur diu. Scitè etiam Rondeletius lib. I de piſcibus marinis, cap. XII: *In Gallia Narbonenſi curioſi quidam in vaſis vitreis aquâ plenis diu nutriunt: certumque eſt, quo purior fuerit aqua, eò diutius vitam producere: celeriter autem interire, ſiquid aliud, præter aquam, ut panem, aut aliud quippiam ſolidioris alimenti, in vas conjecerint. Hoc modo ſuaviſſima conjux mea tres annos piſcem domi aluit: ſicque educatus in eam corporis molem accrevit, ut tandem nec vas eum capere, nec, quâ ingreſſus fuerat, eâdem exire potuerit.* Alia deinde ſubjungit de holothuriis, & lepadibus: item mugilibus, ſardinis, aphyis; unde piſcium multos ſolâ liqueat aquâ nutriri. Intellige autem aquam, qualem dixi, ſive, ut in ſcholis loquuntur, elementatam. Porrò in piſcibus illis, qui vitreis in vaſis aquâ ſola ali dicuntur, Cæſar Vaninus arbitratur accedere etiam vapores pingues; ſive è terra prodeuntes, ſive ex accedentium hominum, cibum, poſt ſumtum, anhelitu. Audiamus ipſum *a*: *Andicemus vitreum vas eſſe poroſum: eoque miſeros illos captivos attrahere potuiſſe pingue terræ humidum circumſtans? Profectò oſtreæ ipſæ ſaxis hærentes, ubi maritimus humor, quo illæ alebantur, abierit, veſci creditæ ſunt pingui aëre ambiente, quem captant hiantes. An (quod veriſimilius eſt) complures pranſi, & cœnati, ad eos inviſendos accedebant? ut horum anhelitùs, per vaſis poros ad piſces tranſmiſſi, alimenti materiam ſubminiſtrarint: quemadmodum & circumſtantium eduliorum odores idem efficere potuerunt. Democritus quidem ſolius panis recentis odore per tres dies vixiſſe fertur.* Quàm verò in hoc ſibi reſponſo placuerit Vaninus, non obſcurè colligas ex eo, quòd illum, quicum eo diſſerit dialogo, ſic ſeriò loquentem inducat: *Quæ ſubtilior, quæ doctior excogitari reſponſio poterat! Profectò ſi Athenienſes diſſerentem te ſemel audiviſſent, à ſuis Dictatoribus in te illam tranſtuliſſent gloriam.* Mihi interea, qui ſtupor meus, docta hæc ſubtilitas nondum ſatisfacit. Video, quomodo Democritus vapores calidi panis naribus proximè admoti, ubi nihil obſtaret, attrahere valuerit. At non item per exiguos vitreaminis poros attrahi à piſcibus potuit vapor, qui circum vitreamen non moratur, ſed ob levitatem confeſtim adſcendit. Accedit, quòd ne Democritus quidem nutritus fuit vaporibus panis: ſed tantùm odore ejus imbecilles cerebri ſpiritus ad breve tempus refocillavit: quemadmodum diximus libri hujus cap. XXX. Quamobrem in ea perſtamus ſententiâ, piſcium quoſdam alimentum ſuum aquis debere.

a De Admirandis Naturæ dialogo 34.

Aliqui fluviali piſces aquâ paſci concedunt ob dulcedinem: nempe quia piſces ſunt dulces, eò ſimili, dulcibus nempe aquis, nutriri, minimè putant abſurdum. Sed marinos piſces aquâ veſci ſolâ, non fit iis veriſimile. Nam, inquiunt, marinæ aquæ ſunt ſalſæ, & amaræ. At, ſecundùm Hippocratem, ſalſa parùm ſunt idonea ad alendum, quia ſal humorem abſumit. His illud reſponſum velim, marinæ etiam aquæ permiſceri partes dulces: ut inde colligitur, quòd puteis in litore effoſſis aqua dulcis hauriatur. Hoc unde fieri credamus, niſi quia dum aqua marina percolatur, relictis partibus craſſis, & amaris, ſolæ tranſeant tenuiores, & dulciores? Simile igitur in piſcibus præſtat natura: non quaſi piſces vel ore, vel branchiis, ſeparent has partes: ſed quoniam id præſtet vis nutritiva. Solùm enim è chylo attrahit, & reſervat partes corpus nutrire idoneas; ſalſas verò, vel amaras, tanquam inutiles excernit per vim expultricem.

Acce-

Accedit quòd ſalſa, & amara, quorundam conveniant naturæ. Veratro enim coturnices gaudent, ac pingueſcunt; ut iis dulce videatur; vel ſaltem intus adſumtum exuit naturam priorem. Sanè in aquis ſulphureis, ubi nulla eſt dulcedo, ut prope Budam, Pannoniæ urbem; item in aquis aluminoſis, ut prope Forum Julium in Carnis; piſces reperiri, auctor eſt Cardanus in decimo de Subtilitate *a*. Etiam Cæſar Vaninus de naturæ Admirandis dial. XXXIII *b*, ſic ſcribit: *Capitones, labeones, & mugiles, aluntur limo: e quo in ſtagnis marinis, atque in æſtuariis, paululum aliquando cum ego curioſus guſtaſſem; adeò ſalſum comperi, ut mihi fauces uri viderentur.* Cenſet *c* iccirco cum Cardano, *ſalis pinguedinem non parum ad nutritionem conferre.* Quocirca non tam eſt dubium, num ſalſæ quoque aquæ nutriant; quàm utrùm id ſolùm faciant dulcibus ſui partibus, an ſalſis etiam, ſed à natura piſcium immutatis, & ut voce utar Cn. Matii *d*, numjamborum ſcriptoris, edulcatis.

a Pag. 418. edit. Lugd. a. 1570.
b P. 218
c P. 219
d Apud A. gellium lib. 15. cap. 25.

Extra controverſiam igitur eſto, aquas piſcibus inſervire, tum ad refrigerandum; tum etiam ad alendum. Nempe qui carne, herbis, & aliis ſolidioribus veſcuntur, refrigerantur magis aquâ, quàm nutriuntur. Ac propterea quam branchiis aquam hauriunt, citò exit, ne copiosè nimis recepta ſic ventriculum repleat, ut cibus excludatur, vel in ea innatet. Atque eadem de cauſſa à ſapientiſſimo opifice pluribus id datum piſcibus, ut deglutiant, non manducent cibum. Nam in manducando morâ eſſet majori opus; eoque aquæ nimium ingrederetur ventriculum. Scarus tamen, pagrus, aurata, ſargus, laxiores habent maxillas, ac cibum etiam mandunt, & ruminant. Sed his non tam aqua ad hoc inſervit, ut nutriat; quàm ut refrigeret, cibumque faciliùs ad ſtomachum deducat.

Cap. VII.

De partibus corporis deſtinatis nutritioni: ac primum de ore, & ejus ſitu diverſo, & cur quibuſdam illud datum ſit in parte inferiori, ſic ut cibum capere nequeant, niſi ſe converterint. Piſces ore reſciſſo, vel in anguſtum contracto; minuto item, vel magno. Quam vaſto oris hiatu ſit Lamia: ac fortaſſe eam eſſe, in cujus ventre conſervatus prophetes Jonas. Piſcium quibus, & quo fine, datum, ut os queant extendere, & adducere. Labra quibus carnoſa, ac mobilia. De labro Ovidii, tam Plinii, quam ejus librariorum, defenſio. Qui piſces careant dentibus. Falsò ſcriptum Athenæo, mugili ab Ariſtotele dentes attribui ſerratos. De etymo χελῶνος. *De maxillarum uſu. Quo fine piſcium aliis dati ſint dentes, aliis negati.* Dentices *ſunt iidem, ac* ſynodontes: *ſed* ſynagrides *aliud videri piſcium genus. Plinii lapſus, exiſtimantis, ſcaro ſoli datos eſſe dentes non ſerratos: & quis ejuſmodi dentium ſit uſus. Quotuplex dentium ſit ordo. Cur piſcibus, qui lactent, non tribuerit Deus dentes. Piſcium quoſdam cibum mittere in gulam, quoſdam in ventriculum: & cur longi piſces acceperint gulam. Solum ruminare ſcarum.* Μήρυξ *unde dicatur. Unde ſit, quod, qui veteribus erat* ſcarus, *is Iſidoro Hiſpalenſi vocetur* eſcarus, *eoque ab eſca dici putârit.*

EXpoſui de alimento. Videamus porrò (quod alterum erat caput) de partibus corporis, quæ inſerviunt nutritioni. Earum quædam præparant ad concoctionem; aliæ eandem perficiunt. Prioris generis ſunt os, maxillæ, dentes, gula; de quibus ordine dicemus.

Ore nulli piſcium carent. Verùm aliis ſe confeſtim prodit; ut lupis, ſparis, mugilibus, mullis, delphinis, aliiſque multis: aliis autem eſt in parte inferiori *a*; ut rajis, galeis, ſturioni, paſtinacis, torpedini: quales non capiunt cibum, niſi converſi; quod duabus de cauſſis à ſapientiſſimo Numine factum fuit. Prior eſt, ut piſcium aliorum ſaluti ſic meliùs conſuleretur: quia dum hi in eo ſunt, ut ſeſe vertant, ſæpius piſcium illis, quibus inſidiantur, tempus datur fugæ. Carnibus enim veſcuntur univerſi. Altera eſt cauſſa, ne cibo ſe expleant nimis, atque inde arceſſant ſibi mortem. Quippe nunc, niſi planè urgeantur fame, convertere ſe ceſſant, quia aliquid ea res moleſtiæ adferret. Utramque rationem placuiſſe etiam videas Rondeletio lib. III de piſcibus marinis, cap. IV.

a Ariſtoteli id eſt, ἐν τῷ ὑπτίῳ, quod Gaza vertit, in parte ſupina. ac ſimiliter loquuntur Rondeletius, Geſnerus, alii: ſed non ex more Romano. Inferiorem dicere debuerant. Vide quæ Cæſar Scaliger eruditè annotavit in Ariſt. Hiſt. An. lib. 1. cap. 2. ſect. 9.

Item quibuſdam os eſt ἀνερρωγός, ſive *apertum*, vel *reſciſſum*; ſciſſura ventrem verſus tendit: aliis verò eſt μύουρον, vel μεμυκός, *compreſſum*, ſive *contractum*, inque arctum ſe colligens. Sarcophagi omnes, & quidem ſoli, priori modo os habent; ac præterea, unum ſi lycoſtomum exceperis, dentes ſerratos; de quibus poſtea.

Os item aliis minutum; ut iis, qui aquâ aluntur: aliis majus; ut ſarcophagis. Imprimis ore vaſto terribilis eſt λάμνης, quæ *lamia* Latinis *a*. De hoc Oppianus lib. I de Piſcat. *b*

—— Ἀτὰρ ἐμπρῆς τι δυσωπέα χάσμα τῆς λάμνης.
—— *Crudelis lamiæque infauſtus hiatus.*

a Plin. lib. 9. cap. 24.
b Verſ. 370.

Tanto enim eſt oris rictu, ut totum deglutiat hominem. Sanè Nicæenſes teſtati ſunt Petro Gillio, ſe lamnam ſeu lamiam cepiſſe ad quatuor librarum millia accedentem, inque ejus ventre reperiſſe hominem ſolidum. Item Maſſilienſes ei retulerunt, inveniſſe ſe in ea hominem loricatum. Ut lamia poſſit videri id ceti genus, in cujus ventre divinitus conſervatus Jonas propheta fuit.

Illud quoque ex animantibus proprium eſt piſcibus nonnullis, ut, quemadmodum homo labia ſua, & extendit, & reducit: ita illi os, & protrudant, & attrahant. Quod iis datum divinitus, ut faciliùs caperent piſcium alios. Faber longiſſimè profert os: minùs id poſſunt lupi, mulli, & ſaxatiles. At planè id nequeunt, quorum maxillæ exeunt in mucronem: ut xiphiæ, acus, ſphyrænæ, ſturiones.

Labra, eaque carnoſa, ac mobilia, piſces habent ſaxatiles. His, uti boves, & oves, attrahunt cibum. A labiis ejuſmodi mugil creditur χελὼν dici. Nam χεῖλη, *labia*, *labra*. Gaza, ſuperiùs etymon ſecutus, *labeonem* vertit. Apud Plinium inter piſces Ovidio relatos *labrus* refertur: quem iccirco *labeonem* Gazæ putabat Scaliger: ut cap. II dicebamus. Rondeletius itidem *labrum* Ovidii, Pliniique, è mugilum genere eſſe arbitratur. Plinii quidem verba ſunt lib. XXXII, cap. II: *His adjiciemus apud Ovidium poſita nomina, quæ apud neminem alium reperiuntur: ſed fortaſſis in Ponto naſcuntur, ubi id volumen ſupremis ſuis temporibus inchoavit.* Et mox: *Præterea placentem caudâ labrum.* Hodie de labro, & cauda ejus, nihil apud Ovidium: ſed legas *c*;

Quin laude inſignis caudæ melanurus, & auri
Chryſophrys imitata decus.

c In Halieut.

Ac Geſnerus *d*, quia hic melanurus laudatur à cauda, eò Plinium putat perperam pro *melanuro* poſuiſſe *labrum*. Atqui *labrum* eo loco apud Ovidium legiſſe nequit, quia verſus allatus claudicaret. Et quantum profectò hæc duo diſtant vocabula! Propiùs ad *labrum* abiret *labracem*; quomodo Dalecampius conjicit apud Plinium eſſe legendum. Sed Plinius ait, ſe memorare piſces ignotos: qualis nec mugil, nec λάβραξ, ſive lupus. Objectat Geſnerus, quòd de labro nihil legere ſit in Halieutico: imò nec apud alios ſcriptores. Sanè majoris hæc ponderis forent, niſi pars Halieutici, vetuſtate in eo fuiſſet codice abſumta, unde nobis Aldus expreſſit, quæ hodie habemus. Et ſi piſcis eſſet ignotus Romanis, ac Grajis, potuit Ovidius labioſo piſci nomen Romanum finxiſſe à labris. Quare nec Plinii, nec librarii errorem hîc ullum video. Illud potiùs ambiguum, an Ovidii, Pliniique *labrus*, ſit χελὼν Græcorum. Nam (ut mittam, dicere Plinium, ignotos ſe piſces referre, qualis χελὼν non eſt) quod eundem faciant χελῶνα, ac labrum, id ſolo nixum eſt etymo χελῶνος, eoque incerto. Siquidem non χελὼν modò, ſed etiam χελλὼν, & χαλλὼν legas: quæ longiùs abeunt à χεῖλος:

d De quadrupedibus in Melanuro.

unde

unde etiam χεῖλων ἀναλογώτερον, quàm χελῶν, diceretur.

Cùm autem ore nulli careant piſces: maxillis tamen deſtituuntur illi, quibus pro ore eſt foramen, ac fiſtula: item quæ durâ teguntur teſtâ, holoturia, vermes, ac marinæ hirudines: atque idem de inte⁊ctis cruſtâ, & ſtellarum genere, veriſimile eſſe, Rondeletius *a* cenſet. Paucis verò piſcium datæ ſunt maxillæ ad manducandum. Tales ſunt, ſcarus, aurata, & ſquamoſorum quidam, amplis præditi maxillis, & oſſeis tuberculis, quibus minuti pectines, iique comminuti, ſunt pro cibo. Aliis piſcium alio fine dantur maxillæ: ut inferiùs *b* dicetur.

a Lib. 3 de piſc. mar. c. 6

b Cap. de robore piſcium.

Dentibus multi piſcium carent: ut balæna. Sturio etiam, & attilus, à ſiluro ſecernuntur eo, quòd hic dentatus ſit, ille non item. Præterea iis deſtituuntur cruſtâ conte⁊cti: item cyprini, & quoddam echinorum genus; nec non loligines, polypi, ſepiæ, teſtudines. Utrùm mugili ſint dentes, video in dubium vocari. Sed carere iis planè, extra controverſiam ponet, qui viderit. Et cui bono illi dentes, cùm non ſit è carnivoris? Acutis tamen dentibus eſſe, refert Eraſmus, proverbio, *Ceſtreus jejunat.* Nempe quia apud Athenæum in ſeptimo dicatur Ariſtoteli ὁ κεστρὺς καρχαρόδους *c.* Sed audiamus de iſto Cæſarem Scaligerum in Ariſtotelis de Animal. Hiſt. lib. II *d*: *Meminit* (Athenæus) *egregiè, cum mugilem ex Ariſtotelis ſententia* καρχαρόδοντα *e ſcripſit.* Modeſtiùs dixiſſet, vel memoriam feſelliſſe, vel vitioſis Ariſtotelis codd. uſum eſſe. Alterutrum agnoſcimus. Fatendum enim nihil tale in Animalium Hiſtoria nunc legi.

c Ceſtreus ſerratis dentibus.

d Cap. 17. ſect. 118. p. 219.

e Serratis dentibus præditum.

Piſcium tamen aliis dentes ſunt: imò ab iis nomen accepere συνόδοντες, quia dentes habeant in ſuperiori, & inferiori maxilla, ac quatuor cæteris eminentiores. Eâdem de cauſſa *dentices* vocat Columella lib. VIII, cap. XVI: *At arenoſi gurgites planos quidem non peſſimè, ſed pelagios meliùs paſcunt; ut auratas, ac dentices.* Sed in eo deceptus Columella, quòd & auratas, & dentices, *pelagios* dicat; qui Ariſtoteli, & Oppiano αἰγιαλοὶ *f*, idque piſcantium uſu comprobante; ut Salviano monitum. Si Gazam audimus, idem fuerit συνόδους, ac συναγρίς. Utrumque enim *dentex* vertit. Sed diſtinxit Epicharmus apud Athenæum in ſeptimo:

f Litterales.

—— Συναγρίδας

Μαζύς τε, συνόδοντάς τε ἐρυθροποικίλους.

Quaſi dixeris:

—— *Synagrides*

Grandeſque g, ſynodonteſque variantes rubro.

g Mamaiſque reddendum, ſi lectio placet vulgata. Nam μαζύς, μεγίστους, & μαζός, mamilla. Hoc ſi re⁊ctum, fuerit genus piſcis. Sed nullum ejus generis hactenus occurrit. Itaque, grandeſque reddidi, ſecutus emendationem Geſneri, legentis μείζονας. hoc eſt, majores. Nam μεῖζον eſt ex μείζων, pro μαζούς.

Ariſtoteles etiam, qui non ſolet confundere vocabula, diſtin⁊ctè utrumque piſcem nominat. At Plinius, in piſcium hiſtoria, neutriùs meminit: idque, ſi cum Cæſare Scaligero *h* loqui voles, *pudendâ vel oblivione, vel negligentiâ.* Sanè aſpere hæc ſatis de eo, qui niſi exſtaret, multa adeò neſciremus, quæ alibi invenias nuſpiam. Quo fine piſcibus dati ſint dentes, indicat Plinius lib. XI, cap. XXXVII: *Dentes habent in os vergentes, ne excidant cibi, nullum habentibus retinendi adminiculum.* Dixeris, ad piſces morſicatim manducandos eſſe attributos. Sed obſtat, quòd carnivori integros devorent piſces; ut, diſſectis iis, ex ſtomacho cognoſcitur. Vera igitur ratio eſt, quòd dentati his cibum meliùs recipiant. Hoc ſapiens Numen aliter compenſavit in cancris; quibus datæ ſunt chelæ; & ſepiâ, polypo, loligine; quibus ab eo tributa acetabula. Nam cùm hi totos nequeant piſces deglutire, ſed morſibus vorent: eo pacto velut brachiis detineri prædam, atque ad os deferri, opus fuit. Ii verò, qui aquâ vivunt, & luto, dentibus carent; quia his nihil ad manducandos, vel retinendos cibos, indigebant. Dentes ferè piſces habent recurvos, inque os vergentes; ut ex Plinio antè vidimus. Non omnes tamen, cùm delphino hi ſint recti. Ferè item habent ſerratos, pauci exceptos; in quibus hippopotamus. Si Plinium audimus, ſoli ſcaro dentes non ſunt ſerrati. Sed aliter Rondeletius lib. III de piſc. mar. cap. VII: *Auratam,* inquit, *ſparum, orbem, capriſcum, lupos habere, nec multum à ſcari dentibus diſſidentes, experientia comprobat; quicquid dicat Plinius.* De quo pluribus poſtea. Uſus verò ſerratorum dentium is eſt, ſicut re⁊ctè Plinius *a* docet, *ut turbâ vulnerum molliant, quæ attritu ſubigere non queunt.*

h In Ariſt. Hiſt. An. lib. 2. cap. 16 ſect. 111.

a Lib. 11. cap. 37.

Ordo dentium piſcibus nunc ſimplex eſt, ut ſcaro, & auratæ; nunc duplex, ut pleriſque galeis; nunc triplex, ut malthæ; nunc quadruplex, ut ſquatinæ; cui & quintuplex interdum; nunc ſextuplex, ut lamiæ.

Cùm verò piſcium quibuſdam, ſimulac naſcuntur, dentes ſint: aliter eſt in la⁊ctentibus; ut lamiis, delphinis, vitulis marinis. Nempe ſic divinitus proviſum, ne in ſugendo iis læderent mammas.

A capite nunc venio ad illa, quæ ei ſubdidit Natura.

Ab ore cibus demittitur, aliis quidem in ventriculum, quem ori habent continuum: ab aliis autem in gulam, quem Græci οἰσοφάγον, ac communi etiam nomine στόμαχον appellant. Gulam habent, qui pulmonibus reſpirant: ut balænæ, delphini, alii. Item quibus corpus eſt tenue, & oblongum: ut lucii, congri, acus, anguillæ, alii: quibus ſi ventriculus foret ori continuus, ob corporis tenuitatem non poſſent cibum retinere. Adhæc cruſtâ conte⁊cti; quod experientia docet, & ab Ariſtotele proditum eſt lib. IV Hiſt. Anim. cap. III.

Solus piſcium ruminare ſcarus putatur: ut Ariſtoteles ait lib. II Hiſt. Animal. cap. ult. *b* Quem & vide lib. III de Part. Anim. cap. penult. Ovidii quoque eſt in Halieut.

b Sive ex diſt. Caſ. Scal. c. 21. ſect. 160.

Ut ſcarus, egeſtas ſolus qui ruminat herbas.

Similiter Plinius lib. IX, cap. XVII, Athenæus lib. VII, Oppianus in I Halieut. Macrobius lib. III Saturn. cap. XVI. E noſtris etiam ſic Baſilius M. homil. VII: quique eum ſequi ſolet Ambroſius V Hexaem. cap. V. Ut mittam Grammaticos, Iſidorum, & Suidam: de quorum priori mox dicam. Sed quod Ariſtoteles ait, ſolum ruminare ſcarum, id refelli videtur eo, quòd ipſe lib. IX Hiſtor. de Anim. cap. ult. *c* memorat ὑπὸ δ' ἔτερ᾽ μήρυκα καλέμενον· hoc eſt, *meryca, quaſi ruminalem vocatum ex eo, quia* μηρυκάζειν *ſit ruminare.* Omnino igitur aut μήρυξ ſit idem, ac *ſcarus*: vel verum non erit, ſolum ruminare ſcarum. Latini aliter vocant *eſcarum*; ſi Iſidoro *d* credimus, qui *eſcarum* ait dici, eò quòd *ſolus eſcam ruminare perhibetur.* Jacobus Breulius, qui notis Iſidorum illuſtravit, pro *eſcarus* eſſe *ſcarus* legendum arbitratur. Sed conſtanter in noſtris, & aliorum MSSis, *eſcarus* eſt exaratum. Et quod ab *eſca* derivat, quomodo ſcripſerit, oſtendit. Nimirum, ut puto, jam ætate Iſidori, hominis Hiſpani, qui circa annum vixit Iↄ CXXX, Hiſpanis in more fuit, ante S C præmittere E: quomodo & nunc (nec omnes tamen) pro *ſcorpio* dicunt *eſcorpion*: pro *ſcopa*, *eſcoba*: pro *ſcarabæus*, *eſcaravajo*: pro *ſcala*, *eſcala*: pro *ſcabellum*, *eſcabel*: pro *ſcaber*, *eſcabroſo*: pro *ſcriptor*, *eſcritor*: & ſunt huic genti alia id genus non pauca.

c Secundum diſt. Caſ. Scal. ſect. 646.

d Lib. 12 Orig. c. 6.

Cap. VIII.

De partibus corporis conco⁊ctioni inſervientibus. Quàm fervidus ſit ſtomachus ſtellæ. Cur lucius uſque adeo ſit guloſus. Diverſus in piſcibus podicis ſitus. Cancello eam partem non deeſſe. Varius jecoris color in piſcibus. Splenis in iiſdem color, & ſitus. Diverſus fellis ſitus. Encraſicholi unde dicantur, & cur non niſi capite ſaliantur præciſo. De magnitudine fellis, & colore. Delphini felle carent: nec ſoli tamen, quod Gaza putavit. Qui piſcium deſtituantur renibus, & veſicâ: & cur eas partes habeant delphini.

HÆc de præparatione ad conco⁊ctionem: ſequitur ipſa conco⁊ctio; quæ eſt duplex. Prior fit ventriculo, altera jecore. Ventriculus itaque, non, ut gula, ſolùm factus ad deferendum; ſed etiam ad retinendum; quia niſi diutiùs retineatur cibus, conco⁊ctio fieri nequit. Eſt piſci-

piſcibus quoque ventriculus amplus, & membranoſus. Aliqui itaque integros deglutiunt piſces, non morſicatim devorant. Quid mirum? quando lamiæ etiam deglutiant hominem loricatum, uti dixi *a*? At viventibus aquâ, & muco, ventriculus eſt minutus, ac carnoſus. Item pulmones habentibus, quaſi meditullium corporis obtinens, pari intervallo ab ore diſtat, ac valle poſticâ, quâ ciborum egeruntur retrimenta.

a Cap. ſup.

Quàm fervidus ſit ſtellæ ventriculus, Ariſtoteles indicat lib. v Hiſtor. Anim. cap. xv; ubi omnia ait, quæ ceperit, confeſtim concoquere. Et Plinius lib. ix, cap. lx: *Huic*, inquit, *tam igneum fervorem eſſe tradunt, ut omnia in mari contacta adurat, omnem cibum ſtatim peragat.* Imò Rondeletii ſunt iſta libro iv de piſc. mar. cap. 11: *Libet hîc referre, quod unà cum multis, qui mecum erant, vidi. Stellam vix pedem unum longam, non procul à Magalona, diſſecui; in cujus ventre cochleas tres integras; duas alias emollitas, & ſemicoctas, inveni.*

Ventriculus concoctione primâ perfunctus, ut in animantium aliis, ita in piſcibus quoque, tranſmittit chylum ad inteſtina: atque hîc fit diſcretio partium nobiliorum, quæ in hæpar deferuntur, & feculentarum ac ſupervacuarum, quæ porrò per inteſtina delatæ per anum egeruntur.

Inteſtina quibuſdam piſcium rectà petunt anum: quod fit in galeis, aliiſque longis. Lucio inteſtinum longum recurrit ſurſum; inde autem remeat ad anum: quæ ratio eſt, cur ſit uſque adeò guloſus.

Pars, quâ cibus exit (Latinis *podex*; vel à rotunditate, *anus*, quod *circum* notat, unde *annulus*; Græcis πρωκτὸς, item ἀρχὸς, etiam Ariſtoteli *b*, ex quo καὶ συγκοπῇ Germanicum *ars* contractum videtur) ea, inquam, pars, locuſtis, aſtacis, ſquillis, & omnibus cruſtâ obtectis, in ipſa eſt cauda: anguillis, muranis, congris, aliiſque tenuibus, & longis, prope caudam: auratis, lupis, merulis, percis, ſcaris, turdis, paullo longiùs à cauda: in buglosſis, quaſi in medio ventre: in iis, quibus figura eſt rotunda, vel rhomboides, propiùs ori, quam caudæ: in holoturiâ, purpurâ, cochleâ, rotundiſque aliis, eâdem propemodum parte, quâ eſt os; ſi exceperis echinos, quibus ὁ πρωκτὸς *c* ori eſt adverſus. In hoc quoque (rideant Numinis contemtores, quantum lubet,) providentiam Dei videmus, quòd eò in cunctis podex ore ſit minor; quia, quæ egeruntur, liquida ſint, vel ſaltem diviſa, comminutaque. Eſt verò in quibuſdam ita exiguus, ut non appareat, niſi ventrem preſſeris. In ſaxatilibus tamen uſque adeò patet, ut quandoque prolabatur inteſtinum: quod in cinædis, merulis, turdis, crebrò ſe obſervâſſe, ait Rondeletius, curioſiſſimus naturæ piſcium indagator, ac cui hoc nomine plurimùm debeat philoſophia naturalis. Cancello, qui in purpurarum, & cericum teſtis, reperitur, podicem non apparêre, Ariſtoteles putavit lib. iv Hiſt. Animal. cap. iv *d*. Sed falſum id eſſe, ut ait Rondeletius *e*, experientia evincit. Interea ob parvitatem vix conſpicitur.

b Lib. 2. Hiſt. anim. cap. ult. ſed Caſ. Scal. cap. 19. ſect. 143.

c Podex.

d Ex diſt. Caſ. Scal. ſect. 73.

e Lib. 2 de Piſcib. marinis, cap. 10.

Vidimus de inſtrumentis primæ concoctionis. Venio ad alteram, in qua ſummo loco conſideratur jecur, venarum origo. Color ejus varius eſt. Reſpirantibus, ut balænæ, delphino, phocæ, ſanguineus eſt. Squamoſis, minùs ruber. At albus muſtelæ fluviatili, & marinæ, lotæ, anthiæ, & prope cunctis cute albicantibus. Galeis id coloris cinerei; ſcaro, nigricantis; paſtinacæ, crocei, & cuidam generi rajarum; cærulei, lampetris.

Ab hepate ſplen recipit atram bilem; veſicula hepati adnexa, flavam; renes, & inde veſica, humorem tenuem, qui parte ſui abit in potus excrementa.

Splen ingens, ac longus, eſt cetaceis, ſcaro minutus, & niger. Quibus hepar album, iis ſplen ruber. In nonnullis ſitus eſt ſub ventriculo; mullis, prope hepar; lucio, in ventriculi fundo.

Fellis veſicula, ut Ariſtoteles *f* optimè diſtinxit, his quidem πρὸς τῷ ἥπατι, *ad jecur*; quomodo id habent muſtelorum genera, glanis, ſquatina, lævis raja, torpedo; & ex longis anguilla, acus, zygæna: aliis verò ἐπὶ τῷ ἥπατι, *in hepate*, ut callionymo, ſive uranoſcopo. Cæteri piſcium habent fel πρὸς τοῖς ἐντέροις, *ad inteſtina extentum.* Quandoque verò in eodem genere reperias inconſtantiam. Congrorum enim, ut idem Ariſtoteles *a* ait, aliis quidem jecori fel hæret; aliis verò inferiùs eſt appenſum. Aphyis fel eſt in capite; quibus propterea nomen ἐγκεφαλίχολοι. Hinc rationem videmus, cur, cum ſaliuntur, caput iis præcidatur. Alioqui enim fel garum corrumperet.

f Lib. 2 anim. Hiſt. cap. 15. ſive diſt. Caſ. Scal. cap. 18. ſect. 134.

a Ibidem.

Nec ſitu ſolùm fel variat, ſed etiam magnitudine, & colore. Maximum eſt callionymo *b* κατὰ μέγεθος *c*. Quodque ad colorem, plurimis id flavum. Scaro nigrum, ut ex Ariſtotele tradit Athenæus. Hirundini, & galeorum multis, colorem habet porraceum. Illud uranoſcopi refert oleum.

b Ariſt. ibid.

c Pro proportione.

Nec piſcibus cunctis fel eſt. Nam ex pulmone præditis delphinus caret felle: ut Ariſtoteles *d* docet. Verba ejus ſunt, Δελφὶς οὐκ ἔχει χολήν. Gaza vertit, *Delphin unus felle privatus.* Perperam addit *unus*, cum id Ariſtoteles non dicat: nec in ſolo habeat delphino locum: ſed etiam vitulo marino.

d Ibidem.

Piſces, ut in eo cum avibus conveniunt, quòd ovum pariant: ſic & in iſto, quòd renibus careant, & veſica: ut idem Ariſtoteles *e* tradit. Sed excipit teſtudinem marinam: licet quadrupes ſit oviparum. Hæc enim renes habet, qui renes referant bubulos. Omnes verò piſces ſquamoſi, læves, cartilaginei, carent & renibus, & veſicâ. Delphini eas partes habent, & quotquot pulmonibus reſpirant. Nempe quia ſanguis iis eſt copioſus: eoque ſeroſus humor abundaret: cujus excrementum nec ob cutis duritiem poſſet expurgari: nec in ſquamas, vel ſimile quid, abſumi. Atque ut propterea excrementum illud à renibus attrahi, & veſicâ, opus fuit: ita quoque delphino, & aliis quibuſdam, iccirco non bini renes, ſed utroque ex latere innumeri prope racemi conglobantur: nempe ut tenuis ille, & excrementicius humor uberiùs, ac faciliùs, iis exciperetur.

e Lib. 2 Hiſt. An. cap. 16. Sed ex diſt. Caſ. Scal. cap. 18. ſect. 136.

Cap. IX.

De piſcium augmento, & quid eo nomine propriè ſignificetur. Cur auctrix facultas piſcibus fuerit neceſſaria. De cetaceorum magnitudine: item thynni, ſiluri, eſocis, attili, vermis Indici, cujus & vires indicatæ: adhæc mulli, polypi, ſepiæ, & loliginis. Eundem piſcem primo dici αὐξίδα, hinc pelamydem, tum thynnum, poſtea orcynum, tandem cetum: ac unde ei ſit pelamidis, vel pelamydis, appellatio. Materialem incrementi cauſſam eſſe humoris luxuriem. Cur piſces in Ponto celeriùs adoleſcant, quàm alibi. Primariam incrementi omnis cauſſam efficientem eſſe animam: inſtrumentalem autem ſpiritum, ſive calorem ejus nativum. Atque inde rationem quoque petendam, cur ſic excreſcant piſces: imprimis balænæ: quarum non tantamodò magnitudo, ſed ea quoque oſſium eſt duricies: etſi non carnibus, ſed aquis, paſcantur. Quouſque ætatis creſcant delphini. Congros quandoque nec utraque aliquis manu poſſit amplecti.

NUnc de accretione aliquid dicendum. Ea ſine nutritione non fit: imò planè iis aſſentio, qui arbitrantur, facultatem altricem, & auctricem, κατ' οὐσίαν *f* non differre: inque auctrice contineri, tum alimenti converſionem in corporis animati ſubſtantiam, tum partium ſingularum ex nova acceſſione extenſionem. Quippe nutritio eſt materiei aſſimilatio: per quam etiam fit incrementum: hoc eſt, motus quantitatis ſecundùm omnes particulas: ut diximus lib. iii, cap. xxi. Nec enim hîc ſe res habet, ut cum aqua ferveſcens augeſcit. Tale ſiquidem augmentum fit per rarefactionem ex intenſione qualitatis: puta caloris. At, de quo nunc agimus, fit per extenſio-

f Quoad eſſentiam.

nem

nem in omnes dimenſiones ex aſſimilatione materiæ. Eſt quidem & ejus aſſimilatio, cum piſcis, vel aliud animal, pingueſcit. Verùm non in omnes dimenſiones, nec ſecundùm omnes particulas.

Quàm autem facultas auctrix neceſſaria fuerit in piſcibus, ac cæteris etiam animantibus: ſatis patebit cogitanti, non poſſe à matre geſtare fœtum, qui ipſam magnitudine adæquet. Quare neceſſe fuit, ut vivens initio foret exiguum; paullatim verò facultatis auctricis beneficio ad convenientem perveniret magnitudinem.

Cuique verò piſcium præſcripſit Deus ſuam magnitudinem, optimus geometra, ſive malis thalaſſometra: nec limites magnitudinis à Deo præfinitos piſcium ullus excedit.

De magnitudine cetaceorum ſic Plinius lib. IX, cap. III: *Plurima, & maxima, & Indico mari animalia; è quibus balænæ quaternum jugerum, priſtes ducenûm cubitorum: quippe ubi locuſtæ quaterna cubita impleant: anguillæ quoque in Gange amne tricenos pedes.* Et cap. ſeq. *Maximum animal in Indico mari priſtis, & balæna eſt: in Gallico Oceano phyſeter, ingentis columnæ modo ſe attollens, altiorque navium velis diluviem quandam eructans.* De eorundem magnitudine ita B. Ambroſius lib. V Hexaëm. cap. XI: *Quàm ingentia* (in mari Atlantico) *& infinitæ magnitudinis cete! Quæ ſiquando ſupernatant fluctibus, adnare inſulas putes, montes altiſſimos ſummis ad cœlum verticibus eminere.* Sed hoc oratoriâ ὑπερβολῇ dictum putemus: ut Maro *a* de claſſe Ægyptia:

a Æn. 8.

——Credas innare revulſas

Cycladas.——

Quemadmodum & Ambroſii magis temporibus, quàm noſtris, habuit locum, quod ſubjungit de iſtiuſmodi belluis: *Non in actâ, nec in litoribus; ſed in Atlantici maris profundo, feruntur videri: ut eorum conſpectu nautæ à navigandi in illis locis præſumtione revocentur: nec ſecreta elementorum adire, ſupremæ terrore mortis uſurpent.*

De aliorum piſcium magnitudine ſic Plinius lib. IX, cap. XV: *Præcipuâ magnitudine thynnum invenimus talenta quindecim pependiſſe. Ejuſdem caudæ latitudinem duo cubita, & palmum.* Nec marina modò ſic excreſcunt, ſed & fluviatilia: unde idem continuò ſubjungit: *Sunt & in quibuſdam amnibus haud minores, ſilurus in Nilo, eſox in Rheno, attilus in Pado, inertiâ pingueſcens, ad M aliquando libras catenato captus hamo, nec niſi boum jugis extractus.* Severus Sulpitius dialogo 3 de vita S. Martini: *Ad primum jactum, reti permodico, immanem eſocem diaconus extraxit.* Putatur verò *eſox* factum ex Belgico *ſnoeck*, lucius. De vermibus in Gange Indiæ Plin. loco proximè citatô: *Statius Seboſus haud modico miraculô adfert eſſe vermes branchiis* b *binis, LX cubitorum, cæruleos, qui nomen à facie traxerunt. His tantas eſſe vires, ut elephantos, ad potum venientes, mordicus comprehenſa manu eorum abſtrahant.* Adhæc lib. IX, cap. XVIII: *Mullum LXXX librarum in mari rubro captum Licinius Mucianus prodidit.* De polypi mirâ magnitudine idem narrat lib. IX, cap. XXX. Verba ejus inferiùs apponam. Ibidem de pari magnitudine ſepiarum, & loliginum, ex Trebio Nigro ſubjungit. Atque addit: *In noſtro mari loligines quinum cubitorum capiuntur; ſepiæ, binûm.*

b *Pro* branchiis *apud auctorem anonymum de natura rerum* brachiis *legas: ſed perperam.*

Quandoque autem in piſcibus variant nomina pro ætatis incremento. Sic fœtus thynni dicitur σκορδύλη: ac fit ex ovo, quod thynnus pepererit in Ponto. Byzantii vocant αὔξιδα, q. d. *auxumam*, quia citò augetur. At poſtea *pelamyda*, cujus vocabuli originem cap. VI adduximus. Per υ verò hanc vocem ſcribi, docet Heſychius. Alii tamen malunt πήλαμις, per l; nec compoſitum ajunt, ſed derivatum à πηλὸς, *lutum*, *limus*. Unde *limoſum* vocat Plinius lib. IX, cap. XV. Meminit quoque Juvenalis lib. III *c*:

c Sat. 7.

——ſiccus petaſunculus, & vas

Pelamydum.

Ubi vetus interpres: *Vocabulum eſt piſcium ſalſorum. Cùm verò annum obtinuerint pelamidum nomen, vocantur thynni.* Teſtis iſtius Ariſtoteles lib. VI Hiſtor. Anim. cap. XVI *a*: & ex eo Plinius lib. IX, cap. XV, his verbis: *Cordyla appellatur partus, qui fœtas redeuntes in mare auctumno comitatur. Limoſæ vero à luto pelamides incipiunt vocari, & cum annuum exceſſere tempus, thunni.* Lucilius *b*:

a Sect. 203 ex diſt. Cæſ. Scal.

Thunnos captato: cordylum exclude.——

b Apud Varr. l. 6.

Imò ad ſuperiorem Ariſtotelis locum annotat Cæſar Scaliger, ſi thunnorum moles majus ſit nacta incrementum, vocari *orcynos*: ſin ſupra modum creverint, *cete* nuncupari. Sanè orcynum eſſe ex genere pelamidum, etiam à Plinio proditum eſt lib. XXXII, cap. XI. Imò & tritonem eſſe ex genere pelamidum, ab eodem *c* docemur. Quare nihil mirum, ſi veteres ſæpe promiſcuè utantur vocabulis cordylæ, pelamidis, thunnidis, thunni, orcyni. Nam ætate ſolùm diſcrepant.

c Ibid.

Proximum eſt, ut videamus de cauſſa incrementi piſcium. Ea hìc duplex attenditur; materies, quæ augeſcit, & efficiens, à quo augeſcit. Materies eſt id alimentum, quod accedit ad partes nutriendas, augendaſque. Hoc enim poris receptum, eos non ſolùm opplet, ſed etiam extendit: nec permanet humor, ſed in ſolidam convertitur ſubſtantiam. Hæc omnium ſunt animantium communia. Sed quod majus ſit incrementum piſcium, id eſt ab copia & luxurie humoris. Hinc Plinius *d*: *Sunt complura* (in mari) *majora etiam terreſtribus. Cauſſa evidens, humoris luxuria, tam latè ſupino mollique, ac fertili incremento accipiente cauſſas genitales è ſublimi.* Ubi & efficientem tangit; ſed generalem, quæ ab æthere eſt.

d Lib. 9. cap. 2.

Pro alimento autem, quod pro locorum, piſciumque indole mirè variare, inferiùs oſtendam, diſpar quoque eſt augmentum. Exemplo fuerit, quòd celerrimè piſces adoleſcunt in Ponto; ut Ariſtoteles ait lib. VI Hiſt. Animal. cap. VI. Hic ad eum annotat Cæſar Scaliger, id inde eſſe, quia iſtic rariſſima ſit amaritudo: piſces autem imbribus, & aquis dulcibus, largiùs proveniant. Imò jam olim dixerat Plinius lib. IX, cap. XV: *Piſcium genus omne præcipuâ celeritate adoleſcit, maximè in Ponto. Cauſſa, multitudo amnium dulces inferentium aquas.* Exempli loco adducit Ariſtoteles amias; quarum magna ibi multitudo. Hæ, ut ait, ἐπιδήλως αὔξονται, *manifeſtè creſcunt.* Item brevi ſpacio clarè videas grandeſcere murænas, & hippuros. Quod itidem fit ob alimenti bonitatem. Hæc de materie.

Efficiens cauſſa vel generalis èſt, quam ſidera eſſe ex Plinio vidimus: vel particularis, quæ eſt anima; idque per inſtrumentum ſpiritus, ſive caloris nativi, qui per omnes funditur corporis particulas. Nimirum par ratio hìc, ac in animantium cæteris. Quale quid etiam videas in farina: quam ſiquis aquâ ſubigat, partes aridæ humeſcant, humefactæ à calore dilatante in majorem ſe materiem extendant: quemadmodum eſt apud Ariſtot. lib. III de Generatione Animalium. Hæc locum clarè habent, ut in piſcium memoratis, ſic etiam in ſturione, & mugili: qui tantopere excreſcunt, cum tamen aqua, & mucus, ſint pro alimento. Maximè autem id in balænis mirandum; quæ ſimiliter aluntur, & in tantam tamen magnitudinem, ac antea diximus, excreſcunt. Id planè acceptum ferre oportet inſigni calori nativo, qui aquam, ſpumamque, concoquendo facit ſpiſſiorem, & ex condenſatâ tandem tam grandes, ſolidaſque corporis partes, tam dura etiam oſſa generat.

Ex iis, quæ de humore, & calore, diximus, puto, non eſſe obſcurum, cur *piſcium feminæ majores ſint, quam mares*; ut Plinius ait lib. IX, cap. XV. Nimirum omnino ad tantam fœcunditatem, quanta piſcium eſt, eâ in ſequiori ſexu luxurie humoris fuit opus.

Supereſt de ſpatio temporis, quouſque corpora piſcium excreſcunt: item de periodi ejus cauſsâ. Siquidem,

ut

ut philoſophus ait lib. 1 de Generat. & Corrupt. *a* tamdiu nutrimur, quamdiu vivimus: ſed non ſemper creſcimus. Nempe in piſcibus etiam definitum eſt temporis ſpatium, extra quod facultas auctrix & materialem, & efficientem cauſſam deſtituit. Exemplo ſint delphinorum catuli: qui anno decimo juſtam abſolvunt magnitudinem: ut eſt apud Ariſtotelem *b*, Pliniumque *c*.

a Text. 41.
b Lib. 6. Hiſt. An. cap. 12. ſive diſt. Cæſ. Scal. cap. 10. ſect. 120.
c Lib. 9. cap. 8.

Periodus ea in piſcibus nunc major eſt, nunc minor; prout tardiùs, vel citiùs, oſſa, vel ſpinæ induratæ fuerint calore naturali. Nam hoc ubi eſt, obeſiores fortaſſe fiunt piſces; majores non item. Egregiè obeſus fuerit congrus ille, quem ſe vidiſſe ait Cæſar Scaliger tam craſſum, ut utrâque manu nequiret amplecti. Vide eum comment. in Ariſt. hiſt. an. lib. 11, cap. XVI, ſect. CVIII. Quamquam ille fortaſſis etiam pro craſſitudine fuerit longus. Sed de iſto, eo tacente, qui narrat, quid certi ſpondeam? Sufficit, quòd & magnitudinis, & obeſitatis, in vulgaribus etiam piſcibus, quotidie nobis ſuppetant exempla.

CAP. X.

De vi, ac robore, quo piſces armavit natura. Quomodo cornibus duobus valeat locuſta. Quantum crangones, & ſquillæ gibbæ, poſſint cornu ſuo. Xiphiæ, & ſturionis vis in roſtro; xiphiæ quidem prælongo; utrique autem acuto, duroque. Iterum de uſu maxillarum, & dentium: ſed quatenus conferunt ad robur. Plinius duriùs, Ariſtoteles molliùs à Cæſare Scaligero reprehenſus. Cæſaris Tiberii crudelitas, jubentis piſcatorios lacerari duro & aculeato locuſtæ tergo. Qua parte aculeos habeant piſces varii, indicatum. λεπιδωτῦ *nomen unde: & in eo Vallæ lapſus. Cur ſerpenti potius* φολιδωτῦ *nomen attributum. De variis piſcium integumentis. Polypo vis in cirris. Quàm noxium id animal. Piſcium aliis carnem fulciri ſpinis, aliis cartilagine, aliis oſſibus.*

POrrò cùm ætate non ſolùm accreſcit moles, ſed etiam robur: quod ipſum quoque facultatis eſt vegetativæ beneficium. Quare deinceps conſiderabimus, ut providentia divina piſcibus etiam vires, & arma, tribuerit ad tutelam ſui. Ab armis capitis initium eſto.

Locuſtis, quæ Græcis κάραβοι, quandoque etiam ἄστακοι dicuntur, in cornibus vis eſt: quibus eos dimicare Plinius narrat lib. IX, cap. XXX. Sunt hæc bina, in ortu craſſa, hinc magis magiſque gracilia, donec in tenuem deſinant cirrum. Ea in quamvis flectunt partem; extra metum porrigunt ad latera; in pavore autem erigunt. Sub hiſce cornibus duo habent alia; ſed minuta, tenuiaque: quibus eos piſciculos allicere, ac venari, Rondeletii *a* opinio eſt.

a Lib. 18. de piſc. mar. c. 2.

Crangonibus, & ſquillis gibbis, cornu datum, (quo ſquillarum carent aliæ) è medio prominens capite, acutum, & ſerratum; quo devoratæ interimunt lupos, & alios piſces: unde ſcitè Oppianus *b*:

b Lib. 2. de Piſcat. verſ. 133.

Ὀλλύμεναι δ' ὀλέκουσι, καὶ ὃς πέφνεν φονῆας.
Dum pereunt, perdunt hoſtem, occiduntque necantem.

Nonnullis quoque piſcibus eſt roſtrum porrectum; quandoque etiam ad duos treſve cubitos; ut in xiphia apparet. Item acutum; ut in eodem xiphia, nec non ſturione; unde hujuſmodi dicuntur ὀξυρυγχοι *c*. Adhæc interdum ex oſſe duriſſimo: ut eiſdem, xiphiæ dico, & ſturioni; qui iccirco naves etiam, ac ſaxa, roſtro perforant.

c Quaſi dicas acutiroſtri; quomodo de piſcibus repandiroſtrum pecus, ait Pacuvius apud Varronem l. 4. de L. L. & Quinctilianum l. 1. cap. 5.

Adhæc eodem pertinent maxillæ: ut quæ piſcibus datæ ſint, non ad manducandum; ſi exceperis paucos, de quibus antè dictum; ſed ad comprehendendum, ſuique tutelam.

Item dentes; de quibus quædam jam vidimus cap. VII. His carent, qui luto, & algâ, veſcuntur: at non carnivori; quibus defenſione ſui, & propulſatione injuriæ illatæ, opus fuit. Præcipuè tamen dentes dati ſunt piſcibus, ut ea, quæ comprehendiſſent, firmiùs retinerent. Excipi interim videntur lampetræ; quæ minutos habent dentes, toto diſperſos ore, uſui prope nullo. Bos quoque dentes habet: ſed ut minutos, ſic invalidos: qua de re Oppianus in ſecundo Ἁλιευτ. At multum dentibus valet, tum συναγρὶς, quem Gaza *denticem* vertit, ſed perperam; ut dictum *a*: tum συνόδων, qui verè *dentex*, ac hodie quoque Venetis, & Iſtris, *dentalis* appellatur. In piſcium hiſtoria Plinius nec ſynagrin, nec denticem, nominat: quam *pudendam vel oblivionem, vel negligentiam*, Cæſar Scaliger *b* vocare non dubitat. Idem Plinius in eo reprehenſus nobis ſuperiùs *c*, quòd ſoli ſcaro dixerit dentes non ſerratos. In quo tamen ei præivit Ariſtoteles *d*. Hoc itaque Cæſar Scaliger *e* *errorem divini præceptoris* nuncupat. Nam, inquit *f*, *dentices ego comedi: quorum dentes æquales omnes erant, ac teretes, nec abſimiles à paxillis citharæ.*

a Cap. 7.
b In lib. 2. Hiſt. Anim. ſect. 111.
c Cap. 7.
d 2 Hiſt. Anim. cap. 111.
e Ibid.
f Ibid.

Hæc de capitis armis. Nunc videamus de iis, quæ reliquo habent corpore. Nonnullis ad ſui defenſionem dati ſunt aculei, ut fronte, ſic corpore univerſo: ſicut cancris marinis, item locuſtis: unde hæ Tiberio Capreis agenti inſerviere ad crudelitatem. Tranquillus *g*: *Gratulanti* (piſcatori) *inter pœnam, quòd non & locuſtam, quam prægrandem ceperat, obtuliſſet, locuſtâ quoque lacerari os imperavit.* Non ſatis locuſtæ naturam intellexit Torrentius, cùm hunc ad locum annotaret, eam ad lædendum fuiſſe idoneam, quia eſſet è cruſtatorum genere. Nec enim tam eo læſit, quia intecta eſſet cruſtâ; quàm quoniam aſpera, & aculeata.

g In Tiberio c. 60.

Nonnullis verò aculei ſunt in cervice; ut araneo, uranoſcopo, cyaneo, qui vulgo derbius: vel à cervice ad caudam; ut auratæ, percæ, ſargo, thynno: vel thorace, & branchiis; ut uranoſcopo: vel pinnis; ut ſargo, cantharo, ſparo, corvo, melanuro: vel caudâ ſolùm, cujus aculeo propriè *radii* h nomen; ut paſtinacæ: vel caudâ, & corpore reliquo; ut rajis nonnullis: quemadmodum optimè Rondeletio expoſitum lib. 11 de piſc. mar. cap. VIII. Qui & cap. IX docet, quomodo aculei, qui in dorſo eriguntur, in quibuſdam bini ſint: ut acanthiæ, & centrinæ: nonnullis tres; ut piſci araneo, & uranoſcopo: plures aliis; velut auratæ, cantharo, mugili, paſtinacæ, percæ, ſargo, ſcaro. Paſtinacæ, quam dixi, nunc unus in cauda radius eſt: nunc geminus: nunc etiam triplex. Galeorum alii aculeos habent, alii iis carent.

h Plin lib. 9. cap. 30.

Præterea ad robur conferunt ſquamæ. Imò cuidam piſci proprium inde nomen factum λεπιδωτῦ: quem Ægyptii coluere, ut inferiùs dicetur. Valla apud Herodotum *ſquamatum* vertit. Parum commodè: quando iſtic non generalis eſt appellatio, ſed nomen particulatim impoſitum.

Sunt verò ſquamæ piſcibus propriæ. Scio, etiam ſerpentibus tribui ſquamas; ſed valde impropriè: cùm potiùs ſint tenuis cortex. Is Græcis φολὶς, atque inde ſerpentes φολιδωτὰ dicuntur. Eſtque is ſquamarum uſus piſcibus qui avibus plumarum. Hieme enim arcent frigus: æſtate inumbrant adverſus calorem. Cæterum non de alarum pennis, qui ad volatum inſerviunt: ſed de minoribus plumis, corpus integentibus, nunc ſermo eſt nobis.

Non omnes tamen piſces habent ſquamas. Nam læves, & ſquamarum expertes, ſunt ii, qui cartilaginei dicuntur: item anguillæ, murænæ, (quas malè cartilagineis accenſet Suidas *i*) lacerti magni, parvique. De piſcium aliis ſic Plinius lib. IX, cap. XII: *Aquatilium tegumenta plura ſunt. Alia corio, & pilo integuntur; ut vituli, & hippopotami. Alia corio tantum, ut delphini: cortice, ut teſtudines: ſilicum duritiâ, ut oſtreæ, & conchæ: cruſtis, ut locuſtæ: cruſtis, & ſpinis, ut echini: ſquamis, ut piſces* k: *aſperâ cute, ut ſquatina, qua lignum & ebora poliuntur: molli, ut murænæ: alia nullâ, ut polypi.* Sed ut polypis cutis ſit nulla, quod hic Plinium dicere videmus, non tamen iis non proſpexit natura. Nam cirri illis dati; quibus quantum valeant, Plinius docet; qui ex Trebio Nigro refert lib. IX, cap. XXX, *nullum eſſe atrocius animal ad conficiendum hominem in aqua: luctari enim complexu, & ſor-*

i In Σιλάχια.
k Aliqui ſcribunt: ut alii ferè piſces: ſed puto, Plinium voce piſcium ſtrictiùs uſum: quod & Ariſtoteles interdum facit.

& ſorbere acetabulis, ac numeroſo ſuctu detrahere, cujus in naufragos urinantesque impetum cepit. Idem, ſi aquila eum in altum ſuſtulerit, ſic viciſſim ſuis implicat cirris, ut decidat, & undis mergatur. Teſtis Ælianus lib. VIII de Animal. cap. XI. Utile ſanè exemplum iis reddendis cautioribus, qui expetunt ſibi noxia.

Ex his dilucet, quàm variè Deus exteriùs proſpexerit piſcibus ad defenſionem ſui. Nunc aliquid dicendum de iis, quæ interiùs conferunt robur. Hoc præſtant ſpinæ, quia carnem fulciunt, ut oſſibus reſpondeant. Imprimis his abundant, qui in dulcibus deguntaquis: ut aloſæ, & ſimiles. Sunt verò ſic ſpinæ piſcium propriæ, ut ſolis conveniant, non omnibus tamen; cum pro ſpinis etiam ſint cartilagines & oſſa. Quæ cartilagines habent, inde Plinio *cartilaginea* vocantur. Ariſtoteli ſunt τὰ σελάχη, qui primus id nomen impoſuiſſe dicitur *a*: nempe à nitore, qui Græcis σέλας. Cartilagine duriora ſunt oſſa: quæ pro ſpinis, vel cartilagine data belluæ marinæ, & habentibus pulmones: unde illorum præcipuum robur.

a Plin. quem refellit c. 17.

Cap. XI.

Unde piſcis torpedo *Latinis, Græcis* νάρκη, *vel* νάρκα, *dicatur. Vim habere ſtupefaciendi: & cui bono hanc facultatem acceperit. Diphilus eam vim ei in lumbis ineſſe voluit, quam alii totius eſſe corporis ajunt. Stuporem eum, quem inducit, oriri à ſpiritu, & humore frigido, quem effundit. Unde piſcis alius* ἐχενηίς *dicatur, &* ναυκρατής. *Cardano* echeneida, *&* echinum, *male confundi.* Remeligines *eadem, ac* remoræ, *& unde utrumque nomen. Non videri unicum piſcem, cui hoc nomen conveniat; ſed varios; in his lampetram. Cauſſam tantæ facultatis, quæ multis, etiam Suarezio, occulta planè exiſtimatur, Fracaſtorio putari vim ſaxorum magneticam, ſupra quæ nitant echeneides. Sed Rondeletium veriſimiliùs ſtatuere, retineri navem à remora clavum regente, à quo motus navis dependeat. De piſce navem diebus* XIV *retrorſum terga geſtante.*

QUæ hactenus diximus, cauſſam habent apertam, atque ad certam etiam corporis partem pertinent. Sunt præterea quæ occultæ totius corporis virtuti tribuantur. Ut vis motus depravandi in torpedine, tollendi autem in echeneide.

Horum torpedo ſic dicitur à vi, ut Varro ait IV de L. L. nempe quia inducit torpedinem. *Torpedo* enim idem ac *torpor*. Sic uſus Salluſtius. Græcis eâdem de cauſſâ νάρκη nominatur: vel Menandro *a* etiam, paucisque aliis, νάρκα per α: nempe quia νάρκωσιν *b* producat. A tremore, quem adfert contrectantibus, Burdegalenſibus dicitur *tremble*, Liguribus *tremoriza*, q. d. *tremulam*. Bellunenſi, Avicennæ interpreti, vocatur *alharade*, ex *al*, Arabico articulo, & verbo חרד harad, ſeu charad, hoc eſt, *ſtupuit*, *horruit*. Nimirum omnium eſt gentium conſenſus, eam inducere corpori tremorem, torporemque: quod non ſolum facit contrectanti; ſed etiam hamo piſcanti. Vim enim illam per hamum, ſetam, & arundinem, in piſcantis manum traducit. Teſtes Plato in Menone, Ariſtoteles lib. IX Hiſt. Anim. cap. XXXVII, Theophraſtus apud Athenæum in VII, Plinius lib. XXXII, cap. I, Ælianus lib. IX de Anim. cap. XIV, Galenus lib. VI de locis affectis, Alexander Aphrod. proœmio lib. I problematum, Oppianus lib. III Halieut. *c* Claudianus poëmatio, quod Torpedo inſcribitur, Iſidorus Hiſpal. lib. XII Orig. cap. VI, Theophylactus Simocatus problematum natural. quæſt. IV; ut Albertum, & juniorum totalios, mittam. Rondeletius quoque lib. II de Piſc. Mar. cap. ult. experientiâ hoc ait à ſe comprobatum. Hæc vis ei attributa eſt à Deo ad capiendos piſcium alios. Per ſe enim imbecillis eſt: ſed hac vi ſtupefacit piſciculos accedentes, ac ſic capit: ut dicemus, cum ad piſcium ſagacitatem erit deventum. Itaque Oppianus lib. II de piſcatione hanc vim ei tributam ait pro robore. Modum etiam, quo vim exerit, exponit his verbis *a*:

a Apud Athenæum.
b Obſtupefactionem.
c Verſ. 149 & ſeqq.

Ἀλλά οἱ ἐν λαγόνεσσιν ἀναλκείης δόλος ἀλκή,
Κερκίδες ἐμπεφύασι παρὰ πλευρῇς ἑκάτερθεν
Ἀμφίδυμοι, τῶν εἴ τις ἐπιψαύσειε πελάσσας,
Αὐτίκα οἱ μελέων θέρος ἔσβεσεν· ἐν δέ οἱ αἷμα
Πήγνυται, οὐδ' ἔτι γυῖα φέρειν δύνατ'· ἀλλά οἱ ἀλκή
Ἦκα μαραινομένοιο παρείεται ἄφρονι νάρκῃ.

Verùm ipſi in lumbis imbecillitatis dolus eſt ſubſidium,
Radii ſunt innati juxta latus utrimque
Gemini: quos ſiquis attingat accedens,
Statim ipſi membrorum robur extinguit, ſanguisque ipſi
Congelaſcit, neque amplius membra ferre poteſt, ſed ipſi robur
Paullatim tabeſcente remittitur ſtolidæ torpedini.

a Verſ. 62. & deinceps.

Quibus ex verſibus duo videmus. Primùm de parte corporis, cui vis ineſt; deinde de qualitate ea, quæ id facit. Nam in lumbis hanc ei vim inſitam ait. Et favet Diphilus Laodiceus *b* libro in Nicandri Theriaca. Quippe cùm vulgatior ſit opinio, toto ei corpore hanc ineſſe vim, contrà hic ait, parte duntaxat corporis iſtum ſtuporem inducere; idque longo ſibi uſu eſſe compertum. Quod ad qualitatem attinet, hanc frigus ait: in quo abit à Galeno lib. I. de cauſſis ſymptomat. ac lib. de uſu reſpirationis, ubi obſcuræ occultæque qualitati id tribuit. Sententia hæc eſt noſtra, torpedinem ſpiritus, & humores diffundere, qui refrigerent, &, ut Oppianus ait, quaſi congelent, non piſces modò, ſed piſcatores etiam; quorum nervi, ac digiti, vi per hamum ac lineam tranſeunte, prorſum ratione facultatis motricis debiles fiant, ac infirmi: unde tremor ille, de quo ſuperiùs dicebamus. Porrò verſus Oppiani appoſuimus, prout leguntur vulgo, & ut eos interpretatus eſt Rittershuſius: qui verſu ult. in genitivo μαραινομένοιο intelligi putat αἵματος, h. e. *tabeſcente ſanguine*. Sed eo quid durius? Idem ἄφρονι νάρκῃ de piſce interpretatur. Quod ſequentia refellunt. Vide, an non potiùs verſu penultimo pro νάρκῃ legendum ſit νάρκης: quomodo exponi debeat:

b Apud Athenæum.

—— —— *Sed ipſi* (torpedini) *robore*
Mox tabeſcente (ſanguis) *remittitur ſtolido torpore.*

Hinc tranſeo ad remoram: quæ Græcis ἐχενηίς, ἀπὸ τοῦ ἔχειν τὰς ναῦς, *à navibus ſiſtendis, ſive retinendis*. Item ναυκράτης, ἀπὸ τοῦ κρατεῖν τὴν ναῦν, *quia detineat navem*. Prior appellatio eſt pervulgata: etiam Latinis; ut Ovidio in Halieut. & Lucano lib. VI. Sed aliud *echinus*, ac *echeneis*; cùm *echinus* ſit *erinaceus*; ut perperam hæc vocabula confuderit Cardanus lib. X de Subtilitate. Alterum ναυκράτης nomen habes apud Suidam *c*, & Euſtathium *d*. Philes quoque in Iambis ait:

c In ναυκράτης.
d In Odyſſ. p. 1490. edit. Rom.

Καὶ πήγνυται ναῦς ἐντυχοῦσα ναυκράτει.

Vertere poſſis:

Navisque ſiſtit incidens remeligini.

Latinis enim non *remora* modò à remorandis navibus vocatur: ſed etiam *remeligo*, teſte Feſto. Qui κατὰ μεταφορὰν hac voce uſum docet Afranium, & Plautum Patinâ trochaico iſto:

Nam quid illæ tam diu intus remorantur remeligines.

Lambinus pro *Patinâ* apud Feſtum *Caſinâ* ſcribendum conjectat; ac ſic, ut Feſtus retulit, legendum act. IV, ſc. III, verſ. VII: niſi quòd pro *remeligines* malit *remoragines*. Sed nihil impedit, quò minùs *remeligo* rectum credamus. Nempe ut ſit ἀπὸ τοῦ μένειν, quod *cunctari* ſignificat. Favent Iſidori gloſſæ, in quibus legas: *Remiligines, remoratrices*. Vim autem naves ſiſtendi, præter eos, quos diximus, echeneidi tribuit Ariſtoteles lib. II Hiſt. Anim. cap. XIV. Deque eadem ita Plinius lib. IX, cap. XXV: *Eſt parvus admodum piſcis, adſuetus petris, echeneis appellatus: hoc carinis adhærente, naves tardius ire creduntur.* Idem ſubjungit, ut ſiſtent navem Perian-

riandri. Ac lib. XXXII, cap. I, ſimile ait uſu veniſſe Antonio triumviro; adhæc Cajo principi.

Quis verò is ſit piſciculus, mirè variant ſcriptores. Nam, ut ibidem refert Plinius, limaci eam ſimilem fuiſſe ajebant, quæ quinqueremem Caji ſtiterat. At priori loco libri IX, Mucianus ait, eſſe latiorem purpurâ: Trebius Niger, eſſe pedalem, & craſſitudine quinque digitorum. Ælianus autem, lib. XII de Anim. cap. XLV, æquat mediocri anguillæ. Ut omnino videantur plura eſſe piſcium genera, quæ vim habeant navem ſiſtendi, ac propterea communi *echeneidos*, vel *remoræ* nomine, appellentur. Quid mirum? quando & quaſi adjectivè eâ voce utitur Æſchylus Perſis. Illa verò Æliani videtur eſſe lampetra noſtra: quam & Oppianus intellexit lib. I Ἁλιευτ. Sanè lampetra (quæ ita à lambendis petris *a* dicta) naves ſectatur, præſertim recens pice illitas, idque ut picem exſugat: quod ſi clavo ſe applicuerit, etiam moratur navem. Id experientiâ comprobari, ait Rondeletius *b*. Nam cum Romam triremi proficiſceretur unà cum Cardinale Turnonio, curſum fuiſſe inhibitum magnâ cum admiratione vectorum: atque his in cauſſam inquirentibus, deprehenſam eſſe lampetram ore adfixam clavo: eam captam coctamque pœnas moræ dediſſe injectæ: atque hujuſce rei teſtes ſe habere ait locupletes, viros nobiles, & graves, qui unà vehebantur. In multos tamen incidi, homines doctos, quibus hoc omnem excedere fidem videretur. Quid, inquiebant, incredibilius Plinianis *c* iſtis? *Ruant venti licet, & ſæviant procellæ, imperat furori, vireſque tantas compeſcit, & cogit ſtare navigia: quod non vincula ulla, non anchoræ pondere irrevocabili jactæ: infrenat impetus, & domat mundi rabiem nullo ſuo labore, non retinendo, aut alio modo, quàm adhærendo. Hæc tantulla eſt ſatis contra tot impetus, ut vetet ire navigia.* Omnis verò admiratio eſt à cauſſæ ignorantia. Suarezius decimâ octavâ diſputationum Metaphyſicarum, ſectione octavâ, ubi agit de propinquitate neceſſariâ inter agens, & patiens *d*, ſcribit de ea hunc in modum: *Ego cenſeo, rem eſſe occultiſſimam; quæ neceſſario reducenda eſt in aliquam virtutem ſuperioris rationis; quæ vim habeat talem ac tantam ad reſiſtendum illi impulſui navis, ut ab eo debilitari non poſſit. An verò id fiat ab hoc animali, imprimendo aliquam qualitatemn avi, debilitantem vim illius impetus: vel ſolùm adhærendo per vim ſibi innatam, ſicut homo detinet lapidem proportionatum, ne cadat: vel denique, an hic piſcis vim talem habeat ſiſtendi ſe ipſum, & quaſi adhærendi loco ſuo, ut etiam ab impellente navim rapi, aut dimoveri non poſſit; mihi incertum eſt. Quocunque tamen horum modo eveniat; non dubium eſt, quin ex virtute mirabili & occultâ proveniat, adjuvante fortaſſis ſpeciali aliquâ & connaturali influentiâ cæleſti.* Et ſententiæ huic favet Baſilius Hexaëmeron homil. VII: & eum, ut ſolet, ſecutus Ambroſius lib. V Hexaëm. cap. X; ubi ait, *creatoris munere tantum ſuppetere virtutis.* Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis libro de Sympathia, & Antipathia, cap. VIII, ait, hanc rem eſſe non ab echeneide; ſed à ſaxis vim habentibus magneticam ad navem retinendam. *Nihil*, inquit, *probibet ſaxa, & ſcopulos, ubi echeneides degunt, conſimilem ſpeciem uſque ad navigia mittere, qualem & montes magnetis ad ferrum in navigiis fixum. Sicut igitur, ſi ferrum fortiter, & tenaciſſimè navigio infixum eſſet, ita ut nec extrahi poſſet; non attraheretur quidem navigium ad montes illos, ſed firmaretur tamen: ita & circa ſcopulos echeneidum accidit tranſmiſſâ ad naves ſpecie, quæ vel ad clavos earum, vel ad aliud analoga ſit, retineri ipſas. Quare inventus illic piſciculus ſignum dat ſubeſſe ſcopulos eos, qui firmare navigium poſſint.* Plura ibidem de hac re diſſerit. Sed Cæſar Scaliger ea ridet ad Cardanum Exercitat. CCXVIII. Cenſet ipſe, ut magneti vis ineſt movendi, ſic echeneidi vim eſſe motu privandi. Non inſiſtam huic refellendæ opinioni: quod à Conimbricenſibus factum. Contentus ero dicere, quid in hoc diſſenſu videatur. Nempe acutiùs veriùſque de tota hac re judicaſſe puto Rondeletium in opere de piſcibus marinis: quod Scaliger non vidit, niſi ſuis jam quaſi ad finem perductis. Hujus operis lib. XV, cap. XVIII, quia echeneis non habeat eam vim, niſi clavo adhæreat, optimè, ut arbitror, colligit, non eſſe hunc effectum ab occultâ quapiam proprietate echeneidos, ſed à natura gubernaculi; quod ſe habet inſtar vectis, ut, exiguum licet, magna moveat pondera. Nempe centrum motus ejus eſt in cardine gubernaculi: unde navis impellitur obliquè; dextrorſum, ſi clavus moveatur ſiniſtrorſum; contrà ſiniſtrorſum, ſi clavus dextrorſum impellatur. Si igitur echeneis clavo, vel puppi, ſe applicet, & nunc dextrorſum, nunc ſiniſtrorſum ſe moveat: propter ambiguum hunc ejus motum, etiam ambiguus redditur motus navis: proque exiguo motu unius extremi, alterum etiam extremum, atque adeò tota moles, nutat, nec progredi idonea eſt, vel ſaltem it tardiùs. Multum hæc lucis accipient ex iis, quæ Ariſtoteles habet in Mechanicis *a*; ubi diſſerit, cur gubernaculum, cùm res ſit minuta, unius hominis operà, prope ludentis, movere poſſit navem ingentem. Quam rem & Vitruvius explicat lib. X rei Architectonicæ, cap. VIII. Oſtendit verò, gubernaculum eſſe inſtar vectis; de cujus maxima vi res eſt nota è Mechanicis: mare autem ſe habere inſtar oneris; cardines, in quibus clavus vertit, eſſe vicem hypomochlii; gubernatorem verò eſſe motorem, quò & echeneis referenda. Vana tamen hæc fuerit cauſſa, ſi verè Oppianus, etiam ſub carina vim eandem habere; ſi item hoc paullo antiquior Plutarchus Sympoſiacôn lib. II, probl. VII, rectè ait id præſtare lateri adhærentem. Mihi magis placet, non habere hanc vim, niſi vel gubernaculo adhæreat, quod Rondeletius ſtatuit; vel ſaltem ei proxima ſit; quod placuit Keckermanno in problematis nauticis *b*: ubi exiſtimat, *remoram piſcem effundere è corpore ſuo humorem quendam viſcoſiſſimum, & frigidiſſimum; qui eam aquam, quæ eſt circa gubernaculum navis, quaſi congelat, ut ad motum reddatur inhabilis.* Interea incertum hujus rei docet, quàm mirandus ſit Deus etiam in piſcium natura. Quò etiam referendum, quod Jo. Hugo Linſchotanus in Navigationum Indicarum Hiſtoria *c* narrat. Ait is, navem Luſitanicam Moſambiqua ad Indos navigantem, ac ſecundo utentem vento, nihilominus per dies XIV retro delatam: idque animadverſum ab iis, qui altitudinem Solis quotidie obſervarent. Hæc res, inquit, & gubernatorem, & cæteros, qui navi eâ veherentur, mirè habuit ſollicitos: nec aliud in animum inducere poterant, quàm Magorum illud maleficio fieri. Tandem, ut refert, conſpectus piſcis navi circumplicitus. Omnium igitur opera in eo deſudabat, ut is conto, & inſtrumentis aliis, depelleretur. Nec tamen, niſi caudâ priùs præciſâ, navim reliquit: quæ exinde feliciter reliquum confecit curſum. Collegere igitur, navim tergo eſſe piſcis geſtatam, eoque in adverſum natante, hebdomadis duabus actam retro. Hanc rem Indiæ prorex in palatio ſuo, æternæ memoriæ ergò, depingi juſſit; adſcripto, & gubernatoris nomine, cui id contigit, & anno etiam, ac menſe, quo id eveniſſet. Non dubium autem, quin & clavi regimen ab hoc piſce inutile redditum ſit. Nam, ut ait Linſchotanus, ſub carina quidem corpus piſcis erat; caput autem ſub clavo.

a Diſſentit tamen Cæſar Scaliger in Ariſtot. hiſt. anim. l. 2. ſect. 108. idque quia capiatur fluminibus ſabuloſis: parvulæ autem ſub carina.

b Lib. 14. de piſc. mar. c. 4.

c Lib. 32. cap. 1.

d P. 457. edit. Moguntinæ an. 1600.

a Quæſt. 6.

b Problem. 10.

c Tom. 1. c. 48. Belgicæ editionis pag. 71.

Cap. XII.

Ad ſenſus externos, primoque ad viſum acceditur. Aquatilia initio carere viſu; utcunque primò de formandis oculis ſollicita ſit Natura. Cur primi in piſcibus moribundis deficiant oculi. Quamobrem piſcibus dati ſint oculi duri: cur palpebræ iis negatæ, quorum uſus tamen ſit maximus: & quo pacto defectus earum compenſetur. De oculorum ſitu diverſo, & ejus cauſſa. Cur oculorum gratiâ caput eſſe factum, Galenus putârit. An cancri capite careant, quod eidem placitum. De capite planorum piſcium. Cur piſcium quidam obtorto natent capite. Quare piſcium illi pejus cer-

cernant, quibus oculi prominent. Cur melanuri malè videant. Ophthalmias *Plauti idemne ſit, ac* melanurus, *vel* oculata. *Unde nomen* oculatæ. *Opinio eorum, qui melanurum cenſent eſſe torpedinis genus, & oculatæ nomen ſortitum à quinis corporis maculis. Duriores oculis minùs eſſe perſpicaces. Quare mugiles hieme parùm videant. Unde colligatur, thynnos dextrò minus oculo cernere. Vulgaris refellitur opinio de ſeptenis lampetræ oculis. Noctu piſcium quorundam oculos lumen de ſe fundere. Aquatilium quædam viſu carere: ac particulatim, cur teſtâ concluſis viſus non ſit conceſſus. Itidem viſu deſici piſces quoſdam molles, ſtellas, echinos, urticas, lepores, & aquatilium alia. Cur cochleis cornua ſint addita. Hinc itur ad auditum: primoque exponitur, qui piſcium hoc excellant, & cui bono ſenſus is piſcibus ſit attributus. Ut piſces adnatent ad cibum, ſeu nomine ſibi impoſito, ſive etiam plauſu, cui adſueverint, audito. Perperam Ariſtoteli, ac Plinio, negatum, auditus ergò meatum piſcibus ad cerebrum perforari. Cur piſcibus datus ſit auditus vel obtuſus, vel nullus.*

SAtis diximus de facultate eâ, quæ animali communis eſt cum omnibus ſtirpium vitâ præditis; ac in animali jecur pro fonte habet; unde venas, ut canales quoſdam, per univerſum corpus diffundit. Nunc venio ad δύναμιν *a* alteram, ſolis inditam animalibus; quæ in corde ſedem habet, atque inde arterias, velut canales, per corpus ſpargit. A poſteriori iſta ſunt hæc tria; ſenſus, appetitus, motus. Senſus vel eſt inſtrumentalis, vel princeps. Inſtrumentales ſunt viſus, & cæteri, qui vulgo ſenſus dicuntur externi.

a *Facultatem.*

Aquatilium omnium fœtus, ut Plinius *b* ait, *inter initia viſu carent.* Quanti tamen in piſcibus viſum fecerit Natura, arguit, quòd primi gignantur oculi; utcunque initio non habeant videndi facultatem. Itaque in aphyis, & ſepiis, adhuc naſcentibus, & imperfectis, oculos tamen diſcernere eſt. Similiter & primi in iis moribundis deficiunt. Fit hoc ob paucitatem ſpiritus; quo ad videndum opus eſt. Etiam hoc Naturæ, ſeu divinæ potiùs Providentiæ, curam indicat, quòd piſcibus oculos dederit duros, ne lædantur ab aquis, præſertim ſalſedine.

b *Lib. 9. cap. 52.*

At palpebræ piſcibus ſunt negatæ, & univerſis quidem. Videlicet, ut faciliùs nictare ſub aquis valeant. Magnus quidem palpebrarum uſus aliis eſt animantibus: ut oſtenſum nobis lib. III, cap. XXIII. Sed defectum iſtum magnam partem in piſcibus corneæ membranæ durities compenſat.

Quia verò admodum variat piſcium natura, figuraque; eò nec uno in loco cunctis oculi collocantur. Quibuſdam ſunt poſiti intra pedes, & ventrem; ut polypo, loligini, ſepiæ: de quibus teſtis eſt Plinius lib. IX, cap. XXVIII. Ac proinde ibidem iis caput eſt, cùm oculi à cerebro per nervos accipiant ſpiritum viſivum. Imò caput oculorum cauſsâ eſſe factum, putabat Galenus *c*. Nempe quia αἰσθητήρια *d*, præter oculos, cancris, & ſimilibus, in pectore ſint. His tamen non ſatis conſentaneum eſt, quòd ſcribit *e*, cancros capite deſtitui. Nam iis oculos eſſe, quibus videant, ipſe agnoſcit. Sed hoc Galenum fefellit, quòd chelas pro branchiis habeant, quâ parte animantium aliis eſt pectus. Callionymo oculi in ſummo capite dati, cælum verſus: unde & οὐρανοσκόπος *f* nominatus. De hoc dictum cap. XLI. Planis piſcibus oculi non æquè diſtant ab utroque latere: ſed unus prope in dorſo; alter ori propior, devexiorque: ut ad Ariſtotelem Cæſar Scaliger *g* obſervat. Quamquam verò ſupra caput oculos habent, magis tamen è lateribus vident: quod liquet in rhombo, paſſere, bugloſſo, rajâ. Fabro interea, & tæniæ longæ, oculi utrimque à lateribus magis ſunt. Sunt & à lateribus araneo, ac thynno; ſed ſupra os. Porrò ii quibus oculus uterque eâdem eſt parte, natant capite obtorto; prout in terris ambulant homines μονόφθαλμοι *h*. Atque hæc ad diverſum oculorum ſitum pertinent.

c *Lib. 8. de uſu partium.*
d *Senſus inſtrumenta.*
e *Ibidem.*
f *q. d. cœliſpex.*
g *In Hiſt. Anim. l. 2. ſect. 108 p. 219.*
h *Unoculi.*

Cur piſces oculos habeant hebetes, diximus lib. III, cap. XXIII. Nec leve interim eſt in his diſcrimen. Acutiùs è piſcibus cernunt illi, quibus pupillæ ſunt exiguæ, nec oculi præ aliis prominent. At obtuſiùs vident, qui eos habent magnos, & prominentiores. Itaque torpedo dicitur ὀξυδερκής *a*. Nam, pro mole corporis, oculi ei ſunt minuti. Magnis verò oculis eſt βόωψ, unde & nomen. Præterea μελάνουρος: cui itidem, pro corpore, ingentes ſunt oculi, eique ex cæruleo nigreſcentes. Atque hinc, ut multorum fert opinio, idem dicitur ὀφθαλμίας. Meminit *ophthalmiæ* Plautus Captivis *b*. Sed utrùm piſcis, an ſinciput *c*, carove *d* circa oculos, intelligatur, parùm convenit. *Oculatam* eſſe è piſcibus, ſatis oſtendit Celſus lib. II, cap. XVIII, & Plinius in piſcium catalogo *e*. Verùm hic, quod Gazæ adverſatur, *melanurum*, & *oculatam*, pro diverſis recenſet. Sic enim ſcribit: *Mugil, melanurus, mæna, meryx, muræna, mys, mitulus, myſcus, murex, oculata, ophidion, oſtrea*, &c. Quare aliis placet, oculatam non *melanurum* eſſe; ſed torpedinis genus; quod hodie Romani *occhiatella* nuncupant vulgo. Nempe ut hoc nomen acceperit à quinis maculis cæruleis, oculi referentibus figuram. Niger eas ambit circulus: exterius ſpatium crebris, iiſque rotundis diſtinctum punctis. Si prius magis arridet; fatendum ſit, uno ex piſce Plinium, propter appellationes binas, binos cudiſſe piſces, ſeu oblivione, ſeu ignorantiâ. Nec ſanè poſſumus ſemper Plinium ab hoc crimine abſolvere. Interim extra controverſiam eſt, ſi *melanurus* ſit idem, ac *oculata*: hoc eum nomen accepiſſe, non ab acumine viſus, ſed oculorum magnitudine: quæ potiùs ἀμβλυωπίας *f* cauſſa eſſe ſolet.

a *Perſpicax.*
b *Act. 4. ſc. 2. verſ. 70.*
c *Dalecamp. ad Plin. l. 11. cap. 37.*
d *Turneb. lib. 4. Adverſ. c. 19.*
e *Lib. 32. cap. 11.*
f *Obtuſi viſus.*

Præterea pejùs vident, quibus oculi duriores: acutiùs, quibus humidi; ut rajis, paſtinacis, & cunctis, qui ex inſidiis alios piſcium venantur. Mugili hieme viſus obtuſior, ſive ob frigus, ſive quia oculi muco, vel cartilagine, obducantur. Thunnis quoque hebes viſus: interim dextro oculo clariùs vident; minùs ſiniſtro. Hoc inde colligunt, quia dextrâ ripâ ſubeant Pontum, exeant ſiniſtrâ: ut Ariſtoteles narrat in VIII de Animal. cap. XIII, & Plin. lib. IX, cap. XV. Addit hic, ut in anguſtiis Thracii Boſpori ſaxum ſit magno ſuo candore à vado uſque ad ſumma perlucens. Eo conſpecto, thynnos ait percelli: magnoque agmine petere adverſum Byzantii promuntorium, quod inde *Auricornu* nominatur.

Lampetra, quam Auſonii eſſe muſtelam negat Scaliger *g* pater, ait verò filius *h*, ſeptenos utrimque oculos habere vulgaris eſt opinio. Sed quos oculos vocant, branchiarum ſunt foramina, per quæ reſpirat: unde, his apertis, bullæ undique excitantur; earumque indicio capitur. Atque hoc attendit Auſonius in Moſella:

Spumarum indiciis caperis muſtela natantum.

Quin verò alia ſit muſtela marina ab illa Araris, minimè dubitandum. Nec enim, quæ de muſtela ſcribit Auſonius, conveniunt illi, ſed lampetræ.

g *In Ariſt. Hiſt. Animal. lib. 2. ſect. 108. p. 217. 218.*
h *Auſonianarum lect. lib. 2. cap. 1.*

Piſcium multis oculi noctu refulgent, inſtar oculorum felis, item putrium lignorum, aliorumque: de cujus cauſſa dixi cap. XXVI.

Interea nec oculi piſcibus dati univerſis. Nam, ut ait Plinius lib. IX, cap. XXX: *Carent conchæ viſu, omnique ſenſu alio, quàm cibi, & periculi.* Itidem carent viſu oſtrea, & alia teſtis hærentia. Cui enim bono iis darentur, qui, teſtâ concluſi, in tenebris ſemper deliteſcunt? Sed & mollibus quibuſdam viſus negatus; ut pulmonibus. Caput enim non habent; eoque nec oculos. Itidem viſus, oculorumque, expertes ſunt ſtellæ, & echini. Utcunque enim loco moveantur cibi quærendi ergò; hoc tamen faciunt cæcorum inſtar, arripientes temere quidvis, ſed guſtu diſcernentes. Nec enim habere oculos, ἀνατομὴ *i* oſtendit. Quemadmodum & iis carent urticæ, lepores, ſoles, priapi marini, & inſecta. Cochleæ, cum viſus deficeret, cornua acceperunt, quibus prætentarent viam, ut oculorum iis implerent munus; teſte Plinio lib. IX, cap. XXXII.

i *Sectio corporis.*

Ac-

Accedo ad auditum: quo excellunt mugil, ſalpa, chromis, lupus. Imò piſcium nonnulli, non audiunt ſolùm, ſed etiam harmoniâ capiuntur. Plinius lib. IX, cap. VIII: *Delphinus, non homini tantùm amicum animal, verùm & muſicæ arti, mulcetur ſymphoniæ cantu, & præcipuè hydrauli ſono.* Attributus verò piſcibus audiendi ſenſus, non ſermonis, & diſciplinæ gratiâ, uti hominibus; ſed ad corporis ſui defenſionem. Nam ſimulac ſonum audierint, territi recedunt. Hinc opus ſilentio in piſcibus capiendis. In cicuribus tamen etiam auditus ad alimoniam confert. Nam qui in mari, vel aquis dulcibus, aluntur, accedunt, ſi vocaris: ut ſe in delphinis, luciis, atque aliis, crebrò obſervâſſe, Rondeletius teſtatur lib. II de piſc. marinis, cap. III. Atque idem lib. IV ejuſce operis, cap. X, inquit: *Non procul ab Ambiano, in villa quadam divi Antonii, trocta nutritur; quæ vocata ad cibum properat, & de manu capit. Glani, & cyprini, in vivario ædium nobiliſſimi viri à Jarnaco, pulſato pariete ad cibum properant; id quod ipſe ſum expertus. Audio, in quibuſdam vivariis Germaniæ inferioris, tintinnabuli ſonitu piſces ad cibum vocari.* Et ſanè antiquis etiam conſuetudo fuit, plauſu eos in vivariis congregandi, vel ſuis eos vocandi nominibus, quibus auditis ad manum accederent. Atque eâ de re ex Cicerone, Plinio, Luciano, diximus cap. XXVII libri ſuperioris.

Quâ parte audiant; in balænis, delphinis, vitulis marinis, qui pulmone reſpirant, manifeſtius eſt. Licet enim meatus exterior, quo ſonus recipitur adeò ſit minutus, ut invenire eum vix poſſis: interiùs tamen admiranda ejus ſtructura ſatis conſpicua eſt. Atque hîc & ſe offert meatus ad cerebrum: quem perforari negabat Ariſtoteles lib. I de hiſt. anim. cap. XI. Sed iſto nomine reprehendi meruit ab Rondeletio lib. III de piſc. mar. cap. III: ubi repertum
a Auditorum. ſibi in delphino meatum ἀκουστικόν a ait, etſi aures habere neget Philoſophus. Atque addit, quos in vitulo meatus eſſe manifeſtos ait, diu quærenti non repertos, niſi pilis abraſis; fuiſſeque tam exiles, ut vix acus penetraret. In his verò Ariſtotelem errantem Plinius etiam ſecutus fuit lib. XI, cap. XXVI.

In piſcium aliis haut facilè dictu, quo audiant. Offerunt quidem ſe ante oculos foramina: ſed de quibus non poſſis dicere, utrùm auditui inſerviant, an odoratui. Illud conſtat, eos, qui audiunt, obtuſiùs percipere, partim quia per aquas audiunt, non aëra; partim quia carent auriculis; quæ quantum conferant ad auditum, expoſui cap. XXVII: ubi & dixi, ſurdaſtros propterea manum concavam ad aurem admovere. Nec ſanè opus erat, ut piſces acutè audirent, cum ad diſciplinam idonei non ſint; quod de quadrupedibus, & avibus, dici nequit. Itaque multis etiam auditus non obtigit. Quod ſatis eſt manifeſtum in mytulis, oſtreis, & omnibus durâ teſtâ obtectis. Movent quidem ſe, ſi capiendis iis opera detur: ſed non ſoni monitu, verùm aquæ agitatione. Adhæc pulmones auditu carent, & urticæ, & alia è mollibus iſtorum, quæ viſu eſſe prædita, antea negavimus.

CAP. XIII.

Piſces eſſe guſtu præditos. Non eum linguæ modò uſum eſſe, ut hac vox formetur: deque iſtoc culpatus ab Scaligero Eraſmus, ſed ut ſolet, acerbius, quàm par erat. Idem tamen præclaro carmine ab eodem laudatus. Damnatum perpetuum illud maledicendi ſtudium, quo laborant viri quidam cætera magni, & admirandi. Quibus piſcium negata ſit lingua. Cyprinis pro lingua datum eſſe palatum carnoſum; etiam Ariſtotele judice: atque hinc liquere, cyprinum eſſe eundem ac carpionem. Error viri docti, Orpheum περὶ λίθων vocantis vatum antiquiſſimum. Piſces odoratum habere: ſed de organo quo odorentur, non ſatis eſſe perſpicuum. Cujuſmodi odore piſces quidam gaudeant. Tactus nullum piſcem eſſe expertem. Urticæ ἄνοσμοι, *ac natura. An ſpongia quoque ſit in zoophytis. Occurritur argumentis, quibus id aſſertum eunt.*

GUſtus quoque piſcibus datus eſt. Quod eo probat Ariſtoteles lib. IV Hiſt. Animal. cap. VIII a, quia ἰδίοις a Secundum diſt. Caſ. Scal. ſect. 248.
πολλὰ χαίρει χυμοῖς. *multi peculiaribus ſaporibus oblectantur.* Hi enim illo, alii alio cibo gaudent: quod de amiis ibidem comprobat: & de aliis liquet ex illis, quæ ſuperiùs dicebamus de piſcium alimentis. Alii etiam aliis plus guſtu valent: minor iis delectus, qui ſolâ vivunt aquâ, major his, qui vivunt, vel herbis. Itaque & guſtus gratiâ piſcibus tributa eſt lingua. Eraſmus tamen libro de lingua (ut quidem ſcribit Cæſar Scaliger) piſcibus eò negat conceſſam linguam, quia non ſint vocales. Id apud Eraſmum non lego, ſed verba iſta b: *Quin & ipſa linguæ forma facit ad vocem promendam. Unde piſces, quoniam linguam habent à terreſtribus animantibus differentem, omnino muti ſunt.* Quod longè aliud eſt, quàm eum ſenſiſſe ait Scaliger. b Tom. 4. pag. 506. edit. Froben. an. 1540. Nec video, quid in his magnopere poſſit culpari. At aliud eſt dicere, eo piſcibus linguam negatam, quia non ſint vocales. Quaſi is ſolùm linguæ ſit uſus, ut vocem formet; ac non etiam, ut guſtet, & cibum dirigat. Piſcibus lingua eſt conceſſa, non ut vocales ſint; ſed neque ut cibos vertant; & congerant: verùm ut diſcernant, cujuſmodi alimentum ſuæ magis conveniat naturæ. Hæc optimè quidem perſpexit is, quem dixi, Cæſar Scaliger, vir in rerum natura ſubactiſſimus. Attamen quis ferat, quòd Eraſmum ſeu jure, ſeu injuriâ, reprehendere non contentus, mox ſubdat c: *Sed ille faciliùs potuit ſpernere, quam neſciebat, philoſophiam, quàm imitari, quos formidabat.* c Notis ad memoratum Ariſtotelis locum. Nempe non potuit ſummus vir ab animo ſuo impetrare, ut occaſionem ullam negligeret maledicendi Eraſmo, viro tam præclarè merito de orbe literato. Atqui non ſpretam eſſe ab Eraſmo philoſophiam naturalem, vel Colloquiorum arguat liber: in his dialogus, qui Puerpera inſcribitur, ubi multa de animæ facultatibus: item ille, cui titulus Problema, ubi de levium ac gravium motu. Et quid omnia congeram? Nec ſatis erat, ſi in philoſophiæ ſtudio ſic traduceret. Quid penè ei laudis reliquit? Satis res aperta ex oratione adverſus Ciceronianum Eraſmi. Quid eâ virulentius? Sed contineamus nos in illis, quæ poſtea exaravit. Operis de re Poëtica libro IV, qui Paraſceue inſcribitur, cap. I, cum Petrum Aponenſem culpâſſet, quòd orationi Latinæ miſceret particulas Græcas,
ἔτι, πάλιν c; ſubjicit deinde: *Contextus, cujuſmodi videas quotidie prodire ex clauſtris monachorum: neque ex his ſolùm, ſed illis quoque, penes quos ſumma rei literariæ diu ſtetit judicio imperitorum pædagogorum; inter quos Eraſmus; cujus mirificam animadvertas Latinitatem, vel cum dicit, ſe calculum ſuum recantare.* d Adhuc, iterum. Non vacat cætera id genus adſcribere: nec opus, quando ipſum, credo, Scaligerum ſubiit tandem hujus maledicentiæ pœnitudo. Hoc enim colligi videtur ex Carmine iſto, libro, quem *Heroës* inſcripſit:

Tune etiam moreris? ah quid me linquis, Eraſme,
Ante, meus quàm ſit conciliatus amor?
Tune etiam? cui tam parvus ſuit orbis, ut alta
Expleres mentis fulmina torva tuæ.
Ergo ſidereis poſtquam eſt ſubvecta quadrigis,
Atque Dei læto lingua recepta ſinu:
Ille ego, qui inſanæ ridebam vulnera mortis,
Conditaque Ætneâ tela triſulca manu,
Ad quodvis ſtupeo momentum, ac territus adſto,
Maxima cum videam numina poſſe mori.

Quid dicere potuit magnificentius? Inde igitur potiùs æſtimemus magnitudinem Eraſmi, quàm aliis ejuſdem à nigræ ſucco loliginis derivatis. Nec ſane Eraſmus Scaligero, viro licet in non una ſtudiorum parte incomparabili, minùs de orbe ac ſtudiis, meritus eſſe cenſendus; modò totum cogitemus Eraſmum. Quod nemo negaverit, niſi qui operam ejus Sacris literis, & tot Græcis Latiniſque Patribus impenſam, ſuo neſciat pretio æſtimare. Utinam verò tandem illud rodendi alios ſtudium ab eorum ſaltem ani-

animis, ac linguis, longiſſimè exularet, qui præclari ingenii, doctrinæque monumentis conſecuti illud ſunt, ut omnium in ſe oculos converterint. Meliùs multò ſic conſuleretur moribus, præcipuè lubricæ juventutis, tanto propenſioris ad viris detrahendum præclaris, quanto majoribus ſe tueri poſſit exemplis. Sed ad piſces redeamus: quibus linguas quidem datas eſſe agnoſcimus; nec omnibus tamen, cum ea deſit teſtâ ſimplici, nec turbinatâ, & duplici contectis, quibus magno ſaporum diſcrimine non fuit opus. Nec ea exigebatur aquâ lutoque veſcentibus: ut cyprinis, bramis, tincis *a*: qui ſaporem diſcernunt palato carnoſo, ac molli; non cartilagineo, ac duro; quale illis, qui integros vorant piſces, ſæpe etiam aculeis horridos. Eſt verò piſcibus cunctis palatum album, hirundine exceptâ; cui id rubrum. De cyprino, quod dixi, firmat Ariſtoteles lib. IV Hiſt. Animal. cap. VIII *b*: Ἐν δὲ τοῖς ἐνύδροις, καλουμένοις δ' ἰχθύσι, τὸ μὲν τῶν χυμῶν αἰσθητήριον, τὴν γλῶτταν ἔχουσι μὲν, ἔχουσι δ' ἀμυδρῶς. ὀστώδη τε γὰρ, καὶ οὐκ ἀπολελυμένην· ἀλλ' ἐνίοις τῶν ἰχθύων ὁ οὐρανός ἐστι σαρκώδης, οἷον τῶν ποταμίων ἐν τοῖς κυπρίνοις· ὥστε τοῖς μὴ σκοπουμένοις ἀκριβῶς, δοκεῖν ταύτην εἶναι γλῶτταν· *At inter aquatilia, qui piſces appellantur, ad guſtus officium, linguam quidem habent; ſed obſcurè, confuſeque: quippe oſſeam, nec mobilem, & ſolutam. Quin quibuſdam eorum palatum eſt carnoſum: cujuſmodi in fluviatilibus ſunt cyprini; ſicut, qui non exactè intuentur, id linguam eſſe putent.* Ita locus is excuſus in optimis editionibus, etiam Sylburgianâ. Sed Cæſar Scaliger pro μὴ σκοπουμένοις *c*, quomodo etiam Gaza legit, mavult, μὲν σκοπουμένοις *d*: ut contrarium de cyprino dicat Ariſtoteles: nempe eum linguam habere, etſi palatum eſſe videatur. De hoc cur aliter nobis videatur, liquet ex illis, quæ paullò antè diximus. Porrò vel ex eo ipſo, quod de carnoſo cyprini palato refert hoc loco Ariſtoteles, videmus eſſe eum, quem Caſſiodorus *e carpam* nominat, ac vulgo etiam *carpionem* appellamus. Λεπιδωτὸν aliter vocari, auctor eſt Dorion apud Athenæum. In Deos relatum ab Ægyptiis, Herodotus narrat. Sed de iſto inferiùs agetur. Ab Orpheo etiam laudatur hoc nomine libro περὶ λιθῶν. At quod Orpheum hunc vatum antiquiſſimum appellat Ludovicus Nonius lib. III. rei cibariæ, cap XXXIV; valde eum ratio fugit. Similiſque eſt error Cæſaris Scaligeri, Muſæum *f*, ſcriptorem poëmatii de Herûs, & Leandri amoribus, exiſtimantis eſſe vetuſtiſſimum illum Muſæum à Marone memoratum in VI magni operis. Omnino enim tam Orpheus, quàm Muſæus ille, demum ſcripſere ſub Cæſaribus Romanis: qua de re alibi *g* dicetur.

a Rondeletius lib. 3 de piſc. mar. c. 9.
b Secundum diſt. Cæſ. Scal. ſect. 247.
c Qui non exactè ſpeculantur.
d Exactè ſpeculantibus.
e Lib. 12 Var epiſt. 4.
f Lib. 5 Poët. c. 2.
g Libb. de re Poëtica.

Venio ad olfactum. Hoc exiſtimet aliquis piſces carere, quia urinatores negent, ſe poſſe ſub aquis olfacere. Sed diſpar horum ratio eſt, quia reſpirant; piſces non item: nec hi patulum habent odoratus inſtrumentum, quale animantes aliæ; ſed reconditum quoddam; ut diximus libri ſuperioris cap. XXX. Sane non ſatis eſt apertum, num olfaciant foraminibus certis: uti illis, quæ in piſcibus ſquamoſis ante oculos conſpicere eſt. Scio, id pluribus eſſe perſuaſum. Verùm in delphinis, (qui teſte Ariſtotele *h*, odoratu mirè valent) foramen, vel meatum, minimè invenias. Interea ut de odoratus organo obſcurius ſit: odorari tamen & Ariſtoteles *i* clarè ait, & experientiâ comprobatur. Nam, ut Rondeletius *k* monet, piſcatores propterea ſolent ad excitandos è latibulis piſces, cetaceis odoribus illinere ſpecûs fauces: deuſtas etiam ſepiarum carunculas appendunt hamis, ut nidore capti accedant promtiùs. Adhæc ſalpæ capiuntur magis odore ſtercoris, & porri; ſcarus adnatat ad limozoſtim; polypus ad oleam advolat. Iis tamen, qui ſtabili hærent ſede, neutiquam videtur odor eſſe; quia cùm aqua ſemper ſuppetat, nullo illis opus ſit cibi delectu.

h Lib. 4 Hiſt. An. cap. 8.
i Idem.
k Lib. 4 de piſc mar. c. 10.

Supereſt tactus: quem omnes habent piſces, quia alioqui non ſint animalia. Et ſi guſtum habent, poſſident etiam tactum; quia, uti Ariſtoteles ait, guſtus eſt quidam tactus. Itaque qui piſcium carent viſu, auditu, odoratu; tactu tamen prædit ſunt: nempe non carent ſenſibus, qui ad vitam ſimpliciter ſunt neceſſarii; ſed iis ſolùm, qui eò attributi ſunt, ut melius vitæ eſſet. Hoc liquet ex genere ἀκαλήφης, ſive *urticæ*: cui ſenſum ineſſe, ex eo colligitur, quia, ſi tangas, contrahat ſe, manumque teneat ſic, ut intumeſcat, ſive ob ſuctum, ut in polypo fit; quod Ariſtoteles *a* videtur ſenſiſſe: ſive, (quòd non diſplicuit Cæſ. Scaligero *b*) ob pruritum, quem facit, inſtar plantæ ejus, quæ propterea, ab urendo *urtica* nominatur. Ibidem *c* verò memorat Ariſtoteles, in medio ſui os habere: eò ſi piſciculus, vel eſculenti aliud quid, adlabatur, id comprehendere, & devorare: quamquam verò os obtineat, non tamen excrementum habere *d*, quo convenit cum plantis. Plinius hæc, & etiam alia quædam, aliter expreſſit lib. IX, cap. XLV. Primùm ait: *Equidem & his ineſſe ſenſum arbitror, quæ nec animalium, nec fruticum, ſed tertiam ex utroque naturam habent; urticis dico, & ſpongiis.* Hinc loquitur de genere urticæ, quod ſolutum, & noctu vagatur. Poſt paucula ſubdit: *Vis prurit mordax, eademque quæ terreſtris urticæ. Contrahit ergo ſe quàm maximè rigens, ac prænatante piſciculo frondem ſuam ſpargit, complectenſque devorat.* Ac deinde: *Dum admoveri ſibi manus ſentit, colorem mutat, & contrahitur.* Ac poſtea: *Ora ei in radice eſſe traduntur: excrementa per ſumma tenui fiſtulâ reddi.*

a Lib. 4 Hiſt. An. cap. 6. ſive ex Cæſ. Scal. diſt. cap 5. ſect. 204.
b Comm. ad eum adſatum.
c Sect. 205.
d Sect. 208.

De ſpongia major eſt diſſertatio. Nec enim id Ariſtoteles aſſerit, niſi ex vulgari opinione. Audiamus ipſum lib. I Hiſt. Animal. cap. I *e*: Δοκεῖ δὲ καὶ ὁ σπόγγος ἔχειν τινὰ αἴσθησιν. σημεῖον δὲ, ὅτι χαλεπώτερον ἀποσπᾶται, ἂν μὴ γένηται λαθραίως ἡ κίνησις, ὥς φασι. *Videtur quoque ſpongia quodam eſſe ſenſu prædita. Argumentum ejus rei eſt, quod difficilius abſtrahatur, niſi ſenſim circa eam motus fiat, ut ajunt.* Sed quod ambiguè Ariſtoteles refert, id apertè prædicat Plinius lib. IX, cap. XLV; ubi ſic de iis loquitur: *Naſcuntur omnes in petris: aluntur conchis, piſce, limo. Intellectum ineſſe his apparet, quia ubi avulſorem ſenſere, contractæ multò difficilius abſtrahuntur. Hoc idem fluctu pulſante faciunt. Vivere eſcâ, manifeſtò conchæ minutæ in his repertæ oſtendunt. Circa Toronem veſci illis avulſas etiam ajunt, & ex relictis radicibus creſcere. In petris cruoris quoque inhæret color; Africis præcipuè, quæ generantur in Syrtibus.* Sed hæc Plinii verba ipſum refellunt auctorem. Si enim ſpongiæ ex relictâ radice renaſcuntur; plantarum habent naturam; ut vitis, oleæ, ac ſimilium, non item animantis, cùm nunquam ex parte animalis animal naſcatur. Neque quod ait, minutas in iis conchas inveniri, arguit his eas veſci: ſed ſolùm conchas in illis vivere, quas foraminibus admiſerint; quomodo & alia iis, itidem animata, excipiunt. At non veſci illis, arguit, quòd non ſit iis os, gula, ſtomachus, viſcera, & ſimilia nutritionis inſtrumenta; ſed ſolùm, qualia ſunt in plantis. Neque cruor, de quo Plinius, verus eſt cruor, cùm ſanguine careant: ſed ſuccus duntaxat, quo vivunt. Nec palmarium illud argumentum, quòd ſi avellere quis volet, motum in iis perſentiat, adeò eſt ſolidum, quàm arbitrantur. Motus enim iſte non à ſpongia eſt; ſed animalculis, quæ ſpongiam opplent; ſeque, ſi eam avellere quis volet, metu contrahunt. Atque hiſce de cauſſis etiam Rondeletius ſpongiis ſenſum ineſſe negat lib. IV de piſc. mar. cap. X. Et ſanè Ariſtoteles, licet aliquando ex aliena opinione ſenſum his tribuere videatur: libro tamen VIII Hiſt. Anim. cap. I, ubi de iis diſſerit, quæ dubites, utrùm animalia ſint, an plantæ, hunc in modum loquitur: Ἐνίων δὲ τοῦ σώματος σαρκώδης ἐστὶ φύσις· οἷον τά τε καλούμενα τήθυα, καὶ τὸ τῶν ἀκαληφῶν γένος· ὁ δὲ σπόγγος παντελῶς ἔοικε τοῖς φυτοῖς. *Quibuſdam eſt carnea corporis natura: ut iis, quæ tethya, ſive papillæ, vocantur, & certo urticarum generi. At ſpongia omnino eſt plantarum ſimilis.* Cæſar tamen Scaliger ad hunc locum ſic commentatur: Παντελῶς *f dixit, quoniam nullum ſenſum habet præter tactum: neque os, neque oras excrementorum: ut quidem poſſis negare, ſpongiam eſſe animal.* Mihi verò, cùm παντελῶς ait, etiam ſenſum

e Sive ex diſt. Scal. cap 2. ſect. 9.
f Omnino, ſive penitus.

tactûs

tactûs excludere videtur. Atque hoc etiam arguit ἀντίθεσις *a* illa inter urticarum genus, & ſpongiam. Credo, aliter ut ſentiret Scaliger, fecit, quòd metueret, ne alioqui ab iis abiret philoſophus, quæ ipſe dixerat initio Hiſtoriæ ſuæ. Verùm nulla eſt in his pugna: quia, ut paullo antè vidimus, non ex ſua iſtic ſententia loquebatur, ſed alienâ: ut qui dicat, ὥς φασι· *ut ajunt.*

a Oppoſitio,

Utrùm oſtreis ſit ſenſus, quæri poſſit ob iſta Plinii lib. IX, cap. XLVII: *Siliceâ teſtâ incluſis fatendum eſt nullum eſſe ſenſum, ut oſtreis. Multis eadem natura, quæ frutici; ut holothuriis, pulmonibus, ſtellis.* Sed alibi excipit guſtum, tactumque. Sic enim lib. IX, cap. XXXI: *Carent conchæ viſu; omnique ſenſu alio, quàm cibi, & periculi.* Quem locum & ſuperiori cap. adduximus.

Atque ex his cognoſcere eſt, quæ verè, quæ falsò, credantur (ut cum Ariſtotele dicam) ἐπαμφοτερίζειν φυτῷ καὶ ζώῳ, ſive, ut Plinium *b* paullo antè loquentem audivimus, *nec animalium, nec fruticum, ſed tertiam ex utroque habere naturam.* Unde & unâ voce ζωόφυτα vocantur: quod poſſis cum Budæo reddere *plantanimantes*, vel *plantanimalia.*

b Lib. 9. cap. 45.

Cap. XIV.

Tranſitur ab ſenſibus exterioribus ad interiores: ubi de ſagacitate & ſollertia piſcium tractatur. Naturâ, ut animantium cæteris, ita piſcibus, eſſe inſitam notitiam tuendi ſui. De aſtu delphinorum, bovis piſcis, melanuri, torpedinis, ranæ marinæ, ſquatinæ, rhombi, rajæ, paſtinacæ, ſcolopendræ, vulpis marinæ, glanidis, mugilis, caniculæ marinæ, cyprini, cancri, pinnotheris, polypi, muſculi marini, & aliquot aliorum ex Ovidio, verbaque ejus cum Plinianis collata: ac ſcriptor uterque emendatus. De ſtupore mugilis. An polypus comedat cirros ſuos.

POſt expoſitos ſenſus inſtrumentales veniendum ad principes: ubi conſiderandum, quantopere, tum ingenio ac ſagacitate, tum memoriâ etiam, piſces valeant. Sanè & iſtorum in iis illuſtria ſe offerunt documenta. Quod Plutarchum impulit, ut diſſertationem ſcriberet duorum: quorum unus terreſtria, alter aquatilia, ſollertioris eſſe ingenii ſtatueret: arbitri verò eorum rem in medio relinquerent, ac eos hortarentur ſolùm, ut, omiſſa hac diſceptatione, animis jungerentur, & iis opponerent ſe potiùs, qui muta omnia animantia eſſe rationis expertia contendunt.

Videamus primò de illo, quod univerſos tangit: ut quòd omnibus naturâ eſt tributa vis, non ſui duntaxat tuendi, de qua ſatis antea diximus; ſed etiam cognitio ejus. Unde in Halieuticis Naſo:

Omnibus ignotæ mortis timor: omnibus hoſtem
Præſidiumque datum ſentire, & noſcere teli
Vimque, modumque ſui.

Et ex eo Plin. lib. VIII, cap. XXV: *Callent in hoc cuncta animalia, ſciuntque non ſua modò commoda, verùm & hoſtium adverſa: norunt ſua tela, norunt occaſiones, parteſque diſſidentium imbelles.* Ut ad particularia accedam, de aſtu delphinorum ibidem legas: *In crocodilo major erat peſtis, quam ut uno eſſet ejus hoſte Natura contenta. Itaque & delphini immeantes Nilo, (quorum dorſo, tanquam ad hunc uſum, cultellata ineſt pinna) abigentes eos prædâ, ac velut in ſuo tantum amne regnantes, alioqui impares viribus ipſi, aſtu interimunt.* De eadem re ita Solinus cap. XXXIV: *Delphinum genus eſt in Nilo: quorum dorſa ſerratas habent cruſtas* a. *Hi delphines crocodilos ſtudio eliciunt ad natandum, demerſique aſtu fraudulento tenera ventrium ſubternatantes ſecant, & interimunt.* Sed quod delphinum genus vocat Solinus, id piſcem delphino ſimilem nuncupat Ammianus Marcellinus lib. XXII: *Præter eos* (crocodilos) *qui fortuitâ pereunt morte, alii diſrumpuntur, ſuffoſſis alvi* b *mollibus certis ferarum dorſualibus cruſtis, quas delphinis ſimiles nutrit fluvius* (Nili) *ante-*

a Cruſtas pro criſtis recte corrigunt ex Ammiano; cujus verba ſubjecimus.
b Recte ſic emendant, pro alvis. Ut Solinus, tenera ventrium; ſic Ammianus, mollia alvi.

dictus. Alia etiam, unde ſagacitas delphinorum appareat, Ælianus adfert lib. XI de Anim. cap. XII.

De bove piſce hæc narrat Oppianus in ſecundo de Piſcatione *a*: Piſcem eſſe in luto degentem, ſæpe latum undecim, vel duodecim cubitos, inertem, imbellem, interea callidè in limo inſidiantem urinantibus: nullo enim ſic epulo delectari, ac carnis humanæ: itaque ſimul ac nautam, vel piſcatorem, aliumve, conſpexerit ſub aquis, attolli eum ſupra caput, & pondere ſuo ſic hominem aggravare, ut emergere non poſſit: ita occupatum, devorare. Similia Philes in Jambis.

a Verſ. 141. & deinceps.

Melanurus piſcis eſt imbecillus, timidus; cautus tamen, ac providus. Ac timor quidem inde, quia ſibi conſcius ſit infirmitatis ſuæ. Itaque cavet ſibi ab ciborum deliciis: unde retibus, vel naſſis, raro implicatur. Nec tranquillo mari ſe confidit: quaſi gnarus, tum piſcari homines. In arenis igitur ſe continet quietum. Sed ſi tempeſtate concitetur mare; adnatat ad petras, ac litus, quaſi nihil ſibi metuens à piſcatoribus, qui tum ceſſent, & præterea ſic maris agitati ſpumâ contectus, ut conſpici non poſſit. Vide quæ hac de re ſcripſit Ælianus lib. I de Anim. cap. XLI, Oppianus Halieut. lib. III *b*, & Philes in Jambis. Apud doctiſſimum Geſnerum *c* legas, Ælianum ſua tranſcripſiſſe ex Oppiano. Id contrà eſt, cùm Ælianus temporibus Adriani Cæſaris vixerit, cui & Tactica ſua dicavit: Oppianus autem claruerit ſub Antonino Caracalla; annis poſt Ælianum circiter LXX. Atque in iſto alibi etiam decipitur, & cum eo, qui exſcribere illum ſolent.

b Verſ. 443. & ſeqq.
c Lib. 4 de aquatil. in Melanuro p. 639.

Torpedinis ſollertiam arguit, quòd quia ſtupefaciendi vim ſibi ineſſe novit, reſupinet ſe in arena, immotaque jaceat mortuæ inſtar. Piſces igitur ſecurè accedunt, ſtuporeque correptæ nequeunt recedere. Hæc illi piſcandi ratio: qua, licet ipſa tardiſſima, mugiles etiam quamvis piſcium velociſſimos, capit: unde & eos in torpedinis ventriculo inveniri, auctor eſt Ariſtoteles lib. IX Hiſt. Anim. cap. XXXVII. Deque eadem ſagacitate teſtis Plutarchus Comparatione aquatilium & terreſtrium, ac plures alii: ſed contentus ero adducere Plinii verba: quibus ex Ariſtotele non torpedinis modò, ſed & ranæ marinæ, ſquatinæ, rhombi, rajæ, & paſtinacæ ſollertiam, luculentè enarrat. Locus eſt lib. IX, cap. XLII: *Novit torpedo vim ſuam, ipſa non torpens: merſaque in limo ſe occultat, piſcium, qui ſecuri ſupernatantes obtorpuere, corripiens. Nec minor ſollertia ranæ, quæ in mari piſcatrix vocatur. Eminentia ſub oculis cornicula turbato limo exerit, aſſultantes piſciculos attrahens, donec tam prope accedant, ut adſiliat. Simili modo ſquatina, & rhombus, abditi pinnas exertas movent, ſpecie vermiculorum: itemque, quæ vocatur raja. Nam paſtinaca latrocinatur ex occulto, tranſeuntes radio (quod telum eſt ei) figens. Argumenta ſollertiæ hujus, quòd tardiſſimi piſcium hi mugilem, velociſſimum omnium, habentes in ventre reperiuntur.* Hinc continuò cap. prox. ſubdit, ut ſcolopendra, & vulpes marina, hamos devoratos egerant. Et ſanè Ariſtoteles quoque ait, ſcolopendram marinam, ubi hamum devoravit, mirâ & verſutia, & facultate, inverſis extra os inteſtinis, hamum ejicere. Vide eum lib. IX Hiſtor. Anim. cap. XXXVII *d*. *Centipedam* & hic, & alibi, vertit Gaza; idque Plinio præeunte. Nomen ei à ſcolopendra terreſtri: cui ſpecie eſt ſimilis; ſed ut corpore minor, ita veneno nocentior.

d Caſ. Sial. c. 51. ſect. 259.

Quod autem ad vulpem marinam; is piſcis eſt cartilagineus, ſed pedum expers; verùm vel à caudæ longitudine id nomen indeptus, ut Rondeletius putavit; vel à viroſo terrenæ vulpis odore; vel, quod Ælianus judicat, ab aſtutia. Hanc; ubi ſentit ſe hamum devoraſſe, ad lineam procurrere, eamque abrodere, ſcripſit quoque Ariſtoteles lib. IX Hiſtor. Anim. cap. XXXVII *e*. Vide & Plutarchum in Comparatione Aquat. & Terreſtr. Ælianum lib. I Var. Hiſt. V, & Oppianum in III Ἁλιευτ.

e Ex diſt. Caſ. Sial. cap 52. ſect. 262.

Etiam glanidem ἀγκιστροφάγον *f* facit Ariſtoteles. At Plinius aliter lib. IX, cap. XLII: ubi dicitur, *averſos mordere hamos, nec devorare, ſed eſcâ ſpoliare*: quod de

f Hamivorum.

de mugile prodit Plutarchus Comparatione aquatilium, & terreſtrium. Sed alium eſſe mugili morem, inferiùs oſtendam.

Apud eundem Plinium libri IX, cap. XLVI legas aliqua de ſollertia caniculæ marinæ. Inter alia ait: *Monſtro ſollertia eſt navigium ſubeundi, atque ita è tuto præliandi.*

Miro etiam aſtu utitur cyprinus, ut captus evadat, nunc foramen quærendo, nunc tranſilire conando, nunc fodiendo in fundo, nunc herbam prehendendo, ne unà cum reti attrahatur. Narrat rem Albertus M.

a Verſ. 169. Cancris etiam, ut Oppianus canit lib. II de Piſcat. *a*

—— ἐπιφροσύνην πόρε δαίμων
Ὄστρεα φέρβεσθαι.
—— *Verſutiam tribuit Deus,*
Ut oſtreis paſcantur.

Nempe, ut ibidem tradit, hiantibus conchis injiciunt lapillum è litore: illis nequeuntibus teſtam claudere, depaſcunt carnes ſecurè. Idem Plinius, & Plutarchus, tradunt; & è noſtris Ambroſius lib. V Hexaem. cap. VIII, nec non Iſidorus lib. XII Orig. cap. VI.

Sagax eſt & pinnotheres, è cancrorum genere. De quo ita Plinius lib. IX, cap. XXXI, *Pinnotheres vocatur minimus ex omni* (cancrorum) *genere, ideo opportunus injuriæ. Huic ſolertia eſt inanium oſtrearum teſtis ſe condere: & cùm accreverit, migrare in capaciores.*

Quod de cancris diximus, id in polypo etiam uſu venit. De cujus ſollertia ſic Plinius lib. IX, cap. XXX: *Inſidiantur polypi conchis apertis; impoſito lapillo extra corpus, ne palpitatu ejiciatur. Ita ſecuri graſſantur, extrahuntque carnes: illæ ſe contrahunt, ſed fruſtra, diſcuneatæ. Tanta ſollertia animalium hebetiſſimis quoque.* Hebetiſſimum cur vocet, liquet ex cap. præcedenti: *Polypus*, inquit, *brutum habetur animal: ut quod ad manum hominis adnatet.* Tamen, ut idem ſubdit: *in re quodammodo familiari callet. Omnia in domum comportat: dein putamina, eroſâ carne, egerit; adnatantesque piſciculos ad ea venatur.* Sed imprimis mirandum, quod de polypo, ex Trebio Nigro, L. Luculli proconſulis comite, narrat *b*

b Lib. 9. cap. 30. his verbis: *Carteiæ in cetariis aſſuetus exire è mari in lacus eorum apertos, atque ibi ſalſamenta populari, convertit in ſe cuſtodum indignationem, aſſiduitate furti immodici. Sepes erant objectæ: ſed has tranſcendebat per arborem nec deprehendi potuit, niſi canum ſagacitate. Hi redeuntem circumvaſere noctu, concitique cuſtodes expavere novitatem. Primùm omnium magnitudo inaudita erat, deinde color muriâ obliti, odore diri. Quis ibi polypum exſpectaſſet, aut ita cognoſceret? cum monſtro dimicare ſibi videbantur. Namque & afflatu terribili canes agebat, nunc extremis crinibus flagellatos, nunc robuſtioribus brachiis clavarum modo incuſſos: ægreque multis tridentibus confici potuit. Oſtendere Lucullo caput ejus dolii magnitudine, amphorarum quindecim capax, atque (ut ipſius Trebii verbis utar) barbas, quas vix utroque brachio complecti eſſet, clavarum modo toroſas; longas pedum* XXX, *acetabulis ſive caliculis urnalibus pelvium modo; dentes magnitudini reſpondentes. Reliquiæ aſſervato miraculo pependere ponde* DCC.

Nec levis ingenii videtur minutus ille piſciculus, qui balænæ, tam vaſtæ belluæ, eſt itineris dux. Eum piſciculum eſſe muſtelam, tradit Græcus Halieuticón Oppiani paraphraſtes. Muſculum vocat Plinius lib. XI, cap. XXXVII: *Muſculus marinus, qui balænam antecedit, dentes nullos habet; ſed, pro iis, ſetis intus os hirtum.* Videtur eſſe Græcorum μυστικῆτος: de quo ſic Ariſtoteles lib. III Hiſt. Animal. cap. XII: Ἔτι δὲ καὶ μυστικῆτος ὀδόντας ἐν τῷ στόματι οὐκ ἔχει· τρίχας δὲ ὁμοίας ὑείαις. *Præterea nec myſticetus in ore dentes habet; ſed* (eorum loco) *pilos ſimiles ſuillis.* Mirum verò, cùm minutus ſit piſciculus, inter belluas marinas referri à Plinio lib. XXXII, cap. XI. Sed conciliare hæc liceat, ſi *muſculi* ambiguam eſſe ſignificationem dixeris.

Longum eſſet omnium piſcium ſagacitatem exponere. Quare deſinam, ubi illuſtrem Ovidii locum cum iis contulero, quæ inde Plinius exſcripſit lib. XXXII, cap. II. Verba Plinii ſunt, *Mihi videntur mira & quæ Ovidius prodidit piſcium ingenia, in eo volumine, quod Halieuticon inſcribitur.* Tum ſubjicit de ſcaro. De eo nunc in Ovidio ſolùm hæc ſuperſunt:

—— *Sic & ſcarus arte ſub undis,*
Sin * * * *
Decidit, aſſumtamque dolo tandem pavet eſcam:
Non audet radiis obnixâ occurrere fronte,
Averſus crebro veniens ſub verbere caudæ
Laxans ſubſequitur, tutumque evadit in æquor.
Quin etiam ſi forte aliquis damptus nataret
Mitis luctantem ſcarus hunc in vimine vidit,
Averſi cauſſam morſu tenet, atque *
Uber rer * *naſo, quem texitque reſultet* *

Verſu ſecundo hic hiatum ſic poſſe expleri Geſnerus putabat:

Contextam ſi forte levi de vimine naſſam
Incidit.

Sed propiùs acceſſerit ad MSi fidem, *In textam ſ. f. l. d. v. n. Decidit.* Verſu tertio doctiſſimus Swartius *a* malebat: a Analectorum. lib. 1. cap. 5.
Decipit, abſumtamque dolo jam depavet eſcam. Malim ego, *Decidit: abſumtâque dolo tandem pavet eſcâ.* Ut ſenſus ſit, tandem, ubi eſcam adſumſit, pavet dolo, quo capta.

Mox, ubi eſt *ſub verbere caudæ*, cum Achille Statio lego: *ſed verbere caudæ.* Quod Plinius, ut mox liquebit, confirmat. Adrianus tamen Behotius in Apophoretis ſuis *b* emendat: b Lib. 1. cap. 3.

Adverſus crebro vimen ſub verbere caudæ
Laxans ſubſequitur, tutumque evadit in æquor.

Verſu ſequenti, pro *aliquis damptus nataret*, Octavius Pantagathus, ut refert Hercules Cioſanus, legit,

—— *aliquis dum pone nataret.*

Atque idem Behotius ſequitur. Extremam lacunam ſic ſuppleri poſſe credebat Geſnerus:

—— *atque trahendo*
Captivum texto ſocium de carcere ſolvit.

Quomodo ſine dubio non ſcripſerit Ovidius. Sententiam tamen poëtæ expreſſit: ut oſtendunt Plinii iſta, eum exſcribentis, ſed verbis paullum immutatis: *Scarum incluſum naſſis, non fronte erumpere, nec infeſtis viminibus caput inſerere; ſed averſum cauda ictibus crebris laxare fores, atque ita retrorſum erumpere: quem luctatum ejus ſi forte alius ſcarus extrinſecus videat, apprehensâ mordicus caudâ adjuvare nixus erumpentis.* Sequitur hinc apud Ovidium:

Sepia tarda fugæ, tenui cùm forte ſub unda
Deprenſa eſt, jam jamque manus timet illa rapaceis;
Inficiens æquor nigrum vomit illa cruorem,
Avertitque vices, oculos fruſtrata ſequentes.

Verſu tertio Achilles Statius, & Hercules Cioſanus, malunt,

—— *vomit ore cruorem.*

Nimirum quia, ut otioſa, ſic odioſa ſit repetitio pronominis ILLA; quod proximè anteceſſit. Non multum diſſentio. Interea ILLE ſæpius πλεονάζει, ut oſtenſum nobis in arte Grammatica, libri de Structura, cap. LIX.

Vocabulum *vices* verſu poſtremo locum non habere, credo Petro Ciaccono, Antonio Mureto, & Herculi Cioſano.

Quod ad Plinium, is licet alioquin Ovidiano inſiſtat ordini, hic tamen de ſepiis tacet: nempe quia, de earum, tum maris, tum feminæ, aſtu egiſſet lib. IX, cap. XXIX: *Ambo*, inquit, *ubi ſenſere ſe apprehendi, effuſo atramento, quod pro ſanguine his eſt, infuſcata aqua abſconduntur.* Similiter verò Ariſtoteles lib. IX de Animal. cap. XXXVII, & lib. IV de Part. animal. cap. IV, Nicander in Alexipharmacis, Cicero lib. II de Nat. Deorum, Plutarchus in Compar. terreſtrium, & aquatilium, Ælia-

Ælianus lib. I de Anim. cap. XXXIV, Athenæus lib. VII, Oppianus lib. III Ἁλιευτ. *a* Orus lib. II Hieroglyph. cap. CXIV. Et è noſtris, præter alios, Nazianzenus orat. ad centum & quinquaginta epiſcopos, item carm. I *b*: &, qui Ælianum ſequi ſolet, Philes in Jambis.

a Verſ. 156.
b Verſ. 500.

Exinde ſic de lupo Ovidius, prout ab Aldo editum ex MSo, quem ab Actio Syncero Sannazario acceperat:

Clauſus rete lupus, quamvis immanis, & acer,
Dimotis cauda ſubmiſſus ſedet armis in Auſtri
Emicat, atque dolos ſaltu diludit inultus.

Verſu ſecundo maluit Geſnerus:

Dimotis caudâ latitat ſubmiſſus arenis.

Sed placet emendatio Octavii Pantagathi, legentis:

Dimotis caudâ ſubmiſſus ſidit arenis.

Poſtea autem deeſſe verſus quoſdam arbitratur. Atque hæc de lupo ſic Plinius ex Ovidio expreſſit: *Lupum reti circumdatum arenas arare caudâ, atque ita conditum tranſire rete.*

Hinc de muræna Ovidius iſtum in modum:

Et muræna ferox teretis ſibi conſcia tergi,
Ad laxata magis converſa foramina retis,
Tandem per multos evadit lubrica flexus,
Exemploque nocet, cunctis intervenit una.

Ubi Geſnerus malebat: *cunctis quod prævenit una.* Propiùs à ſcriptura veteri abit Behotii *c* correctio:

—— *Cunctis iter invenit una.*

c Lib. I. Apophoret. cap. 3.

Quod nec diſplicuit Berſmanno. Plinius hæc ſic deſcripſit: *Murænam maculas appetere ipſas, conſciam teretis ac lubrici tergi: tum multiplici flexu laxare, donec evadat.* Sententia eſt, ad laxas fugere maculas, ut faciliùs penetret: &, quia nec illæ ſatis laxæ, crebris corporis flexibus reddere laxiores, donec erumpat. Quo de aſtu etiam Philes in Jambis ſect. LXXXII. In pleriſque Plinii codd. eſt, *cum multiplici flexu.* Sed ſententia *tum* exigit: & ſic in MSSis legas, & antiquâ editione Parmenſi *d*.

d Anni 1476.

Poſtilla agit Ovidius de polypo; de quo paullò antè quædam attulimus. Narrat verò, ut colorem mutet ad loci ſimilitudinem: de cujus rei cauſſâ, & uſu, vidimus cap. V. De iſto tacet hîc Plinius: ſed dixerat lib. IX, cap. XXIX. Hinc refert vates Sulmonenſis:

—— *Hic quoque fallit*
Elato calamo cùm demum emerſus in auras,
Brachia diſſolvit, populatumque exſpuit hamum.

Quæ ſic extulit Plinius: *Polypum hamos appetere, brachiiſque complecti, non morſu: nec prius dimittere, quàm eſcam circumroſerit, aut arundine levato extra aquam.*

Sequitur apud Ovidium:

At mugil caudâ pendentem everberat eſcam,
Excuſſamque legit.

Quæ ſic Plinius: *Scit & mugil eſſe in eſca hamum, inſidiaſque non ignorat: aviditas tamen tanta eſt, ut caudâ verberando excutiat cibos.*

Poſt mugilem iterum de lupo Ovidius agit, his verbis:

—— *Lupus acri concitus irâ*
Diſcurſu fertur vario, fluctuſque ferentes
Proſequitur, quaſſatque caput, dum vulnere ſævus
Laxato cadat hamus, & ora patentia linquat.

Quæ Plinius hoc pacto: *Minus in providendo lupus ſollertiæ habet; ſed magnum robur in pœnitendo. Nam ut hæſit in hamo, tumultuoſo diſcurſu laxat vulnera, donec excidant inſidiæ.* Sic etiam MSSi, & vetus editio Parmenſis.

Poſtquam de lupo eſſet locutus, ad murænam redit Ovidius:

Nec proprias vires neſcit muræna nocendi,
Auxilioque ſibi, morſu: nec eo minus acri
Deficit, aut animos ponit captiva minaces.

Sic Aldina. Aliqui pro *minus*, *nimis.* Editio Pithœana meliùs:

Auxilioque ſui, morſu nec comminus acri.

Plinius ſic expreſſit: *Murænæ ampliùs devorant, quàm hamum, admoventque dentibus lineas, atque ita erodunt.*

Poſt illa ſubjicit Naſo:

Anthias his, tergo quæ non videt, utitur armis,
Vim ſpinæ novitque ſuæ, verſoque ſupinus
Corpore linâ ſecat, fixumque intercipit hamum.

Operæ eſt videre, ut pro iſtis apud Plinium legatur: *Pytheas id tradit: idem infixam hamo invertere ſe, quoniam ſit dorſo cultellato, ſpinâque lineam præſecare.* Quorſum hîc mentio Pytheæ? Scio ex Strabone *a*, & Gemino *b*, ſcripſiſſe illum de Thule inſula, & Oceanô. Sed enim Plinius veſtigiis inſiſtit Ovidii: ubi non de hiſtorico Pythea, ſed de piſce antheâ, eſt ſermo; ut vidimus. Quare vera eſt filii mei Iſaaci, non uno hoc filii nomine mihi cariſſimi, conjectura; qui locum Plinii eo pacto corrigebat: *Antheam tradit idem, infixam hamo, invertere ſe.* Sanè in MSo etiam lemma eſt, *De pythiaſ.* Ut liqueat, jam olim creditum de piſce hîc agi. Præterea Plinius ipſe in nono Hiſtoriæ cap. LIX ait: *Iidem anthiæ, cùm unum hamo teneri viderint, ſpinis, quas in dorſo ſerratas habent, lineam ſecare traduntur; eo, qui tenetur, extendente, ut præcidi poſſit.*

a Lib. I.
b Iſagoge eis φαινόμενα.

Quæ hactenus diximus, pertinent ad notitiam piſcibus innatam. Eſt altera, quàm uſu acquirunt, hominum inſtar. Nam dociles eſſe, arguit, quòd ſua addiſcant nomina: qua de re diximus antea *c*. Idem videmus ex Plinii lib. X, cap. XLV: ubi hirundinibus, ac muribus, quæ nihil addiſcunt, opponit animantium alia: è quibus, inquit, *elephanti juſſa faciunt, leones jugum ſubeunt; in mari vituli, totque piſcium genera, mitefcunt.*

c Lib. 3. cap. 27.

Atque iſta quidem piſces eſſe ſollertes, ac dociles, oſtendunt. Interim eſt, ubi ſtultitiam prodant. Ut mugiles; de quibus ſic Plinius lib. IX, cap. XVII: *Mugilum natura ridetur, in metu capite abſcondito, totos ſe occultare credentium.* Idem tradiderat Ariſtoteles lib. IV Hiſt. Anim. cap. IV *d*. Scitè verò Rondeletius *e* obſervat, id propriè cephalo, ſive capitoni (è mugilum is genere eſt) convenire: & inde hoc eſſe, quòd temperie ſit valde humidâ, & admodum calidâ, capite autem magno: cujuſmodi animalia cæteris ſunt ſtupidiora.

d Secundum diſt. Caſ. Scal. cap. 5. ſect. 38.
e Lib. 9. de piſcibus mar. c. 2.

Polypum quoque brutum ac hebes eſſe animal, jam vidimus antè ex Plin. lib. IX, cap. XXIX, & XXX. Utrùm verò etiam proprios comedat cirros, ſive acetabula, non convenit inter antiquos. A multis quidem veterum id proditum eſt *f*: in his à Pherecrate Comico, fabulâ, cui nomen Agreſtis, & Diphilo in Mercatore: quorum verba adducit Athenæus in ſeptimo. Sed ſubdit: Τοῦτο δ' ἐστὶ ψεῦδος. Ὑπὸ γὰρ τῶν γόγγρων διωκόμενος τοὺς πόδας ἀδικεῖται. *Hoc autem falſum eſt. Nam à congris perſequentibus hoc ei damni infertur.* Similiter Plinius lib. IX, cap. XXIX: imò Ariſtoteles ipſe lib. VIII Hiſt. Anim. cap. II *g*. Proclus in Heſiodum ab Ariſtotele ait proditum, id contingere polypo à paguris. Sed memoriâ falſum, liquet ex iis, quæ diximus. Atque ut polypus comederet cirros, (quomodo caudam ſibi prærodere cercopithecos conſtat, carnis deſiderio,) non hoc idoneum ſatis ſtultitiæ fuerit argumentum; quia ipſi quoque, qui id prodiderunt, eum non agere id fatentur, niſi ſtimulatum fame, telo duriſſimo.

f Complures hic nominatos adducimus l. 2. Orat. Inſtit. c. 12. ſect. 1.
g Sive ex diſt. Caſ. Scal. c. 4. ſect. 26.

Cap. XV.

Argumenta adducuntur varia, ex quibus Ariſtoteles collegit, piſces dormire. Pediculorum marinorum origo; & ut ſomnum impediant piſcibus, quibuſcum etiam magno ſæpe numero capiuntur. Piſces in ſomno placide movere caudam: excitatos magno cum impetu exſilire: dum dormiunt, oculis eſſe nec planè apertis, nec prorſus objectis: aliorum inſtar animalium, præcipuè dormire de nocte. Planos piſces faciliùs in ſomno capi fuſcinâ. Cur balænæ, & delphini in ſumma dormiant aqua. De ronchis eorundem obiter. De ſcaris refellitur opinio, & eorum, qui arbitrantur ſolos dormire, & qui putant ſolos non dormire. Ἡμερόκοιτος, ſive νυκτερὶς, unde dicatur. Vitu-

lo marino gravior eſt ſomnus, quàm piſcium aliis; & quæ cauſſa ſit ejus rei.

QUæ diximus de ſagacitate, vel ſtupore piſcium, ea ad ſenſus pertinent interiores, ſeu principes. Nunc, quia ſomnus ſenſuum eſt ligatio, ac quies; de eo quoque pauca exponam. Nec enim ſomno minùs indigent piſces, quàm animalium cætera: ut diximus jam antè lib. III, cap. XXXIV. De hoc verba ipſa Ariſtotelis ponam è quarto Hiſt. Anim. cap. X a: Ὁμοίως δὲ καὶ τὰ ἔνυδρα (καθεύδουσι) οἷον οἵ τε ἰχθύες, καὶ τὰ μαλάκια, καὶ τὰ μαλακόστρακα, κάραβοί τε, καὶ τὰ τοιαῦτα. Βραχύυπνα μὲν οὖν ἐστιν ἅπαντα τὰ τοιαῦτα, φαίνεται δὲ καθεύδοντα. *Itidem & dormiunt aquatilia, piſces* (ſic preſſè dicti,) *molluſca, cruſtâ intecta, locuſtæque, & iſtiuſmodi. Omnia quidem hæc ſunt brevis ſomni; attamen manifeſti.* Objici poterat, dixiſſe antea eum, quæ palpebras habent, connivere cum dormiunt: conniventiam igitur ſignum eſſe ſomni: ſed in piſcibus hoc non habere locum, quia careant palpebris. Propterea philoſophus ſubjungit argumenta, è quibus dormire eos certò colligatur. Ac primùm quidem ex ἀτρεμίᾳ, ſive *quiete intrepidâ*; quæ tanta eſt, ut niſi infeſtentur pediculis, ac, ut vocant, pulicibus (quæ animalcula ſomnum impediunt profundiorem) facilè manu ipſa capiantur; quam alioqui tantopere exhorreſcant. Et ſanè morſus ipſe pediculorum indicium ſomni præbet. Nam hi non infeſtant piſces, niſi ſoporatos. Nempe è profundo maris, unde originem ducunt, magno ad eos agmine natant, hinc occupant, & ſic mordent, ut expergefiant. Interdum verò & circumglobati unà cum piſce captivo extrahuntur. Præterea inde eos ſomnum capere concludit, quòd videas, non pinnulas, vel aliud, ſed caudam ſolùm, quod à fluvii eſſe motu videatur, placidè commovere; piſcatoris verò ſuperventum non ſentire, ſic ut manu prehendant, vel etiam baculo, aliove, feriant. Adhæc idem conſequi ait, ex φορᾷ ac impetu illo, quo excitati è ſomno, quaſi mente exſternati, ſe corripiunt: ut canes ſolent ad focum dormientes, ſi forte ligna, vel apud Batavos teſſellæ uſtiles ruant, quos vulgo *ceſſites* vocant. Item quòd in cavernas petrarum ſe recipiant, tutum ita ſomno locum captantes. Inſuper quia ſemiconniveant, ſic ut albugo oculorum ex parte ſolùm videatur. Utcunque enim careant palpebris; oculi tamen ſunt minùs patentibus, cùm dormiunt. Tempore denique idem argui ait, quoniam potiſſimùm de nocte capiant quietem. Ac aliquos quidem, ut ibidem traditur, in arena complectitur ſomnus, ut piſces latos; quorum etiam veſtigia in arenis compareant: hos dormientes facilè fuſcinâ capi tradit ob latitudinem; ſed capi eâdem quoque lupum, auratam, mugilem, ſimiles; quod, niſi dormirent, fieri minimè poſſet. Alii verò ſuper ſaxo ſopiuntur, ut polypi: vel ſaxo hærent, ut patellæ. Anguillæ, & tineæ, limum ſubeunt. Delphini, balænæ, & quæcunque fiſtulam habent, in ſummo dormiunt æquore: imò roſtrum exſerunt extra aquas, quò reſpirent. Hoc de delphino alibi quoque apud philoſophum b legas. Eundem, ut loco antè memorato dicitur, ſtertentem multi audiere. Ronchorum cauſſam attuli libri ſuperioris cap. XXXIV. Addam nunc, apud Plutarchum in Comparatione animalium eſſe perſcriptum, delphinos, ubi in ſomnum inciderint, paullatim pondere ſuo peſſum ire: ubi alliſerint fundo, evigilare, ronchoque edito iterum petere æquorum ſumma.

a Sect. 296. ex diſt. Caſ. Scal.

b Lib. 8. Hiſt. An. cap. 2.

Quæ hactenus de piſcium ſomno diximus, comprobantur etiam à Plinio. Verba ejus; licet alibi quoque relata c nobis, quia tamen mirè præſens negotium illuſtrant, reponere hoc loco non erit moleſtum: *Aquatilia quoque exiguum quidem, etiam qui de cæteris dubitant, dormire tamen exiſtimant: non oculorum argumento, quia non habent genas: verum ipsâ quiete cernuntur placida, ceu ſoporata, neque aliud, quàm caudas, moventia. De thynnis confidentius affirmant. Juxta ripas enim, aut petras, dormiunt. Plani autem piſcium in vado, ut manu ſæpe tollantur. Nam delphini, balænaque, ſtertentes etiam audiuntur.*

c Lib. 3. cap. 34.

Seleucus tamen Tarſenſis in Halieutico, teſte Athenæo a, prodidit, ſolùm ex piſcibus ſcarum non dormire, eumque propterea non capi de nocte, ac fortaſſe præ metu hoc ei contingere. Sed veriùs de iſto Oppianus in ſecundo de Piſcatione b, eò noctu non capi, quia præ metu ſe abdat in ſcopulorum receſſus, ut tuto hoc loco petat ſomnum. Eò ſine dubio reſpexit Conradus Ritterſhuſius, cùm ad Oppiani primum de Piſcat. c annotavit: *De ſcaris hoc quoque ſingulare eſt, quòd infrà extremo libro dicitur, eos ſolos ex omnibus piſcibus ſomnum capere.* Id verò Oppianus nuſquam dicit. Credo, memoriâ lapſus, Oppiano ſuo tribuit, quod de Seleuco Tarſenſi in vulgatis Athenæi codd. invenerat. Verùm non dubium, quin (uti jamdiu Caſaubono d monitum) particulâ οὐ inſertâ, apud eum legi debeat, μόνον τῶν ἰχθύων τὸν σκάρον οὐ καθεύδειν. *ſolum piſcium ſcarum non dormire*: ut argumenta firmant, quæ Seleucus addebat, & nos antea adduximus.

a Lib. 7.

b Verſ. 661. & duobus ſeqq.

c Verſ. 134.

d In lib. 7. Athen. cap. 20.

Interea falſa eſt utraque opinio, tam eorum, qui ſolum ajunt ſcarum dormire; quàm qui tradunt, ſolum non dormire. Priùs abunde diluunt, quæ ex Ariſtotele, & Plinio, diximus. Imò hoc, vel nomine ſuo, refellit ἡμερόκοιτος, ut Suidæ dicitur: vel ſi ſolùm homini, prout Heſiodus uſus, convenire putes ἡμερόκοιτος, ſicut Oppiano vocatur in ſecundo de Piſcat. e q. d. *diedormus*, vel *diecubus* potiùs. Nempe vocabulum ex eo, quia de die cubet, noctu venetur: quo tempore ſic cibis ſe expleat, ut nec eos queat retinere, ſed hi redundent ore. Ita ſaburratus ſe in fundum demittit, ac aliorum fit piſcium præda. Eâdem de cauſſa & νυκτερὶς vocatur, quaſi *noctuam* voces, aut *veſpertilionem*. Nec alius ab eo videtur callionymus, ſive uranoſcopus.

e Verſ. 199.

Ad alterum venio, ecqui, præter ſcarum, non dormiant. De hoc ſic primò ſtatuendum, ipſos etiam ſcaros ſomni otia accipere. Quippe Oppianus f clarè ait, ſolum ſcarum noctu non capi, quia ſoleat

— Πᾶς ὕπνον
Ἐννύχιον κοίλῃσιν ὑπ' αἰκευθμῶσιν ἰαύειν.
— *Alicubi ſomnum*
Nocturnum cavis ſub latebris capere.

f Lib. 2. ἁλιευτ. verſ. 662.

Perperam igitur inde, quòd ſolus noctu non caperetur, collegere, ſolum noctu non dormire. Præterea, ut ſomno ſe non daret ſcarus, non ſolus tamen ſomni foret expers: quando & alii piſcium non dormire dicuntur. Nam paullo ante ibidem dixerat Oppianus g:

— Οὔποτ' ἐπόψεαι ὑπνώοντας
Ἔλλοπας· ἀλλ' ἀρετῇσι καὶ ὄμματα, καὶ νόος αἰεὶ
Ἐγρήγορε παναύπνος· ἐπεὶ τρομέουσι μὲν αἰεὶ
Φέρτερον ἀντιόωντα, χερειοτέρους δ' ἐλόωσι.
— *Nunquam conſpexeris dormientes*
Piſces: ſed iis & oculi, & animus ſemper
Excubat pervigil: quoniam horrent ſemper
Validiorem occurrentem, infirmiorem autem propellunt.

g Verſ. 657.

Verùm hæc, quæ ſimpliciter ſic proferuntur, reſtringenda ſunt ex Ariſtotele; qui, ut vidimus, piſces ait eſſe brevis ſomni, manifeſti tamen: item ex Plinio, qui fatetur exiguum dormire. Eò autem brevis, & exigui ſunt ſomni, quia potentiorem formident. Nempe comparatum eſt cum piſcibus, uti cum lepore; quem & ipſum, præ timore, ſomni eſſe expertem, ait Oppianus h. At dormit ille, ſed non ſecurè: quippe animal timidiſſimum; unde & ad levem ſtrepitum mox evigilat. Nec tamen tota piſcium gens eſt (ut Lucretius i loquitur) *leviſomna*. Quò major enim formido, hoc gravior piſcibus eſt ſomnus. Nullus autem eorum, imò animalium, graviore premitur ſomno, quàm phoca, ſeu vitulus marinus; ut auctor eſt Plinius lib. IX, cap. XIII. Unde Juvenalis ſat. III:

Eripient ſomnum Druſo, vitulisque marinis.

h Lib. 3. de Venat. verſ. 514. & ſeqq.

i Lib. 5. verſ. 862.

In ſomno, ut ex Ariſtotele ibidem Plinius ait, iis eſt mugitus: & inde *vituli* nomen. Eſt is ſonus ab humo-

re

te pituitoſo arteriam aſperam obſidente, & agitato à ſpiritu reciprocante. In terra etiam dormire, præter Plinium, auctor eſt Oppianus lib. 1 de Piſcat. *a*

a Verſ. 406.

Cap. XVI.

De appetitu concupiſcendi in piſcibus. Temperantia mugilis in cibis; contra lupi in iis intemperantia, item rhombi: at mugilis in Venere. Pietas delphini, alentis parentes in ſenectute: impietas hippopotami, patrem devorantis. Amor delphinorum erga conjuges; unde mas femellaque juncti ſemper evagantur. Caſtitas piſcium non coeuntium cum ullis alieni generis. Quod objici poſſit de murænæ congreſſu cum vipera, id falsò eſſe traditum ab antiquis. Delphinis eum eſſe amorem erga fœtus, ut eos etiam geſtent in infantia: falli interea, qui arbitrantur, in os fœtum recipere. Quàm balænæ abundent lacte. Cur careant papillis. Qua parte iis ſitæ ſint mamillæ. Quod perperam delphinis tributum, id locum habere in glauco, ſquatina, torpedine, fœtum, cui metuant, ore recipientibus: imò repertam torpedinem, quæ octoginta fœtus contineret. Cur paſtinaca, raja, rana, nequeant intra ſe fœtum recipere. Quanto tempore glanis fœtum cuſtodiat: ſed Plinium id perperam tribuiſſe ſiluro: uti & in eo deceptus, quòd ſiluri id proprium crediderit. Thunni ἀϛοργία. Scari amor, ac fides, in liberando ſocio captivo. Amicitia balænæ cum muſculo, qui iter ei monſtrat; item pinnæ cum cancello, & ſquilla. Unde ſit, quòd apertus lucii venter ſanetur ſi iſ tincis affricetur. Inimicitia balænæ cum orca, attili cum clupea. Attilum *ab ſturione eſſe diverſum. Quæ* clupea *ſit. Quàm aſilus ſit infeſtus erga thunnum, & gladium. Inimicitia mugilis, & lupi; congri, & murænæ; polypi, & locuſtæ; item, & congri; inque amphibiis, ichneumonis, ac crocodili. De amore delphini erga homines, & animo ejus grato.*

Quæ hactenus diximus, ea ſunt Διανοίας, ut Ariſtotelem loqui antea vidimus: hoc eſt, phantaſiæ, ſive cogitativæ. Nunc venio ad facultatem appetitivam, atque affectus. Ubi itidem ex ingenti copia tacemabimur pauca, ſed maximè idonea. Nec de affectibus ſolùm dicam; ſed etiam virtutibus, quæ affectus moderantur. In quadrupedibus, & avibus, diſtinctè de his duobus egimus. Sed nihil neceſſe eâdem nos chorda oberrare: præſertim cùm in mutis animantibus non veræ ſint virtutes, aut vitia; ſed horum duntaxat ſimulachra.

Piſcibus ineſſe appetitum, amoremque cibi, potus, Veneris; ſatis eſt apertum. Itaque & in iis obſervamus imaginem quandam temperantiæ, & intemperantiæ: temperantiæ quidem in mugile, intemperantiæ autem in lupo. Qua de re non gravabor ponere verba Rondeletii lib. 1 de piſc. mar. cap. XI: *Ut vivendi genere, ita moribus, differre lupum à mugile, oris gulæque figura & conformatio docet. Mugili non carnium voraci, ſed continentiſſimo, & piſcium juſtiſſimo, natura os parvum ſine dentibus tribuit: lupo verò hians vaſtumque; quòd gulæ ventrique deditus carnibus veſcatur, & rapto vivat. Ille parvum habet, & gallinarum modo denſum, carnoſumque ventriculum, quòd muco, vel aquâ ſolùm veſcatur: hic amplum, & capacem, quique etiam integros piſces voratos capere poſſit.*

Itidem vorax, & guloſus eſt rhombus, imprimis aculeatus ille. Atque ad implendam gulam multum juvat ſollertia ſuperiori capite expoſita nobis ex Plinio; qui hac parte, ut aliis multis, Ariſtotelem exſcripſit, de univerſis id ψῆτίαις, ſeu planis ſcribentem *a*. Quod verò ſic gulæ ſit mancipatus, in cauſſa etiam eſt, cur facilè adeò capiatur hamo.

Sed non ut in alimonia ſibi temperat mugil, ita quoque in Venere. De iſto ſic Plinius lib. IX, cap. XVII:

a Lib. 9. cap. 37. ſive ex diſt. Caſ. Scal. c. 49. ſect. 256.

Mugilum tanta ſalacitas, ut in Phœnice, & Narbonenſi provincia, coitus tempore, è vivariis marem lineâ longinquâ, per os ad branchias religatâ, emiſſum in mare, eademque lineâ retractum, feminæ ſequantur ad litus; rurſuſque feminam mares partus tempore.

Hæc de amore alimenti, & propagationis. Nunc videamus de amore erga piſces, vel aliud animal. Prior ille cernitur erga parentes, conjugem, fœtus, alios ſui, vel alterius generis, piſces.

Delphini parentes ſenio confectos alunt, & difficilem eorum natationem niſu corporis promovent: ut de iis refert Jo. Tzetzes. Credo, major parentium amor illis, quæ lacte nutriuntur: ut in delphinis fit. Atque hoc firmat quoque Rondeletius *a*; qui multos à ſe delphinos ait conſpectos. Hinc etiam fuerit, quòd tam diu ſuos ſectentur parentes, & ægre adeò ab iis divellantur. Quamquam & ab alia cauſſa id eſſe poſſit, quando item faciunt thunni, licet non nutriantur lacte.

Pietati delphinorum maximè adverſa eſt impietas hippopotami, ſive equi fluviatilis: ut qui ipſum devoret patrem ſuum; quemadmodum alibi *b* diximus ex Æliani lib. VII de An. cap. XIX: ac ſimiliter Plutarchus in Comparat. anim. terr. & aquat. & Horapollo lib. 1, cap. LVI.

Amor delphinorum erga conjuges colligi videtur ex illis Ariſtotelis lib. IX Hiſt. Anim. cap. XLVIII *c*: Διατρίβουσι δὲ μετ' ἀλλήλων κατὰ συζυγίας οἱ ἄῤῥενες ταῖς θηλείαις. Quæ Theodorus vertit: *Degunt conjugatim mares cum feminis.* Ac Cæſar Scaliger: *Degunt inter ſe conjugia mares ſimul & feminæ.* Plinius ſic extulit lib. IX, cap. VIII: *Agunt vere conjugia.* Ita reperio in MSo, & veteri editione Parmenſi *d*. Vulgo pro *vere* editum *fere*. Et fatendum, in antiquioribus MSSis inveniri, *aguntur ferè conjugia.* Itaque clariſſimus Salmaſius legit, *vagantur fere conjugi.* Quomodo nempe alibi *e* idem de ſerpentibus ait, *Conjugæ ferme vagantur, nec niſi cum pari viſa eſt.* Ac favet Solinus cap. XVIII *f*, ubi de iiſdem delphinis: *Quoquò eant, conjuges evagantur.* Sic quoque conjugalis ſui amoris indicium, quòd non ſejugi, ſed conjugi, ſive conjuges vagantur. Nec aliud voluit Ariſtoteles verbis antea adlatis.

Caſtitatem piſcium in connubiis mirè celebrat B. Ambroſius lib. V Hexaëm. cap. III: *Tum deinde, quàm pura, & inviolata ſucceſſio! Nullus alteri, ſed generi ſuo miſcetur; thymallus, thymallo* g, *lupus, lupo. Scorpæna quoque caſtitatem immaculati connubii generi ſuo ſervat.* Et mox: *Neſciunt igitur alienigenarum genera piſcium adulterina contagia: ſicut ſunt ea, quæ coeunt aſinorum equarumque inter ſe genera, quæ magnâ curâ hominum perpetrantur: vel rurſus cum equus aſinæ miſcetur: quæ ſunt vera adulteria naturæ.* Vulgaris tamen opinio eſt, murænam cum ſerpente, vel vipera coire. Quod legas apud Nicandrum in Theriacis *h*, Plinium lib. IX, cap. XXIII, & lib. XXXII, cap. II, Ælianum lib. I de Anim. cap. L, & lib. IX, cap. LXVI, Athenæum in VII ex Soſtrato de animal. Oppianum lib. I de Venat. *i* fuſiuſque hoc diducentem lib. I de Piſcat. *k* Orum Apoll. lib. II, cap. CXI: & ex noſtris Baſilium M. orat. VII Hexaëm. Ambroſium lib. V Hex. cap. VII, Iſidorum lib. XII Orig. cap. VI, Philen in Jambis, Cyrum vel potiùs κῦρον, hoc eſt, κύριον, ſive *dominum* Prodromum in Amicitia exulante. Sed ex his nonnulli, ut Plinius, & Ælianus, ſic ajunt vulgus putare: ac Nicander quoque addit, εἰ δ' ἔτυμον· *ſi vera eſt fama.* Mihi placet Andreæ ſententia lib. περὶ τῶν ψευδῶς πεπιστευμένων, *de falſo creditis.* Ubi (ut Athenæus tradidit in ſeptimo) ψεῦδός φησιν εἶναι, τὸ μύραιναν ἔχιδνῃ μίγνυσθαι, προσερχομένην ἐπὶ τὸ τεναγῶδες· οὐδὲ γὰρ ἐπὶ τενάγους ἔχεις νέμεσθαι, φιλαμμοῦντας. *Falſum eſſe ait, murænam in lutulentam maris oram progredientem miſceri cum vipera, quæ in cœnoſis non verſatur, ſed nemorum amat ſecreta.* Argumento huic Andreæ accidit, quod nullus hodie piſcator, nauta, vel accola litorum, ubi frequentes ſunt murænæ, & vicino ſolo agunt viperæ, obſervare potuerit viperæ cum muræna congreſſum.

a Lib. 3. de piſcibus marinis, cap. 8.
b Lib. 3. cap. 62. ubi de eo inter quadrupedia actum, uti hic inter aquatilia: quia eſt animal amphibium quadrupes.
c Sive ſecundum diſt. Caſ. Scal. c. 74. ſect. 502.
d An. 1476.
e Lib. 8. cap. 23.
f Ex diſt. MSSorum, cap. 12.
g Sic ſcribendum ex Æliani lib. 14. de Anim. cap. 22. ubi Θύμαλλος vocatur, & id nomen dicitur habere, quod thymum redoleat. Et favet Iſidorus lib. 12. Orig. c. 6. Sed perperam apud eum Timallus editum eſt.
h Verſ. 823. Ubi ſcholiaſtes idem proditum ait ab Archelao. Et ſanè Hierax quoque apud Stobæum, ſerm. de Injuſtitia, cum Nicandro Archelaum phyſicum jungit. Nicandri verſus etiam adducit Athenæus in ſeptimo: eoſque emendat Caſaubonus Animad. l. 7. cap. 18.
i Verſ. 380.
k Verſ. 555. & ſeqq.

Amore erga fœtus nulli piſcium cedit delphinus. Ariſtot. lib. VI Hiſt. Anim. cap. XII *a*: Καὶ ἔστι τὸ ζῶον φιλότεκνον *b*. Atque hanc ait cauſſam, cur catulos ſuos diu comitetur. Sanè nuſquam eos deſerere, ait Oppianus lib. I ἁλιευτ. *c*. Eoſdem etiam geſtant in infantia, prout quidem Ariſtotelem *d* Plinius *e* cepit. Sed quod Oppianus *f* ait, intra os recipere prolem, id aliter eſt. Nam hoc, ut rectè Rondeletius *g* inquit, *fieri non poſſe, perſpicuè oſtendit oris compoſitio, catulorum ipſorum magnitudo.* In quibus id verius habeat locum, mox dicetur. Oppianus verò in hanc ſententiam impulſus eſt verbis iſtis Ariſtotelis lib. VI Hiſt. Anim. cap. XII: Εἰσδέχονται τὰ τέκνα μικρὰ ὄντα. Quæ cum Plinio, quem ſequi ſolet, etiam Gaza cepit de geſtatione in infantia; ut antè dictum. Sed video, ut Oppianus, ſic Cæſarem etiam Scaligerum *h* verba Ariſtotelis capere: cui prorſus aſſentio.

Cæterùm non delphini modò ſuos amarit: ſed piſcium etiam alii. Quales, ut in cetaceis perſiſtam, balænæ, vituli marini, phocænæ. Hi, ut vivos pariunt fœtus, (ſicut Ariſtoteles, cùm alibi teſtatur, tum lib. III Hiſtor. anim. cap. XX, & lib. VI, cap. XI) ita quoque eos educant lacte ſuo. Quo quàm abundent, arguit, quòd Rondeletius narrat *i*, ſe vidiſſe in litore Aquitanico ex balænis colligi duos lactis cados. Papillis interea carent, ne impediant natationem. Cùm verò mulieri mamillæ ſint in pectore; elephanti in alis; cani, & ſui, toto ventre: piſcibus iſtis ſunt prope genitalia, ac partem eam, qua excernunt ciborum retrimenta.

Glaucus, ſi timere ſuboles cœperit, à matre ore hianti excipitur; ceſſante metu, iterum evomitur: ut Ælianus refert lib. I Hiſt. Anim. cap. XVI. Atque hoc de glaniis (è quo genere eſt glaucus) proditum Ariſtoteli ipſi lib. VI de Anim. cap. X *k*. Verba ejus ſunt: Οἱ μὲν ἄλλοι γαλεοὶ, καὶ ἐξαφιᾶσι, καὶ δέχονται εἰς ἑαυτοὺς τοὺς νεοττούς. *Cæteri verò muſteli & emittunt, & admittunt intra ſe catulos.* Ac ſimiliter, inquit, agunt αἱ ῥῖναι, καὶ αἱ νάρκαι· *ſquatinæ, & torpedines.* Tum ſubjungit de ingenti torpedine, quam deprehenſum, magno ſanè affectus indicio, recepiſſe intra ſe tenellos fœtus octoginta. Id, ob ſpinæ aſperitatem, ait facere non poſſe ſpinum; etſi & ipſe è muſtelis ſit. E latioribus vero facere negat vel paſtinacam, vel rajam; idque διὰ τὴν τραχύτητα τῆς κέρκου· *ob caudæ aſperitatem.* Ranam idem negat poſſe, tum ob capitis magnitudinem, tum ob ſpinas. At delphinos id poſſe, Ariſtoteles tradere videtur; imò & phocænas. Sed de iſto paullo antè diximus.

Glanis mas etiam magno amore prolem proſequitur. Nam, quo loco plurimus eſt fœtus, vel ad quadrageſimum, aut quinquageſimum diem cuſtodit eum, donec ſatis auctus à cæteris ſe piſcibus tueri valeat. Teſtis Ariſtoteles lib. VI Hiſt. Anim. cap. XIV. Propterea Æliano quoque γλάνις (ſic enim, non λάγνις, legendum) dicitur φιλοτεκνότατος ἰχθύων· *ex piſcibus ſuorum piſcium amantiſſimus.* Ut ibidem eſt, σιλούρῳ τὸ εἶδος ὅμοιός ἐστι· *formâ ſimilis eſt ſiluro.* Ea res impoſuit Plinio, ut quod de glanide ſcripſerat Ariſtoteles, ipſe tribueret ſiluro. Sic enim ille lib. IX, cap. XXXIII: *Silurus mas ſolus omnium edita cuſtodit ova, ſæpe & quinquagenis diebus, ne abſumantur ab aliis: cætera feminæ in triduo excludunt, ſi mas attigit.* Ubi & in altero falſus, cùm ait, à ſolo hoc cuſtodiri ova, cùm idem faciat cyprinus. *Fœtus*, igitur, non *ova* dicere oportuerat. Plinius verò in errorem etiam impulit Theodorum Gazam: ut qui propterea apud Ariſtotelem γλάνιδα ſemper verterit *ſilurum.* Imò in Gloſſis etiam Græcolatinis ab H. Stephano editis, & Leidæ cum caſtigationibus B. Vulcanii recuſis, legas cap. de Piſcibus *l*: *Silurus*, γλάνιος. Unde eadem videmus, pro γλάνις etiam γλάνιος dici. Quin & apud Hermolaum Byzantium, in epitome Stephani Ethnicorum *m*, legas: Γλάνις ὁ καλούμενος γλάνιος. Et Raphaëlem Volaterranum ſi audimus in quincto & vigeſimo Philologiæ, Plinius etiam *glanium* dixit. Sed apud eum lib. XXXII, cap. X, lego *glani jecur*, non *glanii*

a Caſ. Scal. c. 10. ſect. 124.
b *Valde animal hoc fœtus amat.*
c Verſ. 665. & ſqq.
d Lib. 6. Hiſt. An. cap 12. ſect. 119.
e Lib. 9. cap 8.
f Lib. 1. ἁλιευτ. verſ. 656. 657.
g Lib. 16. de piſc. mar. c. 8.
h Comm. in Ariſt. locum allatum: nempe ex diſt. Caſ. Scal. c. 10. ſect. 119.
i Lib. 3. de piſc. mar. cap. 23.
k Ex diſt. Caſ. Scal. cap. 8. ſect. 106.
l Col 250. utriuſque edit.
m In Γλάνις.

Objectant locum alium è lib. IX, cap. XLIII: *Glanius, qui & glanis vocatur.* Verùm ſic veteres libri: *Catinus, qui glanis vocatur.* Julius tamen Scaliger, ubi Ariſtoteles habet γλάνις, *glanius* vertit, lib. VI Hiſt. Animal. cap. XIV, ſive ex ejus diſtinctione, ſectione CLIV, & ſequenti. Inque commentario ibidem ſic ſcribit: *Glanis, ſive glanius.* Eumque præcipuè ſecuti *glanium* vocamus cap. I: ubi & retuli, quæ de amore glanidis erga fœtum, imo & cyprini, proximè dicebam. Interea tutiùs *glanis*, quàm *glanius*, vocetur. Multum enim metuo, ne γλάνιος ſit vocabulum mixobarbarum. Aliquid interim eſt, quod & Plinius *glanius* videatur dixiſſe, quod proximè abit.

Hunc variorum morem piſcium erga ſubolem ſic expreſſit B. Ambroſius lib. V Hexaëm. cap. III: *Alii* (piſces) *vivos fœtus edunt de ſuo corpore; ut muſtelæ, & caniculæ, & cete ingentia; delphines, & phocæ, aliaque cætera hujuſmodi. Quæ cùm ediderint partus; ſiquid fortè inſidiarum, terroriſque, præſenſerint circa catulos ſuos quemquam moliri; quò tueantur eos, vel teneræ ætatis pavorem materno affectu comprimant; aperire ora, & innoxios partus ſuos dente ſuſpendere, interno quoque recipere corpore, & genitali feruntur alvo abſcondere. Qui humanus affectus hanc piſcium pietatem poſſit imitari?* Pluraque in hanc mentem facundè ibidem diſſerit ſanctiſſimus antiſtes.

Nec tamen hæc στοργὴ *a* perpetua eſt. Nam quid ἄστοργον *b* magis thunnis? ut qui devorent ova propria, ſimulac ea pepererunt: quemadmodum Oppianus ait lib. I de Piſcat. *c*

Jam videamus, ubi etiam non eſt arctum adeò naturæ vinculum, quantus nihilominus ſit conſenſus. Ac primùm in piſcibus ejuſdem generis. Ubi exemplo fuerit ſcarus: qui quàm non modo amicus ac fidelis, ſed etiam prudens erga ſocios ſit; ex Ovidio, & Plinio, vidimus cap. ſuperiori. Atque idem refert Plutarchus in Comparatione terreſtrium, & aquatilium. Sed eleganter inprimis Oppianus in quarto de Piſcatione. Uterque verò & alterum præmittit, ut ſagacitatis, ſic amoris & fidei exemplum; quod, ſi ſcarus quiſpiam deglutierit hamum, cæteri, qui adſunt, approperent, & abrodendo funiculum liberent ſocium.

De amore erga alterius generis piſces, & cum iis concordia, ſic Plinius *d*: *Amicitiæ exempla ſunt balæna, & muſculus: quando prægravi ſuperciliorum pondere obrutis ejus oculis, infeſtantia magnitudinem vada prænatans demonſtrat, oculorumque vice fungitur.* Similiter Ælianus *e*. Sed ambigit Cæſar Scaliger *f*.

Pinnæ, quæ & Græcis πίνναι dicuntur, ſocios habent cancellum, & ſquillam, πιννοφύλακας, *cuſtodes ſui*: quibus amiſſis, perire celeriùs Ariſtoteles ait in V Hiſt. Animal. cap. XIV. Nempe pinna, quando eſurit, hiat. Tum piſculi minuti ejus ſubeunt alveum. Hoc ea non ſentit. Sed monetur à cancello, vel ſquilla. Ab his vellicata, fores claudit; cumque cancello, vel ſquilla, prædam partitur. Cicero lib. II de Nat. Deor. *Pinna* (*ſic enim Græcè dicitur*) *duabus grandibus patula conchis, cum parva ſquilla quaſi ſocietatem coit comparandi cibi. Itaque cum piſciculi parvi in concham hiantem innataverint, tum, admonita ab ſquilla, pinna morſu comprimit conchas.* Ubi per duas conchas intellige teſtas: à quibus Ariſtoteli talia dicuntur δίθυρα: Gaza vertit *bivalvia*; ut μονόθυρον eidem *univalve.* Aliis *biſores*, & *uniſores* conchæ.

Lucii, & tincæ, amicitiam inde comprobant, quòd cùm carnivorus ſit lucius, tincæ tamen parcat: tum etiam, quod ſi ventrem lucii ad duos, & amplius, digitos reſcindas, & vulnus poſtea conſuas, hinc vivario reddas, in quo tincæ fuerint, ſanetur, poſtquam tincis ventrem affricuerit. Sed amicos quidem hos piſces eſſe agnoſcimus: attamen, quod ſanetur lucius, ab duabus potiùs eſſe cauſſis videtur. Prior eſt à lucii vivacitate; de qua dictum cap. III. Altera eſt à tincarum natura. Sunt enim glutino-

a Naturalis erga prolem affectio.
b Expers naturalis amoris.
c Verſ. 756. & ſeqq.
d Lib. 9. cap. ult.
e Lib. 2. de anim. cap. 13. ut & Oppian. 5. ἁλιευτ. verſ. 99. & ſeqq.
f Comment. in Ariſt. l. 2. Hiſt. An. cap. 16. ſect. 118. ubi id Cantabris ait memoratum.

tinoſæ; ut, non oblæſis lucii viſceribus, facilè vulnus ventris coaleſcat. Eſt autem tinca, quam Belgæ *zeelt* vocant; vel etiam *ſchoenmaker*, hoc eſt, *ſutorem*: nempe quia cute corium referat, unde fiunt calcei.

Nec tamen amoris ſolùm, & conſenſus exempla, in piſcibus habemus: ſed odii etiam, & diſſenſus. Ita inimicitiæ ſunt balænæ cum orcâ, *infeſtâ* (ut Plinius *a* ait) *his belluâ, & cujus imago nulla repræſentatione exprimi poſſit aliâ, quàm carnis immenſæ, dentibus truculentæ.* Subjungit deinde de pugna orcæ cum balænis. Tandem ita claudit: *Spectantur ea prælia, ceu mari ipſo ſibi irato, nullis in ſinu ventis: fluctibus verò ad anhelitus ſuſſuſque, quantos nulli turbines volvunt.* Hunc affectum malignum inter balænam, & orcam, agnoſcit etiam Olaus Magnus *b*, qui & pugnæ inter eas qualemcumque exhibuit picturam.

a Lib. 9 cap. 6.
b Lib 21. cap. 9.

Inimicitia item eſt inter attilum, & clupeam. Plinius lib. IX, cap. XV: *Haut minor thunno attilus in Pado, inertiâ pingueſcens, ad mille aliquando libras catenato capius hamo, nec niſi boum jugis extractus. atque hunc minimus piſcis, appellatus clupea, venam quandam ejus in faucibus mirâ cupidine appetens, morſu exanimat.* Porrò attilus non ſturio eſt, quod Franciſcus Philelphus putabat: ſed qui Padi accolis dicitur *adena*, *adeno*, vel *adano*: ut Cælius Calcagninus ſolidè eo comprobat, quòd magnitudo ſit eadem, nec alibi is piſcis inveniatur. Ipſum vide Cœlium lib. V epiſtolarum, eâ quæ eſt ad Jacobum Ziglerum. Clupea autem, quæ & Ennio memorata, eadem videtur ac Græcorum θρίσσα: quæ opinio eo firmatur, quòd Italorum *chiepa*, quæ θρίσσα eſt, ex *clupea* corruptum videtur. Præterea ut thriſſæ, ſic clypeæ, tribuitur à veteribus ſpinarum multitudo. κλυπαῖα dicitur quoque Calliſthini Sybaritæ apud Stobæum: qui &, aucto ſpinarum numero, ab iis ait interimi. Idem Plinius aliquanto pòſt: *Animal eſt parvum ſcorpionis effigie, aranei magnitudine. Hoc ſe, & thunno, & ei, qui gladius vocatur, crebrò delphini magnitudinem excedenti, ſub pinna affigit aculeo: tantoque infeſtat dolore, ut in naves ſæpenumero exſiliant. Quod & alias faciunt aliorum vim timentes, mugiles maximè, tum præcipua velocitatis, ut tranverſa navigia interim ſuperjaciant.* Animalculum hoc οἶστρος, ſive *aſilus* dicitur Ariſtoteli lib. VI Hiſt. Animal. cap. XXXI. Ac apud Athenæum quoque legas, difficulter capi thunnum, dum parvulos habet fœtus: ſed, ubi is grandior, capi ob aſilum. Figuram ejus Rondeletius, & ex eo Geſnerus, expreſſit.

Etiam, ut Ariſtoteles ait lib. IX, cap. II *c*, λάβραξ, καὶ κεστρεὺς, πολεμιώτατοι, *inter lupum, & mugilem, inimicitiæ ſunt capitales.* Et paullo poſt *d*: Ἀπεσθίει δὲ ὁ μὲν κεστρεὺς ὑπὸ λάβρακος, ὁ δὲ γόγγρος ὑπὸ μυραίνης. *Devoratur mugil à lupo, conger autem à murana.* Porro alii aliis caudam prærodunt: ſine qua etiam vivunt, dummodo non in tantum morſus exceſſerit, ut excrementa nequeant continere. Unde Ariſtoteles ibidem *e*: Ζῶσι δὲ πολλάκις ἀφῃρημένοι οἱ κεστρεῖς τὸ οὐραῖον, καὶ οἱ γόγγροι, μέχρι τοῦ ἐξόδου τοῦ περιττώματος. *Vivunt ſæpe mugiles, & congri, adesâ caudâ ab ea uſque parte, qua cibi egeruntur.* De his ita Plinius lib. IX, cap. ult. *Sunt & inimicitiæ miracula. Mugil, & lupus, mutuo odio flagrant; conger, & murana, caudas inter ſe prærodentes. Polypum in tantum locuſta pavet, ut ſi juxta viderit, omnino moriatur. Locuſtam conger; rurſus polypum congri lacerant. Nigidius auctor eſt, prærodere caudam mugili lupum, eoſdemque ſtatis menſibus concordes eſſe. Omnes autem vivere, quibus caudæ ſic amputentur.*

c Sive ex diſt. Caſ. Scalig. cap. 3. ſect 65.
d Sect 66.
e Sect.66.

Ranas abſumit is piſcis, qui quaſi civis eſſet Romanus Lucii ſibi nomen vindicavit. Unde Auſonius Moſellâ:

Hic etiam Latio riſus prænomine, cultor
Stagnorum, querulis vis infeſtiſſima ranis
Lucius, obſcuras ulva cœnoque lacunas
Obſidet.

Similes inimicitiæ in amphibiis Nili quadrupedibus ſe exerunt. Ichneumon enim, quem vulgo *murem Pharaonis* dicimus, crocodili, imò & aſpidis, ova indagat: unde illis *ichneumonis* nomen, quaſi dicas *indagatorem*. Reperta utriuſque ova conterit: ut eſt apud Oppianum in tertio de Venatione. Nicander tamen ait eum aſpidis ova humi mandare. Porrò ex his etiam divina elucet ſapientia. Sic enim utriuſque animalis, uſque adeò noxii, fœcunditas impeditur.

Atque iſta ad amorem, & odium, pertinent, quo piſces inter ſe mutuò flagrant. Præterea amore aliqui hominem proſequuntur. De delphinis id tradit Ariſtoteles lib. IX Hiſt. Anim. cap. XLVIII *a*. Notiſſimum eſt exemplum de Arione Methymnæo, citharœdo, Tarento proficiſcente Corinthum, & poſtquam carmen ceciniſſet ὄρθιον (quale χαλεπὸν ᾆσαι *b*, ut Ariſtoteles *c* ait) in altum, deſiliente; ſed excepto ab delphino, & ab eo Tænarum in Laconicam devecto. Primus id narravit Herodotus lib. I: ex eo alii, in his Ovidius II Faſt. Agellius lib. XVI, cap. ult. Oppianus lib. V ἁλιευτ. *d* Pro fabula habent multi: ſed Philippo in Ἀνθολ. *e*.

——οὐ ψεύστης μῦθος Ἀρίονος.
——*Non falſa eſt fabula Ariona.*

a Secundum diſt. Caſ. Scal. cap. 74. ſect. 498.
b Difficulter cani.
c In problem. ſect. 19. quaſt. 37.
d Verſ. 448.
e Lib. I. cap. 50. quod eſt. εἰς ἰχθῦας.

Apio etiam Pliſtonices, ſive Polyiſtor, in quincto Ægyptiacorum tradidit de puero apud Puteolos adamato à delphino: atque id ſe vidiſſe ipſe narrat. Verba ejus adducit Agellius lib. VII, cap. VIII. Sed quod Apio aculeos in tergo tribuit delphino, id aliter eſt: ut, ſi delphinum ipſe viderit, quemadmodum ait; parum ejus attenderit figuram: prout Rondeletius, qui plurimos conſpexit, rectè monet in opere de piſcibus marinis *f*. Forraſſe ob iſtud, & alia multa, in illo etiam, quod de delphino diximus, auctoritas ejus levior videatur. Sed idem, etſi non eodem planè modo, retulere etiam Mæcenas, Flavianus, & Flavius Alfius, atque alii: ut Plinius teſtis eſt lib. IX, cap. VIII. Ac ibidem ſimile addit exemplum de delphino in litore Africo Hipponis Diarrhyti: & aliud de eo, qui adamâſſet puerum Jaſſenſem: quem, poſtquam delphinus exſpirâſſet, Alexander M. Neptuni ſacerdotio præfecit. Atque idem memorant Plutarchus in Comparat. animalium, Ælianus lib. VI, cap. XV, Athenæus in VII, Tzetzes Chil. III, cap. CXVII. Sic tamen memorant, ut diſcrepent in nonnullis. Vide & de hujuſmodi amore, ac manſuetudine, præter memoratos, Plinium lib. IX, epiſt. XXXIII, quæ ad Caninium, Pauſaniam Laconicis, & Solinum cap. XVIII. Ac plura nobis Geſnerus congeſſit *g*. Sed pleraque Cæſari Scaligero *h* ſuſpecta.

f Lib. 16. cap. 8.

Amor iſtiuſmodi naturâ delphino inſitus videtur. Intenditur autem, ſiquis benefecerit. Eſt enim is piſcis gratiſſimus: qualem ſe erga Cœranum Parium præbuit ille, de quo Plutarchus in Comparatione Terreſtrium, & Aquatilium, Ælianus lib. VIII de Animal. cap. III, & Athenæus lib. XIII, qui Philarchum ejus rei laudat auctorem. Sed Cæſar Scaliger *i* pro ſpiſſo habet mendacio. Alterum quoque εὐχαριστίας *k* in delphino exemplum commemorat idem Ælianus lib. II de Anim. cap. VI.

g De aquatilibus, cap. de delphino pag. 395. & ſeqq.
h In Ariſt. lib. 2. Hiſt. Animal. cap. 16. ſect. 118.
i Ad memoratum Ariſtotelis locum.
k Animi grati.

CAP. XVII.

De appetitu iraſcendi in piſcibus. Callionymum felle abundare. Pugna cancrorum inter ſe arietantium; adhac amiarum, ſive troctarum (eadem enim) cum delphino; carabi item cum murana; caniculæ marinæ cum urinantibus. Origo fabulæ de Scylla in ſcopulum conversâ, & pube tenus cinctâ canibus marinis. Terreſtria animalia ab aquatilibus ejuſdem nominis & robore vinci, & magnitudine. Quod in ſepiarum genere, non uti mares feminis, ita feminæ maribus ſuccurrant; videri non minorem teſtari amorem, ſed majorem metum. Quantopere piſcium alii delphinum timeant. Meticuloſi thymni; mugiles, melanuri, locuſtæ, cancri. Quantus ſarachi metus, & cui bono hunc Deus timorem illi indiderit. Silurum Auſonii alium eſſe ab ſiluro Plinii: illum eſſe mitem, & innoxium; hunc graſſari in piſces cæteros: illum in pretio fuiſſe; hunc

hunc non item, præterquam Rhodiis. De inertia rhombi, & anili.

POſtquam vidimus de concupiſcendi appetitu, & virtutibus ac vitiis circa eum verſantibus, conſiderabimus quoque iraſcendi appetitum, & illius tum moderationem, tum exceſſum. Agendum igitur nunc partim de ira & iracundia, atque audacia; partim de metu, timiditate, atque aliis, quæ fortitudini repugnant.

Callionymum eſſe iracundum, ex eo colligas, quòd ut Plinius refert lib. XXXII, cap. VII, *Nulli piſcium fel copioſius.* Atque addit, idem Menandro traditum. Ex cujus Meſſenia Ælianus lib. XIII, cap. IV adducit iſthoc:

Τίθημ᾽ ἔχειν χολὴν σε καλλιωνύμου
Πλεῖον.
Habere callionymo te cenſeo
Plus fellis.

Item illud Anaxippi in Epidicazomeno:

Ἐὰν μὲ κινῇς, καὶ ποιήσεις τὴν χολὴν
Ἅπασαν, ὥσπερ καλλιωνύμου, ζέσαι.
Si moveris me, feceris mox ferveat
Ut bilis omnis, more callionymi.

De felle ejus agit & Dioſcorides lib. II, cap. XCVI.

Irarum etiam teſtes ſunt pugnæ, tum in eodem genere, a Lib 9. cap. 31. tum in diverſo. In eodem, ut in cancris; qui Plinio *a* teſte, *dimicant inter ſe, ut arietes, adverſis cornibus incurſantes.* In diverſo, ſicut amiæ cum delphino, quorum pugnam graphicè deſcribit Oppianus in ſecundo de b Verſ. 562. Piſcatione *b*. Conſpecta belluâ ſe amiæ convertunt, maximæ circumnatant, & cæteras defendunt. Ac cum alias belluas, tum lamias, ab iis vulnera accepiſſe, quandoque conſpectum: ut eſt apud Ariſt. lib. IX Hiſt. Animal. c Caſ. Scal. ſect. 263. cap. XXXVII *c*.

Prœlium troctarum cum delphino referunt Ælianus lib. I de Anim. cap. V, & Philes in jambis, cap. de Troctis. Ut diverſum piſcium genus memorat vir eruditus in ſuis ad memoratum Oppiani locum notis. Sed enim planè eædem amiæ, & troctæ: ut docet Rondeletius lib. VIII de piſc. mar. cap. IX. Nomen τρώκτης *comeſtorem*, vel *voratorem* ſonat, ἀπὸ τοῦ τρώγειν, quòd eſt *edere*. Atque ad hanc voracitatem conferunt dentes crebri, continui, & acuti.

Carabus quanto animo adverſus murænam decertet. d Verſ. 321. & ſeqq. Oppianus ſcitè depinxit lib. II Ἁλιευτ. *d*

Caniculæ marinæ ſtrenuè adverſus urinantes dimicant, de quo Plinius lib. IX, cap. XLVI. Eaſdem ſignat Theophraſtus lib. IV Hiſt. Plant. cap. VIII, cùm de mari rubro ait: Ἡ δὲ θάλαττα θηριώδης. πλείους γὰρ ἔχει τοὺς καρχαρίας, ὥστε μὴ εἶναι κολυμβᾶν· *Mare hoc plenum eſt belluis, plurimoſque habet carcharias, in tantum, ut non ſit tutum natare.* Ubi Theodorus Gaza καρχαρίας reddidit *caniculas*. Solinus, & Ammianus, *canes* nominant e Canem marinum. *marinos*. Etiam κύνας θαλαττίους *e* (ut cæteros mittam) Athenæus vocat in quarto: ubi Archeſtrati verſibus docet, f Hominum comeſtorem. eſſe ἀνθρωποφάγους *f*: ut mirum non ſit, ſi humanæ avidi carnis cum hominibus decertent. Poëtæ fabulantur, Scyllam, (non illam Niſi filiam, quæ, abſciſſo patris capillo, commutata dicitur in cirim; ſed filiam Phorci, quæ poſtquam concubuiſſet cum Glauco, in mare ſe præcipitavit, & converſa creditur in ſcopulum marinum prope Rhegium Italiæ) pube tenus cinctam fuiſſe his piſcibus marinis, qui & claſſem Ulyſſis infeſtarint. Unde Maro in Sileno:

Quid loquar aut Scyllam Niſi, aut quam fama ſecuta eſt,
Candida ſuccinctam latrantibus inguina monſtris
Dulichias vexaſſe rates, & gurgite in alto
Ah timidos nautas canibus laceraſſe marinis?

Fabulæ origo partim eſt ex eo, quòd σκύλαξ *canem* ſignet, ut eſt apud Heſychium: (nempe ejuſdem hoc originis eſt, ac σκύλαξ, *catulus*) partim etiam, quia ſcopulus ille ſupernâ parte mulierem referret, inque infernis partibus concavis deliteſcere crederentur canes marini: undæ etiam, in eas partes illiſæ, imitarentur ſonum horribilis multorum canum latratus. Quæ firmant Strabo in primo, Agatharchides apud Apollonii interpretem, & Iſacius Tzetzes.

Par ratio in aliis piſcium plurimis. Nam ut vires majores, ſic major etiam ferocitas eſſe aquatilium, quàm terreſtrium, videtur. Oppianus lib. V Ἁλιευτ. *a*. a Verſ. 23.

——Καὶ ἀλκῇ,
Καὶ μέγεθος, προβέβηκεν ἀναιδέα δείματα πόντου.
——*Et robore,*
Et magnitudine, antecedunt immania monſtra ponti.

Confert deinde teſtudines, canes, pantheras, hyænas, arietes marinos, cum ejuſdem nominis aquatilibus: ac vincere hæc contendit.

Non deſunt tamen etiam metûs argumenta. Ac interdum id fit in eodem genere, in quo fortitudo ſe exerit. Conſtantia enim in maribus ſæpiùs relucet, feminis non item. Plinius lib. IX, cap. XXIX: *Sepiarum generis mares varii, & nigriores, conſtantiaque majoris. Percuſſæ tridente feminæ auxiliantur: at femina icto mare fugit.* Credo, non amoris, ſed animi minùs, feminis.

At timoris in univerſo genere eſt, quòd, adventante delphino, fugam capeſſunt piſcium alii. Unde Papinius in nono Thebaidos:

Qualis cæruleis tumido ſub gurgite terror
Piſcibus, arcani quoties devexa profundi
Scrutantem delphina vident: fugit omnis in imos
Turba lacus, virideſque metu ſtipantur in algas:
Nec prius emerſi b, *quàm ſumma per æquora fluxus,* b Al. emergunt.
Emicet, & viſis malit certare carinis.

Ovidii eſt de thynnis *c*: c In Halieutico.

Et pavidi magno fugientes agmine thynni.

Timidi item mugiles; ut ait Ælianus lib. VII de Anim. cap. XIX.

Melanuros etiam eſſe meticuloſos, dictum cap. præcedenti.

De locuſtis ita Plinius lib. IX, cap. XXX: *Reptantium modo fluitant: ſi nullus ingruat metus, recto meatu cornibus, quæ ſunt propriâ rotunditate præpilata, ad latera porrectis; iiſdem erectis pavore, oblique in latera procedunt.* Ejuſdem verba ſunt *d*: *Cancri in pavore etiam retrorſum pari velocitate redeunt.* d Lib. 9. cap. 31.

Timidus quoque ſarachus, uſque adeò, ut ad tremulum umbræ motum territus ſe recipiat quàm longiſſimè. Nec eſt temere, quòd ſapiens Numen ei tantum indidit pavorem. Nam hinc eſt, quòd inſequente lucio, cyprino, truttâve, gregatim magno agmine fugiat in retia, ſummâ cum piſcantium voluptate, ac commodo; ut qui non modò ſic ſarachos, ſed etiam piſces capiant inſequentes. Eſt autem hæc ſarachi appellatio ab Epirotis, ſeu Albanenſibus. Inſubribus eſt *acone*, & *aquone*: quorum exemplo dicitur *aquo* à Paullo Jovio, & Salviano; *aco* à Fracaſtorio, & Benedicto Jovio; *agonus* à Bellonio.

De polypo mitto, quem Plinius *e* ait, *colorem mutare ad ſimilitudinem loci, & maxime in metu.* Nec enim e Lib 9. cap. 29. à metu eſt coloris ea mutatio; imò nec verè mutat, niſi apparentem; ut cap. V, & alibi, oſtendimus.

Silurus eſt mitis, & innoxius; ut Auſonius illum in Moſella deſcribit. Satis verò apertum eſt, ſignare eum, quem nunc *ſturionem* dicimus. Nec obſtat, quòd ſecundùm Plinium, *ſilurus graſſatur, ubicunque eſt, omne animal appetens; equos natantes ſæpe demergens, præcipue in Mæno Germaniæ amne.* Nam, ut alia eſt echineis Oppiani, quam Ariſtotelis: ita alius quoque ſilurus eſt Auſonii, quam Plinii; ut primus Joſephus Scaliger *f* obſervavit. Ut alia mittam, ſilurus magnum addit honorem amni; ſicut de eo Auſonius ait. At ſilurus veterum vilis erat piſcis: quod non modò ex Juvenale *g*, & veteri ejus interprete *h*, conſtat: ſed etiam Antiphane, & Diodoro Sinopenſi, apud Athenæum in VI. Rhodiis quidem in

f In Lectionibus Auſonianis lib. 1. cap. 1. g Sat. 4. & 14. h Ad ſat. 4.

in deliciis fuiſſe, colligi videtur ex Diphilo in VII Athenæi. Sed aliud judicium, cùm aliis Græcorum, tum etiam Romanis fuiſſe, jam vidimus. Denique non veterum ſilurum, ſed ſturionem noſtrum, ſilurum etiam vocari videas ab Venantio Fortunato, Pictavienſi epiſcopo: qui duobus poſt Auſonium ſeculis vixit. Nam, quod eidem Scaligero monitum, ſilurum veterum non invenias in Garumna: at capere cum eſt etiam ultra confluentes Ægirci amnis: de quo ſic Poëta memoratus lib. I poëmatum, carm. XXI *a*.

a In bibliotheca SS. Patrum edit. 2. Tom. 8. col. 838.

Obtinet expulſus ſtabulum campeſtre ſilurus:
Plus capitur terris, quàm modò piſcis aquis.

Ad metum etiam pertinet inertia: quippe laboris metus; quo nihil æquè fortitudini adverſum. Hanc cernere eſt in rhombis illis,

Quos operit glacies Mæotica, ruptaque tandem
Solibus effundit torpentis ad oſtia Ponti,
Deſidiâ tardos, & longo frigore pingues:

ut Juvenalis ait ſat. IV. Item in attilo; de quo Plinius lib. IX, cap. XV: *Attilus in Pado inertiâ pingueſcens ad mille aliquando libras catenato captus hamo, nec niſi boum jugis extractus.*

Cap. XVIII.

De facultate locomotiva, tum eâ quæ eſt partis ſolùm, tum quæ totius eſt corporis. Varia eorum genera recenſentur, quæ cum ſtabilem habeant ſedem, nonniſi partem moveant corporis. Alia nunc partem, nunc corpus integrum moventia. Totius corporis motus, vel natatus eſt, vel greſſus, vel volatus. Cur nec cete, ſepiæ, aut plani piſces; nec quæ obducuntur cruſta; vel incedere, vel volare poſſint. Alio loco marinis, alio autem fluviatilibus, pinnas eſſe datas. De earundem numero. Perperam Plinium branchias adimere murænæ: ac quanto rectiùs de eo ſcripſerit Ariſtoteles. Cur tam Ariſtoteles, quàm Plinius, eiſdem negent eſſe pinnas; recentiores autem eas agnoſcant. Uſus caudæ in natando. Quo piſcium cauda differat ab illis quadrupedum. Qua mente ἄζυγος dicatur Ariſtoteli. Cur transverſa lataque ſit balænis, ac delphinis. Quare Deus caudam negarit cancris, non item locuſtis. Ariſtoteles, & Rondeletius, conciliantur: quorum ille caudam adimit cancris, hic tribuit. Quid Lunæ piſci pro cauda ſit datum. Fiſtulæ uſus polypo ad natandum. De longorum piſcium natatu, qui variis fit corporis flexibus.

HAbemus de iis, quæ ad ſenſum, appetitum, ac mores, pertinent. Nunc conſiderationes intendemus in motum: qui duplex ſe offert in piſcibus. Vel enim pars ſolùm corporis dilatando, aut contrahendo, movetur, reliquo corpore immoto: vel movetur corpus univerſum: quod partim in iis fit, quæ habent pinnas, vel pedes; partim iſtis, quæ ob ſui longitudinem variis flexibus corpus promovent. Quæ prioris ſunt generis, uno ſemper loco ſtabilem habent ſedem: unde Ariſtoteli *a* dicuntur μόνιμα, quaſi dicas, *ſtationaria*. Ac alia quidem loco ſuo lanâ tenui alligantur; ut mytili, & pinnæ, quibus datum quidem, ut ſe membranis ſuis pandant, & contrahant; at non item, ut partem aliquam ſui emittant foras. Alia verò adhærent ſaxis; ut urticæ, neritæ, lepades: ex quibus urticæ ſic quandoque contrahunt frondem, ut eam conſpicere non poſſis. Alia alii adhærent rei, velut oſtreis holothuria. Sunt & vermes rubri ſaxis, vel oſtreorum teſtis hærentes: partem ſui anteriorem nunc proferentes è fiſtula, nunc adducentes. Alia defixa ſunt in terra; ut tum pinnæ, & pernæ; quæ ſic ſe movent, ut nullam ſui partem emittant foras: tum ungues, qui apertâ teſtâ caput exſerunt. Alia jacent ſuper terram, ob gravitatem teſtæ; ſicut oſtrea magna; quæ nullam ſui partem exſerunt extra teſtam. Alia jacent ſuper arenam; ut chamæ, pectines, ſpondyli, tellinæ; quæ & ipſa nullam ſui partem foras mittunt; uti neque alia binis teſtis concluſa. Pectines tamen

a Lib. 1 Hiſt. An. cap. 1. ſive Cæſ. Scal. cap. 2. ſect. 9.

volitare ſupra aquas, proditum eſt à Plinio; ut poſtea referetur. Balani in rimis ſaxorum ſe habent, ut vermes rubri hærentes ſaxis, vel oſtreis; de quorum utriſque dictum. Purpuræ, buccinæ, cochleæ, mutant locum. Sed cancellus, qui, cruſtulâ & ipſe contectus, ineſt conchis eorum, quæ proximè nominavimus, duriorem quidem ſui partem exerit conchâ; ſed eâ retinet molliorem; planeque cochleæ inſtar vivit. Ipſæ verò buccinæ, cochleæ, purpuræ, mutant ſedes. Hæc de piſcibus, qui unâ ſemper in ſede degentes partem duntaxat corporis cient. Ariſtoteles *a* etiam vocat ἀκίνητα, quaſi dicas, *immobilia*. Sed parum commodè; quia, ut oſtendimus, & ipſe agnoſcit, partem corporis movent: ut magis idonea ſit appellatio illa μονίμων, de qua diximus.

a Lib. 1. cap. 1. ſive Cæſ. Scal. cap. 2. ſect. 9.

Reliquum eſt, videamus de illis, quibus totum movetur corpus: ſic tamen, ut & partem aliquam motitent ſeorſum. Ita, ut Plinius *b* ait, *ſepiæ, & loligini, pedes duo longiſſimi, & aſperi; quibus ad ora admovent cibos, & in fluctibus ſe, velut ancoris, ſtabiliunt: cæteri cirri, quibus venantur.* Cancris quoque & aſtacis, χηλαὶ manibus noſtris reſpondent. Quippe inſerviunt cibo ori ingerendo: unde & prope os eas Deus fecit. Imò & his ſe tuentur, alioſque impugnant. At ſquillæ chelis carent. In ſepia, cancro, & ſimilibus, facile eſt diſtinguere utrumque motum. Deinceps verò ſolùm loquemur de motu illo totius corporis. Qui eſt triplex; natatus, greſſus, & volatus.

b Lib. 9. cap. 28.

Quibuſdam verò eſt ſimplex motus, quibuſdam geminus. Simplex vel ſolùm eſt natatus, vel greſſus ſolùm. Natatu duntaxat valent belluæ marinæ; item ſepiæ è mollibus: adhæc plani, ut rajæ; quippe organis alios ad motus carent: item quæ cruſtâ obducuntur; ut aſtaci, cancri maræ, ἱππεῖς, ſive equites, ac ſquillæ. Nam longiores iis pedes, quàm ut ingredi valeant: ſed natatui ſunt idonei, quia pro remis inſerviunt. At qui ſimpliciter cancri vocantur, ſolùm gradiuntur, non natant; cujus cauſſam inferiùs exponam.

Præcipuum verò natatûs inſtrumentum ſunt pinnæ: quibus idcirco natura, ſive Deus potiùs, ad latus locum dedit: in marinis quidem ita, ut ad ſuperiorem magis partem vergant; in fluviatilibus magis ſub ventre.

De numero earum ſic Ariſtoteles lib. II Hiſt. Animal. cap. XIII *c*: Τὰ πτερύγια, οἱ μὲν πλεῖστοι, τέτταρα· οἱ δὲ προμήκεις, οἷον ἔγχελυς, δύο, ὄντα πρὸς τοῖς βραγχίοις. ὁμοίως δὲ κεστρεῖς, οἷον ἐν Σιφαῖς οἱ ἐν τῇ λίμνῃ, δύο· καὶ ἡ καλουμένη ταινία ὡσαύτως. ἔνια δὲ τῶν προμηκῶν, οὐδὲ πτερύγια, οἷον σμύραινα· οὐδὲ τὰ βράγχια διηρθρωμένα ὁμοίως τοῖς ἄλλοις ἰχθύσιν. *Pinnas ut plurimùm quaternas habent. Attamen longis, ut anguillæ, binæ juxta branchias hærent. Mugilibus etiam illis, qui in Sipharum ſtagno, binæ; atque etiam ei, quam vittam appellant. Nonnullis è longis nullæ omnino ſunt pinnæ, ut murænæ: quæ nec branchias ſic habent explicatas, ut piſces alii.* De eodem ita Plinius *d*: *Pinnarum quoque ſunt diſcrimina, quæ pedum vice data ſunt piſcibus; nullis ſupra quaternas; quibuſdam binæ, quibuſdam trinæ, aliis nullæ. In Fucino tantum lacu piſcis eſt, qui octonis pinnis natat. Binæ omnino longis, & lubricis; ut anguillis, & congris. Nullæ, ut murænis; quibus nec branchiæ. Hæc omnia flexuoſo corporum impulſu ita mari utuntur, ut ſerpentes terrâ. In ſicco quoque repunt. Ideo etiam vivaciora talia. Et è planis aliqua non habent pinnas: ut paſtinacæ: ipſæ enim latitudine natant. Et quæ mollia appellantur, ut polypi; quoniam pedes illis pinnarum vicem præſtant.* Verùm hos non pedibus modò, ſed etiam pinnis natare, Ariſtoteles ait. Mirum verò, Plinium murænæ, ut pinnas, ſic etiam branchias adimere; cùm eas habeat quaternas; ſed, ut Athenæus *e* vocat, parvas; utpote ex quaternis minutis oſculis, ſive foraminibus, paullum modò ſe exſerentes. Sanè Ariſtoteles, ut ex verbis proximè adlatis vidimus, non ſimpliciter ei adimit branchias; verùm ſolùm ait, eas habere, non διηρθρωμένας, hoc eſt, explicitas, expreſſaſque; ſed potiùs confuſas, [illegible] aliorum piſcium morem.

c Cæſ. Scal c. 16. ſect. 108.

d Lib. 9. cap. 20.

e Lib. 7. idque ex quinto Theophraſti de piſcibus in ſicco perdurantibus.

rem. Imò ne illud quidem ſimpliciter capiendum, quod tam Ariſtoteles, quàm Plinius dicit, non habere pinnas. Nam has quoque obtinet: ſed non ad latus ſitas, neque tales, ut natare iis poſſit. Et hæc fuit cauſſa, cur eas pinnarum nomine Ariſtoteles non dignaretur.

Utcunque verò pinnas habentia iis potiſſimùm natent: tamen & caudâ, ut gubernaculo, in natando ſe regunt. Hæc, ut Ariſtoteles *a* ait, eſt piſcibus συνεχὴς, ſive corpori continua, & uno protenta tractu; cùm aliis animantibus quaſi appendatur: quod in lacertis etiam locum habet, ſi ſuſtuleris humo. Extimâ ſui parte eſt σχιστή, ſive fiſſa, hoc eſt, pinnulis, vel crenis diviſa. Ἄσχιστον *b* tamen vocat Ariſtoteles, quod *non fiſſilem* ſignat. Sed (ut Cæſar Scaliger *c* annotavit) ſolùm dicere voluit, non, ut aliis animantibus, eam eſſe quaſi abſciſſam à corpore. In mugile, lupo, & aliis magno numero, pro ſpinæ longitudine ſe habet ad aquas findendas. Atque ut tanto id meliùs poſſit, tranſverſa eſt lataque in delphinis, ac balænis. Cancros caudâ carere, Ariſtoteles ait lib. IV Hiſtor. Anim. cap. 11 *d*. At, ut idem docet *e*, habent locuſtæ. In quo diſcrimine itidem divina ſe exſerit ſapientia. Nam locuſtis cauda utilis fuit in natando, cùm quinis ejus palmulis innitantur. Cancris autem cauda foret inutilis, quòd vitam agant terrenam. Rondeletius tamen & his caudam eſſe tradit lib. II de piſcibus marinis, cap. X. Verùm hæc conciliare non eſt operoſum. Nec enim ἁπλῶς *f* iis caudam negat Ariſtoteles; ſed ſolùm ſi conferas cum locuſta, cui protenditur cauda. Id fieri non potuit in cancro. Quippe, ut verbis utar Ariſtotelis *g*, τὸ σῶμα τὸ μὲν καράβων καὶ καρίδων προμήκες· τὸ δὲ τῶν καρκίνων, στρογγύλον· *locuſtarum, ſquillarumque corpus oblongum eſt; cancrorum, rotundum.* Ubi non loquitur de rotunditate abſolutâ, ſed comparatâ: ac ſimiliter caudam adimere putandum. Juſtiùs tamen Lunæ piſci caudam eſſe neges, ob figuram magis orbicularem. Interim cum duas habeat pinnas, inferior earum caudæ uſum præbet: ut idem Rondeletius *h* monuit.

a Lib. 2 Hiſt. an. c. 13. ſed Cæſ. Scal. cap. 16. ſect. 105
b Indiviſam
c Ibid.
d Cæſ. Scal. c. 3. ſect. 80.
e Ibid.
f Simpliciter.
g Loco paullo ante dicto.
h Ibid.

Etiam fiſtula natatui inſervit. Plin. lib. IX, cap. XXIX: *Eſt polypis fiſtula in dorſo, qua transmittunt in mare: eaque modò in dextram partem, modò in ſiniſtram transfertur.*

Eſt & natatûs genus, quod non pinnis fit; verùm variis corporis flexibus. Sic natant non ſolùm murænæ, & lampetræ, quæ pinnis carent lateralibus; ſed etiam anguillæ, congri, & alii piſcium nonnulli, qui à lateribus præditi ſunt pinnis.

Cap. XIX.

Cur aquatilium adeò pauca acceperint pedes: unde νήποδες *vocantur. Quâ mente Homerus phocas appellet* νήποδας, *cum pedes habeant. Unde ſit, quòd cancri ſciant progredi, natare non item. Crocodilo, & progrediendi, & natandi eſt facultas. Phocam ab Ariſtotele vocari* quadrupedes mutilum, *quia pedes ejus poſteriores ſint caudæ ſimiliores, ſive formam, ſive etiam in natando uſum conſideremus. Polypum & brachiis natare, & flexibus variis corpus promovere. Cur ad greſſum inutiles ſint pedes, tum cetaceis, tum locuſtis. Piſces volucres, ut loligo, ac præcipue hirundo: & quæ utriuſque nominis ratio ſit. De ſaltu exocœti, ſalmonis, pectinis. An volet milvus, ſive accipiter. De celeritate delphini. Providentia divina in eo relucens, quod os delphino datum ſit in partibus infernis; modò Ariſtoteles, & Plinius audiendi ſint: ſed αὐτοψίᾳ eorum ſententiam refelli. Mira delphini velocitas: tanta etiam vis, ut malos navium, vel ſaltem vela, tranſvolare, aut tranſilire credatur: & à qua cauſſa hoc fit. An rectè delphinus in antiquis monumentis dorſo fingatur recurvo. Quid ſignetur delphino anchora circumvoluto. Quandoque* [illegible] *delphino noxam eſſe velocitatem. Mugilis* [illegible]*ſitas, & in his cephali: cujus* ἔτυμον *exponitur, & vis tranſiliendi naviculam piſcatoriam. Thunni celeritas, à qua & nomen invenit. Carabi veloces; in his hippæ, vel potius hippeis: & quæ origo ejus nominis. Qui piſcium tardiores ſint, & unde id proveniat.*

PErgo nunc ad greſſum, qui pedibus fit. Horum alii digitati, ut crocodilo, & vitulo marino; alii biſulci, ut hippopotamo. Item piſcium quidam bipedes, ut tritones; quidam quadrupedes, ut hippopotami; quidam multipedes, ut ſcolopendræ. Sed longè maxima vis piſcium pedibus caret, quia nulli forent uſui in aquis. Nempe multò aliter cum iis eſt comparatum, quàm cum avibus: quia in ſicco his, ac in terra, eſt vita. Sic ſapienter Deus cuncta diſpertitur. Piſces, quia pedibus fere careant, νήποδες vocantur: nempe ex νη privativo, & πὸς, *pes*; ut rectè eſt apud Suidam. Altera tamen opinio ibidem ſubjungitur, ut dicantur νήποδες, ἀπὸ νέω, νῶ, ſive *nato*; quaſi νηξίποδες, *natantes pedibus.* Et hoc etymon ibi præfertur, quia ἔχουσι πόδας αἱ φῶκαι, *pedes habent vituli marini*: quibus nihilominus νηπόδων nomen convenit. Nam Homeri eſt Odyſſ. Δ *a*:

Ἀμφὶ δέ μιν φῶκαι νέποδες.——

Hoc interpretes tranſtulere:

Circa ipſum verò phocæ carentes pedibus.

Sed vel νήποδες aliter exponendum, vel erraverit Homerus. Nam phocis pedes eſſe, ſatis conſtat. Quare potiùs dixero, Homerum νήποδας poſuiſſe non ἐπιθετικῶς *b*, pro *pedum expertibus*, ſed ὑποστατικῶς *c* pro *piſcibus*: quibus data hæc νηπόδων appellatio, non quia nullis piſcium ſint pedes; ſed quia paucis, imò vulgarium nullis. Eſt verò eorum, qui pedes habent, hujuſmodi diſcrimen; quòd alii ſolùm gradiantur, alii etiam natent. Cancri ſic ἁπλῶς *d* dicti (nam cancros mæas ſuperiùs excepimus) non natant, ſed ſolùm gradiuntur. Progredi ſciunt, & celeriter quidem, ob multitudinem pedum, & crurum brevitatem. Neſciunt autem natare, tum ob defectum pinnarum; tum vitio caudæ ſic corpori applicitæ, ut nequeat extendi.

a Verſ. 404.
b Velut appoſitum.
c Ut ſubjectum, ſive ſubſtantiam ſignificans.
d Simpliciter.

At natatu, & greſſu, pollet crocodilus. Imò, pro corporis mole, greſſus ejus ſatis eſt velox. Vituli item marini, de quibus paullo antè diximus, utroque valent. Pedes anteriores ingreſſui, ſive reptationi, ſerviunt. Ad natandum parum ſunt idonei, quia ungues quidem exſtant; at digiti nonniſi in extremo quatuor lineis diſcernuntur. Poſterioribus natant quoniam caudæ potiùs naturam referant, quàm pedum. Ariſtoteles de iis ſic ſcribit lib. II Hiſtor. Anim. cap. I *e*: Ἡ δὲ φώκη, ὥσπερ πεπηρωμένον τετράπουν ἐστί. εὐθὺς γὰρ ἔχει μετὰ τὴν ὠμοπλάτην τοὺς πόδας ὁμοίους χερσὶν, ὥσπερ καὶ οἱ τῆς ἄρκτου. πεντεδάκτυλοι γάρ εἰσι, καὶ ἕκαστος τῶν δακτύλων καμπὰς ἔχει τρεῖς, καὶ ὄνυχα μέγαν· οἱ δὲ ὀπίσθιοι πόδες, πεντεδάκτυλοι μέν εἰσι, καὶ τὰς καμπὰς καὶ τοὺς ὄνυχας ὁμοίους ἔχουσι τοῖς προσθίοις· τῷ δὲ σχήματι, παραπλήσιοι ταῖς τῶν ἰχθύων κέρκοις εἰσίν. Pro ὄνυχα οὐ μέγαν, ut eſt in editione Sylburgianâ, repoſui ὄνυχα μέγαν: partim quia id veriuseſt, partim quoniam video, ſic eſſe etiam excuſum Aldinâ anni CIↃ CCCC XCVII: imò ſimiliter & Florentina Leonici, & Baſileenſis Iſengrinii. Sylburgiana conſentit tralationi Gazæ; qui vertit, *unguibus muniantur non magnis.* Sed cum Aldina, quâ utebatur Cæſar Scaliger, convenit tralatio ejuſdem. Sic enim totum locum reddidit: *Marinus autem vitulus tanquam mutilus quadrupes eſt. Etenim ſub armis ſtatim pedes habet manibus ſimiles, velut urſinos. Nempe quinis diſcreti ſunt digitis. Quorum ſinguli ternas habent flexiones, atque unguem grandem unum. Poſteriores quoque pedes, numero quidem & curvaturâ digitorum, item ipſis unguibus, ſimiles habent prioribus. Cæterùm figurâ ad piſcium caudas propiùs accedunt.* Eo lubentiùs locum hunc adſcripſi; quia abunde eo refellitur pictura phocæ, quàm Bellonius repræſentat *f*. Nam poſteriores etiam pedes cum quinis expreſſit digitis. Atqui αὐτοψία *g*, ad quam meritò etiam provocat

e Ex diſt. Cæſ. Scal. cap. 4. ſect. 14.
f Lib. I de Aquatilibus, cap. 4.
g Conſpectus ipſe.

Ron-

a *Lib. 16. de piſc. mar. c. 6.* Rondeletius *a*, clarè evincit, vituli pedes poſteriores non eſſe, ut in caſtore, diviſos, ac membranis intertextos. Alioqui Ariſtoteles non hunc vitulum vocaret quadrupes mutilum. Quomodo loquitur, quia poſteriores pedes, uti (quod Ariſtoteles ait) caudæ ſunt ſimiliores; ita ejuſdem potiùs munere funguntur. Nam non greſſui inſerviunt, ſed natationi; ad quam magnum quoque caudæ uſum eſſe, ſuperiùs diximus.

Præterea & natant, & gradiuntur, ſcolopendra minor, teſtudo marina, ac lutaria: polypus item utrumque præſtat brachiis; quæ & pedes dici poſſe, ipſum *polypi* nomen indicat. Præterea verò ſe promovet corporis flexibus. Quod & faciunt hirundines marinæ, ac paluſtres.

Miretur aliquis, cetacea à me præteriri, cùm pedes habeant. Sed his non ambulant; quia pedes ob molem corporis non ſuſtinent tantum pondus.

At locuſtæ aliâ de cauſſâ non gradiuntur: nempe quia pedes habent in obliquum converſos; eoque natatui, quam greſſui aptiores.

Sunt præterea è piſcibus, qui non tantùm natent, ſed etiam volent; ut ἡ τευθὶς, ſive loligo, quæ commutatâ principe literâ ſic dicitur, quaſi *voligo*; ut Varro cenſet lib. IV de L. L. De eâdem, & pectunculis, ſic Plinius lib. IX, cap. XXIX: *Loligo etiam volitat extra aquam ſe efferens: quod & pectunculi faciunt, ſagittæ modo.* De pectunculis poſtea dicam. Loligo autem non tam volat, quàm exilire extra aquas eſt contenta: qui & delphinis mos. Veriùs volat χελιδὼν, ſive hirundo: quæ hunc in uſum accepit pinnas latas longaſque, ac, ut in veſpertilione videmus, certis cartilaginum intervallis conſertas: ſicut de eo Cæſar

b *In Ariſtot. Hiſt. Anim. lib. 2. cap. 18. ſect. 135.* Scaliger *b* ſcribit. Ac ſic vocatur, quia in volando referre hirundinem videtur. Unde idem Plinius lib. IX, cap. XXVI dixerat: *Volat hirundo ſane perquam ſimilis volucri hirundini: item milvus.* Ac Rondeletius lib. IV de piſc. mar. cap. VIII: *Vidi equidem hirundines marinas ad lapidis jactum extra aquam in aëre volitâſſe, & milvos, & mugilum genus alatum. Hujuſce rei locupletes ſunt teſtes, qui ad Herculis columnas navigant; quo in loco hirundines multæ volare videntur. Sed piſcium alii aliis longiùs, celeriùs, & frequentiùs, volant. Quibus enim priores pinnæ ſunt longiores, latioreſque, & valentiore membranâ contextæ, ii melius volare poſſunt, longiùs etiam volant.* Ac plura ibidem, etiam de exocœto; ſed ſaltante veriùs, quàm volante: adhæc ſalmone, aquarum fontes petente: pectunculo item, de quo ex Plinio jam diximus. Eſtque & alter de hoc apud eundem locus lib. IX, cap. XXXIII: *Saliunt pectines, & extra volitant, ſeque ipſi carinant.* Volitant autem pinnis, ut iis tum ſint pro pennis: præcipueque in volando hoc agunt, ut effugiant hoſtem. Trebius Niger etiam ex volatu eorum imminentem colligebat tempeſtatem; de quo poſtea.

c *A'λιευτ. lib. 1. verſ. 428.* Eſt & in piſcibus ἱέραξ, ſive ἴρηξ; ut Oppianus *c* vocat. Latinis ſit *accipiter*. Sed Plinius *milvum* nominat, verbis antea adductis. Hic vix volat; imò ambigere poſſis, utrùm extra aquas prorſus feratur; an in ſummo fluitet æquore.

Adhæc inter volatiles piſces à Plinio refertur lucerna. Sed Rondeletius eundem ac hirundinem, Salvianus autem eundem ac milvum, cenſet. Cur *lucerna* dictus ſit, inferiùs exponam, cum agetur de piſcium, extra alimoniam, & medicinam, uſibus variis.

Nec ſolùm hiſce differentiis diſtinguuntur piſces, qui totum movent corpus; ſed eo quoque, quòd hi celeriùs, illi tardiùs, moveantur. Sic canis cetaceus celerior eſt balænâ. Quis verò omnium maximè ſit expeditus, docet his verbis Plinius lib. IX, cap. VIII: *Velociſſimum omnium animalium, non ſolum marinorum, eſt delphinus, ocior volucre, ocior telo: ac niſi multùm infra roſtrum os illi foret, medio pene in ventre, nullus piſcium celeritatem ejus evaderet. Sed adfert moram providentia Naturæ, quia niſi reſupini, atque converſi, non corripiunt.* Videmus, ut homo gentilis in compage ac ſtructura delphini agnoſcat providentiam Naturæ. Quàm turpe igitur, ſi quibus major multò lux affulſit, non à mirandis naturæ ad providentiam conditoris adſcendant! Interea, quod dici ſolet, bene quidem dicit, ſed malè probat. Nam quod ait, os habere in parte inferiori, id falſum putamus. Idem tamen Ariſtoteli traditum lib. IV de Partib. Animal. cap. XIII: Ἔχει δὲ καὶ περὶ τὸ στόμα διαφοράς. τὰ μὲν γὰρ κατ᾽ ἀντικρὺ ἔχει τὸ στόμα, καὶ εἰς τὸ πρόσθεν· τὰ δ᾽, ἐν τοῖς ὑπτίοις, οἷον δελφῖνες, καὶ τὰ σελαχώδη. *Sunt & oris diſcrimina. Aliis enim ex adverſo, parteque anteriori os eſt: aliis verò in parte inferiori; ut delphinis, ac cartilagineis.* Ut hac parte à ſummo magiſtro recedam, facit, quòd, quæcunque juniores de delphinis ſcripſêre, figuræque ab iis expreſſæ, longè aliud oſtendant. Quare vel Ariſtoteles, & Plinius, errarint; vel delphinus noſter ſit alius ab illo veterum. Sed ad Plinium redeamus: qui, poſt verba ſuperiùs allata, continuò ſubjungit: *Quæ cauſſa præcipuè velocitatem eorum oſtendit. Nam cùm fame conciti, fugientem in vada ima perſecuti piſcem, diutiùs ſpiritum continuere; ut arcu emiſſi, ad reſpirandum emicant; tantâque vi exiliunt, ut plerumque vela navium tranſvolent.* Ubi videmus, delphino etiam volatum tribui. Similiter Solinus cap. XXII: *Ante omnia nihil velocius habent maria: ut plerumque ſalientes tranſvolent vela navium.* Apud Ariſtotelem in IX Hiſtor. anim. pro eo eſt: καὶ ὑπερβάλλονται τοὺς ἱστοὺς, hoc eſt, *Et tranſvolant malos.* Nam ἱστὸς, *malus*; ἱστίον, *velum*. Quæ confudiſſe Plinius videtur. Cæterùm etſi invitus ab Ariſtotele recedere ſolet Cæſar Scaliger; hac parte tamen

a *In Ariſt. lib. 2. Hiſt. Anim. cap. 16. ſect. 18.* deſerere videtur. Sic enim ſcribit *a*: *Cùm Ariſtoteles ait, malos navium tranſmittere; puto ludebat.* Sed ut de tanto ſeu ſaltu, ſeu volatu, tueri philoſophum vix auſim: conſtat tamen eo mirandum in modum valere. Tantæ velocitatis, & agilitatis (quam Oppianus etiam celebrat, de Iberorum equorum celeritate agens) cauſſa non in pinnis eſt, quæ pro corpore exiguæ obtigere: ſed partim in robore, quo valet; partim ab agilitate, quæ à nervis, ac tendinibus dependet; partim ab arte, quia, ut urinatores animam continent; ſic ille primò comprimit ſpiritum, ac deinde corpus, velut ſagittam nervo expulſam, jaculatur. Nam ſpiritus ita compreſſus ab urinatore, ac delphino, propellit utrumque: ut præter Plinium (cujus verba adduximus) etiam Ariſtoteles tradidit, & ex eo Ælianus lib. XII de Anim. cap. XII.

b *Lib 2. A'λιευτ. verſ. 586.* Porrò delphini etſi non ſint tergo naturâ repando: eo tamen tunc ſunt incurvo, cùm ſe ad proſiliendum vibrant, vel etiam luſitantes, ac navigia conſequentes, caput undis exſerunt. Eaque ratio eſt, cur Oppianus *b* κυβιστῆρι, hoc eſt, *urinatori*, comparet: ac Ovidius etiam in II Metam. dicat:

> —— *Nec ſe ſuper æquora curvi*
> *Tollere conſuetas audent delphines in auras.*

Et Metam. III, de Medonte Tyrrheno in delphinum converſo:

c *Al. Corpore, ſed preſſo.*

> *Corporeque c, & preſſo ſpinæ curvamine flecti*
> *Incipit.* ——

Talis etiam exprimitur in vett. marmoribus; uti & numiſmatis; quemadmodum illo, cujus ab uno latere eſt; *Imp. Titus Cæſ. Veſpaſian. Aug. P. M.* Ab altero autem delphinus cum dorſo repando circumvolutus anchoræ, ac circum eum: *Tr. P. IX Imp. XV. Coſ. VIII. P. P.* Figurâ anchoræ, ac delphini, ſignificatur, inter tarditatem anchoræ, ac celeritatem delphini mediam eſſe inſiſtendam viam; ſecundùm proverbium, Auguſto Cæſa-

d *Suetoni in Aug. cap. 25.* ri *d* uſque adeò placitum, Σπεῦδε βραδέως, *Feſtina lente.* Symbolum verò id Aldo etiam Manutio placuiſſe, nemo paullo humanior ignorat. Adderem & achatem annuli, cui ille repando cum tergo inſculptus in dactyliotheca Gor-

e *Num. 53.* læi *e*, ſi ſatis eſſe vetuſtum conſtaret. Oporinus quòque, minimè illaudatus typographus, cum Arione ſic eum editionum ſuarum ſymbolo expreſſit.

Etſi autem delphino velocitas ſua plurimùm ad piſces capiendos proſit: interdum tamen hæc illi exitio eſt: ut, quoties celeriores inſequens piſces, dum impetum

petum nequit ſiſtere, in litus ſe ejaculatur; ubi eum cum aquis vita deſtituit die tertio, vel præterpropter. In piſcibus, quorum ergò tanto feruntur impetu, mugiles ſunt: quos omnium velociſſimos Plinius inquit lib. IX, cap. XLII. Sunt in horum genere κέφαλοι: qui magnitudine capitis cæteros ſuperant mugiles. Unde & nomen, nempe ut Euthydemus Athenienſis ait *a*, διὰ τὸ βαρυτέραν τὴν κεφαλὴν ἔχειν, *ob graviùs illorum caput.* Celeritatem eorum indicat, quod ſcribit Cæſar Scaliger comm. in Hiſtor. Ariſtot. de Anim. *b Minimum piſcatoriam, in qua eſſemus nos, cephalus tranſiliit.*

Magna etiam celeritas thunni: cui & ab impetu nomen. Nam θύνειν valet ὁρμᾶν *c*. Item omnium ὀξυρύγχων *d*.

Quin & carabi, cancrorum genus, ut Plinius *e* ait, *in Phœnice tantæ ſunt velocitatis, ut conſequi non ſit.* Atque, ut idem ait, *hippæ* nominantur. Nempe, ut Terentii *Adelphæ*, ἀδελφοί: ſic *hippæ* fuerit ἵπποι. Sed rectè emendant *hippeis*, ἱππεῖς, hoc eſt, *equites*: ut eſt apud Ariſtotelem lib. IV Hiſtor. Anim. cap. II *f*: ubi addit, ſic vocati, διὰ τὸ οὕτως ταχέως θεῖν, ὥστε μὴ ῥᾴδιον εἶναι ταχέως καταλαβεῖν· *quia velociter adeo ferantur, ut captatores vix conſequi poſſint.* Cæſar Scaliger *g* ad hanc celeritatem conferre etiam arbitratur ventrem cibi vacuum ob pabuli penuriam.

At tardiſſimè è piſcibus moventur balænæ, aliæque belluæ marinæ; idque præ corporis mole. Tardus etiam motus eorum, quibus caput grande; ut orchios, ranæ piſcatricis, uranoſcopi. Adhæc planorum; ut paſſeris, rhombi. Item iis, qui pedibus natant; ut polypi, ſepiæ, ſquillæ. Præterea quibus caput depreſſum, caudâ ſurſum elatâ, quomodo inhibetur natatio; ut uranoſcopo, & memoratæ antea ranæ piſcatrici: vel quibus caput elatum; ut hippocampo.

a Lib. de Salſamentis apud Athenæum lib. 7.
b Lib. 2. cap. 16. ſect. 118. pag. 234.
c Cum impetu ferri.
d Quibus roſtrum eſt acutum.
e Lib. 9. cap. 31.
f Ex diſt. Cæſ. Scal. cap. 3. ſect. 65.
g Ad locum Ariſtotelis proximi allatum.

CAP. XX.

Ad loeomotivam refertur ſpiratio; quæ triplex: præcipua verò earum reſpiratio perfecta; quæ aeris eſt pulmonibus attracti, & remiſſi. Cur piſces minores diutius ſe contineant ſub aquis; majores autem, qui pulmones accepere, ſuffocentur. Laryngos, & aſperæ arteriæ, utilitas. Cui bono ſit cohibitio reſpirationis. Cur aliis ſit cordis ſitus iis, qui pulmonibus, quam qui branchiis, reſpirant. De aſperæ arteriæ uſu ad cor refrigerandum; item fiſtulæ, quæ in reſpirando tantam etiam vim aquarum efflat in naves, ut periculum ſit, ne mergantur: adhæc præcordiorum, ad quorum motum moventur pulmones. Imperfecta reſpiratio refrigerat cor aqua branchiis admiſſâ. Quare branchiis locus ſit attributus circa cor. Cur, quæ his reſpirant, non moveant imas ventris partes. Nova Rondeletii de branchiarum uſu opinio. Duplex adducitur ratio, cur in ſummo mari natent murænæ; una quidem pinguedo; altera autem ſiccitas ex Solis torrentis ardore. Πλωταὶ, *ſeu flutæ, unde nominentur.* Exormiſtos *Caſſiodori eſt naturæ ſimilis, ac murænæ. De branchiarum numero. De tranſpiratione, quam Cardanus vocat* ſpirationem occultam: *ac perperam hoc nomine à Cæſare Scaligero culpari. Nec ab eodem Scaligero ſolide adſtrui,* ὀστρακόδερμα *non perſpirare.*

VIdimus de triplici piſcium motu; natatu, greſſu, volatu. Verùm & ſpiratio eſt motus quidam. Hæc quomodo tum ad vegetativam, tum ad ſenſivam referatur facultatem, dictum nobis lib. ſuperioris cap. XXXVIII. Eſt hæc ſpiratio triplex: una eſt reſpiratio: altera quaſi reſpiratio; tertia autem perſpiratio.

Reſpiratio ſic propriè dicta eſt aeris frigidi, qui circumfunditur, attractio, & ejuſdem expulſio. Hæc à ſapientiſſimo numine iis eſt attributa, quibus ſanguis eſſet calidior, atque is copioſus. Hoc imprimis videmus in piſcibus majoribus. Minores cum diu ſe continent ſub aquis; quia ſanguis iis frigidior, & is paucus; ut non magnopere egeant frigoris. At eo piſces indigent majores ob majorem calorem: unde & pulmones iis dati: nempe, ut alibi *a* dictum, ad aëra captandum, quo refrigerentur. Sane tales propterea ſummis in aquis fluitant, ac capite etiam erecto capiunt ſomnum, ut aera ſic hauriant. Quod ſi diutiùs ſub aquis detineantur, ut ſi retibus implicitiemergere nequeant, intereunt ſuffocati.

Nec tantùm pulmones inſerviunt reſpirationi: ſed etiam aſpera arteria, fiſtula, & præcordia. Quam dixi arteriam, cujus caput λάρυγξ vocatur, ſoli illam habent pulmonibus præditi. Uſus ejus eſt, ut ſpiritus hac attrahatur, & emittatur: quandoque etiam, ut retineatur. Nam interdum piſcibus conducit cohiberi ſpiritum, quò faciliùs attollantur. Siquidem retentione ſpiritûs fit, ut aër eos quaſi ſuſpendat in aquis.

Ut verò in iis, qui pulmonibus reſpirant, aſperæ daretur arteriæ locus: eò cordis ſitus obtigit paullò inferiùs, quàm branchias habentibus. His enim id collocatum, ubi branchiæ coeunt dextræ, & ſiniſtræ. Ac tales extra aquas celeriùs aliis extinguuntur; quia ſpiritus habent animales magis aqueos; ut abſque iis nequeat refrigerari cordis fervor. Sed illis, qui præditi ſunt pulmonibus, ſpiritus ſunt magis aërei: unde refrigerando eorum ſpiritui non aqua ſolùm, ſed aër etiam, convenit. Hoc liquet ex vitulis marinis ſpirantibus, & dormientibus in terra.

Quomodo autem aſpera arteria in pulmones diſſeminetur; primus expoſuit Rondeletius, digniſſimus planè, quem ſuper iſto adeas lib. III de Piſcibus marinis, cap. XI.

Fiſtula quoque nonnullis in fronte, vel tergo, obtigit; ut eâ reſpirent, & aquam ore receptam rejiciant. Plinius lib. IX, cap. VI, vocat *ora*. Sic enim ſcribit: *Ora balænæ habent in frontibus; ideoque, ſumma aqua innatantes, in ſublime nimbos efflant.* Ubi *ora* Plinius vocat, quæ Ariſtoteli ſunt φυσητῆρες. Ac Plinio, Solino, aliis, inde balænarum genus nomen *phyſeterum* accepit. Hermolaus vertit *flatores*. Ariſtoteli is piſcis videtur eſſe πρῆστις: quod ſimilis originis. Nam πρῆστις à πρήθω, ut φυσητὴρ à φυσάω. At idem πρήθω, ac φυσάω *b*. Ut Il. α:

Ἐν δ᾽ ἄνεμος πρῆσεν μέσον ἱστίον. ——

Ubi Euſtatius *c* πρῆσεν, ſive ἐνέπρησεν (eſt enim tmeſis) ἐφύσησεν exponit: quod eſt *inflavit*. Ut ſententia ſit, Ventus medium velum flatu implevit. Quantos phyſeter fiſtulâ ſuâ nimbos efflet, indicat Strabo in XV; ubi ait, Nearcho navigante in ſinu Perſico, tantam eructaſſe diluviem, ut præ caligine nec ea poſſent conſpici, quæ forent proxima. Etiam Guilielmus Turnerus Anglus, in epiſtola ad Conradum Geſnerum, refert, genti ſuæ vocari *worpoul*; magnitudinis eſſe portentoſæ; minoris tamen, quam balænas; aquæ tantum fiſtulâ efflare, ut ſinguli uno ictu replere, ac mergere, navim valeant *d*. Hujus verò rei ſe teſtem ait oculatum.

Etiam ad reſpirationem conferunt præcordia, ſive διάφραγμα. Ad hujus enim motum moventur pulmones. Atque, eodem inflammato, reſpiratio vel aufertur, vel læditur: eoque cor nequit refrigerari. Ac talis eſt reſpiratio, quæ dicitur perfecta.

Imperfecta autem, quam *quaſi reſpirationem* vocamus, non aëre per pulmones attracto refrigerat cor, ut in reſpiratione propriè dictâ; ſed aquâ per branchias attractâ fervorem cordis temperat. Eſt igitur hic quiddam tum aëri, tum pulmonibus ἀνάλογον *e*; ac aqua quidem aëri, pulmonibus verò branchiæ reſpondent. De hoc branchiarum uſu ita B. Ambroſius lib. V. Hexaëm. cap. IV: ubi comparationem inter homines, & piſces, inſtituit: *Sicut nobis ſpiritus, ita illis aqua vivendi miniſtrat ſubſtantiam. Nos, interclusi commeatu ſpiritus vitalis, ſtatim extinguimur. Piſces quoque ſublati de aqua, ſine ſubſtantia ſua, vivi eſſe non poſſunt. Et cauſſa manifeſta eſt, quoniam nobis pulmo, per thoracis laxiora penetralia, recipit ſpiritum. Piſces verò branchias habent;*

a Lib. 3. cap. 38.
b Flo.
c P. 139. edit. Rom.
d Apud Geſn. de aquatilibus, pag. 853.
e Simile, ac proportione reſpondens.

quas

quas nunc plicant, & colligunt; nunc explicant, atque aperiunt. In hanc ergo collectionem, & apertionem, dum ſuſcipitur aqua, & tranſmittitur ac penetrat, reſpirationis munus videtur implere.

Atque ex his etiam liquet, cur Deus branchiis locum dederit circa cor. Hoc enim eſt, cui opus refrigeratione. Cæterum qui branchiis reſpirant, non movent imas ventris partes, quia muſculi epigaſtrii non pertingant ad eas uſque partes, quibus fit illa quaſi reſpiratio.

Verùm quod branchias ad refrigerandum à divina attributas providentia diximus; id ex veterum opinione, ac recepta penè apud omnes, dictum nobis fuit. Alioquin ſcrupulum non levem injicit doctiſſimus Rondeletius lib. III de piſcibus marinis, cap. XII. Ipſum audiamus: *In branchiis animadverti, illis ferè immotis, opercula oſſea impoſita dilatari, & comprimi: deinde in branchiis foramina nulla eſſe, aut cavitates per ſe attrahendo aëri vel aquæ, aut iſtis attractis, ad cor tranſmittendis accommodatas: quæ faciunt, ut dubitem, num hiatus illius operculi oſſei dilatione aperti, & ejuſdem compreſſione occluſi, potiùs quàm branchiarum beneficio, fiat reſpiratio* a. *Quis igitur branchiarum uſus in piſcibus? nempe ut cibus per hiatum illum ad reſpirationem à natura comparatum non efflueret; ſed branchiis veluti clauſtris contineretur, & rectà ad ventriculum delaberetur, & aqua ſimul cum cibo hauſta rejiceretur.* Hæc Rondeletii ſententia ſi placet; quæ ab Ariſtotele tribuuntur branchiis, rectiùs capiantur de oſſeis operculis, quæ branchiis ſuperpoſita ſunt. Sed dum ſuper hoc diſputant eruditi, veterum nos de branchiis opinionem, tanquam receptam penè apud omnes, & fortaſſe etiam veriorem, bonâ cum diſſentientium veniâ, ſequemur.

a *Laxè* reſpirationem dixit, quam *nos* quaſi reſpirationem *vocabamus, ſive* reſpirationem imperfectam.

De murænarum branchiis cur Ariſtoteli potiùs, quàm Plinio, accedamus, diximus capite ſuperiori. Ut verò branchiis tam exiguis reſpirare nihilominus valeant, in ſummis natant aquis. Atque hoc tanto magis poſſunt, quanto ſunt pinguiores. Hinc Varro libro eo, qui inſcribebatur Gallus, de admirandis b: *In Sicilia quoque Papirius* c *manu capi murænas flutas, quòd hæ in ſumma aqua præ pinguedine flutentur.* Ubi *flutent* malim, quod valet, *fluitent*. Unde *flutæ*, ut Macrobius hic vocat, dictæ ſunt: nempe ad exemplum Græcorum, quibus ſimiliter πλῶται vocantur. Sed quod Varro ait, pinguedinem eſſe in cauſſa, cur ſic fluitent; id hactenus amplector, ut præterea in conſiderationem veniat ſiccitas, quam in fluitando contrahunt Solis ardore: qui ſic eos torret, ut ſe nequeant curvare, ac propterea, ut Varronem dicere vidimus, manu facilè capiantur. Hinc Martialis in Xeniis d:

Quæ natat in Siculo grandis muræna profundo,
Non valet exuſtam mergere Sole cutem.

b *Apud Macrobium l. 2. Saturn. cap.* 11.

c *Puto antecoſſerat, vel refert. Intelligo autem Papirium Fabianum,* naturæ rerum peritiſſimum; *ut Plinio vocatur lib.* 36 *cap.* 5. *Ut nihil cauſſæ ſit, cur tum viro docto* Papirii *nomen deleamus.*

d *Epig.* 80.

Et icirco, ut dixi, *flutæ* nominatæ; quia Sole torrefactæ, velut exanimes fluant. Idem de exormiſto narrat Caſſiodorus lib. XII Variarum, epiſt. XIV ad Anaſtaſium cancellarium: *Exormiſton*, inquit, *inter piſces regium genus, compar murænis corpore, vel* (malim *ſed*) *colore diſtans, naribus ſetoſis, coloſtreâ delicatâ teneritudine præditum, oleoſo ac ſuavi liquore coagulatum: appetibilis grataque pinguedo: cum ſpumis fluctuantibus inter aëris confinia cœperit enatare, neſcit ad cubilia redire: quæ deſerit credo, aut immemor reverſionis, aut teneritudine ſummâ mollitus: nequit undis elevantibus contrariâ obluctatione demergere: fertur velut corpus exanime, nullis niſibus periculum, nullâ arte devitans: & hinc viribus deſtitutus redire non creditur, quia nec fugere poſſe ſentitur.* Quid mirum autem, ſi id commune habeat cum muræna: quando, ut Caſſiodorum audivimus loquentem, corpore ſit murænis compar? Imò ut de muræna Sicula loquitur Martialis; ita & de piſce Siculo ſermo eſt Caſſiodoro. Nam capi ait in Brutiorum litore Rhegino. Ac ejuſdem libri epiſt. IV, ubi menſæ regalis delicias enarrat, poſt Danubii carpam, & Rheni ancoraginem, exormiſton Siciliæ ſubjungit. In utroque MS᷑o noſtro eſt, *Exormiſton-ſicula quibuſlibet laboribus afferatur.* Sed princeps ſyllaba in *tonſicula*, citra dubium præcedentem ad vocem pertinet.

De numero branchiarum ita Plinius a: *Piſcium alii branchias multiplices habent, alii ſimplices, alii duplices.* Quod ad multiplices, ſunt eæ quibuſdam quaternæ, aliis quoque octonæ: proque branchiarum numero etiam foraminum numerus variat. Quippe lampetris ea ſunt ſeptena, quina galeis prope omnibus, unicum utrimque murænis ac congris. Eſt verò hoc, ut branchias habeant, piſcium proprium. Unum exceperis crocodilum. Sed neque ille, cùm ἀμφίβιος b ſit, terreſtrium numero planè eſt eximendus.

a *Lib.* 9. *cap.* 18.

b *Quaſi anceps, in utraque, & terræ & aquæ ſede vivens.*

Supereſt διαπνοία, ſive *perſpiratio*, quam vulgo *tranſpirationem* nuncupant. Fit ea per exiguos, ac ſenſum fugientes totius corporis meatus. Unde *occultam ſpirationem* vocat Cardanus c. Sic enim ſcribit: *Spirant animalia omnia manifeſtè, vel occultè.* Sed hoc quoque Scaliger culpat Exercit. CCLXXIII: *Verba*, inquit, *tua te produnt: qui dicas, manifeſtè, aut occultè: quæram, qui ſcias: Si occulta vidiſti, non occulta ſunt.* Atque hoc à ſe acutè dictum adnotavit. Sed enim quid apertius, quam Cardano *occultam* dici *ſpirationem*, quæ aliis *inſenſilis* vocatur? Sic hyſtericæ vivunt perſpiratione: cujuſmodi ſpiratio niſi lateret domeſticos ipſos; non aliquæ, licet vivæ, pro mortuis habitæ, eoque terræ eſſent mandatæ. Hujuſmodi ſpiratione, viſui non manifeſtâ, ſed occultâ, vivunt inſecta; eáque vel tenui, ut muſcæ; vel craſſiore, ut lumbrici. Sed quæritur, utrùm id quoque habeat locum in aquatilibus. Cenſent plurimi. Nam ὀστρακόδερμα d ajunt perſpirare. Sed enim vide quid contrà obtendat Cæſar Scaliger Exercitat. CCLXXIII, ſect. I: *Oſtreas, alterâ ablatâ teſtâ, ne concluſa fallant oculos; in aquæ plenam pelvim mitte: videbis aquam neque moveri motu ullo, neque ampullari. Et egent illâ tum anhelatione, cùm nixibus irritis requirunt teſtam.* Verùm pro receptiori ſententia dixerit aliquis, uſque adeò minutum, & tam invalidum eſſe id, quod perſpiratur, ut nullus aquæ motus, nullæ in eo bullæ compareant. Interea fatendum, nec ſic ſolidè aquatilium perſpirationem evinci. Nam ſi ipſi agnoſcant, tam frigidi temperamenti aquatilia eſſe nonnulla, ut nec reſpiratione per pulmones; nec quaſi reſpiratione per branchias, indigeant; ſed ad refrigerationem iis ſufficiat perſpiratio: quid ſi nos dicamus, tam debilem eſſe calorem nonnullis, ut iis nec perſpiratione ſit opus? Scio, id Galeno adverſari, qui negat, vel animal eſſe poſſe, niſi ſpiret; vel ſpirare, niſi animal ſit. Sed enim nunc ſolùm quæritur, ecquo ſententia hæc nitatur, præterquam autoritate dicentis. Nec enim video, quomodo ſeu hanc, ſeu alteram tueri opinionem viſum fuerit, ſit validis ea poſſit argumentis vel adſtrui, vel deſtrui.

c *Lib.* 12. *de Subtilitate pag.* 466. *edit. Lugd. an.* 1580.

d *Teſtis concluſa durâ.*

CAP. XXI.

Rondeletii de eo ſententia, cur diutius extra aquas vivant exocœtus, anguillæ, murænæ: channæ contrà citò extra eas moriantur, & unde channis *nomen. Quibus argumentis hanc Rondeletii opinionem Cæſar Scaliger impugnet. Diſſenſus eorundem de iſto, utrùm ſub aquis piſces ſpirent aëra: & quâ occaſione Scaliger aggreſſus ſit oppugnare de iſto Rondeletium, ſed modeſtè, nec ſine ejus viri laudatione. Multorum piſcium ſonum vocem dici non poſſe. B. Ambroſii judicio, non eò contemptiores, ſed laudatiores eſſe piſces, quòd vocis ſint expertes. Qui piſcium ſint vocales. Vituli marini mugitus.* Bocæ *unde nomen. Gemitus delphini. Qua mente Ariſtoteles neget, delphino eſſe linguam ſolutam. Refellitur Græculorum opinio de delphinis ſimonis nomine gaudentibus: & quomodo eam tueri conetur Cardanus, ſed Scaligero meritò adverſante.*

DE triplici piſcium ſpiratione dixi. Nunc diſquiramus, cur alii aliis diutiùs extra aquas vivant. Primùm videamus de iis, quæ exeunt in terras pabuli, vel ſomni cauſſa; ut exocœtus. Rondeletius *a* hoc in eo fieri ait, quia frigidus aër nequit per branchias confertim irruere ad cor; ſive quia careat branchiis, ut Plinius *b* cenſet; ſive quia anguſta admodum ſit branchiarum rima, eoque haut nimius ei ſit aëris appulſus. Anguillæ, ut Plinius *c* ait, *durant ſine aqua ſenis diebus, aquilone ſpirante, auſtro paucioribus.* Has, uti & murænas, idem Rondeletius *d* ait diutiùs ſine aqua vivere, quia ob rimæ parvitatem nonniſi parum aëris trahant, ſic ut lædi cor nequeat refrigeratione. At contrà channas putat citò interire in terra, quia multum attrahant aëris ob hiatum perpetuum; unde & iis nomen eſſe datum ait Euſtathius *e*. Nempe ἀπὸ τοῦ χαίνειν, quod eſt *hiare*. A quo & χάνος, pro *ore*, apud Comicos; teſte Polluce *f*. Sed rectè ea Cæſar Scaliger refellit. Nec enim nimis refrigerando lædit aër adſuetos vivere in aqua; quod elementum aëre eſt frigidius. Et, quemadmodum ex Plinio dicebamus, non tam diu extra aquas vivunt flante noto, quam aquilone; qui frigidior eſt altero. Diutiùs etiam piſces extra aquas verno vivunt tempore, quàm æſtivo. Præterea ab aëre branchiis recepto malè ratio arceſſitur, ſi aër attrahatur ore, branchiis emittatur: quomodo earum anguſtia potius cauſſa ſit futura, cur aër ore receptus exire branchiis non poſſit, eoque retentus diutius, cor magis refrigeret. Tantoque magis in murænis hoc fieret; quòd ore ſint paulo, & hiante admodum. Eo plus recipiat aëris: & quia unicum duntaxat branchiis utrimque eſt foramen, eo difficiliùs exibit aër, ac cor lædet vehementius. Cui advertatur, quòd diu in terris vivere fatentur. His ſatis refellitur, quòd Rondeletius contendit, eo diutiùs piſces eos vivere in terra, quia ob rimam branchiarum anguſtam non plus aëris aſſumant, quàm ſufficiat cordis refrigerationi. Quemadmodum inde etiam diluitur, quòd channas ait citò interire, quia copioſiùs attraxerint frigidum aëra, quàm cor ferat.

a Lib. 4 de piſc. mar. cap. 9.
b Lib. 9. cap. 19.
c Lib. 9. cap. 21.
d Loco paullo ante memorato.
e In Odyſſ. O. p. 1778. edit. Rom.
f Lib. 2. cap. 4. ſect. 22.

Itidem in Rondeletio improbat Scaliger, quòd operosè adeò contra Ariſtotelem contenderit, piſces aërem ſub aqua ſpirare. Nempe eò Rondeletius attendit, quòd aqua non ſit pura, ſed aëri permiſta. Cenſet propterea, pulmonibus, & branchiis, ſub aquis etiam adduci aëra. At Scaliger ait, ſic aquam & aëra, imò & ignem, terramque, miſceri, ut ex iis unum quid fiat: nec piſcibus eam eſſe vim, ut faucibus valeant aëra ab aquis ſeparare. Statuit igitur ipſe, cùm unumquodque animal eo nutriatur, quod convenit naturæ: omnino, quibus aëreus eſt ſpiritus, ut homini, aëre eum reparari; aquâ autem, quibus ſpiritus eſt aqueus, ut piſci. Nec inficiatur, branchiatis etiam piſcibus refrigeratione eſſe opus: ſed negat, inde conſequi, reſpirationis eſſe indigos: quia refrigeratio non aëre ſolùm, ſed aquâ etiam, fiat: à qua ſit aquei ſpiritûs in piſcibus pabulum. Plura ſi de iſtis voles, ipſum adi Scaligerum; qui accuratè hanc quæſtionem pertractavit, idque occaſione hujuſmodi. Jam ad finem perduxerat ſuas ad Cardanum Exercitationes, cùm incidit in Rondeletii libros de piſcibus marinis. Legit inter cætera libri IV caput IX. Videt Ariſtoteleæ, ſuæque ſententiæ pugnantiſſima. Non continuit igitur ſe, quin, Exercitatione CCLXXIII, ſectioni priori alteram adjiceret, qua Rondeletii hanc opinionem refelleret, ſingulis etiam ejus occurreret argumentis. Nomini interim parcit: imò nunc *optimum philoſophum, & amicum* hominem appellat: nunc *virum ſanè optimum, tum leniſſimi ingenii, atque animi maximè temperati*. Quanto honeſtius hic, quàm Rondeletium nominatim excepit Cardanus *g*! Julii Cæſaris Scaligeri veſtigiis inſiſtit, imò propè eum exſcribit, Julius Cæſar Vaninus de Admirandis Naturæ Arcanis dialogo XXXII.

g Lib 7 de rerum Varietate, cap. 37 ubi Rondeletium ait, opere de piſcibus famam potiùs quærere, quàm veritatem, nullum habere pro ſe argumentum, niſi in quo apertè mentitur, venia dignum non eſſe, maxima tractare oſcitanter, cum velit videri diligentiſſimus, &c.

His pauca de piſcium voce adtexam, quia à ſpiratione eſt, quòd ſint vocales. Sed eſt hoc in paucis. Nam longè maximam partem muti ſunt; quemque ſonum edunt, is a branchiis eſt, ut vox nequeat dici. Vidimus de iſtis obiter, cùm de hominum ſono, & voce, ageremus *a*. Nec eo contemtior piſcis, quia mutus: ſed eo honoratior, quòd non verbis, ſed factis, exſequitur mandata, quæ Deus illi inſcripſit. Itaque Ambroſius lib. V Hexaëm. cap. X, cùm narrâſſet, ut piſces loca, temporaque obſervent, haut ſecus ac propoſitâ teſſerâ, ſubjungit continuò: *Divinæ legi piſcis obſequitur, & homines contradicunt. Piſcis ſolenniter obaudit mandata cæleſtia, & homines irrita faciunt Dei præcepta. An contemtibilis tibi videtur, quia mutus eſt, rationiſque expers? Sed vide, ne tu tibi magis incipias eſſe contemtui, ſi irrationabilior deprehendaris. Quid autem rationabilius hoc piſcium tranſitu, cujus rationem quidem verbis non explicant, ſed factis loquuntur?*

Solùm verò vocales ſunt, qui reſpirant, eoque pulmones & aſperam habent arteriam: ut phocæ, quos *vitulos marinos* Plinius, *boves marinos* Servius interpretatur. Mugire conſtat; unde & nomen iis impoſitum eſſe, antea diximus. Quemadmodum & inde *bocas* vocarunt à *boando*, id eſt, *vocem emittendo*; ut quidem legere eſt apud Feſtum. Sed potiùs *boca* eſt ex φῶκα, φ in B tranſeunte; ut *balæna* ex φάλαινα, *umbilicus* ex ὀμφαλικὸς, *ambo* ex ἀμφὼ, *orbus* ex ὀρφὸς, *albus* ab ἀλφὸς, & ſimilibus trecentis.

Eandem ob cauſſam etiam vocales ſunt delphini. Plinius lib. IX, cap. VIII: *Lingua eſt his contra naturam aquatilium mobilis, brevis, atque lata, haut differens ſuillæ. Pro voce gemitus humano ſimilis.* Nec obſtat Ariſtoteles lib. XVI Hiſt. Anim. cap. II; ubi linguam iis tribuit οὐκ ἀπολελυμένην, *non ſolutam*: unde & negat, vocem proferre poſſe articulatam. Nam ſententia eſt, linguâ quidem ſonum promere; ſed vocem eam non eſſe articulatam; idque iccirco, quia lingua non ſit libera, ac ſoluta; quomodo fere in infantibus etiam ſe res habet.

Quibuſdam verò perſuaſum eſt, delphinos non modò vocem edere: ſed etiam ſermonem intelligere humanum. Unde idem Plinius eodem in loco *b*: *Dorſum iis repandum, roſtrum ſimum. Qua de cauſſa nomen ſimonis omnes miro modo agnoſcunt, maluntque ita appellari.* Jure profectò mirus vocatur modus, modò verus. Sed quis credat, piſces naturâ Græcè intelligere, vel Latinè? Eſt enim *ſimonis* nomen iis impoſitum à ſimis naribus: qua de re dixi jam olim in Oratoriis inſtitutionibus *c*, & notis in fragmenta veterum Tragicorum *d*. Fidem tamen habuit Cardanus lib. VII de Rerum Varietate, cap. XXXVII *e*. Rationem etiam adducit iſtiuſmodi: *Delphines*, inquit, *Simonis quodam conſueto nomine gaudent: quoniam veſtigia conſuetudinis, velut in cera formæ, inhærent in animalibus. Unde columbæ, in quibuſdam inſulis novi orbis, manibus capiebantur, nunc non: didicerunt enim longâ ſerie, fugere homines. Et catula mea, patre & matre genita adſuetis ferre, lapides & ferrum in octo diebus ferre didicit: mira res, cùm alium canem vix bimeſtri ſpatio, & magno cum labore, edoceas: imò prorſus non edocta, ſponte ferebat, ſed non afferebat. Itaque delphines priores, hoc nomine vocari adſueti, veſtigium in pronepotibus reliquerunt, ut etiam nunc hoc nomine gaudeant.* Verùm multò aliter, ac veriùs ſanè, de iſto Cæſar Scaliger, Comment. in Ariſtotelis Hiſt. Anim. *f* *Multa* (de delphinis) *recenſentur, quæ noſtram ſuperent fidem: ut & ridiculum illud ducamus, Simonis eis nomen gratum eſſe, quoniam ſimi ſint; ut ne hìc quoque Græcia careat mendacio.*

a Lib. 5. cap. 27.
b Lib. 9. cap. 8.
c Lib. 4. cap. 13. ſect. 10.
d Ad Livii Andronici Ægiſthum.
e P. 293. edit. Lugd. an. 1508.
f Lib. 2. cap. 16. ſect. 118.

Cap. XXII.

Cur, ex ſententia Plutarchi, juſtitiæ minùs adverſetur eſus piſcium, quàm quadrupedum, vel avium. Cur piſces lacuſtres, vel degentes fluminibus cœnoſis, pingues quidem ſint, ſed inſalubres. Ut utroſque bonitate vincunt illi, qui degunt fluviis puris; ita vinci

viâ marinis: & quæ ſit cauſſa iſtius. Quare piſces ponti Euxini bonitate cedant piſcibus alius maris. Ab eâdem cauſſa eſſe, quod piſces è mari ſubeuntes flumen mediæ ſint naturæ inter eos, qui ſemper in mari, quique in flumine ſemper agunt. Unde Xenocrates, qui Galeno antiquior, noverit percam Rhenenſem. Quare pelagii piſces difficiles quidem ſint concoctu, at bene nutriant. Saxatiles cur aliis præſtent. Interim & horum alios magis accedere ad pelagios, alios ad litorales. Quâ de cauſſa meliores ſint piſces, ſi mari tempeſtuoſo capiantur: eoque laudentur, qui locis agunt ventoſis, præſertim boreæ expoſitis. Tyrrheni maris piſces ſuaviores ſunt, quàm Adriatici. Lupus in Tiberi duos inter pontes captus cæteris longè commendatior: ac cauſſam ejus eſſe non ſolum à fluminis natura, ſed etiam agitatione & exercitio piſcis. In piſcibus commendatur media ætas, qua nondum ad ſummam pertigit magnitudinem: & cur nec minuti, nec veteli, probentur. Εὔφθαρτοι piſces dicuntur etiam Græcis, qui facile concoquuntur. Solum è piſcibus barbum ætate non reddi deteriorem. Piſcium quoſdam vere, alios æſtate, vel hieme, præſtabiliores eſſe. Etiam partium alias aliis eſſe meliores: & cur partes caudæ propiores præcipuè commendentur; in mugile maximè, non item in mullo. Aliarum quoque partium alia aliis ſunt laudatiores. Melandrya quid. Diſcrimen etiam eſſe pro ſexu. Nec leve eſſe hoc pro apparandi ratione: in qua diſtinguuntur frixi, aſſi, elixi, patinarii, ſive jurulenti, qui & juſculenti.

TEmpus nunc eſt, ut conſideremus immenſam Dei bonitatem erga nos: quia non contentus pro cibo dediſſe plantas, quadrupedes, aves: etiam, piſcibus ſuppeditandis, inſervire nobis juſſit flumina, ſtagna, maria. Imò Lamprias apud Plutarchum *a* ait: *δικαιότατον ὄψον εἶναι τὸ ἐκ θαλάττης*, *juſtiſſimum eſſe obſonium, quod è mari petitur.* Rationem adfert hujuſcemodi, quòd major nobis neceſſitudo ſit cum terreſtribus; quia in terra nobiſcum vivant: eodem fruantur aëre, iiſdem plantis nobiſcum veſcantur, pleraque eodem tecto nobiſcum degant; ut canes, feles, ſubinde & equi: nobis etiam inſerviant, quod ſi jugulemus ea, vocem edant, quâ ciere poſſint miſericordiam ſui. At piſcibus nihil eſſe horum; cùm in alio vivant elemento, imò quaſi in mundo alio: præterea nec miniſtrent nobis, nec edant vocem: ut non ſit cauſſa, cur ſic amemus, ut ab necandis ac comedendis illis abſtineamus.

a Lib. 4 Sympoſ. problem. 4.

Sed ut terreſtrium, ita in aquatilium etiam alimonia, non leve eſt diſcrimen, deque eo agit Galenus lib. III de Facultat. alimentorum, cap. xxv. Petit autem diſcrimen, partim ex loco, ubi degunt; partim iis, quibus aluntur. Nos fuſiùs paullò ex veterum aliis rem diducemus. Ac primùm *οἱ λιμναῖοι ἰχθύες, πίονες· lacuſtres piſces ſunt pingues*: ut Hippocrates ait libro de Affectionibus. Sunt interea inſalubres, quia cœnoſo ac turbido vivant alimento. Par ratio piſcium, qui in rivis degunt limoſis, ac cloacas urbis excipientibus. Habent enim carnem mucoſam, & excrementitiam. Deque hujuſmodi fluviatilibus intelligi debet Xenocrates, quando eos cum lacuſtribus conjungit. Sic enim ſcribit: *Ποτάμιοι δὲ, καὶ λιμναῖοι, κακοστόμαχοι, παχυμερεῖς ὕλης δεκτικοὶ, δυσδιαχώρητοι· Fluviatiles verò, & qui in ſtagnis degunt, ſtomacho nocent, ſuccos gignunt craſſos, difficulter excernuntur.* At fluviatilium aliorum ratio eſt diſpar. Unde Simeon Sethi: *Οἱ ἐν ποταμοῖς καθαροῖς τρεφόμενοι ἰχθύες, εὔχυμοι· ὥσπερ οἱ ἐν θολεροῖς, καὶ ἐν οἷς εἰσβάλλουσιν ἀπόῤῥοιαι καὶ ἄχρηστοι ὕλαι, κακόχυμοι, καὶ γαστρὸς βλαπτικοί· Piſces, qui in fluviis puris & limpidis paſcuntur, ſucci ſunt boni: ſicut qui in locis turbidis, & in quæ ſe ingerunt cloacæ, ac res quævis ſordidæ, atque immundæ, mali ſunt ſucci, & ventriculo noxii.*

Interea fluviatiles plurimùm cedunt marinis. Unde Hippocrates libro de Affectionibus: *Οἱ ποτάμιοι βαρύτεροι· οἱ δὲ ἀκτῖοι, θαλάσσιοι, κουφότεροι· Fluviatiles ſunt graviores: leviores verò litorales, ac marini.* Nempe mare ſalſedine ſuâ, quia ſalis natura eſt calida, tum frigus temperat; tum humorem nimium abſumit: quod in fluminibus non habet locum; utpote dulcibus, non ſalſis. Itaque & marinum eſt diſcrimen pro fluminum ratione, quæ hæc ingrediantur. Ponti enim Euxini piſces non ſunt ejus bonitatis, ac aliorum: nempe quia multos, & magnos excipit fluvios; ut eſt apud Galenum lib. III de facult. aliment. cap. xxiv *a*. Subdit verò: *Οἱ γὰρ ἐν τῇ τοιαύτῃ* a Tom. 4. *(θαλάττῃ,) καθ' ὅσον πλεονεκτοῦσι τῶν λιμναίων, κατὰ τοσοῦτον* edit. Ald. *ἀπολείπονται τῶν ἐν καθαρᾷ θαλάττῃ διαιτωμένων· Nam* fol. 179. b. *qui piſcium in mari ejuſmodi degunt, quanto præſtant illis, qui in ſtagnis aluntur; tanto ſuperantur ab iis, qui in puro mari agunt.*

Quod verò ad piſces, qui, mari relicto, flumina ſubeunt (*ἀναδρόμους* appellant Græci) quales amia, & mugilis, ab Ariſtotele dicuntur: hi, ut Athenæus *b* ait, *εἰσὶν* b Lib. 8. *ὑγρότεροι, καὶ μᾶλλον πίονες ὑπάρχουσι· καὶ ἐσθιόμενοι μὲν εἰσὶν ἡδεῖς· πρὸς δὲ τὴν πέψιν, καὶ τροφὴν γίνονται χείρους· humidiores ſunt, ac pinguiores; in cibo quidem delicatiores; ſed difficiliores concoctu, ac deterioris alimenti.* Ac idem traditum Mneſitheo Athenienſi. *ἐν τῷ περὶ ἐδεστῶν c*: c Libro de edulii. unde ſe iſta, atque alia, hauſiſſe, ipſe agnoſcit Athenæus. Nempe ut iis, qui in mari ſemper degunt, ſunt deteriores: ſic in fluvio ſemper agentibus præſtant: quia, ut Xenocrates ait, *οὐκ ἀπολείπουσι τῆς θαλαττίας ὕλης· non carent prorſus materie marinâ.* Iccirco & Alexander Trallianus lib. I, cap. de Epilepſia, ſic morbo hoc laborantibus præcipit: *τῶν δὲ ποταμίων λαμβανέτωσαν μάλιστα τοὺς καλουμένους ἀναδρόμους· ex fluviatilibus præcipuè aſſumant in cibum eos, qui anadromi vocantur.* Imò, ſi Xenocratem audimus, quidam fluviatiles marinis non cedunt. De ſapore non contendero: ſed an par ſalubritas, meritò in dubium vocetur. Tales ait coracinum Nili, lupum Tyberis, percam Rheni: de qua hodieque proverbium apud Germanos, & Belgas, præſertim Rheni accolas: *geſonder als een baers.* Non injuriâ verò miratur Geſnerus, unde Rhenanæ percæ fama provenerit ad hominem Græcum. Equidem colligo inde, non multò antiquiorem eſſe Galeno, à quo ſæpius citatur. Is verò vixit temporibus Cæſaris Antonini philoſophi, & filii ejus Commodi. Saltem non Julio Cæſare modò recentior fuerit Xenocrates; ſed etiam Druſo, quem varia Rheno caſtella impoſuiſſe conſtat. Satis enim veriſimile eſt, etiam Græcos aliquos Druſi ſecutos eſſe caſtra: uti & aliorum, qui poſtea in Germaniam miſſi fuere cum exercitu. Potuit etiam in ipſa hoc Græcia hauſiſſe ex homine Romano; qui id vel ſcripſerit, vel dixerit. Interea, quod de perca retuli Rhenana, fugiſſe videtur C. Plinium: qui tamen res Germaniæ minimè ignoravit. Siquidem bella cum Germanis geſta xx libris eſt perſecutus. Meminit eorum Plinius, ſororis filius, lib. v, ep. VIII, Tacitus in primo Annalium, & Suetonius, ſive alius, in Plinii vita. Et tamen in Hiſtoria Plinii naturali de hoc tacetur; etiam ubi ſermo de piſcibus pro loco variantibus bonitate: ut lib. IX, cap. XVIII, ubi ſic ſcribit: *Eſt & hæc natura, ut alii alibi piſces principatum obtineant: coracinus in Ægypto; zeus, idem faber appellatus, Gadibus; circa Ebuſum, ſalpa, obſcenus alibi, & qui nuſquam perco qui poſſit, niſi ferulâ verberatus: in Aquitania ſalmo fluviatilis marinis omnibus præfertur.*

Cæterùm in marinis ipſis diſcrimen eſt non exiguum. Pelagii quales ſint, apud Athenæum in octavo docet Diphilus Siphnius: *Οἱ δὲ πελάγιοι δυσφθαρτότεροι, πολύτροφοι, δυσοικονόμητοι. Pelagii haut facilè concoquuntur, multùm alunt, tardè digeruntur.* A duritie carnis eſt. quòd difficulter concoquantur, imò & digerantur. Nam fere qualis concoctio, talis & diſtributio. Interim agnoſcit, valde illos nutrire: quod bonitatem arguit ſucci.

Maximè ſalubres ſunt ſaxatiles: ut Galenus docet lib. III de aliment. facult. cap. XXVII, & XXX. Nempe mediocriter ſanguinem generant: nec bonitatem ſuam exuunt,

quia non mutant vel alimentum, vel locum, nec aquis utantur dulcibus. Similiter Simeon Sethi voce ἰχθύες *a*: item Diphilus Siphnius *b*; qui cùm eos dicit εὐφθάρτους, intellige εὐπέπτους, *concoctu faciles*: de quo mox pluribus loquar.

Eſt præterea diſcrimen inter ſaxatiles ipſos: quia aliquando ſaxa litori ſunt propiora, aliquando remotiora. Illi magis accedunt ad piſces πελαγίους, eoque carnis ſunt durioris, & ſiccioris. Hi ſimiliores litoralibus, ac propterea carnem habent molliorem, & humidiorem; ut apud Athenæum quoque legas. Græci iccirco μαλακοσάρκους *c* nuncupant.

Confert etiam ad bonitatem piſcium, ſi capiantur mari tempeſtatibus agitato. Cujus rei hanc Galenus *d* adducit rationem, quòd ſic magis exerceantur: ut omnino eò piſces ſint deteriores, quo diutiùs mare quieverit: eò meliores, quo fluctibus magis fuerit agitatum. Eadem eſt mens Hippocratis in ſecundo de victus ratione, ubi agit de piſcibus τοῖς πλανήταις, hoc eſt, πελαγίοις, (πελαγίοις enim opponit) eoſque illo commendat nomine, quòd κυματόπληγες *e* τεθρυμμένοι τῷ πόνῳ στερεωτέρην τὴν σάρκα ἔχουσι· *undis pulſati, quia laboribus exerciti, ſolidiorem habent carnem.* Ut ſanè liqueat, quantum, etiam Coi illius ſenis judicio, in piſcibus ipſis valeat exercitatio. Atque ut ille prævivit Galeno: ita ſecutus utrumque Simeon Sethi: Ἀλλὰ καὶ οἱ ἐν ἀνηνέμοις τόποις διαιτώμενοι ἰχθύες, χερσαῖοι, καὶ οἱ μὲν θαλάττιοι, τούτων πλέον. *At qui piſces degunt in locis non ventoſis, boni non ſunt: ac his magis, ſi fuerint marini.* Addit Galenus, poſt ea, quæ antè ab fonte illo promebamus, nec parum referre ait, ſi loca ſint boreæ expoſita. Verba ejus ſunt: Εἰ *f* δὲ καὶ πρὸς τὰ βόρρεια τῶν πνευμάτων ἐστραμμένοι, πολὺ βελτίους. οὐ σμικρὰ γὰρ εἰς εὐχυμίαν συντελοῦσαι ἅπαντι ζώῳ τῶν οἰκείων γυμνασίων, ἔτι καὶ τὸ καθαρὸν τοῦ καταμιγνυμένου τῷ ὕδατι πνεύματος, αὐξάνει τὴν ἀρετὴν τῆς οὐσίας αὐτῶν. *Si præterea ſpectent boream, multo erunt meliores. Nam cùm exercitationes propriæ non parum ad ſucci bonitatem omni conferant animanti: præterea puritas ejus venti, qui aquæ miſcetur, bonitatem ſubſtantiæ eorum auget.* Marium etiam diſcrimen agnoſcit Xenocrates: Καὶ τὰ πελάγη δὲ διαφέρει· μέτριοι μὲν γὰρ οἱ κατὰ τὸν Ἀδρίαν. οἱ δὲ κατὰ τὸ Τυῤῥηνικὸν, ἥδιστοι. *Jam maria quoque inter ſe diſcrepant. Namque mediocres ſunt Adriatici maris piſces: ſed qui in Tyrrheno degunt, ſuaviſſimi.*

Atque hæc abunde oſtendunt, piſces pro locis, & alimentis, non ſalubriores modò eſſe; ſed palato etiam gratiores. Itaque homines delicati olim primo etiam guſtu diſcernebant, quo loco foret piſcis captus. Ut an cepiſſent eum piſcatores in Tiberi, & quidem poſtquam agitatus eſſet inter pontes duos. Hujuſmodi enim commendari imprimis ſolere, cognoſcere eſt ex verbis C. Titii, & poetæ Lucilii, adductis à Macrobio lib. III Saturn. cap. XVI. Tam docto verò palato fuiſſe, ut continuò iſtoc dignoſcerent; indicat Horatii illud lib. II, ſat. II:

Unde datum ſentis, lupus hic Tiberinus, an alto
Captus hiet, ponteſne inter jactatus, an amnis
Oſtia ſub Tuſci?

Ubi non de nihilo eſt, quòd *jactatus* dicat. Nam illa lupi duos inter pontes agitatio ſine dubio ſaporem ejus reddidit meliorem: ut ex iis cognoſcere licet, quibus piſcem tempeſtatibus captum præſtitiſſe veterum judicio oſtendimus. Hujuſcemodi piſcem ſibi appoſitum eſſe credebat Philippus ille, quem unà cum Hortenſio, & Lucullo, piſcinarios inter reponit Plinius lib. IX, cap. LIV. Sed ſimulac guſtavit, ſe deceptum ſenſit: quemque guſtârat, ne piſcis quidem nomine dignabatur. Hac de re Varronis ipſius verba ſunt lib. III de R. R. cap. III: *Philippus, cùm ad Immidium hoſpitem Caſini divertiſſet, & ei è flumine ſuo* (Varronis, qui ſub Caſino villam habuit) *lupum piſcem formoſum appoſuiſſet, atque ille guſtaſſet, & expuiſſet, dixit: Peream, niſi piſcem putavi eſſe.* Atque idem memorat Columella lib. VIII, cap. XVI. De hoc diſcrimine ſic quoque Plinius lib. IX, cap. LIV ait: *Sergius Orata primus optimum ſaporem oſtreis Lucrinis adjudicavit: quando eadem aquatilium genera alibi, atque alibi meliora: ſicut lupi piſces in Tiberi amne inter duos pontes, rhombus Ravennæ, murænæ in Sicilia, elops Rhodi, & alia genera ſimiliter, ne culinarum cenſura peragatur.*

a *Piſces.*
b *Apud Athenæum lib. 8.*
c *Q. d. molli ac tenera carne præditos.*
d *Lib. 3 de facult. alim. cap. 25.*
e *In editione Wechelianà Foeſii ſect. 4. pag. 25.*
f *Edit. Aldin. parte 4. fol. 179. b.*

Hoc ſaporis pro locis, & alimentis, diſcrimen compulit illum ὀψοδαίδαλον *a* Archeſtratum, ut tantum locorum peragraret, quo de ſapore judicaret exactiùs. Hinc quoque eſt, quod Διαχειλικοῖς *b* legimus anguillas Bœotias, carabos Scirios, mænides Cariſtias, murem Ponticum, pagros Eretricos, thynnos Megarenſes, atque ita in aliis quibuſdam. Nec hodie minùs homines elegantiores cunctis penè in nationibus cognomentis à patrio ſolo diſtinguere ſolent piſcium, uti & eſculentorum aliorum bonitatem.

Alia item variant ſaporem, naturamque piſcium: unde Cornelius Celſus lib. II, cap. XVIII, cùm pro locis eos diſtinxiſſet, ſubjungit: *Neque vero in generibus rerum tantummodo diſcrimen eſt; ſed etiam in ipſis: quod & ætate fit, & membro, & ſolo, & cælo, & habitu.* Quod ad ætatem, ſenectuti inibi ab eo præfertur *in piſcibus media ætas, quæ nondum ſummam magnitudinem implevit.* Rationem adducit Ariſtoteles lib. VIII Hiſt. Animal. cap. ultimo: Φαῦλοι οἱ γέροντες τῶν ἰχθύων· πολὺ γὰρ συντήκεται τῆς σαρκός. *Deteriores ſunt piſces vetuli: multum enim carnis abſumitur.* Eſt & Xenocratis *c*, medici antiqui, & Galeno ſæpius *d* memorati: Παρὰ δὲ ἡλικίαν, οἱ μὲν ὄψαρχοι, καὶ νέοι, εὔφθαρτοι. *Quodque ad ætatem, minuti, & juvenculi piſces facile corrumpuntur.* Nempe ob carnem fluidam. Quod contrà fit in adultioribus, quia caro iis firmatior. Liquet igitur, quod ex Celſo dicebamus, optimos eſſe piſces nec admodum juvenculos, nec vetulos; ſed paullum infra mediam ætatem conſtitutos. Poſſis tamen & Xenocratis locum aliter cum Geſnero *e* interpretari; ut εὔφθαρτοι ſit idem, ac εὔπεπτοι, *concoctu faciles*: nempe ex Empedoclis opinione, qui concoctionem putabat fieri corruptione. Ac quamquam opinionem eam damnet Galenus: (uti & illam Eraſiſtrati, concoctionem fieri exiſtimantis attritione & lævigatione, nec non complexu ventriculi, & adſciticii ſpiritus proprietate) nihilominus tamen facilè conciliatur cum ſententia Galeni. Nam ſtatuit Galenus, fieri τὴν πέψιν *f* ventriculo cibum reddente ſimilem animali; hoc eſt, qualitatis, quæ nutrienti ineſt, commutatione in qualitatem, quæ eſt nutriti. Nam etiam hoc cum ſit, eſt φθορά, ſive *corruptio*: quia cibus, quando in chylum convertitur, deſinit eſſe, quod erat, & fit, quod non erat. Cæterum, quod dicitur ab Ariſtotele, & aliis, piſces vetulos difficulter concoqui, ſuccique eſſe deterioris, & nutrire minus; id in uno barbo non habet locum; ut oſtendunt Auſonii illa in Moſella *g*:

Liberior laxos exerces, barbe, meatus.
Tu melior pejore ævo: tibi contigit uni
Spirantum ex numero non illaudata ſenectus.

Eſt verò is piſcis, quem *barbeel*, & *barm* dicimus; Galli *barbeau* nuncupant; vocabulis è *barbo* deflexis.

Nec diſcrimen modò ætatis attendere convenit; ſed etiam anni tempus, quo capiuntur. Hinc Xenocrates: Καὶ ἔαρος μὲν οἱ πλεῖστοι διὰ τὸ ὠοτοκεῖν, ἀμείνους, ὡς τρίγλαι· θέρους δὲ, φάγροι τε, καὶ συνόδοντες *h*· φθινοπώρου δὲ ἠπατίαι ἀποδοκιμάζονται, κακόχυμοι ὄντες· κεστρεῖς *i*, καὶ λάβρακες, τρυφερώτεροι· *Verno etiam tempore quàm plurimi, quòd ova pariant, ſunt præſtantiores; ut mulli: æſtate verò phagri, & ſinodontes, autumno autem hepatis improbantur, quia tum ſunt mali ſucci: mugiles, & lupi, tum magis ſunt teneri, ac molles.* Verna itidem tempeſtate optimus eſt chromius; anthias autem, ſive callichthys, hybernà: ut prodidit Ananius (qui Ariſtophanis ſcholiaſtæ Ananias) poeta jambicus *k*, & ex eo Epicharmus Siculus *l*; ex utroque autem Athenæus in ſeptimo.

Nec in eodem piſce par eſt partium bonitas, ſed hac parte etiam non leviter differunt. Ipſe de hoc ſententiam ſuam dicat Hippocrates lib. II de Diæta *m*: Τῶν δὲ ἰχθύων ξηρότατοι

a *Bellum apparandi obſonii artificem.*
b *Diſcriminis cauſa.*
c *In Collectaneis Oribaſii ad Julianum lib. 2. cap 58. Seorſum verò Græce edidit id fragmentum Conradus Geſnerus cum ſcholiis ſuis.*
d *Lib. 10 de facult. ſimplic. medic. & lib. 5 de compoſit. ſec. gen. & alibi.*
e *Scholiis in Xenocratem.*
f *Concoctionem.*
g *Idyl. 3.*
h *Vel.* ὀνίσκοι. *Utroque enim modo vox ea ſcribitur.*
i *Wottonus, Geſnerus, & Ludovicus Nonnus, κεστρεῖς legunt: quod placet. Nam* κεστρεῖς, *mugil.*
k *Teſte Athenæo lib. 3.*
l *In Nuptiis Hebes.*
m *Extremo p. 25. edit. Wechel an. 1595.*

ρότατοι

ρότεραί ἐστι τὰ ἄνω· κουφότατα δὲ τὰ ὑπογάστρια, καὶ κεφαλαὶ ὑγρότεραι διὰ τὴν πιμελὴν, καὶ τὸν ἐγκέφαλον· *Piſcium ſicciſſimæ ſunt partes ſuperiores; leviſſima ventris inferioris, & capita humidiora propter pinguedinem, & cerebrum.* Imprimis verò partes caudæ propiores commendari ſolent, quia magis exercentur. Xenocrates: Περὶ δὲ τὰ μέρη διαφέρουσιν. Ἐπεὶ τοῖς οὐραίοις κινοῦνται γεγυμνασμένοι, εὔτροφοι, τρυφεροί. κατὰ δὲ τὴν νηδὺν, ἅτε λιπώδεις, ἐπιπολαστικοί, καὶ πρὸς ἐκκρίσεις εὔθετοι. κατὰ δὲ τὰ νῶτα σκληρόσαρκοι. κεφαλαὶ δὲ πάντως, διὰ τὸ ἁλμυρὸν, καὶ λιπώδεις, ἄτροφοι, καὶ δυσδιοίκητοι. *Etiam, quod ad partes, differunt. Quippe iis, quæ ad caudam ſunt, cum has movendo ſe exerceant, boni ſunt alimenti: teneri item ſunt ac molles. In iis verò partibus, quæ ad ventrem ſunt, quia pingues, fluitant, & ad excretiones rectè ſunt affecti. At in tergo ſunt carnis duræ. Capita autem omnino propter ſalſum humorem, & pinguedinem, non nutriunt, ac difficulter digeruntur.* Ubi quod caput improbat ob pinguedinem, id in ſalmone tanto eſt evidentius, quanto id pinguius. Sapor quidem ejus delicatus: ſed de quo largiùs ſi comedas, febrim ſubinde conciliet. Quod ad partes caudæ vicinas, Xenocrati, præter Galenum, & alios, conſentit etiam Plinius lib. IX, cap. XV, ubi de thynnis agit: *Viliſſima ex his, quæ caudæ proxima, quia pinguı carent; probatiſſima, quæ faucibus: at in alio piſce circa caudam exercitiſſima.* Sive, ut in aliis libris, *citatiſſima* Franciſcus Maſarius *a* mavult *probatiſſima*. Sed longè nimis abit à MSSis. Rectiùs Ludovicus Nonius *b*, particulam inſerciendo, legit, *ut exercitiſſima*. Sententia eſt, in thunno non probari partes caudæ propinquas, contrà quàm in aliis fit piſcibus, ubi eæ judicantur maximè ſalubres, & delicatæ; quia iis ſe piſces præcipuè exercent. Particulatim verò cauda mugilis ſolet laudari: uti & caput ac hepar mulli, deorſum congri, ſcari viſcera, thunnorum κλεῖδες, ſive clidia, quæ ſalita dicuntur μελανδρύαι, vel *melandrya*: nempe ex eo, quia referunt μήτραν δρυὸς, ſive intimam quercus partem. Unde Plinius lib. IX, cap. XV: *Melandrya vocantur cæſis quernis aſſulis ſimillima.* Plura ibidem de his vide, & apud Athenæum lib. VI.

a Notis in nonum Plinii, ad hunc locum.
b De re cibaria lib. 3. cap. 14.

Quid quod pro ſexu etiam ſapor eſt diverſus? Quomodo feminæ maribus præferuntur in anguillis, cancris, locuſtis.

Magnopere etiam variant piſces pro ratione præparandi. Nam ut Cornelius Celſus ait lib. II, cap. XVIII, *Res eadem magis alit jurulenta, quam aſſa: magis aſſa, quam frixa.* Quod pleniùs explicandum. Piſces ſartagine frixi, ut ab his initium ſumam, magis conducunt illis, qui corpore ſunt valido, firmâque valetudine. Aſſi quoque in ſanis non improbantur. Elixi convenientiores ſunt febricitantibus. Nam ſic præparati faciliores ſunt concoctionis: cujus habenda eſt ratio in laborantibus febri; quia vis concoctrix in iis nunquam ſit illæſa. Sed præterea eſt quartum præparandi genus; verum, quia cruditatem afferat, illaudatum Galeno. Hoc piſcium eſt, ut idem nuncupat, τῶν ἐν λοπάσι σκευαζομένων, *in patinis paratorum*. Quos *patinarios* etiam Plautus appellat Aſinar. act. I, ſc. III:

> *Quaſi piſcis, itidem eſt amator lenæ: nequam eſt, niſi recens.*
> *Is habet ſuccum, is ſuavitatem, eum quovis pacto condias,*
> *Vel patinarium, vel aſſum: verſes quo pacto lubet.*

Qui verò hic *patinarius*, is aliter *jurulentus*, vel *juſculentus*, quia cum ſuo apponitur jure. Nec enim in aqua elixatur; ſed in proprio jure coquitur, & apponitur: attamen ut arbitror, pauxillo vini, ne aduratur, in patinam priùs adfuſo, ſicut hodie fit. Sic vocat Apulejus in Apologia: *Q. Ennius piſces alios multis verſibus decoravit, & ubi gentium quiſque eorum inveniatur, qualiter aſſus, aut juſculentus optime ſapiat.* Quia verò à *jus* fit *juſculum*, inde *juſcellum*; ut à *ciſta*, *ciſtula*, *ciſtella*; eò à *juſculum* quidem *juſculentus*, (idque κατὰ συγκοπὴν pro *juſculolentus* c) ait à *juſcellum juſcellatus* etiam dixere. Sanè Plinius (non Secundus ille, ſive Veronenſis, ſed Valerianus, Gallus) lib. V de Re medica cap. XXIV dixit, *piſces juſcellatos* vulgò licet *viſcellatos* edatur: ut & capite ſequenti legere eſt, *lactucas in viſcello coctas*, pro *juſcello*. Quod verò Plautus ait de verſandis piſcibus, ut aſſis, ita patinariis, ſive juſculentis: hoc inde eſt, quia ſicut piſces vertimus, qui aſſantur in craticula ferrea: ſic & eos, qui coquuntur in patina, cui ignis ſuppoſitus, alterâ ſere patinâ ſuperimpoſitâ, ſimulac unum latus coctum eſt, verti ſit opus, quò & alterum ab igni coquatur ſuppoſito.

c Ut lapicida, pro lapidicida. Niſi magis placet juſſulentus: ut vulgo legitur apud Apulejum. Hoc ſi malis, videri poſſint veteres pro jus dixiſſe, juſſum; ut vaſum pro vas, oſſum pro os: de quibus in arte Grammatica abunde egimus. A juſſum autem fit juſſulentus, ut à ſomno, ſomnolentus; à vinum, vinolentus.

CAP. XXIII.

Ὄψον, & ὀψάριον, propriè quidem accipi pro quolibet, quod cum pane comeditur: ſed peculiariter etiam pro piſcibus. Sic quoque loqui Evangeliſtas: Nepotem item, & Terentium ipſum, idque Comicorum Græcorum exemplo. Fieri hoc per ἀντονομασίαν, Plutarchi & aliorum veterum judicio. Homerum non apponere heroibus ſuis piſces; nec eos piſcationes inducere, niſi fame urgente. Priſcos etiam Romanos piſcibus abſtinuiſſe. Quomodo ab Romanis Carna dea ſoleat placari. Quantopere poſtea Romanis piſces in deliciis fuerint. Piſcinæ illaudatæ, niſi quæ marinos haberent piſces. Oratæ, & Murænæ, *vocabula a piſcibus impoſita familiis Romanis. Quando, & à quibus, inventa ſint vivaria oratarum, murænarum, cochlearum. Carius piſcem veniiſſe, quàm bovem. Apicii inventum, mullum necare iis garo ſociorum, & ex ejus jecore facere halecem. Mullus à quo ſit emtus octo millibus nummûm. Coci ingentibus triumphorum pretiis parati. Hortenſii fletus ob murænæ obitum. Inaures additæ murænæ ab Antonia Druſa.*

HÆc oſtendunt, non alimoniæ ſolum cauſsâ piſces eſſe hominibus conceſſos divinitus; ſed etiam ad deliciarum non inelegantium, luxu tamen carentium, voluptatem. Quippe quibus rectè utentes, citra molliriem alici; abutentes autem molliter infici, ac ſolvi animo ſoleant. Et ſanè, cum ὄψον, ſive ὀψάριον, generatim ſignificet προσφάγιον *a*, ut Heſychius exponit: ſere tamen uſurpari ſolet pro *piſce*. Imò ſic utuntur Scripturæ: ut B. Joannes cap. VI, 9; ubi δύο ὀψάρια legas; pro quo δύο ἰχθύες eſt apud Matthæum cap. XIV, 17, Marcum cap. VI, 38, Luc. cap. IX, 13. Etiam apud Cornelium Nepotem, quem perperam vulgo Æmilium Probum nuncupant, legas, Themiſtoclem ex Myunte habuiſſe obſonium: pro quo apud Diodorum eſt, præbuiſſe Themiſtocli Μυοῦντα εἰς ὄψον, ἔχουσαν θάλατταν εὔιχθυν. *Miuntem in obſonium, quæ mare haberet piſcoſum.* Trecenti poſſint ſimiles adduci ſcriptores: ſed continebo me intra Comicos Latinos, Græcoſque. Terentio enim in And. act. II, ſc. II, ſic dictum, *Paullum obſonii.* Nam poſtea ſubjicitur, *Piſciculos minutos ferre obolo in cœnam ſeni.* Nec aliter act. II, ſc. VI, & Adelph. Act. V, ſc. IX. Non dubium, quin in hoc ſecutus ſit Menandrum, & Diphilum, Comicos Græcos: ex illo enim Andriam, ex hoc Adelphos, ſe tranſtuliſſe, ipſe fatetur Terentius. Solere verò ſic Comicos loqui, etiam indicat Alexis in Tarentinis *b*:

a Omne id, quod cum pane comeditur.

> Οἱ Πυθαγορίζοντες γὰρ ὡς ἀκούομεν
> Οὔτ' ὄψον ἐσθίουσιν, οὔτ' ἄλλ' οὐδὲ ἓν
> Ἔμψυχον· οἶνον τ' οὐχὶ πίνουσιν μόνοι
> *Qui Pythagoriſſant, non ſolent, ut dicitur,*
> *Obſonium, vel aliud edère quippiam*
> *Animatum: iidem bibere vinum neſciunt.*

b Apud Athenæum l. 4.

Ubi ὄψον clarè in animatis reponitur; nempe quia, ut dixi, ὄψον *c* idem ac ἰχθὺς *d*: ut ὀψοφάγοι, φιλίχθυες *e*. Cauſſam hujuſmodi ſermonis aperit Plutarchus lib. IV Sympoſiacôn, probl. IV: Ὡς πολλῶν ὄντων ποιητῶν ἵνα τὸν κράτιστον ἐξαιρέτως ποιητὴν καλοῦμεν· οὕτως πολλῶν ὄντων ὄψων ἐκνενίκηκεν ὁ ἰχθὺς μόνον ἢ μάλιστά γε ὄψον καλεῖσθαι,

c Obſonium.
d Piſcis.
e Obſonatores, piſcium amantes.

λήθεται, ὅς γε τὸ πολὺ πάντων ἀρετῇ κρατεῖν. *Sicut è multis poëtis unum reliquis præſtantiorem eximio poetæ nomine afficimus: ſimiliter, cùm multa ſint obſonia, ſolus tamen piſcis hanc palmam adeptus, ut præcipuè vocaretur obſonium, quia virtute longe cæteris antiſtat.* Pluraque inibi in hanc mentem; ac Athenæus quoque lib. VII; & particulatim de Rhodiis Ælianus lib. I Var. Hiſt. cap. XXVIII; adhæc Euſtathius in Iliad. Α *a*. Quia verò præcipuæ eſſent piſcium deliciæ, & frangi animus deliciis ſolet: eò, ut Platoni obſervatum, Homerus de iis agens, qui temporibus vixiſſent Trojanis, licet Ilium foret prope Helleſpontum, ubi nobilis piſcatio, nullos tamen inducit piſcibus veſcentes, ne homines quidem inſulares; uti Ithacenſes; imò ne molles quidem Phæaces illos. Narrat quidem Odyſſ. Μ. ſocios Menelai ſe dediſſe piſcationi circa Pharon inſulam, diei itinere, ut ait, ab Ægypto diſtantem: ſed id factum dicit urgente cibi inopiâ. Ac par eorum ratio eſt, quæ de Ulyſſis ſociis refert Odyſſ. Μ. ubi itidem cauſſam rejicit in famem. Itaque & Eubulus Comicus rogat:

Ἰχθὺν δ' Ὅμηρος ἐσθίοντ' εἴρηκε ποῦ
Τινὰ τῶν Ἀχαιῶν;
Homerus ubinam quemquam Achivorum refert
Ediſſe piſces?

Veteres etiam Romani, quos caſcos dicebat Ennius *b*, piſcibus abſtinebant. Atque inde eſt, quòd Deam Carnam, canis ac vitalium præſidem *c*, non piſcibus, ſed, fabaceâ pulte, ac larido, placabant. Ovidius VI Faſtorum:

Priſca Dea eſt, aliturque cibis, quibus ante ſolebat:
Nec petit adſcitas luxurioſa dapes.
Piſcis adhuc illi populo ſine fraude natabat:
Oſtreaque in conchis tuta fuere ſuis.

Ubi videmus, negare eum, piſces à Romanis comeſtos. Sed iſta quidem ad tempora pertinent vetuſta. Poſtea enim hi imprimis in deliciis fuere: unde eos porro ac cepis, vili & plebejo cibo, oppoſuit Horatius lib. I epiſt. XII ad Iccium: *Verum ſeu piſces, ſeu porrum, & cepe, trucidas.*

Imò magnum quoque deliciarum in illis erat diſcrimen. Tandem enim ſorduere etiam mugiles, & lupi, ac vix piſcinæ laudabantur, niſi quæ piſces haberent marinos. Varronis ſunt iſta lib. III de R.R. cap. III: *Quis* (majorum noſtrorum) *habebat piſcinam, niſi dulcem, & in ea duntaxat ſqualos, ac mugiles piſces? Quis contrà nunc Rhinton non dicit, ſuâ nihil intereſſe, utrùm iis piſcibus ſtagnum habeat plenum, an ranis?* Tum ſubdit illud ſuperiori etiam capite memoratum: *Non Philippus, cùm ad Immidium hoſpitem Caſini divertiſſet, & ei è tuo flumine lupum piſcem formoſum appoſuiſſet, atque ille guſtaſſet, & expuiſſet dixit: Peream, ni piſcem putavi eſſe?* Hinc ſubjungit: *Sic noſtra ætas, inquam, luxuriâ piſcinas protulit ad mare, & in eas pelagios greges piſcium revocavit. Non propter hos appellati Sergius Orata, & L. Muræna? Quis enim propter nobilitatem ignorat piſcinas Philippi, Hortenſii, Luculli?* De cognomentis à piſcibus quod ait, etiam apud Columellam legas lib. VIII, cap. XVI, his verbis: *Jam enim celebres erant deliciæ popinales, cùm ab mari deferrentur vivaria; quorum ſtudioſiſſimi, velut antè devictarum gentium, Numantinus, & Iſauricus, ita Sergius Orata, & Licinius Muræna, captorum piſcium lætabantur vocabulis.* Vide præterea, ſi voles, fuſiùs iſta enarrantes, Valerium Max. lib. IX, cap. I, & Macrobium lib. III Saturn. cap. XV. Quanti etiam eſt luxus argumentum, quòd multi tantas ſibi opes pararint è vivariis! Qui verò hac parte, & quando, præiverint cæteris, Plinius docet lib. IX, cap. LIV. De oſtreis tribuit hoc inventum Cn. Sergio Oratæ: de quo antè dictum. Nunc verba modò Plinii afferam: *Oſtrearum*, inquit, *vivaria primus omnium Sergius Orata invenit in Bajano, ætate L. Craſſi Oratoris, ante Marſicum bellum* d: *nec gulæ cauſsâ, ſed avaritiæ, magna vectigalia tali ex ingenio ſuo percipiens: ut qui primus penſiles invenit balineas, ita mangonizatas villas ſubinde vendendo.* Poſtea *a* ſubdit: *Murænarum vivarium privatim excogitavit C. Hirius* b *ante alios; qui cœnis triumphalibus Cæſaris Dictatoris ſex millia numero murænarum mutuo appendit. Nam permutare quidem pretio noluit, aliáve merce.* Hinc ſubjungit *c*: *Cochlearum vivaria inſtituit Fulvius Hirpinus in Tarquinienſi, paullo ante civile bellum, quod cum Pompejo Magno geſtum eſt, diſtinctis quidem generibus earum.* Deque iſto diſcrimine poſtea exponit.

Ad eundem Romanorum luxum pertinebat Catonis querimonia apud Plutarchum *d*, *Pluris venire piſcem, quam bovem.* Et Juvenalis hoc ſat. V:

Atque ita defecit noſtrum mare, dum gula ſævit
Retibus aſſiduis, penitus ſcrutante macello
Proxima, nec patimur Tyrrhenum creſcere piſcem.

Conqueritur etiam de hoc luxu Plinius lib. IX, cap. XVII: *M. Apicius ad omne luxus ingenium mirus, in ſociorum garo (nam ea quoque res cognomen invenit) necari eos* (mullos) *præcellens putavit, atque e jecore eorum alecem excogitare provocavit.* Ac mox: *Aſinius Celer è Conſularibus, hoc piſce prodigus, Cajo principe unum mercatus octo millibus nummum: quæ reputatio aufert transverſum animum ad contemplationem eorum, qui in conqueſtione luxus coquos emi ſingulos pluris, quam equos, quiritabant. At nunc coci triumphorum preciis parantur, & coquorum piſces.* Et quantum deliciarum amorem indicant illa ejuſdem libri cap. LV! *Apud Baulos in parte Bajanâ piſcinam habuit Hortenſius orator, in qua murænam adeo dilexit, ut exanimatam fleſſe credatur. In eadem villa, Antonia Druſi, murænæ, quam diligebat, inaures addidit: cujus propter famam nonnulli Baulos videre concupiverunt.* Neque natura, vel Deus eſt culpandus, quòd produxerit luxuriæ inſtrumenta. B. Ambroſium de hoc audiamus lib. V Hexaëmeron, cap. I *Væ mihi; ante hominem cœpit illecebra, abundantia copiarum, noſtræ mater luxuriæ. Ante hominem deliciæ. Prior ergo hominum tentatio, quàm natura. Sed nihil creatura deliquit: alimenta dedit, non vitia præſcripſit.* Imò, quanto plus deliciarum fuit; tanto pejor erat primi hominis tranſgreſſio. Unde Ambroſius ſubjungit: *Tibi ſuos fructus terra producit: tibi ſcaros, & acipenſeres, & omnes fœtus ſuos generant aquæ: & his non contentus, interdicta tibi alimenta guſtaſti. Ad invidiam tuam omnia congeruntur, ut prævaricatio tua aviditatis oneretur.*

a Pag. 867. & ſeq. edit. Rom.

b Teſte Varrone lib. 6 de L. L. Cicer. lib. I Tuſc. Qu. & Hieronymo ad Nucam.

c Macrobius.

d Circa ann. Urbis DCLXVI.

a Cap. ſeq.

b Al. Hirtius.

c Cap. 56.

d Lib. 4 Sympoſ. probl. 4.

Cap. XXIV.

Scaro primæ dantur piſces inter ſaxatiles, imo in piſcibus univerſis. Sed ſerius honorem hunc adeptum, qui primitus penes acipenſerem fuit: nempe ignoto adhuc Romanis ſcaro, qui è Siculo, vel Carpathio mari advehebatur; quandoque etiam tempeſtatibus in mare pellebatur Tyrrhenum: in quo & ſatus fuit à Tiberii Cæſaris liberto: deque hujus mortalis nomine quæſitum. Expoſitum quoque, unde eſſe videatur, quòd poſtea ſcarus in hoc mari deſierit. Eum jam tempore belli Punici ſecundi notum fuiſſe Romanis: dictum Ennio cerebrum Jovis: *aſſatum maximo fuiſſe in pretio: præcipuè commendatum jecur, ac viſcera: deque his Epicharmi locus aliter, ac à Caſaubono, expoſitus. Diſceſſum à Scaligero, exiſtimante fuiſſe à Numa interdictum, nequis ſcarum, licet ſquamoſum, polluceret. Turdi laus, qui dictus* pilana marina: *item merulæ, phycidis, & julidis. Gloſſæ vett. correctæ. Cur Pythagoras interdixerit eſum τῶν μελανέρων. Melanurus commendatus, ſed infra ſargum. De gobio. In Hippocrate, & Heſychio, conjectura. De cinado, ſude, acu, fabro, umbra.*

HActenus generatim ſolùm monſtravimus, piſces nobis a Deo eſſe datos, partim cibi cauſsa, partim etiam

ad

ad honeſtam voluptatem. Quæ longè fient manifeſtiora, ſi particulatim animum diffundamus per præcipua piſcium genera. Ac quia marinorum, & in his ſaxatilium, præcipua eſſe commendatio ſolet, ab iis initium capiemus.

Scarus principem inter hos tenet locum, judice Galeno: qui Philotimum reprehendit, quòd durioris eſſe carnis dixiſſet. Pro Galeno eſt Diphilus apud Athenæum in VIII: Σκάρος ἁπαλόσαρκος, ψαθυρός, γλυκύς, κοῦφος, εὔπεπτος, εὐανάδοτος, εὐκοίλιος· *ſcarus tenerâ eſt carne, friatilis, dulcis, levis, concoctu facilis, faciliè redditur, ventrem mollit.* Romani verò non inter ſaxatiles modò; ſed piſces univerſos primum ei locum tribuerunt. Unde Plinius lib. IX, cap. XVII: *Nunc ſcaro datur principatus: qui ſolus piſcium dicitur ruminare, herbiſque veſci, non aliis piſcibus.* Et lib. XXXII, cap. XVII: *Scarus principàlis hodie.* Cautè priori loco *nunc*, altero *hodie* adjunxit. Primitus enim penes acipenſerem is honos erat: credo, cùm parum cognitus eſſet ſcarus. Eſt enim Romanis ſcarus peregrinus. *Mari ille Carpathio maximè frequens*; ut Plinius *a* refert. De eodem ſic Columella lib. VIII, cap. XVI: *Scarus* (perperam, etiam in editione Rob. Stephani, *ſcaurus* legitur) *Aſiæ, Græciæque litoribus, Siciliâ tenus, frequentiſſimus exit; nunquam in Liguſticum.* Hinc liquet, cur æqualis ejus Petronius ſic ſcripſerit:

a Lib. 9. cap. 17.

—— Siculo ſcarus æquore merſus
Ad menſam vivus perducitur.

Et alibi:

—— Ultimis ab oris
Attractus ſcarus eſt.

Quandoque tamen tempeſtate aliquâ fiebat, ut ſcari ab Carpathio ac Siculo mari, in mare compellerentur Tyrrhenum. Hinc Horat. Epod. od. II:

Non me Lucrina juverint conchylia,
Magiſve rhombus, aut ſcari,
Si quos Eois intonata fluctibus
Hiems ad hoc vertat mare.

Sed ſponte nunquam ultra mare Siculum prodibant. Unde Fabius Quinctilianus, homo quidem Hiſpanus, ſed Romæ agens, ſic ſcribit lib. V: *Non elopem noſtro mari, nec ſcarum ducas.* Ubi *noſtro mari* eſt *Tyrrheno*. Itaque, jam imperante Tiberio, ratio eſt inita cum hic ſeminandi. Qua de re ſic Plinius lib. IX, cap. XVII: *Scarus promuntorium Troadis Lecton ſponte nunquam tranſit. Inde advectos, Tiberio Claudio principe, Optatus, è libertis ejus præfectus claſſis, inter Oſtienſem, & Campaniæ oram, ſparſos diſſeminavit. Quinquennio ferè cura eſt adhibita, ut capti redderentur mari. Poſtea frequentes inveniuntur Italiæ in litore, non antè ibi capti. Admovitque ſibi gula ſapores piſcibus ſatis, & novum incolam mari dedit, ne quis peregrinas aves Romæ parere miretur.* Idem refert Macrobius lib. III Saturnal. cap. XII. Sed qui Plinio *Optatus* dicitur, is *Octavius* eſt Macrobio. Video, à quibuſdam (in his Domitio Calderino, ſuis ad Martialem *b* notis) *Eliptium*, nominari. Quod è corrupta Plinii lectione provènit. In nonnullis enim codd. fuit *Optatus Eliptius*, pro *Optatus è libertis*. Cæterùm opera illa, ſeu Optati, ſeu Octavii, non diu videtur fuiſſe utilis. Nam & poſtea rarus is piſcis, ut antè: credo, ſcarorum genere, quod ſatum erat in mari Tyrrheno, partim intereunte paullatim; partim ad mare Siculum, ac Carpathium, unde venerat, iterum remeante. Cæterùm jam ante bellum Perſicum Romanis ſcarum fuiſſe cognitum, indicat Ennius; qui temporibus Hannibalicis, ac deinceps, claruit. Is in Phageſiorum fragmento, quod apud Appulejum *c* legere eſt, ſcarum vocat cerebrum Iovis:

b Lib. 13. ep. 84.

c Apol. 1.

Scarum præterii, cerebrum Iovis penè ſupremi.
Hectoris ad patriam hic capitur magnuſque, boniſque.

Nempe locutus more Græcorum; quibus, quicquid eſt delicatum, Διὸς ἐγκέφαλος *d* nominatur.

d Iovis cerebrum.

Præcipuè verò commendabatur aſſatus. Unde Archeſtratus apud Athenæum in ſeptimo:

Καὶ σκάρον ἐν παράλῳ Καρχηδόνι τὸν μέγαν ὄπτα Παλῶαι.
Scarum aſſa totum magnâ Carthaginis urbe,
Quæ vicina mari.

Cùm autem ſcarorum caro tantopere laudaretur; longè tamen præferebantur viſcera. Unde in Vitellii patina, apud Tranquillum *a* legimus, fuiſſe *ſcarorum jecinora*. Imò Martialis *b*, viſceribus ſolùm reſervatis, carnem coquo reddi jubet. At immenſi res elogii eſt, quòd Epicharmus in Hebes nuptiis *c*, de ſparo, & ſcaro, inquit:

a In Vitell.
b Lib. 13. epigr. 88.
c Apud Athenæum lib. 7. gemino in loco, prius ubi de ſcaro, mox de ſparo.

Τῶν οὐδὲ τὸ σκῶρ θεμιτὸν ἐκβαλεῖν θεοῖς.
Abjicere quorum ſtercus haut fas eſt Diis.

Ut non jecur modo, ſed etiam inteſtina, videantur in ſummo fuiſſe honore. Sententia enim eſt, non hominibus ſolùm, ſed ipſis etiam Diis, in deliciis eſſe inteſtina ſcari: nec ipſis in cælis fas eſſe ea abjicere, nedum nos homulli tale facinus auſimus. Scio, maximum Caſaubonum *d*, malle pro θεοῖς, θεοί, ut ſit θαυμαστικόν: quomodo, ὦ Ζεῦ, dixere *e* Eubulus, & Philemo Comici: Catullus *f* item,

d Animadv. in Athen. lib. 7. cap. 20.
e Apud Athen.
f Epigr. 1.

Doctis, Jupiter, & laborioſis.

Sed enim exclamatio minùs convenit in hoc Epicharmi loco: &, ut vidimus, nihil quoque ſi mutes, commodus eſt ſenſus.

Summa autem hujus piſcis raritas fecit, ut quia in ſacris parſimonia obſervabatur, ex ſquamoſis ſolùm pollucere ſcarum non liceret. Feſtus Pompejus *g*: *Pollucere merces h..... liceat, ſunt far, polenta, vinum, panis fermentatus, ficus, paſſa, ſuilla, bubula, agnina, caſei, ovilla, alica, ſeſama, & oleum, piſces, quibus eſt ſquama, præter ſquatum. Herculi omnia eſculenta poculenta.* Ubi à variis jam monitum, pro *ſquatum*, *ſcarum* legi oportere. Itaque Joſephus Scaliger *i* legem hanc à Numa Pompilio latam putat: PISCES, QUEI SQUAMOSI NON SUNT, NEI POLLUCETO. SQUAMOSOS OMNEIS, PRÆTER SCARUM, POLLUCETO. Verùm non poſſum in animum inducere, ut credam, jam Numæ temporibus ſcarum fuiſſe notum Romanis. Planè enim obſtant, quæ ex Plinio diximus. Adhæc Macrobii *k* verba ſunt: *Scarum adeo Italicis litoribus ignotum, ut nec nomen Latinum ejus piſcis habeamus.* Quare potius cenſeo, à Numa, vel alio, antiquis fuiſſe temporibus ſancitum, non alios eſſe piſces pollucendos, quàm ſquamoſos. Poſteaquam verò innotuit ſcarus, qui ob raritatem magno venibat, lege eum, parſimoniæ cauſsâ, fuiſſe exceptum, ne epulæ ad pulvinaria magno nimis conſtarent. Sanè de ſcaro nihil fuiſſe in lege Numæ, oſtendunt verba illa Caſſii Heminæ apud Plinium lib. XXXII, cap. II: *Numa conſtituit, ut piſces qui ſquamoſi non eſſent, ni l pollucerent, patrimonia* (legendum, *parſimoniâ* m) *commentus, ut convivia publica & privata, cœnæque n ad pulvinaria facilius compararentur: ni, qui ad polluctum emerent, pretio minus parcerent, eaque* (al. *eoſque*) *præmercarentur.*

g In Pollucere.
h Supplent hoc pacto, Pollucere Mercurio quæ liceat.
i In Feſtum ad vocem Pollucere.
k Lib. 3. Saturn. cap. 12.
l Pranei, ſive ne.
m Sic Joſ. Scaliger ad Feſtum in Pollucere. Id malim, quam, ut alii, pollucerentur ſacris ceremoniis.
n Parmenſis vetus habet, ad conventus, & convivia publica & privata, cœnaſque.

Poſt ſcarum inter ſaxatiles laudatiſſimi ſunt turdus, & merula: quos à mollitie carnis etiam Diocles, & Diphilus *o*, laudarunt: uti & Xenocrates; cujus mox verba apponam. Imò turdum Trallianus videtur ſcaro præferre. Sic enim ille lib. VI, cap. de Pleuritide: Ἔστι δὲ κίχλης ὁ ἰχθὺς καὶ ἁπαλός, καὶ ὑγρός, καὶ εὔπεπτος· καὶ ἴσως πτισάνην αὐτὴν ὀνομάζων θαλασσίαν, οὐκ ἂν ἁμάρτοις· οὕτως ἐστὶν ἀπέριττος ἡ ἐξ αὐτῆς τροφή. *Eſt vero turdus piſcis & mollis, & humidus, & concoctu facilis: & ſi forte ipſum* MARINAM PTISANAM *nomines, non aberres. Adeo alimentum hoc eſt excrementi expers.* Similiter Plinius Valerianus lib. V: *Sed & piſces o'cres maxime κίχλαι p. Eſt enim molli carne, & naturaliter humidus, & digeſtibilis: quem & Marinam Ptiſanam vocant.* Merulam laudat Plinius Secundus lib. XXXI, cap. XI.

o Apud Athenæum lib. 7 in piſcibus à κ incipientibus.
p Turdos.

Utrumque hunc piſcem, ac præterea phycidem, ex-

tollit Xenocrates, his verbis: Κίχλαι, κόττυφοι, φυκίδες, ἁπαλόσαρκοι, εὔχυλοι, εὐδιαφορώτατοι, ἄτροφοι, πρὸς διαχώρησιν ἐπιτήδειοι. *Turdi, merulæ, phycides, teneræ ſunt carnis, boni ſucci, digeſtu faciles, non nutriunt, ad alvi dejectionem commodi.* Diphilo etiam, inter ſaxatiles, phycides dicuntur ἁπαλώτατα ἰχθύδια, καὶ εὔφθαρτα· *teneræ carnis piſciculi, ac faciles concoctu.* Julidem quoque teneram habere carnem, facilè concoqui, & planè ſalubrem eſſe, Galeni *a* judicium eſt. *Phycidas*, & *julidas* junxit quoque Columella lib. VIII, cap. XVI. Sed perperam vulgò pro eo legitur, *Punicaſque*, & *Indigenas.* Obſervatum hoc Ludovico Nonio lib. III de re cibaria, cap. XXIII. Qui & monet, apud Oribaſium lib. IV Synopſeos *b* legi debere: *Ex piſcibus ſaxatilibus veſci poterimus julide, phycide, merulâ, turdo, ſcaro.* Vulgo pro *phycide* legitur *phœnicide.* Ac ſimiliter, ut Geſnero *c* monitum, apud Dioſcoridem lib. II pro φοινίων ſcribendum φυκίδων: uti & in gloſſis veteribus pro φίνιξ, φυκίς. In gloſſis etiam, quæ Cyrilli nomen præferunt, legas: φυκὶς, ἰχθὺς, *Saxtila.* Ubi puto *ſaxatilis piſcis*, vel ſimpliciter *ſaxatilis* legendum. Siquidem in Philoxeni gloſſis clare eſt: *Saxatilis*, φῦκος, εἶδος ἰχθύος, πετραῖος. *Saxatiles*, πετραῖοι, φυκίδε.

Percæ etiam marinæ (de fluvialibus ante *d* locuti ſumus) commendantur à Galeno: qui lib. III de Alim. Facult. cùm primùm in marinis tribuiſſet locum ſcaro, alterum merulæ, & turdo; tertium aſſignat julidi, phycidi, & percæ. Hinc proverbium vetus *e*, Ἀντὶ πέρκης σκορπίον *f*, cùm optima poſthabentur. Jus percæ deſcribit Apicius lib. X, cap. I.

Melanurum aliquis noxium putare poſſit propter Pythagoræum illud, Μὴ γεύεσθαι τ μελανούρου *g*. Sed hic vetatur, ut Plutarchus *h* docet, συνδιατρίβειν μέλασιν ἀνθρώποις διὰ κακοήθειαν· *verſari cum hominibus, qui nigri ſint morum malitiâ.* Quales etiam nigros vocant Catullus *i*, & Horatius *k*. Nomen verò piſci à nigris caudæ maculis: ut qui ſit ὀῤῥοπυγόστικτος *l*, unde & Ovidio in Halieut. *laude caudæ inſignis* vocatur. Non eſſe, cur eo abſtineatur, indicat Xenocrates, his verbis: Εὐτράπεζοι δὲ σαργοὶ, μελάνουροι, κάνθαροι, εὔστομαχοι, εὔχυλοι εὐδιοίκητοι· τροφώδεις δὲ, καὶ πρὸς τὰς ἐκκρίσεις εὔκολοι· *Apti menſæ ſunt ſargi, melanuri, canthari: ſuntque ſtomacho idonei, boni ſucci, ac facilis digeſtionis; præterea multùm nutriunt, & facile excernuntur.* Hiceſius tamen apud Athenæum in VII ait, non adeò nutrire ac ſargum; nec eâ eſſe ſucci bonitate, nec ſapore tam grato. Sane & Xenocrates, ut vidimus, ſargum præmittit melanuro. Et ut nonnullis vincatur à ſargo; eo tamen ſuperat, quòd minùs adſtringat. Deterior ille mugil, qui cœno veſcitur: melior, qui piſciculis. Nam hic ſæpius in ventriculo invenitur. Item cui alga ſit cibus: de quo teſtis Ariſtoteles lib. VIII Hiſt. Anim. cap. II.

Gobius ſaxatilis, uti & qui in arenoſis vivit litoribus, Galeno commendatur lib. II de Aliment. ubi & de gobiorum aliis judicium promit. Apud Athenæum tamen Hiceſius refert, multum ſucci gignere, at non boni: ſed neque multùm nutrire. Interea agnoſcit, ſapore eſſe gratos, facileque excerni. Dioclis etiam, & Mneſithei, judicium memorat. Honore non eo fuiſſe, quo mullos, & alios pretii ingentis, indicat hoc Juvenalis ſat. XI:

Nec mullum cupias, cum ſit tibi gobio tantùm
In loculis.

Et Martialis in Xeniis:

In Veneris ſint lauta licet convivia terris.
Principium cœnæ gobius eſſe ſolet.

Gobioni elephitis ab Hippocrate ſociatur lib. II de victus ratione *m*: κῦφοι δὲ οἱ πετραῖοι σχεδόν τι πάντες. οἷον κίχλη, φυκὶς, ἐλεφιτὶς, κωβιός. οἱ τοιοῦτοι δὲ κουφότεροι τ πλανητῶν. ἅτε γὰρ ἀτρεμίζοντες ἀραιὴν τὴν σάρκα καὶ κούφην ἔχουσιν. οἱ δὲ πλανῆται, καὶ κυματοπλῆγες, πεπυκνωμένοι τῷ πόνῳ, στερεωτέρην τὴν σάρκα ἔχουσιν. *Leves vero ſaxatiles fere omnes: velut turdus, phycis, elephitis, gobius. Hi omnes erronibus ſunt leviores. Cum enim quieſcant, raram & levem carnem habent. Errones autem, quique undas verberant, laboribus attriti, ſolidiorem obtinent carnem.* Quem locum eo libentiùs adſcripſi, quia cauſſam hinc diſcimus, cur non modò elephitis; ſed & gobius, & phycis, & turdus, & ſaxatiles alii, carnem habeant leviorem, ac tenuiorem, quàm quos errones vocant. Verùm quis Hippocrati ſit piſcis ἐλεφιτὶς (quomodo & in Aldina *a* reperio) haud facilè dixerim. Nec enim me alibi id nomen legere commemini. Quid ſi igitur pro ἐλεφιτὶς, legamus ἐλεπιχὶς, vel ἐλεποχὸς ? Heſychius: Ἐλέποκες, ἰχθύς, ὅμοιος φυκίδι. Ac ſimiliter Varinus: niſi quod apud eum ſit ἐλεποχὸς. Sane cùm Heſychius dicat, eſſe phycidi ſimilem, & Hippocrates, ut vidimus, phycidi ſubjungat: veriſimile eſt, vel Hippocratem ex Heſychio, vel hunc ex illo, eſſe emendandum. Alioqui nec ita multùm ab ἐλεφιτὶς abit ἀλφηστὴς & poſſint Iones, quorum dialecto ſcripſit Hippocrates, ita vocaſſe hunc piſcem. Saxatilibus enim apud Athenæum *b* à Diocle *c* accenſetur ἀλφηστικὸς, qui Numenio ἀλφηστὴς, q. d. *inventorem*; nempe quia alter alterum ſequatur, quaſi quærens, & inveniens. Plinio lib. XXXII, cap. XI vocatur non κιναιδος quidem, ut multi ſcribunt, atque in his Rondeletius *d*: ſed κίναιδος, quia alter alteri ad caudam ſive nates comes eſſe ſoleat; indeque præpoſteræ Veneris argumentum collegerint. Cæterorum ſaxatilium inſtar, carne eſt tenerâ, molli, & friabili, ac neutiquam glutinosâ: ut eſt apud Rondeletium lib. VI de piſc. mar. cap. IV. Addit, jus ejus ventrem lenire: in ſartagine coctum eſſe meliorem aſſo, vel elixo: modum etiam præparandi apud eundem invenies: facileque ait concoqui, & ſanguinem gignere temperatum.

Σφύραινα quoque, ſive *ſudis e*, ab Oppiano *f* refertur inter ſaxatiles: Attici κέστραν, hoc eſt, *ſtimulum*, nominant, teſte Athenæo lib. VII. Apud quem legas, guſtu eſſe ingratum, at ſucci bonitate non aſpernandum. Sed plus alimenti præſtare, quàm congros, planè falſum eſt: ſive is Hiceſii apud Athenæum eſt error, ſive Athenæi ipſius, ſive librariorum: qua de re vide Caſaubonum.

Βελόνη, ſive ῥαφὶς, ſeu acus carnis eſt duræ, ac ſiccæ, eoque difficulter concoquitur. Diphilus apud Athenæum ait εὔχυλον *g*, Hiceſius κακόχυλον *h*. Sed potior Hiceſii ſententia eſt. Et fortaſſe ἄχυλος in Diphili verbis legendum.

Ζεὺς, qui & faber, carne minus durâ eſt, quàm rhombus; ut tradit Rondeletius *i*. Salvianus ſalubrem ait, ac ſuavem. Præcipuè olim commendatus eſt Gadibus: ut Columella refert lib. VIII, cap. XVI: *Atlantico paſcitur faber: qui & in noſtro Gadium municipio generoſiſſimis piſcibus adnumeratur, eumque priſca conſuetudine zeum appellamus.* Similiter Plinius lib. IX, cap. XVIII.

Σκίαινα, quod nomen & retinet Plinius *k*, (*umbram marinam* Ennius in Phageſiis *l* appellat) boni eſt ſucci, facilis digeſtionis, ſaporis grati, nutrimenti non admodum copioſi: ut eſt apud Xenocratem. Capite imprimis commendatur: cui comprobando lepidam narrat hiſtoriolam Paullus Jovius libri de piſcibus Romanis cap. V.

Marginal notes (left column):
a Lib. 3. de alim. facult. c. 28.
b Cap. 1.
c Lib. de aquatilibus pag. 847. edit. an. 1558.
d Cap. 22.
e Apud Zenobium, Diogenianum, & Suidam.
f Pro perca ſcorpium.
g Abſtine iis quibus nigra eſt cauda.
h Lib. Περὶ παίδων ἀγωγῆς.
i Epig. 94.
k Lib. 1. ſat. 4.
l In verbo pygæ punctis notatus.
m Sect. 4. fol. 25. e pit. Feſ. ſive Wechel. an. 1595.

Marginal notes (right column):
a Fol. 40. b.
b Lib. 7.
c In primo ὑγιεινῶν.
d Lib. 6. de piſc. mar. c. 4.
e Varro; Plinius, gloſſæ vett. in quibus legas: Sudis, σφύραινα, ἰχθὺς καὶ σκόλοψ.
f Lib. 1. Ἁλιευτ. verſ. 172.
g Boni ſucci.
h Mali ſucci.
i Lib. 11. de piſc. mar. c. 19.
k Lib. 32. cap. 11.
l Apud Appul. in Apol.

CAP. XXV.

Ex litoralibus primo agitur loco de mullo; qui & inter pelagios referri poſſit. Meliorem eſſe pelagium litorali, & in litoralibus deteriorem eſſe lutarium. Pro locis etiam eſſe diſcrimen. Quam immane olim fuerit mullorum pretium; idque imprimis ob jecur, & caput; cujus barba magno habita loco. Juvenalis locus enarratus. Ratio apparandi jecur. In ſociorum garo necari, vaſi etiam vitreo includi, ac ſic morientis colorem ſpectari ſolere. Eundem chryſendetis menſæ illatum. De ſargo, mullum comitante, ut excitatum, ſed relictum ab eo, pabulum comedat. Quantopere olim ſparus fuerit in deliciis,

licits, & quod juniorum de eo judicium. Mormyro unde nomen: deque ejus carne diſſenſus juniorum ab antiquis. Aurata qualis: item ſalpa, chalcis, mæna; deque hac Martialis, & Ciceronis loci aliter, ac ab aliis, expoſiti. De ſcorpii piſcis, & ſcorpænæ, item apuarum carne: adhæc orphi, ſynodontis, erythrini, milvi ſive lyræ, phagri, & ἐγκρασιχόλων.

A Saxatilibus provehor ad litorales. Ac primùm de crectis, ſive ſpiſſis, & corpulentis, dicendum.

Mullus, ut Galenus lib. III de alimentorum facult. *a* ait, carnem habet duram admodum, & valde friabilem: eoque nihil habet lentoris, & uberiùs piſcibus aliis nutrit: quam rem pluribus ibidem exponit. Xenocrates quoque, in luculento illo apud Oribaſium fragmento, ait obſoniorum eſſe præſtantiſſimum, ſtomachoque aptum, boni ſucci, ſapore gratum, concoctu haut facilem; ſed qui non difficulter admodum excernatur. Uterque verò, & Galenus, inquam, & Xenocrates, adhæc Plinius *b* quoque, diſcrimen faciunt in mullis: præcipuè verò commendant, qui altum, purumque mare incolit, & bonis veſcitur alimentis: non item litoralem, nedum lutarium, hoc eſt, in luto degentem, qui cancellos vorat. Archeſtatus *c* commendabat, ut delicatiores mullos ad Tichiunta, urbem agri Mileſii: Cratinus *d*, ac Nauſicrates *e*, comici, quos Æxonis dediſſet, pagus Atticus. Juvenalis ſat. V indicat, Romanis fuiſſe in pretio, quos miſiſſet Corſica, vel Taurominitana Siciliæ rupes. Sed nihil æquè arguit, quanti heret, quàm pretium: quod immane temporibus Tiberii Cæſaris erat; ut indicant illa Senecæ epiſt. XLV: *Mullum ingentis formæ (quare autem non & pondus adjicio, & aliorum gulam irrito? quatuor, & ad ſelibram, fuiſſe ajebant) Tiberius Cæſar, miſſum ſibi, cum in macellum deferri, & venire juſſiſſet: Amici, inquit, omnia me fallunt, niſi iſtum mullum, aut Apicius emerit, aut P. Octavius. Ultra illi ſpem conjectura proceſſit: licitati ſunt: vicit Octavius, & ingentem conſecutus eſt inter ſuos gloriam; cum quinque millibus HS emiſſet piſcem, quem Cæſar vendiderat; ne Apicius quidem emerat.* Id pretium, ſi, ut cenſeo, denarius valeat ſex ſtuferis, fuerit florenorum Belgicorum CL. Apud Juvenalem ſat. IV de Criſpino legas:

a Cap. 27.
b Lib 9. cap. 17.
c Apud Athenæum lib. 7.
d In Trophonio.
e In Naviculatoribus.

—— Mullum ſex millibus emit
Æquantem ſanè paribus ſeſtertia libris.

Mullus ille igitur ſex librarum emptus ſit florenis CLXXX. Apud Plinium *f* celebratur, *Aſinius Celere ſub Cajo Cæſare octo millibus nummûm unum mullum mercatus.* Quod fuerit florenorum CC XL. Hoc velut extremam prodigalitatem memorat. Majus tamen eſt, quod Tranquillus refert de Tiberio *g*: *Corinthiorum vaſorum pretia immenſum exarſiſſe, treſque mullos XXX millibus veniſſe, graviter conqueſtus eſt.* Sic quiſque mullus ſteterit denis millibus: hoc eſt, florenis CCC. Scribit Galenus lib. III de Aliment. Facult. *h* aliquando ſe rogâſſe quendam, qui grandi pretio ingentes eſſet mullos mercatus; cur eos piſces tantopere expeteret: illum reſpondiſſe, duo eſſe in cauſſâ, hepar, & caput. Ac apud Aëtium quoque legas lib. II, cap. LXXIX: Θαυμάζουσι δέ τινες τὸ ἧπαρ αὐτῆς, καὶ τὸν ἐγκέφαλον, ἡδονῆς ἕνεκεν· *Admirantur quidem ipſius jecur, & cerebrum, voluptatis cauſſâ.* Celebratur in capite etiam (ut Plinii *i* verbis utar) *gemina mullorum barba, quæ inſigniuntur inferiori labro.* Barbas vocat, ut γένειον Sophron apud Athenæum in VII. Quanti illas Heliogabalus fecerit, Lampridius dicet in ejus vita. Imò, jam Domitiani ævo, magno eſſe loco habitas, indicat illud Juvenalis ſat. VI:

f Lib. 9. cap. 17.
g Lib. 3. cap. 34
h Cap. 27.
i Lib. 9. cap. 17.

—— Cariturus turture magno,
Mullorumque jubis.

Ubi vetus interpres *jubas* interpretatur *criſtas*: malè profectò. Planè enim, abuſione duriori, ſed poëtæ conceſſâ, *jubas* pro *barbis* dixit. Hepar verò non ſolùm per ſe edi ſolet: ſed etiam imponebatur oleo, & garo, cum vini pauxillo: inque his eò uſque comminuebatur, donec ex iis, quæ dixi, ſuccus fieret unicus, in quo mulli carnes, quas ederent, tingebant. Auctor ejus Galenus, loco antè memorato. Succum iſtum *halecem* dixere; ut indicat Plinius: qui auctor etiam eſt, ut in ſociorum garo mullum necarint. Sic enim ille lib. IX, cap. XVII: *M. Apicius, ad omne luxus ingenium mirus, in ſociorum garo (nam ea quoque res cognomen invenit) necare eos præcellens putavit, atque ex jecore eorum excogitare provocavit halecem.* Seneca ſimiliter lib. III Nat. quæſt. cap. XVII: *Alios necant in garo, & condiunt vivos.* Ut rectè in Hippolyto Salviano culpet Ludovicus Nonius *a*, quòd in Plinio *b* pro *necare* legere mallet *ſiccare*. Inventi ejus ſiqua eſt gloria; ea non penes Apicium, ſed Græcos fuit. Eſt enim Platonis Comici *c*: Ἐν σαπρῷ γάρῳ βάπτοντές ἀποπνίξουσί με. *In putrido garo ſubmergentes ſuffocabunt me.* Nec ſatis erat ſic necare, niſi vitreamini incluſus moriens ſpectaretur: unde Seneca loco antè memorato: *In cubili natant piſces, & ſub ipſa menſa capitur, qui ſtatim transferatur in menſam. Parum videtur recens mullus, niſi qui in convivæ manu moritur. Vitreis ollis incluſi offeruntur, & obſervatur morientium color quem in multas mutationes mors luctante ſpiritu vertit.* Pluraque mihi, quibus hunc morem eleganter deſcribit, & exagitat. Illud etiam ad luxum pertinebat, quòd tanti pretii piſcem in menſam vaſis deferrent aureis, quibus illigarentur gemmæ: unde & vaſa ejuſmodi a gemmis auro inſertis χρυσένδετα vocabantur. Martialis lib. II, epigr. XLIII:

a Lib. 3. de re cibaria, cap. 27.
b Loco proxime allato.
c Apud Athenæum lib. 2. ubi de garo.

Immodicis tibi flava tegunt chryſendeta mulli.

Diutiùs inſtitimus mullo, quia, ut ſcarus in ſaxatilibus, ita hic inter litorales, tenet primas. In cæteris erimus breviores.

Mullum excipiat ſargus, quia mullum ſemper comitatur, ac ubi is lutum fodit, eo abeunte reliquias excitati vorat pabuli: ut ab Ariſtotele *d*, & Plinio, proditum eſt. Eum inter delicatos repoſuit Epicharmus Hebes nuptiis. Abunde nutrire, magis etiam melanuro, tradidit Hiceſius. Sed difficulter concoqui, retulit Archeſtratus. Plenius de iſtis Athenæus *e*.

d Lib. 8. Hiſt. An. cap. 2.
e Lib. 7.

Sargum ſequatur ſparus, quando eos conjunxit Epicharmus Hebes nuptiis: ubi eos tam delicatos dixit, ut neque ſtercus illorum abjicere fas ſit Diis *f*. Eoſdem etiam ſociavit Matron parodus. Verba habes apud Athenæum *g*. Qui & Hiceſii, ac Diphili judicium adducit. Hiceſii quidem tale: εὐχυλότερον εἶναι μαινίδος, καὶ ἄλλων τῶν πλειόνων τροφιμώτερον· *melioris ſucci eſſe, quàm mænidem, & magis nutrire aliis multis.* Salvianus mediæ ait naturæ inter molles duroſque, inque ſalubribus potiùs, quàm ſaluberrimis, reponi oportere.

f Epicharmi verba adduximus cap. 24.
g Lib. 7.

Matron *h* ſparo ſpargoque jungit mormyrum: ut Plinius etiam vocat, qui Oppiano *i* μορμύλος, &, Euſtathio *k* judice, nomen hoc eſt ſortitus ἀπὸ τοῦ μορμύρειν, hoc eſt, *murmure*, quod undæ, dum rapidè per eas fertur, edere videntur. τροφιμώτατον *l* eſſe, ait Hiceſius apud Athenæum lib. VII. Sed improbant Salvianus, ac Rondeletius: quia carne ſit molli, & inſipidâ, lutumque redolente. Archeſtrati quoque eſt apud Athenæum *m*:

h Athenæi lib 7.
i Lib. 1. Ἁλιευτ. vers. 100. & alibi.
k In Iliad. Ξ, pag. 1151. edit. Rom.
l Valde nutrientem.
m Lib. 7.

Μορμύλος αἰγιαλεὺς κακὸς ἰχθὺς, οὐδέποτ' ἐσθλός.
Litoreus malus eſt, bonus haut eſt marmylus unquam.

Aurata ſive orata, quæ Græcis χρύσοφρυς, Athenæo lib. VII etiam ἰωνίσκος, miſtè celebratur ibidem ab Hiceſio, & Mattone parodo. Epheſiam oratam commendat apud eundem Archeſtratus: illam Lucrini lacus Martialis lib. XIII, epigr. XC:

Non omnis laudem, pretiumque, aurata meretur:
Sed cui ſolus erit concha Lucrina cibus.

Eſt orata carnis candidæ, ſolidæ, denſæ, ſucci boni, digeſtu facilis, bene nutriens, nec excretu difficilis; ut eſt apud Xenocratem.

Σάλπαι *a*, quæ & βῶες *b*, ut ait Pancrates *c* apud Athenæum *d*, elegantiorum menſis damnatur: unde Ovidius in Halieut.

—— Meritò viliſſima ſalpa.

Plinio *e* item *obſcæna* dicitur: qui & negat percoqui poſſe, niſi ferulâ perculſam. Improbant ſimiliter apud Athenæum Archeſtratus, Diphilus, & ante hos Epicharmus, qui in nuptiis Hebes σκατοφάγον, *merdivoram* dixit, ac βδελυρὸν, *fœtidam*.

a Salpæ. b Boves. c In operibus marinis. d Lib. 7. e Lib. 9. cap. 18.

Chalcides non pelagus modò, & petras, ſed litora etiam petere, tradit Oppiano *f*. Parùm nutrire, Hiceſius docet apud Athenæum *g*: quippe αὐχμώδεις, καὶ ἀλιπεῖς, καὶ ἄχυλας· *ſqualidos, ac parum pingues, & exigui ſucci.*

f Lib 1. Ἁλιευτ. verſ. 47. g Lib 7. ubi de chalcide.

Mænæ etiam viles. Unde Martialis lib. XII, epigr. XXXII:

Fuiſſe gerres, aut inutiles mænas,
Odor impudicus urcei fatebatur.

Et Cicero lib. de fin. bon. & mal. *Qui enim voluptates ipſas contemnunt, eis licet dicere, ſe acipenſerem mænæ non anteponere.* Mirum autem, ex hoc loco colligere Ulyſſem Aldrovandum *h*, fuiſſe commendatas in cibo, cùm contrarium ſignificet Tullius. In adlato etiam Martialis loco miror, putâſſe Rondeletium *i* pro *urcei* legendum eſſe *hirci*, ob hircorum fœtorem; unde τραγίζειν Ariſtoteli, ut Latinis *hirquitallire* dicuntur, qui hircum olent; teſte Cenſorino *k*. Huic enim ſententiæ planè reclamat lex pedaria: cujus non ſatis gnarus fuiſſe doctiſſimus Rondeletius videtur. Nec mænæ, ſalpæ, mormyli, & ſimilium vilitas derogat providentiæ divinæ: quin eam potius adſtruit: quia paupertinæ etiam ſortis hominibus conſulendum fuit.

h De piſc. lib. 2 pag. 215. i Lib 5. de piſc. marin. cap 13. k Cap. 14.

Scorpius item marinus ex Hiceſii ſententia, ut in pelagiis eſt, de quibus poſtea agemus; ita in cœnoſis etiam litoribus vivit. Atque inter litorales quoque recenſet Salvianus, & cum eo Aldrovandus. Cœnoſo loco, ut nigrior, ſic pejor eſt; eodem teſte Hiceſio: qui ſcorpænam ab eo tradit ſuperari ſuavitate carnis, ac bonitate nutrimenti. Scorpænam autem ſaporis non ingrati eſſe, Xenocrates tradidit. Quod de ea capiendum, quæ in puriori vivit aqua; cùm alioqui piſcis ſit inſuavis, ac vilis. Jus ſcorpii quale fuerit, Apicius tradit lib. X, cap. XIII.

Apuæ ſunt humidæ, & flatulentæ: ut ex Mneſitheo apud Athenæum *l* videmus. Ventremque idem ſolvere ait. Sed difficulter concoqui, Diphilus tradit apud eundem *m*.

l Lib. 8. edit. Lugd. an. 1612 pag 357. m Paullo ante, pag. 356.

Orphus duræ eſt carnis, concoctu difficilis, ſucci craſſi, ſalſique: ut Philotimus ait apud Galenum lib. III de Alim. cap. XXX. Cui Galenus in iſto refragatur, quòd attinet ſalſedinem. Nempe quia, ſi ſalſa diutiùs coquantur, jus quidem ſive liquor capiat ſalſuginis incrementum; ipſa verò fiant dulciora. Quanto autem in pretio fuerit olim, arguit, quòd Archippo apud Athenæum *n* dicatur ἱερεὺς ὃ θεοῦ, *Dei ſacerdos*.

n Lib. 7. ubi de Orpho.

Συνόδων, ſive συνόδους, qui *dentex* Columellæ *o*, & Apicio *p*, & ſecuto hos Gazæ *q* vocatur, inter lautitias ab Antiphane *r*, & Hiceſio *s* refertur apud Athenæum. Alvum ciere, Xenocrates ait: ſed adſtringere cenſuit Hiceſius. *t*

o Lib. 8. cap. 16. p Lib. 10. cap 4. q Ariſt. Hiſt. An. l. 2. c. 13. & 15. l. 8. c. 2. & 13; lib. 9. c. 2. r Lib. 7. ubi de ſynodonte. s Eodem lib. ubi de phagro. t Ibid.

Erythrinus, ſive erythinus (utraque enim ſcribendi ratio in vett. invenitur codd.) Plinio eſt *rubellio*; ſicuti & Apicio lib. X, cap. VII, ubi apparandi ejus rationem docet. Saporis eſt grati, & uberis alimenti; teſte Xenocrate. Quod verò ad Pythagoræ illud, Μὴ ἐρυθῖνον ἐσθίειν; is, quia piſcis ille coloris ſit rubri, ac ſanguinei, unde & nomen ſortitus fuit; eò innuit, cavendum eſſe ab ſanguinis effuſione: ac fortaſſe etiam interdixit, ne ſanguine veſcerentur; uti eo, ac ſuffocatis, abſtinuere Hebræi.

u Lib. 3. de Alim fac. cap. 31.

Litorales etiam, ac ſquamoſi, ſunt cuculi; quos duræ eſſe carnis, Philotimus apud Galenum *u* eſt auctor. Milvus verò, qui & ipſe eſt inter litorales ſquamoſos, eo eſt durior: ut Diphilus ait apud Athenæum. Propterea elixus præſtat aſſato. Lyra, quam Rondeletius *x* ait Belgis dici *Lechan* (*zeehaen* dicere voluit, q. d. *gallum marinum*) eidem carnis eſt duræ, & ſiccæ; at ſuavis interim. *Lyra* autem dictus, vel quia roſtri cornua referant figuram veteris lyræ; vel quòd grunnitum edat, qui agreſtibus auribus aliquomodo lyræ ſonum referre videatur.

x Lib. 10. de piſcibus marinis, cap. 10.

Φάγρος, ſive pagrus, ſat nutrit: de quo Hiceſius apud Athenæum *a*. Addit quoque, eſſe dulcem, & adſtringentem. Sed contrà eſt, quia alvum ciet. Diphilus apud eundem fluviatili præfert marinum, de quo nunc loquimur. Concoctu eſſe difficilem, tradit Simeon Sethi: ut quidem eſt in tralatione Gyraldi; illâ etiam, quam Dominicus Montheſaurus Veronenſis emendavit.

a Lib. 7.

Ἐγκρασίχολοι, ſi ſale condiantur, & exponantur Soli, donec caro fuerit diſſoluta, vim accipiunt excitandi appetitum dejectum: uti & craſſam attenuandi pituitam, item ciendi alvum. Quale ſit piſcis genus, haut facile ſcias ex Ariſtotele. Nam ſola ex apua, quæ in Athenienſi eſt portu, naſci ait lib. VI Hiſt. Anim. cap. XV *b*. Sed Græcis non ſatis notæ erant maris partes, quæ ſpectant Occidentem. Nam è Liguria, Gallia Narbonenſi, atque aliis locis, muriâ ſalitos, in varias deportabant terras. Et Athenæus, rerum talium curioſiſſimus, naſci ait ex apua cobite. De etymo vocabuli dictum cap. IX. Alter vocantur ἐγγραύλεις. Unde *encraulos* (*engraules* ſcribere oportuit) Gaza tranſtulit apud Ariſtotelem loco memorato. Ab magno oris rictu Æliano, & aliis, λυκόστομοι vocantur. Hodie appellantur *anchoies*. Eoſdem ſignat Plinius, cùm lib. XXXI, cap. VIII garum fieri ait ex piſce mutilato, hoc eſt, cui caput ſit truncatum, viſceraque omnia exemta.

b Secundum diſt. Caſ. Scal. cap. 14. ſect. 173.

Cap. XXVI.

De litoralibus erectis, ſed non ſquamoſis. De ſcombri carne, & garo ex ejus inteſtinis eliquato. Hoc garum ſociorum *dici ſolere; deque eo rejecta opinio illorum, qui* alſociorum, aſotorum, *vel* Soſiorum *legunt. De carne trachuri, coliæ, ſive lacerti, corvi, uranoſcopi, ſauri. De piſcibus planis, ſive jacentibus; paſſere, ſolea, rhombo.*

QUos memoravimus, litorales ſunt piſces, non ſpinoſi; atque hi erecti, non plani; ſquamoſi interim: præter quos alii ſunt, litorales, erecti & ipſi, non tamen ſquamoſi, ſed lævi cute prædit. Eorum celeberrimus ſcomber, Gallis, uti & Angelis, ac Belgis, *maquerellus* vocatus. Hic, etſi de eo benignè ſatis judicent apud Athenæum Diphilus, & Hiceſius, omnino tamen ſucci eſt craſſi ac viſcoſi, & difficilis concoctionis: ac propterea, quò pinguedo ejus liqueſcat, ſaliri ſolet. Ex ſanie verò putreſcentium eliquabant garum laudatiſſimum: de quo Plinius lib. XXXI, cap. VII. Hinc Martialis in Xeniis *a*:

Exſpirantis adhuc ſcombri de ſanguine primo
Accipe faſtoſum munera cara garum.

a Epig. 102. al. 99.

Sociorum garum dixere, quia à ſociis populi Romani apportaretur: quales Hiſpani; unde idem Martialis in iiſdem *b*:

Heſperius ſcombri temperet ova liquor.

b Ep. 40.

Nimirum Carthagine Novâ ſeu Spartariâ fiebat: atque id tanti precii, ut nullus, præter unguenta, liquor cariùs divenderetur; teſte Plinio *c*. Odoris tamen fuiſſe ingrati, indicat hoc poëtæ *d* antè memorati:

Unguentum fuerat, quod onyx modò parva gerebat.
Olfecit poſtquam Papilus, ecce, garum eſt.

c Lib. 31. cap. 7. d Lib 7. ep. 93 ſive al. 94.

Uſum ejus hodieque eſſe Conſtantinopoli, traditum eſt Bellonio. Quod verò Joannes Langius in epiſt. Med. *e* putat, Plinium *f* vocaſſe garum *aſſociorum*, atque hoc valere *aſotorum*: id tam docto viro planè indignum. Sanè *ſociorum* etiam appellavit Seneca epiſt. XCV *g*: *Quid illud ſociorum garum, pretioſam malorum piſcium ſaniem, non credis urere ſalſâ tabe præcordia?*

e Lib. 1. epiſt. 59. f Lib 9. cap. 17 & lib. 32. cap. 7. g Sive lib. 15. ep. 1.

Ha-

Habes & apud Martialem in Xeniis lemmate epigr. xcix, ubi veram lectionem retinuit Aldina *a*. Item Auſonium epiſt. xxi ad Paullinum. Imò apud Galenum lib. iii de Compoſitione Medic. ſec. loc. leges, Γάρυ μέλανος, Ρωμαίοις λεγομένου Σοκιώρουμ. *Gari nigri, quod Romanis Sociorum dicitur.* Sic enim reſcribendum: ubi perperam in Aldina *b*, ὀκιτόρυ; in Baſileenſi, ἐχιτόρυ. Atque hac multiplici autoritate etiam eos eſt refellere, qui *Soſiorum* reſcribunt: quaſi id nomen impoſitum ſit à Soſiorum apud Romanos familia, memoratâ Tullio non ſemel *c*, & Horatio in arte, atque alibi. Sed ut non dubitandum, quin recta ſit *ſociorum* appellatio: ita haut æquè apertum, an non veriùs *ſociorum* dicatur, quaſi ſodalium, ſive cœtûs ſocialis, qui gulæ cauſſa conveniſſet. Sed magis placet, quod priori loco dicebamus. Variam garorum confectionem docent Geoponica Conſtantino tributa lib. xx, cap. ult. Legas iſtic, garum αἱμάτιον *d* cæteris eſſe præſtantius. Videtur idem eſſe, ac illud ſociorum: quod Galeno in verbis adlatis μέλαν *e*: quomodo & Aëtius vocat lib. iii, cap. lxxxii. Πρωτεῖον *f* nominat Paullus Ægineta. Eo autem *nigrum*, & *ſanguineum* dicebatur, quoniam conficeret ex piſcium cruore; qui nigroris iſtius erat cauſſa.

Scombro ſubdam τράχουρον, quando & is litoralis eſt, & ob oris ſimilitudinem Gallis dicitur *maquereau baſtard*: q. d. *ſcombrum nothum*. Aridum vocat Diphilus apud Athen. Duræ eſſe carnis, eoque difficulter concoqui, & ſuccos gignere craſſos, judicium erat Philotimi, cui aſſentit Galenus *g*.

Magna etiam cum ſcombro affinitas eſt piſci, qui Ariſtoteli *h* κολίας, alicubi etiam Plinio *i*, lacertus autem dicitur Columellæ *k*, Cornelio Celſo *l*, Martiali *m*. Xenocrates tradit ſtomacho eſſe ingratum, aridum, malique ſucci, nec facile excerni: ubertim interea nutrire. Rationem apparandi apud Apicium habes lib. iv, cap. ii, & lib. x, cap. ix.

Corvus, qui Athenæo *n* κορακῖνος, difficulter concoquitur: interim grati eſt ſaporis: ut oſtendunt illa Cornelii Celſi lib. ii, cap. xvii: *Piſcium eorum, qui ex media* (bene maleque nutrientium) *materia ſunt, quibus maximè utimur, tamen graviſſimi ſunt; ex quibus ſalſamenta quoque fieri poſſunt: qualis lacertus eſt: deinde qui, quamvis teneriores ſint, tamen duri ſunt: ut aurata, corvus, ſcarus, oculata.*

Uranoſcopus etiam, ſive callionymus, inter litorales eſt Ariſtoteli lib. viii Hiſt. Anim. cap. xiii. Is comeditur quidem, ſecundùm quoſdam; ut Ælianus tradit lib. xi Hiſt. Anim. cap. xxxiv: ſed nonniſi à plebejis; idque quia, ut viroſi eſt odoris, unde βαρὺς *o* Diphilo vocatur apud Athenæum; ita & ſaporis ſit ingrati. Id verò Rondeletius *p* inde eſſe cenſet, quia cœnoſis veſcatur aquis.

Eſt & hujus loci σαῦρος, quem Æliani *q* interpres Gillius *lacertum* vertit, cùm is potiùs κολίας videatur; ut paullò ante diximus. Corpore eſt oblongo, ac rotundo: unde Speuſippus in ſecundo ſimilium *r* ſphyrænam, acum, & ſaurum, conjunxit. Molli eſſe carne, ait Philotimus apud Galenum lib. iii de Aliment. Ipſi tamen Galeno *s* mediæ eſt naturæ inter illos carnis mollis, duræque: uti & ſaporis eſt, nec inſipidi, nec admodum delicati. Rationem apparatus Alexis apud Athenæum docet.

Atque hi litoralium piſcium ſunt longi, & corpulenti: quales Columella *erectos* vocat. His opponuntur illi, quorum latera in tenuitatem degenerant. Græci nominant πλατεῖς, hoc eſt, *latos*. Columella appellat *proſtratos*. Sic enim ille lib. viii, cap. xvii: *Eadem prabentur cibaria & proſtratis piſcibus, & erectis.* Nec tamen nunc cunctis de proſtratis dicemus; ſed duntaxat ſpinas habentibus. Nam de cartilagineis ſeorſum agemus. Hujus igitur loci ſunt paſſer, ſolea, rhombus: quos iccirco junxit quoque Plinius lib. ix, cap. xx, & eo prior Columella lib. viii, cap. xvi, & ante utrumque Ovidius: cujus illa in Halieutico:

a Aliqui libb. perperam, garum ſcombrorum, pro ſociorum.
b Tom. 2. fol. 111. b.
c Lib. 8 ad Att. ep. 6. & lib. 3 de Nat. Deor.
d Sanguineum.
e Nigrum.
f Primarium.
g Lib. 3 de al. facult. cap. 31.
h Lib. 9 Hiſt. An. cap. 2.
i Lib. 32. cap. 11.
k Lib. 8. cap. 17.
l Lib. 2. cap. 17.
m Lib. 7. ep. 77.
n Lib. 7. Idem Heſychio κορακῖνος.
o Gravis.
p Lib. 10 de piſc. marinis, cap. 13.
q Lib. 11. cap. 49.
r Apud Athenæum lib. 7.
s Cap. 30.

Fulgentes ſolea candore, & concolor illis
Paſſer, & Adriaco mirandus litore rhombus.

Priuſquam exponam diſcrimen horum in cibis, de proprietate vocabulorum pauca dicam. Nec enim, non intellectis vocabulis, res poſſunt intelligi. Paſſer Græcis ψῆττα. Subinde tamen vox Græca, imò & Latina, laxè accipitur, ſic ut comprehendat piſces ψηττώδεις, ſive paſſerinos, hoc eſt, planos omnes, qui prædit ſint ſpinis. Sic uſus Athenæus, cùm in vii ait, ψῆτταν à Romanis vocari *rhombum*. Imò Ariſtoteles etiam, qui nuſquam nominat rhombum; ſed pro eo dicit ψῆτταν. Ut omnino rectè ſcripſerit Jovius *a*, ψῆτταν genus eſſe paſſeris, ſoleæ, & rhombi.

Sed propriè paſſer, qui vulgo Belgis *ſcholle*, vel etiam *platyſe*: nempe à *plateſſa*, quomodo Auſonio vocatur in Moſella. *Plateſſa* autem, quia piſcis πλατύς *b*. Videtur interim eo nomine, præter memoratum piſcem, etiam contineri, qui nobis *eelbot* nominatur. *Paſſeris* nomen, ut vulgaris eſt opinio, ſic vocatur, quia inſtar avis paſſeris parte ſupinâ candidus ſit, pronâ autem terrei coloris. Sed Cæſari Scaligero aſſentio: qui comment. in Ariſt. Hiſt. Anim. *c* ſic appellari ait, quia ſe pandat: nempe quâ ſignificatione dicimus *paſſis velis*, vel *capillis*. *Soleæ* vocabulum eſt à ſimilitudine plantæ humanæ. Eadem & Græcis βούγλωσσος, & βούγλωσσα, & βούγλωσσον. Heſychius quidem σανδάλιον, & ψῆτταν, exponit. Nomen inde, quia referat linguam bubulam: niſi, ut puto, βοῦ hic ſit ἐπιτατικὸν *d*. Latinis *lingulaca* dicitur: vel potiùs piſcis eſt haut abſimilis. Nam diſtinguit Plautus Caſinâ *e*: ubi Olympio in forum mittitur piſcarium, ut emat ſoleas, & lingulacas. Belgis quoque *tonge* nominatur. Rhombus iiſdem *tarbot*, vel *terbot*. Hic eo differt à paſſere, quòd, rhombo reſupinato, dexter paſſeri ſitus appareat lævus: ut Plinius ait lib. ix, cap. xx. Satis de vocibus.

Quod rem cibariam attinet, paſſerem Romanis in pretio fuiſſe, indicat Horatius lib. ii, ſat. viii. Solea interim, ut carne eſt mollior, ita ſaporis etiam gratioris. Itaque Henricus III, Galliarum Rex, Quadrageſimæ tempore ob bonitatem ſaporis, & facilem concoctionem, ejus eſu imprimis capiebatur, ut in Diætetico ſuo Polyhiſtorico tradit Joſ. Quercetanus cap. vii. Imò & Galenus lib. viii Methodi Medendi poſt aſellos, ac ſaxatiles, proximam ſolearum laudem facit. De attenuanti etiam victus ratione cap. vi, bugloſſos præcipit, ſi ſaxatiles nequeant haberi. Eos eſſe lingulacas, vel ſimilis figuræ, ac indolis, antea nobis dictum fuit. Bugloſſam, imò omnem ψῆτταν, hoc eſt, & paſſerem, & ſoleam, & rhombum, bene nutrire, Diphili eſt judicium apud Athenæum. De rhombo tamen paullo aliter Xenocrates in memorato ſæpius fragmento apud Oribaſium. Nam concoctu ait difficilem: atque auctor eſt, ut antequam coquatur, unum adſervetur diem. Et favet illi Philotimus, cùm enumerans piſces carnis mollis, in iis citharos, qui fortaſſe ſunt rhombi læves; non item rhombos, nempe aculeatos illos, reponit. Sic facilè eum vindicaris à reprehenſione Galeni in iii de Facult. Aliment. vel potiùs Philotimum cum Galeno conciliaveris. Aliter etiam concilies, quia grandioribus rhombis non eadem eſt ſalubritas, non ſapor idem, ac junioribus. Ac de junioribus præcipuè capiendum, quod in proverbium abiit. Nihil ad rhombum.

a Lib. de piſcibus Romanis cap. 25.
b Latus.
c Lib. 2. cap. 16. ſect. 109.
d Significationem intendens.
e Act. 2. ſc. 8.

CAP. XXVII.

De piſcium pelagiorum nutrimento. Ac primùm de ſquamatis: ut de aſello tam callaria, quàm baccho: & unde prioris Gallicum, ac Belgicum nomen. De tinca, & harengo: item hippuro, & channo: quorum & etymon adfertur. Unde ſit, quòd piſcium nonnullis ventriculus procidat in os. De pelagiis non ſquamatis: ut congro. Quid ſit exdorſuare, *&* exoſſare. *De muranis, & amiis, & unde amiis ſit nomen. De xiphia.*

SEquuntur ex habentibus ſpinas (nam de cartilagineis ſeorſum videbimus) marinorum illi, qui eo quod in penitiori degant mari, pelagii vocantur. Hi à ſubſtantia cutis dividuntur in ſquamatos, ac læves.

Squamas habet aſellus, qui bonitate carnis cum ſaxatilibus contendit: ut eſt apud Galenum *a*. Diphilus quoque boni eſſe ſucci agnoſcit: ſed negat faciles eſſe concoctu: imò putat, aliquid habere viroſi: quod poſtremum de iis capere oportet, qui alimento utuntur malo; eoque lentorem contrahunt, & alimentum efficiunt excrementitium. Jecore & delicato, & magno, facilè piſces exſuperat cæteros. *Aſellorum* autem nomine complector, & minorem callariam *b*, & majorem bacchum: de quibus ſic Plin. lib. IX, cap. VII: *Callariæ minores, & bacchi, qui non niſi in alto capiuntur, ideoque prælati minoribus.* Eſt verò callarias, qui Dorioni apud Athenæum *c* ὀνίσκος, à quo tamen Oppianus *d* diſtinguit. Tria quippe ei aſellorum ſunt genera, ὄνος, ὀνίσκος, & χελλαρίας: quæ vox contrahitur ex χαλλαρίας. Gallis vocatur *merlucius*, quaſi *maris lucius*: Belgis *ſchelviſch*; quod nomen non à Scaldi fluvio imponitur (eſt enim piſcis marinus) ſed contrahitur ex *aſellus-piſcis*: ut ex *balæna-piſcis* fecere *walviſch*. Verùm in priori κατ' ἀφαίρεσιν præciſum eſt A: ut ex ἀμέλγω, *riva*, ex ἀμέλγω, *mulgeo*. Bacchus eſt is, qui, dum junior, Hollandis vocatur *bolck*; adultior verò, *cabeljau*. Qua mente aſellus in ventriculo cor habere ab Ariſtotele *e* dictus ſit: Hieronymus Mercurialis dicet Variarum Lect. Lib. IV, cap. XVI.

Tinca bonitate carnis cedit callariæ; nec figura eſt diſſimilis: ſic ut eâ deceptus Salvianus eundem putarit piſcem. Omnino autem fluviatilis eſt: de quo iccirco inferius dicemus.

Harengi noſtri tot bona qui ſatis prædicet? Vox ipſa eſt nova; ſed fortaſſe ex Græco τάριχος, quia ſale conditur; unde & *pekelharing* vocatur quaſi *muriaticum harengum* dixeris. Solùm injicit ſcrupulum, quòd piſcis iſte, nec recens, nec ſalitus, Romanis, ut Græcis, fuiſſe cognitus videatur: ut diximus cap. ſecundo.

Quanto glaucus fuerit in honore, ex Epicharmo, Eubulo, Anaxandride, & aliis, Athenæus *f* docet. Interea quantum ſuperat ſparum, tantum vincitur à lupo: ut eſt apud Xenocratem. Tralliano etiam inter durioris carnis piſces recenſetur. Contra morem ſquamoſorum non minùs eſt bonus, quando eſt gravidus, quàm cùm non gravidus; teſte Ariſtotele *g*. Quos Romani maximè æſtimarint, docet hoc Ennii in Phageticis *h*:

Surrenti f..c emas glaucum, & Cumas apud ——

Ubi legere malim:

Surrenti channas i, *glaucum & Cumas apud.* ——

Ab Ovidio, & Oppiano, inter pelagios etiam refertur hippurus, ſic dictus, quia pinnarum longitudine caudam referat equinam; vel potiùs, quia inſtar equi ὀρμᾷ, hoc eſt, *ruit*, ſive concito fertur gradu. Caryſtium imprimis laudabat Archeſtratus *k*: quod eo mirandum magis, quia iſtius loci piſces ſoleant eſſe viliores. Ut ſuavem, commendabat Epicharmus in Hebes nuptiis, & Matron parodus: uterque apud Athenæum. Rondeletio videtur eſſe Hiſpanorum *lampugo*: qui carne eſt pingui, ac ſuavi, ſed duriori; ut glauci, thunnique. Aliis tamen *lampugo* potiùs *amia* videtur. Sed hos ubertim refellit Rondeletius *l*.

Pelagiis quoque in piſcibus Ariſtoteles lib. VIII Hiſt. Anim. cap. XIII, ac ſimiliter Ovidius in Halieuticis, recenſent χάννον, ſive χάννην, piſcem mandibulis ita affectum, ut hiare ſemper videatur; unde & χάννη nomen, teſte Euſtathio *m*: ac Gaza propterea *hiatulam* vertit. Eſt ex piſcium illis, quibus, ut & ſynodonti, dum minores inſectantur piſces, gula procidat in os, nimiam ob ingluviem. Gulâ enim, ut piſcium pars maxima, deſtituitur: eoque ventriculus ori propinquus, imò rectis ei fibris annexus, facile, dum aliquid deglutiendum, in magno cibi appetitu, ſurſum procurrit: ut Ariſtoteles tradit lib. II Hiſt. Anim. cap. XVII, & ex eo Galenus lib. III de facult. natural. Diphilus apud Athenæum in VIII tradit, carne

a Lib. 3 de Alim. Fac. cap. 30.
b Sive χαλλαρίας, ut ſcribitur apud Athenæum lib. 7. ubi de muræna.
c Lib. 7. ubi de muræna.
d Lib. 1 Ἁλιευτ.
e Apud Athenæum lib 7 & Clementem Alex. Pædag. lib. 1. Ac ſimiliter Athenæus lib. 7. ubi de ὄνῳ ſive ὀνίσκῳ.
f Lib. 7. in Γλαῦκος.
g Lib. 8 Hiſt. An. cap. ult.
h Apud Apul. Apol. 1.
i De quibus mox dicetur. Scaliger lopadas. Sed ad veterem, puto, lectionem propius acceſſimus.
k Apud Athenæum lib. 7 in piſcibus ab I incipientibus.
l Lib 9 de piſc. marin. c. 19
m Locum editionis Rom. annotavimus ad oram cap. 21.

eſſe tenerâ; ſed duriori tamen, quàm percæ. Xenocrates monet, ſi channus ſartagine coquatur, ori eſſe gratum, ſed ſtomacho nocere. Pro inſipido ac vili, habet Salvianus. Atque hæc de pelagiis ſquamatis ſufficere arbitror.

Venio ad pelagios ſquamis carentes. Talis eſt conger: qui quanto olim in pretio fuerit, ex Philemone Comico in Milite, & Archeſtrato item in Gaſtronomia, & aliis liquet ſcriptoribus ab Athenæo adductis lib. VII. Etiam rationem eum coquendi idem Athenæus docet lib. XIV. Plauti quoque eſt Aululariâ act. II, ſc. IX:

Dromo, deſquama piſces: tu Machario,
Congrum, murænam exdorſua, quantum potes.
Atque omnia, dum abſum hinc, exoſſata fac ſient.

Sed poſtremus verſus, ut in Camerarianâ, & Duziacâ editione exſtat; ita à vett. libris abeſt; etiam edit. Venetâ, quæ cum Saraceni, Petri Vallæ, Pyladæ, & aliorum notis prodiit *a*. Nec dubitandum, quin ſpurius ſit. Sed Terentii eſt Adelph. act. III, ſc. III:

—— *Piſces cæteros purga, Dromo:*
Congrum iſtum maximum in aqua ſinito ludere
Tantiſper: ubi ego rediero, exoſſabitur.

Plauto *exdorſuare* eſſe *dorſum confringere*, facilè credo Feſto. Sed *exoſſare* quid ſit, non æquè eſt apertum. Nam cùm non aliùs ſit piſcis exos, quàm qui oſſibus, ac ſpinis caret, aliud erit *exoſſare*, quàm *exenterare*. Quare *exoſſare* potiùs ſit frangere os ſive ſpinam; ſimili locutione ac dicimus *exdorſuare*. Verè autem piſcis exoſſatur artificio quodam eximendi ſpinas majores per os, minoribus relictis, ſed conciſis: piſce interim, cum menſæ imponitur, nullo id indicio teſtante. Quod artificium apud elegantiores Belgas, ſed ab extraneis, puto, edoctos, à paucis demum annis obtinere cœpit.

Nec ſquamas, ſed levem habet cutem muræna. Quæ in magno honore, Sicula imprimis, apud Romanos fuit: ſicut argumento erit, quòd hinc cognomentum fuerit Murænæ: item Tullii illud lib. VII, epiſt. XXVII, quæ ad Gallum: *Qui me oſtreis, & murænis, facilè abſtinebam.* Quæque de C. Hirrii murænis, & villa ejus, legere eſt apud Varronem, Columellam, Macrobium. Quomodo apparetur, ex Apicio videre eſt lib. X, cap. II.

Parte circa branchias exceptâ, lævis etiam cutis ſunt amiæ. Hæ, Hiceſii apud Athenæum judicio, carnis ſunt teneræ, ſucci boni, parcè interim nutriunt; ad excernendum mediæ ſunt naturæ. Ut pingues, nec non ſuaves & delicatos, apud eundem laudarunt Archippus, & Epicharmus. Nec obſtat, quòd Philotimus apud Galenum in III de Alim. facult. amias inter piſces duræ carnis recenſere videatur. Nam jamdiu Rondeletius, ac Salvianus, viderunt pro ἀμίαι iſtic legendum eſſe χαμίαι; qui piſcis eſt duræ carnis, quippe cartilagineus. Nomen huic piſci ex eo eſt, quia non ſolitarius, ſed gregatim natet: ſive ſit ex α στερητικοῦ *b*, & μία, una: ſive παρὰ τὸ ἅμα ἰέναι, *quia ſimul eant*. Æliano dicitur τρώκτης, ἀπὸ τοῦ τρώγειν *c*. Eaque deceptus ſimilitudine nominis cum trutta, fluviali piſce, ambos confudit Paullus Jovius *d*: eique hac in re præivit Raphael Volaterranus *e*.

Cutis etiam levis eſt piſci, qui *gladius* à figura dicitur Plinio, & Græcis ſimiliter ξιφίας: uti & Ovidio, cujus eſt in Halieut.

At durus xiphias ictu non mitior enſis.

Mneſitheus *f* difficulter ait concoqui: ſed concoctum bene nutrire. Simeon Sethi tradit, non modò difficilis eſſe concoctionis: verùm mali etiam ſucci: eoque abſtinendum eo eſſe, niſi acriori corrigatur condimento, ac ſuperbibatur vinum annoſum, & tenue.

a An. 1518.
b Privativo.
c A vorando.
d De piſcibus Romanis c. 35.
e Philologias lib. 25. cap. de piſcibus.
f Apud Athen.

Cap. XXVIII.

De marinis cartilagineis. Unde ea dicantur σελάχη, & an primus ſic vocarit Ariſtoteles. Cur cartilaginea cuncta ſquamis careant. Non omnia eſſe cutis aſperæ; licet hoc Ariſtotelis ſcriptum. Eſſe difficilis concoctionis, & ſucci flatulenti: ac cauſſam ejus eſſe, quod piſces hujuſce-

modi

modi ſint ſegnes, non celeres. Galeis, cani, aſteriæ, *unde nomen. Cujuſmodi hi piſces habeant carnem; uti & vulpecula, acanthias, centrina, zygæna.* Τρυγὼν *piſcis B. Ambroſio dictus* turtur: *ſed præter veterum morem, qui* paſtinacam *vocant: & quæ ejus, & aliorum quorundam nominum, origo. Utcunque radium habeat venenatum; tamen in cibis eſſe, & unde id ſit. Eidem Ambroſio* βάτον *minus commodè* rubum *dici, cùm ſatius fuerit noto veterum vocabulo* rajam *nuncupare.* Λειόβατος, *&* βάτος ἀστερίας. *Deque rajarum carne quid ſentiendum.*

ATque hi piſces marini ſpinas habent. Sunt alii præterea, quibus pro ſpina eſt cartilago; quæ propius ad naturam oſſis accedit; & hoc commune cum eo habet, quòd non creſcat, ſi abſcideris; ut Ariſtoteles refert in tertio Hiſtoriæ Animalium *a*. Cartilagineos hoſce Græci vocant σελάχη: nempe παρὰ τὸ σέλας ἔχειν *b*, ut eſt apud Galenum lib. III de aliment. facult. cap. XXXVI. Primus ſic vocavit Ariſtoteles, ut antea diximus; idque præeunte Plinio lib. IX, cap. XXIV. Sed diſſentit Jul. Scaliger adverſus Cardanum Exercitat. CCXVIII, ſect. I, ubi inquit: Σελάχια *vocem ab Ariſtotele primùm fictam, ſcribunt recentiores in ſuis rhapſodiis; quoſdam veteres paucæ lectionis ſecuti viros.* Ubi nihil opus erat obtrectari Plinio; quando is nihil minùs fuit, quam vir paucæ lectionis. Subdit hinc Scaliger: *Ante eum* (Ariſtotelem puta) *Hippocrates in ſecundo De ratione victus poſuit.* Sanè hac voce uſum eſſe, certiſſimum eſt. Inter alia loca etiam lib. II περὶ νούσων, ubi apertè loquitur de ἰχθύσι σελάχεσι. Sed Galenus in lexico Hippocratico ſic ait vocari ab eo, ὅσοι ἰχθύων λεπίδας οὐκ ἔχει καὶ ζωοτοκεῖ· *piſcium eos, qui ſquamas non habent, & animal pariunt.* Ut videatur Ariſtoteles vocem hanc, laxiùs antè acceptam, ad ſignificationem reſtrinxiſſe anguſtiorem. Rectè interea ait, cartilaginea omnia ſquamis carere: cujus rationem hanc adfert Ariſtoteles lib. IV de partibus animalium, cap. XIII: Τὰ δὲ σελάχη, ἀλεπιδωτὰ μὲν, τραχέα δ' ἐστὶ, διὰ τὸ χονδράκανθα εἶναι. τὸ γὰρ γεῶδες ἐκεῖθεν ἡ φύσις εἰς τὸ δέρμα κατηνάλωκεν. *Cartilaginea ſquamis carent; ſed aſperâ cute muniuntur, quoniam ſpina cartilaginea conſtant. Nam, quod terrenum habent, inde tranſtulit natura, inque cutis aſperitatem conſumſit.* Verùm quod Ariſtoteles ait, omnia illa cute eſſe aſperâ, id non habet locum in λειοβάτῳ; de quo poſtea dicam: uti nec in torpedine, paſtinaca, vel aquila.

a Secundùm diſtinct. Scal. cap. 8. ſect. 1.
b A ſplendore, quem obtinent.

Quod ad victus rationem, cartilaginea carnem habent concoctu difficilem, ſuccum gignunt flatulentum: ut de eo taceam, quòd viſum reddant hebetiorem. Auctor iſtorum Diphilus apud Athenæum *c*. Ut ſucci ſint pejoris, facit etiam minùs vehemens exercitatio. Ariſtotelis enim eſt, paullo ante verba proximè adlata: Τὰ δὲ σελάχη πάντα, χονδράκανθα. ἔτι δ' αἱ κινήσεις τῶν μὲν νωθρῶν, διὰ τὸ μὴ ἀκανθώδη εἶναι, μηδὲ νευρώδη· τῶν δὲ ἀκανθωδῶν ταχεῖα. *Cartilaginea omnia ſpinam habent cartilagineam. Motus eorum eſt lentus, ac piger, quia non firmentur ſpinis, vel nervis. At quæ ſpinas habent, celeria ſunt.*

c Lib. 8. pag. 356. edit. Lugd. an. 1612.

Interim nec in cartilagineis, quod ad alimoniam, ſimiliter ſe ſemper ratio habet. Quippe alia eſt erectorum ratio, alia ſubſtratorum, ſive planorum. In prioribus, quæ longa & rotunda, partim ſunt γαλεοὶ, quos Theodorus *muſtelos* reddit, (nomen ex eo, quia γαλῆς, ſive muſtelæ, terreſtris ſimiles ſint) partim γαλεώδη, ſive γαλεοειδῆ, q. d. *generis muſtelini.* In galeis eſt canis, ſive canicula, Varrone teſte, dicta *à vi quadam*: nempe quia inſtar canis terreſtris mordeat dentibus. *Canem* vocant Ariſtoteles, & Oppianus. Plinio eſt *canicula*. Theophraſto καρχαρίας. Sed diſtinguendus hic ab carcharia illo, qui aliter lamia. Nam is in cetaceo eſt genere. Canem vocat Homerus, cum junxit *d*.

Δελφῖνάς τε κύνας τε. ——
Delphinaſque, caneſque. ——

d Odyſſ. μ. verſ 96.

Galeum, de quo nunc ſermo, eſſe durâ carne, ac mali ſucci, etiam proditum Galeno *a*. Sed excipit galaxiam. Apud Athenæum *b* quoque legas, aſteriam, cæteris eſſe teneriorem, melioremque; addo etiam ſuaviorem. Eſt verò ἀστερίας galeus, ſive muſtelus, in tergo habens maculas figuram referentes ſtellarum: unde nomen ἀστερίας, ſive *galei ſtellaris.*

a Lib. 3 de aliment. facult. cap. 31.
b Lib 7 ex Hiceſio, ubi de Ἀστερία, & lib. 8. in longo Diphili loco.

Eſt & in galeis vulpecula marina, quæ Bellonio *c ſimia marina*. Hæc ſuccum habet excrementitium, & ſaporem viroſum.

Galeus acanthias, quaſi *ſpinacem d* dicas, eſt inſipidus, ſed minùs viroſus.

Centrina, ab aculeis ſic dicta, carnis eſt duriſſimæ, nerveæ potiùs, quàm carneæ. Quod & judicium eſt de mola Salviani, ſive orthragoriſco Rondeletii.

c Lib. 1 de Aquatilibus, cap. 7.
d Cum Galea Ariſt. Hiſt. An. lib. 6. c 9. & lib. 9. cap. 37.

Zygæna item, ſive libella, ex cetaceorum potiùs genere eſt. Carne eſt durâ, minimè ſuavi, præterea excrementitia, ac ſucci mali de quo in cetaceis cap. XXXII, Galenum, & Paulum, teſtes advocabimus.

Hactenus de cartilagineis longis, & rotundis: ſequitur de planis. In his ſunt torpedo, & paſtinaca.

Torpedo carne eſt admodum lenta, & concoctu difficili, nec grati ſaporis, niſi frigatur. Eæ tamen partes, quæ circa caput, teneræ ſunt, ac faciles concoctu: parvæ item torpedines ſunt meliores magnis. Sic ex Diphilo, & Hiceſio, Athenæus lib. VIII. Sed Plato apud Athenæum lib. IV, gratum eſſe torpedini ſaporem ait. Imò Galenus quoque in III de alim. facult. *e* refert, torpedinem, ut & paſtinacam, carnem habere mollem, ſapore gratam, concoctu haut difficilem, mediocriter nutrientem, quæque alvum non male ſubducat. Idem lib. de Attenuante victu *f* præcipit, ſi piſces defuerint ſaxatiles, torpedo ut aſſimatur cum beta, triti nempe; item cum porro, quod uberiùs adhibetur, cumque minuto piperis. Ad hæc lib. VIII Medendi docet, poſt aſellos proximum obtinere locum ſoleas, & torpedinem. Imò Italiæ in deliciis eſt; ut ait Albertus lib. XXIV, cap. I. Nempe evaneſcente vi frigidi veneni, quod inerat vivæ. Jecori torpedinis, ut Plinius *g* inquit, *teneritas nulla præfertur.* Sic enim, non *tenacitas h*, legendum.

e Cap. 36. quod de Cartilagineis.
f Cap. 8.
g Lib. 9. cap. 42.
h Sanè teneritas etiam reperio in MSo, & veteri Parmenſi anni 1476.

Paſtinaca eſt, quæ Græcis τρυγὼν: unde B. Ambroſius lib. V Hexaem. cap. X *turturem* nuncupat. Propriè τρυγὼν eſt avis *turtur*; quem piſcis hic alis refert expanſis. Sed piſcem hunc priorum, vel æqualium nemo, quod ſciam, *turturem* dixit. Auſonius *i* Græcum retinuit, ——

Letaliſque trygon. k ——

Celſo *l*, ut & Plinio *m*, *paſtinaca* dicitur à paſtino, *ferramento biſurco, quo ſemina panguntur: unde & repaſtinatæ dictæ fuere vineæ veteres, quæ refodiebantur*: veluti Columella deſcribit lib. III, cap. XVIII. Nempe ut, à *loro, lorica*; à *lecto, lectica*; à *verbena, verbenaca*: ſic à *paſtino, paſtinaca*: quia radius ejus paſtinum referat: uti & *paſtinaca* herba, quia radix ejus paſtino ſimilis ſit. Etſi verò paſtinacæ radius ſit venenatus, de quo poſtea dicetur: Galenus tamen de victu attenuante cap. VIII ſic laudat, ut in ſaxatilium penuria eo nos in cibis uti poſſe dicat. Videtur interim eſſe humoris glutinoſi, ac craſſi: unde Galenus ipſe ad eum attenuandum præſtare ait, ut appareteur albo jure, & porrum copioſiùs miſceatur cum aliquanto piperis. Nec metuendum, ne ſic eſus ejus noceat, eò quòd radius illius ſit venenatus. Nam, caudâ præciſâ, cætera veneni ſunt expertia. Ut ſimiliter ſit comparatum ac cum araneo, ſive dracone marino: qui ſolùm habet venenum in aculeis ad branchias, dorſique initium. Et ſanè ſcorpio etiam terreſtri veſcimur, licet ictus ejus ſit venenatus: ut Dioſcoridi *n*, & aliis, traditum.

i Epiſt. 5. ad Theonem.
k Niſi malis cum Veneta. Letalis trygon. Nam Nicander, & Oppianus, priorem in τρυγὼν producunt.
l Lib 6. cap. 9. quod eſt de dentium dolore.
m Lib. 9. cap. 48.
n Lib 2. cap. 13.

Etiam in cartilagineis planis eſt raja: Græci, pro ſexu diverſo, βάτον, vel βατίδα vocant: nempe quia ad modum βάτε, ſive fruticis rubi, horreat aculeis. Plinius lib. XXXII, cap. XI Græcum *batis* retinuit. Contrà B. Ambroſius, ut monitum jam Conr. Geſnero, *rubum* reddidit: fortaſſe quia vocabulum *rajæ* non occurreret, aut non ſatis ſciret, piſcem eſſe eundem. Eſt & rajæ genus, quod ob cutis lævitatem λειόβατος vocatur, q. d. *læviraj.am.*

Nam

Nam cauda quidem aculeos habet: ſed dorſum ei læve. Meminere Ariſtoteles, & Galenus. Apud Athenæum autem eſt & tertium genus, βατὶς ἀστερίας, *raja ſtellaris*: cui ex eo nomen, quia notis quibuſdam tergum habeat depictum. Rajas, & læviraias, eſſe duræ carnis, ac concoctu difficiles, à Galeno *a* etiam proditum eſt: interim, ut idem docet, magis nutriunt, quàm torpedo, vel paſtinaca. Hiberno tempore comedi, juſſit Archeſtratus: ut eſt apud Athenæum. Modum etiam apparandi docet. Aſſatis nulla eſt gratia: ſed ſapor bonus elixatis affuſo butyro, & aceto, cum ſinapi: ut apud Batavos noſtros comedi ſolent. Sic uſu comperimus, longiori vecturâ, & diutius adſervando, carnem earum reddi magis teneram. Jecur multis in deliciis eſt: ac video etiam a Rondeletio *b* id commendari.

a *Lib. 3 de Aliment. facult. cap. 36.*
b *Lib. 12 de piſc. mar. c. 5.*

Ejuſdem generis eſt ῥίνη: quod vocabulum *limam* ſonat. Sed Latini *ſquatum*, & *ſquatinam*, dicere maluerunt. Plin. lib. XXXII, cap. XI: *Rhina, quem ſquatum vocamus.* Gloſſ. Cyr. *Squatus*, εἶδος ἰχθύος. Nomen ῥίνης eſt à ſcabritie cutis limam referente. *Squatus*, item *ſquatina*, ab eàdem origine, à qua *ſcaber*. Oppianus *c* in cartilagineis longis reponit; nos planis, Ariſtotelem ſecuti lib. V Hiſt. Anim. cap. V, & Plin. lib. XXIII, cap. XI. Carnis eſt duræ, & concoctu difficilis; magis interea nutrit, quàm paſtinaca, & torpedo: ut Galenus docet lib. III de alim. Apud Athenæum tamen in ſeptimo Dorion ſquatinas Smyrnæ commendat: uti & Archeſtratus Mileſias.

c *Lib. 1 Ἁλιευτ. verſ. 381.*

Extremum in cartilagineis locum dabimus ranæ marinæ: quia eſt, ubi à cæteris ejus generis abeat. Sola enim è cartilagineis non ovum, ſed vivum parit animal: ut eſt apud Ariſtotelem lib. II Hiſt. Anim. cap. XIII, & Plin. lib. IX, cap. XXIV. Etſi verò Ariſtoteli fere ἁπλῶς dicatur βάτραχος *d*; tamen, ut diſtinguatur à rana paluſtri ac terreſtri, Theophraſto quidem βάτραχος θαλάττιος, ut Ciceroni *e rana marina*: Plutarcho autem, & Æliano, βάτραχος ἁλιεύς, *rana piſcatrix*, nominatur. *Rana* nomen eſt ex eo, quia refert gyrinos, ſive ranulas recens editas, & imperfectas, oculis quidem, & caudâ notabiles, ſed quibus poſtea demum acceſſuri ſint pedes, & caudæ fiſſura. Multa de hac memorant ſcriptores: ſed ſubinde ex locis veterum corruptis, dum βάτος, & βάτραχος, item *raja*, & *rana*, a librariis confunduntur. De victus ratione, cujus conſideratio hujus loci propria eſt, ſic res habet. Antiphanes in Cyclope, & Archeſtratus in Sententiis ſuis, lautos inter cibos habuere; ut ex Athenæi ſeptimo videmus. At Martialis lib. X, epigr. XXXVII in cibis reponit vilibus, his verbis:

d *Rana.*
e *Lib. 2 de Nat. Deor.*

An Laurentino turpes in litore ranas,
Et ſatius tenues ducere credis acos:
Ad ſua captivum quam ſaxa remittere mullum,
Viſus erit libris qui minor eſſe tribus?

Sententia eſt, An exiſtimas meliùs captari ranas marinas, vel acos, quàm trilibres mullos?

Cap. XXIX.

De piſcibus ἀναδρόμοις, & καταδρόμοις. De ſalmone, ſalare, farione, anchoragine. Item lampetra, exormiſto, galaxia. De vario λευκίσκων, ſeu mugilum genere, & qui eorum ſalubriores. De carne aloſæ; nec non lupi. De tripatino, ex Feneſtella. De ſturione, erythrino, ὕκκῃ, ſuillo, ſiluro, acipenſere, elope. Pomponius emendatus. De anguilla, menſarum Helenâ, præſertim Copaide, & cur betâ condiretur.

HActenus actum de piſcibus, qui ſolùm mare incolunt. Deinceps videbimus de illis, qui vel relicto mari petunt flumina, & ἀνάδρομοι vocantur: vel relicto flumine deſcendunt ad mare, & κατάδρομοι nuncupantur.

Salmo magis fluviatilis eſt, quàm marinus. Cùm minimæ eſt ætatis *ſalar*: cùm adultæ, *fario a* vocatur: ut his verbis oſtendit Auſonius in Moſella:

a *Al. ſario.*

Teque inter geminas ſpecies neutrumque, & utrumque,
Qui necdum ſalmo, nec jam ſalar, ambiguuſque
Amborum medio fario intercepte ſub ævo.

De ſalare placet. Sed fario videtur ſpecie differre. Salmone nihil ſe delicatius comedere, ait Maſſarius. Sanè grati eſt ſaporis, ſeu elixes, ſeu aſſes, ſeu fumo indures. Præcipuè Rhenanus commendatur ab Alberto M. Interim ſalmo omnis concoctu eſt difficilis: ſuccum etiam gignit craſſum, & viſcidum: eoque ægris non conducit. Memoratur Plinio lib. IX, cap. XVIII: & pulchre ab Auſonio deſcribitur in Moſella. Creditúrque is eſſe, qui *Anchorago* eſt Caſſiodoro lib. IV, epiſt. IV. *In principali convivio hoc profecto decet exquiri, quod viſum debeat admirari. Deſtinet carpam Danubius, à Rheno veniat anchorago.* Videtur autem ea vox eſſe conflata ex *anchora*, & *ore*: quia os anchoræ inſtar ſit recurvum, vel potius ſimplex ſit ab *anchora* derivatum, ob cauſſam, quam dixi.

Lampetræ nomen ignotum eſt veteribus Latinis: eoque nonnullis non à lambendis petris factum putatur *a*, ſed ex *lanc-prik*: q.d. *longa pricca*. Nam *pricca* eſt lampetra noſtra. Hic piſcis item ſaporis eſt optimi; ſed carnis lentæ, & viſcoſæ, eoque ſucci illaudati. Ut vitium iſtoc corrigatur: ſicut olim garo enecabant piſces, ita nunc lampetram Cretico, vel alii immergunt vino: branchiarum item foramina, quæ vulgus oculos nuncupat, replent caryophyllis. Facile autem aſſentio Ludovico Nonio *b*, multis comprobanti, lampetram Caſſiodoro vocari *exormiſton*; quem is piſcem à freto Siculo maximis laboribus apportari, lib. XII, ep. IV indicat, ac pleniùs epiſt. XIV ejuſce libri. Utrobique & de ſapore pronunciat. Nam priori loco ait, regali dignum menſâ: altero autem; *Hic plane tantæ dulcedinis eſſe dignoſcitur, ut ei nemo piſcium comparetur.* Creditur quoque lampetra is piſcis eſſe, quem Galenus lib. III de Aliment. facult. *c* generis eſſe ait τῶν γαλεῶν, *muſtelorum*, ac Romanis ſummo eſſe in pretio, vocari autem γαλαξίαν: nec reperiri in mari Græco, ac propterea non memoratum Philotimo: in iſtoc autem differre a reliquo muſtelorum genere, quòd cùm iſti ſint σκληρόσαρκοι *d*, hic ſit ἁπαλόσαρκος. Non dubium verò, quin à lacteo ſapore γαλαξίας ſit vocatus. Sed meritò miratur Lud. Nonius, nuſpiam à Latinis ſic dici: verùm generali ſolùm muſtelarum nomine indicari.

a *Quod rejectum quoque Cæſari Scaligero, veluti dictum ad oram capitis undecimi hujus libri.*
b *Lib. 3 de re cibaria, cap. 32.*
c *Cap. 31.*
d *Duræ carnis.*

Λευκίσκος quoque, ſive mugil, qui à candore *e* nomen ſortitus eſt Græcis, è mari flumina ac lacus ſubit: ut Mneſitheo *f* traditum. Hiceſio in libro περὶ ὕλης, ſive de alimentorum materia *g*, comprehendit varia mugilum genera. Atque ex iis ait κεφαλῖνος, ſive *capitones*, eſſe ſuaviſſimos, & optimi ſucci: proximos ab iis eſſe τοὺς κεστρεῖς, quos perperam juniorum aliqui confundunt cum κέστρεις, hoc eſt, σφυραίναις, ſive *ſudibus*: tertium locum dat μυξίνοις, quaſi *mucoſos* dicas: ultimum ei obtinent χελλῶνες, ſive *labeones*: quos etiam vocari ait βάκχους. Alii tria potiùs genera faciunt, ac eoſdem putant χελλῶνας, & μυξίνους, ob Ariſtotelis auctoritatem lib. VI Hiſt. Anim. cap. XVII. Interim omnes leuciſci ab Hiceſio ſtatuuntur ἄχυλοι, σφόδρα, καὶ οὐ πολυτροφοι, καὶ εὐέκκριτοι *boni ſucci, pauci nutrimenti, & excretu faciles.* Si nativam vocabuli vim attendas, propriè mugiles ſint, qui Græcis μυξῖνοι. Nam *mugiles* non dicuntur quaſi *multum agiles*, ut nugatur Iſidorus *h*, ſed à *muco*, ut μύξινος à μύξα, quod & ipſum ſignificat *mucum*: ac ejuſdem eſt originis, ac μυκτὴρ *i*, unde *mucus*. Ratio hujus etymi eſt, quòd mugil nutriatur *k* τῇ ἀπ' αὐτοῦ φερομένῃ μύξῃ· *muco, quo oblinitur*; cùm contra χιλῷ paſcatur ἄμμῳ, καὶ ἰλύϊ· *arenâ, & limo.* Quod verò Hiceſius leuciſcos omnes à ſucci bonitate commendat: id de iis capiendum, qui puro mari capiuntur: uti & de iis loquitur Galenus, quando, ut poſt aſellos ſoleam, & torpedinem, laudat; ac poſt hos lupum, & mullum: ita proximum poſt iis locum præbet mugili è pelago. Mugil is, qui limo paſcitur, ſatur propterea male olet: eoque jejunus optimus eſt, & ſuaviſſimus. Hinc apud Athenæum *l*, cum rogatum eſſet,

e *Galenus lib. 3 de Alim. Fac. c. 25.*
f *Athenæi lib. 8 in longo Mneſithei loco.*
g *Apud Athenæum lib. 7. in piſcibus à μ incipientibus.*
h *Lib. 12 Orig. c. 6.*
i *Naris, naſus.*
k *Athen. lib. 7. ubi de leuciſcis.*
l *Lib. 7. in piſcibus à κ incipientibus.*

ſet, cur κεςρεῦς dicatur νῆστις, hoc eſt, *jejunus*: reſpondetur, Ariſtotelem dicere, ὅτι μὴ νῆστις ὢν, φαῦλός ἐστι, *niſi jejunus ſit, vilem eſſe in cibo.* Quod vellem Cæſar Scaliger *a* attendiſſet, cùm Athenæum reprehendit, quaſi dixerit, jejunum eſſe deteriorem. Mugilem, cùm uterum fert, illaudatiorem eſſe, traditum Ariſtoteli lib. VIII Hiſt. Animal. cap. ultimo. Hieme igitur, quippe poſt partum, fuerint meliores. Qui in lacubus capiuntur, pinguiores ſunt ob cœnum; eoque palato, & linguæ, gratiores: interea minùs ſunt ſalubres: imò iis, qui ſtomacho minùs valent, capitis dolorem conciliant: uti traditum Paullo Jovio *b*. Recentes præferendi aliis, quia facilè corrumpuntur. Iccirco ſale condiri ſolent, ut ſic diutius adſerventur. Stagnalis præcipuè ſic corrigitur. Quicquid enim mucoſi, vel viroſi habet, deponit. Imò & recens ſalitus præſtat diu ſalito. Auctor iſtorum Galenus lib. III de Alim. facult. cap. XXV.

a *Comment. in Ariſt. lib. 2 Hiſt. An. ſect. 108. ſive pag. 219.*

b *De piſcibus Romanis c. 10.*

Aloſa etiam ſponte fluvios ſubit. Belgis *elft* nominatur. Pleriſque creditur eſſe Græcorum θρίσσα, vel Latinorum *clupea*, Italorum *chiepa*; quod vocabulum ex *clupea* eſſe corruptum, Franc. Maſſarius *c* arbitratur. Non videntur in pretio fuiſſe apud antiquos. Nam Auſonii eſt in Moſella, qui ſolus ejus meminit:

c *In Nonum Plinii.*

Stridentesque focis, obſonia plebis, aloſas.

Pinguiores tamen ſunt delicati ſaporis; præſertim ex aceto comeſti. Saltem comperio tales, qui prope Dordrechtum in Rheni, Moſæ, Mervæ, & Vahalis confluente capiuntur. Sed ſpinularum frequentia in edendo aliquid moleſtiæ adferre ſolet.

Lupus Latinis alius eſt ac Græcorum λύκος. Num λύκος Lario eſt *blennus*, vel *anthia*. At qui nobis *lupus* dicitur à voracitate, is Græcis λάβραξ. Λάβρακα ſive lupum non in aquis dulcibus naſci, ſed è mari in fluminum oſtia adſcendere, vel in ſtagna ſalſa, quæ Græci λιμνοθαλάσσας dicunt; Galenus tradit lib. III de Alim. Facult. cap. XXVI. Alimentum ejus, ut ibidem legas, (atque addit, in aliis idem piſcibus habere locum) ſanguinem gignit tenuiorem, quàm animalium eſt terreſtrium. Atqui, ut ibidem docetur, ſanguis ille optimus eſt, qui neque craſſus eſt, inſtar liquidæ picis; neque ſeroſus ac tenuis, inſtar aquæ; ſed exactè medius: qualis gignitur ex pane probè præparato; item perdicibus, & id genus volucribus: quibus proximos eſſe piſces pelagios, pronunciat. Proinde tenuior ille ſuccus, quem lupi, & piſces alii, gignunt, non admodum nutrit, & facilè diſſipatur. Sed hæc quidem locum habent, ſi cum terreſtrium ſucco conferas lupinum. Sin piſcium duntaxat fiat comparatio; apud Cornelium Celſum *d* legas, ut mullos, ſic lupos, mediæ eſſe materiæ inter piſces duræ, & teneræ carnis. At inter hos piſces illud diſcriminis eſt, quòd mullus, quò major, eò delicatior ſoleat haberi: lupus contrà minor, vel mediocris, præferatur. Hanc opinionem verbis iſtis caſtigat Horatius lib. II, ſat. II:

d *Lib. 2. cap. 18.*

——*Laudas, inſane, trilibrem*
Mullum; in ſingula quem minuas pulmenta neceſſe eſt.
Ducit te ſpecies video. Quò pertinet ergo
Proceros odiſſe lupos? Quia ſcilicet illis
Majorem natura modum dedit, his breve pondus.
Jejunus rarò ſtomachus vulgaria temnit.

Sed pro obſonatoribus iſtis cauſſam adverſus Horatium dicet vetus ſcriptor Xenocrates: cujus hæc verba *e*: Λάβραξ ἐξαλλοιοῦται, ὅσον αὔξεται σκληρότερος γινόμενος. ἄριστος ὁ μείων δυοῖν, εὐστόμαχος, εὔχυλος, τρυφερός. Ubi Jo. Baptiſta Raſarius pro μείων legit μηνῶν: quomodo ſententia ſit: *Lupus autem variatur: quantoque ſit major, tanto ſit durior. Optimus eſt bimeſtris f ſtomacho bonus, boni ſucci, tener.* Nec dubito, quin ita ſit legendum.

e *Apud Oribaſium lib. 2 Collectaneorum. c. 58.*

f *In Wetteri tralatione*, Qui magnitudine mediocri eſt. *Nempe veram lectionem non vidit.*

Etiam honos ejus cognoſcitur ex eo, quod in tripatino, à tribus patinis ſic dicto, is pars fuerit non infima. Plinius lib. XXXV, cap. XII: *Ut luxu quoque aliqua contingat auctoritas figlinis, tripatinium, inquit Feneſtella, appellabatur ſumma cœnarum lautitia. Una erat murænarum, altera luporum, tertia myxonis piſcis.*

Cur lupus in Tiberi duos inter pontes jactatus, præferri meruerit, ignorare ſe fatetur Macrobius *a*. Nos à jactationis exercitio cauſſam arceſſebamus cap. XXII. Illud verò lupis omnibus eſt commune, quòd meliores fiant ſalſæ ac dulcis aquæ miſturâ. Unde & commendabantur illi, qui in lacu Veneto caperentur. Martialis lib. XIII, epigr. LXXXIX:

a *Lib. 3. Sat cap. 6. ex edit. H. St. ac priorum: ſed lib. 2. cap. 12. ex edit. optima amici noſtri Iſa. Pontani.*

Laneus Euganei lupus excipit ora Timavi
Æquoreo dulces cum ſale paſtus aquas.

Græcis præcipuè laudatus λάβραξ ὁ Μιλήσιος: ut proverbio conſtat, & illis Archeſtrati apud Athenæum in VII:

Λάμβανε δ' ἐκ Γαίσωνος, ὅταν Μίλητον ἵκηαι,
Κεστρέα τὸν κέφαλον, καὶ τὸν θεόπαιδα λάβρακα,
Εἰσὶ γὰρ ἐνθάδ' ἄριστοι. ὁ γὰρ τόπος ἐστὶ τοιοῦτος.
Accipe ex Gæſone, cum Miletum veneris,
Ceſtreum cephalum (mugilis genus) *& prolem deorum lupum,*
Illic enim optimi ſunt. Talis eſt natura loci.

Verſiculis ſimalis, en quales quales:

Gæſone capias cum Miletum veneris.
Ceſtrea capitonem prole cum Deum lupo.
Hic optimi ſunt. Illa natura eſt loci.

Ubi eadem videmus, ut ille obſonatorum ſive Homerus, ſive Ariſtoteles, lupum vocet θεόπαιδα, *prolem Deorum.*

Sturio noſter grati eſt ſaporis, ſed carnis duræ, pinguis, ac viſcoſæ: eoque difficulter concoquitur, ac ſuccum generat craſſum. Propterea non conducit aliis, quàm ſanis: & his quoque condiendus aromatibus: vinum deinde ſuperbibendum: ut judicat Simeon Sethi, voce ὕκα, ut vulgo apud eum ſcribitur pro ὕκκα. Hycca enim ſive ὕκκης eſt, qui nobis *ſturio*: ut jam olim Hermolao Barbaro, poſteaque Joanni Manardo *b*, monitum, ac Ludovico etiam Nonio *c* oſtenſum. Cyrenæis idem vocabatur ἐρυθρῖνος, ut ex Zenodoto refert Athenæus *d*. Ὕκκης verò, hoc eſt, χοῖρος *e*, dicebatur, quia, ut idem Simeon Sethi tradidit, nutrimentum adferat, quod proportione quadam carni reſpondeat porcinæ. Niſi magis placeat ratio Iſidori Hiſpalenſis, ſic ſcribentis lib. XII Orig. *Porci marini, qui vulgo vocantur Suilli: qui, dum eſcam quærunt, more ſuis, terram ſub aquis fodiunt. Circa guttur enim habent oris officium: & niſi roſtrum arenis immergant, paſtum non colligunt.* Quæ optimè conveniunt ſturioni. Cùm verò Iſidorus, homo Hiſpanus, dicat, ſuo tempore (vixit is ante annos mille) vulgo *ſuillos* nominari: minimè dubitandum, quin inde ſit *ſollus*; quod nunc obtinet apud Hiſpanos. Et ſanè, ut his *ſollo* vocitatur ex *ſuillo*: ſic Italis ex *porcello*, *porcelletto* nominatur. Quæ & ipſa confirmant, porcum marinum, ſuillum, hyccam, ac ſturionem, eundem eſſe piſcem. Imò & *ſilurum* dici Auſonio, monebamus *f*, cùm de piſcium moribus ageretur. At planè ratio fugit Guil. Rondeletium, & Hadr. Junium *g*, qui ſturionem credunt eſſe acipenſerem veterum. Nam obſtat Plinius lib. IX, cap. XVII, cui in Italia dicitur *rarus inventu*: &, *unus omnium ſquamis ad os verſis contra aquam nando meare.* Præſertim quando, *quod ait Plinius de acipenſeris ſquamis, id verum eſſe* (verba Sammonici Sereni apud Macrobium ſunt lib. II Saturn. cap. XII) *maximus rerum naturalium indagator Nigidius Figulus oſtendit; in cujus libro de Animalibus quarto ita poſitum eſt: Cur alii piſces ſquamâ ſecundâ, acipenſer adverſâ ſit.* Hoc in ſturione noſtro non habere locum, extra controverſiam eſt. Argumento iſti ſic occurrunt, perperam id de acipenſere exiſtimatum ab iis, qui eum cum elope confunderent, Interque iſtos fuit polyhiſtor ille Apion Grammaticus, qui libro de Apicii deliciis, piſcem qui elops vocatur, acipenſerem eſſe ſcripſit: ut eſt apud Athenæum in ſeptimo *h*. Sed obſtat, quòd, ut Ovidius in Halieuticis, ſic Plinius eos in Naturali hiſtoria diſtinguat.

b *Libro 9. epiſt. 3. quæ ad Hieronymum Carexmum.*

c *Lib 3 de re cibaria, cap 33.*

d *Lib. 7. in piſcibus, quorum nomina incipiunt ab Υ.*

e *Porcus.*

f *Cap. 17.*

g *In Nomenclatore.*

h *Cap. 12. quod de galeo.*

Præterea parum veriſimile eſt, nec Nigidium, nec Plinium, nec Sammonicum, nec Macrobium, acipenſerem noviſſe: qui tantopere apud Romanos in honore erat, ut (ſi idem ſit acipenſer, ac γαλεὸς ῥόδιος *a*, ſicut Archeſtratus putabat, ille rei culinariæ doctor) cum tibiis & coronis ad cœnas cum pompa ſolear circumferri, iis etiam, qui ſic ferrent, coronatis. Teſtis Athenæus lib. VIII. Propterea homines frugi ſic conviтiis proſcindebant Gallonium, præconem Romanum, Ciceroni etiam pro Quinctio memoratum, altiſſimum gurgitem; qui acipenſere menſas inſtruere gaudebat. Habes de eo Lucilii verſus apud Ciceronem lib. II de Finibus. Luciliumque ſecutus Horatius lib. II, ſat. II:

—— Haud ita pridem
Galloni præconis erat acipenſere menſa
Infamis.

Etiam quantopere celebratus fuerit Romanis, ex Plauto liquet Bacchariâ, & Cicerone dialogo de Fato. Verba eorum citat Macrobius lib. II Saturnal. cap. XII *b*. Et idem verba indicant Ciceronis in II de Finibus, adducta nobis cap. XXVI, ex quibus liquebit, mænam fuiſſe piſcem vilem: unde & in Majali L. Pomponius *c*, Atellanarum poëta, ut dicitur Agellio:

—— Cænam quæritat. Si nemo eum
Vocat, revortit mæſtus ad mænam miſer.

Ita, ut trimetri ſint ſenarii, locus is reſtitui apud Nonium debet. Contrà, ut Plinius *d* inquit, *apud antiquos piſcium nobiliſſimus habitus acipenſer.*

Ex piſcibus καταδρόμοις, hoc eſt, qui in mare è fluviis deſcendunt, anguilla eſt, quæ Anaxandridæ in Civitatibus dicta τῶν ὄψων μέγιστον, *obſoniorum præcipuum*: ac Eraſiſtrati etiam judicio *e*,

—— βασιλεύς.
Πάντων τῶν περὶ δαῖτα, καὶ ἡδονῆς ἡγεμονεύς.
—— Regnat
Hæc epulis cunctis, eſtque ejus prima voluptas.

Et Epicureo cuidam Εἰκαδιστῇ *f* vocatur *g* τῶν δείπνων Ἑλένη, *cœnarum Helena*. Nec Archeſtratus apud eum dubitat Meſſanenſium prædicare felicitatem ob anguillarum frequentiam. Copaidas celebrat Ariſtophanes Acharnenſibus *h*:

Πρέσβειρα πεντήκοντα Κωπαΐδων κορῶν,
Ἔκβαθι, τῷ δὲ κἀπιχάρισαι τῷ ξένῳ.

Poſſis ita reddere.

Egredere, nam magna quinquies decem
Copaidum, huic & grata facias hoſpiti.

Priorem verſum lepidâ παρῳδίᾳ effinxit poëta ex illo Æſchyli in Armorum judicio:

Δέσποινα πεντήκοντα Νηρῄδων χορῶν.
O domina decies quinque Nereidum chori.

Anguillæ Bœotiæ meminit & Antiphanes in Philothebæo *i*, & Eubulus in Ione *k*. Copiades autem dictæ ab lacu & flumine Bœotiæ prope oppidum Κώπας. Eas apud Athenæum *l* etiam celebrant Dorion, Agatharchides, Eubulus: qui & docet, anguillas betis involutas comedi ſolere. Atque inde Ariſtophani in Acharnenſibus *m* dicitur ἐντευτλανωμένη, hoc eſt, ut ſcholiaſtes Græcus exponit, μετὰ τεύτλων ἑψηθεῖσα, *cum betis cocta*. Nempe quia beta vi ſuâ nitroſâ, (quam Dioſcorides *n* quoque ei tribuit) humorem excrementitium detergeat. Unde & ſale conditur. Quem morem eſſe antiquum, ex Hiceſio conſtat inter ſalſamenta referente *o* anguillas Macedonicas. Atque hinc ἐγχέλειαι, τὰ τῶν ἐγχελέων τεμάχη *p*, ut Euſtathius exponit in Iliad. Φ *q*. Sed ſalitæ minùs ſunt ſuaves. Ex recentibus toſtæ præſtant elixis; quia lentus ac viſcoſus humor ab igni corrigitur. Utile etiam inter edendum pitiſſare vinum generoſum. Quod ſi elixam malis, necanda in vino bono; coquenda item in vino aquâ permixto, cum aromatis. Sed varios apparandi modos ex Apicio, vel Platina, peti malim. Illud ſolùm referam, hùc à Barth. Platina, cùm retuliſſet apparandi modum, ſubjungi *r* iſta: *Coctam demum hoſtibus appones. Nihil enim boni in ſe habet.* Et ſanè improbant eam Hippocrates lib. II de diæta: item libro de internis affectionibus, & Galenus lib. III de alim. facult. nec non de victu attenuante *a*. Præſertim verò illis ab anguilla abſtinendum, qui facilè obſtructionibus laborant: item nephriticis, quia lentore ſuo conglutinat materiem, unde calculi generantur.

a Galeus Rhodius.
b In editione V. Cl. Iſaaci Pontani. At in illa H Stephani adi lib. 3. cap 15
c Apud Nonium in Revortit.
d Lib. 9. cap 17.
e Apud Athenæum lib 7.
f Εἰκάδα, ſive vigeſimum quemque menſis diem, colentem, quo natus Epicurus.
g Apud Athen. eodem lib. ſeptimo.
h Froben. edit. pag. 296. ſive act. 4. ſc. 1. quæ incipit, Ἰὼ Ἡρακλῆς.
i Apud Athenæum lib. 14.
k Apud eundem lib. 7.
l Ibid.
m Loco paullo ante memorato.
n Lib. 2 cap. 149. ſive aliis cap. 116
o Apud Athen. lib. 7 ubi de anguilla.
p Salſamenta ex anguillis.
q Pag. 1231. edit. Rom.
r Lib. 8 rei culinariæ, cap. de torta ex anguillis. Vide & cap. de anguilla in torta.
a Cap. 6.

Cap. XXX.

Tranſitur ad fluviatiles: ubi primum de thymallo, magnopere prædicato à B. Ambroſio. Proverbium ex eo, Aut piſcem olet, aut florem. *Percæ ſalubritas. Lucius illaudatior Italis, quàm Belgis; & quæ ſit cauſſa iſtius diſcriminis. Nec minus cyprinorum alios ab aliis differre. Caviarium Judæorum à vulgari diverſum. De muſtela, & pagro. Trutarum indoles, ferri adverſus fluminis impetum. Glanii deliciæ. De barbo, tinca, capitone fluviatili.*

Nunc venio ad piſces, qui non in mari degunt, ſed amni. Qualis eſt coracinus Niloticus; qui melior eſt marino, ut elixus aſſo. Nec movet, quòd de priori contrarium videatur Diphilus tradere apud Athenæum. Nam hac parte à vulgatis codd. meritò recedunt Rondeletius, ac Geſnerus.

Sed Niloticos, & ſimiles tam diſſitorum locorum piſces, de quibus Athenæus non uno loco, miſſos faciam; deque Europæis ſolùm loquar. Ordiar ab thymallo; de quo aliquid etiam diximus cap. XVI. Hic boni adeò eſt odoris, ut thymum videaris olfacere: nec aliunde nomen ſortitur: ut omnino perperam apud Iſidorum *b* timallus ſcribatur, etiam in MSis noſtris. Hunc piſcem ſic laudat B. Ambroſius libro V Hexaëmeron, cap. II: *Neque te inhonoratum noſtrâ proſecutione thymalle dimittam, cui à flore nomen inolevit: ſeu Ticini de unda fluminis, ſeu amœni Athesis unda nutrieris, flos es. Denique ſermo teſtatior, quòd de eo, qui gratam redolet ſuavitatem, dictum facete ſit, Aut piſcem olet, aut florem: ita idem pronunciatus eſt piſcis odor eſſe, qui floris. Quid ſpecie tuâ gratius? Quid ſuavitate jucundius? Quid odore fragrantius? Quid mella fragrant, hoc tu corpore tuo ſpiras.* Nec odore modò, vel ſpecie, placet; ſed etiam ſapore, Salviano in opere de piſcibus teſte; qui & majores præfert elixos, ac butyro conditos; minores autem aſſos. Idem, ſed adverſante Geſnero, negat opus eſſe, ut exinaniantur inteſtina, quia felle careant.

Valde etiam prædicatur perca fluvitialis: quod ex Xenocrate apud Oribaſium conſtat: ut & illo Auſonii in Moſella:

Nec te delicias menſarum perca ſilebo,
Amnigenos inter piſces dignanda, marinis
Solus puniceis facilis contendere mullis.
Nam neque guſtus iners, ſolidoque in corpore partes
Segmentis coeunt, ſed diſſociantur ariſtis.

Verùm laudatur quidem perca; ſed infra marinam: ut errent, qui fluviatili tribuunt, quæcunque ad marinæ laudem attulit cum Philotimo Galenus lib. III de Alim. Facult. cap. XXXI: Percâ tamen Rhenanâ nihil ſalubrius; de qua diximus antea *c*.

Lucius abunde quidem nutrit: ſed difficilius concoquitur, quia carne non ſit tenerâ, ac friabili. Multis etiam locis non durus modò eſt, ſed etiam inſipidus; eoque nullà in dignatione. Unde Auſonius in Moſella:

Lucius obſcuras algâ cœnoque lacunas
Obſidet. Hic nullos menſarum lectus in uſus
Fervet fumoſis olido nidore popinis.

Hodieque nullo eſſe Italis loco, a Paullo Jovio *d* refertur. Belgæ tamen in pretio habent, non quaſi minùs ſapores dignoſcant: ſed quia apud eos verè melioris ſit ſaporis. Quid mirum? quando certum eſt, piſcium plurimos variare pro locis. Neque id modò in fluviatilibus uſu venit; qualis ille, de quo nunc ſermo; ſed ipſis etiam marinis. Unde Varro in III de R. R. cap. VI: *Non enim ſi murænæ optimæ flutæ ſunt in Sicilia, & elops*

b Lib. 12 Orig. c. 6.
c Cap. 22 hujus libri.
d Lib. de Piſc. Rom. cap. 37.

ad

ad Rhodon, continuò hi piſces in omni mari ſimiles naſcuntur.

Qui κυπρῖνοι Oppiano lib. I ἁλιευτ. *a* hi Athenæo lib. VII vocantur κυπρεανοί: niſi, ut puto, κυπρῖνοι legendum. Æxuli hodieque veteri nomine *cyprinum* dicunt. *Carpam* Caſſiodoro vocari, & à *carpione* differre (de quo poſtea agetur) antea diximus. Carne ſunt molli, humidâque, &, niſi aromatibus condias, inſipidâ: imò inſalubri etiam prope urbes magnas, quia ſordibus earum pingueſcunt, unde mali redduntur ſucci. Aliàs, ut inter ſalubres non ſint, ita tamen innoxii fuerint. In cauſſa eſt, *quòd non tenaci, ſed aqueo potius honore abundent*: ut tradit Paullus Jovius libro de piſc. Rom. cap. XXXVIII. Ubi & linguam earum à ſapore ait commendari. Sed quod linguam vocat, potiùs palatum eſſe carnoſum, diximus cap. XIII. Ex ovis fit *caviarium* rubrum, quod vocitant, *Judæorum*. Nam nigro illo ex ovis ſturionum veſci iis religio eſt, quia piſcis ille ſit lævi cute: qualium eſu Moſaica lex interdicit. Rubrum hoc longe lateque diſtrahitur ab urbe Capha, ad Tanain ſita *b*.

a *Verſ.* 101.

b *Bellonius lib.* I *de Aquatil. cap.* 17.

Muſtela fluviatilis, quæ Sabaudis *monſtelle*; Belgis autem, quia partim anguillam, partim ranam referat, *aelpuyt* nominatur, piſcis planè eſt diverſus à veterum muſtela, ſive lampetra: de qua inter piſces ἀναδρόμους *c* diximus *d*. Germani hunc piſcem elixant in aqua non admodum ſalita, pauxillo aceti, vel potiùs vini, affuſo. Jecur ejus multis eſt in deliciis: uſque adeò, ut apud Thuringos Comitis Bichlingici conjux dicatur in hoc principatus ſui reditus profudiſſe.

c *Piſces è mari in flumen commeantes.*

d *Cap.* 29.

Pagri ſunt & fluviatiles; marini tamen ſalubriores; ut ait Diphilus Siphnius apud Athenæum in VIII *e*.

e *Pag.* 355. *edit. Lugd. an.* 1612.

Trutæ nuſquam memorantur veteribus Latinis. Sed meminit B. Ambroſius lib. V Hexaëmeron, cap. III: niſi quod ibi *tructas* perſcriptum. Item Plinius Valerianus, is cujus ſepulchrum Comi conſpicitur, lib. V de Remediis, cap. XLIII. Et Iſidorus Hiſpalenſis lib. XII Orig. cap. VI. Hujus verba ſunt: *Varii à coloris varietate, quos vulgus truttas vocat.* Ita quoque exaratum in uno è MSis noſtris. In altero eſt *tructas*. Nempe hæc ſcriptura ex eo eſt, quia conſiderint vulgò cum tructa: qua de re etiam dictum antea extremo capite XXVII. Truta verò Germanicæ eſt originis: etſi derivent ex eo, quia ſe trudant in flumen adverſum. Verè interea dicunt, ferri, quà maximus, ac rapidiſſimus eſt aquæ impetus. Itaque præceptor olim meus, philoſophiæ apud Batavos Profeſſor, Antonius Trutius, cui à truta id nomen erat, picturâ ejus piſcis utebatur pro ſymbolo; cui adſcriptum:

—— Ne contra fluminis ictum.

Nempe exemplo Vibii Criſpi:

—— Qui nunquam direxit brachia contra
Torrentem:

ut de eo Juvenalis *f* refert.

f *Sat.* 4. *verſ.* 89.

Porrò quia natatione hujuſmodi, eâque veloci, fatigant, atque exercent corpus, eo & grati ſunt ſaporis, ac ſalubris. Rationem coquendi Paullus Jovius docebit lib. de Piſcibus Rom. cap. XXXV.

Glanis quoque, ſive glanius, inter fluviatiles eſt, licet maris peculiarem Plinius putârit lib. XXXVII, cap. XI. Sanè hac parte aliter Ariſtoteles, Ælianus, Pauſanias, veteres omnes: imò & Plinius ipſe alibi inter fluviatiles reponit: ut qui in Rheno, ſive, ut in aliis eſt libris, Mœno, graſſari dicat ſilurum: quem eundem glanio putavit; uti & eum ſecutus Theodorus Gaza, ut Pauſaniæ interpres *g*. In deliciis fuiſſe, oſtendit Matron parodus; qui eum in Attica ſua cœna recenſet apud Athenæum libro quarto. Ac apud eundem in ſeptimo Archippus fabulâ, quam Piſces inſcripſerat, inquit, Τὰς μαινίδας, καὶ σαπέρδας, καὶ γλανίδας *h*. Apud eundem Ephippus, & Mneſimachus, celebrant τεμάχη γλανίδος, *glanii tomacula, ſive ſegmenta.*

g *Romulus Amaſæus tralat. lib.* 4 *Pauſ.*

h *Mænas, ſaperdas, & glanidas.*

Barbus nulli eſt memoratus ante Auſonium *i*, quod conſtet. Grandiores natu præſtare, indicant ejuſdem Auſonii verſus, quos adduximus cap. XXII.

i *In Moſella.*

Eidem Auſonius in Moſella refertur tinca: quod nomen nec antiquis fuiſſe ignotum, ex eo colligas, quod Cicero libro de claris Oratoribus meminerit oratoris Placentini, laudati ab ingenio faceto, qui Tincæ cognomen ſit ſortitus. Nec mirum, ſi Plinius, & alii reticeant, cum inter piſces ignobiles (qualium plurimos nec mentione dignantur,) ab Auſonio *a* etiam referatur: ut qui *vulgi ſolatia* appellet. Nimirum quia ſtomachum gravat, tardè digeritur, pravique eſt ſucci: præſertim à Majo uſque ad Novembrem. Solis igitur convenit juvenibus, biliofis, & corpus multùm exercentibus. Cæſar Scaliger *b* cenſet eſſe eandem, ac merulam fluviatilem. Ut Belgis vocetur diximus cap. XVI. Paullus Jovius lib. de piſcibus Romanis cap. XXXVI, præſtare ait illas in Fucino lacu, item lacu parvo apud ſylvam Baccanam, Antonino etiam memoratam in Itinerario. Balthaſar Piſanellus, medicus Bononienſis *c*, jubet edere cum allio, herbiſque fragrantibus, ac aromatis: vel coqui cum oleo, cæpis, uva paſſa, mentha, allio, apio, & aceto.

a *In Moſella.*

b *Ad Cardanum Exerc.* 201.

c *Libro de eſculentorum & poculentorum facultatibus: quem ex Italico Latinum fecit Arnoldus Freitagius.*

Sunt & capitones quidam tantùm fluviatiles, qui citò putreſcunt, ac fœtent; ut nonniſi recentes eſſe grati poſſint. Hinc Auſonius ſæpius jam memorato poëmatio:

Nec duraturus poſt bina trihoria menſis.

Sed qui piſces vix alios, quàm pauperes (& his conſulere Natura voluit) juvant in cibo: hi piſcium aliis in cibo ſunt, quibus majori voluptate, & commodo, utimur. Præterea varios habent uſus in medicina: de quibus poſtea agetur.

Sed longum ſit de omnibus fluviatilibus dicere. Quot enim piſces habent flumina Hollandiæ noſtræ! Sin extera malumus, quot Sequana Galliæ! Quos Bellonius *d* his nominibus recenſet, *vaudoiſes, eſpelans, barbeaux, carpes, govions, bremmes, gardons, haſeaux, brochets, eſcreviſſes, anguilles, cheneſnes ou chemineaux, mulets, tanches, aloſes, truittes, ſaulmons, beccars, pucelles, loches, ables, roſſes, lamproyes, perches, monſniers ou chabots, barbottes ou marmottes, grenouilles, & tortues.* Quis inde etiam non æſtimet immenſam erga nos Dei bonitatem?

d *Lib.* I *de aquatilibus, c.* 17.

Nec difficile ſit, ſimiliter nobiliorum aliis in terris piſcium nomina referre. Sed contentus ero unâ Britanniâ; cujus Regi auguſto æternum debebo. In hac Tameſis, & flumina alia, hos piſces habent; ut literarum ordine dicam *a*: *barbel* a, *baſſe* b, *bleie* c, *bremme* d, *carpe* e, *crevis* f, *daces* g, *eils* h, *godgion* i, *griggs* k, *lamprey* l, *lochys* m, *menoys* n, *mulles* o, *perch* p, *pierel* q, *pollards* r, *prans* s, *roches* t, *ruff* u, *ſchaſolings* x, *ſchmels* y, *ſchriemp* z, *tenche* a, *troutte* b, *umbers* c: de quorum pleriſque promerem hoc loco, quæ in Britannia ipſa, Londini, Cantabrigiæ, Oxonii, Cantuariæ, & aliis accepi locis, niſi eruditiſſimi nobiliſſimæ gentis viri ea jamdiu longè melius, quàm dicere poſſim, ſcriptis conſignaſſent.

a *Mullus barbatus.* b *Lupus.* c *Alburnus.* d *Abramis.* e *Carpa.* f *Cancer.* g *Leuciſcus forte.* h *Anguillæ genus.* i *Gobius.* k *Genus anguillæ.* l *Lampetra.* m *Cobitis: ſed aliis gobius.* n *Phoxinæ genus.* o *Mugil.* p *Perca.* q *Lucius minor.* r *Cephalus, ſive capito.* s *Minus ſquillæ genus.* t *Erythrinus, ſive rutilus.* u *Porculus,* χοῖρος. x Sive *ſcharpling, aculeatus major.* y Vulgo *eperlanus.* z *Majus ſquillæ genus.* a *Tinca.* b *Trutta.* c *Umbra.*

CAP. XXXI.

De piſcium lacuſtribus, & paluſtribus. Ut ſunt liparis, anguillæ quædam, picus, ſive cyprinus clavatus, aquo, ſive agonus, ſalmo, carpio Benaci, quo capiendo etiam gaudebat Imp. Fredericus III, *deque ejuſdem etymo. Adhæc de umbla, & lavareto.*

DEinceps, ut magis magiſque Dei erga nos amor ac bonitas, etiam in re cibaria, eluceat, pauca de lacuſtribus piſcium dicam: ſed ſic, ut paluſtres etiam miſceam: etſi non ignorem τοὺς τελματιαίους, ſive *paluſtres*, bonitate cedere τοῖς λιμναίοις, ſive *lacuſtribus*. Paludum enim aquæ, propterea quòd cœnoſæ, improbantur; iiſque degentes deteriori utuntur nutrimento. Eos nihilominus ſociabo; eo lubentiùs, quia par fere natura ſit amborum. Quid mirum? cùm ex lacubus ſæpius paludes fiant. Ut illa, quæ Pellam, regiam Macedoniæ urbem, cingebat. Sic enim de hac Livius extremâ parte eorum, quæ ex

libro

libro quarto & quadrageſimo ſuperſunt: *Cingunt* (Pellam) *paludes inexſuperabilis altitudinis, æſtate, & hieme: quas reſtagnantes faciunt lacus.*

Quia verò nunc de Macedonia nobis ſermo; liparis primum teneat locum. Hic enim piſciculus, ut Bellonius *a* ait, capitur in Macedoniæ lacu, qui vulgo *Conius*, vel *Limnus Piſchiac* vocatur. Eſt ſardinæ ſimilis, ac, ſi paullum ignis appoſueris, in pinguedinem reſolvitur: unde & nomen; puta à λιπαρός, *pinguis.* Ob hanc pinguedinem ſtomacho incommodat, & alvum ciet. Sed ſale conditur, ut ſuperfluus ſic humor conſumatur. E Conio pago mittitur Theſſalonicam, ac harengi noſtri eſt ſimilis; eſtque grati ſaporis.

a Lib. I. de Aquatil. cap. 17.

Anguilla paluſtris minùs eſt lauta, quàm marina; ſed nutrit magis: ut ait Diphilus apud Athenæum in VIII.

Lucius, & tinca, in lacubus etiam, ac ſtagnis, ſunt frequentes. Sed de his antea dictum: pluraque ſi voles, Paullum Jovium *b* adi.

Atque idem Jovius *c* ait, ſingulos Italiæ lacus alere piſces ſuos. Hoc ipſum de lacubus Galliæ dixeris. Paucis ero exemplis contentus.

b Lib. de piſc. Rom. cap. 37

c Cap. 38.

Jovii *d* verba ſunt: *Larius lacus, ob longitudinem à Virgilio maximus nuncupatus, piſces longè omnium maximos gignit. Troctas centum aliquando librarum pondere, & barbaros ducentarum.* Et paullo poſt: *Sunt & in Mantuano lacu; qui, reſtagnante Mincio, latè diffunditur.* Hinc ſubjicit, quod hujus proprium eſt loci: *Barbari piſces ſapore longè optimi.* Ac poſt aliqua: *Eos Veneti raynas, ipſi verò Ticinenſes, Placentinique, & cæteri Padi accolæ, Carpenas appellant. Humidiores carnes, ſed tamen innoxias, habent; quod non tenaci, ſed aqueo potiùs humore abundent.* Poſtremò addit, ut linguæ earum præſtent ſapore.

d Cap. 38. memorati operis.

Circa Verbanum, Lariumque lacum, eſt piſcis delicatus, dictus *pic*, vel *pico*: videlicet à *picken*, quod eſt *pungere, cædere.* Nam è medio ſquamarum eminentes habet clavos: unde Rondeletius vocat *cyprinum clavatum.* E cyprinorum eſſe genere, idem arbitratur: etiam ſapore iis ſimilem eſſe ait; ſed meliorem; ſoliſque clavis à cyprinorum aliis differre. Nomen præteriit Plinius; qui ſic de eo ſcribit lib. IX, cap. XVIII: *Duo lacus Italiæ, in radicibus Alpium, Larius, & Verbanus, appellantur: in quibus piſces omnibus annis, Virgiliarum ortu, exiſtunt ſquamis conſpicui crebris, atque præacutis, clavorum caligarium effigie; nec amplius, quàm circa eum menſem, viſuntur.*

Verbanus quoque lacus, ac Larius, ſive Comenſis, profert aquones ſive agonos; de qua appellatione aliquid diximus cap. XVII. Piſcis eſt laccio, ſive aloſis, figurâ ac ſapore ſimilis, ſed magnitudinis minoris: quippe pedem non excedens; ut Paullus Jovius refert lib. de piſcibus Rom. cap. XVII. Atque idem addit, verno quidem tempore gracilem eſſe, ſed auctumno optimum. Fuſiuſque de hoc Salvianus; qui pinguiorem ait, eoque delicatiorem eſſe Julio, & menſibus tribus ſequentibus: mediocriter nutrire, attamen ſucci eſſe craſſioris. Rondeletius putat, eſſe chalcidem, quem Ariſtoteles inter lacuſtres refert. Theodorus *e* reddidit *aricam.*

e Tralatione Ariſt. Hiſt. An. lib. 6. cap. 14 item lib. 9. cap. 37.

Hæc de lacubus Italiæ: videamus de Gallicis. Salmones lacuſtres, ut Rondeletius nuncupat, quos alii truttas lacuſtres vocant, non tantùm in lacu inveniuntur Lario; ſed etiam Lemano, Tigurino, Acronio. Sapidiores ſunt menſe Februario, ac tribus proximis. In Acronio lacu meliores ſunt captæ parte ejus inferâ, quàm ſuperâ. Caro ſolida eſt: ſapor quoque egregius, niſi faſtidium nimia adferat pinguedo: quæ in cauſsâ eſt, cur paucis ab morte horis putreſcere incipiat, omnemque ſaporis gratiam deperdat.

Huic ſalmoni, ſive truttæ lacuſtri, haut abſimilis eſt carpio lacûs Benaci: qui olim non videtur in magno fuiſſe pretio. Siquidem apud veteres de eo ſilentium eſt: quod Marius Grapaldus, libro I de partibus ædium cap. ult. non aliunde factum putat, quàm quia antiqui, vilibus poſthabitis, ſolùm nobiliores ſoleant piſces referre. Hodie tamen (fortaſſe quia apparatus ejus nunc melior ſit) primæ habetur notæ. Capturâque ejus etiam gaudebat Imperator Fredericus III, parens Imp. Maximiliani I. Adſcribam de hoc verba Petri Bembi ex lib. I Hiſtoriæ Venetæ: *Fredericus Benacum primum inviſens, omniaque litora biremi circumvectus, ejus præſertim ora, quæ ad meridiem vergit, adſpectu atque fragrantiâ, quòd eſt pomi Medici plena, mirificè exhilaratus, tum aquæ perlucidiſſima amœnitate oblectatus, piſcationibuſque delectatus eſt. Capitur eo in lacu prope medio, quaque altiſſima eſt aqua, piſcis clarus, carpio ab incolis dictus, pedis plerumque longitudine: qui omnino piſcis alibi non capitur: eum piſcem capere, atque cognoſcere Frederico voluptati fuit.* Sed de eo, quod ait, non alibi reperiri, planè decipitur. Omnino enim, etſi minor (quippe unius libræ) naſcitur in lacu Peſtano: unde cautiùs de hoc in Italia ſua Leander *a* ſic ſcribit: *Benacus copiâ piſcium optimorum abundat: imprimis truttarum, itemque carpionum: qui, uti ferunt, auro veſcuntur: nec alibi piſcis hujus ſpeciem inveniri creditur, præterquam in Peſtano lacu, prope Soram Apruzii, magnitudine tamen huic inferiorem.* Ubi à Leandro etiam tangi videmus illam vulgi fabulam, carpionem Benaci lacus auro veſci. Quæ inde promanavit, quia in inteſtinis excrementa ejus ſabulum referant aurei coloris. Ac faciliùs id perſuaſum, quia in fundo ſemper degat. Itaque & ab auro carpendo *carpionis* nomen eſſe dictitant, eamque etiam opinionem ſequitur Joannes Pierius Valerianus: ut qui ſuam Carpionis fabulam his clauſerit verſiculis:

a In Italia ſua, parte ſextadecima, quæ eſt de Lombardia tranſpadana, Colon. edit. pag. 619.

Nam quia quod carpis, nihil eſt pretioſius auro;
Elogium fiet nominis inde tui.
Carpio nomen erit; quod nulla obliteret ætas.
Vive, vale; ac aurum, Carpio, carpe tuum.

Sed origo vocabuli non eſt è Lario arceſſenda; cui is piſcis fuit ignotus. Præterea ſtultum eſt putare, carpionem auro veſci: quaſi Benacus etiam aurifer ſit, vel metallum ulli animanti ſit pro cibo. Si nomen id à carpendo auro eſſe, placet: illis potiùs ſubſcripſeris, qui ſic ajunt vocari, quia carè venit; eoque aurum decerpit emtoris; unò inſanientes in hoc piſce, auro & fortunis evertit. Quomodo quidam iccirco, ut apud Bellonium *b* eſt, *carpionem* priùs dictum putabat *pionem*: inde à caritate pretii nomen indeptum *carpionis.*

b Lib. I. de Aquatil. cap. 17.

Lemani, ſive Lucernenſis lacûs piſcis eſt, qui vulgò *umbla*, corruptè, ut videtur, ex *umbra*; non quaſi *umbra* Lemani ſit eadem, ac *umbra* veterum; ſed quia fluvitialis, marinaque veterum umbra, ſimilis ſit lacuſtri illi, quæ Lemani accolis *umble* dicitur; ut Sabaudis *Routte.* Piſcis eſt carnis ſuavis, & ſiccæ, & quam multi nec aſellis, atque adeò ne ſaxatilibus quidem, cedere exiſtiment. Præcipuè commendatur menſe Novembri, ac Decembri.

Burgetii, & Æquebeletii *c* lacus apud Allobroges proprius eſt *laver*; qui vulgo *lavaretus*, ſic à *lavando* dictus, ob munditiem, quia nunquam ſordeat, ſed ſimilis ſit piſci recens abluto. E ſalmonum genere eſſe, ait Rondeletius: è truttarum, putabat Bellonius *d*. Boni eſt ſucci, nec malè nutrit. Ut carpionem Itali, ſic laverem Allobroges, cæteris præferunt piſcibus. Non multum ab eo abit bezola lacus Lemani, figurâ ſimilis harengo. Eſt & ejuſce lacus proprius, qui *ferra*, vel *pala*, nominatur. Carne is candidâ, & ſuavi; nec bonitate lavare, vel truttâ, inferior.

c Vulgo d'Aiguebelene.

d Lib. I. de Aquatil. cap. 17.

Cap. XXXII.

Acceditur ad cetaceos, quibus pro ſpinis, vel cartilagine, ſunt oſſa: & quomodo hi præterea differant à piſcium aliis. Quid occaſionem præbuerit quæſtioni, an cetaceis Quadrageſimæ tempore veſci liceat. Unde ſint, Hebræum leviathan, *Græcum* φάλαινα, *Latinum* balæna. *Qualis ſaporis ejus ſit caro. Quomodo delphinorum caro præparanda. Græcos penè univerſos ejus eſum refugiſſe.*

Imo,

Imò, Oppiani judicio, non capi, vel edi, ſine maximo ſcelere. Phocis unde nomen, & ut aliis vocentur gentibus. Quali ſint carne, & ut etiam B. Hieronymus dicat, delphini, & phocæ carne abſtineri. De phocæna, & manate. Cetaceos Galeno impropriè vocari piſces quoſlibet prægrandes: ſicuti zygænam, & caro ejus qualis: item thynnum, deque eo Lucilii, & Ennii verſus partim illuſtrati, partim correcti. Unde thunnis nomen. De antacei carne, & unde vocabuli origo. Item de attilo.

HÆc de piſcium ſanguineorum illis, qui vel ſpinas, vel pro ſpinis habent cartilaginem: eorumque tam de ſquamoſis, quàm lævibus, actum nobis. Nunc pergam ad cetaceos ſic propriè dictos: quibus pro ſpinis, vel cartilagine, ſunt oſſa. Qualia & pariunt animal; non ovum, aut vermem. Adhæc mammas habent, quibus nutriunt fœtus. Auctor de iſtis Ariſtoteles lib. I Hiſt. An. cap. V, & lib. III, cap. XX. Præterea pro branchiis arteriam, & pulmones, obtinent ad reſpirandum. Atque hi magnitudine
a In balæna. piſces alios excedunt: unde & Feſto *a*, & in gloſſis noſtris
b Ubi ſcriptum, catus, bilua marina. Sed legendum, cetus, bellua marina. MSSis *b*, dicuntur *belluæ marinæ*. Sic ſanè Horatius *c* *belluas ponti* appellat, & Plinius *d* *belluam* pro *ceto* dixit. Ob magnam eorum cum terreſtribus convenientiam, quandoque piſcibus opponuntur. Atque hoc, ut Rondeletio *e* etiam monitum, occaſionem præbuit nonnullis, quærendi, utrum Quadrageſimæ tempore in piſcibus, quorum eſus obtinet loco carnis, etiam cetacea comprehendantur. Hoc ſanè in manate habeat locum: de quo inferiùs agemus.

c Lib. 3 Carm. od. 27.
d Lib. 9. cap. 2.
e Lib. 16 de piſc. mar. c. 1.
f Pſal. 104.

A magnitudine videtur eſſe Hebræum לִוְיָתָן *f* leviathan: nempe ab לָוָה, lavah, quod eſt, *cumulatus, additus fuit*. Græcum φάλαινα eſt ab Chaldaico בְּלַע balah, hoc eſt, *deglutivit, devoravit*. Nam totum etiam abſorbet hominem. Hoc lucem capit ex iis, quæ de lamia, ceti impropriè ita dicti genere, attulimus cap. VII. A φάλαινα autem eſt Latinorum *balæna*, aſpiratâ in mediam converſâ; ut ab ἀλφὸς, *albus*; à τράφηξ, *trabes*; Macedonibus ex Φερονίκη, Βερονίκη, ut & Latinis *Beronice*. Sed hæc de voce. Rem videamus, eamque cibariam.

Galeno judice lib. III de Alim. Facult. ſapor balænis, eſt ingratus; ac mucoſus. Idem in III de Loc. Aff. ſalſas, earum carnes humorem ait melancholicum producere. Cardanus tamen viſcera illarum ait ob pinguedinem grata eſſe; nec ſapore ſolùm, ſed odore etiam, quo violam referant, commendari.

Ex cetaceis etiam eſt delphinus, quem menſis experti, præſertim incruſtatum, atque aromatis conditum; Scali-
g Puta diſt. Scal. gero ſcriptum in Ariſtot. lib. II Hiſt. Animal. cap. XVI *g*, ſect. XVIII. Nempe adeò pingueſcit, ut partim inde, partim à capitis ſimilitudine, vocarint *marſvin*, ſive *meerſchwein*, hoc eſt, marinum ſuem. Sed hæc pinguedo, ut jam dictum, aromatis corrigitur. Saltem efficit, ut pinguedo ea palato non ſit ingrata. Ut verò valetudini noceat minùs, aſſare præſtat, ſeu in veru, ſeu craticula: vel priuſquam elixetur, ſalienda, ut ſic craſſus humor abſumatur: cocta autem edenda cum apio, anetho, cepa, & ſimilibus: quemadmodum Rondeletius docet lib. XVI de piſcibus marinis, cap. VIII: *Experientiâ*, inquit, *ipſe didici, delphini carnem præterquam quod dura ſit, & difficilis concoctu, etiam pinguem eſſe: quo fit, ut ventriculum relaxet, & nauſeam moveat.* Hinc vitium iſthoc ſic corrigi, prout jam diximus, ſubjungit. Item ut ex partibus delphini præcipuè commendentur hepar, & lingua.

Orientalibus verò edere delphinos, religio erat. Ab-
h Lib. 7. ubi de pompilo. & delphino. ſtinuere etiam Græci prope omnes. Unde apud Athenæum *h* Pancrates Arcas *i*, ait, cùm is piſcis capitur, & editur, ut à cetariis fit; παρανομεῖσθαι, hoc eſt, violari
i Libro de marini. eum, quia id ſit contra legem, vel conſuetudinem. Apud
k Lib. 13. cap. 8. eundem *k* narrat Phylarchus, ut Cæranus Mileſius, cùm videret in verticulo piſcatorum delphinum, quem à priſco ritu degenerantes parati eſſent in fruſta concidere, cum ære ſuo redemerit, ac vivum reddiderit mari. Pro quo quis honos ei à delphino præſtitus dicatur, illic legi malo. Oppianus quoque in V Ἁλιευτ. *a* eorum capturam vocat [*a Verſ. 416. & ſeqq.*] ἀπότροπον, *abominandam*: nec enim fœdum minùs eſſe delphinum necare, quàm hominem: nec hoc qui ſcelus commiſerit, ſolùm eſſe tanti facinoris reum; ſed domeſticos polluere univerſos; ut nemo cum tali debeat eidem ſe tecto, vel navi, committere. Etiam B. Hieronymi tempore abſtinere ſolitum ab ejus eſu, liquebit ex verbis, quæ mox adducam.

Ex cetaceis etiam ſunt φῶκαι, ſive vituli marini. Sanè vivos pariunt fœtus, ut Oppianus ait: &, Plinio teſte, eos nutriunt mammis. Oſſa quoque habent; molliora tamen, & ad cartilaginem propiùs accedentia, quàm balænarum, ac delphinorum; ut *oſſa cartilaginea* cum Ariſtotele poſſis dicere. Φῶκαι autem quaſi βῶκαι vocantur, à mugitu, quo bovem referunt. Feſtus: *Bocas genus piſcis à boando, id eſt, vocem emittendo.* Adſpirata abiit in mediam: quomodo ex φάλαινα eſt *balæna*; ſicut diximus. Maſſilienſes ſimiliter vocant *bovem marinum*. Sed Germani *meerhund*, Belgæ *zeehond*, q. d. canem marinum. Omnino tamen vitulo ſimilior eſt, auribus exceptis: ut mittam, quòd velut vitulus boet. Quare omnino rectiùs *meerkalb*, & *zeekalf* vocetur. Caro phocis eſt mollis, & ſpongioſa; præque pinguedine facilè liquatur, & nauſeam creat. Mali etiam & ſucci eſt, & odoris. Eo minùs mirandum, ſi etiam B. Hieronymi ætate ab illo abſtinuerint. Sic enim ſcribit lib. II adverſus Jovinianum: *Si omne, quod movetur, & vivit, ad veſcendum factum eſt, & præparatum gulæ, reſpondeant mihi, cur elephanti, leones, urſi; cur viperæ, ſcorpii, cimices, culices, pulicesque; cur vultur, aquila, corvus, accipiter; cur ceti, delphines, phocæ, minutæque cochleæ ſint?*

Poſt phocas aliquid etiam de phocænis dicamus: cùm vocabulorum unum ex altero ſit deflexum. Nempe quia phocis ſimiles ſint: præter quas referunt delphinos; ut ſcripſit Ariſtoteles lib. VI Hiſt. Animal. cap. XII. Plinius lib. IX, cap. IX, ait, turſiones habere delphinorum ſimilitudinem. Ita ut Ariſtotelis φώκαινα videatur eſſe Plinii *turſio*. Theodorus quidem ſic reddidit in Ariſtotele. Inter alia verò etiam oſſibus, ac cartilaginibus, conveniunt. In Ponto naſci, ab Ariſtotele ibidem proditum eſt. Lutetiam in forum deferri piſcarium, à Bellonio traditur Gallici de Piſcibus operis lib. II, cap. XI. Cæterùm cùm pinguior ſit delphino, eo quoque difficiliùs concoquitur.

Manates, ſive manatus, piſcis eſt Indiæ Occidentalis, ac fortaſſe is, qui Ariſtoteli *bos* nuncupatur. Cardanus de eo ſic ſcribit lib. X de Subtilitate *b*: *Optimus eſt piſcis ma-* [*b Pag. 424. edit. Lugd. an. 1580.*] *natus, & qui plauſtro vix à duobus junctis bobus vehatur. Hujus caro ideò vituli carnem imitatur, ut ſi piſcem quis non te doceat eſſe, carnem juraveris.* Ubi & addit, mammas habere, iiſque alere vitulos ſuos; ut inde liqueat, ex propriè dictis cetaceis eſſe. Cardano hac parte aſſentit Cæſar Scaliger Exercit. CCXXIII, & quædam addit ei intacta. Sed intra rem nunc cibariam conſiſtamus. Carnem habet bubulæ ſimillimam, & quæ ſi concidatur, ſicceturque, longiſſimo tempore ſervetur incorrupta: ſapor verò is, qui thunno, vel melior potiùs. Cauda, ſi coquatur, tota abit in pinguedinem, idoneam ovis in ſartagine frigendis. Ejus bonitatem arguit, quòd vetuſtate non fiat rancida, vel mali ſaporis. Teſtis iſtorum Ferdinandus Oviedus. Eum piſcem Lugduni Batavorum ſæpius vidimus in porticu horti Academici ſuſpenſum. *Vaccam marinam* vocitabant Batavi, qui ex India cum Occidentali advexerant anno CIↃ IↃ C: quo publicè in Academia illa Ariſtotelis de Natura libros enarrabam. Eodem tempore non dubitandum ejus Academiæ ornamentum erat Carolus Cluſius: quem de piſce hoc vide Exoticorum lib. VI, cap. XVIII.

Atque hactenus de cetaceis diximus, prout hoc vocabulum uſurpare Ariſtoteles ſolet. Sed Galeno in III de Alim. facult. cap. XXI, laxiùs ea vox ſumitur pro quibusvis vaſtæ molis piſcibus. Itaque non modò phocas, balænas,

delphinos, in cetaceis numerat: ſed etiam canes marinos. Hos verò ait eſſe carnis duræ, & excrementitiæ; ſaporis etiam ingrati, ac mucoſi: ac propterea non comedi, niſi à vulgo: idque cum ſinapi, & oxelæo, & id genus acribus condimentis.

Eidem poſtea cap. XXXVII, præter canes memoratos, in cetaceis ſunt zygænæ, ſive libellæ, ac grandiores thunni. Atque his etiam ait carnem eſſe excrementitiam, & pravi ſucci; eoque eam jubet ſale condiri, ut ſic attenuetur, ac coctioni & gignendo ſanguini bono aptior reddatur. De libella idem traditum Æginetæ lib. I, cap. XCIV. Sed juniorum thunnorum caro non æquè fuit improbata. Itaque non ignobilis erat piſcario thunnaria: cujus mentio fit lib. VIII Digeſt. Tit. IV, qui eſt Comm. præd. Horum abdomina commendabant; ut apud Athenæum in ſeptimo docebunt Eubulus, Ariſtophanes, Strattis, Eriphus. Idem indicat Lucilius, è cujus primo ſatyrarum adducitur ab Agellio *a*, Nonioque *b*:

Ad cœnam adducam c, *& primum his abdomina thynni*
Advenientibu' priva dabo, cephalæaque atarne.

Ubi in vulgatis, *cephaleamque carnem.* Unde Turnebus *d*, *carnem & cephalæam.* Sed malim cum aliis *Atarne* e, ab Myſiæ oppido è regione Lesbi. Similiter apud Appulejum *f* ex Ennii Phageticis:

Polypu' Corcyræ, calvaria pinguia Atarnæ.

Hæc generatim de thunnis: quos, ubi magni evaſerint, in cetaceis numerari, liquet etiam ex iis, quæ diximus cap. IX. Et favet quoque vocabuli origo. Planè enim veriſimile eſt, *thunni* utcunque à θύειν non ineptè deducas, ut vidimus cap. XIX: veriùs tamen eſſe ex תנים tannim: quomodo Hebræis dicuntur balænæ, aliique piſces vaſtæ magnitudinis: ut Geneſ. I, 21. Ubi Deus creaſſe dicitur התנים hattinim: quòd LXX τὰ κήτη reddiderunt.

In thunnis verò etiam is piſcis eſt, qui Callimacho *g* ab aureis ſuperciliis χρυσόφρυς dictus; aliis verò πόμπιλος, ἀπὸ τῆς πομπῆς, quia, ut ait Oppianus, navigantes ex alto mari in continentem uſque ſoleat comitari: ob quam benevolentiam etiam ἱερὸς ἰχθύς, *ſacer piſcis*, eſt nuncupatus. Sed de hoc inferiùs dicemus pluribus.

Inter cetaceos adhæc Plinio ob magnitudinem refertur ἀνταχαῖος, ſive ἀνταχαῖος; cui nomen hoc dedere Antaces, populus circa Mæotin, Colchis vicinus: ſecundùm Plin. lib. VI, cap. VII. De antacæo autem locus eſt lib. IX, cap. XV: etſi ibi nomen id non exprimatur: uti neque apud Pomponium Melam, vel Solinum. Sed ἀνταχαῖος Herodoto *h*, & aliis, vocatur. Verè autem cetaceum non eſſe, arguit, quòd, ut ſpinis, ſic oſſibus careat: quippe qui cartilagineus ſit. Carne eſt prædulci, & viſcidâ: eoque idoneâ ſalituræ. Itaque à Tanais, ac Ponti accolis, Romam, & Venetias, mitti, inque foro venire piſcario ſolet.

Ob ſolam quoque magnitudinem cetaceus cenſetur attilus; etſi in Pado flumine naſcatur, & nutriatur *i*. Is quoque cartilagineus eſt, ac ſturioni uſque adeò ſimilis, ut pro eo ſubinde vendatur. Sed fraudem detegit ſapor, qui parum eſt gratus. Carne interim eſt molli.

a *Lib* 10. *cap* 20.
b *In Privi.*
c *Al.* abducam.
d *Averſ. l.* 14 *c.* 18
e *Niſi cum Salmaſio ſtatuendum atarnæ, vel atarne* (*nam C, & T, ſæpe confunduntur*) *hic poni pro piſcis vocabulo. Gloſſæ: Atarna, εἶδος ἰχθύος. Eſt & Heſychii: Ἀτάρναξ, λάβραξ.*
f *In apolog.*
g *Apud Athenæum.*
h *Lib.* 4. *cap.* 53.
i *Plinius lib* 9. *cap.* 15.

Cap. XXXIII.

Qui piſcium ἄναιμοι nominentur, & quot eorum genera ſtatuantur à philoſopho. Quæ ſint μαλάκια, vel μαλακόδερμα: nec piſces ejuſmodi dici molles *ratione carnis, cum hæc dura ſit; ſed propter cutem, quæ lævis eſt, hoc eſt, ſine ſquamis, teſtaque. Qualis ſit caro ſepiæ. Qui* loliginis *indigere dicti ſint Athenienſibus. Philoxeni mors ex avide nimis comeſto polypo: Diogenis item ex eſu polypi crudi: de quo tamen aliter alii. Ut figurâ inter ſe differant cancri, ſquillæ, locuſtæ, aſtaci. Qualis cruſtatorum omnium caro. Callimedonti oratori unde* Locuſtæ *cognomen. Tria bona eſus locuſtarum, ſecundum Dorionem. Cancri, mææ, & paguri. Aſtaci caro. Elephanti, & leones marini, aſtacorum genus, vel iis ſimiles. Squillas minores murænis addi; majores cum aſparagis coqui ſolere. Squillarum magnitudo. Quantopere ſquillis delectatus ſit Apicius. Cammari, ſquillæ genus.*

De piſcibus ſanguine præditis, qui ἔναιμοι Græcis appellentur, quoniam pro inſtituto noſtro ſatis diximus: deinceps expediam de iis, qui Græcis ἄναιμοι, nobis *exſangues* vocantur; quia non habent ſanguinem propriè dictum, ut animantium calidiora; ſed humorem alium, qui ſanguini proportione reſpondeat. Horum tria ponuntur genera ab Ariſtotele *a*, Plinioque *b*. Alia enim mollem habent cutem; alia tenui obducuntur cruſtâ; alia teſtâ concluduntur durâ. Illa primi generis à Græcis vocantur μαλάκια *c*, vel μαλακόδερμα *d*: quia cutem habent, qualis homini; non ſquamas, nedum cruſtam, vel teſtam. Talia ſunt ſepiæ, loligines, polypi, oſmylæ, eledonæ *e*.

Sepiæ, omniumque mollium, ut Plinius vocat, hoc eſt, lævium cunctorum, caro dura eſt, & concoctu difficilis, ſi parum habeat ſalſi: quod ſi concoquatur, multum nutrit: crudum interea ſuccum gignit. Ita Galenus, & Aëtius. Unde Simeon Sethi acrioribus condiri aromatis jubet, & iis comeſtis vinum bibi. Diphilus tamen apud Athenæum in VIII ſcribit, carnis eſſe teneræ, & excretu facilis. Quomodo ſepiæ apparentur, & ex iis iſicia fiant, apud Apicium legere eſt lib. II, cap. I & lib. IX, cap. IV.

Loligines Athenis uſque adeò viles erant, ut quem pauperrimum ſignificare vellent, eum dicerent τευθίδος δεῖσθαι *f*, *loliginis parvæ indigere.* Nam τευθίδες, *minutæ loligines* ſunt: τεῦθοι autem *majores* vocantur; ut eſt apud Ariſtotelem lib. IV Hiſtor. Animal. cap. I. Sed hodie etiam divitibus ſunt in deliciis. Modum eas cum atramento ſuo coquendi Rondeletius docebit lib. XVII de Piſc. Mar. cap. V.

Polypum difficulter concoqui, majoremque majoris eſſe alimenti, Diphilus tradit apud Athenæum *g*. Elixi præſtant. Nam, cùm duræ ſint carnis, duriores aſſatione redduntur. In Thaſo, & Caria, optimi habebantur, judice Archeſtrato *h*. Corcyra etiam multos, & magnos, alebat. Teſtis Athenæus. Qui & narrat, ut ex hoc piſce immodicè commeſo in morbum inciderit ὀψοφάγος *i* ille Philoxenus: cumque letalem eſſe morbum, ex medico audiret, dixerit, ut quidem Machon Sicyonius Comicus inquit *k*:

Ἵν' ἔχων ἀποτρέχω πάντα τὰ ἐμαυτοῦ κάτω,
Τοῦ πλύποδός μοι τὸ καταλοιπον ἀπόδοτε.
Ut hinc recedens auferam mea omnia,
Quicquid relictum eſt polypi, mihi date.

Diogenes quoque obiit πολύποδα φαγὼν *l*, ſed ὠμὸν *m*: ut idem Athenæus *n* ait, ac Laërtius in ejus vita: ſed apud hunc, ut dixi libri ſuperioris cap. XX, corruptè legitur βοὸς πόδα; unde non modò Ambroſius, & qui eum recenſuit, Brognolus, ſed doctiſſimus etiam Leopardus, qui Ariſtippi, & Diogenis, vitam ex Laërtio edidit Latinè, reddidit *o* hoc pacto: *crudo bovis pede devorato.* Sed πολύποδα etiam eſt apud Lucianum, qui addit, ὠμὸν ... *p*. Veriſimilius interea eſt, retentione ſpiritus diſceſſiſſe; ut neceſſarios illius rem eam narrâſſe, tradidit Antiſthenes in Succeſſionibus apud Laërtium lib. VI. Vitæ, puto, tæduit, poſtquam *cruditate in choleram ſolutus*; ut ait Cenſorinus *q*.

Alterum ἀναίμων *r* genus dixere μαλακόστρακα, quaſi dixeris, teſtâ quidem, ſed molli, contecta. Plinius vocat *cruſtata*, vel *cruſtis contecta*. Horum quatuor eſſe genera, refert Ariſtoteles *s*; locuſtas, aſtacos, ſquillas, & cancros. Quæ ipſa etiam conjungit Athenæus lib. III; ubi ex Diocle Caryſtio legas: Καρίδες, καρκῖνοι, κάραβοι, ἀστακοὶ, εὔστομα καὶ διουρητικά· *ſquillæ, cancri, locuſtæ, & aſtaci, grati ſunt ſaporis, & urinam cient.* Sed Plinius laxiùs cancrorum vocabulo utitur. Nam lib. IX, cap.

a *Lib.* 4. *Hiſtor. Anim. cap.* 1.
b *Lib.* 9. *cap.* 28.
c *Mollia.*
d *Molli cute contecta, q. d. mollicoria.*
e *Ariſtoteles, & ex eo Athenæus lib* 7: *ubi de polypo.*
f *Ariſtoph. Athara.*
g *Lib.* 7. *ubi de polypode.*
h *Ibidem.*
i *Piſcium helluo.*
k *Apud Athenæum lib.* 8, *c.* 5. *ſive pag.* 341.
l *Polypode comeſto.*
m *Crudo.*
n *Lib.* 8.
o *Excudit Antverpiæ Bellerus an.* 1556.
p *Aut ſepiâ.*
q *Cap.* 15.
r *Sanguinis expertium.*
s *Lib.* 4. *Hiſt. Anim. cap.* 2.

cap. XXXI ait: *Cancrorum genera, carabi, aſtaci, maæ, paguri, Heracleotici, leones. Carabi caudâ à cæteris diſtant.* Ubi mirum, dicere de carabis, caudâ differre, quaſi non & aſtaci, ac ſquillæ, habeant caudam. Rectiùs autem quatuor genera ab Ariſtotele, ac Diocle, memorata diſtinxeris in hunc modum: quòd cancri ſint corpore rotundo, cætera oblongo, ex his ſquillæ careant forcipibus denticulatis, pedeſque habeant plures locuſtis, & aſtacis: locuſtæ verò anteriori corporis parte rigeant, ac binis prælientur cornibus, & utrimque præditi ſint pedibus quinis: aſtaci autem polleant chelis, ſive brachiis forcipatis; cornua verò habeant minora.

De ſapore cruſtatorum jam aliquid ex Diocle vidimus. Sed pleniùs res explicanda. Omnia cruſtata ſalſum habent humorem, duræque ſunt carnis, ac propterea concoctu difficilia: ſed ſi dulci aquâ coquantur, atque ita exuerint ſalſedinem, bene nutriunt. Teſtis Galenus lib. III de Alim. Facult. cap. XXXIV.

Quod universè dictum de cruſtatis, id de locuſtis particulatim ait Simeon Sethi *a*. Nam difficulter concoqui docet, ſed valde nutrire. Non vitiari in ſtomacho, ait Cornelius Celſus *b*. Atque idem traditum Galeno lib. VIII de Compoſit. medicamentorum κτ̀ τόπους. Gravidas præſtare, Ariſtoteles *c* narrat. Plinii *d* de ea eſt: *Unum hoc animalium, niſi vivum ferventi aquâ incoquatur, fluidâ carne non habet callum.*

Καράβοις, ſive locuſtis, uſque adeò capiebatur Callimedon *e* Orator, ut exinde *Carabi* nomen acceperit: ſicut Alexidis, & Timoclis, locis oſtenſum Athenæo *f*. Lepidè verò Dorion, eodem teſte *g*, dicebat, locuſtam tria in ſe habere, διατριβὴν, καὶ ὀψωχίαν, καὶ θεωρίαν· *exercitationem, delicias, & contemplationem.* Nam in eo diſcerpendo manus, oculoſque, exercemus: præterea grati eſt ſaporis: adhæc, elegantem ejus fabricam ſpeculando, ſuaviter animum paſcimus.

E cancris maximæ ſunt majæ; minores iis paguri, quique Ariſtoteli *h* Heracleotici dicuntur. Παγούρια eos appellat Simeon Sethi. Succus iis minùs eſt ſalſus. Fluviatiles, vel ſaltem dulci aquâ capti, præſtant marinis. Etiam temporis eſt diſcrimen, quia maximè laudantur vere, & auctumno, idque plenilunii tempore. Interim difficiliùs concoquuntur, & humores gignunt craſſos, ac bilioſos. Eoque edendi cum aceto, & pipere. Eâdem de cauſâ juvenibus utiliores ſunt, & valenti ſtomacho præditis.

Ἀστακοί, Mneſithei *i* judicio, meliores ſunt aſſi, quàm elixi. Unde in clibano coqui jubet. Humidi ſunt, & frigidi: interea multùm nutriunt, ſecundùm Simeonem Sethi. Majores aſtaci, ſi Bellonio *k* fides, *leones* Æliano *l* dicuntur. Mihi placet, valde quidem ſimiles eſſe; attamen differre ſpecie. Sanè Athenæus *m* diſtinguere videtur, cùm leonem aſtaco majorem ait. Diſtinguit & Plinius *n*.

Squillas cum foliis coctas ficulnis optimum eſſe obſonium, Ananius poëta ait apud Athenæum. Lucillii jam ævo eas in pretio fuiſſe, indicat hoc illius de Gallonio lurcone:

Cœnaſti in vita nunquam bene, cùm omnia in illa
Conſumis ſquilla.

Erat interea non leve ſquillarum diſcrimen. Minores erant acceſſio murænarum. Unde Horat. lib. II, ſat. ult.

Adfertur ſquillas inter muræna natantes
In patinâ porrecta.

Majores verò, velut caput cœnæ, cum aſparagis inferebantur. Hinc Juvenalis ſat. V:

Adſpice quàm longo diſtinguet pectore lancem,
Quæ fertur domino ſquilla, & quibus undique ſepta
Aſparagis.

Magnitudinem ſatis priori verſu expreſſit. Sed ea non tam τῇ καρίδι convenit, quam aſtaco. Nam καρίδες etiam magnæ ſpithamam non ſolent excedere: quod ex Simeone Sethi conſtat. Quamobrem ita cenſeo, Juvenali, & Romanorum aliis, laxiùs *ſquillæ* vocabulum eſſe acceptum, ut non modò καρίδα, ſed etiam ἀστακόν, comprehendat.

a *Voce Carabi.* b *Lib. 2. cap. 28.* c *Lib. 8. Hiſt. An. cap. ult.* d *Lib. 9. cap. 30.* e *Plutarcho etiam memoratus in vita Demoſthenis.* f *Lib. 3, 6, & 8.* g *Lib. 8.* h *Lib. 4. Hiſt. An. cap. 2. five Caſ. Scal. cap. 3.* i *Apud Athenæum l. 3. cap. 23. ſive p. 106.* k *Lib. 2. de Aquatilibus, cap. 3. ubi peſſime confundit cum elephanto, bellua marina: ut liquet ex Plinio lib. 32. c. 11.* l *Lib. 14. de An. cap. 9.* m *In Dipnos. l. 3. cap. 23. ſive Comm. & Lugdun. edit. pag. 106.* n *Lib. 9. cap. 31. & lib. 32. cap. 2.*

Quantopere Apicium, trium Apiciorum medium, (quippe Tiberio Cæſari æqualem, ac memoratum etiam Senecæ *a*, Plinio *b*, & Dioni; à quo item *placentis Apicianis* c nomen) delectarint ſquillæ; argumento illud erit, quòd referam ex primo Athenæi. Degebat Apicius non ἐν Κιντύροις Γαλατίας *d*, ut perperam eſt apud Suidam *e*; ſed Μιντούρναις τῆς Καμπανίας *f*; idque captus ſquillis ejus loci, quæ non Smyrnæas modò ſquillas, ſed Alexandrinos etiam aſtacos, magnitudine exſuperabant. Hîc fando fortè accipit, in Africa eſſe ſquillas multò grandiores. Itaque nec unam ſibi diem differendam putavit, quo minùs navem conſcenderet, rectaque in Africam navigaret. Varia perpeſſus navigationis incommoda jam prope ad litus pervenerat, cùm piſcatores obviam veniunt; qui jam conſilii ejus facti erant certiores. Ex his igitur, cùm ſquillas ſuas oſtendiſſent, exquirit, num majores iis haberent, quas adveherent. Illis negantibus, non tanti duxit, ut in Africam inferret pedem; ſed, Minturnenſium ſquillarum memor, gubernatorem vela flectere retro, ac continuò repetere Italiam juſſit.

Cammari vel genus erant ſquillæ minoris; ut Athenæus, eumque ſecutus Euſtathius putavit: vel potius fuere perſimiles; ut maluit Plinius lib. XXXII, cap. XXII. Vile fuiſſe obſonium, indicat Martialis lib. II, ep. XLIII:

Immodici tibi flava tegunt chryſendeta mulli.
Concolor in noſtrâ, cammare, lance rubes.

Item Juvenalis ſat. V:

Sed tibi dimidio conſtrictus cammarus ovo
Ponitur, exiguâ feralis cœna patellâ.

a *Conſolatione ad Albinam, & aliis in locis.* b *Lib. 19. cap. 8.* c *Lib. 57.* d *Cinturis Galatiæ.* e *In Ἀπίκιῳ, & καρίδι.* f *Minturnis, Campaniæ oppido.*

CAP. XXXIV.

Tranſitur ad ὀστρακόδερμα, ſive teſtacea. Quam latè pateat conchæ *vocabulum. Quæ ex limnoſtreis præferantur. Cur pelagia minoris ſint bonitatis. Commendatiora naſci iis in locis, ubi ſalſugo temperatur aquâ dulci. Hujuſmodi habita fuiſſe cùm alibi, tum Abydi, Æni, & Rutupiis apud Britannos. Interea omne hoc genus in deliciis magis cenſeri, quàm cibis talibus, unde multum, beneque nutriamur.*

VEnio ad ὀστρακόδερμα, hoc eſt, ea quæ ὀστράκῳ, ſive ſiliceâ teſtâ conteguntur. Hæc Ludovicus Nonnius *a* perperam eadem facit ac μαλακόστρακα, cùm hæc molli, ſive fragili conteguntur cruſtâ: illa autem durâ, ac colliſili: ut ea Ariſtoteles *b* diſtinguit. Quemadmodum autem à veteribus omne genus cruſtatum interdum *cancrorum* genere cenſetur: ita ab iiſdem totum genus teſtaceum ſubinde *concharum* nomine intelligitur. *Concharum* igitur vocabulo continentur κοχλίαι, & ςρόμβοι: ex quibus concha potiùs eſt teſtâ ſemper rotundâ: ſtrombus verò eâdem eſt in longum turbinatâ. Præcipuè autem eas concharum nomine dignantur, quæ duabus conſtant teſtis: unde Ariſtoteli vocantur δίθυρα: poſſis reddere *bifores*. Oſtreæ igitur concharum nomine continentur. Nec rarò tamen conchæ, & oſtreæ, memorantur, ut ſpecies ἀντιδιῃρημέναι *c*. Ac tum *conchæ* dicuntur, quibus teſta eſt lævis, & polita, vel ſaltem ſimili ratione rugas habens, ac dentes: *oſtreis* verò ea exteriùs ſcabra eſt, & aſpera.

In hoc tam vario teſtaceorum genere principatus eſt oſtreorum: quorum tanta erat cura veteribus Romanis, ut eorum gratiâ etiam vivaria exſtruerent: quod quis primus fecerit, diximus cap. XXIII. Nec tamen par omnium eſt bonitas. Nam cùm alia gignantur in mari, alia in fluviis, alia in ſtagnis; unde λιμνόστρεα *d* vocantur: præſtantiſſima ſunt marina illa, ubi ut Athenæus ait, lacus, vel fluvius, adjacet mari. Unde Auſonius epiſt. ad Theonem:

a *Lib. 3. de re cibaria, cap. 35.* b *Lib. 9. cap. 30.* c *Oppoſita.* d *Stagni oſtrea.*

Oſtrea

Oſtrea Bajanis certantia, quæ Medulorum
Dulcibus in ſtagnis refluì maris æſtus opimat.

In mari interiori, ubi *pelagia* dicuntur, minùs ſunt ſalubria. De quo ſic Xenocrates apud Oribaſium in ea parte, quæ Græcè deſiderabatur in codice Geſneri; eoque Latinè ſolùm prodiit ex tralatione Joannis Baptiſtæ Raſarii: *Oſtrea verò pelagia, rara & inutilia ſunt, quod ea Sol non adſpicit, & exiguæ magnitudinis ſiunt, amaraque ſunt, nec eſculenta, quia ventrem mordicant.* Continuò, quæ præſtent, ſubjungit his verbis: *Gaudent dulci temperamento immixta, quod carnes dulces auget. Idcirco ad Nili oſtia præcipue in Ægypto, & in Epheſo ad Cayſtri ingreſſum incluſa, ut ſemina ponant, & ita creſcunt. Vere itaque craſceſcunt, expleta albo humore, & lacteo. Præterea Brundiſii, Tarracone, Narbone, Dicæarchiæ in Lucrino lacu: Chelidoniæ, Leucade, Actio, & Libyco ſinu, idem fit.* Laudabantur & Abydena: ut indicat Clemens Alexand. lib. II Pædag. Sanè & Maro primo Georg. Abydum vocat oſtriferum. Et Ennii eſt in Phageticis, ſive Hedyphageticis *a* potiùs,

Mures ſunt Æni, aſt aſpra oſtrea plurima Abydi.

Quod pari verborum numero expreſſum ex illo Archeſtrati apud Athenæum lib. III *b*:

Τὰς μῦς Αἶνος ἔχει μεγάλας, ὄστρεια δ' Ἄβυδος.

In magna etiam dignatione erant Cyzicena: de quibus, & aliis, mox illuſtrem apponam Plinii locum. Hodie apud Belgas maximus eſt honos Britannicis: ſed remotiores paullo Belgarum habere ea recentia non ſemper poſſint: poſſunt Britanni: ubi quantum præſtent, cognovi, cùm in eam ante decennium eſſem profectus, recens mihi, indigno licet, oblato Canonicatu Cantuarienſi ab Sereniſſimo & Auguſtiſſimo rege Karolo, cui immenſum ſemper debitura ſunt ſtudia noſtra. Nec hodie, vel heri, honos is oſtreis eſſe Britannicis cœpit. Quippe jam olim de eo aliud Plinius *c* oſtendit; dum Cyzicena oſtrea cum cæteris confert: idque Muriani ter conſulis verbis: *Cyzicena* (oſtrea) *majora Lucrinis, dulciora Britannicis, ſuaviora Getulicis* d, *acriora Lepticis, pleniora Lucenſibus, ſicciora Coryphantenis, teneriora Iſtricis, candidiora Circeienſibus.* Ejuſdem eſt lib. IX, cap. LIV: *Nondum Britannica ſerviebant litora* (unde nempe præſtantiſſima oſtrea) *cùm Orata* (de quo dictum antea *e*) *Lucrina* (oſtrea) *nobilitabat.* Advehebantur autem Rutupiis, Cantiorum urbe: unde Juvenalis ſat. IV de Montano helluone ait:

—— Circeis nata forent, an
Lucrinum ad ſaxum, Rutupinove edita fundo,
Oſtrea callebat primo deprendere morſu.

Veteres non minùs, ac hodie fit, oſtrea, in antecœnio imprimis, ediſſe cruda, conſtat ex Macrobio lib. III Sat. cap. IX: ubi ex quarto indice Metelli Pont. Max. hæc adducit: *Ante cœnam echinos, oſtreas crudas, quantum vellent.* Etiam crudorum meminit Galenus lib. III de Aliment. facult. cap. XXXIII: ubi ait, etſi alvum ſubducant, corpus tamen imbecillius nutrire. Item Athenæus *f*, qui ex Mneſithei Athenienſis de edulis libro refert, oſtreorum, concharum, mytilorum, & id genus aliorum carnem ægrè concoqui ob ſuccum ſalſum, quo cruda alvum ſubducant: ſed ſi elixentur, cum ſalſugine exuere hanc vim: aſſa autem, modò commode torreantur, minime eſſe noxia; quippe humore illo jam domito per ignem. Interim in deliciis magis fuiſſe, quàm cibis, docent hæc Senecæ epiſt. CVIII: *Inde oſtreis, boletiſque, in omnem vitam renunciatum eſt. Hæc enim non cibi, ſed oblectamenta ſunt, ad edendum ſaturos cogentia: quod gratiſſimum eſt edacibus, & ſeultra, quàm capiunt, farcientibus, facile deſcenſura, facile reditura.* Ac comprobant hanc ſententiam illa Marci Ciceronis lib. VII, epiſt. XXVI: *Ita ego, qui me oſtreis, & murænis, facile abſtinebam, a beta etiam, & malva, deceptus ſum.*

a Sic Salmaſius legendum conjicit. In Romana Appuleji editione eſt, edeſphagitica. Unde Caſaubonus faciebat, edeſtica, aut phagis. Græce, ἡ δυσμίς, ἡ φάγησις.
b Cap. 13.
c Lib. 32. cap. 6.
d Sic Malſarius legit. Al. Adulitis. In vulgatis eſt edulis. unde legendum cenſeo, Medulis. Medulis enim oſtreis militaveres, ut indicat Auſonius ad Theonem locus, quem hoc ipſo capite adduximus.
e Cap. 23.
f Lib. 1. c. 13. ſive fol. 92.

Cap. XXXV.

Echini marini utrùm teſtacei, an cruſtati ſint generis, inter Ariſtotelem, & Plinium, non convenit. Eum ab echino terreſtri hoc nomen accepiſſe. Laconis dictum, devorantis echinum una cum aculeis ſuis. Echinometra. Cur echini ad Toronem, & Miſenum, ſint cæteris ſalubriores. Unde echini bonitas dignoſcatur, & in quo ea conſiſtat. Peloridis unde appellatio. Laudatam, quæ caperetur ad Meſſanen, & in lacu Lucrino. De peloride judicium cùm Martialis, tum Diphili, & Xenocratis. De ſpondylis, balanis, glycymeride, murice, ſeu concha Venerea, & unde ei nunc porcellanæ *nomen. Etiam purpuræ caro in cibis. De trachali.*

CUm oſtreis, de quibus dictum, paſſim *a* videas conjungi echinos. Sed utrùm teſtacei, an cruſtati ſint generis, non ſatis convenit. Ariſtoteles reponit inter ea, quæ teſtà conteguntur: Plinius inter cruſtata. Atque hunc ſequi maluit Rondeletius *b*, quia teſtam habeant fragilem, ut cruſtæ magis nomen mereatur. Sed enim id argumentum non ſatis validum videtur; quia & quædam, ob tenuitatem, fragilia ſunt; etſi ſiliceæ ſint naturæ.

Echinus, teſte Iſidoro *c*, dicitur à ſimilitudine echini terreſtris, qui aliter *erinaceus* vocatur. Quippe, ejus inſtar, armatur ſpinis, ſive aculeis. Unde Martialis lib. XIII, epigr. LXXXVI:

Iſte licet digitos teſtudine pungat acutâ,
Cortice depoſito mollis echinus erit.

Et apud Athenæum in tertio *d* legas de Lacone quodam, ut cum ille modum echino veſcendi neſciret, eoque ori ingereret unà cum aculeis, quos auferre oportuerat; offenſus quidem fuerit, ubi ſic ſe aculeis pungi perſenſit: cæterùm, quia indignum Spartanà putaret patientià, ab echino, eoque cocto, ſe vinci; deglutierit qualeserant, ſed in verba hæc erumpens: Ὦ φάγημα μιαρὸν, οὔτε μὴ νῦν σ' ἀφίω μαλακισθεὶς *e*, οὔθ' αὖθις ἔτι λάβοιμι. *O ſceleſtum edulium, neque ego nunc te præ animi mollitie dimittam: nec poſthac iterum ſumam.* Sunt verò Ariſtoteli *f* duo echinorum genera, τὸ τῶν Σπατάγγων, καὶ τὸ τῶν καλουμένων βρύσσων *g*. Omnium autem maximas ait *h* ἐχινομήτρας *i*, ſic ex eo vocatas; uti in coturnicibus *ortygometram* dicimus. Legas ibidem *k*, echinis omnibus eſſe ova: ac generi cuidam grandia, & eſculenta. Maxime laudat *l* echinos ad Toronem, Macedoniæ urbem, unde ſinui Toronaico nomen. Cauſſa eſt, quòd, ut ait, hic motu ſunt agili, & plus ſpatii conficiant, ſemperque aliquid algæ, aut aliud, ſecum deferant in ſpinis. Nimirum ut ignavia carnem facit inſipidam: ita motus frequens conciliat ſaporem. Credo, & hæc ratio eſt, cur Romanis præcipuè commendarentur illi circa Miſenum, Bajarum portum. Horat. lib. II, ſat. IV:

Oſtrea Circeis, Miſeno oriuntur echini.

Illos, qui rubri aut melini ſunt coloris, & lacteum, quando raduntur, ſuccum emittunt, eſſe palato gratiores, Diphili apud Athenæum *m* judicium eſt. Parum nutrire, mediæque eſſe naturæ inter illa, quæ ſanguinem craſſum, quæque tenuem reddunt; apud Galenum legas lib. III de Aliment. Facult. cap. XXXVIII.

Ab echinis, quos aliqui in cruſtà obtectis reponunt, uti diximus, ad ea redeamus, quæ in teſtatis eſſe convenit. Ac primò conſideremus cætera quoque à Metello memorata in indice cœnæ Pontificalis. Verba ejus apud Macrobium *n* ſunt iſta: *Ante cœnam echinos, oſtreas crudas quantum vellent, peloridas, ſpondylos.* Et mox: *Patinam oſtrearum, peloridum, balanos nigros, balanos albos: iterum ſpondylos, glycomaridas.* Poſt aliqua ſubdit, *murices, purpuras.*

Peloridum Græca eſt appellatio; ut ait Varro lib. IV de L. L. Sic dictæ a Peloro, Siciliæ promuntorio: quamquam non ignorem, aliter de eo ſenſiſſe Athenæum *a*,

a Plauto Rudent. act. 2. ſc. 1. Lucilio apud Agellium l. 20. cap. 8. Horat. lib. 2. ſat. 4.
b De piſc. marin. l. 18. cap. 29.
c Lib. 12. Orig. c. 8.
d Cap. 13. ex Demetrio Scepſio.
e Ita legendum cum Caſaubono, non μαλακισθεὶς, quod Daleꝛcampius putabat.
f Lib. 4. Hiſtor. Animal. c. 5. ex diſt. Caſ. Scal.
g cap. 5. ſect. 186. g Illud ſpatagorum, alterum bruſſorum.
h Ibid.
i q. d. matricem echinorum.
k Sect. 185.
l Sect. 188.
m Lib. 3. cap. 12. ſive p. 91. edit. Commel. & Lugdun.
n Lib. 2. Saturn. cap. 9. ex edit. Iſaaci Pontani: ſed ſecundum edit. H. Stephani, & alias, cap. 12.

næum a, & Euſtathium b: ut qui πελωρίδας dici velint quaſi πελωρίας, hoc eſt, *ingentes*; quia chamis ſint majores. Sed pro priori opinione eſt Archeſtratus in γαστρονομίᾳ c, ubi referens, quibus locis quidque excellat, ait inter alia d:

Μεσσήνη δὲ πελωριάδας στενοπορθμίδι κόγχας·

Ad Meſſanen, anguſto freto propinquam, conchas Peloridas.

Præter Meſſanenſes etiam illæ Lucrini lacus ad Bajas commendabantur. Horatius lib. II, ſat. IV:

Murice Bajano melior Lucrina peloris.

Quamquam verò Martialis pelorida non magni facere videatur; ut quam nunc *aquoſam* e, nunc etiam *fatuam* f appellet: (planè enim ratio fugit Calderinum, ac Raderum, quando ex eo commendari exiſtimant, quòd *aquoſa* dicatur, cùm poëta clarè oſtreis opponat Lucrinis) præclarum tamen de ea Diphili judicium fuit: ut qui & *regias* vocet, ac ſic de iis ſcribat g: Αἱ δὲ παχεῖαι χῆμαι, βασιλικαὶ δὲ πρός τινων καλούμεναι, Πελώριαι λεγόμεναι, τρόφιμοι, δυσέκκριτοι, εὔχυλοι, εὐστόμαχοι, καὶ μάλιστα αἱ μείζους. *At ex chamis craſſæ, quas regias quidam vocant, alii pelorias, multum alunt, egeruntur difficulter, boni ſunt ſucci, ſtomachum juvant, præcipuè majores.* Xenocratis de iis judicium tale eſt in fragmento apud Oribaſium, ex tralatione Baptiſtæ Raſarii (nam in Græcâ Geſneri editione hæc deſiderantur) *Ex genere peloridum ſunt hiatulæ. Diverſæ autem ſunt, atque variæ, & longæ; ut Dicæarchiæ in Lucrino lacu, & Alexandriæ in portu. Sunt enim dulces, & boni ſucci. Quæ verò ſub Pharo, & Diolco, & Ponto, & inſula, oblongæ ſunt, & aſperæ, glandibus quercinis ſimiles, & aquæ, ac phagi, echinum producentes. Albæ autem ſunt duræ, atque acres.*

Hinc in Metelli indice ſequuntur ſpondyli: qui Græcis ſimiliter σπόνδυλοι, quaſi *vertebras* dicas. Seneca etiam epiſt. XCV, poſt ſociorum garum refert *Venereas, ſpondylos, & oſtrea.* Memorat & Martialis lib. VII, epigr. XVII. Duræ tamen carnis eſſe, & virus olere, eoque guſtui eſſe ingratos, Galenus tradit lib. III de Alim. Facult. cap. XXXI.

Poſtea ſubdit Metellus de balanis tum albis, tum nigris. Nomen ex ſimilitudine βαλάνου, ſive glandis quernæ. Iccirco & nonnulli juniorum *glandes* vertunt. Sed Græcum *balani* vocabulum retinuere Plautus h, Columella i, Plinius k. De his ita Athenæus lib. III: Αἱ βάλανοι δ' αἱ μείζονες, εὐέκκριτοι, καὶ εὔστομοι. *E balanis majores facilè excernuntur, & grati ſunt ori.* Ac Xenocrates, ex Raſarii interpretatione: *Glandes* (*balani* meliùs dixiſſet cum antiquis) *optimæ ſunt, quæ æſtate capiuntur, aptæ, eis ut veſcamur; quæ quidem exoriuntur, ubi aqua dulcis mari admiſcetur. nam & alunt, & dulces ſunt: plerumque autem in petris educantur. Suaviſſima enim, quæ alunt, & dulces ſunt, friabileſque, multumque ſucci faciunt, & ori ſunt grata.* Pluraque inibi: ſed magis ad medelam, quàm nutritionem, pertinentia. Quare inferiùs iis fuerit locus.

Poſtea ſubjungit Metellus glycymeridas; de quibus ſic idem Xenocrates: *Glycymerides præſtantiores ſunt trachibus* (ſine dubio *trachelis* legendum, de quibus mox dicam) *inferiores autem peloridibus: hæ namque ſtomachum diſgregant. Earum* (glycymeridum) *caro dura eſt illa quidem, ſed non expers alimenti. Aſſatæ, meâ quidem ſententiâ, indureſcunt: elixatæ verò, & conditæ, ori ſunt gratæ.*

Exinde Metellus loquitur de muricibus, & purpuris. Unde liquet, ea differre. Quod & Plinius docet lib. IX, cap. XXV, his verbis: *Mutianus muricem eſſe latiorem purpurâ, neque aſpero, neque rotundo ore, neque in angulos prodeunte roſtro; ſed ſimplice conchâ utroque latere ſeſe colligente.* Ubi deſcribitur concha Venerea, ut ſequentia magis aperiunt. Hæc enim continuò Plinius ſubjungit: *quibus inhærentibus, plenam ventis ſtetiſſe navem portantem nuntios* l *à Periandro, ut caſtrarentur nobiles pueri; conchaſque, quæ id præſtiterint, apud Gnidiorum Venerem coli.*

a Lib. 3. cap. 13. b In Iliad. ... Dionyſii. c Legibus de ventre alendo. d Apud Athenæum lib. 3. cap. 13. e Lib. 6. epigr. 11. f Lib. 10. epigr. 37. g Apud Athenæum lib. 3. cap. 12. ſive pag. 90. edit. Commel. & Lugdun. h Rudente act. 2. ſc. 1. i Lib. 8. cap. 16. quod de piſcinis, & piſcibus inſcribitur. k Lib. 32. cap. 11. l Vox nuntios a MSS. quo uſi ſumus, abeſt.

De Venereâ hac concha Rondeletium adi lib. XIII, cap. XII. *Veneream* vocat idem Plinius lib. IX, cap. XXXIII: *Navigant Venereæ* a, *præbenteſque concavam ſibi partem, & alteram* b *auræ opponentes, per ſumma aquorum velificant.* At Venereas haſce conchas intelligit Martialis lib. II, cap. XLVII:

Lævior & conchis Gallæ Cytheriacis.

Sunt eædem ac illæ, quas nunc dicimus *porcellanas*, à porcello; ut Græci etiam eas vocant χοιρίνας, quia χοῖρος c, & χοιρίον d, id in muliere ſit, quo mulier eſt. Cauſſa vocabuli, quia partem illam referant. Χοιρὶς nomine ſic uſus Ariſtophanes e: *porca* Cato; cujus eſt, ſi ſtandum emendationi Popmæ: *Depetigini porcæ braſſicam opponito.* Locus is Catonis eſt extremo cap. CLVII. Ubi libri plerique, *Deinde petigini*: alii, *Dein impetigini.* Sed vox prior furcillanda. Dubitabat librarius, utrùm *depetigini* eſſet ſcribendum, an *impetigini*. Itaque ſupra *de*, ſcripſit *in*. Hinc irrepſit particula *dein*: ſententiâ licet adverſante. Videtur autem pro *porcæ*, *parcè*, ut etiam Rob. Stephanus edidit, rectiùs retineri. Nam niſi parcè adhibeas braſſicam, ulcus faciet; quo ſequentia pertinent. Nec ſi de *porcæ* vocabulo Catonis deſtituat autoritas, eo Latini non ſic utebantur. Aliud nos docet Varro lib. II de R. R. cap. IV: *Nuptiarum initio antiqui reges, ac ſublimes viri in Hetruria, in conjunctione nuptiali, nova nupta, & novus maritus, primum porcam immolant. Priſci quoque Latini, & etiam Græci in Italia, idem factitaſſe videntur. Nam & noſtræ mulieres, maximè nutrices, naturam, quâ feminæ ſunt, in virginibus appellant porcam, & Græcè* χοῖρον, *ſignificantes eſſe dignum inſigni nuptiarum.*

Uti verò allatus Metelli locus docet, murices etiam in cibo fuiſſe: ita, quod de purpura idem ait, firmatur illo Lucillii f, ſignificantis abfuiſſe à convivio delicias omnes:

Oſtrea nulla fuit, non purpura, nulla peloris.

Purpuras haſce aliqui, τραχήλους, ſive *trachalos*, ἀπὸ τοῦ τραχύτητος, hoc eſt, *aſperitate*, vocant: quâ de re ſic Heſychius: Τραχήλους, τὰς πορφύρας· ἔνιοι τοὺς σπονδύλους τῶν κογχυλίων· *trachalos aliqui vocant purpuras: alii verò conchyliorum vertibula, ſic nuncupant.* Propriè tamen non tam purpuræ ſic dicuntur, quàm purpurarum, imò etiam muricum, cervices. De quibus ſic Petronius: *Mox cibis validioribus paſtus, id eſt, bulbis, cochlearumque ſine jure cervicibus, hauſi parcius merum.* Et convenit Feſtus Pompejus: *Trachali appellantur muricum ac purpuræ ſuperiores partes: unde Ariminenſes, maritimi homines, cognomen traxerunt trachali.* Porrò quid de eſu trachali ſit judicandum, indicant illa Athenæi lib. III g: Ἑψόμενοι δὲ τὸ καθ' ἑαυτοὺς, καὶ οἱ τράχηλοι τῶν πορφυρῶν, διθετικοὶ πρὸς τὰς τῶν στομάχων διαθέσεις. *Per ſe igitur elixæ purpurarum conducunt cervices ſtomacho infirmo, & languenti.* Sed hoc etiam pertinet ad medicinam: de quâ inferiùs.

a Quidam tamen libri neritæ. b Ita libri meliores. c Porcus. d Porcellus. e Veſpis, ſcena, quæ incipit, ἄγ' εἶχε, παῖχε. f Lib. 3. Sat. apud Non. in Oſtrea. g Cap. 10. ſive pag. 187.

CAP. XXXVI.

Chamarum ἔτυμον. *Earum diviſio, & facultas: atque ubi laudatiores. Lepas unicam habet teſtam, quia alterum latus à ſaxo clauditur. Videri Latinis* lopadem *dictam. Eundem eſſe piſcem,* σωλῆνα, αὐλὸν, δόνακα, ὄνυχα, δάκτυλον. *Sôlen, viduarum deliciæ. Qui in cibo melior. Philoxenus Soleniſta. Ut differant* μύες, μύακες, *&* μυΐσκοι: *& unde hæc vocabula originem traxerint; item* μύτιλος, *ex quo mytilus; & ut aliter* tellina *nominetur. Utrùm hæc* σχισμώδης, *an* σχυλώδης, *dicta ſit. Collatio lepadis, oſtreæ, pectinis, myis, & buccinæ. Pinna edulis. Qui pectinum optimi. Diviſio eorum, quæ* σπονδυλώδη *vocantur. Facultas cochleæ marinæ, nerites, umbilici marini. Quibus propriè magis vocabulum* σπονδυλώδης *competat. Buccina Tritonis. Facultas ſtrabeli.*

EXpoſuimus de teſtaceis illis, quæ Metellus Indice ſuo complectebatur. Præter quæ alia ejus generis me-

memorantur non pauca: ſed pleraque vel referre ad ſuperiora poſſis, vel minoris fuere dignationis apud Romanos. Talia ſunt, quæ apud Athenæum *a* conjunxit Philyllius, ſive alius in opere de illuſtribus oppidis, his verbis: Χήμας, λεπάδας, σωλῆνας, μῦς, πίννας, κτένας, ἐκ Μηθύμνης· *Chamas, lepadas, ſolenas, myas, pinnas, pectines, ex Methymna.* De his eodem ordine ſimiliter dicemus.

Chamæ, oſtrei genus, Suida teſte. Nomen videtur à χάω, unde χαίνω *b*. Quippe ſunt *c* μεγαλοχάσμονες *d*. De his ſic Athenæus in tertio *e*: Ἱκέσιος ὁ Ἐρασιστράτειος τῶν χημῶν φησι, τὰς μὲν τραχείας λέγεσθαι, τὰς δὲ βασιλικάς· καὶ τὰς μὲν τραχείας καὶ κακοχύλους εἶναι, ὀλιγοτρόφους, καὶ εὐεκκρίτους· τῶν δὲ λείων κατὰ τὰ μεγέθη, καὶ τὰς διαφοράς, εἶναι κρατίστας· *Chamarum quaſdam vocari aſperas, quaſdam regias: & aſperas quidem eſſe pravi ſucci, & parum nutrire, & facilè excerni: læves autem, ut quæque major eſt, ita diſtare, & aliis præſtare.* Methymnæas chamas laudaſſe Philyllium, (ſive is Phrynichus, vel Ariſtophanes *f*) antea vidimus. Epheſias commendabat Archeſtratus *g*.

Lepas μονόθυρος eſt, quam *univalvem*, vel meliùs *uniforem* dixeris. Ea ſupernè quidem tegitur teſtâ; infernè autem ſaxo adhæreſcit, quod ei loco eſt teſtæ: ſic ut, quo ſepares, opus ſit ferrum inter eam, & ſaxum immitti. Hinc Athenæus in tertio de anatite, ſive anarta, προσέχεσθαι ταῖς πέτραις, ὥσπερ αἱ λεπάδες· *adhæreſcere ſaxis, more lepadum.* Et Ariſtophanes *h* de anu, quæ à juvene non poſſet avelli:

> Ὥσπερ λεπὰς τῷ μειρακίῳ προσίσχεται.
> *Adhæret adoleſcentulo, velut lepas,*

Ubi veterem vide interpretem.

Has etiam Hippocrates, ac Ariſtoteles, λεπάδας vocant; uti & Diphilus apud Athenæum. Gaza Latinè reddidit *patellas*. Sanè λεπάδων nomen eſt à vaſis iſtius eſcarii ſimilitudine. Sed Latini Græcum nomen retinuerunt. Ut Plautus Caſinâ *i*:

> *Emito ſepiolas, lepadas, lolliginunculas.*

Et Rudente *k*:

> *Echinos, lepadas, oſtreas, balanos captamus, conchas,*
> *Marinam urticam, muſculos, plagusias, ſtriatas.*

Videntur & *lopades* dixiſſe. Nam Nonius *lopades* interpretatur genus conchæ: & Plauti hoc adducit ex Paraſito medico: *Addite lopades, echinos, oſtreas.* Nempe ut pro *benus* dixere *bonus*; pro *exterris*, *extorris*; pro *pellio*, *pollio*; pro *pigneris*, *pignoris*, ac ſimilia. Rondeletius refert, crudas etiam lepades comedi ab Aquitanici, & Britannici litoris, item Maſſilienſis, & Agathenſis accolis; ſed coctas faciliùs ſtomacho concoqui; modò coctura non ſit nimia, quæ omnia teſtacea durioris facit concoctionis.

Ex concharum item genere ſunt ſolenes; quos cum conchis, ſic propriè dictis, junxit ideo Araros in Campylione *l*:

> Κόγχαι τε, καὶ σωλῆνες, αἵ τε καμπύλαι
> Καρίδες.
> *Conchæque, ſoleneſque, gibbo & præditæ*
> *Carides.*

Ac Speuſippus quoque *m*, in ſecundo Similium libro, ἰδίᾳ καταριθμεῖται κόγχους, κτένας, μῦς, πίννας, σωλῆνας· *particulatim recenſet conchas, pectines, myas, pinnas, ſolenes.* Varia autem ſunt ſolenis nomina. Nam uti σωλὴν dicitur à figura canalis ſive tubi; ita & αὐλὸς vocatur, quia excavatus ſit inſtar tibiæ; & δόναξ à ſimilitudine craſſioris arundinis, præſertim Cypriæ; & ὄνυξ, propterea quòd teſta ejus unguem referat humanum. Athenæus lib. III *n*: Οἱ δὲ σωλῆνες μὲν πρός τινων καλούμενοι, πρός τινων δὲ αὐλοί, καὶ δόνακες, καὶ ὄνυχες, πολύχυλοι, καὶ κακόχυλοι, κολλώδεις· *Solenes à quibuſdam vocati, à nonnullis donaces, & onyches, multum ſucci ſuppeditant; ſed mali, & glutinoſi.* Nec dubitandum, quin apud Plinium lib. XXII, cap. IX, de ſolenibus aliquid præceſſerit, etſi nunc deſideretur, quando ſic ſcribit: *Ex his mares alii donacas, alii aulos vocant; feminas onychas.*

a Lib. 3. pag 86. edit. Commel.
b His.
c Athen. lib. 3. cap. 13.
d Multum hiantes.
e Cap. 10. ſive p. 87.
f Athenæus l. 3. cap. 9. ſive pag. 86.
g Apud Athen. l. 3. cap. 13. ſive pag. 92. edit. Comm. & Lugd.
h Pluto act. 4. ſc. 5. quæ incipit, Ἀττικίζομαι.
i Act. 2. ſc. 8.
k Act. 2. ſc. 1.
l Apud Athen. l. 3. pag. 86. edit. Commel. ſive edit. Lugd. cap. 9.
m Apud Athenæum ibid. cap. 12 ſive p. 90.
n Pag. 90. edit. Comm. & Lugd.

Etſi autem Græcas appellationes prætulit Plinius; Varro *a* tamen maluit Latinam; ut qui *pectunculos*, & *ungues*, jungat. A ſimilitudine etiam digitorum δάκτυλοι, ſive *digiti*, vocantur. Et hic etiam Græcam appellationem Plinius *b* retinuit. Ungues duræ eſſe carnis, eoque difficulter concoqui, Galenus ait lib. III de Alim. Facult. cap. XXXIII. Ut veriſimile ſit, pauperiorum fuiſſe delicias. Sophron quidem Comicus *c*, ſed vocabuli ludens ambiguitate, ut Paullus Leopardus in Emendationum docuit libris *d*, vocat χηρᾶν γυναικῶν λιχνεύματα, *viduarum cupedias*. Iceſius apud Athenæum lib. III *e* ait, hoc purpuris, & ſolenibus, eſſe proprium, quòd juſculum, in quo coquantur, ſpiſſeſcat. Eodem libro *f* legas, ſolenas feminas eſſe dulciores: item ſolenas omnes edi elixos, ac frixos; verùm meliores eſſe in prunis toſtos, uſque dum hient: item ex Phania Ereſio *g* memorat, ab hoc piſce Philoxenum tyrannum eſſe dictum σωληνιστήν, quia primitus vitam ſuſtentaſſet ſolenum capturâ, eâque grandes ſibi opes paraſſet.

In pretio etiam erant μύες ut Ariſtoteles vocat: majores ex his μύακες, nominantur Dioſcoridi lib. II, cap. VII: minores μυΐσκοι, vel μυΐσκαι: atque hi ſunt, qui *mytili*, vel *mutili*, dicuntur Plinio, qui & Myas vocat. Vide eum lib. XXXII, cap. IX. *Muſculos* vocat Plautus Rudente, uti & Cornelius Celſus lib. II. Imò μύας etiam Ennius *mures* reddidit: ut liquet ex verſu ejus ſuperiùs memorato, quo Archeſtratum expreſſit. Sed rectiùs vocantur *myes*, vel *myaces*, vel *mytili*. Neque enim μύες dicti à ſimilitudine muris terreſtris; quod ſi foret, rectè etiam *mures* verteremus; ſed ἀπὸ τοῦ μύειν *h*, quod teſtarum unam, ut conchæ omnes δίθυραι *i*, aperiant, ac claudant, quando lubet. Ejuſdemque originis ſunt μύαξ, & Siculum μύτιλος, pro μύσιλος. Nempe à μυσὸς, *cluſilis*. Quæ pluribus firmat maximus Salmaſius in Plinianis exercitationibus *k*. Atque ibidem docet ut μύτλος contractum ſit ex *mytilus*: qui aliter *tellina*, ſecundùm Athenæum. Sic enim ſcribit: Τὴν τελλίνην λεγομένην, ἣν Ῥωμαῖοι μύτλον ὀνομάζουσι· *Tellina quæ dicitur, à Romanis vocatur mytlus.* Sed in hoc Athenæum decipi exiſtimat doctiſſimus Janus Antonius Saracenus: cujus notas adi in ſecundi Dioſcoridis cap. VIII *l*. Ait Plinius *m* mytilos, ſive tellinas, ſcillam reſipere. Nempe legerat, eſſe σκιλλώδεις *n*. Sed Salmaſius *o* putat, veram fuiſſe lectionem, σκυλώδεις, q. d. *coriaceos*: quomodo in Athenæi etiam epitome σκυλώδη vocantur, quæ difficulter manduntur, eoque trahuntur inter dentes. Sanè ejuſmodi eſt σκῦλον, hoc eſt, *corium*: à quo & σκυλοδέψης, *coriarius*. Vel, ut idem conjectat, σκυλώδη dicuntur ab odore tetrico, qualis corii: unde idem ſummus vir apud Petronium legit: *Qui inter hæc nutriuntur, non magis ſapere poſſunt, quàm bene olere, qui in coriaria habitant*, h. e. ἐν τῷ βυρσοδεψείῳ. Id quidem proximè accedit ad *coria*, & *curia*; ut in veteri MSo reperit Petrus Daniel Aurelius. Imò in omnibus vett. libris ita legi, eidem monitum Salmaſio: quem præterea vide libris de uſuris *p*, deque modo uſurarum *q*. Iceſius Eraſiſtratius apud Athenæum libro tertio *r* confert inter ſe lepadas, oſtrea, pectines, & myas: ac quidem lepadas ait faciliùs excerni conchis aſperis, quas Macedones χηράμβας nominant, Athenienſes χηρίνας: oſtrea autem minùs nutrire, magis ſatiare, & illis faciliùs egeri: κτένας, ſive *pectines*, plus nutrire; ſed ſucci eſſe deterioris, & tardiùs excerni: μῦας Epheſios eſſe his ſimiles bonitate ſucci, pectinibus meliores, chamis deteriores; at quoſdam ingrati, ac mordacis ſaporis, vitioſum ſuccum gignere; minores interim, & foris hirtos, ſucci eſſe melioris, quàm ſcillam, attamen minùs alere. Subjungit deinde, τῶν κηρύκων, ſive buccinorum cervices, ſtomacho prodeſſe; ſed minùs alere, quàm μῦας, chamas, pectines. Verùm de pectine mox pluribus: quemadmodum in hoc deſiit Philyllius. Reperiuntur μύακες, ſive mytili plurimùm in dulci aqua ſtagnante. Caro iis dura, difficilis concoctu, & pravi ſucci.

a Lib. 4. de L. L.
b Lib. 10. cap 61. & l. 32. ult.
c Apud Athenæum l. 3. cap. 9. ſive p 86. edit. Commel.
d Lib. 10. cap. 22.
e Pag 87. edit. Commel.
f Pag. 90. ejuſdem edit.
g Libro de tyrannis, de quibus pæna eſt ſumta.
h A claudendo.
i Bivalves ſive potius biſores.
k Pag. 1129.
l Pag. 27.
m Lib. 32. c. 9.
n Scillam reſipientes.
o Plin. ex. Sol. Exercit. pag. 1127.
p P. 527.
q Præfat. operis.
r Pag. 87. edit. Commel.

Pin-

Pinna, quæ & Græcis πίννη, *duabus grandibus patula conchis*, ut de ea ſcribit Tullius *a*, ipſa etiam, quemadmodum Diphilus ait apud Athenæum *b*, eſt τρόφιμος, δυσέκκριτος, δυσκατέργαστος· *bene nutriens, ſed concoctu, ac digeſtu difficilis.*

a Lib. 2 de Nat. Deor.
b Lib. 3. pag. 91. edit. Commel.

Superſunt κτένες, ſive pectines: de quibus jam dictum ex Icelio. Sed diſtinctiùs eorum nos indolem docet Athenæus in III *c*: Τῶν κτενῶν ἁπαλώτεροι μέν εἰσιν οἱ λευκοί. ἄβρωμοι γὰρ, καὶ εὐκοίλιοι· τῶν δὲ μελάνων, καὶ πυῤῥῶν οἱ μείζονες εὔστομοι. κοινῶς δὲ πάντες εὐστόμαχοι, καὶ εὔπεπτοι. *pectinum illi magis ſunt teneri, qui albi ſunt: at è nigris, & rufis; majores ſunt ori gratiores. Ut plurimùm verò ſtomacho proſunt, & concoctu ſunt faciles.* Nec tamen par ratio ſemper eſt vel temporis, vel loci. De tempore ita Ariſtoteles lib. IX Hiſt. Anim. cap. ult. *d* Τὰ ὀστρακόδερμα, οἷον κτένες, καὶ ἅπαντα τὰ ὀστρεώδη, καὶ μαλακόστρακα, ἄριστά ἐστιν ὅταν κύῃ, οἷον τὰ καραβώδη. *Teſtacea, ut pectines, & omnia oſtreacea, & cruſtâ intecta, præſtantiſſima ſunt gravida; ſicut omnia locuſtacea.* Quod ad loca, iis Mitylenen, & Ambraciam, abundare, ait Archeſtratus in Gaſtronomia *e*; & ex ea Ennius. Sed corruptè vulgo eorum verſus leguntur: quos in Solinianis Exercitationibus *f* reſtituit maximus Salmaſius. Apud Romanos præcipuæ dignationis erant Tarentini. Horatius lib. II, ſat. IV:

c Cap. 12. ſive p. 90.
d Ex diſt. Scal. ſect. 324.
e Apud Athenæum lib. 3. pag. 92. edit. Commel.
f P. 1128.

Pectinibus patulis jactat ſe molle Tarentum.

Atque hæc de teſtaceorum illis, quæ Metellus, & Philyllius, locis antea memoratis complectebantur.

Aliquid nunc addamus de iis, quæ dicuntur στρομβώδη, ſive *turbinata*. Ea ſic dividit Ariſtoteles lib. IV de part. an. cap. VII: Τὰ δὲ στρομβώδη, καθάπερ εἴρηται πρότερον· καὶ τούτων τὰ μὲν ἑλίκην ἔχοντα, οἷον κήρυκες· τὰ δὲ σφαιροειδῆ μόνον, καθάπερ τὸ τῶν ἐχίνων γένος. *Turbinati generis ſunt iſta, ut dictum. Quorum alia in anfractum intorta, ut buccina: alia in globum circumacta, ut echinorum genera.* Ubi laxè uſurpat τὸ στρομβωδῶν vocabulum. Nam videmus hic eo nomine complecti, tum illa, quæ in globum intorquentur; tum conglobata quidem, ſed non in gyrum concluſa, verùm claviculatim inſurgentia in mucronem longum. Prioris generis ſunt cochleæ. De cochlea marina ſic Dioſcorides lib. II, cap. XI: Καὶ ὁ θαλάσσιος (κοχλίας) εὐστόμαχος, καὶ εὐέκκριτος· ὁ δὲ ποτάμιος, βρωμώδης. *Cochlea marina ſtomacho eſt idonea, & facilè excernitur: fluviatilis autem virus reſipit.* Etiam Cornelius Celſus *g* boni eſſe ſucci tradit. Interim, cùm ſint lentæ, ac viſcoſæ, difficulter concoquuntur: quod & Pſello traditum: concoctæ autem bene nutriunt. Præparandi rationem tradit Apicius lib. IX.

g Lib. 2. cap. 20.

Nerite cochlea buccini eſt ſimilis. Magna earum copia eſt apud Aremoricos. Itaque, ubi æſtus receſſit, legere eas in litore ſolent, & ne teſtæ in tranſportando ſint oneri, carnes priùs inde eximunt, & divendunt iis, qui propiùs loca accolunt mediterranea. Et his ſenſum ineſſe, arguit, quòd fugiant, niſi ſenſim, ac cum ſilentio, acceſſeris: ut monitum jam olim Ariſtoteli lib. IV Hiſt. Anim. cap. VIII. *h*

h In fine cap.

Umbilicus marinus longè major eſt neritâ: nec tamen ad majorem pertingit magnitudinem, quàm vulgare buccinum. Eſt & hic in eſculentis, ac divenditur inſtar neritæ, buccinæ, purpuræ.

Sunt & alia cochlearum genera: quæ longum fuerit perſequi. Nuſquam enim magis luxuriavit *i* Natura, quàm in genere concharum, cochlearum, turbinum: unde tantum videas ſtudium in pleriſque hominum elegantiorum nulli parcentium operæ, in iis conquirendis.

i Plin. lib. 9. cap. 33.

A cochleis venio ad alterum τῶν στρομβωδῶν *k* genus: quod propriè magis id nomen poſſidet. Nam στρόμβοι idem ac στρόβιλοι, vel κῶνοι: unde Nicander στρόμβον vocat, ut Scholiaſtes exponit, τὸν κωνοειδῆ καρπὸν τῆς πίτυος *l*. Et ῥόμβος, ſive turbo, vel turben puerilis etiam στρόμβος, aut κῶνος dicitur, mixobarbaris στροῦμβα; ut ex Pindari *m* ſcholiaſte conſtat; item Laccapeno in ſchedis Grammaticis. Στρομβώδεις igitur vocantur piſcium illi, qui Latinis *turbinati*: hoc eſt, qui in longum porriguntur, & ex forma ampla, lataque, exeunt in mucronem; qualis buccina Tritonis: unde eam ſic deſcribit Ovidius I Met. *a*

k Turbinatorum.
l Pinus fructum conicæ figuræ.
m In Olympion. od. 13.
a Fab. 7.

—— *Cava buccina ſumitur illi*
Tortilis in latum, quæ turbine creſcit ab imo.

In turbinatis ſunt tum κήρυκες, ſive murices; tum etiam purpuræ; de quibus dictum, cùm paullo antè Metello memoratis lucem affunderemus. Adhæc στράβηλοι, qui prioribus ſimiles. Sanè Speuſippus in ſecundo Similium libro *b* ait, παραπλήσια εἶναι κήρυκας, πορφύρας, στραβήλους, κόγχους· *ſimilitudinem eſſe inter ſe buccinis, purpuris, ſtrabelis, conchis.* Facultas ſtrabeli ex eo ſatis patet, quòd Oribaſius ſcribit, turbines omnes eſſe duræ carnis, & difficulter concoqui; eoque edi cum ſinapi, & aceto.

b Apud Athenæum lib. 3. pag. 86. edit. Commel.

Cap. XXXVII.

Hinc conſideratur bonitas divina in eo, quòd è piſcibus conceſſerit nobis tot remedia febrium, ac venenorum. Ac febrium quidem, ut jecur delphini, ſpondylum, cochleas, alia. Venenorum autem, ut mullum, hippopotami teſtes, ranas, omotarichum, auratam, pluriaque; præcipuè cochleas fluviatiles, quarum maximus eſt uſus in morſis à cane rabioſo, ſed ante ὑδροφοβίαν: cauſſaque allata, cur præſentius ſit venenum canis rabioſi, quam furioſi hominis, quem canis momorderit.

ABunde mihi videor egiſſe de iis, quæ ad alimoniam, vel etiam delicias, pertinent. Iſta ſanos etiam tangunt. Nunc videamus de ægris. Ac primùm his etiam piſces præſcribit Hippocrates; cùm alibi, ut mox dicam; tum libro de Affectionibus, quando ait *a*: Ἰχθύες κοῦφον ἔδεσμα, καὶ ἑφθοὶ, καὶ ὀπτοὶ, καὶ αὐτοὶ ἐφ' ἑαυτῶν, καὶ μεθ' ἑτέρων σιτίων. *Piſces leve alimentum ſunt, tum cocti, tum aſſati; & ipſi per ſe, & cum aliis cibis.* Eum ſequitur Plutarchus in IV Sympoſ. quæſt. IV: Καὶ μὴν τά γε ἄλλα θαλάττης ὄψα, πρὸς τῷ ἥδιστα καὶ τὰ ἀβλαβέστατον ἔχει· κρεώδη μὲν γάρ ἐστιν, οὐ βαρύνει δὲ ὁμοίως ἀλλὰ καταπέπτεται, καὶ διαφορεῖται ῥᾳδίως· *Ceterùm alia maris obſonia, præterquam quòd ſuaviſſima ſunt, maxime etiam ſunt innoxia. Nam & carnoſa ſunt, nec æquè gravant, facileque & concoquuntur, & digeruntur.* Hinc ſubjicit, ut ægrotantibus, præ ciborum aliis, Zeno, & Crato, piſces præſcripſerint, velut leviorem ſucci melioris, & magis elaborati. Et quid multis opus? quando medici conſtanter ægris præcipere piſces ſolent. Hoc facit Hippocrates libro etiam de Internis Affectionibus, & de morbis mulierum. Hoc Galenus lib. VIII Medendi, cap. II; & lib. IX ejuſdem operis, cap. VI. Hoc Alexander Trallianus *b*, & veterum quis non? Quod liquidius erit, ſi particulatim agamus de morborum præcipuis. In his primùm dicam, quæ corpori medeantur toti; deinde, quæ corporis inſtrumentis. Prioris ſunt generis, tum febres; tum morbi à veneno provenientes.

a Sect. 5. pag. 89. edit. Wechel.
b Lib. 1. cap. 14. & lib. 7. c. 2. & alibi.

Febri è piſcibus medicinam petit Plinius lib. XXXII, cap. X: *Febrium circuitus tollit jecur delphini guſtatum ante acceſſiones: & ipſi alligantur ægris.* Hinc remedium ſequitur ex piſce aſello, ranis, & cancris fluviatilibus. Poſt aliqua ſubdit: *Tertianis mederi dicitur & ſpondylus per ſe adalligatus; quartanis cochleæ fluviatiles in cibo recentes. Quidam ob id aſſervant ſale, ut dent tritas in potu.* Galenus item lib. I ad Glauconem, cùm dixiſſet, exquiſitam tertianam ex flava bile motâ invaleſcere; contraria autem contrariorum eſſe remedia; ac propterea in eo morbo eſſe opus refrigerantibus, & humectantibus: in ejuſmodi remediis ex piſcibus ſaxatiles reponit. Eodem libro tradit, in quartanâ utendum piſcibus mollis carnis, & concoctu facilibus, nihilque habentibus viſcoſi: ſalſamenta etiam commendat cum ſinapi. Similia de utroque morbo legas apud Oribaſium, Aëtium, & Æginetam.

Quartanæ etiam medetur lateri corporis ſiniſtro alligatus lapis, grano ſalis ſimilis, ex piſcis κλυπαίας, ſive *clupeæ* capite eductus: quemadmodum prodidit Calliſthenes Sybarita, & ex eo Stobæus.

A febrium remediis venio ad illa venenorum. Marini draconis, ac ſcorpionis, item aranei ictibus conducit mullus, ſi crudus inſectuſque imponatur. Ita Dioſcorides lib. II, cap. XXIV. Capite etiam proximo refert, hippopotamii teſticulos exſiccatos, & ad lævorem uſque contritos, mederi ſerpentium morſibus, ſi ex vino bibantur. Ac cap. XXVI ait, teſtes fibri, amphibii animalis (ut & hic aliquem habeat locum) prodeſſe contra ſerpentium venena, ſi *ex vino* bibantur: pro quo *ex aqua* dicit Plinius lib. XXVIII, cap. VIII. Sed nullius miſturæ meminit Æginetа. Hinc Dioſcorides lib. II, cap. XXVIII docet, ranas pro antidoto eſſe contra omnia ſerpentium venena; ſi cum ſale, & oleo, è jure decoquantur, ac jus earum ſorbeatur. Cap. XXX legas, ut ſmaridis caput, & omne ſalſamentum, proſit à ſcorpione ictis, & à cane demorſis. Cap. XXXII gobio vim tribuit auxiliandi demorſis à cane, vel ſerpente. Cap. XXXIII auctor eſt, carnem omotarichi, qui conditanei eſt thunni genus, opitulari demorſis à vipera, cui nomen *preſteris*. Sed addit, multum ſubinde vini aſſumendum, ut vomitum reddatur. Eamne vim habeat, vide ſis in illis, quæ doctiſſimus Saracenus ibi annotavit. Hinc ſubdit Dioſcorides, omotarichi carnem canum morſibus utiliter imponi. Et cap. XXXIV ait, garum à cane morſis mederi. Atque hoc de canibus mox plenius explicabimus.

Poſt Dioſcoridem nunc Plinium audiamus. Is lib. XXXII, cap. V. ait: *Venenatum mel diximus ubi naſceretur. Auxilio eſt piſcis aurata in cibo.* Et mox: *Contra menſtrua mulierum auxiliatur mullus. Item contra paſtinacam, & ſcorpiones terreſtres, marinoſque, & dracones, & phalangia illitus, ſumtuſve in cibo. Ejuſdem recentis è capite cinis contra omnia venena, privatim contra fungos.* Ibidem legere eſt, quantum adverſus venena proſint ſtellæ marinæ, ſalſamenta, ſarda, draco marinus, rana marina, & fluviatilis, cancri fluviatiles, coracinus Nilo peculiaris, vitulus marinus, murænæ, paſtinacæ, hippocampi. De cancris, ac præcipuè fluviatilibus, idem lib. IX, cap. XXXI dixerat, *eos contra ſerpentium ictus mederi.* Morſis verò à cane rabido, item phalangio, ſcorpio, aliiſque venenatis, prodeſſe etiam apud Ariſtotelem legas lib. IX Hiſt. Anim. cap. V, Dioſcoridem lib. II, cap. XII, & Galenum lib. XI de ſimpl. medic. facult. Aëtium lib. VI, cap. XXIV, & Paullum Æginetam lib. V, cap. III. Modus præcipuus, quo in morſis à cane rabido utendum, ejuſmodi eſt. Cancri fluviatiles caudâ carentes, qui *molucei* vocantur, uruntur, donec in cinerem redigantur. Ejus cineris primis diebus exhibetur, quantum capit cochlear magnum. Sin jam aliquot effluxerint dies, præbenda duo cochlearia. Hoc remedio ita calor, & ſpiritus, firmantur, ut venenum facilè expellatur. Sed quod ſuperius *a*
a Lib. 3. cap. 96.
dicebamus de alitibus, idem hic locum habet, hæc ſolùm prodeſſe ante ὑδροφοβίαν: *b* poſtea malum eſſe immedicabile. Nec obſtat de duobus illis, qui ſanitati poſt ὑδροφοβίαν reſtituti eſſe dicuntur.
b Aquarum formidinem.
Nam loquimur de morſis à cane: duos illos ait Aëtius fuiſſe morſos ab homine, quales quandoque ſanantur, quia venenum id minùs fit efficax. Nam virus paullum remittit, ubi à cane propagatum eſt in hominem. Canis quippe temperamento eſt calido, & ſicco. Quæ qualitates, ubi incrementum ceperint, (quod fit ab æſtu aëris, vel comeſtâ carne putridâ, vel putrido ſanguine hauſto) atra bilis giſcit, ſanguis putreſcit, rabies canem occupat. Quem verò momorderit, inficitur quidem; at non pariter ſemper, præſertim ſi non ſit homo bilioſus. Sed nec canes ſemper ſunt æquè rabidi, vel eodem mordent furore. Ut nihil ſit mirandum, ſi quandoque, rariſſimè licet, ubi jam venenum tantopere cepiſſet incrementum, ut aquas formidarent, (cujus de cauſſâ alibi vidimus *c*) nihilominus a periſſimo medico, divino beneficio ſanitati redderentur.
c Lib. 3. hujus operis, c. 27.

Cap. XXXVIII.

E piſcibus remedia ulceribus capitis, morbo comitiali, veterno, capitis dolori, tremori, & convulſioni membrorum.

HActenus dictum de corporis totius morbis: nunc de illis agendum certarum corporis partium, quæ ejuſdem ſunt inſtrumenta. Horum alia pertinent ad corporis ventres; alia ad artus. Ventres, ſic laxè nuncupati, tres numerantur. Primus eſt capitis.

Hujus morbi vel communes ſunt, vel proprii. Communes ſunt tumores, vulnera, luxationes, fracturæ. De ulceribus ita ſcribit Plinius lib. XXXII, cap. VII: *Capitis ulceribus muricum, vel purpurarum teſtæ cinis, cum melle utiliter illinitur.* Sed de communibus pleniùs infrà dicetur.

Proprii capitis morbi, vel ab intemperie ſunt cerebri; vel ab incommodatione partis alterius. Priores vel ad facultatem pertinent cognoſcentem, vel ad moventem.

Ad cognoſcentem, hoc eſt, ſenſum, referuntur duplices; quidam principales, quidam ſecundarii. Principales voco, quibus læditur facultas imaginativa, ratiocinatrix, vel memorativa. Univerſæ hæ functiones tolluntur in comitiali morbo. Eo laborantibus vituli proſunt marini. Theophraſtus in fragmento de animalibus, quæ dicuntur invidere: καὶ ἡ φώκη, ὅταν μέλλῃ ἁλίσκεσθαι, ἐξεμεῖ τὴν πυτίαν, χρησιμεύουσαν δὲ ταύτην τοῖς ἐπιληπτικοῖς. *Vitulus marinus, cum captum ſe videt, coagulum evomit, quod epilepticis auxiliatur.* Quod ipſum verbis propè iiſdem tradidit Ariſtoteles, vel alius, in Auditionibus Admirandis *a*. Similiter Plinius lib. VIII, cap. XXXI: a Pag. 99. edit. Sylburgianæ.
Evomit (vitulus marinus) *fel ſuum, ad multa medicamenta utile. Item coagulum ad comitiales morbos; ob ea ſe peti prudens.* Idem alibi *b*, *Comitiales ſanant panacis Heraclea radices potæ cum coagulo vituli marini; ita ut ſint panacis tres partes.* Item *c*: *Ad comitiales coagulum vituli marini bibunt, cum lacte equino, aſininove, aut cum punici ſucco; aut ex aceto mulſo; nec non aliqui per ſe pilulas devorant.* Similiter Pierius Valerianus Hieroglyph. lib. II, cap. LVIII. Item his verbis Cælius Aurelianus lib. I Tardarum Paſſionum, cap. IV *d*, quod eſt de Epilepſia: *Dant etiam bibendum ſanguinem teſtudinis marinæ, vel humanum, aut vituli marini: & non ſolum ſanguinem, verum etiam coagula, quæ lacti miſcentur.*
b Lib. 26. cap. 11. & Dioſcorides, ſive alius Parabilium lib. 1. cap. 14.
c Plin. lib. 32. cap. 9.
d P. 286. edit. Rovill. an. 1567.

Suffitus quoque ὄνυχος *e* excitat laborantes morbo comitiali: ut eſt apud Dioſcor. lib. II, cap. X. Proſunt quoque phoca *f*, & teſtudo marina *g*.
e Unguis marini.
f Dioſcorides lib. 1. Parabilium c. 18.

Ex cartilagineis torpedo ſola conveniens eſt epileptico cibus: ut Galenus ait in conſilio pro epilepticis.

Eſt & in principalibus cerebri functionibus memorativa: quam aufert lethargus, ſive veternus. Eo correptos fibri teſtes (amphibii animalis, & eo hic etiam locum habentis) excitant cum aceto, & roſaceo, irrigati: ut Dioſcoridi traditum lib. II, cap. XXVI.
g Idem lib. 2. Mat. Med. cap. de Sanguinibus, & lib. 1. Parabilium, cap. 18.

De eodem morbo ita Plinius lib. XXXI, cap. X: *Strombi in aceto putrefacti lethargicos excitant odore.* Idem lib. XXXII, cap. X: *In lethargum vergentibus coagulo balænæ, aut vituli marini, ad olfactum utuntur. Aliqui ſanguinem teſtudinum lethargicis illinunt.* Et mox: *Strombi in aceto putrefacti lethargicos excitant odore.* Ac deinde: *Lethargicos coagulum vituli adjuvat in vino potum oboli pondere, item ichthyocolla.*

Hæc de morbis facultatis cognoſcentis principalis. In ſecundariis, uti læſione facultatis tactricis, eſt dolor capitis. Huic medetur, ſi fronti ex aceto illinatur cinis pellium murænarum: ut eſt apud Marcellum Empiricum cap. I *h*. Eodem auctore ibidem *i*, dolorem capitis, licet inveteratum, continuò tollit, & ne recurrat, facit torpedo nigra, ſi viva imponatur parti dolenti:
h Pag. 36. edit. Frobenianæ.
i Pag. 31.

quod

quod minimè mirandum. Nam torpedinis vis eſt torporem inducere. Sed ne pars priùs dolens, tandem ablato ſenſu, torpeat æternùm; eò, ſimulac dolere deſierit, auferenda eſt torpedo. Atque hoc remedium dolori capitis traditum quoque eſt Dioſcoridi lib. II, cap. XVII. Sed tacet, opus eſſe vivam adhiberi; quod ſine dubio neceſſe eſt; & requiritur etiam ab Æginetâ, Aëtio, & Avicenna. Expedit verò, quia non eadem vis eſt cuivis torpedini, duas, tres comparare: quo in ſingulis remedium tentetur; ut monitum Marcello Empirico *a*.

a Operis de medicamentis, cap. I.

Præterea paluſtris teſtudinis ſanguis, (ut Galeni verbis utar) ἀπάσῃ ὀνίνησι κεφαλαλγίαν κατὰ πάντα καιρόν· *nullo non tempore prodeſt capitis dolori*. Quod ex Archigene ſe hauſiſſe, agnoſcit lib. II de compoſitione κατὰ τόπους cap. II. Quod ſi in quovis dolore capitis, quovis tempore, id præſtat: non jam notâ temperamenti qualitate id fiat; ſed per ἀντιπάθειαν, ſive occultam vim, & proprietatem. Quæ etiam opinio eſt Thomæ Eraſti *b* libro de occultis Medicamentorum proprietatibus, ac neceſſarium ac propinquum meum H. Smetium cap. XXIX. Juvat quoque ſi cochleis illinas frontem *c*.

b Lib. 2. Miſcellaneorum Henrici Smetii.
c Serenus Sammonicus cap. I.

A facultatis cognoſcentis morbis nunc venio ad morbos moventis. Tremori, convulſioni, & omnibus nervorum vitiis, medentur teſtes fibri, (qui & hic quodammodo locum habet) ſi vel bibantur, vel illinantur: atque hoc eſt ob vim θερμαντικὴν *d*. Sic Dioſcorides lib. II, cap. XXVI.

d Calefaciendi.

Lepidotum, qui idem ac cyprinus, ſic, ut videtur, à Cypro inſula, vel Cypriâ Venere, appellatus, nervorum affectionibus medetur: ut refert Orpheus περὶ λίθων, ubi de opalii gemma loquitur.

De centrina piſce ita ſcribit Rondeletius lib. I de piſcibus marinis, cap. I: *Inveteratam nervorum contractionem, & remediis maximè rebellem, hepatis centrinæ oleo, non ſine magna admiratione, planè ſanavimus.*

CAP. XXXIX.

Ex aquatilibus remedia adferuntur capitis morbis: alopeciæ, ex hippocampo, lepore marino cum urtica marina, ex rana, ſanguiſuga, purpura oculorum, adipe fluviatilium, felle callionymi, ſcari, teſtudinis marinæ; viderique fel illud, quo Tobiæ oculi perſanati, callyonymi, ſive uranoſcopi, fuiſſe. Alia oculorum remedia ex felle ſcorpii marini, ſepiæ cortice, cinere myacum, & cochlearum. Palpebrarum medicina ex lepore marino, pectunculo, ranis, tellinis: ac callo palpebrarum, & ὑπωπίοις, è ſepia. Auditus gravis remedia ex garo ſociorum, teſtudine marinâ, callionymo, anguillâ, thymallo, tincâ, adverſus parotidas ex ſepia, & muricibus. Sanguini naribus effluenti remedium è cochlea; putrilagini oris, è garo manarum. Dentium dolori medicina ex purpura, buccino, ungue, paſtinacâ marinâ, ranâ, dracone marino, myacibus, ſepiâ. Varia dentifricia ex aquatilibus.

POſtquam vidimus de morbis capitis, qui universè ſenſum, vel motum, attingunt: dicam nunc de illis, qui particulatim ſunt capillorum, oculorum, aurium, dentium.

Ordior ab capillis ob humoris malignitatem defluentibus: quod vitium Græci vocant ἀλωπεκίαν. Cauſſam alibi adduximus. Celſus *aream* nominat lib. VI, cap. IV. Remedium ex aquatilibus ejuſmodi eſt. Hippocampus, minutum animalculum marinum, crementur, inque cinerem redigatur. Is cinis excipiatur pice liquidâ, vel axungiâ, aut unguento amaracino. Alopeciam corriget; ut Dioſcorides ait lib. II, cap. III. Idem legas Dioſcoridis Parabilium lib. I, cap. XCVI. Plinii quoque eſt lib. XXXII, cap. VII: *Alopecias replet hippocampinus cinis cum nitro, & adipe ſuillo, mixtus, aut ſincerus ex aceto.*

Aliud remedium Dioſcorides ſuggerit Parabilium lib. I, cap. CIV: ubi hanc vim lepori marino tribuit trito, atque impoſito. At materiæ medicæ lib. II, cap. XX, ait, habere eum vim deglabrandi, ſi adhibeatur ἀκαλήφῃ, ſive *urtica*; nempe marina. Hoc enim Oribaſius addidit. Ac favet Plinius; qui lib. XXXII, cap. II, inter ψιλώθρα *a* reponit urticam marinam, tritam, & ex aceto ſcilite adſumtam.

a Medicamenta depilatoria.

Adhæc ranæ uſtæ cinis, ſi inſpergatur, eidem morbo medetur: ut eſt apud Dioſcoridem lib. II Mat. Med. cap. XXVIII, & Parabilium lib. I, cap. XCVI: item Galenum libro primo τῶν κατὰ τόπους.

Capillorum etiam defluvio medentur purpurarum opercula in oleo cocta: ut eſt apud Dioſcoridem Parabil. lib. I, cap. XCVII: item Æginetam lib. VI, & VII.

A capillis, quibus nihil levius, viliuſque, conferam me ad oculos: quibus nihil habemus carius; ſicut alibi *b* dictum. De horum remedio ita Plinius lib. XXXII, cap. VII: *Omnium piſcium fluviatilium, marinorumque, adeps liquefactus, oleo admiſto melle, oculorum claritati plurimùm confert.* Quod de marinis etiam dicit, ad fluviatiles reſtringit Dioſcorides Parabil. lib. I, cap. XLI: ubi adipem eorum liquari jubet in Sole, ac tum miſceri melli. Subjungit deinde Plinius: *Callionymi fel cicatrices ſanat, & carnes oculorum ſupervacuas conſumit.* Apud Dioſcoridem quoque loco Parabil. proximè dicto, item Galenum lib. IV de compoſitione medicamentorum ſecundùm locos, legere eſt, fel callionymi, uti & ſcorpii, ac teſtudinis marinæ, mederi oculorum ſuffuſioni. Etiam lib. X ejuſdem Galenici operis cap. XV, callionymi piſcis fel laudatur ad acuendum viſum, & initia ſuffuſionum diſcutienda. Itaque & aliquorum *c* non abſurda eſt opinio, fel illud piſcis, quo redditus eſt viſus Tobiæ *d*, fuiſſe callyonymi, ſive uranoſcopi. Sanè legas quoque apud Rondeletium lib I de piſcibus marinis, cap. I: *Quot oculorum ſuffuſiones, ac cicatrices, uranoſcopi, ac ranæ piſcatricis felle, curaverim, nihil attinet hic recenſere.* Eſt verò hæc opinio de Tobia eò veriſimilior, quòd callionymus fere circa litora verſetur, in arena etiam de die dormiat: unde ἡμεροκοίτης dictus Oppiano *e*, ut ſuperiùs *f* dictum. Eo faciliùs capi ſit quitus à juniore Tobia. Poſt verba proximè allata ſubdit Plinius: *Coracini fel excitat viſum.* Deinde ſcribit: *Fel marini ſcorpionis rufi cum oleo vetere, aut melle Attico, incipientes ſuffuſiones diſcutit. Inungi ter oportet intermiſſis diebus. Eadem ratio albugines oculorum tollit.* Sed quod Plinius de ſcorpione rufo, id ſimpliciter de ſcorpio dictum Galeno lib. X de compoſit. medicament. cap. XV: item Dioſcoridi Parabilium lib. I, cap. XLI. Imò & genuinus Dioſcorides lib. II Mat. Med. cap. XIV ait: Τοῦ θαλασσίου σκορπίου ἡ χολὴ ἁρμόζει πρὸς τὰς ἐν ὀφθαλμοῖς ὑποχύσεις, καὶ λευκώματα, καὶ ἀμβλυωπίας· *Marini ſcorpionis fel convenit ad oculorum ſuffuſiones, albugines, & hebetudines.* Simpliciter etiam inquit Marcellus Empiricus de Medicamentis cap. VI *g*: *Piſcis marini felle, qui ſcorpios dicitur, oculi inuncti caligine atque albugine, quamvis craſſâ, citò liberabuntur.* Ad Plinium redeo, qui poſt aliqua hæc ſubdit: *Oculorum tumorem, ruboremque, ſepiæ cortex cum lacte mulieris illitus ſedat. Eâdem cortice & nyctalopes curantur in farinam tritâ, & ex aceto illitâ. Extrahit & ſquamas* (oculorum) *ejus cinis. Cicatrices oculorum cum melle ſanat; pterygia cum ſale, & cadmia, ſingulis drachmis. Emendat & albugines oculorum jumentorum.* Aliaque dein oculorum remedia ſuggerit ex echino, ad viſus claritatem; è rana, contra lippitudinem, ac albuginem; uti & è cancris, aliaque ex aliis. De ſepia legas & apud Galenum in undecimo Simplicium, quomodo medeatur aſperitati oculorum, quam Græci τράχωσιν vocant. At de pterygiis quod Plinius ait, quoque eſt apud Dioſcoridem lib. I Parabil. cap. XLV: imò & Mat. Med. lib. II, cap. XXIII. Ubi addit, jumentis itidem albuginem oculorum auferre, ſi inſufflетur, ac pterygia eorum abſumere, ſi tritam cum ſale adhibeas. Galenus lib. XI de med. facult. foſſilem ſalem exigit. Sed Plinius quoque, ut proximè vidimus, ſimpliciter *ſale* inquit: interea addit, *& cadmia, ſingulis drachmis.* Idem Plin. lib. XXXII, cap. VIII ait:

b Lib. 2. cap. 23.
c Franc. Valleſ. de ſacra philoſoph. cap. 42.
d Tob. cap. 11. verſ. 15.
e Lib. 2 Ἁλιευτ. verſ. 203.
f Cap. 15.
g Pag. 67. edit. Baſ.

ait: *Myacum cinis potus emendat caligines.* Et cap. IX: *Mytili lavantur plumbi modo ad genarum craſſitudines, & oculorum albugines, caligineſque, atque in aliis partibus ſordida hulcera, capitiſque puſtulas.* Similiter docuerat Dioſcorides lib. II, cap. VII, μύακας, ſive mytilos, mederi oculorum albugini, ac cæteris, quæ pupillæ caliginem affundunt. Idem Dioſcorides libri ejuſce cap. XI hanc ipſam vim tradit ineſſe cochleis crematis.

Ab oculis accedo ad palpebras: varia quibus remedia præſcribit Plinius lib. XXXII, cap. VII: *Lepus marinus ipſe quidem venenatus eſt: ſed cinis ejus in palpebris pilos inutiles, evulſos cohibet. Et ad hunc uſum utiliſſimi minimi: item pectunculi ſalſi triti cum cedria: & ranæ, quas diopetès, & calamitas vocant; ſanguis earum cum lachryma vitis ſi, evulſo pilo, palpebris illinatur.* Ac poſtea: *Ranas quindecim conjectas in fictili novo junceis configunt quidam: ſuccum earum, qui ita effluxerit, admiſcent lachrymæ, quæ ex alba vite emanat, atque ita palpebras emendant inutilibus pilis exemtis, acu inſtillantes hunc ſuccum in veſtigia evulſorum. Meges pſilothrum palpebrarum faciebat in aceto enecans putreſcentes: & hoc utebatur multis variiſque per aquationes autumni naſcentibus.* Subjungit poſtea & aliud remedium, his verbis: *Idem præſtare ſanguiſugarum cinis ex aceto illitus putatur. Comburi eas oportet in novo vaſe.* Itidem ex rana, & ſanguiſuga, remedium petit Serenus Sammonicus cap. XXXV:

Præterea quaſcunque voles avertere ſetas,
Atque in perpetuum redivivâ occludere telâ,
Corporibus vulſis ſaniem perducito ranæ;
Sed quæ parva ſitu eſt, & rauco garrula queſtu.
Nec non & ſtagnis ceſſantibus exul hirudo
Sumitur, & vivens Samiâ torretur in aulâ.

Ranarum eam vim firmat Dioſcorides lib. II, cap. XXVIII: ubi ait, evulſos palpebris pilos non renaſci, ſi viridium ranarum ſanguinem inſtilles. Idem legas Parabilium cap. LII. Verùm Galenus lib. XIX de Med. facult. narrat, ſe id falſum comperiſſe. Invenias tamen & apud Aëtium, ac Paulum.

Idem præſtant tellinæ ſalſæ, & crematæ, inque pulverem contritæ, cum cedrino liquore inſtillatæ. Dioſcor. Parabil. lib. I, cap. LII. Item Paulus Ægin. lib. III, cap. XXII. Itidem pilis palpebrarum refractis, & tranſverſo natis tramite, prodeſt glutinoſitas cochleæ acu excepta: ut eſt apud Dioſcoridem Parabil. cap. LIII: item Aëtium, & Paulum. Dioſcorides lib. II Mat. Med. cap. XI. tradit idem de cochlea terreſtri. Nempe utriuſque vis eadem videtur.

Si duri fuerint calli in palpebrarum loco, locus is pumice, aut ſepiæ teſtâ radendus: ut ait Dioſcorides Parabil. lib. I, cap. XLVII, ac ſimiliter Paulus Ægineta ibidem.

Ὑπώπια quoque, ſive ſub oculis livores, ſanat ſepiæ teſtæ ramentum cum aceto illitum; ut ait Dioſcorides Parabilium lib. I, cap. LVII, & Aëtius cap. II, Serm. IV, Tetrab. II.

Nunc de auditus organo dicamus. Fel anguillæ, thymalli item, & tincæ, cum felle porcelli lactentis permiſtum, inter aurium remedia eſt: ut ex MSo quodam Germanico prodidit Geſnerus *a*. Quippe quo infuſo, pelliculæ rumpantur, fluxus ſiſtatur, vermes necentur. A Gillio etiam, & poſt eum a Bellonio *b*, traditum eſt, piſcatores Ticini accolas thymalli adipem in remedium aurium ſervare. Salvianus quoque ait, ſi adeps ejus, menſe Majo, vitreamini incluſus Soli exponatur, & id, quod ex eo deſtillat, auribus inſtilletur; diſcuti vitium malè audientis. Imò & de ſanguine ejus Geſnerus ſimilia narrat ſe audiſſe ex piſcatoribus ad lacum Lemanum ætate provectis. Sed arbitratur, errore proveniſſe, ut pro *adipe*, *ſanguinem* dicerent.

a In piſcium hiſtoria, ubi de thymallo.
b Lib. I de aquatilibus, cap. 17.

Adverſus παρωτίδας, hoc eſt, ut Theodorus Priſcianus in Φαινομένων εὐποριστῶν *c* interpretatur, *tumores repentinos ſub auribus innatos*, Plinius lib. XXXII, cap. VIII ait, *mirifice prodeſſe ſepiæ oſſa cum axungia vetere contuſa, & tuſa.* Addit deinde: *Quin & teſtis cadi ſalſamentarii tuſis cum axungia vetere, muricumque cinere, ex oleo ad parotidas utuntur.* Capite etiam ſexto dixerat, prodeſſe huic morbo teſtæ oſtreorum cinerem.

c Lib. I, cap. 9.

Sanguinis è naribus profluvium reprimit cochlearum caro in aceto, vel integris etiam cum teſta contuſis, ac more cataplaſmatis fronti, vel naribus, impoſitis. Sic Dioſcorides lib. II de Mat. Med. & Parabilium, cap. CCXI. Item Aëtius in IV Tetrab. Serm. II, cap. LI.

Oris putridis prodeſt ulceribus, ſi colluas os garo mænarum: ut eſt apud Dioſcoridem in II Med. Mat. cap. XXXI.

Item juvat cinis mænarum combuſtarum cum aloë: ut eſt lib. I Parabil. cap. LXXXIII.

Supereſt de dentibus agamus. Purpuræ, & κήρυκος, ſive buccini cinis vim habent eos expurgandi: ut tradit Dioſcorides lib. II. cap. IV, & V. Idem cap. X ait, ὄνυχα, ſive unguem, eadem poſſe ac purpuram, & buccinum. Ac conchas crematas eandem vim habere, legas cap. XI. Idem cap. XXII refert, paſtinacæ marinæ radium, qui ex reflexis ejus caudæ ſquamis oritur, dolorem dentium mitigare, atque id comminuendo dentem, ac dein expellendo. Quem ad locum operæ eſt adire Antonium Saracenum in Notis. Plinii de eàdem mox locum indicabo. Cap. XXVIII docet Dioſcorides, ut ſi ranæ in aqua, & aceto, decoquantur, os eo liquore colluendo dentium diſcutias dolorem. Vide & Dioſcoridem Parabil. lib. I, cap. LXXI: ubi jecur ranæ prodeſſe ait dolori dentium. Et cap. LXXI; ubi ranas virides conferre docet dentibus vacillantibus. Varia etiam dolori remedia ſuggerit Plinius lib. XXXII, cap. VII: *Dentium*, inquit, *dolores ſedantur oſſibus draconis marini ſcarificatis gingivis: cerebro caniculæ in oleo decocto, adſervatoque, ut ex eo dentes ſemel anno colluantur. Paſtinacæ quoque radio ſcarificare gingivas eſt in dolore utiliſſimum. Conteritur is, & cum elleboro albo illitus, dentes ſine vexatione extrahit.* Pluraque ex aquatilibus remedia ſubdit: quæ inde peti malo, ne longiores ſimus. Idem cap. IX ejuſdem libri: *Myacum cinis potus emendat gingivarum, & dentium vitia.* Quod & Dioſcoridi traditum Parabilium lib. I, cap. LXXVI. Ubi etiam legas, idem præſtare teſtam ſepiæ combuſtam. Galenus quoque Euporiſtôn lib. III, cap. CLXXXVI tradit, dentibus candorem reddi, ſi ovorum putamina, ſepia, & oleum, miſceantur, & coquantur, uſque dum ſuperſit pars tertia, atque hoc tepidum contineatur ore. Accedit Plinius Valerianus lib. I Εὐποριστῶν, cap. XL: *Conchylii marini teſtam ſale plenam combures, denteſque inde fricabis. Sepiæ item teſtam tuſam cribrabis, & candidi erunt, & cum vino candido piperato dentes lavabis.* Similiter Capivaccius lib. I Med. Pract. cap. LII: ſed cum pulvere oſſium ſepiæ jungit cornus cervini & ariſtolochiæ pulverem: tum jubet dentes limâ abradi, & ablui vino odorato. Muricum cinerem etiam in dentifricio eſſe, ait Plinius Secundus in Hiſtoria Naturali cap. VII libri antè dicti.

Cap. XL.

Ex aquatilibus remedia colli, & thoracis morbis: ac primum anginæ ex vitulo marino, manâ, cancro: uvis (quo vocabulo valde improprie pro columella uſus eſt Plinius) ex garo, oſtreorum teſtis, ac cochleis: χοιράδι, ſive ſtrumæ, ex lepore marino, oſtreis, muranis, purpuris marinis: rigori tum cervicis è pediculis marinis; tum ſpinæ dorſi, e ranis: raucedini, è congro, & ſiluro: ſputo ſanguinis, è teſtaceis: tuſſi morboſæ (cujus cauſſa allata) e cancris, & ranis: phthiſicis, & cachecticis, è cancris, tethyis, ranis, torpedine, ſquatina, rajagaleo, cochleâ: pleuritidi e piſce turdo. Remedium augendi feminis lac eſu glauci piſcis.

A Capite venio ad eam in homine regionem, quæ ſuperiori parte jugulum, inferiori ſeptum habet tranſverſum: à parte verò poſticâ ſpinam dorſi, ab anticâ, os pecto-

pectoris; à lateribus, coſtas membranâ ſuccinctas, & muſculos coſtis additos. Omne hoc *thoracem* vocant: alii in collum, & thoracem, ſic propriè dictum, diſtinguunt.

A collo initium eſto; ubi præ aliis ſe offert anginæ morbus; qui Græcis συνάγχη, atque, corrupto inde vocabulo, non modò Italis, Gallis, Hiſpanis; ſed Anglis etiam, ac Belgis, *ſquinancia* nuncupatur. Eſt verò muſculorum gutturi, & gulæ miniſtrantium inflammatio, reſpirandi, ac deglutiendi afferens difficultatem. Atque ex eo, quia laquei inſtar ſtranguler, *ſynanches* nomen accepit. Nam ἄγχω, *ſtrangulo.* Huic remedium ex aquatilibus Plinius dabit lib. XXVI, cap. IV: *Anginæ medetur peucedanum cum coagulo vituli marini æquis partibus.* Item lib. XXXII, cap. VIII: *Anginas ranarum ſalſarum ex capitibus cinis ex melle illitus abolet; ranarum decoctarum ex aceto ſuccus.* Poſtea ſubdit, hoc etiam *contra tonſillas prodeſſe.* Tum continuò ſubjungit: *Cancri fluviatiles triti ſinguli in heminam aquæ, anginis medentur, gargarizati, aut è vino, aut calidâ aquâ poti.*

Alius eſt faucium morbus, qui σταφυλὴ, ſive *uva*, nuncupatur: nempe quando, ut Ariſtoteles ait lib. I Hiſtor. Anim. cap. XI *a*, pars ea, quam γαργαρεῶνα, ſive *columellam* dicimus, humorem è capite deſtillantem præter naturam concipit, atque inde inflammatur. Vocatur autem *uva*, quia cùm naturâ ſit latior ſuperâ parte, inferâ anguſtior; contra tamen, ubi, ut Ariſtoteles loquitur, ἐξυγρανθῇ, hoc eſt, *humorem ita imbiberet, ut intumeſcat*; parte ſuperâ ſit tenuis ac gracilis magis *b*, quàm inferâ, ad modum uvæ pendulæ: unde & Cajus Plinius de eâ lib. XI, cap. XXXVII: *Inter tonſillas, uva nomine, ultimo dependet palato.* Ubi tamen pro *uva* rectiùs dixiſſet *gurgulionem*: cùm aliud ſit membrum; aliud ejus incrementum, & inflammatio. Verùm nec Græci, nec Latini, hoc diſcrimen ſemper obſervant: ut de Græcis quidem liquet ex iis, quæ contra Archigenem, & alios, diſſerit Galenus lib. VI τῶν κατὰ τόπους *c* cap. III. De Latinis docet Celſus, qui libro VI, cap. XIV, & lib. VII, cap. XII, non morbum, ſed partem morbo affectam, vocat *uvam.* Nec tamen hæc ſatis excuſant Plinium: qui loquitur de membro eo, uti naturâ eſt; non quale eſt in morbo; quomodo σταφυλὴν vocari etiam Ariſtoteli vidimus. Nec aliter capiendus Celſus. Atque hæc, ut puto, ſi attendiſſet Galenus, non proprietatem vocis ſic urſiſſet adverſus Archigenem. Sed de iſto ſatis. Nunc oſtendendum, ex aquatilibus etiam remedia huic morbo eſſe à Deo nobis conceſſa. Plinius lib. XXXII, cap. VIII: *Uvæ medetur garum cochlearibus ſubditum.* Et ejuſdem libri cap. VI dixerat: *Teſtæ oſtreorum cinis uvam ſedat, & tonſillas admiſto melle.* Itidem adverſus uvam ex cochleæ cinere remedium petere jubet Serenus Sammonicus cap. XV. Atque etiam Nicolaus Myrepſus tonſillis inflammatis, exteriùs jubet admovere cochleas crudas ex aqua pluvia calida. Vulgo quidem ibi ſcribitur κογχλίους. Sed enim κοχλίας legas oportere, rectè vidit vir de re medicâ præclarè meritus, Leonartus Fuſchius.

a Secundum diſt. Caſ. Scal. cap. 9. ſect. 106.
b Hippocrates 3 Prognoſt. cap. 21.
c De compoſitione medica ſecundum locos.

Strumas dicimus tumorem glandularum in cervice: qui, quia in gutture porcorum eſt creber, eo creditur eſſe χοιράς Græcorum. Quorum exemplo *charades* etiam vocat Theodorus Priſcianus in φαινομένοις εὐποριστοῖς lib. I, cap. XI. Huic morbo medentur lepores marini. Scribonius Largus, qui ſub Claudio Cæſare vixit *d*, cap. LXXXI: *Ad ſtrumas melius marini lepores oleo vetere necati faciunt, in plumbea pyxide clauſi; quam diebus quadraginta diligenter alligatam oportet habere. Poſtea ex ea, pinnâ oblinendæ ſunt ſtrumæ, ſuperque eas pellis lanata non nimium tonſa, tegendi gratiâ, imponenda eſt.* Ac plura ibidem. *Præterea oſtrea cruda, ſi tundantur, ſtrumas ſanant*; ut ait Plinius lib. XXXII, cap. VI. Idem ejuſdem libri cap. VIII: *Muranarum muria, & capitum cinis, cum melle ſanat ſtrumas.* Aliud etiam remedium ex cancrorum, ac muricum teſtis, mox ſubjungit. Et probat Dioſcorides Parabil. lib. I, cap. CLV: item Marcellus cap. XV *e*: ubi & aliud ex lupo marino. Adhæc ſtrumas, uti & ἀντιάδας *f*, ſic dictas, ut Paulus *g* ait, quia ſibi invicem oppoſitæ, quæ & aliter παρίσθμια, (vulgo *amygdalarum inflammationem* vocitant) omnia denique mala, quæ in collo expullulant, mirificè ſanat purpuræ marinæ κρόκις *a* collo viperæ injecta, ac deinde collo hominis, morbo affecti, appenſa: ut eſt apud Galenum lib. VI de ſimpl. medic. facult. cap. de Pæonia. Verbaque etiam Galeni adducit Paulus Ægin. lib. III, cap. XXVI. Probat & Oribaſius in IV ad Eunap. cap. de angina, & Avicennas lib. II Canonis Tract. II, cap. CXVI, & in III Can. Fen. IX, cap. X. Arabicè eſt *Alargivan*: quod interpres reddidit *purpuram marinam, & muricem marinum.* Tangit idem remedium Dioſcorides Parabilium lib. I, cap. CLV: ubi ſis ejus interpretes Moibanum, & Geſnerum, vide.

d Scribon. cap. 60. & 120.
e Pag. 109. edit. Froben.
f Tonſillas.
g lib. 6. cap. 30.
a Stupa, ſive flocculi, quibus alligatur: niſi potius ea voce, ut Rondeletio non injuriâ viſum, ſignificetur lana purpurâ infectæ pars craſſior, & ramus curata.

Eſt & remedium colli è pediculo marino, qui Græcis φθεὶρ θαλάττιος *b*, Germanis ſimiliter *waſſerluſz*, vel *meerluſz*. Plinius lib. XXXII, cap. VIII: *Rigor cervicis mollitur cum marinis, qui pedunculi vocantur, drachmâ potâ.*

b Ariſtot. lib. 5 Hiſt. Anim. cap. 31.

Τέτανος, qui *rigor* vocatur Cornelio Celſo lib. II, cap. I, non ſolùm eſt convulſio, ac diſtentio muſculorum cervicis; ſed totius corporis, præcipuèque eorum, qui movent ſpinam dorſi. Sic convulſis, ac rigentibus, prodeſt juſculum ranarum cum ſale, oleoque, conditum, ac comeſtum, conducunt & ranæ ipſæ. Ita Dioſcorides Parabilium lib. I, cap. CCXXXII.

Raucitas, quæ eſt τῆς φωνῆς τραχύτης *c*, gutturis affectio eſt, orta è catarrhi in fauces defluxu. Gloſſ. Philoxeni: *Ravis*: κόρυζα. Itaque proſunt ei, quibus thorax, & aſpera arteria expurgantur: ut ſunt remedia inde dicta πλάσματα. Perſius ſat. I:

—— Liquido cùm plaſmate guttur
Mobile collueris.

c Vocis aſperitas.

Hanc vim abſtergendi guttur tribuêre etiam congro, uti & viſcidorum piſcium aliis. Quod adſtruendum nobis auctoritate Clearchi Comici in Citharœdo. Sic enim ille apud Athenæum in XIV:

Γόγγρον τε λαβρακὸν πᾶσι τοῖς κιθαρῳδοῖς
Βρόχθιζε. τόνους γὰρ πέφυκε τὸ πνεῦμα, καὶ
Τὸ φωνάριον ἡμῶν εὐάγωγον γίνεται.

Reddere ſic poſſis:

Candemne congro, viſcidis & piſcibus
Veſcare cunctis. Alitur illis ſpiritus,
Ac ſit celerior vox, & expeditior.

Sed de iſto quidem fides eſto penes auctores. Res apertior de ſiluro ſale condito. Hunc enim voci adferre claritatem, legas quoque apud Dioſcoridem lib. II Mat. Med. cap. XXIX, & Parabilium lib. I, cap. CXIV; item Paullum lib. VII *d*: *Silurus*, inquit, *ſale conditus ſi edatur, arteriam humentem expurgat.* Videri id poſſit eſſe, non à natura ſiluri, ſed ſalis ſolius, cui vis ineſt abſtergendi. Sed adverſatur Plinius; qui & recenti hanc vim tribuit. Sic enim ſcribit lib. XXXII, cap. VIII: *Vocem ſiluri recentes, ſalſive, in cibo ſumti adjuvant.*

d In iis, quæ à X incipiunt.

Iis, qui ob ulcus in thorace pus exſpuunt, ſi ſalſus ſit humor, & bilioſus, non alienum eſt dare pectines, buccina, aſtacos, ac καραβίδας, ſive locuſtas: ut eſt apud Alexandrum Trallianum lib. VII, cap. II, quod eſt de purulentis. Atque ibidem erinaceum præſcribit, ſi ulcus fuerit ſordidum, & paullatim pus effluat, non autem perfecta ſit circumfuſi humoris eruptio. In omni quoque ſanguinis ſputo piſcem ſaxatilem commendat ex jure, anetho tamen aſſumto.

Tuſſis morboſa eſt quidem à pulmonis vi expultrice; ſed irritatâ à materia pituitoſa, vel aliâ, viam reſpirationis, ac vocis, obſtruente. Hæc igitur pulmonis facultas in eo eſt, ut id, quod moleſtum eſt, per aſperam pellat arteriam, idque muſculorum beneficio; quibus opus, quia arteria illa, cùm ſit cartilaginea, per ſe expellere non poſſit. Aëre autem è pulmonibus impacto in laryngem fit ſonus ille, quem formaliter, ut in ſcholis loquimur, *tuſſim* nominamus.

In vehemente tuſſi adhibenda aqua hordei cum cancris: ut ait Avicennas III lib. Canonis, Fen. X, Tract. III,

cap.

cap. III. Ac ſimiliter cancros in vino maceratos, ac deinde toſtos, ſuperinſperſo pipere, tuſſientibus præſcribit Dioſcorides lib. II Parabil. cap. XXXII, ſi vera eſt emendatio Jo. Moibani, pro κυριωτοὶ, vel καρυωτοὶ, reponentis καρκῖνοι. Aliud remedium tradit Plinius lib. XXXII, cap. VIII: *Tuſſim ſanare dicuntur piſcium modo e jure decoctæ in patinis ranæ.* Et cap. IX ait, *myaces prodeſſe pituitæ pulmonis.*

Φθίσις, ſive tabes, propriè eſt exulceratio pulmonum cum lenta febre, extenuationem totius corporis inducens. Remedium illi tale, dummodo non ſit perfecta, docet nos Dioſcorides lib. II, cap. XI: Καρκῖνοι ποτάμιοι, ἑφθοὶ, σὺν ζωμῷ ἐσθιόμενοι, φθισικοὺς ὠφελοῦσι. *Cancri fluviatiles cocti, & ex jure ſuo comeſti, phthiſicis proſunt.* Idem legas Parabilium lib. II, cap. XXXIX. Ac apud Aëtium II Tetrab. lib. IV, cap. LXVII. Eſt & Plinii lib. XXXII, cap. II: *Cancri fluviatiles ex jure ſumti & phthiſicis prodeſſe dicuntur.* De eodem ſic Marcellus Empiricus operis de Medicamentis cap. XVI a: *Cancros marinos impari numero* (a Pag. 119. edit. Baſ.) *exuſtos, vel aridos tritos, & baccas laureas impari numero tritas, adjecto melle, atque adipe anſerinâ remiſſâ, æquis ponderibus, univerſa permixta unum corpus facies, atque æqualiter in duodecim partes divides, & in cibo, aut in potione, laboranti phthiſico dabis: mirè proderit.* De numero impari quod ait, ſine dubio ſuperſtitioſum eſt. At cancrorum eam eſſe vim, hodieque docet experientia. Quâ de re ſic Rondeletius lib. I de piſcibus marinis, cap. I: *Quot emaciatos, & penè marcore confectos, ſquillarum, vel cancrorum uſu, priſtinæ ſanitati reſtituerim, nihil attinet hic recenſere.* Etiam cancros combuſtos commendat Capivaccius b.

b Lib. 2 Practicæ Medicinæ, cap. 7.

Nec cancri ſolùm proſunt: ſed alia quoque aquatilium. Plinius lib. XXXII, cap. II: *Cachecticis, quorum corpus macie conficitur, tethya utilia ſunt cum ruta, aut melle.* Subjungit hinc adverſus febres remedia ex ſtrombo.

Adhæc ranarum marinarum & paluſtrium coxæ, verno tempore in recenti frixæ butyro, cumque paullo origani, ac menthæ, appoſito, non modò ſunt delicatæ: ſed etiam aſthmaticis, ac tabidis, & inveteratâ tuſſi laborantibus, proſunt. Nimirum partibus areſfactis humore ſuo humorem inſtaurant primigenium: præſertim elixatæ cum caponis juſculo, quod ſomnum conciliat ſuavem, ut ſic partes areſfactæ meliùs irrigentur.

Itidem tabe laborantibus conducit eſus torpedinis, ſquatinæ, rajæ, galei; ut eſt apud Hippocratem libro de internis affect. Nempe hæc concoctu quidem difficilia ſunt: ſi tamen illæ fuerint ſtomacho vires, ut concoquere valeat; multum ſolidi præſtant nutrimenti.

Idem de cochleis dixero: quarum eſum phthiſicis commendat Serenus Sammonicus cap. XIX:

Si verò phthiſis annoſo ſedet improba morbo,
Intritas vino cochleas hauſiſſe juvabit.

Iiſdem, ſed ex aqua clara, dulci, & fluida admodum, utiles ait Conſtantinus Afer lib. V, cap. XXV.

Sanè quanta ſit vis nutriendi in hoc genere, ex eo colligere licet, quòd limaces cochleis incluſæ totâ hieme propriâ alantur ſubſtantiâ. De quo & Quercetanus diætetici ſui polyhiſtorici cap. VII, quod eſt de piſcibus.

Ad thoracem etiam, nempe ad nervoſas ejus partes, membranas, ac muſculos, pertinet πλευρῖτις, quæ Lucillio, & aliis, *lateralis dolor.* Eſt verò pleuritis, cùm inflammatur ὁ ὑπεζωκὼς τὰς πλευρὰς ὑμὴν, *membrana interior coſtas ſuccingens.* Naſcitur ex ſanguinis tenuis, & bilioſi, affluxu. Dolor tantus eſt ex ſolutione continui ob humorem mordentem, vel tendentem. In hoc morbo, ut ait Alexander Trallianus lib. VI, cap. I, aſſumitur piſciculus, præcipuè turdus, quia ſit piſcis tener, & humidus, & concoctu facilis, ac præterea alimentum gignens excrementi expers: unde & ait, *maris ptiſanam* dici poſſe. Sed idem vitare jubet pectines, omniaque teſtacea: quippe quæ ſucci ſint mali, ac ejectionem ſputi vehementer impediant. De quo tamen aliter Plinius lib. XXXII, cap. IX: *Lateris dolores leniunt hippocampi toſti ſumti, tethyaque ſimilis oſtreo in cibo ſumta.* Quippe & tethya eſt teſtacea: ut præter Plinium Ariſtoteles, Athenæus, atque alii, docent.

Priuſquam à thorace, & eo contentis, abeam, unum hoc addam, quod particulatim feminas tangit. Glaucum ait Plinius a, ſive, ut in aliis libris eſt, glauciſcum, mulie- (a Lib. 32. cap. 10. ſive edit. Parm. cap. 6.) ribus facere copiam lactis. Ac ſimiliter Arabs ſcriptor, Kiranides, opere de viribus lapidum, ſtirpium, animalium, quod Latinobarbarè vertit Gerardus Cremonenſis. Eſt verò γλαῦκος piſcis pelagius b, magnus c, quandoque tri- (b Ariſtot.) cubitalis d, carnivorus, cui & mugil ſit in cibo e: eſtque (c Athen.) is nomen hoc ex colore ſortitus; qui γλαυκὸς, ſive ὑπό- (d Rondelet.) λευκος, nempe ex albo cæruleus. Memoratur & Ennio (e Oppia. 3 Ἁλιευτ. verſ. 193.) ex Archeſtrato f. Quàm multis Græcorum laudetur, dicet Athenæus in VII g. Creditur is eſſe, qui Romanis *lechia* (f Apud Apuleium in Apolog.) vocatur: ſed alii repugnant. De virtute illâ glauci, quam dixi, ambigat aliquis; quia piſcibus non ea videatur data vis nutriendi, ſine qua eſſe copia lactis non poſſit. Sed ni- (g Cap. 12. ſive pag. 295.) hil certius, quàm multis piſcium ineſſe vim alendi commodam: de quo mox pluribus dicendum. Smarides etiam lacti facere ubertatem, ſi cum ptiſana ſumantur, vel decoquantur cum fœniculo, ab eodem Plinio h traditum eſt: (h Lib. 32. cap. 10.) Atque addit: *Cancri fluviatiles illiti, vel marini, pilos in mamma, vel muricum carnes appoſitæ tollunt. Squatina illita creſcere mammas non patiuntur.*

Cap. XLI.

Hinc item ad ventris remedia ex aquatilibus. Quàm variè ventris vox ſumatur. Cur veteres pro ventriculi ore dixerint καρδίαν: unde καρδιακῶν, & καρδιαλγίας appellatio. Remedium huic ex cochlea, imprimis Africana; item ſtrombo, buccino, cancro. Quadruplex ventriculi functio. Ὄρεξιν cieri à ſquillis aſſatis; item oſtreis: Ut tædium vini creetur è piſcibus certis. Βραδυπεψίας remedia ex locuſta, polypo, loligine: item cochleâ, conchis, cancris: & quæ ejus ſit rei cauſſa. Retentioni ciborum conferre cochleas; vomitui, mullos. Iliaci, & colici morbi, diſcrimen. Colici remedium è cochleâ Libycâ, anguillâ, umbrâ. Dyſenteriæ mederi ſilurum, ſcorpænam, aſtacum: deque his Plinius Valerianus correctus. Triplex inteſtini functio, & uſus. Quod diſcrimen ſit inter lientericos, & cæliacos. Erythinum, cancros fluviatiles, & alia quædam, alvum ſiſtere. Contrà eam cieri conchis, & cochleis: item cybiis, ſiluro, jure piſcium recentium, gobio, liparide, balano. Ani remedia e torpedine, cancro, mugile, mullove. Hæmorrhoidibus utilem eſſe ſepiæ ſuccum.

Sequitur γαστὴρ, ſive venter, ſic propriè dictus. Nam etſi & γαστὴρ ipſi Hippocrati ſit thorax: imò aliis caput ſit venter ſummus: ut thorax, medius; is, de quo nunc ſermo erit, diſtinctè vocetur venter imus: proprie tamen venter ſolùm eſt regio eâ, quæ circumſcribitur ſepto tranſverſo, hyponchondriis, & pube. Ut hic ordine ſit agendum, primò de ventriculo, inteſtinis, ano: tum de jecore, liene, renibus, uretere, veſica: ac denique de membrorum illis, quæ generationi inſerviunt.

Ventriculus œſophago junctus à dextro latere jecur, à ſiniſtro habet lienem. Os ventriculi à veteribus, ob mutuum ejus cum corde conſenſum, nominabatur etiam καρδία, teſte Galeno i. Atque hinc καρδιακοὶ dicuntur; (i Lib. 2 de Placitis Hippocratis, & Platonis.) quales ſæpe animo deficiunt, extremis partibus frigentibus, ſudore in vultu, & pectore, diffluente, pulſu denſo, ſed obſcuro, circa cor tamen vehementi. Nempe in hoc affectu morbus quidem primariò eſt ab ore ventriculi: ſed cor, & caput, συμπάσχει k. In remedio eſt, ſi viva co- (k Simul patiuntur.) medatur cochlea, præcipuè Africana: quemadmodum eſt apud Dioſcoridem Mar. Med. lib. II, cap. XI, & Parabilium lib. II, cap. IX. Favet quoque Marcellus, his verbis: *Cochleas, ſed veras Africanas, conditas ex ſale, & paullo olei coctas, ſed non purgatas, qui jejunus ternas, aut quinas quotidie, & frequenter ſumſeris, rariſſimo ſtomachi dolore vexabitur.* De ſtrombis ſimiliter Plinius lib. XXXII,

cap. VIII: *Strombi in aceto putrefacti proſunt cardiacis.* Etiam Alexander Trallianus lib. VII, cap. X præcipit eſum buccini, cochlearum, cancrorum; idque quia reſiſtant acrimoniæ humoris os ventriculi rodentis. Audiamus & Plinium Valerianum de re medica, ſive, ut non incommodè dixeris, εὐποριστῶν *a* lib. II, cap. XV: *His quos linquit animus, aut mens, & alienantur, quibuſque vertigines fiunt, cochleas ſingulas cum ſua teſta tritas ex paſſi cyathis tribus, calefacta potione, per dies novem dabis.* Pluraque inibi, ac inter alia hæc: *Cochleæ Africanæ in cibo ſumtæ ſtomachi dolori medentur.*

a Parabilium.

Functio ſtomachi quadruplex eſt; attractio, concoctio, retentio, & expulſio. Ad attractionem pertinet naturalis appetentia: quâ diminutâ oritur faſtidium ciborum. Huic remedio ſunt ſquillæ. Quippe nauſeantem recreant ſtomachum, & ὄρεξιν *b* gignunt. Unde Horatius lib. II, ſat. IV:

Toſtis marcentem ſquillis recreabis, & Afrâ
Potorem cochleâ.

b Appetitum.

Ubi non de nihilo eſt, quòd poëta toſtas dicat ſquillas. Nam olim eas aſſari ſolere, arguit hoc Anaxandridæ Comici in Cercio fabulâ *c*:

Ἐρυθρότερον καρίδος ὀπτῆς σ᾽ ἀποφανῶ.
Præſtabo ut aſſâ ſis magis ſquillâ ruber.

c Apud Athenæum lib. 3. cap. 23. ſive pag. 106.

Conducunt & oſtreæ. Plinius lib. XXXII, cap. VI: *Oſtrea ſtomachum unicè reficiunt: faſtidiis medentur. Addiditque luxuria frigus obrutis nive, ſumma montium, & maris ima, miſcens.* Ælianus lib. XIV de Anim. cap. IV ait, echinos prodeſſe ſtomachis ciborum faſtidio laborantibus. Quod & Dioſcoridi traditum, & Alexandro lib. I, cap. XV, quod eſt de epilepſia. Eſt verò cùm & appetentia eſt nimia, ſeu cibi, ut in βουλιμίᾳ *d*; ſeu vini, qualis vel naturâ, vel conſuetudine, eſt in ebrioſis. Et hac parte natura homini conſuluit. Plinius lib. XXXII, cap. X: *Mullus in vino necatus, vel piſcis rubellio, vel anguillæ duæ, item uva marina in vino putrefacta, iis, qui inde biberint, tædium vini adfert.* Similiter è junioribus Capivaccius Med. Pract. lib. III, cap. VIII, quod eſt de ſiti morboſa: *Si immodicum ſit deſiderium vini, ut patiens ab hoc appetitu vindicetur, probatur vinum detentum in vaſe, in quo, patiente inſcio, immiſſa ſit, vel anguilla, vel lacerta viva, vel teſtudo lacuſtris, vel ſemina cautium.*

d Fame canina.

Altera ſtomachi functio eſt, quæ Græcis ἀλλοίωσις, barbaris noſtris *alteratio* vocatur: concoctio nempe, ſive cibi in chylum converſio. Cui adverſantur ἀπεψία, ſive cruditas, quando concoctio eſt nulla, & βραδυπεψία, ut Galenus *e* vocat, hoc eſt, concoctio tarda. Prior deſinit in ἀτροφίαν, tabis ſpeciem, in qua corpus non alitur: poſterior terminatur in gracilitatem, ac maciem; quando quædam cibi partes convenienter immutantur, aliæ non item. His qui tarde concoquunt, conducunt locuſtæ, polypi, loligines. Hæc enim minimè vitiantur in ſtomacho; ut ait Cornelius Celſus lib. II, cap. XXVIII. Ac de locuſtis idem eſt apud Galenum lib. VIII Medicamentorum κατὰ τόπους *f*. Tale etiam remedium eſt apud Serenum Sammonicum cap. XIX:

e Lib. de diff. ſym. cap. 4. & de ſymt. cauſ. lib. 3. cap. 1.

f Secundum loca.

Et potu, & fotu, ſtomacho conducit acetum.
Seu cochleas undis calefactas, ac prope victas,
Suppoſitis torre prunis; vinoque, garoque,
Perfuſas cape: ſed prodeſt magis eſſe marinas.

Par ratio concharum, & cancrorum fluviatilium. Nempe, quæ talia ſunt, non omnibus quidem, ſed illis tamen commodum præſtant nutrimentum, quibus tardiùs concoquuntur cibi, eoque non corrumpuntur longiori morâ: cujuſmodi in aliis etiam animantibus ſunt capita, cerebella, teſticuli, glandulæ, ventriculi, ſummi pedes.

Tertia functio eſt retentio, tamdiu durans, donec concoctio ſit perfecta. Hæc læditur, dum chylus non ſatis diu retinetur. Ut in lienteria, qua cibi ſtomacho egrediuntur non immutati. Item in cœliaca paſſione, quando nihil eſt in inteſtinis, quod impediat, quo minus cibi alvo egerantur ſemicocti. Sed de lienteria, & cœliaca paſſione, potiùs dicam in conſideratione inteſtinorum, ubi de alvi fluxu. Hoc loco illud ſuffecerit, ſiquis ſtomacho ſit tam infirmo, ut cibum nequeat retinere, à Sereno Sammonico *a* præſcribi, ut cochlearum cinis è vino bibatur.

a Cap. 21.

Quarta poſtremaque ſtomachi functio eſt expulſio, quæ naturæ limitem egreditur: ut in ſingultu, ac vomitu. In ſingultu patitur ſtomachus à materia impacta: in vomitu, à materia ſtomacho recepta. In hoc manifeſta eſt evacuatio: in ſingultu non item. Eſtque vomitui vicina nauſea. Hac expellere ſtomachus conatur: vomitu autem id fit. Quod ſi vomitu cibum expellere, quam retinere, ſatius ſit: ecce remedium à Plinio lib. XXXII, cap. VIII: *Vomitiones mulli inveterati, tritique, in potione concitant.*

A ventriculo venio ad inteſtinum: quod bifariam attenditur, quatenus dolori eſt obnoxium, ob nervos à cerebri ſexto pari receptos: & quatenus organum eſt concoctioni, digeſtioni, & expulſioni deſtinatum. Dolor eſt nunc à vermibus, nunc à morbo iliaco, colico, vel dyſenterico. Vermes gignuntur, putreſcente alimenti materiâ; quia nec perficiatur, nec excernatur. Iliacus morbus propriè eſt ex obſtructione inteſtini tenuis, quod Græcè εἰλεὸν; unde morbus ipſe εἰλεός. Tanta verò obſtructio eſt, ut nihil queat deſcendere, niſi fortè paucula liquida; eoque ſtercus ſæpe naturæ violentiâ ſurſum concitetur, perque os egeratur: quod letale eſſe indicium ſolet. Colicus propriè morbus eſt, cùm à frigido craſſoque humore, aut ſpiritu flatuoſo, κῶλον, ſive inteſtinum craſſum, ſic obſtruitur, ut nec flatum poſſis emittere. Dyſenteria eſt excretio cruenta ab exulceratione inteſtinorum propter mordacitatem bilis flavæ, vel atræ. Contentus ero pauca ex aquatilibus remedia colico adſcribere dolori, & dyſenteriæ.

Colico dolori medetur cochlea Libyca una cum teſta ſua contrita & è vino pota, cum exigua portione myrrhæ, & piperis: ut eſt in Dioſcoridis Materiæ Medicæ lib. II, cap. XI, & Parabilium lib. II, cap. XLVI. Etiam Marcellus cap. XXIX *b* cochleam ex Africa delatam commendat: ſed imprimis ex iis quàm maculoſiſſimam.

b Pag. 204. edit. Froben.

Prætereà dolore colico laboranti jubet idem Marcellus ſanguinem anguillæ ex aqua tepida cum vino rubello duplici menſurâ dari, dum æger eſt jejunus, & ſub dolorem. Promittit verò, non in præſentia modò opitulari: ſed efficere, nequis in poſterum hoc morbo laboret. Vide eum cap. XXIX *c*. Alexander Trallianus lib. X in dolore colico ex humoribus frigidis contracto commendat piſces ſaxatiles addito ſemine flatibus digerendis idoneo: vel etiam cum allio, ſi eo gaudeant ægri. Sin affectus colicus natus ſit ex calidis & bilioſis humoribus; jubet ex piſcibus eos adſumere, qui duriori carne ſunt prædicti: cujuſmodi ab eo ſtatuuntur cens, orphus, glaucus, ſcorpius, caris, coxyx, ſepia, & lolligo. Ex teſtaceis verò laudat pectines, oſtrea, cochleas marinas, item erinaceum: qui, præterquam quòd refrigeret, ac temperet, ſapori etiam gratus eſt, alvumque & urinam ciet; ut ibidem traditur.

c Pag. 208. edit. Baſil.

Σκίαινα, quod nomen retinet Plinius *d*, (*umbram* vocant Varro *e*, Ovidiuſque *f*) in capite calculos geſtat majuſculos, qui colicum abigere dolorem creduntur; imò itidem præſtare, ne redeat. Aurifices ideo in Galliis eos argento includunt, ac vocant, *pierre de colique.* Auctor Bellonius lib. I de Aquatil. cap. X.

d Lib. 32. cap. 9.

e In 4 de L. L.

f In Halieutico.

Dyſenteriâ vexatis, dum morbus is incipit, utilis eſt muria ſiluri; quia fluxûs ad ſumma cutis prolicit; ut apud Dioſcoridem eſt lib. II Mat. Med. cap. XXIX. Atque, ut idem ait cap. XXXIV, garum dyſentericis inteſtinorum ulcera cohibet, ac coërcet. Quod pleniùs exponunt Galenus lib. XI de ſimpl. med. facult. cap. ult. & Aetius Tetrabiblo I, lib. II, cap. CLI. Vide & Dioſcoridem Parabilium lib. II, cap. LVII.

Inſuper laborantibus dyſenteriâ ſcorpænam, aſtacum, & oſtreæ teſtam præſcribit Plinius Valerianus lib. V, cap. XXVII: *De maritimis, inquit, piſcibus non multi ſunt, qui expediri poſſint; ſed ſcorpinam accipiat conditam aceto,*

& cymino. Sic etiam aſtaco datur, oſtreæque aſſata teſta juvat. Ubi pro *ſcorpina* legendum *ſcorpæna*: pro *aſtaco* autem *aſtacus*: quomodo Græcis dicuntur σκόρπαινα, & ἄστακος. De *aſtaco* error eſt ex ſcripturæ compendio tali, *aſtacus.*

Præterea, ut diximus, conſideratur inteſtinum pro triplici functione: non quadruplici, ut de ſtomacho dicebamus. Nec enim inteſtinum attrahit cibum è ventriculo; ſed ventriculus ſuâ vi transmittit in inteſtinum; unde trahit hepar. Prima igitur hic functio eſt concoctio: quam præſtat, dum à pyloro alimentum devenit ad venas meſaraicas. Nam in ventriculo quidem concoqui cibum, ſed in inteſtino perfici, rectè traditum eſt Galeno lib. IV de Uſu Partium, cap. XVII. Altera eſt digeſtio, ſive diſtributio. Nam & confert ad ſecretionem, quæ venis fit meſaraicis utilem ſugentibus ſuccum: ut ait idem lib. VI de Loc. Aff. cap. III. Tertia eſt fecum, poſtquam, quod utile erat, attraxerunt venæ hepatis, expulſio per partem, ut Lucillius *a* vocat, poſticam. Quod apertius eſt, quàm ut adſtruendo illi cujuſquam ſit auctoritate opus. Sed ſubinde læditur facultas retentrix: ut in κοιλιακοῖς, & λειεντερικοῖς. Utriſque continuò fluit alvus: ſed in λειεντερίᾳ, (quæ ſic dicitur, quia ſit λειότης τῶν ἐντέρων *b*) retentio eſt nulla, cùm ad eam opus ſit ſiccitate, & aſperitate quadam partium continentium. Hinc citò admodum cibi prodeunt, eoque prorſus crudi: ſic ut cognoſcere ſit, quis cibus ſit aſſumtus. At in κοιλιακοῖς, quia cibi diutius in ventriculo, ac ſtomacho morantur, eo non quidem cocti, ſed nec crudi exeunt, verùm ſemicocti, & jam fœtentes. Ut dyſentericis, ſic cœliacis, ſiluri conducunt: ſicut Dioſcorides docet locis antè memoratis. Huc etiam pertinet uſus eorum, quæ comeſta alvum ſiſtunt: ut de erythino, ſive erythrino, prodidit Xenocrates *c*. Item caro cruſtâ intectorum, quando in aquis dulcibus elixa ſalſuginem poſuerint. Hoc de aſtacis, paguris, cancris, locuſtis, caridibus, gammaris, ac ſimilibus, prodidit Galenus lib. III de aliment. facult. cap. XXXIV. Eſt & Plinii Valeriani lib. II Rei Med. cap. XXVII: *Ad ventrem ſiſtendum cancri fluviatiles triti ex aqua bibuntur.*

a Apud Nonium in Poſtica.

b Inteſtinorum lævitas, ſive æquabilis ſuperficies.

c De aquatilibus fragmento apud Oribaſium.

Nec ſolùm peccatur alvo nimiùm liquidâ; ſed etiam durâ nimis. Atque hac parte etiam ex aquatilibus nobis conſuluit bonitas divina. Præcipuaque hic laus concharum, cochlearumque. Chamas, quidem & alias conchulas, in paullo aquæ coctas, & cum vino adſumtas, alvum ciere, Dioſcorides tradit lib. II Mat. Med. cap. IX. Similiter Galenus lib. III de Aliment. Facult. cap. XXX: ubi ait, alvum valde ſubduci ab urtica cum conchulis coctâ. Ac in III de Simplic. tradit, conchularum, & oſtreorum, ſucco ſalſo ventrem ſolvi: ſed addit, carnis eſu alvum ſiſti. Idem ex antiquioribus Athenæus docet lib. III *d*: ubi ex Dioclis Caryſtii libro de tuenda valetudine, ait, κράτιστα εἶναι τῶν κογχυλίων πρὸς διαχώρησιν, καὶ οὔρησιν, μύας, ὄστρεα, κτένας, χήμας· *eſſe potiſſima ex conchyliis ad alvum movendam, ciendumque lotium, myes, oſtrea, pectines, chemas.* Atque idem de chamis prodidit Iceſius Eraſiſtratius; ut poſtea narrat *e*. Audiamus & Latinos. Nam Cornelii Celſi eſt lib. II, cap. XXIX: *At alvum movent cochleæ, garum, ſalſamenta, oſtrea, pelorides, echini, muſculi, & omnes fere conchulæ.* Plinius quoque lib. XXXI, cap. VI, refert, talia *mollire alvum leniter.* Et cap. IV ait: *Purgant & myaces.* Quorum naturam pleniùs poſtea explicat. *Horum*, inquit, *jus traditur alvum, & veſicas, exinanire.* Neque hæc neſcivit Horatius lib. II, ſat. IV:

—— Si dura morabitur alvus,
Mytilus, & viles pellent obſtantia conchæ.

d Pag. 86. edit. Commel.

e Pag. 87.

Unde Serenus Sammonicus cap. XXVIII *f*:

Quodque ſatis, meliùs verbis dicemus Horati:
Mytilus, & viles pellent obſtantia conchæ.

f Al. 29.

Sic legendum: ubi *mugilis*, pro *mytilus*, eſt in editione non ea modò, quam Joa. Cæſarius recenſuit; ſed illa etiam, quam exhibent Pithœus in Epigrammatis, & Poëmatis veteribus. Subjungit deinde Sammonicus:

Sed cochleas prius eſt urticâ, aut furfure, paſci;
Purior hinc guſtus noxâ ſine moverit alvum.

Præter conchas, cochleas, & ſimilia, vim alia habent alvum ciendi. Plinius lib. XXXII, cap. IX: *Purgant & cybia vetera; privatimque cruditates, pituitas, bilemque, trahunt.* Cybium autem eſt pelamys conciſa: pelamys eſt thunnus, antequam anniculus ſit. De quo ſuperiùs monitum. Antea verò ibidem dixerat Plinius: *Alvum emollit ſilurus e jure, & torpedo in cibo. Et olus marinum ſimile ſativo, ſtomacho inimicum, alvum facillime purgat: ſed propter acrimoniam cum pingui carne coquitur. Et omnium piſcium jus.* Illud de ſiluro etiam firmatur ex Aëtio: ut qui tetr. I, ſect. III, cap. CLIX dicat, garum acrimoniâ ſuâ (ut quod vim habeat calidam, ac ſiccam) ſolvere alvum, ſi ei immittatur. Loqui autem ſe ait de garo ex ſiluro. Et ſanè ex hoc etiam piſce feciſſe garum, indicat Cælius Aurelianus lib. II Tardarum paſſionum, cap. I: ubi *garum* ait eſſe *liquamen ex piſce ſiluro confectum.* Nempe variis è piſcibus garum fiebat; ut antè diximus.

Quod verò de jure piſcium Plinius verbis ait adlatis, id firmare eſt ex Dioſcoride lib. II Mat. Med. cap. XXXV: ubi refert, jus piſcium recentium, per ſe ſumtum, vel ex vino potum, ſubducere alvum. Ac, quomodo præparari debeat, ſubjungit. Ejuſdem libri cap. XXXII docuerat idem Dioſcorides, quo pacto ſit gobio utendum, ut alvum ſubducat ἀταράχως *a*. Etiam cap. XXIII dixerat, alvum molliri ſepiæ coctæ atramento. Sunt & iſta Plinii, loco antè indicato: *Solvunt & alvum ſepiæ. In cibum dantur cum oleo, & ſale, & farina decoctæ. Mænæ ſalſæ cum felle taurino illitæ umbilico alvum ſolvunt.*

a Citra perturbationem.

Liparis item, Plinio *b* memorata, alvum ciet pinguedine ſuâ; quæ non modò inteſtinis ineſt, ſed etiam ſub cute; ſic ut cato tota nihil niſi pinguedo eſſe videatur. Et ideo liparis dicitur, quia λιπαρός, hoc eſt, pinguis. Rondeletius ſis adi lib. IX de Piſcibus marinis, cap. VIII; & quæ cap. XXXI dicebamus.

b Lib. 32. cap. 11.

Balani adhæc, ut ait Xenocrates *c* (cujus interpres Raſarius, præter morem veterum pro eo *glandes* dixit) *ſunt ad alvum molliendam accommodati. Succus eorum ſimplex confici non poteſt. At jus decoctorum ad excretionem valet. Qui vero in petris vitam non degunt, acres ſunt, & medicamenti facultatem præ ſe ferunt, & plus ventrem citant, quàm urinas moveant.* Quæ Latine adduximus, quia Græcè nondum prodierunt.

c Fragmento de aquatilibus apud Oribaſium.

Inteſtinis nunc ſubdam, quæ ad podicem pertinent. Nam & hic primæ concoctioni inſervit. Ut Dioſcorides ait lib. II, cap. XVII: νάρκη ἐκτετραμμένην, ἢ προπεπτωκυῖαν (νάρκη θαλασσία) ἕδραν συστέλλει· *Torpedo marina ſedem everſam, vel prociduam, coërcet.*

Calloſas etiam ſedis rimas (Græci ῥαγάδας vocant) ſanat cancrorum fluviatilium uſtorum cinis, cum cerato roſaceo impoſitus: ut apud Dioſcoridem eſt Parabilium lib. I, cap. CCXXI. Medetur & caput mænidum, ac ſmaridum: ut traditum Galeno lib. XI Simpl. Aliud quoque remedium dabit Marcellus cap. XXXI *d*: *Carnes ex capitibus mugilum, ſive mullorum decocta, & cum melle ſubacta, atque impoſita, vitiis ani plurimùm proſunt.*

d Pag. 221. edit. Froben.

Sanguinis per ani venas effluvium αἱμοῤῥοῒς dicitur. Hac ſi opus conducet ſepiæ elixæ ſuccus. Nam & ſanguinem gignit tenuiorem, & per hæmorrhoides excretionem facit.

Cap. XLII.

De vitiis jecoris, ut aquâ intercute: cui medentur cochleæ, cancri, adeps delphini. Ejuſdem doloribus remedium ex ſcorpio marino, & conchis. Item adverſus illius duritiem, centrina. Splenis remedia ex aquatilium variis. Renum medicina ex myacibus; ac veſicæ calculo, ex ſcorpio marino, & lucii maxillis. Eidem etiam mederi calculos, qui reperiuntur in buccho, ſcorpio marino, coracino, aſtaco. Stranguriæ occurri ſcorpione marino, ac cochleis uſtis; uti & ſtillicidiis, aco. Οὐρητικὰ eſſe myas, oſtrea,

oſtrea, pectines, chamas, echinum marinum, pelorides, glycymeridas, atque adeo jus omnium piſcium.

Hinc incipiam agere de alterius concoctionis, digeſtionis, & excretionis inſtrumentis. Ubi primò de hepate videndum, ſanguinis, & venarum principio: mox de veſicula fellis, liene, renibus, uretere utroque, veſica; quemadmodum ſuperiùs recepimus.

Hepatis vitia ſunt quævis intemperies, tumores, obſtructiones. Ab intemperie frigidâ ſunt nutritionis imminutio, quam ἀτροφίαν dicimus: cruenta excretio, quam morbum hepaticum, vel dyſenteriam hepaticam, vocamus: chyli non in ſanguinem, ſed humorem aquoſum, & pituitoſum, converſio, quam appellamus hydropem. His quoque remedia ex aquatilibus data eſſe, oſtendam.

Si metus ſit à pituita craſſâ, ne tranſitus in aquam fiat intercutem; modò curabilis ſit morbus, ex piſcibus proſit edere gobium, callionymum, cuculum, ſcorpium, & ſimiles piſces ſiccos. De quo Hippocratem vide lib. de Affectibus intern. *a* Idem poſtea *b* hepatico in morbo uti jubet γαλαίῳ, νάρκῃ, τρυγόνι, καὶ βατίδι τῇσι μικρῇσι, πᾶσι ἑφθοῖσι· *galeo, torpedine, paſtinacâ, & batidibus parvulis, omnibus coctis.* Eſt autem βατὶς raja femina; ut mas, βάτος: ſicuti etiam exiſtimat Rondeletius lib. XII de piſc. mar. cap. III.

a Sect. 5. pag. 104. edit. VVechel. an. 1595.
b Pag. 109. ejuſdem edit.

Cochleæ crudæ, ſi cum calicibus ſuis imponantur, hydropicorum tumores diſcutiunt: non priùs tamen amovendæ, quam omnem exhauſerint humorem. Ita Dioſcorides lib. II Materiæ Med. cap. XI. Ac Parabilium quoque, quæ Dioſcoridis nomen præferunt, libro primo cap. LXIX; nec non apud Aëtium *c*, adverſus hydropem præſcribuntur cochleæ denæ, carnibus pariter, ac teſtis, contritæ, & impoſitæ, donec, humore ſiccato, quæ antea adglutinatæ erant, decidant. Ad hydropem quoque, præcipuè aſciten, prodeſt, ſi cancri fluviatiles ſiccentur & conterantur, ſine forcipibus, ſive acetabulis, ac cum pauxillo opii, & aquæ, bibantur: ut eſt Dioſcoridis Parabil. lib. II, cap. LXVII. Eoſdem aquæ fluminis, unde educti, miſceri, ac ſic bibi, jubet Aëtius lib. X, cap. XXVI.

c Lib. 10. cap. 29.

Aliud etiam remedium ſuggerit Plinius lib. XXXII, cap. X: *Hydropicis medetur adeps delphini liquatus, & cum vino potus.* Idem firmat, quæ priores de ſcorpio, & conchis, adverſus hepatis dolores ſcripſere. Sic enim ille lib. XXXII, cap. IX: *Jecinoris doloribus ſcorpio marinus in vino necatur, ut inde bibatur. Conchæ longæ carnes ex mulſo potæ cum aquæ pari modo, aut, ſi febres ſint, ex aqua mulſa.* Iſta verò de cochleis antea nobis memorata comprobat Plinius Valerianus lib. II rei medicæ, cap. XV: *Jecori prodeſt, ſi cochleæ Africanæ coquuntur intactæ ex aqua, deinde in prunis torrentur, tunc ex vino, & garo, eduntur impari numero. Proſunt item vivæ cochleæ ex aceto devoratæ.* Sed, de impari numero, quod addit, ſine dubio à ſuperſtitione eſt.

Præterea illitum centrinæ oleum emollit duritiem hepatis, atque etiam corroborat; præcipuè ſi admiſceantur adſtringentia; ut ſunt cyperus, ſpica nardi, abſinthium, ladanum, ſtyrax: ſed tum emollit minùs. Atque hæc ſe expertum ait Rondeletius lib. I de piſcibus marinis, cap. I: *Juvenem*, inquit, *quendam olim, cum, ſcirro hepatis penè confirmato, jam jam in hydropem, omnium judicio, prolapſurus videretur; nos, præter omnium opinionem, medicamento ex oleo hepatis centrinæ, maſtiche, ſpicâ Celticâ, ac modico ſtyrace confecto, curavimus.*

Partim ad jecur, partim ad κύστιν χοληδόχον, hoc eſt, folliculum, fel ex jecore attrahentem, pertinet ἴκτερος, qui Latinis *morbus arquatus*, vel *regius*, vel etiam *aurigo*: quando nempe vel ex intemperie hepatis calidâ & ſiccâ, vel obſtructione folliculi memorati, bilis multa ſanguini miſcetur, & ad cutem propellitur; unde illi color χλωρὸς *d*, ſive luteus. In hoc morbo conducunt, quæ vomitum, & alvum cient: quod qui piſcium præſtent, jam antea diximus.

d Hippocrates lib. 2 de morbis, ſect. 5. pag. 31. edit. VVechel.

In ſplenis morbo ſcorpium, draconem, gobium, cuculum, callionymum, coctos, & frigidos, commendat Hippocr. lib. de affect. intern. Adhæc lieni rhombus conducit impoſitus vivus: ut ait Plinius *a*. Sed quod ait, opus eſſe poſtea in mare remitti, id ſine dubio vanum eſt.

Eidem medetur impoſita torpedo: ut eſt apud Marcellum Empiricum *b*.

a Lib. 32. cap. 9. At ſimiliter Marcellus Empiricus c 23 ſive pag. 165. edit. Frobin.
b Cap 13.

Myaces purgant renes; ut ait Plinius lib. XXXII, cap. IX.

In renum, & veſicæ affectionibus, præcipuè conſiderantur ulcera, calculus, & urinæ incontinentia, vel ſuppreſſio. De primo ſic Plinius Naturalis Hiſtoriæ lib. XXXII, cap. VI: *Oſtrea veſicarum ulcera repurgant.* De altero ita Plinius Valerianus lib. II Rei Med. cap. XXXIX: *Scorpio marinus, in vino necatus, veſicæ vitia ſanat, & calculos pellit: ipſe autem editur, & vinum bibitur.*

Præterea in luciis oſſa maxillarum, in cinerem, aut pulverem redacta, ſi drachmæ pondus aſſumatur, proſunt calculo in urinæ meatibus, ſive id abſumendo pituitam, quæ calculum detinet; ſive hunc deorſum pellendo, fiat. Addunt & cineri iſti pulverem è dentibus apri, & ſtercore murium: atque hæc pro re habent arcana; ut ait Capivaccius lib. III Medicinæ Practicæ, cap. XXVIII.

Imprimis verò adverſus calculum prodeſſe dicuntur calculi varii, qui in piſcibus reperiuntur. Plinius Valerianus de re Medica lib. II, cap. XXXIX: *Inveniuntur etiam in bacchi piſcis capite ceu lapilli. Hi poti ex aqua calculoſis præclare medentur.* Ubi dubium, an bacchos intellexerit ex genere aſellorum; de quibus dictum antea: an ex genere mugilum; de quo ſic Marcellus Empiricus cap. XXVI *c*: *In capitibus piſcium, id eſt, mugilum, aut mullorum, ſpina invenitur cani ſimilis: hæc renibus appoſita, vel alligata, miro remedio eſt.* Itidem in ſcorpione marino ſe res habet. Plinius quoque Valerianus loco ante memorato, de calculo agens: *Lapillus, qui invenitur in ſcorpionis marini cauda, utiliter potatur.* Ac ibidem: *Inveniuntur in brancis capitis piſcis quaſi lapilli, qui poti ex aqua calculoſis præclare medentur.* Ubi pro *brancis* emendo *bacchi*, præeunte Plinio Secundo lib. XXXII, cap. IX *d*. Lumbis, & renibus ſanandis tale eſt remedium apud Sammonicum cap. XXV:

c Sive edit. Frobin. cap. 179.
d Ubi tamen vulgo banchi. Sed bacchi eſt in MSSis. Is piſcis eſt ex aſellorum genere; ut antea dictum.

Aut tres ex vino cochleas ferveſcere coges,
Cumque ſuis domibus franges, piperis quoque grana,
Ter quinque adjicias, potuque juvaberis illo.

Adhæc in capite coracini lapis reperitur utilis nephriticis: quod & Rondeletius *e* ſe ait expertum. Eſt autem is piſcis ſaxatilis, ſic dictus, vel quia colorem habeat τοῦ κόρακος *f*, ut Oppianus *g* putat: vel quia aſſiduè τὰς κόρας κινεῖ *h*, ut eſt apud Athenæum lib. VII *i*. Nec, ſi Dorioni fides, alius eſt ac σαπέρδης, piſcis Ponticus; unde Perſius ſat. V:

Et quid agam? rogitas? ſaperdas advehe Ponto.

e Lib. 5 de piſc. marinis, cap 8.
f Corvi.
g Lib. I Ἁλιευτ. verſ. 133.
h Pupillas movet.
i Cap. 17. ſive pag. 309.

Amni tamen, ac mari, eſſe communem, ait Plinius lib. XXXII, cap. XI.

Adhæc in aſtacorum capitibus lapilli ſunt rotundi, quos vulgus *cancrorum oculos* vocat. Hi, ſi in pulverem triti cum albo bibantur vino, plurimùm conferunt laborantibus calculo: ut Quercetano etiam viſum diætetici ſui polyhiſtorici cap. VII, quod eſt de piſcibus. Atque idem addit, limacum teſtas, quæ terreſtres quidem ſunt cochleæ, ſed marinis naturâ ſimiles) ſi in aceto diſſolvantur, non minorem habere vim expellendi calculum, quàm remedium ex corticibus ovorum, vel lapide Judaico apparatum: quæ tantopere prædicantur.

Nunc venio ad vitia urinæ reddendæ. Ubi peccatur non uno modo; quia plura ſunt, quibus ſit opus ad hanc functionem. Quippe primùm à renibus humor ille corporis ſaccatus, ut vocat Lucretius *k*, à veſica rectis attrahitur fibris: inde ab ea aliquamdiu detinetur fibris obliquis, ne continuò mejere cogamur: denique idem ab expultrice vi veſicæ foras per fibras compellitur tranſverſas. Peccatur verò imprimis, vel incontinentiâ urinæ, vel ſuppreſſione. Incontinentiâ, ut in στραγγουρίᾳ, ſive ſtillicidio. Hoc vitium emendat ſcorpius marinus cum lilii radice: ut eſt apud Plinium lib.

k Lib 4. verſ. 122.

lib. xxxii, cap. ii. Præterea adverſus urinæ incontinentiam proſunt uſta omnia, quia vim habent ſiccandi. Hujuſmodi ſunt cochleæ caro, teſtaque cremata, trita, inque potu data. Ad hæc ῥαφίδα, ſive acum combuſſeris, & cinerem in potu dederis, medebitur ſtillicidio urinæ; ut eſt apud Galenum lib. iii Εὐπορίστων.

Urinam contrà movent μύες, ὄστρεα, κτένες, χῆμαι· *myes, oſtrea, pectines, chamæ*: ut ait Diocles Caryſtius *a* apud Athenæum lib. iii *b* quod & ſuperiùs diximus, cùm de ἀναίμων *c* uſu in re cibaria ageremus.

a Libro de tuenda valetudine.
b Cap. 9. ſive pag. 86.
c Sanguinis expertium.

Echinus item marinus, ut ſtomacho utilis eſt, & bonam facit alvum, ſic urinam etiam ciet: quemadmodum Dioſcorides docet lib. ii Med. Mat. cap. i. Idem tradit Ælianus lib. xiv de An. cap. iv: ac Trallianus cap. de epilepſia. Jubet autem ſumere ex calido aliquo, ſive abſinthite, ſive condito.

Eandem vim habent pelorides. Interea glycymeridas urinam magis, quàm pelorides, ciere, apud Xenocratem legas in eâ fragmenti apud Oribaſium parte, quæ Latinè duntaxat prodit.

Sed quid multis opus? quando, ut ait Plinius lib. xxxii, cap. ix, *Omnium piſcium jus urinas ciet, e vino maxime.* Ac poſtea quoque, cùm varia enumeraſſet, quæ alvum purgent, ait iiſdem vim eſſe exinaniendi veſicas, reneſque purgandi.

Cap. XLIII.

De partium, quæ generationi inſerviunt, morbis, ac remediis: ac duplici iſtorum conſideratione. Unde fit ſuffocatio uteri, eique medicina è phoca, ungue marino, delphino. Carcinomatis vulvæ remedium è cancro fluviatili. Uteri, quatenus generationi dicatus eſt, triplex conſideratio. Menſes cieri polypodiis, ſepiolis, felle ſcorpii marini, cinere marini pulmonis, echinis tuſis, cancris coctis cum lapatho, apio, vel hyſſopo. Eoſdem contrà ſiſti echeneide, & cancris ex aqua potis. Partum educi ope ſiluri, cancri, torpedinis; & quo pacto hæc auxilietur: juvare etiam cochleas, ſi ſuffumiges oculis piſcis ſaliti. Suffitûs e polypo, locuſta, perca, mæna, poſt partum conducibiles. Verendis virilibus remedia ex ſalſamentis, & cochleis. Venerem cieri cochleis, erythinis, jecore ranæ, dente crocodili, hippocampo, nervo rubetæ, polypo, burbaro. Impediri eandem tum felle torpedinis, cujus ratio allata; tum echeneide, & hippopotami pelle.

MEmbra ventris, de quorum morbis diximus, faciunt ad conſervationem individui: ſequuntur illa, per quæ ſpecies perennat. Ut in muliere eſt uterus; in viro teſtes, ac veretrum. Propterea quæ hujuſmodi ſunt, bifariam conſideramus, ut partes viventes, & ut determinatas ad ſpeciei continuationem. Priori modo affectus uteri eſt ſtrangulatio, proveniens ex obſtructione vaſorum ſemen, vel menſtruum ſanguinem, deferentium: unde provenit refrigeratio uteri, ac ejus convulſio, & tandem animi deliquium.

Suffocationi matricis medetur caro vituli marini, juxta Avicennam. Imò Hippocrates ipſe, libro de natura muliebri *d*, cùm graveolentium ſuffitum præſcribit, in iis etiam phocas recenſet. Eâdem de cauſâ hyſtericis proſunt ſuffitus unguis marini: ut docet Dioſcorides lib. ii, cap. x. Ungues vocat εὐώδεις, quod non interpretandum *bene olentes*; ſed gravis, ac vehementis odoris: ut bene ad eum Dioſcoridis locum annotavit Janus Antonius Saracenus. Nec enim bonis odoribus ea vis: & conſtat, unguem marinum quodammodo caſtoreum redolere. Addam & remedium è Plinii lib. xxxii, cap. x: *Delphini adipe linimenta accenſa excitant vulvæ ſtrangulatu oppreſſas. Item ſcombri in aceto putrefacti.*

d Sect. 5. pag. 139. edit. Wecheliana.

Ulcera etiam vulvæ, & quæ hujus generis, pertinent ad communes affectus. Remedium ibidem Plinius tale adducit: *Carbunculos, & carcinomata in mulierum parte, præſentiſſimo remedio ſanari tradunt cancro feminâ, cum ſalis flore contuſo poſt plenam lunam, & ex aqua illito.* Sed de ulceribus universè inferiùs dicetur.

Quatenus autem uterus ad continuationem ſpeciei determinatur, triplicem habet facultatem; unam purgationis menſtruæ, alteram conceptionis, tertiam partus. Purgatio nunc cienda, nunc ſiſtenda. Ad menſes ciendos conducunt bolbidia, ſive polypodia; item ſi ſepiolæ in vino, & oleo coctæ, edantur; ut Hippocrates tradit in ſecundo de morbis muliebribus. Idem eo opere, & lib. de natura mulierum, commendat fel ſcorpii marini lanâ exceptum, & in umbra ſiccatum. Plinii quoque eſt lib. xxxii, cap. x: *Pulmonis marini cinis adalligatus egregie profluvia purgat. Echini viventes tuſi vino dulci poti.* Et poſt aliqua: *Cancri in jure cocti cum lapatho, & apio, menſtruas purgationes expediunt.*

Echeneis contrà, ſive remora, quæ naves ſiſtit, eamque, Plinio *a* teſte *ob cauſſam amatoriis quoque veneficiis infamis eſt, & judiciorum ac litium morâ; hæc crimina unâ laude penſat, fluxus gravidarum utero ſiſtens, partuſque continens ad puerperium.* Idem lib. xxxii, cap. x: *Cancri ex aqua poti* (dicuntur) *profluvia ſiſtere: ex hyſſopo, purgare.* Quare, quòd ſuperiùs, ut vidimus, ciere menſes ait, id non à natura cancri fuerit; ſed eo præparandi modo, quem antè diximus. Atque hoc firmat, quòd Plinius in verbis proximè allatis ait, ex aqua menſes ſiſtere, ex hyſſopo purgare.

a Lib. 9. cap. 25.

Sunt & remedia ad partus continendos. Plin. lib. xxxii, cap. x: *Cancros ex aqua recentes, vel aridos, bibunt ad partus continendos.*

Partum quæ juvent, mortuumve educant, tradit Plinius ibidem: *Siluri*, inquit, *ſuffitu, præcipue Africi, faciliores partus fieri dicuntur.* Ac poſt aliqua: *Cancri ex aqua poti, ſi partus ſtranguletur, auxiliantur.* Et mox: *Hippocrates ad purgationes, mortuoſque partus utitur illis cum quinis lapathi radicibus, cum ruta, & fuligine tritis, & in mulſo datis potui.* Ac poſtea: *Mirum quod de torpedine invenio: ſi capiatur, cùm Luna in Libra fuerit, triduoque aſſervetur ſub dio, faciles partus facere poſtea, quoties inferatur.* Sine dubio eſt id, ut multa in eo alia, ſuperſtitioſum. Quod ſi admota torpedo partum juvet; fuerit ex eo, quòd, naturâ à torpedine ſtupefactâ, dolor non ſentiatur; & hoc pacto, quaſi induciis quibuſdam, firmetur natura.

Illi verò, quod de cancris dictum, ſimile hoc de cochleis apud Serenum Sammonicum cap. xxxiii:

Atque ubi jam certum ſpondet prægnatio fœtum:
Ut facili vigeat ſervata puerpera partu,
Dictamnum bibitur, cochleæ manduntur edules.

Partum quoque accelerat, ſi ſuffumiges oculis piſcis ſaliti: ut Capivaccius tradit lib. iv Medicinæ practicæ, cap. ix.

Varia etiam conducunt à partu. Ipſe enim Cous ſenex lib. i γυναικείων *b*, ut λόχια *c* meliùs fluant, polypis, ac locuſtis, veſci jubet. Eſt & Plinii lib. xxxii, cap. x: *Percarum, vel mænarum capitis cinis admiſto ſale, & cunilâ, oleoque, vulvæ medetur: ſuffitione quoque ſecundas extrahit.*

b De morbis muliebribus.
c Purgamenta poſt partum.

Quemadmodum verò de genitali mulierum parte dicebamus: ita de virili etiam ſtatuendum; eam attendi bifariam, ratione affectûs communis, & particularis. Ad communem pertinet illud Plinii libri xxxii, cap. ix: *Carbunculos verendorum privatim ſalſamenta cocta cum melle reſtinguunt. At teſtem, ſi deſcenderit, cochlearum ſpumâ illini volunt.* Et hoc Sereni Sammonici cap. xxxvi:

Sin autem exiſtit durum tibi glandibus inguen,
Proderit induci cochleas cum melle minutas.

At particularis affectus ſunt, quæ ad partem hanc pertinent, non quatenus eſt pars vivens, ſed quatenus Veneri deſtinatur. Huic quoque rei proſpexit Deus aquatilia condendo. Nam alia ſunt idonea Veneri ciendæ, alia exſtinguendæ. De prioribus ſic Plinius lib. xxxii, cap. ii: *Concitant cochlearum fluviatilium carnes ſale adſervatæ, & in potu ex vino datæ: erythini in cibo ſumti: jecur ranæ diopetis, vel calamitæ, in pellicula gruis alligatum: vel dens crocodili maxillaris annexus brachio, vel hippocampus: vel nervi rubetæ dextro lacerto adalligati.* De erythino, ſive erythrino, favet

Xe-

Xenocrates: qui in fragmento de aquatilibus ait, Venerem ciere, ſi bibatur vinum, in quo erythinus fuerit ſuffocatus.

Polypi quoque eſum ad Venerem conferre, Diocles tradidit libro primo Salubrium, & inde Athenæus lib. VII *a*. Similiter Paulus Ægineta lib. I, cap. XXXV; quod eſt de Venere. In cauſſa eſt, quòd piſcis hic multum nutriat, & ſit flatuoſus, & ſalſugine ſuâ cieat pruritum. Nec ſolùm ea eſt polypodis vis; ſed omnium piſcium mollium; ut Athenæus lib. VII ex Diocle ait, & ex Ruſo Aëtius lib. III, cap. VIII. Dioclis verba ſunt iſta *b*: Τὰ δὲ μαλάκια πρὸς ἡδονὴν, καὶ πρὸς τὰ ἀφροδίσια· μάλιστα δὲ οἱ πολύποδες· *Mollia autem piſces, & ſapore valent, & Venerem juvant: præcipuè polypodes.* Itidem, ut Paullus Jovius lib. de Piſc. Rom. cap. XXXVIII ait, burbarus & ſapore præſtat, & Venerem auget. Eſt verò is Larii ac Mantuani lacus piſcis, Venetis *raynas* dictus, *carpenas* Ticinenſibus, Placentinis atque aliis Padi accolis.

a In piſcibus à n in ſapientibus.

b Loco antememorato: puta Athenæi lib. 7. cap. 19.

Quia verò non omnibus, nec ſemper, conducit Venus: eò & data homini remedia, quæ illam impediant. Sic penis arrectionem prohibet fel torpedinis, ſi bibatur: ut eſt apud Galenum lib. II Euporiſtôn, cap. LXXV. Apud Plinium quoque eſt lib. XXXII, cap. II: *Venerem inhibet echeneis, & hippopotami frontis è ſiniſtra parte pellis in linteolo adalligata, felve torpedinis vivæ genitalibus illitum.* Ubi per *vivæ fel*, recens exemtum intelligi, ſatis apertum arbitror. Quid mirum autem, cùm torpedo (ut Turpilius in Hetæra *c* loquitur) torporandi habeat vim, hoc eſt, torporis inducendi? Etiam homo ſi biberit vinum, in quo ſuffocatus eſt mullus, ad Venerem fit impotens: ut ex Athenæo dicebamus lib. II, cap. XXIX.

c Apud Nonium Marcellum in Torporavit.

CAP. XLIV.

Ad brachia, femora, pedes, acceditur. Uſus unguium, ac remedium ſcabritiei unguis ex alece. Medicina pernioni, & digitorum fiſſuris, ex cancris. Alia item pernioni medicina ex pulmone marino, & oſtreis. Morbi articularis cauſſa gemina: ac ejuſdem remedia ex torpedine, quæ poſterioribus Græcis νάρκη, & quæ cauſſa tantæ facultatis. Obiter de vi ſimili narciſſi, & vocis ejus etymo. Præterea arthritidi prodeſſe cochleas, hirudines, ranas, rubetas, leporem marinum, fibrum, vitulum marinum, centrinam; cujus & etymum memoratum. Iſchiadico morbo remedium ex ſiluri muria, item cochleis è vino.

NUnc ordo exigere videtur, ut à ventris morbis, ac remediis, gradum capeſſam ad conſiderationem eorum, quæ Græci nuncupant κῶλα: ut ſunt rami è vivo corporis trunco exſtantes. Hujuſmodi ſunt brachia è thorace dependentia. Sed præcipuè id nomen, ut Pollux *a* indicat, merentur femora, & pedes. In hiſce nihil, ſi pilos exceperis, abjectius videtur unguibus. Ut quos Natura, ſi Ariſtotelem *b* audimus, non excogitarit πρὸς χρῆσιν *c*, ſicut in animantium aliis; ſed ut eſſent σκέπασμα τῶν ἀκρωτηρίων *d*. Verùm haut dubium, quin ungues non modò ornent, ſed digitos etiam muniant: quod Ariſtoteles ipſe tradidit in primo de Uſu Partium. Scabritiei illorum mederi docet Plinius lib. XXXII, cap. X: *Alex defervefacta unguium ſcabritiem, ciniſque è capite mænarum, extenuat.*

a Lib. 2. cap. 4. ſect. 40.

b Lib. 4. de Partibus Animal. cap. 10.

c Ad uſum aliquem.

d Integumentum extremorum digitorum.

Gravius eſt malum, quod Græcis χίμετλον, quaſi χείμετλον, ἀπὸ τοῦ χειμῶνος *e* vocatur. Latinis eſt *pernio*, quaſi *pternio*, à πτέρνη, *calx*: unde Onomaſticon: *Pernio*, χίμετλον. Exulceratis jam pernionibus, ac rimis pedum, proſunt cancri fluviatiles uſti, melle, aut cerato excepti. Ita Dioſcorides lib. II Mater. Med. cap. XII, & Parabil. cap. CLXXXII, item Aëtius lib. II, cap. CLXXIV. Ubi addit, etiam ſanare digitorum fiſſa, quæ Græcis ῥαγάδες, & ῥήξεις. Præterea memorato Parabilium loco legas, conducere pernionibus pulmonem marinum tritum, ac pro cataplaſmate impoſitum. Adhæc oſtreorum teſtas, admiſto melle, perniones ſanare, eſt apud Plinium Secundum lib. XXXVI, cap. II.

e Ab hieme.

At longè graviſſimum eſt malum podagræ, gonagræ, chiragræ. Sed hæc continentur generali nomine ἀρθρίτιδος *a*: quod & ἰσχιάδα *b* comprehendit. Itaque deinceps veniam ad artus, ſive, ut Græci vocant, ἄρθρα: unde & morbus ἀρθρῖτις, quemadmodum Latinis *morbus articularis*, nominatur.

a Articularis morbi.

b Arthritidem coxendicis.

Morbi hujus cauſſa eſt gemina: una eſt articuli imbecillitas. Articuli autem nomine intelligo non modò oſſis caput, & κοτύλην, ſive γλήνην, hoc eſt, oſſis cavitatem, quod caput, ſive proceſſum alterius oſſis recipit; ſed etiam membranas, ligamenta, tendines; & quicquid natura articulorum gratia fabricavit. Altera cauſſa eſt humor ſuperfluus, qui in articulum receptus vel tenſione, vel calore eo, qui fit præter naturam, parit dolorem. Noxius ille humor, ſi pedes infeſtet, ποδάγρα vocatur; ſi manus, χειράγρα; ſi genu, γονάγρα; ſi coxas, ἰσχιάς: ſin varios occupet articulos, generali nomine ἀρθρῖτις dicitur: ut docet Galenus in III Aphor. comment. XVI, & Aëtius lib. XII, cap. VI.

Podagræ, & omni morbo articulari, prodeſt, ſi torpedo nigra parti dolenti viva imponatur: quomodo Anteros, Cæſaris libertus, curavit hunc morbum; ut eſt apud Scribonium Largum cap. CLXII, & Marcellum cap. XXXVI *c*. Apud Æginetam quoque lib. XVII, cap. XVII, legas, podagram mirum in modum leniri, ſi appoſueris, quo loco dolet, libram remedii diaturpænes: ubi remedium idem intelligitur. Nam Græcè eſt, διὰ τουρπαίνης. Quippe τούρπαινα eſt eadem, ac *torpedo*: imò inde novella Græciæ vox originem traxit. Neque remedium hoc in minuto duntaxat dolore locum habet; ſed etiam in inflammatione. Nimirum ea eſt piſcis illius natura, ut obſtupefaciat, & hoc pacto auferat dolorem: ſicut diximus, cùm de ſedando capitis dolore ageremus. Interea & cocta idem præſtat: ut Trallianus ait lib. XI. Jubet verò cum ea coquere narciſſum: nempe quia βαρύοδμον ἄνθος ναρκᾶν ἐμποιεῖ τοῖς νεύροις. *gravis odoris flos torporem inducit nervis*: ut ait Clemens Alexandr. lib. II Pædag. Quomodo & Plinius ait lib. XXI, cap. XIX, *nervis inimicum, caput gravantem, & à νάρκῃ narciſſum dictum, non à fabuloſo puero.* Ut in eo conveniant torpedo, & narciſſus, quòd νάρκην, hoc eſt, torporem, ſtuporemque, inducant nervis, ſic ut ſenſus, & motus, iis auferatur.

c P. 247. edit. Froben.

Cochleæ quoque, ſi crudæ imponantur, podagricas inflammationes leniunt: ut Dioſcoridi obſervatum lib. II, cap. XI. Ac cap. XXXIX tradit, pulmonem marinum, ſi fuerit recens tritus, auxiliari podagricis. Alia quoque remedia ſuggerit Plinius. Ut lib. XXXII, cap. X: *Hirudines, quas ſanguiſugas vocant, multi podagris quoque admittendas cenſuere. Decidunt capite, & pondere ipſo ſanguinis detractæ, aut ſale adſperſæ. Aliquando tamen adfixa relinquunt capita: quæ cauſſa vulnera inſanabilia facit, & multos interimit: ſicut Meſſallinum è Conſularibus patriciis, cùm ad genua admiſiſſet. Invehunt virus remedio verſo: maximeque rufæ ita formidantur. Ergo ſugentia ora forficibus præcidunt: ac velut ſiphonibus defluit ſanguis: paullatim morientium capita ſe contrahunt, nec relinquuntur.* Idem cap. præcedenti remedium præſcribit è ranis: *In articulis morborum impetus ſedant ranæ ſubinde recentes impoſitæ, quas quidam diſſectas jubent imponi.* De iiſdem, & aliis, hæc antea *d* dixerat: *Podagris, articularibuſque morbis, utile eſt oleum, in quo decocta eſt rana, & ipſius inteſtina, & rubetæ cinis cum adipe vetere. Quidam & hordei cinerem adjiciunt, trium generum æquo pondere. Jubent & lepore marino recenti podagram fricari: fibrinis quoque pellibus calceari, maximè Pontici fibri: item vituli marini, cujus & adeps prodeſt.* Sanè & Galenus in ſecundo Euporiſtôn narrat, ſi calcei geſtentur è corio phocæ (ut & leonis, lupi, vulpis) fore, ut pedes non doleant. Ac ſimiliter Marcellus, ut vocant, Empiricus capite ſexto & trigeſimo *e*: *Vituli marini,*

d Eodem cap.

e P. 246. edit. Froben.

rini, aut, quod melius eſt, bianæ pelle facta calciamenta (ſic rectè Cornarius, non *medicamenta*, expreſſit) *ſi quis in cotidiano uſu habuerit, efficaciter podagræ morbo carebit.*

Κεντρίνη piſcis eſt à κέντροις, ſive aculeis, ſic dictus. Meminere Athenæus *a*, & Oppianus *b*. Oleum ejus illitum medetur morbo articulari: quod experientiâ ſibi compertum tradit Rondeletius lib. XII de Piſcibus Marinis, cap. IX.

a Lib. 3.
b Lib. 7. Ἁλιευτ.

Extremo loco aliquid de morbo addam iſchiadico; qui corruptè vulgo *ſciatica* nuncupatur. Nam & is morbus eſt articularis; quia à podagra, & aliis, non aliter differt, quàm quòd (ut Paulus Ægineta *c* ait) humor hic conſiſtat in compage, & articulo τῷ ἰσχίῳ, ſive coxæ; unde & nomen. Iſchiadicis muria ſiluri infuſa medetur; ut Dioſcorides ait lib. II, cap. XXIX. Similiter Plinius lib. XXXII, cap. IX ait, *iſchiadicorum doloribus dari muriam ſiluri clyſtere infuſam.* Ac favet Galenus lib. XI Meth. ubi refert, muriam ſalſorum piſcium acrimoniâ ſuâ humores coxendici infeſtos attrahere, eoſque evacuare. Serenus quoque Sammonicus cap. XXXVII, quando

c Lib. 3. cap. 73.

—— *Occultus victâ coxendice morbus*
Perfurit, & greſſus diro languore moratur,

jubet,

—— *In Aminæo cochleas haurire Lyæo.*

Quo ex loco colligo, *Aminæa* etiam ſcripſiſſe Maronem in II Georg. non *Tamineæ*: quod eſt apud Verrium, ſive Feſtum. Sanè proprìori etiam lectione ſunt Servius, Philargyrus, Heſychius in Ἀμιναῖον, &, quod habemus gloſſarium Græcum MSum hactenus ineditum.

Cap. XLV.

De morbis corporis externis; ut vulneribus; eorumque ſordibus extergendis remedium e cinere echini marini. Spiculis è corpore extrahendis remedia e ſiluris, & ſepiis. Procælo, ſoloque, vulnera facilius, vel difficilius, ſanari. Aduſtis medicina e cancris, & buccinis. Ulceribus, & carni excreſcenti, prodeſſe echinos marinos eorumque teſtas; item purpuras, buccina, aliaque teſtacea, garum ſiluri, vel alterius piſcis, ipſum etiam ſilurum, caput manæ, cinerem ſepiæ. Adhæc carcinomatis conducere cancros, uti & gangrænæ. Iiſdem carcinomata ſanari ſalſis percarum capitibus: ulcera purgari ſalpe. Carbunculis remedium e coracino, & mullo: tumori e murice, & ſcorpione marino: adverſus epinyctidas medicina ex ichthyocolla. Quomodo differant impetigo, ſcabies, lepra, elephas. Remedium his e cochleis, vitulis marinis, muræna, paſtinaca, hippocampo, delphino. Adverſus cutis maculas, & rugas, remedia è murice, conchyli, ichthyocollâ. Adverſus verrucas, è conchylibus. Pilos attenuari ſepiæ teſtâ. Ψίλωθρα e lepore marino, thunno, ranis, teſtudine, ſcolopendrâ, urticâ marinâ, & ſtellis marinis.

Poſtquam nobis de internis actum corporis morbis, nunc ſeries exigit; ut de externis loquamur. Sed horum aliqui ſunt certæ corporis partis; ut capitis alopecia, colli ſtruma, pedum pernio, manuum pedumque ſcabrities; de quibus diximus. Deinceps videamus de externorum iis, qui vel totius ſint corporis, vel plurium ejus partium. Atque hi vel à cauſſa ſunt internâ, vel externâ. Externa ſunt vel à cauſſâ inanimâ, vel animatâ. Inanimâ; ut gladio, ſclopeto, lapide, igni. Hujus igitur loci ſunt vulnera, & exuſtiones.

Cinis echini marini, cum teſtis cremati, exterget vulnerum ſordes: ut ait Ælianus lib. XIV de Animal. cap. IV.

Cochleæ crudæ, teſtis impoſitæ, ſpicula, & aculeos eximunt: ut eſt apud Dioſcoridem lib. II Mat. Med. cap. XI, & Parabil. libro I, cap. CLVIII. Ubi & legas, ad hoc prodeſſe ſiluri ſaliti carnes. Plinii eſt de hac ipſa aquatilium facultate lib. XXXII, cap. X: *Extrahunt tela corpori inhærentia ſepiarum teſtæ ex aqua, ſalſamentorum carnes, cancri fluviatiles triti, ſiluri fluviatilis (qui & alibi, quam in Nilo, naſcitur) carnes impoſitæ recentes, ſive ſalſæ. Ejuſdem cinis extrabit, & adeps.*

Alia etiam vulnerum remedia legas apud veteres, & juniores. Cujuſmodi ſine dubio ſunt capienda de iis, quæ medicabilia ſunt. Nec enim omne vulnus medicinam recipit: imò aliquod uno eſt loco medicabile, altero non item. Sic dicitur *a*, vulnus omne Florentiæ acceptum in capite eſſe letale; Ferrariæ autem eſſe immedicabile, ſi tibiæ ſit inflictum. Cujus rei rationem arceſſam à diverſò urbis ſitu: quia prout venti calorem, ac frigus; ſiccitatem, vel humorem, adferunt: ita variant corpora, & ejus partes, atque affectus. Hæc de vulneribus.

a Joſephus Quercetanus in Sclopetario. cap. 3. pag. 42. editionis Lipſienſis an. 1614.

De aduſtis ita Plin. lib. XXXII, cap. X: *Aduſta ſanantur cancri marini, vel fluviatilis, cinere; & ea, quæ ferventi aquâ combuſta ſunt.* Similiter juvat buccina ſale expleta, uſtaque in crudo fictili, & ambuſtis, cataplaſmatis more, impoſita, donec in cruſtam induretur, & ſuâ ſponte decidat ambuſtis. Vide Dioſcoridem lib. II de Mat. Med. cap. V, & Parabil. I, cap. CLXXIX.

Hæc de morbis externis à cauſſa externa. Sunt alii ab interna. Nam ſi natura nequeat excernere ſuperflua per meatus deſtinatos: hoc agit, ut regurgitent, vel in glandulas, quæ facilè *b* defluxus recipiunt: (atque huc etiam pertinent χοιράδες, ſive ſtrumæ; de quibus vidimus) vel in articulos, ut in arthritide; de qua item dictum: vel in cutim, ut in ulceribus, tumore, ſcabie, clavo, verrucâ, ac ſimilibus.

b Hippocrates lib. de glandulis.

Conbuta echini marini teſta carnes ulcerum excreſcentium compeſcit: ut eſt apud Dioſcoridem lib. II Mat. Med. cap. I, & Plinium lib. XXXII, cap. I. Integrum verò echinum uri, jubet Galenus in XI Simplic. Ac ſimiliter Oribaſius, Paulus, Aëtius. In Parabilibus Dioſcoridi tributis videas, magnam in talibus vim tribui, nunc echini cineri; ut lib. I, cap. CXX: nunc teſtæ ejus crematæ; quâ ulcera expurgari legas libri ejuſdem cap. CLXXXVII. Idem cap. CIX vim iſtam carnes excreſcentes reprimendi tribuit buccinæ crematæ. Similiter lib. II Mat. Med. cap. IV, & V, aſſignat eam vim tum purpuris, tum buccinis. Deque buccinis idem legas Parabil. lib. I, cap. CCI. Nempe omnibus teſtaceis, ſi urantur, ea eſt facultas: ut ex Paulo, Oribaſio, Actuario, & Aëtio videre eſt. Idem præſtat garum ſilurorum, vel aliorum piſcium: ut legas apud eundem lib. II Mat. Med. cap. XXXIV, ac præcipuè Parabilium lib. I, cap. CCI. Plinii etiam eſt lib. XXXII, cap. X: *Ulcera, quæ ſerpunt, & ex iis excreſcunt, ex capite manarum cinis, vel ſiluri, coercet.* Ibidem habes: *Sepiarum cinis carnes excreſcentes tollit, & humida ulcera.* Eodem capite ait: *Cancri marini cinis uſti carcinomata compeſcit. Ad hoc & fluviatilis ſufficit cum melle, lineàque lanugine. Aliqui malunt alumen melque miſcere cineri.* Paulus itidem lib. IV, cap. XXVI traditum ait Archigeni, cancroſis, ac malignis ulceribus prodeſſe cancros fluviatiles cum cadmia, utriuſque partibus æqualibus tritis, & inſperſis: item cinere cancrorum impoſito unà cum cerato. Uti & eorundem cinerem cum melle gangrænis mederi, legere eſt in Dioſcoridis Parab. lib. II, cap. CCIV. Alia etiam ulcerum tumorumque remedia ſuggerit Plinius *c*, loco jam ſemel iterumque memorato. Verba ponam: *Carcinomata percarum capita ſalſarum efficacius coercent, ſi cineri earum miſceatur ſal, & cunila capitata, oleoque ſubigantur.* De cancris, quæ ſubdit, jam vidimus. Paullo pòſt ait: *Salpe expurgat ulcera in linteolis concerptis.* De echino quod ſequitur, antea dictum. Hinc ſubjungit: *Carbunculos coracinorum ſalſamenta illita diſcutiunt. Item mullorum ſalſamenti cinis. Quidam capite tantum utuntur cum melle, vel coracinorum carne. Muricum cinis cum oleo tumorem tollit: cicatrices, fel ſcorpionis marini.*

c Lib. 32. cap. 10.

Adverſus ἐπινυκτίδας, (puſtulas, ſive ulcuſcula ſubru-

bra,

bra, mucoſam ſaniem continentia, ſic dicta, quia imprimis de nocte hominem excrucient) remedium eſt ichthyocolla, piſcis ſic vocatus à corio, vel ventre, glutinoſo. Ita Plinius lib. XXXII, cap. VII. De multiplici ejus uſu inferiùs agemus.

Varia etiam aquatilia medentur cutis aſperitati, ac prurigini. Sed ut morbus is, ſic remedia variant. De morbo priùs loquar. Si lenior ſit, pruritus vocatur λειχὴν, ſive *impetigo*. Quod malum adeò mite, ut ſanare poſſis, ſi quotidie defrices ſalivâ jejunâ. Sin malum ſic gliſcat, ut cutis in furfures reſolvatur, nominatur propriè ψώρα, ſive *ſcabies*. Quod ſi aſperitas non modò ſummam cutim vitiet; ſed altiùs deſcendat in carnem ſubjectam; nec furfures, ſed ſquamæ, ex cute oboriantur; ab hiſce ſquamis, quas Græci λεπίδας nuncupant, appellatur λέπρα, quaſi λεπρά. Arnobius lib. I *vitiliginem* pro eo dixit. Eſt verò tantus in hac pruritus, ut nec ſcabendo juvetur; ſed eo ſæpe ulcera, & inflammationes, proveniant. Si denique in lepra humor magis uratur, & malignior fiat, ἐλέφας, vel ἐλεφαντίασις, dici ſolet: partim quia homo intumeſcit, ut quodammodo craſſitiem elephantinam referat; ſed præcipuè, quod corium colore, & aſperitate, ob profundas fiſſuras, elephantino fiat corio ſimile. Nunc varia iſtis remedia adferamus.

Omnium cochlearum, tum marinarum, tum terreſtrium, teſtæ crematæ lepras, & vitiligines, extergent: ut legere eſt apud Dioſcoridem lib. II Mat. Med. cap. XI. De ſolis tamen terreſtribus id prædicat Aëtius cap. CXXXII, lib. I, Tetr. IV. Ac ſimiliter Dioſcorides, ſive alius, Parabil. lib. I, cap. CXX, & CXXIX. Sed marinas etiam, imò præcipuè, intellexiſſe videtur Serenus Sammonicus cap. VI:

Pruritus autem ſalſos levat humor aceti,
Sive maris rabidi ſudor, cochleæque minutæ,
Quarum contactu perimetur acerba libido.

Et ſanè teſtæ earum, in quibus & umbilici marini, & neritæ, vim habere expurgandi, arguit excalfaciendi, urendique facultas: ut ex quarum teſtis fiat calx. Unde & cicatrices oculorum corrigunt; ut auctor eſt Bellonius lib. II de Aquatil. cap. X.

A cochleis ad alia venio remedia. Plinius lib. XXXII, cap. VII: *Lichenas, & lepras, tollit adeps vituli marini; muranarum cinis cum mellis obolis ternis; jecur paſtinacæ in oleo decoctum; hippocampi, & delphini, cinis, ex aqua illitus.* Ibidem legas: *Pruritum, ſcabiemque, non hominum modò, ſed & quadrupedum, efficaciſſimè ſedat jecur paſtinacæ decoctum in oleo.* Plinio, Naturalis Hiſtoriæ ſcriptori, ſubdam Plinium Valerianum: cujus hæc lib. II rei Medicæ, cap. LVI: *Græco nomine lichenes appellatur, quod vulgo mentagram appellant: & eſt vitium, quod per totam faciem ſolet ſerpere, oculis tantum immunibus: deſcendit verò in collum, & pectus, ac manus: fœdat cutem; eoſque, qui ſic vexantur, oſculari non convenit; quoniam contactus eorum pernicioſus fore perhibetur. Manlius Cornutus Prætor, provinciæ Aquitaniæ legatus, ducentis in hoc morbo locavit ſe curandum.* Pro quo Plinius Secundus lib. XXXVI, cap. I: *Manilius Cornutus ex Prætoriis.* Varia exinde remedia Valerianus ſubdit: inter alia autem, *delphini jecinoris cinerem ex aqua.* Quod remedium etiam apud antiquiorem Plinium eſt; ut ex verbis allatis antè vidimus.

Hinc ſubjiciam remedia adverſus cutis maculas, & rugas. Plinii eſt loco Hiſtoriæ Naturalis proximè memorato: *Muricum, vel conchyliorum teſtæ cinis, maculas in facie mulierum purgat cum melle illitus, cutemque erugat, extenditque ſeptenis diebus illitus, ita ut octavo candido ovorum foveantur.* Et poſtea: *Ichthyocolla erugat cutem, extenditque in aqua decocta horis quatuor, dein contuſa, colluta, & ſubacta ad liquorem uſque mellis. Ita præparata in vaſe novo conditur, & in uſu quatuor drachmis ejus binæ ſulfuris, & anchuſæ totidem, octo ſpumæ argenteæ adduntur, adſperſâque aquâ teruntur unà. Sic illita facies poſt quatuor horas abluitur. Medetur & lentigini, cæteriſque vitiis, ex oſſibus ſepiarum cinis.* De ſepiæ facultate iſta ſimiliter Dioſcorides lib. II Mat. Med. cap. XXIII.

Sunt & cutis vitia verrucæ, clavi, ſimiliaque: quibus inter alia conchylibus mederi docet Serenus Sammonicus:

Si rupta immenſos fundit verruca cruores,
Purpureo triti cineres de vellere proſunt,
Quod fuerit vero conchyli ſanguine tinctum.

Quod ſi tanti videtur, ut hîc quoque, non dico de capillis, de quibus antea diximus; ſed de reliqui corporis pilis agamus; etiam ex aquatilibus remedia ſunt hos attenuandi, & extergendi. Vim illam habet ſepiæ teſta: ut eſt apud Dioſcoridem lib. I Parabilium, cap. CIII. Sed hic ſimpliciter dicitur σηπίας ὄστρακον *a*: apud Aëtium ve- a Sepiæ teſta.
rò lib. VI, cap. LXV *b* legas pro eo: τὸ τῆς σηπίας (ὄστρακον) κεκαυμένον, καὶ ἄκαυστον *c*. Sepia teſta exuſta aufert varos (ἴονθους.) Dioſcorides cap. CXXIII, & Aëtius cap. XIII Serm. IV Tetrabib. II. Pilis verò denudant pharmaca ex lepore marino, hepate thunni putrefacto, ranarum in viridibus arundinetis agentium ichore, marinæ teſtudinis ſanguine: adhæc oleo ex marinis ſcolopendris, urticâ marinâ, & ſtellis marinis: qua de re Galenus in primo de Compoſit. Medic. ſec. loc. cap. IV, & ex Galeno Actuarius in VI Meth. Aëtius lib. VI, cap. LXIII, Oribaſius lib. IV ad Eunap. cap. VII. Quodque de ſcolopendris dixi marinis, apud Dioſcoridem quoque legas Parabilium lib. I, cap. CIV. Sed hic ſimpliciter dicitur σηπίας ὄστρακον *d*: pro quo apud Aëtium *e* lib. VI, cap. LXV legas, σηπίας ὄστρακα κεκαυμένα *f*.

b Sive pag. 116. edit. Aldinæ.
c Sepiæ teſta & uſta, & non uſta.
d Sepiæ teſta.
e Edit. Ald. pag. 116. a.
f Cremata ſepiæ teſta.

CAP. XLVI.

Alius modus, quo piſces, & alimoniæ proſunt non comeſti, & medicinæ non appliciti foris: nempe quatenus piſces piſcium illicio capiamus. In hoc inſervire homini delphinos, polypos, ſepias. Nec piſces modò piſcibus capi, ſed etiam quadrupedes. Hanc utilitatem præſtare blennum, qui perperam aliquibus blemmus *vocatur. Quæſtio, an pellis phocarum tutos præſtet a fulmine, tangitur ſolùm; quia ſuperiùs de ea actum.*

Vidimus, quantum ex piſcibus emolumentum capiamus, tum cibi cauſâ, in valetudine ſecundâ, tum medicinæ gratiâ, in eâdem adverſâ. Atque hæc princeps eorum utilitas eſt: præter quam altera eſt priori ſubſerviens, tum in menſis, tum in medicamentis. Eſt ea, quòd piſcibus alios piſcium utrumque in uſum venamur. Hoc ex delphinis cognoſcimus, cum homine ſocietatem ineuntibus piſcationis: quam rem ſcitè exponit Plinius lib. IX, cap. VIII. Æliani quoque èſt lib. II de Anim. cap. VIII: Λόγει φασὶν Εὐβοίων, τοὺς ἁλιέας τοὺς ἐκεῖσε τοῖς δελφῖσι τοῖς ἐκεῖθι ἰσομοιρίαν τῆς θήρας ἀπονέμειν. *Sermo hic apud Eubœos percrebuit, piſcatores indigenas cum delphinis partiri piſcium capturam.* Præterea odor piſcium ad alios capiendos confert. Plinius lib. IX, cap. XXX: *Mirè omnes marini* (piſces) *expetunt odorem polyporum: quâ de cauſſa & naſſis illinuntur.* Hoc hauſtum ex Ariſtotelis lib. IV Hiſt. Animal. cap. VIII. Ubi & ſepias, & polypos, ait piſcationi eſſe utiles, quia piſces eorum odore allecti faciliùs capiantur: unde colligit, piſces odorandi habere facultatem. Diximus aliquid de argumento illo libri hujus cap. XIII: nunc ipſum audiamus philoſophum libri IV Hiſtor. Animal. cap. VIII *a*: Καὶ ὅλως δὲ πρὸς τὰ a Secundum diſt. Cæſ. Scal. ſect. 252.
κνισώδη πάντες φέρονται μᾶλλον. καὶ τῶν σηπιῶν δὲ τὰ σαρκία καθιέντες ἕνεκα τῆς ὀσμῆς, δελεάζουσι τούτοις. προσέρχονται γὰρ μᾶλλον. τοὺς δὲ πολύποδας φασὶν ὀπτήσαντας, εἰς τοὺς κύρτους ἐντιθέναι, οὐδενὸς ἄλλου χάριν, ἢ τῆς κνίσης. *Ac omnino omnes ad nidores potiùs feruntur. Unde etiam fruſtula carnis ſepiarum deuſta, odoris gratiâ, objectantes iis, piſces ineſcant. Sic enim faciliùs accedunt. Polypos etiam ajunt aſſatos, nonniſi nidoris gratiâ, retibus indi.*

Pro-

Proſunt quoque venatoribus. Siquidem terreſtres lupi, qui, ut diximus libro III *a*, multimodis in medicina proſunt, capiuntur piſce blenno. Modum oſtendit Diophanes apud Caſſium Dionyſium: ut retuli cap. LXXIII. Ubi & monui *b*, perperam apud eum βλέμμον ſcribi; quamquam & *blemmum* reddidit Cornarius. Omnino enim βλέννος dicendum: ut eſt apud Oppianum in I Ἁλιευτ. Eſtque id nomen contractum ex βέλεννος: prout vocatur Athenæo in VII.

a Cap. 73.
b Ad oram.

Ad medicinam quoque ϖεϱιφυλακτικὴν *c*, partem τῆς ὑγιεινῆς *d*, pertinet, quòd corium marini indutentes vituli reddamur tuti ab ictu fulminis; imò &, ſi currus, quo vehimur, corio iſtiuſmodi fuerit obtectus. Sic quidem Auguſto, & Severo, perſuaſum fuit. Sed quàm infirmo hoc tibicine nitatur, diximus jam lib. tertio cap. VII.

c Præſervantem, ſive quæ præſentem conſervat ſanitatem.
d Quæ tuetur ſanitatem.

Cap. XLVII.

Ex piſcibus uſus, & ſæpius luxus, in veſtibus purpureo tingendis colore; item in margaritis. De margaritis prius dictum: ubi expoſitum unionis, & margaritæ ἔτυμον: & cur etiam χάλαζα vocetur. Concham, *&* margaritam, *differre. Concha Tertulliano maris* poma: *margarita autem potius conchæ vitium, quàm decus. Quæ conchæ ſint margaritiferæ. Ex veterum opinione margaritas naſci ex rore: ſed ſententia hæc refellitur. Conchæ aliæ ἐμβύθιοι, aliæ ἀναφερεῖς. Ut, judicio veterum, margaritæ gliſcant tonitru, fulgetro decreſcant. Oſtrea dicta* Nereidos tubera. *Hinc itum ad tincturam. Conchylii vox πολύσημος. Conchyliatæ, & purpureæ veſtis diſcrimen. Hodie purpureum colorem eſſe ab herbis: ſed fuiſſe olim ab aquatilibus, quæ enim in mediis haberent faucibus.* Trachalus *quid, &* μύκων. *Fullonis, & tineæ commoda in eluendis veſtium maculis: conchæ porcellanæ uſus in poliendis linteis; uti & chartis.*

DEinceps aperiam, quantum utilitatis adferant piſces extra ea, quæ ad alimoniam, ac medicinam, pertinent. Ac primùm quis crederet, eos etiam prodeſſe ad rem veſtiariam? Variè tamen juvant; vituli marini corium eſt veſtium materies: de quo Rondeletius: præcipuè verò tincturâ veſtium, & margaritis. Utrumque complexus eſt Plinius lib. IX, cap. XXXV: *Sed quota hæc portio eſt reputantibus purpuras, conchylia, margaritas!* Ubi duo priora ad tincturam referri, ſatis eſt apertum. Subjungit deinde, quæ oſtendant, (ut omnium, quorum eſt uſus, etiam eſt abuſus) non ſolùm valere ad uſum, ſed etiam ad luxum: *Parum ſcilicet fuerat, in gulas condi maria; niſi manibus, auribus, capite, totoque corpore, à feminis juxta viriſque, geſtarentur. Quid mari cum veſtibus? Quid undis, fluctibuſque, cum vellere? Non rectè recipit hæc nos rerum natura, niſi nudos. Eſto, ſit tanta ventri cum eo ſocietas; quid tergori? Parum eſt, niſi qui veſcimur periculis, etiam veſtiamur. Adeò, per totum corpus, animâ hominis quæſita maxime placent.* Ac poſt aliquammulta: *Quin & pedibus, nec crepidarum tantùm obſtragulis, ſed totis ſocculis* (margaritas) *addunt. Neque enim geſtare jam margaritas, niſi calcent, ac per uniones etiam ambulent, ſatis eſt.* Hæc tum de margaritis, tum purpureâ ac conchyliatâ veſte, aliquanto pluribus explicabimus. Dicam prius de margaritis, ut Tertullianus *a* ait, *vel ipſo nomine pretioſis.* Latini *uniones* vocant, non quia nunquam duo ſimul reperiantur; ut Solino *b* proditum, & Iſidoro *c*: verùm, quia, ut melius ait Plinius *d*, *nulli duo reperiantur indiſcreti.* Margaritæ verò vocabulum, ſi Euſtathium *e* audimus, fuerit à μαίρειν, unde ἀμαμαρύσσω *f*. Sed credibilius eſt, unde res ipſa, (à barbaris puta) inde etiam vocabulum eſſe acceptum. Nempe à Perſis, vel Indis: etſi hi conchas, in quibus margarita foret, βέϛϵϱα vocarint; ut Androſthenes *g* tradit apud Athenæum *h*. Exiſtimet aliquis, hæc eo quoque firmari, quòd Thargum Hieroſolymitanum habeat מַרְגָלִיתָא Exodi XXVIII. Sed fortaſſe vox ea Magiſtris illis, ut aliæ innumeræ, à Græcis fuit. His dicitur, tum μαργαρίτης, quia intelligitur ὁ λίθος, tum μαργαρῖτις, quia intelligitur ἡ λίθος. Dicitur & ἡ μάργαρος, & τὸ μάργαρον: junioribus etiam χάλαζα, quia referat grandinem porcinam *a*, h.e. albas illas carnis grana. A conchis, in quibus naſcitur, clarè etiam diſtinxit Tertullianus libro de Habitu muliebri cap. VI: *Siquid de mari Britannico, aut Indico, ambitio piſcatur, conchæ genus eſt, non dicam conchylio, aut oſtreo; ſed nec peloride gratius de ſapore. Ad hoc enim conchas noverim maris poma. Quod ſi concha illa aliquid intrinſecus puſtulat, vitium ejus magis debet eſſe, quàm gloria. Et licet margaritum vocetur; non aliud tamen intelligendum, quam conchæ illius aliqua dura & rotunda verruca.* Ferunt autem margaritum pinnæ, pectines, myaces: item μαργαρόμητρα, ſive, ut vocant, perularum mater: quæ pectinem magis refert, quàm pinna, ac facie exteriori ſcabritiem habet, & rugas.

a Lib. de Pallio c. 5.
b Cap. 20.
c Lib. 16. Orig. c. 10.
d Lib. 9. cap. 35.
e In Il. α, pag. 80. edit. Rom. & alibi.
f Splendere
g In navigatione Indica
h Lib. 3. cap. 13. ſive p. 93. edit. Commel.

a Athen. lib. 3. cap. 13. ſive p. 93.

Conchas ſe aperire, ac claudere, ſatis conſtat: unde & μύες ἀπὸ τῆ μύειν *b* vocatæ. Ajunt verò, noctu pandi, ut ex Lunari adſpergine, hoc eſt, rore, concipiant, atque puro illo, & pellucido humore indureſcente, parere candidum illum lapillum, quem *margaritam* dicimus. Hæc ſententia Plinii eſt, & exinde Solini, atque ex eo Ammiani Marcellini. Sed ut illud de terreſtribus conchis verum ſit (de his id Symmacho proditum) falſum tamen fuerit de marinis: ut vel illud argumento eſt, quòd cùm, teſte Iſidoro Characeno *c*, concharum aliæ ſint ἐμβύθιοι, quæ in fundo degunt, aliæ ἐπιπλάζονται καὶ ἀναφερεῖς, quæ in ſummo mari deferuntur, ac natant: minores ſint, quæ fluitant in maris ſuperficie. Scio, quid reſpondeant, tantum conchis eſſe prudentiæ, ut fundum petant, ſimulac conceperint. Sed obſtat, quòd conchæ maximas habentes margaritas creentur in profundo: taleſque non vagentur, ſed adhæreſcant fundo: ita ut ſæpe opus ſit urinatores mergi ad XX orgyarum altitudinem: ſicut idem ait Iſidorus. Quare multò eſt credibilius, ex eâdem materie & animal gigni, & lapillum: ſed hunc creari ex humore puriori, ac magis perſpicuo. Creſcente animali, creſcit quoque lapillus, ſive os malis. Nam utroque modo veteres loquuntur. Si fulguret, fieri minores, traditum eſt Plinio lib. IX, cap. XXXV: ut alibi quoque diximus. Id fieri ait pro jejunii modo. Sed tonitru majores potiùs reddi, cenſet idem: uti & Characenus Iſidorus *d*. Nempe imbris beneficio tonitru conſequentis: propter quam cauſſam tubera quoque tum fiunt *e* grandiora; ut expoſuimus libri III, cap. VII. Poſſis idcirco eleganter vocare *maris tubera*; ut Matron parodus *f* oſtrea nuncupat. Ejus enim verſus ille apud Athenæum *g*:

Ὄςρεα τ' ἤνεγκε Θέτιδος Νηρῆϊδος ὕδνα *h*.

b Ab occludendo.
c In deſcriptione Parthiæ, apud Athenæum lib. 3. cap. 14. ſive pag. 94. edit. Commel. & Lugdun.
d Eodem Athenæi libro p. 93.
e Plutarch. l. 4. Sympoſ.
f In Cæna.
g Lib. 2. cap. 21. ſive pag. 62. edit. Commel.
h Oſtrea tulit, Thetidos Nereidos tubera.

Ac non diſſimili tralatione *maris poma* appellavit Tertullianus, lib. de habitu muliebri cap. VI. Verba ipſa ſuperiùs adduximus.

A margaritis venio ad tincturam. Plinio lib. IX, cap. XXXVI duo ſunt genera turbinatorum, florem illum continentium tantopere tingendis veſtibus expetitum: uni nomen *purpura*; alteri *buccino*. Ambo laxè accepto *conchyliorum* nomine continentur: ſed quandoque vocabulum *conchylii* ſumitur ſtrictiùs: ut cùm Dioſcorides jungit τὸ κογχύλιον, τὴν πορφύραν, καὶ τὸν κήρυκα. *conchylium, purpuram, buccinum.* Interdum & buccinum ſolum *conchylii* nomine intelligitur: quomodo eædem ſint *veſtes conchyliatæ*, & quas Maro *i* appellat *Tyrio murice infectas.* Hoc pacto opponi ſolent veſtis *conchyliata*, & *purpurea.* Nempe apud Romanos tic uſus erat, ut conchyliatus color eſſet dilutior, ac pallidior: purpureus vegetior, florentiorque. Qualis Tyrius, ut idem Plinius ait) *concreti ſanguinis nigricans adſpectu, idemque ſuſpectu refulgens.* Hoc colore quia bis veſtis tingeretur, *Tyrium dibaphum* dixere. Hodie

i 4 Æn.

tam

tam purpureus, quàm conchyliatus color, non eſt à liquore purpuræ, ſed ab herbis: de quo ſuo videbimus loco. Olim verò iſte honos erat aquarum, & piſcium: unde B. Ambroſius Hexaëm. lib. v, cap. 11 *Quid etiam purpuras memorem, quæ ornant regum convivia, amictus imbuunt? Aquarum eſt igitur, quod in regibus adoratur.* Ubi aquarum appellat honorem, quia & purpura, & buccinum, ſint aquatilia. Locum, quo liquorem illum contineant, indicat Ariſtoteles *a* his verbis: Τὸ δ' ἄνθος ἔχουσιν ἀνὰ μέσον τοῦ μήκωνος, καὶ τοῦ τραχήλου. Pro eo ſic Plinius lib. ix, cap. xxxvi: *Purpuræ florem illum tingendis expetitum veſtibus in mediis habent faucibus.* Nimirum fauces inter eas ſunt partes, quas Ariſtoteles τράχηλον vocat, & μήκωνα. Priori vocabulo ſignificatur cervix, ſive partes ſuperiores; quas Latini etiam *trachalos*, Feſto teſte, dixerunt. Poſteriori ſignantur partes inferiores, ac fibratæ, tenui quadam lanoſitate veſtitæ. Mox de loco eodem ſubdit Plinius: *Liquoris hic minimi eſt in candida vena: unde pretioſus ille bibitur, nigrantis roſæ colore ſublucens.* Plura inibi; inter alia de purpureæ veſtis uſu; ut in conſulari dignitate, in ætate prætextata, in ſenatoria dignitate, cujus togæ latus intexebatur clavus purpureus; quo pacto ab equitibus diſtinguebantur: item quod purpurati ſacrificarent; & in triumphantium veſte aurum miſceretur: quod vel ex Æmilii Paulli apud Livium *b* triumpho dilucet. Poſtea de conchyliorum tinctura addit: *Sed unde conchyliis pretium? quis virus grave in fuco, color auſterus in glauco, & iraſcenti ſimilis mari?* Paullo pòſt de buccinis ſubdit; ex quibus ipſis etiam liquor colligitur utilis tingentium officinis: quod abunde ex ſuperioribus intelligere fuit. Plura item de his tribus refert cap. proximo, nec non tribus ſeqq.

Ad hunc margaritarum, & purpuræ uſum tertius accedat: quòd decocto fullonis, qui Græcis ſimiliter γναφεύς, maculæ veſtium eluuntur; ut Dorion tradit apud Athenæum *c*. Ψύλωνα vocari ajunt ab Ariſtotele *d*. Eandem vim habet tinca. Quo uno, ut videtur, impulſus Bellonius *e*, tincam Auſonii *f*, quæ Italis hodieque *tenca*, ψύλωνα, ſive γναφία, eſſe exiſtimavit. Sed ficulnum verè eſt hoc argumentum. Quippe eadem vis eſt aliis non paucis: ut ichthyocollæ, & id genus piſcibus glutinoſis. De tinca quod dixi, firmat Cardanus lib. vii de Rerum Varietate, cap. xxxvii: *Tincarum decocto maculas omnes tolli exiſtimant; quoniam lentum ſit, ac viſcidum; unde materiam maculæ ad ſe trahat.*

Eſt & quarta in re veſtiaria utilitas. Nam conchis, ut vocant, porcellanis utuntur vulgo ad polienda lintea, quia nihil in iis aſperum: unde & uſus eorum in chartæ politura. Videntur eſſe conchæ, quas veteres dixere *Venereas*. De his jam ante egimus. Adi & Bellonium lib. ii de Aquatilibus, cap. x.

a *Lib. 5. Hiſt. Animal. c. 15.*

b *Lib. 45.*

c *Lib. 7. cap. 12. ſive Commel. edit. p. 297.*

d *Lib. 6. Hiſt. Anim. c. 14. Sed H. Stephanus in Theſauro putat, Th. Gazam ibi ψύλωνα l. γναφέα, qui a fullonem vertat. At Caſ. Scal. Comm. in Ariſtotelis locum indicatum (eſt is ſect. 161) negat ſe ſcire, quis piſcis ſit, quippe nec Plinio, nec Athenæo, nec aliis memoratus.*

e *Lib. 1 de Aquatil. cap. 17.*

f *In Moſella.*

Cap. XLVIII.

Uſus piſcium in ædium ſtructura, ac re fabrili. Gedroſis ædium poſtes ſunt ex maxillis cetaceis. Quis Romanorum primus teſtudinis teſtâ veſtierit lectos, & repoſitoria. Conchylium uſus ad cochlearia. Glutinum ex ichthyocolla, tum ventre, tum pelle: ac ſuper priori lectio Dioſcorides defenſa. De variis ejus appellationibus apud Germanos. Squatinæ utilitas ad polituram. Quouſque pompilus naves adſectetur: & ut nautæ ex hoc piſce colligant, ſe litori appropinquare. Eoſdem præſagire tempeſtatem ex echinometra, ac delphino: & ratio ejus rei allata. Piſcem nomine lucernam *noctu lucem de ſe jaculari, multorumque id piſcium oculos facere. Prælucere etiam baculum, cui marinum affricueris pulmonem.*

AB re veſtiaria venio ad ædificia, eorumque partes, & inſtrumenta domeſtica. His aquatilia trifariam inſerviunt. Partim enim materiam exhibent, partim eam jungunt, partim poliunt. Primi generis eſt cetaceorum uſus in extruendis ædificiis apud ichthyophagos, inter Carmanos, & Oritas, ſitos: de quibus id narrat Strabo in xv. De Arbiis refert Plinius libro ix, cap. iii: *Gedroſos, qui Arbin amnem accolunt, Alexandri M. claſſium præfecti prodidere, in domibus fores maxillis belluarum facere, oſſibus tecta contignare: ex quibus multa quadrigenûm cubitorum longitudinis reperta.* Nec barbaris ſolùm materiem præſtant: ſed Romanis etiam, ac Græcis, præcipuè ad lectos, repoſitoria, & ſimilia. Plinius lib. ix, cap. xi: *Teſtudinum putamina ſecare in laminas, lectoſque, & repoſitoria his veſtire, Carbilius Pollio inſtituit, prodigi & ſagacis ad luxuriæ inſtrumenta ingenii.* Vide eundem lib. xvi, cap. xliii. Hinc Juvenalis ſat. xi:

Qualis in Oceani fluctu teſtudo nataret,
Clarum Trojugenis factura ac nobile lucrum.

Et Martialis lib. xii, epigr. liv:

Gemmantes primâ fulgent teſtudine lecti.

Ac ſimiliter Lucianus, & qui eum expreſſit, Appulejus; uterque de aſini metamorphoſi: illius eſt; Κλίνη ἦν μεγάλη ἀπὸ χελώνης Ἰνδικῆς. Hujus autem; *Lectus Indicâ teſtudine pellucidus.* Ex quibus Juſtus Lipſius lucem fœnerabat iſtis Senecæ verbis lib. vii de Beneficiis, cap. ix: *Video elaboratam ſcrupuloſâ diſtinctione, & fœdiſſimorum pigerrimorumque animalium teſtas, ingentibus pretiis emtas: in quibus ipſa illa, quæ placet, varietas ſubditis medicamentis in ſimilitudinem veri coloratur.*

Hodie quoque ex conchis margaritiferis cochlearia faciunt, & pocula.

Alterum ſtatuebamus uſum in jungendis inſtrumentis domeſticis. Hinc Ariſtoteles lib. iii Hiſt. Animal. cap. xi *a*, cùm dixiſſet preſſo, & macerato tergo bubulo, gluten elici; addit, hoc alicubi etiam fieri è piſcibus. Non nominat piſcem: ſed hoc facit Dioſcorides: qui tamen non de cute id ſcribit, ſed ventre. Verba ejus ſunt lib. iii, cap. cii: Ἡ δὲ ἰχθυόκολλα λεγομένη κοιλία ἐστὶν ἰχθύος κητώδους. *Ichthyocolla quæ dicitur, venter eſt piſcis cetacei.* Scio, Marcellum Virgilium in antiquo codice pro κοιλία repperiſſe κόλλα *b*: quomodo & legendum ſuſpicatur Rondeletius lib. ix de piſcibus marinis, cap. xiv, quod eſt de molva. Sed enim placet vulgata lectio, propter auctoritatem Plinii lib. xxxii, cap. vii ſic ſcribentis: *Ichthyocolla appellatur piſcis, cui glutinoſum eſt corium: idemque nomen glutino ejus. Quidam ex ventre, non è corio, fieri dicunt ichthyocollam, ut glutinum taurinum.* Nimirum nihil prohibet, quo minus & ex corio, & è ventre, glutinum pararint. Ponticam ichthyocollam præcipuè commendant Dioſcorides lib. iii, cap. cii, & Plinius lib. xxxii, cap. vii. Germanis, ad quos è Danubio etiam ſexcentarum advehitur librarum, dixere *hauſſen*, quia magnitudine domum exiguam refert. Indeque glutinum ejus vocatur *hauſzleim*, id eſt, huſonis glutinum; ac generali vocabulo *fiſchleim*, hoc eſt, piſcinum glutinum; item *mundtleim*, hoc eſt, orale glutinum: quia ore madeſit, ut faciliùs conglutinet. Cæterùm non hanc utilitatem fabris modò præſtat lignariis; ſed etiam artificum aliis: ut in emplaſtris, inſtrumentis muſicis, chartis.

Tertium ſtatuebamus uſum in domeſticorum inſtrumentorum politurâ. Huc facit ſquatina: de qua ſic Bellonius lib. i de Aquatilibus, cap. viii: *Hujus pellem piſcatores Itali prius glubunt, quàm foro exponant. Ea enim aſſulis diſtenta, & exſiccata, fabris lignariis ad opera perpolienda, ut & caniculorum apud nos pellis, utilis eſt.* Sed veteres potiùs audiamus. Plinius lib. ix, cap. xii: *Aquatilium tegumenta plura ſunt: ſquamis, ut piſces; aſperâ cute, ut ſquatina; quâ lignum, & ebora, poliuntur.* Atque ad hunc locum attendens lib. xxxii, cap. ix: *Prodeſt per ſe ſquatinæ piſcis cutis combuſta. Hæc eſt, quâ diximus lignum poliri: quia & è mari fabriles uſus exeunt.* Et hæc de uſibus, ut Plinius hic vocat, fabrilibus; ac propriè in ædificiis.

a *Sed ex diſt. Caſ. Scal. c. 10. ſect. 128.*

b *Gluten.*

Poſt eos videndum, ut uſui ſint nautis. Nam & ναυπηγικὴ eſt inter artes fabriles, ac navis eſt æquoreum domicilium. Et quomodo non in aquatilibus vel maximè rationem habeamus nautarum, qui in aquis degunt; à quibus etiam, ut & piſcatoribus, aquatilium naturam, ac commoda, præcipuè accepimus?

Pompili magno uſui ſunt nautis, quia, quaſi navium cuſtodes, & ſervatores, eas comitantur, non quidem in portum uſque, quod Nicolaus Leonicenus *a* refert; ſed donec terram è longinquo præſentiant. Itaque quo propiùs ad litus acceditur, eò ſegniùs comitantur. Vide Ovidium in Halieuticis, Plinium lib. XXXII, cap. ult. Ælianum lib. II de Anim. cap. XV: &, qui multa adeò ex Æliano carmine reddidit, Oppianum, lib. IV de Piſcatione *b*: etſi de hoc ipſo agens Geſnerus dicat, Ælianum ſua ex Oppiano exſcripſiſſe. Sed eum, ut alibi oſtendi, ætas amborum ſatis refellit. Nec tanti erat id repetere hoc loco; niſi plerique, hoc argumentum poſt Geſnerum tractantes, alienum errorem facerent ſuum. Porrò iſta pompili erga navigantes affectio occaſionem præbuit fabulæ de Pompilo nautâ, vel piſcatore Icario, in piſcem ſui nominis converſo; ut retulit ex Apollonio Athenæus *c*. Sed & Ælianum *d* vide ſis, & Euſtathium in Homerum *e*.

a Variorum lib. 3. cap. 9.

b Verſ. 188. & ſeqq.

c Lib. 7. cap 7. ſive pag. 283.

d De animalibus lib. 15. cap. 23.

e In Odyſſ. N. p. 1737. edit. Rom.

Alium quoque nautis, & piſcatoribus, uſum piſces præbent: ut qui imminentem ex iis colligant tempeſtatem. Plinius lib. IX, cap. XXXI: *Tradunt ſævitiam maris præſagire* (echinomettas) *correptiſque opperiri f lapillis, mobilitatem pondere ſtabilientes. Nolunt volutatione ſpinas atterere: quod ubi videre nautici, ſtatim pluribus anchoris navigia infrenant.* Ejuſdem ſunt iſta lib. XVIII, cap. XXXV: *Delphini, tranquillo mari laſcivientes, flatus, ex qua veniunt parte, præſagiunt: item, ſpargentes aquam turbato, tranquillitatem.* Cauſſa horum videtur, quòd piſces in aquis etiam immutationem aëris perſentiant: hinc ſe agitent, & ſæpius oſtendant. Quid mirum? quando ſimilia in hominibus videmus præſagia. Sic cum laterum, vel thoracis dolore conflictantes, ex hoc colligunt ventos inſtare ſeptentrionales. Et arthritici, vel morbo afflicti Neapolitano, ſeu Gallicum vocare malis, ex capitis, vel articulorum dolore, colligunt flatum imminere auſtrinum.

f Sic reſcribo ex MSo, & veteri edit. Parmenſi. Opperiri nempe vales exſpectare. In alus eſt operaris quod probare non poſſum.

Nautis inſuper aëra illuminat piſcis ex eo dictus *lucerna*. Plinius lib. IX, cap. XXVII: *Subit in ſumma maria piſcis ex argumento appellatus lucerna, linguâque igneâ per os exerta tranquillis noctibus relucet.* Sed de linguâ parum eſt credibile, quando ea piſcibus explanata eſt; ut docet Ariſtoteles in ſecundo de Partibus Animal. Eoque argumento Plinium etiam Gillius impugnat. Rondeletius *g* cenſet, piſcem eſſe eundem, ac Plinii milvum. Oculos is habet rubeſcentes; linguam item, palatum, aliaque interioris oris rubra; imò ſandaracham, vel cinnabarim, vincentia: quibus ſic partibus lucet, quaſi ore teneat carbones. Sed & oculi eò conferunt, quos habet rubeſcentes. Quoſdam ſanè piſces oculis noctu lucem jaculari, teſtis Plinius lib. XI, cap. XXXVII: *Quin & in tenebris multorum piſcium* (oculi) *refulgent, aridi ſicut robuſti caudices, vetuſtate putres.* Sic locus iſte eſt diſtinguendus.

g Lib 10. de piſc. mar. c. 8.

Aliter etiam conducunt piſces aëri navigantibus illuminando. Idem Plinius lib. XXXII, cap. X: *Pulmone marino ſi confricetur lignum, ardere videtur; adeo ut baculum ita præluceat.*

Cap. XLIX.

Afros è θολῷ ſepiæ; ſed Romanos, & Græcos, è fuligine fornacium, & balnearum, atramentum feciſſe, quo ſcriberent. Cochlearum uſus in oleo decapulando, ac hauriendo. Oleum ex hepate factum cartilagineorum piſcium, vel adipe balænæ. Sepiæ atramento lucernis indito, adſtantes videri Æthiopes. Concha pictoribus hodieque pro vaſculis pigmentariis. Pro tuba piſcis temporibus conchæ uſus erat. De oleo vermis Indici, quod exſtingui nequeas, & propterea à regibus Perſarum uſurpetur in urbibus expugnandis; ſi Cteſiæ fides. Uſus aquatilium in ſuffragiis, menſuris, flagellandis pueris, plectendis adulteris. Abuſus eorundem ad equorum venditionem fraudulentam; item philtra, & magicas præſtigias.

VEnio ad commoda illa, quæ omnes prope homines tangunt; ſed præcipuè deditos literarum ſtudiis. His maximus eſt chartarum uſus, & atramenti, & olei, dum nocturnis eos impalleſcere chartis juvat. Sed de charta, ut ea & ichthyocollâ conglutinetur, & concha poliatur, aliâ paullo antè occaſione dicebamus. Alterum præſtat ſepia excremento ſuo, quod Græci μέλαν, Latini *atramentum* vocant. Nam licet Romani, & Græci, ex fornacium, balinearumque fuligine, atramentum facerent; ut cognoſcere eſt ex Plinio lib. XXXV, cap. V, & Dioſcoride lib. V, cap. ult. Afri tamen ex excremento, ſive nigro, & glutinoſo humore in veſica, ſive membrana ſepiæ latente (Græci humorem eum θολὸν nuncupant ἀπὸ τοῦ θολοῦσθαι *a*) atramentum ſcriptorium conficiebant: quemadmodum vetus annotavit interpres ad illud Perſii ſat. III:

a Turbidum eſſe.

Nigra quòd infuſa vaneſcat ſepia lymphâ.

Ubi poëta iccirco *ſepiam* μετωνυμικῶς pro quovis poſuit atramento. Puto, & ideo in veteri epigrammate, (quod inter alia in veteribus nobiliſſimi Salmaſii membranis compârет) geminum illi uſum tribui: unum in cibis, alterum ſcriptionis. Epigramma id hujuſmodi eſt:

Femineo geminum deſignat nomine ſexum,
Et candens piceum ſepia claudit onus.
Utilior nullus piſcis per cærula oberrat,
Cui pretium capto debuit eſſe duplum.
Præſtat carne cibos, apicum dat felle figuras;
Atque brevis ſpecie. b *uſum ad utrumque facit.*
Hanc potius doctis apponere convenit eſcam,
Quæ ſapit in morſu c, *& probat articulos.*

b Nulla hic eſt eliſio: cujus rei multa ſunt exempla ſimilia in veteribus epigrammatis à Puteano congeſtis, & editis.

c Nec hic uſum elidere. Aliqui ſcripſeris, & quæ.

De ſepiæ ſucco vide Salmaſium epiſt. II de Cruce ad Bartholinum pag. 483, & 484.

Porrò non ſolùm ſepiæ ineſt atramentum (ſic etiam Cicero eum vocat humorem in II de Nat. Deorum) ſed mollibus cunctis; ut Ariſtoteles ait *d*: qui & ipſe θολὸν nominat, & ab iis in metu ait effundi, ut infuſcatâ aquâ occultentur. De loligine quidem id manifeſtum: unde ejus ſuccum pro animi livore, ut *æruginem* pro *veneno*, dixit Horatius *e*: quemadmodum Porphyrio interpretatur hunc locum:

—— *Hic nigræ ſuccus loliginis, hæc eſt*
Ærugo mera. ——

Sed utrùm, ut ſepiæ, ſic etiam loliginis ſucco, in ſcribendo uſi ſint Afri, vel populorum alii, non facilè dixero.

d Lib. 4. Hiſt. Anim. c. 1.

e Lib. 1. ſat. 4.

Ad oleum variè aquatilia proſunt. Primùm in conficiendo illo ex olivis, vel ſeminibus cannabis, lini, raporum, vel etiam è nucleis. Cochleæ enim, & myacum teſtæ, uſui ſunt ad decapulandum oleum, vel hoc illis hauriendum: ut eſt apud Dioſcoridem lib. I Med. Mat. cap. XXXVIII, & Plinium lib. XXXII, cap. XI.

Præterea ex aquatilibus etiam oleum fit: ut ex hepate cartilagineorum. Eo quippe non ſolùm inunguntur ægri: ſed uſus etiam eſt in lucernis. Rondeletius lib. III de Piſc. mar. cap. XIX: *Cartilagineorum hepar pingue eſt, ut liqueſieri poſſit, & in oleum reſolvi, quo in multis affectibus frequenter uſi ſumus: eſt ad lucernas utile.* Adhæc balænæ adeps pro oleo eſt; eò quòd non concreſcat. Propterea Itali vocant *capidolium*; ut Bellonius tradit lib. I de aquatil. cap. III. Eſt de hoc belluæ marinæ uſu inſignis locus in vita S. Philiberti abbatis, à monacho Gemmeticenſis cœnobii ad abbatem Coſchinum, ac fratres ſcripta *f*: *Habent illic & ſuum è marinis belluis ſolatium, vel compendium: quod mirum* ſanè

f Apud Surium in vitis Sanctorum ad 20. Auguſti.

ſanè eſt, & à ſeculo inauditum. Uncis enim, retibuſque, & ratibus capiunt piſces maris, longos pedes quinquaginta: ex quibus non ſolum eſcas ſibi parant Fratres: ſed etiam pinguedine illorum fovent lucernas. Faciunt hoc merita Sancti Philiberti, & multorum aliorum illic quieſcentium ſanctorum Fratrum, qui fideliter Domino ſervierunt, & tempore pacis cum Chriſto Cruci affixi, ſuâ voluntate martyrium obiere. Et multò pòſt: *Alio quoque tempore, cum ejuſmodi liquore lucernæ Fratrum indigerent; Beato viro Dominum inſtanter rogante, ut ipſius munere Fratrum inopia ſuppleretur: mane annunciavit ei Monachus, mare grandem piſcem mortuum ejeciſſe in litus. Ex illo piſce Fratres triginta modios pinguedinis ad lucernas fovendas extraxere.* Sepiæ etiam atramentum in lucernis uſui eſt: ſed eo addito, qui adſunt, æthiopes videntur; ut ab Anaxilao eſt traditum, & exinde refert Plinius lib. xxxii, cap. x.

Eſt & in liberalibus artibus pictura. Cui itidem commodant aquatilia. Nam colores ſuis infundunt pictores conchis; ut chamarum, & mytilorum teſtis: idque partim, quia colores iis non immutentur, partim quia teſtæ nulli ſunt oneri, dum manu ſuſtinentur.

Sua etiam commoda ex aquatilibus percepit ſcientia militaris. Antiquis enim pro tuba fuit concha turbinata, dicta στράβηλος, quaſi στρόβιλος. Heſychius, & Varinus: Στραβήλῳ, τῷ κόγχῳ, ᾧ ἐσάλπιζον. *Strabelo, concha, quâ buccinæ inſtar, canebant.* Idem Heſychius: Κοχλοῖς (ſic legendum) τοῖς θαλαττίοις, ἐχρῶντο πρὸ τῆς τῶν σαλπίγγων εὑρέσεως. *Conchis marinis utebantur ante inventas tubas.* Theocritus Διοσκούροις:

> Ἦ ῥ' Ἄμυκος, καὶ κόχλον ἑλὼν μυκάσατο κόχλον.
> Οἱ δὲ θοῶς συνάγερθεν ὑπὸ σκιερὰς πλατανίστους,
> κόχλου φυσαθέντος ἀεὶ Βέβρυκες κομόωντες.
> *Dixit ſanè Amycus, & cavâ acceptâ conchâ inſonuit.*
> *Celeriter autem convenerunt ſub umbroſam platanum,*
> *Conchâ inflatâ, Bebryces ſemper comam alentes.*

Eſt & Lycophronis in Caſſandra:

> Καὶ δὴ κατ' αἰθὺς γαῖαν ὀρχηστὴς Ἄρης,
> Στρόμβῳ τ' αἱματηρὸν ἐξάρχων νόμον.

Quod Scaliger reddidit:

> *Jam culta vaſtat arva Mars Saliſubſulus,*
> *Reciproco cruenta ſigna murice*
> *Edens.*

Quod Lycophron appellat στρόμβον (concham ait Tzetzes) id Scaliger *muricem reciprocum* dixit. Hinc & Tritones in antiquis videas marmoribus cum conchis oblongis, ore rotundo, amploque; ſed paullatim amittentibus magnitudinem, donec per ſinuoſitatem devexam deſinant inferiùs in mucronem. *Turbinem* vocant Latini: ut *turbinata* Gaza dixit, quæ Ariſtoteles στρομβώδη *a*. Hujuſmodi Tritonis concham ſcitè deſcripſit Ovidius primo Metam. fab. vii; ut cap. xxxvi oſtenſum.

a Lib. 4. Hiſtor. anim. c. 4.

De dicto concharum in bellis uſu vidimus quoque in Oratoriis Inſtituit. lib. v, cap. xi, ſect. vii.

Alium præterea uſum dabo, fide ſcriptoris antiqui, ſed Græculi. Vermis eſt fluvii Indi, ſeptem longus cubita, pauxillo minoris craſſitiei, quàm eſt hominis amplexus. Fusè eum ex Cteſia Cnidio deſcribit Ælianus lib. ii de Anim. cap. iii. Inter alia mirandum, quod ait, eum xxx diebus pendulum in fictilia ſtillare oleum craſſum: ligna hoc oleo illita confeſtim comburi: nec ullâ flammam ratione poſſe reſtingui: atque ita urbes expugnari à regibus Perſicis: unde nec catapultis, balliſtis, & ſimilibus, eis ſit opus. A Cteſia verò non magis fidem exigere oportet, quàm poëtis.

Sed longum eſſet ſingulas ire per vitas. De cæteris igitur ſuffecerit pauca addere quaſi per ſatyram. Ut quòd concharum etiam minutarum pro calculis uſus antiquitus in ſuffragiis erat ferendis. Eas χοιρίνας vocarunt; ut eſt apud Julium Pollucem *b*, & ſcholiaſten Ariſtophanis *c*.

b Lib. 8. cap. 5.
c In Equites ſc. Cujus initium, Ἰατταταῖ, & alibi eâdem comœdiâ.

In menſuris etiam conchis uſi. Unde obtinuit, ut concham dicerent pro tribus cochlearibus. Nempe ſextarius valuit conchas triginta duas; quod ſit nonaginta ſex cochlearia.

Etiam uſus aquatilium fuit in rebus triſtibus: pœnis dico, tum privatis, tum publicis. Privatis, ut quòd patribus familias, & pædagogis, lori in flagellando vicem præſtabant tergora anguillæ. Plinius libro ix, cap. xxiii: *Tenuiſſimum his* (murænis) *tergus: contrà anguillis craſſius, eoque verberari ſolitos tradit Verrius prætextatos: & ob id mulctam his dicit non inſtitutam.* Sententia Verrii, qui præceptor fuit nepotum Auguſti, hæc fuit: prætextatos non puniri mulctâ aliquâ pecuniariâ, quam aſpernentur, quia non ipſi, ſed parentes ſic luant pœnas: verùm flagris, quas ſentiant, & huic rei inſerviiſſe terga anguillarum. Similiter Iſidorus in Gloſſis: *Anguilla eſt, quâ coërcentur in ſcholis pueri, quæ vulgo ſcutica dicitur.*

At pœnæ publicæ exemplum eſto, quòd adulteri Athenis pœnas luebant mugile in anum immiſſo. Juvenalis ſat. x:

> —— *Necat hic ferro, ſecat ille cruentis*
> *Verberibus, quoſdam mœchos & mugilis intrat.*

De ejuſmodi ſupplicio eſt & illud Catulli ad Aurelium:

> *Ah tum te miſerum, malique fati;*
> *Quem attractis pedibus, patente portâ,*
> *Percurrent raphanique, mugileſque.*

Sunt & uſus improbi, ſeu abuſus potiùs: qualis ille (ut ſimili ex re exemplum petam) quòd Cingari nequiſſimi equis, ut cariùs vendant, in anum inſerunt anguillam. Sic enim fit, ut intumeſcente corpore, videantur pinguiores, & dum ob moleſtiam ex anguilla crebrò ſubſultant, etiam credantur agiliores.

Nefarius quoque uſus ille in philtris, & rebus magicis. Pompilus quidem ad philtra utilis habitus; dictuſque ἱερὸς ἰχθὺς, *ſacer piſcis*: quo de Athenæus lib. vii, & ex eo Nicolaus Leonicenus Variorum lib. iii, cap. ix; etſi non Athenæum, ſed Pauſaniam, ſeu memoriæ, ſeu calami lapſu, profiteatur auctorem.

Phocas ad magicas præſtigias eſſe utiles, eoque eas circum Protea fingi, quaſi iis gaudentem, apud Euſtathium *a* legere eſt, & ſcholiaſtarum alios.

a In Odyſſ. Δ; pag. 1502. edit. Rom.

CAP. L.

De aquatilibus noxiis. De navigantium periculo à loligine. Oculis obeſſe mullos, & omnes piſces cartilagineos. Hippocampos, ut ajunt, gignere hydrophobiam. Turbida produci ſomnia capite polypi comeſto. De veneno ſcorpii marini, ſepiæ, centrinæ, vivæ Gallicanæ, & leporis marini; quo periit Titus Imperator. Diphili apud Athenæum μνημονικὸν ἁμάρτημα. *Hoſtes marini leporis cancer marinus, ac mullus; cui propterea honos exhibitus in Eleuſiniis. B. Ambroſii locus non inelegans de lepore marino. Abortum ab eo & fieri, & impediri. Ut paſtinacæ veneno perierit Ulyſſes. Quando vixiſſe videatur non reſpuendus belli Trojani ſcriptor, qui ſub nomine Dictyos Cretenſis extat Latine. Araneum, & draconem marinum, perperam à Plinio pro diverſis haberi. Eundem & venenum eſſe, & antidotum. Ac ſimilem eſſe rationem porci marini.*

CUm tot tantaque ſint piſcium bona, in cibis, in medicina, in omni vita: non injuriâ aliquis miretur, abhorruiſſe ab eorum eſu, tum Syros, tum etiam Pythagoricos. Sed à Syris hoc datum honori Dercetûs, in piſcem converſæ: qua de re ſatis dictum nobis lib. i, cap. xxiii. Pythagorici verò cur abſtinuerint, expoſui lib. iii, cap. xxvii. Sed, quantacunque ſit piſcium utilitas, non diffitendum tamen, gravia etiam damna iis imputari. Ut quòd loligines magno numero ſeſe complexæ natant: ac ſimiliter multæ nexæ extra aquas volitant:

litant: unde periculum ab iis, ne mergant navigia: ſicut quidem ex Trebio Nigro tradidit Plinius lib. xxxii, cap. ii. Quam illud etiam navigantibus noxium, ſi verè de remora ajunt, remorari (unde & nomen) navem velis, remiſque, quaſi provolantem? Sed quid de iſto cenſendum ſit, antea *a*, cùm de vi piſcium dicerem, expoſui.

a Cap. 11.

Nunc ergo videamus de morbis, quos afferunt vel parti certæ, vel corpori univerſo. Prioris generis exemplum habemus in mullis, qui lædere oculos dicuntur. Dioſcorides lib. ii, cap. xxiv: Τρίγλαι συνεχῶς ἐσθιομένη ἀμβλυωπίας δοκεῖ κατασκευαστικὴ ὑπάρχειν· *Mullus continuò comeſtus creditur caliginem oculis offundere.* Idem apud Aëtium legas. Imò cartilaginea omnia, ſi diu multumque utaris, viſum reddunt hebetiorem; ut apud Athenæum ait Diphilus.

Hippocampi adferunt hydrophobiam; ſi hac parte, quod non puto, credendum Æliano lib. xiv de Animal. cap. xx.

Polypi caput comeſtum turbulentos reddit ſpiritus, ſomniaque hinc moleſta: ut auctor in Sympoſiacis Plutarchus. Verba ejus adducebamus lib. iii, cap. xxxv.

Univerſo autem corpori nocent, qui veneno inficiunt. Nam, utcunque ad commendationem aquarum B. Ambroſius *b* dicat, *ipſos ungues venenoſos eſſe in terris, ſine veneno in aquis*: ſunt tamen & piſces venenati. Qualis ſcorpius marinus: ut tradunt Dioſcorides lib. vi, cap. lxi, Plinius lib. xxxii, cap. v, Avicennas lib. iv, Fen. vi, tract. v, cap. xxiii. Imò Ovidius quoque in Halieutico:

b Lib. 5. Hexaëm. cap. 2.

Et capitis duro nociturus ſcorpius ictu.

Sive potiùs, *Et captus d. n. ſ. i.* Prout Petrus Ciacconus legit, probante etiam Hercule Cioſano.

Sepiæ quoque, ut Ælianus *c*, Oppianus *d*, & Philes *e*, tradunt, morſu nocent. Ineſt enim illis aliquid venenati, ſive id à dentibus ſit, ſive à ſanie effluenti è corpore.

c Lib. 5. de An. cap. 44. d Lib. 2. Ἁλιευτ. verſ. 454. & duobus ſeqq. e Cap. περὶ σηπίας. f Lib. 1. de An. cap. 55. g Lib. 7. in γυναιξί. ſive c. 12.

Κεντρίνη item, quæ in cartilagineis eſt, nempe ex galeorum genere, duos habet aculeos; unum in cauda, alterum in vertice capitis; ut Ælianus *f* ait; ſive potiùs in cervice, ſecundùm Athenæum *g*. Hiſce aculeis, à quibus & κεντρίνης nomen accepit, venenati quid eſſe, ab eodem Æliano proditum eſt lib. i Hiſt. Anim. cap. lv.

Adhæc Gallis piſcis eſt minutus, dictus *viva*, (*la vive*,) ſalubris ille quidem, ſed dorſi medullam obtinens adeò venenoſam, ut ſi quis ab ea fuerit læſus, pars affecta continuò intumeſcat, & inflammetur: homo maximos patiatur dolores, & varia ſymptomata: nec rarò eidem mortem afferat: ut Quercetanus narrat in diætetico ſuo polyhiſtorico, cap. vii.

Etiam, Æliano teſte lib. ii Hiſt. Anim. cap. xlv, in venenatis eſt lepus marinus; qui Græcis ſimiliter λαγωὸς θαλάσσιος *h*, piſcis ex mollibus, & ἀναίμοις *i*, nomen leporis ex eo ſortitus, quòd colore referat leporem terreſtrem. Caro ejus ſimilis eſt loligini parvæ: cui iccirco comparat Dioſcorides lib. ii, cap. xx. Sed figuram ſi attendas, potiùs refert offam informem; ut ait Plinius lib. ix, cap. xlviii: vel etiam, præcipuè poſteriori corporis parte, cochleam teſtâ exeutam; ut Ælianus ait loco antea indicato. Sanè nec oculos, nec pinnas, habet: nec alia corporis membra diſtinguuntur. Piſcis hic pulmones exulcerat; ut eſt apud Galenum lib. de Theriaca ad Piſonem; item lib. i de medicamentorum compoſitione κατὰ γένη, & lib. iv de ſimpl. fac. cap. xix. Utrùm ex nota qualitate, an occulta, differit Thomas Eraſtus *k* lib. de occultis Medicament. propriet. cap. xxxvii. De eodem ita Plinius lib. ix, cap. xlviii: *Nec venena ceſſant dira, ut in lepore: qui, in Indico mari etiam tactu peſtilens, vomitum diſſolutionemque ſtomachi protinus creat.* Item lib. xxxii, cap. i: *Non ſunt minùs mira, quæ de lepore marino traduntur: venenum eſt aliis in potu, aut in cibo datus, aliis etiam viſus. Siquidem gravidæ ſi omnino adſpexerint feminam ex eo genere duntaxat, ſtatim nauſeâ, & redundatione ſtomachi, vitium ſatentur, ac deinde abortum faciunt.* Quam rem experientiâ firmat Rondeletius *a*. Etiam in venenatis referunt Nicander *b*, Dioſcorides *c*, Æginetæ *d*, Aëtius *e*. Inprimis autem peſtiferam ejus vim indicat, quòd veneno illius Domitianus ſuſtulerit Titum fratrem: Tzetzes: Τίτος θνήσκει βεβρωκὼς λαγωὸν τὸν θαλάσσιον· *Titus moritur, comeſto lepore marino.* Quod ipſum legere eſt apud Glycam, & multo antiquiorem Philoſtratum lib. vi de vita Apollonii, cap. xiv. Ut nihil ſit, cur Joſephus Scaliger in Animadverſionibus Euſebianis miretur unde id hauſerit Græculus ille Tzetzes. Imò præſentis adeò veneni putatur, ut & recens ſcarus ſit ſuſpectus, quia lepores venatur marinos, iiſque paſcitur. Sic quidem Diphilus apud Athenæum lib. vii. Potiùs tamen adſentior viris doctiſſimis, qui arbitrantur, Diphilum, memoriâ lapſum, id tribuiſſe ſcaro, quod, priores ſecutus, de mullo narrat Plinius lib. xxxiii, cap. i. Scarus enim herbis paſcitur, ac piſcis eſt laudatiſſimus; imò inter eos obtinet principatum; ut antea vidimus. Neque hic tamen permiſit; ut nulla ſuæ bonitatis veſtigia haberemus. Nam perſequitur eum cancer marinus: item mullus; ob quod beneficium honos huic in ſacris habitus Eleuſiniis: ut eſt apud Ælianum lib. xii de Animal. cap. xxi, & Athenæum lib. vii *f*. Apponi etiam merentur, quæ dicit Ambroſius lib. v Hexaëm. cap. x: *Lepuſculus, timidum animal in terris, in mari formidabile, citam, & quæ non facilè poſſit auferri, corruptelam invehit. Voluit enim te creator nec in mari ſatis ab inſidiantibus eſſe ſecurum, ut propter pauca, quæ noceant, quaſi in excubiis poſitus arma fidei ſemper, & ſcutum devotionis accinctus, à Domino tuo debeas ſalutis ſperare præſidium.* Quid quòd & lepus iſte morbo medetur, quem facit? Nam adverſus illud, quod abortus eſſe cauſam dicebamus (Plinii verba ſunt lib. xxxi, cap. i) *remedio eſt mas, ob id induratus ſale, ut in brachialibus habeant.*

h Lepus marinus. i Sanguinis expertibus. k In Miſcellaneis Medicis H. Smetii.

a Lib. 17. de Piſc. Mar. c. 11. b In Alexipharmacis. c Lib. 6. cap. 30. d Lib. 13. e Lib. 13. f Cap. 21. ſive pag. 325. edit. Commel.

Sunt & alii piſces, veneni nomine exoſi; qui interim, ut Pelias haſta, medicina ſunt malo, quod dederunt. Sic paſtinacæ ictum eſſe letalem, cognoſcimus exemplo Ulyſſis: quem filius Telegonus incautus interemit haſtâ ſuâ pro aculeo habente radium paſtinacæ. Rem narrant Oppianus in i Ἁλιευτ. Euſtathius in Odyſſ. Λ *g*, & Dictys *h*, ſive interpres, qui ut Græci τρυγόνα, ſic ipſe vocat *turturem marinum*: quod & facit B. Ambroſius. Nempe pares vel ſuppares fuere: etſi non paullo antiquiorem aliqui *i* putârint. De hujus veneno ſic Plinius lib. ii, cap. xxxvi: *Nullum* (in animalibus venenatis) *uſquam execrabilius, quàm radius ſuper caudam eminens paſtinacæ, quinunciali magnitudine. Arbores infixus radici necat: arma, ut telum, perforat vi ferri, & veneni malo.* Vide & de eodem Dioſcoridem in vii *k*, & alios. Sed magna eſt bonitas Dei, qui ex hoc ipſo piſce remedium nobis dedit. Nam is diſſectus, & vulneri impoſitus, medetur; ut Dioſcorides tradit in viii *l*. Cinerem quoque ejus ex aceto illitum prodeſſe, relatum Plinio lib. xxxii, cap. ii. Radii ejus cinere, vulneri admoto cum aceto, ſe curâſſe ruſticum à paſtinaca ictum, tradit Rondeletius.

De araneo, qui Belgis *pieterman*, ſic Plinius lib. ix, cap. xlviii: *Æquè peſtiferum malum araneus, ſpina in dorſo aculeo noxius.* Eſt verò idem ac *draco marinus*; etſi Plinius *m* diſtinguat: quod inde eſt, quia diverſos exſcribat diverſis eundem piſcem vocabulis vocantes. Videamus autem hic etiam Dei bonitatem. Plinii ipſius eſt lib. xxxii, cap. v: *Draco quidem marinus ad ſpinæ ſuæ, quâ ferit, venenum ipſe impoſitus, vel cerebro toto n prodeſt.* Idem traditum Dioſcoridi lib. ii Medicæ Mat. cap. xv.

Similiter à porco marino, & venenum, & remedium eſt. Plinius lib. xxxii, cap. v: *Inter venena ſunt piſcium porci marini ſpinæ in dorſo, cruciatu magno læſorum: remedium eſt limus ex reliquo piſcium eorum corpore.* Qui locus adverſari videtur exiſtimantibus, porcum ma-

g Verſ. 134. h Pene extreme l. 6. de bello Trojano. i Etiam Gaſpar Scioppius. k Cap. 8. Sive ex aliorum inſcriptione, & diſtinctione, Theriacorum cap. 7. l Cap. 6. ſive Theriacorum cap. 24. & 25. ubi vide, quæ Janus Antonius Saracenus annotavit. m Lib. 32. cap. 5. n Ita & vetus editio Parmenſis. Sed in aliis codd. pro toto eſt tantum.

marinum eſſe, quem Hollandi *poſt* vocant, vocabulo, ut ajunt, ex *porco* corrupto. Nec enim hujus ictum putem venenoſum: neque obſidetur limo, unde peti debeat veneni medicina.

Atque hæc dicta ſunto de piſcium aliquot noxiis: & relucente in his etiam bonitate, ac providentiâ divinâ.

CAP. LI.

De piſcibus à gente Syra habitis pro Diis: item ab Ægyptiis, è quibus oxyrinchum coluere Oxyrinchitæ, latum Latopolitani, nonnulli lepidotum, Syenitæ phagrum: Elephantinæ incolæ, Mæoten: alii anguillam, qui cultus ab Antiphane, & Anaxandrida Comicis, faceté riſus. De ſacris Lydiæ piſcibus. Syrorum ſapientiores piſcibus, uti & columbis abſtinuiſſe, non tanquam Diis, ſed uti rebus, quæ Diis eſſent ſacratæ. Nihilo magis ex eo, quod Ægyptiis his non veſcerentur, conſequi, eos habitos eſſe pro Diis: etſi de rudi vulgo id nolimus diffiteri. Teſtudines marinæ à Troglyditis adoratæ, ſive ut Dii, ſive potiùs ut ſymbola. Sidera piſcium nomen ſortita. De Nereidibus, & Tritonibus, ad varios remiſſum. Quas LXX interpretes apud Jeſaiam, & Jobum, σειρῆνας reddiderunt, dracones, non aves, vel piſces, intelligi convenire.

TAm miranda piſcium natura, tam multiplex uſus, nec latuit nationes. Sed cum hinc rapi eas oporteret in admirationem conditoris; creaturæ ſunt facti cultores: quod multi è SSis patribus iis objectant. Imò hoc ipſorum gentilium de gentilibus judicium eſt: ac præcipuè de Syris, & Ægyptiis. De Syris (ut dictum lib. I, cap. XXIII) teſtis eſt Xenophon lib. I de expeditione Cyri: ubi ait, Chalum amnem fuiſſe plenum piſcium magnorum, & manſuetorum, οὓς οἱ Σύροι θεοὺς ἐνόμιζον· *quos Syri pro Diis habebant*. Atque addit, propterea non perpeſſos, ut læderentur. Hygeni item eſt fabulâ CXCVI, quæ de Venere: *Ob id Syri piſces, & columbas, ex Deorum numero habent*.

De Ægyptiis verò Strabo in XVII ſic ait: Ἐν δὲ τῇ περαίᾳ Ὀξύρυγχος πόλις, καὶ νομὸς ὁμώνυμος. Τιμῶσι δὲ τὸν Ὀξύρυγχον. καὶ ἔστιν αὐτοῖς ἱερὸν Ὀξυρύγχου. *In ulteriore* (Ægypti) *regione eſt Oxyrynchus civitas, & præfectura cognominis. Hic oxyrynchus colitur, & oxyrynchi templum eſt*. Poſtea ſubjungit, non ab Oxyrynchitis modò coli, ſed ab univerſis Ægyptiis: quædam enim animalia ab univerſa coli Ægypto, ac hujuſmodi eſſe τῶν ἐνύδρων δύο, λεπιδωτόν ἰχθὺν, καὶ ὀξύρυγχον, *ex aquatilibus duo, lepidotum, & oxyrynchum*: quædam verò eſſe, ἃ τιμῶσι καθ' ἑαυτοὺς ἕκαστοι, καθάπερ λάτον τὸν ἐν τῷ Νείλῳ τινὰ ἰχθὺν, Λατοπολῖται. *quæ ſeorſum colant; ut latum, piſcem quendam in Nilo, Latopolitani*. De veneratione lepidoti favet Herodotus in Euterpe: de eodem, & oxyryncho, Clemens Alex. Admonitione ad gentes. Eſt autem lepidotus, qui aliter *cyprinus*, Caſſiodoro *carpa*, nominatur: quâ de re diximus, cùm de piſcium guſtu ageremus *a*. Oxyrynchum eſſe lucium, ex eo colligebat Petrus Bellonius *b*, quòd is frequens admodum ſit in Nilo. Hadriano Junio *c* eſt rajarum genus, quod βάτος ὀξύρυγχος vocetur. Loco dicto addit Clemens, ab Euenitis φάγρον cultum: & ab Elephantinæ incolis piſcem μαιώτην. Atque idem legas apud Ælianum lib. X de Anim. cap. XIX. Sed pro *Euenitis* meliùs apud Clementem ſcribas *Syenitas*. Cauſſam cultus addit Ælianus, quia prævertant Nilum, atque ita Ægyptios animi pendentes, recreent. Sed & alteram eſſe rationem, quia abſtineant à piſcium aliis. De cultu crocodili (qui, cùm animal ſit amphibium, ut inter terreſtria, ſic aquatilia etiam, locum obtinet) abunde ex Strabone, & aliis, dictum lib. III, cap. LXXIV.

a *Cap. 13.*
b *Lib. 2 Obſervationum, cap. 32.*
c *In Nomendatore cap. de Piſcibus.*

De anguillæ veneratione teſtis Herodotus loco antè memorato. Ob huncce cultum lepidè in Lycone comœdia Ægyptios riſit Antiphanes *d*:

d *Apud Athenæum in ſeptimo.*

Καὶ τἄλλα δεινοὺς φασὶ τοὺς Αἰγυπτίους
Εἶναι, τὸ νομίσαι τ' ἰσόθεον τὴν ἔγχελυν.
Πολὺ τῶν θεῶν γὰρ ἐστι τιμιωτέρα.
Τοὺς μὲν γὰρ εὐξαμένοισιν ἔστ' ἡμῖν τυχεῖν.
Ταύτην δὲ δραχμὰς τοὐλάχιστον δώδεκα,
Ἢ πλέον, ἀναλώσασιν ὀσφρανθῆναι μόνον.
Οὕτως ἔστ' ἅγιον παντελῶς τὸ θηρίον.

Ea ſic verſibus expreſſit perilluſtris vir, Hugo Grotius *a*:

a *In excerptis Tragicis ac Comicis.*

Tum rebus aliis ajunt eſſe Ægyptios
Sollertes, tum quòd anguillam æquiparant Deis.
Quin verò longè eſt illa Diis pretioſior.
Nam ſolis precibus nobis ſe indulgent Dei;
At illam, drachmas ſolidas cùm dederis decem,
Aut plus aliquanto, olfacere vix tandem licet.
Tantam habet in ſe animal illud ſanctimoniam.

Eundem morem taxat alius Comicus Anaxandrides in Civitatibus *b*: ubi & varia Ægyptiis objectat quadrupedia, quæ coluerunt. Quia nunc ſic occaſio tulit, locum integrum apponemus:

b *Apud Athen. ibid.*

Οὐκ ἂν δυναίμην συμμαχεῖν ὑμῖν ἐγὼ,
Οὔθ' οἱ τρόποι γὰρ ὁμονοοῦσ', οὔθ' οἱ νόμοι
Ἡμῶν, ἀπ' ἀλλήλων δὲ διέχουσι πολύ.
Βοῦν προσκυνεῖς. ἐγὼ δὲ θύω τοῖς θεοῖς.
Τὴν ἔγχελυν μέγιστον ἡγῇ δαίμονα·
Ἡμεῖς δὲ τῶν ὄψων μέγιστον παραπολύ.
Οὐκ ἐσθίεις ὕει'· ἐγὼ δέ γ' ἥδομαι
Μάλιστα τούτοις. κύνα σέβεις· τύπτω δ' ἐγὼ,
Τοὔψον κατεσθίουσαν ἡνίκ' ἂν λάβω.
Τοὺς ἱερέας ἐνθάδε μὲν ὁλοκλήρους νόμος
Εἶναι· παρ' ὑμῖν δ', ὡς ἔοικεν, ἀπηργμένους,
Σὺ μὲν τὸν αἴλουρον κακὸν ἔχοντ' ἂν ἴδῃς,
Κλάεις· ἐγὼ δ' ἥδιστ' ἀποκτείνας δέρω.
Δύναται παρ' ὑμῖν μυγαλῆ, παρ' ἐμοὶ δέ γ' οὔ.

Quæ ſic idem ille, ſummus undique vir, expreſſit:

Ego eſſe veſter non queam commilito,
Quando nec leges, nec mores conſentiunt,
Sed multis inter ſe intervallis diſſident.
Bovem tu adoras, ego quem ſacrifico Diis.
Anguillam numen eſſe reris optimum,
Quæ mihi putatur optimum eſſe obſonium.
Non veſceris ſuillâ: mihi nulla eſt caro,
Quæ ſapiat meliùs, tum tu veneraris canem;
Ego eundem, ſi epulas prægustavit, verbero.
Lex noſtra ſolos, qui integro ſunt corpore;
At veſtra mutilos lex ſacerdotes probat.
Tum ſiquod felem attigerit infortunium,
Ploras: ego illam occido, & excorio libens.
Magnum quid apud vos, mihi nil mus araneus.

Syrorum, & Ægyptiorum exemplum ſecuti dicuntur Lydi. Quò referunt illud Varronis lib. III de Re Ruſt. cap. ult. *Si hi loculatas habent piſcinas, ubi diſpares diſcluſos habeant piſces, quos, proinde ut ſacri ſint, ac ſanctiores, quàm illi in Lydia, quos ſacrificanti tibi Varro ad tibicinem Græcum gregatim veniſſe dicebas ad extremum litus, atque aram, quòd eos capere auderet nemo*. Sed non ſi ſancti crederentur, eò habebantur pro Diis. Quare conſiſtemus intra Syros, & Ægyptios. Ac Syris piſces cultos pro Diis, colligunt eo, quòd Atergatis, ſive Derceto, in piſcem; filia ejus Semiramis, in columbam, converſæ dicantur: ut vidimus lib. I, cap. XXIII. Si igitur Atergatis, & Semiramis, à morte ſunt mutatæ in piſcem, & columbam, inque Deos relatæ, piſcis, & columba, Deæ videantur, non Dearum ſymbola duntaxat. Sed enim hoc argumentum foret validiùs, ſi idem numero piſcis, eademque numero columba, in quos mater filiaque converſæ credebantur, culti fuiſſent à Syris. Nunc quanto aliter ſit, liquet ex iis, quæ libro primo *c* dicebamus. Nihil interea hoc impedit, quo minùs, licet aliter ſaperent elegantiores; ex craſſo tamen vulgo plurimi piſcem ſacrum, ſacramque columbam, non pro ſymbolis, ſed Deabus, haberent.

c *Cap. 23.*

Nec de Ægyptiis aliter cenſeo. Plutarchus quidem lib.

lib. VIII Sympoſiacôn, quæſt. VIII, non hoc dicit, Syros, & Ægyptios, pro Diis habuiſſe piſces; verùm religione quadam eorum abſtinuiſſe eſu. Sed ſuâ eum linguâ loquentem audiamus: Οὐ γὰρ παρ' Αἰγυπτίοις μόνον, οὐδὲ Σύροις, ἀλλὰ καὶ παρ' Ἕλλησι, γέγονεν ἁγνείας μέρος ἀπέχεσθαι ἰχθύων. *Itaque apud Ægyptios non ſolum, neque Syros: ſed etiam apud Græcos, ſanctimoniæ pars erat, piſcibus abſtinere.* Et profectò quid infirmius argumento illo, Syros, & Ægyptios, quia piſcibus non veſcerentur, eo habuiſſe illos pro Diis? Si enim hoc fuerit validum, rectè iidem gentiles concludebant, Judæos, ut Petronius de iis ſcribit, porcinum numen adorare: nempe quia ſuillâ abſtinerent. Nec Pythagoræ piſces erant Dii: utcunque in ejus ſymbolis foret, ἰχθύων μὴ γεύεσθαι· *piſces ne guſtato.* Quamobrem de piſcium apud Syros, & Ægyptios cultu, idem ſentiendum, ac de quadrupedum, & avium veneratione, ſuperiori libro *a* dicebamus.

a Cap. 74. & 100.

Ac fortaſſe nec aliter de Troglodytis putandum. Apud Plinium tamen legas lib. IX, cap. X: *Troglodytæ cornigeras habent* (teſtudines,) *ut in lyra, annexis cornibus latis, ſed mobilibus: quorum, in natando, remigio ſe adjuvant. Celtium genus id vocatur eximiæ teſtudinis, ſed raræ. Namque ſcopuli præacuti Chelonophagos terrent. Troglodytæ autem, ad quos adnatant, ut ſacras adorant.*

Nec propterea exiſtimandum, nullum piſcibus habitum eſſe honorem divinum. Nam in ſideribus ſunt delphinus, & piſces duo; qui in XII ſignis ex adverſo caudis utrimque poſiti, fulvoque vinculo colligati: item piſcis magnus, cujus illi in Zodiaco nepotes dicuntur. Adhæc cetus, qui Germanico *bellua Ponti*: & hydra, cujus caudæ corvus inſidet. Hæc, ut ſiderum alia, in Deorum numero fuiſſe, abunde oſtendimus lib. II hujus operis, cap. XXXVI. Sed iſta non vocantur piſces, niſi ὁμωνύμως *b*. At συνωνύμως, καὶ κυρίως *c*, piſces ſunt Nereides, ac Tritones. Aliquid de his diximus lib. IV, cap. V. Fuſiuſque Plinius lib. IX, cap. IV, & V, item lib. XXXIV, cap. XI, Ælianus lib. XIII Hiſt. Anim. cap. XXI, Pauſanias in Bœoticis. E junioribus Alexander Neapolitanus Genialium Dierum lib. III, cap. VIII, Vincentius Chartarius Regienſis de Deorum imaginibus, quem Latinè reddidit Ant. Verderius, Rondeletius lib. XVI de piſc. mar. cap. XX, & duobus ſequentibus, Geſnerus in Aquatilium Hiſtoriâ, cap. de Hominibus marinis, & altero de Nereidibus, alioque de Tritonibus.

b Æquivoce.
c Univoce, proprieque.

Exiſtimet aliquis, etiam Sirenes huc referri oportere. Præſertim, quando in piſcibus etiam Nævius repoſuit; ſi rectè Scaliger, Conjectaneis in Varronem, iſta, ut Nævii, adducit:

—— *Tum autem laſcivum Nerei ſimum pecus*
Ludens ad cantum claſſium luſtratur: ſirenes citis
Delphino junctis vehiculis, hippocampiſque aſperis.

Sed omnino illa quidem Livii Andronici ſunt:

Tum autem laſcivum Nerei ſimum pecus
Ludens ad cantum claſſium luſtratur. ——

Livio enim tribuit etiam Nonius Marcellus in *Pecus*. Poſteriora verò ſunt ex Nævii Sirene, ac Nonio citantur in *Hippocampi*. Sic autem ut puto, legi debent:

—— *Ocier*
Delphino vinctis vehiculis, hippocampiſque aſperis.

Quemadmodum oſtendimus notis in fragmenta veterum Tragicorum, ante annos editis viginti circiter.

Quid verò de Sirenibus cenſendum ſit, diximus lib. III, cap. XCIX. Sunt tamen, qui verè piſcem, ſive ſemipiſcem, ac ſemimulierem, aut planè mulierem, ſed mutam, ac penè brutam cenſeant: atque hæc firmatum eunt muliere illâ anno CIↃ CCCC III in Friſia captâ, & Edamenſi oppido Harlemum delatâ: ubi nere didicit, ac annos vixit complures, & poſtmodo in cœmeterio ſepeliri meruit, eò quòd, ut ajunt, facto Crucis ſigno honorem exhibuiſſet. Qua de re ex Belgarum annalibus, chronicis, geographis, vide ſis Joannem à Leidis, Reinerum Snoium, Joannem Reigersbergium, Jacobum Meierum, Hadrianum Junium, & alios complures: ut aliarum gentium ſcriptores prætercam.

Quas verò Jeſaiæ cap. XIII, verſ. ult. LXX interpretes, etiam in edit. Romana, vocant σειρῆνας, uti & *Sirenes* reddit B. Hieronymus, ſive vulgatus interpres (Hebraicè eſt תנים *tanim*, qui deſertam inculturi Babylonem dicuntur) non monſtra marina intelligi debent; ut cepiſſe videtur Hector Pintus Luſitanus, Conimbricenſis Theologiæ profeſſor *a*: ſed dracones, atque adeò omne ſerpentium genus: quomodo reddidit Chaldæus interpres, ac præter alios Leo Judas, & ſocer meus Fr. Junius. Etiam Jobi cap. XXX, 29, ubi eadem vox Hebræa, interpretes Græci habent: Ἀδελφὸς γέγονα σειρήνων· *frater factus ſum ſirenum.* Ubi B. Chryſoſtomus intelligit ᾠδικάς τινας ὄρνιθας *b*. Sed & hic vetus vulgatus, & juniorum alii, *dracones* reddiderunt.

a Comment. ad eum locum.
b Aves quaſdam cantrices.

Cap. LII.

A piſcibus tranſitur ad ſerpentes. Quomodo vocabula anguis, & ſerpentis, differant, & unde deriventur: item ὄφεως *etymon, & unde ſit Ægyptium* οὐβαῖος *pro baſiliſco. Eorum conciliantur ſententiæ, qui* ἔχιν *referunt inter* ὄφεις, *& qui in iis eſſe negant. Qualis ſerpentium coitus. Falſum de origine eorum ex avium ſanguine; incertum de ortu ex medulla hominis; prodigioſum de natis ex muliere. Refellitur vulgaris opinio de baſiliſci ortu ex ovo galli ſeptennis, novennis, ſummum annorum* XIV. *Herodoti ſententia de viperarum coitu, ac partu; eamque ab Ægyptiis hauſtam videri. Etiam SSos Patres quandoque in hoc ſequi Ægyptios, & in eo excuſatos. Quippe opinionem illam falſam eſſe argumentis comprobatur ex rei ipſius natura petitis. Excuſati etiam Romani, quod, de partu viperæ opinione falſi, propterea in parricidæ culeo etiam viperam inſuerint. Viperæ, &* ἔχεως *etymon. Similiter decipi, qui tradunt, viperam coire cum muræna marina. Utrùm ceraſtæ ova pariant, an vivos fœtus. Ceraſtas quidem eſſe viperæ ſimiles; trifariam interea differre: nec obſtare hoc, quò minus & illi vivos pariant fœtus.*

TAndem ad indagandam piſcium naturam, quantum quidem pro operis hujus inſtituto ſufficere videretur, emenſi ſumus flumina, ſtagna, lacus, maria, Oceanum ipſum. Diutius aberratum, quàm cùm aquas haſce ingrederemur, fore putabamus. Sed nihil iſta ad Ulyſſeos decennii errores intra ſolum mare Mediterraneum. Quippe admodum falluntur, qui eum fretum putant egreſſum eſſe Gaditanum. Planè enim contrarium oſtendunt, quæ cecinit Homerus. Eo faciliùs delati in terris agnoſcemur à noſtris, quàm Ulyſſes olim à ſuis. Reduces igitur poſt quadrupedes, aves, piſces, conſiderabimus quartum animantium genus: puta ſerpentes. Qua in voce *anguium* vocabulum intelligitur: vel, quando muliebri genere caperetur, *beſtia*; quod Plautus addit in Aſinaria *a*: ac ſimili ellipſi *beſtia* deſideratur in *animans*, *quadrupes*, *fera*; *volucris*, in *avis*; *canis*, in *Moloſſus*; *ovis*, in *bidens*: multaque id genus alia adduximus in libris de Arte Grammatica *b*. Διακριτικῶς *c* autem terreſtres angues dicuntur *ſerpentes*, quia & angues ſunt aquatici; quales nant, non ſerpunt. *Anguis* igitur eſt nomen magis generale: ac proinde uti *ſerpens* à *ſerpo*, hoc ab ἕρπω, ſpiritu, ut ſæpe, in S abeunte: ita *anguis* nomen habet non ab angulis quidem, ut ajunt, quia deliteſcat in cavernis; ſed ab ἄγχω, *ango*, *ſtringo*, *premo*; quoniam corpore ſit ſtricto preſſoque, ſive anguſto: uti & ab eadem origine eſt *anguſtus*: item *angulus*, & *angina*. Vel fuerit *anguis* ab ἔχις, mas *vipera*, inſerto N *d*; ut à δασύς, *denſus*; à βυθός *fundus*; à ῥυκάνη, *runcina*. Græcè *anguis*, ὄφις; ſive ab אֶפְעֶה, quod genus ſerpentis: ſive, ut alibi dictum, ab Hebræo אוב, *ob*, ſive *oph*: unde & οὐβαῖος, h. e. βασιλίσκος, ut interpretatur Orus *e*. Interdum verò hoc vocabulum laxè capitur, ut etiam complectatur ἔχιν, ſive viperam: interdum

a Act. 3. ſc. 3. verſ. 105.
b Lib. 6. cap. 6.
c Diſcriminis cauſſa.
d Uti & dictum lib. 1. cap. 40.
e Hieroglyphicôn lib. 1. c. 1. Ubi tamen vulgo Οὐραῖος: ſed in MSo eſſe Οὐβαῖος, jam alii monuerunt. Quæ, quin vera ſit lectio, non eſt dubitandum.

a Oppoſite. ἀντιδιῃρημένως a, ut ſerpentes cunctas comprehendat, præter viperas. Priori modo uſus Ariſtoteles in quinto de Generatione Animalium: ubi & clare ἔχιν, ſeu *viperam*, inter ὄφεις, ſive *ſerpentes*, refert. Ut valde ratio fugerit Auguſtinum Sinueſſanum, cùm in primum de Generat. anim. cap. x annotaret, viperas non eſſe ὄφεις, quia aliud ſit ὄφις, aliud ἔχις. Quippe differunt ſolùm, ut genus, & ſpecies.

Hæc de vocabulo. Ad rem ipſam accedamus. Ubi primùm de ortu ſerpentium agemus: idque tum generaliùs de ſerpentibus, tum particulatim de vipera, ceraſte, baſiliſco. Utrobique ſpectabimus tum coitum, tum partum. De coitu ſerpentium ſic Plinius lib. x, cap. LXII: *Coeunt complexu, adeò circumvolutæ ſibi ipſæ, ut una exiſtimari biceps poſſit.* Serpentes igitur ex ſerpentibus generantur: ac fabuloſum eſt, quod Democritus ajebat, produci eos ex ſanguine avium. Nec multò eſt veriſimilius, quod Plinio traditum libri ejuſdem cap. LXVI, & Plutarcho in vita Cleomenis, ſerpentem enaſci è medulla hominis. Quod ſi verum foret, argumentum præberet, ſive iræ divinæ, ſive irreconciliabilis ſerpentini odii, erga humanum genus jam ab eo tempore, quo diabolus hoc inſtrumento humanum decepit genus. Sed meritò id in dubium vocat Ælianus lib. I de Anim. cap. LI. Nec ſanè experientia ultra evincit, quàm in ſepulcris etiam naſci ſerpentes: uti in mauſoleo quoque Caroli Martelli contigiſſe, à Roberto Gaguino, & Paullo Æmilio, proditum eſt.

Prodigioſum autem, quod ait Plinius lib. VII, cap. III: *Serpentem peperit inter initia Marſici belli ancilla.* Et Julius Obſequens de Syllanis ſcribit temporibus b: *In Hetruria Cluſii materfamiliæ vivum ſerpentem peperit, qui juſſu aruſpicum in profluentem dejectus aversâ aquâ natavit.* Narrat idem Appianus Alexandrinus lib. I de bello civili c. Fuerit id L. Cornelio Scipione Aſiatico, & C. Junio Norbano coss. an Urb. Cond. Iↄ CLXXI. Et fidem ei conciliare videntur, quæ de anguilla in puella Lovanienſi enata, vivaque excreta anno CIↄ Iↄ LXXI, ubertim narrat & explicat Cornelius Gemma, ante annos LXX Regius Medicinæ profeſſor in Academia Lovanienſi, in appendice Coſmocritices, ſive operis de divinis Naturæ characteriſmis d.

b Cap. 118. in Lycoſthenis editione interpolata, ſuppletaque.
c Pag. 400. edit. H. Steph.
d Pag. 201. edit. Plantin.

Hinc particulatim dicere aggredior de ortu certi generis ſerpentium. Vulgò in Belgica, & aliis quibuſdam Europæ terris, fertur, gallum gallinaceum intra annum ſeptimum, & quartumdecimum, edere ovum: hoc ſi foveatur à buſone, enaſci inde baſiliſcum. Neque negandum, ex galli veteri ſemine, poſtquam coëundi deſiit conſuetudo, coagulari globoſum quid, idque ovi inſtar excerni. Sed non eò vera etiam, quæ de ovo hoc attexunt. Nam primùm obſtat, quòd gallus ipſe hoc fovere ſolet. Præterea credibile eſt, inde potiùs enaſci vermem venenatum, vel aliud virulentum: quomodo & ex homine vermes; ex fimo bubulo, muſcæ; ex aſini merda, ſcarabæi; & aliunde alia enaſcuntur animantia. De baſiliſco autem incredibile eſt. Verùm quia baſiliſcus his terris de nomine ſolùm notus eſſet: eò animal illud è gallinaceo natum, quale quale fuerit, conſpicientibus hominibus meticuloſis, horrendo baſiliſci nomine appellare viſum fuit. Vide ſis Lævinum Lemnium de Occultis Naturæ miraculis cap. XII.

Ac de baſiliſco quidem juniorum eſt error: at vetus ille de coitu pariter, ac partu viperæ. Antiquiſſimus, qui de eo egerit, Herodotus eſt in Thalia. Narrat ille, viperam marem in coitu caput inſerere ori conjugis, inque illud exſpuere ſemen: illam rabidâ libidinis voluptate caput maris præcidere. Sed catulos viciſſim, partus moram pertæſos, lateribus matris perfoſſis vi erumpere. Ita petire parentem utrumque. Atque hoc à Deo, & naturâ, ſtatutum ait, ne in immenſum excreſcat numerus viperarum. Hæc quin ab Ægyptiis, qui ſapientiæ parentes habiti ſunt, hauſerit Herodotus, nullus dubito. Siquidem Ægyptii, ut eſt apud Horapollinem in Hieroglyphicis cap. LIX, mulierem vitæ viri inſidiantem, ſoloque in coitu blandientem, deſignabant viperâ, quæ ὅταν συγγίνεται τῷ ἄρρενι, στόμα στόματι ἐμβάλῃ, καὶ μετὰ τὸ ἀποζευχθῆναι, ἀποδακοῦσα τὴν κεφαλὴν τοῦ ἄρσενος ἀναιρεῖ. *cum mare congrediens os ori inſerit, & a coitu diſcedens marem morſo capite interimit.* Nec facilè dixerim, quàm multi poſt Herodotum hanc Ægyptiorum fabellam fuerint ſecuti, tam illam de feminæ impietate in maritum, quàm prolis in matrem. In his Plinius lib. x, cap. LXII, & Ælianus lib. I de Animalibus, cap. XXIV. E noſtris item Prudentius in Hamartigenia. Solam ſobolis impietatem adduxit Appulejus in Apologia: *Vipera, ut audio, exeſo matris utero in lucem proſerpit: atque ita parricidio gignitur.* Ubi cautè ait, *ut audio.* Similiter B. Baſilius, rem eandem narrans Hexaëm. Homil. IX a, ait, ὥς φασι b. Et, quem dixi, Prudentius:

—Sic vipera, ut ajunt,
Dentibus emoritur fuſæ per viſcera prolis.

Imò ante tres illos Plutarchus de Garrulitate: Τὰς μὲν γὰρ βελόνας φασὶ ῥηγνυμένας τίκτειν, καὶ τὰς ἐχίδνας. *Acus enim ajunt parientes diſrumpi, & viperas.* Veterum & opinionem, & dubitationem vidimus. Plerique tamen, etiam ex doctoribus Chriſtianis ἀβασανίστως c id videntur arripuiſſe. In quibus eſt B. Chryſoſtomus in Matth. cap. XVII, homil. LVIII d: ubi, ait, τὰς τόκους κεφάλαιον ποιεῖν, καὶ βιάζεσθαι τὰ ἄωρα, καὶ ἀμβλωθρίδια προσγεννᾶν γεννήματα ἐχιδνῶν· *fœnora in ſortem redire coguntur, & immaturum, ac abortivum partum parere viperarum.* Hinc ſubjungit: Τοιοῦτοι γάρ εἰσι τόκοι τῶν θηρίων ἐκείνων μᾶλλον κατεσθίοντες, καὶ σπαράττοντες τὰς τῶν ἀθλίων ψυχάς· *Hunc enim in modum fœnora illa magis, quàm viperæ alvos parentum, vorant ac lacerant animas miſerorum.* Sed enim, quando oratores Chriſtiani rhetoriſſant, interque alia, ex ſcientia naturali illuſtrare ea volunt, quæ ad pietatem, ac mores pertinent; non tam ſpectari oportet, quicum aliquid confertur, quàm quod confertur; hoc eſt, cujus gratiâ comparatio inſtituitur. In illis enim, quæ extrinſecus advocantur, multo juſtiùs Theologis ignoſcendum, quàm poëtis: in quibus Ariſtoteles, & ejus paraphraſtes Aben-roes, diſtinguere jubent inter errores καθ' αὑτὴν ποιητικήν, καὶ κατὰ συμβεβηκός· *ſecundum artem poeticam, & ex accidenti:* ut fuſiùs explicamus, & multis oſtendimus poëtarum exemplis, in primo de arte Poëtica. Falſum verò eſſe tam de viperæ coitu, quàm partu, ſolidè comprobatur. Ac de coitu quidem eo abunde refellitur, quod ex ſectione cunctorum animantium apparet, non eſſe ab ore aditum ſemini ad vulvam; ſed cibo & potui ad ſtomachum, & inteſtina. Atque iſto etiam vulgarem de muſtelæ partu opinionem refutavimus lib. III, cap. LIV. Dixeris, ut hac parte falſi ſint, de altero tamen vel eo comprobari, quòd Romani quoque, hac opinione imbuti, propterea, ut gallum, canem, ſimiam, ita & viperam, culeo inſuerint cum paricida. Nam cur id fecerint, niſi quia ſimiliter viperæ catuli interimunt parentem ſuam? Specioſa quidem oratio. Sed veteres Romani magis intelligentes erant rei familiaris, & militaris, quàm naturalis ſcientiæ; vel etiam facundiæ, & aliarum Græciæ ſcientiarum, atque artium. Ut Ovidius e ait,

Qui bene pugnabat, Romanam noverat artem:
Mittere qui poterat pila, diſertus erat.

Sanè de catulis viperinis, latus matris effodientibus, abunde refellitur ab Apollonio apud Philoſtratum lib. II, cap. VII; ubi conſpectam ſibi ait viperam catulos lambentem. Ac pluribus de eo tractat. cap. prox. Ex eo quoque Photius idem memorat in bibliotheca ſua cod. CCXLI. Alii inſuper complures ſibi viſos ajunt, parente ſalvâ: in his Cæſar Scaliger Exercitat. CII: *Vidimus*, inquit, *in Vincentii Camerilli circulatoris ligneâ thecâ enatas viperillas parente ſalvâ.* Nempe viperæ & ipſæ quidem intus habent ovum: ſed intus etiam fovent, & excludunt. quod iis videtur proprium eſſe ex ſerpentibus; unde & *viperæ* quaſi *vivipara* dicuntur: non quia *vi pariant*, quod Iſidorus f putabat. Sed hunc Servius g decepit; uti illum Plinius; eum cùm aliis, & fortaſſe Ariſtoteles ipſæ malè intellectus; tum etiam Herodotus, de quo diximus. Præterea eo faciliùs ignoſcendum Grammaticis, quia & Græcis pleriſque ἔχις

a Pag. 118. edit. Græcolat. Pariſ. an. 1618.
b Ut ajunt.
c Citra probationem ad Lydium lapidem.
d Pag. 508. edit. Commeliana.
e Lib. 3 Faſt.
f Lib. 12 Orig. c. 4.
g In illud 3 Georg. Vipera delituit.

ἔχις ſic dici videatur, quia ἔχῃ, hoc eſt, contineat fœtum, uſque ad mortem. Sed veriſimiliùs dixiſſent, quia contineat, uſque dum vivum pariat fœtum: quod eſt in Etymologico magno.

Ne id quidem verè proditum à veteribus fuit, viperam deſiderare coitum murænæ marinæ; eoque ad litus ire, ſibilo murænam evocare, priùs tamen venenum deponere, quàm coeat cum muræna. S. Baſilius a ait, eſſe hoc adulterium naturæ, adulteroſque meritò viperis conferri. Addit idem, ſi vipera ante nuptias ſuas venenum ponat, multò magis homines cum junguntur matrimonio, aſperos & implacidos mores, ac quæcunque conjugium redderent infelicius, relinquere oportere. Quæ bellè quidem à ſancto viro dicuntur: ſed ceſſat ſimilitudo, ſi viperæ non coeunt niſi cum viperis, venenatum animal cum ſimili ſui.

a Hexaem. homil. 7.

De ceraſtis verò non ſatis dicere poſſim, num vivos pariant fœtus, an ova. Prius negant veteres, qui ſolius hoc viperæ proprium putarunt: ut ex iis liquet, quæ antea adduximus. Sed enim doctiſſimus Brodæus Miſcellaneorum lib. III, cap. XI, longè aliter: *Viperam*, inquit, *à cæteris ſerpentibus diſtinguere ſolent, quòd animal pariat. Id verò ceraſtæ quoque uſuvenire certum eſt. Nam qui beſtiam hanc, diſcendi ſtudio, in Ægypto, & Africâ, diſſecuerunt, catulis gravidam multoties offenderunt.* Interim Brodæo in eo de ceraſtis haud facile ſe aſſenſurum ait Dalecampius ad Plinii lib. X, cap. LXII. Mihi ſatis veriſimilis videtur Brodæi opinio. Siquidem ſi viperæ vivos pariant fœtus, quid mirum de ceraſtis? quando formâ referunt viperas; imò viperæ credi poſſent, niſi triplex obſtaret diſcrimen. Primùm enim, ut Nicander in Theriacis docet, cornua, ſive quiddam corniculis ſimile habent. Præterea non, ut viperæ, rectâ ſerpunt, corpore neutrum in latus fluctuante; ſed, more claudicantium, nunc in dextrum, nunc in ſiniſtrum latus inclinant. Adhæc præſentius eſt venenum viperæ, quam ceraſtæ: ut à quo morſus non ad tertium modò diem, quod in morſu fit viperino; ſed ad nonum etiam diem ſupervivat, idque citra dolorem vehementem. Verùm iſta oſtendunt, non per omnia viperæ, & ceraſtæ, convenire. Attamen non evincunt in tanta ſimilitudine formæ etiam eo eſſe diſſimiles, quod viperæ pariant animal vivum, ceraſtæ non item. Nam ejus generis diſcrimina etiam in eadem ſpecie reperias: quanto igitur magis in vicina, & ſi non eadem, ſaltem cognatâ, & quaſi conſanguineâ.

Scorpiones ſæpe ad undecim generare, Ariſtoteli proditum eſt lib. V Hiſtor. Animal. cap. XVI, ſive ex Cæſaris Scaligeri diſtinctione cap. XXI, ſect. CCLXVI.

Cap. LIII.

Hinc actum de anguium magnitudine. Quantus fuerit ſerpens, quicum ad Bagradam pugnarunt Romani. Cur in Aſia majores ſint ſerpentes, quam in Europa: inque ſeptentrionalibus plagis grandiores homines, quàm Auſtralibus locis. Quæ magnitudo ſerpentum in India. De ſerpentibus, qui ſolidos, pueros, ac capras deglutierint. Quæ menſura illorum in America. Acceſſum deinde ad anguium temperamentum. Unde hæmorrho, & dipſadi *nomen, & Hebræo* tſimmaon. *Serpentium fel calidum eſſe, à quo venenum: corpus autem frigidum potius videri: variiſque id argumentis comprobatum. Cur angues pilis careant, vino gaudeant, hieme ſub terris deliteſcant, æſtate etiam diutiſſimè citra cibum adſerventur. Atque idem firmatum ſerpentibus Mexicanis. Cur item ſerpentes hieme non exſerant venenum. Quamobrem amphisbæna ante ſerpentium alios hibernas deſerat latebras. Quas* exuvias, *vel* ſenectam *anguis dicimus, non eſſe nativam ejus pellem. Origo proverbii,* inanior leberide. *Ut fœniculi, vel marathri uſu viſum recuperet ſerpens, & cur ſe juniperi ſpinis ſcabat. Unde* ſcytales, & cœculæ *appellationes. Quare maximè infeſta ſint itinera à ſerpentibus circa meridiem.*

JAm videamus, quantam in magnitudinem excreſcant ſerpentes. Notiſſimum eſt, ut ſerpens ille, quicum ab Romano exercitu, duce Attilio Regulo, ad Bagradam flumen pugnatum fuit; pedum fuerit centum & viginti: cujus & pellis ad bellum uſque Numantinum duravit. Teſtis Livius, ut ex epitomes libro conſtat XVIII: item Valerius Max. lib. I, cap. ult. Plinius lib. VIII, cap. XIV, Agellius lib. IV, cap. VIII.

Magnos & Aſia, & Africa, ſerpentes habet: ſed longè minores in Europa. Cauſſa ejus diſcriminis eſt ab majori eorum locorum calore, qui nativum in frigido hoc animante intendit. Contrà igitur hic uſu venit, quàm in hominibus: qui in Septentrione, locisque frigidis majores fiunt, frigore, quod ambit, poros conſtringente, ne calor evaporet; caloreque ita conſervato, plus exigente alimoniæ, unde iis incrementum. Ariſtobulus tradidit, viſam ſibi in India viperam novem cubitorum, & dodrantis. Teſtis Strabo in XV. Atque addit, ſibi quoque in Ægypto conſpectam viperam, inde allatam, paris fere magnitudinis: imò Nearchum prodere, eſſe & in India viperas feminas cubitorum ſexdecim. Plinius lib. VIII, cap. XIV narrat ex Megaſthene, in India ſolidos etiam cervos, tauroſque, hauriri à ſerpentibus: ac Romæ in Vaticano, temporibus Claudii imperatoris, in corpore boæ (ſerpentis ita dicti, quia ſuctu bubuli lactis a alatur) integrum eſſe puerum repertum. Ibidem legas: *Metrodorus ſcribit, circa Rhyndacum amnem in Ponto ut ſupervolantes, quamvis altè perniciterque, alites hauſtu raptas abſorbeant.*

a Plin. ibid.

Ælianus quoque aliqua habet de magnitudine. Nam aſpides etiam ad longitudinem quinque cubitorum accedere, dicit lib. VI de animal. cap. XXXVIII. Apud Scyritas, gentem Indiæ, vel ultra Indiam, maximos eſſe ſerpentes ait; quorum aliqui greges pecorum rapiant, & vorent. Vide eum lib. XVI, cap. XXII. Idem lib. XVII, cap. II narrat, circa Indiam gigni ſerpentes XVI cubitorum: & ejuſce rei auctorem laudat Clitarchum. Ac, ut idem refert lib. XVIII, cap. III, Nymphis lib. IX de Ptolomæis tradidit, in Troglodytica regione excreſcere uſque ad XV cubita.

Etiam Aloyſius Cadamuſtus, Navigationis ſuæ cap. XXVIII (ubi loquitur de Senega, Africæ regione ex iis, quæ ſunt Nigritarum) *Ibi*, inquit, *inveniuntur ſerpentes tantæ vaſtitatis, ut integras capras hauriant, nec lancinent: ſolidè devorantur.* Quod ipſum, ſed diſſimulato, unde hauſerat, auctore, Cæſar Scaliger prodidit adverſus Cardanum Exercit. CLXXXIII, ſect. VI: atque iterum Comment. in Ariſtotelis Hiſtoriæ Animal. lib. II, cap. XVIII, ſect. CXXIII. Ubi & iſta legas: XV *eſſe cubitorum in India; ad mare Rubrum*, XL; *in Æthiopia, paſſuum* XXX; *eoſque elephantorum interfectores patriâ voce vocari; in Phrygia, pedum* XL. Hinc memorat, ſed fuſiùs, quod ex Metrodoro, Plinioque, antea adferebamus. Atque addit, quod de Senega retulimus. Poſt pauca ſubjungit: *In Macra ſerpens ſpectaculo fuit mortua ingenti longitudine, tam craſſa, ut utrimque ſedentes in equis contueri inter ſe nequirent: hiatu tam vaſto, ut equiti aditus eſſe poſſet ſquamæ* b *clypeorum orbibus pares. Ad Cathaium, quæ pars ultima Scythiæ eſt, quinquagenûm pedum ſerpentes eſſe, denos pedes implere craſſitudine, ungues leoninos habere ſine pedibus, proditum eſt: oculorum orbes pedum ternûm, tam grandi hiatu, ut hominem integrum excipere valeant: formidini eſſe cæteris omnibus animantibus, etiam urſis & leonibus, quos noctu invadant, & conficiant: interdiu latere: ingredientibus terra, quæ tota conſtat ſabulonibus, ſubſidit tanto ſulco, ut dolium ea parte tractum putes. In eo ſulco latentes hamos ferreos præacutos figunt venatores, quibus illa transfixa aut perit, aut inutilis fit ad ſubſiſtendum.*

b Sic reſcripſi pro ſquamas. Niſi Scaliger ſcribere voluit: Squamas habuit, vel ſimile quale ajunt.

Aliqua etiam ex juniorum aliis addemus. Vaſta quoque magnitudo eſt Americano ſerpenti dicto *canaubcoatl* c. Craſſitudo illi hominis: ſed duplo ſuperat longitudine. Contigit, ut inſederint illi Indi, pro trabe habentes, donec, illo devehente, inſeſſores id animadverterent, & territi conſurgerent. Aliquando autem & duodeviginti militibus ſedes fuit.

c Jo. Euſeb. Nier. lib. 12 Hiſt. Nat. cap. 17.

Bain-

Bambæ ſerpentes ſuperant longitudine palmos viginti quinque, ac quinque latitudine: ut ex oculatis teſtibus relatum Petro Jarrico; ex hoc, Euſebio Nierenbergio *a*.

a Lib. 12 Hiſt. Nat. cap. 39.

Qua verò de cauſſa in tantam magnitudinem plerique excreſcant ſerpentes, diſſerit adverſus Cardanum Scaliger Exercitat. CLXXXIV, ſect. 1.

A magnitudine ad temperamentum tranſeamus. Serpentibus omnibus temperiem eſſe frigidam, communis eſt opinio: cui tamen jam olim adverſatus eſt Avicennas in VI quarti tractatus cap. XXI, & in II de Medicament. cap. de ſerpentibus: quibus locis contendit, calidos eſſe, quia ſanguinem accendunt. Sanè ſi vipera corpus hominis vulnerarit, ſic veſicis intumeſcit, quaſi ambuſtum foret. Hæmorrhoi venenum ita exſiccat cutim, ut ea rumpatur, & cruorem ſtillet undique: unde & ſerpenti hoc nomen. Διψάδες eorum, quos læſerint, ſanguinem ita exſiccant, ut morſi perpetuò ſitiant: unde & ſic vocantur, quia διψᾷν eſt *ſitire*: ac Hebræis, ut Deuter. VIII, 15. צִמָּאוֹן tſimmaon dicuntur à צָמֵא tſama, *ſitire*. Sed vim iſta deperdunt, ſi dicamus, ſermonem nobis eſſe de corpore ſerpentino, non felle duntaxat; quod calidum eſſe, non inficiamur. At verè venenum ſerpentis eſt in felle; ut ait Plinius lib. XI, cap. XXXVII. Atque hoc felleum virus (ſive ſit à cavernulis ſub dentibus, ſive à vena ſub lingua) ſerpens iratus in eum effundit, quem momorderit. At corpus ipſum eſſe frigidum, non à Galeno ſolùm aſſeritur, de Ther. ad Piſonem cap. VIII, & lib. II de temper. cap. V: ſed contactus ipſe frigidus vel mediâ arguit æſtate: ac multæ idem rationes evincunt. Talis eſt, quòd paucum habeant ſanguinem, in quo animalium calor conſiſtit. Item quòd pilis careant, cùm calidi eſſe piloſi ſoleant, ac hirſuti. Præterea quòd vino gaudeant ad calorem ſuſcitandum. Unde &, ubi ſe vino inebriarint, faciliùs capiuntur *b*. Item quòd tempore hiberno quatuor menſibus *c* lateant ſub terris: quò ſe abdunt, ne ab frigore externo prorſus exſtinguatur calor nativus. Itaque interim ob caloris hujus imbecillitatem jacent ſopiti, & quaſi immobiles: unde & tum capias facillimè. Idem eo arguitur, quòd menſibus hiſce hibernis ſint cibi expertes *d*. Imò & æſtate à pharmacopœis *e* ad menſes complures in pyxidibus adſervantur abſque cibo. Et ne ſolos pharmacopœos dicam, magnum audiamus Scaligerum Comment. in Hiſtor. Anim. lib. II *f*: *Nos incluſum ligneâ caveâ anguem mediâ æſtate duos menſes vivum habuimus nullo fotum alimento.* Idem confirmatur ſerpentibus Novi Orbis. Nam ſerpens, qui Mexicanis *aquaquetzpallin*, Haitinis *iguana* dicitur, ſi vel decem, aut viginti dies alligâris alicui rei, citra ſomnum, vel noxam ullam, citra etiam cibum, vel potum durabit: ſi tamen herbam, vel aliud præbueris, comedet illud: ut eſt apud Oviedum, & Euſebium Nierenbergium lib. XII Hiſtor. cap. 1. Idem ex Hiſpanorum commentariis tradit ejuſdem libri cap. 1, in regione Mexicana ſerpentem eſſe nomine *teuthlacocauhqui*, quaſi dicas dominam ſerpentum: hunc etiam annum integrum durare ſine cibo potuque, iis teſtibus, qui domi eum alere ſolent. Atqui, ſecundùm Hippocratem, animantium illa multo etiam indigent alimento, quibus multum eſt caloris. Eamque longioris inediæ in variis animantibus cauſſam etiam adducit Albertus M. lib. VII de Animalibus, cap. IV. Præterea huc pertinet, quòd ſerpentes hieme, utcunquè habeant venenum, non tamen id exſerant: nempe quia, ut dixi, frigore torpeant toti. Unde etiam eſt, quòd vere novo prorepant è latibulis caloris deſiderio: niſi quòd paullo ante ver, nempe cùm cicadæ incipiunt canere, prodeat amphisbæna, unde colligas, calidioris eſſe temperamenti, quàm ſerpentium cæteros.

b Ariſtoteles Hiſt. An. lib. 8. cap. 4. & Plin. lib. 10. cap. 72.
c Ariſtoteles lib. 8 Hiſt. An. cap. 15.
d Ariſtot. lib 8 Hiſt. An. cap. 4.
e Ariſt. ibid.
f Cap. 18. ſect. 123.

Non prætereunda verò hic mira Dei providentia in ſerpentibus, cùm primum è latebris exeunt. Nam dum diu adeò torpent in cavernis, ſitu mucoque obducuntur; qui concreſcit, condenſaturque circa corpus univerſum, ac cutis ſpeciem habet; etſi nihil ſit niſi ſordes induratæ ad figuram corporis ſerpentini. Sic affecta ſerpens locum quærit anguſtum, eumque penetrando diſtringit hanc quaſi pellem: quæ & vulgo vera ac antiqua pellis putatur. *Exuvias* dicunt, quia exuantur: uti &, quia ſic ſerpens quaſi rejuveneſcit, Latinis *ſenecta*, Græcis γῆρας vocatur. Ad utrumque hoc attendit Tibullus lib. 1, eleg. IV.

—— Serpens novus exuit annos.

Et Maronis eſt III Georg.

Cum poſitis novus exuviis, nitiduſque juventâ.
Volvitur.

Gloſſ. Cyrilli: Γῆρας ὄφεως, *ſuperficies*: adde, *ſerpentis*. Ac quoniam ſuperficies ea exuitur vere; eò & dicta *vernatio*. Onomaſticum vetus: *Vernatio*, λεβηρίς. Quia autem pellis iſtæc exuta planè eſt exſucca, & inanis; aſpera etiam ob ſiccitatem; nec oculos, ſed veſtigia ſolùm oculorum habet: hinc proverbia illa, γυμνότερος λεβηρίδος, *nudior leberide*, ſive *exuviis*: κενώτερος λεβηρίδος, *inanior leberide*: κεντεότερος λεβηρίδος, *aſperior leberide*: τυφλότερος λεβηρίδος, *leberide cæcior*. Prætereo, quòd ex diuturna ſub terris vita ſit offuſa oculis caligo, & eo fœniculum quærit, quo eos purget, & abſtergeat: ut eſt apud Ælianum lib. IX Hiſtor. cap. XVI. Atque ante eum (non poſt eum, quod doctiſſimus Grevinus *a* ſcripſit) idem traditum Plinio lib. VIII, cap. XXVII: qui tamen pro *fœniculo*, *marathrum* nominat: vernationem autem fœniculo fieri ait: *Anguis*, inquit, *hiberno ſitu membranâ corpori obductâ, fœniculi ſucco impedimentum illud exuit, nitiduſque vernat. Exuit autem à capite primùm; nec celeriùs, quàm uno die ac nocte replicans, ut extra fiat, membrana quod fuerat intus. Idem, hibernâ latebrâ viſu obſcurato, marathro herbæ ſeſe affricans, oculos inungit ac refovet: ſi vero ſquamæ obtorpuere, ſpinis juniperi ſe ſcabit.* Sola verò ſcytale (ſic dicta à figura; quia ſimilis ſit baculo, cui inſeritur ligo) non comedit fœniculum, ut recuperet viſum: unde & eadem putatur; ac Latinorum *cæcula*; cui à cæcitate id nominis datum.

a Lib. 3 de venenis, cap. 3.

Memoravimus, quomodo ſe habeant ſerpentes tum hieme, tum quando, Sole Arietem ingrediente, prodeunt è latebris. Quanto autem magis calor anni procedit, tanto magis vires recipiunt, & nocentiores fiunt, præcipuè æſtate, idque tempore meridiano: ut non paullo tutiùs ſit per loca ſerpentibus infeſta iter facere, poſtquam ſolis calor jam remiſerit.

Cap. LIV.

Quòd ſerpentes guſtus ſenſu multùm valeant, id ex eo eſſe, quia linguam habeant biſulcam. Utrùm, ex Ariſtotelis opinione, primore in lingua, an propius radicem, ſit guſtus. Nullos eſſe ſerpentes bilingues, etſi eos ſic vocârit Plautus. Καταγλώττισμα *deſcriptum eidem Comico. Unde error profluxerit de ſerpente bilingui, gemina conjectura. Cur dracones theſaurorum ſtatuantur cuſtodes; quare ſacri Æſculapio; cur ſignum Romanarum fuerint cohortium; cur item Aſſyriarum. Unde Hiſpanicum* alfiero. Draconarii *qui dicti. Viſu etiam pollere ſerpentem pariam, ſive pariam, & unde hoc nomen acceperit. Quare aſpidi, & amphisbænæ, viſus ſit obtuſus.* Ἔλωπες *luſci,* τυφλῖνοι *cæci. Serpentes vernationis tempore male videre, & huic vitio conſulere marathro. An propriè, & hiſtoricè, capi debeat, quod David ait, aſpides obturare aures, ne audiant verba incantantis.* Κωφίαν, & τυφλίαν, *diverſos videri; etſi aliter ſcriptum Heſychio.* Κεράσται *unde dicti: an vera habeant cornua: & quo dolo capiant aves, hómineſque etiam adoriantur. Quomodo ranis inſidientur hydri. Eoſdem dici cherſydros; etſi aliqui ſpecie differre docuerint. Ut* δρυΐνη *nomen acceperit ex eo, quod, perſequente aſilo, ſive tabano, recipiat ſe in cava quercus. Calliditas, ac vis ſerpentis canauhcoal, dum cervis inſidiatur, & vi anhelitus attractis ſanguinem exſugit. Serpentium concordia inter ſe. Pugna draconis cum elephanto. Aſpidis amor erga conjugem. Cur reges Ægyptii pictam aſpidem in corona geſtarint. Viperinæ iræ indicia. Tangiìur ſolum, quam baſiliſcum metuant ſerpentes cæteri.*

ATque hæc de generatione, magnitudine, temperie ſerpentium ad facultatem pertinent vegetativam. Proximum eſt, ut de ſenſiva diſſeramus. Sed non eſt, quòd inſiſtamus tactui, cùm ſine eo animal eſſe non poſſit. De guſtu item liquet. Imò eo pollent ſerpentes præ animantium plurimis. Cujus ratio eſt, quòd linguam habeant (ut Ariſtoteles *a* ait) δικρόαν, καὶ τὸ ἄκρον λεπτὸν καὶ τριχῶδες, διὰ τὸ λίχνον τῆς φύσεως. διπλῆν γὰρ τὴν ἡδονὴν κτῶνται τῶν χυμῶν, ὥσπερ διπλῆν ἔχοντα τὴν τῆς γεύσεως αἴσθησιν. *biſidam, & parte extremâ capillamenti tenuem, propter ſuæ naturæ cupediam. Duplex enim voluptas iis capitur, quaſi duplicem ſenſum guſtandi habeant.* Quæri ſolet, vigeatne guſtus in priori, an poſteriori linguæ parte. Ex allatis verbis colligas in priorem ſententiam proniorem fuiſſe philoſophum. Porrò quidam bilingues etiam ajunt eſſe ſerpentes. Unde Perſa II, IV:

a Lib. 2 de Part. Anim. cap 17.

Tanquam proſerpens beſtia, eſt bilinguis, & ſceleſtus.

Et Pœnulo V, II:

Biſulcilingua, quaſi proſerpens beſtia.

Et Aſinar. III, III: ubi de oſculo quod καταγλώττισμα dixere, ſermo eſt:

Fac proſerpentem beſtiam me, duplicem ut habeam linguam.

Sed angui nulli bina eſt lingua, verùm unica; quæ tamen bifida videatur, quia dum protenditur longiſſimè, quibuſdam quaſi capillamentis diſcernitur; ut paullo antè diximus. Niſi potiùs ex eo profluxit error, quòd ſerpentes in coitu mutuis ita implicentur nexibus, ut qui ſic eas ex longinquo, vel propiùs etiam, ſed terrore mentem exterminante, conſpexerint, videantur ſibi unicum videre ſerpentem, craſſi admodum corporis, ſed capitibus hinc inde diſcretis. Hæc de guſtu, & ejus inſtrumento.

De odoratu etiam, qui guſtui prævius, res liquet. Interim non capiuntur odore, quatenus ſunt res odoratæ: ſed quoniam conducunt ad explorandum alimentum; ut vidimus lib. III, cap. XXX.

Hæc igitur, quia vel aperta ſunt, vel jam dicta; ſolùm ſupereſt, ut de viſu, & auditu, quædam afferamus.

Dracones viſu valere, alibi retulimus: & inferiùs etiam aliquid de eo dicendum erit. Ideo fingebantur theſaurorum cuſtodes; ubi vigilantiâ opus. Æſculapio etiam ſacri, quia medicum circumſpectum eſſe oportet. Eadem virtus in militia requiritur: ad quod ſignificandum, poſterioribus Romani imperii temporibus draco ſingularum erat cohortium ſignum: ac ut qui aquilam ferret, ex eo dictus *aquilifer*, (unde Hiſpanicum *alfiero*) ita qui geſtarent dracones, *draconarii* vocabantur: ſicut eſt apud Modeſtum de vocabulis rei Militaris. Græcis ſimiliter dicti tum δρακονάριοι, ut liquet ex Leonis Conſtit. III: tum δρακοντιοφόροι, quod eſt in Gloſſis Græcolatinis. Conſtantinopolitanos verò imperatores hunc morem accepiſſe ab Aſſyriis, tradit Codinus *b*. Sed hos arbitror alio ſpectâſſe. Nam draco illis vel numen Bel, vel numinis erat ſymbolum. Nota res vel ex illo, quem Daniel, ſive prophetes, ſive junior ex tribu Levi *c*, interemiſſe legitur. Quare potiùs his ſymbolum fuerit numinis, quod pro exercitu vigilaret.

b Lib. de Officiis Conſtantinopolitanis, pag. 108. edit. Commelianæ, à primo editore Franc. Junio, ſocero meo, procuratæ cum tralatione ejus ſcriptoris, & in eum notis.

c B. Hieronymus præfat. in Dan.

Ab acerrimo viſu etiam commendatur παρείας, ſive παρειάς, Ariſtophani memoratus in Pluto, ac, ut ejus ait interpres, hoc nomen inde adeptus, quòd habeat tumidas & inflatas maxillas, quæ Græcis παρειαί. Addit, etiam meminiſſe ejus Demoſthenem, & Lycurgum in illa adverſus Demadem: conſpici Alexandriæ, ac in templis τοῦ Διονύσου *d*. Eſſe verò, ut dixi, ὀξὺωπὸν τὸ ὄμμα *e*, apud Ælianum legas Hiſtor. Anim. lib. VIII, cap. XII.

d Liberi ſive Bacchi

e Acri oculorum viſu.

Aſpidi tamen viſus eſt hebes, ac oculos dicitur non in fronte, ſed temporibus *f*, eoſque ſanguineos, habere.

f Cæſ. Scal. in Ariſt. Hiſt. An. lib. 2. cap. 18. ſect. 123.

Amphisbænæ alia de cauſſa, nempe ob genas prælongas, quæ obducuntur oculis, viſu ſunt obtuſo ac imbecilli.

Ἔλοπες Nicandro in Theriacis memorati (ubi tamen alii ἔλλοπας malunt) μονόφθαλμοι, ſive luſci eſſe dicuntur, & inde hoc nomen ſortiti, ὅτι ἐλλείπουσι τὴν ὄπα, hoc eſt, ὄψιν *a*: aliter nempe, quàm piſces, dicuntur ἔλλοπες, quaſi ἐλλείποντες τῆς ὀπός, hoc eſt, φωνῆς *b*, ut idem ſit ac ἄφωνοι *c*. Similiter ex re dicuntur τυφλῖνοι, qui Nicandro *d* τυφλῶπες, quaſi τυφλοὶ τοὺς ὦπας *e*. Τυφλίας pro eodem legas apud Heſychium in Κωφίας. Sed τυφλῖνος retinet in litera τ. Femina dicitur τύφλαινα. Non incommode *cæciliam* reddebat Gaza.

a A viſu deficiente.

b Ob defectum vocis.

c Muti.

d In Theriacis.

e Oculis capti.

Imò nec ſerpentium alii æquè ſemper cernunt. Hebet viſus, cum exuunt ſenectam, quam, ut retuli *f*, *vernationem* dicimus. Huic quomodo tum conſulant, docet Plinius lib. VIII, cap. XXVII, verbis hiſce etiam ſuperiùs adductis: *Anguis hybernâ latebrâ viſu obſcurato, marathro herbæ ſeſe affricans, oculos inungit ac refovet: ſi verò ſquamæ obtorpuere, ſpinis juniperi ſe ſcabit.* Hæc de viſu.

f Cap. ſuperiori.

Audire etiam ſerpentes, arguit, quòd David Pſal. LVIII *g* dicat, aſpides caudâ obturare aures ſuas, ne verba audiant incantantis. Id ni faciant, carmina vim habere exiſtimantur. Sanè Cæſar Scaliger Comment. in lib. II Hiſt. Anim. *h* ait: *Nos aliquando vidimus, cantationibus è cavernis exciri ſerpentes.* Non tamen propriè loquendo, aures habent: unde ab Italorum vulgo, ſerpens is vocatur *ſurdus*. Et operæ eſt audire, quæ de iſto Scaliger poſt verba adlata continuò ſubjungat: *Aſpidem ajunt, verborum vim ubi ſenſerint, promovere ad evocatorem. Inde alteram aurem terræ affigere, alteram caudâ inditâ obſtruere; ita conſopiri non poſſe: magnis mendaciis: neque enim aures habent.* Dixeris: quomodo igitur divinus pſaltes ait, aſpides aures obturare? Nempe hæc à poeta divino elocutione poeticâ efferuntur: quod pluribus exponerem, niſi alibi feciſſem. Sufficit huic loco, quòd audiat: ut vel inde cognoſcitur, quòd, licet progrediatur motu haut vegeto, oculis conniventibus, quaſi dormitaret; hanc tamen ignaviam, ut ibidem Scaliger ſubdit, *accepto ſonitu, aut viſo aliquo, illico excutit, atque caput tollit.* Imò fertur, ut ibidem addit, *auditu promtiore eſſe, viſu hebetiore.*

g Al. 57. verſ. 5.

h Cap. 18. ſect. 123.

Sunt interea & ſerpentes vocati κωφίαι, hoc eſt, *ſurdi*, vel *ſurdaſtri*. Mirùm verò, quod ait Heſychius: Κωφίας, ὄφεως εἶδος, ὁ καὶ τυφλίας. *Cophias, ſerpentis genus, qui & typhlias.* Κωφίας enim *ſurda*, vel *ſurdaſtra*; τυφλίας, *cæca*, vel *cæcilia*. Ut non dubium videatur, quin ut viſus, & auditus, ſpecie differunt; ita & hi ſerpentes ſint ſpecie diverſi. Memorari etiam illud meretur, quod Cæſar Scaliger monet commentario in Ariſtotelis Hiſtor. Anim. *i* *Sunt & ſurdi unde, etiam κωφίαι dicti. Quamquam in vetuſtiſſimo codice, qui inter paucos nobiliſſimæ Caſtis, principis Scaligeri, bibliothecæ nobis ſuperſtes eſt, ῥοφίαι ſcriptum eſt, a voracitate ſcilicet.* Sane ῥοφεῖν, *ſorbere*.

i Lib. 2. cap. 18. ſect. 123.

Ab his ad ea accedam, quæ animi ſagacitatem, & affectus, ac mores teſtentur. De vafritie teſtis Moſes Geneſ. III, I; ubi ſerpens vocatur φρονιμώτατος *k*, ut habent LXX; ſive πανοῦργος, ut vertit Aquila, quod Hieronymus tranſtulit *verſipellis*. Notum etiam illud Chriſti apud Matthæum X, 16: *Eſtote prudentes, ſicut ſerpentes.* Calliditatis ſerpentinæ varia memorantur indicia: inter alia de ceraſtis, viperarum genere, ſic nuncupato, quia in fronte binæ, ac interdum, ut Plinius, Solinus, & Arabes, docent, quaternæ etiam ſint eminentiæ, quas vulgo vocant *cornua*. Solent hi ſeſe occultare in ſabulo, ſolis exertis corniculis. Quibus aviculæ conſpectis, (ſunt enim granis frumenti ſimilia) quaſi ad eſcam advolant: atque ita miſerè pereunt. Iidem ſæpe latitant in orbita, vel arena concolori: unde in feras, ipſoſque homines, ſed à latere, impetum facere ſolent.

k Prudentiſſimus.

Quâ ſolertiâ ſe ſuſtentet hydrus, ſive natrix; ſic Cæſar Scaliger αὐτόπτης *l* enarrat *m*: *Quamdiu ſuppetit aqua ſtagnis, ranis veſci vidimus nos: coaxantes enim in aprico ex inſidiis obliquus invadit. Illa, morſu correpta, clamorem tollit, atque in aquam trahit: hic lubricus ſubſiſtere non valet. Tum major eſt rana, quàm ut primo captu devorari poſſit. Quare dum morſum repetere vult, quo ulterius occupatam deglutiat, facilius illam abire vidimus; hunc ad aliam prædam converſum eſſe.* Idem, poſtquam

l Oculatus teſtis.

m Comment. in lib. II Ariſt. Hiſt. Animal. cap. 18. ſect. 123.

Ca-

Caniculæ æſtu palus propè exaruit, ſic ut ranæ iſtic vix ſuppetant, in terras abit, atque ex eo *cherſydros* vocatur. Dum hic ranas perſequitur, alium invenit ſtagni incolam, planeque inimicum; inſectum nempe, quod Græcis μύωψ: Latinè *aſilum* Gaza, *tabanum* reddebat Cæſar Scaliger *a*. Hoc invadente, recipit ſe fugâ in cavernam quercus, vel fagi. Atque hinc nomen ei δρυΐνη, quaſi cum Scaligero *b quercuam* dixeris. Sed eidem tamen in iſto Nicander adverſatur, quòd *hydrum*, & *dryinam*, eundem putet. Hic enim ſimiles ait, ſed diverſos. Verùm pro ſe adfert Scaliger, quòd Nicander ipſe ſcripſerit, dryinam, palude relictâ, & ulvâ, ranunculos perſequi in terris: quem ſane hydri eſſe morem, ſatis convenit.

a Comm. in lib. 2 Hiſt. An cap. 18. ſect. 123.
b Ibid.

Quantæ etiam eſt calliditatis, quòd ſerpens Indicus canauhcoal (Hiſpani vocant *culebras bobas*) non quidem vi animal adoriatur; ut qui motſu ſe innoxium ſciat: ſed ſub folus ſe occultet, ne conſpiciatur à cervis, qui præterire parant! Uti & quanta vis, quod tranſeuntem eum attrahat in latibulum ſuum, idque vi anhelitus! Hic verò arctè adeò cervum complectitur, ut eum exſtinguat. Incredibile id videretur, niſi longitudine hominem excederet duplo; craſſitie verò æquaret; ut ſuperiùs *c* etiam diximus. Sed quo pacto cervum voret, pilis uſque adeò horridis obſitum? Hic quoque prudentia ejus ſe oſtendit. Nam quia cervus ſic idoneus non ſit eſui; eò priùs lambit, ſalivaque ita præparat, ut commodè ſatis ſanguinem, & quicquid nutriendo idoneum eſt, exſugat. Video hunc ſerpentem vocari *anguem ſtupidum*; etiam à Joanne Euſebio Nirenbergio in Naturæ hiſtoria *d*. Sanè corporis ſtupor videtur, quòd ſic jacere ſoleat immotus. Sed ſtupor ingenii facilè refellitur iis, quæ diximus. Cæterùm hic, tam inimicus cervis, à formicis necatur, patulum ejus os ingreſſis. Nimirum nihil tam potens eſt in rerum natura, quin everti poſſit à multò minori. Quod in rebus humanis etiam locum habet. Hoc multi, dulci fortunâ ebrii, non cogitant. Sapientes contrà in animo ſemper habent illud vetus *e*, Ἔνεστι κἀν μύρμηκι χολή *f*.

c Cap. 53.
d Lib. 12 cap. 17.
e In proverbiis Diogeniani centuria 4 prov. 48.
f Formicæ ſua etiam bilis ineſt.

Hæc ſollertiam teſtantur. Nunc videamus de affectibus, ac moribus. Serpentum inter ſe concordia eſt. Nam, ut Plinius *g* inquit, *ſerpentum morſus non petit ſerpentes*. Muribus verò terras purgant ſerpentes, inde vocati myothecæ ſive ut Nicander nuncupat, myagri, qui & coronatos appellat, à lineis pictis.

g Proœmio lib. 7.

Dracones perpetuâ cum elephantis diſcordiâ bellantur: ut idem ait lib. VIII, cap. XI. Inque nummis Julii Cæſaris videas unum, in quo pugna elephanti, & draconis: alterum, in quo draco obtritus ab elephanto.

Etiam ab ſerpentibus homines amari, inferiùs oſtendam.

Aſpidis ira inde elucet, quòd initura pugnam dat ſibilo ſignum. Et ira, & pariter amor, ex eo, quòd ſemper cum conjuge vagatur, &, alterutrâ interfectâ, ſuperſtes notat percuſſorem, in eum, illæſis cæteris, impetum facit; nec perſequi ceſſat, niſi obſtet turba multorum, quorum interventu, attingere non poſſit. Hujuſmodi & populi eſſe amorem convenit erga regem ſuum: quòd ut reges indicarent Ægyptii; coronis ſuis pictæ ſymbolum aſpidis geſtabant. Niſi altera magis ratio placet, quòd ea ſignificentur vires regni invictæ; quomodo venenum etiam aſpidis ἀνίκητον *h*. Hanc cauſſam adducit Ælianus lib. VI de Anim. cap. XXXVIII. Magnum etiam & iræ, & amoris eſt argumentum, quod nec catulis parcit malè de hoſpite meritis. Plinium *i* audi: *De aſpide miraculum Phylarcho reddatur. Is enim auctor eſt, cùm ad menſam cujuſdam, veniens in Ægypto aleretur aſſiduè, enixam catulos, quorum ab uno filium hoſpitis interemtum: illam reverſam ad conſuetudinem cibi, intellexiſſe culpam, & necem intuliſſe catulo, nec poſtea in tectum id reverſam.*

h Invictum.
i Lib. 10. cap. 74.

Viperæ iram cognoſcas ex oculis, quæ iraſcentibus inflammantur: etiam biſulcam vibrat linguam, ac caudam ſinuat extimam.

Et quam ſerpentium alii formidant baſiliſcum! Audito ejus ſibilo cadaver relinquunt, properè ſe ſubducentes fugâ. Sed de eo infrà pluribus.

Cap. LV.

Serpentes omnes pedibus carere: progredi autem eo modo, quo natant anguillæ, nempe corporis flexu: cui in minoribus ſerpentibus ſpinæ; in majoribus, oſſa inſerviunt. Coſtarum, & ſquamarum, in iiſdem utilitas. Cur attributa facultas caput in ſublime efferendi: item convertendi illud, reliquo corpore quieſcente. Particulatim de progreſſu aſpidis, viperæ, ceraſtæ, hæmorrhoi, ſepedonis, cenchrenes, acontiæ, amphisbænæ. Serpentes reſpirant. Quorſum lingua ſit iis data. Prodigioſus ſerpentis latratus.

A Senſu, & affectu, nunc conferam me ad facultatem locomotivam. Serpentes non graduntur, cùm pedibus careant: niſi verùm eſt, quod Plinio *a* traditum, viſas eſſe ſerpentes pedibus anſerinis. Objiciat quoque aliquis dracones, quos effingunt quadrupedes. Baſiliſcus item dicitur habere formam gallinaceo ſimilem, ac pedes binos. Sed ſunt hæc nugatoria. Quia verò ſerpentibus greſſus eſt negatus, eo datus iis corporis flexus, ad modum quo lampetræ natant; item anguillæ, cui & duæ pinnæ adduntur. Nempe ſicuti piſces, qui ſerpentium habent figuram, pinnis fere carent, quia ſufficeret illis corporis flexus: ita & pedes Deus ſerpentibus negavit, quoniam nulli forent uſui: ut ſcitè Ariſtoteles oſtendit lib. de inceſſu Animal. cap. VIII. Ad flexum verò iſtum ſerpentibus minoribus datæ ſunt ſpinæ; majoribus oſſa, uti coſtæ XXX; quibus progredientes innituntur, ſeque promovent; ut pedum ſint ac crurum loco, ſicut ſquamæ obeunt vicem unguium. Quomodo autem moventur in terra, ita & natant in aquis: ut Ariſtoteles obſervat. lib. de inceſſu animalium cap. VII.

a Lib. 11 cap. 47.

At quòd eodem permanentes loco ab imo ventre, cui innixæ; attollant caput; id fit, ut faciliùs deſcendat cibus: quem alioqui difficillimè deglutiunt.

Quia verò pedibus carent, eò inepti ſunt ad ſeſe convertendum. Quæras, quomodo igitur ſe defenſitare poſſint adverſus pericula, quæ à tergo imminent. Huic incommodo Deus eo proſpexit, quòd, ut Ariſtoteles ait lib. IV de Part. Anim. cap. XI, ἴδιον πρὸς τὰ συγγενῆ τῶν ζῴων ὑπάρχει τοῖς ὄφεσι, τὸ στρέφειν τὴν κεφαλὴν εἰς τὰ ὄπισθεν, ἠρεμοῦντος τοῦ λοιποῦ σώματος. τούτου δ' αἴτιον, ὅτι καθάπερ τὰ ἔντομα ἑλικτόν ἐστιν. ὥστε εὐκαμπεῖς καὶ χονδρώδεις τοὺς σπονδύλους ἔχειν. *Proprium ſerpentibus præ cæteris ejuſdem generis animalibus eſt, ut caput vertere in averſum, reliquo quieſcente corpore, valeant. Cujus rei cauſſa eſt, quòd, modo inſectorum, ſtructurâ volubili conſtant, ut vertebras cartilaginoſas, & flexibiles habeant.*

Sic in tanta animantium varietate ubique Dei providentia elucet. Vide ſis quoque Ariſtotelis librum de inceſſu animalium, & quæ ad eum, ante ſeculum, Nicolaus Leonicus Thomæus commentabatur.

Magis etiam ſe divina patefaciet ſapientia, ſi, non contenti hac generali doctrinâ, particulatim conſideremus præcipua ſerpentium genera.

Ex iis aſpis recta progreditur, ſed haut vegeto motu; conniventibus item oculis, non abſimilis dormitanti. Ex viperis mas acriùs fertur, femella temperatiùs. Ceraſtes motu fertur obliquo cum magno ſquamarum ſtrepitu. Hæmorrhous itidem movetur obliquus, quaſi fluctuans, tergoque fracto, magno cum ſtrepitu ſtringens ventre terram. Similis hæmorrhoo σηπεδὼν, ſed motus hujus celerior. Caudam trahit, quam ſinuat in obliquum.

Cenchris, ſive cenchrene *b*, tantæ eſt velocitatis, ut è grege haut facilè quis evadat, niſi obliqua fuerit fuga. Nam rectis utitur flexibus, quia vertebrarum ei difficilis converſio: unde Lucanus lib. IX:

Et ſemper recto lapſuris limite cenchris.

b Κεγχρίνη. De appellatione hac dicam cap. ſeq.

Acontiæ, ſive jaculi, inſidiantur viatori, vel animanti muto, inque ſpiram ſe colligentes caput occulunt: hinc in

eum, quem putant, tanto impetu exiliunt, ut illi adhæreant, idque vel xx cubitis diſſito.

Amphisbæna & prorſum, & retrorſum graditur citra converſionem: unde & nomen accepit. Imò quia nunc in partem anticam progreditur, nunc in poſticam regreditur, cauda etiam pro capite habita eſt. Sanè & Nicandro ἀμφικάρηνος *a* vocatur, & Æliano δικέφαλος *b*. Lucani quoque eſt in ix:

a *Utrinque caput habens.*
b *Biceps.*

Et gravis in geminum ſurgens caput amphisbæna.

Imò errorem hunc ſequitur quoque Galenus libro de Ther. ad Piſ.

Ad motum ſuperiùs etiam non ſemel reſpirationem retulimus. Hanc quoque ſerpentes obtinuerunt: quin eo fine accepere pulmones, & arteriam; ut cognoſcere eſt ex Ariſtotele lib. iv de Partibus Anim. cap. i. Nec ſine reſpiratione eſt vox, cujus organum lingua; ut & guſtûs. Linguam verò etiam habent ſerpentes, & bifidam: ſed utilem quidem ad guſtum, verùm ἄχρηστον πρὸς τὴν τῆς φωνῆς ἐργασίαν, *inutilem ad vocis officium*: ut Philoſophus ait operis ejuſdem lib. ii, cap. xvii. Pro voce autem promunt ſibilum: unde Σίγμα, literam θηριώδη, hoc eſt, viperinam, dixit Halicarnaſſenſis. Quòd, Tarquinio rege ejecto, ſerpentes latraſſe dicuntur *c*: id, ſi fabuloſum non eſt, inter prodigioſa referri debet. Nempe malus ſpiritus efformavit hunc ſonum in gutture & ore ſerpentis: quo inſtrumento jam à mundi gavisus eſt incunabulis.

c *Plin. lib* 8. *cap.* 41.

Cap. LVI.

Quàm ſerpentes homini noceant. Ac primùm baſiliſcus: deque ejus etymo, magnitudine, colore, veneno. An viſu interimat. Ut, quod attigerit, illud hominem hoc attingentem necet: & quæ cauſſa ſit iſtius. Aſpides, non caudâ, ut ajunt, venenum infundere, ſed dentibus. Aſpides πτυάδες, χελιδόνιαι, χερσαῖαι, *& unde hæc nomina acceperint. Quare Cleopatra ex variis mortibus eam elegerit, quæ ſit aſpidis morſu. Cur feminæ aſpidis præſentius ſit venenum. Cujus coloris ſanguis effluat morſis ab aſpide. Quàm citò icti obeant. Hypnalen non videri diſtinctum ſerpentem, ſed aſpidis genus: & ex quo ei nomen. Unde dignoſci poſſit, ecquis à vipera mare, an feminâ, ſit læſus, & utrius ictus ſit periculoſior, & quando utraque maximè cavenda. Ceraſtæ, unde vocabulum, & quid in ſerpentibus* cornua, *vel* coronas *nominarint. Symptomata eorum, qui morſi ſunt à ceraſte. Quibus locis gaudeant dipſades; geminum ab iis periculum; & quinque aliæ earum appellationes, & ſingularum cauſſæ. Preſterum quàm horrenda ſymptomata: nec alios videri ſerpentes ignitos, Iſraëlitis divinitus immiſſos in deſerto: & de eo, unde fuerint producti, duplex opinio.*

DEinceps videamus de damnis maximis, quæ ſerpentes generi dant humano. Poſtea dicemus de remediis, quæ divina bonitas ſuggeſſit.

Baſiliſcus in Cyrenaica imprimis provincia gignitur. Eo à ſerpentium aliis diſtat, quòd in vertice maculam habeat albam, velut diadema; quod regium eſt inſigne; unde & Græcum βασιλίσκου, ac Latinum *reguli* vocabulum venit. Non duodenis eſt digitis longior. Caput ei eſt acutum: corporis color aurum imitatur. Quod & Lucanus indicat. Verſum inferiùs adſcribam. Quare, cùm Nicander *a*. χλοάοντα vocat, quod χλωρὸν exponunt; non tam *viridem* (quo colore dracones non ſunt) quàm *pallidum*, ac *flaveſcentem*, interpretandum. Quàm ſit venenatus, Aetius oſtendit: qui ab eo morſis ait ex veneni ardore, & corporis putredine, decidere capillos; carnes etiam lividas membratim defluere. Vulnus, quod facit, ſufflavum eſt, & quaſi aurei coloris; ut traditum Eraſiſtrato: quem de venenis ſcripſiſſe, Dioſcorides *b* auctor eſt. Hoc quoque virus arguit, quod, ut ſuperiùs dixi, ſerpentes cæteros ſolo terreat ſibilo. Unde Lucanus lib. ix:

a *Ther. verſ.* 438.
b *In Theriacis, ſive Materia Medic. lib.* 7. *cap de baſiliſco.*

Sibilaque effundens cunctas terrentia peſtes,
Ante venena nocens, latè ſibi ſubmovet omne
Vulgus, & in vacua regnat baſiliſcus arena.

Ne quidem de cadavere ejus, quem interemit, ulla avis guſtaverit. Virus adeò noxium exhalat. Hoc è longinquo etiam aves olfaciunt. Propinquum verò eaſdem necat. Creditur vulgò ipſo interficere adſpectu. Quod ſi eſt, eum viderit nemo. Quomodo igitur deſcribi potuit? Vulgarem tamen opinionem ſecutus, ſecutiſque aliis ad eam præivit, Plinius lib. viii, cap. xxi. Sed Galenus lib. x Simpl. pro fabula videtur habuiſſe. Et ſane longè veriſimilius eſt, è longinquo conſpici: ſed propinquos, non viſu, verùm halitu ſuo interimere, vel ſi viſu ipſo id fiat, fuerit à ſpiritu venenoſo ex oculis prodeunte: quomodo nocent oculi mulieris menſtruis laborantis, ſaltim ſanguine menſtruo corrupto. Utrumque ſanè in baſiliſco grande ſit virulentiæ argumentum. Uti & illud, quòd ſi baculum momorderit, quem manu aliquis teneat, hunc ipſum interimat, veneno per baculum corpus ſubeunte humanum. Geminum illud Plinii, loco ante memorato: *Creditum quondam, ex equo occiſo haſtâ, & per eam ſubeunte vi, non equitem modò, ſed equum quoque abſumtum.* Videtur in dubium revocare, quia *creditum quondam* dicat. Verùm quo faciliùs prioribus credamus, Cæſar Scaliger facit, Commentariis ſuis in Ariſtotelem *a*: *In Circumpadanis*, inquit, *ex vepretis exiliens ſerpens craſſus, & informis, non ſolùm interficientem ſe interfecit veneno per haſtam penetrante: ſed etiam equi aurem tranſiliendo cùm attigiſſet; & equus, & eques, obiere meâ tempeſtate.* Nempe ut à torpedine per lineam, vel tridentem piſcatoris, quædam aura tranſit in manum piſcatoris, unde torpeſcat: ita & è ſerpente memorato ſpirituoſa quædam ſubſtantia per haſtam tranſibat in equitem. Citò quidem ſpiritus evaneſcit; ſed citò etiam penetrat, & alienum ſpiritum inficit veneno: quippe particeps qualitatis, quæ eſt in venenato corpore, unde emanat.

a *Hiſt. de Animal. lib* 2 *c.* 18. *ſect.* 123.

Aſpides non, ut ajunt, caudâ venenum infundunt: ſed, aliorum more ſerpentium, vulneri ſerratiſsimè dentibus facto inſpirant illud è minutis cavernulis ſub dentibus; ubi in pellicula venenum eos in uſus reſervant. Unde de calumniatoribus Pſalm. cxl *b*: *Venenum aſpidum ſub labiis eorum.* Non uno tamen modo, nec æque omnes nocent. Nam aſpis Lybica vel ſolâ adſpiratione excæcare hominem fertur: ut ait Ælianus lib. vi de Animal. cap. xxxviii. Nec ſolùm locis diſtant; ſed etiam genere. Unde xvi aſpidum genera referunt Ægyptii: ut idem docet lib. x, cap. xxx. Sed nos ſumma ſolum genera conſiderabimus. Galeno teſte, lib. de Theriaca ad Piſon. cap. viii, (quem Paulus, & Aetius, ſecuti) aliæ quidem ſolo lædunt morſu, aliæ autem ſpuendo: & exinde πτυάδες dicuntur, quaſi dicas *ſputatrices*; quomodo *ſputatorem* dixit Plautus. Priores eidem Galeno ſunt vel χελιδόνιαι, ſive *hirundinariæ*: vel χερσαῖαι, ſive *terreſtres*. Minimæ omnium ſunt χελιδόνιαι, ſic dictæ, quia tergi nigritiæ, ventris albore, referant hirundines, quas Græci χελιδόνας *c* vocant. Hæ veneni ſunt præſentioris. Majores hiſce αἱ χερσαῖαι, ſive *terreſtres*: quæ, Nicandro *d* teſte, ſæpe ad quinque cubitorum, & ulnæ magnitudinem, pertingunt. Maximæ αἱ πτυάδες, ſive *ſputatrices*: quæ non, ut priores, morſu ſolùm nocent, ſed, ut dixi, etiam ſputo: quod cum ejectare volunt, collum extendunt, ad expendendum, quouſque ſpuendum ſit, ut attingant. Aſpidis morſum elegit Cleopatra, ut mitius mortis genus, quàm ſi vel biberet venenum, vel in gladium incumberet. Nam adeò minutum eſt, quod aſpis pungit, ut ſenſu minimè percipiatur, vel quid acu punctum videatur. Quod dolorem minuit: quando majorum vulnerum majorem eſſe dolor ſolet. Minùs etiam diuturnus eſt ille aſpidis: quia veneni, ut ait Lucanus lib. ix *e*,

b *Sive ſecundum Latinos Pſ.* 139.
c *Hirundines.*
d *In Theriacis.*

——In nullo plus eſt ſerpente coactum:

e *Verſ.* 703.

coque illius, ut Ælianus *f* inquit, φάρμακον ὀξύτατόν ἐστι, καὶ διαδραμεῖν ὤκιστον. *venenum peracutum, & celerrime penetrans.* Et hæc eſt cauſſa, cur, cùm citò adeò corripiat,

f *Lib.* 9. *cap.* 61.

petat, etiam mortem acceleret. Magiſque id præſtant ſemellæ: quia maribus, Aëtio teſte, bini tantummodo dentes ſunt, femellis, quatuor; ſub quibus eas in cavernulis, ut dixi, occultare venenum, Nicandri quoque judicium eſt. Etſi verò minutum adeò ſit vulnus, quod aſpis facit: paullum tamen ſanguinis effluit, ejuſque nigricantis; ſive, ut Dioſcorides *a* inquit, ἀτρεπὴς, καὶ χλοανθὴς quod Ruellius reddidit: *virentis, & diſcoloris.* Sed Jo. Ant. Saracenus: *coloris minimè conſtantis, at malignè vireſcentis.* Fortaſſe autem Dioſcorides non ἀτρόπον ſcripſit; ſed αἰρόπινον, quod Heſychius, & Suidas, exponunt σκοτεινὸν, hoc eſt, *obſcurum*, ſive *nigrum.* Conſequitur ictum *b* exigua cordis palpitatio, frontis convulſio, genarum motus, qualis dormitantium. Ab ea ictos non ultra horas quatuor vivere, ait Ælianus *c*. Etiam Dioſcorides *d* ait: Τούτοις θάνατος συμβαίνει μὴ ἢ τρίτην ἡμέρας διελθοῦσιν. *Eos mors tollit, nec tertiâ diei parte relictâ.* Non percepere mentem Dioſcoridis, qui velle ajunt, ſummùm die obire tertio.

a Lib. 7. Mat. Med. cap. 18 ſive Theriac. c. 17.
b Ælianus lib. 6. de Animal. cap. 38. & Caſ. Scal. lib. 2. de Hiſt. An. cap. 18. ſect. 123.
c Loco proxime expreſſo.
d Lib. 7. Mat. Med. cap. 18. ſive Theriacorum, cap. 17.

Hypnale quoque eſt ſerpentis genus Solino. Verba ejus inferiùs adducam. Græcè ὑπναλῆ ex ὑπναλέη, niſi ὑπναλῆ malis, quia apud Suidam ſit ὑπνηλὸς, ῥάθυμος, hoc eſt, *deſidioſus*, *tardus.* Omnino autem videtur aſpidis genus. Rationem nominis indicat Nicander in Theriacis:

—— Ὑπναλέοις δ᾽
Αἰὲν ἐπιβλύζουσα φαείνεται ἐν δοχῆς ὄσσοις.

Quod Gorræus reddidit:

—— *Semperque putatur*
Nictans clauſa gravi concedere lumina ſomno.

Eſt & Lucani in IX:

Aſpida ſomniferam tumidâ cervice levavit.

e Excellentia cauſâ. Vipera Græcis κατ᾽ ἐξοχὴν *e* θὴρ, vel θηρίον, dicitur. Mas Græcis ἔχις, femina ἔχιδνα vocatur. Maris morſus cognoſcitur ex gemino ictu; feminæ ex pluribus: illius etiam dentes ſunt acutiores, hujus latiores. Magis periculoſos eſſe ictus feminæ, docent Nicander, & Paulus: ut Avicennas contrarium perperam tradidiſſe videatur. Quanta veneni ejus vis ſit, & quæ ſigna, inter alios Cæſar Scaliger ad lib. Ariſtotelis ſecundum Hiſtor. Anim. *f* annotavit. Nocentiores ſunt viperæ comeſto ſcorpio, vel radice venenatâ; à coitu etiam ſunt infeſtiores, vel ubi cervum evaſerint, & cum exuunt ſenectam; quod tempore fit auctumnali, ac præcipuè verno; unde & *vernatio*, ut dictum, nuncupatur.

f Cap. 18. ſect. 123.

g A cornibus. Ceraſtis appellatio eſt ἀπὸ τῶν κεράτων *g*: non quaſi cornua ulli ſint ſerpenti; ſed, ut vidimus, cùm de ſagacitate ſerpentium ageremus, ſic vocarunt caruncula in capite protuberantes. Quomodo nec ulli ſerpenti ſunt coronæ. Sed eo modo nominarunt quiddam carneum eminens in capite, & exuberans. Ceraſtis venenum eſt, inefficacius, quàm viperæ. Nam à vipera morſus triduum duntaxat; à ceraſte, etiam novem dies ſupervivit; teſte Nicandro. Percuſſis interiùs convulſiones ſunt, inguen diſtenditur, mens ſtupet, caligant oculi, poplites dolent, liveſcit corpus: pars etiam affecta in ambitu intumeſcit livido colore, ac ſanies prodiens vel nigra eſt, vel ſublivida. De quibus Nicander, Dioſcorides, Aëtius, Paulus, Actuarius, alii.

Dipſas, ſecundùm Galenum, & Aëtium, viperæ eſt ſpecies: aſpidis autem, ſecundùm Solinum, & Iſidorum. Degit locis maritimis, vel ſaltem ſalſuginoſis: ac licet viperâ ſit minor, celeriùs tamen necat: ut Ælianus tradit lib. VI de Animal. cap. LI. Nempe, ut Aëtius inquit, geminum ſe offert malum: ſi non bibas, exureris: ſin explere ſitim velis, rumpêris. Atque ab hac ſiti διψάδος eſſe nomen, antea diximus: quaſi Latinè *ſitientem* vel *ſitibundam* appelles. Sed & aliis vocatur nominibus; qualia quinque loco memorato adfert Ælianus; πρηστῆρα, καύσωνα, μελάνουρον, ἀμμοβάτην, κεντρίδα. Ac μελάνουρος quidem dicitur, quia cùm ſit coloris albi, in cauda tamen duas habet lineas nigras: ut ibidem ex Soſtrato legas. Ἀμμοβάτης, quia per arenas vadat. Κεντρὶς, ſive, ut apud Nicandri ſcholiaſten eſt, κεντρίνη, quia cùm collo ſit lato, ſed caudâ gracili, κέντρον, hoc eſt, *ſtimulum* referat. Πρηστὴρ autem à πρήθειν *a*, & καύσων à καίειν *b*, quia ardorem corpori inducit, & enormem totius corporis diſtentionem, ad aquæ modum in cacabo ferventis.

a Accendere.
b Urere.

Aliqui tamen diſtinguunt: ut Solinus cap. XL, ubi & alia tria affert ſerpentum genera; hypnalen, hæmorrhoum, & ſepem. Sic enim ſcribit cap. XL: *Dipſas ſiti interficit. Hypnale ſomno necat. Hæmorrhous morſu ſanguinem elicit, & diſſolutis venarum commerciis, quicquid anima eſt, evocat per cruorem. Preſter quem percuſſerit, diſtenditur, enormique corpulentiâ necatur exuberatus. Ictus ſepum putredo ſequitur.* Quàm horrendus ſit exitus ictorum à preſtere, narrat Ælianus lib. XVII de natura Animal. cap. IV. Atque idem oſtendit Lucanus lib. IX:

Naſidium Marſi cultorem torridus agri
Percuſſit preſter: illi rubor igneus ora
Succendit: tenditque cutem, pereunte figurâ,
Miſcens cuncta tumor toto jam corpore major:
Humanumque egreſſa modum ſuper omnia membra
Efflatur ſanies, latè tollente veneno.
Ipſe latet penitus congeſto corpore morſus &c.
Nec lorica tenet diſtenti corporis auctum.
Spumeus accenſus non ſic exundat aëno
Undarum cumulus: nec tanto carbaſo coro
Curvavere ſinus: tumidos jam non capit artus
Informis globus, & confuſo pondere truncus.
Intactum volucrum roſtris, epulaſque daturum
Haut impunè feris, non auſi tradere buſto,
Nondum ſtante modo, creſcens fugere cadaver.

e Al. merſus.

Locum integrum appoſui, ut eò magis liqueret, quàm gravis illa fuerit plaga, divinitus immiſſa Iſraëlitis: quemadmodum legere eſt apud Moſen Numer. cap. XXI, 6: ubi Hebraicè eſt הנחשים השרפים hanchaſim ha ſeraphim: quod LXX verterunt, τοὺς ὄφεις τοὺς θανατοῦντας, hoc eſt, *ſerpentes mortiferos.* Sed vulgatus interpres vocem poſteriorem vertit *ignitus*, uti Vatablus *urentes*; quia eſt à שרף ſaraph, *uſſit*, *incendit.* Sic Deuter. VIII, 15, dicitur נחש שרף nachas ſaraph, *ſerpens adurens.* Ut planè ſit veriſimile intelligi eum, qui Græcis Latiniſque ſimiliter ab urendo *preſter*, & *cauſon*, nominatur. Videtur autem Deus preſteres illos, ſive cauſonas, in Arabiæ deſertis Angelorum miniſterio ſuſcitâſſe. Fortunius tamen Licetus credebat, non aliunde immiſſos; ſed, Dei judicio, in vivorum corporibus enatos. Sanè plurimis in locis, ut his Æthiopiâ, Ægypto, Indiâ, dracunculi gignuntur ex partibus hominum viventium muſculoſis: velut brachio, femore, tibiâ: ut ex Galeno, Æginetа, & aliis conſtat: ac in vermium hiſtoria inferiùs exponam.

CAP. LVII.

Amphisbænæ ſymptomata, & ſcytales, & unde huic nomen. Cur hæmorrhus Nicandro Θοῖνος vocetur. Quam dirum hoc malum. Unde cenchri, ſive cenchridis appellatio. Aliter λέοντα nominari. Qua effugiendi ejus ratio ſit. Serpentis hujus ſymptomata. Etymon ac natura ἀκοντίας, ſive jaculi; ſepis, ſive chalcidis; item ſepedonis, qui fortaſſe idem ac ſeps; præterea natricis ſive hydri, qui & cherſydros vocatur; & quanta hujus virulentia; atque id etiam oſtenſum inde, quod hydræ ſanguis non mortem modo attulerit Neſſo Centauro; ſed cauſſa etiam mortis fuerit Herculi, qui ipſe hydram interemerat. Nam à cherſydro ſit diverſus chelydrus, vel dryinas, & quam grave ejus virus. De variis Indiarum ſerpentibus.

DE amphisbænæ vocabulo ſuperiùs *a* diximus. Ab hac morſis oritur membrorum convulſio, & oculorum caligo: hinc mors conſequitur horrenda. Par ratio ſcytales, ſic dictæ, quia ſimilis ſit σκυτάλης, hoc eſt, ſcu-

a Cap. 55.

ſentica, vel *baculi*. Utrumque enim Græcâ voce ſignari, ex Suida conſtat. Fortaſſe & eadem hæc ac amphisbæna. Apud Dioſcoridem quidem lib. VII, cap. XI *a* legas σκυτάλης, ἢ ἀμφισβαίνης *b*. Sed diſtinguunt tum Lucanus *c*, & Solinus, tum Paulus, & Aëtius: qui hoc adducit diſcrimen, quòd amphisbæna utrimque ſerpat. De gemino iſtoc motu iidem vidimus *d*.

Αἱμόῤῥους, & αἱμοῤῥοὶς (illo mas, hoc femina ſignatur) non excedit pedem humanum, ac quia Ægypto eſt frequens, Θώνιος Nicandro *e* dicitur, ab rege Ægyptio, cui nomen Θῶνος, ut ejus ſcholiaſtes indicat. Memoratur is rex Homero Odyſſ. Δ *f*, atque inde etiam Luciano in Pſeudomante, & Æliano lib. IX de Animalibus, cap. XXI. Nullam tamen mentionem hujus regis invenio in dynaſtiis Ægyptiis, quas ex tomis Manethonis Sebennitæ, Heliopolitani Flaminis ſacrorum, exſcripſerat Julius Africanus in πενταβίβλῳ χρονολογικῇ. Serpens is *ſanguinem elicit, diſſolutis venarum commerciis*; ut ait Solinus *g*. Atque inde etiam αἱμόῤῥους nomen. Nimirum non ſanguis modò exſudat poris: ſed etiam effluit naribus, oculorum angulis, gingivis, unguium radicibus: adhæc pulmonibus, ſtomacho, alvo, ſanguinis fit rejectio: etiam ὠτειλαὶ, ut eſt apud Nicandrum *h*, ſive οὐλαὶ, ut Dioſcorides, & Aëtius, vocant, hoc eſt, vulnerum cicatrices, rumpuntur; unde item iis ſanguis promanat. Rumpuntur verò non tam, ut ajunt, doloris vehementia; quàm cauſsâ doloris: puta fervore & acrimoniâ veneni virulentæ bili permiſti: quomodo æſtu Solari terram findi videmus. De iſtis vide ſis Nicandrum in Theriacis, Dioſcoridem Theriacorum cap. XII, ſive, ut diſtinguere priùs ſolent, lib. VII Medicæ materiæ cap. II, Ælianum lib. XIV de Anim. cap. XIII. Meminit quoque Lucanus lib. IX:

At non ſtare ſuum miſeris paſſura cruorem
Squamiferos ingens hæmorrhois explicat orbes.

Qui Latinis *cenchris*, in his Lucano, Plinioque; is Nicandro, & Paulo, κεγχρίνης; Dioſcordi *i* κέγχρος, & κεγχρίδιον; Actuario etiam κέγχρος, Aëtio κεγχρίας, & κεγχρίτης. Nempe origo ex eo, quòd κέγχρος ſit, ut Heſychius interpretatur, σπερμάτιον μηλίνῃ ἐμφερὲς, *ſemen panico ſimile*. Latinis *milium* vocatur. Ratio nominis eſt, quòd, florente milio, fiat ferocior: vel potiùs, quia alvus variis diſtinguatur notis milio ſimilibus. Utrumque Aëtius memorat. Sed alii tradunt, non alvo duntaxat, verùm corpore univerſo, ſemen milii referre. Eo veriſimilius fuerit poſterius etymon. Nicander *k* ait, ob ſævitiam etiam λέοντα *l* vocari. Pecori inſidiatur, ac, quem poteſt, circumplicitus exſugit. Similiter homini facit. Sed, ut evites, non rectâ fugiendum viâ (nam viginti etiam cubitos uno exſuperare ſaltu dicitur) ſed per vepres & ſenticeta, quibus offenſus curſum ſiſtit. Ei, quem læſerit, caput aggravat, oblivionem etiam gignit, ventrem inflat aquâ intercute, ſimile ex eo ulcus ac à viperis inflicto, caroque circumſtans tumeſcit, & tandem concidit. Præcipuè autem jecur, veſicam, & colum infeſtat: ut Eraſiſtratus tradidit, teſte Dioſcoride. Nam planè aſſentio Jano Antonio Saraceno, qui apud eum pro νῆστιν *m* legit κύστιν *n*.

Qui ἀκοντίας Græcis, is *jaculus* Latinis: ut Lucano lib. IX, Plinioque lib. VIII, cap. XXIII. Gloſſæ Cyrillo attributæ: Ἀκοντίας, ὁ ὄφις. *Jaculis*. Ubi *jaculus* reſcribendum. Ratio nominis eſt ex eo, quòd ſe, ut Plinius loco indicato ait, *ex arborum ramis vibret, & miſſili volet tormento*. Iſidori etiam ſunt iſta lib. XII, cap. IV: *Jaculus ſerpens volans: de quo Lucanus, —— Jaculique volucres. Exiliunt enim in arboribus, & dum aliquod animal obviam fuerit, jactant ſe ſuper illud, & perimunt; unde & jaculi dicti ſunt*. Videtur eadem veneni ratio, ac cenchri. Imò eundem eſſe ſerpentem, tradit Aëtius. Sed cum Nicandro diverſos putamus. Nempe ex arboribus ſe vibrat acontias, ut vidimus: in plana via eſt ſua vis cenchro; ut effugere eum poſſis, ſi viâ obliquâ fugam capeſſas per ſpinas & ſentes; ut item dictum.

a Sive Alexipharmacorum cap. 10.
b Scytales ſive amphisbænæ.
c Lib. 9. verſ. 717. & 719.
d Cap. 55.
e Theriac. verſ. 313.
f Verſ. 228.
g Cap. 30. in Salmaſiana editione 27.
h Ther. verſ. 304.
i Lib. 7. rei medicæ, c. 16. ſive Theriacorum cap. 17.
k Theriac. verſ. 463.
l Leonem.
m Inteſtinum jejunum.
n Veſicam.

Σὴψ vocabulum eſt ambiguum. Nam & ita vocatur lacerta, quadrupedis genus, quod crura habet utrimque à latere addita. Id à virgulis ærei coloris, quas geſtat in dorſo, aliter χαλκὶς, vel σαῦρα χαλκιδικὴ nuncupatur. Nunc verò ſermo eſt nobis de angue, eoque pedum experte, ita dicto ἀπὸ τοῦ σήπειν, quod eſt *putreſcere*: unde *putrium* auſus eſt reddere Cæſar Scaliger. Ratio illa eſt nominis, quòd corpus continuò putrefaciat, ſic ut & palpebræ ac capilli excidant, membraque prorſus diffluant ac dilabantur. Hinc Lucanus in IX:

Oſſaque diſſolvens cum corpore tabificus ſeps.

Jubet verò Nicander *a* imprimis loca cavere, quibus

—— Δολιχὸς ἐμβατέει σήψ·
—— *Sinuoſus progreditur ſeps.*

Rationem ſubjungit,

Χροιὴ δ' ἀλλοφανής τε, καὶ οὐ μίαν οἶδεν ἰοῦσα,
Ἀεὶ ἐειδόμενος χώρῳ ἵνα χηραμὰ τεύχει.

Reddere poſſis:

Eſt alius color, atque alius, non unus, & idem:
Semper & aſſimilis loco, ubi ſpelæa tenebit.

Iis quoque, quos læſerit σηπεδὼν (quomodo rectiùs, quàm σηπηδὼν, ſcribi puto) palpebræ, & ſupercilia decidunt; ſummoque cum dolore conflictantur: oculi item caligant, ac marceſcunt, corpus totum vitiligine obſitum tabeſcit; ex quo & nomen accepit: nempe, ut Nicandri ſcholiaſtes ait, ὅτι σήπει τῶν δακέντων τὰ σώματα· *quia putredinem ac tabem afferat corporibus eorum, quos momorderit*. Hunc aliqui *b*, ob ſimile etymon, cum ſepe confundunt. Nec tamen cum iis, qui ſic ſentiunt, magnopere ſerram reciprocârim: quia Nicander, & Plinius, de ſepedone ſolùm loquuntur, non ſepe; Aëtius de ſepe, non ſepedone; qui & eadem ſepis, ac alii ſepedonis, memorat ſymptomata.

Natrix dicitur Latinis, qui Græcis ὕδρος: quod nomen ἀπὸ τοῦ ὕδατος *c*: unde *aquex* novè redditur Cæſari Scaligero *d*. Idem eſt, ac *cherſydrus*. Nam, ut dixi *e*, non aliter hæc differunt, quàm quòd in aquis vocetur *natrix*, vel *hydrus*: in terris verò *cherſydros*. Animal quippe amphibium eſt; ut docent Nicander in Theriacis, & Maro III Georg. Hieme, ac vere, colit aquas. Ubi inareſcunt paludes, in terram proſilit. Ut omnino errârit Lucanus lib. IX; qui, quaſi forent diverſi, primò ait:

Natus & ambiguæ coleret qui Syrtidos arva
Cherſydros.

Poſtea verò ſubdit:

Et natrix violator aquæ.

Lucano tamen patrocinatur H. Stephanus in Theſauro Ling. Gr. *f* De virulentia ejus ita Plinius lib. XXIX, cap. IV: *Hoc genus anguium pulcherrimum nullis ſerpentium inferius eſſe veneno.* Deque iſto inde colligas, quòd, ſi ori ejus admoveris virgam, in ea excitentur veſicæ, ſive fellei coloris puſtulæ: ſi in gladium admôris, is quoque à mucrone uſque ad capulum tetro ac cæruleo tingatur colore. Imò &, ſi cherſydrum, ſive natricem terreſtrem calcâris; eo ſolo interimit: quemadmodum ex Apollodori Theriacis tradit Ælianus lib. VIII de Animal. cap. VII. Hominibus ab eo ictis oritur caligo oculorum, vertigo cerebri, ſomnus multus, animi mœror, ſtuporque: etiam ſitis magna, membrorum tremor, bilis, & ſanguinis vomitus, obſtructio urinæ: quidam etiam mugientes ſuffocantur. Hinc poëtis fiducia ſcribendi, periiſſe Herculem veſte tinctâ ſanguine hydræ Lernææ, quam marito ſuo cum Iole ab Oechalia reduci, ne pellicis magis, quam conjugis, amore caperetur, miſerat Deianira, ſtultè credula Neſſo, qui moribundus hoc optimum fore φίλτρον *g* dixerat. Longa verò eſt catena de hoc veneno. Origo petenda ab hydra Lernæa; de cujus veneno jam dictum. Ejus interfectæ ſanguine tinxit Hercules ſagittas ſuas, quò vulnera, quæ inferrent, forent letalia. Sagittis iſtis vulneratus fuit Neſſus Centaurus: eoque & ſanguis è vulnere ejus defluens factus venenatus. Hoc ſanguine Neſſi tinxit Deianira veſtem, quam miſit Herculi: unde & ea vene-

a In Theriacis verſ. 147. & ſeqq.
b Geſner.
c e Ab aqua.
d Comment. in lib. 2. Ariſt. Hiſt. Anim. cap. 18. ſect. 123.
e Cap. 54.
f Voce ὕδρος.
g e Amatorium.

num

num imbibit. Veſte hac virulentâ indutus Hercules in ſummos incidit cruciatus, & furorem ſimul: quibus percitus ſe in pyram conjecit Oetæam. Non hæc abſurdè dicuntur; quia, ut puto, conſtat, venena etiam in corpus penetrare illita chirothecis, ephippiis, atque, ut jam ab aliquot vocarunt ſeculis *a*, ſtapiis etiam, & aliis id genus.

a Hieronymus Magius Miſcellaneorum lib. 2. cap. 14.

Ab cherſydro diverſus Nicandro eſt *chelydrus*. Nam priùs de cherſydro agit: hinc ordine de amphisbæna, ſcytale, baſiliſco: tum demum de chelydro. Et ſanè diſtinxit etiam Lucanus in IX:

Cherſydros, tractique viâ fumante chelydri.

Culpari propterea ſolet; ſed, ut vidimus, tueri ſe poteſt auctoritate Nicandri. Porrò veterum aliquibus non *chelydrus* modò, ſed & *hydrus* idem fuit. Nam Nicandri eſt:

Ὕδρον μὲν καλέουσι, μετεξέτεροι δὲ χέλυδρον.

Hunc hydrum multi vocitant, aliique chelydrum.

Verùm ſententia iſtorum diſplicuit Nicandro. Mox enim de chelydro ſubjungit,

Ὕδρῳ εἰσκόμενον. ——

Hydro ſimilem. ——

Interim illos, à quibus Nicander receſſit, ſequi maluit Cæſar Scaliger. Quid eum moverit, attulimus cap. LIV. Scaligero *b* igitur idem ſunt *hydrus*, *cherſydrus*, *chelydrus*, *dryinas*. Hoc ſi eſt, *chelydros* ex *cherſydros* ſit effictum, ut molliùs ſonaret vocabulum. Sed qui diverſos malunt, dixerint, χέλυδρον vocari quaſi *teſtudinem aquaticam*; ut quæ ſit τραχύδερμος, *cute asperâ*. Quod nec Scaliger negat. Cur δρυΐνας, ut eſt apud Nicandrum, ſive δρύϊνος, ut appellat Ælianus, nuncupetur, ſuperiùs *c* item vidimus. Ubi & dicebamus, Cæſ. Scaligero a. v. dici *quercuam*. Sic enim eſt Commentatiis in Hiſtor. Anim. Sed *querculis* nomen facit Exercit. ad Cardanum *d*. Chelydro, ſive dryinæ, Nicander fœdum tribuit odorem, qualis eſt λαθραῖον. Hoc ſcholiaſtes ejus exponit, τὰ ξύσματα τῶν δερμάτων *præſegmina, quæ ſcalpro ex putribus raduntur pellibus.* Hinc & Maro III Georg.

b Comm. in Ariſt. An. lib. 2. ſect. 123. & Exercit. ad Card. 189. ſect. 4.
c Cap. 54.
d Exercit. 189. ſect. 4.

—— *Graves nidore chelydros.*

Ab dryina, ſive chelydro ictis ingui oriuntur dolores: item in parte affectâ puſtulæ, è quibus profluit ſanies aquoſa; adhæc ſtomachi roſiones, & tormina; ut eſt apud Dioſcoridem lib. VII, cap. XII *e*. Pluribuſque de eo Galenus lib. de Theriac. ad Piſonem, & ex eo, ipſis Galeni verbis, Paulus. Vide &, quem dixi, Aëtium lib. I Tetrab. IV, cap. XXIX.

e Sive Theriacorum c. 11.

Aliqua etiam de Orientali, & Occidentali India addamus. In Malabarum terris eſt Cocini regio. In ea *halitus ſerpentium adeò eſt teter ac noxius, ut afflatu ipſo necare perhibeantur*: ut eſt apud Jo. Pe. Maffeium Hiſtoriarum Indic. lib. II *f*.

f Pag. 82. edit. Lon. an. 1590.

Porphyrus eſt Indiæ ſerpens, capite quidem candido, ſed corpore purpureo; unde & nomen. Hic non morſu nocet, cùm dentibus careat: ſed vomitu, quo quod adſperſum contabeſcit. Iccirco, qui cepere, ſuſpendere de cauda ſolent *g*, gemino vaſe ſuppoſito; uno, in quod gulæ ſanies evomatur colore electrino; altero, in quod ſanies corporis tabeſcentis colore atro deſtillet. Prius venenum quamprimum tollit hominem cum convulſione corporis, conturbatione oculorum, & deſtillatione cerebri per nares. Itaque ſic necari beneficii inſtar habetur. Sed altera ſanies tabem adfert, anno integro, imò & biennio, durantem.

g Cæſ. Scal. comment. in Ariſt. lib. 2. Hiſt. Anim. cap. 18. ſect. 123.

Antonius de Herrera, Hiſpaniarum regis coſmographus, & ex eo Joannes Nierenbergius *h*, refert, in Chiapa, Novæ Hiſpaniæ provincia, reperiri ſerpentes bicipites duorum dodrantium figuram habentes literæ Tau: eos eſſe uſque adeò venenatos, ut non morſus ſolùm interimat, ſed etiam ſiquis calcârit ſolum, per quod repſerint. Quod autem bicipites dicit, idem error videtur, ac de amphisbænis ab Ariſtotele refutatus lib. de Generatione Animalium: ut ſuperiùs monebamus.

h Lib. 12. Hiſt. Nat. cap. 10.

Jacutana olim novæ Hiſpaniæ contermina, nunc verò etiam pars cenſetur. In hac eſt ſerpens ex eo dictus *polpoch*, quod ſibilus ejus hunc referre ſonum videatur. Hic & ore mordet, & caudâ pungit. Arbores ſcandit; ſeque, capite caudam complexus, in viatores ſæpe, ut de acontia ſuperiùs *a* diximus, ejaculatur. Ictis ab eo intra triduum caro putreſcit, atque excidit: nec homo ſic magno perit dolore, ſed torpidus totus, ac velut temulentus obit; ut indigenæ teſtantur *b*.

a Cap. antecedenti.
b Vide Jo. Euſeb. Nierenbergii Hiſtor. Natural. lib 12. cap. 48.

Etiam apud Quanahuacenſes *c* eſt ſerpens virulentus, quem vocant *texminani*, noſtri *aculspetam*: quia de arbore ſe jaculi inſtar in oculos demittit; in hoc ſimulachrum præbens Amoris, qui ex conſpectu naſcitur: unde illud ἐκ τοῦ ὁρᾷν τὸ ἐρᾷν *d*: & poëtæ *e* hoc,

—— *Oculi ſunt in amore duces.*

Serpens otus in inſula Cuba, qui quatuor longus eſt ſpithamas, pollicem craſſus, adeò noxius eſt, ut ſiquem momorderit, intereat intra horas quinas, vel ſenas *f*.

c Idem Euſ. l. 12. cap. 30.
d Ex viſu eſt quod amet.
e Propert. lib. 2. eleg. 15.
f Jo. Euſebius Nierenberg. l. 12. Hiſtor. Nat. c. 12.

Nec ſerpentes Indici veneno duntaxat, ſed aliter etiam nocent. Ut in novo orbe attilagatus, anguis exiguus, non longior, vel craſſior, pennâ anſerinâ. Centenos, vel plures numero junctos eſt invenire. Hi ſi fortè dormientem ſint aggreſſi, nullo eos artificio avellas. Quippe adhærent, & aſſiduis hominem ictibus pungunt, pungenteſque vorant, donec abſumſerint. Sic quoque, ut priores mittam, Jo. Euſebius Nierenb. lib. XII Hiſt. Nat. cap. XIV.

Venenatus item jaracucu, decem longus palmos, dentibus tremendus, quibus virus crocei coloris infundit, uſque adeo noxium, ut intra diei ſpacium pereant, quos momordit. Et, quod malum auget, fœcundus admodum eſt; ut in cujus ventre etiam reperti ſint tredecim fœtus. Venenati quoque jaracoaypitiuga, jaracaepeba, & quæ ſimpliciter jaraca vocatur. Quid dicam de boycupecanga, ibiboboca, ibiracua, curucucu, & tot aliis ſerpentibus? de quibus legere eſt apud Franciſcum Lopes de Gomara, Joannem Lerium, Andream Thevetum, atque alios magno numero.

CAP. LVIII.

Nec univerſos tamen ſerpentes eſſe venenatos. Excipi enim dracones, qui ne morſu quidem venenum infundant, uti nec dolorem eo magnum gignunt: & quæ ſit hujus rei cauſſa. Interim venenatos eſſe dracones Africæ, & quæ iſtius quoque diſcriminis ratio ſit. Quomodo ſerpentes, preſſius hac voce acceptâ, differant à draconibus. Triplex draconis etymon, & cur dicatus Æſculapio, deque filia hujus Panacea. Non dracones ſolùm eſſe innoxios: ſed quoſdam etiam alios ſerpentes: ut illos in Bigerrionibus, Mauris, Nigritis, Ægyptiis; ubi parias propterea Æſculapio ſacer: item in Hiſpaniola, & aliis Occidentalis Indiæ locis.

QUamquam verò tam multa, tam infeſta nobis ſerpentium venena manifeſto ſint indicio numinis propter hominis peccatum iraſcentis: non tamen divina ſivit bonitas, nos hac etiam parte ſuæ erga nos curæ, & ſollicitudinis, eſſe expertes. Ac primùm quidem eo, quòd & ſerpentes quoſdam eſſe innoxios juſſit. Hoc de draconibus tradit Plinius lib. XXIX, cap. IV: *Draco*, inquit, *non habet venena*. At dixerit aliquis, varia Plinium præſcribere remedia adverſus draconum morſus. Quaſi non aliud ſit morſus, aliud morſus venenatus. Ille veri draconis, ut vel irâ valde ſit accenſus, talis tamen eſt, qualis muris, qui venenatus non eſt. Imò nec magnum ciet dolorem, quia animal id ore ſit parvo, nec multùm dehiſcenti. Nempe non morſu, quam verbere caudæ, nocet. Quibuſdam tamen locis, ut India, Libyâ, imò & Phrygiâ, etiam patulo oris rictu ſæviunt, ac inſtar ſuis ſylveſtris, oſſa ipſa comminuunt, & confringunt. At objeceris, etiam de venenis draconum legi: ut vete-

veteres mittamus, Scaligeri eſſe Exercitatione CLXXXIII, ſect. IX, *ſolo contactu dracones Atlantis montis interficere.* Et ſanè quod Satanas Apocalypſeos XII, 3, & alibi, vocatur *draco* non inde modò eſt, quòd figurâ ſerpentis primis illuſerit parentibus: ſed etiam quòd, ut veneno corpus draco, ſic ſatanas animam occidat. Facilè iſtis occurritur. Nam bifariam draco attenditur; qualis ſit naturâ, & qualis fiat. Naturâ eſt veneni expers: uti & Satanas conditus eſt bonus. At per menſem Lunâ inſtigante, ac præcipuè fervore loci, draco fit virulentus: uti ſatanas bono ex angelo, ſuperbiâ æſtuante, factus eſt malus. De dracone utrumque vidit Lucanus in IX; quando ait, eos aliis quidem terris innoxios eſſe, utpote veneni expertes, ac ſic ut ſymbola numinum coli: at apud ſitientes Afros ex plagæ natura, fieri virulentos. Hæc verborum eſt iſtorum mens:

Vos quoque, qui cunctis innoxia numina terris
Serpitis, aurato nitidi fulgore dracones,
Peſtiferos ardens facit Africa.

Etſi verò, ſi laxè utaris voce *ſerpentis*, in his etiam ſunt *dracones*: ſæpe tamen diſtinguuntur. Siquidem dracones, præterquam quòd non omnes quidem, ſed ſoli tamen alas habent; differunt etiam, quòd draconibus omnibus bina de mento pendeant palearia: quòd item ore ſint exiguo, ſed unus ab utraque maxilla triplicem habent ordinem dentium: quòd denique oculis ſunt magnis, ſed acutè tuentibus: unde & Grammatici, in his Feſtus, δράκοντα κατὰ μετάθεσιν ajunt ſic vocari pro δάρκοντα, ex δέρκειν, ſive ἔδρακον, hoc eſt, *videre.* Etymon interea hoc ſatis eſt incertum. Et Cæſar Scaliger *a* maluit eſſe à δρᾶν ἄχος *b*. Auſim ego non minori jure deducere ἀπὸ τοῦ δρᾶν ἄκος *c*: nempe quia innoxii ſint, &, ut Feſtus etiam ait, ſacri Æſculapio; cujus filia *Panacea* ſit dicta ex πᾶν *d*, & ἄκος *e*, ut ipſo nomine omnium morborum remedia promittat, Plinio teſte lib. XXIV, cap. IV.

a Exercit. 183. ſect. 12.
b Facere dolorem.
c Facere medicinam
d Omne.
e Remedium.

Nec dracones ſoli naturâ ſunt innoxii: ſed alii etiam ſerpentium nonnulli. Hoc in Europa cernere eſt, cùm alibi, tum prope Pyrenæos montes in Bigerrionibus: ut illum Galliæ Aquitanicæ populum Julius Cæſar *f* appellat; quem veterum alii *Bigerros*, vel *Bigerrianos*, vulgò & *Bigorros* vocant. De his ſic Cæſar Scaliger Exercitat. CLXXXIII, ſect. III: *Ad Pyrenæos Bigerones innoxii ſunt angues incolis permiſti; quibuſcum eodem lecto, ac pene eadem utuntur menſa. Cibum enim familiariter capiunt ex iis, quæ pro analectis cecidere. Longitudo quaternûm pedum. Humani brachii craſſitudo. Noctu diverſantur in ædibus cum ſibilis; etiam interdiu.*

f Lib. 3. de bello Gallico.

De Africa hunc ſubjungit: *Ziz montes in Mauritania, & edunt, & alunt ſerpentes incolis familiares. Ii, agreſtium caſas ingreſſi, micas ſub menſis, catellorum more liguriunt.* Aloyſius quoque Cadamuſtus, Navigationis ſuæ cap. duodevigeſimo, narrat, in Nigritarum ſolo ut noxios, ita & innoxios eſſe ſerpentes.

Etiam παρείας, ſive παρούας ſerpens, quem Alexandriæ conſpici diximus, eo quòd innoxius, ac planè mitis ſit, Æſculapio θεῶν φιλανθρωποτάτῳ *g* ſacer fuit, ac ejus miniſterio dicatus: quemadmodum Ælianus narrat lib. VIII Hiſt. Anim. cap. XIII.

g Ex Diis maxime hominum amanti.

De Aſia idem conſtat: præſertim Syriâ, & Arabiâ, terris balſamum ferentibus: quod præſtat cibi, ut ſic dixerim divinitas.

Denique de America idem ſtatuendum. De Hiſpaniola quidem, & Ioanna Inſulis, ſcribit Petrus Martyr Mediolanenſis Oceanicarum rerum lib. I *h*: *Serpentes inſulæ nutriunt, ſed minime noxios.* Etiam innoxius eſt Americanus ſerpens, nomine *bom*, à ſono, quem edit, ſic nuncupatus. Item aquaticus ille, qui Americanis *acoatl*, vel *mioacoatl*. Longus eſt quinque dodrantes, craſſus verò pollicem, tæniis nigris ac cyaneis diſtinctus: ut præter alios eſt apud Io. Euſebium Nierenbergium lib. XII Hiſtor. Natur. cap. VII. Idem ſequenti cap. narrat, ut innoxia quoque ſit tzicatlina, q. d. formicarum ſerpens. Sic ſerpens is dicitur, quia non vivit niſi cum formicis, & iis exeuntibus è cavernis unà etiam prodire ſolet. Omnium dicitur ſerpentium formoſiſſimus, duos longus dodrantes, craſſitie digiti minimi, tranſverſis faſciis candidis, ac rubris, alternatim diſtinctus.

h Pag. 8. edit. Colon. an. 1574.

Nec modo ſerpentes nonnulli ſunt innoxii: ſed etiam quædam ineſt iis φιλανθρωπία *a*: potiſſimùm verò erga infirmos; velut mulieres, & pueros. De mulierum amore illuſtre habemus exemplum in dracone eximiæ magnitudinis; qui in Judæa, vel, quod veriſimilius, Idumæa, ad puellam, amatoris inſtar, blandè accedere, ac propter eam dormire ſolitus eſt. Hoc quia non citra metum puellæ fieret, illa ſeſe ad menſem ſubduxit, ut amatorem interea amaſiæ caperet oblivio. Ille nihilominus non diſſimulare ardorem, ac quotidie cum dolore accedere eò, ubi cubare cum puella ſolebat. Rediit hæc poſtea; quam ut conſpexit, confeſtim ſe circumplicans corpori illius, crura parcè ac molliter cauda ſua percuſſit; quaſi dicere vellet, puellam graviora eſſe commeritam, quæ ſic ludificaſſet amatorem; ſed ſeſe, amatorum more, levicula hac caſtigatione eſſe contentum. Refert eam rem Ælianus lib. VI de Animalibus, cap. XVII. Nec multùm abſimile eſt exemplum, quod de amore draconis Ætolam erga feminam memorat Plutarchus libro de ſollertia animalium. Aliaque id genus apud alios invenias: ut minùs mirandum ſit, potuiſſe tam multis perſuaderi, Alexandrum, Scipionem, Auguſtum, natos eſſe ex draconis cum horum matribus concubitu: cujus rei varios laudamus auctores lib. I Orat. Inſtit. cap. V, ſect. XIV. Nunc apponam inſignem Luciani locum in Alexandro ſive Pſeudomante; ubi de Pella Macedoniæ oppido agens, ait: Ἐνταῦθα ἰδόντες δράκοντας παμμεγέθεις, ἡμέρους πάνυ, καὶ τιθασούς, ὡς καὶ ὑπὸ γυναικῶν τρέφεσθαι, καὶ παιδίοις συγκαθεύδειν, καὶ πατουμένους ἀνέχεσθαι, καὶ θλιβομένους μὴ ἀγανακτεῖν, καὶ γάλα πίνειν ἀπὸ θηλῆς κατὰ ταὐτὰ τοῖς βρέφεσι. πολλοὶ δὲ γίνονται τοιοῦτοι παρ᾽ αὐτοῖς, ὅθεν καὶ τὸν περὶ τῆς Ὀλυμπιάδος μῦθον διαφοιτῆσαι πάλαι εἰκός, ὁπότε ἐκύει τὸν Ἀλέξανδρον, δράκοντός τινος οἶμαι τοιούτου συγκαταθέντος αὐτῇ. *Ibi conſpexere ſerpentes longè maximos cicures plane ac manſuetos, adeò ut à mulieribus nutrirentur, & cum pueris dormirent, & ſe conculcari finerent, neque preſſi indigne ferrent, lac etiam more infantium ſugerent è papilla. Sunt vero tales apud eos permulti: ut veriſimile ſit, inde proveniſſe fabulam, Olympiadem olim ex concubitu cum ejuſmodi dracone Alexandrum concepiſſe.* Hæc tum de mulierum, tum puerorum amore confirmat Cæſar Scaliger. De illo mulierum loquitur Comment. in Ariſt. Hiſt. Anim. lib. II., ſect. CXXIII. Ubi fabuloſos illos Olympiadis, & aliarum congreſſus originem trahere ait ex eo, quod in hominum etiam lectos ſe recipiant innoxii. *Sic*, inquit, *ad Blaſimontem in præfatura Vaſatenſi ſecundum fluvium Dordonam, in lectis tam frequentes eſſe, tamque longinquâ conſuetudine, ut advenis tantùm metum faciant, nulli noceant.*

a Erga homines amor.

De puerorum amore, ſic idem Scaliger Exercit. CLXXXIII, ſect. IV: *Serpentes ſunt in Malabar, aſpectu horribiles: innoxii tamen, niſi irritentur. Ii puerorum amore capiuntur. Quocirca Pæderotas eos libuit appellare. Pueros enim diuturno, contentoque adſpectu, ſine maleficio contuentur.* Pluraque de iiſdem continuò ſubjungit. Longum ſit omnia omnium exſcribere velle. Pro iis igitur reponam potiùs veterum aliquem. Is eſto Plinius lib. VIII, cap. XVII: *Democritus Thoantem in Arcadia ſervatum à dracone narrat. Nutrierat eum puer dilectum admodum: pavenſque ſerpentis naturam, & magnitudinem metuens, in ſolitudines tulerat: in quibus circumvento latronum inſidiis, agnitoque voce, ſubvenit.* Ubi & grati animi exemplum videmus.

Neque mirandum, ſi ſerpentis etiam naturâ noxii (propterea enim metuebatur) educatio fuerit innoxia. Sunt enim ſerpentes, qui naturâ ſunt infeſti: ſed ſic ab homine, alii tamen magis aliis, cicurentur, nocere ut nolint,

cum poſſint. Docuit id Phylarchus in xii, & ex eo Ælianus in xvii de Animal. cap. v. Qui tradidere, aſpidas apud Ægyptios cibo, à colentibus ſibi præbito, (hic nullus præſtat farinâ vino ac melle ſoporatâ) ita manſueſcere; ut ſimul cum iis vivant pueruli; etiam crepitu digiti è cavernis evocari; menſæ, cum cibus ſumitur, circumſiſtere tanquam invitatas; reliquo corpore humi relicto, caput ſolum allevare, ſenſim cibo expleri: ſi noctu ſit lecto ſurgendum, digitis prius ſignum dari, ne in eas incurratur: illas enim, audito ſigno, confeſtim de via decedere, inque ſua ſe latibula recipere.

Exemplum etiam adducam ex recentiori hiſtoria. Franciſcus Hernandus narrat, vidiſſe ſe in India, qui colubros virides educent: pro lectulo iis dari ſtramentum in dolio: hinc non exire, niſi cibi gratiâ, ac tum heri ſui humeros adſcendere amicè, à quo cibum accipiant: inde in dolium redire. Addit quoque, cùm primitus tantùm pollicis magnitudinem habent, excreſcere in craſſitiem femoris. Memorat & Jo. Euſebius Nierenbergius, in Hiſtor.
a *Lib.* 12. *cap.* 40. Natur. *a*

Cap. LIX.

De animantibus divinitus productis ad impugnandos ſerpentes, magno cæleſtis erga hominem bonitatis argumento. Hujuſmodi eſſe è quadrupedibus cervum, pantheram, muſtelam, ſuem, vulpem, ichneumonem, lacertum: ex avibus, ciconiam, & ibidem: ex aquatilibus, cancrum: ex inſectis, locuſtam, & araneum. De eo, cur Deus non attribuerit ſerpentibus alas, vel pedes, defenſus adverſus Scaligerum Cardanus. De ſonitu, quem ingreſſu edit ſerpens Bambæ. De ſerpente Indico, compreſſu arboris ſe interimente. Per loca ſerpentibus infeſta periculoſiùs iter fieri à jejunis, item ſerpentibus nondum paſtis. Viperas in eo quoque à ſerpentibus differre, quod hieme deliteant ſub ſaxis.

Sed cùm tanta ſuperſit copia ſerpentium inimiciter adeò adverſantium nobis: parum illud videri poſſit, quòd reperiantur aliqui, qui vel naturâ ſint innoxii, hominem etiam ament: vel eò curâ perducantur humanâ, ut lædere cùm poſſint, nolint. Deinceps igitur oſtendam, ne in cæteris quidem, adeò infeſtis, defeciſſe bonitatem Numinis erga nos. Ac primò eam non obſcurè comprobavit, creando tot genera animantium, quæ pro homine militent adverſus ſerpentes. Initium à quadrupedibus fiat. Plinii eſt lib. viii, cap. xxxii: *Eſt cervis cum ſerpente pugna. Veſtigant cavernas, nariumque ſpiritu extrahunt renitentes.* Utrùm verò cervus ſerpentes extrahat odore cornûs, an anhelitus vi, excuſſimus libri iii, cap. lxxiii. Ubi etiam dictum nobis pantheras opitulari contra ſerpentes. Item capitales eſſe inimicitias inter baſiliſcum, & muſtelam; imò hunc ab ea necari; ſi Plinio *a* credimus. *Huic monſtro*, inquit, *muſte-*
a *Lib.* 8. *cap.* 21. *larum virus exitiò eſt: adeò naturæ nihil placuit eſſe ſine pari.* Pulcra eſt oratio; præſertim ſi pro *natura* dixeris *naturæ auctorem.* Quamquam ſic quoque ſit, quod in adlato requiram exemplo. Nam unde didicere homines, muſtelæ inimicitias eſſe cum baſiliſco, qui rarus adeò ſit conſpectu, nec niſi in deſerto? Verius, vel ſaltem veriſimilius eſt de inimicitiis muſtelæ, & ſuis, cum ſerpente: quas tradit Ariſtoteles lib. ix Hiſtor. Anim. cap. i; ubi & legas, ſerpentem ab ſue devorari: muſte-
b *Sect.* 38. læ autem, & ſerpentis odium eſſe ἀπὸ τ͂ αὐτῶν ζῶσιν *b*,
c *Sect.* 51. *quia iiſdem vivunt.* Quomodo & poſtea ait, *c* eſſe inimicitias inter ſerpentem, & vulpem, ob certamen de loco. ἄμφω γὰρ τρωγλοδυτεῖ *ambæ enim in cava habitant terra.* Etiam ambæ ovis, & aviculis, veſcuntur. Quod verò dicebatur, muſtelam perſequi ſerpentem, id apud Plinium quoque invenias lib. xxix, cap. iv: idemque obiter tradit lib. xxxii, extremo cap. ii. Pugnaturæ autem cum ſerpentibus priùs ſe rutâ muniunt: quâ de re dictum lib. iii, cap. lxvii.

Ichneumon quoque, quem vulgo *murem Indicum*, vel *Pharaonis* vocitant, non modò aſpidis ova indagat (unde nomen, nempe ἀπὸ τ͂ ἰχνεύειν *a*, accepit) ſed a *Ab indagando.*
eadem quoque conterit. Abſque eo foret, brevi ab tam fœcundo animali repleretur orbis: ut Ælianus narrat lib. vi de Anim. cap. xxviii. Præterea contra eundem decertat. Sed priuſquam hoc ineat certamen; ſæpius ſe mergit luto; hinc Soli ſe exponit, lutoque indurato illud pro lorica habet; tum adverſus aſpidem progreditur; caudâ, quam attollit, ictus ejus excipit averſus, donec commodam nactus occaſionem in fauces irruat. De iſta aſpidis, & ichneumonis pugna, legere eſt apud Nicandrum, Strabonem, Plinium, Oppianum.

Adhæc lacerti, qui & ipſi inter quadrupedes referendi, decertant cum ſerpente: teſtudines item, quæ ante prœlium deguſtant cunilam bubulam.

Etiam aves contra eos militant: præcipuè ciconia, & ibis: ut oſtenſum nobis lib. iii, cap. xcvi.

Ex aquatilibus quoque idem faciunt cancri. Duratque hoc diſſidium à morte: de quo inferiùs agetur.

Verùm ecce inſecta etiam ſunt, quæ adverſus ſerpentes conjurent: ut locuſtæ. Narrat enim Simon Majolus, epiſcopus Vulturiacenſis *b*, olitori ſuo ex agro venienti con- b *Initio Colloquii* 10.
ſpectum, ut locuſta ſerpentem gutture apprehenderit, atque ita citra pugnam interemerit. In quo, ut olitori, & Majolo, faciliùs habeamus fidem, Plinius facit lib. xi, cap. xxix, his verbis: *Serpentem* (locuſtæ) *cum libuit, necant ſingulæ, faucibus ejus apprehenſis mordicus.* Talia cùm apud Plinium multi legunt, fidem derogant; quia non credunt, niſi quæ vident. Sed quod non videre hi, cernunt ſubinde vulgares animæ; quibuſcum ſi ſermonem ſerere non gravaremur, plura ſciremus naturæ arcana. Nunc alii rebus publicis, aut forenſibus, alii umbraticis ſtudiis occupati, multa non conſpicimus, quæ illi, quos contemnere ſolemus, vident, & obſervant.

Itidem araneus ſerpentibus eſt infeſtus. Plinius lib. x, cap. lxxiv: *Librat araneus ſe filo in caput ſerpentis porrectæ ſub umbra arboris ſuæ: tantâque vi morſu cerebrum apprehendit, ut ſtridens ſubinde, ac vertigine rotata, ne filum quidem deſuper pendentis rumpere, adeò non fugere queat: nec finis ante mortem eſt.* Quibus fidem facit, quod de ſimili facto aranei erga bufonem narrat Eraſmus pereruditо de Amicitia dialogo: qui, inter alia tot, vel ſolus oſtendat, nimium ambitioni ſuæ indulſiſſe magnum extra controverſiam virum Cæſarem Scaligerum; cùm non minorem ſe, ſed aliis laudibus, Batavum noſtrum traducit, quaſi totius Naturæ imperitum. Sed de iſto jam ſuperiùs ſum conqueſtus.

Araneos devorant ſtelliones; ut Ariſtoteles ait lib. ix Hiſtor. Anim. cap. i, & Plinius lib. xi, cap. xxvi. Abrumpam verò de animantibus, quæ quaſi pro homine hoſtilitatem adverſus ſerpentes exercent.

Aliter etiam divina elucet providentia. Nam ne tam facilè noceant ſerpentes, negatæ iis alæ, ac pedes: quod rectè obſervatum à Cardano: malè verò improbatum à Cæſare Scaligero Exercitat. clxxxvi, & clxxxix, ſect. v. Non diffiteor, quod objectat Scaliger, multa eſſe noxia animantia alis, vel pedibus prædita. Sed noluit Deus, nimium eſſe talium numerum. Ac juſto, ſed miſericordi etiam Deo hac parte ſat gravis viſa eſt peccati pœna, ſi noxium eſſet ſerpentium virus; licet non triburet iis, ad faciliùs ac certiùs nocendum nobis, pedum alarumque velocitatem. Quin potiùs voluit in nonnullis quippiam indere, unde moneretur homo, ut tempori ſibi conſuleret. Exemplo ſit, quod Philippus Bigafeta in deſcriptione Congi, & inde alii *c*, narrant. Eſt in c *Jo. Euſeb. Nierenberg. lib.* 12. *Hiſt. Nat. cap.* 39.
ſolo Congi ſerpens mitè virulentus: ſed tanto cum ſtrepitu procedit; ut continuò audiatur; eoque nullo quis negotio periculum evitet, imò venenatiſſimum interimat ſerpentem. Strepitus verò ille inceſſus, ut Petro Jarrico traditum, de ſerpentibus Bambæ agenti, provenit ex concuſſione lagenulæ, quam in cauda accepit: eaque lage-

Jagenula, ſicut etiam caput ſerpentis, cardiacis & febricitantibus prodeſſe dicitur: ut ab tam virulento animali etiam medicamentum morbis habeamus.

Aliorum item vim aliter vel eludimus, vel elidimus. Utriuſque dabo exemplum. Ingentis eſt roboris ſerpens Indicus nomine *acuilcahuilia*, hoc eſt, cum quinque pugnans. Hic in obvios impetum faciens eos ſic conſtringit, ut opprimat, vel ſi collo ſe circumplicuerit, ſtrangulet. Sed & hìc Deus remedium homini dedit. Nam & quandoque ſerpens ſuo ipſe rumpitur obnixu. Et qui naturam ſerpentis ejus novere, arborem, vel aliud, objiciunt; quod dum ille, hominem credens, comprimit, nimiâ ipſe interit preſſurâ *a*.

a *Jo. Euſ. Nier. Hiſt. Natural. lib. 12. cap. 41.*

Sed hæc Indias magis tangunt. Eſt verò & Europæis nobis ratio non una cavendi à ſerpentibus. Superiùs diximus, quo diei calor magis intendit, eo præſentius & efficacius eſſe ſerpentium venenum: tantoque tutiùs hominem iter capeſſere, poſtquam æſtus diei ſit imminutus. Sed & alia peregrinantes attendere oportet. Ut ne jejuni ſe dent in viam, quia vacuis venis faciliùs hauritur venenum, & in principes mittitur partes; vires etiam corporis minùs tum polleant veneno vel conſumendo, vel expellendo. Præterea non ingrediundum iter ſerpentibus necdum paſtis. Jejunæ enim ſunt ſæviores. Sed maximum eſt periculum, cum pullos nutriunt. Adhæc non procedendum per muſcum, & herbarum alias, ſub quibus ſeſe ſoleant occultare: neque facilè lapides movendi, quandò & ſub illis ſæpius ſeſe abdunt. Nec enim in eo ſolùm viperæ à ſerpentum aliis diſtant, quòd ſolæ vivos pariant fœtus, ut ſuperiùs diximus: ſed in illo etiam, quòd, contra quàm Plinius *b* refert, vipera hieme lateat ſub ſaxis, cùm cæteri in cavernis deliteſcant. Poſterius diſcrimen adducit Ariſtoteles in VIII Hiſtoriæ Animalium, cap. XV.

b *Lib. 8. cap. 39.*

Cap. LX.

Adverſus ſerpentes remedia è foſſilibus: ut ſale, nitro, ophite, gagate, bitumine, ſulphure. E plantis, ut ſucco papaveris, (ubi de inſcriptione ultimorum trium librorum Dioſcoridis) item porro, cepis, allio, aniſo, rutâ, lupinis, aliis. Quanta ſit ἀντιπάθεια inter ſerpentem, & fraxinum. Loca ſerpentibus ſcatentia etiam plantas pro remedio producere: idque in utraque etiam India obſervatum. Cujuſmodi caſu compertum ſit, acetum conducere adverſus ictus aſpidis.

NOndum omnia, quibus Deus nobis contra ſerpentes conſuluit, diximus. Referebamus antea, varia eſſe animalia, quæ pro homine adverſus ſerpentes decertent. Nunc monſtrabo, ex mortuis animantibus, adeoque naturâ etiam ſenſus expertibus, ut plantis, & foſſilibus, remedia nobis contra ſerpentium venena divinitus eſſe conceſſa. Ordiar à foſſilibus.

Salem, & nitrum, commendat Dioſcorides lib. VIII, cap. I. Item apud eum Εὐπορίστων lib. II, cap. CXLI legas: Θηρεία διώκει λίθος ὀφίτης περιαπτόμενος. *Ophites lapis appenſus ſerpentes fugat.* Nec ſerpentes ſuſtinent odorem gagatis incenſi: quia nempe, Oribaſio *a* teſte, bituminoſus eſt, ac ſulfureus. Nam & bitumen, & ſulfur, ſi accenderis, idem efficiunt. Eâdem de cauſa hoc ipſum præſtat lapis Thracius. Nam & ille eſt bituminoſus.

a *Lib. 2. Synopſeos, cap. 56.*

Jam de plantis loquar. A baſiliſco vulnerati nequeunt ſanari, ſecundùm Ælianum, Aëtium, Actuarium. Sanè nec Nicander remedium docuit. Eraſiſtratus tamen prodidit τῷ μήκωνος ὀπῷ, *papaveris ſucco*, fieri medicinam: ut eſt apud Dioſcoridem lib. VIII materiæ Medicæ, cap. ult. ſive Theriacorum cap. XXXV. Porrò ne diverſa adeò citandi ratio offendat quemquam, ita habendum eſt, cùm tres poſteriores adduco Dioſcoridis de medica materia libros, eos ſignari, qui in codd. aliis *Alexipharmaca*, & *Theriaca* vocantur. Nam Alexipharmaca ſextum conſtituunt: Theriaca ſeptimum uſque ad caput XIX *a*, quod eſt de baſiliſco: exinde octavum. Sed ſi accuratiùs rem conſideremus: tantùm abeſt, ut ſint pars librorum, quos de medica materia ſcripſit Dioſcorides ille Anazarbenſis, qui ſub Cleopatra & Antonio in Ægypto vixit, & à lentiginoſa facie, Suida teſte, Φακᾶς dictus: ut fortaſſe ne quidem ſint hujus Dioſcoridis, ſed junioris, Galeno interim memorati in gloſſis Hippocratis. Hæc ſanè Cornarii, & aliorum quorundam opinio eſt. Deque eo pleniùs dicemus in Inſectis. Nunc redeo ad remedia è plantis: quale, ut dixi, papaveris ſuccus. Pro *ſucco* apud Avicennam eſt *ſemen*: ſed, ut puto, perperam.

a *Al. 18.*

Præterea in omnibus ſerpentium ictibus; ut aſpidis, ceraſtæ, & ſimilium; nunc cinis ſarmentitius, vel ficulnus, cum lixivio ſtillatitio, garo, & acri ſalſamento, ſubactus; nunc porrum, cepa, & allium, quàm minutiſſimè contrita, illinuntur; vel cremata injiciuntur vulneribus: ut Dioſcorides ait lib. VIII, cap. I. Pluraque ſubdit poſtea de picis, cepæ, alliique remedio, quod apud Ægyptios ſpicilegii tempore obtinet. Idem lib. VIII, cap. VIII, hoc eſt, Theriacorum cap. XXVII, in Εὐπορίστοις cap. CXXVII, adhæc Aëtius ex Archigene, allium & vinum commendant. Itidem Paulus duo iſta, σκοροδοφαγίαν, καὶ οἰνοποσίαν *b*, remedium vocat ἀνυπ-κώτατον *c*. Plinius quoque, etſi alicubi neget, ab aſpidibus ictos poſſe ſanari; & ipſe tamen remedia ſuggerit. Ut lib. XX, cap. XVII: *Sunt qui & aſpidum venenis adverſari naturam aniſi putent.* Et lib. XXI, cap. XX: *Polium cum ruta ſylveſtri, ſi teratur ex aqua cœleſti, aſpidas mitigare dicitur.* Idem lib. XXII, cap. XXV, vim eam amaris tribuit lupinis. Ut clinopodio lib. XXIV, cap. XV. Adverſus ſerpentum etiam alios paſſim apud eum remedia legas. Ut lib. XXI, cap. XX: *Polium contra ſerpentes ſubſternitur, vel potatur.* Et initio cap. ſeq. *Trifolium ſcio credi prævalere contra ſerpentium ictus, & ſcorpionum, ex vino, aut poſca, ſeminis granis viginti potis: vel foliis, & totâ herbâ decoctâ: ſerpenteſque nunquam in trifolio conſpici. Præterea celebratis auctoribus, contra omnia venena, pro antidoto ſufficere XXV grana ejus.* Plura ibidem vide. Longior enim fuero, ſi verba ſemper appendam ſcriptorum. Contentus ideo ero plantas quaſdam alias, quaſi per ſatiram, numerare. In iis magnum nomen eſt fraxini: ut teſtis eſt idem lib. XVI, cap. XIII: ubi ait, ſuccum ejus adverſus ictus ſerpentum prodeſſe, & ſi expreſſus ſit ad potum, & ſi imponatur ulceribus. Mira verò eſt ἀντιπάθεια *d* inter arborem hanc, & ſerpentem: quam ſe veriſſimam experientiâ ipsâ comperiſſe, ibidem refert. Si ignem ſtruas ab eo loco, ubi umbra incipit arboris, uſque eò ubi deſinit, potiùs per ignem ſit perrupturus, quàm eâ parte, ubi eſt umbra fraxini. Ut fraxinus eſſe poſſit imago, & ſymbolum boni principis; non ſinentis improbos requieſcere ſub umbra ſua.

b *Eſum allii, & potum vini meri.*
c *Efficaciſſimum.*
d *Naturæ pugna.*

Arcentur præterea ſerpentes ſuffitu filicis, roſmarini, naſturtii, peucedani, ſive pinaſtelli. Item ſubſtratis paſſim faſciculis è calamintha humida, vitice, bugloſſo ſylveſtri; cujus ſemini eò Deus videtur formam dediſſe capitis viperini, ut inde ejus adverſus ſerpentes vim homines cognoſcerent. Item ex origano, & ramis mali Punicæ. Prodeſt etiam & ſuffitu, & ſubſtratu, conyza, ſive pulicaria. Item potu utile erythrodanum, ſeu rubia tinctorum. Etiam ſubſtratu, potuque, aſphodelus. Illitu juvat reſina cedri, oleum ex peucedano, & conyza, admixtâ ſalviâ, & laſeris radice, item erucæ immiſtæ oleo. Vide de iſtis Nicandrum in Alexipharmacis, Dioſcoridem cùm aliis in locis, tum inprimis lib. VIII, cap. I, Plinium variis locis, præter eos, quos memoravimus: è junioribus, eruditum Nicandri interpretem, Grevinum; ut Mercurialem, & tot alios prætercam; qui vel ſeorſum, vel in ſuis artis Medicæ libris, de venenorum remediis egerunt.

Magnum verò eſt divinæ bonitatis argumentum, quòd,

quòd, quibus locis ſerpentes maximè abundant; iis quoque præcipuè plantas prodire juſſit, quæ venenis adverſentur. Hoc liquet ex aromatiferis pleriſque Aſiæ locis. In India quidem, ait Ariſtobulus, viſas ſibi viperas novem cubitorum & dodrantis. At item addidit (ut eſt apud Strabonem in xv) τὴν βοήθειαν ῥᾳδίαν εἶναι, διὰ τὴν ἀρετὴν τῶν Ἰνδικῶν ῥιζῶν καὶ φαρμάκων· *remedium eſſe facile propter vim herbarum Indicarum, & medicamentorum.*

Multa talia de America legas in Hiſpanorum commentariis. Jucatanenſis agri ſerpens eſt nomine *kokob*, quatuor dodrantes longus, coloris fuſci; ſed diſtincti maculis cyaneis, ac rubris. Eſt ex hæmorrhoorum genere. Nam ab eo ictus intra horæ unius ſpatium toto ex corpore ſanguinem rejectat; unumque intra diem ſic homo exſtinguitur; niſi tempori remedio utaris divinitus conceſſo. Eſt hoc ejuſmodi: ſiliquaſtri ſuccus miſcetur tobaco confuſo reſolutoque, atque ita bibitur. Refert Jo. Euſebius Nierenbergius in Hiſtor. Nat. lib. XII, cap. ult.

Priuſquam à plantis abeo, aliquid dicam de aceto. Siquidem vitium fructus eſt vinum, è quo acetum; ac id quandoque vino ipſo carius; unde Martialis lib. XIII, epig. CXXII, de amphora Niliaci aceti:

Eſſet cùm vinum, vilior illa fuit.

Quamquam verò aſpidis venenum ab Ægyptiis haberetur invictum; ut ex Æliano dicebamus cap. LIV: magna tamen vis aceti perhibetur: quod quomodo ſit deprehenſum, docet Plinius lib. XXIII, cap. I: *Nuper ab aſpide calcatâ percuſſus utrem aceti ferens, quoties depoſuiſſet, ſentiebat ictum, alias illæſo ſimilis. Intellectum ibi remedium eſt, potuque ſuccurſum.* Paulloque eo antiquior Cornelius Celſus fuſiùs idem expoſuit, qui & in cauſſam inquirit. Locus eſt lib. V, cap. XXVI: *Uſus docuit, eum, quem aſpis percuſſit, acetum bibere debere. Quod demonſtraſſe dicitur caſus cujuſdam pueri; qui cum ab hac ictus eſſet, & partim ob ipſum vulnus, partim ob immodicos æſtus, ſiti premeretur, ac locis ſiccis alium humorem non reperiret: acetum, quod forte ſecum habebat, ebibit, & liberatus eſt. Credo, quoniam id, quamvis refrigerandi vim habet, tamen habet etiam diſſipandi. Quo fit, ut terra reſperſa eo ſpumet. Eâdem ergo vi veriſimile eſt, ſpiſſeſcentem quoque intus humorem hominis ab eo diſcuti, & ſic dari ſanitatem.*

Cap. LXI.

De uſu inſectorum contra ſerpentes; uti cimicum, & muſcarum. Adverſus morſus venenatos remedium omnium præſtantiſſimum. Ex piſcibus mederi, cum ſalſamenta, in his omotarichum; tum gobios, & præcipuè cancros fluviatiles. Ex avibus idem præſtare, cum anſeres, tum gallinas, & quæ rei iſtius ſit cauſſa: adhæc anates Ponticas, & hirundines. Ex quadrupedibus prodeſſe adipem elephanti, ſanguinem crocodili, & ſimilia, vix parabilia: parabilium verò, leporis coagulum, caſtorem, muſtelam, vaccam, cervum, hædum, agnum, murem, oves, capras. Hominis etiam urinam juvare, & imprimis ſalivam, atque ut remedio iſto uti ſoleant Ophiogenes: ac veriſimile idem eſſe de Pſyllis, & Marſis. Diſquiſitum interim, an non hoc, quòd Pſyllis haut noceant ſerpentes, ſit a propriâ hominis in Africa temperie, vel peculiaribus terræ ejus herbis; vel fiducia, ſive audacia tractandi ſerpentes: maximeque eſſe credibile, provenire id ex eo quòd, qui à pueris degunt inter hæc ſerpentium genera, à primâ etiam ætate remedia diſcant adverſus venena. Magno divinæ providentiæ argumento fieri, ut terra ſerpentem homicidam non recipiat; ſed ille diu noctuque vagus fiat; ſi veteribus fides.

Nunc paucis dicam de remediis ex animalibus: ac ab inſectis quidem, imperfectiſſimo animantium genere, quaſi per gradus quoſdam, ad hominem ipſum aſcendam.

Maximum inſectorum uſum in hac parte Plinius oſtendit lib. XXIX, cap. IV: *Quædam pudenda dictu tantâ auctorum aſſeveratione commendantur, ut præterire fas non ſit. Siquidem illa concordia rerum, aut repugnantia, medicinæ gignuntur: veluti cimicum, animalis fœdiſſimi, & dictu quoque faſtidiendi natura contra ſerpentium morſus, & præcipue aſpidum, valere dicitur: item contra venena omnia: argumento, quod dicunt, gallinas, quo die id ederint, non interfici ab aſpide: carnes quoque earum percuſſis plurimum prodeſſe.*

Eſt & ſua laus muſcis inter remedia adverſus morſus venenatos: imò ex tam variis remediis præcipuè Cæſar Scaliger *a* commendat: *Ariſtolochiæ rotundæ, Mithridatii, ſingulorum uncias duas: terræ ſigillatæ unciæ ſemiſſem: muſcas, quæ de napelli frondibus victum capiunt, duodeviginti: ſucci citri, quantum ſatis.*

a Adverſus Cardan. Exercitat. 185. ſect. 1.

Ex ipſis etiam ſerpentibus remedium adverſus eos peti, cap. prox. monſtrabitur, cùm de amoletis dicetur.

Præſidio etiam ſunt aquatilia. Sic Dioſcorides lib. VIII, cap. XI, ob acrimoniam ſalſamenta commendat ictis ab hæmorrhoo, vel dipſade. Etiam libri hujus cap. XXXVII dicebamus ex eodem Dioſcoride, contra ſerpentes mederi hippopotami teſticulos exſiccatos, teſtes fibri, ranas, &, ne amphibiis inſiſtamus, etiam gobios, è ſalſamentis omotarichum. Ibidem quoque de cancris fluviatilibus remedium petebamus è Plinii lib. IX, cap. XXXI. Ac convenit hoc lib. XXXII, cap. V: *Cancri fluviatiles triti potique ex aqua recentes, ſeu cinere adverſato, contra venena omnia proſunt, privatim contra ſcorpionum ictus.* Pluraque in hanc mentem. Inter cætera: *Magi dicunt, nihil æquè adverſari ſerpentibus, quàm cancros: ſueſque percuſſas hoc pabulo ſibi mederi.*

De avibus hæc verba ſunt Cornelii Celſi lib. V, cap. XXVI: *Si neque, qui exſugat* (ex vulnere venenum) *neque cucurbitula eſt,* (quæ venenum extrahat) *ſorbere oportet jus anſerinum, vel ovillum, vel vitulinum, & vomere. Vivum autem gallinaceum pullum per medium dividere, & protinus calidum ſuper vulnus imponere, ſic ut pars interior corpori jungatur.* Idem tradit Dioſcorides lib. VIII Mater. Medic. cap. I: ubi & cauſſam remedii hanc addit, quòd gallinæ naturæ ſint admodum calidæ, (ut argumento eſt, quòd etiam arenas, & calculos comeſtos, ſtomacho ſuo conſumant) eoque ſpiritus inde adjutus venenum vel exſtinguat, vel expellat. Ac de iſto etiam egimus lib. III, cap. XCVI. Ubi & dictum de uſu anatis Ponticæ adverſus venena. Addit Fernelius quoque de corde palpitantis hirundinis: item corde turturis, & corvi: de quibus Eraſti judicium ibidem adduximus.

Venio ad quadrupedes. Unguentum ex adipe elephanti contra ſerpentes prodeſſe, dixi lib. III, cap. L. Interim Eraſiſtratus in libro, quem de venenis, & remediis fecit *b*, non injuriâ eos inceſſit *c*, qui præſcribunt remedia, ſi vera, ſaltem ejuſmodi, ut non poſſint, niſi regum ope, conquiri, & explorari. Talia eſſe ait fel elephanti, ſanguinem crocodili, ova teſtudinis, & ſimilia. Subdit igitur ipſe magis parabilia, & certa: ut leporis πυτύας, ſive coagulum cum vino, ac caſtorii ſextantem, item muſtelam exenteratam, & ſale diuturno exſiccatam, ex qua binas bibiſſe drachmas ſuffecerit. De leporino coagulo adverſus viperas habes & cap. VIII. Idem dixerat lib. II, cap. LXXXV. Ac ejuſdem libri cap. LXXXI docuerat, etiam ab aſpide morſis prodeſſe, ſi illinas butyrum. Lib. II, cap. LXIII, legas de odore cornûs cervini. Quod & Plinio traditum lib. VIII, cap. XXXII: *Singulare*, inquit, *eſt abigendis ſerpentibus odor adusto cervino cornu.* Sed cornu etiam uti poſſumus vivo cervo. In remediis, quæ petuntur è mortuis, conſiſtamus. Quale eſt, quod lib. III, cap. LXVIII, ex eodem Dioſcoride *d* retuli, ut genitale cervinum medeatur mor-

b Dioſcorides lib. 7. cap. ult.

c Dioſcorides lib. 8. cap. 1.

d Lib. 2. cap. 32.

morſis à vipera. Quod legas etiam apud Simeonem Sethi. Ubi & de ſanguine cervi idem narrat. Sammonicus quoque auctor eſt, nec periculum eſſe ab iis, ſi dormiamus in pelle cervinâ, aut ſi cervi dentem geſtemus. Quæ oſtendunt, ut cervinum odorem non ferant. Vicina ſunt remedia ex pullis cervinis, quos *hinnulos*, & *hinnuleos* dicunt. De his ita Plinius lib. VIII, cap. XXXII: *Contra morſus* (ſerpentium) *præcipuum remedium ex coagulo hinnuli in matris utero occiſi.*

De cervis ſatis. Nunc quædam de aliis addam. Cornelius Celſus lib. V, cap. XXVI præcipit, ut *hedus, agnuſve, diſſcindatur, & calida ejus caro ſtatim ſuper vulnus imprimatur.* Plinius ſimiliter lib. XXIX, cap. IV: *Adverſus ſerpentium ictus efficaces habentur mures diſſecti, & impoſiti; quorum natura non eſt ſpernenda; præcipuè in adſcenſu ſiderum, cum lumine Lunæ fibrarum numero creſcente, ac decreſcente.* Idem ibi commendat *fimum pecudis recens in vino decoctum, illitumque.* At Celſus, loco memorato, adverſus cherſydri & ceraſtis ictum laudat *ſtercus caprinum ex aceto coctum.* Proſunt quoque teſticuli fibrini: de quibus ita Plinius lib. XXXIII, cap. III: *Bibuntur adverſus ceraſten, & preſteras, cum panace, aut ruta, ex vino: adverſus cæteras ſerpentes cum vino. Dari binas drachmas ſatis eſt: eorum, quæ adjiciantur, ſingulas.* Dioſcorides lib. VIII, cap. VII docet, adverſus baſiliſcum, aſpidem, & ceraſten conducere ſanguinem taurinum, ſi bibatur. Et rationem hanc adducit: Βοὸς αἷμα ὀξύτατα πήγνυσι τὸ ἐν ἀρτηρίαις αἷμα, καὶ πήγνυται πρὸς τοῦτον ὁ ἰός. *Taurinus ſanguis acerrime conglutinat ſanguinem in arteriis, & per hoc coagulatur venenum.*

Sed nihil æquè oſtendit, quàm curæ fuerimus Deo, quàm quòd hominibus venenum inſit contra ſerpentium venena. Sanè urina ictorum ab aſpide remedio eſt ictis ab ea. Plinius lib. XXIX, cap. IV: *Cunctarer in proferendo ex his remedio, niſi M. Varronem ſcirem LXXXVIII vitæ anno prodidiſſe, aſpidum ictus efficaciſſimè curari, hauſtâ à percuſſis ipſorum urinâ.* Neque ſolùm contra aſpides præſidium habemus jam morſi; ſed etiam priùs: nec modò adverſus aſpides; ſed alios etiam ſerpentes. Hoc Ariſtoteli traditum lib. VIII Hiſt. Animal. cap. XXIX *a*: Ἔστι δὲ τοῖς πλείστοις αὐτῶν πολέμιον τὸ τοῦ ἀνθρώπου πτύελον. *Adverſatur & plurimis eorum hominis ſaliva. Plurimis* ait, non quia non verum ſit in cunctis; ſed quia nondum de omnibus conſtaret. Utcunque hoc eſt, ſaltem omnibus id præſidii datum. Plinius lib. VII, cap. II. *Et tamen* OMNIBUS *contra ſerpentes ineſt venenum: feruntque ictu ſalivæ, ut ferventis aquæ contactu, fugere.* Hanc ſalivæ vim agnoſcit quoque Galenus lib. X Simplicium, & Scaliger in Ariſt. Hiſt. Anim. lib. II, cap. XVIII, ſect. CXXIII. Sed imprimis intelligenda illa hominis jejuni: quæ ſi in ſerpentem ceciderit, fugere jam dixi, velut ad contactum aquæ ferventis. Quod ſi in rictum ejus incidat, etiam mori, ab Ophilio traditum eſt, indeque Plinio lib. XXVIII, cap. IV. Ac ſimiliter Lucretius in IV *b*:

a Sive ex diſtinctione Caſ. Scal. c. 33. ſect. 320.

b Verſ. 639.

Eſt utique ut ſerpens, hominis quæ tacta ſalivis
Diſperit, ac ſeſe mandendo conficit ipſa.

Etiam, morſus à ſerpente, ſi confeſtim ſalivam illeveris vulneri, cohibebis venenum, nec ultra ſe diffundet. Hinc Lucanus in IX:

Nam primum tactâ deſignat membra ſalivâ,
Quæ cohibet virus, retinetque in vulnere peſtem.

Hoc remedio uti etiam ſolent Ophiogenes in Helleſponto circa Parium: de quibus Varro, Plinio *c* teſte, ſcripſit, ſuo etiam tempore fuiſſe iſtic paucos eorum, *quorum ſalivæ contra ictus ſerpentium medeantur.* Ac colligo inde, ſaliva priùs imbuere manûs ſolere; quandò, ut ibidem ex Cratete Pergameno refertur, *ſerpentium ictus contactu levare ſolent, & manu impoſitâ venena extrahere corpori.* Facilè etiam mihi perſuadeo, hoc remedio uſos eſſe Pſyllos, & Marſos: de quibus ſic Plinius loco antè memorato: *Similis & in Africa gens Pſyllorum fuit, ut Agatharchides ſcribit, à Pſyllo rege dicta, cujus ſepulchrum in parte Syrtium majorum eſt. Horum corpori ingenitum fuit virus exitiale ſerpentibus, ut cujus odore ſoporarent eas.* Id ingenitum virus ſalivam fuiſſe, cenſeo. Sed odorem, de quo loquitur Plinius, puto fuiſſe à rebus odoratis, quas circumgeſtarent ſecum. Multorum enim odore fugantur ſerpentes: ut ante vidimus, & plenius in plantis, & foſſilibus, dicetur. Subjungit deinde: *Hæc gens ipſa quidem prope internecione ſublata eſt à Naſamonibus, qui nunc eas tenent ſedes: genus tamen hominum ex his, qui profugerant, aut cum pugnatum eſt, abfuerant, hodieque remanent in paucis. Simile & in Italia Marſorum genus durat: quos à Circes filio ortos ſervant* (f. ferunt) *& ideo ineſſe iis vim naturalem eam.* Idem de Pſyllis, Marſiſque, tangit lib. XXI, cap. XIII. De prioribus quoque ſic Lucanus:

c Lib. 7. cap. 1.

—— Gens unica terras
Incolit à ſævo ſerpentum innoxia morſu
Marmaridæ Pſylli: par lingua potentibus herbis.
Ipſe cruor tutus: nullumque admittere virus,
Vel cantu ceſſante, poteſt. natura locorum
Juſſit, ut immunes miſti ſerpentibus eſſent.

Ubi quod à natura loci eſſe ait, non omnino aſpernandum. Nam & hoc bonitatem Dei arguat, quod ubi ſerpentes plurimi, ac maxime virulenti, illic etiam cœli ſolique beneficio magis veneno reſiſtant corpora humana. Videtur idem voluiſſe Hieronymus Fracaſtorius Veronenſis libri de ſympathia & antipathia cap. XIX, ubi ſic ſcribit: *Cum Pſyllis, & Marſis, non ea ſerpentum inimicitia eſt, quæ cum reliquo genere, ſive ſit miſtio iis non omnino contraria, ſive odor, ſive aliud, per quod ſpecies minùs ingrata accidat.* Interea non arbitror, in hoc ſolo conſiſti oportere. Nam aliud præterea in cauſſa eſſe, ex eo colligo, quòd Naſamones, cùm, Pſyllis fugatis, eorum ſedes occuparunt, non tamen idem potuerunt: ut ex Plinio paullo antè cognoſcere fuit. Quare cenſeo, Pſyllos præcipuè eo ſe tutos præſtitiſſe, quòd non è temperamento ſolo, ſed ex veſtibus quoque, vel aliter, odorem ſpirarent ſerpentibus inimicum: cumque ictus venenatos exſugerent, remedium fuiſſe à ſaliva: nec ſolâ tamen: credibile enim eſt priùs ſe herbis in Africa familiaribus muniiſſe. Etiam cum ſolâ manu impoſitâ extraherent venenum: priùs digitos ſalivâ, ac liquore aliquo ex herbis adverſus venena idoneis tinxiſſe, planè credibile eſt. Valde hæc firmat Cornelius Celſus; qui & ipſe negat, à temperie Pſyllorum cauſſam peti debere: imò eo uſque provehitur, ut putet, quòd innoxii tractent ſerpentes, potiùs eſſe fiduciam uſu longo firmatam. Locus eſt lib. V, cap. XXVI: ubi adverſus ſerpentium morſus præſcribit, ut cucurbitulis venenum educamus: prius verò, ſcalpello incidamus circa vulnus, quo plus vitiati ſanguinis extrahatur. Si cucurbitula non ſit, adhibere jubet vas quodlibet, quod uſum ſimilem præſtet. Hinc iſta ſubjungit: *Si id ne quidem eſt, homo adhibendus eſt, qui vulnus exſugat. Neque Hercules ſcientiam præcipuam habent hi, qui Pſylli nominantur; ſed audaciam uſu ipſo confirmatam. Nam venenum ſerpentis, ut quædam etiam venatoria venena, quibus Galli præcipue utuntur, non guſtu, ſed in vulnere nocet. Ideo colubra ipſa tuto eſtur, ictus ejus occidit: & ſi ſtupente eâ (quod per quædam medicamenta circulatores faciunt) in os digitum quis indidit, neque percuſſus eſt; nulla in eâ ſalivâ noxa eſt. Ergo quiſquis exemplum Pſylli ſecutus id vulnus exſuxerit, & ipſe tutus erit, & tutum hominem præſtabit.*

Mihi interim in variis hiſce ſententiis, nihil æquè veriſimile eſt, ac illud Pſyllos, quoniam inter ſerpentes degerent à primis incunabulis, quaſi cum lacte a matribus, quò tutiores eſſent, remedia quædam non adeò vulgaria eſſe edoctos: neque iſta alienigenis aperuiſſe, partim ne minùs iis eſſent admirationi, partim etiam ne minùs ex illis caperent lucri. Ac credibile eſt, nec alibi remedia fuiſſe tam præſentia. quia ubi locorum abundarent

darent ſerpentes, iiſdem præcipue remedia venenis Deus produxit: ut dictum cap. præcedenti, & inferius in venenatorum inſectorum remediis iterum erit dicendi locus.

Atque ex his ſatis evincitur, remedia nos adverſus ſerpentium venena habere in foſſilibus, plantis, inſectis, aquatilibus, avibus, quadrupedibus, ac homine ipſo: ſic ut tota rerum natura videatur eâ parte pro homine conſpiraſſe.

Imò ipſa etiam terra ſit ultrix hominis à ſerpente percuſſi: ſi verè Plinius lib. II, cap. LXIII: *Illa* (de terra loquebatur) *ſerpentem homine percuſſo non amplius recipit, pœnaſque etiam inertium nomine exigit.* Sed hoc Cæſari Scaligero a parum fit veriſimile. *Quare*, inquit, *terra eam fovet, quam ſciat eſſe percuſſuram?* Plinio tamen ſubſcribit Ælianus lib. XII de Animal. cap. XXXII. Atque addit, non ſolùm Indos hoc dicere; ſed teſtes etiam advocare Libyas, & Thebaidos incolas. Hos uno ore dicere, non poſſe ſerpentem, interemto homine, ſubire veterem cavernam; ſed, quia reſpuat eum tellus; diu noctuque, æſtate & hieme, vagari ſine conſortio conjugis, ſine prolis adſpectu. Atque ait, hoc fieri προνοίᾳ τοῦ θείου, *providentia divinâ.* Quæ ſi pœnas à mutis exigat animantibus, multò magis hominem cavere ſibi ab homicidio oportere. Quod ſi humano efferetur ſanguine, nec naturalis deficit ratio.

a Comment. in Ariſt. lib. 2 Hiſt. Animal. cap. 18 ſect. 123.

Cap. LXII.

De triplici utilitate, quæ ex ſerpentibus in hominem redundat; ratione alimenti, medicamenti, & amoleti, ac quomodo hæc tria inter ſe differant. Ac primo de ſerpentibus eſculentis; unde nomen ophiophagis. *Eos regalem eſſe in Cuba cibum. De iguana, & teuthlacocauhqui. Serpentes, qui medeantur ſterilitati mulierum, oculorum caligini, ſingultui, capitis vel lumborum dolori, item tumoribus, aliiſque,* Amoleti, *& theriacæ, eryma. Quàm ſedulo cavendum, ne pro vipera carne accipias ceraſta. De adipe draconis. Serpentes, qui vulnus fecerint, eidem impoſitos mederi.*

PRæter tot modos, quibus adverſus ſerpentium venena nobis Deus proſpexit; quàm manifeſtum eſt divinæ clementiæ indicium, quòd ex illis ipſis animantibus, quibus propter hominis peccatum virus atrum additum eſt, vel ſaltem, dominio homini cætera in animantia non exigua parte erepto, noxium eſſe eidem hoc virus cœpit; tam multa tamen emolumenta capere ex ſerpentibus, poſt etiam inductum in orbem peccatum, licet. Utilitas ea in tribus potiſſimùm conſiſtit; cùm & in cibum adſumantur, & medicinam adferant morbis, & adverſus venena proſint. Quæ tria multum differunt à vi venenoſa. Nam ut *alimentum* eſt, quod à natura animantis immutatur, & bono ejus vincitur; *medicamentum* verò, quod immutatur, & ejus bono vincit naturam: ſic *venenum* eſt, quod naturam ita immutat, ac vincit, ut perimat; *amoletum* autem quod naturam defendit ac venenum vincit. Oſtendam igitur, utcunque ſerpentes noceant veneno; prodeſſe tamen eoſdem & alimento, & medicamento, & amoleto. Quomodo pro uno malo tria reponimus bona.

De alimento primùm loquar. In Africa quidem, *quos ophiophagos vocant, ſerpentibus veſci adſueti*; ut Plinius ait lib. VI, cap. XXIX. Idem lib. XXIX, cap. XXVI refert, tutò comedi viperas, exemtis inteſtinis, & utrimque menſura quatuor digitorum reciſa, cumque ſale diſcoctâ. Etiam *colubra tutò eſitur*: ut ait Celſus lib. V, cap. XXXVI. Cæſaris Scaligeri verba ſunt Exercitat. CLXXXIX, ſect. IV: *In India, atque Æthiopia, non ſolùm innoxii ſerpentes multi, ſed etiam eſculenti.* Imò in inſula Cuba uſque adeò delicati ſaporis ſerpentes ſunt, ut ſolis apponantur regibus: ſicut ait idem Scaliger in Ariſt. lib. II Hiſtor. Anim. a Hauſit verò hoc ex Petri Martyris Mediolanenſis de Oceani & novi Orbis rebus lib. III a. Ubi narrat, ut cùm Hiſpani in quandam ejus inſulæ partem veniſſent, neminem quidem repererint, quia incolæ præ metu in montana ſe recepiſſent: ſed, caſas piſcatorum intrantes duas, in his viderint *verubus ligneis appoſitas ignibus piſcium libras circiter centum, duoſque octipedales ſerpentes.* Hunc narrat, ut piſces comederint; ſed ſerpentibus abſtinuerint, quia cibum hunc reformidarent. Ex interprete autem poſtea didiciſſe piſcatores eos & piſces, & ſerpentes illos, apparaſſe ex regis ſui mandato, qui regem alterum convivio excipere ſtatuiſſet: lætatos verò, quòd ſolos abſumtiſſent piſces, quales facile proximâ nocte capere poſſent; reliquiſſent verò ſerpentes, captu difficiles, nec vulgarium animantum cibum; non magis puta, quàm terris noſtris phaſiani, aut pavones. Gemina his idem Martyr ſcribit de Oceani, & novi orbis rebus lib. V b: *De ſerpentibus*, inquit, *quos inter edulia principatum obtinere, crocodiliſque ſimillimos eſſe, ſupra deſcripſimus; juvanas ſerpentes vocant. Has in inſula naſci, ſero didicerunt; neque ex eis noſtri, ob fœditatem, quæ horrorem, non modò nauſeam, inducere videbatur, guſtare hactenus auſi fuerant. Præmordere paullatim Adelantatus juuanam, regis ſororis pellectus facetiis, ſtatuit. Sed ubi demulcere carnium earum ſapor palatum, & guttur, cœpit: plenis deinde faucibus eas expetere videbatur. Non mordicus deinde, neque vix uncto labello, illas delibabant: ſed helluones omnes effecti, de re nulla jam, præterquam de ſerpentium ſuavitate, ſermocinabantur; lautioreſque eſſe dapes illarum, quàm aut pavonis, aut phaſiani, vel perdicis apud nos.* Pluſculis poſtea nos edocet de modo eas apparandi: quæ ex fonte peti malo. Sed quos Scaliger in commentariis ad Ariſtotelem, & alii, *ſerpentes* vocant, non videntur propriè id nomen obtinere: quandoquidem videmus hic dici crocodilis ſimiles, & *iguanas* vocari. At verò, *iguana*, non niſi laxè *ſerpens* dicitur, cùm inter quadrupedes locum habeat. Mexicani vocant *aquaquetzpallin*, Haitini *igoanas*, & alii *iuanas*, colori non multum abſimiles. Adſpectu ſunt horrendi, pedibus referunt lacertum, uti & capite. Corpus eſt longum binos palmos, & ſemiſſem, palmum, vel ampliùs, craſſum. Cauda verò etiam quatuor, aut quinque palmos, longa eſt. Hi, ſi capias, dentibus quidem renident, nec tamen lædunt: ut nec ſi decem, aut viginti dies, palo alligâris; neque cibum præbeas. Vide de iis Cæſarem Scaligerum adverſus Cardanum Exercit. CLXXXIII, ſect. VIII. Ubi de eo inter cætera, *Is pro delicatiſſimo cibo venalis eſt in mercatoribus.* Adi & Gonſalum Fernandum Oviedum, & quæ ex eo refert Jo. Euſebius Nierenbergius lib. XII Hiſtor. Nat. cap. VI. Sed hic contentus eſt dicere, eſſe pro cibo non contemnendo. Idem Euſebius ejuſdem lib. I, cap. I narrat, Indis Occidentalibus in cibo, atque adeò deliciis, haberi ſerpentem, nomine *teuthlacocauhqui*: de quo mox pluribus. Et cap. XXXIX refert, ſerpentes Bambæ, etſi valde virulentos, ſic tamen præparari ab incolis, ut non minùs iis ſapiant, quàm nobis gallinæ: atque hoc ſe habere è commentariis Petri Jarrici profitetur. De alimento ſatis.

a Cap. 18. ſect. 123.

a Pag. 36. & 37. edit. Colon. an. 1574.

b Pag. 63. edit. Colon.

Præterea ſerpentes medicamento eſſe narrabamus. Ita Dioſcorides lib. II, cap. XVIII jubet, ad oculorum claritatem veſci coctâ viperæ carne: ſed cute, capite, caudâque, ablatis, quia carne vacant. Strumis laborantes viperarum eſu multùm juvantur: ut eſt apud Dioſcoridem lib. II Mat. Med. & Parabil. cap. CLV. Similiter Aetius lib. XV. Paullus laudat cinerem ſerpentis in olla uſti mixtum fœnogræco & melli: item medicamentum ex aſpidibus. Eſt & Marcelli Empirici cap. XVII: *Ad ſingultus cohibendos ſerpentis ſenecta, id eſt, exuviæ licio alligatæ, & vulſo circumdatæ, mire proſunt.* Longum eſſet omnia exſcribere. Solùm dicam, hoc etiam locum habere in America: ubi ſerpens eſt boytiopua, quod interpretantur *anguem longi roſtri*. De illo ita perſuaſum eſt Indis iſtis, feminas reddi fertiles, ſi lumbis earum affricetur. Etiam illic ſerpens eſt jam memoratus *teuthlacocauhqui*, ſive *domina ſerpentum*. Quatuor eſt pedes longus, vel amplius. Hic

Hic caninorum dicitur dentium tubulis (ſunt enim cavi) venenum jaculari. Cæterùm Mexicani medici caninis iſtis pungunt collum, ac cervicem eorum, qui gravi capitis dolore laborant: etiam dolorem lumborum, ac partium aliarum, tumores item, illitâ ejuſdem ſerpentis pinguedine, diſcutiunt. Præterea ajunt caput hujus mederi morbis gutturis, atque adeò febribus. Vide Jo. Euſebium Nierembergium, Phyſiologiæ in Madritenſi Academia profeſſorem, lib. XII. Hiſtor. Natur. cap. I. Etiam lacertæ caput tritum, & impoſitum tollit verrucas, clavos, ſimiliaque, ut Dioſcorides ait lib. II Mater. Med. & Parabil. cap. CLXXVI, Galenus lib. XI Simplic. Paulus Æg. lib. VII, ut de Latinis, Plinio, ac Sereno Sammonico, taceam.

Denique ipſi ſerpentes ἀλεξητήριοι ſunt, ſive, ut ab *amoliendo* Latini dixere, amoletum, vel ut vulgo ſcribunt, amuletum. Non opus eſt, ut longe petantur exempla. Nihil notius eſt, quam ex viperæ carne fieri theriacam, ſic dictam, ex eo, quòd vipera κατ' ἐξοχὴν dicatur θηρίον a: unde cùm Dionyſius Halicarnaſſenſis b literam Σ vocat θηριώδη, ut cap. dixi LV, non *ferinam* c cum interprete vertere convenit; ſed *viperinam*, hoc eſt, cujus ſonus ſibilum referat ſerpentinum. Porrò videndum, ne pro viperæ carne adhibeatur ceraſtæ. Eſt enim ceraſtes viperæ admodum ſimilis forma: ſed effectu planè diſpar. Cur verò non caro ceraſtæ, aſpidis, aliuſve ſerpentis antidotum hanc ingrediatur, Galenus diſquirit: quem, ſi voles, vide lib. de Theriaca cap. VIII.

a *Etiam Act. Apoſtol. c. 28. verſ. 4. eoque ἔχιδναν eo in loco interpretatur Procopius in c. 1 Geneſ.*
b *Lib. de Collocat. verborum, pag. 13. edit. Wechel*
c *Simon Bircovius, nuperus interpres, agreſtium belluarum, ſed nihilo melius, vertit.*

Adverſus atrox aſpidis venenum juvat, ſi deglutias cimices in cubiculo enatos, numero ſeptenos; modò Dioſcoridi habeamus fidem lib. II, cap. XXXVI.

A vipera morſis ſcorpius creditur convenire: ut eſt apud Galenum lib. XI de Simplicibus.

Etiam *draconum adipem venenata fugiunt*: ut ait Plinius lib. XXIX, cap. IV.

Et quanti illud putandum, quòd ut Pelias haſta, ſecundùm poëtas, & vulnus facit, & eidem medetur: ſic etiam animalia venenoſa, quæ vulnus inflixere, trita, & vulneribus applicita, affrictaque, iiſdem ſalutarem afferant medicinam? ut Galeno proditum lib. IX de Simplicibus, cap. de dracone marino, & lib. de Theriaca cap. XI.

Cap. LXIII.

De ſerpente in Diis culto ab Ægyptiis, jam antiquis ſeculis: & recentioribus, à Boruſſis, Samogithis; ut & Calecutenſibus.

HÆc tam miranda de ſerpentibus cùm animos attollere noſtros ad Deum conditorem, & ejus amorem, ac cultum deberent: contrà tamen, quemadmodum in quadrupedibus, avibus, piſcibus; de quibus dictum: ita hic quoque evênit, ut ſerpens etiam, imò præ animantium cæteris, ad divini ipſe honoris faſtigium pertingeret. Ita aſpides ab Ægyptiis τιμᾶσθαι ἰσχυρῶς, *vehementer coli*, tradidit Phylarchus Hiſt. lib. XII, & ex eo Ælianus lib. XVII de An. cap. V. Ac primùm quidem ſerpens commendabatur gentibus, ut numinis ſymbolum: & ſic Indis cultum fuiſſe, tradit Maximus Tyrius Diſſertatione XXXVIII. Pluraque de hoc dicemus in Theologia gentium Symbolica. Sed, ut ſæpius dictum, qui cultus prudentioribus erat ſymbolicus, is ſimplicibus ac rudibus proprius erat: quo nihil diabolo gratius, & acceptius fuit; propterea quòd hoc inſtrumento fœde adeò primis illuſiſſet parentibus. Multa de eo, & antea adduximus, & poſtea dicentur. Quàm pertinax verò is cultus fuerit: arguit illud, quòd de Boruſſis ſic ſcribat Eraſmus Stella, penè initio libri primi de Antiquitatibus Boruſſiæ: *Nulla eis ſacra aliquamdiu fuere: tandem in eam deducti inſaniam, ut ſerpentes, feraſque, & arbores, religioſe colerent.* De Samogithis ſimiliter Sigiſmundus L. Baro in Herbenſtein, commentariis rerum Moſcoviticarum: ubi tradit, *Samogitiæ incolis ſerpentem eſſe pro Deo. Siquid adverſi*, ait, *illis accideret, ſerpentem, Deum domeſticum, male acceptum, & ſaturatum eſſe, credunt.* Subjicit denique quiddam, quod in Lithuania contigerit *Cum*, inquit, *priori ex Moſcovia itinere rediens, in Troki veniſſem; referebat hoſpes meus, ad quem forte diverteram, ſe eodem, quo ibi eram, anno, ab ejuſmodi quodam ſerpentis cultore aliquot alvearia apum emiſſe: quem cum oratione ſua ad verum Chriſti cultum adduxiſſet; utque ſerpentem, quem colebat, occideret, perſuaſiſſet, aliquanto pòſt, cùm ad viſendas apes ſuas eo reverſus fuiſſet, hominem facie deformatum, ore autium tenus miſerabilem in modum diducto offendit. Tanti mali cauſſam interrogatus, reſpondit, ſe, quod ſerpenti, Deo ſuo, manus nefarias injeciſſet, ad piaculum expiandum luendamque pœnam, hac calamitate puniri: multaque graviora, ſi ad priores ritus ſuos non rediret, ſe pati oportere.* Alexander quoque Guagninus in Sarmatia ſua Europæa de Lituanis hæc ſcribit: *Viperas atque ſerpentes Deos eſſe credebant, eiſque cultum præcipuum exhibebant, & ſinguli patresfamilias, cives, coloni, & nobiles, ſingulos ſerpentes domi adſervare ſolebant; quos pro Penatibus, & Laribus familiaribus, adorabant; lacque, & gallos gallinaceos, eis immolabant: eratque inauſpicatum, & exitiabile toti familiæ, quempiam ex eis violâſſe, dehonoraſſeve, aut domi non foviſſe. Tales enim, vel omnibus bonis privabantur, vel crudeliter lacerati interibant.* Etiam de Samogithis idem refert. Locum apponerem, niſi, præterito Sigiſmundi nomine, ea ad verbum ex illo exſcripſiſſet, quæ antea adduximus. Potior igitur nobis eſto auctoritas Cæſaris Scaligeri adverſus Cardanum Exercitat. CLXXXIII a: *In Sarmatia*, inquit, *regio aut Rutenorum, aut Rutenis proxima eſt, Samogithia. In ea lacerti ſeſquipede majores, craſſi, nigri. quos incolæ pro Laribus colunt, familiaribus. Siquid accidit ſiniſtri; minus rite cultum numen arbitrantur, aut deterioribus, parcioribuſque acceptum epulis. Itaque curant eum operâ attentiore: quâ ſeſe ad res ſecundiores exiſtimant exoraturos.* Idem Scaliger comment. in lib. II Ariſt. Hiſt. Anim. b refert, *in provincia Calecuto ſerpentes vaſtiſſimo eſſe capite, porci maximi magnitudine: pro numine ab rege coli: itaque earum maximam vim eſſe.*

a *Sect. 2.*
b *Cap. 18. ſect. 123.*

Cap. LXIV.

Acceſſum ad inſecta, quæ poſtremum inter animantia locum obtinent: latiuſque patere exſanguium *vocabulum, quàm* inſectorum. *Quales ſint inſectorum, unde iis nomen, inciſuræ: & cur Magnus Albertus pro iis dixerit* annulata. *Variis occurritur argumentis, ex quibus colligi videatur, parvi faciendam eſſe inſectorum conſiderationem. Nec tamen audiendum in eo B. Auguſtinum, quòd muſcam præferret Soli. Subtilius eſſe Dei artificium in minutis animalculis, quam in animalibus etiam vaſtæ molis.*

SUperſunt ex tot animantium generibus, quæ Ariſtoteli ἔντομα, Plinio, & Latinorum aliis, *inſecta* dicuntur. Ea perperam aliqui cum *exſanguibus* confundunt, cùm vocabulum hoc latiùs multò pateat. Siquidem Ariſtoteles lib. I de Generat. Animal. cap. XIV facit τῶν ἀναίμων γένη τέτταρα· ἓν μὲν, τὸ τῶν μαλακοστράκων· δεύτερον δὲ, τὸ τῶν μαλακίων· τρίτον δὲ, τὸ τῶν ἐντόμων. καὶ τέταρτον, τὸ τῶν ὀστρακοδέρμων· *Quatuor genera exſanguium: primum genus eſt, cruſtatum; alterum, molle; tertium, inſectum; quartum, teſtatum.* Sive primum, *cruſteum*, vel *cruſtâ intectum*: alterum *molluſcum*: tertium *inciſum*: quartum *teſticorium*. Sola nempe exſanguium illa dicuntur *inſecta*, quibus inciſuræ, (ut ea Plinius a deſcribit) *nunc cervicum loco, nunc pectorum, atque alvi præcinctu, ſeparant membra, tenui modo fiſtula cohærentia.* In vulgatis codd. eſt *alvi præcincta*: ac ſimiliter in MSo repetio, & veteri editione Parmenſi. Sed rectum eſt, quod Hadrianus Junius b in MSo alio, eoque vetuſtiſſimo, repe-

a *Lib. 11. cap. 1.*
b *Vide eum in Nomenclatore cap. de Inſectis.*

teperit, *præcinctu*: quod Græcè ſit διαζώματι, vel ὑποζώματι. Nomen inſectis datum ab hiſce inciſuris; quas habent, quaſi annulos: unde non inſubidè, vel ineptè, ea Albertus M. *annulata* nuncupabat.

Hoc genus animalculorum conſideratione indignum cenſent animæ vulgares. Nimirum æſtimant talia magnitudine. Præterea imperfectionis arguunt: quia vivant quidem, ſed ſine corde: moveantur, ſed ſine nervis. Objiciunt etiam minorem partium diſtinctionem: tum autem vilitatem cimicum, pedum, pulicum: ex quibus colligunt, ſolùm eſſe curioſitatis in talium naturam inquirere. Sed enim non eſt curioſitatis ea indagare, quæ ad nos pertinent: nec vile cenſendum, quod divinum ſit opus: nec imperfecta ſunt, in quibus nihil deſideratur ad naturæ ſuæ perfectionem: quomodo homo perfectus eſt, licet non habeat alas. Nec cenſeri debent magnitudine molis, ſed virtutis: cùm Deus ſæpe in minimis maxima collocârit miracula: unde gemmam præferimus ſaxo. Sic plura miramur in ape, quàm bove: plura etiam in formica, quàm aſino. Quid quod Hipponenſis ille antiſtes lib. 1 de duabus animis cap. IV, non dubitat muſcam eo ſolo, quòd vitales actus exerceat, Soli præferre? Sed de iſto aliter cenſeo: quia quædam non debent formâ æſtimari, verùm fine: qui nimium quantum excellentior in Sole, quàm, non dico, inſecto ullo; ſed etiam, ſi hominem exceperis, perfecto quovis animali. Subſiſtamus igitur in mutis animantibus; ubi inſecta facilè apud ſapientes ſuum tuentur locum. Rectè Ambroſius lib. 1 Hexaëm. cap. 11: *Non laborat in maximis Deus, non faſtidit in minimis.* Plinius quoque lib. XI, cap. 1, inſecta vocat *immenſæ ſubtilitatis animalia*: ac mox ſubdit: *nuſquam alibi ſpectatius* eſſe *naturæ rerum artificium.* Rationem continuo ſubdit *a*: *In magnis ſiquidem corporibus, aut certe majoribus, facilis officina ſequaci materiâ fuit. In his tam parvis, atque tam nullis, quæ ratio, quanta vis, quàm inextricabilis perfectio? ubi tot ſenſus collocavit in culice? ubi viſum in eo prætendit? ubi guſtatum applicavit? ubi odoratum inſeruit? ubi truculentam illam, & portione maximam vocem ingeneravit? quâ ſubtilitate pennas annexuit? prælongavit pedum crura?* Pluraque deinde in hanc mentem; quæ claudit illis verbis: *Turrigeros elephantorum miramur humeros, taurorumque colla, & truces in ſublime jactus, tigrium rapinas, leonum jubas; cum rerum natura nuſquam magis, quàm in minimis, tota ſit.* Nempe hic comparatum eſt, uti cum Myrmecidis quadriga ex ebore, quam cum agitatore ſuo muſca alis tegeret; & nave, quam apicula pinnis abſconderet: ut idem Plinius refert lib. VII, cap. XXI, & lib. XXXVI, cap. V. In qualibus non dubium eſt, quin ſubtilius ac majus ſit artificium; cùm quo minus eſt materiæ, hoc minùs ſit ſequax ac tractabilis ad variarum adeo partium figurationem.

a Cap. 2.

CAP. LXV.

Inſectorum alia gaudent volare per aëra: alia ſolùm ambulant in terris, vel plantis, caſis, aliiſve terrarum ſolo innixis: alia ſunt aquatica. Quàm variis in locis, ac rebus, naſcantur inſecta. Galbarum, unde dicta familia. Nec ſolum ſpecies inter ſe differre; ſed etiam, quæ ejuſdem ſunt ſpeciei. Locuſta Indiæ trium pedum. Incredibilis pene ratione accidentium varietas in veſpis, locuſtis, muſcis, papilionibus, atque aliis.

HÆc qui nobiſcum cogitârit, neutiquam mirabitur, ſi curâ haut minori dicere paremus de inſectis, quàm fecimus inanimantium cæteris. Interim terret difficultas in tam ſubtili, ut dictum, argumento, ac præterea tam vario: quod liquebit ſumma eorum genera conſideranti. Quædam enim aëria ſunt, ac volantia: in quibus api eſt principatus. Suntque ejuſdem generis aſili, ſive œſtri, ſeu tabani: nam pro iiſdem habet Iſidorus *a*, imo & Plinius *b*. Item cantharides, cicadæ, cicindelæ, crabrones, culices, lampyrides, locuſtæ, muſcæ, papiliones, pyrauſtæ, ſcarabæi, veſpæ. Quædam ſunt terreſtria, ac gradientia, vel reptantia: ut acari, araneæ, blattæ, bombyces, cimices, cleri, (qui Plinio *a* teſte, in favis apum naſcuntur) κερύμβοι, quos Theophraſtus *b* ait generari in uvis, curculiones, formicæ, grylli, midæ, millepedæ, pediculi, pulices, ricini (ſic κρότωνας vocat Plinius; nemo fortaſſe *redivios*, præter Gazam) ſcorpii, tineæ, teredines, Græcis τερηδόνες, ἢ σκώληκες: quorum genus coſſi. Quædam ſunt aquatica: ut erucæ marinæ, hippocampus, hirudo, pediculi piſcium, ſcolopendra marina, tipullæ.

a Lib. 12. Orig. cap. ult.
b Lib. 11. cap. 8.

b Lib. 11. cap. 16.
b Lib 5 de cauſſis plantarum, cap. 13.

Pluria etiam genera fuerint, ſi à locis, ubi gignuntur, diſtinxeris hoc pacto. Quædam naſci dicuntur in igne; ut pyrauſtæ. Quædam in nive; ut vermes hirti & rubidi; ſicut Ariſtoteles *c* ait. Quædam in aquis: atque id vel mari, ut microcorinchoteros, & macrorinchoteros, ſcolopendra marina, marinus pulex, atque alia: vel in ſtagnis, aut lacubus; fontibus, aut amnibus; puteis, aut ciſternis: ut hirudines, chœrades, pluriaque id genus. Quædam in plantis; ut in eſculis galbæ, unde Galbarum familia nomen accepit: maximè enim hoc veriſimile; quod ex quatuor opinionibus poſtremo recenſet loco Tranquillus *d*: in tritico autem curculiones: in ligno teredines: mida in faba. Quædam in animalibus; ut pediculi, pulices, aſcarides. Quædam ex artificialibus; ut è veſtibus, & chartis, tineæ, ac blattæ.

c Lib. 5. Hiſt An. cap. 19. ſive ex diſt. Caſ. Scal. cap. 8. ſect. 229.
d Lib. 7. cap. 2.

Jam quàm illuſtris diſtributio eſt, quæ à partibus petitur: præſertim alis, & pedibus. Sed quia illis loco ſe movent, eò quantopere his varient, potiùs dicemus, ubi deventum erit ad facultatem locomotivam.

Nec ſpecies modò diſtinguuntur; ſed etiam, quæ unius ſunt naturæ. Locuſtæ enim fere differunt pro terris diverſis; neque id ſolùm ratione volatus, & ſaltus, quod ad locomotivam pertinet; ſed formâ etiam corporis, & colore. Canunt aliquæ, quædam item mutæ. Aliquæ homini noxiæ, aliæ autem in cibum cedunt. Præterea quædam minutæ, aliæ mediocres: in India verò etiam ſunt magnitudine tripedali: alibi etiam grandes adeò, ut in volando aves videantur, Solemque obſcurent: ut eſt apud Plinium lib. XI, cap. XXIX. Papilionum quidam cum proboſcide ſunt; quidam ſine ea: aliqui unius, alii duorum, alii & plurium colorum: ſunt qui roſeas habeant lineas, ſunt qui nullas. Erucarum tot videntur genera, quot plantarum: quædam virides, aliæ nigræ, aut luteæ, aut variæ: quædam glabræ, aliæ hirſutæ, quales magis noxiæ: quædam quatuordecim pedum, quædam plurium: quædam anteriori parte, quædam poſteriori plures habent pedes: quædam cum cauda, aliæ ejus expertes. Jam tot prope pediculorum genera, quot animantium: ex quibus ſolus iis aſinus creditur carere: in Æthiopia etiam alati dicuntur. Sed longum eſſet omnia diſcrimina memorare: ut vel argumento fuerit, quòd veſparum referuntur genera duodecim: cimicum traduntur viginti: aranearum quinque & viginti: locuſtarum quaſi triginta: cantharidum XXXV: ſcarabæorum XL: erucarum fere XL: muſcarum circiter LXX: papilionum plus minus centum.

Hæc in diverſis naturis ſimilitudo, ac in naturâ eadem diſſimilitudo, proclivem reddit errorem oculis, & mentibus humanis; præſertim in tanta corpuſculorum exilitate. Sed in noſtro ſtupore magis ſapientia elucet divina: quæ non ita rerum occuluit naturas, ut non multa detegat indagantibus. Quare difficultas iſta non deterrere animos debet generoſos; ſed accendere potius ad hoc viæ, quod de animalibus reliquum eſt, capeſſendum. Hac mente igitur inſectorum hiſtoriam, quantum ad neceſſitatem rei, vel inſtituti potiùs noſtri, ſatis videbitur, exponam: eamque auſpicabor, quod dicitur, ab ovo; eo juſtiùs, quia & ab ovo plurimis eſt origo; ut paullò pòſt videbimus.

CAP-

Cap. LXVI.

Utrùm Deus creârit inſecta, an ex creatis ſponte ſint producta. Ex quo natura rerum eſt conſtituta, alia coitu naſci, alia ſponte. Tardè ea à coitu abſiſtere: & quæ rei iſtius ratio ſit. In coëuntibus feminam eſſe majorem mare, & ejus quoque cauſſa adlata. Non mares feminæ, ſed feminas mari, ingerere aliquod membrum: aliter interim eſſe in cicadis. Quæ ova pariant, & cujuſmodi ea ſint. Ut ex ovo ſit vermiculus, hinc fiat eruca, poſtea chryſallis, inde papilio. Quàm pulcrè, & piè, feminas ſericum geſtantes monuerit B. Baſilius, ut veſtem ſuam intuentes cogitent de potentia divina, & reſurrectionis myſterio; quia qui ex bombyce ſericum nente papilionem fecit, idem ex corporibus noſtris, cùm reſurgent, corpora faciet ſpiritualia. Ut inſecta eodem à coitu die, vel ſaltem poſtridie pariant. Ut ex pityocampâ unâ uno tempore plures millenis prodeant fœtus. An apes Veneri indulgeant. Num apes univerſæ, an Rex ſolus, ſemen genitale fundat. Quo pacto, & quo ordine, ex ſemine illo apis gignatur. De apis *etymo.*

ORtus inſectorum bifariam attenditur; ratione creationis, & generationis. De priori quæſtio eſt; utrùm & inſecta à Deo ſint creata. De hoc ita ſtatuo, illa à Deo actu eſſe creata, quæ coitu naſcuntur: potentiâ ſolùm, quæ ex corruptione ac putredine animantium, herbarum, lignorum, & ſimilium, ut ſimo, generantur. Ac eodem modo Lugdunenſis Eucherius lib. 1 in Geneſin: vel alius potiùs ſeculo minimùm recentior.

De poſteriori hæc & veterum ſententia eſt, & noſtra: inſectorum aliqua quidem fieri ex animali *a*, alia verò aliunde. Ex animali procreantur bifariam; vel coitu, vel abſque eo. Priori modo naſcuntur phalangia, araneoli, ἀττέλαβοι, ſive bruci; item locuſtæ, cicadæ, veſpæ, & alia multa. In coitu mas adſcendit feminam. Unde Plinius lib. XI, cap. XXIX: *Coitus locuſtarum, qui & inſectorum omnium, quæ coeunt, marem portante feminâ.* Tardè verò à coitu abſiſtunt: ut Ariſtoteles ait lib. 1 de Generat. Anim. cap. ult. Atque idem legas cùm alibi, tum lib. V Hiſt. Anim. cap. XIX *b*. Deque eodem ſic Cæſar Scaliger in Theophraſti lib. IV de cauſſis Plantarum, cap. 1 *c*: *Inſecta diutiſſimè in coitu immorantur, ut pulex, cicindela: quamquam muſcæ celeriùs expediuntur.* Idem adverſus Cardanum Exercitat. CXCI, ſect. II: *Duo tibi etiam Sapientibus ignota declarabo. Primùm ſcito, cicindelam à me cum ſuo mare deprehenſum in coitu. Mas ne contactus quidem abſtitit. In pertuſa pyxide conditi fuere totam noctem. Poſtridie adhuc hærebat mas. In meridie ſolutus obiit.* Sed, ut magis pareat Dei ſapientia, rationem quoque diuturnioris coitus addamus. Ea eſt, quòd inſecta ferè ſint admodum ſicca: eoque, quod emittunt in coitu, vapor veriùs videatur. Facilè igitur exhalaret, niſi mas, ubi aſcendit, diutiùs cohæreret.

Ne illud quidem, quod itidem ab Ariſtotele *d* accepimus, memoratu videtur indignum; in iis inſectorum, quæ coëunt, feminas maximam partem eſſe majores maſculis: uti & in piſcibus fit. Nempe ſic Deus juſſit, non tantùm, ut in coitu feminæ faciliùs portarent marem: ſed etiam, quò uterus major ovorum copiâ magis extumeſcat. Sed imprimis mirandum, quod ait *e*, non, ut in animantium aliis, mas partem habet eminentiorem, quam inſerat feminæ, ita fieri in coitu inſectorum: ſed contrà feminæ genitale eſſe oblongum, quod immittat in marem, ut excipiat inde ſemen. Id in muſcis, ſcarabæis, & pleriſque aliis, eſt manifeſtum. Hoc in illis ad faciliorem facere conceptum, minimè dubitandum. Sed, ubi aliter foret, aliud etiam voluit Deus. Itaque cicadæ femellæ eſt, ut Ariſtoteles *f* tradit, αἰδοῖον ἐσχισμένον *g*, in quod mas ſuum immittat. De rebus ad coitum inſectorum pertinentibus hæc, & ſimilia, legere eſt lib. 1 de Gen. Anim. cap. XVIII, & lib. V Hiſt. Anim. cap. VIII; item Galenum de Semine cap. III.

a Ariſt. lib. 5 Hiſt. Animal. cap. 19.
b Cæſ. Scal. c. 18. ſect. 202.
c Pag. 220. edit. Criſpin.
d Lib. 1 de Generat. Animal. cap. 16. ad quem locum idem in paraphraſi tradit Averroes.
e Ibid.
f Lib. 5 Hiſt. An. cap. 30. ſive ex Cæſ. Scal. diſt. ſect. 275.
g Genitale fiſſum.

Ex ſemine vel vermes proveniunt, vel ova, aut quiddam ovo ſimile. Vermiculos edunt propè omnia: etiam apes, crabrones, veſpæ. Sed apes videntur neſcire Venerem: de quibus idcirco ſeorſum inferiùs dicam. Crabronum, veſparumque coitus ſæpius conſpicitur. Cæterùm vermiculi iſti, quos dixi, mox in aliam tranſeunt figuram: ac tum *nymphæ* vocantur: de quo poſtea agemus.

Ova pariunt formicæ, papiliones, & erucæ quædam. Nam perperam de ſolis id papilionibus dixerat Ariſtoteles *a*. Eſt verò id ovum quod pariunt, cartami ſemini ſimile, ac intus habet ἔγχυμα, ut Ariſtoteles *b* vocat; quod Gaza *fluidum* reddit, *medullam* Cæſar Scaliger.

Ex hoc ovo, ſive ſemine, enaſcitur vermiculus: inde fit διαρθρούμενον ζῶον *c*, *dearticulatum animal*. Nempe priùs rudis erat figura, confuſis articulis, qui poſtea diſcernuntur. Ita igitur ex vermiculo minuta fit eruca. Quæ paullatim grandeſcit. Exinde, ut eidem traditum magiſtro *d*, eruca fit immobilis. Tum χρυσαλλὶς, ſeſe ad contactum movens. *Aureliam* vocat Gaza. Ex hac fit papilio. Atque iſta etiam in bombycibus locum habent: unde B. Baſilius jubet, mulieres, quando ſericum geſtant, hoc intueri, & reſurrectionis futuræ inde capere argumentum. Nam quâ potentiâ Deus ex erucis papiliones facit; eadem & corpora noſtra immutabit in ſpiritualia. Sed verba S. Patris adſcribi merentur ex Hexaëm. VIII *e*: Τί φατε οἱ ἀπιστοῦντες τῷ Παύλῳ περὶ τῆς κατὰ τὴν ἀνάστασιν ἀλλοιώσεως, ὁρῶντες πολλὰ τῶν ἀερίων τὰς μορφὰς μεταβάλλοντα; ὁποῖα καὶ περὶ τοῦ Ἰνδοῦ σκώληκος ἱστορεῖται τοῦ κερασφόρου· ὃς εἰς κάμπην τὰ πρῶτα μεταβαλὼν, εἶτα προϊὼν βομβυλιὸς γίνεται, καὶ οὐδὲ ἐπὶ ταύτης ἵσταται τῆς μορφῆς, ἀλλὰ χαύνοις καὶ πλατέσι πετάλοις ὑποπτεροῦται. ὅταν οὖν καθέζησθε τὴν τούτων ἐργασίαν ἀναπηνιζόμεναι αἱ γυναῖκες, τὰ νήματα, ἃ πέμπουσιν ὑμῖν οἱ Σῆρες πρὸς τὴν τῶν μαλακῶν ἐνδυμάτων κατασκευὴν, μεμνημέναι τῆς κατὰ τὸ ζῶον τοῦτο μεταβολῆς, ἐναργῆ λαμβάνετε τῆς ἀναστάσεως ἔννοιαν, καὶ μὴ ἀπιστεῖτε τῇ ἀλλαγῇ, ἣν Παῦλος ἅπασι καταγγέλλεται. *Quid dicitis, qui non creditis Paulo de reſurgentium illâ immutatione, cùm videatis ex aëreis animantibus multa ſuas immutare formas? Qualia de verme etiam Indico cornibus prædito referuntur. Hic primò immutatus in erucam, ulteriùs progreſſus fit bombylius: neque in hac forma perſiſtit; ſed bracteolis* alarum *mollibus, ac latîs, volucris fit. Quando igitur vos mulieres conſidetis, eorum opus retexentes; videlicet telas, quas ad vos uſque Seres tranſmittunt, ad molles illas veſtes faciendas: memores ſitis illius animalculi immutationis in varias formas, atque inde dilucidum capite reſurrectionis argumentum; neque fidem derogate futuræ immutationi, quam omnium fore communem, annunciat.* Sic videmus, ut etiam grande reſurrectionis myſterium lucem capiat ex inſectis; eoque faciliùs fidem inveniat apud infideles.

Porrò in hujuſmodi inſectis non coitus ſolùm attenditur: ſed etiam geſtationis tempus. De eo ſic Cæſar Scaliger in quartum Theophraſti de cauſſis plantarum cap. 1 *f*: *Videamus tempus prægnantium. Inſecta pariunt haut ita multò poſt coitum: cicindela poſtridie.* Idem ad Cardanum Exercitat. CXCI, ſect. II, cùm narrâſſet de cicindela à ſe in coitu deprehenſa, inque pertuſa pyxide incluſa, ac poſtridie circa meridiem ſolutâ, & obeunte; ſubjungit deinde: *Ab ea hora ſub veſperam uſque ova multa edidit femella: quæ intra viginti horas vivificata abierunt. Sic momento eduntur inſectorum ova, atque perficiuntur. Quod & philoſophus docebat in primo de Generatione Animalium:* Συμπλέκεται μὲν πολὺν χρόνον· διαλυθέντα δὲ τίκτει ταχέως. *g*.

Nec citis modò eſt talium partus, ſed mirè etiam fœcundus. Hoc quotannis experimur in hortis: quos nullâ curâ ſatis tueri poſſumus adverſus inſecta: ut inferiùs dicetur, cùm agam de damnis, quæ plantis & animantibus afferunt.

a Lib. 5 Hiſt. An. cap. 19. ſive Cæſ. Scal. cap. 18 ſect. 204.
b Ibid.
c Ariſtot. ibid. ſect. 205.
d Lib. 5 Hiſt. An. cap. 19.
e Pag. 109. edit. Pariſ. an. 1618 ſive Baſil. pag. 38.
f Pag. 220. edit. Criſp.
g Complectuntur ſe in Utero longo tempore: ſed brevi à coitu pariunt.

runt. Nunc ſolùm referam ex Matthiolo quiddam in Dioſcoridis lib. II, cap. LV: ubi de πιτυοκάμπαις, ſive pinorum erucis, ſic ſcribit: *Numeroſæ habentur in Tridentinis montibus; quod inibi pinorum perpetuò vireant ſylvæ; Ananienſi præſertim tractu, ac Flemarum convallibus. In extremis arborum ramis, & iis plerumque, qui in earum cacumine attolluntur, innumerabiles erucæ rufeſcentes, ac piloſæ, miro artificio nidificant, quibuſdam tenuiſſimis velleribus innumeris involucris contextis. Latent in his hieme, ita frigoris noxam evitantes. Nidi magnitudo adeò ampla eſt, ut nonnunquam concluſi vermiculi* MILLENARIUM *numerum excedant.*

Quæ hactenus memoravimus, coitu naſci conſtat. Quò & apes retulere in utili ſuo de inſectis opere Thomæ duo, a Cap. 3. Pennius, & Mouſetus *a*, Angli. Interim aliter Maro Georg. IV:

Illum adeò placuiſſe apibus mirabere morem,
Quod nec concubitu indulgent, nec corpora ſegnes
In Venerem ſolvunt, aut fœtus nixibus edunt.

Servius quoque IV Georg. in illud, *Solæ communes natos*, ſic ſcribit: *Jovem Ops, Saturni uxor, Curetibus, Corybantibus, & Idæis Dactylis, cuſtodiendum dedit in monte Cretæ Dictæo; ne eum Saturnus conſumeret, ut filios omnes ſolebat. Quod ideo fingitur, quia Saturnus, ut diximus, temporum Deus eſt; quæ in ſe revolvuntur in æternum. Tunc itaque apes, æris ſecutæ ſonum, Jovem melle aluiſſe dicuntur: pro qua re eis poſtea præſtitit Jupiter, ut haberent liberos ſine ullo concubitu.* Hæc Servius. Saltem b Lib. 3 de Generatione An. cap. 10. eas coëuntes vidit nemo; ut non Ariſtoteles *b* modò, Pliniuſque *c* (c Lib. 11. cap. 16.), tradiderunt: ſed ab amicis etiam accepimus, qui in Belgica noſtra apes paſcerent. Interim non dubitamus, quin generent. Quibuſdam placet, ex apum rege, & reges, & apes naſci cæteras: ex iis verò apibus, quæ reges non ſunt, naſci apes alias non reges: ex apibus hiſce fucos, qui non generent. Hoc apud Ariſtotelem etiam d Loco proxime memorato. legas *d*. Sed veriſimilius eſt utcunque id neget Albertus *e*, ab ſolo rege genitale ſemen effundi. Nec moveat, quòd e Lib. 17 de An. tractat. 2. cap. 2. neque reges quiſquam conſpexit congredientes. Licet enim apes non coëant; deſiderium tamen habent generis ſui propagandi: quomodo & in aliis quibuſdam, quæ generant, unus eſt ſexus, vel nullus: ut de erythrinis, anf Exercit. 191. ſect. 2. guillis, purpuris, Cæſar Scaliger ait adverſus Cardanum *f*. Hujus apum regis in hiſce Belgicæ terris generationem ejuſmodi accepimus ab apiariæ rei intelligentiſſimis. Rex apum ſingulis in cellis ſemen emittit. Id eſt folliculus albicans, unde prodit vermiculus ejuſdem coloris, ſemini papaveris aſſimilis. Iſti folliculo circumdatur ab apibus viſcidus ex rore humor, itidem albicans. Nempe album hoc albumini ovi, regium ſemen vitello reſpondet. Folliculo, ſic viſcido rore circumdato, apicula incubat gallinæ inſtar, ac ſuo id fovet calore. Ita folliculus turgeſcit magis, & magis; donec talis fiat vermiculus, qualem pinguioribus in caſeis naſci videmus. Porrò ſæpe quidem tardiùs, interdum tamen, cælo nempe ſereno, intra diem decimum, vel duodecimum, vermiculi ejus pelliculâ perruptâ exit apis, eaque perfecta; ſenis quippe pedibus, alis quaternis; pallidior tamen, ſed paullo pòſt adultioribus colore ſimilis. Ut valde fallantur, quibus placet, *apis* dici, quaſi ἄπους. Multo veriſimilius eſt, venire ab antiquo *apo*, id eſt, *necto*; quod ab ἅπτω: uti ab *apo* etiam *apiſcor*, à quo *adipiſcor*, & *indipiſcor*. Ejuſdemque originis *apex*, g 6 Æn. & *aptus*, hoc eſt, *nexus*, *junctus*: unde Maro *g*,

—— Cælum ſtellis ardentibus aptum.

h Epig. 28. Et Catullus *h*:

Aptis ſarcinulis, & expeditis.

Apes nempe quia pedibus aptæ, hoc eſt, nexæ, ſociatæque: juxta illud IV Georg.

Aut illæ pedibus connexæ ad limina pendent.

Ac Belgis quoque ex eo putantur dici *bien*, quaſi *by-een*.

Cap. LXVII.

Quomodo è carne viva enaſcantur pediculi. Qui perierint phthiriaſi. Cur pueris, & feminis, in capite magis proveniant pedes. De pediculis, & ricinis canum, ovium, caprarum, ſuum. Aſinum neutri inſecto credi obnoxium. Ex avibus phaſianos iis perire, niſi malo occurratur. Apium, veſparum, crabronum, & ſcarabæorum origo. Unde κάνθαρος ſic vocetur. De fucorum ortu opinio Bernardini Gomeſii. Lumbricorum tria quatuorve genera. Quomodo ex urina etiam, aceto, ac nive, gigni poſſint vermiculi. Ut ex reſudatione vaporoſa generentur pedes, & cimices. Pulicum origo ex ſordibus excretis: & unde ſit, quòd ex iis animatum quicquam producatur. Quatuor inſectorum genera, quæ plantis debeant originem. Ἴψ *ſive* convolvulus. *Hercules* ἰπόκτονος. Ψῆνες. Ξυλοφθόροι. *Inſecta è rore, vel potius lentore foliorum enaſcentia. Cujuſmodi inſecta Ariſtoteli vocentur* ἀντίμαχα. *De duplici cicadarum origine. Cur quædam careant inſectis.*

DIximus de iis, quæ coitu, vel ſaltem ex ſemine, fiunt animalis. Simul de geſtationis tempore, & fœcunditate, adjecimus. Nunc videndum de illis, quæ naſcuntur ex putrefacta animalis ſubſtantia. Quod bifariam fit; ex carne, vel excrementis. Ex carne vel vivi animalis, vel mortui. Ex vivi carne fiunt pediculi. Ariſtoteles lib. V Hiſt. Anim. cap. XXXI *a*: Οἱ φθεῖρες ἐκ τῶν σαρκῶν γίνονται. Ὅταν μέλλωσιν, οἷον ἴονθοι μικροὶ, οὐκ ἔχοντες πύον. τούτους ἄν τις κεντήσῃ, ἐξέρχονται φθεῖρες. a Ex diſt. Cæſ. Scal. cap. 26. ſect. 284. *Pediculi fiunt è carnibus. Quando prope eſt, ut enaſcantur, exiſtunt veluti puſtulæ minutæ abſque pure: quas ſi acu punxeris, exeunt inde pediculi.* Idem verum eſſe ſcimus de minutis illis, quos Galli *ſirones* nuncupant. Interdum verò tantâ copiâ, ex carnis corruptione, quam humor nimius gignit, erumpunt, ut homo inde pereat. Sic Alcmanem poëtam, & Pherecydem Syrium, Pythagoræ doctorem, exſtinctum, Ariſtoteles *b* narrat: ac de Sylla Dictatore conſtat ex Plutar- b Ibid. chi Sylla, & Appiano in primo Civilium. Ibidem narrat Plutarchus, ſic interiiſſe ex priſcis Acaſtum, Pelei filium: ex inferioribus, Alcmana poëtam lyricum, & Calliſthenem Olynthium, dum in vinculis detineretur ab Alexandro: de quo aliter ſcio Ptolomæus rex apud Arrianum *c*, qui tor- c Lib. 4. pag. 88. edit. H. St. tum, & ſuſpenſum ait; Trogus ſive Juſtinus *d*, qui veneno periiſſe dicit; M. Seneca *e*, à quo refertur lanceâ per- d Lib. 15. e Suaſoria 1. foſſum. Sed Plutarcho ejus ſententiæ, ut ipſe in Alexandri vita teſtatur, auctor fuit Chares Mitylenæus, ſcriptor Athe- f Lib. 1. 3, 5, 10, 11, 12, 13. næo *f* non ſemel, ac Agellio *g* etiam, memoratus. Apud g Lib. 5. cap. 11. Suidam quoque eſt *h*: φέρεται λόγος, ὡς ὁ Καλλισθένης ὑπὸ φθειρῶν ὑπερβλύσαντας, καὶ ἐκβεβρωκότας τὸν βίον καταστρέψειν. h In Καλλισθένης. *Fertur rumor, Calliſthenem à pediculis corpore ebullientibus abſumtum, vitam finiiſſe.* Diogenes Laertius *i* agnoſcit, morbo correptum pediculari: i In Ariſtotelis vita. ſed leoni talem ait objectum. Ariſtobulus, Alexandri ipſius comes, tradidit, obiiſſe morbo: ſed quis is fuerit, non exprimit. Verùm de Calliſthene nimis multa. Addit k In Sylla. Plutarchus *k*, morbo eodem conſumtum eſſe Mucium Juriſconſultum, ſive is P. Mucius Scævola, ſive Quinctus fuit; nempe Augur, non Pontifex, quem ab inimicis interfectum conſtat: etſi de augure putârit Blondus. Utrumque inter Juriſconſultos refert Cicero præfatione dialogi de Amicitia. Idem Plutarchus ſubjungit, Eunum Syrum, qui fugitivus ſervile in Sicilia bellum concivit anno Urbis ꟾↃ CXVII, poſtquam Romam eſt retractus, eodem credi morbo exſtinctum. Et ſeculo noſtro ſic obiiſſe Philippum II, potentiſſimum Hiſpaniarum regem, abunde cognitum eſt. Vide de hoc φθειριάσεως *l* malo, ſi voles, Ga- l Pedicularis morbi. lenum lib. I τῶν κατὰ τόπους *m*.

m Remediorum ſecundum locos.

Præcipuè verò pediculis infeſtantur capita puerilia: cujus cauſſa eſt, quòd ſudor, vaporque ille, ex capite emanans cute, & capillis conſideat, & inhæreat: aliis verò

 parti-

partibus id non poſſit, ſed defluat. Ac eâdem de cauſſâ calor ibidem retinetur. Nam vapor, qui exſudatur, & calidus eſt, & humidus. Calor autem, humorque, ſunt generationis principia. Etiam feminis, ob copiam humoris, & quia in longis adeò capillis faciliùs humor ille calidus retinetur, citiùs pediculi proveniunt. Ac parem eſſe eunuchorum rationem, tradit Plutarchus *a*.

a *In Sylla.*

Nec ſoli ſunt homines pediculis, ac ſimilibus inſectis, obnoxii. Nam & canibus generantur ricini, qui in his κυνοραισταὶ *b* vocantur. Oves etiam & capræ, ricino laborant; non item pediculis. Sues pediculis grandibus, & duris. Solus aſinus ex animantibus pilo obtectis nec ricino, nec pediculis, infeſtatur. Horum quoque auctor Ariſtoteles *c* nobis.

b *Ricini canini.*
c *Lib. 5. Hiſt. An. cap. 31. ſive ex diſt. Cæſ. Scal. cap. 26. ſect. 291.*

Ab eodem *d* traditur, aves pediculis laborare: in his phaſianos iis mori, niſi pulvere, & aquâ, conſperſeris. Adderem & piſces iis infeſtari. Sed nunc loquimur de pediculorum illis, qui è carne proveniunt. Ac philoſophus *e* ait, pediculos piſcium non è piſcibus, ſed è limo provenire. Hæc igitur de carne viventium ad neceſſitudinem hujus inſtituti ſatis ſunto.

d *Ibid. ſect. 290.*
e *Ibid. ſect. 294.*

De carne cadaveris ſic Plinius lib. XI, cap. XX: *Apes reparari juvencorum corpore exanimato, Virgilius ait: ſicut equorum, veſpas, atque crabrones: ſicut aſinorum, ſcarabæos, mutante naturâ ex aliis quædam in alia.* Scarabæus quidem ex eo κάνθαρος, quaſi κάνθορος, Suida teſte, dicitur, quia κάνθων *aſinus*; ſemen verò vocatur ὀρὸς, vel θορὸς, à quo θορίζειν, *ſeminare, gignere.* De apium ex juvencis ortu etiam idem traditum Archelao in Epigrammate, & Ovid. XV Metam. Modum oſtendit Florentinus in Geoponicis Conſtantino dicatis *f*.

f *Lib. 15. cap. 2.*

Quid quod de fucis idem veriſimile eſt? Sic enim de iſto ſcripſit Bernardinus Gomeſius Miedis Saguntinus lib. 1 de Sale: *Excellentem originem, primigeniumque ortum apum, à mortuo atque putreſcenti bove duci poſſe, Maro, & Plinius, tradiderunt. Quæ planè ſtupendo quodam naturæ miraculo in ipſiſmet fucis nuper vera eſſe deprehendi. Idque Sagunti, dum ibidem, animi recreandi gratiâ, inter apum alvearia verſarer, ac mirarer, inter ſingularia earum opera imprimis fucorum obſequium, & benignitatem. Referam rem novam, inauditam, neque viſam hactenus, neque ab ullo ſcriptore, quod ſciam, memoriæ proditam. Nam cum captus à me fucus digitis, atque ungue, medius premeretur, ſi forte aliquid vice aculei emitteret: ecce ruptis viſceribus, atque poſterioris partis pelliculâ, album ſeu croceum caput bovis, expanſis & tortuoſis cornibus, roſtroque adunco, affabre formatum derepente emerſit. Quam rem ſumme, qui aderant, admirantes, atque iccirco id ipſum denuo experiri efflagitantes, aliis ſubinde quinque fucis à me, ut antea preſſis, totidem ſimiliter boum capita eruperunt: naturâ (cui meritò ſumma ineſt cura apum) in hoc portento, ſeminalem ipſarum rationem, atque unde tandem amiſſæ inſtaurandæ ſint, per fucos mirè oſtendente.*

Hæc de inſectis ex carne animalium naſcentibus. Sequitur videamus de iis, quæ originem debent eorum excrementis; idque vel excretis, vel etiam non excretis. Ad poſterius genus pertinent ἕλμινθες *g*, quæ Ariſtoteli *h* dividuntur in πλατείας, *latas*, στρογγύλας, *rotundas*, & τρίτον γένος ἀσκαρίδας, *tertium genus aſcarides.* Sed, ut bene iſtic obſervat Cæſar Scaliger, omittit quartum genus in ſtomacho, & inteſtino magno naſcentium, ac ſerpenti ſimilium. Tale quinûm pedum ſe vidiſſe narrat, quod medicamentis erat eductum. Nec modò ex cibi retrimentis; ſed etiam potus reliquiis, naſcuntur. Nam refertur ibidem, in veſica natum, lævem, candidum, loculis igneis, roſtro acuto; qui urinæ ductum obſepſerat in virgine ex eo poſtmodo mortua. Non quaſi ex urina naſci potuerit; ſed in urina. Nec enim acrimonia urinæ magis generationi obſtat, quàm ſalſedo, aut amaror in mari, vel acritudo, & mordacitas in aceto; unde κώνωπας *culices* naſci Ariſtoteles *i* narrat. De vermiculis inde enatis αὐτόπτης *a* nobis, & aliis multis, in convivio, quo nos magnificè exceperat, retulit nobiliſſimus, & fortiſſimus Chriſtophorus Arciſſewski, terrarum fœderatæ Belgicæ in Occidentali India antehac præfectus. Nempe non ex ipſa urina fiunt; ſed, quæ ei ineſt, materiâ purulenta. Ac ſimiliter in nive etiam vetuſta, ex materia aliâ nivi permiſtâ, vermiculi fiunt rubri, & hirſuti: ut idem Ariſtoteles *b* docet; qui interea & acetum, & nivem, eſſe ἀσηπτότατα *c* agnoſcit.

g *Lumbrici.*
h *Lib. 5 Hiſt. An. cap. 19. ſive Cæſ. Scal. c. 18. ſect. 211.*
i *Lib. 5 Hiſt. An. cap. 19. ſive ex diſt. Cæſ. Scal. cap. 18 ſect. 229.*
a *Teſtis oculatus.*
b *Ibid.*
c *Corruptioni minime obnoxia.*

Hæc de excrementis nondum excretis. Excreta vel adhuc hærent, vel non hærent. Prioris generis ſunt ſudor, & fuligines pingues, quas cute tranſpiramus. Huc pedes referendi in pilis naſcentes. Nam nunc ex carne ipſa gignuntur, nunc etiam ex vapore exſudato, & adhæreſcente. Similiter huc pertinent αἱ κόρεις ἐκ τῆς ἰκμάδος τῆς ἀπὸ τῶν ζώων συνισταμένης ἐκτός· *Cimices è vapore provenientes, qui exteriùs hæret cuti animalium*; ut Ariſtoteles inquit *d*. Poſterioris generis ſunt, ut idem *e* ait, αἱ ψύλλαι ἐξ ἐλαχίστης σηπεδόνος. ὅπου γὰρ κόπρος ξηρὰ γίνεται, ἐνταῦθα συνίστανται· *pulices ex minima putredine. ubi enim fimus areſcit, ibi concreſcunt.* Sic in agris ex boum fimo gigni videmus. Quid mirum? quando ex parte aliqua in eo reſiduus eſt ſpiritus animalis: qui facultatem habet efficiendi ſibi habitaculum, dum materiem nanciſcatur idoneam. Nempe ut ignis urendi habet vim; ſed non urit, niſi materiam uſtilem: ſic ſpiritus ille animalis non niſi pro materiæ ratione eam præparandi, & animandi, vim obtinet. Itaque & pro ejuſdem varietate varietas tanta eſt inſectorum inde naſcentium.

d *Lib. 5 Hiſt. An. cap. 31. ſive ex diſt. Cæſ Scal. cap. 26. ſect 284.*
e *Ibidem.*

Dictum de iis, quæ animantibus ortum ſui debent. Sequuntur, quæ aliunde generantur. Hæc vel ex plantis naſcuntur, vel inanimis. In plantis Theophraſtus ait quatuor generari inſecta; unum in quorundam leguminum ac frugum radicibus, quem communi nomine σκώληκα, ſive *vermem* dixere: alium in cicere, puta κάμπην, ſive *erucam*: alium in vitibus, ἶπα, qui Catoni *convolvulus*; *involvulus* Plauto: denique in oleis κάρπην. Hercules ab eo, quòd ἶπας fugâſſet ἀμπελοφάγους *f* ab Erythræis vocatus eſt ἰποκτόνος, *ipes interimens*; ut eſt apud Strabonem, & Euſtathium. Erucas ait Ariſtoteles *g* naſci ex virentibus foliis, præcipuè κράμβης, ſive *braſſicæ.* Sed mallet Cæſar Scaliger, ut, pro *foliis*, dixiſſet, *ex lentore foliorum*: cui planè ſubſcribo. Interea nihil culpem in philoſopho, cùm lentor ille ex foliis exſudet; ut mox pleniùs dicam.

f *Vitium arroſores.*
g *Lib. 5 Hiſt. An. cap. 19. ſive ex diſt. Cæſ. Scal. cap. 18. ſect. 224.*

Ex inanimis variè producuntur. Quædam ex iis utcunque vitâ non ampliùs ſint prædita, nihilominus debent plantis ortum ſuum: ut fructibus, etiam decerptis: quomodo ψῆνες proveniunt ex fructibus caprifici. De his Ariſtoteles, & fuſiùs Theophraſtus. Item coſſus, qui philoſopho ξυλοφθόρος (Gaza *ligniperdam*, Cæſar Scaliger *h ligniteram*, vel *lignivorum* reddit) ex lignis fit cæſis, atque adeò, ut Ariſtoteles *i* loquitur, αὔοις, hoc eſt, *aridis*, ac *ſiccis.* Quædam fiunt ex natura inanimis: ut ex rore, idque plurimùm vere: vel etiam auctumno, quando is veriſimilis obtingat: imò interdum & hieme, auſtris ſpirantibus. Nam ut Eteſiæ, ventus aquilonaris, temperant nimium calorem æſtatis: ita & Noti moderantur nimium frigus hibernum. Quamquam verò Ariſtoteles dicat, naſci è rore: veriſimilius tamen ſit, concurrere & hîc lentorem foliorum: unde & Ariſtoteles ipſe interdum ex rore, & foliis, naſci ait. Gignuntur quoque è terra, cœno, limo. Nimirum etiam his ineſt ſpiritus: qui, ut dixi, pro materia ſibi fabricat domicilium. Hujuſmodi verò, quæ non fiunt ἐξ ζώων συγγενῶν, *ex animali congeneri*, αὐτόματα, ſive *ſponte genita*, philoſopho dicuntur.

h *Lib. 5 Hiſt. An. cap. 27. ſect 302.*
i *Lib. 5 Hiſt. An. cap. 19. ſive Cæſ. Scal. c. 19. ſect. 210.*

Sunt verò & inſecta quædam, quibus duplex ſit origo: ut cicadis. Prior earum generatio eſt ex coitu, unde ovum, ut ex hoc cicada. Eum ex coitu modum agnoſcit Plinius lib. XI, cap. XXVI. Et iccirco iis à natura datum eſt genitale reſciſſum, quo marem admittant: ut experientia docet, & Ariſtoteles teſtatur lib. V Hiſt. Anim. cap. XXX.

Al-

Alter generationis modus eſt ex putri materia. Quippe Baldangelus controverſiarum ac diſcuſſionum lib. VIII, cap. VII, & ex eo Aldrovandus de Inſectis lib. II, cap. XIII; *Ego*, inquit, *teſtari veraciter poſſum, quod in terra non proſciſſâ, aut cultâ, ad Orientem Solem ſpectante, cum effoderetur, ſub quercubus rarioribus ſtatim effoſſæ ſunt cicadæ non perfectæ, ſed formâ ſolitâ, & multæ, albæ, ſine alis, quæ ſuâ terrâ latebant. Propterea ego neſcio, an omnes ex ſemine, ut Ariſtoteles dicit; an quædam etiam ex putri materia oriantur.* Iſidorus planè ridiculus eſt, cum cicadas naſci ait ex cuculorum ſpuma: quod apud eum legas lib. XII Orig. cap. VIII.

Non injuriâ verò in illis, quæ non coitu, vel ex ſemine, naſcuntur; ſed ex aliquo diverſæ ſpeciei, quam *generationem equivocam* vocant; admiratio animos ſubeat humanos, quòd ex rebus nonnullis, dum naturam integram conſervant, nulla generentur inſecta: ex aliis verò non modò magnâ gignantur copiâ, ſed magnâ etiam naturæ diverſitate; imo in iis ipſis, quæ ejuſdem ſunt ſpeciei, tantopere accidentibus diſcrepantia; quemadmodum ex iis cognoſcere licuit, quæ de varietate iſtâ capite LXV afferebam. Hujus diſcriminis cauſſam arceſſere convenit, partim ab humore, ut cauſſa materiali; partim à calore, qui efficit putredinem. Nam tum putredo ea fit, quando abundat nimis humidum dulce, atque id concipit calorem externum: ut Theophraſtus docet lib. IV de Cauſſis Plant. cap. XVI. Itaque non facilè producunt inſecta, quæ vix admittunt humorem, caloremve externum. Hujuſmodi ſunt ſicca, amara, acria, pinguia, & πολυχίτωνα, ſive multis obducta integumentis. Milium igitur, & pan cum non facilè generant inſectum: ut quæ tum ſicca ſint, tum multa habeant integumenta. Itidem nec lolium, quia eſt acre: nec lupinum, & cicer, quia amara ſunt, & acria: cujuſmodi qualitatibus diutiùs plantæ conſervantur. Sed neque ſeſamum, quia pingue; quale à ſe repellit humorem alienum. At ut apud eundem Theofraſtum libri ejuſce cap. ult. legas, facilè producuntur inſecta ex tritico pulverulento, & adſervato in locis calce obductis; præſertim ſi latè fuerit expanſum, vel altè aggeſtum, nec ventilatum. Ratio eſt, quod facilè ſic calor nativus aboleatur ab externo. Latè enim expanſum à ſole exſiccatur. Et ſi altè ſit ſtipatum, ex mutuo contactu calor fit impenſior. Præterea calor eſt tum à pulvere, cujus calorem indicat ſiccitas; tum à calce, de cujus ſummo calore ſatis conſtat. Iſtis à Theophraſto ſic diſputatis nihil æquè objeceris, quàm quod cruditas ſua non obſtet caprifico, quo minùs & is culices producat. Huic ſic occurrit Cæſar Scaliger *a*; quod ceſſante calore nativo, qui fructus ad maturitatem perduceret, externus ſubeat calor, unde temperiei diſſolutio, ac putredo, ex qua culices.

a *Commentario ad aſſignatum ante Theophraſti locum.*

Quod verò tanta ſit inſectorum diverſitas, quæ citra coitum naſcantur, id à cauſſa materiali provenit. Pro diverſa enim humoris natura, diverſum naſcitur inſectum: ut eſt apud Theophraſtum *b*.

b *Lib. 4 de Cauſſis Plant. cap. 16.*

CAP. LXVIII.

Quamdiu vivant inſecta. De animalculis unius diei, quæ propterea dicuntur ἐφήμερα. Apes plus minus ſeptennio vivere, vel ſummum decennio. Inter ephemera, & apes, maximam inſectorum partem naturæ eſſe mediæ, ut quorum vita annum non excedat: & unde ſit illa vitæ brevitas. Eſſe inſectis aliquid cordi analogum; & quia hoc in quibuſdam oblongis, ut millepedis, ubique inter caput & alvum habeat locum; eo, conciſo inſecto, partes ſingulas vivere, & moveri: nec tamen vitam hanc perpetuam eſſe, ut in plantis, ſed brevi durantem; quæque ejus diſcriminis ratio ſit.

AC hujuſmodi eſt generatio, & ortus inſectorum. Duratio vitæ iis diuturna non eſt. Imo in Hypani fluvio, qui in Boſporum fluit, ſub ſolſtitio ruptis folliculis, qui acino majores, naſcuntur quadrupedes alatæ, quæ ad ſerum quidem diei volitent, ſed inclinato Sole tabeſcant, occidente eo occidant. Unde animalculum id ἐφήμερον vocatur, quaſi *diarium*, vel *diale*, dicas. Teſtis Ariſtoteles lib. V Hiſt. Anim. cap. XIX *a*, & ex eo Cicero lib. I Tuſc. Quæſt. Cæſar Scaliger *b* ait, eadem animalcula crebrò conſpici ad Garumnam, frequentiùs etiam ad Tarnim. Alibi *c* idem retulit, ad Sarcam, & Benacum, manè quidem non videri; ſed crebrò veſperi. Verùm de vivacioribus potiùs loquamur: ut ſunt illa, quibus, ſicut Ariſtoteles *d* loquitur, ὑπὸ τὸ διάζωμα διῄρηται, ὅπως διὰ λεπτοτέρου ὄντος τοῦ ὑμένος ψύχηται· *corpus ſub ſepto tranſverſo diſtinguitur, ut per membranam ſubtiliuſculam refrigeretur.* Addit continuo: Μᾶλλον γὰρ ὄντα θερμὰ, πλείονος δεῖται τῆς καταψύξεως, οἷον αἱ μέλιτται· τῶν γὰρ μελιττῶν ἔνιαι ζῶσι καὶ ἑπτὰ ἔτη, καὶ τἆλλα δὲ ὅσα βομβεῖ, οἷον σφῆκες, καὶ μηλολόνθαι, καὶ τέττιγες. *Namque calidiora ſunt, ampliori refrigeratione indigent, ut apes. Quædam enim apes ſeptenos annos vivunt. Et cætera etiam, quæcunque bombos edunt: ut veſpæ, ſcarabæi, & cicadæ.* Hinc ex eadem membrana ſubtili, & ſpiritus ad eam alliſione, cauſſam petit ſoni, quem edunt: neque id in apibus modò, muſcis, & ſimilibus; ſed etiam cicadis. Verùm de iſto pleniùs dicetur, cùm de ſono inſectorum agemus. Nunc vivacitati apum inſiſtamus: de qua ſic idem Ariſtoteles lib. V Hiſt. Anim. cap. XXII *e*: Βίος δὲ τῶν μελιττῶν ἔτη ἕξ. ἔνιαι δὲ τῶν μελιττῶν, καὶ ἑπτὰ ἔτη ζῶσιν. ἐπὰν δὲ σμῆνος διαμείνῃ ἔτη ἐννέα ἢ δέκα, εὖ δοκεῖ διαγεγενῆσθαι. *Vivunt quædam ex apibus annis ſex, vel ſeptem. Quod ſi examen apum annis duret novem, aut decem, bene ſecum actum putant.* De ſeptennio etiam eſt apud Plinium *f*: de decennio, apud Columellam *g*. Quòd hæ vivacitate uſque adeò inſecta exſuperent cætera; id non aliunde eſſe æquè videtur, quàm quod melle veſcantur. Hoc enim hominis etiam vitam diu ſervat incolumem: ut ex Democrito oſtendam, cùm de bono mellis agetur.

a *Ex diſt. Cæſ. Scal. cap. 18. ſect. 231.*
b *Ad memoratum Ariſtotelis locum.*
c *Ad Cardanum Exercitat. 194. ſect. 5.*
d *Lib. de reſpiratione cap. 9.*
e *Cæſ. Scalig. cap. 19. ſect. 261.*
f *Lib. 11. cap. 20.*
g *Lib. 3. cap. 9.*

Dixi de ephemeris, & maximè vivacibus. Nunc loquar de illis, quæ mediæ ſunt naturæ. De iſtis quoque audiendus nobis Ariſtoteles *h*: ἔντομα τὰ πλεῖστα τῶν ἐπετείων· *inſectorum plurima non ultra annum vivunt.* Nimirum, ut ibidem legas, ſanguinea ſunt μακροβιώτερα *vivaciora* exſanguibus, & majora, exiguis. At inſecta & exſanguia ſunt, & exigua. Præcipua autem ratio petenda à temperie. Sed ea non uniuſmodi eſt. Maximam partem frigida ſunt: unde non opus eſt iis reſpiratione; ut ait Ariſtoteles *i*. Quid mirum igitur, ſi puſillus ille calor, quem obtinent, frigore hiemis exſtinguatur? Aliqua quidem calida eſſe non negandum: ut tum apes, de quibus dictum; tum cantharidas, & pityocampas, quibus vis ineſt erodendi, & exulcerandi. Sed tamen neque iſta perferre poſſunt frigus hibernum: unde hieme latent, torpentque. Neque hæc pugnant inter ſe, ut aliquid temperie ſit calidâ, idemque frigoris impatiens. Nam & utrumque locum habere in canibus videmus: unde uſque adeò focis gaudent, & locis apricis.

h *Lib. de longitudine, & brevitate vitæ, cap. 4.*
i *Lib. de reſpirat.*

Etſi verò inſecta ſint vitæ brevis; ſunt tamen ejus admodum tenaces: ut arguit, quòd vivant etiam capite reciſo, imò plures in partes conciſa. Iſtius quoque cauſſam afferam. Sequar autem ducem philoſophum in opere de Partibus Animal. Ex quo diſcimus, in cæteris animantibus cor eſſe vitæ principium; in inſectis autem aliquid cordi analogum, & itidem quærendum in medio partium, quæ cibum recipiunt, & ejus egerunt reliquias: hoc eſt, inter caput, & alvum. Ibidem addit, licet hoc principium pleriſque inſectis ſit ſimplex; nonnullis tamen eſſe multiplex: ut iulis, & ſimilibus prælongis: & hanc eſſe cauſſam, cur ſi dividas, partes ſeorſum vitâ ſuâ præditæ ſint. Non injucundum eſt, quod de iſto narrat B. Auguſtinus lib. de quantitate animæ cap. XXXI *k*: *Cum*, inquit, *nuper in agro eſſemus Liguriæ, noſtri illi adoleſcentes, qui tunc mecum erant ſtudiorum ſuorum gratiâ, animadverterunt humi jacentes in opaco loco reptantem beſtiolam mul-*

k *Tom. 1 oper. Auguſtini, pag. 610. & ſeq. edit. Froben. an. 1556.*

mul-

multipedem; longum, dico, quendam vermiculum. Vulgo notus eſt: hoc tamen, quod dicam, nunquam in eo expertus eram: verſo namque ſtylo, quem ſecum forte habebat unus illorum, animal medium percuſſit. Tum ambæ partes corporis ab illo vulnere in contraria diſceſſerunt, tantâ pedum celeritate, ac nihilo imbecilliore, quàm ſi duo hujuſmodi animantia forent. Quo miraculo exterriti, cauſſaque curioſi, ad nos, ubi ſimul ego, & Alipius, conſidebamus, alacriter viventia fruſta illa detulerunt. Neque nos parum commoti, ea currere in tabula, quoquoverſum poterant, cernebamus. Atque unus ipſorum ſtylo tactus contorquebat ſe ad doloris locum, nihil ſentiente alio, ac ſuos alibi motus peragente. Quid plura? Tentavimus, quatenus id valeret: atque vermiculum, imo jam vermiculos, in multas partes concidimus. Ita omnes movebantur, ut niſi à nobis illud factum eſſet, & comparerent vulnera recentia, totidem illos ſeparatim natos, ac ſibi quemque vixiſſe crederemus. Poſtea ſubdit Auguſtinus: *Adoleſcentibus dixi, cùm intenti me intuerentur: ut in ſtudiis, ſicut cœperant, ſuum curſum tenerent: ita eos opportunius aliquando ad quærenda, & diſcutienda iſta, ſi res moneret, eſſe venturos.* Quod profectò non eſt quæſtionem ſolvere. Exinde tangit, ut dimiſſis adoleſcentibus, ipſe, & Alipius, de eo ſint collocuti: ac ſubjungit, non ſi corpus dividatur, eò exiſtimandum eſſe dividi animam, utcunque in vermiculo lateat cauſſa iſtius vivacitatis, & numeroſitatis. *Si*, inquit a, *apud te de aliquo fixum immotumque conſtaret, quod eſſet vir bonus; eumque in latronum convivio, quos perſequereris, deprehenderes; atque aliquo caſu, antequam abs te interrogari poſſet, moreretur: quamlibet cauſſam putares potius illius cum ſceleratis conjunctionis, atque convivii, etiamſi te ſemper lateret, quàm ſcelus, & ſocietatem. Cur ergo non, cum tam multis argumentis ſuperius editis, atque abs te firmiſſime comprobatis, planum tibi factum ſit, non loco animam contineri; atque ab hoc nullius talis eſſe quantitatis, qualem in corporibus cernimus; aliquam ſuſpicaris eſſe cauſſam, cur nonnullum animal conciſum in omnibus partibus vivat; non eam tamen, quod cum corpore anima concidi potuerit? Quam ſi reperire non poſſumus, nonne quærenda eſt potiùs vera, quàm falſa credenda?* Vera autem cauſſa, quam magnus antiſtes non ſatis perſpexit, haut aliunde rectiùs petatur, quàm ex Ariſtotelis lib. IV de Part. Animal. cap. V, & VI; item lib. de Juvent. & Senectute. Iis in locis, prætereà, quæ paullo antè dicebamus, etiam illud à philoſopho traditur, inſecta ex parte eſſe ſimilia plantis; quæ & ipſa vitam retinent diviſa. Cauſſam in utriſque illam eſſe, quòd non uti homo, quadrupeda, aves, & ſimilia, vitæ principium atque originem habeant in corde; ſed in qualibet corporis parte: ita ut unum quidem ſit vitæ principium actu, ſed multa habeant poteſtate: interea hoc eſſe diſcriminis, quòd partes in plantis reſectæ vitam conſervent; in inſectis poſt aliquantulum intervallum eam amittant. Nempe quia plantæ habent inſtrumenta conſervandæ vitæ, uti quo recipiant extrinſecus alimentum, receptumque retineant: cujuſmodi ſunt os, & ſtomachus. At hoc in inſectis locum non habet. E recentioribus, ſi lubet, videre etiam poſſis, quæ ex Thoma Aquinate annotavit Cælius Rhodiginus lib. XXI Ant. Lect. cap. I.

a Cap 31.

Cap. LXIX.

Inſecta non bibere, niſi cibi gratiâ. Chryſallides nec edere quicquam, nec excernere: atque idem habere locum in vermiculis, qui νύμφαι vocantur. Edaciora eſſe inſecta, quibus ſunt dentes, vel inteſtinum eſt anfractuoſum. An animal ullum careat corde, & jecore. Inſecta ſanguinis avida. Conciliantur duo Ariſtotelis loca, quibus culicem ait ſolum acida ſectari, & mel appetere. Scorpiones ali muſcis, item pinguiori terræ ſucco. De alimento aranei, crabronis, veſpæ, apis. Cur apes magis vorent mel, ſi ereptum hoc carnis. Quid κήρινθον, vel σανδαράκην, vocet philoſophus, cum eam cibum apum facit. De erucarum peſte. Quibus & quo pacto bombyces paſcendi. Papilionum copia, florente malvâ. Unde collectum ſit, cicadam rore paſci. Quomodo alatur, cùm ore careat. Utrum linguam, ſive promuſcidem habeat in pectore; ut Plinius putabat. Refelluntur, qui cenſent, nihil excernere. Cur in agro Cyrenaico nullæ ſint cicadæ. Cur nec in lucis reperiantur, vel arboribus denſis. Quo nutriantur lumbrici, ſcorpiones, coſſi. Cur moriantur vermes, ſi ex arbore, è qua nati, in aliam transferantur. Culices interim è caprifico natos in ficum ſe conferre, velut coloniam pinguiorem.

POſtquam de vitæ ortu & duratione dictum eſt; particulatim loquar de functionibus vitæ tum vegetantis, tum ſenſivæ. In prioribus attendam ea, quæ vel ad nutritionem, vel incrementum, vel robur, vel colorem pertinent. In nutritione dicam tum de inſtrumentis ei inſervientibus, tum de nutrimento ipſo.

Inſecta, quia in iis etiam calor humorem depaſcat nativum, nutritionis & ipſa egent; eoque & edunt, & bibunt: ſed bibunt non potûs, verùm cibi gratiâ: uti & piſces faciunt: quemadmodum de utriſque refert Ariſtoteles lib. III Hiſt. Anim. cap. VIII.

Nec tamen omni tempore egent nutrimenti. Χρυσαλλίδες enim, ſive, ut Gaza vocat aureliæ, (quæ ex erucis fiunt, & in papiliones commutantur) neque os habent, neque partem aliam manifeſtam: ac proinde neque quicquam vel guſtant, vel excernunt: ut eſt apud Ariſtotelem lib. V Hiſt. Anim. cap. XIX a.

a Secundum Caſ. Scal. c 18. ſect. 214.

Apum etiam, crabronum, veſparum vermiculi recens nati, qui νύμφαι dicuntur, περιειργμένοι, hoc eſt, folliculo, quo latent, concluſi, obſeptique, ab omni motu ceſſant: eoque nec edunt, nec excrementum habent: quemadmodum Ariſtoteles ibidem a ait.

b Sect. 215.

Quæ dentes accepere, edaciora ſunt inſectorum aliis. Minùs verò comedunt, quibus aculeus ac promuſcis in ore obrigit: quippe contenta fere ſunt humore, quem liguriunt. Ariſtotelem vide lib. VIII Hiſt. cap. XI. Eò autem iis paullum ſufficit alimenti; quia & parva ſunt, & maximam partem naturâ ſunt frigida. Dico autem partem maximam, quia apes videntur calidæ temperiei: uti & cantharides; quemadmodum ſuperiùs monitum.

Nec hic dentes modò in conſiderationem veniunt, ſed etiam inteſtinum: quod aliis quidem rectum ab ore uſque ad podicem, aliis verò anfractuoſum: ut Ariſtoteles ait lib. IV Hiſt. Anim. cap. VII c. Poſteriora hæc, ut locuſtæ, edaciora ſunt: quemadmodum idem indicat lib. IV de Part. Anim. cap. V, & VII; nec non Plinius lib. XI, cap. IV. Tradit verò uterque, nullum intus habere viſcus, præter inteſtinum. Unde reſtringendum, quod alibi ait philoſophus, cor, & jecur, eſſe partes neceſſarias; cor, ut fontem vitæ; jecur, ob cibi concoctionem. Nempe habent inſecta aliquid iſtis partibus ἀνάλογον d.

c Caſ. Scal. c. 6. ſect. 231 & 233.

d Simile, ac proportione reſpondens.

Id verò, quo nutriuntur inſecta, mirè variat pro inſectorum natura: quidam animante, aliqui plantâ, nonnulli re inanimâ, ſive hac, ſive aliâ vel aliâ, paſcuntur. Sunt & quæ non uno genere, ſed pluribus gaudeant.

Carne vel ſanguine animantis paſcuntur pediculi, & pulices: illi carnem rodunt, hi ſanguinem ſugunt. Muſcæ etiam de carne, & obſoniis, liguriunt: unde λίχνας Ariſtoteles vocat. Μύωψ, ſive tabanus, & οἶστρος, ſive aſilus, (quæ vocabula veterum aliqui diſtinxere, alii promiſcuè uſurpant) armenta mirum in modum divexant. Camelos tabanis impeti, Plinius narrat: tauros ab aſilis infeſtari, canit Maro. Ariſtoteles ideo & μύωπα & οἶστρον, vocat αἱμοβόρα, ſanguinivora. Culices quoque appetentiſſimi ſunt ſanguinis humani. Ariſtoteles e tamen ait, τὸ κώνωπα πρὸς οὐδὲν γλυκὺ προσίζειν, ἀλλὰ πρὸς ὀξέα· *culicem ad nihil dulce advolare, ſed ad acida.* Quod ipſum etiam apud Plinium f legere eſt. At ſanguis humanus dul-

e Lib. 4 Hiſt. An. cap. 8. ex diſt. Caſ. Scal. diſt. 255.

f Lib. 10. cap. 70.

cis

tis plurimùm eſt. Verùm licet univerſè Plinius loquatur; Ariſtoteles tamen de certo ſolùm culicum genere ſcripſit; quod κώνωπα vocat. At cùm culices ait mella etiam appetere, non κώνωπας ait, ſed κνῖπας; quod Gaza *culices dictos muliones* tranſtulit, & quidem approbante Cæſare Scaligero. Non eſt putandum, Ariſtotelem tam pugnantia dicere, ut eodem quidem capite, nunc culices ſtatuat mella appetere, nunc dulcia fugere: præſertim cum uno loco vocet κώνωπας altero κνῖπας: quod vel ſolum ſatis docet de diverſis loqui inſectis.

Scorpiones etiam muſcis nutriuntur. Quod firmat Aldrovandus *a* exemplo cujuſdam; qui ſcorpionem vitro concluſerat, eumque menſtruo ſpatio ſic aluit, ut corporis etiam caperet incrementum. Interim & terrâ eos vivere, Plinius ait lib. x, cap. LXXII. Id de pinguiori terræ ſucco capiendum.

Araneis quoque muſcas, & ejuſmodi volatilia, pro cibo eſſe, ſatis conſtat. Sed ut hæc retibus venantur; ita & aliis extra retia inſidiari, poſtea dicetur.

Crabrones non flores appetunt, ſed γλυκείας ὀπώρας, *fructus dulces* b; ut uvas, poma dulcia. Præterea muſcas venantur; quibus captis amputant caput; inde reliquum auferunt cadaver. Ita Ariſtoteles *c*: quod de veſpis refert Plinius *d*.

Veſpis multiplex cibus: de quo ſic Ariſtoteles lib. IX Hiſt. Anim. cap. XLI *e*: Τροφῇ δὲ χρῶνται μὲν καὶ ἀπ' ἀνθῶν τινων, καὶ καρπῶν. τὴν δὲ πλείστην, ἀπὸ ζωοφαγίας· *cibum ſumunt carptim à floribus, & fructibus quibuſdam. Plurimùm autem ex animalibus.* Ubi & viva intelligit animantia, & mortua.

Apis verò, ut Ariſtoteles *f* ait, πρὸς οὐδὲν σαρκῶδες καθίζει, οὐδ' ὀψοφαγεῖ· *carnibus nullius inſidet animalis, neque appetit obſonium.* E floribus verò vivunt: ſive, ut Ariſtoteles *g* inquit, ἀνθολογοῦσαι ζῶσιν αἱ μέλιτται: Idem ait *h*, Νομὴ τῶν μελιττῶν τὸ θύμον, *paſtus apum thymum.* Paullo etiam antè dixerat *i*: Τροφῇ δὲ χρῶνται μέλιτι, καὶ θέρους, καὶ χειμῶνος· *melle veſcuntur, tum æſtate, tum hyeme.* Ac propterea mel reponunt cibi gratiâ. Parcunt eidem, niſi cum apiarii illud ereptum eunt. Tum enim, fumo vexatæ *k*, vehementiùs edunt; ſive id invidiâ fiat; ſive potiùs, quò ſibi proſpiciant ad fugam. Sanè, capto oppido, cives abdunt, quantum valent; partim quia invideant hoſti, cui jure iraſcuntur; partim etiam, ut ſibi ſit, unde vivant poſtea. Præterea apes, ut ait philoſophus *l*, cerintho, ſive ſandaracâ, veſcuntur: quod quiddam eſt mediæ inter mel, & ceram, naturæ; melle quidem inferius, cerâ autem melius. Hanc potiùs Ariſtotelis mentem, non refragante Cæſare Scaligero, arbitror, quàm ut intelligat herbam cerinthum: etſi ea delectari, ex Marone, Plinio, & aliis, conſtet.

Erucæ, ditum animal, aliæ frondem erodunt, aliæ florem, & depaſtam arborem turpi facie relinquunt: ut eſt apud Plinium lib. XVII, cap. XXIV. Fruges etiam abſumere, ait Theophraſtus lib. VIII Hiſtor. cap. X.

Huic hortorum, & agrorum peſti ſubdimus utile inſectum bombycem. Nutritur hoc mori foliis, vel etiam ficûs: quod in Syria vulgare eſſe, narrat Bellonius lib. II Obſervat. cap. CV. Si necdum ſint mori folia, ali poſſit lactucâ, urticâ, rubo. Sed hujuſmodi non fiet ſericum. Quocirca curandum, ne, ubi ficus non eſt, ova excludantur, antequam morus germinet. Ter de die cibandus: ſed ubi ad juſtam pervenit magnitudinem, quinquies. Interim ſedulò videndum, ne formicæ adhæreſcant foliis. Hæc præcipua pernicies bombycum. Sic obſervavi ſemel iterumque in bombycibus liberorum, unâ nocte ab formicis ingentem factam ſtragem, cunctis, ad quas aditus patuit, abſumtis.

Papiliones malvâ aluntur; ut videtur. Eâ quidem florente, magna illorum copia eſt; ut ait Columella lib. IX, cap. XII, & Iſidorus lib. XII, cap. VIII, item lib. XV.

Rore paſci cicadas, non poëtæ ſolùm tradiderunt; in his Heſiodus *m*, Theocritus *n*, Virgilius *o*: ſed etiam philoſophi; ut Ariſtoteles *p*; qui hoc ruſticos colligere

a Lib. de inſectis cap. 11, quod eſt de ſcorpione, ſive pag. 582.
b Ariſt. lib. 9. ſect. 40. ſive diſt. Caſ. Scal. c. 66. ſect. 443.
c Ibid. ſect. 444.
d Lib. 11. cap. 21.
e Diſt. Caſ. Scal. cap. 65. ſect. 433.
f Lib 9. Hiſt. Animal. cap 40. ſive ex diſt. Scal. cap. 64. ſect. 358.
g Ibid. cap. 66. ſect. 443.
h Cap. 66. ſect. 386.
i Sect. 367.
k Ariſt. lib 9. cap. 40. ſive ex diſt. Caſ. Scal. 64. ſect. 312. & ſect. 313. & 367.
m In Herculis clypeo.
n In Paſtoribus.
o Ecl 5.
p Lib. 4. Hiſt. Anim. cap. 7. & lib. 5. cap. 30.

ait exinde, quòd ſubvolantes humorem quendam emittant. Plinii *a* quoque verba ſunt: *Excitatæ cum ſubvolant, humorem reddunt; quod ſolum argumentum eſt, rore eaſdem ali.* Nec obſtat, quòd ſolæ inſectorum careant ore; ut ait Ariſtoteles *b*. Nam capiti additum eſt quiddam concavum, quo liguriant. Verba Ariſtotelis ſunt: Ὁ δὲ τέττιξ, μόνον τῶν τοιούτων, καὶ τῶν ἄλλων δὲ ζώων στόμα οὐκ ἔχει, ἀλλ' οἷον τοῖς ἐμπροσθοκέντροις τὸ γλωττοειδὲς, τοῦτο μακρὸν, καὶ συμφυὲς, καὶ ἀδιάσχιστον, δι' οὗ τῇ δρόσῳ τρέφεται μόνον. *Cicada ſola ex inſectis, omnique animantium genere, ore caret: ſed ut iis, quibus aculeus in ore, quiddam eſt linguæ ſpeciem referens, ita & illi eſt quiddam prolixum, conſertum, & indiviſum; quo ſolo rorem haurit, quo alitur.* Plinius *c* hanc partem vocat *linguam*; ſed meliùs alii *promuſcidem* appellant. Idem *d* ſtatuit in pectore; idque eo deceptus, quòd pectori ſit vicina. Sed nulli animanti id, quo cibum capit, eſt in pectore; verùm in capite. Et in cicada etiam αὐτοψία *e* Plinium erroris convincit. Cùm verò alatur, non dubium, quin & in alvo habeat excrementum. Id negare ajunt Ariſtotelem: in his Aldrovandus *f*. Nempe Gazæ, & illum, & alios, interpretatio decepit. Ea eſt hujuſcemodi: *Excrementum cicadis nullum in alvo reperitur.* Atqui Græcè eſt: Ἐν δὲ τῇ κοιλίᾳ οὐκ ἴσχει περίττωμα. Quod Cæſar Scaliger *g* optimè reddit: *In ventre autem nullum retinet excrementum.* Nempe, ſi alitur, excrementum habet: ſed id, quo alitur, adeò tenue eſt, ut citò tranſeat: unde negat ἴσχειν, hoc eſt, *retinere* excrementum.

Quia verò cicadæ veſcuntur rore, eò non amant humum; nec degunt, niſi locis, quæ conſita ſunt arboribus, unde rorem legunt. Ideo in agro Cyrenaico nullæ ſunt cicadæ. Quippe arboribus caret. At aliam habet cauſſam, quòd neque in lucis reperias, vel in olivis πυκνοῖς, ſive *valde opacis*. Nam gaudent calore: quem arcent arbores umbroſæ. Ariſtotelem de utroque adi lib. V Hiſt. Anim. cap. XXX.

Lumbrici terreſtres, γῆς ἔντερα *h*, terrâ vivunt: ut indicat Olympio apud Plautum Curculione *i*. Et hic etiam per terram ſuccus ejus pinguior capiendus.

Scarabæi alii nutriuntur frumento, alii lignis aridis, alii jumentorum fimo; præcipuè ſtercore aſinino; unde & verna apud Ariſtophanem, initio Εἰρήνης, jubet ei pro cibo dari μᾶζαν ἐξ ὀνίδων πεπλασμένην, *turundam ex aſini ſtercore.* Quid mirum, quando & inde naſcuntur?

Itidem coſſi, qui è ligno, robore imprimis, oriuntur, indidem aluntur.

Quin vermes ex ſua arbore, è qua nati, in alteram tranſlatos, vitales eſſe negat Theophraſtus in quinto de cauſſis plantarum *k*. Uſque adeò verum eſt, quod Ariſtoteles ait lib. I Politicorum *l*: Παντὶ ἐξ οὗ γίνεται, τροφὴ τὸ λειπόμενόν ἐστι. *Unicuique reſiduum ejus, ex quo naſcitur, eſt pro nutrimento.* In culicibus tamen è caprifico natis ſecus eſt. Nam quia ſuccus ejus arboris eſt crudus, nec cibo idoneus; culices è caprifico volitant in ficus proximas: ut eſt apud Theophraſtum lib. II de Cauſſis Plantarum, cap. XIII.

Lerius memorat, & ex eo Nierenbergius *m*, Americanis eſſe papilionum genus, gryllorum magnitudine: hoc ad focum accedere, quicquid repérit, exedere: etiam thoracum coriaceorum ac calceorum ſuperficiem corrodendo prorſus abſumere: gallinas, alioſque cibos negligentiùs reconditos, ſic ut iis pateat acceſſus, ita vorare, ut mane oſſium tenus inveniantur carnibus nudata.

a Lib. 11. cap. 26.
b Lib. 4. Hiſt. An. cap. 7. ſive ex diſt. Caſ. Scal. cap. 6. ſect. 234.
c Lib. 11. cap 26. & 37.
d Lib. 11. cap. 26.
e Ocularis inſpectio.
f Lib. 2. de inſectis, cap. 13. pag. 318.
g Lib. 4. cap. 6. ſect. 234. ſive ex vulgari diſt. ad cap. 7.
h Terra inteſtina: Dioſcorid. & Athen.
i Act. 1.
k Cap. 14.
l Cap. 10.
m Lib. 12. Hiſt. Nat. cap. 5.

CAP. LXX.

In inſectis femina eſt mare grandior. De diſcrimine magnitudinis in bombycibus. De magnitudine quorundam vermium; ſcorpionum item, ac araneorum. Cur careant oſſibus, nervis, cartilagine, & aliis quibuſdam. Cujus id ſit naturæ, quo partes inſectorum cohærent. Ex inſectis ſoli ſcorpio caudam eſſe foris prominentem. Cur Celſus ſcorpium in ſerpentibus reponat. Cur apis,

amiſſo aculeo, non diu ſupervivat. Apes quædam aculei expertes. Si non tabani, *&* aſili, *ſaltem* myopes, *&* aſili *differunt. Aculeum in ore nactis binas ſolum alas eſſe attributas, etiam dentibus plurimum carere. Araneorum genus* φαλάγγια, *atque id mordere. Crabro paſſerem inſequens, & necans. Scarabæus ſymbolum viri bellicoſi. Leonem à ſcorpio interimi. Cur variet color in vermiculis è nive enatis. De colore bombycum, erucarum, muſcarum.*

De magnitudine hunc loquar: quæ variat pro ſexu, & cœlo ſoloque.

In inſectis mares ſunt feminis minores: ut Ariſtoteles ait in Hiſtor. Anim. cum alibi, tum lib. v, cap. xix *a*, & xxviix *b*. Cur ita Deus juſſerit, expoſitum nobis, cùm de coitu eorum ageremus.

a *Scal. cap. 18. ſect. 202.*
b *Scal. cap. 23. ſect. 271.*

Quantum pro terris varient, ex bombycibus argumentum capere licet. Neapolitani, & Calabrici, ſunt majores Hiſpanis; eoque & plus ab iis ſerici eſt: Hiſpani ſunt minores, ſed ſericum eorum præſtantius.

Plinius *c* refert ex Statio Seboſo, in Gange eſſe vermes binis branchiis, lx cubitorum. Niſi malis ſenûm cubitorum; ut eſt apud Solinum *d*. Olaus verò Magnus lib. xxi, cap. xxiv ait, in litoribus Norvegiæ vermem eſſe xl cubitorum: ſed non craſſiorem brachio infantis. Verùm iſtinſmodi ob ſimilitudinem ſolùm *vermes* dicuntur, neque in inſectis habent locum.

c *Lib. 9. cap. 15.*
d *Cap. 55. qui tamen de ſolis brachiis loquitur, quaſi vermi brachia ſint. Omnino rectè Plinius* branchias *dixit, quia de verme aquatico eſt mentio: qui non magis inſectum eſt, quàm hydrus, vel anguilla.*

Scorpiones Guatimalæ *e* ingentes ſunt, ac ſorices exſuperant.

e *Jo. Euſeb. Nieremb Hiſt. Nat. l. 13 cap. 2.*

In inſula Hiſpaniola aranei ſunt tanti, ut adæquent pilam luſoriam, ſoláque corporis ſoliditate nuci poſſint comparari: ut eſt apud Ovetum lib. xv, cap. iii. Puto, idem ſignare Cardanum in ix de Subtilitate, cùm ait, in Occidentali India eos excreſcere ad magnitudinem paſſeris. Vide & Cæſ. Scal. Exercit. clxxxvii.

Ad robur faciunt oſſa, nervi, cartilagines; in piſcibus etiam ſpinæ. Sed horum nihil habent inſecta: ut traditum Ariſtoteli lib. ii de Part. Anim. cap. viii, & lib. iv Hiſt. Anim. cap. vii. Atque eadem ſic expreſſit Plinius lib. xi, cap. iv: *Inſecta non videntur nervos habere, non oſſa, nec ſpinas, nec cartilaginem, nec pinguia, nec carnes; ne cruſtam quidem fragilem, ut quædam marina, nec quæ jure dicatur cutis; ſed mediæ cujuſdam inter omnia hæc naturæ, corpus arenti ſimile, nervo mollius, in reliquis partibus ſiccius veriùs, quàm durius.* Nimirum inſecta multum habent aquei: ut minus ſit mirandum, ſi careant iis partibus, quæ plus habent terreni. Licet igitur quædam in iis ſint partes ſicciores; non eò uſque tamen, ut prorſus obdureſcant. Imò id ipſum, quo partes cohærent, non inter oſſa, & cartilaginem; ſed inter cartilaginem, & nervum, mediam habet naturam. Nam molle eſt, ut caro; ſed quod diſtendatur, ut nervus.

Nec propterea exiſtimandum, inſecta armis carere, quibus ſe tueantur adverſus animalia noxia. Nam ſcorpius longo armatur ſpiculo: quod ſolus *f* inſectorum habet foris prominens. Hunc à cauda ſic exſtantem aculeum, ſerpentum more, per terram trahit, ac vi ejus venenosâ homines necat: quæ ratio eſt, cur Cornelius Celſus *g* ſcorpium, licet inſectum, retulerit inter ſerpentes.

f *Ariſt. lib. 4. An. Hiſt. c. 7. item lib. 1. de Generat. cap. 3.*
g *Lib. 5. cap. 26.*

Inſectorum ſunt alia, quæ aculeum habent alvo reconditum; ut apes, & veſpæ. Is aculeus ſemel amiſſus non renaſcitur; ut in ape videmus: ſive id fiat, quia aculeus conſtet ex humido radicali; ut Albertus M. putabat: ſive (quod longè magis veriſimile) quia deperdito aculeo multi ad partem affectam confluant humores. Inde enim fit, ut apis priùs quidem debilior fiat, tandem autem intereat.

In Americana tamen provincia Veræ-Pacis, ut refert Antonius Herrera, apes ſunt aculei expertes, liquidi mellis opifices, non favum concinnantes, ſed in cavis arborum mellificantes: de quibus plura apud eum legere poſſis, & exinde alios *h*.

Sunt & inter ὀπισθόκεντρα *i*, ut Ariſtoteles *k* appellat, μύωπες, καὶ οἶστροι: quod Scaliger reddidit, *tabani, & aſili*. Nam etſi *tabani* appellatio à Latinis cum *aſilo* ſæpius confundatur: Ariſtoteles tamen μύωπας ab aſilis diverſos facit.

h *In quibus Jo. Nierenberg. lib. 13. Hiſt. Nat. cap. 1.*
i *Parte averſa aculeum geſtantia.*
k *Lib. 4. Hiſt. An. cap. 7. ſive ex diſſ. Cæſ. Scal. cap. 6. ſect. 218.*

Sunt inſectorum alia, quæ arma habent in ore: puta linguam duram, ac promuſcidem. Cumque, quæ aculeum in alvo recondunt, quatuor alas acceperint, quò faciliùs in periculo avolent: iis, quæ in ore ipſo aculeum ſunt conſecuta, binas ſufficere natura, ſive Deus potiùs, judicavit.

Sunt & quæ non victus gratiâ, ſed pro armis dentes acceperint: ut Ariſtoteli traditum lib. iv de Part. Anim. cap. v. Quemadmodum verò quadrupedum iſtis negavit Natura cornua, quibus dediſſet dentes exſertos; ut apris: ita & inſectorum illis negavit dentes, quibus linguæ aculeum dediſſet, paucis exceptis.

Aranei pungunt, non mordent. Quoddam tamen genus, quod φαλάγγια vocant, δηκτικόν, ſive *mordax* dicitur Ariſtoteli lib. ix Hiſtor. cap. xxxix *a*.

a *Ex diſſ. Cæſ. Scal. cap. 63. ſect. 297.*

Jam quanti eſt roboris, quòd inſecta quædam ſuperant aves! Thomas Pennius Anglus, à quo opus de Inſectis inchoatum Thomas Mouſetus, itidem Anglus, perfecit, dum Petropoli in Anglia ageret, in oppidi vico crabronem vidit, qui paſſerem inſectaretur, ac tandem aculeo exanimarit, ſanguine ejus, poſtquam in terram decidiſſet, ſeſe explêrit, magnâ cum ſpectantium admiratione. Vide eos cap. de Crabronibus *b*.

b *Pag. 51.*

Scarabæus etiam congredi cum aquila dicitur. Viris quidem bellicoſis ſculpturam ſcarabæis fuiſſe in annulis, traditum Plutarcho lib. de Iſide, & Æliano lib. x de Anim. cap. xv.

Quod ſi à quadrupedibus exemplum peti malis, B. Ambroſii verba ſunt Hexaëmeron lib. vi, cap. vi: *Naturæ hæc potentia eſt, ut terribilia aliis, aliis meticuloſa ſint. Eſt enim donata prærogativa quædam ſingulis creaturis, ut quibuſdam privilegiis propriis fulciantur. Formidabilis tauris elephantus, murem timet. Leo quidem, rex ferarum, exiguo ſcorpionis aculeo exagitatur, & veneno ſerpentis occiditur. Eximia leonis pulchritudo comantes cervice toros excutit, cùm ſublato ſerpens pectore attollit ora. Sed quis non miretur tam brevi ſcorpionis aculeo, ut incorporeum putes, ingentium corporum exciri mortem?*

De colore etiam aliquid dicendum. Uniuſmodi hic eſt in formicis, ac fere vermibus cunctis: interim alius atque alius pro temperie. Sic vermiculi in nive recenti, quia hæc candida, candidi ſunt. At è vetuſta nive enaſcentes ſunt rubri, quia vetuſta nix eſt rubra. Hanc rationem Plinius adducit, præeunte Ariſtotele lib. v Hiſt. Anim. cap. xix *c*. Bombyces unius omnes coloris eſſe, tradidit Hieronymus Vida in poëmatio de eo. Sed ſunt & coloris ſubflavi, vel cinerei. De linea fuſca, per medium tergum diſcurrente, ſatis conſtat. In erucarum genere ea eſt colorum varietas, ut vix ullus hanc Apelles penicillo ſuo expreſſerit. Nec philoſophus quiſquam illos oculis ſatis diſcernat: nedum adferre valeat ſingulorum cauſſas. Idem dixero de pleriſque aliis inſectis. Qui ambigit, capiat papilionem, cantharidem, vel etiam muſcam: quam pavonis inſtar variegatam eſſe, in ejus encomio dicit Lucianus. Cernet, quanto facilius ſit colorem bovis pingere, vel penicillo, vel oratione, quàm ejuſmodi inſectorum.

c *Ex diſſ. Cæſ. Scal. cap. 18. ſect. 229.*

Cap. LXXI.

De externis inſectorum ſenſibus. Oculos inſectis eſſe grandiores: fortaſſe tamen lumbricos iis carere prorſus. Cur inſecta non habeant palpebras. De corniculis præ oculis. Quaternos eſſe oculos araneis nonnullis. Obtuſum eſſe viſum api, & cicadæ: unde de inſectorum aliis conjectatio. Cicindelas tamen noctu videre: ex quo & nomen Latinum, & Græcum πυγολαμπίδες. Unde fit, quòd luceant. Quis auctor ſit Margaritæ philoſophicæ. Cur ligna putrida, & ſimilia, noctu luceant; de die non item. Apes, contrà quàm Aquinati traditum, audiu

ditu eſſe præditas. An nocte eâ, quâ natus eſt Jeſus, magis, quàm aliàs, bombos edant. Ut e ſpatiis etiam longe diſſitis odorentur mel, thymum, & ſimilia: & quod iis ſit odoratus inſtrumentum. Cur muſcæ fugiant mel Atticum. Guſtum inſectis ineſſe, bifariam oſtenſum: ac nonnulla hoc fine linguam accepiſſe.

HInc jam ad facultatem ſenſivam proficiſcatur oratio noſtra. Ac de viſu primò videndum.

a Ex diſt. Cæſ. Scal. cap. 6. ſect. 218
b Ad locum dictum.

Omnibus inſectis oculos eſſe, ait Ariſtoteles lib. IV Hiſt. Anim. cap. VII *a*. Cæſar tamen Scaliger *b* cenſet, lumbricos iis carere. Sunt verò inſectis oculi ſatis grandes, & conſpicui, præ aliorum ſenſuum inſtrumentis; quæ percipi nequeunt, præter linguam; ut ibidem Ariſtoteles ait. De magnitudine liquet vel ex bombycibus; quibus & grandiuſculi oculi, & nigri.

Carent inſecta genis ſive palpebris: quod iis commune eſt cum cruſtatis; ut Ariſtoteles refert lib. II de Partibus Animal. cap. XIII, & Plinius lib. XI, cap. XXVII, & XXXVII. Nimirum quibus oculi obducuntur cruſtâ, non habent palpebras; quòd hæc pugnantia ſint, habere palpebras, quæ celeri motu cientur, & obduci oculos duritie, quæ motum hujuſmodi non permittit. Moventur verò oculi inſectorum, ut nonnullis quadrupedum. Aliquibus etiam ſunt κεράτια πρὸ τῶν ὀμμάτων, *corniculà præ oculis*: ut papilionibus, & carabis; teſte Ariſtotele in IV Hiſt. Animal. cap. VII *c*.

c Sive ex diſt. Cæſ. Scal. c. 6. ſect. 226.
d Sive ex Cæſ. Scal. diſt. c. 26. ſect. 269.

Quibuſdam araneis quaterni ſunt oculi: ut Cæſar Scaliger ait Comment. in lib. V Ariſt. Hiſt. Anim. cap. XXVII *d*.

Apes, ob oculos duros, hebetem habent viſum. Nam longe ſi proſpicerent, non facilè adeò cibus fierent meropi, & hirundini.

e Sect. 282. diſt. Cæſ. Scal.

Obtuſus itidem viſus eſt cicadis: quæ vix vident, niſi admodum Sol niteat. Quin tum etiam, ſi ſenſim admôris digitum, in eum inſiliunt, quaſi in folium motum: ut Ariſtoteles ait lib. V Hiſt. Anim. cap. XXX *e*. Atque hinc de inſectorum aliis capere eſt conjecturam.

f Ex diſt. Cæſ. Scal. cap. 18. ſect. 221.

Quædam interim noctu vident; ut quæ vocantur Latinis *cicindelæ*, fortaſſe quia *cieant candorem*, ſive fulgorem: Ariſtoteli lib. V Hiſt. Anim. cap. XIX *f* πυγολαμπίδες: quod Cæſar Scaliger *ignicluues*, & *lucicluues* reddit. Nomen ex eo, quia noctu clunibus lucem de ſe fundant: unde & *noctilucas* dixeris. Lumen id minutum quidem; ſed quod illis ſufficiat, non ad videndum modò, ſed etiam ad iter noctu dirigendum.

g Ænigmate de nitedula ſeu cicindela.

Hoc lumen exit ab lucenti humore alvi; unde Cæſar Scaliger *g* ſic loquentem inducit:

——— *Lumina pone gero.*

Ac prout humor ille vel ſurſum attrahitur, vel deorſum defertur: ita vel lucent, vel non lucent. Hiſce guttulis, inſtar ignis pellucentibus, cauſſam luminis etiam tribuit Georgius Reiſchius Carthuſianus, vir variæ admodum pro temporibus, quibus vixit, doctrinæ: ut mirandum ſit, non ejus meminiſſe Theodorum Petreium in bibliotheca Carthuſiana *h*. Sed, credo, non occurrit, eum eſſe auctorem Margaritæ philoſophicæ; quod opus ante annos centum, & amplius, cùm Argentorati *i*, tum Baſileæ *k*, prodiit. Ejus operis lib. X, tractatu X, cap. II, ſic colloquuntur Magiſter, & Diſcipulus. MA. *Ea viſibilia, quæ noctiluca dicuntur, cum intrinſecum, & connatum lumen habeant, etiam in nocturnis tenebris videri poſſunt: ut ſunt quædam ligna putrida, vermiculi, ſquamæ piſcium, & ſimilia.* DI. *Unde hæc corpora ingenitum lumen habent?* MA. *Ab igne. Omne equidem mixtum elementis conſtat. In vermiculis igitur quibuſdam, quoniam ſine ſanguine ſunt, & frigidi, igneæ partes circa digeſtionis locum concurrunt, & ibi lucent. Sic & piſcibus, qui frigidi ſunt, & in frigido degunt elemento, natura ſquamas prævidit, multum duras, & terreſtres, partes igneas conſervantes pro fortificatione caloris naturalis. In lignis autem putridis ignis cum humido aereo ad extremitates colligitur.* Et poſt pauca: DI. *Quid ſubeſt cauſſæ edicito, quod hæc corpora non in die in lumine ſuo congenito videntur.* MA. *Quia in die à lumine Solis, quod majus eſt, illuſtrantur; à quo etiam lumen, tanquam minus, & debilius, obſcuratur. Ob quam cauſſam etiam ſtellas in die nonniſi ab acutiſſimo viſu, & in puteo aliquo, poſſe conſpici diximus.* De viſu hactenus.

h Edidit Ant. Hieratus Coloniæ an. 1609.
i Excudente Joan. Groningero. an. 1515.
k e An. 1535. ex recognitione Orontii.

Apes auditu carere, ſententia eſt Thomæ Aquinatis: ac propterea ait, eſſe animal nullius capax diſciplinæ; quia auditus ſit diſciplinæ ſenſus. Nec eum movet, quòd ſono vehementi (qualis eſt tympani ſonus; noſtris etiam temporibus, bombardæ, vel ſclopeti) exterritæ fugiant. Nam fieri id ait ob aëris commotionem magnam: quæ & animal interimere, & lignum ſcindere valet. Nos Plinio accedimus; qui lib. XI, cap. XX, auditu eſſe præditas ex eo colligit, quia plauſu æris gaudeant. Ac ſimiliter Didymus *a*: Θέλγεται δὲ τοῦτο τὸ ζῷον καὶ καλλίστῳ μέλει. ὅθεν οἱ μελισσουργοὶ διεσκορπισμένας αὐτὰς κυμβαλίζοντες, ἢ ταῖς χερσὶν εὐρύθμως κροτοῦντες συνάγουσι· *Mulcetur verò ac delinitur hoc animal dulciſſimo cantu. Unde, qui illud paſcunt, diſperſas apes cymbalis pulſatis, aut manus concinne plaudentes, congregant.* Cæſaris etiam Scaligeri verba ſunt: *Diſputant quidam, eas non audire. Verum ego puto audire. Signa enim dant intus alia, atque alia, etiam foris mutato murmure. Qui negant, ut ſolvant tinnitus argumentum, ajunt, aërem commoveri, atque ita eas afficere. Audiant autem, aut non audiant, metu puto perterreri.* Et quàm firmum ſit auditus argumentum, ſi verum eſt, quod Ariſtot. refert lib. IX Hiſt. cap. XL *b*, ſono vel murmure excitari ad opus, & bombi etiam ſonitu ſe dare quieti, atque inde mox eſſe ſilentium. Sic enim ſcribit philoſophus: Ὄρθριαι δὲ σιωπῶσιν, ἕως ἂν μία ἐγείρῃ βομβήσασα δὶς ἢ τρίς. τότε δ' ἐπ' ἔργον ἀθρόαι πέτονται· καὶ ἐλθοῦσαι πάλιν, θορυβοῦσι τὸ πρῶτον. κατὰ μικρὸν δ' ἧττον, ἕως ἂν μία περιπετομένη βομβήσῃ, ὥσπερ σημαίνουσα καθεύδειν· εἶτ' ἐξαπίνης σιωπῶσι. *Mane ſilent, donec una excitârit, bis terve edito bombo. Tum confertim ad opus evolant. Reverſæ iterum primùm fremunt: ſed paullatim minùs minuſque, donec una circumvolitans bombum edit, quaſi ſigno dormiendi dato. Atque exinde continuò ſilent.* Quanto hoc ſolidius eſt, quàm quod pro auditu, & Muſices, Deique amore adferunt nonnulli; qui ajunt, eas natali Chriſti bombitando noctu celebrare adventum Dominicum. Omnino enim iſta inanis eſt vulgi perſuaſio; quando cunctis noctibus ſerenis ejuſmodi audire eſt apium murmur.

a In Geoponicis Conſtantino dicatis lib. 15. c. 3.
b Ex diſt. Cæſ. Scal. cap. 64. ſect. 403.

Odore etiam inſecta prædita ſunt: quomodo eædem apes è longinquo ſentiunt mel; ut ait Ariſt. lib. IV. Hiſtor. Anim. cap. VIII. Eſt & Lucretii lib. IV:

——— *Ideoque per auras*
Mellis apes quamvis longe ducuntur odore.

Et videmus, è longinquo in urbes etiam, ac officinas eorum, qui mella divendunt, magnâ copiâ advolare. Imò ſi mel abſentibus auferatur, ut cum eo vel mille paſſus receſſeris, nihilominus ſint repertuæ. Retulit Theodorus Clutius, vir aliquâ mihi, dum viveret, amicitiâ junctus, & rei apiariæ longo uſu intelligentiſſimus, ut cùm mel coqueret domi, per longum camini tubum ſupernè ſint ingreſſæ; nec aliter, quàm circa candelam cicindelæ, & lampyrides ſolent, volitarint illæ circa ahenum; pleræque etiam in illud decidentes ſint ſubmerſæ. Similiter è longinquo odorantur plantas varias: ut thymum, caſiam, ſerpilla, violas, roſam, meliſſophyllum, cerinthen, aliaque; de quibus Maro IV Georg. & Plin. lib. XXI, cap. XII. Et hæc ſatis ſunt aperta. Solum in controverſia relinquitur, quo inſtrumento id fiat: unde & Plinius miratur, ubi Natura tot ſenſus collocârit. Nobis ſententia placet Philoſophi: cujus hæc de eo verba ſunt lib. II de Partibus animal. cap. XVI. Περὶ δὲ τῶν ἄλλων ζῴων τῶν μὴ ἀναπνεόντων, εἴρηται πρότερον, δι' ἣν αἰτίαν οὐκ ἔχουσι μυκτῆρας· ἀλλὰ τὰ μὲν διὰ τῶν βραγχίων, τὰ δὲ διὰ τοῦ αὐλοῦ, τὰ δ' ἔντομα διὰ τοῦ ὑποζώματος αἰσθάνεται τῆς ὀσμῆς· καὶ πάντα τῷ συμφύτῳ πνεύματι τοῦ σώματος, ὥσπερ κινεῖται. *De cæteris animalium, quæ non reſpirant, diximus antea, cur nari-*

naribus careant: ſed alia branchiis, alia fiſtulâ, alia, ut inſecta, pracinctu odores ſentiant: ac omnia quidem id faciant ſpiritu innato, quo & moventur. Ubi videmus, duplex odoratus inſtrumentum adferri; primarium, & ſecundarium: hoc ſtatui τὸ ὑπόζωμα, ſive præcinctum; ad quem alliditur ſpiritus: illud eſſe ſpiritum ipſum, quem non adventitium ait, ſed innatum.

Melli Attico non inſident muſcæ, quæ non ferunt graveolentiam thymi Attici, unde id elaboratum: quam rationem adducit Theophylactus Simocatus problemate Naturali poſtremo. Hæc de odoratu.

Nec dubium, quin inſecta ſint guſtu prædita. Quod duplici argumento firmat Ariſtoteles lib. IV Hiſtor. Anim.

a Ex Caſ. Scal. diſt cap. 8. ſect. 258. cap. VIII *a*, his verbis: καὶ τῶν χυμῶν δ' ὅτι αἴσθησιν ἔχει, φανερὸν διὰ τῶν αὐτῶν· πρὸς ἃ γὰρ διὰ τὰς ὀσμὰς προσέρχεται κινούμενα, τούτων χαίρει καὶ τοῖς χυμοῖς ἕκαστα. ἔτι δ' ὅσα ἔχει στόμα, χαίρει καὶ λυπεῖται τῇ τῶν χυμῶν ἁφῇ. *Senſum item ſaporum his ineſſe, iiſdem rationibus liquet. Nam ſapore earum rerum quæque invitantur, ad quæ veniunt odoribus invitata. Adde quòd quæcunque os obtinent, iis è ſaporibus vel gaudium eſt, vel dolor.* Sententia eſt: quorſum odorantur, vel os accepere, ſi non guſtant? quando & odor guſtui inſervit; & os habemus, ut cibos eo capiamus.

Ad guſtandum, cibumque attrahendum, lingua nonnullis data eſt. Nec ſanè alia ſenſuum inſtrumenta in inſectis ſunt conſpicua, quàm oculi, & lingua: ut Ariſtoteles ait lib. IV Hiſt. Anim. cap. VII *b*. Porrò lingua aliquibus quidem eſt mollis; aliis verò dura, ut aculeo alvi carentibus; eaque vel intra os ſe continens, ut formicis; vel exerens ſe, ut apibus, & muſcis, ac culicibus; quæ promuſcide etiam pungunt, & cruorem eliciunt.

b Caſ. Scal. c. 6. ſect. 218.

De tactu, qui omnibus datus eſt animantibus, nihil attinet dicere.

Quin araneus hoc ſenſu cætera exſuperare animantia exiſtimatur. Unde illud calcatum:

Nos aper auditu præcellit, aranea tactu,
Vultur odoratu, lynx viſu, ſimia guſtu.

Et ſanè ad quam exiguum etiam telæ motum ſentiunt minutum culicem, vel aliud, involâſſe!

Cap. LXXII.

Acceditur ad internos inſectorum ſenſus. Conferuntur apes, formica, aranei. Apum prudentia in fabricando alveari. Quid κονίασις, ſive κόμμωσις: & cur ea ex herbis fiat amaris. Quid & unde ſint πισσόκηρον, & πρόπολις. Cur apes aditus alvearis faciant anguſtos, & obliquos. De cellis ſexangulis, & earum magnitudine, ac triplici incolarum genere. Eſſe & regi aculeum; ſed clementiæ eſſe ſimulachrum, quod eo non utatur. Cur quandoque regem malum tollant. Interdum in apibus de imperio certari. Quanta apum fides, & obedientia, erga regem ſuum. De partitis apum officiis. Ut apes utantur fucorum ſervitio; ſed eaſdem necent, ubi non amplius ſunt uſui; nec hanc dicendam eſſe ſævitiam. De fortitudine apum in ſe, & laboribus ſuis defenſitandis adverſus crabrones, & veſpas; ac figura amborum ab illa apum diſtinguitur. De equo ab apibus interempto. Ut obſeſſi, emiſſis undique apibus, vexarint obſidentes, obſidionem etiam ſolvere coëgerint. Cur S. Scriptura hoſtes comparârit apibus. Credi apes ſe lapillo librare, ne vehementiori vento auferantur. Sollertia earum in mittendis ſpeculatoribus, inque ſomno capiendo foris, & in eodem conciliando domi. De mundicies in iiſdem amore. Apes è juvencis, fuci ex equis, veſpæ ex aſinis, crabrones ex equis vel mulis, ſcarabæi item ex aſinis. Ariſtomachi Cyrenaici in apibus ſtudium, atque induſtria. De examine earum à Samſone reperto in cadavere leonis. Quantopere ſe mutuo ament apes, illuſtre documentum.

A Senſibus, ut vocant, externis confero me ad internos: ubi in inſectis trium maximè apparet ſagacitas, & induſtria: apis, formicæ, & aranei. Ex quibus formica nec facit, nec venatur, verùm colligit, & reponit: araneus horum neutrum agit, ſed venatur: apis verò non venatur, ſed facit, colligit, & reponit: quemadmodum Ariſtoteli traditum lib. IX Hiſtor. Anim. cap. XL *a*. De a Diſt. Scal. cap. 64. ſect. 312.
hiſce tribus nunc dicam. Ab apibus ut initium fiat, earum meretur præſtantia; ſive ſingulas attendas privatim, ſive totam earum πολιτείαν *b*. Nec aliunde illuſtriora capere eſt b, Rempublicam.
virtutum exempla: neque vel maxima animantia clariùs oſtendunt auctorem ſuum Deum, quàm minutum hoc inſectum.

Primùm enim, quanta in iis relucet prudentia architectonica, cùm alveare illinunt tectorio, quod κονίασιν, quaſi *illitionem*, vel κόμμωσιν, ſive *gummitionem* dicunt. Idque faciunt ex herbis amaris, ut arceant beſtiolas alias, mellis avidas. Nec κομμώσει contentæ, inducunt ei πισσόκηρον, ſic dictum; quia picatûs modo inducitur, & ceræ eſt initium: quippe *c* dilutior cera. Præterea materiæ craſſioris, nondum tamen cera, ſed favorum ſtabilimentum, ut omnes frigoris, & injuriæ aditus arceant, c Plin lib. 11, cap. 7.
ad ipſum alvearis ingreſſum faciunt: unde & πρόπολις dicitur, quia in ipſo apiariæ urbis aditu occurrit. Hoc quoque ſollertiæ eſt, quòd, ut ait Didymus apud Γεωπονικῶν collectorem lib. XV, cap. III, εἰδυῖα (μέλιττα) τὴν αὐτῆς ἀσθένειαν, στενὰς ποιεῖ, καὶ οὐκ εἰς εὐθὺ τεταγμένας τὰς εἰς τὸν αὐτῆς οἶκον εἰσόδους· τοὺς γὰρ εἰσπορευομένους ἐπὶ βλάβῃ, πλείους περιστᾶσαι, ῥᾳδίως καθαιροῦσι. *Cum ſibi conſcia ſit* (apis) *ſuæ imbecillitatis; anguſtos, & non in rectum diſpoſitos facit aditus in domum ſuam. Siquod igitur animal ingrediatur, ut noceat; eo quòd plures circumſtent, facilè illud occidunt.* Cellarum etiam forma ædificium commendat. Unde ibidem Didymus: τὸ ἰσχυὸς λογικῆς διανοίας μάλιστα θεωρεῖται, ἐξ οὗ τὰς θήκας ἑξαγώνους ποιεῖ· *Propè ad humanam accedere intelligentiam conſpicimus ex eo, quòd cellas faciat ſexangulas.* Rationem adfert Plinius lib. XI, cap. XI: *Sexangulæ omnes cellæ, à ſingulorum earum pedum opere.* Hoc quoque prudentiæ, quod ibidem legas: *Domos primùm plebejis exædificant, deinde regibus. Si ſperatur largior proventus, adjiciuntur contubernia & fucis. His cellarum minimæ: ſed ipſis majores apibus.* Ubi videmus, ut ſingulis ſuus deſtinetur locus in alveari: regi, qui major, pulcriorque: apibus minoribus, à quibus cera, & mel: fucis, qui calore ſuo adjuvant in excludendo fœtu. Triplici enim hoc genere, nec pluribus incolis, conſtat apum domus. De regia verò ſic ſcribit: *Regias imperatoribus futuris in una parte alvei exprimunt amplas, magnificas, ſeparatas, tuberculo eminentes.*

Poſtquam de domo, de qua Heſiodus *d* etiam primò ſollicitum eſſe jubet, ac quaſi de urbe apum vidimus: de regimine nunc ſeu domûs, ſeu urbis, agemus. d Ἔργοις.

Habent apes μοναρχίαν, ut δημοκρατίαν formicæ, quod poſtea parebit. In hoc regimine conſiderabimus tum regis, tum ſubditorum naturam, idque domi belloque: inde apparebunt virtutes partim ethicæ, partim œconomicæ, partim politicæ.

Rex eligitur, qui præſtat formâ, & magnitudine. In eo relucet affectus erga populum ſuum conveniens. Ac primùm lenitas, & clementia: ut qui aculeum quidem habeat, ſed eo non pungat: unde aliqui nec habere, cenſent: ut Ariſtoteles ait lib. V Hiſt. Anim. cap. XXI. Poſteriores hoſce ſequitur & Seneca lib. I de Clementia, cap. XIX: ubi & exemplum hinc regibus petit. *Rex*, inquit, *ſine aculeo eſt. Noluit illum natura nec ſævum eſſe, nec ultionem magno conſtaturam petere: telumque detraxit, & iram ejus inermem reliquit. Exemplar hoc magnis regibus ingens eſt. Pudeat ab exiguis animalculis non trahere mores: cum tanto hominum moderatior eſſe animus debeat, quanto vehementiùs nocet.* Porrò & Plinius negat *e*, conſtare inter e Lib. 11. cap. 17.
auctores, nullumne rex habeat aculeum, an ejus uſum tantummodo negârit natura. Experientia autem docet, non

planè

planè carere: nec interim tam aculeum habere, quàm iſtiuſmodi quid; quo nihilominus non utatur.

Nec tamen iſtam ob commendationem exiſtimandum, reges omnes ſimiliter ſapere. Nam qui terris hiſce apes curant, teſtantur, eas, hominum inſtar, nunc reges habere bonos, nunc malos: nec eos formâ, aut colore, diſcernas; ſed operibus. Malus enim rex non amplius mellis congregari ſinit, quàm ſufficit æſtati. Fucos majoris æſtimat, quàm veras apes: quas labore ſic obruit, ut paullatim imminuatur numerus. Gaudent interea fuci, ac valentiores fiunt. Quare niſi, vel apes ipſæ, quòd quandoque fieri ajunt; vel qui apes curant, hujuſmodi regem tempori necent; ac præterea apiarius, ſive mellarius, ab alio rege proſpiciat alviari; cunctis hieme ſit moriendum.

Quid quòd etiam ex proceribus apum uni alteri dira regnandi cupido ſubit? unde Colum. lib. IX, cap. IX: *Sunt ſæpe plures unius populi duces, & quaſi procerum ſeditione, plebs in partes diducitur. quod frequenter fieri prohibendum eſt, quoniam inteſtino bello totæ gentes conſumuntur. Itaque, ſi conſtat principibus gratia, manet pax incruenta. Sin autem ſæpius aciem dimicantes notaveris, duces ſeditionum interficere curabis.* Pugna autem dimicantium, ut Maro *a* ait,

a 4 Georg.

Pulveris exigui jactu compreſſa quieſcit.

Addit Columella, *aut mulſo, paſſove, aut alio quovis ſimili liquore reſperſo: videlicet familiari dulcedine, ſævientium iras mitigante. nam eadem mirè etiam diſſidentes reges conciliant.* Quibus verò indiciis cognoſcere ſit ſeditionis duces, ibidem refert Columella.

Quis etiam ſatis commendàrit populi fidem, & obedientiam, planè talem, qualis ſub bono eſt rege, eoque unico? De hoc ſic Didymus *b*: Ἡ πολιτεία τούτου τοῦ ζώου, προσέοικε ταῖς μάλιστα εὐνομουμέναις τῶν πόλεων. τάς τε γὰρ ἐξόδους καθ' ἡγεμόνα καὶ πρὸς ἐπίταγμα ποιεῖται. *Imperii forma, quam animal hoc habet, ſimilis eſt urbibus optimè conſtitutis. Nam & exitus ſit pro ducis arbitrio ac mandato.* Sic quoque idem Didymus: Μόνον δὲ τοῦτο τὸ ζῶον ζητεῖ ἡγεμόνα τὸν ἐπιμελησόμενον τῶν ὅλων· διόπερ ἀεὶ τιμᾷ τὸν βασιλέα, καὶ συνέπεται μετὰ προθυμίας, ὅπου περ ἂν τύχῃ. κάμνοντα δὲ αὐτὸν συνυπολαμβάνει, καὶ μὴ δυνάμενον πέτεσθαι, φέρει καὶ διασώζει. *Solum verò hoc animal ducem quærit, qui curam omnium gerat. Idcirco ſemper colit regem, ac alacriter eum comitatur, ubicunque locetur. Ægrotantem etiam ſuſtinet, ac ſi volare nequeat, gerit eum, ac ſervat.* Quin pro rege etiam ſuo, ut Maro *c* canit,

b Apud Geoponicῶν collectorem lib. 15. cap. 13.

c 4 Georg.

—— *Corpora bello*

Objectant, pulcramque petunt per vulnera mortem.

Sunt quoque ſingulis πολίταις *d* civibus partita officia.

d Reip.

Namque (ut ait Maro *e*) *aliæ victu invigilant, & fœdere pacto*

e 4 Georg.

Exercentur agris: pars intra ſepta domorum
Narciſſi lacrymam, & lentum de cortice gluten,
Prima favis ponunt fundamina; deinde tenaces
Suſpendunt ceras: aliæ ſpem gentis, adultos
Educunt fœtus: aliæ puriſſima mella
Stipant, & liquido diſtendunt nectare cellas.
Sunt quibus ad portas cecidit cuſtodia ſorti:
Inque vicem ſpeculantur aquas, & nubila cæli:
Aut onera accipiunt venientum, aut agmine facto
Ignavum fucos pecus à præſepibus arcent.
Fervet opus, redolentque thymo fragrantia mella.

Hinc cùm Cyclopum retuliſſet exemplum, Iovi fulmina fabricantium, ita canit:

Non aliter, ſi parva licet componere magnis,
Cecropias innatus apes amor urget habendi,
Munere quamque ſuo. Grandævis oppida curæ,
Et munire favos, & Dædala fingere tecta.

Similiter Plinius lib. XI, cap. X: *Interdiu ſtatio ad portas more caſtrorum, noctu quies in matutinum, donec una excitet gemino, aut triplici bombo, ut buccino aliquo. Tunc univerſæ provolant, ſi dies mitis futurus eſt. Prædivinant enim ventos, imbreſque, & tunc ſe continent tectis. Itaque temperie cæli (& hoc inter præſcita habent) cum agmen ad opera proceſſit, aliæ flores aggerunt pedibus, aliæ aquam ore, guttaſque lanugine totius corporis. Quibus eſt earum adoleſcentia, ad opera exeunt, & ſupradicta convehunt. Seniores intus operantur. Quæ flores comportant, prioribus pedibus femina onerant, propter id naturâ ſcabra; pedes priores roſtro: totæque onuſtæ remeant ſarcinâ pandatæ. Excipiunt eas ternæ, aut quaternæ, atque exonerant. Sunt enim intus quoque officia diviſa. Aliæ ſtruunt, aliæ poliunt, aliæ ſuggerunt, aliæ cibum comparant ex eo, quod illatum eſt. Neque enim ſeparatim veſcuntur, ne inæqualitas operis & cibi fiat, & temporis.* Pluraque in hanc mentem: inter alia autem: *Mira obſervatio operis: ceſſantium inertiam notant; caſtigant mox, & puniunt morte.* Ubi illuſtre & induſtriæ, & juſtitiæ exemplum videmus. Atque hic juſtitiæ, uti & parſimoniæ amor, exſerit ſe imprimis erga fucorum ſervitia: quibus dum utiles ſunt, parcunt: at necant, poſtquam nihil ſciunt, niſi vivere de alieno. Eundem Plinium audiamus lib. XI, cap. XI: *Sunt fuci ſine aculeo, velut imperfectæ apes, noviſſimaque à feſſis, & jam emeritis inchoata, ſerotinus fœtus, & quaſi ſervitia verarum apum. Quamobrem imperant iis, primoſque in opere expellunt, tardantes ſine clementia puniunt. Neque in opere tantùm, ſed in fœtu quoque, adjuvant eas, multum ad calorem conferente turbâ. Cum mella cœperunt matureſcere, abigunt: multæque ſingulos aggreſſæ trucidant.* Nimirum quinæ, aut ſenæ apiculæ fuco uni, ut majori, ſic valentiori, vellicant alas, & pedes: ille ſic laſſatus, volare amplius neſcit, ac paullo pòſt emoritur. Mortuum autem alveari ejiciunt: ut eſt apud Ælianum lib. V Hiſt. cap. XLIX.

Nec immitis hoc animi videri debet. Nam *fuci*, *ignavum pecus*, ut Maro *a* vocat, evolant quidem, ſeque paſcunt; ſed nihil domum referunt: & ubi non exitur, multum depaſcunt mellis, ob magnitudinem, & robur corporis. Quare ſi perpeterentur eos abſumere mel alienâ congeſtum induſtriâ, brevi illud deficeret: hieme ſanè moriendum eſſet univerſis. Nec dubium, quin, ut alia, ita hoc quoque de imperio faciant regis ſui: cui non ferendum, ut ignaviâ malorum pereant boni, & induſtrii.

a 4 Georg.

Fortitudinem apum cognoſcere fuit ex allatis ſuperiùs Maronis verſiculis, de prœlio morteque earum pro Rege ſuo. Eandem, uti & juſtitiæ amorem, docet Didymus his verbis: Οὔτε λυμαίνεται τοὺς ἀλλοτρίους πόνους· ἀμύνεται μέντοι ἰσχυρότατα τοὺς αὐτῆς ἐπιβαλλομένους πόνοις· *Non aliorum laboribus damnum dat: ſed fortiſſime ſe defenſitat adverſus eos, qui labores ſuos invadere velint.* Magna ſanè iracundia, ac pugna, apibus cum veſpis, & crabronibus: quorum uterque μελιττώδης *b*. Nam hoc commune habent cum apibus, quòd favos ſtruant, & mellificent, &, ſi Ariſtotelem *c* audimus, etiam ducem habeant: de quo tamen aliter Plinius *d*. Figurâ verò non ab apibus modò, ſed etiam inter ſe differunt. Nam σφὴξ, ſive veſpa, minor eſt crabrone, eſtque hirſuta. Ἀνθρήνη, ſeu crabro, flavis, ac nigrantibus, ſed transverſis lineis diſtinguitur: animal ita noxium, ut (Plinii *e* verba ſunt) *ictus ejus haut temere ſine febri ſit: auctoreſque ſint, ter novenis punctis interfici hominem.* At verarum apum forma ſatis nota eſt: niſi quòd in America differant formâ à noſtris: ut Joannes Lerius refert cap. XI.

b Similis api.

c Lib. 5. Hiſt. c. 20. ex diſtinctione Cæſ. Scaligeri.

d Lib. 11. cap. 21.

e Ibid.

Quid quòd non veſpas modò, & crabrones; ſed magnis etiam animis aggrediantur aves, nocere ſi velint: imò & quadrupedes? Ita eſt in exemplis, equos ab iis occiſos: ut Ariſtoteles refert lib. VIII Hiſtor. Anim. cap. XL, & Plinius lib. XI, cap. XVIII. Imò quàm nec hominibus ipſis parcant, multi ſuo diſcunt malo, qui imprudentiùs alvearia acceſſerint. Notum, ut arbitror, quòd Jamblichus (non Porphyrii auditor, ac Juliano apoſtatæ familiaris; ſed ſenior, Trajano Cæſari coætaneus) in Babyloniis, ſive fabuloſâ de Simonide & Rhodane hiſtoriâ, & exinde Photius narravit, cod. XCIV: ut nempe Garari, regis Babylonici, exercitus ab apibus (ſed hæ,

 quia

quia ſerpentibus veſcerentur, venenatæ fuiſſe dicuntur) ita fuerit vexatus, quaſi cum hoſtilibus copiis bellum foret, atque ut propterea, quippe impar, terga vertere ſit coactus. Notum *a* etiam, ut unus ex ducibus Henrici imperatoris, ab duce Lotharingico obſeſſus, cùm aliter conſulere ſaluti non valeret, in hoſtes conjici curârit alvearia multa unà cum apibus, à quibus equi in furorem agebantur. Itidem *b* anno CIↃ IↃ XIII dux regis Luſitani, à Mauris in Africæ oppido Xiarimenſi obſeſſus, innumera de mœnibus miſit in hoſtes alvearia, eoque coëgit eos ſolvere obſidionem. Amurathe etiam Albam Græcam obſidente, oppidani itidem, apum examinibus in Turcas dimiſſis, ſe defenſitabant: ut eſt apud Bonfinium Decadis III, libro IV. Ex quibus obſcurum non eſt, Eccleſiæ hoſtes ſcitè apibus irritatis conferri, Deuteronomii cap. I, 44: *Amorrhæus perſecutus eſt vos, ſicut ſolent apes perſequi.* Ac de Palæſtinis, & hoſtium aliis, legas ſimiliter Pſal. CXVII, ſive Hebr. CXVIII, *Sicut apes circumdederunt me.* Interea ſæpe, aculeo infixo, ipſæ moriuntur apes: nempe ut apud Plinium eſt, *aculeo in tantum adacto, ut inteſtini quippiam ſequatur.* Imò, ex Ariſtotelis mente, non aliter adigere poſſunt, quàm ut quid ejus ſequatur: eoque ſemper vulnerantes moriuntur.

a Witichindus lib. I. geſt. Saxon.

b Hier. Oſorius l. 8. de rebus Emanuelis, pag. 239. edit. Britannicæ.

Cùm verò apicularum induſtriam ſuperiùs cognoſcere fuerit ex iis, quæ de partitis in earum Rep. officiis afferebamus: aliquid etiam dicendum de ſagacitate in labore, imò & quiete.

Quàm animi illud ſollertis eſt, quòd, ut Maro ait IV Georg.

—— Sæpe lapillos,
Ut cymbæ inſtabiles, fluctu jactante, ſaburram,
Tollunt; his ſeſe per inania nubila librant.

Unde & Plinius lib. XI, cap. X: *Gerulæ ſecundos flatus captant. Si cooriatur procella, apprehenſi ponduſculo lapilli ſe librant. Quidam in humeros eum imponi tradunt: Juxta vero terram volant in adverſo flatu vepribus hebetato.* Sed, quod ajunt, lapillo ſe librare, ne vento auferantur, id non auſim pro certo affirmare. Experientia enim terris noſtris non reſpondet. Et eo id ſuſpectius eſt, quia utrum humero is geſtetur, an pedibus, non convenerit.

Certius illud, nec vulgaris ſollertiæ, quòd (ut Plinius ait libri ejuſdem cap. VIII) *Operantur intra LX paſſus: & ſubinde conſumtis in proximo floribus ſpeculatores ad pabula ulteriora mittunt: noctuque deprehenſæ, excubant ſupinæ, ut alas à rore protegant.* In Ponto apes menſe quoque bis mellificant: ut Ariſtoteles ait lib. V Hiſt. Anim. cap. XXII *c*.

c Caſ. Scal. e. 19. ſect. 261.

Nec foris modò hæc in ſomno capiendo prudentia ſe exerit; ſed etiam domi. Nam quas manè ad laborem gemino, vel terno apis unius bombo, excitari ſuperiùs dicebamus, hæ compoſitè etiam ſe veſperi bombo ejuſdem ad ſomnum componunt. Quod attingit Maro IV Georg.

Veſper ubi e paſtu tandem decedere campis
Admonuit, tum tecta petunt, tum corpora curant.
Fit ſonitus, muſſant oras, & limina circum.
Poſt ubi jam thalamis ſe compoſuere, ſiletur
In noctem, feſſoſque ſopor ſuus occupat artus.

Sed de bombo, quod dixi, clarè Ariſtoteles, ut vidimus *d*: item Plinius lib. XI, cap. X: *Cum adveſpera ſcit, in alveo ſtrepunt minus, & minus, donec una circumvolet eodem, quo excitavit, bombo, ceu quietem capere imperans: & hoc caſtrorum more: tunc repentè omnes conticeſcunt.*

d Cap. proxime præcedente.

e Apud Conſtant. Collect. l. 15. c. 3.

f Cornarius videtur legiſſe, Οὔτε γὰρ λίχνον, οὔτε σαρκῶν, &c. Nam vertit: Neque ad lucernam advolat, neque carnes, &c.

Mirificè etiam munditiei ſtudent. Didymus *e*: Ἔστι δὲ καὶ καθαρὸν ὑπερβολῇ τὸ ζῷον, οὐδενὶ τῶν δυσωδῶν ἢ ἀκαθάρτων προσιζάνον· οὔτε λίχνον· *f* οὔτε γὰρ σαρκῶν, οὔτε αἵματος, οὔτε λιπάσματος οὐδενὸς προσίπταται, ἀλλὰ μόνοις τοῖς γλυκὺν ἔχουσι τὸν χυλόν· *Eſt autem & animal hoc purum, ſupra modum: nulli graveolenti, vel impuræ rei inſidet: neque ligurit: neque enim carnes, neque ſanguinem, neque pinguedinem ullam advolat, ſed ad illa duntaxat, quibus ſuccus eſt dulcis.* Plinius lib. XI, cap. X: *Amoliuntur omnia è medio; nullæque inter opera ſpurcitiæ. Quin & excrementitia operantium intus, ne longiùs recedant, unum congeſta in locum turbidis diebus, & operis otio, egerunt.* Vide eundem cap. XVIII: item Columellam lib. IX, cap. V. Et ſanè nec ferunt odorem hominum ebrioſorum, nec qui vel allium, vel cepas, comederint.

Munditiei tamen adverſari videtur, quòd cap. LXVII ex Marone, Plinio, & aliis, dicebamus, apes è necatis naſci juvencis. Quod veriſimile reddit aliorum inſectorum origo; ut ibidem diximus. Ac Servii eſt in I Æn. *a* *Propriè apes dicuntur de bobus ortæ; fuci, de equis; crabrones, de mulis; veſpæ, de aſinis.* Plutarchus quoque, in extrema Cleomenis vita, narrat, doctiores putare, ex hominis medulla enaſci ſerpentes; ut apes gignuntur ex bobus, ex equis putreſcentibus veſpæ, ex aſinis ſcarabæi. Galenus item libro, quo diſſerit, An animal id ſit, quod utero continetur, ait, naturam ex plantis vermes producere; ex equis, & bubus, veſpas, & apes. Iſtis adverſus apum munditiem adferri ſolitis, ſic à nonnullis occurritur: quicquid ſit de veſpis, fucis, crabronibus, ſaltem de apibus falſum videri. Nam, inquiunt, ſi ex cadaveribus naſcerentur, iis quoque poſtea gauderent. Atqui ea fugiunt quàm maximè. Præterea ajunt, in Batavia, & terris vicinis, nihil tale obſervari hactenus potuiſſe ab illis, qui apium amore capti ætatem fere omnem iis inſumſere, penè ſimiles Ariſtomachi Solenſis, qui duodeſexaginta annis nihil aliud dicitur egiſſe: ut Plinius ait lib. XI, cap. IX. Sed poſterius iſtuc de hiſce, quibus vivimus terris, frigidis, & fere paludoſis, parum omnino habet momenti. Quàm multa enim his locis non generantur, quæ alibi naſcuntur! Nempe plurima pro cælo ſoloque variant. Ad prius quod attinet, dixero, non unam videri apum omnium omnibus in locis indolem. Atque hoc etiam videmus ex apibus in leonis cadavere à Samſone repertis: quemadmodum legere eſt Judicum cap. XIV, 8: ſive in utero ejus fuerint, ut eſt apud B. Ambroſium epiſt. LX: ſive ἐν στήθει, *in pectore*, ut Joſephus ait: ſive, quod verius puto, in capite, hoc eſt, cranio, vel in ore, ut eſt apud LXX, & vulgarum interpretem Latinum. Reſpondent, illud Samſoni eveniſſe providentiâ Dei ſingulari: ac continere hiſtoriam iſtam ſymbolum Chriſti, & fidelium. Nam ſimiliter, occiſo Leone de tribu Juda, enatas apes, Chriſtianos homines; item favos, ac mella cæleſtis Evangelii; quod ſaluberrimo & ſuaviſſimo ſucco hodieque mentes omnium paſcit fidelium. Sed profectò non ſi myſterium hic lateat, (quod fuſiùs B. Ambroſius aperit initio lib. II de Spiritu S.) eo hiſtoria non fuerit: nec ſi eluxerit hic providentia Dei, eo prorſus fuerit prodigioſum. Equidem cauſſam non ſatis video, cur idem naturale non fuerit, præſertim quando & Herodotus lib. V refert de examine apum ingreſſo in caput Oneſili ſuſpenſi: & in vita magni Hippocratis legere ſit, apes longo tempore mellificâſſe in ejus ſepulchro: ut non tantopere omnes omnia averſari cadavera videantur, quàm multi tradiderunt.

a Adillud, Ignavum fucos pecus à præſepibus arcent.

Magno etiam amore ſe invicem proſequuntur apiculæ. Exemplum ejus rei illuſtre obſervavit vir fide digniſſimus, ac notus aliquâ nobis, dum viveret, amicitiâ, Theodorus Clutius lib. I de apibus, cap. III. Repererat is in hortis ſuis apiculam in olla mellis prope ſubmerſam: alteram item ab imbre ſic afflictam, ut & ipſa quaſi exanimis jaceret in herba. Utramque igitur manui impoſuit; cujus calore ſic fotæ, planè ſunt refocillatæ. Ut verò ſe mutuò agnovere, utraque alteram oſculari, & amplecti, amicum in modum. Ac illa quidem mundior, quam imber ſic proſtraverat, membratim purgare cœpit alteram melle ſordidatam: inque operâ hac propemodum horam inſumſit. Tum quæ beneficium id acceperat, os admovit alteri; eique, grati animi ergo, de pectore ſuo eduxit mellis aliquid: quod ea hauſit, ſatiataque, quia operâ ſuâ non amplius eſſet opus, in alveare avolavit. Mox ea, quæ remanſerat, alas paullùm librare, &, ubi ſe volando parem vidit, itidem domum ſe recepit.

O quan-

O quantum amore mutuo hæc animalcula maximæ præſtant parti generis humani!

Ne in minuto hoc, ſed divino animalculo, longior ſim, concludam Didymi ſæpius jam memorati verbis: Ἡ μέλιττα πάντων τῶν λοιπῶν ζώων ἐστὶ σοφωτάτη, καὶ εὐμηχανωτάτη, καὶ σύνεγγυς ἀνθρώπῳ τῇ τὸ συνετὸν· *Apis omnium reliquorum animantium eſt ſapientiſſima, & artificioſiſſima, & prope ad homines intelligentiâ accedit.* Locus eſt, (ut ex iis, quæ antea attulimus, liquere arbitror) ex lib. xv de Agricultura dicatorum Cæſari Conſtantino, cap. III. Cujus Collectaneorum operis aliqui Dionyſium Uticenſem, in quibus Brodæus; alii Caſſianum Baſſum Scholiaſticum, auctorem eſſe voluerunt.

Cap. LXXIII.

De formicarum prudentia, induſtria, juſtitia, mutuo amore, munditie, ac cura in ſepeliendis mortuis. Quo argumento compulſus fuerit Cleanthes ad rationem mutis etiam tribuendam animantibus. De mirando aranei artificio in texendo, venandoque. Democriti error, fila araneorum credentis eorum eſſe excrementum. Texendi *verbum unde veniat. Araneum fungi munere boni geometræ, architecti, & œconomi. Cur mane, vel veſperi, telam ordiatur. Araneis femellis plus eſſe induſtriæ, quam maſculis. Bombycis in nendo artificium. Quanta telæ ab erucis textæ firmitas. Stellæ marinæ ad inſecta relatæ. Unde iis nomen Græcum, Romanum, Germanicum, Belgicum. Earum ſolertia adverſus conchas.*

JAm quanti illud exiſtimandum, quòd Deus formicis etiam indidit ſimulachra quædam virtutum, ut iis ad meliora excitemur. Itaque ſapientiſſimus ipſe Salomon pigrum ad eas remittit Proverb. VI, 6, & XXX, 25. Et ſanè magna in iis prudentia comparet. Siquidem cavernas ſibi ſtruunt per varios terræ anfractus, ut eo pacto tuti ſint à ſerpentium, aliorumque inſidiis. Præterea maturè, nempe dum æſtas eſt, acervum congregant frumenti, ne eſuriant hieme. Seniores, & validiores, adſcendunt culmos; adoleſcentiores inferiùs circumſtant: atque illæ quidem ſuperne dejiciunt inferioribus ſpicas à ſe reciſas; hæ aperiunt illas, granaque auferunt incluſa. Majora ſi fuerint, quàm ut ore valeant geſtare, vi corporis protrudunt. Nihil gerentes gerentibus de via cedunt. Ne fruges è granis naſcantur congeſtis, atque ita ſperato bono excidant; priùs eâ arrodunt parte, qua exit ſeges. Imò & propterea imbri madefacta apponunt Soli exſiccanda. unde iis hoc agentibus ſerenitatem præſagimus. Et hæc ſunt prudentiæ. Sunt verò nec minoris induſtriæ. Nam apes, & formicæ, ſunt inſectorum ἐργατικώτατα *a*: ut Ariſtoteles ait lib. IX Hiſt. Anim. cap. XXXVIII *b*. Induſtria verò ex eo elucet, quòd tantilla animalcula grana ejus magnitudinis ferant, aut protrudant ſtudio indefeſſo, neque vel æſtu diurno, vel noctu etiam, viarum longitudine, vel aſperitate, abſterreantur à labore. Quantæ quoque juſtitiæ eſt, quòd non una alteri in portando quicquam adimit; ſed ſemper conſulunt in commune. Quanti inter ſe amoris, quòd gravatis in via aliæ opitulantur. Quanti item affectus poſt mortem, quantæque eſt munditiæ, quòd non relinquant mortuos in cavernis; ſed efferant, honeſteque, quaſi in majorum monumentis, ſepeliant. Prope etiam fidem exſuperat, quod ab Æliano proditum eſt in VI Hiſtoriæ animalium, cap. L. Narrat ille, ut Cleanthes aliquando, otioſè conſidens, conſpexerit ad pedes ſuos à formicis compluribus mortuam quandam, quæ non eſſet ex contubernalibus, deferri ad cavernam, unde ſolebat egredi, dum viveret. Eò ut ventum, conſtitiſſe illas ante os cavernæ. Mox ex caverna formicas prodiiſſe ad haſce peregrinas, ac iterum, & ſæpius eſſe commeatum, ut in commerciis fit. Tandem lumbricum deferentibus oblatum, quaſi pretium redditi cadaveris, aut impenſi laboris: hoc pretio recepto, abiiſſe quæ eò venerant: alias, & libenter, & cum gaudio, mortuam, velut fratrem, aut filium, recepiſſe. Atque ait Ælianus, hoc ſpectaculo compulſum Cleanthem, ut fateretur, rationem etiam mutis ineſſe animantibus; cui opinioni antea contradixerat ſemper.

a Operi maximè intenta.
b Sive ex diſt. Cæſ. Scal. c. 61. ſect. 295.

Hinc videamus, quanta ſit araneorum ſagacitas in texendo, venandoque: præſertim tertii eorum generis, quod Ariſtoteles lib. IX Hiſt. Anim. cap. XXXIX *a* vocat σοφώτατον, καὶ γλαφυρώτατον· *ſapientiſſimum, & elegantiſſimum.* Ejus hæc opera memorat. Primùm, inquit, filum extendit undecunque ad extrema. Id filum non egerit, ut excrementum, ſicut Democritus putabat: (cui obſtat, quod minuti araneoli, qui excernunt, non tamen telam texunt:) ſed eâ ratione emittit, quâ è corpore animantis exeunt pili, è plantis cortices; quemadmodum ait Ariſtoteles *b*: ſive potiùs velut è cranio prodeunt cornua; quomodo aſſimilare mavult Cæſar Scaliger *c*. Hinc araneus, tanquam bonus geometra, medium ſpeculatur, atque, ut ait Ariſtoteles σημειοῦται ἀπὸ τοῦ μέσου, *ſtamen inducit à medio*: quod medium capit, quantum ſatis. Tum imponit quaſi κρόκην, hoc eſt, *tramam*, ſive *ſubtemen*. Poſtremò texit: aliter tamen, quàm mos eſt homini. Nam nobis trama trameat ſtamen, alternisque nunc illud tegit, nunc ab eo tegitur, unde & texendi verbum. Nam ut à *tago taxo*, à *veho vexo*, ſic à *tego texo*: quod jam olim *d* viſum fuit Joanni à Genua in Catholico. Atque hoc quidem pacto octonis illis pedibus, iiſque trinodibus, ex humore ſuo viſcido telam concinnat. In qua, Deum immortalem, quæ filorum ſubtilitas! quanta interim firmitas! Nam & ex alto ſe demittens filo, firmè adeo affigit parieti, vel arbori, ut ea nec imbri, nec vento auferatur. Præcipueque, ut initio dicebam, admirationi hic ſunt aranei corporis & expeditioris, & elegantioris: ut quorum & opus concinnius ſit, & ſubtilius. Quantæ etiam ſollertiæ eſt, quòd alibi conſtituat cubile ſuum, ac τὴν ἀπόθεσιν τῆς θήρας, *repoſitorium prædæ*, quaſi *penum* dicas. Quòd item in medio obſervat motum, quia illic faciliùs eum perſentit: uti in architectura tignorum media leviori de cauſſâ moventur. Siquid in caſſes inciderit, primùm telâ involvendo quaſi vincula injicit: tum, ſi eſuriat, exſugit: extra famem verò cadaver in penum effert: ac, quod operis ſciſſum eſt, reſarcit. Atque ita, ut ad eum Ariſtotelis locum Cæſar Scaliger annotavit, munia implet triplicia; boni geometræ, architecti, & œconomi. Hinc ſubdit Ariſtoteles, ut ſi rete injuriâ alicujus fuerit laceratum, non abſiſtat ab officio œconomi: ſed novam texat telam, atque id faciat mane & veſperi, quia Sole oriente muſcæ, & inſecta ſimilia, exire ſolent: & occidente Sole repetunt loca, unde venere. Sic quoque ſit, ut meridie rete habeat paratum, quando eadem maximè volitant. Major verò feminæ induſtria eſt. Nam, ut ait Ariſtoteles, illa & texit, & venatur: mas συναπολαύει· *partis una fruitur.* Addit Cæſar Scaliger: *Maris igitur aranei ſimiles Flandris ſint, qui otioſè agitant: mulieres negotia exercent.* Aliud etiam ſagacitatis argumentum Ariſtoteles *e* adfert, quòd araneus μακροσκελέστερος, *cruribus præditus majoribus*, imo de loco ſe ſuſpendat, ut beſtiolæ non metuentes ſibi ab eo ſupernè irretiantur: at, qui minor eſt, cui minùs periculi eſt ne videatur, ſuperiori loco excubet, in exiguo ſe telæ foramine occultans. Nec in reti ſolùm, ſed extra etiam retia, inſidiatur animantibus; & quidem majoribus. Nam, ut ibidem legas *f*, ſummâ celeritate os lacertis invadit minoribus, & illud circumcurrens filis vincit; eoque ſic obducto vinctoque, buccas comprehendit, ac mordet; idque interdum in vertice inter oculos.

a Ex diſt. Cæſ. Scal. cap 62. ſect. 302.
b Ibid. ſect. 307.
c Ad Ariſt. locum adſignatum.
d An. 1280.
e Ibid. ſect. 306.
f Sect. 308.

Nec quia hactenus ſolùm de apibus, formicis, araneis, dictum nobis; eò ſagacitatem, & artem, deeſſe cæteris exiſtimandum. Sanè Ariſtoteles *g* cùm præcipuam propenſionem ad operandum apibus, ac formicis, tribuiſſet: continuò ſubdit: Τὰ δ' ἀνθρῆναι, σφῆκες, ὁ

g Lib. 9. Hiſt. An.

πάνθ', ὡς εἰπεῖν, τὰ συγγενῆ τούτοις· *Atque etiam induſtrii ſunt crabrones, & veſpæ: omnia denique, quæ cognata ſunt.* Hinc addit de ingenio aranei. Cujus in nendo artificium etiam in bombyce conſpicuum eſt: unde ea conjunxit Martialis lib. VIII, epigr. XXXIX:

Nec vaga tam tenui diſcurrit aranea telâ:
Tam leve nec bombyx pendulus urget opus.

a 1 Æn. vers. 372.

In hac bombycum telâ præcipuè mirandum, quòd folliculum, cui involvitur, intra biduum pertexit: ac filum ejus tenue adeò ſit, ut prope fugiat viſum; tam fragile, ut in tractando eo cautione magnâ ſit opus; & interim eò uſque producatur, ut (Virgilianâ *a* imitatione ſic dixerim)

Urbem bombyces poſſis circumdare filo.

b Lib. 5. Hiſt. An. cap. 19. ſive ex diſt. Cæſ. Scal. cap. 18. ſect. 222

Erucæ item omnes, vel ſaltem, ut Ariſtoteles *b* ait, maxima earum pars, telam texunt, & involucrum ſibi condunt: quam conſuetudinem neſciunt apes, muſcæ, & multa alia. Eſtque hoc artificium eo magis mirandum, quòd involucrum id penetrabile non ſit frigori hiberno. Quod ipſi ſæpe in hortis Batavis animadvertimus. Sed de hoc obſervationem adferam potiùs Cæſaris Scaligeri in Ariſt. V Hiſt. An. cap. XIX, ſive ex Scal. diſt. XVIII, ſect. CCXIV: *Eruca net aranei more, atque folliculum in ſummis ramis contexit, in quo condit genituram. Ibi creſcunt per hyemem tantâ pertinaciâ, ut etiam crudiſſimum gelu evadant. Cùm enim hæc ſcriberemus, Garumna pene totus conſtiterat glacie: & tamen apertum folliculum: Solique, quamvis imbecillo, expoſita movebantur Idibus Januariis.*

c Lib. 5 Hiſt. Nat. cap. 15.
d Teſtâ obductis.

Nec in terreſtribus ſolùm inſectis ſollertia ſe clarè exerit: ſed etiam aquatilibus. Ut in ſtella marina: quam Ariſtoteles interdum *c* in ὀστρακοδέρμοις *d* reponit: verùm potiùs cum Rondeletio, & aliis magno numero, referam ad inſecta, vel etiam zoophyta: præſertim cùm & ipſe huic opinioni faveat Ariſtoteles lib. IV de part. Anim. cap. V. Cur verò inſectis adſcribant, facit, quòd & exſanguis ſit, & inciſuras (unde inſectis nomen) habeat in quinque illis radiis, à quibus, ut Græcis ἀστὴρ, & ἀστέριον, ac Germanis *meerſtern*, ſic Belgis *vijfvoet* nominatur. Solertia ejus in eo ſe aperit, quòd conchis immittat lapillum, vel is ſi deſit, pedem ſuum inferat, ne diſcuneatæ occludere ſe poſſint, eoque liberiùs carnibus veſcatur: quale quid & de cancris, ac polypis, diximus cap. XII. De ſtellis verò marinis id refert Ælianus lib. II de Animal. cap. XXII, & Oppianus in II Ἁλιευτ.

Cap. LXXIV.

Varia eſſe inſecta, quæ parùm valeant phantaſiâ, vel memoriâ: inque his eſſe vermes; item muſcas, & pyrauſtas. Imo & inſectis morum eſſe vitia: ut fucis inertiam; impietatem erga parentes ſcorpionibus, & araneis. Inſecta dormire: parùm interim firma eſſe duo Ariſtotelis pro opinione hac argumenta. Cur non avolent gallinæ, ſi de noctu lumen admoveris. De veterno bombycum, priuſquam exuvias ponant.

INterim & inſecta ſunt varia, ac fortaſſe pars eorum longè maxima, quæ à vi ſenſus interioris commendare nemo poſſit. Nam ut memoriâ valent apes: ita oblivioſi ſunt vermes; imò & muſcæ. Quid mirum, quandò neutris etiam phantaſia viget?

Pyrauſtæ ea eſt ſtultitia, ut voluptate flammæ capta, non modò advolet, ſed involet; aliſque exuſtis pereat. Hinc Æſchylus:

Δέδοικα μωρὸν κάρτα πυραύστου μόρον.
Magnopere ſtultum metuo pyrauſtæ exitum.

Quem verſum adducunt Ælianus lib. XII de Animal. cap. VIII, & Zenobius Proverbio LXXIX.

a Diſt. Cæſ. Scal. cap. 19. ſect. 243.

Imò inſectis etiam inſunt moralium vitiorum ſimulachra. Inertes ſunt fuci: unde Ariſtoteles, de apibus loquens lib. V Hiſt. Anim. cap. XXI *a*. Ὁ κηφὴν, μέγιστος μὲν πάντων, ἄκεντρος δὲ, καὶ νωθρός· *fucus apum omnium maximus, ſine aculeo, iners.* Ac Maro IV Georg.

Ignavum fucos pecus ——

a Sive ex diſt. Cæſ. Scal. c. 21. hoc eſt, ſect. 266.

De ſcorpionibus terrenis ita Ariſtoteles lib. V Hiſt. Anim. cap. XXVI *a*: Ὅταν τελειωθῇ, ἐκβάλλονται, ὥσπερ οἱ ἀράχναι, καὶ ἀπόλλυνται ὑπὸ τῶν τέκνων· *Illi ubi ſunt perfecti, expellunt parentes, atque interficiunt: quod & in araneorum genere fit.*

Aranei quoque eſt ea, ut ſic dixerim, impietas, ut matrem, quò foveat incubantem, interimat; ſæpe & patrem, dum is, ut conjugem in ſobole adeò numeroſà juvet, ipſe etiam incubat. Auctor Ariſtoteles lib. V Hiſt. Anim. cap. XXVII *b*, & Plinius lib. XI, cap. XXXI.

b Secundum Cæſ. Scal. c. 22. ſect. 269.

Atque iſta ex tam multis adduxiſſe ſuffecerit, ut liqueat, inſectis non virtutum modò, ſed vitiorum etiam, ineſſe ſimulachra. Priuſquam verò recedamus à ſenſu interiori; aliquid etiam, ut in cæteris factum animantibus, dicendum de ejus ceſſatione ac quiete, quam ſomnum vocamus.

c Cæſ. Scal. ſect. 311.

Inſecta quoque dormire, illo probat Ariſtoteles lib. IV Hiſt. An. cap. X *c*, quòd quieſcant, & ita quieſcant, ut nullum moveant membrum: eoque ſomni in iis manifeſtius penè habeamus indicium, quàm piſcibus ipſis; quorum pinnulæ, ac cauda, in ſomno moventur. Sed hoc argumentum magis eſt ſpecioſum, quàm firmum. Nam quod piſces magis, quàm inſecta, ſe motant in ſomno: id eo fit, quia elementum aquæ ſit inſtabile, ac fluctuans. Illo etiam Ariſtoteles pugnat, quòd muſcæ, aliaque inſecta, ſi lumen admòris, immota perſiſtant: quin potiùs uri ſe patiantur, quàm fugiant. Sin fortè non dormiant, lumen circumvolent. Sed vidit Cæſaris Scaligeri acumen, hoc argumentum non eſſe à dea Suada. Nam nec de die in conclavi ſe commovent, ſi ita occluſeris feneſtras, ut nullum admittatur lumen. Neque tamen dormire tum putandum. Præterea ſi gallinas, vel aviculas, capere noctu velimus, admovemus oculis tædam, vel malleolum, aut paleam flagrantem. Sic enim fit, ut licet non dormiant, non tamen avolent. In cauſſà eſt, quia ſolùm lucem, non aëra undique illuſtratum, vident. Idem verò de inſectis dicere poſſumus. Certius videtur ſomni indicium, quod ibidem particulare Ariſtoteles ex apibus adfert: quæ interdiu murmurant, noctu ſilent. Ac idem quoque firmat alter philoſophi locus lib. IX Hiſt. cap. XL. Verba ipſa appoſuimus cap. LXXI. Quemadmodum & idem comprobatur à Marone, Plinioque: quorum de hoc verba retuli cap. proximè antecedenti. Somnum verò capiunt apes ſpiritu laſſato. Nihil enim ſenſûs particeps non deſiderat quietem. Fortaſſe & ſomnum hunc iis inducit gratus ille ſonus, quando comedunt veſperi.

d In Hypercritico.

Bombyces itidem dormire, ipſe obſervavi: ac majori curâ liberi, in pueritia etiam, ut fieri amat, rerum talium non incurioſi. Somnus iis, ſive veternus, tridui eſt; qui provenire ſolet die quaque decimâ. Nam exinde cibum denuo ſumunt. Præclarè hanc rem deſcripſit Hieronymus Vida in opere Bombycis; quod *regem librorum Vidæ* nuncupat Cæſar Scaliger *d*. Inde hæc excerpſimus:

Sæpe etiam impaſtas averti pabula cernes.
Sopitaſque gravi, veluti torpore, veterno
In tabulis. Hic parce metu, ne corpora morbus
Forte aliquis, gentemque lues invaſerit ægram.
Hunc illis morem, natura hunc ipſa ſoporem
Addidit: indulgent ſomno, ſtratiſque quieſcunt.
Sopitiſque dies alter tranſibit, & alter.
Cum verò expulerit noctem lux tertia rebus,
Conſurgent, lætaque ad pabula nota redibunt.

Dormientes verò anteriorem corporis partem habent erectam: ac tales durant, donec, ſerpentium more, exuerint λεβηρίδα, ſive ſenectam. Unde continuò ſubdit Vida:

Ergo illas tumidas jubeo obſervare (nec ingens
Noſſe labor) ne improviſus ſopor occupet: ultro
Signa dabunt ipſæ: cælo capita ardua tollent,
Arrecta, ſpernentque dapes: tum pigra notabis
Corda, animos reſides, inſueta ſilentia menſis.

Ac

Ac poſtea etiam, quomodo, quæ vigilant, ab illis, quæ ſomno indulgent, ſeparandi ſint, docet. Ex hiſce de inſectorum aliis puto capi poſſe conjecturam.

CAP. LXXV.

De motu inſectorum. Moveri chryſallidas, ſi contingas. Ut vaſta etiam maria locuſtæ volando tranſmittant. Inſecta propriè non eſſe πτερωτὰ, *ſed* πτιλωτά: *Pliniumque, uti & Gazam, impropriè iis pennas tribuiſſe. Cur binæ ſolùm alæ ſint datæ muſcis; apibus, quaternæ. Quæ* κολεόπτερα *dicantur: & quare Deus locuſtis tribuerit* ἔλυτρον, *ſive integumentum, quo alas, velut vaginâ, recondunt. Idem locum habere in ſcarabæis, & melolonthe, ſive chryſocantharo. Inſecta varia* ἄποδα, *& quantopere in habentibus pedes numerus eorum variet. Inſectorum nulla pedes pauciores habere ſenis: nulla plures iulis, quibus quatuor ſunt & quadraginta. Cur culicibus, & locuſtis, poſteriores pedes dati ſint longiores primis. Cur inſectis conceſſus ſit tantus pedum numerus: argueretque id reliqui corporis infirmitatem. De numero pedum in aquatilibus inſectis: inque his etiam* ἄποδα *quædam eſſe.* Tipullis *unde nomen. Vermes ferventibus aquis innatantes citra noxam. Atque idem ranis quibuſdam eſſe naturale. Ariſtotelis locus de greſſu partium quarundam, poſtquam à reliquo corpore abſciſſæ.*

POſt ea, quæ de ſenſu diximus; inque virtutum & vitiorum ſimulachris de appetitu etiam adſperſimus; ordo tacitè nos ad motum vocat. Ubi ambigat aliquis, an & locomotiva facultas inſit in chryſallide, ſive aurelia. Sanè ἀκινητίζειν, hoc eſt, *nullum edere motum*, Ariſtoteles ait in quinto Hiſtoriæ Anim. cap. XIX *a*. Sed idem mox ſubdit, ἀπτομένης δὲ κινεῖται: *ſin contingas, moventur.* Atque idem firmat Cæſar Scaliger; qui ad memoratum Ariſtotelis locum hæc annotavit: *Intus obſepta turget cruſtâ durâ. Quæ quamquam articulorum diſcrimen non edat per inciſuras: figuram tamen quaſi capitis, & ventris locuſtæ, ac dorſi; inæqualemque cruſtæ mollitudinem, aut duritiam ventre ac dorſo. Lectum nos folliculum à folio lepidii ſcidimus: tunc fœtus ille palpitavit: intus ſecto invenimus per initia anni humorem lentum, craſſiuſculum, luteum: ineunte vere, vermiculos circumformatos.* Cur non experimento huic credamus?

a Sive ex diſtinct. Caſ. Scal. cap. 19. ſect. 214.

Uti verò motus vix in chryſallide comparet: ita contrà ſe luculentè exſerit in aliis: ſed nuſquam magis, quàm locuſtis: à quibus Plinius ait lib. XI, cap. XXIX, *etiam longinqua maria tranſiri, continuatâ plurium dierum (quod maximè miremur) fame quoque, quam propter externa pabula petunt.* Sic ex Africa travolarunt in Longobardiam, anno IↃXCI, regnante in ea Agilulfo. Ex terris trans pontum Euxinum in Podoliam tranſmiſere a. CIↃ IↃXXXVI.

Præcipua inſtrumenta, quibus in terris, vel aëre, moveantur inſecta, pedes ſunt, atque alæ: illi ad greſſum, hi ad volatum. Nec tamen, ut aquatilia mittam, cunctis hæc terreſtribus obtigere. Unde Ariſtoteli lib. IV Hiſt. Anim. cap. I inſecta dividuntur in alata, & alis carentia. Carent iis formica, cimex, araneus, ſcorpio, lumbricus, multaque alia. Contra habent alas apes, muſcæ, culices, locuſtæ, & ſimilia. Alæ horum non ſunt pennæ, ut in columba, aliiſque avibus; ſed membranæ ſiccæ: atque ut alæ in avibus πτερὰ, ita in inſectis πτίλα vocantur. Plinius tamen ſcarabæos habere pennas ait. Sed propriè magis alas dixiſſet, quàm pennas; licet Plinium etiam ſequi non dubitârit Gaza: ut qui χρυσαλλίδας vocet *pennigeras papiliones.* Sed eo nomine cenſuram non effugit Cæſaris Scaligeri *b*. Quædam autem binas ſolùm alas habent; ut muſcæ, culices: quæ ſuffecere, quia non opus iis fuerit longè abire, victùs ergo. Aliis datæ ſunt quaternæ; ut apibus: quibus ad victum longiùs evolandum.

b Comment. in lib. 5 Ariſt. Hiſt. An. c. 18 ſect. 214.

Aliquibus item alæ obtigerunt duræ, ac membranaceæ; ut veſpis, ac cicadis: quibuſdam molles, ac farinaceæ; velut papilioni.

Præterea quædam alas habent apertas; ut apes, muſcæ, culices, cicadæ: quædam cruſtâ, & quaſi vaginâ obductas, quam Ariſtoteles *a* ἔλυτρον vocat. Id ad verbum ſonat *integumentum*. Nam ἐλύειν eſt καλύπτειν, ut à Proclo, & aliis, exponitur. Hujuſmodi ἔχοντα ἐν ἐλύτρῳ τὰ πτερὰ *b*, ut Ariſtoteles loquitur, uticâ etiam voce vocantur κολεόπτερα, vel χυλεόπτερα. *Vaginipennia* aliqui id reddiderunt. Tales ſunt locuſtæ; quibus, ob alarum fragilitatem, Deus dedit, in quo recondant alas; ſicut, quando ſedent, non videantur ſedere. In his etiam ab Ariſtotele reponuntur μηλολόνθαι, καὶ κάνθαροι: ubi κάνθαροι quidem ſunt ſcarabæi; μηλολόνθη verò, teſte Heſychio, εἶδος κανθάρου, *genus ſcarabæi*: vel potius, ut eſt apud ſcholiaſten Ariſtophanis, ζωύφιον χρυσίζον κανθάρῳ ὅμοιον· *animalculum coloris aurei, ſcarabæo ſimile.* Unde & videtur eſſe idem, ac χρυσοκάνθαρος. Μηλολόνθη autem Polluci μηλολάνθη, qui & ſic dici ait ἀπὸ τοῦ σὺν τῇ ἀνθήσει τῶν μηλέων γίνεσθαι, *quia advolet, & inſideat malis, cum florere incipiunt.*

a Lib. 4 Hiſt. An. cap. 7 ſive Caſ. Scal. cap. 6. ſect. 223.
b Quibus pennarum tutelæ cauſa, ſuperveniat cruſta: ut reddidit Gaza.

Nunc videamus de pedibus. Ab his iſtiuſmodi eſt inſectorum diviſio. Alia pedibus ſunt prædita, alia ſunt ἄποδα *c*: quæ diviſio & in terreſtribus, & in aquatilibus, habet locum. Ex terreſtribus enim pedes habent formicæ, ſcorpiones, erucæ, aranæi &c. non habent limax, & vermes naſcentes in animantibus, plantis, foſſilibus. *Numerus pedum*, ut Plinius *d* ait, *impar nulli eſt.* Nempe id greſſum impediret, cujus gratiâ dati ſunt. Mirè autem numerus variat. Minimùm interea ſenos habent; ut formica, pediculus, pulex. Quædam octo; ut ſcorpius, araneus *e*. Quædam duodecim, ut plerique vermes, juxta Plinium *f*. In his, quæ Ariſtoteli non vocantur certo nomine, ſed ſimpliciter dicuntur *g* κάμπαι, αἱ κυμαίνουσι τῇ πορείᾳ, hoc eſt, *erucæ, quæ undatim incedunt.* Hæ ſex pedes habent anteriores; totidem poſteriores; in medio ventre nullos: his pedibus, ut Ariſtoteles *h* ait, προσβᾶσαι τῷ ἐπὶ θάτερα κάμψασαι ἐπιβαίνουσι: quod Gaza reddidit, *parte innitentes priore contrahunt ſeſe, adducentes poſteriorem, arcuatimque incedunt.* Cæſar Scaliger veriùs, & ſimpliciùs, *egreſſa, alterâ parte curvatâ, promovent.* At quatuordecim pedes ſunt erucis; nec non bombycibus; quorum duo poſtremi maximi, hinc ſex minores, minimi ſex primi. Quædam etiam numerum iſtum exſuperant: ut oniſci ſive aſelli, qui ſub hydriis ſtabulantur, Belgis *piſſebedden*: ſcolopendræ, quæ iiſdem *lange oorwormen*: item iuli, quos *multipedas* Plinius nuncupat; ſed ſic ut cum aſello, & ſcolopendra, confundat. Iulo eſſe quadraginta quatuor pedes, prodidit Cardanus lib. VII de Rerum Variet. cap. XXVIII.

c Sine pedibus.
d Lib. 11. cap. 48.
e Plin. ibid.
f Ibid.
g Lib. 5 Hiſt. anim. cap. 19.
h Ibid.

In illis ſex pedum prima duo crura ſunt minora, media his majora, poſtrema ſunt maxima, quæ Ariſtoteles vocat πηδάλια: hoc Gaza reddidit *gubernacula*. Et ſanè πηδάλιον navis clavum ſignificare ſolet. Ita igitur Ariſtoteles vocârit eos pedes, quia ut navis motus gubernatur clavo: ſic motus ſive ſaltus inſectorum dirigatur pedibus poſtremis. Niſi ſimplicius ſit dicere cum Cæſare Scaligero *i*, πηδάλια hic valere *ſaltacula*, ἀπὸ τοῦ πηδᾶν, *ſalire, ſaltare.* Poſtremorum enim flexu, quæ alis carent, ſe librant ad ſaliendum: uti alia ad avolandum. Liquet de utriſque ex culicibus, & locuſtis. Plinius lib. XI, cap. XLVIII: *Quæ inſectorum pedes noviſſimos habent longos, ſaliunt ut locuſtæ.* Nimirum pedes poſtremos inflecti opus, ut eorum innixu ſe elevent è terra. Vide Ariſtotelem lib. IV de Part. Animal. cap. VI. Ubi &, cur inſecta quædam tantum acceperint numerum pedum, hanc adfert rationem, quòd frigidæ ſint naturæ; eoque neceſſe fuerit faciliorem reddi greſſum; quod fit pedum copiâ. Sanè & Cardanus, loco antè memorato, ait, quòd iulis pedes obtigerint XLIV, id potiùs imperfectionis videri. Quippe plurimis eos ob debilitatem eguiſſe. Quod ſi qua ex inſectis ſint imbecilliora, ac paucos nihilominus pedes habent; ea fere accepere alas; ut ſic defectum illum ſupplerent. Hæc de pedibus terreſtrium.

i Comment. in Ariſt. lib. 4 Hiſt. An. cap. 6. ſect. 227.

Itidem in aquaticis inſectis alia, ut initio dixi, pedes habent; alia iis carent. Priorum quædam habent ſex pedes, ut muſcæ fluviatiles, quas deſcribit Rondeletius; cantharides aquaticæ, cimicibus & magnitudine pares, & formâ ſimiles; tipullæ, ſic dictæ, quia degant circa τὰ τίφη, hoc eſt, ut Heſychius exponit, τὰ ἕλη *a*, in quibus tranſiliendis mira pollent celeritate; unde Varro Bimarco *b*:

a Paludes.

b Apud Nonium in Tipulla.

—— Ut levis
Tipulla lymfon frigidas tranſit lacus.

Et huc quoque reſpexit Plautus Perſâ act. II, ſc. II:

—— Omnes ſunt lenæ leviſidæ:
Neque tipulla levius pondu'ſt, quam fides c lenonia.

c Pro fidei, ut rabies Lucretio, pro rabiei.

Alia plures ſenis pedes habent; unde *multipeda* dicuntur; ut ſunt pulices, & pediculi marini; item œſtrus, ſive aſilus; adhæc ſcolopendræ marinæ, terreſtribus, quæ *centipedæ* vocantur, vel pares, vel ſuppares.

Vide, quæ diximus lib. 2 de Analog. cap. 19.

Pedibus caret vermis Indi fluvii, ſex cubitorum; de quo Cteſias: item βδέλλα, ſive hirudo marina: adhæc vermes Patavini, qui in ferventibus aquis è terra erumpentibus vivunt illæſi; ut proditum Bernardino Scardeonio in Antiq. Patav. *d*. Et veriſimilius hoc facit, quòd Paullus Jovius lib. XXXII Hiſtoriarum ſui temporis narrat, in Pannonia ſtadiis fere XII ab urbe Buda ranas ingenitas ſine damno innatare in aquis è terra ſcaturientibus, uſque adeò ferventibus, ut vix poſſis pedem immittere, ac lanii in eo facilè depilent ſues.

d Lib. 1. cap. 1.

Quæ diximus, pertinent ad greſſum, aut volatum totius inſecti. Gradiuntur verò & quædam partes præciſæ. Ariſtoteles lib. IV Hiſt. Anim. cap. VII *e*: Ὅσα δὲ μακρὰ καὶ πολύποδά ἐστι, πολὺν χρόνον ζῇ διαιρούμενα, καὶ κινεῖται τὸ ἀποτμηθὲν ἐπ' ἀμφότερα τὰ ἔσχατα. καὶ γὰρ ἐπὶ τὴν κεφαλὴν *f* (ſic legit Gaza, naturæ ſanè convenientius, quàm eſt in vulgatis codd.) πορεύεται, καὶ ἐπὶ τὴν οὐρὰν, οἷον ἡ καλουμένη σκολόπενδρα. *Longorum autem, & quæ multis moventur pedibus, partes præciſæ diu vivunt, moventurque ad utrumque extremum, ac tum ad caput tum ad caudam: ut quæ ſcolopendra appellatur.* Cauſſam rei tam mirandæ petere oportet ex iis, quæ capite LXVIII dicebamus, cùm de duratione vitæ ageremus.

e Caſ. Scal. c 6. ſect. 217.

f Al. τομίω.

Cap. LXXVI.

Inſecta etiam moveri ſpiritu; verùm non foris adveniente, ſed congenito. Non tamen reſpirare, cùm pulmonibus careant, atque etiam corde. Interea refrigerari; idque perſpiratione aëris, non attracti, ſed admiſſi. Nam ut corde, & ſanguine careant; aliquid tamen habere, quod proportione iis reſpondeat. Cur inſecta moriantur oleo imbuta; præcipue ſi eo illitorum caput Soli exponatur. Quare eadem reviviſcant, ubi acetum adſperſeris. Quamobrem idem contingat aquâ ſuffocatis, poſtquam cinerem iis impoſueris. Unde fit, quòd inſectorum alia aquis ſuffocentur; alia in iis ſolis vivant.

HÆc de greſſu, ac volatu, ſive integri corporis, ſive etiam mutili. Nunc de ſpiratione dicam; quæ & ipſa certarum eſt partium motus. Non ejus penitùs expertia eſſe inſecta, docet nos Ariſtoteles lib. de Somno & Vigilia *a*: Τὸ σύμφυτον πνεῦμα ἀναφυσώμενον, καὶ συνιζάνον φαίνεται. Δῆλον δὲ τοῦτο ἐπὶ τῶν ὁλοπτέρων· οἷον σφηκῶν, καὶ μελισσῶν, καὶ ἐν ταῖς μυίαις, καὶ ὅσα τοιαῦτα. *Spiritus quidam attolli vicibus, & ſubſidere cernitur. Quod facile deprehendi poteſt in totipennibus: ut ſunt veſpæ, apes, muſcæ, & id genus alia.* Pleniùs hoc explicaturus addit, non moveri animal, niſi intentione ſpiritûs; ſpiritum verò intendi retentione; cumque ſpiritum in reſpirantibus eſſe foris acceſſitum; in non reſpirantibus, uti inſectis, eſſe σύμφυτον, ſive *innatum*. Utcunque igitur inſecta non reſpirent; quippe pulmonibus defecta, reſpirationis inſtrumento; imò & cordis expertia, cujus refrigerandi ergo eſt reſpiratio: non tamen ſpirare negandum, cum ſpiritum attolli, & deprimi, videamus: ſed alius hic eſt refrigerandi modus, quia perfrigerantur veriùs aëre undique per poros corporis admiſſo. Quæ & B. Baſilii ſententia eſt Hex. Homil. VIII. Dixeris, eſſe exſanguia; eaque non egere refrigeratione, ac proinde nec ſpiratione. Sed obſtat huic ſententiæ, quòd pro corde habeant aliquid ἀνάλογον *a*: uti & pro ſanguine acceperunt ſuccum vitalem. Horum igitur gratiâ opus fuerit, frigus quomodocunque admitti intus. Et quòd inſecta vivunt jam diſſecta, eſſe indicio videtur, partes etiam eas aëra & recipere, & admittere. Vide Ariſtotelem libro de Somno ac Vigilia; item de Reſpiratione: Plinium quoque lib. XI, cap. III. At inquias, non hæc tam ſolida eſſe, quàm aliquis putet. Eſto enim, ut quædam inſecta externo egeant aëre ad refrigerandum; uti calidiora illa, apes, pityocampæ, cantharides: nihil hoc tamen ad frigida illa pertinere; qualia ſunt prope omnia. Sed enim facilè iſti occurras. Utcunque enim frigidiora minùs indigeant non dico reſpiratione, ſed perſpiratione: non tamen perſpirationis omnino ſunt expertia: ut indicio eſt, quòd oleo tinctæ moriantur. Nam unde hoc eſſe putemus, niſi quòd ſpiratio deficit, omnibus ſpirandi meatibus occluſis? quod ob anguſtiam in animalculis iſtis facilè fit. Hinc Plinius lib. XI, cap. LIII: *Quæ inſecta appellavimus, omnia olei adſperſu necantur.* Ælianus lib. IV de Anim. cap. XVIII: Τὰ ἔντομα φθείρεται, εἰ ἐλαίῳ τις ἐγχρίσειεν αὐτά. *Inſecta perduntur, ſiquis oleo inunxerit.* Rationem adſert Alexander Aphrodiſienſis problematum lib. I, cap. LXIV: Διὰ τί μέλισσαι, καὶ μύρμηκες, καὶ μυῖαι, καὶ καθόλου πάντα τὰ ἔντομα ζῶα, ὑπὸ ἐλαίου ἀπόλλυνται; Διότι τὰ ἀναπνευστικὰ στενὰ τούτων, καὶ τὸ ἔλαιον γλίσχρον ὂν ἐμφράττει· καὶ οὕτως ἀπόλλυνται. *Cur apes, formicæ, muſcæ, atque in univerſum omnia ab oleo pereunt inſecta? Quia ſpirandi meatus iis ſunt anguſti: oleum autem, quoniam lentum eſt, omnium ſpiritui occludat viam. Quod cum fit, pereunt.* Quando id præcipuè contingat, Ariſtoteles refert lib. VIII Hiſt. Anim. cap. XXVII: Πάντα τὰ ἔντομα ἀποθνήσκει ἐλαιούμενα· τάχιστα δ' ἄν τις τὴν κεφαλὴν ἀλείψας, ἐν τῷ ἡλίῳ θῇ. *Intereunt inſecta omnia oleo inuncta: ſed celerrimè, ſi capite illito exponantur Soli.* Similiter Plinius lib. XI, cap. XIX: *Oleo quidem non apes modò, ſed omnia inſecta exanimantur: præcipuè ſi capite uncto in Sole ponantur.* Nimirum, oleo Soli expoſito, id tenuius fit, eoque altiùs penetrat meatus. Sed eadem inſecta, ſi aceto adſpergas, quaſi reviviſcunt. Videlicet acetum abſterget. Etiam, ſi humore fuerint ſuffocata, à morte revocaveris, cineribus impoſitis. Quippe calore eorum priùs humor extenuatur, mox planè conſumitur; unde, poris planè reſeratis, ſpiritus liberum habet exitum. Sed hæc loquimur de inſectis terreſtribus. Aquatilia enim inſecta non ſuffocantur aquis; quandoquidem non niſi in illis vivunt. Diſpar eſt conditio ob temperiem diverſam. Terreſtria aëreum; aquatilia aqueum exigunt humorem: ac aquatilia non refrigerii modò, ſed etiam alimenti cauſſâ.

a Cap. 2.

a Proportione reſpondens.

Cap. LXXVII.

Apes ſonum edere ſpiritu innato ad membranulam, quæ præcinctura obtenditur, alliſo. Quàm variè præcincturam illam nuncupet philoſophus. Ariſtotelis locus enarratus. Duplex inſectorum ſonus, murmur, & cantus: eſtque ſonus is vel ab ſpiritu intus alliſo ad membranam inciſuræ proximam; vel ab aëre externus alis, aut cruribus, attrito. Cicadæ impropriè dicuntur ᾄδειν, vel etiam λαλαγεῖν: propriè autem τετρίζειν, vel laxius Latinis ſonare, ac reſonare. Quæ cicadæ ἄχεται, quæque τεττιγόνιαι vocentur. Ἀχέτας non mutas eſſe, ſed canoras minus. Unde ſit, quod cicadæ Rheginæ, & Locrenſes, ſi alteræ in alterorum agrum transferantur, deſinant eſſe vocales. Cur ranæ Cyrenaicæ non coaxent. Quare cicadæ mares magis canant feminis. Quamobrem circa ſolſtitium demum cantillent, ac imprimis tempore meridiano. Non ore, nec ſub alis ſonum edere; ſed illiſo intus ſpi-

ſpiritu ad memoratam antea pelliculam: & cur cum idem fiat à muſcis, & veſpis, ſonus tamen nullus audiatur, quando ſedent. Quod tam diſpar ſonus alis reddatur, id à diverſa adeo alarum natura provenire. Plinii ἀντιλογία, nunc cum Ariſtotele dicentis, locuſtas ſonum edere feminum attritu; nunc ſtridere eas dentes conterendo. Perperam apud Theocritum ἀκρίδας reddi cicadas: *& quid errori huic occaſionem præbuiſſe videatur. Quâ parte reſonent grylli.*

ASpiratione nunc veniam ad ſonum, quem reddunt inſecta. Nam ut ad motum ſpiratio, ſic ad ſpirationem ſonus refertur. Spiritu enim & apes ſonant; non dixero illo foris arceſſito, foraſque emiſſo, ut in reſpirantibus; quæ vocem edunt gutture quidem ad vocales concurrente, ad conſonas verò linguâ, & labris: ſed ab innato ſpiritu: de quo diſcrimine paullo antè adducebamus verba Ariſtotelis ex libro de Somno, ac Vigilia. Continuò autem ſequitur apud philoſophum modus ille, quo innatus iſte ſpiritus bombum ſive ſonum efficit: Διὸ καὶ βομβεῖν φαίνεται τὰ πτερωτὰ, ὅταν κινῆται τῇ τρίψει τοῦ πνεύματος προσπίπτοντος πρὸς τὸ ὑπόζωμα τῶν ὁλοπτέρων· *iccirco alas habentia edunt bombum, cum ſe movent, attritu ſpiritus ad præcinctum allidentis.* Sententia eſt, inſecta dare ſonum ſpiritu illiſo ad membranulam illam, quæ obtenditur præcincturæ. Hanc enim pelliculam Ariſtoteles eo in libello nunc διάζωμα, nunc ὑπόζωμα appellat: uti & alibi vocat ζῶμα, ζωστῆρα, & περίζωμα. Eundem ſoni modum docet nos libro de Juventute, & annexis, part. ult. quæ eſt de Reſpiratione: ubi tradit, his animantibus corpus ſub præcinctura diſtingui, quò per tenuiorem membranam refrigerentur: bombumque fieri τρίψει τοῦ ἐμφύτου πνεύματος πρὸς τὸν ὑμένα· *attritu ſpiritus innati ad pelliculam.* Illuſtrat deinde hæc ſimilitudine petitâ à ludicro puerorum; qui calamum inflaturi perforatum apponunt ad eum pelliculam, ad quam ſpiritus inflantium allidatur. Et ſanè tibicines etiam foraminibus tibiæ variè imponunt digitos, ut alliſione ad eos, pelliculæ vicem præſtantes, varia oriatur harmonia. Sed non alius illuſtrior eſt locus, quàm lib. IV Hiſt. Anim. cap. IX *a*: ubi primo negat, inſecta habere vocem. Nam, inquit, ea à pulmone per guttur proficiſcitur; linguâ autem, & labiis, articulatim formatur. Atqui inſecta, quia pulmonibus defecta, non reſpirant: ac proinde neque vocem edunt; ſed tantummodo ſonum: quæ vox multò eſt generalior; ut diximus etiam lib. III, cap. XXVII, & XLIV. Atque ex his colligit, τὰ ἔντομα ψοφεῖν τῷ ἔσω πνεύματι, οὐ τῷ θύραζε· *inſecta ſonare interiori ſpiritu, non foris admiſſo.* Sive, *ſpiritu inſito, non foris arceſſito.* Quem tamen locum aliter cepit Cæſar Scaliger: quando reddit, *admiſſo ſpiritu ſonant, non emiſſo.* Verùm non dubium, quin τὸ ἔσω πνεῦμα idem ſit, ac σύμφυτον: uti τὸ θύραζεν idem ac τὸ θύραζε. Atqui σύμφυτον non eſt foris admiſſum, ſed *congenitum, innatumque.* Saltem σύμφυτον non eſt *externum*, interque alas foris eliſum. Quare, ſi placet intelligere ſpiritum foris advenientem; id ſic capere oportebit, ſonum fieri ſpiritu foris ſponte in corpus illapſo, atque ita intus ad membranam proximè ſubditam inciſuræ attritum fractumque. Sed ad Ariſtotelem redeamus. Is duplicem deinde ſonum facit: quippe inſectorum alia ait βομβεῖν *b*, ut apes, ac veſpas: alia ᾄδειν *c*, ut cicadas. Addit deinde, Πάντα δὲ ταῦτα ψοφεῖ τῷ ὑμένι ὑπὸ τὸ σῶμα, ὅσων διῄρηται· *Univerſa autem ſonum cient membranâ, quæ obtenditur ad inciſionem præcincturæ.* Hinc oſtendit, dividi motum, in illum ab ſpiritu incluſo, qualis apium eſt; & alterum ab exterioris corporis motu: qui duplex, vel ab alis, vel à cruribus; uterque ab attritu. A cruribus, ut in locuſtis; de quibus ſic inquit: Αἱ δ᾽ ἀκρίδες τοῖς πηδαλίοις τρίβουσαι (ποιοῦσι) τὸν ψόφον. Quod Gaza vertit: *Locuſtæ ſuis gubernaculis atterentes ſonant.* At meliùs fortaſſe, ut ex ſuperiori capite liquet, Cæſar Scaliger: *Locuſtæ autem ſaltatoriis cruribus affricatis ſonum faciunt.* Ab alis verò, ut in muſcis, & apibus; quæ, ſeſe attollendo, alas dilatant, atque ita ſonum dant.

a *Ex Cæſ. Scal. exercit. 267.*

b *Murmurare.*

c *Canere.*

Quæ hactenus de inſectis ex Ariſtotele dicebamus, eadem Plinius enarrat lib. XI, cap. LI: *Vocem non habere, niſi quæ pulmonem, & arterias habent, hoc eſt, niſi quæ ſpirant, Ariſtoteles putat: iccirco & inſectis ſonum eſſe, non vocem, intus meante ſpiritu & incluſo ſonante: alia murmur edere, ut apes; alia cum tractu ſtridorem, ut cicadas. Recepto enim ut duobus ſub pectore cavis ſpiritu, mobili occurſante membrana intus, attritu ejus ſonare viſcera, ſat notum eſt. Cætera ſimul cum volatu & incipere audiri, & deſinere; ut muſcas, apes. Sonum enim attritu, & interiore aurâ, non animâ, reddi. Locuſtas pennarum & feminum attritu, creditur ſane.* Ubi videmus, quatuor inſectorum genera ſono diſcrepantia referri, cauſſas etiam diſcriminis exponi. Ea inſecta ſunt, apes, cicadæ, muſcæ, & locuſtæ. Verùm non idem, quod Ariſtoteles, ac Plinius, de iis retulere, cæteris etiam viſum fuit. Præterea alia etiam de ſono earum in conſiderationem veniunt. Quocirca de quatuor iſtis, & aliis nonnullis, paullò diſtinctiùs dicemus.

Ordiar à cicadis, quia illud habent eximium, quòd qualicunque homines cantu oblectent. Atque hoc nomine celebrat eas magnus Mediolanenſium antiſtes B. Ambroſius lib. V, cap. XXII: *Quàm dulcis etiam in exiguo cicadis gutture cantilena! quarum cantibus medio æſtu arbuſta rumpuntur.* Ubi reſpicit illud III Georg.

Et cantu querulæ rumpunt arbuſta cicadæ.

Et *rumpuntur* etiam eſt in mellificio Ambroſiano Bartholomæi Urbinatis epiſcopi: qui anno vixit CIƆCCCC XII: ut eſt apud Philippum Bergomatem *a*. Quod indignum foret referri, niſi vidiſſem, qui *corrumperentur* imperitè reponerent. Continuò inde ſubdit Ambroſius: *Eoque magis canoræ meridianis caloribus, quo puriorem aerem id temporis attrahunt ſpiritu, cantus reſonant clariores.* Sed Ambroſio objectes, non bonos cantores, verùm malos poëtas, cicadis fuiſſe comparatos: qua de re ex Simonide diximus lib IV Oratoriarum Inſtit. cap. VI, ſect. XII. Huic ſic occurrimus, ut raucus ſit eorum cantus, eoque inſuavis præ illo luſciniæ, vel etiam à poëtis attributo oloribus; quibus poëtæ boni conferuntur: plus tamen habere ſuavitatis, quàm aliis eſt inſectis; uti apibus, veſpis, crabronibus. Sanè ſi accuratè loquendum, cantus dici nequit. Ac propterea cautè Ariſtoteles lib. IV Hiſt. Anim. cap. IX non ᾄδειν *b* ait, ſed ᾄδειν λέγεται, *canere eas dicitur.* Quemadmodum nec proprius eſt ſermo, cùm eas λαλαγεῖν ait Theocritus Idyll. Z. Quippe λαλαγεῖν eſt à λαλαγὴ, hoc à λαλάζω, illud à λαλῶ: quod propriè eſt *loquor*: ac fortaſſe per reduplicationem venit ab Hebræo לע, quod eſt *guttur*, formandæ vocis inſtrumentum. Cicada verò non loquitur, nec gutture ſonum edit. Quare nec λαλαγὴ propriè illi tribui videtur. *Fritinnire* illas ait minimè vetus ſcriptor carminis, quod Philomelæ nomen præfert, ineptèque inter Ovidiana reponitur. Varroni verò Virgulâ divinâ *c* minutarum avium pulli *fritinnire* dicuntur. Quare & hoc proprium ſit reſpirantium. Maro *d* itaque maluit de cicadis voce uti generali:

Sole ſub ardenti reſonant arbuſta cicadis.

Præcipuè autem ſonant æſtate, ac diebus potiſſimùm canicularibus: ut ex Anania, Jamborum ſcriptore, traditum Athenæo lib. VII. Auctumno is cantus deſinit. Cauſſam ejus inferiùs referam. Nec omnes æſtate canunt: ſed majores, quæ Ariſtoteli *e* vocantur ἀχέται, quaſi ἠχέται; ut apud Heſiodum in ἔργοις legas, ἠχέτα τέττιξ, *vocalis cicada*: nempe ab ἤχω, *ſono.* Minores eidem dicuntur τεττιγόνια, aliis τεττιγόνιαι: hoc video ab his *cicadaſtros*, ab illis *cicadellas*, verti: utrumque, ut cenſeo, appoſitum, & omnino ἀναλόγως *f* factum. Minores iſtæ ſtatuuntur ἄφωνοι, ſive *mutæ*: quod cautè capiendum. Nec enim planè non canunt: ſed ſunt, ut Plinius *g* de iis refert, *minus canoræ.* Quare diſpar eſt ratio Locrenſium, & Rheginarum: quarum illæ in Rhegino, hæ in agro ſilent Locrenſi, licet ripæ fluminis medii nec jugeris ſpatio diſtent; ut Ælianus *h* ſcripſit. Cujus ratio à ſexu peti nequit; ſed ex eo, quia temperies loci variet. Ut ſimilis in hiſce inſe-

a *In Chronico Supplement.*

b *Canere.*

c *Apud Nonium in Fritinnire.*

d *Ecl. 2.*

e *Lib. 5. Hiſt. An. cap. 30.*

f *Formationi aliarum vocum convenienter.*

g *Lib. 11 cap. 26.*

h *Lib. 5 de An. cap. 9. Uti & Plinius lib. 11. cap. 27.*

a Plin. lib. 8. *cap.* 58. b *Ibid. & apud Ariſtotel. Admir. Audit.* c 3 *Georg.* d *Sive ex diſtinct. Cæſ. Scal. cap.* 24. *ſect.* 179.

ctis ratio ſit, ac ranis *a* Seriphiis: quæ ſunt mutæ ob aquæ nimium humorem. Nam ſiquis in aquas transferat craſſiores, fiunt vocales. Nec ranæ Cyrenaicæ *b*, ut cum Maroné *c* ſic loquar, loquaces ſunt; idque ob aquæ amaritiem. Autor de utroque Theophylactus Simocattus problemate phyſico xviii. Sed à propria intemperie eſt, quòd in cicadis mares canant, fœminæ non item: ut Ariſtoteles ait lib. v Hiſt. Anim. cap. xxx *d*, Plinius lib. xi, cap. xx, Ælianus lib. i de An. cap. xx. Et convenit hoc Heſychii: Ἀχέτα, ὁ ἄῤῥην τέττιξ ὁ λαλίστατος· *Acheta cicada mas, qui maxime loquax.* Aliis placet, ἀχέτας, & τεττιγόνια, non ſexu, ſed magnitudine, & voce, diſtingui. Sed ſolos mares canere, vulgus etiam ruſticorum ait: quod in talibus non eſt aſpernandum: præſertim ubi etiam ratio pro iis facere videtur. Nam cantus eſt à ſpiritu vegetiore; qualis potiùs maris, præſertim magnitudine præcellentis. Sin & quædam femellæ canunt, hæ quaſi viragines habeantur. Ac jam olim rationem illam attulit Theophylactus Simocattus problemate phyſico xiii: ubi ait, cicadam videri Pythagoræ diſcipulam: ac cauſſam hanc ſilentii eſſe, quòd ea ſit mare humidior, & frigidior; licet alioqui & mares ſatis frigidi ſint temperamenti. Unde eſt, quòd canere demum incipiant circa ſolſtitium: præterea meridie quidem, cùm intenſior eſt calor, valde ſint vocales; at ſonare deſinant Sole occidente.

Quomodo cicadæ canant, ne inter veteres quidem convênit. Imperiti ore id fieri cenſent. Sed obſtat, quòd etiam canant capite præciſo: ut traditum Alberto Magno lib. xxvi de Anim. & Cardano lib. vii de Varietate Rerum, cap. xxviii. Alii putant, concuſſione alarum, quas nactæ quaternas, reddi ſonum. Hinc Sappho apud Demetrium Phaler. *e.* Πτερύγων δ' ὑποκακχέει λιγυρὰν ἀοιδάν. *Sub alis autem fundit at argutam cantilenam.* Imò Heſiodi etiam eſt in Ἔργοις *f* lib. ii:

e Pag. 130. *edit Florent ſive Morellianæ pag.* 63. f *verſ.* 580.

—— Καὶ ἠχέτα τέττιξ
Δένδρεῳ ἐφεζόμενος λιγυρὴν καταχεύετ' ἀοιδὴν
Πυκνὸν ὑπὸ πτέρυγος.
—— *Et canora cicada,*
Arbori inſidens, ſtridulum effundit cantum
Frequenter ſub alis.

g Pag. 133. *edit. Raphelng.*

Quem ad locum hæc ſcholiaſtes ejus, Proclus Diadochus *g*: Ὁ τέττιξ ᾄδει ὑπὸ τῶν πτέρυξι τρίβων ἑαυτὸν, καὶ τὸν ἦχον ἐκπέμπων· οὕτω γὰρ αὐτὸν ᾄδειν φασί· *Cicada canit ſub alis, atterens ſeipſam, & ſonum emittens. Sic enim canere eam ajunt.* Nec multum abit Horapollo, qui lib. ii, cap. lv ait, eam *διὰ τῆς ῥάχεως φθέγγεσθαι, dorſo reſonare.* Sunt & aliæ aliorum de cantu hoc opiniones. Nobis ob ea, quæ antea adduximus, perſiſtere animus eſt in ſententia ex Ariſtotele, Plinioque, ſuperiùs adductâ. Nempe ut ſonus fiat à ſpiritu intus allidente ad membranam præcinctura obtentam. Quem modum etiam aſſignavi lib. iii, cap. xxvii.

Quærat aliquis, ſi hæc ita ſunt, cur muſcæ, & veſpæ, non edant ſonum, niſi volantes; cicadæ etiam ſedentes. Nempe cicadis eſt caloris paullo plus. Itaque ſpiritus iis inſitus memoratam ad pelliculam ſæpius, ac vehementius, impellitur: unde ſonus ejuſmodi, quem liceat audire. At muſcæ, & ſimilia, ſunt frigidiora: ut ſonus audiatur quidem, cùm vehemens intus motio eſt, uti quando volant: at ſi ſedeant, quia exilis tum is motus, eò vel ſonus ſit nullus, vel ſaltem non ejuſmodi, ut ab homine poſſit ſentiri.

Imò ſi Cæſarem Scaligerum audimus, quod de muſcis dictum, in apibus etiam locum habet. Nam hac parte, quod rarò facit, deſerit Ariſtotelem, ac ab iis quoque, non ſpiritu intus alliſo; ſed alarum agitatione, ſonum reddi ait. Vide eum adverſus Cardanum Exercitat. cclxxiii. Verùm quid ſi dicamus ambo iſta in apibus concurrere?

Sed quicquid de apibus ſit, ſaltem inſecta quædam alis reſonant. Cur verò id aliæ magis aliis faciant, ab alarum diverſa pendet natura. Quod eidem Cæſari Scaligero egregiè oſtenſum Commentario in Ariſtotelicam Animalium Hiſtoriam lib. iv, cap. ix, ſect. cclxvii. Nempe alæ papilionum, ob mollitiem, ſonum edunt nullum; illæ muſcarum, aliquem, quia membranaceæ ſunt; majorem crabrones, propterea quòd iis ſint duriores; maximum ſcarabæi, quia cruſtaceæ. Culices interim tenuem, & acutum, ob alarum anguſtiam.

Nunc videamus, quod extremo loco cùm Ariſtoteles ait, tum Plinius quoque: qui in verbis quidem ſuperiùs allatis cum philoſopho conſentit; ſed a ſe ipſo abit lib. xi, cap. xxxix, his verbis: *Vox locuſtarum proficiſci ab occipitio videtur. Eo loco in commiſſura ſcapularum habere, quaſi dentes; eoſque inter ſe terendo ſtridorem edere, circa duo æquinoctia maxime; ſicut cicadæ, circa ſolſtitium.* Niſi dicere velimus, hic Plinium ex ſua loqui ſententia: ex aliena verò id facere, cùm illum tribuit ſonum feminibus contritis: & ideo dixiſſe ſuperiùs, *creditur ſane.* Mirum verò, quòd in locuſtarum etiam ſono putarint muſicum quid ineſſe. Nam ut Maro dixit Eclogâ ix:

—— *Sed argutos interſtrepere anſer olores:*

ita Theocritus Idyll. vii ait,

—— Βάτραχος δέ ποτ' ἀκρίδας ὥς τις ἐρίζω·
Sed velut rana quadam contra locuſtam contendo.

Ubi ſic ſcholiaſtes Græcus: Τῶν ἀκρίδων εἰσί τινες, αἳ συρίζουσιν ἐναρμόνιον. *Locuſtarum quædam canunt harmonicum quiddam.* Id cùm abſurdum videretur erudito Theocriti interpreti, ἀκρίδας maluit vertere *cicadas*: nempe quia de cicadarum cantu res notiſſima. Unde Maro, ut antè vidimus,

—— *reſonant arbuſta cicadis.*

Et credo, meminerat doctus ille vir, cicadas etiam de poëtis dici, licet non optimis; ut mox parebit. Verùm omnino ἀκρίδες Theocrito etiam ſunt *locuſtæ*: quas ſonum reddere, ſatis docent Ariſtotelis, & Plinii verba ſuperiùs adducta. Et veriſimile eſt, in Sicilia, (Siculus enim Theocritus erat) locuſtas quaſdam magis fuiſſe aliis canoras. Nam mirum in modum variat vox inſectorum pro locis, ubi degunt; quemadmodum diximus.

Gryllus quoque ſonum edit: ſed ut cicada, parte alvi ſiſtulatâ; non, ut locuſtæ, feminum attritu; uti nec alis. Sic Scaliger Exercitat. cclxxiii. Non igitur iiſdem, ac locuſta, inſtrumentis; quod traditum Julio Caſſerio Placentino; ſed reprehenſum etiam ab Ulyſſe Aldrovando *a*. *a Lib.* 4 *de inſectis, cap.* 2.

Cap. LXXVIII.

Inſectorum uſus deinceps oſtenditur; ac primum in cibo. Veſci enim iis non muta modo animantia; uti tum aves, in his gallinas Indicas, & vulgares; tum quadrupedes, velut urſos: ſed homines ipſos. Sic olim comeſtas Græcis cicadas, maximè τεττιγομήτρας, & cicadas aſſas. Hodieque cicadas edi Americanis: imò & gryllos, ac locuſtas. Joannis Baptiſtæ in cibo fuiſſe, non ἐγκρίδας, ut in Ebionitarum erat Evangelio; non ἀκρέμονας, ut Hieronymo Montuo viſum; non ἀχράδας, ut credidere alii: verùm ἀκρίδας, prout recepta habet B. Matthæi lectio: ac voce eâ non plantarum germina intelligi, ſed locuſtas: iiſque Æthiopes, & alios Orientis, ac Libyæ populos, veſci ſolere, ex ſcriptoribus variis oſtenſum. Interea cibum hunc fuiſſe inſalubrem, ex eo colligitur, quod gentes ἀκριδοφάγοι brevis eſſent vitæ, & miſero mortis genere perirent. Varii in cibis vermes: & Afris, limaces.

HActenus ſpectavimus naturæ miranda in inſectis, ac præcipuorum etiam adduximus cauſſas; ut ita faciliùs à cauſſis ſecundis mens humana aſcendat ad Deum, naturæ ipſius auctorem. Nunc, ut in animantium factum cæteris, ſic deinceps de multiplici loquar utilitate, quam ex inſectis capere eſt. Vulgo aut nullus, aut parvus eorum uſus apparet, quia non cedant in cibum. Negare tamen non poſſunt, muta iis veſci animantia. Sic aves penè omnes erucis capiuntur, ac vermibus terreſtribus: papilio-

pilionibus item gallinæ Indiæ: imò & araneis gallinæ noſtræ: idque citra noxam, ſi adſit modus. Plinii etiam eſt lib. x, cap. LXXIII: *Urſi & fruge, fronde, vindemiâ, pomis, vivunt, & apibus; cancris etiam, & formicis.*

Sed enim dixeris, non de rationis expertibus negari; verùm homine duntaxat. At de hoc quoque eos ratio fugit. Cicadæ enim ſunt edules: præcipuè τεττιγομήτρα, quaſi *matrem cicadarum* dicas. Hæc ex verniculo naſcitur, & priuſquam cortex rumpatur, indeque cicadæ prodeant, guſtu eſt ſuaviſſima. Ante coitum acceptiores ſunt mares: à coitu feminæ; idque ob ova candida, quæ geſtant. Sunt enim illa guſtui pergrata. Quorum auctor Ariſtoteles lib. v Hiſt. Anim. cap. xxx *a*. Etiam Antiphani Comico in Oenomao, ſive Pelope, inter cibaria referuntur τέττιγες ὀπτοὶ, *cicadæ aſſæ*: ut videre eſt apud Athenæum lib. IV *b*. Ariſtophanes item in Horis, apud eundem Athenæum in IX *c*, inter cibos hieme venales refert cicadas. Plinii quoque eſt de iiſdem lib. XI, cap. XXVI: *Gentes veſcuntur iis ad Orientem, etiam Parthi opibus abundantibus.*

a *Sive ex diſt. Caſ. Scal. c. 25. ſect. 278, & 280.*
b *Cap 3. ſive edit. Commel. pag. 131.*
c *Cap. 3. ſive editionis Commel. pag. 372.*

In India item Occidentali in populo Carabi, & juxta ſinum Darienum, & in Uraba, cicadis veſcuntur, tum ſiccis, tum ſalitis: quemadmodum teſtantur, cùm alii, qui regiones eas deſcripſerunt; tum Gonſalvus Oviedus. Atque addit, ſine eo ſportis integris vel pretio divendi, vel mercibus aliis commutari. Nec de cicadis modò id refert; ſed gryllis etiam, & locuſtis. Eſt verò gryllus non ſcarabæi genus, ut Plinius putavit: non locuſtæ, ut traditum aliis: imò nec cicadæ, ſed propiùs tamen accedens; quippe cantu non multùm abſimile, nec formâ, aliis exceptis. Vocant Belgæ *crekel*, vel *nachtcrekel*. Valde enim eos ratio fugit, qui ſic cicadam interpretantur; cùm id animalculum terris Belgarum vix reperiatur.

Locuſtæ verò vetuſtis etiam temporibus in cibo erant. Ut Joanni Baptiſtæ Matth. III, 4, Ἡ δὲ τροφὴ αὐτοῦ ἦν ἀκρίδες. Quamquam non ignorem, in Ebionitarum Euangelio non ἀκρίδες fuiſſe, ſed ἐγκρίδες, ut Epiphanius *d* teſtatur. Eſt verò ἐγκρὶς bellarium in oleo, & aqua coctum; ut proditum Athenæo lib. III *e*, & imprimis lib. XIV *f*, ubi Steſichori iſta promit:

Χόνδρον τε, καὶ ἐγκρίδας,
Ἄλλα τε πέμματα, καὶ μέλι χλωρόν.
Alicamque, & encridas,
Aliaque bellaria, & flavum mel.

d *In Ebionæorum hæreſi, quæ numero XXX.*
e *Cap 27.*
f *Cap. 14. Præmittis iis video in fragmentis Steſichori à Fulvio Urſino editis: Φέρειδε τῶ παρθένῳ δῶρα σισαμίδας. Nam pro δῶρα σισαμίδας, jubet reponere δῶρα σησαμίδας.*

Habes & eam vocem apud LXX: puta Exod. XVI, 31, & Num. XI, 8. Sed profectò, quomodo auſteræ vitæ, qualis illa Joannis Baptiſtæ erat, argumentum fuerit, quòd placentis, vel id genus veſceretur bellariis? Alii igitur aliter legere jubent: ut Hieronymus Montuus, Mirebelli Dominus, & Chriſtianiſſimi Regis Medicus ordinarius libro de Sanitate tuenda cap. III: *Pro* ἀκρέμονες, inquit, ἀκρίδες, *lubrico lapſu, quantum opinor, ſuppoſitum eſt Matth.* III *in Divi eſca Joannis.* Sed durum creditu, ei pro cibo fuiſſe ramos prægrandes, vel etiam virgulta; ut illam vocem reddidit B. Hieronymus in Eſaiæ cap. XIII. Præterea in nullis codd. MSSis id invenias, nec meminere ejus lectionis veteres ulli. Uti neque reperias, quæ aliorum ſuſpicio, ἀχράδες: quod εἶδος ἀγρίας ἀπίου *g*, Ariſtoteli, Dioſcoridi, aliis, etiam Columellæ lib. x. Non abeundum itaque à recepta, ac conſtantiſſima lectione, quæ eſt ἀκρίδες. Sed ſic quoque in dubio eſt, utrùm hoc vocabulo locuſtæ, an plantarum germina, intelligantur. Poſterius voluit Perottus, &, ſi Abulenſem audimus, etiam Brocardus in Deſcriptione terræ Sanctæ. Imò legas hanc ſententiam apud Euthymium, ac Theophylactum quoque. Quin hiſce antiquior eandem ſecutus Iſidorus Peluſiota lib. I, ep. CXXXII: qui ſcribere non veretur, animal hìc intelligi ἀμαθῶς, *imperitè*: omnino enim ſignari ἀκρέμονας βοτανῶν, ἢ φυτῶν· *ſummitates herbarum, vel plantarum.* Quid quod è Latinis quoque id placuit vetuſtiori iſtis omnibus Paullino? Ita enim ille carmine de Joanne Baptiſta:

g *Genus piri ſylveſtris.*

Præbebant victum facilem ſylveſtria mella,
Pomaque, & incultis enatæ cautibus herbæ.

Ut ab uſitata ἀκρίδος ſignificatione recederetur, non aliud fecit, quàm quòd neſcirent, variis olim locis locuſtas fuiſſe pro cibo, hodieque eſſe. Priùs illud conſtat ex Ariſtophanis Acharnenſibus, & Plutarchi Sympoſiacis: ac præcipuè Agatharchide apud Photium *a*. Narrat is, gentem eſſe Æthiopicam ἀκριδοφάγων, q. d. *locuſtivororum*, ex eo nomen ſortitam, quia animali hoc, quod ἀκρίδα, ſive *locuſtam*, dicimus, veſceretur. Ambigit autem, utrùm, quòd rarò annum excedat quadrageſimum, ſit ex nativa corporum temperie, an aere corrupto, an alimento, quod diximus. Poſtremum verò illud credere mavult Hieronymus Mercurialis lib II Var. Lect. cap. XX. Idem verò, Agatharchidem in eo ſecutus, de gente illâ prodidit Diodorus Siculus lib. III *b*, & Strabo lib. XVI *c*. Plinii quoque eſt lib. VI, cap. XXX: *Pars quædam Æthiopum locuſtis tantùm vivit fumo & ſale duratis in annua alimenta: ii quadrageſimum annum vitæ non excedunt.* Etiam Parthos iis veſci, tradit lib. XI, cap. XXIX: *Parthis*, inquit, *& locuſtæ in cibo gratæ.* Firmat hæc etiam B. Hieronymus lib. II in Jovinianum, cap. VI: *Orientales, & Libyæ populos, quia per deſertum, & calidam eremi vaſtitatem, locuſtarum nubes reperiuntur, locuſtis veſci moris eſt. Hoc verum eſſe, Joannes quoque Baptiſta probat.* Similiter Joannes Leo in deſcriptione Africæ lib. IX, cap. de Animalibus: ubi inter alia hæc legas: *Arabiæ deſertæ, & Libyæ populi, locuſtarum adventum pro felici habent omine: nam vel elixas, vel ad Solem deſiccatas, in farinam tundunt, atque comedunt.* Tradit quoque idem Clenardus in epiſtolis. Sic igitur colligimus, nihil eſſe cauſſæ, cur putemus, Jo. Baptiſtam aliud ediſſe, quàm locuſtas: præſertim, cùm ſint inter cibos Judæis conceſſos; ut liquet ex Levitici cap. XI, 21, 22. Secutuſque hanc etiam Sententiam Cæſar Scaliger in lib. V Ariſt. Hiſt. An. cap. XXVIII *d*: *Nota*, inquit, *ex Dioſcoride, locuſtas eſitari ſolitas, ne Grammaticorum pertinacia pergat ineptire de locuſtis Divi præcurſoris Domini.* Grammaticos ait: imperitiores ſacri ordinis voluit dicere. Nec eum improbo ſermonem, quia parte iſtâ diſquiſitio eſt, ſi non Grammatica, ſaltem non fori Theologici, quatenus Theologi ſunt. Etſi verò locuſtæ fuerint in cibo: meritò tamen diuturnior earum uſus ſuſpectus ſit, ut inſaluberrimus. Hæc ſuſpicio inde potiſſimùm provenit, quòd ἀκριδοφάγοι, de quibus antea diximus, brevis fuerint vitæ, & miſero ſoleant mortis genere perire. Agatharchidæ de hoc verba inferiùs adducam, cùm de malis, quæ inſecta dant nobis, agetur.

a *Bibliothecæ cod. 250.*
b *Pag. 161. edit. Wechel.*
c *Pag. 772. edit. Pariſ. an. 1620.*
d *Sive ex diſt. Caſ. Scal. c. 23. ſect. 271.*

Sunt & alia inſecta in cibo. Ut coſſi: de quibus ita Plinius lib. XVII, cap. XXIV: *Jam quidem & in hoc luxuria eſſe cœpit; prægrandeſque roborum* (vermes) *delicatiores ſunt in cibo: coſſos vocant: atque etiam farinâ ſaginati hi quoque altiles fiunt.* Ælianus item lib. XIV de Anim. cap. XIII narrat, Indorum regi in menſis ſecundis apponi vermem quendam in planta naſcentem, & igni toſtum: eum delicatiſſimum ab Indis haberi, ac idem teſtari quoſdam Græcorum, qui guſtaſſent. Sed & Joannes Mandevil Anglus, qui ante annos claruit prope CCC, tradit, ut inſula Talache principibus apponi in menſis è lignis putridis enatos. Indos è lumbricis placentas conficere, refert Joa. Manardus. Indos Occidentales etiam crudis veſci vermibus, prodidit Joannes Lopez.

Afris hodie limaces, ſive cochleas nudas, in cibo eſſe, comprobat Braſavolus teſtimonio ſuorum Ferrarienſium; qui anno CIƆ IƆ XXXV cum Imperatore Karolo V profecti ſunt Tunetum.

CAP. LXXIX.

De mello, ejuſque apud veteres uſu in cibo, ac potu. Mulſi ἔτυμον. Vino Falerno, vel Maſſico, vel Atticum, aut Siculum, miſceri ſolere. In anticœnio non laudatum e vino generoſo οἰνόμελι. Commendatius aliàs è vino vetere. Ut à mulſo vinum melitites, & melicrato differat hydromeli: ac quæ gentes jam olim hydromeli pro vino

vino uſurparint. Mellina *quid. Mella quædam amara. Dictum Jonathanis, melle viſum ſibi redditum, è Plauto illuſtratum. Mel vitam producere, oſtenſum exemplo Pollionis Romuli, ac Democriti. Cur apes diutius vivant, quàm inſectorum alia. Melle etiam cadavera conſervari ſolere: cujus tamen loco & ceram uſurparint. Unde ea vis ſit melli.*

Aliquid eſt, quòd inſecta quædam in cibis eſſe diximus. Sed minutum eſt præ illo, quod referam de fructu quorumdam; ut apicularum melle; quo ſic veteres ſunt in cibo uſi, uti nos ſaccharo ſolemus. Nec minoris mel fieret, quàm ſaccharum, niſi terrarum ubique naſceretur. Quippe ſic vita eſt hominum, ut temnant vulgaria; illa penè ſola eos juvent, quæ è longinquis petuntur locis. Ac in cibo quidem trifariam illud fuit: per ſe, vel pani illitum, vel mixtum placentis, & aliis operibus dulciariis: ut quæ Petronius, ſed tralatitiè, *mellitos* dixit *globulos*.

Præterea uſi ſunt melle in potu. Præcipuè autem miſcebant vino auſtero, quod melle mulcebant, hoc eſt, leniebant: unde &, quod Græcis οἰνόμελι, Latini *mulſum* dixere: niſi ſimpliciter ex *mel* factum malis. Ex vinis hiſce fortibus, & auſteris, erat Falernum, & Maſſicum. Iis nomen à Falernis, & Maſſicis montibus: quos in Campania ſtatuit Plinius lib. III, cap. V. Hujuſmodi vino miſcebant imprimis mel Atticum, vel etiam Siculum, quod bonitate erat proximum: ut eſt apud Martialem lib. XIII, ep. CIV, & CV. In antecœnio tamen minùs id laudabatur, quod ex vino eſſet Falerno; eoque nomine Aufidium damnat Horatius *a*, quòd primis etiam poculis hoc uteretur, cùm lene mulſum tum ſit convenientius. Ab ætate aliàs eſſe commendatio ſolet. Unde Plinius libro XXII, cap. XXIV: *Semper mulſum ex vetere vino utiliſſimum, faciliſſimeque cum melle concorporatur; quod in dulci nunquam evenit.* Quo pacto autem fiat mulſum, referunt Geoponica Conſtantino dicata lib. VIII, cap. XXIV. *b*

a *Lib.* 1, *ſat.* 4.

b *Græcæ edit. Baſ. pag.* 211.

Eſt & vinum melitites: quod quomodo ab mulſo differat, docet his verbis Dioſcorides lib. V, cap. XV: Οἶνος μελιτίτης διαφέρει τοῦ οἰνομέλιτος, ὅτι ἐκεῖνο μὲν ἐξ αὐστηροῦ οἴνου, καὶ παλαιοῦ, καὶ ὀλίγου μέλιτος σκευάζεται· ὁ δὲ μελιτίτης περιέχει. χόας αὐστηροῦ γλεύκους, μέλιτος χοῦν ἕνα, καὶ ἁλὸς κύαθον ἕνα· *Vinum melitites differt à mulſo, quod illud ex auſtero, & vetere fit vino, ac melle exiguo: melitites autem, adjecto ad quinque auſteri muſti congio mellis uno, & ſalis cyatho.*

Præterea eſt aqua mulſa, quæ Græcis μελίκρατον, vel ὑδρόμελι. Niſi quòd melicratum potiùs dicatur, ſi recens aqua miſceatur melli ad uſum repentinum, ac uſus ejus vix eſſe ſoleat extra medicinam: hydromeli autem ex veteri ſit miſtura; ut Dioſcorides oſtendit libri ejuſdem cap. ſeq. Hoc extra medicinam loco vini uſos eſſe Celtiberos, docet Diodorus Siculus lib. VI ac Ariſtoteli in Auditionibus Mirandis idem proditum de Taulantiis, Illyridis populo, ut ibidem legas, ac Epidamno vicinis, ut Thucydides indicat. Quos Macedoniæ partem à Plinio, & Appiano, fieri, nihil mirandum; quando inter eas gentes, ob bella continua, variare imperii limites ſolent. Imò videtur & Græcorum is fuiſſe mos, priuſquam vinum noſſent. Plutarchus quidem lib. IV Sympoſ. quæſt. V tradidit, ante vinum inventum pro eo œnomeli bibi in conviviis ſolere. Quomodo fiat hydromeli, docent Geoponica antè dicta cap. XXVI, & XXVII. Planè verò iis adſentio, qui per *mellinam* intelligunt *hydromeli* apud Plautum Pſeudolo act. II, ſc. IV; ubi jungit,

Murrhinam, paſſum, defrutum, mellinam.——

Quòd verò ſic melle gauderent veteres, ſine dubio fuit ab grato ejus ſapore. Ut in tam exiguo apicularum mole non ſolùm miremur maximas animi virtutes; de quibus antea diximus: ſed etiam fructum amemus dulciſſimum, & ſapidiſſimum. Atque inde comprobat Siracides in Eccleſiaſtico cap. XI, 3, non debere homines æſtimari ex corporis ſtatura. Nam inquit, Μικρὰ ἐν πετεινοῖς μέλισσα, καὶ ἀρχὴ γλυκασμάτων ὁ καρπὸς αὐτῆς. *Exigua in volatilibus eſt apis: & principatum inter dulcia obtinet ejus fructus.*

Ab hac dulcedine quoque eſt, quòd veteres blandiendo dicerent *mel*, vel *melculum ſuum* a: aut *mulſa loqui* b, & *mulſa mea* c. Interim & mella ſunt amara; ut in Sardinia, ob abſynthii copiam: quemadmodum ait Dioſcorides lib. II, cap. CI.

a *Plaut. Moſtell. & Caſin.*

b *Idem Pœnul.*

c *Idem Stich.*

Altera etiam commendatio eſt, & longè excellentior. Nam vires quoque reficere, ac recreare, exemplo diſcimus Jonathanis, filii Sauli; de quo illud in prioribus Regum *d* libris, Samueli attributis, refertur, ut, cùm paterni hujus ignarus edicti, ne quis cibi quicquam ante partam caperet victoriam, mel in ſylva fluitans guſtaſſet: dixerit oculos iſto ſibi illuminatos: hoc eſt, vires ſibi redditas priores, quæ fame antea planè exaruerant debiles; ſic ut & oculi vix viderent, genua vix ſuſtinerent. Quod à fame provenire, docet Curculio Plautinus *e*:

d *Lib.* 1 *Samuelis, cap.* 14. *verſ.* 29.

——*Tenebræ oboriuntur, genua inedia ſuccidunt.*

Et mox:

——*Perii, proſpicio parum:*

Os amarum habeo, dentes plenos, lippiunt fauces fame.

e *Curcul. act.* 2. *ſc.* 3.

Quæ ſatis oſtendunt, cur Jonathas famelicus, paullulo mellis comeſto, ſibi oculorum dixerit redditum lumen. Nam cùm omnis id habeat cibus, ut vires deperditas inſtauret: tum præcipuè hoc, uti vinum, ſic mel præſtat; quia ambo ſubtilia ſint, eoque citiùs vires diffundant.

Quanti præterea illud eſt faciendum, quòd mel vim habet maximam in putredine arcenda! unde eſt, quòd ætatem hominis producat. Plinius lib. XXII, cap. XXIV: *Multi ſenectam longam mulſi tantùm nutritu toleravere; neque alio ullo cibo, celebri Pollionis Romuli exemplo. Centeſimum annum excedentem eum Divus Auguſtus hoſpes interrogavit, quanam maximè ratione vigorem illum animi corporiſque cuſtodiſſet? At ille reſpondit: intus mulſo, foris oleo.* Didicerat hoc à Democrito. Itidem enim, ut Diophanes prodit *f*, Δημόκριτος ἐρωτηθεὶς, πῶς ἂν ἄνοσοι καὶ μακροβίωνες γένοιντο οἱ ἄνθρωποι, εἶπεν, εἰ τὰ μὲν ἔξωθεν ἐλαίῳ τοῦ σώματος, τὰ δὲ ἔνδοθεν μέλιτι χρίοιντο. *Democritus rogatus, quomodo homines manerent incolumes, & fierent longævi, dixit, ſi exteriores corporis partes oleo, interiores autem melle illeverint.* Sanè Democritus hic per omnem vitam melle fuit delectatus: ac anno demum CIX deceſſit: ut ex Hipparcho proditum eſt Laërtio lib. IX. Etiam mellis eſui tribuerim, quòd apes inſectorum ſola vivunt in annum ſeptimum, vel etiam decimum: ut ex Ariſtotele, Columella, Plinioque ſuperiùs dictum. Nimirum, ut idem Plinius *g* inquit, *Mellis natura talis eſt, ut putreſcere corpora non ſinat.*

f *Geoponicῶν lib.* 15. *cap.* 7.

g *Lib.* 22. *cap* 24.

Nec viva modò corpora conſervat: ſed, ut Columella *h* ait, etiam exanima: quæ iccirco Democritus, antea quoque memoratus, melle juſſit condiri: ut Varronis *i* illud docet περὶ ταφῆς: *Quare Heraclides Ponticus plus ſapit, qui præcepit, ut comburerent, quàm Democritus, qui, ut in melle ſervarent: quem ſi vulgus ſecutus eſſet: peream, ſi centum denariis calicem mulſi emere poſſimus.* Sic ſepultum fuiſſe Alexandrum Magnum, indicat hoc Papinii in Sylvis:

h *Lib.* 12. *cap.* 45.

i *Apud Nonium.*

Duc & ad Æmathios manes; ubi belliger urbis

Conditor Hyblæo perfuſus nectare durat.

Lacedæmonii quoque ſolent corpora regum ſuorum longè à patria mortuorum melle condire, atque ita domum reportare. Unde Xenophon lib. V de rebus Græcorum ſic ſcribit de rege Ageſipolide, qui non procul ab Olyntho urbe mortuus erat: Καὶ ἐκεῖνος μὲν ἐν μέλιτι τεθεὶς, καὶ κομισθεὶς οἴκαδε, ἔτυχε τῆς βασιλικῆς ταφῆς· *Atque ille quidem in melle repoſitus, & domum reportatus, ſepulturâ regiâ eſt affectus.* De Ageſilao etiam, mortuo in Menelai portu inter Cyrenas, & Ægyptum, ſimiliter Diodorus Siculus lib. XV: Καὶ τοῦ σώματος ἐν μέλιτι κομισθέντος εἰς τὴν Σπάρτην, ἔτυχε τῆς βασιλικῆς ταφῆς τε καὶ τιμῆς· *Et corpus* (Ageſilai) *in melle deportatum*

Spar-

Spartam, *& decoratum regiâ ſepulturâ honoreque.* Sed de iſto paullò aliter Cornelius Nepos, & Plutarchus, uterque in vita Ageſilai: ubi tradunt, quia mel deeſſet, ceram fuiſſe circumfuſam. Nempe cera mellis quodammodo pars, ſanè affinis; unde eandem penè habet facultatem. Addam & exemplum partus monſtroſi. Plinius lib. VII, cap. III: *Claudius Cæſar ſcribit, hippocentaurum in Theſſalia natum eodem die interiiſſe. Et nos principatu ejus adlatum illi ex Ægypto in melle vidimus.*

Nec obſcura mihi ratio videtur, cur hanc mel habeat vim conſervandi cadavera; etſi nihil ſit illis pronius ad putredinem. Quippe mel naturæ eſt aëreæ, &c, niſi coquendo nimis eliquetur, lentore ſuo tum calorem conſtringit, ac continet nativum, ne exeat; tum arcet externum, ſive peregrinum, ne intus ſubiens temperiem ſolvat.

Cap. LXXX.

Ad morborum ex inſectis remedia tranſitur. Ita tertianæ mederi araneam lycon; quartanæ alterum aranearum genus: item cimices, vel, ſecundum alios, cochleas potius. Adhac pſeudoſphecem, & non unum ſcarabæi genus, item caudam ſcorpionis, & erucam: cujuſmodi interim remedia à Magis ſuperſtitiosè referantur. Itidem limacem, multipedam, vermiculos certos. Cochleas nudas *idem eſſe*, *ac* limaces; limaces conchæ implicitos *idem*, *ac* cochleas. *Mellis medicina contra morſum canis rabioſi, vulnera ſerpentum, & alia venena. Cimicum item, & locuſtarum, adverſus venena remedium.*

EX hiſce manifeſtum puto, quanta ſit facultas inſectorum, ac præcipuè fructus ejus, quem ex apibus percipimus, idque in nutriendo, & reparandis viribus, vitâque homini producendâ. Quæ non ad ſanos modò, ſed ægros etiam, ſe extendunt. Sed ut de ægris liquidius ſit, diffundam me per varia morborum genera, in quibus medicina petatur ab inſectis. Cæterùm omnes morbi æſtimantur ex locis affectis, pro cauſſæ influentis admiſſione ad certam ſpeciem reſtrictis. Pro hujuſmodi determinatione, &c, ut loquuntur, ſpecificatione, diſtribuuntur in internos, externos, & mixtos. Interni, ut antea quoque diximus, vel ſunt totius corporis, vel partis alicujus. Univerſi ſunt corporis, tum febres, tum morbi ex veneno provenientes. Febris ſiquidem eſt calor præter naturam in corde quidem accenſus, ſed toti inde corpori communicatus; ut Avicenna tradit lib. IV, fen. I. Ac in veneno item, cuicunque id parti primò ſit adfuſum, ſpiritui quoque vitali imprimitur: is in partes intermedias agit, priuſquam ad cor pertingat: hinc cor ipſum, velut ſedem, petit: unde partes, priùs vicinæ, mox aliæ, aliæque, infici ſolent. Nunc utrique iſti morborum generi ab inſectis eſſe medicinam, planum faciam.

In febri continua cum melancholia hypochondriaca expedit hirundines apponi ano, & ſex demi ſanguinis uncias: ut dial. IV ſuadet Antonius Mundella, ac inde memorat Ulyſſes Aldrovandus lib. VII de Inſectis, cap. X.

Dioſcorides lib. II, cap. LXVIII ait, araneum, quem vocant ὁλκὸν, vel etiam λύκον (ſic appellari etiam Heſychius autor eſt) ſanare febres tertianas, ſi emplaſtro ſubactus, & linteolo inductus, fronti ac temporibus inducatur. Idem ſic Plinius expreſſit lib. XXX, cap. XI: *In tertianis fiat poteſtas experiendi, quoniam miſeria ſpei delectat, anne aranei, quem lycon vocant, tela cum ipſo ſpecu toto, reſinâ cerâque impoſitâ utriſque temporibus, & fronti proſit; aut ipſe calamo adalligatus: qualiter & aliis febribus prodeſſe traditur.* Hoc tamen remedium à poſterioribus fuiſſe rejectum ex Marcello Empirico licet cognoſcere.

Eſt & alterum aranei genus, candidam, tenuem, & denſam texens telam. Hoc alutâ involutum, deque lacerto ſuſpenſum, dicitur τεταρταϊκαῖς περιόδοις θεραπεύειν· *mederi quartanis circuitibus*: ut eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. LXVIII.

Medentur iiſdem cimices in cubiculo enati, numero ſepteni, ſi fabis incluſi, inque cibo aſſumti, πρὸ τῆς ἐπισημασίας, *ante acceſſionem febris*, comedantur: ut Dioſcorides auctor eſt lib. II, cap. XXXVI. Eamque Dioſcoridis ſententiam Serenus Sammonicus his verſibus approbavit:

Allia non pudeat terno cum cimice trita,
Et diluta mero, mediis haurire diebus.

Imò Marcellus Virgilius in quavis febri cimices in pulverem tritos, præberi utiliter refert. Huic tamen remedio Plinius repugnat lib. XXIX, cap. IV, his verbis: *Cætera, quæ de cimicibus tradunt, vomicæ, & quartanarum remedia, aliorumque morborum, quamquam ovo, aut cerâ, aut fabâ incluſos, cenſeant devorandos, falſa, nec referenda arbitror.*

Sed loco hujus aliud ipſe remedium ſuggerit lib. XXXII, cap. X: puta *cochleas fluviatiles in vino recentes.* Et addit, *quoſdam ob id adſervare ſale, ut dent tritas in potu.*

Iiſdem quartanis remedium tale præſcribit Plinius lib. XXX, cap. XI: *Pſeudoſphecem vocant veſpam, quæ ſingularis volitat: hanc ſiniſtrâ manu apprehenſam ſubnectunt: alii verò, quam quis eo anno viderit primam.* Ubi ſine dubio à ſuperſtitione eſt, quod exigit, ut capta ſit manu lævâ, vel prima omnium conſpecta. Subdit deinde aliud remedium, *ſcarabæum, qui pilulas volvit.* Et mox: *Sed & alium adalligant Magi, cui ſunt cornicula reflexa, ſiniſtrâ manu collectum. Tertium, qui vocatur fullo, albis guttis, diſſectum utrique lacerto adalligant; cætera ſiniſtro.* Poſtea addit: *Scorpionis caudæ quatuor articulos cum aculeo, panno nigro; ita ut nec ſcorpionem dimiſſum, nec eum qui alligaverit, videat æger triduo. Poſt tertium circuitum id condat. Erucam in linteolo ter lino circumdant totidem nodis, ad ſingulos dicentes, quare faciat, qui medebitur.* De caudæ ſcorpionis, vel erucæ uſu, non adverſer: ſed quod de ſcorpionis cauda exigitur, ne videatur, qui alligat; quodque in eruca verbis certis vim medendi tribuat; omnino magicum ac ſuperſtitioſum eſt. Hinc præcipit adhiberi, *limacem in pelliculа, vel quatuor limacum capita, præciſa arundine: multipedam lanâ involutam: vermiculos, ex quibus tabani fiunt, antequam pennas germinent: alios e ſpinoſis frutectis lanuginoſos. Quidam ex illis quaternos incluſos juglandis nucis putamine adalligant, cochleaſque quæ nudæ inveniuntur. Ubi cochleæ nudæ* ſunt, quæ aliter *limaces*: uti contrà *limaces* Columellæ dicuntur *conchis impliciti*. Sic enim ſcribit *a*: a Lib. 10.

Implicitus conchæ limax, hirſutaque campe.

Ut valde decipiantur, qui *limacem*, & *cochleam*, nihil apponentes, promiſcuè ſumunt: ſanè Plinio adverſante, qui *limaces*, & *cochleas*, jungit, ut ſpecie differentes. Ut extra controverſiam ſit ponendum, limaces carere teſtâ; habere eam cochleas, unde Lucillio *b* vocantur *domiportæ*. b Apud Cic. in 2 de Divin.

Nec febribus modo medentur; ſed morbis etiam, à veneno provenientibus. Sic mel delinctum potumque valet contra morſum rabioſi canis: ut Dioſcorides tradit lib. II, cap. CI. Ibidem ait, & ex eo Plinius lib. XXII, cap. XXIV, *vulneribus à ſerpente percuſſis & contra venena fungorum*, eſſe *mel utiliſſimum*. Ac paullo pòſt ibidem addit Plinius: *Contra venenum pſimmythii aqua mulſa ſalutaris, addito oleo. Item contra hyoſcyamum, cum lacte maximè aſinino, & contra halicacabum.* Idem lib. XXVIII, cap. IV ſic ſcribit: *Cimicum, animalis fœdiſſimi, & dictu quoque faſtidiendi natura, contra ſerpentium morſus, & præcipue aſpidum, valere dicitur. Item contra venena omnia: argumento, quod dicunt gallinas, quo die id ederint, non interfici ab aſpide: carnes quoque earum percuſſis plurimum prodeſſe.* De hyoſcyamo quod ex Plinio dicebamus, etiam à Cornelio Celſo firmatur: qui lib. V, cap. XXVII *c* adverſus eum bibere jubet fervens mulſum. c Pag. 303. edit. Turn.
Quemadmodum & contra ſcorpionis ictum imponi jubet cum melle ſalem toſtum.

Vegetius artis Veterinariæ lib. IV, cap. XII adverſus *languorem, quem peſtilens morbus ingeſſit*, præſcribit ſuffimentum,

tum, in quo, præter alia ſtellæ marinæ. Addit & *pallas marinas*: ubi emendant *caballos marinos*: hoc eſt, hippocampos, ſive marinos equos, ut nuncupat Varro. Et hoc eſt genus inſecti marini, ex eo nomen habens, quòd referat καμπὰς, ſive erucas: ſed vulgaribus, erucis grandius ſit. Nam ἵππος, auget in compoſitione, ut in ἱπποσέλινον, & ſimilibus. At nomen τῆς καμπῆς eſt à caudæ flexu. Nempe ἀπὸ τῇ κάμπτειν, quod eſt *flectere*. Hippocampi venter eſt venenatus: ut Ælianus docet lib. XIV de Anim. cap. X: ubi & narrat, quoſdam putare, id non provenire ab ventris naturâ, ſed algæ genere, quo paſcitur. Verum ſententiæ iſti repugnat Rondeletius lib. de Inſectis, & zooph. Sed ſi nocet ventre hippocampus, prodeſt adverſus canis rabidi morſum, ſi exenteratus; & aſſatus comedatur: quemadmodum auctor eſt idem Ælianus. Imò & adverſus venenum ventris nobis Deus proſpexit, ſi ſepia in aceto ſuffocetur, atque id oleo mixtum bibatur. Auctor Aëtius lib. II, cap. CLXXXVIII.

Inuncti oleo ex erucis, quæ in oleribus gignuntur, tuti creduntur à morſibus venenatæ beſtiæ: quemadmodum traditum Dioſcoridi lib. II, cap. LXIV. Raſis ait, & locuſtas pedibus carentes valere adverſus omnia venena.

Quid quòd inſecta etiam inſaniæ medentur? ut nopal ocuillin, ſeu tunarum vermis; qui frequens in Huexutla, provincia Panicenſi Generatur intra tunarum folia, quæ longa, & anguſta. Vermis ipſe lineis candidis, & cyanæis, diſtinguitur. Horum bini tunduntur, & ex aqua ſemel aſſumuntur. Sin morbus ſit inveteratus, bis terve id fieri opus. Iis aſſumtis, continuò ſomnus obrepit ægro: nec multò pòſt experrectus, ad ſe ſanus redit. Auctor. Jo. Euſ. Nierenbergius, lib. XII Hiſt. Nat. cap. XXX. Ita videmus, ut inſectorum, etiam vilium, magnus ſit uſus, non dubitando divinæ bonitatis ac ſapientiæ argumento.

CAP. LXXXI.

De capitis morbis: ac primùm illius dolore, atque ut ei medeantur cochleæ; uti & epilepſiæ. Cui item remedium à muſcis, & ſtellis marinis, ſive ἀστερίοις. Paralyticis medicina à mulſo, & aſellis: atque obiter de natura ejus inſecti, & aliis nominibus. Ut nervorum vitia corrigantur vermibus terreſtribus, & ſcarabæis, qui Lucani *vocantur.*

SEd magis id parebit, ſi viderimus de morbis alicujus partis: ac primùm capitis: quales (præter omnino externos, ut alopeciam, maculas faciei, & ſimiles, ſi & hi poſſint *morbi* vocari) duûm generum videntur: alii quidem, ubi partes affectæ non cernantur; alii, ubi morbus ſit partis in oculos incurrentis. Prioris generis triplex eſt. Nam is vel tentat cerebri membranas, vel cerebrum ipſum, vel ejus ventriculos. Membranas cùm afficit, velut meningem & pericranium, dicitur *dolor capitis*, ac particulatim *cephalalgia*, *cephalæa*, & *hemicrania*. Medicina his à cochleis. Plinius lib. XXIX, cap. VI: *Capitis doloribus remedio ſunt cochlearum, quæ nudæ inveniuntur, nondum peractæ, ablata, capita ex his lapideâ duritiâ exemta; (eſt autem calculi latitudine:) quæ alligantur, & minutæ fronti illinuntur trita.* Ac ſimiliter Serenus Sammonicus, De medendo capiti agens:

Profuit & cochleis frontem tractare retectis.

Ubi *retectis* valet *nudis*. Sed malim cum aliis legere *minutis*: ut apud Plinium eſt, inque melioribus Sereni libris *a*. Id verò ridiculum puto, quod refert Marcellus de Medicamentis cap. I: *b*. *Limaci calculum, quem in lapide habet, tolle: quod non facilè facies, niſi ei, dum in via repit, caput ſubitò abſcideris: quem lapidem, quamdiu tecum habueris, nunquam ullum dolorem capitis nec ſenties, nec patieris.*

a Etiam editione à Io. Cælario procuratâ, & Pariſienſi illa Pithæi.
b Pag. 34 edit. Baſil an. 1536.

Cerebrum ipſum affligunt tum phrenitis, delirium, & ſimiles morbi, actionem depravantes: tum amentia, veternus, alii, qui, abolent actionem. Sed potentioribus ad eos, quàm inſectis, opus remediis videtur.

Ventriculos, ductuſque, afficiunt epilepſia, paralyſis, convulſio & tremor nervorum, ac ſimiles.

De epilepſia ſic Plinius lib. XXX, cap. X: *Comitialem morbum cochlearum cinis, addito ſemine lini, & urticæ, cum melle inunctis ſanat.* Ac poſtea: *Fuere & qui viginti unam muſcas rufas, & quidem emortuas, in potu darent; infirmioribus pauciores.* Etiam inter alia ſtellas marinas prodeſſe epilepticis, à Nicolao Myrepſo proditum eſt. Ἀστέριον ille nuncupat: quo vocabulo *ſtellam marinam* intelligi, facilè adſentio maximo Turnebo lib. XVIII Adverſ. cap. XVIII.

Paralyticis mulſum conducere, Plinii ſententia eſt lib. XXII, cap. XXIV. Iiſdem tale eſt remedium apud Marcellum cap. XXXV *a*: *In locis humidis, & ſordidis, ſub lapidibus inveniuntur beſtiolæ multipedes, quæ contactæ contrahuntur, & rotundantur. Ex his XXI contritæ cum optimo melle, & ex aqua potui per fiſtulam datæ, paralyticis medentur. Ideo autem per fiſtulam potandæ ſunt, ne dentibus noceant; quos ſi contigerint, nigrificant.* Animalcula, quæ ſignat Marcellus, Græci ὀνίσκους, Latini *aſellos* vocant. Nec ſub lapidibus modò ſordidis, quod hic ait Marcellus; ſed etiam in ſterquiliniis *b* naſcuntur, locíſque, ubi meii ſolet: unde Belgica appellatio, quam ſuperiùs *c* adduximus. Si manu contingantur, in pilæ ſe modum conglobant: ut ea deſcribit Dioſcorides lib. II, cap. XXXXII, Galenus item in III κατὰ τόπους, & XI ſimplic. medicam. ubi ait, aliter vocari κυάμους, hoc eſt, *fabas*, non tam à forma, quàm colore fuſco. Cælius Aurelianus *d* à figura nominat *porcelliones*, Marcellus Emp. *e* à cutis duritie, *cutiones*.

a Pag. 240. edit. Froben.
b Idem Marcellus cap. 15. pag. 109.
c Cap. 75.
d Lib. I Tardarum Paſſionum. cap. 4. Rovill. edit. pag. 287.
e Cap. 9. edit. Froben p. 76. & cap. 15. pag 109: item c. 32. pag 226.

Huc etiam pertinet medicina nervorum, quia illis à cerebro ſit origo. Elſi & ſeorſum illi dare locum poſſis in medicina morborum, qui inſident partes ſimplices, & ſimiles, quas vulgo dicunt ſimilares. Nervos præciſos glutinant vermes terreſtres, triti, & impoſiti; ſecundum Dioſcoridem lib. II, cap. LXXII. De iiſdem ſic Plinius lib. XXX, cap. XII: *Nervorum nodis* (qui Græcis γάγγλια) *medentur terreni vermes cum melle illiti.* Marcellus Empiricus cap. XXXV *f*: *Vermes terrenos, aut exuſtos, contere cum axungia vetere, & adjice herbam ſenecionem, & cacumina buxi tenera, & tus maſculum, contritaque hæc ſimul permiſce, & emplaſtri more adpone nervis præciſis, vel vexatis: confeſtim eos reparabis: quod remedium bubus etiam, & jumentis, ſimiliter prodeſt.*

f Pag. 240.

Juniores item ſi conſulamus, docebit Ferrantes Imperatus Retract. XII, quæ ſer. epiſc. ſcarabæos, ut Nigidius *g* vocabat, Lucanos, quos vulgo *cervos volantes*, Neapolitani *grancio h* nuncupant, feliciter mederi contractionibus nervorum. Atque idem ex eo prodidit Ulyſ. Aldrovandus in IV de Inſectis, cap. III. Apud Pierium item Valerianum lib. VIII Hieroglyphicôn legas *i*, *in Veneta regione gramphos quaſi ceramphos, hoc eſt, bicornes, appellari: cornicula ea etiam in frigidiuſcula lavatione urinatoribus ad nervorum ſtuporem, qui plerumque fit in aquis, amoletum credi.*

g Ita Plinius lib. II. c. 28.
h Ut Gallicè la grampe.
i Pag. 79. edit. Lugd. 1602.

CAP. LXXXII.

Remedia oculis à cochleis, melle, araneo, ſcarabæo: qui iccirco in pretio fuerit gemmarum ſculptoribus. Præterea à cochleis, & vermiculis vipera. Auribus medicina à blattis: ſed cautione illâ, ne in aure relinquantur, donec novum inde inſectum generetur. Alia item à vermibus terrenis, & rubris arborum vermiculis. Adhæc ab ὀνίσκοις, ſive aſellis, cochleis, araneis, gryllis, formicis, melle, ſcarabæo, pulice marino. Naribus remedium à melle, cochleis, pityocampe. Dentibus item à millepeda, araneis λύκοις, vermiculis terrenis, vermiculo in lubro Veneris, & arenulis in cochlearum cornibus.

VIdeamus nunc de morbis eas afficientibus capitis partes, quæ ſenſui exponuntur. Ac primùm de illis oculorum.

Ἀμ-

ἀμβλυωπίαν, ſeu viſus hebetudinem, corrigunt cochlearum omnium teſtæ, ſi totæ cum ſua carne uſtæ, & contritæ, illinantur; ut ait Dioſcorides lib. II, cap. XI. Ac cauſſam addit, quia vim habent extergendi. Dixi de iſto jam libri hujus cap. XXXIX. Nempe quia cochleis, in aquatilibus pariter, atque inſectis, eſt locus.

Quidam oculorum angulos exulceratos melle tangi ſuadent: ut eſt apud Plinium lib. XXII, cap. XXIV. *Per ſe* tamen *oculis inutile aliqui arbitrantur*; ut ibidem legas. Sed idem lib. XXIX, cap. ult. *Mel utiliſſimum oculis, in quo ſunt apes immortua.* Inibi poſtea legas remedium adverſus influxum humoris, & imprimis in oculos, qui Græcis ἐπιφορὰ vocatur. *Aranei*, inquit, *muſcaris tela, & præcipuè ſpelunca ipſa impoſita per frontem ad duo tempora, ita ut à puero impube, & capiatur, & imponatur, nec is triduo ſe oſtendat ei, cui medeatur, neve alteruter nudis pedibus terram attingat his diebus, mirabiliter epiphoris mederi dicuntur.* Sed hoc, magnam ſaltem partem, ſine dubio ſuperſtitioſum eſt. Sequitur deinde: *Albugines quoque dicitur tollere inunctione araneus candidus, longiſſimis ac tenuiſſimis pedibus contritus in oleo vetere.* Hoc jam ad externos potiùs morbos pertinere videatur, cum affectio ipſa conſpicua ſit: ſed quæ ad oculos pertinent, ea ſatius ſimul apponere putavi. Hinc addit: *Sed is etiam araneus, cui craſſiſſimum textum eſt, in contignationibus fere adalligatus panno, epiphoras ſanare traditur.* Hinc remedium aliud oculis: *Scarabæi viridas natura contuentium viſum exacuit. Itaque gemmarum ſculptores contuitu eorum acquieſcunt.* At firmat iſta Marcel-
a Pag. 61. lus lib. de Medicam. cap. VIII *a*: *Scarabæus coloris ſma-*
edit. Baſil. *ragdini tantum beneficii oculis præſtare dicitur, ut viſionem ei acutiſſimam reddat, qui eum contemplatus fuerit aſſiduè.* Aliud item ſubdit Marcellus his verbis: *Cochleas Africanas veras ſuper ſpiſſam craticulam diſpoſitas ponito, & carbones acres adſiduè ſuggerito, ut æqualiter comburantur: deinde mortario terito, ut tenuiſſimum ex his pulverem facias, adjectâque mellis Attici cotylâ unâ, iterum validiſſimè terito, & poſtmodum in vaſculo fictili repone, & ſigna: & cum alicui mederi voles, ſpicillo inde eum inunge: intra paucos dies integram aciem ejus,*
b Pag 62. *claramque reſtitues.* Hinc & aliud *b* addit collyrium ex viperæ vermiculis cum melle Attico contritis. Sed nihil attinet omnia adſcribere. Ad aurium igitur affectiones accedamus.

Interanea ejus blattæ, quæ reperitur in piſtrinis, cum oleo trita inſtillatu mitigant aurium dolores: ut tradit Dio-
c Mater. Med. ſcorides τῆς ὕλης *c* lib. II, cap. XXXVIII. Plinii quoque eſt lib. XXIX, cap. ult. *Eſt & quædam pinguitudo blattæ, ſi caput avellatur: hanc tritam unà cum roſaceo auribus mirè prodeſſe, dicunt: ſed lanam, quâ incluſerint, poſt paullum extrahendam. Celerrimè enim id pingue tranſire in animal, fierique vermiculum. Alii binas, ternaſve, in oleo decoctas, efficaciſſimè auribus mederi ſcribunt, & tritas in linteolo imponi contuſis.* Præterea terreni vermes decocti cum anſerino adipe, & inſtillati, ῥᾶστα ἐγχυματιζόμενα θεραπεύει· *auribus affectis medentur*: ut eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. LXXII. Similiter Plinius lib. XXIX, cap. ult. *Conſtat deplorata aurium vitia ſanari, ſi terreni vermes adipe anſeris decocti infundantur. Item ex arboribus rubri, cum oleo triti, exulceratis & ruptis auribus præclarè medentur.* Poſterius hoc etiam legas apud
d Lib. ſecundum locos. Galenum lib. III τῶν κατὰ τόπους *d*. Ac idem refert Serenus Sammonicus cap. XIII:

Annoſâ rubros ſi legeris arbore vermes,
Ex oleo tere: ſic tepidos impone dolenti.

Prius verò tradit inibi his verbis:

Si verò obtuſâ ſenſus morietur in aure,
Lumbricos terræ, ſevumque ex anſere rauco,
Excoque: ſic veterem poteris depellere morbum.

Apud Galenum lib. XI de Simplic. ſimpliciter pro anſerino adipe in oleo coctos præſtare ex Apollonio legitur. Ac ſimiliter Plinius lib. XXX, cap. III: *Vermes terreni decocti in oleo, infuſique auriculæ, cujus è parte doleant, præſtant levamentum.* Aliud remedium idem Plinius adfert lib. XXIX, cap. ſext. aliquanto poſt verba antè adducta: *Millepeda, ab aliis centipeda, aut multipeda dicta, animal eſt è vermibus terræ piloſum, multis pedibus arcuatim repens, tactuque contrahens ſe: oniſcum Græci vocant, alii tylon: efficaciter ſanat aurium dolores, in cortice mali Punici decoctum, & porri ſucco. Addunt & roſaceum, & in alteram aurem infundunt.* Sane ὀνίσκους à Severo tritos cum unguento, & exulceratis auribus infuſos, etiam commendat Galenus in tertio de Compoſitione. Paullo pôſt ait Plinius: *Cochleæ, quæ ſunt in uſu cibi, cum myrrha, aut thuris polline, appoſitæ, item minutæ, & latæ, fracturis aurium illinuntur cum melle.* Ac mox; *Aranei ſanies cum roſaceo, aut per ſe in lana, vel cum croco, auribus prodeſt.* Ac lib. XXX, cap. ult. inquit: *Sunt qui & araneum animal ſiniſtrâ manu captum, tritumque in roſaceo, & in aurem infuſum, cujus à parte doleat, prodeſſe arbitrentur.* Quod requiritur de manu ſiniſtrâ, ſine dubio nullius eſt momenti. Et Avicenna ſimpliciter ſcribit, telâ aranei cum oleo inſtillatâ dolorem aurium mitigari. Plinii quoque eſt ex memorato antè libro XXIX, cap. ult. *Auribus prodeſt gryllus cum ſua terra effoſſus, & illitus.* Et poſt pauca de auribus purgandis ſic loquitur: *Utuntur & per ſe ovis formicarum. Namque & huic animali eſt medicina, conſtatque urſos ægros hoc cibo ſanari.* Extremo penè capite idem ait: *Mel utiliſſimum auribus quoque eſt, in quo apes emortuæ ſunt.* Idem lib. XXII, cap. XXIV cum roſaceo inſtillari jubet auribus ſonantibus, ac dolentibus. Pro roſaceo ſal foſſile tritum eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. CI. Oleum quoque, in quo efferbuit ſcarabæus, earum doloribus prodeſſe, tradit Galenus libro de Theriaca ad Piſonem. In aquaticis inſectis ſunt ψύλλοι θαλάττιοι, *pulices marini*, Ariſtoteli etiam memorati lib. IV Hiſt. Anim. cap. X. In litoribus reperiuntur, ac ſi coquantur cum oleo roſaceo, vel vino albo, dolori aurium medentur: ut Kiranidi, ſcriptori Arabi, ſed ab interprete quomodocunque Latinè reddito, traditum lib. I. Idem præſtant hirudines marinæ in veteri oleo coctæ: ut docet Rondeletius in opere de Aquatilibus.

Nunc de naribus, odoratus inſtrumento, & αἱμοῤῥαγίας, ſive ſanguinis è naribus fluxu, videndum. Plinius lib. XXXII, cap. X: *Gravitati odoris* (ita pro *ſaporis* eſt in vett. lib.) *proficit ſuccus cancrorum fluviatilium cum melle.* Quod in inſectis hîc, non cancrorum ratione, ſed mellis, referri, ſatis apertum eſſe arbitror. Sanguinem, ut Plinius lib. XXX, cap. XIII ait, *cochlearum terrena ſiſtunt*, hoc eſt, terrenum ſive lutoſum illud teſtis adhærens. Sequitur deinde: *Sed & ipſæ extractæ teſtis. E naribus fluentem ſiſtunt cochleæ contritæ fronti illitæ: aranei telæ ſuppoſitæ.* Quomodo & pityocampes tela ſanguinem cohibet; ut monitum Matthiolo in Dioſcor. lib. II, c. LV. Item à cimicibus remedium hæmorrhagiæ petit Serenus Sammonicus his verbis:

Si modicus pleno manet de corpore ſanguis,
Subvenit: at nimius cum vita funditur ipſâ.
Quapropter multo naris completa cruore
Cum fluit, attritus cimex conducit odore.

Ac à Kiranide antè memorato traditum, ſanguinem naribus profluentem ſiſti, ſi iis immiſeris limacem cum manna, ſive thure contuſo. De qua vocabuli *mannæ* ſignificatione alibi *a* etiam diximus. a Lib. 3. Grammat. artis, cap. 20.

Dentibus quoque ex inſectis ſua ſunt remedia. Nam millepedæ tritæ, inque cortice mali Punici addito roſaceo calefactæ, & dentibus inſtillatæ, remedio ſunt πρὸς ὀδονταλγίαν, *ad dolorem dentium*: ut eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. XXXVII. Ex Archigene item narrat Galenus lib. V τῶν κατὰ τόπους *b*, vermiculos illos ovo ſimiles, quos b Secundum locos. aranei λύκοι pariunt, ſi diluantur unguento nardino, dolori dentium mederi. Varia item remedia exeſis dentibus congeſſit Plinius lib. XXX, cap. III: *Vermium terrenorum cinis, exeſis dentibus conjectus, ex facili cadere eos cogit: integros dolentes illitus juvat. Comburi autem opor-*

tet in teſta. Is quoque vermiculus, qui in herba Veneris labro appellata invenitur, cavis dentium inditus mirè prodeſt. Nam erucæ braſſicæ ejus contactu cadunt. Et e malva cimices infunduntur auribus cum roſaceo. Arenulæ, quæ inveniuntur in cornibus cochlearum, cavis dentium inditæ ſtatim liberant dolore. Serenus Sammonicus cap. xv:

Exeſos autem dentes ſi forte quereris,
Prodeſt & pulvis lumbrici corpore toſto.

Gingivis hoc remedium eſt apud Plinium loco proximè indicato: *Cochlearum*, inquit, *inanium cinis cum myrrha gingivis prodeſt.*

Cap. LXXXIII.

De morbis colli; ut anginâ, & tonſillis; quibus medicinæ à melle, & cera; item millepedis, & aſellis. Adverſus aſperitatem faucium, & gurgulionem, è cochleis, & gryllo. Ex eodem gryllo remedium contra ſtrumam; item è ſcarabæo terreſtri, & vermibus terrenis, ſive lumbricis; adhæc quodam blattarum genere, nec non cerâ. De thoracis morbis: ubi primum de tuſſi morboſâ; eique remedium è cochleis, melle, & aqua mulſa. Hinc de aſthmate, ſive ſuſpirio, & orthopnœa: priori mederi multipedas, & cochleas: alteri, tryxalin; item mel cum blattis. Tum de peripneumonia, cui mella occurritur. Exinde adverſus ulcera pulmonis medicamentum ex millepedis, & cochleis. Inſuper contra palpitationem cordis remedium à tela aranea: contra lipothymiam, è cochleis, & bombycum tela: contra pleuritidem a cera, favis, ac melle: contra mammarum ſuppurationes, & lactis defectum, a lumbricis cum mulſo.

NUnc de colli, & thoracis morbis videamus. Colli ſunt angina, & tonſillarum, ac gurgulionis inflammatio. *Mel*, ut Plinius ait lib. xxii, cap. xxiv, *faucibus, tonſillis, anginæ, utiliſſimum.* Ac libri hujus c. xl ſimile adduximus ex ejuſdem libri cap. viii. Serenus Sammonicus cap. xvi, de faucium morbis ab apibus bifariam remedium quærit: nempe non melle modò, ſed etiam cerâ. De melle ſic ſcribit:

Simplicibus lymphis confunditur aëreum mel.

De cera autem remiſſa, ſive liquefacta, hoc pacto:

Præterea fauces extrinſecus ungere prodeſt
Urſino & tauri ſebo, ceriſque remiſſis.

Præterea tonſillis eſt remedium à millepedis tritis: ut Plinio traditum lib. xxx, cap. iv. Ibidem etiam legas: *Millepedam illini anginis, efficaciſſimum putant.* Ubi cave per *millepedam* intelligas *ſcolopendram*; etſi & eam quandoque *centipedam* videas, vel *millepedam* nominari. Quomodo enim ſcolopendra medeatur anginis, quæ inſectum ſit adeò pernicioſum? Sed intelligi debent aſelli, ſive cutiones; ut oſtendit Dioſcorides lib. ii, cap. xxxvii: ubi, idem anginis remedium docens, vocat ὄνοι ὑπὸ ταῖς ὑδρίαις a. Ac firmat quoque Galenus: qui & ipſe, in ſexto de Compoſitione Medicamentorum, ὄνους reponit in remediis, quæ Archigenes dabat adverſus gurguliones inflammatos. Cochleæ etiam faucibus medentur. Plinius lib. xxx, cap. iv: *Aſperitatem faucium, & deſtillationes, leniunt cochleæ.* Ac ſimiliter gurgulionem columnæ inſtar pendulum (*uvam*, vel *columellam*, nuncupant)

—— *Pulvis toſti relevabit aceti,*
Aut cinis ex cochlea. ——

a *Aſellos ſub vaſis aquariis agentes.*

Etiam aſperitatem faucium, & deſtillationes, ut ibidem traditum Plinio, *lenit gryllus infricatus, aut ſi quis manibus, quibuſcum contriverit, tonſillas attinget.*

Ad colli etiam morbos pertinet ἡ χοιράς, ſive ſtruma. Utcunque enim in alis quoque, & inguine, & lateribus, & feminarum uberibus, proveniat: maxime tamen in glandulis gutturis, quæ facilè admodum fluxus recipiunt. His etiam inſecta medentur. Unde Plinius libri memorati cap. prox. *Strumis gryllum illinire cum ſua terra effoſſum ſuadent.* Ac mox: *Tauri vocantur ſcarabæi terreſtres, ricino ſimiles: nomen cornicula dedere. Alii pediculos terræ vocant. Ab his quoque terram egeſtam illinunt ſtrumis, & ſimilibus vitiis. Alii vermes terrenos totidem, quot ſint ſtrumæ, adalligant, pariterque cum his areſcunt.* Idem lib. xxxix, cap. ult. ait, *Tertium blattarum genus exacutâ clune ſanare ſtrumas, panos, diebus viginti uno impoſitas.* Marcelli quoque Empirici eſt cap. xv a: *Malagma ad ſtrumas, & ad omnem duritiam relaxandam, mirificum, ſic reſinæ terebinthinæ* P. II. *ceræ ſelibram: propolis, quam quidam ceram ſacram vocant* P. I. Oxymeli commendat Oribaſius lib. vii Synopſ. c. xxix.

a P. 111. edit. Baſil.

Rigori cervicis medentur pediculi marini: uti in aquatilibus jam dictum libri hujus cap. xl.

Thoracis morbi vel utrique ſunt ſexui communes, vel proprii ſequioris. Priores, ut pulmonis, vel cordis, vel membranæ coſtas ſuccingentis. Pulmonis, ut tuſſis morboſæ, reſpirationis difficilis, phthiſios. Tuſſi remedium adfert Plinius lib. xxx, cap. vi: *Cochleæ crudæ tritæ, tum aquæ tepidæ cyathis tribus ſi ſorbeantur, tuſſim ſedant.* Mel quoque tuſſi prodeſt, quia craſſos humores abſterget. Dioſcorides auctor lib. ii, cap. ci. Hinc Serenus Sammonicus cap. xviii, de tuſſi agens:

Ovum melle teres domitum ferventibus undis.

Plinii quoque eſt lib. xxii, cap. xxiv: *Aqua mulſa & tuſſientibus utilis traditur.* Et Marcelli Empirici cap. xxix b: *Aqua mulſa ex melle crudo pota liquores, qui pulmoni inſidunt, & difficulter exſcreantur, depellit.*

b P. 214. edit. Froben.

Reſpiratio nunc eſt depravata; ut ſi difficilis, denſaque ſit, velut in aſthmaticis: nunc admodum frequens, ut in orthopnoicis; qui non niſi rectâ cervice poſſunt reſpirare. Aſthmaticis remedio erunt ὀνίσκοι, ſive aſelli, ſi deni, vel ſextarii menſurâ, à jejuno bibantur; ut tradit Galenus in vii de Compoſ. Med. ubi hoc medicamentum ad auctorem Antonium Muſam refert. Ac idem remedium eſt apud Dioſcoridem Parabilium lib. ii, cap. xl. Item Oribaſium, Aëtium, Æginetam. Alia etiam adverſus aſthma, ſive ſuſpirium, præſcribit Plinius lib xxx, cap. vi: *Suſpirioſis multipedæ medentur; ita ut ter ſeptenæ in Attico melle diluantur, & per harundinem bibantur. Alii centipedam vocant, & ex aqua calida dari jubent.* Ubi obiter videmus *millepedam*, & *centipedam*, eandem credi. Millepedas verò etiam hoc in morbo commendant, tum Galenus, qui Aſclepiadem ſecutus; tum Paullus Ægineta: ſed ille urit in furno; hic frigit in ſartagine. Sequitur paullo pòſt apud Plinium: *Cochleæ ex paſſi cyathis tribus ſingulæ contritæ cum ſua teſta, & calefactæ in potu, dantur diebus plurimùm novem. Aliqui ſingulas primo die dedere, ſequenti binas, tertio ternas, quarto duas, quincto unam. Sic & ſuſpiria emendant, & vomicas.*

Ad orthopnoicos pertinet, quod continnò ſubdit: *Eſt animal locuſtæ ſimile ſine pennis, quod tryxalis Græcè vocatur; Latinum nomen non habet, ut aliqui arbitrantur: nec pauciores hoc eſſe, quod gryllus vocetur. Ex his xx torreri jubent, ac bibi e mulſo, contra orthopnœas, ſanguinemque ſpuentibus. Eſt qui cochleis illotis protropum infundat, vel marinam aquam ita decoquat, & in cibo ſumat: aut ſi trita cum teſtis ſuis ſumantur cum protropo, ſic & tuſſi medentur.* Apud eundem lib. xxix, cap. ult. legas, Diodorum tradere, ſe ut in morbo regio, ſic etiam orthopnoicis, cum reſina, & melle dediſſe tertium illud blattarum genus, quod odoris tædio eſt inviſum, & exacutâ clune.

Itidem mel contra [illegible], ſive pulmonis exulcerationem, præſcribit lib. xxii, cap. xxiv.

Etiam pulmonis exulcerationi, ac vomicis, ſua ex inſectis remedia habemus. Plinius geminum ſuggerit lib. xxx, cap. x: *Tradunt utiliſſimas eſſe millepedas phthiſin ſentientibus: cochlearum cinerem potum in vino.* Etiam cap. vi cochleas laudàrat. *Cochleæ*, inquit, *ſuſpiria emendant, & vomicas.* Ac ſimiliter Serenus Sammonicus cap. xx:

Si

Si verò phthiſis annoſo ſedet improba morbo,
Intritas vino cochleas hauſiſſe juvabit.

Sed hoc remedium occaſione aquatilium jam adduximus cap. xl. Et pertinet eodem illud Sammonici, cap. xxii: ubi ſermo de rejicientibus ſanguinem:

Et cinis ex calido prodeſt epota Lyæo,
Ovorum cinis, aut cochlearum.

Cordis affectio eſt παλμὸς, ſive ejus *palpitatio*: cui opitulari dicitur araneæ tela, è cordis regione impoſita. Item hujus loci ſunt lipothymia, & ſyncope: ut quibus ſpiritus vitalis in corde aggravetur: unde facultas motrix debilitatur manifeſtè, ut in lipothymia, vel judicio quidem ſenſuum planè etiam aufertur, ut in ſyncope. Remedium ſuggerit Plinius lib. xxx, cap. vi: *Cochleæ*, inquit, *in cibos his, quos linquit animus, aut quibus vertigines ſunt, ex paſſi cyathis tribus ſingulæ contritæ cum ſua teſta, & calefactæ, in potu datæ diebus plurimum novem.* Quod
a P. 152. edit. Baſil. an. 1536. ſic expreſſit Marcellus Empiricus cap. xx a: *Ad eos, quos ſubito linquit animus, & quibus mens alienatur, aut vertigo eſt, cochleæ cum ſuis teſtis tritæ, incoctæ ita dantur per dies quinque: ac primâ die cochlea una cum paſſi cyatho potanda detur: alia die duæ, cum duobus cyathis: quinctâ die una cum cyatho uno.* De vertigine idem remedium
b Pag. 39. & 40. edit. Baſil. ſe offert cap. iii b. Sed ea non cordis eſt affectio; verùm cerebri anterioris, ubi ſpiritus animalis in orbem à vapore movetur, unde foris objecta circumagi videntur. Solùm igitur lipothymia hujus eſt loci: ſed a Plinio, & Marcello, cum vertigine jungitur; quia eâdem ratione utrique occurritur.

Serico etiam, quod bombyci debemus, corroborari cor, ab Arabibus non exiguo conſenſu traditum eſt. At plerique alii negant, quia ſericum ſit frigidum; uti & vermes frigidi, & morus frigida, cujus foliis veſcuntur. Verùm Scaliger Exercit. clviii, ſect. ix, eo Arabes tuetur, quòd in Syria, & Ægypto, alantur foliis ficulnis: hæc verò calidæ eſſe temperiei conſtet. Atque idem Scaliger ad Theophraſti lib. ii de Cauſſis Plant. cap. vi, argumenti iſtius à cibo petiti vim eo refellit, quòd & videamus ardeolarum, licet piſcibus veſcantur, tam calida eſſe excrementa, ut arbores exurant. Quare nihil cauſſæ eſt, cur negemus, ſericum eſſe temperatum, ac utiliter adhiberi in corroborantibus cor: ut in diamoſco. alchermes, ſirupo de pomis, & de citri corticibus. Uſus ad corroborandum cor hujuſmodi eſt. In minutiſſimas ſcindi particulas Serapio jubet. Haly monet, ut in fornace uratur poſt recentem eductum panem. Præcordia juvat mel ſive mulſum. Serenus Sammon. cap. xxv:

Languida ſi duro turgent præcordia morbo,
Miſcetur mulſæ farris ſextarius unus.

Lumborum dolori Plinius lib. xxx, cap. vi præſcribit *cochleas tres contritas cum teſtis ſuis, atque in vino decoctas, cum piperis granis* xv.

Membranam coſtas ſuccingentem afficit pleuritis. Adverſus eam impensè laudatur oleum ceræ per alembicum arte chymicâ deſtillatum. Ejus verò parandi varii traduntur modi: quos apud Aldrovandum reperies lib. i de Inſe-
c P. 187. ctis cap. iii c. Imò Hippocrates ipſe in altero pleuritidis genere favum exhibet aquâ maceratum. Ac Plinius lib. xxii, cap. xxiv præcipit mel decoctum.

Quæ de thoracis affectionibus diximus, utrique ſunt ſexui communia. Quod ſupereſt de eo, ſolas ſpectat feminas. *Vermes terreni impoſiti*, ut Plinius ait lib. xxx, cap. xiv, *mammarum ſuppurationes concoquunt, & aperiunt, extrahuntque, & ad cicatricem perducunt. Lac devocant* (καζαντᾶσι) *poti cum mulſo.* Similiter Serenus Sammonicus cap. xxi, quod eſt de mammis ſanandis, vel ſtringendis:

Sin autem clauſas penitus dolor urget acerbus,
Lumbricis terræ turgentes unge corymbos.

Eoſdem eſſe idoneos lacti in uberibus generando, quando eo deſtituuntur nutrices, Græcorum pariter, atque Arabum judicium eſt.

Cap. LXXXIV.

De ventriculi, & inteſtini morbis. Ac ventriculo quidem medicina à melle, & mulſo. Adhæc è cochleis, & aſellis. Morbo colico remedium à cicadis: dyſentericis verò, uti & cœliacis, à melle, & cera. Mel item mederi torminibus ventris. Alvum ſolvi cochleis, & melle, vel mulſo. Procidentiam alvi, & condylomata, cochleis ſanari, & araneis.

Sequitur venter: ubi prima concoctio fit ventriculo, & inteſtino. Ventriculo remedium ab apibus. Plinius lib. xxii, cap. xxiv: *Mulſum appetendi revocat aviditatem cibi.* Sammonicus item cap. xix dolori ſtomachi, quem verè corporis regem vocari ait, lactucam præſcribit, quam inquit,

—— Admiſto jejunus ſumito melle.

Ac poſtea ſubdit:

Proderit & ſtomacho, victas & concoquet eſcas:
Grana peregrini piperis diffindito quinque,
Niliaco melli quæ mane inſerta capeſſes.

En aliud remedium à cochleis, & terreſtribus, & marinis; ſed his magis. Idem paullo antè:

Seu cochleas undis calefactas, ac prope victas,
Suppoſitis torre prunis: vinoque, garoque,
Perfuſas cape: ſed prodeſt magis eſſe marinas.

Quæ expreſſit ex illis Plinii lib. xxx, cap. vi: *Cochlearum cibus ſtomacho medetur. In aqua eas ſubferveſieri intacto corpore earum oportet; mox & in pruna torreri, nihilo addito; atque ita e vino, garoque, ſumi, præcipuè Africanas. Nuper hoc compertum plurimis prodeſſe.* Et mox: *Cochleæ marinæ ſtomacho utiliores ſylveſtribus: efficaciſſime in dolore ſtomachi. Laudatiores traduntur, quæcunque vivæ cum aceto devoratæ.*

Eſt & remedium ſtomacho ab ὀνίσκοις, ſive aſellis cum melle ſumtis, idque ad vomitum ciendum. Auctor Archigenes; ut ex eo refert Galenus lib. vi de Compoſit. Med. ſec. loc: Similiter Dioſcorides, vel alius, lib. i Parabil. cap. lxxxix, & Aëtius cap. xlvii lib. iv Tom. ii.

Inteſtina tum cibo tranſitum præbent ad venas meſaraicas, &, dum tranſit, magis concoquunt: tum, quod à ſuctione venarum reliquum eſt, expellunt. Suntque partim gracilia, ut ſuperiora; duodenum, jejunum, ileon, à quo morbus iliacus: partim craſſa, quibus feces continentur; ut cæcum, colon, rectum; à quorum medio colicus morbus nomen accepit. Huic prodeſt, ſi tres, quinæ, vel ſeptenæ dentur cicadæ ſiccæ, cum totidem piperis granis; ſed per intervalla, interim in ipſo etiam paroxyſmo. Auctor Galenus lib. xi de Simplic. Med. facultatibus.

Inteſtinorum, tum gracilium, tum craſſorum affectio eſt δυσεντερία, quam *difficultatem inteſtinorum* κατὰ λέξιν a a Adverbum.
dixeris. Eſt ea cruenta excretio ab exulceratione inteſtinorum cum cruciatu ex bilioſo humore, cum cupiditate crebrâ egerendi, ſed pauca egerens. Remedium dat Plinius lib. xxx, cap. vii: *Dyſentericos recreant cochleæ duæ cum ovo, utraque cum putamine contrita.* Addit deinde reliquum utendi modum; & ut idem præſtant cochleæ nudæ, maximè Africanæ. Ac mox: *Dyſentericis, & cœliacis, medetur mel, in quo ſint immortuæ apes, decoctum.* Atque idem lib. xxii, cap. xxiv: *Cera*, inquit, *datur in ſorbitione dyſentericis, favique ipſi in pulte alicæ priùs toſtæ.* Hoc ipſum de cera proditum eſt Dioſcoridi lib. ii, cap. cv: deque nova, ac molli, ex Galeno interpretandum.

Etiam, ut ait Plinius lib. xxx, cap. viii, *tormina & melle curantur, in quo ſunt apes immortuæ, decocto.*

Hujus etiam loci eſt, quæ alvum ſiſtant, vel ſolvant. De poſteriori Plinius lib. xxx, cap. vi: *Cochleæ ſylveſtres, ſtomacho inutiles, alvum ſolvunt. Item omnes minutæ.* Puto *ſylveſtres* dicere ad aliarum diſcrimen. Quippe ait ejuſdem libri cap. vii: *Siſtit alvum & cochlea, ſicut diximus*

mus in ſuſpirioſis, temperata. Modum temperandi ex Plinio ſuperiùs adduximus in pectoris vitiis. Addit deinde, idem præſtare *cinerem cochlearum quæ vivæ crematæ ſunt,* a P. 214. edit. Froben. *potum ex vino auſtero.* Marcellus Empiricus cap. XXIX *a*: *Aqua mulſa, ex melle crudo pota, ventrem movet, extenuat glutinoſa. Eadem inteſtinis præſtat remedium: & venis, quæ ſunt in proximo circa inteſtina, medetur.*

Ad inteſtina etiam pertinet hoc Plinianum libri ejuſdem cap. VIII: *Procidentia, alvi ſuccus cochlearum punctis evocatus, illitu depellit. Condylomatis privatim araneus, demto capite, pedibuſque, infricatur.* Ubi condylomata ſtrictè intellige tubercula ani, quæ, voce additâ, Mar- b. P. 219. cellus *condylomata ani* mavult dicere cap. XXXI *b*. Idem Plinius lib. XXX, cap. XV: *Cochlearum inanium cinis admiſtus ceræ, procidentium interaneorum partes extremas prohibet. Oportet autem cineri miſceri ſaniem punctis emiſſam è cerebris viperæ.*

Peritonæi rupturæ prodeſt ſtella lævis, ſi applicetur cum ononide: ut eſt apud Rondeletium.

Cap. LXXXV.

Jecori mederi hirudines, apes ſuo melle, cantharidas, locuſtas. Morbis ex flava bile provenientibus remedium à melle. Ac particulatim morbo regio à cantharidibus una cum melle, lumbricis cum aceto mulſo, & aliis cum liquore mellito; præterea quoque pediculis. Lieni medicina à cochleis, melle, araneis, hirudine. Renum, aut veſicæ calculo, à lumbricis, cochleis, ſcorpionibus, gryllis, cicadis, ſcarabæis. Difficultati urinæ conducere locuſtas, cochleas, lumbricos, cantharidas, cicadas toſtas. Viri genitalibus prodeſſe cochleas, araneam, mel: mulierum malis, cantharides, bupreſtim, vermes certos, cochleas,

HÆc de ventriculo, inteſtinis, ano: nunc venio ad ſecundæ concoctioni ſervientia: puta jecur, veſiculam fellis, lienem, renes, veſicam.

Si cataplaſmatis, & malagmatis jecur non curetur; hirudines applicandæ, quarum ſuctu ſanguis extrahatur. Id a Lib. 10. cap. 6. plurimùm prodeſſe, ex Archigene prodidit Aëtius *a*. Sanè hirudine olim uſi pro cucurbitula. Nam trifidum infigit vulnuſculum: nec mittit ſanguinem, niſi ſale impoſito fuges, vel ſanguine ſe explêrit. Imò eſt, cùm nec plena recedat; ſed perſiſtat in ſugendo, donec rumpatur. Kiranides quoque, homo Arabs, partibus nimio humore turgentibus, ac jecori potiſſimùm, hirudines jubet applicari.

A melle etiam remedium jecori. Sammonicus cap. XXIII:

Si molles jecoris fibras dolor hauriet acer,
Protinus ex mulſa potanda eleliſphacus herba.

Ab frigida jecoris temperie hydrops provenit. Huic occurri traditum, ſi antidotis miſceas cantharidas: ut eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. LXVI. Avicenna laudat, ſi ex rotundis locuſtis, reciſis capitibus, partibuſque extremis, cum ſiccæ myrti pauxillo, grana duodecim adſumantur.

Hinc jam de veſicula flavæ bilis, ac liene, atræ bilis receptaculo, earumque partium morbis, dicendum. Serenus Sammonicus, ſi flava bilis abundarit, *tali*, inquit inter alia,

—— Auxilio fellæ horrida purges.
Proſunt & pelagi latices, quos pondere juſto
Dulcibus aſſocias lymphis, mellique liquenti.

Et mox tepido, ait, lacti aſellæ

—— Vinum infundas, ac mella, piperque.

A bile excrementitiâ eſt icterus ſive aurigo: cui conducit, ſi cantharides quatuor abſque alis, & capite, contritæ, dimidiâ vini albi heminâ dilutæ, pauxillo etiam mellis affuſo, in potu exhibeantur: quemadmodum eſt apud Hippocratem libro de Internis Affectionibus. Præterea aurigini, ſive morbo regio, ut Plinius ait lib. XXX, cap. XI, *reſiſtunt vermes terreni in aceto mulſo cum myrrha.* Et convenit, quòd Avicenna, atque ex eo Roſa Anglica, lumbricos adverſus icterum commendat. Jubent verò eos, ut loquuntur, clarificari ex ſucco, & aqua intybi, ſive endiviæ. Sed mel mox pluribus prædicat ibidem Plinius. Nam prodeſſe itidem in hoc morbo dicuntur, *cinis palmarum, aut interaneorum palumbis, in mulſo ad cochlearia tria: paſſerum cinis ſarmentis crematorum, cochlearibus duobus, in aqua mulſa.*

Pediculi quoque medentur ictero laborantibus. Eſtque id remedium ſat uſitatum Belgis. Sed quia prope omnes ab horum eſu abhorrent, eò ægris ſolent inſciis præberi.

Adverſus lienem dolentem præſcribit Plinius lib. XXX, cap. VI, *cochlearum cinerem cum ſemine lini, & urticæ, addito melle, donec perſanet.* Addit deinde: *Eo & liberat mel, in quo apes ſint emortuæ: araneus, & maximè, qui lycos vocatur.* Marcellus Empericus cap. XIX *a*: *Aqua mulſa ex melle crudo pota lieni prodeſt.* Etiam hirudo applicita auxiliatur. Serenus Sammonicus cap. XXIV: a P. 214. edit. Froben.

Quando lien tumido circumligat ilia vinclo,
Proderit exuſto fluvialis hirudo cruore.

Sic eſt in editione *b* epigrammatum, & poëmatiorum b à Duvallio Pariſiis edita an. 1599. veterum, quæ cum Pythœi, ſed nomine præterito, prodiit emendationibus. Sed omnino pro *exuſta* legendum *exſuctus*: prout eſt in editione, quam ante ſeculum, & quod excurrit, Joannes Cæſarius caſtigavit.

Nunc de calculo renum, aut veſicæ, item de urinæ difficultate, videbimus. Plinius lib. XXX, cap. VIII: *Jubent vermes terrenos bibi ex vino, aut paſſo, ad comminuendos calculos: vel cochleas decoctas, uti ſuſpirioſis.* Modum ſuſpirioſis decoquendi, ex Plinio ſuperiùs retulimus. Exinde è cochleis alterum addit remedium, *teſtarum inanium cinerem, ad calculum pellendum.* Quod & Marcellus Empiricus præcipit cap. XXVI, his verbis: *Cochleæ inanes, id eſt, ſine carne ſua, caſu inventæ, contuſæ, & in pulverem tenuiſſimum redactæ, in potione calculoſis datæ medentur.* Subdit inde Plinius, adverſus calculum *cinerem ſcorpionum in pane ſumi, vel cum locuſta edi: gryllum dilutum cum aqua calida: cicadas toſtas in patellis: millepedam oniſcum bibi.* De ſcorpionibus quod ait, etiam Meſues firmat, & Jo. Damaſcenus lib. VI. Uterque enim renum, ac veſicæ calculum, oleo ait ex ſcorpionibus frangi, & expelli.

Scarabæos item calculo laborantibus prodeſſe, traditum eſt opere de Dynamidiis; quod Galeno tribuitur, & inter notha reponitur.

Urinæ difficultati, feminarum præcipuè, ſuccurritur ſuffitu locuſtarum: ut eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. LVII, & Plinium lib. XXX, cap. XIV, ac poſt eos Avicennam, & alios. A cochleis etiam ſtranguriæ remedium eſt apud Plinium lib. XXX, cap. VIII: *Jubent cochleas exemtas teſtis, tritaſque, tres in vini cyatho bibi, ſequenti die duas, tertiâ die unam, ut ſtillicidia urinæ emendent.* Spontaneo tale profluvio dat Marcellus de Medicamentis cap. XXVI *c*: *Cinis cochlearum Africanarum exuſtarum* c P. 184. edit. Froben. *ſi potetur, urinæ incontinentiam ſedat.*

Terreni vermes triti, & cum paſſo epoti, urinas cient; teſte Dioſcoride lib. II, cap. LXXII. Provocatorium etiam ex cantharidibus confectum citra noxam ſumitur ad urinam concitandam: quemadmodum eſt apud Galenum in Comment. Ac Aëtius quoque auctor eſt, quendam è præceptoribus ſuis ad urinam movendam cantharidum aliquid indidiſſe pharmaco; ſed alis, ac pedibus, priùs reſectis. Imò non tantùm potu hauſtæ, ſed foris etiam applicitæ, eandem vim habent. Quod & Bartholomæus Montegnana, medicus Italus non exigui nominis, retulit Conſil. CLXXXII, cap. X: & ex eo Jo. Langius epiſt. XLVII, lib. I Medicinalium epiſtolarum: ex illo iterum Antonius Mizaldus, Monlucianus Medicus, Memorabilium Centuria II, ſect. XXVII. Ab his refertur, civem Paduanum, Franciſcum Braccam, cùm genui applicuiſſet cantharides, tantum reddidiſſe urinæ, ut exce-

deret quinque librarum pondo. Addunt quoque, idem eveniſſe cantharidas pedum pollici applicanti, quò tolleretur unguium ſcabrities. Et quia difficile creditu, tantam eſſe vim cantharidum, ut etiam, ſi foris applicentur, id poſſint, addit Langius: *Sic crebrò expertus ſum, cum ſordidis in genu ac juxta talos ulceribus Mercurii præcipitati pulverem paullò frequentiùs inſpergerem, illius virus, cæteris membris illæſis, ad dentes penetraſſe, & os, ac pharynga diurno nocturnoque ſalivæ effluxu maduiſſe.* Alia quoque veſicæ malè affectæ remedia adducit Plinius Secundus lib. XXX, cap. VIII: *Prodeſt urinæ ediſſe cicadas toſtas in patellis: millepedam oniſcum bibiſſe.* De priori ſimiliter Plinius Valerianus lib. II, cap. XXXIX: *Cicadas coctas* (al. toſtas) *das in patella in veſicæ dolore. Utile enim eſt contra omnes veſicæ dolores ſeu difficultates.* Sed & Aretæus Cappadox audiatur lib. II de curandis morbis acutis cap. IX: Ἄρισον ἢ κύςιος τέττιγες, ἐφ᾽ ὥρῃς μὲν ὀπτοὶ, ἴδεσμα. ἔξωροι ἢ ξηροὶ, λεῖοι ξὺν ὕδατι. *Optimum veſicæ remedium ſunt cicadæ, ſi ſuo tempore exhibeantur aſſæ. Sed extra tempus aridæ, tritæ cum aqua.* Atque ante hos omnes ſimiliter Dioſcorides lib. II, cap. LVI: Τέττιγες ὀπτοὶ ἐσθιόμενοι τοῖς περὶ τὴν κύστιν ἀλγήμασι βοηθοῦσιν· *Cicadæ, ſi aſſatæ* (ſive toſtæ in patella) *edantur, ſuccurrunt doloribus veſicæ.* Quem in locum (ſed ex ejus diſtinctione cap. XLV) Andreas Matthiolus, rectè obſervat errorem Alberti Magni, qui per cicadas hoc loco intelligit gryllos. Nam putat, ſignari animalculum de nocte in ædibus ſtridulum, quod in balneis Germaniæ frequens. Sed longè aliter eſt, quia Germania, plagæque Arctoæ, hoc inſecto ob frigus carent.

Vidimus de iis partibus ventris, quæ inſerviunt nutritioni. Seorſum pauca nunc adferam de uſu inſectorum ad Venerem, & partes genitales. Plinii eſt lib. XXX, cap. VIII: *Si decidat teſtium alter, ſpumam cochlearum illitam remedio eſſe tradunt.* Similiter Marcellus cap.

a P. 227. edit. Baſ.

XXXIII *a*. Qui *b* & infantium teſticulis vitioſis, vel

b P. 228.

tumentibus, remedium efficax hoc eſſe ait: *Araneam, quæ per filum ſuum ſe ſummittit, quando ſurſum verſum currit, cape, & cum aqua calida tritam da continuo infanti bibendam.* Hinc ad veretri dolorem mellis uſum docet. Ad Plinium redeo: qui remedium poſtea addit adverſus ὑδροκήλην, ſive humoris aquoſi coacervationem inter teſtium membranas. *Hydrocelicis*, inquit, *prodeſſe ajunt cochleas Africanas, cum ſua carne & teſta crematas, poto cinere.* Similiter Marcellus cap. ante di-

c P. 230.

cto *c*: *Cochleis, quæ nudæ inveniuntur, adjicitur aliquid tritituris, & albi ovorum, atque inde ulcera teſticulorum tumentia, & hydrocelæ puerorum, ſive ramices, ſuperlinuntur, ut modo glutinis adhæreſcat.* Idem Plinius libro XXX, cap. XV: *Venerem inhibet fimum cochleæ, & columbinum, cum oleo & vino potum.* Cantharidas contrà Venerem concitare, velut notum omnibus, memorat Ruellius lib. II de Nat. Stirp. cap. CXXVII. In que opere ſecretorum, quod Galeni nomen præfert, remedium eſt ad ſatyriaſin, ſive Venerem ſtimulandam: id ex eſt libra una olei de ſambac, ſive jeſmino, item mille formicis alatis, & aliis; quæ inde petat, qui volet. Eſt & Marcelli cap. XXXIII: *Ut rebus Veneris aptus ſis, piper tritum cum oleo, & melle miſce, & cum coire velis, verenda tibi illine.* Sed quid talibus, quæ laſciviæ etiam inſerviant, inſiſtimus? Venio ad alia.

Menſibus ciendis cantharidas exhibebat Hippocrates: ut liquet ex libro ejus de Nat. Muliebri; ubi & modum utendi præſcribit. Inibi etiam adverſus uteri ſtrangulationes commendat. Sed & ibidem docet bupreſtim menſes ciere, ſi purgatorium ex ea fiat tritâ, ablatis alis, capite, ac pedibus, cum interiori parte ficus commiſta, ſic ut dupla ſit ficus portio. Dioſcorides lib. II, cap. LXVI jubet, ut bupreſti addantur πεσσοὶ μαλακτικοί, hoc eſt, lanæ molles conceptæ, & ad digiti figuram rotundatæ, medicamentum excipientes, & continentes. Ita enim πεσσὸν deſcribit Ægineta lib. VII, cap. XXIV. Etiam ad fœcundandum uterum commendat ἐντερα γῆς, quod Calvus *vermes culæos* reddit: mallem dixiſſet *vermes terrenos*, vel *lumbricos terreſtres*; qui & *inteſtina terræ* ſolent nuncupari.

Varia etiam malis muliebribus remedia apud Plinium habemus. Aliqua excerpam. *Vermes terreni*, ut is ait lib. XXX, cap. XIV, *gravidis ſecundas pellunt in paſſo poti.* Quem ad locum rectè Dalecampius annotavit, Plinium non *gravidis*, ſed *puerperis*, & *fœtis*, dicere debuiſſe. Mox idem Plinius ſubdit: *Inveniuntur & in gramine vermiculi, qui adalligati collo, continent partum. Detrahuntur autem ſub partu: alias eniti non patiuntur. Cavendum etiam, ne in terra ponantur. Conceptus quoque cauſſa dantur in potu quini, aut ſepteni. Cochleæ in cibo ſumtæ accelerant partum: item conceptum, impoſitæ cum croco. Eædem ex amylo & tragacantha illitæ, profluvia ſiſtunt. Proſunt & purgationibus ſumptæ in cibo, & vulvam averſam corrigunt cum medulla cervina, ita ut uni cochleæ denarii pondus, addatur, & cyperi. Inflationes quoque vulvarum diſcutiunt exemtæ teſtis, tritæque cum roſaceo.* Pluraque ibidem id genus.

Cap. LXXXVI.

De arthritide: cui remedium è melle, mulſo, cera. Medicina illi Julii Auſonii, qui parens poetæ Auſonii fuit. Huic morbo etiam mederi vermem, ſive lumbricum terrenum, & oleum inde confectum: item cochleas, aranei telam, hirudinem, ſive ſanguiſugam, cantharidem, terramque a ſcarabæis egeſtam.

SUperſunt ex morbis internis articularii; de quibus eo juſtiùs poſt Veneris, & partium genitalium conſiderationem, agemus, quòd arthritis Bacchi, & Veneris filia dici ſoleat. *Arthritidos* nomine (quæ Germanis commodè ſatis *gliedtſucht*) laxè utar, ut & iſchiadicum morbum comprehendat. *Mulſum inveteratum ſolebat dari in articulario morbo*: ut Plinius ait lib. XXII, cap. XXIV. Cælius quoque Aurelianus, qui à Caſſiodoro *a* etiam laudatur, potiuſque vocetur Soranus *b* à Cælio Latinitate donatus, ſcribit in hunc modum *c*: *Arthriticis convenit digitis ceram emolliendam dare.* Etiam à melle, cera, mulſo, remedia huic reperies morbo apud Aëtium lib. XII, cap. XLV, XLVI, XLVII: & ab oxymeli Juliano, apud Alex. Trallianum lib. XI. Itidem apud Marcellum Empiricum cap. XXV, XXXV, & XXXVI, complura habemus remedia, quæ ingrediuntur mel, aut cera. Unum inter cætera, in quo foret mellis optimi hemina, ait eſſe (verba ejus ſunt *d*) *incredibile, & unicum remedium, quo & ipſe Auſonius medicus ſanatus ſit, & multos ita jacentes, ut movere ſe ſine cruciatu nequirent, intra quinque dies ſtare, ambulare, aut intra ſeptem dies, fecerit.* Porrò Auſonius ille, quem *medicum* vocat, fuit Julius Auſonius, pater poetæ Auſonii, civis quidem Vaſatenſis, ſed qui è patria Burdigalam commigrârit,

a Divinarum inſtitutionum cap 31. quod de Medicit.

b Hieronymus Mercurialis ſimiliter lib 2. Variarum Lect. c. 12.

c Lib. 5. Tardarum Paſſionum cap. 2.

d Cap. 25. pag. 172. edit. Frobeniana.

—— Facundo non rudis ingenio,
Præditus & vitas hominum ratione medendi
Porrigere, & fatis amplificare moras:

Ut de eo ſcribit filius in Parentalibus. Sed ex filio quidem medicum fuiſſe ſcimus: verùm de medicina poſteris aliqua reliquiſſe, non niſi ex hoc Marcelli Empirici loco cognoſcimus. Ea ſeculorum injuriâ periiſſe, nihil mirandum; quando, (quod ibidem filius tradit) quemadmodum non Hippocratem, Galenum, aliuſve ſectæ ſequebatur quemquam: ſic nullum habuit, qui ſe ſequeretur. Tempora horum probè conveniunt, quando uterque, & Marcellus inquam, & Auſonius, imperante claruit Theodoſio, & antè. Sed in illis ab apibus remediis diutiùs conſtitimus. Alia ab aliis addamus.

Plinii eſt libro XXX, cap. VI: *Vermem terrenum catillo ligneo ante fiſſo, & ferro vincto impoſitum, aquâ exceptâ perfodere, & defodere, unde effoderis, Magi jubent; mox aquam bibere catillo; mirè id prodeſſe iſchiadicis,*

dieis, affirmantes. Ac ſimiliter de eo Marcellus Empiricus cap. xxv. *a* Qui & à vermibus geminum remedium petit cap. xxxvi *b*. Prius eſt: *Vermiculos terreſtres in aceto per noctem manere curabis, ut ſe omni ſorde purgent: mane eos ſiccabis, & ex his .ix in libram axungiæ mittes, & diutiſſimè conteres, ut unum corpus efficias, & pro ceroto uteris ad ſedandos pedum quamlibet moleſtos dolores.* Alterum tale eſt: *Terreſtres lumbrici, ad menſuram acetabuli in mellis cotyla contriti, & impoſiti pedibus, qui prius oleo roſaceo uncti fuerint, ac tertio die ſoluti, & ſtatim rurſum impoſiti, & confeſtim dolorem leniunt, & in poſterum tollunt.* Hodieque imprimis commendant oleum ex lumbricis: cujus conficiendi rationem apud Matthiolum, Andernacum, & alios, reperies. Nempe hoc vim habet inſignem inflammationes minuendi, ac mitigandi dolores: quæ duo in articulari dolore, podagra imprimis, requiruntur.

a P. 174. edit. Froben.
b P. 250.

Aliud quoque remedium ſuggerit Plinius xxx libri cap. viii, ubi ſic ſcribit: *Iſchiadicis cochleas crudas tritas cum vino Amminco, & pipere, potu prodeſſe dicunt.* Quod ipſum etiam, iiſdem penè verbis, Marcellus habet capite antè citato *c*. Idem Plinius cap. ix: *Cochleæ latæ potæ tollere dicuntur pedum & articulorum dolores. Bibuntur autem binæ in vino tritæ. Eædem illinuntur cum helxines herbæ ſucco.* Et poſtea: *Quin & cinis cochlearum illinatur.* Ac mox: *Incuſſos articulos aranei telæ commodiſſimè curant. Sunt qui cinere earum uti malint.* Etiam apud Marcellum Empiricum eſt cap. xxxvi *d*: *Remedium ad arthritim, vel maximè ad podagram* *e*, *ſic: aceti optimi, quantum volueris; quod melius erit, ſi ex vino ſtyptico fuerit; telas aranearum, quæ in cypreſſo inveniuntur; buxi ſummitates tenerrimas.* Ac poſtea ſubjungit, quomodo hæc coquenda ſint, & adhibenda.

c P. 171.
d P. 248.
e Sic puto hunc locum reſtituendum.

Eſt & Plinii lib. xxxii, cap. x: *Multi podagris quoque hirudines admittendas cenſuere.* Serenus ſimiliter Sammonicus, de morbo hoc loquens, inquit:

Sunt quibus adpoſitâ ſiccatur hirudine ſanguis.

Cælius quoque Aurelianus lib. v Tardarum Paſſionum, cap. ii, quo de eodem morbo tractat, *Ubi*, ait, *permiſerint partes, cucurbita figenda, vel hirudines admovendæ.* Nempe, ut antè dictum, hirudines idem præſtant ac cucurbitæ: quas adhibere jubent penè omnes: in his Theodorus Priſcianus Logici ſui cap. ult. ubi itidem de hoc morbo agens, *Cucurbitis*, inquit, *ventoſis frequenter locus relevandus eſt.*

Podagræ ex cantharidibus medicamentum conducere, etiam Paulus prodidit lib. iii, cap. lxxviii. Sunt autem cantharides è ſcarabæorum genere. Plinius verò etiam podagris illini jubet terram à tauris, ſive ſcarabæis terreſtribus, egeſtam. Vide eum lib. xxx, cap. v. Plethoræ conducunt hirudines. Plinius lib. xxxii, cap. x: *Hirudinum, quas ſanguiſugas vocant, ad extrahendum ſanguinem uſus eſt. Quippe eadem ratio earum, quæ cucurbitarum medicinalium, ad corpora levanda ſanguine, ſpiramenta laxanda, judicatur. Sed vitium, quod admiſſæ ſemel deſiderium faciunt circa eadem tempora anni ſemper ejuſdem medicinæ. Decidunt ſatietate, & pondere ipſo ſanguinis detracta, aut ſale adſperſæ.* Ac plura ibidem in hanc rem.

Cap. LXXXVII.

De externis corporis morbis: ac primùm iis, qui certæ ſunt partis. Capilli Petronio pars corporis. Canitiei remedium à lumbricis terreſtribus. Alopeciæ medicina à cantharidibus, & muſcis; pediculis capitis, à melle; palpebris, à muſcis, & cochleis; ſuperciliis, & pilis maxillarum, à formicis; pilis reliqui etiam corporis, ab hirudine. Adhæc ab hirudine adverſus inflammationes oculorum, eorumque cicatrices, & albugines, à cochleis; contra aurium humorem à melle; narium fœtorem, ab eodem; labia ſciſſa, ab aranearum tela. Cutis vitia in facie ſanari cochleis, formicis Herculaneis, bupreſti, melle, imprimis Sardoo. Unguium ſcabritiei remedium à cantharidibus, & crabronibus; adverſum unguium ſcabritiem, à lumbricis; contra reduviam unguium, à melle.

HActenus dictum de morbis certarum corporis partium: ſed internis ſolùm, niſi quid in iſta ſcribendi feſtinatione, tot meorum mortibus, aliiſque adverſis afflicto, inque his ipſis tot occupationibus diſtento, exciderit fortaſſè, quod potiùs alterius eſſe generis videatur. Nunc loquar de externis certæ corporis partis, mox de externis univerſi corporis dicturus. Initium eſto à capillis: qui quidem partis nomen non merentur, ἀκύρως *a* tamen ſic vocantur: ut apud Petronium hoc epigrammate:

a Impropriè.

Infelix modò crinibus nitebas,
Phœbo pulcrior & ſorore Phœbi:
At nunc levior ære, vel rotundo
Horti tubere, quod creavit unda,
Ridentes fugis, & times puellas.
Ut mortem citius venire credas,
Scito, jam capitis periiſſe partem.

Prout eos verſiculos, qui malè antè digeſti legebantur, Turnebus reſtituit lib. iv Adverſ. cap. xix.

Canitiei ut obviam eatur, tradit Plinius lib. xxx, cap. xv: *Capilli ne caneſcant, vermium terrenorum cinere præſtari, admiſto oleo.* Cui geminum hoc Sereni Sammonici cap. v:

Lumbrici quoque terreſtres miſcentur olivo,
Et juvenem præſtant redivivo flore capillum.

Item illud Marcelli cap. vii *b*: *Vermium terrenorum cinis, oleo adjectus, quo uti feminæ in pectendo ſolent, capillos prohibet ſenectute mutari.* Nempe lumbricis & humor, & calor, eſt temperatus; eoque nec calore aduritur humor, cui originem debent pili; ſed potiùs digeritur, ac roboratur.

b Pag. 48. edit. Froben.

Alopeciæ, (à cujus remediis variis, opus ſuum orditur Alexander) utiles quoque ſunt cantharides. Sed videndum, ne altè exulcerent. Modum itaque utendi diſcere opus è Plinio lib. xxix, cap. vi, & Galeno de compoſ. medic. ſecundùm loc. lib. v. Apud Plin. ibidem, ante id, quod dixi, legas, *alopeciam repleri muſcarum capitibus recentibus prius folio ficulneo aſperatam: alios verò ſanguine muſcarum uti: alios decem diebus cinere earum illinere cum cinere chartæ, vel nucum, ita ut ſit tertia pars è muſcis: alios lacte mulierum cum braſſica cinerem muſcarum ſubigere: quoſdam melle tantùm.* Similiter Marcellus cap. vi *c*: *Muſcarum capita combuſta, & cum melle trita, capitique inlita, mire alopecias tollunt.*

c Pag. 46. edit. Froben.

Capillis ſubdam hoc de pedibus, qui obſident capillos. *Mel lendes, & fœda capitis animalia necat*: ut ait Plinius lib. xxii, cap. xxiv; idque Dioſcoride præeunte lib. ii, cap. ci. Etiam cornu capræ raſum, & melli, ac ſali mixtum, prodeſſe adverſus pedes, ſi caput eo defricetur, apud Sextum philoſophum legas lib. i de animalibus, cap. v. Marcellus item cap. viii *d*, ad tollendam veterrimam palpebrarum aſperitatem, inter alia præcipit mellis Attici L. I.

d Pag 64. edit. Froben.

Poſt capillos, & pedes, ac lendes, de oculorum, & maxillarum pilis videndum. Plinius lib. xxxix, cap. ult. *Palpebras gignere muſcarum, fimique murini cinerem, æquis portionibus, ut efficiatur dimidium pondus denarii, promittitur.* Idem lib. xxx, cap. xv: *Cochlearum ſaliva, illita infantium oculis, palpebras corrigit, gignitque.* Ac eodem cap. antea legas: *Ovis formicarum ſupercilia denigrari cum muſcis tritis tradunt.* Idem libri ejuſdem cap. v dixerat: *Ne ſint malæ hirſutæ, formicarum ova pueris infricata præſtant.*

Ad totius corporis pilos pertinet, cùm Plinius lib. xxxii, cap. x, de pilothro agens, ait: *Sanguiſugæ toſtæ in vaſe fictili, & ex aceto illitæ, eundem contra*

pilos

piloshabent effectum. Ac idem tradit Plinius Valerianus lib. III rei Med. cap. XLII, quod de pſilothris: *Sanguiſugæ vivæ, tuſæ in fictili vaſe, ex aceto illiniuntur per horas tres: deinde in balneo abluuntur.*

Ad ea, quæ veriùs ſunt corporis partes, veniamus. In oculorum inflammationibus occipitio vel cucurbitulæ, vel hirudines adhibendæ: ut Marcellus jubet cap. XXXVIII. Crematæ cochlearum teſtæ non marinarum modò, de quibus etiam in aquatilibus dictum; ſed planè omnium, oculorum cicatrices, & albugines, corrigunt; dentes item expurgant; ut eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. XI. Aurium humoribus conducit vinum mulſum: ut eſt apud Marcellum cap. XII. Fœdo narium odori occurritur, ſi myrrhæ, acacii, amomi, ſingulorum drachmam unam contuſam, & melle cocto exceperis: quemadmodum Oribaſius tradit lib. VIII Synopſeos cap. XXX. Atque, ut idem monet cap. XXXII, labiis ſciſſis conſulitur candidis aranearum telis, quæ in arcis inveniuntur. Idem cap. XXXVIII hirudinem oculis ſuadet inflammatis, proximè, ubi dolet, in fronte adhiberi. Marcellus lib. V, cap. X tradit, oris ulceribus, quas aphthas dicimus, prodeſſe iridem cum melle, præterea mulſum.

Præterea, ut Plinius ait lib. XXX, cap. IV: *Tollit ex facie vitia & cochlearum, quæ lata & minuta paſſim inveniuntur, cum melle cinis. Omnium quidem cochlearum cinis ſpiſſat, calefacit ſmecticâ vi: & ideo cauſticis commiſcetur, pſoriſque, & lepris, & lentigini illinitur. Invenio & formicas Herculaneas appellatas, quibus tritis, adjecto ſale exiguo, talia vitia ſanentur.* Eaſdem

a P. 129. edit. Froben. commendat Marcellus Empiricus cap. XIX *a* his verbis: *Formiculas, quæ Herculaneæ nominantur, contritas, modico ſale adjecto, impetigini adpone: miraberis remedium: nam celeriter expurgant.* Sequitur inde apud Plinium: *Bupreſtis animal eſt rarum in Italia, ſimillimum ſcarabæo longipedi. Fallit inter herbas bovem maximè; unde & nomen invenit: devoratumque tacto felle ita inflammat, ut rumpat. Hæc cum hircino ſevo illita lichenas ex facie tollit ſepticâ vi.* Eâ vi non faciei modò, ſed reliqui etiam corporis lichenas tolli; edocebimus cap. LXXXIX. Hinc de variis locutus ait: *Utiliſſimum & in facie mel, in quo apes ſunt immortuæ.* Quod verò cochlearum cineri mel addi jubet Plinius, è Dioſcoride firmatur: qui lib. II, cap. CI mel Sardoum, cuti faciei illitum, mederi ait ejus maculis, tum à Sole contractis, tum aliunde provenientibus.

De capite abunde actum. De thorace, & ventre, liquet, ex iis, quæ inſperſimus, & inſeremus cæteris. Ac pertinet huc etiam, quòd, ut Dioſcorides ait lib. II, cap. CI, ſi verpis, à balneo potiſſimùm, præputium ad dies XXX emolliatur, glans citra circumciſionem nudata in integrum reſtituitur.

De artubus pauca adjungam. Primùm de unguibus, quia tam manuum ſunt, quam pedum. De his ita Plinius lib. XXX, cap. XII: *Unguium ſcabritiem tollunt cantharides cum pice tertio die ſolutæ, aut locuſtæ frictæ cum ſevo*

b Lib 4. part. 2. cap. 52. *hircino.* Ac Sancta etiam Hildegardis in Phyſicis ſuis *b* ait, unguium immunditiem (ſcabritiem puto ſignari) tolli docet liquore è fucis expreſſo. Sed iſta *humbelim* vocat, quia *fucus* Germanis *hummel*; ut Belgis *bommel*: ſicuti his gentibus *hommelen*, & *bommelen*, *bombum edere.*

Ad ungues etiam pertinet παρωνυχία, ſive *reduvia*; illa manuum imprimis. Ut in ea melle ſit utendum cum galla, Oribaſius docet lib. VII Synopſeos, cap. XVIII. Theodorus quoque Priſcianus lib. I εὐπορίστων, cap. XXXIV in hoc vitio præcipit *lenticulam coctam cum melle contritam imponi, & myrti folia viridia trita ſimiliter cum melle adhiberi: ſic etiam roſarum, ſic olivæ folia.* Mox ſubjungit: *Quibus fortè aliquo ictu ungues nigreſcunt, naſturtium cum melle mixtum medebitur. Et cera ſola liquefacta ſuperimpoſita medebitur.*

Perniones cerâ bifariam ſanari, docet idem Theodorus lib. I φαινομένων εὐπορίστων, cap. XXXII.

Clavis pedum medentur vermes terreni ex oleo: ut ait Plinius lib. XXX, cap. IX.

Cap. LXXXVIII.

De externis corporis morbis, ac primùm illis ab cauſſa externa: ut vulneribus, quibus medicina à lumbricis terreſtribus, telâ araneæ, imo & bombycis, adhæc cochleis, quibus & tela extrahuntur. Vis mellis in vulneribus: uti & ejuſdem, & apium, ac ceræ, in membris contuſis, fractis, vel aduſtis: & ut his etiam cochleæ proſint. Hinc itum ad externos morborum, quibus cauſſa eſt interna: ut ſunt ulcera. De his primò universè actum: & ut remedio iis ſint mel, cera, oxymeli; quæ apum gloria eſt. Adhæc certum blattarum genus, & grylli: tum autem millepedæ, & araneæ: præterea cochleæ, & vermes: inque his coſſi, in coſſis illi, quibus origo in ulmis. Exinde particulatim conſiderantur varia ulcerum genera: ut eryſipelas, ſive ſacer ignis; cui medentur lumbrici. Species ſacri ignis herpes, qui Latinis zona. Herpetis genus, quod θηρίωμα *dicitur, ac eundem videri* herpetem exedentem. *Herpeti equorum remedium à vermiculo cardui. Carbunculi deſcriptio, & remedium ab apibus, & melle. Deſcriptio furunculi, eique medicina ab araneo, & muſcis. Exanthemata cerâ ſanari.*

Hinc jam propero ad morborum externorum eos, qui non tam certæ ſunt partis, quàm corporis totius. Atque hic etiam habet locum, quod ſuperiùs *a* diximus, a Cap. 45. eſſe eos vel à cauſſa externa, vel interna. Externa, ut hujus libri. vulnera à gladio; contuſiones & fracturas à lapide, aut baculo; exuſtiones ab igni.

Vulneribus medentur lumbrici terreſtres. Plinius Secundus lib. XXX Hiſtor. Natur. cap. XIII: *Vulnera recentia conglutinant vermes terreni, adeò ut nervos quoque abſciſſos illitis ſolidari infra ſeptimum diem perſuaſum ſit. Itaque in melle ſervandos cenſent. Quidam vermibus arefactis in Sole ad vulnera ex aceto utuntur: nec ſolvunt, niſi biduo intermiſſo.* Plinius Valerianus de re Medica lib. III, cap. XX: *Vulnera recentia conglutinant vermes terreni triti, adeo ut etiam nervos inciſos ſolident in die ſeptimo. Iidem arefacti in Sole, & ex aceto triti vulneribus imponuntur, &, interpoſito biduo, ſolvuntur.* Ac cap. XXI: *Ad venas, vel nervos præciſos: lumbricos de terra confundes, & pones: ſtatim ſanant.* Serenus Sammonicus cap. LXIV:

Lumbrici terræ poterunt conducere vulnus.

Inſuper vulnera ſanantur telâ araneæ. Plinius lib. XXIX, cap. ult. *Aranei tela, ex oleo & aceto impoſita, vulneribus tonſtrinarum ſanguinem ſiſtit.* Eandem commendant in vulneribus Dioſcorides, & Galenus: hodieque nihil apud nos vulgatius, quàm ut, ſiquis vel cultro leviter ſe læſerit, telam continuò araneæ, præſertim candidam, puramque, imponat. Nempe ea conſtipandi habet vim, & refrigerandi, atque abſtergendi; eoque inflammatio ne accedat, prohibet. Unde &, capite alicujus vulnerato, fractoque, uti eo præcipit Serenus Sammonicus cap. LIV:

Si verò caput infeſtus colliſerit ictus;
Ex oleo necti veſtis debebit arachnes:
Neſciet hæc illinc, niſi cum ſanârit, abire.

Quam verò laudem tribuimus araneæ, hanc etiam bombyci competere, docebit Vincentius Bellovacenſis: ut qui Speculi Naturalis lib. XX, cap. CXIX doceat, ſericum combuſtum mundare vulnera, ac corroborare.

Adhæc carnes cochleæ crematæ, cumque thure, & myrrha illitæ, vulnera quævis, ſed maximè, quæ nervi acceperunt, conglutinant: ut Dioſcoridi traditum lib. II, cap. XI. Favet quoque Cornelius Celſus lib. V, cap. II: *Glutinant vulnus contuſæ cum teſtis ſuis cochleæ.* Item Plinius lib. XXX Hiſtor. Nat. cap. XIII:

Ad vulnera eâdem ratione, & cochlearum terrenæ proſunt: totæque exemtæ, tuſæ, & impoſitæ, recentia vulnera conglutinant, & nomas ſiſtunt. Atque aliquanto pòſt: *Arundines, & tela, quæque alia extrahenda ſunt corpori, evocant cochleæ ex his, quæ gregatim folia ſectantur, contuſæ impoſitæque cum teſtis, & eæ, quæ manduntur, exemptæ teſtis: ſed cum leporis coagulo efficaciſſimè. Laudant & cantharides tritas cum farina hordeacea.* Plinius Valerianus de re Medicâ lib. III, cap. XX: *Cochleæ exemtæ de ſuis teſtis crudæ tritæ, mirificè ſolidant. Cochleæ item cum ſuis teſtis uſtæ cum myrrhæ, & thuris pari pondere ex aqua, præciſos nervos ſanant.*

Quod vero cochleis extrahi tela ait prior Plinius, ut vidimus: id blattis tribuit Plinius Valerianus lib. III Rei Med. cap. XLIX, his verbis: *Ad extrahenda ea, quæ corpori infixa ſunt, blattæ ſine pedibus, & ſine capite, & pennis, tritæ illinuntur.*

Magna etiam in vulneribus eſt vis mellis. Coctum ea conglutinat: ut eſt apud Cornelium Celſum lib. V, cap. II: mel crudum ea purgat, ut idem ait libri ejuſce cap. V. Sereni Sammonici eſt cap. XLV:

Ergo modus quicunque obtingit vulneris atri,
Contritus cum melle dabit medicamina bulbus.

Idem cap. LXIV, ut doceat, quomodo

Vulnera tabeſcant ſpatio vitiata dierum:

Præſcribit hoc pacto:

Aut hederam Baccho decoctam, & ſemen anethi,
Aut cineres alni tardo cum melle ligentur.

Contuſioni item membrorum apes prodeſſe, docet inter alios S. Hildegardis Phyſices ſuæ lib. IV, cap. XLVIII: *Si aliqua membra contrita ſunt, apes, quæ in vaſculo ſuo mortuæ ſunt, ſufficienter in laneum pannum conſuat; & in oleo olivæ calefaciat, & membro, quo dolet, ſuperimponat, & melius habebit.*

Adverſùm aduſta corporis loca, lenticula, & ervum cum melle, commendantur à Cornelio Celſo lib. V, cap. XXVII *a*. Plinius verò lib. XXX Hiſt. Nat. cap. XII tale ſuggerit remedium: *Ambuſtis medetur murium cinis, & cochlearum; idque ſic, ut ne cicatrix quidem appareat.* Plinius Valerianus de re Med. lib. III, cap. XX: *Ambuſtis ſanandis illinitur cochlearum cinis ex oleo.* Poſtea & commendat ceram in oleo roſaceo reſolutam.

a Sect. ult. ſive pag. 304. edit. Tornaſ.

Sequuntur morbi externi, cauſſam agnoſcentes internam: ut ſunt ulcera, tumores, ſcabies, & iſtis ſimilia. His quoque docebo remedia eſſe divinitus data ex omni prope inſectorum genere.

Ex inſectis quidem alas habentibus detectas eſt apis: quæ ulceribus mirè prodeſt. Nam Scribonii Largi eſt cap. CCXXXVII: *Omne ulcus in omni parte corporis ſordidum purgat mel per ſe.* Idem cap. CCXXXVIII docet, quomodo, ſi purum ſit ulcus, & concavum, mel, & cera, contundi, & reſinæ, atque aliis, miſceri conveniat. Sed & cap. CCXLI, ubi Tryphonis chirurgi ad cicatricem ducendam emplaſtrum tradit, ceræ cum reſina uſum in eo enarrat. Cum hoc Tiberiani ævi ſcriptore convenit Plinius lib. XXX, cap. IX: *Teteris ulceribus, & manantibus, auxiliatur mel, in quo apes ſunt immortuæ, cum reſina.* Ac poſtea: *Si putrida ſint ulcera, cerâ additâ ad cicatricem perducunt.* Imo porrum capitatum contritum, & ex melle impoſitum, univerſa ulcera optimè purgat: ut eſt apud Marcellum, cap. IV, p. 42. Itidem Oribaſius lib. VII Συνόψεως, cap. V tradit, ulceribus ſummæ cutis conducere ceram, & mel. Etiam cap. XI refert uſum oxymelitis, ac ceræ, in ulceribus malignis.

Ex inſectis, quibus alæ ſunt coopertæ, blattæ ſunt, & grylli. De priori [illegible] ait Plinius lib. XXIX, cap. ult. *Tertium blattarum gen[illegible] & odoris tædio inviſum, exacuta clune cum [illegible] [illegible]o ſanare ulcera alias inſanabilia.* De altero ſic idem lib. XXX, cap. IX: *Si putrida ſint ulcera, ad cicatricem perducunt gryllorum [illegible]matorum favillâ ex oleo.*

Ex inſectis non habentibus alas ſunt multipeda, ſive millepeda, & aranea. De priori ſic Plinius lib. XXX, cap. XIII: *Duritias in alto ulcerum, & carcinomata, perſequitur multipeda trita, admiſta reſina terebinthina, & ſinopide. Eademque utiliſſima ſunt in his ulceribus, quæ vermibus periclitantur.* De altera ita S. Hildegardis Phyſices lib. IV, Part. III, cap. XLI, ulcerum dolorem mitigari telâ araneæ impoſita.

Quæ inſecta nunc retulimus, ea pedibus prædita ſunt. Carent iis cochleæ, & vermes. Utroſque ulceribus prodeſſe, docet Plinius lib. XXX. Ac capite quidem VIII ſic ſcribit: *Teteris* (veterndorum) *ulceribus, & manantibus* a, *auxiliantur cochleæ latæ parvæ contritæ ex aceto, vel cinis ejus: cochleæ nudæ, quas in Africa gigni diximus, tritæ cum thuris polline, & ovorum albo: triceſimoque die reſolvunt.* Idem cap. IX: *Si putrida ſint ulcera; ad cicatricem perducunt favillâ vermium terrenorum cum oleo vetere, & cochlearum, quæ nudæ inveniuntur. Ulcera omnia pedum ſanat cinis earum, quæ vivæ combuſtæ ſint.* Ac cap. XIII: *Quin & vermium ipſorum genera mirandos uſus habent. Coſſes* b, *qui in ligno naſcuntur, ſanant ulcera omnia. Nomas vero combuſti cum pari pondere aniſi, & ex oleo illiti.* Et poſt aliqua: *Cinis vermium terrenorum margines ulcerum duriores abſumit cum pice liquida, vel ſimblio melle.* Et poſt pauca, commendans cochleas cum teſtis ſuis tuſas: *Tradunt, iis & ulcera tractabiliora fieri, & ſanari celerius.* Porrò cum eo, quod de coſſis Plinium dicere videbamus, conſentit, quòd S. Hildegardis, in Phyſicis ſuis *c*, ulceribus jubet admoveri vermiculos Germanis dictos *ulwurm*, quaſi ulmi arboris vermes nuncupes. Eos ait in vaſe teſtaceo cum hordeaceo fimo ſuffocatos comminui oportere: tum ulceri, vel etiam vulneri, eſſe imponendos.

a h. e. Serpentibus quomodo & alibi Plinius, ubi Dioſcorides [illegible] dicit, ille ulcera manantia reddidit.
b Alii codd. coſſi. donat. Quod malim.
c Lib. 4. part. 3. cap. 41.

Hæc univerſè de ulcere dicta ſunt: verùm particulatim etiam de variis eorum generibus, ac remediis, agemus. *Si ſuper inflammationem rubor ulcus ambit, iſque cum dolore procedat, ἐρυσίπελας Græci nominant*: ut ait Celſus lib. V, cap. XXVI *d*. Ibidem, ad purgandum ulcus ejuſmodi, maximè melle; & reſinâ, uti jubet. Græcum morbi nomen retinuit Celſus. Sed eo paullo junior Columella *e* vocat *ſacrum ignem*; uti & hoc poſterior Plinius Secundus *f*. Quippe poſt hunc ſeſquiſeculo vixit Sammonicus ἀπλῶς *ignem g* nuncupat. Malis ulceribus annumerat quoque Cornelius Celſus lib. V, cap. XXVIII *h*. Eryſipelas itaque ſignatur in hoc Plinii remedio libro XXX, cap. XII: *Igni ſacro medentur vermes terreni ex aceto illiti: gryllus contritus in manibus. Quo genere præſtat, ut qui id fecerit, antequam incipiat vitium, toto eo anno careat. Oportet autem eum ferro cum terrâ caverna ſua tolli.* Quæ & ipſa totidem prope verbis apud Plinium Valerianum legas lib. III Rei Med. cap. XXXIV. Ignis hujus ſacri ſpecies eſt herpes, qui *zona* Scribonio Largo. Sic enim ille cap. CCXLVII: *Ad zonam, quam Græci ἕρπητα dicunt.* De Græco vocabulo, & ſimul remedio, ita Plinius lib. XXX, cap. XIII: *Herpes quoque animal à Græcis vocatur, quo præcipuè ſanantur, quæcunque ſerpunt. Cochleæ proſunt eis cum teſtis ſuis tuſæ.* Arbitror, Græcis etiam vocari θηρίωμα. Sane id ulceris eſſe nomen, ait Celſus loco antè memorato *i*: atque huc etiam refert, quem ἕρπητα ἐσθιόμενον *k Græci vocant, quia celeriter ſerpendo, penetrandoque, uſque ora vorat.* Huic, ut idem *l* ait, *ſuperdanda cum melle linimenta.* Etiam in equorum herpete inſectorum uſus eſt. Cardanus lib. VII de Rerum Varietate, cap. XXXII: *Herpeti, quem vermem vocant veterinarii, vermiculum, qui in cardui fullonum vertice naſcitur, pennæ anſeris incluſum, abſque offenſa, diſciſſa cute frontis, inſerto, conſuitoque vulnus. Solet viginti poſt dies emori, totidemque diebus equus liberatur.*

d P. 290. & ſeq. edit. Tornaſ.
e Lib. 7. cap. 5.
f Lib. 26. cap. 11.
g Cap. 41. Vulgo ſimiliter vocatur ignis S. Antonii.
h Sect. de Sacro igne, ſive pag. 309 edit. Tornaſ.
i P. 308. edit. Tornaſ.
k Herpetem exedentem.
l Ibid. pag. 309.

Eſt & ulceris genus carbunculus, quod ita deſcribit Cornelius Celſus lib. V, cap. XXVIII, ſect. I: *Rubor eſt, ſuperque eum non nimium puſtulæ eminent, maximè nigræ, interdum ſublividæ, aut pallidæ. In his ſanies eſſe videtur, infra color niger eſt. Ipſum corpus aridum, &* du-

durius, quàm naturaliter oportet. Circa quem quaſi cruſta eſt, eaque inflammatione cingitur, neque in eo loco levari cutis poteſt: ſed inferiori carni quaſi adfixa. Ac plura deinceps. Remedium tale ſuggerit Plinius lib. xxx, cap. xii: *Carbunculus fimo columbino abolecur per ſe illito, vel cum lini ſemine ex aceto mulſo. Item apibus, quæ in melle ſunt immortuæ, impoſitis: polentâque impoſitâ inſperſâ. Si in verendis ſit, cæteriſque ibi ulceribus, occurrit è melle æſypum cum plumbi ſquamis.*

Item ulceris genus eſt furunculus: qui ſic Cornelio Celſo deſcribitur lib. v, cap. xxviii *a*: *Furunculus eſt tuberculum acutum cum inflatione, & dolore, maximeque ubi jam in pus vertitur.* Ut mederi liceat, tradit Plinius lib. xxx, cap. xii: *Furunculus mederi dicitur araneus, priuſquam nominetur, impoſitus, & tertiâ die ſolutus.* Ac mox ſanare eoſdem dicuntur, *muſcæ impari numero infricatæ digito medico.* Plinius item Valerianus lib. iii de re Medica, cap. xxviii: *Furunculis muſcæ impari numero infricantur: digito minimo ſordes ex auriculis pecudum illinuntur. Limacis cinis adverſus purgat.*

a Sect. 7. ſive pag. 313. edit. Turneſ.

Exanthemata quoque ſunt ſuperficiariæ cutis exulcerationes, ſubrubicundæ, & aſperæ: ut Trallianus ait lib. i, cap. v. Ut cera his medeatur, Oribaſius docebit lib. vii Synopſeos, cap. vii.

Cap. LXXXIX.

A vulneribus, & ulceribus, ad tumores abitur. His, ſi glandulas ſub auribus occupent, millepedas mederi, & gryllos. Sin inguen, præſtare id ceram, nec non cochleas minutas cum melle. Hydropicorum autem tumores ſanari cochleis crudis terreſtribus. Mel quibusvis ulceribus prodeſſe. Pani etymon, ac eidem remedium à multipeda, cochlea, cantharide. Φύματα ſanari oxymelite, mulſo, cerâ. Cancro prodeſſe ceram; abſceſſibus, millepedas: tum illis hominum, tum equorum vomicis, mel remedio eſſe. Scabiei apud Græcos, & Germanos vocabula, & illorum origo. Scabiem arceri culicibus, & cerâ. Vitiliginem, & lepram, eſſe eandem: ſed differre à lepra Arabum. Blattarum genus, quo lepræ occurratur.

POſt ulcera dicam de tumoribus: quorum aliqui ſunt certæ partis: ut parotides, quæ glandularum ſunt ſub auribus. Eas, ut Plinius ait lib. xxix, cap. ult. *multipeda comprimit cum reſinæ tertiâ parte illita: & grylli, ſive illiti, ſive adalligati.*

De illis inguinis, ſic idem lib. xxii, cap. xxiv: *Si inguen tumeat, albam ceram in pube fixiſſe remedio eſt.* Et cap. xxx, cap. viii: *Inguinum tumorem cochleæ minutæ cum melle illitæ leniunt.*

At univerſi magis corporis ſunt hydropicorum tumores. Eos diſcutiunt cochleæ crudæ terreſtres, ſi cum teſtis ſuis imponantur, nec auferantur, priuſquam omnis ſit exhauſtus humor.

Sunt & in tumoribus pani, ex eo ſic dicti, quia referant glomum, qui Græcis πηνίον, Doribus πανίον. Diminutivum eſt *panicula*, vel *panucula*, teſte Feſto. Remedium adfert Plinius lib. xxx, cap. viii: *Panos diſcutit multipeda contrita, admiſtâ reſinâ terebinthinâ ex parte tertiâ. Quidam & ſinopidem admiſcent cochleæ contuſæ. Et per ſe cinis inanium cochlearum ceræ miſtus diſcuſſoriam vim habet. Cantharides miſtâ calce panos ſcalpelli vice aperiunt.* Similiter Plinius Valerianus lib. iii rei Med. cap. xxvii: *Ad paniculas ſanandas cochleæ minutæ mirabiliter faciunt.*

Φύματα ſunt tubercula furunculis rotundiora, planioraque. Ea ſanantur oxymelite, & mulſo: de quo pluribus Oribaſius lib. vii Synopſeos, cap. xxix. Ceræ quoque in malagmatis uſum adverſus phymata, uti & tubera, tradit Celſus lib. v, cap. xviii *a*. Qui & cap. xxviii naturam phymatis deſcribit: ſed de curatione ad locum jam adſignatum remittit.

a Pag. 246. & ſeq. edit. Turneſianæ.

Eſt & tumoris genus καρκῖνος, ſive cancer, qui *non ſolum corrumpit, quod occupavit, ſed etiam ſerpit*: ut ait Celſus lib. v, cap. xxvi. Eſtque interdum ulceroſus, interdum ſine eo: ac ſi totum occupârit corpus, *elephas* vocatur: *univerſalem cancrum* dixeris. Ad carcinodas etiam ceram juvare, docet Cornel. Celſus lib. v, cap. xviii *a*.

Abſceſſus quoque, ut Celſus vocat, in tumoribus eſt purulentis. Græcis ἀπόστημα, vel ἀπόστασις, dicitur ἀπὸ τοῦ ἀφίστασθαι *b*, quia partes ante contiguæ, humore præter naturam recepto, ſeparentur. Remedium tale adfert Plinius lib. xxx, cap. v: *Millepedis, additâ reſinæ terebinthinæ parte quartâ, omnia apoſtemata curari jubent.*

a Pag. 247. edit. Turneſ.

b Abſcedere.

Inter abſceſſus ſunt vomicæ, quibus Serenus Sammonicus *c* commendat:

Et mulſos amnes, & purgamenta columbæ.

c Cap. 41.

Nec hominum modò vomicis melle conſulitur, ſed etiam equorum: ut liquet ex Vegetii Mulomedicinæ lib. iii, cap. lxix; ubi medicamentum præſcribit, in quo mel, & ficus, coquuntur.

Scabies Celſo *d* eſſe dicitur, *durior cutis rubicundior, ex qua puſtulæ oriuntur, quædam humidiores, quædam ſicciores.* Origo vocis aperta. Græcis ſimiliter ψώρα à ψάω, *frico.* Germanis *den raud*, fortaſſe à *rauch*, *aſper*, *rudis*: item *die kratze*, credo à Chaldæo חרת charath, *ſculpere*, *incidere*: unde & Gr. χαράσσω.

d Lib. 5. cap. ult. ſect. de ſcabie.

Scabies tollitur, ſi capiti hominis imponatur culex cum ſtramine accenſus, cumque vivis carbonibus in cineres verſus: quod pluribus oſtendit S. Hildegardis: ſed pro culice, Germanorum more, *muggam* dicit. Vide eam lib. iv Phyſ. Part. ii, cap. 8. Ac ibidem cap. lii ſcabiei capitis conſuli dicitur, ſi ſuperlinias liquorem ex humbelim expreſſo: ubi ſine dubio intelligitur fucus, qui Germanis *hommel*. Hildegardis enim in Germania nata, mortuaque, ante annos cccc.

Plinius Valerianus lib. iii, cap. xxxviii ad ſcabiem arcendam docet varium ceræ uſum. Imò & Vegetius lib. iii Mulomedicinæ, cap. lxxi geminum equis præſcribit medicamentum, quorum utrumque ingrediatur cera.

Eſt & fœdum ſcabiei genus, quod λειχὴν, ſive *impetigo* vocatur: item aliud, quod dicitur ἀλφὸς, ſive *vitiligo*; de qua Feſtus. Vulgò *morphæam* nuncupant. Ejus generis eſt lepra, quam Dominum ſanâſſe legimus in Euangelio. At planè eos ratio fugit, qui elephantiaſin arbitrantur. Lepram, omnemque vitiliginem (λέπρας, & ἀλφοὺς) purgant crematæ cochlearum teſtæ: ut eſt apud Dioſcoridem lib. ii, cap. xi. Intellige verò non illas modò marinarum, de quibus in aquatilibus non ſemel dictum: ſed etiam terreſtrium. Idem Dioſcorides lib. ii, cap. lxvii ait, medicamentis iis, quibus carcinomata, lepræ, & impetigines feræ (λειχῆνες ἄγριοι) ſanantur, etiam bupreſtes miſceri; idque ob vim σηπτικὴν, ἑλκωτικὴν, θερμαντικὴν, *exedendi*, *exulcerandi*, & *calefaciendi.* Varia etiam remedia ſuggerit Plinius. Ut lib. xxix, cap. iv: *Vis cantharidum adurere corpus, cruſtas obducere. Eadem pityocampis, in picea naſcentibus; eadem bupreſti; ſimiliterque præparantur. Efficaciſſimæ omnes ad lepras, lichenaſque.* Et libri xxx, cap. xiii: *Ad vitiliginem, & cantharides, cum rutæ foliorum duabus partibus, in Sole, donec formicet cutis, tolerandæ ſunt.* Quam rem mox pleniùs explicat. Marcellum etiam Empiricum audiamus cap. xix *e*: *Ad lichenem, ſive mentagram, quod vitium neglectum ſolet per totam faciem, & per totum corpus ſerpere, & plures homines inquinare. Nam Soranus medicus quondam ducentis hominibus hoc morbo laborantibus curandis in Aquitania ſe locavit. Huic ergo valetudini maximè medentur cantharides tritæ, & inlitæ cum ſucco uvæ amineæ, & cum ſevo ovis, vel capræ: ſed prius facie lotâ, & nitro diligenter curatâ, medicamen imponitur.* Idem docet Plinius Valerianus lib. ii Rei Medicæ, cap. lvi. Aliud item remedium accipe è Plinii lib. xxix, cap. ult. *Alterum blattarum genus mylæcum f appellavere, circa molas ferè naſcens. Has capite de-*

e Pag. 129. edit. Froben.

f Al. mylæcum.

detracto attritas, lepras ſanaſſe, Muſa, & Picton, in exemplis reliquere. Aliud item e lib. xxx, cap. XIII: *Ad eaſdem vitiligines, & muſcas illini jubent cum radice lapathorum a.* Mel quoque juvat: unde Marcellus cap. XIX *b* nitrum ex melle, & lacte bubulo, impoſitum elephantiaſi ait mederi, & Oribaſius lib. VII Συνόψεως, cap. XLVIII oxymeli adverſus lepram commendat. Hæc abunde arguunt, quam nobis ad alimoniam, ac medicinam, immenſa Dei bonitas ex ipſis provident inſectis.

a *Al.* lapathoria. b *Pag.* 130.

Cap. XC.

Inſecta etiam ad rem veſtiariam prodeſſe. Sericæ veſtis uſus varius pro vario anni tempore. Seres ubi ſiti, & cur inde Sericæ veſti nomen datum. Cur eadem dicta Perſicæ, & Medicæ. *Quo pretio ſericum ſoleat divendi florentibus rebus Romanis. Qua occaſione plane innotuerit Romanis, Græciſque, ſericum neri à bombyce, cum antea id valde eſſet incertum, multis, etiam claſſicis ſcriptoribus, ita exiſtimantibus, e foliis arborum depecti. Pamphila in Co inſula prima inſtituit bombycinam deglomerare, ac deinde telam hinc texere. Cur inter Coam veſtem, & illam ex Arabis, vel Aſſyrii bombycis tela textam, veteres diſtinxerint. Primitus ſolis feminis veſtes Sericas fuiſſe in uſu; hinc viris nobilibus; tandem & hominibus e vulgo. Quando* bombycina, & Serica, *eadem haberi cœperint. Purpuram melle conſervari, & unde ea vis mellis. Cur gladii oleo inuncti non ſint obnoxii rubigini.* Blattam μετωνυμικῶς *poni pro panno purpureo; non quidem ab ea vocis ſignificatione, qua* blatta *vermiculus eſt; ſed quatenus ſic dicitur os marium purpura.* Sericoblatta. Blattifer Senatus.

JAm quanti illud exiſtimandum, quòd bombyces ſuppeditant veſtem ſericam? Quæ vel æſtivo tempore aptior, vel hiberno, vel verno, & auctumnali. In æſtu magno ob levitatem accommodatiſſima tafetata: in minori, ormeſina. Hieme conducunt felpa, & velutum: quorum utrumque pondere ſuo, & villis, calefacit. Vere, & auctumno, laudatur raſa, quæ vulgo, *veluto riccio.* Vetus Sericæ veſtis appellatio eſt à Seribus: qui populus eſt Orientis, Boriæ propior, ac, ut ait Ammianus Marcellinus lib. XXIII, *ab Occidentali latere Scythis adnexus; à Septentrione, & orientali, nivoſæ ſolitudini cohærens; qua meridiem ſpectat, adusque Indiam porrectus, & Gangem.* Ptolomæus ab Oriente ait habere γῆν ἀγνώστην *a*: alii referunt terminari Oceano Eoo, & ab his dici *Sericum*, uti meridionalis ab Indis *Indicus* vocatur. Iis cum Taprobanitis erat commercium: cæterorum refugiſſe cœtum, apud Plinium *b* legas. Ex hac gente Sericum deportabatur in Perſiam. Nec veſtes *Perſicæ*, vel *Medicæ*, aliæ intelligendæ, quam *Sericæ.* E Perſia verò poſt devictam ab Alexandro Magno Perſiam, delatum eſt in Græciam: florentibus rebus Romanis, in imperium Romanum: ubi ἰσόχρυσον *c* fuit. Nam ſerici libra emebatur librâ auri. Ea conſuetudo obtinuit uſque ad tempora Juſtiniani Imperatoris. Huic permoleſtum erat, ab hoſtibus Perſis tam carè veſtem emi oportere. Commode, ut Procopius in Gothicis *d*, & ex eo Zonaras narrat, duo monachi ex India venêre, qui indicium facerent Cæſari de vermibus Sericum nentibus: nec poſſe quidem vermes eos Conſtantinopolim deferri; ſed poſſe apportari ova, ex quibus vermiculi gignerentur. Remiſſi igitur monachi, qui ova ejuſmodi attulerunt. Atque inde eſt omne id vermium genus ſericum nentium, quòd hodie eſt in Europa. Ac tum nulli amplius dubium fuit, quin ſericum eſſet bombycum opus. Antea verò quæſtio admodum erat anceps, & incerta. Fuere quidem, quid id, quod res eſſet, traderent: ut Pauſanias in Poſteriori Eliacorum libro (nec tamen citra errorem,) Servius item in illud Maronis *e*,

Quid nemora Æthiopum molli canentia lana?

Adhæc B. Baſilius Hexaem. homil. VIII. Chryſoſtomus quoque bombycinam veſtem pulchram quidem ait, ſed τῶν σκωλήκων ὕφασμα, *vermium telam.* Sed enim vulgatior erat opinio, eſſe arborum fœtum, ſive fieret è corticibus, ſive foliis depecteretur. Prius placuit Straboni lib. XV: Τοιαῦτα δὲ καὶ τὰ Σηρικὰ ἔκ τινων φλοιῶν ξαινομένης βύσσου· *Talia ſunt & Serica, byſſo nempe ex arborum quarundam corticibus carminata, ac neta.* Poſteriorem autem ſententiam ſequuntur Maro II Georg. ac Seneca in Hippolyto, & Hercule Oetæo: imò Plinius quoque lib. VI, cap. XVII, & Ammianus Marcellinus lib. XXIII. Quibuſdam Strabo etiam conveniet, ſi pro φλοιῶν *a* reponatur φύλλων *b*. Poſt verò Juſtiniani tempora, quod antea dicebam, pariter omnibus liquebat. Quod inter alios ſatis in κοσμουργίᾳ oſtendit Georgius Piſides diaconus & referendarius Conſtantinopolitanus, qui Heraclii Imperatoris temporibus, & deinceps, vixit. Dixeris, nec multò antè potuiſſe hoc ignorari propter veſtes Coas: quas ex bombyce eſſe conſtaret. Quippe ab Ariſtotele ipſo lib. V Hiſtor. Animal. cap. XIX *c* traditum eſſe, primam in Co inſula Pamphilam, Latoi filiam, docuiſſe bombycinam deglomerando exſolvere, & inde texere. A Plinio præterea lib. XI, cap. XIII tradi, Coam bombycem etiam viris eſſe in uſu, Aſſyriam ſolis mulieribus. Eſt & Propertii lib. II, eleg. III:

a Corticibus. b Foliis. c Ex diſt. Caſ. Scaligeri ſect. 217.

Nec ſiqua Arabio lucet bombyce puella.

Sed his ſatis puto occurri, ſi ſtatuamus, illa de Aſſyria, Arabiave bombyce, intelligi debere de tela ſerica, quæ inde apportaretur. Nam bombyx μετωνυμικῶς ſæpe capitur pro tela ex eorum filis contexta. Quod verò ad veſtem Coam, non quidem ignorabant, id, unde illa fieret, neri à bombyce: ſed fere doctiſſimis quibuſque ita erat perſuaſum, diſparem eſſe originem ſerici. Et hunc in errorem impellebantur eo, quòd longè præſtantius eſſet ſericum è Perſia apportatum, quàm bombycinum Coum. Credo, Indici bombycis tenuius ac ſubtilius filum erat: craſſius autem vermis Coi. Præterea, ut è Plinio obſervatum maximo Salmaſio, Coi non antè eliquabant ſtamen bombycinum, quàm corroſâ metaxâ evolaſſet papilio. At Seres, integro illo ſtamine, id agebant, intus adhuc morante bombyce, ac necdum in papilionem converſo. Quare nihil mirum, ſi, Plinii ætate, viri etiam Cois uterentur; ſerico ſolæ feminæ. Sic enim ſcribit: *Tam multiplici opere, tam longinquo orbe petitur, ut in publico femina tranſluceat.* Ac alibi ſimile habet. Paullo pòſt tamen ſericâ & viri cœpere uti. Unde opus fuit, decerni à Senatu anno Urbis IↃ CC LXIX (ut Tacitus *d* narrat) *ne vaſa auro ſolida miniſtrandis cibis fierent, ne veſtis ſerica viros fœdaret.* Solini ætate, qui Plinium exſcribit ſæpe, (nec enim eo antiquiorem eſſe putandum) viris quoque is luxus. Verba ejus *e*: *Primò feminis, nunc etiam viris, perſuaſit luxuriæ libido.* Nec è vulgo tamen, ſed ſoli nobiles, hac veſte utebantur. Tandem eam & infimi ſine ulla diſcretione uſurparunt: ut eſt apud Ammianum Marcellinum *f*. Cæterùm cùm Solinus ait, viros etiam ſericâ uſos, intelligenda ſubſerica, cujus ſtamen lineum, trama ſericum. Nam & hanc *ſericam* dixere. Sed veſte, cujus & ſtamen ſericum foret, primus ex Romanis uſus eſt Heliogabalus. Sic enim de eo Spartianus: *Primus Romanorum holoſericâ veſte uſus fertur, cum jam ſubſerica in uſu eſſent.* Ex his liquet, quomodo differant veſtis bombycina, ſubſerica, & holoſerica. Bombycina enim eſt Coa. Serica quidem è bombyce erat: ſed ante Juſtiniani tempora origo ejus, ut vidimus, non ſatis erat nota. Poſtquam verò Coa eſſe in uſu deſiit (quod contigit, ubi Serica in Romanum imperium magnâ advehi copiâ cœpit) nomina bombycinæ, & Sericæ veſtis, promiſcue ſolent uſurpari.

d Lib. 2. Annal. e Cap. 53. ſive diſt. al. 50. f Lib. 23.

Nec bombyces duntaxat, ſed apes etiam, rei proſunt veſtiariæ. Nam purpura melle conſervatur. Narrat enim Plutarchus in Alexandri vita, quo loco de captis loquitur Suſis, in urbe ea, inter alia pretioſa, inventa eſſe quinque millia talentûm purpuræ Hermionicæ, centum & nonaginta annis ſervatæ, ac nihilominus florem recentem & novitium retinentis, quia puniceorum infectura eſſet melle perfecta;

a Terram incognitam. b Lib. 6. cap. 17. c Ejus pretii ac aurum. d Lib. 2. e 2 Georg. verſ. 120.

fecta; candidorum, oleo candido. Nempe mel, ut diximus antea, lentore ſuo efficit, ne calor nativus foras exeat, vel externus ingrediatur: ac par olei ratio eſt; unde eſt, quòd gladii oleo inuncti non obducantur rubigine.

Ex iis, quæ hactenus diximus, conſtat, non leve eſſe veſtibus decus ab inſectis. Eſt interea, ubi & verus earum honos falsò ſit inſectis attributus. Ut cùm blattæ vermiculo deberi ajunt blatteum colorem, & decus veſtium, quæ inde *blattea* vocantur. Eſtque pro iis hoc Pauli Diaconi in Gloſſis: *Blatta, genus purpureum vermis.* Sed vide, an non ſatius ſit pro *vermis* reſcribere *veſtis.* Nam Horatio quidem, Plinio, Martiali, aliis, *blatta* eſt vermiculi genus: at non unde purpureus fiat color. Sed poſtquam declinavit Romani puritas ſermonis, *blatta* cœpit accipi pro oſſe ex nare purpuræ: nec tamen cujuſvis purpuræ, ſed Byzantiæ. Unde Actuarius: βλάττιον Βυζάντιον ὀςῦν τῆς ῥινὸς τῆς πορφυρᾶς· *Blatta Byzantia eſt os ex nare purpura.* Sed ſi conſuetudinem ejus vocis attendamus apud Annam Comnenam in III Alexiados, Theodoſium
a Pag. 99. Zygomalam in Cruſii Turcogræcia *a*; imò & Codinum variis in locis operis de officiis Conſtantinopolitanis; adhæc Nicetam, & Cedrenum: comperiemus, non ſolùm ſumi pro oſſe naſi purpuræ, nec pro purpura Byzantia modò, quæ Anaſtaſio bibliothecario in Papa Leone III, *blattin Byzantium*; ſed ſimpliciter pro purpura, vel potiùs panno purpureo. Quomodo & *blatta* vocabulum uſurpant Latini. Caſſiodorus lib. I Var. Lect. epiſt. II: *Pontus caſtorea, blattam Tyrus, æra Corinthus.* Ac ſimiliter uſus lib. I, epiſt. II: *Cum blatta, quam noſtro cubiculo dare ſingulis annis conſuevisti, venire feſtina.* Item Alcimus Avitus lib. III:

—— Fulgidus auro
Serica bis coctis mutabat tegmina blattis.

Et lib. IV:

Pallia blattarum ſpreto diffibulat auro.

Hinc igitur *blatteus color* pro *purpureo*, Iſidoro lib. XII Orig. cap. ult. & lib. XXIX, cap. XVIII: *blattei funes* Eutropio in Nerone: *blattea tunica* apud Vopiſcum in Aureliano, & Gregorium Turonenſem lib. II Hiſtor. cap. XXXVIII: *pallium blattoſericum* eidem Vopiſco: quod & *ſericoblatta*, L. X de murilegul. lib. II Cod. Juſtin. & L. XIII eodem Tit. Cod. Theodoſ. Diviſim item *ſericum blatteum.* Venantio Fortunato lib. II Epigram.

Serica cui niveis agnata eſt blattea telis.

Sic & *blattifer ſenatus*, pro *purpureis Patribus*, Sidonio Apoll. lib. IX, epigram. XVI.

Cap. XCI.

De multiplici ceræ uſu. Ac primùm de veterum conſuetudine literas, teſtamenta, aliaque exarandi in tabulis ceratis; deque commodo gemino, quod habeat ea ſcribendi ratio. Cur, qui ſcripta ſua corrigunt, ſtylum vertere *dicantur. Lini, ceræque uſus in claudendis, & obſignandis literis. Hoc ſigillum iis, quibuſcum negotium foret, inviolatum oſtendi ſolere, priuſquam literæ aperirentur. Aſiaticos pro cera in ſignando uſurpâſſe cretam. De creta, terræque Cimoliæ, ac Samiæ, natura. Quàm antiquus annuli uſus Hebræis. Quod Plinius ait, Ægyptios non ſignâſſe literas, id ſi univerſè capiatur, refelli annulo Pharaonis, quem Joſepho dedit. Quomodo veteres Græci, maximè Lacones, ſignarint ligno à vermibus eroſo: quod inde* θριπόβρωτον, *&* θριπήδεςον, *dixere. Mos Criticorum cerâ miniatâ ſignandi, quæ improbarent. Democriti* χειρόμηκτα. Παρασημάσματα *quæ dixerint. De arte ceris pingendi, quæ vocata eſt* ἐγκαυςική. *Tria ejus genera fuiſſe; quorum unum cera fieret, qualis eſſet; alterum, eâdem liquefactâ; tertium, cæſtro ſine cera, inurente ebur, vel cornu: & in quibus uſi ſint primo, ac ſecundo genere, quod* κηρογραφίαν *dixere; uti tertii generis* ἐγκαυςα *vocavere* κηρωτά. *De imaginibus ex cera effigiatis: & univerſè de vi imaginum in animis hominum. Imagines, quæ more Romano diſponi in atrio, & in funere ſolent præferri, fuiſſe vultus humero tenus ex cera efformatos. Nec tamen omnium ſolere imagines funus comitari; ſed duntaxat eorum, qui non viderentur hoſtes fuiſſe Reipublicæ.*

SEd ad veros inſectorum uſus redeo; & quia de re veſtiariâ ſatis dictum puto; nunc conferam ſermonem ad uſus eos, quos è ceris capere licet in ſcripturis, ſigillis, picturis, ſimulachris, lucernis, & variis rebus glutinandis.

Antiqui olim in tabulis ſcribebant ceratis *a*: unde *cera* Ovidio pro epiſtola: ac apud Juriſconſultos *b* ſæpius *tabulæ ceræque* de ceratis teſtatorum tabulis: apud poetas *c*, & alios *d*, *prima*, *ima cera*, & *ceræ ultima*, pro iiſdem. Hæc ſcribendi ratio, licet nunc deſita, duo habuit commoda. Prius eſt, quòd celerior eſſet. Nam dum pennam in atramento tingimus; crebra adeò manus relatio cogitationem moratur, & frangit: ut apud Fabium eſt lib. X, cap. III. Poſterius ibidem refertur, quòd contrà quàm in chartis fit, nullum, ubi mutâris; relinquatur lituræ indicium. Quippe uti cuſpide graphii, ſive ſtyli (qui quandoque oſſeus, plurimùm ferreus fuit) exarabant: ita parte adversâ, quæ obtuſior erat, quicquid diſpliceret, inducebant, ac complanabant; ibidemque aliud, quod vellent, ſcribebant. Unde Horatianum *e* illud; *Sæpe ſtylum vertas*: hoc eſt, ne retine, quicquid primò in mentem venerit; ſed ſcripta tua crebrò muta, ac corrige.

Præterea cerâ in obſignandis literis, & teſtamentis, utebantur. Nempe tabellas, chartaſve, lino obligabant; poſtea annulo χαρακτῆρα imprimebant ceræ. Hinc Chryſalus apud Plautum Bacchidibus *f* ad literas ſcribendas, ſignandaſque, adferri jubet,

—— ſtilum, ceram, & tabellas, & linum. ——

Iis jam exaratis, ſed necdum ſignatis, dicitur,

Cedo tu ceram ac linum actutùm. age obliga, obſigna citò.

Quod ſi adverſarium literis vellent convincere, ſignum inſpiciendum dabant, priuſquam linum inciderent, atque ita aperirent. Liquet hoc ex Curculione act. III *g*, & Bacchid. act. IV, ſc. VI *h*: item Pſeudolo act. IV, ſc. III *i*. Cicero in Catil. *Oſtendi tabulas Lentulo, & quæſivi, cognoſceretne ſignum.* Ac ſimiliter de eo Salluſtius in Catilin. Pro cerâ autem Aſiatici utebantur cretâ; quam Herodotus in Euterpe appellat γῆν σημαντρίδα *k*. Meminit ejuſce conſuetudinis etiam M. Tullius pro Val. Flacco: *Hæc quæ eſt à nobis prolata laudatio, obſignata erat cretâ illâ Aſiaticâ, quâ utuntur omnes in publicis, & privatis literis.* Nec id mirum, cùm creta quædam ſit pinguis, lenta, glutinoſa: non illa modò, quæ ex Creta advehitur, indeque nomen id inſulæ obtinet: ſed & quæ locis vicinis, ut ex Cimolo, maris Cretici inſula; quæ ipſa magis glutinat terrâ Samiâ. Nam de ejus pinguidine, & lentore, etiam teſtes ſunt Dioſcorides, & Galenus. Et ſanè quia creta quædam ſit pinguis, eò Britanni etiam tali agros ſuos uberes reddunt, ac pingues. Interim mos iſte annulo in cera, cretâve, ſignum imprimendi, tardè obtinuit apud pleraſque Orientis ipſius gentes. Nam Plinii eſt lib. XXXIII, cap. I: *Non ſignat Oriens, aut Ægyptus, etiam nunc literis contenta ſolis.* Hebræis tamen mos iſte pervetus: ut arguit annulus Thamari à Juda datus pignori: quemadmodum eſt Geneſ. XXXVIII. Nam ſignatorium fuiſſe, communis opinio eſt. Et quicquid de Ægypto ſit, ex quo ſub Ptolomæis fuit: tamen jam temporibus patriarcharum, ſi non vulgus, ſaltem reges annulis uſi ſignatoriis: ut arguit Geneſ. XLI, quòd Pharao dederit Joſepho annulum ſuum. Eo enim auctoritatem tribuit regias obſignandi literas, tanquam regni cancellario. Quod verò ad Græcos veteres, Lacones imprimis; hi quidem in cera ſignavere, ſed non annulo; quia ſculpendi, cælandique ars adhuc eſſet ignota; verùm θριπηδέςῳ, ſive θριπόβρωτῳ, hoc eſt, ξύλῳ ὑπὸ θριπῶν βεβρωμένῳ· *ligno à vermibus corroſo*; ubi, ſine dubio, punctorum numerus, magnitudo, & ſitus, pro ſigno erant.

a Plin. lib. 13. cap. 11.
b Marcianus l. 1. §. de l. Cor. de fal. & Ulpianus Tit. 20 Regul.
c Horat. lib 2. ſat. 5. Martial. lib. 4. epig. 26.
d Sueton. in Jul. cap. 83. & in Ner. cap 17.
e Lib. 1. ſat. 10.
f Act 4. ſc. 4.
g Sive Scena, Beatus videtur. verſ. 53.
h Verſ. 19.
i Verſ. 45.
k Terram ſignatricem.

erant. Vide Heſychium in θελπίδεμτος, & in θελπίδεος: nec non Iſacium Tzetzem in Lycophronis Caſſandræ verſ. Iↄ VIII.

In cenſendis etiam ſcriptis ſolent Critici ceris annotare ſigna quædam judicii ſui. Huic ceræ admiſcebatur μίλτος, ſive rubrica, aut minium; quo & alias uſi, ad ornatum. Unde Achilles Statius in Aratum: Ἔστι δὲ ὁ καταχεισμένος ἐν τῇ σφαίρᾳ κηρῷ μεμιλτωμένῳ· *eſt vero in ſphæra illitus cerâ, minio admiſtô.* Criticis autem fuiſſe in uſu, indicat Cicero lib. XVI ad Att. epiſt. XI: *Noſtrum opus tibi approbari lætor, ex quo ἄνθη* a *ipſa poſuiſti: quæ mihi florentiora ſunt viſa tuo judicio: cerulas enim tuas miniatulas illas extimeſcebam.* Democritus etiam in opere ſuo, quod χειρόκμητα inſcripſit, iſtis, quæ παράδοξα *b* viderentur, veriſſima tamen eſſe experientiâ didiciſſet, notam è cera annulo ſuo ſignatam adfigebat. Hujuſmodi κηροὺς καταπεπλασμένους, *ceras illitas*, propterea vocabant περιπλάσματα: ut ex Heſychio conſtat. Cur verò opus ipſum Democritus χειρόκμητα inſcripſerit, non meliorem adducere poſſis rationem, quàm quòd annulum ſignatorium dicerent χειρόκμητον: ut ex Eudemo Rhetore, & Suida, cognoſcere eſt. Apud Vitruvium *c*, Pliniumque *d*, imò & Laërtium *e*, id vocabulum corruptè legitur: ſed feliciter emendavit vir nunquam ſatis laudandus, nec temere ſine laude nominandus, Claudius Salmaſius: quem de iſto pluribus vide in Plinianis, & Solinianis Exercitationibus *f*.

a Flores.

b Admirabilia, ſive contra communem opinionem.

c Lib 9. cap 3. ſed vulgo χειροτονητὰ legitur: quaſi electa. vel electanea dixeris, quia electio etiam fit ſuff. agiis cum manuum extenſione: unde vox Græca.

d Lib. 24. cap. 17. ubi vulgo chirocineta.

e In Democriti vitâ, ubi eſt χειρικα.

f Pag. 1100.

Adhæc uſus ceræ in pictura erat. Nam ceram priùs tabulæ inducebant, non quidem liquefactam, ſed cujuſmodi eſſet. Inducebant autem ceram diſcolorem, prout exigeret id, quod in tabula vellent pingere. Ceris ita inductis, inſtratiſque, eas inurebant, ac exæquabant. Id, quo ceris pingerent ἔγκαυσον *g* dixere; uti artem ipſam ἐγκαυστικὴν *h*. De hac capiendus quoque Varro lib. III de R. R. cap. XVII: *Nam ut Pauſias, & cæteri pictores, ejuſdem generis loculatas magnas habent arculas, ubi diſcolores ſunt ceræ.* Item Martialis lib. IV, cap. XLVII:

Encauſtus Phaëton tabulâ depictus in hac eſt.
Quid tibi vis, dipyron qui Phaëtonta facis?

Quærit ex pictore, quid ſibi velit, quòd cùm potuerit in tabella, penicillo colores inducendo, exprimere Phaëtonta, maluerit eum pingere encauſto: quaſi non ſatis fuerit, ſi ſemel ſit uſtulatus, cùm malè regens currus paternos, ac in magnum conjiciens periculum genus humanum, propterea fulmine à Jove in Eridanum eſt præcipitatus: ut nihil attinuerit, quò bis miſer eſſet, iterum uſtulare, dum inuritur ceris; unde δίπυρον vocat, quaſi *ignem bis expertum* dixeris. Erat & alter ceraria encauſtices modus: qui fiebat ceris liquefactis. De hoc ita Vitruvius lib. VII, cap. IX: *Ceram Punicam igni liquefactam paullo oleo temperatam ſetâ inducat: deinde poſtea, carbonibus in ferreo vaſe compoſitis, eam ceram apprimè cum pariete calefaciendo ſudare cogat, fiatque, ut peræquetur. Poſtea cum candelis, linteiſque puris, ſubigat, uti ſigna marmorea curantur, hæc autem καῦσις Græcè dicitur.* Sed extrema verba ſic optimè ὁ πάνυ i Salmaſius corrigebat. *Hæc ἔγκαυσις Græcè dicitur.* Id encauſtices genus à priori diverſum fuit, eoque puppes navium pingebant: præter quæ & tertium erat, ſed citra ceram, idque in ebore. Hæc tria complexus etiam Plinius fuit lib. XXXV, cap. XI: *Encauſto pingendi duo fuiſſe antiquis genera conſtat; cerâ, & in ebore ceſtro, id eſt, veruculo, donec claſſes pingi cœpere. Hoc tertium acceſſit reſolutis igni ceris penicillo utendi: quæ pictura in navibus nec Sole, nec ſale, ventiſque, corrumpitur.* Atque hinc maximus Salmaſius *k* optime interpretabatur Ovidianum hoc:

g Q. d. inuſtorium.

h Inurendi, ſive inuſtoriam.

i Illuſtris, ac ſummus.

k In Solini polyhiſtor. cap. 32.

—— Et picta coloribus uſtis
Puppis ut Ægeas concava ſindit aquas.

Nec naves ſolùm, ſed etiam fornices, ſive cameras, ſic pingebant: ut idem notis ad Flavium Vopiſcum docuit ex primo Procopii de ædificiis Juſtiniani. Qui hanc encauſticen factam ait κηρῷ ἐντακέντι, καὶ διαχυθέντι· *cera liquefactâ, & diffuſâ.* Et Plinii eſt, loco antè memorato, ſed de priori ratione ceris pingendi: *Idem* (Pauſias) *& lacunaria primus pingere inſtituit, & cameras, nec ante eum taliter adornari mos fuit.* In januis etiam, & atriis, ἐγκαυστικὴ a habebat locum. Hinc Auſonius Epigr. XXV:

a Inurendi ars.

Ceris inurens januarum limina,
Et atriorum pegmata.

Item muris obducebant ceræ loricam, inque ea pingebant. Etymologicum magnum: Ἐγκεκαυμένων, ἐζωγραφημένων· ἐπεὶ ἐγκαυσταὶ λέγονται οἱ ζωγράφοι, οἱ διαγράφοντες τοὺς τοίχους· *Encauſta, picta: quia encauſtæ dicuntur pictores, qui muros pingunt.* Mallem, non laxè adeò locutus eſſet; ſed dixiſſet, eſſe genus picturæ, quo muros, & alia, ceris pingerent. Unde aliter κηρογραφίαν vocarunt. Ita videmus apud Athenæum libro quincto, quo loco ex Callixeno Rhodio Ptolomæi Philadelphi pompa deſcribitur, inter alia recenſeri κεράμια εἴκοσι χρυσᾶ, πεντήκοντα δὲ ἀργυρᾶ, τριακόσια δὲ κεκηροχαφημένα χρώμασι παντοίοις· *amphoras aureas viginti, argenteas quinquaginta, trecentas vero omnigenis cera coloribus pictas.* Hoc tamen diſcriminis eſt inter ἐγκαυστικὴν, & κηροφραγίαν, quòd prior illa, ut ex Plinio vidimus, etiam comprehendat κέρατι, ſive ebur, aut cornu, κεστρῷ, hoc eſt, ignito vericulo, depicta. Quis primus ceris pingere, vel picturam inurere, invenerit; pete ibidem ex Plinio.

Præterea, ut ligno, ebore, lapide, vel metallo; ita ex ſola etiam cera vultus, totaſque imagines, efformabant. Nec cerâ ſanè ulla eſt materies magis ductilis. Ut de imagunculis magicis nihil nunc dicam; talis erat imago, de qua Ovid. lib. II Remed. Amor.

Si potes; & ceras remove: quid imagine mutâ
Carperis? hoc periit Laodamia modo.

Vult, ut amaſiæ ſubeat oblivio, removeri ceratam illius imaginem, eo quòd conſpectus memoriam ejus renovet; uti Laodamiæ contigit, quæ in epiſtolis Ovidianis ſic ſcribit marito ſuo Proteſilao, ad Trojam profecto:

Dum tamen arma geris diverſo miles in orbe,
Quæ referat vultus eſt mihi cera tuos.
Illi blanditias, illi tibi debita verba
Dicimus, amplexus accipit illa meos.
Crede mihi plus eſt, quam quòd videatur, imago,
Adde ſonum ceræ; Proteſilaus erit.
Hanc ſpecto, teneoque ſinu pro conjuge vero;
Et tanquam poſſit verba referre, queror.

Hoc, quod fecit, cùm putaret conjugem vivere, (falsò licet; quia occiſus erat, ſecundùm oraculum, quo prædictum fuerat, periturum, qui Græcorum primus in ſolum Trojanum è navi deſcendiſſet) id ſine dubio, ubi ab Hectore interemtum intellexit, tam amans mariti, in luctu ſummo, qui nihil ſuadet moderari, multò fecit impenſiùs, uſque dum mœrore penitùs contabeſceret. Hunc enim ejus fuiſſe exitum, abunde indicant Ovidii verba priori à nobis loco adducta. Ex hoc uſu ceræ in picturis, & vi picturæ in amantium animis, etiam liquet, cur Plautinus paraſitus *b* ſyngrapho inter lenam, & Diabolum adoleſcentem, adſcribat, lenæ id præſtandum,

b Aſin. act. 4. ſc. 1.

Ne epiſtola quidem ulla ſit in ædibus,
Nec cerata adeo tabula, & ſiqua inutilis
Pictura ſit, eam vendat.

Nimirum ne picturâ illâ alterius refricaretur amatoris memoria; qui fortaſſe gratior foret amicæ, quàm adoleſcens iſte, ſic cum lenâ tranſacturus.

Sed ut amantibus ſæpe noxiæ erant hujuſmodi imagines ceratæ: (& par aliarum ratio eſt:) ita magnam capere erat utilitatem ex ceris majorum, qui præclarè præiviſſent. Quippe, ut ait Valerius Max. lib. V, cap. VIII, exemp. III: *Effigies majorum cum titulis ſuis idcirco in prima ædium parte poni ſolent, ut eorum virtutes poſteri non ſolùm legerent, ſed etiam imitarentur.* Hanc imaginum vim, quam varios propter abuſus perperam homines inepti negant, præclare omnes experimur, & jam olim ſummi viri agnoverunt. Salluſtium audiamus prologo belli Jugurthini; *Sæpe audivi Q. Maximum, P. Scipionem,*

nem, præterea civitatis noſtræ præclaros viros ſolitos ita dicere; cum majorum imagines intuerentur, vehementiſſime ſibi animum ad virtutem accendi: ſcilicet non ceram illam, neque figuram, tantam vim in ſe habere; ſed memoriâ rerum geſtarum eam flammam egregiis viris in pectore creſcere; neque priùs ſedari, quàm virtus eorum famam, atque gloriam, adæquaverit. Qui locus ſimul indicat, illas majorum imagines ex cera fuiſſe. Pleniuſque eam rem explicat Plinius lib. XXXV, cap. 11: *Apud majores imagines in atriis hæ erant, quæ ſpectarentur, non ſigna externorum artificum, nec æra, aut marmora: expreſſi cerâ vultus ſingulis diſponebantur armariis, ut eſſent imagines, quæ comitarentur gentilitia funera; ſemperque, defuncto aliquo, totus aderat familiæ ejus, qui unquam fuerat, populus. Stemmata verò lineis diſcurrebant ad imagines pictas. Tablina codicibus implebantur, & monumentis rerum in magiſtratu geſtarum.* Pluraque inibi eodem pertinentia. Quod verò ait, imagines eas defunctum comitari ſolere, id reſtringendum ad illorum imagines, qui non viſi eſſent hoſtes Reip. Ac propterea notatum illud in Julio Cæſare, quòd in funere Juliæ, amitæ ſuæ, quæ uxor fuerat Marii, ſepties conſulis, imagines Marii prætuliſſet: quæ, ex quo dominatus erat penes Syllam, Mariuſque hoſtis fuit judicatus Reip. nullis in exequiis fuerant conſpectæ: ut eſt apud Plutarchum in Julio Cæſare. Itidem nec Bruti, & Caſſii, imagines prælatæ ſunt in funere Juniæ Tertiæ; etſi ſoror fuiſſet Bruti, alteramque ſororem Caſſius habuerit uxorem. Nihilominus *præfulgebant Caſſius, atque Brutus, eo ipſo, quòd effigies eorum non viſebantur*: quibus verbis Tacitus tertium Annalium claudit. Quia verò imagines iſtæ ex cera erant (quippe capita humerorum tenus ex cerâ effigiata) eò poëtæ ſæpius eas ſimpliciter *ceras* appellant. Ut Ovid. 1 Faſtor.

Perlege diſpoſitas cineroſa per atria ceras.

Et lib. 1 Amor. El. VIII:

Nec te decipiant veteri cincta atria cerâ.

CAP. XCII.

Ceræ uſus in fugandis tenebris. Literarum D, & L, commutatio. Quinque cereos in nuptiis præferri ſolere. Cereorum in veteri Eccleſia, poſt perſecutionis tempora, de die uſus, & quid myſtici in hoc ſtatuerint. Baptizatis datum cereum, ejuſque cæremoniæ fines. Quomodo Nero Chriſtianos, tunicâ papyraceâ ceris circumlitâ indutos, uſſerit in uſum nocturni luminis. Cur de Chriſtianis vulgo, ut maleficis, ſupplicium ſumeretur. De fiſtulis veterum ex cannis ſeptem, vel novem, compactis ad alarum formam. Inventionem earum Pani attributam: nec multum abire hinc, qui parenti ejus Mercurio adſignarunt. Planeque idem dicere, qui auctorem ſtatuerunt Faunum. Alios tamen tribuiſſe ſeu Idi, ſeu Daphnidi, paſtori Siculo. De doliorum ceratura, in cujus locum gummitio ſucceſſerit. De navibus ceratis. Theocriti locus de poculis cerâ illitis illuſtratus. Cur pocula ærea, ſtanno; at fictilia, pice oblinerentur: utramque autem cauſſam concurrere in poculis ceratis.

ALia etiam ceræ commoda proſequamur. Ex ea enim ſunt cerei, ad pellendas tenebras nocturnas. Hodieque Belgis inde candelas quoque ſebaceas vocant *keerſſen*, quia olim è *cera*: quod Romani etiam pronunciabant, ut Græci κηρός. Nunc ineptiſſimè ſoriat nobis *ceris*, ut *ſeris*. Ad conſuetudinem hanc Romanam pertinet illud Plauti Curculione act. 1, ſc. 1:

Tute tibi, puere, lautus luces cereum?

Niſi *laucus* cum Scaligero malis: quod fuerit ex δαδοῦχος, *dautia, lautia, lacrumæ dacrumæ*, μελετᾶν, *meditari*, Ὀδυσσεὺς Æolicè Ὑδύσσης, ex quo *Ulyſſes*, *gallina Medica, melica*, & trecenta id genus; in quibus literarum D, & L, fit commutatio; ut pluribus in Originum libris oſtendimus. Eſt & Martialis lib. XIV, epigr. XLII:

Hic tibi nocturnos præſtabit cereus ignes.

Quas etiam patrimi, & matrimi pueri faces præferebant in nuptiis, hæ cerei fuerunt, iique numero quini: cujus rei cauſſam non unam adfert Plutarchus Quæſtionum Romanarum tertiâ. Nuncupat ipſe πέντε λαμπάδας, ἃς κηρίωνας ὀνομάζουσιν a.

a *Quinque faces, quas Romani ipſi cereos vocant.*

In Eccleſia etiam cereorum uſus antiquis obtinuit temporibus: priùs quidem ad tenebras pellendas, quia, ut ex Plinii quoque epiſtolis b conſtat, noctu potiſſimum, ad perſecutionem effugiendam, cœtus fiebant: poſtea verò placuit, ut in ſacris de die quoque veteri luminarium inſiſteretur conſuetudini. Hoc Vigilantius multùm culpabat in Eccleſia Occidentali: ſed B. Hieronymus ſic illi occurrit c: *Per totas Orientis Eccleſias, quando legendum eſt Euangelium, accenduntur luminaria, jam Sole rutilante: non utique ad fugiendas* d *tenebras, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum.* Quem ſecutus Iſidorus lib. VII Originum, cap. XII ſic ſcribit: Ἀκόλουθοι *Græcè, Latinè ceroferarii dicuntur à deportandis cereis, quando Euangelium legendum eſt, aut ſacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria ab eis, & deportantur, non ad fugandas tenebras, dum Sol eodem tempore rutilat; ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum, ut ſub typo luminis corporalis illa lux oſtendatur, de qua in Euangelio* e *legitur; Erat lux vera, quæ illuminat* &c. Similiter, ut myſticum, interpretantur Alcuinus de divinis Officiis cap. de tonſura cler. & cap. de celebrat. Miſſæ; Amalarius lib. III, cap. XVIII; quique alii de divinis ſcripſere officiis.

b *Lib. 10. ep. 97.*
c *Contra Vigilantium cap. 3.*
d *F. fugandas, ut eſt apud Iſidorum.*
e *Joan. Euang. cap. 1.*

Baptizatis etiam cereus in manus dari ſolet: quam conſuetudinem indicant Cyrillus, ſive Joannes Hieroſolymitanus in Procatechum. & catech. 1 Myſtagog. Venantius Fortunatus lib. IV Carm. ubi de Judæis converſis, Gregorius Turonenſis lib. V Hiſt. cap. XI, Nicephorus Calliſtus lib. III, cap. XXXVII, Simeon Metaphraſtes in Conſtantini M. vita. Vix tamen cenſeam ſub hoc Cæſare eam obtinuiſſe conſuetudinem. Saltem apud neminem, qui Conſtantino fuerit prior, inveniri puto. Interea mos vetus: ac luce illâ cerei externâ ſignificabatur interior animæ illuminatio: à qua baptiſma dicebatur φωτισμὸς, *illuminatio*; baptizati item φωτισθέντες, *illuminati*. Adhæc reſpexere parabolam quinque prudentium Virginum, quæ cum lampadibus obviam prodiere ſponſo f. Hoc verba ipſa Nazianzeni teſtantur, quæ hujuſmodi ſunt: Αἱ λαμπάδες, ἅσπερ ἀνάψεις, τὸ ἐκεῖθεν φωταγωγίας μυστήριον, μεθ' ἧς ἀπαντήσομεν τῷ νυμφίῳ φαιδραὶ καὶ παρθένοι ψυχαὶ, φαιδραῖς ταῖς λαμπάσι τῆς πίστεως, μήτε καθεύδουσαι διὰ ῥαθυμίαν, ἵνα μὴ λάθῃ παρὼν ἀδοκήτως ὁ προσδοκώμενος, μήτε ἄτροφοι, καὶ ἀνέλαιοι, καὶ καλῶν ἔργων ἐπιδεεῖς, ἵνα μὴ τοῦ νυμφῶνος ἐκπέσωμεν· *Lampades, quas accendes, arcana ſunt figura illius luminum geſtationis, cum qua ſplendidæ, & virgines animæ ſplendidis fidei lampadibus obviam prodibimus Chriſto, nec per ignaviam & ſocordiam dormientes, ne fugiat nos inopinatò, ubi advenerit is, cujus adventus exſpectatur; nec alimenti, olei, & bonorum operum indigi, ne è nuptiali cubiculo excludamur.* Ac ſimiliter in commentario ſuo ad hunc locum Nicetas, Heracleenſis Metropolita. Nec multùm abeunt illa Ivonis Carnotenſis ſermone de ſacrament. Neophyt. *Ad ultimum datur cereus ardens in manus baptizati, quatenus implere doceatur illud Euangelii: Sic luceat lux veſtra coram hominibus, ut videant opera veſtra bona, & glorificent patrem veſtrum, qui in cœlis eſt.* Ac eadem propè αὐτολεξεὶ g habes apud Hugonem Victorinum lib. de Sacramentis cap. XX. Sed de hoc cereorum uſu in baptiſmate plura dicimus libro de ritibus baptiſmi.

f *Matth. 25.*
g *Verbis iiſdem.*

Quia verò cera conducit tenebris pellendis; inde eſt, quòd ea quoque in Chriſtianorum martyriis uſus ſit Nero. Nam moleſtâ eos tunicâ induebat, quæ interiùs papyracea, foris cerea erat: qualis κηροχίτων dicitur poëtæ veteri: uti Chriſtiani ipſi ex eo vocati κηρίωνες, hoc eſt, cerei. Nempe quia hoc pacto ardentes noctu pro cereis erant. Tacitus lib. XV Annalium: *Pereuntibus Chriſtianis* addita

addita ludibria, ut ferarum tergis contecti, laniatu canum interirent, aut crucibus adfixi, aut flammandi; atque ubi defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur. Sulpitius Severus lib. II: *Plerique* (Chriſtianorum à Nerone) *in id reſervati, ut cum defeciſſet dies, in uſum nocturni luminis urerentur.* Papyro autem, quæ cerâ eſſet circumlita, indui ſolere, indicat vetus interpres ad illud

a Verſ. 155. Juvenalis ſat. I a:

Pone Tigillinum; tædâ lucebis in illâ,
Quâ ſtantes ardent, qui fixo gutture fumant.

Sic enim ſcribit: *Tigillinum ſi læſeris, vivus ardebis; quemadmodum in munere Neronis vivi arſerunt, de quibus ille juſſerat cereos fieri, ut lucerent ſpectatoribus, cum fixa eſſent illis guttura, ne ſe curvarent. Nero maleficos homines tædâ, & papyro, & cerâ ſupervestiebat, & ſic ad ignem admoveri jubebat, ut arderent.* Ubi per maleficos intelliguntur Chriſtiani. Vulgò quidem malefici jam Conſtantini temporibus, (ante quem interpres ille non vixit, ut alibi oſtenſum) dicebantur illi, qui execrandas artes magicas exercebant: ut indicat Lactantius lib. II Divin. Inſtitut. cap. XVII. Ac Impp. ajunt, L. VII. D. de obſeq. parent. *Si quis Magus, aut Magicis carminibus adſuetus, qui Maleficus vulgi conſuetudine nuncupatur.* Similiter B. Auguſtinus lib. X de Civit. Dei, cap. IX. Sed enim ſacerdotes gentiles, ut maleficos, vulgò traducebant Chriſtianos. Illa enim miracula, quæ fiebant ab iis virtute divinâ, nihil aliud eſſe ajebant, quam præſtigias, & artes execrabiles.

Sed abuſus hic magis, quàm uſus ceræ, eſt dicendus: niſi quando adhiberetur in iis, qui malefici re ipsâ forent, non falsò dicerentur. At vera hæc, nec levis eſt ceræ utilitas, quam præſtat in rebus, glutini in morem, jungendis. Sic primùm fiſtulas fecere pluribus cicutis, ſive cannis, cerâ junctis. Martialis lib. XIV, epigr. LXIII:

Quid me compactum ceris, & arundine rides?
Quæ primum exſtructa eſt fiſtula, talis erat.

Nempe Martialis ævo jamdiu hæc componendæ ejus ratio obſoleverat: ac ſiquis revocare vellet, ridebatur. Ideo Ovidius cautè ait, quondam iſtam obtinuiſſe formam. Locus eſt VIII Metam. ubi Dædali alas cum fiſtula ſic graphicè confert:

—— Nam ponit in ordine pennas
A minima cœptas, longam breviore ſequente,
Ut clivo creviſſe putes. Sic ruſtica QUONDAM
Fiſtula diſparibus paullatim ſurgit avenis:
Tum lino medias, & ceris alligat oras.

Jungebant autem fiſtulas ſeptem: unde Maro in Ecl.

Eſt mihi diſparibus ſeptem compacta cicutis
Fiſtula.——

Et Ovid. II Metam.

—— Diſpar è ſeptem fiſtula cannis.

Vel etiam novem. Theocritus quidem Ecl. VIII ſcipius ἐννεάφωνον b appellat.

b Novem vocum.

At Ovidius XIII Metam. non veretur Polyphemo ſuo affingere quandam centum cannarum:

Sumtaque arundinibus compacta eſt fiſtula centum.

Nempe ei, qui mole corporis tantopere excederet cæteros, convenit etiam viſa eſt tam vaſta fiſtula. Quis artificium arundines jungendi repererit, diſſentiunt veteres. Sed plures eam Panos putant gloriam: ut Maro Ecl. II:

Pan primus calamos cerâ conjungere plures
Inſtituit.

Similiter Ecl. VIII, Ovid. I Met. Plinius lib. VII, cap. LVI. *Fiſtulam*, inquit, *& monaulon, reperit Pan Mercurii.* Iſidorus verò lib. III Orig. cap. XX tradit, quoſdam hanc laudem tribuere Mercurio, alios Fauno, nonnullos Idi, paſtori Siculo. De Mercurio non longè abit à Plinio, qui Pani Mercurii adſignat. Nec Faunus Latinorum alius eſt à Pane Græcorum: ut ibidem agnoſcit Iſidorus. Pro *Idi* verò lubens (quod Antonio Auguſtino non improbatum) *Daphnidi* reponam: quando is paſtor Siculus fuit, & carmen reperit Bucolicon, ac eo, & fiſtulâ, alios oblectavit: ut de ſingulis iſtorum teſtis eſt Diodorus Siculus penè extremo libro IV bibliothecæ.

Itidem cerâ oblinebant dolia, ac naves: illa, ne liquorem tranſmitterent: has, ne aquas admitterent. De doliis arguit hoc Columellæ lib. XII, cap. L: *Dolia ubi fuerint vacuata, confeſtim villica debet adhibere curam, ut emundentur, non calidiſſimâ lixiviâ, ne vaſa ceram remittant; ſed ſemel, atque iterum, eluantur; deinde aquâ tepidâ leviter manibus defricentur.* Et poſt pauca: *Conſiderant, nunquid ceram novam dolia deſiderent. Nam fere ſextâ quâque olivitate cerari oportere, antiqui dixerunt. Quod fieri poſſe non intelligo. Nam quemadmodum nova vaſa ſi calefiant, liquidam ceram facile recipiunt: ſic vetera non crediderim, propter olei ſuccum, ceraturam pati; quam tamen & ipſam creaturam noſtrorum temporum agricolæ repudiaverunt. Exiſtimaverunt ſatius eſſe, nova dolia liquidâ gummi perluere, ſiccataque ſuffumigare albâ cerâ, ne pallorem capiant.*

Navium verò rimas cerâ obturari ſolere, cognoſcimus ex illo Ovidii in XI Metam. a a Fab. 10 de Ceyce.

—— Spoliataque tegmine ceræ
Rima patet.

Ejuſdem eſt in II Amor.

Nec ſatis una tenet ceratas anchora puppes.

Non ſolâ tamen cerâ ad hanc rem utebantur; ſed etiam pice: unde Lucanus lib. III b, ubi incendium claſſis deſcribit: b Verſ. 683.

—— Faciles præbere alimenta carinæ
Nunc pice, nunc liquidâ rapuere incendia cerâ.

Ac ſimilis quoque eſt Ovidii locus Metam. XIV c. c Fab. 12. quæ eſt de navibus Æneæ in Nymphas converſis.

Pocula etiam cerâ oblinebant: ut indicat hoc Theocriti in Thyrſide, ſive Idyllio primo:

καὶ βαθὺ κισσύβιον κεκλυσμένον ἁδέϊ καρῷ.
Et profundum poculum oblitum dulci cerâ.

Ita enim verba illa puto capienda, idque præeunte Græco ſcholiaſte: qui κεκλυσμένον exponit λελαμμένον, ἐγκεχρισμένον. Vir eruditus cenſet, κεκλυσμένον idem hic eſſe ac κεκηρογραφημένον. Sed allatus antea Athenæi locus oſtendit, pretioſiora fuiſſe vaſa ceris picta, quam ut ea haberent ruſtici in Sicilia, idque jam Theocriti ætate; qui Ptolomæi Lagidæ, & filii ejus Philadelphi temporibus claruit. Quare ſic potiùs ſtatuo, vulgo etiam pocula interdum ſtanno obduci ſolere, vel pice, aut cerâ: ærea quidem ſtanno; quia (ut Plinius ait lib. XXXIV, cap. XVII) *ſtannum illitum æneis vaſis ſaporem facit gratiorem, & compeſcit virus æruginis.* Fictilia verò κῶνῳ, ſive pice liquefacta, ne tempore æſtivo exſudet liquor infuſus: quam rationem adducit Alexander Aphrodiſ. in Problematis. Utraque ratio locum habet in vaſis cerâ illitis. Nam ut pix, ſic cera impedit exſudationem. Atque ut ſtannum, ſic cera dulcis ſaporem facit gratiorem, & æruginis virus coërcet. Vaſa cerâ illita dicuntur κηρωτὰ, ut illa pice obducta πισσωτὰ, & κωνιστά. Quæ ſtanno incruſtata, κεκασσιτερωμένα, & γανωτὰ, vel γεγανωμένα, uti non inducta ſtanno ἀγάνωτα: ſicut pluribus expoſitum eruditiſſimo Caſaubono Animadverſion. in Athenæum lib. I, cap. VI.

Cap. XCIII.

Quid utilitatis ex cimicum morſu, imò & quod mures noſtra arrodant, capere nos dixerit Chryſippus. Ratio ſcribendi cicindelæ liquore, quæ ſolùm noctu poſſint legi. In nova India iter facientes etiam per aliquot paſſuum millia cuccuios geſtant, qui laternæ inſtar præluceant. Ex araneorum telâ apud Caribes veſtes etiam confici poſſe. Locuſtarum crura, & femina, pro ſerra. Ex cicadarum cantu cognoſci tempus meſſis.

Quæ

QUæ hactenus de multiplici inſectorum uſu extra alimoniam, ac medicinam, diximus, ad apes, & bombyces pertinent univerſa. Nec dubium, quin, ſi commoda noſtra attendamus, hæc propterea inter inſecta facile principem tueantur locum. Addam nunc pauca de aliorum uſibus: non dico iſtis κατὰ συμβεβηκὸς *a*, ut quod cimices, fœdum animal, nos excitet e ſomno; ſicut Chryſippus retulit in quincto de Natura; teſte Plutarcho de Stoicis repugnantiis. Ubi & eodem ex libro memorat, hoc ex muribus capi utilitatis, quòd meliùs curam geramus in rebus reponendis. Dicam illa potiùs, quæ propriè ex iis conſequuntur, nec ita longè ſunt quæſita. Quale illud in mente animi ſignificandâ arcano modo. Nam quæ cicindelæ liquore ſcripſeris, ea non de die legeris; ſed de nocte ſolùm. Quidam verò non ſolo utuntur cicindelæ liquore; ſed cum eo commiſcent fel canis, putridum ſalicis lignum, & ovi albumen. De hoc uſu ſic Gaudentius Merula Memorabilium lib. III, cap. LXI: *Lampyrides, quas nos cicindelas vocamus, per noctem emicant. Ex iis putreſcentibus in vaſe aqua fit, ſive liquor potius fit, quæ mirè eluceat in tenebris.* Unde verò ſit illa vis aëra noctu illuſtrandi; diximus lib. III, cap. XXVI, & libri hujus quarti cap. LXXI.

a Per accidens.

Indiæ novæ coccoius, ſive cuccuius, qui non multùm abſimilis eſt ſcarabæo, ac penè magnitudinis ejuſdem, lucem de ſe noctu fundit partim oculis ſuis, partim ſub alis; unde & volans plus lucet. Porrò nec unus cuccuius, minùs lucet, quàm lucerna; ſicut is qui geſtat, eminus lucernam deferre videatur. Itaque per ſylvas iter vel quatuor miliarium facturi, torquem ex iis collo appendunt, vel etiam tres, quatuor ſolùm aſſumunt, quæ lanternæ præbeant vicem, ac ſecuriùs facibus dirigunt viam; quia hæ vento poſſint exſtingui. Etiam liquor ex iis lucem præſtat: ſed non diuturnam, quia vis ignea, ob ſubſtantiæ, cui inhæret, tenuitatem, citò exſtinguitur. Vide Petrum Martyrem *b*, Oviedum, Cardanum. Fusè de iis, partim ex Petro Martyre, partim ex MSo inedito, Jo. Euſebius Nierenbergius Hiſt. Nat. lib. XIII, cap. III.

b Decad. 7. cap. 9.

Apud Caribes in novo orbe, ut ex Hiſpanorum commentariis idem Euſebius Nierenbergius *c* memorat, aranei ſunt dentibus longis, & acutis, cruribus exiguis; tanti interea corporis, ut adæquent dimidium malum citreum. Telam vero texunt filis adeò firmis, ut iis paſſeres etiam, aliæque volucres, irretiantur. Ex his calantica feminis texi poteſt. Ablui valet, & hoc pacto fit alba.

c Lib. 12 Hiſt. Nat cap. 26.

Verùm ex novo orbe in veterem redeamus. Ubi & uſus eſt locuſtarum in re domeſtica. Plinius lib. XI, cap. XXIX, *In India locuſtæ ternûm pedum longitudinis eſſe traduntur; cruribus & feminibus ſerrarum uſum præbere, cùm inaruerint.* Præterea tempora etiam præſagire ex inſectis licet. Nam ut ex ciconiæ adventu, & voce cuculi, colligimus tempus eſſe arandi, ſerendique: ita ex voce cicadæ ſcimus eſſe tempus meſſis. Verùm iſtiuſmodi fortaſſe minutiora multis videbuntur: qualia ſi congerere plura parem, metuo, nequis ſic prædicanti inſecta injiciat manum; ac tandem, iſtis miſſis, cogitare etiam jubeat, quanta eadem damna dent generi humano. Sequar igitur, quò trahor: ſed conditione eâ, ut quando abunde oſtendero, quàm noxia ſint; eoſdem mecum conſiderare ne pigeat, quam variè nobis ad damna hæc evitanda divinitus fuerit proſpectum.

Cap. XCIV.

Quanta locuſtæ damna dent frugibus, vitibus, plantarumque aliis. Romæ ſæpius adverſum hanc peſtem remedium eſſe quaſitum ex libris Sibyllinis. Metapontinorum nummus illuſtratus. A locuſtis calamitas Pannoniæ, & regionum vicinarum. Curculio quàm noxius frugibus. Unde Plautinæ Curculioni nomen. Vermis curculionis *vocabulum non tam videri à Latino* guttur *profectum, quod voluit Varro; quàm Græcanico γαργαρεὼν: ac complura ſimilis mutationis exempla. In vermibus etiam, qui plantas erodunt, ſunt ἶψ, ἶξ, τρὼξ, ψὴν, μίδας, & quomodo hi vermiculi diſtinguantur materie, unde naſcuntur.* Curculio, *pro* mida. *Blattæ, tineæque, peſtes veſtium, ac librorum. De inſectis, quæ moleſtiam creant corporibus noſtris. Quantopere incolæ Hiſpaniolæ vexentur à culicibus: & de ratione eos capiendi inſecto alio, cui nomen cuccuio, & quomodo cuccuios ipſos capiunt. Cur egentes nec cimicem, nec araneum, habere dicantur. Paupertatem eſſe mediam inter opulentiam, & egeſtatem. An Carthuſianorum cellæ ſint immunes à cimicibus. Utrum ex vivis etiam hominibus generentur. Cardanus refellitur de ortu cimicum. In inſula S. Thomæ ſunt pulices; cimices non ſunt. Quàm moleſtus apum ictus in Orbe novo.*

INitium eſto ab inſectorum iis, quæ alimoniæ hominis adverſantur: ſicuti locuſtæ, plurimis quæ plantis nocent; in his tum frugibus; de quo Nicander in Theriacis, & alii multi: tum viribus; quemadmodum indicat Theocritus Idyll. V; ubi Comatas rogat locuſtas, ut vitibus ſuis, quia ſint teneræ, parcere velint. Hoc de inſecto ita Plinius lib. XI, cap. XXIX: *Deorum iræ peſtis ea intelligitur. Namque & grandiores cernuntur, & tanto volant pennarum ſtridore, ut aliæ alites credantur: Solemque obumbrant, ſolicite ſuſpectantibus populis, ne ſuas operiant terras. Sufficiunt quippe vires: & tanquam parum ſit maria tranſiſſe, immenſos tractus permeant, diraque meſſibus contegunt nube, multa contactu adurentes; omnia verò morſu erodentes, & fores quoque tectorum.* Quæ de diro iſtoc malo firmantur, tum octavâ Ægyptiorum plagâ; quæ per locuſtas fuit; ut legere eſt Exodi cap. X, 4: tum Joëlis I, 4; ubi, quis famis ab Eliſæo prædictæ modus ſit futurus, refertur. Nam ut numerus ſingulus pro plurativo, ſic præſens ſumitur pro futuro; ut apud Hebræos ſolent, in prophetiis inprimis. Verba Joëlis ſunt: *Reſiduum erucæ comedit locuſta, reſiduum locuſtæ comedit bruchus, & reſiduum bruchi comedit rubigo.* In hiſtoricis etiam externis abunde eſt exemplorum: præcipuè de Italia, & Africa. De Italia ſic Plinius lib. XI, cap. XXIX: *Italiam ex Africa maximè infeſtant, ſæpe populo ad Sibyllina coacto remedia confugere, inopiæ metu.* Italiæ etiam pars magna Græcia, ubi Metapontum. Atque huc referendus eſt nummus argenteus apud Hubertum Goltzium: cujus in uno latere eſt caput muliebre ſpicis triticeis coronatum, quod ſine dubio eſt Cereris: ab altera parte ſpica cum attelabo, ſive locuſta minore: adſcriptumque ΜΕΤΑ, hoc eſt, ΜΕΤΑΠΟΝΤΙΩΝ: ut Metapontinorum fuiſſe nummum pareat. Eorum ager fertilis erat; ſed ab attelabis depopulatus; terra etiam peſtilentiâ divexata, donec, conſulto oraculo Delphico, & placato numine, tantis fuere malis liberati: inque rei memoriam nummos iſtiuſmodi cuderunt. Memorabile etiam eſt exemplum, quod anno contigit Urbis IↃLXXXI, C. Popilio Lænate, & P. Ælio Ligure coss. De quo ſic Livius lib. XLII: *Locuſtarum tantæ nubes a mari vento repentè in Apuliam illatæ ſunt, ut examinibus ſuis agros late operirent. Ad quam peſtem frugum tollendam, C. Sicinius Prætor in Apuliam miſſus, agmine, ad colligendas eas, coacto.* Nec ſolam in Europa Italiam hoc malo infeſtari, putandum. Nam de Africa dicam inferiùs, cùm agam de peſtilentiâ ex locuſtis. Et aliis de terris varia habemus exempla, non in veterum modò, ſed juniorum etiam hiſtoriis. Unum referre contentus ero. Georgius Agricola libro de animantibus ſubterraneis, quem ad Georgium Fabricium anno ſcripſit CIↃ IↃ XLVIII, *Ab hinc*, inquit *a*, *annos ſex, locuſtæ diræ herbarum, leguminum, ſegetum, ſtirpium, quas vaſtant, peſtes, gregatim involarunt in Pannonias, in Dacias, in veterem regionem Marcomannorum, Lygiorumque: ut quondam etiam ſæpe ex Africa in alias Europæ oras.*

a Pag. 11. edit. Frob. an. 1549.

Præter locuſtam ſtirpes depopulatur hirſuta, ſive eruca, quam Græci κάμπην dicunt. Ad hæc fruges quoque exedit curculio: unde & Plautus fabulæ ſuæ nomen *Curculioni*

fecit

fecit à paraſito; qui in ea primas tenet, & meritò eſt *Curculio* dictus, quia ſimiliter cibos exſtillet alienos, ac *curculio* fruges. De vermiculo autem non magnopere repugno, quo minùs hoc nomen acceperit ex eo, quòd nihil aliud, quàm guttur videatur, quaſi *gurgulionem* dixeris: ut Varroni traditum, & exinde Servio in I Georg. C enim, & G, eſſe ἀντίστοιχα, abunde oſtendi in primo de Arte Grammatica. Interea cum *guttur*, & *curculio*, etiam aliis abeant literis, magis placet, *curculio*, vel *gurgulio* non tam eſſe à *guttur*, quàm Græco γαργαρεών, unde γαργαρίζειν, *gargarizare*. Eſt verò γαργαρεών à ſono, quem edimus, dum fauces colluimus. Ac par ratio Belgici *gorgelen*. Ea verò gurgulionis ἐτυμολογία aliorum multorum ἀναλογία abunde comprobatur. Nam A in V ſimiliter abit in *ſtrangulo* ex ϛραγγαλῶ, *vitulus* ab ἰταλὸς, *peſſulus* à πάσσαλος, *umbo* ab ἄμβων, *botulus* à βώταλος, *crapula* à κραιπάλη, & aliis ejuſmodi. R autem crebrò in L mutari, oſtendunt, *balathro* à βάραθρον, à χελιδὼν *hirundo*, à μυρωτὸν *moretum*, ab ἑταῖρος *ſodalis*, à *caſmen carmen*, à *Papiſius Papirius*, & trecenta id genus.

Alias etiam plantas exedentia proprium ſunt nomen conſecuta. Heſiodi ſcholiaſtes in Ἔργ. Β *a*: Δὴξ, εἶδος σκώληκος ἐγγινομένου ἔνδον τῶν ξύλων· ἲξ ἀμπέλων· τρὼξ ὀσπρίων· ψὴν σύκων. *Dex, genus vermiculi naſcentis in lignis, ix in vitibus, trox in legumine, pſen in ficu.* Ubi & addit, ut ἴψ vocetur in cornibus, σὴς in veſtibus, & aliter in aliis. In fabis μύδας dicitur nonnullis: ut eſt apud Theophraſtum lib. IV de cauſſis plantarum, cap. XVI *b*. Columella tamen, lib. II, cap. X etiam in fabis *curculiones* nuncupat. Ut omnino liqueat, non ſolùm ſic appellari triticei farris populatorem.

a Pag. 105. edit. Raphelengianæ.

b Ex diſtinctione vulgari, ſive ex illa Scaligeri cap. 20.

Nec inſecta duntaxat plantis nocent; ſed etiam veſtibus: quarum peſtes ſunt blattæ, tineæque. Horat. ſat. III lib. II:

—— *Cui ſtragula veſtis,*
Blattarum, & tinearum epulæ, putreſcat in arca.

Itidem librorum. Martialis lib. VI, ep. LX:

Quàm multi tineas paſcunt, blattaſque diſerti.

Et lib. XIV, epigr. XXXVII:

Conſtrictos niſi das mihi libellos,
Admittam tineas, truceſque blattas.

Sententia eſt, ne libri in arcula ac ſcrinio à blattis comedantur, nonniſi compactos reponi oportere.

Deinceps de iis dicam, quæ corpora animantium, ipſa etiam humana, infeſtant. Horum alia ſolùm creant moleſtiam: alia etiam auferunt vitam. De priori genere ſic Plautus Curculione act. IV, ſc. II:

Item genus eſt lenonium inter homines, meo quidem animo,
Ut muſcæ culices, pedeſque, puliceſque,
Odio, & malo, & moleſtiæ; bono uſui eſtis nulli.

Quod ait, nulli eſſe uſui, ſatis iis refellitur, quæ antea diximus. Sed rectè ait, moleſtiam creare: in quo ipſo tamen plurimùm terræ variant. In Hiſpaniola, viciniſque aliis inſulis, culices ſunt, qui tam vehementer vexent incolas, ut neceſſe habeant humilia exſtruere ædificia, ac fores in iis facere parvas adeò, ut ægre homines admittant; foraminum item expertes, nequà culices iſti ſubeant. Lumina accendere non audent, quòd culices ea ſoleant ſequi. Sed cùm ſic etiam caverunt homines, reperiunt beſtiolæ, quà ingrediantur. Conſuluit vero Deus inſulis iſtis ſcarabæi quodam genere, vel animalculo volanti non abſimili. *Cuccuios* vocant: qui culices iſtos venantur. Eo fine cuccuios capture, & domum deferre ſolent. Capiunt verò hoc pacto. Primo crepuſculo foras prodeunt cum titione ardenti, clamantes, *cuccuie, cuccuie*. Ac ſimpliciores credunt, eos, nomine ſuo audito, advolare. Sed ſiquid clamor is valet, unum hoc poſſit, quòd ſtrepitu eo faciliùs excitentur. Excitati autem vident culices circa titionem. Lumine enim hi gaudent. Tam bella occaſione cuccuii ad eos capiendos volant. Tum veſte, vel aliter, percutiuntur, ut in terram concidant: unde languiduluſculi attolluntur, ac refocillati deferuntur domum: quam totam pervolitant, donec paullatim abſumſerint, quicquid latuit culicum. Cibo autem deficiente, cuccuios etiam diu interire ſolent, ne tam utile inſectum fame necetur. Pluribus hæc Euſ. Nierenbergius lib. XII Hiſt. Nat. cap. III.

Mirum verò, Plautum verbis ſuperiùs adductis, quibus jungit muſcas, culices, pediculos, & pulices; non item cimices memorare, animal ut fœtidum, ſic mordax: unde de poëta ſimilis indolis ſic Horatius lib. I, ſat. X:

Men' moveat cimex Pantilius? ——

Solet hic imprimis infeſtare lectos pauperum: unde Catullus cùm dicere vellet, Furium Ilaurenſem ne lectulum quidem habere, κατὰ μετάληψιν (qua ex antecedenti conſequens, vel ex conſequenti intelligitur antecedens) feſtive admodum negat, illum ei eſſe cimicem: uti & araneum habere negat, cum dicere vellet, non eſſe ei domum. Ita enim orditur epigr. XXIII:

Furi, cui neque ſervus eſt, neque arca,
Nec cimex, nec araneus, nec ignis.

Sic locum illum accipi oportere, indicat Martialis, epigrammate *a* in Neſtorem, quod inde expreſſit. Id incipit:

Nec toga, nec focus eſt, nec tritus cimice lectus.

Deſinit verò:

Non eſt paupertas, Neſtor, habere nihil.

a Ep. 33. lib. II.

Significat, Neſtorem eſſe egentem veriùs, quàm pauperem. Conditio autem pauperum inter divites, & egentes, media eſt. Nam dives plus habet, quàm opus, ut juvare alterum poſſit: pauperi eſt, quantum ſatis eſt naturæ; ſed juvare poſſit neminem: egenti opus ope alienâ. Hinc Seneca epiſt. XVII: *Non eſt, quod paupertas nos à philoſophia revocet, nec egeſtas quidem.* Et initio epiſtolæ LVIII: *Quanta nobis verborum paupertas, imò egeſtas ſit.* Plinius item lib. IV epiſt. *Inopia, ac potius, ut Lucretius* b *loquitur, hac egeſtate ſermonis.* Quod igitur, qui egent, non habeant cimices, inde eſt, quòd nihil habeant, in quo cimices naſcantur. Sed habent pauperes, quia in exigua re familiari neceſſariis magis vacare debent, quàm munditiei. Ex immunditie verò, & ſordibus, cimices oriuntur. Proinde, ſi dives non ſis, meliùs ſit cimices habere, quàm carere iis: ex mente quidem Catulli, & Martialis. Nam de Batavis noſtris hoc dicere non poſſim: ubi fere illa etiam eſt mundities pauperum honeſtiorum (non egentium dico) ut ædibus non gignantur: illa induſtria, ut ſi ſuccreverint, non uno necentur remedio. Quod verò monachos fertur Carthuſianos non divexari ab iis, id ſi eſt, munditiei quoque in cellulis ſuis curandis tribuerim. Sed metuo, ne inanis ea ſit quorundam jactatio. Perſuaſum tamen id Cardano *c*: qui aliunde cauſſam arceſſit: nempe quia carnibus abſtineant. Quaſi non ſi carne ipſi conſtent, ſufficiat, modò mundities abſit. Siquidem, ut Ariſtoteles ait lib. V Hiſt. Anim. cap. XXXI *d*: αἱ κόρεις ἐκ τῆς ἰκμάδος τῆς ἀπὸ τῶν ζώων συνισταμένης ἐκτὸς. *cimices ſunt è vapore, qui conſiſtit in cute animalium.* Et ſanè è vivo etiam homine generari, indicat illud, quod Cornelio Gemmæ traditum eſt Coſmocritices, ſive de divinis naturæ characteriſmis libro ſecundo, cap. IV: ubi narrat de cimicibus in feminæ calvariâ natis intermeninges. Adde jam, quòd etiam generentur è lectis, quando mollior eorum eſt materies. Meritò igitur Cæſar Scaliger ridet Cardanum Exercit. CCXLVI, ſect. V. Operæ eſt verba adducere, quando & alia docent: *De Carthuſianis cimicibus arriſere tibi fabulæ. Quarum nugas auſus es inſerere ſubtilitatibus. Sed adjungis hiſce mendaciis cauſſas non minus vanas: non tentari ab illis, quia carnibus abſtineant. Utinam Pythagoræ id ſcire contigiſſet. An non meminiſti, canes à cimicibus non appeti? ab equis fugere pulices? mures tantum alere, atque inferre pulicum, ut paullo minus accuratè proſpectanti pulicis interdum corio tecti eſſe videantur? Eſto. Cimicum incurſionibus nemo Carthuſianus vellicetur. Reſtat illud tamen, in eorum cubiculis an oriantur. Nam Toloſani lectuli non eſitant carnes. & tamen eâ peſte infames ſunt. Magnam verò ſanè rem, ſi Carthuſianorum ἀκρεοφαγία e exterminet ex illorum toto cœlo tam fœtidam beſtiam. Nam in Marſis*

b Lib. I. verſ 831.

c Lib. 10 de Subtilitate.

d Secundum Cæſ. Scal. diſt. cap. 26. ſect. 284.

e A carne abſtinentia.

viperæ

viperæ ſunt: ſed illis, quamquam infenſis, non infeſtæ. Naſcuntur in abiegnis potiſſimum cubilibus, maximeque ubi palea inveteravit. Si intra telam coacta, conſutaque fuerit, non naſcuntur. Inter chartaceos quoque libros generantur. Sed mirum, quantum in caveis gallinarum. Odore cupreſſi fugari, perſuaſum eſt. Hæc Scaliger. Mirum verò ſic variare etiam ortum cimicum pro cælo, & ſolo. In inſula enim S. Thomæ pulicibus quidem infeſtantur: at cimices in ea nulli. Cujus rei non aliam rationem, quàm temperiem loci putandum.

Imò apes ipſæ, etſi tot bona dent; ſtimulis tamen ſuis abunde etiam moleſtiæ hominibus faceſſunt: præſertim genus quoddam earum in novo Orbe: Indi vocant *mateecas*. Morſus earum non minùs adfert doloris, quàm ictus ſerpentium: duratque is horis XXIV: ut ex Hiſpanorum commentariis proditum Euſebio Nierenbergio Hiſt. Nat. lib. XX, cap. I. At, ut ibidem legas, minùs noxiæ ſunt in Guatemala; quæ ut ipſæ albæ, ita & alba ſunt earum mel, ac cera.

CAP. XCV.

De inſectis vitæ noxiis: hujuſmodi videri locuſtarum eſum, ob brevem Acridophagorum vitam; & exitum miſerabilem. Sed ſi à locuſtis hæc non ſint, ſaltem ab inſectis eorum mortem eſſe, cum à vermibus corroſi pereant. Nec multum abſimilem eſſe mortem Afrorum circa Nigritas. Iterum, & fuſius, dictum de mortis genere, quo periit Pherecydes, Pythagoræ præceptor. Serpens *pro* verme. Θηριώδες, *&* θηρίωμα, *pro* ferali, *vel* ferino. *Peſtilentia horribilis ab multitudine locuſtarum mortuarum, aëra fœtore ſuo corrumpentium. Eutropios duos perperam ab eruditis etiam viris confundi. Unde ſit, quod ex locuſtarum copia præſagium habeatur peſtilentiæ, imò & belli. Nec tamen, unde id nos maneat bellum, ex adventu earum poſſe conjectari.*

Vidimus, ut inſecta varia morſu, vel ictu humanis etiam corporibus, magis, minuſve moleſtiam adferunt. Nunc de illis loquar, quæ periculum vitæ creant. Sed aliqua temperiem paullatim corrumpere dicuntur, donec tandem, plurium poſt annorum decurſum, miſerabili homo morte decedat. Eam vim locuſtis tribuunt pro cibo adſumtis: atque id comprobant ex Ἀκριδοφάγοις a, gente Æthiopica: de qua ſic Agatharchides ſcribit apud Photium cod. CCL, cap. XXVII: Ζῶσι δ' οὐ πλεῖον τεσσαράκοντα ἐτῶν, ξηρᾶς κοινωνοῦντες τελείως τροφῆς. τελευτῶσι δὲ τὴν ζωὴν ἀθλιώτερον. ἅμα γὰρ πλησιάζειν τὸ γῆρας, ἐγγίνεται τοῖς σώμασιν αὐτῶν πτερωτὰ γένη φθειρῶν· ὅμοια μὲν τῷ τύπῳ τοῖς κρότωσι, βραχεῖαν δὲ ἐλάττω τῶν ἐν τοῖς κυσὶ φαινομένων· ἀρχόμενα μὲν ἀπὸ τοῦ στήθους καὶ τῆς κοιλίας, ἐπινεμόμενα δὲ συντόμως μετὰ τοῦ παντὸς προσώπου τὴν ἐπιφάνειαν. οἱ δὲ τὰ μὲν πρῶτα τοῖς ὑπὸ ψώρας ἠρεθισμένοις ὁμοίως διάκεινται· ὕστερον δ' ἐπειδὰν ἑαυτοὺς σπαράξωσιν· ὅτε δὲ πάθος εἰς ἀκμὴν ἐληλυθυῖαν, καὶ μετὰ τῆς τῶν θηρίων ἐκφύσεως καὶ λεπτοῦ ἀναχεομένου ἰχῶρος, ἀκαρτερήτους ὑφίστασθαι τὰς ἀθλίας τοῖς δυσμοίροις συμβαίνει. εἴτοι μὲν εἴτε τοὺς χυμοὺς, εἴτε τὴν τροφὴν, εἴτε τὸν ἀέρα τῆς κακίας ἔχοντος αἴτιον, οὕτως ἀπόλλυνται. Latinè ſonant: *Ultra XL annos non vivunt communiter, prorſus ſicco utentes cibo. Miſere autem ex vita diſcedunt. Simulatque enim ſenium appropinquat, innaſcitur eorum corporibus volucre pediculorum genus. Forma hi non diſſimiles ricinis: ſed paullo ſunt minores muſcis, quæ in canibus conſpiciuntur. Incipiunt a pectore, & alvo; continuo autem una cum facie omnem depaſcunt corporis ſuperficiem. Illi igitur primo ſe habent ſicut illi, qui ſcabie infeſtantur. Poſtea verò magna cum moleſtia ſcabendo ſe lacerant. Hinc morbo ad ſummum perducto, erumpentibus vermiculis* b, *ac tenui ſanie effluente, miſeros eos acerbitates ſuſtinere intolerabiles contingit. Hi igitur* (acridophagi) *ſive corporis ſuccus, ſive alimentum, ſive aër corruptus, in cauſſa ſit, iſtum in modum intereunt.* Dixeris, non tradere hoc Agatharchidem, locuſtarum eſum planè cauſſam eſſe miſeræ iſtius mortis; ſed in medio relinquere, utrùm ea proveniat ex eo, unde dixi; an nativà corporum temperie, vel aëris naturà. Non diffiteor: ſed ut mors non ſit à locuſtis, fuerit tamen ſic quoque ab inſectis. Solùm enim de cauſſa eſt remota dubitatio; puta utrùm ea ſint locuſtæ comeſtæ: non item de proxima; quando in confeſſo eſt, eam eſſe vermes, undique e corpore cum ſanie erumpentes. Similiter iis, qui circa Nigritarum terras, ac præcipuè portum & caſtellum de-Mina navigant, vivis naſcuntur vermes, qui eos exedant. Hac de re vide, quæ Joannes Hugo Linſchotanus retulit in Itinerario ſuo.

Nec apud Acridophagos modò, & circa Nigritas; ſed aliis etiam in terris, è corpore humano enaſcuntur vermes, qui vivos comedant. Varios, qui ſic exceſſerint, memoravi libri hujus cap. LXVII. Alios etiam, qui phthiriaſi obierint, vel à lumbricis, ac vermibus, corroſi exſtinguerentur, collegit Ulyſſes Aldrovandus lib. V a, & VI b de inſectis. Ne omnia hic reponendo actum agam: contentus ero uno Pherecyde; de quo & diſſerit Hieronymus Mercurialis lib. V Variarum Lect. cap. VI. Præter Ariſtotelem, de quo diximus, ſic de eo Plinius lib. VII, cap. LI: *Morborum verò tam infinita eſt multitudo, ut Pherecydes Syrius; copià ſerpentium ex corpore ejus erumpente, expiraverit.* Ubi *ſerpentes* dixit pro *vermibus*. Græcè videtur fuiſſe ἑρπετά. Sed hoc generale eſt vocabulum, nec de angue duntaxat, verùm etiam verme dicitur. Quamquam nec Latinum *ſerpens* naturâ ſuâ ſolùm de anguibus uſurpetur. Nam & vermes ἕρπουσι, hoc eſt, *repunt*, ſive *ſerpunt*: quæ duo verba Latina ex Græco ἕρπω facta ſunt; unum κατὰ μετάθεσιν literarum; alterum ſpiritu aſpero in ſibilum converſo: ſicut ab ἕξ, *ſex* venit; ab ἅλλομαι, *ſalio*. Nec enim *ſerpens* naturà ſuà eſt ſubſtantivum; ſed in eo intelligitur *anguis*: ut in *natalis* intelligendum *dies*; in *majalis*, *porcus*; in *fluvius*, *amnis*: cujus generis plurima attulimus in opere de Arte Grammatica c. Uſus interea ita obtinuit apud Latinos, ut licet *ſerpens* naturâ tam pateat latè, ut etiam conveniat vermibus; non tamen pro his accipi ſoleat; eoque metuo, ne Plinius ambiguitate Græci vocabuli fuerit deceptus. Pherecydem quidem pediculari laboràſſe morbo, conſtat ex ipſius epiſtola ad Thaletem, quæ eſt apud Laërtium: indeque obiiſſe, idem narrat Laertius; uti & Ælianus lib. IV Var. Hiſt. nec non Suidas, & è Latinis Scribonius Largus. Vel fefellerit eum, quòd legiſſet, morbum vocari θηριώδη, quaſi *feralem* dixeris. Nam *fera* ex Græco θὴρ, mutato ſyllabæ modulo. Putavit is eſſe ab illa θηρὸς ſignificatione, quâ Dionyſius Halicarn. Σ vocat θηριώδη, quia referat ſibilum ſerpentium. Voce autem θηριώδες de hoc morbo uſus & Dioſcorides lib. II, cap. XXXI: ubi ait, τῷ ὀρόβῳ, ſive *ervo*, ſanari τὰ θηριώματα: quod Hermolaus reddidit *ulcera fera*, Marcellus, & Janantonius Saracenus, *ulcera ferina*. Ruellius Græcam retinuit vocem. Vertit enim, *Ulcera, quæ theriomata vocant.*

Nunc diſpiciamus de inſectis, quæ mortua inficiunt aërem, atque ita peſtilentiam inducunt. Alia inter, de quorum pleriſque antea dictum, tam grande etiam malum à locuſtis proficiſcitur. Quàm horrenda enim clades ab iis in Africa fuit anno Urbis IƆCXXVII, M. Plautio Hypſæo, & M. Fulvio Flacco coss. Rem tangit epitome Liviana lib. LX: *Peſtilentia in Africa ab ingenti multitudine locuſtarum, & deinde necatarum ſtrage fuiſſe traditur.* De eodem ſic Julius Obſequens: *Locuſtarum ingentia agmina in Africa, quæ à vento in mare dejectæ, fluctibuſque ejectæ, odore intolerabili Cyrenis mortifero vapore gravem peſtilentiam fecerunt pecori; hominumque octingenta millia conſumta tabe proditum eſt.* Fusè verò hæc narrat Oroſius d: interque alia ait: *In Numidia, in qua tunc Micipſa rex erat, octingenta millia hominum: circa oram verò maritimam, quæ maximè Carthaginenſi, atque Uticenſi litori, adjacet, plus quàm ducenta millia periiſſe traditum eſt. Apud ipſam verò Uticam civitatem, triginta millia militum, quæ ad præſidium totius Africæ ordinata*

a Locuſtivoris.

b Al. puſtulis. Nempe θηρίῳ, & de vermibus; ut lumbricis uſurpatur; & de ulceribus, quemodo Hippocrates ipſi θηρίωδες, [illegible] ulcera.

a P. 551. & duabus ſeqq.

b P. 666.

c Lib. 6. ſive De conſtructione cap. 16.

d Lib. 5, cap. 16.

nata fuerant, exſtincta, atque abraſa ſunt. Atque hæc, & alia, exſcripſit ex Oroſio Paulus, vel Joannes Diaconus in quarto Hiſtoriæ Miſcellæ. In annalibus Romanis Stephani Pighii, viri præclarè de Romana hiſtoria meriti, legas, ex Oroſio eadem exſcripſiſſe Eutropium. Sed apud hunc de iſto ſilentium eſt. Et quomodo is exſcribere Oroſium potuit, cùm hic ſcripſerit, captâ ab Alaricho Româ; alter ſub Juliano militârit, ſuaque dicârit Valenti Auguſto? Error ex eo promanavit, quòd Eutropium hunc confuderint cum Eutropio presbytero, de quo Gennadius in ſcriptoribus illuſtribus. Verùm errorem hunc (in quo illi, præter cæteros, Raphaël Volaterranus prævit) abunde refellimus in ſecundo de Hiſtoricis Latinis.

Porrò quia aëra fœtore ſuo corrumpunt, atque inde peſtilentia naſcitur: non difficile eſt videre, quo nitatur illud, quòd magna earum copia haut fallax habeatur præſagium peſtilentiæ imminentis.

At vulgò non peſtilentiam modò ſignificare; ſed bellum etiam portendere, exiſtimantur. Ac credidiſſe etiam id videntur Crantzius, Sigonius, Surius; imò & Cardanus *a*. Hujus rei ſiquod ſit fundamentum; equidem non aliud video, quàm quòd adventus earum teſtetur iram Numinis; inque hujus pœnis fames, peſtilentia, ac bellum, eſſe ſoleant. Quod verò ajunt, inde bellum imminere, unde adveniunt; id planè ſuperſtitioſum puto.

a *Lib.* 9 *de Subtil pag. Lugd. an.* 1580.

Cap. XCVI.

De inſectis illis, quæ veneno necant. Qualis ſcorpius: cujus octo genera Nicandro, novem Æliano; & ut iidem in nominibus diſſentiant. Alia eſſe ſymptomata, ſi ſuperas punxerit partes, quam ſi inferas. Diſcrimen ſcorpii, & phalangii pungentis. Solipugas phalangii, uti phalangia aranei genus eſſe. Etymon ſolipugæ *prius.* Noctipuga, *pro veretro.* Ἡλιοκεντρίς. *De* Phygelæ *ſive* Fugelæ *etymo, Melæ lapſus. P crebrò in F abire.* Sulfuris *etymon.* Soliferrium. *Alterum* ſolipugæ *etymon.* Salpugam *cur dicere maluerit Lucanus, quam* ſolipugam. *Solipugas etiam in Africa eſſe; licet Solinus eas Sardiniæ proprias putârit.* Tarantulæ ἔτυμον, *ac mirus effectus. Cantharidum venenum. Cato accuſatus, quod, in auctione bonorum Ptolemæi, haſtæ eas ſubjeciſſet. Qua parte corporis inſit cantharidi venenum, non convenire inter ſcriptores. Cantharidibus ſumtis periiſſe dicuntur C. Carbo, & Pyrrhus Epirotarum rex, ejus, qui cum Romanis bellum geſſit, nepos.* Bupreſtis *unde dicta, quæ & βουδάκη. Vegetius Mulomedicus corrigitur. Pityocampe quam venenata. Mella quædam, uti & araneum novi orbis* lavalava *vocitatum, mentem labefactare.*

SEquuntur inſecta, quæ veneno necant. Eorum alia aculeo, aut morſu, illud fundunt; alia ſi ore adſumantur. Prioris generis ſunt ſcorpii, aranei, ſolipugæ.

Scorpium deſcribit Ariſtoteles lib. v Hiſtor. Animal. cap. xxvi. Eum in priori genere eſſe, indicat illud Plinii lib. xi, cap. xxv: *Semper cauda in ictu eſt: nulloque momento meditari ceſſat, ne quando deſit occaſioni. Ferit & obliquo ictu, & inflexo. Venenum ab iis candidum fundi, Apollodorus auctor eſt, in novem genera deſcriptis, per colores maxime ſupervacuos: quoniam non eſt ſcire, quos minime exitiales prædixerit.* Sunt verò Nicandro in Theriacis octo ſcorpionum genera; album, rufum, fuſcum, viride, lividum, cancro ſimile, pagurum referens, & μελίχλωρον. Ælianus autem in vi de Animal. cap. xx, appellationibus nonnullis abit: ut cùm, quod Nicander ζοφοειδῆ, ſive *fuſcum* vocat, ille appellat καπνοειδῆ, *fumoſum*; quodque Nicander μελίχλωρον hic videtur dicere φλογοειδῆ, ſive *flammeum*. Sed & pro octonis, novena recenſet genera. Quod convenit cum Apollodoro: ut videre fuit in Plinii verbis antea memoratis.

Ex Arabum ſententia, ſi ſuperas partes punxerit ſcorpius; tumor oritur ſub axillis, ac crebri fiunt ructus ventriculi. Sin puncta ſint, ut ſæpius fit, infera; venter flatu tumeſcit, penis intenditur, ac bubones excitantur. Poſteriora duo Paulus, & Aëtius, vocant φυσᾶν ἔντερον, καὶ βουβῶνας ἐγείρειν. Galeni de hujuſmodi ictibus ſententiam vide lib. iii de Locis affect. cap. vii: ubi inter alia quoque refert, ſe intellexiſſe ex icto à ſcorpio, corpus ſibi univerſum glaciei in modum obriguiſſe; ſudoremque obortum, ſed frigidum.

Præterea ictu venenum inferunt aranei: & in his phalangia. Quæ in eo à ſcorpiis diſtant, quòd hi profundiùs inferant aculeum, ſic ut pungant venas, arterias, nervos: phalangia autem tantummodo feriant cutim: inde venenum tranſeat ad carnem, parteſque nervoſas, eò quòd cutis ipſa ſit nervoſa. Galenum vide in tertio de Locis affectis, cap. vii, & Avicennam in vi quarti tract. cap. v.

Ad phalangia etiam pertinet ſolipuga, ſive ſolifuga. Plinius quidem lib. xxix, cap. iv ait, eſſe formicarum genus venenatum: ſed Solinus cap. x cenſet, eſſe aranei formâ. Eaque ſententia ipſius Plinii auctoritate adſtrui poteſt. Ut cùm lib. viii, cap. xxx, ſcribit: *Circa Cynamolgos Æthiopas latè deſerta eſt regio, à ſcorpionibus, & ſolifugis.* Atqui Agatharchides, & ex eo Diodorus lib. iii bibliothecæ *a*, ajunt, in cauſſa deſertionis fuiſſe πλῆθος σκορπίων, καὶ φαλαγγίων *b*. Præterea Plinii eſt lib. xxii, cap. ult. *Et leguminibus innaſcentiæ beſtiolæ venenatæ, quæ manus pungunt, & periculum vitæ afferunt, ſolipugarum generis.* Ubi *ſolipugas* vocari videmus. At idem phalangia vocitat lib. viii, cap. xxix: *Naſcitur & phalangium in ervo, beſtiola aranei generis.* Cur *ſolipuga* dicatur, indicat Feſtus: *Solipuga, genus beſtiolæ maleficæ, quod acrius concitatiuſque ſit fervore Solis, à quo nomen traxit.* Nempe, ut Lucilius *noctipugam c* cum dixit (prout apud eundem Feſtum ſcitiſſimè nobiliſſimus Salmaſius correxit) obſcœnam virorum partem, quæ noctu pungit ſexum ſequiorem, intellexit, quaſi νυκτίκεντρον dixeris: ſic *ſolipugæ* vocatæ, quia Sole ardente pungant vehementiùs: inde & ad verbum ἡλιοκεντρίδα reddiderunt. Sic enim eſt in gloſſis Philoxeni: *Solipaga* (leg. *Solipuga*,) ἡλιοκεντρίς, μυίας εἶδος. Ubi mirum, non potius aranei, vel phalangii, aut ſaltem formicæ, quàm muſcæ genus, dicere. Cæterùm de etymo allato, ſcrupulum injicit, quòd multis in libris non *ſolipuga*, verùm *ſolifuga* ſcribatur: quaſi, quod Solinus contra manifeſtam Verrii ſive Feſti auctoritatem ſcribit, ea fugiat Solem. Sed id falſum: ac quod *ſolifuga* exaretur, ut gemino etiam Arnobii loco videre eſt: id, ut maximo Salmaſio obſervatum, haut aliter factum, ac cum urbs, quæ Græcis ἀπὸ τῆς πυγῆς τοῦ Πύγελα, Latinis vocaretur *Fugela*: unde ſimilis ac Solino error obortus Pomponio Melæ; ut qui lib. i, cap xvii, urbem eam à fugitivis conditam, atque inde *Fugelæ* nomen adeptam, arbitretur. Et ſanè alia etiam ſunt non pauca, ubi P abeat in F: ut à πείθω, *fido*, à πόρος, *forare*, *fungus* à σπόγγος, *figo* à πήγω, *fere* à φέρω, aliaque. Nec propterea à *ſole*, ac *pungendo*, dici, extra controverſiam poſuero. Nam & à *ſolus* poſſis cum Salmaſio deducere. Nempe ut *ſulfur* eſt ὅλον πῦρ, *ſolum ignis*: ac *ſolſerreum* eſt genus teli, ex ſolo ferro, Feſto teſte, quaſi ὁλοσίδηρον dicas: ſic *ſolipuga*, quia hoc animalculum ita acriter pungat, ut videatur eſſe ſola punctura, quaſi Græcè ὁλοκεντρίς dicatur. En aliam etiam appellationem. Plinius lib. xxix, cap. iv: *Solipugas appellat Cicero, ſalpugas Bætica.* Sic nuncupat Lucanus in ix *d*:

Quique tuas calcare timent ſalpuga latebras.

Nempe patrio uſus vocabulo. Nam Lucanus è Corduba, Bæticæ urbe. Porrò ex hoc Lucani verſu liquet, ſolpugas etiam in Africa eſſe. Quod adverſatur Solino *e*, eas Sardis agris peculiares facientis. Nec minùs refellitur ex Agatharchide, Diodoro, Plinio; qui hoc φαλάγγιον δηκτικόν *f*, ut vidimus antea, etiam ſtatuunt circa Æthiopas Κυναμόλγους, quaſi *Caninmulgos* dixeris.

a *P.* 164. *edit. Wechel.*
b *Multitudinem ſcorpionum, & phalangiorum.*
c *Perperam vulgo* Noctiluca.
d *Verſ.* 837.
e *Cap.* 10.
f *Mordentis phalangii genus.*

Præ-

Præterea in araneis, ac quidem phalangiis, eſt tarantula, Italiæ propria. imprimis Apuliæ: à cujus oppido Taranto, (ut nunc pro *Tarento* dicimus) id nominis accepit. De hac illud memorant ſingulare: ſiquem momorderit, eo in ſtatu perſiſtere, quo, cùm morderetur, fuit: ambulantem porrò ambulare, ſaltantem etiam ſaltare, ridentem ridere, plorantem plorare, dormientem dormire: uſque dum venenum corpore fuerit exactum. Quam rem & varii perſcripſere, & ex iis, qui in Italia diu fuere, ſæpius cognovi: certiùs verò Appuli ipſi rem omnem dicent.

Sunt & inſecta, quæ, ſi ſolùm contigeris, veneno inficiant: ut in Guatimala vermes villoſi, & craſſi: de quibus novi orbis ſcriptores, & ex iis Euſebius Nierenbergius *a*.

a *Hiſt. Nat. l. 12. cap. 2.*

Nunc de illis loquar, quæ in cibo potuve adſumta nocent. Tales ſunt cantharides. Unde Theodorus philoſophus Lyſimacho regi, (ad quem à Ptolomæo Lagide miſſum fuiſſe, auctor eſt Laërtius *b*) mortem minitanti reſpondit, magnificam quidem vim eum habere; ſed communem ſibi cum cantharidibus: nempe quia & illis ſit interficiendi hominis poteſtas. Ideo ab inimicis culpatum in Catone juniore, quòd cùm Cyprum Propr. lege Clodiâ obtineret, ac Ptolomæi regis mortui bona omnia haſtæ ſubjiceret; etiam cantharides vendiderit, quibus improbi poſſent abuti ad homines veneno tollendos. Hinc Plinius lib. XXIX, cap. IV: *Objectè ſunt Catoni Uticenſi, ceu venenum vendidiſſet in auctione regia, quoniam eas ſeſtertiis* LX *addixerat.* Et M. Seneca Controverſ. IV, lib. VI: *Venenum Cato vendidit. Quærite, an proſcripto licuerit emere, quod licuit Catoni vendere.* Paullo ante verba adducta de iis dixerat Plinius: *Ipſarum cantharidum venenum in qua parte ſit, non conſtat inter auctores. Alii in pedibus, & capite, exiſtimant eſſe; alii negant. Convenit tamen pennas earum auxiliari, in quacunque parte ſit venenum.* Quod verò Plinius negat, inter veteres conveniſſe, qua parte venenum haberent: idem aſſertum Galeno lib. XI de Simp. Med. fac. atque alibi. Inter eos, qui his ſumtis periiſſe dicuntur, fuit C. Carbo: qui anno Urbis IↃC XXXV, L. Cæcilio Metello, qui poſtea Delmaticus, & L. Aurelio Cotta coss. accuſatus à L. Craſſo, XIX annorum adoleſcente, ut voluntariâ morte ſe à judicum ſeveritate vindicaret, ſucco cantharidum epoto, mortuus eſt. Scio, apud Val. Maximum lib. III, cap. VII legi, exilio mulctatum. Sed aliter Tullius in Bruto, ac imprimis lib. IX epiſt. XXI ad Papir. Pæt. *Cajus Carbo, accuſante L. Craſſo, cantharidas ſumſiſſe dicitur. Is & tribunus pl. ſeditioſus, & P. Africano vim attuliſſe, exiſtimatus eſt.* Ex nonnullorum ſententia periit ſimiliter Epirotarum rex Pyrrhus, ejus Pyrrhi, qui in Italia militavit contra Romanos, nepos ex Olympiade. Is enim cùm deperiret puellam, nomine Tigridem; mater Olympias virgini dedit ſuccum cantharidum, quo contabeſceret: ſed Pyrrhus, eo intellecto, reliquum veneni hauſit, eoque periit. Hinc Ovidius in Ibim:

b *In Ariſtippo.*

Utque nepos dicti noſtro modò carmine Regis,
Cantharidis ſuccos, dante parente, bibas.

Pyrrhum Olympiadis filium, Ptolemæi fratrem, facit etiam Juſtinus lib. XXVIII. Quomodo nepos ponatur pro pronepote. Verùm in aliis quoque eſt diſſenſus; quibus inſiſtere non eſt hujus loci. Plura verò de cantharidum veneno ſi voles, adi Ambroſium Paræum lib. XX Chirurgices, cap. XXVIII.

Ore etiam adſumta interimit βούπρηστις, animal ſcarabæo longipedi ſimile. Bovem maximè fallit: qui, eo devorato, ſic accenditur, ut rumpatur: ſicut Plinius tradit lib. XXX, cap. IV. Et inde nomen: nempe ἀπὸ τοῦ τὸν βοῦν ἐμπιμπρᾶσθαι *c*: niſi potiùs hic βοῦς ſit ἐπιτατικὸν *d*, ut in βούπαις *e*, & ſimilibus. Quomodo nomen ex eo ſit, quia & homines, & alia animalia, ubi eam comederint, vehementer inflet: quod ἔτυμον placuit ſcriptori etymologici magni. Adi hoc de inſecto Nicandrum in Alexipharmacis, Galenum in I κατὰ τόπους cap. I, & alibi, Etymologum in βούπρηστις. Aliter βουδάνλω vocari, auctor eſt Heſychius. Rarum eſſe animal in Italia, tradit Plinius *a*: in Libya eſſe frequens: ait Lucianus in Dipſadibus. Vocabulum ejus corruptè legi puto apud Vegetium Renatum lib. III Mulo-medicinæ ſive artis veterinariæ cap. XV: *Beſtiolæ etiam, quæ appellantur vulpeſtres, araneæ ſimiles, cum devoratæ fuerint, animal præfocant.* Ubi pro *vulpeſtres* alii codd. legunt *bulpreſtræ*: quod propiùs accedit ad *bupreſtæ*, vel *bupreſtes*. Ac planè ita hunc locum cenſeo corrigendum. Nec dubitandum, quin & ejuſdem libri cap. LXXVIII pro *buſtrepem* legi debeat *bupreſtem*.

c *A bovi accendendo.*
d *Intenſivum.*
e *Puer grandis.*
a *Lib. 30. cap. 4.*

Inter venena ejuſmodi etiam pityocampen reponit Marcellus lib. XLVIII Dig. Tit. ad Legem Corneliam de ſicariis, & veneficiis: ubi dicitur, tum lege hac teneri, qui pityocampas, quàm qui bupreſtes dederint. Sed corruptè vulgo legitur *pityocarpa*: cùm πιτυοκάμπη vocetur, quaſi *pinorum eruca*; ut ſuperiùs diximus. Erodendo occidere, ait Cardanus lib. I de Venen. cap. XXIV.

Eſt & cùm inſecta non corpori ſolùm nocent; ſed etiam animo. Hoc ex ipſis apibus dilucet. Nam mel Ponticum mentem de ſtatu dejicit cum multâ ſudoris profuſione: ut ait Dioſcorides lib. II, cap. CI. Etiam in provincia Veræpacis mel adeò eſt noxium, ut iis, qui mulſum inde confectum biberit, deliria conciliet. Proditum hoc Antonio Herreræ, & exinde Euſebio Nierenbergio *b*. Qui & ipſe alibi *c* memorat, in herbiferis Philippicarum inſularum pratis eſſe araneum aurei coloris, *lavalava* dictum: hujus ictum non corpori modò inducere ſtuporem cum dolore; ſed mentem etiam facere dementem.

b *Lib. 12. Hiſt. Nat. cap. 1.*
c *Lib. 12. cap. 24.*

CAP. XCVII.

De remediis adverſus mala, quæ dant inſecta. Locuſtis exitio ſunt graculi, galeritæ, aves Seleucides, ibis; adhæc ſerpentes. Quanto cum ſtudio locuſtis occurratur in Cyrenaica, Lemno, Syria, Italia. Eas, cùm maria tranſvolant, necandi modus, ignibus in litore accenſis. Peſtilentia ex locuſtis è mari in litus rejectis. Utrùm ſic rejectæ reviviſcant in litore; an potiùs ex gravidarum ovis naſcantur aliæ. Cur mane potiſſimùm erucæ ſint arboribus decutiendæ. Varia adverſus eas remedia. Ratio gemina impediendi, ne generentur curculiones in frumento: una in modo exſtruendi granarium: altera in reponendo frumento. Eâque occaſione etiam dictum de modo reponendi fabas. Quod ſi jam geniti ſint curculiones; partem frumenti vitiatam ſeparandam eſſe à reliqua, & curculiones, appoſitis aquæ catinis, proliciendos, ut in iis ſeipſos necent. Ratio eoſdem napi ſemine necandi. Ut iidem, aliaque inſecta, variis odoribus perimantur. Quo pacto veſtes, & libros, à blattis, & tineis, præſervemus. Muſcis, & culicibus, à Deo humanam domari ſuperbiam. Quare maluerit Deus affligere Ægyptios ejuſmodi inſectis, quàm leones immittendo, aut tigres. Cur in locis ſublimibus non infeſtemur à muſcis. Quomodo locis etiam terræ propinquis fugare eas liceat: aut, lumen excludendo, efficere, ne in nos involent. Triplex illas necandi modus. Ut Bancanis religio ſit pediculos perimere. Variè eos arcendi ratio; inter alia aquâ marinâ. Munditiès quantum proſit, ne gignantur pediculi, vel etiam pulices. Quomodo pulicibus, ac cimicibus liberemur.

ETſi verò tot mala damnaque dent inſecta: *falsò tamen*, ut imitatione Salluſtii *a* Vindicianus *b* ſcripſit, *humani generis fragilitas de natura ſua queritur.* Quod ut liqueat, cum eodem Vindiciano, *oſtenſis remediis vanas querimonias refrenabimus.* At ut id malis antea, ita nunc quoque in remediis, ordiemur à locuſtis; quas dicebamus, quaſi acie inſtructâ turmatim provolare, ac ſata longè lateque vaſtare. Adverſus hoc malum dedit Deus varias aves, quæ pro nobis militent. In iis graculi ſunt: de qui-

a *Initio Jugurtini belli.*
b *Ad Valentinianum imp.*

quibus ita Plinius lib. XI, cap. XXIX: *Lemnii graculos ob id colunt, adverſo volatu occurrentes locuſtarum exitio.* Adhæc galeritæ; quæ ut Plutarcho traditum, ab iiſdem Lemniis honorantur, quòd attelaborum ova inquirant, & abſumant. Quod ipſum alii de Theſſalis, & Illyriis, tradidere: ac propterea publice ab his gentibus ſumtum præberi. Item aves Seleucides; de quibus hoc oſtenſum nobis lib. III, cap. XCVII. Ibis quoque, ut eſt apud Diodorum Siculum, locuſtas vorat, ac bruchos. De ſerpentibus idem dixero: ex quibus locuſtas, ut & ranas, venatur chelydrus; quemadmodum traditum Nicandro.

Quid quòd conceſſa eſt homini poteſtas, tum rumpendi ova, ne generentur inde locuſtæ, tum etiam jam genitas necandi. Qua de re ſic Plinius lib. XI, cap. XXIX: *In Cyrenaica regione lex etiam eſt, ter anno debellandi eas: primo ova obterendo, deinde fœtum, poſtremo adultas: deſertoris pœna in eum, qui ceſſaverit. Et in Lemno certa menſura præfinita eſt, quam ſinguli enecatarum ad magiſtratus referant.* Ac mox: *Necare & in Syria militari imperio coguntur.* Superiùs etiam ex Livii lib. XLII retulimus, ut anno Urbis IↃLXXXI, in Apuliam miſſus ſit prætor Romanus cum ingenti agmine ad tollendas locuſtas. Modi verò necandi ſunt multi. In his antiquus ille, ſi earum nube adventante, ignes longè lateque exſtruantur, præſertim in litore, quando mare transvolant. Igne autem fugari, etiam Homerus indicat Iliad. Φ, verſ. XII, & ſeqq. Nempe eo conſpecto, retro volant, & quoniam laſſis non eadem vis, in mari ſubmerguntur. Sed quia maris æſtus rejicere in litus ſolet; geminum inde eſt periculum; unum, ne hic reviviſcant, quod temporibus Romani Argyri (is anno CIↃXXIX Baſilio ſucceſſit) evênit, ut Cedrenus *a* narrat. Quippe inquit, Κατὰ τὴν ἐν Ἑλλησποντῳ αἰγιαλῖτιν ψάμμον διαφθαρεῖσαι, αὖθις ἀνεφύη αὐτομάτως. *Quæ in Helleſpontiaci litoris arenis perierant, ſponte ſuâ revixerunt.* Sed, ut puto, veriſimilius eſt, ex ovis gravidarum alias eſſe enatas locuſtas. Alterum eſt periculum, quòd, aëre ex putredine corrupto, peſtilentia oritur. Utrique malo occurritur, ſi, quibus cura eſt Reipublicæ, necatas, vel in litus ejectas, confeſtim curent ſepeliri.

a P. 607. edit. Oporini.

A locuſtis venio ad erucas. Has item arcendi varia ſunt remedia. Nam eas de arboribus decutere, ac pedibus conterere, facilis eſt labor; ſi mane, quando frigore torpent nocturno, præſertim poſt pluvias, frutices vel ramos arborum concuſſeris. Hoc Columellæ etiam monitum, extremo libro undecimo. Sin fruticum, arborumque ea erit copia, ut permoleſtum id ſit futurum: poſſis incendere bitumen, vel ſulfur: quod non adverſus erucas modò valet; ſed etiam limaces, pulices hortenſes, vermes, aliaque inſecta. Pluriaque ſuggerent remedia, qui de re hortenſi ſcripſerunt: interque alios Mizaldus lib. de ſecretis hortorum.

Adverſus etiam curculiones, aliaque inſecta, ex fructibus, ac lignis, provenientia, bifariam nobis Numen conſuluit. Quippe licet, ut de locuſtis dicebamus, impedire, ne gignantur, & jam genita necare, aut fugare. Ne curculio ex frumento naſcatur, duplex eſto cura: una ut granaria rectè ſint exſtructa: altera, ut frumenta, prout convenit, reponantur. De priori ſic Vitruvius lib. VI, cap. IX: *Granaria ſublimata, & ad ſeptentrionem, aut aquilonem ſpectantia, diſponantur. Ita enim frumenta non poterunt cito concaleſcere; ſed afflatu refrigerata diu ſervantur. Namque cæteræ regiones procreant curculionem, & reliquas beſtiolas, quæ frumentis ſolent nocere.* Præterea expedit areas amurcâ ſubigi: ut Cato *b* jubet & copioſe Columella docet: qui & alia eò pertinentia addit. Ipſum audiamus lib. I, cap. VI: *Parietes* (granariorum) *oblinuntur amurca ſubacto luto, cui pro paleis admiſta ſunt arida oleaſtri, vel ſi ea non ſunt, oleæ folia. Deinde, cùm prædictum tectorium inaruit, rurſus amurcâ reſpergitur, quâ ſiccata frumentum infertur. Ea res ab noxa curculionum, & ſimilium animalium, commodiſſimè videtur conditas fruges defendere; quæ niſi diligenter repoſitæ ſint, celeriter ab iis conſumuntur.* Poſtea alia etiam huc pertinentia ſubjungit: quorum aliqua etiam Plinius, Columellæ ipſius mentione facta, exſcribit lib. XVIII, cap. VI.

b De R. R. cap. 92.

Quod ad frumenti reponendi modum; curandum, ne loco ſit pulverulento; quandoquidem pulvis calidus eſt, extremoque hoc calore putredo oritur. Item ut locus ſit calcis tectorio obductus: quia calx eſt calida admodum. Utrumque etiam antea diximus ex Theophraſti lib. IV de cauſſis Plant. cap. ult.

In fabis itidem quomodo reponantur, plurimùm refert. Qua de re ſic Columella lib. II, cap. X: *Silente lunâ, fabam vellito ante lucem. Deinde cùm in area exaruerit, confeſtim priuſquam luna incrementum capiat, excuſſam, refrigeratamque, in granarium conferto. Sic condita à curculionibus erit innoxia.*

Quod ſi jam nati ſint curculiones in frumento, curandum eſt ne ultrà malum ſerpat. Quidam putant, occurri ventilando frumentum, ac ſic refrigerando. Sed hac ratione, permiſcendo bonum vitiato, corrumpitur univerſum. Satius igitur eſt, ſeparare id, quod vitiatum non eſt. Nec enim curculiones deſcendunt infra quatuor digitos: ut Columella, & Plinius, narrant locis antè memoratis. Hinc verò necandi curculiones partis corruptæ. Modum interficiendi tradit Varro lib. I de R. R. cap. LXIII: *Tuendi cauſsâ promendum id frumentum, quod curculiones exeſſe incipiunt. Id enim cùm promtum eſt, in Sole ponere oportet aquæ catinos, quod eò conveniunt, ut ipſi ſe necent, curculiones.*

Dignum etiam hoc memoratu, quòd demum parentum, vel avorum memoriâ, obſervatum eſſe narrat Ulyſſes Aldrovandus *a*. Curculiones ait mirum in modum illici ſemine napi: ſed ita avidè illud vorare, ut diſtenta dein intereant. Ita Deus re etiam maximè grata curculioni magis homini, quàm illi, proſpexit. O magna undique divinæ & bonitatis, & ſapientiæ argumenta!

a Lib. 2. de inſectis, cap. 9. Pag. 302.

Odoribus etiam variè nobis eadem voluit conſultum: ut ſi granarii pavimentum illeveris ſalſugine, in qua decoctum allium. Nam odor is adeò illis eſt inimicus, ut eo exanimentur, niſi aliò repſerint.

Sunt & alia, quorum odores non ferant; neque curculiones modò, ſed nec erucæ, aliave inſecta. Ut ſunt ſulfur, cornu cervinum, caſtorium, galbanum, hedera, ſagapenum, ſabina, aliaque graveolentia. Sed & refugiunt odorem lupi ſalictarii. Quid mirum? quando & cerebrum offendit homini, ac quaſi temulentum facit.

Ne veſtes à blattis corrumpantur, conducit, ſi apponantur herbæ calidæ, quæ aëra exſiccant: ut mentha, abſynthium, ſcordium, ſtœchas: præcipuè autem juvant flores lavendulæ, & roſmarini; quia non modò ſunt calidi, ſed odoris etiam grati. Necantur quoque odore ſambuci; ut & tineæ.

Egi de remediis adverſus inſecta, quæ corrumpunt ſtirpes, veſtes, libros. Jam exſequar de iis, quæ corporibus noſtris moleſtiam faceſſunt. Ac primùm loquar de alatis; ut ſunt muſcæ, & culices: quæ, minuta licet inſecta, ſæpe nihilominus vel ſtudia, vel colloquia, vel ſomnum, impediunt. Unde non incommodè olim diſcipulo, illud de muſcis vexantibus querenti, reſponſum à præceptore fuit, *His armis domari humanam ſuperbiam.* Quod à Godſcalco Holem *b* relatum. Eoque, ut idem ait, pertinet, quod inſectis, & id genus rebus, Ægyptios affligere maluit Deus, quàm leonibus, ac tigribus; quo clarior foret tum potentia cœleſtis, tum fragilitas humana. Porrò ab hoc etiam inſectorum genere nos tutos præſtamus multifariam.

b In Dominicam poſt Paſcha.

Primùm enim, qui ædes habent turritas, vel altas contignationes, in ſummas partes ſe recipiendo fugere ea poſſunt. Nam aut rariſſimæ, aut nullæ, eò pertingunt; quia majus illic frigus, quod iis adverſatur: unde & borea vehementiùs flante, ſuis ſe continent latibulis. Sed neque tantæ illis vires, ut eò uſque tolerent volatum continuum; eò minus, quia aër gravior continuò deſcendit, quòd diffi-

difficiliorem reddit aſcenſum; ut Ariſtoteli monitum in problematis.

Alterum eſt, quòd ſi fugere nobis non licet, aut lubet: ipſi fugare ea poſſumus, qualitatis alicujus exceſſu, quam horreant: ſive ea odoris ſit, ſive ſaporis. Odoris, velut ſulfuris, foliorum ſambuci, coriandri, &c. Saporis, ut aceti; vel item rei amaræ, ſicut fellis taurini, lupini, aliorumque.

Tertiùm eſto, quòd licet non fugimus, vel fugamus, nec tamen eas admittimus: ut ſi occludendo feneſtras lumen arceamus. Nec enim muſcæ in tenebris volitant: ſed ſeſe, quo ſe loco antè receperint, continent.

Quartum fuerit, quod eas quidem admittimus; ſed ut interficiamus: ſive implicando, ut pice, vel reſinâ: ſive ſuffocando, ut oleo, vel ejus amurcâ: ſive admovendo flammam, aut apponendo cibum gratum, ſed veneno mixtum.

Nec minùs nobis proſpexit Deus adverſus moleſtias, quas adferunt inſecta non alata: veluti pediculi, pulices, cimices.

Pediculi quomodo necentur, haut laborant nôſſe Bancani, populus Indiæ in regno Guzzarrar. Eâ enim ſuperſtitione ſunt, ut nulli, quod vitam, rem caram, à Deo acceperit, auferre eam ſuſtineant, nec mortuum attingant. Eo, ſiquis ſe coram interimere pediculos volet, etiam pretio vitam illorum redimunt. Sin nimis ſint moleſti: deſerti incolas, quales Chriſtianis ſunt eremitæ, arceſſunt, qui eos legant, ſuíſque impoſitos capitibus nutriant. Equidem multum metuo, ne iſti in ſylvam reverſi eos vel interimant, vel remediis fugent. Multis id fit modis. Pediculos enim pellit, & cutis prurituí occurrit, jus viperæ, cum in modum coctæ, quem præſcribit Plinius lib. XXIX, cap. ult. Imò pediculos arcent omnia illa, quæ vim habent validè exſiccandi: ut ſunt ſalſa, acida, auſtera, acerba. Unde & talia Galenus præſcribit lib. I de med. compoſ. ſecund. loc. Item Serenus Sammonicus ſic pedicularem morbum profligat:

Sæpius ergo decet mordax haurire ſinapi,
Nitro vel ſale permixtis, acidoque liquore
Laxatis, ut ſint ſimul allia, tangere corpus,
Aut lacrymis hederæ, aut ſucco perducere cedri.

Idem lendibus ſic occurrit:

Unda maris lendes capiti deducit iniquos,
Et quicquid crebri defendit ſylva capilli.

Nempe aqua marina, ob ſalſedinem ſuam, vim habet abſtergentem: unde & pediculoſis conducibile natare in mari. Cætera ſuggerent Dioſcorides, Plinius, Cælius Aurelianus, Marcellus, Paulus, Theodorus Priſcianus, atque alii magno numero. Nihil verò opus ſit de fugandis, vel necandis, laborare, ſi curetur, ne ſuccreſcant. Quod tum commodà præſtat victus ratio, tum veſtium lectorumque munditiès. Satius quoque lineis uti veſtibus, quàm laneis: unde lineis uſi ſacerdotes Ægyptii; ut alibi diximus ex Plutarchi lib. de Iſide & Oſir.

Itidem pulices arcentur munditie: unde prodeſt verrere ſæpius cubile, lintea mutare. Goſſipio etiam per lectum ſparſo capiuntur. Uti & vaſis patulis per cubile diſpoſitis. Necantur item abrotono, abſynthio, anagyri, coriandro viridi, filice, juglandis foliis, lavendulâ, mentaſtro, nigellâ, rutâ, ſatureia, pſeudonardo, pſyllio: quæ aceto ſcillino, ſive ſcillite, (utroque modo Plinius vocat, quod Græcis σκιλλητικὸν) conſpergenda, ac culcitis ſupponenda.

Atque hoc pacto quoque cimices necantur. Alios item hos interficiendi, vel fugandi modos ex Saſernarum, patris, filiique, libris memorat Varro lib. I de R. R. cap. II, his verbis: *Cucumerem anguinum condito in aquam, eamque infundito, quò voles: nulli* (cimices) *accedent. Vel fel bubulum cum aceto mixtum: ungito lectum.* Plinius etiam ad cimices necandos lib. XXXII, cap. X, præſcribit ſanguiſugæ ſuffitum. In Geoponicis item Conſtantino dicatis remedia complura ex Didymo, & Florentino referuntur lib. XIII, cap. XIV. Ex junioribus etiam Cardanus lib. VII de Variet. Rer. cap. XXX alia ſuggeret remedia: ut Alexium, & cæteros, mittam.

Cap. XCVIII.

Deum multifariam nobis conſuluiſſe adverſus inſectorum venena. Eſſe ſcorpiones innoxios in Italia, & Ægypto. Venenatis autem varie occurri; ut muribus Ponticis; genere quodam locuſtæ, quod onos *dicitur; teſtibus fibri; mullo, & cancro fluviali; quorum uterque etiam adverſus phalangia opitulatur: adhæc variis fomentis; imo ſcorpio ipſo trito, & ictui impoſito; nec non ſalivâ hominis jejuni. Alia, quæ ictui phalangii medeantur, ac tarantulæ. Quomodo occurratur cantharidibus potis, item bupreſti ore aſſumta, ac pityocampæ: adhæc melli Pontico, quod comeſtum ad inſaniam aliquem redegerit.*

DEinque proſunt inſecta adverſus venenata; tum ea, quæ ictu, vel morſu, aut etiam contactu inficiunt; tum quæ in cibo potuve adſumta id faciunt. Diximus antea, prioris eſſe generis ſcorpium, & araneum: ac hujus genus eſſe phalangium, & tarantulam.

Non tamen ſcorpionum ubivis eadem ratio eſt. Nam, ut Plinius ait lib. XI, cap. XXV: *Viſuntur ſcorpiones aliquando in Italia: ſed innoxii.* Nec circa Pharon, aliiſque locis, lædere, Ariſtoteles pronunciat lib. IX Hiſt. Animal. cap. XXIX. Ac eoſdem, credo, intellexit Galenus, cùm lib. III de Aliment. Facult. ait, citra noxam ſcorpiones comedi in Ægypto. Sin venenati ſint, ut paſſim ſolent, ictibus eorum ſalutares ſunt mures domeſtici, ſi diſſecti imponantur vulneri. Auctor Dioſcorides lib. II Mater. Med. cap. LXXIV. Idem ejuſce libri cap. LVII dixit, adverſus venena ſcorpii valere locuſtam ἄπτερον, καὶ μεγαλόκωλον, ἀσίραχον ἢ ὄνον λεγομένην [a]. Jubet verò aſſatam bibere ex vino. Atque idem traditum Avicennæ. Imò, ut alibi diximus, Rhaſis contra omnia venena auxiliari arbitrabatur. Prætetea teſtes fibri, ut ait Plinius lib. XXXIII, cap. III, *adverſus ſcorpiones ex vino bibuntur.* Etiam *mullus contra ſcorpiones, & phalangia, auxiliatur illitus, ſumtuſque in cibo*: ut idem narrat lib. XXXII, cap. V, ac inde nobis dictum cap. XXXVII. Ubi etiam cancrum fluviatilem contra hæc ipſa prodeſſe, ex Ariſtotele, Dioſcoride, & aliis, monebamus. Inſuper adverſus hæc, aliaque venena, prodeſſe ſtellas marinas, ibidem diximus. Nempe de ſtellis iſtis tum in piſcibus loquebamur; partim quia inter ὀστρακόδερμα [b] reponat Ariſtoteles; ut relatum nobis cap. LXXII; partim quia tum per aquatilia nos diffunderemus, ſive piſces forent proprie dicti; ſive etiam inter inſecta, dummodo aquatilia forent, referrentur. Verùs autem inter inſecta, quàm piſces, reponi, ſuperiùs jam oſtendimus. Adhæc adverſus ſcorpionum ictus juvat, ſi vulnus foveris majoraná cum hominis urina: item fomento myrti in vino, unà cum cypero, calamento, pulegio, aſſa fœtida in vino applicita: cujuſmodi liquorem admixtum in penitiores vulneris partes deducunt. Hoc enim fieri neceſſe eſt, quia alioqui parum prodeſſet fomentum, cùm vulnere ab ictu ſcorpionum tum profunda, tum tenuia ſint, obſcuraque: ut eſt apud Galenum lib. III de Locis affect. cap. VII, atque inde apud Hieronymum Mercurialem lib. II de Venenis, cap. IV. Magnum etiam divinæ eſt bonitatis argumentum, quòd terreſtris ſcorpius crudus, ſi teratur, ſuæque imponatur plagæ, vel ſi toſtus edatur, remedium ſui erit ictus: ut Dioſcorides refert lib. II, cap. XIII. Nempe hoc commune habet cum ſerpentibus, qui itidem ſanant vulnus, quod fecere: ut ex Galeno monuimus extremo cap. LXII. Itidem tam ſcorpiis, quàm ſerpentibus, medetur ſaliva hominis jejuni: de cujus vi eximia diximus jam cap. LXI. Sed de ſcorpiis ſatis: quibus & aliqua de phalangiis miſcuimus. Nempe prope eadem eſt curatio ſcorpii, & phalangii: ac hic ſimiliter fomen-

[a] *Alarum expertem, & longis cruribus, quæ* aſiracos, *vel* onos, *dicitur.*

[b] *Ea, quæ teſtâ ſilicea obteguntur.*

fomenta affricanda, ut magis penetrent vulnus tam exile, & obſcurum, ſed profundum. Eapropter balnea quoque conducunt; ut Aëtius, & Avicennas, docent. Sic enim anguſta laxantur, ut faciliùs exſudet venenum. Propterea & conducit vulnus foveri vino, in quo bullierint origanum, ſerpillum, ruta. Item vulneri affricatur, oreque aſſumitur theriaca.

Tutos etiam à venenatorum animantium morſibus præſtant erucæ oleum, ſi cum oleo inungas: ut eſt apud Paullum Æginetam lib. VII, cap. III, voce *Campe*. Atque antea idem ab Dioſcoride proditum eſt lib. II, cap. LXIV. Cujus rei non aliam ſe cauſſam quàm proprietatem occultam, afferre poſſe, ait Grevinus lib. II de venenis, cap. VI.

Eſt quoque phalangii genus tarantula; ut ſuperiùs dictum. Huic ajunt Muſicen mederi. Præterea illi occurritur cantharidibus tribus, quatuorve, in potu datis. Primus iſtoc obſervavit Joannes Porta Neopolitanus: atque ad periculum iſtius faciendum eo ſe compulſum profitetur, quòd videret, in frumento cantharides copioſè naſci, & cogitaret, ſic divinam omnia diſpenſare providentiam, ut quibus locis malum, iis etiam remedium proveniat. Vide eum lib. VI Phytog. cap. XXIII.

Hinc videamus de inſectis, quæ, ſi ore adſumantur, inficiunt. Atque hoc etiam præſtant phalangia, & aranei. Nec enim ictu ſolùm nocent; ſed etiam in cibo, vel potu. Remedio tum ſunt fibrorum teſticuli: de quibus ita Plinius lib. XXXIII, cap. III: *Adverſus phalangia, & araneos, ex mulſo bibuntur, ita ut vomitione reddantur, aut ut retineantur cum ruta.* Quam cantharidum potus ſit noxius, oſtendimus ſuperiùs: etſi adverſus tarantulam comeſtæ proſint; ut proximè vidimus. Remedio adverſus eas eſt, ſi æger ad vomitum cogatur, priusquam cantharides è ſtomacho ſubeant inteſtina. Cietur optimè vomitus rebus pinguibus, quales facilè nauſeam creant. In illis ſunt cerebella: unde eſt, quòd Nicander in Alexipharmacis adverſus cantharidas commendat cerebrum porci, agni, capræ: præſertim cum lini ſemine, quod craſſum eſt, & flatulentum. Idem præſtant jura omnium carnium pinguium. Quod ſi opus, etiam digitus faucibus inſerendus, ut tanto faciliùs evomas funeſtas dapes. Idem quoque commendat lac per clyſterem immiſſum, ac præcipuè ſi bibatur. Quæ & Dioſcoridi placuere: ut liquet ex lib. II, cap. LXXVII. Nempe ſeroſa lactis ſubſtantia tum frigore ſuo compeſcit æſtum, quem excitant cantharides: tum etiam vim obtinet detergendi. Alia item remedia Nicander ſuggeret: in iis rutam, quam itidem adverſus cantharidas laudant Dioſcorides, & Galenus.

Bupreſtis quoque hujus eſt loci. Ac ut ea cantharidi eſt ſimilis, ita eadem hic remedia valent. Interim & peculiaria ſuggeret Nicander in Alexipharmacis: in his palmæ fructum, piraque ſylveſtria.

Ut cantharidi, & bupreſti; ſic pityocampæ etiam medetur lac recens: ut eſt apud Dioſcoridem lib. II, cap. LXXVII.

Dicebamus ſuperiùs, inſecta quædam non corpus modò inficere; ſed etiam mentem labefactare: ut mel Ponticum, teſte Dioſcoride lib. II, cap. CI. Sed continuò idem addit, juvare, ſi ruta & ſalſamenta edantur, & mulſum bibatur, totieſque hæc reſumantur, quoties vomitu fuerint rejecta.

Cap. XCIX.

De cultu inſectorum apud gentes: ac primùm de illo ſcarabæorum apud Ægyptios, & quomodo eum excuſárit Apion Grammaticus. De cultu formicarum apud Theſſalos; ac muſcarum apud Acarnanes. De Piſæarum, & Actiacarum muſcarum, in hoc cultu diſcrimine. Videri interim non tam muſcis ſacra facta, quàm numini muſcas depellenti. Ζεὺς, καὶ Ἡρακλῆς Ἀπόμυιος. An Accaronitæ in Palæſtina muſcas ſint venerati: & verumne numinis apud eos nomen fuerit Beelzebub. *Cur Judæi* Beth aven *dixerint pro* Beth-el. Barchoceba, *qui proprio nomine* Barchoziba. *Cur in ſermone Ochoziæ regis numen Accaronitarum, cui cultum volebat præſtare, nuncupetur* Beelzebub. *B, & S, in L converſa. Unde Achoris, h. e. Beelzebubi, cultus Cyrenaicis. Hercules* Κορνοπίων, *&* Ἰποκτόνος.

Multum diuque inſtitimus inſectis, ut omnes cognoſcerent, quantumvis nihil his contemtius videatur; ſubtilius tamen in iis eſſe naturæ artificium, quam quadrupedum plurimis, etiam ingentis molis. Adhæc multa ex iis commoda redundare, ad rem cibariam, medicam, veſtiariam, atque alias pertinentia. Non quidem negari poſſe, hominem ex iis multa etiam capere incommoda. Verùm neutiquam iſta ejus generis eſſe, ut non ſuppetant remedia, quibus eatur his malis obviam. Hæc cùm gentiles viderent admirabundi, inſecta priùs quidem habuere pro ſymbolis numinis; poſtea verò eò inſaniæ proceſſerunt, præſertim ſimpliciores, ut ſymbola pro numine ipſo colerent. Ita apud Ægyptios canthari, ſive ſcarabæi, divino cultu afficiebantur: ut eſt apud Plutarchum lib. IV Sympoſ. quæſt. V. Eſt & Arnobii lib. I: *Templa felibus, ſcarabæis, & buculis ſublimibus ſunt elata faſtigiis.* Cauſſam ejuſce cultus attulit Apion polyhiſtor: ex eo autem Plinius lib. XXX, cap. XI: ubi cùm dixiſſet, ſcarabæum, qui pilulas volvit, quartanæ mederi, ſubjungit: *Propter hunc Ægyptii magna pars ſcarabæos inter numina colit, curioſa Apionis interpretatione, quâ colligit, Solis operum ſimilitudinem huic animali eſſe, ad excuſandos gentis ſuæ ritus.* In quibus verò ſimilitudo ea conſiſtat, fusè docet Orus Apollo Hieroglyph. lib. I, cap. X.

Nec ſolus is ſcarabæis honos. Nam Clemens Alexandrinus in Προτρεπτικῷ narrat, à Theſſalis coli formicas, quoniam Jupiter ſe in formicam mutaſſe traderetur, quando cum Eurymeduſa, Cletoris filia, conſueſceret: unde, ut ajunt, genuit Myrmidonem. Item Clemens ex Heraclide refert, in Acarnania; ubi eſt templum Apollinis Actii, bovem ſacrificatum muſcis. Imò apud Ælianum idem legas lib. XI de Animalibus, cap. VIII. Clarè inter alia, Θύουσι βοῦν ταῖς μυίαις· *bovem muſci ſacrificant.* Confert ibidem muſcas Piſæas, & Actiacas: quarum illas ait ſuâ ſponte, quando Olympia ſunt, in ulteriorem Alphei ripam recedere, reverentia Iovis, cui Olympiacum certamen erat ſacrum: at alteras non abire ab Actii Apollinis templo, niſi delinitas ſacrificio, cujus ſanguine jam ſint ſaturatæ. Quàm verò ineptum, inſectorum ex eo divinitatem colligere, quia bene paſta aliò ſe recipiant! Valde etiam ridiculum eſt, numen ipſum, quod Apollinem Actiacum dicunt, non poſſe a templo ſuo abigere muſcas; ſed ad hoc requiri, ut ſacrificio propitiatæ abeant ſponte. Imò ubicunque vulgo dicerent ſacra fieri muſcis: cenſeo, ſacerdotes non tam rem divinam feciſſe muſcis, quàm Apollini, vel Iovi, muſcarum depulſori. Nam Pauſanias id clarè docet lib. V: ubi dicit, Ἠλείους θύειν τῷ Ἀπομυίῳ Διῒ, ἐξελαύνοντας τῆς Ἠλείας Ὀλυμπίας τὰς μυίας. *Elienſes ſacrificare Iovi Apomyio* (hoc eſt, muſcarum abactori) *ad muſcas omnes pellendas ex Olympia Eliaca.* Addit, id facere Herculis exemplo; quo ſacrificante Iovi Apomyio, muſcæ omnes trans Alpheum avolarint. Arcadas etiam heroi τῷ μυιάγρῳ rem feciſſe divinam, tradit idem lib. VIII. Quem verò *Iovem Apomyium* vocant Elienſes, hunc *Herculem Apomyium* vocitabant Romani; ut clarè ait Clemens Alexandrinus in Protreptico. *Myiodem*, q. d. *muſcarium*, ſimpliciter nominat Plinius lib. XXIX, cap. VI: *Nullum animal minus docile exiſtimatur, minoriſve intellectus: eò mirabilius eſt, Olympiæ ſacro certamine, nubes earum immolato tauro Deo, quem Myiodem vocant, extra territorium id abire.* Satis iſta oſtendunt, etſi vulgò dicerentur Elienſes ſacrificare muſcis: veriùs tamen eos ſacrificaſſe

Deo

Deo muſcarum abactori. Si tamen iis in Palæſtina ſacrificatum ab Accaronitis, nec mirandum ſit de Elienſibus. Cenſet illud Philaſtrius, cum ſcribit cap. XIII: *Sunt qui muſcam colunt in civitate Accaron dicta.* Collegit illud ex nomine *Beelzebub*, numine Accaronitarum: ut videre eſt II ſive IV Reg. cap. I, verſ. 2, 3, 6, 16. At *Beelzebub* conflatum ex בַּעַל, baal, *dominus*, & זְבוּב zebub, *muſca*. Sed, ut dixi lib. II, cap. IV, Scaligeri opinio erat, non fuiſſe id verum nomen; verùm *baal-zebahim*, hoc eſt, *Deus victimarum*: Judæos autem id, contemtus causâ, immutâſſe; ſimili puta paronomaſiâ, ac ex *beth-el*, id eſt, *domus Dei*, fecere *beth-aven*, hoc eſt, *domus vanitatis*: ut Oſeæ IV, 15. & X, 5. Nempe qui locus à viſione Jacobi, ſtatuaque ibi poſita, ſacer antea habitus fuit; is poſtquam Jeroboamus ibi vitulum erexit aureum, indignus eſt viſus priori nomine, nomenque ei communicatum deſerti Beth-aven, eo lubentius, quòd Betheli foret vicinus. Hoc clarè liquet ex Joſ. VII, 2: ubi Hai dicitur fuiſſe apud Beth-aven ab Oriente ipſi Bethel. ut multum errent, qui Joſ. VIII, 12, & XVIII, 12, aut I Sam. XIII, 5. & XIV, 23. per *Bethaven* intelligunt locum *Bethel* dictum. Cum enim iſta ſcriberentur, per *Bethel*, & *Beth-aven*, loca diverſa ſignabantur: ac diu poſt exceſſum Salomonis, deſerti nomen necdum communicatum fuit Luzæ ſive Betheli. Ecce alterum etiam exemplum dabo. Planus ille, qui ſub Trajano, & Hadriano Cæſaribus, credi voluit Meſſias, (qualis & habitus à clariſſimo illo Judæorum doctore Rabbi Akiba) pro בַּר כּוֹכְבָא bar coceba, quod eſt υἱὸς ἀστέρος, *filius ſtellæ*, Judæis dictus eſt בַּר קוֹזְבָא Barcozba, υἱὸς ψεύδους, *filius mendacii*. Vide ſis de eo Juſtinum Martyrem orat. ad Antoninum Pium, & Euſebium lib. IV Hiſt. Eccleſ. cap. VI, & VIII; nec non in Chronicis ad numerum Euſebianum MMCXLIX, & ſeq. ſive Hadriani Cæſ. annum XVII. Poſſint ſimili paronomaſia etiam βεελζεβούλ a dixiſſe: quomodo hoc nomen, ſed pro dæmoniorum principe acceptum, legitur apud Euangeliſtas, etiam in tralatione Arabica, quam edidit clariſſimus & amiciſſimus, dum viveret, in Leidenſi Academia collega meus, Thomas Erpenius. Id *Deum ſtercoris*, vel *ſtercoreum* deſignat. Immutationes iſtæ extremi fuerint contemtûs indices. Et fortaſſe nihil eâ verius eſt conjecturâ. Nec magnopere premit, quòd videamus, Ochoziam regem initio II ſeu IV Regum, cùm numen illud vellet ire honoratum, *Beelzebub* nuncupare. Nec enim inſolens eſt Scripturis, non verba adnumerare dicentis; ſed ſic referre ea, uti ſonant interpretatione divinâ. Fatemur interea ſententiæ hujus incertum. Sed ut vera fuerit appellatio Beelzebub, proque eo κατ' ἀντιστοιχίαν *Beelzebul* etiam dixerint, quomodo ex Hebræo כַּשְׂדִּים Caſdim eſſet Χασδαῖος, pro quo Χαλδαῖος in uſu eſt: non eò Beelzebub ſit *Deus muſca*, ut cepit Philaſtrius; ſed *Deus muſcæ*, ſive *muſcarius*, hoc eſt, *abactor muſcarum*: ut idem ſit ac ἀπόμυιος. Pro qua ſententia eſt hoc Plinianum lib. X, cap. XXVIII: *Invocant Cyrenaici Achorem Deum* (ſic in veteribus eſt libris) *muſcarum multitudine peſtilentiam adferente: quæ protinus intereunt, quà litatum eſt illi die.* Ubi *Acharem Deum* dictum cenſeo, pro *Achoron*, ſive *Accaron*, ſeu *Accaronis*, vel *Accaronitarum Deum*. Cùm enim, quæ Plinius refert, conveniant nomini *Beelzebub*, Accaronitarum numini, cujus tantum erat nomen apud Palæſtinos, ut Judæi etiam ſic principem dixerint dæmoniorum: planè credibile eſt, Palæſtinos hunc cultum in Cyrenaicam attuliſſe. Satis enim notum, pleraque Africæ fuiſſe Phœnicum colonias: ut longiùs etiam diſtantem Carthaginem. Et ſolere gentiles numinibus ſuis nomina indere ab inſectis, quibus ſe liberari ab iis putarent: arguit etiam Trachiniorum Hercules κορνοπίων, ſic dictus à fugandis locuſtis; niſi culicibus malis. Nam κόρνοπες Heſychio κώνωπες, *culices*. Item Erythræorum Hercules ἰποκτόνος, interemtor vermiculorum vites infeſtantium, qui Græcis ἶπες. Pluraque de iſtiuſmodi cognominibus Euſtathius in Iliad. Α a.

a Matth. 12, 24.

a Pag. 34. edit. Rom.

Atque hæc, quæ priùs de inſectorum natura, proximè verò de cultu eorum diſſeruimus, liquidò arguunt, non ſolùm ex natura hominis, vel etiam quadrupedum, avium, piſcium, & ſerpentum; de quibus omnibus ordine, nec incurioſè, ut arbitror, vidimus: ſed ex ipſis etiam inſectis, quibus nihil videri poſſit vilius, & contemtius, providentiam numinis divini clariſſimè elucere: eoque nullum planè eſſe animantium genus, quod non hominem quaſi manu ducat ad Dei creatoris notitiam, amorem, ac cultum: Ὅπερ ἔδει δεῖξαι b, ut vulgari hæc Mathematicorum formulâ conſignem.

b *Quod fuit demonſtrandum.*

FINIS LIBRI QUARTI.

GERARDI JOANNIS VOSSII

DE

PHYSIOLOGIA CHRISTIANA,

ET

THEOLOGIA GENTILI,

LIBRI QUINTI

PARS PRIMA.

Cap. I.

De Plantarum Forma.

Acceſſum ad plantas: ac primo oſtenſum, rectè præmiſſam Animalium doctrinam. Hinc probatur, ex Ariſtotelis ſententiâ vivere, non ſentire: ſed ſecundum Platonicos etiam ſentire; quibus Manichæi adhæſerunt: Stoicos verò habuiſſe pro inanimis: ſed in eo receſſiſſe à magiſtro Zenone. Ex triplici hac ſententia Ariſtotelis illa aſſerta. Refelluntur, qui putant, animam vegetantem eſſe formam ſpecificam plantæ, quatenus eſt planta: atque oſtenſum, plantæ formam eſſe incognitam, uti & inferiorum plantarum; item earum, quæ ſpeciem infimam conſtituunt. Specificam verò formam eſſe in cauſſa, cur planta quæque hunc illumve fructum gignat, atque has, vel illas, habeat vires.

HActenus vidimus de Animalibus, ſequitur de Plantis. Etſi non ignoro nonnullis ſic videri, priùs de Plantis, quàm Animalibus agi debuiſſe. Et ſanè ſic foret, ſi ſeriem Naturæ attendamus. Sed aliud Doctrinæ ordo exigebat. Nam Plantarum natura intelligitur ἀναλόγως a ex natura animalium. Unde & ab animalibus nomina petuntur. Quale eſt quod עֲנָבִים דַּם, αἷμα σταφυλῆς, hoc eſt, *ſanguis uvarum*, legas Deuteronomii XXXII, 14. Locutus eopſe modo Sirach XXXIX, 31, & L, 16. Item auctor lib. I Maccab. VI, 34: ubi & ſimiliter ait ſanguinem mororum, pro eorum ſummo b. Prius verò illud apud Æſchylum quoque reperias. Similiter plantis tribui videas vocabula carnis, nervi, venæ, matricis: licet de poſtremo hoc aliter prodiderit Theophraſtus lib. I Hiſt. Plant. cap. III, ubi κυρίως μήτραν c dici ait. Sed nihil manifeſtius, quàm hoc etiam vocabulum peti ab animalibus. Nexus verò eorum, quæ diximus, & deinceps afferentur, hujuſmodi eſt: quod utrobique de animatis agatur: ſed animalia ſenſus habeant univerſos: plantæ ſive ſtirpes partim nullum habeant ſenſum, partim unum duntaxat. Quamquam nec deſunt, qui plantas omnes omnis cenſeant ſenſus expertes: quomodo nulla fuerint zoophyta. Verùm de iſto poſtea videbimus. Nunc illud conſiderabimus, rectène plantas animatis accenſeamus. Nec enim deſunt, qui reponant inter inanima. Uti alii contrà etiam animalibus annumerant.

a *Proportionatim.*
b *Druſius ad Maccab. p. 26.*
c *Propriè matricem.*

Imò, juxta Græcanicam Philoſophiam, homines in plantas fuerint converſi. Nam Meliades ajunt nomen habere ex eo, quia prius fuerint μελίαι, ſive fraxini. Sed profectò jure hoc ἐν ἀπίστοις a ridet Palæphatus: ac veriſimilius cenſet ſub arboribus natas, vel ibi expoſitas, ut Proclus ait in Heſiodum. Ac hujuſmodi aliquid dicere poſſis de eo, quod nympha Oceanine converſa ſit in philyram ſive tiliam: ut eſt apud Hyginum fab. CXXXVI, vel quod è quercu nata dicatur Tithorea nympha, unde nomen civitati Tithoreæ, & jugo Parnaſſi: ut eſt apud Pauſaniam in ultimo: vel quod Latonis filia ab Apolline converſa in Laurum, ut refertur I Metam. vel quod Lotus nympha commutata ſit in plantam ejus nominis, cum fugeret Priapum; ut idem Ovidius narrat.

Eſt & ſimilis farinæ illud de Mentha, quæ cum Plutone dicitur concubuiſſe; quod cum indignè ferret tum Proſerpina, cui & forma ſe prætulerat, vel mater ejus Ceres, pellex Proſerpinæ, commutata dicitur in μίνθην, ſive, ut Latini malunt ſcribere, mentham hortenſem. Hoc narrat quoque Strabo lib. VIII. Ac conſentit Ovid. IX Metam.

> —— *An tibi quondam*
> *Femineos artus in olentes vertere menthas*
> *Perſephone licuit?*

Ubi olentes valet benè olentes: unde Græci ἡδύοσμον appellant. Sed de odore plantarum inferius dicemus. Hujuſmodi poëtarum commentis, etſi ratione ſuâ non carent, non viſum nunc inſiſtere. Puto, de iis melior erit dicendi nobis occaſio in Arte Poëtica. Quare ſolùm hoc in disquiſitionem venit, non an rationis participes ſint, vel fuerint: ſed utrum vita ſolùm, an etiam ſenſu prædita ſint. Ariſtoteles vivere ajebat: ſed ſolùm animam habere vegetativam, qua nutriantur, augeantur, germinent: non ſenſitivam, quam nec tribuit vulgus. Unde *ſtolo*, ἀναίσθητος b: ut illo Auſonii:

> *Sed jam non potes, ô ſtolo doceri.*

Ac inde *ſtolidus*, & contractè *ſtoltus*, ſive *ſtultus*. Plato verò, eo non contentus, plantas etiam inter animalia retulit c. Hinc Theodoretus lib. V affectionum Græcarum: ὁ Πλάτων καὶ τὰ φυτὰ ζῶα κέκληκε· ὡς τρίτου γε τῆς ψυχῆς εἴδους τοῦ ἐπιθυμητικοῦ μόνου μετέχοντα. *Plato etiam plantas inter animalia reponit: ſed quæ tertiam animæ vim, nempe concupiſcibilem, ſolam participent.* At pleríque Stoicorum facultatem nutriendi, & generandi, tanti non eſſe, ut propterea non dico animalia, ſed viventia dicerentur; ut auctor ibidem Theodoretus: ſed addit, in eo receſſiſſe à ſectæ ſuæ principe Zenone Cittieo: qui arbi-

a *In incredibilibus.*
b *Senſu carens.*
c *Pag. 73. edit. Commel.*

arbitrabatur, ſemen vel maximè eſſe animatum. Quippe illud μετέχειν πνεύματος, καὶ τῆς ψυχῆς εἶναι μέρος τι καὶ ἀπόσπασμα, *particeps eſſe ſpiritus, eſſeque animæ partem, & velut abſciſſionem.* Platonis ſententia placuit quoque Manichæis: nam ſentire, eas crediderunt, ut eſt apud Auguſtinum hæreſi XLVI. Unde & cædem committere judicarunt, qui vel folium decerperet de arbore. Ariſtotelis igitur ſententia inter Platonicam, & Stoicam, media fuit. Nam inter non vivere, & etiam ſentire, medium eſt vivere, & non ſentire. Vivunt verò per animam, quam accepere, ut nutriantur, augeantur, ac generent. Nutriri indicat, quòd inſtrumentum habent, quo attrahant alimentum, ut radicem, qui plantis eſt pro ore: item fibras, & alia, quibus illud diffundant per corpus: adhæc calorem naturalem, quo alimentum concoquant, & in ſui ſubſtantiam commutent: excrementa etiam, uti flores, & gummi. Augeri quoque videmus, idque in omnem partem. Etiam generant ſemen, & inde ſibi ſimile producunt. Præterea proferunt fructus, & ut adoleſcunt, ſic etiam ſeneſcunt, ac tandem moriuntur.

Atque hæc manifeſta ſunt vitæ indicia. At (ſi zoophyta exceperis, tactûs ſenſu prædita) non ſentiunt, quia carent oculis, auribus, & cæteris ſenſûs inſtrumentis. Ac longè minus eguerunt ſenſibus interioribus: puta ſenſu communi phantaſia, & memoria. Et quia ſomnus eſt vacatio ab ſenſibus exterioribus, ſive ligatio ſenſus interioris, nec ſomno iis opus fuit: ut dictum lib. III, cap. XXXIV. Quare nec Anaxagoræ ſit aſſentiendum, qui plantæ ſpiritum defatigari operando ajebat, atque eo per æſtatem ſe retrahere ad radicem, per hyemem verò ad medullam, & hoc ſomnum eſſe. Nec tamen quietem denegâro plantis. Quippe plantæ ubi humore ſatiatæ, ceſſant, ut non perpetuo, ſed per intervalla, trahant alimentum. At inquiunt, qui Platonem ſequuntur, quicquid alitur, id appetere alimoniam, & dum ea deficit, dolere, & contrà ob ſaturitatem affici voluptate. Verùm non ſatis diſtinxere appetitum naturalem, & animalem. Quos ſi diſtinguere non placet, dicendum in plantis non eſſe appetitum. Et ſanè ſi ἐπιθυμία a eſt à θυμὸς b, fatendum propriè ἐπιθυμίαν non habere, cùm non habeant θυμόν.

a *Concupiſcentia.* b *Animus.*

Eo conſtituto, eſſe & vitam ſine ſenſu; & ea plantas vivere; ſed diſcutiendum, quæ ſit plantæ forma eſſentialis. Vulgaris opinio eſt, plantas eſſe plantas per animam vegetantem, hoc eſt, nutriendi ac generandi facultate præditam. At hoc ſi eſſet, animalia cuncta forent plantæ: quia univerſa habent animam vegetantem; eo fortaſſe excuſaveris, quod per intellectum ſeparent animam vegetantem ab iis conditionibus, quæ animæ vegetanti accedentes reſtringunt communem illam animæ naturam ad naturam animæ ſenſuum facultate pollentis. Sed nihil eos hæc mentis abſtractio juvat. Nam & anima vegetans ſic conſiderata eſt forma plantæ, qua vivens, non qua planta. Alioqui nec plantæ ab animali, nec plantæ inter ſe ſpecie, ſed ſolùm accidentibus, differrent. Verùm communi illi formæ ſuperadditur natura ſpecialis, quæ reſtringens communem animæ vegetantis naturam facit, ut quid planta ſit, & dicatur. Nempe comparatum hic eſt, uti cum equo, qui per animam ſenſivam eſt animal, non equus, quatenus ποιόν τι c: verùm equus eſt acceſſu conditionis, quam addit anima equi. Similiter quoque anima plantæ ſuperaddit aliquid ad animam vegetantem: per quam locum ſortitur non modò in viventium numero, ſed etiam plantarum.

c *Tale quid.*

Quemadmodum verò plantæ natura aliquid ſuperaddit formæ viventium: ita huic formæ plantarum aliquid addit forma arboris, fruticis, herbæ: imò & arboris formam ulterius reſtringit forma quercus vel ceraſi; item fruticis formam forma roſæ, vel roſmarini, & ſic in aliis. Quæ diſcrimina cum ſint eſſentiæ ipſius, ſatis liquet, ſpecificas plantarum formas eſſe incognitas: quod ipſum etiam de mutorum animantium formis ſpecificis dixeris.

Quod ſi diſplicet in plantis vehiculum illud facultatis vegetantis nuncupare animam, ac omnino cum vulgo plantas quia ſenſus ſint expertes, malis inter inanima referre, poſſis pro anima ſpiritum dicere, atque intelligere illum ſpiritum primo die creatum à Deo, poſteaque quaſi diſcerptum ac rebus inditum, ad omnium generationem ac conſervationem. Quomodo ſpiritus in plantis erit proxima cauſſa efficiens omnium formarum, atque earum ſeminarium. Nec ſoli tamen ſpiritui hoc attribuimus, ſed etiam luci, eadem die creatæ, ac ſpiritus, qui calore ſuo eſt σύνεργος a lucis. Imò animalibus etiam hic ſpiritus ineſt, atque adeo ipſi homini: qui etſi animam habeat ſenſivam ac rationalem, tamen ſpiritu indiget tanquam proximo inſtrumento ſenſus, & motus. Atque eundem in foſſilibus veriſimiliter ſtatui, planum faciemus, ubi ad ea fuerit deventum.

a *Cooperator.*

Cap. II.

De origine plantarum duplici, unâ ſpontaneâ, alterâ ab arte. Quarum prior eſt à ſemine manifeſto, vel occulto. Et ut incrementum plantæ ſit à ſeminis emollitione, ruptura, partiſque erumpentis adſcenſu, donec in terris fixa ſeſe juſtam ad magnitudinem extulerit ſupra terras. Exinde acceſſum ad ortum artificialem: qui bifariam fit: primùm radice, vel ſtolone, ſive ſurculo terræ infixo: deinde inſertione ſurculi in truncum, quæ ἐμφυτεύσεις vocatur. Imo & eſſe, ubi folio terræ inſito fiat propagatio. Arbores in ramis ſingulis habere aliquid analogum cordi, atque hanc eſſe cauſſam, cur ſurculi amputati vivant, & ſi alteri inſerantur arbori fructus ferant non ſecundum naturam trunci, cui inſerti, ſed arboris unde decerpti. Adhæc de vario tempore, intra quod è terra germen erumpit, & ejus varietatis cauſſa.

HActenus oſtenſum, quid ſtatuere oporteat de forma plantæ εἰδοποιῷ a. Proximè videbimus de plantarum origine. De hoc Theophraſtus lib. II Hiſtor. cap. I, & lib. de Cauſſis Plant. item lib. IV, cap. I. Breviter ita Plinius lib. XVII, cap. X: *Aut ſemine provenitunt, aut plantis radicis, aut propagine, aut avulſione, aut ſurculo, aut inſito, & conſecto arboris trunco.* Hæc fuſiùs diducam. Sponte quæ creſcant, duûm ſunt generum. Quædam ſemper ſine eo proveniunt, ut filix, ut quæ expers ſit ſeminis. Quædam verò ſemen habent, ſed quandoque tamen nullo ſatu oriuntur: ut hyoſcyamus: quod dum in Theophraſti Hiſtoriam commentaretur in hortis ſuis ſibi animadverſum ait Cæſar Scaliger lib. II, cap. I. Etiam ſine induſtria humana proveniunt adiantum, polypodium, ſcolopendria: item gramina, & pratorum herbæ urticæ, cardui, ſpinæ, lolium, variique generis arbores ſylveſtres. quæ vel occulti ſeminis principiis debentur: vel omnino naſcuntur ſine ſemine: quod etiam fieri, eo oſtendit Theophraſtus, quòd terris quibuſdam plantæ naſcantur, quibus priùs non fuere: ac ſic laſerpitii ſylva ſuccreverit in Africa, cum prius planta hæc neſciretur. Idem ex eo cognoſcitur, quod è ſaxis erumpant. Quid mirum autem, ſi plantæ ſic proveniant, cum etiam pediculi ſine ſemine naſcantur, & alia inſecta? Imò & mures etiam è fimo naſcuntur, non ſolum è ſemine muris maſculi, & feminæ? Dixeris cum Anaxagora, aliunde ſemina deferri, ut terrarum inundatione. Non refragor, quo minus hoc quoque eveniat: Sed videmus, etiam ubi nullum fuit diluvium, id evenire. Huc etiam pertinet, quòd è muris altiſſimis ſuccreſcunt. Plura de herbis ſponte naſcentibus apud Plinium vide lib. XXI, cap. XV, ac deinceps.

a *Specifica.*

Aliæ verò cura hominum proveniunt: ut quæ ſeminantur: ſicuti olera, lactuca, portulaca, apium, chærefolium, innumeraque alia. Nec frumentum niſi ex ſemine provenit.

In his, quæ ſeri dicebamus, primum ſemen terræ commiſſum emollitur humore, etiam humorem terræ imbibit, & calore naturali, ac cœleſti fovetur, & coquitur,

donec rumpatur: ſemine rupto, partes prodeunt, quædam aëreæ, quædam terreſtres. Ac terreſtres quidem remanent in terra, unde radix: aëreæ verò adſcendunt, & terram pertrumpunt: hinc ſupra terras excreſcunt: ac priùs quidem partes omnes ſunt raræ: poſtea intromiſſis partibus aliis magis & magis denſeſcunt, ac dureſcunt. Ita fit truncus, è trunco item rami prodeunt, è ramis ſurculi. Unde videmus ſemen poteſtate eſſe hæc omnia: ſed expreſſione partium fieri actu: expreſſio verò illa partium eſt à principio inſito, quod motum efficit, quo motu peracto res eſt animata.

Ac hujuſmodi quidem eſt generatio naturalis. Altera eſt ab arte, eaque triplex. Primùm cùm radix inſeritur terræ, ut glycyrrhizæ, vel lilii: quæ facilè nutrimentum attrahentes vivunt. Deinde cùm ſtolo, vel ſurculus terræ infigitur, ut fit in ſalice, vite, moro. Item roſa, quæ utroque naſcitur modo; nempe & ex ſemine, & ex caule: Sed tardius ex ſemine. Caulis igitur ſeritur, iſque conciſus, & uſtus. Sic enim lætiùs naſcitur. Utile etiam transferri: quomodo pulchrior fit roſa, ut eſt apud Theophraſtum, & Plinium. Accuratiùs verò rationem ſerendi roſas, oſtendit Palladius.

Tertius eſt modus, quando ſurculus inter corticem & lignum trunci inſeritur: Græceque ἐμφύτευσις a vocatur. Scitè naturæ adulterium vocat Plinius, ut in malo, pyroque, per eſt uſitatum. Imò & quædam plantæ creſcunt ſurculo vel terræ infixo, vel trunco inſerto: ut ceraſus, ficus, olea. Quin & alius eſt modus, ſed infrequens: quando ex folio terræ infoſſo arbor germinat. Locum hoc habet in ficu Indica, & opontia Theophraſti. Sed non videtur fidem habere Plinius. Sic enim ſcribit lib. XVII, cap. X: *Folia palmarum apud Babylonios ſeri, atque ita arborem provenire, Trogum crediſſe demiror.*

a Inſitio.

At non item mirandum, ſi ſurculi abſciſſi, terræque infixi, vivant. Nam in ejuſmodi plantis anima per ſingulas ejus partes diffunditur. Abſciſus igitur ſurculus vim animæ, cumque ea calorem nativum, & humorem denſum, ac tenacem retinet, terræque infixus, caloris vi, prius novum attrahit humorem, unde intumeſcit; exinde deſcendentibus partibus humoris gravioribus radicem efformat, ac pariter, adſcendentibus ſuperioribus, ſuperficiem nutrit.

Unde verò hoc primitus ſit obſervatum, Plinius oſtendit lib. XVII, cap. X, his verbis: *Ex eodem inventum eſt ſurculos abſciſſos ſerere: hoc primo ſepis cauſſa factum, ſambucis, cotoneo, & rubis depactis: mox & cultura, ulmis, ſalici, quæ vel inverſo ſurculo ſeritur.*

Similiter cum inſitione comparatum eſt. Nam ſurculus abſciſſus, dummodo recens, animam vitamque ſuam retinet: eoque inſitus fructum profert, non qualem arbor, cui inſertus; atque unde nutrimentum accipit: ſed pro ſua, ſive ejus arboris natura unde avulſus. Imò plantæ ſylveſtres, ſi inſerantur aliis, ob alimentum ſincerius, fructus celeriùs, ac dulciores producunt. At cum animalium partibus longe aliter ſe res habet. Nam quia cor eſt vitæ fons, eo emoriuntur, ſimulac influere à corde vitalis deſinit facultas.

Nec in arboribus ſolùm habet locum, ut anima ſe per univerſam diffundat plantam: ſed etiam in herbis. Ut in pulegio: de quo ſic Valerius Cordus ad Dioſcoridis lib. I, cap. XXX: *Tantam & tam miram eſſe huic plantæ germinandi facilitatem, ut etiam minutim conciſa, ſataque proveniat, ac germinet.* Ac idem prodit ex eo Renatus Morean in Scholæ. Salernit. cap. XXXVI. Tribuit vero beneficio humidi tenacis ac pinguis: per quod tardiſſime areſcit, niſi parte exteriori duntaxat. Nec repugno, dum pariter de anima, & humore primigenio intelligatur. Eſt verò humor pulegii crudus qui, ut hieme ob frigus nequit concoqui, ſic ſolſtitii tempore concoquitur: unde & tum planta hæc ſuſpenſa floret: quemadmodum Ariſtoteles prodit ſect. XXI, problem. XXI. Ubi & idem de lino, & cæpis habet.

Ruta etiam ficui arbori inſeritur, ut melior fiat. Ruta enim caloris & humoris indiga eſt: utrumque autem ei præſtat ficus: ut tradit Ariſtoteles problem. XVIII, ſect. XX.

In nive etiam gignuntur plantæ: ut eſt lib. ſecundo eorum de Plantis, qui Ariſtoteli tribuuntur. Quid mirum, cum & vermes in iis gigni tradat Ariſtoteles in quincto Hiſtoriæ de Animalibus: Et ex nivibus lutum fieri experientia docet: in luto autem ſuccreſcere vermes ſatis conſtat. In aquis etiam plantæ ſuccreſcunt, ſed limoſis: ut lenticula aquatica, epatica, nymphæa, hydroſelinum.

At viſci frutex arboribus innaſcitur: unde Plinius lib. XVI, cap. ult. *Quædam in terra gigni non poſſunt, & in arboribus naſcuntur. Namque cum ſuam ſedem non habeant, in aliena vivunt, ſicut viſcum.*

Unde autem naſcatur, non æquè patet, veterum quorundam ea eſt ſententia, naſci ex ſtercore turdorum, quod ſuper arbores excrevere. Turdos autem baccis veſci, & pulpâ quidem acinorum ali corpus, ſed ſemen cum retrimentis excerni: ex eo, ubi ſole fervefactum eſt, enaſci viſcum non in quibuſvis, ſed ad hoc idoneis arboribus; ut malo, pyro, pruno, terebintho, abiete, quercu, cerro, quæ & ipſa Plinio arbor eſt glandifera lib. XVI, cap. V: unde *cerrium calicem* alibi apud eundem legas. Sed huic ſententiæ adverſantur complura; ut videre eſt apud Cæſarem Scaligerum ad Cardanum Exercitatione CLXVIII. Præcipuum videtur, quod difficile eſt credere ſtercus illud vel quod è ſemine enaſcitur, perforare durum durarum arborum corticem, atque inde arbori inſeri. Credibilius igitur, ut ex oſſe bovis enaſcuntur cornua, ſic ex arboribus enaſci viſcum. Nam arbor, & viſcum; lignum continuum ſunt. Et firmat hanc opinionem, quod Jon Chius in fabula Cæneo viſcum vocârit ſudorem quercus: manifeſto argumento eum putaſſe, non ab externo aliquo, ſed interno, corticem perforari. Et ſane è parte aliqua plantæ generari, etiam Ariſtoteles indicat lib. I de Generatione Animalium, cap. I; ubi ſic ſcribit: ἔστι δὲ καὶ ἐπὶ τῶν φυτῶν τὸν αὐτὸν τρόπον. τὰ μὲν γὰρ ἐκ τοῦ σπέρματος γίνεται. τὰ δ' ἐκ τοῦ ὥσπερ αὐτοματίζειν τὴν φύσιν. γίνεται γὰρ ἢ τῆς φύσεως σηπομένης τῆς γῆς, ἢ μορίων τινῶν ἐν τοῖς φυτοῖς. ἔνια γὰρ αὐτὰ μὲν οὐ συνίσταται καθ' αὑτὰ χωρίς, ἐν ἑτέροις δὲ γίνεται δένδρεσιν, οἷον ὁ ἰξός. *Eundem verò in modum ſe in plantis res habet. Aliqua enim oriuntur è ſemine: alia vero quaſi ſponte natura. Oriuntur enim vel è putreſcente terra natura, vel parte aliqua plantæ. Quædam enim non conſiſtunt ſeorſum; in aliis vero, arboribus dico, ſoleat generari; ut viſcum.* Et hæc de viſco. At, ut Cæſar Scaliger ibidem ait, *Aliæ plantæ in aliis aliâ ratione oriuntur: ut muſcus, & lichen is, quem pulmonariam dicimus: nempe ex iis ſordibus, quæ in corticum rimis contentæ, vel a cælo calorem, vel à planta habitum naturalem, tum ad generationem, tum ad vitam, recipere aptæ ſunt.*

Quorundam etiam natales prodigioſi. Ut quod Livius ſcribit lib. XXXII: *Sulpicio proconſule literæ ex Macedonia adlatæ nuntiarunt in puppi longæ navis enatam laurum.* Item Plinius lib. XVII, cap. XXV. *Ficus in lauro nata eſt Cyrici ante obſidionem. Simili modo Trallibus palma in baſi Cæſaris Dictatoris, circa bella civilia ejus.* Idem lib. XVIII, cap. XVIII. narrat, P. Ælio, & Cn. Cornelio coſſ. quo anno ſuperatus eſt Annibal in arboribus nata prodi frumenta.

Quod ſi & huc pertineat, quod è cornu cervino naſci potuerit hedera; de quo teſtis nobis Ariſtoteles Hiſtoriæ de animal. lib. IX, cap. V. & lib. de admirandis auditionibus. Sed conjectat philoſophus, hederam forte tenello cornu inſertam, velut ligno viridi, coaluiſſe. Ac Plinius quoque idem innuit lib. XI.

Etiam è thorace Rocci Martini Hiſpani anno CIↃ IↃC XXXVII, enata arbor fuit. Hiſpanus is (patria ei Orca fuit) de pruno ſylveſtri prociderat thorace in ſpinum. Hic altius penetrans intus hæſerat, & quia filis multis quaſi radices egiſſet, à chirurgo non fuerat exemtus, eò quòd rationem commodam neſciret, niſi horrendo dolore

ægrum

ægrum vellet adficere. Temporis progreſſu ſpinus prodiit è thorace, ac quaſi in fœcundo ſolo fuiſſet, incrementum cepit, & ramulos, & frondes produxit. Fuſius rem narrat Petrus Servius lib. de Unguento Armario, ſive Naturæ Artiſque miraculis.

a Romæ prodiit anno 1643. pag. 51.

Refert ibidem, quomodo ſpica farris enata fuerit è naribus mulieris Aretinæ. Sanè ſimilem credo ob cauſſam, ac memini anno CIↃ IↃ LXXXII, ſorori meæ unicæ Mariæ Voſſiæ vix dum quadrienni, Furnis in Flandria è naribus enaſci piſum. Judicatum à parentibus, atque aliis, piſum (ut ætas illa eſt improvida) naribus ingeſſiſſe, & quia à nemine id eſſet animadverſum, à nullo etiam fuiſſe exemtum: itaque, quaſi in pingui ſolo, pro anni tempore fruticare cœpiſſe.

Quamquam verò plantarum generatio fit in inſtanti; præparatio tamen ad generationem tempus requirit: atque id nunc longius, nunc brevius. Qua de re ſic Plinius lib. XIX, cap. VII: *In horto ſatorum celerrime naſcuntur ocimum, blitum, napus, eruca, tertio etiam die erumpunt; anethum, quarto; lactuca, quinto; raphanus, ſexto; cucumis & cucurbita ſeptimo, prior cucumis; naſturtium, ac ſinapi, quinto; beta æſtate, ſexto; hieme decimo; atriplex octavo, cæpe decimonono, aut vigeſimo, gethyum decimo, aut duodecimo. Contumacius coriandrum. Cunicula quidem, & coriandrum, poſt XXX diem. Omnium autem difficillime apium: quadrageſimo enim die cum celerrime, quinquageſimo majore ex parte emergit.* Hæc Plinius. Quid quod pæoniæ, & mandragora vix annuo ſpatio oriantur? Imo magis miranda, quæ Cæſar Scaliger in priorem librorum de Plantis, qui Ariſtoteli vulgo tribuuntur b: *Obſervatum nobis eſt, portulacam plus interdum in naſcendo, quam in vivendo, moræ trahere. Quartodecimo poſt anno, mirati ſumus, exiiſſe de terra, idque præter tempeſtatem, ſeroque anni.* Subdit mox: *Par arborum, ac fruticum ratio. Prunus paucis menſibus; amygdalus paucioribus, Perſicus exit citò. At ſtaphylagriam ſcimus anno toto ipſo ſerentis urere ſpem.* Ac paulo poſt: *Quædam animantes citiùs, quàm plantæ generantur: ut canes, quàm palma, vel capparis. Atque is puſillus frutex eſt.*

b Pag. 97. edit. Criſpin.

Tantæ verò diverſitatis ratio præcipuè à diverſa formæ natura dependet. Præterea verò cauſſa petenda à tribus. Primum à majori caloris vi vel imbecillitate: quomodo & celerior eſt conceptus maris quam feminæ, ob calorem vehementiorem. Deinde à ſeminis mollitie, vel duritie; raritate, vel denſitate. Semina enim dura denſaque non tam facile humorem imbibunt, quò intumeſcant: nec tam facile fit ruptura, qua opus, ut quæ partes plantæ inſunt potentia, eæ actu compareant. Tertia cauſſa eſt diverſa loci ratio: quando unus altero melior. Sed in hoc corrigendo multum etiam humana valet induſtria, quia ſi fimo pinguius fiat ſolum, calore fimi augebitur ſeminis calor. Imò & ſemini ab arte ſuccurritur. Nam palmulæ ſemen citiùs provenit, ſi ferventi aqua maceretur.

Multum etiam refert qua anni tempeſtate ſatio fiat. Qua de re ſic idem Scaliger in poſteriorem Ariſtotelis, ut vocant, librum de Plantis c: *Secundum ſationem tempora nonnulla reſpondent fœturæ ſtatâ.*

c Pag. 125.

Quod vere concipiant & pariant plantæ, id inde eſt, quod hieme abunde humoris collegerint, ac caloris externi vis excitet calorem innatum, plantarum cutim ac meatus laxet, ſuccum etiam foras eliciat ac producat.

Quod plantarum aliæ aliis citius germinant, id partim eſt à majori minorive humoris, ac caloris vi, partim etiam à corporis raritate, vel denſitate. *Veluti ſi poſt brumam triticum terræ mandes. Alias acceleraut. Braſſicam, & Lactucam, ſiquis ſerat, quo tempore ſementeſcunt adulta, ſemen ſecum ferunt ex humo prodeuntes. Quædam penè toto anni tractu fœcunda ſunt, alium alio ſubeunte fructu. Nonnulla biferæ ſunt. In quibuſdam novelli fructus veteres pellunt. Sunt etiam quæ nullis anni tempeſtatibus obnoxia, circuitiones à ſatu ſuo ſervent. Cinara ſi telluri per autumnum committatur, vere magna ex parte Pineam reddet pro opera; ſi per hyemem, æſtate; per ver, autumno.*

Ocimum, quod *baſilicon* dicitur, voce à poſterioribus Græcis acceptâ, quibus βασίλειον dicitur, ſi cum maledictis feratur, melius provenit: ut eſt apud Plinium lib. XIX, cap. VI. Atque hinc Perſius Sat. IV:

Dum ne deterius ſapiat pannucia Baucis,
Cum bene diſcincto cantaverit ocima vernæ.

Sed ſimile hoc aliis multis, vanæ ſuperſtitionis, quæ apud rei ruſticæ ſcriptores legere eſt.

CAP. III.

De nutritione plantarum. Tranſitio, de quibus poſthac agendum. Fundamentum nutritionis ſpiritus plantarum igneus, per quem illa æquè ac animalia vivunt. Quomodò nutriantur plantæ. Quanti referat hoc vel illo ſolo cœlove ſtirpem conſiſtere: ubi de quibuſdam arboribus Arabiæ & Indiæ. De raritate ac denſitate ſtirpis. De ſolo, pingui, aquoſo. De alimento minùs vel magis præparato: ubi de effectu inſitionis. Quæſtio num plantæ etiam ſalſis alantur. Alimentum duplex, ligni & medullæ alterum; alterum foliorum & fructuum. Suberis peculiaris natura, abraſo cortice latiùs provenientis. Etiam annoſas ac concavas quercus creſcere, necnon quarum medulla induruit. Augeri & creſcere quomodo differant; augentur etiam lapides, non creſcunt. Quæ arbores aliis alia citius creſcant. De admiranda arborum quarundam vaſtitate & proceritate.

POſtquam de duobus iſtis, plantarum formâ eſſentiali, & origine diximus: de quatuor iſtis ordine videndum, primùm de nutriendi facultate: hinc de generatione: tum de duratione, ac longævitate: ac poſtremo de conſequente tandem interitu. Poſt quæ tranſibimus ad partes, ſpecies, & facultates ſive vires. Atque his quidem cancellis conſtringam me in latifundiis illis de Plantarum natura, atque utilitate multiplici. Poſt quæ extimo loco exponam abuſum plantarum ad veneficia, & magiam, ac gentilium Deorum cultum.

Non animalia ſolùm, ſed etiam plantæ per ſpiritum vivunt, qui naturâ igneus eſt: ut calor nativus propriè inſit ſpiritui. Porrò calor ille requirit alimentum, quo nutriatur: cùm non minus plantarum, quam animalium vita conſiſtat in vinculo, ſive conjunctione caloris nativi, & humidi radicalis: ſicut oſtenſum lib. III, cap. XVIII. Alimenti finis eſt inſtaurare, & quaſi recreare, id quod calore eſt abſumtum. Conſtat verò humido, & ſicco, atque è terra attrahitur, non quatenus eſt terra, ſed quatenus humor terræ eſt admixtus. Nec plantæ ſemper attrahunt humorem: nam ſatiatæ ceſſant attrahere: ſed faciunt id per intervalla, uti fit in nobis. Humori huic etiam calor ineſt: ſed calor is non agit in alimentum: verùm id facit calor corporis nutriendi. Quod vero frigoris eidem ineſt alimento, ad temperiem conducit, ne calor corporis nutriendi adauctus calore alimenti humidum prorſus abſumat tum nativum, tum adventitium. Multum etiam refert, cujuſmodi ſit humidum, hoc eſt, corpus, cui humor ineſt. Nam ut ſit θρεπτικὸν a, debet eſſe lentum ac tenax. Hujuſmodi ſuccus terreſtris à radice attractus per fibras in truncum, & ramos, totamque plantam, etiam folia & fructus, tranſmittitur, inde ſubſtantiam plantæ convertitur. Quæ ex nutritione hominis facilius intelliguntur, ut vidimus lib. III cap. XXI.

a Nutritivum.

Plurimùm verò ad nutritionem, imò & incrementum, generationem, & univerſè ad vitam ſtirpium confert cœlum ſolumque. Unde Maro I Georg.

Ventos, & varium cœli prædiſcere morem
Cura ſit, ac patrios cultuſque habituſque locorum,
Et quid quæque ferat regio, & quid quæque recuſet.
Heic ſegetes, illic veniunt felicius uvæ,

Ar-

Arborei fœtus alibi atque injuſſa vireſcunt Gramina.

Sic arbores quædam in calidis ſolum regionibus proveniunt. Ut thuris arbor in Arabia; myrrha in India, uti & macer in inſula Badan, cujus fructus nux myriſtica, vulgò muſcata: inque eadem India arbor piperis: in Ægypto, Arabia, & Phœnicia, palma, ſive φοῖνιξ, cujus fructus dactyli: in India palma ſylveſtris dicta tamarindus, quaſi palma Indica: nam palma Indis *tamar* vocatur: in Judææ valle Hierchuntina, & Ægypto, balſamum: cujus inciſa arbor liquorem emittit lacteum, qui *opobalſamum* nominatur: in Media malus Medica ſive citria: in Cypro imprimis cedrus.

Plurimùm etiam, pro diverſa plantarum natura earum raritas, ac denſitas vel juvat, vel nocet. Nam ſi rarior ſit ſtirpis materies, facilè calore externo diſſipatur calor internus: ut omnino in aëre denſo meliùs vivant. Sæpius etiam uſu venit, ut ob denſitatem ſoli, ſtirpes non profundè ſatis, vel latè, agere radices poſſint. Atque hoc in denſiori ſolo, contingit imprimis plantis robuſtæ ac longioris radicis. Ac contrà rarum iis ſolum diſconvenit, quibus tenues radices. Nam quia non illæ iis vires, ut profundo è ſolo attrahere alimentum poſſint, eò facilè exareſcunt. Multum etiam refert, pingue, an aridum ſit ſolum. Pingueſcit verò ager, & fertilior fit non ſolùm fimo, ſed ſanguine etiam humano. ut olim ab Archilocho poëta proditum fuit, teſte Plutarcho in Marii vita. Ubi narrat, ut poſt pugnam Marii geminam, unam cum Ambronibus, alteram cum Teutonis, terra ex putrefactis cadaveribus & imbribus hieme ſuperfuſis, ac tabe profundiùs penetrante, æſtate proxima provenerit ingens vis frugum. In medio autem relinquit, utrum imbres conſecuti fuerint vaporum copia & cruore tot cæſorum in nubes coaleſcente: an verò hoc Deo cuipiam ſit tribuendum: qui poſt ſtrages immenſas immittere ſoleat pluvias, ut ſic terra puris & cæleſtibus aquis purgetur. Equidem cenſeo, angelorum eſſe miniſterio tribuendum; qui poſt magnas exercituum clades, nubes undique in loca propellant, locis, ubi pugnatum, imminentia. Sic & peſtilentiæ magis occurritur, & fertilitati terræ conſulitur.

Eſt & fruticum quorundam ea indoles, ut non temere proveniant, niſi locis aquoſis. Itaque tali indicio etiam locis extrinſecus aridis cognoſcere eſt latere aquas ſubterraneas: eoque puteos fodi poſſe, ad ſitim explendam. Id ex ejuſmodi argumento collegit Cn. Pompejus pugnaturus adverſus Mithridatem: qua de re ſic in vita Pompeji Plutarchus: Καὶ πρῶτον μὲν αὐτοῦ καρτερὸν ὄρος, καὶ δυσμάχον, ἐν ᾧ στρατοπεδεύων ἔτυχεν, ὡς ἄνυδρον ἐκλιπόντος, αὐτὸ τοῦτο καταλαβὼν ὁ Πομπήϊος, καὶ τῇ φύσει, τῶν βλαστανόντων, καὶ ταῖς συγκλινίαις τῶν τόπων τεκμαιρόμενος ἔχειν πηγὰς τὸ χωρίον, ἐκέλευσεν ἐκβαλεῖν πανταχοῦ φρέατα. καὶ μεστὸν ἦν εὐθὺς ὕδατος ἀφθόνου τὸ στρατόπεδον ὥστε θαυμάζειν, εἰ τοῦ παντὸς χρόνου τοῦτο Μιθριδάτης ἠγνόησε. *Ac primum cum montem validum ac munitum, in quo caſtra habuerat, quaſi aridum reliquiſſet, cum ipſum occupavit Pompejus, atque ex fruticum indole, locorumque convexitate conjiciens ſubeſſe ibi fontes, imperavit puteos paſſim deprimi, fuitque in caſtris ſtatim aquæ affluentia, ut miraretur tamdiu id Mithridatem fugiſſe.*

Multum quoque refert, utrum alimentum magis an minùs ſit præparatum. Itaque ſemen cepæ inditum terræ non adeò excreſcit, quam inſitum alterius radici. Item virgulta arborum aliis inſerta, majora producunt folia, quam non inſerta.

Quæſtio eſt, an plantæ etiam ſalſis alantur. De eo ſic cenſeo: uti piſces in mari degunt, quos tamen dulci aqua paſci Ariſtoteles ait: ita & plantas in ſalſis locis provenire, non quaſi ſalſis nutriantur, ſed quia ſalſo humori plus dulcis inſit, quam ſalſi. Atque hujuſce dulcedinis argumentum eſt, quòd ſi in mari ad latera navis alligentur lanæ, dulcis inde exprimatur exhalatio ad bibendum.

Pro duplici verò alimento duplex eſt via, quâ alimentum meat, quod attrahitur. Alimentum id, quo lignum, ac medulla, nutriuntur, è radice per fibras adſcendit, ſeque in truncum ac ramos diffundit. Alterum verò alimentum, quo aluntur folia, & fructus, adſcendit inter corticem ac lignum. Atque inde eſt, quod cortice circumquaque avulſo arbores deſinant fructus ferre. Imò etiam pars ejus humoris nutritioni truncorum ac ramorum inſervit. Unde eſt, quod arbor decorticata non diu ſupervivat, niſi (quod quandoque evenire Theophraſtus a ait lib. IV hiſtor. cap. XVIII) ſic aër & ſolum faveant, ut eorum beneficio reſtituatur cortex. At ſuberis peculiaris eſt natura. Nam, ubicunque loci creſcat, ſi corticem detraxeris, ſuccreſcet novus. Imò expedit detrahere, quia eo ſtrangulatur, abraſo autem lætiùs provenit. Mirum autem etiam annoſas quercus, ac concavas, eoque medullæ expertes, creſcere nihilominus. Uti & eas, quarum medulla in ſtipitem induruit. De hujuſmodi aliter ſtatuere non poſſumus: quàm per ſolas fibras adſcendere alimentum. Mirandum quoque, plantarum folia ac fructus omne acquirere alimentum per pediculum tam anguſtum.

a *Cortex ſi totus abradatur moro ea moritur; ut eſt apud Theophraſtum.*

Ex iis, quæ proximè diximus de plantarum nutrimento, quæque de auctrice hominis facultate afferebamus lib. III, cap. XXI, facilè etiam eſt ſtatuere de ratione, quâ plantarum fit incrementum, ſive augmen, ut Lucretianâ utar voce. Malim tamen incrementum vocare, ubi de plantis vel animalibus ſermo. Augeri enim latius patet, quàm creſcere. Quippe augentur etiam lapides, ſed non creſcunt. Nec enim in abſumtæ partis locum, ex alimento apponitur quantitati quaquaverſum ſecundùm omnes dimenſiones. Hoc verò fit in animatis.

Plantarum autem aliæ aliis citiùs creſcunt. Qua de re ita Plinius lib. XVII, cap. XIII: *Quædam autem natura tardè creſcunt, & imprimis ſemine tantum naſcentia, & longo ævo durantia. At quæ citò occidunt, velocia ſunt; ut ficus, Punica, pruni, malus, pyrus, myrtus, ſalix.* Addit deinde: *Omnia verò celerius adoleſcunt ſtolonibus ablatis, unamque in ſtirpem redactis alimentis.*

Mirum verò ad quam vaſtam magnitudinem quædam arbores excreſcant. Uti ficus Indica: de quâ ex Theophraſto ita Plinius lib. XIII., cap. V: *Ficus ibi exilia poma habet: ipſa ſe ſemper ſerens vaſtis diffunditur ramis: quorum imi adeo in terram curvantur, ut annuo ſpatio infigantur, novamque ſibi propaginem faciant circa parentem in orbem, quodam opere topiario. Intra ſepem eam æſtivant paſtores, opacam pariter & munitam vallo arboris, decorâ ſpecie ſubter intuenti, proculve fornicato ambitu. Superiores ejus rami in excelſum emicant ſylvoſa multitudine vaſto matris corpore; ut LX. P. pleraque orbe colligant, umbra verò bina ſtadia operiant.* Idem ſic eodem libro cap. X: *Sylveſtris fuit & circa Memphim regio tam vaſtis arboribus, ut terni nequirent vel circumplecti.* Idem inter alia de abiete lib. XVI, cap. XL: *Arboris ejus craſſitudo quatuor hominum ulnas complectentium implebat.* Item lib. XII, cap. I, de platano ſic prodidit: *Celebratæ ſunt primùm in ambulatione Academiæ Athenis cubitorum XXXVI, unius radice ramos antecedente. Nunc eſt clara in Lycia gelidi fontis ſocia amœnitate, itineri appoſita, domicilii modo cava LXXX, atque unius pedum ſpecu, nemoroſo vertice, & ſe vaſtis protegens ramis, arborum inſtar, agros longis obtinens umbris, ac nequid deſit ſpeluncæ imagini, ſaxeâ intus crepidinis coronâ muſcoſos complexa pumices: tam digna miraculo, ut Licinius Mutianus ter cos. & nuper provinciæ ejus legatus, prodendum etiam poſteris putârit, epulatum intra eam ſe cum duodeviceſimo comite, large ipſa toros præbente fronde, ab omni afflatu ſecurum, optantem imbrium per folia crepitus, lætiorem quàm marmorum nitore, picturæ varietate, laquearium auro, cubuiſſe in eadem. Aliud exemplum Caji principis, in Veliterno rure mirati unius tabulata, laxiſque ramorum trabibus ſcamna patula, & in ea epulati, cum ipſe pars eſſet umbræ, XV convivarum*

rum

rum ac miniſterii capace triclinio, quam cœnam appellavit ille nidum. Complura etiam, ac miranda, de arborum magnitudine legas apud eundem lib. xvi, cap. xl. Cæſar Scaliger ad Cardanum Exercitat. clxvi: *Ad Gambræ fluvium arborum craſſitudinem tricenûm ſeptenûm pedum prodidere. In Zeilam tam capaces arundines, ut ex eis parent monoxyla, ſicut apud nos e populo. Sed & lanceas ex eiſdem conficiunt: ſicut in regno Peruremos, & malos myoparonum, minore miraculo: quando etiam ſeptenûm pedum ambitum æquare ibi certum eſt.* Et mox: *Ad vicum quindecim hinc diſtantem milliaribus, quercus etiam nunc eſt, tum recta, tum enodis, longitudine pedum circiter quinque & ſeptuaginta.* Poſtea ex [illegible] memorat, ut in India ſic arbores aſcendant ſuis faſtigiis, ut indigenæ ſagittis nequeant ſuperare. Item ut in Planaria, una ex Fortunatis, ad cxliv pedes extiterit, ſuoque tempore laricem viſam cxx pedum. Quibus ſubjungit: *In regno Tombut, quod eſt Æthiopiæ Occidentalis, agreſte fœniculum ad eam provehitur magnitudinem, idque roboris nanciſcitur, ut ab incolis ex eo ſtipite arcus fiant.* Idem Exercitat. clxviii narrat, ut in Java inſula, quam compendium orbis appellat, ſicut auri, & æris, ac tritici, ita arborum immenſarum ſit copia.

Cap. IV.

De facultate generativa. Germinativum plantæ non cuivis ejus parti ineſt. Quomodo maritentur, concipiant, & pariant ſtirpes. Quæ arbores nullo flore exhilarentur. An aliqua arbor ſemine careat. An in ſtirpibus diſcrimen ſexus locum habeat, ut Plinius autumabat. Superfœtatio plantarum. Pinus baccas biennio geſtat. Caprificus quater in anno fructum fert. Multitudo ramorum arboribus nocua. Corylus, vites quædam, & amygdalus neglectius habitæ proficiunt. Quomodò maturentur fructus. Attendendum ſolusne fructus, an ipſum etiam ſemen ſit maturum.

VEnio ad vim generativam: quæ inſita animæ informanti. Nec quia anima illa ſe per totam diffundat plantam, eo facultas hæc cuivis ineſt parti, non magis ſanè quam in animantibus. In facultate hac quatuor diſtingui debent: conceptus, geſtatio, partus, & educatio. De his, ſic inter alia Plinius lib. xvi cap. xxv. *Ordo naturæ annuus ita ſe habet. Primus eſt conceptus, flare incipiente vento Favonio, circiter fere vi Id. Februarii. Hoc enim maritantur viviſcentia è terra. Hic eſt genitalis ſpiritus mundi. Flat ab occaſu Æquinoctiali, ver inchoans. Catulitionem ruſtici vocant, geſtiente naturâ ſemina accipere eoque animam inferre omnibus ſatis. Alia protinus, ut animalia: tardius aliqua, & diutius gravida, partus gerunt: quod germinatio ideo vocatur. Pariunt, cum florent. Educatio in pomo eſt. Hoc & germinatio. Arborum flos eſt pleni veris indicium & anni renaſcentis. Tunc variis colorum picturis in certamen uſque luxuriant. Non enim omnes florent. Nam neque ilex, picea, larix, pinus, ullo flore exhilarantur: nec fici, atque caprifici. Protinus enim fructum, non flores gignunt. Omnes autem germinant, etiam quæ non florent.*

Omnes verò arbores, etſi aliter viſum antiquis, ſemen gerunt: quod luculentè oſtenſum Jo. Baptiſtæ Portæ lib. vi. Phytognom. Itaque cùm Theophraſtus nunc ſalicem ἄκαρπον *a* dicat, ut lib. iii Hiſtor. Plant. cap. vi; nunc verò καρπὸν ἔχοντα *b*, ut lib. ejuſdem cap. i, ii, & iii, poſteriori potiùs ſententiæ adhæremus. Plinius lib. xiii, cap. iv: *Arboribus, imò potius omnibus, quæ terra gignit herbiſque etiam, utrumque ſexum eſſe, diligentiſſimi naturæ tradunt. Quod in plenum ſatis ſit dixiſſe, hoc in loco.* Addit deinde, *Nullis tamen manifeſtiùs,* (quam palmis.) *Mas in palmite floret: femina citra florem germinat tantum ſpicæ modo.* Ac aliquanto pòſt: *Cætero non ſine maribus gignere feminas, ſponte edito nemore confirmant: circaque ſingulos plures nutare in eum pronas blandioribus comis. Illum erectis hiſpidum, afflatu, viſuque, & pulvere etiam, reliquas maritare. Hujus arbore exciſa, viduas poſt ſterileſcere feminas. Adeoque eſt Veneris intellectus, ut coitus etiam excogitatus ſit ab hominibus; ex maribus flore ac lanugine, interim verò tantum pulvere inſperſo feminis.* Firmat hæc Guilandinus, qui ait in Ægypto atque Oriente obtinere, ut, ne ſint mæ ſteriles, mares eo ab illis intervallo ſerant, ut ventus ab iis pulverem ad feminas perferre poſſit: vel ſi longius diſtant, quàm ut pulvis, vel odor eò uſque poſſit pertingere, à mare ad feminam alligari funem, ut per hoc vinculum vis maris ad feminam perferatur.

a Sine fructu.
b Fructiferam.

Etſi verò ſtirpes generant, non tamen iis ſexus ineſt. Non me fugit tiliam dividi in marem, & feminam: ut à Plinio etiam factum lib. xvi, cap. xiii: item calamus Indicus, ut apud eundem lib. xvi, cap. xxxvi. ad hæc abrotonum lib. xxi, cap. xxi. Scio quoque eundem, hederam, quæ Græcis κισσός, ſimiliter dividere lib. xvi, cap. xxxiv. Sed de hedera nihil tale priores. Nempe confundit Plinius κισσὸν *a* cum κίστῳ *b*, de quo frutice id traditum. De aliis quoque ſtirpibus ſic loqui ſolet. Ut de anagallide lib. xxv, cap. xiii: de glycyſide, ſive pæonia lib. xxix, cap. x. Etiam piper longum vel mas, vel femella dicitur Chriſtophoro à Coſta. Verùm in his, & aliis id ſolum fit ob ſimilitudinem quandam. Nec planta plantam generat, ſed e planta generat natura: uti propriè nec homo hominem, ſed ſpiritus naturam permeans.

a Hederam.
b Cittaro.

Videtur in plantis etiam ſtatui poſſe quædam quaſi ſuperfœtatio. Nam citrus, quo tempore aliquos habet fructus maturos, alios affectos, non item perfectos, alios quoque habet tantummodo inchoatos, & in ſpe floris: ut ait Cæſar Scaliger in priorem Ariſtoteli tributorum de Plantis *c*.

c Pag. 55. edit. Criſpin.

Etiam arbores è fertilibus, fiunt ſteriles, non ætate modò, ſed etiam negligentiâ cultoris, vel alium in locum tranſlatæ. Juniperus ſola arborum baccas ſuas biennio geſtat, ac prioribus necdum maturis alios profert.

Caprificos quaſdam in Ceo eſſe biferas, quaſdam item triferas, à Theophraſto proditum eſt lib. ii de Plantis, atque inde Athenæus lib. iii. Imò ab aliis quoque traditum, ter quaterque in anno fructum ferre, ſic ut unus obruatur altero.

Multitudo ramorum facit arbores minùs fœcundas: unde utile eſt eas, ut Theophraſtus loquitur, in i Hiſtor. Pl. cap. i. ἀποκαθαίρεσθαι, ſive expurgari, quod fit tollendo ſuperflua. Ea de re ſic quoque Averroës in paraphraſi Ariſtotelis lib. i, de Gener. Anim. cap. xviii. *Si vitis non putatur, minus fructus ferre videtur, quia materia conſumitur in multitudinem ramorum: ob quam cauſſam plures arborum fructu vacant: ut ſalix.* Addit deinde, ſimiliter uſu venire in mulieribus pinguibus: ut quæ eo infœcundæ eſſe ſoleant quia excrementum ultimi nutrimenti, non tam in ſemen, quàm pinguedinem habeat. Nec neglectu omnia fiunt magis fœcunda, quin potius quædam minus fertilia. Hoc quoque potiùs exponam verbis Cæſaris Scaligeri in Hiſtor. Theophraſti lib. ii, cap. iii: *Nimio cultu ſterileſcit corylus, etiam non nimio aliquando. Si enim vel modice attondeatur, ut arboreſcat, luxuriat in ſtipitem. Sic vites quædam amputatæ adeo rameſcunt, ut nihil ferant: eædem neglectiores abſumto ſucco ſuperfluo in brachia, uvas ferunt. Amygdalus uberiore ſolo fructum non perficit: ex negligentia, deteriore facta humo, perficit tandem.* Quomodo maturentur fructus docent Theophraſtus lib. vi de cauſſis Plant. cap. viii. & Galenus lib. iv de Simplic. cap. iv. Ajunt verò cauſſam eſſe, à calore partim interno, ſive plantæ proprio: partim externo, ſive ſolari, qui intus receptus, illic remanet, ad modum ſcintillæ, & ad concoctionem plus etiam confert, quàm internus, ut & ipſe plantis naturalis dici mereatur. Acquiſitum verò hunc calorem ſic remanere ſtatuimus, ut in lixivio fit, &

Fol. 190. b.

& urina. Quorum lixivium habet eum à cinere, cinis ab igne. Urina verò etiam à ſanguine ſeparata, calorem reſervat à digeſtione & concoctione ciborum. Ut ad IV Meteorolog. Ariſt. ſcribit Alexander Aphrodiſienſis. Bifariam autem, ut Theophraſto monitum, maturatio attenditur. Nam cum arborum fructus interdum ſit ipſum ſemen: interdum verò ſemen habeat incluſum: in poſteriori hoc genere diſtinguere oportet, ſoluſne fructus ſit maturus, an ipſum etiam ſemen.

Cap. V.

Quomodo ab duobus iſtis, calore convenienti, vel diſconvenienti, humore item tenui, vel denſo ac tenaci, proveniat, quod aliis brevior, aliis ſit diuturnior vita. Deque morte, ſive corruptione plantæ: quæ vel à natura, vel vi externa. Prior duplex, una κατὰ σβέσιν, quæ à frigore; altera κατὰ μάρανσιν, quæ ab æſtu. Utrumque vero vel totius eſſe plantæ, vel partis duntaxat.

a *Duratione.*

NUnc agamus de διαμονῇ a, quæ gemina; vitæ longinquitas, & avulſæ plantæ duratio ad uſum, cui natura eam deſtinavit. De priori nunc ſolum loquar. De altera agam, cùm exponam uſum arborum in ædificiis, & quæ magis ſtructuris ſint idoneæ.

Quia vita non in quovis humido conſiſtit, ſed lento: eò & plantæ, diutius vivunt, quæ affluant humido lento: ut olea, quæ illæſa annos etiam durat ducentos. Ac eâdem de cauſſa diuturna adeò vita etiam eſt abieti, piceæ, cupreſſo, palmæ, buxo, junipero, aliiſque arboribus oleoſis, & reſinoſis.

Imò & vinum, ut hominibus, ſic arboribus, vires addit. Plinius lib. XII, cap. I. *Tantumque poſtea honoris* (platanis propter umbram) *increvit, ut mero infuſo enutriantur: compertum id maxime prodeſſe radicibus: docuimuſque etiam arbores vina potare.* Etiam plantis quibuſdam proſunt aquæ fulguritæ: nempe quia humor calore fiat genitalis, ac vivificus. In tuberibus id manifeſtum eſt: ut oſtenſum lib. III, cap. VII. Quod verò nives liquatæ conducant, ex eo eſt, quòd ſenſim ſtillent in ſata, non ſubito: de quo plenius dictum Plinio.

Videas & arbores eſſe vivaciores, quæ tardè creſcunt, & ad perfectionem pertingunt: minùs longævas, quibus incrementa ſunt præpropera. Nempe priores magis magiſque indurantur: eoque minus ſunt obnoxiæ putredini. Eâdem de cauſâ vivaciores ſunt arbores, quæ in aſperis naſcuntur locis, ac rupibus altiſſimis. Et universè ſylveſtres arbores diutius vivunt hortenſibus, & urbanis. Præſertim ſi adſit magnitudo, ac materiæ duricies. Tales ſunt quercus, ilex, fagus, ulmus, platanus, & ſimiles. Nempe quia in magnis plus eſt caloris: atque idem materiæ duritia magis conſtringitur, ne foras eliciatur. Fraxinus ad centeſimum etiam annum, & ultra, ætatem producit. Etiam arbores glandiferæ, & nuciferæ diutius iis vivunt, quæ baccas ferunt, aut poma. Interim malus, etiam Punica, ac Medica; item pirus, prunus, meſpilus, cornus, ceraſus, ad ſexageſimum annum pertingunt: imprimis ſi purgentur a muſco, quo veſtiuntur. *Quædam arbores pulpam habent mollem, extrinſecus duram: quædam interius duriorem, ut quercus.* Verulamius de vita & morte pag. 28. §. 7. Vide de longævis arboribus exempla apud Plinium lib. XVI, cap. XLIV. Flavius Joſephus ait ſuo tempore extitiſſe etiamnum quercum, ſub qua contigerat Abrahæ ſomnium. Ita fuerit illa annis bis millenis. Ac Joſephum etiam ſequitur Cardanus de Subtilitate lib. VIII. Et admittit etiam Cæſar Scaliger Exercitatione CLXVII.

Ruminalis ficus, ut Tacitus lib. XIII Annalium ait, fleuit octingentis & quadraginta annis. Nempe exaruit demum ſub Cæſare Nerone: at ea eſt, ſub qua Romulus & Remus dicuntur inventi lupæ rumas, ſive mammas ſugentes. Meminit quoque Plinius lib. XV, cap. XVIII. Sed confundit duas ficus ſacras, unam Ruminalem, quæ prope Tiberim, & jam ante Romulum fuit; alteram Naviam ab augure Attio Navio ſic dictam, qui claruit ſub Tarquinio Priſco: atque hæc ſita erat in foro ad puteal Libonis.

Verùm miranda multa de arborum ætate legere poſſis apud Plinium lib. XVI, cap. XLIV; quod incipit: *Vitæ arborum quarumdam immenſa credi poteſt, ſiquis profunda mundi, & ſaltus inacceſſos cogitet.* Subjungit deinde de durante adhuc oliva ante annos CCL ſata manu majoris Africani: item de loto, quæ foret annorum amplius CCCC L.: & alia mire antiqua, ad quam ſoleat Virginum Veſtalium deferri capillus: deque alia in Vulcanali, quæ Urbi coæva, eoque annorum DCCCC XX: itidem coæva cupreſſo, quæ extremis Neronis temporibus exaruiſſet: deque ilice, quæ Urbe foret vetuſtior, ac titulum haberet inſcriptum æneis literis Hetruſcis, manifeſto antiquæ religionis argumento. Atque hæc Romæ. Addit deinde de arboribus, quæ durare dicantur ab temporibus Agamemnonis, imò Herculis, atque adeo Apollinis, & Minervæ. Pauſanias in Arcadicis has putat arborum antiquiſſimas, viticem Samiam ad ædem Junonis, oleam in Athenarum arce, palmam Deli, ad quam Latona enixa Apollinem, & Dianam, quercum Dodonæam, & platanum à Menelao ſatam, cùm proficiſceretur ad bellum Trojanum. Scio pleraque hæc multum à fabulis trahere: inſignem interim, ac mirandam antiquitatem oſtendunt.

Sunt & frutices vivaces: ut roſmarinus, qui ad ſexageſimum pervenit annum: imò acanthus, & hedera, ad centeſimum.

Herbarum quæ frigidiores cenſentur, quædam intra annum tam radice emoriuntur, quàm caule: ut lactuca, & portulaca: imò & omne frumenti genus. Aliquæ annos durant tres, quatuorve: ut viola, fragraria, pimpinella, primula veris. Calidæ verò herbæ diutiùs vivunt ut hyſſopus, quæ bis quotannis tonſa etiam quadraginta annos compleſſe, monet Verulamius in Hiſtoria Vitæ ac mortis a. Diu etiam ob calorem inſitum ætatem ſuſtinent thymus, abſinthium, ſalvia, ſatureja, majorana altera, chamædrys, atque aliæ. Etiam diu vivit amarantus, cui & inde nomen, quia non marceſcat: eodemque nomine à nonnullis vocatur flos ἑλίχρυσος b, quia diutiſſimè duret: ut ait Dioſcorides lib. IV, cap. LVIII. Sanè ſic florem eum nominari quoque videas à Galeno. Inter vivaces flores etiam eſt, qui vulgo, ab odore dicitur caryophylleus. Multos enim annos durat, tota floret æſtate, & auctumno, nec intenſa hyeme exſtinguitur, ſed in cellis adſervatur.

a *Pag. 35. edit. Leidenſis.*

b *Helichryſus.*

Ad durationem vitæ non ſolùm vigor pertinet, ſed etiam ætas mala, ut in hominibus vocatur. Nam & plantæ humidi conſumtione ſeneſcunt, tabeſcunt, areſcunt. Quandoque etiam ægrotant: ut in æſtu diuturniore, ſi pluviæ ſint nullæ: at redit vigor, ubi cæleſtis aqua cœperit irrigare.

Mirum verò arbores adeò vetuſtas, ut frondes ferre deſierint, ſi terra fodiatur, atque aperiatur, rejuveneſcere, iterumque folia producere. Quod apud Verulamium etiam legas in Hiſtoria vitæ ac mortis c.

Interitus plantæ ſe habet ut in animalibus. Vel enim à natura eſt, vel vi externa. Naturalis dicitur ἄναυσις, quando tandem vis deficit naturæ, calore vitali exſtincto, & abſumto humore nativo. Violenta vel eſt à frigore, quo exiguus ejus calor exſtinguitur, vel in partes intimas receptus duplicatur, tantoque celerius abſumit calorem primigenium, nec terra propter humores congelatos ſuppeditare calorem alium valet: quemadmodum etiam dictum lib. III, cap. XX. Hoc mortis genus vocatur κατὰ σβέσιν d. Eſt alterum præterea κατὰ μάρανσιν e, quod eſt ab æſtu externo, & omnem humorem tum plantæ, tum ſoli, abſumente. Nunc verò planta tota, nunc pars ſolùm emoritur. Etiam violenta mors aliunde eſt: ut cum exſcinduntur, vel radicitus evelluntur.

c *Pag. 58. edit. Leidenſ. an. 1637.*

d *Exſtinctione.*

e *Marcore.*

Cap.

Cap. VI.

De plantarum diviſione in partes tum ſimilares, & has vel liquidas, vel ſiccas; tum diſſimilares, eaſque perennes, vel anniverſarias. Quid ſuccus in plantis. Quid lachryma & unde ea. Humor plantarum varius lacteus, gummoſus, &c. Ὀπὸς in papavere. Quid caro, quid fibræ plantarum. Quod quædam arbores pulpâ careant. Radix, compendium plantæ. Planta homo inverſus. Quædam plantæ ſibi ipſis radix. Palmæ vigor non à radice, ſed unde. De profunditate radicum, ubi de abiete. De obliquitate radicum, ubi de cupreſſo, platano, & loto urbi Romæ coæva. Radix cujus temperamenti. Caulis & ejus partes. Cortex digerit & defendit. Quædam herbarum caulem non habent. Matrix plantæ quid. Arundo, num careat medullâ. Rami, brachia arborum. Minores rami, ſurculi. Differunt ſtolones & ſurculus. Stolidus unde. Uſus foliorum. Quibus plantis folia non decidant: an in his etiam alicubi ceraſi. Flos fructus inchoatus. Fructus quarumdam arborum ſine flore. Muſcus. Arborum prodigia.

PRoximum eſt, ut plantarum afferamus tum partitionem, tum diviſionem; quarum illa totum ſecat in partes integrantes: hæc genus dividit in ſpecies. Nulla planta pauciores habet partes integrantes cute, carne, ſucco, quæ etiam in tuberibus: etſi hæc non tam plantæ, quam plantarum morbi Verulamio dicantur. Deinde aliud partes, aliud membra quæ Græcis μέλη. Membra ſunt radix, truncus, rami, ſurculi, quæ partes ſunt compoſitæ.

Partium porrò integrantium aliæ ſunt ſimilares, aliæ diſſimilares. Similarium quædam liquidæ, quædam conſiſtentes. Liquidæ ſunt, ſucci, & lachrymæ. Succus per omnem plantæ ſubſtantiam diffunditur: atque id plantæ eſt, quod ſanguis animali; teſte Ariſtotele, ſive alio potius, in primo de Plantis cap. 11. Lachrymæ verò ſunt humores extra plantæ ſubſtantiam: ac vel ſua ſponte ob humoris copiam exſudant, vel Solis calore educuntur: vel arbore occaſione aliquâ dehiſcente exprimuntur. Porrò lachrymarum aliæ manent liquidæ, ut illæ in vite inciſa: cujus cauſſa eſt, quòd magis aqueæ ſint: aliæ verò concreſcunt, ut reſina, ac gummi. Quæ à multis plantarum excrementa appellantur. Sed Verulamius *a* judicat rectiùs exuberantias vocari, quam excretiones.

a In Hiſtoria Vitæ ac Mortis pag. 109. edit. Lugdenſis an. 1637.

Humor plantæ, quem pro ſanguine eſſe dicebamus, varius eſt: ficis lacteus, ceraſis gummoſus, ulmis ſalivoſus, malis lentus, ac pinguis, aquoſus vitibus, ac pyris; ut eſt apud Plinium lib. XVI, cap. XXXVIII. Interdum verò is humor proprium nomen non habet: ut ὀπὸς in papavere, & planta quædam medica, ac Cyrenaica.

Conſiſtentes partes ſunt caro, & fibræ. Caro muſculis animalium reſpondet. Atque ad eam etiam pertinet alburnum, quod eſt pro adipe. Eſt ea, ut Plinius lib. XVI, cap. XXXVIII ait, *mollis ac peſſima pars ligni, etiam in robore facile putreſcens, teredini obnoxia.* Fibræ verò reſpondent venis, ac nervis. Venæ ſunt majores, magiſque ſucculentæ: ut quæ humorem ac ſpiritum deferant. Nervi ſunt tenuiores ac ſicciores, atque ad quietem & conſiſtentiam plantæ dati à natura. Cum verò caro ſecundum omnem dimenſionem dividatur, contra nervi, quia è villis, ſive filis ſunt, longitudinem habent ac fiſſilitatem: ut Theophraſtus docet lib. 1 Hiſt. cap. IV; & Plinius loco antememorato, ubi cum de fiſſilitate illa ſecundum rectitudinem dixiſſet, ſubdit: *Ideo fit ut aure ad caput trabis, quamlibet prælongæ, admota, ictus ab altero capite vel gravis ſentiatur, penetrante rectis meatibus ſono. Unde deprehenditur, an torta ſit materies, nodiſque conciſa.* Ac poſt pauca: *Quibuſdam pulpa ſine venis, mero ſtamine, & tenui conſtat. Hæc maximè fiſſilia. Alia frangi celeriora, quam findi, quibus pulpa non eſt, ut oleæ, vites. At è contrario, totum è carne corpus fico. Tota oſſea eſt ilex, cornus, robur, cytiſus, morus, ebenus, lotos, & quæ ſine medulla eſſe diximus.* Etiam inde divina ſapientia relucet, quòd abieti ſit caro rara, conſtet autem nervis validis & multis: contrà pinus carnis ſit rigidæ, ac nervis ſuffulciatur paucioribus: ut apud Scaligerum eſt ad Theoph. hiſt. lib. V, cap. 11.

Diſſimilares partes ex ſimilaribus conſtant. Earum aliæ ſunt conſtantes, ſive perennes: aliæ anniverſariæ, ſive viciſſitudinariæ, ut Cæſar Scaliger loqui non dubitat in priorem de Plantis eorum, qui male Ariſtotelis creduntur.

Conſtantes ſunt radix, caulis vel caudex, matrix, ſive medulla, & rami.

A radice incipiendum, quia plantæ principium eſt, & quaſi totius compendium. Hujus unicum eſt officium, excipere alimentum: unde id, relicto, quantum radicis alimoniæ opus eſt, reliquum aliæ attrahunt partes. Eſt igitur inſtar famuli victum apportantis. Etiam pro ore eſt, unde veteres plantam dixere hominem inverſum: ſed non ob hoc ſolum, quod illis os infimum obtinet locum, cùm nobis in ſummo ſit; ſed etiam quia in plantis rami ſurſum tendant, nobis brachia ac pedes tendant deorſum. Nec ſolum pro ore eſt, ſed & ventre. Utrumque enim ſcribit Ariſtoteles *a*. Nempe quatenus accipit alimentum pro ore eſt; quatenus concoquit, pro ventre. Ac ventri etiam aſſimilat Theophraſtus *b*. Ac niſi radix etiam vim haberet concoquendi, non haberet ipſa, unde aleretur.

a Lib. 2 de Part. Animal.
b In 1 Hiſt. Plant. & 6 de Cauſis.

Quædam tamen plantæ carent radice, ut ait Theophraſtus hiſtor. Plant. lib. 1, cap. 11. Exemplum non promit. Sed Dioſcorides, atque alii, id prodidere de malabathro. Alii verò eos putant à mercatoribus deceptos. Habere enim radicem, licet exiguam. At neque radix caſſythæ, ſive caſſutæ. Uti neque in epithymo radix eſt conſpicua: vel etiam viſco, & aliis quibuſdam, cujuſmodi hyphear, fungus, muſcus. Vel ſi, partem qua inſident, vocare radicem velis, ſaltem vera radix non eſt. Etiam ſempervivum ſibi ipſi eſt radix: & tamen etiam fructum fert. Nec radicem habet lenticula paluſtris, cui nihil præter folia. Cujuſmodi poſſis dicere propterea plantas imperfectas. Poſſis tamen dicere plantis omnibus eſſe radicem, laxiùs radicis voce accepta: nempe ut non radix modo dicatur, quod ſub terra latet, ſed etiam cui ſic inſident, ut unde trahant alimentum: ſive illud aqua ſit, ut in lenticula paluſtri, ſive planta alia, ut fit in viſco, muſco, epithymo. In cujuſmodi id pro terra eſt, cui inſident.

Quædam radices quandoque, ut Mneſitheo monitum, reſecari debent: videlicet ſi tantum è terra attrahant humoris, ut partium aliis non ſatis virium ſit ad humorem eum excoquendum. Cæterùm, cum arborum aliæ vitalem ſuccum à radice hauriunt; in palma arbore vigor eſt à ſummo arboris cacumine, quo abſciſſo, palma exareſcit: ut à Xenophonte, lib. 11, Κύρου ἀναβάσ. è junioribus à Guilandino proditum eſt. Græci hoc cacumen vocant, ἐγκέφαλον, Latini cerebrum, vel medullam: ut poſtea dicetur.

Arborum radices deorſum ſe extendunt, quouſque ſe exſerit vis caloris Solaris, & aqua pluvia deſcendit. Ita radici proſpectum, tum à calore Solis, quo fovetur, tum ab humore quo alitur. Eſtque denis pedibus terra rarior, ac magis poroſa, quò faciliùs tum calor, tum humor, penetrant. Non altiùs verò deſcendere aquam cæleſtem, non ſimpliciter narrat, ſed compertum ſibi ait L. Seneca lib. III, Natur. quæſt. cap. VII, his verbis: *Ego tibi, vinearum diligens foſſor, affirmo, nullam pluviam eſſe tam magnam, quæ terram ultra decem pedes in altitudinem madefaciat.* Sed à Seneca abit Plinius, qui ſic ſcribit lib. XXXVI, cap. XXXI: *Quidam non altiùs deſcendere radices, quam Solis calor tepefaciat, idque naturâ loci tenuioris, craſſiorisve, dixere: quod falſum arbitror. Apud*

 auctô-

auctores certè invenitur, abietis plantam, cùm transferretur, VIII *cubitorum in altitudine, radicem fuiſſe, nec totam: refoſſam, ſed abruptam.* Sic in vett. aliquot libris verba hæc leguntur, & meliùs, ut arbitror. Ac narrat eadem Theophraſtus lib. II de Plantis. Sed pro abiete dicit, pinum. Verùm eſto, ut Plinius non erret de eo, ſed alios ſecutus ſit auctores. Præſertim cùm fatendum ſit, abietem altè admodum agere radices. At ſaltem falſum eſt, quod ait Maro Æneid. IV:

—— Quantum vertice ad auras
Ætherias, tantum radice in tartara tendit.

Sanè Libertus Fromondus Meteorologicorum lib. V, capitis VI, artic. II. *Ego*, inquit, *ante villam paternam, ingentem & ramoſiſſimam quercum, ab abavo meo plantatam, ventis illis anni* CIↃ IↃCVI, *qui omnia penè in Belgio ſtraverunt, radicitus everſam adſpexi: & demiratus ſum, exilibus, & paucâ terrâ obrutis radicibus, tam immanem molem potuiſſe tot annos ſuſtineri. Terni enim viri expanſis brachiis vix truncum fuiſſent amplexi.*

Atque iſta pertinent ad radices in profundum. Videamus etiam, quantopere ſe extendant in obliquum. Hoc Varro docet lib. I Rei Ruſticæ, cap. XXXVII. *Aliæ*, inquit, *radices anguſtius diffundunt, ut cupreſſi; aliæ latius, ut platani, uſque eò, ut Theophraſtus ſcribat, Athenis in Lyceo, cùm etiam nunc platanus novella eſſet, radices trium & triginta cubitorum egiſſe.* Hoc fuerit pedum undequinquaginta, & dimidii. Locus Theophraſti, quem ſignat, eſt lib. I de Plantis, cap. XI. Nec ignoro Fallopium lib. de Thermis, cap. IV, intelligere de deſcenſu radicis in profundum, non in obliquum. Et addit, ſi de effuſione in obliquum locutus eſſet Theophraſtus, non habiturum eſſe locum, quod ait, pro miraculo habitum. Nam ſanè in qualibet platano, magis in novella, de qua ſermo eſt Theophraſto, miraculi id inſtar videtur. Quamquam nec ſimile deeſt, imò majus exemplum. Id eſt de loto, quæ Romæ in Vulcanali. Sic enim de ea Plinius lib. X, cap. XXXIV: *Radices ejus, in forum uſque Cæſaris, per ſtationes municipiorum penetraſſe.* Verùm admirationem demit longa ejus temporis ætas. Nam cùm ea ſcriberet Plinius, lotus illa annorum erat plus minus IↃ CCCXX. Quippe coæva erat arbor origini, atque incunabulis urbis Romæ.

Frigidiſſimam eſſe radicem cenſuit Cardanus: At calidiſſimam in calidis plantis maxima ex parte eſſe, ut radix ſeris, intubi, cichorii, ſonchi, Cæſar Scaliger contendit Exercitat. CLXXVI, ubi & aſſerit contra eundem, nec matricem eſſe humidiſſimam ac frigidiſſimam. Ludovici Vivis ſententia eſt, frondes & flores tenui ſucco creari, craſſiore fructus, craſſiſſimo radices. Sed id perpetuum non eſſe, oſtendit idem Cæſ. Scal. Exerc. CXLI. Hæc de radice.

Venio ad partium conſiſtentium alias. Ac primò de caudice dicendum, in quo tria diſtinguere oportet, corticem, lignum, & matricem. Extimus eſt cortex: qui præterquam quòd attractum digerat alimentum, ut diximus, etiam lignum, & matricem defendit a frigore, atque æſtu. Generali nomine dicitur δέρμα ſive cutis; quod vocabulum non in caudice modò, ſed etiam caule locum habet. Quod enim caudex in arboribus, & fruticibus: hoc in herbis eſt caulis, à Græco καυλός. Eſt verò tam caulis, quàm corticis, adde & fibrarum, digerere alimentum à radice attractum. Quemadmodum oſtenſum, cùm de facultate nutriente ageremus.

Quædam tamen herbarum non habent caulem. Ea Græcè dixeris ἄκαυλα, Latinè *ſecaulia*, ut *ſecordia*, ſive *ſocordia*. *Secordia* eſt apud Theodorum Gazam in Hiſt. Plant. lib. VII, cap. II. Sed apud Theophraſtum ibi eſt ἐπίκαυλα: quo quid ſignificetur, non ita apertum eſt. Vide quæ iſtic Cæſar Scaliger annotavit.

Ex iis, quæ habent caulem, aliis eſt perpetuus, aliis non item. In poſteriori genere, vel una cum radice perit, vel ſalva radice, anno exacto, novus repullulat vel alius potius, quando non idem, ſed ejuſdem tamen plantæ eſt caulis.

Matrix medium ligni locum occupat, eoque medullæ etiam nomine appellatur: imò & cor, ut ait Theophraſtus [a]: puta quia vitæ habeatur cauſſa: quin ipſa nonnullis vitalis anima creditur, ut ex Plinio liquet lib. XVII, cap. XXI. Nec tamen videtur parti cuivis plantæ neceſſarium. Hoc eo probatum ibat Cæſar Scaliger [b], quòd *medullâ de ſarmentis exemtâ, Græci profitentur, acinos ſine gigartis produci.* Ac videtur etiam arundo carere medulla: de quo aliquid Plinius lib. XVI, cap. XXXVIII. Ita tota fuerit caro. Alii tamen malunt in ea coaluiſſe carnem & medullam: ut ibidem ait Scaliger. Atque idem dixero de aliis, quæ objectant. Propterea Theophraſtus in Hiſt. lib. I, cap. IX ait, quædam habere μήτραν φανεράν, *medullam evidentem*; quædam ἀφανεστέραν ſive *obſcuram*; ut quando eſt confuſum quid, non ἀφωρισμένον ſeparatum, certumque.

[a] *Lib. I. Hiſt. cap.* ... [b] *Comment. in lib. I. Ariſtotelis de Plantis pag. 52. edit. Criſpin. 1566.*

Rami ſunt, qui caudice, vel caule in multitudinem ſe diffundunt. Ac Latinis vox ea abſque diſcrimine dicitur de majoribus & minoribus. At majores poetis *brachia* ſatis convenienti tralatione: Virgil. II Georg.

Tum fortes late ramos, & brachia tendens.

Plinius lib. XVII, cap. XIV. etiam *arborum humeros* nuncupat. Sic enim ſcribit: *Certum eſt ab humeris arborum, orientem æſtivum ſpectantibus, ſurculos petendos, & è feracibus & è germine novello, niſi vetuſtæ arbori inſerantur.* Scio in veteri codice, pro *humeris* eſſe *ramis*. Sed hoc è gloſſemate eſt. Græcis ἀκρέμονες, & ὄζοι, ut liquet ex Theophraſti Hiſtoria lib. I, cap. II. Ἀκρέμονες dicuntur, quia ἐν ἄκρῳ, hoc eſt, ſummo. Nempe uti Latinis *ramus* ab Hebræo רם *ram, celſus.* Ὄζος fortaſſe ab ἕζομαι, *ſedeo.* Ramus enim quaſi inſidet arbori. Sæpe etiam pro arboris nodo ſumitur: unde Hollandis idem dicitur *oeſt*, vel *aſt*: niſi hæc καθ' ἀφαίρεσιν [c] ex *quaſt*, quod ejuſdem eſt ſignificationis. Sunt rami majores φυτοδοτήρια [d], ut Theophraſtus vocat, minorum: nam ex iis prodeunt. Hoſce minores Theophraſtus κλάδους vocat, loco antè memorato. Alibi tamen etiam de majoribus uſurpat. Origo vocabuli eſt ἀπὸ τοῦ κλᾶν, hoc eſt, frangere. Quo ex etymo non facilè decidas, utra magis ſit ſignificatio. Licet enim faciliùs minores ramos decerpas: ſalvâ tamen plantâ etiam recidimus majores: quod interdum expedire, ſuperiùs oſtenſum, cùm de generativa vi ageremus. Deque majoribus imprimis ramis capiendum, cùm à κλάδος cladem vocarunt, cùm tempeſtate frangerentur arborum rami: ut in Oratoriis Inſtitut. dixi lib. IV, cap. VI, ſect. XI. Aptior igitur, minus ſaltem ambigua vox, cùm minores hoſce vocant μόσχους, quaſi ad majores ramos habeant ſe tanquam vituli ad boves. Nam μόσχος *vitulus*, item ἁπαλός, ſive tener, unde μόσχοι λύγοι, quod Euſtathius ἁπαλοὺς [e] exponit. Latinis minores rami dicuntur *ſurculi*. Ac credebat etiam Cæſar Scaliger [f] id voce indicari. Eſſe enim à *ſurus*, quod eſt palus: unde & *ſura* in homine. Sed obſtat tum quod a ſurus eſſet *ſurulus*: tum quod longiùs à *ſuri* ſignificatione abit *ſurculi* ſignificatio. Potiùs igitur ex eo ſit nomen, quòd oriatur ac exſurgat ex ramo majori. A *ſurgo* igitur *ſurgus*, ſive à *ſurco ſurcus*, unde *ſurculus*. Nam antiquis C pro G in uſu erat: unde LECIO, MACESTATOS, EFFOCIO, aliaque in roſtrata Duillii columna. Uti verò *ſurculus* à ſurgendo quod à ſurrigendo: ita & Belgis, *ſurculus*, *rys* à *ryſen*, quod eſt ſurgere. Sed plura de iſtoc in noſtris originum libb.

[c] *Per ablationem.* [d] *Plantaria.* [e] *Teneros.* [f] *Exercitat. 140.*

Uſus ramorum eſt fructus ferre, qui pediculo ex iis dependent. Non tamen ἁπλῶς neceſſaria ſunt plantæ pars, quia vivit planta ramis abſciſſis: uti diximus.

Stolones ab radice pullulant. Græci vocant παραφυάδας. Atque ab hiſce ſtolonibus eſt nomen *ſtolidus*: à quo ſtultus. Valde autem imperitiam ſuam produnt, qui neſciunt *ſtolones*, & *ſurculos*, diſtinguere. Audiant hi Plinium lib. XVII, cap. I: *Stolonum* (cognomen fuit) *Liciniæ genti: ita enim appellatur in ipſis arboribus fruticatio inutilis: unde & pampinatio inventa primo Stoloni dedit nomen.*

Anniverſariæ ſive viciſſitudinariæ partes ſunt folia, flores, fructus. Foliorum is uſus, ut arborem ab æſtu defendant: ſimul ut fructus tegant, ne nimio calore areſcant, ſed ſenſim eum, & quibuſdam gradibus recipiant. At cum major æſtus expoſcitur, folia obſunt: ideo vinitores auferunt circa vindemiam. Atque hinc etiam liquet, cur natura priùs producat folia, quam fructus, etſi contrarium ſit ſcriptum in primo eorum de Plantis, qui perperam Ariſtoteli tribuuntur. Cùm verò rami quidem abſcindantur ab arbore eâ ſalvâ: ſponte tamen plantæ jaciunt ſive amittunt folia, quod Græcis eſt φυλλοῤῥοεῖν. Eo minùs folia ſunt de οὐσίας a. Interea non omnes φυλλοῤῥοοῦσι b. Nec enim decidunt oleæ, lauro, palmæ, myrto, cupreſſo, pinis, ederæ, rhododendro: ut apud Plinium eſt lib. XVI, cap. XX; idque præeunte Theophraſto lib. I Hiſtor. Plant. cap. XV. Atque a Plinio ejuſdem libri cap. XXI relatum, è ſylveſtribus arboribus folia non decidere abieti, larici, pinaſtro, junipero, cedro, terebintho, buxo, ilici, aquifolio, ſuberi, taxo, tamarici. Addit & in fruticum genere non decidere cuidam rubo, & calamo. Ac ut ibidem legas, *Tanta locorum vis eſt, ut circa Memphim Ægypti, & in Elephantine Thebaidis, nulli arbori decidant, ne vitibus quidem.* Hæc firmat etiam Varro lib. I de R. R. cap. VII: *Cretæ ad Cortyniam dicitur platanus eſſe, quæ folia hieme non amittat: itemque in Cypro, ut Theophraſtus ait, una. Item Sybari, qui nunc Tyrii dicuntur, quercus ſimili eſſe naturâ, quæ eſt in oppidi conſpectu. Item contra atque apud nos fieri ad Elephantinen, ut neque ficus, neque vites, amittant folia.*

a Subſtantia.
b Folia deponunt.

Quæſtio eſt, an plantæ ſingulæ certo conſtent foliorum numero, niſi aberrârit natura. Fuit hæc opinio Cardani. Sed Scaliger Exercitat. CLXXVII, ſect. V, ait, quia ineptire liberet, ſe in lactucis, item foliis adianti, ari, iridis, caryophyllorum, adhæc etiam in frondibus arborum numerum iniiſſe; ſed comperiſſe ſibi, & aliis, eſſe impoſitum à Cardano, eoque melius deinceps velle tempus collocare.

Nec indignum relatu, quod idem Cæſar Scaliger ait Exercitat. CLXXII: *Genuenſis mercator, qui in apothecis Cufainis valde erat exercitatus, Auguſtinus Moreſius, retulit nobis, ſe in extrema Euxini ora vidiſſe ceraſos, quæ nullo tempore foliis ſpoliarentur.*

Flores res ſunt pulcherrimæ ſuo tempore, interim exiguo. At eruditiſſimi homines, qui eos vocant excrementa, plurimùm mihi falli videntur. Quippe flos eſt fructus inchoatus. Itaque omnino flos prior eſt fructu. Foliaque floris priùs naturæ ſunt terreſtris, poſtea aëreæ magis redduntur. Prius igitur compactiora, poſtea autem rariora. Sunt interim & fructus ſine flore, ut quercui, oleæ, ficui: item flores ſine fructu, ut iridi, jeſemino, & cuidam narciſſi generi: de quibus Scaliger Exercitat. CXLI, & alibi: eſt & flos idem ac fructus, ut thymi. At ſæpius fructus è flore.

Plurimum verò priora floribus folia: interdum contra, ut in pruno, atque amygdalo. Fructus interdum de ſemine dicitur. Sic ſanè καρπῷ nomine ſæpius uſi Dioſcorides, ac Galenus. Sed hic pro diverſis ſumimus. Ac fructus quidem ſic dici videtur ἀπὸ τοῦ βρύειν, quod eſt pullulare. Porro fructus, ſeminaque, ſunt plantæ partes, uti fœtus matricis. Hoc eſt, ſic pars ſunt, ut deſinant pars eſſe. Vel dicendum non partem eſſe, ſed opus. Quod & in floribus lubiturum eſt locum. Sed fructus ſic opus, ut ſimul ſit finis. Nec ſemina tam faciunt ad perfectionem individui, quàm ſpeciei. Quibuſdam fructus eſt nullus: ut capillo veneris. Quæritur an idem numerus ſeminum, vel granorum in quaque ſit ſpecie. De malo Punico ait Cardanus: negat Cæſar Scaliger Exercit. CLXXVII, ſect. V, uti & incertus in malis, pyriſque. In meſpilo tamen omnibus parem eſſe granorum numerum, agnoſcit.

Muſcus, qui Græcè βρύον, arboris pars non eſt. Nam & lapidibus adnaſcitur, nec tamen planta pars lapidis dici poſſit, cum lapis ſit animæ expers, muſcus ἔμψυχόν ἐστι c.

c Animatum quid.

Quare in plantis alia arboris, alia muſci anima eſt, differuntque arbor & planta forma εἰδοποιῷ a. Et ſanè ſi pars eſſet, arbor ſine muſco non foret totum, quod dicitur, integrale. Quæ hactenus diximus naturæ conveniunt. Quædam verò eveniunt prodigioſa. De quibus ſic Plinius lib. XVII, cap. XXV: *Invenimus arbores, ſine foliis natas: vitem, & malum Punicam, ſtirpe fructum tuliſſe, non palmite, aut ramis, vitem uvas ſine foliis, oleas quoque amiſiſſe folia baccis hærentibus.* Idem deinde ſubdit miracula complura: maximum illud de oliveto publicam viam transgreſſo. Quod ſuo ævo tempore principis Neronis in agro Marrucino contigiſſe ait.

a Specifica.

CAP. VII.

De zoophytis ſeu plantis ſenſus non planè expertibus. Quod zoophyta viſu, auditu, & odoratu careant, necnon guſtu. De piſcibus medium inter plantas piſceſque locum ſortitis. Quod motus zoophytorum ſit duplex, unus totius corporis, alter partis duntaxat, exempla: concharum, pectinum, de arbore Indica pudifera non ſentiente ſolum, ſed etiam adventum accedentis præſentiente, ſimilique fere herba αἰσχυνομένῃ. Cur non eadem tactus vis ſpongia marinæ. De triplici zoophytorum uſu ad victum, valetudinem, & amictum, ubi inprimis de ſpongia.

Plantarum duo ſunt genera. Quædam ſenſus non penitus ſunt expertes: ut quæ ζωόφυτα dicuntur, quaſi dicas *plantanimes*, vel *plantanimalia*; quædam verò ſenſu prorſus carent. Priora, ut vox indicat, conſtituuntur in confinio naturarum, & quaſi in tranſitu ab animali ad plantam, & contra. Hæc imperfecta quidem ſunt, ſi cum homine & aliis animantibus comparentur: ſunt tamen perfecta, ſi naturam eorum abſolute conſideremus. Habent enim animam nunquam feriantem, habent ea corporis inſtrumenta, quibus ad functiones ſuas eſt opus.

Viſus, auditus, odoratus eſſe expertes ex eo cognoſcimus, quod deſtituantur eorum ſenſuum inſtrumentis. Ac de guſtu idem hinc colligimus: etſi ſciam Plinium aliud putare. At Ariſtoteles aliter: & videtur is de zoophytis intelligendus, quando animalia quædam guſtu carere ait libro de Somno & Vigilia. At non deſtitui tactu, ex motu cognoſcitur. De quo aliqua jam adduximus lib. IV, cap. XVIII. ubi actum nobis de aquatilium facultate locomotiva: nec de veris piſcibus modò, ſed etiam quæ medium inter piſces, plantaſque locum ſortiuntur. Eo nunc erimus breviores.

Motus zoophytis eſt duplex: unus totius corporis, alter partis duntaxat. Totius, ut conchis, quæ reptant. Nec minus terreſtribus cochleis movent ſe marinæ. Pecten, qui ex oſtreorum eſt genere, inferiori teſta ſolum premit, ac repellere nititur: eo nixu ſubſilit validius, locumque mutat. Nec caput modo operculo exerit, ſed etiam cirrulis prorepit. Patellæ, quæ conchyliis accenſentur, corpus habent molle & criſpum, ut facilè ſe moveant. Non modò caput teſtâ exſerere, ſed ad paſtum ire ac redire. Tergeſtinis eſſe piſcatoribus obſervatum, refert Cæſar Scaliger Exercitat. CCXIX.

Parte verò ſui moventur oſtrea. Negatum id Cardano. Sed dubitare deſinet, qui digitum inſeruerit. Ac notum è fabella de mure ſic capto. Etiam motus hic iis, quæ Græci vocant κνίδας, & ἀκαλήφας a, Plautus Rudente, atque alii, urticas marinas: nempe quia non minus ut urticâ terreſtri pruritum ſuo cient contactu. Hæ, ubi ſenſerint ſibi manus admoveri, colorem mutant, ſeque contrahunt: qua de re ex Ariſtotele, & Plinio, dictum lib. III, cap. XIII. Atque ibidem actum nobis de ſpongiis marinis: quibus ſenſus, motuſque, jam olim tributus à multis, Plinio imprimis. At Ariſtoteles alienam quidem refert ſententiam: ſuam verò non ſatis liquidò promit. Unde orta diſputatio, an ſentiant zoophyta. Negat

a Urticas.

Rondeletius, cujus mentem loco adſignato pleniùs expreſſimus. Interea ſunt, ſane non aſpernanda, quæ Rondeletio poſſis obducere: ut liquebit ex illis, quæ adverſus eum diſputat Joannes Euſebius Nierembergius, Madritenſis Philoſophus, lib. III de Rerum Natura, cap. III. Itaque ampliate de iſtoc malim, quam odioſè reciprocare ſerram. Uti nec de iſto fecerim, an & zoophyta ſint, quæ non ſolùm tactu prædita ſint, ſed etiam præſentiant adventum accedentis. Nam ajunt Indicam eſſe arborem, octonûm pedum in provincia Pudiferam. Et accedente homine, mutove animante, contrahit ramos; abeunte autem extendit. Non paullo hoc amplius eſt, quàm de zoophytis aliis dicebamus. Ea ſi tetigeris, folia contrahendo oſtendunt, ſe tactu prædita eſſe. Sed arbor illa etiam prævenit tactum, quia ſe contrahit, aliquo appropinquante. Unde & *Pudicam* juſtiùs appellant, quam herbam dixere αἰχυνομένην, quia manum ſi admoveris, folia conſtringit; ut ab Apollodoro, Democriti diſcipulo, traditum eſt. Nam hæc herba hoc ſolùm habet, quòd ubi tetigeris, ſentire ſe oſtendat. At ab Indica arbore præveniri tactus videtur. Profectò, ut Cæſar Scaliger ait Exercitat. CLXXXI, ſect. XXVIII, *aut afflatum percipere dicendum eſt, aut radicis, propter ſoli motam, compreſſionem agitationemve.* Quærat aliquis, unde ſit, quod non eadem vis ſpongiæ. Ad hoc idem ſic reſpondet: *An, inquit, ſpongia, cum ſit in perpetuo ſalo, hebetatur a continuo ſalo, quo minus ſupervenientis ſenſione adficiatur? Tempeſtatibus adſueta ſine periculo, nihil novi patitur à ſpongiſeca novo motu.*

Sed quicquid de iſtis ſit, ex zoophytis etiam ingens Dei bonitas relucet: ſive attendamus alimentum, ſive medicamentum, ſive rem veſtiariam, vel alia. Nam in cibo ſunt conchæ, & oſtrea, & alia: etiam urticæ marinæ: quamquam exiguum, ac humidum præbent alimentum: ut Athenæo lib. III. a traditum ex Mneſithei Athenienſis libro de eduliis.

a Pag. 92. edit. Commel.

Magnus etiam uſus in medicamentis: præſertim ſi hîc ſpongiis etiam, ut receptiſſima eſt opinio, fuerit locus. Nam ſpongias cum pice uſtas ſanguinis ex naribus eruptiones cohibere, tradit Dioſcorides lib. V Mat. Med. & Parabilium cap. CCX. Ac ſimiliter Aëtius II, cap. XCIV. Alexander in III, cap. VIII. Nec aliter Oribaſius. Præterea ſpongiæ ex aceto impoſitæ ſuccurrunt inflationi inteſtinorum, & mentis conturbationi: ut Archigenes tradidit, teſte Galeno in VIII de Compoſit. Medic. ſecundum locos, cap. IV. Ac ſimiliter Dioſcorides in Parabil. lib. II, cap. III, Aëtius III Tetrab. Serm. I, cap. II, Alexander in VII, cap. VII, Paulus Æg. in III; cap. XXXVII. Oribaſius in IV ad Eunap. cap. LXXXIV, & ad Euſtath. lib. IX, cap. X. Item reficientibus cibum medetur, ſi acri fuerit aceto imbuta, & pedibus, ac brachiis impoſita donec puſtulæ excitentur. Ita Dioſcor. Parabilium parte II, cap. VIII. Etiam thoraci eorum, qui ſanguinem ſpuunt, imponenda ſpongia ex oxycrato; ut eſt Parabilium Dioſc. lib. II, cap. XXXI.

CAP. VIII.

De plantarum diviſione in ſpecies perfectas radicem & caulem habentes; & minus perfectas. Quod plantarum duæ ſint præcipuè ſpecies arbores & herbæ, aliis 4. numerantibus. Quid arbor, quid frutex, quotuplices item, ac quomodo hæc inter ſe & ab herbis differant. Verum diſcrimen herbarum, & ſuffruticum, cremiorum. Herbæ quotuplices. Fruges herbæ ſunt. Frugum ſpecies. Olera. Flos à φλὸξ. Flores pro ſideribus & viceverſa. Violæ quædam ſpecies flammula (φλὸξ) κατ' ἐξοχὴν dicta. Jaſione flos folii eſt unius. Medicamentariæ herbæ radices, flores, folia. Tubera plantas eſſe imperfectas & quare. An fungus deſtituatur radice. Quomodo arbores immutentur, herbæ arboreſcat, hordeum fiat triticum, quin braſſica rapum.

HActenus de ζωοφύτοις. Nunc de plantarum iis videamus, quæ ſenſus penitus ſunt expertes. Harum duæ ſunt præcipuè ſpecies, arbores, & herbæ. Unde Gen. I: *Germinet terra germen, herbam producentem ſemen, arborem fructiferam.* Ac poſtea: *Produxit terra germen, herbam producentem ſemen juxta ſpeciem ſuam; & arborem facientem fructum.* Quo pacto frutices comprehenduntur ſub arboribus. At hæ aliis ſpecies ſunt media. Imò & Ariſtoteli & Theophraſto quatuor genera ſunt: ſed ſic, ut non prorſus conveniant. Ariſtoteli enim hæc quatuor genera ſunt δένδρα, θάμνοι, βοτάναι, καὶ λάχανα: arbores, frutices, herbæ, & olera. Sed Theophraſtus a retinet quidem tres priores; verùm pro λαχάνοις reponit φρύγανα. Hoc ſuffrutices vertit Gaza: Columella, & Plinius, ac eorum exemplo vetus Pſalmorum interpres Pſal. CI, item B. Hieronymus in Oſeæ cap. X, vocant *cremia*, à *cremando*, quomodo nempe ab uſu ad ignem φρύγανα vocantur ἀπὸ τοῦ φρύγειν, quod eſt *torrere*: ac ſimiliter in Geoponicis dicuntur ὑφάλεκα: videlicet quia facilè accenduntur. Belgis *beſteren* vel *heeſteren*, ab *heeten*, fervefacere, calefacere: uti hoc fortaſſe ab αἴθειν, *ardere*. Et ſanè non dubitandum, quin ſub βοτάναις etiam λάχανα comprehendantur: eoque rectiùs cum Theophraſto quartam ſpeciem faciamus, φρύγανα, ſive *cremia*. Imò lubens ſubſcribo Coſtæo b, qui a Theophraſto putat perfectas ſolum plantas numerari: quales & ſuperficiem, & radicem habent: eoque addi oportere quintum genus, quod alterutra parte caret: ut ſunt fungi, tubera, caſſita, epithymum, viſcum, & his ſimilia, quæ in prioribus quatuor generibus Theophraſto memoratis nemo repoſuerit.

a Hiſt. Plant. l. I. cap. 5.

b Lib. I. de univ. ſtirp. nat. c. 10.

Sic igitur ſtatuimus plantarum alias eſſe perfectas, alias imperfectas. Perfectæ habent radicem ſub terris, caulem ſupra terram. Hujus generis ſunt arbores, frutices, ſuffrutices, herbæ. Arbores ſunt ſtirpes, ſive plantæ, quæ, à radice, caudice ſimplici c ac ligneo altius adſurgentes varios in ramos ſe diffundunt. Conjiciebamus *arborem*, ſive *arboſem* (ſic enim veteres locuti) eſſe ex ἀὴρ, *aer*, & βόσις, cibus: quia cibum præbeant, non humi, ſed in aëre natum. Arbores diſtribuuntur multifariam. Ab origine Plinius hoc pacto dividit lib. XVI, cap. XXXIII: *Arbores, quas natura debeamus, tribus modis naſcuntur; ſponte, ſemine, aut ab radice.* Rodolphus Agricola lib. I de Invent. cap. VII: *Arborum aliæ ex ſemine ſunt; aliæ ſponte naſcuntur.* Ubi videmus, ut ſeminalem, & ſponte natam, dicere contentus, prætereat ab radice naſcentem. Eſt verò utraque diviſio ab ortu naturali. Ab uſu verò dividitur in cæduam, fructiferam, & ſeminalem. Quomodo, inter alios diſpeſcit Udalricus Zaſius J. C. in Rhetor. ad Herenn. cap. III d. Alii partiuntur ratione loci natalis. Quædam enim gaudent ſolo calidiori, ut thuris arbor, aut piperis; quædam alibi non minus proveniunt, ut malus, pyrus. A loco etiam eſt quòd quædam arbores, uti & plantarum aliæ, in udo gaudeant, ut mari, flumine, vel palude: quædam non udo: ut pratis, arenis, montibus. Ab eodem eſt, quod plantarum aliæ, in agris vel ſylvis creſcant; aliæ in hortis, atque oppidis. A qua tamen diviſione differt illa Theophraſti in plantas ἡμέρας ſive *mites*, & ἀγρίας ſive *agreſtes*. Alii a partibus dividunt, ut ex eo quod quædam ſunt ſine radice; uti & quædam ſine ſtipite; vel à parium partibus, ut flore, foliis, fructibus. Nam quædam ſine flore gerunt fructus, quædam florent, nec fructum gerunt. Quædam multa habent folia, quædam pauca: imò jaſioneæ flores ſunt unius folii. Quædam item fœcundæ ſive fructiferæ, quædam ſteriles. Ac poſtrema hæc diviſio maximè arridet. Sed ipſa etiam ſub ſe alias continet. Nam fructiferæ vel molle habent tegumentum, vel durum. Molli tegumento præditæ vel pomiferæ ſunt, vel bacciferæ. Pomiferæ ſunt ficus, olea, malus, pirus, prunus, meſpilus, ceraſus. Quædam verò ex his ſolo tantum calido proveniunt, ut palma ſive φοῖνιξ, malus Punica, & Medica, ſive citria.

c Unde Græci μονοστελέχη dicunt: Plinius uniſtirpia vertit lib. XVI. cap. XXX.

d Pag. 28. edit. Baſil. an. 1537.

Bacci-

Bacciferæ ſunt piperis arbor, quæ calidis ſolùm locis naſcitur: quæque aliis etiam locis proveniunt, laurus, juniperus, morus.

Arbores, quarum fructus duro continentur tegumento vel toto fructu conteguntur, vel ex parte duntaxat. Totus fructus vel calyce ligneo tegitur, vel echino. Calyx vel continuus eſt, vel bifidus. Continuus, ut in amygdalis: bifidus, ut juglans. Echino teguntur caſtaneæ.

Ex parte ſolùm tegitur fructus quercus, roboris, ilicis, ſuberis.

Fructiferis arboribus ſimiles ſunt reſiniferæ, quæ ſtrobilos proferunt: hoc eſt, nuces ligneo putamine, ad ſquamarum modum compactas. Hujuſmodi arbores ſunt pinus, picea, larix, & ejus generis aliæ. Piceæ genus eſt abies.

Sterilium arborum nomine cenſentur ulmus, alnus, tilia, buxus, betula, ſalix, populus, & aliæ. Quæ tamen commode interpretandum ex iis, quæ diximus de eo, ecqua arbor ſterilis ſit prorſus.

Sunt & quæ mediæ ſint naturæ inter arborem, & fruticem. Tale eſt cynosbaton. Theophraſtus: τὸ κυνόσβατον ἐστι δένδρου καὶ θάμνου μεταξύ· *cynosbaton eſt inter arborem & fruticem medium.* Latinè ad verbum dixeris *canirubum.* Dioſcorides de eodem: Θάμνος ἐστὶ βάτου πολὺ μείζων, δενδροειδής. *Frutex eſt rubo longè major, arboreſcens.* Ruellius cenſet idem eſſe κυνόῤῥοδον, ſive roſam caninam, quæ Belgis *Eglantier*, vel *Aglantier.*

Item quædam ſtirpes ſunt mediæ naturæ inter frutices, & herbas: unde, ut diximus, Theodorus Gaza ſuffrutices vocabat. Nam lignoſum habet caulem, ut frutices: ſed non altè ſe attollunt humo, quod commune habent cum herba. Unde Belgicè dixeris *hout-achtige kruyden.* Hujuſmodi ſunt ſpartum, fraga, roſmarinus, lavendula, viola nigra. Porrò nec ſemper cremiorum ſtipitem manere videre eſt, ex althea: ut falſi ſint, qui in cremio id perpetuum putarunt. In iis verò etiam Cardanus: qui & de fruticibus pariter deceptus. Nam nec truncus manet pæoniæ, & Artemiſiæ: ut idem hoc nomine caſtigari meruerit à Cæſare Scaligero *a*. a *Exercitat.* 139.

De arboribus dictum. Frutices ſequuntur: quibus nomen videtur ἀπὸ τοῦ βρύειν, quod eſt pullulare. Hi ab arbore differunt, tum parvitate, tum quia multiplici caudice, eoque ligneo, adſurgant. Ac alii perennant: ut myrtus; alii non item, ut pæonia. Etiam diſpeſcuntur in nobiliores, ut ſunt cinnamomum, caſſia fiſtula, &c. & ignobiliores, ut corylus, ſambucus, oxyacantha, ribes, roſa, rubus, poterion, colutea.

Hactenus de plantis, quæ caudice adſurgant ligneo. Videndum deinceps de herbis, quæ ſic dici exiſtimantur, quia hæreant terræ, aliæ quidem profundiùs, aliæ verò ſolùm in ſuperficie, ſive ſummo terræ, unde carere creduntur radice. Sed veriùs nomen eſt vel ab Græco φέρβω, paſco, unde φορβὴ pabulum: vel à Syriaco עִסְבָּא, *herba.* pro quo Hebræi עֵשֶׂב, *heſebh.* Nec dura originatio ab *heſba*, *herba*; quando ubi veteres S, ibi poſteriores R maluerunt. Ita *Laſes* dixere, pro *Lares*, *aſena* pro *arena*, *Papiſius* pro *Papirius*, *caſmen* pro *carmen*, pluraque id genus alia alibi adduximus.

In herbarum verò numerum vulgo referri ajunt, quæcunque unico, eoque tenui ac molli (non ligneo) caule cum foliis excreſcunt. Attamen bifariam hic peccatur. Nam non ſemper unicus eſt ſtipes, ſed quandoque nullus: ut capillo Veneris. Quandoque multiplex, ut in feniculo. Interdum etiam lignoſum accipiunt caudicem, ut Theophraſtus tradit de caule ferulæ, & raphani radice: quibus ubi caro caulis denſitatem ligni adepta, fibræ ſunt conſpicuæ. Quid mirum autem de raphano, & ſimilibus? quibus tres partes; cuticula, quæ facilè abraditur; coriaceum illud, quod à medio facile ſeparatur, & lignoſum illud, quod pro medulla eſt. Nempe etiam coriaceum illud, quod lignoſum illud ambit, ubi veteraſcit, lignoſi induit naturam. Hujuſmodi, ubi induruerint, θαμνώδη, vel φρυγανώδη, dicuntur. Imò apud Theophraſtum etiam legas δενδρολάχανα, quod Gaza vertit *oleriarbores.* Sic & δενδρομαλάχην dixere, quando malva ita lignoſo fit caudice, ut pro fuſti eſſe poſſit. Quæ cum & attenderet Cæſar Scaliger aliud diſcrimen quæſivit, ac reperit. Ipſum audiamus Exercitat. ad Cardanum cxxxix: *Herba convenit cum cremio ſtipitis unitate aliquando, ut braſſica: nonnunquam cum frutice ſtipitum multitudine, ut fæniculum: alias cum eorum neutro ſtipitis carentia. Differt ſemper, & omnis, & ab omnibus, alio diſcrimine. Sola namque ſtatim fundit ab radice folia, præter ea bina prima, quæ cunctis communia, ſucco e ſeminis pulpa prodeuntia, ſunt aſſuta radici. Nam & arbor, & cremium, & frutex, continuo ab iis foliis edunt ſtipitem: herba omnis inſuper folia: procedente vero tempore etiam ſtipitem quædam, quædam nullum unquam.* Subjungit deinde, quomodo hinc lucem accipiat illud doctiſſimi omnium poëtæ, *Tibi meſſis in herba eſt.* Mallem *ingenioſiſſimi* dixiſſet. Nec enim Maronis eſt, ſed Ovidii epiſt. Helenæ ad Paridem:

Sed nimium properas, & adhuc tua
Meſſis in herba eſt.

Cui geminum hoc Plinii libro duodevigeſimo, cap. ſeptimo: *Frumenta hyeme in herba ſunt, verno tempore faſtigiantur in ſtipulam.*

Herbarum aliæ ſunt alimentariæ, aliæ coronariæ, aliæ medicamentariæ.

Primi generis ſunt fruges, & olera. Fruges à Plinio lib. xviii, cap. vii, diſpeſcuntur in frumenta, & legumina. Illis prætenues multæque radices, eoque ſurculos non emittunt: his verò ſurculi ramoſi, quia radix eſt lignoſa: ut apud Theophraſtum lib. ii Hiſtor. cap. viii, ac inde Plinius loco proximè memorato. Frumenta ſic Plinius ibidem dividit pro tempore ſationis: *Frumenti ipſius totidem genera, per tempora ſatus diviſa. Hyberna, quæ circa Vergiliarum occaſum ſata terrâ per hyemem nutriuntur; ut triticum, far, hordeum. Æſtiva, quæ æſtate ante Vergiliarum exortum ſeruntur; ut milium, panicum, ſeſama, horminum irion, Italiæ duntaxat ritu: alioquin in Græcia, & Aſia, omnia Vergiliarum occaſu ſeruntur. Quædam autem utroque tempore in Italia. Ex his quædam & tertio, veris ſcilicet.* Legumina Græcis ὄσπρια dicuntur, forraſſè à ſatione, κατὰ μετάθεσιν *a* ab a *Per*
ἔσπορα, item χέδροπα quaſi χειρόδροπα ut Latinis quia *tranſpoſitionem.*
manu leguntur. Galenus lib. i de alimentorum facultatibus, reponit quidem inter δημήτρεια σπέρματα, *ſemina Cerealia*; ſed eo diſcernit, quod ex his non fiat panis. Duo eorum genera ſunt. Nam quædam naſcuntur in ſiliquis, quædam non item, quæ capitata dicuntur. Illa prioris generis, vel majora ſunt, vel minora. Majora, ut fabæ, phaſeolus, piſa, lupini, ciceræ, cicerculæ, lentes, aracæ. Minora autem eorum, aphaca, vicia, fœnum-Græcum, eryſimum, ſeſamum, lolium. Capitata ſunt papaver ſativum, linum, cannabis, orminum, vitex, atque alia.

Hæc de frugibus, ſed voce ea ſtrictius accepta, quàm Juriſconſultis. Vide, quæ de vocis ejus uſu ſcribit Cæſar Scaliger Animadverſionibus in Hiſt. Plant. lib. viii, cap. i.

Olera ſunt braſſicæ, cichorea, lactuca, beta, portulaca, malva, cepa, porrum, petroſelinum, &c.

Flores, herbæque coronariæ, dicuntur, quæ odoris, vel ornatus ergo expetuntur, imprimis in coronis. Ut ſunt violæ, bellis, flos caryophyllorum, majorana, roſmarinus, nardus, narciſſus, lychnis coronaria, &c.

Flores, ſi credimus Iſidoro lib. xvii Originum, c. vii, ſic dicuntur, quaſi fluores, quia cito defluunt ac ſolvuntur. Malim quia fluant, & oriantur è planta. Qua mente etiam derives à βλάστος, quia plantæ illos βλαστάνουσι, ſive emittunt. Aliqui à χλόος, quo viriditas ſignificatur, ſive ut Tertullianus lib. de Pallio loquitur, viror, ſed ille imprimis, qui in pallorem vergit. Omnium autem maximè placet, ut ſit à φλὸξ, flamma: quia inſtar flammulæ emicant; unde & cæleſtes ignes vocantur *flores*: qua de

re

re dictum in Oratoriis lib. IV. cap. VI, ſect. III: ubi oſtenſum, & *flores* pro ſtellis, & *ſtellas*, ac *ſidera*, pro floribus uſurpari. Cùm verò id florum, ſit commune, quòd ob colorem quaſi flammulam de ſe jaciant, tamen violæ ſpecies id κατ᾽ ἐξοχὴν, meruiſſe viſa, ut φλὸξ diceretur.

Multiplex eorum virtus: odore recreant, & delectant ſpiritum: colore oblectant viſum: lenitate etiam tactum. Præterea virtute varios ſanant morbos.

Flos alius domeſticus, alius ſylveſtris, ſive campeſtris: quorum hic per ſe creſcit, ille non item.

Altera etiam diviſio eſt. Nam flores aut hiberni ſunt, aut verni, aut æſtivi, aut autumnales: quomodo à tempore eos dividit Rodolphus Agricola lib. I de Inventione, cap. VII. Porrò plurimum quidem flores multis conſtant foliis. Jaſione tamen folii eſt unius: ut ait Theophraſtus lib. I Hiſtor. cap. XXI. vel potius folii eſt nullius, quando, ut ibidem Cæſar Scaliger annotavit, folium non eſt, quod non eſt diviſum.

Medicamentariæ ſunt aromaticæ iſtæ, crocus, zingiber, zedoaria, galanga, calamus aromaticus, acorus, &c. Hujuſmodi ſi vis præcipue inſit radici, *radices*, dicuntur: ſin flori, *flores*: ſi verò foliis, *herba*: nempe à parte nobiliori.

Hactenus dictum de plantis perfectis: ſequuntur imperfectæ: ut quæ radice ſub terris, vel caule extra terras carere videntur. Hujus generis ſunt tubera: de quibus ſic Plinius lib. XIX, cap. II: *Tubera undique terrâ circumdata, nulliſque fibris nixa, aut ſaltem capillamentis, nec utique extuberante loco, in quo naſcuntur, aut rimas agente: neque ipſi terræ cohærent. Cortice etiam includuntur, ut planè nec terram eſſe poſſimus dicere, nec aliud quàm terræ callum.* Radice carere ait Theophraſtus lib. I, cap. IX. At Scaliger ad eum locum annotavit, totum tuber eſſe radicem. Nec hæ pugnant opiniones. Nam in tuberibus idem eſt radix, ſtipes, fructus, omnibus in unum confuſis.

Addit ibidem Theophraſtus, fungum radice deſtitui. At ini bi annotat Scaliger: *Ego radiculas vidi.* Nempe minutas adeo, ut Theophraſtus fuerit dicturus, non mereri radicis nomen. Jam quod ad caulem, is capillo Veneris deeſt, niſi capillamenta habeas pro ſtipite: quod placitum Scaligero Exercitat. CXL.

Mirum verò arbores quandoque immutari non colore ſolum, quomodo Plinius putabat ex populo alba eſſe factam nigram, ſed etiam foliis, fructu, ac totâ prope arboris naturâ. Qua de re ſic Cæſar Scaliger ad Cardanum Exercitat. CLXIX: *Mutantur vel naturâ, vel arte, vel oſtento. Naturâ, veluti cum ſtereleſcunt, aut fœcundantur, ſoli, cælive mutationibus: ut olea, oleaſtrum. Arte, ut inſitione, amputatione, ſtercoratione, ablaqueatione, cultu denique. Oſtento, ut Xerxis adventu olea in platanum. Quamquam occultam fortaſſe naturæ ſubeſſe proportionem putandum. Ex platani ſiquidem baccis, ſale & aqua maceratis, oleum fieri, memoriæ proditum eſt.* Vide & quæ de herbis arboreſcentibus idem ſcribit Exercitatione CLXXI. Etiam è tritico lolium fit, è lolio item triticum. Ajunt & è braſſica fieri rapa. Sed placet ejuſdem Scaligeri judicium Exercitat. CLXXVII, ſect. IV. Cenſet is, uti ex aſina & equo fit hinnus, ita commixto braſſicæ & rapi ſemine fieri caulorapa. Vide eundem in Theophraſti Hiſtor. lib. II, cap. III, ubi falſo ait Theophraſtum pro fabula habere, quod dicitur triticum atque hordeum mutuo naturæ tranſitu alterum in alterum tranſire: nam ſemet hoc vidiſſe: magiſque mirandum eſſe de braſſica, ac rapo, ubi nulla apparet ſimilitudo. Ob imperfectionem quædam plantæ in alias degenerant: id. Scalig. I de Plant. p. 62. b. & 63. a.

Cap. IX.

De plantarum effectis in inanima, plantas, & muta animalia. De potentia & actu per exempla naturalia. Efficaciæ gradus 4 τάξεις καὶ ἀριθμοὶ Græcis medicis dicti. Oleum malaciam gignit. Συμπάθεια oleæ & vitis. Ficus taurum mitigat. Rhamnus ſtriges arcet. Lyſimachia diſcordantes cohibet boves. Quid quædam plantæ ovis ſubſtratæ præſtent. Capiendis feris utiles herbæ. Platanus veſpertilionibus adverſatur, dictamnum ſerpentibus. Conſiligo & veratrum pecori prodeſt. Hippice famem & ſitim arcet.

FAcultates plantarum duplices ſunt: nam aliæ tales ſunt ἐνεργείᾳ ſive actu, aliæ δυνάμει, ſive potentiâ. Priori modo aqua eſt humida, ignis calidus. Poſteriori modo etiam infans eſt rationalis: panis eſt caro, potentia remotâ; chylus in ſtomacho potentia propiori: ſed ſanguis humanus proxima id potentia eſt. Sic δυνάμει ſtirpes quædam calidæ dicuntur, quia ubi in minutas partes conciſæ, atque ita adſumtæ, calore noſtri corporis incaluerint, calefaciant nos. Nempe ut ligna arida ab igne facile accenduntur, ac flammam concipiunt: ſic ſtirpes calidæ à corpore calefactæ, calefaciunt magis corpus noſtrum.

Sunt verò efficaciæ quatuor gradus. Quædam calefaciunt, frigefaciunt, humectant, vel exſiccant ſimpliciter, quod primum gradum vocant: quædam magis corpus immutant, quædam faciunt ulterius; quædam maximè, quod in gradu quarto appellant. Hi gradus Græcis τάξεις, ſive ordines, ἀποστάσεις ſive diſtantiæ, Galeno ἀριθμοὶ ſive numeri, appellantur.

Plantarum mirandos effectus conſpicere eſt penè in omni rerum genere. Ac primùm in rebus inanimis. Ut oleum cur malaciam gignat hanc rationem adducit Theophylactus Simocatta Problem. VII. Λεπτότατον ἔφυ τὸ πνεῦμα πολυκρατές· τὸ δὲ ἔλαιον γλισχρὸν καὶ λεῖον καθέστηκεν· ὀλισθαῖνον γοῦν τὸ πνεῦμα διὰ τὴν λειότητα, ἀδυνατεῖ προσεπεγείρειν τοῖς ὕδασι κλύδωνα. *Tenuiſſima materiæ ventus eſt, Polycrates: oleum vero lubricum & leve, quocirca prolapſus in lubrica ſuperficie ventus, tempeſtatem in aquis commovere non poteſt.* Michaël Pſellus diſſertationem edidit a, Διά τι τοῦ θαλάσσης ἐλαίῳ καταῤῥαινομένης γίνεται καταφάνεια, καὶ γαλήνη. *Cur effuſo in mare oleo dilucidum fiat, ac tranquillum.* De oleo item vide Aloyſium Novarium ſacroprof. lib. IX. cap. VI. de chriſmate idem lib. VIII.

a *Ut eſt in catalogo opuſculorum Pſelli apud Leonem Allatium diſſertatione de Pſellis pag. 94.*

Miri etiam effectus in plantas alias. Ut oſtendit συμπάθεια oleæ, & vitis. Nam ſi olea viti inſeretur, non olivas modo, ſed uvas quoque proferet. At maxima ejus ἀντιπάθεια, ac quercus.

In muta etiam animantia vis mira eſt plantarum. Ut ficûs, ad quam ſi tauri etiam ferociſſimi alligentur, manſueſcere exiſtimantur. Rhamnus ſtriges arcet. Dioſcorides f. 48. & ibi Gonpylus, puta fol. 388. b. Lyſimachia, dicta ab Lyſimacho, uno ex fortiſſimis ducibus Alexandri Magni, poſteaque Thraciæ rege, odore eſt acri, cujus tanta vis, ſi Plinio fides lib. XXV, cap. VII, *ut, jumentis diſcordantibus, jugo impoſita, aſperitatem cohibeat.*

Plantæ quædam ovis ſubſtratæ præſtant, ut ne iis noceant tonitrua. Columella lib. I, cap. V: *Plurimi infra etiam cubilium ſtramentum graminis aliquid, & ramulos lauri, nec minus allii capita cum clavis ferreis ſubjiciunt; quæ cuncta remedia creduntur eſſe adverſus tonitrua, quibus vitiantur ova.* Ad feras capiendas utiles herbæ variæ: pardalianches contra pardalim, lycoctonus contra lupum; de quibus dictum ſuperius.

Platanum veſpertilionibus adverſari, ait Plinius. Unde & ad ingreſſus locorum, quæ memimus, ne iis infeſtentur, platani folia jubent ſuſpendi. Hoc edocti ſumus à ciconiis, quæ propterea hæc nido imponit, gnara veſpertiliones ſolere ad ea advolare, ſoloque contactu efficere, ut ſterileſcant. Auctores Ælianus lib. I de Animal. cap. XXXVII, Philes in Jambis, Zoroaſtres in Conſtantini ſive Baſſi vel Dionyſii Geoponicis. Quam variis rebus, præcipuè plantis, ac foſſilibus, ſerpentes fugentur oſtendit Epiphanius initio hæreſios XXXI, ſive LI, quæ eſt

Alo-

Alogorum: Ἑρπετῶν μὴ δυναμένων ἀντιχεῖν πρὸς τὴν ὀσμὴν τοῦ δικτάμνου, ἤτοι στύρακος, ἢ λιβανωτίδος, ἢ τοῦ ἀβροτόνου, ἢ τῆς ὀσμῆς τοῦ ἀσφάλτου, ἢ τοῦ θυμιάματος ἢ τοῦ λίθου τοῦ Γαγάτου, ἢ τοῦ κέρατος τοῦ ἐλάφου· Φασὶ γὰρ οἱ ἐν συνηθείᾳ γεγονότες, καὶ διὰ πείρας τούτων ταῦτα τὰ εἴδη ἀπελαστικὰ εἶναι ἑρπετῶν καὶ ἰοβόλων· *Serpens dictamni, vel ſtyracis, vel libanitidis vel abrotoni, vel bituminis, vel ſuffitus, vel Gagatæ lapidis, vel denique cervini cornus odorem non ſuſtinet. Iſtis enim ſerpentes, ac beſtias venenatas abigi ajunt qui id uſu atque experientia didicerunt.* Etiam plantæ magnam habent efficaciam in pecore, & jumentis, canibus quoque ipſis. Sic conſiliginem pecori prodeſſe ait Columella lib. VI, cap. V: radices nigri veratri, Plinius lib. XXV, cap. V. Hodieque eo utuntur ſimiliter ruſtici. Buphthalmo pro eo utuntur medici, & pharmacopœi in Bohemia Matthiolo teſte. Multa ejus generis ſuggeret Vegetius lib. de re veterinaria: item de ἱππιατρικῇ Hierocles, Abſyrtus, alii. Vidimus de iſto obiter quoque opere de ſatisfactione Chriſti pro illuſtri Hug. Grotio, adverſus H. R. exarato.

Hippice herba ex eo dicta, quòd eam ſi equi in ore habeant, famem ſitimque non ſentiant: ut ait Plinius lib. XXV, cap. VIII. Atque addit, eundem effectum habere locum in hominibus. Imò hac herba, & alia quæ Scythice vocatur, *Scythas etiam in duodenos dies durare in fame ſitique.*

Cap. X.

De effectis plantarum quoad rem cibariam, ac primo loco de pane ejuſque primævo uſu, & varia frumentorum materie. Quod frumentum princeps ſit planta. Græcorum antiquiſſimi balanophagi. Ceres Sicula, Ægyptia. Glandibus ſucceſſere far apud Rom. hordeum apud Græcos. Puls Rom. polenta Græcorum. Far & triticum quomodo differant. Tritici tres ſpecies. Triticum inter frumenta primum. Ex hoc panis quadruplex: ſiligineus præſtantiſſimus. De polline, & pane pollinario ſive idem ac furfuraceus. De præparatione panis, pane azymo & fermentato, teſta aut furno cocto. Democritus exhalatione panis vivit. Hordeum apud Romanos quid. Panes olyræ ſive arineæ poſt triticeos ſuaviſſimi: ſed zea quid. Quales typhini panes. Zeopyron medio eſt loco inter zeam & πυρὸν ſeu triticum. Quid Thracum & Macedonum briza. quis panis inde. Secale cis Alpes aſia dictum. panis ſecalitius difficilis concoctu. Ptiſana ex Hiſpanorum oryza. Panes panici cujus generis. Avena quorum pabulum. Quid tragotrophum. Hordei ptiſana, polenta. Hordeum ſiccans, humectans. Milium minoris alimenti. Bellaria ſtomacho quid. bella non bella, mellita non mellita.

IN rebus verò ſeculi maximè plantarum utilitas apparet ratione alimenti: idque tum in cibo, tum in potu. Ac de cibo quidem ſic Deus ipſe apud Moſem Gen. I. 29: *Ecce dedi vobis omnem herbam producentem ſemen, & omne lignum, in quo eſt fructus arboris ducentis ſemen, vobis erit in eſcam.* Imò & animantibus mutis. Unde Moſes ſubjungit: *Ac omni beſtiæ terræ, cunctiſque volucribus cæli, atque omnibus reptantibus ſupra terram, in quibus eſt anima vivens, omne olus herbæ erit in eſcam.* Idem legas Pſalm. CIV. 14. Atque hic aliquis exſpectet, ſolisne plantis, an & carnibus animantium, Adamus vixerit, & cæteri ante diluvium. Sed hanc quæſtionem excuſſimus jam lib. III. hujus operis, cap. LXV. Solis quidem foliis vivi non poſſe, ordo Foliatanorum experientiâ didicit. Ac conſtat vivi poſſe ſine carnibus, dum ſuppetant ſemina, & fructus.

Verulam. lib. de vita & morte, pag. 105.

Alimentum, ut Hippocrati lib. de Alimento traditum, trifariam dicitur: primum, quod actu nutrit: ut jam parti corporis affigitur, ac reipſa immutatur. Deinde quod eſt οἷον τροφή, *velut alimentum*: puta quod in proxima eſt potentia, ut ſanguis. Denique τὸ μέλλον τροφή, quod futurum eſt alimentum, ſive, quod in remotiori eſt potentia, ut nutriat: velut cibi. Ac poſtremo hic modo accipitur. De alimonia hac e plantis primum loquar: atque hoc tum ratione panis quotidiani, ut vocamus vulgatum ſcripturæ interpretem ſecuti: tum etiam ratione obſonii. Uſus panis antiquiſſimus eſt: ut qui ab Adamo, & Caino, primis agricolis, cœperit: ut mirum ſit, uſque adeo in eo conſentire gentes, hominum vetuſtiſſimos fuiſſe βαλανοφάγους a. Nec tamen repugnamus, quo minus tales fuerint in Græcia, donec frugum ſerundarum rationem ab aliis ſunt edocti. Panis materies varia ſunt frumenti genera.

a Glandibus veſcentes.

In omnibus verò plantis principatus eſt penes frumentum. Magnumque eſt divinæ bonitatis argumentum, quod voluerit id naſci non in regionibus modò temperatis, ſed etiam calidiſſimis, ut Africa, ac frigidiſſimis, ut Livonia, Ruſſia, Suedia. Græcorum certè antiquiſſimi fuere βαλανοφάγοι: ut vel notum proverbio Ἄλις δρυός b. Frugum ſationem Athenienſes edocti ab Eleuſiniis, Eleuſinii a Siculis, Siculi, ut videtur, ab Ægyptiis: apud quos rex Oſiris, & Iſis regina primi dicuntur docuiſſe ſationem frumenti. Imò eadem poſſit videri Ceres Sicula, ac Ægyptia Iſis. Qua de re ſatis dictum lib. I, cap. XVII. Cùm verò à veteribus dicitur, antiquiſſimos ante fruges inventas glandibus veſci ſolitos: non hoc voluere, non noviſſe eos alios arboreos fœtus, quàm glandes: ſed his imprimis uſos loco panis. Glandibus primò ſucceſſere hæc duo, far, & hordeum: hoc quidem apud Græcos, illud apud Romanos. Ac de hordeo quidem teſtis Theocriti ſcholiaſtes ad Idyll. VII: de farre Ovid. VI. Faſt.

b Mutia ſeu ſatis querens.

Sola prius furni torrebant farra coloni.

Imò de utroque auctor gravis Dionyſius Halicarn. lib. II Antiq. ubi docet ideo ab hordeo in ſacris initium ſacere Græcos, vocareque οὐλάς: Romanos verò far propterea adhibere, cùm mactant victimas, imò & in nuptiis ideo vocari confarreationem. Qui verò præter far adoreum nativum, aliud eſſe, nempe factitium, arbitrantur, refelluntur ab Hieronymo Mercuriali lib. II, cap. XXIII. Ac Verrio traditum, & exinde Plinio lib. XVIII, cap. VII populum Romanum ſolo farre annis uſum trecentis. Nec quia hordeum, & far noſſent, ideo hordeacio, aut farreo pane fuere continuò uſi. Nam ut apud Græcos diu obtinuit polenta, ita apud Romanos puls. Plin. lib. XIX, cap. VIII: *Pulte, non pane, vixiſſe longo tempore Romanos manifeſtum.* Quod pluribus deinde argumentis probat. Subjungit poſtea: *Videtur tam puls ignota Græciæ fuiſſe, quàm Italiæ polenta.* Fiebat autem polenta ex farina hordei toſti frictive. Porrò far, hordeumque etiam ſationis loco differebant: ut docet Varro lib. I de R. R. cap. IX: *Periti in loco humidiore far potius ſerunt, quàm triticum: contra in aridiore hordeum potiùs, quàm far: in mediocri utrumque.* Ubi & triticum memorari videmus. Differunt autem far, & triticum, quod triticum haberet ſpicam muticam, ſive mutilam, & ariſtis carentem, ut Varro interpretatur lib. I de R. R. cap. IV. At ſpicum farreum ſit ariſtatum, ut indicat Feſtus in *Reſtibilis.* Deque ariſtis quod dixi, imprimis liquet ex zeæ genere quod à ſimplici ſpicæ grano dicitur monoccos. Ac triticum quidem dictum, (ut ex IV Varronis de L. L. cognoſcimus) quia ex ſpicis tritum: imò & trituratione repurgatum. Far verò eſt ab Hebræo בר, quod LXX ſæpe reddunt σῖτον. Eſtque ab Hebræo illo etiam Græcum πυρός, etſi ſæpiùs de tritico dicatur.

Triticum Columellæ eſt triplex, robus, grani magis ponderoſi ac nitidi; cujuſmodi apud nos Zelandicum: ſiligo, quæ pondere deficit: & ſeraneum, ſive triticum τρίμηνον, hoc eſt trimeſtre. Belgis verò τετράμηνον potiùs dicatur, quia Martio ſatum nonniſi Julio demetitur. Sed quam exiguum ſit hiſce tribus diſcrimen ſit, ex eo apparet, quòd mutato vel ſolo, ubi naſcuntur, vel tem-

tempore ſationis, imò vel deſide, vel diligenti culturá, genus unum tranſeat in alterum. [a] Siliginem Plinius *a* tritici delicias cenſet: Columella *b* autem vocat tritici vitium. Nimirum Plinius Urbis delicias attendit. Nam panis ex eo candidior, levior, ſuaviorque. Columella autem, tanquam bonus pater-familias, conſiderabat pondus: quo, Plinio etiam teſte, triticum maximè diſcernitur. At eo vincitur ſiligo. Græci videntur caruiſſe ſiligine, ad tempora uſque Galeni: ut qui dicat non poſſe ſe Græcè dicere, eoque retinere vocabulum Σιλίγνις. Ac ex quovis quidem frumento panis fit, ſed optimus è tritico. Dictus *panis*, quia eo potiſſimum paſcimur. Nempe à πάω, unde *paſco*, ut ab *bio*, *biſco*: etiam βρώσκω *c* à βρόω, unde βρωτὸς, inde *brood* Belgis pro pane. Eſt triticeus panis quadruplex, pro quadruplici ejus partium ſeparatione, & miſtura. Quod Cornelius Celſus indicat lib. II, cap. XVIII: *Ex tritico firmiſſima ſiligo: deinde ſimila; deinde cui nihil ademptum eſt, (quod αὐτόπυρον* d *Græci vocant) infirmior eſt; ex polline infirmiſſimus cibarius panis.* Firmius ac valentius id dicit, cui plus alimenti eſt, ut ſe ipſum antea interpretatus fuit. Primum in hac re locum tribuit ſiligini: quo nomine hic intelligit vel florem ſiliginis, vel farinam à furfuribus expurgatiſſimam: unde panis ſiligineus dicitur, qui inde confectus. Itaque Juvenalis lib. I, ſat. V, cum dixiſſet porrigi ſolum

a Lib. 18. cap. 8.
b Lib. 2. cap. 9.
c Comedo.
d Ipſum atque merum triticum.

—— *Mucida fruſta farinæ*:

mox ſubjungit:

Sed tener & niveus mollique ſiligine factus
Servatur domino.

Proximus locus à Celſo datur ſimilæ, ſive ſimilagini, quæ Græcè vocatur σεμίδαλις. In hujuſmodi farina excuſſi quidem ſunt furfures craſſiores, ſed non tenuiores. Laudat Martialis in Xeniis:

Nec dotes poteris ſimilæ numerare, nec uſus,
Piſtori toties, cum ſit & apta coquo.

Hinc fit panis ſimilaceus ſive ſimilagineus, qui Græcis ἄρτος σεμιδαλίτης. Tertium locum adſignat farinæ illi, cui cribro nihil vel floris, vel furfurum deceſſit. Unde fit panis confuſaneus, qui Græcis συγκομιστὸς, aut αὐτόπυρος, vel αὐτοπυρίτης nominatur. Poſtremum locum occupat apud Celſum, quod mirum, cùm Plinio flos farinæ, ac pollen eo ſolo diſtinguantur, quod flos ſit in ſiligine, pollen in cætero tritico: imò & pollinis florem legas lib. XIII, cap. XII. Indeque Plautus pollinarium cribrum dixit, quo excutitur pollen, & à furfuribus diſcernitur. At Celſo, ſi locus eſt ſanus, ipſi furfures pollen videntur. Nam ait, inde eſſe cibarium atque infirmiſſimum panem. At is eſt panis furfuraceus, ſive furfuroſus, qui Græcè πιτυρίτης. Similiſque, videtur ac ille, qui Lucillio ſat. XV. apud Nonium dicitur è *farre aceroſo*. Præcipuè ſi plus aceris, quàm farris adſit. Etſi autem flos maximè ad nutriendum idoneus; non tamen nihil boni in furfuribus, cùm vim habeant abſtergendi. Præterea ut minus alant, faciliùs tamen alvum ſubeunt. Quod haut leve exiſtimandum. Nullum enim ſtomacho gravius eſt opus, quàm à pane: qui male concoctus hepar obſtruit, & venas meſaraicas.

Vidimus de primo panis diſcrimine quod eſt ratione farinæ. Præterea diſcrimen eſt ratione præparandi. Præparatio attenditur trifariam, ante coctionem, in ea, & poſt eam. Ante illam conſiderantur fermentatio, & ſubactio. Fermentum, quod Græcis ζύμη, eſt farina ſubacta, ac deinde ſale adſperſa, tum relicta, donec aceſcat, hinc maſſæ addita, ſuoque calore & acrimonia præſtans, ut ea intumeſcat, eoque panis inde fiat levior, ac concoctu digeſtuque facilior. At panis ἄζυμος pejoris eſt alimenti, cruditates ſtomachi gignit, ac meatus obſtipat: unde morbi graviſſimi. Quos ut effugiamus, ſatius ſit modum in fermento excedere, quam ut deſiat. Exceſſu enim ſolum deceſſerit alimoniæ, quia panis nimis rarus ac ſpongioſus citius diſſipetur, ac quia minùs durabile ſit ejus alimentum, eo nutriat minus. Ita Galenus lib. I de Alimentis, atque alii. Melius ſanè quàm Celſus lib. II, cap. XXV, & XXVIII, ubi fermentatum panem cenſet ſtomacho nocere, facileque corrumpi. Conciliare tamen ambos conatus Renatus Moreau. Vide eruditas ejus Animadverſ. in Scholam Salernit. cap. XVII. In ſubigendo plurimùm refert, ut ſalem, eumque bonum adſpergamus: item ut nonniſi ſalubrem aquam affundamus. Sine ſale panis minus ori & ventriculo gratus erit. Imò nec levis, eoque inſalubrior: ſale non depaſcente humores crudos, unde gravitas panis; in corpore verò humoris lentore, obſtructiones, & calculum pariente. Aqua marina, mala magna adfert. Lac pro aqua non improbem, niſi hoc fieret, in viliori tritico, ut candore illud melius triticum ementiatur, lucro piſtorum, ſed damno edentium. Præterea quaquavorſum depſendum, ut fermentum, ſal, aqua ad omnes pertingant partes: ne harum quædam etiam a coctione ſint farinaceæ; quædam vel ſalſæ nimis, vel inſipidæ.

In coctione curandum, ne lignis utamur putridis, fumidis, mali odoris. Juſta etiam eſſe coctio debet, quâ ſine tum graviores fiunt panes ob remanentem humorem: tum palato adhærent, ut mandi nequeant. Cujuſmodi panis non poteſt non obſtructiones gignere, niſi quis multo corporis exercitio vitium hoc corrigat. Sed neque diutius æquo coquendi. Nam calore nimio non ſolum abſumitur humor ſuperfluus; ſed etiam ſucculentus ille, quo ad alimoniam opus eſt. Atque ex his liquet: cur & cruſtæ damnentur. Siccæ enim ſunt & aduſtæ: eoque acrimonia ſuâ gignunt choleram aduſtam, & humores melancholicos. Interim hoc boni præſtant, quod cibum ſuo pondere deprimant: etiam humidioribus ſtomachis humores abſumunt. Refert etiam utrum in furno, an teſta coquamus. Prior panis dicitur ἰπνίτης, quod furnarium Cornarius vertit. Alter vocatur κλιβανίτης; licet à nonnullis contra traditum ſit. Utriuſque cocturæ meminit Galenus in primo de Alimentis: ubi ἰπνίτας poſtponit κλιβανίταις, quia ob immoderatum furni calorem, non æquè interius, ac exterius coquantur. Pluraque de eo Mercurialis lib. I Var. Lect. cap. XII.

Nunc videamus, quæ coctionem ſequuntur. Recens furno extractus, eoque calidus etiamnum, naribus admotus, exhalatione prodeſt infirmis: ut vel exemplo Democriti conſtat, qui hoc ſolo vitam triduo ſuſtentavit, donec nempe ſoror à Cereris ſacris rediiſſet: ut eſt apud Laërtium in Philoſophi hujus vita. Calidos recentes plus nutrire frigidis & veteribus, etiam Athenæi medici judicium eſt apud Oribaſium Sardianum lib. I Collectan. cap. IX: idem Simeon Sethi. Sed talis panis comeſtus tardè deſcendit è ſtomacho, etiam recenti exhalatione corpus inflat, & diſtendit, ac viſcido humore obſtruit, ſitim quoque gignit. Teſtis Hippocrates lib. I, de ratione victus. Et tamen peior hoc, biduo jam reſervatus, præſertim mucidus, & vetuſtate induratus. Pridianus melior, ſed optimus ille, qui recens planè; ut Simeon Sethi tradit: ſic tamen ut omnino refrixerit, quomodo Simeonis ſententia reſtringi debet.

De tritico hactenus: in quibus & aliquid de zea, & hordeo dictum. Sed de hordeo illud addendum, etſi apud Athenienſes antiquiſſimum in cibis hordeum fuerit, teſte Plinio lib. XVIII, cap. VII: apud Romanos tamen vitam damnaſſe, & quadrupedum tradidiſſe refectibus: vel pro pœna fuiſſe militari, ut pro tritico hordeum daretur: quod primus M. Marcellus fecit militibus ad Cannas ab Annibale devictis: Livio teſte lib. XXVII. Ac Auguſtus ſimiliter, ut Suetonius in ejus vita ait cap. XXIV, *cohortes ſiquæ ceſſiſſent loco, decimatas hordeo pavit.* Imò & ab Antonio idem factum, cum legiones ejus Parthis ceſſiſſent: Dionis de eo verba ſunt lib. XLIX: κριθὴν ἀντὶ τοῦ σίτου ἔδωκε καὶ ἐδεκάτωσέ τινας, *hordeum pro tritico dedit, & decimavit aliquos.* Etiam ſagina fuit gladiatorum: qui inde *hordearii*, Plinio teſte *a*, nuncupati. De ptiſana ex hordeo in medicamentis poſtea dicetur. a Lib. 18. cap. 7.

Præ-

Præter hæc & alia ſunt frumenti genera. Ut olyra, ſicut Græci vocant, quæ Latinis *arinca*; teſte Plinio lib. XVIII, cap. X. Nec Plinius modo frumentis annumeravit ſed etiam ante eum Celſus, Galenus tamen mavult ad legumina referre. Panes inde dulciſſimos, ac præſtantiſſimos fieri poſt triticeos, teſtis Plinius, nec non Galenus de facult. alim. Minus etiam zea nutrire, Dioſcorides docet.

Item τύφη, quæ vulgo typha Cerealis, ut diſtinguatur à paluſtris arundineti typha. Germanis eſt *Welſch weitzen*, Belgis *Roomſche terwe*. Mneſitheus putabat idem eſſe typham, & olyram. Quod vicina eſſe arguit. Differunt interim: unde hac parte Mneſitheum erroris arguit Galenus. Qui & cenſet, typhinos panes proximæ eſſe bonitatis poſt olyrinos. Vide eum de aliment. facult.

Zeopyron, ut compoſitio arguit medio eſt loco inter zeam, & πυρὸν ſive triticum. Ac Hiemo Tragus ait, culmo & ſpica ſimile eſſe zeæ; tritico autem ſimile grano glumis explicato: unde Rembertus Dodoneus *a* cenſet idem eſſe ac Germanorum *Kernſamen*. Natura ejus media eſt inter triticum, & Zeam, quemadmodum ait Galenus de aliment. facultat.

a In Frugum hiſtor. cap. 6.

Thracum & Macedonum *briza* Dodonæo in Hiſtoria frugum cap. VII, videtur eſſe quod Germanis *Dinckelkorn* Nempe à Thracibus acceperint Germani: haut ſecus ac ab iis multa habent vocabula, quod oſtendimus præfat. in librum de Vitiis ſermonis. Panis ex eo eſt gravis, & ater, atque, ut Mneſitheus ſcripſit, ſubſtantiæ membroſæ.

Secale uni veterum Plinio memoratur libro XVIII, capite XVI. Belgis eſt *rogge*. Per omnia enim *rogge* noſtræ reſpondet, quæ Plinius ſcribit. Verba apponam: *Rarum dictu eſſe aliquid, cui proſit negligentia. Id autem quod ſecale, atque farrago appellatur, occari tantum deſiderat. Secale Taurini ſub Alpibus Aſiam vocant; aterrimum* b, *& tantum ad arcendam famem utile, fœcunda, ſed gracili ſtipula, nigritia triſte, ſed pondere præcipuum. Admiſcetur huic far, ut mitiget amaritudinem ejus, & tamen ſic quoque ingratiſſimum ventri eſt.* Hodieque ex ſecali, & tritico panem miſcellum habent Belgarum multi, quem *miſteluyn* vocant, ut Galli *miſtel*. Panis ſecalitius difficulter quidem concoquitur; imprimis expers furfurum: αὐτόπυρος autem licet noxius iis, qui imbecilli ſunt ſtomacho, illis tamen, quibus ſtomachus eſt calidus & robuſtus, ut qui non in otio degunt, ſed corpus perpetuo laboribus exercent, alimentum præbet firmum ac ſolidum. Aliter Latinis dicitur farrago, qui pro farragine jumentis daretur. Proprie enim farrago aliud; ut conſtat ex Varrone, Plinio, Feſto. Græcè τρώξις à τρώγω, *edo*. Hiſpanis ſecale dicitur *centeño*. Imo jam Iſidori ætate ſic dicebatur: ut videre eſt ex Iſidoro lib.... Originum cap.... *Centenum*, inquit, *appellatum eo quod in pleriſque locis jactus ſeminis ejus in incrementum frugis renaſcantur.* Et etymon hoc confirmant hæc Plinii verba, proximè poſt verba ſuperiùs memorata: *Naſcitur qualicunque ſolo cum centeſimo grano, ipſumque pro lætamine eſt.*

b Sic vet. cod. approbante etiam Dodonæo in frugum hiſt. cap. 8. In aliis eſt deterrimum.

Oriza, quæ Germanis *rijs*, ex Hiſpaniis nobis piſta ac purgata advehitur. Ptiſana inde Belgis cum lacte cocta, non boni minus alimenti, quam palato grata.

Panicum ita dictum à paniculis ſive loculis, quibus ſemen continetur, Germanis *Heidelphennig*, Belgis *panickoren*. In panes coqui, ſed exigui eſſe alimenti, legas apud Dioſcoridem, Galenum, Plinium.

Avena, Græcis eſt βρόμος, Belgis *haver*. Aliquando & ex ea panis fit, ſed nonniſi publica fames ſic ſuadeat. Alioqui jumentorum eſt potiùs, quam hominis cibus.

Tragotrophum à Dodonæo in Frugum Hiſtoria cap. XV vocatur, quod Belgis *bockweijd*, voce conflata ex *bok*, τράγος, & *weijd*, pabulum. Quomodo veteres dixerint, ſatis eſt obſcurum. Paniſicia quædam, ac pultes inde conficiunt. Verum non multum nutriunt.

Oriza, ob vim adſtringendi, alvum ſiſtit: ut eſt apud Galen. de aliment. Facult. & de Facult. Simplicium, item Dioſcoridem, ac Pſellum.

Hordeum, quod Græcis κριθὴ, Belgis & Germanis *gerſte*, ſive panem, ſive ptiſanam, ſive polentam inde feceris, refrigerandi vim habet: ut eſt apud Galenum lib. de facult. aliment. Parum habeat alimenti, imprimis ſi non utare hordeo candido puroque. Interim corpus calefacit, & pro præparandi modo, vel humectat, vel exſiccat.

Milium Græcis eſt κέγχρος, Germanis *hirſz*. In panem coactum, minoris eſt alimenti, quam ex frugibus aliis: ut eſt apud Dioſcoridem, ac Galenum de facult. aliment. & ſimplic. facult.

Atque hæc ſufficiant de frumentis, non panis ſolum materie, ſed etiam pultis, polentæ, & offæ: item placentæ, artolagani, cruſtuli, & ſimilium deliciarum: quæ à bello ſapore, bellariorum nomen ſortitæ: Græcis dictæ πέμματα, non, ut vir eruditus *a* in diatetico ſuo ſcribit, ἀπὸ τοῦ πέμπειν *b*, quia ad amicos mitterent: ſed ἀπὸ τοῦ πέσσειν *c*, reſtrictâ generali ſignificatione ad anguſtiorem; uti & factum in vocabulo τραγημάτων, & τρωγαλίων *d*. Nec enim ſola eduntur, quæ apponuntur menſis ſecundis; gulæ verius irritamenta, ſtomacho adverſa: quippe magna parte difficilis concoctionis: unde ſcitè Varro in Sat. *e* *Bellaria ea maxime ſunt mellita, quæ mellita non ſunt.* Πέμμασι *f* *enim cum* πέψει *g* *ſocietas infida.*

a Lud. N.
b Mittere.
c Coquere.
d Τρώγειν & τρώγειν, edere.
e Sat. Neſcis quid veſper vehat Heſperi
f Bellariis.
g Concoctione.

Cap. XI.

De leguminibus: ubi faba maximus honos. Ejus farina, lomentum; unde ſic dictum. Fabæ in cibis mortualibus. Faba in ſomniis. Fabarum ſiliquæ gratiſſimo pabulo pecori. An lenticulæ eſus, lenitatem & animi gaudium inducat, ubi ſimul de lepore & lepôre. Lenticulæ uſus in cibis funebribus. etiam Judæis cibus luctus fuit & unde. Piſorum uſus maximus in juſculis. De cicere, & cicercula quorum hæc luſtralis, & quibus. De ervo, & ervilia quæ cibus hominum. Phaſeoli. Lupini. Elegans ſimile de lupinis aquâ perfuſis dulceſcentibus. Leguminum facultates, & alimonia quæ qualis. puteana ne coquantur & quare.

A Frumentis venio ad legumina, alterum frugum genus, ut ſupra dictum.

Ex his, ut Plinius ait libro... cap. XII, *faba maximus honos: quippe ex qua tentatus etiam ſit panis. Lomentum appellatur farina ejus.* In onomaſtico eſt, *Lomentum*, τριγμένον ἄλευρον. Id fuerit faba freſa, ac comminuta. At conchis Juvenali, & Martiali faba quæ integra, cum ſiliquis, apponeretur, a conchæ figura ſic dicta. In gloſſis Philoxeni *lomenta* exponuntur σμήγματα. In Cyrilli gloſſis, Σμῆγμα, *lomentum*. Σμηγματοπώλης, *lomentarius*. Σμηκτὴς *pumicator*. Σμήχω, *lomento*. Cum igitur σμήχειν ſit *lotione abſtergere, purgare*, ut in proverbio. σμήχειν Αἰθίοπα· lomentum quoque quia ad lavandum, eo & abſtergendum uterentur, nomen habeat à lotu, ut à motu momentum, à fotu fomentum. Nec origo alia, cum accipitur pro coloris genere, quod fieret è cæruleo, ac lavando terendoque perficeretur: ſicut eſt apud Plinium lib. 11. Fabæ in cibis mortualibus, ſive cibis feralibus uſus: ut docet Feſtus præeunte hunc Plinio, illi autem Varrone. Verba eorum inferius forſan adducemus. Poteſt autem & videri Kirchmannus in Tr. de Funeribus p. 591. 592.

De fabæ uſu ſic Plin. lib. XVIII, cap. XII: *Fabæ multiplex uſus omnium quadrupedum generi, præcipue homini. Frumento etiam miſcetur, & maxime panico ſolida, ac delicatius fracta.* Et poſtea: *Aqua marina, aliave ſalsâ, non percoquitur. Siliqua, cauleſque gratiſſimo ſunt pabulo pecori.*

Fabæ interim ſomnia gignunt moleſta: eoque iis abſtinebant, qui ex ſomnio vellent divinare. Diximus de eo lib. III, cap. XXXV. Subjicit deinde Plinius, de lente, piſo, cicere, cicercula, ervo, phaſeolis, & lupino. Dicam de ſingulis ordine. Magna lenticulæ vis ſit, ſi vere de ea Plinius lib. XVIII, cap. 12: *Invenio apud auctores æquanimitatem fieri veſcentibus eâ.* Quod non puto aliunde proveniſſe quàm quia, magna eſt ſimilitudo ſi voces ſpectes, inter *lentes*, & *lentos*, hoc eſt lenes, & non facile iraſcentes. Nempe ut ſimile ſit illi, quod eum, qui lepores ederet, dixere lepôres amare, & ob eos formoſiorem videri aliquot diebus. Sanè neutro aliquid ſubeſt veri. Nam & leporina caro & lenticulæ cibus, gignunt atram bilem, ac ſuccum craſſum. Sed quo minùs huic de lente conjecturæ acquieſcam, facit quòd Florentinus in Geoponicis Conſtantini, lentem Ægyptiam lib. II ſcribat, afferre animi lætitiam. Quare fortaſſe hoc ab exteris acceptum ſit. Sane Romanis lenticula in cibis erat funebribus: unde Craſſi exercitus mali hoc ominis judicavit, quòd ſibi in defectu annonæ lentes eſſent datæ: ut traditum Plutarcho in vita Craſſi, & Appiano in bello Parthico. Mirum verò etiam Judæos hoc cibo uſos in luctum. Hieronymus ad Paullam de obitu Bleſillæ: *Flentes uſque hodie Judæi nudis pedibus in cinere voluntati, ſacco induti, ex ſuperſtitione Phariſæorum prius cibum lentis accipiunt, ſignantes quaſi quo edulio primogenituram perdiderint.*

Sequitur apud Plinium de piſis, quorum uſus in juſculis maximus eſſe ſolet. Galeno dicitur πισός, fortaſſe ἀπὸ τοῦ πτίσσειν quod Euſtathius putavit. Sed Phavorinus nomen ex eo putabat, quia magna eorum copia foret prope Elidis Piſam.

Cicer Græcum nomen non eſt: etſi id putavit Iſidorus lib. XVII Orig. cap. IV. At Græcè dicitur ἐρέβινθος. Genera ejus duo, arietinum, & columbinum, ſive Venereum: ut videre ex Plinio lib. XVIII, cap. XII, & Galeno lib. I de Aliment. facult. cap. XXIX.

Cicercula, Græcis λάθυρος. Sic ſaltem λαθύρου vocem reddit Gaza.

Ervum Græcis ὄροβος. Tralliani dixere καθαρτῆρα, quaſi dicas, luſtrale: ac utebantur ad expiationes, & piacularia: cujus cauſſam memorat Plutarchus in Quæſtionibus Græcis. Aliud verò *ervum*, aliud *ervilia*. Ervum, ut dixi, ὄροβος, eſtque jumentorum cibus: ervilia, ὦχρος, cibus hominum: Belgis *erweten*. Falli cenſeo Manardum lib. I, epiſt. I; quando Plinii *ervilium dolichum* cenſet. Quid verò *dolichi* ſint, mox dicam.

Phaſeolus eſt à Græcis. Nam φασίολος eſt apud Dioſcoridem, & Pollucem. Nomen videtur à figura phaſeli, navis oblongæ. Aliter & δόλιχος nuncupatur. Parvo fuiſſe in pretio arguit, quod *vilem phaſelum* dixerit Maro. Belgæ vocant *roomſche boontjens*.

Lupinos idem poëta triſtes vocat: quia amarore ſuo triſtitiam conciliant vultui. Itaque nomen deducunt ἀπὸ τῆς λύπης. Sed Græcis quidem recentioribus λυπῖνος, & λυπηλωάριον vocatur: veteribus autem θέρμος: fortaſſe autem à θερμὸς calidus, ſive quia calidæ ſint naturæ, ut indicio eſt amator, ſive quia aqua calida macerentur, ut exuant amarorem. Ideo Zeno, Stoicæ ſectæ conditor, rogatus, ut Diogenes ait, cur cum auſterior foret, in conviviis tamen eſſet hilarior, reſpondit, καὶ οἱ θέρμοι πικροὶ ὄντες, βρεχόμενοι γλυκαίνονται· *Etiam lupini, qui ſunt amari, aquâ perfuſi, dulceſcunt.* Sunt verò lupini communis cibus homini, & animalibus ungulas habentibus.

Singulorum leguminum in alimonia virtutem noſſe ſi voles Galenum adi lib. I de alimentorum facultatibus. Universè ſolum hoc dixero, fabas, piſa, lentes, phaſeolos, & ſimilia, carne quidem ſubducere ventrem, cortice autem adſtringere. Præterea ut Hippocrates ait lib. IV de Rat. victus, ſunt φυσώδη, hoc eſt, flatulenta eoque tormina excitant, dum purgans facultas vult excernere; adſtringens autem retinere. Salubriora igitur ſiunt demto cortice: præſertim ubi is durior; ut fabis, & nigris ciceribus. Difficulter etiam concoquuntur, ſucci ſunt non multùm nutrientis, craſſum gignunt humorem, quo in nervos crurum ſubſidente, magna eorum ſubit imbecillitas. Interim quædam vitia corrigi poſſunt: ut ſi cum pane triticeo, ac jure vervecino comedantur: præſertim ſi pipere, aliiſque aromatis condiantur. Hæc enim & craſſum humorem attenuant, & flatus diſcutiunt. Iſtoc vero ad coquos pertinet, legumina facile coqui aquâ fontanâ, aut fluviali: at puteali reddi duriora, nec percoqui poſſe.

CAP. XII.

De oleribus, aliiſque herbis. Quæ materfamilias nequam. Laudatur jus olerum, non ipſa ſubſtantia. Neſtoris ancilla quid Domino apponat. Terreſtris cæna, ſine ſanguine. Trucidamus ſæpe cepæ, porri, quibus. Commendatur malva, & aſphodelus. Roma braſſicæ eſu eflloreſcit. Cymæ in deliciis. Aſparagorum nutrimentum. Corruda quid. Lupuli qualitas. Romulus rapis vivit. aſſa minùs inflant. Cauſa contumaciæ radicum in concoquendo. Raphani dignitas. An betæ præſtent braſſicæ. Atriplex accuſata. Paſtinaca qualis. Siſera Germaniæ à Tiberio nobilitata. Allium edit Mecœnas Horatio deprecante. Nero ſectile porrum comedit, cur. Boletus fungus princeps; ſed Principis morte infamis, qui hoc. Lactucæ honos. Intybum, cichorium quid, quotuplex. Spinachia veteribus incognita. Lapathus facile parabilis. Laus ceparum. Carduus à Siculis. Apium in cœnis feralibus. Sinapi virtutes. Melopeponum occaſio & ætas. Cucurbitæ ſitibundis. Quæ herbæ quibus ſui partibus delectent. In herbis veterum frugalitas. Lex ſumptuaria Cæſaris. fraus legis. Herbæ herbas condiunt. Etiam ſaccharum herbæ donum eſt.

SEquuntur olera, ſive herbæ hortenſes, unde pauperi etiam licebat menſam onerare epulis inemtis. Nec tamen horti erat viris cura: quomodo, ut Plinius ait, *ſic ſtatim faciebant judicium, nequam eſſe in domo matremfamilias (etenim hæc cura feminæ dicebatur) ubi indiligens eſſet hortus.*

Quæ Græcis λάχανα, hæc Latinis vocabantur *olera* ab *oleo* pro *creſco*; unde *indoles*, *ſuboles*, *adoleſcens*, & alia. Galeni lib. de aliment. facult. ſententia eſt, parum nutrire, ſuccum pravum gignere, multa etiam ſtomacho nocere. Atque idem Diphilo viſum, apud Athenæum lib. II. Nempe non tam alimento inſerviunt, quàm medicamento: uti ad refrigerandum, humectandum, vel aliter corpus ad temperiem reducendum. Atque hoc movit Salernitanos, ut laudarent jus olerum, ſed ſubſtantiam olerum improbarent. Veterum tamen tum Græcorum tum Romanorum ea frugalitas fuit, ut olera potiſſimùm iis cibus forent. Itaque apud Homerum Iliad. Λ. Hecamedas, ancilla Neſtoris, nihil aliud domino ſuo apponit, quàm cepe, mel, & farinam. Cœnam, quæ niſi terræ natum haberet, terreſtrem dixere. Plautus Capt. act. I, ſc. II:

> HEB. *Terreſtris cœna eſt.* PAR. *ſus terreſtris beſtia eſt.*
>
> HEB. *Multis oleribus.* PAR. *Curato ægrotos domi.*

Non ignorabat paraſitus, quæ foret cœna terreſtris. Sed ignorare ſimulabat, donec explicatius diceret ſenex, ſe ad multa eum olera invitare. Tum ille petit, ut hunc cibum ægrotis ſervaret. Nempe carnem aprugnam, petaſonem, & ſimilia, vel piſces, aveſque, maluiſſet. Quod Plautus *terreſtrem cœnam*, id verò cœnam ſine *ſanguine* dixit Diphilus apud Athenæum lib. VI. Sed quod Taubmannus ait ſimiliter imitatione Græcâ Horatium loqui. Decepere eum, quæ ad Horatium annotavit Lambinus lib. I, epiſt. XII. ubi poëta loquitur

tur de porro, vel cepa trucidanda: puta ad morem eorum qui tenuiter vivunt, & ſine apparatu, quales pro piſcibus edunt porrum, aut cepe. Græcis antiquis pro his erant malva, & aſphodelus. Unde Heſiodus ἐν Ἔργοις·

Νήπιοι οὐδ᾽ ἴσασιν ὅσῳ πλέον ἥμισυ παντὸς,
Οὐδ᾽ ὅσον ἐν μαλάχῃ τε καὶ ἀσφοδέλῳ μέγ᾽ ὄνειαρ.
Stulti neque ſciunt, quanto plus dimidium ſit toto.
Neque quam magnum in malva, & aſphodelo bonum.

Aſphodelum, ut Plinius ait lib. XXI, cap. XVII vocant *albucum*, & *haſtulam regiam*. Ejus radix hoc eſt bulbus, edulis eſt. Quò reſpexit Heſiodus. Ad malvarum commendationem pertinet, quod eas ſalubres vocat Horat. Epod. Od. II. Et Diphilus Siphnius apud Athenæum lib. II, ait eſſe εὐχύλως, ſive boni ſucci.

a Per excellentiam. Braſſica pro olere ponitur κατ᾽ ἐξοχὴν a, ut piſcis pro lupo. Scaliger ad Varr. p. 19. Si audimus Varronem ſic dicebatur quaſi præſeca; quia nempe ex ſcapo minutatim præſecetur. Sed verius dicitur quaſi πρασική, à πρασιά, hoc eſt, horti area, ubi præcipuè ſerebatur. Quanto in pretio fuerit apud Romanos, arguit, quod Porcius Cato ſcripſerit Romam ſexcentis annis braſſicæ medicamento uſam, ac familiam ſuam à lue peſtilenti fuiſſe immunem. Sed facile iis acceſſero, qui hanc laudem non tam braſſicæ aſſignant, quam temporum eorum frugalitati. Græcis braſſica κράμβη, cujus ἔτυμον afferam in oculorum medicamentis. Etiam ab Athenienſibus ῥάφανον dictam, teſtis eſt Ariſtoteles lib. V Hiſtor. Animal. & Jul. Pollux lib. I Onomaſtici. Latinis aliter dicitur *caulis*, vel *colis*; unde Belgicum *cool*. Proprie quidem caulis eſt braſſicæ ſcapus ſive thyrſus: ſed κατὰ συνεκδοχὴν pro ipſa ſumitur braſſica: quomodo & uſus Horatius lib. II, ſat. IV, ubi ſic Catium Epicureum inducit loquentem:

Cole ſuburbano qui ſiccis crevit in agris
Dulcior. irriguo nihil eſt dilutius horto.

Sententia eſt, colem eum, qui in ſiccis crevit agris, eſſe dulciorem ſuburbano: eò quòd ſuburbani ſoli vitio, quod crebro irrigatur, multum deperdat nativi ſaporis. Nempe non ſic ex animi ſui ſententia ſcripſit Horatius, ſed ut Catium rideret. Nam braſſica ſolo gaudet frigido, & humido; ut Columella ait lib. XI, cap. III. Ac in hanc mentem etiam quædam Palladius.

Ad braſſicas etiam pertinent cymæ, ſive cymata, ſic dicta quaſi κυήματα, hoc eſt, novelli partus. Sunt enim tenues ſcaporum coliculi, ſtirpe ipſa ut delicatiores, ſic ſalubriores. Columella lib. X: *Frigoribus caules, & veri cymata mittit.*

Inde eodem libro *cymoſam ſtirpem* vocat, quæ multas haberet cymas. Romanis fuiſſe in deliciis, indicat Plinius lib. XIX, cap. VIII: *Transfertur* (braſſica) *cum quinque foliorum eſt. Cymas à prima ſectione præſtat proximo vere. Hic eſt quidam ipſorum caulium delicatior teneriorque cauliculus, Apicii luxuriâ, & per eum Druſo Cæſari faſtiditus, non ſine caſtigatione Tiberii patris.* Subjungit deinde: *Poſt cymam ex eadem braſſica contingunt æſtivi autumnaleſque cauliculi, mox hiberni, iterumque cymæ, nullo æque genere multifero, donec ſua fertilitate conſumatur.* Quod verò Plinius ait cymas à prima ſectione præſtari, ſatis convenit vocabulo *prototomi*, quo uſus Martialis lib. X, epig. XLVIII:

Et faba fabrorum prototomique rudes.

Sic πρωτότομοι καυλοὶ, apud Galenum. Sed naturâ vox latiùs patet, cum ſimiliter πρωτοτόμοι ἄμπελον b dixit Theophraſtus in Hiſt. Plantar. lib. IV, cap. XVI. Attici veteres pro cymis etiam βρύμοι dicunt: ut ex ſecundo Athenæi cognoſcimus. Etiam ἀσπάραγος vocatur: & ut videtur, valde κυρίως, ut nomen ſit ab α στερητ. & σπείρειν c, quia non è ſemine naſcatur, ſed è ſcapo braſſicæ. Latius autem extenſa ſignificatio, cum etiam de oxymyrſine ſive ruſco, oxacanthe, quæ vulgo berberis, chamædaphne item uſurpetur à Galeno in ſecundo de Alimentorum Facultatibus.

b Vitem prototomum, ſive primo putatam.

c Seminare.

Imò plurimum aſparagus non pro cymis ſumitur, ſed pro planta peculiari, & optimi ſaporis, & ſalubri. Eſt ea vel ſylveſtris, vel altilis. Sylveſtris aſparagus aliter montanus, ut Juvenali Satyr. XI, eſt *corruda*, Græcis ὅρμενος, & μυάκανθος, & aliis nominibus vocatur, ut eſt apud Plinium lib. XIX, cap. VIII. Ac ὅρμενος quidem pro ὁρμώμενος, hoc eſt ὁρμώμενος: quia vi ſpiritus magno cum impetu erumpit è terra: Ex corrudis verò fiunt aſparagi altiles; de quo ſic Plinius libri ejuſdem cap. IV: *Sylveſtres fecerat natura corrudas, ut quiſque demeteret paſſim: ecce altiles ſpectantur aſparagi, & Ravenna ternos libris rependit.* Hinc Cato cap. VI. *Ibi corrudam ſerito, unde aſparagi fiant.* Ravennates aſparagi, de quibus Plinium audivimus, hodieque ob magnitudinem commendantur, ut & Veronenſes. Martialis quoque in Xeniis epigr. XXI, confert ſativos Ravennatium, & incultos ſive ſylveſtres. Leviter coqui ſufficit, ne coctione multa diffluant, ac ſaporem deperdant: unde proverbiale illud Auguſti Cæſ. apud Tranquillum, *Velocius quàm aſparagi coquantur.* Parum alimenti præbere, eſt ſententia Galeni lib. II de Alimentorum facult. A quo nimium quantum abit Simeon Sethi: nam olerum omnium ait maximè nutrire, & quodammodo mediæ eſſe naturæ inter olera, & carnes.

Lupus ſalictarius, ut Plinius ait, *inter oblectamenta magis, quàm cibos recipiendus.* Apud Belgas tamen ejus cauliculis cum aceto ac oleo utimur haut ſecus ac aſparago. Cum verò duplex ſit: ſylveſtris, qui locis creſcit incultis, ac circa vepreta: & ſativus, qui pingui ſolo, & culturâ diligenti, lætius provenit, poſterioris hujus generis magnus eſt uſus Belgis in cervifia condienda: magnus inde etiam ruſticis eſt quæſtus. Officinæ pro *lupo*, λυκοπέρδω maluere *lupulum* dicere, voce veteribus ignotâ. Salictarium veteres appellarunt, quia reptat in vepreta, & ſalicta.

Vocabulum raporum eſt à Græcis: nempe à ῥάπυς, quo Speuſippum, & Glaucum, fuiſſe uſos, ex Athenæi nono cognoſcimus. Nec aliunde eſt Græcum ῥαφανίς. At quod doctiſſimus Varro *rapa* ſic vocari ait, quaſi *ruapa*, quia *ruerunt* è terra, id niſi tanti ſcriptoris habenda ratio, dignum foret excipi omnium cachinnis. Sed Varro in ἐτυμολογίαις a crebrò non eſt Varro. Nam quidvis comminiſci ſolet ne videantur Romani linguam penè omnem debere Græcis: ut ex *patris*, *agri*, & ſimilibus vocabulis, cuivis perſpicuum eſt. a Originibus.

Rapa ridicule commendat Martial. lib. XIII, epigr. XVI, ubi fingit Romulum, ſicut in terris ſolet, ita etiam rapis veſci in cœlis. Interim hoc veterum Romanorum frugalitatem oſtendit. Uti & exemplum Marci Curii Dentati: quem Samnitium legati reperere rapa torrentem in foco: ac quod iis contentus foret, aurum recuſantem; quod legati offerebant: ut eſt apud Ciceronem, Plinium, Plutarchum. Hæc erat aurea illorum ſimplicitas, ante primum bellum Punicum. Contigit enim iſtoc anno Urbis CCCC LXIV: hoc ipſo Curio, & P. Cornelio Rufino coſſ. Porrò veteres imprimis aſſis gaudebant rapis, quia facilius concoquuntur, & minùs inflant: ut eſt apud Athenæum. Ex elixis melioris ſaporis ac ſucci ſunt, quæ cum carne pingui percocta. Nec radicum aliæ, iis in facultate nutriendi præferri merentur. Quod & è dulci ſapore cognoſcitur. Nam dulcia magis alunt iis, quæ amarore linguam contrahunt. Interim hoc habent incommodi, quod carnem gignant laxam fluxamque, quod item ſint flatulenta: ut conſtat verſiculis Scholæ Salernitanæ, atque aliis, quæ ob inelegantiam non merentur apponi. Quod ſi ea ſit ſtomachi imbecillitas, ut non ſatis concoquantur, ſuccum gignunt craſſum, & melancholicum. Quod minus mirandum, cùm hæc omnium ſit radicum natura: ut non de nihilo ſit, quod Mneſitheus ajebat è partibus plantarum deteriores eſſe radices: nempe ob ſuccum qualem diximus, & in concoquendo contumaciam. Proveniunt hæc inde, quòd radices terra lateant, nec ventilentur, aut tranſpirent, aëris, ac luminis ſolaris expertes. Ac hujuſmodi cum radicum ſoleat eſſe natura, non obſcura eſt ratio,

tio, cur in radicibus videantur rapa eò primas mereri, quod bene nutriant: ut etiam proditum à Paulo Æginetâ lib. I de Re Medica cap. LXXVI, & Simeone Sethi, ut cæteros mittam. Nec tamen æqualis omnium raporum natura. alia enim γογγυλίδ@ a, alia βουνιάδ@ b: quorum prius genus *rapum*, alterum *napum* vocat Dioſcorides lib. II, cap. CXXXVI. Ac cenſet βουνιάδα parum alimenti præbere. Diphilus tamen Siphnius apud Athenæum lib. IX, ait napum eſſe dulciorem, magis alere, & facilius concoqui. γογγυλίδα verò extenuare, acrem eſſe, & ægre concoqui. Præterea magnum eſt raporum naporumque diſcrimen pro ſolo natali. Itaque Plinius principatum dat rapis Nurſinis, & Amiternis: eaque & celebrat Columella in X.

a Rotundi b Montani.

Quaque Amiternus defertur Bunias arvis.

Græcorum aliqui Magneſia commendarunt, ut Crates: alii Thebana, ut Athenæus: Mantinica, ut Clemens Alexandrinus. Sed apud eum lib. II Pædag. perperam Gentianus Hervetus γογγύλην μαντινικὴν, vertit *bolum Mantinicam*. Ac retinuit eruditus caſtigator. *Mantinicum rapum* verti oportuiſſe, jam aliis obſervatum c.

c Renato Moreau animadverſionibus in Schola Salernitana cap. 24

Raphanus quanto in honore ſit habitus apud Græcos, arguit hoc Plinii lib. XIX, cap. V: *Atque, ut eſt Græca vanitas, fertur in templo Apollinis Delphis adeo cæteris cibis prælatus raphanus, ut ex auro dicaretur, beta ex argento, rapum e plumbo.* Subjungit, quanto aliter ſapuerit Curius dentatus, qui rapis imprimis delectatus eſt; ut ſupra diximus. Addit, ut interim *Moſchion Græcus unum ſcripſerit de raphano volumen.* Hinc ait, *Utiliſſimi in cibis hiberno tempore exiſtimantur.* Nempe ob egregiam calefaciendi, & extenuandi vim. Dioſcorides ait, à cibo conferre, quia concoctionem juvent: ſed ſi antea ſumantur, cibum in ſtomacho ſuſpendere. Aliter verò Galenus lib. II de Aliment. Facult. ubi tradit, utcumque hoc referatur à medicis, & idiotis, qui teſtari illud experientiam tradunt; omnibus tamen, qui conſilio obſecuti, nocuiſſe. Illiberale etiam aliquid habet uſus raphani ob crebros ructus quos gignit, &, pro ſtomachi ratione, etiam fœtidos. Sed ſi cum olivis drupis comedatur, & rarior is ructus, & minus odore ingratus.

Betam quoque, ex quo luxus Romæ obtinuit, fuiſſe plebejis in cibis, arguit Martialis illud lib. XIII, diſtich. XIII:

—— Fatuæ fabrorum prandia betæ.

Sed cùm beta vel candida ſit, vel nigra; nigra eſt εὐχυλότερ@, ſive *melioris ſucci*. Braſſicam interim bonitate præſtare, apud Actuarium legas lib. II de ſpiritus animal. nutrit. cap. VI. At contra, Diphilus Siphnius apud Athenæum lib. IX, cenſet betam melioris eſſe ſucci, magis etiam alere braſſicâ. Quomodo præparari beta debeat, docet Apicius lib. III, cap. IX. Apud Belgas præter duo betæ genera, quæ dixi, etiam tertium eſt rubrum, ſed quodammodo nigricans. Quo tempore hiberno utuntur cum olere & aceto: grati quidem ſaporis craſſioris ſucci, ac flatus ciens.

Atriplex, Græcè ἀτράφαξις, imò fortaſſe & χρυσολάχανον d, à luteo colore ita nuncupatum: etſi non ignorem, Plinium pro diverſis habere herbis Belgis *milde*. In juſculis obtinet: ac vim habet humectandi, ac refrigerandi: ſed ἄποιον e vetè, & inſipidum, niſi cum oleo, & aceto, vel aliis aſſumas: ut apud Galenum legas. Atqui ſtomacho etiam nocet, ac parum nutrit. Imò ut Plinius tradit lib. XX, cap. XX: *Atriplex & ſylveſtre eſt, accuſatum à Pythagora, tamquam faceret hydropicos, morboſque regios, & pallorem, coqueretur difficillime, ac ne in hortis quidem id juxta naſci quicquam, niſi languidum, culpavit. Addidere Dionyſius, & Diocles, plurimos ex eo gigni morbos, nec niſi mutatâ ſæpius aqua coquendum: ſtomacho contrariam eſſe, lentigines & papulas gignere.*

d Aureum olus.

e Sine qualitate.

Paſtinaca, Græcè eſt σταφυλῖν@, quomodo & vocat Columella lib. X:

—— Mollemque ſinum ſtaphylinus inumbrat.

Videtur Simeonis Sethi ætate δαῦκιον dicta. Eſt verò paſtinaca, vel erratica, vel ſativa: illa medicamentis melior, hæc alimoniæ: ſuaviorque ac ſalubrior, ſi cum carnibus decoquatur, ut apud Belgas obtinet. Minus tamen rapis nutriunt, ut ait Galenus. Diocles in nono Athenæi tradit caroton etiam eſſe genus paſtinacæ magnæ, ac ſativæ, eſſeque ſucci melioris, magis etiam calefacere, quam ſylveſtrem. Ubi non aliam videtur ſignare, quam hodie caroti nomine nuncupatam, paſtinacam ſcilicet ſativam.

Siſer, Græcis σίσαρον, hodie inter radices, ob ſaporis ſuavitatem, à qua & Belgis ſaccharinæ radiculæ vocantur, facile primas ferunt. Commendant quoque Dioſcorides, & Cornelius Celſus. Quantopere placuerint Tiberio Cæſari, docet his verbis Plinius lib. XIX, cap. V: *Siſer Tiberius Princeps nobilitavit, flagitans omnibus annis à Germania. Gelduba appellatur caſtellum Rheno impoſitum, ubi generoſitas præcipua. Ex quo apparet, frigidis locis convenire.* Mirum verò quod ſubjungit: *Ineſt longitudine nervus, qui decoctis extrahitur, amaritudinis tamen magna parte relictâ, quæ mulſo in cibis temperata etiam in gratiam vertitur.* Sane hodie amaror omnis abeſt. Num igitur Siſeres differunt à noſtris radiculis ſaccharitis? an cultura, & longo ſpatio tandem exuêre amaritiem?

Prodeſt allium agricolis, ac meſſoribus; ut liquet ex Virgilii Alexi, & Horatii lib. Epod. od. V. Item uſus eſt nautis, ac remigibus; de quo Plauti locum mox apponam. Ad hæc conducit, bajulis, ac cunctis, qui vehementes corporis labores ſuſtinent. Cujus ratio eſt, quod his magno corporis calore eſt opus, & allium calore ſuo calorem augeat corporis nativum. Ac ob eundem calorem Thracibus, Gallis, atque aliis, qui in frigidis habitant plagis, conducibile eſſe, judicium eſt Galeni. De allio Plin. lib. XX, cap. VI. *Magnæ illi vires, magnæ virtutes contra aquarum & locorum mutationes.* Eſt & allii genus, quod Ulpicum dixere. De quo Columella lib. XI, cap. III: *Ulpicum, quod quidam allium Punicum vocant, Græci autem ἀφροσκόροδον a appellant, longè majoris eſt incrementi, quàm allium.* Plautus Pœnulo act. V, ſc. V:

a Africum allium.

—— Tum autem plenior

Allî, Ulpicique, quam Romani remiges.

Bilioſis non convenit, unde Horatius uſque adeò deteſtatur lib. Epodon, od. V. Imò in omnibus habet pœne aliquid illiberale ob halitum quem ſpirat. Unde ibidem Horatius orat Mecænatem, ut, ſi allium concupiverit, puella ejus oſculo opponat manum, inque ſponda cubet extrema.

Porrum cum allio, & cepis, convenit naturâ. Nam itidem calefacit, attenuat, exſiccat. Habet aliquid pravi ſucci; ſed pravitatem eam exuit ſi coquatur, dulcius quoque fit, & minùs inflat. Eſt verò duplex, κεφαλωτὸν ſive capitatum, quod γηθυλλίδα Diphilus apud Athenæum appellat: & ſectile, ut Columella vocat: cui nomen dedit Cæſar Nero. Vocis enim cauſſâ, certis cujuſque menſis diebus, eo veſci ſolebat, ac ſolo quidem, nec pane addito: teſte Plinio lib. XIX, cap. VI. Interim & hoc minori in gratia eſt, tum quod viſum, ſi comedas largius, hebetet; tum quòd ſomnia inducat turbulenta, & gravem ſpiret odorem, cujus ergo Tarentinum porrum Martialis culpat lib. XIII. Ep. XIX.

Fila Tarentini graviter redolentia porri

Edisti quoties, oſcula clauſa dato.

Succedant tubera. Illa naſcuntur inprimis vere, vel autumno; ſed maximè poſt tonitrua. De vere eſt apud Juvenalem ſat. V: de autumno apud Plinium lib. XX, cap. III. Quod verò poſt tonitrua potiſſimùm creſcant, non tam eſt à tonitru, quàm ab aquâ fulguritâ, quæ genitalis, ac vivifica: ut pluribus dictum operis hujus lib. III, cap. VII.

Poſt tubera ſunt fungi in quibus primus locus boletis datur ab Æginetâ. Proximum à tuberibus locum iis dat Martialis in Xeniis, Epigrammate....

Rum-

Rumpimus altricem tenero de cortice terram
Tubera. Boletis poma ſecunda ſumus.

Ubi *poma* vocat durinſculâ tralatione. Viliores fungos à boletis diſtinguit quoque Juvenalis ſat. v:

Vilibus ancipites fungi ponentur amicis,
Boletus Domino.

Ferventes comedi ſolent. Hinc Seneca lib. iv Naturalium Quæſt. *Quemadmodum nihil illis ſatis frigidum, ſic nihil ſatis calidum: ſed ardentes boletos, & raptim condimento ſuo merſatos, demittuntur fumantes, quos reſtinguant deinde nivatis potionibus.* Quomodo ſolent
a *Al.* 13 præparari docet Apicius lib. vii, cap. xiv *a*. Nihil verò æque eos reddidit infames, quam mors Claudii Cæſaris boleto venenato ab uxore Agrippina interemti, poſtea-
b *Deorum cibum.* que in Deos relati, unde boletos βρῶμα θεῶν *b* vocabat Nero, Plinius lib. xxii, cap. xxii: *Inter ea, quæ temere manduntur boletos meritò poſuerit, optimi quidem hos cibi, ſed immenſo exemplo in crimen adductos, veneno Tiberio Claudio principi per hanc occaſionem à conjuge Agrippina dato; quo facto illa terris venenum, ſibique ante omnes, Neronem ſuum dedit.* Martialis lib. i, epig. xxi:

Boletum, qualem Claudius edit, edas.

Juvenal. ſat. v:

Boletus Domino, ſed qualem Claudius edit.

Rem dicent Tacitus xii, Annal. & Suetonius in Claudio cap. xliv. Sed quid vulgatiſſimis inſiſtam?

Lactucæ ad honorem pertinet quod, ut Plinius ait, lib. xix, cap. iv, *in familia Valeria Lactucini quidam vocati, à cura lactucarum.* Græcis hæc herba Θρίδαξ, & θριδακίνη, poſterioribus Græcis μαρούλιον, vel μαρύλιον. Demetrius Conſtantinop. Hieracoſophio lib. i, cap. v: Γάλα δέ ἐστι ἀγρίαλι θριδακίνης ἀγρίας, ἣν ἀποτέμνειν τοῖς ἱέραξιν ἔθος ὑπὲρ ἰάσεως· *Lac eſt lactucæ agreſtis, quam accipitri mos reſecare, medicinæ ergo.* Uſus quoque μαρούλι voce Dionyſius Uticenſis vel alius, in Γεωπονικοῖς Conſtantino Cæſari dicatis lib. xii, cap. i: ubi & Cornarius interpres *marulii* vocem retinuit. Similiter vocant Heſychius, Suidas, alii. De lactucarum vario genere ita Plinius lib. xix, cap. viii: *Eſt natura omnibus refrigeratrix, & ideo æſtate grata, ſtomacho faſtidium auferunt, cibique appetentiam faciunt.* Ob hanc
c *Appetitus ciendi facultatem.* ὄρεξιν *c* primo apponi menſis cœpit, cum antea in ſecundis menſis haberet locum. Unde in Moreto:

Grataque nobilium requies lactuca ciborum.

Utrumque ritum tangit Martialis, notiſſimis verſibus. Nunc non minus ſic quæri poſſit:

Claudere cur cœnas lactuca ſolebat avorum
Dic mihi, cur noſtras inchoet illa dapes?

Nempe eo poſtrema edebatur, ut vi refrigeratrice arceret ebrietatem. Apud Plinium, loco antea dicto, legas, credi etiam ſanguinem gignere. Sed ſanguis, quem gignit, & paucus eſt, & parum laudatus: ut à Galeno traditum lib. ii de Aliment. Facult. cap. xl. Puto ob refrigerandi vim factum, ut diceretur νεκρῶν βρῶμα· *mortuorum cibus.* Nec aliunde credo, quod poetæ tradiderint in hoc olere potiſſimum Adonim à Venere ſepultum. Vide Athenæum lib. ii.

Intybum, quod veteribus Græcis σέρις, junioribus ut Simeoni Sethi, voce à Romanis accepta, ἴντυβον dicebatur; vel erat ſylveſtre ſive erraticum; vel ſativum ſive hortenſe: ut docent Dioſcorides lib. ii, & Plinius lib. xx, cap. viii. Hujus verba ſunt: *Erraticum* (intybum) *apud nos quidam ambugiam* (ambubejam cum Celſo malim) *dixere. In Ægypto cichorium vocant, quod ſylveſtre ſit. Sativum autem, ſerin, quod eſt minus, & venoſius.* Ac poſtea: *Seris & ipſa lactucæ ſimillima, duorum generum eſt: ſylveſtris melior: nigra iſta, & æſtiva: deterior hiberna, & candidior.* Quam hibernam vocat, & candidiorem dicit, vulgo *endiviam* nominamus: item ſcariolam, à ſeris quaſi ſeriolam. Hæc obruta terrâ, vel arena fit tenerior, & candorem acquirit: nec minus hieme grata eſt, quàm æſtate lactucæ. At ſylveſtris illa nigra & æſtiva, à Marone ſignatur, cum ait i Georg.

—— Et amaris intyba fibris.

A quo amarore etiam πικρὶς vocatur. Eadem, ut puto eſt *cicorea* Horatii lib. i, Od. xxxi:

—— Me paſcunt olivæ,
Me cicorea, leveſque malvæ.

Spinachia noſtra videtur veteribus fuiſſe ignota. Veriſimile autem eſt *ſpinachiam* dici, à ſeminis ſpinis, ac aculeis. Salubrius eſt quam atriplex.

Lapathus, ſive lapathium Græco nomine, idem ac rumex: ut ex Gloſſis tum Philoxeni, tum Cyrilli, liquet. Inter εὐπόριστα *a*, & dapes inemtas reponit quoque Hora- a *Parabilia.*
tius lib. Epodôn Od. ii: Item Varro, cùm ait: *Hanc eandem voluptatem tacitulus taxim conſequi lapathio, & ptiſana poſſim.* Frugalem lapathi herbam, ſquillis, ac acipenſeri decumano, P. Gallonii, hominis aſoti, ac vere Epicuri de grege porci, præferebat C. Lælius ſapiens: quem C. Lucilius ſic loquentem inducit apud Ciceronem lib. ii de Fin.

O lapathe, ut jactere neceſſe eſt, cognitu' cuiſis!
In quo Lælius clamores ſophos ille ſolebat
Edere, compellans gumias ex ordine noſtros
Lælius præclare & rectè, ſophos illeque verè
O Publi, ô gurges Galloni es homo miſer, inquit,
Cænaſti in vita numquam bene, cum omnia in iſta T. 2. Pigh.
Conſumis ſquilla, atque acipenſere cum in decumano. pag. 444.

Cepæ excitant ὄρεξιν *b*, ut ait Dioſcorides lib. ii. At- b *Edendi deſiderium.*
que addit, & alvum expurgare. Imprimis autem ſalubriter comeduntur cum piſcibus craſſi ſucci: item cum leguminibus, atque aliis flatulentis. Nam craſſum crudumque humorem attenuant, flatus etiam diſcutiunt. Appetitum excitant, & urinam cient. Sed quis omnia commemoret ceparum bona? cùm integram iis valetudinem Sotion polliceatur, qui ſingulis diebus cepas teneriores ſelectas cum melle comederit jejunus: ut eſt in Dionyſii Uticenſis ſive Caſſiani Baſſi Geoponicis Cæſari Conſtantino dicatis lib. xii, cap. xxxi. Hoc interim habent incommodi, quod calore & acrimonia ſua capiti noceant, ut eſt apud Dioſcoridem, & Simeonem Sethi. Sitim etiam excitant: & comeſtæ ingratum ſpirant odorem. Adde quod omnibus, qui naturæ bilioſæ, noxiæ ſunt, ſi multum ac ſæpe aſſumantur in cibo: uti & omnibus, qui ventriculo ſunt calido, cerebro imbecilli, qualibus facilè perturbant τὸ λογιστικὸν, ſive rationem. Nam & hoc incommodi habere, traditum à Simeone Sethi.

Cinara, ſive Carduus, Theophraſti ætate needum erat Græcis cognita *c*; ſed Siculis ſolùm, quibus *cactus* voca- c *Theophr. Hiſtor. Plant. lib. 6.*
batur. Hermolai Barbari temporibus, Venetiis unus Italiæ hortus habebat. Nunc in nulla pene non eſt regione Europæ. Deſcriptionem ejus elegantem habes apud Columellam in x. Ubi inter alia dicit, potum vini reddere gratiorem: ac Plinius lib. xx, cap. xxiii, radicem ait, potoribus ſitim facere. Quanti quæſtus fuerit, dicet idem lib. xix, cap. viii: ubi reddere ait ſeſtertia ſena millia. Id fuerit....... Horrendum luxum! Stomachum corroborat, Plinio *d* teſte, atque odorem commendat oris. Succum d *Lib. 20. cap. 23.*
interim melancholicum gignit: ut eſt apud Galenum.

Apium hortenſe eſt, quod vulgo parum commodè vocatur petroſelinum, cum multum differat ab eo, quod in locis naſcitur petroſis, atque Macedonicum vocatur. Crudum, coctumque obtinet in cibis. Apium in cœnis feralibus. Vide Plinii & Arnobii verba apud Kirchmannum de Fun. p. 592.

Sinapi, Græcis σίναπι, ſed Atticis, Athenæo teſte, νᾶπυ, duplex eſt, κηπαῖον, hortenſe, ſive ſativum, & ἄγριον, ſive ſylveſtre. Utrumque calefacit multum, etiam attenuat, & abſterget. Prodeſt pro condimento carnibus, ac piſcibus durioris concoctionis. Bilioſis obeſt: ſed pituitoſis convenit. Præparari quomodo ſoleat, Columella, ac Palladius dicent. Pallorem gignit cuminum, ſi bibatur. Horat. lib. i epiſt. iii:

—— *Quod*

——Quod ſi
Pallerem caſu, biberent exangue cuminum.

Hinc & Perſ. ſat. v. Scitum verò, quod Plinius narrat lib. xx, cap. xiv. *Cuminum omnem pallorem bibentibus gignit. Ita certè ferunt Porcii Latronis, clari inter magiſtros dicendi, adſectatores ſimilitudinem coloris ſtudiis contracti imitatos.* Sanè pallidum fuiſſe Latronem, teſtis eſt familiaris ejus ac cariſſimus ſodalis, M. Seneca præfat. lib. i, Controverſ. *Poſt cœnam*, inquit, *lucubrabat, nec patiebatur alimenta per ſomnum, quietemque, æqualiter digeri, ſed perturbata & diſſipata in caput agebat. Itaque & oculorum aciem confuderat* (al. contuderat) *& colorem mutaverat.* Sententia igitur Plinii eſt, auditores Porcii Latronis edidiſſe cuminum, ut ejus imitarentur pallorem: haut ſecus ac Platonis diſcipuli imitabantur ejus curvitatem; Ariſtotelis verò, ejus balbutiem teſte Plutarcho lib. de Audiendis Poëtis.

Cucumeris ſive σικύη vocabulo non ſolùm vulgaris cucumis intelligitur, ſed eodem pepo continetur. Unde Plinius lib. xix, cap. v: *Cum* (cucumeres) *magnitudine exceſſere, pepones vocantur.* Itaque hos σικύας πέπονας vocat Paulus Ægineta lib. i, cap. xiii. Etiam melopepones eodem comprehenduntur. De quibus ſic Plinius ibidem: *Ecce cum maxime nova forma eorum in Campania provenit, mali cotonei effigie: fortè primò natum ita audio unum: mox ſemine ex illo genus factum: melopepona vocant.* Cum Plinius ait ibidem *cucumin mirâ voluptate Tiberio principi expetitum*, melopeponem intelligit: ſed nomen iſtoc Tiberii temporibus necdum erat; quippe demum repertum Veſpaſiani ætate, ſub quo Plinius ſcribebat. Porrò quæ veteres de peponibus ſcribunt, meliùs conveniunt melonibus noſtris. Unde Julii Alexandrini, Matthioli, aliorumque judicium eſt, per eorum pepones noſtros melones intelligi debere. Vide Ludovicum Nonnium de re cibaria lib. i, cap. xvi.

Cucurbita, quæ Græcis κολοκύντη, vel κολόκυνθα, à Chryſippo in cibis damnata. Eſt frigidæ & humidæ naturæ, coque non aliis convenit, quàm illis, qui temperamento ſunt calido, & ſicco. Ac ſic quoque cum origano coqui conducit. Etiam ſaccharo conditur ac ſic ægris exhibetur, ad exſtinguendam ſitim. Vetus eſt proverbium ab Athenæo a allatum ex Epicharmo: Κολοκυνθῆς ὑγιέστερος b. De quo plura Deſiderius. Etiam hinc ludus Senecæ de morte Claudii ab auctore ἀποκολοκύντωσις inſcriptus. Cauſſam adfert Dio Cocceius lib. lviii.

a *Lib 3.*
b *Colocyntha ſanior.*

Sed herbarum ſingulis ſimiliter inſiſtere ſi velim, longi res negotii ſit, nec neceſſarii; partim quia hæc præcipua fere ſunt, quæ ad alimoniam è plantis pertinent, quatenus verò ſunt in medicamentis, ſeorſim inferiùs exponentur: partim etiam, quia tot habemus diligentiſſimos rei hortenſis ſcriptores, quos exſcribere ſit actum agere cum noſtra, & publica jactura. Quare ſatis hic erit carpere rerum veſtigia.

Sunt verò herbæ ſex præcipuè generum. Quædam placent radice, ut rapum, raphanus, paſtinaca, allia, cepa: quædam caule & folio; ut lactuca, portulaca, cichorea, rumex, atriplex: quædam tenuioribus ſcaporum coliculis, quæ cymæ & cymata dicuntur, quaſi κυήματα, ſive novelli partus, ut fœniculum, anethum: quædam germinibus, ut aſparagus, lupulus: quædam floribus, ut roſa, bugloſſa, quæ vulgo borrago, braſſica, crocus: quædam carne ac fructu, ut capparis, cynara, fraga: quæ à Pentaphyllo gigni perperam Plinius putavit lib. xxv, cum producantur ab herba τριφύλλῳ c, non πενταφύλλῳ d.

c *Trifolio.*
d *Quinque folio.*

Quædam verò pluribus delectant. Sic folia betæ fabrorum prandia conſtituunt, & radices præſertim ejus quam Romanam rubram vocant, pipere, ſale, aceto atque oleo conditæ, appetitum excitant, ac ſaporis ſunt gratiſſimi.

In hujuſmodi cibis præcipuè conſiſtebat veterum frugalitas, ut antea diximus. Sed ubi ea virtus deſiit, ipſas etiam herbas magno ſumtu ac luxu condire cœperunt: præſertim cum lege Cæſaris ſumtuariâ modus eſſet piſcibus præfinitus; & aliis obſoniis, exceptis iis quæ è terra naſcerentur. Hinc Cicero lib. vii, epiſt. xxvi ad Gallum; *Lex ſumtuaria, quæ videtur* λιτότητα a *attuliſſe, ea mihi fraudi fuit. Nam dum volunt iſti lauti terrâ nata, quæ lege excepta ſunt, in honorem adducere, fungos, helvellas, herbas, omnes ita condiunt, ut nihil poſſit eſſe ſuavius. In eas cum incidiſſem in cœna augurali apud Lentulum, tanta me* διάῤῥοια b *arripuit, ut hodie primum videar cœpiſſe conſiſtere. Ita ego, qui me oſtreis, & murænis facile abſtinebam, a beta, & malva, deceptus ſum.* Ita videmus, ut herbarum non modo ſit uſus ad alimoniam; ſed etiam abuſus ad luxuriem. Nec propterea omnia herbarum condimenta culpamus: ſed luxum. Siquidem ea eſt bonitas Dei, ut etiam ea nobis concederet, quibus plantæ conditæ non palato ſolùm ac ſtomacho forent gratiores, ſed etiam ſalubriores. Atque adeo ſunt ejuſmodi ab ipſis plantis: ut piper, oleum, omphacium, acetum: item roſarum liquor ſtillatitius; qui & ipſe tragematis, & placentis, delicatiorem gratioremque ſaporem præſtat. Quid dicam de ſaccharo, ſive zuccaro, ut Arabes vocant? Nam & ſaccharo in plantis eſt locus, quando vel è cannis ſaccharinis naſcitur, vel ex haoſcer, Indica arbore, vel ex herba, quæ Arabibus, & Ægiptiis Tigala dicitur, unde ubi à vermiculo fuerit eroſa, mira ratione reſudat, atque in grandinis modum concreſcit: ut eſt apud Cæſarem Scaligerum Exercitatione clxiv.

a *Λιτότης, tenuitas.*
b *Diarrhœa.*

Cap. XIII.

De arboreis fructibus, & quorumdam fruticum. Laus hortorum præ macellis. Conjectura docta de arbore ſcientiæ boni & mali, ac vitæ. Arborei fructus, vel ſunt æſtivi, vel auctumnales. Etiam æſtivos durare poſſe, ſi duro ſint cortice. Qui fructus antecœnio, vel poſt conveniant. Ceraſa acida dulcibus præſtant. pruna ſiccata recentibus. Mala in hyemem adſervata commendantur. Mala medica, citria, aurantia, ejuſdem eſſe ſpeciei. Aurea Heſperidum mala quæ. Chryſomela & aurantia differre. Perſica, & Perſeæ arbores quantum diſtent. Perſica pomis vix innocentior cibus, ſi vetus vinum adbibas. Malum Punicum etiam dicitur granatum, & unde. Pyra cocta alvum ſubducunt. Ficus poſt glandes melioris vitæ Græcis initium. quantopere nutriant. quomodo ſumantur. ſpecies. Caunia laudatiſſima. Olearum genera. Oleum cujus temperamenti. Mora quotuplicia. virtus. Meſpila & ſorba parum diſtare, ut magis & minùs adſtringentia. Dactylorum laus. nævus. 49 genera. Dactylis capitur Auguſtus, unde, & à quo. Uvarum gloria. minùs tamen nutriunt ficubus. dulciores calidiores. Uvæ ollares. fabriciæ, quæ. Uvæ paſſæ ſalubres. Piper fructus arboreus. triplex. Zingiber planta per ſe. Cappares lieni amica.

Ad arboreos nunc fœtus accedo. Ad arborum verò, & universè plantarum commendationem plurimùm facit, quòd Deus non conſtituit hominem penes macellum, vel laniarium, ubi beſtiæ mactarentur: ſed in paradiſo, ſive horto Edenis: ubi & arbores ei, & herbas dedit in cibum: ipſam quoque arborem vitæ: ſolam verò excepit arborem ſcientiæ boni, & mali. Nec eſt, quòd aliquis cum nonnullis dicat, paradiſum myſtice debere intelligi; ac pariter duas haſce arbores. Nam de paradiſo abunde varii refutarunt. Quodque ad arbores duas, hæ quoque & naturales fuere, & myſticæ: haut aliter ac rupes in deſerto, quæ, Moſe percutiente, aquam effudit, & erat rupes, & myſticè Chriſtum deſignavit: & ſerpens à Moſe erectus in deſerto ex ære erat vulgaris, & Chriſti paſſionem adumbravit. Similiter nempe & duæ iſtæ arbores, veræ erant arbores: ſed illa vitæ ſacramentum fuit immor-

mortalitatis, dum Deo obediretur: & altera mortalitatis, ſimulac lex divina tranſiliretur. Arborem illam, quæ cognitionis boni malique erat, ficum fuiſſe Indicam variis argumentis comprobat Goropius Becanus. Et pro eo eſt, quòd à Moſe traditum eſt, Adamum ſe, mox comeſto fructu vetito, ficûs foliis contexiſſe. Ut parum ſit veriſimile ab arbore, ſub qua peccarant, aliam ad arborem conceſſiſſe:. præſertim cùm Moſes addat, primos parentes ſub medio ligni, ſive arboris, ſe abſcondiſſe: ubi non alia videtur arbor intelligi, quam ſub qua peccarant. Et ficus Indicæ arbor latibulum optimum præbuerit, quia multiplicem habet truncum. Unde ſub umbra ejus, tanquam tabernaculo, conquieſcere homines ſolent, ut traditum Theophraſto. Quæ arbor vitæ fuerit, non tam clarè ex ſcripturis dilucet. Interim, ſi conjecturæ indulgendum, videtur vitis fuiſſe. De cujus plantatione Noachus poſt diluvium ſollicitus fuit: & unde liquor expreſſus vitæ conſervandæ imprimis conducit. Unde & Chriſtus ſe veram eſſe vitem pronunciat, cui nos, ut palmites, inſerimur: ac mundo abiturus, fructum vitis, ſacramentum nobis eſſe voluit ſanguinis ſui, quo à peccatis mundamur, & alimur ad vitam æternam. Ut vel hinc ſatis veriſimile fiat, non aliam fuiſſe arborem magis ad hoc aptam, ut in medio paradiſi poſita, vitam ſignificaret æternam. Verùm à myſticis ad apertiora veniamus. Quale eſt quòd fœtibus arborum ac fruticum debemus tot ſapores annuos, quibus conſtant menſæ ſecundæ: ut eſt apud Plinium lib. XII, cap. I. Nempe eſt ſuccus, ut idem ait lib. XV, cap. XXVIII, *pyro vinoſus, olivæ pinguis, uvis dulcis, aquoſus prunis, ſanguineus moris, candidus uvis albis, lacteus ficis, ſpumeus perſicis; & ſi odorem ſpectes, malis acutus, perſicis dilutus, citreis acerrimus.* Ac magis ſe aperiet hæc varietas, ſi animum circumferamus per tot arbores pomiferas, bacciferas, nuciferas, glandiferas. Imò & vites hujus ſunt loci, quando & uvæ ſunt in cibis: præcipuè menſis ſecundis. Ac frutices quoque huc conferre, corylus arguit. Ut taceam roſmarinum, tot ciborum condimentum. Sed quid ſaporibus inſiſto? cùm majoris multo ſit nutriendi facultas. Quæ tamen mirè & ipſa variat, ut convênit in tam vario hominum temperamento, ac diverſa adeo conſtitutione. Operæ erit, ſi hanc rem pluribus explicemus.

Arborei fructus vel ſunt ὡραῖοι, ſive æſtivi, vel ὀπωρινοὶ, ſive auctumnales: Priores ſic vocantur ἀπὸ τῆς ὥρας, hoc eſt, eo æſtatis tempore, cujus medio Canicula oritur. Poſteriores ſic dicuntur ἀπὸ τῆς ὀπώρας hoc eſt auctumno: quomodo interpretatur Martialis libro …

Si daret auctumnus mihi nomen, ὀπωρινὸς eſſem;
Horrida ſi brumæ ſidera, χειμερινός.

Propriè verò ὀπώρα, tempus inter ortum Caniculæ, & Arcturum: ut ex Hippocrate videmus. Ὡραῖοι, ut præcoces, ſic fugaces: ὀπωρινοὶ, ut ſerotini, ita reponi, ac conſervari idonei. Quæ tamen ſic capienda, ut ſolùm id intelligatur ſecundùm quòd maximam ſit partem. Nam & fructus æſtivæ horæ, unde ὡραίους eſſe nomen dicebamus, durare poſſunt, ſi duriori ſint cortice, ut quæ ἀκρόδρυα dicuntur; velut nuces, amygdalæ: cujuſmodi iccirco ad ὀπωρινὰ potiùs referuntur. Ex hiſce fructus ὡραῖοι vim obtinent humectandi, refrigerandi, & ſolvendi alvum: ὀπωρινοὶ tardiùs concoquuntur, atque alvum duritie ſuâ adſtringunt. Æſtivi etiam hoc habent, quòd maturi ſint magis, ob calorem æſtivum. Minùs maturi auctumnales ob ſolem declinantem, & aëris inconſtantiam, qui nunc calidus, nunc frigidus, ſæpe etiam humidus ob imbres crebros: unde fit, ut fructibus multum inſit humoris crudi, ac ſuperflui: à quo κακοχυμία a, ac varii morbi. Æſtivi antecœnio conveniunt: ut ſunt ceraſa, mora, pruna, fraga, perſica præcocia, & ejus generis alia. Nam ſi in bellariis ſive poſtcœnio comedantur, quia citò vitiantur, cruditatem gignunt. Nunc frigore ſuo ſtomachi calorem temperant, & alvum molliunt humore ſuo. Auctumnales verò magis conveniunt poſtcœnio ſive menſæ ſecundæ: cujuſmodi ſunt mala, pyra, nuces, cydonia, meſpila, caſtaneæ, & hujuſmodi alia: quæ ſi initio ſumerentur, quia pleraque adſtringendi vim habent, duritie ſuâ alvum indurarent. Nunc os ventriculi magis comprimunt, ſtomachum roborabunt, ac facient, ut alvus citiùs ſolvatur. Hæc universè de fructibus arboreis dicta ſunto. Nunc particulatim de iis videamus.

a *Malus ſuccus vel humor.*

In fructibus æſtivis nulli cedunt ceraſa: quæ non modò ob vinoſum ſaporem grata ſunt: ſed etiam corroborant, ac pinguefaciunt, ut eſt argumento, quod nunquam paſſeribus jecuſculum eſt majus, quàm quo tempore ceraſa eſitant. Eoque audiendus non eſt Simeon Sethi, qui eſſe κακόχυμα a tradidit, ſed adverſante Diphilo Siphnio, apud Athenæum: cum ait eſſe ſtomacho grata, parum nutrire, ſed bonum ſuccum gignere. Interim non omnium parem eſſe rationem putandum. Nam quæ dulcia ſunt, quia facilè adeò corrumpuntur, ſtomacho nocent, ac putridos gignunt humores. Pontica verò, ſive acida, modò recentia ſint, præſertim ſi ſimul caro nuclei comedatur, abſtergunt pituitoſum ſtomachi humorem: bonum etiam ſuccum generant. Arbor, ut Plinius b & Servius c, docent Romam apportata à Lucullo poſt Mithridatem, & Tigranem victos. Græcis verò multò ante cognita fuit; cùm apud Athenæum meminerit Diphilus, qui ſub Lyſimacho vixit. At inter cæſum à Nicatore Lyſimachum, & Mithridatem victum à Lucullo, amplius eſt duobus ſeculis. Itaque nec ceraſis nomen datum, quia ceraſum Lucullus apportaret: quod putavit Athenæus, & Iſidorus. Quin ipſi oppido id nomen à ceraſorum copia: quod & vocabuli ἀναλογία d indicat. Valde autem ratio fugit Servium, cùm in II Georg. ſcribit, fuiſſe quidem in Italia ceraſum: ſed durum, dictumque cornum: atque inde mixto nomine vocatum eſſe cornoceraſum. Planè enim cornus, & ceraſus, ſpecie differunt.

a *Pravi ſucci.*
b *Lib. 15. cap. 25.*
c *In 2 Georg.*
d *Ratio, proportio.*

Etiam ex Aſia Romam deportata ſunt pruna: ac ſimiliter inde vocem acceperunt. Nam cùm Græcorum aliis pruna dicantur κοκκύμηλα, Aſiaticis prunum ſylveſtre quòd Græcè ἀγριοκοκκύμηλον, vocatur προύμνιον; ut eſt apud Galenum lib. VII Simplicium, & lib. II de Aliment. Facult. cap. XXXVIII; ac inde apud Aëtium, & Æginetam. Sunt ea εὐστόμαχα e, ſi fuerint ſiccata: recentia verò κακοστόμαχα f. Sic enim concilianda ἐναντιοφανῆ g illa apud Dioſcoridem. Parum nutriunt, ventrem interim refrigerant, ac ſubducunt, teſte Galeno lib. II de Aliment. facult. cap. XXXI. Præcipua olim laus Damaſcenis, quia mediocriter refrigerant & humectant. Nunc maximè commendantur Hiſpanica, quæ Damaſcenis ſuaviora. Interim ſive recentia, ſive etiam ſiccata comedas, multum robur iis ſtomachi imminuti. At peſſima ἀγριοκοκκύμηλα h, ſive pruna ſylveſtria, quæ vulgo *pruneola* nominant. In medicamentis tamen iis locus ob vim adſtringendi, ac ſiſtendi alvi.

e *Accommodata ſtomacho.*
f *Ingrata ſtomacho.*
g *Quæ videntur contraria.*
h *Galeni Loca adeunda, & libri de aliment. facult.*

Mala, ut eſt apud Varronem in IV de L. L. ſic dicuntur à Dorico μᾶλα, pro μῆλα. Hæc pro ſapore, viribus etiam variant. Auſtera ſuccum habent frigidum, & craſſiorem, ac conveniunt ſtomacho calido. Acida habent ſuccum frigidum, ſed tenuem: magiſque conducunt, ſi ſtomachus ſit repletus craſſo ac viſcoſo humore, quem acida incidunt, ac detergent. Dulcia, quia calidiora, frigidis ſtomachis aptiora. Immatura nocent; ſed & matura, ſi immodicè ſumas. Nec tam laudanda, quæ recentia à matre, quam in hiemem, vel etiam ver adſervata. Unde Juvenalis Sat. XI:

—— Et odoris mala recentis
Nec metuenda tibi, ſiccatum frigore poſtquam
Auctumnum, & crudi poſuere cubilia ſucci.

Ubi & cauſſam addit, cur illa diutiùs adſervata præſtent: nempe quia depoſuerint crudum ac flatulentum illud. Quod & traditum Galeno in Concilio pro puero epileptico, cap. V. Videlicet maturitatem, quàm non plene à Sole nanciſci potuerunt, hanc ab ætate accipiant. Præterea etiam, ſi aſſentur, frigidus ac craſſus ſuccus corrigitur. Nullis verò æque à recentioribus ac flatulentis cavendum, quàm phthiſicis, vel hecticâ laborantibus. Nam flatus ve-

nas pulmonis extendunt, unde earum ruptura, hinc ſanguinis ſputum. Atque ex his liquet, cautè capi oportere, quæ ab Averroë in Colliget, ſive Collectaneis potiùs, citra diſtinctionem ſcribuntur: nempe, ſecundùm interpretem, rudibus his verbis: *Poma generant groſſam ventoſitatem in ſecunda, & tertia digeſtione, & poſſunt inducere phthiſim, & hecticam, quia flatus ab illis elevatus habet proprietatem ad erodendas arterias pulmonis.*

Mala Medica, ſive Aſſyria ex eo ſic dicta, quòd ex Media, & Aſſyria, primitus in Græciam, atque Italiam, fuerint adlata. Egregiè ea deſcribit Maro lib. II Georg. Sub his malis continentur tum citrea, tum quæ aurantia, quæque limonia nuncupamus. Imò & quæ Itali vocant poma Adami, ob opinionem eam vulgi, hoc genere deguſtato à primis parentibus, peccatum introiiſſe in mundum. Hujus mali arbori ſurculum citreæ aurantiæ, vel limoniæ utiliter inſeri, à pluribus accepimus. Appulejus in opere de arboribus, (ut eſt apud Servium in II Georg.) citrum à Medica diverſam ſcribit. Sed enim ſtrictiùs uſus eſt vocabulo; vel Medicæ, vel citri; quando & Heſychius κιτρίον dicit pomum eſſe Indicum. Quamquam & Indicum hìc capere poſſis pro Orientali: quomodo veteres eſſe locutos, dictum nobis lib. I hujus operis, cap. XXVI, & alibi. Dubium verò utrum aurea Heſperidum mala ſint citria ſive Medica, an verò Cydonia. De Medicis adverſarii illud videtur, quod hæc, ut nomen Medicorum teſtatur, advecta ſint ex Oriente, at illa Heſperidum ſtatuantur in Africa. Sed opinioni huic adverſatur Martialis, qui lib. XIII, epigr. XXXVII, ubi lemma de malis citreis: ſcribit:

Aut Corcyræi ſunt hæc de frondibus horti,
Aut hæc Maſſyli poma draconis erant.

Atque apud Athenæum etiam quædam pro hac legas ſententia.

Malum Cotoneum, Græcis κυδώνιον, à Cretæ civitate ſic dictum, multa lanugine veſtitur: unde Maro de eo:

Ipſe ego cana legam tenera lanugine mala.

Secundum Columellam, & Plinium continet ſtruthea, chryſomela, & muſtea. χρυσόμηλα ad verbum ſonat *aurea mala*. Et ſic appellat Maro Ecloga III. Scio, multos putare, intelligere eum mala, quæ Aurantia vocamus. Sed hæc ad mala citrea pertinent, quæ nec dum tum temporis, imò nec Plinii ætate, in Italia creſcebant, ſed è Media & Aſſyria, tarde poſtea ſunt apportata: unde iis Medici, & Aſſyrii mali nomen. Quomodo igitur, ea mittere potuit Menalcas? cujus hæc verba:

Quod potui puero ſylveſtri ex arbore lecta
Aurea mala decem miſi, cras altera mittam.

Cydonia verò num difficile erat paſtori mittere, quia paſſim in Italia naſcebantur. Adde quod chryſomela clarè in cydoniis referuntur ab antiquis: at citrea, ut & Aurantia, nunquam. Facilè autem adſentio Pierio Valeriano, qui in Hieroglyphicis arbitratur, non alia eſſe mala Heſperidum, quam aurea, ſive chryſomela. Cydonia hæc non ab odore modò commendantur: ſed etiam à medicina multiplici; ut in medicamentis inferiùs dicetur.

Perſica mala ſic dicta à Perſia, unde primùm advecta. Hæc, quia refrigerant, proſunt ſtomacho æſtuanti, quia imminuunt fervorem. Sed non edenda, niſi matura, & à cibo: continuò etiam, ubi manducata, non muſtum quidem, quod Schola Salernitana præcipit; ſed vinum eſt bibendum vetus. Atque hinc liquet, quod Plinius ait lib. XV eſſe *innocua, & expetita ægris.* Quodque idem ſcribit lib. XXIII, cap. VII, *nec eſſe eis pomis innocentiorem cibum.* Aut quod Dioſcorides ait eſſe εὐστόμαχα, καὶ εὐκοίλια, *ſtomacho, & alvo accommodata.* Galenus ſanè de alimentorum facultatibus, cap. XIX, facilè ait corrumpi, & malum gignere ſuccum. Quod & proditum Æginetæ lib. I, cap. XVIII. Addit deteriora eſſe præcoquis, ſive Armeniacis: quæ teſte Dioſcoride *a*, è minoribus Perſicis erant; ac *præcoqua* videntur dicta, quòd

a Lib. I cap. de pomis.

citiùs aliis matureſcerent. Ex *præcoqua*, ut Martialis *a* vocat, factum eſt βερίκοκκα, ſicut appellat Simeon Sethi. Nec dubium, quin ex alterutro corruptum ſit Gallicum *abricoqua*: quod & obtinet apud Belgas. At vide ne Perſicam, & Perſeam arborum confundas, uti factum à Columella lib. X, Nicandri ſcholiaſte, & Iſidoro. Clarè enim diſtinguunt Plinius lib. XV, cap. XIII, & Galenus lib. II de compoſ. Medicam. Item Dioſcorides, Ætius, Ægineta, qui diſtinctè de iis egerunt. Malum Punicum eſt, quod à copia granorum vulgo dicitur granatum. Græcis ῥοά, Bœotiis σίδη, de quo vide Athenæum ex Agatharcide. Ejus mali quoniam tria grana guſtaſſet Proſerpina, ab inferis eam reducere non potuit Ceres: ut Ovidius IV Faſtorum ait:

Rapta tribus, dixit, ſolvis jejunia granis,
Punica quæ lento cortice poma tegunt.

a Lib. 13. pag. 46.

Vim habet roborandi ſtomachum: ſed parum nutrit.

Pyra Græcis ἄπια, forte ex eo, quia abundaret iis Apia, ſive Peloponneſus, indeque ad Græcorum alios ſint devecta. Sanè id veriſimilius, quàm ut à pyris nomen ſit datum regioni; uti maluit Etymologus Græcus. Pleraque de his liquent ex iis quæ de malis diximus. Faciliùs interim concoquuntur, etiam magis nutriunt, quia ſunt ſubſtantiæ denſioris. Sed recentia ac cruda ſeroſum gignunt ſuccum, inflant, & colicum afferunt dolorem: ut eſt apud Simeonem Sethi, & Avicennam. Eo poſt eſum eorum bibendum vinum: ut hæc mala evitemus. At pyra cocta ſtomachum levant, & corroborant, etiam ſubductionem alvi juvant: expedit verò comedere poſt ciborum alios. Vide quæ de pyrorum facultatibus refert Galenus lib. VI Simplic. & lib. II de aliment. facult. cap. XXIV. Quam varia autem pyrorum genera fuerint, dicet Plinius lib. XV.

Ficus Græci melioris vitæ initium dixere, poſtquam eas reperit Phytalus heros. Nimirum quia antea glandibus veſcerentur. Eſt de hoc epigramma apud Pauſaniam in Atticis, ubi ἱερὰν συκῆν, *ſacram ficum* vocat. Multa item, ac pulcra, de ficubus legere eſt apud Athenæum libro III. Sunt verò minus mali ſucci, quàm pomorum alia. Præterea admodum nutriunt. Unde & συκωροὶ ſive ficuum cuſtodes, cibo hoc cæteris ſolent eſſe obeſiores. Sed non eſt obeſitas ea diuturna, cùm poſtea detumeſcat corpus. Et potuit hoc inter alia movere Pythagoram exercitatorem, ut athletas, cùm prius ficubus gauderent, ad carnes traduceret, teſte Plinio lib. XXIII, cap. VII. Magnum verò ſalubritatis argumentum eſt, quòd Galenus ipſe ab anno duodetrigeſimo uſque ad ſenectam, cùm aliis omnibus abſtineret ὡραίοις, ficus tamen comederit, & uvas. Interea hoc vitii habent, quòd pediculos gignant; ſive quòd in corporibus impuris putreſcant, ſive quia in puris ſanguinem tenuem gignant, qui ob ſubtilitatem ad exteriora ſe recipiat, ac pituitoſos ſecum humores attrahat. Demetrius Scepſius, ut ex eo tradit Athenæus, ait, ficus voci incommodare: ac Hegeſianacta hiſtoriarum ſcriptorem, cum initio pauper, egregium evaſiſſe hiſtrionem in agendis tragœdiis: atque hoc ex eo proveniſſe, quia annis duodeviginti hoc cibo abſtinuiſſet. Credo id inde, quod glutinoſæ ſint indolis: ut vel ex eo liquet, quòd manibus, ſi tractentur, adhærent. Veteres ediſſe, cum ſale, thymo, & aceto ex eodem Athenæo videre eſt. Alii cum aceto, vel garo comedebant, teſte Galeno. Hodie multi cum ſale, & pipere comedunt. Cauſſa horum, quod iſta attenuent viſcidum humorem, qui alioqui renes, ac lienem, obſtruit. Ac eandem ob cauſſam, iis comeſtis, largiùs bibendum, ne diu nimis ſtomacho inhæreant. Utrum aqua calida, an gelida præſtet, diſputatum olim Heraclidæ Pontico in Convivio, teſte eodem Athenæo. Qui calidam commendarent, eo ſe tuebantur, quod manus faciliùs calidâ mundentur. Qui frigidam præferrent, ajebant eam gravitate ſua magis fundum petere ventriculi: atque inde ficus protrudere. Sed alii prorſus merum prætulere; ut cruditas corrigatur. Is mos hodie Italis. Hiſpani,

quia

quia calidiori vivunt ſolo, aquam cenſent potiorem. Quia verò lentore ſuo obſtruunt, eò cum amygdalis comedi præſtat: ut Galenus ait libro de cibis boni malique ſucci. Vel ante cibum comedendæ cum pipere, vel zingibere; aut thymo, origano, vel hyſſopo.

Nec dubium tamen, quin ea, quæ diximus, multùm varient in tam multis generibus. Quorum præcipua, Romanis quidem cognita, Columella recenſet lib. x.

At gravis arcturi ſub ſidere parturit arbos
Livia, Chalcidicis, & Caunis, æmula Chiis,
Purpureæque chelidoniæ, pingueſque mariſcæ,
Et calliſtrutis roſeo quæ ſemine rides,
Albaque, quæ ſervas flavæ cognomina ceræ,
Sciſſa Libyſſa ſimul, picto quoque Lydia tergo.

Ex his verò claræ admodum Cauneæ, Ciceroni etiam memoratæ in libris de Divinat. ubi ſermo de femina, quæ cum Craſſus ad Parthos proficiſceretur, proclamaret *Cauneas*: id mali ominis viſum, quia videretur deterrere Craſſum ab itinere. Hoc non facile capiant, qui ignorant Romanis v conſonum ſonuiſſe ut Germanicum w, eoque *cave* pronunciatum, tanquam *cawe*. Nihil igitur mirum, ſi cùm diceretur *Cauneas*, id ita interpretaretur, quaſi dixiſſet, *cave ne eas*. Quæ verò ab urbe Cauno Cauniæ, eæ à regione Caria, in qua Caunus, caricæ. Quod clare indicat Cicero loco ante dicto, verbis iſtis: *Cùm M. Craſſus exercitum Brunduſi imponeret, quidam in portu Caricas Cauno advectas vendens, Cauneas clamitabat.* Caricas etiam vocat Ovid. I Faſt. Seneca epiſt. LXXXIX, atque alii. Item celebris etiam Chia ficus ſic dicta, quia in Italiam tranſlata è Chio, Ægei maris inſula. Meminit Athenæus lib. III. Duo ejus bona celebrat Martialis lib. XIII, epigr. XXIII. Nempe quod ſitim reſtinguit, & quod pro ſale eſſe poſſit. Hæc enim ſententia eſt illorum verborum:

a Sic pro quam reponendum.

Chia ſeni ſimilis Baccho, quem a Setia miſit;
Ipſa merum ſecum portat & ipſa ſalem.

Nimirum comparat Chium ficum cum veteri vino, è Setino Campaniæ agro miſſo: atque ait in eo convenire, quòd utrumque pro ſale ſit, & ſitim relevet ac ſedet, ut vino eam ſiſti non ſit opus. De ſiti minus mirandum quando universè ab Hippocrate in ſecundo de diæta ſcriptum: σῦκα χλωρὰ ὑγραίνειν, *virides ficus humectare.* Item celebres calliſtruthiæ: etiam Plinio memoratæ lib. XV, cap. XVIII. atque addit, eædem & *paſſariæ* dicebantur. Julius Capitolinus, in vita Clodii Albini: *Nam & quingentas ficus paſſarias, quas illi calliſtruthias vocant, jejunum comediſſe dicit.* Chias memorat Martialis lib. XIII, cap. XXIII; ubi eas & vinum redolere, & ſalſas ait. Chelidoniæ ſic vocatæ à colore hirundinis, quia ἐρυθρομέλανες *b*, ut eſt apud Athenæum in XIV: Chalcidicæ, & Chiæ,

b Pulla.

& Liviæ, etiam mentio apud Plinium lib. XV, cap. XVIII Item mariſcarum, de quibus & Cato. Adhæc Libyſſæ, ſive Africanæ ficus. Atque idem Plinius memorat, Columellæ indictas: Rhodias, Tiburtinas, Pompejas, Herculaneas, Saguntinas, Tellianas. Præter hæc genera quæ ex Columella, & Plinio, diximus, varia etiam genera refert Athenæus libro III: ut Atticas, Laconicas, Phibaleas, erineas ſive caprifici, vel agreſtes, oporobaſilidas, coluras, Phorinias, Megaricas, Rhodias, Africanas, Taxalias, Hæmonias, ſive Parias, Amadeas, Nicyleas, Regias, Colyphra, Glyciſidas, Cydoneas, Coraceas, Cyprias, Leucomphalias, Protericas, ſive primarias, Cirrhocœladias, Hyladias, ſarcelapheas, Lapytias, Picridias, Dracontias, Leucophias, Melanophias, Creneas, Mylaicas, Aſcalonias, Trallianas. Sed non video, cur his debeam inſiſtere. Vix enim ullus eorum uſus, niſi ad ſcriptores antiquos melius intelligendos: atque is ipſe eo minor, quod ſcriptores, ubi tot generum mentio, maximam partem deperierint.

De olearum variis generibus, agit Columell lib. v, cap. IIX.

Oleo priùs inungebant veteres carnes, & piſces, quos aſſarent. Galenus lib. XI de ſimplicibus Medicam. eo id factum ait, ne exteriores partes vi ignis exurerentur, ac interiorum partium actio vel coctio impediretur. Altera etiam ratio eſt, ne proprius eorum quæ aſſarentur humor foras proflueret. Nam oleo obturante meatus extimos, nequit exire humor interior. Quam cauſſam adfert, ac pluribus illuſtrat Hieronymus Mercurialis lib. I. Var. Lect. cap. XVI. Eſt verò oleum cætera calidum, igneæque naturæ: eoque contrariæ virtutis ac aqua: & hæc ratio eſt, cur licet utrumque ſit humidum, aqua tamen, & oleum, commiſceri non poſſint. Uti nec commiſcentur aqua, & gummi maſticis; quia gummi hoc itidem igneæ naturæ, eoque facile flammam concipit. Contra ceraſorum, miſcetur aquæ, imò in ea reſolvitur. Nempe quia gummi hoc naturæ eſt aqueæ.

Mori poma ſtomachum refrigerant, ut ait Plinius lib. XXIII, cap. IV. Ac præſertim id faciunt immatura, qualia alvum adſtringunt. Matura verò dulciaque, ſi prius aqua abluantur, & à jejuno adſumantur ſtomacho, ventriculi ac jecoris æſtum temperant. Poſt alios adſumta cibos facilè corrumpuntur. Ut ſtultitiam Catii cenſeam ab Horatio rideri, cùm lib. II, ſat. IV, ſcribit:

—— *Ille ſalubres*
Æſtates peraget, qui nigris prandia moris
Finiet, ante gravem quæ legeris arbore ſolem.

Is enim peccat, cum mora nondum à ſole calefacta nimis refrigerent, & à cibo ſumta facilè cum cibis putreſcant. κακοστόμαχα *a* eſſe ait Dioſcorides: ſed adverſante Galeno. *a Incommoda ſtomacho.*

Etiam mora appellant, ruborum fructum. qui Græcis βάτινα. Unde Ovidius I Metam.

—— *Dans hærentia mora rubetis.*

Ac ſimiliter IV Faſt. item Columella lib. v, cap. x. Sed hujuſmodi magis adſtringunt, & ſtomacho moleſtiam gignunt, etiam capitis dolorem creant, ſi largius comedantur. Itaque paucis is cibus in deliciis: ſed agricolis libens relinquitur.

Etiam Servius ad illud Ecl. III,

—— *Et humi naſcentia fraga*:

Interpretatur *mora in herbis naſcentia.* Ea grata ſunt ob vinoſum ſaporem, & odoris fragrantiam. Sed multum refrigerant: eoque è vino ſaccharo adſperſo comedi ſolent.

Meſpila magis in medicamento ſunt, quam alimento, ut Galenus docet lib. II de facult. alim. cap. XXV. Quare hic de iis illud ſolum dicam: alimentum præbere exiguum ac frigidum, ſed habere inſignem adſtringendi vim, eoque ſtomachum roborare, atque alvum lubricum ſiſtere. Utrum verò Arabum *azarola* meſpilorum genus ſint, vide apud Manardum lib. x, epiſt. I. Ubi & vocem eam ad Neapolitanos ait proveniſſe ab Hiſpanis, hos à Pœnis, ut alia multa, accepiſſe.

Nec multum à meſpilis diſtant ſorba: ſed minùs adſtringunt; ac ubi maturuerint, ſuavioris ſunt fructus.

Dactyli, ſive palmulæ, palmæ arboris fructus, in cibo celebrantur: ut Plinius ait lib. XIII, cap. IV. Nec leviter eas commendat, quod ſancti aliquot viri, ut Hilarion, Paulus, Antonius, hoc uno cibo vitam in eremo traduxerint. Eſt alioquin iis ſuccus craſſus, ac lentus: eoque lienem ac hepar obſtruunt. Dulciores etiam facilè in bilem abeunt, ut adſtringentes in pituitam. Cùm verò undequinquaginta, ſecundum Plinium, eorum genera ſint, præcipua palmularum ſunt, Caryotæ, & Ægyptiacæ ſive Thebanæ; omnes vero hoc habent commune, quod ſint dulces, & adſtringentes: ſed Cariotæ minus adſtringunt: Thebanæ ſunt minoris dulcedinis. Caryotæ dicuntur, non à καρύα, hoc eſt nux, quæ Iſodori ſententia eſt, quaſi dicas, nucales, hoc eſt nucibus ſimiles: ſed à κάρη, hoc eſt caput, quia illud aggravant: quam nominis rationem Plinius *b* adducit. In caryotis fuere Nicolai, ſic dicti ab Auguſto in honorem ſummi & undecunque doctiſſimi Nicolai Damaſceni; qui cum iis ſciret capi Cæſarem, ei crebro è Syria mittebat: ut auctor eſt Plutarchus in Sympoſiacis, lib. VIII, quæſt. IV. item Athenæus. Romanis etiam mos muneri mittere dactylos latentes & concluſos in ramo, unde dependebant. Is ramus,

b Lib. 13. cap. 4.

mus, Polluce teſte, dicebatur ἐλάτη, vel σπάθη, aut σπαθίειον: unde apud Martialem lib. XIII, epig. XXVII, ſub lemmate Spathalium caryotarum:

Aurea porrigitur Jani caryota Calendis.
Sed tamen hoc muneris pauperis eſſe ſolet.

Quia verò & ramus ille, unde pendebant, φοῖνιξ, ſive palma dictus συνεκδοχικῶς *a*, & Statius Papinius ait primo Sylvarum:

a Partem ſumendo pro toto.

—— Et latente palmâ
Pregnantes caryotides cadebant.

Scriptum id carmen Kal. Decembribus Saturnalibus: unde liquet tum etiam mitti ſolere, non Januariis ſolùm. Etiam in cibis erat arboris ejus ſummitas. Xenophon lib. II περὶ τῆς Κύρου ἀναβάσεως vocat ἐγκέφαλον *b*, ubi narrat ut Græci id milites comederint. Imò & ſic appellant Theophraſtus, Strabo, Plutarchus, Galenus. At Dioſcorides appellat ἐγκάρδιον: nempe quia Græcis cerebrum etiam dicitur ἔγκαρ, vel ἔγκαρον, quia ſit ἐν κάρῃ, in capite. Nam κάρη caput. Plinius lib. XIII, cap. IV: *Dulcis medulla illarum in cacumine, quod cerebrum appellant.* Ac Plutarchus quoque lib. de tuenda valetudine, dulce eſſe agnoſcit: ſed capitis dolorem adferre. Ac ſimiliter Xenophon loco ante memorato: Addit exareſcere palmam, cui id ademtum. Qua de re & antea dictum, cum de radicis natura ageremus.

b Q. d. cerebrum.

Uvarum magna eſt gloria, ſi prorſus maturuerint. Minus tamen ficubus nutriunt: plus fructibus cæteris: præſertim quæ plus carnis habent, quàm ſucci. Interim hoc commune habent cum ficubus, quòd ubi quis alterutro fructu habitior eſt factus, eo veſci deſueſcat, breviculo tempore deminuat caro, quia flaccida inde eſt, non ſolida. Dulciores uvæ ſunt calidiores: unde eſt quòd ſitim pariant. Frigidiores ſunt acidæ, & auſteræ: quales ſtomacho nocere, & concoctionem turbare, Galeno traditum eſt libro de Alimentorum Facultatibus. Folliculi, & nuclei, ſive vinacea, meliùs exſpuuntur, reſervata carne cum ſucco. Nec enim ſtomachus concoquere poſſit. Ex iis quæ vindemiæ tempore diutius adſervarentur, ſalubriores erant penſiles, quia dum funiculo dependent, ventilantur. Meminit *penſilium* Horatius lib. II, ſat. II, & Plinius lib. XV, cap. XVII: ubi ait, in granariis ſolere ſuſpendi, ac pulverem iis prodeſſe. Diſpar earum ratio, quas in olla reconderent, quæ *botryones* dictæ, & *uvæ ollares*. Utraque appellatione uſus Martialis: ut videre eſt lib. XI, cap. XXVIII, & lib. VII, cap. XIX. Ac in vett. gloſſis legas: Βοτρυόνες, *uvæ, condititii racemi*. Etiam in fabrorum officinis adſervabantur: ubi fumus fabrilis, ſicuti vinis, gratiam iis adferre ſolet; quemadmodum Plinius ait lib. XIV, cap. I: præſertim Albanis: unde Horatius lib. II, ſat. IV:

Rectius Albanam fumo duraveris uvam.

Hujuſmodi uvas Fabricias vocat Theodorus Priſcianus in Logico, cap. XIII. Etiam fabrilium harunce meminit Cælius Aurelianus lib. IV Tardarum Paſſ. cap. III. In aquis cæleſtibus ſervatæ, minus ſuaves, ſed magis ſalubres: ſecundum Plinium.

Uvæ paſſæ, quas Græci vocant σταφίδας, & ἀσταφίδας, item σταφίδας, ſalubres ſunt, quia haut facile putreſcunt, & crudos humores concoquunt: ut apud Galenum eſt lib. VIII de compoſitione Medicamentorum ſecundum locos, cap. VII. Minutæ verò illæ colore nigro, quæ Corinthiacæ dicuntur, ……

Eſt & arboreus fructus piper, proveniens non quidem in Caucaſi montis parte mari Erythræo obverſa, quod traditum Plinio *c*, & Philoſtratho *d*: ſed in Malabarica regione, cujus caput Calecutium, unde & piper Calecutianum vocatur. Ac unus è veteribus Arrianus id ſciviſſe videtur in Periplo maris Erythræi. Verùm, & aliis creſcit locis: etiam in novo orbe; ut, quod dicitur Americanum, vel piper longum Monardi; eſtque calidius, ac ſiccius eo, quod ex Oriente advehitur. In pipere mira relucet Dei providentia. Nam piperi imminet folium, quod pluviæ pondere preſſum in folium ſuum ſubſidit, & à pluvia defendit ne calorem, ſiccitatem, & odorem deperdat: ceſſante autem pluvia, à Sole exſiccatur, & paullatim à pipere, cui imminebat, adſurgit. Eſt piper triplex; album, nigrum, longum: ex quibus conſit, quod διατριῶν πιπέρεων dicitur. Valde autem falluntur, qui putarunt zingiber eſſe arboris piperis radicem. Etſi & ipſum zinziger, atque adeo optimum in Malabara prope Calecutum creſcat. Sed omnino ſunt à plantis diverſis. Interim & zingiber, & piper, aromatica ſunt, ſed ſic ut plus habeant acrimoniæ, quàm aromatici, majoriſque ſint uſus in culina, quàm medicina. Utraque in condimentis concoctionem calore, & acrimonià ſuà juvant, pituitam & excrementitios humores incidunt, & corrigunt. Interim quia vehementer calefaciunt, magis conducunt ſenibus, quam juvenibus, pituitoſis, quam bilioſis, in craſſis eduliis, quam tenuibus, hiberno tempore quàm æſtivo. Præterea nec piper in minimum pulverem redigi debet, quale per corpus diſperſum, accendit ſanguinem, & hominem emaciat. Atque ad hæc mala evitanda, ne quidem nimis multum, vel crebrò nimis, cibis addendum.

c Lib. 12. cap. 7.
d Lib. 8 de vita Apollonii, cap. 1.

Capparis prodeſt, ſi prima menſa aſſumatur ex oleo, & aceto. Nam ὄρεξιν *a* excitat, dum pituitam ventriculo deterget. Interim, ut Galeno quoque proditum, parum nutrit. Ut omnino non tam ei locus ſit in alimento, quàm medicamentis idque ob attenuandi & extenuandi facultatem, qua lieni, & hepati prodeſt, ut poſtea dicetur.

a Appetentiam cibi.

Cap. XIV.

De nucibus, & arundinum ſucco. Nux ab Hebræo, vox omnibus fructibus duriori teſtis operimento communis: magis tamen propriè juglandi, & avellanæ. Juglans, quaſi Jovis glans dicta. Avellana, ab oppido Abella. Juglandes minus nutriunt avellanis. Amygdala, voce Græca, à ſtriis, ac ſcarificatione nuncupata. Amygdalæ duplices, dulces, & amaræ. Arbor prognoſtica fertilitatis anni, & qui hoc. Caſtaneæ unde. difficulter concoquuntur. Nuces pineas multùm nutrire. Piſtacia grata ſtomacho. Quernæ glandes, nunc ſuum cibus. Saccharum, ſuccus arundinis. ejus multivarium uſum veteribus non ſic perſpectum fuiſſe, atque nunc.

NUx dicta non à nocendo, quia capiti noceat, vel quia umbra noceat ſegeti: ſed ab Hebræo לוז, *luz*, quod generatim nux, ac particulatim amygdalus: ut Geneſ. XXX, 37. ubi vertitur ἀμυγδαλίνην, & καρυΐνην. Hieronymus in libro Quæſt. *Ecce manifeſtiſſime comprobatur, Bethel, Luzam, id eſt, amygdalon, ante vocitatam.* A *luz* verò *nux*, L in N abeunte: ut à λύμφη, *nympha*; à luſcitioſus, *nuſcitioſus*; de quo Feſtus; Dores etiam pro φίλτατος dicunt φίντατος, pro ἦλθον, ἦνθον, Belgæ à σκέλος *ſchenen*.

Nucis appellatio omnibus convenit duriori tectis operimento: ſed propriè magis id nomen ſibi vindicant juglans, & avellana, laxius autem competit amygdalo, caſtaneæ, ac nuci pineæ. Juglandi tamen in glandibus primus datus eſt locus: ut nomen indicat cum Latinum, tum Græcum. Nam Græcis Διὸς βάλανος dicitur: unde *diuglans*, & *d* præterito juglans: quod etymon placuit Cloatio Vero in libro a Græcis tractorum. Verba ejus refert Macrobius lib. II Saturnal. cap. XIV. Vel potiùs, ut ibidem refertur ex Gavio Baſſo de Verborum ſignificat: Ut Græcis Διὸς βάλανος, h. e. Jovis glans: ita Latinis priùs Joviglans, inde jouglans, & per meram vocalem: quomodo ſimile, ſit, ac *Jupiter* ex *Joupiter*, quod contractum ex *Jovipater*, h. e. *Jovis pater*, ubi *Jovis* eſt rectus, ut in *Marſpiter*, & ſimilibus. Ibidem apud Macrobium legas dici Græcis κάρυον βασιλικὸν, ſive nucem regiam. Imo & Perſica vocatur: atque ex hiſce regiæ, & Perſicæ nucis appellationibus, colligit Plinius a regibus è Perſide tranſlatam. Cùm verò nunc glans, nunc dicatur nux,

ut

ut vidimus, Belgæ una voce complexi utrumque. Nam iis vocatur *oker-note*. Cujus vocis pars poſterior *note*, nux: prior autem *oker*, quod Sicambris, & Hollandis, *glandem* notat. Angli pro eo *oke* dicunt. Ab *oker* eſt vetus Flandricum *okeler*; quod notat nucem arborem. Sed pro *oker* etiam dicitur *aker*, glans. Utrumque ab *eike*, quercus. ut hinc liqueat, *oker*, & *aker*, propriè quercum, vel *ilicem*, notare: quæ arbor eſt glandifera: unde IV Georg.

Nec de concuſſâ tantum pluit ilice glandis.

De nullo horum dubitabit, qui ſciat, quàm facilè in lingua Belgica, imò & aliis, A, E, O, commutentur.

Addam conſuetudinem Romanis fuiſſe, in nuptiis ſpargendi nuces. Ut vel illo Catulli notum in Epithalamio Juliæ, & Mallii,

Da nuces pueris iners
Concubine, ſatis diu
Luſiſti nucibus: lubet
Jam ſervire Thalaſio,
Concubine, nuces da.

Fuiſſe eas nuces juglandes, Plinius dicet lib. XV, c. XXIX: ubi & cauſſam ejus moris affert.

Avellana, ex corylo, Græcis λεπτοκάρυον, ut Juvenali *minima nux*. Ex Ponto Aſiæ regione traducta eſt in Græciam: atque inde in Campaniam, à cujus oppido Abella, Avellanæ nominatæ: ut à Ponto Ponticæ: ab Heraclea, Ponti oppido, Heracleoticæ: etſi aliter Oppius, de quo mox dicam: imò ex quo Prænestini obſidionem Hannibalis iis nucibus ſuſtinuere, (de quo apud Livium legere eſt) etiam *Præneſtinarum* nomen meruerunt. Ad iſtoc nomen nucum adluſit Nævius in Ariolo: cujus verſus ſic apud Macrobium lego, inque numeros reſtituo:

——— *Quis heri apud*
Te? Præneſtini, Lanuinique hoſpites:
Suopte utroſque decuit acceptos cibo.
Alteris inanem bubulam madidam dari:
Alteris nuces in proclivi profundere.

Niſi verſu tertio cum Scaligero reſcribere malis *bulbum madidantem*: ac poſtremo, cum Pontano, *in proluviis*.

Juglandes minus nutriunt avellanis. Virides & candicantes melioris ſunt ſucci. Siccæ enim ætate contrahunt oleaginoſum quid, & ſtomacho adverſum. Præcipuè proſunt, ſi cum ficubus comedantur. Immodico autem uſu paralyſin gignunt, ob obſtruendi vim. Dolorem etiam capitis gignere, ac ſtomacho innatare, à Diphilo Siphnio proditum eſt.

Avellanas dicebamus præſtare: cujus cauſſa eſt, natura compactior, minuſque oleoſa. Sed quia compactiores eo difficilius quoque concoquuntur: ut eſt apud Galenum. Commune hoc habent cum juglandibus, quòd capitis dolorem pariant: ſicut Plinio, Aëtio, atque aliis, proditum. Eoque valde eos fugit ratio, qui cremorem earum mederi cephalalgiæ arbitrantur.

Amygdala nucis nomine ſecundum Servium, & Iſidorum intellexit Maro I Georg. ubi ait:

——— *Cùm ſe nux plurima ſylvis*
Induet in florem, & ramos curvabit olentes.

Amygdala dici creduntur, quia putamen habeat multas ἀμυχὰς, ſive ſtrias ac ſcarificationes. Nam id eſt ἀμυχὴ, ab ἀμύσσω, quod propriè eſt unguibus rado. Aliter *nux Thaſia* vocatur: ut ex Cloatio Vero ſcribit Macrobius lib. II Sat. cap. XIV. Ac ibidem legas, eandem eſſe *nucem Græcam*. Nimirum ſic dixere temporibus Catonis, quando necdum in Italia creſceret. Cùm verò duplices ſint amygdalæ, dulces & amaræ, poſteriores medicamentis utiliores ob abſtergendi vim: priores ut ventriculo jucundiores ita aliquanto magis nutriunt. Multum alere Diphili ſententia eſt: at non admodum nutrire, Galenus judicavit. Noſtris temporibus ſaccharo incruſtatæ in bellariis adhibentur. Ex hoc fructu cognoſcere poſſumus anni fertilitatem. Nam Maro quoque I Georg. προγνωστικὸν anni futuri fertilis, vel infœcundi, his verbis promit:

Contemplator item, cùm ſe nux plurima ſylvis
Induet in florem & ramos curvabit olentes;
Si ſuperant fœtus, pariter frumenta ſequentur.

Ubi Servius monet, nucis plurimæ nomine ſignari nucem longam, ſive amygdalum: beneque, pro prognoſtico elegiſſe hanc arborem, quæ prima foliis veſtitur. Cauſſam prognoſtici ſi voles, ea eſt, quòd indicet temperiem aëris: unde de fœcunditate anni facilis eſt conjectura.

Caſtaneis nomen dedit Caſtanum Magneſiæ urbs, quæ iis abundabat. Unde Nicander in Alexipharm.

Δυσλέπτου καρύοιο, τὸ καστανὶς ἔτρεφεν αἶα
Squamoſam miſit Caſtana terra nucem.

Ubi, ut & alibi apud eundem, inter nuces reponi videmus. Et Maronis eſt Ecl. II:

Caſtaneaſque nuces. ———

At Dioſcorides, ac Galenus, glandibus annumerant. Ac magis eò inclinat Plinius lib. XV, cap. XXIII: *Nuces vocamus & caſtaneas, quamquam accommodatiores glandium generi.* Ibidem legas, Græcis *Sardianos balanos* vocari, quia Sardibus provenere primum. Addit poſtea: *Patria laudatiſſimis Tarentum, & in Campania Neapolis.* Unde Martialis lib. V, epigr. LXXIX:

Et quas docta Neapolis creavit
Lento caſtaneæ vapore toſta.

Oppius apud Macrobium lib. II Saturn. cap. XIV, cenſet eaſdem eſſe Heracleoticas. Sed eæ potius ſunt avellanæ, ſive Præneſtinæ. Difficulter à ſtomacho concoquuntur, ſed ſucci ſunt boni, multumque nutriunt: quo nomine laudant eas cùm Diphilus & Mneſitheus, tum Galenus lib. II de Alimentorum Facult. Cæterùm quia, ut dixi, ægrè concoquuntur, nocent iis, quibus ſtomachus eſt imbecillis. Etiam ob craſſos ſuccos obſtructiones pariunt, corpus quoque flatibus diſtendunt. Ob quæ in attenuanti victus ratione damnantur à Galeno lib. de cibis boni & mali ſucci, cap. X. Sanè ſi obſtruunt, nephriticis convenire non poſſunt. Si inflant, nocent colico dolore affectis. Sed craſſities ſucci, ac flatulentum illud magnam partem corrigitur, ſi comedas toſtas cum ſale & pipere. Et tamen ſic quoque ante ſatietatem abſtinendum. Omnino enim cibus eſt convenientior robuſtis, & laborioſis, quam ſedentariis, & qui totos ſe ſtudiis immergant.

Nuces pineæ, quæ Græcis στρόβιλοι, & aliter vocatæ, pomis accenſentur à Martiale, ut qui poma cybeles vocet. Quod videtur profectum à joco Caſelli Juriſconſulti: de quo ſic Macrobius lib. II Saturnal. cap. VI: *Lapidatus à populo Vatinius, cùm gladiatorum munus ederet, obtinuerat, ut ædiles edicerent, nequis in arenam, niſi pomum miſiſſe vellet. Forte iis diebus Caſellius conſultus à quodam, an nux pinea pomum eſſet, reſpondit: Si in Vatinium miſſurus es, pomum eſt.* Succi eſſe boni craſſique, & multum nutrire, licet difficilius concoquantur, Galeni judicium eſt. Ac de alimento idem Diphili eſt judicium. Nuclei etiam pinei, ut ait Cornelius Celſus, ſtomacho ſunt amici. Sed utile eſt ut prius lavando abſtergeatur pars oleoſa; vel aquâ roſaceâ, ut nunc fit, macerandi. Nec eadem eſt gratia veteribus, ubi rancidæ ſunt factæ.

Piſtacia, quæ Nicandro in Theriacis ψιττάκια, & ipſa in nucibus ſunt. Hæc, ut Plinius ſcribit lib. XIII, cap. V, è Syria primus in *Italiam L. Vitellius intulit, qui poſtea Cenſor fuit, cùm legatus in ea provincia eſſet, noviſſimis Tiberii Cæſaris temporibus; ſimulque in Hiſpaniam Flaccus Pompejus, eques Romanus, qui cum eo militabat.* Εὐστόμαχα a eſſe, ait Dioſcorides, eumque ſecutus Simeon Sethi. Galenus tamen putat, nec prodeſſe ſtomacho, nec nocere; nec multum nutrire. a *Stomacho utilia.*

Quernæ glandes ante inventas fruges obtinebant, unde & *fago* nomen ἀπὸ τοῦ φαγεῖν: Imo ſi Iſidorum audimus, etiam ilici nomen, quia hunc fructum ſibi homines primo elegere. Sed quanto rectius arceſſas ab Hebræo אֵלָה *ela*, id eſt quercus: ut i hoc ab אֵל *el*, fortis. Nunc verò quernæ, & ilignæ glandes ſuum potius cibus, quàm hominis, præterquam ingentis famis tempore.

De

De nuce myriſtica, ſive unguentaria, item myrobalano, ſive ben Arabum, deque phœnicobalano ſive officinarum tamarindo, in medicamentis potius, quàm in re cibaria locus erit.

Arundinis ſuccus eſt, qui ſaccharum dicitur. Prius de veterum ſaccharo dicam: deinde de noſtro. Ac de veterum illo ita Dioſcorides lib. II, cap. CIV: Καλεῖται δέ τι καὶ σάκχαρον, εἶδος ὂν μέλιτος ἐν Ἰνδίᾳ πεπηγότος, καὶ τῇ εὐδαίμονι Ἀραβίᾳ εὑρισκόμενον ἐπὶ τῶν καλάμων, ὅμοιον τῇ συστάσει ἁλσί, καὶ θραυόμενον ὑπὸ τοῖς ὀδοῦσι καθάπερ οἱ ἅλες. *Eſt & quoddam mellis concreti genus, quod ſaccharum nominatur; quodque in India, & felici Arabia in arundinibus reperitur, conſiſtentia ſali ſimile, ac dentibus etiam ſalis modo fragile.* Ubi videmus primo dici mellis genus: quomodo etiam vocant Seneca epiſt. LXXXIV, Plinius lib. IV, cap. VIII, Arrianus in Periplo maris Erithræi. Iſidorus lib. XX Originum, cap. II. Deinde conſpicimus appellari ſaccharum: quam vocem non puto apud antiquiorem quemquam reperiri. Eſt vero vox ab Arabibus: quibus סכר, ſacar, vocatur ab *inebriandi* vi. Sane & Hebræis שכר ſchakar, *inebriari*. Firmat etymon Strabo lib. XV, ubi de India hæc ex Megaſthene tradit: Εἴρηκε δὲ καὶ περὶ καλάμων, ὅτι ποιοῦσι μέλι, μελισσῶν μὴ οὐσῶν· ἐ γὰρ δένδρον εἶναι καρποφόρον, ἐκ δὲ καρποῦ μεθύειν· *Dixit idem, arundinem mel ſine apibus gignere: cumque non ſit arbor fructifera, ex fructu tamen inebriare.* Tertium eſt, quod creſcere dicat in Arabia, & India. Ac ſimiliter Plinius lib. XII, cap. VIII: *Saccarum & Arabia fert, ſed laudatius India.* Ac Galenus lib. VII de ſimplicium medicam. facult. Καὶ τὸ σάκχαρ δὲ καλούμενον, ὅπερ ἐξ Ἰνδίας τε, καὶ εὐδαίμονος Ἀραβίας κομίζεται. *Eſt & quod ſacchar vocatur, quod ex India, & Arabia Felice defertur.* Similiter Iſidorus lib. XX Orig. cap. II. Ubi de melle: Arabicum ſaccharum ſignat Dionyſius in περιηγήσει, cum loquitur de ſucco Ἐρυθραίου καλάμοιο *a*; h.e. in Arabia creſcentis ad mare Erythræum, ſive ſinum Arabicum. Quartum eſt, quod ait in arundinibus creſcere. Quod & Iſidorus memorat. Unde Arrianus in Periplo vocat μέλι καλάμινον *mel arundineum.* Imò & apud Theophraſtum legas in fragmento libelli de melle, ubi de tertia ejus generatione agit: ἄλλη δὲ ἐν τοῖς καλάμοις· *aliud quod in arundinibus fit.* Creſcit autem in ipſis cannis; ut Iſidorus ait: non in foliis, ut Seneca putavit, qui epiſt. LXXXIV, ſic ſcribit: *Ajunt inveniri apud Indos mel in arundineis foliis: quod aut ros illius cæli, aut ipſius arundinis humor dulcis, & pinguior gignit.* Nec tamen è cannis ſolum, ſed etiam radicibus exprimebatur: unde Varro apud Iſidorum:

a Erythræa arundinis.

Indica non magna nimis arbore creſcit arundo,
Illius è lentis premitur radicibus humor,
Dulcia cui nequeunt ſucco contendere mella.

Quinctum eſt, quod ſali comparat: quod & Iſidorus facit: non ratione ſaporis; quomodo à Dioſcoride melli confertur, ſed ratione formæ, ac συστάσεως *b.* Unde & ſalem Indicum vocabat Archigenes, teſte Paulo Ægineta lib. II, cap. de linguæ aſperitate: Καὶ ἅλς ὁ Ἰνδικὸς χροιᾷ μὲν καὶ συστάσει ὅμοιος τῷ κοινῷ ἁλί, γεύσει δὲ μελιτώδης. *Sal Indicus, colore quidem, concretioneque, vulgari ſali ſimilis, guſtu autem ac ſapore melleus.*

b Conſiſtentiæ, & concretionis.

Atque hæc de veterum ſaccharo. Ab eo autem plurimum diſtat, de quo Arabes, ac juniores Græci loquuntur, quodque nunc obtinet paſſim. Veterum illud nihil arti debuit, humorque erat ſponte ex arundine profluens, ac potui accommodatus: unde Lucanus:

Quique bibunt tenera dulces ab arundine ſuccos.

Non igitur erat διψῶδες *c*, quod clarè ait Galenus. At noſtrum non minorem quam mel ſitim facit. Etiam arte paratur; quippe igne exprimitur, & excoquitur, ac poſtea concreſcit, inque panes redigitur. Veterum, niſi quod ſuccum ad potum exprimerent, tantum erat in medicinæ uſum, ut ait Plinius lib. XII, cap. VIII. Noſtrum penè omnium ciborum condimentis inſervit: quem morem ſi veteres ſciviſſent, non pro eo uſi eſſent melle. Veterum illud erat κοιλίας λυτικόν *a*: quod de noſtro vix dixeris. Veterum illud bonum ventri, & ſtomacho, teſte Dioſcoride; noſtrum pectori, quàm ſtomacho utilius. Primus vero, qui è junioribus veteris ac noſtri ſacchari differentiam multiplicem obſervavit, Joannes Manardus fuit. Vide eum in epiſtolis Medicinalibus lib. II, epiſt. II; uti & lib. IX, epiſt. V. Item lib. XV, epiſt. V; ubi docet veterum ſaccharum non quidem eſſe manna, ſed & manna, & ſaccharum, ſub eodem mellis genere contineri: nec ſibi conſtare, quando Arabum & recentiorum ſaccharum, in uſu eſſe cœperit, videri autem primum Arabum meminiſſe Serapionem,* qui annis poſt Galenum vixit amplius ſexcentis. Adi etiam Plinianas Salmaſii ad Solinum exercitationes *b.* Unus tamen eſt locus Statii Papinii, qui adverſus hanc ſententiam producitur. Eſt is in primo Silvarum carm. VI, ſive ultimo:

c Sitim cieus.

a Alvum ſolvens.

b Pag. 1018. & deinceps.

Et quas præcoquit Eboſia cannas.

ut legit Domitius Calderinus. Sive *Eboſita*, ut eſt apud Joannem Deſpauterium Ninivitam Artis Verſificatoriæ lib. III *c.* Eſt verò Eboſus una ex inſulis Pityuſis, quæ hodie Moncolobres, juxta Ambroſium Morales. Hanc ajunt ſaccari fuiſſe feracem: eoque nec eſſe dubitandum, quin Papinius loquatur de arundinibus, unde ſaccharum excoqueretur. Sed quis veterum unquam tradidit, in Ebuſo ſaccharum gigni? Strabonem id ſcribere ait Domitius Calderinus: ſed fallitur. At ficus producere præſtantiſſimas, verum eſt. Sic enim Plinius lib. XV, cap. XIX: *Honos laudatas ſervat* (ficus) *in capſis, in Ebuſo inſula præſtantiſſimas, ampliſſimaſque.* Hæc res valde firmat ſententiam Salmaſii *d*, pro *cannas* reponentis *Caunas*, h.e. Cauneas. Eâ voce uſus poëta non preſsè pro advectis Cariæ oppido: ſed laxe pro quibuſvis ficubus ſiccis. Nempe ob nobilitatem Caunearum, ad alias etiam caricas, ut Ebuſiticas, extenſa eſt ſignificatio: ut in multis aliis factum conſtat. Nec *præcoquit* rectum, ſed ut idem ſummus vir emendabat, *percoquit.* Quod eſt ad maturitatem perducit. A quo non multum, in vitioſa etiam lectione, abit Domitius Calderinus. Nam *præcoquit* interpretatur, *maturat ante diem*: ut ſatis liqueat de coctura ſolis intellexiſſe, non ignis, ſicut capit in Hiſpaniæ veteris deſcriptione Ludovicus Nonnius cap. XCIV, eumque ſecutus Caſperius Gevartius in Notis Papinianis.

c Pag. 435. edit. Rob. St.

d In Plinianis Solini Exercitationibus pag. 938.

Præter ea, quæ diximus, etiam plantæ ad cibum proſunt, quatenus iis coquendis materiam præbent; ut ligna & ſarmenta. Sed quia uſus ignis longè ſe ulterius, nempe ad omnes propè fabriles artes, extendit, inferiùs potiùs de eo dicturi ſumus.

Cap. XV.

De utilitate plantarum in potu, qua parte principem locum meretur vitis. Vinum non eſt, niſi connatum habens ſaporem vinoſum, & odorem inebriantem. Flos, floces, vinum, partes vini. LXXX vinorum genera, jam Plinii ætate numerata. Setinum Campaniæ ab Auguſto cunctis prælatum. Vina CCC annorum. Surrentinum nobile vinum, ſed quibus & quare. Vinum crucium gallave quid qualis. Italiæ vinorum ante Græciam præſtantia. Vina qualitatem ſoli imbibunt unde proveniunt. hinc dulcia, amara, ſalſa, ſulphurea. hinc vinorum contrarii effectus obſtipatio, ſolutio, pinguedo, macies, &c. caute ergo propinandum, quid, cui.

Nec à plantis modò cibum, & ejus condimenta, ac ignem ad illa præparanda; ſed varia etiam potûs genera habemus. Atque in his facilè excellit vinum. Eoque de hoc nunc agam, poſtea dicturus de potu factitio, qui itidem ex plantis fiat. Ac primùm in diſquiſitionem venit, quid vini nomine intelligatur. Bifariam enim hæc vox ſumitur. Vulgò ſic dicitur omnis ſuccus ex carne uvæ expreſſus. Ac ſic quidem laxe ea vox ſumitur. Strictiùs verò accipitur, quando duæ præterea conditiones requiruntur, una ratione ſaporis, ut hic ſit vinoſus; altera ratione odoris,

ris, ut is ſit inebrians. Itaque Ariſtoteles, cùm alibi, tum problemate XXVII, ſectionis III, non niſi ὁμωνύμως *a* pro vinis habet, mellis inſtar prædulcia, ac vi- [a *Æquivoce.*] noſo ſapore, & inebriandi vi deſtituta. Nimirum ſic ſentit de vinis ſincerè dulcibus, non iis quæ cum dulcedine habent auſteritatem, vel alium ſaporem admixtum, eumque vinoſum, & odore vaporis vinoſi caput calefacientem, & calefaciendo inebriantem. Dixeris perperam Ariſtotelem ſic ſentire, quia & præter vina illa prædulcia, alia ſint vina, eaque adeò aquoſa, ac debilia, ut non inebrient; & tamen ab omnibus pro vinis haberi. Verùm fateri cogimur, hæc vina interim pro natura ſua aliquem etiam emittere vaporem vinoſum, & inebriantem, ſi non in exiguâ illa quantitate, ſaltem in majori: atque id ſufficere Ariſtoteli, ut vini nomen retineant.

Vini hæ partes, flos, floces, & quod ſimpliciter vinum dicitur: ut in illo Cæcilii:

Ego neque florem, neque floces volo: mihi vinum
volo.

De flore eſt illud Plauti Curculione:

Flos veteris vini naribus objectus eſt meis.

Ac Ciſtellaria:

Quiaque adeo me complevi flore liberi,
Magis libera uti lingua conlubitum eſt mihi.

De flocibus Agellium vide lib. XI, cap. VII.

Quàm varia ſint genera vinorum, difficile dictu eſt. Jam olim Plinius lib. XIV, cap. XI, ſcripſit, fere numerari in orbe vina nobilia LXXX: quorum duæ partes Italiæ ſint. At nunc plura habet Italia, quàm olim: & orbis reliquus multis partibus notior eſt nobis, quàm Romanis. Oſtendunt hæc ingentem Dei ſapientiam ac bonitatem erga nos: qua tamen maximam partem abutimur ad pernicioſas voluptates.

Inter generoſa vina habitum olim Setinum; quod Auguſtus Cæſar prætulit cunctis: item Cæcubum, vim habens πληκτικὴν *b*, eoque nauſeam coërcere aptum, ut [b *Percellendi.*] ait Horat. Epod. IX. Ubi cum Lesbio & Chio conjungit: ſed hoc incuriâ coloni & magis foſſa Neronis, intercidit: Falernum, quod & ipſum jam Plinii ævo exoleverat: Maſſicum ex monte Gaurano, Puteolos, Baiaſque proſpectante: Rhæticum, Falerno ſolùm poſt habitum à Marone: atque alia, de quibus Plinius lib. XIV, cap. VI. In Falernis optimum erat Opimianum, quale illud apud Petronium Arbitrium in Trimalcionis cœna: ubi id dicitur annorum fuiſſe centum. At multò amplius eſt, quod dicit Plinius lib. XIV, cap. IV: ubi & plenius de hujus natura. *Lucio*, inquit, *Opimio Conſule, cùm C. Gracchus Tribunus plebem ſeditionibus agitans interemtus, ea cœli temperies fulſit, quam cocturam vocant, Solis opere, natali Urbis* IↃCXXXIV. *Duransque adhuc vina, ducentis fere annis, jam in ſpeciem redacta mellis aſperi: etenim hæc natura vinis in vetuſtate eſt: nec potari per ſe queunt ſi non pervincat aqua, uſque in amaritudinem carie indomitâ.* Idem Plinius ſeptimo capite inter vina tranſmarina commendari ait Thaſium, & Chium, his verò Lesbium addi ab Eraſiſtrato Medico. Thaſium etiam notum fuit Ariſtophani: ut liquet non modò ex Acharnanſenſibus, ſed & Θεσμοφοριαζούσαις *c*. In eo aberrâſſe Ariſtophanis [c *Cereris ſacra celebrantibus.*] ſcholiaſtem, obſervatum Caſaubono in I Athen. c. XXIII. Quanta Thaſii laus fuerit, oſtendit illud Bionis: μὴ δυνατὸν εἶναι τοῖς πολλοῖς ἀρέσκειν, εἰ μὴ πλακοῦντα γινόμενον, ἢ οἶνον Θάσιον· *non poſſe aliquem vulgo placere, niſi placenta fiat, aut vinum Thaſium.* Chium cadum laudant etiam Horatius, & Tibullus. Lesbium fuiſſe non bonum modò ac jucundum, ſed etiam dulce, liquet ex dicto Ariſtotelis, cum verecundè adeò diatribæ ſuæ ſucceſſorem Theophraſtum eligeret præ Menedemo: ut legere eſt apud Agellium lib. XIII, cap. V. Niſi ex Nunneſii *d* ſenten- [d *In vita Ariſtotelis p. 155.*] tia pro *Menedemo* ſcribendum *Eudemo*, quando Menedemus vix ulli memoratus; Eudemus autem ab Alexandro Aphnidienſi, atque aliis, ſæpius cum Theophraſto jungitur. Vitam hujus Eudemi ſcripſit Damus; ut eſt apud Simplicium Comment. in φυσικῆς ἀκροάσεως libros.

Quibus exoticis proxima fuerit auctoritas, ibidem Plinius dicet. Idem cap. VIII, commemorat ſeptem vinorum falſorum genera: ac poſtremò addit, *omnia tranſmarina ſeptem, aut ſex annis, ad vetuſtatem mediam pervenire.* Inde cap. IX memorat quatuordecim genera dulcium: & ſeq. cap. tria genera deuteriæ, ſive vini ſecundarii: modò id vini nomen mereatur. Quod etiam dicere poſſimus de Surrentino. De hoc quidem ita Plinius lib. XIV, cap. VI: *Surrentina in vineis tantum naſcentia, convaleſcentibus maximè probata, propter tenuitatem, ſalubritatemque. Tiberius Cæſar dicebat, conſenſiſſe medicos, ut nobilitatem Surrentino darent: alioquin eſſe generoſum acetum, C. Cæſar, qui ſucceſſit illi, nobilem vappam.* Ideo & ψαφαρὸν ſive ψαθυρὸν *a* hoc vinum [a *Friabile, arenæ ſimile.*] dicitur Athenæo lib. I. Nempe ſimili tralatione ac vinum dicitur σκληρὸν, ſive durum. Hoc ante annum prope vigeſimum etiamnum crudum erat, ac vigeſimo demum anno potui aptum fuit, nec facile amareſcebat, ac cum Falerno tum contendebat: ut eſt apud Galenum lib. I de Antidotis, cap. VIII. Sed apud Athenæum libro memorato dicitur, Galenum id ſcripſiſſe non de anno vigeſimo, ſed vigeſimoquinto: ut fortaſſe vel ex Galeno Athenæus, vel hic ex illo corrigi debeat. Quod ſi Galeni ætate contenderit, minùs mirandum, quia jam Plinii ætate exoleverat Falernum: ut antea dictum. Et credo, qui Surrentinum dixere acetum, vel vappam, locuti de tempore, priuſquam ad XX, vel XXV annum perveniret.

Marſica vina, à Marſis, qui in Pelignis, ſic dicta, inter vina erant turbida. Unde Martialis lib. XIII, epigr. CXXI:

Marſica Peligni mittunt turbata coloni:
Non tu, libertus ſed bibat illa tuus.

Quia vero turbida: eò percolare ſolent, ut fierent tenuiora. Diverſa fuere à Maſſicis, quæ in Campania.

Quoddam etiam, *vinum crucium* dicebatur, quod acerbum adeo foret, ut alteri quodammodo crux videretur. Ita Lucilium loqui, retulit Feſtus. Qui & auctor eſt, eundem poëtam ſimiliter gallam dicere vinum quod adſtringeret inſtar gallæ; qui fructus eſt arborum glandiferarum præter legitimum innaſcens. Græcè dicitur κηκὶς, ut Gloſſæ indicant. Lucilii verba ſunt:

Qua gallam bibere, ac rugas conducere ventri
Farre aceroſo, oleo decumano, pane coegit
Cumano.

Præterea varia memorat vina Julius Pollux in Onomaſtico lib. VI, cap. II. In iis & tria illa antea laudata, Thaſium, Chium, Lesbium. In Chio optimum dicit Ariſteum. Memorat & Peparethium, de quo etiam Heraclides Ponticus in Politiis, & ex eo Athenæus lib. I. Item Pollæum ex Syracuſis, ſic dictum à Pola Argivo, qui primus paravit: vel à Polide Syracuſarum rege, ut Ariſtoteles ſcripſit. Italicum negat admodum fuiſſe notum veteribus Græcis, alioqui non aliud ei fuiſſe prælaturos. Eſt & quorundam vinorum mentio apud Athenæum, de quibus ſilentium apud Plinium & Pollucem.

Porrò ut aquæ, pro ſolo, per quod percolantur, ſunt dulces, amaræ, ſalſæ, ſulphureæ: ſic variant vina pro terra, unde liquorem exſugit vitis, qui in ea poſtea concoquitur. In hoc autem ſucco, ſive liquore, concurrit terreſtre ſiccum, cum humore partim aqueo, partim aërio. Interim partes humidæ exſuperant ſiccas: ut indicat, quòd præ ampla adeò humoris copiâ puſillum eſt fecis. A permiſtione verò humidi, & ſicci, tum odor eſt, tum ſapor: ut ex iis liquet quæ de utroque diximus lib. III, cap...

Nec vina modo pro cœlo ſoloque, colore, odore, ſapore variant: ſed multiplici etiam facultate. Tantæ diverſitatis exemplum fuerit, quòd uva quædam Ægyptia alvum ſolvat: quædam ſolutam ſiſtit: quædam item vina dolorem capitis inducant, quædam illi medeantur. Et quàm diſparis eſt naturæ, quod quædam, ob aqueam naturam flammam minuant; quædam ob humorem pinguem & oleoſum flammam augeant. Et quàm contrarii

ſunt

ſunt effectus, quòd, ut Jo. Bapt. Confalonerius, ante hos centum annos, Philoſophus, ac Medicus Veronenſis, libro de Vini natura ſcitè ſcripſit; *Vinum mœrorem, ac gaudium; ſilentium, & loquacitatem; mentis hebetudinem, atque acumen; pinguedinem, ac maciem; ſanitatem, & ægritudinem; denique vitam, ac mortem adfert.* Quis non tam contrarios effectus miretur, qui cauſſas non intelligat? Propterea philoſophi, ac præcipuè medici, eſt nón omnia vina lineâ ſignare albâ: ſed ei pro vinis, & corporibus, aliter, atque aliter ſtatuendum. Scio, quid reſpondeant, nec ſe neſcire, quàm varia ſint vinorum genera: ſed in omni genere id potiſſimùm attendere, quod potiſſimum eſt: ut in vinis, quod maximè vinoſum: & ut poëta loquitur Venuſius,

Quod curas abigat, quod cum ſpe divite manet.

Equidem non diffiteor, non eſſe nihil quod dicunt. Interea tamen in publicum peccant, quando non meliùs ſe explicant; quia ſic loquuntur, & ſcribunt, quaſi vinis omnibus ſit commune, quod certi eſt generis. Atque hoc magis elucebit ex iis, quæ de variis adeò generibus deinceps dicentur. Cur vinum dulce obſtruat foramina jecotis, pulmonis obſtructionibus medeatur, explicat Julius Craſſus in quæſt. Natur. Quæſt. 5. p. 95. Græce ὄξος. Attice ἧδος, & quandoque ἡδονή, ut monet Caſaubonus ad Athen.

CAP. XVI.

De qualitate vini, variis miſcendi generibus, aliiſque. Vinum vires & animum reficit. præſtat aquâ etiam apud gentes hydropotas: ita tamen ut calidi humidique temperamenti, aqua cæteris paribus utilior ſit. Cauſa cur vinum præ reliquis liquoribus tantopere animos exhilaret: ubi eleganter de 3 corporis humani conſtitutivis. Probatur, vinum etiam nutrire partes corporis ſolidas. Qui fiat, quòd cum vinum ſit naturâ calidum, frigidos tamen in ebriis generet morbos. Cuius vini, nitri inſtar flagrat. Grande beneficium vinum aquâ temperare docuiſſe. Ubi de lymphis ſeu lavando Baccho, Baccho recto, & potoribus curvis. Quæ vina diluenda. ratio miſcendi apud veteres Græcos, juxta harmonias muſicas. Vinum 20. partes aquæ admittens. De decem poculis. *Quomodo variè olim vina condierint, ubi de ſacco, fumo, &c. De oinomeli; vinis medicatis & quibus quibus factitiis, vino loti, caryotarum, pyrorum, pomorum, &c. Vinum Moſcoviticum quid quale. De cervisia.*

SAtis convenit vinum eſſe perſalubre ſi modum teneamus: ut quod non modò ſtomacho conducat, ſed etiam mœſtis & ſollicitis adimat, curat, & ſomnum conciliet. Tireſiam audiamus, apud Euripides in Bacchis; ubi ſic adverſus Pentheum diſſerit:

—— Δύο γὰρ, ὦ νεανία,
Τὰ πρῶτ' ἐν ἀνθρώποισι, Δημήτηρ θεὰ,
Γῆ δ' ἐστὶν, ὄνομα δ', ὁπότερον βούλει, κάλει.
Αὕτη μὲν ἐν ξηροῖσιν ἐκτρέφει βροτούς,
Ὁ δ' ἦλθ' ἐπὶ τἀντίπαλον, ὁ Σεμέλης γόνος.
Βότρυος ὑγρὸν πῶμ' ηὗρε, κεἰσηνέγκατο
Θνητοῖς, ὃ παύει τοὺς ταλαιπώρους βροτοὺς
Λύπης, ὅταν πλησθῶσιν ἀμπέλου ῥοῆς.
Ὕπνον τε λήθην, τῶν καθ' ἡμέραν κακῶν
Δίδωσιν, οὐδ' ἔστ' ἄλλο φάρμακον πόνων.

—— *Duo enim, ò adoleſcens,*
Præcipua ſunt inter homines, Ceres dea,
(Terra autem eſt Dea, nomine, utrovis, hanc appella)
Hæc quidem ſiccis alit mortales;
Sed præſtat contrarium Semeles filius.
Uvæ enim humidam potionem invenit, & intulit
Hominibus: quæ liberat miſeros mortales;
Dolore, quoties repleti fuerint vitis liquore.
Et ſomnum, oblivionem malorum, quæ quotidie accidunt,
Dat; nec eſt aliud pharmacum curarum.

Unde Bacchus dictus Medicus, & ſanitatis præſes; ut ait Mneſitheus apud Athenæum III: & ex eo Aloyſius Novatinus lib. VII, cap. XXIX *a*. Mirum ibi Athenæum citari in Gymnoſophiſtis, pro Dipnoſophiſtis. Neque hic tantummodo; ſed etiam ubi rationem adfert, cur Amphictyo Bacchi templo proximum eſſe voluerit templum Nympharum. Iterumque Gymnoſophiſtarum libros vocat lib. VIII, cap. XXI; ubi de palmarum cerebro, ex Athenæo: & lib. X *b*, cap. VII; ubi de oleo, butyroque. *a P. 208. 209.* *b Vel IX.*

Sed quæri à multis ſolet, utrùm ſalubrior ſit vini, an aquæ potus. De quo paucis dicam, non propter Hollandos noſtros, (quorum nemo eſt ὑδροπότης *c*, ac ne vinum quidem aquâ ſolent miſcere, ſed quoties vinum non ſuppetit, zytho acquieſcunt) verùm propter gentes alias, quæ, eò quòd ſalubriores habent aquas, vel has ſolas bibunt, vel nunc mero utantur vino, nunc mixto. Triplex vero diſcrimen hic obſervandum, hominum, aquarum & vinorum. Primùm enim diſtinguere oportet inter hominum ætatem, ac temperamentum. Nam, ut Hippocrates lib. V. Epidemiorum text. XV, & Galenus in ejus commentario ait, pueris, atque omnibus, qui temperamenti ſunt calidi, atque humidi, aqua magis proſit: contra, vinum eſt conducibilius corporibus frigidis, & ſiccis. Præterea, diſpar eſt ratio aquarum. Ut plurimùm naturâ ſunt frigidæ, ac craſſiorum partium, eoque inſalubres. Hinc Galenus lib. VI, Epidem. Comment. IV, textu II: *Vinum aquâ præſtat, non ſolum ad concoctionem, quæ in ventriculo fit, adjuvandam, ſed etiam ad concocta diſtribuenda, ad ſanguinem creandum, ad nutriendum, ad lotium citandum, & ad corpora diſſlanda in rectè valentibus.* Certè aqua noſtra nihil adjuvat concoctionem, cùm ſit frigida: concoctio autem ſit caloris beneficium. Sed neque ubi peracta concoctio, conducit diſtributioni, quia, cùm tenuiſſimarum ſit partium, diutiùs inhæret ventriculo, ac tardè viſcera permeat: quo pacto jecur, & lien, obſtruuntur, tumor gignitur, vel augetur. Sed neque confert ad ſanguinis procreationem, quia ad hanc quoque calore eſt opus. Utilior etiam eſt diſtribuendo cibo, quam alendo corpori. Denique nec utilis eſt ad excretionem urinæ, vel ſudoris, vel etiam corporis diſſlationem, quia, ut dicebamus, tenuis eſt ſubſtantiæ. Nec tamen hæc ſic accipi debent, quaſi ſimile de aquis omnibus judicium ferrem. Sunt enim etiam aquæ tenues ac leves, nec frigidæ nimis, ut arguit dulcedo: unde ejuſmodi conducit corporibus calidis. Tales eſſe aquas cœleſtes, locuples nobis teſtis eſt Hippocrates lib. de aëre, locis, & aquis, cap. IV. Talis quoque aqua Nili, ubi incaluerit. Unde eſt quòd Ægyptii, quando quidem vino iis interdictum, hac aqua utuntur, ac ſalubrem vitam agunt: ut eſt apud Proſperum Alpinum lib. I de Ægyptiorum Medicina. Vide etiam quæ lib. II hujus operis, præcipuè cap. LXXII, de hominum & aquarum diſcrimine diximus. Tertium erat vinorum: quorum itidem magnum eſt diſcrimen. Plinii ætate fere erant LXXX: poſtea acceſſere multa, etiam nobilia, ut de cæteris taceam. Vide de hoc diſcrimine Manardum lib. XIV, epiſt. III. *c Aquæ potor.*

Præterea in quæſtionem venit, unde ſit, quòd vinum præ liquorum aliis tantopere animos exhilaret. Quod ipſa vitis non reticuit in parabola illa Judicum cap. IX, 13. Etiam cor hominis vino exhilarari legas Pſal. CIV, 15, Eccleſ. XL, 20, Zach. X, 7, Actor. XIV, 17. Unde Bacchus χαριδώτης, quod Maro I Æneid. & Horat. reddidere lætitiæ datorem. Atque hinc & Varro de eo;

Hoc hilaritatis dulce ſeminarium.

Ac eò reſpexit quoque Thomas Aquinas, cùm in hymno *d* ſic canit de Chriſto: *Dedit & triſtibus ſanguinis poculum.* Nempe quia vinum calicis benedicti in myſterio eſt ſanguis Chriſti. Natura vinum eſt, quod vim habet *d Sacris ſollemnibus.*

bet reficiendi cor humanum. Spiritualiter ſanguis eſt, cujus effuſi memoria reficit animum ob peccata triſtitia penè obrutum. Refricat enim nobis memoriam paſſionis Dominicæ, qua deleta ſunt peccata omnium in Chriſto credentium.

Sed hæc non aliud indicant, quàm cor hominis vino exhilarari: præcipuè eo quod bono fragret odore; quale etiam hominem à ſyncope revocat. Utrumque enim experientià conſtat, & Galeno etiam teſtatum lib. XIV Meth. Med. cap. IV. Nunc cauſſam utriuſque videamus.

Tria ſunt, quæ conſtituunt corpus noſtrum, teſte Hippocrate, τὰ ἴσχοντα, τὰ ἐνισχόμενα, καὶ τὰ ὁρμῶντα, *continentia, contenta, & impetum facientia*: ſive, ut Galenus vocat, partes ſolidæ, humores & ſpiritus. Horum unumquodque continuo illo effluxu aliquid deperdit ſui. Ut igitur partes ſolidæ reſtituantur, opus imprimis cibis ſiccioribus: propter humores verò opus eſt potu: at ſpiritus noſter inſtauratur partim per aëra, quem naribus, ore, & gutture haurimus; partim vino, quod multum habet aërei: eoque ſic ſanguinem inſtaurat, ut ſimul ſpiritum reficiat. Unumquodque enim requirit alimentum ſimile. At ſpiritus & vinum ambo ſunt aëriæ naturæ.

Alia item quæſtio eſt, an vinum nutriat. Negat hoc Hieronymus Mercurialis in Piſanis Prælectionibus, tractatu de Vino, & Aqua. At pro altera ſententia ſtant Hippocrates, Galenus, & omnis Medicorum ſchola. Imò ratio idem manifeſtè evincit. Nam ſi non ſolùm ſpiritus reficit, ſed ſanguinem quoque gignit; planè etiam ſolidas partes nutrit, quia, ubi ſanguis coctione ſpiſſior factus, novam is ſolidis partibus materiem ſuppeditat. Atque ut hoc non eſſet, cùm non minùs partes humidæ, quàm ſiccæ, abſumantur à calore nativo: tam opus eſt humores inſtaurari; quàm partes ſiccas, ac ſolidas. Quare propterea etiam, quia ſanguinem recreet, ac reficiat, nutriri nos vino negari nequit. Interea, alia aliis magis nutriunt. Magis id præſtant vina nigra, ac dulcia: minùs alba, & ὀλιγόφορα a, cujuſmodi potius conducunt ad ſuccos pravos per renes, & veſicam expurgandos. Commune autem utriſque eſt, quod ſint ὄχημα τῆς τροφῆς b: ſed, ut antea dictum, meliùs aquâ id vinum præſtat, ob celerem motum, qui ipſe eſt à tenuiori ſubſtantiâ, & vi egregie calefaciendi, de qua deinceps dicam.

a *Quæ non multam ferunt aquam.*
b *Vehiculum cibi.*

Quarta enim hæc de vino eſt quæſtio, utrum calidum ſit, an frigidum; humidum, an ſiccum. Frigidum eſſe Macrobius contendit lib. VII Saturnal. cap. VI. Pugnat inter cætera eo argumento, quod *ſi aconitum cum vino tritum, haurientem nulla curatio à morte defendit: tunc enim vinum naturâ frigidum, admixtione ſui, frigus augere veneni.* Atqui longè aliter eſt. Nam quia vinum naturâ eſt calidum, eò faciliùs celeriuſque venenum defert ad intimas cordis partes. Pugnari & eo ſolet argumento, quòd vinum frigidorum ſit morborum cauſſa: ut tremoris ac diſſolutionis nervorum, apoplexiæ, veterni. Sed non hi morbi ἁπλῶς c proveniunt à vini uſu; verum exceſſu. Nempe ſi immoderatè ſumatur, non ſufficit calor hominis ad vinum calefaciendum: quod requiritur, ut poſſit concoqui. Calore igitur juſto deſtitutum redit ad naturam aqueam, ac frigidos gignit morbos. Eſſe verò per ſe calidum, arguit illud, quòd ſobrii vinum bibentes, ſentiunt ſe incaleſcere; ſpiritus etiam, & animæ vires recreantur: imò qui jam exſpiraturi videbantur, ſive ob inediam, ſive laſſitudinem, vel ſimilem cauſſam, hi pauxillo vini hauſtu, vel odore etiam, quaſi à morte revocantur ad vitam. Etiam ebrietas calorem arguit. Nam vinum per ſe calidum, & calore noſtro calidius redditum, vapores calidos exſpirat; qui cerebrum petunt, atque ibi ſenſuum inſtrumenta ſic agitant, ut nequeant ſua obire munia. Quia verò ebrietas eſt à calore: eò ad hanc tollendam, vel imminuendam, utimur iis, quæ refrigerant cerebrum. Atque hoc ipſum indicio eſt calidum eſſe vinum. Aliud quoque argumentum è Plinio habemus lib. XIV, cap. XX: *Fex vini ſiccata recipit ignes, ac ſine alimento per ſe flagrat. Cinis ejus nitri naturam habet, euſdemque vires, hoc ampliùs, quo pinguior ſentitur.* Et credo, poëtæ, cùm attenderent ad igneam vini naturam, eò finxere Bacchum eſſe natum Semele combuſtâ à Jove, hoc eſt, vi cæleſti, præſertim calore ſolari. Addunt, Bacchum poſtea à Nymphis exceptum, & ubi aquis abluiſſent, ſervatum. At Nymphæ non aliud quàm Lymfæ, crebro N in L, & L in N, tranſeunte. Ut non aliud eò videantur voluiſſe, quàm non nocere vinum, ſed ſaluti conducere, modò vinum aquâ temperetur. Quod ſignificatum etiam ab Amphictyone, Athenienſium rege, quando vini temperandi rationem à Baccho edoctus, in Horarum delubro, quia Horæ vitis fructum educant, aram exſtruxit Baccho Recto, & proximè illam conſtituit alteram Nymphis, Bacchi nutricibus: quarum beneficio, videlicet limfam vino miſcendo homines non incurvi, ſed recti ambularent; unde & Baccho Recti nomen datum fuit. Auctor horum Philochorus, & ex eo Athenæus lib. II.

c *Simpliciter.*

Ex his occaſio naſcitur alterius quæſtionis, quis ſit vini miſcendi modus. Totus ille dependet à vini natura, ac corporis humani temperamento. Vix opus miſceri Rhenanis, quæ plurimùm diluta ſunt naturâ ſuâ. Nec miſcellâ multùm adeò indigent Gallica. Fervidiora Græca, Hiſpanica, pleraque etiam Italica. In his locum habuerit Græcorum iſte ſenarius:

Ἢ πέντε πίνειν, ἢ τρία, ἢ μὴ τέτταρα.
Vel quinque bibito, vel tria, at ne quatuor.

Exponit in Sympoſiacis Plutarchus lib. III, quæſt. IX; ubi adagium hoc ſecundùm Muſicas Dionyſii Harmonias hoc pacto declarat. Ait attenditum, ad vini colores, tum ad aquæ partes. Ac πέντε ſive hemioliam, vel ſeſquialteram, ſignificare, tribus aquæ portionibus addi debere duas vini: at τρία, ſive διὰ πασῶν, indicare, uni vini parti duas eſſe miſcendas partes aquæ: ſed τέτταρα, ſive diateſſaron, exigere, ut uni vini parti tres addantur aquæ. Mirum verò quod de miſtura Maronei, vini Thraciæ, ſic à rege ejus Marone, Euanthei filio, dicti, prodidit Homerus Odyſſ. IX a. Rem dicet Plinius lib. XIV, cap. IV: *Maroneum vicies tanto addito aquæ miſcendum Homerus prodidit.* Sed ipſum Homerum audiamus:

a *Verſ. 208. & ſeqq.*

Τὸν δ' ὅτε πίνοιεν μελιηδέα οἶνον ἐρυθρὸν
Ἓν δέπας ἐμπλήσας ὕδατος ἀνὰ εἴκοσι μέτρα
χεῦ.
Hoc quando biberent dulce vinum rubrum,
Uno poculo impleto, aquæ viginti menſuras
Immiſcuit.

Uti verò nihil certi præſcribi poſſit de vini miſtura: ſic neque de poculorum numero, vel menſura. Apud Athenæum lib. II legimus, ut Panyaſis primum poculum tribuerit Gratiis, Horis, & Baccho: alterum Veneri, atque iterum Baccho: tertium Atæ, ſive contumeliæ damno, aut noxæ. Quodque apud eundem Eubulus Bacchum inducit de decem ſic poculis loquentem, quaſi primum poculum ſit bonæ valetudinis, alterum voluptatis, tertium ſoporis, & hæc ſola eſſe ſapientum: cætera verò inſipientum: ac quartum quidem proterviæ, quinctum clamoris, ſextum comeſſationis, ſeptimum ὑπωπίων, ſive ſugillationis in oculis, octavum apparitoris, (puta in jus propter verbera vocantis) nonum iracundiæ, decimum furoris. Auſonius vel Gratiarum, vel Muſarum numero bibere jubebat, lege, ut ait, myſticâ. Pluraque hujus generis occurrunt multa: ſed multis præſertim iis, qui Convivalia tractarunt, repoſita ſæpius, ut tam nota referre pigeat, tædeatque. Quare ſuffecerit hoc loco dicere, non poſſe eandem vini menſuram omnibus præſcribi: cùm totum hoc variet pro vini natura, poculorum capacitate, hominis temperamento. Græci, cùm certum poculorum numerum inirent, loquebantur de vinis & poculis, quibus Græci vulgo in conviviis uterentur: deque hominibus ejus temperamenti, quali fere in Græcia forent.

ſorent. Et tamen ſic quoque magnum fuiſſe diſcrimen, dubium non eſt. Variè olim vina condiebant: ſive gypſo aut calce: ſive argilla, aut marmore: ſive miſcendo vino reſinam, ſed priùs lotam, ut exueret graveolentiam; ſive miſcendo ſalem, aut aquam marinam, quale vinum πιθακλασσωμένον vocari ait Cælius Aurelianus lib. II Acutorum morborum, cap. XXXIX. Contrarium dixere ἀθάλασσον *a*, Horatius *maris expers.* Picare etiam vaſa ſolent, item in fumo collocare, ut calore fumi per vas penetrante, aqueæ vini partes abſumerentur. Horat. lib. III, od. VIII:

a Aqua marinâ destitutum.

Hic dies anno redeunte feſtus
Corticem adſtrictum pice demovebit
Amphoræ, fumum bibere inſtitutæ
Conſule Tullo.

Tibullus lib. II:

Nunc mihi fumoſos veteris proferte Falernos
Conſulis, & Chio ſolvite vincla cado.

Sæpius etiam apud Martialem eſt de vinis Maſſilienſium maturatis fumo. Vide & Hieronymum Mercurialem lib. II Var. Lect. cap. XIII.

Veteribus etiam mos erat vina quædam ſacco percolare, quæ σακκισμένα dicebantur, item ἠθικὰ & διηθικά. Vertunt aliqui *moralia*, cùm ſit ἀπὸ τοῦ ἠθεῖν *b*, eoque reddi debeat *colata*, *ſaccata*. Eo autem percolabant, ut è craſſis, ac turbidis tenuiora fierent, & liquidiora: quod oculis erat acceptius. Interim ſapori decedit, ſacco vires auferente: quod libello περὶ παθῶν ait Hippocrates, vel quiſquis ejus auctor. Atque idem indicat Lucilius; cum apud Ciceronem in ſecundo de Finibus vinum celebrat, cui ſiphon demſit nihil; nec ſacculus vires abſtulit. Et Horatius ait de vinis iſtiuſmodi.

b Transmittere.

Integrum vertunt lino vitioſa ſaporem.

Sed quo tenuiora, hoc plus potores bibebant, quia minùs ab ebrietate erat periculi. Hinc illa querimonia Plinii lib. XV, cap. XXII: *Ut plus capiamus, ſacco frangimus vires.* Quia verò *ingenioſa gula eſt*, ut eſt apud Petronium, etiam repertum, quomodo corrigi poſſet, quod ſaporis ſacculus auferret. Nempe ſi peregrinis odoribus ſacco injectis magis placerent odore & ſapore. Ad hanc rem uſi melanthio, fœniculo, aniſo, de quo Plinius lib. XX, cap. XVII: *Saccis quoque* (aniſum) *additur.* Apud Plutarchum etiam in Sympoſiacis lib. VI, quæſtio eſt, An colandum ſi vinum. Ipſum adi.

Vino quoque gratiam conciliat quartum panacis genus, à Chirone Centauro appellatum centaurium: item Pharnaceum, à filio Mithridatis Pharnace: ut teſtatur Plinius lib. XXV, cap. IV. Etiam ratio eſt hederæ ope, ſeparandi aquam vino miſtam. Plinius lib. XVI, cap. XXXV: *Edera mira proditur natura ad experienda vina: ſi vas fiat ex ligno ejus, vina transfluere, ac remanere aquam, ſiqua fuerit miſta.* Adde de vini mixtura apud antiquos Hieronymum Mercurialem lib. I Var. Lect. cap. XVIII. Qui idem de Pithœgiis, lib. I, cap. XV; ubi exponit quando Romani bibere vinum ſoleant, fieri id poſt annum. Agit item poſtea cap. XVII, an vinum dulce inebriet.

Nunc aliquid etiam dicamus de mulſo vino, quod Græcis οἰνόμελι. Nicandro etiam μελίζωρον. Hoc faciebant imprimis ex vino Maſſico, & melle Attico. Unde Martialis lib. IV, epig. XIII:

Tam bene rara ſuo miſcentur cinnama nardo:
Maſſica Theſeis tam bene vina favis.

Vel ex Falerno, & eodem melle. Itidem in Xeniis, ep. CVIII:

Attica nectareum turbatis mella Falernum.
Miſceri decet hoc a Ganymede merum.

Quem morem Catius Inſuber Epicureus improbat apud Horat. lib. II, Sat. IV:

Aufidius forti miſcebat mella Falerno.
Mendoſe: quoniam vacuis committere venis
Nil niſi lene decet: leni præcordia mulſo
Prolueris melius, ſi dura morabitur alvus.

Omne quidem mulſum dulce eſt: ſed tamen aliquid retinebat auſteritatis ex Falerno, cujus genus quoddam fuiſſe auſterius, ex Athenæo conſtat: qui & de Maſſico ſcribit, valde eſſe auſterum, interim ſtomachum juvare. Catius igitur volebat, miſceri mel non auſtero, ſed leni vino. Nec prætereundum hic vina propomata, quæ ſic dicebantur, quia ante potum reliquum, ac cibum, ſumebantur. Fiebant ex mellis deſpumati ſextario uno, & quaternis vini: ut eſt apud Paullum Æginetam lib. VII, cap. XV. Plura de iis vide ſis apud Hieronymum Mercurialem lib. I Var. Lect. cap. VII. Tandem, de vinis medicatis, quomodo fiant, & quam vim habeant, vide apud Dioſcoridem, Aëtium lib. ult. Arnoldum Villanovanum lib. de vinis, Evonymum Philiatrum, ſive Conradum Geſnerum in Theſauro de remediis occultis.

Hactenus de vite, ac liquore, qui ex uva exprimitur. Deinceps aliquid dicendum de liquorum aliis, uti factitiis, ut ſic dicam, vinis. Quale lotophagorum erat. Solo enim loti fructu vivebant: atque inde & vinum confecere: ut eſt apud Herodotum in Melpomene. Vina etiam è caryotis, hoc eſt, dactylis, fructu arboris palmæ. Plinius lib. XIII, cap. IV: *Caryotæ maximè celebrantur, & cibo quidem, ſed & ſucco uberrimæ; ex quibus præcipua vina Orienti, iniqua capiti, unde pomo nomen.* Nimirum deducit à κάρη, caput: non, ut Iſidorus poſtea, à κάρυον. Quod eo diſplicuit, quia fructus ejus ſit pomum, ut hic diſertim appellat, non autem nux. Nec ſolum è ſucco caryotarum potus fit; ſed ipſa etiam palmula Ægyptia, ſi antequam maturuerit decerpatur per ſe, ſitim ſedat: unde Plinio lib. XII, cap. XXII, imò & Hugoni Eteriano libro de Spiritu S. ἄδιψος *a* vocatur. Sic enim rectè Eretriani locum corrigit Hadrianus Junius lib. V Animadverſorum, cap. I. Notum etiam, vinum fieri è malis, pyris, dactylis, ceraſis. Potus è pyris, nec tam gratus, nec ſalubris, quàm ille è malis. Utrumque jam Plinii ætate obtinuiſſe indicant illa ejus verba lib. XIV, cap. XVI: *Vinum fit & è ſiliqua Syriaca, & è pyris malorumque omnibus generibus.* Hodieque & ille è malis, & alter è pyris obtinent apud Cantabros, & Normannos.

a Sitim non movens.

Etiam è ſorbis potus. Unde Maro III Georg.

—— *Et pocula læti*
Fermento, atque acidis imitantur vitea ſorbis.

Moſcovitæ, quia vino carent, utuntur aquâ deſtillata ex avena: quæ non minus vino, calefacit, & inebriat: ut eſt apud Cardanum. Septentrionalibus quoque ad coquendum cerviſiam in uſu eſt lupulus, & hordeum, ſeu bryne. Hac de re non repetam, quæ fusè ſatis proſecutus mihi videor lib. I de Vitiis Sermonis, cap. IV: ubi actum nobis de variis varias apud gentes potûs generibus. Solùm aliquid attexam de zythi noſtri facultate, idque propter eas gentes, quæ damnant, quia ignorant ......

Cap. XVII.

De uſu plantarum in vaſis atque inſtrumentis culinariis, & tricliniaribus, ſupellectile ruſtica, piſtoria, piſcatoria, venatoria.

Atque hæc dicta ſunto de cibo, ac potu, quem plantis debemus. Sed aliter etiam plantæ ad alimentum proſunt: quatenus videlicet inde inſtrumenta fiunt, quibus cibus, potuſque, præparantur. Huc verò pertinent, partim vaſa atque inſtrumenta domeſtica, uſui iſti deſtinata; partim ſupellex ruſtica, piſtoria, piſcatoria, venatoria. Domeſtica, quatenus ad cibum & potum pertinent, vel inſerviunt cibis coquendis; quæ culinaria dixeris: vel iis jam coctis menſæ inferendis, cujuſmodi tricliniaria vocamus.

Tricliniaria ſunt duplicia. Quædam enim vaſa cibum potumque continent: ut vaſa aliqua viminea, & lignea. E vimine ſportulæ panem adſervantes, quæ *panaria*, & *panariola*, vocabant. Ex ligno hederæ primitus fiebat κισσύβιον *a*; teſte Athenæo, Heſychio, Suida.

a Vas, poculum, ex edera.

Ac

Ac nomen indicio eſt, cum hederam Græci κισσὸν vocent. Quædam verò præſtant, ut elegantius cœnemus: ut è lino mantilia, ac mappæ; de quorum diſcrimine diximus lib. 1 de Vitiis Sermonis. Quædam è ligno, ut ſella, ſcamnum, ſcabellum. Frumentariis menſoribus è ligno eſt rutellum, ita dictum ὑποκοριστικῶς a à rutro, quod à ruendo. Rutello enim corruebant, ac congerebant frumentum in modium. Lucilius ſat. 1x, apud Nonium:

a Diminutive.

Frumentarius eſt: modium hic ſecum, atque rutellum,
Unà adfert.

Item è ligno radius ſive hoſtorium; quo poſtquam frumentum rutabulo congeſtum eſt in modium, æquatur ejus menſura.

Piſtoria è ligno ſunt: mactra, in qua panis ſubigitur, infurnibulum ſive pala, qua panis in furnum immittitur, rutabulum, quo ignis proruitur in furno, teſte Feſto. E vimine autem ventilabrum ſive vannus.

Piſcatoribus è lino ſunt: retejaculum, verriculum, tragula, ſagena, excipulus. Tragulæ bifariam plantis debent, tum quatenus retia ſunt; tum quia ſublevantur ſubere; ut Plinius ait. Iiſdem è vimine ſunt naſſa, fiſcella, ſirpiculum.

Venatoribus item è lino retia, ac plagæ; è ligno venabula, ſed ex parte duntaxat, cum lato ſint ferro præpilatæ.

Aucupibus item è plantis calamus; ſive virga aucupis, quæ illinitur viſco: tum ames ſive pertica, tendiculam ſuſtinens.

DE PHYSIOLOGIA CHRISTIANA, ET THEOLOGIA GENTILI,

Sive de Idololatriæ Origine, ac Progreſſu,

LIBRI QUINTI PARS ALTERA.

Cap. XVIII.

De plantarum utilitate in medicina. Ac primùm de morbis univerſalibus: uti febribus, & illis, quæ à veneno, item pediculari: horumque remediis ptiſana, agarico, lactuca, hyoſcyamo, moly, polemonia, gentiana, ſtaphide, hedera, allio ſylveſtri, aliis.

Vidimus de iis, quæ cibo, potuque invitant: Item inſtrumentis artium, quæ circa hæc verſantur. Ad ea nunc venio, quæ medicinæ gignit tellus. Hæc quoque pars quanti ſit momenti quà hominis ſalutem, quis neſcit, niſi qui morborum vim ignoret? multum igitur etiam Numini debemus, quod ut ægris mortalibus conſultum iretur, tot vires, ſicut animantibus, ita herbis indiderit. Ut calefaciendi, refrigerandi, corroborandi, reprimendi, digerendi, diſcutiendi, attenuandi, & ſimiles. Nec dubium, quin ut mox à peccato incubuit terris morborum cohors, quà ad mortem præcipiti nimis iremus gradu, etiam medicina ſit reperta, quà morbis obviam iretur. Sicut non inelegenter carmine ſuo ad Fredericum IV, Electorem poſtmodo Palatinum, cecinit vir equeſtris ſtemmatis Henricus Smetius, propinquus noſter,

Stat primo Medicina loco, reliquaſque vetuſto
Jure ſuperba præit. Siquidem cùm prima futuro
Omnipotente manu jacta eſſent ſemina mundo;
Jamque recens tellus vernantem condita vultum
Induerat; turpe ante nefas, morboſque nefandæ
Culpæ carnifices, ante ipſa exordia gentis
Humanæ; Medicina pari mox tempore cœpit.
. . . .

Remedia verò, de quibus loquar, duûm erunt generum. Quædam enim plantæ aſſumuntur integræ, ſive tota ſua ſubſtantia: quædam verò ſecundùm puriorem partem, ut aquæ, olea, ſucci, per deſtillationem, aliave ratione artificioſa, è ſubſtantia eliciti ac extracti. In cujuſmodi liquoribus non amplius eſt admixta terrena & impurior materies: ſolumque remanſit aquea, aëtea, vel ignea natura.

Uſus horum vel eſt in omni morbo, vel in uno genere, aut pluribus. In omni genere ſiquod ſit, id verè mereatur nomen πανακείας.

Quæ appellatio pluribus data medicamentis: ut antidoto ad Aphrodam relatæ, quam deſcribit Galenus lib. II de antidotis: item alii relatæ ad Muſam, de qua idem in ſeptimo κατὰ τόπους: item Andromachi emplaſtro: de quo idem lib. II τῶν κατὰ γένη: & alii, quod Heræ dicitur, atque inter πολύχρηστα a memoratum, deſcriptumque lib. V ejuſdem operis, ubi legas id ὑγείαν b nominari. Item arteriacum medicamen, quod dicitur Mithridatis, ac deſcribitur lib. VII τῶν κατὰ τόπους. Verum iſta omnia ambitioſo nimis nomine ſic vocantur: & nunc ſermo eſt nobis de ſimplicibus, non compoſitis. E plantis verò, hoc nomen mereatur malva, ſi verum quod aliqui de ea prodidere: ut Plinius ait lib. XX, cap. XXI his verbis: *De eiſdem* (malvis) *mira & alia traduntur. Sed maximè, ſi quotidie quis ſucci ex qualibet earum ſorbeat cyathum dimidium, omnibus morbis cariturum.*

a *Multùm utilia.*
b *Sanitatem.*

Verùm mittamus iſtiuſmodi: ac videamus de morbis ſingulatim.

Morborum, ut prioribus libris dictum, vel corporis ſunt univerſi, vel partis alicujus. Morbus univerſalis eſt febris: item huc veneficia, & venena referuntur. Ac febris quidem vel eſt ſimplex, cùm elementalis calor tantummodo limites naturæ, ac temperamenti, exceſſit: vel eſt putrida, ſi caloris exceſſus fuerit ex putredine humoris; vel peſtilens, ſi venenata, ac pernicioſa exſpiratio contaminet partes, ſive contentas, ut ſpiritus aut humores; ſive continentes, ut ſimilares, vel organicas.

Simplex febris vel ephemera eſt, ſive diaria; vel ſynochos ſive continens, vel hectica. Ephemera uno prope die abit, quia in ſolo eſt ſpiritu, tenui, vago, & diſſipabili ſubjecto. Synochus eſt in ſanguinis effervescentia. Hectica in ſubſtantia partium ſolidarum. Putrida eſt ex ſanguine putreſcenti. Quæ vel continua, vel intermittens. Continua, ſi inſit venis, vel arteriis majoribus ſic ut cor continuo labefaciat. Intermittens, ſi putredo levior ſit, vel longiùs à corde abſit. Ac quidem pituita putreſcens, quotidie; bilis, tertio; melancholia, quarto die irruit. Peſtilens febris non ſolo caloris exceſſu nocet: ſed imprimis quia κακοήθης ſive maligna qualitas ſpiritus, humores, vel partium ſubſtantiam, infecerit. Ut omnino venenata qualitas ſimplici putredini pernicioſius aliquid ſuperaddat. Nunc de remediis è plantis videamus.

Ptiſana perſalubris in febribus acutis. Ea ſic dicta ἀπὸ τοῦ πτίσσειν, quatenus notat à cortice purgare. Itaque non ſolum fiebat ex hordeo, ſed etiam tritico. Unde apud Ariſtotelem ſect. I problemat. XXXVII, utrum

ptiſa-

ptiſana hordeacia præſtet an triticea: ac præfertur hordeacia. Nempe quia hordeum tritico frigidius eſt: eoque ejus ſorbitio magis conveniat febrienti. Sanis contra, panem triticeum præferendum conſtat: ut qui calefaciat magis, ac faciliùs etiam concoquatur, ut eſt ſect. xxii probl. xxiv. Etiam ptiſanæ ex oryza meminit Horat. lib. ii, cap. iii, & Plinius lib. xviii cap. vii. Sed medici, ubi de ptiſana,
a Simpliciter. ἁπλῶς *a* loquuntur, hordeaciam intelligunt, quæ fiebat ex hordeo optimo in aqua puriſſimâ macerato, cui deinde cortex deglubatur. Quomodo vero exinde coqui oporteat, malo peti ex Galeno, Oribaſio, & Ægineta: è junioribus ab Ludovico Nonno lib. iv Diætetici, cap. ult. Sed ut ptiſanæ nobile eſt remedium, ita pauci rectè præparant: qua de re conqueritur Joan. Manardus lib. xviii,
b Pag. 499. epiſt. i *b*.

Agaricum, datur ante febris acceſſum ad rigorem eum imminuendum. Eſt hoc inde quod rigor febrilis ſit à craſſis, & tenacibus humoribus: agaricum autem habeat vim calefaciendi, & craſſos humores incidendi. Quemadmodum & eadem de cauſſa præbentur coſtum, rheum, piper, laſer, aliaque multa. De quo diſſerit Joannes Manardus lib. ix, epiſt. v.

Lactuca ob vim refrigeratricem febricitantibus convenit, ac omnibus bilioſæ naturæ. Ea Antonius Muſa reſtituit Cæſarem Auguſtum: cumque antea nullus lactucæ honos foret, poſtea in pretio eſſe cœpit: ut Plinius tradit lib. xix, cap. viii: Lactucam Eubulus vocat νεκύων βρῶμα mortuorum cibum: quæ ſuperſtitio tantopere invaluit, ut ad Auguſtum principem multis eſſet religio lactucis veſci, teſte Plinio. Galenus non dubitat affirmare, ſucco lactucæ tam facile aliquem poſſe tolli quam cicutæ, 3 de facult. ſimpl. med. 89.

Hyoſcyami quarto genere in vino febrem depelli, veterum fuit opinio, teſte Plinio lib. xxv, cap. iv. Piper ſi cum vino bibatur ante paroxyſmum, prodeſt quartana laborantibus. Etiam adverſus tremorem ejus prodeſt, ſi piperis oleum, aut pulvis ejus oleo mixtum ſpinæ dorſi illinatur. Roſarum liquor ſtillatitius humectat, ac ſuaviter refrigerat. Eoque, uti & ſerapium ex eo, in febribus conducit: quia & calorem temperat, & ſitim exſtinguit. Sed obeſt ſtomacho debili & humido. Etiam labruſcæ, hoc eſt, vitis ſylveſtris radix, & acini coria, Plinio teſtante lib. xiv, cap. xvi, *paullo poſtquam defloruit, ſingulare remedium habent ad refrigerandos in morbis corporum ardores, gelidiſſimâ, ut ferunt, naturâ.*

Etiam ad morbos univerſales pertinent veneficia, & venena: adverſus quæ multa quoque à plantis remedia. Contrà ſumma veneficia prodeſt herbarum laudatiſſima Homero, quam à Diis moly putat vocari. Ac à Mercurio primò inventam. Ubi ea naſci credatur, dicet Plinius lib. xxv, cap. iv.

At contra venena, & ſerpentium ictus, multa adducit ejuſdem libri cap. viii?. Eum igitur audiamus: *Ordiendum à malorum omnium peſſimo, id eſt, ſerpentium ictu. Medentur ergo Britannica herba, panacisque generum omnium radix e vino, Chironii flos, & ſemen potum, illitumve ex vino, & oleo; privatimque, quæ cunila bubula appellatur.* Hanc vero adverſus venena valere, didicit homo à muſtela; ut oſtendi lib. iii, cap. lxvii. Sequitur deinde apud Plinium, quomodo itidem conducant *polemonia; vel philetaria radicis drachmis quatuor ex mero: teucria, ſideritis, ſcordotis ex vino, privatim ad angues, pota & illita, ſive ſucco, ſive folio, ſive decocto: centaurii majoris radix drachma in vini albi cyathis tribus: gentiana præcipuè adverſus angues, duabus drachmis cum pipere, & ruta, vini cyathis ſex, ſive viridis, ſive ſicca. Et Lyſimachiæ odorem fugiunt. Datur ex vino percuſſis chelidonia. Morſibus imponitur vettonica præcipuè: cui vis tanta perhibetur, ut incluſæ circulo ejus ſerpentes ipſæ ſeſe interimant flagellando. Datur ad ictus ſemen ejus denarii pondere cum tribus cyathis vini; vel farina drachmis tribus ſextario aquæ imponitur. Cantabrica, dictamnum, ariſtolochia, radicis drachma in vini heminæ ſæpius bibenda. Prodeſt & illita ex aceto: ſimiliter ariſtolochia. Quin omnino ſuſpenſa ſupra focum fugat è domibus ſerpentes.* Alia etiam è plantis remedia, adducit capite ſequenti. Sed quid attinet tam multa exſcribere, quæ melius ex ipſo haurientur. Idem lib. xxxiii, cap. iii, ait teſtes fibri conducere *adverſus ceraſten & preſteras cum panace, aut ruta, ex vino.* Idem lib. xii, cap. iii. *Malus Aſſyria, quam alii vocant Medicam, venenis medetur.* Item de malvis ſic ſcribit lib. xx, cap. xxi: *Huic contra omnes aculeatos ictus efficacior vis; præcipuè ſcorpionum, veſparum, ſimiliumque, & muris aranei. Quin & trita cum oleo qualibet earum perunctì ante, vel habentes eas, non feriuntur. Folium impoſitum ſcorpionibus torporem adfert. Valent & contra venena. Aculeos omnes extrahunt illitæ cum nitro: potæ verò decoctæ cum radice ſua; leporis marini venena reſtringunt; &, ut quidam dicunt, ſi vomatur.*

Pentaphylli radix à Dioſcoride commendatur adverſus venena letalia. At non audiendus Avicenna, cùm ſecundo canonis tradit, medicinam eſſe noxiam. Atque ejus auctoritate motus Michaël Savonarola, ut de eo tradit
æqualis ejus Nicolaus Leonicenus *a* (ante hos annos CL a Diſſertat. 3 de erroribus Plinii, pag 122.
vixit) non auſus erat dare in quartana. Tanta erat Principis, ut Avicennam vocitabant, iis temporibus auctoritas.

Adverſus venena etiam valent caricæ, juglandes, &, de qua antea quoque dictum, ruta. Ex his conſtabat antidotus Mithridatis; ut inter alios tradidit Serenus Sammonicus:

Bis denas rutæ frondes, ſalis & breve granum,
Juglandeſque duas, totidem cum corpore ficus.
Hæc, oriente die, parco conſperſa Lyæo,
Sumebat, metuens, dederat quæ pocula matri.

Raporum ſemen ſi illinatur, vel vino inditum bibatur, prodeſt adverſus ſerpentes, & toxica: ut proditum Plinio. Ac Simeon Sethi ait, quo quis die cum nepeta adſumſerit, nihil ei à veneno, vel venenatorum morſibus periculi fore. Ex quibus liquet, cur antidotis miſceatur: ut traditum Dioſcoridi libro ii, cap. cxxxvi.

Venenis adverſatur malum Medicum, ſive citreum. Unde Maro ii Georg.

Media fert triſtes ſuccos, tardumque ſaporem
Felicis mali, quo non præſentius ullum,
Pocula ſiquando ſævæ infecere novercæ,
Miſcueruntque herbas, & non innoxia verba,
Auxilium venit, ac membris agit atra venena.

Hanc adverſus venena vim Athenæus luculento comprobat exemplo hominis in theatro ab Ægypti præfecto ſerpenti objecti, nec ſentientis noxam, quia antidotum hoc ſumſiſſet. Quam veram fuiſſe cauſſam, altero poſtea experimento eſt comprobatum. Caltha, quæ vulgo *calendula*, Belgis *goutbloeme*, cor corroborat, venenis, & febribus peſtilentibus reſiſtit.

Zedaria prodeſt adverſus venena, & peſtilentiam, & alia multa. Porro planta hæc, vel antiquis ignota fuit vel ſub alio nomine deſcripta: ut ait Joannes Manardus in Cenſura medicamentorum compoſitorum Joannis Me-
ſue *a*. Rondeletius putabat eſſe ipſiſſimum Dioſcoridis b Pag. 614.
coſtum Arabicum. Saltem non dubium quin valde conveniant.

Allia pro amoleto ſunt adverſus ſerpentium morſus. Suppoſititius Æmilius Macer:

Hæc ideo miſcere cibis meſſoribus eſt mos,
Ut ſi forte ſopor feſſos depreſſerit artus,
Anguibus à nocuis tuti requieſcere poſſint.

Fraga etiam videntur habere aliquid venenis adverſum. Nam cum humi creſcant, ubi ſæpius venenata perreptant animalia, inauditum tamen quemquam inde aliquid veneni perſenſiſſe. Adverſus ſerpentium ictus conducit ſemen lilii albi potum; ut ait Dioſcorides.

Aſphodeli ſemen & flores, ſi in vino bibantur, excellens ſunt remedium adverſus ſcorpiones, & ſcolopendras. Cur ruta ſerpentes fuget, cauſſam adfert Theophylactus

Simocatus problem. VI. Sic & piper reſiſtit ſerpentium venenis: unde & theriacæ miſcetur.

Φθειρίασις, ſive morbus pedicularis oritur ex calore, & humore putrido. Docet verò Ariſtoteles in V Hiſtor. Animal. cap. XXXI, pulices ex minima naſci putredine: cimices ex humore in ſumma humani corporis parte: ex carne autem pediculos: emergereque ex puſtulis exiguis ſine pure, quas ſi aperias, pediculum exire. Diximus de hoc quoque lib. IV, cap. LXVII. Quia verò pediculi ſunt ex carne, eò ſi cutis cranio adhæreat nulla carne intermediâ, pediculus nullus in capite generatur: ut eſt apud eundem philoſophum in tertio de natura animal. Acridophagi autem quia non poſſunt non habere putridos humores ex copia vitioſi locuſtarum ſucci, moriuntur pediculari morbo, ut de iis prodit Diodorus Siculus lib. III, ubi & reperies de pediculis volantibus. Nunc è plantis remedia addamus. Pediculos, & lendes, interimunt nuclei ſtaphis agriæ; ut ait Plinius. Item inuncta cedria, vel hederæ lachryma; ut eſt apud Dioſcoridem. Abigit etiam eos illitum allium ſylveſtre; ut tradit Ruellius. Pulices arcet pſyllium ſive conyza; teſte Dioſcoride. Cimices necantur appoſitis foliis filicis, ut Ruellius inquit. Imò apud Merulam legas, ſi rutæ virenti ramo aquam per domum ſparſeris cimices non adventuros, vel ſiqui fuerint abactum iri. Atque idem ait, nemini dormienti cimices, vel etiam culices, moleſtos fore, ſi juxta ſe poſuerit ramuſculos cannabis humidæ.

Cap. XIX.

Acceſſum ad morbos particulares: ac initium factum à morbis meningum & pericranii. Ubi de his, quæ dolori capitis ex nimio potu medentur panace, pulegio, roſis; ac ſimul, quibus ebrietati occurratur amygdalis, braſſica, raphanis. Succedunt, quæ ſymptomatis ſubſtantiam cerebri infeſtantibus ſuppetias ferunt: helleborus, papaver, meliſſophyllum.

HÆc de morbis internis, quæ toto corpore graſſantur. Nunc de iis loquar, quas membratim ſentimus. Ac vel inſunt parti principi, ut principi, vel principi, at non ut principi, vel parti, quæ principum partium alicui inſerviat. Dividuntur hi morbi pro partibus affectis. Sunt verò partes vel ſimilares ac ſimplices: ut ſunt caro, os, nervi: vel diſſimilares ac compoſitæ, quæ & inſtrumentales. De poſterioribus prius loquar, in quibus ordinem ſervabo: qui eſt pro ſitu locoque partis affectæ. A capite igitur ordiar.

Capitis morbi, ut dicuntur, ſed ſymptomata potiùs, quàm morbi, vel infeſtant membranas capitis, vel cerebri ſubſtantiam, vel ventriculos, ſive meatus ac ductus. Membranas ſive meninges ac pericranium obſident cephalalgia, cephalæa, & hemicrania.

κεφαλαλγίας varia è plantis remedia. Plinius lib. XXV, cap. XI: *Capitis dolori medetur panacis omnium generum radix in oleo contrita: ariſtolochia, & iberis adalligata horâ, vel diutius, ſi pati poſſit, comitante balinei uſu. Medetur & daucum.* Pulegio quoque & mentæ ea vis. De menta ſic lib. XX, cap. XIV: *Illinitur temporibus in capitis dolore.* De priori ſic ſubdit: *Dignior è pulegio corona vertigini quàm è roſis, cubiculis noſtris pronunciata eſt. Nam & capitis dolores impoſita dicitur levare.* Atque hinc Platina lib. de Conſervanda Valetudine cap. de Pulegio: *Corona vatum ex pulegio magis (quod capitis dolores levet) quàm ex roſa fit.*

Farina ſecalis, ſi capiti circumligetur linteo, dolores ſedat: quia craſſos humores diſcutit, ac per poros digerit. Hoc ſæpius ſibi compertum fuiſſe, ſcribit Rembertus Dodonæus in Frugum Hiſtoria, cap. VIII. Capitis dolori crapula gravati medetur hedera: de quo ſic Plinius lib. XXIV, cap. X: *Capitis dolorem ſedant hederæ, præcipuè cerebro, continentique cerebrum membranæ utiliter mollibus impoſitis foliis, cum aceto & roſaceo tritis & decoctis addito poſtea roſaceo oleo.* Ac ſimiliter Tertullianus de Corona Militis cap. VII: *Liberum, eundem apud Ægyptios Oſirin, Harpocration induſtria hederatum argumentatur, quod hederæ natura ſit cerebrum ab heluco defenſare.* Ubi *helucus* notat ἑωλοκρασίαν, quod Heſychius interpretatur χθεσινὴν μέθην a. Sanè heſterno vino languentem Græci vocant ἕωλον, indeque helucus, ſive elucus factum videtur, ut ex Feſto cognoſcimus. Eandem vero vim ac hedera habet ſmilax: unde Plinius aliquanto poſt verba antea producta: *Smilax quoque, quæ & nicophoros cognominatur, ſimilitudinem hederæ habet, tenuioribus foliis. Coronam ex eo factam impari foliorum numero, ajunt capitis doloribus mederi.* Ubi abſque dubio ſuperſtitioſum eſt, quod imparem foliorum numerum requirit.

a *Ex heſterna ebrietate capitis gravitas.*

Coronæ roſaceæ, & violaceæ quia ſenſim refrigerant, coërcent καρηβαρίαν: ut ait Clemens Alexandrinus Pædagog. lib. II, cap. VIII. Ideo & Anacreon jubet Libero ſociare:

Τὸ ῥόδον τὸ τῶν ἐρώτων
Μίξωμεν Διονύσῳ,
Τὸ ῥόδον τὸ καλλίφυλλον
Κροτάφοισιν ἁρμόσαντες.
Roſam amoribus dicatam
Sociemus ad Lyæum:
Foliis roſam decoram
Capiti revincientes.

Sed idem poëta, ut etiam monet Julius Pollux lib. VI, cap. XIX, myrtea quoque corona gaudebat, ſive quia & myrtus vim vini reprimit, ſive quoniam Veneri dicata. Etiam capitis dolori medentur coronæ, è ſemine ſpinæ albæ; item ex herba hirſuta, quæ Græcis φιλάνθρωπος. De utraque auctor Plinius lib. XXIV, cap. XII, & XIX. Imò inebriari eum negant, qui coronam geſtet ex humili pinu quæ Græcis χαμαίπιτυς, & πιτυΐνη. Auctor Africanus in Geoponicis Cæſari Conſtantino dicatis lib. VII, cap. XXXI.

Violæ potus, atque odor tollit κεφαλαλγίαν, à crapula, aut flava bile provenientem; ut eſt apud Plinium lib. XXI, cap. XIX, & Simeonem Sethi. Nempe tum temperie ſua, tum ſuavi odore, cerebrum refrigerat, ac firmat.

Vidimus, quæ capitis dolori ex crapula medeantur. Sed ſatius eſt hoc agere, ne dolore hujuſmodi laboremus. Quod ante omnia quidem temperantia fit. Proximè vero illis, quibus largius etiam bibendo ebrietati occurritur. Quare de his etiam dicemus.

Amygdalæ amaræ comeſtæ ebrietatem impediunt: quod experimento egregio comprobat Plutarchus lib. I Sympoſiacorum, quæſt. VI. Hoc vel inde eſt, quia amaritudine ſuâ exſiccent humorem hauſtum: vel quia vi diuretica præſtent, ut humor cito exeat: vel quia ob vim oleaginoſam in ſtomacho ſupernatent, ac impediant ne vapores admodum petant cerebrum.

Ebrietati ac crapulæ adverſatur braſſica: ut proditum Theophraſto lib. II Hiſt. Plantarum, Athenæo lib. II, ubi Ægyptios, aut propterea ante ſympoſia comedere braſſicam elixam. Similiter Simeon Sethi, & alii magno numero. Quare cauſſam afferre ſuffecerit. Ea pendet à contraria vini, & braſſicæ natura. Ebrietas oritur è vino, quia poſtquam calore noſtro vinum calefecimus, vapores petant cerebrum, ac cum vaporum calore ſpiritus incluſi ſenſus agitent atque impediant, quo minus ſuo officio fungantur. Braſſica autem naturæ eſt frigidæ, ac ſtypticæ; unde in ſtomacho innatans, impedit, quò minùs humores vinoſi in ſublime ferantur: imò evectos refrigerat, ac deorſum trahit: ut Ariſtoteli etiam proditum tertiæ ſectionis problemat. XVII. Ex his liquet, proram, & puppim hujus ſententiæ eſſe frigus braſſicæ; de quo Ariſtoteli etiam aſſentit Galenus lib. II de Compoſit. Medicament. ſecundum locos, & Actuarius lib. VII Med. cap. II. Trallianus item lib. I, cap. X, Averroes lib. I Collectaneorum,

cap.

cap. XLI. Verùm nihil æquè huic ſententiæ adverſari videtur, quàm quod Hippocrates braſſicam ſtatuit calidam. Sed conciliari ea poſſunt ex Galeni lib. III de Simplic. cap. XV, ubi duplicem in braſſica, ut ſubſtantiam ſtatuit, ſic quantitatem: unam ſolidam, craſſam ac terreſtrem, quæ frigida ſit: alteram verò ſucculentam tenuem, ac liquidam, quæ calida ſit. At ſuccus hic ſi coquatur braſſica, magis magiſque deperit, parte braſſicæ craſſiori reſiduâ, ac vim frigidam retinente: præſertim quanto ſæpiùs aquam effuderis: in qua ſuccus iſte, quod caloris habuit, depoſuit: ut quod terreſtre ſupereſt omnino frigidum ſit, ac vim habeat reſtringendi.

Raphanos prodeſſe contra ebrietatem, refertur à Plinio ex ſententia Androcidæ.

Allium, ut Hippocrates ait lib. IV de ratione victus, ebrietatem impedit. Quod pugnare cum eo videtur, quod ibidem ait, gravitatem capitis inducere. Hæc vix meliùs conciliare poſſumus, quàm eo, quòd, ſi caput nullos vel paucos habeat vapores, facile eos exſuperet, qui à vino proveniant: ſin jam antè multis caput ſit vaporibus repletum, gravitatem inducit, quam alioquin diſſolvit.

Sequuntur morbi, qui infeſtant ſubſtantiam cerebri. Quamquam propriè non tam morbi ſunt quam ſymptomata imaginativæ, vel memoriæ, aut depravatæ aut abolitæ. Depravatæ ſymptomata ſunt παραφροσύνη ſive παράνοια, hoc eſt, mentis alienatio, quo nomine & melancholiam, & maniam, complector. Abolitæ verò functionis ſymptomata ſunt ἄνοια, ſive amentia, memoriæ amiſſio, καταφορὰ βαθεῖα, ſive altus ſopor, ſoporeque gravior veternus, catoche, lethargus. In melancholia, & mania, & ſimilibus prodeſt cerebrum purgari helleboro, ac aliis, de quibus mox dicetur. Prodeſt & ſomnus. Dicam igitur aliqua, quæ eum conciliant.

Papaver ſomnum conciliat. Unde Maro IV, Æn.

Spargens humida mella, ſoporiferumque papaver.

Et I Georg.

Urunt Lethæo perfuſa papavera ſomno.

. . . .

Phreneticis atque omnibus quibus imminutum eſt cerebrum, prodeſt ſi cochlear vini cui meliſſophyllum ſive citraria ad deſtillandum fuerit impoſita, jejuni biberint; intellectus tunc & memoria redeunt, acuuntur: ut ex Raymundo Lullo tradit Euonymus in Theſauro *a*.

a Pag. 209.

Cap. XX.

De morbis viſus, & auditus internis, nec non de vitiis olfactus, & quæ his ex plantis ſuccurrant: ſtell. Attica, ficus, piper, chelidonia, crambe, rapa, &c.

A Meningum & cerebri affectionibus, tranſeo ad morbos viſus & auditus internos, necnon vitia olfactus. Ubi principiô de medicamine amelli: putatur autem ἀστὴρ Ἀττικὸς *a*, ſive βουβώνιον ſeu herba inguinalis idem eſſe ac amellus, de quo Virgilius in IV Georg. Oculorum inflammationi prodeſſe ait Dioſcorides lib. IV, cap. CXX. Thymum ſi in cibo adſumas, oculis confert hebetis viſus, eodem teſte. Ficus recentes medentur oculis puerorum affrictæ: ut ex Pherecrate traditum Athenæo. Piper item additur oculorum unguentis, ut meliùs videamus.

a Stella Attica.

Ad eundem ſcopum Chelidoniâ medici uti ſolent, ut nempe clariùs videamus. Ac fabulatur Plinius *b* hoc homines edoctos ab hirundinibus, qui pullis excæcatis ea herbâ viſum reſtituant. Sed merito fabulam putat Cornelius Celſus lib. VI, cap. VI. Ac per ſe viſum hirundinibus reſtitui Ariſtoteles cenſet lib. VI Hiſtoriæ Animal. cap. V, deque generat. animal. cap. VI, & Philoponus in iis, quæ illic annotavit. Inde tamen nomen herbæ acceſſiſſe. Sed malo credere Dioſcoridi, qui lib. II, cap. CLXV, ait nomen ei χελιδόνες ſive hirundines dediſſe, quia oriatur hirundinibus advenientibus, abeuntibus verò emarceſcat.

b Lib. 8. cap. 27. & lib. 25. cap. 8.

Plura autem de quæſtione illa an viſus reſtituatur pullis hirundinum, vide ſis apud Renatum Moreau Animadverſionibus in Scholæ Salernitanæ cap. XXXII. Sanè ſi perfoſſis etiam oculis paullatim redeat viſus, id potius inde fuerit, quod ſenſim novus accreſcat humor. Nam & puero id aliquando compertum: ut traditum Galeno lib. I de Symptomatum cauſſis, cap. II.

Oculis etiam conducit braſſica. ſic enim Dioſcorides de ea, ἀμβλυωποῦσι βοηθεῖ, *hebetioribus oculis opitulatur.* Plinius quoque lib. XX. cap. IX, ait, hunc cibum plurimùm conducere oculorum claritati: etiam ſuccum conferre vel crudæ, ſi angulis oculorum cum melle Attico allinatur. Sed hæc ſolum habent locum, ſi viſus impediatur ob craſſos humores, quos calore ſuo braſſica attenuat, & exſiccat. Atque hæc Galeni etiam eſt ſententia. Sed ſi oculorum vitium fuerit ex ſiccitate, nocet braſſica ob exſiccandi vim oculis inimicam: unde & Græcis κεράμβη dicitur, quaſi κορέμβλη, ut Attici vocabant: διὰ τὸ τὰς κόρας βλάπτειν, *quia oculorum pupillas lædat*: ut eſt apud Ariſtophanis ſcholiaſten ad Equites.

Rapas oculis claritatem afferre, tradunt Arabes: ut Avenzoar, & Averroes.

Viſui etiam inſervit pæonia granis ſuis rubentibus, quæ, ut Appuleius ait, noctu lucet inſtar lucernæ, eoque noctu plurimùm colligi à paſtoribus ſolet. Et ſanè, ut pæonia noctu colligatur, etiam Theophraſtus, & Plinius jubent. Idem de Aglaophotide refert Ælianus. Quid mirum quando idem eſt flos: quod & vocabulum teſtatur. Nam ἀγλαοφῶτις ad verbum ſonat ſplendidè lucentem, ſive lucem claram. *Baara* vocatur à Flavio Joſepho lib. VII belli Judaici, cap. XXV: ubi ſcribit, colore eſſe ſimilem flammæ, circa veſperum fulgere inſtar jubaris. Aquas varias è plantis igni elicitas ad varios oculorum affectus ſanandos commemorat Euonymi Philiatri Theſaurus *a*.

a Pag. 258 & deinceps.

Si ita viſus ſit corruptus, ut quis putet ſe videre muſcas circumvolitantes, aliaque ejuſce generis, è plantis, ſed & aliis, remedium dicet Joannes Manardus lib. XIX, epiſt. III. Ubi & cauſſam, unde is morbus ſit, luculentè exponit. Nempe eſſe à fumis obſtruentibus viam, per quam ſpiritus & ſpecies viſibiles tranſeunt motu inordinato.

Auditum auget evaporatio ex decocto abſynthii, aut pulegii. Juvat etiam acetum tepidum auribus inſtillatum. Item ſi aurium ſordes, ſive marmoratum, ut Plinius vocat, detergeantur auriſcalpio ex xyloaloë. Imprimis verò ſi cerebrum purges per extergentia illa, acriaque, quæ, quia naribus infunduntur, ἔῤῥινα vocantur à Græcis: ut ſunt betæ ſuccus, melanthium, cuminum, & alia alibi memorata. Item aloëtica, & ἀποφλεγματισμοὶ ſive medicamenta, quæ comeſta, palato illita, vel gargarizata pituitam è cerebro in os proliciunt.

Adverſum tinnitum aurium, gravemque auditum, proſunt ſalvia, roſmarinus, mentha, borrago, bugloſſum, meliſſophyllum, oryza, amygdala, ficus ſiccæ, paſſulæ, avellanæ, grana piri, meſpila, cotonea, coriandra ſecundum artem præparata, feniculi, & aniſi ſemina. Ita Joan. Manardus lib. XX, epiſt. IV.

Odoratui conſulitur, paſtillo ex nigella, aut ſemine ocimi, mentha, imò omnibus penè quæ odoris ſunt grati. Unde excipere oportet roſam, & violam; quandoquidem mucum gignunt, ut ait Avicennas. Præterea huc faciunt omnia, quæ Græci ἔῤῥινα vocant: ut flores papaveris ſylveſtris, ſuccus iridis, atque alia alibi memorata nobis.

Cap. XXI.

De morbis ventriculorum cerebri, vertigine, ephialte, paralyſi, &c. & iis quibus cerebrum purgatur, ac roboratur agarico, ſcilla, pæonia, myrobalano, ſampſucho ſive majorana, ſpica, ruta, aliiſque.

At-

ATque hæc dicta ſunt de morbis vel ſymptomatis potiùs, depravatæ vel abolitæ, imaginativæ, aut memoriæ. Deinceps videndum de cerebri ventriculis. In his, ſive iis meatibus, unde ſpiritus animalis, inſtrumentum ſenſus ac motus, per corpus diffunditur, hæc ſunt ſymptomata: vertigo, epilepſia, ἐφιάλτης, ſive incubus, apoplexia, paralyſis, σπασμὸς, ſive convulſio, tremor, κατάῤῥους, ſive deſtillatio. Prout hæc enumerat Fernelius παθολογίας cap. 1. Vertigo capitis, quæ Græcè δῖνος, ac quia ſæpe obtenebratio accedat, etiam σκοτόδινος vocatur, maximam partem à vitio ſtomachi provenit. Si fuerit ab atra bile ex jecinore in ſtomachum transmiſſa, medentur agaricum, maſtiche, ſpica, ac plantarum aliæ: quas malo petas ex accuratiſſimo doctiſſimoque Jo. Manardo lib. x, epiſt. 11.

Scilla herba eſt bulbacea, quæ officinis *ſquilla*, Belgis *zee-ajuyn*, q. d. maris unionem ſive cepam. Ea ex planta fiebat acetum, quod dicebatur acetum ſcillites: nempe, qua ratione dixere vinum abſinthiten. Auſonius epiſt v, quæ ad Theonem:

Scillite decies ſi cor purgeris aceto,
Anticipeſque tuo Samii Lucumonis acumen.

Nec enim audiendus Turnebus, cum legit *ſcillitico*. Siquidem ſecunda eſt porrecta. Imò nec *ſcillitico* dicendum eſſet, ſed *ſcilletico*, vel *ſcillino*, quod apud Serenum Sammonicum. Vix autem dici poteſt, quanta ejus aceti vis ſit in cerebro purganda, ac gutture. Omnino enim incidit omnem pituitam: adeo quidem ut nec præſentius pueris remedium ſit, ubi periculum eſt à morbo comitiali; etiam pueris recens natis. Nempe recipere oportet unciam ſcillitæ aceti, atque ei miſceri binas ſaccari ex Canariis inſulis, ſeptenaque optimi vini Rhenani cochleatia. Puero intra tres menſes, hinc mane cochlear, ac item veſperi detur: ſed ulterius ætate provecto, minus minuſque vim ſcillitæ aceti ſaccharo, ac vino infringi opus eſt. Hoc præſentaneum remedium, & auro contrà non carum multorum bono experientia comprobavit. Ac debeo illud Ampliſſimo Supremæ Hollandicæ Curiæ Senatori, Georgio Ratallero Dubletio, ſummo viro, & rerum divinarum, humanarumque intelligentiſſimo.

Ephialtes, qui vulgo incubus, non tam morbus eſt, quam ſymptoma, proveniens à vapore cavernas cerebri obſtruente, ſic ut tranſitus intercludatur ſpiritui animali: unde fit, ut quis inſilere atque incubare videatur. Plinius lib. xxv, cap. iv, appellat Faunorum in quiete ludibria, ac mederi ait pæoniam, quam quidam pentorobon vocant. Addit, qua facie ſit, & ubi naſcatur. Sed ſuperſtitioſum quod ſubdit: *Præcipiunt eruere noctu, quoniam ſi Picus Martius videat, ruendo in oculos impetum faciat.* Utile autem eſt pæoniam de collo ſuſpendi: cujus ratio eſt, quod ſic vapores cerebrum petentes excludat, & cerebrum corroboret. Cerebrum enim naturâ frigidum & concretum reſolvitur calore ac frigore florum, pratorum, atque unguentorum; ut odor non minus proſit ſanitati, quam voluptati: ut ex Ariſtotelis ſententia ſcribit Plutarchus lib. de Iſide, & Oſiride. Juvat & myrobalanus ſaccharo condita, & manè comeſta quotidie. Magnopere enim cerebrum corroborat. Pluraque remedia adducit Jo. Manardus in epiſtolis Medicin. lib. 111, epiſt. 11, & 111; ubi docet, ut huic morbo etiam medeantur ruta, ſalvia, ſampſychus, hyſſopus, roſmarinus. Item ut in cibis proſint, piſtacia, paſſulæ, pinei nuclei: inque menſis ſecundis pira, cydonia, & ſimilia adſtringentia: & ex oleribus feniculum, anethum, bugloſſum.

Etiam iis, qui inſomniis vexantur, videndum, cujuſmodi utantur vino. Nam vetus vinum præſtat ὕπνους ἀταράχους *a*: novum verò eſt δυσόνειρον *b*, quia creat inſomnia. De vetere vino, quod dixi, eſt apud Athenæum lib. 1: de novo, apud Dioſcoridem.

a Somnos quietos.
b Somnium moleſtum.

Paralyſi non laborant, qui quotidie utuntur cappari: ut ait Plinius lib. xx, cap. xv. Nempe quia ea capparis indoles; ut multum attenuet & incidat omnes craſſos humores, qui paralyſin gignunt. Eadem de cauſſa oleum roſmarini membra paralytica ut plurimum calefacit, ac quandoque ſanat: ut eſt in Euonymi Theſauro *a*. Ac inde pete, quomodo præparetur. Vinum etiam in quo fuerint zinziber & cinnamomum, prodeſt paralyticis & morbis aliis è frigido temperamento: ut eſt apud Arnoldum Villanovanum lib. x de Vino.

a Pag. 328. & ſeq.

Si ori epilepſiâ laborantis, quoties paroxyſmus erit, indideris, aquam deſtillatam ex ceraſis ab arbore recens decerptis, inhibetur morbi vis: quemadmodum ab Joanne Manardo, & aliis, proditum eſt. Pæoniæ, præſertim maſculæ radix, certiſſimo experimento efficax eſt adverſus morbum comitialem: ut tradit Galenus.

Flos quoque purpureus aſteris Attici, ſi cum aqua bibatur, ut anginis, ſic comitiali morbo prodeſſe in pueris, Dioſcorides ait. Plinius idem de purpureo in violis flore tradit. Sed ſuſpectum ſibi id ait Remb. Dodonæus lib. de Floribus, cap. 1.

Epilepticus, ut ait Raimundus Lullus, penitus ſanabitur ſi jejunus bibat cochlear vini, cui meliſſa ſive citraria impoſita fuerit ad deſtillandum. Aqua deſtillata ex meliſſophyllo contuſo inque vino macerato, ſi quotidie bibatur, vel in ore retineatur, apoplexiam, & epilepſiam, uti & alios ex pituita, vel atra bile affectus. Auctor Remaclus F. Limburgenſis libro de aquis deſtillatis, quæ in communi ſunt uſu: item Enonymus Philiatros in Theſauro ſuo *b*. Si quis morbo comitiali in terram conciderit, ut is excitetur, utile eſt naribus ſubdi, & olfaciendum dari oleum de ſpica, quod vulgo oleum balſaminum vocant. Ita in Theſauro ſuo Euonymus, ſive Geſnerus *c*. Ruta craſſos ac viſcidos cerebri humores attenuat atque educit: unde cruda, coctave contrita naribus atque ori comitiali morbo laborantium indi ſolet, ut ex Plinio conſtat. Vide & Michaëlem Savanorolam tract. vi cap. de capitis morbis. Vinum, cui ſalvia indita, ab eo accipit vim calefacientem, & exſiccantem humores pituitoſos. Quare conducit paralyticis, epilepticis, & tremulis, item vertigini, morbiſque aliis, qui proveniunt à materie frigida. Vide Cardanum lib. 11 de tuenda Sanitate, cap. xxx111.

b Pag. 210.
c Pag. 376.

Ex alſina, quæ vulgò dicitur *morſus gallinæ*, aqua deſtillata datur pueris epilepticis, ſive ſola, ſive cum aqua fontana. Sed non videtur ei remedio multum fidere Euonymus Philiatros, ſive Conradus Geſnerus, in Theſauro de remediis occultis *d*.

d Pag. 25. 53.

Sternutamenta provocat naſturtium: quod inde dictum, quia nares torqueat, ut Varronis ac Plinii judicium eſt. Etiam ocimum acrimoniâ odoris ſternutamento juvat: imo & propterea aliqui ozyma ſcribunt: quaſi ſit ab ὄζειν, ſed falluntur, nam aliter optimi codices Latini, & Græci.

Helleboro nigro, quod vocatur polyrrhizon, item entomon, vel ectromon, cerebrum purgatur: unde, ut Plinius ait lib. xxv, cap. v, *plerique ſtudiorum gratiâ ad pervidenda acrius, quæ commentabantur, ſæpius ſumtitaverunt.* Inque his, ut ibidem legas, Carneades reſponſurus Zenonis libris. Imò & comitiali morbo prodeſt. Nam, ut ibidem legas, *Druſum, Tribunorum popularium clariſſimum, cui ante omnes plebs ſtans plauſit, optimates verò bellum Marſicum imputavere, conſtat hoc medicamento liberatum comitiali morbo in Anticyra inſula: ibi enim tutiſſimè ſumitur, quoniam ſeſamoides admiſcent. Italia veratrum vocat.*

Manna omne purgat cerebrum: imò & pectus, ſtomachum, alvum: præcipueque conducit bilioſis. Porrò manna, non dico Judæorum illud, ſed noſtrum, ſuccus eſt laricis arboris, aut fraxini: quod primus docuit Matthias Lobelius. Pituitam cerebro ſubducit piper cum uvis paſſis, vel Corinthiacis comeſtum.

Majorana, quæ Dioſcoridi μάϊον, ob vim calefaciendi, & exſiccandi in ſecundo gradu, medetur frigidis cerebri, ac capitis morbis, ac naribus indita, pituitam provocat, & ut ſternutes facit: etiam ſi manduces, vel appoſitas dentibus, eorum dolores mitigat. Roſmarinus itidem, qui Græcis λιβανωτὶς στεφανωματικὴ *e*, ob vim calidam

e Libanotis coronaria.

&

& ſiccam, cerebrum exſiccat, & morbis cerebri ac capitis adverſatur ex frigida & humida cauſſa provenientibus. Quod & apud Serapionem legas. Eadem de cauſſa ſenſus & memoriam acuit. Lavandula quoque in tertio gradu calida eſt, ſiccaque: & ideo liquor ejus ſtillatitius, ſi fronti ac temporibus illinatur, conducit morbis cerebri ex frigore, ſed ſine copioſo humore, contractis. Leviori etiam hemiplexiæ medetur, ac morbo ipſi comitiali. Subinde etiam reficit eos, qui ſyncope laborant. Putatur autem lavandula eſſe eadem ac caſia, non quidem prout ſumitur pro cinamomo, ſive canella: ſed ut caſiæ voce utitur Maro Ecl. II, & IV Georg.

Sinapi caput expurgat pituitâ: imò & ſternutamento juvat: ſed oculis obeſt. Imò ex eo σίνηπι putatur dici, quia σίνεται τὰς ὦπας. Sed Atticè νάπυ vocatum: ut potiùs videatur σίνηπι, vel σίναπι, appellari quaſi σίνειν νάπυ, *lædens napy*. Quia nempe oculos lædit. Unde & Columellæ ille notiſſimus verſiculus lib. x.

Seque laceſſenti fletum factura ſinapis.

Cap. XXII.

De morbis colli: tonſillarum, angina, &c. & remediis; hyſſopo, bubonio, ptiſana, tragacantha, plantagine, & ſimilibus.

Hinc confero me ad morbos faucium qualis ille tonſillarum, qui Græcis παρίσθμια, quem tamen alii capitis cenſent. Item ἡ κυνάγχη, ſive angina.

His remedia tradit Plinius lib. XXVI, cap. IV: *Anginæ argemonia medetur, ſumta ex vino: hyſſopum cum vino decoctum & gargarizatum: peucedanum cum coagulo vitali marini æquis partibus. Proſerpinaca cum muria ex manis & oleo trita, vel ſub lingua habita. Item ſuccus de quinquefolio potus cyathis tribus. Hic & omnibus faucium vitiis medetur gargarizatus: verbaſcum privatim tonſillis in aqua potum.*

Aſteris quoque Attici, ſive bubonii flos purpureus cum aqua ſi bibatur, anginæ medetur: ut eſt apud Dioſcoridem. Contra gutturis exulcerationes, ac ſcabritiem prodeſt ptiſana ex tritico, vel hordeo: ut eſt apud Dioſcoridem.

Tragacantha tollit aſperitatem arteriæ aſperæ; ut eſt apud Dioſcoridem lib. III. Itaque phonaſci, & qui mollitie vocis ſtudebant, hanc edebant; teſte Syneſio.

Strumis conducunt (ut Plinius ait lib. XXVI, cap. V) *plantago cum melle & axungia: & quinquefolium: radix perſolatæ item cum axungia, operitur folio ſuo impoſitæ: radix mandragoræ ex aqua.* Et mox: *Damaſonium, quæ & alcea vocatur, ſub ſolſtitio collecta, imponitur ex aqua cæleſti folium tritum, vel radix cum axungia tuſa, ita ut impoſita folio ſuo operiatur. Sic & ad omnes cervicis dolores, tumoreſque, quacunque in parte. Bellis in pratis naſcitur, flore albo, aliquatenus rubente. Hanc cum artemiſia illitam efficaciorem eſſe produnt. Condurdum herba ſolſtitialis, flore rubro, ſuſpenſa in collo, comprimere dicitur ſtrumas: item verbenaca cum plantagine.*

Uvæ morbo prodeſt radix portulacæ collo appenſa. Plinius lib. XX, cap. XX: *Prætorii viri pater eſt Hiſpaniæ princeps, quem ſcio propter impatibiles uvæ morbos radicem ejus* (portulacæ) *ſuſpenſam è collo gerere, præterquam in balineis: & ita liberatum incommodo omni.*

Similiter uvæ, ac faucium inflammationi medentur mora immatura & acerba. Nam humores à capite influentes exſiccant, atque partis affectæ æſtum refrigerant.

Cap. XXIII.

De morbis thoracis, ac viſcerum quæ eò continentur: ſpirandi difficultate, inflammatione pulmonis, tuſſi, tabe, &c. & plantarum remediis abſinthio, thymo, ſcabioſa, hyſſopo, verbenaca, conſiligine, ac pluribus aliis.

Hæc de capitis ac colli morbis. Accedo ad morbos thoracis, & eo contentorum. Itaque huc etiam pertinent, δύσπνοια, ſive ſpirandi difficultas, ἡ ὀρθόπνοια, cùm non ducimus ſpiritum, niſi recta cervice: ἡ περιπνευμονία, ſive pulmonum inflammatio, ἀπόστημα ἐν πνεύμονι, ſive vomica pulmonis: ἡ φθόη, ſive tabes: membranæ coſtis ſubtenſæ pleuritis: cordis, συγκοπή a, & palpitatio. a Deliquium.

Abſinthium, quia vim habet abſtergendi, prodeſt pectori obſeſſo ab humoribus craſſis ac viſcoſis: præſertim ſi ſumamus cum iride.

Thymus quoque thoracem & pulmones expurgat, idque ob vim calefaciendi, & exſiccandi in tertio ordine: qua incidit pituitam, & facilem exſcreationem præſtat, præſertim mixtum melli, & delinctum; ut Dioſcorides tradit.

Scabioſa vulgò quædam herba, ſive à ſcabritie, ſive quia valeat adverſus ſcabiem, dicitur. Sed quomodo olim vel Latinis, vel Græcis, fuerit nuncupata, non liquet. Imò nec quomodo Arabes appellent. Hæc vim habet calefaciendi, attenuandi & purgandi, eoque viſcidos thoracis humores præſertim ſenum, deterget, ac lenit, quod tuſcis exaſperavit. Unde verſiculi illi, quos Braſſavolus ſcriptos ait ante annum CIƆ C, nempe temporibus Urbani II, qui vivere deſiit anno CIƆ XCIX:

Urbanus per ſe neſcit pretium ſcabioſæ:
Nam purgat pectus, quod comprimit ægra ſenectus,
Purgat pulmonem, laterisque ſimul regionem.

Ficus *cocta cum hyſſopo pectus purgant, pituitam, tuſſim veterem*: ut ait Plinius lib. XXIII, cap. VII. Atque addit poſtea, *decoctas cum fænograco utiles eſſe pleuriticis, & peripneumonicis.*

Hyſſopus, quia calefacit & exſiccat, tum cerebrum tum thoracem ac pulmones, tum nervos etiam, à pituitoſis humoribus expurgat. Imprimis verò ſenibus conducit quorum pectus fere lentâ craſsâque pituita obſidetur. Maxime autem prodeſt, ſi decoquatur cum ficis, aqua, melle, & ruta. Quomodo & opitulatur diuturnæ tuſſi, peripneumoniæ, & orthopnœæ. Nec tamen certo ſtatuas, quæcumque de hyſſopo veteres prodidere, ea noſtræ convenire hyſſopo. Noſtra enim eſt inter hortenſes herbas atque olera, eaque utimur, ut juſcula, ſive condimenta ciborum ſapidiora fiant. Nihil tale veteres de hyſſopo. Vide omnino Fabium Columnam libro de minus cognitis ſtirpitibus cap. XIV: ubi in eo eſt, ut oſtendat hyſſopum noſtrum non eſſe veterum hyſſopum.

In dyſpnœa, ſive difficultate ſpirandi, craſſi & viſcoſi humores, qui pectus obſident, incidi, attenuari, & educi debent. Hæc præſtant oxymeli cum aqua cinnamomi: & ſyrupus è ſucco cardui, veronicæ, & ſcabioſæ: ut eſt apud Joannem Cratonem à Craftheim lib. IV, Conſilio VIII. Pluraque ibidem in hanc rem. Item Conſilio IX. De aſthmate, ac remediis è plantis, adi ejuſdem libri Conſilium XII, quod ab Caſpare Hofmanno, Medico Electoris Brandeburgici datum fuit. Universè prodeſt verbenaca. Plinius libro XXVI, capite VII: *Verbenaca omnibus viſceribus medetur, lateribus, pulmonibus, jecinoribus, thoraci. Peculiariter autem pulmonibus, & quos ab his phthiſis tentat.*

Etiam pulmonis vitiis, ſanguinemque rejicientibus utilis eſt quinquefolii ſuccus, ut Plinius eodem ait capite. Ac poſtea ſubjungit, *Radix herbæ conſiliginis ſuum*

quidem, & pecoris omnis, remedium præſens eſt pulmonum vitio, vel trajecta tantum in auricula. Bibi debet ex aqua, haberique in ore aſſiduè ſub lingua. Decoctum thymi cum melle utile eſt orthopnoicis, & aſthmaticis; ut tradit Dioſcorides.

Tuſſientibus prodeſt avenæ ſuccus in ſorbitione, ut Dioſcoridi, ac Plinio, traditum. *Ad tuſſim*, ut Plinius ait lib. xx, cap. iv, *mane jejunis raphanus prodeſt cum melle.*

Roſarum aqua ſtillatitia, præcipuè ex roſis candidis, ac diluti ruboris, & Damaſcenis, qui ab odore aliter Moſcatæ dicuntur, vim habent corroborandi, tremori ejus ac palpitationi occurrendi, & reparandi ſpiritus. Quæ & præſtant roſæ rubentes, dictæ provinciales: ſed minor earum vis ob partes magis terreas: præſertim ſi exſiccatæ fuerint, quomodo, abſumto fere humore, non tam humectant, quàm adſtringunt. Crocus etiam corroborat cor: crudos thoracis humores concoquit, pulmones obſtructos aperit: & in his tantum pollet, ut & phthiſicis alioqui jam jam animam acturis, ſpiritum quaſi reducat, & vitam ad dies aliquot proroget: ut Dodonæus narrat lib. de Flor. cap. L. Ocimon (à quo ocymon differt) ut odore capiti prodeſt, ita & cordi, ac cardiacis affectibus medetur, mœrorem diſcutit ab atra bile provenientem, ut hilaritas ſuccedat: teſte Simeoni Sethi.

Varia è plantis ad tuſſim remedia ſuppeditat Plinius lib. xxvi, cap. v, vi, vii. Aqua roſarum deſtillata cor corroborat, eoque in ſyncope prodeſt. Auctores Avicenna *a*, & Meſue *b*, quorum hic duarum ſolum aquarum deſtillatarum meminit; puta roſarum, & abſynthii. Magis verò corroborat cor ea, quæ paratur ex roſis rubeis: quàm candidis. Cujus cauſſa, quod illa magis calefacit, hæc magis refrigerat: ut monitum Remaclo F. Limburgenſi libro de aquis deſtillatis. Cor, cerebrum, nervos, ac corpus univerſum corroborat, imo juventutem conſervat, oleum roriſmarini. Id quomodo fiat docet in Theſauro Euonymus *c*.

a Lib. 2. cap. de roſis.
b Cap. de roſis.
c P. 328. 329.

Cardiacorum morbo unica ſpes in vino: ut ait Plinius lib. xxiii, cap. ii. Ac præcipuè vino vetere, & generoſo, ut indicat Juvenalis Sat. v:

Ipſe capillato diffuſum conſule potat
Calcatamque tenet bellis ſocialibus uvam,
Cardiaco nunquam cyathum miſſurus amico.

Ubi *cardiacus* dicitur de eo, qui laborat cordis morbo, puta ſyncope, ſive cordis deliquio, non de affectione ea, qua ſtomachi os ab acribus morſum humoribus dolorem gignit: etſi vox ea ſic ſæpe uſurpetur. Nec enim eo in morbo temere bibendum vinum: ut tradit Celſus. Pluraque de eo Hieronymus Mercurialis lib. vi Var. Lect. cap. i.

Vinum quoque lætitiam parit: cujus rei duplex imprimis ratio redditur. Una quidem quia ſpiritus auget, & inſpiſſatos diluit. Altera verò quia humorem melancholicum, qui frigidus eſt, ac ſiccus, calore, & humore ſuo corrigit, ac diſcutit.

In deliquiis acetum odore ſuo quaſi animam reddit.

Meliſſophyllon, officinis dicitur meliſſa, Latinis apiaſtrum; ſed ambiguo nomine, cum & alterum ſit apiaſtri genus, multum differens; etſi Plinius confuderit. Eſt vero meliſſophyllon inter ea, quæ cor, ac ſpiritus vitales vehementer recreant, ac reficiunt. Præcipuè verò hanc vim habet aqua vitæ, ſi in ea ter, quater, ſæpiuſve ſit meliſſophyllon maceratum, ac ſuccus deinde in aquam vitæ expreſſus: quam rem plenius tradunt Chymici. Avicenna, Serapionem ſecutus, tradit ſpodium cor, & ventriculum roborare. Cùm verò ſpodium Dioſcoridi, & Galeno ſit metallicum quid quod in ærariis fornacibus comparatur, intelligit ille exuſtas cannæ radices. Quo de errore fuſiùs Joannes Manardus lib. xii epiſt. v.

Imò omnia calida, & humida, maximam habent convenientiam cum calore noſtro, quia & ipſe calidus pariter, & humidus. Hujuſmodi igitur corrigunt, & ſiccam cordis intemperiem. Inque iis non infimum obtinet locum herba, quam veteres dixere bugloſſum, officinæ autem borraginem vocant: voce forſitan corrupta ex corrago. Nam apud Appuleium, non Madaurenſem, ſed juniorem, in hiſtoria de virtutibus Plantarum legas: Bugloſſon Græcè, Prophetæ γόνον αἰλήρα *a*, *Romani linguam bubulam, Lucani Carroga.* Ubi alii, *Lucani corrago.* Niſi iſtic *borrago* legendum. Quicquid ſit, qui deſcriptionem bugloſſi apud Dioſcoridem, & Avicennam, contulerit cum borragine noſtra, facilè videbit, unam eandemque eſſe plantam.

a Catulum felis.

Quod autem dicebamus bugloſſo cor recreari, pellique triſtitiam id apud Dioſcoridem legas lib. iv, cap. cxxiii. Idemque de borragine traditum Scholæ Salernitanæ cap. xxi, editionis optimæ, quam Renatus Moreau dedit. Ut non abſurdè ſentiant, qui putant eſſe plantam illam Ægyptiacam, quam Homerus Iliad. Δ, quia oblivionem triſtitiæ induceret, νηπενθὲς vocat. Hanc ait in Ægypto ab Helena vino inditam, ac tantarum fuiſſe virium, ut qui potum illum guſtaret, toto eo die nullam emitteret lachrymam. Et ſanè Plutarchus etiam putavit eſſe bugloſſam, ut videre eſt lib. i Sympoſiacôn, quæſt. i. Quamquam idem & alteram adferat rationem, ſed myſticam: nempe, ut intelligantur ſermones decori atque loco convenientes: quæ & Macrobii ſententia eſt lib. vii Saturnal. cap. i.

Præterea cor recreant, eoque ſyncope, ſive deliquio animi laborantibus proſunt, tum quæ purgant ſpiritus turbulentos, velut aromatica: tum quæ languentes ſpiritus ſuſcitant: ut herbæ bene olentes. Adhæc ſi ſpiritus intus æſtuat, vel foras exundet, proderunt ſuccus limonum comeſtus, acetum naribus admotum. Prius retundit fervorem ſpiritus: alterum impedit ſpiritus effluxum. Quid autem mirum ſi acetum id poſſit, quando & aqua, ſi affundatur, id præſtet propter frigus. Hoc *adſpergere*, vel *obſipare aquulam*, dixit Plautus Bacchid. & Ciſtellariâ. Atque alios etiam conciliandæ lætitiæ modos ſuggeret Avicenna cap. ix tractatu i de virtutibus cordis.

Ocimum, quod vulgo baſilicon, uti & junioribus Græcis, inter cardiaca reponitur à Simeone Sethi: ut quod odore ſuo cerebrum ac cor juvet, atræ bili occurrat, ac hilarem reddat. Mirum quàm hæc abeant à veterum ſomniis. Quam enim ab iis noxium creditum ſit, Plinius ex Chryſippo dicet lib. xx, cap. xii: item Florentinus in Geoponicôn Collectaneis lib. xi, cap. xxix. Sed Plinius loco memorato ſubjungit ſecutam ætatem longè melius de eo ſenſiſſe, & quàm ad varia utile ſit oſtendit. Ac Galenus quoque in ſecundo de Alimentorum Facultatibus, cap. lvi, agnoſcit quidem eſſe ſucci vitioſi: ſed falſum eſſe ait, quod prodidere, paucis diebus inde ſcorpiones gigni ſi tritum immittatur in ollam inanem, atque ea ad ſolem quotidie calefiat. Juniorum tamen aliqui non verentur ſcribere: compertum ſibi in hominis cerebro ortum ſcorpionem, ex crebro ocimi odoratu. Sed non perſuadent. Etſi ſciam vermiculos ex ocimo corrupto generari. Pro magnis ocimi virtutibus ſtat quoque Arabum medicorum cohors.

Melopeponis odor deliquio animi medetur. Dioſcorides idem prodit de cucumere. Enimvero de eo quod vulgò cucumerem dicimus, verum non eſt. Rectè interim Dioſcorides, quia ejus temporibus necdum obtinebat nomen melopeponis: ſed is cucumeris vocabulo continebatur. Nam, ut alibi dicimus, melopeponis appellatio Neronis aut Veſpaſiani demum temporibus cœpit.

Crocus comeſtus calore ſuo ſpiritus craſſos attenuat, eoque lætitiam adfert: quod Schola prodit Salernitana cap. xlix. Imò & vivaces reddit quotidianus uſus, dum modicus ſit. Sanè Verulamius in Hiſtoria Vitæ ac mortis eo majores magis longævos fuiſſe arbitratur, quod tum magis uterentur croco in placentis, juſculis, ac ſimilibus: Hibernos etiam diutius vivere cenſet, quia utantur induſiis croceatis. Quia verò lætitiam adfert eo & riſus multi cauſſa eſt, ſi immodicè adſumatur. Sanè Simeon Sethi refert, ſi tres drachmas adſumſeris,

fore

fore θανάτου πρόξενον, *hoſpitem mortis prænuntium.* Imò & Dioſcorides ait, ad tres drachmas ex aqua potum fore θανάσιμον. Nimirum immoderatè ſumtus ſic aperit meatus, ut ſpiritus excedant; ac riſus ejuſmodi non tam riſus, quam convulſio imitans riſum.

Turcæ plantæ Aſſeral aliquantum comedunt. Hinc amentes prælium ineunt, cunctaque pericula contemnunt. Sic Jul. Scaliger Exercitat. CLIIII. Atque addit aliquanto pòſt, ut poſt epulas etiam comedant, ac exinde læti exultent. Verùm aliquos plantam non *Aſſeral* vocare, ſed *Mușlach.*

Lateris & pectoris dolores (ſanat) *verbaſcum cum ruta ex aqua. Vettonicæ farina bibitur ex aqua calida.* Ita Plinius lib. XXVI, cap. VII. Ac poſtea ſubdit: *Peucedani ſuccus, doloribus lateris pectoriſque, ſi febres non ſint.* Item: *Geum radiculas tenues habet, nigras bene olentes. Medetur pectoris doloribus, aut lateris.* Poſtea addit: *Pleuriticis, & peripneumonicis, centaureum majus.* Ac deinde: *Pleuriticis peucedani ſuccus. Halus autem, quam Galli ſic vocant, Veneti cotoneam, medetur lateri.* Ac poſtea: *Eoſdem effectus lateris doloribus habet chamærops, ex vino pota.*

Purulenta præcordiorum ſanant raphani, ſi cum melle edantur: ut apud Plinium eſt lib. XX, cap. IV.

CAP. XXIV.

De morbis partium ventris, quæ conſervationi individui inſerviunt. Ac primum quidem de paſſionibus ſtomachi cruditate, nauſea, &c. jecinoris, hepatis, & renum, aliorumque viſcerum obſtructionibus: jecoris, & ſplenis, veſiculæ fellis vitiis: atrophia unde phthiſis, hydrope, ſcirrho, ictero, bile. horumque remediis ſcordio, moris, raphano, melyſſophyllis, roſis Provincialibus, cappare, ſcolopendrio, roremarino, braſſica, &c.

VEnio nunc ad alvum ſive ventrem; de quo ſcitè Plinius lib. XXVI, cap. VIII: *Plurimùm homini negotii alvus exhibet, cujus cauſâ major pars mortalium vivit. Aliàs enim cibos non tranſmittit, aliàs non continet, aliàs non capit, aliàs non conficit. Eoque mores venêre, ut homo maximè cibo pereat. Hujus gratiâ præcipuè avaritia expetitur: huic luxuria conditur: huic navigatur ad ſtomachum: huic profundi vaſa exquiruntur. Et nemo vilitatem ejus æſtimat, conſummationis fœditate. Ergo numeroſiſſima eſt circa hanc medicinæ opera.*

Quare de ejus quoque morbis pariter ac remediis pauca dicam. Diſtinctè verò agam prius de partibus ventris, quæ inſerviunt conſervationi individui, deinde de iis, quæ ſunt propter conſervationem ſpeciei. Prioris generis ſunt ſtomachus, jecur, folliculus fellis, lien, renes, veſica, & alvus ſic preſsè dicta. In ſtomacho attenditur cruditas, nauſea, imminutus, vel corruptus appetitus. Singultus convulſivus.

De ſtomacho ita Plinius lib. XXVI, cap. VII: *Stomachum corroborat ſcordotis ſuccus, centaureum, gentiana ex aqua pota: plantago aut per ſe ſumta in cibo, aut cum lente, alicæve ſorbitione. Item ariſtolochia pota: agaricum manducatum ſiccum, ut ex intervallo merum ſorbeatur: nymphæa heraclia illita: peucedanum ſuccus.* Alia etiam remedia poſtea ſubjungit. Raphanum ſylveſtrem purgare ſtomachum legas lib. XX, cap. IV.

Stomacho bilioſo, ac cardialgiæ ab humore bilioſo profectæ, medetur polenta ſucco mali Punici adſperſa: ut exemplo probat Hippocrates lib. II epidem. Mora ſtomachum, & jecur æſtuans refrigerant.

Amygdalæ virides cum ſuo operimento comeſtæ corrigunt ſtomachum humoribus abundantem: ut eſt apud Dioſcoridem.

Meſpila ante cibum comeſta ſtomachum corroborant, & vomitum compeſcunt.

Stomachum roborant uvæ paſſæ: præſertim illæ quibus aliquid ineſt auſteri: idque ob vim adſtringentem.

Pipere condimus cibum, tum ut melius ſapiat, tum ad ſtomachum calefaciendum, quo faciliùs concoquat. Quod ſi ſtomachus quidem frigidus ſit, jecur calidum, proderit compoſitio diatrion pipereon, ut Galenus vocat. Nam ſic ſtomachus calefiet, nec calefiet jecur: cujus cauſſa eſt, quod compoſitio ea conſtet ex tribus piperis generibus, calidis quidem, ſed caloris evaneſcentis, priuſquam ad hepar perveniatur. Ratio hujus, quòd calor ille in ſubſtantia tenuium partium conſiſtat: ut tradit Joannes Crato lib. IV, Conſilio VI *a*. Apud eundem Conſilio VIII legas, decoctum radicum cichorii ex jure pulli frigori ventriculi occurrere, nec epar calidum offendere. Item ſuadet ut flores cichorii ſaccharo conditi mane aſſumantur.

a *Pag. 30. edit. Francof. an. 1593.*

Aqua deſtillata è menta, betonica, meliſſophyllo, balſamita, ſatureia, ſalvia, ſerpillo, polio, pulegio regali, haſta regia, ex foliis ſingulorum; capitis & ſtomachi infirmitati, ex cauſa frigida provenienti, medetur, concoctionem etiam juvat: uti & ventris fluxum ſiſtit: quemadmodum Euonymus, ſive Geſnerus docet in Theſauro de remediis occultis.

Ad ſtomachum etiam pertinent vomitiones, quas *faciles præſtat radix Vettonicæ, ellebori modo IV drachmis in paſſo, aut mulſo. Hyſſopum tritum cum melle utilius, præſumto naſturtio, aut irione. Eſt & ſilybo lacteus ſuccus, qui denſatus in gummi ſumitur, cum melle ſupra dicto pondere, præcipueque bilem trahit. Rurſus ſiſtunt vomitionem cuminum ſylveſtre. Vettonicæ farina ex aqua mulſa, plantago decocta caulium modo.* Poſtea addit, *Singultus hemonium ſedat: item ariſtolochia.*

Malis Perſicis ea eſt odoris ſuavitas, ut & cardiacis ſuccurrat, ac fœtori oris ex ſtomachi vitio. Etiam comeſta ſedant continuum vomitum ex jactatione maris obortum: quemadmodum tradit Julius Alexandrinus lib. X Salubrium.

Adverſus nauſeam à mari utile eſt vinum abſinthites. Nam εὐστόμαχον eſt, ac vi adſtringente ſtomachum corroborat. Verum, ut monitum Avicennæ, adſumi non debet, niſi expulſo jam per vomitum humore pituitoſo, ac bilioſo.

Crocus quoque nauſeam maris tollit. Sanè Verulamius narrat in Hiſtoria Vitæ & Mortis Anglum quendam, qui ex mari graviſſimè ſemper ſoleret ægrotare, cùm ſtomacho ſacculum croci alligâſſet, omnis fuiſſe nauſeæ expertem.

Capparis ob attenuandi & incidendi vim, lienis, & hepatis obſtructionibus medetur: præſertim ſi adſumatur cum oxymelite, vel aceto. Sanè qui quotidie comedunt, non laborare lienis doloribus, etiam apud Plinium legas lib. XX, cap. XV.

Jecoris vitia ſunt ἀτροφία *b*, & hydrops quæ ex frigore, item ejus viſceris obſtructio vel ſcirrhus. Ad ἀτροφίαν verò etiam refer καχεξίαν *c*. Hydrops ſive aqua intercus eſt triplex: vel ἀνὰ ἢ κατὰ σάρκα *d*, ſive etiam λευκοφλεγματία, ſic ab alba pituita, qua totius corporis ſuperficies in tumorem extollitur, dicta: vel ὁ ἀσκίτης, à ſimilitudine utris: vel τυμπανίτης, à tympano. His nunc quæ Deus remedia è plantis conceſſerit, videamus.

b *Nutriendi impotentia.*
c *Malam habitudinem.*
d *Per ſeu ſecundum carnem.*

In Phtiſi deploratis prodeſt conſiligo, ut Plinius ait lib. XXV, cap. VIII. Atque inibi legas, ubi naſcatur. Ad jecinoris dolores hordeum in poſca decoquitur, aut in vino, ut ait Plinius.

Raphani, jecinori proſunt, & hydropicis quoque ex aceto, aut ſinapi ſumti: ut eſt apud Plinium lib. XX, cap. IV. Sampſuchi decoctum ſi bibatur, conducit hydropicis morbi initio: ut eſt apud Dioſcoridem.

Meliſſophyllon, ſive citraria, vino impoſita ad diſtillandum, hydropem ſanat, quæ à cauſſa fuerit frigida: ut eſt apud Raimundum Lullum.

Jecur plurimis herbis roboratur, quas vide apud Joannem

nem Manardum lib. XVI, epiſt. III, quæ ad Cardinalem Campegium.

Hepar, renes, & viſcerum alia, ubi debilitata, firmantur roſis provincialibus exſiccatis. Nam & roborandi & adſtringendi vim habent, ut ante diximus. Crocus ob calefaciendi vim tollit hepatis, & fellis obſtructionem: medetur & morbo regio, bonumque inducit colorem: ut tradit Dioſcorides.

Hepaticis Dioſcoride teſte, prodeſt radix chryſocomes, idque quia vim habeat calefaciendi, & adſtringendi.

Betæ ſuccus tenuium eſt partium, ac facultatem habet abſtergendi. Eoque prodeſt jecori, unde infarctos craſſos pravoſque humores educit. Ac ſimiliter conducit lieni, ſi cum aceto, vel ſinapi comedatur. Ita Galenus lib. II de Aliment. facult.

Semen floris, qui vulgo *aquileia* (Belgis *akeleie*) conducit obſtructioni jecoris, & morbo regio laborantibus. Drachmæ pondo cum croci obolo in vino exhibendum: ut docet Tragus. Addit verò, eum, qui ſumſerit ſedulo eſſe cooperiendum, ut ſudor emanet. Geſnerus cenſet eſſe florem, qui veteribus à leonini rictus ſimilitudine *leo* vocatur. De quo Columella in X:

Narciſſique comas, & biantis ſæva leonis
Ora feri.

a *Lib. de Floribus cap. 24.* b *Vel ἀνάῤῥινον, ſic a reſimo naſo.* Sed Dodoneo *a* is potiùs *ἀντίῤῥινον b* vocatur. Nempe quia hic felicius rictum leonis exprimat, quàm aquileia. Amygdalæ amaræ lienis & hepatis obſtructioni medentur, ac valde abſtergent purulentos & viſcidos humores.

Agaricum (ut Galenus ait, cap. de agarico) arquatos ex jecoris obſtructione ſanat. Cujus cauſſa eſt, quod ut ibidem legas, vim habet calefaciendi, diſcutiendi, & craſſos humores incidendi.

Lactuca ſuo frigore retundit calorem jecoris, ac facit, ut non gignat bilem, ſed ſanguinem. Eſtque ea ratio, cur, lactuca bilioſis conveniat, & à medicis nonnullis ſanguinem gignere dicatur. *Jocineri privatim Teucria bibitur recens, drachmis* IV, *in poſca hemina*: ut Plinius ait lib. XXVI, cap. VII. Ac poſtea addit: *Jocineri anagallides mirè proſunt.* Item, *Acoron jecinori medetur.* Ac poſtea: *Tripolium in maritimis naſcitur ſaxis, ubi alludit unda, neque in mari, neque in ſicco, folio ſatis craſſiore, palmo alto, in mucrone diviſo, radice alba, odorata, craſſa, calidi guſtus. Datur hepaticis in farre decocta. Hac herba eadem videtur quibuſdam, quæ polium.* Subjungit poſt aliqua: *Jocineri herba melandryum, naſcens in ſegete, ac pratis flore albo odorata. Ejus cauliculus conteritur ex vino vetere. Item herba chalcetum è vineis contrita imponitur.*

Hepatis obſtructioni comeſtæ conducunt avellanæ: ſi audimus Matthæum de Gradi, magni nominis medicum; ut eum Ludovicus Nonnius vocat lib. I de re Cibaria, cap. XXXVII. Sed eam ſententiam jure reprehendit, quia Galeno teſte, nullam habeant vim viſcera abſtergendi: imo ſtomacho & hepati noceant, ac pravos in viſceribus humores gignant; ut Rhaſis tradit in Aphoryſmos.

Jecoris calidæ intemperiei prodeſt intybus comeſtus, præſertim ſylveſtris, qui cicorea dicitur. Hanc ei vim tribuunt Dioſcorides . . . . . & Galenus lib. VIII de Compoſitione medicamentorum ſecundum locos. Ubi tradit, non eò ſolùm hepati prodeſſe, quia vim habet refrigerandi, ſed etiam quia adſtringit ac corroborat. Sunt & morbi lienis; ut ejus tumor ac diſtentio, ſcirrhus, & inflammatio: adhæc à jecore, & liene ſunt ἴκτερος, qui bilioſi eſt humoris in cutem, & extima corporis effuſio, uti icterus arquatus, quo melancholicum humorem eodem effundit: præterea affectio hypochondriaca.

De morbis jecoris pariter ac lienis ſic Galenus (Latinè ſolum adſcribam) lib. XIII methodi med. cap. XVII: *Similia genere medicamenta ambo viſcera, jecur, & lien, poſtulant. Ceterùm tamo valentiora lienis, quanto craſſiore utitur alimento. Scirrho igitur laborantibus ipſis convenientia nutrimenta ſint; genere quidem eadem ſed majoris, minoriſque ratione differentia. Quale ergo eſt jecori medicamentum abſynthium; tale eſt lieni capparis cortex. Quale rurſus jecori eſt eupatorium, tale eſt lieni ſcolopendrium. Itaque & ſi capparis ex oxymelite edatur, utilis ſanè eſt utrique viſceri. Ceterùm nec ipſa pari modo, nec ſimiliter, miſtum habens oxymeli. Nam & ipſa copioſior, & ex minus diluto oxymelite lieni erit utilior.*

In regio morbo crudum abſinthium bibitur cum opio, aut adianto: ut vulgo quidem legitur apud Plinium lib. XXVII, cap. VII. Sed pro *opio* legendum *apio*: ut eſt in quibuſdam vett. libris, ac Mercurialis corrigit lib. II Var. Lect. cap. VIII. Præterea icterico ſive regio morbo prodeſt betæ ſuccus: teſte Plinio lib. XX, cap. VIII. Etiam juvare ajunt conyzam & buphthalmum, quorum flores flavi: imo conducere volunt cuncta vultum ictericum referentia. Sed nulli veterum putarunt, ex ſimilitudine coloris, aut figuræ, poſſe ſtatui de medicamento. Poſteriorum illud ſeculorum inane eſt commentum. Roſmarinus regium morbum ſanat, ſi quis ante exercitationem in aqua coctum bibat, & ab exercitatione ſe lavet, ac bibat vinum. Teſtis Dioſcorides.

Tamarix quantopere lieni immodico medeatur, argumento ſint illa Plinii lib. XXIV, cap. IX: *Arbitrantur quidam hanc (myricen) eſſe tamaricem, ſed ad lienem præcipua eſt, ſi ſuccus ejus expreſſus in vino bibatur: adeoque mirabilem ejus antipathiam contra ſolum hoc viſcerum faciunt, ut affirment, ſi ex ea alveis factis bibant ſues ſine liene inveniri. Et ideo homini quoque ſplenetico cibum potumque dant in vaſis ex ea factis.* Hanc tamaricis virtutem in medendo lieni, etiam indurato, cum noſſet, primus eam in Angliam tranſtulit Edmundus Grindallus: qui cùm temporibus Mariæ Reginæ Angliæ exulaſſet, ea mortua in Angliam reverſus, Londinenſis eſt factus Epiſcopus, hinc Eboracenſis, ac tandem Cantuarienſis Archiepiſcopus, ac moriens anno CIƆ IƆ LXXXIII, ſucceſſorem habuit Joannem Witgiſtum. Verùm alia etiam ſunt quæ lieni medeantur. Nam & *raphani lienem extenuant*: ut eſt apud Plinium lib. XX, cap. IV. Sed & althea illi medetur: ut apud eundem eſt lib. XXVI, cap. IX. Idem ſic ſcribit lib. XXV, cap. V: *Invenit & Teucer eadem ætate Teucrion, quam quidam hemioniam vocant, ſpargentem juncos tenues, folia parva, aſperis locis naſcentem, auſtero ſapore, nunquam florentem, neque ſemen gignit. Medetur lienibus: conſtatque ſic inventam: cum exta ſuper eam projecta eſſent, adhæſiſſe lieni, eumque exinaniſſe. Ob id à quibuſdam Splenion vocatur: narrant ſues, qui radicem ejus ederint, ſine ſplene inveniri.* Ubi pro *Splenion* Ulyſſes Aldrovandus, ſive Thomas Demſterus, lib. de quadrupedibus biſulcis cap. XXXVI *a*, *aſplenion* emendat: nempe quia facit ἀσπλήνους *b*. Sed nihil muto. Nam eadem herba, quia σπλῆνα τήκει *c*, dicta tum ἀσπλήνιον, tum σπλήνιον, ut Dioſcorides ait lib. III, cap. CLI: ubi & σκολοπένδρειον, & ἡμιόνιον dici addit. De *hemionio* idem dicentem Plinium jam antea audiimus. Nicolaus Myrepſus σπληνοδάπανον appellat: nempe abſumit ſplenem, ut diximus. Piper quoque aceto mixto impedit ſplenis tumorem.

a *Pag. 977.*
b *Liene carentes.*
c *Splenem abſumit.*

Quædam etiam ſunt χοληδόχου κύστεως πάθη *d*, ut obſtructio. Raphani ſylveſtis cortices in vino bilem detrahunt: ut eſt apud Plinium lib. XX, cap. IV. Droſaton idem præſtare mox dicam. d *Morbi veſiculæ fellis.*

Braſſica non percocta bilem detrahit; juxta Plinium lib. XX, cap. IX.

CAP. XXV.

De remediis, quæ ſunt inteſtino, & ano; tum renibus, veſica, & peni, quatenus egeſtioni urinæ inſervit: nimirum de dolore colico, paſſione iliaca, cita, durave alvo, hæmorrhoidibus, lumbricis, obſtructione, calculo, ſtranguria: horumque in plantis medela milii, ma-

marathri, &c. malvarum, fabarum, allii, &c. amaranthi, hypociſtidis, &c. violarum, aloës, &c. abſinthii, menthæ, &c. betonicæ, agarici, &c. ceraſorum, fragorum, &c. napi, aſparagi, &c. .

INteſtinorum morbi ſunt κωλικὴ ὀδύνη, ſive dolor colicus, ὁ εἰλεός, ſive iliaca paſſio; διέξοδος ταχεῖα, ſive cita alvi dejectio; affectio κοιλιακὴ *a*, λειεντερία *b*, διάῤῥοια *c*, δυσεντερία *d*, τεινεσμὸς *e*, ἕλμινθες, ſive lumbrici, ἀσκαρίδες, qui tenues & teretes *f*. Torminibus ventris prodeſt, ſi milium toſtum in ſacculo parti affectæ imponatur: ut eſt apud Dioſcoridem.

a *Cœliaca.*
b *Levitas inteſtinorum.*
c *Profluvium.*
d *Inteſtinorum exulceratio.*
e *Irrita dejiciendæ alvi cupiditas.*
f *Lumbrici.*

Marathro ſive fœniculo comeſto ructus, flatuſque ventris ſequi ſolent. Sed dubium, num hoc inde ſit, quod fœniculum flatus gignat, an pellat. An ſi natura ſua flatus diſſiparet, Dioſcorides, Galenus, Ægineta, Oribaſius, Simeon, alii Græcorum, ex Arabibus etiam tam illuſtris virtutis meminiſſent.

Allium corporis flatus excitare, dictum Hippocrati lib. IV de morbis acutis. Quod de viridi allio capiendum. Siccum enim diſſolvit. Vel dicendum eo credi excitare, quia expellit. Quomodo ſenæ folia inter flatulenta reponunt, quæ flatus non gignunt, cum ſint calida, & ſicca, ſed genitos diſcutiunt.

Agaricum, ut Dioſcorides ait, purgat ventrem, unius vel duarum drachmarum pondere cum melicrato potum. Ac præter purgandi vim habet & aliam, nempe adſtringendi, & calefaciendi: atque ea, ut ibidem legas, facit adverſus tormina, & cruditates. Purgare verò ut poſſit minimum aſſumitur drachmæ pondus; ut etiam apud Galenum legas, cap. de agarico. At adſtringendi & calefaciendi vi etiam prodeſſe diximus ante febris rigorem, ſed tum trium obolorum pondus ſufficit. Vide de hoc diſcrimine Joannem Manardum lib. IX, epiſt. V.

Malva emollit alvum: indeque nomen habet, ut ait Plinius lib. XX, cap. XXI. Reſpicit autem Græcum nomen μαλάχη, quod ἀπὸ τοῦ μαλάσσειν, hoc eſt, molliendo. Α μαλάχη autem *malva*, ſecundum Varronem lib. IV de L. L. Quamquam nec abſurdè illi, qui *malva* quaſi *molva* à molliendo derivant: ut ſuppoſititius Æmilius Macer lib. II, cap. XXXVI:

Dixerunt malvam veteres, quod molliat alvum.

Ac verſum eundem habes Scholæ Salernitanæ cap. XXIII. Subjungit autem:

Hujus radices raſæ ſolvunt tibi feces.

Sed veteres potiùs adducamus. Cicero cum in diarrhœam incidiſſet, epiſtola ad Gallum lib. VII ait, ſe à malva deceptum. Horat. lib. I, od. XXXII, *malvas* vocat *leves*; ac lib. Epodon od. II, dicit *gravi ſalubres corpori*: quia alvum mollit. Martialis eſt lib. III, epig. LXXXIX:

Utere lactucis, & mollibus utere malvis:
Nam faciem durum, Phœbe, cacantis habes.

Idem lib. X:

Exoneraturas alvum mihi villica malvas
Attulit, & varias, quas habet hortus, opes.

Major verò emolliendi vis malvæ illi, quæ floribus eſt candidis: quàm quæ ſanguineis.

Fabæ alvum ſenſim ſubducunt ac levigant. Ideo frequens earum uſus Pythagoræ, ut traditum Ariſtoxeno Muſico, Ariſtotelis diſcipulo; teſte Agellio lib. IV, c. XI. Nec obſtat ſymbolum illud κυάμων ἀπέχεσθαι *g*, quia non per κυάμους fabas ſignabat, ſed rem Veneream. Quippe alluſit ad verbum κυεῖν, utero geſtare: unde κύημα, *fœtus*, atque alia. Ut voluerit à rebus Veneris abſterrere.

g *Quaſi, à fabis abſtinendum.*

Lactuca etiam ſolvit ventrem. Unde κοιλίας μαλακτικὴν vocat Dioſcorides. Et Martialis lib. XI epig. LIII:

Prima tibi dabitur ventri lactuca movendo
Utilis.

Lapathum, λάπαθον, & ὑποκοριστικῶς *h*, λαπάθιον, παρὰ τὸ λαπάσσειν, quod eſt evacuare, nempe quia alvum mollit. Unde Horatius ſat. IV lib. II:

h *Deminutivè.*

——— *Si dura morabitur alvus,*
Mytulus, & viles pellent obſtantia conchæ,
Et lapathi brevis herba, ſed albo non ſine Coo.

Quo facilius alvum moveat, cum oleo coquitur: ut eſt apud Dioſcoridem.

Braſſica, ut Cornelius Celſus ait, *ſubcruda alvum movet, bis cocta ſtringit.* Subcrudam vocat leviter coctam: quam & Galenus ait alvum mollire. Idem firmat Plin. lib. XX, cap. IX: braſſica non percocta alvum ſolvit, recocta ſiſtit.

Naſturtium alvum turbat ac lumbricos pellit, ſecundum Dioſcoridem. Δρόσατον, ſive, ut Actuario vocatur, σεράπιον, quod ex violis fit in aqua maceratis, lenit alvum, ac bilem per inteſtina deducit, ſi trium quatuorve unciarum pondo adſumatur. *Dodon. pag. 15.*

Pruna Damaſcena molliunt alvum: quod & monitum Martiali lib. XIII ſub lemmate Pruna Damaſcena:

Pruna peregrinæ carie rugoſa ſenectæ
Sume: ſolent duri ſolvere ventris onus.

Deque Hiſpanicis idem traditum Galeno lib. de attenuandi victus ratione. Alvum etiam ſubducunt uvæ dulces, ſi decerpantur cum rore ſuo, ſole necdum orto. Ac magis etiam alvum movent, ſi plus habeant ſucci, quàm carnis: uti ſi contra plus carnis habeant, magis nutrient.

Olivæ, quia alvum ciere idoneæ primo loco edebantur: eædem in bellariis reponebantur ob vim adſtringentem. Unde Martialis lib. XIII:

Hæc quæ ſubductis venit ſubducta trapetis,
Inchoat, atque eadem finit oliva dapes.

Liquor olivâ expreſſus, quem oleum dicimus, egregie humectat, modetateque calefacit: præcipuè quod confit ex olivis druppis. Olim non in condimentis ſolùm utebantur: ſed etiam corpus eo inungebant adverſus algorem. Ac initio ſolùm is mos in Gymnaſiis, poſtea aliis quoque. Notum quomodo Romulus Pollio ab Auguſto Cæſare interrogatus, quo pacto in extremo ſenio ſervaſſet animi vigorem, reſpondiſſe, intus mulſo, foris oleo.

Alvus leniter ſubducitur ſucco roſarum, imprimis earum, quæ ſunt diluti ruboris. Item earundem droſato, ſive ſerapio, ex infuſo, in quo coloris, cujus dixi, roſarum folia virentia ſæpius fuerint macerata. Hujuſmodi droſatum, ſive, ut nuncupant officinæ, ſyrupum roſatum ſolutivum, non alia educit excrementa, quam inteſtinis hærentia, aut cruda, pituitoſa, ac quandoque etiam, bilioſa quæ primis & proximis inſunt venis. Sin vehementius purgandum, miſcentur remedia potentiora. Quod verò diximus de roſis memoratis, idem ex parte etiam locum habet in roſis rubentibus, quæ Provinciales vocantur. Nec obſcura eſt diſcriminis ratio. Priores roſæ habent partes humidas, aëreas, ſpirituoſas: provinciales autem magis terreæ ſunt ſubſtantiæ, & exſiccantis. Præcipue vero ſi fuerint exſiccatæ: quales ob humorem conſumtum, non tam humectant, quam adſtringunt. Itaque utiles ſunt, ad alvum, ſi laxa nimis fuerit, conſtringendam. Sed pleniùs de his Dodonæus lib. de Flor. cap. XXVIII. Etiam beta *validius cocta fluxiones ſtomachi ſiſtit, & ventris*: ut eſt apud Plinium lib. XX, cap. VIII. At ſuccus cichorii decocti alvum ſolvit: ut poſtea ſubdit. Meſpila alvum conſtringunt. Idem oryzam facere convenit. Sorba etiam idem præſtant. Unde Martialis: *Dodon. pag. 105.*

Sorba ſumus molles nimium durantia ventres;
Ampliùs hæc puero, quàm tibi poma dabis.

Etiam alvum ſiſtunt pira in furno aſſata.

Uvæ fabriles, ſive fabricianæ, hoc eſt in fabrorum officinis adſervatæ, fumoque fabrili ſiccatæ, etiam à ferro accepere vim adſtringentem: unde utiles fluxum ventris laborantibus: quemadmodum eſt apud Cœlium Aurelianum. Cœliacis, & dyſentericis, ex multorum opinione, ſanguis ſiſtitur amaranto purpureo. Sed hoc non aliunde colligunt, quàm quia idem ſit ſanguinis color: debili ſanè argumento, cùm ex colore non poſſimus certi quid de viribus ſtatuere: ut Galeno clarè oſtenſum lib. de ſimpl. med. facult. Sanè rubiæ rubicunda radix, & alia quædam

dam ejuſce coloris, calida ſunt, & apetientia. Quare error iſte reprehendi meruit à Dodonæo lib. de Floribus cap. XXVII. At Betæ ſuccus verè prodeſt dyſentericis: de quo Plinius lib. XX, cap. VIII. Dyſenteriam ſiſtit hypociſtis, idque ob adſtringendi vim: ob quam & alia ſiſtit profluvia, ut menſtruum. Alvum etiam, cohibet, teſte Dioſcoride radix hyacinthi nivei & cærulei.

a Conciſè, per contractionem. Chamæmelum, quod Belgis κατὰ συγκοπὴν *a camilbloeme*, Galeno teſte, vim habet calefaciendi, & diſcutiendi moderatè: eoque urinam provocat, colicos dolores, & ventris tormina ac toſiones mitigat, atque adeo omnibus utiliter miſcetur, quorum ad ſopiendum dolorem uſus eſt. De aloë ſic Plinius lib. XXVII, cap. IV: *Uſus in multis, ſed principalis alvum ſolvere, cum penè ſola medicamentorum, quæ id præſtant, confirmet etiam ſtomachum, adeò non infeſtet ulla vi contraria.* Subjicit deinde, quomodo eà uti conveniat.

Inteſtinorum ulcera ſanant raphani: teſte Plinio lib. XX, cap. IV.

b Fluxus ſanguinis. Ani affectus eſt ἡ αἱμοῤῥοΐς *b*.

After Atticus (de quo in oculorum remediis dictum) utilis eſt ad τὰς προπτώσεις ἕδρας, *ſedes prociduas*, ut eſt apud Dioſcoridem lib. IV, cap. XX. Oleum ex violis, quia

Dod n. p. 15. 16. habet vim reſrigerandi, & humectandi, eo, ſi cum luteo ovi illinatur, dolores mitigat ſedis, & hæmorrhoidum. Dioſcorides ait etiam prodeſſe ſedi excidenti. Item *aloë hæmorrhoidum abundantiam leniter ſiſtit*: ut apud Plinium lib. XXVII, cap. VII.

Scrofularia hæmorrhoides ſanat, quod ajunt fieri, propterea quia referat ſua figura hæmorrhoides. Sed nihil ſtultius eſt, quàm ex figura colligere cui morbo aliquid proſit. Innumera enim ſimilia producere eſt, quæ impoſita non prodeſſent, ſed nocerent. Vera autem ratio eſt quod ſcrofularia emolliat, & humores ſuperfluos, ac noxios, conſumat.

Vermes ſtomachi, ac lumbricos inteſtinorum necat atque expellit amarore ſuo abſinthium. Atque idem facit mentha. Nempe utraque herba eſt facultatis acris, ac calidæ, & ſiccantis. Qua de poſteriore idem aſſerit Dioſcorides lib. III, cap. XXXIV, atque alii, Schola Salernitana cap. XXXIV. Vermes quoque necat myrrha. Nec mirum quando ita putredini reſiſtit, ut cadavera etiam à putredine conſervet.

Varia admodum è plantis remedia adverſus alvi lumbricos, puerorumque aſcaridas, ex Avicenna, Paulo, & Aëtio, comperies apud Joannem Manardum in epiſtolis Medicinalibus lib. III epiſt. I. Eundem quoque de hoc morbo differentem adi lib. IV epiſt. I.

Renum morbi ſunt ἔμφραξις ſive obſtructio ab arenulis, calculo, humore craſſo, ac viſcoſo.

Renibus, ut Plinius ait lib. XXVI, cap. VII. *prodeſt plantaginis cibus, Vettonicæ potus, Agaricum potum, ut in tuſſi.* Poſtea ibidem refert ut herba, quam Galli halum, Veneti cotoneam vocant, proſit *renibus convulſiſque & ruptis.* Apud eundem legas lib. XX, cap. X, *Aſparagi radicem, plurimorum prædicatione tritam, & ex vino albo potam, calculos exturbare.*

Calculo laborantibus prodeſt gummi arboris ceraſi, ſi indatur vino albo. Quod à variis proditum eſt. Etiam renum calculo perutilis eſt aqua ex fragis deſtillata arte chymicâ. Imò per ſe quoque renum vitiis medetur, ſi ſumatur in antecœnio.

Nephriticis doloribus liberatur, ſiquis novem, aut decem nuces avellanas perpurgatas comedat ante cœnam, vel prandium. Hoc experientiâ compertum Joanni Cratoni, trium Imperatorum Archiatro amygdalæ amaræ calculos renum pellunt. Calculos frangit, & urinam ciet meliſſa ſive citraria vino ad deſtillandum impoſita: ut eſt in Raimundi Lulli libello de Aquis.

c P. 483. & ſeq. Calculo renum, & veſicæ prodeſt oleum è nucleis ceraſorum: ut eſt in Euonymi theſauro *c*.

Cucumeres, etſi pravi ſint ſucci, pejoris etiam quàm pepones, ut apud Athenæum Diphilus Siphnius ait, urinam tamen cient, ac præcipue ejus ſemen.

Eadem in urina cienda vis peponis: quod & de melonibus Medici Arabes tradiderunt. Qua de re pluribus Ludovicus Nonnius in primo de re cibaria, cap. XVI. Quæritur, cum melones naturæ ſint frigidæ, quale comeſtis iis vinum ſit bibendum. Simeonis Sethi judicium eſt, pituitoſis bibendum eſſe vetuſtum, quia hoc cucumerum frigus minuit. Atque hoc inprimis locum habet, ubi vix unquam ad maturitatem pertingunt. Sed iis, qui abundant flava bile, ait bibendum ὀλιγοφόρον, ac ὀξῶδες, tenue & acidulum; nempe ne bilis acrimonia augeatur.

Carotum, paſtinacæ ſativæ genus, pellere urinam, Diocles tradit apud Athenæum lib. nono.

Amygdalæ recentes urinam cient, ut ait Plinius. Veſicæ urinæque prodeſt decoctum ex naporum genere quod bunion dicitur: ut Plinius auctor lib. XX, cap. IV.

Aſparagus urinam movet; ut eſt apud Galenum lib. II de medicam. facult. Mirum autem urinam ab eo odorem mutuari: uſque adeò ut, qui neſciat, quid alicui ſit comeſtum, è lotio hoc poſſit odorari. Hinc quoque diureticam ejus vim videmus. Vide quæ de hoc Simeon Sethi ſcribit. Jecoris, & renis obſtructioni medetur aſparagus; ut eſt apud Simeonem Serhi.

Cicer, præſertim arietinum, quod Græcis κριὸς ἐρέβινθος, ſive quia arietino capiti ſimile ſit, ſive aliundè, calculo medetur, ob abſtergendi vim: uti & viſcerum obſtructioni prodeſt. Succus è nucleis ceraſorum expreſſus, ſi credimus Scholæ Salernitanæ cap. LVI, frangit ac expellit calculum tum renis, tum veſicæ. Caro quæ nucleo ceraſorum ineſt, etſi nequit calculum expellere, materiem tamen inchoati in renibus poteſt incidere, ac propellere. Sic enim verba Scholæ Salernitanæ *a* interpreta- a Cap 56.
ri, ac reſtringere oportet.

Ficus comeſtæ calculo medentur, quia renes & meatus urinarios expurgant.

Meſpila, ſi Braſſavolo credimus lapillos è renibus vehementer ejiciunt, ac veſicæ calculum minuunt. Addit Petrum de Argenta plures quam LX, hoc remedio renum calculo liberaſſe: item Andream Rhodum iis ſic renum calculos imminuiſſe, ut in pulverem redacti citra dolorem egererentur. Sed refragatur hiis Renatus Moreau, eruditus Medicus Pariſienſis, qui Animadverſionibus ſuis in Scholam Salernitanam negat ſibi cognitum eſſe ullum medicamentum comminuendis renum, aut veſicæ calculis, nihilque ſupereſſe remedii, niſi à ferreis lithotomi inſtrumentis.

Maronia quoque, ſive mariolana, ut Galli, Germani, & Belgæ nuncupant, calefaciendi, & exſiccandi vim habet, eaque, ſi in potu adſumatur, urinam copiâ magnâ educit. *Aſphodeli cibus urinam ciet utiliſſimè, præterquam quod veſicam exulceret*: ſecundum Plinium lib. XX, cap. X. Ac paullo poſt ſequitur: *Si ſanguis per urinam reddatur, ſemen aſparagi, & apii, & cumini ternis obolis, in vini cyathis duobus, quinis diebus Chryſippus dari jubet.*

Althææ ſiccæ farina in vino pota ſtranguriam tollit, efficaciùs addito dauco: ut eſt apud Plinium lib. XXVI, cap. IX. Addit quoque, *ut hypericon, quod alii corin appellant, præcipuum ſit ad ſtranguriam, ſi exulcerata non ſit veſica.*

Cap. XXVI.

De morbis partium ventris, quæ generationi inſerviunt, præcipuè de generandi impotentia, & ſeminis abundantia; quæque his ex plantis medentur eruca, vitis, rapa, horminum, ſtaphylinus, mandragora, &c. malum Punicum, vitex, camphete, *cneorum, coniza, pinus, allium.*

Partes ventris generationi inſervientes ſunt teſtes, penis, uterus. Ut huc pertineant rei Venereæ impotentia, priapiſmus, γονόῤῥοια *a*. Item urinæ incontinentia, ἰσχουρία *b*, δυσουρία *c*, στραγγουρία *d*. Inſuper ſcroti morbi, a Fluxus ſeminis. b Urinæ ſuppreſſio. c Urinæ difficultas. d Stillicidium.

ut

ut hernia. Atque ex uteri affectibus: menſium ſuppreſſio, vel immoderata purgatio, muliebris gonorrhœa, ſterilitas ab uteri vitio, abortionis cauſſa, pariendi difficultas.

Duplicia verò præſidia ſunt quæ Venerem concitant: quædam enim id faciunt ratione nutrimenti, ac temperamenti calidi, aut partium flatulentarum, cujuſmodi interius aſſumuntur: quædam verò foris admoventur, atque imponuntur; cujuſmodi medicamenta dicuntur ἐντατικὰ, quia intendunt τὸ αἰδοῖον, ita ut quis poſſit στύειν, quod qui nequiret, facetè à veteri Comico, Euſtathio teſte, dictus Aſtyanax. Sic olim Hectoris filius à populo Trojano vocatus fuit, cum priùs Scamander vocaretur. Sed illi hoc nomen dabatur, quòd ſperarent Ilii quandoque regem fore: ut ſit ab ἄστυ, *urbs*, & ἀνάσσειν, *imperare*. Verum Comicus ille ἀστυάνακτα finxit quaſi ἄστυον, hoc eſt, ἀδύνατον στύειν ἄνακτα a. Helenæ etiam famula, quæ varias reperit laſcivi concubitus figuras, (quales fuere in libellis Philænidis, Elephantidos, & Cyrenes, dictæ δωδεκαμηχάνου b) propterea vocabatur Ἀστυάνασσα, teſte Heſychio: nempe quaſi regina eorum, qui non habent Venereos ſtimulos, eoque novo aliquo reperto egerent ad σύμματα illa, quæ Dianæ ignota eſſe Comicus ait apud Athenæum.

a *Regem qui non poſſet virilia concitare.*
b *Duodecim Venerearum artium magiſtræ.*

Lactuca, quia frigidæ eſt naturæ, Veneri adverſatur: præſertim rotundæ lactucæ genus, quod ἄστυτις dicebatur, quia ineptos facit πρὸς τὸ στύειν. Hoc de verbo jam dictum. Ob eandem cauſam à Pythagora vocatur εὐνούχιον, quia quaſi eunuchos facit. Auctor horum Plinius lib. XIX, cap. VIII: *Rotunda verò lactuca cum minima radice latis foliis: quam quidam aſtydida, quidamque Eunuchum vocant, quoniam hæc maximè refragetur Veneri.* Sic recte correxerunt viri eruditi, cùm prius *aſtylida* legeretur, quod expoſuere στύλον ſive penis expertem. Quia autem Veneri repugnat, eo Callimachus finxit Adonidem poſtquam ab apro interemtus, à Venere fuiſſe ſepultum ſub lactucis. Altera etiam ratio acceſſit. Nam lactuca ob frigefaciendi vim, qua & ſomnum conciliat, νεκύων βρῶμα vocatur ab Eubulo Comico. Nempe mortuo convênit mortuorum cibus: ἄστυτις illi, qui jam σύμματα c neſciret.

c *Arteſtiones.*

Eruca herba calore ſuo Venerem concitat, teſte Plinio lib. XIX, cap. VIII. Nempe contrariæ planè eſt poteſtatis ac lactuca, quam, quia refrigerat, Veneri adverſari dicebamus. Verba de hoc Plinii ſunt: *Eruca præcipuè frigorum contemtrix, diverſa eſt quàm lactuca natura, concitatrix Veneris: Ideirco jungitur illi fere in cibis, ut nimio frigori par fervor immixtus temperamentum æquet.* Unde illud poëtæ:

Incitat ad Venerem tardos eruca maritos.

Vinum excitare Venerem, notum vel ex illo Comici, ſine Cerere, & Libero, friget Venus. Itaque & Varro Menippeam ſuam inſcripſit, Vinalia, περὶ Ἀφροδισίων. Ac olitores feriabantur in ante XII Kal. Sept. quo die erant Vinalia Ruſtica, ac Veneri dedicata ædis: ut eſt apud Varronem in V de L. L.

Κάρδαμον, ſive naſturtium Veneri adverſari, Plinius ait lib. XX, cap. XIII. Ac ſimiliter Florentinus in Geoponicis Cæſari Conſtantino dicatis lib. XII, cap. XVII, ubi vocat συνουσίας ἐφεκτικόν, *coitus abſtinentiam inducens.* Sed Scholiaſtes Nicandri Venerem ait excitare. De quo ambigo, etſi temperamenti ſit calidi & ſicci: minimum in ordine tertio. Sanè acre, mordax, igneum vocat is ſcholiaſtes.

Semen raporum tritum, & affatim comeſtum, Venerem concitat. Deque rapis ipſis ſic Simeon Sethi: eſſe ea φυσώδη καὶ σπέρματος γεννητικὰ, *flatulenta, & ſemen generare.*

Ὅρμινον, quod Belgis peregrinum, creditur Venerem excitare, cum vino potum; ut ait Dioſcorides. Sed puto magis id eſſe à vino. Nam horminum mediocriter eſt ſiccum, & abſtergens: ut ait Paulus Ægineta.

Staphylinos, quam paſtinacam erraticam vocant, eandem vim habet. Plinius lib. XX, cap. V: *Orpheus amatorium ineſſe ſtaphylino dixit: fortaſſis quoniam Venerem ſtimulari hoc cibo certum eſt: ideo conceptus adjuvare aliqui prodiderunt.*

Mandragoræ putatur vis ineſſe amorem conciliandi: unde & Circæa nonnullis dicta, teſte Dioſcoride, ac Galeno: puta à Circe, philtrorum conficiendorum peritiſſima. Aliqui arbitrantur perutilem herbam mulieribus infœcundis: eoque Leam hujuſce pomis pactam à Rachele noctis cum Jacobo concubitum. Ac firmare hoc conantur eo, quòd figura mandragoræ ſit ἀνθρωπόμορφος, & quidem uterque ſexus referatur. Sed opinionem eam refellit S. Auguſtinus lib. XXII contra Fauſtum. Pluraque de eo Conſalt Ponce de Leon Hiſpalenſis Notis ad Epiphanii Phyſiologum cap. IV, ſive de Elephanto. Quod & ipſum animal Veneri operam daturum mandragora veſci traditur; ut Epiphanius ait, & Vincentius Bellovacenſis.

Bulbos Venerem excitare, certum eſt vel ex illo Martialis in Xeniis:

Cùm ſit anus conjux, cùm ſint tibi mortua membra,
Nil aliud bulbis quàm ſatur eſſe potes.

Eſt & Græcus Senarius:

Οὐδέν σ' ὀνήσει βολβὸς, ἂν μὴ νεῦρ' ἔχῃς:
Nervum niſi habeat, proderit bulbus nihil.

Non dubium verò quin poëta non quamvis ſtirpem ſignet bulboſam: ſed certum genus. Sed quod id genus ſit, non ſatis liquet. Matthiolus tradit veterum illum bulbum ab aliquot ſeculis videri exoleviſſe. Quicquid ſit, veterum bulbi, & noſtrûm, complura habent, in quibus conveniant.

Cicer ad Venerem incitat, ut legumina ſolent: quippe flatulenta. Ideo & equis admiſſariis dabatur, ut traditum Galeno lib. I de Aliment. facult. cap. XXIX.

Præter has, complures plantas, quæ Veneris appetentiam faciant, Plinius ſuggeret lib. XXVI, cap. X. In iis celebre eſt Satyrion, etiam Petronio Arbitro ſemel iterumque memoratum. Ac fortaſſe eadem herba eſt ſurnach: quam Joannes Leo in deſcriptione Africæ lib. IX, cap. XX, teſtatur frequentem eſſe in occidentali parte Atlantis: in eclegmate ſumtam penem inflare, & Veneris appetentiam gignere: imò ſic vulgo eſſe accolis perſuaſum, Venerem ea ſtimulari, ſi quis vel caſu in eam minxerit: quandoque etiam virgines, cum eam perminxiſſent imprudentes, gravidas inde factas eſſe.

Theophraſtus eſt auctor, & ex eo Athenæus lib. I, eſſe & herbam, quæ habeat ὀχευτικὰς δυνάμεις, ὡς καὶ μέχρις ἑβδομηκοντάκις συνουσιάζειν· *vires in Venerem ſufficiendi, ut quoque ſeptuageſimo coitu libido maneat.* Quæ herba hæc ſit, non refert: ſed dicit eam ab Indo allatam eſſe in Græciam. Ac in ſuperioris, & noſtri ſeculi Indicarum navigationum ſcriptoribus traditum, hujus, vel ſimilis eſſe virtutis apud Indos agnacat, tambor ſive betet amfiam, & alias plantas: quæ vim habent στυτικὴν, ſive τοῦ αἰδοῖον τείνεσθαι, arrigendi mutinum: ſive τοῦ ὁρμὰς ἐμποιεῖν, excitandi Venerem, atque, ut loquitur Theophraſtus, ὀρνίθων δίκην, *ad morem avium quarumdam*: quales paſſeres, perdices, galli gallinacei, aliæque aves ἀφροδισιαστικαὶ a, ut eas Ariſtoteles vocat in primo Hiſtoriæ Animal. a *Salaces.*

Mentha etiam Venerem ſtimulat: unde Martialis lib. X, epigr. XLVIII:

In quibus eſt lactucæ ſedens, & ſeſſile porrum,
Et deſtupratrix mentha, ſed herba ſalax.

Ubi duo dicit, mentham, ob calidam naturam, excitare Venerem: unde *ſalax* dicitur: interim ſi frequentiùs ſumatur, attenuare ita ſemen, ut ſponte profluat, eoque deſtituat coire poſtea volentem. Quæ & magni Hippocratis eſt ſententia. Sed id in dubium vocat Ariſtoteles Problemate II, Sectionis XX, ubi refert, belli tempore vetitum fuiſſe mentham ſerere, vel edere: cauſſam vero ejus hanc adfert, quod frigida ſit, eoque genitale ſemen minuat, fortitudini etiam ac audaciæ repugnet. Sed certum eſt mentham eſſe calidam. Sic enim, ut poſteriores præter-

tercam, laudatus Hippocrates lib. II de diæta, his verbis, μίνθη θερμαίνει, καὶ οὐρέεται, καὶ ἐμέτους ἵστησι, καὶ ἢν πολλάκις ἐσθίῃ τις, τὸν γόνον αὐτοῦ τήκει ὥστε ῥέειν· καὶ ἐντείνειν κωλύει, καὶ τὸ σῶμα ἀσθενὲς ποιεῖ. *Mentha calefacit, urinam ciet, vomitus ſiſtit, ac ſiquis eâ ſæpenumero veſcatur, ſemen illius ita liquefacit, ut fluat; etiam tentiginem prohibet, ac corpus reddit infirmum.* Plinius quoque lib. XX, cap. XIV, ſic ſcribit: *Eâdem vi* (mentha) *reſiſtere & generationi creditur, cohibendo genitalia denſari.* Ubi per *genitalia* (ut quoque eſt in veteri Parmenſi *a*, atque Aldina *b*) genitale ſemen capiendum. In MSo invenio *genitali.* In aliis eſt *genitura*: quod maximè loco conveniat, modo genuinum. Sententia Plinii eſt, uti mentha lacti indita non ſinit coaleſcere illud: ita ab homine comeſtam non permittere, ut ſemen condenſetur. Item Aëtius Tetrabibl. IV, ſerm. IV, cap. XXVI, ait multum ſeminis generare, ſed languidi. Quare quod Veneri incommodet non tam eſt à frigore, quam quod æquo liquidius ſemen reddat. Cæteroquin calore ſuo ad Venerem potiùs ſtimulat. Ideirco Hieronymus Mercurialis lib. IV Var. Lect. cap. VIII, apud Ariſtotelem pro καταψύχει *c* legendum cenſet κατατήκει *d*. Sed aliter etiam Ariſtotelem excuſes: nempe ut refrigerare dicatur κατὰ συμβεβηκός *e*. Nam ad Venerem accendit: quæ immodica ſi ſit, nativum imminuit calorem, & fortitudini, audaciæque adverſatur. Aut hoc voluit vel velle debuit Ariſtoteles. Ac ea quoque mens eſt Ludovici Nonii de re Cibaria lib. I, cap. XV.

a Ann. 1476.
b Ann. 1540.
c Refrigerat.
d Liquefacit.
e Per accidens.

Etiam paſtinacæ vis eadem. Græci ſtaphylinon vocant. De eo ſic Plinius lib. XX, cap. VI, *Orpheus amatorium ſtaphylino ineſſe dixit: fortaſſis Venerem ſtimulari hoc cibo certum eſt: ideo conceptus adjuvare aliqui prodiderunt.*

Genitalem vim rapis excitari, Diocles putabat, ut Plinius ait lib. XX, cap. III. Nempe ob inflandi potentiam. Atque idem traditum à Dioſcoride, & Simeone Sethi.

Folium, quod Arabibus, & Perſis, Tambor, & Tembul, vocatur; Indis verò Betol, Beteli, & Bettre, cùm cor, & cerebrum corroboret, & valetudinem firmet, nihil mirum, ſi vires etiam ad Venerem augeat. Propter id folii Tambor, quas dixi, gentes quotidie in otio, ac negotio manducant: ut proditum ex Hiſpanorum libris Julio Cæſari Scaligero Exercitatione CXLVII, ſect. II.

De reliquis plantis Venerem excitantibus, præcipuè Indicis, vide Cæſarem Scaligerum Exercitatione CLXXV.

Mali Punici eſus Venerem compeſcit, præſertim frigidioribus. Auctor Simeon Sethi. Sic qui cælibe & aſcetica gaudent vita, eam vitice, & caphura tuentur.

Cardamum ſive naſturtium Venerem inhibet, Plinius. excitat, Simeon Sethi. Menſes ciet, juxta Dioſcoridem.

His quibus genitura profluit, utile eſt aridam iridem bibere cum aceto *f*.

f Dodon. p. 15.

Κάρδαμον, ſive naſturtium urinam reprimit: unde apud Ariſtophanem Θεσμοφοριαζούσαις, cùm Cliſthenes Socrati dixiſſet, longo eum tempore mejere, reſpondet, non tam hoc eſſe ab urina multa, quam à ſubſtillo, ſive στραγγουρίᾳ, quia ſtillatim reddere lotium cogatur: atque hoc inde eſſe, quia pridie ederit naſturtium. Ubi ſcholiaſtes annotat, naſturtio urinas, ſputaque reprimi. Ac propterea, ut apud Xenophontem legere eſt lib. I. Κύρου παιδείας Perſæ ſolent naſturtio veſci, quia turpe iis foret palam mejere, nares emungere, vel ſpuere: ut quæ indicia eſſent καχεξίας *g*, ab intemperantia provenientis.

g Malæ habitudinis.

Quæ hactenus diximus, magis ad viros pertinent: nunc videamus de iis, quæ mulieres juvant. Purgationibus feminarum utile decoctum ex naporum genere, quod Græci bunion vocant; ut eſt apud Plinium lib. XX, cap. IV. Roſmarinus vi calida & adſtringente ſiſtit menſtrua, & omne ſanguinis profluvium. Suffocationi, ac doloribus matricis medetur folium bardoniæ majoris quæ & arction, & perſonatia dicitur. Summo ſi capiti imponatur, matricem attollit: ſi pedibus ſupponatur, trahit deorſum. Remedium hoc præſtantiſſimum appellat Antonius Miraldus Monlucianus Medicus, Memorabilium centuria I, ſect. LXXXIX.

Linzoſtis, ſive parthenium, vel Hermupoa, ſeu Mercurialis, vel maſculus eſt, vel femina: ac prioris ſuccus, ſi à conceptu in paſſo protinus bibatur, vel folia edantur decocta ex oleo & ſale, vel cruda ex aceto, facere dicitur ut mas gignatur: poſterioris, ut gignatur femina: teſte Plinio lib. XXV, cap. V. Ubi & alium eam aſſumendi modum tradit. De ariſtolochia verba ſunt ejuſdem Plinii, cap. VIII: *Inter nobiliſſimas ariſtolochiæ nomen dediſſe gravidæ videntur, quoniam eſſet ἀρίστη λεχώσαις a.*

a Optima ad fœturam.

Porrum comeſtum præſtat, ut feminæ faciliùs concipiant, minuſque abortiant. Ut Hippocrati traditum lib. I & II de morbis mulierum, & inde Plinio lib. XX, cap. VI. Cauſſa ex eo, quòd infœcunditas plurimùm ſit ex eo, quod uterum obſideant humores pituitoſi, porrum verò illam illuviem acrimoniâ ſuâ detergeat atque expurget.

Epiphanius hæreſi XXXI, ſive aliis LI, quæ eſt ἀνοήτων *b* ſive potiùs ἀλόγων *c* Καὶ τὴν μὲν δικταμνόν τινες καλοῦσιν, ἀπὸ τοῦ τοὺς παῖδας τῶν ἰατρῶν κεχρῆσθαι ταύτῃ εἰς τὴν τῶν τικτουσῶν γυναικῶν βοήθειαν. *Quod ad dictamnum pertinet, quidam inde vocari putant, quod eo utantur medicorum filii ut opitulentur parturientibus.*

b Stultorum.
c Irrationalium.

Piper facilem præſtat partum, propellit fœtum mortuum, imo conceptum impedit ſi mox à concubitu peſſario inducatur in uterum.

Pæoniæ radix, maſculæ potiſſimum, ſicca conducit mulieribus à partu non purgatis: ut eſt apud Dioſcoridem. Menſes item ciet, ſi quantitate amygdalæ bibatur, idque, ut Galenus adjungit, in mulſa.

Erythronium Satyrion, ut Dioſcorides, & Plinius tradunt, magnopere ad Venerem concitat: etiam ſi manu teneatur, ſed magis ſi in vino adſumatur. Ideo & arietibus, & hircis ſegnibus in Venerem dari in potu ſolet: uti & equis dant Sarmatæ, ſi in Venere ſint ſegniores. Ac ſuſpicio eſt quorundam, eandem eſſe herbam, quam Theophraſtus lib. IX, ab Indo ait allatam, nec edentibus modò, ſed etiam tangentibus præſtare, ut coëant, quoties viſum eſt. Nec exiguam vim excitandi Venerem ὄρχεις habent: imò officinæ confundunt cum ſatyrio: atque adeo Appulejus idem facere videtur. Sunt vero Dioſcoridi duo orchium genera, cynoſorchis, & ſerapias. Cynoſorchis duplex major, minorque. De majori ajunt, ſi viri radicem ejus edant, generari mares: ſi feminæ minorem, feminas. Serapiadem minus Veneri inſervire, Galeni ſententia eſt.

Secundis educendis, ſanguinique ex utero pellendo conducit, ſi leucoii ſemen tritum cum vino bibatur. Ac lutei quoque leucoii radix eodem modo exhibita ad idem utilis eſt. Auctor de utroque Hippocrates lib. de natura muliebri. Eſt verò λευκόιον μήλινον, ſive luteum leucoion, quod Belgis *geele violieren*: item *ſteen violieren*, quaſi dicas ſaxatiles, aut parietinas violas.

Eodem libro docet Hippocrates menſes evocari melanthio ex frumento, quod vocat μελάνθιον ἐκ πυρῶν. Octavio Horatiano dicitur, *gith quod in ſemine naſcitur.* Nempe illud de ſegete, ab utroque additur, ut ab melanthio, & gith, quod ſimpliciter ſic dicitur, diſtinguatur. Floret menſe Majo, ac Junio. Belgis *korenroſen.*

Inter fœtida alia, ſtrangulationi conducit parthenium, quod vulgo matricaria: & quodammodo idem præſtat chamæmelum ſylveſtre fœtidum ſive cotyla fœtida: quæ Belgis, *ſtinkende camille*, vel *paddebloemen.* Leonardus Fuchſius eandem utramque herbam eſſe judicabat: ſed fœtentius parthenium, & efficacius: foliis etiam differunt, ut oſtenſum Matthiolo, ac Dodonæo. Thymus vi calefaciendi & exſiccandi menſes provocat: quemadmodum & urinam ciet. De utroque teſtes Dioſcorides, & Galenus. Multa etiam alia ad mulierum morbos remedia ſuppeditat Plinius lib. XXVI, cap. XV.

Uteri, aliiſque mulierum morbis medetur Artemiſia ab ejus nominis Mauſoli uxore: ut eſt apud Plinium lib. XXV, cap. VII.

Ari-

Aridam itidem bibere cum vino, prodeſt ad menſes ducendos: ut Dioſcorides tradit.

Cinara, ſive carduus altilis, *ſi credimus* (ut Plinius ait lib. xx, cap. xxiii) *& vulvis etiam conferre aliquid traditur, ut mares gignantur. Ita enim Chareas Athenienſis ſcripſit, & Glaucias, qui circa carduos diligentiſſimus videtur.*

Etiam plantarum variæ conducunt ad caſtitatem atque abſtinentiam à Venere. Uti viticis folia. Quibus iccirco matronæ Atticæ ſibi cubitus ſternebant in Theſmophoriis caſtitatem cuſtodientes: ut eſt apud Dioſcoridem lib. i, cap. cxxxv, Plinium lib. xxiv, cap. ix, Galenum lib. περὶ τῶν ἁπλῶν φαρμάκων δυνάμεως. Ubi hanc cauſſam adfert, quod frutex is reprimat impetus Venereos. Atque idem dicit Ælianus in Hiſtor. Animal. lib. ix, cap. xxvi, ut ſcholiaſtas præteream, ad Nicandri Theriaca, & Euſtath. in Odyſſ. i. Sed & hac de cauſſa ſibi eædem ſubſternebant κνέωρον *a* plantam; de quo Heſychius *b*: item aliam plantam, dictam κόνυζα *c*; ut traditum Theocriti, & Nicandri Scholiaſtis: item pinus folia, ut eſt apud Stephanum, ſive Hermolaum Byzantium *d*. Allia quoque ſimili caſtitatis ſtudio comedebant: ut eſt apud Etymologici auctorem.

a *Quæ & cneſtrum ſeu* κνήςρον.
b *In* Κνέωρ.
c *Conila, go, pulicaria.*
d *In* Μιλάν[illegible].

Cap. XXVII.

De morbis artuum, h. e. brachiorum & pedum, ac universè de arthritide, præcipuè de podagra quæque huic ex plantis ſuccurrunt panax, hyoſcyamus ſeu Apollinaris, ſcordion, verbenaca, helleborus, bellis, hiberis, urtica, &c.

ACcedo nunc ad morbos brachiorum, ac pedum: quo pertinet chiragra, gonagra, & podagra. Sed latiùs patet arthritis, quo nomine etiam continetur alius quivis articularis dolor: inſignis is dolor, ubi nervi è lumbis, & oſſe ſacro erumpunt. Ἰσχιὰς vocatur. De podagra ſic Plinius lib. xxvi, cap. x: *Podagra morbus rarior ſolebat eſſe, non modò patrum avorumque memoria, verum etiam noſtrâ; peregrinus & ipſe. Nam ſi Italiæ fuiſſet antiquitus, Latinum nomen inveniſſet. Inſanabilis non eſt credendus: quippe quoniam & ſponte deſiit, & in pluribus curâ. Medentur panacis radices cum uva paſſa: ſuccus hyoſcyami cum farina, vel ſemen, ſcordion ex aceto; iberis; verbenaca cum axungia trita, cyclamini radix.* Alia quoque multa ex herbis remedia poſtea ſubjungit. Sed iſtic legi, quam exſcribere cuncta, malo. Atque idem lib. xxv, cap. v narrat, nigrum helleborum podagris, & articularis morbis mederi. Nempe quia humores trahit: unde & paralyticis, inſanientibus, hydropicis, dum citra febrim, prodeſſe, ibidem legas. *Etiam podagræ, morbiſque articulariis braſſicam illini cum rutæ, coriandri, & ſalis mica, hordei farina,* Plinio traditum lib. xx, cap. ix. Item Bellis, quæ Belgis *Kerſſouwe, Madelieve, & Margriete,* ob vim humectandi, & refrigerandi mitigat dolores podagricos, & cæteros arthriticos. Terenda ejus folia una cum foliis malvæ: cumque butyro recenti & inſulſo imponenda parti affectæ: ut auctor Dodonæus lib. de Flor. cap. lxxi.

Hiberida herbam prodeſſe coxendicibus & articulis, & à quo reperta, quo modo etiam uti conveniat Plinius docet lib. xxv, cap. viii.

Urtica, quæ Græcis κνίδη, vel ἀκαλύφη, cunctis artuum doloribus medetur: ac propterea, præterquam quod craſſos ac viſcoſos pectore, ac pulmonibus, humores educit, etiam iſchiadi chiragræ, & podagræ medetur. Præcipuè ſi fuerit à viſcoſo, craſſo, ac frigido humore. Qualem extenuat, quia in ſecundo, vel tertio potius ordine eſt calefacientium, & exſiccantium: quod & urat, unde urtica dicitur; & mordeat ac pungat, unde κνίδη vocatur ἀπὸ τοῦ κνίζειν, quod eſt pungere, ac vellicare. Nec tamen tota ignea eſt; ſed, ut Averroës obſervat in quincto Collectaneorum, ſolâ ſuperficie, quæ ſi fricetur, ac imprimis ſi lavetur, vim urendi, & morſicandi amittit. Interiori autem ſucco, ſive oleo, quod ab Ægyptiis educitur, demulceat æſtus febriles. Pedem corvinum podagræ prodeſſe. Avicenna putavit Fen. xxii, tert. cap. de ſolutione podagræ, & iſchiadicorum. Ac ſcribit Nicolaus Leonicenus diſſertatione tertia de erroribus Plinii *a*, qui Avicenna fretus, ex ejus radice pilulas confecerit, atque eas podagra laborantibus dederit diglutiendas: Atqui nihil periculoſius facere poterat, ut ibidem Leonicenus tradit. Nam vim habet exulcerandi, ac venenati quiddam, eoque in medicinæ ejus uſus non eſt, niſi extrinſecus apponatur. Podagræ prodeſt pulegium, ſi parti affectæ imponatur donec rubeat. In cauſſa eſt ſiccitas & acrimonia, qua viſcoſos eos humores, unde podagra naſcitur, extenuat, & educit. Imo hac virtute omnes inflammationes ſedat, ſi cum polenta illinatur. Ob hanc acrimoniam, quæ communis ei cum ruta, Cicero alludit lib. xvi *b*, cùm ad Tironem ſic ſcribit: *Cras expecto Leptam: etenim ad cujus rutam pulegio mihi tui ſermonis utendum eſt.* Significat, quia colloquendum ſibi cum Lepta, homine erudito & acri, velle ut ſermoni interſit Tiro, cujus acrimonia doctrinaque alteri poſſit opponi. Sic jam olim expoſuit Turnebus in Adverſ. lib. viii, cap. v. Mora videri poſſint podagricis prodeſſe. Sanè apud Athenæum Hegeſander ex Pythermo tradit, cùm Athenis viginti annis nulla morus fructus tuliſſet, tantum fuiſſe podagricorum, ut non viri modo, ſed etiam pueri, puellæ, mulieres, atque eunuchi, eo morbo infeſtarentur: imò & capræ ipſæ, uſque adeo ut vix tertia earum pars ab hoc morbo immunis foret. Nec tamen hinc certum colligitur argumentum, id inde contigiſſe, quia qui ante veſci moris ſolerent, nunc iis carerent. Nec enim capræ moris veſcuntur. Quare credibilius id factum eſſe ab aëris conſtitutione, quæ viginti illis annis fuit. Vide & de iſto diſſerentem Hieronymum Mercurialem lib. i Var. Lect. cap. xxiv.

a P. 128.
b Epiſt. Tu vero.

Ceraſa dulcia ſi manè etiamnum roſcida comedantur, ventrem adeo purgare, dicuntur ut etiam podagricos morbo liberent. Atque hoc monuit quoque Renatus Moreau Animadverſ. in Schol. Salernit. cap. lvi. Podagricis plurimum prodeſt oleum ſpicæ: de quo Arnoldus Villanovanus in Antidotis, & Euonymus Philiatros in Theſauro *c*. Etiam juvat oleum è nucleis ceraſorum: ut eſt apud eundem Euonymum *d*. Item eodem auctore *e*, ſi arthritis fuerit ex cauſſa frigida vel obſtructione, juvabit oleum ex baccis hederæ.

c P. 495. & 496.
d P. 483.
e P. 484.

Varias etiam plantas arthritidi adverſas, ac rationem utendi, memorat Joannes Manardus lib. xiv, epiſt. v. Iſchiadicis prodeſt thymum cum vino ac polenta impoſitum parti dolenti: ut Dioſcorides ait. Iiſdem folia æthiopidis prodeſſe, Plinio traditum eſt lib. xxvii, cap. iv.

Cap. XXVIII.

De morbis partium ſimilarium. Et hic quidem de nervis & venis, quæque his opem ferunt abſinthium, ſalvia, oleum, aloë, tragacantha. Annectitur aliquid de elephantiaſi, & lue venerea.

EXplicatis hucuſque plantarum viribus, in morbis partium diſſimilarium, capitis nimirum, colli, thoracis, ventris, & artuum, gradumque jacientes ad affectiones partium ſimilarium, hoc eſt, cutis, carnis, oſſium, venarum, & nervorum, methodo ſuſcepta pergendo in morbis corporis humani internis, initio aliquid de nervis ſenſus & motus animalis inſtrumentis, ac venis in medium proferre jubemur: brevitati hoc capite, ut paſſim, multum ſtudendo. Itaque abſinthium habens vim diſcutiendi, ſiccandi, adſtringendi, & roborandi: his facultatibus ſuccurrit nervis, quando ſeroſus humor poro-

poroſis nervorum partibus eſt illapſus: unde eorum laxatio, ac imbecillitas. Salvia quoque nervis conducit. Nam calefacit & exſiccat: nervorum autem imbecillitas, à qua & tremor, provenit plurimum à frigore eorum & copia humorum, qui nervos obſident. Proinde ſenili ætati imprimis convenit. Robur athletis auget olei inunctio.

Aloë ſanguinem ſiſtit, etiam ſcreatu emiſſum: quemadmodum non Plinius modò teſtatur, ſed etiam Dioſcorides, & Galenus. Joannes Meſue, cum aperire venas, ac ſanguinem ciere ait, ut in aliis multis, ita in hoc quoque vehementer errat: atque eo nomine reprehendi meruit à Joanne Manardo lib. I, epiſt. I.

Tragacantha cum melle delincta aſperæ arteriæ prodeſt, vocemque reficit raueſcere incipientem; quemadmodum eſt apud Dioſcoridem lib. III. Ut ſit inter remedia λειαντικά *a*: qualia ſignat Perſius ſat. I, cum ait,

a Detergentia, levigantia.

—— Liquido cum plaſmate guttur
Collueris.

Ubi πλάσμα vocat, quia πλάττει φωνὴν, hoc eſt, vocem fingit, ſive in melius format. Cui contraria φωνὴ σκληρὰ καὶ ἄπλαστος *b*: ut vocat Plutarchus in Cicerone.

b Vox dura & informis.

Et tantum eſt de morbis internis, ſequuntur ex interno externoque mixti. Ut ſi partes internæ ita morbo afficiantur, ut ſimul patiantur externæ, à cauſſa, quæ non modò adſerat conſenſum & qualem qualem affectum foris, ſed verum exterius morbum inducat. Hujuſmodi morbus eſt ὁ ἐλέφας, ſive ἐλεφαντίασις. Item lues venerea. Eſt verò elephantiaſis ſpecies lepræ deterior, ab atra bile, ut lepra, initium ſumens; ſed temporis proceſſu omnem ſanguinem in atram bilem commutans, cutem, carnem ad oſſa uſque depaſcens. De lepra Plin. lib. XXIII, in proœmio: *Lachrymæ vitium quæ veluti gummi eſt, lepras & lichenas, & pſoras, nitrô ante præparatas ſanat.* Quæ de elephantiaſi idem afferat, vide eum ſis lib. XXVI. De lue venerea ſeu morbo Gallico ut vocant, ejuſque præcipuo medicamine ligno Guajaco, aliiſque ingredientibus è plantis, adi neotericos Medicos, & medicaſtros magno numero.

CAP. XXIX.

De morbis ſeu ſymptomatis partium ſimilarium, & diſſimilarium; totius corporis, & particularibus. Ac initio quidem de ſymptomatis totius corporis externis, à cauſa interna vitioſi humoris provenientibus, iiſque tam ſupra cutem ſeſe efferentibus, quàm eam tantùm maculantibus, aut verò excavantibus, nimirum tumore, bubône, eryſipelate, &c. puſtulis, ſcabie, lichene, &c. ulcere, gangræna; horumque remediis amello, ſalice, groſſis, plantagine, folio, albuco, vite, &c.

QUæ hactenus diximus, pertinent ad morbos vel ſolùm internos: vel ex interno & externo mixtos. Utrique ad medici curam pertinent. Nunc agendum de morbis externis partium ſimilarium & diſſimilarium, in quibus, dirigente medico, chirurgo opus eſt, qui manuum uſu, & exercitatione, valeat. Sunt verò externæ hæ affectiones duûm generum. Vel enim toto corpore vagantur: vel propriam habent corporis ſedem. Priores illæ vel ſunt ab humoris vitio; vel à cauſſa externa atque evidenti. Prius genus triplicia συμπτώματα comprehendit. Vel enim in cute prominent, vel eam maculant, vel excavant. Prominent tumor, tuberculum, puſtula. Ad tumorem etiam pertinent bubo, eryſipelas, ſtruma, cancer, &c. Ad tubercula carbunculus, furunculus, &c. Ad puſtulas, ſcabies, lichen, lepra verrucæ, clavus, callus, &c. Maculant cutem, vitiligo, lentigo, &c. Excavant gangræna, & ἀπόστημα, ſive abſceſſus. Remedia pleriſque è plantis apponam.

a Lib. 4. cap. 20.

Ἀστὴρ Ἀττικὸς, qui Virgilio videtur amellus, prodeſt, Dioſcoride *a* teſte, bubonibus, unde nomen βουβώνιον. Sed ſuperſtitioſum eſt, quod idem cenſet, recentem quidem producere inflammationibus bubonum: aridum verò ſiniſtrâ dolentis manu decerpendum, ac ſic buboni alligandum. Nempe ejuſcemodi comminiſcebantur antiqui; ut etiam cum vulgaria præberent medicamenta, magis admirationi forent vulgo, quandoque etiam elegantioribus.

Salicis cortex in aceto maceratus radicitus tollit verrucas; ut eſt apud Dioſcoridem lib. I, cap. CXV. Atque idem corticis ejus cinis aceto maceratus præſtat, ſi clavis, & callis illinatur. Eſt verò id à vi exſiccandi, & adſtringendi. Ac portulacæ idem tribuit Avicenna cap. DXLI ſecundi Canon.

Cruda groſſi verrucas & thymos, nitro farinaque additis, tollunt: ut ait Plinius lib. XXIII, cap. VII. Verrucis, pterygiis, & aliis quibuſdam remedia dat Plinius lib. XXVI, cap. XIV: *Verrucas tollit argemonia ex aceto vel batrachii radix, quæ & ungues ſcabros aufert. Linozoſtidis utriuſque folia, vel ſuccus illius. Tithymali omnes, genera verrucarum omnium: item omnia pterygia, varoſque tollunt. Cicatrices cum elegantia ad colorem reducit ladanum.* Lichenes Latini mentagram vocant, quoniam à mento fere oriatur, poſtea licet totos occupet vultus, oculis immunibus, ac in colla etiam, pectus, ac manus fœdo cutis furfure deſcendat. Lues ea primùm in Italiam irrepſit medio Tiberii principatu: ut auctor eſt Plinius lib. XXVI, cap. I. Ut vero idem cap. IV ait, *medetur ei plantago trita, quinquefolium, radix albuci ex aceto, ficulnei caules aceto decocti, hibiſci radix cum glutino & aceto acri decocta ad quartas. Defricantur etiam pumice, ut rumicis radix trita ex aceto illinatur, & flos viſci cum calce ſubactus. Laudatur & tithymali cum reſina decoctum. Lichen vero herba omnibus his præfertur; inde nomine invento. Naſcitur in ſaxoſis, folio uno ad radicem lato*, (leg. cum Dalecampio, *foliis imis ad radicem latis*) *caule uno, parvo longis foliis dependentibus. Teritur cum melle. Eſt aliud genus lichenis, petris totum inhærens ut muſcus, qui & ipſe illinitur.* Pharmacopœis herba hæc dicitur *hepatica*, ſed diſtinctius *hepatica petræa*, ut Belgis *ſteen-lever-kruyt*.

Etiam κάρδαμον ſive naſturtium lichenas deterget, atque exterit: ut èſt apud Nicandri Scholiaſtem: & cauſſam addit, quia ſit acre, mordax, igneum.

Lentigines, & varos, (φακοὺς καὶ ἰονθάδας) tollit tithymalli liquor cum melle: ſolùm cavendum ne diutius relictus, profundius exulceret. Dioſcorides lib. IV Mater. Med. & Parabilium cap. CXXI, CXXX, & CLXXVII.

Maculas & lentigines aufert oleum è nucleis ceraſorum: ut eſt apud Euonymum in Theſauro *a*.

Hordeum ex aceto, & melle lentigini medetur, ut eſt apud Plinium. a P. 483. & 484.

Labruſca ſive Taminia uva, quæ & uva ſilveſtris, impetigini medetur. Scribonius Largus cap. CCXLIX: *Ad impetigines uva Aminea* (*Taminea* reſcribendum) *quæ ſic dicitur, bene facit.* De Taminea plura ſi voles, adi Hieronymum Mercurialem lib. II Var. Lect. cap. XVI. Oleum de frumento (quod inter marmor, & laminam ferream craſſum fieri ait Raſis) prodeſt adverſum impetiginem, ac cutis aſperitatem & fiſſuras.

Hæc de remediis, quæ in cute prominentibus ſymptomatis, tum iis, quæ cutem maculant, è plantis ſuppetant.

Supereſt tertium morborum externorum genus: nempe illud, quod carnem excavat: ut ulcera, gangræna, atque alia. Ulceribus mederi vinum, auctor eſt Mneſitheus apud Athenæum initio lib. II, item Dioſcorides lib. V, cap. VII. Οἱ παλαιοὶ οἶνοι πρὸς τετρώματα καὶ φλεγμονὰς ἐπιτήδειοι σὺν ἐρίοις οἰσυπηροῖς ἐπιτιθέμενοι· καταντλοῦνται ὠφελίμως πρὸς τὰ θηριώδη ἕλκη. *Vina vetera cum lana ſuccida impoſita, utilia ſunt ad vulnera & inflammationes. Utiliter & curantur his ulcera efferata.*

. . . . . .

CAP.

Cap. XXX.

De morbis externis totius corporis, quæ à cauſſa proveniunt externa, ut ſunt vulnera, contuſiones, fracturæ, fiſſuræ, & ambuſtiones; horumque medicina balſamo, centaurio, meliſſophyllo, aloë, cynorrhodo, tithymallo, oliva, melle, radice lilii, elecchryſo, myrto, &c.

HActenus vidimus de priori morborum externorum genere, quod eſt ab humoris vi, vel ſpiritu flatuoſo. Nunc venio ad genus alterum, quod eſt à cauſſa externa, & evidenti. Atque huc pertinent vulnera, contuſiones, fracturæ, fiſſuræ; & ambuſtiones. Vulnera, pro inſtrumento infligente vulnus, vel cæſa ſunt, ut ab enſe, vel alia reſecante: vel puncta, ut à mucrone: vel contuſa, ut à re gravi, dura, obtuſa, ac cutem etiam aperiente: vel morſa, quæ à dentibus: vel ſclopetaria, quæ à glande plumbea, vel globo ferreo, ſimilive è ſclopeto vel bombarda emiſſo, vel à pulvere pyrio ſimilive violentia ignis illiſa.

Contuſiones fiunt à corpore duro citra cutis apertionem. Hoc enim à vulneribus contuſis differunt.

Fractura eſt ex ſolutâ oſſis unitate. Fiſſuræ, rimæ ſeu diviſiones, quæ à ſcarificatione, talive contingunt cauſa. Ambuſtiones, diſtingendo à vulnere. Nunc his remedia è plantis demus.

Vulneribus ſanandis nihil tam utile, quàm balſamum. Hanc habuit vim balſamum veterum; de quo Theophraſtus, Dioſcorides, Strabo, Juſtinus, atque alii. Deperiiſſe id dicitur in Judæa, poſtquam in Ægyptum eſt translatum: in Ægypto autem anno CIↃ IↃ XVI, cum Selymus, Turcicus Imperator (qui Solymannum habuit ſucceſſorem) Cayrum cepit, ac cultoribus hortorum, ubi balſamum creſceret, interfectis, non ſuffeciſſet novos. Par autem vel ſuppar virtus eſt balſamo recentiorum: ut quod è Peruvia, vel Hiſpaniola, & aliis quibuſdam Occidentis locis deſertur. Ut ἀντιβαλσάμινον ſive ſuccedaneum eſſe poſſit balſami veteris. Siquidem calefacit, humectat, tenuat, digerit, deterget, & glutinat. Nec naturale ſolum balſamum, ſive veterum, ſive recentiorum, hanc vim obtinet: ſed etiam quod arte componitur. Nam & brevi tempore vulnera glutinat, & mala arcet ſymptomata. Cujus cauſſa præcipue eſt, quod & ipſum calefaciat, & ſiccet, ac tenuiorum ſit partium. Ratio verò arte hoc balſamum componendi à pluribus tradita eſt: ſed, ut puto, ſuffecerit Euonymus Philiatros in
a P. 576. & ſeqq. Theſauro ſuo *a*.

Quartum panacis genus, quod à Chirone centauro *centaurium*, à Pharnace rege *Pharnaceon* nominatur, duo genera continet, quorum unum ab Hercule *Heracleon* dicitur, & *omnia vulnera ferro illata efficaciſſimè ſanat*, ut Plinius ait lib. XXV, cap. IV. Ac ejuſdem libri cap. V legas: *Centaurea curatus dicitur Chiron, cùm Herculis excepti hoſpitio pertractanti arma, ſagitta excidiſſet in pedem: quare aliqui Chironion vocant.* Addit poſtea: *Vis in vulneribus tanta, ut cohæreſcere etiam carnes tradant, ſi coquantur ſimul.* Idem lib. XXVI, cap. XIV: *Hulcera multorum ſunt generum, ac multis modis curantur. Panacis omnium generum radix ex vino calido illinitur manantibus. Siccat privatim, quam Chironiam dicimus.* Ac poſtea alia etiam ulcerum remedia ſubjungit.

Vulnera omnia à putrefactione conſervantur, ſi abluantur vino, cui meliſſa ſive citraria fuerit impoſita ad deſtillandum; quemadmodum eſt apud Raimundum Lullum. Aloës foliis recentibus in Aſia utuntur ad vulnera: mirifice enim conglutinat, ut ait Plin. lib. XXVII, cap. IV. Quod ex roſis rubentibus ſive provincialibus exſiccatis rhodomeli fit: vulnera, ulceraque, abſtergendi, & exſiccandi vim obtinet. Oleum quoque ejus inflammationes, vel prohibet, vel lenit.

Etiam κισθὸς *a*, ſi illinatur medetur νομαῖς, ſive ulceribus depaſcentibus, teſte Dioſcoride. In cauſſa eſt, quod, Galeno teſte, vim habeat exſiccandi. a Ciſthus ſeu ciſtus.

Ladanum vulnera glutinare, Matthioli eſt ſententia.

Lilii albi radix toſta & trita cum roſaceo, ſanat ambuſta, ulceraque perducit ad cicatricem: ut eſt apud Dodonæum lib. de Flor. cap. XXXII. Narciſſo item tanta eſt vis abſtergendi & exſiccandi, ut maxima etiam vulnera, Galeno teſte, conglutinet.

Fiſſuris ſcarificatione factis conducit inditus tithymalli liquor: ut eſt Dioſcoridis Parabilium cap. CCII. Periculum vulneris creare narratur tertium centaurii genus, quod dicitur centauris triorchis. Nam ut Plinius ait lib. XXV, cap. VII: *Qui eam ſecat, rarum eſt, ut non vulneret ſe: hæc ſuccum ſanguineum mittit. Theophraſtus defendi eam impugnarique colligentes tradidit a triorche accipitrum genere, à quo & nomen accepit.* Puto tamen hæc ficta à Magis, ut alia id genus multa. Nempe hoc pacto terrebant vulgus à plantis carpendis, ut ſoli magis forent admirationi, nec aliunde, quàm ab iis, remedia peterentur.

Morſui canis rabidi medetur radix cynorrhodi: quod quomodo homines didicerint, docet his verbis Plinius lib. XXV, cap. II: *Inſanabilis ad hoſce annos fuit rabidi canis morſus, pavorem aquæ, potuſque omnis adferens odium: nuper cujuſquam militantis in Prætorio mater vidit in quiete, ut radicem ſylveſtris roſæ, quam cynorrhodum vocant, blanditam ſibi adſpectu pridie in frutecto, mitteret filio bibendam: in Lacetania res gerebatur, Hiſpaniæ proxima parte: caſuque accidit, ut milite à morſu canis incipiente aquas expaveſcere, ſuperveniret epiſtola orantis, ut pareret religioni: ſervatuſque eſt ex inſperato, & poſtea quiſquis auxilium ſimile tentavit.* De contuſione agit Plin. lib. XVII, cap. XXIV, & Columell. lib. XII, cap. XLVII, ubi de oliva, aliiſque. De fractura Plin. lib. XXII, cap. IIX, & lib. XXIX, cap. VI, ubi effectus florum in melle & ſimilibus.

Flos dictus ἑλειόχρυσον *b*, teſte Theophraſto, ſi torrefiat, & melli miſceatur auxiliatur ambuſtis. Similiter myrteum oleum medetur eruptionibus & ambuſtis, ut habet Plinius lib. XXIII, cap. IV. b Aurelia quibuſdam.

Cap. XXXI.

De morbis externis particularibus: ac primùm de illis, qui ſunt capitis, nimirum achoribus, cerio, lippitudine, lachryma, &c. de affectionibus palpebrarum, & aurium, auribus ſanguinolentis, purulentis, &c. de gingiva & dentium doloribus, de ſtomacace & ſcelotyrbe; horumque relevaminibus ſalicis, artemiſiæ, betæ albæ, lentis, ceparum, marathri, &c. hyoſcyami, aſphodeli, raphani, ladani, ciſti, polypodii, mali Punici, ficus, naſturtii, Britannicæ, &c.

VIdimus de morborum externorum illis, qui toto vagantur corpore. Deinceps de iis loquar, qui obſident corporis partem. Ut ſunt ἄχωρες & κήρια, quæ Plinius *manantia* capitis ulcera appellat. Proveniunt autem à nitroſa, ſalſaque pituita, eoque mordaci. Sed in achore ulcera ſunt cruſtoſa: in cerio humentia. Achor vulgo tinea vocatur, quia, ut tinea tenui morſu veſtem erodit, ſimiliter in achore ſanies glutinoſa tenuibus admodum foraminibus erodat capitis cutem. Cerion ab illo differt, quia majora foramina efficit, & humor erit, illi ſimilis, unde κηρίον nomen. Plura de his Conſtantinus in Viatico. Craſſam lentamque ſaniem incidit ac digerit acetum. Siccis cruſtis fomentum præſtat decoctum foliorum ſalicis, teſte Ægineta: item aqua Artemiſiæ: adhæc unguentum ex elleboro. Similiter nuces regiæ manſæ & appoſitæ.

Etiam ad capitis morbos referuntur capillorum vitia. Sed enim quæcumque de his traduntur, maximam partem pertinent ad κοσμητικὴν *a*. Potiùs igitur de iis dicam, a Intelligentiam decentis ornatus.

ubi abſolvero illa, quæ propriæ medicinæ pars dici merentur.

Proximè itaque ſubjungam morbos, qui in exteriori ſunt oculorum parte, ubi hi potiſſimi. Ὀφθαλμία ſive lippitudo, quæ eſt ex inflammatione tunicæ corneæ, cum rubore, dolore, & lachrymis. Ἐπιφορὰ, ſive delachrymatio: quæ fit pituita ad oculos delata. Γλαύκωμα, ex mutatione cryſtalloidis in glaucum colorem. Ὑπόχυμα ſive ſuffuſio, cùm lenti humores congelantur inter corneam & cryſtalloidem.

Oculorum vitia omnia ſanari aloë convenit: ut apud Plinium eſt lib. XXVII, cap. IV. Epiphoras ſedat betæ albæ ſuccus, ut eſt apud eundem lib. XX, cap. VIII.

Lens ei prodeſt, cui difluunt oculi humore nimio. Multum enim exſiccat. Ac propterea, ſi ægris exhibendum, ſiccitas ejus temperari debet alterius humore, uti betæ: quomodo lens humorem betæ, beta ſiccitatem temperat lentis. Hoc τευτλοφακῆν vocarunt, ac non ſanis modo, ſed etiam ægris commendatum ab Heraclide Tarentino.

Cepas eſſe viſui commodas, tradit Hippocrates lib. II de diæta. Nempe quia odore ipſo craſſos oculorum vapores, qui viſum hebetant attenuat ac deterget. Quod ipſum præſtat, dum lachrymas ciet: unde lachrymoſa dicitur Junio Columellæ lib. X. Græci propterea vocant κρόμμυον, παρὰ τὸ κόρας μύειν τῶν ἐσθιόντων· *quia pupillas oculorum iis, qui comedunt, comprimit*. Atque hæc etiam firmat Ariſtoteles ſect. XXXI, probl. IX, ubi ad quæſtionem cur poſt lippitudinem acutius videamus, id inde eſſe reſpondet, quòd pupilla quæ priùs obſepta humore erat, prior ſit, ac ſolutior: atque addit interdum etiam id præſtare acria, & lachrymas cientia, velut cepe.

Marathrum ſive fœniculum oculorum aciem reficiunt; quod homines didicere à ſerpentibus, qui è latebris, prodeuntes continuo ad hoc accurrunt, eoque caliginem oculorum levant. Auctor Plinius lib. VIII, cap. XXVIII, & lib. XX, cap. XXIII. Item Nicandri Scholiaſtes ad Theriaca.

Ruta item manducata acuit viſum: ut eſt apud Dioſcoridem lib. III, cap. XLIV, & Avicennam II Can. cap. IↃLXXVIII. Iccirco pictores veteres, ut viſu valerent, eſitare eam ſolent, ut eſt apud Plinium, & Simeonem Sethi. Cum melle Attico, vel muliebri lacte adſumi ſolet. Sed ſi immodicè utaris, ob calorem, quo pollet, oculorum inflammationem parit.

Euphorbium qui carpunt, clarius vident. Herbam eam reperit Juba, Mauritaniæ rex, ac nomen hoc dedit à medico ſuo Euphorbo, fratre Antonii Muſæ, à quo conſervatus Auguſtus Cæſar: teſte Plinio lib. XXV, cap. VII. Ac capite ſequenti refert, ut ex ſerratula, ſive vettonicâ, ſic à Vettonibus, Hiſpaniæ populo, vocatâ, fiat vinum, & acetum non ſtomacho modo gratum, ſed etiam claritati oculorum utile. At capite VIII, narrat chelidoniam quam ad verbum dixeris hirundinariam, ſingulari eſſe remedio contra caligines oculorum. Nomen ex eo eſſe; quod hirundines, quæ Græcis χελιδόνες, pullorum oculis in nido viſum hac herba reſtituant, etiam erutis oculis. Quod ſine dubio falſum. Simplicius igitur nomen ex eo eſſe dixeris, quod homines ejus uſum ab hirundinibus ſint edocti: vel quòd, ut ibidem narrat Plinius, floreat adventu hirundinum. De quo & ſuprà.

Oculis conducit ſuccus radicis aſphodeli, ſi illinatur cum vetere vino dulci, myrrha & croco. Croci uſus viſum, ut & ſenſus alios, reddit vegetiores. Inflammationi oculorum medetur ſampſuchum, ſi cum tenuiſſima polentæ farina impoſueris. Ocimi ſuccus caligantes juvat oculos, exſiccando defluxus Aſparagi cibum oculis claritatem adferre, Plinii ſententia eſt lib. XX, cap. X. Miretur aliquis, ſi & cepas retulero inter ea quæ viſum reddunt clariorem: cum oculis admota lachrymas cieat, non quidem ob acrimoniam (nam origanum & naſturtium, cepis licet acriora, id non præſtant) ſed ob humorem morſicantem; quam rationem adducit Ariſtoteles problem. XXII, ſect. XX. At oculis conducere, ac caligini mederi, tradunt Hippocrates lib. II de Diæt. Dioſcorides lib. II, cap. CLXXXI, Plinius lib. XX, cap. V, Galenus lib. VII Simplicium. Ac fortaſſe nemo aliter, præter Sotionem qui in Geoponicis Conſtantino Cæſari dicatis lib. XII, cap. XXXI ait, ἀμβλυωπίαν ποιεῖν, *caliginem oculis inducere*. Sed hæc feliciter Animadverſionibus in Scholam Salernitanam conciliabat Renatus Moreau. Nam cepa quidem comeſta parit caliginem: at oculis admota clariorem facit viſum. Primum enim oculos calefacit; hinc morſicat, unde dolor; tùm humor exprimitur, qui viſui incommodabat. Non ſatis id diſcrimen videtur attendiſſe Bias, cum Abyattæ Regi per nuncium poſcenti, ut quamprimum ad ſe veniret, reſpondit; ut eſt apud Suidam, Ἐγὼ Ἀλυάττῃ κελεύω κρόμμυα ἐσθίειν, *jubeo Alyatten cepas edere*. Nam idem dicere voluit ac Horatius cùm ait, *jubeo plorare*. Id verò non tam eſt ceparum cum eduntur, quam cùm oculis admoventur. Nec id ſolum, cum oculis imponuntur, quomodo & naſturtium, aliaque acria vim habent proliciendi humoris, ſed etiamſi non imponas: ut quæ id præſtent τῇ δυνάμει, ſive contactu virtutis, etſi non ſit corporis contactus.

Opium, ſi modum ſerves oculis prodeſt. Sanè, cum Galenus in tertio de Compoſit. Simpl. multa referat medicamenta, nullum in iis, quod non certus opii modus ingrediatur. Nec obſtat, quod Plinius lib. XX, cap. XVIII, ex Eraſiſtrati & Diagoræ ſententia tradat, opium eſſe oculis perniciosum. Quod ipſe etiam Galenus in tertio Methodi obſervat. Nam locuti illi de opio immodicè ſumto, more Empiricorum; quos Galenus damnat, quia in omnibus penè opiato uterentur. Ita Mercurialis lib. II Var. Lect. cap. VIII.

Palpebrarum πάθος eſt πτίλωσις, craſſities palpebræ cum rubore & dolore, quandoque cum defluvio pilorum. Sed de hac potius in Κομμωτικῇ dicetur.

Adverſus palpebrarum pediculos conducit ſuffitus ex hyoſcyami capitulo ſeminis pleno: ut eſt apud Torotulam.

Aurium affectiones ſunt, cum ex iis exit ſanguis, pus vel vermiculi. Si ſanguis, vocantur ὦτα αἱματώδη; ſi pus, πυορροοῦντα; ſi vermiculi, σκωληκιῶντα, Plinio aures verminoſæ. Etiam retro aures ſuccreſcunt tumores, quos παρωτίδας appellant.

Auribus purulentis conducit ſuccus radicis aſphodeli, tum per ſe, tum etiam triti cum thure, melle, vino, myrrha. *Aurium gravitati ſuccum raphani* inſtillant, ut ait Plinius lib. XX, cap. IV. Idem cap. VI narrat, ut *porrum ſectile ſanet aurium vitia cum felle caprino, vel pari menſurâ mulſi*. Betæ nigræ ſuccus ſonitum aurium ſedat, ut eſt ejuſdem lib. XX, cap. VIII: ubi & prodeſſe ait adverſus capitis dolores, & vertigines.

Ladanum cum hydromelite, & roſaceo, infuſum auribus, eorum mitigat dolores: idque vi adſtringente, calefaciente, molliente, aperiente: quas ei tribuit Dioſcorides. Porro hoc medicamentum fit ex ciſtho, non ciſſo, ut Plinius putavit. Nempe ob affinitatem vocabulorum hæc confudit: quem ejus errorem primi Hermolaus Barbarus a, & Nicolaus Leonicenus b, obſervarunt.

Inter ὠτικὰ c medicamenta eſt abſinthium bovis felli mixtum. Aurium enim tinnitui medetur; idque quia utrumque illorum habeat vim diſſipandi flatuum materiem.

Narium morbi ſunt ὄζαινα, & πολύπους: quibus vocabulis etiam utuntur Latini. Item αἱμορραγία, ſive ſanguinis per nares eruptio.

Linguæ vitio fit aliquis ἀγκυλόγλωσσος, cum lingua adſtringitur membranula breviore. Quod vitium in infantia tolli debet.

Betonica, polypodium, alia proſunt laboranti ex gingiva. Sed univerſam methodum vide apud Joannem Manardum lib. XVIII epiſt. II, quæ ad Simonem Grinæum.

a *Ad Plinium.*
b *Lib. de Plinii erroribus cap. 57. 58.*
c *Aurium.*

Gin-

Gingivæ vitium eſt παρυλὶς, tuberculum in gingivis juxta dentes dolens, ut interpretatur Celſus: apud quem tamen perperam in codd. vulgatis legitur *parotis*: quo quid ſignificetur, antea diximus.

Dentium vitium eſt eorum ſtupor: item dolor, qui Græcis ὀδονταλγία.

Gingivis ac dentibus, ob adſtringentem vim medetur flos mali Punici: qui in ſativis cytinus, in ſylveſtribus balauſtium vocatur.

Dentium dolori ficûs ſuccus appoſitus in lana prodeſt, aut in cavis eorum additus: ut eſt apud Plinium lib. XXIII, cap. VII.

Dolores dentium ſedat illitus ſuccus betæ: ut Plinius tradit lib. XX, cap. VIII. Etiam ſi doleant, utile eſt contrariam in aurem infundere ſuccum radicis aſphodeli. Dentium item dolorem mitigat liquor tithymalli cavernis dentium incluſus: ſed cerâ dentes obſtruendi, ne liquor is dentes, ac linguam lædat, inque fauces defluat. Dioſcorides lib. IV Mat. Med. cap. . . . At Parabilium cap. LXIX, ſimpliciter ponitur tithymallus in remediis ὀδονταλγίας a Archigenes, & Alexander Trall. docuere rationem ejus decoquendi in vino uſque ad dimidias. Oribaſius in IV ad Eunapium, cap. LXIV, adjungit, bis quoque menſe eo colluendum os, ac fore, ut non occurrat vitium oris.

a *Doloris dentium.*

Dentium item dolorem tollit naſturtium, dum craſſos, & pituitoſos humores calefaciendo incidit, ac extenuatos diſcutit. Traditum id quoque Scholæ Salernitanæ cap. XXXIX. Verùm potius Galenum adi lib. κτ̀ τόπους ϗ κτ̀ γένη.

Dentium ſtupori ex acri vel acerbo cibo provenienti, quem Græci αἱμωδίαν vocant, prodeſt portulaca: eo quòd lentore ſuo detergeat limum dentibus inhærentem: ut traditum Ariſtoteli problem. XXVIII, ſect. I. Sed ſi ſtupor ille in ipſa fuerit dentium radice, non idem præſtat, quin potiùs lædit: ut eſt apud Galenum lib. VI de ſimpl. medicam. facult.

Juvant hæc dentes, ut eſt apud Joannem Menardum lib. VI epiſt. IV, quæ ad Vacienſem epiſcopum: Sylveſtris mentha, vel menthaſtrum, ſalvia, origanum, lupini, tamariſcus cortex fraxini; aqua, in qua ſalitæ ſunt olivæ; radix verbenæ maſticata, cymæ rubi; vinum decocti radicis pentaphylli, quam tormentillam vocant; radix lapathi maſticata, acetum ſcillites, amurca olei, oleaſtri folia. Ac tria poſtrema cum uſto cervi cornu illini jubet, & dentibus infricari.

Oris vitium ſunt aphthæ. Item columellæ inflammatio, quam *tonſillas* dicimus.

. . . .

Stomacace, & ſcelotyrbe (oris eſt malum, ac crurum, ut vocabula indicant) medetur herba Britannica, ſic, ut puto, nuncupata, quia creſcat in Batavia, ac Friſia ad Oceanum Britannicum. A Friſiis hanc didicere Romani. Plinium adi lib. XXV, cap. III.

Plura ſi è plantis remedia capitis morbis voles, adi Plinium lib. XXV, cap. XI, XII, XIII.

Cap. XXXII.

De illis externis particularibus morbis, qui ſunt colli, pectoris, ventris, manuum aut pedum; horumque remediis iride, lapatho, andrachne, plantagine, lupino, paronychia, cyclamino, cotyledone, &c. Concluſio ſeu tranſgreſſio conquerentis naturæ, quid, contra quos.

STrumis gutturis hæc à Dioſcoride commendantur: iris Illyrica, lapathum, andrachne, plantago, argemone, libanotis, aparine, millefolium, ſcordium, cotyledon, prima, galiopſis, adiantum, pſeudobunion, coriandrum, lithoſpermon, capparis, laſerpitium, hordeum, lolium, fabæ, lens, lupinum, piper, groſſi. Ex compoſitis plura refert medicamenta Hieronymus Montuus a. Aliaque ex Arnaldo petere jubet.

a *Pag.* 288, & *ſeq.*

. . . .

In epidermide manuum ſæpe hominibus cacochymicis ex ichoris colluvie naſcuntur vermiculi adeo exigui; ut ſolum acutiſſimi viſus aciem non fugiant. *Acari* dicuntur, Gallis *cirones*. Pruritum cient. Cognoſcuntur ex lineolis, quas cutem perreptantes ducunt: ignitique facilè acicula eximuntur. Necantur amaris, ut vermium alii. Eoque conducit manus ſæpius lavare vino diluto cum farina lupinorum. Paronychiæ medetur frutex cognominis, ut habet Dioſcorides lib. XVII, cap. LIV. Alia remedia affert Plinius lib. XXIII, cap. III.

Perniones, Græcè χίμετλα, proveniunt ex frigore hiberno. Celſus non pedum modò, ſed & manuum eſſe tradit. Remedium dicet Plinius lib. XXVI, cap. X: *Decoctum radicis cyclamini pernionibus prodeſt.* Idem cap. XI refert, *perniunculos curari cotyledone cum axungia, foliis ex batrachio, epithymi ſucco.* Addit inde: *Clavos pedum extrahit ladanum cum caſtoreo; verbenaca ex vino.*

Radix lilii albi in vino decocta, clavis pedum medetur, teſte Plinio. Abunde igitur in herbis atque aliis remedii: ſed plerique medicorum malunt argute diſputare, quàm facilem adferre medicinam. Qua de re conqueritur Theodorus Priſcianus, vetus & elegans ſcriptor, lib. I εὐπορίστων, cap. I. Verba ejus apponam, ſed aliquanto emendatius, quam vulgo leguntur: *Jactetur ager magna tempeſtate, morituro collegii caterva concurrat: tunc nos non periculi ratio poſſidet, nec communis naturæ conditio convenit: ſed tamquam in Olympico* (male vulgo Tempico) *agone, alius eloquentia, alius diſputando; alius adſtruendo, deſtruendo* (non ut vulgo diſtribuendo) *alius, inanem gloriam captat. Interea dum hi inter ſe luctantur, atque ager fit fatis propior, nonne videtur natura ipſa rerum hæc dicere? O fruſtra ingratum mortalium genus: occiditur ager, non moritur: & mihi fragilitas imputatur. Sunt triſtes morbi, ſed dedi remedia: latent in fructibus* (malè vulgo fluctibus) *venena, ſed plura germinant ſalutis officia.* Aliaque ibidem in hanc mentem.

Cap. XXXIII.

De plantarum uſu in κοσμητικῇ, ſeu ornatrice facultate, ac primò quidem in cura totius hominis, quâ gracilitatem, quave vitandam obeſitatem: Deinde in partium hominis, initio in pilis, horumque ſive defectu, quoad capillos, cilia, barbam: ſive exceſſu: tum canitie duplici, & porrigine, deque curandis palpebris. Ubi ſuppeditantur aloë, malum Punicum, panis triticeus, puls, aſphodelus, ſpongiola cynorrhodi, amygdalæ, ladanum, nardus, ſpica, abrotonum, oleum, vitis, chelidonia, oxymeli dioſpoleticum, diatrion pipereon, diacalamintha, lupina, beta, amygdalæ, roſæ, palmulæ, ampelitis, &c.

POſtquam de medicina è plantis omnium penè partium humani corporis aliqua diximus, quædam addam de κοσμητικῇ. Nam hæc quoque medicinæ accenſetur, ac ſuâ utilitate non caret, dummodo ſuis ſe limitibus contineat. Aliud verò, juxta Galenum, κοσμητική ſive exornatoria: aliud κομμωτική, ſive fucatrix. Prior naturalem corporis pulchritudinem tuetur, ac cuſtodit: altera inducit pulchritudinem adſcititiam. Prior proba: altera autem improba, nec bono digna viro, niſi à viro principe ad eam cogatur. Sanè Plutarchus refert, à Philippo, Macedonum rege, quendam judicum ordine motum, quia capillum tingeret: & cauſſam addit, quia nihil ſinceri ab eo eſſet ſperandum, qui fucum ipſis faceret capillis. Nec ſanè omnem ornatum eſſe medici curâ indignum ex Galeno ipſo liquet, qui de κοσμητικῇ agit lib. I τῶν κτ̀ τόπους. Summa verò capita hauſit è Critone: cui eo magis tribuenda eſt venia, quod in ædibus vixerit imperatoris. Nec du-

dubitavit Archigenes hoc tractare argumentum, vel Heraclides Tarentinus, vel etiam Cleopatra. Nec κοσμητικὴ ſolum pulchritudinem conſervat, ſed etiam ſanitatem ac robur confert: ut ait Galenus. De hac arte dicturus ordiar ab iis, quæ univerſi ſunt corporis; deinde acturus de iſtis, quæ propria ſunt alicujus partis. Totius eſt corporis cura, ne nimis vel gracilis ſis, vel obeſus: quamquam & ad valetudinem poſſis referre, quia admodum graciles valde obnoxii ſunt injuriis externis: obeſi autem iis, quæ ab ipſo corpore proveniunt. Gracilitas eſt à δυσκρασίᾳ *a* calida & ſicca: eoque conveniunt illi, quæ frigefaciunt, & humectant. Obeſitas eſt à temperie contraria: eoque conveniunt calefacientia, & exſiccantia. Maciem conciliat aloës uſus: item muſtum è malis Punicis ſi cum oxymelite bibatur: acetum cum pipere: item ſarcocolla, cinnamomum, alia. Obeſum pinguemque reddit oleum. Item panes triticei recentes, pultes, alica, faba, faſeoli, bulbi, paſtinaca, uvæ paſſæ, palmulæ, caſtaneæ; idemque de nucibus Euboicis tradit Ruellius. Præter Celſum, & veterum alios, adi Hieronymum Montuum libro de Salubritatis tutela, cap. ult.

a Mala temperie.

Nunc loquar de iis, quæ propria ſunt alicujus partis. Ac primum faciei. Inque his initium eſt de pilis. Ubi triplex conditio in conſiderationem venit. Nam vel diſplicet defluvium, vel ſuperfluitas eſt ingrata, vel non in ſubſtantia, ſed in qualitate aliquid cupimus immutari.

Defluvium eſt vel capillorum, vel cilii, aut ſupercilii, vel barbæ.

Ad capillorum defluvium pertinent ἀλωπεκία, & ὀφίασις. Hoc habent commune, quod proveniunt ab humore maligno. Diciturque ἀλωπεκία ex eo quia defluvio ejuſmodi vulpes ſit obnoxia: vel quia ubi ea minxerit, locus continuò areſcat, nec ibi herbæ ſuccreſcant: ut antea quoque dictum. Ὀφίασις autem vocatur, quia ab occipitio primùm decidant capilli ad duorum digitorum ſpatium: hinc ad aures utraſque malum ſerpat: ac tandem ſe defluvia hæc in priori parte conjungant. Quomodo ſerpendo anguem imitatur: quæ nominis eſt cauſſa.

Alopeciam explet cinis uſtæ radicis aſphodeli bulboſi, teſte Galeno. Idem præſtat cum melle cinis ſpongiolæ, quæ in cynorrhodi, ſive ſylveſtris roſæ, mediis naſcitur ſpinis. Auctor Plinius lib. XXV, cap. II. Atque, ut idem ait ejuſdem libri cap. XI, *Alopecias emendat nymphæa, & cicutæ radix, ſi unà tritæ illinantur.* Ibidem legas, ut defluentem capillum confirmet & denſet polytricha: item lingulaca circa fontes naſcens: adhæc & cyclamini radix. Adhæc ut veratri radix porriginem tollat, in oleo, vel aqua, decocta. De aloë quoque ſic idem lib. XXVII, cap. IV: *Capillum fluentem continet cum vino auſtero capite in Sole contra capillum peruncto.* Imo & beta cruda prodeſt alopeciis, ut eſt lib. XX, cap. VIII, ubi & addit utilem ulceribus, quæ in capite manant.

Cum verò ἀλωπεκία proveniat ab humoris malignitate, φαλάκρωσις ſive calvitium oritur ab inopia humoris. Ac ſincipite primò defluvium incipit capillorum, quia ſiccius eſt occipite, eo quod cutis ſolum oſſi hæreat: eunuchi verò non fiunt calvi, quia temperamenti ſunt humidi: Calvitium autem turpe ſemper habitum: unde Ovidius:

> *Turpe pecus mutilum, turpis ſine gramine campus,*
> *Et ſine fronde frutex, & ſine crine caput.*

Notum quoque, ut Eliſæus prophetes *b* ob calvitiem ſit irriſus à pueris clamantibus, *Adſcende calve, adſcende calve.* Julius etiam Cæſar in triumpho contemtim calvus mœchus audivit. Ac hujuſmodi, niſi pervulgata eſſent, permulta poſſent adduci. Ut mirandum non ſit, ſi multi etiam calvitio remedium quærant. Ac in juventute quidem ei, ut Avenzoar refert, occurritur illito oleo dulci amygdalarum: ut quod acrimoniam humoris auferat. Juvat & ladanum cum oleo myrtino in duplici vaſe liquefactum, ut eſt apud Galenum in primo κατὰ τόπον. Eſt & apud ſuppoſititium Æmilium Macrum:

b Sive 4 Reg. 2. 23.

> *Contritis cepis loca quæ nudata capillis,*
> *Sæpe fricans poteris capitis reparare decorem.*

Sententia eſt, ſi ceparum contritarum ſucco caput glabrum perfricetur, reſtituit capillos. Quod inde eſt, quia cepæ ſuo calore aperiant meatus, humoreſque noxios ſub cute digerant, ac corrigant. Vide Dioſcoridem lib. II, cap. CXXXVII, Galenum lib. II de alimentorum facultat. cap. LXXI, & Alexandrum Trallianum lib. I, cap. II.

Ciliorum ſimplex defluxus μαδάρωσις vocatur. Quod ſi obveniat ex palpebris craſſis calloſis, & rubentibus, πτίλωσις nominatur Galeno, Aëtio, & Æginetæ. Adverſus πτίλωσιν facit nardi, & ſpicæ decoctum in aqua.

Si barba lentius ſuccreſcat, Galenus in VI ſimpl. præſcribit cinerem abrotoni cum oleo tenui. Item piperis, euphorbii, ſuccum foliorum calami, muſcerdæ olei per combuſtionem expreſſi. Alii illinunt mel cum tritis juniperi baccis.

Hæc de pilorum defluvio. Ubi defectu laboratur. Eſt item cum laboratur copia: ut in piloſis. Nam & hoc in vitio poni oſtendit illud Ciceronis in Piſonem: *Non enim color iſte ſervilis, non piloſæ genæ, non dentes putridi deceperunt.* Piloſis conducit τιθυμάλλου κορύνης *a* liquor recens cum oleo in Sole illitus: ut ait Dioſcorides in IV Materiæ Medicæ, & Parabilium cap. CIV. Etiam ad pilos abſumendos utile eſt ex vino aſpergi cinerem ſarmentorum vitis & vinaceorum, ut tradit Ruellius. Præterea prodeſt ſuccus radicis chelidoniæ goſſypio illitus: ut tradit Sarac. Adhæc proſunt pſilothra ex colophonia, & aliis; de quibus Hieronymus Montuus opere antea memorato.

a Tithymalli coracem.

Præter hæc duo genera, ubi vel ſatis pilorum non eſt, vel nimium eſt, tertium ſe offert, quando qualitas diſplicet: ut ſi canities gratiam homini demat. Quare de ea quoque dicendum.

Canities, eſt à vitio humoris, quo aluntur capilli. Eſtque vel naturalis, vel morboſa. Naturalis, vel intempeſtiva, vel tempeſtiva. Intempeſtiva eſt in Albania & alibi, ubi capilli in pueritia ſunt cani, in ſenectute autem nigreſcunt: ut eſt apud Plinium lib. VII. Similiter grues in ſenectute nigreſcunt, quia plus humoris in pennas abit, quàm ut putreſcere citò poſſint: quemadmodum auctor eſt Ariſtoteles lib. V de Generat. Animal. Tempeſtiva eſt canities ſenum: ac provenit ab inopia caloris nativi, ſenectutis comite, vel cauſſa. Ubi enim calor nativus putredine fit imbecillis, non ultra concoquere eum valet humorem, qui alimentum ac materies eſt pilorum. Conſequitur igitur humoris ejus cruditas ac putredo: ut apud Ariſtotelem eſt loco antè memorato: item problemate XXXVI, ſect. X. Ac hujuſmodi quidem eſt canicies naturalis: cui non magis remedium eſt, quàm ipſi ſenectuti: qui morbus eſt immedicabilis. At morboſæ, ſive à morbo provenientis, diſpar eſt ratio. Multi enim, qui morbo canuerant, ubi ſanitati fuere reſtituti nigri ſunt renati: ut eſt apud Ariſtotelem in III de Nat. Animal. & V de Generat. Animal. Ac Hieronymus Montuus, Mitebelli Dominus, & Chriſtianiſſimi Regis Medicus, narrat libro de Salubritatis Tutela cap. ult. audiiſſe ſe ex πολυγλώττῳ *c* illo, & undecumque doctiſſimo Guilielmo Poſtello, quomodo ſibi itinere ſuſcepto in Græciam, Aſiam, ipſamque Indiam, in locum canorum defluentium, nigri ſuccreverint capilli. Porrò tum natura, tum morbo, primò caneſcere ſolent tempora, quia locus ille humidior eſt ob muſculos ingentes. Etiam humidius eſt ſinciput, quàm occiput; eoque & eâ parte celeriùs caneſcimus. Quod ſi Ariſtotelem audimus, citius caneſcunt rufi, quia is color index eſt imbecillitatis. Sed de hoc aliter Hieronymus Montuus loco antè dicto. Sic enim ſcribit: *Nos obſervavimus, ſubinde contrarium eveniſſe: nempe non facilè, ſed ſerò caneſcere rufos. At caneſcunt citius, qui à ſenioribus orti ſunt parentibus: & qui educati à vetulæ nutricis lacte fuerunt. Namque proles optima eſt, cùm vigent parentes*

c Multarum linguarum perito.

rentes, ut ait Ariſtoteles v *de nat. Animal. Vis quoque lactis ſatis apparet in hædo, ovis lacte nutrito. Siquidem hædus pilos obtinebit molliores: quod animadvertit Macrobius in Saturnalibus.* Ac deinceps fusè oſtendit Montuus, quomodo morboſæ canitiei poſſit occurri. Commendat verò victum, quo corroboretur calor nativus: item qui attenuat; & abſterget. Hujus generis ſunt oxymeli Dioſpoliticum, diatrion pipereon, diacalaminthа, triſera Joannitii, triſera minor, electatium ex aromatibus, confectio alhatif Meſuæ, diagalanga, electarium lætificans Almanſoris, electarium de ſcilla, trochiſci ſtellæ Avicennæ. Ibidem etiam legere poſſis, qui pili reddantur nigri, flavi, criſpi, molles, denſi. Quæ omnia exſcribere longum fit. Etiam in pilorum vitiis eſt πιτυρίασις. De qua Serenus Sammonicus:

Eſt inſenſibilis morbus, ſed, noxia forma,
Cum caput immenſa pexum porrigine ningit:

Vulgo *furfures* appellant. Sæpius verò capillos occupat, rarius barbam, quandoque ſupercilium. Et provenit ab humore vitioſo, ſive is ſalſa ſit pituita, ſive bilioſus & melancholicus ſanguis caput ſubiens. Adi Celſum lib. VI, Galenum κτ. τόπ. & V Epi. com. III, Æginetam lib. III. Diſtinguendum verò inter porriginem humidam, & ſiccam. Si fuerit humida, ablue caput, locumve affectum, decocto lupinorum; ut eſt apud Æginetam. Sin fuerit ſicca, farinam feniculi ex vino capiti induc: ut ait Marcellus Empiricus. Vel illinatur ſuccus betæ, ut præcipit Serapio. Vel lavetur caput lacte amygdalarum, aut decoctis radicis liliorum alborum, aut vino cocto cum arundine. Verùm ſæpe ſatius eſt ejuſmodi remediis abſtinere, quia vitium eſt non omni parte vitioſum: quippe quod in ſe plerumque perniciem convertat: ut eſt apud Marcellum Empiricum. Eoque, ſecundùm Celſum, præſtat ſubinde pectendo à furfuribus mundare caput, quam malum penitus prohibere. Etiam è plantis ſunt, quibus venuſtent ac ſucent, palpebras. Callitlephara vocitant. Hujuſmodi fiunt ex uſtis roſarum foliis, teſte Plinio lib. XXI, cap. XIX; vel nucleis palmarum, ut eſt apud eundem lib. XXVII, cap. IV; item ex ampelitide, eodem teſtante lib. XXXV, cap. XVI. Nimis ſeverus, more ſuo, eſt Tertullianus, cum lib. de Cultu feminarum cap. X, ait talia eſſe feminis monſtrata ab angelis peccatoribus: quos cum feminis conſueſſe, & inde ante cataclyſmum gigantes genuiſſe, multi veterum crediderunt, impulſi libro, qui Enochi dicebatur.

CAP. XXXIV.

De parte ea Coſmetices, quæ verſatur circa faciei colorem, maculas, puſtulas, cicatricum veſtigia, & rugas; necnon aliquid de dentibus & ſaliva. Ubi uſus eſt fabarum, nymphææ, pomorum acidorum, fragorum, liliorum, ari, juniperi, terebinthi, ſalicis, iris, perſicæ, calaminthæ, roſæ, vini, roſmarini ſeu libanotidis, ſalviæ, cinnamomi, coriandri, gallæ, &c.

A Pilis & eorum accidentibus, tranſeo ad ea, quæ ad faciei colorem, vel maculas, vel puſtulas pertinent. Nam & hæc faciunt ad faciem univerſam. Malus faciei color Græcis dictus ἐφηλὶς, ἀπὸ τῆ ἡλίε, h.e. Sole. Plinius nunc vocat *diſcolorem à Sole cutem*, nunc *à Sole uſtam*, vel *aduſtam*. Idem hoc pacto deformiores appellat *ſolatos*. Verùm obtinuit ἐφηλίδα non tantùm vocari, ſi vitium ſit à Solis ardore; ſed etiam ſi ab aliis fuerit cauſſis aſperitas & durities mali coloris, ut eſt apud Celſum lib. V, cap. V. Nempe quotieſcunque facies pro candore refert nigrorem, pro levore aſperitatem. Adverſus hanc conducit aqua è floribus fabarum, vel nympheæ, vel liliorum alborum. Item è ſeminibus melonum vel radicum iridis, vel draguntеæ, vel ſigilli Salomonis: ut tradit Hibres herbarius. Ex compoſitis item aqua ex fragis cum radice liliorum alborum. Vel aqua liliorum alborum cum aqua plantaginis, & florum ſambuci. Adhæc unguentum citrinum; ut eſt apud Hier. Montuum *a*.

Rubor faciei ac naſi ſunt à calore hepatis. Ac incrementum caloris etiam puſtulæ conſequuntur. Occurritur, ſi inungatur veſperi facies ſucco pomorum acidorum: mane autem abluatur aqua, in qua amygdalæ, & ſemina melonum ita fuerint comminuta, ut lac videatur. Sic præcipit Joannes Crato à Craftheim lib. IV conſilio VIII *b*; pluraque ibidem in hanc rem.

a De Tutela Salubritatis cap. ult.

b Pag. 48. edit. Francof. an. 1593.

Faciei colorem bonum conciliant aquæ florum fabarum, & fragorum. Vinum etiam aromaticum ſive zingibere, & cinnamomo conditum feminis cutim reddit albam, puram, & magis coloratam. Sunt hujuſmodi liquores & alii permulti, qui idem præſtent. Eos petere licebit ex Euonymi Philiatri Theſauro *c*.

Crocus juſculis miſtus εὐχροιαν *d* conciliat, teſte Dioſcoride.

c Pag. 275. uſque ad 293.

d Coloris ſuavitatem.

Præterea candorem & faciei, & collo, conciliamus, ut apud Epiphanium legere eſt, radicibus lilii, ari, dracunculi, recentium an. ſelibram, aquæ florum fabarum ſeſquilibram, aquæ roſaceæ drachm. VIII, & cinamomi an. drachm. II. Alia etiam remedia ex plantis vide apud Euonymum Philiatrum, & Hieronymum Montuum *e*, qui multus eſt in hoc argumento. A colore me conferam ad maculas faciei.

e Pag. 300. & tribus ſeqq.

Lentigini medemur lixivio cineris juniperi, item aqua è terebintho exſtillata quæ noctu illinitur, mane detergetur. Etiam oleum myrobalanorum commendatur ab Aëtio, & Jo. Manardo. Cardanus præcipit, acetum exſtillatum illinere, ac poſtero die abluere aqua, in qua cocta ſit malva, & furfures.

Ἰόνθοις ſive varis conducit aqua & foliis ſalicis cum pulvere caryophyllorum. Vel aqua ex foliis ſalicis, & perſici deſtillata. Quod traditum Euonymo.

Ὑπωπίοις ſive ſugillatis conducit nux pinguis comeſta: ut ait Aëtius item fabæ lomentum cum melle ſubactum, atque illitum. Item aloë cum melle illitum. Etiam jam inveteratis nigriſque medetur ſuccus abſynthii, & raphani ſativi, olei myrtini, & chamæmeli.

Præterea faciei & cutis maculas delet ſuccus foliorum ireos cum fabarum farina illitus. Idem præſtant farina lupinorum, hordei, lentis, amyli, raphani, cum ſic lacte illinantur. Item oleum è ceraſorum nucleis: ut expoſitum.

Theſauro Euonymi tam pulchro nomine digni.

Nec enim Euonymus ille φιλίατρ☉ alius eſt exiſtimandus, quàm magnus Germaniæ πολυίςωρ *f*, Conradus Geſnerus, vir undecunque doctiſſimus.

f Multiſcius.

Supereſt, de tuberculis, ac puſtulis aliqua addamus: item cicatricum veſtigiis, ac rugis. Tubercula faciei rotunda, quæ Gallis *rubiz*, perſanantur ſi humectes aqua deſtillata de foliis perſici & ſalicis, æquo pondere mixtus; ut eſt in Euonymi theſauro *g*.

g Pag. 277.

Veſtigia cicatricum, ſive hæc in facie, ſive vel aliarum aliis corporis partibus, ſi illinantur ſucco calaminthæ cum pari roſacei, & ceruſæ menſura, ita delentur, ut non appareant: quemadmodum tradit Aëtius.

Rugis obviam itur aqua ex floribus ac radice liliorum alborum, cum coctis ovorum aquatis deſtillata: ut loquitur Hier. Montuus *h*. Iiſdem medemur, ut Hibres herbarius ait, vino albo in quo elixati ſunt flores roriſmarini. Hactenus de iis vidimus, quæ tota facie vagantur. Sunt præterea, quæ ad certam capitis partem melius referantur. Ut gingivam, dentes, os.

h Pag. 274.

Dentibus candorem conciliat aqua roſacea, aqua ſalviæ, aqua origani, cinnamomum, alia: de quibus plenius Hieronymus Montuus *i*. Ex Myrepſo etiam diſcere eſt, dentes ſervari illæſos, ſi quotidie manducetur radix pentadactyli.

i Pag. 281.

Oris vitium eſt gravis anhelitus. Sed de illo poſtea. Eodem pertinet vitium itentidem ſalivandi. Saliva ſi modum exceſſerit, lingua illinatur ſemine coriandri levigato cum vino. Vel colluatur galla trita cum ſolano, & aceto. Quod

eſt

eſt apud Myrepſum. Vel comedantur ſemina coriandri præparata, ac ſaccharo confecta.

Cap. XXXV.

De remediis adverſus ea, quæ deformant pectus, ventrem, vel artus, ubi conveniunt lens, plantago, ſambucus, lilia, faba, oriza, panis candidus, quinquefolium ſeu pentaphyllum, tithymallus, ſaccharum, &c.

PErgamus ſpeculari fœcunditatem Naturæ, quæ etiam proſpexit homini ad ornatum pectoris, ventris, manuum pedumque.

Ne virginum mamillæ nimium excreſcant, cohibentur epithemate ex alumine, ceruſa, plumbo uſto, lente toſta an. drach. j. cum ſucco plantaginis: ut idem Mon-
a Pag. 290. tuus *a* tradit. Mamillarum rimis imponatur amygdalum aqua roſacea ſolutum, dilutumque. Ita Cocles. Papillarum fiſſuris utile illini interiorem ſambuci corticem cum adipe gallinæ, & cera alba.

Mamillis pendulis erigendis Arnoldus præſcribit reme-
H Mont. 281. dium ex radice liliorum alborum, cum roſaceo, atque aliis. Apud Dioſcoridem legas non creſcere virginum mammas, ſi cicutæ ſucco illinantur. Atque eadem vis epithemati ex ſucco ſeminis & foliorum lapathi: ut ait Montanus. Qui alterum remedium addit ex lomento fabarum, oleo roſato, ſucco cichoreæ, & plantaginis.

Ventris rugas corrigit, ceratum ex ſucco radicum liliorum alborum cum melle albo, & cera liquefacta: ut eſt apud Arnaldum. Idem præſtat illitum oleum nucis Indicæ. Vide & Aetium lib. XVI de plantis.

Manus candidas ac molles facit, ſi laventur farina fabarum, vel orizæ, cum lacte mixta. Item ſi lacte maceretur medulla panis candidi. Necnon ſmegmate ex oleo amygdalarum dulcium, & caryophyllorum. Præterea ſapo ex palma, manuum candorem præſtat: ut eſt apud Cæſarem Scaligerum Exercitat. CLVIII, ſect. VII.

Suus etiam eſt ornatus unguibus, manuum imprimis. Quamquam non tantum propter decorem dati ſunt: ſed etiam quia manus digitique ſic muniti meliùs quidque agunt. Priorem rationem commemorat Ariſtoteles lib. IV de Partibus Animalium, cap. X: poſteriorem idem primo de uſu partium. Ubi & cauſſam legas, cur mortuo etiam homini excreſcant. Nempe quia generantur ex tendonum excremento. Itaque ubi tendones deſinunt, iſtic incipiunt ungues. Ad ornatum unguium facit, ſi non ulterius protendantur, quàm ſummi digiti. Quod facile conſequimur, ſi ſingulis reſecentur hebdomadis. At ſuperſtitioſum puto, cum die Jovis id fieri jubet Tacuinus Caroli M. præceptor: adſentiente etiam Nicolao Florentino, & Arnoldo ..... Magis laborandum de πτερυγίῳ, cum caro initium unguis operiens ſic excreſcit, ut ulteriora etiam tegat. Item παρωνυχίᾳ, ſive reduvia, cum caro circa unguium radices reluitur, ſive reſolvitur ac finditur: unde & nomen. Nam *reduvia* dicitur quaſi *reluvia*, L in D abeunte: quomodo à μελετᾷν eſt *meditari*. Remedio juvat Plinius lib. XXVI, cap. V. *Digitorum vitiis omnibus, & privatim pterugiis quinque folium medetur.* Etiam conducit illitus tithymalli liquor: ut eſt in Dioſcoridis Parabilibus cap. CXCI. Item ſaccharum in pulverem contritum, atque inſperſum.

Maculas unguium delet, ſi palmularum caro ex roſaceo illita, vel infricata caro mali Medici ſive citrei fuerit.

Adverſus unguium fiſſuras admodum prodeſt illini iis aquam cynogloſſæ ſtillatitiam.

Quaſſatis unguibus medemur ſuperligando faſciolam cum centaurei ſucco.

Cap. XXXVI.

De remediis è plantis adverſus malum odorem cùm totius corporis, tum alicujus partis anhelitus, gingivæ, narium, axillarum, pedum. Ubi utiliter adhibentur ſpica Celtica ſeu Gallica, lavendula, malum Medicum, maſtiche, ſcillites, roſæ, vinum, nux myriſtica, paſtilli roſacei, myrtus, &c.

OCcurrimus hactenus vitiis, quæ in oculos incurrunt. Eſt verò cum non oculi offenduntur, ſed nares. Ut cum quis gravem de ſe odorem ſpirat. Eſt ea graveolentia vel à toto corpore: vel à certa corporis parte.

Graveolentia totius corporis provenit ab humoris, ſudoriſque putrefactione: ut eſt apud Avicennam in ſeptima quarti. Hoc vitium bona concoctione corrigitur: foris verò utile ablui corpus balneis, ac lavacris ex ſpicæ Gallicæ, vel lavendulæ decocto.

Ex illis certæ partis, primò eſt, ſi anima male oleat. Adverſus quod remedio eſt, ſi comedantur ea quæ grati ſunt odoris. Parthi quidem, ut apud Plinium eſt, ſic commendare halitum ſolent. Deque malo Medico ſive Aſſyrio, quod & citrium dicitur, ſic Maro ſcribit lib. II Georg.

—— *Animas, & olentia Medi*
Ora fovent illo, & ſenibus medicantur anhelis.

Etiam cortex mali Punici huic vitio medetur. Utile quoque eſt manducare maſtichen; aut myrrham, aut ſemen aniſi, aut agallochum, aut malobathrum, aut nucem myriſticam. Suntque alia id genus ſuaveolentia complura.

Etiam gravis anhelitus eſt à laxis & putreſcentibus gingivis. Hæ illinantur aceto ſcillino: ut eſt apud Meſuam. Exeſis, in qualibus ciborum reliquiæ putreſcunt, utile eſt inſpergi pulverem ſeminis roſarum, & calami odorati veteris, de quo plenius Montuus *a*. a Pag. 282.

Eſt & fœdus narium odor ex retento humore, qui è naribus venit. Huic ſuccurritur, ſi nares & os colluantur vino calido, in quo nux myriſtica ſit comminuta. Etiam medicamentum eſt naribus purgandis, quod ἔῤῥινον dicitur. Hoc illinitur vel inſufflatur naribus ægri, capite deorſum ſpectantis, ut ſic meliùs corruptus humor deſtillet. Conſtat verò id medicamentum extergentibus, & acrimoniâ ſuâ irritantibus vim expultricem: ut ſunt betæ ſuccus, melanthium, veratrum, iris ſicca, ſtaphis agria, & ſimilia.

Hircus eſt ex putredine humoris qui ſub axillis: nempe parte ea, quæ quia obtecta ſemper minus humorem ſuperfluum poteſt exſpirare. Huic vitio corrigendo ſuadet Dioſcorides, ut illinantur paſtilli roſacei.

Spurcus etiam odor ab iis fertur, qui eam nequeunt continere. Quo de vitio alibi loquimur.

Pedum fœtor itidem ex putredine humoris oritur. Corrigitur is ſi inſpergatur aromatum pulvis, qui cruditatem corrigit. Præterea expedit crebrò lavari pedes è vino, in quo elixatæ ſint roſæ, myrtus, roſmarinus, menta, lavendula, ſampſuchus, ſalvia, & meliſſophyllum.

Cap. XXXVII.

De vi quam plantis Magi tribuerunt, quà ſtupenda quædam opera fidem & captum rationis ſuperantia, tum quà abigendum aut præpediendum faſcinum, liberandos dæmoniacos, & certo ritu ſanandi vulgares quoſdam morbos. Ubi memorantur balis, æthiopis, achæmenis, latace, baccharis, baaras, melampodium, bugloſſum, & muſcus lapidis vulgaris.

QUæ hactenus diximus, ejuſmodi ſunt, ut non videantur excedere naturæ vires. Præterea verò plurima tradi videas, quæ licet incredibilia ſint, à Magis tamen inter arcana Naturæ habeantur. Ut quod Xanthus Lydiacorum ſcri-

ſcriptor, refert, occiſum draconis catulum ad vitam revocatum herbâ quam balin vocant, ac Thylonem, quem interemerat draco, eâdem vitæ reſtitutum. Quodque hominem herbâ in Arabia redditum vitæ prodidit Juba Mauritaniæ rex doctiſſimus. Quod idem contactu herbæ cujuſdam ab alite illatæ exilierit cuneus arbori à paſtoribus adactus: ut Democritus ſcripſit, & Theophraſtus credidit. Ea legere eſt apud Plinium lib. xxv, cap. II. Atque ſubjungit: *Quæ etiamſi fide carent, admirationem tamen implent: coguntque confiteri, multum eſſe, quod vero ſuperſit. Inde pleroſque ita video exiſtimare, nihil non herbarum vi effici poſſe, ſed plurimarum vires eſſe incognitas: quorum in numero fuit Herophilus, clarus medicinâ; a quo ferunt dictum, quaſdam fortaſſis etiam calcatas prodeſſe. Obſervatum certè eſt, inflammari vulnera ac morbos ſuper ventu eorum, qui pedibus iter confecerint.* Equidem Herophili dicto non invitus ſubſcripſero, vel propter experientiam, de quâ Plinium vidimus teſtari. Sed enim non capio, quomodo hoc collegerint ex illis, quæ Plinius agnoſcit vero ſupereſſe. Nec enim ex falſis ſolidè quicquam, niſi ex hypotheſi, colligitur. Alia etiam Magicæ vanitatis exempla compluria adfert, ac ſimul refellit, atque irridet, Plinius lib. XXVI, cap. IV. Primum eſt, *Æthiopide herba amnes ac ſtagna ſiccari conjectu, tactu clauſa omnia aperiri.* Adverſus quæ ait, *Siccentur hodie Æthiopide Pontinæ paludes, tantumque agri ſuburbanæ reddatur Italiæ.* Ac aliquanto poſt: *Non ſatius fuit Æmilianum Scipionem Carthaginis portas herbâ patefacere, quàm machinis clauſtra per tot annos quatere?* Alterum eſt, *Achæmenide conjectâ in aciem hoſtium trepidare agmina, ac terga vertere.* Contra hæc dicit: *Ubi nam iſta fuit, cum Cimbri Teutonique terribili Marte ulularent, aut cum Lucullus tot reges Magorum paucis legionibus ſterneret.* Tertium eſt, *Latacen dari ſolitam à Perſarum Rege legatis, ut quocunque veniſſent, omnium rerum copiâ abundarent.* Contra ea ſic ſcribit: *Cur hercule Cæſaris miles ad Pharſaliam famem ſenſit, ſi abundantia omnis contingere unius herbæ felicitate poterat.* Quartum eſt, quòd *apud Democritum invenitur compoſitio medicamentorum, quo pulchri, bonique, & fortunati gignantur liberi.* Subjicit Plinius: *Cur nunquam Perſarum Regi tales* (herbas) *dedit?* Tandem ſic colligit: *Mirum profecto hucuſque provectam credulitatem antiquorum, ſaluberrimis ortam initiis, ſi in ulla re modum humana ingenia noviſſent.* Ac conqueritur, *Medicinam ab Aſclepiade repertam evectam ultra Magos etiam.* Puto, à Magis etiam eſſe quòd plantas prodeſſe traditum contra faſcinum. Uti baccharem. Unde Maro Eclog. VII:

—— Bacchare frontem
Cingite, ne vati noceat mala lingua futuro.

Eſt verò baccharis non quidem *nardum ruſticum*, ut quoſdam putâſſe ait Plinius lib. XXI, cap. VI: ſed *aſaron*, ut idem docet libris ejuſdem, cap. XIX. Sane aſarum Crateuas Baccharim nominavit. Verùm diverſas eſſe herbas, docet Dodonæus lib. de Floribus, cap. LXXXIX.

Itidem vires tribuunt plantis contra dæmoniacos. Ut herbæ, quæ *baaras* vocatur à Flavio Joſepho lib. VII belli Judaici, cap. XXV: ubi narrat, hac herbâ admotâ, eos, qui à malo ſpiritu, ſive dæmonio, vexantur, ac, niſi ſuccurratur, ab eo necari ſolent, tanto periculo liberari, ſimulac admoveris herbam hanc, qua ſpiritus abigatur. Ibidem legas non niſi magno cum periculo carpi. Quippe refugere manus decerpere volentis, uſque dum eam perfuderis urina, vel menſtruo muliebri, imò tum quoque eam tangenti mortem certam imminere, niſi illam ipſam geſſerit radicem de manu pendentem. Sed & alterum eſſe modum, quo citra periculum capiatur. Ut ſi undique circumfodias, ita ut perparum ejus radix terrâ condatur: tum canem alliges qui nullo negotio evellat: ſed canem mori loco ejus, qui alligaſſet. Sed ſunt & iſta planè vana ac futilia.

Cùm nullam non herbam quavis dici hora citra ullum periculum evelli poſſe, hodie ſatis conſtet. Nihilo meliora ſunt, quæ alii, Theophraſto etiam, & Plinio teſtibus, prodiderunt: ſiquis de die evellere pæoniam paret, & conſpiciatur à Pico Martio, periculum eſſe, ne oculos amittat. Sin ſecuerit radicem, metum eſſe, ne procidant ſedes. Qualibus Andreas Medicus, Galeno teſte, ſuos repleratcommentarios. Nempe hauſerat ea ab Ægyptiis, qui præſtigiis, & mendaciis ejuſmodi ludificati genus humanum ſolent: Nec propterea in totum damnem, quod ajunt herbas dæmoniacis prodeſſe. Nam ſolent dæmones potiſſimùm invadere melancholicos, quia humor melancholicus maxime idoneus eſt adigere homines ad inſaniam ac deſperationem. Medici igitur officium eſt tales herbis purgantibus reſtituere ſanitati: quod ſi aſſequatur, dæmones vetus hoſpitium deſerunt, ut ſibi parum idoneum.

Notum quomodo Melampodio (ellebori id genus) Melampus ſanarit Prœtidas, quæ ſe vaccas putabant: ut dictum lib. III, cap. LXVIII. Nec herbis ſolùm talibus medemur: verùm aliis omnibus, quibus melancholia pellitur. Itaque & Saul, à dæmone occupatus, mitius ſe habuit, quando dulcedine citharæ à Davide deliniretur. Sic igitur ſtatuimus, ſæpe quidem melancholicos tantum eſſe, qui à dæmone obſideri creduntur, ac quandoque etiam tales eſſe, qui deferuntur ad exorciſtas: ut agnoſcit Valeſius libro de Sacra Philoſophia cap. XXVIII. Sæpe verò eoſdem & melancholicos, & dæmoniacos eſſe, quia dæmon melancholicos invadat, ut magis operationibus ſuis idoneos. Ac tum herbæ, atque alia, quæ melancholicum ſuccum ſubducunt, per ſe ac primò proſunt melancholico, ratione morbi: ex conſequenti autem, quatenùs corpus minus fit idoneum nequitiæ dæmonum.

Dioſcorides, & Appulejus junior, ſunt auctores, bugloſſi, ſive ut officinæ nuncupant, borraginis decoctam radicem tertianis mederi, ſi tres thyrſos ſeminis emiſerit: quartanæ autem, ſi quatuor fuerint thyrſi. Hæc planè magorum ineptiis digna. Ac ſimile, quòd Plinio traditum lib. XXVIII, cap. X: *Jubere magos, ut excrementa felis cum digito bubonis quartanis febribus adalligentur, & ne recedant, retineantur ad quartanum circuitum.* Atque idem legas apud Sextum Philoſophum lib. de Medicina animalium, cap. XVIII.

De lapide vulgari ſic Plinius lib. XXVII, cap. XI: *Lapis vulgaris juxta flumina fert muſcum ſiccum, canum. Hic fricatur altero lapide, additâ hominis ſalivâ: illo lapide tangitur impetigo. Qui tangit dicit,*

Φεύγετε κανθαρίδες, λύκος ἄγριος ὔμμι διώκει.
Fugite cantharides, lupus acer, vos inſequitur.

Cap. XXXVIII.

De uſu plantarum in veſtibus vel conficiendis ſeu materie inſtruendis, vel à blattis & tineis aliiſque id genus præſervandis ac liberandis, vel tingendis ſeu colorandis, vel grato odore imbuendis, peribolis & calanticis ſolidandis, vel denique varia inſtrumenta & adminicula textoribus, fullonibus, & cerdonibus præbendo. Ubi de incredibili utilitate unius arboris palmæ, tum goſſypio, lino: helichryſo, ſtœchade: violis, vacciniis ſeu hyacinthis, geniſta, cocco rubentem roſeum colorem reddente: baccare: decocto oryzæ, amylo: ligno materiali, carduis, cocco fullonio, malicorio, rhoë.

MUlta hactenus tum naturalia, tum magica, adduximus de uſu plantarum in Medicina. Sed infinitis partibus plura omiſimus: ut quibus animus non eſſet cuncta Medicorum ſcrinia compilare, ſed vix amplius, quàm levem præbere guſtum; quod Græcis eſt προγεύειν. Imò nec plantæ hoc ſolum rei medicæ conducunt, quod ἀμέσως a morbis ac vitiis corporis medeantur: ſed etiam ἐμμέσως b, quatenus materiem præbent medicorum ſive chirurgorum, vaſculis, ac inſtrumentis. Sic pyxi-

a Immediatè.
b Mediatè.

pyxidula primitus è buxo: narthecium è ferulæ ligno: indeque nomina. Nam πύξος *buxus*, νάρθηξ *ferula*. E lino item faſciolæ, mitella, hapſus, turundæ, lemniſci, & tot alia: quæ cognoſci malo ex Medicis, & iis, qui de vocum proprietate ſcripſerunt. Miſſis igitur, quæ ad medicinam, vel medicos pertinent, propero ad uſum plantarum in re veſtiariâ. Ubi primùm loquar de iis, ex quibus veſtes fiunt tale eſt linum, unde veſtes lineæ, quales laneis præferebantur ab Iſiacis: ut ait B. Hieronymus in c. XIX Jeſaiæ. Cauſſam ejus ex Plutarcho alibi adduximus.

Etiam Plinius lib. XIX, cap. I auctor, *eſſe bulbi genus circa ripas amnium naſcens, cujus inter ſummum corticem, eamque partem, quâ veſcuntur, eſſe laneam naturam, ex quâ veſtes quædam conficiantur.* Atque ejuſce auctorem laudat Theophraſtum.

Ex palma itidem textilia fiunt. Quid mirum? cùm & panis inde conſiat, & mel, & vinum, & acetum: multiſque adeò rebus aliis inſerviat. Sanè apud Strabonem legas, palmas apud Perſas celebrari carmine quo numerentur ejus utilitates trecentæ & ſexaginta: tot videlicet, quot dies annus habere credebatur. Unde & Demetrio ſtatuêre Athenienſes æneas ſtatuas numero ſolum CCC LX. Atque hinc Varro de eo:

Hic Demetrius æneas tot aptus eſt,
Quot luces habet annus abſolutus.

Huc etiam pertinet inſignis locus Cæſaris Scaligeri ad Cardanum Exercitatione CLVIII, ſect. VIII: *In Moluchis cujuſdam arboris corticem aquâ macerant, atque tundunt, uſque dum ad ſerici veli ſpeciem redactum, atque ex filamentis contextum videatur. Eo ſibi operiunt feminæ pudenda. Habes apud Theophraſtum* ἐριοφόρους a *arbores: apud Plinium lanatas vites. Vulgo verò goſſypium, linum, cannabem.*

a Laniferas.

Goſſypion, Græcè tum γοσσύπιον, tum ſæpius ξύλον, fructum profert ex cujus interiori bombyce lanugo netur. Plinius lib. XIX, cap. I: *Superior pars Ægypti in Arabiam vergens gignit fruticem, quem aliqui goſſypium vocant, plures xylon: & ideo lina inde facta xylina. Parvus eſt, ſimilemque barbatæ nucis defert fructum: cujus ex interiore nuce lanugo netur, nec ulla ſunt eis in candore, mollitieve, præferenda.*

Videtur & Arabia etiam hunc fruticem producere. Nam Propertii eſt:

Nec ſiqua Arabio radiat bombyce puella.

Nam potius de xyli lana, quam ſerico, ceperim poëtam. Creſcit etiam in Creta, Melita, & aliis terris, Auſtrum verſus ſitis. Lana ejus Nicolao Myrepſo βομβάκιον, Italis *bombagio*, Belgis dicitur *bombaſin*, quaſi *boome-ſy*, h. e. ſericum arboreum. Aliter iiſdem *cottoen*: nec multum abit appellatio Gallica, Anglica, Hiſpanica: ſed hæc articulum Arabicum addit. Vocant enim *Algodon*. Ægyptiis ſacerdotes goſſipinis ſive xylinis veſtibus uſos eſſe, teſtis eſt Plinius loco antè memorato. Hodieque is habitus frequens Europæis, præcipuè ditioribus. Etiam in Sinæ regno nobiles quidem ſericis gaudent, xylinis cæteri.

Etiam eſt lini ſpecies amorgis, quæ Suidæ λινοκαλάμη. Variaque alia fuere linorum genera, è cannabe geniſtis, ac geniſtis in arbore ſuccreſcentibus. Sed principatum obtinuit linum Ægyptium. Quod Ægyptiis propterea in uſu: Iſiacis præcipuè, de quo in ſymbolica Ægyptiorum theologia dicam: ſed aliis etiam, ut oſtendit Herodotus in Euterpe. Ἐνδεδύκασι δὲ κιθῶνας λινέους, περὶ τὰ σκέλεα θυσανωτούς, τοὺς καλέουσι καλασίρις. ἐπὶ τούτοισι δὲ εἰρίνεα εἵματα λευκὰ ἐπαναβληδὸν φορέουσι. οὐ μέντοι ἔς γε τὰ ἱρὰ ἐσφέρεται εἰρίνεα. οὐδὲ συγκαταθάπτεταί σφι· οὐ γὰρ ὅσιον. *Veſtibus amiciuntur lineis, circa crura fimbriatis, quas calaſires appellant: ſuprà quas candida ferunt lanea ſuperjecta. Laneæ tamen veſtes, neque in ædes ſacras geſtantur, neque una cum cadavere ſepeliuntur. Profanum enim eſt.* Addit hæc eſſe conſentanea ſacris, quæ Græcis Orphica, & Bacchica vocantur. Eſſe verò ἱρὸν λόγον, ſacram rationem, cur in laneis aliquem ſepeliri ſit nefas.

Sacris quoque veterum Chriſtianorum veſtibus inſerviit linum. Unde apud Bedam in Marcum legas: *In Eccleſia mos invaluit, ut ſacrificium altaris non in ſerico, neque in panno tincto, ſed in lino terreno celebretur; ſicut eſt corpus Domini in ſindone mundâ ſepultum: juxta quod in geſtis Pontificalibus à B. Papa Silveſtro legimus eſſe ſtatutum.*

Nec plantæ ſolùm utiles ſunt veſtibus, quatenus materiem iis præbent; ſed etiam, quia veſtibus appoſitæ præſtant, ne obnoxiæ ſint tineis, & blattis. Ita ἑλίχρυσον flos, ſi veſtibus indatur, eas conſervat incorruptas: ut eſt apud Dioſcoridem. Etiam hac parte utiles ſunt ſtœchadis citrinæ flores. Quippe, ut pediculos, ac lentes, cum lixivio necant: ſic & tineas delent: unde Belgis *mottenkruyt* vocatur. Aliter dicitur *Rhijnbloeme*, quia ad Rhenum feliciter provenit circa ſolſtitium. Nec flores modò, ſed & cortex Medicæ ſive citriæ arboris veſtibus appoſita tineas necat, aliaque id genus inſecta noxia arcet. Vide Dodon. pag. 260, 261.

Ad rem veſtiariam etiam referre poſſumus colores: quando ab eorum nitore, ac varietate luxus in veſtibus magnam partem conſiſtit. Quare nunc dicam, ut plantæ inſerviant tinctorum cortinis, atque inficiendis pannis, & veſtibus. Præſtant hoc viola, & vaccinium. De quibus ſic Vitruvius lib. VII, cap.... *Tinctores, cum volunt ſolem Atticum imitari, violam aridam conjicientes in vas cum aqua conferveſcere faciunt ad ignem: deinde cum eſt temperatum, conjiciunt in linteum, & inde manibus exprimentes, recipiunt in mortarium aquam ex violis coloratam & ex ea eretriam infundentes, & eam terentes, efficiunt Solis Attici colorem. Eadem ratione vaccinium temperantes, & lac miſcentes, purpuram faciunt elegantem.* A violis quidem dicitur veſtis Janthina: nempe quia viola Græcis ἴον: quo vocabulo præcipuè intelligitur ἴον πορφυροῦν a, quod Theophraſto ἴον μέλαν, καὶ μελάνιον b. Etiam geniſtis in tinctura uſi. Plinius lib. XVI, cap. XVIII: *Subeunt in montoſa tingendis veſtibus naſcentes geniſtæ.* Dodon. pag. 15. a Viola purpurea. b Violanigra.

Frutex eſt exiguus, qui producit κόκκον βαφικὴν c. Sunt grana ſcatentia vermiculis, è quorum ſanie eſt color coccineus, ſive vermiculatus. Unde Lucillius emblemate vermiculato: Et Gloſſæ: κόκκος d, βάμμα e, vermiculus, *hoc coccum*. A quo colore hodieque *minium* vocant *vermillon*, quaſi vermiculorem dicas. Coccineus color imperatoribus dicatus, ut Plinius ait. Atque idem Plinius lib. IX, cap. XLI, tradit Romanos *cocco tinctum Tyrio tingere, ut fieret hyſginum.* Addit, *coccum Galatiæ rubens granum, ut dicemus in terreſtribus, aut circa Emeritam, in maxima laude eſt.* Remittit vero nos Plinius ad operis lib. XVI, cap. VIII, & lib. XXIV, cap. IV. c Coccum tinctorium. d Granum. e Tinctura. Salm. in Sol. pag. 272. & aliquot ſeqq. ubi & de hyſgino colore.

Quercu etiam tingi lanas tradunt, ut idem ait lib. XIII, cap. ult.

Utrum & Lyſimachiæ herba ſit idonea veſtibus colore cæruleo tingendis, fusè diſſerit Nicolaus Leonicenus diſſertatione tertiâ de erroribus Plinii: quæ eſt ad Franciſcum Tottum Lucenſem f. f P. 117, 118, 119.

Bacchar veſtibus odoris gratiâ inſeritur: ut eſt apud Plinium lib. XX, cap. XIX.

In peribolis collaribus, muliebribus capitis tegumentis, & id genus lineis, ut rigor ac ſoliditas quædam accedat uſus eſt oryzæ decocto vel amylo: quod è frumenti genere, Græci ὄλυραν, Latini arincam dixere. Germani dicunt *amelkoren*, quaſi dicas amyli frumentum.

Addam etiam aliquid de iis, è quibus præparantur inſtrumenta ad lineas, vel laneas, veſtes. Textorum penè omnia è ligno. E carduis eſt pecten fullonum, quo pannos rudes excitant in villos.

Etiam ad indumenta pertinent calceamenta. Ad hæc quoque, licet è corio plurimum fiant, plantarum ſe uſus extendit. Ac primùm ratione eorum, quibus corium præparatur.

ratur. Deinde ratione formæ, cui corium inducitur, ut calceus fiat. Ac denique ratione ſuberis, quo calceus attollitur.

Coria perficiuntur malicorio, h.e. cortice mali Punici: ut eſt apud Plinium lib. XXIII, cap. VI, & lib. XXIV, cap. XI.

Rhoe ſive rhu, frutex in petris proveniens, utilis ad pelles inſpiſſandas.

Lignea eſt forma, cui ſutor inducit corium quò calceum faciat. *Muſtricolam* vocat Feſtus: fortaſſe quia monſtret, quomodo ſuendus ſit calceus. Nempe à monſtrum fit monſtricola, & liquidâ eliſâ moſtricola, vel muſtricola. Sic à monſtrum, moſtellum, unde Plauti Moſtellaria. At Iſidoro in Gloſſis *Muſtricula* idem eſt ac *decipula*: à muribus ſtringendis, vel potius tricandis, h. e. intricandis.

Suberi inde nomen, quia inſuatur. Nempe à *ſuo*, *ſuber*, ut à *tumeo*, *tuber*. Partim verò inſuitur, ut quis grandior videatur, partim arcendo frigori. Qua de re ex Alexio Comico, ac Xenophonte agit Petrus Victorius lib. XV, cap. XIII. Apud Romanos feminæ utebantur tempore hiberno: ut ait Plinius lib. XVI, cap. VIII.

Cap. XXXIX.

De plantarum utilitate in ædificiis & utenſilibus tum terreſtribus, urbanis & ruſticis; tum navibus, quæque eò ſpectant. Ubi de modo & tempore lignandi, quæque ligna cuique rei conducant. Ædificiis aptiſſimum robur, ulmus, populus, cupreſſus, abies. Evolvitur ſtructura templi Dianæ. Rigorem fortiſſimè ſervat ulmus. Juniperus in ſubdialibus convenit. Larigna caſtella ignem non admittere. Etiam frutices ædificiis inſervire, ut harundo. Citrus, terebinthus, operi maximè congruunt inteſtino. Menſa Ciceronis unde, & quanti. Lecti veterum quotuplices, & quales. Ficulneorum cochlearium virtus. Stragula, cunæ, cophini. Inſtrumenta agricolarum, piſcatorum, venatorum. Illuſtris abies & pinus in ædificandis claſſibus.

EX his, quæ de re cibaria, medicamentaria, & veſtiaria, vel calcearia diximus, vidimus uſum plantarum, qui ad coquum, medicum, & ſarcinatorem, ac ſutorem pertinet. Nunc oſtendam de uſu in ædificiis & navibus quem Plinius ſignet, cùm lib. XII, cap. I ait: *Arbore ſulcamus maria, terraſque admovemus: arbore exædificamus.* Priùs de ædificiis, deinde de navibus dicam. Ac ad ædificia quidem attenditur, & quando arbores cædi oporteat, & quomodo, & quas imprimis. De quibus omnibus accurate Theophraſtus lib. V Hiſt. Plant. ac Vitruvius paucis lib. II, cap. I, fuſeque cap. IX. De iiſdem egere Cato de R. R. cap. XVII, Columella lib. XI, cap. II, Plinius lib. XVI, cap. XXXIX, Palladius lib. XI, cap. XV. & è Græcis Caſſianus Baſſus in Geoponicis Conſtantino Cæſari dicatis cap. XXXV. Quare erimus hoc loco breviores: præſertim de primis duobus: de tertio enim aliquanto pluribus agendum.

De tempore, quo arbores cædi debeant, hæc complurium ſententia eſt: non cædendam tempore verno, quia tum arbores prægnantes ſe efferant in frondes, & fructus. Propterea conducere tempus poſt ſolſtitium, deſinereque antequam Favonii flare incipiant, quod fit VI Id. Febr. Hibernum verò tempus eſſe maxime idoneum, quoniam frigus tum materiem comprimat, & conſolidet.

Quod ad modum incidendi arbores, de hoc Vitruvium audiamus: *Cædi ita oportet, ut incidatur arboris craſſitudo ad mediam medullam, & relinquatur, uti per eam exſicceſcat ſtillando ſuccus. Ita qui ineſt in his inutilis liquor, effluens per torulum emori in eo ſaniem, nec corrumpi materiæ qualitatem. Tum autem cum ſicca, & ſine ſtillis erit arbor, dejiciatur, & ita erit optima in uſu.*

Maximè ædificiis idoneæ, ut Vitruvius ait, *robur, ulmus, populus, cupreſſus, abies*, & quædam aliæ, quas tamen comprobat naturâ differre. Plinii *a* ſunt iſta: *Infœcunda firmiora fertilibus; niſi quo in genere mares ferunt, ſicut cupreſſus, & cornus. Cariem vetuſtatemque non ſentiunt cupreſſus, cedrus, ebenus, lotos, buxum, taxus, juniperus, oleaſter, & olea. Ex reliquis tardiſſimè larix, robur, ſuber, caſtenea, juglans. Rimam, fiſſuramque non capit ſponte cedrus, cupreſſus, olea.* Quod ad laricem quod ea non abſumatur carie, vel tineis; id eſt ob amarorem. Imò & ejus laus eſt, quòd caſtella inde exſtructa vix ignem admittant; ut ex Vitruvio dicam, cùm de lignorum ad ignem uſu loquar. De ædificiorum verò materie vix aliunde meliùs poſſit judicari, quàm numinum ſimulachris, ac præcipuè ex templo Dianæ Epheſiæ; quippe ut Plinius *b* ait, à tota Aſia quadringentis annis *c* exſtructo. Pertinent quidem & ad plantarum in falſi numinis cultu abuſum: de quo ſeorſum poſtea dicam: ſed quatenus hic durationem lignorum in ædificiis universè conſideramus, non poſſumus illuſtriori documento eam rem comprobare, quàm è ſtatuis ac templis. Plinium igitur audiamus, qui de Diana Epheſia ſic refert ibidem: *Convenit tectum ejus eſſe è cedrinis trabibus.* Nempe cedrus utilis ſtructuris, quia cariem ac putredinem neſcit. Interim rebus aliis bene affectis putredinem adfert: ſed corruptas reſtituit ac conſervat. Poſtea apud eundem Plinium ſequitur: *De ipſo ſimulachro Deæ ambigitur. Cæteri ex ebeno eſſe tradunt. Mutianus ter conſul, ex his, qui proximè viſo eo ſcripſere, vitigineum, & nunquam mutatum, ſepties reſtituto templo.* Adjicit mox: *Valvas eſſe è cupreſſo, & jam quadringentis prope annis durare materiam omnem novæ ſimilem. Cupreſſus in eas electa, quoniam præter cætera uno in genere materiæ nitor maximè valeat æternus. Nonne ſimulachrum Vejovis in arce è cupreſſo durat, à condita Urbe quingenteſimo quinquageſimo primo anno dicatum? Memorabile & Uticæ templum Apollinis, ubi Numidicarum cedrorum trabes durant, ita ut poſitæ fuere prima urbis ejus origine, annis* CIↃ C LXXXVIII. *Et in Hiſpania Sagunti ajunt templum Dianæ à Zacyntho advectæ cum conditoribus annis ducentis ante excidium Trojæ, ut auctor eſt Bocchus: infraque oppidum ipſum id haberi. Cui pepercit religione inductus Annibal: juniperi trabibus etiam nunc durantibus. Super omnia memoratur ædes in Aulide ejuſdem Deæ, ſeculis aliquot ante Trojanum bellum exædificata.* Ac ſubdit: *In plenum dici poteſt, utique quæ odore præcellant ea æternitate præſtare.* Plura vide ejuſdem libri cap. XLII.

a Lib. 16. cap. 40.

b Lib. 16. cap. 40.

c Pro quo tamen ducentis viginti eſt lib. 36. cap. 14.

Eſt verò non modò diſcrimen in arboribus, ſed etiam ædificii partibus. Unde ibidem *d* Plinius: *Rigorem fortiſſimè ſervat ulmus: ob id cardinibus, aſſamentiſque portarum utiliſſima, quoniam minimè torquetur: permutanda tantum ſic, ut cacumen ab inferiore ſit cardine.* Et aliquanto poſt: *Juniperus in ſubdialibus aptiſſima.* Trabibus maximè idoneæ abies, & larix: nempe quia ambæ, ut Plinius inquit ejuſdem libri cap. XLII, *pondus ſuſtinent validè, etiam in tranſverſum poſita.* Ac paullo poſt ait: *Facile panditur juglans. Sunt enim & ex ea trabes: frangique ſe prænunciat ſtrepitu: quod in Antandro accidit, cùm è balneis territi ſono profugerunt.* Continuò ſubdit: *Pinus, picea, alni, ad aquarum ductus in tubos cavantur.* Ac mox: *Firmiſſima ad tectum abies. Eadem valvarum repagulis aptiſſima.*

d Lib. 16. cap. 11.

Nec modò ex arboribus domicilia, vel eorum partes conſiunt: ſed ipſæ etiam pro domicilio eſſe poſſunt. Audiamus Plinium lib. XII, cap. I: *Nunc eſt* (platanus) *clara in Lycia gelidi fontis ſocia amœnitate, itineri appoſita, domicilii modo cava octoginta, atque unius pedum ſpecu, nemoroſo vertice, & ſe vaſtis protegens ramis, arborum inſtar agros longis obtinens umbris: ac nequid deſit ſpeluncæ imagini, ſaxea intus crepidinis corona muſcoſos complexa pumices: tam digna miraculo, ut Licinius Mutianus ter conſul, & nuper provinciæ ejus legatus, prodendum etiam poſteris. putàrit; epulatum intra eam ſe cum duodeviceſimo comite, largè*

ipſâ toros præbente fronde, ab omni afflatu ſecurum optantem imbrium per folia crepitus, laviorem, quàm mar morum nitore, picturâ varietate, laquearium auro, cubuiſſe in eadem.

Nec ædificiis modò inſerviunt arbores, ſed etiam frutices: uti harundines de quibus ita Plinius lib. XVI, cap. XXXVI: *Tegulo earum domus ſuas Septentrionales populi operiunt: durantque ævis tecta alta.* Hinc *periculum tectorium* Plautus vocat Milite, ac Rudente. Subjicit deinde Plinius, quomodo in aliis orbis locis inde facere ſoleant pergularum cameras, ſive fornices: nempe ut leves, nec onerosas. Item cap. XXXVII ejuſdem libri refert, ut ſcirpis Mauri mapalia ſua tegant. In Æthiopia Troglodytica tegete ædes ſolent herba quadam, quæ in opere eo ſine vitio annos duret centenos: ut eſt apud Cæſarem Scaligerum ad Cardanum Exercitat. CLVIII, ſect. VIII. Qui & paulo poſt addit: *lanam demitti ex interſtitiis palmularum, ex qua cum pilis camelorum, qui Libyæ deſerta occuparunt Arabes ſua tegunt tentoria.*

Hactenus vidimus de plantarum, præcipueque arborum uſu in ædificii, vel ejus partium ſtructura. Deinceps dicam de apparatu eo quo domus inſtruitur, uti de opere inteſtino, & ſupellectile, ſive utenſilibus. De priori ſic Plinius lib. XVI, cap. XLII: *Abies, ad quæcunque libeat inteſtina opera, aptiſſima.* Et cap. ſeq. *Quæ in laminas ſecantur, quorumque operimento veſtiatur alia materies, præcipua ſunt citrum, terebinthus, aceris genera, buxum, palma, aquifolium, ilex, ſambuci radix, populus. Dat & alnus, tuber ſectile, ſicut citrum, acerque.*

Menſis vulgaribus fagus ſerviit: ut indicio hoc Martialis lib. II, epigr. XLIII:

Fulcitur teſtâ fagina menſa mihi.

Citri arbori debentur menſæ ingentis pretii: ut illa Ciceronis, quam *citri orbem* Tertullianus vocat lib. de Pallio. In Libya creſcit: unde Varro in Gerontididaſcalo apud Nonium:

In quibus Libyſſa citrus faſciis cingit fores.

Nempe creſcit prope Atlantem. Plinius lib. XIII, cap. XV: *Atlas mons peculiari proditur ſylva. Confines ei Mauri, quibus plurima arbor citri.* Sic iſtic legi debere pro *cetri*, etiam Cujacius docuit Obſervat. lib. II, cap. V. Continuo autem ſubdit Plinius: *Et menſarum inſania, quas feminæ viris contra margaritas ingerunt. Extat hodie Marci Ciceronis in illa paupertate, & quod magis mirum eſt, illo ævo, empta* HS X. Quia verò, ut dictum, citrus in Mauritania prope Atlantem montem creſcit, hinc Martialis lib. XII, epigr. LXVII:

Et Mauruſiaci pondera rara citri.

Et lib. XIV, epig. LXXXIX:

Accipe felices Atlantica munera ſylvas.

Porro menſæ ex iis, quia maculoſas tigrium & pantherarum pellium referant, etiam *tigrina*, & *pantherina*, dicebantur. Plinius lib. XIII, cap. XV: *Menſis præcipua dos in vena criſpis, vel in cortice variis: illud oblongo evenit diſcurſu, ideoque Tigrinæ appellantur; hoc intorto, & ideo tales Pantherinæ vocantur.* Menſis hiſce citreis fulcrum ſubdebatur ex ebore, figura pardi hiantis. Unde Juvenalis ſat. XI:

Nil rhombus, nil dama ſapit: putere videntur
Unguenta atque roſæ, latos niſi ſuſtinet orbes
Grande ebur, & magno ſublimis pardus hiatu
Dentibus ex illis, quos mittit porta Syenes.

Putabat vir doctus *a* menſas dici *pantherinas* à pede ſeu fulcro pantheram ſive pardum repræſentante. Sed diſtinguit poëta orbem latum, & id quod orbem ſuſtinet: orbem dixerat fieri ex ligno peregrino, non annoſa nuce, aliove ligno domi nato: pedem verò qui orbem ſuſtineret, fabricarum ait ex ebore, advecto ex Ægypto, Mauritania, India, vel Arabia.

a Thomas Demſterus in iis, quæ addidit Ulyſſi Aldrovando lib. 1 de quadrupedibus biſulcis, pag 929.

A menſis venio ad lectos; quorum alii tricliniares, in quibus cœnantes accumberent: alii cubiculares, in quibus de nocte ſomnum caperent: præter quos fuere lucubratorii; in quibus ſtuderent; item in quibus de die dormitent, quos Lampridius vocat *accubitus*; uti Spartianus, more Græco, anaclinteria, ἀπὸ τοῦ ἀνακλίνειν. Ut taceam de lecto Stygio, ſicut Martialis vocat. De hoc ſeorſum dicam, cum loquar de utilita plantarum poſt hominis mortem. Paupetes interdum dormiebant in ſtorea, ſive tegete, vel matta. Item eronibus, de quibus poſtea dicam. Etiam, qui in re honeſta eſſent apud Romanos ligneis uſi lectulis fuere, dum priſca foret frugalitas. Quam ut in memoriam reduceret Ælius Tubero, in epulo publico, ſive, ut Plautus vocat, populari cæna, tales populo ſterni juſſit, uti & pelles hædinas pro ſtragulis, vaſa fictilia pro argenteis. *Sed cenſura fuit illa, non cæna*: ut ſcitè hoc vocat Seneca epiſt. LXIX. Eamque frugalitatem populus Romanus, pro ſordibus habuit, hominemque integerrimum, ac civem optimum, præturâ dejecit: ut eſt apud Ciceronem orat. pro Muræna. Nec tamen putandum lautioribus etiam poſtmodum triclinares, puto & cubiculares lectulos non fuiſſe è ligno, at non vulgari, ſed pretioſo: ut è citro, quam ex Libya peterent: unde Maro in Citi:

Nec Libys Aſſyrio ſternetur lectulus oſtro.

Eſt & Perſii ſat. I:

—— Non quicquid denique lectis
Scribitur in citreis.

Nec menſas ſolum, & lectos ſtirpibus debemus; ſed etiam alia multa: ut ſunt capſæ, ſedes, ſcamma, ſcabella, vaſa vinaria, pocula quædam, ut fagina, apud Maronem.

Cochlearia ex ficulno ligno ſi ſæpius iis carnes verſes, vel una cum iis coquantur, efficiunt, ut celerius elixentur: ſicuti eſt apud Mitaldum Memorabilium Centuria I, ſect. LXXVI.

Nec ligna ſolum lectis inſerviebant: ſed etiam linum, plantarumque aliæ. Ut culcita, quam perperam vocant *culcitram*; adhæc περιστρώματα, quæ injiciuntur, qualis veſtis ſtragula. Nec è vimine minùs, quam ligno, fiunt cunæ, ſive alvei, in quibus cunabula infantium. Ex vimine item fiebant cophini, aliaque vaſa, viminea inde dicta: item erones ſive herones, ſpartea ſtorearum vel tegetum more texta, in quibus frumentum reponebatur, pauperes quandoque dormiebant: Græci φορμοὺς vocant, unde Terentiani Phormionis nomen deducit Donatus. Turnebum vide lib. XXIV Adverſ. cap. II. Ex eruca ſcopæ, quibus domus verritur, vel veſtes purgantur. An & mulierum propria attingam? Ut quod è ligno colus; è vimine calathus, qui & quaſillus.

Poſt domeſtica inſtrumenta, ſive illa culinæ, ſive menſæ, ſive aliis, inſerviant, venio ad ruſtica, piſcatoria, venatoria, ſimiliaque. In ruſticis ſunt currus, & plauſtra, cùm ad alia, tum frumentum in Urbem advehendum. Currus unde olim potiſſimum fuerint, indicat hoc Plinii lib. XVI, cap. XLII: *Eadem* (abies aptiſſima) *& curribus, maximè ſociabilis glutino, in tantum, ut findatur ante, quà ſolida eſt.* Quod ex Theophraſt. hauſit. Longè verò plurima è ſalice. Nam & jugis vinearum perticas emittunt (ſalices), & virgas ſequaces ligaturis; prætenues inſerviunt viminibus texendis, firmiores corbibus, & plurimæ agricolarum ſupellectili: ut eſt apud Plinium lib. XVI, cap. XXXVII. Eorundem ſepimentis inſerviunt ſpinæ, ſambucus, rubus, aperina, aliaque. Alni quoque ſepibus muniunt, contraque erumpentium amnium impetus riparum muro in tutela ruris excubant: ut ait Plinius lib. XVI, cap. XXXVII.

Ægyptii ſycomoris colligant aggeres Niloticos ad retinenda aquarum incrementa. Unde pœna iis, qui ſycomorum ſuccidiſſent: ut liquet ex Juriſconſultis de Pœna Extraordinaria.

Sunt & piſcationi utilia: ut retia ſive è lino, ſive geniſta, Plinius lib. XIX, cap. I: *Aſia è geniſta facit lina ad retia præcipua, in piſcando durantia, frutice madefacto decem diebus.*

Venatoribus è lino retia rara, plagæ. E ligno vari, ſive valli, quibus retia eriguntur. Item clava, qua cuniculos

culos interimunt: & numella, qua canum, uti & pecorum, colla includuntur.

Multa prætereo, ne tædio ſim in rebus non obſcuris. Quia verò prope omnia de fabris ideo conſignabo hanc partem, aliquo, quod univerſe pertineat ad ἐργαλεῖα, ſive fabrorum è ligno inſtrumenta. Eorum quam varius ad varia uſus ſit, nemo paucis dixerit. Nec quodvis lignum ad ſingula æquè eſt idoneum: qua de re ita Plinius lib. XVI, cap. XLIII: *Sunt verò & parvi uſus fabrilium miniſteriorum inſignes. Ideoque proditum, terebris vaginas ex oleaſtro, buxo, ilice, ulmo, fraxino, utiliſſimas fieri. Ex iiſdem malleos, majores quoque è pinu, & ilice. Cato vectes aquifolios, laureos, ulmeos, fieri jubet. Hyginus manubria ruſticis carpinea, iligna, cerrea.*

Satis de ædificiis, & utenſilibus, vel ruſticis, fabrilibus, aliiſque inſtrumentis. Venio nunc ad rem nauticam: eò juſtius, quia & navis pro ædificio eſt: unde Tullius pro Milone *claſſes ædificari* dixit. Cum verò ex variis fiant naves, maximè tamen illuſtres abies & pinus, unde ea vocabula ſæpe pro nave ſumuntur. Maro VIII Æneid.

Labitur uncta vadis abies.

Ex abiete fuit Argo navis, uti & equus Trojanus; de quo dictum in Orator. Inſtitut. lib. IV, cap. VIII, ſect. III.

a XLII. Et ſanè, ut Plinius ait lib. XVI, cap. X *a*, *expetita navigiis arbor eſt, & in excelſo montium, ſeu maria fugerit, ſita.* Hinc Claudianus lib. II de Raptu Proſerp.

Apta fretis abies. ——

Et Papinius in VI Theb.

Hinc audax abies. ——

Eo audax, quia ex hac truci pelago navim committimus.

Arundo Indica eſt arboreæ magnitudinis, adeò craſſa ac procera, ut navigiis ſit idonea, ſingulaque internodia tres poſſint homines capere. Plinius lib. XVI, cap. XXXVI: *Differre mares ac feminas in his Indi quoque tradunt: ſpiſſius mari corpus, feminæ capacius: navigiorumque etiam vicem præſtant, ſi credimus, ſingula internodia.* Quid mirum quando, ut ait Strabo, arundo illa tria habeat cubita in diametro, & novem in orbe? imò quædam altera parte ſit craſſior: quippe quæ ſena habeat in diametro, decem & octo in circuitu. De Indicis navigiis ex arundine etiam eſt apud Theophraſtum. Nam planè eſt veriſimilis conjectura maximi Salmaſii *b* apud eum reponentis, ὥστε ἀκατίοις χρῆσθαι *c*, ubi vulgo eſt ἀκοντίοις *d*. Nam de jaculis nihil ſane mirandum foret, cum ea & fiant ex arundine Belgica, Cretica, Italica. Navigia illa ex arundine καλαμίνας σχεδίας *e* appellat Iſidorus apud Athenæum. Scirpis, ut eſt apud Plinium lib. XVI, cap. XXXVIII, *velificant non in Pado tantum, verum & in mari piſcator.* E teda eſt pix, qua naves muniuntur. Nec navis modo è plantis, ſed etiam vela, ſive carbaſa. Quæ plurativo numero diximus, quia præter majus velum, quod acatium, vel artemon dicitur, etiam minora ſunt, ut ad proram dolon, quomodo etiam Livius appellat lib. XXXVI: ad puppim autem epidromus. Præterea ex cannabe funes: ut rudentes, funis ancorarius, pes funis, quo religatur velum; unde dictum laxare, vel facere pedem.

b *Solin. Exercit. p. 1017.*
c *Acatiorum ſeu navicularum inſtar actuariarum utuntur.*
d *Jaculorum in modum.*
e *Rates arundineas.*

Quantus etiam papyri uſus fuerit ad rem nauticam, illa Plinii docent lib. XIII, cap. XI: *Ex ipſo quidem papyro navigia texunt: & è libro vela, tegeteſque, nec non funes. Naſcitur & in Syria. Neque aliis uſus eſt, quàm inde, funibus rex Antigonus, in navalibus rebus, nondum ſparto communicato.* Ubi oſtendit & uſum ſparti: cujus ingens copia in Hiſpania. Unde *Ibericos funes* pro ſparteis dixit Horatius lib. Epod. od. IV.

Cap. XL.

De utilitate ſtirpium militiæ, quà bellum gerendum, re bene geſta honorem exhibendum, & per ſatyram quaſi etiam aliquid de pœnis. Ubi de horrenda vi calami & arundinis, de fraxino, abiete, acere, nova ſideritide ſeu ferrea arbore Javæ; æſculo, lauro, myrto, ilice, palma, populo; fuſtuario, vitibus, virgis, pice, ficu.

ETiam bello utiles plantæ. Nam ex ligno ſagittæ: imò & ex arundine. Plinius lib. XVI, cap. XXXVI: *Calamis Orientis populi bella conficiunt: calamis ſpicula addunt irrevocabili hamo noxia. Mortem accelerant pinnâ addita calamis. His armis ſolem ipſum obumbrant. Ac ſiquis Æthiopas, Ægyptum, Arabas, Indos, Scythas, Bactros, Sarmatarum tot gentes, & Orientis, omneſque Parthorum regna diligenter computet, æqua fere pars hominum in toto mundo calamis ſuperata degit.* Poſt pauca addit, Indicas harundines præſtare: *quando & haſtarum vicem præbent additis cuſpidibus.* Eſt ea arundo Indica circa Aceſinem amnem. Nam de hac ſcribit Theophraſtus, ὥστε ἀκοντίοις χρῆσθαι, quod Plinio eſt *haſtarum vicem præbere additis cuſpidibus.* Ubi mirum eſt Plinium reddere haſtas, cum apud Theophraſtum non δόρυ ſit, ſed ἀκόντιον. Sed nodum exſolvit Salmaſius, qui apud Theophraſtum pro ἀκοντίοις legit ἀκατίοις. Plinius igitur in vitioſos inciderit Theophraſti codices: de quo jam ante dictum, cùm de uſu ſtirpium in navigiis loqueremur. Interea ex Plinio conſtat non Indos ſolum, ſed & Belgas, Cretenſes, atque Italos, ex arundine jacula feciſſe. Europæis verò longè id uſitatius ex arbore, maximeque laudata huic rei fraxinus. Notum ut fraxinus nobilitata ſit Homeri præconio, haſtaque Achillis. Deque haſta abietali Servius interpretatur illud Æn. II:

—— *Cujus apertum*
Adverſi longâ tranſverberat abiete pectus.

Nec Afris modò parmæ è ligno, verum & apud Romanos legionariis, ſed ligno corium ſuperinducebant. Etiam è ligno jacula & ſagittæ: Quibus interdum & nomina inſcribebant, ut conſtare hoſti poſſet, à quo eſſet vulneratus. Id fecerat Aſter, qui jactum ſagittæ ex obſeſſa Methone, Magneſiæ urbe, altero oculo privavit Philippum Amyntæ filium. Vallum etiam conſtat ceſpite, ſive terra aggeſta ad vallos, ſive ſudes. Erant eæ è denſo ligno ac robuſto: unde *vallum acernum* dixit Propertius lib. IV. Erant quoque ramoſæ, ne terra facilè ſolveretur. Unde Maro *Quadrifidas ſudes* vocat. At quantus in bello uſus foret, ſi in Java minore, ut dicunt, arbor fuerit, quæ medullam habeat ferream, exilem quidem, at ad ſummum faſtigium pertingentem. Unde qui fruſtum gerat, ferro dicitur impenetrabilis, quod relatum magis, quam creditum Cæſari Scaligero Exercitat. CLXXXI, ſect. XXVII.

Nec ad militiam modò plantarum uſus fuit, ſed etiam ad honores poſt res militia bene geſtas. Huic rei coronæ inſerviebant multifariam, ut oſtendit Plinius lib. XVI, cap. IV. Ac primùm triumphantium, quæ priſcis temporibus ex æſculo, poſtea ex lauro: ſi Ovidio credimus de Pythiis agenti I Met. Laurea verò adſumta Liberi patris exemplo ex Indis triumphantis: quod Tertulliano etiam proditum libro de Corona Militis. Romanis quidem literæ laureatæ, aut laurus lanceis piliſque affixæ victoriæ ſignum: ut Plinius ait lib. XV, cap. XXX. Poſtes etiam Imperatorum laureati, ut ibidem legas, ac Ovidii hoc indicat lib. I Met.

Poſtibus Auguſtis eadem fidiſſima cuſtos
Ante fores ſtabit.

Plinius lib. XV, cap. XXX: *Laurus triumphis propriè dicatur, vel gratiſſima janitrix Cæſarum, Pontificumque: quæ ſola & domos exornat, & ante limina excubat.*

Vide Brodæum l. 1. c. 33. & Alex. ab Alexand. l 1. cap. 27.

In vett. etiam nummis laureata Imperatorum capita. Sed quid rei notiſſimæ diutius inſiſtam? Myrtea verò corona ovantium erat: quia minor is honos. Nam myrtus Veneri ſacra, ut dictum. Myrteâ primus uſus eſt Poſtumius, victis Sabinis. Marcus Valerius duabus uſus coronis, laureâ, myrteâque. Civica corona, quam civis dabat ei à quo ſervatus foret, primitus ex ilice fuit. Unde

de Cæcilius Comicus: *Advehuntur cum ilignea corona, & chlamyde*: de hac ita Plinius lib. XVI, cap. IV: *Civica iligna primò fuit, poſtea magis placuit ex eſculo, Iovi ſacra. Variatumque & cum quercu eſt, ac data ubique, quæ fuerat cuſtodito tantum honore glandis.* Poſtea ſubdit: *Auxilia, quamvis rege ſervato, decus id non dant. Nec creſcit honos idem Imperatore conſervato, quoniam conditores in quocunque cive ſummum eſſe voluere. Acceptâ coronâ civicâ licet uti perpetuo. Ludos ineunti ſemper adſurgi etiam ab Senatu, in more eſt. Sedendi jus in proximo Senatui. Vacatio munerum omnium ipſi, patrique, & avo paterno.* Cauſſam adducit triplicem Plutarchus in Problematis, & Coriolano. Nempe quod Arcades, unde genus Romanis, fuerint βαλανηφάγοι, vel quod facilis ubique copia hujus arboris, vel quod Jovi, urbium præſidi, ſacra fuerit quercus. Palma item victoriæ ſymbolum, ut ex vett. nummis, & ſculpturis liquet. Cauſſa eſt, non modò quia uti arbor ea non patitur foliorum defluvium, ſemperque vireat, ſimiliter non marceſcat nomen ac gloria eorum, qui res magnas geſſere: verùm potiſſimum, quia uti palma non cedit, ſed reſiſtit ponderi, ita vincere qui volet, adverſario obniti ac perſtare debeat. Quam rationem ex Ariſtotele & Plutarcho Agellius tradit lib. III, cap. VI. Nec propterea putandum, ſemper in nummis per palmam ſignari victoriam. Nam in nummis Titi Veſpaſiani quæ cum mœſta muliere habent palmam cum hiſce literis JUD. CAP. hoc eſt, *Judæa capta*, uti per mulierem, ita etiam per palmam Judæa ſignificatur: nempe quia plurima ſuccreſcit in Judæa. Videlicet ſicut ex ſilphii planta cognoſcimus eſſe nummum Cyrenaicum, quia regio ea hac plantâ abundaret.

Ad militiam etiam referre poſſis honores, qui conferebantur in Deorum feſtis, ubi de viribus corporis foret certamen. Nam hujuſmodi certamina ad militiam præparabant. Quare aliquid de hoc etiam adſpergam.

In Olympiis, quæ in Elide erant, victori dabatur corona ex apio: ut notum ex ἀνθολογία, & aliunde: quandoque etiam è lauro: ut eſt apud Chryſoſtomum in Gen. cap. XVIII. Hom. XLII.

Apud Lacedæmonios in feſto, quod Προμάχια dixere, victor coronabatur arundine: ut Soſibio traditum libro περὶ τῶν ἐν Λακεδαίμονι θυσιῶν, & ex eo Athenæus lib. XV.

Apud Rhodios corona populea dabatur ei, qui viciſſet in feſto Tlepolemi: ut tradit Pindari ſcholiaſtes in Olympion. od. VII.

Myrteâ coronâ ornabantur, qui viciſſent ἐν Ἡραίοις, ſive certamine Junonis Argivæ; ut idem Pindari ſcholiaſtes habet ibidem. Atque ut hic Scholiaſtes ait in Iſthm. od. IV, ſimiliter fiebat apud Thebanos in certamine Herculis, quod non Ἡράκλεια *a* modò, ſed & Ἰολάεια *b* dixere. Apud Elienſes etiam, teſte Athenæo lib. III, qui viciſſet in certamine, quod Καλλιστεῖα dixere, quia de forma certaretur; arma quidem præmium accipiebat, ſed quæ vittis redimitus ab amicis, coronamque myrteam geſtans, in Minervæ templum deferret, Deæque conſecraret. Eademque ornabatur corona apud Megarenſes, qui viciſſet feſto in Alcathoi honorem inſtituto. Sed hæc ad Græcos pertinent.

a Heraclea.
b Ab Iolao Herculis comite.

Nec Reſpublica modò præmio conſtat, ſed & pœnâ: ad quam etiam ſtirpium uſus ſe extendit. Ut in ſuſpenſione de arbore infelici, in laqueis è cannabe, in plurimis carceris inſtrumentis, ac ne longior ſim, in tribus illis, fuſtuario, virgis. Quod fuſtuarium Ciceroni, id ξυλοκοπία eſt Polybio: qui eam refert hoc pacto fieri ſolere. Tribunus fuſtem capiens, eo leviter tangebat illum, qui deliquerat. Hinc milites accedere, ac alii fuſtibus, alii lapidibus ferire, donec occidiſſent. Vel ſi ſalvus forte evaderet, non illi in patriam redire, non neceſſariis in ædes eum recipere licebat. Gravis ea pœna: ſed honeſtius viſum, ſi commilitonum, quàm carnificis manu periret.

c Fuſtuarium
d Verberatio.

Ad ξυλοκοπίαν *c* accedat μαστίγωσις *d*, quæ fiebat vite, aut virgis. De vite legas in epitome Liviana lib. LVII, ubi ſermo de Scipione Æmiliano ad Numantium: *Quem militem extra ordinem deprehendit, ſi Romanus eſſet, vitibus: ſi extraneus fuſtibus cecidit.* Unde liquet, honoratius fuiſſe vite feriri, quam fuſte. Eſt & Quincti Ciceronis lib. de Petitione conſulatus ad Fratrem: *M. Marium* (Catilina) *inſpectante populo Romano, per totam urbem vitibus cecidit.* Scio, in vulgatis, etiam Stephanicis, eſſe *virgis*: ſed meliores MSSi habent *vitibus*: quod & in ſuis reperêre Lambinus, ac Gruterus. Ut non dubium ſit, quin legendum ſit *vitibus*: ut in veteri libro reperiſſe ſe ait Turnebus Adverſariorum lib. XXV, cap. III. Atque ejuſmodi ſupplicii meminere etiam Tacitus lib. I Annalium, Plutarchus in Galba, Martianus ff. de re militari. Hinc Juvenalis ſat. VIII:

Nodoſam poſthac frangebat vertice vitem,
Si lentus pigrâ, muniret caſtra dolabrâ.

Nimirum minus ignominioſum à centurione cædi, quàm lictore; vite, quam virgis, aut flagris. Unde quæ de centurionali hac vite (ſic Solinus vocat) tradidere Petrus Faber lib. I Semeſtr. cap. XVII, & XVIII. Godſcalcus Stewechius ad Vegetium lib. II, cap. VI, & Juſtus Lipſius lib. II de Militia Romana, dial. VIII. Picturam ejus habes apud Hubertum Goltzium tab. XXIII, num. V, & VI, & Antonium Poiſ. de nummis vett. rabb. H. num. V.

Ac in gregarios quidem milites hujuſmodi erat pœna centurionum, & tribunorum: qui eas per ſe milites ſuos exigebant, ut qui lictores non haberent.

Conſules verò, & Prætores animadvertebant in ipſos duces. In militia tamen non uſi virgis. Quod igitur Catilina Marium cecidit vitibus, ut jam vidimus, id factum militariter. Atque uſus ad eam rem lictoribus. Nam quo anno Cicero fuit Prætor urbanus, is Prætor Africam obtinuit. De virgarum ſupplicio plura non addam, cum orbe obtineat toto.

Etiam ad ſupplicia è plantis refert, quod picem liquidam flagitioſis infundebant. Unde Plautus Captivis:

—— At pol te, hic ſi ſapiet ſenex,
Atra pix agitet apud carnificem, tuoque capiti illuceat.

Ficus etiam lignum eſſe adhibitum ad puniendos homines fumo, cognoſcimus è Luciani Proteo. Alias etiam id factum fumo è ſtipula, & lignis viridibus, eoque plurimùm fumi emittentibus: ſicut cognoſcere eſt ex Alexandro Severo Lampridii. Ac quia de ſupplicio ficus dixi, addam aliud, quo uſus Cæſar Fredericus Barbaroſſa; cum ejus uxorem Beatricem Auguſtam inhoneſtè tractaſſent Mediolanenſes. His igitur devictis, illud pœnæ impoſuit, ut ſi mortis ſupplicium vellent evadere, ficum extraherent ex natura mulæ. Unde Italis, ac Germanis, proverbium illud, *ficum alicui oſtendere.* Uſus ejus eſt in eos, quos prorſus contemnimus.

Cap. XLI.

De utilitate quam ex ſtirpibus capiunt literarum ac ſapientiæ ſtudioſi, atque artifices alii qui de peritiâ publicè certaſſent. Præcipuè autem de utilitate ad rem librariam, muſicen, & picturam. Inſpergitur inexpectati quid de jucunditate ex ſtirpibus capienda aſtronomica. Ubi denuo de quercu, hedera, lauro; charta, lino, cedro, arundine, canna, cinnabari, Indico, iſate ſeu glaſto, & δι᾽χάρμης de ſandyce, heliotropio, lupino, ulmo, ſalice, tilia, populo, olea.

AC luculenta quidem hæc præmia rei bello bene geſtæ: quæ non multo ante memoravimus. Sed eſt majus longè præmium, nominis immortalitas: quam viris fortibus & patriæ conſervatoribus conferunt ii, qui res eorum poſteris produnt. Nam, ut ait Venuſinus poëta:

Pan-

Paulum ſepultæ diſtat inertiæ
Celata virtus.

Proximè igitur loquar de utilitate quam eruditi ex plantis percipiunt. At quia quernas coronas in militaribus præmiis fuiſſe diximus: ab eo potiſſimum ordiamur, quod etiam qui poëſi forent ſuperiores, in agonibus Capitolinis à Domitiano Cæſ. inſtitutis, quernâ donabantur corona è Capitolio decerpta. Imò & artifices alii, ut citharœdi. Martialis lib. IV. cap. LIV:

O cui Tarpeias licuit contingere quercus!

Juvenalis:

An Capitolinam deberet Pollio quercum
Sperare?

Quantus hederæ uſus fuerit poëtis; & quæ cauſſa ejus rei exiſtimanda ſit, dictum nobis lib. de natura ac conſtitutione Poëticæ, cap. x. Atque ibidem expoſui, cur poëtæ lauro fuerint coronati, & quando ea cœperit conſuetudo.

Præcipue verò quantum plantis debeant homines eruditi, oſtendunt vulgata nomina libri, codicis, folii, papyri, tabularum, & ſimilium. Plinium audiamus lib. XIII, cap. XI: *Prius quàm digrediamur ab Ægypto, & papyri natura dicetur, cum chartæ uſu maxime humanitas vitæ conſtet, & memoria. Et hanc Alexandri Magni victoriâ repertam, auctor eſt M. Varro, conditâ in Ægypto Alexandriâ. Antea non fuiſſe chartarum uſum: in palmarum foliis primò ſcriptitatum: deinde quarundam arborum libris. Poſtea publica monumenta plumbeis voluminibus, mox & privata linteis confici cœpta, aut ceris.* Hujus loci verba diligenter excuſſere Guilandinus, vir ſanè doctiſſimus. Item illuſtris Scaliger diſſertatione de papyro adverſus Guilandinum. Facilè autem aſſentio Guilandino, cùm pro *palmarum* legendum putat *malvarum*. Cui ſententiæ favet illud Helvii Cinnæ apud Iſidorum lib.. Orig. cap..

Hac tibi Arateis multum invigilata lucernis
Carmina, queis igneis novimus aërios,
Lævis in aridulo malvæ deſcripta libello
Pruſiaca vexi munera navicula.

Librorum linteorum mentio eſt apud Livium lib. IV, & Fl. Vopiſcum in Aureliano. Chartæ de papyro arbore meminit Hieronymus in cap. XIX Iſaiæ. Cœpit autem chartæ uſus, Ægypto in Macedonum poteſtatem redacta, & Alexandria conditâ, per Græciam vulgaris eſſe: uſque dum ex æmulatione inter Ptolomæos & Pergami reges, (de bibliothecæ nobilitate certabant) rex Ægyptius vetuit chartam Ægypto efferri. Tum Pergami rex, ne ab ſtudio remitteretur literarum, curavit, ut membranarum maxima eſſet copia. Atque exinde paſſim in Græcia membranæ cœperunt abundare. Quæ Pergamenæ dictæ quia Pergami procurarentur & inde optimæ afferrentur. Imò charta etiam qua nunc utimur vulgò, plantis debetur, cùm ſit è linteis, hæc verò è lino. Ita ut nunc linum præcipuè ſit, quo (ut de papyro Plinius ibidem loquitur) *conſtat immortalitas hominum*. E linteis contritis, laceratis, inque liquorem redactis jam ab multis ſeculis paramus, in quo ſcribimus. *Chartam* dicimus, eò nempe nomine, quo Romani id vocabant in quo ſcriberent; etſi ea fieret è papyro Ægyptia, non è linteis. Nempe in re nova, ob uſum ſimilem, vetus placuit nomen.

E ſmilace etiam fiunt codicilli:

ut ait Plinius lib. XVI, cap. XXXV.

Cedrino oleo illita cariem non ſentiunt: unde & eo, ut Vitruvius ait, libros conſervabant. Ovid. lib. I Triſt. el. III:

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Martialis:

Quæ cedro decorata purpuráque
Nigris pagina crevit umbilicis.

Hinc *cedro digna* dicebantur, quæ immortalitatem mererentur.

Muſicæ etiam utiles calami, ſive arundines, aliæ ut inde fiſtulæ; aliæ, ut tibiæ fiant: ſicut pluribus Plinius tradit lib. XVI, cap. XXXVI. De fiſtulis compactis è ſeptenis cannis, & quis primus eas cerâ conjunxerit, dixi lib. IV, cap. XCII.

Nec injucundum Aſtrologis videre, quomodo plantæ oſtendant anni tempus. Quâ de re ſic Campanella in Præfatione operis ſui Aſtrologici: *Cum viderem —— in herbis ſympathiam cum Sole, & Luna, quibuſcum convertuntur, & cùm aliis Planetis: unde heliotropium, & lupinus, motum longitudinis Solis, & horas indicant: ulmus verò, ſalix, tilia, populus, olea, motum latitudinis, inter tropicos ſua converſione oſtendunt, unà cum Solari facta.* ——

Aliquid etiam de pictura addam, quando & hæc inter liberales habita diſciplinas, ut ex Plinio conſtat. Debet & hæc plantis. Inter alia cinnabaris, & Indici iis uſus eſt. At cinnabaris ſecundùm Arrianum in Periplo, eſt concreta arboris Indicæ lachryma. Indicum, ſive τὸ μέλαν Ἰνδικὸν ſi Dioſcoridem audimus, eſt ex arundinibus Indicis. Verum ex herba potius Indica paratur: quæ Gali dicitur. Eodemque colore inficit iſatis noſtra: vulgo *nil* nuncupata.

Quæritur an & ſandyx ſit in herbis quibus pictores utantur. Sandyce eos uti certum eſt, ut ait Plinius: Ac in herbis, quibus lanæ tingantur, à Marone reponi ut qui in Eclogis dicat,

Sponte ſua ſandyx paſcentes veſtiet agnos.

Sanè de herba interpretatur etiam Servius. Verùm nulla eſt ejus nominis herba: nec, quod Plinius putavit, de herba intellexit Maro, verum de colore. Quippe ſententia poëtæ eſt, tantam fore felicitatem, ut poſthac non ſit opus lanam tingere colore muricis, ſandycis, vel ſimili: ſed lana ſponte ſit eum habitura colorem. Eſt verò ſandyx tes non naturalis, verùm factitia: nempe ceruſſa uſta, uſque dum ſandarachæ colorem referat. Ceruſſa autem uti & ſandaracha ſunt in foſſilibus.

Cap. XLII.

De utilitate plantarum ad ignes, & lucernas. Ubi de Vulcano ſeu igne artificiali, larice flammam dedignante: facibus, candelis, cereis, lucernæ.

SEd quis omnia omnium plantarum bona ſe explicare poſſe ſperet, & non cum pœnitudine quadam tot prætereunda reſpiciat? Sanè arborum ſolarum, ut Plinius ait lib. XII, cap. I. *mille ſunt uſus ſine queis vita degi non poſſit.* Quid igitur fuerit, ſi herbæ etiam ac frutices in cenſum veniant? Quamobrem abrumpere hanc partem animus eſt, ſi duo adjecero. Quorum unum eſt, de plantarum uſu ad ignem ac lucernas. Alterum quomodo utilitas è plantis etiam ultra hominis vitam ſe extendat. Quod ad prius attinet, etiam ante rationis uſum omnes ſciunt, igni materiem præbere ligna, ac φρύγανα, ſive virgulta, quæque in Geoponicis ὑφλεκτα, Latinis, à cremando *cremia* dicuntur. Quis verò non videt quanti ignis noſtri uſus ſit in vita humana? Hoc cibos, & ciborum condimenta præparamus, hoc pharmaca ad medendum, hoc fabrilia inſtrumenta ad ædificia, navigia, rem bellicam, & quò non? Unde & Vulcanum fabrum Deorum finxere. Vulcanus enim τὸ τεχνικὸν πῦρ, *ignis artificioſus*: ut eſt apud Laertium lib. VII, ac pluribus à nobis expoſitum in ſecundo hujus operis libro. Adde quòd etiam ignem olim concipiebant, non ſilice modò, ſed etiam terebro ex ſolidiore ligno, & ſuppoſitâ tabellâ, quam Græci dicunt ἐσχάραν, Gaza ab uſu *conceptaculum* vocat. Vide Theophraſtum lib. V Hiſt. Plant. cap. X.

Interea multum etiam refert cujuſmodi ligno ad ignem utamur. Larix ſanè parùm idonea, quia, ſi flammam admoveris, aliquamdiu eam aſpernatur, nec niſi multo ac diuturno igne in carbones vertitur. Vide de ea Plinium lib. XVI, cap. X, & Palladium lib. XI, cap. XV. Itaque Cæſar fruſtra circa Alpes conatus eſt accendere larignum caſtellum:

ſtellum: ut fuſiùs narrat Vitruvius lib. II, cap. IX. Quem ad locum hæc annotavit Philander: *Ejus rei cum Venetiis periculum facere vellem, monitus Vitruvii lectione, ſpectante Mecænate meo, tum ad Venetos regio legato, nunc ad Paulum* III, *Pontif. Max. incenſa arſit, ita tamen, ut videtur flammas dedignari, & velle à ſe diſcutere.* Et ſanè tardè flammam recipit, at diu retinet: eoque ferrariis officinis utiliſſima eſt, ut auctores ſunt Matthiolus, & Dodonæus.

Ac primis quidem temporibus non ſolum igni utebantur propter calorem, ſed etiam propter lucem. Unde Maro I Georg.

Urit odoratam nocturna in lumina cedrum.

Nec ubi ea deſiit conſuetudo, deſierunt plantæ lumen de nocte præbere. Nam hodieque oleum exinde conducit lumini nocturno. Arnobius lib. I: ubi orbem ſe habere docet, ut prius, *olearum ex bacculis cruor teter exprimitur, nec lumini ſubminiſtratur exſtincto?* At non oleum modo à plantis, ſed etiam ellychnium, ſive xylinus aut ſtuppeus funiculus, qui oleum imbibit. Ac locum idem habet in candelis ſebaceis.

Sic lucernæ primitus è ligno. Græci ligna hæc, nocturni luminis cauſâ accenſa vocabant λαμπτῆρας: ut Homerus Odyſſ. Σ. verſ. CCCVI. Ubi monet Euſtathius, ſuâ etiam ætate obtinuiſſe eum apud ruſticos morem. Homeri exemplo etiam ſcribit Maro: *Urit* &c. ut jam allegatum.

Poſt hanc conſuetudinem ſucceſſere lucernæ ex oleo, & candelæ è ſebo vel cera. Græci potius cereis uſi, vel ſebaceis candelis. Romani autem candelis. Unde Martialis Apophoretorum epig. XLII:

Nomina candela nobis antiqua dederunt,
Non norat parcos uncta lucerna patres.

Imò ante eum Varro lib. IV: *Candelabrum à candela: ex his enim funiculi ardentes figebantur. Lucerna poſt inventa; quæ dicta à luce*, aut quod id vocant Græci λύχνον. Huc ſpectant ἐλλύχνια Ταρσικά, ut vocat Galenus. De quibus Hieronymus Mercurialis lib. III, cap. XVII. De ligneo verò antiquorum candelabro, eſt apud Martialem Apophoretorum libro, lemma XLIX, *candelabrum ligneum*, diſtichum hujuſmodi:

Eſſe vides lignum: ſerves niſi lumina, fiet
De candelabro magna lucerna tibi.

Poteſt videri Licetus, de Lucernis veterum.

Cap. XLIII.

De miniſterio plantarum poſt mortem hominis; ſive cadaver humetur, ſive ſuper terram aſſervetur, ſive concremetur. Ubi de myrrha, aloë, thure. Quæſtio, an Chriſtus mortuus non ſolum unctus, ſed & lotus ſit; porrò de cedro, opobalſamo, myrto, olea, populo, floribus, apio: Ægyptiis mortui conviva & compotores. De amomo, croco, nardo, caſia, cinnamo. Quæſtio, quomodo cineres dignoverint, & hujus occaſione de asbeſto ſeu lino vivo, de teda, picea, fraxino, robore, orno.

HActenus fusè ſatis proſecuti ſumus, quantum utilitatis plantæ præſtent homini, dum vita hac fruitur. Deinceps oſtendam prodeſſe etiam poſt fata: nempe quatenus eorum in funeribus eſt uſus. Id bifariam fit, quia alia erat ratio, quando corpora ſepelirentur terrâ, aut in penetralibus domi aſſervarentur ſupra terram: alia autem, quando cadavera cremarentur. Sepultura obtinuit apud Perſas, & Ægyptios: qui cremationem penitus averſabantur: illi quidem, quia Ignis, cùm numen ſit, dignior videatur, quàm ut cadaver ei quaſi pro cibo exhibeatur: hi verò, quoniam humanum corpus dignius ſit, quàm ut abſumatur ab igne, qui non tam ſimilis videatur numini, quàm belluæ omnia abſumenti, & ubi deſit, quod devoret, ſponte ſuâ morienti.

Græcis utraque conſuetudo, & ſepeliendi, & comburendi. Prior ſine dubio vetuſtior. Altera originem ex eo cepit, quod cùm longinquis in terris bellum gereretur, ac qui prælio vel morbo cecidiſſent, ibidem ſepelirentur, poſtea ab hoſtibus effoderentur cum ingenti contumelia. Romani ab his utrumque morem hauſere. Cornelia interim gens ſtudioſè perſtitit in humatione, primuſque ex ea cremari voluit L. Sylla, talionem veritus, quia Marii corpus effodiſſet. Chriſtiani verò ſemper eam conſuetudinem averſati: ac ubi imperium penes Chriſtianos imperatores fuit, paullatim in deſuetudinem abiit: ita ut Theodoſii M. temporibus, quemadmodum ex Macrobio, ejus ætatis ſcriptore conſtat, planè is ritus fuerit ignotus.

Nunc & in humandis, & cremandis corporibus, odoriferas plantas in uſu fuiſſe oſtendam. Ac in humatione quidem unde potiùs originem, quàm à Chriſto ſumam? Clarè enim in Euangelio Joannis cap. XIX, ejus corporis inungendi cauſſâ Nicodemum attuliſſe μίγμα σμύρνης καὶ ἀλόης ὡσεὶ λίτρας ἑκατόν· *mixturam myrrhæ & aloes ad libras ferme centum.* Ac mox ſubditur: ἔλαβον οὖν τὸ σῶμα τοῦ Ἰησοῦ, καὶ ἔδησαν αὐτὸ ὀθονίοις μετὰ τῶν ἀρωμάτων, καθὼς ἔθος ἐστὶ τοῖς Ἰουδαίοις ἐνταφιάζειν· *Acceperunt ergo corpus Jeſu, & obvinxerunt illud linteis cum aromatibus, ſicut mos eſt Judæis ſepelire.* Etiam Matthæi cap. XXVI legimus, ut cum mulier alabaſtrum pretioſum fudiſſet ſupra caput Chriſti, atque id culparent diſcipuli, dixerit Chriſtus, Βαλοῦσα αὕτη τὸ μύρον τοῦτο ἐπὶ τοῦ σώματός μου, πρὸς τὸ ἐνταφιάσαι με ἐποίησεν· *Quod hæc unguentum miſit ſupra corpus meum, ad ſepeliendum me fecit.*

Thure etiam ad hoc uſi: Tertullianus Apolog. cap. XLII: *Thura planè non emimus. Si Arabiæ queruntur, ſciant Sabæi, pluris & carius ſuas merces Chriſtianis ſepeliendis profligari, quam Diis fumigandis.* Unde videmus & Chriſtianis hunc morem fuiſſe. Uti & lavandi mos cadavera, idque Judæis & Chriſtianis. Prout liquet ex Act. Apoſt. cap. IX, 37: ubi legere eſt de Tabitha mortua, λούσαντες αὐτὴν. *Quam cùm laviſſent, poſuerunt eam in cænaculo.* Quin & in vivis apud Chriſtianos lavacris ſtudebatur. Quod firmat idem Tertull. his verbis paulò antè: *Non lavor diluculo Saturnalibus, ne & noctem, & diem perdam. Attamen lavor honeſta hora, & ſalubri: quæ mihi & colorem & ſanguinem ſervet. Rigere & pallere mortuus poſſum.* Et ſanè Chriſtum, non unctum duntaxat, ſed etiam lotum fuiſſe, colligit Chryſoſtomus homil. LXXXIV in Joan. cap. XIX. Quia nempe iſtic dicatur ſepultum fuiſſe ex more Judæorum quibus lavandi fuiſſe conſuetudinem, jam ex Tabitha vidimus. Romanis etiam moribus utrumque fuiſſe in uſu, vel Ennii hoc fidem fecerit:

Tarquinii corpus bona femina lavit & unxit.

De Chriſtianorum verò unctione, præter Tertulliani locum adlatum, (cui ſimilia habet lib. de Idololatria, atque item de Reſurrectione) etiam illuſtre eſt illud Clementis Alexandrini lib. II Pædagogi, cap. VIII: Αἱ γὰρ ὑπέρμετροι χρίσεις τῶν μύρων, κηδείας, οὐ συμβιώσεως, ἀποπνέουσιν. *Nimiæ unguentorum unctiones potiùs juſta, quæ fiunt mortuis, quam familiarem vitam redolent.* Item apud Minucium Felicem in Octavio ſic Chriſtianum affatur gentilis: *Non floribus caput nectitis, non corpus honoribus honeſtatis, reſervatis unguenta funeribus.* Secuti verò Chriſtiani. Judæos, & præcipuè Chriſtum, qui unctionem in ſua ſepultura comprobavit: ut vidimus. Judæi accepere à Patriarcha Joſepho: qui, ut apud Moſem legimus, patrem Jacobum aromatibus juſſit condiri: & poſtea ipſe etiam ab Ægyptiis eſt inunctus. Ut ſatis liqueat, Joſephum hunc morem hauſiſſe ab Ægyptiis: qui quo pacto inunxerint, Herodotus docet lib. II, & Diodorus lib. II. Ad conſuetudinem, qua corpora condirent myrrha, ut ex B. Joannis verbis vidimus, pertinet & illud Prudentii in Cathem.

Candore nitentia claro
Prætendere lintea mos eſt,
Aſperſaque myrrha Sabæo
Corpus medicamine ſervat.

Eſt

Eſt & de eo apud Philonem Carpathium in Cantic.

Cedro quoque vis mortuorum corpora ad ſervandi in longum tempus: ut eſt apud .... lib. I, cap. de Cedro, Plinium lib. XXIV, cap. V, Galenum lib. VII de Simplic. Medicamentis. Eſt & apud Nicandri Scholiaſten: Ἡ κεδρὸς σώζει νεκροὺς ἀσήπτους ποιεῖ τὸ νοτερὸν καὶ τὸ ῥοῶδες ἐξωθοῦσα, ὅθεν καὶ νεκρῶν ζωὴν ἔνιοι αὐτὴν ἐκάλεσαν. *Cedrus præſtat, ne putreſcant mortui, idque expellendo, quod humidum ac fluidum eſt: unde & mortuorum vitam aliqui nuncuparunt.* De balſamo ita Corippus lib. de funere Juſtiniani Imp.

Thura Sabæa cremant, flagrantia mella locatis
Infundunt pateris, & odoro balſama ſucco,
Centum aliæ ſpecies, unguentaque mira feruntur
Tempus in æternum ſacrum ſervantia corpus.

Inſcriptio Rhodæ apud Hiſpanos teſte Morali [a]: MATER AD LUCTUM ET GEMITUM RELICTA EUM LACHRIMIS ET OPOBALSAMO UDUM HOC SEPULCHRO CONDIDIT. M. Varro, more Pythagorico cadaver ſuum condi voluit myrti, oleæ, & nigræ populi foliis: ut eſt apud Plinium lib. XXXV, cap. XII. Huc referendum, quòd qui adverſus mortuos teſtari adfectum vellent; flores tumulo adſpergebant, myrtum quoque, tumulo imponebant, vel ramos myrteos, ut liquet ex Euripidis Electra, ubi de Agamemnonis tumulo eſt ſermo. Coronâ etiam myrteâ tumulum ornaſſe; ex marmoreis veterum ſepulcris videmus.

a *In Gruteri Collectaneis pag. 692. num. 10.*

Apio hortenſi coronabant monumenta defunctorum: unde, qui periculosè ægrotarent, dicebantur apio egere: ut eſt apud Plutarchum in Sympoſiacis. Sed & qui in Nemæo certamine viciſſent, eo coronari ſolent. Itaque cùm Timoleontis militibus occurriſſent, qui apium geſtarent, ac pro mortis hoc omine haberent, Timoleon illud ita interpretatus fuit, quaſi victoriæ omen foret: ut eidem traditum Plutarcho. Et hæc de plantis humationi inſervientibus.

Quod ſi odoriferis iſtis utebantur in corporibus, quæ terræ mandabantur: quanto ſtudioſius id feciſſe Ægyptiorum eos exiſtimandum, qui illa ſupra terram in penetralibus adſervabant: imò etiam honoris ergo menſis atque epulis ſuis adhibebant! Hoc teſtibus firmandum. Domi eos arte medicatos ſervaſſe, ait Tullius I Tuſcul. Quæſt. & Mela lib. I, cap. IX. Sexti quoque Empirici verba ſunt lib. III Pyrrhon. Hypotypoſ. cap. XXIV [b]: Αἰγύπτιοι τὰ ἔντερα ἐξελόντες ταριχεύουσιν αὐτοὺς, καὶ σὺν ἑαυτοῖς ὑπὲρ γῆς ἔχουσιν· *Ægyptii inteſtina extrahentes, condiunt defunctos, & ſecum ſuper terra habent.* Conviviis adhiberi ſolere, auctor nobis Silius in tertiodecimo: ubi cùm dixiſſet, Iberos, in quibus Barcæi, cadavera humana objicere vulturi, Hircanos cani; ſubjungit iſta:

b *Pag. 156. edit. Aurel.*

—— Ægyptia tellus
Claudit odorato poſt funus ſtantia ſaxo
Corpora, & à menſis exanguem haud ſeparat umbram.

Quæ vera lectio, non, ut corrigunt *odorata taxo*, arbore venenata, magiſque idonea ad corrumpendum corpus humanum, quàm ſervandum. Cæterùm quod Silius ſimpliciter refert, id ſe conſpexiſſe ait Lucianus lib. de Luctu: ut nullus ſuper eo ſcrupulus relinquatur. Verba ſunt: ταριχεύει ὁ Αἰγύπτιος. οὗτος μέν τοι, λέγω δὲ ἰδών, ξηράνας τὸν νεκρὸν σύνδειπνον καὶ συμπότην ἐποιήσατο· *Ægyptius verò ſalit. Ac hic quidem, (quæ vidi, refero) ubi exſiccavit, mortuum, eum convivam ac compotorem ſuum facit.*

Supereſt videamus de uſu plantarum in crematione. Ubi non de lignis loquar, unde rogus exſtruebatur, res ſatis aperta, ſed de iis, quæ injicere rogo ſolent. Cujuſmodi fuere thus, amomum, crocus, nardus, caſia, & alia id genus. Maro VI Æn.

Averſi tenuere facem, congeſta cremantur
Thurea dona.

Propertius lib. IV, Eleg. VII:

Cur nardo flammæ non oluere meæ.

Papinius in Epicedio Pileti Urſi:

—— Odoriferos exhauſit flamma Sabæos,
Et Cilicum meſſes, Phariæque exemta volucri
Cinnama, & Aſſyrio manantes gramine ſuccos.

Juvenalis ſat. IV:

Et matutino ſudans Criſpinus amomo,
Quantum non redolent duo funera.

Appulejus in Apolog. *Ut ſi thus, & caſiam, & myrrham, cæteroſque id genus odores funeri tantum emtos arbitreris, cum & medicamento parentur, & ſacrificio.*

Etiam lini uſus fuiſſe creditur in cremandis corporibus: nempe ut cineres cadaveris à cineribus lignorum diſcernerentur. Sed valde falluntur, qui hunc in finem Romanis hoc in uſu fuiſſe arbitrantur. Nam rarius, & pretioſius illud, quam ut eo proceres ipſi uti poſſent. Quod ſatis liquet ex iis, quæ Plinius tradit lib. XIX, cap. I. Præterea non illud è planta fuit, ſed lapide quodam Indico, non multum abſimilis naturæ, ac lapidis erat amianthi: ut libro ſequenti, qui de foſſilibus erit, pluribus exponam. Quærat aliquis, ſi Romani non diſcreverint cineres lino illo vivo ſive asbeſtino, quo pacto ſcire potuerint, quos in urnam reconderent. Dixero, ex ſitu cadaveris & lignorum, colligere potuiſſe, qui veri forent, qui non. Atque hoc libro tertio oſtendit Quinctus Calaber ſive potius Smyrnæus, ubi funus Achillis deſcribit. Quod jamdiu obſervatum Iſaaco Caſaubono, & monitum etiam Jo. Kirchmanno lib. III de funeribus Romanorum, cap. VII. Juvabit tamen etiam aliquid de pyra commemorare. Nimirum pyram, (quomodo dixere [a] lignorum congeriem) exſtruebant ex *tædis atque ilice ſecta*: ut eſt V Æn. vel è piçea, fraxino, robore, orno: ut eſt Æn VI. Imò & papyro, ut colligere ex Martialis lib. X epigr. in Numam. Injectiſque variis odoribus, de quibus egimus, etiam cupreſſis rogum ſeu pyram aræ in modum conſtitutam cingebant, ut grato earum odore ingratus ille ex fætore cadaverum corrigeretur. Quam rationem ex Varrone adducit Servius in XI Æn.

a *Servius 3. & 11 Æn.*

Tandem quod priori loco referri meruit, agmen claudat. Nimirum plantas communiſſimè etiam eatenus mortuis inſervire, quòd è ligno feretrum ſeu ſandapila, quam Orcinianam ſpondam, & lectum Stygium appellat Martialis.

Cap. XLIV.

De varia è plantis, ac præcipuè è floribus, voluptate, partim ratione odoris, partim decoris. Item de voluptate ex coronis, & unguentis. Imò ex umbra etiam arborum voluptatem capi. Hic itaque de tulipis, corona imperiali, & ſimilibus.

HActenus in eo fuimus, ut exponeremus, quantum utilitatis ad hominem è plantis rediret. Tanta verò eſt bonitas divina, ut præterea voluerit eas nobis largiri ad honeſtam voluptatem. Qualis imprimis illa eſt è floribus, ſive ſuavem odoris fragrantiam attendas, ſive coloris, ac formæ elegantiam. Scitè Plinius lib. XXI, cap. I: *Nulli poteſt facilius eſſe loqui, quàm rerum naturæ pingere, laſcivienti præſertim, & in magno gaudio fertilitatis tam variè ludenti.* Nempe quod in cælo ſidera, id in terris flores: unde apud poëtas ſtellas pro floribus, & *flores* pro ſtellis legas: quemadmodum oſtenſum in quarto Oratoriarum Inſtitut. Plinius vocat *plantarum gaudia, & partus*; Appulejus, *primum naturæ fœtum, qui eſt proprius Gratiæ, fruteti germinantis, vitis gemmantis, ſegetis viridantis.* Et Major foret hæc florum gloria, niſi adeò brevis, eſſet temporis, ut mirari ſubeat, in hac etiam Hollandia, quæ à parſimonia commendari ſolet, proximis quatuor annis ita fuiſſe inſanitum in tulipis, coronis imperialibus, & aliis aliquot, ut flores ſingulos majoris mercarentur, quàm complures opimos boves. Itaque

prudenter hoc ab Illuſtribus Hollandiæ Ordinibus decretum fuit; eos, qui hujuſmodi emtionis gratia in jus vocarentur, nunquam reos iri peractum, ceſſante judicio adverſus illos, qui inſaniæ iſtoc morbo laborarent.

Sed ut hi modum exceſſerint, ſuus tamen honos, & odoris, & elegantiæ voluptati conſtare debet. Utroque nomine imprimis roſa commendatur. Sed à priori nomen creditur accepiſſe. Nempe à ῥέω, quia ut Plutarchus ait, ῥεῦμα πολὺ τῆς ὀδμῆς ἀφίησι· largum emittit effluvium odoris. Nec infimus in ὀσφραντικοῖς locus eſt floris caryophyllei, ſic à recentioribus vocati ab odore caryophyllorum. Ac ſimiliter Germanis dicuntur *negel-bloemen*, Italis vocantur *garoffoli*, ut Belgis *ginoffel-bloemen*. Fuchſius vettonicam alteram, alii aliam credunt. Ruellius verò tam egregium florem putat veteribus fuiſſe ignotum. Odoris etiam gratia in coronariis locum fecit, amaraci ſuffruticis flori. Catullus in Epithalamio Juliæ & Manlii:

Cinge tempora floribus
Suave olentis amaraci.

Floriferam eſſe plantam, indicat & Maro I Æneid.

—— *Ubi mollis amaracus illum*
Floribus, & dulci adſpirans complectitur umbra.

Cerebrum etiam recreat odore mentha, quæ Græcis μινθὴ, & à junioribus vocata eſt ἡδύοσμος, ob odoris ſuavitatem. De hac ita Plinius lib. XIX, cap. VIII: *Menthæ nomen ſuavitas odoris apud Græcos mutavit: cum alioqui mintha vocaretur: unde veteres noſtri nomen declinaverunt. Grato mentha menſas odore percurrit in ruſticis dapibus.*

Nec ea odoris voluptas eſt inanis. Nam eo pacto reficiuntur vires, animus torpidus excitatur, etiam conciliatur ſomnus. Itaque ocimi odorem, & capiti, & cordi prodeſſe, apud Simeonem Sethi legas. Imò odores etiam nutriunt, Hippocrate, & Galeno teſtantibus. Nempe, ut Petrus Aponenſis tradit, vapor ex re odorata tranſiens per aſperam arteriam ad pulmones, & cor, defertur, inde ad aortam, & retiformem plicaturam, hinc ad cerebrum pertingit. Atque hoc pacto ſpiritus animales eo nutriuntur. Verùm ſolidæ partes non nutriuntur, ſed refocillantur: ut judicium eſt Joan. Manardi lib. XVIII epiſt. VI, quæ ad Jo. Jac. Savium.

Quid ſi velim commemorare, quantum arbores habeant pretii in odore? ſive ſingulæ per ſe, de quo Plinius fusè lib. XII; ſive quatenus juvit varia ex arboribus in unum miſcere, de quo idem lib. XIII. Malo ex nobiliſſimo ſcriptore petantur, quàm ex rivis noſtris. Variat autem odor pro ſolo. Sic ex Plinio conſtat, locis ſiccis, quàm humidis roſas eſſe magis odoras. Multum etiam conferre temperiem aëris, arguit, quod eodem in loco anno uno melioris ſint odoris, quàm altero. Tum cæli tum ſoli diverſitas concurrunt in roſis prope Cyrenas, ubi, ut Theophraſtus ait, odoratiores proveniunt: unde & gratiora ex iis unguenta.

Nec tamen plantis omnibus odor eſt gratus: Nam quædam non olent, ut capillus Veneris: quædam malè olent, ut ſpathula fœtida. Odoris verò diverſitas eſt à mixtura. Minus olet piper: quod eſt à partibus igneis in terreſtri. Gratior odor in maci & moſcata, quia partes igneæ in pingui & aërio. Atque ita in cæteris. Quibusdam verò olent flores, non fructus, ut roſæ: quibuſdam fructus non flores, ut malo Cydonio; quibuſdam & flores, & fructus, ut nuci myriſticæ; quibuſdam radix, non flores, ut caryophyllatæ; quibuſdam cortex, ut canellæ; quibuſdam lignum, ut illo Guajaci: quibuſdam & radix & flores, ut iridi; quibuſdam radix, ſtipes, flos & fructus, ut fœniculo. De odore ſatis. Alterum erat formæ elegantia. Atque ad eam pertinent colores varii, præcipuè in floribus. Cur verò is magis in floribus ſit diverſus, quam herbis aliis, cauſſam hanc Cardanus putabat, quòd in herbis quidem perpetuo ſuppeditetur humor, unde omnia neceſſariò ſint viridia: in floribus verò humidum quidem à calore ſiccetur; at non ſuppeditetur alius. Sed complura hic

Scal. exer. CL....

requirit Cæſar Scaliger Exercitatione CLXXVI; cenſet verò cauſſam non tam eſſe ab elementorum qualitatibus, quàm à facultatibus formarum.

Ab duabus hiſce cauſſis, odoris fragrantia, & formæ venuſtate originem ducunt coronæ. Quam antiqua Romæ corona fuerit, Plinius dicet lib. XVIII, cap. II: ubi eam acceſſit ab Arvorum ſacerdotibus, Acca Laurentiâ, Romuli nutrice, genitis. Sed longè altius aſcendit Tertullianus de Corona militis, cap. VII, his verbis: *Saturnum Pherecydes ante omnes refert coronatum. Jovem Diodorus poſt devictos Titanas hoc munere à cæteris honoratum. Junoni vitem Callimachus induxit. Ita & Argis ſignum ejus palmite redimitum. Hercules nunc populum capite præfert, nunc oleaſtrum, nunc apium. Callimachus & Apollinem memorat, interfecto Delphico dracone lauream induiſſe. Liberum, eundem apud Ægyptios Oſirim, Harpocration induſtria hederatum argumentatur, quod hederæ natura ſit cerebrum ab heluco defenſare. Si & Leonis Ægyptii ſcripta evolvas, prima Iſis repertas ſpicas capite circumtulit. Plura quærentibus omnia exhibebit præſtantiſſimus in hac quoque materia commentator, Claudius Saturninus. Nam eſt illius de Coronis liber, & origines, & cauſſas, & ſpecies, & ſolennitates earum ita edisſerens, ut nullam gratiam floris, nullam lætitiam frondis, nullum ceſpitem, aut palmitem non alicui capiti invenias conſecratum.*

Verùm iis, quæ de origine coronarum diximus, valde adverſatur Tertullianus, gravis morum cenſor: qui eodem de Corona Militis libro, ſic inter alia ſcribit: *Cæterum in capite quis ſapor floris? quis coronæ ſenſus niſi vinculi tantum? Quia neque color cernitur, neque odor ducitur, nec teneritas commendatur. Tam contra naturam eſt florem capite ſectari, quàm cibum aure, quàm ſonum nare.* Atque idem in Apologetico ait: *Nos coronam naribus admovemus. Viderint, qui per capillum odorantur.* Similis mens Clementi Alexandrino: qui pædag. lib. II, cap. VIII dicit coronatos amittere τὸ τερπνὸν τῆς αἰσθήσεως a, cum neque videre poſſint, neque odorem percipiant. Sed ſi cauſſa eſſet coronatorum ſuſcipienda, non deforet, quod reſponderetur. Nec enim nullus odor à capillis in nares pertingit, cùm & tota triclinia odore florum repleantur. Ut mittam, quod & coronarum in refrigerando cerebro, atque ad alia uſus eſt, ut antea oſtenſum. Sed luxus fecit, ut Chriſtiani ſeverioris vitæ in iis culpandis quandoque excederent modum, quem ſemper tenere, difficile eſt.

a *Delectationem florum.*

A voluptate illa è floribus, & plexis inde corollis, venio ad illam ex unguentis. Nam eorum ſocietatem arguit, quòd coronas, & unguenta, perſæpe jungi videas ab antiquis. Solùm tamen hujus loci ſunt unguenta, & liquores, ſive olea è plantis.

Hujuſmodi ſunt celebriora quatuor olei genera Hippocrati memorata; ſicut Galenus refert in vocum ejus expoſitione. Sunt hæc, Ægyptium oleum duplex, unum ſimpliciter ſic dictum, alterum Ægyptium oleum album. Item unguentum Ægyptium duplex, unum ſic ἁπλῶς vocatum, alterum unguentum Ægyptium album. Hanc tamen Galeni ſententiam improbant Hermolaus Barbarus, & Ruellius: qui putarunt Ægyptium unguentum fuiſſe ſtacten, ſive guttam: in quo præivit Didymus apud Athenæum. Sed obſtat, quod ſtacte ex ſola erat myrrha: unguentum Ægyptium præterea ex cinnamomo, atque aliis: quemadmodum Theophraſto traditum περὶ ὀσμῶν. Pluribus de his agerem, niſi adiri mallem Hieronymum Mercurialem lib. II Variarum Lect. cap. XIX. De aliis etiam liquoribus, ſive aquis ex plantis ſolius odoris gratia elicitis, adi Theſaurum Euonymi Philiatri, ſive Conradi Geſneri *b*. Ex iis verò aqua roſacea etiam inſervit ciborum condimentis.

b *Pag. 263. & ſeqq.*

Hujuſmodi & unguentorum, & liquorum uſus, ad bonum corpori odorem conciliandum, planè à veteribus Chriſtianis alienus fuit. Quemadmodum indicat Tertullianus in Apologet. cap. XLII, & Minucius Felix in Octavio. Fusè verò impugnat Clemens Alexandrinus

drinus Pædagogi ſui cap. VIII. Ethnicis verò adeò familiaris, ut Martialis ſcribat:

Qui non cœnat, & ungitur Fabulle,
Is verò mihi mortuus videtur.

Nec iis ſolum, quæ diximus, plantæ delectant: ſed etiam arborum umbræ ſua eſt voluptas: platani imprimis. De qua ſic Plinius lib. XII, cap. I: *Quis non jure miretur, arborem umbræ gratiâ tantùm ex alieno petitam orbe? Platanus hæc eſt per mare Jonium in Diomedis inſulam ejuſdem tumuli gratiâ primùm invecta; inde in Siciliam tranſgreſſa, atque inter primas donata Italiæ; & jam ad Morinos uſque provecta, ad tributarium etiam pertinens ſolum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant.* Ac paullo pòſt: *Celebratæ ſunt, primùm inambulatione Academiæ Athenis cubitorum* XXXVI, *unius radice ramos antedente.* Pluraque de hoc diximus, cum de magnitudine arborum ageremus. Tum verò ad decorem, tum ob umbram facit opus topiarium: quod fit ex hedera, buxo, ſalice, aliiſque plantis ſequacibus.

Cap. XLV.

De plantis noxiis, & quomodo in his etiam divina bonitas reluceat, flore Tunetenſi, Perſea, cicuta, taxo, Indica betol, Clymeno, aconito, &c.

ADverſus hæc tam multa, de uſu & voluptate plantarum, fruſtra objecerit aliquis tot herbas letiferas. Nec enim lædent, ſi uti ſcias, ac voles. Nam lædunt quaſi invitæ, ac coactæ. Præterea ſi quæ læſerit, remedia habemus ex ipſis etiam plantis. Priùs igitur de ſtirpibus venenatis; deinde de remediis loquar.

Inter venenatos flores eſt, qui *flos Africanus* dicitur, vel *Tunetenſis*: nempe quia Imp. Carolo V. victoria ad Tunetum potito, ex Africa tranſlatus eſt in Europam. Geſnerus nuncupat *caltham Punicam*, & Pœnis ait *Pedua* nominari. Vim ejus eſſe venenoſam arguit odor ingratus, caput ad modum cicutæ, aggravans: certiuſque idem variis experimentis oſtendit Remb. Dodonæus lib. de Floribus cap. XVIII. *Memini*, inquit, *in puero, qui flores mandere inceperat, labia, & os, inflata me vidiſſe; ſicuti crebro iis accidit, qui cicutæ fiſtulis ludentes, aut modulantes, intra labia eas aliquandiu continuerunt. Feli etiam flores cum calycibus, recenti caſeo permixtos, olim dedimus: quæ mox valde inflata, & paullo poſt mortua fuit. Mures quoque, qui ſemen arroſerant, mortui feruntur reperti.* Narciſſus ſic dictus ἀπὸ τῆς νάρκης, h. e. à torpore, quem nervis inducit, ut Plutarchus ait. Unde & Sophocles eo coronari ait magnos Deos inferos. Nimirum quia præſunt defunctis, qui toti torpent.

Ocimum viſum reddit hebetem, ſi multum comedas: ut ait Dioſcorides. Remedia Deus conceſſit. Ut medicamento pernicioſo ab aconito lac recens: quemadmodum ait Dioſcorides lib. II, cap. LXXVII. Perſea in Perſide fuit venenata, ſed in Ægyptum tranſlata, exuit hoc virus. Teſtis Galenus lib. II de ſemine, cap. I. Vulgo id tradunt de malis Perſicis, quæ nec in Perſia noxii quicquam habent. Nempe perſicam confundunt cum perſea. Cicuta pro petroſelino appoſita in juſculo ab ancilla, amentem ſed citra ſoporem perdidit Franciſcum Trapolinum, qui præceptor fuit Pomponatii, ut is Cæſaris Scaligeri: quemadmodum hic refert ad Cardanum Exercit. CLII, ſect. I.

Porri ſuccus etiam in venenis refertur à Plinio lib. XIX, cap. VI; *Fama*, inquit, *eſt, Melam equeſtris ordinis reum, ex procuratione à Tiberio principe arceſſitum, in ſumma deſperatione ſucco porri ad trium denariorum argenteorum pondus hauſto, confeſtim exſpiraſſe ſine cruciatu: ampliorem modum negant noxium eſſe.* Cicutam depaſti in Hetruria aſini, in ſomnum incidunt tam profundum, ut ſubinde pro mortuis habeantur. Unde ruſtici ſtupore quodam excoriant: ac interdum corio jam dimidia parte detracto non ſine ingenti ruſticorum terrore exſurgunt: quod apud Matthiolum in Dioſcoridem legere eſt. Præterea quæ herbæ nobis noxiæ hæ utiles animantibus, quibus veſcimur. Sanè cicuta mortifera eſt: ac rationem attuli lib. III, cap. XX. At citra noxam veſcuntur ſturni. Cauſſam adduximus lib. III hujus operis, cap. XCIII. Ac ſimiliter veratro veſci coturnices ibidem dicebamus. Zizaniorum ſemen inter frumenta creſcit, quod non modo cereviſiæ inditum facile inebriat, ſed etiam pani permixtum. Quippe vapores habet craſſos, noxios, mentemque perturbantes, non in potu modo, ſed etiam in cibo: ut recte obſervatum Quercetano Diætetici Polyhiſtorici cap. IX a. Taxi ſucco, quia venenatus latrones inungunt tela, quo vulnera ſint lethalia. Noxia eſt umbra juglandis, adultæ ficus, & juniperi. Unde Virgil. a Pag. 52. b.

Juniperi gravis umbra, nocent & frugibus umbræ.

Arbor Indica betol, beteli, & bettre dicta, profert Coffol, fructum palmulæ ſimilem. Indis eſt pro bellariis: ac naſcitur ex arbore quæ Indis *areca* dicitur. Folia ejus pro bellariis: ſed ſi excedatur modus, mentem faciunt amentem. Iccirco feminæ Tamaſſeti, dejecturæ ſe in rogum mariti mortui, prius hoc ſe folio explent. Quod ex commentariis Luſitanorum Cæſar Scaliger refert Exercitatione CXLVI, ſect. II. Clymenos, à rege ſic dicta, vim habet ſummam in refrigerando, ut mirum non ſit, ſi potu etiam ſterilitatem faciat viris: teſte Plinio lib. XXV, cap. VII. Atque ibidem ſubjungit, ut prægnantibus bibenda non ſit Gentiana, quæ in Illyrico præſtantiſſima naſcitur, atque nomen nacta à Gentio, Illyricorum rege. Item ut Nymphæam qui biberint duodecim diebus coitu genitura priventur. Sic dictam ajunt à Nympha, quæ zelotypia erga Herculem mortua: unde & Heracleon dicta: aliis rhopalon, à clavæ ſimilitudine. Jam quid de aconito dicam: de quo notum illud Naſonis in Met.

Lurida terribiles miſcent aconita novercæ.

Nomen eſt à loco, ubi naſcitur. Is eſt mons Ἀκόναι prope Heracleam Ponti. De quo auctores nobis Theopompus, & ex eo Theophraſtus, atque ex hoc Ælius Promotus lib. περὶ ἰοβόλων καὶ δηλητηρίων φαρμάκων b, qui in Vaticana adſervatur bibliotheca. Verba ſcriptoris adducit Hier. Mercurialis lib. III Var. Lect. cap. IV. Idem ex eodem Theopompo narrat Antigonus Caryſtius in Hiſtoriarum Mirabilium Collectaneis, cap. CXXXVI. Similiterque Nicandri ſcholiaſtes in Alexipharm. Alii tamen Aconas haſce in Bithynia ſtatuunt apud Mariandynos: ut Etymologici auctor: imò idem legas apud ipſum Theophraſt. in Hiſtor. Plant. lib. IX, cap. XVI. Eſt verò aconitum, ut Plinius ait lib. XXVII, cap. II, *omnium venenorum ocyſſimum.* Addit atque, *tactis quoque genitalibus feminini ſexus animalium eodem die inferre mortem. Hoc fuit venenum, quo interemtas dormientes à Calpurnio Beſtia uxores M. Cæcilius accuſator objecit. Hinc illa atrox peroratio, ejus in digito mortuas.* Sed vide quomodo hac parte nobis conſuluerit numen. Subjungit enim Plinius: *Hoc quoque in uſus humanæ ſalutis vertere, ſcorpionum ictibus adverſari experiendo datum in vino calido.* Ac deinde ſcitum illud: *Ea eſt natura, ut hominem occidat, niſi invenerit, quod in homine perimat. Cum eo ſolo colluctatur, velut pari intus invento. Sola hæc pugna eſt, cùm venenum in viſceribus reperit: mirumque, exitialia per ſe ambo cùm ſint, duo venena in homine commoriuntur, ut homo ſuperſit.* Refert deinde, quomodo non ſolùm ſcorpiones aconiti tactu torpeſcant, & vinci ſe confiteantur: ſed etiam carnibus aconito illitis pantheræ interimantur, terras alioqui impleturæ: atque hinc eſſe, quod herba hæc etiam *pardalianches* nuncupetur: Sane ſic vocari ex Euphorione etiam prodidit Ælius Promotus libro antè memorato. Proximo etiam capite ſic ſcribit Plinius: *Majores oculorum quoque medicamentis aconitum miſceri, ſaluberrimè promulgavere, apertâ profeſſione, malum quidem nullum eſſe ſine aliquo bono.* Mirum verò, quod hic ait Plinius, aconitum oculis conferre, ut id commune habeat cum ruta: b De venenoſis pharmacis.

& rutam tamen plurimùm prodeſſe adverſus aconitum. Itaque cum Heracleenſium tyrannus Agatharchus multos tolleret aconito, re detecta Heracleenſes rutam bibebant priuſquam pedem domo efferrent, atque ita ſe tutos præſtabant à tyranno. Rem narrat ex Theopompo Antigonus Caryſtius in Hiſtoriis Mirabilibus, cap. cxxxi. Sed Athenæus lib. iii, pro Agatarcho Clearchum dicit: atque ita apud Antigonum etiam legendum videtur. Nam Clearchi Heracleenſium tyranni ſæpius veteres meminere. Atque ut in eo Antigonus ex Athenæo corrigendus: ita & Athenæus ex Antigono: cùm venenum, quo tyrannus cives tollebat κώνειον, ſive cicutam dicit. Nam ἀκόνιτον, ut eſt apud Antigonum, reſcribi debet. Niſi placet laxiùs uſum eſſe cicutæ ſignificatione, ut aconitum comprehendat. Vide quæ pro hac ſententia adducit Hieronymus Mercurialis lib. iii Var. Lect. cap. iv.

Adverſus cicutam remedium à Deo nobis vinum datur. Nam ut cicuta cum pauxillo vino exhibita celeriùs penetrat vitalia, atque interimit, quia paullum vini tollere nequeat cicutæ virus: ita ſi poſt datam cicutam largiùs vinum bibatur, frigus cicutæ calore vini non retunditur modò, ſed etiam expugnatur. Unde Plinius lib. xvi, cap. v: *Sicut cicuta homini venenum eſt, ſic cicutæ vinum.* Non hoc fugit illos, qui, ut Plutarchus narrat libro περὶ ἀδολεσχίας, templum populaturi priùs cicutam biberunt, ac vini lagenam ſecum detulere. Quod eo factum, ut capti cicuta prius morerentur, quam afficerentur ſupplicio: periculum hoc ſi evaderent, vini hauſtu periculo item veneni liberarentur. Braſſica oculos hebetat, unde, ut ajunt, κράμβη dicta quaſi κορἀμβλη, à κόρη, pupilla oculi, & ἀμβλύνειν, hebetare. At rapa contrà viſum reddunt meliorem.

Cap. XLVI.

Quomodo plantis ad Deum adducamur: ſed gentiles nimiâ, ſtultaque admiratione eos, vel ut numina coluerint, vel ut numinum receptacula, aut ſymbola.

EX iis, quæ hactenus diximus, abunde relucet bonitas ac prudentia divina. Unde & plantas ad laudandum Dominum invitat Pſaltes Pſ. cxlviii: *Laudate Dominum montes, & omnes colles, arbores fructiferæ, & omnes cedri.* Sed gentilium admiratione nimiâ factum, ut ea religioſe colerent alii, ut numina, alii ut ſacra numinum templa, alii ut eorum ſymbola. Hinc Prudentius in ſecundo adverſus Symmachum:

Sunt qui quadriviis brevioribus ire parati
Vilia Niliacis venerantur oluſcula in hortis,
Porrum & cepe Deos imponere nubibus auſi,
Haliaque, & Serapin cœlo ſuper aſtra locare.

Et ante eum Clemens Romanus in v Recognitionum libro: cujus verba lib. ii, cap. lxxiv, adduximus. Uti & alibi Minutii Felicis verba in Octavio. Pro Diis vero ab Ægyptiis ea coli, ex duobus collegere gentes exteræ. Primùm ex eo, quòd per iſta jurarent. Qua de re ſic Plinius lib. xix Nat. Hiſtor. cap. vi: *Allium cepaſque inter Deos jurejurando habet Ægyptus.* Et hinc itidem lib. xi, cap. vii: *Gentes verò quædam animalia, & aliqua etiam obſcena pro Diis habent, & multa dictu magis pudenda, per fœtidos cibos jurantes.* Atqui infirmum eſt, admodum argumentum, haberi aliquid pro Deo quia per illud juretur. Sanè peſſimus, ſed vulgaris mos plurimis Belgarum jusjurandum concipientium per animam ſuam: ac ne id nuperum inventum quis arbitretur, fecit idem Phryxille apud Euripidem in Oreſte. Nempe jurant per eam non ut numen, ſed rem cariſſimam. Quomodo & per liberos jurabant. Hinc Maro ix Æn.

Per caput hoc juro, per quod pater ante ſolebat.

Eadem de cauſſa nummos ferreos, hoc eſt, per pecunias ſuas, jurabant Byzantii: ut eſt apud Ariſtophan. Νεφελ. act. i, ſc. iii, & veterem inibi ſcholiaſten.

Alterum eſt argumentum, quia Ægyptiis religio foret porro & cepis veſci. Unde Juvenalis ſat. xv:

Porrum & cepe nefas violare, & frangere morſu.
O ſanctas gentes, quibus hæc naſcuntur in hortis
Numina.

Apud Sextum Empiricum etiam legas lib. iii. Pyrrh. Hypotyp. Κρόμμυον δ' οὐκ ἄν τις προσενέγκαιτο τῶν καθιερωμένων τῷ κατὰ Πηλούσιον Κασίῳ Διΐ· ὥσπερ οὐδ' ἱερεὺς τῆς κατὰ Λιβύην Ἀφροδίτης σκορόδου γεύσαιτο ἄν. *Cepas verò nemo eorum unquam ederit, qui apud Peluſium initiantur ſacris Caſii Jovis, uti nec Libycæ Veneris ſacerdos allium guſtarit.* Cepis abſtinuiſſe Iſiacos, etiam apud Plutarchum legas lib. de Iſide, atque Oſiride, item Origenem contra Celſum. In delictis tamen ad expiationem Iſiacis faciebat allium comeſtum: ut oſtendit hoc Perſii ſat. v:

Hinc grandes Galli, & cum ſiſtro luſca ſacerdos
Incuſſere Deos inflantes corpora, ſi non
Prædictum ter mane caput guſtaveris alli.

Ubi de Iſiacis, Ægyptiacis ſacerdotibus, ſermonem eſſe, arguit vox ſacerdotis cum ſiſtro. Nam ſiſtrum in ſacris Iſidos, ut cymbalum in ſacris Cybeles. Ergo Ægyptii non ſemper abſtinuere allio. Atque, ut ſemper abſtinuiſſent, ſic quoque argumentum ſatis fuerit infirmum. Nam nec licuit ei apud Græcos ingredi ſacrarium Matris Deûm, qui allium comediſſet, teſte Athenæo lib. x: ubi narrat de Stilpone Philoſopho, ut fiſus ſua temperantia in ſacrario obdormierit, ſed Dea in ſomnio illi dixerit, Philoſophus es, ô Stilpon, & ſacras leges violas? ad hoc eum reſpondiſſe in ſomnis, Præbe Diva, quod comedam, nec veſcar allio. Sacra illa lex non erat inde, quòd Græci pro Numine colerent allium; imò ne quidem, quòd pro ſymbolo Numinis haberent, ſed quia deteſtarentur. Et an non nobis religio ſit carnibus veſci humanis, etiam hoſtis? cujus carnes Braſilienſibus ſunt in deliciis. At non propterea homo pro numine à nobis colitur. Nec Braſileenſes tam ſtultè ſapiunt, ut id de nobis credant. Nec animantia, quibus Judæi in Lege juſſi abſtinere, eo Dii habebantur. Neque ea animantia pro Diis colimus, quibus nemo Chriſtianus veſcatur, niſi ad extremam redactus famem: uti equos, mures, feles.

Quare ſi non aliud habuere Juvenalis, vel alii quàm abſtinentiam ab eſu harum plantarum, perperam inde collegerunt, Ægyptios eas pro Diis habere. Meo verò judicio, tantum abeſt, ut Ægyptii putarint cepas propriè eſſe Deum quempiam, ut vix habuerint pro ſigno vel ſymbolo numinis, ac potiùs crediderint ſymbolum eſſe impietatis erga Iſidem ſive Lunam, atque adeò erga omnem cultum divinum: uti ſymbolum intemperantiæ: Lunæ enim adverſam putabant, idque quia ea creſcat decreſcente: imò omni cultui Deorum inimicam, quia feſtos dies deceat lætitia: at hæc lacrymas ciet, quod doloris argumentum. Temperantiæ verò præſertim jejunantium religionis ergo, omnino contrariam ſtatuebant quia ſitim excitat: unde immoderatus potus, mox etiam Veneris deſiderium. Hæ veræ erant cauſſæ, cur ejus eſu abſtinerent ſacerdotes, ut Plutarchus nos docet lib. de Iſide & Oſiride: Οἱ δ' ἱερεῖς ἀφοσιοῦνται καὶ δυσχεραίνουσι καὶ τὸ κρόμμυον παραφυλάττοντες, ὅτι τῆς σελήνης φθινούσης μόνον εὐτροφεῖν τοῦτο καὶ τεθηλέναι πέφυκεν· ἔστι δὲ πρόσφορον οὔτε ἀγνεύουσιν, οὔτε ἑορτάζουσι, τοῖς μὲν ὅτι διψῆν, τοῖς δὲ ὅτι δακρύειν ποιεῖ τοὺς προσφερομένους. *Sacerdotes verò averſantur & cepam, quoniam ſolum decreſcente Luna vigeat & creſcat. Neque uſus ejus commodus eſt: vel caſtimoniam exercentibus, vel dies feſtos celebrantibus, illis quidem, quia ſitim ciet: his verò quia lachrymas movet.*

Potiùs dixero, plantas habuiſſe pro Diis, quatenus colerent Oſirim. Nec enim Oſiris modò Sol; ſed etiam frumentum. Quod exoptant Ægyptii, cùm Oſiridem plangunt. Vetus Statii interpres in i Thebaidos [a]. *Proventum fructuum quærunt Ægyptii uſque ad veros planctus. Nam irrigatio Nili ſupradictorum fletibus imploratur.*

[a] Verſ. 265.

tur. Ac ſimiliter Phœnicibus Adonis non Sol duntaxat, ſed & fruges: ut ex Ammiano Marcellino diximus lib. II, cap. IV. Et tamen ne illud quidem in animum inducere poſſum, vel Ægyptios, vel Phœnices, fruges habuiſſe inter ſua numina: ſed potius inter inventa ejus, vel dona, quem pro numine colerent. Propriè ſi Deum putaſſent, non eas demeſſuiſſent, non torruiſſent, aut moluiſſent, non denique comediſſent.

Valde autem antiquus ſit plantarum cultus, ſi credimus iis, quæ Euſebius in primo Præparationis Evangelicæ prodidit ex Sanchuniathone Berytio, ille autem ex Taauto Ægyptio deſumſit. Sic enim ſcribunt: Ἀλλ' οὗτοί γε πρῶτοι ἀφιέρωσαν τὰ τῆς γῆς βλαστήματα, καὶ θεοὺς ἐνόμισαν, καὶ προσεκύνουν ταῦτα, ἀφ' ὧν αὐτοί τε διεγίνοντο, καὶ οἱ ἑπόμενοι, καὶ οἱ πρὸ αὐτῶν πάντες, καὶ χοὰς καὶ ἐπιθύσεις ἐπίλειν. *At illi omnium principes terræ germina conſecrarunt, iiſque Deorum loco habitis, cultum tribuerunt: quibus non ipſi modò, ſed ipſorum etiam poſteri majoreſque vitam ſuſtentarunt, inferiaſque ac libamina obtulerunt.*

Quicquid verò de Ægyptiis ſit, ſaltem variæ gentes ad Septentrionem ſitæ arbores cultu affecere divino. In his Sclavii, quibus ſylvas, ſic coli auctor eſt Procopius, atque ex eo Joannes Dubravius lib. I Hiſtoriæ Bohemicæ *a*. Sed fortaſſe hoc ex eo colligebant, quia ad arbores ſacrificarent. Nam idem Dubravius lib. IX *b*, ſcribit Bohemos Laribus, & Lemuribus victimas mactâſſe ad fontes, ad lucos, & ad compita. Similiaque legas apud Coſmam Pragenſem. Ac fortaſſe nec aliter capiendum, quod Alexander Gaguinus in Sarmatia ſua Europæa tradit *c*, arbores cultas à Lituanis. Firmat hanc opinionem, quod de Celtis ſcribat Maximus Tyrius ſerm. XXXVIII. Iis altiſſimam quercum haberi ἄγαλμα Διὸς, *ſimulachrum Iovis.* Plures tamen proprium cultum arbitrantur. Ita in vita S. Amandi, quam Baudemundus ſcripſit *d*, refertur, arbores, ac ſylvas à Gandenſibus cultas. Sic Vandalos Lucos coluiſſe, & penates Deos habuiſſe refert Crantzius in Wand. lib. III, cap. XXXVII. De quercus aliarumque arborum cultu à Germanis, Gallis, Romanis, vide Lipſium ad Tacit. de moribus German. *e*.

a Pag. 5. l. 53. edit. Hanov. a. 1602. Vide & pag. 68. l. 30.
b Pag. 68.
c P. 52. b.
d Apud Surium, 6. Feb. pag. 909. edit. Colon. an. 1576.
e P. 439. edit. Morell. in fol. col. 2.

Etiam Indorum aliqui arbores adoraſſe dicuntur. S. Odericus de Foro-Julii, qui ante annos claruit trecentos, Peregrinationis ſuæ in Oriente cap. II, §. V, de civitate Chanaam, quæ aliis Thanam, vel Tonam: *Hic populus idolatrat: nam adorant ignem, ſerpentes, & arbores.* Quod verò ille ait de Indis Orientalibus, idem in Occidentalibus Indis veriſſimum eſt. Peruanos quidem hodieque arbori cultum præſtare divinum, docet Joſephus Acoſta lib. V, cap. II. Quod ſi ab Oriente & Occidente ad Septentrionem ire viſum eſt: Joannes Laſicius Polonus de Diis Samogitarum, aliorumque Sarmatarum agens, retulit quendam cùm arbores decorticaret magno niſu, ſic eas affatum, *Vos me meis anſeribus, galliſque gallinaceis ſpoliâſtis; proinde & ego nudas vos faciam.* Quomodo non foret locutus, niſi vel arbores putâſſet Deos, vel ſaltem Deos in iis habitâſſe. Equidem poſterius iſtoc credere malo. Nam ea rudis vetuſtatis in nationibus opinio fuit, Deos ſe inſinuare arboribus, iiſque inhabitare velut templis. Plinium audiamus lib. XII, cap. I, quod eſt de arboribus: *Hæc fuere numinum templa, priſcoque ritu ſimplicia rura, etiamnum Deo præcellentem arborem dicant, nec magis auro fulgentia atque ebore ſimulachra, quam lucos, & in iis ſilentia ipſa adoramus.* De arboribus deorum templis. Vide & Annium Viterbienſem lib. XVII, fol. CLVIII. Inter iſtos arborum incolas, fuere etiam nymphæ ex eo dictæ Hamadryades, quia ἅμα ταῖς δρυσὶ, h. e. una cum arboribus naſcerentur & interirent, ut Mneſimachus tradidit, eumque ſecutus Servius in X Æn. Atque hinc Ovid....

Naida vulneribus ſuccidit in arbore factis:
Illa perit, fatum Naidos arbor erat.

Auſonius in verſibus monoſyllabo finitis:

Non ſine Hamadryadis fato cadit arborea trabs.

Nec tamen omnium ea opinio fuit, Dryades, vel Hamadryades inhabitare arboribus: Quippe longe vulgatior illorum ſententia erat, qui eas putarent extra arbores unà cum Faunis ac Satyris degere in ſylvis, & Venere miſceri, ac varios procreaſſe, ut memorant poëtæ. Sed ſive inhabitarent arbores, ſive in ſylvis extra arbores degerent; non tam arbores habitæ, quam arborum præſides: quod Feſtus indicat, cum ſcribit: *Querquetulanæ viræ putantur ſignificari nymphæ præſidentes querqueto vireſcenti, quod genus ſylvæ indicant fuiſſe intra portam, quæ ab eo dicta ſit Querquetulana.* Querquetulanæ enim non aliæ, quam Dryades, vel Hamadryades, ut tam Latinum, quam Græcum nomen indicat.

Sed fortaſſe aliquis eo conetur comprobare Græcis etiam ac Romanis plantas pro Diis cultas, quia mythologi doceant Proſerpinam eſſe frumentum, ac ſemen: at Cererem Proſerpinæ matrem, non modò Lunam eſſe, cujus viſeges ſuccreſcit, ſed etiam ſegetem ipſam, ex cujus ſpicis ſunt grana quæ terræ mandantur. Ac firmant hæc eo, quod Ceres, & Proſerpina tanquam mater, & filia, junctim propterea colerentur: ſicut apud Athenienſes; ubi Proſerpina unà cum matre ſua Cerere colebatur feſto Σκίῤῥοις, ſive Σκίῤῥαις, quod celebre ex ſe ipſo, nobilius redditum fuit victoriâ ad Mantineam: ut Plutarchus ait libro de Gloria Athenienſium. Scholiaſtes Ariſtophanis ad Concion. vult Σκίῤῥα eſſe feſtum Σκιῤῥάδος Ἀθηνᾶς *a*: ſed addit, aliis eſſe Δήμητρος, καὶ Κόρης, Cereris, & Liberæ, ſive Proſerpinæ. Equidem nihil horum inficior, ſed non puto inde conſequi, quod putarunt. Nec enim ex μυθολογίᾳ Theologiæ Poëticæ, vel etiam Philoſophicæ, ſtatui quicquam debet de Theologia civili; quæ tria Theologiæ genera Varro optimè diſtinguebat. Sanè ſecundùm Theologiam Politicam Ceres ævum in cœlis agitabat inter Deos Conſentes: Proſerpina verò, cum ſuo Plutone, apud inferos Manibus præſidebat. Quin etiam, ſecundùm Philoſophiam Stoicam, Ceres, & Proſerpina, ad unicam debeant reduci numen: nec tam pertineant ad mundi partes, quam ſpiritum ejus ſive animam, toto ſe mundi corpore miſcentem, variaque pro variis effectis Deorum Dearumque nomina ſortitum. Quod planiùs fiet, cum partibus Naturæ ſingulatim expoſitis, Naturam, ſive compagem univerſi, contemplabimur. Hoc loco ſufficit dixiſſe, non eſſe veriſimile, ſtultè adeò ſapuiſſe Romanos, & Græcos, ut pro numine haberent, quod ederent, & biberent. Hujus ſi opinionis fuiſſent, non uſque adeò eam riſiſſent ſententiam in Ægyptiis. Imò ne hos quidem ita crediidiſſe, non obſcurè elucet iis ex argumentis, quæ antea adduximus.

a Minervæ, cujus feſtum σκιῤῥοφοριῶνι, ſeu Martio menſe celebrabatur.

Sed ſive gentes totas, ſive ſimpliciores in iis, tanta ceperit dementia, ut in animum inducere poſſent plantas proprie, & per ſe, numina eſſe; non propterea eſſet, quòd Deum argueremus, quaſi liber hic naturæ tam ab eo obſcurè ſcriptus fuiſſet, ut non liqueret ea non eſſe numina. Nam ſi numina ſunt, invocare eorum opem, atque auxilium oportet: eoque neceſſe eſt ut audire, & exaudire, nos poſſint: ad quod etiam intellectu opus eſt. At quomodo hæc poſſint, cùm intelligentia careant, imò & ſenſu? Quo propterea deſtituuntur, quia ob craſſitiem ſuam non erant ſenſus capaces. Tum etiam quia eo non indigebant, cùm alimentum habeant obvium, ac propinquum, ut longiùs id quærere non habeant neceſſe.

Cinnamomum ſacrum Aſſabino, ſive Jovi Æthiopico: qua de re ex Theophraſto, Plinio, & Solino dicebamus hujus operis lib. II, cap. XI.

CAP. XLVIII.

De numinibus, quibus creditum, vel Jovis decreto, vel ſortitò, obtigiſſe, ut partem aliquam curarent eorum, quibus ſatisfieri poſſit votis humanis in rebus ad plantas pertinentibus.

Diximus de primo in plantis idololatriæ genere, quo ipſæ habentur pro Diis, ſive propriè, ac per ſe; ſive qua-

quatenus continent Deos, ad templorum modum. Accedo ad alterum genus, quod bipartitum, pro duplici relatione; una Iovis, vel Fortunæ, ad plantas; altera hominum ad eaſdem. Siquidem judicarunt, Iovis voluntate, vel ſortitò, unicuique Deo obtigiſſe, ut hujus, vel illius rei, ad plantas pertinentis, curam gereret, mortalium bono. Quale, quod putarunt Cereri à Iove datum, ut præeſſet frugibus. Atque hoc prioris eſt generis. Præterea, cùm ſe gratos vellent Diis præſtare, variè illis dicarunt plantas. Ut cum arborem ſublimem, vel aliquod arboris genus, huic vel illi numini ſacrarunt. Quod ſuæ eſſe voluntatis putarunt, non divinæ. Atque hujuſmodi ad alterum genus referuntur. Dicam primò de numinibus, quibus judicarunt hoc à Jove vel ſorte obtigiſſe, ut curam gererent rerum humanarum, quatenus eorum ſalus à plantis dependet. Ac frugibus quidem hi crediti præeſſe.

Seia, à ferendo ſic dicta, & Segeſta, ſive Segetia, à ſegete ita vocata: quarum ſimulacra in Circo fuiſſe, Plinius indicat lib. XVIII. Tutullina, tutatrix ſegetis, ut ex Varrone tradit Auguſtinus. Occator, Sarritor, Stercutius, occationis, ſtercorationis præſides Dii, ſicut ex Varrone Servius refert. Nodinus, vel Nodotus Auguſtino, qui curabat nodos, & genicula culmorum. Ac apud eundem Auguſtinum, Hoſtilina Dea, cum ſegetes novis ariſtis hoſtiuntur, h. e. æquantur. Nam *hoſtire* æquare, unde *hoſtorium*, *hoſtimentum*, & *redhoſtimentum*. Lactucina eidem, quæ præeſſet lactentibus frumentis: Varro apud Servium *Lactentem* vocat. Patalena eidem Auguſtino ex Varrone, ſive potiùs Patulena, ut eſt apud Arnobium, cum folliculi patefiunt ut ſpicæ exeant. Runcina Varroni de L. L. item Auguſtino, cui curæ eſſet runcatio. Torrendis frugibus præerat Dea Fornax, ſive Dea Fornicalis. Utroque enim modo appellat Ovidius in Faſtis. Meminere & Feſtus, ac Lactantius.

Robigus arcere creditus robiginem, quod vitium eſt in frugibus præcipuè frumentaceis. Naſcitur ex eo, quòd ros, pluviave à ſpica exceptus non depluat, ſed adhæreſcat, atque à Sole calefactus marceſcat, ac putreſcat, ſic ut friatus in fœtidum pulverem abeat. Hinc Robigalia, quæ ſecundum Plinium *a*, & Feſtum *b*, VII Kal. Maji celebrata: circa quod tempus occupare ſegetem robigo ſolet. In Robigaliumac Floralium locum ſucceſſere in Eccleſia Romana Rogationum dies, ac ſupplicationes illæ amburbiæ, & ambarvales: quæ fieri ſolent die S. Marci, triduo ante Adſcenſionem Domini. Arcere rubiginem creditur S. Judocus, cujus ſimulachrum propterea in arvis ſtatui ſolet. Apud gentes Deo Robigo, ipſis Robigalibus, canis mactabatur, & ovis. Ovidius lib. IV Faſt.

a *Lib.* 18. *cap.* 29.
b *In Robigalia.*

Flamen in antiqua lucum Rubiginis ibat,
Exta canis flammis, exta daturus ovis.

Ac ibidem, inter alia:

Thura focis, vinumque dedit, fibraſque bidentis,
Turpiaque obſcena vidimus exta canis.

De cane etiam ſic Columella lib. X:

Hinc mala rubigo virides ne torreat herbas.
Sanguine lactantis catuli placatur & extis.

Cur verò canis potiùs, quàm aliud Rubigo ſacrificaretur, ex eo cognoſcere eſt, quod ruſæ canes Caniculæ ſive Sirio ſacrificari ſoleant: ut ex Feſto diximus lib. II, cap. XXXVI *c*.

c *In Appendice.*

Vidimus de præſidibus frugum. Atque idem cenſendum de iis numinibus: quæ arboribus præſiderent, vel fruticibus, ut puta, quæ putationi præerat, teſte Arnobio. Spinenſis Deus, ſecundum Auguſtinum, qui eradicaret ex agro ſpinas. Pomona cui pomorum cura quaſi ſortito obveniſſet. De qia Ovid. Metam.... & Propertius lib... eleg... Indeque Pomonalis Flamen. Flora floribus præerat, ac invocabatur, non ut frumenta modò, ſed arbores etiam floreſcerent. Falli cenſeo, qui Floralibus à Flora meretrice hoc nomen putant impoſitum. Quam ſententiam refellebamus lib. I hujus operis, c. XII. Nec ſanè hoc quiſquam gentilium putavit. Sequitur tamen hanc ſententiam Genebrardus in Chronicis ad annum mundi ter milleſimum octingenteſimum octogeſimum tertium *a*, ac laudat auctorem ejus Plinium lib. XVIII, cap. XXIX. Ubi de Floralibus quidem agit: ſed hoc, quod ille vult, non dicit. a *P.* 170.

Neptunum ciceris inventorem ajunt, quia ſapor ejus ſit ſalſuginoſus.

Atque hæc de cultu impio, quo finxere numina, quæ plantis præeſſent. Quomodo cultus vero numini debitus eſt attributus numini commentitio: utpote quod vel non ſit in rerum natura, vel ſi ſit, ſolum debeat haberi pro parte, aut affectione ſpiritus mundani.

Cap. XLVIII.

De plantis ab iis, qui primi uſum earum monſtraſſent, numen conſecutis. Ac imprimis de plantis alicui numini dicatis: inque illis primùm hoc in arboribus oſtenſum, atque id trifariam: nam vel ſpecies certa Diis ſacratur, vel arbor unica, vel variarum arborum congeries, ſive in hortis, ſive in ſylvis. Poſtea actum de herbis certo numini conſecratis.

Deinceps videndum de eo, quod dicebamus, plantarum præcipuas huic, vel illi, fictitio numini, fuiſſe conſecratas. Nam ſic quoque cultus, uni Deo debitus, ad id tranſlatus eſt, quod non foret numen. Ut & hoc nomine nationes illiciti cultus peragantur rei. Egit de iſto, ſed non ut veteres laudaret autores, Nicolaus Mutonus medicus Mediolanenſis, præfatione luculenta, quam ante hos annos nonaginta, & amplius, novæ ſuæ Joannis Serapionis tralationi præmiſit. Ubi etiam narrat, quomodo reges ac principes honorem, imò immortale decus ex eo ſibi quæſierint, quòd à nomine ſuo plantæ appellarentur: ut factum videmus in Gentiana, Lyſimachia, Mithridatico, Eupatorio, Clymeno, Artemiſia, Theſeo, Telephio, Teucrio, Alcibiadio. Et ut vetuſtiora illa prætercam, eorum imitatione factum, ut Carolina diceretur à Carolo M. qui ante hos annos ſolùm vixit triginta ſupra octingentos. Nec culpare poſſumus, quod ab inventoribus nomen datum vel principibus bene meritis, ſed quod falſis numinibus attributus is honos: ut factum eſt in Chironii herba: quæ inventa dicitur à Minerva, teſte Plinio lib. XXV, cap. IV. Atque, ut ibidem legimus, Herculi adſcribitur Apollinaris, ſive hyoſcyamus. Linozoſtis ſive Parthenion, Mercurii inventum creditur, unde Græci Ἑρμούπιον, Latini *Mercurialem* vocarunt; teſte eodem libri XXV, cap. V.

Aliqui etiam opinantur Sirupos, qui è plantis fiunt, à Serapi inventos, nomenque ſuum accepiſſe. Hinc Conradus Geſnerus in Mithridate ſuo, cap. de lingua Indica *a*; *Colitur apud Indos dæmon* Σοροαδειος, *id eſt*, οἰνόποιος *b*, *Athenæus. Forte* Σοροάπειος *legendum: ut idem ſit, qui Serapis. Nam ſiraper vinum ſignificat linguâ Afrorum circa Tripolim. Medici potiones quaſdam mulſas, vel ſaccharatas, ſirupos appellant: Græci recentiores ſerapia: quorum quædam etiam in Deum (forte Serapim, per ſomnia admonentem, præſertim ægrotos in templo eam ob cauſſam dormientes) auctorem referuntur.* Ad Serapidem Medicum pertinet hoc Varronis Eumenidibus:

a *Fol* 56.
b *Vinitor.*

Hoſpes, quid miras nummo curare Serapin?
Quid? quaſi non curet tantidem Ariſtoteles.

Sed hæc ſolùm pertinent ad plantas à numine aliquo, ut ajunt inventas, & ex eo nomen ſortitas. Longè verò plures ſunt ſtirpes, de quibus etſi non idem prædicetur, tamen numini fictitio fuerint ſacratæ. Atque hoc imprimis de arboribus, & fruticibus dictum velim. Audiamus Plinium lib. XII, cap. I, quod eſt de arboribus: *Arborum genera numinibus ſuis dicata perpetuo ſervantur: ut Iovi eſculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus.* Addit deinde in arborum honorem: *Quin & Sylvanos Faunoſque, & Dearum genera ſylvis, ac ſua numina, tanquam & cælo attributa credimus.* De eſculo, lauro, olea, myrto, pluribus

ribus dicam. Eſculum Iovi eſſe ſacram indicat hoc Maronis in Georg.

—— Iovi quæ maxima frondet
Eſculus, atque habitæ Grajis oracula quercus.

Idem Plinius tradit lib. xvi, cap. iv. Verba ejus adtuli, cum de uſu coronæ in bello ac victoria loquerer. Nempe arbores omnes glandiferæ Iovi conſecratæ. In quibus & fagus: de qua cognoſcere eſt ex ſacello, quod dictum Iovis Fagutalis. Varro lib. iv de L. L. *Fagutal à fago: unde etiam, quod ibi ſacellum, Iovis Fagutalis.* Plinius l. xvi, cap. x: *Fagutali Iovi etiam nunc, ubi lucus fageus fuit.* Feſtus Pompejus: *Fagutal ſacellum Iovis, in quo fuit fagus arbor, quæ Iovi ſacra habebatur.*

Similiter quercum eſſe Iovi ſacram diximus cum in honoribus militaribus de corona civica ageremus. Nec id modo apud Græcos, & Romanos, ſed alias etiam gentes fuit. Ita apud Celtas quercus ut ſymbolum Iovis colebatur. Maximus Tyrius ſerm. xxxviii: Κελτοὶ σέβουσι μὲν Δία, ἄγαλμα δὲ Διὸς κελτικὸν ὑψηλὴ δρῦς *a.* Nec ſoli tamen Iovi quercus ſacra: ſed etiam Rheæ, ut teſtis eſt Apollodorus lib. iii Bibliothecæ. Unde apud Apollonium lib. i Argonaut. aræ Δινδυμίης μητρὸς, quæ eadem ac Rhea, accumulantur φύλλοις δρυΐνοις *b.*

a Celtæ Jovem colunt, cujus apud ipſos ſignum excelſa quercus.
b Foliis quernis.

Quia verò glandiferæ arbores Iovi ſacræ, ut antea diximus: eo & dicata illi nux juglandes ferens. Hoc etiam nomen indicat. Nam ut *Jupiter* ex Jovipater: ita *juglans* ex *Jovis glans*. Solum hoc diſcriminis eſt, quod in priori, *Jovis* eſt rectus caſus in poſteriori patrius. Ideo boni ominis cauſſa in nuptiis ſpargebantur. Servius ad Ecl. viii: *Varro hanc ſpargendarum nucum rationem eſſe dicit, ut Iovis omine matrimonium celebretur, ut nupta matrona ſit ſicut Juno. nam nuces in tutela ſunt Iovis.* Aliam tamen rationem Plinius adducit lib. xv, cap. xxii: *Nuces,* inquit, *juglandes, quamquam & ipſa nuptialium feſcenninorum comites, multùm minores univerſitate, eademque portione ampliores nucleo. nec non & honor his naturæ peculiaris, gemino protectis operimento, pulvinari primùm calycis, mox lignei putaminis: quæ cauſſa eas nuptiis fecit religioſas, tot modis fœtum munit: quod eſt veriſimilius, quàm quia cadendo tripudium ſoliſtimum faciant.*

Laurus erat Apollini ſacra. Itaque in feſto Apollinis natalitio, (quod Ἑβδόμη dicebatur, uti Apollo ipſe Ἑβδομαγενὴς *c*) Athenienſes hymnum deo canentes laurum geſtabant: ut ait Proclus in Heſiodi ἡμέραις. Sed & in feſto Apollinis Iſmenii & Galaxiæ geſtata laurus, quam contingeret puer patrimus, & matrimus: unde & feſtum δαφνηφορία dictum: ut eſt apud Proclum in Chreſtomathia. Cur Laurus Apollini ſacra fuerit, expoſui lib. ii hujus operis, cap. xii. Inter cauſſas erat ignea natura. Sanè ex ſpongioſa materie cognoſcimus multum continere aëris, qui, ſi igni admoveantur folia, igneſcit: unde eſt, quod lauri folia ardeant, quodque igni crepitent: ut Cæſar Scaliger oſtendit Exercitat. clxxx, ſect. ii & iii. At Cardanus valde fallebatur, cum utriuſque cauſſam inde peteret, quod aliquid putridi in ſe contineret. Quia verò Apollo divinationis erat præſes eo, ut loco ante memorato dicebamus, etiam creditum, comeſtam ἐνεργεῖν πρὸς τοὺς ἐνθουσιασμοὺς, conferre ad numinis afflatum: ut ſcribit Heſideæ Theogoniæ interpres. Indeque vaticinantes dixere δαφνηφάγους *d.* Hinc Tibullus lib. ii, eleg. vi, de Sibylla:

c Septima die natus.

Vera cano, ſic uſque ſacras innoxia laurus
Veſcar. ——

d Laurivoras.

Ignique injecta credebatur boni index, ſi creparet vehementius; mali, ſi non ederet ſonum: ut liquet ex Tibulli lib. ii, el. v, & Propertio lib. ii eleg. xxviii.

Olea Minervæ ſacra. Græcis non ἐλαία modò, ſed & μορία dicitur. Heſychius; μορίαι, ἐλαῖαι ἱεραὶ τῆς Ἀθηνᾶς, *oleæ Palladi ſacræ.* Eo autem Palladi dicatæ, quia pacis ac tranquillitatis ſymbolum: unde præferri ſolet ab iis, qui pacem poſtularent. Notum illud Plauti Pœnulo, *oleo tranquillior.* Ac Plato in Thæteto placida ingenia confert oleo molliter fluenti. Imò & oleum in tempeſtate undarum impetum frangit. Unde Plin. lib. ii, cap. ciii: *Mare omne oleo tranquillatur. Et ob id urinantes ore ſpargere: quoniam mitiget naturam aſperam, lucemque deportet.* Nec ſolum Minervæ ſacra olea: ſed etiam Apollini. Cujus cauſſam ex Theocrito adduxi lib. ii, cap. xii. Imò & Jupiter oleâ coronabatur. Unde Phurnutus: Στέφεται δὲ ἐλαίᾳ, διὰ τὸ ἀειθαλὲς, καὶ λιπαρὸν, καὶ πολύχρηστον· ἢ διὰ τὴν ἐμφέρειαν τῆς πρὸς τὸν οὐρανὸν γλαυκότητος. *Caput ejus coronâ oleaginâ redimiri. Cauſſa autem eſt, quòd hæc arbor ſemper in vigore ſit, & quod olei uſu ſit ubique plurimus.* Myrtus Veneri ſacra: quia, ut poëtæ narrant cum ipſa, Juno item, ac Minerva ad judicium de forma proficiſcerentur, ubi victoriam retulit, myrteâ coronâ caput ornaverat, ut Nicander ait in Alexipharmacis. Alii eò Veneri ſacratam arbitrantur, quia in litore naſcatur, & Venus mari orta ſit. Alii, quia vim habeat conciliandi amorem. Alii verò quoniam medeatur plurimis feminarum morbis. Itaque ſatis conveniens Veneris ſimulachro materies erat myrtus. Ita è myrto fuit Veneris ſimulachrum, quod ultra Hermum ad Temnum oppidum erat ac à Pelope, ut Hippodamiæ nuptiarum compos fieret, procuratum fuiſſe exiſtimatur: quemadmodum narrat Pauſanias in Eliacis prioribus. A myrto dicta Venus myrtea, ſive ob myrtetum ædi Veneris vicinum ad metas Myrteas, ſive Murcias; ſive à monte Aventino, qui primitus vocaretur Murcus. Poſterius Feſto, Servioque placuit; prius Varroni, Plinio, Plutarcho; qui auctores priùs Myrteam, poſtea Murciam vocatam. Quia verò myrtus Veneri ſacra, eo & in conviviis corona gaudebant myrtea; ut liquet ex Horat. lib. i, od. iv, & xxxiv. Eadem de cauſſa nuptiarum tempore poſtes ædium myrto obducebantur. Claudianus in Nupt. Honorii, & Mariæ:

Hi noſtrâ nitidos poſtes obducere myrto
Contendant.

Nec ſoli tamen Veneri ſacra, quando & Dionyſum myrto coronatum Ariſtophanes inducit in Ranis. Anacreon etiam myrteâ ſe coronabat: ut ex Polluce alibi diximus. Vidimus de quatuor arboribus ſacris Plinio nominatis: quarum duas myrtum, & laurum, etiam nominat Virgilius Ecl. vii, ſed addit populum, & vitem.

Populus Alcidæ gratiſſima, vitis Jaccho,
Formoſæ myrtus Veneri, ſua laurea Phœbo.

Ac de populo firmat, quod idem viii Æneidos canit:

—— Herculeâ bicolor cum populus umbrâ
Velavitque comas, foliiſque innexa pependit.

Ac mox de Saliis, Martis & Herculis ſacerdotibus, ſubdit,

Populeis adſunt evincti tempora ramis.

Sed de populo Herculi ſacra, etiam Plinius lib. xii, cap. i: *Arborum genera numinibus ſuis dicata perpetuò ſervantur; ut Jovi eſculus, Apollini laurus, Minervæ olea, Veneri myrtus, Herculi populus.* Itaque & ipſe cum Iovi in Olympia ſacrificaret, victimarum coxas populeis lignis adolevit: ut eſt apud Pauſaniam lib. v. Etiam apud Ovidium quieviſſe propterea ſub hac arbore dicitur:

Opportuna ſuâ blanditur populus umbra:

Albam verò adamâſſe populum dicitur, qua propterea athletæ, & heroës coronabantur: Plinium adi lib. xvi, cap. xxiii. Etiam apud Horatium primo odarum de Teucro leges:

Tempora populea fertur vinxiſſe corona,
Sic triſtes affatus amicos.

Nempe, ut lætitiam præ ſe ferens, alios etiam juberet bene in poſterum ſperare.

Cur vitis ſacrata ſit Libero, gemina eſt ratio, una phyſica, ob calorem vini, qui à Sole, à quo vinum excoquitur: altera hiſtorica, quia in Libero cultus fuit Noë, primus vitis conſitor. Diximus de eo lib. i hujus operis cap. xix. Saltem addendum videtur, quod antequam menſa tolleretur, bibebant poculum, quod dicebatur ἀγαθοῦ

δαι-

δαίμονος, boni Dei, ſive Bacchum, ſive Genium intelligentes. Poteſt videri Victorius lib. I, cap. I Var. Lect.

Pleraſque arborum, quas diximus etiam jungit Phædrus, Augusti libertus, fab. LVI:

Olim quas vellent eſſe in tutela ſua
Divi legerunt arbores; quercus Iovi,
Et myrtus Veneri placuit, Phœbo laurea,
Pinus Cybele, populus celſa Herculi.

Ac ſubjungit de olea à Minerva electa. De ſola harum pinu nondum dictum. Sed egimus de ea lib. I, cap. XX, ubi exponimus cauſſam, cur in ſacris Cybelles pinus ab iis geſtari ſoleat, quos propterea δενδροφόρους a vocabant. Hinc Cybelle apud Maronem IX Æn.

a *Arboriferos.*

Pinea ſylva mihi multos dilecta per annos.

Ubi ſic Servius:

Pinus in tutela matris Deûm eſt.

Atque idem ſic: paullo poſt ad illa,

Quam ſacras dabitur pinus. ——

Mater magna inſtituit, ut quotannis in ſacris ſuis plangeretur, pinumque arborem, ſub qua jacuerat (Attis,) *tutelæ ſuæ adſcripſit.* De eadem arbore ſic Arnobius in VII: *Quid ſibi vult illa pinus,* —— *quam genitrix divûm in ſolatium ſui vulneris conſecravit.* Ac eodem libro poſtea: *Quam memorant divam in ſolatium ſui conſecraviſſe mœroris.* Hinc & pinea nux apud Martialem lib. XIII, epig. XXV ait:

Poma ſumus Cybeles. ——

Etiam Fauno pinus placuit. Unde Ovidius epiſtola Oenones:

Cornigerumque caput pinu præcinctus acuta,
Faunus in immenſis, qua tumet Ida, jugis.

A Pane etiam adamatam indicant Γεωπονικὰ Conſtantino Cæſari dicata lib. XI, cap. XI.

Pomus in Veneris eſt tutela, ob fructum. Piget cauſſam referre. Nec eam poteſt neſcire, qui legerit variorum in Priapum luſus. Maximè Veneri grata poma ἐαρινὰ καὶ γλυκέα b, ut eſt apud Artemidorum. Theocritus à Διονύσῳ poma ait primitus inventa. Verùm Antiphanes, & alii, tribuere Veneri. Ac conſtat in judicio Paridis pomum Veneri datum. Romani item cum effingerent Venerem Victricem, eam formabant manu pomum tenentem, & palmam: ut videre licet ex vett. ſtatuis ac numis. Nempe quia Venus in certamine de forma pomum à Paride accepit, eoque palmam ſive victoriam retulit. Etiam in antiquo toreumate argenteo, quod μυθολογίᾳ ſuâ illuſtravit Pighius, Venus conſpicitur haſtam tenens, in cujus cuſpide eſt pomum roſarum foliis cinctum.

b *Verna, dulciaque.*

Ficus Diis ſacra, ariſque adhibita: qua de re ſic Julianus epiſt. XXIV: Ὅτι θεοῖς τὸ σῦκον ἀνάκειται, καὶ θυσίας ἐστὶν ἁπάσης ἐμβώμιον, καὶ ὅτι παντὸς λιβανωτοῦ κρεῖττον ἐς θυμιάματος σκευασίαν ἐστὶν, οὐχ ἐμὸς ἴδιος οὗτος ὁ λόγος, ἀλλ' ὅστις τὴν χρείαν αὐτοῦ ἔμαθεν, οἶδεν ὡς ἀνδρὸς σοφοῦ, καὶ ἱεροφάντου λόγος ἐστί. *Enimvero Diis ficum conſecrari, ariſque omnibus adhiberi, & quovis thure ad odores eſſe aptiorem, non mea eſt oratio: ſed quiſquis, uſum ejus didicit a ſapiente aliquo homine, ſacrorumque antiſtite, manaſſe intelligit.* Quod ſi in via inveniretur, appendebatur ſigno Mercurii, unde auferebatur ab eo, qui vellet. Zenobius cent. V, proverb. XCII: *Ficum Mercurio. de re promta & cuivis uſui expoſita. Ficum enim antiquitus qui reperiſſet, Mercurio ſacram ſuſpendebat, indeque cui libitum erat, auferebat.* Ficus Baccho quoque ſacra. Soſibius quidem Lacedæmonius Bacchum ficus inventorem ait, ac propterea à Spartanis coli Bacchum Συκίτην, ſive Ficulneum. Atque idem Andriſcus & Agaſthenes retulere: ut eſt apud Athenæum lib. III. Videtur & Saturno ſacra fuiſſe: ſed apud Cyrenenſes Macrobius lib. I Saturn. cap. VII: *Cyrenenſes etiam cùm rem divinam Saturno faciunt, ficis recentibus coronantur.* Nec mirum ſi numini ficum dicarint, cujus tot bona ſunt. Vide de iis Julianum Cæſarem epiſt. XXIV, quæ ad Sarapionem. Summam ipſe complexus cum poſt longam & elegantem diſſertationem ſubjungit: Καὶ ὥσπερ μὲν γενέσεως αὐτῶν, καὶ γλυκύτητος, καὶ ὥρας, καὶ ποιήσεως, καὶ χρείας ταῦτά σοι παρ' ἡμῶν ἡ ἐπιστολὴ προσπαίξει· *Ac de earum ortu, dulcedine, ſpecie, confectione, utilitate, noſtra epiſtola adhuc luſit.* Et ob iſta quidem ſacra apud Græcos ficus. At alia ratio de Ruminali ac Navia ficu apud Romanos. Eam dabit Feſtus in *Navia*, ac *Ruminalis.* Plinius lib. XV, cap. XVIII: *Colitur ficus arbor in Foro ipſo, ac comitio, Romæ natæ ſacra, fulguribus ibi conditis.* Cultam ait ficum. Et certum tamen non habitam pro numine, ſed pro re ſacra ac religioſa.

Ficum Naviam & Ruminalem, eandem eſſe dicit Scaliger ad Feſtum.

Cupreſſus, ut Plin. ait lib. XVI, cap. XXXIII, al. XXXII, *Diti ſacra, & ideo funebri ſigno ad domos poſita.* De Dite a, adſentit Feſtus. Pro eo Proſerpinam ait Servius b: alii generatim ajunt Dis inferis. Rationem eam adfert Feſtus quòd capite præciſo, præterquam in Ænaria, non renaſcatur, ſicuti homini, ut ait Catullus,

a *Seu Plutone.*
b *In 4 Æn.*

—— *Cum ſemel occidit brevis lux,*
Nox eſt perpetuò una dormienda.

Quod verò addit Plinius, domui funebri ſolere apponi, id de ditiorum ædibus capiendum. Unde Lucanus:

Et non plebejos luctus teſtata cupreſſus.

Nempe rara erat in Italia, nec cognita multò ante Catonis tempora. Varro ait rogo ſolere circumdari, ut corrigeret gravem uſtrinæ odorem. Hinc ferales cupreſſos vocat Maro VI Æn. & Silius in X, funebres Horat. lib. epodon, od. V. Horatius etiam lib. II, od. XIV ait, divites ab obitu nihil ſequi præter inviſas cupreſſus.

Oleaſtrum Apollini dicatam, indicat illud Theocriti in Hercule Leonicida:

Χλωρή τ' ἀγριέλαιος Ἀπόλλωνος νομίοιο,
Ἱερὸν ἁγνὸν ξεῖνε πελωριτάτοιο θεοῖο.
Atque virens oleaſter Apollinis ipſe ſacratus
Ac purus, coma ſacra Deo frondeſcit adulto.

Fauno tamen dicatæ meminit Maro in XII Æneid.

Forte ſacer Fauni foliis oleaſter amaris
Hic ſteterat, nautis olim venerabile lignum,
Servati ex undis ubi figere dona ſolebant
Laurenti divo, & votas ſuſpendere queſtus.

Palma Apollini ſive Soli ſacra fuit: ut teſtis eſt Julianus Imp. Orat. V. & ſecundum Aloys. Novarium lib. VIII Sacroproſan. cap. IX. XXI. p. 232, & præced. Sed & Muſis ſacratam apud alios legas.

Buxus, quam vulgo his terris palmam vocant, videtur Cybele fuiſſe ſacra. Saltem in ejus ſacris non alia uſos tibia exiſtimo, quam è buxo. Hinc Virgilius in Ciri:

Sæpe velut gelidis Ciconum Biſtonis in oris.
Ictave barbarico Cybeles antiſtita buxo,
Infelix virgo tota bacchatur in urbe.

Statius Papinius lib. V Thebaidos:

—— *Cum ſacra vocant, Idæaque ſuadet*
Buxus.

Idem lib. VIII Æneid.

—— *Gemina æra ſonant, Idæaque terga,*
Et moderata ſonum vario ſpiramine buxus.

Claudianus lib. I de Raptu Proſerp.

Non buxus, non æra ſonant, blandique leones
Submiſere jubas: adytis gaviſa Cybelle
Exilit, & pronas intendit ad oſcula turres.

Sidonius Apollinaris Carm. IX:

Non hic Dindyma, nec crepante buxo,
Curetas Berecynthiam c ſonantes.

c *Matrem deûm, Dindymenen, Cybelen.*

Etiam apud Julium Pollucem lib. IV, cap. X legere eſt, tibiam quæ ἔλυμος dicitur, fuiſſe è buxo, ac inventam à Phrygibus, cumque ea concinuiſſe cornu in honorem Cybeles. Sed & buxea uſi tibia in ſacris Bacchi. Papinius IX Thebaidos:

—— *Cùm Bacchica mugit*
Buxus, & inſanæ maculant trieterida matres.

Nempe utraque ſacra furentium erant, vel ſimulantium furorem.

Roſa Veneri ſacra: ut inter alios docet Auſonius idyllio VI, quod *Roſæ* inſcribitur. Qui & propterea idyl-

lio

lio II, cujus lemma, *Cupido cruci adfixus*, roſeo ſerto auream Venerem coronat. Imò & Anacreon eo ornat filium ejus Cupidinem:

Ῥόδα παῖς ὁ τῆς Κυθήρης
Στέφεται καλοῖς ἰούλοις,
Χαρίτεσσι συγχορεύων.
Roſeis puer Cytheres
Caput implicat corollis,
Charitum choros frequentans.

In argenteo toreumate vetuſto, quod Antonii Perenotti, Epiſcopi prius Atrebatenſis, & poſtea Cardinalis, fuit, ac doctiſſimus Stephanus Pighius mythologia ſuâ de Horis, illuſtravit, conſpicere eſt Venerem, Veris præſidem, in cujus haſtæ cuſpide eſt pomum, roſæ foliis cinctum. Nempe & poma Veneri dicavere, ut ſuprà vidimus, ac pariter roſas. Quod ob floris ejus pulchritudinem factum eſſe, ait Pauſanias in Eliacis. Imò apud Libanium legas, ut prima eam, odore floris allecta repererit, cum de forma cum Junone ac Minerva decertans, ceſtum deponere cogeretur, quia hoc cingulo ad amorem ſui animos faſcinaret. Venus etiam, cum roſæ priùs candidæ forent, colorem earum dicitur commutaſſe in rubrum, cùm Adoneo ſuo, ſub apro periclitanti, ſuccurrere volens, pedes in roſarum ſpinis vulneraſſet. Nota fabula ex Aphthonii progymnaſmatis. Adde & Geoponica Conſtantino Cæſari dicata lib. XI, cap. XVIII. Propterea Politianus ſic apud Claudianum legere maluit in ſecundo de raptu Proſerpinæ, ubi Venerem deſcribit flores in Siculis pratis legentem:

—— *Sic fata cruoris*
Carpit ſigna ſui.

Atque hoc ob ſummam viri auctoritatem, poſtea penè omnes excuſos occupavit. Sed in MSSis & noſtris, & aliorum non *cruoris* eſt, ſed *doloris*. Nempe non de roſa ſermo eſt Claudiano: ſed de anemone, flore purpureo; in quem cruor Adonis converſus fuit: ut Ovidius narrat lib. X Met. fab. XVI.

Philyram etiam Veneri tribuit Phurnutus: ſi rectè emendant viri eruditi. Nam in vulgatis codd. eſt φιλυτικὸς, vel φιλυτέρ. Si de philyra placet, ex eo fuerit, quòd coronas Venerias inde plecterent. Unde Horat. lib... od...
Diſplicent nexæ philyrâ coronæ.

Hedera κισσὸς Græcis, apud Ægyptios Oſiridi ſacra, quem hederatum fingebant: ut ex Harpocratione Tertullianus refert libro de Corona Militis. Itaque & Ægyptiis hedera dicebatur χενόσιρις: quod *plantam Oſiridis* ſignificat, ut auctor eſt Plutarchus libro de Iſide & Oſiride. Ac ibidem legas, apud Græcos ſacram Baccho: qui iccirco κισσοφόρος, καὶ κισσοκόμος a à poetis vocatur. Atque hæc etiam cauſſa eſt, cur hedera ſuſpenſa ſignum ſit vini venalis. Oſiridi verò & Baccho ſacrata fuit quòd uterque ſit Sol: hedera autem igneam habeat naturam, qua cum Sole convenit. Ac obiter hoc attigimus lib. II, cap. XII, cum cauſſam de lauro adferremus. Sanè Homerus in Hymnis inducit Bacchum & lauro, & hederâ coronatum. Sed alii cauſſam adferunt planè contrariam. Volunt enim habere vim refrigerantem. Ac propterea, qui vino curas pellerent, ſolere hederaceâ uti coronâ, ad ebrietatem compeſcendam. Quam cauſſam adfert Plutarchus in Sympoſiacis lib. III, problemat. I. Videmus, ut contrariæ affectiones hederæ tribuantur. Nec propterea culpandi, qui vel hanc, vel illam cauſſam attulerunt. Nam ut eſt apud Galenum lib. VII Simpl. medicamentorum, hedera conſtat contrariis qualitatibus, quia quiddam habet adſtringens, quod terrenæ eſt, ac frigidæ naturæ: & habet quiddam acre, quod calidæ eſſe naturæ, guſtu cognoſcitur. Imò & tertia ineſt qualitas, ratione aqueæ naturæ, quæ tepida eſt, ut ibidem traditur. Sed ſunt, quibus neutra ſatisfacit ratio. Ajunt primitus in honorem Bacchi vitea corona uſos eſſe. Sed quia hibernâ tempeſtate vitis folia non habet, cogitâſſe de planta viti quam ſimillimâ: eam viſam eſſe hederam, quia eſſet tortilis, & foliis tumidis, & corymbus nigreſcens uvas imitaretur. Utramque ſtirpem jungit Nemeſianus, cum ſic Bacchum compellat:

Te cano, qui gravibus hederatâ fronde corymbis
Vitea ſerta plicas.

En alias etiam cauſſas. Uti Bacchus ſemper juvenis: ita hedera ſemper viret. Nam Bacchus, ut dixi, Apollo, non quidem ſecundum poëticam, ſed ſecundum φυσικὴν θεολογίαν. Itaque & in Hyacinthiis, quæ Apollini erant ſacra, Bacchico ritu hederâ coronabantur: ut dictum libro I, cap. XIII. Plutarchus in problematis eo ait Baccho ſacram, quia ſit quoddam hederæ genus, quod comeſtum, utcumque vino abſtineas, ebrium reddat, imò & mentes concitet ad furorem. Poëtæ autem maluere ad fabulam recurrere. Nam eo Baccho caram volunt, quia hac fuerit occultatus, ſervatuſque, cum eum quæreret Juno noverca. Ex eo autem, quòd inebriet, ut dictum, etiam cognoſcere eſt, cur poetæ coronarentur hedera. Unde Maro Ecl. VII:

Paſtores hedera creſcentem ornate poëtam.

Ac Perſius, in Prologo, de poetis ait:

—— *Quorum imagines lambunt*
Hederæ ſequaces.

Hoc inde eſt, quia poëtæ feliciùs ſoleant carmen condere, poſt ἐνθουσιασμὸν a, & οἰνοποσίαν b: ac hedera, a *Afflatum numinis.*
ut ex Plutarcho dictum, ſimilia vino præſtet. At nimis longè mihi petitum videtur, cùm Stephanus Pighius in b *Vini bibitionem.*
Mythologia ſua de anni partibus hanc etiam rationem promit, quòd Bacchus præſit auctumno, in auctumno autem Sol quaſi ſeneſcens alimenta ſubtrahat, ac hedera ſimiliter plantis vicinis alimentum adimat; ut Plinius refert. Unde & C. Laberius Mimus:

Ut hedera ſerpens vires arboreas necat:
Ita me vetuſtas amplexu annorum enecat.

Acer in tutela Stuporis eſt: ut ait Servius in II Æn. verſ. XVI.

Picea ſive larix (Græcis πεύκη) ſacrata Vulcano, quia facile accenditur, atque ex ea faces & rædæ fiant. Hanc rationem adducit Euſtathius in Iliad. A c. c *Pag. 87. edit. Rom.*

Quæ hactenus de arboribus dicta ſunt, ea pertinent ad totum genus, ſive ad ſpeciem ipſam. Deinceps duo oſtendam: prius eſt, etiam ſingularem arborem numini dicatam: alterum, certo numini quoque ſacratam fuiſſe congeriem arborum diverſi generis, h. e. hortos, & ſylvas ſacras. De priori liquet, ex platano illa Helenæ dicata, de qua Theocritus in Helenæ Epithalamio:

Γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται (ὡς παριών τις
Ἀννείμῃ) Δωριστί, Σέβου μ'· Ἑλένας φυτὸν εἰμί.
Literæ verò in cortice ſcribentur (ut quis præteriens
Legat) Doricè: Venerare me: nam Helenæ arbor
ſum.

Contra verò etiam arborum multitudo, ut dixi, ſacrata uni numini. Ita Veneri ſacri erant horti, ut ex Plauto, Varrone, ac Plinio eſt videre. Eo & Nævius Venerem pro olere dixit. Ut ne Antonio Delrio credas, qui pro Venere Liberum, vel Pallada ſubſtituebat. Diximus de eo Oratoriarum Inſtitutionum lib. IV, cap. VII, ſect. IX.

Dianæ quæ & Phœbe, ſacra nemora: eique in his dicata templa: ut in Aricino, Ovid. I de Arte:

Ecce ſuburbana templum nemorale Dianæ.

Indeque Diana ipſa *Nemoralis* dicta, & *Nemorenſis*. Unde & Papinius I Sylv. in Tiburtino Manlii Vopiſci:

Hæc domus Ægeriæ, nemoralem abjungere Phœben.

Puto, cauſſam eſſe ex eo, quia noctu, Dianæ ſive Lunæ beneficio venantur in nemoribus venatores. Unde & Diana Sylvarum potens dicitur Horatio.

In hac ipſa etiam Hollandia, qua ſcribimus iſta, dum incolæ eſſent gentiles, nemora erant Diis ſacra. Itaque ſacri nemoris meminit Tacitus in quarto.... *Civilis*, inquit, *primores gentis*, & *promtiſſimos* vul-

vulgi, Sacrum in nemus vocatos, ubi nocte, ac lætitia, incaluiſſe videt, à laude gloriaque gentis orſus, injurias, & raptus, & cætera ſervitii mala enumerat. Et ſatis eſt veriſimile id nemus intelligi, quod inter Leidam, & Delphos, prope Vorburgum, *Schaken-boſch* vocatur. Vox enim non abludit: quamquam nolim cum iis ſerram reciprocare, qui putant *Schaken-boſch* vocari, quia in illud multi fierent raptus. Id enim Belgis eſt *Schaken*. Quod ſi placet, non Batavi ex *ſacrum* fecerint *ſchaken*: ſed Romani ex *ſchaken* fecerint *ſacrum*: ſive illud attendendo, quod nemora Diis ſacrarentur, ſive ſacrum, pro exſecrando acceperint, quia raptorum refugium exſecrarentur. Illis quidem, qui Diis fuiſſe locum ſacrum arbitrantur, favet quod à nonnullis creditum S. Wilibrordum, cùm fœdiſſimum in nemoribus idolorum cultum exſecraretur, effeciſſe, ut in nemoroſa Batavorum inſula arbores Boreâ ſpirante conciderent: unde nunc quoque totâ penè inſula tot arborum trunci effodiantur. Sed his, quia auctoribus parum idoneis ſunt ſubnixa, inſiſtere non eſt animus: præſertim quando plures arbitrantur eam arborum ſtragem ſola tempeſtate, idque toto ampliùs ſeculo poſt Wilibrordi tempora contigiſſe.

Nec arbores modò dicarunt Diis, ſed etiam flores, & herbas.

Hyacinthus ſacer Apollini, ac ita dictus à puero Amyclæo ejus nominis, in cujus caput diſcus ab Apolline jactus conciderat, Zephyro ſic jactum, præ invidia, dirigente, ut fabulantur.

Narciſſus ſacer Eumenidibus, ſeu Furiis, ut Euſtathius
a Pag 87. edit. Rom. ſcribit in Iliados Λ *a*. In cauſſa eſt, quod Narciſſo nomen eſt ἀπὸ τῆς νάρκης, ſive à torpore: & Eumenides etiam torporem inducant hominibus ſceleſtis. Itaque, ut ibidem legas, qui Erinny. Furiæ ſacrificarent, coronis ex hoc flore utebantur: quod antea ab Iſtro, libro de Coronis proditum. Proſerpinæ etiam dicatus fuit, quia eam colligeret, cùm à Plutone raperetur. Auctor Phanodemus lib. v rerum Atticarum. Sed & Baccho gratum legimus.

Malvam ajunt fuiſſe Oſiridi dicatam. Neque cauſſa ſit obſcura. Nam cùm per Oſirim Sol intelligatur; ut libro ſecundo oſtenſum: non dubium eſt, quin hoc fuerit, quia malva ſit ἡλιοτρόπος, hoc eſt, cum Sole convertatur; ut Theophraſto proditum lib. II de Cauſſis Plantarum, cap. XXVI. Scio, quas ejuſce rei cauſſas Ægyptii, ac Proclus adducant. Sed vera eſt ratio, quòd humidam hanc herbam Sol exſugens folia inclinet, quò calor jubet. Niſi malis inde eſſe, quòd meatibus corticis rarefactis calore radiorum Solarium, ſpiritus in ſurculis latens eò feratur, quò ſpiritus per meatus facilius exſpirat. Quam rationem adduci video ab Julio Sirenio lib. III de Fato, cap. XLVI. Sed ulteriùs etiam malvæ honos ſe extulit. Siquidem in maximis fuiſſe periculis adoratam, apud Lucianum legere eſt libro ſecundo Ver. Hiſtor. Atque idem à Muſis adoratam ejus radicem ait ſermone adverſus indoctum. Et alicujus ſanctimoniæ ſit argumentum, quod inter donaria reponi ſoleat, ſi eam, quod apud Dioſcoridem legere eſt, ἄνθεμα dixerint; ἄνθεμα autem vocarint quaſi ἀνάθεμα, vel ἀνάθημα, quomodo dixere donaria, quæ in templis ſuſpendebant. Dixeris, arma etiam hoſtilia ſolere dicari Diis. Sed diſpar ratio in herbis: ubi aliquid latet cauſſæ occultioris, hoc eſt, magis divinæ. Et quæ iſta potiùs fuerit, quàm quòd non alimoniæ modò utilis foret: ſed tam multos quoque morbos pelleret: ut antea oſtendimus. Itaque Ælianus etiam lib. IV Var. Hiſtor. cap. XVII ait, hanc Pythagoræ fuiſſe opinionem, ἱερώτατον εἶναι τὸ τῆς μαλάχης φύλλον, *ſanctiſſimum eſſe folium malvæ.*

Videtur & in herbis ſacris locus eſſe braſſicæ. Μάντιν λαχάνοισι, *vatem inter olera*, ſcripſit in Georgicis Nicander: ac Menander vocavit ἱεράν, *ſacram*. Itaque & multi per eam jurarunt, ut Hipponax in Jambis: ac Jonicum id fuiſſe juramentum, Ananius, Teleclides, & Eupolis, prodiderunt. Cumque ea foret gloria braſſicæ, minus mirandum ſi de hac una ſingulatim ſcripſerint Pythagoras, Chryſippus, & Dieuches.

Allium & cæpe cur ſacrata Diis. cur cæpe capita offerentur Diis à Romanis: Ovid. III Faſt. Clarus Sylvius in leges XII Tabb. pag. 243, & 245, & 255, verſ. antepenult.

Atque hæc de plantis alicui numini dicatis: de quo aliqua, etiam hic indicta, attigimus lib. I Inſtitut. Orat. cap. V, ſect. XXXVII, ac operis hujus de Theologia Gentili, & Phyſiologia Chriſtiana lib. II, cap. XII.

Quia vero expoſuimus cultum quem gentiles præſtitere plantis, earumque ad religionem impiam abuſum: exſpectet fortaſſe aliquis, ut addam quippiam de Chriſtianis. Nam & hi inanima coluere, ſi fides gentibus, quæ eis objectabant crucis cultum. Non crucifixi dico, ſed crucis, nempe ligneæ, & citra hominem: cujuſmodi crux veteribus Chriſtianis in uſu erat. Sed de hoc alibi potius dicemus. De Terebintho inter Chriſtianos culta, vide Scaligerum ad Euſebium p. 192.

CAP. XLIX.

De triplici plantarum abuſu, primùm in ſtatuis Deorum, inde in ſacrificiis; inſuper in ceremoniis cultus paganici. Præterea hoc ſuperſtitionis fuiſſe, quòd, religionis ergo, plantis quibuſdam abſtinerent.

NEc ſolum, qua ratione diximus; ſed quadrifariam præterea, in plantis aberratum fuit à recto numinis cultu. Ac primùm, quod abuterentur ad falſorum numinum templa, ac ſimulacra. De templis ſatis eſt apertum. Quare ſolùm dicam, quod in conſecratione templorum poſtes tenerent manu. Cicero pro domo: *Poſtem teneri oportere in dedicatione templi, videor audiſſe.* Idem in ſecundo de Legg. *Bene verò, quod mens, pietas, virtus, fides conſecratur manu: quarum omnium Romæ dedicata publice templa ſunt.* Livius lib. II, ubi agit de dedicatione templi Capitolini: *Poſtem jam tenenti conſuli fœdam interpretationem Deûm nuncium incutiunt.*

De abuſu ad ſimulacra inde liquet, quod, ut Pauſanias ait in Arcadicis, imaginum materies foret ebenus, cypreſſus, cedrus, quercus, ſmilax, lotus. Sed de hoc in Symbolica Theologia pluribus dicemus. Nunc ſolum addam, quod amaranto etiam coronabant ſtatuas Deorum: ut eſt apud Dioſcoridem lib. IV, cap. LVII. In cauſſa erat, quòd non marceſceret; unde & nomen, ut ſuperiùs vidimus.

Alter abuſus conſiſtebat in ſacro ſuffitu, ac ſacrificiis. Ubi duo conſideramus, ignem quo quid crematur, & id quod offertur, atque igni abſumitur. De lignorum uſu ad ignem, abunde ſuperius dictum. Quod offertur, vel ipſum quoque plantis debitum, vel animal erat. Prius generis erat thus, quod ita dictum ἀπὸ τοῦ θύειν *a*, quia ejus a Divinè operari.
uſus foret: in ſacris ſuffitibus. Finis quippe thuris crematio, cremationis odor, in quo bonitas thuris. Unde vero illa gentibus opinio fuerit, Deos quoque ſuffitibus conciliari, expoſui lib. III, cap. XXX.

Nec thure ſolum aliove ſuffitu placabant Deos: ſed etiam vino, imo & floribus: præſertim Genium. Plutarch. lib. de Oſir. & Iſi. & Aloyſ. Novarius lib. IX, cap. V *b*: Ægyptii quotidie ter Soli adolent re- b P. 109. col. a.
ſinam ſub ejus exortum; myrrham, quando medium tenet æthera; circa obitum κῦφι *c* appellant. Horat. lib. II, c Sic certam ſhymiamatis compoſitionem.
epiſt. I:

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant,
Floribus, & vino, Genium memorent brevis ævi.

Perſius Sat. ...

Funde merum Genio.

Variis etiam Diis legumina ac fruges offerebant: ut oſtendit illud Catonis de R. R. cap. CXXXIV: *Priuſquam meſſim facies, porcam præcidaneam hoc modo fieri*

ſieri oportet. Cereri porcâ præcidaneâ, porco feminâ, priuſquam haſce fruges condantur, far, triticum, ordeum, fabam, ſemen rapicium, thure, vino Jano, Jovi, Junoni, præfato.

Fabaria quoque ſive fabacia pulte, & larido, in Cœlio monte ſacrificatum olim Carnæ Deæ, quæ à carne ita dicta, & vitalibus credita præeſſe humanis. Eò autem his duobus ſacrum fiebat, quoniam gemino illo cibo maximè credebatur ali caro humana. Nam & olim panis è lomento, ſive fabarum farina. inde item pultes. Vide de eo ſacro Nonium voce *Macto*, & Macrobium lib. I Saturn. cap. XII. Tangit quoque Plinius lib. XVIII, cap. XII. *Quin & priſco ritu fabacia* (Turnebus fabata) *ſuæ religionis Diis in ſacro eſt, prævalens pulmentari cibo.*

Hoc quoque fabæ in ſacrificiis uſum oſtendit, quòd ubi ſegetes ſeviſſent, quia inauſpicatum videbatur domo efferre, quod non referres, pro frugibus ad ſacrificium referebant fabam: atque hoc ita interpretabantur, quaſi faba eſſet pignus frugum, ac quia fabam retuliſſent, etiam fruges relaturos domum. Hinc fabam quam referebant dixere refrivam, quaſi referivam. Feſtus Pompejus: *Refriva faba dicitur, ut ait Cincius quoque, quæ ad ſacrificium referri ſolet domum ex ſegete auſpicii cauſſa, quaſi revocet fruges domum. Data enim eſt & tritico ad rem divinam faciendam.* De hoc tamen Ælius Stilo, Varronis præceptor, ambigebat. Continuò enim ſubjungit Feſtus: *Ælius dubitat, an ea ſit, quæ prolata in ſegetem domum referatur, an quæ refrigatur, quod eſt torreatur.* Verùm Cincii opinioni accedit Verrius, ſive Feſtus. Subdit enim: *Sed opinionem Cincii adjuvat, quòd in ſacrificiis publicis, cùm puls fabata Diis datur, nominatur refriva.* Plinii quoque eſt lib. XVIII, cap. XII: *In eadem* (faba) *peculiaris religio. Namque fabam utique e frugibus referre mos eſt auſpicii cauſſa: quæ ideo refriva appellatur.* Ubi clarè nomen à *referendo* deducit: non quidem, quòd Scaliger ait, quâ formâ eſt à *condo conditivus*: (nam hoc à ſupino venit, ut à *ſtatum, ſtativus*; à *ſatum, ſativus*; ab *actum, activus*) ſed ut à præſenti *condo* eſt *condivus*, à *recido, recidivus*, ab *adopto, adoptivus.* Subjungit deinde Plinius, etiam in auctionibus locum fabæ datum, iisdem boni ominis cauſſâ. *Et auctionibus*, inquit, *eam adhiberi lucroſam putant. Sola certè frugum, etiam exeſa, repletur creſcente Lunâ.*

De farre, de quo ex Catone antea vidimus, ſic ſcribit Plinius lib. XVIII, cap. II: *Numa inſtituit Deos fruge colere, & molâ ſalsâ ſupplicare, atque ut autor eſt Hemina, far torrere, quoniam toſtum cibo ſalubrius eſſet. Id uno modo conſecutum, ſtatuendo, non eſſe purum ad rem divinam, niſi toſtum. Is & Fornacalia inſtituit farris torrendi ferias, & æquè religioſas terminis agrorum. Hos enim Deos tunc maximè noverant, Seriamque à ſerendo, Segeſtam à ſegetibus appellabant: quarum ſimulachra in Circo videmus. Tertiam* a *ex iis nominare ſub tecto religio eſt. Ac ne deguſtabant quidem novas fruges, aut vina, antequam ſacerdotes primitias libaſſent.*

a Tutilinam.

Ubi primò videmus molam deſcribi, ex farre, ſale & aquam compoſitam, atque ut Numa nullum abſque ea ſacrificium eſſe ratum putârit. Hinc Tibullus lib. III, eleg. IV:

—— *Omina noctis*
Farre pio placant, & ſaliente ſale.

Et Ovid. lib. II Faſt.

Ante Deos homini quod conciliare valeret,
Far erat, & puri lucida mica ſalis.

Item Virgilius II. Æn.

Jamque dies infanda aderat, mihi ſacra parari,
Et ſalſæ fruges.

Ubi ſic Servius: *Sal, & far, quod dicitur mola ſalſa, qua & frons victimæ, & foci adſpergebantur, & cultri. Fit autem de horna fruge, & horno ſale,* Vide & eundem Servium in illud IV Æn:

Ipſa molâ, manibuſque piis. ——

Ut verò far eſſet toſtum, requiri etiam videas à Feſto: *Mola*, inquit, *vocatur etiam far toſtum, & ſale ſparſum, quod eo molito hoſtiæ adſpergantur.* Atque inde Ovid. II Faſt.

Torrida cum mica farra.

Quodque Fornacalibus farra ait Plinius ſolere torreri, idem Feſtus firmat his verbis: *Fornacalia feriæ inſtitutæ ſunt farris torrendi gratiâ*: quod ad fornacem, quæ in piſtrinis erat, ſacrificium fieri ſolebat. Atque idem liquet ex Ovidio Faſtorum lib. II, & VI.

A Romanis verò in eo differebant Græci, quòd pro farre hordeum ſale conſpergerent, aræque infunderent, qua de re Plutarchus in problematis, cap. CIX.

Quod ſiquis apud Romanos Fornacalibus ſacrum, quod dixi, neglexiſſet; is hoc delictum menſe Februario, feſto Quirinalium expiabat: unde id feſtum *Stultorum feriæ* appellabatur. Vide de eo Plutarchi problemata cap. LXXIX, Feſtum in *Quirinalibus*, & *Stultorum.*

Etiam Plinius piamentum è plantis memorat lib. XXV, cap. IV: *Unum* (Panaces genus) *Aſclepion cognominatur, quoniam is filiam Panaceam appellavit, radice multi corticis, & ſalſi. Hac evulsâ, ſcrobem repleri vario genere frugum, religio eſt, ac terræ piamentum. Ubi & quo fieret modo, & quale maximè probaretur, inter peregrina docuimus.*

Sed & arborum fructus Diis offerebant Græci. Sic Melitenſes, Atticæ populus in Heracliis, quæ quinto quoque anno fiebant, poma Herculi offerebant. Atque inde etiam Hercules dictus Μήλων a, teſte Heſychio. Ex quibus videre eſt Diis non cruenta ſolùm hoſtiâ ſacrificatum, ſed & libis, pulte, primitiis frugum, & id genus.

a Qui pomis placatur.

Tertius plantarum abuſus etiam extra ſacrificia erat in variis feſtis ſollemnibus, eorumque ritibus ſacris, ſive cæremoniis. Hi ritus, vel publicè ſpectabantur, vel ſolùm cogniti myſtis. Prioris generis erat, quod in Cereris ſacris ruſtici choreas agerent cum corona quernea: unde Maro I Georg.

—— *Neque ante*
Falcem maturis quiſquam ſupponat ariſtis,
Quàm Cereri tortâ redimitus tempora quercu
Det motus incompoſitos, & carmina dicat.

Etiam urbs tota, feſti tempore, cibo uſa, qui feſto illi conveniret. Sic fabis veſcebantur Athenienſes in feſto Apollinis, quod πυανέψια inde dixere: uti & menſem, in quem incidebat illud feſtum πυανεψιῶνα: nempe ex eo, quòd veteres pro κύαμος b dixerunt πύαμος, vel πύανος: ut teſtis Pollux lib. VI, cap. IX.

b Faba.

In feſto, quod Γαλάξια c dicebatur (videtur fuiſſe Apollinis τοῦ Γαλαξίου, Proclo in Chreſtomathia memorati) coquere ſolebant pultem hordeaciam in lacte: ut eſt apud Heſychium in Γαλάξια.

c A γάλα lac.

Imprimis verò hujus loci videntur quæ fierent, cùm pompa traducerentur. Tale eſt, quod in Adoniis (id feſtum erat Adonidi & Veneri ſacrum) circumferebantur horti ex fœniculo, & lactucis in memoriam ejus, quod Venus Adonin mortuum repoſuiſſet in lactucis: ut eſt apud Athenæum lib. II, ac Eubuli comici de hoc verſibus cognoſcitur. Sic, ut Pauſanias tradit in ſecundo Corinthiacorum, apud Hermionenſes ſtato Deæ Chthoniæ feſto, ſacerdotes, magiſtratus, viri, mulieres, pueri, deam cum pompa deducunt, veſtibus albis, capitibus geſtantes corollas ex flore, qui indigenis vocatur κοσμοσάνδαλος. Eum Pauſanias ſtatuit eſſe hyacinthum, quia ſimilis ſit magnitudine, & colore, ac præterea habeat ἐπὶ τῷ θρήνῳ γράμματα, *inſcriptas literas lugubres.* Unde & de eo Theocritus Idyll. X:

—— Καὶ ἁ γραπτὰ ὑάκινθος.
—— *Et ſcriptus hyacinthus.*

Eæ literæ ſunt αἰ, αἶ d: ut idem ait Idyll. XIX, & Ovid. X Met. Hoſce hyacinthos ferrugineos vocant Maro IV Georg. & Columel. lib. X. Aliis *lilium purpureum* nominatur. Opponitur ei hyacinthus, non ſcriptus, qui cæru-

d Heu, heu.

cæruleus, vel albus: unde Columella utrumque genus complectens lib. x:

Nec non vel niveos, vel caruleos hyacinthos.

Vaccinium aliter vocari, auctor eſt Dioſcorides. Athenis in feſto quod πλυντήρια dixere, quia tum lavarent veſtes Deæ Minervæ detractas, circumferebant in pompa maſſam caricarum: ut eſt apud Heſychium, & Etymologum in Ἡγητηρία. Etiam Thargeliorum feſto Apollini & Dianæ, vel Horis, ſacro, ad luſtrationem Urbis, iidem Athenienſes immolandis duobus, viro uni, alteri feminæ, qui φαρμακοὶ [a], & συμβάκχοι [b] dicebantur, caricas de collo ſuſpendebant, nigras de virili, albas de muliebri, item in manus iis dabant caſeum, mazam, caricas, exinde ſepties cædebant colaphis, ſcillis, ficubus agreſtibus aliiſque id genus, denique lignis infelicibus comburebant, cineres in mare ſpargentes. Vide Helladium lib. III Chreſtomathia apud Photium in Bibliotheca, & Joannem Tzetzem Chil. v, cap. xxv: ac imprimis Meurſium lib. IV Græciæ Feriatæ in Θαργήλια. In iiſdem Thargeliis, quæ biduo Athenis Thargelione ſeu Febr. menſe celebrabantur; item in Pyanepſiis, quæ & ipſa Apollini ſacra, ac menſe Pyanepſio Octob. aut ſecundum alios Julio, agitata, circumferebantur rami oleagini, lanâ obvoluti: εἰρεσιώνην appellabant: ab iis ramis dependebant panis, cotyla, ficus, ac fructus cæteri. Teſtes ſcholiaſtes Ariſtophanis in Equites, Euſtathius in Iliad. χ, & verbis iiſdem Suidas in Εἰρεσιώνη, item Lutatius in ſecundùm Statianæ Thebaidos: qui Εἰρεσιώνην vocat *verbenam omnium frugum pomorumque primitiis obligatam*: ac ejus rei teſtem laudat Cratinum. Eo autem hæc facta arbitror, quia Apollo, ac Diana ſint Sol, & Luna; Horæ autem ſint anni quatuor tempeſtates, ac præcipuè æſtiva, unde fructibus ὡραίοις nomen. Convenienter igitur hiſce numinibus frugum, fructuumque primitiæ oblatæ, & in feſto iis ſacro circumlatæ.

[a] Devoti, expiatores.
[b] Simul bacchantes.

Videtur etiam ad ritus publicos pertinere, turpis ille ritus, quo in honorem Cereris, & Proſerpinæ, ex melle & ſeſamo fiebant muliebria verenda, (μυλλοὺς [c] dixere) quæ Syracuſani circumferebant in feſto Θεσμοφορίων: ut auctor eſt Athenæus lib. XIV.

[c] Placentas obliquas.

Alii, ut dicebamus, ritus in occulto à ſolis myſtis videbantur. Exemplo ſit, quòd Mileſiæ in Theſmophoriis, dum ἁγνεύειν, ſive in caſto eſſe vellent mulieres, ſubſternebant ſibi folia pinus: ut eſt apud Stephanum in μίλητος.

Præterea verò error gentilium in eo conſiſtit, quod impiæ religionis ergo plantis quibuſdam abſtinerent. Ita Deorum matrem venerantes abſtinebant ſeminibus, prætterquam ſiliquis, ac ſtirpibus, exceptis iis, quæ ſurſum attollerentur. Quam rem ſcitè expoſuit Julianus orat. v. Latinè ſic ſonant: *Non deſunt, qui unico ſeminum genere veſcuntur, nimirum ſiliquis: quod non magis inter ſemina, quàm olera, numerandum exiſtimatur: quandoquidem ſurſum adſurgit, & erectum eſt, neque in terra radices agit: ſed ad eum modum habet, quo hedera fructus ex arbore, vel vitis ex arundine dependet. His de cauſſis igitur ſtirpium veſci ſeminibus nobis interdicitur; fructibus, & oleribus, permittitur, non humi repentibus, ſed quæ à terra in ſublime tolluntur. Hæc eadem ratio eſt, cur in rapo, quicquid terra potiſſimùm gaudet, eo, utpote terreſtri, abſtinere jubeat; quicquid autem ſurſum emergit, & in ſublime ſeſe tollit, tanquam purum indulgeat. Nam & olerum cautibus duntaxat uti conceſſit, radicibus vetuit; iiſque præſertim, quæ innutriuntur humo, & olim ea conſenſionem quandam habent.* Plinius etiam lib. XVIII, cap. XII, ſic de faba ſcribit: *Hebetare ſenſus exiſtimata, inſomnia quoque facere. Ob hæc Pythagoricâ ſententiâ damnata: ut alii tradidere, quoniam mortuorum animæ ſint in ea. Qua de cauſſa parentando utique adſumitur. Varro & ob hoc Flaminem eâ non veſci tradit: & quoniam in flore ejus literæ lugubres reperiantur.* De Flamine, & Parentalibus, ſive Lemuralibus, quod ait firmat his verbis Feſtus Pompejus: *Fabam nec tangere, nec nominare Diali Flamini licet, quod ea putatur ad mortuos pertinère. Nam & Lemuralibus jacitur larvis, & parentalibus adhibetur ſacrificiis, & in flore ejus luctus literæ apparere videntur.* De Lemuralibus ritum his verſibus expreſſit Ovid. lib. v Faſtorum:

Ex Aloyſ. Novar. pag. 326.

Cumque manus puræ fontanâ perluit undâ
Vertitur, & nigras accipit ore fabas:
Averſuſque jacit, ſed dum jacit, hæc ego mitto,
His, inquit, redimo, meque meoſque Lares.
Hæc novies dicit, nec reſpicit: umbra putatur
Colligere, & nullo terga vidente ſequi.

Item in Cereris ſacris vinum libare nefas erat, ſi credimus Macrobio lib. III Saturn. cap. XI. Atque hoc probat illo Plauti Aulul. act. II, ſc. VI:

STAPHYLA. *Cererine, Strobile, has facturi nuptias?*

STROBILUS. *Qui?* STA. *quia temeti nihil allatum intelligo.*

Quare culpatum hoc in Marone, quaſi religionis neſcio, quòd ſcribat:

Cui tu lacte favos, & miti dilue Baccho.

Macrobius eo excuſat, quod per mitem Bacchum intelligatur, non temetum, ſed mulſum. Kalendis enim Januariis Herculi & Cereri ſacrificatum ſue prægnante, panibus, mulſo. Sed Servius aliter, qui id ſolum ait prohibitum in nuptiis iis, qui Orci nuptiæ dicebantur. Sanè in ſacrificio id Pontificalibus libris non fuiſſe interdictum, teſtis etiam Cato cap. CXXXIV: *Exta Cereri, & vinum dato.* Orci verò nuptiæ, ut puto celebratæ in memoriam raptæ ab Orco ſive Plutone Proſerpinæ, Cereris filiæ. Ubi non conveniebat Bacchus lætitiæ dator, cùm Ceres tum filiam mœſta per orbem quæreret & raptum lugeret. Ideo & in Theſmophoriis, quæ eadem, ut puto, ac Orci nuptiæ, abſtinebant coronis floreis, teſte ſcholiaſte Sophoclis Oedipi Colonei. Nam & hæ lætitiæ fuiſſent argumentum. Etiam Clemens Alexandr. auctor eſt in eodem feſto non comediſſe grana mali Punici. Nempe quia hoc ſolùm in cauſſa fuit, cur Proſerpina non poſſet redire ad ſuperos, quod Aſcalapho indice cognitum fuit, eam tria, vel, ut alii malunt, novem grana mali Punici deguſtaſſe. At Jupiter promiſerat Cereri reſtitutionem filiæ, ſed ea conditione, ſi nihil eorum deguſtaſſet, quæ apud inferos forent. Caſeo recenti Attico, non utebatur ſacerdos Minervæ Poliadis, ſed extraneo, Meurſius Att. lect. p. 165.

Cujuſmodi vinis ad ſacra uti fas non ſit, indicat his verbis Plinius lib. XIV, cap. XIX: *Prolibare Diis nefaſtum habetur vina imputatæ vitis, fulmine tacta, quamque juxta hominis mors laqueo pependerit, aut vulneratis pedibus calcata, & quod circumciſis vinaceis profluxerit, aut ſuperne deciduo immundiore lapſu aliquo polluta.*

CAP. L.

Qui de plantis ſcripſerint. Quos inter Salomo, qui nec indignum majeſtate Regia putavit, ſi de plantis à cedro uſque ad hyſſopum ſcriberet; tum de aliis vetuſtioribus.

MUltiplex adeò utilitas ac vis plantarum effecit, ut plurimi de iis ſcriberent. Ex Hebræis Salomon Rex à cedro, quæ arbores cæteras proceritate exſuperat, ad hyſſopum uſque, naturam plantarum perſcripſit: ut eſt I ſive III Regum, cap. IV. & Joſephum Antiq. lib. VIII, cap. II. Sed hoc ejus ſcriptum deperiit, ut alia ejus complura: in quibus etiam de exorciſmis ſive dæmonibus per adjurationes fugandis liber fuit, ſi Origeni fides; qui ſuo etiamnum tempore eum ſuperfuiſſe ait tractatu XXXV in Matthæum. Omnino ſuppoſititium fuiſſe cenſeo. Sed de Græcis videamus: de quibus ita Plinius lib. XXV, cap. II: *Primus omnium, quos memoria novit Orpheus de herbis curioſius aliqua prodidit. Poſt eum Muſæus, & Heſiodus polion herbam in quantum mirati ſunt, diximus. Orpheus,*

pheus, & Heſiodus ſuffitiones commendavere. Homerus & alias nominatim herbas celebrat, quas ſuis locis dicemus. Ab eo Pythagoras, clarus ſapientiâ, primus volumen de earum effectu compoſuit, Apollini, Æſculapioque, & in totum Diis immortalibus inventione & origine adſignata. Compoſuit & Democritus; ambo peragratis Perſidis, Arabiæ, Æthiopiæ, Ægyptique Magis. Adeoque ad hæc attonita antiquitas fuit, ut affirmaret etiam incredibilia dictu. Atque incredibilium iſtorum quædam ſubjicit exempla ex Xantho hiſtoriarum ſcriptore, Juba rege, & Democrito; de quibus ſuperius diximus. Antea verò & alios memoravit, qui Græcè ſcripſerint. Verba pauca apponam: *Præter hos Græci auctores medicinæ prodidere, quos ſuis locis diximus. Ex his Euax rex Arabum, qui de ſimplicium effectibus ad Neronem ſcripſit. Crateuas, Dionyſius, Metrodorus, ratione blandiſſimâ, ſed qua nihil pene aliud, quàm rei difficultas intelligatur. Pinxere namque effigies herbarum, atque ita ſubſcripſere effectus.* Eum ſcribendi modum deinde improbat: ac ſubdit de Antonio Caſtore. Huic ut ait, *ſumma autoritas erat in ea arte noſtro ævo, viſendo hortulo ejus, in quo plurimas alebat* a, *centeſimum ætatis annum excedens, nullum corporis malum expertus, ac ne ætate quidem memoria aut vigore concuſſis.* Equidem non dubito, quin herbariæ rei peritia tam longa ætate valetudinem tam bonam ſibi conſervârit: ut vel hinc herbarum vim intelligamus. Ac quantum etiam huic doctrinarum parti à Mithridate, Ponti ac Cappadociæ rege, fuerit tributum, fusè Plinius ibidem enarrat. Imò & initio capitis expoſuit, qui Latinè de herbis ſcripſerint. *Minus*, inquit, *quàm par erat, noſtri celebravere, omnium utilitatum, & virtutum rapaciſſimi. Primuſque, & idem ſolus idem ille M. Cato, omnium bonarum artium magiſter, paucis duntaxat attigit, boum etiam medicinâ non omiſſâ. Poſt eum unus illuſtrium tentavit C. Valgius eruditione ſpectatus, imperfecto volumine ad Divum Auguſtum, inchoata etiam præfatione religioſâ, ut omnibus malis humanis illius potiſſimum principis ſemper medicetur majeſtas. Antea condiderat Lenæus, Magni libertus: quo primum tempore hanc ſcientiam ad noſtros perveniſſe animadverto. Namque Mithridates, maximus ſua ætate regum quem Pompejus debellavit, —— in reliqua ingenii magnitudine medicinæ peculiariter curioſe, & ab hominibus ſubjectis, qui fuere pars magna terrarum, ſingula exquirens, ſcrinium commentationum harum, & exemplaria, effectuſque in arcanis ſuis reliquit. Pompejus autem omni regia præda potitus, transferre ea ſermone noſtro libertum ſuum Lenæum, Grammaticæ artis doctiſſimum, juſſit: vitæque ita profuit non minus, quàm reipublicæ, victoriâ illâ.*

a Herbas.

Rem porrò herbariam ſcriptis illuſtrarunt Theophraſtus Ereſsò Lesbius, Ariſtotelis diſcipulus, & in ſchola ſucceſſor. Phanias Theophraſti popularis, ac condiſcipulus, ex cujus commentario complura apud Athenæum. Pedacius Anazarbô Dioſcorides Cilix. Heraclides Cratevas, Dionyſius, Metrodorus, Ariſtander & C. Epidius de arborum oſtentis, ille apud Græcos, hic Latinos. Chryſippus medicus peculiarem librum de braſſica ſcripſit, memorante Plinio lib. xx, cap. IX; Juba rex de Euphorbio, teſte eodem Plinio lib. xxv, cap. VII; Themiſon medicus de plantagine. Sabinus Tyro in κηπωρικῷ a Mecœnati dicato. Plinius noſter ſecundus, in hiſtoria naturali dicam an divina? Epicurus quoque librum de plantis condidit referente Laërtio. Aliique innumeri è veteribus, ut de recentioribus taceam.

a Tractatis ſeu opere hortenſi.

Sed ex Arabibus Joannem Meſue & Serapionem herbas deſcribere aggreſſos, medici ante hos annos CL in ſimplicium medicamentis plurimum ſequebantur: ut Nicolaus Leonicenus ait in opere de Plinii in re medica erroribus *b*.

b Pag. 4.

FINIS LIBRI QUINTI.

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
PHYSIOLOGIA CHRISTIANA,
ET
THEOLOGIA GENTILI,
Sive de Idololatriæ Origine, ac Progreſſu,
LIBER SEXTUS.

Cap. I.

De fossilium *aliorumque inanimorum cauſſa formali, & efficiente. Non omnia corpora inanima perfectè mixta effodi: foſſilium nomen laxius uſurpari. Foſſilia ſemine carere. an tamen cuidam adamanti inſuerit vis γονητικὴ. Anima quadruplex: animadvertere hoc in magnete, & ſuccino. aut ſi mavis, vis formatrix foſſilium aliorumque inanimorum erit ſpiritus primo die creatus, unde motus, & lux ſive ignis portio unde calor.*

VEnimus nunc ad corpora perfectè quidem mixta, ſed inanima. Cùm corpora mixta dicimus, excludimus cœlum & elementa. Cùm requirimus perfectam mixtionem, ſeparamus à meteoris, quæ non componuntur conſtanti ac durabili mixtione. Addimus eſſe inanima, propter plantas & animalia, quæ ſunt in viventium numero. Vulgo ea uno *mineralium* vocabulo intelligunt. Sed vox iſta Latina non eſt, uti neque *minera*, unde venit. Eſt verò ab Italis, quibus *mineræ* ſunt ductus ſive meatus ſubterranei, unde corpora, quæ diximus, effodiuntur. Belgæ ſimiliter hoſce ductus *mijnen* appellant. Græci non corpora modò ipſa, ſed etiam loca hujuſmodi μέταλλα appellant. Ut apud Herodotum μέταλλον ἁλός, pro *ſalis fodina*. Imò & ſic Lucretius in VI dixit *aurata metalla*, non pro auro ipſo, ſed pro auri fodinis. Maro quoque ſimiliter Georg. II, *æris metalla*: Lucanus lib. III, *aurifera metalla*: Plinius lib. XXXIII, cap. VII, *metalla argentaria, plumbaria, miniaria.* Pro *mineris* igitur & *mineralibus* Latinè magis *metalla*, & *metallica* dicamus. Aliqui, quia vocabula hæc ambigua ſunt, qua de re etiam Salmaſius ad Spartian. p. 157 a, b, ubi & metalla pro lapidibus videas ſumi, malunt appellare *foſſilia*. Quod Latinum quidem eſt, ſed non minùs *mineralium* voce nimis eſt anguſtum. Siquidem quædam inanima perfectè mixta non effodiuntur è terra. Nec enim hoc dixeris de margaritis, quæ reperiuntur in conchis, atque oſtreis. Neque de coralliis, quæ in mari creſcunt, & aquis extracta indureſcunt. Neque de lapidibus, qui in plantis, atque animalibus creſcunt. Ut taceam de ſale, & aliis, quæ arte etiam parantur: nec eo minùs phyſicæ ſunt conſiderationis.

Sed de vocabulis nollim cuiquam movere litem: præſertim cùm ſponte fateantur foſſilium ſe nomine laxiùs uti, non quia omnia, ſed penè omnia effodiuntur è terra. Quare illud potiùs conſiderandum, an ea, quæ *mineralia* vel *foſſilia* dici ſolent, rectè antea eſſe inanima diximus; tanquam eo à plantis, & animalibus diſcreta, quòd hæc ſint animata. Certè *lapidem* pro ἀναισθήτῳ ac ſtupido dixere: ut apud Terentium; *Quid ſtas, lapis?* Inde & tales vocant *petrones*, uti & *rupices*; quod apud Lucilium, & Tertullianum de Anima, ac alibi apud eundem non ſemel. Præcipuè tamen de iſtoc controverſiam movent Chymici: qui contra Peripateticos contendunt, metalla, aliaque foſſilia etiam animam habere, quâ vivant. Rationes eorum: Quia vim habeant longum in tempus ſeſe conſervandi; & operentur varia. Omnia metalla, & lapides vivere, etiam docet Campanella. Ac Thales quidem, ut Laërtius ait, πρῶτος τοῖς ἀψύχοις μεταδιδόναι ψυχὰς λέγεται, τεκμαιρόμενος ἐκ τῆς λίθου τῆς μαγνήτιδος, καὶ τοῦ ἠλέκτρου· *primus inanimis dicitur tribuiſſe animas, conjecturâ captâ ex magnete lapide, & electro.* Sed invictum eſt Peripateticorum argumentum, ſi animam habeant vegetativam, etiam habere inſtrumenta organica, quibus nutriantur, ac generent ſimile. At neutrum dici poteſt. Nam augentur quidem; verùm non ſicut plantæ, & animalia. In his enim particulis ſingulis, à calore intus calefactis nova additur materies, quæ in poros recepta, corpori agglutinatur, ut propterea majori ſpatio ſit opus; prout diximus lib. III, cap. XXI. Metalla autem foſſiliaque creſcunt appoſitione externâ, non mutato interiùs eo, cui quid apponitur, ſed illo, quod exteriùs attrahitur, agglutinato, ſimilemque in ſubſtantiam converſo vi ejus, cui illud apponitur. Præterea foſſilia carent ſemine, nec unum ex altero naſcitur; ſed, venâ excoctâ perſiſtit eſſe, quale erat citra ſpem novæ, ut ſic dicam, frugis.

Nec deſunt tamen qui adamanti exiſtiment vim ineſſe γονητικὴν [a]. Quippe Franciſcus Rueus, Medicus Inſulanus, lib. I de Gemmis, cap. I, illuſtre ejus rei exemplum adfert, his verbis: *Relatum mihi jampridem eſt à Domina quadam fide digna, quod Domina Heverenſis è Luxenburgorum illuſtri genere oriunda, duos habeat, ſerretque hæreditarios adamantes; qui alios crebrò, tanto naturæ miraculo, ut, eos quicunque ſtatis temporibus intueantur,* συγγενῆ, *id eſt, congenerem ſibi prolem enixos, palam judicent.* Subjicit deinde cauſſam, quàm arceſſit à vi cœleſti adamanti inſinuatæ. Atque addit: *Ne juſto plus admiretur quiſpiam, auctor eſt Theophraſtus, eſſe lapides, qui pariant.* Eandem ex Rubeo hiſtoriam refert Anſelmus Boëthius lib. II de Lapidibus & Gemmis, cap.

[a] Gignendi.

cap. III. Sed de fide ambigere videtur. Nec diſſimulare poſſim, & mihi eſſe ſuſpectam. Quod verò ad Theophraſtum attinet, quod lapides minuti reperiantur prope grandiores; id eſſe arbitror, non quia majores ſint eos enixi, ſed ab exhalationibus terræ, unde poſt priores editos exoriantur novi: ut propterea cauſſæ nihil ſit,, cur foſſilibus tribuamus generandi facultatem, vegetativæ animæ perfectionem.

Nec tamen cum eo contendere velim, qui quadruplicem eſſe animam dicat: unam, quæ qualemcumque vitalem vim largiatur, alteram, quæ nutrimentum præſtet, & generandi facultatem: tertiam à qua fuerit ſenſus, & motus: quartam eorum, qui ratione utantur: Quomodo vita latius patebit vi nutriendi & generandi; vis generandi latiùs ſenſu & motu, hæc ratione: & primum ſecundo, ſecundum tertio, hoc quarto continebitur. Hæc ſententia etiam Thaleti placuit; ut qui vivere dixerit metalla, ac lapides: de quo paulò antè locum ex Laërtio adduximus. Et ſanè magnes, ac ſuccinum, ut cætera mittam, videntur expoſcere ut vim aliquam iis tribuamus vitalem; non tamen qualis eſt plantarum, ſed vitæ multo imperfectioris, idque ob animam ignobiliorem, & inferioris ordinis.

Quod ſi diſplicet hanc vim formatricem vocare animam, cùm foſſilium cauſſa efficiens bifariam attendatur, vel de tempore, quo eſſe cœperunt cum mundo, vel quo nunc fiunt, ſpiritum poſſis dicere: idque propterea, quia divinus Moſes initio, operis ſui, ut duplicem ſtatuit materiam rerum, terram, & aquam: ita duplicem ponit efficientem, ſpiritum, unde motus, & lucem, unde calor. Hæc omnia primo die ſimplicia fuerunt, ſed ſequentibus diebus compoſitio rerum facta eſt. Tum igitur terra quidem, & aqua diſcreta fuere, ſed ita ut terra aquæ, aqua terris miſceretur, & ſpiritus ille creatus, qui ſuper aquas ferebatur, lux item, ſive ignis portio impurior (purior enim aſtris ceſſit) terræ, & aquæ mixtæ inſinuaretur, rebuſque ita inderetur facultas, qua primis qualitatibus, quæ alioqui æternum ſegnes & orioſæ fuiſſent in actum deductis, novæ naſcerentur rerum formæ, ac ſpecies.

Et ſanè valde eò inclinat animus, ut à Moſe per ſpiritum Dei, aquis incubantem, non quidem intelligatur tertia Sacroſanctæ Trinitatis perſona; ſed ſpiritus primo die à Trinitate creatus, ac poſtea etiam foſſilibus, atque aliis, quæ inanima dicuntur, inditus, ut vehiculum foret facultatis motricis, cumque luce, caloris vehiculo, cauſſa eſſet, per quam ſpecies quidem rerum conſervantur, nova autem individua generantur. Foſſiliumque generatio ſeu origo, prout nunc conſideratur, ab ignibus erit ſubterraneis; nos etiam ſupra lib. II, cap. LXIII. Sed Cæſar Scaliger Exercitat. CXLI, ſect. II, non dubitabat metalla vocare terram aqueam, quòd gemmæ, metallaque, diuturnâ concoctione tenuiora & denſiora fiunt, propter humorem admodum terreo mixtum. Idem p. 539: In metallis viſciditas continet partes; ac ſiccitas eſt in actu, humiditas in potentia. Siccitas vero ab igni, & terra. De efficiente cauſſa hæc dicta ſunto.

Cap. II.

De Foſſilium materie. Prædominari in aliis terram, in aliis aquam, utrumque ab aëre & igne temperari. Examinantur Chymicorum principia ſal, ſulphur, & Mercurius. Sal agnoſcitur omnibus perfectè mixtis, ſed is compoſitus. Solvatur aurum, & adamas. De humore lapideſcente, & corpore patiente poroſo. Etiam ligna, quin aquam in lapides converti. Vis aſſimilandi.

Materies perfectè mixtorum ejuſmodi, (ſive inanima viſum dicere, ſive eo modo animata, quo proxime diximus) elementa quidem ſunt: ſed prædominante in aliis terrâ, in aliis aquâ. Terrâ cônſtare, liquet ex gravitate, & ſoliditate. Sed terra in pulverem abiret, niſi humor pinguis & unctuoſus conglutinaret partes. Ab hoc igitur eſt, quòd foſſile omne ſit corpus continuum. Cæterum ut eſſent corpora perfectè mixta, (qualia eſſe ex duratione videmus) neceſſe fuit, ut utriuſque huic elementi qualitates frangerentur ab elementis contrariis, puta aëre, & igni.

Chymici tamen abeunt ab iis quæ de foſſilium materia diximus. Volunt enim ea, imò & alia omnia, conſtare è tribus iſtis, ſale, ſulfure, & Mercurio. Atque hoc eò adſtruunt, quod arte, ut vocant, Spagiricâ, ſalem manifeſtè deprehendamus, item aliquid aquei vaporis ſimile, quod Mercurium appellant, ac præterea cognatum quid ſulfuri, quo noſter ignis alatur. Nec negamus, ſalem cunctis ineſſe corporibus: unde & corporibus uſtis cineres ſunt ſalſi, & quod inde fit lixivium. De ſulfure, & Mercurio non æquè liquet. Sed ut hoc quoque iis concedamus, nihil illa derogant Peripateticorum ſententiæ. Siquidem hæc ſimplicia corpora non ſunt, ſed ipſa etiam in elementa reſolvuntur. Nam in ſale eorum, etiam puriſſimo, aqua ineſt, & terreum quiddam, ac combuſtibile. Etiam in eorum ſulfure, quod flammam concipit, naturæ eſt igneæ: quod non concipit, id ab aliis eſt elementis.

Accedit quod neque aurum, neque adamantem facile in tria iſta poſſunt reſolvere. Cùm verò aurum ſe ſolvere ajunt, non tam in tria hæc principia reſolvunt, quam ab adjunctis auro materiis ſeparant.

A materiæ etiam conditione, nec ſola tamen provenit, quod ligna, animantium corpora, reſque aliæ, in aquas quaſdam dejecta, non modò cruſtâ obducuntur lapideâ, ſed interius etiam in lapidem convertuntur: ubi oſtenſum nobis lib. II hujus operis, cap. LXXI, & Anſelmo Boëtio lib. II de Lapidd. & Gemmis, cap. CCC. Duo hic attendere imprimis oportet; agens, & patiens. Agens eſt humor lapideſcens. Patiens eſt corpus poroſum, perque poros admittens lapideſcentem humorem. Humor lapideſcendi ab eo vim habet quod vel deferat terram tenacem, ſive argillaceam. Vel quòd per ſaxa decurrens minutum aliquid aſſiduè abradat. Hujuſmodi humor debet eſſe ſubtilis, & acutus ut facilius penetret, per tenuiſſimos etiam poros. Poſtquam verò à corpore poroſo in intima eſt receptus, ibi conquieſcit, ac frigore congelatur, & concreſcit.

Atque hæc duo quidem præſtant, ut omnes oppleantur pori, ac quicquid (ut in animantium corporibus) concavum eſt. Sed præterea opus, ut quod erat, & quod non erat, coagulentur: item ut quod erat aſſimiletur illi, quod extrinſecus acceſſit. De priori facile acceſſero Theophraſto Paracelſo, qui hoc eſſe cenſet à ſpiritu ſalis. Omnia enim corpora ſalem continent: ſpirituſque ejus non partes modò univerſas permeat, ſed etiam coagulat: Unde verò ſit aſſimilandi vis, non adeò facile dictu: ac multùm metuo, ne & hæc inter occultas debeat qualitates referri.

Nec ſolùm aquæ ſunt, quibus injecta in lapides convertuntur: ſed & aquæ, quæ ipſæ in alveo ſuo lapideſcunt. Cauſſam cognoſcere obſcurum non eſt, partim ex iis, quæ proximè de inſectorum immutatione attuli; partim quæ paucis de eo dixi lib. II, cap. LXXI. Optandum verò ut exſtaret liber Theophraſti, quem ſcripſit de iis quæ in lapidem convertuntur, unde non pauca meliùs ſciremus.

Oſſa in terra naſci inque lapides tranſire narrat è Theophraſto Plinius. Georgius Agricola teſtatur in agro Lunæburgenſi oſſa eſſe nata belluarum marinarum, inque lapides converſa. Ac narrat Goropius Becanus in tertio Becceſelenorum *a*, qui Niloſcopium inſcribitur, ut Nicolaus *a* P. 241.
Rokokius frequens apud Antverpienſes civium magiſter, dum aquis hauriendis puteum fieri curat domi ſuæ, erui viderit, oſſa ſaxea ingentia, maximis balenarum oſſibus æqualia. Ex hujuſmodi colligi ſolet mare aliquando iis locis fuiſſe. Quomodo Herodotus è conchyliis colligit Ægyptum accreviſſe ex Nili alluvione. Cui Ariſtoteles ſubſcri-

ſcribit in primo Meteorologicôn, & Plutarchus in Oſiride. Sed Goropius mulius eſt in hac ſententia refellenda. Contendit autem à cælo præparari aptarique materiam, ut idonea ſit formæ recipiendæ: ſecundariæ vero efficaciæ eſſe, qualitates materiæ, quas primas dicimus. Sed ſi vita conferatur, ut in muribus, aut vermibus è limo genitis, materiæ à cælo præparatis vitam infundi à ſpiritu illo, qui toti orbi permiſcetur, ſive Deum ἀμέσως *a* id præſtare voles, ſive per intelligentiam unam, pluresve, ſive aliter. Ergo ubi idoneus eſt humor, qui vitam recipiat, eam infundi; fierique vivum piſciculum cum teſta ſua: ſin liquor non ſit idoneus vitæ recipiendæ, teſtam ſolum non piſciculum procreari. Sic latomum Antverpienſem vivum bufonem reperiſſe in medio marmore. Nempe & locus & materies fuêre idonea recipiendæ vitæ. At non fuit materies idonea in lapide, quem in Anglia vidit Becanus. Eum è ſummis montibus exciſum, ait *b* percam ad vivum expreſſiſſe, ne minimâ quidem lineolâ ad perfectionem deſideratâ. Etiam refert vidiſſe ſe *in marmore cæruleo ſolidiſſimo pectinem, & ipſius ſedem, ita affabre delineatam, ut nihil ars ſimile poſſe videretur.* Pluraque ejus generis iuibi adducit. Atque ex his colligit, nihil magnopere mirandum eſſe, ſi in ſummis montibus teſtæ inveniantur, præſertim ubi *ſalſugo aliqua eſt, marinæ ſalſugini compar.* Hoc fieri in Ægypto, non ſalſuginis modo, ſed nitri etiam ferace: quæ ambo idonea conchyliis generandis. In Belgica quoque & aliis in locis, attendere jubet, quomodo Oceanus per meatus ſubterraneos liquorem ſalſum exſudet, imò is attrahatur etiam ab arenis ſubterraneis. Liquor enim ille facilè induit formas viventium, vitam etiam habiturus, ſi ſuccus fuerit idoneus ad vivi generationem; quemadmodum diximus.

a *Immediate.*

b *P.* 237.

Cap. III.

De diviſione foſſilium in metalla, lapides, ſuccos, terras; ac particulatim actum de ortu & natura terrarum, de cretis, marga, calce, gypſo, ochra, terra Samia, Cimolia, Lemnia, pnigitide, ampelitide, porcellana, &c.

NUnc ad diviſionem mixtorum inanimorum venio; ea duûm ſunt generum: quorum præcipua ſunt metalla; cætera generali foſſilium nomine etiam ab Ariſtotele comprehenduntur lib. III Meteorolog. cap. ult. Δύο μὲν αἱ ἀναθυμιάσεις, ἡ μὲν ἀτμιδώδης, ἡ δὲ καπνώδης, ὥς φαμεν εἰσί. δύο δὲ καὶ τὰ εἴδη τῶν ἐν τῇ γῇ γινομένων τὰ μὲν ὀρυκτὰ πάντα, τὰ δὲ μεταλλευτά. *Duæ quidem exhalationes ſunt, una vapida, altera fumida, ut diximus: ac duo ſimiliter genera ſunt eorum, quæ in terra generantur, nempe alia quidem foſſilia, alia autem metallica.*

Foſſilium igitur vocabulo ab Ariſtotele continentur terræ, lapides, & ſucci. Quare perfecte mixta inanima ad quatuor genera revocentur: metalla, ut ſunt aurum, argentum: terras, quales calx, creta: lapides, ut ſunt ſmaragdus, magnes: ſuccos, quales ſal, & ſulphur. Nec enim adſentiendum Fallopio, qui de foſſilibus, cap. VI, ſuccos negat diſtinctum conſtituere foſſilium genus. Omnino enim ex natura ac definitione diverſa, liquet ſpecie differre à foſſilium cæteris.

De variis adeo generibus ordine deinceps loquar. Sed primitus de utilitate præterire eſt animus, quia ſeorſum poſtea de uſu in cibo, medicina, veſtibus, & reliqua vita, agetur. Hoc tempore igitur, ſolùm quaſi manuductionem præmittam de vocabulis ipſis; deque iis, quæ originem, ac alia, extra uſum, ſpectent. Nec illa de vocabulis doctrina inutilis eſt exiſtimanda. Quamquam enim Galenus ſcribat, non nomina, ſed curationem, ſpectari oportere: idem tamen non uno loco prædicat notitiam nominum, & Hippocratem laudat, quòd utatur vocabulis vulgo obtinentibus: culpat autem Archigenem, quòd nova effingat vocabula. Mitto, quòd nomina quædam ambigua ſint: ut niſi ὁμωνυμία tollatur, proclivis planè ſit error.

Initium verò faciemus à terris, tanquam terræ, unde effodiuntur, ſimilioribus: quæ & cauſſa eſt, cur generali nomine *terræ* appellentur. Interim foſſiles hæ, ſive, ut vocant, minerales terræ differunt à terra vulgo ſic dicta, colore, odore, ſapore, variiſque uſibus ac effectis: ut ſingulari jure *terræ* nomen ſibi vindicent. Diſcriminis cauſſâ malunt aliqui vocare terras pretioſas, etſi aliquæ tam pretioſum nomen parum mereantur, niſi quod aliquo ſaltem pretio emtoribus conſtent.

Ex hiſce terris aliæ quidem proprium habent nomen; aliæ verò terræ nomen retinent, vel loci nomen, aliudve, additur diſtinctionis cauſſâ. Prioris generis eſt creta, ab inſula Creta id nominis adepta: quo ex vicina inſula Cimolo, Cycladum una, apportabatur: inde autem alias in terras. Quàm varia ſint cretæ genera, Theophraſtus dicet libro περὶ λίθων, ac item Plinius. Adi & Hieronymum Mercurialem lib. III Var. Lect. cap. XXI.

Præterea proprium habet nomen marga, terra itidem candida: ſed pinguis ſpiſſaque, ac adeò fluida, ut ſimilis videatur oſſium medullis.

Item calx, quæ terra eſt ſiccior, & accenditur aquâ, exſtinguitur oleo.

Præterea gypſus, cognata res calci ac cretæ. Nec ſolum effoditur è terra: ſed etiam excoquitur è lapide, unde fortaſſe nomen: nempe à γῆ, terra, & ἕψω, *coquo.*

Adhæc ſil, ſive ὤχρα, ex eo dicta, quia ſit ὠχρός, ſive lutei coloris. Eſtque vel nativa, vel factitia. Nativa, ſive foſſilis variis ex locis deferebatur olim, ſed optima ex Attica: uti nunc ex Dacia, & Hungaria. Factitia fit ex plumbo aduſto, ubi exſtinctum aceto.

Poſterioris generis terræ nomen hoc generale retinent; ſed diſtinctionis cauſſâ à loco, vel aliunde, vocabulo appoſito. A loco vocamus terram Samiam, Cimoliam, Lemniam. E Samia vaſa fiebant inde dicta Samia; quæ Plinius lib. XXXV, ait ſuâ etiamnum ætate laudata fuiſſe in eſculentis. Continet hæc terra κολλούριον, & ἀστέρα, qui collyrio glutinoſior. Cimolia terra, quæ ſit, ante diximus. Lemnia terra erat triplex, ut eſt apud Galenum in IX de Simplicibus Medicaminibus. Primum genus dicebatur ſigillum Lemnium, vel terra ſigillata. Alterum eſt rubrica, qua utebantur fabri lignarii. Tertium, ob vim abſtergendi, in uſu erat fullonibus. Et lib. de theriaca ad Piſonem ait primum genus rectiùs vocari terram ſigillatam, vel Lemniam σφραγῖδα, ac ſecundo generi, rubricæ relinquatur. Plinius tamen hæc genera diverſa non diſtinxit, ac propterea culpari meruit à Nicolao Leoniceno, lib. de Plinii erroribus *a.* Hodie quoque terra Lemnia, eaque ſigillata adfertur, ſed dilutiori colore, quàm olim erat, cum obſignarent eam Dianæ ſacerdotes. In cauſſâ eſt, quòd hi admiſcerent ſanguinem capræ, quam Dianæ immolabant. Nec dubitavit Galenus Lemnum petere, ut miſturæ ejus modum cognoſceret coram.

a *Pag.* 12.

Nec ſemper nomen appoſitum eſt à loco. Siquidem & πνιγῖτις γῆ *b* memoratur Dioſcoridi lib. V, cap. CLXXVII; Plinio lib. XXXVII, cap. XVI, ubi vitiosè vulgo *pigitis*: item Oribaſio, qui colore ait nigram, Eretriæ ſimilem. Videtur ex eo eſſe nomen, quod naſcatur in terra πνιγηρᾷ, ſive æſtuosâ, ſuoque fervore omnia circum ſuffocante ac ſtrangulante. Nec à loco dicitur ἀμπελῖτις γῆ, vel γῆ φαρμακῖτις: ſed ab uſu, ut dicam, ubi deventum erit ad fructum, quem agricolæ ex foſſilibus capiunt. Eſt verò hæc terra bituminoſa, vel bituminis foſſilis genus. Nec eorum diſplicet ſententia, qui ſic dictos cenſent carbones illos ſaxeos, quibus imprimis fabri ferrarii utuntur. Interdum & terræ nomen retinetur, etſi proprium habeat nomen. Uti fit in ἀργίλλῳ ſive argilla, quæ Columellæ vocatur terra figularis, ac Polluci ſimiliter, γῆ κεραμῖτις.

b *Terra pnigitis.*

Terris etiam annumeranda illa Sinenſis, quæ vulgo dicitur *porcellana*: cum tamen ejuſmodi non ſit. Nec enim

eſt

eſt ex oſtreis conchave marina, quæ Gallis porcellana: ſed è terra foſſili, ſubtili, ac pingui, & igni excocta. Non videntur eam noviſſe antiqui. Cum nulla enim convenit terrarum, de quibus illi egere. Quod *porcellanas* dixere, id profectum inde, quòd putarentur fieri ex oſtreis, aliiſque rebus admixtis, quæ annis centum ſub terris latuiſſent. Atque ita etiam ſcripſit Odoardus Barboſa. Sed nemo nunc dubitat, quin fiant è terræ genere tenuiſſimo: cujus tractandi rationem docent Joannes Conſalvus Mendoza in Hiſtoria Sinæ lib. I, cap. ult. & Hugo Linſchotanus in Deſcriptione Navigationis in Orientem, cap. XXIII. Atque hæc de terris.

Cap. IV.

De Succorum concretorum ortu & natura. Generatio quadruplex. brevius :• Omnes ſucci pingues, vel macri. pingues: *Sulphur quod duplex vel e fodinis vel arte paratum, viride præſtat: bitumen, naphtha flos bituminis, naphtha petræa, camphora, piſſaſphaltus, etiam ſuccinum bituminis eſt genus è terræ cavernis in fundum maris prorumpens, ac in lapidem converſum, gagates nigrum ſuccinum an verè prodat defloratam: ſandaracha, & ſandarace quantum diſtent: arſenicum ſeu auripigmentum naturale, vel factitium. Succi* macri *qui* triplices: vel ex liquore permiſto cum terra, *ut ſal qui itidem duplex, nativus, & factitius. cur aqua marina (unde ſal) citius putreſcat, quam fontana: nitrum ex amaro naſcens ſucco. aphronitrum.* vel ex liquore permiſto cum metallo, *nempe: chryſocolla viridis optima nota, ærugo, ferrugo, cyanum.* aut denique cum utroque: *chalcanthum, ubi ſimul de melanteria, miſy, ſory, chalcitide, horumque ſubjecto lapide æroſo pyrite, deque alumine, ac ſucco recente acri anonymo.* Sed *ſunt & ſucci compoſiti: aqua fortis, halonitrum.*

PRoximus eſt locus ſuccis concretis. Quorum quadruplex eſt generatio. De hoc ſic Agricola lib. III de Ortu & cauſſis ſubterraneorum, cap. XII: *Succi aut gignuntur, cùm calor rem ſiccam immiſcet humidæ, & miſtionem coquit; aut fiunt, cum aquæ lambunt terram, aut cùm humor concluſus materiam metallicam corrodit; aut ab ipſa vi caloris ex terris exprimuntur.* Inde ſic colligit: *Itaque ſuccus denſatus oritur ex ſucco liquido, quem vel calor, vel frigus coegit, denſavitque.* Mox etiam exponit, quomodo idem ſuccus diſſolvatur: *Sed quem calor exſiccavit, eum ignis redigit in pulverem, humor vero diſſolvit. Verùm non aqua calida, vel frigida, quoſdam ſuccos concretos diſſolvit; ſed aër etiam humidior: at quem ſuccum frigus compegit, eum ignis & aqua calida diſſolvit.*

Atque hæc univerſe pertinent ad materiem & cauſſam efficientem. Quod vero tanta ſit diverſitas ſuccorum, id provenit à varietate materiæ. Quod idem Agricola his ibi verbis exponit: *Salſus autem ſuccus condenſatur in ſalem; amarus in nitrum; adſtringens, & calidus, alter in alumen, alter in atramentum ſutorium.* Et paullo pòſt: *Ex ſucco adſtringente etiam fit ſory, chalcitis, miſy. Quod flos eſſe videtur atramenti ſutorii, ut ſory os melanteria quædam.* Agit deinde de ſulfure, & bitumine. Ac capite de chryſocolla, & aliis ſuccis, qui *colores* vocantur.

Tam varia genera lib. III ejuſce operis, cap. XIX, revocat ad duo genera. Vel enim ſucci ſunt pingues, vel macri. Quorum ille facilè ignem concipit: hic non item etſi in ignem ſolvatur.

Prioris generis ſunt, θεῖον, ſive ſulphur, ἄσφαλτος, ſive bitumen, σανδαράχη, quæ Latinis quoque ſandaraca, & ἀρσενικὸν, ſive auripigmentum.

Sulfur dicitur, quaſi ὅλον πῦρ, ut dictum lib. IV, cap. XCVI. Eſt verò pinguedo terræ excocta calore igneo ad indurationem. Nimirum duo hic concurrunt, copia pinguedinis, & ignis. Ea ambo in cauſſa ſunt, cur facilè inardeſcat, etiam in aquis ferventibus. Quod autem ſebum, licet pinguius ſit, non tam facile ignem concipiat, ex eo eſt quòd idem ſulſure ſit frigidius.

Sulfur vel eſt è fodinis, vel paratur arte, idque variè. Foſſile vocatur *vivum*, Græcis ἄπυρον, quod Celſus reddit *non expertum ignem*. Imprimis commendatur, quod viride eſt, ac pellucidum.

Ad bitumen refer naphtham, Babylonio vocabulo ſic vocatam. Verè flos eſt bituminis, omnique bitumine efficacior. Etiam Μηδείας ἔλαιον, vel φάρμακον dicitur, quia Medea hoc inunxerit munus, quod miſit Glaucæ Creontis filiæ: ut etiam eſt apud Plinium lib. II, cap. CV de naphtha: *Ita ferunt à Medea pellicem crematam, poſtquam ſacrificatura ad aras acceſſerat, coronâ igne raptâ.*

Eſt & naphtha petræa, quæ effluit ex ſaxis: unde dicitur πετρέλαιον, ſive petræ oleum. Bituminis quoque genus eſt κάφουρα, quod Arabibus כאפור caphur, ab oblinendo, quod Hebræis *caphur*. Schindlerus in Lexico: *Camphora, ſpecies bituminis, materia glutinoſa, qua aliquid oblinitur, teriturque.* Sed Cæſar Scaliger Exercitat. CIV, ſect. VIII, falli ait qui bitumen eſſe arbitrantur. Quippe eſſe lachrymam ſive bitumen arboris. Et placuit idem Matthiolo in lib. I Dioſcoridis, cap. LXXV. Ac prævivit Aëtius libro de alimentorum facultatibus: ubi ait, eſſe gummi arboris Indicæ. Sed proprietates camphoræ conſideranti obſcurum eſſe nequit, bituminis genus eſſe. Quæ opinio eſt in foſſilium argumento eminentiſſimi Georgii Agricolæ: atque eum etiam ſequitur Joannes Gorræus Pariſienſis in eruditiſſimis Definitionibus Medicis.

Bituminis quoque genus eſt πισσάσφαλτος: atque ita vocatur, quia picem, & bitumen redolet, ut eſt apud Dioſcoridem.

Item genus ejuſdem eſt ſuccinum, quod vulgo *ambram* dicunt voce Arabicâ, & Gallis etiam uſitatâ. Græci antiqui vocarunt *electrum*, voce ambiguâ, cum & electrum ſit metalli mixti genus. Complures idem, ac ſuccinum, Lyncurium eſſe arbitrantur. Sed hoc eſt genus hyacinthi, tam ſimile ſuccino, ut ſolo viſu nequeas diſcernere: ac propterea opus ſit attendere etiam ad duritiem, & an paleam trahat. Cardanus lib. III de rerum Varietate, cap. XV refert, in Septentrionali Oceano naſci è phocarum ſpuma litori & ſcopulis alliſa. Sed ſi è ſpuma piſcium ſit, cauſſa non eſt, cur è phocarum duntaxat, non quorumvis cetorum ſpuma, naſci credamus. Equidem iis malim accedere, qui ortum ejus ab arboribus arceſſunt. Convenit hoc cum antiquiſſimis poëtarum fabulis, qui ajunt eſſe lachrymas Phaëtontiadum, quæ in populos fuerint converſæ. Convenit cum Ariſtotele, qui putavit eſſe arboris cujuſdam lachrymam. Ac ſimilia legere eſt apud Dioſcoridem, Plinium, Tacitum; etiam Atalaricum, Gothorum regem epiſtolâ ad Heſtos, quam reperire apud Georgium Fabricium Commentario in Poëtas Chriſtianos *a*, ubi inter alia; *Hoc quodam Cornelio deſcribente legitur, in interioribus inſulis Oceani, ex arboris ſucco defluens (unde & ſuccinum dicitur) paullatim Solis ardore coaleſcere. Fit enim ſudatile metallum.* Ubi laxè adeo metallum uſurpat, ut ſuccos concretos, & lapides comprehendat. Nec per *Cornelium quendam alium*, quam Cornelium intelligit Tacitum: quem fortaſſe non alio elogio dignatur, quia apud veteres Chriſtianos mendaciſſimus audivit. Præterea convenit cum Paulo Ægineta, qui credebat eſſe ſuccum albæ populi. Convenit cum Mithridatis opinione, qui cenſebat eſſe ex cedrino arborum genere. Firmat quoque hanc ſententiam, quòd in ſuccino, dum perſpicuum eſt, videre ſit araneas, aliaque inſecta. Ut non abſurde dici poſſit cum ſucco arboris ea animalcula decidiſſe.

a P. 118.

Dixeris, arbores non naſci in mari, unde ſuccinum petitur. Sed enim plurimis in locis, ubi nunc eſt mare, ibi

ibi olim fuere arbores: atque ubi nunc tellus, ibi olim mare. Quod multis indiciis cognoſcere eſt in Belgica noſtra.

Sed licet hæc non abſurdè dicantur; non poſſum tamen admittere hypotheſim tam incertam, &, ut puto, falſam, iis in locis, unde ſuccinum petimus, in tanto veterum ſilentio, aliquando ſtetiſſe arbores bituminoſas, unde tum ſuccus ille in terras profluxerit, atque iis locis mari obrutis, poſt tot ſecula inde ſuccinum ſupereſſe hodieque, ac, ut videtur, ſemper futurum. Quocirca multò magis eam in ſententiam propendeo, ſuccinum naſci ex oleo fundi bituminoſo, quod, à terræ ſpiritu, per poros producatur foras, terràque excluſum, ſalſugine maris concreſcat, ac congeletur. De animalculis verò quid ſi dicamus, ea eſſe nata in terræ cavernis, & unà cum bituminoſo oleo è terris prorumpere in fundum maris? Saltem eſſe bituminis genus, non dubitandum. Nam & doctiſſimus Georgius Agricola, nec in Foſſilium argumento ſatis laudatus, clare pronunciat, obſervatum ſibi, ſuccinum omnes habere bituminis proprietates: ut aliud videri non poſſit, quàm eſſe bituminis genus in lapidem converſum. Atque in hoc etiam Agricolæ ſubſcribit Gorræus in pereruditο Medicarum Definitionum opere. Et quàm manifeſtè indicio eſt, quòd, ubi ignem admoveris, ardebit. Imò unde, niſi à bituminoſa, ac ſulfurea natura ſit, quòd, ſicut magnes ferrum, & chalybem attrahit, ſic ſuccinum, ſi affrictum calefiat, attrahat paleas, plumas, aliaque id genus levia: unde & Græci ἅρπαγα *a* nominarunt. Ac placet Libavii ſententia, id provenire à ſpiritibus, quos ex ejuſmodi materia emittit calidos, pingues, ac glutinoſos.

a *Rapacem barpagonem.*

Plura de hoc argumento addere non eſt animus. Sed non abs re fuerit videre etiam Anſelmum Boëtium de Lapidd. & Gemmis, cap. CLIX: ubi inter alia agit de triplici genere ſuccini, & quatuor ejus differentiis. Præterea adi Andreæ Libavii de Succino hiſtoriam, & Andreæ Aurifabri de Succino libellum, qui ſubditur tomo IV Conſiliorum Joannis Cratonis à Craftheim, Medici Cæſarei: item ſubjectum carmen Danielis Hermanni Boruſſi de rana, & lacerto, ſuccino Pruſſiaco inſitis. Quo eruditè de ſuccino, & cauſſà iſtiuſmodi, in ſuccino animantium, diſſeritur. Vide Atalarici epiſtolam de ſuccino apud Georg. Fabricium Comment. in Poëtas Chriſt. p. 128. Necnon de bitumine, naptha, ſuccino &c. Philandrum ad Vitruvium VIII, III, p. 324, 325.

Succini etiam genus eſt gagates, Germanis *ſwarten agſtein*: ſic dictus à Gage amne Lyciæ, ac videtur eſt nigrum ſuccinum exuſtum, & induratum. Sanè inſtar ſuccini, ſi attritu calefeceris, paleas attrahit. Interim odorem graviorem ſpirat, quia magis eſt ſulfureus. Multis ajunt experimentis comprobatum, gagaten eſſe virginitatis ſervatæ, vel amiſſæ indicem. Nam ſi virgo ſit, quæ pulverem ejus biberit, non adigi ad lotium reddendum: ſecus eſſe, ſi fuerit corrupta. Habes quoque apud Anſelmum Boëtium, Medicum Cæſareum in ſecundo de Lapidibus cap. CLXV. Puto, non inutilem eſſe errorem, ſi laſciviores illæ perſuaſum habeant, poſſe lapidum virtute occulta, in notitiam eorum veniri, quæ occultè committunt.

De ſulfure, & bitumine dictum. Superſunt ſandaracha, & ἀρσενικόν. Σανδαράχη longè aliud eſt ac σανδαράκη. Quæ idem eſt ac κήρινθος; nempe apum, dum operantur cibus: ut eſt apud Ariſtotelem Hiſt. Animal. lib. IX, cap. X; & Plinium lib. XI, cap. VII. Σανδαράχη autem eſt ſuccus concretus, ac terreus, atque ubi tritus & uſtus, ſulphur olens. Et fere in iiſdem provenit metallis, ac ἀρσενικὸν ſive auripigmentum, ſed hoc pinguius. Eſt verò auripigmentum, vel naturale, vel factitium. Naturale triplex, unum cæteris præſtantius aurei coloris, conſtans multis tenuibus cruſtis ſquamatim compactis, quod finditur inſtar lapidis ſpecularis: Alterum proximæ bonitatis, magis aurei coloris, ſed ſolutum pulveris inſtar. Tertium prioribus vilius, colore accedens ad ſandaracham, ac glebæ ſimile. Factitium ex cruſtis auripigmenti foſſilis fit, adjecto ſale foſſili, & una cocto.

Atque hæc de ſuccis concretis pinguibus. Macri ab Agricola *a* triplices ſtatuuntur, idque pro tribus rebus, unde oriuntur: *Naſcuntur enim ex liquore permiſto aut cum terra aut cum metallo, aut cum miſto. Primi generis ſunt ſal & nitrum: ſecundi chryſocolla, ærugo, ferrugo, cæruleum: tertii atramentum ſutorium, alumen, ſuccus acris, qui caret nomine. Illa duo gignit pyrites, qui in miſtorum numero eſt habendus: hunc cadmia.* Ordine aliquid de ſingulis dicemus.

a *De natura foſſilium lib. 1, cap. 19.*

Sal Ariſtoteli eſt ſpecies terræ; convenientius tamen ad ſuccos referas: ut oſtendit generatio. Nam aqua ſalſam lambens terram ſalſa & ipſa redditur, caloreque indurata convertitur in ſalem.

Sal vel nativus eſt, vel factitius. Nativus vel in terra, vel in aqua naſcitur. Eſtque ſuccus terræ, qui à calore terræ ſubterraneo ſalſedinem contrahit: is in ſalem abit, ſi cauſſæ adfuerint, per quas congeletur. Sin major fuerit calor, non ſal gignitur, ſed nitrum, quia is ſuccus amareſcit vi caloris: ut à Galeno oſtenſum in opere de ſimplicium facultatibus. Ideoque in Ægypto, & ſalis, & nitri copia eſt. Sal ſub arenis ad Peluſium effoditur, ut Plinius auctor. Etiam in arenis, inque montibus Ægyptiis nitrum gignitur. Eoque ſolent lintea expurgari, uti apud nos lixivio. Etiam in Hiſpaniæ agro Toletano lacus eſt, è quo nitrum conficitur copioſum: nempe à calore minore fuit humor ejus ſalſus: nunc, quia à majore calore eſt aduſtus, nitrum inde componitur. Ut valde eos fugiat ratio, qui ubicumque ſal, nitrumque eſt, ibi olim fuiſſe Oceanum colligunt. Contra quam opinionem fusè in Niloſcopio diſputat Goropius *b*. Nativus itaque ſal, aut è montibus cæditur, vel ſub terris effoditur, vel ſub arenis concreſcit: ut qui iccirco ἀμμωνιακός vocatur. Niſi nomen ab Ammonia regione, ubi delubrum Jovis Ammonis, hoc eſt, Chami, ſive Chamonis, filii Noachi: de quo ſatis dictum lib. II, cap. XI. aut, inquam, nativus ſal in fontibus, fluviis, vel lacubus gignitur.

b *Pag. 142. & ſeq.*

Imò & in mari circa ſcopulos concreſcit, vocaturque ἁλὸς ἄχνη, *ſalis ſpuma*: ut eſt apud Dioſcoridem. Factitius fit ſæpius ex aqua marina: quandoque etiam ex ſalſo fonte, ut apud Burdigalenſes, & Burgundos. Apud Tacitum quoque in XIII Annalium legimus ex amne Hermunduros, & Cattos interfluente ſalem fieri, *undâ ſuper ardentem arborum ſtruem fuſâ, contrariis inter ſe elementis, igne atque aquis concretum.* Imò etiam ex puteali aqua coquitur, vel ſui generis lixivio.

Philoponus, & Olympiodorus falluntur, cùm ajunt, ſalem, etſi calore ſit concretus, non tamen ſolvi frigore. Rationem adferunt, quia non ſolo ſit calore concretus, ſed etiam ſicco. Nam perperam ſiccitati tribuunt actionem: nec controverſia caret, quod ajunt calore concreta, diſſolvi frigore. Qua de re vide, quæ diſſerit Cæſar Scaliger in ſecundum eorum de Plantis librorum, qui male Ariſtoteli tribuuntur *c*.

c *Pag. 93. edit. Criſp.*

Mirum verò cùm ſal carnibus adſperſus eas conſervet; aquam tamen marinam, quæ ſalſa eſt, atque unde ſal gignitur, celerius ſi vaſe concludatur, putreſcere quam fluvialem. Sed in cauſſà eſt, quod mare, utrumque ſalſum, multa habeat excrementa, tum à piſcium excrementis & cadaveribus: tum aliunde. Ab his ſe continuâ agitatione purgat, quod aqua ejus facere nequit, ſi vaſi includatur. Quam rationem adducit Argenterius in Artem Galeni cap. LXXXIX. Addit alteram Fromundus *d*, quod halitus novi ſemper ac recentes ex bituminoſo ſalſoque fundo ſe attollentes, arceant putredinem. Atque hoc facile ex iis intelligitur, quæ de maris ſalſedine ſuo loco diximus. Sal diſtinguit Varro in foſſitium, & maritimum lib. I de R.R. cap. VII. De eo quoque Philander ad Vitruvium lib. VIII, III. pag. 326. B.

d *Lib. 5. Meteorol. cap. 1. art. 4.*

Hactenus de ſale: ſequitur de nitro, quod ex amaro ſucco provenire dicebamus. Hoc ſalis inſtar vel nativum eſt,

eſt, vel factitium. Ad nitium refer & ἀφρόνιτρον, q. d. ſpumam nitri. Item νίτρον Βερενίκιον, quod ita videtur dictum à Berenice Troglodytarum oppido. Videtur Gorræo idem eſſe, ac quod Plinius Ægyptium, Galeno ἐν τῷ περὶ ἀντιπερίςων vocatur Alexandrinum. Nempe quia è regione Troglodytica in Ægyptum Alexandriam, inde reliquum in orbem deferretur. Sed rectè Gorræus abit à Pandectarum auctore, qui, vicinitate ſoni deceptus, putabat idem eſſe Berenicium, & quod vulgo *vernicem* dicimus.

Vidimus de macris ſuccis primi ordinis, qui eſt ex liquore permiſto cum terra. Alter ordo eſt liquoris permiſti cum metallo. Quò referebamus chryſocollam, æruginem, ferruginem, & cæruleum. Χρυσοκόλλα ſignificat auri gluten; Belgis *Berchgroen.* Sic dixere quia aurum auro conglutinet, uti & argentum argento. Nativæ color viridis eſt, unde & Belgicum nomen, quod diximus. Sed viriditas ea interdum ad illam Smaragdi accedit. Eſtque hujuſmodi chryſocolla notæ optimæ. Vilis illa, cui dilutior viriditas. Medii loci eſt, ſi is color medio ſe modo habet. Factitiæ color, qualis ervi: unde Græcis vocatur ὀροβίτης.

a Lib. 33. cap. 5. Quomodo ea pararetur Plinius dicet. Qui & refert *a* Neronem Cæſarem chryſocollâ ſtraviſſe arenam Circi, cùm aurigaturus eſſet panno concolori.

Ærugo eſt ſuccus concretus è liquore admodum acido, atque æs erodente, eoque miſto cum ære. In Cypriorum metallis ærariis gigni, apud Diſcoridem legas.

Ferrugo eſt à ferro humore contacto: ſed raro intra terram invenias.

Cæruleum ſuccus eſt, quem Græci ſimiliter κυανὸν appellant. Fit ex humore admodum ſalſo, & acido, metallicam materiem corrodente: Itaque ſapore eſt acri, & aliquantum adſtringente. Plurimùm verò ita fit, ut eidem glebæ adhæreſcant chryſocolla, & cæruleum. Nec in ærariis modò, ſed etiam argentariis, & aurariis fodinis invenitur. Ac vel per ſe reperitur, vel à materia metallica opus eſt abradi. Ac fere arenæ eſt ſimile, cujus cauſſa eſt à magno calore: ut ait Agricola lib. III de Ortu Subterraneorum, cap. XIII. Nec ſolum foſſile eſt, ſed etiam factitium, quod variis fit modis. Vidimus de ſuccis macris ſecundi ordinis.

Tertii eſſe ordinis dicebamus chalcanthum ſive atramentum ſutorium, alumen, & ſuccum acrem ἀνώνυμον.

b Agricola in Bermanno cap. 37. Χάλκανθος fit ex chalcitide: cumque *b* ſory, & melanteria, coloris ſint cinerei, vel nigri; chalcitis autem, rubri & ærei; miſy lutei, & aurei: chalcanthum contra nunc candidum eſt, atque albæ violæ ſimile, unde λευκόϊον appellarunt: nunc etiam vel pallidum, vel viride, vel cæruleum. Atque eſt inſuper perſpicuum, unde officinæ *vitriolum* nominarunt: veteribus ignotum hoc nomen: qui dixere *atramentum ſutorium*: ut Celſus & Plinius. Sic vocabant, quia coria eo tingerent veteres. At noſtro tempore aliud in uſu eſt coriariis: ferrugo nimirum. Habet chalchanthus figuram ſtiriarum, cujus cauſſa eſt, quod deſtillando congeletur.

Ad chalcanthum etiam refer Miſy. Nam ejus flos eſt, ut ſoryos flos melanteria, ſive atramentum metallicum. Porrò & ſory & miſy ſucci ſunt adſtringentes: ac fiunt cum humor pyriten, qui & ærosus, & friabilis eſt, arroſerit. Etiam ex adſtringente ſucco eſt chalcitis: quæ friabilis naturæ, & lanugo concreta videatur, ſecundum Plinium lib. XXXIV, cap. XII. Ubi & legas ſub ea miſy, & ſory contineri. Sed omnino differunt.

Χαλκίτις æreì eſt coloris, intercurſantibus venis oblongis, & ſplendentibus: ac naſcitur quidem in iiſdem metallis, quibus μίσυ, ac σῶρυ: ſed medium inter ea eſt tum loco, tum viribus. Primum enim ſe offerre ſolet μίσυ, hinc χαλκίτις, tum σῶρυ. Tenue μίσυ, craſſior χαλκίτις, craſſiſſimum σῶρυ. Imò & unum in alterum tranſit. Siquidem Galenus refert, chalcitim, quam triginta annis domi ſervârat, fuiſſe in miſy converſam.

Alumen Græcis a vi adſtringente στυπτηρία dicitur. Eſtque vel liquidum, vel concretum. Poſterius hoc pro figura, ac colore, variat etiam facultate atque uſu. Quod alumen Scaiolæ vocant, non eſt alumen; uti & ſapor indicio eſt.

Succus ille acris, quem necdum nomen accepiſſe ajebam, memoratur Agricolæ lib. III de Natura Foſſilium, cap. XVIII. Inventus verò Annæbergæ, in cuniculo acto in B. Ottonis foſſam. durus eſt; candidus, tantæque acrimoniæ, ut erodat, atque ita necet mures, gryllos, & id genus animantia. Quid mirum verò, cum eum ſuccum gignat cadmia? qui lapis tam acris eſt, ut exedat operariorum manus ac pedes.

Sunt & ſucci compoſiti: ut quam aquam fortem vocant. Hac ad ferri cælaturam utimur. Etiam diſſolvit & liquefacit argentum. At aurum nequit diſſolvere.

Item in compoſitis ſuccis eſt halonitrum, ſive pulvis tormentarius. Conſit ex carbone, ſulfure, & ſale petræ.

CAP. V.

De Metallorum ortu & natura. Nomen. Deſcriptio. Liquefactum vel emollitum ad priſtinam redire duritiem & impreſſam ſervare figuram, præſtantiſſima metallorum qualitas. hinc quæſtio: Argentum vivum ſitne ſpecies metalli vel metallorum principium. Elementa eſſe materiem metallorum, annon etiam ſulphur, & argentum vivum. Aurum, argentum, plumbum, æs, ferrum, unde dicta. Romanorum lingua maximè ab Æolibus. Unius grani auri tertiam partem, 134 pedum filum inaurare. Negatur Hydaſpen, & Tagum aurum vehere. Uncia argenti, ad pedes 3200 ſe extendit. Plumbum triplex, candidum, nigrum, medium ſeu biſemuthum. Novem exſurgere metallorum genera, & quæ illa. Sed ceruſſam ex plumbo eſſe aceti vapore corroſo. Æris uſus ferri prior. Æs dilatatum fluitat. exterſum citiùs rubiginem contrahit. Cyprium æs arte factum quale. Ferrum ajunt ex immodico argento vivo, & ſpiſſiore ſulphure conſtare. Stannum noſtrum non eſſe diverſam ſpeciem à plumbo, an etiam à plumbo candido. Electrum, & aurichalcum, non metallorum ſunt ſpecies ſed miſcellaneum. Pompholyx, & ſpodium, recrementa metallorum. Pondus metallorum, & liquidorum.

A Succis concretis accedo ad metalla, deinde de foſſilibus dicturus: quæ duo præcipua ſunt foſſilium genera; imò ſola compluribus memorantur, Metalla dicuntur, quaſi μετ' ἄλλα, *poſt alia.* Plinius lib. XXXIII, cap. VI: *Ubicunque una inventa vena eſt, non procul invenitur alia, unde metalla Græci videntur dixiſſe.* Aliqui cenſent ſic dici, quod, in metallis ſcrutandis, ut Plinius ait in præfat. lib. XXXIII, *tellurem intus inquirat cura multiplici modo.* Id enim Græcis eſt μεταλλᾶν. Sed enim melius Euſtathius cenſet hoc verbi proprie dici de ſcrutantibus metalla: inde κατὰ μεταφορὰν ſimpliciter ſumi pro ἐρευνᾶν, ζητεῖν *a*, a Indagare, quærere.
atque etiam dici de iis, qui interrogando aliquid exquirunt: ut apud Homerum loco non uno.

Cùm verò μέταλλον nunc ſumatur pro eo, quod è venis terræ effoditur, nunc pro loco, unde effoditur, ut dictum, cum de minera paullo antè ageremus: priori nunc modo accipitur. Itaque Georgio Agricolæ lib. I de natura foſſilium, cap. XXI, *metallum eſt corpus foſſile naturâ vel liquidum, vel durum quidem, ſed quod ignis liqueſcit calore; attamen refrigeratum rurſus ad duritiem revocatur, propriamque formam.* Ubi liquidum additur, ne excludatur argentum vivum: quippe naturâ fluidum. Additur deinde & altera conditio, quam etiam Fallopius requirit. Cui ſic definitur lib. de Foſſilibus, cap. X: *Metallum eſt corpus foſſile, durum, igne liquabile, & in ſua natura conſiſtens, & malleo in omnem poſitionem ductile.* Ubi tres conditiones in conſiderationem veniunt. Una, quod naturâ durum ſit, quo excluditur argentum vivum, quippe fluidum, inſtabile, & figuram mutans ſponte. Altera eſt,

quod, ubi liquefactum igni, ad priorem redit duritiem, ac naturam. Hoc excluditur lapis, qui liqueſcit quidem, ſed priſtinam amittit formam ac dignitatem. Tertia conditio eſt, quòd ducitur malleo, ac figuram ſibi datam ſervat. Quo ipſo etiam videmus, argentum vivum non poſſe in metallorum numerum referri.

Quærat aliquis, ſi argento vivo non ſit in metallis locus, ad quod genus foſſilium debeat referri. Nam foſſile eſſe conſtat: nec tamen in terris, ſuccis, aut lapidibus habet locum. Dicam, quid de iſto videatur. Cenſeo non quatuor, ut doctiſſimus Agricola aliique putarunt; ſed quinque foſſilium genera ſtatui oportere; annumerato nempe argento vivo: cui in doctrinæ ordine proximus ante metalla locus dandus, eò quòd principium ſit metallorum. Sanè Chymici id lubentes conceſſerint: etiam hos ſecuto Avicenna, & Alberto M. Cujus hæc verba præfatione Metallicorum lib. IV: *Tangemus primò de his, quæ quaſi univerſalia metallorum ſunt, ſicut pater, & mater; ſicut dicunt metaphoricè loquentes auctores Alchimiæ. Sulphur enim eſt, quaſi pater, & argentum vivum mater; quod convenientius dicitur, ſi ſulphur dicatur eſſe in commixtione metallorum, quaſi ſubſtantia ſeminis paterni, & argentum vivum ſicut menſtruum; quod coagulatur in ſubſtantiam embryonum.* Atque idem lib. III ejuſdem operis, cap. IV, tradit, hanc eſſe ſententiam Avicennæ tum in Phyſicis, tum libro de Alchymia ad Hazem, ſive Aſſem Philoſophum. Verba ejus de Avicenna ſunt: *Dicit in utroque iſtorum librorum argentum vivum, & ſulphur: eſſe omnium materiam metallorum, Humidum enim terreo admixtum eſt argenti vivi proxima, & ſubſtantia unctuoſitatis eſt propria & eſſentialis materia ſulphuris.* Occurrit deinde iis, qui arbitrantur, elementa potius materiam eſſe metallorum. Reſpondet autem id quidem verum eſſe, *at rerum materiam non determinari ex his, ſed potius ex iis, quæ in illis abundant.* Apertius dixeris, elementa eſſe materiam remotam; ſulfur, & argentum vivum, proximam.

Sed ſive Agricolæ ſententia placet, liquidum aliquod metallum agnoſcentis, ſive aliorum, qui non metallum, ſed metallorum eſſe principium arbitrantur; ſatis evidens eſt, in doctrina hac de metallis, tractari oportere. Paucis tamen defungemur.

Argenti vivi materies eſt aqua viſcoſa, ſed puriſſima, puriſſimæ terræ, eique candicanti, commixta. E cujus miſtura eſt, quod ſit tenuiſſimum, frigidiſſimum, graviſſimum. A tenuitate eſt, quod penetrare etiam valeat vel craſſiſſimum cervi corium: quod item erodat perforetque omnia vaſa metallica: unde ligneis vaſculis tutius adſervatur. Scribonius de hoc, *Vidi*, inquit *a*, *cyathum argenteum, eo quod aliquamdiu Mercurius vivus repoſitus erat, cemento, vel mobiliſſimo ſimilem factum eſſe.* Ac ſimiliter, ut ait, *ſi aurum eo illinatur, ovi etiam cortice fragilius evadit.* Mobilitas, ob quam *vivum*, Chymicis etiam *Mercurius* dicitur, provenit à gravitate conjuncta cum rotunditate.

a *Lib. 2. Phyſ.*

Eſtque hydrargyrum vel nativum, vel factitium. Nativum Plinius vocat argentum vivum; factitium, hydrargyrum. Dioſcorides vero non diſtinguit: ac propterea Plinium culpant, quaſi neſcierit quod Græcis eſt ὑδράργυρον, id Latinè eſſe argentum vivum. Sed abunde Plinium defendit Hieronymus Mercurialis lib. II Var. Lect. cap. XIV. Ubi docet, Plinium eſſe priores ſecutum, qui non ſolent nativum vocare ὑδράργυρον. Ariſtoteles quidem ἄργυρον χυτὸν *b* appellat lib. IV Meteorol. uti & Philippus Comicus apud eundem in primo de Anima. Factitium repertum demum ætate Theophraſti, ſed ab eo hoc quoque, in libro περὶ λίθων, ἄργυρον χυτὸν dici: poſteriores diſtinxiſſe, quos Plinius ſit ſecutus: Dioſcoridique non magnam fuiſſe verborum curam, ac propterea etiam nativum vocâſſe ὑδράργυρον.

b *Fuſile argentum.*

Atque hæc de argento vivo, ſive metallo, ſive metallorum, ut diximus principio. Vide tamen de argento vivo etiam Pincieri πάρεργα lib. 4, cap. 51, p. 647. Ubi & de chryſocolla.

Deinceps diſpiciamus de iis, quæ metallorum eſſe ſpecies convenit. Differunt autem prout magis, minusve pura ſint. Puriora aurum, & argentum. Impurioribus vel dominatur aqua, ut in plumbo: vel terra, ut in ære, & ferro.

Aurum dictum ab aura, h. e. ſplendore: ut illo VI Æn.

—— *auri per ramos aura refulſit.*

Indeque & *aurora*. Argentum ab ἄργυρος, quod ab ἀργὸς, h. e. λευκὸς, albus. Unde & Ἀργέστης, qui aliter λευκόνοτος, Horatio etiam *albus notus*. Plumbum à πόλιβος pro μόλιβος, μ in π converſo, more Æolum, qui ſimiliter ſæpe in B mutant: ut μύττος, βύττος, natura muliebris; μύρμηξ, βύρμαξ, unde formica; μολγὸς, βολγός, unde *bulga*: βάμμα *a*, βάμμα, teſte Heſychio. Sanè Romanorum lingua maximè eſt ab Æolibus. Eoque minus placet, quòd *plumbum* derivant à πηλὸς, h. e. lutum, quomodo ut ajunt, & Belgicum *loot* eſt à *lutum*: ſive ob terræ colorem, ſive quia multum habeat feculenti, ac luto ſimile, ſive quia è terra eruatur. Atque eadem de cauſſa deducunt æs ab ארץ, eretz, terra. Sed hoc ob ſplendorem igneum potius fuerit ab אש eſch, ignis. Vel ab αἶσις, quod ab αἴθω, uro, ſplendeo: unde & αἴθοπα χαλκὸν *b* dixit Homerus. Ferrum, quantum poſſum divinare, vel eſt à πέρρω, pro πείρω, *transadigo*, *penetro*: vel φθέρρω, pro φθείρω, *corrumpo*, *perdo*, *interficio*: nempe eliſo θ, ut Dores, ἰσλὸς pro ἐσθλός. At quod in πέρρω & φθέρρω; ει in ι mutatur, & ſequens ρ geminatur, hoc eſt ab Æolum exemplo, qui dicunt pro δείρω *c*, δέρρω, item pro κείρω *d* κέρρω; pro κλῖναι *e*, κλίνναι. Quod in nominibus etiam locum habet: ut χεῖρες *f*, χέρρες, χειρῶν, χερρῶν. Scio, pleroſque arbitrari, *ferrum* dici, quia *ferum* ſit eo pugnare, ſed alterum malo, quia tota penè lingua Romana ſit ab lingua Æolica, quæ ex Dorica originem trahit, ut Attica ex Jonica.

a *Tinctura.* b *Splendens æs.* c *Excorio.* d *Tondeo.* e *Occidere.* f *Manus.*

In hiſce quinque metallis aurum obtinet principatum: cujus hanc cauſſam adferunt Chymici, quod conſtet ſulfure rubeo eoque ſubtiliſſimo ac puriſſimo, ac ſimili argento vivo. Quia verò partibus conſtat adeò puris, ac tenuibus, eo quoque ſolidiſſimum eſt, ac difficillimè ſolubile adeo ut nec terrâ, nec aquâ, nec aëre corrumpatur; igne verò non modo non deterius fiat, ſed etiam perpurgetur. Præterea ob tenuiſſimam hanc ſoliditatem graviſſimum eſt, & maximè ductile: uſque adeò ut uſus doceat, tertia unius grani pars undique inauret filum pedum CXXXIV: ac ſi malleo deducere velis ſuper argenti bracteas, unica auri uncia contegat octo argenti pondo. Iſtoc etiam memorabile eſt: quòd circa diluculum frigidius ſit: eoque qui aureum digito annulum geſtat, inde valeat cognoſcere quando dies exoriatur. Ut jam mittam ſingularem ejus in medicina vim, de qua poſtea dicetur. Quando effoditur, multo obſidetur terrâ, quæ ab auro abluitur lavando in puriſſima fluminis, vel rivi aqua. Diſſolvitur verò aurum, ſi par addatur modus ſalis ammoniaci. Quod ſi veteres audimus, non omne aurum foſſile eſt. Nam ajunt in Tago, & Hydaſpe arenas aureas inveniri. Mirum vero de Tago id etiam prodere Iſidorum, hominem Hiſpanum. Nihil ſanè hujuſmodi in Tago, vel Hydaſpe, reperitur. Magis controverſum, num aurum etiam arte ex metallis aliis poſſit produci. De quo diximus, in opere artium ac conſtitutione omnium artium & ſcientiarum: quo loco de Chryſopœia agimus.

Auro proximum eſt argentum, quod conſtat ſulfure, & argento vivo, utroque puriſſimo, utroque candicante. Ob tenuitatem ſingularem, adeo ductile eſt, ut unica argenti uncia ſe extendat in pedes ter mille ducentos, ſive brachia.....

In fodinis argenti metallo huic miſcetur plumbum, terraque nigra: ac terra quidem abluitur aquâ; plumbum autem igni in fornace ſeparatur. Quod ſi vel centenæ fuerint libræ effoſſæ, argenti vix quinæ, vel ſeptenæ, ſuperſint. Vide de argento Aloyſium Novarinum lib. VIII, cap. 1.

Plumbi genera Plinio ſunt duo: unum candidum, quod

quod Græcis ait κασσίτερον dici: alterum nigrum, quod iiſdem vocatur μόλιβδος, unde *plumbi* vocem venire, antea oſtendimus. Sed quod nigrum vocant, candorem habet, licet obſcurius. Chymici ajunt, gigni utrumque ſi ſulphur & argentum vivum ſint impura, priùs etiam craſſum, & feculentum. Tertium addunt recentiores, plumbum cinereum, quod vulgo *biſemuthum*. Atque hoc in cauſſa eſt, cur multi non quinque ſed octo ſtatuant genera metalli, pro ſimili plumbo tria ejus genera ponentes, unum nigrum, quod ſimpliciter vocant *plumbum*, alterum candidiſſ, quod *ſtannum* dicunt, ac tertium, *biſmuthum*. Imò argento vivo annumerato novena ſic metalla ſint. Quin & quartum plumbi genus, quod è ſtibio eſt excocto. Siquidem catinis inditum, igne ſuppoſito metallum fit, coloreque refert plumbum hoc cinereum. Ex hoc quarto genere liquefacto fiunt characteres typographici; ut poſtea dicetur. Omne plumbum facile liqueſcit. Ex candido, vel nigro, quod aceti vapore fuerit corroſum, ceruſſa fit. Hæc à ceræ ſimilitudine ſic dicta videtur. Nempe à κηρίεις κηρόεσσα, inde κηρῦσσα.

Æs, ſecundùm chymicos, conſtat argento vivo paullò impuriore, & ſulphure craſſo ac rubeo: Belgis *Koper*, quia Cyprium æs maximo in pretio foret. Materies ejus magis eſt aduſta: unde diutius durat, nec ab humore uti ferrum, vitiatur. Plerumque æs foſſile aliquid continet

a Lib. 8. de Natura Foſſil. c. 9. ubi idem bis memorat.

argenti, ut ait Agricola *a*. Durum eſt, attamen in tenues ducitur bracteas. Mergitur, dum maſſa eſt, ſed dilatatum fluitat. Celeriùs rubiginem contrahit exterſum, quàm neglectum. Ajunt optimè adſervari in pice liquida. Species æris, quod caldarium dicitur, ac fuſile eſt. Æris uſus antiquior illo ferri: unde Lucretius lib. v:

Poſterior ferri vis eſt æriſque reperta,
Et prior æris erat, quàm ferri cognitus uſus.
Ære ſolum terræ tractabant, æreque belli
Miſcebant fluctus.

Etiam ex Homero, Heſiodo, Heraclide Pontico, Pauſania, Euſtathio, idem oſtendi lib. IV Oratoriarum inſtitut. Nonnulla etiam nobis indicta de eo obſervavit Brodæus in lib. I κυνηγετικῶν Oppiani.

Æs Cyprium, quod arte factum firmitate præſtat æri nativo, & cattitero: ut eſt apud Cæſarem Scaligerum in

b Pag. 45. edit. Criſpin. an. 1566.

priorem eorum de Plantis, qui Ariſtoteli tribui ſolent *b*.

Ferrum, ex Chymicorum ſententia, fit ex immodico argento vivo, & ſpiſſiori ſulfure, utroque impuro. Igni mollitur, unde & faber ille Deorum Vulcanus eſt dictus Mulciber: de quo poſtea dicetur. Maximè durum eſt, atque ideo ſi percuſſeris, edit ſonum. Ex eo ſæpius liquefacto fit στόμωμα, ſive chalybs, unde acies ferri. Non aliunde facilius rubiginem trahit, quàm hominis ſanguine: ſed vitium id corrigitur aqua marina: item ceruſſa, gypſo, pice, liquida, bitumine, minio ſecundario.

Quinque iſtis metallis de quibus hactenus diximus, duo alia argentum vivum, ac ſtannum, ſuperaddunt Chymici; ut ſic pro planetarum numero, metallorum etiam ſeptenarius exſurgat. Sed enim argentum vivum, ſive lithargyrum non tam metallis annumerare oportet, quam metallorum principiis: ut ex iis liquet, quæ ſuperiùs diximus. Stanni autem vocabulum ambiguum eſt. Veteribus, ut ex Plinio videmus lib. XXXIV, cap. XVII, *Ejus* (plumbi nigri) *qui primus fluit in fornacibus liquor, ſtannum appellatur*. Et ſanè aliud eſſe à plumbo candido, cenſet etiam Georgius Agricola in Bermanno, cap. XXIV. A multis tamen retro ſeculis non aliud vocabulo hoc intelligitur, quàm plumbum candidum; imò nec dubium, quin Belgicum *tin* ſit à *ſtanni* voce. Quare ſi Chymici more veterum loqui voluere, non debuere ſtannum diverſam facere ſpeciem à plumbo. Secundùm eoſdem Chymicos, ſtannum in ſuperficie quidem habeat argentum vivum candicans; interius autem rubeum; cumque ſul-

c Lib. 2. Phyſ. cap. de metallis.

phure non bene commixtum. Itaque & Scribonio *c* dicitur eſſe plumbum argento dealbatum: imo & Agricolæ lib. I de Natura Foſſilium, cap. XXI, ſtannum eſt miſtura plumbi nigri & argenti. Quomodo non ſimplicibus metallis, ſed in compoſitis ei debeatur locus.

Aliqui verò ad metalla etiam referunt electrum, & aurichalcum. Sed *electri* vox ambigua eſt. Nam vel eo ſuccinum intelligitur, quod non metalli, ſed bituminis eſt genus: vel aurum quincta argenti portione admiſta; ut ajunt Plinius, & Pauſanias: eoque neque iſtud metallum eſt ſimplex, ſed metallorum miſcella.

Aurichalcum, ſive ut Arrianus vocat, ὠρόχαλκον, vocabulum eſt ex vitioſa pronunciatione natum jam olim. Nam *au* fere ſonabat, ut *O*: unde dixere promiſcuè *caurus*, & *corus*, *aula* poſtea *olla*, idem *Claudius*, & *Clodius*. Cùm igitur *aurichalcum* dicerent, putarunt eſſe vocem conflatam ex Latino *aurum*, & Græco χαλκός, h.e. æs: inde colligentes, eſſe miſturam auri & æris. Hinc gloſſæ: *Aurochalcum* κεχρυματικά. Ubi malim, χαλκῶμά τινα; puta ex auro, & ære. Et fortaſſe quod Ger-

a Miſcellum quid.

mani *meſſing* vocant, id ab hac eſt miſcella. Verùm alii ſic dici putant ab auri ſplendore, & æris duritie: ut Servius ait ad illud Æn. XII: *alboque orichalco*. Ubi videmus duas primas corripi. Quid mirum? Græcè ὀρείχαλκον, & perempta diphthongo, ὀρίχαλκον vocatur. Unde & Horatius in Arte:

Tibia, non ut nunc orichalco vincta. ——

Ea vox ſignificat æs montanum. Nempe eſt id æris genus, quod quia inde coronas ſuas faciebant hiſtriones, *coronarium* vocatur, ac Belgis dicitur *letonum*, vel generali nomine *metallum*. Nec aliter Virgilius, & Horatius, cepere. Neque exiſtimem, eſſe in rerum natura foſſile metallum ex auro, & ære conſtans. Ac negavit id quoque Ariſtoteles ἐν Τελεταῖς: ut legere eſt apud ſcholiaſten Apollonii in IV, Ἀργοναυτικῶν *b*. Vulgo tamen non eſſe

b Verſ. 973 ſive pag. 210. edit. H. Steph.

modò credebatur, ſed auro eſſe pretioſius: ut videre eſt apud Plautum Curcul. Act. I, ſc. III. Et hæc de metallis.

Porrò pompholyx, & ſimilia metallorum recrementa, quæ Græci σκωρίας vocant, non naturæ, ſed artis, ac fornacum ſunt opera. Spodium namque comparatur è fornacibus, ubi æs excoquitur: eoque ſolo differt à pompholyge, quod liqueſcente in fornace ære vel cadmia, pompholyx hæreat cælo, vel parietibus fornacis: ſed ſpodium, ob pondus ſuum, recta in terram concidat. Longè verò pompholyx ſpodio præſtat: ut argumento eſt, quod dicat Galenus, ſe quia abunde pompholygis ſuppeteret, numquam eſſe ſpodio uſum. Vide quæ de veterum ſpodio, & illo juniorum, quantum inter ea interſit, deque pompholyge à Joanne Manardo ſcribuntur lib. XII epiſt. V.

Cæterùm, quemadmodum in liquidis leviſſimum oleum; hinc aqua fontana; tum *vinum*, nam ei plus fecum, quam in oleo; inde *cereviſia*; graviſſimum mel: ſic & in metallis, leviſſimum ſtannum, & ferrum, aliquanto ponderoſius plumbum nigrum, & æs; pòſt argentum; argentum vivum; graviſſimum aurum, non quia maximè terreſtre, ſed quia terræ magis elaboratæ, & ſolidæ.

De metallis pauca, ſed bona Philander ad Vitruvium VIII, III, pag. 321 A. B.

Cap. VI.

Universè de lapidum ortu, & natura, eorumque diviſione. Exinde de gemmis, ſed generatim Quid lapis, & an etiam duriſſimi quique nullo modo molliantur. Lapidum alii perſpicui, alii opaci. Diaphana quà talia non eſſe colorata. Cauſa perſpicuitatis, lucida continuitas. Lapidum alii coloris nullius ut adamas, alii unius, alii diverſi; alii vulgares, alii pretioſi & unde iis pretium. Gemma rara, parva, dura, pulchra. *Qua terra ſit requiraturve ubi gemmæ naſcuntur. Sed & metalla in lapides converti: ſtibium, & plumbum in hyacinthi, minium in ſmaragdi formam.*

SUpereſt quartum genus foſſilium, quod eſt lapidum. Horum natura talis eſſe dicitur, ut nec humido molliatur, nec igni liquetur. Sed malim dicere, vix molliri, vix liquari. Nam longo tempore tandem molliores fiunt aquâ: maximoque igni liqueſcunt. Sanè arte chymicâ etiam duriſſimi ſilices liquantur. Cautius itaque Georgius Agricola lib. 1 de Natura Foſſilium, cap. xx: *Lapis eſt corpus foſſile, ſiccum, & durum; quod vel aqua longinquo tempore vix mollit, ignis vehemens redigit in pulverem; vel non mollit aqua, ſed maximo ignis liqueſcit calore. Prioris generis ſunt lapides, quos conſpiſſavit calor: poſterioris quos frigus coëgit. Hæc duo genera lapidum, per ipſam naturam ſunt conſtituta.*

Vis lapidum, ac gemmarum, quandoque eſt à materia; ut vis exſiccandi in pumice: quandoque à forma, ut ſiſtendi ſanguinem in hæmatite; attrahendi ferrum, in magnete. Sed difficile, imo ἀδύνατον eſt, afferre omnium differentias ab effectis, vel effectuum cauſſis. Itaque contenti eſſe cogimur differentiis, quæ petuntur à forma externa, vel aliis qualitatibus inhærentibus. Cujuſmodi eſt, quòd alii lapidum ſunt perſpicui, alii opaci, alii mediæ naturæ. Item alii Orientales, alii Occidentales. Adhæc alii unius coloris, alii diverſi. Item magni aliqui, aliqui parvi. Nonnulli quoque pretioſi, alii vulgares, alii inter utroſque medii.

De primo diſcrimine quædam dicemus. Nulli lapides nigri ſunt perſpicui. Nigror enim viſum ſiſtit. In cauſſa eſt, quòd color ille ſit ſine luce, ut diaphanus eſſe non poſſit. Imò nulla diaphana ullum reapſe colorem habent: ne albor quidem. Dixeris chartam albam, ſi tenuiſſima ſit, eſſe pellucidam. Non nego, habere aliquid pellucidi: ſed propter lucem interiorem, non alborem, cui quantum accedit, tantum perſpicuitatis decedit. Quærat aliquis, unde igitur, niſi ab albore totius ſubſtantiæ, ſit perſpicuitas gemmarum. Vulgo quidem ex eo eſſe creditur, quòd multum habeant aquæ concretæ, contrà quàm fit in lapidibus opacis, quas multum habere terræ arbitrantur. Sed vera perſpicuitatis cauſſa eſt corporis continuitas: ſive quòd corpus nullis ſit poris atque atomorum terminis, ſeparatum. Nempe in continuo non eſt, quod terminet viſum: ut in aqua, quæ perſpicua ideo, quia partes ejus diſcretæ non ſint: aër ſimiliter perſpicuus, quia totus continuus, niſi quatenus atomos habet: qui ob exiguitatem non videntur, niſi Solis radii per rimas penetrent in locum occluſum: quod cùm fit, aliqua etiam, minuta licet, obſcuritas eſt ab atomis, quia ſuperficie Soli aversâ umbram faciunt. Ut verò terra ſit continua, antea requiritur, ut admodum ſit tenuis, ac ſubtilis; ſic ut aqua admixta non impediat perſpicuitatem. Uti contrà fit in lapidibus opacis, ubi terra eſt craſſior atque impurior; aër verò implet poros, atque ita terminat partes terreſtres.

Eo quoque perſpicuitatem eſſe à continuitate comprobatur, quòd ea, quæ perſpicua non ſint, ob partes diſcretas; hæc fiant perſpicua, ſi partes diſcretæ priùs, exiſtant continuæ. Exemplo eſto charta, quæ ſi affuderis oleum perſpicuum, perſpicua & ipſa fit. Nempe quia oleum totam penetrans chartam poros repleat univerſos, ſic ut particulæ omnes jungantur, nec ultrà diſcretio ſit ulla, quæ ſi fuerit, termini particularum, modo conſpici poſſint, perſpicuitatem impediunt. Quod verò de oleo chartæ infuſæ dicebam, id ſal etiam præſtat in gemmis. Nam ſal is, qui gemmis ineſt, nectit particulas tenuis terræ, ſic ut viſus non terminetur particularum terminis, ſed radios oculorum tranſmittat. Plura ſi voles, adi de eo diſſerentem Anſelmum Boëthium in primo de lapidibus ac gemmis, cap. xiv.

Atque hæc de cauſſa, cur lapidum aliqui ſint perſpicui, alii opaci, alii inter hos medii: quorum exempla inferius adferemus.

Altera lapidum diſtributio petebatur à colore. Nonnulli enim lapides unius ſunt coloris: quidam diverſi. Unius coloris ſunt ab uniuſmodi materia: quomodo alabaſtrum eſt album: lapis Lydius, niger. At jaſpis, Chalcedonius, achates, diverſi ſunt coloris, quia conſtant ex particulis diverſi coloris, vel aquæ, aut exhalationes, quæ eas tinxerint, ex venis diverſi coloris profluxerint.

Alii malunt differentiam ſtatuere in loco, ubi creſcunt. Ordinarius is ſub terris. Interim etiam in aquis creſcunt: item in plantis, ipſiſque animalibus: denique in aëre etiam generantur, atque ipſis nubibus. Præterea diſtinguunt in Orientales, ac alibi naſcentes. *Boëthius pag. 481.*

Variantibus adeo ſententiis ſimpliciſſimum videtur, ſi dividam primò in pretioſos, vulgares, atque illos mediæ naturæ. Deinde verò hæc tria genera diſpeſcam pro lapidum colore, magnitudine, atque aliis accidentibus. A pretioſis auſpicabimur.

Pretium imprimis raritas facit, ſecundum illud, quod dici ſolet, quæ rara cara. Itaque in pretio eſſe non poſſunt, quæ frequentia ſunt, atque obvia. Hujuſmodi igitur lapides vocamus vulgares, non pretioſos. Sed & raritatis, & frequentiæ ſui ſunt gradus. Nec ſolum in lapidibus attenditur, num inventu faciles ſint, an difficiles: ſed etiam parvi, an magni; duri, an molles, pulchri, an pulchritudinis expertes. Nam ſi ad raritatem parvitas acceſſerit, arguit naturæ non multum hujuſmodi materiæ ſuppetere: ut hoc ipſum majoris ſit raritatis documentum, quam ubi quid rarum, ſed magnum. Dura etiam mollibus præferuntur, quia magis durant. Pulchra autem deformibus anteferuntur, quia viſui gratiora, qui ſenſus omnium eſt, ut acerrimus, ſic cariſſimus. Cuncta hæc in gemmis concurrunt: ut inter lapides hæ obtineant principatum. Ab iis igitur initium faciemus.

Gemma eſt lapis à natura productus, rarus, parvus, durus, pulcher. Ubi ante omnia requirimus, ut ſit lapis: quo excludimus non modò corpora mixta animata, ſed præterea ex inanimis ſalem, bitumen, metalla. Ulterius exigimus, ut ſit à natura productus: quia quæ Chymici faciunt, utcumque parva, dura, perſpicua, non gemmæ ſunt, ſed vitra colore illi gemmarum ſimili tincta. Ac uti non eas natura elaborat, ſed ars, ita nec materies eadem, nec vires. Præter hæc, quatuor conditiones requirimus. Primo enim rarum eſſe neceſſe eſt: eoque pſeudadamas Hungaricus, cos, ſilex, & ſimiles, nequeunt gemmis accenſeri. Crebro enim reperiuntur. Imò raritas ſi abſit, non modo gemma non erit, ſed nec lapis pretioſus, etſi poſterius hoc nomen latius pateat, quàm gemmæ. Sed diſpar eſt ratio trium poſtremarum conditionum, quarum ſingulæ quidem deſiderantur, ut quid mereatur gemmæ nomen, non item ut ſit lapis precioſus. Hæ conditiones ſunt parvitas, durities, & pulchritudo. Parvus non erit, ſi excedat ovi gallinacei magnitudinem. Quæſieris, an ſi aliquando forte grandis adeo adamas, vel pyropus, uſpiam inveniretur, ob magnitudinem eam ſint amiſſuri nomen hoc, vel generale nomen gemmæ? Minimè verò; ſed deſcribimus, quid nunc gemma dicatur gentium omnium conſenſu: non autem quid tum gemmam vocaturi ſimus. Nempe hoc ſi contingeret, omitteremus conditionem eam, ut lapillus ſit, non lapis; videlicet agnoſcimus, deſcribere nos gemmam, non ex forma eſſentiali, quæ ignota eſt, ſed ex congerie eorum, quæ gemmæ accidunt.

Alterum eſt, ut ſit durus: h. e. ut ne vel manu teri, vel cultro ſcindi poſſit. Ac proinde in gemmis non poſſunt numerari tophi, pumices, lapis bezoar, aut porcinus, & ſimiles.

Tertium eſt, ut ſit pulcher. Exſurgit autem pulchritudo, à perſpicuitate vel colore grato, à radiorum reflexu, à figura oculis jucunda. Pulchritudinem hanc nativam eſſe convenit: Nec enim gemma erit, ſi lapillo turpi à politura artificis ſplendor, atque elegantia acceſſerit. De loco, ubi gignuntur gemmæ, aliquid addendum. Gemmarum nobiliſſimæ ex Oriente petuntur: paucæ ex Africa & America, etiamſi terræ ſint ejuſdem climatis ac latitudinis. Cujus cauſſam hanc adferre ſolent, quòd Sol prius Orientem luſtret, quam Africam, vel Americam. Verùm hæc ratio, nec unius eſt aſſis. Nam in orbe circum-

tumeundo nec prius, nec poſterius eſt niſi comparate. Sanè ſi Americani ſunt antipodes Indorum: oritur Sol Indis cum occidit Americanis, & oritur Americanis cum Indis occidit. Quare non à ſole petenda eſt ratio, ſed à ſolo, cujus natura eſt diſpar, vel etiam ab aſtris, quibus ſubditus eſt Oriens. In terra arenoſa difficulter generantur gemmæ, quia non facile ſuppeditat materiam cohærentem, qualem requirit durities gemmarum. At magis proveniunt, in terra molli, miniata, & aquis, ut vocant, mineralibus, vel exhalationibus, gravida: Cujuſmodi loca non modò vim habent ad gignenda metalla, ſed etiam lapides. Ac propterea etiam metalla quædam convertuntur in lapides. Ut ſtibium, & plumbum in hyacinthi formam: minium in ſmaragdi: ut de iis tradit Anſelmus Boëthius lib. I de Gemmis ac Lapidibus, cap. XII.

Jam quæ durities lapidibus, & metallis. Unde Homero Il. II χάλκεον ἦτορ *a*, Smyrnæo lib. XII σιδήρεον κῆρ *b*, Maroni VI Æn. *Ferrea vox.* Cur verò lapides, & metalla, tanto durent tempore. Nos ſuprà lib. III, cap. XXI, Meatus lapidibus, non ſunt, vel vix ſunt, quà ſpiritus exeat, duris & pinguibus: in illis ſpiritus conſtringitur, ut exire non poſſit: in his quia tenax materies, detinetur, ut non ſtudeat evolare. Durantque magis lapides, qui vel perpetuò ſunt in aquis, vel perpetuò in aëre, quàm qui nunc aëre, nunc aquis ambiuntur. Tantum valet, ut æqualis ſemper ſit conſtitutio. Verulam. lib. de vita & morte *c*, Idem Verulamius de durabilitate metallorum, & lapidum agit ibid pag. 26, 27. Ac cur ignis lapides deſiccet, metalla colliquet, tandem tamen & ea quæ colliquat, exſiccet, aurumque, & cætera metalla, nimio igne pondere minui, propter id quod avolet, tradit idem p. 28, & 43.

a *Æreus animus.*
b *Ferreum cor.*
c *Pag.* 31.

Cap. VII.

De Gemmis perſpicuis. Adamas gemmarum duriſſimus, & coloris expers. Adamas octagies M *coronatorum, & ejus quantitas. Vitiatur calore. Verus adamas ſub Tropicis: viceverſa cryſtallus locis frigidis. Calefactus adamas feſtucas attrahit, & unde hoc illi. Qua fraude ſapphirus, aliaque adamantem mentiantur. Gemmæ coloratæ quotuplices. Carbunculo veterum num hodiernus reſpondeat rubinus. Rubinus* LX M *Ducatorum, & ejus ovalis magnitudo. Carchedonius ſpecies pyropi ſeu carbunculi. Granatus, veterum reſpondet amethyſto. Bohemiæ gemmarum ſingulare. Eſſe vero in carbunculis quoque hyacinthi genus, ſed quale. Quid carbunculus myſtice. Chryſolithi, omnes aurei coloris gemmæ: Differentiæ. ubi & de topazio. Smaragdi inter virides principatus. Eò certamina Nero gladiatorum ſpectabat, cauſa. Duodecim ſmaragdorum genera. Quatuor ſmaragdi apud Ægyptios in Iovis obeliſco, quanti. Praſius quomodò dignoſcatur à ſmaragdo. Noſtram ſapphirum, non eſſe veterum, ſed huic lazulum, illi cyanum reſpondere. Tinctura quid, quomodò. Sapphirus myſtice. Berillus ex viridi cæruleus, Italis aqua marina. multas ſub hoc latere veterum gemmas. quid à quodam præterea ei tribuatur.*

Atque hæc de gemmis universè dicta ſunt. Nunc de ſingulis generibus videamus.

Gemmarum aliæ ſunt coloris expertes, aliæ coloratæ. Coloris expers eſt adamas. Hic gemmarum eſt duriſſimus ac durantiſſimus, coloris expers, & aquæ clariſſimæ inſtar pellucens. Duritiei argumentum eſt, quod non poſſit teri, niſi altero adamante. Nec dubium, quin vox ipſa ſit, ab α στερητικῷ *a*, & δαμάζω, *domo*: quia nempe non dometur ferro, nec igni. Unde Horatius *b*. *Marti* tunicam tribuit adamantinam. Et alibi idem Neceſſitas adamantinos figere clavos dicitur. Ac ſimiliter poëtarum alii. Imò & Zacharias cap. VII, 12. *Cor ſuum poſuerunt adamantinum.* Quem ad locum ita B. Hieronymus: *Adamas lapis fortiſſimus, qui Hebraice dicitur SAMIR, in tantum durus eſt, ut omnia metalla confringat, & ipſe non confringatur ab ullo. Unde à Græcis ἀδάμας, id eſt, indomabilis dicitur.* Plinius lib. XXXVII, cap. IV, auctor eſt nec frangi malleo & incude. Sed conſtat nullum reperiri, quin mallei uſu diſſiliat, imo in pollinis minutias redigatur. Etiam ſanguine ſolo hircino ferventi plurimis perſuaſum fuit: in his Marcello Empirico, Theophylacto Simocato, Alberto Magno, Hermolao Barbaro, Georgio Agricolæ. Imò à pleriſque traditum eſt, ſanguine eo ita emolleſcere adamantem ut ferreo piſtillo comminuatur in ſcobem. Sed ex eo, quod paullo antè dicebam, cognoſcere eſt, ſic piſtillo poſſe comminui, abſque ſanguine hircino. Cùm verò, tantum ſanguinis hircini vim putarent, ulterius etiam ſunt progreſſi, ut dicerent, renum ac veſicæ calculum frangere: Sed requiri, ut hircus iis ſit nutritus herbis, qui calculum diſſolvant. Sanè quicquid ſit de hirco ſic enutrito, ſaltem ἁπλῶς id præſtare non arbitror: etſi aliud viſum Cæſari Scaligero *a*: de quo dictum lib. III hujus operis, cap. LXIX. Atque idem *b* Scaliger ait ſimiliter calculum renum & veſicæ comminui ſanguine leporino. Refellit quoque eos, qui vim eam hircini ſanguinis eſſe arbitrantur, ex principii communis analogia, quaſi hoc aliud ſit, quam refugere ad occultam proprietatem.

a *Privativo.*
b *Lib.* I. *od.* 6.

a *Exercit.* 349. *ſect.* 8.
b *Inibi.*

Quod adamantes non excreſcant in grandem magnitudinem, id eſt ex eo, quia rara in terris eſt materies, quæ habeat conditiones ad materiem ejus requiſitas.

Carolus Cluſius vir ſummus, ac in adoleſcentia mihi Academicorum ſtudiorum tempore Leidæ cognitus, exiſtimabat, non majorem in Belgica hac viſum, quàm eum, quem Philippus II. Hiſpaniarum Rex, Eliſabetham Henrici II. Galliarum Regis filiam ducturus uxorem, anno CIƆ IƆ LIX, Antverpiæ à Carolo Affetati, coronatis emit octogies millenis. Pendebat autem grana CXC, ſive ceratos XLVII cum ſemiſſe.

Calore vitiari ſplendorem, vires etiam adamantis imminui, à pluribus eſt obſervatum. Cujus rei intelligentes matronæ primariæ, pretioſum geſtantes in annulo adamantem, cum cubitum ituræ, non modo de manu detrahunt, ſed vel imponunt marmori, vel aquæ frigidæ immergunt, vel ſaltem in loco frigido deponunt.

Invenitur verus adamas in locis calidiſſimis: uti ſub Tropicis, ubi generatur ex exhalationibus calidis, ſiccis, ſulfureis: ut contra ſe hic habeat, atque in cryſtallo. Nec enim hæc in India gignitur: ſed locis frigidis, ut quæ frigidà materià conſtet. Pſeudadamantes tamen profert & Anglia, Hungaria, Bohemia, & ne ſingulis inſiſtam locis, etiam ſub Arcto in nova Zembla generari, obſervarunt navigationibus ſuis Argonautæ Hollandi. Calefactus adamas, inſtar ſuccini, attrahit feſtucas; quod fit ob pinguem & igneam naturam. Ob quam etiam gaudet jungi maſtici, non item gemmis aliis. Nempe & adamantis, & maſticis natura eſt pinguis, igneaque: quam cauſſam adfert Anſelmus Boëthius lib. II de Lapidibus & Gemmis, cap. I. Ubi & oſtendit, quomodo verus adamas à ſpurio dignoſcatur ex receptione tincturæ. Item qua fraude fiat, ut ſapphirus, amethyſtus Orientalis, chryſolithus, colorem exuentes ementiantur adamantem.

Hæc de adamante, qui, ut diximus, eſt ſine colore. Venio ad gemmas cum colore: qui pro colore variant. Eſt is color, vel ruber, ſive ſimpliciter, ut carbunculi; vel ex flavedine, ut hyacinthi: vel eſt aureus, ut chryſolithi: vel viridis, ut ſmaragdi, & praſii: vel cæruleus, ut ſapphiri, ac berilli: de quibus ordine agemus.

Carbunculus, ſive anthrax, vel pyropus, ex eo ſic dicitur, quia inſtar carbonis, atque ignis, radios de ſe mittat, ſic ut aëra in tenebris illuſtret. Video eſſe, qui hoc in dubium vocent. Sed exempla illuſtria ex fide dignis accepi: ut non videam, cur minus hoc poſſint gemmæ, quam ligna putrida, atque alia. Varia admodum carbunculorum genera, ſed confusè ſatis, Plinius recenſet. Sunt qui tradunt carbunculum nihil aliud eſſe, quàm magnum rubinum: rubinumque etiam in tenebris lucere. Sed expe-

perientia repugnat. Quod ſi magnus rubinus verè ſit carbunculus, talis fuerit ille Rudolphi II. Imperatoris, qui ad eum, hæreditario jure, pervenerat à ſorore, Galliarum regis vidua. Ovi gallinacei minuti magnitudinem æquabat: ac LX ducatorum millibus emtus dicebatur: ut refert Cæſaris ejus medicus Anſelmus Boërhius *a*. Pyropus, vel ſpecies ejus, dicebatur Carchedonius, qui malè nonnullis *Chalcedonius*, ac corruptè *calchedonius*. Quippe non ei χαλκηδών, nomen dedit, civitas Aſiæ, inclyta quarto concilio Oecumenico; ſed Καρχηδών, ſive Carthago magna: ut clarè ait Plinius lib. XXXVII, cap. VII.

a Lib. 2. de lap. & gem. c. 13.

Etiam ad carbunculum pertinet, qui *granatus* dicitur; ut qui expoſitus Soli, vel luci alteri flavo ſuo rubore magis etiam rubino referat carbonem. A minii colore, quòd Gallis *vermeillon*, dicitur *vermeille*. Occidentalibus color dilutior eſt, qualis granis mali Punici: unde univerſis *granatorum* nomen. Bohemicis hoc inter gemmas coloratas ſingulare obtigit, quòd utcumque multos etiam menſes igni impoſueris, color non pereat, ac ne imminuatur quidem: ut hac parte mereatur conferri adamanti, auroque obrizo. Eſt verò granatus idem ac veterum amethyſtus *b*.

b Boëthius l. 2. de lap. & gem. cap. 30.

Eſt & in carbunculis hyacinthi genus, quod ex flavedine magis ruber, ac ignis flammas imitatur. Sin nihil habeant ruboris, omnino eſt generis à carbunculo diverſi. Loquor verò de hyacintho ſic vulgo appellato. Nam amethyſto potius eſt accenſendus *c*, is, qui Plinio hyacinthus dicitur lib. XXXVII, cap. IX.

c Boëth. ib. cap 30

Hæc de natura carbunculi, & præcipuis ejus generibus. Quid verò myſtice in Scripturis ſignet, his verbis exponit B. Hieronymus lib. XV in Jeſaiam, cap. LIV: *Carbunculus, qui paratur, ſive per ordinem ſternitur, videtur mihi ignitus ſermo doctrinæ, qui fugato errore tenebrarum, illuminat corda credentium.* Addit deinde: *Hic eſt, quem unus de Seraphim tulit forcipe comprehenſum, ad Eſaiæ labia purganda: qui naſcitur, juxta Geneſios fidem, in terra Hevilat, ubi eſt aurum optimum, lapiſque carbunculus, & praſinus.*

Chryſolithus nomen eſt generale omnium aurei coloris gemmarum. Aliuſque Orientalis, qui inſtar auri puriſſimi reſplendet; atque in Arabia & Æthiopia, invenitur; præſtantiorque in India, & Bactriana: alius autem Occidentalis, ſive Europæus, qui cum aureo colore plus, minuſve obtinet nigroris: ac mollis eſt, inſtar cryſtalli: ut ſi in gemmis duritie opus ſit, ſicut arbitror, gemmis nequeat annumerari. Ad chryſolithum pertinet, quos Plinius chryſolectros, & melichryſos, vocat. Planeque veriſimile eſt, non aliam eſſe gemmam, quam vulgo topazium vocamus. Etiam chryſolithi genus eſt chryſopraſus, qui in viriditate porri immixtum habet ſplendorem aureum. Ac videtur idem eſſe, qui Iſidoro, & Marbodæo, ſive..... chryſopaſius, Alberto M. chryſopagius, nominatur, ac mater creditur ſmaragdi. Imò nec alius lapis chryſolampis Plinii: ſed tum ſic dicitur, ſi, igne noctu admoto, admodum ſplendeat. Multa de hiſce gemmis Plinius: ſed non, ut nulli liquere poſſit, quomodo diſtinxerit.

Smaragdus inter virides gemmas facilè obtinet principatum. Quippe virore ſuo ſic hominem recreat, quaſi amœniſſima cerneret viridaria. Ideo viridem lapidem appellat Horatius. Viriditate autem Peruviani præſtant Orientalibus. Dicitur & praſinus, à colore porri. Item Neronianus, & Domitianus, teſte Epiphanio, qui & cauſſam adferre conatus: ſed, ut puto, infeliciter. Potius eo nomen arceſſam, quòd Nero, & Domitianus praſina aurigarum factione delectarentur.

Legimus quoque Neronem ſmaragdo ſpectaſſe gladiatorum certamina. Nimirum quia inſtar ſpeculi rerum circumſtantium ſpecies recipit, atque exhibet. Et ſanè alia etiam, ita lævia, ut nihil habeant aſperi, ſi nigrore retro obducta ſint, ſpecies receptas ad ea, quæ opponuntur, remittant. Quod in metallis lævigatis, puteorum aquis, ac ſimilibus, comperimus. Duodecim ſmaragdi genera apud Plinium vide lib. XXXVII, cap. V.

Smaragdi mira magnitudo prædicatur à Theophraſto libro de Lapidibus, cum ex Ægyptiorum commentariis ſic ſcribit: Ἀνακεῖσθαι καὶ ἐν τῷ Διὸς ὀβελίσκῳ σμαράγδους τέτταρας, μῆκος μὲν τετταράκοντα πηχῶν, εὖρος δὲ τῇ μὲν τέτταρας, τῇ δὲ δύο. *Id eſt, in Iovis obeliſco quatuor fuiſſe poſitos ſmaragdos, longitudinis quadraginta cubitorum; latitudinis verum in una parte quatuor, in altera duorum.* Quem locum ſic expreſſit Plinius lib. XXXVII, cap. V: *Et fuiſſe apud eos* (Ægyptios) *in Iovis delubro obeliſcum è quatuor ſmaragdis quadraginta cubitorum longitudine; latitudine vero in una parte quatuor, in altera duorum.* Nec tamen Plinius ſatis videtur aſſecutus Theophraſti mentem. Nam dicit Plinius obeliſcos fuiſſe totos è ſmaragdo: at Theophraſtus contentus eſt dicere, ſmaragdos fuiſſe poſitos in obeliſco: puta arte, quod longè eſt credibilius: ut monitum quoque Hieronymo Mercuriali Var. Lect. lib. II, cap. XXV.

Praſius colorem habet porri, unde & nomen. Coloris igitur eſt mixti è flavo, & viridi. Atque eo differt à ſmaragdi colore, quod ille nihil habet flavi. Ex praſio, & aureo colore mixtus eſt in chryſopraſio. Ubi cum viriditate miſcetur flavedo aurea.

Sapphirum his verbis Plinius deſcribit lib. XXXVII, cap. IX: *Sapphirus aureis punctis collucet. Cærulea & ſapphiri, raroque cum purpura. Optimæ apud Medos, nuſquam tamen pellucida. Præterea inutiles ſcalpturæ, intervenientibus cryſtallinis centris. Quæ ſunt ex eis cyanei coloris, mares exiſtimantur.* Videmus, ut dicat, ſapphirum non pellucere: item dicat, ſapphirum punctis aureis collucere. Atquam ſapphirum vulgo dicimus, lapis eſt pellucidus. Nec punctis collucet aureis. Noſtra igitur ſapphirus, non eſt ſapphirus veterum. Si quæras, quid igitur veterum ſapphirum credamus, dixero lapidem lazuli: ut cenſet quoque Anſelmus Boërhius *a*, quippe qui non ſit pellucidus, & punctis aureolis, velut flammulis ſit conſpicuus. Quem verò nos ſapphirum vocamus, is eſt veterum lapis cyanus, Plinii. Scio aliquos velle, eundem eſſe lapidem cyanum, & lapidem lazuli. Sed ſi ſanus eſt Plinii locus lib. XXXVII, cap. IX, aliter ſtatuendum videtur. Siquidem iſtic in gloria regis Ægyptii ponitur, quòd primus cyanum, tinctura adulterarit. Id verò, ut bene Anſelmus Boëthius *b* obſervat, lapidi lazuli non convenit, quia planè eſt opacus: ubi tincturæ non eſt locus, ſed ſolum in collucentibus, qualis eſt cyanus. In his gemmæ ſupponitur aliquis color, quod tincturam gemmæ dicimus.

a Lib. 2. de Gemmis, cap. 119.

b Lib. 2 de gemmis, cap. 119.

Eſt ſapphirus gemma pellucida, coloris cærulei, ad inſtar florum myoſotidis, vel ſcorpionis. Facileque is color adimitur igni; unde adamanti adeò ſimilis ſit, ut dignoſcere periti ſolum gemmarii poſſint. Difficile eſt eam cælare, ob duritiem. Modum verò cælandi docet Alexius Pedemontanus lib. VI de Secretis. Dicitur ſapphirus ſordeſcere, nitoremque amittere, ſi geſtetur ab adultero, aliove homine in Venerem putri. Atque idem de aliis etiam gemmis refertur. Nempe nimia Venere corpora corrumpuntur, ac putreſcunt: unde virus exhalant, quo gemmæ hauд aliter inficiuntur ac ſpecula à ſequioti ſexu, quando laborat menſium profluvio.

Myſticè verò ſapphirus ſignificat cælum: qua de re ſic B. Hieronymus in Jeſaiam cap. XV, cap. LIV: *Sapphirus, qui ponitur in fundamentis, cæli habet ſimilitudinem, & ſupra nos aëris: qui talis eſt, ut poſſit Ariſtophanium dicere cum Socrate:* Ἀεροβατῶ, καὶ περιφρονῶ τὸν ἥλιον: *quod nos in Latinum ſermonem convertere poſſumus: Scando aërem, Solemque deſpicio. Sive cum Paulo Apoſtolo: Noſtra autem converſatio in cælis eſt. Ezechielis quoque Scriptura commemorat, quod locus, in quo thronus Dei ſit, ſapphiri habeat ſimilitudinem, & gloria Domini in hoc colore conſiſtat: qui portat imaginem ſupercæleſtis.*

Berillus quoque cæruleus eſt, ſed ex viridi: unde Itali *aquam-marinam* vocant. Poëtæ quidem mare nunc viride,

de, nunc cæruleum appellant. Sed ſi pallidior radiis ſcintillet aureis, chryſoberillus dicitur: nec fortaſſè alius eſt is lapis à chryſopraſo. Imò nec dubium, quin multæ quoque aliæ veterum gemmæ ſub berillo contineantur. Atque hoc magis liquebit; ſi videas, quam varia berillorum genera recenſeat Plinius lib. xxxvii, cap. v. Solent berilli, ut & aliæ gemmæ compluribus ſculpi angulis, ut ad eos reflectens lux ſit major & ſplendidior. An ab hoc berillo Belgarum, Germanorumque. *Bril*, perſpicilla? Sanè Nicolaus de Cuſa librum quendam inſcribit Berillum, quia ejus beneficio longè melius penetret mens, ad quæ alioqui non penetraret. Hinc cap. ſecundo ait: *Berillus lapis eſt lucidus, albus, & tranſparens, cui datur forma concava, pariter, & convexa, & per ipſum videns attingit prius inviſibile.*

Cap. VIII.

De Gemmis ſemiperſpicuis, & opacis. Sarda ſive corneolo ſignaſſe Polycratem Samiorum. Sardonyche, quis quantus vir primus Romæ uſus. Sardonychem, aut rubinum in Aaronis micuiſſe Rationali. Turcois pro ratione valetudinis geſtantis, vultum mutat; an etiam horologii vicem præſtet. Aſteriam & aſtrium eſſe eundem, opalique, aut achatæ ſpeciem. Opalus ſive pæderota igne, purpurâ, viridique mari ludit. Opalus H. S. xx M.

Actum de gemmis perſpicuis: ſequuntur ſemiperſpicui, & opaci: ut ſunt turcois, ſardonyx, aſtroites, leucoſaphirus, opalus.

Inter opacas gemmas principem locum tenet turcois ſive turcheſia, ſic dicta, quia e Turcia advehatur. Hadriano Junio videtur eſſe, eadem ac ἴασπις ἀερίζουσα *a*. Hæc gemma ſi geſtetur ab homine ſalubris temperamenti, colorem conſervat: amittit, ſi affletur halitibus noxiis ægri corporis: recuperat, ſi poſtea aliquis ſani corporis eum adſumat. Sed majora ſunt, quæ fusè narrat Anſelmus Boëthius lib. ii de Lapidibus & Gemmis, cap. cxvi, ac tangit Franciſcus Rueus lib. ii de Gemmis, cap. xviii. Ajunt & horas ſignare, præſtareque horologii vicem: quod ibidem expenditur à Boëthio. Arabes, ac Mauri, vocant *peruzegi*, vel *perozaa*, ac memoratur etiam à Mezue in electario de gemmis: ſed interpretes perperam vertunt ſmaragdum, errantesque in errorem induxere Valerium Cordum, Joannem Weckerum, & juniorum alios. Omnino enim Turcois ſignatur: ut oſtendit Garzias ab Horto lib. i Aromatum, ſimpliciumque Hiſtoriæ cap. xlviii. Atque idem traditum Anſelmo Boëthio, Cæſaris Rudolphi II. Medico, lib. ii de Gemmis, cap. cxvii, & maximo viro Claudio Salmaſio in Plinianis ad Solinum Exercitationibus *b*.

a Aërei coloris.

b Fol. 1130.

Sardius ſive ſarda ex eo ſic dicitur, quod primum Sardibus inventus fuerit, ut eſt apud Plin. lib. xxxvii, cap. vii. Vulgo vocatur *corneolus* ex carneolus, à ſanguineo carnis colore. Quidam tamen, in his Albertus M. & Franciſcus Ruëus corneolum, à ſarda diſtinguunt. Nempe videntur diſcrimen feciſſe inter Sardium album, rubrumque: vel Orientalem, & aliunde petitum. Lapis eſt ſemiperſpicuus, imo ſemiperſpicuorum præcipuus. Si lxx ſequimur, eſt ſarda earum gemmarum prima, quæ fuere in Aaronis rationali. Judæi tamen cenſent rubinum fuiſſe. Propius accedit Flavius Joſephus: qui ſardonychem appellat: ac ea gemma eſt ex ſarda, & onyche conflata à natura. Sarda ſignabat Polycrates, Samiorum tyrannus. Eam gemmam in mare à tyranno abjectam, piſcis deglutivit, qui poſtea captus à piſcatore; is gemmam in piſce exenterato repertam veteri reſtituit Domino.

Sardonychi dividuum nomen ex ſarda, & onyche: unde Plinius lib. xxxvii, cap. vi: *Sardonyches, ut ex nomine ipſo apparet, intelligebantur candore in Sarda, hoc eſt, velut carnibus ungue hominis impoſito, & utroque tranſlucido. Taleſque eſſe Indicas tradunt.* Proxime verò anteceſſit: *Claudius Cæſar ſmaragdos induebat, & ſardonychas. Primus autem Romanorum ſardonyche uſus eſt prior Africanus, ut tradit Demoſtratus, & inde Romanis hanc gemmam fuiſſe celeberrimam.*

Aſteriæ ſive aſtroitæ colorem, & unde ſic dicatur, aperit Plinius his verbis: *Candidarum dux eſt Pæderos. —— Proxima candicantium eſt aſteria, principatum habens proprietate naturæ, quod incluſam lucem pupillæ modo quandam continet, ac transfundit, cum inclinatione velut intus deambulantem ex alio, atque alio, reddens eademque contraria Soli regerens candicantes radios, unde nomen invenit, difficilis ad cælandum. Indicæ præfertur in Caramania nata.* Continuò hinc de aſtrio ſubdit: *Similiter candida eſt, quæ vocatur Aſtrios, cryſtallo propinquans, in India naſcens, & in Pallenes littoribus intus à centro, ſeu ſtella, lucet fulgore lunæ plenæ. Quidam cauſſam nominis reddunt, quod aſtris oppoſita fulgorem rapiat, ac regerat.* Videmus, ut à Plinio Aſterias, & Aſtrios, habeantur pro gemmis diverſis. Sed non video, cur non iis potiùs accedam, qui eandem arbitrantur.

Addit deinde hæc quæ ceraumiam eſſe aſtrii ſpeciem oſtendunt: *Ceraumiam vocari, quæ ſit* (aſtrios) *deterior: peſſimam lucernarum lumini ſimilem.* Et poſt pauca: *Eſt & inter candidas, quæ ceraunia vocatur, fulgorem ſiderum rapiens. Ipſa cryſtallina ſplendoris cærulei in Caramania naſcens. Albam eſſe Zenothemis fatetur: ſed habere intus ſtellam coruſcantem. Fieri & hebetes cerannias; quas nitro, & aceto maceratas concipere ſtellam, eam quæ poſt totidem menſes elangueſcat.*

Opalum his verbis celebrat Plinius lib. xxxvii, cap. vi. *Opali ſmaragdis tantùm cedunt. India ſola & horum eſt mater. Atque ideo eis pretioſiſſimam gloriam compoſitores gemmarum, & maxime inenarrabilem difficultatem dederunt. Eſt enim in eis carbunculi tenuior ignis, eſt amethyſti fulgens purpura, eſt ſmaragdi virens mare, & cuncta pariter incredibili miſtura lucentia.* Ac eadem habes apud Iſidorum lib. xvi Orig. cap. xii. Ac ob tam gratum adſpectum fortaſſe nomen ab ὀπὶ, h. e. viſu. Sed cum lapis ſit Indicus, veriſimilius nomen eſſe Indicum, quod clarè ait Iſidorus. Eſt verò de eo inſignis apud Plinium hiſtoria, his verbis: *Extat hodieque hujus generis gemma, propter quam ab Antonio proſcriptus Nonius Senator eſt, filius Strumæ Nonii ejus, quem Catullus poëta in ſella curuli viſum indignè tulit, avuſque Servilii Noniani, quem Conſulem vidimus: illeque proſcriptus fugiens hunc e fortunis ſuis omnibus annulum abſtulit ſecum: quem certum eſt ſeſtertiis viginti millibus æſtimatum. Sed mira Antonii feritas, atque luxuria, propter gemmam proſcribentis: nec minor Nonii contumacia, proſcriptionem ſuam amantis; cùm etiam feræ abroſas partes corporis relinquant, propter quas ſe periclitari ſciant.* Poſtea ſubdit: *Hanc gemmam, propter eximiam gratiam, plerique appellant pæderota.* Germanis ſimiliter *webſe* vocatur, h. e. pupillus; à gratia puerili, ut eſt apud Anſelmum Boëthium lib. ii de Lapid. cap. xivi. Valde verſibus ſuis laudat Orpheus, qui *opallium* nominat. Gemmariorum de hoc opinio eſt, concurrere in eo vires rubini, ſmaragdi, amethyſti, & jaſpidis.

Opali ſpecies videtur Aſterias ſive Aſtroites, ut & vocat Agricola *a*, ſive lapis ſtellaris, Germanis *ſternſtein*: nempe à ſtellarum figura, quas natura ſcitè in eo expreſſit. Unde & poſſit videri achatis ſpecies: quia inter ejus genera ſtellatam reponit Plinius lib. xxxvii, cap. x. Nec ſemper tamen ſtellas habet: ſed & figuram undarum, ac vermium. Aliter Germanis vocatur *ſiegſtein*: nempe quia perhibetur adferre geſtanti victoriam, quæ Germanicè *ſieg*, à *ſegen* h. e. benedictio, quia victoria eſt à Domino. Vulgo dicunt *cati oculum*, vel *ſtellam Solis*. Marſilius

a Lib. 6. de natura Foſſilium, cap. 11.

ſilius Ficinus nuncupat *dracontium*, ab iis deceptus, qui putarent in Indiis eximi è capite draconis: quod falſum. Effoditur enim in Comitatu Tirolenſi, & alibi. Aceto impoſitus huc illuc movetur: quod ſæpius ſe comperiſſe ait Cardanus in VII de Subtilitate. Hoc inde eſt, quod huc illuc agitetur ab humore acido, per poros ſe inſinuante, atque urgente aëra incluſum, ut exitum quærat.

Eraſmus, colloquio quod inſcribitur Peregrinatio Religionis ergo; recenſet præcipuas gemmas, & exponit cauſſas nominum à figura. De Adamante Simocatus probl. I & 10.

Quæcunque verò de gemmis diximus, ac deinceps dicentur, ea de nativis intelligi cupimus. Nam quod ad gemmas Chymicorum, reponi in vitris debent. Habent quidem ſimile aliquid ob colorem, perſpicuitatem, duritiem: ſed viribus atque aliis, deficiunt.

Cæterum quàm diversè Hebræa gemmarum, ac lapidum Hebræorum nomina Græci, ac Latini interpretentur, dilucet ex his B. Hieronymi verbis lib. XV in Jeſaiam, cap. LIV: *Ubi nos diximus: Sternam per ordinem lapides tuos, in Hebraico ſcriptum eſt,* פּוּךְ, *quod omnes præter* LXX *ſimiliter tranſtulerunt: Sternam in ſtibio lapides tuos, in ſimilitudinem comtæ mulieris, quæ oculos pingit ſtibio, ut pulchritudinem ſignificet civitatis. Et ubi nos jaſpidem, ſequentes* LXX, *diximus: in Hebraico ſcriptum habetur* כַּדְכֹּד, *quod ſolus* καρχηδόνιν *tranſtulit. Pro cryſtallo quoque, in cujus loco apud Hebræos* אֶקְדָּח *legitur, Symmachus, & Theodotio* γλυφῆς, *id eſt, ſculptura: Aquila* τετρυπανισμῶν *poſuit; quod verbum foratarum cælatarumque gemmarum ſenſum ſonat.*

Cap. IX.

Tranſitur à gemmis ad Lapides pretioſos, ubi primum locum ſibi vendicant rari, duri, pulchri aſt magni, *qui vel perſpicui qualis amethyſtus, topazius, cryſtallus cujus vera recenſetur origo, quidque indicet myſticè: vel opaci, achates, hujus ſpecies oculus Beli; jaſpis quæ aliquando inæſtimabilis, quoque reſpiciat myſtice, ac ejus ſpecies heliotropium, nephriticus, & malachites qui gigni videtur ex chryſocolla; corallia e frutice-lapide. Sequuntur* rari, pulchri, parvi, ſed molles, *hi vel colore blandiuntur, ut margarita, bezoar, vel figura grati, talis oculus cati, gloſſopetra, umbilicus marinus, lapis Syriacus, & trochites. Agmen claudunt* rari, parvi, duri, verùm deformes: *aetites, chelidonius, lapis palumbellarum, & ovuum anguinum.*

VIdimus de lapidum iis, in quibus concurrunt omnes conditiones, quas requiri dicebamus, ut aliquid gemma dici mereatur. Sunt alii, in quibus una deſideretur: nempe vel parvitas, vel duritiess, vel pulchritudo. Ob quem defectum è gemmarum numero excluduntur, non tamen è lapidibus pretioſis. Primò igitur dicam de lapidibus raris, duris, pulcris; ſed magnis. Deinde de raris, parvis, pulcris; ſed mollibus. Denique de raris, parvis, duris; ſed pulcritudinis expertibus. Illi primi generis, quia numero permulti; diſtinguentur à nobis in perſpicuos & opacos. Perſpicui ſunt amethyſtus, topaſius, ſmaragdopraſius, cryſtallus, & pſeudoadamas Bohemicus.

Topazius non ἀπὸ τοῦ τοπάζειν, h. e. quærendo, ſic dictus; ſed à Topazo, rubri maris inſula: unde Dionyſius Afer de Situ orbis:

—— Γλαυκιόωντα λίθον καθαροῖο Τοπάζου.

Glaucum lapidem ſplendidæ Topazi.

Cryſtallo quoque potiùs in gemmis eſt locus, quàm corporibus imperfectè mixtis. Valde enim falluntur, qui cum Plinio a cryſtallum putant non aliud eſſe, quàm glaciem diu in montibus ſervatam, tandemque in cryſtallum converſam. Quam ſententiam meritò rejiciunt Andreas Matthiolus in Dioſcoridis lib. V, cap. CXVI, & Georgius Agricola lib. VI de Natura Foſſilium, cap. VII. Si enim ex aqua foret congelata igne liqueſceret: at contrarium docet experientia. Nam ſi in ignem conjiciatur, ſupereſt tum calx ſive terra: tum ſal. Quamobrem licet etiam aqua ad ejus generationem ſit opus; non tamen tam ex aqua eſt, quam terra eaque admodum tenui ac ſubtili, item ſale, qui & ipſe viſceribus terræ continetur, & ad rerum omnium compoſitionem requiritur: ut argumento eſt, quòd lignis etiam & aliis combuſtis, cineres ſunt ſalſi, quemadmodum lixivium indicio eſt. Cur vero cryſtallus naſcatur figurâ hexagonâ, Anſelmus Boëtius dicet lib. II de Lap. & Gem. cap. LXXII. Inter cætera cryſtalli bona, de quibus poſtea dicam, eſt etiam, quod eo ex ſolis radiis ignem colligimus. De cryſtallo pauca, nec mala ut videmur, nos in Meteor. extrem. cap. de Nive. Fromundus tamen adverſatur lib. V Met. cap. de Nive, pag. 324.

a Lib. 37. cap. 2.

Quid vero in Apocalypſi, & alibi, in Scripturis, per cryſtallum, myſticè ſignetur: his verbis aperit B. Hieronymus lib. XV in Eſaiæ, cap. LIV: *Portæ iſtius civitatis de lapide ſunt cryſtallo: qui ſcalpitur variis modis: quo lapide nihil purius eſt. Denique vehementiſſimis Alpium frigoribus, & inacceſſis Soli ſpeluncis, concreſcere aquæ dicuntur in cryſtallum, & tactu quidem lapidem, viſu aquam eſſe. Per quæ oſtenditur, eos, qui in foribus eccleſiæ ſunt, nullâ debere ſorde maculari, ſed fidei eſſe puriſſima, & dicere cum Propheta* a: *A mandatis tuis intellexi. Et illud audire: Beati mundi corde, quoniam ipſi Deum videbunt.* a Pſ. 118.

. . . .

Vidimus de Diaphanis. Sequitur ut de opacis loquamur: quales achates, jaſpis, corallus.

Achates, & jaſpis colores habent eoſdem: ſed achates durior; mollior jaſpis, & ex craſſiori materie terreſtri, eoque & magis opaca. Indicus Achates omnium præſtantiſſimus. Plura de laudibus achatæ, vide apud Orpheum περὶ λίθων.

Achatæ genus eſt lapis, qui Beli oculus vocatur, Italis *Bellochio*, quia egregiè iride & pupilla oculum referat.

Multum jaſpidum pretium commendat, ſi natura habeant impreſſas imagines: uſque adeò ut quandoque inæſtimabiles ſint, ac pretium à ſolius venditoris arbitrio dependeat.

Quam variis locis jaſpis reperiatur, indicat his verbis B. Hieronymus in Jeſaiam lib. XV, cap. LIV: *Jaſpidum multa ſunt genera. Alius enim eſt ſmaragdi habens ſimilitudinem, qui reperitur in fontibus Thermodontis fluminis, & vocatur grammatias, quo omnia phantaſmata fugari autumant. Alius viridior mari, & tinctus quaſi floribus. Hunc in Phrygiæ monte Ida, & in profundiſſimis ſpecubus ejus naſci referunt: alium verò juxta Iberos, Hyrcanoſque, & mare Caſpium reperiri: & præcipuè juxta lacum Neuſin. Eſt & alius jaſpis nivi, & ſpumæ marinorum fluctuum ſimilis, & clementer, quaſi mixto cruore ſubrutilans.* Poſtea ſubjungit, quid per jaſpidem myſticè in Scripturis intelligatur: *Hoc diximus,* inquit, *ut univerſas gratias ſpirituales in Eccleſiæ propugnaculis intelligamus: quas qui habuerit, vanos timores fugat, & poteſt cum ſponſa* b *dicere: Fratruelis meus candidus, & rubicundus.* b Cantic. 5.

Ubi cùm ait, per jaſpidem ſignati gratiam ſpiritualem, quæ vanos fugat timores, eo reſpicit, quod antea dixerat, primo jaſpidis genere, quod γραμματίας vocavere, omnia fugari phantaſmata: ut videatur verè vim hanc jaſpidi tribuiſſe. Multum tamen metuo, ne fuerit deceptus: nec ali.... De jaſpide copioſè Salmaſius ad Solinum.

Jaſpidis genus eſt Heliotropius ſic dictus, quia ſi in vas, aqua plenum, Soliſque radiis oppoſitum projiciatur, accedentem Solis fulgorem mutet ſanguineo; ut ait Plinius lib. XXXVII Nat. Hiſtor. cap. CIV. Reperiuntur verò

verò & tantæ magnitudinis, ut inde fiant Sarcophagi: quemadmodum videre eſt Brugæ poſt ſummum altare in templo cathedrali B. Donatiani. Ajunt tantam habere vim, ut geſtantem præſtet inconſpicuum: quod etiam à Plinio ridetur.

Item nephriticus lapis jaſpidis eſt genus, quod Belgis *kalswee*. Vires ejus inferius recenſebo.

Jaſpidis quoque genus eſt molachites ſive malachites, ſic dictus à malvæ colore, quæ Græcis μαλάχη. Plinius lib. xxxvii, cap. viii: *Non tranſlucet molochites, ſpiſſius virens, à colore malvæ nomine accepto, reddendis laudata ſignis, & infantium cuſtodia quodam innato contra pericula ipſorum medicamine.* Quod poſtremum planè, qualia illa eſſe magorum ſolent. Videtur gigni è chryſocolla: eamque opinionem firmat, quòd Anſelmus Boëtius a ſcribat, habere ſe fruſtum ex malachite & chryſocolla coalitum: unde colligit chryſocollam eſſe malachitæ matrem.

a Lib. 2 de Lapid. cap. 111.

Corallium initio eſt frutex; cum ſuccus, ut ſic dicam, lapidificus penetrat, unde fit durior, duriorque, donec amittat ligneam naturam atque emoriatur, neque jam ulterius ſit frutex, ſed lapis. Nec enim ſtandum veteri opinioni, ligneæ eſſe naturæ ſub aquis; lapideſcere, ubi fuerit mari extractum. Quod placuit Naſoni lib. iv: ubi narratâ Perſei, & Andromedæ fabulâ, virgiſque in mare jactis, ac mox indureſcentibus, ſubjungit:

Nunc quoque coraliis eadem natura remanſit,
Duritiem tacto capiant ut ab aëre, quodque
Vimen in æquore erat, fiat ſuper æquora ſaxum.

Imò hoc poëtarum, aut vulgi ſomnium amplexus etiam fuit Ambroſius lib. v Hexaem. cap. xi, ut mens noſtra ad Deum ſe ſuberigat, ſpeculari jubet, *Quomodo non indecorus lapis corallium in mari herba ſit, ſi in aërem transferatur, lapidis firmitate ſolidetur.*

Ab hac natura λιθόδενδρον vocatur. Κοράλλιον nuncupat & Orpheus περὶ λίθων, & Theophraſtus libello ſimiliter inſcripto. Excreſcit ad longitudinem hominis. Maximè expetitur id, quod eſt coloris rubri: ſed priuſquam eo pertingat, varios ſubit colores. Nam non modò eſt quod palleat, ſed etiam ſubflavum, cinereum, fuſcum, viride: haut aliter ac in malis videmus colores mutari. Si à viro geſtetur, melius ruborem ſervat, quàm ſi à femina: quod inde eſt, quia puriores à viro vapores exeant. Atque hoc illo etiam firmatur, quod palleſcat, liveſcat, variè maculetur geſtatum in periculoſis morbis, quomodo & mutatione coloris indicat imminere morbum, vel etiam mortem. Sed colore amiſſo eundem recuperat, ſi lavetur urina veteri puerorum, vel ſinapi ſemine obruatur & aliis modis: quos enarrat Anſelmus Boëthius lib. ii de Lapidd. & Gemmis, cap. cliv. Plura ſi voles, Plinium adi lib. xxxii, cap. ii, & quæ adverſus eum Petrus Matthiolus diſputat ad Dioſcoridis lib. v, cap. xcvii.

Actum hactenus de lapidibus pretioſis, qui conditiones omnes habent gemmæ, præterquam quod non ſint parvi. Accedo nunc ad alterum genus: ubi durities deficit. Quales, ut ob mollitiem, non ſunt gemmæ, ita pretioſi tamen lapides; quia parvi, rari, pulcri. Horum pulchritudo vel in colore conſiſtit, vel in figura. Prioris generis ſunt margarita, & bezoar, de quibus agam, cùm ſeorſum loquar de lapidibus, qui in animalibus reperiuntur. Poſterioris generis ſunt oculus cati, gloſſopetra, umbilicus marinus, lapis Syriacus, & trochites. De cati oculo dictum in opalo. Gloſſopetra eſt, quam Cardanus vocat gloſſidem. Male aliqui eum ceraunio lapide confundunt. De umbilico marino, agam in aquatilium lapidibus. Lapis Judaicus, aliter dicitur Syriacus, & Tecolithus q. d. lapidem liquefaciens. Nec in Syria modo, ſed etiam in Sileſia, invenitur. Vide de eo Dioſcoridem lib. v, cap. v, & ibidem Matthiolum. Item Plinium lib. xxxvii, cap. x, Aëtium lib. ii Tetrabibli, cap. xix, & Andream Cæſalpinum lib. ii de Metallicis, cap. xlv. Trochites à rotæ ſimilitudine ſic vocatur, ac nunc albus eſt, nunc cinereus, nunc luteus, digitum tranſverſum latus, ac tertia ſolum parte craſſus.

Supereſt tertium lapidum pretioſorum genus: nempe qui rari, parvi, duri, ſed deformes. Ob quem ſolum pulchritudinis defectum, excluduntur è gemmis. Hujuſmodi eſt aëtites, qui in aquilæ nido reperitur: unde & nomen. Plinius lib. xxxvi, cap. xxi, quatuor ejus genera recenſet: in quarti generis alvo callimum air inveniri. Accuratius de hiſce Anſelmus Boëthius lib. ii de Gemmis, cap....

Etiam huc referunt pantarben: eumque ajunt haut aliter trahere aurum, quam magnes ferrum. Sed de iſto ambigunt alii, an ſit in rerum natura.

Pertinent huc quoque chelidonias, lapis palumbellarum, & ovum anguinum. De quibus in animantium lapidibus dicetur.

Cap. X.

De Lapidibus mediæ inter pretioſos & vulgares naturæ, ac primo quidem raris & parvis, ſed mollibus ac deformibus: quales morochthus ſive galaxias, à quo galactites parum differt; enhydrus, hyſtericus, Malaccenſis è felle porci, aliique animantium de quibus hîc obiter.

De gemmis dictum, & aliis lapidibus pretioſis. Accedo ad ſecundum lapidum genus, quod mediæ eſt naturæ inter lapides pretioſos, & vulgares. Hujuſmodi lapides duûm ſunt generum: aliqui enim propiùs à pretioſis, aliqui longius abeunt. Propius illi, quibus ex quatuor gemmarum conditionibus, raritate, parvitate, duritie, & pulchritudine, duæ quidem conditiones adſunt, duæ verò deſiderantur. In quo differunt à pretioſis: ubi una ſolum deficit conditio è tribus poſtremis. Sed ſic has quatuor conditiones capere oportet, ut ſemper adſit raritas, qua ſine non medii, ſed ultimi ſint generis. In hoc medio genere primùm obtinent locum rari, ac parvi; ſed molles, ac deformes: alterum autem rari, durique, ſed magni, ac deformes: tertium verò rari, ac pulchri, ſed magni, ac molles. Primi generis ſunt morochthus, enhydros, & lapis hyſtericus.

Morochthus, ſive leucophragis qui & galaxias ſive graphis, in Ægypto invenitur, teſte Dioſcoride lib. v de re Medica, cap. cix. Item in Saxonia, ſecundum Georgium Agricolam lib. v de Natura Foſſilium, cap. vi. Germanis dicitur *milchſtein*, quod exprimit Græcum γαλαξίας. Sic verò dicitur à ſucco lacteo, qui ex eo exprimitur. Quamquam interdum is non tam lacteus, quam cinereus. Sed poſſumus illum lactei ſucci galactiten vocare; illum cinerei, morochthum; uti melititen, ſi ſuccus ſit mellei ſaporis. Vide & de eo Aëtium lib. ii Tetrabibli, cap. xvi. Matthiolum ad locum Dioſcoridis memoratum, & Andream Cæſalpinum lib. ii Metallicorum, cap. lx. Nec multum à morochtho, ſive galaxia, differt galactites, qui & ipſe Germanis vocatur *milchſtein*. Aliter hic leucas, vel leucogea, atque aliis etiam nominibus vocatur. Vide de eo Dioſcoridem lib. v, cap. cvii, & Galenum lib. ix de Simplicium Medicamentorum facultatibus.

Lapis enhydros, ſic dictus, quia in ſe continet aquam: uti alius lapis geodes vocatus, quia in ſe continet terram, vel arenam. Eſt planè rotundus. Plinius meminit lib. xxxvii, cap. xxi. Lapis hyſtericus, ſic vocatus, quia hyſtericis medetur, ex nova Hiſpania adfertur. Niger eſt, politus, majorique ex parte, teres, ac rotundus. Hujus etiam generis ſunt lapis Malaccenſis è felle porci, vel hyſtricis, item ille ex animali bulgolta: præterea lapis è capite piſcis mainati: item piſcis tuberonis: adhæc lapis caimanum, qui è lacertorum ventriculo: & bufonius qui vulgo crapaudinus. De quibus omnibus dicam, cum loquar de lapidibus, qui in animalium corporibus gignuntur.

Cap. XI.

De Lapidibus mediæ inter pretioſos & vulgares naturæ ſecundi ordinis, raris ac duris. Qualis ante alios magnes cujus miranda pleraque enumerantur.

ET hujuſmodi quidem ſunt lapides mediæ naturæ primi ordinis: puta rari, ac parvi, ſed molles, ac deformes. Alter ordo eorum eſt, qui rari, durique; ſed magni ac deformes: quos inter, propter effectus mirandos, magnes ſibi principem vindicat locum.

Magnes ſic dicitur, quia effodiatur in Magneſia, non illa Aſiatica ad fluvium Mæandrum, à Perſarum rege Themiſtocli data in panis uſum: ſed neque illa ad Sipylum montem: verùm Theſſaliæ regione, quam Plinius Magneſiam Macedoniæ appellat. Sic enim legendum: ac ſimiliter poſtea Magneſiam Aſiæ dicit. Macedoniæ autem ait, eos ſecutus, qui Theſſaliam Macedoniæ accenſerent. Scitè de hoc lapide Plinius lib. XXXVI, cap. XVI: *Quo nihil mirabilius, nec alia in parte naturæ major improbitas. Quid enim lapidis rigore pigrius? Ecce ſenſus, manuſque tribuit illi. Quid ferri duritia pugnacius? Sed cedit, & patitur moras. Trahitur namque a Magnete lapide domitrix illa rerum materia, ad inane neſcio quid currit, atque ut propius venit, adſiſtit, teneturque, & complexu hæret.* Ab eo, quod ferrum attrahat, aliter ſideritis vocatur. Nec tamen omnes ferrum trahunt, ſed quidam ſolùm oſtendunt mundi plagas. Sanè ille è Magneſia Aſiæ non attrahit ferrum, ut poſtea Plinius ſubjungit. Addit & eſſe magnetes, qui alterum magnetem attrahant. Quales mihi necdum videre contigit. Vide ibidem, quæ ex Sotaco refert de aliis etiam, ubi creſcit, locis, item de diſcrimine maris, qui majorum virium, & feminæ, quæ viribus exiguis, vel nullis: item colore vario, qui aliis rufus, aut niger; aliis candidus. Nulli verò magnetes plus virium habent, quam qui circa ferri fodinas reperiuntur, ac colorem referunt ferri. Imò etiam effodiuntur magnetes plus ferri habentes, quàm lapidis.

Nec in maritimo ſolùm itinere, ſed ob hanc vim etiam in terreſtri locum habet: ut in Arabiæ deſertis: ubi, ut ex relatione Ludovici Barthemæ Simon Majolus, Epiſcopus Vulturarienſis refert lib. I, cap. XIII, *cum undique arenæ ſint leviſſimæ, nuſquam rectum iter haberi poteſt: quandoquidem illæ commotæ ventis perinde fluctuare videntur, ut mare. Itinerantes igitur inter ligneas arcas ſe condunt, dorſiſque camelorum deferuntur. Quin ibi quoque, ſicut & mari, itinera diriguntur.*

Gravis eſt quæſtio, & perobſcura, unde ſit quod magnes attrahat ferrum, vel puriorem ejus portionem chalybem. Non quidem inficior ſi major ſit magnes ferro, hoc ab illo attrahi: ſin minor, ipſum accurrere ad ferrum. Magis tamen vis ineſt magneti, quam ferro, ut arguit, quòd ferrum tum demum attrahit ferrum, ſi prius magneti affricetur. Præterea magneti tanta eſt attrahendi vis, ut ea penetret per lignum, lapidem, vitrum. Sanè vidi vim eam exercere, etiam cum murus eſſet intermedius. Nempe ut lux per vitrum, ſonus per corpus opacum: ſic magnetis vis tranſit per murum interjectum. Multorum ea opinio eſt, hoc inde eſſe, quòd magnes nutriatur ſpiritu exeunte è ferro. Atque hoc eo adſtruunt, quòd in ferri fodinis melius ac vividius ſe habeat: contrà ferrum ei propinquum rubigine obducatur. Interea ſcrupulum injicit, quòd magnes quandoque ferrum averſatur una parte; ſi alteram oſtendas, eam amplectitur. Atqui non apparet cauſſa, cur una magis parte, quam altera, expoſcat alimentum. Etſi igitur verum putamus, ex magnete ſpiritum exire amicum ſpiritui ferri, non tamen hoc omnem tollit difficultatem, ac omnino occultius quiddam ſubeſſe exiſtimandum.

Ecce alteram etiam quæſtionem. Nam in obſcuro etiam eſt, cur magnes mundi plagas oſtendat, ac eandem vim communicet ferro. Quæ vis priori facultate nobilior videtur. Quid enim magis mirandum, quàm magnetem ex filo ſuſpenſum, vel vaſi aquæ pleno impoſitum ſuper aſſem levem, utcunque manu circumagas, ſimulac & tu movere deſieris, & ille moveri, parte una ſeptentrionem ſpectare, altera occidentem? & ut ſexcenties id fiat, eandem ſemper partem eſſe, quæ feratur ad ſeptentrionem; unde *borealis* vocatur: partem adverſam ſemper ſpectare notum, quæ inde dicitur auſtralis. Conjectabat Clariſſimus præceptor meus, Petrus Molinæus *a*, *totius terræ maſſam trajectam eſſe ingenti trabe magnetis à polo ad polum; & ſingulas magnetis partes habere eandem cum toto inclinationem.* Utcunque id fuerit, ſaltem videtur ratio horum petenda à ſitu, quo magnes fuit in terris. Quæ pars tum boream ſpectabat, ſic affecta eſt, ab ea mundi plaga, ut eandem poſtea eidem plagæ applicet, unde vires eſt conſecuta. Imò ſi grandem magnetem in multas partes redegeris, quæque particula hanc naturam retinet, non obſcuro indicio ſpiritum magnetis in hoc ſequi ſpiritum univerſi, ſive animam mundi, unde ſpiritus ille, qui magnetis eſt proprius.

a Lib. 5. Phyſiorum, c. 4.

Quod verò Plinius ait etiam magnetem eſſe, qui ferrum repellat, id puto profectum ab iis, qui magnetis naturam non caperent ſatis. Nullus enim magnes ferrum abigit, niſi quòd parte auſtrali ſe retrahat.

Nec tamen putandum magnetem exactè oſtendere polos mundi, nam verſus eſt oſtendere polos ſuos, qui XXIII gradibus à polis mundi diſtat. Atque hoc ex nauticis Hollandorum obſervationibus dilucet.

Fallit verò Theophraſtus Paracelſus, cum ait, poſſe magnetis vires mirificè augeri, uſque adeo etiam, ut clavum parieti infixum extrahat. Hoc facere ſi ſæpius igneſcat, ac deinde ignea vis Martis oleo exſtinguatur. Quippe magnes ignitus amittit attrahendi ferri facultatem: quaſi ſpiritus, ac vitalis vis evolaſſet, nec aliud ulterius foret, quàm quiddam cadaveri ſimile. Sed quod ajunt idem fieri, ſi ceparum, vel alii ſucco illinatur, id ſecus eſſe ſcit Neptunia Hollandorum proles, quæ cum cibos iſtos in deliciis habet, crebram habet experiundi hujus facultatem. Apud Plinium quoque legimus, quomodo adamas appoſitus, impediat magnetem, quo minus attrahat ferrum. Quod & Marbodæus memorat. Anſelmus Boëthius *b* arbitratur, hanc opinionem inde ortam, quòd adamas à magnete, parte ſua boreali contactus, abigat partem adamantis borealem. Sanè adamantem, ſi contigerit magnetem, ad Septentrionem volvi; partem verò obverſam, ad Meridiem propelli, uti fit in magnete; prodidit quoque Joannes Baptiſta à Porta Neapolitanus.

b Lib. 2. de Lap. & Gem. cap. 252.

Jam quid de eo dicemus, quod magneti etiam vim tribuunt animi ſenſu ſignificandi alteri, qui centenis, vel ducenis diſtet millium paſſibus? Id verò pernegamus. Artificium quo id poſſe contendunt, abunde perpendi: atque id eo lubentius, quia viri in dignitate conſtituti, & rerum Indicarum gnari, hoc mihi perſuaſum vellent. Quibus ſatis occurri à me putavi iis, quæ contra diſſerit Anſelmus Boëtius lib. II de Lap. ac Gemmis, cap. CCLIV *c*. Præcipuum eſt, quod acus magneti affricta, nunquam ultra quatuor plus minus paſſus vim ſuam exerat.

c P. 464. & ſeqq.

Ajunt & eam eſſe vim Magnetis, ut capulum ferreum, vel aliud grave corpus in aëre ſic poſſit ſuſtinere, ut nec ſuperne aliquid appareat, unde dependeat, nec inferius, quod ſuſtineat. Nempe quia pluſculo intervallo, & ſuperiùs, & inferiùs magnes ſit, qui utrimque pari attrahant virtute. Sed enim parum id veriſimile eſt, propterea quod aër ille, per quem utrimque exit è magnete attrahendi vis, non eodem ſe modo ſemper habet, cum flatu diſſipetur. Dinocratem objiciunt, qui ſic orſus erat Arſinoes templum ædificare, ut ferrum, in quo Arſinoes ſimulacrum, in aëre penderet. Sed Plinius qui id narrat, addit, non perfeciſſe hoc, quia mors

& Pto-

& Ptolomæi, qui juſſerat, & ipſius Dinocratis, interceſſit. Præterea ajunt ſignum Solis, Alexandriæ ſic ſe habuiſſe, ſepulcrum etiam Muhammedis inter duos magnetes ita ſuſtineri. Sed de utroque fallunt & falluntur: quemadmodum oſtendi lib. I hujus operis de Theologia gentili, & Phyſiologia Chriſtiana, cap. XXXI.

Rejiciendus verò error illorum, qui putant, in India, & circa mare rubrum, naves non compingi clavis ferreis, ſed ligneis, quia alioqui illis periculum foret à monte magnetico, ferrum attrahente, in freto Anian, XVII gradibus diſtante à polo Arctico, atque ad centena aliquot paſſuum millia, vim ſuam transfundente. Nam de monte ejus loci res minime eſt explorata. Deque cauſſa, cur gentes memoratæ non clavis utantur ferreis, plane eos ratio fugit. Nam vera, cur id faciant cauſſa eſt, quia in terris, quibus degunt, nonniſi maximis impenſis, poſſint ſibi comparare ferrum, at liquorum ſit abunde: ac præterea non indigeant navibus grandibus, ſed ſufficiant cymbæ, ad piſcationem, vel merces hiberno per canalem tempore, æſtivo autem per mare rubrum transvehendas: quod ſumtu fit exiguo: quia, ut dixi, nonniſi ligneis utuntur clavis, ac funibus quibus naviculas conſtringunt. Nec tamen iis locis deſunt naves onerariæ, vel triremes: ſed aliis è terris advectæ.

Jam quantus in Geographia, ſive chorographia, & topographia magnetis uſus eſt ad ichnographiam? Quod artificium luculente tradit Anſelmus Boethius lib. II de Lapp. & Gemmis, cap. CCLIV.

Cardanus in ſeptimo de ſubtilitate meminit & magnetis carnei, ſic dicti quia haut aliter attrahat carnem, quam magnes ferrum. Sed is lapis non magis hoc nomen, quam terræ meretur. Eſt enim mediæ naturæ inter lapides & terras: quodque carnem videatur attrahere, ubi linguæ admoveris, hoc inde eſt, quia & lingua, & lapis ille, naturæ ſint poroſæ. Facile igitur & humor linguæ ſe inſinuat in poros lapidis, & lapidis partes mollicellæ in poros linguæ. Anſelmus Boethius *a* refert ad Oſteocollam.

a Lib. 2 de lapp. & gem. cap. 255.

Quæ ſcribunt de magnete trahente aurum, vel alio attrahente argentum, ſatis ſunt incerta.

Cap. XII.

A magnete itum ad alios ſecundi ordinis lapides: onychem, ſmyriten, lapidem Lydium, brontiam, belemniten.

SUnt præter magnetem, & alii in illis mediæ naturæ, ſecundi ordinis lapides: ut onyx, ſmyris, lapis Lydius, ceraunia, ſive brontia, belemnites, ſive dactylus Idæus. Onyx nunc eſt genus alabaſtri colorem unguis humani referentis; nunc gemma eſt ejuſdem coloris. Differt vero gemma ab alabaſtritæ genere, quod hoc uſtile ſit, gemma non item.

Smiris lapis, Dioſcoridi σμύρις, ut vulgo quidem legitur; vel potiùs σμίρις, ut eſt apud Heſychium; qui addit, ἧ τὰς ψήφους οἱ δακτυλιογλύφοι σμήχουσι. *quo gemmas ſculptores earum atterunt.* Adeo vero durus eſt, ut non minus eo, quam adamante, ſcindant vitrum. De lapide Lydio nos in Oratoriis pag. 118. Vide & H. Stephan. 7, lib. 6.

Ceraunius lapis, vel ἁπλῶς ceraunia, vel brontia creditur in nubibus generari, & dejici cum fulminat, ac tonat. Nomen à κεραυνὸς, *fulmen*, & βροντὴ, *tonitru*. Aliis vocatur lingua narricis, ac Cardano ophiogloſſus. Nempe quia linguam refert. Alii comparant cum ſagittæ aculeo. Sub terra quandoque invenias. Ac Ulyſſes Aldrovandus in ſecundo Ornithologias *a* refert, ſe quendam denticulatum in Muſæo adſervare. Eum cæli tempeſtate dejectum fuiſſe prope quercum in agro Bononienſi: defixumque in ſolo ad tres amplius cubitos. Germanis vocatur *donderkeil*.

a P. 165.

Belemnites, vel dactylus Idæus, qui & ceraunites. Belemnites dictus à figura ſagittæ, quæ Græcis βέλεμνον. A magnitudine & colore digiti, qui Græcis δάκτυλος, nominatur *Dactylus Idæus*: eo autem *Idæus* quia invenitur in Cretæ monte Ida; ut ait Plinius lib. XXXVII, cap. X. Si longus ſit ſeſquipedem circiter, vocatur *ceraunites*; quaſi telum ſit fulmineum, à κεραυνὸς, fulmen.

Cap. XIII.

De lapidibus mediæ naturæ, tertiique ordinis, ſive colore ſeſe commendantibus, quales alabaſtrites, & lapis Armenius circa quem de vera differentia lapidis lazuli: ſive figurâ, ut ammites, & aſtroites.

TErtium in mediæ naturæ lapidibus locum dabamus raris ac pulcris, ſed magnis ac mollibus. Horum pulchritudo vel eſt ratione coloris, vel figuræ. Coloris ratione, alabaſtrum, & lapis Armenus.

Alabaſtrites duritie exſuperat marmor: unde rectius ab eo diſtinguitur, licet inter ejus genera annumerent veteres. Nec ignoro, etiam alabaſtrum inveniri adeo molle, ut cultro ſit ſectile: ſed hoc potius eſt gypſum, vel marmor incoctum, & imperfectum. Primo enim eſt molle prorſus: ſed magis magiſque indureſcit. Candidus alabaſtrites naſcitur in Thebaide, Ægypti regione, item in Tauro monte, cujuſmodi Lydinus vocatur; ad hæc coralicius, qui candore ebur refert; Thebaidos ille in Ægypto, candidus, ſed guttis aureis interſtinctus, collyriis utilis. Et tot aliis in locis naſcitur, quos memorare ſuperſedeo, ne actum agam. Vide eos, qui de gemmis ſcripſere.

Lapis Armenus colore convenit cum lapide lazuli, ſive azuli. Imò Serapio eundem utrumque lapidem putavit: ut argumento eſt, quòd non agat de iis diſtinctè, ſed ſolum de lapide lazuli: cui ea attribuit, quæ de lapide Armeno referuntur à Dioſcoride, & Galeno. Avicenna autem diverſis locis de utroque agit: interim ita, ut propemodum eadem de utroque tradat. Omnino autem lapides ſunt diverſi, quando quidem Armenus lapis frietur in pulverem: lazuli lapis planè ſit durus. Niſi & veteres ipſi in vocabulis hic non ſemper convenere: quod ſæpe in aliis factum. Sanè lapidem Armenum, de quo nunc loquimur, tantæ eſſe duritiei ſcribit Stephanus ſive Hermolaus Byzantius, libro de Urbibus, ut inde etiam ſigilla fiant. Atque ex his liquet magnam habere convenientiam lapidem lazuli, & Armeni. Addo his etiam molochiten. Sanè tribus hiſce ineſt vis purgandi. Ac Anſelmus Boethius in ſecundo de lapidibus & Gemmis, cap. CXLII ait, ſibi lapidem eſſe ex tribus iſtis concretum. Mirum verò, quod cum Armenius dicatur, Armenii tamen lapidem eum ignorat. Qua de re vide Garziam ab Horto lib. I Aromatum ac Hiſtoriæ Simplicium, cap. LV.

Hujus etiam loci ſuccinum putatur, quia rarum & pulchrum, ſed magnum & molle. Verum iis adſentimus, qui referre malunt inter ſuccos concretos: qua de re actum cum de bituminis generibus tractaremus.

Hæc de lapidibus magnis & mollibus, ſed raris & pulcris, idque ratione coloris. Ratione autem figuræ pulchri ſunt ammites, & ſtellaris. Ammites ſit ex arenis unde & nomen, ſic compoſitis, ut ſimilis videatur piſcium ovis. Magnitudine differunt. Quidam æquant magnitudinem piſi, vel orobi; quidam ſeminis milii, vel papaveris.

Stellaris lapis, ſive Græco nomine Aſtroites, ut Georgius Agricola *a* vocat, tantæ eſt elegantiæ, ut etiam in annulis geſtetur. Propriè hoc nomen ei convenit, quando continet ſtellulas: quæ lapide ipſo, (qui candidus, vel ſubcinericius, vel canus, vel fuſcus) ad nigrum magis colorem accedunt. Quandoque autem pro ſtellulis in eo videas vel roſas, vel undarum fluctus, vel hæc univerſa.

a Lib. 6 de Natura Foſſilium, cap. 11.

Cap. XIV.

De lapidum, qui mediæ ſunt naturæ inter pretioſos ac vulgares, quarto genere, ut ſunt amiantus, hæmatites, ſchiſtus, & Aſſius lapis.

HActenus egimus de priori genere lapidum mediæ naturæ; ubi ex quatuor conditionibus in gemma requiſitis duæ adſunt, ac totidem abſunt. Venio nunc ad alterum genus, ubi tres deſunt conditiones, ſolaque adeſt raritas; abſque qua eſſet, non jam medii ordinis haberentur, ſed in numero forent lapidum vulgarium. Agendum igitur de lapidibus raris quidem, ſed magnis, mollibus, ac deformibus. Quales ſunt amiantus, hæmatites, ſchiſtus, Aſſius lapis, gagates. Quos quia prius genus, quod duas gemmarum conditiones habet, tripartitum erat; quartum lapidum mediæ naturæ genus vocare poſſumus.

Amiantus, ἀμίαντος, ἀπὸ τοῦ μιαίνεσθαι, quod eſt *inquinari*: quia nimirum, in ignem conjectus, non abſumitur, ſed purior exit, ſplendidiorque. In cypro, ſed fuſcus naſcitur; teſte Dioſcoride. Perperam vulgo confundunt cum asbeſtino Indiæ lino. Ut etiam factum à Petro Andrea Matthiolo in Dioſcoridem lib. v, cap. cxiii; Anſelmo Boëtio lib. ii de Lapidibus & Gemmis, cap. cciv. De asbeſtino lino agit Plinius lib. xix, cap. i. De lapide amianto idem ſic ſcribit lib. xxxvi, cap. xix: *Amiantus, alumini ſimilis, nihil igni deperdit. Hic veneficiis reſiſtit omnibus, privatim Magorum. Geoden ex argumento appellant, quoniam amplexus eſt terram. Oculorum medicamentis utiliſſimus: item mammarum, ac teſtium vitiis.* Ubi vides nihil addi de eo, quod vulgo creduntur Romani lino ex hoc lapide in crematione cadaverum diſcreviſſe cineres defuncti à cineribus lignorum. Et profecto fabula eſt. Porrò quia lapis hic amiantus igni non comburitur, ſed purior redditur: atque in eo lineæ quædam intercurſent, ut in ligno fit: hinc iſtis argumentis agyrtæ ſolent ſimplicioribus imponere, amiantumque venditantes pro particula ligni è Cruce noſtri Salvatoris: ut eſt apud Antonium Muſam Braſſavolum Ferrarienſem.

Hæmatites, ſi Theophraſtum audimus lib. περὶ λίθων, ſic vocatur, quia referat αἷμα πηκτὸς, *ſanguinem concretum*, quem *cruorem* dicimus. non verò quia ſi teratur, emittat ſuccum ſanguineum; nec item, quia ſanguinem ſiſtat. Quinque ejus genera ſtatuit, antiquus ſcriptor Sotacus: quæ ex eo memorat Plinius lib. xxxvi, cap. xx. Hodie verò vix eſt, ut amplius quam duorum generum notitia ſit.

Schiſtus, hoc eſt ſciſſilis lapis, tum friabilis, tum ſcindi facilis; ut nomen indicat. Sæpe nigricat: ſed optimus, ſi crocei ſit coloris. Scinditur in laminas rectas, quo differt à talco. Meminit hujus lapidis Plinius lib. xxxvi, cap. xx.

Aſſius lapis ſic dicebatur ab Aſſo Troadis: unde apportabatur: ut cognoſcimus ex Plinii lib. xxxvi, cap. xxvii. Non durus eſt, ſed laxus, ac friabilis, ac colore topho ſimilis: ut docent Dioſcorides lib. v rei Medicæ, cap. xcix; & Galenus lib. ix de Simplicium Medicamentorum facultatibus. Hujus etiam loci fuerit gagates, ſi rectè inter lapides refertur à multis. Sed potius ſuccini eſſe genus dixi, cum agerem de ſuccis concretis.

Cap. XV.

De lapidibus vulgaribus, magnis duris, & pulcris, in quibus principatus eſt marmori, cujus varia recenſentur genera candidum, nigrum quo & lapidem Lydium, ac Alabandicum referas, flaveſcens, rubrum, viride, durum, & minus durum. Poſt id locus ſaxo, coti, ſilici, pyritæ.

ABſolvi, quæ dicere habui de lapidibus pretioſis, & illis mediæ inter pretioſos ac vulgares naturæ. Nunc proferam ea, quæ pertinent ad lapides vulgares, ſive qui frequentes ſe offerunt. Sunt hi duplices; parvi, vel magni, parvi, vel duri, ut pſeudamas Hungaricus: vel mollis, ut lapis fellis, oculi cancri, lapis cyprini, ſive carpionum: item percæ, & limacis. Sed de hiſce omnibus agam in lapidibus animalium, quos junctim poſtea exponam. Eſt & in frequentibus, ac mollibus, lapis, quem ſpongia continet. Candidus is, ac friabilis, inque ſuccum ſolvitur lacteum frangendis renum ac veſicæ calculis perutilem: unde & lapis ipſe κυστεόλιθος appellatur. Fortaſſe de hoc etiam aliquis exiſtimet, inter vel poſt animalium lapides agi potuiſſe: cùm intellectum ſpongiæ tribuat Plinius lib. ix, cap. xlv; & Ariſtoteles, etiam inter zoophyta retuliſſe videatur. Sed de iſto quid ſtatuendum ſit, expoſuimus in quarto hujus operis, cap. xiii.

Accedo ad lapides frequentes, & magnos: qui & ipſi vel duri, vel molles. Duri vel nitent, vel nitoris ſunt expertes. Prioris generis eſt marmor.

Marmor à Græco μάρμαρον, ſive adjectivè μάρμαρος, *ſplendens, fulgidus*, à μαρμαίρω, *candeo, ſplendeo.* Heſychius, μάρμαρος, λευκὴ, λίθος. Naſcitur è terra ſubtili, ac aqua, & exhalationibus eam ſubeuntibus, idque plurimùm ſale, nitro, aliove liquore metallico tinctis, poſteaque magnam partem vel exſiccatis, vel foras expreſſis; unde eſt induratio: quæ tamen minor, cùm effoditur. Erutum enim magis indureſcit. Nec tamen æternùm durior redditur: ſed longa die exeditur, molliuſque fit: imò tandem in terræ naturam redit.

Primus apud Epheſios marmor reperit Pixodorus paſtor, Cùmque eam rem civibus ſuis nunciaſſet, quibus in animo erat Dianæ ex marmore ædem exſtruere, ob lætum hunc nuncium, pro Pixodoro dictus Euangelus, honorique ejus feſtum inſtitutum, quod εὐαγγέλια dixere: ut pluribus refert Vitruvius lib. x, cap. vii. Meminere verò ejus feſti, Ariſtophanes, Xenophon, Iſocrates, Plutarchus, atque alii.

Marmoris maculæ, ac varii colores, ſunt inde, quòd partium, è quibus coagulatur, per temporis intervalla fiat acceſſio, & exhalationes vehiculo aquarum ſubeuntes, generis ſint diverſi.

Quanta ſæpe ſit marmoris magnitudo, ac moles, argumento eſt, quod inde etiam ſint montes toti, ac ſcopuli marini.

Varia autem ſunt marmoris genera. Quoddam eſt album, ut eſt lapis Parius. Quoddam nigrum, ut baſaltes, & Lydius lapis. Quoddam nunc album, nunc nigrum: ut ophites: quoddam rubrum, ut porphyrites: quoddam viride, ut Lacedæmonium.

Parius lapis ſic vocatur à Paro inſula, marmore hoc inclyta. Memorant poëtæ prope omnes; in his Horatii illud

Urit me Glyceræ nitor
Splendentis Pario marmore purius.

Nec tamen ſemper marmoris genus. Quandoque intelligitur ſarda: quæ in eadem inſula naſcebatur, auroque etiam, quod in marmore non puto locum habere, includebatur. Unde Maro:

Quale manus addunt ebori decus, aut ubi flavo
Argentum, Pariuſve lapis, circumdatur auro.

Parius lapis aliter dicebatur *Cychnitis*: nempe (Plinii *a* verba ſunt) *quoniam ad lucernas in cuniculis cæderetur, ut autor eſt Varro.* a Lib. 36. cap. 5.

Baſaltes nigrum eſt marmor. Ejus varia ſunt genera. In his veterum marmor Numidicum: unde M. Lepidus, Catulli in Senatu collega, primus omnium in domo limina poſuit, magna reprehenſione: ut ait Plinius lib. xxxvii, cap. vii. Item huc pertinet Lapis Lydius, qui & Chryſitis, & baſanus. Videlicet, quia hoc aurum exploretur. Item hujus loci eſt Alabandicus, quippe niger, ſed ad purpuram vergens. Inveniebatur Mileti; igni liquatur, uſuſque ejus pro vitro erat.

Ophi-

Ophitis duo ſunt genera; candidum unum, alterum nigrum, prius molle, alterum durius; ut ex Plinio videmus lib. xxxvi, cap. vii. Sed poſtea meminit ophitis, quæ tertii generis videtur, quod cinerei ſit coloris, ac *tephria* appellatur. Quomodo utrumque conciliâris Plinium cum Dioſcoride; qui lib. v de re Medica, cap. cxix, tria ophitis genera ſtatuit, unum ponderoſum, ac nigrum; alterum coloris cinerei punctis diſtinctum, tertium lineis albis.

Phengites quandoque flaveſcit ac tranſparet. Etiam Seravitiæ in Italia marmor eſt melleo colore, ac terebinthino. Germania item flavum habet marmor. Etiam fulvo colore variegatur; quod dicitur πυῤῥοποίκιλον.

In rubri marmoris genere principem locum tenet porphyrites Ægyptius ob duritiem & ſplendorem, ac ſi candidi puncti intercurrant *leucoſtictos* vocatur; ut eſt apud Plinium lib. xxxvi, cap. ix. Rubet etiam Thebaicum marmor: ſed aureis punctis interſtinguitur. Rubrum item, ſed nigris punctis diſtinctum effoditur circa Syenem Thebaidos.

Inter viridia marmora Lacedæmonium fuit: ut auctor nobis Plinius lib. xxxvi, cap. vii. Ait vero fuiſſe interſtinctum maculis minutis. Vide & quæ ibidem adfert de Auguſto, ac Tiberio marmore. Subviride item Thyites, in Æthiopia naſcens: de quo Dioſcorides lib. v rei Medicæ, cap. iii.

Nullius verò æquè intereſt marmoris noſſe naturam quàm ſculptoris. Qua de re ſic Cæſar Bullingerus lib. ii de pictura & ſtatuaria, cap. vii: *Niſi penitus ſculptor filum marmoris, & venam, ſcienter exploret, & ferro ſequatur; in irritum laboret. Michael Angelus Romæ ſexagenarius corpore imbecillo, è duriſſimo marmore plus ſquamarum, & ſcoriæ, ſcalpro, quadrante horæ dejiciebat, quàm quatuor alii juvenes, & valentes marmorarii duabus horis diruere potuiſſent; quia filum marmoris ſine errore ſequebatur.* Pluraque de marmore, & variis ejus generibus inibi vide, & cap. ſeq.

A marmore venio ad lapides vulgares magnos, duros, ſed materiei impurioris, nec vel colore, vel figura commendabiles. Ut ſunt ſaxum, & ſilex. Quo & cos, ac pyrites referuntur.

Saxorum varia ſunt genera. Inter ea ſunt ſaxum arenarium, cruſtoſum, calcarium, aliaque. Arenarium nunc ex craſſis arenis valide compingitur: nunc ex tenuibus ita molle fit, ut digitis conteratur. Sed poſterius genus pertinet ad lapides molles, de quibus cap. ſequenti.

Cruſtoſum finditur in cruſtas, quas Belgæ vocant *ſchalien.*

Calcarium vocant, unde fit calx. Sed priùs uri oportet. Atque ab uſtione hoc retinet, ut ſi aquâ frigidâ perfundatur, incaleſcat. Siquidem ἀντιπερίστασις a, quæ contrariarum eſt qualitatum pugna, calcem potentia calidam in actum deducit. Nempe ita hic comparatum eſt, uti cum vero ſulfuris oleo, quod aquæ frigidæ miſtum uſque adeò eam calidam reddit, ut vitreamen, cui ineſt, vix manu poſſis continere.

a *Quaſi dicas circumobſiſtentia.*

E ſaxo fit lapis, qui ab uſu molaris vocatur. Videtur è minutis conſtare ſilicibus, & arena ſubtiliori.

Cos unde ſit, origo indicat. Nec enim eſt ἀπὸ τοῦ κόπτειν, etſi ferrum acuat: ſed ut à *caudex* eſt *codex*, à *caurus*, *corus*; ita quia ex caute aptaretur, *cotem* appellarunt. Varia cotis genera ſunt: de quibus Plinius lib. xxxvi, cap. xxii.

Silices, marmor etiam duritie exſuperant. Nam ſi eo fuerint molliores, generali quidem nomine lapides, non tamen ſilices nominantur. Silicis genus eſt pyrites, unde ignis excutitur: ut nomen indicat. Nec ſolùm ferrum id facit pyritæ colliſum, ſed & pyrites pyritæ illiſus. In cauſſa eſt materies pyritæ oleoſa, & ſulfurea, ac præterea celeritas & vehementia motus in feriendo ſilice.

Pyritæ lapides ex eo dicti, quia ſi atterantur, flammis micant. Eos per πύρια intellexit Thomas Linacer interpres, ubi Galenus lib. iii de Temperamento refert Archimedem διὰ τῶν πυρείων accendiſſe triremes Syracuſas obſidentium. Atqui πυρεῖον non lapidem pyriten ſignat. ſed ſpeculum comburens. Nam ſpeculis uſtoriis naves hoſtiles incendit Archimedes. Quod quo pacto fecerit narrat Joa. Tzetzes Chil. ii, hiſtor. xxxv.

Cap. XVI.

De lapidibus vulgaribus, mollibus: lythanthrace, gypſo, talco, pumice, &c.

EXpoſitis lapidibus frequentibus ac duris, explicandum nunc de frequentibus, & mollibus. Ut ſunt lithanthrax, gypſum, talcum, pumex, ac lapis ſciſſilis.

Lythanthrax ſive carbo lapideus, Belgis *ſteenkolen.* Eos ex profundis cavernis ad duo etiam paſſuum millia ab orificio, quo ſe catenis demiſere, effodi in agro Leodienſi vidimus, non ſine admiratione partim ob urbis periculum, cui metus ne aliquando concidat in cavernas ſub terris ductas, partim ob grande foſſorum diſcrimen, qui ob minutum adeo precium animum venalem habent.

Etiam Thraces Ἄγριοι, hoc eſt, feri, fluvium habent, nomine Pontum, lapides deferentem carbonum ſimiles, ſed à ligneis carbonibus differentes, quod hi afflatu accendantur, illi non item, ſed aquarum adſperſu; at gravis adeò odoris, ut reptilium nullum eum ſuſtineat. Teſtis Antigonus Hiſt. Mir. cap. cli. Omnino cenſeo ad λιθάνθρακας referri oportere.

Gypſum nunc ponitur pro calce ex lapidibus uſtis: nunc pro lapidum genere, varii coloris, ſed uſtione albo reddi ſolito: unde non vaſcula modo, ſed & ſtatuas olim fecere: imò arte etiam durius fit, & colore addito marmor imitatur.

Talcum, ut Germanis dicitur, lapis eſt plerumque candidus ad inſtar argenti: fortaſſe is, qui argyradamas, vel Galaicon, veteribus vocatur.

Pumex lapis eſt aridus, ac ſpongioſus, ac cavernulis refertus. Bibulum lapidem vocat Maro. Sæpe fit ab exuſtione lapidum: ut circa Veſuvium, & Ætnam. Etiam in litoribus pleriſque reperitur: unde veteres putarunt è maris ſpuma naſci.

Cognatus pumici πῶρος, ſive tophus, qui Germanis ſimiliter *topffſtein.* Item vicina Plinii acopis, pumicoſa, nitroque ſimilis, & aureis ſtellata guttis. Item palla marina; de qua Galenus lib. i de Compoſit. Medic. & Geſnerus libro de Aquatilibus, cap. de Palla Marina.

Cap. XVII.

De lapidibus qui reperiuntur in animalibus, in homine: *calculus renum, aut veſicæ, lapis fellis, & arthriticorum pori, quin & embryonem in lapidem converſum,* in quadrupedibus: *bezoar, Malaccenſes lapides duo hyſtricis, & bulgolda, Turcorum baraczi, bufonites, lyncurium.* in volucribus: *aetites, alectorius, chelidonius, palumbellarum.* aquatilibus: *piſcium Indicorum manati, & tuberonis, in cyprinis, cancris, percis, auratis, coracinis, corvis, hepatis, lupis, mugilibus, aliiſque ſquamoſis, necnon in planis ſolea, ſive bugloſſa, concharum partus ſunt margaritæ, unio H.S.C. cui ubi, umbilicus marinus vulgarium limacum.* in ſerpentibus: *draconites, ovum anguinum, caimanes.* in inſectis: *limacum teſtâ carentium lapilli. Additur aliquid de foſſilibus compoſitis, ſtanno, electro, pyrite.*

DE lapidibus, quod ſatis ſit, dixiſſe videar, niſi præteriiſſem de iis, qui ex animalibus naſcuntur, ac recepiſſem ſeorſum me de iis dicturum. Promiſſo igitur hoc nunc me exſolvam. Ordiar ab lapidibus, qui in homini-

bus

busnaſcuntur. Cujuſmodi eſt calculus renum aut veſicæ; item lapis fellis, & arthriticorum *πῶροι* a. a *Tophi.*

De modo generationis communior hæc opinio eſt: materiem calculi eſſe lentam ac viſcidam materiam: hanc vero calore renum indurari, ſicut in fornace lutum ab igni. Verum obſtat, quod viſcida materies, uti videmus in glutine vulgari, non concreſcit aqua, ſed molleſcit, ac ſolvitur, præſertim ſi calida fuerit aqua. Quare materies calculi potius conſtat terreis partibus, humori, ac ſale mixtis. Sanè terreſtris materies ſi tantum habeat humoris, quantum ad humectandum ſatis eſt, (nimius enim humor concretioni obſtat) quo plus habuerit ſalis, eo facilius induratur: quodque ſic induratum à Chymicis tartarus vocatur, tranſlato vocabulo à materie illa in vinis ad vaſis latera accreſcente. At talis eſt cauſſa materialis. Efficiens verò cauſſa calculi non eſt calor, ſed frigus. Salſi enim humores non concreſcunt calore, ſed frigore. Ut in matulis videre eſt ſaccatum illum corporis humorem, ſicut vocat Lucretius, non coagulari, dum calor urinæ permanet, ſed ubi pro calore ſubierit frigus. Quodque frigore concrevit, id calore iterum ſolvitur. Cumque hæc ſic ſe habeant extra corpus humanum: multò magis putandum, ita fieri in corpore humano. Calculos igitur fieri à copia ſalis in humorem ſoluti: è frigida renum intemperie, quæ cauſſa eſt cur humor ſalſus coaguletur ac concreſcat. Ac in ſenibus hæc imprimis contingunt, quia ſenectus frigida, & minor eſt vis facultatis expultricis: contra quam fit in juventute, cujus natura eſt calida, facileque id quod materia calculi futurum erat, expellit. Plura qui ſuper iſto volet, adeat de eo diſſerentem Anſelmum Boëtium Brugenſem, olim Cæſaris Rodolphi II Medicum, lib. II de Lapp. ac Gemm. cap. CCCII.

Nec in renibus ſolum, vel veſica calculus gignitur. Sed etiam aliis humani corporis partibus: uti pulmonibus, ut argumento eſt, quod tuſſi ejectus: cujus rei exemplum refert Ægineta lib. III, cap. XXXI. Aliaque exempla memorant Fernelius, & Benivenius. Etiam Henricus Florentius in arte Medica eximius, quo etiam, dum in Academia Leidenſi univerſi ævi Chronologiam, & Græcas literas, profiteretur, in familiæ morbis feliciter uſus Medico fui, in publica muliebris corporis anatomè è veſicula fellis CXXIV calculos eduxit, cinerei coloris, quadratos, ac ejuſdem penè magnitudinis, & craſſitiei.

Etiam in arthriticorum manibus, pedibuſque, ac quandoque & aliis partibus, lapides creſcunt quos Græci *πώρυς* appellant. Unde Perſius ſat. V:

—— Sed cùm lapidoſa cheragra
Fregerit articulos.

Hujuſmodi morbo complores laborantes vidimus. Sed memorabile imprimis, quod ad allatum Perſii locum his verbis memorat Iſaacus Caſaubonus: *Vivebat non procul Urbe, cum hac ſcriberem vetus quidem arthriticus, è cujus corpore (exibant autem ex omnibus partibus) plus vel exciderat, vel extractum fuerat lapidum, quam quantum ipſe penderet.* De fœtu in utero commutato in lapidem Petrus Servius de Unguento Armario pag. 42. De lapidibus hominis dictum. Pergam nunc ad lapidum illos, quibus origo in mutis animantibus. Hi æquè variant ac ipſa animantia. Nam vel è quadrupedibus ſunt, vel è volucribus, vel ex aquatilibus, vel ſerpentibus, vel inſectis. Ex illis quadrupedum eſt *bezoar*, ſive bezohart, quod Arabica lingua ſignificat vitam conſervans, ut Cæſar Scaliger ſcribit Exercit. CLXXXIV, ſect. V. Sed meliùs alii; de quo dictum lib. III hujus operis, cap. LXVIII. Ubi & diximus, in capris Indicis creſcere, & præſens eſſe remedium contra venena. Nec tamen extra controverſiam eſt, ſitne animal illud Indicum capris, vel hircis, an cervis annumerandum. Qua de re variorum judicia vide apud Anſelmum Boëthium lib. II de Lapidibus, cap. CXCII. Sunt huic lapidi variæ cuticulæ, quia humor, ex quo fit, non ſimul appellitur; ſed alius poſt alium, ita ut, jam exſiccato priore, demum accedat novus. Atque hoc melius intelligitur ex iis, quæ antea diximus de margaritis. Par enim utrobique ratio eſt.

Item in porci felle, vel hyſtricis, prope Malaccam in regione Pan, lapis invenitur majorum virium, quàm eſt Bezoar. Coloris eſt rubei, ac diluti; ſaporis verò amari, ac tactu Gallicum refert ſaponem. Vocant hunc lapidem Malaccenſem, quia Pan provincia eſt regionis Malaccenſium. Nec alius exiſtimandus, qui vocatur *piedra de puerco*, ſive *lapis porcinus*. Vide de eo Garziam ab Horto, & quæ ad Anſelmi Boëtii lib. II, cap. CLXXXII, Adrianus Tollius annotavit. Vide & apud Ampliſſimum Senatorem G. R. Dubletium deſcriptionem ejus, quam clariſſimus Elichmannus omiſerat ad ... Speckium, quondam nomine Procerum Fœderatæ Belgicæ, Gubernatorem Indiæ Orientalis. *Vide epiſt. Dubletii ad me.*

Boum circiter quiſque in veſicula fellis habet lapidem, qui Turcis dicitur *baraczi*. Iccirco, bove jugulato inſpicere ſolent, an eum lapidem contineat. De hoc bubuli fellis lapide, & ejus viribus adi Petrum Bellonium lib. III Obſervationum, cap. XLVI, & Anſelmum Boëthium, qui *alcheron* vocat lib. II de lapidibus, cap. CXCV.

Eſt & apud Malaccenſes lapis, dictus Bulgolda, qui eximitur ex animali, quod Indis Bulgodalf: ut eſt apud Ferdinandum Lopez lib. I Hiſtoriæ Indicæ.

E bufone ſive rubeta eſt qui bufonites, vel lapis rubetarum, Gallis *crapautinus*, quia bufo illis *crapaut* vocatur. Eſt is coloris nunc fuſci in candido, nunc in medio cærulei: præcipuè ſi è vivi bufonis capite extrahatur. Aliqui tamen ajunt naſci è cranio bufonis, qui diu inter vepres delituerit: vel ſaltem non aliud eſſe, quod pro bufonite gemmarii obtrudant. Aliqui ombriam, vel brontiam appellant. Adi de Gallorum bufonite ſi libet Eraſmum, Colloquio, quod inſcribitur Peregrinatio religionis ergo.

Lyncurium non quidem in lynce naſci, ſed tamen lynci originem debere exiſtimatur. Nam ajunt eſſe lapidem è lyncis urina concretum, atque inde hoc nomen adeptum. Meminere ejus rei Ariſtoteles de Admirat. Audit. Theophraſtus de lapid. Ovid. XV Met. item Ælianus, Solinus, Iſidorus, Philo. Qui & tradit lapidem eum, ſi contritum biberis conterere veſiculæ calculum. Sed jure pro fabula hæc habet Plinius: qui de hoc lapide agit lib. VIII, cap. XXXVIII, & lib. XXXVII, cap. II, & III. Omnino autem veriſimilior eorum eſt opinio, qui in veſica lyncis gigni, atque unà cum urina egeri, vel ſuccini eſſe ſpeciem, arbitrantur.

His conſequens eſt, ut loquar de lapidibus, quos volucribus debemus. Atque in his principem aliquis locum tribuat aëtitæ, uti princeps avium aquila, unde nomen ſortitur. Sed is non in aquilis, verum aquilarum nidis, aliunde ab ipſis importatus aquilis, invenitur. At ex ipſis avibus ſunt alectorius, & chelidonius. Quorum prior coloris eſt cryſtallini, vel aquei, inque ventriculo gallinacei, vel caponis, invenitur, ut ait Plinius lib. XXXVII, cap. X. Alter vero, ut ibidem legas, inveniri creditur in ventriculis hirundinum, qui primo ſint partu excluſi: nec ſemper tamen, ſed tempore novilunii.

Item in ventriculo avicularum, quas Romani hodie vocant palumbellas, Longobardi autem ſaſſarolos, alii ſolonos, de quorum adverſus calculum efficacia poſtea dicetur.

Finiunt lapides è volucribus nati: proximus eſt locus illis, qui debentur aquatilibus.

In capite piſcis manati inveniuntur lapides bini, magnitudine minutæ pilæ luſoriæ, interdum etiam minores, pro ratione corporis. Agit de iis Conſalvus Ferdinandus Oviedus in Hiſtoria Gent. & Natur. Indiæ Occidentalis primæ partis lib. XIII, cap. VII, & X.

Eſt & Indici maris piſcis tuberon, in cujus capite tres quatuorve inveniuntur lapides, ad nephritidem utiles. De piſce ipſo Thevetum vide libro ſingulari cap. LXXI. Planè enim miranda ſunt, modò vera, quæ narrat.

In cyprinis etiam, quos carpiones dicimus, lapis coloris

flavi dicitur inveniri circa initium ſpinæ dorſi. Quem ajunt ciere appetitum, & calculo mederi. Eſt forma triangulari, colore foris candido, interius autem ſubflavo.

In cancris etiam bini lapilli reperiuntur oculorum inſtar rotundi, qui dicuntur cancrorum oculi, ſed ob formam, non quia circa oculos reperiantur. Albi ſunt, durique. De viribus eorum ſuo loco dicetur.

Quos percæ oculos nominant, lapilli ſunt duo candidiſſimi oblongi, è capite percæ minoris, magnitudine ea quâ eſt ſemen lini: attamen pro magnitudine piſcis majores aliis aliis. Præterea in capite lapidem habent hi piſces: auratæ, coracini, corvi, hepati, lupi, mugiles, pagri, ſpari, umbræ; ac prope ſquamoſi omnes. In planis item ſolea, ſive bugloſſus.

Rondeletius p. 26.

Aquatilibus quoque debentur margaritæ. In quibus etiam eſt, quod Deum miremur. Ambroſii eſt illud lib. V Hexaëmeron, cap. XI, poſtquam de corallio egiſſet, *Unde etiam oſtreis pretioſiſſimam margaritam natura infixerit, quomodo eam maris aqua in tam molli carne ſolidaverit.* De his diximus Phyſiologiæ Chriſtianæ lib. IV, cap. XLVII. Sed non minus hujus ſunt loci. Nam in animatis quidem locus iis eſt, quatenus exiſtimantur eſſe concharum partus, vel etiam quatenus in animali fiunt ex aqueo ejus humore: Sed quatenus in ſe conſideramus, potius inanimis accenſentur, inque lapillorum, vel ſuccorum hiſtoria locum ſuum ſuſtinent; præſertim quando in mundo muliebri non minus ſunt, quam adamantes, ac gemmarum aliæ. Ut vel propter ſimilem uſum, vel luxum.

Quomodo margaritas gigni Plinius putârit, legere apud eum eſt lib. IX, cap. XXXV. Veriſimilior eſt Anſelmi Boethii *a* ſententia, qui cenſet, ex eodem humore, & margaritam gigni in animante, & extra illud teſtam. Nam humorem quem animal eructat, materiem fieri teſtæ, eum, quem nequit expellere, eſſe materiem margaritæ. Atque hinc cauſſam eſt videre, cur teſta cute conſtet multiplici. Nempe hoc inde eſt, quòd non ſimul expellatur humor, ſed per intervalla, coque, quod prius expulit, exſiccatum fuerit, antequam novus humor accederet.

a Lib. 2 de Lapid. & Gemmis, cap. 37.

Ætate flaveſcunt margaritæ: ſed priſtinus redit candor, ſi extimam demas cuticulam, quod quo pacto fieri oporteat, docet Anſelmus Boethius *b*. Qui & ait, ſæpe ſe margaritas in aquis animali exemiſſe non minus duras, quam extra aquas forent. Ut error eorum liqueat, qui cenſent comparatum cum margaritis eſſe ac cum corallio, quod in aquis naſcitur in aëre dureſcit.

b Lib. 2 de Gemm. cap. 38.

Nihil verò tantopere margaritas commendat, quam quod difficilis ſit ratio eas adulterandi, contra quàm fit in auro, & gemmis. Atque hæc ratio eſt, cur ſublimi loco conſtitutæ margaritis malint divitias oſtentare, quam iis, quibus facile fit ſucus. Quanto olim in pretio magnæ fuerint margaritæ, indicat Cleopatræ, reginæ Ægyptiæ unio, quem aceto reſolutum, deglutiit, ut ſua cæna illâ Antonii pretioſior foret. Emtus is erat centies ſeſtertiûm: quod, Hadriano Junio *c* computante, fit quinquies centena Caroleorum millia. At hoc anno CIↃ IↃC XLVI, quo iſta ſcribimus, fuerint ſexies centena Caroleorum millia.

c In Nomenclatore ſuo.

A lapidibus aquatilium conferam me ad lapides ſerpentium. Qualis eſt dracontia, ſive draconites. Hic, ut ajunt, in draconis capite invenitur: miraque de eo fabulatus eſt Sotacus: uti & Plinius, lib. XXXVII, cap. X, nec non Philoſtratus lib. III, & Albertus Magnus. Verùm etſi non magis mirandum ſit, lapidem eum in draconis capite, quam alios in aliis animantibus inveniri, non exiſtimem tamen facile repertum iri, qui viderit. Eum tamen deſcribit, habereque ſe ait Andreas Cæſalpinus lib. II de Metallicis, cap. XLI. Sed multum metuo, ne impoſtor aliquis fucum fecerit Cæſalpino. Eſt & lapis, qui à ſerpentibus conflari putatur; ovum anguinum vocant. Mira de eo Plinius prædicat lib. XXXVII, cap. X. Aliqui credunt eſſe ovum teſtudinis. Alii ſui generis eſſe lapidem malunt.

In ventriculo lacertorum (id eſt crocodilorum) lapides reperiuntur, quos dicunt Caimanes. Vide de his Nicolaum Monardes.

Vocant nunc me lapides, qui ortum ſuum debent inſectis. . . . . . . Ut vulgares limaces habent in orificio cruſtam albam: ita limaces teſtâ carentes, inque ſylvis, & locis ſubterraneis agentes, fuſci coloris, perhibentur in capite ibidem habere lapillum, quo hieme ſe occludunt. Is lapillus vocatur umbilicus marinus, Cretenſibus etiam oculus marinus. Germanis, *meer-bone*, q. d. faba marina. Eo meruit memorari, quod dicatur ſolvere quartanam, de quo inferius.

Atque hæc dicta ſunto particulatim de variis adeo foſſilibus, aliiſque ſimplicibus inanimis; niſi quod obiter tetigerimus aliquid de miſtis, ut electro, & ſtanno. Præter quæ & alia ſunt miſta, h. e. duobus, vel pluribus corporibus foſſilibus compoſita. Miſtura hæc eſt duplex: vel enim componitur aliquid cum ejuſdem generis foſſili, ut lapis cum lapide, metallum cum metallo: vel cum foſſili alterius generis, ut ex lapide, & ſucco, ex terra, & metallo, ex lapide, & metallo: quod poſtremum genus obtinet in pyrite. Nam hoc ſolus habet, quòd inter lapidem, & metallum, miſturæ ratione ſit medius. Quemadmodum verò chalcanthum, & alumen ſunt è pyrite: ita pyrites è cadmia. Sed de pyrite item antea dictum. Venio igitur ad uſum foſſilium.

Cap. XVIII.

De uſu foſſilium in re cibaria: vel in ipſo cibo, *idque cum ratione lactentium, quibus galactites, margaritæ, cryſtallum, lac fundunt. tum ſolidiore victu gaudentium, ubi ferè Sal monarchiam obtinet.* vel circa cibum: *variis nimirum inſtrumentis, procurandis eſculentis, poculentiſque, materiem præbendo. Ubi primùm de vaſis ac inſtrumentis culinæ, & menſæ propriis ex argilla, terra Senenſi ſeu porcellana, ære, ferro, ſtanno, cryſtallo, ophite, onyche, gagate, jaſpide, argento, auro, fieri ſolitis. tum de organis agricolarum, piſcatorum, venatorum, molitorum, zythopeptarum, ex ferro, ſaxo, ære. Figulos fictilibus ſuis argenteum nitorem conciliant talcô. Doliorum opercula gypſum. Ob fractum vas cryſtallinum, ſervum muranis objiciendum fuiſſe. quid ſervi Rom. maximè timuerint, quidque metus poſſit. Margâ, cretâ, agros ſtercorari, & ubi regionum. Chalcedonio lapide Turcos, Græcoſque ad triturandum uti, & quomodò. Ampelitis cnipas arcet, lapis ſpecularis Tiberio Cæſari cucumeres hyeme cuſtodit.*

DE foſſilium, ſive mixtorum inanimorum diverſis generibus, & præcipuorum nominibus, ac cauſſis internis, & generatione, quod pro inſtituto noſtro ſatis ſit, diximus. Deinceps exponam finem, ſive utilitatem, quam ex iis capimus, tum in cibo, & potu, tum in medicina, tum in re veſtiaria, tum ædificiis, eorumque vaſis, ac ſupellectile, tum re nautica, item militari, adhæc ſtudiis literarum, pictura, ...
Uſum verò in re cibaria, bifariam hìc attendimus. Primum ratione lactentium, deinde ratione eorum, quibus eſt ſolidior cibus. Nutricibus lactis copiam præſtat lapis galactites in pollinem redactus, ſi aliquot horis lacti amygdalarum fuerit immixtus cum ſaccharo & aqua feniculi. Margaritæ itidem bene præparatæ corrigunt, atque augent lac muliebre. Etiam cryſtallus ubertatem lactis præſtat, ſi in pulverem redactus, exhibeatur lactanti cum vino, melle, vel juſculo.

In altero generis eſt ſal. Hic eliciet appetitum, & cibos non modò ſapidos magis, ſed etiam ſalubriores reddit, ac concoctionem juvat. Carnes quoque ac piſces in longum anni tempus ſale adſervantur. Eſt ea vis ſali ab acri calore, quo humorem fluxum. Unde putredo proveniret, abſumit. Vide Macrobium lib. VII Saturnal. cap. XII. Ac

veriſimile eſt, ob hanc potiſſimum corpora conſervandi virtutem, ſalem habitum pro re planè divina. Unde & ſine ſalino profanam eſſe menſam putabant. Arnobius lib. II. *Sacras facitis menſas ſalinorum appoſitu.* Etiam Deorum cauſsâ patellam, ac ſalinum habebant, ad primitias cum ſale offerendas: qua de re ex Livio, Valerio, Plinio, Lipſius lib. I Saturnal. cap. II. Quod ſi in Deorum numerum voluiſſent referre: credo Neptuniam ſtatuiſſent prolem: non minori ſane jure, quam Venerem mari ortam dixere. Nam ſi aqua marina excoquatur à Sole, vel igne ſuppoſito, ſal ex ea fiet. Imò, ſi Bodinum audimus, ſal non materiæ modò, ſed formæ etiam ratione, ineſt mari: Atque hoc inde adſtruit, quia ſi partes tenuiores evaporarint ex aqua marina, id quod ſupereſt, ſal fuerit.

Ac de ſale quidem, quin utilis ſit in cibis, ambigit nemo: niſi Ægyptios excipere viſum: qui maris odio unde ſit, etiam à ſole abhorrebant: ut dictum lib. II, cap. LXXV. Sed inter veteris Medicinæ, & Paracelſicæ, ſive Chymicæ, ſectatores, quæſtio eſt, an auro quoque alatur corpus humanum. Mihi veterum magis placet opinio, inter alimenti conditiones eſſe, ac conveniant principiis vitæ, quæ in calido, ac humido, conſiſtit. Metalla autem frigefaciunt corpus, atque exſiccant. Etiam requiritur, ut poſſint concoqui à calore nativo. At metallorum οὐσία *a* (a Subſtantia.) uſque adeò dura eſt, ac pertinax, ut vix ab igni multo exſuperetur; nedum à calore noſtro vincatur, atque immutetur, qui naturæ adeo mitis eſt, ac lenis. Ad hæc exigitur, ut quod nutriatur corpus, ſit aëteum, ac pingue. Non hæc metallorum eſt natura, quæ terrea, eoque arida, ac ſicca: vel ſiquis eſt humor, is aqueus potius ſit, quàm aëreus. Mitto jam, quòd eò guſtus animantibus ſit datus, ut ſapore alliciantur ad alimentum. At metalla ſunt inſipida.

Quare ſic exiſtimo, metalla, non habere alendi vim; ut quæ converti nequeant in ſubſtantiam corporis humani. Quæ vero de auro, & metallorum aliis diximus, ea in lapidibus quoque locum habent. Siquidem rationes adlatæ, vel utrobique, vel ne in metallis quidem, validæ ſunt. Objectant aurum potabile: cui vim tribuunt conſervandi vitam in longam ætatem. Sed de hoc adiri malim Thomam Eraſtum diſputatione de auro potabili: item Fortun. Licetum in Ariſtotelis lib. II de Anima, cap. X, ſive ad contextum XLVI.

Venio igitur ad eum foſſilium uſum, quo inſerviunt inſtrumentis fabricandis ad cibum potumque præparandum. Hujuſmodi ſunt inſtrumenta vaſaque multa culinaria. Item agricolarum, venatorum, piſcatorum, aucupum, molitorum, piſtorum, zythopæorum, ſive eorum, qui cerviſiam coquunt, ac ſiqui alii ſint, qui homini procurant, quod edit, ac bibat. Univerſis enim opus eſt inſtrumentis, quæ vel tota, vel ex parte, materia foſſili conſtent.

Initium faciam à vaſis & inſtrumentis coquinariis, & menſarum propriis. Coquinaria fere ex argilla, ære, aut ferro. Argilla, ut fictilia, ſive teſtacea: in his teſtus; quomodo Catoni vocatur, in quo, igne ſubdito, coquuntur placentæ. Ex ære, ut (ſicut nomen indicat) ahenum, quod Græcis ſimiliter χαλκεῖον. Item lebes, authepſa, quodque Columellæ milliarium, Petronio cucuma, à cucumeris forma. E ferro, ut climacter, veru, batillus, forceps: de quo & nomen arguit: ut quod dicatur, quaſi *ferriceps*. Nam primus ejus uſus fabris ferrariis, qui eo capiebant ferrum candens. Poſtea & ad coquinas tranſlatum, ad capiendas & prunas. E in O abit, ut *hemo* prius, quam *homo*; *henus* quam *honus*.

Itidem vaſa, quibus cibus, & potus imponuntur menſis, fere ſunt ex argilla, vitro, ære, plumbo candido, argento, auro. Fictilia vaſa ſunt ex argilla, quæ inde Columellæ terra *figularis*, Polluci γῆ κεραμῖτις vocatur. Sic fictiles lagenæ, quibus recondebant vina.

Multùm olim commendabatur terra Samia: cujus vaſis menſam ſæpe onerabat Agathocles rex; ut Auſonii epigrammate notum. Figuli ſuis fictilibus nitorem argenteum adferunt, ſtellâ terræ, ut vocant, ſive, ut Germani nominant, talco: ac fortaſſe eſt veterum agyrodamas. Simile aliquid à chymicis in ære præſtari, ſuperius diximus.

Doliorum, & amphorarum opercula, claudebant gypſo. Petronius Arbiter: *Statim adlatæ ſunt amphoræ vitreæ diligenter gypſatæ, quarum in cervicibus pittacia erant affixa cum hoc titulo: Falernum Opimianum annorum centum.*

Martiali memoratur calix vitreus, uti & vitreus nimbus, CXII lemmate Apophoretorum. Quàm e cryſtallo ſcyphi cari fuerint Romanis, docet, quòd Vedius Pollio ſervum ob vas ejuſmodi fractum juſſerit in piſcinam abjici murænis futurum eſcam: & factum eſſet, niſi obſtitiſſet Auguſtus, & cætera etiam vaſa confringi juſſiſſet: qua de re Seneca lib. VII de Beneficiis, cap. IX. Ideo non aliunde æquè metus ſervis, quam tam precioſa ac fragilia interim vaſa contrectantibus, & ſubinde præ ſolo metu frangentibus; juxta illud Martialis, lib. XIV *a*: (a Ep. 111.)

Frangere dum metuis, frangis cryſtallina: peccant
Securæ nimium, ſollicitaque manus.

Quod non fiat in calicibus Saguntinis ex argilla: Unde idem eo ipſo libro *b*: (b Ep 180.)

Quæ non ſollicitus teneat, ſervetque miniſter,
Sume Saguntino pocula ficta luto.

Ex alabaſtritæ genere, quod onyx vocabatur, ac primitus inter Arabiæ montes, poſtea etiam inventum in Italia fuit, fecere amphoras, urceos, variaque potoria vaſa. Appianus teſtis eſt, Mithridatem, Ponti Regem, ex onyche poculorum habuiſſe circiter duo millia.

Etiam ex achate; item ex jaſpide, elaborant cochlearia, pocula, manubria cultrorum atque alia.

Iiſdem uſibus inſervit ophites, à loco ubi in Miſnia effoditur, Zeblicius dictus. Eſt genus marmoris cinerei, vel ſubviridis. Sed hoc habet, quod molle ſit, inſtar vulgaris alabaſtri, eoque facilè frangatur. Porrò olim quoque vaſa ex eo facta eſſe, indicat Plinius lib. XXXVI, cap. XXII: *Ex ophite albo vaſa & etiam cados faciunt.* Subjungit deinde de ſimili lapide: *In Siphno lapis eſt, qui cavatur, tornaturque, in vaſa coquendis cibis utilia, vel ad eſculentorum uſus, quod in Comenſi Italiæ lapide viridi accidere ſcimus. Sed in Siphnio ſingulare, quòd excalefactus oleo nigreſcit, dureſcitque, naturâ molliſſimus.*

Et quantus hodie luxus in vaſis Sinenſibus, ſive, ut vocant, porcellanis? cujus de vocabuli origine antehac egimus. E plumbo candidæ noſtræ fiunt quadræ, vel orbes ut Martialis vocat, quos Pollux ſimiliter dicit κύκλους. Item noſtræ gabatæ, ſive lances, vel ſcutellæ. De poculis argenteis quid dicam? item ſalinis? Qualia etiam, ſed religionis cauſſa habuere Romani veteres maximè frugales: ipſe quoque Fabricius: Aurea aliis tum gentibus in uſu, non Romanis. Bifariam verò in poculis, auro uſi. Vel enim ipſum ex auro erat, quale Æſchylo χρυσόπηκτον σκύφωμα; vel aliunde factum, ſed auro incluſum, quod Callimacho χρυσόκλειστον. Prioris generis erat, quo ſe apud Maronem *c* in Didus regia proluit Bitias. (c Æn.)

Argentariis vaſis ſplendorem adfert genus cretæ, inde Plinio *d* dictæ argentariæ. Sanè & Aetius lib. II ait, τὸ ἀργύρεον ῥύπτειν *e*: videlicet quia vim habet abſtergendi ſordes. (d Lib. 17. cap. 8.) (e Purgare argentum.)

Quia vidimus de vaſis culinæ, & menſæ propriis: venio nunc ad vaſa, & inſtrumenta agricolarum, atque aliorum, qui nobis victum procurant.

Agricolis è ferro vomer, raſtri, rutra, ſarcula, falces, alia: quibus, ut notiſſimis, non inſiſtam. Referam potiùs paullo remotiora. Quale eſt, quod creta, & marga, quæ candore erat cretæ adſimilis, in ſtercorandis agris utebantur. De creta ſic Varro lib II de Re Ruſt. cap. VII: *In Gallia Transalpina, intus ad Rhenum, cùm exercitum*

citum ducerem, aliquot regiones acceſſi, ubi agros ſtercorarent candida foſſitia creta. Columellæ etiam patruus, ubi ſtercus non ſuppeteret, cretam ſabuloſis locis ingerebat. Sanè & quædam creta pinguis eſt: ut Cimolia, quam λίπος ἴχει *a*, Theophraſtus ait in libro περὶ λίθων. De marga autem (niſi eadem hæc eſt, ac foſſitia Varronis creta) ſic Plinius lib. XVII, cap. VI: *Alia eſt ratio, quam Britannia, & Gallia, invenere alendi eam* (terram) *ipſâ. Quod genus vocant margam. Spiſſior ubertas in ea intelligitur. Eſt autem quidam terræ adeps, ac velut glandia in corporibus, ibi denſante ſe pinguitudinis nucleo.* Videntur ſic Galli, ac eorum exemplo Britanni, vocaſſe à Germanico *mark*, ſive Belgico *merg*, quæ *medullam* ſignificant.

a Pinguedinem habere.

Chalcedonio lapide triturandis frugibus utuntur Græci, ac Turcæ. Qua de re ſic Petrus Bellonius lib. I Obſervationum, cap. LXIV: *Collectâ meſſe, frumentum* (Turcæ) *triturant, aut flagellis, ut apud nos; ſed bobus; quemadmodum per univerſam Græciam: idque facientes, aſſeres Chalcedonio lapide munitos poſt ſe trahunt, ut ſtramina & paleas, confringant.*

At poſt triturationem molitore opus, huic item lapipe molari, ſic dicto ab uſu, quia eo molatur frumentum. Eſt verò ex eo ſaxorum genere, quod arenis conſtat ſubtilioribus.

Ἀμπελῖτις γῆ ſic dicitur, quia necat vermes ἀμπέλους, ſive vitibus innaſcentes, & erodentes gemmas. Græci eos vermes appellant κνίπας. Aliter Φαρμακῖτις γῆ vocatur, idque, ut videtur, quia hoc φάρμακον, ſive medicamentum adverſus κνίπας in uſu eſſet vinitoribus. Iiſdem conducit lithanthrax, ſive carbo lapideus, quia ſi oleo mixto triveris, atque ita emolliveris, oleum id viribus oblitum præſtat, ne gemmæ, quas vitium oculos dicunt, ab inſectis erodantur.

Veteres Romani lapide ſpeculari contegebant uvas, roſas, cucumeres, alia, atque ita hieme cuſtodiebant: ſerenis tamen hiemis diebus exponebant Soli, poſteaque iterum ſimiliter condebant. Itaque Tiberio toto anno erat cucumis. Plinium vide lib. XIX. cap. V.

Ex argilla item ἀρπάγιον. Sic Alexander Aphrodiſienſis vas vocat multis foraminibus perpluens ad pulvillos hortorum irrigandos.

Etiam de cibo nobis proſpiciunt piſcatores, venatores, zythopœi.

Piſcatoribus è ferro hamus, ſive uncus: item fuſcina, ſive tridens, quo anguillas, & piſcium alios confodiunt.

Venatoribus ſunt, ut Maro ait, lato venabula ferro. Ex ære etiam ſunt vaſa, quibus cerviſiarii coctores zythum coquunt.

CAP. XIX.

De remediis adverſus morbos univerſales, uti febres, *ubi uſus eſt ſapphiri, alectoriæ, chryſolithi, cryſtalli, lazuli, ophitæ, lapidis Caimani, limacum, corallii, bezoar, &* venena. *hîc ſuppeditantur bezoar, hyacinthus, ophites, vaſa porcellana, fel hyſtricis, & bulgolda, ſuffitus bituminis, cornu cervinum, aurum, argentum vivum, margaritæ, draconites, aetites, gloſſopetra.*

VIdimus de utilitate, quæ ex lapidibus ac metallis ad rem cibariam redit. Sequitur, ut demonſtremus, quantopere conducat ad valetudinem recuperandam. Ubi prius agam de propulſandis univerſalibus morbis: deinde de particularibus. Univerſales ſunt febres, & illi qui ſunt à venenis.

Sapphirus creditur febrim minuere *a*, ſi circa cordis pendeat arterias. Alectorius lapis, ſub lingua detentus, ſitim extinguit. Imo negant gallum, vel caponem, dum eum ventriculo geſtat, unde & alectorii nomen, unquam bibere. Chryſolithus ſub lingua febricitantium detentus ſedat eorum ſitim. Atque idem facit cryſtallus.

a Anſel. Boet.

Lapis Lazuli quartanæ prodeſt: qua de re ex Leonardo Fioravanto Veneto ſcribit Anſelmus Boethius lib. II de Lapidibus, & Gemmis, cap. CXXI. Lapis bezoar etſi quartanâ non liberat; occurrit tamen ejus ſymptomatis. Nam vel tollit, vel ſaltem lenit mœrorem; atque angorem animi, & hujuſmodi, quæ comitari eam febrim ſolent.

Ex ophite, qui Seraviiæ effoditur confiunt globuli minuti, febricitantibus manu detenti, æſtum morbi temperant.

Indi, & Hiſpani lapide Caimanuno, qui in ventriculô lacertorum, & crocodilorum invenitur, utuntur adverſus quartanam. Binos enim alligant temporibus: ac prædicant ſic averti paroxyſmos, ac leniri calorem febrilem.

Etiam limaces cochlea deſtituti, fuſci coloris, in ſylvis, vel ſub terris agentes, habere in capite lapidem dicuntur; quem ſiquis geſtet, quartana liberetur. Tradit Anſelmus Boëthius Rudolphi II Cæſ. Medicus *a*. Et multa id genus apud alios reperio: quæ, ut exſcribam vix poſſum adduci. quia rei ipſe incertus, & fortaſſe ab æquè incertis edoctus, ſpondere nihil habeo. Corallium etiam, quia magnam habet vim ad augendum, & corroborandum ſpiritus vitales, & calidum innatum. Eoque multum juvat in febre peſtilenti: quod in ſemet comperiſſe narrat Anſelmus Boethius lib. II de Lapid. & Gem. cap. CLIV.

a Lib. 2 de Lapp. cap. 189.

Lapis bezoar in peſtilentia, ac febribus peſtilentibus magnam vim habet ad virus compeſcendum, imo & exſtinguendum. Atque hoc fine etiam ejus pulvere utuntur Indi cum aqua roſarum. Hyacinthus Orientalis, ſi in annulo geſtetur, vel de collo pendeat, peſtem creditur arcere; ut eſt apud Boethium de Boot Brugenſem in ſecundo de Lap. & Gem. cap. XXXI; ac cap. XLIII eandem vim tribuit ſapphiro. Atque addit, anthraces jam natos exſtinguere, & impedire, ne halitus peſtiferi ad cor mittantur, ac ſpiritum ipſum inficiant. Additque ſic ferri (expertum ſe negat) araneam vitro concluſam exſtingui, ſi orificio imponatur ſapphirus. Quod ſi eſt, magnopere hæc gemma veneno reſiſtat. Etiam in peſtilentia, ac morbis contagioſis utimur ſuccino, quia cor recreat, ac ſpiritus purgat, & auget.

Marmoris genus, quod ophites, ac tephria vocatur, peſtilentiæ medetur in qua apparent exanthemata: atque etiam prodeſt adverſus ſerpentium virus. Auctor de utroque Galenus lib. IX de Simplicium medicamentorum facultatibus.

Vaſa Sinenſia, quæ Porcellana parùm commodè vocantur, hoc habent, quod ſiquid venenati impoſueris, illico rumpantur: ut inter alios ait Guido Pancirollus J. C. in rerum repertarum libro tit. ſecundo, ac pluribus ad eum Henricus Salmuthus. Jaſpis ſapphiro viriditate ſimilis, dicta grammatias, aut polygrammos, pro amoleto adverſus omnia venena. Bufonites quoque, ſive lapis rubetarum propinari ſolet ad pellenda venena. Ajunt & cutim calefacere, præſente veneno, ſi pala ſit in annulo perforato, ita ut contingat cutem. Etiam in regione Pan prope Malaccam in felle porci reperitur lapis, qui Indis vocatur *maſtica de ſoho*, h. e. lapis porcinus. is aquâ maceratus, & ubi fuerit exemtus, propinatus in aqua amara, omne expellit venenum: quod multiplici conſtare experientia ait Cæſarius Medicus, Anſelmus Boethius lib. II de Lapidibus & Gemmis, cap. CLXXX. Sed idem cap. CLXXXII ambigit, aliuſne, an idem lapis ſit, qui & ipſe in Pan Malaccenſis regni provincia invenitur, & quidem in felle hiſtricis, ac majoris etiam fit Indis, quàm lapis Bezoar. Nempe in utroque animante reperitur: uti teſtantur Hollandi, qui in Malacca vixerunt. Nec minorum virium creditur lapis Malaccenſis, qui Bulgolda dicitur. Epiphanius hæreſi XXXI, ſive aliis LI, quæ ἀνοήτως vel potiùs ἀλόγων dicitur: ἵνα δείξῃ τὸ εἶδος τῆς Θεοῦ Ἐκκλησίας, ἰσχύος τε ἀσφαλῆ τὴν δύναμιν, τὴν ἀποδιώκουσαν τὰ δεινὰ καὶ ὀλέθρια ἑρπετώδη διδάγματα.

ματι. Ὅπου γὰρ θυμιᾶται ἡ ἄσφαλτος, οὐκ ἰσχύει σῆναι ὄφις. *Ut ſpeciem prabeat ſancta Dei Eccleſia, qua vim habet bituminis, pernicioſa ac letifera ſerpentum dogmata propulſando. Ubicunque enim ſuffitus eſt bituminis, ibi morari nequit ſerpens.* Idem Epiphanius ibidem inter alia, quorum odorem Serpentes non ſuſtinent, reponit non bitumen modò, aut cornu cervinum, de quo
a Gagata lapidem. diximus libro ſuperiori, ſed etiam τ̀ λίθον τ̀ Γαγάτου *a*. Venenis aurum reſiſtit. Plinius lib. XXXIII, cap. IV: *Aurum plurimis modis pollet in remediis, vulneratiſque, & infantibus applicatur, ut minus noceant, qua inferantur veneficia.*

Argentum vivum, etſi ipſum venenum ſit, ſi tamen poſt venenum ſumatur, illius vim vincere, ſcitè epigrammate ſuo Auſonius docet. Nec indignum eſt, quod hic etiam legatur:

Toxica zelotypo dedit uxor mœcha marito,
Nec ſatis ad mortem credidit eſſe datum,
Miſcuit argenti letalia pocula vivi,
Cogeret ut celerem vis geminata necem.
Dividat hæc ſiquis, faciunt diſcreta venenum.
Antidotum ſumet, qui ſociata bibet.
Ergo inter ſeſe dum noxia pocula certant,
Ceſſit letalis noxa ſalutiferæ:
Protinus & vacuos alvi petiere receſſus,
Lubrica dejectis quà via nota cibis.
Quàm pia vota Deum! prodeſt crudelior uxor,
Et cum fata volunt, bina venena juvant.

De quo eo magis fidem habemus poëtæ, quia conſtat parentem ejus medicum fuiſſe: unde id fortaſſis acceperit.

Venenis conducunt margaritæ, eo quod corroborent cor, & ſpiritus vitales. Maximè autem proſunt cum lapide bezoardico, cornu cervino, & quibuſdam aliis. Vide præparandi ejuſce pulveris rationem apud Anſelmum Boëthium, Rodolphi II Imp. Medicum lib. II, cap. XXXVIII. Ubi & docet præparandæ aquæ è margaritis & aliis. Sanè hujuſmodi celeriter ad partes pertingunt principes, vireſque ita reficiunt, ut quis ab Orco revocatus videatur. Memorabile verò, quod idem ait Anſelmus non margaritis modò eam vim ineſſe, ſive ut vocant, perlis, ſed etiam illis, quas nominant perlarum matres.

Dracontias ſive draconites, dicitur omnia fugare venena, præcipuè ſerpentium.

Amethyſtum apud B. Hieronymum in Jeſaiæ cap. LXVI legas etiam omnibus reſiſtere venenis. Ac Ulyſſes Aldro-
b Pag. 36. vandus lib. I Ornithologias *b*, judicat id haut abſonum, ut vim habeat tuendi nidum aquilæ à beſtiis virulentis. Mihi locus Hieronymi corruptus videtur, legendumque non *amethyſten*, ut ſcribitur, neque item *amethyſtum*: ſed *aëtiten*: ſermo enim eſt de lapide, qui in aquilæ nidis inveniatur. Præſentiſſimum adverſus venena remedium eſt lapis porcinus: quem apud Ampliſſimum Senatorem Ratallerum Dubletium vidimus.

Gloſſopetra venenis inimica putatur. Qua de re ſic Anſelmus Boëtius lib. II de Lapp. cap. CLXIX. *Ajunt præſenti veneno, veneficium ſudore, & madore prodere: ſed ea facultas à me nunquam deprehenſa eſt.*

Gemmis non utebantur antiqui in antidotis. Ac Joannes Manardus, in cenſura medicamentorum compoſito-
c P. 614. rum Joannis Meſue ait *c*, non libenter ſe uſurum. Atque ſubdit hanc rationem, *Quæ eis contritis ad confortandum vis? Et ſi qua etiam vis, bonas perfringere oporteret, non ramentis quibuſdam uti, quibus nulla, præterquam coloris, cum veris gemmis conformitas.* De Foſſilibus adverſus venena: Solin. in Mithidate: Saracenus ad Dioſc. p. 125, a.

Cap. XX.

De remediis adverſus morbos capitis. Et quidem contra phreneſin, vertiginem, epilepſiam, apoplexiam, hellucum, paralyſin, cephalalgiam, melancholiam, opem ſpondent: ophites, bezoar, cryſtallum, amethyſtus, alumen, ſmaragdus, onyx, gagates, chryſolithus, corallium cum chalchanto, & vitriolo. contra oculorum inflammationes, ecthymata, papulas, ἐμπλώσεις ſeu feſtucas, lippitudinem, fluxionem, viſus obtuſionem: ſapphirus, ſmaragdus, achates, lapis buzedi, chelidonius, cinnabaris, lychnites, margarita, aëtites, galactites, lapis Phrygius. contra narium, etiam hæmorrhoidum, menſium, aliumve ſanguinis fluxum: ſapphirus, Sardius, hæmatites, jaſpis rubra, umbilicus marinus, ſeu lapis limacis vulgaris.

HÆc de morbis univerſalibus; nunc pergam ad particulares. Hi dividuntur pro ratione partium, quibus inſideut præter naturam, ac quarum actionem per ſe lædunt. Partes vero hæ duplices ſunt: ſimplices quædam ſive ſimiles toti, & interſe: quædam verò diſſimiles, ſive compoſitæ, vel organicæ: quarum priores vulgo pro ſimilibus ſimilares, poſteriores pro diſſimiles vocant diſſimilares: ſed parum Latinè. Primùm dicam de diſſimilibus, ſive organicis: atque à capite ordiar, poſtea perſequar cætera ordine eo partium, quem monſtrat natura.

In capite primum in conſiderationem veniunt morbi cerebri: ut ſunt phreneſis, epilepſia, & ſimiles.

Ophites omnis, & imprimis tephrius, opitulatur phreneticis, ac lethargicis: fortaſſe quia frigus cerebro, & præcordiis adfert.

Comitiali morbo conſulitur lapide bezoar, tum in infantibus, tum adultis: ſed illis datur cum lacte: his cum aqua lilii convallium, pæoniæ, vel tiliæ. infantibus lactentibus duorum granorum pondere, adultis triplum, quadruplum, vel ultra, prout corporis conſtitutio exegerit.

Chryſtallus de collo pendula ſomnia moleſta impedit ac vertiginem cerebri: ut ait Anſelmus Boëthius lib. II de Lapid. cap. LXXIV. ac cap. CLX legas, ſuccinum corrigere corpus nimio gravatum humore, ac propterea prodeſſe adverſus vertiginem, epilepſiam, apoplexiam, memoriæ defectum, carum lethargum, ephialten, paralyſin, aliaque vitia à cerebro provenientia, nec ſolum curare ne ſit, ſed prohibere etiam, ne proveniat.

Amethyſtus ebrietati reſiſtere judicatur: atque id è nomine colligunt, quia μεθύειν notat inebriare.

Aluminoſa aqua conducit paralyticis. Vide quæ dixi lib. II, cap. LXXII.

Smaragdus de pueri collo dependens tutari eum dicitur à paroxyſmis epilepticis: imò omnium eſt conſenſus, geſtatum digitis impedire epilepſiam: vel ſi vis morbi exſuperet, ſaltem id præſtiturum, ſi in minutias redigatur. Vide & quæ de vi ſmaragdi adverſus eum ſcribit Henricus Nollius in Phyſica Hermetica lib. VIII, cap. VI, ſect. III. Onychem quoque ajunt impedire comitialis paroxyſmos. Jubent quoque jaſpidem viridem, argento incluſam, non alteri metallo, circa cartilaginem enſiformem geſtari diem integrum, noctemque, ac ſi epilepticus ſudore corripiatur, ajunt eum ſanatum iri, cæteroquin moriturum. Succinum etiam geſtatum epilepſiam prohibere diximus, propterea, quia impedit, ne corpus, nimio gravetur humore. Epilepſiæ, uti & paralyſi, medetur oleum ex gagate deſtillatum.

Chryſolithi pulvis ſi ex vino bibatur, cùm melancholiæ medetur, tum comitiali morbo: quod ſibi compertum narrat Cardanus libro de Admirandis Curationibus. Corallium ſpiritu chalcanthi ſive vitrioli præparatum paucas intra hebdomadas tollere dicitur morbum comitialem, etiam inveteratum. Chelidonius albus capiti, vel auribus impoſitus: item chelidonius niger, alligatus cuti, dicitur excitare eum, qui comitiali morbo fuerit collapſus.

Capiti ſi alligetur ophites, (marmoris id genus) dolori ejus medetur, teſte Dioſcoride. Item medetur unguentum, quod ab alabaſtro lapide alabaſtrinum vocatur. Vide de eo Benedictum Victorium Faventinum Empiricæ cap. I.

Epi-

Epilepſiæ adverſatur corallium. Itaque Arnoldus Villanovanus jubet infanti recens nato, ne epilepſia corripiatur, dari ex lacte materno decem grana corallii rubri: ac Camillus Leonardus, Medicus Piſaurenſis in ſecundo Speculi Lapidum ait, ſe crebro id expertum. At gagatæ ſuffitus efficit, ut qui hoc morbo laborare ſolet, eo confeſtim corripiatur. Quod ſiquis in eum non incidat, manifeſto eſt indicio jam ab eo morbo eſſe liberatum.

De cerebri morbis dictum. Venio ad illos, oculorum, nariumque. Sapphirus in levem redacta pulverem, quia ſiccæ eſt & frigidæ naturæ, ut gemmæ prope omnes, eò ſi in pulverem levem redigatur, collyriis adhibetur, vel butyro loto excipitur, ac ſuperioribus palpebris oblinitur, ut ſic humorem oculorum exſiccet, & inflammationes exſtinguat. Etiam oculos tutatur à varis, quos voce ab Italis petita *morbillos* barbari appellant, ἐνθύματα autem appellat Hippocrates: item à papulis, quos barbari nuncupant variolos. Etiam oculis impoſita eximit pulverem, culices, & quicquid oculis incidit, imo eorum inflammationibus prodeſt, & vetera etiam vitia oculorum ſanat: ut proditum Anſelmo Boëtio Brugenſi *a*. Qui & auctor eſt, ſi crebro quis intueatur ſapphirum, multum eo oculos juvari, imò à plurimis malis præſtari immunes. Sanè cum cœli ſereni clarique referat colorem, nihil mirum ſi valde oculos paſcat ac recreet. Sed non auſim dicere quod Boëtius ait, *oculos ab omni injuria defendere, ac ita tutari, ut nihil illis adverſi contingere poſſit.* Achates item oculorum fluxionibus medetur: qua de re Pſellus libro de Lapidum virtutibus. Abunde etiam notum ut ſenibus conducant perſpicilla è cryſtallo. Plinii eſt lib. XXXVI, cap. XXII: *Ii lapides, qui ſuccum reddunt, oculorum medicamentis utiles exiſtimantur: ideoque Æthiopici maximè ad ea probantur.*

a De lapid. & gemm. lib. 2. cap. 43.

Smaragdum diu intueri, viſum auget: uti & ſapphirum, vel agathen. Nec tamen id eſt à natura lapidis, ſed colore. Nam ſmaragdus hoc habet, quia viridis ſit; communeque ei cum viridi ſcarabeo. Quodque ſapphirus & agates recreant viſum valde fatigatum, id inde quia oculus gaudeat colore glauco, vel cæſio. Apud Serapionem legas, lapidem buzedi, ſi oculis admoveas, reſtituere aciem viſui, intuitu Solis hebetatam.

Chelidonius oculis impoſitus, & hinc inde volvatur efficit, ut facile quæcunque in oculum inciderint, eximantur. Sed verum id quidem: at ſingulare non habet, cum idem præſtent omnes læves, atque angulis carentes: ut ait Anſelmus Boëthius lib. II de Lapp. cap. CLXXII. Majus igitur; quod tritus, vel ex aqua decoctus, atque oculis inſtillatus, eos mire recreat. Ajunt & auro incluſum, & de collo ſuſpenſum oculorum dolorem ſemper avertere.

Serapio ait lapidem buzedi oculis eorum prodeſſe, qui ob ſolem diutius conſpectum nequeunt videre.

Viſum acuere dicitur lapis ophthalmicus, ſiquis eum deferat ſecum: contra autem adſtantibus hebetare. Ita Lapidarius, cui non ſum credulus.

Κιννάβαρι, ſive, ut Latini genere muliebri dicunt, *cinnabaris* veterum, medetur angulis oculorum corroſis, & lippitudini. Hoc collyrio utebatur Stolo Britannicus, clari nominis ophthalmicus; ut eſt apud Galenum lib. IV τῶν κατὰ τόπους. Etiam oculorum vitiis medetur pulvis berilli lentis quantitate infuſus oculis manè, ægro poſtea aliquamdiu ſupinè recumbente. Succini quoque fruſtum adalligatum oculis, fluxum ſiſtit: ut eſt apud Mizaldum. Sic & pulvis ejus cum guajaco coctus, oculorum vitia emendat.

Anſel. 2. 61.

Oculorum fluxionem ſiſtit lychnites, de collo ſuſpenſus; ut eſt apud Pſellum lib. de lapidum virtutibus, vel appoſitus fronti, lineâ laciniâ involutus. Tradit verò Mauſſacus ad Plut. de Flum. pag. 21, lychniten lapidem cum luna naſci. Etiam margaritæ commixtæ butyro recenti eidem morbo medentur *b*. Sic & fluxum oculorum ſiſtit, viſumque recreat corallium, ſi in pulverem teratur, lotumque aqua roſarum miſceatur collyriis. Sed imprimis adi Anſelmum Boëthium *a*, qui è corallio remedium præſcribit; quod & dolorem oculorum mitiget, & fluxionem ſiſtat, & naſcentes in oculis maculas prohibeat.

b Anſel. Boëth. l. 2. de Gemm. cap. 38.

a Lib. 2. cap. 154.

Aëtites cum melle tritus prodeſt ophthalmiæ, atque aliis oculorum morbis: ut tradit Raphaël Volaterranus in Commentariis Urbanis lib. VII.

Galactites etiam qui aliter leucogea, oculorum fluxui medetur lacteo ſuo ſucco: ut cognoſcimus ex Dioſcoridis lib. V de re Medica, cap. CVII.

Phrygium lapidem eſſe oculis utilem ait Galenus lib. IX de Simplic. medicam. facultat. Sed licet ejus lapidis meminere Dioſcorides, Plinius, Ægineta, atque Aëtius, hodie tamen, quis ſit, omnino eſt obſcurum.

Fluxum ſanguinis è naribus ſiſtit ſapphirus adhibita fronti. Etiam eum, undecumque erumpat, ſiſtit Sardius. De hæmatite, vel ipſo nomine edocemur. Ac eaſdem cum hæmatite vires habet, magnes; ut docet Galenus lib. IX de Simplicium Medicamentorum Facultatibus. Atque eandem vim, & alias, ei tribuit Galenus lib. V de re Medica, cap. CV. Item jaſpis rubra omnem ſiſtit fluxum ſanguinis, ſive è naribus, ſive ex hæmorrhoidibus, ſive ex vulneribus. Lapis cyprinorum ſive carpionum à Belgis ſolet naribus adhiberi ad ſanguinem ſiſtendum. Apud Nicolaum Monardes legas, ut in nova Hiſpania ſit Jaſpidis genus, quod lapidem ſanguinalem, vel hæmatiten dicere poſſumus: eo ſiſti fluxum ſanguinis ſive è naribus is ſit, ſive menſium, hæmorrhoidum, aut vulnerum: ſed requiri, ut æger eum lapidem in aqua frigidum dextra premat. Etiam umbilicus marinus, qui lapis in orificio limacis creſcit, ſanguinem ſiſtit, quocunque è loco fluat: ut videre eſt apud Andream Baccium libro de gemmarum & lapidum pretioſorum natura, cap. XL.

Infantibus utile dari corallium, ut eo atterant gingivam. Sic enim eam reddent tenuiorem, ut facilius, ac dolore minori dentes emittant. Dentium quoque dolorem mitigat ſuccinum cum vino decoctum.

Cap. XXI.

De remediis adverſus morbos gutturis, & thoracis, pulmonis, & cordis, panos, raucedinem, ejectionem ſanguinis, tuſſim, ſyncopen, phthiſin, febrim; necnon de exuberantia uberum. Quibus adminiculantur lapis Aſius, chalcedonius Lotharingicus, aëtites, leucophragis, Germaniæ talcum, ſuccinum, bezoar, corallium, granatus, margarita, oſtracites, æs Cyprium, cos Naxia.

Habemus de morbis capitis: nunc accipe de illis gutturis ac thoracis.

Aſii lapidis flos admiſtus pici, vel reſinæ diſcutit ſtrumas, & panos: ut ait Plinius lib. XXXVI, cap. XVII.

Chalcedonii Lotharingici, ut auctor eſt Symphorianus Campegius, raucedine laborantibus vocem reddunt clariorem.

Aëtites medetur pulmonis ulceribus, & ejectioni ſanguinis: ut eſt apud Trallianum lib. VII, cap. 1. Etiam ſanguinem exſpuentibus conducit lapis morochthus ſive leucophragis. Item lapis, à Germanis vocatus talcum, cum aqua plantaginis.

Ad tuſſim datur pulvis ſuccini decoctus cum aqua decoctionis guajaci. Nimirum, quia ſiſtit capitis defluxiones.

Cordis palpitationi medetur lapis bezoar, ſi duo ejus grana quotidie matutino tempore cum meliſſæ aqua ſumantur.

Cor recreat & roborat coralium: eoque multum juvat in morbis venenatis ac peſtilentibus.

Granati (carbunculi id genus) in pulverem redacti; à medicis adhibentur in electuariis, ut vocant cordialibus. Modum præparandi tradit Anſelmus Boëthius de Boot Brugenſis lib. II de Lap. & Gem. cap. XXV. Atque idem

cap. XXXI ait, hyacinthum orientalem tueri cordis virtutes, atque animi parere alacritatem. Sapphiri quoque cor corroborant, & lætitiam adferunt. Margaritæ idem præſtant; unde iis utuntur in ſyncope & melancholicis affectibus: item phthiſi, febribus ardentibus. Præcipuè autem utendum diamargarito frigido in febribus malignis & peſtilentibus, quia frigore ſuo nimium imminuit calorem. At diamargaritum calidum uſurpatur, in deliquiis, ſive à corde, ſive à ſtomacho. Nam calore ſuſcitat ſpiritum ſopitum. Cordi etiam peramicum eſt ſuccinum: eoque ſpiritus cordis purgat, recreat, ac corroborat, animi deliquium, ac cordis palpitationem prohibet.

Uberibus inflammatis conducit oſtracites.

Aſii lapidis flos admiſtus æri Cyprio mammarum vitia emendat: ut ait Plinius lib. XXXVI, cap. XVII.

Mammæ ne extumeſcant, cote Naxiâ præſtari, apud Dioſcoridem legas lib. V, cap. CXXV.

Cap. XXII.

De remediis ex foſſilibus adverſus morbos ſtomachi, & hepatis, hydropem, phthiſin, maraſmum; nimirum de jaſpide, ſuccino, lapide, cyprinorum, gagate, alabaſtrite onychis, & margaritis.

Habes fere de colli ac thoracis morbis. Vide nunc de illis ventris, ac primùm, qui ſtomachi ſunt, & hepatis.

Stomachum & ventriculi os corroborat jaſpis viridis de collo ſuſpenſa: ut eſt apud Galenum lib. IX de Simplicium Medicamentorum Facultatibus. Item Aëtium lib. II Tetrabibli, cap. XVII. Ac ibidem legas, Nechepſon, Ægypti regem, præcepiſſe, ut in gemma hac certa imago ſculperetur: ſed experientiâ ſe id comperiſſe, tantundem poſſe jaſpidem, à qua abſit ſculptura iſta. Nempe figuræ & characteres nullam vim tribuunt gemmis, vel ullis lapidibus.

Ventriculum corroborat pulvis ſuccini, ac adhærentes ejus tunicis humores propellit. Lapis cyprinorum dicitur prodeſſe ventriculo imbecilli ex crapula.

Gagates ventriculum corroborat, dum humores ſuperfluos conſumit, inque halitus redigit. Ac eadem de cauſſa jecori conducit.

Ventriculi doloribus medetur alabaſtrites onychis habens colorem: ut traditum Galeno lib. IX de Simplicium Medicamentorum facultatibus.

Hydropicorum aquas aſciticas miraculi inſtar brevi, urinæ promotione, ſuccinum educit, ut ait Anſelmus Boëtius lib. II de Lapidibus, cap. CLX.

In phthiſi, & maraſmo, multum conducunt margaritæ, ſi bene præparentur.

Cap. XXIII.

De remediis ex foſſilibus adverſus morbos lienis, veſiculæ fellis, renum, veſicæ, inteſtinorum, atque ani, lapide Armenio, cote Naxia, quinta eſſentia margaritarum, berillo, lamina auri, cryſtallo, jaſpide, bufonite, coralliis, ſuccino, lapide piſcis manati, perca, oculis cancrorum, lapillis palumbellarum, lyncurio, lapide Syriaco, ophite, belemnite, galaxia ſive morochtho, gagate, bezoare, malachite, ſmaragdo, talco, pulvere ſapphiri.

Nunc pergam ad morbos ventris. Lapis Armenius, ut & lapis Lazuli, magnopere educunt atram bilem, uti refert Ant. Muſa Braſſavolus a. Itaque ab his remedium quoque quartanæ, apoplexiæ, epilepſiæ, ephialtæ, inſaniæ, vitiis lienis, & aliis affectibus melancholicis. Adverſus deliria, & melancholiam lapidem Armenium valere, etiam apud Trallianum legas lib. I, cap. XVI. Etiam melancholicis dari præcipit Aëtius lib. II, cap. XLII. Ac quia melancholicos humores expellit, etiam impedit augmentum cancri.

a *Lib. de medicamentis purgantibus.*

Cote Naxia, ſi cum aceto bibatur, extenuatur lien: ut eſt apud Dioſcoridem lib. V, cap. CXXV.

Lienis obſtructiones, atque hepatis aperit aqua à margaritis, quam ſpagyrici vocant quinctam eſſentiam. Vide de ea Anſelmum Boëtium lib. II de Gemmis, cap. XXXVIII.

Ictero medetur berillus: ut ait Pſellus de lapidum virtutibus.

Auri lamina renes roborat, & iis appoſita dolores ſedat. Legas apud nonnullos, in his Weckerium lib. V de Secretis, eam vim habere tum aurum, ſi laminæ ſit impreſſa leonis figura, & quidem id factum ſit Sole in ſigno Leonis conſtituto, Lunaque non adſpiciente domum ſextam. Nempe hoc pacto opinionum quibuſdam præſtigiis illuditur ſimplicioribus. Seu figuram impreſſeris, ſeu minus, nihil hoc ad rem facit. Auri ea vis eſt, non figuræ. Atque aliter ſi eſſet, ad tacita cum dæmonibus pacta referrem, quia non ab auro foret, ſed remedio occulto, quod præſtaret malus ſpiritus, homine ignorante.

Renum atque adeo viſcerum omnium obſtructionibus medetur cryſtallus, ſi in pulverem redigatur: quemadmodum tradit Quercetanus.

Jaſpis geſtata impedire dicitur generationem calculi. Bufoniten, ſive, ut Galli vocant, crapaudinum, tollere aſſerunt inveteratos quoque renum dolores, ac prohibere calculi generationem. Sic corallium expellit renum, & veſicæ calculos. Pariter calculo ſuccinum liberat.

Calculum comminuit, ac ut in arenulas ſolutus emittatur, lapis præſtat qui è capite piſcis manati in India Occidentali reperitur. Qua de re Conſalvus Ferdinandus Oviedus in Indiæ Occidentalis Hiſtoria lib. XIII, cap. VII & X. Eundem eſſe, ac qui in tuberonis piſcis capite reperitur, Caroli Cluſii judicium eſt. Imò & in perca piſce parvo, qui corvus vocatur, duo reperiuntur lapides oblongi, plana, alteraque parte dentati: quibus Germani ac Bohemi, ut ait Anſelmus Boëtius a, crebro utuntur ad hoc malum averruncandum. Adſumunt autem communiter cum vino tenui. Si verò ureteribus inhæreat, mos eſt eum parti, ubi dolet, ſupponere, ut ſic decidat in veſicam.

a *Lib. 2 de Lapp. cap. 138.*

Calculo proſunt lapilli, qui dicuntur cancrorum oculi, præſertim in pulverem redacti, & hauſti cum vino diuretico, quomodo calculum rumpunt. Item lapilli ex aviculis, quas Romani hodie palumbellas, Longobardi Saſſarolos vocant.

Magna lyncurio vis tribuitur in calculis nephritidos imminuendis: ac regio præterea morbo medetur. De utroque auctor Solinus cap. VIII.

Eſt in jaſpidum genere lapis nephriticus, ita dictus ab eximia facultate adverſus morbum nephriticum: cujus rei manifeſta documenta adducunt Nicolaus Monardes, Medicus Hiſpalenſis, Anſelmus Boëtius libro II de Lapidibus & Gemmis, cap. CX. Adi & civitatis hujus Amſtelodamenſis antehac Medicum τοῦ μακαρίτου Augerium Clutium, de lapide Nephritico, ſive *Calſiwee*: quo de ejus egit viribus. Succinum geſtatum dicitur citò calculo liberare, ſi in pulverem redigatur, & ex vino bibatur, addito ſemine paliuri. Etiam cum guajaco pulvis ſuccini coctus renum vitia corrigit.

Lapis Syriacus, ſive Judaicus, ſi teratur, & è calida bibatur, adverſus calculum renum efficax eſt: nec minus valet adverſus calculum veſicæ. Auctor de utroque Aëtius lib. II Tetrabibli, cap. XIX. Imo & *tecolythos* iccirco Plinio, & Aëtio vocatur: nempe ἀπὸ τοῦ τήκειν τοὺς λίθους, quia lapidem liquefaciat, atque abſumat. Ophites lapis (eſt genus marmoris) vi, quam habet, extergendi, ac frangendi, conterit, & frangit calculum veſicæ, ſi ex vino albo, ac tenui, bibatur: ut eſt apud Galenum lib. IX de Facultatibus ſimplicium Medicamentorum.

Cal-

Calculum Saxones, Boruſci, Pomerani, etiam Hiſpani, non aliter frangunt, quàm lapide Judaico, belemnite, ſive dactylo Idæo, qui belemnites vocatur ex eo, quod Græcis βέλεμνον ſit telum, cujus effigiem refert: Dactylus verò Idæus nominatur, quia & figuram refert βελέμνου, ſive teli.

Dolori veſicæ occurritur propinando ex aqua lapidem morochthum, ſive galaxiam, qui & graphis, & leucosphragis dicitur. Gagates eſt diureticus: humorem enim per urinam expellit, ac quia idem vim habet corroborandi eo humores ſuperfluos conſumit, inque halitus digerit. Vermibus conſulitur lapide bezoar propinato cum aqua graminis, vel cardui benedicti.

Colico morbo medetur malachites ſive molochites lapis cum lacte propinatus. Pulvis gagatæ dragm. unius pondere, ex vino ſeptem diebus hauſtus colicum morbum penitus profligat *a*. Cryſtallus ſi in pulverem redigatur *b*, cito ſiſtit fluxum cholericum, vel cœliacum. Cœliacis etiam conducit morochthus ſive galaxias lapis, ex aqua propinatus.

a *Anſel. Boet.* 2. 165.
b *Idem* 2. 74.

Alvi & ſanguinis fluxum, ac imprimis dyſenteriæ ſiſtit ſmaragdus, ut ait Avenzoar. Eſt id ab ejus naturâ frigida, & ſicca. Ac firmat Antonius Guainerius, qui extra controverſiam ponit dyſenteria liberatum iri, cujus ventri adhibitus ſit ſmaragdus. Etiam cryſtallus tenuiſſimum in pulverem redacta, hauſtaque cum vino eidem morbo medetur. Diarrhœa, ac dyſenteriæ etiam prodeſt pulvis ex corallio præparatus, aſſumtusque cum vino Rhenano, vel aqua cum aceto. Dyſenteriam quoque ſedat lapis, qui talcum à Germanis vocatur, cum aqua plantaginis. Hæmorrhoides ſanat aqua è margaritis præparata: de qua Chymici, & Anſelmus Boëthius Rodolphi II. Imp. Medicus lib. II de Lapid. cap. XXXVIII. Atque ait non margaritis modò, ſive ut appellant, perlis, hanc vim ineſſe, ſed etiam iis, quas matres perlarum vocitant. Etiam hæmorrhoides ſanat Sapphiri pulvis, ſi interius adſumatur cum aqua plantaginis, vel aliis affectui huic mederi idoneis. Etiam ab jaſpide, & aliis gemmis, remedia adferebam, cum de fluxu ſanguinis è naribus agerem. Ac apud Nicolaum Monardes legimus, ut & hæmorrhoidum, & menſtruorum fluxus ſiſtatur, continuò geſtando lapidem ſanguinalem, qui ex Nova Hiſpania defertur.

Cap. XXIV.

De morbis artuum; manuum, pedumque rimis, podagra, morbo articulari, itemque iſchiade: ac horum remediis lapide Indico Manarde, ſarcophago ſeu lapide Aſio, cryſtallo, aëtite, lapide ſabuloſo Palatinatus, & nephritico ex jaſpidum genere.

Conſequi videtur, ut agamus de manuum, genuum, ac pedum morbis, ſive, ut univerſè dicam, de arthritide. Atque ob communem naturam, etiam de iſchiade.

Articulorum tophos comminuit ochra: ut eſt apud Dioſcoridem. Etiam morbo articulari medetur ſuccinum: quia catarrhos compeſcit. Efficacius autem, ſi cum guajaci ligno coquatur.

Rimæ manuum pedumque, teſte Nicolao Manardes, ſanantur lapide Indico, qui exinde dictus manualis. Aſius lapis ſive ſarcophagus, *podagras lenit, pedibus in vaſe, ex eo cavato, inditis*: ut ait Plinius lib. XXXVI, cap. XVII. Atque addit, *omnium crurum vitia in iis lapicidinis ſanantur, cum in metallis omnibus, crura vitientur.*

Cryſtallus, ſi in pulverem redigatur, tartarum, ut vocant, in homine reſolvit, eoque podagris prodeſt: ut eſt apud Anſelmum Boëthium lib. II de Lapp. cap. LXXIV.

Aëtites articulari morbo mirificè prodeſt: ut eſt apud Aëtium lib. II Tetrabibli, cap. XXXII: atque id hauſit ex Theophraſti libro de lapidibus.

Thomas Eraſtus ait mire adverſus podagram prodeſſe lapidem ſabuloſum qui prope Heidelbergam reperitur. Videtur eſſe, qui veteribus πῶρος dicitur.

Iſchiadico morbo, quem corruptè *ſciaticam* appellant, medetur lapis nephriticus, qui in Jaſpidum eſt genere: imò & propterea Italis, vocabulo ex *ſciatica* corrupto, vocatur *oſiada*: uti ab Italico illo Gallis dicitur *une ſiadre*.

Cap. XXV.

De remediis morborum iis in partibus, quæ generationi inſerviunt. Ubi de gonorrhœa, tentigine, menſibus, fluxu, abortu, partu, quæque eò ſpectant ſuccinum, ſapphirus, corallium, cryſtallus, oleum gagatæ, rubra jaſpis, galaxias, ſmaragdus, lazulus, aëtites.

Deinceps tranſeamus ad morbos ventris cæteros: ſuperſunt enim illi qui partium ſunt nobis datarum, non tam ut ſinguli, quam ut genus humanum conſervetur. Sapphirus in annulo, vel aliter geſtata, impedire dicitur Veneris tentiginem: atque ideo ajunt geſtari debere à ſacerdotibus & aliis, qui perpetuam continentiam voverunt. Corallium ſiſtit tum virorum gonorrhœam, tum menſes mulierum. Atque utrumque etiam præſtat ſuccinum.

Albos uteri fluxus ſiſtit cryſtallus, ſi in exiguiſſimum pulverem redigatur. Oleum ex gagate deſtillatum, petroleo ſimile, ſed eo calidius, ſi eo natura muliebris inungatur, cito uteri ſuffocationem compeſcit. Immodicum menſium fluxum mirificè compeſcit rubra jaſpis, ſi femori alligata geſtetur. Quod manifeſtis ſe experimentis comperiſſe refert Anſelmus Boëthius, Cæſaris Rodolphi II. Medicus, lib. II de Lapid. & Gemmis, cap. CII. Etiam menſes imò omne ſanguinis profluvium, undecumque erumpat, corallium ſiſtit. Succinum quoque menſes retentos ciet: uteri ſtrangulationem prohibet, arcet ejus fluorem, ac eundem purgat. Fluxui matricis etiam conſulitur, imponendo ei cum lana peſſi forma lapidem morochtum ſive galaxiam: ut idem ait Boëtius libro II de Lapp. cap. CCXXVIII. Menſtruorum fluxum ſiſtit lapis Germaniæ vocabulo vocatus talcum.

Si ſuccinum, in pulverem redigatur, & bibatur, gravidis præſtat leviorem fœtus geſtationem. Smaragdus coxæ mulieris adalligatus partum accelerat *a*: ſed ventri adhibitus, eundem moratur. Sardius quoque alligatus ventri creditur partum conſervare. Item jaſpis alligata femori roborat conceptum, & promovet partum. Succinum etiam ajunt facilem partum præſtare. Expedit autem ejus pulveri addi parum croci, & decoctum artemiſiæ. Item gagatæ pulvis potatus accelerat partum.

a *Anſel. pag.* 199.

Lapis lazuli impedit abortum: ſed ne moretur, vel etiam impediat partum, ejus tempore ſeponi oportet.

Aëtites lapis dicitur facilem præſtare partum fœminis: ac id compertum ajunt, ex eo quod aquilæ, unde & ἀετίτης nomen, binos aëtitas nido inferant, ut ex ovis terris binos excludant pullos. Meminit lapidum iſtorum Lucanus in VI:

Quaque ſonant fœta tepefacta ſub alite ſaxa.

Sed Ægyptii putarunt eò lapides inferri, ut nidus eorum pondere depreſſus firmius ventorum injuriis reſiſtat. Itaque aquila lapidem nido inferens ſymbolum iis fuit hominis, qui ſtabilem fixiſſet ſedem: ut eſt apud Orum in Hieroglyphicis. Puto autem hoc nomen corruptè legi apud B. Hieronymum in Eſaiæ cap. LXVI *b*: ubi adducit illud è Deuteronomii XXXII: *Sicut aquila protegit nidum ſuum, & pullos ſuos deſideravit, expandens alas ſuas ſuſcepit eos, & portavit in humeris ſuis.* Deinde iſta ſubjungit: *Ajunt, qui de animantium ſcripſere naturis, omnium quidem beſtiarum & jumentorum & pecudum, aviumque ingenitum eſſe in filios pulloſque ſuos affectum: ſed maximum eſſe amorem aquilarum, quæ in excelſis, & inaceſſis locis nidos collocant, ne coluber fœtus violet: amethyſten quoque inter pullos ejus lapidem reperiri: quo omnia venena ſuperentur.* Ubi pro *amethyſten* planè

b P. 255. edit. Frob.

planè *aëtiten* ſentio reſcribendum. Vel hoc verum eſt, vel memoria feſellerit Hieronymum.

Multum autem refert, quomodo hoc lapide utamur. Nam promovet quidem partum ſi alligetur femori; brachio autem alligatus retinet fœtum. Præterea quia ad ſe attrahendi vim habet, eo poſt partum amovendus: ne ipſam attrahat matricem: quod contingit, ſi quæ obliviſcatur mox à partu eum auferre. Id exemplo feminæ, quæ propterea matrice etiam excidente, mortua ſit Valentiæ, comprobat Valeriola. Quam verò vim habet aëtites, eandem habere creditur callimus. qui in aëtite gignitur. Interdum pro callimo reperitur argilla, vel terra. Sed dubitatur an tum, aëtites dici debeat. Ulceribus penis, aliorumque locorum, morboque Gallico mire prodeſt pulvis angelicus, ut Nicolaus Maſſa vocat, ſive argentum vivum præcipitatum: quod quomodo fiat, docet Euonymus Philiatros in Theſauro de remediis occultis *a*.

a P. 361. & 463.

Cap. XXVI.

De morbis partium ſimilium, uti oſſium, nervorum, carnis, cutis, aliarumque; fracturis, ſpaſmo, ulceribus, tuberculis & excreſcentiis, tumoribus ac inflammationibus, ſcabie, lepra impetigine, eryſipelate, vibicibus, pſora, pediculari, alopecia. Ubi conducunt oſteocolla, magnes, margarita, calx, chryſocolla, æs plumbumque uſtum, molochites, ochra, ſapphirus, bezoar, ſulfur, ſquama ferri, hydrargyrum, cos Naxia.

HActenus dictum de morbis partium diſſimilium ſive organicarum. Nunc aliquid etiam tangam eorum, quæ pertinent ad paſſiones partium homogenearum, ſimplicium, ſive ſimilium, vel ut vulgò dicunt ſimilarium: hoc eſt, earum, ubi partes ſingulæ toti, atque inter ſe ſimiles ſunt: quales ſunt os cartilago, ligamentum, muſculus, membranæ, tendo, nervus, arteria, vena, caro, cutis. Ac alii quidem morbi ſunt oſſium, ut fractura eorum, aut luxatio: alii nervorum, ut ſpaſmus: alii carnis ac muſculorum; vel cutis, ac membranarum, &c. Quamquam horum morbi complures non ſolum partium ſunt ſimilium, ſed etiam organicarum: imò quidam organicarum, per ſe, per accidens verò ſimilium. Aliqua igitur horum morborum, qui penè omnes externi, remedia tangamus.

Oſſa fracta, quæ non niſi XL dierum ſpatio ſanari ſolent, intra dies tres, quatuorve, ſanat lapis, qui oſteocolla, rectiùs, quàm oſſifragus vocatur, etſi Germanis *Beinbruch* dicatur, non quia frangat oſſa, ſed fractis medeatur. Vide quæ de hac virtute ſcribit Matthiolus ad Dioſcoridem lib. v, cap. CIX. Ac firmat eam rem, Joſephus Quercetanus, teſtis ejus rei oculatus. Quorum & fide nixus, idem prodit Anſelmus Boëtius, Medicus, dum viveret, Cæſareus, lib. II de Lapid. & Gemm. cap. CCXXXV. Nec tamen tam celerem ſanationem perſuadere potuerunt Guilhelmo Fabricio Hildano Obſervationum Chirurgicarum Centuria III, Obſervat. XC.

Magnes ſi de collo geratur pendulus ſpaſmo medetur, nervorumque cohibet dolores.

Margaritæ item roborant cerebrum, & nervos.

Theophraſtus Paracelſus magnetem adhibet emplaſtris ad ferrum ſagittæ è vulneribus extrahendum. Nempe quia ea magnetis indoles, ut attrahat ferrum. Sed utitur quoque ad educendam omnem ſaburram vulneribus inhærentem: idque, non inutili conatu, ut judicium eſt Anſelmi Boëtii lib. II de Lapp. & Gemm. cap. CCLIII.

Calx, quia calore ſuo vim habet diſcutiendi, & extrahendi, eò coërcet ulcera ne ulterius ſerpant: ut indicat Plinius lib. XXXVI, cap. XXIV. Ad cicatricem quoque eadem perducit, ſi temperetur aceto, & roſaceo. Vide Galenum in nono de Simplicium Medicamentorum Facultatibus.

Ulceribus, quæ difficillimæ ſunt curationis, utiliſſima eſt chryſocolla tum nativa, ſive foſſilis, tum etiam factitia. Cujus cauſſa eſt, quòd utraque digerat & exſiccet.

Ulcera eorum, quibus mollior eſt caro ad cicatricem perducuntur ære uſto ac loto *a*: at ſine lotura ſi caro fuerit durior. Ac vis ſimilis plumbo uſto, quod fit è cadmia *b*: ut & Galeno traditum. a Agricola p. 683. b P. 667.

Molochites, genus jaſpidis, vel praſii, curare dicitur ulcera virulenta, ſi miſceatur vino ardenti *c*. Etiam ad ulcera prodeſt corallium, quæ carne explet. Vis foſſilium ſaporem aquis conferendi: item ſanandi ulcera aliiſque morbis medendi, & cauſſas eorum, luculentè exponit Bartholomæus Maranta Venuſinus, libro de aquæ Neapoli in Luculliano ſcaturientis, quam ferream vocant, metallica materia ac viribus *d*. c Anſelm. d Neapoli produt anno 1559. in 4.

Ochra tubercula diſſipat, & excreſcentias in carne coërcet. Eſt hoc à vi adſtringendi, atque erodendi, quam illi tribuit Dioſcorides. Tumoribus & inflammationibus conſulitur, ſi ocyus imponatur ſapphirus. Item ſi quamprimum parti contuſæ imponatur, ac validius ſapphiro preſſeris, impedit, ne pars contuſa inflammetur *e*. e Anſelm. l. 2. c. 43.

Sapphirus etiam geſtata minuere dicitur ſcabiem *f*. f Anſelm.

Lapis bezoar multùm medetur lepræ Arabum, ſive elephantiaſi Græcorum: item impetigini, eryſipelati, & vitiis aliis, quæ à melancholico humore provenientia obſident cutim.

Lepræ, ſcabiei, & aliis cutis affectionibus medetur ſulfur: cujus cauſſa eſt, quòd ſit pingue & ſiccum, eoque igneum habet calorem qui noxium humorem abſumit.

Vibices etiam flagrorum delentur emplaſtro quod *δι' ὤχρας* *g* vocatur. Vide de eo Aëtium lib. XV. Sulphur cum reſina terebinthina, vel melle, exterget ac ſanat pſoras lepram. Nempe quia calidi eſt temperamenti, & tenuium partium, ac vim habet attrahendi. g Ex ochra.

Sulphuris eſt factitii genus ex ſulfure foſſili, & ſquama ferri, ſimul coctis, ac deinde in urceos transfuſi. Hoc vulgo dicitur *caballinum*, quia equorum ſcabiei medetur. Pediculos abigit, vel necat, hydrargyrum capiti alligatum: ut tradit Valeſcus, & ex eo Hieronymus Montuus *h*. Alopeciam pilis explet Cos Naxia: ut eſt apud Dioſcoridem lib. v, cap. CXXV. h Lib. de ſalubritatis tuenda, cap. 5. pag. 151.

Poſtremò, quantæ efficaciæ in chymicis ſit ſulphur, alumen, ſal, chalcantum, nitrum, chalcitis, ex Puteolano agro effoſſa, dicet Jul. Cæſar Capacius lib. II hiſt. Neap. pag. 753, & ſeqq. Reliqua remedia ubi ad morbos deventum, pete ex indice Euonymi, in Theſauro de ſecretis remediis. Qui Euonymus, etiam de auro potabili agit pag. 248, & deinceps, uſque ad 258. De argento vivo, auripigmento, &c. pag. 460, & ſeqq. De oleis ex metallis pag. 407, & ſeqq. De quincta eſſentia metallorum, idem p. 168, uſque ad 172. Quid verò per *quinctam eſſentiam* intelligatur, legeſis pag. 131. Joannes Braneſtus putabat quinctam eſſentiam ex ſolis metallis requirendam, pag. 138. De auro potabili parando, ejuſque effectibus, conſule Alexium Pedemontanum de Secretis lib. I, pag. 18. ubi & in tranſitu de argento potabili.

Cap. XXVII.

De utilitate, quam ex foſſilibus capiunt artes medicinæ famulantes: ut quarum vaſa, atque inſtrumenta maximam partem materie foſſili conſtent, ex alabaſtro, ferro, chalybe, &c.

PErcurrimus, quantum utilitatis ex lapidibus, ac metallis, rediret ad omne morborum genus. Egimuſque de iis, quæ proximè morbos attingunt. Sunt verò quædam foſſilium commoda, quæ non primò & per ſe homini medeantur; ſed eo nomine pertineant ad medicinam, quod materiem præbeant vaſis, atque inſtrumentis, quibus ad hoc opus, chirurgis, ac pharmacopæis, ut medico famulentur. Hujuſmodi eſt, quod my-

myrothecium, ſive vaſculum, quo reconderentur unguenta, ex alabaſtro fere erant; unde & *alabaſtrum* dicitur Martiali. E ferro item, vel chalybe ſcalpellus, quo ſolent φλεβοτομεῖν a. Item forfex, vulſella, & quam ὀδοντάγραν vocant. Varro, ſecundùm Nonium, *odontagagam*, ὀδονταγωγὸν Eraſiſtratus, &, ejus exemplo, *dentiducum* dicit Cælius Aurelianus: qui, & fide ejuſdem Eraſiſtrati, refert, in templo Apollinis fuiſſe μολύβδινον ὀδονταγωγὸν, *plumbeum dentiducum*: ut eo commonerentur homines, non facilè odontagrâ utendum; ſed tum demum ſi facilè adeò evelli dens poſſet, ut plumbea odontagra ad extrahendum ſufficeret. Ex ære ὁ καθετὴρ, unde Celſus *æneam fiſtulam* appellat. Eſt id inſtrumentum, quod peni inſertum aperit meatum urinarium, atque ita prolicit urinam. Quid de cauterio, pericharactere, ut Aurelianus vocat, & tot aliis, dicam.

a Venam ſecare.

Cap. XXVIII.

De uſu foſſilium in κομμωτικῇ ad cutem reddendam candidam, tingendos pilos, ſimiliaque mangonia, in quibus utuntur ceruſſa, ampelitide, antimonio, gypſo, pulvere Sardii, coralliis, creta, lithargyro, ſale ammoniaco, calce viva, auripigmento, argento ſublimato, argento vivo, argento, alumine, vitriolo, pumice, chalcantho, myrrha, balineis aluminoſis, ſulfure, talco, ſelenitide ſeu lapide ſpeculari.

EX his perſpicere fuit bonitatem divinam, quæ tot nobis bona in foſſilibus conceſſit, non ſolum ad rem cibariam, ſed etiam medicinam. Nec tamen plenè mihi eam partem videar exſecutus, niſi aliqua etiam attigero ex peritia κομμωτικῆ, & doctrina magica. De priori ſcitè Plato in Gorgia: ubi docet, ſicuti duæ ſunt ſcientiæ, quæ corpus curent, videlicet γυμναστική, ſive exercitatoria, quæ valetudinem conſervat, & ἰατρική, ſive medicina: ita quoque duplicem eſſe κολακείαν, ſive adulationem: priorem reſpondere gymnaſticæ, ac dici κομμωτικήν: alteram eſſe ἀντίστροφον a medicinæ, & vocari ὀψοποιητικήν. Ex his κομμωτικήν ita corpus fucare, ut qui ſanus non eſt videatur ſanus; quique deformis, formoſus. At ὀψοποιητικήν non valetudini corporis, ut facit medicina, ſed cupediis, ac gulæ famulari. De his fuſius actum nobis lib. de Natura ac Conſtitutione Rhetorices, cap. 11. Ac ſi hanc quidem Platonis ſententiam ſequamur: nec γυμναστική, nedum κομμωτική, pars fuerit medicinæ. Et ſanè etiam Hippocrates lib. de Locis γυμναστικὴν b, & ἰατρικὴν c, adverſas conſtituit. Quamquam verò hæc ita ſint, non tamen diffitendum, laxius ſæpe accipi à veteribus Medicinæ nomen, ut Γυμναστικὴν comprehendat: de quo alibi nobis dictum. Unde eſt, quod & Medici κομμωτικὴν curent; præſertim qui in aulis principum degunt, atque in multis neceſſe habent obſequi heroinis, & earum gynæceo. Quare aliqua ex adulatrice hac ſcientia, ut eam Plato appellat, excerpam, ut liqueat, quantum etiam utilitatis ex foſſilibus redeat ad κομμὸν, ſive nitorem fucatum, & non naturalem, ut Cicero appellat, ſive virgineos comtus, ut vocat Lucretius: etſi non minùs *femineos*, quam *virgineos*, poterat dicere.

a Ex altera parte reſpondentem.
b Gymnaſticam.
c Medicinam.

Ceruſſa, quæ Græcis ψιμμύθιον, plumbariis debetur officinis. Hac mulieres cutim reddunt candidam. Martialis lib. I, epig. LXXIII:

Sic quæ nigrior eſt cadente moro,
Ceruſſata ſibi placet Lycoris.

Item lib. VII, epigr. XXIV:

Et ceruſſatâ candidiora cute.

Pilis tingendis utilis, γῆ ἀμπελῖτις d ſive φαρμακῖτις. Itaque additur ad καλλιβλέφαρα e.

Stibio, quod & ſtimmi vocatur, inque officinis *antimonium*, feminæ cilia nigrore pingebant, quo viderentur formoſiores: ut Plinius autor eſt. Atque ideo γυναικεῖον f dixere, uti & πλατυόφθαλμον, quia oculi mangonio ejuſmodi videantur dilatari. Vulgatus interpres Hieremiæ cap... *Cum pinxeris ſtibio oculos tuos, fruſtra componeris.* , Et Ezechielis cap.......... *Circumliniſti tibi oculos tuos ſtibio, & ornata es modo muliebri.* Et lib. II ſive IV Regum cap......... *Depinxit oculos ſuos ſtibio, & ornavit caput ſuum.* Mulieres manibus ſolent candorem conciliare gypſo. Unde Rufinus in epigrammate:

d Terra ampelitis.
e Fucandis ſuperciliis.
f Muliebre.

Ἀντὶ δέ μοι παίδων ἀδόλου χροὸς ἤρεσε γύψος,
Χρίσματα, καὶ φύκος εἶδος ἐπεισόδιον.

Mihi verò pro puerorum nativo colore, placuerunt unguenta gypſi, & forma fuco conciliata.

Imprimis verò is mos mulieribus barbaris. Hinc Valerius Flaccus in II Argonaut.

Picta manus, uſtoque placet, ſed barbara mento.

Apud Ciceronem etiam legas lib. VII, epiſt. VI: *Manibus gypſatiſſimis perſuaſit, ne ſibi illæ vitio verterent quòd abeſſet à patria.* De Medea ſermo eſt. Sed puto non tam loqui de Medea illa heroina, quam quæ in dramate ejus perſonam repræſentaret. Hiſtriones enim gypſo vel creta candefaciebant, pro perſona, quam ſuſtinerent.

Livorem dentium, ac ſordes, affrictu ſuo corrigit pulvis ſardii, ſive, ut nunc vocant, corneoli.

Ex ramentis plumbi, & aceto fit unguenti genus, quod ceruſſa dicitur, (de hoc & initio capitis) ex Græco κηρωτα, quia ceræ ſimilis ſit. Pleniùs modum conficiendæ ceruſſæ docet Iſidorus lib. XIX, cap. XVII. Hujus uſus in κομμωτικῇ, ad alborem faciei conciliandum.

Cretâ vel gypſo albos faciebant ſervorum venalium pedes. Unde Tibullus:

—— —— *Quem ſæpe jubebat*
Barbara gypſatos ferre cataſta pedes.

Et Juvenalis ſat. I:

Nuper in hanc urbem pedibus qui venerat albis.

Ad candorem faciei conciliandum ſpumæ argenti libr. ſem. tritam cerne, & in aceti albi lib. II decoque, & usque dum tertia pars conſumta rudicula agitato, decoctam deſtilla, hac faciem & collum illine. Ita Epiphanius. Sal Armeniacus inſperſus ſuperciliis eorum defluvium ſiſtit a: nempe conſumit acrimoniam humoris, ob quam male nutriti excidebant. Si facies ſit piloſa, faciem glabram reddes pſilotris ex ammoniaco puriſſimo, calce vivâ, auripigmento, atque aliis: ut pluribus docet Hieronymus Montuus lib. de Salubritatis tutela cap. ult. b Lentigines faciei pellit ammoniacum puriſſimum in aqua ſolutum, & impoſitum: ut tradit Saracenus c. Ἰόνθοις ſive varis pellendis valde efficax eſt metallorum aqua ex deſcriptione Arnaldi, & Bertapaliæ. Commendat quoque Hieronymus Montuus lib. de Salubritatis Tutela d. Ubi & remedia ſuppeditabit ex argento ſublimato, item argento vivo, aliiſque. Ὑπωπίοις ſive ſugillatis conducit Lithargyrum cum melle tritum, & fabæ freſæ admixtum. Veſtigia exanthematum delet, lithargyrum, ut ait Sylvaticus. Pluraque ex Aquilano, & aliis, ſuggeret Hieronymus Montuus lib. de Salubritatis Tutela. e.

a Montuus pag. 263.
b P. 266.
c Montuus item pag. 275.
d P. 276.
e P. 278.

Cicatrices ex uſtura delet ac pilos reducit cataplaſma ex calcis vivæ drachma I, cum adipis porcini cocti & colati libræ ſem. f Auctor Marcellus Empiricus. Etiam faciei & cutis maculas tolles aqua ex argento vivo: ut eſt apud Hier. Montuum g.

Adverſus ῥαγάδας ſive ῥήξεις, hoc eſt, fiſſuras faciei, papillarum, vel alterius partis, utilia ſunt lithargyrum, argentum, argenti ſpuma. De quorum uſu, ſæpe memoratum & memorandum vide Hieronymum Montuum h.

Alumen cum aqua roſacea, ſalviæ, origani aliiſque aſſumtum dentes præſtat candidos. Modum præparandi plenius explicat Hieronymus Montuus lib. de Salubr. Tut. i.

Etiam ibidem legas, quo pacto alumine & vitriolo conſequamur, ut ne gingivæ fluxione teneantur. Item ut medeamur iis exeſis.

Pumicis loco, ad pilos auferendos, feminæ etiam utuntur oſtracite, qui Germanis *topfſtein*.

f Montuus pag. 279.
g P. 280.
h P. 280.
i P. 281.

Βρογχοκήλη, quo ſignatur ingens gutturis, vel aſperæ arteriæ tumor, minuitur medicamento compoſito ex lithargyro, ammoniaco, & aliis. Item alio ex chalcantho.
a P. 289. De quibus plenius Hieronymus Montuus *a*.

Hircoſis axillis utile illini alumen liquidum cum myrrha, odorato vino diſſolutum. Item argenti ſpumam cum foliis myrti. Præterea lithargyrum cum foliis roſarum rubearum, & myrrha. Modum verò præparandi apud
b P. 286. & ſeqq. Hier. Montuum *b* vide.

Num & dignum memorari, adſtringi naturam muliebrem balneis aluminoſis? Aliaque ad id remedia apud Aëtium, & alios. Quibus referendis non eſt animus inſiſtere, quia pauci uſus, niſi ad decipiendum amantes.

Mulierem ſtupratam prodit ellychnium ammoniaco innuctum, ſi credimus Myrepſio.

Unguium maculæ delentur, ſi manus ſæpe indideris aquæ, in qua liquefactum ſit alumen.

Scabritiei unguium occurritur, ſi ex aceto imponas ſulfur quod necdum ſit expertum ignem, & ovi luteo æqua portione fuerit admixtum.

Feminæ lapidem, qui Germanis talcum dicitur, ac coloris eſt argentei, in liquorem ſolvunt, eoque faciei, collo, manibus candorem conciliant. Quomodo verò paretur hic liquor, enarrat Anſelmus Boëtius Brugenſis lib. II de Lapidibus & Gemmis, cap. CCXIV.

Atque eadem vis lapidi ſelenitidi, qui Galeno aphroſelenitis, ſive Lunæ ſpumæ, ac vulgo idem cum lapide ſpeculari exiſtimatur.

Veteres etiam pumice ſeſe lævigabant. Plinius lib. XXXV, cap. XXI: *Pumices ſunt in uſu corporum lævigandorum feminis, jam quidem & viris.* Lucilius lib. VII Sat.

Scabor, ſubvellor, deſquamor, pumicor, ornor.

Indeque dicebantur *pumicati*: ut Plinio in ſecundo epiſtolarum: *Qui titulus a vita hominis comti ſemper, & pumicati, non abhorrebat.* Eſt & Martialis lib. V in Dindymum:

Et pumicata pauperes manu monſtras.

Cap. XXIX.

De viribus, quas Magi foſſilibus adſignant, non ſolum adverſus morbos; ſed etiam fulmina, incantamenta, aliaque: atque adeo ad ingenium augendum, facundiam parandam, favorem virginum, mulierum, etiam virorum principum acquirendum. Ubi memorantur adamas, rubinus, ceraunia, hyacinthus, amethyſtus, malachites, chryſolithus cum imagine aſini, ſmaragdus, ſuccinum, corneolus, magnes, aetites, alectorius.

Vidimus de formæ mangonio, ac lenociniis. Venio nunc ad ingentia Magorum promiſſa, ſed vana. Atque ut ea vanitas manifeſtior fiat, non continebo me iis, quæ ajunt valetudinemque, vitamque conſervare, ac morbos pellere; ſed eàdem operâ adjungam, quæ aliis etiam in rebus magno cum hiatu pollicentur.

Adamanti ineſſe arbitrantur vim adverſus peſtilentiam, incantamenta, inſaniam, terribilia ſomnia, incubos, ſuccubos, & quid non? quæ opinio nullis æquè profuit, quàm gemmariis, ut cariùs ſuas divenderent merces. Ac ejuſdem monetæ putandum, quòd exiſtimatum, eo conjugum amorem foveri. Sanè aliquid ut potuerit memoria dulcium nuptiarum, ex conſpectu adamantis in annulo pronubo; atque inde *reconciliationis gemmam* dixerint: non tamen adamas naturâ ſuâ vim reconciliandi habet.

Rubinus etiam dicitur tutum à peſtilentia præſtare, cogitationes malas, ſomniaque triſtia avertere. Ad hæc tum libidinem coërcere: imò ſi quod homini infortunium immineat, immutatione coloris, indicium hujus rei facere geſtanti. Atque Andreas Baccius, libro de Lapidibus ac Gemmis, ſcribit, ſe hujus rei experimentum habuiſſe ex annulo ſibi à conjuge donato; qui ſæpius colorem mutârit, imminente uxori morbo letali, illaque mortuâ, priſtinum, receperit colorem. Cujuſmodi ſi vera ſint, nec caſu iſta concurrerint, non tam naturæ rubini tribuerim, quàm operationi ſpiritus per indicia ejuſmodi homines commonenti de periculo inſtanti.

Nec aſſis eſt, quod de ceraunia prædicant, ſive brontia, quem ajunt fulmine decidiſſe in terras, eoque tutum præſtare à fulmine. Ambigo, an digni ſint referri verſiculi ſuperiorum ſeculorum, quibus barbaries longe lateque graſſabatur. Sunt autem iſtiuſmodi:

Cùm tonat horrendum, cùm fulminat igneus æther,
Nubibus illæſus cœlo cadit iſte lapillus,
Qui caſtè gerit hunc à fulmine non ferietur,
Nec domus, aut a villa, quibus adfuerit lapis ille. a Aut pro nec repoſui, ne clauderet metrum.

Cautè additum illud *caſtè*: ut ſi contrà evenerit, quàm promiſſum à mago, vel gemmario, conferri culpa poſſit in geſtantem, quaſi cautè fortaſſe vixerit, at non caſtè.

Nihilo veriùs puto, quod ajunt hyacinthum, (noſtrum dico, non veterum illum, qui nunc amethyſti genus) de collo, vel in annulo geſtatum, ajunt tutum præſtare à fulmine: imò & opes, honores, ac prudentiam augere: quod & proditum Anſelmo Boëthio *b*. Niſi ſic lubeat argumentari: hyacintho vim eſſe cor ac ſpiritus recreandi: hinc alacritatem effici, & animi vigorem: ab eo prudentiam: à prudentia opes & honores provenire. Atque idem de ſimilibus gemmariorum promiſſis judicium eſto. Ut quod amethyſtum ajunt malas cogitationes prohibere: felix præſtare ingenium, item vigilantiam ac induſtriam: etiam facere, ut gratiâ valeamus apud principem. Sanè lætitia animi pellit cogitationes triſtes ac melancholicas: plus quoque ingenio videmus alacres, quàm torpidi: ingenium etiam, & induſtria nos viris principibus gratos præſtant. b Lib. 2. de Gemmis, c. 31.

Adamanti etiam tribuunt, quòd ſi pulvinari eum ſuppoſuerit maritus, uxor, modo caſta fuerit, ſomno excitata irruet in amplexus mariti: ſin cum alio rem habuerit, maritum averſabitur. Quæ anilia ſunt, cum adamas ſcire nequeat, quid actum ſit à conjuge. Aliam quoque rationem addit Anſelmus Boethius *c*: quod ne naturâ quidem homines ſciant adulterium eſſe vitioſum, nedum adamantes. *Nam*, inquit, *ante Moyſem dum naturæ lex ſola vigeret adulteria nulla erant, & tamen vario concubitu vivere licebat.* Quæ profectò mallem tacuiſſet. Quum ex Geneſi XXXVIII, 24, cognoſcere ſit, ut Judas Thamarem, adjudicârit vivi comburio, eo quod licet Selaho, filio Judæ foret deſponſata, ex altero tamen facta eſſet gravida. c Lib. 1. de Lapid. & Gemmis, c. 4.

Malachites quoque ſive molochites, creditur geſtantem præſtare tutum à fulmine, ac tonitru: etiam arcere malos ſpiritus, acerbas animi cogitationes, terriculamenta nocturna, incantationes, & faſcina: ac imprimis hoc poſſe ajunt magi, ſi Solis figura inſculpatur gemmæ: quaſi aliquid etiam conferant characteres.

Quid etiam ineptius, quàm quod legas in inepto libro, qui inſcribitur Sigilla Raphaelis: *Aſini imago in Chryſolitho futura prædicendi virtutem dat.* Citat Gaulminus in Notis ad Pſellum de Operationibus Dæmonum. Ubi & de ejus Operis inſcriptione addit, *Sigilla* vocari, Latinis, quæ Græcis στοιχειώματα, ultimi ævi ſcriptoribus ἀποτελεσματικὰ τῆς γλύψεως.

Modum etiam excedit laus ſmaragdi, quando dicitur è collo pendulus dæmones arcere ac fugare. Nec video, unde hoc deducant, niſi fortè, quòd certum ſi recreare animum atque ira pellere timorem, & mœrorem: quibus animum obſidentibus, melancholicæ dominantur cogitationes: nec aliàs dæmones facilè adeo in hominem imperium habere. Ajunt quoque conferre notitiam futurorum, eloquentiam, opes: quæ magis admirari, quàm intelligere, homini datum ſit. Sed enim nulli movebimus litem de cauſſa, modò conſtiterit experientiâ, non eſſe hæc vana, atque inania.

Sma-

Smaragdi etiam hæc laus dicitur, quòd rumpatur, ſiquis eum geſtet, dum illegitimam Venerem exercet. Sed enim quid manifeſtius, quàm ſmaragdum non poſſe diſcrimen ſtatuere inter Venerem conceſſam, & inconceſſam? Quare multo veriſimilius Georgius Agricola ait, diſſilire, quoties, qui eam geſtant Veneri vacant. Quo pacto dicendum, ex iis, qui per Veneris res junguntur, halitum emitti ſmaragdo inimicum.

Succinum ajunt geſtatum pueris eſſe amuletum adverſus faſcinationes, ac ſpectra nocturna. Perhibent eum qui geſtat lapidem cui nomen ovum anguinum, in litibus vincere, & ad reges habere aditus faciles. Refert id ex aliis Plinius lib. XXXVII, cap. X. Atque addit à Claudio principe equitem Romanum è Vocontiis interemtum, quod eum in ſinum haberet. Quis etiam Cardano credat? cum ait Sardium, qui vulgo corneolus, facere ut qui eum geſtat in litigando cauſſa fiat ſuperior?

Quam ineptum etiam, quod Marbodæus prodit de magnete, quaſi rerum Venerearum intelligentiam habeat, maritos atque uxores conciliare, imò & adulteria prodere. Nam ſi capiti ſupponatur uxoris dormientis, eam quidem quæ caſta eſt, irruere in amplexus mariti, etſi dormiat: adulteram verò de lecto procidere, velut fœtore coactam, quem emittat magnes.

Veriſimilius eſt, quod ait, ſi fures eum impoſuerint prunis ardentibus, domeſticos abigere atque ita inſervire nefariis illis hominibus, ut ſecuriùs furentur. Nempe magnes igni admotus ſpirat fœtorem exitialem: adeò ut vertiginem, apoplexiam vel epilepſiam, inducat. Nihil igitur mirandum, ſi domeſtici fugentur, fures non item, qui amuletis ſeſe antea adverſus hunc adeò noxium fœtorem muniverunt.

Magicum etiam eſt, quod Dioſcorides lib. V de re medica, cap. CXVIII ſcribit, furem eo pacto poſſe deprehendi, ſi dederis comedendum panem pulvere aëtitæ commixtum. Nec enim hunc porrectum poſſe deglutire. Imo hodieque ea in Græcia ratio obtinet inquirendi furis, ſed aliis etiam additis, prorſus ſuperſtitioſis. Vide Bellonium lib. II Obſervat. cap. XXIII. Equidem nullum hic vim puto aëtitæ: ſed tamen cenſeo vafros fuiſſe homines, qui primi id commenti fuere. Quid mirum, ſi furti ſibi conſcius, & tantam eſſe aëtitæ vim perſuaſus, eo animi angore ſit, ut, infamiæ præſentis metu panem nequeat deglutire: at poſſit hoc melius ſibi culpæ conſcius.

Apud Plinium legere eſt Milonem Crotoniatem fuiſſe invictum beneficio lapidis Alectorii, quem habuiſſet. Quo quid magis ridiculum? Uti & quod dicitur mulieribus virorum gratiam, & eloquentiam conferre, ac tutum eſſe adverſus quævis pericula. Item quod perhibent chelidonium nigri coloris conciliare principum gratiam, efficereque ut quis cœpta quævis feliciter ad exitum perducat.

CAP. XXX.

De uſu foſſilium in re veſtiaria quà habitum quaque ornatum, quem præbent, præbuereve lapis Caryſtius, amiantus, asbeſtinon ad elicienda & conficienda inde textilia, morochthus ad candefacienda linteamina, creta fullonum, Cimolia, ſutorum olim chalcanthus nunc ferrugo, aurum & argentum texendis pingendiſque Attalicis; è ferro primitus Romanorum & tandem auro, horum aliorumque annuli: adamas, ſardonyx in ſacro ſummi Pontificis veſtitu. Et quæ non alia in ſacris & extra, ætatis puerilis & adultorum.

POſtquam actum de iis, quæ ad penum ſive cibum & potum; quæque ad medicinam, ſeu morbos propulſandos, imò & formæ lenocinia, ac grandia variaque magorum promiſſa pertinent; viſum eſt animo proficiſci ad commoda, quæ ex foſſilibus percipiunt res veſtiaria, atque ædificatio. Nam poſt ea, quæ valetudinem inſtaurant, nihil æquè ac duo iſta, homini neceſſaria videntur. Ab amictu initium eſto: ac prius de lapidibus, quàm metallis. Priùs item de uſu ad veſtes inde texendas, deinde ad eas his mundandas.

Ad texendas inde veſtes in pretio fuit lapis Caryſtius, ſic dictus à Caryſto, non illa civitate Laconicæ, quam à vini bonitate laudavit Alcman poëta: ſed altera ejus nominis in Eubœa, prope Ocham montium in Eubœa maximum, ubi lapis ille crebeſcebat. Hunc lapidem pectebant, inque fila diducebant, telaſque ex eo texebant: unde capitum involucra, tecta, mantilia, mappæque, & alia. Ac hujuſmodi, in ignem conjecta, non comburebantur, ſed exibant mundiora. Ut videatur non alius eſſe ac amiantus, de quo Dioſcorides lib. V, cap. CXIII. Is ſic vocatus, quia, quæ inde fierent non μιαίνονται a. Narrant Strabo lib. X, & Plutarchus de defectu Oraculorum, (qui ſuo tempore jam deſiiſſe hunc lapidem ait) item Apollonius Dyſcolus cap. XXXVI ἱστοριῶν θαυμασίων b: qui liber perperam, ſaltem præter auctoris mentem, vulgò inſcribitur περὶ καταψευσμένης ἱστορίας c, idque propter unius Suidæ auctoritatem, qui ſpecioſum titulum immutavit; ut ſæpius à Chriſtianis in gentilium libris factitatum. Atque hoc quoque dictum nobis in Hiſtoria Hiſtoricorum Græcorum. Ubi & monitum, eorum, quæ de amianto refert Apollonius non Tacum memoraſſe auctorem, ut vulgò apud eum legitur, ſed Sotacum, cujus librum περὶ λίθων d ſæpius laudat Plinius, quodam etiam in loco Solinus, ut alios mittam.

a *Inquinant.*
b *Hiſtoria admiranda.*
c *Hiſtoria commentitia.*
d *De lapidibus.*

Porrò non mirum adeò, ſi ejuſmodi textilia non arſerint in igne. Cauſſa eſt aperta, quia hoc linum non è planta fuit, ſed è lapide, qui malleis cuſus, terrenoque, quod ſuperfluum erat, excuſſo, capillamenta emittebat, quæ haut aliter, ac ſi fuiſſent è lino, inter plantas memorato, materies erant textilium ac velorum. Interim Caryſtium hunc lapidem, qui amiantus videtur, diſtingui oportet à lapide alio, qui & ipſe Caryſtius dicebatur. Nec enim Caryſtus hoc ſolum lapide commendabatur, ſed etiam marmore, unde columnis Caryſtiis nomen. Atque hinc Seneca in Troade:

— *Ferax varii lapidis Caryſtus.*

Quod verò de Caryſtio lapide diximus, idem de Indiæ lapide prodit Plinius lib. XIX, cap. I. Sic enim ſcribit: *Inventum eſt etiam quod ignibus non abſumeretur. Vivum id vocant, ardenteſque in focis conviviorum ex eo vidimus mappas, ſordibus exuſtis, ſplendeſcentes igni magis, quàm poſſent aquis. Regum inde funebres tunicæ corporis favillam ab reliquo ſeparant cinere. Naſcitur in deſertis aduſtiſque Sole Indiæ, ubi non cadunt imbres inter diras ſerpentes: Adſueſcitque vivere ardendo, rarum inventu, difficile textu propter brevitatem. Rufus de cætero color ſplendeſcit igni. Cum inventum eſt, æquat pretia excellentium margaritarum. Vocatur autem à Græcis asbeſtinon ex argumento naturæ.* Valde autem falluntur, qui cenſent, apud Romanos etiam cadavera tunicâ ex hoc lapide texta indui ſolere. Nam hoc ſi eſſet, non id Plinius velut ſingulare quid retuliſſet de regibus Indicis. Et ea raritas lapidis illius fuit, ut in ipſa India regum id proprium foret. Alii iccirco malunt dicere, indutos tunicâ ex lapide Cyprio, vel Caryſtio: de quo ante dictum. Sed hoc ſi foret, non tantum de eo ſilentium eſſet apud veteres omnes. Quod ſiquis roget, quomodo abſque eo ſeparari cadaveris cineres potuerint ab illis lignorum, & aliorum animantium, quæ una cremabantur: non aliud offeram, quam quæ dicebamus lib. ſuperiori cum de lini uſu in cremandis corporibus ageremus.

Opus ad rem veſtiariam tum pectine ferreo, quo carminatur lana, tum ferreo hamo, quo carminatur linum. Illud Belgis *kemſter-cam*: hoc iiſdem *hekel*.

Morochthus, ſive galaxias, eo quòd tener ſit, facilè ſolvitur in liquorem, utiliſque ad dealbandas veſtes lineas: ut eſt apud Dioſcoridem lib. V rei Medicæ, cap. CIX.

a Lib. 36. cap. 17. Creta, teſte Plinio *a*, & Iſidoro, Romani togas & veſtes candefaciebant: unde iis induti dicebantur *candidati*. Vulgo quidem Romanis toga alba in uſu: ſed cùm ambirent ac prenſarent, ad alborem accedebat ſplendor: quæ duo ad candorem requiruntur. Nec quævis creta huic rei idonea ſed Sarda, quæque Saxum dicebatur. Creta Umbrica etiam verſicoloribus veſtibus conducebat: nitorem enim colori cuivis conciliabat. Cimolia creta uſi, non quidem ad candorem, ſed ut veſtibus alio tinctis colore adderetur nitor, rigorque, & ſoliditas quædam. Vide de variis hiſce generibus Hieron. Mercurialem lib. III. cap. XXI.

Fullones in eluendis pannis utebantur terra ſive creta Cimolia, ſic dicta à Cimolo, Cretici maris inſula, ſecundùm Ptolomæum. Ovid. VII Met.

—— *Cretoſaque rura Cimoli.*

Ad habitum corporis etiam calcei pertinent. Sutores autem in tingendis coriis antiquitus uſi ſunt chalcantho: quod iccirco *atramentum ſutorium* à Celſo, Plinioque dicitur. Nunc ejus loco ſutores uſurpant ferruginem intenuiori zytho reſolutam. Nempe quia adſtringit velut atramentum ſutorium: ſed minùs eò erodit. Etiam lapide agerato uſi coriarii, ad nitorem calceis conciliandum: ut eſt apud Galenum lib. IX de Simplicium Medicamentorum Facultatibus. Iiſdem in calceis parandis è ferro opus eſt ſcalpro ſutorio, & ſubula.

Ad metalla venio. Ex auro, ac argento, fila nebant, unde veſtes. Maro:

—— *Tyrioque ardebat murice lana*
Dimiſſa ex humeris, dives quæ munera Dido
Fecerat, & tenui telas diſcreverat auro.

Claudinus:

—— *Cinctus,*
Quos tibi divino mecum Tritonia duxit
Pectine: tincta ſimul repetito murice fila
Contulimus penſis, & eodem nevimus auro.

Hæc de habitu indumenti. Venio nunc ad illa ornamenti. In quibus ſuus ſemper annulis honos fuit. Hic veteribus Romanis ferreus, atque is purus, hoc eſt, ſine pala. Etiam Marius de Jugurtha triumphavit cum annulo ferreo; tertio demum conſulatu ferreum adſumſit. Imò Plinius teſtatur, ſuâ ætate multos viros prætorios conſenuiſſe in annulo ferreo: ac ſuum etiam annulum pronubum, ſive quem ſponſus ſponſæ miſerat, ferreum, ac purum fuiſſe. Non ſatis conſtat, quando equites annulo aureo cœperint diſtingui à plebe. Utebantur annulo in manu ſiniſtra. Nempe, ut Plinius ait, auctorem rei pudui inventi ſui. Fere geſtabant in digito, qui Græcis παράμεσος. Cujus hanc adferunt cauſſam, quod in eo ſit vena, quæ ad cor ducat. Ac propterea quoque auro includebant gemmam, quæ veneno adverſaretur. Ea à tergo non obducebatur auro, ut eo facilius vim ſuam in venam, ac porro ad cor tranſmitteret. Sed ſunt iſta λῆροι *b*. b Nugæ. Neque enim Natura annulari digito magis, quam digitorum alii, ab ejuſmodi venâ proſpexit. Vide omnino quæ de annulis Plinius tradidit lib. XXXIII, cap. I.

Alia etiam ornamenta corporis debent homines foſſilibus. Hujuſmodi eſt bulla puerorum aurea, vel inaurata. Catenæ etiam è cryſtallo fiunt; imò & veſtium, ut vocant, nodi. Quid dicam de torquibus aureis? quid de monilibus baccaris? Ut mittam de corallo, quo virgines, nuptæque brachia exornant: deque ſuccino, cujus ſimilis fere uſus eſt. Nam iſta, utcumque ſint in mixtis inanimis, ac ſint è ſuccis concretis; non tamen in lapidibus, ac metallis nec ullis foſſilibus, inveniunt locum.

Quid quòd in ſacris etiam ornamentis locus gemmis fuit? Nam in populo Iſraelitico ſummus Pontifex adamantem in pectore geſtabat, quoties talari veſte, & epomide indutus, ingrederetur ſanctum ſanctorum. In eo Deus coloris immutatione potentiam, atque iram ſuam, oſtendebat. Nec tamen hoc à natura, ſed prorſus ſupernaturale fuit.

CAP. XXXI.

De foſſilium uſu in ædibus publicis, & privatis exſtruendis, privatorumque potiſſimum inſtruendis; ac exornandis. Ex ferro cardines; ſeræ, &c. ex plumbo muſica in templis organa, in carceribus compedes, manicæ, ex ære alicubi tecta, variæque antiquitus columnæ. Saxa arenaria parietibus inſervire & quare, cruſtata ac ſciſſilia tectis, tophos explendis ruinis. Feneſtræ veterum, ex lapide diaphano qui ſpecularis; hunc hodiernum ſupereſſe. ſimilem uſum præbuiſſe Cappadocum phengiten. Etiam vitrum fieri ex ſilicibus liquefactis. Vitriariorum ſmiris; his & uſurpari magnetem coloris ergo. Fabrorum incudes, dolabra, unde. Lithantrax quam i uſus. Hollandarum idola quæ, qualia. Pedes lectorum olim ex marmore. E ferro cortinarum annuli. Digitabula, calamiſtri.

VIdeamus nunc de foſſilium uſu in ædificiis privatis, publicis, ſacris. Ac primùm de illo metallorum.

E ferro ſunt cardines, ſeræ, claves, cancelli, & alia. E plumbo, canales qui aquam tecto decidentem excipiunt, inque ciſternas tranſmittunt. Ex ære olim limina; oſtia, valvæ, tum in privatis ædibus; tum urbium portis: ut centum portarum Babylonis. Tecta quoque, ut hodieque Berlini in arce Principis Brandeburgici. Ac ſimiliter in templorum tectis. Ex ære enim ſunt illa B. Joannis, tum Magdeburgi, tum Lunæburgi: item Lipſiæ templo B. Thomæ, atque alia aliis in locis. Ex ære item variis in locis columnæ. Unde Maro III Georg.

Atque hac undantem bello, magnumque fluentem
Nilum, ac navali ſurgentes ære columnas.

Quem ad locum ita Servius: *Auguſtus victor totius Ægypti, quam Cæſar pro parte ſuperaverat, multa de navali certamine ſuſtulit roſtra: quibus conflatis, quatuor effecit columnas; quæ poſtea à Domitiano in Capitolio ſunt locatæ: quas hodieque conſpicimus.*

Hæc de metallis. Ad lapides, & ſaxa venio. Unde quanto firmius tutiuſque ædes exſtruantur, nihil attinet dicere. Ac parietibus quidem inſerviunt ſaxa arenaria, quia valide ſunt compacta, & ex arenæ natura hoc habent, quod facile imbibant calcem. Iiſdem utilia ſaxa cruſtata, ac ſciſſilia, quia ex his fiunt tecta. Pori in uſu ſunt rimis parietum explendis. Nam propter poros facile calcem, pumicis inſtar bibunt, atque ita hiſcentes partes conglutinant. Ob levitatem autem non gravant.

Etiam ſpecularia domus pars ſunt, teſte Ulpiano. Feneſtræ erant non è vitro, ut nunc fit, ſed è lapide diaphano, qui ſpecularis vocabatur, inque tenues findebatur cruſtas. Meminere ejuſmodi ſpecularium Martialis, atque alii. De lapide ipſo ita Plinius lib. XXXVI, cap. XXII, al. X: *Specularis lapis faciliore multò naturâ finditur in quamlibet tenues cruſtas. Hiſpania hunc olim citerior tantum dabat; nec tota, ſed intra centum millia paſſuum circa Segobricam urbem. Jam & Cyprus, & Cappadocia, & Sicilia, &, quod nuper inventum Africa.* Ac plura de hoc ſubjungit. Pancirolus hunc lapidem reponit inter deperdita. Alii ſupereſſe cenſent, eundemque quem Germani vocant *unſer lieben Frauwen eys.*

Similis uſus eſt lapidis phengitæ, quem video etiam ab eruditis viris cum ſpeculari lapide confundi. At diverſum eſſe, certiſſimum. De hoc ita Plinius lib. XXXVI, cap. XXII: *Nerone principe in Cappadocia repertus eſt lapis duritiâ marmoris, candidus, atque tranſlucens, etiam quà parte fulvæ inciderant venæ, ex argumento phengites appellatus. Hoc conſtruxerat ædem Fortunæ, quam Seiam appellant, à Servio rege ſacratam, aurea domo complexus. Quare etiam foribus opertis a interdiu claritas ibi diurna erat, haut alio, quam ſpecularium modo, tanquam incluſâ luce, non tranſmiſſa.* Poſtea ſubdit: *In Arabia quoque eſſe lapidem vitri modo tranſlucidum, quo utuntur pro ſpecularibus, Juba autor eſt.*

a Sic legendum, non pertis; ut eſt in vulgatis.

Etiam

Etiam vitrum fit è ſilicibus liquefactis.

Vitriarii vitrum findunt lapide, qui Plinio ſmiris dicitur, uti & Galeno, atque aliis σμιρις, vel σμυρις. Gallis & Belgis *ameril*, Germanis *ſmergel*. Reperies quoque in officinis aurifabrorum, quibus dicitur *aſtreck-ſteen*.

Ex onyche (non pro gemma nunc, ſed alabaſtri genere uſurpo) columnæ olim fiebant, effodiebaturque inter montes Arabiæ; at Plinii ætate etiam repertus in Italia. Ex marmore Lacedæmonio, quod viride, ſed maculis intercurrentibus majoribus, fiebant columnæ; minores autem ex vicino huic, quod ophites dicebatur, à maculis illis ſerpentium ſimilibus ſitu, ac forma.

Nec conſiderare ſolùm oportet, quæ pars ædium fiunt, ſed etiam quibus fiant inſtrumentis. At fabris è ferro incudes, mallei, dolabræ, & ſimilia. Huc quoque magnam partem pertinent, quæ de ferro, ferrumine, & ferruminandis operibus congeſſit Cæſar Bullingerus lib. II de
a P. 151. Pictura & ſtatuaria, cap. XII *a*. Præterea fabris ferrariis, & ærariis longè utiliſſimus lithanthrax, qui Belgis *ſteenkole*, quaſi lapideum carbonem dicas.

Vitriariis item magnes conducit, ut aliquid ejus miſcentes vitro id è viridi, vel luteo, candidum reddant. Qua de re nonnulla Plinius lib. XXXVI, cap. XXVI. Plenius vero Georgius Agricola.

Nec ſolùm domus, ejuſve partes, vel inſtrumenta, quibus iſta fiunt, ortum ſuum foſſilibus debent; ſed etiam vaſa domeſtica, variaque ſupellex, ab iis vel materiem accipit, vel nitorem atque elegantiam. Sunt vero vaſa & ſupellectilia duûm generum. Quædam uſui ſunt, unde *utenſilia* vocantur: quædam ſunt σκεύη ἀναθηματικά, ſic dicta, quia ſolùm ornatui inſerviunt: quomodo & Hollandi ea vocant *buys-afgoden*. Nempe tantum eſt feminis Batavis ſtudium, ut omnia niteant domi, ut nec credibile ſit gentes majorem curam impendiſſe ne ſorderent Deorum ſimulachra. Aliter iidem Batavi *pronck-werck* vo-
b Ab igne immunes lebetes. cant. Græci ἄπυρα: ut ἄπυροι λέβητες *b*: videlicet, quia non admovenutur igni, ne nitorem deperdant. Ex iis, quæ de utenſilibus dicam facile erit de aliis ſtatuere.

E ferro fiunt claves, veru, cultri, quædam etiam cochlearia. Ex ære ſunt pelves, candelabra, alia: Imo candelabra etiam ex ære Corinthio: ut liquet ex Martialis apophoretis lemmate XLII. Ex plumbo candido guttus ſive aqualis, & quæ non alia. Ex auro & argento quæ fiant notius, quàm ut hic debeat tangi. Ex alabaſtrite fiebant olim pedes lectorum: uti & alia multa: de quibus dictum antea. E ferro ſunt cortinarum annuli. Sunt & quædam mulierum propria: ut è ferro acus, & calamiſtrum. Item ex ferro, ære, argento, digitabulum. Ad publicas ædes referendus carcer. Hic è ferro opus compedibus, manicis, aliis. In templis è plumbo ſunt inſtrumenta Muſica, quæ ſimpliciter *organa* vocantur.

Tranſvolo ſingula, decerpere aliquid contentus. Quid enim iis inſiſtam, quæ quilibet per ſe videt?

CAP. XXXII.

De foſſilium uſu in re nautica, ferro, ære unde naves roſtratæ. Quantum navicularia, uni è foſſilibus magneti debeat, homines cæteraque ferenti, ducenti.

POſt ædium ſtructuram, ac vaſorum ejus, ad rem nauticam accedo. Sunt enim naves pro domo: unde & τὸ πλοῖον αἰνιγματικῶς *a* vocarunt μεταφόρητον οἶκον *b*, ut ab Euſtathio proditum. Ac ſatis quidem conſtat de ferro, cujus uſus in navibus compingendis. Primùm tamen pro eo utebantur ære, ut antea dictum. Ex eo roſtra fiebant: ac naves cum roſtris ejuſmodi Appiano dictæ χαλκέμβολοι, Plutarcho χαλκήρεις, Maroni *æratæ* lib. IX:

a Navigium ænigmatice. b Transportatilem domum.

Quot prius æratæ ſteterant ad litora puppes.

In quo tamen Maro non exactè habuit temporum rationem. Heroicis enim temporibus necdum erant naves æratæ; ut in Oratoriis Inſtitut. oſtendi lib. V, cap. XI, ſect. VII.

Harpagones ferro ſolent præpilari.

Nunc vero multò etiam amplius, quàm olim, foſſilibus debemus, propter uſum magnetis. Olim enim de nocte ad aſtra, imprimis Cynoſuram, & Helicen, curſum dirigebant: obſcurâ autem nocte ignorabant, ubi verſarentur: unde Maro III Æn.

Erramus pelago totidem ſine ſidere noctes.

At ante annos trecentos circiter, & quinquaginta Flavius quidam Melphi, Campaniæ oppido, reperit uſum acus, ad eam magnetis partem, qua Septentrionem ſpectat, attritæ, atque hinc conſecutæ, ut in pyxide nautica, etiam nocturnis in tenebris, Septentrionem ſtyli cuſpide oſtendat. De inventione hac, Campanis debita, auctores nobis Blondus in Italia illuſtrata, & ex eo Panceirolla in novis repertis, ac ad eum in Notis Salmuthus, item Petrus Ciezius lib. II Hiſtor. Indic. cap. IX, & Gomara lib. I Hiſtor. Gener. Indic. Rationem adornandæ ejuſmodi pyxidis atque acus, monſtrat Hieronymus Oſorius lib. de Rebus Emanuelis, Luſitaniæ Regis. Anſelmus Boethius lib. II de Lapp. & Gemmis, cap. CCLIV. Jure autem hanc artem inter miranda reponit Cardanus lib. XVII de artibus, rebuſque artificioſis. Mirum autem acum in hunc uſum nauticum bene cuſtoditam durare ad annos centum: ut idem ait Boethius.

CAP. XXXIII.

De utilitate, quæ ex foſſilibus rem ad militarem redit. Herculis, & Germanorum arma olim ex ære. Smiris armis expoliendis meretur. Magnes ignispuos globos dirigit, ipſeque pulvis pyrius unde. Arma noctu congreſſuri veteres, gypſo dealbabant, quo ſuos dignoſcerent. Tormenta ex ferro, ære. Gladii, ſariſſæ, loricæ, quid. Succinô Turcos frænos, & ephyppia exornare.

EGi de ædificiis, ac navibus. Pergam nunc ad rem militarem.

Metallorum in militia uſum quis neſcit? præſertim æris ac ferri. Primitus autem ære uſi, juxta illud Heſiodi:

Χαλκῷ δ' εἰργάζοντο, μέλας δ' οὐκ ἔσκε σίδηρος.
Ære operabantur, nigri ferri haut erat uſus.

Itaque poëtæ cum Herculis clavam deſcribunt, aliaque heroum arma, ærea dicunt, non ferrea. Nec id mirandum, quando & in Germania ſic olim fuit: ut oſtendunt thoraces, & enſes ænei, item frameæ ex ære, & calcaria, atque etiam cultri: quales crebro effodiuntur. Alioqui poterat putari, poëtas dicere ærea arma, non quia forent ex ære, ſed quia ex ære eſſe ſolerent, priuſquam in locum ejus ferrum ſucceſſiſſet. Ac fortaſſe utroque uſi, nempe, ut enſes fuerint ex ære, ςόμωμα verò ſive acies ex ferro. Saltem Homerus ipſe credidit heroicis temporibus notum fuiſſe ferrum. Nam Odyſſ. φ ait, in arca Ulyſſis magnam fuiſſe copiam æris, & ferri. Adderem eundem poëtam, & οὐρανὸν *a*, & θυμὸν *b*, vocare σιδήρεον *c*. Sed eo non pugno, quia dici poſſit, hoc à poëta κατὰ πρόληψιν dici, ratione habita ſuorum temporum.

a Cœlum. b Animum. c Ferreum.

Smiris lapis non modo utilis eſt ad gemmas ſcalpendas; ſed eo quoque arma expoliunt. Siquidem, affrictu ejus pulveris, enſes & loricæ, ubi ferrugo obſederit, ita abſtergentur, ut pro novis poſſint haberi.

Etiam in bello magnus eſt uſus magnetis ſive pyxidis nauticæ: quo bombardarum globi igniti ad locum pertingant deſtinatum. De hoc vide Junctinum in Sphæram de Sacrobosco cap. III *d*.

d P. 255. edit. Lugd. an. 1578.

Quid jam de halonitro, ſive pulvere nitratio aut tormentario dicam? de cujus compoſitione antea vidimus.

Arma interdum gypſo dealbabant, ſi noctu vellent aggredi hoſtes. Sic enim facilius dignoſcebant ſuos ab hoſtibus. Auctor Herodotus in Urania, & Pauſanias lib. x. In militia è ferro gladii, pugiones ſecures, fariſſæ, frameæ. Item galeæ, loricæ, ocreæ, alia.

Ex ære item tormenta bellica, & tubi, pixides, pyroboli quos bombardas dicimus.

Equorum ephippia, frena, clitellas ſuccino enornant Turcæ: uti & mulos, & camelos. Qua de re Petrus Bellonius lib. I I Obſervat. cap. LXXII.

Cap. XXXIV.

Quantum commodi ſtudia è foſſilibus percipiant: præcipuè in ſcribendo, ac ad rem epiſtolarem. Antiquiſſimis temporibus quæ durare debebant in ſaxis fuiſſe perſcripta, etiam apud Danos. Tabulæ Moſaicæ. Leges Græc. & Romanorum, æri inciſæ. Graphis. Miniatulæ Criticorum cerulæ. Libri pumice expoliebantur. Typi ex plumbo, & ſtibio. Elegantiam in ſcribendo ſectantium arena. Sapphirum aliaſque in ſigilla ſculpi.

A Militia, quò potiùs tendam, quàm ad ſtudia ſapientiæ, & univerſam literaturam? Pulcherrimus enim nexus eſt Martis, & artis: eorum qui gerunt ſcribenda, & qui ſcribunt geſta. Dixeris hæc ſolùm pertinere ad hiſtoriam. Sed aliter eſt. Nam hiſtoria non differt à philoſophia practica, niſi quod illa doceat per exempla: hæc ex exemplis eliciat univerſale pronunciatum. Imò ſcientia quoque naturalis tota nititur hiſtoriâ naturali. Ad hæc non Philologia modò, & Poëſis, atque Oratoria; ſed ipſa etiam Grammatiſtice, quæ eſt legendi, ac ſcribendi ſcientia, ſtudiorum nomine, comprehenditur.

Antiquiſſimis temporibus conſuetudo erat ea, quæ perennarent inſcribere ſaxis, lateribus, æri, aut plumbo incidere: quemadmodum de Babyloniis, Phœnicibus, Ægyptiis, Græcis etiam ac Romanis oſtendi lib. I de Arte Grammatica, cap. XXXV. Atque idem quoque mos gentibus Septentrionalibus fuit. Hinc de Danis ita Saxo Grammaticus in Præfat. *Nec ignotum volo, Danorum antiquiores, conſpicuis fortitudinis operibus editis, gloriæ æmulatione ſuffuſos, Romani ſtyli imitatione, non ſolùm rerum à ſe magnificè geſtarum titulos exquiſito contextos genere, velut poëtico quodam opere, perſtrinxiſſe; verùm etiam majorum acta, patrii ſermonis carminibus vulgata, linguæ ſuæ literis, ſaxis ac rupibus, inſculpenda curâſſe.* Imprimis vero conſuetudo hæc in legibus obſervata fuit. Nam ut de Moſaicis tabulis nihil nunc dicam: Græci pariter ac Romani leges incidebant tabulis æneis, quas deinde in loco publico clavis affigebant ferreis. Cicero Philipp. I: *Quod erit ita geſtum, id lex erit, & in æs incidi jubebitur.* Ovid. I Metam.

—— Nec verba minantia fixo
Ære ligabantur.

Quo de loco dictum in Oratoriis Inſtitut. lib. IV, cap. VII, ſect. III. Ferreis affixas clavis, ex Planti Trinummo liquet. Sed hoc nihil ad præſens inſtitutum. De ænea tabula Auguſti, in qua anni formam conſcripſit, ſic loquitur Macrobius lib. I Saturn. cap. XIV: *Auguſtus, qui annos XII ſine intercalari die tranſigi juſſit, ut illi tres, qui per annos triginta & ſex vitio ſacerdotalis feſtinationis excreverant, ſequentibus annis XII nullo die intercalato devorarentur, poſt hoc unum diem, ſecundum ordinationem Cæſaris, quincto quoque anno intercalari juſſit, & omnem hunc ordinem æreæ tabulæ, ad æternam cuſtodiam inciſione mandavit.* Porro etiam cùm Romani in tabulis ſcriberent ceratis, graphio, ſive ſtylo uſi ferreo, vel æreo. De quo itidem in Arte egi Grammatica, loco, quo antè dicebamus. Arithmetici hodieque dum ſcribunt in palimpſeſto, & lapide ſciſſili: ſaxeo utuntur graphio. In vitris ſcribimus cuſpide adamantina.

Librarii εἰς κάλλος [a] minio ſive rubrica ſignabant librorum titulos. Unde initio Triſtium Ovidii: a Ornatus ergo.

Nec titulus minio, nec cedro charta notetur.

Et Sidonius lib. VII, epiſt. XII: *Jure vobis in hoc* (epiſtolarum) *opere prima titulorum rubricæ, prima ſermonum officia dedicarentur.* Hinc veteres Gloſſæ: *Rubrica,* διὰ μίλτου ἐπιγεγραφή. In legum etiam titulis & initiis id obſervatum. Unde Perſius ſat. V:

Excepto, ſiquid Maſuri rubrica notavit.

Imò etiam Criticis in more fuit, ut cera miniata notas ſibi familiares appingerent. Hinc Cicero ad Att. lib. XV, epiſt. XIV: *His literis ſcriptis me ad* συντάξεις *dedi: quæ quidem, vereor, ne miniatâ cerulâ tuâ pluribus locis notandæ ſint.* Et lib. XVI, epiſt. X: *Noſtrum opus tibi probari lætor: ex quo ante ipſe poſuiſti, quæ mihi florentia ſunt viſa tuo judicio. Cerulas enim tuas miniatulas illas extimeſcebam.* Hujuſmodi notas, quia appingerentur, Græci dixere παραπλάσματα, ut ex Heſychio ad ſuperiorem Perſii locum Caſaubonus annotavit.

Libros olim mos erat pumice expolire, ac lævigare. Unde Catullus Epigr. I:

Quoi dono lepidum novum libellum,
Arida modo pumice expolitum.

Unde Plinius lib. XXXV, cap. XXI: *Sed & ii pumices, qui ſunt in uſu corporum lævigandorum feminis, jam quidem & viris, atque, ut ait Catullus, libris.*

Typographica etiam ars in excudendis libris metallicæ rei plurimùm debet. Nam typi ſive characteres, quibus utitur, fiunt ex plumbo albo, & ſtibio in catinis excocto, atque ita puro reddito. Quale ſtibium magis etiam plumbo metalli nomen mereri, cenſet Georgius Agricola lib. I de Natura Foſſilium, cap. XXI.

Saxi arenarii genus eſt ex arenis tenuibus, intermixtis, quæ argentei ſunt coloris, ac molle adeo, ut digitis facilè conteratur, & contritum inſerviat iis, qui elegantiam in ſcribendo amant. Nam atramentum imbibit, ſplendoriſque aliquid relinquit.

Sardæ uſus veteribus in obſignandis literis, ut teſtis eſt Plinius. Nempe eo vincit ceram, quòd hujus facilè aliquid remaneat in ſigillo: in ſarda non item. Sigillis etiam inſervit ſapphirus; uti hodieque lapis lazuli, qui non alius à ſapphiro Plinii putandus, ut alibi oſtendimus.

Cap. XXXV.

De foſſilium uſu in Pictura, & plaſtice, ac ſtatuaria. Ubi de creta alba, & rubra, plumbo, morochtho, lapideve nigro, ad ducendam ichnographiam. De coloribus præſtantioribus floridis *è foſſilibus minio, Armenio, chryſocolla.* auſteris *rubrica, Sinopica, Lemnia, fabrili, parætonio, melino, Eretria, auripigmento.* vilioribus *ochra, ceruſſa, ſandaracha, ſandyce. Porphyrite colores lævigabant. Plaſticen in argilla & gypſo occupari; marmorarios, ærarios ut nominæ indicant. Sed tandem & ex argento atque auro ſtatuas fecere. Sculptori famulatur adamas, ut gemmis imperet.*

POſt iſta cur non ſubjiciam de Pictura? Neque id modò, quia Graphice, quomodo Græci Picturam vocant, & Grammatiſtice, ſi vocabula attendas, communem habent originem: ſed imprimis, tum quia Graphice una eſt è quatuor liberalibus popularibus ſcientiis, de quibus ſeorſum ſcripſimus: tum propterea quòd Poëſis in doctrinarum ſtudiis illuſtri ſit loco: & Poëſis ac Pictura non aliter diſtare exiſtimentur, quàm quod pictura ſit poeſis tacens, poeſis autem pictura loquens: Sanè & Euphranori ad pingendum Jovem, Phidiæ ad ſculpendum, duo verſus Homerici pro archetypo fuerunt. Quid autem picturæ vicinius eſt plaſtice, ac ſtatuaria? Dicam igitur deinceps, quantum artes hæ ex foſſilibus capiant commodi.

Ac

Ac in pictura quidem duo attendimus: id in quo pingimus, & quo pingimus. Pingimus non ſolum in tabula, quod vulgatum, vel ebore, ut in encauſtica, vel in ære, de quo Plinius lib. XXXIII, cap. IX: ſed etiam in linteo. Tam verò in Tabula, quam linteo, lineæ prius ducendæ ac deinde inducendus color: prius eſt quaſi Grammatica picturæ, alterum, ut Rhetorica. In priori, *ſive* ichnographia uſus eſt cretæ albæ: majores lineæ deſcribuntur lapide nigro, fabrili, vel cretâ rubrâ, quandoque etiam plumbo. De coloribus ita ſcribit Plinius lib. XXXV, cap. VI: *Sunt colores auſteri, aut floridi. Utrumque natura, aut miſtura evenit. Floridi ſunt, minium, Armenium, cinnabaris, chryſocolla, Indicum, purpuriſſum. Cæteri auſteri. Ex omnibus alii naſcuntur, alii fiunt. Naſcuntur Sinopis, rubrica, paratonium, melinum, Eretria, auripigmentum. Cæteri finguntur, primumque quos in metallis diximus. Præterea è vilioribus ochra uſta, ceruſſa, ſandaracha, ſandyx, ſcyricum, atramentum.* Dicam de iis ordine, ſed paucis. Primo loco inter colores ἀνθηρὲς
a Florides. *a* minium ponit, cui, ut Vitruvius tradit, nomen ab Hiſpaniæ fluvio ejuſdem nominis. Juſtinus tamen, ſive Trogus, putavit, flumini potiùs à minii colore datum nomen. Priuſquam ex Hiſpania adveheretur. Græci dicebant κιννάβαρι: poſtea minium, & cinnabari diſtinxerunt. Fiebat minium è lapide, qui à colore prunæ ἄνθραξ dicebatur. Atque hoc quoque nos Vitruvius docet. Vide & Dioſcoridem lib. v, cap. CIX. Sed ubi nunc ἀμμίον, legendum μινίον; ut videre Hermolaus, Ruellius, Salmaſius. Verba ſunt, τὸ γὰρ μίνιον σκευάζεται ἐν Ἰσπανίᾳ ἐκ λίθου τινὸς μεμιγμένου τῇ ἀργυρίτιδι ψάμμῳ. *Minium in Hiſpania ex lapide quodam argentaria arena permiſto temperatur.* Poſtea ſubdit: χρῶνται δ' αὐτῷ οἱ ζωγράφοι εἰς τὰς πολυτελεῖς τῶν τοίχων ἐπικοσμήσεις. *Inde parato minio pictores ad ſumtuoſa parietum ornamenta utuntur.*

Armenium à Plinio intelligitur, quod Aëtio vocatur τὸ τῶν ζωγράφων, ἤτοι ᾧ οἱ ζωγράφοι χρῶνται, *pictorum, ſive quo pictores utuntur.* Quomodo diſtinguere videtur
b Armenus lapis. ab eo, qui dicitur Ἀρμένιος λίθος *b*. Saltem Paulus Ægineta, diſtinctis locis de Armenio, & Armeniaco agit lapide. Quantopere de Armenii colore diſſentiant veteres, oſtendent L. Antonii Saraceni ſcholia ad Dioſcoridem lib. v, cap. CV. Vulgò tamen promiſcuè uſurpantur. Ut Armenii lapidis color, diutius duret, addi non lini oleum, ſed petroleum ſolet: quod & colorem reddit venuſtiorem, & longum in tempus conſervat. Ex Armenio lapide fit color ille cyaneus, qui Italis dicitur *azulo oltramarino*, Belgis *azurblaeu*.

Cinnabari ad animalium hiſtoriam pertinet, ſi fuerit ſanguis, vel ſanies draconis, eliſus pondere elephanti morientis, ac utriuſque animalis ſanguine permixto. Sic credidere Plinius lib. XXXIII, cap. VII, ac Solinus cap. XXVIII. Sed jure damnat hanc opinionem Dioſcorides lib. v, cap. CIX. Figmentum id hauſtum à mercatoribus non alio hoc fine confingentibus, quàm ſolent propolæ, ut merces ſuas magis commendent. Sed ne hujus quidem fuerit loci ſi juniperi ſit gummi; quæ verior ſententia. Eſt & factitium cinnabari: cujus meminit Theophraſtus περὶ λίθων: Ex eo cognoſcimus, à Callia quodam Athenienſi fuiſſe repertum, qui XC annis vixit ante Theophraſtum. Vide ſis Hieronymum Mercurialem lib. II Var. Lect. cap. XIV. Cinnabari utuntur pictores ad parietum ornamenta; ut ait Dioſcorides; atque addit, falli, qui cinnabarin putant idem eſſe, ac minium: etſi vulgo ſic eâ voce uterentur.

At huc pertinet chryſocolla non prout interdum ſumitur pro gemma: ut apud Plinium lib. XXXVII, cap. X: ſed quatenus putre eſt æris metallum, ex humore vel ſponte, vel arte in metalli venam immiſſo. Sic accipiunt Dioſcorides lib. v, cap. CIV: & Plinius lib. XXXIII, cap. V. Præcipuè invenitur fodinis ærariis. Nec ſolis tamen: ſed quandoque & plumbariis: imò etiam in aurariis, & argentariis. Nativa, quæ in fibris veniſque ærariis, vel aliis metallicis, reperitur, viridis eſt coloris: pingiturque, antequam pingat. Atque ubi tincta, vocatur ὀροβίτης, quia eundem habet colorem, ac ὄροβος, ſive ervum. At chryſocollam factitiam vocant *ſanternam*. Dioſcoridi refertur inter genera æruginis ſcoleciæ.

Indicum ex India apportatur, ut nomen indicat, & Plinius ait lib. XXXIII, cap. VI. Sed contradicere ſibi videtur, quando idem inibi nunc ait. *Sibi adhuc inexplorata inventionis eſſe*: nunc verò provenire, *arundinum ſpuma adhæreſcente limo.* Fit vero non ex arundine, ſed Herba Indica creſcente in Guzarate, dictaque gali.

Nec purpuriſſum eſt hujus loci, cum ſpuma ſit purpuræ, dum ad tingendas lanas coquitur, effervescentis. At purpura conchæ eſt marinæ, non foſſile.

Sinopis eſt rubricæ genus. Gloſſæ Cyrilli: Σινωπὶς, *miltum*, ſic dicta à civitate, ſeu Paphlagoniæ, ſecundùm Ptolomæum: ſeu Cappadociæ, ut ait Strabo. Nempe quia iſtic inventa, etſi alibi quoque effoderetur. Rubrica, cùm non additur Sinopica, vel Lemnia, de fabrili intelligi ſolet. Sanè hoc loco non aliam intelligit Plinius. Eâdem enim utebantur fabri, & pictores. Rubrica Lemnia proximæ poſt minium auctoritatis. Paratonium genus eſt terræ pinguis. Cujuſmodi raro in uſu fuit. Magis enim macris uſi. Sic dicitur ἀπὸ τοῦ Παραιτονίου, qui locus Africæ arenoſus, prope Catabathmum ac Mareotim ſive Marmaricam: uti ex Plinio, & Stephano diſcimus. Melico nomen à Melo inſula. Cinerei hæc terra erat coloris, uti & Eretria, quæ ſimiliter à loco, ubi effoderetur. Auripigmentum quod Græcis ἀρσενικὸν, aurei eſt coloris: eumque vel nativum ſit, vel factitium, priori utuntur pictores: imò & bibliopolæ, in pingendis librorum frontibus. Nec dubium, quin ex eo Latini dixerint *auripigmentum.* Plin. lib. XXXIII, cap. IV: *Aurum faciendi eſt etiam una ratio ex auripigmento, quod in Syria foditur pictoribus, auri colore, ſed fragili lapidum ſpecularium modo.*

Contrà ochra non nativa, ſed factitia pictores utebantur. Uſta dicebatur, quia ex rubrica fabrili, in ollis novis luto circumlitis exureretur: ut conſtat ex Theophraſto περὶ λίθων, & Dioſcoride lib. v, cap. CXII. Imò & Plinio lib. XXXV, cap. VI. cujus verba emendat Philander Notis ad Vitruvii lib. VII, cap. VII. Ὤχρα à colore dicitur, hoc eſt lutea, quia γῆ, ſive terra intelligitur. In vulgatis Plinii codd. *uſta* jungitur cum ceruſſa: ſed perperam, ut cognoſcere ex iis fuit quæ diximus.

Ceruſſa, Græcè ψιμμύθιον, fit reſolvendo plumbum acri aceto. Pictores ea utuntur iis in partibus, quibus hæret lux.

Sandaracha, ut Plinius ait, fere in aurariis, & argentariis invenitur metallis, maximeque effodiebatur inter Magneſiæ, & Epheſi fines. Sandyx fiebat è ceruſſa uſta, donec ſandarachæ colorem referret. Quomodo uti debeat, caſu ex incendio didicere homines, ut Vitruvius docet lib. VII. Syricon, (ſic enim, non *Scyricon*, legendum) ſecundum Plinium, ex ſandyce & ſinopide fiebat, pari pondere permiſtis. Sed Aëtius lib. II, & Paulus Ægineta, clare σάνδυκα, καὶ συρικὸν, pro eodem habent. Quare, ſecundum hos idem fuerit ac ceruſſa uſta. Atramentum ſutorium eſt ſuccus concretus ex chalcitide Græcis χάλκανθος vocatur. Eo L. Papinium Carbonem, abſorptum meminit Manutius in epiſt. ad famil. pag. 121. Atque hæc ſufficiat attigiſſe de lapidum illis, quos allatis antea verbis Plinius picturæ eſſe utiles indicabat.

Sunt vero & alii, quorum pictoribus uſus ſit.

Nam ad colores lævigandos utuntur Porphyrite Ægyptio, ſive totus ſit ruber, ſive candida puncta intercurrant, qualis vocatur leucoſtictos, auctore Plinio. Etiam pictores utuntur lapide morochto, qui & graphis dicitur, quia uſum calami præſtat. Lineas eo ducunt pictores, & mathematici in Hetruria. Invenitur in Apennino. De diverſis pictorum coloribus, pictura vitri, & encauſto ſive ſmalto, unde, quomodove ex metallicis pigmentis fiat, adire licet Cæſ. Bulling. de Pictura lib. II, cap. III, & ſeqq.

A pi-

a Lib. 35. cap. 12. b Apud Plinium.

A pictura ad plaſticen accedo, idque Plinii exemplo *a*: item ad tres plaſtices filias, ſtatuariam, ſculpturam, & cælaturam. Harum enim matrem plaſticen, Varrone *b* teſte, Paſiteles dicebat, Colotæ magiſter, etiam Pauſaniæ memoratus lib. v.

Plaſtice ex argilla effingit ſimulachra: de quo ex Varrone Plinius ibidem.

Argillæ vicinum gypſum. Ex hac ſtatuæ grandes, ac miræ levitatis fiunt. Nam lanæ, ſtupæ, vel fœno, inducitur ex gypſo tenuis cruſta: ac deinde forma elaboratur exterior.

Fecere etiam ex ligno, cera, ebore. Sed nihil hæc materies ad præſens inſtitutum. Quare ſolum dicam de lapide & metallis. In priori genere maximè celebratur marmorarius: in altero ærarius. Quos iccirco conjunxit Tertullianus lib. de Idololatria cap. VIII: *Scit & pictor, & marmorarius, & ærarius, & quicumque cælator.* Sed plures materias idem retulerat cap. III: *Neque enim intereſt an plaſtes effingat, an cælator exſculpat, an Phrygio detexat, quia nec de materia refert, an gypſo, an coloribus, an lapide, an ære, an argento, an filo formetur idolum.* Ubi primo tria memorat genera artificum, qui idola facerent; plaſten, qui effingeret ex argilla, aut gypſo; cælatorem qui ex lapide, vel metallo exſculperet; & phrygionem, qui ex filo contexeret. De lapide ſic Maro Æn. . .

——Vivos ducent de marmore vultus.

Et Propertius lib. II:

Praxitilem propriâ Vindicat arte lapis.

Ex ære etiam ſtatuas multas conſtituere Romani, ac Græci. Ita in Tænaro ænea erat ſtatua Arionis Methymnæi delphino inſidentis. Athenis æreæ ſtatuæ Harmodii, & Ariſtogitonis, qui Piſiſtratidarum tyrannide cives liberarunt. Demetrio Phalereo ſtatuæ ex ære conſtitutæ ab Athenienſibus CCCLX. Unde Varro:

Hic Demetrius æneas tot aptu'ſt.
Quot luces habet annus abſolutus.

Cæſar Auguſtus, ut Tranquillus narrat, Antonio Muſæ Medico ſtatuam æneam conſtituit, juxta ſignum Æſculapii. Neapoli hodieque ſuperſunt æneæ ſtatuæ Scipionis Africani, Mutii Scævolæ, atque aliæ.

Imò & ſtatuæ aliquæ è ferro: ut in Laconica Scias, opus Theodori Samii. Tandem & ex argento ſtatuas fecere, vel etiam auro. Sed hujuſmodi ſtatuæ fuerunt duplices; concavæ, & ſolidæ. Poſteriores dictæ ὁλοσφυρήλατοι, ὁλοσφυρόι, & ὁλοσφύρητοι, h. e. τῇ σφύρᾳ ἐιληλαμένοι, *tota* malleo ductæ, eoque neutiquam inanes, ac concavæ. Plinius lib. XXXIII, cap. IV: *Aurea prima omnium, nulla inanitate, & antequam ex ære aliqua illo modo fieret, quam vocant ὁλοσφύρητον, in templo Anaitidis poſita dicitur. Direpta eſt Antonii Parthicis rebus.* Ac mox: *Hominum primus & auream ſtatuam & ſolidam Gorgias Leontinus Delphis in templo ſibi poſuit, LXX circiter Olympiade. Tantus erat docendæ oratoriæ artis quæſtus.* Verùm Valerius Maximus *c* non ſibi ait poſuiſſe, ſed à tota poſitam Græcia. Imò Cicero in III de Oratorio ſcribit, non auream fuiſſe, ſed inauratam. Pluraque de eo veterum diſſenſu dixi in Oratoriis Inſtitut. lib. v, cap. v, ſect. II.

c Lib. 8. cap. ult.

Hæc de ſtatuis hominum. Nam de illis Deorum in Theologia Symbolica dicemus. Nunc ſolum de ſculptura, & cælatura, itidem plaſtices, ut dixi, filiabus aliquid addam.

Sculptoribus utilis adamas, ob ingentem ejus duritiem, quæ facit, ut abſque ejus ope nec adamantes, nec gemmæ aliæ, pulcrè, ac pro dignitate, ſculpi, vel cælari poſſint. Etiam ſmiris lapis prodeſt, ad ſculpendas, vel cælandas gemmas molliores.

Cap. XXXVI.

De utilitate quam ex foſſilibus percipit tum omne fabrorum genus, tum univerſa mercatura. Sed foſſilia etiam ad pœnas ſe extendere. Agitur itaque de chalybe, & ſilice, naphtha qua veteres olei vice uſi ſunt, lithanthracibus ſeu ſaxo-carbonibus, talco candidum æri colorem impertiente, lapide Samio aurum poliente, chryſocolla, commoditate pecuniæ ne neceſſum ſit ἀντιφορτίζεσθαι, lapide Lydio, hiſtrionum auro coronario, & lapidatione apud Judæos, Macedonas, inque caſtris Romanorum frequentata.

POſt tot foſſilium commoda contentus ero dicere de duobus ſolum: ſed ejuſmodi ut inde plurimum utilitatis ad genus humanum redundet. Prius tangit fabros: idque ratione ignis, & aliter. Alterum ad mercatores pertinet, quorum commercia expeditiùs pecuniis, quam commutatione mercium, tranſiguntur.

Ignem attendimus, tum quatenus excitandus, tum etiam augendus, ac conſervandus. Ad prius valet chalybs, ac ſilex: ut indicat hoc Maronis I Æn.

Ac primùm ſilici ſcintillam excudit Achates,
Suſcepitque ignem foliis, atque arida circum
Nutrimenta dedit, rapuitque in fomite flammam.

Ex vulgari verò opinione eſt, quod idem I Georg. ait:

Et ſilicis venis abſtruſum excuderet ignem.

Nec enim ignis eſt in ſilice: ſed aër pinguis: hic verò, icto ſilice, cujus particula decutitur, attritu rareſcit, & igneſcit.

Ad poſterius valet naphtha. Hac enim uſi veteres olei vice: præcipuè in agro Agrigentino: unde *oleum Siculum* dicebatur. Ac creditur non aliud eſſe, quàm quod *petrelæum*, vel *petroleum* vocatur: nempe quia oleo ſimile, ac ejus uſus ſit in lucernis.

Prætereà ex ſaxeis carbonibus, qui Belgis *ſteenkolen* ignes ſtruuntur, præſertim à fabris ferrariis. Plerique arbitrantur, eam eſſe terram, quam Plinius vocat pharmacitin, & ampelitin.

Nec ferrariis modo fabris igni eſt opus, ſed argentariis etiam, & aurificibus. Sed his aliter quoque foſſilia conducunt. Nam ex argentei coloris lapide, quem *talcum* vocant, oleum à Chymicis educitur, quo candidus æri color confertur.

Samio lapide, qui in terra Samia incluſus ſolet inveniri, aurifices ſplendorem conciliabant auro.

Chryſocolla item aurum auro, argentum argento conglutinant. Plura de hoc lapide ſi voles, adi Petrum Matthiolum in Dioſcoridem lib. v, cap. CXXX; & Andræam Cæſalpinum lib. I de Metallicis, cap. XI. Atque hæc ad fabros pertinent.

Emtioni ac venditioni conduxere foſſilia, ex quo paſſim deſiere merces mercibus permutare: quod Græci dicunt ἀντιφορτίζεσθαι. Et primò quidem in uſu erat æs grave, ac rude: cujus pondus oculis, & manibus æſtimabatur. His ſæpe fallentibus, publica auctoritate ad menſuræ teſtationem figura acceſſit. Hoc Græci à voce νόμω dixere νόμισμα, & νῦμμον: nempe quia reciperetur ex more ſive conſuetudine gentis. Primi videntur Phœnices uſi: ut qui mercaturas invenerint: teſte Plinio lib. VII, cap. LVII. Valuere & ea Æginetæ, ut nihil mirandum ſit, ſi Græcorum primi ſint numo uſi. Romæ primus pecuniam ſignavit Servius Tullius; teſtibus Plinio *a*, & Servio Honorato; ut taceam de Caſſiodoro *b*, arque aliis. Falſi, qui Numæ Pompilio hoc tribuunt, atque ab eo dictum *numum*: quod legas apud Joannem Antiochenum περὶ ἀρχαιολογίας. Imò, ſi credimus Suidæ, prodidit id Suetonius Tranquillus. Ab ærea hac pecunia nomen *ærario* datum, quod in æde erat Saturni jam à temporibus Valerii Poplicolæ: ut ex Plutarcho conſtat. Inde etiam dicti ærarii tribuni, ac ſcribæ. Uſi autem ea uſque ad annum Urbis CCCCLXXXIV, hoc eſt, quinctum annum ante primum bellum Punicum. Tum primùm cuſus eſt numus argenteus; qui *denarius* vocatus, quia valeret decem libras æris. Atque hoc etiam teſtabatur nota hæc X, vel, eâ perſcriptâ, ut loquitur Priſcianus, hoc eſt, trajectâ, talis *: quæ ſubjiciebatur effigiei auctoris. Ab altero latere

a Lib. 33. cap. 3.
b Var. 2. 7. epiſt. 32.

latere fuerunt bigæ, & quadrigæ: unde *bigatorum*, & *quadrigatorum* nomen. Aureus verò nummus Romæ cuſus anno Urbis IↃXLVI: nempe annis XLII, ex quo argenteus in uſu eſſe cœperat: ut auctor eſt Plinius *a*. Diſpar verò auri *δύναμις* ſive pretium atque æſtimatio apud Romanos erat, ac Græcos. Apud Græcos, aureus nummus permutabatur denis argenteis: apud Romanos duodenis & ſemiſſe: imò ſæpe majoris æſtimabatur. Sed de iſtoc, & cæteris ad rem monetariam pertinentibus, conſuli malo Budæum, Portium, Hotomannum; Car. Molinæum, Covarruviam, & intelligentiſſimum hujus argumenti, agnatum meum, Reinerum Budælium Ruræmundanum Ictum, Electori Colonienſi, dum viveret, monetarum tam Rhenenſium, quam Weſtfalicarum præfectum: cujus geminus exſtat liber: unus de arte cudendæ monetæ; alter de quæſtionibus monetariis.

a Lib. 33. cap. 3.

Quomodò verò benignitas Dei variè regionum commodo, hoc vel illo metalli donô Hiſpaniæ, Æthiopiæ, &c. aurô, Galliæ ærifodinis, proſpexerit; recenſet Cæſ. Bullingerius de Pictura II, XX, 84, 85.

Nec foſſilia tantummodo proſunt materiem pecuniæ præbendo: ſed etiam quia eorum beneficio aurum verum à falſo diſtinguimus. Huic rei inſervit lapis Lydius, ſic dictus, quia è Lydia adveheretur: atque idem vocatus χρυσῖτις, & βάσανος, quia bonitas auri eo exploraretur. Nam exinde cognoſcimus, quantum cuique auri, quantum item æris inſit. Eundem verò, ut dixi, eſſe chryſiten, & baſanum, Plinius indicat libro XXXVI, cap. XXII; ubi quoque videas πυροποίκιλον *b* vocari. Variè autem auro hominibus imponitur: de quo alibi dictum. Hiſtrionibus etiam æs in uſu pro auro. Nempe in laminas ductum, & taurorum felle tinctum; ſpeciem auri habet. Hiſtriones igitur inde coronas faciunt, unde *coronarium* vocatur. Auctor Plinius. Hoc in numi tragœdiis. In comœdiis è lupinis fuere: unde Horatius *c*:

b Notulis coloris ignei diſtinctum.

Nec tamen ignorat, quid diſtent æra lupinis.

c Epiſt. 7. lib. 1.

Comicum aurum vocat Plautus *d*.

d Pænulo act. 3. ſc. 2.

Etiam foſſilium uſus in pœnis. Ut in lapidatione, quæ & inter ſupplicia Judæorum. Item apud Macedonas: Curtius lib. VI: *Omnes à Nicomacho nominati, more patrio, dato ſigno ſaxis obruti ſunt.* Vides ut *morem patrium* appellet. Ac in conjuratione alia ſic de Hermolao, & aliis, refert Arrianus lib. IV: Τούτον μὲν δὴ αὐτὸν, καὶ τοὺς ξὺν αὐτῷ ξυλληφθέντας καταλευσθῆναι πρὸς τῶν παρόντων. *Hunc, & reliquos cum eo comprehenſos lapidibus obrutos ab iis qui aderant.* Imò apud Romanos quoque conſuetudo erat caſtrenſis, Polybio teſte, in ſexto Hiſtoriarum *e*, ut condemnati, poſtquam fuſte eos attigiſſet tribunus, à commilitonibus fuſtibus & ſaxis ferirentur, ſæpe etiam necarentur.

e P. 481. edit. Caſaubonianæ.

Cap. XXXVII.

Poſt enarrata tot lapidum ac metallorum commoda, non diſſimulatur, quandoque ea eſſe noxia; nec in re id minuta, ſed ipſi hominis valetudini. Hic adducuntur plumbum, minium, chalcitis. Oſtenſum verò id nec ſapientiæ Dei, nec bonitati ejus derogare. cyaneum ſi abluatur valetudinem multum juvare, arſenici virus infringere bezoar, multaque aſſingi foſſilibus.

QUamquam verò tam eximia ſint lapidum, ac metallorum bona: non tamen diffiteri poſſumus, multum etiam nocere valetudini humanæ. Atque operæ fuerit, de hoc etiam aliquid adtexere. Uti in plantis ſuperiori à me libro factum fuit.

Plumbum noxia qualitate imbuit ea, quæ continet, vel quæ per plumbeos canales fluunt: Nocet vero aqua hujuſmodi lotionibus, ac imprimis in cibis, potuque. Ideo nec medici facile vaſculis plumbeis recondunt medicamenta: Imò Galenus lib. primo de Antidotis, cap. X, etiam vaſa ſtannea averſatur, quia ſtannum facilè adulteratur plumbo, viruſque ab eo contrahit.

Mercurial. Var. lect. 2, 9

Minium adeò venenoſum eſt, teſte Plinio, ut qui id poliunt in officinis, faciem laxis illigent veſicis, ne reſpirando pernicioſum pulverem attrahant. Eſt vero diverſum à milto, quod aſſumtum interius hepaticos juvat, aliaſque corpori utilitates adfert. Vide quæ de horum diſcrimine habet Joannes Manardus lib. IV, epiſt. I. *a*.

a Pag. 44, & 45.

Chalcitis eſt inter venena, quæ roſione necant. Nempe tantæ eſt acrimoniæ, ut etiam urat carnem.

Poteram alia etiam multa adferre exempla damnorum quæ dant metalla. Nihil vero quæ diximus, vel præterimus derogant ſapientiæ vel bonitati divinæ. Non dicam cum Stoicis, vitio hæc fieri non Dei efficientis, ſed cauſſæ materialis. Nam & materiam ipſam, & quicquid inde fabricatum à Deo, bonum initio fuit, ut ex Moſe cognoſcimus. Quare ſic potius ſtatuimus, omne iſtoc eſſe à peccato hominis, propter quod Deus terræ maledixit. Et tamen in maledictione etiam elucet divina bonitas. Nam & prudentiam nobis conceſſit abſtinendi quatenus nocent, utendi quatenus conducunt. Exemplo fuerit lapis Cyaneus. Is ſi abluatur, multum valetudinem juvat: ut contra Symphorianum Campegium ſentit Joannes Manardus lib. XV, epiſt. III. Campegii ejus opinio erat, quantumcunque abluatur, ſemper nocere. Præterea alia nobis divinitus ſunt conceſſa, quibus ſi utamur, tuti ſimus ab noxia eorum facultate. Nam quis ignorat quantum ſit arſenici virus? At, quantumcumque ſæviat, veneno ejus venenum eſt lapis bezoarticus, verè panacea in morbis peſtilentibus, ac venenatis. Adde quòd multa falsò inſimulantur venenatæ facultatis, cùm experientia longè aliud comprobet. Quale eſt, quod ajunt adamantis ſcobem devoratum corrodere viſcera, hominemque necare. At hanc opinionem non luculentè minus, quam ſolidè refellit Anſelmus Boëtius lib. II de Lapidibus ac Gemmis, cap. IV. Nec ad foſſilium honorem ac pretium parum facit, quod inde fieri poſſit, quæ ad ſtructuram templi ſui in veteri populo pertinerent, imò aureis etiam vaſis illud exornavit, gemmas voluit relucere in pectorali ſummi ſacerdotis, atque iis voluntatis ſuæ indicia dabat: legem etiam digitis ſuis inſcripſit tabulis lapideis.

Cap. XXXVIII.

De utilitate, quæ è foſſilibus ad homines redit à morte. Sale primitus cadavera condita. Oſtracites lapis, cinerum conditor: Aſſius ſarcophagus: mitior aſſervandis corporibus chernites qui Darium complexus, ſimilemque operam navaſſet Plinii porus ac differt à topho.

ABſolvimus de ingentibus commodis, quæ in hominem ex foſſilibus redundant, dum vivit. Diſcuſſimus etiam tenebras, quas aliqui quia ex iis quædam noxia videantur, obduxere rebus clariſſimis. His conſequens eſt, ut oſtendam non hic ſiſtere foſſilium bona, ſed poſt fata prorogari.

Sale enim primitus cadavera, condiri ſolebant, ut diutiùs à putredine conſervarentur. Liquet hoc ex non uno Herodoti loco, qui corpora hujuſcemodi vocat ταριχευμένα *a*. Et ſanè nihil mirum ſi primò uſi ſint ſimpliciſſima condiendi ratione, quæ paulatim in majorem majoremque luxum prorupit.

a Sale condita.

Oſtracites, qui Græcorum Junioribus λιθέσπορον, in terra mollis, ſed inde exemtus lapideſcit. Inde olim ollæ, quibus gentiles defunctorum cineres condebant: unde & lapidem ollarem vocant. Plinius lib. XXXV, cap. XII: *Quin & defunctos ſeſe multi fictilibus ollis condi maluere.* Nec enim placet, quod in quibuſdam MSSis eſt *doliis*; etſi ita & olim legerit Blondus.

Aſio ſeu Aſſio lapide, qui ab Aſſo Troadis afferebatur, uſi olim ut eo corpora defunctorum conderent. Nempe ut à lapide eo conſumerentur, non verò putreſcerent. Atque hinc lapidi illi *ſarcophago* nomen fuit. De eo, ac Chemite, Poro, & aliis, ſic Plinius lib. XXXVI,

cap.

cap. xvii: *In Aſſo Troadis ſarcophagus ſiſſili venâ ſcinditur. Corpora defunctorum condita in eo abſumi conſtat intra quadrageſimum diem exceptis dentibus. Ejus generis & in Lycia ſaxa ſunt, & in Oriente, quæ viventibus quoque adalligata erodunt corpora. Mitior eſt autem ſervandis corporibus, nec abſumendis, chernites, ebori ſimillimus, in quo Darium conditum ferunt. Parioque ſimilis candore, & duritie, minus tamen ponderoſus, qui porus vocatur.* Ubi *porus* aliud longè quam tophus. Nam candore ac duritie dicitur lapidi Pario ſimilis. At πῶρος alias eſt ſpongioſus ac levis, pumici ſimilis: ut poſtea dicetur.

De hoc lapide quæſtionem movet Theophraſtus libro de Igne; cur eorum, qui in rogo ſunt cremati, quædam ſuperſint reliquiæ; at lapis, qui apud Aſſum invenitur, unde loculos faciunt, corpora penitus conſumat, inque cineres redigat. Ait autem, id fieri lapidis ejus calore nativo: qui quoquoverſum penetrans, ea, quæ ex minutis coaluere particulis, in minutas item reſolvat. Lapidem eum eſſe calidum illo probat, quòd inde calx fiat. Ac calorem quidem ejus lapidis eſſe igneo minorem, ſubtiliorem tamen: illo autem aëris incluſi eſſe majorem, ſed craſſiorem: ut igneo celeriùs, aëreo diutius, ſed celeriùs, dividat. Porrò aëra incluſum, quia craſſus, incaleſcere vehementius, ac diutius calorem retinere, qui vehementer locum torreat.

Cap. XXXIX.

De foſſilibus habitis ab his pro Diis proprie dictis, ab aliis pro Deorum ſignis, ab aliis verò æſtimatis paris, vel etiam majoris dignitatis, quam ſi Deorum forent ſigna, imo ipſi Dii. Hic producuntur lapis Jacobi βαίτυλος *LXX dictus, à Bethel, unde Ethnicorum Abaddir; lapis Arabum Brachthan in memoriam Abrahami, ſilex Phrygum Mater Deûm. Veterum Finnonum in mari ſaxum Semes, acinaces Scytharum, Securis Tenedoinſulanorum, Plutus.*

EXpoſui de natura atque utilitate foſſilium, quæ maximè mihi idonea videbantur. Hæc tam multa magnaque rapere hominem debuerunt id admirationem conditoris, atque ad cultum ejus accendere. Sed ubi malitia humanarum mentium factum eſt, ut deſereretur creator, inque omnia vitia prorueretur; tanta cœcitas conſecuta, ut vel ea ipſa pro Deo haberent, vel iis abuterentur ad falſi numinis cultum. Adgrediar igitur hanc etiam partem explicare.

Præcipuè verò in eo verſabitur oratio noſtra, ut videamus quomodo foſſilia, vel pro Diis habuerint, vel Deorum ſignis, vel præ iis etiam cultum Deorum contemſerint.

Foſſilia, licet inanima, pro Diis tamen habita fuiſſe, luculentè arguit lapis ille βαίτυλος dictus à Βαιθὴλ, ut τοῖς ἑβδομήκοντα a dicitur pro Beth-el. Notum ex Geneſ. xxviii, 18, ut Jacob Patriarcha Eſavum fratrem fugiens in Meſopotamiam contenderit; in via autem, lapide pro pulvino uſus, in ſomnio viderit Deum ſcalæ innixum, per quam angeli adſcenderent, & deſcenderent, Deumque in ſummo ſcalarum poſteris ejus promittentem audierit omnem terram Canahæam: expergefactus verò locum illum vocârit *Beth-el*, hoc eſt, domum Dei; lapidem autem, quem capiti ſuppoſuerat ut monumentum hujus viſionis foret, erexerit, oleoque inunxerit, & inungendo conſecrârit eum Deo. Hic lapis magna in veneratione Iſraëlitis fuit uſque dum divino coli honore à cultus neſciis cœpit. A quo exoſus lapis piis, ac locus, qui ante *Beth-el*, hoc eſt, domus Dei, vocabatur, à veris Iſraëlitis *Beth-ave*, hoc eſt, domus mendacii, nominatus. Ab hoc lapide, locoque Βαιθὴλ dicto, βαίτυλοι, & βαιτύλια vocarunt, lapides rudes, quos ſive ſymbola numinis crederent divini, ſive etiam animatos & verè Deos. De cujuſmodi cultu vide ſis, quæ Photii Bibliotheca, codice CCXLII, ſuggeret in vita Iſidori philoſophi exarata à Damaſcio Damaſceno, qui Simplicii diſcipulus fuit, ac temporibus claruit Juſtiniani imperatoris: ut in opere de Hiſtoricis Græcis colligebamus. Facilè verò aſſentio eruditiſſimis viris, qui cenſent, hunc eſſe illum lapidem, quem Hieroſolymam tranſtulere Judæi; quem item deletis Hieroſolymis Judæi eo die, quo capta urbs à Tito (hoc enim ſolo, Hieronymo teſte in cap. II Sophoniæ, ingredi iis urbem hanc licebat) cum multo gemitu, & lamentis, nec ſine laceratione veſtium, adire & inungere ſolent: ut eſt in antiqui ſcriptoris itinerario Burdigalenſi, quod edidit Pithœus. Atque hunc lapidem finxere eſſe illum ipſum, quem pro Jove objectum fuiſſe Saturno fabulantur. Heſychius: Βαίτυλος. οὕτως ἐκαλεῖτο ὁ δοθεὶς λίθος τῷ Κρόνῳ ἀντὶ Διός. *Baetulus. Sic vocabatur lapis pro Jove objectus Saturno.* Nempe à Βαιθὴλ βαίτυλος: non uti nugatur Etymologus, quaſi βαίτηλον, quia eum Rhea involverit βαίτῃ, hoc eſt, pelli caprinæ. Apud Julium Scaligerum Exercitat. adverſus Cardanum CCLXXI legas, in veteribus barbarorum myſteriis *Abdir* nuncupari. Quod hauſit è Priſciano, qui tamen *abadir* vel *abaddir* vocat extremo libri I, uti & penè initio II, ubi legas: *Abadir Deus eſt. Dicitur & hoc nomine lapis ille, quem Saturnus dicitur devoraſſe pro Jove, quem Græci βαίτυλον vocant.* Poſtea autem eodem libro eſt, *Abdir, & abaddir ὁ βαίτυλος.* Abaddir item eſt ſequenti libro: ubi agnoſcit, non reperiſſe ſe, qui voce abaddir uteretur: ut fortaſſe nihil attinuerit, toties hoc iterare. Sed unde *abadir*, vel *abaddir*? Puto eſſe ex Βαιθ-ἠλ. Nam prioris partis clara hic veſtigia. A crebro vocibus præmitti, & L in R abire, alibi oſtendimus. Apud Iſidorum in Gloſſis legas: *Agadir*, lapis. Ubi ſine dubio legendum eſt *Abaddir.* Quanto ad veriſimilius, quàm ut *agadir* ſit ex Germanico *agadſtein*, qui lapis Latinis *gagates*. Id tamen ſomnium placuit Caſpari Barthio lib. XVI Adverſ. cap. XXIV.

a LXX Interpretibus.

Satis de Abaddir. Alia etiam inanima, eaque foſſilia, vel quæ foſſilibus debeant originem ſuam, refert his verbis Arnobius lib. VI: *Ridetis temporibus priſcis Perſas fluvios coluiſſe, memoralia ut indicant ſcripta: informem Arabas lapidem: acinacem Scythiæ nationes: ramum pro Cinxia Theſpios: lignum Cariis pro Diana immolatum: Peſſinuntios ſilicem pro Deûm matre: pro Marte Romanos haſtam: Varronis ut indicant Muſæ: atque ut Aëthlius memorat, ante uſum diſciplinamque fictorum, puteum Samios pro Junone.* E quibus huc pertinent Arabum lapis, acinaces Scytharum, & Peſſinuntiorum ſilex. De his tribus pauca adjungam. Ac de lapide Arabum ſic ſcribit in Panoplia ſua Euthymius Zigabenus: Πῶς οὖν ὑμεῖς προσέχετε τῷ λίθῳ τῷ Βραχθὰν, καὶ φιλεῖτε τοῦτον; καὶ τινες μὲν αὐτῶν φασι, διότι ἐπάνω αὐτοῦ συνεγένετο τῇ Ἄγαρ ὁ Ἀβραάμ· ἄλλοι δὲ, ὅτι προσέδησεν αὐτῷ τὴν κάμηλον, μέλλων θύειν τὸν Ἰσαάκ. *Quomodo igitur vos* (Saraceni) *adhæretis lapidi Brachthan, eumque oſculamini? Ac reſpondent nonnulli eorum. Ideo quod ſuper ipſum Abraham cum Agar congreſſus eſt: alii autem, quia alligavit ei camelum, cum Iſaacum eſſet ſacrificaturus.* Plura hoc de lapide diximus lib. II hujus operis, cap. XXXI. Ac planè cenſeo non alium ſignari à Maximo Tyrio ſerm. XXXVIII; ubi ait Arabes pro Deo, vel ejus ſymbolo colere λίθον τετράγωνον, *lapidem quadrangulum.* Etiam apud Arabas, fuit loci excelſi vertex ſive cacumen, quod pro numine coluerunt. Rupem, vel ſaxum fuiſſe arbitror. Σκόπελον, ἢ κορυφὴν vocat Stephanus in Δουσάρη. Verba ejus adduximus lib. II harum commentationum, cap. VIII. Ac meminit Diſaris, vel Duſaris, Tertullianus etiam in Apologetico cap. XXXIV; ubi in Aldina corruptè *Diaſares.* Nicolaus Loënſis in Miſcellaneis cenſet ex Marino Philoſopho *Thyandrites* reponi oportere: vel ex Suida, *Deus Ares*, Θεὸς Ἄρης. Sed cum refellit Stephani ſive Hermolai Byzantii auctoritas, qui clarè narrat, Δουσάρην fuiſſe dictum jugum ſive altiſſimum Arabiæ locum proque numine habitum ab Arabibus pariter, ac Dachareni.

Vide Heraldum ad pag. 246. ſive ipſum pag. 369.

Ab

Ab Arabum lapide venio ad ſilicem, quem Phryges pro Deûm matre coluere. Equidem planè cenſeo fuiſſe cultum non proprium, ſed ſymbolicum: verùm quia aliter narrant Theologi veteres non eſt animus hanc ſententiam refellere. Potius de eo loquar, ubi ad ſymbolicum cultum fuerit deventum. De hac ſilicis veneratione apud Phrygas etiam apud Livium eſt lib. XXIX: *Pergamum ad regem* (legati Romani) *venerunt. Is legatos comiter acceptos Peſſinuntem in Phrygiam deduxit, ſacrumque iis lapidem, quem matrem Deûm incolæ eſſe dicebant, tradidit, ac deportare Romam juſſit.* Eſt & Claudiani lib.... de Raptu Proſerpinæ:

Hic ſedes auguſta Deæ, templique colendi
Relligioſa ſilex, quam denſis pinus obumbrat Frondibus.

Fortaſſe & aliquid ad lapidum cultum referat, quòd Maximus Tyrius Orat. XXXVIII, ait albam pyramidem à Paphiis coli. Sed clarè dicit, ſtatuam Veneris haberi: totaque ea natione oſtendit, nullam fuiſſe gentem, ſive Græcam, ſive barbaram, quin conſecrârit aliqua σύμβολα τῆς τῶν θεῶν τιμῆς· *cultus divini ſymbola ſive ſigna.* Vides ut clarè ſtatuas, ſaxa, & ſimilia, non ad cultum proprium, ſed ſymbolicum retulerit. Atque idem tradit de Ægyptiis, felem, accipitrem, crocodilum, & ſimilia, deque iiſdem fluvium, de Perſis ignem colentibus. Sic enim ſcribit: Εἰ δὲ Ἕλληνας μὲν ἐπεγείρει πρὸς τὴν μνήμην τοῦ Θεοῦ ἡ Φειδίου τέχνη, Αἰγυπτίους δὲ πρὸς τὰ ζῶα τιμή, καὶ ποταμὸς ἄλλους, καὶ πῦρ ἄλλους· οὐ νεμεσῶ τῆς διαφωνίας· ἴστωσαν μόνον, ἐράτωσαν μόνον, μνημονευέτωσαν μόνον. *Sive autem ad memoriam numinis maximè ſuſcitet Græcos ars Phidiæ, Ægyptios verò animalium cultus, aut alios fluminum cultus, aut ignis alios: varietatem non culpo. Intelligant modò, quem colant, ament modò, illius modò memoriam ſervent.* Nec tamen ex ſapientia hujus Platonici philoſophi judicandum de rudibus & craſſis ingeniis. Cujuſmodi inter proprium, & ſymbolicum cultum diſtinguere neſciebant. Quare facile credo id de Finlandis, quales ante ſeſquiſeculum fuere. Ut qui ferinam prope vitam duxerint, utcunque vicinis Lappis manſuetiores forent: ſicut de iis ſcribit Sigiſmundus Liber Baro in Herberſtein, in rerum Moſcoviticarum Commentariis; ubi & iſta de iis narrat *a*. *Relictâ poſtea Lapporum terra, —— ad promontorium quoddam, quod ſanctum Naſum appellant, ſe perveniſſe dicebat* (Iſthoma.) *Eſt autem ſanctus Naſus ſaxum ingens, ad naſi ſimilitudinem in mare prominens; ſub quo antrum verticoſum conſpicitur, quod ſingulis ſex horis mare abſorbet, ac alternatim magno ſonitu reddit evomitque ejuſmodi voraginem. Alii umbilicum maris, alii Charybdim dixere. Tantam autem hujus gurgitis vim eſſe, ut naves, aliaſque in propinquo res attraheret: neque ſe unquam in majori periculo fuiſſe ajebat. Nam gurgite ſubito, ac violenter navem, qua vehebantur, ad ſe attrahente, vix magno labore renitentibus remis ſeſe evaſiſſe. Superato S. Naſo, ad quendam montem ſaxoſum, quem circumire oportebat, perveniſſe: ubi cum, ventis reflantibus, aliquot diebus detinerentur, nauta, Saxum inquit, hoc quod cernitis, Semes appellant; quod niſi munere aliquo à nobis placatum fuerit, haut facilè præteribimus. Quem Iſthoma, ob vanam ſuperſtitionem ſe increpaſſe ajebat. Increpatus, nauta ſubticuit; totoque illic quatriduo vi tempeſtatis retentos, ventis poſtea quieſcentibus ſolviſſe. Cumque ſecundo jam flatu veherentur, nauclerum dixiſſe: Vos admonitionem meam de placando Semis Saxo, tanquam vanam ſuperſtitionem irridebatis: at niſi ego noctu clam, adſcenſo ſcopulo, Semem placaſſem, nequaquam tranſitus nobis conceſſus fuiſſet. Interrogatus, quid Semi obtuliſſet, avena farinam butyro permixtam ſuper lapidem, quem prominere vidimus, ſe fudiſſe dicebat.*

a Pag. 87. edit. heredum Wechel. an. 1600.

Nec ſaxa modò, prudentiores quidem pro numinum ſymbolis; rudiores verò pro Diis ipſis coluere; ſed etiam ferrum, vel quæ ferro conſtarent. Sic Scythæ acinacen pro numine coluiſſe dicuntur: ut ex Arnobio videmus: ac idem proditum Clementi Alexandrino in Protreptico. Etiam ei ſacrificaſſe, ait Damis apud Lucianum. Ac apud eundem Lucianum per acinacen jurat Toxaris. Nec tamen ex juramento ſolidè colligas pro Deo habuiſſe: ut liquebit ex iis, quæ de Ægyptiorum per animantia juramento in Theologia ſymbolica aſſeremus. Et ſanè Neuri gladium quidem coluiſſe dicuntur: ſed ut Martis ſymbolum. Sunt verò ultimi Scythiæ populi.

Jam quid dicam de incolis Tenedi, unius è Sporadibus inſulis? Hi geminam ſecurim coluiſſe dicuntur numinis loco. Verùm Suidas non hoc dicit, ſed coluiſſe, ὡς ἀναθήματα, *ſicut donaria.* Nempe fuere iis ſymbolum Deæ Themidos, ſive Juſtitiæ. Unde & in nummis (quod ex antiqua Goltzii Græcia cernere eſt) duas videas ſecures. Hinc de ſeveriis judiciis, Τενέδιος ἄνθρωπος *a*, & Τενέδιος πέλεκυς *b*. Videlicet, quod ſevere admodum à carnifice ſecuri in ſontes animadverteretur; ut ex Suida conſtat. Aliam tamen rationem adducit Plutarchus de Pythiæ oraculo.

a Tenedius homo.
b Tenedia ſecuris.

Utrumque & proprium, & ſymbolicum ſaxorum cultum damnat etiam Concilium Arelatenſe II: *Si in alicujus presbyterio infideles, aut faculas accenderint, aut arbores, aut fontes, vel ſaxa venerentur, ſi hæc eruere neglexerit, ſacrilegii ſe reum eſſe cognoſcat.*

Præter verò hunc duplicem foſſilium cultum, quorum unus pro Diis foſſilia venerabatur, alter pro Deorum ſignis, etiam tertius eſt, quo numinum inſtar, foſſilia habebantur: ita ut ſicut Apoſtolus ait, quibuſdam ventrem eſſe Deum, ſic dicere liceat mammonam, ſive opes, eſſe Deum. Ut quibus omnem felicitatem metiantur. in quibus etiam ſolis omnem reponant fiduciam. Qua mente quoque gentiles eas ſtatuunt ſtultorum mortalium numen. Unde Euripides:

Ὁ πλοῦτος ἀνθρωπίσκε τοῖς σοφοῖς θεός·
Τὰ δ' ἄλλα, κόμποι, καὶ λόγων εὐμορφία.

Sic puto expreſſeris:

Sunt ſolæ opes, homulle, ſapienti Deus;
At alia nugæ, bella ſine re oratio.

Adfines verò his Menandri verſus apud Stobæum Sermone LXXXIX *c*:

Ὁ μὲν Ἐπίχαρμος τοὺς θεοὺς εἶναι λέγει
Ἀνέμους, ὕδωρ, γῆν, ἥλιον, πῦρ, ἀστέρας·
Ἐγὼ δ' ὑπέλαβον χρησίμους εἶναι θεοὺς,
Τ' ἀργύριον ἡμῖν, καὶ τὸ χρυσίον μόνον.
Ἱδρυσάμενος τούτους γὰρ εἰς τὴν οἰκίαν,
Εὔξαι τί βούλει, πάντα σοι γενήσεται,
Ἀγρὸς, οἰκία, θεράποντες, ἀργυρώματα,
Φίλοι, δικασταὶ, μάρτυρες, μόνον δίδου·
Αὐτοὺς γὰρ ἕξεις τοὺς θεοὺς ὑπηρέτας.

c Sive aliis tit. 91.

Jambicis totidem reddidit eos verſus Lilius Gyraldus Hiſtoriæ Deorum Syntagmate primo: ſed venuſtius Illuſtris Hugo Grotius in Excerptis Stobæanis. Poſt quem nihil attinet novum carmine reddendi laborem ſubire. Sic verò ille:

Epicharmus iſtos prædicat nobis Deos,
Aquam, ignem, ſolem, ſpiritum, ſtellas, humum,
Ego verò Deos opiparos atque præſtites
Aurum, atque argentum nobis eſſe intelligo.
His dedicaſſis ritè ſi tuam domum,
Optato quodvis præmium, optatum feres:
Agros, domus, familiam, vaſa argentea,
Teſtes, amicos, judices, tu da modo,
Ipſos habebis in miniſterio Deos.

CAP. XL.

De metallis, ac gemmis alicui numini dicatis; æs Veneri, æs inter inanima vocale; ferrum Vulcano mancipatum. Mars Veneri junctus, à Vulcano concatenatus, à Neptuno demum liberatus, quid hoc. Chymiſtas metalla planetis dicaſſe aurum Soli, argentum Lunæ,

Lunæ, &c. vel innocentes ad metalla damnaſſe. Aſſyriorum Deo Belo gemma dicata Beli oculus, apud eoſdem Adad ſeu Soli tres gemmæ ſacræ. Etiam Perſas Mythræ ſuo, hoc eſt, Soli gemmam ſacraſſe. Jovi Ammoni gemma, cornu Ammonis dicta, conſecrata. Sed & vaſa Diis ſacra: ſcyphus Herculi, cantharus Libero.

HActenus actum de foſſilibus, quatenus vel propriè haberentur pro Diis, vel figuratè, idque vel κατὰ μετωνυμίαν *a*, vel μεταφορικῶς *b*. Nunc agam de eo, quòd falſos Deos foſſilibus præfecerunt, & foſſilia falſis Diis conſecrarunt. Factum hoc in metallis, & gemmis. De metallis præcipuè liquet ex omnium antiquiſſimis: cujuſmodi ſunt æs & ferrum.

a Nomine poſito pro nomine.
b Significatione propria in alienam tranſlata.

Æs Veneri eſſe dicatum, ait Pindari interpres. Etiam ex Varrone traditum B. Auguſtino in libris de Civit. Dei, Romanis fuiſſe Deum Æſculanum, ab æſculo, h. e. ære, ſic dictum, uti ab eodem in gloſſis *æſculator*, æruſcator, μητραγύρτης. Porro ab Æſculano Deo poſcebant, ne ære deficerent: uti Argentinum, ne carerent argento. Ac Æſculani quidem filium dixere Argentinum, quia æreæ pecuniæ uſus prior fuit, quàm argenteæ. Quam rationem cum Auguſtinus adduxiſſet, poſtea ſubdit: *Miror autem, quòd Argentinus non genuit Aurinum, quia & aurea moneta ſubſecuta eſt.* Imo in luſtrando & expiando, nullius metalli æquè ac æris uſus fuit. Euſtathius in verſum illum Iliad. Π:

Ἐκ πόντοιο θύραζε λίνῳ, καὶ ἤνοπι χαλκῷ.

Ἤνοπα λέγει τὸν ἔνοπα, ὅ ἐστι ἔμφωνον. Μόνος γὰρ τῶν ἀψύχων δοκεῖ φωνὴν ἔχειν. Καὶ οἱ Πυθαγορικοί φασι τὸν χαλκὸν παντὶ συνηχεῖν θειοτέρῳ πνεύματι· διὸ καὶ τῷ Ἀπόλλωνι τρίπους τοιοῦτος ἀνακεῖται. καὶ ἐν νηνεμίᾳ δὲ πολλάκις τῶν ἄλλων ἀτρεμούντων, σειομένοις ἔοικε τὰ κοῖλα χαλκώματα. *Ait ἤνοπα, id eſt, ἔνοπα, quod ſignificat vocale. Ex inanimis enim ſolum videtur habere vocem. Ac Pythagorici ajunt, æs omni diviniori ſpiritui concinere. Propterea æreus Apollini tripus eſt conſecratus. Et aëre tranquillo ſæpe cæteris ſilentibus cavi lebetes moveri videntur.* Etiam ſcholiaſtes ſic ſcribit ad illud Theocriti Idyllio Β:

Ἁ θεὸς ἐν τριόδοισι· τὸ χάλκιον ὡς τάχος ἄχει.
Dea eſt in triviis: vas æneum quamprimum pulſa.

Τὸν γὰρ χαλκὸν ἐπῆδον ἐν ταῖς ἐκλείψεσι τῆς Σελήνης, καὶ ἐν τοῖς κατοιχομένοις, ἐπειδὴ ἐνομίζετο καθαρὸς εἶναι, καὶ ἀπελαστικὸς τῶν μιασμάτων. Διόπερ πρὸς πᾶσαν ἀφοσίωσιν, καὶ ἀποκάθαρσιν αὐτῷ ἐχρῶντο, ὥς φησι καὶ Ἀπολλόδωρος Ἀθήνησι ἐν τῷ περὶ Θεῶν. *Æs pulſantes accinuere in deliquiis Lunaribus: atque item ſiquis vita abiret. Videlicet quia æs purum credebatur, & utile adverſus pollutiones. Iccirco eo utebantur in omnibus conſecrationibus, & expiationibus: ut ait Apollodorus libro de Diis.*

Vulcano dicatum eſt ferrum, nec non Marti. Ac Vulcano quidem, quia is ignis: igni autem mulcatur, hoc eſt, mollitur ferrum: unde ei *Mulciberis* nomen. At Marti dicatum, quia ferro pugnetur. Itaque & in fabula Homerica *c*, qua fingitur Mars in Vulcani thalamo concubuiſſe cum Venere, à Vulcano autem, Neptuni ope liberatus, per Martem quidem ferrum intelligitur, per Venerem venuſtum & elegans fabrile artificium, per Vulcanum ignis, per Neptunum aqua: qua de re ſic Heraclides Ponticus in Allegoriis Homericis: Ὁ μὲν Ἄρης εἰκότως ἂν ὀνομάζοιτο σίδηρος. Τοῦτον δὲ ῥᾳδίως Ἥφαιστος ἐχειρώσατο. Τὸ γὰρ πῦρ, ἅτ' οἶμαι σιδήρου κραταιοτέρας δυνάμεως μετειληχὸς εὐκόλως ἐν αὐτῷ τὴν ἐκείνου στερρότητα θηλύνει. Δεῖ δὲ τῷ τεχνίτῃ πρὸς τὸ κατασκευαζόμενον, καὶ Ἀφροδίτης. Ὅθεν οἶμαι διὰ πυρὸς μαλάξας τὸν σίδηρον, ἐπαφροδίτῳ τινὶ τέχνῃ τὴν ἐργασίαν κατώρθωσε. Ποσειδῶν δ' ὁ ῥυόμενος παρ' Ἡφαίστου τὸν Ἄρη πιθανῶς, ἐπειδήπερ ἐκ τῶν βαναύσων διάπυρος ὁ τοῦ σιδήρου μύδρος ἑλκυσθεὶς, ὕδατι βαπτίζεται, καὶ τὸ φλογῶδες ἀπὸ τῆς ἰδίας φύσεως ὕδατι κατασβεσθὲν ἀναπαύεται. *Mars ratione probabili ferrum exiſtimetur. Hoc à Vulcano facile domatur. Nam ignis, quatenus majorem vim ferro nactus, facile illius emollit virtutem. Indiget autem faber ad ferrum ſuâ etiam Venere. Quamobrem ubi ferrum igni emollitum, venuſta quadam arte, opificium perficit. Neptunus autem Martem juſta de cauſſa liberat à Vulcano: quandoquidem maſſa ferri candens extracta è fornacibus aqua immergitur, atque ardor flammeus, aqua natura exſtinctus compeſcitur.* Hactenus Heraclides.

c Odyſſ. θ.

Chymiſtæ, ſi non planetis dicarunt metalla, vel innocentes eos damnarint ad metalla, ſaltem nominibus quibus à gentibus vocantur planetæ, metalla appellant. Nam aurum iis Sol, argentum Luna, Saturnus plumbum, Venus æs, Mars ferrum. Et quia quinque iſtis ut ſeptenarius exſurgat, addidere ſtannum, & argentum vivum: quorum illud Jovis, hoc Mercurii nomine donarint. Hanc ſapientiam ſi noviſſet Homerus, puto Iliad. Α Apollinem, qui Sol eſt, potius χρυσότοξον *a*, quàm ἀργυρότοξον *b* dixiſſet.

a Aureum gerens arcum.
b Argenteis præditus.

Nec metalla ſolum Diis dicarunt, ſed etiam gemmas. Uti illam, quam Beli oculum dixere. Plinius lib. XXXVII, cap. X: *Beli oculus albicans pupillam pingit nigram, è medio aureo fulgore lucentem. Hæc propter ſuam ſpeciem ſacratiſſimo Aſſyriorum Deo dicatur.* De Belo, Aſſyriorum, & Chaldæorum ſive Babyloniorum numine, quo Sol ſignabatur; dictum nobis lib. II, cap. VI. Ex eo, quod veteres vocarunt *Beli oculum*, cenſeo eſſe *Bellochio*; quomodo Itali appellant. Eo autem *Beli oculus* dictus eſt, quia iride & pupilla ſimilis eſt oculo.

Ac ibidem *c* dictum nobis, ut Sol etiam Aſſyriis vocatus ſit Adad, vel Adod: atque ut ei, Plinio auctore, tres hæ gemmæ fuerunt dicatæ, Adadi nephros, Adadi oculus, & Adadi digitus.

c Lib. 2. hujus operis, cap. 6.

Eſt & quam *Solis gemmam* Plinius appellet: Perſis ea, quibus Sol *Mithra*, dicebatur *Mithrax*, vel *Mithridax*. Diximus de ea lib. II, cap. IX. Vulgo cati ſive felis oculus appellatur: nempe quia, ut felium oculi, nunc clarius reſplendeat, nunc obſcurius. Neque Cardanus in VII de Subtilitate aliud per pſeudopalum, ſive opalum falſum, intelligere videtur.

Etiam Jovi Ammoni ſacra gemma, quam *Ammonis cornu*, vocarunt, quia Ammon cum arietinis cornibus fingeretur. Eandem Garamantidem gemmam à vicinis Garamantibus nominabant. Vide quæ de hac gemma diximus lib. II, cap. XI.

Nec ſolum metalla, ſed etiam vaſa inde fabricata; alia huic, alia alii numini conſecrata. Quomodo ſcyphus erat ſacer Herculi, Cantharus Libero: uti ex Athenæo, & Macrobio liquet. Etiam Plinii eſt lib. XXXV: Marium, Liberi patris exemplo cantharis potaſſe. Vaſe futili utebantur in Veſtæ ſacris, ut ex Servio, & Donato conſtat. Ita dictum, quia, ſi poneres non exhauſto liquore effunderes.

Cap. XLI.

De foſſilium uſu in ſacris, tum locis, tum rebus, tum perſonis. Poſt ſaxa & lapides in templorum fabricis æris maximus uſus. Ex ære valvæ Panthei in æde Saturni, Caſtoris item & Pollucis, &c. ſtatuæ Deorum æneæ Jovis, Herculis, &c. Ex ære candelabra Bacchi. Cereri in ſacrificio porca aurea, aut argentea oblata. Sulphuris uſus in luſtrationibus. Quo foſſilium genere Attis, & Galli ad evirationem uſi. Etiam in Circumciſione variatum, Abrahamum ferro, Moſaico ævo ac deinceps lapide uſos. Saliis ſuper tunicam pictam æneum pectoris tegmen, ancile.

PRæterea foſſilia cultui gentilium inſervierunt trifariam: videlicet in ſacris locis, rebus, ac perſonis. In locis, uti templis, fanis, delubris. In quibus nullius è foſſilibus, poſt ſaxa ac lapides, æquè, ac æris, uſus fuit.

Quod

Quod ut liqueat, diſtinctè conſideremus primum partes, deinde ſtatuas, poſtremo templorum vaſa, & inſtrumenta.

In partibus præcipuè ex ære faciebant valvas. Tales olim Panthei valvæ in æde Saturni, quæ nunc S. Mariæ rotundæ. Item Saturni, quæ nunc Divi Hadriani. Adhæc Caſtoris & Pollucis, quæ nunc Coſmæ, & Damiani. Præterea Bacchi, quæ hodie B. Agnetis, extra Viminalem in via Numentana. Ac imitati etiam Chriſtiani in delubris à ſe exſtructis. Nam templum B. Petri recentes ex ære valvas habet. Florentiæ quoque ſacellum B. Joannis, quod *Baptiſterium* vocatur, ternas habet æneas valvas, eaſque inauratas.

Quod ad ſtatuas æneas, omnium antiquiſſima fuit Jovis, quæ Spartæ viſebatur: ut eſt apud Pauſaniam in Laconicis. Ac meminit Georgius Agricola ænearum ſtatuarum Herculis, Jovis Fulminatoris, Mercurii, Veneris, quas tum temporis Neapoli Hadrianus Guilielmius poſſideret.

Etiam vaſa multa templorum ex ære fuerunt. Ut Romæ candelabra in Bacchi templo, quæ inde in ædem B. Agnetis tranſlata.

Hæc de locis. Sequitur de rebus ſacris: ut ſunt ſacrificia, libationes, preces, ac ceremoniæ. Ad hæc etiam foſſilibus utebantur. Ut in ſacrificio Cereris. Cui non viva modò porca mactari ſolet, ſed etiam duæ adhibebantur ex metallo melioris notæ. Feſtus Pompejus: *Porcam auream aut argenteam dici, ait Atejus* (Capito,) *quæ etſi numero hoſtiarum non ſint; nomen tamen earum habere, alteram ex auro, alteram ex argento factam, adhiberi ſacrificio Cereali.*

Sententia eſt, auream, argenteamque porcam in ſacro Cereris non poſſe dici hoſtiam, quia non ſit hoſtia, niſi quod cum ſanguine vitam profundat. Item ſulfuris uſus erat in luſtrationibus: ut liquet ex Homeri XXII Ulyſſeæ; item Plinius: Hinc Propertius lib. IV, el. IX:

Terque meum tetigit ſulfuris igne caput.

Tibullus lib. I, el. V:

—— *Te circum luſtravi ſulfure puro,*

Ovid. in II de Arte:

Nam veniet, quæ luſtret anus lectumque laremque,
Præferat & tremulâ ſulfur & ova manu.

Appulejus lib. XI Aſini Aurei: *Navem ſummus ſacerdos tæda lucida, ovo, & ſulfure, ſolemniſſimas preces de caſto præfatus ore, quàm puriſſimè purificatam Deæ nuncupavit.*

Lapidis quoque uſus in ſacris Cybeles, ſive Matris Deûm, evirantibus ſeſe Gallis, Attidis exemplo. Ac Attis quidem ſe exſecuiſſe dicitur, ab aliis quidem ære, aut ferro, ut Nonno in XXXV Dionyſiacôn, ſive enſe, ut eſt apud Lucianum de Dea Syria: ab aliis autem acuta ſilice, ut Catullo, cujus verba alibi *a* adduximus: ac Plinius quoque ait, Gallos evirari ſolere teſta Samia, quæ acutiſſima. Plinii item verba *b* protulimus. Quid mirum autem ſi in exſectione illa apud gentes variatum fuit: quando nec in populo Dei Circumciſio eodem ſemper modo ſeſe habuit. Nam ferro quidem uſus eſt Abraham: Moſaico autem ævo, ac deinceps, obtinuit lapis: ut Juſtinus Martyr indicat dialogo contra Tryphonem *c*: Sanè Exodi IV, 24, Sephôra dicitur filium circumcidiſſe lapide. Hebraice enim eſt צר, vel צור, quod LXX exponunt ψῆφοι, eorumque exemplo calculum Tertullianus lib. adverſus Judæos, cap. III. Vulgatus interpres Latinus Hebræam vocem reddidit *petram acutiſſimam*. Etiam Joſuæ V, 2, legas ad circumciſionem comparari חַרְבוֹת צֻרִים, ubi Græce eſt *μαχαίρας πετρίνας*.

a Lib. 1. cap. 20.
b Lib. 2. cap. 53.
c P. 266. & 267. edit. Commelin.

Etſi verò eviratio, ac circumciſio, nimium quantum diſtent, cum tamen multa adeo in gentilium ſacris ſint ex æmulatione populi Dei: à vero non abhorret, dæmoniorum miniſtros in exſectione illa quomodocunque æmulatos circumciſionem quam tum ferro, tum petra factam diximus.

Denique inſervire foſſilia perſonis ſacris, hoc eſt, ſacerdotibus, & eorum miniſtris. Atque huc pertinent quoque, quæ ad ſacrum ornatum ſpectarent. Ut quod Salii ex Numæ inſtituto ſuper tunicam pictam gererent æneum pectoris tegmen: quod item geſtarent ſcuta ærea, quæ quia ex utroque latere eſſent reciſa, atque eo *ancilia*, quaſi utrinque anciſa, dicebantur. Erant verò ſymbolum protectionis divinæ, præcipuè Martis, cujus Salii fuere ſacerdotes.

Atque hæc de foſſilium uſu vel abuſu potius in gentilium ſacris locis, rebus, perſonis. Quæ hujus ſunt loci, quatenus pertinent ad cultum propriè dictum: plenius verò à nobis explicabuntur extremo hujus operis libro, quo de cultu ſymbolico agendum.

FINIS LIBRI SEXTI.

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
PHYSIOLOGIA CHRISTIANA,
ET
THEOLOGIA GENTILI,
Sive de Idololatriæ Origine, ac Progreſſu,
LIBER SEPTIMUS.

Cap. I.

Acceditur AD CULTUM MUNDI UNIVERSI, paucis præmiſſis de ſociato duorum corporum cultu: ac primum quidem utriuſque ætherei: deinde unius ætherei, alterius elementalis.

HActenus vidimus de duplici cultu, quorum prior erat rei ſpiritualis, puta vel angeli, ſive dæmonis, vel animæ à corpore ſeparatæ, inque Deos relatæ: de quorum utroque egimus libro primo. Alter autem cultus fuit rei corporeæ, ſive animatæ, ſive inanimatæ: &, ut particulatim magis dicam, ſive cœleſtis, ſive elementalis, ſive mixtæ: ut, annumerato his tribus, cultu ſpiritualis rei, de quo primò dicebam, cultus ſit quadruplex: unde quadruplicem Maimonides idololatriam ſtatuit libro de cultu planetarum ac ſiderum, cap. ſecundo, §. 1. De corporeæ rei cultu egimus libro ſecundo, & quinque, qui proximè conſequuntur. Quibus in poſtremo genere quod mixtorum erat diſtinctè vidimus, tum de imperfectè mixtis, ut ſunt meteora; tum de perfectè mixtis: ubi ordine ivimus, prius per naturam, cultumque animalium, deinde plantarum, ac denique lapidum & metallorum. Præter verò duplicem hunc, unum ſpiritualis, alterum corporeæ rei cultum, etiam tertius eſt ex utroque conflatus; non quidem ut fit in vivi hominis cultura, qui conſtat ſpiritu, & corpore: ſed utriuſque naturæ ſeorſum ſubſiſtentis, ſola autem voluntate humana in cultu ſociatæ: quomodo uno cultu cum cælo, ſole, aliove corpore mundano animam alicujus herois, vel heroïnæ, colendam ſibi putârunt. Inter ſecundum, tertiumque, hoc cultûs genus, eſt intermedius ille, quo colitur mundus, ſive rerum natura. Quod facile me omnibus perſuaſurum ſcio, qui cogitare volent, quomodo mundus in hoc negotio bifariam conſideretur. Vel enim non ulterius adſcendimus, quam cogitando illam omnium corporum compagem: in quo vulgus conſiſtere ſolet: vel cum philoſophis pertingimus ad mentem æternam, ſive animam mundanam: quæ ſe habeat ad mundum, ut ejus gubernatrix: uti mundus tanquam vaſtum corpus, quod à mente illa regatur. Sive hoc, ſive illo modo conſideres, priuſquam accedam ad cultum animæ heroicæ cum corpore mundano, agi debet de cultu mundi, ſive rerum naturæ. Si enim priori modo attendas; ecquid poſt particularem cæli, elementorum, meteororum, animalium, plantarum, ac foſſilium conſiderationem, potiùs ſibi locum proximum depoſcat, quàm cogitatio illa de horum omnium corporum compage, quam mundum dicimus? Sin potiùs videtur, cum philoſophis attendere in mundo duo illa, mentem, quæ regit, & corporum omnium coagmentationem ac ſocietatem, quæ à mente gubernatur: nonne fatendum, præter illum vivi hominis cultum, de quo in animalibus dictum fuit, eſſe duplicem rei ſpiritualis, & corporeæ cultum: unum divinæ mentis, cum mundo univerſo; alterum animæ humanæ, cum aliqua mundi parte? Quæ cum minimè ſint obſcura, cauſſam omnes vident, cur priuſquam à ſubſtantiarum cultu ad cultum accidentium me conferrem, quod proximo faciam libro, de utroque illo, quem dixi, ſubſtantiarum duarum cultu, libro hoc ſeptimo mihi agendum putârim.

Atque ut plenior, perfectiorque hæc ſit opera noſtra, priuſquam accedam ad cultum naturæ univerſæ, non defugiam quædam referre, quæ & ipſa pertineant ad cultum compoſitum: ut in quo nec unum tantummodo corpus, ſed neque corpora mundi univerſa; attamen duo, plurave, uno eodemque cultu ac tempore honorem conſequantur divinum.

Hic ſociatus cultus vel eſt duorum pluriumve corporum cæleſtium, vel unius cæleſtis, alterius ſubcæleſtis.

Ad mixtum gemini corporis cæleſtis cultum refero, quòd Perſæ uno cultu coluiſſe videntur Lunam, & Heſperum, ſive Dianam, & Venerem. Primò quidem, cùm ſimplicior eſſet idololatria Solem unum colebant, aut Solem, Lunamque. Poſtea autem & Lucifer ſive Heſperus in ſocietatem honoris venit: ut ſuperius diximus, ex Strabonis xv. Sed ſic tum venerati ſunt Luciferum, ut uno templo, ac cultu & Lunam cum Lucifero, & Luciferum colerent cum Luna. Id pluribus commonſtrabimus.

Anaitidos templum quod in Lydia ritu Perſarum, (his enim jam à Cræſo victo paruere) exſtructum erat, Dianæ appellat Pauſanias in Laconicis: Λυδοῖς ἐστιν Ἀρτέμιδος ἱερὸν Ἀναΐτιδος. *Lydis erat Veneris Anaitidos templum.* Agathias lib. 11 Hiſtor. Ἀναΐτιδα τὴν Ἀφροδίτην *Anaitida Venerem* dicit, ubi Deos Perſicos & Medicos recenſet: idque, ut ait, ſecutus Beroſum Babylonium, Athenoclem, & Symmachum, antiquiſſimos Babylonicarum & Medicarum rerum ſcriptores. Appianus quoque templum, quod Antiochus Epiphanes voluit

luit deprædari, Veneris templum dicit lib. de bello Syriaco: καὶ τὸ τῆς Ἐλυμαίας Ἀφροδίτης ἱερὸν ἐσύλησε, καὶ φθίνων ἐπελεύτησε. *Spoliatoque in Elymaide Veneris templo, tabe vitam finiit.* At Joſephus Antiquit. lib. XII, cap. XIII Dianæ templum vocat: Ἀκούσας πόλιν ἐν τῇ Περσίδι πλούτῳ διαφέρουσαν Ἐλυμαΐδα τοὔνομα· καὶ πολυτελὲς ἱερὸν Ἀρτέμιδος ἐν αὐτῇ, καὶ παντοδαπῶν ἀναθημάτων πλῆρες εἶναι. Quæ ſic reddidit Rufinus: *Audivit civitatem Perſarum divitiis excellentem Elymaida nomine, pretioſiſſimumque templum in ea Dianæ; & omni ſpecie ornamentorum* (malim *donariorum*) *plenum.*

Similiter Polybius, & Diodorus, in ſcriptis deperditis: de quibus teſtis B. Hieronymus in Danielis cap. XI: ubi de Antiocho Epiphane ſic ſcribit: *Polybius, & Diodorus narrant, eum non ſolum contra Deum feciſſe Judææ; ſed avaritiæ facibus accenſum, etiam templum Dianæ in Elimaide, quod erat ditiſſimum, ſpoliare conatum, oppreſſumque à cuſtodibus templi, & viciniis circum, geſtibus, & quibuſdam phantaſiis, atque erroribus verſum in amentiam, & poſtremùm morbo interiiſſe: & hoc ei accidiſſe commemorant, quia templum Dianæ violare conatus ſit.*

Uti Perſæ, ita & Arabes antiqui Lunam, & Heſperum unius numinis cultu complectebantur. Atque inde ea religio derivata eſt ad Saracenos. Quid mirum, cum Saraceni iidem ſint ac Arabes Scenitæ. Saraca enim, unde Saraceni dicuntur, Arabiæ oppidum eſt, Ptolemæo, ac Stephano, memoratum. Niſi illorum magis placet opinio, qui nomen hoc indeptos putant à latrociniis: quia Arabibus Σαρακηνῶν vox λῃστὰς, ac prædones notat. Etſi à Sara, Abrahæ conjuge, nomen ipſi arceſſant, ac noſtri propterea Agarenos, ab Agar ancilla malint nuncupare. De Saracenico hoc Veneris cultu ita Hieronymus in Amos cap. V: *Sidus Luciferi, quem Saraceni hucuſque venerantur.* Hæc ille circa annum Chriſti quadringenteſimum. Veneris igitur diem coluere Saraceni multò ante tempora Hegiræ, ſive fugæ Muhammedicæ: quæ incidit in annum Chriſti DCXXII, Heraclii Imper. XI. A Saracenica tam vetuſta religione provenit, quòd hodieque Muhammedani ſextâ die, Veneri ſacratâ, feriantur, uti ſeptimâ Judæi, primâ Chriſtiani. Nam quod Alphonſi ſectatores tradidere, quinctam ab iis feriam obſervari, id ſecus eſt, meliuſque ſextæ id tribuit Georgius Chryſococces medicus. Ejus autem quod veteres Saraceni Lunam coluere, reliquias itidem habemus in Lunulis Muhammedanorum. Apud Georgium
a P. 350. etiam Cedrenum a, tempora Heraclii enarrantem, legas, precari Muhammedanos hoc pacto: Ἀλλᾶ ἀλλᾶ οὐά, κουβὰρ ἀλλᾶ. *Ac* ἀλλᾶ ἀλλᾶ exponit Θεὸς Θεός; at οὐὰ, μεῖζον. Hinc κουβὰρ interpretatur, μεγάλη, ἤτοι Σελήνη καὶ Ἀφροδίτη. Ut Latinè ſonet, *Deus Deus major, & magna, nempe Luna, & Venus Deus.* Sed paullò aliter Conſtantinus Porphyrogennetes qui aliquanto ante Cedrenum vixit. Is lib. de adminiſtrando imperio, cap. XIV, exponit, *Deus, & ſidus.* Nam ALLA quidem *Deum* notare, ſed UA valere, &, KUBAR ſignare *ſidus*, ſideris verò nomine intelligi τὸ τῆς Ἀφροδίτης ἄστρον. *Veneris ſidus.* Aliquid etiam de hoc diximus lib. II, cap. XXXI.

Nunc accedo ad cultum ex cæleſti corpore, & ſubcæleſti compoſitum. Qualis Ægyptiis fuit ille Oſiridis, & Iſidos. Nam in eo colebantur Sol, & Nilus: in hoc Luna, & Terra. Quod pluribus expoſuimus lib. II, c. XXIV, & nonnihil de hoc dicam hoc ipſo libro, cum de cultu heroicæ animæ & corporis alicujus mundani ſecundum Theologiam Ægyptiam agemus.

Apud Thebanos etiam talis Bacchi cultus fuit. Nam eo tum Sol ſignificabatur, tum Humor, quia generatio, ac vita, calore, & humore conſtat. Bacchum verò non vinum duntaxat, ſed liquorem omnem, ſignare; ex Pindaro comprobat Plutarchus libro de Iſ. & Oſ. Bacchum apud ſe natum jactabant Thebani; quia à Thebanis hunc cultum alii Græcorum accepiſſent. Græcos autem Bacchi cultum docuit Melampus, Amythaonis filius. Qui didicerat à Phœnicibus. Herodotus in Euterpe: Πυθέσθαι δέ μοι δοκέει μάλιστα Μελάμπους τὰ περὶ τὸν Διόνυσον παρὰ Κάδμου τοῦ Τυρίου, καὶ τῶν σὺν αὐτῷ ἐκ Φοινίκης ἀπικομένων ἐς τὴν νῦν Βοιωτίην καλεομένην χώρην. *Videtur autem mihi Melampus, quæ ad Dionyſum pertinent, audiſſe ex Cadmo, aliiſque Tyriis, qui cum eo è Phœnice venerunt in terram, quæ nunc Bœotia appellatur.* Niſi magis placet, Melampum ea hauſiſſe ab Ægyptiis. Varios enim ritus ſacros ab Ægyptiis deveniſſe ad Græcos ibidem tradit Herodotus: ac quidem ea, quæ ad Dionyſum pertinent, in pluribus inter has gentes convenire. Uti quod in Dionyſi pompa phallus circumgeſtetur. Phallus autem ſine dubio ſymbolum erat generationis omnium rerum, quæ eſt à Dionyſo, hoc eſt à Sole, & Aqua, ſive à calida, & humida natura.

Aëra quoque, qui Juno dicitur, & Lunam, ſive malis Lucinam, uno primitus cultu obſervari ſolere, clarè arguit, quòd junctim dicerent, *Juno Lucina.* Uti apud Plautum Aulul. Terentium Heautont. Catullum carmine ſeculari, Varronem in IV de L. L. Dionyſium Halicarnaſſ. lib. IV; qui, quod Latini *Juno Lucina*, id Græcè reddit Ἥρα φωσφόρος, *Juno Lucifera.* Ac ſimiliter gloſſæ Græcolatinæ Cyrillo tributæ: φωσφόρος, ἀστὴρ, *Lucifer.* φωσφόρος, ἡ Ἥρα, *Lucina.* Eo autem parturientes utrumque numen jungebant; quia Luna non ἀμέσως a agit in corpora humana, ſed priùs in aëra, qui eſt a Nullo intercedente.
Juno, perque aëra in corpora remotiora: unde Plutarchus; Μητέρα τὴν Σελήνην τοῦ κόσμου καλοῦσι, καὶ φύσιν ἔχειν ἀρσενόθηλυν οἴονται, πληρουμένην ὑπὸ ἡλίου, καὶ κυϊσκομένην, αὐτὴν δὲ πάλιν εἰς τὸν ἀέρα προϊεμένην γεννητικὰς ἀρχὰς, καὶ κατασπείρουσαν. *Lunam mundi matrem appellant, & naturam ex utroque mixtam ſexu adſignant ei: quod impleta & gravida facta à Sole, rurſum à ſe in aërem emittat, ac diſſeminet genitabilia principia.* Luna igitur per Junonem, ſive aëra agit in terras, aquas, plantas, atque animantia. Quod non in rerum modò generatione; ſed etiam partu elucet: quia humectando faciliorem præbet exitum. Nam & Sol, & Luna, calore ſuo humorem provocant: ſed ſol majore calore humorem elicitum conſumit: Luna, quia calor ejus exiguus, foras quidem provocat, at non abſumit. Quæ res lubricum ac facilem fœtui exitum præbet: ut etiam diximus lib. II, cap. XIX.

Cap. II.

De cultu Mundi, ſive Naturæ, apud Aſſyrios, ſub nomine Beli: apud Phœnices ſub nomine Molochi; apud Ægyptios ſub nominibus Amun, ſive Ammonis, Iſidis, Oſiridis, & Sarapis.

Expoſitis hiſce de ſociato duorum, triumve corporum cultu; agendum nunc de cultu mundanæ compagis, Naturæ corporeæ generatim ſpectatæ. Quemadmodum enim poſt Solis, Lunæ, Siderum cultum, deventum eſt divinum ad honorem ætheris, ſive cæli: ita æthereæ naturæ, ac elementorum cultum paullatim eſt conſecuta mundi, ſive univerſalis naturæ veneratio religioſa. Nimirum ſic ſecum cogitabant, ſi Sol, Luna, Sidera, Æther; item Terra, Aqua, Ignis, Aër, pro diis haberentur: longè magis honore eo proſequendum eſſe mundum, qui univerſa iſta complecteretur.

Sed qui hactenus convenirent, multis tamen partibus diſſenſerunt. Primùm de iis dicam: qui cum animum diffunderent per univerſam rerum naturam, facilè viderunt, quanto inferioribus hiſce cæleſtia, cæleſtium aliis Sol præcelleret. Unde in eam venere opinionem, naturam quidem eſſe Deum, ſed non omnes ejus partes æquè eſſe hujus divinitatis participes: verùm ut in homine caput præcellit, ita in natura præſtare cælum, in cælo autem ſummam eſſe divinitatem Solis. Fuit hæc opinio Chaldæorum, Medorum & Aſſyriorum. Quibus omnibus Belus eſt Natura univerſa, magis tamen cælum, ſive cælus,

lus, vel Uranus, at maximè Sol: quemadmodum diximus lib. II, cap. VI, & XV. Ac ſimiliter cuncta hæc complectitur Phœnicum Molochus. Neque obſtat, quòd qui in Scripturis Molocho dicuntur obtuliſſe liberos: hi à Græcis ac Romanis eos ſacrificaſſe dicantur τῷ χρόνῳ, ſive Saturno, Temporis Deo. Nam Phœnicum Molochus non ſolum eſt Græcorum Κρόνος, qui poëtis ac vulgo alius eſt ab Jove, & Apolline: ſed unus idemque & Saturnus erat, & Jupiter, & Apollo. Et Romanorum etiam Saturnum ſic capere jubent, qui non tam poëticam, vel civilem Theologiam attendunt, quàm qualis erat antiquis populis Orientis, ac philoſophis eos ſecutis. Macrobium audiamus lib. I Saturn. cap. XXII: *Saturnus ipſe qui auctor eſt temporum, & ideo à Græcis immutata litera Κρόνος quaſi χρόνος, vocatur, quid aliud, niſi Sol intelligendus eſt? cum tradatur ordo elementorum, temporum numeroſitate diſtinctus, luce patefactus, nexus æternitate conductus, viſione diſcretus: quæ omnia actum Solis oſtendunt.* Nimirum ut paullatim eſt à Deo uno & vero receſſum: ita & gradatim ἡ πολυθεότης incrementa ſua cepit. In Oriente igitur primitus unus credebatur Deus; nec alius quàm naturæ totius auctor. Mox errore gentili, pro naturæ auctore, natura ipſa, vel ejus virtus, ac efficacia, coli cœpit: & in hac ipſa ut dixi magis vis cœleſtis, quia major ea & illuſtrior: & in cœleſti maximè ſolaris, quia Sole nihil Cœlum habet præſtantius, nihil ſenſibus conſpicuum magis vel acceptum. Hæc tria itaque pro ſupremo numine in Oriente coluerunt: & nominarunt Aſſyrii Belum, h. e. Dominum, Phœnices *Moloch*, hoc eſt Regem. Nam בעל *bahal*, Dominum; מלך *melech* Regem ſignat Hebræis: de quibus lib. II, cap. IV, V, & alibi, ſatis dictum. Etiam ſententiam noſtram confirmat, quòd Phœnices nec ſolum, nec ſemper liberos Molocho ſacrificarent: verùm in maximis tantum difficultatibus conſtituti: uti ſi belli calamitate eſſent preſſi, vel dirâ fame aut peſtilentiâ vexati: quod Porphyrius etiam teſtatur in libris περὶ ἀποχῆς: Aliàs ſacrificabant res longè minoris precii, variè tamen, prout vel opes ferrent, vel conditio rei foret quam à Molocho expoſcerent.

Quemadmodum verò hi omnem rerum naturam, ſub nomine Beli, & Molochi coluere: ita Ægyptii eandem venerabantur ſub nomine Amûn, ſive Ammonis: de quo ſic Plutarchus lib. de Iſ. & Oſir. Τῶν πολλῶν νομιζόντων ἴδιον παρ' Αἰγυπτίοις ὄνομα τοῦ Διὸς εἶναι τὸν Ἀμοῦν (ὃ παράγοντες ἡμεῖς, Ἄμμωνα λέγομεν) Μανεθὼς μὲν ὁ Σεβεννίτης τὸ κεκρυμμένον οἴεται καὶ τὴν κρύψιν ὑπὸ ταύτης δηλοῦσθαι τῆς φωνῆς. *Cùm plerique exiſtiment, proprium apud Ægyptios eſſe Jovis nomen Amyn (quod nos producentes vocem, Ammonem dicimus) Manethos Sebennita eo nomine cenſet occultatum & occultationem ſignificari.*

Videmus, ut ſupremum Jovis numen vocarint Ἀμοῦν: tum autem, ut Manethos Ægyptius, (quem quis patriæ linguæ ſcientiſſimum fuiſſe neget?) nomen illud interpretetur *occultum*, vel *abſconditum*. Quæ ergo convenientior ſit ejus nominis explicatio, quàm ut per Ἀμοῦν non tam intellexerint conſpicua vel ſiderum, vel elementorum corpora; quàm vim occultam toti inſitam Naturæ? Hæc igitur illis Deus princeps, ac ſummus. Nempe, de quo poſtea dicam, Arcadum Pan. Nomen aliud, ſed idem numen. Unde ibidem de Ægyptiis ſic Plutarchus refert: τὸν πρῶτον Θεὸν τῷ παντὶ τὸν αὐτὸν νομίζουσι. *Principem Deum putant eundem ac univerſum.* Quamquam hic ambigi poſſit, an non Ægyptii τῷ παντὸς nomine intellexerint ſpiritum Univerſo præſidentem, hoc eſt æternum illud Numen, cui uni verè τῷ πρώτου Θεοῦ appellatio convenit. Nec dubitandum videtur, quin ex Ægyptiis aliqui ſic ſapuerint. Multa enim præclarè à patriarchis, Joſepho imprimis, fuerunt edocti: quorum aliquæ reliquiæ apud poſteros permanſerunt. Alius, credo, animam mundi interpretetur. Sed anima à Deo infuſa univerſo intelligi nequit, quia ſi infuſa eſt à Deo is, qui eam infudit potiùs τοῦ πρώτου Θεοῦ nomen meretur. Quare exiſtimo, paucos quibus, ut ſic cum poëta dicam,

De meliore luto finxit præcordia Titan,

verùm æternumque Deum intellexiſſe.

Nec adduci poſſum, ut de gente omnium ſuperſtitioſiſſimâ credam, communem hanc fuiſſe non vulgi dico, ſed ſacerdotum etiam opinionem. Quam plurimi metuo ne per numen illud, quod tum Univerſum, tum Deum primum appellarent, haut aliud intellexerint, quàm Naturam ſive mundum hunc ipſum, non quidem prout in pueriles etiam ac ſtultorum oculos incurrit: ſed quomodo intelligentiores in eo plurima deprehenderent quæ in admirationem naturæ, atque adeò ſtuporem quendam mentem raperent humanam. Hæc miranda naturæ vis elevare eorum animos debuerat ad mundi architectum: quod in aliquibus etiam factum eſſe non dubitamus: ſed plures intra Naturam ſe continuerunt, eamque, ob mirandas vires, & ordinem admirabilem colere cœperunt velut principem Deum; partes verò Naturæ venerati ſunt, veluti Deos minores, quos & ipſos pro præſtantiæ menſura in varios gradus partiebantur.

Hanc occultam naturæ vim iidem Ægyptii etiam Minervam vel Iſidem dixere: ut eſt apud Athenagoram in Apologia a. Ejuſque ante templum Sai, eodem Plutarcho teſtante, inſcriptio hujuſmodi erat: Ἐγώ εἰμι πᾶν τὸ γεγονὸς, καὶ ὄν, καὶ ἐσόμενον, καὶ τὸ ἐμὸν πέπλον οὐδείς πω θνητὸς ἀπεκάλυψεν. *Ego ſum omne quod fuit, eſt, & erit, meumque peplum nemo adhuc mortalium detexit.* Ubi duo videmus Iſidem ſive Minervam Deam dicere, ſe eſſe τὸ πᾶν: & nulli hominum penitus retectam. Quæ optimè ſanè conveniant cognitioni veri numinis: ut quæ ſola ſolida ſit ſapientia: ſed enim ob ea, quæ ante dicebam, prorſus cenſeo, potiùs intelligere providam adminiſtrationem Univerſi, ac occultam Naturæ vim, quam ſoli ſacerdotes ejus nec penitùs tamen aſſequebantur. Eoque & veterem refero inſcriptionem; quæ Capuæ exſtat in templo S. Benedicti:

a P. 109. edit. H. Steph.

TE, TIBI.
UNA. QUÆ.
ES. OMNIA.
DEA ISIS.
ARRIUS BA-
BINUS V. C.

Nec tamen deeſt, quod adverſari iſtis videatur. Quale eſt quod Iſis Luna eſſe dicatur: unde colligat aliquis, Iſidis vocabulo non univerſam ſignari Naturam, ſed infimum planetarum: ac pro hac ſententia non Diodorus modo, & Plutarchus, de quibus alibi dictum, ſed etiam Appulejus facit in Metamorph. undecimo. Hujus verba adſcribam: *Video*, inquit, *præmicantis Lunæ candore nimio completum orbem commodum marinis emergentem fluctibus. Certus ſummatem Deam præcipua majeſtate pollere, reſque prorſus humanas ipſius regi providentia: nec tantum pecuina & ferina, verum inanima etiam divino ejus luminis numinisque nutu vegetari: ipſa etiam corpora, terra, cælo, marique, nunc incrementis conſequenter augeri, nunc decrementis obſequenter imminui.* Hæc videntur ſolius Lunæ poteſtatem indicare. Sed quod alia gentium numina ad Lunam revocentur, ſequentia oſtendunt: *Deam præpotentem lachrymoſo vultu ſic apprecabar: Regina cæli ſive tu* CERES *alma frugum parens originalis, quæ repertu lætata filiæ, vetuſta glandis ferinæ remoto pabulo, miti commonſtrato cibo, nunc Eleuſiniam glebam percolis: ſeu tu* CÆLESTIS VENUS, *quæ primis rerum exordiis, ſexuum diverſitatem generato Amore ſociaſti, & æterna ſobole humano generi propagato, nunc circumfluo Paphi ſacrario coleris: ſeu* PHOEBI SOROR *quæ partu ferarum medelis lenientibus recreato, populos tantos educaſti, præclariſque nunc veneraris delubris* EPHESI: *ſeu nocturnis ululatibus horrenda*

renda PROSERPINA, TRIFORMI FACIE *larvales impetus comprimens, terraque clauſtra cohibens, iſta luce feminea cuncta colluſtrans mœnia, & nudis ignibus nutriens læta ſemina, & Solis ambagibus diſpenſans incerta lumina: quoquo ritu, quaqua facie te fas eſt invocare, tu meis jam nunc extremis ærumnis ſubſiſte.* Satis iſta oſtendunt, ad Lunam revocari numen Cereris, Veneris Cæleſtis, Dianæ Epheſiæ, Hecates triformis. At dixeris, necdum iſtis univerſam rerum naturam ſignificari. Non diffiteor: ſed omnem hunc ſcrupulum eximit oratio Deæ, quam ſubjungit. Ea ſic incipit: *En adſum tuis commota, Luci, precibus, rerum* NATURA *parens, elementorum omnium Domina ſeculorum progenies initialis, ſumma numinum, Regina manium, Prima Cælitum, Deorum Dearumque facies uniformis: quæ cæli luminoſa culmina, maris ſalubria flamina, inferorum deplorata ſilentia, nutibus meis diſpenſo. Cujus numen unicum multiformi, ſpecie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis. Me primigenii Phryges Peſſinuntiam nominant* DEUM MATREM; *hinc Autochthones Attici Cecropiam* MINERVAM; *illinc fluctuantes Cypri Paphiam* VENEREM; *Cretes ſagittiferi Dictynnam* DIANAM; *Siculi trilingues Stygiam* PROSERPINAM; *Eleuſinii vetuſtam Deam* CEREREM; JUNONEM *alii, alii* BELLONAM, *alii* HECATEM, RHAMNUSIAM *alii. Et qui naſcentis Dei Solis inchoantibus radiis illuſtrantur Æthiopes, Arii, priſcaque doctrina pollentes Ægyptii, ceremoniis me prorſus propriis percolentes, appellant vero nomine reginam Iſidem.* Poſtea etiam appellat *matrem ſiderum, parentem temporum, orbiſque totius dominam.* Ex quibus cognoſcimus, cùm ad Lunam revocatur univerſa rerum natura, non eſſe ſiſtendum in lucenti Lunæ globo, ſed animo etiam nos penetrari debere terras, maria, inferos, quia Lunæ lumen ac numen, ex eorum ſententia, omnia hæc penetrat, ac moderatur. Atque hoc planius erit, ſi cogitemus, Appulejum dicentem verum Deæ nomen eſſe Iſis. Ad quam extremo penè libro preces ſuas convertit his verbis: *Tu ſancta & humani generis ſoſpitatrix perpetua dulcem matris affectionem miſeris tribuis. Fatorum inextricabiliter contorta retractas licia, & Fortunæ tempeſtates mitigas, & ſtellarum noxios meatus cohibes. Te Superi colunt, obſervant inferi: tu rotas orbem, luminas Solem, regis mundum, calcas tartarum. Tibi reſpondent ſidera, gaudent numina, ſerviunt elementa, tuo nutu ſpirant flamina, nutriuntur nubila, germinant ſemina, creſcunt germina.* Non tam Lunæ globo, quàm rerum Naturæ, conveniunt verba illa, *tu luminas Solem.* Nam Luna potiùs à Sole lumen accipit: imò in deliquio Solare lumen eripit adſpectui noſtro. Sed Natura parens eſt, à qua Sol lumen accipit. Quæres, ſi tanta ſit gloria Iſidos, hoc eſt, Naturæ, quid relinquamus Oſiridi? de quo ſic Appulejus libro extremo: *Deus Deûm magnorum potior, & majorum ſummus, & ſummorum maximus, & maximorum regnator Oſiris.* Imò dixerat antea, *ſe Deæ quidem tantum ſacris imbutum: at magni Dei Deûmque ſummi parentis invicti Oſiris necdum ſacris illuſtratum.* Sed his occurrit ipſe Appulejus, cum continuo ſubjungit, *Quamquam enim connexa, imò verò* UNICA *ratio Numinis Religioniſque eſſet, tamen teletæ diſcrimen eſſe maximum.* Sententia eſt, unicum eſſe numen Iſidis, & Oſiridis, nempe rerum naturæ ſive Univerſi: ſed quia hæc diverſimode conſideratur, eò tum Iſidem, tum Oſirim dici, ac ut nomina hæc variant, ſic diſtingui ab homine ſexu, ac facie, variare etiam colendi ritus. Quo & pertinent verba antè allata: *Cujus numen* UNICUM *multiformi ſpecie, ritu vario, nomine multijugo totus veneratur orbis.*

Ad univerſam etiam naturam pertinet Ægyptium numen *Sarapis*: juxta oraculum, datum Nicocreonti, Cypriorum regi: quod tale apud Macrobium lib. 1 Sat. cap. XX:

Εἰμὶ θεὸς, τοιόσδε μαθεῖν, οἷον κ᾽ ἐγὼ εἴπω.
Οὐράνιος κόσμος κεφαλή, γαστὴρ δὲ θάλασσα,
Γαῖα δέ μοι πόδες εἰσί, τὰ δ᾽ οὔατ᾽ ἐν αἰθέρι κεῖται,
Ὄμμα τε τηλαυγὲς, λαμπρὸν φάος ἠελίοιο.
Sum Deus, & talem credi me denoto cunctis:
Cælorum ſublime mihi caput eſt, mare venter,
Terra globoſa pedes, aures ipſum æthera cadunt,
Frons, oculi, vultus clari fax lucida Solis.

Similiter Diodorus in primo ait idem numen intelligi per Oſirim, Serapim, & Ammonem: neque hos tantum, ſed etiam Græcorum Dionyſum, Jovem, Pana, & Plutonem. Quæ convenienter dicta ſunt judicio eorum, qui in divinis plus ſapere cæteris credebantur. Hi enim per nomina Deorum univerſam rerum naturam, juxta Theologiam naturalem, intelligebant.

CAP. III.

De Natura apud Arcadas cultu ſub nomine Panos.

HOc ut de Græcis ac Romanis etiam manifeſtius fiat, ab Ægyptiis tranſeo ad has gentes. Ordiar verò à Pane, Numine Arcadum; quia hi Græcorum vetuſtiſſimi habebantur; & Pan vetuſtiſſimum eorum Numen. Hoc clarè ait Dionyſius Halic. lib. 1 Antiquit. Ἀρκάσι θεῶν ἀρχαιότατον εἶναι καὶ τιμιώτατον τὸν Πᾶνα. *Arcadibus Deorum antiquiſſimum, & præſtantiſſimum Pana.* At quid aliud Deus Πὰν, quam τὸ Πᾶν, hoc eſt, *Omne* ſive *Univerſum?* *Cornutus ſive Phurnutus*: Τοιοῦτον εἶναι καὶ τὸν Πᾶνα, ἐπειδὴ οὗ παντός ὁ αὐτός ἐστι. *Talem & eſſe Pana: ſiquidem idem eſt ac Univerſum.* Itaque & Scholiaſtes Theocriti in Idyll. A arbitratur verba poëtæ ſic poſſe exponi, ὦ τὸ πᾶν σὺ ὦ Πάν a. Sed quo poëtam fortaſſe id voluiſſe conjectat argutius eſt, quàm verius. Interim non dubium, quin ea nominis ſit ratio. Nec eſt, quod dixeris, accentu iſta diſtingui. Nam ex antiquis Græcorum tum lapidibus, tum nummis ſatis patet, non ſolere olim accentiunculas adſcribi. Quemadmodum pluribus oſtendi lib. 11 de Arte Grammatica, cap. VIII. Atque ut conſtaret, veteres in pronunciando ſaltem accentu alio univerſi nomen, alio Dei extuliſſe, non magnopere id nobis adverſaretur; quia certiſſimum eſt, religionis gentilis auctores, vel doctores, ſubinde ſolere nomina Deorum aliquantum ab origine ſua inflectere: quomodo Juno iis Ἥρα potiùs, quàm ἀήρ, Ῥέα quam ἔρα. Uti hic literarum trajectione diſtinxere Deam, & naturam; ita potuerint iſta accentu ſeparare, ne ad myſterium illud penetraret vulgus, ſub ejuſmodi nomine rerum coli naturam. Neque enim vulgo, ſed ſapientibus, Pan credebatur Univerſitas, ſive Mundus, atque ut unus, ita & Deus credebatur unus. Hinc Macrobius lib. 1 Saturnal. cap. XVII: Ἕν τὸ πᾶν b *Sapientum principes prodiderunt.* Neque huic de mundi numinis unitate obſtat, quòd numina tot ſtatuerent. Nam ibidem legas, *unius Dei effectus varios pro variis eſſe cenſendos numinibus.* Mallem tamen *cenſeri*, quàm *cenſendos* dixiſſet.

Seldenus de Pane lib. 11 & 111. p. 20. 433 439.

a Omni-verſum, tu Pan.

b Unum univerſum.

Dixeris Macrobio Pana eſſe Solem: eoque non poſſe Panos nomine omnem Naturam intelligi. Sed qui ſic argumentantur, non videntur cogitare, vetuſtiſſimam hanc fuiſſe opinionem, à ſpiritu divino regi hunc mundum: in mundo autem uti ſublimius nihil, ita nihil quoque præſtantius eſſe æthere: in æthere nihil eſſe pulcrius vel utilius Sole. atque ut unus eſt mundus, in eo æther unus, in hoc Sol unus: ita unum credidiſſe numen, quod nunc nomine generali Naturæ, nunc particulari Ætheris, vel etiam Solis appellatione cenſeretur. Unde & quadam ratione idem ſunt Saturnus, Jupiter, Apollo, ut inferius oſtendam. Ut ergo Natura, & Sol, idem; ita Pan idem, ac Sol: quia Soli, in omnem naturam imperium tribuerent. Hoc pacto Pani dominatum in totam naturam aſſignat ipſe ille, quem nobis objectant, Macrobius lib. 1 Sat. cap. XXI: *Hunc* (Pana) *Deum Arcades colunt, appellantes* τὸν τῆς ὕλης κύριον: *non ſylvarum Dominum, ſed uni-*

univerſæ ſubſtantiæ dominatorem ſignificari volentes. Ac apertius idem oſtendit Junius Philargyrius Ecl. II, ubi *Pan* dicitur *Natura omnium rerum.* Deinde ſubdit: *Per cornu* a *Solem ſignificat, & Lunam; per fiſtulam, ſeptem planetas ſtellas; per pellem maculoſam, cæli ſidera; per cannam, ventos; per ungulas caprinas, ſoliditatem terræ. Villoſus eſt, quia veſtitis gaudet terra.* Ex quibus ſimul intelligere eſt, cur Pan fingatur *ſemicaper*, ut dicitur Ovidio XIV Met. αἰγοπρόσωπος καὶ τραγοσκελής, *vultu caprino, & hirci cruribus*, quomodo à pictoribus & ſtatuariis pingi & ſculpi ſolere, ait Herodotus in ſecundo.

a Leg. cornua.

Etiam hæc confirmate eſt ex eo, quòd cùm triplex eſſet Athenis certamen, quorum in unoquoque ἐκ διαδοχῆς b alter alteri lampada traderet, etſi ſingula proprio eſſent numini dicata, illud in Piræeo, Minervæ; illud in Ceramico, Vulcano; Prometheo illud in Academia: univerſa tamen referrentur ad honorem Panos, nempe velut numinis univerſa numina complexi. Hujus ritus prora & puppis nobis eſt Libanius declamatione quartadecimâ: ubi legas: Μέχρις ἂν θεραπεύηται Παναθηναίοις μὲν Ἀθηνᾶ, μυστηρίοις δὲ Δημήτηρ, τῇ λαμπάδι δὲ ὁ Πάν· *quamdiu coletur Panathenæis Minerva, myſteriis Ceres, lampadis certamine Pan.*

b Succedendo.

Quia verò Pan eſt vel Natura, vel numen Naturæ, eo à Pane eſſe dicebantur ſubiti exercitus totius terrores, quorum cauſſa neſciretur, & tanti tamen, ut etiam Dìs geniti ſe in fugam conjicerent. Unde Pindarus Nem. Od. IX:

—— Ἐν γὰρ
Δαιμονίοισι φόβοις
Φεύγοντι καὶ παῖδες θεῶν.

Nam dæmoniaco in terrore etiam Deorum filii fugam dant.

Δαιμονίους verò vocat, quia à Deo immiſſi. De hujuſdi terroribus ſic Cornutus: *Sunt Panici quidam terrores repentini, & ſine ratione. Sic & pecudes, ac greges terrentur à ſtrepitu quodam, quem percipiunt ex ſylvis, antris, aut aliis ſinuoſis locis.* Videtur & eo referendum hoc Euripidis, vel alterius, in Rheſo:

Ἀλλ' ἢ Κρονίου Πανὸς τρομερᾷ μάστιγι φοβῇ.
Alioqui priſci Panis tremulo flagello cædendus.

Videas verò & Polyænum terroris illius, qui occulta vi totum occupat exercitum, cauſſam ad Pana referre. Narrat ille lib. I Strategem. ut cum Baccho adverſus Indos exercitum ducenti nunciaretur, innumeras hoſtium catervas exadverſum caſtra metari, ingens eum metus invaſerit: Pan verò auctor fuerit, ut exercitus Bacchi de nocte magnum & abſonum tolleret clamorem: eo petras, & nemora ita reſonuiſſe, ut longè major, quam foret Bacchi exercitus videretur. Tum hoſtes fugâ perculſos ſe in fugam conjeciſſe. Atque idem narrat Theon Arati interpres. Vide & ſi voles de hiſce terroribus Politianum Miſcell. cap. XXVIII.

Nec ſemper tamen Panos nomine intelligi debet ipſa rerum natura, quam in ſcholis vocant *naturam naturatam*: ſed & ſpiritus ille mundi hujus effector, & conſervator, quem eædem nuncupant *naturam naturantem.* Ut apud Plutarchum in libro de Oraculorum defectu, in iis quæ de magni Panos morte traduntur. Ubi Pan ὁ λόγος, δι' οὗ πάντα ἐγένετο, καὶ χωρὶς οὗ ἐγένετο οὐδὲ ἓν ὃ γέγονε. *Verbum per quod facta ſunt omnia, & ſine quo factum eſt nihil, quod factum eſt*: ut loquitur B. Joannes initio Euangelii ſui c. Tempus quidem narrationis iſtius ſatis convenit tempori, quo conditor ille mortuus eſt pro omnium peccatis. Imò juxta ſanctiſſimos quoſdam viros acciderit poſtridie paſſionis Dominicæ uti in primum Faſtorum Ovidii Marſus annotavit. Porro ille multorum cum admiratione gemitus, quem navigantes audiere, ubi Thamus ad Palades, uti à ſpiritu juſſus erat, inclamaſſet, magnum Pana mortuum eſſe; à malignis mihi ſpiritibus editus videtur: qui doluere ſemen illud mulieris, in paradiſo promiſſum, morte ſuâ contriviſſe caput ſerpentis. Nec enim de morte τοῦ λόγου doluiſſent, ſed exultaſſent potius, niſi morte ſuâ de morte, & mortis auctore, antiquo illo dracone triumphaſſet. Quare conjuncta erant mors Chriſti κυρίως ſic dicta, & mors diaboli, ſic κατὰ μεταφορὰν vocata. Atque hoc aliquos impulit, ut mortem magni Panos intelligere maluit de morte diaboli, hoc eſt deleta ejus poteſtate per Chriſti mortem. Mihi ſatis eſt, quod fateantur, non fabulam, ſed hiſtoriam eſſe, quam narrat Plutarchus, atque ad redemtionem generis humani per Chriſtum pertinere. Nec video, cur non ut Jovis nomine etiam Deus ſummus intelligitur, quemadmodum ex Arateo loco à B. Paulo in Actis adducto cognoſcimus: ita magnus Pan dici potuerit ὁ λόγος, quippe unus omnia; ut per quem omnia facta ſint, & qui mortuus ſit pro omnium peccatis, creator unicus, redemtor, & ſanctificator noſter. Quæ non ita capi volo, quaſi Arcades cognorint verbum Dei; ſed quia aliis Pan Natura univerſa intelligeretur; aliis Spiritus naturæ hujus opifex, & gubernator. Nec ſanè quòd poſt paſſionem oracula ceſſarint in gentibus (cujus rei rationem tam anxiè Plutarchus ſingulari requirit libello) ab alia eſſe cauſâ cenſendum, quam quod Lux illa veniſſet in mundum, verboque ac Spiritu illuminaret omnes terras, & tenebrarum principem ejiceret foras, De magno Pane ſatis.

c Verſ. 3.

Cap. IV.

De natura univerſa cultu apud Romanos, & Græcos, ſub nominibus Jovis, Apollinis, Jani, Saturni, nec non Minervæ.

PRæterea naturæ cultus nomine Jovis intelligitur, ut Græcis, ſic Romanis. Vulgo quidem conſtat, cælum, hoc eſt, æthera, vel etiam aëra, eo vocabulo ſignari. Sed inſuper & terram, & aquam, & quidquid videmus, Jovem eſſe, prudentium opinio fuit: Itaque Veteres Grammatici putarunt, Jovem eſſe à juvando: in quo etſi valde eos ratio fugit, tamen naturam Numinis declararunt. Quatenus vero natura, vel Deus, mala immitteret, non *Jovis*, ſed *Vejovis*, dicebatur. De cujus vocabuli origine Agellius lib. V, cap XII. Nec, quominùs Vejovem credamus vim naturæ maleficam, obſtat illud quòd ibidem legas, Vejovem eſſe Apollinem; atque hoc inde cognoſci, quia ſimulacrum ejus, quod inter arcem, & Capitolium erat, ſagittas teneret, velut paratas ad nocendum. Nec enim per Apollinem ſolus ſemper Sol intelligitur, ſed quandoque etiam totus mundus. Nempe quia natura nihil æthere, vel æther Sole, excellentiùs habet; eo, qui unum duntaxat eſſe numen putarent, per ætheris, ac Solis, numen, Naturæ numen intelligebant; ex nobiliſſima parte totum capientes; ut caput, vel mortale pectus, pro homine dicimus. Præterea ſpectare jubebant in Sole non ſpatium, quod occupet; quod ſolum ſi attendas, fuerit Sol exigua naturæ portio; ſed quatenus lumine, ac calore, permeat univerſum. Quomodo Soli ineſt vis totius naturæ moderatrix. Atque huc ſpectabant Græciæ Theologi; ut oſtendit hæc breviſſima eorum precatio à Macrobio adducta lib. I Sat. cap. XXIII: Ἥλιε παντοκράτορ, κόσμου πνεῦμα, κόσμου δύναμις, κόσμου φῶς. *Sol omnium moderator, mundi ſpiritus, mundi poteſtas, mundi lux.* Atque idem Solem Orpheo eſſe omnia, his ejus verſibus oſtendit:

Κέκλυθι τηλεπόρου δίνης ἑλικαύγεα κύκλον,
Οὐρανίαις στροφάλιγξι περίδρομον αἰὲν ἑλίσσων·
Ἀγλαὲ Ζεῦ Διόνυσε, πάτερ πόντου, πάτερ αἴης,
Ἥλιε παγγενέτορ, πανάιολε, χρυσεοφεγγές.
Audiveris, vaſti ætheris rotundum ſplendidumque circulum
Cæleſtibus vertiginibus ambitum hunc ſemper verſans:
Inclyte Jupiter Dionyſe, pater maris, pater terræ,
Sol omnium genitor, omnivarie, auro radians.

Hinc factum olim, ut veteres non ſemper conſentirent,

rent, utrum numen aliquod deſignarit naturam, an partem æthercam. Ita (ut Auguſtinus ait lib. VII de Civ. Dei, cap. XXVIII) *Janum alii cælum, alii dixerunt eſſe mundum.* Quæ ex dictis facilè conciliantur.

Janus quoque etſi Solem deſignet, ut lib. II vidimus, tamen pro tota etiam natura ſumitur: eaque tum rudi, & indigeſta, quam chaos dixere: tum etiam ſuam jam formam, & ordinem, ſortita. Priori modo conſiderat Ovidius, I Faſt. ubi Janus de ſe ait:

Me chaos antiqui (nam ſum res priſca) vocabant.

Poſteriori autem, cum paullo pòſt ſubdit:

Quicquid ubique vides, cælum, mare, nubila, terras,
Omnia ſunt noſtra clauſa, patentque, manu.
Me penes eſt unum vaſti cuſtodia mundi.

Cum Jano antiquiſſimi Romani Saturnum coluere. Per quem item eos uti & Græcos naturam rerum univerſam intellexiſſe, teſtis nobis Dionyſius Halicarnaſſenſis lib. I. Antiquitatum. Nec pèr univerſitatem intelligi corpora ipſa in oculos incurrentia; ſed quiddam, quod nemo oculis corporis, pauciſſimi autem animive acie, utcumque perſpiciunt, vel ipſo *Saturni* nomine edocemur: ſiquidem ut nobis quoque videtur, appellatio hæc eſt ab eo, quod lateat, & occultetur. Quippe Saturni vox eſt à Thuſcis: Thuſcorum verò lingua ab Oriente: à סָתַר *ſatar*, latere, à שׁוֹטֵר *ſoterve*, dominator, quia protector lateat in occulto. Saturnus igitur eſt *Deus Latius.* Ita enim Latinis dicebatur. Uti uxor Saturni in pontificalibus libris *Latia Saturni* nuncupatur. Ipſaque terra, ut *Saturnia* appellatione Tuſcâ, ita Latina *Latium* vocabatur. A latendo porrò nomen accepit Saturnus, quia etſi elementa mundi *a* videmus, naturam tamen, hoc eſt vim eorum, & virtutem, quæ agitat hanc naturæ molem, non videmus; ſed ex effectis tantùm cognoſcimus: nempe ex mutationibus, quas Tempus producit. Unde & idem Saturno ob longi temporis periodum, dicarunt planetarum ſummum; ut qui ſolus ex iis abſolvit curſum triginta annorum ſpatio; quantum unius eſt generationis. Et aptè etiam Temporis Deo convenit Saturni, ſive Latii appellatio, quia & illud latet: fugit enim, nec conſpicitur. Nomen itidem quadrat Κρόνῳ. quod nihil aliud eſt quam χρόνος *b*. Nam Saturnus temporis Deus: ut indicat Cicero lib. II de Nat. Deor. & Macrobius lib. I Saturnal. Plutarchus quoque de Iſide & Oſiride: Ἕλληνες Κρόνον ἀλληγοροῦσι τὸν χρόνον. *Græci Saturnum ajunt allegoricè ſignare Tempus.* Et firmat hanc opinionem, quod veteres, cum XVI duntaxat literas haberent, ſine ſpiritu ſcripſere ΚΡΟΝΟΣ: pro quo poſtea ſpiritum addentes ΚΗΡΟΝΟΣ maluere: tandem verò, literarum compendio ſtudentes, ΧΡΟΝΟΣ: qua de re diximus in primo de arte Grammatica, cum alibi, tum cap. XV. Nec in eo aliqua eſt pugna, quod Saturnum nunc vim univerſæ naturæ, nunc durationem ſive tempus dicimus deſignare. Siquidem inter exiſtentiam & durationem rei tanta eſt conjunctio, ut una ſine altera eſſe non poſſit. Ut tantumdem ſit rogare, quandiu quid exſtiterit, & quandiu duraris. Nec Deus, quia contradictionem implicat, facere poſſit, ut res aliquandiu exiſtat, nec tandiu duret: uti nec poſſit durationem dare vel momentaneam ſine ejus exiſtentia. Sed duratio quidem momentanea impropriè duratio vocatur: propriè autem ſic dicitur exiſtentiæ continuatio & mora. Quare exiſtentia, & duratio, ſolùm differunt ratione. Exiſtentia dicitur quatenus res eſt extra cauſſas ſuas, ſive quatenus actu eſt in rebus. Duratio vocatur, quatenus attenditur exiſtentiæ extenſio, & ut ſic dicam, permanentia. Ubi propriè attenditur longum, & breve, item infinitum, & finitum, pro quibus duobus triplex eſt durationis menſura: una rei utrimque infinitæ, ut Dei: altera rei utrimque finitæ, ut equi: tertia rei ex parte priori finitæ, ex poſteriori parte infinitæ, ut angeli, & animi humani. Prima dicitur Æternitas, altera Tempus, tertia Scholaſticis vocatur Ævum, ſed vocabulo, ut Thomas etiam Aquinas obſervavit, parum convenienti. Nam ab αἰὼν ſive Æolico αἰϝὼν, eſt *ævum*, unde veteribus *ævitas*, & *æviternus*, pro quibus κατὰ συγκοπὴν dicitur *ætas*, & *æternus*. Ex his ſatis liquet, qua ratione utrumque veteres ſtatuerint, naturam omnia generare & corrumpere; & omnia tempore produci, ac conſumi: non quaſi tempus per ſe cauſſa ſit generationis, vel interitus, ſed quia quæcunque ſunt in tempore, ea tempore mutentur. Qua de re vide Simplicium, & interpretum alios, ad Ariſtotelis Φυσ. ἀκρ. lib. IV, cap. XII *a* commmate CXVII.

a *Inde dictus Græcis Πᾶν, complexum, univerſum.*

b *Tempus.*

a *Al. 19.*

Ut igitur univerſa de Saturno gentium Theologia meliùs intelligatur, utile eſt diſtinguere, quæ de eo dicantur, quatenus naturæ vim in ſe attendimus: quæ item, quatenus ſpectamus virtutis ejus effectus, qui tempori tribuuntur ex accidenti. Quatenus ſignificat totius naturæ vim, & virtutem, filius dicitur Οὐρανοῦ, ſive Cæli: qui Uranus in Africa etiam colebatur. Cælus verò, ſive Uranus non æther hic intelligendus, qui uſitatius dicitur Jupiter, Saturni filius; ſed Deus ſummus, qui in cælis habitat: ut in Scripturis etiam videmus Cæli nomine intelligi primò quidem thronum Dei, ex conſequenti autem Deum ſupremum, ſive Deum Iſraëlis. Ut cum Chriſtus Matth. XXI, quærit, utrum baptiſmus Joannis ex cælo eſſet, an ab hominibus. Hoc pacto igitur Saturnus dicitur Οὐρανίων, quaſi *Uranides*, ſive uni cæleſti throno, hoc eſt, Deo ſummo originem ſuam debens. Idem dilucet ex liberis ei tributis, qui nihil aliud ſunt, quàm nobiliſſimæ mundi partes, cælum cum elementis quatuor. Nam ex Ope (eſt ea principium naturæ corporeæ paſſivum, uti Saturnus, activum) generaſſe dicitur filios tres, Jovem, Neptunum, Plutonem: filias totidem, Junonem, Veſtam, Cererem. At Jupiter eſt æther, unde loquendi genus *ſub Jove frigido*, & *ſub dio.* Summo autem Deorum, tribuêre nomen veri Dei. Nomen enim eſt *Jovis*, quod factum putatur ex nomine Dei tetragrammato, ſive id *Jehova*, ſive aliter debet efferri: de quo poſtea. Juno eſt aër, quæ Græcè ἥρα, κατὰ μετάθεσιν *b* ab ἀὴρ *c*. Neptunus eſt aqua: ἀπὸ τοῦ νίπτεσθαι, quod eſt *lavare*. Eſt enim elementum huic rei proprium. Unde & Germanis aqua *waſſer*, lavarè *waſſen*, quaſi dicas *aquari*. Pluto eſt interior terra, quæ metalla gignit, unde Πλούτων Græcis, Latinis *Dis* vocatur; nempe ab auro cæteriſque divitiis, quæ terra effodiuntur. *Ceres* eſt terra, quæ vim habet producendi fruges, nempe à *geres*, quod Moſi eſt *ſpica virens.* Veſta eſt ignis, non ille, qui juxta Peripateticos complures Lunæ proximus, ſed qui in terris; à Græco ἑστία, id eſt, focus. Atque hi Saturno geniti, ipſi alios deinde liberos procreaſſe dicuntur; quæ partes ſunt partium, vel naturæ affectiones. Hac de Θεογονίᾳ *d*, quæ tota penè non aliud quam naturæ myſteria includit; vide Heſiodum in opere, quod ab hoc argumento inſcripſit. Quamquam Pauſanias in Arcadicis neget, Θεογονίαν ſibi genuinam videri. Atque idem in Bæoticis referat, Bæotos, circa Heliconem degentes, dicere, nihil eſſe Heſiodi præter Ἔργα καὶ Ἡμέρας *e*, imò & invocationem Muſarum, quam initio Ἔργων legimus, alterius eſſe, verumque eſſe initium, ubi de contentione incipit. Addit quoque, juxta fontem ſibi à Bæotis monſtratam eſſe tabulam, ſed multum vetuſtate vitiatam, in qua perſcripta eſſent Ἔργα. Sed utcunque hæc de auctore Θεογονίας ſcrupulum poſſint injicere: illud tamen extra controverſiam manet, auctorem ejus eſſe antiquiſſimum. Præterea pro Heſiodo eſt, quod Pauſanias agnoſcit, ab aliis genuinum credi Heſiodi opus. Denique multum Pauſaniæ opinioni obſtat Herodoti auctoritas, ſcriptorum, qui proſâ hodieque exſtant, omnium antiquiſſimi. Is diſertim in Euterpe ait, Homerum, & Heſiodum primos Θεογονίαν induxiſſe, ac tribuiſſe Diis varias appellationes, honores, artificia: nec putare ſe, eos ante ſua tempora fuiſſe annis amplius quadringentis.

b *Tranſpoſitis literis.*

c *Aër.*

d *Ortu Deorum.*

e *Opera, & Dies.*

Poſterior modus conſiderandi Saturnum erat, quatenus eſt Tempus, temporumque converſio. Cic. II de Nat. Deor. *Saturnum eum eſſe voluerunt, qui cur-*

curſum & converſionem ſpatiorum ac temporum contineret. Converſio ea temporum eſt à converſione ſive cæli ſolius circa terram, ſive cæli, terræque. Nam Terram XXIV horarum ſpatio circumvolvi, opinio veterum erat multorum: uti Pythagoræ, Ariſtarchi Samii, Philolai, Hicetæ, Seleuci, Cleanthis Samii, Leucippi, Heraclidæ, Ecphanti, Platonis etiam jam ſenis, imò ſeſquiſeculo ante Pythagoram, Numæ Pompilii, qui Plutarcho teſte, eò Veſtæ templum fecit rotundum, inque eo ignem æternum juſſit aſſervari, ut rotunditate templi rotunditatem mundi repræſentaret, & aſſervatione ignis æterni in medio, Solem in medio mundi conſtitutum, cujus ſacer ignis ille eſſet ſymbolum. Ac fortaſſe etiam ad hanc terræ & ſiderum converſionem circa Solem reſpexerint nonnulli, cum Saturnum, hoc eſt Tempus, non Cæli, ſed Terræ etiam filium dicerent. Utcumque eſt, à cæleſti ſaltem converſione eſt diſtinctio veris, æſtatis, auctumni, hyemis: à quibus rerum omnium in terris, & aquis generatio, ac corruptio. Unde Saturnus liberos dicitur abſumere. Nec omnes, ſed mares, quia ſolum abſumit formas rerum. At parcit feminis, quia materies rerum manet. Et ita deglutit mares, ut evomat; quippe veteres formas abſumit, & novas reddit. Singularia interimit, ſpecies manent. Pro æthere, natura, & calore ζωοποιῷ ſpecies rerum conſervante, quæ Jovis nomine intelliguntur, deglutiviſſe dicitur lapidem: quia res ſingulares rudi, & informi lapidi comparari merentur, quando quod aëreum, & igneum eſt, inde exceſſit, ac ſolum quod aqueum & terreum remanſit. Ut fieri neceſſe eſt, reſoluto calore nativo, ſive à frigore, ſive à calore externo.

Quatuor numina, quæ proximè memoravimus, maſcula fuerunt. At etiam muliebre eſt numen quod eodem pertineret. Id eſt Minerva, per quam intellexere mentem divinam ſeſe extendentem per naturam univerſam; ut eſt
a P. 109. edit. H. St. apud Athenagoram in Apologia *a*.

Cap. V.

De Stoicorum ſententia, qui ex mente divina, & corpore mundano, conſtare numen dicebant; ac pro variis mundi partibus, variis etiam nominibus appellari. Verùm Platonicos in eo diſcrepaſſe, cùm viderent mundi compagem, non eſſe Dei partem, ſed quaſi domicilium.

QUæ hactenus partim de Orientis, & Ægypti populis; partim de Græcis, & Romanis, diximus, non obſcurè oſtendunt ſub variis Deorum nominibus cultam ab iis eſſe rerum naturam. Longeque hæc planiora fient, ſi eadem illuſtremus Stoicorum placitis; quibus natura eſt ingens animal, utroque ſexu præditum. Prius igitur docebo, Stoicis hunc mundum, ſive rerum Naturam eſſe animal divinum, conſtans mente divina, & corpore mundano: cujus ſingulæ etiam partes Dii vel Dei membra forent, quia divina illa mens partes ſingulas permearet. Deinde monſtrabo, quomodo in hac rerum natura attenderint omnium generationem & corruptionem: cujuſmodi converſio eſſe nequit, niſi inſit ei principium activum, & paſſivum: ratione verò principii activi naturam conſiderabant ut marem; ratione paſſivi, ut feminam. Cùm verò dicerent, mundum eſſe magnum ac divinum animal, unum quidem numen agnoſcebant: ſed
a Deorum multitudinem. non ſit ut impugnarent vulgi πολυθεότητα *a*. Solùm hoc intererant, quòd vulgus cœtum crederet Deorum, Stoici autem, quos vulgus pro diis haberet diverſis, ſtatueret eſſe Dei, ſive animæ mundanæ ſectiones mundano corpori permixtas, ac pro corporibus diverſis, etſi, unum nomen foret, diverſa tamen nomina ſortiti. Itaque animas etiam humanas, non pecudum modò, putabant eſſe illius animæ particulas. In hac ſententia etiam Virgilius erat. Nam IV Georg. cum de ſpiritu hoc mundum alente, & magno ſe corpore miſcente, quædam dixiſſet, deinceps ea diducit his verbis:

—— Deum namque ire per omnes
Terraſque, tractuſque maris, cælumque profundum,
Hinc pecudes, armenta, viros, genus omne ferarum,
Quemque ſibi tenueis naſcentem arceſſere vitas.

Servium etiam hic audiamus: *Quatuor ſunt elementa, terra, aqua, aer, æther. Et Deus. Præter hæc nihil eſt aliud. Deus eſt ſpiritus divinus, qui per quatuor infuſus elementa gignit univerſa. Igitur ſi de elementis, & Deo, naſcuntur omnia, unam originem habent: & par eſt natura omnium. Ab elementis habemus corpus: à Deo animum. Ideo, quod eſt in corpore, terra, humor, anhelitus, calor, videtur, ſicut etiam elementa: animus inviſibilis eſt, ſicut etiam Deus. Illa præterea irrationabilia ſunt, ſicut corpus. Contrà Deus habet conſilium: ſic etiam animus. Deinde elementa mutantur, quod eſt eorum proprium* (ita cod. vet.) *ſicut etiam corpus. Contrà Deum non perire manifeſtum eſt. Ergo nec animus perit, qui inde originem ducit. Nam pars ſemper ſequitur genus.* Idem VI Æneid. verſus iſtos:

Igneus eſt ollis vigor, & cæleſtis origo
Seminibus, quantum non noxia corpora tardant:

hoc pacto interpretatur: *De quatuor elementis, & Deo, in tantum in omnibus viget pars divinitatis, in quantum ſinit corporis qualitas. Animus idem eſt, ſed uti viribus ſuis non poteſt, propter corporis conjunctionem.* Unde liquet, ut omnia, in rerum natura putarint divinam habere animam, nec tamen ubique eam æquè ſe exſerere; idque propterea, quia non pariter omnia ſint idonea actùs inſtrumenta. Hoc putabant colligi etiam poſſe ex animantibus. Nam etſi animal omne præditum ſit animâ ſenſitivâ, non quævis tamen partes corporis animati ſentiunt. Nec enim de oſſibus id dicere poſſumus; ut de unguibus, & capillis taceam. Similiter igitur in magno illo animali, quod mundum dicebant, multa non ſentire, etſi partes ejus forent: idque non ob animæ mundanæ, ſed mundani corporis defectum; quia unum quodque recipitur non pro ſua, ſed pro recipientis natura. Stoici igitur in eo quidem conveniunt cum Platonicis, quòd unum ſtatuant numen principale. Sed differunt, quòd his judicantibus Deum incorporeum: illi eum corporeum dicant. Nam è duobus ajunt componi; è ſpiritu, qui eſt mundi anima, & mundo, qui ſpiritus illius eſt corpus: haut aliter, ac nos, ex anima, & corpore conſtamus. Unde Seneca, non in iis quidem, quæ exſtant, ſed apud B. Auguſtinum lib. VI, de Civitat. Dei, cap. X. *Ego feram, aut Platonem, aut Peripateticum Stratonem: quorum alter Deum ſine corpore facit, alter ſine animo?*

Quod de Stratone hic Seneca ſcribit: idem & de eo Cicero tradidit in primo de Natura Deorum: *Nec audiendus ejus* (Theophraſti) *auditor Strato, is qui phyſicus appellatur: qui omnem vim divinam in natura ſitam eſſe cenſet, quæ cauſſas gignendi, augendi, minuendive habeat: ſed careat omni ſenſu, & figurâ.* Item Lactantiùs lib. de Ira, cap. X: *Naturam ait Strato habere in ſe vim gignendi & minuendi: ſed eam nec ſenſum habere ullum, nec figuram: ut intelligamus omnia, quaſi ſuâ ſponte eſſe generata, nullo artifice, nec auctore.* Eamque Manilius ſic expreſſit lib. I.

Aut neque Terra Patrem novit, nec Flamma, nec Aër,
Aut Humor; faciuntque Deum per quatuor artus,
Et mundi ſtruxere globum, prohibentque requiri
Ultra ſe quicquam.

Sed hanc qui ſententiam tuerentur, verbo Deum fatebantur, re negabant. Quale enim hoc numen, quod ne ſenſu quidem, nedum ratione polleat? Quanto igitur tolerabilius Seneca, qui licet & ipſe cum Stratone, elementa inter ſe ſociata, pro Deo haberet, mentem tamen elementorum præſidem ac gubernatricem agnoſceret. Nec tamen Stoici omnes eodem modo ſemper loquuntur. Eſt, cùm propriè, accurateque; eſt, cùm craſſiùs,

ac populari loquantur ratione. Cùm propriè loqui volunt, ſecernunt Deum à mundo, ut opificem ab opere, & incorruptibilem, atque ingenitum, à genito, & corruptibili. Nam Deus Stoicis, ut Diogenes ait in Zenone, ἄφθαρτός ἐστι, καὶ ἀγέννητος, δημιουργὸς ὢν τῆς διακοσμήσεως: *incorruptibilis eſt, ingenitus, atque opifex conſtitutionis mundanæ*; Atque aliquanimulto pòſt: Τὰ δὲ μέρη τοῦ κόσμου φθαρτά· οὗ δὲ τὰ μέρη φθαρτά ἐστι, καὶ τὸ ὅλον. *Partes mundi corruptibiles ſunt: cujus verò partes corruptibiles, totum ſimiliter affectum.*

Luculentiùs hoc diſcrimen elucebit, ſi ſciamus, Deum propriè Stoicis eſſe corpus ſpirituale, ac igneum, ſed puriſſimi ardoris, intelligens, mundi ex materia coæterna effectivum, eum continens, perque illum ubique vitalem ex ſe calorem diffundens, quo omnia foventur ac moventur: ita verò eum ſibi jungens, ut mundus ſit animatus, ac unus cum ſpiritu illo Deus: ubi verò poſt longas temporis revolutiones conflagratione mundus interierit, eidem ſuperſtes, atque ex priori materia, igni purgata, novum reddens, & ita æternum, nunc mundum à ſe effectum animans, & gubernans, nunc poſt eundem ab igni deſtructum, aliquo interpoſito intervallo, novum condens. Quibus verbis partim complexi ſumus naturam Dei Stoici, partim ejus effectus. Utraque veterum auctoritate firmabimus.

Ac primò quidem dicebamus, Deum Stoicis eſſe corpus. Objiciat aliquis illud Senecæ Conſolat ad Helvid. cap. VIII: *Quiſquis formator Univerſi fuit, ſive ille Deus eſt potens omnium, ſive incorporalis Ratio ingentium operum artifex, ſive divinus Spiritus per omnia intenſus.* Sed enim ex Stoicorum quidem mente dicit, eſſe Spiritum per omnia intenſum: ex Platonicorum verò ſententia de incorporali ratione. Atque hoc ſatis indicant verba Senecæ, quæ ex B. Auguſtino ſuperiùs adduximus. Nempe Stoicis, ut ait Laërtius, idem ſunt σῶμα, καὶ οὐσία a. Ac adverſus hanc opinionem Euſebio teſte, librum ſcripſit Numerius, quem ſic inſcripſit, Ὅτι οὐκ ἂν εἴη σῶμα τὸ ὄν, κατὰ τοὺς Στωικούς· *Quod non ſit corpus, quicquid eſt, ut Stoici cenſent.* Et Stoicos hac parte ſecutus Tertullianus, cui lib. adverſus Hermogenem, *ſubſtantia eſt corpus rei cujuſque.* Idem de carne Chriſti. *Omne quod eſt Corpus eſt ſui generis: nihil eſt incorporale niſi quod non eſt.*

a *Corpus, & ſubſtantia ſeu eſſentia.*

Addebamus, eſſe corpus ſpirituale, ac igneum. Unde Poſidonius apud Stobæum, Θεός ἐστι πνεῦμα νοερὸν, καὶ πυρῶδες, οὐκ ἔχον μορφὴν, μεταβάλλον δὲ εἰς ἃ βούλεται καὶ συνεξομοιούμενον πᾶσιν. *Deus eſt ſpiritus intelligens, & igneus, formam ipſe non habens, ſed in omnes ſe convertens, ſibique omnia aſſimilans.* Et ante eum Zeno apud Laërtium: Θεὸν εἶναι πνεῦμα, διῆκον δι' ὅλου τοῦ κόσμου. *Deum eſſe ſpiritum, permeantem per totum mundum.* Apud Athenagoram quoque legas, Ζεὺς ἡ ζέουσα οὐσία, κατὰ τοὺς Στωικούς. *Zeus* (Jupiter) *fervens ſubſtantia, ſecundum Stoicos.*

Nec pugnare putabant, ſi corpus, & ſpiritum, dicerent, quia ſpiritus iis, ut Tertullianum paullò antè loquentem audivimus, *corpus eſt ſui generis.* Corporis enim ſpecies, ſpiritus. Unde Laërtius in Zen. Ψυχὴν πνεῦμα εἶναι· διὸ καὶ σῶμα εἶναι. *Animam ſpiritum, eoque & corpus eſſe.* Nempe σῶμα ἀραιότερον, καὶ λεπτομερέστερον, *corpus rarius, & tenuiorum partium*: ut Chryſippus ait apud Plutarch. de Pugn. Adeò ut, (quemadmodum idem Tertullianus lib. de anima cap. IX, ex ſua non minùs, quàm Stoicorum mente loquitur) *præ ipſa tenuitate de ſide corporalitatis periclitetur.* Qui & mox Moſen ſic interpretatur: *Recogita*, inquit, *cùm Deus ſufflaſſet in faciem hominis flatum vitæ, totum utique per faciem flatim flatum illum in interiora tranſmiſſum ſimulque divinâ adſpiratione denſatum, omni intus lineâ expreſſum eſſe. Inde igitur & corpulentia animæ ex denſatione ſolidata eſt, & effigies expreſſione formata.* Quaſi dicat, animam naturâ ſuâ eſſe corpus fluidum, & formæ incertæ: ſed frigore corporis denſari, & inde etiam effigiari. Quam ejus ſententiam Auguſtinus, & Patrum alii jure paſſim impugnant.

Dicebamus præterea, Stoicis Deum eſſe ſpiritum intelligentiâ præditum: quomodo Poſidonius, ut vidimus, appellat πνεῦμα νοερόν a. Unde & eum, teſte Laërtio, dixere νοῦν, item λόγον: hoc eſt *animum*, *mentem*, *rationem*.

a *Spiritum intelligentem.*

Quod ſubjecimus, ſpiritum hunc igneum eſſe æternum, ac mundi opificem, ex Diogene etiam Laërtio hæc cognoſcere licet. Ejus hæc ſunt in Zenone: Δοκεῖ αὐτοῖς ἀρχὰς εἶναι τῶν ὅλων δύο, τὸ ποιοῦν καὶ τὸ πάσχον· τὸ μὲν οὖν πάσχον, εἶναι τὴν ἄποιον οὐσίαν τὴν ὕλην· τὸ δὲ ποιοῦν τὸν ἐν αὐτῇ λόγον τὸν θεόν. τοῦτον γὰρ ὄντα ἀΐδιον διὰ πάσης αὐτῆς δημιουργεῖν ἕκαστα. *Videtur autem, illis eſſe duo principia, agens, & patiens. Ac patiens quidem eſſe qualitatis expertem ſubſtantiam, materiem: agens autem, rationem in ea, Deum. Hunc enim ſempiternum per ea creare ſingula.* De diſcrimine verò principiorum, & elementorum, poſtea ſubjungit: Διαφέρειν δέ φασιν ἀρχὰς καὶ στοιχεῖα· τὰς μὲν γὰρ ἀγεννήτους καὶ ἀφθάρτους· τὰ δὲ στοιχεῖα, κατὰ τὴν ἐκπύρωσιν φθείρεσθαι. *Differre autem ajunt principia, & elementa. Nam illa quidem ingenita eſſe, & corrumpi non poſſe: elementa verò in conflagratione mundi interire.* Apud eundem legas, κατὰ χρόνων ποιὰς περιόδους ἀναλίσκοντα εἰς ἑαυτὸν τὴν ἅπασαν οὐσίαν, καὶ πάλιν ἐξ ἑαυτοῦ γεννῶντα. *Poſt certas annorum revolutiones, omnem mundi ſubſtantiam in ſe convertere, & rurſum ex ſe gignere.* Atque ex his ſatis liquet, eos, cùm propriè loqui vellent, Deum ab opere ſuo ſecreviſſe; illum æternum, hoc corruptibile crediſiſſe.

Proximum eſt, ut doceamus, eoſdem, quando ſe populari, ſive civili Theologiæ accommodare vellent, etiam id, quod corruptibile, eſſe opus Dei ſtatuiſſe, Deum nihilominus, impropriè nempe, nominâſſe. Quomodo ſolem, lunam, ſidera, atque adeò totum mundum, Deum perhibebant. Id apertè oſtendit M. Tullius in ſecundo de Natura Deorum: *Igitur eſt mundus Deus. Atque hac mundi divinitate perſpectâ tribuenda eſt ſideribus eadem divinitas.* Ac poſt quam fusè de iſtis diſſeruit, concludit tandem docuiſſe ſe, *eſſe Deos, ſolem, & lunam, & vagas ſtellas, & inerrantes, & cælum, & mundam ipſum, & earum rerum vim, quæ ineſſent in omni mundo, cum magno uſu, & commoditate generis humani.*

Quærat aliquis, quâ mente, qui Deum dicerent æternum, mundum non item, mundum tamen Deum nuncuparent. Sed enim Stoici trifariam fuere uſi vocabulo *mundi*, interdum idem illis eſt mens æterna, ſive Deus: interdum verò notat compagem univerſi, opus Dei, interdum item compoſitum ex mente æterna, & compage univerſi. Quod ita eſſe, oſtendunt illa Laërtii in Zenone: Λέγουσι δὲ κόσμον τριχῶς, αὐτόν τε τὸν θεὸν, τὸν ἐκ πάσης οὐσίας ποιόν, ὃς δὴ ἄφθαρτός ἐστι καὶ ἀγέννητος δημιουργὸς ὢν τῆς διακοσμήσεως κατὰ χρόνων ποιὰς περιόδους, ἀναλίσκων εἰς ἑαυτὸν τὴν ἅπασαν οὐσίαν, καὶ πάλιν ἐξ ἑαυτοῦ γεννῶν. Καὶ αὐτὴν δὲ τὴν διακόσμησιν τῶν ἀστέρων, κόσμον εἶναι λέγουσι. Καὶ τρίτον τὸ συνεστηκὸς ἐξ ἀμφοῖν. *Mundum verò trifariam dicunt, Deum ipſum, quem ajunt ex omni ſubſtantia quodammodo ſe habere, qui incorruptibilis ſit, & ingenitus, opifex hujus mundi in ſe ipſum omnem ſubſtantiam conſumens, atque iterum ex ſe ipſo gignens. Corpus etiam ſtellis ornatum dicunt eſſe mundum. Tertio etiam modo mundum dicunt, quod ex utroque compoſitum.*

Quando verò mundum vocarent Deum, non mundi vocabulo utebantur pro compage ſeorſum à Deo conſideratâ; ſed vel pro ſolâ mente æternâ; vel pro compoſito ex mente divina, & compage illâ elementorum. Conſiderabant enim mundum hunc non ut ſedem, ac domicilium Dei; uti Platonici rectiùs docuerunt; ſed ut corpus, quod animet, ac informet. Nam mundus iis ζῶον, hoc eſt, *animal* vocatur; nec dicitur is ſolùm ἔμψυχος, *animatus*, ſed & λογικὸς, *rationalis*; teſte Laërtio. Unde & Balbo Stoico apud Ciceronem mundus ornatur elogio ſapientis,

pientis, ſideraque *ſapere*, *& intelligere*, dicuntur. De iiſdem ita Lactantius, lib. VII, cap. III: *Interdum ſic confundunt ut ſit Deus ipſa Mens mundi, & Mundus ſit corpus Dei.* Ac mente hac Manilius quoque in I:

——Vivere mundum,
Et rationis agi motu: cum Spiritus unus
Per cunctas habitet partes, atque irriget orbem,
Omnia pervolitans, corpuſque animale figuret.

Et huc inclinat etiam magnus ille Varro: de quo ita B. Auguſtinus lib. VII de Civ. Dei, cap. VI: *Varro de naturali Theologia præloquens dicit, Deum ſe arbitrari animam mundi: & hunc ipſum mundum eſſe Deum.* Quod deinde ſic illuſtrat: *Sicut hominem ſapientem, cum ſit ex animo & corpore, tamen ab animo dicimus ſapientem: ita Mundum Deum dici ab animo, cum ſit ex animo, & corpore.* Quia verò mundus eſt rotundus, eo illis & Deus rotundus: quod ridiculum videbatur aliis, qui humanam Diis formam tribuebant: ut, ex eorum ſententia haberent caput, pectus, ventrem, artus: imò & virilia, quibus mirè validus poëticus ille Jupiter. Ridebatur igitur vulgo Stoicorum Deus: quo pertinet jocus M. Varronis, de rotundo illorum Deo ſine capite, & præputio. Habes apud L. Senecam in ἀποκολοκυντώσει a. Sed planè Rhenanum ratio fugit, cum Claudium Cæſarem, ſine præputio fingi putat. Nihil minùs: Claudium nec cor, nec caput habuiſſe ait; quippe qui fatuus eſſet. At illa de capite, & præputio, ſolum ſpectant Deum Stoicum. Quibus mirabantur alii, carere Deum Stoicum, cum caput ſit ſapientiæ ſedes, & virilia inſtrumentum voluptatis: Deus autem ſapientiſſimus, & vitam degat jucundiſſimam. Nec iſta Caſpar Barthius ſatis cepit lib. VI Adverſariorum, cap. VIII, ubi cenſet Stoicorum Deum dici ſine capite, quia ſecta hæc, vel plerique ſaltem ex ea, dicerent. Deum non curare mortalia. Quod longè aliter eſt: ut tot ejuſdem Senecæ locis dilucet. Talis potiùs eſt Epicureus Deus; ut dixerat Seneca proximè ante illa de rotundo Stoicorum Deo. Quod igitur Stoici caput, & præputium, adimere Deo dicerentur, eò ſpectat, quod non, uti alii, tribuerent ei formam hominis, etſi ea mundus nihil habeat præſtantius: ſed rotundam, ob cauſſam, quam diximus.

a Sive ludo in obitum Claudii Cæſ.

Cùm verò iis mundus ſit Dei corpus; nihil mirum, ſi elementa ſtatuerent Dei membra, imò & nos ipſos. Scio, id negare Joſephum Scaligerum ad Manilium. Sed quid apertius illis Didymi verbis apud Euſebium in XV Præparat. Evangel. Οἱ Στωικοὶ δὲ ὅλον τὸν κόσμον, σὺν τοῖς μέρεσιν αὐτοῦ, προσαγορεύουσι Θεόν· *Stoici totum mundum, cum partibus ejus, vocant Deum.* Ac illo Senecæ epiſt. XCVII: *Totum hoc, quo divina & humana concluſa ſunt, unum eſt: membra ſumus corporis magni.* Et epiſt. XCIV: *Totum hoc, quo continemur, & unum eſt, & Deus eſt: & ſocii ejus, & membra, ſumus.* Lactantius quoque lib. VII, cap. III. Stoicos refutans, ait: *Nam ſi hæc omnia, quæ videmus, Dei membra ſunt, jam inſenſibilis ab his conſtituitur Deus.* Quod tamen Lactantii argumentum non procedit ex Stoicorum mente: qui ut corpus noſtrum ab anima habet, quod ſentiat, ita mundum ab anima mundi, hoc eſt Deo, habere illud ajebant, ut ſenſu, & intellectu, eſſet præditus. Cornutus, ſive Phurnutus de Jove: Ὥσπερ δὲ ἡμεῖς ἀπὸ ψυχῆς διοικούμεθα, οὕτω καὶ ὁ κόσμος ψυχὴν ἔχει τὴν συνέχουσαν αὐτόν, καὶ αὕτη καλεῖται Ζεύς. *Quemadmodum nos per animam ſumus quod ſumus: ita & mundus animam ſe continentem habet, & hæc vocatur Jupiter.* Sicuti nec illud Stoici agnoſcerent, quod eos ait Lactantius dixiſſe, Deum ſine Mundo nihil poſſe. Nam de materie quidem id fatebantur, de mundo non item. Hæc Lactantius ibidem verbis iſtis confudit: *Stoici naturam in duas dividunt partes, unam quæ efficiat, alteram quæ ſe ad faciendum tractabilem præſtet. In illa prima, eſſe vim faciendi; in hac, materiem: nec alterum ſine altero eſſe poſſe. Ita iſti uno nomine res diverſiſſimas comprehenderunt, Deum, & Mundum, artificem, & opus. dicuntque alterum ſine altero nihil poſſe, tanquam natura ſit Deus mundo permiſtus. Nam interdum ſic confundunt, ut ſit Deus ipſa Mens mundi, & Mundus ſit corpus Dei.* Hic Stoici dicerent, poſſe Deum eſſe ſine mundo. Nam eum (ut Seneca ait epiſt. IX) *acquieſcere ſibi, reſoluto mundo.* Sanè, ut eſt apud Minutium Felicem: *Stoicis conſtans opinio eſt, quod, conſumto humore, mundus hic omnis igneſcet.* Pluribus idem apud Ciceronem, Laërtium, Stobæum, & alios, legas. Summa eò redit, mundum hunc non eſſe æternum; multis tamen ſeculorum revolutionibus durare. Spatium id vocant annum magnum, vel mundanum. Ejus anni hyeme, ajunt perire cataclyſmo, ſive diluvio. Ejuſdem æſtate, perire ecpyroſi, ſive incendio. Tum omnia reſolvi in materiam primævam, ſole etiam, luna, ac ſideribus abolitis: Deumque eſſe ſine mundo, ſibique ſic acquieſcere, uſque dum iterum mundum faciat ex ſuperſtite materia, eumque ambiat, permeet, gubernet, uti prius. Satis ex his liquet, Stoicos diſtinxiſſe inter πνεῦμα illud νοερὸν, quod per ſe & natura ſua Deus, & mundum, qui Deus eſſet participatione, quatenus mens divina ſeſe mundo inſerit eumque animat & informat, uti anima hominem. Etſi autem facilè credidero hanc mundi, ut ſic dicam, animationem ſtatuiſſe, ne illos, quos vulgo Deos putarent, negare viderentur: tamen quiddam quoque erat, quod veriſimilem iis hanc redderet opinionem. Nam nihil in mundo videbant præſtantius homine: nihil in homine præſtantius anima: quam credebant eſſe ſpiritum igneum, ſpiritum quidem propter inſpirationem, & exſpirationem: igneum verò propter calorem vitalem. Morientes enim & ſpiritus, & calor, deſtituit. Unde colligebant, Deum quoque ſpiritum eſſe igneum: atque ab eo eſſe calorem vitalem, qui omnia gignat, ac foveat. Unde M. Tullius in II de Nat. Deorum: *Caloris naturam vim in ſe habere vitalem per omnem mundum pertinentem.* Addit quoque, *hoc igneum tranare omnia.* Et poſt aliqua: *Quoniam ex mundi ardore motus omnis oritur, is autem ardor non alieno impulſu ſed ſua ſponte movetur, animus ſit neceſſe eſt.*

Verùm objici hic poſſe video, per ardorem illum intelligi non Deum, ſive mentem divinam, quæ mundum gubernat: ſed elementum quartum, quod nunc *æther*, nunc *ignis*, à Stoicis vocatur. Unde eo de elemento ſic ibidem Tullius: *Quartam mundi partem totam natura fervidam, & cæteris naturis omnibus ſalutarem impertire & vitalem calorem: ut in eo inſit procreandi vis, & cauſſa gignendi.* Equidem non diffiteor, ſic interdum Stoicos loqui, ut æthera Deum fateantur: atque hoc magis parebit ex iis, quæ poſtea dicemus: attamen hic eorum diſſenſus (ſive aliorum ab aliis, ſive etiam à ſe ipſis) impedire non poteſt quo minus veriſſimum ſit, quod antea dicebamus, eos, qui accuratius loqui vellent, planè diſtinxiſſe inter ignem divinum, & ignem æthereum. Triplicem enim Stoici ignem ſtatuerunt: divinum, æthereum, & ſublunarem. Divinus ille eſt ardor puriſſimus, nihil habens feculentiæ: nec abſumens, ſed fovens & vitalis. Sublunaris, qualis in focis, & aris, planè denſus, & devorans, non fovens. Æthereus, qualis Solis, Lunæ, ſiderum, mediæ eſt naturæ, divino denſior, noſtro rarior: interim & ipſe alimenti indigus, etſi tanto minùs noſtro, quanto rarior eſſet, & purior noſtro. Non ſublunarem modò, ſed æthereum etiam ignem periturum, credebant Stoici: non, item divinum: hunc enim, extincto igne æthereo, & ſublunari, ſupereſſe, ac ſeminalem eſſe rationem novi mundi, quia ex rudi materie quatuor elementa, & quæ ex iis fiunt, longè artificioſius manu humana elaboret. Atque hoc voluere, cum dicerent, Deum eſſe, ut apud Plutarchum, & Stobæum, legere eſt, πῦρ τεχνικὸν, ὁδῷ βαδίζον ἐπὶ γενέσει κόσμου, ἐμπεριειληφὸς πάντας τοὺς σπερματικοὺς λόγους, καθ' οὓς ἕκαστα καθ' εἱμαρμένην γίνεται. *ignem artificioſum via vadentem in generatione mundi, continentem intra ſe omnes ſeminales rationes, juxta quas ſingula deinde fato fiant.*

Quò

Quò reſpexit M. Tullius in II de Nat. Deorum, cum ait: *Zeno ita naturam definit, ut eam dicat ignem eſſe artificioſum ad gignendum progredientem viâ.* Et mox: *Natura non artificioſa ſolum, ſed plane artifex ab eodem dicitur, conſultrix & provida utilitatum opportunitatumque omnium.*

Quamquam verò putarent Deum toti mundo miſceri, totumque hunc à divina mente animari; eoque mundum totum rectè Deum dici; imo, ut locuti, Deum eſſe, quicquid videremus: non tamen opinio eorum erat, omnes mundi partes æquè divinæ eſſe naturæ participes. Quemadmodum enim in homine ratio ſupremæ ineſt parti; ita & in magno hoc animali, quod mundum dicebant principatum, quem Græci τὸ ἡγεμονικὸν vocant, ætheris eſſe judicabant. Et ut in homine à capite in reliqua membra ſpiritus fluit, qui inſtrumentum eſt ſenſus & motus: ita in mundo ab æthere ſpiritum fluere in aëra, & terræ atque aquæ globum, & ea quæ illis continentur. Totum igitur mundum eſſe Deum, quia per totum ſe diffundit Deus: ſed minùs terræ, & aquæ globum, quàm aëra; aëra, quàm æthera: quia, utcumque Deus etiam inſit cloacis, ac locis ſordidis, tamen longè aliter ſe inſinuet corporibus mundis, ac puris, magis etiam naturæ ſuæ convenientibus; uti igni, maximè æthera: propterea æthera plus participare divinæ naturæ: inque æthere Lunam, ut terræ propiorem, ita plus habere terreſtris, atque opaci, eoque minus divinæ participare naturæ, quàm ſolem: hujus, ut purioris ætheris, principatum eſſe in viſibilibus: interea ſolem ipſum, qui humore paſcatur maris, nedum eam habere puritatem, quàm extremus cæli ambitus, qui puriſſimus ſit ardor, quodque de Sole dici nequit, nulli ſit interitui, vel corruptioni obnoxius, eoque ſupremus ſit Deus, ut loco, ita dignitate.

Ex his conciliare eſt Stoicorum, ſententias facie primâ pugnantes: quas proponit Cicero in primo de Natura Deorum: *Chryſippus diſputavit æthera eſſe, eum quem homines appellant Jovem.* Ibidem antea legas: *Zeno*, inquit, *æthera Deum dicit eſſe.* Et mox: *Idem aſtris hoc tribuit.* Et poſtea: *Cleanthes, qui Zenonem audivit, ipſum mundum Deum dicit eſſe: tum ultimum, & altiſſimum, atque undique circumfuſum, & extremum, omnia cingentem, atque complexum ardorem, qui æther nominetur, certiſſimum Deum indicat.* Similiter Laërtius in Zenone, his verbis: Τὸν ὅλον κόσμον ζῶον ὄντα, καὶ ἔμψυχον, καὶ λογικὸν, ἔχειν ἡγεμονικὸν μὲν τὸν αἰθέρα, καθά φησιν Ἀντίπατρος ὁ Τύριος ἐν τῷ ὀγδόῳ περὶ κόσμου. Χρύσιππος δὲ ἐν τῷ πρώτῳ περὶ προνοίας, καὶ Ποσειδώνιος ἐν τῷ περὶ θεῶν, τὸν οὐρανόν φασι τὸ ἡγεμονικὸν τοῦ κόσμου· Κλεάνθης δὲ, τὸν ἥλιον· ὁ μέντοι Χρύσιππος διαφορώτερον πάλιν τὸ καθαρώτερον τοῦ αἰθέρος ἐν ταυτῷ· ὃ καὶ πρῶτον θεὸν λέγουσιν αἰσθητικῶς. *Mundum univerſum, qui animal eſt, animâque & ratione præditus, habere facultatem principalem ſive imperatricem æthera: ut ait Antipater Tyrius in octavo de Mundo. Chryſippus verò in primo de Providentia, cumque eo Poſidonius libro de Diis cælum dicunt mundi tenere imperium, Cleanthes Solem. Rurſus Chryſippus id quod præſtantius & limpidius in æthere. Quod primum Deum dicunt ſenſus ſecuti.* Cleanthis opinio placuit Plinio lib. ſecundo, cap. VI: *Mundi totius ſolem eſſe animum, ac planius mentem: hunc principale naturæ regimen, ac numen credere decet, opera ejus æſtimantem.* Quid verò in hac Stoicorum opinione amplectar, quid item improbem; id melius dicam, quando inferius omnem naturæ cultum religioſum refellam.

Cæterùm omni memoria dignum: Mundum hunc, τοῦ κόσμου (ab ornatu) nomen accepiſſe à Pythagora. Quo de pluribus Merula, pag. I.

CAP. VI.

De eorundem Stoicorum opinione, qua in Natura attendebant principium & agendi, & patiendi: eoque utrumque ſexum Naturæ tribuerunt.

Atque hæc de prima ſententia eorum, qui naturam univerſam pro numine habuerunt. Venio nunc ad ſectam alteram. Hanc eorum ſtatuebamus, qui in univerſa rerum natura attenderunt vim activam.

Atque hæc de priori Stoici dogmatis parte, qua ſtatuerunt, mundum eſſe ingens animal, conſtans mente divinâ, & compage mundi. Nunc ad partem venio alteram, quæ de eo eſt, quòd in Natura attenderent vim activam, & paſſivam: & propterea eam tum marem, tum feminam dixere: marem, ſecundùm illud, quod vim in alia exſerit; feminam, quæ vim alienam recipit, & quaſi fœcundatur. Præivit ad hanc opinionem Orpheus, hymno ſuo in Naturam. Verba ſunt:

> Πάντων μὲν σὺ πατὴρ, μήτηρ, τροφὸς, ἠδὲ τιθηνός.
>
> *Omnium es pater, & mater, nutrix quoque, & altrix.*

Eadem Valerii Sorani ſententia fuit: qui ad tempora uſque Varronis, Romanorum judicatus doctiſſimus. Item Varronis, qui eodem poſtea elogia ornatus fuit. Sorani quidem hi ſunt verſus:

> *Jupiter omnipotens regum rex ipſe, deuſque*
> *Progenitor, genitrixque Deûm, Deus unus & omnes.*

Varro autem eo in libro, quem de cultu Deorum ſcripſit, hæc ſic exponit (teſte Auguſtino lib. VII de Civit. Dei, cap. IX) *ut eum marem exiſtimaret, qui ſemen emitteret; feminam quæ acciperet, Jovemque eſſe mundum, & eum omnia ſemina ex ſe emittere & in ſe recipere: qua cauſſa*, inquit, *ſcripſit Soranus, Jupiter progenitor genitrixque: nec minus cum cauſſa unum & idem omnia eſſe: mundus enim unus, & in eo uno omnia ſunt.*

Quia verò hoc univerſæ convenit naturæ, eo & ſingulis ejus partibus, ſive Diis eas partes denotantibus, tributum à Theologis fuit. Ita ut à Proclo Diadocho lib. I in Timæum Platonis proditum eſt, in Jove, Mercurio, Deorumque aliis, eſſe συμπλοκὴν τοῦ ἄρσενος, καὶ θήλεος, *compactum quid ex mare, & femina.* De Minerva ſic antea etiam memoratus, Orpheus ſeu Ouomactitus potiùs *a*:

> Ἄρσην μὲν καὶ θῆλυς ἔφυς, πολεμοτόκε μῆτι.
>
> *Vir genite, & mulier, genitrix prudentia belli.*

a Hymno in Minervam.

Baccho quoquè uterque ſexus. Suidas: Ἀνδρόγυνος καὶ ὁ Διόνυσος, ὡς καὶ τὰ ἀνδρὸς ποιῶν καὶ τὰ γυναικῶν πάσχων. *Utriuſque etiam ſexus eſt in Libero: ut qui & virilia agat, & muliebria patiatur.* Alibi *b* etiam oſtendimus, Lunam à Carrenis vocatam Lunum: nempe Luna eſt, quatenus à Sole accipit lumen & efficaciam: Lunus, quatenus lumen & vim diffundit in inferiora.

b Lib. 2. cap. 5.

Itaque & Venus quæ præcipuè Luna, non ſolum femina, ſed & mas habebatur. Macrobii eſt lib. III Sat. cap. VIII: *Philochorus in Atthide* (Atticarum rerum commentarios ſcripſiſſe, ſatis conſtat) *eandem Venerem affirmat eſſe Lunam: & ei ſacrificium facere viros cum veſte muliebri: mulieres cum virili, quòd eadem & mas æſtimatur, & femina.* Narrat etiam Suidas *c*, ut mulieres Romanæ aliquando peſtilenti prurigine laborarint, eoque neceſſe eas foret radi, ſic ut nullus iis foret pecten, quando capillos non haberent. Tum eas ſupplices oràſſe Venerem, pro priſtino capillorum honeſtamento: eo recepto, honoràſſe Venerem ſimulachro pectinem geſtante, ſed barbata, quia Venus καὶ ἄρρενα, καὶ θήλεα, ἔχει ὄργανα· *& maſcula & feminea habet inſtrumenta.* Quaſi dicat, eſſe ἀνδρόγυνον, ſive ἑρμαφρόδιτον. Sanè & Heſychii verba ſunt: Ἀφρόδιτος. Θεόφραστος μὲν τὸν ἑρμαφρόδιτόν φησιν· Aphroditus. *Theophraſtus ait, eſſe utriuſque ſexus participem.* Imò & Ariſtophanes in comœdia quadam deperdita eam Ἀφρόδιτον nuncupavit. Cujus rei auctor nobis Macrobius lib. III Saturn. cap. VIII. Quod verò de Venere barbata ajebam, id etiam firmare eſt ex Heſychio, apud quem vulgo quidem ſic legere eſt: Ὁ δὲ τὰ περὶ Ἀμαθοῦντα γεγραφὼς παιάνιον ἄνδρα τὴν θεὸν ἐσχηματίσθαι ἐν Κύπρῳ λέγει. Ubi planè pro παιάνιον legendum

c In Ἀφροδίτη.

gendum πωγωνίαν, quod & doctiſſimo Joanni Croio viſum video, & lætor. Sic Latinè ſententia fit: *Incertus Rerum Amathuntiarum ſcriptor ait, Deam Venerem figuram in Cypro habere viri barbati.*

Hæc valdè eo firmantur, quòd dicatur, id relatum ab Amathuntiarum rerum ſcriptore: & ſatis conſtet, Amathunta eſſe in Cypro; unde & Venus, ut Cypria, ſic Amathuntia *a* vocatur: & in Cypro Venerem effictam barbatam ab aliis etiam traditum ſit: ut Macrobio lib. III Sat. cap. VIII: *Signum Veneris eſt Cypri barbatum corpore, ſed veſte muliebri, cum ſceptro ac ſtatura virili, & putant eandem marem, ac feminam eſſe.* Atque ejus æqualis Servius in illud II Æn.

a *Catull. carm. ad Mallium.*

Deſcendo ac ducente Deo ——

Eſt, inquit, *in Cypro ſimulacrum barbatæ Veneris:* Et in lib. IV: *Sciendum Stoicos, dicere unum eſſe Deum, cui nomina variantur pro actibus, & officiis. Unde etiam duplici ſexu numina eſſe dicuntur, ut cum in actu mares ſint; feminæ cum pariendi habent naturam.*

Macrobius, & Servius, qui eâdem ætate, nempe Theodoſii Magni temporibus, vixere, utrumque hunc ſexum inde etiam firmant, quòd Maro dixerit *b*, *Ducente Deo*, ubi Venus ſignatur: item, *Nec dextræ erranti Deus abfuit*, cùm vel Juno intelligatur, vel Alecto. Item quòd Licinius Calvus, poëta egregius, ac orator, Ciceronis æqualis, (quicum etiam, quamvis iniquâ lite, de eloquentiæ principatu certavit, teſte Fabio) ſcripſerit in hunc modum:

b 2 *Æn.*

Pollentemque Deum Venerem. ——

Sed utrumque hoc argumentum mihi ſemper infirmum viſum fuit. Nam quod ad Calvi hoc, *Deûm* non incuſativus numeri ſinguli, ſed patrius eſt pluralivi: diciturque Venus pollens Deûm, ut Horatio potens Cypri. Verè autem pollens Deum, quia in illos, inſpirando amores, quodammodo imperium exercet. Vel ſi id magis placet, pollens Deûm, ſit pollens inter Deas, ut Maroni IV Æn.

—— Sequimur te ſancte Deorum.

Quomodo & Ennius locutus in primo Annalium. Quod verò ad Maroniana illa, de Veneris, & Junonis, vel Alectûs numine, Græcorum more, locutus poëta, qui & τὴν θεὸν dicunt. Sed de his abunde egi etiam in primo de Analogia, cap. XI. Valentius verò illud Lævini ab eodem Macrobio adductum ibidem: *Venerem igitur almum adorans, ſive femina, ſive mas eſt, ita uti alma noctiluca.*

Quid quod & Phrygum Deus utroque ſexu præditus fuit? Heſychius, & ex eo Phavorinus: Ἀδαγοός, θεός τις παρὰ Φρυξὶν, Ἑρμαφρόδιτος. *Adagoos, Deus quiſpiam apud Phryges utroque ſexu præditus.* His & ſimilibus compulſus ſemichriſtianus ille Platonicus, qui inſcribitur Hermes Triſmegiſtus, in Pœmandro idem prodidit de Mente æterna, quæ alterum Νοῦν ſive Λόγον genuit. Sic enim ſcribit: Ὁ δὲ Νοῦς ὁ θεὸς ἀῤῥενόθηλυς ὢν, ζωὴ καὶ φῶς ὑπάρχων, ἀπεκύησε λόγῳ ἕτερον νοῦν δημιουργόν· *Mens etiam ſive Deus, quia mas, & femina ſit, vita, & lux, enixa eſt Verbo alteram mentem: opificem.* Imò Syneſius, Epiſcopus Ptolemaidis, magnus, imò nimius Platonicæ philoſophiæ amator, ſic loqui non veretur de vero Deo Iſraëlis. Ita enim ille hymno II:

—— Σὺ δ' ἐσσὶ ῥίζα
Παρεόντων, πρότ' ἐόντων,
Μελλόντων, ἐόντων.
Σὺ πατὴρ, σὺ δ' ἐσσὶ μάτηρ,
Σὺ δ' ἄῤῥην, σὺ δὲ θῆλυς,
Σὺ δὲ φωνὰ, σὺ δὲ σιγὰ,
Φύσεως φύσις γονόεσσα.

—— Tu autem es radix
Præſentium, præteritorum,
Futurorum, eorum quæ ſunt.
Tu pater, tu es mater,
Tu mas, tu femina,
Tu vox, tu ſilentium,
Natura naturæ fœcunda.

Ac ſimiliter hymno III:

φύσις ἐν νοεροῖς
Θῆλυ καὶ ἄῤῥεν.
Natura in intellectualibus
Femina, & mas.

Quid mirum igitur, ſi & hanc philoſophorum ſententiam ex parte etiam ſecutus eſt Valentinus hæreſiarcha; ut ex Irenæo *a*, Tertulliano *b*, & Epiphanio *c* cognoſcimus. Nam cùm quatuor tantum æonum nomina eſſe diceret, ajebat tamen ex his conſtitui æonum octonarium, eo quod in unoquoque æonum iſtorum attendere oporteret connubium maris & feminæ; Verba en Irenæi: Καὶ εἶναι ταύτην ἀρχέγονον Ὀγδοάδα, ῥίζαν, καὶ ὑπόστασιν τῶν πάντων, τέτρασιν ὀνόμασι παρ' αὐτοῖς κεκλημένην, Βυθῷ, καὶ Νῷ, καὶ Λόγῳ, καὶ Ἀνθρώπῳ· εἶναι γὰρ αὐτῶν ἕκαστον ἀῤῥενόθηλυν. *Et eſſe hunc Octonarium generis principium, radicem & fundamentum omnium, quem quatuor complectuntur nominibus Profunditate, Mente, Ratione, & Homine; quorum unumquodque mas ſimul ſit & fœmina.*

a *Non. II p. 117. edit. Pariſiane.*
b *Lib. adverſus Valentinianos.*
c *In hæreſi Valentinianorum.*

Nempe quiſque æon dicebatur mas, & femina, mas ob principium activum, femina ob paſſivum. Quatuor igitur nomina, tribuebat, quia tantum quatuor erant συζυγίαι, ſive, ut Tertullianus vocat, connubia æonum. Sed ogdoada vocabat, cùm virilem & femineam poteſtatem diſtingueret. Cabaliſtæ itidem ſtatuerunt animal quodque in ſe marem & feminam continere, imò quicquid in rerum eſt natura: ut cognoſcere ex R. Akiba libro de creatione, item R. Eliezer, & R. Saadiah, adhæc Leo Hebræus, vel alius lib. de Amore, Paulus Ricius lib. IV de cæleſti Agricultura, Append. ad XXVI Theorema, item XVII, & XVIII. Quorum verba qui volet, reperiet apud Joannem Croium Parr. II ſacrarum, & hiſtoricarum Obſervationum, cap. XII.

Hiſce ſubjicere non abs re erit, quæ prodit Alexander Geraldinus lib. IV ſui Itinerarii: *In Baſſiana urbe regia ades, nobile Pontificis palatium, cum primo regnorum templo, & quod magnopere eſt mirandum hic & per vicinas regiones ſolum Deus Natura adoratur, qui in prealto à marmore ſolio, ſedet cum effigie, & corpore minio illito, ad ſimilitudinem ætheris, & dextra Solem, & ſiniſtra Lunam tenet; eo quòd omnes hiſce duobus luminibus poteſtatem rerum in omni terra generandarum tribuit: cætera ſidera per utraque latera retenta habet, & ea religione ipſum Regem agere, qui quoquo concedit, nobile Dei ſui ſimulachrum mira arte confectum, ex ebore miniatum dorſo elephanti ſecum ducit, quinquies nocte & die ante effigiem Dei ſui toto corpore per terram ſtrato procumbit, & magnas preces profundo pectore illi effundit.*

Ex Alex. ſii Nova edit. lib. II. c. 22. ſive pag. 313.

Cap. VII.

Refelluntur qui Naturam eſſe Deum putaverunt. Item, qui tradiderunt, materiem, ſive chaos, eſſe Deo coæternum. Quam ſententiam etiam amplexi ex hæreticis fuere, Valentinianus, Hermogenes, & Sabellius. Poſt hæc diluitur opinio Stoica, idque trifariam: nempe partim in eo, quod Deum crediderunt naturæ eſſe igneæ, eoque corporalem; partim quòd dicerent, igneam illam vim ſic permiſceri univerſo, ut unum ex illis divinum animal fieret; partim quod magni illius animalis partes ſingulæ pro Diis rectè habeantur, quia divina illis mens ſit permiſta. Rectè interim Stoicos duo illa agnoſcere, μοναρχίαν Dei, & Deum hunc diffundi per orbem univerſum. Varronis etiam ſententia attingitur.

Vidimus hactenus, quomodo ſapientiores gentilium, etſi varia adeò numina colerent cum vulgo, tamen animo agnoſcerent unum numen; nempe rerum naturam: ad quod unicum numen omnia reducebant nomina

&

Cap. 12.

& numina, quæ toto orbe colerentur. Ac vidiſſe etiam hoc videtur Livius, cùm lib. XXVIII ait: *At neſcio, an mirabilior fuerit* (Hannibal) *adverſis, quam ſecundis rebus. Quippe qui miſto ex colluvione omnium gentium, quibus alius ritus, alia ſacra, alii prope dii eſſent, ita uno vinculo copulaverit eos, ut nulla ſeditio exſtiterit.* Sciebat Livius, vulgò pro diverſis haberi numinibus, quæ non appellationibus modò, verùm ſimulacris etiam, & ceremoniis, plurimùm differrent: ſed quia non ignoraret, quanto aliter ſaperent intelligentiores, eò illam vulgi opinionem particula PROPE molliendam, imò corrigendam putavit.

Etſi verò fatendum, non paullo plus cæteris vidiſſe eos, qui μοναρχίαν Deo tribuerunt: non tamen dici quiſquam poteſt verum coluiſſe Deum, qui coluit naturam. Nam vel intelligitur natura univerſalis, vel particularis. Particularem voco, quæ eſt hujus, vel illius ſideris, regionis, hominis, muti animantis, arboris, lapidis, & pariter aliorum. Univerſalis eſt, quæ ex omnium individuorum, ac proinde etiam ſpecierum naturis, animo colligitur. Neutro modo natura eſt Deus. Non particularis, rerum ſingularum natura: quia ſæpe res illæ ſenſus, & vitæ etiam ſunt expertes. Quod de Deo quis dixerit niſi qui animo Deum neget? Sed neque univerſalem naturam credere poſſumus Deum eſſe; quia hæc nihil eſt aliud, quàm naturæ omnes particulares animo collectæ: ut quod in particularibus non eſt, nec in univerſali eſſe poſſit.

Omnino igitur recurrere eſt opus ad aliquid à rebus hiſce naturalibus diſtinctum, quodque eas res ſuſtentet ac dirigat ad ſuos fines. Quale quod eſt, res eas omnes movet, omnia gubernat; eoque nec alius fuerit, quàm ſummus univerſi rector. Atque hoc vidit è philoſophis Anaxagoras, qui ab Anaximene diſciplinam hauſit, uti is ab Anaximandro, ille ab Thalete. Hic Anaxagoras docuit; *materiam infinitam, & ejus particulas ſimiles inter ſe, minutas primùm confuſas, poſtea in ordinem adductas mente divina*: ut eſt apud Ciceronem lib. II Academ. quæſt. Imò & idem vidit ex parte, qualis ille mundi opifex foret. Idque ipſum expreſſit his verbis Tullius: *Primis omnium rerum deſcriptionem, & modum* MENTIS INFINITÆ *vi ac ratione deſignari, & confici voluit.* Imò & propterea ab aliis νοῦς, ſive mens appellatus fuit; Sed ut ob hanc ſententiam laudem meruit, ita eam corrupit, quando addidit illi Ὕλην ſive Materiem. Duo enim ſtatuit eſſe συναΐδια *a*, Deum, & chaos: quorum prius ſe haberet, ut cauſſa efficiens: alterum ut cauſſa materialis. Hoc oſtendit non modò Timon in Sillis *b*: ſed videmus quoque ex verbis ipſius Anaxagoræ in principio operis ſui, unde ea adduxit Laërtius: πάντα χρήματα ἦν ὁμοῦ. εἶτα νοῦς ἐλθὼν αὐτὰ διεκόσμησε. *Omnia ſimul erant: deinde acceſſit mens eaque compoſuit.* Et ſanè etiam philoſophorum alii, qui faterentur, Deum eſſe mundi architectum, non tamen materiem eſſe à Deo, putarunt, ſed ordinem atque ornatum duntaxat. Qui fuerint iſti Philoſophi, indicat Tertullianus lib. adverſus Valentinianum, cap. XV: *Age nunc diſcant Pythagorici, noſcant Stoici, Plato ipſe, unde Materia, quam innatam volunt, & originem, & ſubſtantiam traxerit in omnem hanc ſtruem mundi.* A philoſophis iſtis hanc ſententiam accepere Hermogenes, & Valentinianus, adverſus quos ſcripſit Tertullianus: qui eos vocat hæreticos materiarios *c*. Ac adverſus Hermogenem dicit in Eccleſia eam eſſe doctrinam novellam, planeque Scripturis adverſam, quæ cum dicit omnia eſſe facta à Deo, nec addit, ex materie, ſatis indicat, facta eſſe nihilo. Addit, ſi materia non ſit à Deo, fore ſine principio, ſine fine, eoque Deo coætaneam, ac proinde non eſſe proprium cenſum Dei æternitatem, cum ea communis ſit Deo cum materie. Præterea, inquit, ſi materies ſit Deo contemporalis, unde Deo dominium in eam, ut inde faceret mundum? Num vi, an precariò id factum? Nec enim jure dominii, ſi materies in æternitatis conſortio ſit poſita. Quo pacto materia Deo æquatur: ac duo erunt Dii; auctor, qui univerſum fecit, & auctrix, ut Tertullianus loquitur, de qua fecit, quæque de ſuo habet, ut ad mundi opus concurrat. Adhæc Deus non ſit omnipotens, ſi non potuit materiem facere: imò materiæ fuerit ſubjectus, ſi hac eguerit, multum etiam illi debeat, quod ejus beneficio mundum fecerit. Cùm verò Tertullianus non ſemel clarè dicat Hermogenem ſua ætate illa in Africa ſpargere, ſatis liquet error Prateoli in catalogo Hæreticorum: ubi Hermogenem facit aſſeclam Sabellii. Is enim multo poſt Tertullianum, nempe Galieni Imperatoris temporibus vixit. Quare potiùs dicendum, Sabellium eam ſententiam ab Hermogene & Valentiniano, hauſiſſe, vel à memoratis ante philoſophis, hæreticorum, ut Tertullianus vocat, patriarchis. Sabellium autem & ipſum ſtatuiſſe materiem ingenitam, conſtat ex Euſebii lib. VII Præparationis Euangelicæ; ut Philaſtrium, & Auguſtinum mittam, utrumque libro de hæreſibus. Ac poſterior hic aliis etiam in locis hanc hæreticorum, & antè philoſophorum opinionem damnat. Ut contra Fauſtum lib. XX, cap. XIV: *Hylen, Græci cum de natura diſſerunt, materiem quandam rerum definiunt, nullo prorſus modo formatam, ſed omnium corporalium formarum capacem: quæ quidem in corporum mutabilitate utcunque cognoſcitur: nam per ſe ipſam nec ſentiri, nec intelligi poteſt. Verùm in hoc errant quidam gentilium, quod eam tanquam coæternam Deo conjungunt: ut hæc ab illo non ſit, quamvis ab illo formetur.* Satis liquet, chaos ſignari: cujus & deſcriptionem adducit libro contra Manichæi Fundamentum cap. XXIX.

a Coæterna.

b Apud Diogenem in vita Anaxagoræ.

c Adverſus Hermogenem cap. 25.

Sed, miſſo errore illo de æternitate materiæ, redeo ad illud, quòd Anaxagoras ſtatuit, Deum eſſe mentem infinitam, mundique opificem: quo ſatis oſtendit, non ſe pro Deo habere naturam mundanam, quæ corporea eſt, & finita: ſed mentem, quam infinitam, ac incorpoream ſtatuebat: ut omnino & ille, & quicunque hac in re eum ſecuti ſunt, ex parte notitiam habuerint veri Dei: ut ex Scripturis oſtendi lib. I, cap. II. Hanc Anaxagoræ ſententiam melius ſecuti ſunt Platonici quam Stoici. Nam, ut ex iis colligere eſt quæ fusè ſuperiùs dicebamus, in tribus Stoici ab Anaxagora, ac veritate ipſa, abierunt. Primus eſt error, quòd Deum, ſive mentem cuncta permeantem, ſive mundi animum, non ſtatuerint eſſe aliquid incorporale, & ſeorſim à mundo ſubſiſtens; ſed ardorem ignis, ſive æthera, præcipueque puriſſimam ætheris portionem: qualis ille qui mundum ambit. Hæc de Deo finito ac corporeo non Anaxagoræ modò repugnant, ſed etiam Sacris Scripturis: quæ æternum illud numen, à quo omnia, non corporeum ſtatuunt, ſed ἀσώματον *a* eoque nec igneum: non quaſi non Deus in Scripturis etiam ignis vocetur, ſed quia id non fit κυρίως *b*, quomodo Stoici ſapiebant: ſed κατὰ μεταφοράν *c*. Nempe ob lucidiſſimam majeſtatem, ac ſplendorem inenarrabilem: unde & *Lux* appellatur 1 Joa. I, 5. & *lucem* dicitur *habitare inacceſſibilem*, φῶς οἰκῶν ἀπρόσιτον: ut eſt 1 Timoth. VI, 16. Propterea etiam in rubo ardenti apparuit Exod. III. Et in columna ignis duxit populum per deſertum: ut eſt Exod. XIII, 21, 22, & XIV, 24. Et ignis ſymbolo ſe oſtendit Ezech. cap. I. Ac Spiritus S. etiam ignis vocatur: ut cum Matth. & Luc. III, Joannes Baptiſta ait, ſe baptizare aquâ, Chriſtum baptizaturum Spiritu, & igne, hoc eſt, igneo ſpiritu. Et Act. II, apparuit ſpecie ignearum linguarum. Imò & altera præterea ratio eſt, cur Deus Chriſtianis ignis dicatur: nempe ob iram erga peccata, & potentiam in perdendis impiis: ut ad Hebr. XII, 29. *Deus noſter ignis conſumens.* Multum hæc abeunt à Stoicis, quibus divinum numen propriè eſt corpus igneum; ſubtiliſſimum tamen. Philoſophis verò Chriſtianis Deus non corpus eſt, ſed actus purus. Unde Boëthius ad Symmachum de Trinit. *Nihil ſecundum materiam eſſe dicitur: ſed ſecundum propriam formam. Divina ſubſtantia ſine materia forma eſt: atque ideo unum & eſt, quod eſt: reliqua verò non ſunt id, quod ſunt.* Quod pluribus deinde exponit.

a Incorporeum.

b Propriè.

c Per tranſlationem.

Alter Stoicorum error eſt, quòd ſpiritum illum igneum, quem Deum dixere, & à quo vitalem in omnia calorem promanare ſtatuerunt, permiſceri crederent mundo, uti animæ corporibus noſtris: unde colligebant, ut anima, & corpus, conſtituunt hominem, ita ex ſpiritu igneo, & mundo, Deum conſtare. Meliùs Plato, qui & ipſe, Anaxagoram ſecutus, vocabat Deum νοῦν ſive mentem; ſed eum ſtatuit οὐδενὶ μεμιγμένον, *nulli commixtum*: & tamen διὰ πάντων ἰόντα, *per omnia vadentem.* Quæ conveniunt cum illis Lactantii lib. VII, cap. VI: *Divinum quidem Spiritum eſſe ubique diffuſum, eoque omnia contineri: nec tamen ita, ut Deus ipſe, qui eſt incorruptus, gravibus & corruptibilibus miſceatur elementis.* Ac ſimiliter Damaſcenus lib. I Orthod. Fid. cap. XVI: Ὁ Θεὸς διὰ πάντων ἀμίγως διήκει. *Omnia permeat Deus ſine mixtione.* Nam etiam ſecundum Platonem, ut anima hominis ſe per corpus extendit, at non diviſibiliter, in modum rei corporeæ: ita etiam Deus, quaſi anima mundi, ſe porrigit ad extima, non quidem velut corporea corporearum dimenſionum conditio, ſed ſic ut tota toti applicetur: non tamen mundano corpori miſceatur: at nihilominus, omnia ſic connectat ut unum fiant. Ac talis quidem eſt illi ratio animæ, ut vocant, univerſalis; præter quam alias ſtatuit particulares. Cui ſimile fuerit, ſi in homine conſtituas, tum animam univerſalem, quæ informet, moveatque: tum præterea particulares complures: velut unam in manibus ad aliquid apprehendendum, aliam in pedibus ad eundum, aliam in lingua ad loquendum, atque ita in cæteris partibus. Pariter enim etiam mundo tribuit animas particulares, quæ quia animæ omnis mundanæ motus eſt circularis, eo circum agant orbes cæleſtes appetendo animam mundi, cui ſic ſemper occurrunt, ut nunquam adſequantur totam.

Tertius Stoicorum error eſt, quando ex eo, quòd Deus miſceretur corpori mundano, collegerunt, omnes mundi partes divinæ eſſe naturæ participes. Itaque Solem, & ſidera Deos dicebant, homines non item: etſi & animas noſtras haberent pro particulis ſubſtantiæ æthereæ, ſive ſpiritui igneo per cuncta decurrente. Nam ut Ægyptiis, ſic & Stoicis, Jupiter, qui φυσικῶς eſt ſpiritus cuncta permeans, origo eſt animarum. Unde Diodorus in primo, ubi de Ægyptiorum Theologia diſſerit: Τὸ μὲν οὖν πνεῦμα Δία προσαγορεῦσαι, μεθερμηνευομένης τῆς λέξεως, ὃν αἴτιον ὄντα τοῦ ψυχικοῦ τοῖς ζώοις, ἐνόμισαν ὑπάρχειν πάντων οἱονεί τινα πατέρα. *Spiritum igitur Jovem dici, vocem ſi interpreteris, à quo vim animalem in viventibus proficiſci; eoque quaſi omnium parentem eſſe.* Quærat aliquis, cur igitur homines non putarint Deos, cùm cælum elementa habuerint pro Diis. Nempe in cauſa eſt, quòd debeat invocari non rivulus mentis divinæ, qualis habita eſt mens humana; (ut mittam, quod nemo invocet ſe ipſum) ſed quòd invocari oporteat fontem divinitatis, qui totus ſe toti miſcuiſſet naturæ, quod de mente humana non poterat dici. Atque hæc lucem etiam capiunt ex Theologia civili: ubi privatim quidem hoc, illudve numen, invocabant: in publicis verò ſacris, quia Dii particulares non abſolvunt naturam univerſam, poſt Deos particulares invocabant univerſos: quod factum à Marone Georgicôn primo. Ubi ſic Servius: *More Pontificum, per quos ritu veteri in omnibus ſacris poſt ſpeciales Deos, quos ad ipſum ſacrum, quod fiebat, neceſſe erat invocari, generaliter omnia numina invocabantur.* Sed in eo à civili Theologia differebat illa Stoicorum, quòd prior illa diverſas ſtatueret mentes divinas, unde aliquibus memoratis utile eſſet cæteras, ſaltem univerſè, adjungi: at in poſteriori ſeu hoc ſeu aliud nominares numen, idem numen invocares: quia utcumque aliud ſonaret nomen, tamen idem foret numen, quod pro diverſa poteſtate in diverſis ejuſdem naturæ partibus diverſum nomen ſortiretur. Satis igitur liquet, cur Stoici partes mundi, præſertim præcellentes, partes Dei putarint. At nobis Chriſtianis, partes mundi nullæ poſſunt dici divinæ, præterquam eâ mente, quâ res excellentes dicuntur eſſe Dei: quomodo legimus *montes Dei*, Pſal. XXXVI, 7: *cedros Dei*, Pſal. LXXX, 11. *Niniven urbem magnam Dei*, Joan. III, 3. Sed longè aliter cepere Stoici, qui partes mundanas pro Diis habuere, quia illis miſceretur divina mens, quæ mundo unita dicitur natura: at natura ex ſe eſt univerſalis, variè licet determinetur, prout homini magis minuſve favet, vel nocet.

Ac ſic quidem civilem Theologiam corrigendam Stoici putarunt. Aliis verò magis placuit, non ſingulas naturæ partes eſſe Dei membra: ſed ſpeciebus ſingulis ſingulas præſidere mentes divinas. Quale quid aliquibus etiam ex Chriſtianis placet: qui ſpeciebus ſingulis præeſſe exiſtimant angelicas poteſtates. Atque hi pro ſe adferunt illud Auguſtini lib. LXXXIII, quæſt. LXXIV: *Unamquamque rem viſibilem in hoc mundo habere angelicam poteſtatem ſibi præpoſitam.* Quod non de individuis capiunt (quomodo cenſeo accipi oportere, ut omnia, & ſingula, curæ angelorum commiſſa dicantur) ſed de totis ſpeciebus; quarum quæque proprii ſit angeli curam conſecuta. Itaque inter Auguſtinum, & philoſophos iſtos hactenus convenit, quòd ſingulis ſpeciebus ſinguli præſint ſpiritus: philoſophis iſtis ſint Dii, quidam minorum ut ſic dixerim, gentium: Utraque ſententia abit à Stoicis, quibus ſunt ſectiones unius animæ mundanæ mundano corpori permixtæ, divinoque propterea honore ab homine colendæ.

Utcunque verò tria iſta, quæ dixi, in Stoicorum opinione prorſus repudiemus: ſunt tamen, ubi plus non Platonicis quidem, ſed aliis multis viderint; duo imprimis, quorum unum eſt, quod unum ſtatuerint numen: alterum quod agnorint id toto orbe diffuſum. Quod ad prius, non quidem damnare τὴν πληθύτητα [a] auſi. Sed [a] *Multitudinem Deorum.* hoc inde erat, ne turbarent Rempublicam, ac ſibi cum Socrate, crearent periculum. Eoſdem igitur cum vulgo Deos colebant: ſed mente longè aliâ. Nam, ſecundum theologiam civilem, Dii erant plurimi: qui inter ſe curam, & cæleſtium, & terreſtrium partirentur. Singula igitur ſidera, elementa ſingula, ſinguli iis Dii erant. Imò, ut vidimus ſuperioribus libris, elementorum etiam partes; atque adeò, ut in ſequenti oſtendam, affectiones naturæ illuſtres pro Diis habuere diverſis. At quanto aliter Stoici! qui ſidera quidem & elementa, Deos eſſe credebant; ſed non aliâ ratione, quàm quia anima mundi, ſingulis hiſce ineſſet corporibus. Quare numina iſta habebant pro ſectionibus ſpiritus mundani, quem materiam mundanam ſubigere, & pro ea aliter; atque aliter, ſe exerere arbitrabantur. In quo valde quidem eos ratio fugit. Rectè interim, quod ab uno numine mundum gubernari arbitrarentur.

Alterum, in quo damnari non debeat, illud eſt, quod, ſecundum eos, divina mens permearet univerſa. Nam & hoc cum Chriſtiana religione conſentit: Deus enim cunctis in rebus, potiſſimum autem creaturæ rationali ineſt per eſſentiam, præſentiam, & potentiam. Ut quoties hominem videmus non ſolum cogitare debeamus, quod in oculos incurrit, ſed hoc ipſum, quod Deus in proximo ſit. Nec levis utilitas ex hac ſententia ad homines redit. Quemadmodum enim ſi regem ſciamus retro aulæum conſiſtere: non tam aulæum, quam regem, cogitamus: ſic proximum intuentibus in mentem veniat, Deum illi ineſſe: quod ſi fiat, non juvenilis formæ pulchritudo nos ad improbum aliquid pelliciet; non ſenilis, vel ægrotum deformitas abſterrebit; non ſiquis nobis, vel noſtris fecerit quidquam, quod diſpliceat, eo in convitia erumpemus: ſed obverſabitur animo noſtro Deus in proximo agens, & ejus contemtum ad ſui etiam contemtum judicans pertinere.

Atque ex his, quæ de Stoicis diximus, non obſcurum etiam eſſe arbitror, quid cenſendum ſit de ſententia Varronis. Is dicebat, Animam mundi eſſe Deum, eoque & mundum eſſe Deum, ac proinde & mundi partes: eas eſſe duas, cælum & terram: cælum dividi in æthera, & aëra; terram in aquam, & humum. Hæc eſſe plena animarum immor-

mortalium. In æthere eſſe æthereas animas: tales aſtra, ac ſtellas. Inter Lunæ orbem, & nimborum ventorumque cacumina, animas eſſe aërias: ac hujuſmodi dici genios, heroas, ac larvas. In qua Varronis opinione duo ſunt conſideranda: prius eſt de cultu naturæ corporeæ: alterum de ſpiritualis naturæ cultu. Ad priorem pertinet cultus cæli, & elementorum: de quo quid ſentiendum ſit, ſatis cognoſcimus ex iis, quæ vel proximè adverſus Stoicos adduximus. Ad alterum refert cultum dæmonum, ac heroum. Quem abunde diluimus libro primo, præſertim cap. XLI, ubi contra Platonicos diſſerimus.

Cap. VIII.

Quo generatim agitur DE CULTU ANIMÆ HEROICÆ *cum nobili corpore mundano.*

VIdimus de cultu Mundi, ſive Naturæ Univerſalis: quam partim conſideravimus cum vulgo, ut corporum omnium, de quibus quinque egeramus libris prioribus, divinum σύςημα *a*: partim, ut philoſophi facere ſolent, tanquam aliquid compoſitum ex Mente æterna, & vaſto corpote; ſive malis hæc duo ita miſceri, ut anima humano corpori, quæ ſic ſociantur, ut inde fiat homo perfectus, quam Stoicorum fuiſſe ſententiam oſtendimus: ſive placeat divinam ſe mentem ad mundum habere, tanquam regem ad regnum; hoc tamen diſcrimine, quod rex non ὀσίᾳ *b*, ſed imperiali ſolùm poteſtate omnes ad regni partes pertingat: mens verò divina mundum univerſum ſuâ permeet ὀσίᾳ: quam Platonicorum fuiſſe opinionem diximus. In priori ſententia Deus eſt mundi forma, ut vocant, informans; ac rei quidem compoſitæ; ſed ſic ut unius rei ſit cultus. In altera autem opinione Deus eſt forma adſiſtens, ut Nauclerus navis: eoque non unius rei, ſed duarum, ſociatus eſt cultus. Ab hoc animæ mundanæ, vel mentis æternæ cultu cum illo mundani corporis compoſito, venio nunc ad aliud cultus genus, conflati non ex illo Dei, & mundi; ſed duarum rerum in hoc mundo, quarum utraque auctorem agnoſcat Deum.

a Compagem.

b Subſtantia, ſive eſſentia.

Cultus iſte vel componitur ex cultu rei ſpiritualis cum rei corporeæ cultu; vel ex cultu duarum rerum corporalium. Per ſpiritualem rem, ſigno tum dæmonas; tum genios, ſive animas defunctorum, præcipuè heroum.

Dæmonum nomine ſolùm capio ſpiritus malos, ut Chriſtiani ſolent: etſi nón ignorem, Platonicis ſic dici ſpiritus bonos; quales quos nos dicimus angelos. Sanè Platonici diſtinguunt inter θεὺς, δαίμονας, ϗ ἥρωας *c*: cultumque præſtabant univerſis, ſed diſparem. Θεοὶ illis qui Ciceroni *Dii majorum gentium*: Δαίμονες, qui nobis ἄγγελοι. Sanè & Plutarchus *d* inter θεὺς, ϗ ἥρωας, medios ſtatuit δαίμονας πολλὺς κἀγαθὺς *e*. Nec tamen id diſcrimen veteres ſemper obſervant; ne Homerus quidem, qui eoſdem nunc θεὺς, nunc δαίμονας appellat: ut cùm apud eum Jupiter ad Solis menſam proficiſcitur μετὰ δαίμονας ἄλλυς *f*. Quod verò Chriſtiani hoc vocabulo ſolùm intelligant ſpiritus malos, id inde factum, quia boni noluit ſic coli: ut omnino, qui colerentur, mali fuerint: quales ſub Deorum ſtatuis deliteſcebant, & unà cum iis coli gaudebant: ut apud Minutium Felicem, atque alios, legere eſt.

c Deos, dæmones & heroas.

d Lib. de Iſide, & Oſiride

e Dæmones multos, & bonos.

f Inter alios dæmones.

Dicebamus per ſpiritus non dæmonas modò ſignari, ſed etiam heroas, ſive genios, ſive animas defunctorum. Deinceps igitur videndum de cultu illo mixto, ubi uno honore complecterentur Deum naturalem, & animalem: ſive ubi corpus aliquod naturæ mundanæ pro Deo in homine defuncto, & homo defunctus, ſive anima defuncti, coleretur in parte aliqua compagis mundanæ. Cujuſmodi cultus ut duplex, ita duplici tibicine nitebatur, uno naturæ, altero hiſtoriæ veteris. Ac prior quidem eſt conſideratio naturæ, altera hiſtoriæ veteris. Cujus cauſſa eſt, quòd, poſtquam vetus Deus deſeri cœpit, primò coluere Naturam, vel partem aliquam Univerſi, imprimis Solem: Poſtea & homines in Deorum numerum retulere. Sed homines in & cum Diis antiquis coluerunt, Quam, mixturam meritò aliquis factam exiſtimet, ne, ſi Dii ſinguli ſeorſum colerentur, in tanta acceſſione, quæ penè quotannis gliſceret, nimium excreſceret Deorum numerus, cultuſque tam multorum nimis eſſet oneroſus. Duæ præterea cauſſæ eos moverunt. Una eſt ratio; ne veterum Deorum dignitas, atque auctoritas tanta novitiorum Deorum acceſſione vileſceret, & tanquam in oblivionem veniret, ac deſuetudinem. Altera eſt, ne homines eorum cultum detrectarent, quos noviſſent vitiis ſuis laboràſſe. Quomodo videmus, apud Euripidem, Pentheum nolle pro Deo agnoſcere Bacchum, Semeles filium. Quanto enim faciliùs hominibus hominum cultum perſuadere potuerunt, ſi dicerent, non hoc agi, ut vetus cultus abrogaretur, ſed cum illo primarii, ac veteris numinis honore ſociaretur cultus hominis, quaſi ſecundarius: quomodo venerando defunctum, eique ſocium cultum præſtando, honorare etiam ſe veterem Deum arbitrarentur.

Non hæc neſcivit Cæſar Auguſtus: qui ea quidem modeſtiâ fuit, ut Romæ nullum pateretur ſibi templum extrui: ſed in provinciis id ſivit, verùm nomine pariter Romæ, & ſuo: ut autores ſunt Tranquillus, in Auguſto cap. 52. Item Dio. Sciebat Romam ab antiquis temporibus inter Deos relatam: ut nemo ei cultum præſtare gravaretur. Præterea calidiſſimus princeps cogitabat, ſpontè, id adulatione, vel errore hominum, ſecuturum, ut paullatim ei ſeorſum etiam cultus præſtaretur divinus. Quàm verò eum in hoc non fefellerit opinio, eventus comprobavit. Nam uni Auguſto pluribus in locis aræ ſunt ſtatutæ. Qua de re diximus lib. III, cap. XVII.

Iſta oſtendunt viros principes, ac ſacerdotes, cùm vellent aliquem à morte pro Deo haberi, non de nihilo voluiſſe ut coleretur cum alio numine, de cujus divinitate ambigeret nemo. Ut erant numina illa, quæ vel totam rem naturam, vel nobilem ejus partem deſignarent. Omnino enim iſtiuſmodi honos prior fuit defunctorum cultu. Quod cenſet Philo Byblius in præfatione quam præmiſit Sanchuniathoni Beryſio è lingua Phœnicia Græcè à ſe reddito. Cùm enim dixiſſet, antiquiſſimos barbarorum, atque imprimis Phœnices, & Ægyptios, eos, ut Deos adoràſſe, qui beneficium inſigne contuliſſent generi humano, ſubjungit, ut in templa, quæ habebant, eorum ſtatuas receperint, ac feſtum iis diem inſtituerint: eoſque cum Sole, Luna, ſideribus, elementis & inde compoſitis coluerint, hiſce naturalibus Diis Regum ſuorum, qui benefacerent nomina imponentes. Quò inter alia pertinent hæc verba: τῶν σφετέρων βασιλέων τοῖς κοσμικοῖς ςοιχείοις, καὶ τισι τῶν νομιζομένων θεῶν τὰς ὀνομασίας ἐπέθησαν. *Regum ſuorum nomina Univerſi hujus elementis, ac quibuſdam eorum, quibus divinitatem tribuerent, impoſuerunt.* Sic factum, ut defunctus in ſidere, vel elemento; elementum, aut ſidus, in defuncto, coleretur, ac quaſi unius numinis unum idemque amborum nomen foret. Prudentiores tamen hunc morem improbarunt. Judicabant enim Diis naturalibus, qualis Sol, convenire honorem divinum: defunctis, ob benefacta, heroicum duntaxat. Hac de re ita Herodotus in Euterpe his verbis: Δοκέυσι δέ μοι ὗτοι ὀρθότατα Ἑλλήνων ποιέειν, οἱ διξὰ Ἡράκλεια ἱδρυσάμενοι ἔκτηνται· καὶ τῷ μὲν, ὡς ἀθανάτῳ, Ὀλυμπίῳ, ἣ ἐπωνυμίην, θύυσι. τῷ δ᾽ ἑτέρῳ, ὡς ἥρωι, ἐναγίζυσι. *Videntur hi rectiſſimè facere è Græcis, qui bifariam Herculi templa ædificanda colendaque cenſuerunt: uni quidem, ut immortali, cognomine Olympio, immolantes: alteri verò, ut heroi, parentantes.* Videmus, ut alium honorem cenſeat convenire Herculi Olympio, hoc eſt, Soli; alium Herculi Tyrio, Ægyptio, & Thebano.

Cap. IX.

De heroum aliquot, quorum Sacræ literæ meminerunt, cultu mixto cum honore corporis ætherei, vel elementalis.

QUæ hactenus de cultu animæ heroicæ cum corpore aliquo mundano diximus, ea tantum conſiderationis fuere generalis. Particulatim nunc exponam, qui heroes ejuſmodi cultum fuerint ſortiti. Ac primum agam de illis, quorum nomina in Sacris literis celebrantur. Deinde adjungam, qui nonniſi extra Scripturas leguntur. In utriſque brevior ero, quia pleraque jam antea ſunt excuſſa: ut nunc ſolùm videre ſit opus, quomodo geminus ille cultus, de quo antea diximus, in unum fuerit conflatus.

Ordiar igitur ab illis in Scriptura memoratis, inque iis tempus, quo vixerunt obſervabimus. Non dubium igitur, quin initium nobis faciendum ſit ab Adamo: qui in Saturno cultus, uti Saturnus eſt cultus cum Natura, vel Sole. Saturnum eſſe eundem ac Adamus, quod is dicatur Cæli ac Telluris filius; quod tradatur toti imperaſſe orbi; quod aurea ſub eo ætas fuiſſe credatur; quod regno ſit expulſus; quod reperta ab eo agricultura. Quæ omnia nulli æquè conveniunt, ac Adamo, à Deo è terra formato, domino totius orbis conſtituto, ante peccatum feliciſſimo, poſt peccatum ejecto è paradiſo, & primo agricolà. Quemadmodum fusè ſatis oſtenſum libro I, capite XVIII. Quanquam & quædam ſint, quæ etiam conveniant Noë: quando & ille totius eſt terræ dominus; & ſingulatim illud Noacho congruit, quod ut terni liberi Saturni dicuntur diviſiſſe inter ſe imperium mundi: ita inter Noë filios, ac nepotes, totus ſit diſtributus terrarum orbis. Sed nihil impedit, quo minus pariter Adam, & Noë, pro uno tandem habiti ſint, rebus, longinquitate temporum confuſis, turbatiſque. Hæc de cultu animali. Nunc de naturali dicam. Saturnus φυσικῶς eſt rerum Natura, ſive vis Naturæ occulta quam in ſe non videmus, ſed cognoſcimus ex mutationibus, quas tempus producit. In Natura autem per Saturnum præcipuè ſignabatur Sol: à quo eſt temporis menſura; unde & Κρόνος idem ac Χρόνος dixere. Nec Saturnus alius, quàm Phœnicum Molochus; qui idem ac Natura, & præcipuè Sol. Univerſa hæc ſatis fusè comprobavimus lib. I, & II. Dixeris non ſatis Adamo, vel Noë, convenire, quod Saturnus dicitur Jovem, ſive Aſterium Cretenſem, fugiſſe, cumque in Italiam veniſſet, hoſpitio eſſe ab Jano exceptum, imperii etiam parte donatum, atque hinc Latio etiam terræ Saturniæ datum nomen; imò & Latio ex eo nomen eſſe, quia illic latuerit Saturnus. Sed negamus Saturnum, vel Janum, unquam fuiſſe Aborigenum reges: quomodo Indigetes Dii forent, non Selecti; ut dictum lib. I cap. XII. Quare fatemur quidem, heroem cum Naturæ genio in Saturno cultum eſſe; ſed heros ille non Latii ſolùm vel etiam Italiæ, ſed orbis univerſi dominus, quod de alio nullo, quam Adam, vel Noë, dicere poſſumus.

Mixtus item cultus eſt Vulcani: etſi id fugerit gentiles: qui pro ſimplici habebant. Sed ex iis, quæ antea diximus, cognoſcere eſt tum coluiſſe Tubulcainum, tum ignem in Tubulcaino: unde Vulcani vocem eſſe corruptam, itidem oſtendimus. Ut Vulcanus ſit tum Natura ignis, tum artis ferrariæ & ærariæ repertor.

Apud Ægyptios ac Libyes ſimiliter mixtus erat cultus Chami, & Solis. Solem coluiſſe indicat Macrobius lib. I Saturnal. cap. XXI: *Ideo & Hammonem Deum, Solem occidentem Libyes exiſtimant: arietinis cornibus fingunt, quibus maxime id animal valet, ſicut Sol radiis.* De cornibus ſimiliter Joſephus Ben Gorion lib. II, cap. VI: *Amon eſt vir mediocris ſtaturæ, non ſenex, nec juvenis, & in fronte ejus duo cornua, ſicut cornua bovis, & barba ſeu mentum ejus, ſicut mentum canis.* Apud Gregorium Turonenſem legas lib. I Hiſt. Franc. cap. V, Chamum eſſe, quem Perſæ vocant Zoroaſtrem: atque id cognomen ejus ſonare *ſtellam viventem.* Fortaſſe igitur ejus ſymbolum, quod colerent, ſtella fuit. Sed Dinon & alii, ut alibi dictum, interpretantur *ſtellarum cultorem.*

Janus non quidem antiquiſſimus Italiæ rex fuit, quam opinionem ſequitur Dionyſius Halicarn. ut de Marone, & poëtarum aliis taceam: ſed eſt is, à quo præter alios, deſcenderunt, qui in Latio poſtea ſedes poſuerunt. Nempe *Janus* eſt contractum ex *Javanus*: Javanus autem eſt ille יון Javan, quem filium fuiſſe Japhet, ſive Japeti, Noachi autem nepotem, Moſes teſtatur Geneſ. X, I. Is Javan, ſive Janus, Æolibus quidem Ἰάϝων, at Jonibus Ἴων nuncupatur. Fuit Jon Græcorum parens; quorum pars ab eo *Jones* dicti; uti mare, quod accolerent, Jonium. Quo mari trajecto, variæ gentes Græcanicæ, in his Pelaſgi, & Arcades in Latium venere: ac quia genus à Iavano ſive Iano ducerent eo hunc pro numine habuerunt: ſed ſic ut unà cum eo colerent Solem. Unde & Sol vocatus eſt *Ianus*: uti Luna, *Iana*, & *Diana*, quaſi Diva Iana. Sanè quia Sol, & homo, generant hominem, uno cultu conjungere voluerunt, & ſuæ gentis patrem Iavanum, & omnium gentium parentem Solem. Vide de his plura lib. I, cap. XVIII; ubi oſtenſum Ianum ἱστορικῶς eſſe Iavan: & lib. II, cap. XVI; quo loco demonſtro, Ianum φυσικῶς eſſe Solem.

Oſiris videtur eſſe, qui in Scripturis vocatur Mitſraim, Chami filius, nepos Noë, Ægyptiorum parens; unde & Ægyptus in Scripturis *terra Mitſraim*, vel *terra Cham*, appellatur. Pro *Mitſraim* vero *Meſorim* dixere; & κατὰ μετάθεσιν *a*, *Oſirim.* Si vera eſt conjectura, quam adferebamus lib. I, cap. XXVII. *Oſiris* iſte poſt mortem cultus eſt cum Sole; unde & Solem primum dixere Ægyptiorum regem: quod nulli melius, quam Oſiridi convenit. De eo abunde egimus lib. II, cap. X. Porrò ut Oſiris & homo, & Sol, ſic etiam Adonis. Quare idem de eo judicium eſto, quod Alexandrinis uno honore cultus Oſiris, & Adonis. Suidas *b*: Οἱ Ἀλεξανδρεῖς ἐτίμησαν Ὄσιριν ὄντα, καὶ Ἄδωνιν ὁμοῦ, κατὰ μυστικὴν, ὡς ἀληθῶς φάναι, θεοκρασίαν. *Alexandrini Oſirin ſimul, & Adonin coluerunt, per ſacram occultamque, ut verè dicamus, Dei commiſtionem.*

a Transponendo.

b In Ἡρᾷσκος.

Mixtus etiam cultus fuit Solis, & Beli, ſive Nimrodi, aut parentis ejus Chus, qui Noachi ex Chamo nepos fuit. Sol naturale numen, Belus animale. Nam Belus, ſicut ait Maro in I Æn. *primus rex Aſſyriorum*: ut,

—— *Ab antiquo durantia cinnama Belo.*

At primus Aſſyriorum ſive Babyloniorum, rex Nimrodus: ut ex Moſaica hiſtoria conſtat. Quare Belus omnino Nimrodus: qua de re plura diximus lib. I, cap. XXIV. Nempe proprium Regis nomen Nimrod: ſed commune *Belus*, quod eſt *Dominus.* Id enim ſignificat Βαὰλ, ſive Βὴλ, Hebræis בעל, ſed Chaldæi ע ſolent præterire. Verùm quod primò commune, id per ἀντονομασίαν *c* Nimrodi proprium eſt factum. Servius cum ſciret Belum etiam eſſe Solem, nec cogitaret hoc inde eſſe, quòd uno eodemque cultu Sol & Rex colerentur, utrique etiam Beli ſive Domini nomen optimè convenire, putavit ab Ἧλ, appoſito digamma, eſſe ϝῆλ, ſive Βῆλ. Sic enim apud eum legi debet *d*: *Regis* (Beli) *nomen ratione non caret. Nam omnes in illis partibus Solem colunt, qui ipſorum lingua* EL *dicitur. Unde &* ἩΛΙΟΣ. *Ergo addita digamma, & in fine factà derivatione, à Sole regi nomen impoſuit.* Vulgo corruptè HEL, & HELOIS editum eſt. Sed omnino priori loco ἧλ reſcribendum, quod Hebræis אל, h. e. *fortis*, & per ἀντονομασίαν *Deus*, q. d. fortis ille. Pro ELOIS autem non ELOIM vel ELOHIM reponendum, quæ viri doctiſſimi opinio fuit: ſed, ſolùm O, & I, trajectis, ELIOS legendum: ut dictum lib. II, cap. IV.

c Nomine poſito pro nomine.

d Ad illud I Æn. Per tot ducta viros antiquæ ab origine gentis.

Ad mixtum hunc cultum ſimiliter refero, quòd Ægyptii

in

in duorum boum ſymbolis coluere tum Solem, Lunamque; tum Regem Ægyptium, & Joſephum patriarcham. Boum illorum uni, qui Memphi colebatur, nomen erat Apis; ſacer verò erat Lunæ: alteri, qui colebatur Heliopoli, nomen fuit Μνεῦις, & fuit dicatus Oſiridi, h. e. Soli ac Nilo. Quæ ex Plutarchi libro cognoſcimus de Iſide, & Oſiride. Sed in Mneue cum Sole Niloque præter Oſiridem ſive Mitſraim, coluere etiam Menam, primum Ægyptiorum regem, à quo & ſymbolum bovis videtur nomen Μνεῦις accepiſſe. Imo fortaſſe nec Mena alius quam Mitſraim. Primus ſane Ægyptiorum Rex Mitſraim exſtitit. Apis verò ſymbolum fuit tum Lunæ, tum etiam patriarchæ Joſephi: ut hic quoque numen ſit geminum, unum naturale, alterum animale. Fuſiùs hæc comprobavimus lib. I, cap. XXVII, & XXIX.

Cap. X.

De heroibus, & heroinis, Scripturæ, ut videtur, ignotis, à morte autem cultis cum aliqua mundani corporis parte.

HActenus egi de mixto, eorum cultu, quorum nomina, geſtaque, in Scripturis habemus. Ita oſtenſum nobis, in Saturno cum Natura, vel Sole, cultum Adam, & Noë, in Vulcano, cum Igne Tubalcainum: in Jove Ammone, cum Sole occidente, Chamum, Noë filium: in Jano, cum Sole, Javanum, Japheto prognatum: in Oſiride, itidem cum Sole, Mitſraim, Chamo ſatum: in Belo, cum Sole ſimiliter, Nimrodum: ac denique in Mneui bove, cum Sole, eundem Mitſraim; ſed in bove Api, cum Luna, Joſephum patriarcham.

Venio nunc ad eos, ubi itidem cum natura, vel ejus parte; homines culti ſint: ſed quorum nec nomina, nec dignitas, vel geſta, Scripturis referantur.

Primum de maribus dicam, quorum alii cum Æthere culti, alii cum Sole: de aliquibus verò utrumque legas.

Cum Οὐρανῷ ſive cælo, aut æthere, cultus eſt Jovis, Neptuni, Plutonis, avus: qui, ſi Euemerum audimus, & Urani ipſe nomen habuit. Vide de eo Lactantium lib. I de falſa relig. cap. XI, & XIII. Ubi Ennii hæc ex Euemero adducit: *Initio primus in terris imperium ſummum Uranus habuit: is id regnum una cum fratribus ſuis inſtituit, atque paravit.* Quod Lactantius ſic interpretatur, ut primus quidem Uranus habuerit principatum; primus autem regnum habuerit filius ejus Saturnus. Sed de Urano cum nemine contenderim. Multum enim metuo, ut quis ejus nominis fuerit. Sed non repugno, quo minus Οὐρανὸς *a* nomen avo Jovis, patri Κρόνου *b* ſit impoſitum, quiſquis ille tandem fuerit.

a Cæli *b Saturni*

Mixtus etiam cultus fuit Cæli, & regis Cretici. Nam & Jupiter nunc cælum notat, unde illæ loquendi formæ, *ſub dio*, & *ſub Jove frigido*: nunc appellatio eſt regis in infantia à Curetibus, ſeu Corybantibus, in Creta ſervati, & educati; ut à poëtarum omnibus traditur; item Diodoro Siculo lib. I, & V, & Strabone lib. X. Eſt & hoc Latini Pacati: *Terra Cretenſis parvi Jovis gloriata cunabulis*, Hic eſt Jupiter Cretenſis ſenior, Cnoſi conditor: à quo alium eſſe eum, qui Europam rapuit, oſtenſum eſt nobis lib. I, cap. XIV.

Spartæ uno cultu affecti Agamemnon rex, & Jupiter. Clemens Alex. Admonitione ad gentes: Ἀγαμέμνονα γοῦν τινα Δία ἐν Σπάρτῃ τιμᾶσθαι, Στάφυλος ἱστορεῖ. *Agamemnona quendam Jovem Spartæ coli refert Staphylus.* Quos hactenus recenſui, culti ſunt cum Æthere ſive Cælo. Referam nunc aliquos, qui culti ſint cum Sole.

Sic cultus fuit Mars; uti dictum lib. II, cap. XIII. Porrò Mars non ſolùm Nimrodus fuit; de quo ſuperiori cap. vidimus: ſed etiam Ninus & Thurras, itidem Aſſyriæ reges: ad hæc alius Græcanicus, Moſis æqualis: de quibus actum nobis lib. I, cap. XVI.

Liber alius Ægyptius, alius eo junior Thebanus, Semeles filius. Cultus uterque cum numine Solis, & Liquoris in vite à Sole excocti. Atque exemplo id factum eſt Ægyptiorum: qui Mitſraim, ſive Oſiridem ſuum, ſimiliter ſunt venerati. Vide lib. I, cap. XXVII, & alibi eodem libro: item lib. II, cap. XIV, & LXXIX.

Cum Sole etiam cultus Hercules, tum antiquior ille, Ægyptius, ſive Tyrius; tum recentior, ſive Thebanus. De utroque hoc heroe vide lib. I, cap. XIII, XXVI, XXXII, XXXIV, XXXVI, & alibi eopſe libro. Cum Sole cultum, cognoſcere eſt ex iis, quæ afferebamus lib. II, cap. XV.

Æſculapii etiam cultus mixtus fuit: animalis, quidem, quatenus hiſtoricè ſic vocatur Meſſenius ille Epidauri incola: de cujus parentibus, ætate, peritiâ medicinæ, ac ſepultura, diximus libro primo, cap. XIII: naturalis autem, quatenus, ut Macrobius ait lib. I, cap. XX, vis eſt ſalubris de ſubſtantia Solis, ſubveniens animis corporibuſque mortalium. Itaque & ipſe Apollinis filius fingebatur: ut nihil ſit mirandum, ſi cum eo coleretur.

Eſt verò ubi parum conſtet, num cum Jove, ſive Cælo, an Apolline ſive Sole culti ſint. Ut in Ariſtæo: de quo ſic Athenagoras in Apologia: Ἀθηναῖοι Κελεὸν καὶ Μετάνειραν ἱδρύωνται θεοὺς, Ἰλιεῖς δὲ Ἕκτορα φέρουσι, καὶ Χῖοι Ἀρισταῖον τὸν αὐτὸν καὶ Δία, καὶ Ἀπόλλω νομίζοντες. *Athenienſes, ſibi Celeum, & Metaniram, Deos ſtatuerunt; Ilienſes celebrant Hectorem; Chii Ariſtæum, eundem & Jovem, & Apollinem, exiſtimantes.* De hoc diximus aliqua lib. II, cap. XIII; & lib. III, cap. XI. Hominem fuiſſe, argumento eſt, quòd fuerit Chius, ſi ſanus eſt locus Athenagoræ memoratus. Sed cenſeo, ſcripſiſſe *Ceus*. Quod Maro firmat I Georg. cùm eum deſcribit hoc pacto:

—— Et cultor nemorum, cui pinguia Cea
Tercentum nivei tondent dumeta juvenci.

Ubi ſic Servius: *Ariſtæum invocat, id eſt, Apollinis, & Cyrenes filium; quem Heſiodus dicit Apollinem Paſtoralem. Hic, ut etiam Salluſtius docet, poſt laniatum à canibus Actæonem filium, Thebas reliquit: & Ceam inſulam tenuit primò, adhuc hominibus vacuam: poſt, eâ relictâ, cum Dædalo ad Sardiniam tranſitum fecit. Huic opinioni Pindarus refragatur: qui eum ait de Cea inſula in Arcadiam migraſſe, ibique vitam coluiſſe. Nam apud Arcadas pro Jove colitur; quòd primus oſtenderit, qualiter apes debeant reparari: ut ait poëta de hoc ipſo Ariſtæo:*

Tempus & Arcadii memoranda inventa magiſtri
Pandere.
Cea vero inſula in Ægeo mari.

Ex his verbis alia pertinent ad hoc, ut homo fuerit, ut cùm Thebanus dicitur, Actæonis parens, cultor Ceæ, Dædali æqualis: ac juxta alios Arcadiæ incola, ubi mellificium, apumque docuerit inſtaurationem. At cultum eſſe cum cæleſti numine arguit, quod ex hoc mixto cultu dictus eſt Apollo paſtoralis, Arcadibus autem Jupiter. Ac firmat iſta etiam vetus Apollonii interpres in librum II: ubi dicitur filius Cyrenes, nepos Hypſei, frater Autuchi, & ἐν τῇ Κέῳ *a* repeciſſe mellis, & olei artificium: vocatuſque à morte Ζεὺς Ἀρισταῖος, καὶ Ἀπόλλων Ἀγρεὺς, καὶ *a In Cea inſula.*
Νόμιος. *Jupiter Ariſtæus, Apollo Venator, & Paſtor.* Quo ex loco corrigendus Juſtinus lib. XIII, ubi fratres Ariſtæi dicuntur Nomius, & Agræus. Omnino enim *Agreus* reſcribendum: nam νόμιος *paſtor*, ἀγρεὺς *venator*. Ibidem dicitur frater *Authoci*. Puto reſcribendum Autuchi. Nam apud Apollonii interpretem inibi Ariſtæus dicitur ἀδελφὸς Αὐτούχου. Multa quoque alia ibidem de Cyrene matre filioque Ariſtæo, narrat ex Pindaro in Pythiis, Pherecyde, Agrœtæ primo Libycorum, Mnaſea, Aceſtoris libro de Cyrene, Phylarcho. Tandemque ex Bacchylide adjicitur, quatuor fuiſſe Ariſtæos; unum quidem Caryſti, alterum Cheronis, tertium Terræ & Cæli, & poſtremum hunc Cyrenes. Quæ omnia inde etiam in uberem ſuam de Diis hiſtoriam congeſſit Lilius Gyraldus. Adi

& è Latinis Pindari interpretem in od. IV Pythiorum, & Diodorum Siculum lib. IV bibliothecæ: ubi varias ejus migrationes fusè refert. Sed corruptè apud illum legas, εἰς Κῶ νῆσον *a*, & ἐν τῇ Κῷ *b*. Utrobique enim Κέω *c* reſcribendum. At rectè ibidem de attribuendis ei ἰσοθέων τῶν Κείων τιμαῖς *d*: ubi perperam *Coos* pro *Ceis* reddidit eruditus interpres, Laurentius Rhodomanus. Apponam & . . .

a *In Coam inſulam.* b *In Cea inſula.* c *Cea.* d *Honoribus à Ceis.*

Inſula eſt in Ægeo mari Cea in qua ſunt urbes quatuor: Julis, Carthea, Lœpeſſa, (ſcribe *Pœeſſa*) *Coreſus. Ibi exiſtimatur fuiſſe peſtilentia pecorum & armentorum gravis, propter interitum Actæonis, Ariſtæus, monſtrante Apolline patre, profectus eſt in inſulam Ceam; &, ibi ſacrificio facto, aram Jovi Jemao* (l. *Icmæo*) *conſtituit: qui, placatis floribus,* (ſcribe *flatibus*) *& æſtu, qui necabant & armenta, & pecora, liberavit ea* (l. *eam.*) *Ipſe autem poſt exceſſum vitæ, imperante oraculo, ab immorantibus eam inſulam relatus in numerum deorum, appellatus eſt Nomius, & Ægotos:* (repone *Agreus:*) *quod & agreſti ſtudio, & curâ pecorum, armentorumque, non mediocriter profuerat hominibus. Traditur hæc hiſtoria in corpore Argonautarum à Varrone Atacino.*

Eſt etiam qui cum Tellure interiori ſortitus ſit cultum divinum iſque Aidoneus, ſive Orcus, Moloſſorum rex: qui Proſerpinam in campis rapuit Ennenſibus: ac ob præclarum ſcilicet facinus cum Dite, ſive Plutone meruit honorari. Vide, quæ de eo attulimus lib. I, cap. XIX.

A maribus tranſeo ad feminas: ex quibus una, heroum inſtar, cum æthere culta eſt. In Minerva enim colebatur tum ſummus æther; tum virgo Bœota, quam Ogygis, Thebani regis, filia educârat. Vide, quæ dixi lib. I, cap. XVII; & lib. II, cap. XLII.

Heroinarum aliæ ſortitæ ſunt cultum cum Luna, Heſpero, aut Tellure. Cujus diverſitatis ratio eſt, quòd Soli quidem, Cæli domino, conveniat color nativus; qui principium eſt activum; Lunæ autem, humor, ut principio paſſivo: quibus duobus generatio conſtat. Et notum Junonem Lucinam, quæ eadem ac Luna, præeſſe parturientibus: Jam quod ad Heſperum, is Veneris eſt ſtella: ut Varro etiam appellat. Nempe quia mediocriter & calefacit, & humectat: quæ duo ad generationem requiruntur: ut dictum lib. II, cap. XXXI. Tellus verò communis eſt mater plantarum, animalium, etiam hominum.

Iſis à morte culta eſt cum Luna; unde & capiti ejus addebantur cornua. Hæc ſi Oſiridis uxor fuit, Oſiris autem Mitſraim, Chami filius, Noëque nepos; antiquitas ejus ſatis ſit manifeſta. Sed ex Græcorum opinione filia fuit Inachi, regis Argivi, nomine Io, quæ in Ægypto nomen Iſidos accepit. Verùm ſic quoque ſummæ fuerit vetuſtatis. Nam Inachus incidit in tempora Iſaaci patriarchæ. Meminit Iſidos quoque Epiphanius, paullo antequam de Stoicis *e* agere incipiat. Ei dicitur primo vocata eſſe Ἄτθις, atque ab hac nuncupatam Ἀττικήν, quæ antea nominata eſt Ἀκτή. In Ancorato autem apud eundem ſectione CVI dicitur appellata Ἄτμις: quod, ut corrigi debeat, ſatis indicant, quæ ex Panario adduxi. Lilio tamen Gyraldo, ſyntagmate de Diis XII, *Atmis* dicitur vocata, filiaque fuiſſe Aſpidis Cappadocis. Ubi de *Aſpide* non minus, quàm de *Atmide* corrupti codices Lilium deceperunt. Græcè eſt, Ἄπιδος τοῦ Καππαδόκου, τοῦ καὶ Ἰνάχου καλουμένου *f*. Sed ſic quoque, valde ratio fugit Epiphanium, quia alia *Io*, alia Atthis: illa Inachi, regis Argivi; hæc, ut etiam eſt apud Euſebium in Chronico Hieronymiano, Cranai, ſecundi Athenienſium regis filia fuit.

e *Hæreſ. 5.* f *Apidis Cappadocis, etiam vocati Inachi.*

Cum Aſtarte, ſive Aſtaroth, prout vocatur Jud. X, 6, quam Lunam eſſe diximus lib. II, cap. XXI, culta eſt Europa Agenoris, Phœnicum regis, filia, Cadmi ſoror. Lucianus quidem, libro de dea Syria, tradit, Aſtarten eſſe Lunam: at ſacerdotes Phœnices, atque alii, ut idem ex iis ſe audiiſſe tradit, Europam, Agenoris filiam eſſe ſtatuebant. Quæ facile conciliantur. Nam φυσικῶς quidem & antiquiori cultu, Luna erat: ἱστορικῶς verò & cultu acceſſorio, non alia, quàm Europa, colebatur.

Cum vi naturæ generatricis, vel Luna, aut Heſpero, culta eſt amica vel concubina Cinyræ, regis Cypri: uti dictum, cum de Cypria Venere ageremus lib. I, cap. XVII, & XXI.

Atergatis, Syriæ fuit heroina, Semiramidis mater, quæ & Derceto: ut dictum lib. I, cap. XXIII. Hæc poſt mortem culta eſt cum Lunæ numine, quatenus vim ſuam diffundit in terræ & aquæ globum, cumque numine Telluris, ac Aquæ, quatenus Lunarem vim recipiunt: ut oſtenſum lib. II, cap. LV, & LXXVI.

Cereris etiam cultus partim animalis, partim naturalis fuit. Animalis erat heroinæ Siculæ quæ quia frugum ſationem reperit, Græcoſque docuit, eo cum ſpica pingebatur, imò & inde nomen accepit: nam *Ceres* non à *gerendo*, ſed ab Hebræis, quibus de ſpica virente uſurpatur. Vide, quæ diximus lib. I, cap. XVII. Hæcce heroina à morte culta eſt cum gemino numine naturali: uno cæleſti, altero ſubcæleſti. Prius eſt Luna, à qua frugibus incrementum, quia humectat noctu: uti à Sole eſt maturitas, quoniam calefaciendo excoquit. Alterum numen eſt vis Terræ frugifera. De gemino hoc naturali numine vidimus lib. II, cap. XXVII, & LIX.

Cum Lucifero etiam, vel potius diluculo, ſive aurora, culta eſt Ino, Cadmi filia: quæ poſt mortem dicta eſt Græcis Leucothea, quia cælum mane albeſcit luce. Latinis autem Matuta, unde nomen tempori matutino. Et de his in Diis Thebanis vidimus lib. I, cap. XIII.

Regina Semiramis, & Tellus, tanquam unum numen colebantur. Suidas in Semiram. Τὴν δὲ Σεμίραμιν καὶ Ῥέαν ἐκάλεσε. *Semiramidem verò etiam Rheam nuncupavit.*

Acca Larentia, de qua dictum lib. I, cap. XII, culta videtur cum Flora, florum Dea: ut mixtus fuerit cultus, Larentiæ in Flora, Floræ in Larentia. Larentia animale numen, Flora naturale; ut per quam deſignetur Tellus florifera, ſive vis naturæ, per quam plantæ florent.

Heroina Sicula, quàm à morte Cererem eſſe vocatam dicebamus, filiam habuit, quæ communi quidem nomine dicta eſt Κόρη, ſive Libera; hoc eſt, filia: proprium autem, ſive dum viveret, ſive à morte demum, habuit Περσεφόνη, ſive Proſerpina. Hæc culta eſt cum terra inferiore: imò & cùm Luna infera. Nam eam quoque ſignari per *Proſerpinam*, diximus lib. II, cap. XXVIII.

Tandem ad conſpirationem totius Theologiæ facit, quòd Heraiſcus Ægyptius *a*, vir præcellentis ingenii, ac diu peregrinatus, cum variarum gentium religionem ſcrutatus foret, & in iis perpendiſſet, & principia, & media, & infinitatem, uti perſpicere erat ex hymnis ab eo editis, etiam decrêrit aggredi opus quo complecteretur τὴν θεολογιῶν ἁπασῶν τὴν συμφωνίαν. *Theologiarum, ſive religionum, omnium conſenſum.*

a *Suidas in Ἡραΐσκῳ.*

FINIS LIBRI SEPTIMI.

GERARDI JOANNIS VOSSII DE PHYSIOLOGIA CHRISTIANA, ET THEOLOGIA GENTILI,

Sive de Idololatriæ Origine, ac Progreſſu,

LIBER OCTAVUS.

Cap. I.

Affectiones *divinum nactæ honorem, ad quatuor ſumma genera revocantur.*

Abunde pro inſtituto quidem noſtro egimus de cultu ſubſtantiæ, tum ſpiritualis, uti Dei principis, bonorum malorumque angelorum, & animarum poſt ſuum è corpore exceſſum: tum corporeæ, ſive particulatim, colendo æthera, elementa, meteora, hominem, beſtias, plantas, atque adeo foſſilia: ſive universè, mundum pro numine habendo. Egimus etiam de cultu ex illo ſpiritualis, & altero naturæ corporeæ conflato. Nec dubitandum, quin in natura corporea primùm exhibuerint cultum Soli, Lunæ, Stellis; ſed his credo universè: poſtea in ſuperiori natura ſtellas veneratidiſtinctas. Quo tempore etiam elementalem coluere naturam: ut terram metallorum plantarumque productricem; animantium nutricem, cadaverumque receptricem. Aquam item, quatenus vel marina, vel fluvialis, vel fontana. Hinc univerſa culta eſt natura. Quæ cùm, ſenſu ac mente prædita crederetur, ſingulis etiam naturæ non partibus modò, ſed particulis, imò & affectionibus ejus divinus eſt cultus attributus. Ac quod affectiones etiam, quæ accidentia dicimus, honore eo dignarentur, inde evenit, quia in his etiam aliquam vim cognoſcerent: quicquid autem hac præditum eſt, id divinæ naturæ particeps videretur. Cic. lib. de Nat. Deor. *Eam rem in qua vis ineſt major aliqua, ſic appellari, ut ea ipſa vis nominetur Deus.* Ut *Fides*, ut *Mens.* Ac poſtea: *Vides Virtutis templum, vides Honoris. Quid Opis, quid Salutis, quid Concordiæ, Libertatis, Victoriæ, quarum omnium rerum quia vis erat tanta, ut ſine Deo regi non poſſet, ipſa res Deorum nomen obtinuit.* Ridicula ſanè ratio, cur iſta Deorum habuerint loco. Satis interea declarant, cur affectiones etiam in Diis reponant. Hujuſmodi Deorum, prope immenſa eſt copia. Ac in civili quidem Theologia conſiderari ſolent tanquam Mentes quædam hoc honoris à ſummo Deo ſortitæ, ut affectionibus iſtis præeſſent. Nempe crediderunt Deum, quem Optimum Max. vocabant, non per ſe omnia curare, quo pacto, ut dicebant, plurimum beatitudini ejus decederet, ſed, inſtar regis, plurimos habere miniſtros, & miniſtras, quorum ſingulos huic, illive curæ præfeciſſe. Sic Juſtitia, quæ & Aſtrea, ac Themis, præfecta erat actibus cunctis, in quibus juſtitia attenderetur. Comus curare creditus comeſſationes. Et ſic in cæteris id genus Diis, nomen ab ea affectione ſortitis, cujus cura cuique commiſſa crederetur. Quo pacto ſi conſiderentur, non aliter different à ſpiritibus, ſive angelis bonis maliſque, quàm quod hi revera à Deo conditi ſint: illæ vero mentes, de quibus nunc loquimur, ſint figmentum mentis humanæ, pro numero affectionum, in quibus vis, eſſe major videretur, comminiſcentis mentes affectionibus ſingulis præfectas. Facilè autem ſacerdotes ſua commenta perſuadere ſimplicioribus potuerunt, partim quia turpe & impium videretur velle in rebus divinis plus ſapere iis, quibus ob rerum divinarum peritiam ſacra omnia committerentur, qui interdum etiam Deorum alloquio digni haberentur: partim verò, quia ſatis videretur veriſimile ſummæ illi menti, Deorum omnium regi, innumeras ſervire mentes, ut eo perfectior ſit ſummi Dei beatitudo, minuſque curis implicetur: inque tot famulantium numero ſummi numinis majeſtas magis eluceat. Ac talis quidem opinio erat Theologiæ civilis.

Diſpar verò ſententia theologorum naturalium, qui non aliud numen agnoſcebant quam naturam rerum: eoque omnia gentium numina referebant ſive ad naturam universè, vel naturam æthercam, ſive ad hujus aut elementalis naturæ partem vel affectionem. Nec affectiones per ſe ſubſiſtere credebant, quod putare ſit abſurdum: ſed judicant ſubſtantiam ſive naturam rei vim emittere ad agendum, eoque à vi ſubſtantiæ effluere accidentalem: quæ & ipſa nomine naturæ vocarentur, quia naturâ ineſſent: unde & intellectus eorum terminabatur ſemper in natura, vel parte naturæ: hoc eſt, in ſubſtantia denominata à formali determinatione ſubjecti. Nempe mens eorum fuit, prout natura eſſet occupata circa hanc vel illam affectionem: ita numina, nominaque Deorum variare. Cùm igitur ubicunque vim aliquam majorem viderent, ita divinum aliquid crederent: eò etiam devenere, ut immanem Deorum Dearumque fingerent catervam. Sagaciores interim hæc cuncta unum eſſe numen ajebant: puta rerum naturam; quæ licet una foret, pro variis tamen effectis varia ſortiretur nomina, vario etiam afficeretur cultu.

Hanc Deorum turbam confusè tractarunt priores, multorum etiam naturam non ſatis explicuere, præſertim quatenus eorum doctrina ad Theologiam pertinet naturalem. Proinde operam non luſero, ſi id tentem quod viri illi longè doctiſſimi poſteriorum induſtriæ reliquerunt. Ac primùm id ſtatuo, hominem eas affectiones re-

retuliſſe in Deos, quæ, ut Ciceronem dicentem jam audiimus, vim haberent majorem, & quæ ſine Deo regi non poſſet: ſive ab ea foret ſpes boni: ut ſunt Concordia, & Libertas: ſive formido mali, ut Febris, & Tempeſtas. Quia vero in homine quatuor hæc ſunt, exiſtentia, vita, ſenſus, & ratio: eò affectiones iſtas quatuor eſſe generum putamus. Nempe vel ſunt communes homini, cum inanimis, ſicut locus, & tempus: vel non cum inanimis, ſed plantis, ut generatio, & mors: vel non plantis, ſed animalibus, ut ſomnus, & ſpes: vel hominis ſunt propria: ut ſapientia, & riſus. Primùm igitur loquemur de affectionibus iis, quæ ſic homini accidunt, ut toti rerum naturæ, etiam inanimis conveniant.

CAP. II.

De affectionum in Deos relatarum primo genere, quod ſic accidit homini, ut illud habeat commune cum ſingulis mundi partibus: quomodo non ſolus homo, ſed res ſingulæ mundi, ipſum etiam cælum terminum habet, agiturque hoc capite de Deo Termino.

HOc primum genus eſt tripartitum. Continet enim tum initia, ac terminum omnium; tum circumſtantias temporis, ac loci; tum modum agendi, qui vel à neceſſitate eſt, vel fortuna. Natura res omnis habet terminum. Uti Tellus, Oceanus, Mundus ipſe. Unde Jobi XXVI, 10. *Terminum circumdedit aquis, uſque dum finiantur lux & tenebræ.* Et XXXVIII, 4. *Ubi eras quando ponebam fundamenta terræ? Quis poſuit menſuras ejus?* Et commate 10: *Circumdedi illud* (mare) *terminis meis: poſui vectem & oſtia: & dixi: Uſque huc venies, & non procedes amplius, & hic confringes tumentes fluctus tuos.* Non dubium igitur, quin divina res ſit terminus. Quod cum natura etiam duce viderent gentiles, uti initium rerum omnium Jano, ſic finem omnium Termino ſacrârunt. Ac primum mundi initium eſt Chaos; mundi autem perfecti Terminus eſt ſummus cæli circulus, ſive orbis. Quare ut Janus, quem chaos & mundum eſſe Ovidius etiam docet in Faſtis, ita & Terminus divinos ſortitus eſt honores: atque ut illi omnium rerum initia dicarunt, unde & januæ Jano ſacræ: ita huic omnium rerum finem ſacraverunt. Auguſtinus lib. VII de Civitate Dei, cap. VII: *Cur ad Janum dicuntur rerum initia pertinere: fines vero ad alterum, quem Terminum vocant?* Poſtea hanc ſuperſtitionem verbis iſtis refellit: *Nunquid ergo ad Mundum, qui Janus eſt, initia rerum pertinent: & fines non pertinent, ut alter illis Deus præficeretur? Nonne omnia, quæ in hoc mundo fieri dicuntur, in hoc etiam mundo terminari fatentur? Quæ eſt iſta vanitas, in opere illi dare poteſtatem dimidium: in ſimulachro faciem duplam?* Nec tamen hic obmutuiſſent gentiles. Quantum enim ex iis, quæ afferre pro ſe, Patribus ipſis teſtantibus, ſolent, dixiſſent, Janum quidem pro Mundo ſive univerſa rerum Natura accipi: ſed propriè eſſe Solem: atque etiam, quando pro tota rerum Natura ſumitur, præcipuè tamen ſignare Solem, quo nihil mundus habeat excellentius, quique univerſam temperet ac moderetur naturam. Jam quod attinet ad illud, quod bifrontem finxerint Janum, hoc quoque retuliſſent ad Solem, qui Orientem videat, & Occidentem. Ad illud verò, quòd Auguſtinus ait, dimidium Jano tribui, puta rerum initia; dimidium Termino, rerum finem; atque ita toti rei neutrum præſidere numen: repoſuiſſent, Janum eundem eſſe ac Apollinem ſive Solem: hunc vel unicum, vel præcipuum eſſe Naturæ numen: ſi unicum eſſe placeat, eundem eſſe Terminum, ſed pro diverſo conſiderandi modo, vel Janum dici, vel Terminum: Janum, ſi conſideres initia rerum: Terminum, ſi earum ſpectes exitum. Sin numen malis præcipuum, diſtinguendum eſſe inter duo numinum genera, quorum alia ſint Dii Conſentes ac Selecti; alia Dii minorum gentium, ac miniſtrantium ſuperioribus: Apollinem ac Janum ſuperioris eſſe ordinis: Terminum inferioris: eoque nihil diſcedere perfectiſſimæ Jani ſive Solis divinitati, ſi Terminus rerum exitum procuret, quia per Terminum curet, more regio, qui facere dicuntur, quæ per miniſtros efficiunt. Sed hæc ſpecioſius, an putidius, dicantur, nihil hoc loco diſquirere attinet, quia abunde omne hoc refelletur iis, quæ adverſus naturæ corporeæ cultum inferiùs dicentur. Et hæc de Deo Termino, quatenus etiam attendimus univerſam mundani corporis molem; quanto magis ſingulis partibus, tum ſimplicibus corporibus, tum etiam mixtis. Sed nulla in re æquè celebratur, quàm in agraria. Ubi Terminus materiæ ratione, eſt lapis, vel ſtipes: ſed, ratione formæ, eſt relatio ad ſignandum agrum, ſive publicum, ſive privatum. De materia, quod dixi, autor Tibullus lib. I, El. I.

Nam veneror ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florida ſerta lapis.

Et Lactantius lib. I, cap. XX: *Huic ergo publicè ſupplicatur, quaſi cuſtodi finium Deo, qui non tantum lapis, ſed ſtipes interdum eſt.* Reſpexit huc etiam Tertullianus, libro adverſus Pſychicos: *Rurſus palos terminales figitis Deo.* Interim videmus hic diſtingui à Tertulliano, inter palum terminalem, & Deum Terminum, cui figitur. Non igitur ſapientiores palum putabant Deum, ſed Deo ſacrum; opinione hac, quod palus is eſſet ſacer, animis religio injecta, ne quis transferret. Juſtitia nihil divinius. Hujus autem eſt, ſuum cuique tribuere, nec terminos transferre. Libis, pulte, primitiis frugum, non cruentâ hoſtiâ, ei ſacrificabant; ut volunt Dionyſius, & Plutarchus. Sed malim hac parte audire ſcriptores Romanos. Ex quibus porcâ etiam, & agnâ, ſacrificatum fuiſſe, teſtes Ovid. II Faſt. & Horat. Epod. od. II.

Primus verò in Deos retulit, ſive Tatius Sabinus, ut cenſet Varro; ſive Numa Pompilius, quod traditum Dionyſio in ſecundo. Ac Numæ hujus lex illa apud Feſtum: *Qui Terminum exaráſſit, ipſe, & bos, ſacer eſto.* Nempe duplici nomine divinitas eſt Termino attributa. Ac prius quidem quia inſignem, atque, ut ita dixerim, divinum planè uſum præſtarent limites agrorum in genere humano: quo nihil utilius ad litigia evitanda: quid verò meliùs nobis, quid Deo gratius, quàm ſi concordia ſit inter bonos? Præterea illud attenderunt, quod ſi Terminus eſſe Deus crederetur, cui curæ eſſent agrorum limites: magis religio ſit futura omnibus limites malo dolo transferre.

Atque hæc in cauſſa fuere, cur à Tatio, vel Numa divinus ſit honos Termino exhibitus. Poſtea verò magnopere hanc divinitatis opinionem auxit, quod cùm Tarquinius Superbus templum in Capitolio condere propoſuiſſet, fanaque alia, quæ eo in monte forent, ut ſpatium templo Jovis amplius eſſet, exaugurarentur; ſolius Termini fanum exaugurari non poſſet, quia aves non addicerent. Teſtis Dionyſius Halic. lib. III Antiquitatum, item Livius, & Florus lib. I, cap. IX. Unde Maro:

— *Capitoli immobile ſaxum.*

Hinc callidè ſacerdotes atque augures hoc eo retulere, quod divinitus ſignificaretur, uti Terminus nec Jovi ceſſiſſet, ita longè minus ceſſurum ulli mortalium: ac proinde nunquam motum iri terminos imperii Romani. Quâ de re ita Servius ad locum Poëtæ antè memoratum: *In urbe Roma Jovis templum non fuit: quod cum jam devotum à Priſco Tarquinio, vellet Superbus Tarquinius ædificare, cœpit auguriis captare, qui mons huic templo eſſet aptiſſimus. Et cum in omnibus Tarpejus eſſet inventus* (*in quo erant multa diverſorum Numinum ſacella*) *actum eſt, ut exinde ad alia templa Numina avocarentur ſacrificiis, quo poſſit liberè, & ſine piaculo templum Jovis exædificare. Cumque omnes Dii libenter inde migraſſent, Terminus ſolus, hoc eſt, limitum Deus, deſcendere noluit, ſed illic remanſit. Tum de hoc ipſo ſacrificatum eſt, & deprehenſum, quòd Terminus cum Jove remanens, æternum urbi imperium cum religione ſignificaret.*

ficaret. Unde in Capitolio prona pars tecti patet, qua lapidem ipſum Termini ſpectat. Nam Termino non niſi, ſub dio ſacrificabatur. Alterum etiam acceſſit, unde Romam fore caput mundi promitterent: nempe quod in fundamenti ſedibus inveniretur caput humanum. Sanè & Carthagine repertum fuerat caput, ſed equinum: unde Maro I Æn.

Effodere loco ſignum, quod regia Juno
Monſtrârat, caput acris equi.

Unde & in nummis Carthaginenſium id caput: & putantur literæ ſubjectæ ſignare KAKKABÆ, quod Pœnis notat *caput equinum.* Cæterùm tale ſignum Pœni interpretabantur fore urbem ſuam, acrem & bellicoſam. At Romanis viſum excellentius quiddam, quia equus paret homini: unde colligebant equi caput eſſe ſignum ſervitutis, humanum autem imperii. Porrò de reperto capite humano Arnobius lib. VI auctores laudat Sammonicum, Granium, Valerianum, & Fabium. Atque addit id caput fuiſſe cujuſdam Toli. Quod & indicat Marcianus Capella lib. III: *Quæ femina licet in Attica, ubi majori ævi parte floruerat, ſe aſſereret incedere palliatam, tamen ritu Romuleo, propter Latiale numen, & Toli caput, propterque Martiam gentem, Venerisque propaginem Senatum Deûm ingreſſa eſt penulata.* Sic enim rectè eum locum correxit, ſummus vir, &, dum viveret, amiciſſimus Laurentius Pignorius epiſt. XII in Symbolicis Epiſtolicis. Antea corruptè *olim caput*, pro *Toli caput*, legebatur. Quod verò Arnobius putavit vocem Capitolii eſſe conflatam ex *caput*, & *Toli*, id vanum eſt. Uti & totum illud falſum, quod homo ille cujus caput repertum, dictus fuerit Tolus. Fabulæ originem præbuit nomen *Capitolii* ubi *tolium* non eſt ex derivatione, ſed παρέλκον, ſive productio vocis: ut *monium* in *matrimonium*; *mentum* in *ſacramentum*, & ſimilia.

Porrò, ut ad Deum Terminum redeam, quantopere ratio fugerit Romanos, quòd ex immobili illo Capitolii ſaxo collegerint nunquam motum iri Terminum imperii Romani: argumento eſt quod Adrianus Cæſar (Feſti Rufi verba ſunt) *invidens Trajani gloriæ, ſponte Armeniam, ac Meſopotamiam, & Aſſyriam reddidit: ac medium inter Perſas, & Romanos, Euphratem eſſe voluit.* Quod item temeraria Juliani Deſertoris pugna ad Cteſiphontem, ubi victus occubuit, iterum mutati ſint termini. Quod item Jovianus, coactus eſt iniquis pacem conditionibus inire cum Parthis. Niſibidem urbem iis, & ſuperioris Meſopotamiæ partem conceſſit. Quæ cum expoſuiſſet Auguſtinus in IV de Civ. Dei, cap. XXIX, ſic concludit: *Vano igitur augurio Deus Terminus non ceſſit Jovi, qui ceſſit Hadriani voluntati, ceſſit Juliani temeritati, & Joviani neceſſitati.* Et hæc de Deo Termino: de quo falſus Lactantius lib. I, cap. XX; ubi eundem putat lapidem illum, quem Saturnus dicitur devorâſſe pro Jove, qui *Abaddir*, & *Betulus* dicebatur. Is enim longè alia occaſione, ut ſuperius expoſitum nobis, divinum eſt honorem conſecutus: nec relationem habuit ullam ad agros limitandos: prout hoc loco conſideratur.

CAP. III.

Acceditur ad alias adfectiones, homini etiam cum inanimis communes. Uti præcipuè actum. De Phanete & Saturno, quatenus tempus notat: deque temporis partibus, pro Numine habitis: ut ſunt Nox, & Dies: ubi dictum, quomodo Nox ab Erebo differat, deque Leucothea, ſive Matuta: ac denique de Horis anni. Deque numero, imprimis eo, qui Pythagoricis τετρακτύς.

TEmpus eſt durationis ſucceſſivæ menſura. Hoc conſideratur vel universè, vel ſecundùm aliquas partes. Universè Tempus ab Orphicis colebatur: ac credebatur initium omnium, quæ videmus. Simplicius in lib. IV Φυσικ. ἀκροάσ. Μετὰ γὰρ τὴν μίαν τῶν πάντων ἀρχὴν, τὴν Ὀρφεὺς καὶ χρόνον ἀνυμνεῖ, ὡς μέτρον ὄντα τῆς μυθικῆς τῶν Θεῶν γενέσεως, αἰθέρα καὶ τὸ πελώριον χάσμα προελθεῖν φησι, τὴν μὲν τῆς περατοειδοῦς προόδου τῶν Θεῶν αἴτιον, τὸ δὲ τῆς ἀπειροειδοῦς, καὶ λέγει περὶ αὐτοῦ·

Οὐδέ τι πεῖρας ἐην, οὐδὲ πυθμὴν, οὐδέ τις ἕδρα.

Poſt principium unum omnium, quod tempus eſſe, Orpheus carmine celebrat, tanquam menſuram fabuloſæ Deorum generationis, ait productum eſſe ætherem, & ingentem hiatum: illum eſſe cauſſam finitæ Deorum productionis, hunc vero infinitæ; deque illo ait:

Neque hujus finis aliquis erat, neque fundus, neque ulla ſedes.

Quod ſi Tempus ſit Orpheo omnium principium, ut Simplicium dicere audivimus: nec Φάνης aliud fuerit: de quo ſic Nonnus in explicatione Hiſtoriarum, quarum meminit Nazianzenus. Sic enim ſcribit in Orat. funebr. Baſilii Magni: Ἐν τοῖς Ὀρφικοῖς ποιήμασι συνεστοίχηθη τὰ δύο ταῦτα ὀνόματα, μετὰ καὶ ἄλλων πολλῶν, ὧν τὸν Φάνητα εἰσφέρει αἰδοῖον ἔχοντα ὀπίσω περὶ τὴν πυγήν. Λέγουσι δ' αὐτὸν ἔφορον τῆς ζωογόνου δυνάμεως. *In Orphicis poëmatis hæc duo nomina ſimul inducuntur cum aliis multis: è quibus Phanetem deſcribit genitale membrum habentem circa clunes: atque ajunt eum eſſe præfectum prolificæ poteſtatis.* Etiam hujus numinis meminit Proclus lib. IV in Timæum: Διὸ δὴ καὶ ὁ Ὀρφεὺς Φάνητά τε τὸν Θεὸν προσηγόρευσεν, ὡς ἐκφαίνοντα τὰς νοητὰς ἑνάδας. *Iccirco Orpheus Deum appellavit Phanetem, quia patefaceret intelligibiles unitates.* Ubi per *unitates* deſignat ideas ſive formas mentis divinæ. Proclus tamen videri poſſit per *Phanetem* non *tempus* intellexiſſe, ſed Deum ipſum mundi opificem. Sic enim de eo ſcribit Lactantius lib. I, cap. V de falſa religione: *Orpheus, qui & vetuſtiſſimus poëtarum, & æqualis ipſorum Deorum, (ſiquidem traditur inter Argonautas cum Tyndaridis, & Hercule navigâſſe) Deum verum, & magnum* πρωτόγονον· primogenitum *appellat, quòd ante ipſum nihil ſit genitum; ſed ab ipſo ſint cuncta generata: eundem etiam* Φάνητα *nominat, quòd cùm adhuc nihil eſſet, primus ex infinito apparuerit, cujus originem, atque naturam, quia concipere animo non poterat ex aëre, immenſo natum eſſe dixit:*

Πρωτόγονος Φαέθων περιμήκεος ἠέρος υἱός.

Sed ſi ex infinito aëre genitus Phanes, quomodo ante eum nihil erat. Nec ſanè aër ante tempus fuit. Nec deſunt qui per *Phaneta* intelligant Diem; vel diei auctorem Solem: quomodo Orpheum cepit Diodorus Siculus lib. I. Quidquid verò de Orpheo eſt, ſaltem tempus à Græcis, & Romanis cultum fuit ſub nomine Saturni. Nam conſtat eo tum naturam intelligi, quomodo conſideravimus, cùm ſuperius de Mundi ſive Naturæ numine tractaremus: tum durationem omnium rerum in natura: unde Κρόνον quaſi χρόνον dici, veteres tradidere. Ac quia tempus omnia abſumit, eò & dictus Saturnus crudos devorare liberos. Ideo ᵃ ὠμηστὴν vocat eum Nonnus in ſecundo Dionyſiacôn. Athenagoras etiam cenſet, eo Rheam, (quam terram eſſe, oſtendimus libro ſecundo) Saturno datam uxorem, quia tempus è terra omnia producit, quæ poſtea abolet.

a Crudis veſcentem.

Peripateticis tempus dicitur eſſe menſura motus: ubi externam intelligunt, quia tempus dimetitur motum, non ut eſt motus, ſed ratione ſucceſſionis, ſive, ut habet prius ac poſterius. Cumque in quovis genere ſit aliquid, quod menſura ſit omnium ejuſdem generis: omnium motuum menſura eſt motus cœleſtis: quippe qui ſolus ſit continuus, nec quiete intercipiatur: ſolus quoque ſit regularis, non autem nunc velocior, nunc tardior: adde quòd idem ſit velociſſimus: quod eo neceſſe fuit, ut minima etiam dimetiri liceret. Velox quippe nuncupatur id, quod minimo fit tempore: ut eſt in IV Φυσ. ἀκροάσ. cont. XCVI.

Partes temporis ſunt vel minores, vel majores. Minores ſunt Nox, & Dies. Quorum diſtinctio eſt ſecundùm

dùm modum Solis vel accedentis, vel recedentis. Eorum iſta eſt ex Heſiodi γενεαλογίᾳ. Primò fuit Choas: quod ipſum in Diis. Priorem tamen locum obtinet triplex ſubſtantia: una materiæ planè expers, ut angeli, & animæ: altera planè materialis, ut corpora cæleſtia, elementa, & inde compoſita: tertia partim materiæ particeps, partim expers; ut homo. Præter quæ ut dixi, pars ſubſtantiæ gentibus eſt relata in Deos: puta materies ipſa; nempe chaos: pro quo Scriptura initio Geneſios בהו & תהו *tohu*, & *bohu*: unde Phœnicum Dii Thoth, & Bau: ut ex Sanchoniathone apud Euſebium *a* cognoſcimus. Hæc de chao. Nunc cætera ex Heſiodo proſequamur. Poſt Chaos fuere Tellus, & Tartara: item Amor. Ex Chao autem Erebus & Nox. Ex nocte & Erebo Æther & Dies. Primum Chaos, ſive ut locus, ſive ut materies omnium formarum vacua, quo pertinet quod Scriptura ait, Terram fuiſſe primo rudem & inanem. Hinc fuit Tellus, ut circa quam moveretur Cælum, &, ut Heſiodus ait, ſedes Deorum immortalium. Omnis enim motus fit ſuper immobili. Cælo centrum fuit Tartarus, utpote inferior pars Terræ. Quippe Terra cum Tartaro ſimul conſtituit centrum. Poſt iſta Amor. Nam Chao inerat appetitus formæ. Ut enim femina marem, ita materies deſiderat formam, tanquam ſui perfectionem: unde & ἐντελέχεια vocatur, ab ἐντελὲς, & ἔχω, quaſi dicas perfecti habiam; uti Herm. Barbarus ad verbum reddebat. Ex Chao originem ducere dicuntur Erebus, & Nox: quæ iccirco & Maro conjunxit:

Pallentes umbras Erebi, Noctemque profundam.

Nempe ante Diem tenebræ fuere. At tenebræ intra terram Erebus dicuntur: ſupra terram, Nox. Vel locus quidem Erebus; tempus, Nox. Nam umbræ humanæ in Erebo degere dicuntur. Atque in Erebo etiam Heſiodus ait eſſe Titanas, Cottum, Gygem, & Briarea. Nox etiam dicitur ab inferis venire locis: unde poëta,

—— *Ruit Oceano nox,*

Subit mox,

Involvens umbra magna terramque polumque.

Nempe quia nox eſt umbra terræ: umbra verò eſt lumen non quidem nullum, ſed imminutum. Ex Nocte & Erebo prognati dicuntur Æther, & Dies: ubi Erebo Æther, Nocti Dies opponitur. Quando autem ex Nocte, & Erebo, Æther, & Dies, geniti ſtatuuntur: τὸ EX capitur, οὐχ ὑλικῶς, ἀλλὰ στερητικῶς: hoc eſt, non tanquam materia, ſed privativè, ſive velut terminus, à quo: quomodo & Ariſtoteles dicit duo contraria eſſe generationis principia, unumque amborum ſubjectum. Priora eſſe privationem, & formam: poſterius materiem. Priori modo ex indocto fit doctus, ex non ente ens, ex tenebris lux. Sic quoque ex Latona, quæ Græcis Λητὼ, ἀπὸ τοῦ λαθεῖν, h. e. *à latendo* dicta, Sol, & Luna, nati dicuntur: videlicet, quia omnia ex latentibus fecere manifeſta. Unde & in Delo nati perhibentur: quia δῆλον, *manifeſtum*. Pluribus hæc expoſui lib. II, c. XII. Non ſatis hæc obſervavit Heſiodus: ut cui Nox φιλότητι μιγεῖσα *b* peperiſſe dicatur. Hoc enim locum non habet, ſi Dies è Nocte ſolùm στερητικῶς nata. Nempe vel parum attendit, vel non curavit locutionem priſcam, ac fortaſſe à Moſe ipſo hauſtam: ut qui ſic initio operis ſui dicat ex veſpera factum eſſe diem.

Porrò Noctem etiam Romanis, ſecundum Theologiam civilem Deam fuiſſe, argumento eſt, quòd ei ſacrificabatur gallus. Cauſſam adfert Ovid. lib. I Faſt.

Nocte dea Noctis criſtatus caditur ales,
Quod tepidum vigili provocet ore diem.

Etiam Plautus Diem Noctemque inter Deos retulit prologo Menæchmorum:

Non ego idem facio, ut alios in Comœdiis
Vidi facere amatores, qui aut Nocti, aut Diei,
Aut Soli, aut Lunæ, miſerias narrant ſuas.
Quos pol ego credo humanas querimonias
Non tanti facere, quid velint, quid non velint.

Quod ſi inter minores temporis partes ſint Nox, & Dies, quanto magis diluculum, ac aurora! Quibus præerat Λευκοθέα, quæ Romanis matuta: ut eſt apud Plutarchum in Camillo, & quæſt. Rom. A Matuta *matutinus* dicimus. Quam latè ejus patuerit religio, arguit, quod & templum atque oraculum Leucotheæ fuerit in Moſchica regione: ut eſt apud Strabonem in XI. Loquor verò nunc de Leucothea, quatenus eſt numen naturale: puta aurora, ſive diluculum. At quatenus eſt Ino, Cadmi filia, vidimus de ea lib. I, cap. XIII, & XXIV. De Matuta, nos etiam in Romanis ad ann. CCCVIII, in fine.

Exſpectet fortaſſe aliquis, ut quia ſicut diluculum, ita & horæ, pars ſint diei: de his etiam dicam: quandoquidem & Horæ ſint in Dearum numero. Sed diei in horas diviſio ignota fuit veteribus: quibus generatim ὥρα quævis pars diei. Ut in lege Solonis, Ὁ ἥλιος ἐπὶ τῶν ὀρῶν ἐσχάτη ὥρα ἔστω. Quod Romani in XII Tabb. ita reddidere, SOL OCCASUS SUPREMA TEMPESTAS ESTO. Nempe antiqui diſtinguebant diem his partibus; de media nocte, gallicinio, conticinio, ante lucem, diluculo, mane, ad meridiem, meridie, de meridie, ſupremâ, (ubi intelligitur *tempeſtas*, ut vidimus in XII) veſperâ, crepuſculo, luminibus accenſis, ſive primâ face, concubio, nocte intempeſtâ, ad mediam noctem, mediâ nocte: ſicut docet Cenſorinus de die Natali cap. ult. Ac ne Græci quidem Platonis & Ariſtotelis temporibus imò aliquanto etiam pòſt, horas novere: unde apud Athenæum lib. I, quæſtio illa Ulpiani, utrùm in veterum Græcorum ſcriptis ὥρα reperiatur pro diei parte. Et tamen Græci diem in XII horas diviſere ante Romanos: à quibus hanc conſuetudinem tandem accepere Judæi. Cum verò Horæ in Dearum numero cenſentur, non XXIV diei partes, ſed IV anni tempora intelliguntur: de quibus deinceps loquar.

Dixi de partibus anni minoribus. Majores verò ſunt Ὧραι, ſive partes iſtæ quatuor, in quas annus per utrumque æquinoctium, & ſolſtitium, brumamque, ſive, ut vulgo loquuntur, per duo ſolſtitia dividitur: puta ver, quod calidum, & humidum; æſtatem, quæ calida, & ſicca; auctumnum, qui frigidus, & ſiccus; & hiemem, quæ frigida, & humida. Annalia tempora à Cælio Aureliano vocantur lib. III Tardarum Paſſionum, cap. VIII. Proque earum numero quadrigas Soli eſſe attributas, Fulgentii in Mythologicis opinio eſt: item Iſidori lib. XVIII Originum, cap. XXXVI. *Quadrigas*, inquit, *Soli ſacraverunt, quia per quatuor tempora annus vertitur: ver, æſtatum, auctumnum, & hiemem.* Proque quatuor his temporibus colores etiam aurigarum fuere in Circenſibus. De quo in Theologia Symbolica dicetur. Eſt ὥρα vox ab אור or, *lux*. Nempe ab eadem origine, à qua ὦρος, hoc eſt χρόνος, ut interpretatur Erotianus: item ὦρος pro Sole, ut apud Ægyptios, teſte Macrobio lib. I Saturnal. cap. XXI. Ὧραι ὠρῶνοι τὰς πύλας τοῦ οὐρανοῦ, *Horæ ſervant ac cuſtodiunt portas cæli.* hoc eſt quatuor cæli cardines. Unde Janus ſic apud Ovidium lib. I Faſt.

Præſideo cæli portis cum mitibus Horis.

Hoc ideo de Horis finxere, quia à cælo omnis promanat inferior virtus ac poteſtas. Ideo & Jupiter per eas dicitur mundum omnem moderari. Horatius lib. I, od. XII:

—— *Qui res hominum ac deorum,*
Qui mare ac terras, variiſque mundum
Temperat Horis.

Ubi varias vocat, quia multum ſint diſſimiles.

Sed inversè quidem Ὧραι ſunt quatuor anni partes: particulatim autem ver: quæ aliter Ἥβη, Latinis *Juventas*. Nempe numen hoc bifariam attenditur, quatenus ver notat, & prout adoleſcentiam ſignificat. Priori modo conſideratur in fabella, qua dicitur, cùm Juno hieme lactucas comediſſet, proximo vere peperiſſe. Nempe lactucis frigus hibernum deſignatur. Sunt enim lactucæ frigidæ, præſertim crudæ; eoque & ſomnum conciliant, & ardorem bilis exſtinguunt. Hebe verò, hoc eſt, aeris temperies, verno tempore redeunte redit. Omnia enim

tum

a *Lib. I de præparat. Evangelica.*

b *In amore permixta.*

tum pullulant, & pubeſcunt, unde & vernum tempus Ἥβη dixere. Nam ἥβη, *pubes*. Sed calor ille aëris, qui vere redit, deſerit nos hieme, præſertim Sole Aquarium ingrediente. Eoque dicitur Hebe cecidiſſe turpiter in Deorum conſpectu: ejuſque in locum ſuffectus Ganymedes, inque Aquarium converſus. Ac credo inde etiam eſt, quòd Phliaſii veteres, Γανυμήδαν vocarint Deam, quæ poſterius dicta eſt Ἥβη: ut eſt apud Pauſaniam in Corinthiacis. Quæ dixi, ad Græcos pertinent. Apud Gaditanos verò etiam Menſis, & Annus divino cultu affecti. Geminam enim his aram fuiſſe conſtitutam, Ælianus retulit in Opere deperdito περὶ προνοίας *a*: ut ex eo refert Dionyſius ὁ περιηγητής.

a De Providentia.

Abſolvi de tempore. Altera univerſalis rerum affectio eſt locus. Quò à nonnullis Chaos, ab aliis Erebus, refertur. Sed de utroque proximè dictum, dum explanamus, quæ de iis in Θεογονίᾳ ſuâ Heſiodus ſcripſit.

Vocant igitur nunc me, quæ pertinent ad modum, quo non humanæ ſolùm actiones fiunt; ſed illa etiam, quæ naturæ ſunt opera. Fiunt autem vel neceſſitate ſive Fato, vel fortuito. Quo & pertinent *Tenitæ* vel *Teniræ*. Hæ, ut ex Feſto Paullus ait, *credebantur eſſe Sortium Deæ, quod tenendi haberent poteſtatem.* De Fato, & Fortuna, nunc ampla agendi occaſio foret, niſi abunde de hoc egiſſe me putarem libro ſecundo hujus operis extremò. Dolendum verò homines etiam, qui Chriſtiani volunt haberi, alios quidem ſic loqui, ut omnem eis Fortuna faciat paginam: alios verò, ut Fatum agnoſcant, ſed crudele, & impium. Quomodo etiam, dolore credo abreptus loqui non dubitavit vir longè doctiſſimus Nicolaus Leonicenus epilogo eruditi operis de Plinii erroribus ad Hermolaum Barbarum ſcripti: *Quis non de crudeli fato atque impio conqueratur, quod nobis tot, quos prior Hermolai vita germinaverat fructus, antequam matureſcerent, intercepit?* Hujuſmodi apud plurimos lego: quæ nec in poëtis probo: at in philoſophis, præſertim Chriſtianis, vehementer damno.

Tertia univerſalis eſt affectio Numerus. Nam hominibus æquè, ac rebus aliis, accidit, ut numerentur. Numerus verò, ſecundùm Pythagoricos, res ſacra. Unde & numeros Deorum nominibus appellarunt. Qua de re anonymus in Theolog. Arithmet. ex Nicomacho, Anatolio, & aliis collecto. E junioribus verò clariſſimus Joan. Meurſius in Denario ſuo Pythagorico opuſculo pereruditο literatis perutili, ac mihi eo gratiori, quod inſcripſerit nomini noſtro.

In numeris nullus æque divinus Pythagoræ habitus eſt ac quaternarius: ut per quem etiam jurare ſoleant: quod & Lucianus indicat in Vitarum auctione. Rationem adducit Hierocles: Καὶ ἁπλῶς, τὰ ὄντα πάντα ἡ τετρὰς ἀνεδήσατο, στοιχείων, ἀριθμῶν, ὡρῶν δὲ ἔτους, ἡλικιῶν συνοικισμῶν· καὶ οὐκ ἔστιν εἰπεῖν, ὃ μὴ τῆς τετρακτύος, ὡς ῥίζης, καὶ ἀρχῆς, ἤρτηται· ἔστι γὰρ, ὡς ἔφαμεν, δημιουργὸς τῶν ὅλων, καὶ αἰτία ἡ τετράς. *Et, ut verbo dicam, quæcunque ſunt, quaternarius colligavit: in elementis, in numeris, in anni tempeſtatibus, in ætatum contuberniis. Neque aliquid dicere eſt, quod non à quaternario, veluti radice ac principio dependeat. Siquidem eſt, uti diximus, omnium opifex ac cauſſa.* Vide & Theonem Smyrnæum Mathematicorum lib. I, cap. XXXVIII: ubi rationem exponit, cur Quaternario tantum habuerint honoris, ut per eum jurare ſoleant. Operæ etiam ſit adire, quæ iſtic ad Theonem Bullialdus annotavit ex lib. III Procli in Timæum, item ex aliis ad cap. Theonis 43.

Cap. IV.

De numinibus generationi præfectis: uti Priapo, Venere, ac Genio.

Conſequitur, ut veniam ad eas hominis affectiones, quæ illi accedunt non ſimpliciter, quatenus eſt, ſed quatenus vivit; quod commune habet, non modò cum mutis animantibus, ſed etiam cum plantis. Atque hic attendimus primo vim parentum generativam, per quam aliquis vitam accipit: hinc ætatem, ex quo eſſe cœpit: quò pertinent juventus, & ſenectus: exinde nutritionem, & accretionem, quæ & ipſa cum ætate prima incipiunt: præterea ſanitatem, & morbum, quæ vitam comitantur: ac denique mortem, quâ quid vivere deſinit. Quæ omnia etiam plantis ſuo modo inſunt. Nam eſt iis facultas generandi: & quæ genuere nutriuntur, ac creſcunt: habent & ſuos morbos, ut robiginem ſeges: etiam æſtu nimio, pluviæque defectu, vel ſenio languent, tandem item emoriuntur.

Facultas generatrix, quæ vitam largitur, nunc Priapi, nunc Veneris nomine ſignificatur. Nec ſemper tamen ſic conſiderantur. Quandoque enim per illum & illam intelligitur cælum, aut cæleſte aliquod corpus unde vis generatrix in plantas, & animantia, derivatur. Sic Priapus reducitur ad Solem: quomodo attendimus libro II, cap. VII. Venus autem reducitur ad Lunam, & Terræ ac Aquæ globum: quo pacto eam conſideramus libri ejuſdem cap. XXVII, & LIX. Hoc loco de Priapo, & Venere, tractamus, quatenus per hæc nomina intelligitur non corpus aliquod cæleſte, aut elementale; ſed vis generatrix, à Sole Lunaque, ac Terræ etiam & Aquæ natura proficiſcens, inque animantium ac plantarum ortu ſeſe exſerens. Ut de Priapo priùs loquar, grande Priapo αἰδοῖον *a* tributum ut indicaretur magna naturæ potentia in rerum productione. Simulachrum ejus in hortis ponebatur, ut ſignificaretur, omnem arborum, plantarumque ubertatem, Naturæ Deo tribui oportere: hoc eſt, Deo naturæ, ut ſapientiores interpretabantur. Ac credo Πρίηπος dictus à פְּרִי peri, hoc eſt, fructus: quia à numine eos exſpectarent. Priapum non novit Heſiodus in Theogonia: quod etiam Straboni obſervatum in XIII. Poſtea &, ut Priapo ſodales in Deos relati: Orthanes, & Conitalus: quorum prior, Priapi exemplo, cum ingenti veretro fingebatur: ut Heſychius teſtis: alter Suidæ dicitur δαίμων Πριαπώδης *b*.

a Veretrum.

b Deus Priapejus.

At Veneris nomen plura etiam, quàm Priapi vocabulum comprehendit. Nam præterquam quod ea Luna, vel Lucifer, aut Heſperus, ſignificatur: etiam ſumitur nunc pro potentia generativa, nunc pro generandi appetitu, nunc pro ipſa συνουσίᾳ *c*. Potentia generatrix ineſt non plantis minus, quam animantibus. Nocturnaque plantarum incrementa ſatis comprobant vim Lunarem. Quemadmodum igitur Priapus, hoc eſt, Solaris vis, hortorum cuſtos habebatur, ita & Venus credita præeſſe hortis; teſte Plauto, Varrone, Plinio. Hæc Venus Luciano *d* dicitur ἡ ἐν κήποις, ſive Hortenſis. Unde videmus; cur *Venerem* pro *olere* dixerint: ut Nævius apud Feſtum *e*. Alter vocis uſus erat, cùm venus accipitur pro appetitu generandi. Is verò appetitus bifariam conſideratur, ut naturalis, quomodo & plantis convenit, & ut animalis, quomodo Libido vocatur, ac animalium eſt proprius. Tertium vocabuli ejus uſum dicebamus, cùm ſumitur pro συνουσίᾳ, ſive coitu. Is ratione ſexus potioris magis actio; ratione ſequioris, magis paſſio eſt. Eo pacto nunc non attenditur, quia plantis non ineſt ſexus: ut oſtenſum lib. V. Sed ſic conſiderabimus, ubi deventum erit ad numina ſocietatis domeſticæ, deque Conjugalibus Diis agemus.

c Cohabitatione.

d In meretriciis Dialogis.

e In Coquus.

Nec ſolum hujus loci eſt Priapus, cum Venere: ſed etiam Genius, quatenus per eum intelligitur facultas generativa. Feſtus: *Genium appellabant Deum, qui vim obtineret rerum omnium gerendarum.* Ubi malim, *genendarum*, quomodo Cenſorinus ſæpe uſurpat *genere* pro *gignere*. Etſi nec alterum damnum; ut *gerere* ponitur pro πράττειν, ſive facere. Sic *gerere* interpretantur gloſſæ Philoxeni. Et convenit illud in Gloſſis Cyrillo tributis: Χειρίζω, *gero, tracto.* Qua de ſignificatione dixi etiam lib. VI de Arte Grammatica *f*, cum de *Gerundii* voce ageremus. Ut tamen *genundo* apud Feſtum, quàm *gerundo* ma-

f Sive l. 4. de Analog. cap. 11.

malim, faciunt hæc quæ poſt verba proximè allata ſubjicit Feſtus: *Aufuſtius, Genius*, inquit, *eſt Deorum filius, & parens hominum, ex quo homines gignuntur, & propterea genius meus nominatur, quia me genuit.* Ubi non video quid per illum filium Deorum, parentem hominum, intelligi in natura poſſit, quàm vis illa à Deo Naturæ indita, per quam generatur homo. At per *Geniales Deos* intellexere partim vim generandi hominis, quatenus à Sole & ſideribus proficiſcitur, partim elementa ipſa, quatenus materies ſunt hominis. Unde idem Feſtus: *Geniales Deos dixerunt aquam, terram, ignem, aërem; quæ Græcorum alii* στοιχεῖα a, *alii* σπέρματα b *vocant. Duodecim quoque ſigna, Lunam, & Solem, inter hos Deos computabant.* Gloſſæ Philoxeni: *Genialis*, Γαμήλιος, Στοιχεῖον c, Τύχη d.

a Elementa. b Semina. c Elementum. d Fortuna.

Ad facultatem generativam reducitur etiam fœcunditas. Ex Tacito autem & aliunde notum, ut adulatio publica, in gratiam Neronis, etiam ædem extruxerit Fœcunditati Poppeæ.

Cap. V.

De numinibus infantiæ Vagitano, Levana, &c. juventutis item, & ſenectutis præſidibus.

A Generatione venio ad ætatem, quæ quid aliud eſt, quam conſtitutio animalis ex vitæ curſu in tempore? Ut planè ſit modificatio potentiæ naturalis. Ætatis annos numeramus ab eo tempore, ex quo haurire cœpimus auram vitalem. In his annis maximè ſeptenarius, & novenarius in conſiderationem veniunt: quorum ille Apollini, hic Muſis eſt ſacer: ut ex Cenſorino diximus lib. III, cap. XX. Non addam quæ de annis climactericis ibidem memoramus.

In ætate primò attendimus primam, hoc eſt infantiam: ubi, ſi intra nutritionem, & incrementum, communes nobis cum plantis affectiones conſiſtere velim: facilè negotio hoc defungar.

Sed quia ex nutritione, & augmento, proveniunt vires ad alia multa: viſum ſimul exſequi actus aliquos naturæ humanæ cum animalibus aliis, non item plantis, communes.

Infantium actus ſunt vagire, unde Vagitanus: rumam, ſive mammam ſugere, unde Rumina: edere, unde Eduſa: bibere, unde Potina, poſtmodo cubare, unde Cuba: & quoniam in cunis cubarent, Cunina: ac quia ſic caro &, vitalia, conſtituerentur, dea Carna: quia his oſſa fierent ſolidiora, Oſſilago: ubi jam ſtare inciperent Statulinus, vel Statinus, à ſtatu ſic dictus: ubi balbutire, ac fari aliquid inciperent, à fabulando Fabulinus: cui iccirco, Varrone *a* teſte, ſacrificabant, ſimulac loqui cœpiſſent. Præter iſtos alii etiam ſunt infantium Dii, ſed qui ad aliorum etiam, quàm infantium actus, pertineant. Ut Levana cùm recens nati levarentur de terra. Niſi inde potiùs, quòd Hebræis Levana eſt Luna. Sed obſtare videretur, quòd Diana, ſive Luna, vel Lucina virginibus quidem, & parturientibus, præeſſet: at non item edito jam fœtui præeſſe crederetur. Deæ Nundinæ dicata dies luſtrica, ſive, ut Tertullianus vocat, Nominalia; quibus infanti nomen imponeretur; ut Macrobius refert lib. I Saturnal. cap. XVI. Is dies feminis quidem octavus: maribus verò nonus: unde & huic Deæ fuit Nundinæ nomen; ſicuti & nundinæ inde. Teſtes Plutarchus, Feſtus, Macrobius. Paventia ab infantibus avertebat pavorem. Quia verò infantium numina non variè diſcerpere, ſed ſimul complecti, viſum fuit, addam & illud, quod longius etiam à nutritione abit, creditum infantibus inimicum eſſe Sylvanum, in ſylvis degentem, qui cypreſſum geſtans fingebatur, quia, ut ajunt, eam in arborem converſum puerum adamatum. Quia verò hic terribilis erat infantibus, eò adverſus illum cuſtodes erant Intercidona, Pilumnus & Picumnus. De quibus ſic B. Auguſtinus de Civit. Dei lib. VI, cap. IX: *Mulieri fœtæ poſt partum tres Deos cuſtodes commemorat adhiberi, ne Sylvanus Deus per noctem ingrediatur, & vexet, eorumque cuſtodum ſignificandorum cauſſa tres homines circumire limina domus, & primo limen ſecuri ferire, poſtea pilo, tertio deverrere ſcopis; ut his datis culturæ ſignis Deus Sylvanus prohibeatur intrare.* Et mox: *Ab his tribus rebus tres nuncupatos Deos, Intercidonem, à ſecuris interciſione: Pilumnum à pilo: Deverram à ſcopis. Quibus deis cuſtodibus, contra vim Dei Sylvani fœta conſervantur.*

a De liberis educandis.

Quamquam vero fœdè in eo peccatum, quod partus & infantium cuſtodiam tribuerent fictitiis Diis, rectè tamen viderunt divino numini curæ eſſe partus hominum, & infantilem ætatem, tot per ſe periculis expoſitam. Atque idem nos Chriſtus docet, cum ait, angelos, qui aſſiduè contemplantur faciem Dei, iis additos eſſe cuſtodes, atque ab angelis puniendos, qui ex puſionibus iſtis alicui damnum dare velint. Huc enim pertinent verba illa Matth. XIIX, 10.

Atque hæc de infantiæ numinibus ſufficiant. Dicam nunc de Juventute, quæ & Ὥρα dicitur. Unde ab Heſychio exponitur τὸ ἔαρ, ὁ θέρος, ἡ μορφή· *ver, æſtas, forma.* Hora igitur eſt verna aëris temperies; ac amœnitas etiam æſtatis fructibus formoſæ; præterea etiam forma ſive venuſtas; præcipuè juventutis: quæ ætatis pars eſt formoſiſſima, ut ver anni. Hinc Catullus:

Jucundum cùm ætas florida ver ageret.

Itaque & Hora dicta eſt, quæ aliter Ἥβη, Latinis *Juventa*, ut Ovid. lib. I Triſt. eleg. ad Flaccum: item Juventas. Huic divæ ædem in Circo Maximo exſtruxit Licinius Lucullus duumvir: quam ſexdecim annis ante voverat Livius Salinator conſul, quo die cecîdit Aſdrubalem: anno nempe Urbis IↃXLVII. Horam eſſe eandem indicat Nonius. *Hora juventutis Dea.* Enniús in primo Annal.

Teque, Quirine pater veneror, Horamque Quirini.

In Gloſſis Philoxeni eſt: *Jolinta*, ἥβη. Ubi rectè pro *Jolinta* corrigunt *joventa*. Sed dubium num vocali mutatâ, reſcribi debeat ὥρα, an conſonâ mutatâ, ἥβη. Nam pro diversâ conſiderandi ratione varias ſortitur appellationes: ὥρα potiùs anni partem, ἥβη ætatis humanæ deſignat.

Fingunt poëtæ Heben fuiſſe Jovis ex Junone ipſa filiam, ac quia eſſet formoſiſſima, ad hoc delectam ut à poculis foret. Quod Athenæus in X fictum ait διὰ τὸ ἡβητήρια καλεῖσθαι τὰ συμπόσια. *Quia hebeteria vocentur Sympoſia.* Præterea ajunt poëtæ, cum Jupiter apud Æthiopas convivium id haberet, de quo Iliad. Α legere eſt, Heben minùs cautam fuiſſe ob lubricitatem loci collapſam, ſic ut veſtibus reductis, muliebria conſpicerentur à Diis: eo offenſum Jovem, in Hebes locum ſurrogaſſe Ganymedem, Trois filium, adoleſcentem longè pulcerrimum: imò ab omnibus diis hanc cooptionem factam eſſe, legas Iliad. Υ. Nec tamen Ganymedem Deorum omnium, ſed Jovis unius fuiſſe miniſtrum, licet Hebe miniſtra Deorum omnium fuiſſet, cognoſcimus ex Iliad. Δ, & Euſtathio ibidem, atque innuit idem Cicero in primo de Natura Deorum. Ganymedem tantummodo, ut à poculis eſſet, in cælum à Jove eſſe raptum refert Homerus. Sed ab aliis id factum dicitur, ut flore ejus ætatis abuteretur. Unde & nihil æquè momordit Junonem, quàm, ut eſt I Æn.

—— *Rapti Ganymedis honores*:

& Lucianus propterea Junonem cum Jove jurgantem inducit. Eamque opinionem ſecuti Latini, quando non tam ex κατὰ *a*, & μισθὸς *b*, σ præterito, quàm ex Γανυμήδης, *catamitus*, pro puero meritorio fecere. Meritò autem hanc fabulam damnat Plato in primo de Legibus; ut qua nihil turpius de Jovis, & moribus magis noxium fingi potuiſſet. Nempe poëtæ raptum Ganymedis tribuere Jovi cæleſti, cùm ſecundum hiſtoriam à Tantalo is, Phrygiæ, & Paphlagoniæ rege, raptus fuerit, centum circiter annis ante bellum Trojanum:

a Ob. b Merces.

ut

ut oſtendimus lib. 1, cap. XIV. Sic hiſtoria habet. Interim ſi φυσικῶς Ganymedes attendatur, is fuerit media hyemis pars, quando Sol eſt in Aquario. Is enim Jovis pincerna eſt, quia aquas fundit cæleſtes. Unde & Ganymedes in Aquarii ſignum dicitur converſus: ut eſt apud Hyginum fab. CCXXXIV.

At Hebe notat vernam anni tempeſtatem, imò omne id tempus anni, quod ſerenius eſſe ſolet. Per turpem igitur Hebes caſum intelligitur, tempus illud quo deſinunt dies ſereni ac ſuccedit, ut Heſiodus in ſecundo Ἔργων appellat, Χείματος ὥρη ὀμβρηρὴ *a*. Sanè & Græcis χειμὰς, ac χειμὼν *b*, ἀπὸ τοῦ χέειν, quia aquas fundat. Et fortaſſe *hyems* ſimiliter ἀπὸ τοῦ ὕειν, quod eſt pluere. Heben verò, in cæleſtibus habitam, indicat ſuperior fabula: & apud Phliaſios Hebes erat feſtum, quod κισσοτόμους *c* vocabant. Auctor Pauſanias in Corinthiacis.

a Hyemis pars pluvia
b Hyems.
c Hederæ ſectionis.

Senectus & ipſa inter numina locum meruiſſe viſa eſt. Apud Gaditanos quidem ara ei poſita fuit: ut eſt apud Philoſtratum lib. V de vita Apollonii, cap. 1. Et ſi Juventa eſt Dea ob venuſtatem, & vires, Senectus Dea fuerit ob prudentiam, & cani capitis, venerationem. A Poëtis tamen, ut videre eſt VI Æn. ob triſtitiam ejus ætatis, in Orci faucibus ſedes ei datur una cum Cura, Luctu, Morbis, Metu, Fame, Egeſtate, & ſimilibus. Nempe vulgi judicium poëtæ ſæpius ſequi amant. At quanto aliter Tullius in Catone ſuo.

CAP. VI.

De Diis præſidibus Sanitatis, ac Morbi: ubi Febris. De dea Morte, & Morta, ad ante dicta remiſſum: uti & de Parcis, & opinione gentilium, qua Reſurrectionem eſſe nobis Deam putarunt.

AD vitam etiam pertinet Σωτηρία, ſive Ὑγίεια, h. e. Salus, ſive Sanitas, aut Valetudo. Imò, ſecundùm Martialem.

Non eſt vivere, ſed valere, vita.

Eſt autem Sanitas, vis naturæ, conſtituens corpora noſtra ſecundùm naturam, ac proinde naturales obeundi actiones facultatem conſervans. Nempe non hîc de Salute publica agitur, de qua in Diis toti præfectis Reip. dicetur: ſed de Salute ſingulorum, ſive Dea, quatenus præſentem corporis ſanitatem conſervat, & cum Æſculapio ſæpius jungitur: ut apud Macrobium lib. 1 Saturnal. cap. XX. *Simulacris*, inquit, *Æſculapii, & Salutis draco ſubjungitur: quod hi ad Solis naturam, Lunæque referantur. Et eſt Æſculapius vis ſalubris de ſubſtantia Solis ſubveniens animis corporibuſque mortalium. Salus autem naturæ Lunaris effectus eſt quo corpora animantium juvantur ſalutifero firmata temperamento. Ideo ergo ſimulacris eorum junguntur figuræ draconum: quia præſtant, ut humana corpora, velut infirmitatis pelle depoſita, ad priſtinum revireſcant virorem, ut vireſcunt dracones per annos ſingulos, pelle ſenectutis exutâ.*

Ex Deabus etiam Saluti additis cognoſcere eſt, non Salutem populi, ſed corporis ſanitatem ſignari, cum idem Macrobius lib. 1, cap. XVI ait, *apud veteres, qui nominâſſet Salutem, Semoniam, Seiam, Segetiam, Tutulinam, ferias obſervabat.* Σωτηρίας, ſive Salutis, templum, teſte Pauſania, erat Ægii, Achæorum Urbe, Deæ ſimulachrum nulli licebat conſpicere, exceptis ſacerdotibus. Moris erat ſacerdotibus à Dea Salute accipere bellaria, quæ conjectabant in mare, ſeque ea mittere ajebant Arethuſæ, quæ eſt Syracuſis. Eodem Achaicorum libro refert Pauſanias, Patris quoque fuiſſe templum ac ſignum lapideum, ab Eurypylo dedicatum, cum ab Inſaniæ morbo liberatus foret. Etiam Romæ ſignum inauratum Saluti, ob graſſantem peſtilentiam, vovit, deditque A. Poſtumius Albinus, ut eſt apud Livium lib. XL. Symbolum ejus ſerpens, ut dicetur in Theologia Symbolica. Loquimur verò nunc de Salute, quatenus eſt vis naturalis, qua animal idoneum eſt ad actus ſuos obeundos: uti dictum. Præterea verò conſideratur, quatenus ab aëre hæc vis magnam partem proficiſcitur. Sanè aër eſt Juno: unde Juno Soſpita, quo nomine aër ſignatur cum facultate corpora noſtra in ſtatu bono conſervandi.

Juturna etiam valetudini præfuit. Ea Turni ſoror fuit, ſubmerſaque in lacu, nomen illi fecit, ac quia aqua ejus admodum eſſet ſalubris, in Deatum numerum relata eſt: atque à *juvando*, ſive adjuvando dicta eſt Juturna, qua forma à *ſatu* putatur dictus Saturnus. De hac ita Maro XII Æn.

Extemplo Turni ſic eſt affata ſororem
Diva deam, ſtagnis quæ fluminibuſque ſonoris
Præſidet: hunc illi rex ætheris altus honorem
Jupiter, erepta pro virginitate ſacravit.

Quem ad locum ita Servius P. Danielis: *Juturna fons eſt in Italia ſaluberrimus, juxta Numicum fluvium, cui nomen à juvando eſt inditum. Cum enim naturaliter omnis aqua noxia ſit extraneorum corporibus, hic omnibus ſaluberrimus fons eſt. De hoc autem fonte Romam ad omnia ſacrificia aqua adferri conſueverat. Bene ergo Virgilius Turno fingit ſororem, quæ laborantes juvare conſuevit: huic fonti per Aquaminum inopum* a *ſacrificari ſolet: cui Lutatius Catulus primus templum in campo Martis fecit; nam & Juturnas ferias celebrant, qui artificium aqua exercent, quem diem feſtum* JUTURNALIA *dicunt. Varro rerum divinarum quartodecimo, ait: Juturna inter proprios Deos, nymphaſque ponitur.* Hæc Servius. Eſt & apud eundem Varronem libro IV de L. L. *Nympha Juturna, quæ juvaret. Itaque multi ægroti, propter id nomen, hinc aquam petere ſolent.* Quibus ex verbis ſuperiora Servii cenſeo corrigi oportere. Nempe pro *extraneorum* reſcribendo *ægrotorum.* Ædis ejus erat in campo Martio, prope aquam Virgineam, ut eſt apud Pub. Victorem; videlicet in regione Flaminea. Atque idem firmat Ovidius in Faſtis:

a Lege, per aquarum inopiam.

Te quoque lux eadem Turni ſoror ade recepit,
Hic ubi Virginea campus obitur aqua.

Quemadmodum autem ſanitas oritur partim ex bona temperie calidi & humidi cum frigido & ſicco: partim ex recta membrorum conformatione; & continuatione: ita & Morbus partim naſcitur ex intemperie; ut febris: partim ex mala membrorum conformatione, aut ſolutione, ut vulnera, & apoſtemata.

Circa morbos verſatur Medicina; eoque tum ratione objecti, quod eſt corpus morbidum, tum finis, qui eſt ſanitas, ad Vitam refertur: etſi ad habitus mentis pertineat, ſi ſcientiam in ſe conſideremus. Atque, hinc cognoſcere eſt, quatenus & hujus ſit loci *Meditrina*, quæ morbis medetur. Feſtum vide in Meditrinalia. Puto hanc Deam eſſe eandem, ac eam quæ Græcis dicitur Jaſo. Sed diverſa eſt ab Hygia, ſive Salute. Nam Dea Salus etiam conſervat ſanitatem, ne in morbum homo incidat. At Jaſo ſolùm ſanitatem perditam inſtaurat. Siquidem Ἰασὼ παρὰ τὴν ἴασιν ὠνόμασται *b*, ut ait vetus Ariſtophanis Scholiaſtes in Plutum *c*. Meminit ejus Pauſanias in Atticis: ubi de Amphiarai templo agens *d*, ait, quartam aræ partem eſſe Ἀφροδίτης, καὶ Πανακείας, ἔτι δὲ Ἰασοῦς, καὶ Ὑγείας, καὶ Ἀθηνᾶς Παιωνίας. *Veneris, Panaceæ, Jaſus, & Hygiæ, & Minervæ Pæoniæ.* Ubi videmus, diverſam ſtatui Deam ab Hygia, ſive Salute: ſicut antea dicebamus. Utrùm verò Jaſo Æſculapii, an Amphiarai filia ſit, ambigitur. Si Hermippum in trimetris audimus, Æſculapio & Lampetia, Solis filiâ, nati ſunt Machaon, Podalirius, Iaſo, Panacea, & natu minima Ægle: ut ibidem ait ſcholiaſtes. Sed alii aliter, ut idem indicat.

b Jaſo nominata, quia medeatur morbis.
c Pag. 37. edit. Froben
d Pag. 64. edit. Hanovienſis an. 1613.

Πανάκεια exponitur ἴασις: ut videre eſt apud Callimachi ſcholiſten hymno in Apollinem. Itaque Panacea poterat eadem videri ac Jaſo. Sed diſtinguit, ut jam vidimus, tum Hermippus, tum Pauſanias. Imò Ariſtophanes ipſe, cùm prius ei nominata eſſet Jaſo, de Panacea ſubjungit verſu ſequenti. Eſſe filiam Æſculapii dictam ex Hermippo. Ac ſimiliter Plinius lib. XXV, cap. IV: *Panaces ipſo nomine omnium morborum remedia promittit,*

mittit, numeroſum, & Dis inventoribus adſcriptum. Unum quippe Aſclepion cognominatur, quoniam is filiam Panaceam appellavit.

Mirùm verò etiam in Deorum numerum retuliſſe morbos. Quod factum à Poëtis. Unde Maro VI Æn.

—— Primis in faucibus Orci
Pallentes habitant morbi. ——

Nec modo id verum, ſecundùm Theologiam Poëticam, ſed etiam civilem. De Febri hæc docet Cicero lib. III de Natura Deorum: *Febris enim fanum in Palatio: & ædem Larum, & aram malæ Fortunæ, Eſquiliis conſecratam videmus.* Plinius lib. II, cap. VII: *Ideoque etiam publice Febri fanum in Palatio dicatum eſt, Orbonæ ad ædem Larium, & ara malæ Fortunæ Eſquiliis.* Quem locum perperam ſollicitabat doctiſſimus Pincianus. Idem legas apud complures ſcriptores Eccleſiaſticos. Qualis Minutius Felix in Octavio, & Cyprianus lib. de Idolorum vanitate. Utriuſque verba ſunt: *Pavorem Hoſtilius, atque Pallorem coluit, mox à neſcio quo Febris dedicata.* Ac ſimiliter B. Auguſtinus lib. XX contra Fauſtum, cap. IX: *Corporalium vitiorum ſimulachra Romani conſecraverunt*, ſicut Palloris, & *Febris.* Idem lib. IV de Civit. Dei, cap. XXIII: *Ut cum ea* (Felicitate) *coleretur Priapus, & Pavor, & Pallor, & Febris, non numina colendorum, ſed crimina colentium.* Et ante tres iſtos, è Græcis doctiſſimus Clemens Alexand. Admon. ad gentes: Ῥωμαῖοι δὲ, Ἀπομυίῳ Ἡρακλεῖ, καὶ Πυρετῷ δὲ, καὶ Φόβῳ θύουσιν· οὓς καὶ αὐτοὺς μετὰ τῶν ἀμφὶ τὸν Ἡρακλέα, ἐγγράφουσι· *Romani Herculi, Muſcarum depulſori, & Febri, ac Pavori ſacrificant: quos ipſos adſcribunt quoque in numerum eorum, qui fuerint cum Hercule.* Ac ibidem ſubdit, ut Argivis & Lacedæmoniis à tuſſi, qui & ipſe morbus, Diana ſit dicta χελύτις, ἐπεὶ τὸ βήττειν χελύττειν καλοῦσιν· quoniam tuſſire iis eſt CHELYTTEIN. Credo, quia Lunæ radii tuſſim ac gravedinem conciliant: ut alibi diximus ex Plutarcho.

Quartana Febris Saturni filia credita eſt.

Scabiem in Deorum numerum relatam, non memini me legere præterquam apud Prudentium in Ἁμαρτιγενείᾳ, ubi inquit:

Par furor illorum, quos tradit fama, dicatis
Conſecrâſſe Deas Febrem, Scabiemque ſacellis.

Puto Prudentium famâ deceptum. In morbis etiam feminiis eſt menſtruorum ſuppreſſio. Huic medebatur Mena: per quam φυσικῶς intelligitur vis naturæ in feminis ſuperflui humoris expultrix. Nam menſtruis præerat. Nomen credo à Μήνη, hoc eſt Luna, quæ humori præſidet. Quare quatenus naturale corpus intelligendum, Lunare id erit. Hic verò ſpectamus, ut vim Lunarem: cujus effectus eſt expulſio humoris.

Morborum ac vitæ terminus eſt Mors: quæ Lacedæmoniis culta pro Dea: aliis item. Vide, quæ dicebamus lib. III, cap. XX. Nec mirum, ſi pro numine habita ſit, cùm tanta ejus vis in omnes mortales. Etiam Sanchuniathon *a* refert ut Saturnus ex Rhea genuerit filium Μὼθ, ac mortuum in Deorum numerum retulerit. Verba ejus adduximus lib. I, cap. XIX. Μὼθ verò Phœnicibus Mors. Θάνατον enim interpretatur. Et Hebræis מת tum *mori*, tum *mortem*, ſignat.

a Apud Euſebium lib. 1 de Præpar. Euang.

Vitæ ac Morti præerant Parcæ. Etſi enim Varro, Epigenes, alii, in eo diſcrepent, quid per Parcas intelligatur, in illo tamen omnes convenêre, quòd verſantur circa ſpatium temporis præfinitum. Nec ſane dubitandum, quin φυσικῶς quidem nihil eæ ſint aliud, quàm vis naturæ cuique menſuram ſuæ vitæ præfiniens. Itaque qui per acceptas naturæ vires diutius vivere potuiſſent; ante diem mori dicebantur. Sed de his abunde egimus lib. II, cap. XLIV: ubi de Morta, Parcarum una, ac universè de Parcis occaſione alia agebamus: quatenus nempe ab Aſtrologis, & aliis, ad Æthera, & particulatim ad Lunam reducuntur. Quare hic ſolum adnectam de Exſequiis, & ſepultura. Non quidem illa nobis communia ſunt cum plantis, imò ne beſtiis quidem: attamen vita & mors communia ſunt: iſta autem in hominem ubi vivere, deſiit, conſequuntur. Nec tamen cum ullo contendero, qui his locum malit dare poſt cuncta, quæ pertinent ad hominem, dum vita, ſenſu, motu, & ratione fruitur.

Quod ſi nationibus foret, habenda fides, ad Vitæ, ac Mortis numina etiam pertinet Reſurrectio carnis. Nam ſtultæ gentes credidere Chriſtianis reſurrectionem eſſe Deam: idque quia Paulus iis annunciaret Jeſum, & Reſurrectionem. Vide Chryſoſtomi Homil. XXXVIII in Acta.

Cap. VII.

Acceditur ad alterum genus affectionum: quod homini convenit, quatenus animal eſt. Ubi primum in conſiderationem venit Dea Echo, quia auditu percipitur.

Ab iis, quæ hominem tangunt, quatenus eſt in eorum numero quæ vivunt, & morti ſunt obnoxia: tranſeo ad affectiones illas, quæ hominis ſunt quatenus animal eſt: ut ſunt ſenſus, appetitus animalis, & motus ſecundùm locum. Atque huc pertinent ſenſuum objecta. Qualis eſt ſonus, tum directus; tum reflexus, qui Echo dicitur, ἀφὴ τῆς νεάτης λήγοντος, *tactio poſtrema vocis deſinentis*; ut eidem philoſopho deſcribitur in problem. ſect. XIX.

Echo, bifariam nobis conſideranda: prius quatenus res eſt naturalis, & admirationis plena, noſque, cauſſis cognitis ſecundis ad principem cauſſam, nempe Deum ipſum ducit. Deinde quatenus gentiles admiratione, ex ignorantia cauſſæ profectâ, eam pro numine habuerunt.

Si naturam Echus conſideres eſt ſonus, ut dixi, reflexus, ſive reciprocus. Si igitur non redeat, unde venit, echo non erit. Quare non eſt echo, quando à loquente rectà pergit ſonus ad audientem, nec ad loquentem redit: ut cum ad parietem Titius aliquid muſſitat, ac Mævius longo diſtans ſpatio ad eundem parietem admovens aures id probè intelligit, nihil audientibus, qui multo propiùs adſtant loquenti. Nempe tubus ſive fiſtula ineſt parieti, per quem ſonus ab eo etiam, qui voce loquitur ſubmiſſa, rectà fertur ad audientem. Nulla verò hic vocis reſultatio: ut probare non poſſim ſummum virum, Stephanum Pighium Campenſem, variis ingenii doctrinæque monumentis, ac præcipue Annalibus Romanis præclarè meritum de Rep. literaria. Is in Hercule Prodicio *a*, *a P. 306.*
quo loco agit de Mantua à Carolo, Clivienſis principe juventutis, luſtratâ, narrat, ut in villa Mantuani principis *The* dicta, echo (ſic vocat) invenire ſit, *quæ ſubmiſſe loquentium verba in parietum angulis ita plenè, ut intelligi poſſint, reddit auſcultantibus, & aurem adverſo parieti applicantibus per paſſus mille viginti.*

Nec interea ſufficit, ſi Echo dicatur ſonus reflexus propriè, ſed dicendum ſonus reflexus manifeſte. Nam quemadmodum omne lumen reflectitur, ut ex umbra videmus, quæ eſt lumen reflexum ab lumine rectà penetrante: ſic omnis etiam vox reflectitur, ſed non manifeſtè. Teſtis utriuſque hujus Ariſtoteles lib. II de Anima, cap. VIII, ſive context. LXXX.

Sed quæritur unde, echus ſit ſonus manifeſtus. Nempe eſt id ex eo, quod tum, ut Lucretius lib. IV loquitur,

Pars ſolidis adliſa locis rejecta ſonorem
Reddit.

Maronis quoque eſt IV Georg.

—— Vociſque offenſa reſultat imago.

Nec enim reſultaret, niſi ſolidum quid obſtaret.

Verumtamen non ſufficit, ut locus ſit ſolidus; ſed concavum eſſe neceſſe eſt. Sic enim contingit, ut cùm aër motus nondum poſſit ceſſare, redeat, & quidem lineâ rectâ contrà quam fit, ſi in rectum parietem aër ſonum deferens impingat, quia tum diffundit ſe quaquoverſum. Nempe in loco concavo non invenit à lateribus

exi-

exitum: eoque conſtringitur uſque dum ad os loci concavi pertingat: hinc ſe iterum diffundit, idque ſic ut recta redeat pars ſoni: unde & ab iis, qui ex adverſo loci concavi conſiſtunt magis exauditur, quam qui à lateribus ſunt. Concava autem loca ſunt, montes, & rupes; ſylvæ, & antra: ripæ item, ac litora. Quorum ſingula ex antiquis potiſſimum adſtruemus. Agmen ducat Plutarchus in Marii vita: ubi cur ejulatus Ambronum horribilis adeo ac belluinus viſus ſit, non modo à tempore cauſſam petit, hoc eſt à nocte, qua ſilent voces hominumque canumque; ſed etiam à loco, partim nempe à convallibus, partim à fluminis alveis: quæ duo ſonum duplicabant. Verba ejus ſunt: Ὀδυρμὸς ἦν διὰ νυκτὸς, οὐ κλαυθμοῖς, οὐδὲ στεναγμοῖς ἀνθρώπων ἐοικὼς· ἀλλὰ θηριομιγής τις ὠρυγὴ καὶ βρύχημα μεμιγμένον ἀπειλαῖς, καὶ θρήνοις, ἀναπεμπόμενον ἐκ πλήθους τοσούτου, τά τε πέριξ ὄρη καὶ τὰ κοῖλα τοῦ ποταμοῦ περιεφώνει· *Ejulatus erat per noctem, non ploratui, vel gemitibus humanis ſimilis, ſed quaſi belluinus rugitus ac fremitus minis, & lamentis commixtus: redditus ex tanta hominum multitudine: unde circumjecti montes, & cava fluminis reſonarent.* De montium ſatis aperta eſt ratio ex illis Plinii verbis lib. II Nat. Hiſt. cap. XLV: *Montium verò flexus, crebrique vertices, & complexi ſubito anfractu innumeroſa juga, concavi vallium ſinus, ſcindunt inæqualiter inde reſultantem aëra, quæ cauſſa etiam voces multis in locis reciprocas facit.* Hinc Seneca Troade:

—— Habitanſque cavis
Montibus Echo.

De fluminibus item eſt à loci concavitate: unde, ut vidimus, Plutarchus ait, τὰ κοῖλα ποταμοῦ, *cava fluminis.* Nimirum aqua eſt depreſſior terrâ, fluminaque non rectâ feruntur, ſed fere per anfractus. Atque in iſtis anfractibus fit echo. Unde B. Ambroſius VI Hexaëm. cap. IX: *Siquidem velut in concavis montium vel in receſſu rupium, vel in anfractu fluminum, vox auditur dulcior; & reſponſa ſuavia referens echo, reſultat.* Accedit, quod in fluviis ſubinde occurrant rupes ac ſaxa concava. Sic rupes eſt ad Hydaſpim, qua ſe magnopere flectit:
a P. 108. edit. H. St. ut Arrianus ait in V de Exped. Alex. *a*. Et in Aceſinem amne, ut idem poſtea *b* tradit, ſunt magnæ & aſperæ cautes;
b P. 115. quibus illiſæ ac repercuſſæ undæ magnos concitant vortices. Hujuſmodi in locis echo audiri quid mirum? Quod idem in litoribus locum habet. Unde Naſo Epiſt. X:

Interea toto clamanti litore Theſen,
Reddebant nomen concava ſaxa tuum.

Ubi cum litore videmus jungi ſaxa: uti cum monte eadem jungit Pauſanias in Attic. I. Narrat enim ut Perſæ poſt populatum agrum Megarenſem ſe Thebas receperint ad ducem ſuum Mardonium: cùm verò de nocte iter facere cœpiſſent Luna ſplendente, cælumque poſtea nubibus obduceretur, ob tenebras τῆς ὁδοῦ σφᾶς ἁμαρτάνοντας ἐς τὴν ὀρεινὴν τραπέσθαι τῆς χώρας, *à via ſua aberrantes ad montanam regionis partem deflexiſſe.* Addit, hic deceptos tenebris, putaſſe ſe ex adverſo conſpicere agmen Græcorum: eoque tela undique libraſſe: ad horum verò ictus τὴν πλησίον πέτραν *propinquam rupem* gemitus imaginem edidiſſe: eo magis creditum eſſe homines, quos impeterent: propterea nec ante finem feciſſe jaculandi, quàm omnes profudiſſent ſagittas, ubi verò diluxerat, Megarenſes conſpectis Perſis, iiſque inermibus impetu facto magnam eorum partem trucidaſſe: poſteaque ſignum dedicaſſe Ἀρτέμιδος Σωτείρας· *Dianæ Soſpitæ*: nempe quod ea nocte lumen ſuum negaſſet Perſis. Nempe anfractus vel concavitas rupis in cauſſa fuit, cur ſic reſonaret. Quomodo & Ovidius, ut ante vidimus, non ἁπλῶς *ſaxa*, ſed *concava ſaxa* ait nomen Theſei reddidiſſe. Similiter Maro loco antè citato Georg. IV.

—— aut ubi concava pulſu
Saxa ſonant, vociſque offenſa reſultat imago.

Junianus quoque Juſtinus Philippicæ ex Trogo Hiſtoriæ lib. XXIV rupi montis Parnaſſi, in qua exſtructum eſt templum, Apollinis Delphici, anfractum tribuit, à quo ſonus redderetur. *In hoc*, inquit, *rupis anfractu.* Et Paullo ante dixerat. Formam habere theatri, quæ eſt circuli dimidii. Ipſum audiamus: lib. XXIV: *Media ſaxi rupes in formam theatri receſſit. Quamobrem & hominum clamor, & ſiquando accedit tubarum ſonus, perſonantibus & reſpondentibus inter ſe rupibus multiplex audiri, ampliorque quàm editur, reſonare ſolet. Quæ res majorem majeſtatis terrorem ignaris rei, & admirationem ſtupentibus plerumque adfert.* Hujuſmodi rupes etiam ſignare arbitror Appuleium in V de Aſino aureo; ubi de ſororibus Pſyches poſtquam venêre eo loci, ubi Pſyche fuerat deſerta, *deflebant*, inquit, *oculos, & plangebant ubera: quoad crebris earum ejulatibus ſaxa cauteſque parilem ſonum reſultarent.* Item è poëtis Lucretium, cùm in IV ait:

—— Quo pacto per loca ſola,
Saxa pareis formas verborum ex ordine reddant.

Item Auſonium epiſt. XXV. Sed hic etiam jungit tum ſaxa, & ſcopulos, tum nemora, antra, ac rivos. Sic enim canit:

Reſpondent & ſaxa homini; percuſſus ab antris
Sermo redit; redit & nemorum vocalis origo.
Litorei clamant ſcopuli, dant murmura rivi.

Etiam Sylvas, antra, rivos, ſcopulos, & universè, ſaxa ſeu rupes complexus Claudianus de IV Honorii conſulatu:

Tunc Sylvæ, tunc antra loqui, tunc vivere fontes,
Tunc ſacer horror aquis, aditiſque effunditur Echo
Clarior, & doctæ ſpirant præſagia rupes.

De Sylvis eſt hoc Maronis Ecl. X:

—— Reſpondent omnia Sylvæ.

Ac III Georg.

Et vox aſſenſum nemorum ingeminata remugit.

Hic quoque ratio peti debet exinde, quod concava ſint nemora. Unde ſic Poliænus lib. I Strategematum, ubi de Pane diſſerit: Οἱ μὲν ἠλάλαξαν· ἀντήχησαν δὲ αἱ πέτραι, καὶ τὸ κοῖλον τῆς νάπης ἦχον πολὺ μείζονα δυνάμεως τοῖς πολεμίοις ἐνεπήχησεν· *Ac hi quidem clamorem bellicum ſuſtulerunt: reſonuere autem petræ, & cavitas ſaltus longè majorem reddebat ſonitum, quam editus eſſet à militibus.*

Videmus hic duas cauſſas terroris incuſſi concurrere: unam à petris, ſive montibus: alteram à ſylvis. Quas ſæpius jungi videas ab hiſtoricis. Livius lib. XXI: *Equi maximè infeſtum agmen faciebant: qui & clamoribus diſſonis, quos nemora etiam repercuſſæque valles augebant, territi trepidabant.* Curtius lib. III: *Jam in conſpectu, ſed extra teli jactum utraque acies erat, cùm priores Perſæ inconditum & trucem ſuſtulere clamorem. Redditur & à Macedonibus major. Exercitus impar numero, ſed jugis montium, vaſtiſque ſaltibus repercuſſus. Quippe ſemper circumjecta nemora, petræque, quantamcumque accepere vocem, multiplicato ſono referunt.* Tacitus Annal. I: *Nox per diverſa inquies, cum barbari feſtis epulis læto cantu, aut truci ſono, ſubjecta vallium, ac reſultantis ſaltus complerent.* Atque ex his, quæ diximus, etiam cognoſcere eſt, cur ut mox exemplis planius fiet, etiam porticus reſonent, & opera alia concamerata; Cùm verò è concavis locis reddatur ſonus, in concluſis non fit idem, quia non datur exitus aëri moto, ſonumque deferenti, unde cum aere conturbatur, qui recta linea deferri debuit. Cur tamen ſolum audiantur extrema (ῥήματος ἄκρον vocat Evodus in IV Ἀντιλογίας *a*) non a Cap. 10.
meliorem adduxeris rationem, quàm quod aer prius dictorum, ſonum referens in redeundo conturbetur ab aere conſequente: hic verò non item confundatur ab alio. Aſt quoties ſæpiùs idem repetitur, primi ſoni valentiores ſunt ſequentibus, quia aer motus morâ fit imbecillior. Quatuor autem ſunt virtutes Echûs. Prima eſt ſi ſit velox. Pro ratione autem concavitatis aut velox eſt, aut tarda. Altera eſt, ſi clara. Ad quod multum confert aëris, & loci ſiccitas. Difficilius enim ſonus defertur aëre humido ac craſſo, quàm liquido & tenui. Imò quod in imagine viſui repræſentanda præſtat ſpeculi nitor: id in

ſoni

ſoni repercuſſione ſiccitas aëris. Loci enim ſiccitatem conferre indicat, quod prope templorum rudera clarius echo reſonet: ut ait Cardanus lib. XVIII de Subtilitatibus. Tertia laus eſt ſi ſemel dicta ſæpe referat. Eo autem ſæpius reſonat, quo ſæpius aër motus reperit loca concava in quæ impingat, ac mox reſultet. Quod vero poſt echo ſubinde auditur murmur, hoc inde eſt, quod vox repercuſſa quomodocumque alliſa qualem qualem ſonum gignat. Quarta commendatio eſt, quod non duas treſve, ſyllabas repetat: ſed denas etiam imo totum verſum heroicum. Quo autem Echo velocior eſt, eo & plura repetit. Quare à prima laude etiam hæc quarta dependet. De tertia quartaque laude, operæ fuerit exempla aliquot referre. Hæc enim ſunt quæ præcipuè admirationem cient.

Non ſemel duntaxat, vel iterum, ſed ter etiam reſonare indicat Pauſanias in ſecundo Corinthiacorum: ubi narrat ad dexteram templi quod Deæ Chtoniæ dicitur, eſt porticus Echûs vocata: φθεγξαμένῳ ἀνδρὶ τὰ ὀλίγιστα ἐς τρὶς ἀντιβοῆσαι πεφυκώς· *hominí vocem edenti minimum ter reſonare idonea.* Imò in Ægyptiis Pyramidibus vox una quater vel quinquies reſultat: ut Plutarchus ait lib. III de Placitis Philoſophorum, cap. XX. Quid? quod & ſepties, vel octies reſonant. Teſtis Lucretius lib. IV:

Sex etiam ſeptem loca vidi reddere voces
Unam cùm jaceres.

Fit illud in Elidis porticu illa, quæ à variis parietum picturis Ποικίλη, hoc eſt, Varia dicebatur. Quippe de ea ſic Pauſanias in priori Eliacorum libro: Βοήσαντι ἀνδρὶ ἑπτάκις ὑπὸ τοῦ ἤχους ἡ φωνὴ ἐπὶ τάδε, καὶ ἐπὶ πλέον ἔτι ἀποδίδοται· *aliquo inclamante, imago vocis ſepties vel etiam ſæpius redditur.* Idem tradit Plutarchus περὶ ἀδολεσχίας. Et ante hos Plinius lib. XXXVI, cap. XV: *Olympiæ, arte mirabili modo, in porticu, quam ob id* ἑπτάφωνον *appellant, ſepties eadem vox redditur.* Hoc ab arte eſſe ait Plinius. Exemplum aliud antè adduxerat, his verbis: *In urbe Cyzici juxta portam, quæ Thracia vocatur, turres* VII, *acceptas voces numeroſiore repercuſſu multiplicant.* Atque addit: *Et hoc quidem natura locorum evenit, & plerumque convallium, ibi caſu accidit.* Ubi mirum dicere id caſu evenire, cùm ſine dubio pro ſeptem turribus ſepties reſultet. Nam ad turres etiam ac ædificia vocem reflecti, non ſemel ipſe obſervavi. A natura igitur loco eſt illud: non qualis natura erat, ſed qualis humana opera evaſit. Quamquam & caſui tribuere poſſis, quatenus conſideras non hoc architectum ſibi propoſuiſſe, ut echo fieret: ſed ita eveniſſe præter opinionem, eoque nihil de hoc cogitante. Voluntas igitur architecti per ſe quidem cauſſa erat ſtructuræ iſtiuſmodi: Sed echûs non niſi per accidens cauſſa fuit: cujuſmodi cauſſa dicitur fortuna ſive caſus: ut alibi oſtenſum.

Alia etiam echûs multiplicis exempla adtexam. Sane & in Batavia noſtra prope Geervlietam vox eadem ſepties octieſve reſultat. Imò Franciſcus Scottus in Itinerario Italiæ refert experimento ſe comperiſſe in via Appia prope *Capo di Boi*, referente ſe verſum poëtæ octies articulatè, ſæpius etiam confusè repetitum. Atque alii quoque hoc de ſe narrant, qui periculum fecerant in verſu iſto Maroniano:

Arma virumque cano Trojæ qui primus ab oris.

In his Erneſtus Brinckius, conſul Hardervicenæ civitatis ampliſſimus, eruditioneque & virtute præſtantiſſimus.

Quemadmodum verò hic ex ſtructuræ modo enata eſt echo: ita & deſinente ſtructurâ denaſcitur echo. Ut extra Lutetiam Pariſiorum factum in valle Charentonia: olim, ut varii ex Gallicis ſcriptoribus teſtantur, hac diva inclyta. Sed deſiit ea, poſt Carmelitarum ibi cœnobium exſtructum.

Aliud etiam ἑπτάφωνα ἠχοῦς [a], & idem ex turrium poſitu, memorat Georginus Codinus in ſelectis ex Chronico de rebus Conſtantinopoleos: Ὁ μὲν Βύζας κατὰ τὸ ἄκρον τοῦ Βοσπορίας ἅλὸς διέγραψε πόλιν. Ποσειδῶνος δὲ καὶ Ἀπόλλωνος, ὥς φασι, συνεργούντων, ἀνῳκοδόμει τὰ τείχη, λόγου τε παντὸς κρείττονα μηχανώμενος. ἐν τούτῳ γὰρ ἐν αὐτῷ πύργους ἑπτὰ ὄντας ἀντιφθέγγεσθαί τε καὶ διηχεῖν ἀλλήλοις συνήρμοζεν· εἰ ποτε γὰρ σάλπιγξ, ἢ φωνή τις ἑτέρα τοῖς πύργοις ἐπεφοίτα, ἕτερος ἐξ ἑτέρου τὸν ἦχον ἐπεφοίτα, καὶ τῷ πρὸς τὸν ἕτερον κινήματι παρέπεμπεν. *Byzas in extremitate maris Boſporii urbem deſcripſit, & Neptuno Apollineque, ut ajunt, juvantibus, melius quam dixeris quiſquam, mœnia inſtauravit. Quippe ſeptem in ea turres ſic coaptavit, ut loqui inter ſe, & reſpondere viderentur. Si enim tuba aliuſve ſonitus turres percuſſerit, una alteri ſonum tranſmittit, donec ad extremam pertigerit.* Ubi quod à Byzante id artificium eſſe cenſet, parum veriſimile. Equidem à Conſtantino M. potius, vel juniori aliquo eſſe exiſtimo. Alioquin Plinius, vel vetuſtiorum talis, rem adeo dignam memoratu retuliſſet. Conimbricenſes ad Ariſt. lib. II de Anima, cap. VIII, quæſt. II meminere echûs Patavinæ decies interdum reciprocantis. Cardanus in duodevigeſimo de Subtilitate, cui, ut aliis aliud, de Mirabilibus nomen dedit, refert Ticini, quæ *Pavia* nunc, *in Baſilica magna (vocant Salam Itali) quæ juxta arcem civitatis, ex oſtio toties remitti voces, ut numerare nequeas: quandoque decimam-tertiam vocem exaudiri.* Imo poſtea ſubdit: *Accepi, ab aſtantibus olim ante oſtium fornicem porticus è regione poſitam fuiſſe, cujus etiam magna pars ſupereſt: multoque melius ſolitas reddi voces ſtantibus extra oſtium ſub fornice, locupletiuſque, ac majore fœnore: ut quatricies quandoque reſonarent.*

Hactenus naturam echûs conſideravimus: in qua tot admiranda ſe offerunt, per quæ Deus voluit, ut adſcenderemus ad Naturæ auctorem. Nunc videbimus, quomodo gentiles, poëtæ imprimis, quos vulgus ſequebatur, ſtatuerint echo (ut Lucianus ait dialogo περὶ οἴκου [a]) παρθένον τινὰ εἶναι τὴν ἀμειβομένην τοὺς ᾄδοντας ἢ βοῶντας, ἐν μέσοις τοῖς κρημνοῖς κατοικοῦσαν, καὶ λαλοῦσαν ἐκ τῶν πετρῶν ἔνδοθεν. *Virginem quandam eſſe, quæ canentibus vel clamantibus hoc modo reſpondeat, in mediis alicubi præcipitiis habitantem ac loquentem intus de rupibus.* Filia Cephiſi amnis ex Liriope nympha dicitur Ovidio III Met. Nempe quia in amnium ripis vox reſultare ſolet, ut antea oſtenſum. Aliis Junonis filia vocatur, h. e. aëris; quomodo & apud Auſonium ipſa undecimo ait epigrammate *Aëris, & linguæ ſum filia.* Nimirum quia vox fit lingua percutiente aëra. Etiam *ignotam oculis* Deam nuncupat, quia ſonus non videtur, ſed auditur. Panos deliciæ creditur. Ac quia Pan eſt Univerſitas, & præcipuè æther, eo Pythagorici per Echo non ἁπλῶς ſonum reflexum intellexere, ſed cœleſtium orbium ἁρμονίαν: ut Macrobius ait lib. I Saturn. cap. XXI. Sed longè hoc arceſſitum. Simplicius, veriuſque, cùm Echo Panos amor creditur, Deus ille conſideratur non ut eſt Univerſitas; juxta theologiam naturalem; ſed ut ſecundum civilem erat Deus Sylvarum, montium in convallium, ubi jocoſa illa imago imprimis regnat. Fingunt autem poëtæ potiſſimum reſponſare echo mœrentibus ac plangentibus. Nempe quia iſti loca quærunt ſola ac deſerta: uti ſunt montes ac nemora, in quibus echo imprimis exauditur, ut antea diximus.

Etiam, ſi echo audiretur, augurium inde captabant. Quam rationem ut cæteros augurandi modos, Chriſtiani jure improbabant. Hinc in Vita S. Eligii, Novioduncnſis Epiſcopi legas: *Nullus, ſive exiens ſive egrediens domo, obſerves, quid ſibi occurrat, vel numque vox reciproca, ſeu echo audiatur, aut quid aves garriant, vel quid ſit, quod portat ei factus obviam.*

Quomodo olim, ut poëtæ ajunt, virgo fuerit, ac Narciſſum adamarit, cumque eo potiri non poſſet, in vocem ſit commutata, fusè & eleganter narrat Ovid. III Met. Extrema ſolùm apponam. Cætera, qui volet, ex fonte petat.

[a] Loci ſeptenæ vocibus.

[a] Dialog. de domo.

Aud. Noviom. lib. 9. Se creyſ. cap. 13.

Sed

Sed tamen hæret amor, creſcitque dolore repulſæ,
Et tenuant vigiles corpus miſerabile curæ,
Adducitque cutem macies, & in aëra ſuccus
Corporis omnis abit; vox tantum, atque oſſa ſuperſunt.
Vox manet: oſſa ferunt lapidis traxiſſe figuram.
Inde latet ſylvis, nulloque in monte videtur;
Omnibus auditur: ſonus eſt, qui vivit in illa.

Cum fingitur Echo Narciſſum amare, ſignificari puto vanos vana diligere ac conſectari. Nam quid echo, niſi ſonus inanis? quid Narciſſus, niſi fabuloſus puer, vana ſibi formà placens, ſapientiæ vacuus. Itaque & ſic dictus à flore βαρυόδμου *gravis odoris*: qui νάρκην ἐμποιεῖ τοῖς νεύροις, (ſic apud Clementem Alex. *a* legi debet *b*) h. e. *torporem nervis inducit*. Quid autem præclari à torpido exſpectes?

a *Lib.* 2 *Pædag.*
b *Male vulgo* ναρκᾷν.

Pan, h.e. rerum univerſitas, amat Echo: quia rerum natura ubique terrarum gaudet hac imagine jocoſa, ut vocat Horatius *c*. Et quam omnes, pueri imprimis & virgines, hac ſoni repetitione capi ſolent! Eaque res fecit, ut poëtæ etiam, qui delectare volunt, carmen pangerent, ubi colloquium foret, & alter prioris extrema repeteret. Primus, eorum, qui exſtant, exemplum Ariſtophanes reliquit in Θεσμοφοριαζούσαις.

c *Lib.* 1. *od.* 12.

In Anthologia etiam lib. IV exempla Gauradæ habes iſtiuſmodi, ubi Pan introducitur loquens:

Ἀχοῖ φίλα μοι συγκατάινεσόν τι. τί;
Ἐρῶ κορίσκας, ἁ δέ μ' οὐ φιλεῖ. φιλεῖ.
Πρᾶξαι δ' ὁ καιρὸς καιρὸν οὐ φέρει. φέρει.
Τὺ τοίνυν αὐτᾷ λέξον ὡς ἐρῶ. ἐρῶ.
Καὶ πίστιν αὐτᾷ χρημάτων τὺ δός. τὺ δός.
Ἀχοῖ, τί λοιπὸν ἢ πόθου τυχεῖν. τυχεῖν.

Quæ ſic reddidit Hugo Grotius;

Echo docebis mene quæ volo? volo.
Amare me, ſed non amari fama. fama.
Fruine tempus ut queam dabit? dabit.
Fer verba amoris ſigna quem feram. feram.
Fidem ſed auri te rogo duis. duis.
Echo quid ultra reſtat? an frui? frui.

Mirum verò Pythagoram etiam cultum Echûs adprobaſſe. Id enim comprobari videtur ſymbolo ejus, quod apud Jamblichum habes in ſecundo commentariorum Pythagoricorum, ſymbolo VIII. Eſt verò iſtiuſmodi: Ἀνέμων πνεόντων τὴν ἠχὼ προσκύνει. Quod Marſilius Ficinus in Pythagoræ Symbolis cum variis Platonicorum opuſculis typis Aldi editis *d* ſic expreſſit *e*: *Flantibus ventis Echo adora.* Lilius Gyraldus in ſymbolis Pythagoræ ad 10. Thomam Mirandulam hoc pacto: *Adoranda eſt Echo cum flant venti.* Recentior tamen Jamblichi interpres Joan. Arcerius maluit *f*: *Ventis ſpirantibus ſonum adora.* Malim ego Lilio, & Gyraldo adſentire. Nam Jamblichus ait duo hoc ſignificari. Prius eſt δεῖν τῶν θείων γενῶν καὶ δυνάμεων τὴν ὁμοιότητα ἀγαπᾶν· *debere quosvis amare divinarum naturarum & potentiarum ſimilitudinem.* Alterum eſt, ὅταν ἐνεργῶσι τὸ σύμφωνον πρὸς τὰς ἐνεργείας αὐτῶν λόγον, μετὰ μεγάλης σπουδῆς τιμᾶν τε καὶ σέβειν· *ubi ſermonem protulerint conſonum operibus divinis, Deos ipſos magno eſſe ſtudio honorandos & colendos.* Atqui non quivis ſonus, ſimilitudinem habet: nec conſonum illud eſt in quolibet ſono; ſed in reſultante illo, quem echo dicimus: unde & *imago* nuncupatur. Virgil. IV Georg.

d *An.* 1516.
e *Fol.* 86.a.
f *Pag.* 140.

—— Vociſque offenſa reſultat imago.

Horatius lib. I, od. XII:

—— Cujus recinet jocoſa
Nomen imago.

Eo autem Maro ait offenſam reſultare, quia ſonus ille fit ex colliſione, & repulſu lævis loci: ut antea diximus. Nec poëtis modò habita eſt Diva; ſed etiam ſecundùm civilem theologiam: ſic credimus Philoſtrato: qui lib. II Imaginum ait cultam Dodonæ.

Cap. VIII.

De Mnemoſyne. Item Somno ejuſque filiis Morpheo, Icelo, ſive Phobetore, & Phantaſo. Deque conſuetudine ſomnia triſtia Soli mane narrandi.

AD ſenſus etiam pertinet tactus Venereus, quem aliqui perperam ſextum vocarunt ſenſum, ut alibi dictum. Sed quia Venus non animantium modò, ſed plantarum etiam generationi præeſt (unde ut Priapus, ſic Venus etiam hortis præfecta fuit) malui de ea agere in iis, quæ homini conveniunt, quatenus vivit. Interim hujus loci fuerit, quatenus attendimus ſexus utriuſque miſturam. Scio, plantis quoque ſexum adſcribi à Plinio, atque aliis. Verùm improprium, & tralatitium eum eſſe ſermonem, diximus libro quinto. Quod ſi attendamus non quamvis ſexus miſturam, cujuſmodi etiam in vulgivaga Venere: ſed miſturam legitimam, qualis in connubio eſt: jam pertinet ad ſocialem hominis vitam: de cujus numinibus ſuo loco dicetur.

In ſenſibus internis eſt Memoria, ac Græcis Μνημοσύνη vocatur. Hæc mater eſt Sophiæ, juxta illud Afranii in Togata, cui nomen Sellæ dedit *a*:

Uſus me genuit, mater peperit Memoria:
Sophiam vocant me Graji, vos Sapientiam.

a *Apud Agellium lib.* 13. *cap.* 8.

Quamquam hic non videtur pro numine accipi. Quod fit, cum Mnemoſyne dicitur Muſarum mater: ut apud Antipatrum carmine de morte Orphei, quem, ut ait luxere:

—— θύγατρες
Μνημοσύνης, μήτηρ δ' ἔξοχα Καλλιόπη.
—— Gnatæ
Mnemoſynæ, ante alias Calliope genitrix.

Nec Memoria ſolum pro Dea habita, ſed etiam Oblivio.

A ſenſibus venio ad ſenſus affectiones: quales ſunt vigilia, & ſomnus: quorum uterque non tam involuntarius, quam non voluntarius. Eſt vero non voluntarium medium inter voluntarium, & involuntarium: qua de re Ariſtoteles lib. de Animalium motu, cap. ult. Vigilia eſt ſenſus in actu, ut ait Averroës lib. de Somno: ſive expanſio quædam animæ ad opera ſenſuum exteriora; ut eſt apud Albertum M. in librum II de Anima, cap. II. Quanta ejus bona ſint, docet, inter alios Oribaſius Collectaneorum Medicorum lib. VI, cap. VI. Nec tamen recordor, Vigiliam ab ullo in Deorum numerum referri. At contrà factum in Somno: qui eſt στέρησις τῆς ἐγρηγόρσεως, *privatio vigiliæ*: ut Ariſtoteles ait libro περὶ ὕπνου. Eum hymno ſuo Orpheus celebrat. Etiam apud Ovidium legimus lib. III Faſtor. ut Numa Rex, cum agri nullos producerent fructus, & Rex in Somno didiciſſet, Tellurem eſſe placandam, ovem unam Fauno, alteram mactaſſe Somno. Præterea unà cum Amore Deum eſſe ſine corpore, ait Appulejus de Deo Socratis. Nec obſcurum eſt, cur Somnum potius in Deos retulerint, quàm Vigiliam. Nam vigilia, propter motum continuum, attenuat ſpiritum, & calorem ejus adauget. Hoc ne immodicè fiat, opus planè eſt ſomno. Sic enim, & motu abſtinetur, & ſpiritus refrigeratur. Corpus quidem roboratur motu & exercitio: ſed moderato. Multus autem ſpiritum defatigat, imò & depaſcit. In ſomno id non fit: unde finxere Epimenidem Cretenſem, ſive LVII annis, ut eſt apud Plinium: ſive XL, ut Pauſanias ait, in antro obdormiiſſe, nullius indigum cibi. Glires etiam, & veſpertiliones: adhæc apes, & muſcæ, & alia quædam inſecta, abſque cibo totam dormiunt hiemem. Præterea vigiliâ duriſſimi etiam labores exantlantur, atque omnes calamitates, pericula omnia, revocantur ad animum. Itaque majori vitæ parte miſeri ſumus. Nam ſolùm quarta circiter vitæ pars divinitus eſt conceſſa Somno. Etſi & hic quædam obtingant naturæ miracula: ut de Mæcenatis inſomnia notum. Contra in

ſomno ceſſant labor, curæ, dolor omnis. Ut non immeritò apud Senecam in Hercule Furente chorus Thebanorum dicat:

—— Tuque ô domitor
Somne laborum, requies animi,
Pars humanæ melior vitæ.

a *Met.* Itaque & *placidiſſimus Deorum* vocatur Ovidio *a*, & Papinio. Atque ex his etiam liquet, cur Somnus Muſarum ſit habitus amicus: unde & Trœzenii ſuper ara Ardali Muſis & Somno ſacra faciebant: ut auctor eſt Pauſanias in Corinthiacis, poſtquam dixerat de Muſarum cella apud Trœzenios exſtructa ab Ardalo Vulcani, à quo Muſæ Ardalides dicuntur, deque Pittheo, qui in ea cella dicendi artem docuit. Sic enim ſcribit: Ἐπὶ δὲ αὐτῷ (βωμῷ) μούσαις, καὶ Ὕπνῳ θύουσι, λέγοντες τὸν Ὕπνον θεῶν μάλιστα εἶναι φίλον ταῖς μούσαις. *Ad eam aram Muſis, & Somno ſacrificant, dicentes, Somnum omnium Deorum maximè eſſe amicum Muſis.*

Ovidius XI Met. fab. X, Somno natos tribuit P. Morphea, Icelon, ſive Phobetora, & Phantaſon: quorum primus in ſomno repræſentat homines, eorumque geſtus ac ſermones: alter mutas animantes: tertius inanima. Audiamus Sulmonenſem vatem lib. XI Met. fab. XII:

At pater è populo natorum mille ſuorum
Excitat artificem, ſimulatoremque figuræ
Morphea, non illo juſſos ſollertior alter
Exprimit inceſſus, vultumque, ſonumque loquendi.
Adjicit & veſtes, & conſuetiſſima quaque
Verba: ſed hic ſolos homines imitatur: at alter
Fit fera, fit volucris, fit longo corpore ſerpens.
Hunc Icelon ſuperi, mortale Phobetora vulgus
Nominat. Eſt etiam diverſæ tertius artis
Phantaſos: ille in humum, ſaxumque, undamque, trabemque,
Quæque vacant animâ fallaciter omnia tranſit,
Regibus hi, ducibuſque ſuos oſtendere vultus
Nocte ſolent: populos alii, plebemque pererrant.

Nempe ut aliæ ſunt cogitationes virorum principum, quàm plebis: ita & ſomnia ſunt diverſa. *Ideo* (ut Macrobius ait lib. I in Somnium Scipionis, cap. III) *cùm in concilio Græcorum Agamemnon ſomnium, quod de inſtruendo prælio viderat, publicaret. Neſtor, qui non minus ipſe prudentia, quàm omnis juventa viribus juvit exercitum, concilians fidem relatis, De ſtatu*, inquit, *publico credendum regio ſomnio: quod ſi alter vidiſſet, repudiaremus, ut futile.* Ibidem etiam quid de cornea, eburneaque Somniorum porta ſenſerit Porphyrius, exponit: quàm varia item ſomniorum ſint genera, ſecundùm poëtas. De quo & fusè dictum nobis lib. III, cap. XXXV. Quare nunc illud ſolum dicam: moris fuiſſe apud veteres, ut ſomnia gravia triſtiaque, expergefacti, narrarent Soli. Unde Sophocles in Elect.

Ἡ᾽λίῳ δείκνυσι τοὔναρ.
Cùm Soli narravit Somnium.

Ubi ſic Scholiaſtes: Ἔθος καθ᾽ ὕπνους ὄναρ δεινὸν θεάσαιντο, ἅμα πρωῒ πρὸς τὸν Ἥλιον λέγειν· ἵνα ἐπειδὴ ἐναντίος οὗτός ἐστι τῇ νυκτὶ, ἀποτρέπῃ τὸν ἐξαγγελθέντα τοῦτο. *Mos erat, ſi de nocte grave ſomnium obtigiſſet, illud mane mox Soli narrare, ut is qui contrarius eſſet nocti, ſomnium illud averruncaret.*

Alyſ. Nov. l. 8. cap. 28. p. 238.

Imò & Noctem ipſam, & magis ſomnia, polluere homines credebant. De Nocte arguit Perſ. ſat. II, 15:

Caſaub. ibi vide.

Hæc ſanctè ut poſcas, Tiberino in gurgite mergis
Mane caput bis terque, & noctem flumine purgas.

Imprimis verò id putabant, ſi ſomniaſſent: ut indicat hoc Ariſtophanis in Ranis *b*:

b *Fol. 180.*

Ἀλλά μοι ἀμφίπολοι λύχνον ἅψατε,
Κάλπισί τ᾽ ἐκ ποταμῶν δρόσον ἄρατε,
Θέρμετε δ᾽ ὕδωρ,
Ὡς ἂν θεῖον ὄνειρον ἀποκλύσω.
Ferte facem celeres famulæ mihi:
Situla aquam è liquido date flumine:
Calfacite undas,
Hæc ut ſomnia fontibus abluam.

Etiam apud Eunapium legas iſta de Ædeſio *a* expergefacto à ſomnio: a *Pag. 49.*

Τὸν παῖδα καλεῖ, τὸ ὄψιν, καὶ τὸ πρόσωπον ἀπονίψασθαι τῷ ὕδατι βουλόμενος.
Puerum vocat, volens oculos & faciem aqua abluere.

CAP. IX.

De adfectibus appetitus tam naturalis, ut ſunt Fames, & Sitis: quam concupiſcentis: ut ſunt, tum Amor, & Cupido, Veneris adſeclæ; tum Gaudium, tum etiam Dolor ad quem pertinent Νέμεσις, *& Invidia.*

Habemus de Deorum illis, qui præſunt rebus ad ſenſum pertinentibus. Deinceps tranſeamus ad appetitum, qui duplex eſt, naturalis & animalis. Ad naturalem pertinent fames, & ſitis. Interim & animalis affectus in iis concurrit: ut vidimus lib. III, cap. XXXVI. Hic verò iis locus eſt, quatenus à Poëtis in Diis ſed inferis, reponuntur. Ut *maleſuada Fames* VI Æn. Ad appetitum verò prorſus animalem affectus referuntur. Oriuntur hi ex judicio phantaſiæ, quo judicat, quid amplectendum ſit, quid fugiendum. Ac affectus quidem dicuntur propriè, & ratione formæ. Aliter verò πάθη ſive paſſiones vocantur, quia δίωξις, ἢ φυγὴ *a*, quam ab opinione ſive judicio phantaſiæ proficiſci ajebam, movet facultatem appetitivam. Moveri autem eſt pati. a *Perſecu-tio, aut fu-ga.*

Πάθη verò in Deorum numero fuiſſe, vel ſaltem numina quædam affinxiſſe, quæ ſub his vocabulis venerarentur, clarè tradit Gregorius Nazianzenus orat. ſecunda de Theologia *b*: Οἱ ἐμπαθέστεροι δὲ αὐτῶν, καὶ τὰ πάθη θεοὺς ἐνόμισαν, ἢ θεοὺς ἐνόμισαν, ἢ θεοὺς ἐτίμησαν. *Qui maxime ex iis viverent ſecundum affectus, hi affectus etiam pro Diis habuere, aut certè ſub Deorum nomine coluerunt.* Ubi videmus, quàm circumſpectè reſtringat, quod priùs dictum erat ἁπλῶς. Nimirum nomina ſi attendas, affectus ſunt humani: ſed Theologis gentilibus, qui longè ſapiebant ſupra imperitum vulgus, erant naturæ virtutes, unde promanant affectus. Quos iccirco diſtinxere à natura determinata, atque, ut loquuntur, ſpecificata, ad actus exercendos ſecundum ea, quæ obverſantur. b *Sive orat. 34.*

Affectuum alii ſunt in facultate ἐπιθυμητικῇ, ſive concupiſcente; alii in θυμικῇ, ſive iraſcente. Illi prioris generis vel circa bonum verſantur; ut amor, cupido, & gaudium: vel circa malum, ut dolor.

Amor, & cupido, differunt, quòd priùs amamus, quam cupiamus. Imò ſæpe quis amat, quam non cupit: ut ſi qua formoſa ſit, & proba: ſed paupertate preſſa. Itaque diſtinguit Heſiodus in Theogonia, cùm Veneri jungit Amorem comitem, & aſſeclam Cupidinem:

Τῇ δ᾽ Ἔρος ὡμάρτησε, καὶ Ἵμερος ἕσπετο καλός.
Hanc comitatus Amor, pulcherque Cupido ſecutus.

Ubi videmus, priori loco poni Amorem, ſequi Cupidinem: nempe ob cauſſam, quam dicebamus. Nec Cupido ſolum aſſecla, ſed & Jocus: unde de eadem Venere ita Horatius *d*: c *Lib 1. od 2.*

Sive tu mavis Erycina ridens,
Quàm Jocus circumvolat, & Cupido.

Et ſi verò aliud ſit Amor, aliud Cupido: promiſcuè tamen Pharetratus ille Veneris filius nunc Amor dicitur, nunc Cupido. Nempe quia non facile divellantur, uni numini affectus utriuſque effectum tribuere maluerunt.

Platonici ut duas Veneres, ſic geminum ſtatuêre Cupidinem; unum cæleſtem, qui rerum divinarum amores inſpiraret: alterum terreſtrem, à quo amores vulgares, ut feminarum, interdum etiam turpiores. Verùm Poëtarum, pictorumque cupido, quique in templis ipſis ſolet cum matre collocari, non alius eſt, quàm ille, qui mixturam corporis expoſcit. De Amore ſic vetus Tragicus apud Auguſtinum lib. XX contra Fauſtum, cap. IX:

Deum eſſe Amorem turpis & vitio furens
Finxit libido.

Ingenua ſanè hominis gentilis confeſſio. Sunt verò Amores ſive Cupidines multi: ut conſtat ex Propertio lib. II Eleg. XXIX, Papinio, Claudiano in nuptiis Honorii & Mariæ. Appulejus quoque plures deſcribit in X. Philoſtratus vero innumerabiles. Nempe & multi, ut Phurnutus & Alexander ſive Aphrodiſæus, ſive Trallianus *a* judicant, quia variè homines affecti, alii hujus, alii alterius amore ducuntur. Sed duo imprimis Cupidines celebrantur: unde Naſo:

a *In Problematis.*

——*Geminorum mater Amorum.*

Horum unus Ἔρως, alter Ἀντέρως dicitur. In nummo gentis Juliæ, videas utrumque currum trahere Veneris Genitricis. Utrumque etiam carmine magico è thermis Gadarenis in Syria dum lavaret evocaſſe dicitur Jamblichus: ut narrat Eunapius. Meminit & Anterotis Tullius in III de Nat. Deorum: ubi natus dicitur è tertia Venere Jovis & Diones filia. Qua occaſione & cauſſâ eum pepererit, feſtiviſſimo apologo narravit Porphyrius, quem verbis ipſius refert Cælius Calcagninus diſſertatione, quæ Anteros inſcribitur. Breviterque eundem Lilius Gyraldus recenſet Syntagmate de Diis XIII. Significat verò Ἀντέρως mutuum amorem: ut Suidas indicat. Qui exemplum proponit Charitonis & Melanippi: de quo item Ælianus lib. XI Var. Hiſtor. cap. 7. & Athenæus lib. XIII. Addit item ut Apollonius Alexandrinus, grammaticus, non Herodiani pater, qui ſub Commodo vixit, ſed alter eo antiquior, qui ſub Claudio imperatore claruit, ac Apionis grammatici, contra quem Fl. Joſephus ſcripſit, auditor fuit, Ἀντέρως ſit nominatus, quia amantes redamaret. Verùm non ſie ſemper id nomen ſumitur. Neque enim eo referre poſſumus, quod Pauſanias in poſteriori Eliacorum refert de cælatura Ἔρωτος *b* & Ἀντέρωτος *c*: quorum ille palmæ termitem manu teneret, hic eum manibus extorquere conaretur. Niſi forte termes ille ſymbolum ſit amoris: ut de hoc ipſo inter amantem & redamantem ſit certamen. Sed nihil apertius illo Maronis IV Æn.

b *Amoris.*
c *Amoris reciproci.*

——*Siquod non æquo fœdere amantes*
Curæ numen habet. ——

Ubi non video, quod numen ſignet, niſi Ἀντέρωτα: ut is præpoſitus dicatur amantibus nec redamatis. Audiamus, quæ ad eum locum Servius annotavit: *Nam & amatoribus præeſſe dicuntur, Eros, Anteros, Lyſeros,* (reſcribe, *Dyſſeros*) *nonnulli Nemeſin ſignificari putant: nonnulli Anterota. Invocabat contrarium Cupidini, qui amores reſolvit: aut certè, cui curæ eſt iniquus amor: ſcilicet, ut implicet non amantem. Hic etiam Athenis coli dicitur.* De Athenis quod dicitur, Pauſanias firmat in Atticis: ubi narrat, ut Athenis ara ſit Ἀντέρωτος dedicata, quia Timagoras, ut morem gereret Meleti Athenienſi quem perditè amabat, de rupe ſe dejecerit. Dixeris hanc aram Atticam dedicatam, ut mutuus amor poſceretur: eoque Servium errare, cum Ἀντέρωτα ait Cupidini contrarium, reſolvereque amorem non redamantium. Sane Servium hoc nomine reprehendunt Cælius Calcagninus *d* & Æneas Vicus Parmenſis *e*. Mihi verò non una Ἀντέρωτος poteſtas videtur. Nam ſi amans non redamaretur: orabatur Ἀντέρως, ut vel mutuum præſtaret amorem, vel amantem etiam amore ſolveret ac liberaret. Unde Dido apud Maronem:

d *Diſſertatione quæ Anteros, ſive de mutuo amore inſcribitur.*
e *Commentario de nummis Julii Cæſaris.*

Inveni germana viam (gratare ſorori)
Quæ mihi reddat eum, vel eo me ſolvat amantem.

Poſterius hoc cum Anteros facit, (quod non ſatis Calcagnino obſervatum) aliter *Lethæus Amor* nuncupatur: ut eſt apud Ovidium in II de Remedio Amoris:

Eſt prope Collinam templum venerabile portam:
Impoſuit templo nomina celſus Eryx.
Eſt illic Lethæus Amor: qui pectora ſanat:
Inque ſuas gelidam lampadas addit aquam.
Illic & juvenes votis oblivia poſcunt
Eſt ſiqua eſt duro capta puella viro.

Et cur τοῦ Ἀντέρωτος credamus ſimplicem eſſe poteſtatem, quaſi infeliciter amantibus non aliter ſubvenire creditus ſit, quàm conciliando mutuum amorem: cum poëtæ Amori etiam tribuant, quod odium amantis inſpiret. Unde Ovidius in Apollinis & Daphnes fabula:

Deque ſagittifera promſit duo tela pharetra
Diverſorum operum, fugat hoc, facit illud amorem.
Quod facit auratum eſt, & cuſpide fulget acuta.
Quod fugat obtuſum eſt, & habet ſub arundine plumbum.

Quare minimùm quatuor iſta ad Ἔρωτα & Ἀντέρωτα, (quid hujus, quid illius ſit, non jam moleſtè contendero) poëtæ retulerunt: amorem in amante ut in Phædra: contemtum vel odium amantis, ut in Hippolyto: amorem in redamante: ut in Adonide erga Venerem: ſolutionem amoris in infeliciter amante: de qua ex Marone, & Ovidio, vidimus.

Quantam ei vim tribuerint, arguit: quòd ut Somnus Homero, Fulmen Luciano, ſic Muſæo Amor πανδαμάτωρ *a* dicatur. Nævii eſt Gynaſtico *b*: *Ædepol, Cupido, cùm puſillus ſis, nimis multum vales.* Nempe, juxta gentiles, terras, maria, cælos ipſos, in ſuas cogit leges. Unde de eo oraculum Mileſium apud Appuleium in IV Metam.

a *Omnium domitor.*
b *Apud Nonium in Cupido.*

Qui pennis volitans ſuper æthera, cuncta fatigat,
Flammâque, & ferro ſingula debilitat;
Quem tremit ipſe Iovis, quo numina terrificantur,
Fluminaque horreſcunt, & Stygiæ tenebræ.

Gaudium, ut vulgo conſideratur eſt affectus animalis, maximè hominis. Sed theologis naturalibus erat vis naturæ humanæ, ejus nominis affectum in homine concitans, ac, juxta Theologiam civilem, ei præfecta. Ut affectus alii, præſertim quorum vis major, ita & iſte relatus inter eos ob potentiam, ſive hominis bono, ſi mediocre ſit, atque ita oblectet, nec ſpiritum nimis diffundat: ſive hominis malo, quando eſt immodicum, quale etiam vitam eripit. In cauſſa eſt, quòd ſpiritus ſe conſertim ad exteriora membra effundant, ut bono, quod obverſatur, citius fruantur: ſed ob vaſorum anguſtiam, humoreſque commotos comprimantur, & ſuffocentur. Cum verò duplex ſit gaudium, bonum, malumque, ——*mala mentis Gaudia*—— à Marone in primis Orci faucibus collocantur. Dolor quoque eſt in Diis inferis, quia valetudini nocet, ſecundum illud Proverb. XVII, 22: *Spiritus triſtis exiccat oſſa.* In cauſa eſt, quòd ſpiritus ſe recipiat interiùs, ut fugiat miſeriam. Unde & oculos ex parte deſtituit, & ex lucidis, quales in lætitia ex ſpiritibus ſunt, umbroſi fiunt. Nec tamen omnis dolor nocet: ſed ille duntaxat, qui cum metu, & anxiâ curâ eſt conjunctus. Aliàs cohibet ſpiritus, ne nimium ſe diffundant, quod valetudini conducit. Maroni VI Æneid.

——*primis in faucibus Orci*
Luctus, & ultrices poſuere cubilia curæ.

Ad dolorem etiam pertinet Νέμεσις, ſive *Indignatio*, & φθόνος, ſive *Invidia.* Nam Indignatio eſt dolor propter alterius felicitatem, qui videtur ea eſſe indignus. Invidia autem eſt dolor ob felicem bonorum ſucceſſum, non ut ſibi accedat aliquid, ſed propter eum, cui invidetur. Ac Nemeſin quidem Saturno adjudicarunt: ut ait Hermes Triſmegiſtus in Παναρέτῳ. Imò ipſa pro numine colebatur. Eo autem Dea eſt, quia muliebri nomine tum Græcis vocatur, tum Latinis. Catullus Epigr. LI:

Ne pœnas Nemeſis repoſcat à te.
Eſt vehemens Dea, lædere hanc caveto.

Sed de Nemeſi plura in ſemivirtutibus dicemus.

Ad dolorem quoque ſpectat Pudor, ſive Verecundia. Sanè Ariſtoteli in ſecundo Rhetoricorum dicitur eſſe λύπη τις, *dolor quidam*: nempe ex offenſione exiſtimationis. Sed Joanni Damaſceno in ſecundo Orthod. Fid. cap. XXV, potius eſt metus juſtæ reprehenſionis. Amor eſt affectus unionis. Odium eſt affectus ſeparationis. Deſiderium eſt expectatio boni amati. Averſatio, repudium mali diſplicentis. Proſequutio, expectatio-

nis promotio. Fuga eſt mali advenientis declinatio. Fiducia, robur animi ad bonum conſequendum. Diffidentia eſt animi lapſus ob impedimentum. Spes, animi erectio ad conſequendum bonum poſſibile. Metus eſt imminentis mali expectatio. Ira eſt erectio animi ad removenda impedimenta. Lenitas eſt animi æquabilitas ad remittendum. Audentia eſt animi motus ad mala ultima ſuperanda. Deſperatio eſt animi depreſſio concidens. Lætitia eſt animi erectio ad bonum ſuperabile. Triſtitia eſt animi depreſſio à malo invincibili. Gaudium eſt animi dilatatio à fructu boni poſſeſſi. Dolor eſt animi contractio à præſentia mali. Verumenimverò de verecundia diſputatur, utrum magis in affectibus, an virtutibus mereatur locum. Quare de ea in ſemivirtutibus dicemus. Atque eandem ob cauſſam de Miſericordia iſtic, imò & Nemeſi, ſive indignatione, agemus.

Cap. X.

De affectibus appetitûs iraſcentis: cujuſmodi ſunt tum Spes, & contraria Deſperatio: tum Metus, qui etiam complectitur Pavorem, & Pallorem: tum Ira, unde Furor, quem Furiæ emittunt.

ATque hæc de affectibus, qui ſunt in facultate concupiſcente. In iraſcente verò ſunt iſti; Spes ratione boni; metus, atque ira, ratione mali.

Spem in Deabus eſſe, indicat clarè Theognis his verſibus:

> Ἐλπὶς ἐν ἀνθρώποισι μόνη θεὸς ἐσθλὴ ἔνεστιν·
> Ἄλλοι δ᾽ οὔλυμπον δ᾽ ἐκπρολιπόντες ἔβαν.
> *Spes inter homines ſola Dea bona converſatur:*
> *Alii vero* (Dii) *in cælum relinquentes homines iverunt.*

Spei ædis Romæ in foro Olitorio fuit: quam Attilius conſecravit, ut eſt apud Ciceronem in ſecundo de Legibus. Ædem eam fulmine fuiſſe tactam refert Livius lib. XXI: crematam narrat lib. XXIV: refectam à Triumviris ad hoc creatis lib. XXV. Etiam à M. Fulvio Cenſore
a Pag. 485. edit. H. Steph. an. 1592. ædis Spei ad Tiberim exſtructa. Dio Coccejus lib. L a narrat inter prodigia, de templo Spei denuo accenſo ante bellum Actiacum. Novum ejus templum, in ſeptima Urbis regione ponitur à Sexto Victore. In nummis vett. Spei effigies eſt femina ſtans, ſiniſtra manu aliquantum attollens laciniam inſtitæ, dextra verò pateram habens, cum inſcriptione iſtiuſmodi SPES P. R. Quandoque & effiicta Spes, cum palla viridi inſidens dolio cum cornice. Etiam cum Nemeſi fingitur.

Ad Spem refer audaciam in bello, quæ à Marte credita provenire: ut ait Hermes Triſmegiſtus in παναρέτῳ.

Timor ſive Metus Maroni VI Æn. reponitur inter numina infera, Lacedæmoniis tamen cultus, teſte Plutarcho in Cleomene. Ac Pauſanias quoque refert; exſtructum ei ſacellum prope tribunal, quo, qui Remp. adminiſtrarent, terrori eſſent cæteris. Romanis quoque pro numine: unde Ovid. V Faſtorum,

> *Conſedere ſimul Pudor, & Metus* ——

b Verba plenius adduximus c. 6. cùm de Dea Febri agemus.
c Ferire.

Ac Clementis Alexandri eſt in Protreptico b. Ῥωμαῖοι Φόβῳ θύουσιν. *Romani ſacrificant Metui*; vel potiùs Pavori: qui ſic dictus ἀπὸ τοῦ παίειν c, inſerto digamma, more Æolum, quos Romani plurimùm imitantur. Itaque propriè eſt, quod Belgis ſimiliter à *ſlaen*, ferire, dicitur *verſlegentheit*: nempe terror hominem prorſus percellens: qualis noxius eſt, uti & omnis affectus, ſic ſpiritum vexans, ut inde æſtuet. Nec corpori modò incommodat, ſed etiam animo, quem uſque adeo aufert, ut quis, licet par hoſti ſuo, haſtas abjiciat, nec in manibus, more virorum fortium, ſed in pedibus fugacibus ſalutem omnem ponat. Nec obſcurum eſt, unde ſit ſubita illa mutatio. Nam in pavore ſpiritus ſibi metuens intus ſe recepit, unde nervi magnam partem ſpiritu deſtituuntur. Itaque Hebræi ajunt tria eſſe, quæ vires infringant, פחד דרך ועון, *pavorem, iter, & peccatum.* Sed de peccato etiam ad pavorem referre poſſis, quia ex conſcientia eſt pavor judicii divini. Quod autem ad pavorem, cum eo comparatum eſt, ſicut cum illis, qui, ſectâ ſibi venâ, animi deliquium patiuntur. Siquidem in his ſimiliter ſpiritus ex averſatione mali obverſantis fugit ad interiora, exteriora relinquit ſemivacua, imò ſemimortua. Sed ſi aquulam obſipaveris, refocillantur. In cauſſa eſt, quòd ſpiritus, ſimulac ſenſerit inimicum frigus, recurrat ad ferendas ſuppetias partibus relictis. Nec aliter ſtatuere oportet de hyſtericis. Nam quando uterus eſt in periculo, ne ſtranguletur, accurrunt ſpiritus, ut ſubveniant parti laboranti. Deſertis igitur partibus aliis, oboritur animæ defectio. Sin vapores tetros ac noxios admoveris, ſpiritus ad cerebrum denuo ſe recipit, ut auxilietur parti principi. Atque ex his ſatis perſpicimus, unde ſit pavor imbellium. Primùs verò Pavorem, & aſſeclam ejus Pallorem, apud Romanos introduxit rex Tullus Hoſtilius. Livius lib. I: *Tullus in re trepida duodecim vovit Salios, fanaque Pallori ac Pavori.* Nempe cum ei nunciatum eſſet in prælio inter Romanos & Veientes, deſciſcere Albanos, & pallere ac pavere propterea Romanos videret. Tertullianus lib. I adverſus Marcionem, cap. XVIII: *Sic commentabatur Hoſtilius Pavorem.* Cyprianus de idolorum vanitate ſect. II, & Minutius Felix in Octavio, iiſdem uterque verbis: *Cloacinam Tatius & invenit, & coluit: Pavorem Hoſtilius atque Pavorem, mox à neſcio quo Febris dedicata.* Lactantius lib. I, cap. XX: *Pavorem Palloremque Tullus Hoſtilius figuravit, & coluit. Quid de hoc dicam, niſi dignum fuiſſe, qui ſemper Deos ſuos, ſicut optari ſolet, præſentes haberet.* Meminit utriuſque numinis etiam B. Auguſtinus lib. IV de Civitate Dei, cap. XV: *Cur & iniquitas Dea non ſit, vel externarum gentium, ſi Pavor, & Pallor, & Febris Dii Romanis eſſe meruerunt.* Item cap. XXIII: *An fortè juſtè eſt indignata Felicitas, quod & tam ſerò, & non ad honorem, ſed ad contumeliam potiùs invitata eſt, ut cum ea coleretur Priapus, & Cloacina, & Pavor, & Pallor, & Febris, & cætera non numina colendorum, ſed crimina colentium!* Atque idem eopſe libro, cap. 23 de Reg. Hoſtilio tradit, quod priores, his verbis: *Hoſtilius certè Rex Deos & ipſe novos Pavorem atque Pallorem propitiandos non introduceret ſi Deam iſtam* (Felicitatem) *noſſet, & coleret.* Prudentiùs verò feciſſent Romani, ſi hæc numina non vocaſſent Pavorem, & Pallorem: ſed horum propulſatores. Certum enim eſt, hoc voluiſſe regem Hoſtilium. Nimirum gentes dixere tales παλαμναίους, καὶ προστροπαίους a, ut vocantur apud Clementem in Protreptico; ſive ἀλεξικάκους, *Deos Averruncos.* Uti Deum Tutanum quia à periculis redderet tutos, atque immunes. a Ultores, & propulſatores.
Item Deos Securos, qui præſtarent hominem ſecurum. Habes in Veteri inſcriptione.

Quæ de Pavore diximus, pertinent ad pavorem humanum. Pavor verò ille, qui equis immittitur, credebatur eſſe à Taranippo, ſic dicto ἀπὸ τοῦ ταράσσειν τοὺς ἵππους, h. e. *ab equis pavore conſternandis.* Pelopis eſſe cognomen cenſet Heſychius. Alias aliorum opiniones adfert Pauſanias Eliacorum ſecundo. Ipſe autem cenſet, eſſe cognomen Neptuni equeſtris.

Ira eſt affectus ex duobus contrariis affectibus compoſitus, dolore ob injuriam acceptam, & gaudio ex ſpe vindictæ. Qua de re abunde egi lib. II Orator. Inſtitut. cap. II, ſect. III. Ac illa vindictæ ſpes ſpiritum accendit: unde vultus rubor, tenſioque nervorum. Atque præcipuè obeſt, ſi prematur: minùs nocet, ſi ſe foras prodit.

Ita, ubi modum exceſſerit, fit furor. Nec enim omnis ira, ut ait Horatius, brevis eſt furor exiſtimandus; ſed ille, qui non tenet modum. Imò ingentem iram videas & *furias* dici à Marone XII Æn. ubi narrat, ut Æneas precibus Turni flecti cœperit: ſed idem immani dolore ardens furiis ſit correptus, ubi conſpexit ſpolia Pallantis à Turno interemti. Sic enim ait:

> *Ille oculis poſtquam ſævi monumenta doloris*
> *Exuviaſque hauſit, furiis accenſus, & irâ*
> *Terribilis,*

Fu-

Furor, ut numen deſcribitur à Petronio. Tres præterea Deas finxere, quarum una ſic irâ accenderet, ut quis furenti eſſet ſimilis: altera ſic inflammaret immenſâ habendi cupidine, ut nullus rationi relinqueretur locus: tertia in eas conjiceret Amoris flammas, ut his æſtuans vix aliquid hominis, præter formam, habere videretur. Breviter de his ita Iſidorus lib. VIII Orig. cap. ult. *Ajunt tres Furias feminas crinitas ſerpentibus, propter tres affectus; qui in animis hominum multas perturbationes gignunt, & interdum cogunt ita delinquere, ut nec famæ, nec periculi ſui, reſpectum habere permittant. Ira, quæ vindictam cupit; cupiditas, quæ deſiderat opes; libido, quæ appetit voluptates. Quæ ideo Furiæ appellantur, quod ſtimulis ſuis mentem feriant, & quietam eſſe non ſinant.* Verùm aliter de Furiis poëtæ: quibus ſic vocantur Deæ enormium ſcelerum ultrices; ſic dictæ, quia furorem immitterent ſceleſtis, ex conſcientiæ ſtimulis. Sed de his potius loquar in Numinibus ſocietatis civilis: ubi agendum erit de Præmiis, & Pœnis, quibus tum Reſpublica omnis conſtat, cum divina etiam gubernatio.

Cap. XI.

De Diis, qui præſunt Locomotivæ: ut ſunt Ὁρμὴ ſive Alacritas in aggrediendo labore, Labor ipſe, & felix laboris ſucceſſus, quem præſtare putabatur Vertumnus. Ad Ὁρμὴν relata Agenoria, Horta, Stimula, Numeria. Fit etiam mentio Agonii. Ad Laborem referuntur Dii Axites. Labori oppoſiti Quies, & Vacuna. Dii particulares: Piſtorum Pilumnus, viatorum Mercurius, & Trivia.

PRæter ſenſum, & appetitum, beſtiis quoque ineſt motus tum ratione totius corporis, tum ratione partis. Universè vel inchoandi initium atque impetum conſideremus, vel pergendi atque abſolvendi laborem, vel operis ſucceſſum. Ad initium refertur Ὁρμὴ, quæ eſt impetus, atque aggrediendi aliquid Alacritas. Et hæc in Diis. Pauſanias in Atticis. Τούτοις δὲ (τοῖς Ἀθηναίοις) οὐ τὰ ἐς φιλανθρωπίαν μόνον καθέστηκεν, ἀλλὰ καὶ ἐς θεοὺς εὐσεβεῖν ἄλλων πλέον. καὶ γὰρ Αἰδοῦς σφίσι βωμός ἐστι, καὶ Φήμης, καὶ Ὁρμῆς. *Athenienſes verò non ea ſolùm, quæ ad humanitatem faciunt, conſtituerunt, ſed majorem etiam, quàm alii, pietatis erga Deos curam habuerunt. Eſt enim apud illos ara Verecundiæ, Famæ, & Alacritatis.*

Ad Ὁρμὴν etiam pertinent Agenoria, Horta, & Stimula, quæ ad agendum excitarent, hortarentur, ac ſtimularent. Luci, qui Deæ Stimulæ ſacer foret, meminit vetus Juvenalis Scholiaſtes initio Sat. II. Affine numen Numeria, quia facit, ut numerò, hoc eſt, citò, aliquid præſtes.

Agonius quoque hujus erit loci, ſi verè Feſtus, ſive Paulus: *Agonium etiam putabant Deum dici præſidentem rebus agendis: Agonalia, ejus feſtivitatem.* Sed non arbitror fuiſſe numen Agonium. Nec Agonalibus inde nomen. Veriùs de nomine eo Ovidius primo Faſtorum:

Pars putat hoc feſtum priſcis Agnalia dictum;
Una ſit ut proprio littera dempta loco.
Pars quia non veniant pecudes ſed agantur, ab actu
Nomen Agonalem credit habere diem.

Et quæ ibi plura in hanc rem præcedunt, & ſequuntur.

Labor ipſe in Diis, imo & Otium fuit. Horum Labor corpus reſolvit, & ſic attenuat ſpiritus, ut in aëra exhalent. Unde, qui laborant, majori indigent alimento, ut quantum deperiit, tantum inſtauretur. Itaque Labor inter Deos inferos à Poëtis collocatur. Quod ex Heſiodo, ac Marone, comprobavimus lib. III, cap. XIX. Nec tamen talis eſt omnis labor. Moderata enim exercitatio carnes reddit compactas, ac ejuſmodi, ut non facilè diſſipentur, tantum ſudores nimii abſint, ac vehemens laſſitudo.

Auxilium Deum in ſcenam à Plauto inducitur in Prologo Ciſtellariæ.

Referre etiam huc poſſis Deos *Axites*: quomodo, ut Feſtus ait, *dicebantur Dii unà agentes.* Nempe ab *axo* pro egero: unde *adaxint* pro adegerint, apud Plautum. Diximus de hac Verborum forma in quarto de Analogia.

Contrarium labori otium, ſive quies: quæ nocet, ſi nimia ſit. Siquidem carnes facit molles, eoque impedit, quo minùs aliquis fiat longævus. Nihil tamen jucundius, vel etiam, poſt magnos, vel diutinos labores, neceſſarium magis eſt quiete: unde & Romani fanum illi conſtituerunt in via Labicana. De quo pluribus diximus itidem lib. III, cap. XIX. Ubi & de Orco Quietali teperies.

Eſt & in Diis Vacuna, à vacando ſic dicta, quia otium præſtat à labore. Ovid. VI Faſt.

Nunc quoque cum fiunt antiqua ſacra Vacunæ,
Ante Vacunales, ſtantque, ſedentque focos.

Etiam mentionem ejus Divæ facit Plinius lib. III, cap. XII. Ad ſucceſſum laboris refertur Vertumnus: ſi audimus Donatum in illud Terentii: *Puer natus eſt.* M. *Dii bene vortant: In omnibus*, inquit, *quæ cupiit evenerint; dici ſolet*: DII BENE VERTANT: *quia ſæpe homines optaverunt, quæ aliter, atque exſpectaverant, contigerunt: quam poteſtatem rerum vertentium ſemel in utramque partem, Vertumno Deo ſupereſſe veteres exiſtimaverunt.* Formulam hanc, ut Dii bene verterent, legas apud Plautum Aulul. Livium lib. X, XXIX, XXXIV. Contrarium illud Maronis in Ecl.

Hos etiam quod nec bene vertat, mittimus hædos.

Nec ſemper tamen uſi *vertendi* verbo, ſed & aliis. Ut apud Plaut. Trinum.

Bene, quod agas, eveniat tibi.

Ac ſimiliter Livius non ſemel. Particulatim verò Vertumnus præeſt vertendis & mutandis rebus mercatorum: juxta Aſconium Pedianum in illud Ciceronis Verr. III: *A ſigno Vortumni in Circum maximum*: *Signum*, inquit, *Vortumni in ultimo vico Thurario eſt, ſub baſilicæ angulo flectentibus ſe ad poſtremam dexteram partem. Vortumnus autem Deus invertendarum rerum eſt, id eſt, mercaturæ.* Secundùm Aſconium igitur præſes ſit mercaturæ, ac dictus à rebus vertendis, hoc eſt, mercibus commutandis. Pro qua ſententia eſt, quod Vertumnus erat numen Volſinienſe, ſive Thuſcum: & Thuſci erant θαλασσοκρατοῦντες a, eoque mercatura præcellebant. Sed alias longè cauſſas adducit Propertius lib. IV, eleg. II: videlicet ab amne verſo, vel à fructibus vertentis anni: vel quod ei natura ſit, quàm decorè in omnes vertat figuras. Quomodo Vertumnus fuerit Natura rerum ſe in quidvis convertens, & nunc hanc, nunc illam formam adſumens.

a *Mari præpollentes.*

Ab actibus, qui magis ſunt univerſales, venio ad eos, qui magis ſunt particulares: Horum alii pro fine habent generationem animantis; alii executionem eorum, quæ in vitæ privatæ negotiis occurrunt. De prioribus puta Priapo, Venere, Genio, dixi antea: ac pluribus de his, & aliis generationis præſidibus loquar in vita ſociali, quia extra connubium generandi actus locum non habet, vel habere non debet. Agam igitur nunc de altero actuum genere: quo pertinent innumeri actus agricolarum, ... aliorumque.

Pinſendi actui præfectus Pilumnus: cui nomen à pilo: non contrà pilum à Pilumno, etſi id traditum Servio in verſum tertium noni Æneidos. Pilum enim ex piſtillum, ut ala ex axilla, mala ex maxilla, & ſimilia. Piſtillum autem à *piſtum* eſſe, ſatis liquet. Itaque Pilumnus piſtoribus invocatus: ut ibidem ait Servius. Nec pilo modò nomen hinc, quatenus eſt in ruſticis, ac domeſticis inſtrumentis: ſed etiam quatenus eſt in militaribus. Nam pilum pro haſtilis genere ex eo nomen accepit, quia referat pilum, quo pinſitur. Varro in IV de L.L. *Pilum dictum ab omine, quod hoſtes feriret, ut pilum.* Sententia eſt, pilo bellico id nomen eſſe impoſitum boni ominis cauſſa, quia ut frumentum pilo frangeretur, ſic illo hoſtes. Ita & Lipſius eum locum cepit in III de Milit. Rom. Dialog. IV.

Sunt & Dei proprii eorum, qui iter faciunt. Hi Græcis dicuntur Ἐνόδιοι, Latinis *Viales*, ut Plauto Mercatore: vel *Semitales*, ut Virgilio in Parodia Catulli ad Sabinum. Tales fuere imprimis Mercurius, & Trivia, ſive Hecate, vel Diana. De Mercurio Ἐνοδίῳ fusè dictum hujus operis lib. II, cap. XIII, & XXXII.

Quod ſi Joſeph. Scaligerum audimus, etiam dicti Dii Vii. Quod colligit ex Epigrammate, de mercatore decimas perſolvente Fortunæ Prænestinæ: ubi ſic edidit Pythœus.

Omnibus hic annis votorum more ſuorum
Centenas adicit, numero creſcente, coronas:
Fortunæ ſimulacra colens, & Apollinis aras,
Arcanumque Vii. ——

Verum in Inſcriptionibus Mazochii & aliorum eſt,

Arcanumque Jovem.

At apud Smetium, qui vidit, & inde in collectione Gruteriana,

Ægeriumque Jovem.

Nec magis perſuadet Scaliger, cum Dii Vii pro Dii Indigetes apud Servium reponi jubet, ubi de Præneſte loquitur. Nec cum apud Solinum pro *Fratrum Digitiorum*, emendat *Indigetum Viorum.*

CAP. XII.

De Adfectionibus hominis propriis. Ac primùm de Opinione, cujus magna in homine vis. Hinc de Minerva, quæ complectitur Scientiam, Prudentiam, Artem. De ara Menti, & Veritati ſtatuta. De Minervæ & Ἀθηνᾶς etymo. Cur Minerva in Capitolio digniorem ſortita ſit locum, quàm Juno. De Bona Mente, Deo Catio. Et adverſante his Furina. De Poëticæ præſidibus, Apolline Muſagete, & Muſis. De antiſtitibus Eloquentiæ Mercurio, ac Suada.

Hactenus egimus de Numinibus, quæ referuntur ad affectiones hominis, quatenus eſt pars mundi, quod cum inanimis habet commune; vel quatenus eſt vita præditus, quæ etiam eſt in plantis; vel prout ſenſum habet: qui etiam inſunt beſtiis. Deinceps dicendum de iis, quæ propriè competunt homini. Suntque duplicia. Nam vel ſigillatim homines ſpectant; vel Societatem humanam, ſive Domeſticam, ſive Civilem. Ad prius genus pertinent hæc quatuor: Opinio, Scientia, Prudentia, Ars.

Opinionem quoque pro Dea fingi, nihil mirum. Sacra enim res eſt Opinio, mundusque, ut non de nihilo planè dici ſolet, regitur opinionibus. Etiam opinionis vim longè maximam cognoſcimus in iis, quæ ad bonam, malamve valetudinem pertinent. Sanè Medici ajunt vehementer ſibi imaginantes quartanam, incidere in quartanam; ac Medicum eo plures ſanitati reſtituere, quo plures in eo poſuerint fiduciam. Quæ tamen commode accipi neceſſe eſt. Niſi enim in corpore humano jam ante fuerit cauſſa quartanæ: non ea ab imaginatione producetur: ſed ſi magna in corpore inſit copia humoris melancholici: acris ac diutina imaginatio magis commovebit humorem: eoque futurum, ut citius, vehementius, diutius etiam afficiamur. Etiam ubi in medico fiducia eſt ingens, ibi vires animi ſunt fortiores, eoque, ubi morbus non eſt ita vehemens, ac medico rebellis, corpus, nativo calore & aliis qualitatibus cooperantibus multo facilius ad temperamentum ſuum revocatur: quod quandoque ſolis etiam verbis medicus præſtiterit. Nec aliter iſta quæ adduximus medicorum dicta interpretatur Cæſar Cremoninus de natura Cæli ſect. I, cap. III. Porrò ad fiduciam hanc refero quoque, quod Pyrrhus mederi credebatur lienoſis, ſupinis iis jacentibus ſi lienem pede dextro leviter preſſiſſet: ut eſt apud Plutarchum in Pyrrho. Occultæ id qualitati tribuendum, ſi verum eſt, quod ibidem legere eſt, poſt fata ejus cremato corpore pollicem dextri pedis repertum illæſum: unde divina præditus fuiſſe virtute judicabatur. Fortaſſe medici arte procurarant, ut non ureretur; ad divinitatis alicujus opinionem conciliandam Pyrrho. Utcunque eſt, planè cenſeo à Pyrrhi adulatoribus fucum eſſe factum ſimplicioribus: & ſiquando verè ab eo ſplenetici ſanitati reſtituerentur præcipuam fuiſſe cauſſam opinionem de Pyrrho conceptam. Splenetici enim abundant humore melancholico, quem lætitia de ſanitate recipienda diſcutiebat pellebatque.

Sequuntur Scientia, Prudentia, Ars: quibus tribus præfuit Minerva, ſive, ut veteres pronunciarunt, *Menerva.* Atque hoc propiùs ad originem accedit. Nam, ut oſtendimus lib. II, cap. XLII, eſt à μῖνος, unde *mens*; item priſcis *meneo*, pro *moneo*: à quo *memini*, *mentio*, & alia. Μῖνος propriè animi vis: ab hac ſapiens conſilium, ac ſalubria monita: quæ Minervæ tributa, quia prudentia divino nobis beneficio obtingit. Ideo dicebatur Minerva Jovis filia, & de cerebro Jovis nata: nempe exemplo humano, quia prudentiæ ſedes in cerebro. Sed cur Virgo? quia non debet violari, quod prudentia & recta ratio dictaverint. Græcis Ἀθηνᾶ dicitur; nempe ab eadem origine, unde qui apud Judæos ſynagogam magnam excepere, dicti ſunt *Tanaim*: videlicet à תנה, quod Hebræis quidem notat *donavit*, vel *mercede pactus eſt*: Chaldæis verò *docuit*, *narravit*. Ita Ἀθηνᾶ ſive Doricè Ἀθανᾶ dicatur quaſi ἁ Θανᾶ. Sæpiuſcule enim articulus ut vocant, compoſitum ingreditur: quod alibi oſtenſum. Et ut ſuperius dictum, fortaſſe ſic Oſiris quaſi ὁ Σῖρις: quando Oſiris eſt Nilus: is autem Æthiopibus Σίρις, ut ait Dionyſius in περιηγήσει. Sed de hoc tamen etymo non contendero. Quando, ut dictum, Nilus Hebræis *Sichor*, ſive ſpiritu omiſſo *Sior*, unde trajectis ſolum literis *Oſir.* Imò & tertiam nominis rationem inferiùs adducimus.

Multifariam verò Minerva attenditur. Quandoque per eam intelligitur mens tranſmundana, ſive ſupra omnes cælos adſpectabiles degens. Ac ſimiliter ſpectatur in fabulari poëtarum theologia propriè accepta. Sed, juxta naturalem, & illam poëtarum ſymbolicè ſumtam, vel ad corpus æthereum, vel ad virtutem ejus, unde ὁ φυσικὸς humana, referre oportet. Quatenus enim Minerva attenditur ut corporea, per eam intelligitur æther, ſed animatus. Verùm hìc loci per eam intelligitur ſive ſapientia, ſive vis ætherea per temperamenti bonitatem largiens ſapientiam. Tria igitur hìc ſpectamus: primò æthera ſummum vel ſolem: hinc vim ætheream: inde temperamentum humanum ab vi ætherea excitatum, unde ſapientia proficiſcitur. Secunda ex his eſt Minerva: eaque habita idea omnium, quæ Deus agit: prudentia nempe & conſilium divinum. Audiamus Varronem de Cabiris, ſive Samothracibus, vel Corybantibus ſic ſcribentem quinctodecimo rerum divinarum libro: *Apud Samothraces multis indiciis collegi in ſimulachris aliud ſignificare cœlum, aliud terram, aliud exempla rerum, quas Plato appellat Ideas. Cœlum enim Jupiter, terra Juno, Ideæ Minerva intelligitur. Cœlum, quo fiat aliquid: terra, de qua fiat: exemplum, ſecundùm quod fiat.* Citat Auguſtinus de Civitate Dei lib. VII, cap. XXVIII.

Comprehendit Minerva triplicem animi habitum, ſive potentiam triplicem multis actibus introductam. Primus habitus dicitur θεωρητικὸς, ſive ſpeculativus. Eſtque rerum neceſſariarum, hoc eſt, quæ ſe aliter habere non poſſunt. Qualium tria ſunt genera: proque iis tres ſcientiæ, ut docet Ariſtoteles lib. IV Metaphyſ. cap. I. Unum eſt rerum materia & motu carentium, de quibus Metaphyſica. Alterum illorum, quæ conſtant materia: de quibus Phyſice. Tertium eſt rerum materiatarum, ſed quæ intellectu à materia abſtrahantur: de quibus tractat Mathematice. Hujuſmodi diſciplinæ propriè ſunt ἐπιστῆμαι, ſive Scientiæ. Ac propriè magis Σοφίας, ſive Sapientiæ nomen ſibi vindicant: quod alioqui etiam iis tribui videas, quæ ſunt φρονήσεως,

ſive

ſive Prudentiæ, vel τέχνης, ſive Artis. Quia verò ante Socratis tempora philoſophi toti fere erant in ſpeculatione naturæ, ac indaganda Veritate, eo Menti, & Veritati geminas aras poſuit Anaxagoras; ut lib. III, cap. XLVIII diximus ex Æliano.

Ac ſic quidem animati fuerunt antiquiores illi philoſophi: aliter verò ſapuit Socrates, aliterque homines politici, quibus magis exculta Minerva, quatenus φρόνησιν, ſive Prudentiam ſignat. Nempe nihil judicabant meliùs, quam eſſe bonum virum, & bonum civem; nihil præſtantius, quàm non affectus modò ſuos poſſe gubernare, ſed & regere domum, imò civitatem. At prudentia dirigit virtutes morales. Eadem moderatur Remp. Hanc potiſſimum attenderunt Poëtæ, cùm eam fingerent è Jovis cerebro deſcendiſſe. Unde B. Auguſtinus lib. XX contra Fauſtum, cap. IX: *Minervam, quæ de Iovis capite nata ſit, prudentiam conſiliorum interpretantur quæ rationis eſt propria: cui ſedem capitis etiam Plato dedit.* Itaque apud Homerum videas ab ea Heroas prudentibus inſtrui conſiliis. Etiam apud Romanos poſt ſummum Jovem, proximo in honore ſtetit, ante ipſam Junonem. Nam uno quidem in templo montis Capitolini hæc tria Numina coluerunt: ſed Jovi locus adſignatus medius: Minervæ dexter; Junoni ſiniſter. Imò probè hæc etiam conveniunt cum Theologia naturali. Ubi Jove quidem nihil excellentius, quia eo ſignificatur cælum, ſive æther; at Minervæ ſedes adſignata in ſumma cæli parte, quia nihil poſt Jovem, ſive Deum præſtabilius eſt Sapientia, Prudentia, atque Artibus. At Juno partim infimum eſt cælum, ubi per Orientalem Theologiam intelligitur Luna; partim aër cælo ſubjectus, & ſubdita utrique tellus. Adde, quòd filiam patri præferre non deceret. Rex etiam potior ſuis conſiliariis. Quorum conſiliis etſi obſequatur, non eo inferior, ſed excellentior, quia qui rectæ paret rationi non ſervit, ſed imperat. Nam, ut Tullius ait in V Parad. *Quid eſt libertas, niſi poteſtas vivendi ut velis? Quis vivit, ut vult, niſi qui recta ſequitur, qui gaudet officio?* Quæ pluribus firmat B. Ambroſius epiſt. V.

Hæc verò tria Capitolii numina non primum ita ſociata fuere à Romanis, (qui ea dixere Deos magnos, & ludos, in honorem eorum factos, ſimiliter magnos vocitarunt, planè à Megaleſiis magnæ Matris diverſos:) ſed Romani, Macrobio teſte, accepere à Trojanis è Phrygia advenientibus: ſuntque iidem, qui Samothraces, ac Cabiri: quæ res vetuſtatem erroris oſtendit. Et tamen tam antiquus error ab antiquiori veritate videtur originem cepiſſe. Nam quid obſtat, quo minùs hæc opinio de tribus diis Samothracibus reliquiæ ſint depravatæ paullatim ex traditione vetuſtiſſima à Noacho, Dei amico, accepta, de Deo Patre, Filio, & Spiritu Sancto? Quo pacto Jupiter ſit Deus pater, Deitatis fons & principium, ac propterea (modò genuina ſit pronunciatio, quam præferunt puncta Maſorethica) Jova nuncupatus: indeque fuerit antiquus nominativus Jovis, Ennio, & veterum aliis uſurpatus. Minerva, filia Jovis, videtur ſignificare τὸν Λόγον a. Nec prohibet, quòd illa ſequioris ſit ſexus. Sapientiores enim gentium non agnovere in Diis ſexum. Et in appellatione ea, qua Samothraces uſi, non erat muliebre nomen. Præterea valde de Λόγῳ firmat, tum quòd is ſit Sapientia Dei, & Minerva ſimiliter Sapientiæ præſes: tum quòd Jupiter dicatur non ex Junone ſua, ſed ſingulari ratione, è cerebro videlicet τὸν Λόγον genuiſſe. Jam quod ad Spiritum Sanctum: pro eo induxere Junonem, amorem, ac delicium Jovis: uti & eundem Spiritum Amori aſſimilant Scholaſtici. Quàm antiqua verò Samothracum fuerit religio, exinde cognoſcimus, quòd eam Romani acceperint ab Albanis, hi à Trojanis profugis: Trojani autem à rege Dardano, qui è Samothrace in Phrygiam detulit: ut traditum Varroni lib. II rerum Humanarum: extremis temporibus Moſaicis, ut eſt apud Euſebium numero IↃXXXVIII; annis à diluvio vix amplius octingentis. Et potuere Samothraces aliquot ſeculis habuiſſe hæc numina ante Dardanum: ut mirandum non ſit, ſi in Noachi poſteris, etiam ubi ad falſam religionem deventum, aliquæ ſuperfuerint reliquiæ arcani ſenſus de vero Numine. Quantopere vèro iſta ſint corrupta poſterioribus ſeculis, oſtendunt, quæ de Diis Samothracibus memoravi lib. II, cap. LVII. Nunc ad Minervam gentilium, ſive Prudentiam redeamus.

a Verbum vel Sermonem.

Ad Prudentiam etiam reducimus Mentem Bonam. Eſt verò diverſa ab Anaxagoræ Mente, quæ magis ſibi propoſitam habuit Veritatem Naturæ, quam Bonitatem conſilii. Dubitare videtur Propertius, an ſit numen. Sic enim ille ...

Mens bona, ſiqua Dea es ——

At non alia eſt, quam quæ ἁπλῶς Mens vocatur à Romanis. Ovid. VI Faſt.

Mens quoque numen habet. Menti delubra videmus
Vota, metu belli, perfide Pœne, tui.

Tangit hiſtoriam de T. Otacilio Craſſo qui in Prætura Siciliam ſortitus, anno IↃXXXVII, (quo C. Flaminius ab Annibale cæſus ad lacum Thraſimenum) ex ſententia Pontificum vovit ædem: ut eſt apud Livium lib. XXII. Vulgo apud eum pro *Otacilius* legitur *Atilius*: unde eſt, quod multi adeò, (inque his Xyſtus Betulejus a) ſcribant ab Attilio ædem votam. Sed lib. XXIII rectè à Livio ſcriptum, Otacilium ædem, quam voverat dedicaſſe. Ut quin vera ſit hæc lectio non poſſit dubitari. Apud Ciceronem in ſecundo de Natura Deorum ait L. Balbus, dedicatam Mentem à M. Æmilio Scauro. Unde Ludovicus Vives conjectabat priùs ab Attilio (Otacilium debuit dicere) poſtea ab Æmilio conſecratam. Exiſtimat Stephanus Pighius in Annalibus Romanis ad ann. IↃLXXXIX, Deam, quæ conſpicitur in nummo M. Valerii Meſſallæ prætoris, eſſe Mentem. Habet verò imago ejus diadema latum ſupra frontem, quo ſignificatur, mentem, ſive τὸ ἡγεμονικὸν in homine principatum obtinere: eoque rectè ut reginam coli. In aure dextra habet inaurem. Quod denotat quantum Memoria conferat ad Prudentiam. Nec enim ſufficit, ut mens ſit recta: ſed opus eſt, ut uſus accedat, & quæ uſu obſervavimus memoria recondamus. Auricula enim Memoriæ ſacra. Unde in Eclogis:

a In Lactant. l. 1. cap. 20. & in Cicer. lib 2. de Nat. Deor.

—— *Cynthius aurem*
Vellit & admonuit.

Ac eam tangere ſolebant, qui conteſtarentur. Hoc eſt, qui vellent præſenti alicui, ut teſti, rei actæ memoriam commendare. Nota res ex Plauto, Horatio, & tot aliis.

Poſſit Deæ Minervæ miniſter videri, is qui Deus Catius nuncupatur: nempe quia catos faceret, ſive cautos, ac prudentes.

Hujus etiam loci eſt Conſus, conſilii Deus. Feſtus ſive Paulus: *Conſualia ludi dicebantur, quos in honorem Conſi faciebant, quem Deum conſilii putabant.*

Vicinumque numen Angeroniæ Gloſſæ Philoxeni: *Angeronia.* Ἡ θεὸς τῆς βουλῆς, καὶ καιρῶν b. Ubi καιρὸς vocat tempus dicendi, agendique. Quicum convenit, quod dicitur eſſe Dea ἐχεμυθίας, ſive præſtandi, ubi convenit ſilentii. Scaliger ideo dictam putat non Angeroniam, ſed Angeronam, quia angit, ſive cohibet os. Ex veterum autem de hac Diva diſſenſu, colligas, nec veteribus de illa ſatis conſtitiſſe. Nam Feſtus ait Angenoræ eſſe à Romanis inſtitutum Feſtum Angenoralia, cùm omne animalium genus angina conſumeretur. At Verrius Flaccus, ut ex eo Macrobius tradit lib. I Saturn. cap. X, *Angeroniam* dici ait, *quod angores ac animorum ſollicitudines propitiata depellat.*

b Dea conſiliorum, & occaſionum.

Bonæ Menti, ac bonis conſiliis, adverſatur imprimis Furia, vel Furina, quæ furorem immittit. Varro lib. IV de L. L. *Furinalis à Furina; cujus etiam in Faſtis Furinales feriæ ſunt.* Feſtus: *Furinalia* (ſic legendum) *Sacra Furinæ, quam Deam dicebant.* Ille vero

Furi-

Furinam, Divam illam, quæ Erinnys dicitur, à Turnebo in Adverſariis *a* eo oſtenſum eſt, quòd Plutarchus in Gracchorum vita, & Plinius, ſive potius Sext. Aurelius Victor lib. de Viris illuſtribus *b*, eandem rem narrantes, ille quidem dicat ἄλσος Ἐριννύων, hic vero *lucum Furinæ*.

a Lib. 6. cap. 5.
b Cap. 65.

Præterea ad Minervam, quatenus prudentiam ſignat, refertur Eloquentia, ut quæ ſit prudentia benè dicendi. Eſt verò duplex: una oratione ligata, quam Poëticam dicimus, altera ſolutâ, quam Oratoriam vocamus. Priori præſidet Apollo. Quem ſi conſideres, ut Deum corporeum, reduci oporteat ad Solem: ut dictum lib. II. Sed ſi ſpectaveris, ut ætheris effectum, hoc eſt, ut inſignem mentis humanæ vim ab æthere ac Sole promanantem: quæ niſi adfuerit, inutilis vel mutila eſt diſciplina; uſque adeò, ut multi putarint in Poëſi, imo & diſſerendo, facultate Oratoria, & aliis quibuſdam ſcientiis, ſufficere τὸ πεφυκέναι *c*, dummodo acceſſerit ἡ ἄσκησις *d*.

c Naturâ eſſe idoneum.
d Exercitatio.
e Muſarum præſides.

Quod de Apolline Μουσηγέτης *e* diximus, locum quoque habet in Muſis, quæ Græce Μοῦσαι ſive Μῶσαι: nempe ab Hebræo מוּסָר, *moſar*, id eſt, *ars*, *diſciplina*. Scitè ait Proclus Diadochus, Heſiodum enarrans, eum qui ſtudiis vacare velit, debere eſſe νοητικόν, hoc eſt, intelligendi ac percipiendi vi præditum: debere item eſſe μνημονευτικόν, hoc eſt, ejuſmodi ut retinar, quæ didicit: atque hanc eſſe cauſſam, cur Muſæ dicantur filiæ Jovis, qui præeſt τῷ νοητικῷ: & Mnemoſynes, quæ præeſt τῷ μνημονευτικῷ. Primo etiam tres tantum Muſas dixere: ſive à triplici Muſica, quia conſiſtit in voce, flatu, pulſu: ſive potius quia primò meditandum, unde & *Cura* Dea, de qua multa Hyginus Mythol. cap. CXX: hinc quod meditati ſumus, memoriæ inſcribendum, poſtremò verò voce, aut citharâ vel aliter canendum. Atque hoc indicant tria Muſarum nomina, Μελέτη, Μνήμη, Ἀοιδή. Sed ajunt Sicyone factum, ut cum ſtatuarius eſſet juſſus tria trium Muſarum ſimulachra facere, eum ter tria feciſſe: eaque ſic placuiſſe, ut univerſa in Apollinis templo reponerentur. Hinc novem cœpiſſe celebrari: quibus nomina impoſuerit Heſiodus. Itaque & Anhelaus, rex Macedonum inſtituit, ut pro novem Muſis novem diebus Jovi, & Muſis eſſent Diis feſti. Quod Diodorus Siculus refert lib. XVII. In Græcia verò paſſim, Muſis ſacra fiebant: maximè tamen apud Theſpienſes, de quo Pauſanias in Bœoticis. Ac in ſcholis etiam Muſarum feſtum à pueris obſervatum, indicat Æſchines in Timarchum.

Atque hæc de facundia Poëtica. Venio ad Oratoriam. Deque hac ſaltem nemo ambiget quin ſit prudentia bene dicendi. Ac quatenus prudentia eſt, Pallas ei præeſt. Sed quatenus illa reſtringitur eo, quod propoſitum ſibi habet dicere ad perſuadendum accommodatè (id enim eſt bene dicere) Mercurium ei præfecerunt, catum dicendi magiſtrum, cui & linguam ſacravit antiquitas. Diximus de iſto partim libro de Natura ac Conſtitutione Rhetorices: partim hujus operis lib. II, cap. XXXII. Præterea Eloquentiæ præeſt Suada; ita dicta à ſuadeo, ut à ſcribo *ſcriba*, à fugio *fuga*. Indeque *maleſuada*. At ut à candeo *candela*, à medeor *medela*, ſic ab eodem *Suadela*. Eadem Pitho Πειθώ, ἀπὸ τοῦ πείθειν, quod à פָּתָה, *perſuaſit*. Sacellum Pithûs, ſed ſine ſimulachro, Sicyoniis erat: de quo Pauſanias in Corinthiacis. Notus & vetus eſt ſenarius:

Οὐκ ἔστι Πειθοῦς ἱερὸν ἄλλο, πλὴν λόγος.
Orationem præter haut Suadæ eſt ſacrum.

Hactenus de Prudentia, ſupereſt de Arte, cui & ipſi præerat Minerva. Sanè textoriam inveniſſe dicitur.

Arti apud Gaditanos ara fuit, ut ait Philoſtratus lib. V de vita Apollonii, cap. I. Nempe veterum opinio fuit, Deum fundamenta artium hominibus monſtraſſe, quo induſtria ipſi eas poſtea perficerent. Unde Gratius in Cynegetico:

Nam primum auſpicium Deus artibus, altaque circum
Fundamenta dedit: tum partes quiſque ſecutus
Exegere ſuas, tetigitque induſtria finem.

CAP. XIII.

De Dea Virtute: item Juſtitia: ad hæc Pietate, tribus Gratiis, & Fide: ac item Themide, & tribus ejus filiabus. Inſuper Sophroſyne, eique adverſante Como. Præterea Pudicitia, tum Patricia, tum Plebeia. Inſuper Clementia: nec non Fortitudine, ſive Virtute bellica, ac Dea Strenia.

HActenus de prudentia, virtutis omnis directrice, quam per Minervam intelligi diximus. Venio ad Virtutis conſiderationem, ſed ad hanc per Veritatem pervenitur, uti per Virtutem ad Honorem.

Veritas enim eſt Virtutis mater, ut eſt in Philoſtrati Heroicis. Ipſa verò eſt Temporis filia. Quod & voluere Romani, ut Plutarchus in Quæſtionibus ait, cùm Saturnum ejus parentem dixere. Nam κρόνος, χρόνος *a*, &, ut eſt in veteri ſenario: a Saturnus, tempus.

Ἄγει δ' ὁ πρὸς φῶς τὴν ἀλήθειαν χρόνος.

Liberiore ſenario reddas:

In lucem tempus veritatem protrahit.

Pindaro tamen in Olympiis od. X, quæ eſt ad Ageſidamum, dicitur Ἀλάθεια Διὸς θυγάτηρ *b*. Nempe quia Veritas eſt res divina, ac à ſummo numine profecta. b Veritas Jovis filia.

Virtus ſecundo loco refertur Ciceroni inter numina, quibus poſt fata in cælos pervenitur. Sic enim ait lib. II de Legg. *Aſt olla, propter quæ datur homini adſcenſus in cælum; Mentem, Virtutem, Pietatem, Fidem.* Ubi Menti proximè ſubjungit Virtutem, & Pietatem; quia duæ ſunt filiæ Bonæ Mentis: imo his duabus non minus mens perficitur, quam mens, ſive anima corporis eſt ἐντελέχεια, ac perfectio: his Fidem ſubdit, ut germen priorum.

Virtuti primus fanum poſuit Scipio Numantinus. Poſtea ei pariter, ac Honori, ædem in primo ſuo conſulatu vovit M. Marcellus anno Urbis IↃ XXXII: approperato autem opere exſtruxit IↃ XLVI: quo & obiit, bello Hannibalico: filius verò ad portam Capenam dedicavit; annis XVII, ex quo pater ejus prælio Gallico ad Claſtidium voverat. Auctores Livius lib. XXVII, Valerius Max. lib. I, cap. I, Plutarchus in vita Marcelli, & lib. de Fortun. pop. Rom. Ita verò his Diis exſtructa, ut per Virtutis ædem iretur ad Honoris, quò pareret, nonniſi per Virtutem perveniri ad Honorem. Poſtea itidem C. Marius ædem Virtuti, & Honori, exſtruxit; ut conſtat ex Vitruvii lib. VII, Verrio ſive Feſto in *Summiſſiorem*, ac veteri inſcriptione; ubi dicitur, feciſſe eam de manubiis Cimbricis, & Teutonicis. Virtutis, & Honoris ædem inſtauravit Veſpaſianus Auguſtus; ut eſt apud Plinium extremo cap. X, lib. XXXV. Imago Virtutis retulit matronam grandævam.

Nec univerſè modò colebatur Virtus, ſed & particulatim. Sunt vero tres præcipuè virtutes, ad quas cæteræ reducantur. Nam ſi prudentia in eo verſetur, ut ſuum cuique tribuat, juſtitia eſt. Sin hoc agat, ut mediocritatem tueatur in illis, quæ guſtui, vel tactui, ſunt jucunda, temperantia eſt. At ſi modum ſervet inter metum, & fiduciam, fortitudo eſt.

Juſtitiam hymnis duobus celebrat Orpheus.

Romæ Juſtitiam conſecravit Auguſtus; idque in templo Bonæ Mentis. Unde Ovid. in III de Ponto:

Principe nec noſtro Deus eſt moderatior ullus:
Juſtitiâ vires temperat ille ſuas.
Nuper eam Cæſar facto de marmore templo
Jampridem poſuit Mentis in æde ſua.

Latè verò Juſtitia patet. Si debitum Deo cultum præſtet, Pietas eſt, quæ nequit eſſe ſine honeſta de Deo opinione: ſic ut nihil à Deo expetatur, quod injuſtum & inhoneſtum arbitrere: ut ait Cicero in II de Officiis. Si parentibus, aliiſve bene meritis, debitam referat gratiam, Εὐχαριστία eſt. Si in eo verſetur, ut fiat, quod dictum

dictum eſt, Fides eſt: quam quarto loco inter ea, per quæ in cælos adſcenditur, Cicero refert lib. II de Legg.

Singulæ harum templum Romæ habuerunt. Pietati (quam cum Virtute eſſe germen Bonæ Mentis ex Cicerone antea diximus) anno Urbis IↃLXIV ædis vota eſt à Manio Acilio Glabrione in pugna ad Thermopylas cum rege Antiocho, L. Cornelio Scipione, qui poſtea Aſiaticus eſt vocatus, & C. Lælio Nepote, coſſ. Voti reus eam poſtea exſtruxit in foro olitorio, regione XI, quæ erat Circi Maximi. Ut ex Victore, & Rufo cognoſcere eſt. Eam autem octennio pòſt filius (cui & ipſi Manio prænomen fuit,) dedicavit anno videlicet Urbis IↃLXXII, P. Cornelio Cethego, & M. Bæbio Tamphilo coſſ. De quo ſic Livius lib. XL: *Ædes duæ eo anno dedicatæ ſunt: una Veneris Erycinæ ad portam Collinam: altera in foro olitorio Pietatis. eam ædem dedicavit Manius Acilius Glabrio: ſtatuamque auratam quæ prima omnium in Italia ſtatua aurata eſt, patri Glabrioni poſuit. Is erat, qui ipſe eam ædem voverat, quo die cum rege Antiocho ad Thermopylas depugnâſſet: locaveratque idem ex Senatusconſulto.* Similiter Val. Maximus lib. II, cap. V. Anno autem IↃCIV, T. Quinct. Flaminio, & M. Acilio Balbo coſſ. XL annis ex quo prior vota, XXXII, ex quo dedicata, itidem ab Acilio, ſed Balbo, ut ejuſdem gentis, ſed alterius fuiſſe familiæ conſtet, altera Pietatis ædes eſt exſtructa: non quemadmodum prior, in Foro olitorio, undecima urbis regione, ſed in regione nonâ, quæ erat Circi Flaminii, & continuit poſtea theatrum Marcelli. Quâ occaſione ea iſtic loci exſtructa ſit ædis, Feſtus indicat his verbis: *Pietati ædem conſecratam ab Acilio ferunt eo loco, quo quondam mulier habitaverit, quæ patrem ſuum incluſum carcere mammis ſuis clam aluerit: ob hoc factum impunitas ei conceſſa eſt.* Ubi *patrem* etiam fuit in ſchedis Pomponii Læti: ſed matrem alitam à filia, dicunt Valerius lib. V, cap. IV; & Plinius lib. VII, cap. XXXVI. Nec propterea aliquid mutandum in Feſto: non magis ſanè, quàm in Solino cap. VII, ubi itidem legas patrem altum uberibus filiæ. Sic enim omnes MSSi, & editi ante eam, quam dedit Delrio. Is primus reſcripſit, *parentem*, *quæ*, pro *patrem qui*. Credo id non feciſſet, ſi veniſſet in mentem ei, ſimiliter prodidiſſe Verrium, ſive Feſtum.

Hæc de Pietate. Sequitur εὐχαριστία, quam grati animi virtutem, ac ſemibarbarè *gratitudinem* dicimus. Hæc tribus Gratiis denotatur: quarum duæ adverſæ, una averſa: quia benefacienti duplum referendum, inſtar ſoli fœcundi, quod plus reddit, quam accepit. Atque ita ἠθικῶς *a* accipiuntur: de quo Pauſanias in Eliacis, & Seneca lib. de Beneficiis, item Plutarchus, & alii. Φυσικῶς verò ſpectantur, quando intelligimus tria agricolis longè acceptiſſima. Primò hi gaudent, ſi vomer, & cætera ſplendeant arma ruſtica. Virgil. I Georg.

—— *Et ſulco attritus ſplendeſcere vomer.*

Hinc Ἀγλαΐα, quod idem, ac αἴγλη, vel αὐγή, *ſplendor.*

Alterum eſt gaudium, cum arbores vireſcunt, ac pullulant ſegetes. Eo ſecundæ Charitum datum eſt nomen Θαλία. Quo vocabulo ſignificatur primus arboris germinatus, item ramus virens; qui & θαλλός, ἀπὸ τοῦ θάλλειν, hoc eſt, *virere, pullulare.*

Tertia eſt Εὐφροσύνη: nempe lætitia plena quæ oritur ex meſſe. Atque hac ratione χάριτες ad πάθη potiùs pertinent, ut Gratiarum feſtum χαρίσια. Nam quemadmodum Euſtathius ait in Odyſſ. Σ. ἐκ τῶν χαρίτων χαρίσια παρωνόμασται· *à Charitibus Chariſia vocata.* In harum pervigilio, qui diutiſſimè ſibi à ſomno temperaſſet, placentam pro præmio accipiebat: ut ibidem legas.

Hactenus de εὐχαριστίᾳ, & occaſione ejus de Charitibus etiam, quatenus non ad moralem ſcientiam, ſed naturalem pertinent.

Nunc de Fide videndum. Quam hoc loco attendimus, non prout ſumitur, cùm dicimus, *fidem habere*: ſed pro fidelitate, quomodo dicimus *fidem ſervare* in fœderibus, pactis, commerciis.

a Ethicè.

De hac ita Silius Italicus:

Ante Jovem generata, decus divûmque, hominumque,
Qua ſine non tellus pacem, non æquora norunt,
Juſtitiæ conſors, tacitumque in pectore numen.

Meminit quoque Maro I Georg.

Cana Fides, & Veſta ——

Item Juvenales Sat. I:

Ut colitur Pax, atque Fides.

Ædis Fidei in Capitolio ſtatuta fuit, teſte Plinio lib. XXXV. Ac Jovi quidem vicina; ut eſt apud Ciceronem in II de Officiis. A Numa conſecratam ajunt Dionyſius, Livius, Plutarchus. Ab Attilio Calatino fuiſſe dedicatam, legas apud eundem in ſecundo de Natura Deorum. Hæc facilè conciliantur, quia videtur Numa exſtruxiſſe, Attilius ædem vetuſtate collapſam inſtauraſſe. At vanum exiſtimo, quod Agathocles, Cyzicenarum rerum ſcriptor, prodidit, teſte Sexto Pompejo, *vaticinio Heleni impulſum Æneam, Italiam petiviſſe portantem ſuam ſecum neptem, Aſcanii filiam, nomine Romam: eamque ut Italia Phryges ſint potiti, & his regionibus maximè, quæ nunc ſunt vicinæ urbi, primam omnium conſecraſſe in Palatio Fidei templum.* Addit deinde, juſtam fuiſſe viſam cauſſam, cur urbi imponeretur nomen Romæ, quod & ea fuiſſet nuncupata Roma, quæ prior Fidei illic templum poſuiſſet. In codice Farneſiano ſic erat: *In quo monte poſtea cum conderetur urbs, viſam eſſe juſtam vocabuli Romæ nominis cauſſam eam quæ priore, unde ea locum dedicaviſſet Fidei.* Ubi rectè Scaliger vidit, pro *priore unde ea* legendum *prior eundem.* Cenſeo præterea *nomine* ex gloſſemate irrepſiſſe. Quod ſi ante Romam conditam jam Fidei templum fuit: non illud condiderit vel Romulus, vel Numa; quod Dionyſius in II Antiquit. ac Plutarchus etiam prodidit: ſed alteruter duntaxat inſtaurârit.

Ad fidem etiam pertinet Jupiter Fidius, ſic dictus, quia jurando per eum fieret fides. Dionyſius Halic. lib. IV de fœdere agens ſancito inter Tarquinium Superbum, & Gabinos, ait monumentum fœderis ejus ſervari Romæ ἐν ἱερῷ Διὸς Πιστίου, ὃν Ῥωμαῖοι Σάγκτον καλοῦσι. *in templo Jovis Piſtii, ſive Dii Fidii, quem Romani Sanctum vocant.* Idem lib. IX narrat, ut Sp. Poſtumius, Q. Servilii collega nonis Juniis in colle Martiali, Jovis Fidii ædem, dedicarit, quam idem Tarquinius exſtruxerat quidem, nec tamen dedicarat ritu ſollemni. Apud Sex. Rufum, qui Valentiniani, & Valentis Impp. temporibus claruit, legas in Regione Urbis tertia ædiculam Sangi Fidoni. Omnino ſignatur Semo Sangus ſive Sanctus Fidius: de quo fusè dixi lib. I, cap. XII. Video virum nobilem & eruditum putare in Semone Sancto Fidio intelligi tres Noachi liberos. Sanè vocabulum Semo non abit à filio Semo. Et κατ' ἀφαίρεσιν *a* poſſit à Japhed eſſe Fid, ſive Fidius. At Sancus longius à Cham abire fatendum: ubi & μεταθέσει *b* ſit opus, & ἀφαιρέσει, & mutatione unius liquidæ in alteram.

a Per ablationem initii.
b Tranſpoſitione.

Ad juſtitiam quoque ſpectat Mercurius Nomius. Item Eunomia: atque adeò mater ejus Themis, Cæli, vel Solis Terræque filia: quam Græci ſecundam ajunt Iovis conjugem fuiſſe: atque ex eo peperiſſe Eunomiam, Dicen, & Irenen. Heſiodus in Theogonia:

Δεύτερον ἠγάγετο λιπαρὴν Θέμιν, ἣ τέκεν Ὥρας,
Εὐνομίην τε, Δίκην τε, καὶ Εἰρήνην τεθαλυῖαν.
Pulcra deinde Themis ducta eſt, quæ protulit Horas,
Eunomiamque, Dicenque, Irenen atque virentem.

Θέμις univerſe notat fas atque honeſtum. Eſtque nihil aliud, quam lex æterna, quam Deus præſcripſit mundo. Ex hac profluit Εὐνομία, quæ in civitate bonas leges conſtituit: & Δίκη, quæ ſecundum leges illas cuncta adminiſtrat: harum verò aſſecla ſoror natu minima Εἰρήνη, quia ubi Leges bonæ, & Juſtitia regnat, ibi pax & concordia obtinent.

Celebrat quoque Orpheus ſive Onomacritus in Initiis ſive Hymnis:

Ὧραι θυγατέρες Θέμιδος καὶ Ζηνὸς ἄνακτος
Εὐνομίη τε, Δίκη τε, καὶ Εἰρήνη πολύολβε.

Stylo antiquo reddebat Joſ. Scaliger:

Temperiæ Iovis, & Juritis ſancta propago,
Aurea lex, & Fas, & Pax ditiſſima rerum.

Nempe Horæ illi *Temperiæ*: quia Horis mundum Jupiter temperat: ut Horatius ait lib. I, od. XII. Ubi tamen non de tribus Iovis filiabus: ſed de quatuor cæli portarum præſidibus ei ſermo videtur. At Themis Scaligero Juritis, quaſi juris fons: novè magis, quàm ἀρχαίως *a*. Tres haſce Divas cum matre, felicem reddidiſſe Corinthum, ait Pindarus Olymp. ode XIII:

a *Vetuſtè.*

Ἐν τᾷ γὰρ Εὐνομία ναίει, καϲίγνηταί τε, βάθρον πολίων,
Ἀσφαλὴς Δίκα, καὶ ὁμότροπος Εἰράνα, ταμίαι
Ἀνδράσι πλούτου, χρύσεαι
Παῖδες εὐβούλου Θέμιτος.

In hac Eunomia habitat ſororeſque, fundamentum urbium,
Firma juſtitia, & iiſdem moribus prædita Pax, diſpenſatrices
Hominibus divitiarum, aureæ
Filiæ Themidis, conſultricis bonæ.

Phurnutus de Diis, cap. de Horis: Διὰ δὲ ταύτην τὴν αἰτίαν, καὶ ἐκ Θέμιδος ὁ Ζεὺς λέγεται γεννῆσαι τὰς Ὥρας, ὑφ' ὧν τὰ ἀγαθὰ πάντα ἐν ἡμῖν ὀρέγεται καὶ φυλάττεται. Καλοῦνται δὲ αὗται· ἡ μὲν Εὐνομία, ἀπὸ τοῦ ἐπιβάλλοντος τῆς διανεμήσεως. Ἡ δὲ Δίκη, ἀπὸ τοῦ δίχα χωρίζειν ἀπ' ἀλλήλων τοὺς διαφερομένους. Ἡ δὲ Εἰρήνη, ἀπὸ τοῦ διὰ λόγου, καὶ οὐ δι' ὅπλων (lego ὅπλων) διακρίνεσθαι ποιεῖν. *Ob eandem cauſſam, ex Themide Jupiter dicitur genuiſſe Horas: à quibus bona omnia, quæ nobis obtingunt, præbentur, & conſervantur. Ex iis verò una vocatur Eunomia, eo quòd obtigerit, illi æqua rerum diſtributio. Altera dicitur Dice, ſive Jus, quia dirimat lites eorum, qui inter ſe diſſident. Tertia eſt Irene, ſive Pax; quæ ratione ac ſermone ſopiat controverſias, non armis.*

Platonici ajunt in mundo tria attendi, bonitatem, juſtitiam, & pulchritudinem: primam eſſe ab Eunomia, alteram à Dice, tertiam ab Irene.

De Themide plura in Symbolicis dicemus. Sed fusè imprimis de ea egit eruditiſſimus Stephanus Winandus Pighius Campenſis, libro quem Themidem Deam, ſive de lege divina inſcripſit.

Poſſit & hic de Nemeſi agi, quia eſt filia Juſtitiæ. Sed de ea partim jam in Affectibus vidimus: partim etiam in Semivirtutibus agetur.

Nec ſolum præfecere numina Juſtitiæ, ſed etiam Injuſtitiæ: uti & aliis vitiis. Quam rem etiam tangit Nazianzenus in II de Theologia. Ubi vitioſiſſimos fuiſſe ait, qui vitia colerent pro Diis. Cæterùm gentiles hoc ſe colore tuebantur, quod numina vitiis præfecta eò colerent, ne obeſſent. Ex vitiis, Juſtitiæ adverſantibus, pro numine habuerunt Ὕβριν, ſive Contumeliam, vel Injuriam: uti ex Theophraſto, Cicerone, Clemente, & Zenodoto dictum, cum de Semivirtutibus ageremus. Item Calumniam, cui aram erexere Athenienſes; ut Theophraſtus apud Diogenianum auctor eſt. Adhæc Μῶμον, Deum maledicentiæ, ac reprehenſionis, etiam injuſtæ. Eſt verò Μῶμος à מום macula: unde ἀμύμων, hoc eſt, immaculatus, eoque ἀμεμπτος *b*.

b *Inculpatus.*

A juſtitia, & virtutum illis, quæ ad juſtitiam referuntur, quales pietatem, εὐχαριστίαν *c*, & fidem; item Themidem cum filiabus, duabus imprimis, eſſe diximus, venio ad Juſtitiæ ſorores, temperantiam, & fortitudinem. Quarum prior mediocritatem ſervat circa voluptates, ſive ex cibo potuque, ſive ex libidine Venerea, ſive, ſecundùm aliquos, etiam ex vindicta, qua & ipſa nihil hominibus dulcius eſſe ſolet.

c *Grati animi virtutem.*

Temperantia inter Divas à Theognide memoratur. Nam cum dixiſſet, Spem ſolam in terris remanſiſſe, alias Deas exceſſiſſe è terris, ſubjungit iſta:

Ὤχετο μὲν Πίστις, μεγάλη θεός, ὤχετο δ' ἀνδρῶν
Σωφροσύνη· Χάριτές τ', ὦ φίλε, γῆν ἔλιπον.

Abiit quidem Fides, magna Dea, abiitque virorum
Temperantia, Chariteſque, ô amice, terram reliquerunt.

Eſt verò temperatio animi duplex. Prior circa alimentum verſatur, ac circa cibum *Abſtinentia*, circa potum *Sobrietas* dicitur. Quibus adverſatur, gulosè ſi vivitur. Atque huc pertinent convivia immodeſta, cumque laſcivia, & petulantia, conjuncta. His præfuit Comus, qui idem ac Beelphegor, teſte B. Hieronymo. Ac comeſſationi ab eo nomen. Conſideratur autem Comus trifariam: hiſtoricῶς, quatenus eſt Numen animale; φυσικῶς, quatenus refertur ad vim cæleſtis naturæ; & ἠθικῶς prout reducitur ad vitium morale. Quatenus eſt Deus animalis, idem eſt, ac Chamus, Noachi filius, qui pro Numine cultus à poſteris Cananæis, Arabibus, Ægyptiis, Ammoniis, & Catabathmi incolis. Qua de re dictum lib. I hujus operis, cap. XXXVI. Φυσικῶς reducitur ad Liberum, & Priapum, h. e. Solem. A Sole enim eſt vini, & aliarum rerum generatio, etiam hominis. A Sole igitur dimanat vis naturæ in exhilarando hominum conſortio per dapſilem cibum, potumque, & ſermones jucundos, ſæpè & choreas. Atque hoc pacto conſideravimus lib. II, cap. VIII. Hic verò ἠθικῶς attenditur, quatenus eſt conviviorum luxus, ut diximus. Imo poſſis etiam ad lætitiæ adfectum referre; quia lætitia eſt commeſſationis affectus, & finis. Ac præterea etiam ad vitam hominis ſocialem, de qua poſtea dicendum: eſt enim aggregatum ex multorum actibus humanis. Nempe in tam vario philoſophandi genere varia attendi ſolent. Pro quibus Numen aliquod ad diverſas referatur claſſes.

Præterea temperantia verſatur circa voluptatem ex Venerea libidine: & vocatur Caſtitas ſive Pudicitia: quæ & in virgine, & in vidua, & in nupta, animum ab illicita libidine ſervat integrum ac purum. Sed propriè hic attenditur Pudicitia conjugalis.

Pudicitiæ ædis Romæ gemina fuit, Patriciæ, & Plebeiæ. Patriciæ ædis erat in Foro Boario ad ædem rotundam Herculis. Hæc ab M. Æmilio Scauro dicitur exſtructa. Plebeiæ in Vico Longo, facta à Virginia Auli filia patriciâ quidem, ſed nuptâ conſuli plebeio, L. Volumnio. Livium adi lib... Propertius lib. II, eleg. VI:

Templa Pudicitiæ quid opus ſtatuiſſe puellis,
Si cuivis nuptæ quidlibet eſſe licet?

Bis nuptis tangere ſimulachrum nefas Pudicitiæ erat. Feſtus: *Pudicitiæ ſignum in Foro Boario eſt, ubi Æmiliana eſt Herculis. Item via Latina ad miliarium quartum, Fortunæ Muliebris. Nefas eſt attingi, niſi ab ea, quæ ſemel nupſit.* Sanè quantopere à Romanis commendatentur univiræ, oſtendit Valerius Max. lib. II, cap. I: *Quæ uno contentæ matrimonio fuerant, corona pudicitiæ honorabantur. Exiſtimabant enim eum, præcipuè matronæ, ſincera fide incorruptum eſſe animum, qui depoſitæ virginitatis cubile egredi neſciret: multorum matrimoniorum experientiam quaſi illegitimæ a cujuſdam* intemperantiæ ſignum eſſe credentes. Itaque in veteribus monumentis videas lapidi ſæpius inciſum, quod univiræ fuiſſent. Quæque ſecundo nuberent, hæ citra hominum frequentiam, & quaſi clandeſtinas nuptias conficiebant: ut auctor eſt Plutarchus in Romanis quæſt. CV.

a *Fortè legitimæ legendum, h. e. legibus conceſſa.*

Nonnullis, atque in his Sebaſtiano Foxo *b*, temperantia adeò latè patet, ut eo quoque reduci debeat clementia. Nimirum quia hæc virtus cohibet impetum iræ, nequid in ulciſcendo crudeliter fiat. Natura quippe homo amat voluptatem: quæ tanta eſt in vindicta ut vita etiam dulciorem eſſe dicat Juvenalis. Quare & hac parte moderari affectus convenit. Id verò Clementia facit.

b *Ethic. Compend. lib. 3. cap. 26.*

cit. In Julii Cæſaris honorem, templum Clementiæ decretum fuiſſe, teſtis eſt Plutarchus. Quid mirum? quando laudum Cæſaris nulla tam propria illi fuit, quàm hoſtibus ignoſcendi. Laudes Divæ Clementiæ ex Claudiano adſcribere nihil neceſſe, quando id jam à Gyraldo factum. Nec planè aliena ab hoc loco illa de ara Miſericordiæ apud Athenienſes Sed hæc non virtus, verùm πάθος a. Quare de ea potius dicemus cap. proximo.

a *Affectus.*

Sequitur Fortitudo: quæ primò Virtutis nomen meruit: quod nomen etiam indicat: eſt enim à viro, κατὰ συγκοπὴν b quaſi *viritus*: ut propriè ſit ἀνδρότης, ſive ἀνδρεία. Sic Græcis ἀρετὴ c ab Ἄρης d, nec aliunde ἄριστος e, quaſi dicas *maximè Martium*, vel *Martialem*. Gloſſ. vett. *Virtus*, ἀρετὴ, ἀνδρεία, ἰσχὺς, δύναμις. Ennius Hectoris Lytris:

b *Per ſyncopen.* c *Virtus.* d *Mars.* e *Præſtantiſſimus.*

Meliùs eſt virtute jus. Nam ſæpe virtutem mali
Nanciſcuntur: jus atque æquum ſe à malis ſpernit procul.

Atque hic de ſola corporis fortitudine ſermo eſt. Sed à corpore translata vox ad animum, illiſque accommodata, quibus, ut poëta loquitur, —— *robur, & æs triplex Circa pectus erat.* Hoc eſt, quos nullus periculi metus deterreret: quales & Græci σιδηρόφρονας vocant. Nihil igitur mirum, ſi propriè magis virtutem de virtute bellica dixerint, quàm juſtitia, aut temperantia. Nec dubium, quin cùm virtutis & Honoris ædem ſtruerent Romani, præcipuè Virtutem in bello intellexerint.

Atque ad hanc etiam pertinet Dea Strenia, ſi audimus Symmachum lib. x epiſtol. xxviii ad tres Auguſtos: *Ab exortu penè urbis Martiæ ſtrenarum uſus adolevit, auctoritate Tatii regis: qui verbenas felicis arboris ex luco Streniæ anni novi auſpices primus accepit, D D D. Imperatores. Nomen indicio eſt, viris ſtrenuis hæc convenire ob virtutem.* A στρηνὴς, quod inter alia, Heſychio teſte, notat ἰσχυρὸν fortem, eſt *ſtrenuus*: uti hinc forte Dea *Strenia*, quæ ſtrenuis præeſſet; unde & ex luco ejus potiſſimum verbenæ ut Symmachus refert, viris ſtrenuis dono mittebantur. Streniæ Deæ, ac ſacelli ejus, mentio eſt in nobili fragmento actorum diurnorum ejus anni, quo L. Æmilius Paulus, & Cn. Octavius Nepos, paludati ſunt in Macedoniam profecti adverſus Perſen. Habes apud Pighium in Annalibus ad an. Urbis Conditæ ıↄLxxxv.

Cap. XIV.

De Semivirtutibus: ut ſunt Verecundia, Miſericordia, & Indignatio. Deque Felicitate, virtutum omnium fine.

DE quibus hactenus diximus, Juſtitia dico, Temperantia, & Fortitudo, veræ ſunt virtutes. Sunt præterea quædam, quæ veriùs πάθη, ſive affectus; ſed quia ſint ſemina quædam virtutis, ut quæ ad virtutem ſternant viam, eo virtutes etiam à pleriſque nuncupantur; commodiùs tamen ab aliis ſemivirtutes vel virtutes inchoatæ. Tales ſunt Verecundia, Miſericordia, & Indignatio.

Ex his verecundia eò virtus, etiam ab Ariſtotele a, vocatur, quia multi timore infamiæ ab inhoneſtis retrahuntur, & ad bene agendum ſtimulantur quaſi calcaribus quibuſdam. Ut ſi minùs ſit virtus moralis, ſaltem ſit virtus naturalis, quia conſtitutio eſt naturâ conveniens homini, præſertim adoleſcentiæ: eò bonis moribus conducibilis, quod ut dixi, revocet à turpi, & ducat ad honeſtum.

a *Lib. 3. Eth. Nicomach. cap. 8.*

Verecundiæ ara Athenis fuit, teſte Pauſania in Atticis. In Arce fuiſſe, tradit Heſychius. Pudorem cum Nemeſi æneo ſæculo in cælum evolaſſe, ab Heſiodo proditum eſt. Quamquam verò Xenophon in Sympoſio dicat, Pudorem eſſe numen, non Impudentiam: contrarium verò colligi videtur proverbio hoc, Θεὸς ἡ ἀναίδεια, *Dea eſt impudentia.* Sed hoc ſic liceat interpretari, quod homines perfrictæ frontis quidvis fere conſequantur, quod non poſſint, quos verecundia, & mollities frontis, abſterret. Interim hoc ipſum magnam oſtendit vim ejus: ac propterea etiam Dea credebatur, Menander Carina apud Jo. Stobæum:

—— Ὦ μεγίστη τῶν Θεῶν
Νῦν οὖσ' ἀναίδει', εἰ θεὸν καλεῖν σε δεῖ.
Δεῖ δέ. τὸ κρατοῦν γὰρ, νῦν νομίζεται θεός.
Ἐφ' ὅσον βαδίζεις; ἐφ' ὅσον ἥξειν μοι δοκεῖς.

Reddidit hoc pacto Illuſtr. Hugo Grotius:

—— *O Deorum maxima*
Nunc Impudentia, ſi te fas dici Deam:
At fas. nam nunc quod regnat, mos numen vocat:
Quo proceſſiſti? quoque procedes adhuc?

Imò apud Zenobium Proverbio xxxvi Centur. iv hæc legas: Φησὶ Θεόφραστος ἐν τῷ περὶ νόμων, Ὕβρεως καὶ Ἀναιδείας παρὰ τοῖς Ἀθηναίοις εἶναι βωμούς. *Theophraſtus libro de Legg. ait, aras ab Athenienſibus poſitas Contumeliæ, & Impudentiæ.* Eſt & Ciceronis lib. ii de Legibus: *Illud vitioſum Athenis quòd, Cylonio ſcelere expiato, Epimenide Cretenſi ſuadente fecerunt Contumeliæ fanum, & Impudentiæ.* Atque idem de Epimenide proditum à Clemente Alexandrino Admonitione ad Gentes.

Satis, quod ad Verecundiam attinet. Conſequitur, ut de Miſericordia dicam: quæ & ipſa affectus eſt, non virtus, ſed ita affinis virtuti, ut quandoque Miſericordiæ, & Clementiæ vocabula confundantur: ut à Statio Papinio factum eſſe, mox parebit. Videlicet Miſericordia ad Clementiam munit viam, quique immiſericors ſit crudelis potius, quam clemens evadet. Unde non minus, quam ex verecundiæ affectu liquet, quam alucinentur Stoici, affectus quando radicitus jubent evellere.

Athenienſis humanitas aram Miſericordiæ conſtituit: ut Eumenius ait orat. de Scholis inſtaurandis. Sed ſoli Græcorum eam habuere: ut Pauſanias in Atticis docet. Meminit & aræ ejus Quintilianus lib. v, cap. x. Dicitur verò conſtituta ab Heraclidis, cùm Athenienſium ope in Peloponneſo reſtituti eſſent ſedibus antiquis, unde poſt Herculis mortem fuerant ejecti. Alii Hillum, Herculis ex Dejanira filium dedicaſſe putant, cum ab Euryſtheo è patria pulſus Athenas confugiſſet. Statius quidem Papinius hac de ara ſic ſcribit xii Thebaidos:

Fama eſt defenſos acie poſt buſta paterni
Numinis, Herculeos ſedem fundaſſe nepotes.

Dixeris de ara Clementiæ iſtic ſermonem eſſe. Operæ eſt audire; quæ apud Statium præcedunt:

Urbe fuit media nulli conceſſa potentum
Ara Deum: mitis poſuit Clementia ſedem
Et miſeri fecere ſacram. Sine ſupplice nunquam
Illa novo. nullâ damnavit vota repulsâ.
Auditi, quicunque rogant.

Sed Clementiam pro Miſericordiam dicere coactus eſt poëta, quia carmen epicum vocem alteram non admittit. Nec ſanè Athenis ara Clementiæ, ſed Miſericordiæ fuit. Interea in dubium jure aliquis vocet, quod ab Hyllo, Herculis filio, vel ab Heraclidis LXXX poſt Ilii excidium annis, ara hæc dicitur conſtituta. Veriſimilius id ab ipſis factum Athenienſibus, quando oſſa regis ſui Theſei è Scyro inſula Athenas deportarent. Quippe ex Plutarchi Theſeo ſcimus, iſtic, ubi oſſa ſepulta, fuiſſe deinceps φύξιον οἰκέταις, καὶ πᾶσι τοῖς ταπεινοτέροις, καὶ δεδιόσι κρείττονας, ὡς καὶ Θησέως προστατικοῦ τινος καὶ βοηθητικοῦ γενομένου καὶ φιλανθρώπως τὰς τῶν ταπεινοτέρων δεήσεις· *perfugium inviolabile ſervis & omnibus demiſſioribus, timentibuſque potentiores: quod tutelaris Theſeus atque auxiliaris fuiſſet, & benigne humiliorum ſuſcepiſſet preces.* Atque ad hæc tempora etiam revocare mavult Baptiſta Pius Poſter. Annotat. cap. XLVII. Si intervallum conſideremus, multum inter has opi-

opiniones diſtet. Nam ab Heraclidarum reditu uſque ad Cimonis exceſſum anni ſunt circiter ƆƆ CL: ab Ilio capto, quando Hyllus vixit, anni præterea LXXX: ſin ab exceſſu Theſei numeremus, anni ſint ƆƆ CCL, & paullo amplius. Ut omnino apud Plutarchum in Cimone, ubi à morte Theſei ad uſque oſſa à Cimone relata numerat ἔτη σχεδὸν υ', *annos fere quadringentos*, reſcribi debeat σχεδὸν ω'. *fere octingentos.* Sunt enim ſupra IƆ CCL, ut diximus. Eſtque proclivis lapſus ut ex ω fiat υ, paullum attrita, ac evaneſcente litera. Atque hoc clariſſimo amico noſtro τῷ μακαρίτῃ Joanni Meurſio etiam viſum in Archontibus ſuis lib. II, cap. VII. In eo tamen abire cogor, quod exiſtimat id factum Olympiadis LXXV anno I, Aphepſione prætore, quo Xerxem conſtat in Europam trajeciſſe, & Athenas ab eo incenſas. Necdum enim tum ullum erat Cimonis nomen, niſi quòd Miltiadis eſſet filius. Clareſcere unà alterâ Olympiade pòſt cœpit: nec Scyron, unde oſſa Theſei reportavit, adiit, niſi poſt victoriam ad Mycalen: ut ex Nepote in ejus vita conſtat. Sed, ut ad aram redeam Miſericordiæ, nullum hic Divæ ſimulachrum erat, nec thure adolebant, nedum victimam offerrent: ſolis lachrymis litabant. Unde Papinius continuò poſt ea, quæ ſuperiùs adducebamus.

—— Noctesque dieſque
Ire datum, & ſoli numen placare querelis.
Parca ſuperſtitio. non thurea flamma, nec altus
Accipitur ſanguis, lachrymis altaria ſudant.
Mœſtarumque ſuper libamina ſerta comarum
Pendent & veſtes mutatâ ſorte relictæ.
Mite nemus circa, cultuque inſigne verendo
Vittatæ laurus, & ſupplicis arbor olivæ,
Nulla autem effigies. nulli commiſſa metallo
Forma Deæ, mentes habitare, & pectora gaudet.

Laurentius Ramirezius de Prado aram hanc ait fuiſſe ignoti Dei *a*. Id verò longè aliter cenſeo. Nam ſi eſt Deæ Clementiæ, quomodo fuerit numinis ignoti? Atqui clarè ait poëta:

a *Pentecontarchi cap. 16.*

Urbe fuit mediâ, nulli conceſſa potentum
Ara Deum, mitis poſuit Clementia ſedem,
Et miſeri fecere ſacram.

Nec obſtant hæc verba:

Semper habet tepidos, ſemper locus horret egenis
Cœtibus: ignota tantum felicibus ara.

Nam ea poëtæ ſententia eſt, aras divæ Clementiæ cunctis eſſe miſeris notiſſimas: ſolis ignorari, quibus omnia ex voto fluant, ut nec numinis divini, nec nominis humani, ope iis opus videatur. De templo Clementiæ Cæſaris exſtructo, habemus apud Plutarchum.

Cùm verò Miſericordia ſit in Deas relata, quid mirum, ſi eundem fuerit honorem Νέμεσις ſortita, ſive Indignatio? Nam & hæc affectio quidem eſt: unde & de eâ aliqua in Affectibus ſuperiùs diximus: interim eſt virtuti ſimilis. Sanè ut Ariſtoteles ait in ſecundo Rhetoricorum ἄμφω τὰ πάθη (ἔλεος καὶ νέμεσις) ἤθους χρηστοῦ· *uterque affectus* (miſericordiæ, & indignationis) *ejus eſt, qui bonis ſit moribus.* Nempe qui bonâ eſt indole, eoque ad virtutem naturâ fertur, dolorem concipit, quando videt, opibus augeri, vel ad honores extolli, iis bonis indignos; quibus ornatos mallet viros virtute præcellentes, qui ſæpe jacent diſpreti. Quod ſi is etiam affectus viri boni indicium præbet, hinc quoque liquet, quo jure Stoici affectus omnes damnent. Quomodo hic affectus differat à vicinis, quique indignentur, & quibus & quas ob cauſſas, abunde diximus lib. II Oratoriarum Inſtitutionum, cap. XI. Nunc de ea, ut Dea eſt, loquamur. Quomodo conſiderat Catullus Epigr. LI:

—— Preceſque noſtras,
Oramus, cave deſpuas ocello,
Ne pœnas Nemeſis repoſcat à te.
Eſt vemens Dea: lædere hanc caveto.

Heſiodus ait, unà cùm Pudore ſeculo æneo ſubvolâſſe in cœlos: quemadmodum diximus antea. Numen hoc contra ſuperbiam coli, ait Macrobius lib. I Sat. cap. XXII. Aliter vocatur Adraſtea; nempe ab Adraſto, qui ei aram conſtituit, teſte Antimacho, ſecutóque eum Strabone lib. XIII. Ac ita etiam vocat Ammianus Marcellinus lib. XIV. *Ultrix*, inquit, *facinorum impiorum, bonorumque præmiatrix Adraſtia, quam vocabulo duplici etiam Nemeſin appellamus.* Sed Ammiano hìc Adraſtia non eſt affectus hominis, verùm numinis: per quem hoc fertur ad Superbiam hominis ulciſcendam. Itaque ſic ſubjungit Ammianus. *Ultrix facinorum impiorum, bonorumque præmiatrix Adraſtia, quam vocabulo duplici etiam Nemeſin appellamus. Jus eſt quoddam ſublime Numinis efficacis, quam Theologi veteres fingentes Juſtitiæ filiam, ex abdita quadam æternitate tradunt omnia deſpectare: nunc erectas mentium cervices opprimit & enervat, nunc bonos ab imo ſuſcitans ad bene vivendum extollit.*

Aliter etiam dicta Rhamnuſia, à Rhamnunte, Atticæ pago, ubi fanum habuit, ac ſimulachrum decem cubitorum, totum è lapide, opus Phidiæ, mali ramum manu geſtans; ut auctor eſt Heſychius. Suidas ait, ſimulachrum iſtud ab Erechtheo iſtic conſtitutum, quia mater ibi imperaſſet: fuiſſeque Veneris ſpecie, ac Nemeſin dictam, quia matri id nomen fuiſſet. Feſtum Nemeſis, Νεμέσεια; teſte Moſchopulo. Ab Ægyptiis Saturni ſtella Νέμεσις vocabatur; ut ex Iſagoge Achillis Tatii dicebamus lib. II, cap. XXXIII. Ac ejuſdem libri cap. XLVI legimus de Adraſtia, ſive Lacheſi, quæ ad Fatum reducitur, juxta Platonem in Phædro, & Plotinum libro de Providentia.

De virtute ſatis: nunc de ejus fine agamus. Ea eſt felicitas de qua hoc loco eo convenientius eſt dicere, quia eſt ſummum hominis bonum: Auguſtinus lib. IV de Civitate Dei, cap. XXIII: *An fortè juſtè eſt indignata Felicitas, quod & tam ſerò, & non ad honorem, ſed ad contumeliam potius invitata, ut cum ea coleretur Priapus, & Cloacina &c....*

Cap. XV.

De Virtutum præmiis, Honore, & Fama. Item Numinibus Loquelæ, Silentii, Riſus.

A Virtutibus accedo ad eorum præmia, ut ſunt Honos, & Fama. Honos qui etſi ad omnem ſe vitam extendat, tamen in funere maximus haberi ſolet: imò nullus verior conſtantiorque eo, qui poſt fata exhibetur. Multi enim cum Menandro juſtiora ſunt poſteritatis judicia, quàm ſuæ ætatis conſecuti. Eſt verò honos judicium de alicujus excellentia. Eſtque is actus internus. Externus vero honos eſt exhibitio ſigni judicium noſtrum declarantis. Uterque actio tranſiens. Honori templum bello Liguſtico dedicatum fuit à Q. Maximo: poſteaque id renovatum à M. Marcello: qui ſic exſtruxit, ut in illud, niſi per ædem Virtutis, ingredi nemo poſſet. Fama & Heſiodo Dea eſt, & ab Athenienſibus culta. Meminit Æſchines in Timarcho, & de falſa Legat. Item Pauſanias in Atticis, cujus verba alibi adduximus. At hanc ſententiam oppugnat Tertullianus lib. I adverſus Gentes: *Nemo famam nominat, niſi incertus, quia nemo ſit famâ, ſed conſcientiâ certus: nemo famæ credit, niſi ſtultus, quia ſapiens non credit incerto. Fama quantacunque ambitione diffuſa eſt, ab uno aliquando ore exorta ſit neceſſe eſt; exinde in traduces quodammodo linguarum, & aurium ſerpit, & modicum vitium rumoris obſcurat: ut nemo recogitet, ne primum illud os mendacia ſeminaverit.*

Sunt & hominis adfectiones propriæ, Loquela, Riſus. Loquelæ præeſt Mercurius, qui eſt λόγος προφορικὸς, καὶ μυστικὸς *a*, de quo abundè dixi lib. II, cap. XXXII. Pertinet huc quoque Ajus Locutius, cui à Furio Camillo fanum exſtructum in Via Nova, propter-

a *Orat. Græca.*

propterea quod iſtic à M. Cælicio vox eſſet audita, Gallos advenire, ut autor eſt Livius lib. v. Apud Arnobium lib. i eſt *Ajaceos Boetius.* Pro quo Sigismondus Gelenius rectè, ut arbitror, *Ajos Locutios* emendavit.

Ad loquelam reducitur etiam ſilentium. Cujus præſides Angerona, ſive Angenora, & Harpocrates, ſive Sigalion. Angerona ſic dicta ab antiquo angero pro ango: non ab angendo ore, ut putavit Joſephus Scaliger: qui & propterea putabat, *Angenora* dici oportere; ſed cunctis vett. codd. invitis. Huic in Volupiæ ſacello erat ſimulachrum in ara; ad ſignificandum, qui ſilere ſciat, voluptate poſtmodo frui. Dubium vero, utrum Angerona omni præeſſet ſilentio, an iſti ſolum, ut nequis arcanum urbis Romanæ, nomen, quo ſacerdotes in ſacris uterentur, proferret. Poſterius hoc amplexus eſt Salmaſius in Exercitationibus Plinianis. Harpocrates idem ac Sigalion, ſic ἀπὸ τοῦ σιγᾶν *a* vocatus. Ægyptiis Oſiridis, & Iſidis filius exiſtimatus. Hinc Auſonii illud:

a *A tacendo*, ſwyghen.

Aut tua Sigaleon Ægyptius oſcula ſignet.

De Harpocrate, & quibuſdam aliis Numinibus Ægyptiis ita Tertullianus lib. i adverſus nationes, cap. x: *Serapem, & Iſidem, & Harpocratem, & Anubem prohibitos Capitolio Varro commemorat, eorumque à Senatu dejectas (aras) nonniſi per vim popularium reſtructas.* Nullum verò Senatori Numen minus colendum quàm Aii Locutii, nullum æquè ac Harpocratis & Angeronæ. Sed contra hodiè fieri crebro videmus; unde de iſto perpetua penè eſt querimonia bonorum, & prudentium virorum. In his Budæi cujus verba dabo è Forenſibus *b*: *Angeronæ numen in curia non ſatis ſanctè colitur, (ut fama eſt) tametſi in legem Areopagiticam tyrocinii ſacramento ſigillatim ſit adacta. Sed nullo epiſtomio religionis, os Aii Locutii ſatis comprimi, & obſignari poteſt. Id quod claris exemplis meâ memoriâ compertum eſt.* Nihil hujuſmodi metuere erat apud priſcos Romanos: ut liquet ex Livii lib. xlii, ubi de Eumene loquitur in Senatu Perſen accuſante: nihil item de Perſis, apud quos *vetus diſciplina regum ſilentium vitæ periculo ſanxerat.* Imò apud eoſdem, ut Ammianus ait lib. xxi, *Silentii quoque colitur numen.* De bono Silentii abunde Andreas Schottus: quem edidere fratres Belleri Antuerpiæ an. 1619. Sequitur Riſus, quando & hic eſt affectio hominis proprius. Quàm is gratus ſuperis, Veneri imprimis, arguit, quod ea dicitur φιλομμειδὴς *c*, & Horat. lib. Od. ii. *Ericyna ridens.* Riſus, ut numinis, meminere etiam Pauſanias, & Appulejus: ac venuſtè encomium ejus verſu junxit, Cælius Calcagninus: de quibus Lilius Gyraldus ſyntagm. i Hiſtor. Deorum. Lycurgus Riſui, ut Laboris condimento, Lacedæmone conſtituit templum, ac ſimulachrum; ut eſt apud Plutarchum *d*. De Riſus natura egimus lib. iii, cap. xlvi. Fuſiuſque id factum à Celſo Mancino Ravennate libro de Riſu ac Ridiculis, & Franciſco Valeriola Medico Enarrationum Medicinalium lib. iii: Enarratione ix.

b P. 163. edit. Rob Steph.

c *Amans riſus.*

d *Puto in Cleomede.*

Cap. XVI.

De Diis ſocietatis domeſticæ. Ut ſunt Fauſtitas, Εὐημερία, Juno Gamelia, ubi & obiter de Minerva ante nuptias placari ſolita à Virginibus, Poſtea de Junone Unxia, Cinxia, Venere, Charitibus; De Pilumno, Picumno, Dea Virginenſi, Subigo, Prema, Pertunda, Perfica, Volupia, Lubentia, vel Lubentina. Aſſyriæ Delephat, & Græca Ἀφροδίτης ἔτυμον. De inequitatione Mutini Tetini. Athenienſium τελεσπάτορες. Κότυς, ſive Κοτυττὼ, unde ſacra Cotyttia. Cicinnia. Coniſalus. Orthannes. Tychon, & unde Venus ſit dicta Dionæa, Cytherea, Cypria, pata, ſive ἑλικῶπις, uxor Vulcani, non Martis. Deque tribus Veneris ſignis. Mexicanorum Dii conjugales. Manturna. Viriplaca. Mena. Partus præſides Dii Nixii, Egeria Nympha, Proſa, & Poſtverta, Natio. Intercidona, Pilumnus, Diverra, puerperæ cuſtodes adverſus Sylvanum. Infante nato lectus Pilumno, & Picumno ſtratus. Dianæ poſt partum primum zona à puerpera dicabatur, uti & veſtes. Quinto die ſacrificabatur pro puero.

Egimus de iis, quæ universè hominem ſpectant. Nunc accedo ad ea, quæ tangunt vitam hominis ſocialem. Eſt ea ſocietas, vel Domeſtica, de qua in Oeconomicis tractatur, vel Civilis, quæ in Politicis exponitur.

In Oeconomicis finis eſt fauſtitas domus, ſive familiæ. Itaque à Fauſtitate credebatur eſſe, ſi ager fertilis, &, ut Maro loquitur,

Si fœtura gregem ſuppleverit. ——

Ideò &, ut Feſtus ait, vocarunt, *Fauſtulum porcellum, fœturam pecorum.* Horatius lib. iv, od. v:

Tutus bos etiam rura perambulat.
Nutrit rura Ceres, almaque Fauſtitas.

Huc etiam pertinet Εὐημερία. Quam iccirco cum Muſis invocat Alexis Olynthiâ:

Εὐημερία δέσποινα καὶ φίλαι Μοῦσαι.
Dierum felicitas Dominæ, chara Muſæ.

Eſt verò εὐημερία non unius diei, ſed omnium, quibus vivimus dierum felicitas.

Via, qua ad fauſtitatem domeſticam pervenitur partim conſiſtit in officio triplicis ſocietatis domeſticæ: partim circa poſſeſſiones, ſive opes: quæ vel acquiruntur, vel augentur, vel conſervantur.

Triplex, quam dixi, ſocietas eſt iſtiuſmodi: una mariti, & conjugis: altera parentum, & liberorum: tertia, dominorum, & famulorum. Ad primam conjugium refertur, quo pertinent Di conjugales. Seneca Medeâ:

Di conjugales, tuque genialis thori
Lucina cuſtos.

Hinc Juno Gamelia, quæ nuptiis præfecta. Multum igitur differt à Minerva, quæ ſemper virgo virginibus præſidebat. Unde & nupturæ hanc priùs placabant. Lutatius Placidus ad Statii Thebaid. ii ait, *in templo Minervæ ſolebant virgines nupturæ placare Deam, quæ ſit fautrix virginitatis, & excuſare, quod neceſſitate, & lege naturali, nubere cogebantur.* Cur Juno Unxia, & Cinxia dicta ſit, expoſitum lib. ii, cap. xxvi. Ubi & oſtenſum ad eandem reduci Domiducam, quamquam præter eam etiam fuerit Deus Domiducus, ab eadem cauſa ſic nuncupatus. Etiam ex vocabulo ipſo cognoſcimus, conjugio præfuiſſe Deum Jugatinum, qui Romæ colebatur, ac ſic dictus, quia feminam & marem jungeret. Prætereà in Diis Gamelius fuere Venus, & Charites, unde nupturæ Junoni, Veneri, & Charitibus ſacrificabant: ut eſt in Etymologico magno voce Γαμηλία. Ac Charitibus quidem, quia quæ res Gratiis adverſaretur, ἀχαρὲς *a* dicebatur. Veneri autem, quia mox Venerem experturæ. Venerem Diones filiam credi conſtat. Hinc Cæſar Julius, quia Julia gens ab Julo, ſive Aſcanio, Veneris nepote genus ducebat, *Dionæus* dicitur Maroni:

a *Sine gratia.*

Ecce Dionæi proceſſit Cæſaris aſtrum.

Cenſeo ego, hanc eſſe illam Dionen, Heſiodo in Θεογονίᾳ memoratam. Negat quidem Græcus ſcholiaſtes, intelligi iſtic poſſe matrem Veneris, eo quòd una dicatur Oceanitidum. Sed ſi Venus nata ſit ex ſpuma maris, & inde Ἀφροδίτη appelletur, cur non mater Oceanitis, h.e. Oceani filia credatur? Venus dicitur prius appuliſſe κύθηρα *b*, quæ in lacu ſita Laconico: unde κυθέρεια *c* dicta ἐκ συστολῆς *d* η in ε abeunte. Poſtea appulit Cypron, unde Cypria vocatur. Suſpicor in κυθέρεια alluſum eſſe ad κεύθειν, in κυπρεία ad κυεῖν. Prius in Ἀφροδισίοις *e* eſt κεύθειν. h.e. κρύπτειν, *ſeſe occultare.* At poſt latebroſum locum conſequens eſſe ſolet τὸ κυεῖν, h.e. gravidam eſſe. Simul eò ſpectarunt, quòd dives eſſet inſula, atque inde luxus.

b *Cytherorum inſulam.*
c *Cytherea.*
d *Correptione ſyllabæ longæ.*
e *Veneriis.*

Sanè

Sanè tam felix erat, ut omnia ad naves neceſſaria gigneret, nullius externi indiga, Ammiano teſte. Et Florus ait, Veneri ſacram fuiſſe propter opes, quas luxus ſolet conſequi. Juſtinus refert puellas in ea priuſquam nuberent, dotem ſibi parare ſolitas quæſtu meretricio. Mihi magis fit veriſimile, magno iſtic numero fuiſſe eas, quæ corporis ſui poteſtatem facerent peregrinis, præſertim pecuniarum prodigis, & nova libidine captis: hos vero, ubi domum rediere, ex earum moribus judicâſſe de cæteris, quibuſcum nec oblata foret occaſio ſermonis; utpote familia natis honeſta, quaſque aſſervarent rigidiores puellaris pudicitiæ cuſtodes.

Pæta Venus dicitur, ut Græcis ἑλικῶπις, & ἑλικοβλέφαρος. Quæ ab ἑλίσσειν volvere, unde ἑλικός tortilis: à quo ἑλικῶπις, *cui tortiles oculi*: ἑλικοβλέφαρος, ἑλικὰ βλέφαρα ἔχων, cui palpebræ, vel cilia, ac proinde etiam oculi volubiles. Eo autem Veneri tribuuntur oculi volubiles, quia quaquavorſum circumſpiciant, tum libidinoſæ, tum belli formarum aucupes: vel etiam ob aliam cauſſam, quam Servius annotavit ad illud III Ecl.

—— *Transverſa tuentibus hirquis.*

Ubi & illud Perſius adducit;

—— *Patranti fractus ocello.*

Et hoc Juvenalis:

—— *Oculoſque in fine trementes.*

Cur Vulcani uxor, Martis non item, exponit Auguſtinus lib. XX contra Fauſtum, cap. IX: *Venerem*, inquit, *Vulcani uxorem, quia ex calore voluptas naturaliter naſcitur: & Martis adulteram, quia belligerantibus incongrua eſt.*

Atque hæc de Venere quatenus ſignificat vim generatricem. Præter hanc minimum duas fuiſſe alias, arguit quod Pauſanias tradit in Bœoticis, ab Harmonia Thebis tria fuiſſe ſigna Veneris conſtituta: unum Οὐρανίας, quæ amorem inſpirat rerum cæleſtium, uti Juſtitiæ, Doctrinæ: alterum Πανδήμου quæ corporis amori præeſt, eoque marem & feminam jungit: tertium Ἀποστροφίας, quæ ſic dicta, quia ἐπιθυμίας τε ἀνόμου καὶ ἔργων ἀνοσίων ἀποστρέφῃ τὸ γένος τῶν ἀνθρώπων· *ab exlege cupiditate & operibus inceſtis avertat genus humanum.*

Sunt & inter conjugii Deos Pilumnus, & Picumnus: ſi Varronem audimus. Sed aliter alii. Servius in IX Æn. *a*

a *Ad verſ. 3.* *Pilumnus, & Picumnus, fratres fuerunt, & alii horum: Picumnus uſus ſtercorandorum invenit agrorum: unde & Sterquilinius dictus eſt: Pilumnus vero pinſendi frumenti; unde & à piſtoribus colitur. Ab ipſo etiam pilum dictum eſt. Quidam Pilumnum, & Picumnum, Caſtorem & Pollucem accipiunt. Nonnulli laudum Deos. Varro conjugales Deos ſuſpicatur.* Alia etiam Numina toro præerant geniali, eoque in cubiculo habebantur. Ea universè deſignat Plinius lib. XV, cap. XI: *Omnia jam* (de malis cotoneis & strutheis ſermo) *& virorum ſalutatoriis cubiculis incluſa, ſimulacris noctium conſciis impoſita.* Item Auguſtinus lib. VI de Civit. Dei, cap. XI: *Parcatur humanæ verecundiæ: peragat cætera concupiſcentia carnis, & ſanguinis procurato ſecreto pudoris. Quum impletur cubiculum turba numinum, quando & paranymphi inde diſcedunt?* In hac turba putidorum Numinum, quam ſignificat Auguſtinus, fuere, Dea Virginenſis ſic dicta, quòd virgo zonam ſolveret diu ligatam: Deus Subigus, quia vir ſubigeret: Prema, quia mulier premeretur: Pertunda, & Perfica, à ſucceſſu: Volupia, & Lubentia, vel Lubentina, à voluptate in congreſſu Venereo. Chaldæi quoque pariter, ac Græci, nomen dedere Veneri ab actu eo, quo ſpumoſa fit τοῦ σπέρματος deſtillatio: quomodo de equis ait Maro III Georg.

—— *Deſtillat ab inguine virus.*

b *Semen ſpumoſum* Hinc enim Græcum Ἀφροδίτης *nomen*, quia σπέρμα ἀφρῶδες *b*, ut alibi *c* dictum. Similiterque Chal-

c *Lib. 2. cap. 27.* dæum inde nomen: de quo Heſychius: Δελέφατ, ὁ τῆς Ἀφροδίτης ἀστὴρ παρὰ Χαλδαίων. DELEPHAT, *ſtella Veneris, Chaldæis.* At unde potiùs Δελέφατ, quàm à דִּלְפָא dilpha, id eſt, ſtilla, ſeu gutta: ut Pſal. CXIX, 28. דָּלְפָה, dalpha, *ſtillavit.* Quia autem συνουσία non ſufficit ad conceptum: eò & finxere numina, quæ σπέρμα redderent fœcundum. Uti Priapum: per quem, ut lib. II, cap. VII dictum, intelligitur vis generatrix, tum in plantis, unde hortis præficiebant, inque iis valde mutoniatum effotinabant; ad melius exprimendam ſummam in generando vim naturæ: tum etiam in animalibus, ac præcipuè homine: unde Romæ faſcino Mutini Tetini, qui idem ac Priapus, inequitare matronæ auſpicabile, putabant, Arnobio teſte lib. IV, Lactantio lib. I, Auguſtino de Civit. Dei lib. VI, cap. IX. Ac de eodem ſic Feſtus: *Mutini Titini ſacellum fuit Romæ, cui mulieres velatæ togis prætextis ſolebant ſacrificare.* A mutone *Mutinus*, à tenſione ejus *Tetinus* vocabatur. Idem & Mutanus, vel Mutonius, à muttum, τὸ αἰδοῖον *a*. Salmaſ. ad a *Veret.*

Solinum 310. a. 943. c. Athenienſes ſoli, ut liberi ſibi provenirent faciebant rem divinam Cotto Gygi, & Briareo, qui Tritopatores dicti. Phanodemus lib. VI: Μόνοι οἱ Ἀθηναῖοι θύουσί τε καὶ εὔχονται αὐτοῖς ὑπὲρ γενέσεως παίδων, ὅταν γαμεῖν μέλλωσιν. *Soli Athenienſes ſacrificant, ac vota faciunt iis pro liberorum generatione, quando matrimonium inituri ſunt.* Citat Suidas in Τριτοπάτορες. Sed alius alibi mos, ut antea dictum.

Impuri concubitus, qualis meretricius, præſes eſt Κότυς, ut Suidæ vocatur, à qua, Syneſio in calvitii encomio, Κότυος θιασώτης, *Cotyos ſodalis.* Eadem eſt quæ Juvenal. Sat. II Cotytto, cujus ſacra Cotyttia, Horatio Epod. XVII:

Inultus ut tu riſeris Cotyttia
Vulgata, ſacrum liberi Cupidinis.

Ea Romam invecta erant Corintho: ſolæque iis feminæ intererant: unde illa ab Horatio vulgata eſſe, conqueritur Canidea. Mentio etiam eſt in Virgilii Catalectis:

Non me vocabis pulcra per Cotyttia,
Ad feriatos faſcinos.

Atque ad eum poëtæ locum monuit Joſ. Scaliger videri ſimile Numen Cicinnia: quod in veteribus gloſſis exponitur Θεὰ κιναίδων *b*: ut Cicinniæ nomen videatur b *Dea cinædorum.*
exinde, quia cinædi eſſent cicinnati, juxta vetus verbum:

Οὐδεὶς κομήτης ὅστις οὐ ψηνίζεται.
Nemo cicinnatus niſi qui politur.

Simileque miſeris gentibus numen Κονίσαλος. Memoratur Syneſio in Epiſtolis. Item Ὀρθάνης, & Τύχων, Straboni lib. XIII.

Etiam Mexicanis Dii ſunt connubiales: uti *Tlalloc*, *Laëtii Americæ lib. 5. cap. 9. pag. 239.*
qui Hiſpanis creditur Neptunus, & *Ometochtli*, quem iidem Bacchum arbitrantur.

Vidimus de Diis conjugalibus. Nec ubi virgo facta eſt mulier, imminui ejus amor debet: ſed utrimque aſſiduè capere incrementum. Hoc erit, ſi non libidinis cauſſa ineatur matrimonium; ſed amore virtutum; quæ ubi ſunt, magis magiſque augentur; quantoque auctiores, magis utrimque amorem accendunt. Ita fit, ut nullum ſit à divortio periculum: ſed uxor maneat cum marito: quod præſtare credebatur Dea inde dicta Manturna. Sin alterutrius ſtultitiâ deventum eſſet ad iram, ac jurgium; reſtituebat veterem amorem Dea Viriplaca, cujus ſacellum hoc fine ingrediebantur vir, & uxor; teſte Valerio Maximo. Φυσικῶς Viriplaca nihil eſt aliud, quam vis naturæ in placando uxori ſuæ marito.

Nunc ea perſequamur, quæ pertinent ad fœtus geſtationem, ac partum imprimis.

Mena fluores menſtruos à quibus Junoni, Fluoniæ nomen, dirigebat ad fœtus concepti augmentum. Eſt à Græco μήνα, ſive μήνη, quæ eſt Luna: à cujus curſu menſtruo etiam menſtruis nomen.

Partui præerant Dii Nixii, ſic ab enitendo dicti. Feſtus: *Nixii Dii appellantur in Capitolio tria ſigna ante cellam Minervæ, genibus nixa, velut præſidentes pa-*

parientium nixibus. Egeria nympha: unde ei ſacrificabant gravidæ, ut egererent alvo conceptum. Proſa item & Poſtverta quarum illa etiam dicta Anteverta, ut videre eſt ex Macrobii lib. I Saturnal. cap. VII. Proſa ex Prorſa, id eſt, recta, ut rectus partus ederetur. Poſtverta, ne partus præpoſterus ederetur. Varro apud Agellium lib. XVI, cap. XVI: *Quandoque pueri contra naturam forte converſi in pedes, brachiis plerunque diductis retineri ſolent ægriuſque tunc mulieres enituntur. Hujus periculi deprecandi gratia aræ ſtatutæ ſunt Romæ duabus Carmentibus: quarum una Poſtverta nominata eſt, Proſa altera; à recti perverſique poteſtate & nomine.*

Egredienti in lucem fœtui præerat Natio, quaſi Nativitatem dicas. Cicero lib. de Nat. Deor. *Cui cum fana circuimus in agro Ardeati, rem divinam facere ſolemus, quæ quia partus matronarum tueatur, à naſcentibus Natio nominata eſt.*

Apertius autem eſt, quam ut exponere ſit opus, quomodo hæc numina, quæ & conceptum, & partum ac nativitatem præſtare crederentur, philoſophi retulerint ad vim naturalem, unde & conceptus, & partus, & nativitas proficiſcitur. Juxta autem theologiam civilem non naturæ partes, vel affectiones, intelligebantur, ſed, uti antea dictum, mentes quædam; quas huic curæ Jupiter, & Conſentium Deorum Senatus præfeciſſet.

Hæc de Diis partûs præſidibus. Venio ad curatores puerperæ. Cuſtodes huic tres dati adverſus Sylvanum; Intercidona, Pilumnus, Deverra. Horum ſymbola fuere viri tres: quorum primus ſecuri feriret limen, alter pilo, tertius ſcopis deverreret. Hinc Auguſtinus lib. VI de Civit. Dei, cap. IX: *Mulieri fœtæ poſt partum tres Deos cuſtodes commemorat adhiberi ne Sylvanus Deus per noctem ingrediatur, & vexet, eorumque cuſtodum ſignificandorum cauſſa, tres homines noctu circuire limina domus, & primò limen ſecuri ferire, poſtea pilo, tertiò deverrere ſcopis, ut his datis culturæ ſignis, Deus Sylvanus prohibeatur intrare.*

Etiam nato infante, Pilumno, & Picumno, ſterni ſolet lectus. Varro lib. II de Vita Populi Romani: *Natus ſi erat ſublatus, ab obſtetrice ſtatuebatur in terra, ut auſpicaretur vitalis, ac rectus eſſe: Diis conjugalibus Pilumno, & Picumno, in ædibus lectus ſternebatur.*

Apud Græcos poſt partum primum zonam ſuſpendebant Dianæ, ex eo dictæ λυσιζώνη: ut eſt apud Apollonii ſcholiaſten: imò & veſtimenta eidem conſecrabant: ſi credimus Callimachi ſcholiaſtæ ad hym. I. Cur apud Græcos quidem quæ pariunt, apud Romanos vero quæ nubunt, zonam ſolvere dicantur, fusè ſatis expoſui lib. II, cap. XXV. Pro puero quincto die ſacrificabant Junoni Ilithyæ, ſive Lucinæ: unde Plautus Truculento, Sc. Num tibi.

Quin Dis ſacrificare hodiè pro puero volo,
Quincto die, quod fieri oportet.

Infantis editi curatores fuere Vagitanus, Cunina, Rumina, Cuba; & ſimilia numina: de quibus diximus libri hujus cap. V; cum de infantiæ numinibus ageremus.

Cap. XVII.

De Orbona Libertas, cujus feſtum Eleutheria. Adeona, & Abeona. Jupiter gentilitius, ſodalitius, amicorum, & hoſpitalis. Maimona. Jalemus, & Venus libitina. Forculus, Cardea, Limentinus. Laterculus focorum præfectus. Arculus. Tellus, Terminus. Epona, Bubona, Mellona. Plutus, Heres martea, Paupertas. Epitrapezius. Ruſor. Laverna.

Atque hæc de Numinibus, quæ pertinent ad connubium, & puerperium. Secunda ſocietas erat Parentum ac liberorum, ad quam etiam reducitur Dea, cujus tutela erant parentes, ſi liberis orbarentur: unde & Orbona dicta eſt. Meminit ejus Plinius lib. II, cap. VII. Satis vero mirari nequeo, quod ad eum locum Plinii ſic ſcribat Pintianus: *Quamobrem cùm egregia hæc dea Orbonona orba ſit ſcriptore aliquo, qui eam celebret, nullibique omnino compareat, præterquam hoc Plinii loco; ſic in animum induxi, ut, exploſis omnium ſententiis, tanquam adulterinam, & ſuppoſititiam Deam, exterminandam è Plinianis finibus putem.* Sic ille: quaſi non & apud Arnobium ſit lib. IV: *In tutela ſunt Orbonæ, orbati liberis parentes.* Tertiam Societatem dicebamus eſſe dominorum, & famulorum. Sed non tanti famuli ſunt viſi, ut propter eos nova Numina inducerentur; quippe in quos vitæ, & necis haberent poteſtatem. Hoc ſolùm iis honoris habitum, quòd Saturnalibus ſervis ac dominis par eſſet libertas. Imò domini ſervos ſuos procurarent; quòd factum in memoriam Regis Saturni, ſive aurei temporis, quo nullus ſerviebat. Vide, quæ hoc de pluribus diximus lib. I hujus operis, cap. XVIII. Poſtquam item libertate donati privatim coluere Feſtum quod ἐλευθέρια dicebant. Unde & Toxilus apud Plautum, Perſa act. I, ſc. I.

Baſilicè agito Eleutheria.

Meminit & Euſtathius de Iſmeniæ, & Iſmenes amoribus. lib. X, & XI. Eſt verò Libertas, quatenus eſt potentia agendi; eoque & adeundi, & abeundi, ut velis: Græcè ἐξουσία αὐτοπραγίας. Eaque potentia naturalis, quatenus liberi omnes naſcimur. Quam amiſſam qui vel fugâ, vel domini benevolentiâ, vel decreto publico acquirunt, iterum fiunt qui fuerunt. Ad Libertatem igitur ut pediſequæ, pertinent Adeona, & Abeona: quæ adeundi, & abeundi libertatem præberent. Nihil igitur aliud ſunt quam potentia naturalis accedendi & recedendi; ſed relatè ad alios, quatenus vi ea nullâ vi alienâ præpeditur. Eſt & Libertas totius civitatis, de qua potiùs in Societate civili dicemus.

Nec ſolùm vinculo quodam mutui officii conſtringitur triplex ea, quam dixi, ſocietas: ſed præterea etiam devinciuntur cognati, ſodales, amici, hoſpites. Amicitia juncti invocabant Jovem Ὁμόγνιον, ut Plutarchus in Sympoſiacis vocat, hoc eſt, gentilitium. Sic dicebatur ὁ τὰ τοῦ γένους ἐφορῶν δίκαια, qui attendat ad ea, quæ injuſte fierent, inter eodem genere natos. Sodales verò κοινωνοῦσι Ζῆνα ἑταίρειον, *communem colunt Iovem ſodalitium.* Itidem amici habuere eundem Jovem Φίλιον, hoſpites Ξένιον, qui Latinis Iupiter, vel Deus Hoſpitalis. Ut apud Plautum Pœnulo, act. V, ſc. II:

Deum hoſpitalem, ac teſſeram mecum fero.

Hannonis Pœni eſt ſermo: cui jus hoſpitii fuerat cum Antidamante, eoque ſecum defert teſſeram ad filium ejus Agaraſtoclem. Ius enim hoſpitii tranſibat ad poſteros. Quod ſi quem hoſpitii pœniteret, teſſeram confringebat. Nam eâ ſalvâ, ſceleſtum erat non excipere alterum hoſpitio, ut amicum. Nec Oeconomia ſolùm verſatur circa perſonas, ſed etiam agit de poſſeſſionibus, ſive opibus tum parandis, tum cuſtodiendis. Videamus igitur, quæ Numina huic etiam parti præfecerint.

Opibus apud Syros præerat Maimona, de quo & Chriſtus in Euangelio. מָמוֹן, & בְּרוֹטְנָא, *opes*, ut Elias Theſbites etiam obſervat. Eaque vox Auguſtini ætate etiamnum exſtabat in lingua Punica. Romani, Græcique putarunt divitias obtingere à Plutone, ſive Dite, quia is Deus eſt terra interior, unde, cum alia, tum fruges, & metalla, qua de re actum lib. II, cap. LX. Imò quia Ops eadem ac Tellus, uxor Saturni, quam Rheam vocant, eò & divitias, opes dixerunt: niſi malis Deam ipſam potiùs ſic vocatam, ab ea opis ſignificatione, qua auxilium notat, ut Maronis illud:

Non opis eſt noſtra ——

Sunt

Sunt & officia hominis, quæ etiam mortuis debeantur: domeſticis imprimis, ut exequias, & ſepulturam.

Exequiis præerat apud Græcos Ἰάλεμος. Unde apud Athenæum Ariſtophanes in dictionibus Atticis: Ἐν γάμοις Ὑμέναιος· ἐν δὲ πένθεσιν, Ἰάλεμος· *in nuptiis quidem Hymenæus, in luctu verò Ialemus.* Nempe quia & nuptiarum, & luctus tempore, celebrari imprimis homines ſolerent. Romanis Ἰάλεμος videtur leſſus, ſive Nænia cui ſacellum Romæ non longè à porta Viminali. Sepultura autem fuit Venus Libitina: cujus in templo venire ſolent omnia ad ſepulturam neceſſaria. Itaque eadem Venus, ſed cognomento diſtincta præerat & principio, & fini vitæ: qua de re ſuperius diximus, cum de Venere tractaremus. Porrò Venus hæc, juxta naturalem theologiam pertinet ad vim Naturæ eos, quos produxerat in lucem, ubi exſpirarunt, in terræ ſinum honeſte recipientis, & tegentis.

Hæc de triplici Societate perſonali.

In poſſeſſionibus prima eſt domus, de qua primò proſpicere jubet Heſiodus ἐν Ἔργοις:

Οἶκον μὲν πρώτιστα ——

Prima tuæ tibi cura domus.

Partibus domus præfuere varia Numina.

Veſtibula, quæ Græcis προπύλαια, ſacra erant Hecatæ. Imò & ipſa πρόπυλα vocabatur. Heſychius, πρόπυλα, Ἑκάτη.

Januis præerat Janus; ut eſt apud Servium in I Æn. & Macrobium in I Saturn. cap. IX. Atque hos etiam ſequitur Iſidorus. At urbium portis præerat Juno.

De forium, cardinis, liminis Diis, ita Auguſtinus lib. IV de Civitate Dei, cap. VIII: *Unum quiſque domi ſuæ ponit oſtiarium, &, qui homo eſt, omnino ſufficit. Tres Deos iſti poſuerant, Forculum foribus, Cardeam cardini, Limentinum limini. Ita non poterat Forculus ſimul fores, & cardinem, limenque ſervare.* De Cardea nympha (quæ aliis Carda, & nonnullis Crane) fabulantur hoc, eam pro concubitu iſtoc mercedis à Jano accepiſſe, ut cardinibus forium præeſſet, atque ab iis noxia omnia, in his ſtriges, averteret. Sunt autem ſtriges aves nocturnæ, noctuæ ſimiles: quæ infantum ſanguinem credebantur exſorbere. Vide Naſonem in ſexto Faſtorum,

a Lib. 2. de avibus, cap. 35. ubi fuſe de hoc tractat. Bellonius *a* eaſdem credebat ac αἰγοθῆλας, ſive caprimulgos, ſic dictas, quia noctu capras mulgeant, ita ut ubera exareſcant, imò & cæcitas ſic emulſis oboriatur ut Plinius refert. Sed ſtriges, noctuæ; caprimulgi, cuculo ſimiliores: ut bene monitum Ulyſſi Aldrovando Ornithologias lib. VIII,

b P. 567. cap. IX *b*.

Laterculus Deus focis præfectus: ac ſic dictus, quia foci ævo ſimplici ex crudis lateribus fiebant. Lares focis præfuiſſe, abunde dictum antea.

Arculus verò præfectus areis; ut in vulgatis eſt Feſti

c In Arculus. codicibus *c*. Sed ſi *areis* placet, *Areolus* pro *Arculus*, reponendum videtur. Sin rectum eſt *Arculus*, ut puto, *arcis* pro *areis* reſcripſerim. Hoc enim exigit ἀνα-

d Vocum affinitas. λογία *d*.

Culmen Penatibus Diis ſacrum.

Maceries dicata Jovi Herceo: cui & inde nomen. Nam ἕρκος, ſeptum, murus, maceries. At in urbibus minorum fundamentis præerat Neptunus. Arcibus præfuit Pallas, qui prima eas condidit. Servius in Bucol.

—— *Pallas, quas condidit, arces*

Ipſa colat.

Laterculus focis; qui ſimplici ævo ex crudis lateribus fiebant. De Laribus antea dictum.

Præter domum, in poſſeſſionibus ſunt ager, pecus, pecuniæ, arma domeſtica.

Agrum licet ſuum nemo pro numine haberet, ita tamen perſuaſum fuit, eſſe particulam magni numinis, quod dicerent Rheam, Opem, Deûm matrem: item Tellurem, Cererem, aliiſque nominibus permultis: de quibus actum libro ſecundo. Ubi & de Segetia, Pomona, & ſimilibus.

Præterea ad agrum pertinet Terminus, quo agri diſtinguuntur, magno humani generis bono. Unde & in legibus XII Tab. & lege Manliâ cautum, quo pedum intervallo terminum eſſe conveniret. Vide & Aggenum Urbicum, Siculum Flaccum, Hygenum Grammaticum, & alios de agrorum limitibus ſcriptores. Ea utilitas fecit, ut etiam Terminus referretur inter Deos. Sed de hoc nomine pene initio hujus libri ſatis diximus.

Nec pecus cultum, niſi paucis gentibus. Ut Ægyptiis, aries, taurus, hircus: de quibus libro tertio. Deos tamen præfecere pecori, ac jumentis. Ut equis Hipponam, ſive Eponam, Juvenali etiam memoratam ſat. III.

—— *Jurat*

Solam Eponam, & facies olida ad præſepia pictas.

Ubi vetus interpres:

Epona Dea mulionum eſt.

Φυσικῶς verò Epona eſt vis naturæ in equis bono hominis procurandis. Partim ea ſpectatur in felici equorum proventu; partim in recta equorum affectione ad exercendos actus naturales. Prius eſt à facultate generatrice, ſive Venere: alterum à conſervatrice, ſive Sanitate: de quarum utraque antea diximus. Itidem coluere Bubonam, quæ bubus præſtare incrementum credebatur. Ad hæc Mellonam, quæ apibus, & mellificio præerat. Φυσικῶς verò per ejuſmodi numina intelligebatur Naturæ, ut loquebantur, providentia, circa ea ſe occupans animalia. Satis de pecore. Ruſtica vero numina erant Ruſina, quaſi rurina. Nam S poſtea abiit in R: ut ex Laſes, aſa, Auſeſius, Papiſius, factum Lares, ara, Aurelius, Papirius.

Pecuniarum nomine intelligo reditus tum annuos, tum pluribus annis collectos. Homerus vocat πλοῦτός τ' ἀφε-

νός τε *a*. Hoc dicitur, quaſi ἀφ' ἑνὸς *b*, puta ἔτους *c*, ſive a Divitias, & reditus.

ἐνιαυτοῦ. Illud ex πλύετος *d* contractum. De Æſcula- b ex uno.

no Deo, & Argentino, quorum ille æri, hic argento

præerat, diximus in Metallis. Ac eodem etiam libro ad- c anni.

duximus Euripidis, & Menandri verſus de pecunia, quam d [illegible]

homines etſi non dicant Deos, tamen pro Diis ſe habere eo oſtendunt, quod his ſolis omnia metiuntur. Quò pertinet illud etiam Juvenalis Sat. II

—— *Etſi funeſta Pecunia templo*

Nondum habitas, nullas nummorum ereximus aras.

Plutus Jaſonis & Cereris filius dicitur, quia ex ſedula agri cultura, & partorum parſimonia ac cuſtodiæ divitiæ contingunt. Vide de eo Diodorum in V.

Eſt & numen Paupertas: ut Ariſtophani in Prologo.

Hereditatis præſes Heres Martea, ut indicant illa Feſti: *Herem Marteam antiqui, acceptâ hereditate: quæ à nomine appellabatur heredum, & una ex Martis comitibus putabatur. Herem* antiquè ait pro *Heredem*: quomodo & locutus Accius lib. I Didaſcalicôn. Suſpicio tamen Joſephi Scaligeri eſt, Verrium, vitioſis codd. deceptum, *Herem* legiſſe pro *Nerienem*: quam Martis fuiſſe comitem conſtat.

Nec in Diis fuere utenſilia, vel arma domeſtica, ſed quædam Diis ſacrata; ut de toro geniali antea vidimus. Etiam Deus tutelaris menſis fuit Hercules ἐπιτραπέζιος, apud Papinium IV. Sylv.

Quod ſiquid ex iis, quæ poſſederant, amiſſum eſſet, opem poſcebant à Ruſore: ut qui deperdita reſtitueret, teſte Auguſtino. Nomen à *ruſum*, ut antiqui dixere pro rurſum, Romiſſo: quomodo hodieque *proſa* dicimus, pro *prorſa*, hoc eſt, recta: & *Camenæ*; pro *Calmenæ*, vel *Caſmeniæ*. At ut aliena eripi poſſent præſtabat Laverna, furum dea: unde Laverniones, fures. Feſtus: *Laverniones fures antiqui dicebant, quod ſub tutela Deæ Lavernæ eſſent: in cujus luco obſcuro abditoque ſolent furta, prædamque inter ſe luere* e. *Hinc & Lavernalis porta voca-* e [illegible]

ta eſt. Nonius Marcellus: *Laverna Dea, cui ſupplicant fures.* Subjungit deinde verba Plauti è Cornicularia,

laria, & Lucilii è Sat. XVII: ſed utraque corruptè admodum leguntur. Plauti locum ſic Scaliger corrigit:

Mihi Laverna in furtis celebraſſis manum.

Alii *celeràſſis* malunt: ut ſimile ſit iſti in Aulularia Act. II, IV. *Sed uter veſtrum eſt celerior?* Ubi luſit Strobilus in celeritate coquendi, ac furandi. Lucilii verſum ſic reſtituit Mercerus:

Si verſus facies, Muſis: ſi vendis, Lavernæ.

Meminit quoque Horat. lib. I, epiſt. XVI:

—— *Pulchra Laverna*
Da mihi fallere: da juſtum, ſanctumque videri.

Ubi Acronem vide. Item Arnobius lib. IV. Ac Auſonio Theo dicitur,

Bonorum mala carminum Laverna.

pro plagiario, ut vocat Martialis. Ac favet Iſidorus in Gloſſis: *Laverna, latro, aut qui filios alienos ſeducit.* Qualis propriè plagiarius. Dubium verò utrum Laverna ſit ἀπὸ τοῦ λαβεῖν, h. e. capere, conſequi. An à λάφυρα, *ſpolia.* An à *lavere*, pro *lavare*, eâ ſignificatione, qua Plautus Aſinaria *a* ait,

a *Act.* I. *ſc.* I.

Nam in mari reperi, hic elavi bonis.

Hoc eſt, bonis ſum exutus. Quomodo & Sticho *eluere* dixit, Tacitus *proluere opes.* Græcis hæc Dea vocatur Πραξιδίκη, de cujus figura dicam in Theologia Symbolica.

Poteſt & de Poſſeſſionum numinibus adiri Mendoza ad Concilium Illiberitanum lib. I, cap. VI. Lavernæ cella ad Telluris ædem fuit. Quod indicat fragmentum antiquiſſimi diarii S. P. Q. R. an. IↃXXCV. In eo eſt:

DE PECUNIA. MULCATITIA. CELLA. EXSTRUCTA. AD TELLURIS. LAVERNÆ.

Fragmentum, quod dixi, ſeptem dierum acta continet divina. Habes verò apud Pighium in Annalibus Romanis ad annum antè memoratum *b*.

b P. 378. *& ſeqq.*

CAP. XVIII.

De Diis Societatis civilis. Ac primò de Diis urbium Tutelaribus. Hinc de Lege ſive Themide: Pœnis ſive Furiis: Dea Libertate, Concordia, Diſcordia. Denique de Pecunia, quatenus belli nervus, ſive Dea Moneta: deque Bello, Venere Συμμαχίᾳ, *Pellonia, Feſſoria, Victoria, Venere Victrice, Diis Pauſis, Lua, Venere Cluacina, Triumpho, Pace, Salute publica.*

ACtum de Societate domeſtica. Sequitur civilis ſive politica: ubi videndum de Diis, vel pertinentibus ad Politices ſubjectum, quod eſt Civitas, ſive Reſpublica; vel finis: qui eſt beatitudo Reipublicæ, ſive communis civitatis ſalus: tum via, ac ratio, qua beatitudo Reipublicæ comparatur, ut ſunt duo iſta, bona conſtitutio certæ regundæ formæ, & ejus conſtitutæ legitima adminiſtratio.

Primum de civitate ipſa dicam. Fuere ſingulis Urbibus ſui & Dii & Genii πολιοῦχοι, ſive Tutelares, atque, ut Demoſthenes loquitur orat. de Corona, κατέχοντες τὴν πόλιν καὶ τὴν χώραν *a*. Ex Diis talis Athenis Minerva; Argis, Carthagine, & Samo, Juno; Rhodi, Sol; atque aliis in locis alii: ut dixi in Oratoriis Inſtitut. lib. I, cap. V, ſect. XXXIX.

a *Cuſtodientes civitatem, & regionem.*

Genius populi Romani templum meruit. Γένιον τοῦ δήμου *b* vocat Dio Coccejus lib. L *c*: ubi inter prodigia refert de bubone in templum Concordiæ, & deinde alia delubra devolante, ac tandem conſidente in æde Genii populi.

b *Genium populi.*
c P. 483 *edit. H. St. an.* 1592.

De Geniis urbium ita Arnobius lib. I: *Qui civitatum Genios, qui Pauſos reverentur atque Bellonas.* Agnoſcit quoque Symmachus in Relatione de reſtituendo veteri Deorum cultu: *Suus cuique mos: ſuus cuique ritus eſt. Varios cuſtodes Urbibus, & cultus mens divina diſtribuit. Ut animæ naſcentibus, ita populis fatales Genii dividuntur.* Idemque exprobrat gentilibus Prudentius libro poſteriore eorum, quos contra hunc ipſum Symmachum ſcripſit:

Cum portis, domibus, thermis, ſtabulis, ſoleatis,
Aſſignare ſuos Genios; perque omnia membra
Urbis, perque locos, Geniorum millia multa
Gignere; ne propriâ vacet angulus ullus ab umbra.

In denariis argenteis L. Cæcilii Metelli habes Genium Loci, ut Deum Tutelarem. Figura eſt adoleſcentis intonſi, ac laureati. In altero latere Conſul regens aratrum. Quo ſignatur coloniam ab eo deductam. Nempe cum colonias deducerent Romani, primùm ſacrificabant Genio loci, ut eum haberent propitium. Deinde ſacro aratro deſignabant pomœria urbis futuræ. Inſcriptio eſt: L. CÆCILIUS Q. F. L. N. METEL. CALVUS CXXXIII. EX S. C.

Roma verò non modo Genios ſuos habuit, ac Deum πολιοῦχον, cujus nomen arcanum eſſe voluere: ſed ipſa etiam in Diis habita eſt: ut ex Livio, atque aliis, oſtenſum nobis Oratoriarum Inſtitut. lib. IV, cap. VI, ſect. V.

Ad conſtitutionem, & adminiſtrationem pertinet imperantium poteſtas, quam majeſtatem dicimus. Hujus jura verſantur in legibus condendis, conſtituendis præmiis, & pœnis, tuendo libertatem, præſtando civium concordiam, ac diſcordiam ſedando, bellum juſtum gerendo cum hoſtibus, iiſque devictis æquas Pacis leges præſcribendo. Quibus omnibus finis eſt Salus, ſive Felicitas publica. Agam de ſingulis ordine. Ad Νομοθετικὴν pertinet Θέμις cum duabus filiabus, de quibus mox dicam. Θέμις eſt ab Hebræo תָּם, *integrum eſſe.* Hæc fuit, priuſquam lege homines conſtringerentur. Eſt enim æquitas naturâ animis hominum inſita. Quæ cùm obſervatur, nihil fit illegitimè, nihil injuſtè, nec opus armis. Ideo, ut Orpheo, ſic Heſiodo tres ejus filiæ memorantur: Εὐνομία, ſeu Lex, Δίκη, ſeu Juſtitia, & Εἰρήνη, ſive Pax. Hinc Ovidius I Met.

Aurea prima ſata eſt ætas, quæ vindice nullo
Sponte ſua ſine lege fidem, rectumque colebat.

SINE LEGE, inquit, rectum coluiſſe. Hoc Themidos eſt. Subdit:

Pœna metuſque aberant, nec verba minantia fixo
Ære ligabantur.

Hæc ad ἀνομίαν referuntur. Nam verba minantia, hoc eſt, leges, & pœnæ, quæ tranſgredientes manerent, æreis inſcribebantur tabulis. Sequitur inde:

—— *Nec ſupplex turba timebat*
Judicis ora ſui: ſed erant ſine judice tuti.

Quæ ad δίκην pertinent. Hæc verò eadem ac Aſtrea: de qua poëta,

Ultima cæleſtum terras Aſtræa reliquit.

Ex his liquet ut Themis eſt ex inſtituto divino, ita Dicen ſive Legem eſſe ex inſtituto humano. Tertia filiarum Themidos Pax fuit: de qua paullo pòſt dicemus.

Pœnæ atrocibus delictis, præſertim cædibus irrogari credebantur à Furiis, quæ iccirco ἐμποίνιμοι *a* vocantur Sophocli in Ajace. Imò nec Ποινὴ vocem aliter, quàm pro Furia, accipi oportet in illo dilemmate Biantis, quo oſtendere adnixus, non eſſe ducendam uxorem, ſi formoſam duxeris, habebis κοινὴν, ſi deformem Ποινὴν, Quod dilemma argutius, quam veriùs. Quippe inter formoſam Helenam, & Furiæ inſtar deformem, media eſt forma, quam veteres *uxoriam*, & *ſtatam* nominabant. Uti autem *Pœnæ* dicuntur, à pœnis quas irrogant ſceleſtis: ita *Furiæ* à furore, quem conſcientiis immitterent. Niſi *Furia* ſit à פֶּרַע *fara*, h. e. *vindicta*, ut ſimile ſit ac *Tiſiphone.* Aliter appellantur *Erinnyes* à contentione & lite animi, ſive carnifice conſcientia. Nam ἐριννῦς, ἔρις νοῦ *b*. Cicero, *Agitant & inſectantur impios furiæ, non ardentibus tædis, ſicut in tabulis, ſed ardore conſcientiæ.* Abunde autem notum, tres ſtatui à poëtis: Τισιφόνην, quaſi

a *Pœnis affligentes.*
b *Lis, diſcordia mentis.*

τὴν φόνου, *ultionem cædis*: Ἀλληκτὼ *quietis neſciam*: Μέγαιραν, *odioſam*, juxta Phurnutum.

Atque hæc de pœnis, quatenus immittuntur à Diis, qui imperium habent in conſcientias. Quatenus verò in corpora animadvertitur judicio publico, ſive à poteſtate δικαστικῇ, ſubſunt generali Numini Juſtitiæ.

Libertatis ædem ex multatitia pecunia fecit Tib. Sempronius Gracchus ædilis plebis anno Urbis IↃVIII, Manio Otacilio Craſſo II, & M. Fabio Licino coſſ. Teſtis Livius lib. XXIII. Ac poſtea Tib. hujus Sempronii Gracchi filius dedicavit in ea æde picturam Volonum libertate donatorum, poſt partam ad Beneventum victoriam de Pœnis, & Annone. Templum hoc Libertatis in Aventino etiam ſtatuit P. Victor. Atrium Libertatis refectum & amplificatum anno Urbis IↃLX, P. Scipione Africano, & T. Sempronio Longo coſſ. ut eſt apud Livium lib. XXXIV. Meminit quoque ejus atrii lib. XLV, ac paſſim alii. Alterius etiam atrii Libertatis, ſuaſu Auguſti Cæſaris, ab Aſinio Pollione exſtructi, mentionem facit Suetonius in Auguſto cap. XXIX. Per atrium verò intellige ſubdival, ſive impluvium: videlicet aream ſub dio totam, præterquam à latere utroque, ubi porticus erant, columnis ſuffultam. Hic acta publica adſervabantur. Unde Livius lib. XLIII: *Cenſores extemplo in atrium Libertatis adſcenderunt, & ibi ſignatis tabellis publicis, clauſoque tabulario, & dimiſſis publicis ſervis, &c.* Etiam homines eruditi hic ſolebant convenire: ut inter ſe diſſererent. Unde Ovidius:

Nec me, quæ doctis patuerunt prima tabellis
Atria, Libertas tangere paſſa ſua eſt.

Libertati, ut & Jovi Victori, ſacræ Idus Apriles, Ovid. IV Faſt.

Occupat Apriles Idus cognomine Victor
Jupiter: hac illi ſunt data templa die:
Hac quoque, ni fallor, populo digniſſima noſtro
Atria, Libertas cœpit habere ſua.

Notum de domo Tullii a P. Clodio everſa, temploque Libertatis exſtructo in ejus area, de quo Tullius orat. pro Domo ſua, Plutarchus in Cicerone, cui dicitur νεὼν ἐλευθερίας *a*, Dio lib. XLIII.

a Templ. libert.

Tantùm verò publica adulatio poterat, ut etiam, in gratiam Julii Cæſaris, qui oppreſſerat libertatem, Libertatis templum exſtrueretur: ſicut idem Dio narrat. lib. XLIV.

Concordiam imperantibus curæ eſſe oportere, indicat hoc Ennii in Annalium opere:

Ingens cura mis cum concordibus æquiparare.

Sic enim legendum, ut oſtendimus lib. IV de Analogia, cap. IV. Nempe *mis* antiquus eſt genitivus pro *mei*, poſtrema litera eliditur quale eſt *falcibu'*, pro *falcibus*. Valla, eumque ſecutus Cæſar Scaliger *b*, legere,

b Lib. I de Cauſſ. L. L. pag. 352.

Ingens cura mis eſt concordibus æquiparare.

Joſephus verò Scaliger *mihi concordibus*; ſed invitis antiquiſſimi Priſciani codicibus. Atque hæc ἐκ παρόδου *c*.

c In tranſitu.

Concordiæ templum à variis ſcriptoribus celebratur. Meminit Livius extremo lib. XXXIX; ubi dicitur in area Concordiæ ſanguine pluiſſe: & Cicero Philipp. V refert, Antonium in æde Concordiæ ore impuriſſimo in ſe evomuiſſe orationem. Item Juvenalis ſat. I:

Ut colitur Pax, atque Fides, Victoria, Virtus,
Quæque ſalutato crepitat Concordia nido.

Ubi ſic vetus interpres: *Satyricè, ſalutato nido, non templo. Templum Concordiæ vetus, in quo ciconia multa eſt.* Politianus per nidum intelligit illum cornicum: ſed perperam, cùm crepitare roſtro non cornicis ſit, ſed ciconiæ: quæ iccirco *crotaliſtria* Petronio Arbitro vocatur.

Concordiæ ædes variis exſtructæ temporibus. Primam vovit, & fecit M. Furius Camillus Dictator: ut ex Ovidio, & Plutarcho conſtat. Senaculum hic erat, in quo Senatus conſultaret cum ſenioribus: multa item ſimulachra, de quis ſæpius Plinius.

Altera ædicula fuit ærea à Cn. Flavio, Appii Cæci liberto, eo qui faſtos publicavit, in Græcoſtaſi exſtructa è pecunia mulctatitia fœneratoribus damnatis. Vide Livium lib. IX; & Plinium lib. XXXIII, cap. I.

Tertiam bello Gallico vovit, ob ſeditionem militarem, L. Manlius Prætor; locataque à Duumviris Cn. Puppio Cæſone, & Quinctio Flaminio, dicata verò à M. & Cn. Atiliis. Livium adi lib. XXII, & XXIII.

Quartam deletis partibus Gracchanis in foro Romano prope Græcoſtaſin exſtruxit L. Opimius Conſul: ſed non ſine magna populi indignatione: adeo ut non defuerit, qui ædi inſcriberet verſiculum in hanc mentem:

Concordiæ ædis, quam facit, Vecordiæ eſt.

Adi Plutarchum in C. Graccho, & Appianum lib. I de Bellis Civilibus.

Fortaſſe & quincta fuit. Nec enim ſatis eſt apertum, novamne exſtruxerit Livia Auguſta, an illam Camilli, vetuſtate collapſam, inſtaurârit. Quam anno Urbis IↃCCCLXIII dedicavit Tiberius, ut docet Tranquillus in Tiberio cap. XX, & Dio lib. LVI; cujus verba: Τῷ δὲ ἑξῆς ἔτει τό τε ὁμονόειον ὑπὸ τοῦ Τιβερίου καθιερώθη, καὶ αὐτῷ τό τε ἐκείνου ὄνομα, καὶ τὸ τοῦ Δρούσου τοῦ ἀδελφοῦ, καὶ τεθνηκότος ἐπεγράφη. *Anno ſequenti conſecravit Tiberius ædem Concordiæ, ſuo, ac Druſi fratris, jam mortui, nominibus inſcriptis.*

Diſcordiam, ut Deam, ſed inferam, deſcribunt Virgilius VI, & VIII Æn. ac Petronius in longo carmine de Bello civili.

Ex Diſcordia naſcitur bellum civile: atque ut Concordia res domi firmas facit, ita Diſcordia omnia reddit invalida adverſus hoſtem. A bello dicta Bellona, de qua Feſtus.

Belli nervus eſt Pecunia, ut ſupremæ majeſtati non modo propter publica opera, ſed etiam bellum curæ eſſe debeat ærarium, ac jus cudendæ monetæ. Romæ Moneta, pecuniæ præſes, unde treviri ſive triumviri Monetales, quibus curæ metalla, unde pecunia fieret, & modus quo fieret. Metalla tria aurum, argentum, æs. Modus quo fieret duplex, conflando, aut cudendo. Itaque præfecti dicebantur A. A. A. F. F. hoc eſt auro, argento, æri, flando, feriundo.

Junoni Monetæ templum Dictator vovit L. Furius Camillus, cùm adverſus Auruncos pugnaret, anno Urbis CCCCIX. Unde Ovidius:

Arce quoque in Summa Junoni templa Monetæ
Ex voto memorant facta, Camille tuo.

Moneta autem dicta, quia è templo Junonis moniti eſſent Romani, ut ſue plena fieret procuratio: ut ait Cicero in primo, & ſecundo de Divinatione. Aliter Suidas, ſcio, in Μονῆτα, Ἥρα. Sed pecuniæ potiùs Monetæ nomen datum, quia in templo Junonis Monetæ cuderetur.

Quid Bellum, niſi generis humani bellua, vel ulcus corporis civilis, ut ait egregiè Theophylactus Simocattes lib. III Hiſt. Mauritianæ, cap. IX: Ἐπεισάγεται δὲ Ῥωμαίοις καὶ Μήδοις ὁ πόλεμος, ἡ δεξαμενὴ τῶν κακῶν, τὸ πάντων τῶν δυστυχημάτων, ὡς ἔστιν εἰπεῖν, καταγώγιον, τὸ ἀρχέτυπον τοῦ βίου λῃστήριον. ὃν σηπεδόνα τῶν ἀνθρωπίνων πραγμάτων ἀποκαλῶν, οὐκ ἂν ἁμάρτοι τοῦ πρέποντος. *Bellum inter Romanos ac Perſas introductum eſt, bellum omnium malorum receptaculum: omnium incommodorum, ut ita dicam, diverſorium: vitæ prædatoriæ archetypon: quod qui rerum humanarum ulcus putridum vocaverit, me judice non erraverit.*

Tamen ſecundum poëtas Bellum quoque in Diis, ſed inferis: ut ex Marone *a*, & poëtarum aliis videmus, Secundùm verò civilem Theologiam non bellum eſt Deus, ſed bello præfectus Mars: cujus cauſam ex natura ſideris Martialis adduxi lib. II, cap. XXXIV. Etiam præfecere Bellonam Martis aurigam.

a 6 Æn.

Imò & Venus, quaſi amore ſui Martis, in bello auxiliari credita: unde dicta Συμμαχία: atque hoc nomine culta eſt à Mantinenſibus, teſte Pauſania in Arcadicis.

Militi

Militi præſunt Pellonia, & Feſſoria. Per quas intelligi vim pellendi hoſtis, ac etiam ubi feſſus ſis, animum tamen colligendi ad ſtrenue rem agendam. Nam Feſſoria Dea novas aſſundere vires credita, ut laſſi licet, vinceremus tamen. Quod ſi Deam utramque, ut corpoream conſideres, pertinent ad Solem ſive naturam ætheriam, unde calor ille hominem in prælia accendens. Sed hic conſideramus, ut virtutem naturalem, cujus effectus, pulſio hoſtis, & pugna eorum, qui itinere longo aut pugna ſunt diuturniore defatigati. Chriſtiana religione imbutus non tam Naturæ hæc tribuit, quàm Naturæ auctori. Nam ut Salomon ait Prov. XXI, 31. *Equus paratur ad bellum, ſed à Domino ſalus.* Atque, ut Pſalm. CXXVI legimus, *Niſi Dominus cuſtodierit civitatem, fruſtra excubat cuſtos.*

Ut à Marte τόλμα ſive audacia, ita à Jove credebatur eſſe ἡ νίκη ſive victoria: quemadmodùm inquit Hermes Triſmegiſtus in Παναρέτῳ. Imò & ipſa in Diis victoria erat. Aram ejus inſtaurari à Theodoſio popoſcit Symmachus, Relatione ça, quam legere eſt lib. X, epiſt. LIV. Ubi inter alia de victoria ait:

Nemo colendam negat, quam profitetur optandam. Nec minori eloquentia diſſuaſit B. Auguſtinus epiſtolis duabus ad eundem Symmachum ſcriptis: carmine item Prudentius lib. duobus.

Nec Venus Victrix videtur alia eſſe, quam νικηφόρος a. Plinius lib. VIII, cap. VII: *Pompeji quoque altero conſulatu, dedicatione templi Veneris Victricis, pugnavere in circo viginti, vel, ut quidam tradunt,* XVII. Eſt & Tiferni inſcriptio tabulæ marmoreæ b:

a *Victoriam adferens.*

b *Apud Gruterum Inſcript. pag. 59. num. 10.*

VENERI. VICTRICI.
L. ARRONIUS. AMANDUS.
IV. VIR. AUG.
SOLO. PRIVATO. S. P. F.

Meminere & tres aliæ inſcriptiones in Gruteri collectaneis, pag. LX. Romani eam cum pomo, & palmæ ramo effingebant: ut dicam in Theologia Symbolica.

Ad militiam etiam pertinet Fortuna Equeſtris: cui anno Urbis IↃLXXV Fulvius Flaccus proprætor, in pugna contra Celtiberos, ædem vovit, ut eſt apud Livium lib. XL. Ac lib. XLII narrat, ut, quo voti damnas ſe exſolveret, ac nullum Romæ templum iſto eſſet illuſtrius, marmoreas tegulas ademerit templo in Bruttiis, quod erat Junonis Laciniæ; ſed hæ juſſu Senatus Romani fuerint reſtitutæ. Pauſæ pugnandi videntur præfuiſſe Dii Panſi, ſic dicti à παύειν, ceſſare, deſinere. Unde Græcum παῦσις, Latinum *Pauſa.* Arnobius lib. I: *Qui Faunos, qui Fatuas, civitatumque Genios, qui Pauſos reverentur, atque Bellonas.*

Poſt victoriam mos erat Romanis, arma de hoſtibus capta cremare Marti, Vulcano, Minervæ, vel etiam Luæ matri: Quæ dicta à luendo, id eſt, purgando. Siquidem poſt hoſtium cædem opus erat purgamentis, & piaculis. Item Luæ matri cremata arma dicit Livius lib. XLV, ita enim, non *Lunæ* legi debet, ut Turnebus docet Adverſariorum lib. XVI, cap. XX. A luendi illa notione, qua purgare notat, eſt & antiquum *cluere*, quaſi *colluere.* Inde Venus Cluacina, hoc eſt, purgatrix, ſive expiatrix, ut idem Turnebus obſervat lib. XXIII, cap. XXII. Præit autem Plinius lib. XV, cap. XXIX. *Traditur myrteâ verbenâ Romanos Sabinoſque, cum propter raptas virgines dimicare voluiſſent, depoſitis armis purgatos in eo loco, qui nunc Signa Veneris Cluacinæ habet. Cluere enim antiqui purgare dicebant.* Errat Gyraldus, cum legit *pugnare.* Nempe putabat eſſe nomen inde, quia ibi pugnaſſent Sabini. Sed ait Plinius, inde eſſe nomen, quia poſt pugnam ibi Romani & Sabini fuerint à cæde commiſſa purgati, & expiati. Triumphus quoque in Diis. Sanè in denariis argenteis Cn. Manlii Vulſonis apparet Triumphus Deus laurea coronatus, & Victoria volans, quæ Vulſoni in quadriga triumphanti coronam imponit. Circum verò ea ſcriptum, CN. MANLI. VULSO P. R. COS. EX S. C. Triumphavit ille de Galatis, ſive Gallogræcis anno Urbis IↃLXVII, M. Æmilio Lepido, & C. Flaminio Nepote conſulibus. Apud Antonium etiam Auguſtinum Dialogo II Antiquit. ex vett. nummis effigies vide Virtutis, Pietatis, Æternitatis, Religionis, Fidei, Concordiæ, Pacis, Spei, Juſtitiæ, Æquitatis, Clementiæ, Conſtantiæ, Securitatis, Victoriæ, Providentiæ, Felicitatis, Ubertatis, Liberalitatis, Munificentiæ, Indulgentiæ, Annonæ, Monetæ, Salutis, Lætitiæ, Hilaritatis, Juvennitis, Pudicitiæ, Fœcunditatis, Nobilitatis, Honoris, Libertatis.

Athenis ara Pacis eſt conſtituta, cum Callias legatus à Perſis attuliſſet conditiones Pacis. Auctor Plutarchus in Cimone. Apud Romanos Pacis templum, quod Claudius inchoarat perfecit Veſpaſianus: ut ex Suetonio, & Dione, conſtat. Etiam ex Cæſaris Germanici h. e. Domitiani ad Veſpaſianum Arateis, illuſtrem de eo locum adduximus lib. II, cap. XXXVI; ubi agitur de Virginis ſigno. A B. Hieronymo traditum eſt: in hoc templum captis Hieroſolymis, vaſa ſacra fuiſſe deportata à Tito Veſpaſiano. Lilius Gyraldus exiſtimabat, ægrotos etiam in hoc templum deferri ſolere. Atque hoc colligebat ex Galeni a loco: ſed malè ab eo intellecto; quod oſtendit Hieronymus Mercurialis lib. I. Variarum Lect. cap. XIII. Hoc Pacis templum imperante Commodo fuiſſe combuſtum, auctor eſt Herodianus lib. I.

a *Sermone de libris propriis.*

Ad Pacem etiam pertinet Panda, ſi ea Pacis dea, ac ſic vocata, quia pacis tempore pandantur urbium portæ. Alii tamen Cererem arbitrati: ut Ælius Stolo Præconinus, Varronis præceptor. Sed aliter Varro ipſe. Vide quæ de hoc dicebamus lib. II, cap. XXXVI. Videtur autem eadem eſſe Empanda. Feſtus ſive Paullus: *Empanda, paganorum Dea.*

Finis ultimus civilis vitæ ſtatuitur Salus publica; quæ & ipſa apud Romanos ædem meruit. Livius lib. IX in anno Vrbis CCCCXLVIII: *Eodem anno ædis Salutis à C. Junio Bubulco cenſore locata eſt: quam Conſul bello Samnitium voverat.* Idem initio libri X in anno CCCCLII: *C. Junius Bubulcus* (Dictator) *cum M. Titinio, magiſtro equitum profectus, primo congreſſu Æquos ſubegit, ac die octavo triumphans in Urbem cum rediiſſet, ædem Salutis, quam Conſul voverat, Dictator dedicavit.*

Hanc ædem Junius Bubulcus exſtruxit, intus depinxit C. Fabius, ac nomen ſuum, exemplo Phidiæ adſcripſit: ut refert Valerius Max. lib. VIII, cap. XV. Nec dubium, quin hinc retulerit nomen Pictoris, inque poſteros transfuderit: in quibus nepos ejus Q. Fabius Pictor, ſcriptor annalium Romanorum, Livio, & aliis, ſæpius memoratus. P. Victor ſtatuit Salutis templum in ſexta Urbis regione, ſive Quirinali. Ac à propinqua Salutis æde, dicta eſt porta Salutaris: ut apud Feſtum legere eſt.

Porrò ſalutem populo à Diis petere non licebat, niſi id Dii priùs conceſſiſſent. Itaque diu ſæpe id non fiebat. Longoque tempore omiſſum morem reſtituit Auguſtus poſt Janum à ſe clauſum: ut eſt apud Suetonium in Auguſto, & Dionem lib. LVIII. Adi, & quæ ex Dionis VII, & XXX adducit Angelus Politianus in Miſcellaneis cap. VIII.

Nec à Salute populi diverſa eſt *Felicitas Publica*: prout nominatur in nummo Juliæ Mammeæ Auguſtæ. De hoc numine ſic B. Auguſtinus lib. IV cap. XVIII: *Felicitas Dea ædem accepit, aram meruit, ſacra ei congrua perſoluta ſunt.* Idem cap. XXIII refert, ædem ei exſtructam à L. Licinio Lucullo, qui conſul fuit cum M. Aurelio Cotta, anno Urbis, non IↃCLXVI, ut apud Vivem legitur, ſed IↃCLXXX. Plinius lib. XXXV, cap. XII tradit, ut idem Lucullus familiari ſuo Arceſilao, HS LX ſignum Felicitatis locârit: cui mors utriuſque invididerit. Dio narrat lib. XLIV, ut Julius Cæſar iſtic loci,

ubi fuerat Curia Hoſtilia, decreverit erigere templum εὐτυχίας ſive Felicitatis: ac poſt ejus exceſſum illud M. Lepidus, magiſter equitum abſolverit. Ædem Felicitatis, Claudii principatu incendio crematam, teſtis eſt Plinius lib. XXXIV, cap. VIII.

Cæterùm apud Feſtum etiam Dii *Anculi*, h. e. miniſtri: item Anculæ, quæ id in Deabus, quod in hominibus ancillæ. Eſt enim ancilla ὑποκοριστικὸν *a* ab ancula: quod ab *anculare*, miniſtrare. Sed de iſto pluribus agimus, in Origin. libris.

a Diminutivum.

Atque hæc dixiſſe ſuffecerit de affectionibus in Deorum numerum relatis. Quis verò tantam Deorum turbam non miretur, imò obſtupeſcat? quis etiam non rideat dicam, an lugeat, ſtultitiam gentium, ubi videat admixta tot numina vel ridicula, aut minuta, vel ſordida quoque, aut obſcena? Nec tamen æque hac parte inſanivere univerſi. Videre enim ſapientiores gentilium, non eſſe ejuſmodi vera numina. Uti L. Seneca apud B. Auguſtinum *a*: *Omnem iſtam ignobilem Deorum turbam, quam longo ævo longa ſuperſtitio congeſſit: ita adorabimus, ut meminerimus, hujuſmodi cultum magis ad morem, quam ad rem pertinere.* Sed quid refert, ſi quem viderent errorem, ſequerentur: ut etiam iis exprobrat Lactantius lib. II de Orig. err. cap. III: *Quid prodeſt ad vulgus & ad homines imperitos hoc modo concionari, cùm videamus etiam doctos & prudentiores viros cum religionum intelligunt vanitatem, nihilominus tamen in iis, quæ damnant, colendis neſcio qua pravitate perſtare.*

a Lib 6 de Civit. Dei, cap. 10.

FINIS LIBRI OCTAVI.

GERAR-

GERARDI JOANNIS VOSSII
DE
PHYSIOLOGIA CHRISTIANA,
ET
THEOLOGIA GENTILI,
Sive de Idololatriæ Origine, ac Progreſſu,
LIBER NONUS.

Cap. I.

Accessum ad cultum Deorum symbolicum; *cæptumque ab explicatione vocabulorum* idoli, ſtatuæ, ſigni; *& Hebræi* teraphim, *atque* elil. *Ac oſtenſum, etiam Deo improbari ſimulachra, quæ mens ſibi finxit humana, ut verum in iis numen colat.*

Hactenus dictum nobis de cultu proprio. Sic autem vocari diximus, quando aliquid colitur propter ſe: ſive primariò, ſive ſecundariò. Quem utrumque cultum etiam Platonici diſtinguebant. Ut qui aliter coluerint omnium patrem & opificem, aliter verò dæmonia, & heroas: ut ex Appulejo lib. I dicebamus. Cæterùm, quod Platonici non ſatis attenderunt, proprius ille cultus, ſive primarius foret, ſive ſecundarius, vel veri erat numinis, qualis Deus Iſraëlis; vel falſi, qui in Scripturis dicitur Deus alienus. Præter hunc cultum proprium, quo Deus ſeu primarius, ſeu ſecundarius, ſive item verus, ſive falſus, in ſe ſive extra ſymbolum colebatur: alter fuit cultus, ex eo ſymbolicus nuncupatus, quia ſigni foret, ſeu vero, ſeu falſo numini conſtituti. Quadruplex igitur theologia fuit: illa veri numinis in ſe, illa falſi numinis in ſe, illa veri numinis in ſigno, atque illa falſi numinis in ſigno. Solùm hic agendum de cultu eo, qui in ſymbolo ſive ſigno præſtatur.

Symbolica hæc Theologia eſt bipartita, generalis, & ſpecialis, generalem voco in qua universè agitur de ſymbolicis ſacris: ſpecialis eſt, qua doctrina hæc reſtringitur ad certam gentem, quæ ſymbola coleret: vel certum numen, quod ab hac vel illa gente coleretur. Universè prius agemus de Deorum effigie ac formis: tum de ſacrificiis, diebus ac ritibus ſacris, & corporibus numini dicatis.

Effigies ac formas, ſimulachra & picturas dicimus: vel etiam εἴδωλα: ſed tum ſi hoc fine effingantur, vel habeantur, ut cultus iis exhibeatur divinus. Propriè enim non omnis numinis pictura, aut ſimulachrum, eſt idolum: ſed ſi hoc fine vel factum, vel habitum, ut ei cultus præſtetur. Unde optimè Martialis lib. VIII, epig. XXIV:

Qui fingit ſacros auro, vel marmore vultus,
Non facit ille Deos: qui rogat, ille facit.

Hujuſmodi effigies *ſculptilia Deorum* vocantur Eſai. XXI, 9. Quod idem valet ac ſculptilia, quæ ſunt pro Diis, ſive Dii ſculptiles. Quomodo Cicero dixit *oppidum Antiochiæ*: Palladius *oppidum Cumarum*, pro *oppido Antiochia*, *Cumis*: alia id genus, de quibus dixi in IV de arte Grammatica, cap. II.

Sculptilium autem vel ſimulacrorum nomine complector non ſtatuas modò, ſed etiam quæ ſpeciatim ſigna vocantur. Quæ duo cæteroquin non parùm differunt. In eo quidem conveniunt, quod utrumque fiat ex materia ſolida: auro puta, argento, ære, quæ funduntur: item marmore, quod ſculpitur: & ebore, quod tornatur. At differunt trifariam. Primùm eo, quòd latiùs pateat ſignum: quippe quòd nunc Dei dicatur, nunc hominis, nunc muti animantis. Statua autem dumtaxat hominis eſt; vel Dei. Præterea ſtatuas potiùs dixere, quas in foro conſpiciebant: ſigna, quæ in ædibus ſacris, vel profanis. Adhæc ſigna quandoque eidem inhærent materiæ, unde educta cui ve inciſa. Ut ranæ, vel locuſtæ, in columnarum ſpiris: item effigies inſculptæ gemmis. Pluribus hæc enarrat Aldus Manutius *a* de Quæſitis per epiſt. Etiam vide ſis Vincentium Lupanum notis in Julium Capitolinum. *a P.25.b.*

Auſonius Pompa lib. IV. de differentiis verborum *b.* Quos non referrem, niſi rudioribus etiam conſultum vellem, Hebraice εἴδωλα dicuntur תְּרָפִים terafim. Ut Geneſ. XXXI, 19, ubi Dii quos Labani ſuffurata eſt Rachel, Hebraicè תרפים, LXX εἴδωλα appellantur. Videntur autem intelligi poſſe ſigna veri numinis, quia Laban non erat ignarus veri numinis: ut qui nomine tetragrammato appellet יהוה *c*: ac proinde cum ſignum furto ſublatum appellat *Elohim d*: interpretari liceat Deum ſuum. Nam *Elohim* etſi terminatione plurale, ſignificatione tamen eſt ſingulare. Verùm quia aliis magis placet Labanum coluiſſe & Deum verum, & falſos ſimul, quorum ſimulachrum fuerint, quæ *teraphim* dicuntur: ſanè hoc in medio relinquamus. Illud apertius, Jud. XVII, & XVIII, ubi ſimulachrum à Micha conflatum, ad quod mater ejus obtulerat argentum, Hebraicè quidem *teraphim*, à LXX itidem εἴδωλα vocatur. Nam in eo cultum Iſraëlis Deum, indicant hæc Michæ verba poſt Levitam conductum: *Nunc novi Dominum* (יהוה) *benedicturum eſſe mihi, eò quòd eſt mihi Levita in ſacerdotem.* Et ſanè aliis etiam Scripturæ teſtimoniis evincere eſt, improbari Deo ἐθελοθρησκείαν illam, quâ divinus cultus præſtatur ſimulachris non falſi modò, ſed veri etiam Numinis. Exemplo fuerint vituli Aaronis. De quibus populus ipſe, *Hi ſunt Elohim, qui te eduxere è terra Ægypti.* q. d. hic Deus, qui te eduxit. Nam *Elohim*, ut dixi terminatione quidem plurale, ſed ſignificatione eſt ſingulare. Deus autem pro ſimulachro Dei, per uſitatiſſimam μετωνυμίαν. Uti

b P.239.

c Jehova, q.d. Ens, Exiſtens ab æterno, & in æternum.

d Ab אלוה, *Eloah, Deus.*

cum poſtea dicit, *Fac nobis Deos, qui praeant nobis*, ſententia eſt, *Fac nobis ſimulachrum Dei.* Nempe veri: ut oſtendit, quod Exod. xx, 2, vocent *Deos, qui eduxit Iſraelem ex Ægypto.* Et Aaron, cùm altare coram vitulo exſtruxiſſet, indixit feſtum Domino: ubi itidem nomen τετραγράμματον, quod eſt veri numinis proprium.

Redeo ad alias ſimulachrorum appellationes. Hujusmodi אליל elil: quaſi dicas, *non Deos.* Utcumque enim idola dicantur Dii, nihil tamen ejus habent, quod dicuntur. Unde Paulus 1 Corinth. viii, 4: *Scimus quia nihil eſt idolum in mundo.* Materiæ quidem ratione ſunt lignum, lapis, metallum, vel aliud. Etiam formæ ratione hactenus ſunt aliquid, quatenus ſæpe aliquid repræſentant, quod eſt, ut Solem, aut quod fuit in rerum natura, ut Quirinum. Sed nihil ſunt ejus, quod præterea creduntur: ſive nihil ſunt, ratione fictitiæ divinitatis. Ut ſimulachrum Cæſaris, cui ſacrificare jubebantur etiam Chriſtiani, ſimulachrum quidem erat, ſed præterea nihil, atque eatenus non erat. Quod enim commentitium eſt, id non eſt. At divinitas idolorum talis fuit. Quatenus igitur adoratio iis tribuitur, cultuſque divinus, nihil ſunt. Unde illud etiam colligitur, imaginem, vel ſignum εἴδωλον a dici non poſſe, niſi afficiatur honore divino. Ut Cherubini, xii boves, leones, lilia, mala Punica, mare æneum, & quibus præterea Dei domus ornabatur. Item pictura vel ſtatuæ eorum, qui bene meriti ſunt de Rep. vel Eccleſia, ac quorum memoria propterea celebretur, vitaque ad imitandum proponatur. Λατρείαν autem, etſi naturâ latiùs pateat, Eccleſiæ tamen uſu reſtringi ad exhibitionem cultus, qui ſoli Deo conveniret, cognoſcere eſt ex non uno B. Auguſtini loco: ut de Trinit. lib. I cap. vi; tom. iii; & quæſt. xciv in Exod. Tom. iv. Item lib. x de Civit. Dei cap. 1. Tom. v, & contra Fauſt. Manich. lib. xx cap. xxi tom. vi, & eodem tomo contra ſermonem Arrianorum cap. xx. Quare rectè idololatria deſcribitur SS. Patribus. Ut Tertulliano lib. de Idololat. cap. 11: *Idololatria Deo fraudem facit, honores illi ſuos denegans, & conferens aliis, ut fraudi etiam contumeliam conjungat.* B. Cyprianus ad Fort. in exhort. ad Mart. *Tunc idololatria committitur, cùm divinus honos alteri datur.*

a Idolum.

Cap. II.

De fine idolorum duplici, primario, qui eſt, Cultus divinus ad propitiandum numen: ac ſecundarius, qui eſt triplex, Hiſtoricus, Naturalis, & Moralis.

De vocabulis ſatis: rem ipſam videamus. Ubi primùm agendum de ſymbolorum ac ſignorum fine: ut qui ſit cauſſa cauſſarum, ſic ut cauſſarum aliæ huic ſint pro via ac ratione ad finem conſequendum. Eo explicato, ordine dicam de cauſſa efficiente, materia, ac forma.

Quis primitus finis fuerit ſimulachrorum, traditur libro Sapientiæ Salomonicæ, cujus Philo, non ille, qui Caji Cæſaris temporibus legatus Judæorum fuit, ſed multò antiquior: unus è lxx interpretibus Scripturæ. Is fusè de hoc agit cap. xiv. Ubi dicitur, primùm parentes liberis immatura morte ſublatis, imagines feciſſe, ut ſimulachro defuncti leniretur dolor ſuperſtitum. Deinde verò populum etiam regibus longo diſſitis intervallo affabre confeciſſe ſimulachra. In neutro autem conſtitiſſe primum honorem: ſed progreſſu temporis divinum iis cultum præſtari cœpiſſe.

Atque cum his conſentiunt, quæ tradidit Albricus philoſophus libro de Deorum imaginibus, non qualis mutilè prodiit in lucem: ſed prout longè integriùs legimus in membranis MSSis. Quamquam ne ſic quidem magnæ mihi rei videtur. Potiùs igitur adducam, quem is exſcripſit. Hic verò eſt Fulgentius in Mythologicis: ubi ſuum laudat auctorem: videlicet Diophantum Lacedæmonium, Agatharchidi etiam, ut in Ethnicis Stephani, ſive Hermolai Byzantii memoratum. Hic legas, quomodò Syrophanes, homo Ægyptius, in magna re, hærede ſuo, filio unico amiſſo, in dolotis ſolatium primus filii ſimulachrum erexerit domi ſuæ; parum cogitans, non quotidianum imaginis conſpectum, ſed oblivionem potiùs miſeriæ fore medicinam. Adjungit, ut familia tota in adulationem Domini provoluta nunc corrollas cœperit plectere ſimulachro, nunc odores accenderit: ſervi etiam, quoties pœnas ab irato domino extimeſcerent, ad ſimulachrum illud confugerint, munuſcula conferentes: quod licèt magis facerent pœnæ formidine, quàm amore ſimulachri, à domino tamen ſic veniam conſequebantur. Laudat & Mintanora Muſicum in χρηματοποιῶν a opere, qui idola dixerit eſſe figmentum doloris humani: paulloque antè retulerat, εἴδωλον ſic dici, quaſi εἶδος ὀδύνης, *ſpecies doloris*: in quo etſi longiſſimè fallitur (nec enim vox eſt compoſita, ſed ab εἶδος derivata, ut à φείδω b eſt φειδωλός c, ab ἄχομαι d ἀχωλὴ e, ab ἕω f ἕωλος g, teſte Etymologo h) oſtendit tamen, quid de ſimulachrorum origine veteres putarint. Et ſanè Hebræis etiam eadem vox און aven, tum dolorem ſignat, ut Pſalm. ix, 7, & Pſal. lxxxix, 10; tum idolum, vanitatem: ut Num. xxiii, 21: *Non eſt idolum in Jacob.* Quomodò & cepit Chaldæus paraphraſtes, & B. Hieronymi: quem etiam vide in Oſ. iv.

a Inſtrumentalis Muſicæ. b Parſimonia. c Parcus. d Vereor. e Perm. f Metu, ir-deo, video. g Heſter-nus, ob-ſoletus. h In eid. an. &c. χρόν. b lau.

Hæc ſi ita ſunt, conſequitur, priùs fuiſſe ſimulachra Deorum animalium, h. e. qui aliquando homines fuiſſent. Poſtea ſimiliter effinxerint Deos naturales, hoc eſt, quibus exprimerent naturæ Deum, vel partis mundanæ, vel affectionem aliquam naturæ. Sed porrò quæritur, utrum animales Dii priùs picturâ fuerint expreſſi, an ſimulachrô. Simulachris puto, quia id ſimplicius artificium, & Thare eorum artifex creditur. Etiam Exodi xxiv eſt: *Confringe ſtatuas.* Ubi nihil de picturis. Quia fortè (ut Abulenſis annotavit quæſt. xii) *tunc ſolùm erant ſtatuæ in uſu, & nondum picturæ inoleverant.*

Etſi verò cum Salomonicæ Sapientiæ ſcriptore exiſtimem, primitus ſimulachra eſſe reperta ad ſolatium doloris, qui ex defuncto rediret ad ſuperſtites; poſtea autem adulatione, vel alio vitio humano, cultum iis acceſſiſſe divinum: levis tamen apud me Fulgentiani illius Diophanti eſt auctoritas: ut qui prorſus cenſeam, non ex Ægypto, quod ille exiſtimat; ſed ab Aſſyriis idolorum cultum peti oportere. De quo paullò pòſt dicam, ubi priùs abſolvero cætera, quæ ad finem pertinent.

Finis is vel primarius eſt, vel ſecundarius. Primarius eſt cultus divinus, & exinde efflorefcens ſpes favoris divini. Cùm enim numen non viderent, & ne quidem, qui Solem pro numine haberent, eum ſemper conſpicerent, quippe Antipodas non minùs, quàm nos viſentem, nihil meliùs viderunt, quàm ſi ſaltem ſemper ejus ſignum colerent, & hujus cultu omniſcium numen ſibi redderent propitium.

Ad finem hunc principem triplex alius acceſſit: unus ἱστορικός, quia repræſentaretur ſtatuis, ſacriſque, veterum rerum geſtarum memoria: alter φυσικός, quia exprimeretur iis rerum natura: tertiùs verò ἠθικός, quia ſtatua, & quicquid ad ſacra pertineret, conduceret ad conciliandum virtutis amorem, & corrigendos hominum mores.

Hujus rei ex Jove ipſo, filioque Hercule exemplum capere poſſumus. Nam Jupiter ἱστορικῶς fuerit Aſterius Cretenſium rex, à quo rapta eſt Europa, Agenoris filia: vel Tantalus, rex Phrygum, qui rapuit Ganymedem. At φυσικῶς Jupiter nunc eſt Sol, nunc æther, nunc aêr, aut ventus. Sed hæc non prohibent, quo minùs idem conſideretur ἠθικῶς, velut exemplar civilis prudentiæ, quod proponere ſibi debeant Joves terreſtres, hoc eſt, Reges, ac viri principes. Ut cùm dicitur priorem devorâſſe uxorem, quæ Μῆτις dicebatur, hoc eſt σύνεσις i. Quo indicatur, regis magni eſſe avidè animo haurire prudentium conſilia, & cum cura expendere ſingula. Hac deglutita

i Prudentia, intellectus.

glutita ajunt Pallada peperiſſe, quia rebus omnibus perpenſis præcipiendum aliis quid facto ſit opus. Pallada ajunt è cerebro exiliiſſe armatam, quia regia prudentia ad terrarum defenſionem maximè in armis conſiſtit. E ſolo Iove nata dicitur, quia etſi reges conſilia audiant, ſoli tamen decernant: Prudentes quoque, præſertim potentia inſtructos, quales maximè reges, offendere omnes metuunt. Eò Minerva dicitur γλαυκῶπις, hoc eſt, cæſia, ſive glaucis prædita oculis, quippe glauci oculi tum perſpicaces ſunt, tum terribiles. Uti leonis; unde Catullus:

Cæſio veniam obvius leoni.

Similiter alia de Hercule memorantur ἱστορικῶς, quatenus princeps fuit Thebanus, fortitudine inclytus, ſed aliis etiam fortium virorum geſtis in unum collatis. Alia verò eidem tribuuntur, quatenus à morte cultus cum Sole, atque inde φυσικῶς Sol ipſe eſt exiſtimatus. Denique idem ἠθικῶς conſideratus, idque bifariam, quia & geſtis ejus propriè intellectis exemplum nobis proponitur magni ducis, & iiſdem allegoricè acceptis, exemplum habemus viri boni & prudentis. Quomodò Herculis geſta interpretatur Appulejus lib. IV Floridorum: ubi de Cratete philoſopho ſermo: *Quod Herculem olim poëtæ memorant, monſtra illa immania hominum ac ferarum virtute ſubegiſſe, orbemque terræ purgaſſe: ſimiliter adverſum iracundiam, & invidiam, atque avaritiam, atque libidinem, cæteraque animi humani monſtra & flagitia, philoſophus iſte Hercules fuit. Eas omnes peſtes mentibus exegit; familias purgavit, malitiam perdomuit: ſeminudus & ipſe, & clava inſignis, etiam Thebis oriundus, unde Herculem fuiſſe memoria exſtat.*

Quare in ſtatuis Deorum ſemper attendere oportet, num imago veterem exprimat hiſtoriam, an rerum naturam, an prudentiæ ac morum contineat exemplum. Ita ad mores pertinet, quòd Venerem Phidias Eleis effecit ſic, ut pede calcaret teſtudinem: quo cuſtodiam ac ſilentium mulieribus commendaret: ut eſt apud Plutarchum in Quæſtionibus Connubialibus. Atque idem lib. de Iſide, & Oſiride, hoc eò refert, quod virgines oporteat cuſtodiri: nuptis verò convenit gubernatio domeſtica, ac ſilentium.

Ob arctiſſimam hancce conjunctionem ſignorum Deorum, præſertim quia ſimulacra non modò ſignare Deos, ſed iis etiam inhabitare exiſtimarentur, non vulgus ſolùm, verùm principes etiam viri de ſimulachris, velut Diis ipſis loqui ſolent. Ut apud Livium lib. XXVII, de capta Tarento agens Fabius Maximus facit: *Majore*, inquit, *animo generis ejus prædâ abſtinuit Fabius, qui interroganti ſcribæ, quid fieri de ſignis vellet (ingentis magnitudinis Dii ſunt, ſuo quiſque habitu in modum pugnantium formati) Deos iratos Tarentinis relinqui juſſit.* Etiam Ambracienſes legati apud eundem Livium lib. XXXVIII queruntur in Senatu Romano à M. Fulvio Nobiliore, qui templis eorum omnia abſtulerat ornamenta, *Deos ipſos convulſos ex ſedibus ſuis: quos adorent, ad quos precentur, & ſupplicent, Ambracienſibus non ſupereſſe.* Pag. 308.

CAP. III.

Diſſenſus Luciani, ac Herodoti de eo, num Ægyptii, an Chaldæi primi induxerint ſtatuarum cultum. Eorum, quos legimus, primum videri Nabuchodonoſorum, qui ſe vivum ac videntem in ſtatua coli præceperit.

A Fine proficiſcor ad cauſſam efficientem, ſive inventionem, vel originem ſtatuarum, non quatenus homini ſtatutæ, ſed numini. Non repetam vero quæ de Syrophane Ægyptio antea diximus: eo minùs, quia ſubinde ſubleſta ſit Fulgentii illius fides, unde id hauſtum: utcunque ille Diophantum Lacedæmonium laudet auctorem. Potior nobis auctoritas eſt Luciani Samoſatenſis. Eum ſi lib. de Dea Syria, audimus, Παλαιὸν καὶ παρὰ τοῖς Αἰγυπτίοισι ἀξόανοι νηοὶ ἔσαν: *Antiquitus etiam apud Ægyptios abſque ſimulachris & ſtatuis templa erant.* Atque ita ille, qui Ægyptios cenſet, mortalium primos induxiſſe cultum Deorum, quam πολυθεότητα dicimus: primos etiam templa, ac lucos, Diis dicâſſe, ſacraque repetiſſe ſollemnia. Aſſyrios verò illis non contentos, addidiſſe ſtatuas, & ſimulachra: non diſplicuiſſe id Ægyptiis, ac propterea ſecutos exemplum: ab his verò morem iſtum ad Græcos, & gentes alias promanâſſe. Interim ex parte aliter Herodotus in Euterpe: ubi ſe ex Heliopolitanis ſacerdotibus, Ægyptiorum omnium ſollertiſſimis, accepiſſe ait, βωμούς τε καὶ ἀγάλματα, καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους· *& aras, & ſimulachra, & delubra Diis ſtatuiſſe eos primos.* Quibus gemina habet Plutarchus lib. de Iſide, & Oſiride. In hoc diſſenſu potiùs Luciano aſſentiam. Siquidem primus in ſtatua, ſive Chus, Nimrodi parens, ſive Nimrodus ipſe, & quidem *Beli*, hoc eſt, *domini* nomine cultus videtur. Nam qui Hebræis *Baal*, is aliis *Beel*, & contractè *Bel*, Græcaque ac Latina terminatione adjecta Βῆλος, ſive *Belus*: ut non verum id fuerit nomen, ſed ex honore cognomen. Sanè Βῆλος Aſſyriorum ac Chaldæorum numen. Favet huic ſententiæ, quod in Chaldæa vixerit Therach, Abrahæ parens, ipſeque idololatra. Hujus anno duodetrigeſimo mortuus fuit Belus. Thare autem anno demum LXX, ſaltem non antè, liberos cœpit gignere, obiitque anno ætatis CCV: ut eſt Geneſ. XI, 26, & 32. Ut poſt Belum defunctum annis vixerit CLXXVII. Potuit igitur Belo ſtatua poni mox ab exceſſu, Therachio adhuc adoleſcente: & credibile eſt, utcunque fortaſſis primò ſolùm memoriæ & honoris ergo poneretur, poſtea, Nimrodo, vel alio jubente, divino affici honore: idque temporibus ipſius Tharachi, ſub quo cœpiſſe idololatriam, Epiphanius narrat. Utcunque hoc eſt, jam Tharachi temporibus idola eſſe culta, imò Tharachum ipſum idololatram fuiſſe docet nos liber Joſue cap. XXIV: *Trans flumen habitaverunt patres veſtri ab initio: Thare pater Abraham, & Nachor, ſervieruntque Diis alienis.* Atque hæc quidem pertinent ad ſimulachra, quæ cultus ergo fecere defunctis. Tandem verò eò deventum, ut præſentium, ſive ſuperſtitum genius in ſimulachro coleretur. Difficile autem dictu, cui is honos primò obtigerit. Interim antiquius exemplum non habemus, quàm in Nabuchodonoſoro Danielis cap. III. Nam ſtatuæ ſibi erectæ ſacrificari juſſit, cæterumque divinum cultum exhiberi. Puduit quidem mandare, ut ἀμέσως a id ſibi præſtaretur. Tutiùs putavit, ſi in coloſſo ſuo coleretur: quia ſic quoque ſimulachri cultus ad prototypi honorem redundaret. Unde de eo Severus Sulpicius in ſecundo hiſtoriæ ſacræ: *Statuam ſibi auream immenſæ magnitudinis poſuit, adorarique eam, ut ſacram effigiem præcepit.* Itaque cum Sidrach, Miſach, & Abdenago nollent iſtiuſmodi honorem effigiei præſtare: eo proceſſit furoris, ut diceret: *Quis eſt Deus, qui eripiet vos de manu mea?* Quaſi nullum eo numine foret potentius, cujus ſimulachrum colere erant juſſi.

a *Immediate.*

CAP. IV.

De ſimulachrorum materia, quinctuplice; argilla, ligno, lapide, metallo, ebore. Deque conſuetudine ſimulachra Deorum tingendi minio; apud Æthiopes etiam colore nigro.

A Cauſſa efficiente, ſive origine ſtatuas Diis conſtituendi, accedo ad ſignorum materiem: quæ varia erat. Vetuſtiſſima fuit ex terra: uti argilla, cui & poſtea gypſum acceſſit. Ex argilla primus Thare ea effinxiſſe dicitur, ut ait Nicetas lib. I Theſauri Orthodoxi de Græcis & Judæis, cap. I. Ars, quæ in efformandis ex argilla ſimulachris verſabatur, πλαστικὴ dicebatur. Refert ex Varrone Plinius lib. XXXV, cap. XII, *elaboratam hanc artem Italiæ, & maximè Hetruriæ: Turianumque à Fregellis accitum, cui locaret Tarquinius Priſcus effigiem Jovis in Capitolio dicandam. Fictilem*

eum

eum fuiſſe, & ideo miniari ſolitum: fictiles in faſtigio templi ejus quadrigas. Ab hoc eodem factum Herculem, qui hodieque materiæ nomen in urbe retinet. Addit deinde: Hæ tum effigies Deûm erant laudatiſſimæ. Nec pœnitet nos illorum, qui tales coluere. Aurum enim, & argentum, ne Diis quidem conficiebant. De ſimulachris ex gypſo aliquid poſtea dicam.

Altera eſt materies è ligno. Unde illud Jeſaiæ I, 29: *Nam pudefient propter lucos, quos deſideraſtis; & erubeſcetis propter hortos, quos elegiſtis.* Ut optimè eum locum in ſua Bibliorum tralatione ſocer Junius expreſſit. Nec alia mens interpretis vulgati. Similiter Jerem. II, 26: *Dicunt ligno, Pater meus es; & lapidi, Tu peperiſti me.* Ubi *lignum*, & *lapis*, pro lignea, & lapidea materia. Similiter Jerem. II, 26, Oſeæ IV, 12, & alibi. Eaque Orientis conſuetudo veteribus etiam Romanis fuit. Tibullus lib. I, eleg. I:

Nam veneror, ſeu ſtipes habet deſertus in agris,
Seu vetus in trivio florida ſerta lapis.

Idem lib. I el. X:

Sed patrii ſervate lares, coluiſtis & iidem,
Curſarem veſtros cum tener ante pedes.
Nec pudeat priſcos vos eſſe e ſtipite factos,
Sic veteris ſedes incoluiſtis ævi.
Tunc melius tenuere fidem, cum paupere cultu
Stabat in exigua ligneus æde Deus.

Prudentius:

Deaſciato ſupplicare ſtipiti.

Quando is cultus cœperit mutari, indicat Plinius lib. XXXIV, cap. VII: *Mirum mihi videtur, cum ſtatuarum origo tam vetus in Italia ſit, lignea potiùs, aut fictilia Deorum ſimulachra in delubris dicata uſque ad devictam Aſiam, unde luxuria.* In ligneis præcipuus honos cedri. Idem Plinius lib. XIII, cap. V: *Materiæ vero ipſi* (credo) *æternitas. Itaque & ſimulachra Deorum ex ea factitaverunt.* Sed & *ſpinæ Ægyptiæ* grande decus. Idem Plinius lib. XIII, cap. IX: *Materiei bonitate, firmitudine, nigritie quoque nihil differens à loto. Simulachra ex ea factitavere.*

Attendi verò ſolere, è cujuſmodi ligno fierent, vultus, aut tota ſimulachra, oſtendit in Libero his verbis Athenæus lib. III: Νάξιοι δὲ, ὡς Ἀνδρίσκος, καὶ Ἀγαθένης ἱστοροῦσι, Μειλίχιον καλεῖσθαι τὸν Διόνυσον, διὰ τὴν τοῦ συκίνου καρποῦ παράδοσιν. Διὸ καὶ τὸ πρόσωπον τοῦ θεοῦ παρὰ τοῖς Ναξίοις, τὸ μὲν τοῦ Βακχέως Διονύσου καλούμενον, εἶναι ἀμπέλινον· τὸ δὲ τοῦ Μειλιχίου, σύκινον· τὰ γὰρ σῦκα μείλιχα καλεῖσθαι. *Naxii verò, ut Andriſcus, & Agaſthenes referunt, Liberum vocant Milichium, quia ficûs fructum oſtenderit hominibus: ac propterea vultu Dei apud Naxios, Bacchi quidem, Dionyſi dicti, eſſe è vite, Milichii autem è ficu: nam ficus dici milicha.*

Ubi minus mirandum de Baccho, quòd ejus vultus è vite, & vitis ſorore ficu, ſolear effingi: illud magis miretur aliquis etiam aliorum numinum ſimulachra è vite formata. Sed id docet, & cauſſam addit Plinius lib. XIV, cap. I: *Jovis ſimulachrum in urbe Populonia ex una conſpicimus, vite tot ævis incorruptum. Metaponti templum Junonis vitigineis columnis ſtetit. Etiam nunc ſcalis tectum Epheſiæ Dianæ ſcanditur, vite una Cypria, ut ferunt: quoniam ibi ad præcipuam altitudinem exeunt. Nec eſt ligno ulli æternior natura. Verum iſta ex ſylveſtribus facta crediderim, quando hæ vites tonſura annua coërceatur, & vis earum omnis evocatur in palmites, aut deprimitur in propagines, ſuccique tantum gratiâ ex his pluribus modis ad cœli motus, ſolique ingenia.*

Tertia materies eſt ex lapide. Plato lib. XII de Legibus: *Ex ligno igitur uno, vel uno quovis lapide integræ Deorum imagines in templis communibus ſtatuantur.* Horat. lib. IV od. VIII:

—— Divite me ſcilicet artium,
Quas aut Parrhaſius protulit, aut Scopas,
Hic ſaxo, liquidis ille coloribus
Sollers nunc hominem ponere, nunc Deum.

Commendatiſſima in hoc genere eſt materies marmoris, præcipuè Parii. Maro III Georg. ubi ſermo de templo Cæſari èxſtruendo:

Stabunt & Parii lapides, ſpirantia ſigna,
Aſſaraci proles demiſſæque ab Jove gentis
Nomina, Troſque parens, & Troiæ Cynthius auctor.

De lapide Βαιθὴλ, ſive bætulo, vel abaddir, item Arabum lapide, atque aliis, ſive propriè, ſive ſymbolicè, pro numine cultis, ſatis dictum circa finem lib. VI.

Poſtea quoque argentum in ſtatuis adhibitum, ac Deorum ſimulachris. Quod liquet ex adlatis Plinii, ac Tertulliani verbis. Nec argentum ſolùm, ſed etiam aurum: quomodo Æſculapio erat barba aurea, uti & pallium: quæ illi Dionyſius tyrannus ademit, dicens non decere Æſculapium eſſe barbatum, patre Apolline imberbi: proque pallio aureo magis laneum convenire, quia aureum æſtate gravaret, hieme afferret frigus.

De tota Deorum facie ex auro eſt illud Perſii ſat. II.

—— Auro ſacras quod ovato
Perducis facies.

Sententia eſt, totas Deorum facies ex auro facis. Ubi *facies* non ſolum πρόσωπον ſignat; ſed corpus univerſum. Hoc enim *faciem* veteribus notâſſe, Agellius docet lib. XIII, cap. XXVIII. Quare ſermo eſt de iis, qui ex auro trophæorum, ſive ovantium, ſive etiam triumphantium, totam Dei ſtatuam ducerent: cujuſmodi ſtatuas vocabant χρυσηλάτους a ἀπὸ τοῦ χρυσοῦ καὶ ἐλαύνειν b.

a Etiam dicta vel ovatio. b Ab auro, & ductu.

Quarta materies ex metallo. Ac primò ex ære: imo in nobilioribus urbibus plurimum ſigna ex marmore, vel ære. Ut Ambraciæ Epiri urbe principe, ubi domicilium habuit Pyrrhus ille, quicum pugnatum Romanis tempore belli Tarentini. Eam urbem cum M. Fulvius conſul anno Urbis IↃLXV in deditionem accepiſſet, *ſigna ænea marmoreaque* (ut Livius ait libro XXXVIII) *& tabulæ pictæ, quibus ornatior Ambracia, (quia regia ibi Pyrrhi fuerat) quàm cæteræ regiones ejus urbis erant, ſublata omnia, avectaque, nihil præterea tactum, violatumve.* Similiter Romæ ex ære facta, ſed demum poſt annum CCLXVIII: ut indicat hoc Plinii lib. XXXIV, cap. IV: *Romæ ſimulachrum ex ære factum Cereri primùm reperio ex peculio Sp. Caſſii; quem regnum affectantem pater ipſius interemerat.* Etiam L. Ægyptii filii ſtatuas Romæ habuere æreas; de quibus Perſ. ſat. II:

—— Nam fratres inter ahenos
Somnia pituita qui purgatiſſima mittunt.

Ubi ſic vetus ſcholiaſtes: *Acron tradit, quod in porticu Apollinis Palatini fuerunt Danaidum effigies, & contra eas ſub divo totidem equeſtres filiorum Ægypti. Ex iis autem ſtatuis quædam dicebantur poſtulantibus per ſomnum dare oracula.* Falluntur, qui per fratres ahenos Caſtorem, & Pollucem: vel Deos in Pantheo intelligunt. Eo, quod de ſomniis ſive inſomniis addit, ſignificatur, curationes in ſomniis monſtratas tunc, quando pituita minus eſt moleſta, eoque inſomnia ſunt certiora. Poſtea & argentum, atque aurum. Unde David Pſal. CXIII: *Simulachra gentium argentum, & aurum.* Ubi ſic B. Auguſtinus: *Quid enim oſtenditis, niſi aurum & argentum? Habent quidem ærea, & lignea, & fictilia ſimulachra: ſed pretioſum eorum maluit commemorare Spiritus Sanctus: quia cum id quiſque, quod illi charius eſt, erubuerit; multo facilius avertitur à veneratione viliorum.*

Quincta materies ex animantium oſſibus, ac præcipuè dente elephantis. Plinius lib. VIII, cap. X: *Dentibus ingens pretium: & Deorum ſimulachris laudatiſſima ex iis materies.* Idem lib. XII, cap. I: *Ex arbore & ſimulachra numinum fuere, nondum pretio excogitato bellūarum cadaveri, antequam, ut à Diis nato jure luxuria, eodem ebore numinum ora ſpectarentur, & menſarum pedes.* Alia quoque ſigna templo ornando ex hac materia fecere. Unde Maro III Georg. in deſcriptione templi quod Quirino, h. e. Cæſari Auguſto eſſet poſiturus, ait:

In

In foribus pugnam ex auro, ſolidoque elephanto.
Gangaridum faciam, victoriſque arma Quirini.

Ubi *elephanto* pro *ebore* dixit: quia hoc *è barro*, h. e. elephanto, unde & Servius *a* ebur dici ait, comprobante etiam Cæſare Scaligero *b*. Mihi obſtare videtur quod ſic princeps ſyllaba in *Ebur* eſſet porrecta: eoque à *barro* eſſe non inficior: ſed E non σημαντικὸν *c* fuerit, verùm ἐκ προσθέσεως *d*, inſtar eorum, quæ magiſtris Hebræis Heemantica *e* dicuntur. Solido autem elephanto ait Maro ut opponat ſecto: de quo ſic III Æn.

a In I. Æn.
b Comment. in lib. 2. Ariſtot. Hiſt. Anim.
c Significativum.
d Ex appoſitione.
e Terminativa.

Dona dehinc auro gravia, ſectoque elephanto.

Solidus autem dens elephanti æquat ſubinde CCC XXV pondo: atque ait Cæſar Scaliger exercit. CC IV, ſect. IV, ſe vidiſſe dentem viro majorem. Dentem cum Plinio, & aliis voco, quod veriùs cornu. Nam quæ dentes nuncupant, ſunt ἐκφύσεις ſive propagines cranii quod cornuum eſt proprium. Nec dentes poſſunt in varias formari figuras: ex ebore autem varia fiunt ab ἐλεφαντοτόμοις ſive eboris fabris, ut vocat Horatius. Quibus duobus argumentis Oppianus jam olim evicit cornua eſſe: ut pluribus dixi lib. III, cap. LI.

Atque hæc univerſa, ac præterea gypſum memorat Arnobius lib. VI: *Simulachra iſta, quæ vos terrent, oſſa, lapides, æra ſunt, argentum, aurum, teſta, aut commixtum glutinum gypſo. In gypſo ergo manſitant, atque in teſtulis dii veſtri.* Idem pleraque horum complexus eſt initio libri VII: *Dii veri neque deſiderant ea, neque depoſcunt: ex ære autem facti, teſta, gypſo, vel marmore, multo minùs hæc curant.* Horatii quoque eſt lib. II, epiſt. I.

Marmoris, aut ebori fabros, aut æris amavit.

Prudentii item:

Fumoſa avorum nomina
Saxum, metallum, ſtipitem,
Raſum, dolatum, ſectilem.

Interdum verò materies ſimulachri non uniuſmodi erat, ſed multiplex: ut apud Corinthios Minervæ Frenatricis: cujus ſimulachrum, Pauſanias in Corinthiacis teſtatur, ligneum erat, ſed ſic ut è marmore forent facies, manus, ac pedes. Frenatrix autem dicta eſt, quia prima frenaſſet Pegaſum, ac ſic tradidiſſet Bellerophonti.

De coloribus etiam ſimulachrorum aliquid dicendum. In iis præcipuus minii honos fuit. Plinius lib. III, cap. VII: *Invenitur in argentariis metallis minium quoque; & nunc inter pigmenta magnæ auctoritatis, & quondam apud Romanos non ſolùm maximæ, ſed etiam ſacræ. Enumerat auctores Verrius, quibus credere ſit neceſſe, Jovis ipſius ſimulachri faciem diebus feſtis minio illini ſolitam, triumphantumque corpora: ſic Camillum triumphaſſe: hac religione etiam nunc addi in unguenta cœnæ triumphalis, & a Cenſoribus imprimis Jovem miniandum locari.* Nec Romanis modo is mos: ſed etiam Græcis Bacchum ſimulachrum minio fucatum memorat Pauſanias in Achaicis. Item Æthiopibus: unde Plinius loco memorato *hodie id expeti conſtat Æthiopum populis, totoſque eo tingi proceres; huncque ibi Deorum ſimulachris colorem ineſſe.* Nec tamen hi rubros ſolum, ſed etiam nigros effingunt: ut Alexander Geraldinus refert in quincto itinerarii ſui. Nempe quia iis niger color eo hunc venuſtiſſimum, Diiſque convenientiſſimum, arbitratur. De ſimulachrorum cultu & ornatu: Cæſar Bullingerus, II, XX. De materie auro, lapide &c. II, XVIII, pag. 50, &c.

CAP. V.

Acceditur ad formam qua Dii fingebantur. Oſtenſumque primitus nullas fuiſſe Deorum ſtatuas: ne Romæ quidem per annos CLXX. Pro ſymbolo autem initio uni genti fuiſſe columnam, alii pyramidem, alii haſtam, vel ſimile.

Quia materiam explicui, incipiam nunc agere de forma. Antiquiſſimis temporibus nullæ erant Deorum ſtatuæ; ſed etiam poſtquam in Symbolo aliquo Deum coluere: vel mundum hunc vel ejus partem aliquam, aut particulam, pro ſymbolo eſſe voluerunt. In cauſſa erat, quia non crederent rudes animæ, id eſſe numen, quod non viderent; eoque, abſque numinis metu, ſpe impunitatis, in quævis ſcelera devolverentur. Hoc cum rectoribus populi diſpliceret, alii cælum aut Solem, alii ignem, alii terram, montem fluvium, vel lapidem etiam informem aut aliam naturæ particulam pro ſymbolo Dei eſſe juſſere. Sed non diu illa pro ſymbolis habita ſunt. Facilè enim in vulgo inolevit opinio, non eſſe numinis ſymbola, ſed ipſum numen; ferentibus ac diſſimulantibus id iis etiam, qui meliùs ſaperent, quia mallent quidvis potiùs pro numine coli, quàm nullum numen credi. Ac de gentibus quidem, quæ vel univerſam rerum naturam, vel aliquid ejus, pro Deo haberent, compluribus libris antea diximus. Quibuſdam tamen mens vetus permanſit, hæc quoque nihil eſſe niſi Dei ſymbola: atque hanc ſententiam amplexi etiam Platonici: clariſſimè quidem Maximus Tyrius. Agnoſcit enim Deum non corporis oculis videri, ſed mentis oculis adiri. Solùm arbitratur, propter infirmitatem noſtram conducere, aliquid ſtatui, cujus conſpectu memoriam numinis conſervemus, atque ad illud amandum, & colendum, excitemur: ut capite proximo fuſiùs exponam. Tandem etiam qui vel rectà ad Deum iverant, abſque ſymbolis; vel ſolùm ſymbolis uſi, quæ naturæ partes, aut particulæ forent; credidere Deum quidem in adſpectabili ſigno colendum, verùm accommodatius eſſe ſymbolum nullum, quàm quo Deus humanâ figurâ repræſentaretur. Sed alia ſagacioribus mens: eoque operæ fuerit audire, quid de iſtiuſmodi ſimulacrorum cultu ſenſerit Varro. De hoc ita B. Auguſtinus lib. IV de Civitate Dei, cap. XXXI: *Dicit etiam* (Varro) *antiquos Romanos, pluſquam annos centum & ſeptuaginta Deos ſine ſimulachro coluiſſe. Quod ſi adhuc*, inquit, *manſiſſet, caſtius Dei obſervarentur. Cujus ſententiæ ſuæ teſtem adhibet inter cætera, etiam gentem Judæam: nec dubitat eum locum ita concludere, ut dicat: qui primi ſimulachra Deorum populis poſuerunt, eos civitatibus & metum demſiſſe, & errorem addidiſſe: prudenter exſtimans, Deos facilè poſſe in ſimulachrorum ſtoliditate contemni.* Atque idem Hipponenſis pontifex in VI de Civitate Dei, cap. X, hæc Senecæ verba adducit ex deperdito ejus opere contra ſuperſtitiones: *Sacros immortales, inviolabileſque Deos, in materia viliſſima, atque immobili dedicant, habitus illis hominum, ferarumque & piſcium, quidam verò, mixto ſenſu, diverſis corporibus induunt. Numina vocant, quæ ſi ſpiritu accepto ſubitò occurrerent, monſtra haberentur.* Ubi, *mixto ſenſu, an ſexu*, legi debeat, vide apud Juſtum Lipſium lib. II Elect. cap. XVIII. Zonaram quoque audiamus *a*: Ἀνθρωποειδῆ καὶ ζωόμορφον εἰκόνα τοῦ Θεοῦ ἀνιστᾶν Ῥωμαίοις ἀπείρηκαι· ὅθεν οὐδ᾽ ἦν παρ᾽ αὐτοῖς οὔτε γραπτὸν οὔτε πλαστὸν εἶδος Θεοῦ ἐν ἑκατὸν ἑβδομήκοντα ἔτεσι, ναοὺς αὐτοῖς ἀνεγειρομένων οὐδὲν ἔμμορφον ἐποίουν ἀφίδρυμα. *Romanis vetuere hominis, vel animalis forma imaginem Dei formare. Itaque apud eos neque pictum, neque fictum ſimulachrum aliquod Dei fuit per centum ſeptuaginta annos, & cùm templa haberent, nulla fuit formata effigies.*

a Tom. 2. p. 10.

Atque ex his cognoſcimus, initio nulla fuiſſe Deorum ſimulachra, ne Romæ quidem: ubi Numa templa ſtatuit, ſed abſque ulla imagine: ut de illo etiam Plutarchus in ejus vita teſtatur: item Dionyſius Halicarnaſſenſis. Primus verò Tarquinius Priſcus, homo Græci, ac Thuſci ingenii, urbem ſimulachris, Græco, ac Thuſco more, inundavit; ut eſt apud Tertullianum.

Nec cum primò recepta ſunt Deorum ſigna à Græcis, formâ fuere humana, ſed columnæ, vel pyramidis. Quod indicat Phoronidos ſcriptor verſibus iſtis de Callithoë, primâ Junonis ſacerdote apud Argivos;

Καλλιθόη κλειδοῦχ@ Ὀλυμπιάδ@ βασιλείης,
Ἥρης Ἀργείης, ἣ στέμμασι κὶ θυσάνοισι
Πρώτη ἐκόσμησεν περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης.

Callithoe clavem reginæ geſtat Olympi,
A qua Junonis, ſerto, pulchraque corollâ,
Argivæ quondam primùm exornata columna eſt.

Citat Clemens in primo Στρωματέων. Cum κλειδοῦχον ait, ædituum ac ſacerdotem ſignat. Huic enim clavis templi commiſſa, quod ἔτυμον κλειδοῦχε indicat. Addit, πρώτη ἐκόσμησεν, *prima exornavit vittis Junonem Argivam*, idque περὶ κίονα μακρὸν ἀνάσσης, *circa columnam Deæ.* Nam, ut dixi, tum columnæ acuminatæ, ſeu pyramidis figurâ, Diis ſtatutæ: quod de Apollinis & Dianæ ſtatuit Scaligero monitum, ad Euſebii annum CCCLXXVII. Eſt & Tertulliani adverſus Gentes: *Quanto diſtinguitur, à crucis ſtipite Pallas Attica, vel ceres farrea, quæ ſine effigie rudi palo, & informi ligno præſtat.* Item Arnobii eſt lib. VI: *Lignum* (coluiſſe) *Carios pro Diana indolatum, pro Marte Romanos haſtam, Varronis ut indicant Muſæ: atque ut Æthlius memorat, ante uſum diſciplinamque fictorum pluteum Samios pro Junone.* Nam *Aethlius* pro *Æthedius*, & *pluteus* pro *puteus* legi oportere, rectè Theodorus Canterus ex Clemente obſervat lib. II Var. Lect. cap. XXV. Ac ne Eccleſiaſticos ſolùm adferam ſcriptores, Lucani eſt lib. III:

—— Simulacraque mæſta Deorum
Arte carent, cæſiſque exſtant informia monſtris.

Atque apud Athenæum in XIV eſt ex Semi lib. V Deliados, de lignea ac deformi adeo Latonæ apud Delios imagine, ut Parmeniſcus Metapontius riſum tenere non potuerit: qui nunquam antea riſerat ex quo exiſſet è Trophonii antro.

Haſtæ quoque, ut imperatoriæ virtutis ſymbolum fuere, ita & divinæ. De imperatoria virtute cauſſam videmus ex illo Euripidis Hecuba: Λαὸν δ᾽ ἔθυνον δόρυ *a.* Nempe haſta pro ſceptro: unde Homerus vocat σκηπτοῦχους βασιλῆας *b.* Et Juſtini eſt lib. XXIII de Hierone: *Adoleſcenti quoque prima bella ineunti, aquila in clypeo, noctua in haſta conſedit. Quod oſtentum, & conſilio cautum, & manu promtum, regem quoque futurum ſignificabat.* Notum etiam Romulum cum haſta effingi ſolere, Dii ſimiliter cum haſta. Et hoc, & prius iſtoc, clarè ait M. Junianus Juſtinus in Trogi Pompeji Philippicæ hiſtoricæ compendio lib. XLIII. Ubi de regno agens Amulii, ac Numitoris, Albanorum regum, hunc in modum ſcribit: *Per ea adhuc tempora reges haſtas pro diademate habebant, quas Græci ſceptra dixere. Nam & ab origine rerum, pro Diis immortalibus veteres, haſtas coluere: ob cujus religionis memoriam, adhuc Deorum ſimulachris haſtæ adduntur.* Mallem dixiſſet, pro ſymbolo Deorum, vel regum, haſtas eſſe cultas. Sed quia in haſta colerent haſtigerum, ac divinum ei cultum præberent, fas dicere putavit, haſtam eos pro Deo coluiſſe. Ita homines à Cæneo compulſi jurare per haſtam. Apollonii ſcholiaſtes in I Ἀργοναυτ. *c.*

Οὗτ@ ἐκέλευε τοὺς παριόντας ὀμνύναι τὸ δόρυ αὐτοῦ. ἔνθα ἡ παροιμία, τὸ Καινέως δόρυ. *Hic juſſit, prætereuntes jurarent per ſtatuam ſuam. unde proverbium Cænei haſta.* Euſtathius in Il. A *d:* Λέγεται ἢ ὑπερφρονῆσαι. Ἀκόντιον, γάρ φασιν ἐν ἀγορᾷ μέσῃ πήξας εἰς ὀρθὸν, θεὸν τοῦτο προσέταξεν ἀριθμεῖν. *Dicitur & animo fuiſſe elato. Haſtam quippe ajunt in medio erexiſſe foro, ac ſtatuiſſe, ut eam Diis annumerarent.* Cenſeo ego Cænea voluiſſe jurari per haſtam ſuam, tanquam per ſymbolum imperii & potentiæ bellicæ. Quomodo per ſceptrum jurati videmus apud Homerum Iliad. A. Atque idem liquet ex Plutarcho in vita Dionyſii. Quod verò Euſtathius ait, voluiſſe, ut haſta ſua Diis accenſeretur: id non tam ex mente Cænei dictum puto, quàm eorum eſſe interpretamentum quibus tale juramentum meritò diſpliceret. Aliter ſi fuerit referre oporteat ad miram amentiam Cænei: qualis & illa Parthenopæi apud Æſchylum in Septem ad Thebas *e.* Verba poëtæ ſunt:

Ὄμνυσι δ᾽ αἰχμὴν, ἣν ἔχει, μᾶλλον θεοῦ
Σέβειν πεποιθὼς, ὀμμάτων δ᾽ ὑπέρτερον.

Mentem ſic expreſſeris:

Jurat per haſtam, quam tenuit, ac plus Deo
Colebat, uni huic ſiſus, oculis plus amans.

Non tantam puto vecordiam Turno tribuit Maro in XII, quamquam & ille haſtam non affatur modò, ſed etiam invocat: ſic enim ſcribit:

Exin quæ in mediis ingenti adnixa columnæ
Ædibus adſtabat, validam vi corripit haſtam,
Actoris Aurunci ſpolium, quaſſatque trementem
Vociferans: Nunc ò nunquam fruſtrata vocatus
Haſta meos, nunc tempus adeſt: te maximus Actor,
Te Turni nunc dextra gerit: da ſternere corpus,
Loricamque manu valida lacerare revolſam
Semiviri Phrygis, & fœdare in pulvere crines.

Cujuſmodi etiam per προσωποποιΐαν *a* excuſari poſſunt. Quicquid de iſto eſt, primitus haſtæ nonniſi ſymbolicus cultus fuit. Nec per eam, niſi tanquam ſymbolum imperii ac potentiæ juratum apud Homerum: vel etiam Valerium Flaccum in tertio Argonauticôn *b.* Verba ſunt:

Hanc ego magnanimi ſpolium Didymaonis olim,
Quæ neque jam frondes virides, neque proferet umbras,
Ut ſemel eſt avulſa jugis, ac matre peremtâ
Fida miniſteria, & duras obit horrida pugnas
Teſtor.

Nec Chæronenſes aliter, quàm ut ſymbolum Dei, veneratos cenſeo ſceptrum illud quod à Vulcano fuiſſe Jovi fabricatum cecinit Homerus, à Jove autem Mercurio datum, ab hoc Pelopi, ab illo Atreo, ab eo Thyeſti, à Thyeſte Agamemnoni. Hoc ſceptrum, ut ait Pauſanias in Bœoticis, venerabantur Chæronenſes, δόρυ ὀνομάζοντες, *haſtam nominantes.* Atque addit, Καὶ εἶναι μέν τι θειότερον, οὐχ᾽ ἥκιστα δηλοῖ τὸ ἐς τοὺς ἀνθρώπους ἐπιφανὲς ἐξ αὐτοῦ. *Ac ei divinitatis quiddam ineſſe, non minimo argumento eſt, quod per illam videant homines.* Non Deum ait, ſed quiddam ei ineſſe divini. Quomodo nempe Romani divini aliquid ineſſe credebant ancili διοπετεῖ *c*, quod Salii, Martis Gradivi ſacerdotes geſtabant. Nempe ut haſta erat potentiæ & imperii ſignum: ita ſcutum iſtoc, quod ancile dictum, quia utrinque reciſum, ſymbolum erat protectionis divinæ. Scuto enim corpus noſtrum protegimus, ut haſtâ, & gladio hoſtem impetimus.

Cap. VI.

De formis Deorum humana figura expreſſis: & quæ ad hunc colendi ritum impulerint: hiſque introductis, quanto anguſtior ſtultiorque opinio de Diis invaſerit mentes humanas. Quæ interim foverint atque auxerint opinionem de divinitate ejuſmodi ſignorum.

AC talia primò fuere Deorum ſigna. Poſtea verò humanâ ſimilitudine exprimi cœpere. Quo verò ad eam figuram fuerint impulſi: docet his verbis Varro in XVI rerum Divinarum: prout ea adducit B. Auguſtinus lib. VII de Civit. Dei, cap. V: *Antiquos*, ait, *ſimulachra Deorum, & inſignia ornatuſque confinxiſſe. Quæ cùm oculis animadvertiſſent hi, qui adiſſent doctrina myſteria, poſſent animam Mundi, ac partes ejus, id eſt, Deos veros, animo videre: quorum qui ſimulachra ſpecie hominis fecerunt, hoc videri ſecutos, quòd mortalium animus, qui eſt in corpore humano, ſimillimus eſt immortalis animi: tanquam ſi vaſa ponerentur cauſſâ notandorum Deorum, & in Liberi æde œnophorum ſiſteretur, quod ſignificaret vinum, per id quod continet, id quod continetur: ita per ſimulachrum, quod formam haberet humanam, ſignificari Animam rationalem, eò quòd velut vaſe natura iſta ſoleat contineri, cujus naturæ Deum volunt eſſe, vel Deos.* Atque hanc rationem colendi Deos valde probat ac tuetur Maximus Tyrius ora-

a Populum namque haſta gubernat.
b Sceptriferos Reges.
c Adverſus 58. vocem Καινεΐδης.
d P. 101. edit. Rom.
e Verſ. 483.
a Perſonificationem.
b Verſ. 707.
c Cœlo lapſo.

oratione ea, qua diſquirit, utrum ſtatuæ ſint ponendæ Diis. Agnoſcit quidem iis, qui tanta ſunt ingenii acie, eaque memoria, ut rectà poſſint adſcendere ad cælum, atque ibi Deum animo concipere, fortaſſis non fore ſtatuis opus: ſed enim talem è tota gente haut facilè unum reperiri: eoque ſubſidio eſſe opus ſymbolorum Dei: ex cunctis verò ſymbolis non eſſe accommodatiora illis, quæ formam referunt humanam: nec enim veriſimile eſſe Deos, cùm homini animam dederint ad divinitatis naturam proximè accedentem, eam voluiſſe includere formæ corporeæ rerum aliarum formis deteriori: quod ſi præſtabilior ſit corporis humani forma, non aliâ meliùs Deos repræſentari: atque hæc etiam firmat comparando Græcorum de Deorum Symbolis opinionem cum barbarorum ſententia: ut illa Perſarum, quibus pro Dei ſigno eſt ignis, elementum vorax, ac ipſas Deorum ſtatuas abſumens: cui tamen alimentum præbentes, dicant, *Comede, ô domine*: quæ verba magis conveniunt cultui proprio, quam ſymbolico: Item illa Ægyptiorum crocodili: quæ animalia ſunt mortalia, inque terram, & pulverem commutantur. Adhæc illa Indorum, quibus Dei ſymbolum eſt draco, quinque adæquans jugera, muris altis circumſeptus, ac tyranni inſtar boves & oves Indorum abſumens. Aut occidentalium Afrorum, quibus Dei ſignum eſt mons Atlas, per quem etiam jurant, hunc pro ſtatua habentes. Aut Celtarum, quibus quercus eſt Jovis ſymbolum. Aut Pæonum, quibus pro Solis ſimulachro eſt brevis diſcus longiſſimæ perticæ adfixus. Aut Arabum, quibus colitur pro ſymbolo Dei, lapis quadrangularis. Aut Paphiorum, quibus Veneris ſignum eſt non abſimile albæ pyramidi. Aut Lyciorum, pro Dei ſimulachro colentium ignem, quem Chimæra mons evomit. Aut Phrygum, Celænas accolentium, qui duobus fluviis, Mæandro, & Marſyæ, ſacra faciunt, femoraque victimarum in eorum fontes conjectant, adſcripto nomine fluvii, cui bona fide illa deferuntur, cùm mactata Mæandro nunquam petant Marſyam, nec oblata Marſyæ ſe ad Mæandrum recipiant. Aut Cappadocum, quibus mons & Deus, & ejus ſtatua eſt. Aut Maſſagetarum, & Tanaitarum, quibus pro numine vel ſymbolo eſt palus Mæotica. Atque ex nationibus his colligere etiam jubet de gentium aliis: quando nulla eſt in orbe, quæ non ſoleat καθιστάναι σύμβολα ἄττα τῆς τῶν θεῶν τιμῆς· *conſecrare aliqua divini honoris ſigna*. Sed ait in tam variantibus ſententiis præſtare illam Græcorum, qui formam prætulere humanam. Solum jubet diſtinguere ſymbolum à re ſignata. Nam, inquit, ὁ θεὸς ὁ τῶν ὄντων πατὴρ καὶ δημιουργὸς, ὁ πρεσβύτερος μὲν ἡλίου, πρεσβύτερος δὲ οὐρανοῦ, κρείττων δὲ χρόνου καὶ αἰῶνος, καὶ πάσης ῥεούσης φύσεως, ἀνώνυμος νομοθέτης, καὶ ἄρρητος φωνῇ καὶ ἀόρατος ὀφθαλμοῖς· *Deus omnium, quæ ſunt, pater, ac conditor, ſole antiquior, antiquior cælo, tempore & ævo major, & quavis re mutabili in natura, legiſlator ſine nomine, quem vox nulla exprimere valet, nec oculi conſpicere*. Hinc de neceſſitate ſymbolorum ſubjungit: Οὐκ ἔχοντες δὲ αὐτοῦ λαβεῖν τὴν οὐσίαν ἐπερειδόμεθα φωναῖς καὶ ὀνόμασι, καὶ ζώοις, καὶ τύποις χρυσοῦ, καὶ ἐλέφαντος, καὶ ἀργύρου, καὶ φυτοῖς, καὶ ποταμοῖς, καὶ κορυφαῖς, καὶ νάμασιν, ἐπιθυμοῦντες αὐτοῦ τῆς νοήσεως. *Cùm verò ejus eſſentia noſtros ſenſus excedat, petamus ſubſidium à verbis, à nominibus, & animalibus, ab auri, eboris, argentique figuris, à plantis, ac fluviis, à montium jugis, & aquarum ſcatebris: ut per hæc ad intelligentiam numinis pertingamus*. Sic poſcere ait rationem infirmitatis noſtræ. Unde concludit, ſive præſtet in ſymbolis ars Phidiaca, ſive cultus Ægyptius, vel ille ignis, fluvii, vel alius, animum ſemper ſibi debere Deum proponere, curandumque ut Deum colamus, amemus, & illius ſemper conſervemus memoriam. Hæc fuſiùs volui annotare, ut videamus, quomodo Platonicus hic philoſophus non modò ſtatuas, ab hominibus elaboratas, à Deorum οὐσίᾳ a diſtinxerit: ſed nec quicquam, quod oculis videre liceat pro numine habuerit: ſed ſolùm univerſi parentem ac conditorem. Ac vellem

a *Eſſentia*.

hîc ſtitiſſet; nunc addit, rectè etiam coli in igne, flumine, monte, & ſimilibus; ſed optimè omnium in ſtatuis, quæ referunt formam humanam, formarum omnium præſtantiſſimam. Quam ſententiam pleniùs deinceps explicabo, atque excutiam.

Primitus, ut homines, ſic Deos expreſſere forma admodum rudi: nempe pedibus junctis, manibus lateri adhærentibus. Atque id uſque ad Dædalum ſtatuarium fuit. Is primus ſic ſtatuas fecit, ut non eâdem lineâ eſſent pedes, ſed alter ſe promoveret; ut progredientis indicium foret; quomodo viventes & in actum conſtitutos repræſentabat. Vide Zenobium, Suidam, Tzetzem in verſibus politicis. Acceſſit quod ab Dædalo etiam facta αὐτοκίνητα a. Quod Scaligero ad Euſeb. num. ℩ↄ cccxxxvii eſt monſtratum verſibus Euripidis, Cratini, ac præcipuè illis Platonis Comici:

a *Suapte vi ſe moventia*.

> A. Οὗτος τίς εἶ; λέγε ταχὺ τί σιγᾷς; οὐκ ἐρεῖς;
> B. Ἑρμῆς ἔγωγε Δαιδάλου φωνὴν ἔχων
> Ξύλινος βαδίζων αὐτομάτως ἐλήλυθα.

Quæ Latinis ſic numeris H. Grotius reddebat:

> A. *Heus, quis tu? actutum fare quid verò taces?*
> *M. Mercurius ego ſum, vocem à Dædalo obtinens,*
> *De ligno factus, ſponte qui adveni meâ.*

Tale erat ingens Bacchi ſimulachrum apud Chios, ut monet Pindari ſcholiaſtes ad Olympion. od. vii. Ac Levi Ben Gerſon in ii Sam. cap. ... verſ. 6, 7. cenſet fuiſſe ejuſmodi ſimulacra Jebuſæis. Ac prædicant tales quoque eſſe ſtatuas Sinenſibus. Quomodo id præſtari ſoleat, docebit Themiſtius paraphraſi in Ariſtotelis lib. i de Anima, cap. xix b; ubi diſſerit, utrum motus ſit de οὐσίᾳ animæ, interque alia refert ex Philippo Comico, ut Dædalus ligneam fabricârit Venerem, quæ ſponte moveretur, atque id fecerit ἐγχέας ἄργυρον χυτὸν· *infuſo argento vivo*.

b *Fol. 68. b. edit. Ald.*

Quanto autem plus artificii ſimulachris acceſſit, tanto etiam magis divinitatis opinio incrementum cepit in rudis populi animis. Utcunque enim ſapientiores ſtatuerent, in terris quidem per ſimulachra ac ſigna repræſentari Deos: ipſos verò habitare in cœlis: unde & οὐρανίους, *cælites*, ac *cælicolas*, appellarent: ex imperito tamen, & incondito vulgo innumero, ſigna Deorum, non ut ſymbola, ſed ut ipſa numina colebant. Quam ſtultitiam ipſe etiam Lucilius riſit vigeſimo ſatyrarum libro: unde hoſce verſus Lactantius citat lib. i, cap. xxii:

> *Terricolas Lamias Fauni quas, Pompiliique*
> *Inſtituere Numæ, tremit has, hic omnia ponit.*
> *Ut pueri infantes credunt ſigna omnia, ahena*
> *Vivere, & eſſe homines: ſic iſtice omnia ficta,*
> *Vera putant, credunt ſignis cor ineſſe in ahenis.*
> *Pergula pictorum, veri nihil, omnia falſa.*

Quibus verſibus citatis hæc continuò ſubjicit Lactantius: *Poëta quidem ſtultos homines infantibus comparavit. At ego multo imprudentiores eſſe dico. Illi enim ſimulachra homines putant eſſe, hi Deos. Illos ætas facit putare, quod non eſt; hos ſtultitia. Illi utique brevi deſinunt falli: horum vanitas & durat, & ſemper creſcit.* Cauſſas verò, ob quas gentiles in tam ſtultam prolapſæ ſint opinionem, exponit nobis B. Auguſtinus in Pſal. cxiii: *Specie membrorum, quam naturaliter in animantibus viventem videre, atque in nobis ipſis ſentire conſuevimus: quamquam ut illi aſſerunt in ſigna aliquo fabrefacto atque eminenti collocato ſuggeſtu, cum adorari atque honorari à multitudine cœperit, parit in unoquoque ſordidiſſimi erroris affectum, ut quoniam, in illo figmento non invenit vitalem motum, credat numen occultum: effigiem tamen viventi corpori ſimilem, ſeductus forma, & commotus autoritate quaſi ſapientium inſtitutorum obſequentiumque turbarum ſine vivo aliquo habitatore eſſe non putat.* Idem aliquanto poſt: *Quis autem adorat vel orat intuens ſimulachrum, qui non ſic afficitur ut ab eo ſe exaudiri putet, ac ab eo ſibi præſtari, quod deſiderat, ſperet? Itaque homines talibus ſuperſtitionibus obligati, plerumque ad ipſum ſolem deorſum ponentes preces fundunt ſtatuæ quam ſolem vocant: & cum ſonitum*

 maris

maris à tergo feriuntur, Neptuni ſtatuam, quam pro ipſo mari colunt, quaſi ſentientem gemitibus feriunt. Hoc enim facit, & quodammodo extorquet, illa figura membrorum, ut animus vivens in ſenſibus corporis magis arbitretur ſentire corpus, quod ſuo corpori ſimillimum videt, quam rotundum ſolem, undaſque diffuſas, & quicquid eiſdem lineamentis formatum conſpicit, quibus illa formata ſunt, quæ viventia videre conſuevit.

Videmus ex iſtis, Auguſtinum geminam ſtatuere cauſſam tam ſpiſſi gentilium erroris. Una eſt membrorum ſimilitudo: quæ tanto amplius in animis poterat ſimpliciorum, quanto magis eximia ſpecie ſui, majeſtatis cæleſtis decus implere videretur. Cernebant quidem non ineſſe in ſtatuis vitalem motum, ſed, ut Auguſtinum jam dicentem audiimus, nihilominus ineſſe credebant numen occultum. Quod facilè ſibi perſuadebant non ſimplices prorſus, attamen magis devoti quam prudentes. Etſi enim ſimulachra illa ſculperentur ac fingerentur à fabris: ſic tamen credebant, poſtquam ſacerdos ſollemnibus precibus ac ſacrificiis ſimulachrum Deo deæve conſecrâſſet: numen ſimulachrum ſuum reſpicere, & occulta quadam virtute animare, ita ut quodammodo in ſimulachro præſens foret; ſi non mente ipſa, quæ cælum incoleret, ſaltem affectu, & effectu, quia cultores ſimulachri amaret, & exaudiret. Ipſa etiam ſimulachra ſic eſſe Diis curæ credebant, ac cordi: ut quandoque eorum cauſſa, ſi opus putarent, cælo deſcenderent, ſuiſque ea humeris efferrent locis, ubi ab incendio, vel aliter, periclitarentur. Quod indicat ſcholiaſtes Æſchyli, cum ait: Εἴρηται δὲ καὶ ἐν Ξοανηφόροις Σοφοκλέους, ὡς οἱ Θεοὶ, ἀπὸ τῆς Ἰλίου φέρουσιν ἐπὶ τῶν ὤμων τὰ ἑαυτῶν ξόανα εἰδότες ὅτι ἁλίσκεται. *Dicitur quoque in Simulacriferis Sophoclis, Deos ab Ilio extuliſſe humeris ſuis propria ſimulachra, gnaros excidium ejus inſtare.* Quo ex loco obiter cognoſcimus, etiam Sophoclem ſcripſiſſe Ξοανοφόρους a: de quo ſilentium eſt viris eruditis, qui deperditarum Sophoclis tragœdiarum nomina collegerunt.

a *Simulacrifera.*

Imò ſtultior etiam quoſdam invaſit opinio ſic amare ſui cultum. Deos, ut, conſecrato ſimulachro, in illud ſe inſinuent, ac ſignum fiat numinis corpus, vel ſaltem hoſpitium, quale divina mens neutiquam aſpernetur, tum quia ſui eſt cultus amantiſſima, tum quia ſic propiùs ſuccurrere poſſit rebus humanis. Deinceps igitur ſignum illud, humanâ licet manu fabrefactum, non ulteriùs ſpectabant, ut opus hominis; ſed ut receptaculum cæleſtis ſpiritus, qui illud pro habitaculo elegiſſet.

Vidimus, quantum valuerit in rudibus animis forma ſigni humana, præſertim ubi acceſſerat magni artificis manus, ſic ut vivere membra omnia viderentur. Quæ Auguſtino erat prior erroris cauſſa. Alteram deinde cauſſam idem addit: quòd videlicet populus cerneret, orbe penè toto ſapientes ſe coram ſimulachris proſternere, eaque adorare, ac multimodis devotionem hanc teſtari. Uti quando cum gemitu ac ſuſpiriis, ab imo pectore ductis, preces ſuas ad ſimulachra funditarent: etiam, quæ peterent, tabellis inſcriberent, ac ſimulachri genibus appenderent, partim, ut ſic faciliùs miſericordiam moverent, genua enim dicata miſericordiæ: partim, credo, ut appenſa tabella numini memoriam precum conſervarent. Reſpexit hanc conſuetudinem Juvenalis:

Propter quæ fas eſt genua incerare Deorum.

Et Appulejus: *Votum in alicujus ſtatuæ femore aſſignaſti. igitur magus es. aut cur obſignaſti?*

Simul manum dextram Divûm qui eos ſalutarent, attingebant. Lucretius lib. I:

Sic exponit Caſ. Bu'ling. de Pict. p. 82.

—— Tum portas propter ahenas
Signa manus dextras oſtendunt attenuari
Sæpe ſalutantum tactu, præterque meantum.

Simulachra verò Deorum effingebantur cum manibus ſupinis. Ariſtophanis ſcholiaſtes: Τὰ ἀγάλματα τῶν Θεῶν ὑπτίας τὰς χεῖρας ἔχουσι. *Simulachra Deorum manus habent ſupinas.* Puto ad ſignificandum Deos iis, à quibus ſeriò colerentur, paratos eſſe dare, quod poſcerentur. Sed more ſuo aliovorſum id rapuit Ariſtophanes, cùm in Ἐκκλησιαζούσαις ſcribit:

Ἕστηκε ἐκτείνοντα τὴν χεῖρ' ὑπτίαν,
Οὐχ ὥς τι δώσοντ', ἀλλ' ὅπως τι λήψεται.
Conſiſtit extendens manum ſupinam,
Non ut daturus, ſed ut accepturus.

Collocabant ſimulachra Deorum in pulvinaribus. Catullus:

Pulvinar verò Divæ geniale locatur
Ædibus in mediis.

Ac crebro apud Livium legas, de ſupplicatione ad omnia Deorum pulvinaria. Eſt quoque Arnobii: *Quirinum eſſe Martium dicitis, & Sacerdotibus, & pulvinaribus, honoratis.*

Etiam ſimulacra faſciolâ cingebant. Prudentius:

—— Et lapis illic
Si ſtetit antiquus, quem cingere ſueverat error
Faſciolis, vel gallinæ pulmone rogare.

Uniones auribus Divarum appendebant. De quo Macrobius lib. III Saturn. cap. XVII, ubi de Cleopatræ unione, qui in duos diſſectus Veneriſque ſimulachro in Pantheo appenſus. Etiam Alexander Severus margaritas à legato uxori ſuæ donatas auribus Veneris dicavit, ut narrat Lampridius.

Etiam de arboribus, ac ſtipitibus effigies Deorum ſuſpendebant ruri, ut ruſticis eſſent venerationi. Hinc in vita S. Walerici Abbatis: *Ad ripam autem fluminis truncus erat grandis, in quo diverſæ cernebantur imagines, terræ validiſſimè infixus, eumque ruſtici ſuperſtitione gentili impensè venerabantur. Ubi id conſpexit vir ſanctus, mox incenſus zelo Dei dixit ad puerum ſuum: Fili mi, impelle hunc truncum in ruinam, &c.*

Nec ſolùm vulgares animæ ſed etiam viri graviſſimi, minutas numinum effigies circumferebant, ut Deos ipſos haberent propitios. Sic ut Ammianus Marcellinus ſcribit lib. XXII, *Aſclepiades philoſophus,* (Juliani Cæſaris is amicus erat) *Deæ Cæleſtis* (de qua lib. II abunde diximus) *argenteum breve figmentum, quocunque ibat ſecum ſolitus afferre.*

Hoc quoque argumentum honoris, quòd in digitis Deorum geſtarent effigiem. Plinius lib. XXXIII, cap. III: *Jam vero etiam Harpocratem, ſtatuaſque Ægyptiorum numinum in digitis viri quoque portare incipiunt.*

Etiam Deorum imagines inurebant corpori ſuo, quod à Joachimo rege factum fuiſſe, colligunt ex II Paralipom. cap. XXXVI: ubi ſic Nicolaus Lyranus: *Reliqua verborum, id eſt, ſtigmata, & figuræ, quas fecerat in corpore ſuo in honorem idolorum, & quæ inventa in cadavere ejus projecto.* Etiam Toſtatus in IV Reg. cap. XXV, quæſt. XXXIX inquit: *Inventa ſunt in corpore ejus figura literarum nominis idoli, ſeu, quod vocabatur Chodonata.*

Illud etiam, quanto in pretio effigies Deorum fuerint, oſtendit, quòd imperatores eas donarent illis, quos honoratum ire vellent. Unde in Actis S. Gordiani: *Sanctus Januarius Presbyter reſpondit: Etiam atque etiam videte, num toto corde credatis. Scio enim vos ab Imperatore haberi in honore. Reſpondit Marina: Unam Jovis effigiem habemus reconditam, ab Imperatore nobis datam: propter quam Sancti cruciabantur. De ea verò quid faciemus? Neque enim id te dominum meum celatum volui, ut mereamur adipiſci coronam vitæ, ubi à nobis conflata fuerit. Eâdem horâ abduxit Marina S. Januarium presbyterum in cubiculum ſuum, & oſtendit ei Jovis ſimulachrum æreum, ſed inauratum, & tripodem æreum. Sanctus autem Januarius presbyter ſimulachrum cum ara accenſa igne conflavit, projecit in cloacam.*

Sed imprimis magnam ſimulachris auctoritatem conciliabat, quod non tantum Deorum nominibus vocarentur: ſed ita ubique eſſet, perſuaſum, ea dare reſponſa, & oracula funditare; miracula etiam patrare, quæ non vulgo modò ferrentur, ſed etiam proderentur ſapien-

pientum monumentis. Atqui plurimùm hæc erant à fraude ſacerdotum, ac virorum principum, qui eos aurô corruperant. Notum de Piſiſtrato tyranno qui civitate ejectus Phyam, ingentis ſtaturæ mulierem ita ornavit, ut Palladis figuram referret; hanc deinde currui impoſuit, ut ea edicendum curaret præconibus, velle Divam ut Piſiſtratus in urbem, atque adeò arcem reſtitueretur. Ita ſimplici popello os ſublitum eſt. Notum pariter de Demoſthene conquerente, Pythiam φιλιππίζειν a. Illuſtre etiam exemplum in Lyſandro eo, qui Athenas cepit. De hoc ſic in vita ejus Cornelius Nepos: *Itaque decemviralem ſuam poteſtatem ſui ab illo conſtitutam ſuſtulerunt. Quo dolore incenſus, iniit conſilia reges Lacedæmoniorum tollere. Sed ſentiebat id ſe ſine ope Deorum facere non poſſe, quòd Lacedæmonii omnia ad oracula referre conſueverant. Primùm Delphos corrumpere eſt conatus. Cùm id non potuiſſet, Dodonam adortus eſt. Hinc quoque repulſus, dixit, ſe vota ſuſcepiſſe, quæ Jovi Ammoni ſolveret, exiſtimans, ſe Afros faciliùs corrupturum. Hac ſpe cum profectus eſſet in Africam, multum eum antiſtites Jovis fefellerunt. Nam non ſolùm corrumpi non potuerunt, ſed etiam legatos Lacedæmona miſerunt, qui Lyſandrum accuſarent, quod ſacerdotes fani corrumpere conatus eſſet. Accuſatus hoc crimine, judicumque abſolutus ſententiis, Orchomeniis miſſus ſubſidio, occiſus eſt à Thebanis apud Haliartum. Quàm verè de eo foret judicatum, oratio indicio fuit, quæ poſt mortem in domo ejus reperta eſt; in qua ſuadet Lacedæmoniis, ut regiâ poteſtate diſſolutâ, ex omnibus dux deligatur ad bellum gerendum; ſed ita ſcripta, ut Deorum videretur congruere ſententiæ; quam ille ſe habiturum, pecuniâ fidens, non dubitabat. Hanc ei ſcripſiſſe Cleon Halicarnaſſeus dicitur.*

a *Philippi partes tenere.*

Dixerit aliquis, non videri omnia oracula fuiſſe à fraude humana. Nam ſubinde etiam iis prædicta eſſe, quæ neutiquam acie ingenii humani poſſent prævideri. Equidem non diffiteor. Sed hoc ſi fiat dæmones, ut Minutius in Octavio inquit, *ſub ſtatuis, & imaginibus conſecratis deliteſcunt, & afflatu ſuo auctoritatem quaſi præſentis numinis conſequuntur.* Pluraque de hoc diximus lib. I, cap. VI.

Hujuſmodi igitur fuere, quæ ſummam ſimulachris auctoritatem adferrent. Et quid mirum, ſi ſtultè adeò ſaperent gentiles, quando mentibus etiam Chriſtianis, ſed imperitioris vulgi, ſimilis potuit error irrepere de ſanctorum ſignis. Unde ita Polydorus Virgilius lib. VI de inventione rerum, cap. XIII: *Sunt enim bene multi rudiores ſtupidioreſque, qui ſaxeas vel ligneas, marmoreas, æneas, ſeu in parietibus pictas vaniſque coloribus litas imagines colant, non ut ſigna, ſed proinde quaſi ipſæ ſenſum aliquem habeant, & iis magis fidant quam Chriſto, vel aliis divis, quibus dicatæ ſint.* Quæ Polydori verba deleri jubent Cenſores Belgici in Indice Expurgatorio. Valdeque veriſimile eſt, non paucos ita animatos fuiſſe ex iis, de quibus ſic Æn. Sylvius ſive Pius Pontifex ſcribit lib. II, … *In Eccleſiâ S. Mariæ Prunetuna, agri Florentini, Virginis eſſe imaginem, quam mirâ religione populi venerantur tanquam pluviæ ſerenitatiſque donatricem, cum neceſſitas ingruit.*

Sic igitur de ſimulachris gentium ſtatuimus, ea bifariam culta eſſe: vel enim ipſa credebantur aliquid habere divinitatis: vel tantum pro ſymbolis numinis habebantur. Priorem ſententiam Hermeti tribuit B. Auguſtinus in VIII de Civitate Dei. Eum enim putâſſe arte quadam fieri, ut dæmones ſe inſinuent in idola, & effectus cieant. Quomodo idola ſint compoſitum quiddam ex ſpiritu & corporea imagine. Altera opinio eſt triplex. Aliqui enim per imagines colebant animas defunctorum. Aliqui mundum, quem credebant conſtare anima, & corporea compage. Alii, ut Platonici, partim Deum ſummum, partim ſpiritus ab eo creatos, qui participativè Dii ſint, & à nobis angeli dicuntur; partim animas cæleſtium corporum, & ſub his dæmones, ut animalia aëria, partim animas hominum, qui in deorum vel dæmonum ſocietatem aſſumti. Quomodo hæc etiam declarat Thomas in ſecunda ſecundæ quæſt. XCIV, art. I.

Atque hæc de dignatione atque auctoritate, quam cum alia attulerunt Deorum ſimulachris, tum forma humana, præſertim affabre elaborata.

Præter autem formas ſimplices, de quibus hactenus dictum: etiam ſtatuæ duplices fuerunt. Ut Mercurii cum Pallade; cui iccirco nomen *Hermathena*: item Mercurii cum Hercule, unde nomen *Hermeracles*.

Ecquid etiam de loco addam, ubi ſtatuæ ponerentur. Is vel publicus, vel privatus domi. Publicus primitus in antris: qua de re agit Porphyrius in Antro Nympharum.

CAP. VII.

De ſacrificiorum origine & cauſſa: atque ut victima, pro Diis ipſis variarint. Sus, opinione gentilium prima meruit ſacrificari: atque hunc morem in Creta à Praſiis cæpiſſe. Piſces quandoque fuiſſe ſacrificatos, contrà quàm credidit Plutarchus.

ATque hæc dicta ſunt de ſtatuis ac ſignis. Deinceps ad ſacrificia tranſeamus. Quæ gentiles accepere à populo Dei. Finis erat εὐχαριστία, quod & Euſtathius ſcribit. Quamquam & alius prætereа finis erat. Boves enim, & pecora mactabant ad placandum Deum: unde ejuſmodi ſacrificia dicebantur ἱλαστικά. Quippe loco hominis mortem merentis animal ſacrificabatur: atque ita auferebatur reatus pœnæ temporalis. Erat autem ejus animalis ſacrificium figura ſacrificii Jeſu Chriſti: ut & quod auferretur reatus pœnæ temporalis, id erat typus redemtionis ſpiritualis per & propter Chriſtum. Hanc doctrinam piè accurateque expreſſit æternum Bataviæ, ac ſeculi ſui decus immortale, ὁ μακαρίτης Hugo Grotius, opere illo, quod de Satisfactione Chriſti adverſus Socinum ſcripſit. Abunde etiam eam ſententiam defendimus Reſponſione noſtra adverſus judicium Ravenſpergeri. Hunc ſacrificandi ritum à majoribus acceptum Noachus, per liberos ac nepotes propagavit per omnem poſteritatem: ſed poſtquam ignorantia veri numinis incrementa paſſim cepit, etiam cultus iſte falſis eſt Diis attributus. Imò quemadmodum in veri Dei ſacris diſcrimen magnum erat, quæ & quando quidque ſacrificari oporteret: ita & diſcrimen fecere gentiles, quid cuique Deorum offerretur. Hinc Arnobius lib. VII a. *Quæ eſt cauſſa, ut ille tauris Deus, hædis alius honoretur, aut ovibus: hic lactentibus porculis, alter intonſis agnis; hic virginibus bubulis* b, *capris ille cornutis; hic ſterilibus vaccis, at ille ingentibus ſcrophis; hic albentibus, ille atris; alter feminei generis, alter verò animantibus maſculinis.* Et poſt aliqua c: *Caprum patri ſolemne eſt Libero, Mercurioque mactari: bos ſi ſterilis ſit, Proſerpinæ tribuitis.* Ita nempe, ut ſubjungit: *Animalium facta eſt inter Deos diviſio.* Nec nulla horum ratio à gentilibus adferebatur. Nam ut idem poſtea ſcribit d: *Quia virgo Tritonia eſt, iccirco ei convenit virgines hoſtias immolari: & quod tellus eſt mater, conſimiliter gravidis accipienda eſt ſcrofis*, Similiaque his alia in Diis prope ſingulis inferiùs adferemus.

a *P. 214. edit. Godſ. Stew.*

b *Godſ. Stewech: legit* vitulis.

c *P. 216.*

d *P. 217.*

Arbitror autem primò agnum mactatum, quia ſacrificia accepta à populo Dei, cui hoc ſacrificium uſurpatiſſimum; utpote ſignum agni illius occiſi ab origine mundi: h. e. Jeſu Chriſti, cujus ſacrificia antiqua fuere ſymbolum ac ſignum: ut opere de Satisfactione Chriſti abunde oſtendimus. Sed ex Græcorum opinione, primò mactata eſt ſus: ut eſt apud Varronem lib. II. de R. R. cap. IV * imò eo ἀπὸ τοῦ θύειν, quod eſt *mactare*, dicta ὗς, putatur, quaſi θῦς: quod legas apud Athenæum in IX, & Clementem Alexandr. lib… Στρώματ. Mos is derivatus dicitur à Præſiis: eſt vero Præſus, Cretenſium urbs. Hic ſus immolabatur ab iis qui ſacris initia-

* *Fœdera, cæſa porcâ: juxta Varronem, Maro 7. Æn. Sueton. in Claudio cap. 25. Feſtus in* Porcus, *Livius lib. I ubi de fœdere inter Tull. Hoſtilium, & Albanos. Eſt & vetus inſcriptio, in cujus ſummo:* I. O. M. (*h. e. Jovi Opt. Max*) *in imo:* P. *Falerius* (*Valerius*) L. F. Coſ. *in medio eſt porcus infulatus, ſacrificio addictus.*

initiarentur: ut eſt apud eumdem Athenæum. Fabulantur autem hujus ritus occaſionem eo datam, quòd ſus ubera præbuerit Jovi, ac grunnitu ſuo fecerit, ne vagitum ejus audiret Saturnus. Quæ abſurda ſunt. At multo eſt veriſimilius, cùm Cretenſes abſtinuerint ab eſu ſuillæ, originem ritus eſſe ex prava imitatione Judæorum. Nam Cretenſes Paleſtinæ aut Phœnicum fuiſſe colonos, omnino credibile eſt.

Quæritur an, ut quadrupedes, & aves quædam adhibitæ ſunt in ſacrificiis: idem quoque obtinuerit in piſcibus. Negat id Plutarchus lib. VII Sympoſ. Ἰχθύων δὲ θύσιμος οὐδείς, οὐδὲ ἱερεύσιμός ἐστιν. *Piſcium nullus immolatur, nec unquam eo ſacra fiunt.* Sed non venit ei in mentem, quomodo Bœoti, (ut apud Athenæum *a* Agatharchides in ſeptimo Europicorum tradit) anguillas Copaidas inuſitatæ magnitudinis hoſtiarum inſtar coronârint, & molâ ſalsâ adſperſas cum precibus immolarint Diis: quod ſiquis accederet peregrinus, ac inopinato ſacrificii genere obſtupefactus quæreret, cur id facerent, non aliud potuerint reſpondere, quàm ſe à majoribus hoc ſacrum accepiſſe, nec decere, ut exteris rationem morum reddant patriorum. De ſacro iſto etiam apud Euſtathium legas in Il. Φ *b*. Apud eumdem Athenæum lib. VIII ex Poſidonio Stoico legas, quomodo Sarpedon, bellum gerens contra Tryphonem ſub aſpiciis non Ptolemæi, ut ex Strabone male intellecto perperam colligebat Dalecampius, ſed Demetrii, non quidem Poliorcetæ, ſed Seleuci filii, qui expeditione occidit contra Parthos, ab eo ad urbem Ptolemaidem ſit victus; victor Trypho iter cum milite ſuo per oram faciens maritimam, fluctibus ſubito immane quantum excreſcentibus fuerit ſuffocatus: tum verò Sarpedon de hoc nuncio lætus, quia cum cadaveribus permulti eſſent ejecti piſces: cadaveribus quidem hoſtium pepercerit, piſcium autem plurimos collegerit, eoſque ante ſuburbium ſacrificarit Ποσειδῶν Τροπαίῳ *c*. Sed dixerit aliquis, & Bœoti hoc ſingulare habuerunt, & Sarpedon nullo fecit exemplo. Hoc nequis exiſtimet, operæ ſit addere, quomodo thunnorum piſcatores votum facere ſoleant Neptuno Ἀλεξικάκῳ ſive Averrunco; nempe ne ξιφίας *d* piſcis accedens rete laceret, vel delphinus thynnis opem ferat. Atque iidem poſt felicem capturam immolabant Neptuno thynnum, qui primus eſſet captus, atque id ſacrificium θύνναια dixere. Proditum id Æliano lib. XV de Animalibus, cap. VI, & Athenæo lib. VII, qui teſtem laudat Antigonum Caryſtium ἐν τῷ περὶ λέξεων *e*. Præterea Theocritus ait plenam piſcium ſagenam extracturum è mari, ſiquis Deæ veſperi ſacrificarit ſacrum piſcem, quem Leucum vocitant. Imò apud Romanos ipſos feſto Piſcatorio, quod menſe Junio erat, pro animis humanis trans Tiberim piſciculi in aream Vulcani conjiciebantur: ut eſt apud Feſtum Pompejum *f*. Et in fulminum expiatione non cæpis modò, & crinibus, ſed etiam mænidum piſce expiatio fiebat; ut teſtis ipſe Plutarchus in vita Numæ Pompilii. Atque idem docent illa Ovidii III Faſt.

a *Lib. 7 in piſcibus ab E incipientibus.*

b P. 1140. edit. Rom.

c *Neptuno Averſori.*

d *Gladius.*

e *In libro de dictione & vocibus.*

f *In Piſcatorii.*

Cæde caput dixit: cui Rex, Parebimus, inquit;
Cædenda eſt hortis eruta cæpa meis.
Addidit hic, Hominis: ſumes, ait ille, capillos.
Poſtulat hic animam. Cui Numa, Piſcis, ait.

CAP. VIII.

De variis ritibus ſacris, præſertim in ſacrificiis: ac ut in ſacrificiis, ita quoque in ritibus ſingula ſuas habere cauſſas: inque iis, morum emendationem: oſtenſum hoc Veſtalium ritu in cuſtodiendo igne apud Romanos: flagellatione puerorum Laconum apud aram Dianæ Orthiæ: in Sicilia, ſacris fratrum Catinenſium.

NEc ſacrificia ſolum pars fuere cultus divini, ſed etiam feſti dies, preces ad deos, nudis ire pedibus, aliaque magno numero.

Nullis verò Græcorum plures dies feſti, quàm Athenienſibus. Unde & Xenophon libro de eorum Rep. Καὶ ἄγουσι μὲν ἑορτὰς διπλασίους, ἢ αἱ ἄλλοι. *Agunt duplo plures feſtos dies, quam alii.* De feſtis Græcorum omnium, nemo accuratius ſcripſit veteri amico ac collegâ Joanne Meurſio in Græcia feriata. Hebræis feſtus dies eſt יום טוב, iom tof, quod eſt, *dies bonus.*

Deum præcantes ſolebant, manus non ante pectus copulare, ſed in cælum attollere. Homerus Odyſſ. I:

Εὔχετο χεῖρ' ὀρέγων εἰς οὐρανὸν ἀστερόεντα *a*.

a *Protendebat manus porrigens ad cælum ſublatam.*

Salluſtius in Catil. *Manus ſupplices ad cælum tendere, miſerari parvos liberos, rogitare Deos.* Livius lib. XXX, cum dixiſſet de Annibalis exceſſu ex Italia: *Quoties in conciliis, voces, manus ad cælum porrigentium auditæ: an unquam ille dies futurus eſſet, quo vacuam hoſtibus Italiam bona pace florentem viſuri eſſent.* Nec manus complicabant, ſed pandebant ſupinas. Unde Virgilius III Æn.

—— Tendoque ſupinas
Ad cælum cum voce manus. ——

Et Æn. IV.

Multa Jovem manibus ſupplex oraſſe ſupinis.

Horat. lib. III, od. XXIII:

Cælo ſupinas ſi tuleris manus.

Atque eadem conſuetudo veteribus Chriſtianis: ut videre eſt ex monumentis Romæ ſubterraneæ.

Nudis pedibus in pleriſque erant ſacris. Ut matronæ adeuntes ædem Veſtæ. Ovid. Faſt. VI:

Huc pede matronam nudo deſcendere vidi.

Florus lib. I, cap. XIII, ubi de bello Gallico: *Virgines ex ſacerdotio Veſtæ nudo pede fugientia ſacra comitantur.* Etiam, ut Tertullianus ait in Apologet. *Cùm ſtupet cælum, & aret annus, nudipedalia denuntiantur.* Populo puta, qui tum Deo ſupplicans pedibus nudis. Sic in aliis etiam ſuperſtitioſis actibus. Plinius lib. XVIII, cap.... *Privatim autem contra erucas ambiri arbores ſingulas, à muliere incitati menſis nudis pedibus recinctâ.* Ubi videmus etiam diſcinctos in ſacris fuiſſe. Quod & in funeribus factum cum cineres & oſſa legerent. Tibullus:

Pars quæ ſola mei ſuperabit corporis oſſa
Incinctæ nigra candida veſte legant.

Suetonius in Auguſto cap. C: *Reliquias legerunt primores equeſtris ordinis tunicati, & diſcincti, pedibuſque nudis.*

Verùm ſi ritus ſingulos percenſere velim, ex ſolo hoc argumento non unum volumen, ſed multa fiant. Quare malo ea peti ex illis, qui de feſtis & cæremoniis gentilium accuratè ſcripſerunt. Suffecerit hoc loco, ſi delibem aliquid de ritibus, quibus in ſacrificiis utebantur Romani. Nec enim aliunde plus lucis accedit ſcriptoribus antiquis. Primùm ſacerdos adducebat victimam ad aram, quam manu tenebat. Inde verbis conceptis hoſtiam ſacrabat numini. Seneca in Thyeſte:

Ipſe eſt ſacerdos, ipſe funeſtâ prece
Letale carmen ore violento canit,
Stat ipſe ad aras, ipſe devotos neci
Contrectat, & componit, & ferro admovet.

Juvenal. ſat. VI:

—— Dictataque verba
Protulit, ut mos eſt, & apertâ polluit agnâ.

Verba ait dictata, quia ſemper erat, qui verba præiret, nequid vel omitteretur, vel præpoſterè diceretur. Imò & alter addebatur, qui ſedulò attenderet: alius item, qui favere linguis juberet.

Tum ſacerdos caput victimæ, ſi Diis ſuperis ſacrificaret, redimire ſolebat albâ vittâ laneâ. His enim conveniens eſt color albus, uti furvus inferis: etiam capiti victimæ imponebat molam ſalſam, addito thure maſculo. Virgil.

Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.

Mola ea ſalſa aqua & *immolatio* dicta eſt, erat far toſtum

toſtum cum ſale: quæ ſymbolum fuere vitæ humanæ. Arnobius lib. VII: *Rebus ex his Deos par eſt honorare cæleſtes, quibus ipſis alimur, ſuſtentamur, & vivimus, & quas nobis victum ſui numinis benignitate tribuere dignati ſunt.*

Exinde ſequebatur libatio, vinique adſperſio. Simpuvio enim vinum infuſum leviter guſtabat ſacerdos: deinde victimam vino adſpergebat. Virgil. IV Æn.

Ipſa tenens pateram dextra pulcherrima Dido
Candentis vaccæ media inter cornua fundit.

Quamquam hic, ut Servius monet, *non eſt ſacrificium, ſed hoſtiæ exploratio, utrum apta ſit.* Idem in VI Æn. de ſacrificio Proſerpinæ:

Quatuor hic primùm nigrantes terga juvencos
Conſtituit, frontique invergit vina ſacerdos.

Seneca in Thyeſte:

Non thura deſunt, non ſacer Bacchi liquor.

Juvenalis Sat. XII:

Quippe ferox vitulus templis ſervatus & aræ,
Spargendusque mero.

Cum adſpergeret vinum ſacerdos, iſtis utebatur verbis: *Mactus hoc vino inferio eſto.* Ubi *vinum inferium*, quod inferretur. Nempe hoc eo ſpectabat, ut liqueret, id vini ſolum ſacrari, non quicquid eſſet in apothecis, ſive cellis vinariis: quemadmodum ex Trebatio I.C. monuit Arnobius. Græci verò etiam oleum infundebant: ut eſt apud ſcholiaſten Ariſtophanis εἰς εἰρήνην.

Hinc ſetæ, ſive pili è capite victimæ reſecabantur, inque ignem conjiciebantur: ut Statii interpres annotavit in quartum Thebaidos. Atque eò attendit Maro VI Æn.

Et ſummas carpens media inter cornua ſetas
Ignibus imponit ſacris libamina primis.

Quam autem vetuſtus is mos ſit, oſtendit, quòd apud Homerum quoque eum legimus, ut obſervat Dionyſius Halic. lib. VII.

Poſtilla demum juſſu ſacerdotis popæ ſive victimarii hoſtiam jugulabant, ſanguinem vaſis excipiebant, pellem tergo detrahebant.

Perpurgatâ hoſtiâ ſacerdos cultro exta ſive viſcera rimabatur. Manu enim contingere erat nefas. Partem verò à viſceribus reſecabat, ac farina involutam, & calatho impoſitam, oſtendebat ſacrificanti: tum foculo in aris accenſo imponebat. Eo, quod numini dicatum fuerat, combuſto, convertebantur ad convivia: Dis laudes canebant: etiam pſallebant, & ducebant choreas. De conviviis iſtis idololatrarum in ſacrificiis etiam legas in Sacris literis Jud. IX, 27; Amoſi II, 8. Eodemque pertinet hoc Oſ. III, 1. *Cùm ipſi reſpiciant ad Deos alienos, & ament lagenas vini.* Item hoc I Corinth. XI, 21: *Non poteſtis poculum Domini bibere, & poculum dæmoniorum.* Sed hæc erant, ſi exta promitterent felicem ſucceſſum: ut victoriam, ac triumphum: quod Græci dicunt καλλιερεῖν, Latini *litare.* Sin perlitatum non eſſet, opus erat hoſtiis ſuccidaneis: de quibus Feſtus.

Omnes verò ritus, quibus in ſacris ſuis utebantur gentiles, ratione aliquâ nitebantur. Qua de re ſic Plutarchus lib. de Iſide, & Oſiride: Οὐδὲν ἄλογον, οὐδὲ μυθῶδες ἐγκατεστοιχειοῦτο ἱερουργίαις, ἀλλὰ τὰ μὲν ἠθικὰς ἔχοντα, καὶ χρειώδεις αἰτίας, τὰ δ' οὐκ ἄμοιρα κομψότητος ἱστορικῆς ἢ φυσικῆς ἐστιν. *Sacris nihil inſertum ratione carens, aut fabuloſum: ſed alia habent morales, & utiles cauſſas: alia hiſtorica, aut è natura petitæ elegantiæ non ſunt expertia.* Ubi, quod antea de ſtatuis, & earum forma diximus, etiam videmus de ſacris ritibus dici, triplicem eorum cauſſam eſſe, unam ἱστορικὴν, ſive veteris narrationis repræſentationem: unde & Arnobius in quincto ait, *rerum ſimulachra geſtarum, ſacrorum in ritibus conſervari*: alteram φυσικὴν, ſive imaginem occultorum naturæ: tertiam ἠθικὴν, ſive imaginem occultorum morum. Idem quoque docet B. Auguſtinus lib. XX contra Fauſtum, cap. IX: *Habent Pagani quædam fabuloſa figmenta, ſed eſſe illas fabulas morum, & vel à poëtis delectandi cauſſa fictas eſſe aſſerunt, vel eas ad naturam rerum, vel mores hominum interpretari conantur.* Ita Romanos in ſacris Veſtalibus attendiſſe τὸ ἠθικὸν, indicat, quod M. Tullius cum in ſecundo de Legg. dixiſſet, VIRGINES VESTALES IN URBE CUSTODIUNTO IGNEM FOCI PUBLICI SEMPITERNUM: Libro tertio hoc ſic exponit: *Cum Veſta quaſi focum Urbis complexa ſit: ei colendæ Virgines præſint, ut advigiletur facilius ad cuſtodiam ignis, & ſentiant mulieres in natura feminarum omnem caſtitatem poni.* Quamquam an eò ſpectarit Numa Pompilius, qui primus Veſtales inſtituit, haut certè dixerim: præſertim quando nec Senatus Romanus ſatis idoneas putavit ſacrorum cauſſas, quas ipſe Numa Pompilius adduxerat libro eo, quem quinque amplius ſeculis poſt Numam reperit L. Pætilius: ut ex Livio, & Valerio cognoſcimus. De quibus libris plura qui volet Plinium legat lib. XIII, cap. XIII. Quæque ex Varrone hauſit Auguſtinus de Civit. Dei lib. VII, cap. XXXIV.

Manifeſtius exemplum eſt, quod Lacedæmone etiam in ſacro διαμαστιγώσεως, ubi ante aram Dianæ Orthiæ adoleſcentes nobiles ſeſe acerrimè flagellabant, ſic ut in aram etiam ſanguis deflueret. Quod factum quidem, ut inſtar ſacrificii foret: ſimul autem, *ut prædurarentur ad patientiam agonici certaminis*: quemadmodum ait Lutatius ad Statii Theb. VIII. Quo de Feſto plura vetus Horatii interpres in lib. I od. VIII ac imprimis Clariſſimus Meurſius lib. II Græciæ Feriatæ.

Nec dubium, quin pietati erga parentes excitandæ, inſtituta fuerint ſacra fratrum Catinenſium: qui cùm Catinam ſe incendium Ætnæ protuliſſet, atque alii efferrent fortunæ bona, alter patrem, matrem alter, extulere. Unde Auſonius in Urbibus celebribus de Catina ait:

Hanc ambuſtorum fratrum pietate celebrem.

Antonius Auguſtinus Antiquitatum in nummis veterum dialogo ſecundo ait, à Catinenſibus quotannis feſto die cultos: atque ejus rei auctorem laudat Pauſaniam in decimo. Ubi de iis legas: Οὗτοι μὲν δὴ τιμὰς καὶ ἐς ἐμὲ ἔτι παρὰ Καταναίων ἔχουσιν. *Hi honores meo etiam tempore apud Catinenſes obtinent.* Nec repugno, quo minùs honorum nomine intellexerit ſollemnes, & certos; qui quotannis habebantur. Meritos quidem illud, etiam Claudianus ait eo carmine, cujus initium:

Aſpice ſudantes venerando pondere fratres,
Divino meritos ſemper honore coli.

Hyginus Fab. CCLIV hanc hiſtoriam tetigit, cum ſcribit, *In Sicilia, cùm Ætna mons primum ardere cœpit, Damon matrem ſuam ex igne rapuit: item Pythia patrem.* Multum interim metuo, ne Siculos hoſce confuderit cum Damone, & Pythia, de quibus Cicero lib. III Off. & Val. Max. lib. IV, cap. VII. Fratres iſtos ſibi Catinenſes vindicabant: ſed habitâſſe quidem Catinæ; at natos Syracuſis, hujus urbis cives dicebant. Juxta illos vocati Anaphius, & Amphinomus: juxta hos, Emathias, & Crito: prout in Solini codd. legitur cap. XI. Sed pro *Anaphius*, Ἀναπίας eſt apud Strabonem in ſexto: *Anapus* apud Valerium Maximum lib. V, cap. IV. Anapis, vel Anapius, apud Claudianum, hoc verſu:

Cur non Amphinoum, cur non tibi, fortis Anapi.

Pro *Ematias* etiam, ſed perperam, *Æmanthiam* vel *Emantiam* legas. Uti & malè pro *Crethonem*, *Critonem.* Græcè enim Ἠματίας & Κρήθων. Meminere hiſtoriæ etiam Ariſtoteles περὶ θαυμασίων ἀκουσμάτων a; atque idem vel potiùs libro de Mundo, Ælianus. *a De admirandis auditu perceptis.*

Cap. IX.

De Symbolis religionis Perſicæ.

Habemus de univerſali Theologia Symbolica; ubi generatim actum de ſignis, ac ritibus ſacris. Nunc pergam ad eam, quæ particulatim diſpicit de hujus vel illius gentis hoc vel illo numine. Ubi primùm exponam illa

illa de Symbolis religionis Perſicæ: quia non alia Orientis natio imperium ſuum latiùs diffudit. Nam quæ de Nini ut Semiramidis, & aliorum Aſſyriæ ac Chaldææ regum imperio per omnem Aſiam à Trogo & aliis tradita ſunt, facilè ex Herodoto, & alii, præcipuè Sacris literis, refelluntur. Deinde de Syrorum atque Ægyptiorum ſacris loquar ſymbolis: quia ab his duabus gentibus propè omnis Græcorum religio proficiſcitur. Exinde agam de Phrygibus, ac Arcadibus, quia ab his eſt Latinum, ac Romanum nomen. Poſt hæc complectar ea, quæ ad Græcorum & Romanorum religionem ſymbolicam pertinent. Deque ſubdam aliqua de gentibus, quæ numquam fuere ſub imperio Romano: ut Germanis, ac Scythis.

Perſæ à Zoroaſtre multò antè Cyri Regis tempora ſic edocti, unum omnis boni fontem agnoverunt: videlicet Oromaſdem: mala verò cuncta putârunt eſſe ab Arimanio: ac Oromaſdem natum ajebant è luce puriſſima: Arimanium autem è tenebroſa caligine: ab Oromaſde eſſe bonos Deos ſtellaſque, eſſeque poſitas in ovo: per quod ovum myſticè ſignificabatur mundus. Diximus de his lib. I hujus operis, cap. v. Itaque & tanta ovi religio olim fuit, ut eo in luſtrando atque expiando uterentur. Unde Ovidius in Arte:

Et veniat, quæ luſtret, anus lectumque locumque
Præferat & tremulâ ſulfur, & ova manu.

Juvenal. Sat. VI:

—— *Niſi ſe centum luſtraverit ovis.*

Et Appulejus lib. XI: *Ibidem ſimulachris ritè diſpoſitis, navem faberrimè factam, picturis miris Ægyptiorum circumſecus variegatam, ſummus Sacerdos tedâ lucidâ, & ovo, & ſulfure, ſolemniſſimas preces, de caſto præfatus ore, quam & puriſſimè purificatam, Deæ nuncupavit dedicavitque.*

Perſis nulla planè fuerunt ſimulachra, vel ſtatuæ Deorum: cujus ratio erat, quod non agnoſcerent Deos animales, hoc eſt, qui ex hominibus poſt mortem in Deorum eſſent numerum relati. Hac de re ſic Herodotus in primo: Ἀγάλματα μὲν καὶ νηοὺς καὶ βωμοὺς οὐκ ἐν νόμῳ ποιευμένους ἱδρύεσθαι, ἀλλὰ καὶ τοῖσι ποιεῦσι μωρίην ἐπιφέρουσι· ὡς μὲν ἐμοὶ δοκέειν, ὅτι οὐκ ἀνθρωποφυέας ἐνόμισαν τοὺς θεοὺς, κατάπερ οἱ Ἕλληνες εἶναι. *Non eſt iis conſuetudo conſtituere ſtatuas; vel templa, vel aras: imo hoc qui faciunt eorum ſtultitiæ attribuunt: atque hoc, ut mihi quidem videtur, quod non exiſtiment uti Græcos, Deos fieri, qui homines fuerint.* Diogenes quoque Laertius præfat. operis ſui tradit, τοὺς μάγους τὰ ξόανα καταγινώσκειν· *magos ſimulachra reprehendere ac damnare.* Clemens interim Alexandrinus, Admonitione ſua ad gentes, tradit, tandem & Perſas ſimulachra colere cœpiſſe, atque ad hunc errorem, teſte Beroſo in tertio Chaldaicorum, primum è Perſis præiſſe Artaxerxem Darii Ochi filium: ut qui primum & Babylone; & Suſis, & Ecbatanis, & in Perſide, & Bactris, & Damaſci, & Sardibus ſimulachrum erexerit τῆς Ἀφροδίτης Ταναΐδος, *Veneris Tanaidos*: ut quidem legitur apud Clementem: pro quo Ναΐτιδος eſt in quibuſdam Strabonis libris; in melioribus verò Ἀναΐτιδος. Et certè Ἀναΐτιν, ſive Ἀναΐτιδα appellant quoque Plutarchus in Laconicis, Pauſanias in Laconicis, & Agathias lib. II. Ut dubium non ſit, quin ex iis Clemens corrigi debeat. De Anaitide hac plura attulimus lib. II hujus operis, cap. XXII.

Ob iſta, quæ diximus, minùs quiſpiam miretur Perſas non ſtatuiſſe Diis ſtatuas: ſed alterum ecce & magis mirandum. Nam quod ſuperius Herodotum dicentem audiimus, ne templa quidem Diis exſtruxerint. Quod & Aſconius Pedianus refert in Verr. II: *Perſæ*, inquit, *more gentis ſuæ nullâ Diis in terris, templa condenda eſſe credebant.* Sed hujus etiam rei cauſſam aperit Tullius, cùm in ſecundo de Legg. eò ait à Perſis incenſa eſſe templa Græcorum, *quod parietibus includerent Deos, quibus omnia deberent eſſe patentia ac libera, quorumque hic mundus omnis templum eſſet & domus.* Et ſimiliter Aſconius in Verrinam II: *Nulla Diis templa condenda eſſe credebant, præſertim cùm uni Soli, quem venerarentur, vix mundus ipſe ſufficeret.*

Cùm verò templa haberent nulla, coluere Deum in antris. Nihil magis adverſum tenebris, quam Sol, qui ſummum iis numen erat. Sed ita judicabant, ad majorem divinæ majeſtatis honorem pertinere: ſi in tenebris conſtituti ne quidem videre auguſtum illud lumen Solis ſuſtinerent. Julius Firmicus lib. V: *Perſæ hunc ſolem Mithram dicunt: ſacra verò ejus in ſpeluncis obeunt, ut ſemper obſcuro tenebrarum ſquallore demerſi, gratiam ſplendidi ac ſereni luminis non videant.* Accipe & alteram cauſſam. Antrum, in quo ſacra facerent, erat ſymbolum mundi, qui per ſe opacus & obſcurus: pro Sole autem iis ignis; qui ſymbolum foret Solis. Auctor Porphyrius commentario de antro Nympharum. Tertia etiam cauſſa adfertur, quia tenebris antri repræſentabantur tenebræ, quæ oboriuntur, quoties Luna interponitur inter Solem, & viſum noſtrum. De hac cauſſa, mox Papinii interpretem audiemus.

Antra pro templis, & varia exempla: Porphyr. de N. A. fol. 25, a. Antiquitus templa ſine ſimulachris: Lucianus de Dea Syria pag. 2. Adi de templis, quæ habent Victor, & Rufus; ex iis, & aliis Merula de XIV Urbis Regionibus p. 963, & deinceps.

Nec quia Perſæ Mithram non effingerent forma humana, eo nullam habuere figuram ſymbolicam. Nam in linteo eum coluere: ut eſt apud Tertullianum in Apologetico. Effingebatur autem vultu leonino cum tiara, nempe quia Mithras eſt Sol, ut fuſè oſtenſum lib. II, cap. IX. At è duodenis Solis ſignis unum, ac præcipuum eſt leo; ſignum calidiſſimum; ut jure ei Leonis nomen datum, cum Leo ſit igneæ naturæ: unde & Vulcano dicatus, ut ex Æliano dicebamus lib. III, cap. LIII. Præterea à Perſis fingebatur Mithras tenere utraque manu cornua bovis reluctantis: ubi bos eſt ſymbolum Lunæ: quia Luna corniculata refert bovis cornua. Reluctari autem bos fingitur, quia Luna ab Sole accipit lumen: ſed fratrem ſemper ſequi nolens, illi occurrit, imò, ſubiens Solis orbem, lumen ejus obſcurat. Hinc Statius Papinius lib. I Thebaidos:

—— *Seu Perſæi ſub rupibus antri*
Indignata ſequi torquentem cornua Mithram.

Ubi ſic vetus poetæ ejus interpres:

Perſæ in ſpelæis ſolem colunt. Et hic Sol proprio nomine vocatur Mithra: quiaque eclipſin patitur, ideo intra antrum colitur. Eſt autem ipſe Sol leonis vultu cum tiara Perſico habitu, & utriſque manibus bovis cornua comprimens. Quæ interpretatio ad lunam ducitur: quæ indignata ſequi fratrem, occurrit illi, & lucem ei obſcurat. Nudavit autem myſteriorum partem. Sol ergo quaſi lunam minorem docens, ideo taurum torquet. Mirè autem cornua poſuit ut Lunam manifeſtius poſſet exprimere, non animal, quo illa vehi figuratur. Mox de figuris animantium ſubjungit: *Sol frenat leonem: iccirco & ipſe hoc vultu fingitur: vel quod hic Deus cæteros ſui numinis & potentiæ impetu excellat, ut inter reliquas foras leo, vel quia ſit rapidum animal. Luna verò, quia propius tauro adhæret, adducitque, ideo vacca Luna figurata eſt.* Minimè autem talem putâſſe Deorum figuram, qualem ſymbola repræſentarent, ſatis arguunt hæc verba, quæ ſubjungit: *Cæterum divini & regii iſti dii, ut comparentur in orbe, ſic ſunt expertes mortalis figuræ, tam hominis quam belluæ; non habentes initium, vel quod interpoletur medium; ut dii minores, & reliqui, ut ſupra ipſe ait, —— Mox turba vagorum Semideum. Id enim ratio æternitatis expoſtulat.*

Ex eo, quod Mithras vultu effingeretur Leonino, ut ex Statii interprete jam vidimus, lucem capit Arnobii illud lib. VI: *Inter Deos videmus leones torviſſimâ facie, mero oblitâ minio, & nomine frugi ſeriò nuncupari.* Ubi pro *frugi ſeriò*, legendum *frugiſero* vel potiùs *frugiferi.*

feri. Sol enim καρποφόρος. Unde & in veteri epigrammate Attis, qui & ipſe Sol, θεμεπιρώτα πάντα φυων dicitur. Vide, quæ de Arnobiana illa lectione ſcribit Salma-
a Pag. 349. ſius ad Vopiſci Aurelianum *a*.

Quia verò leo ſymbolum erat Mithræ, uti dictum: ideo & ſacra ejus dicebantur, λεοντικὰ myſtæ Mithriaci λέοντες. At Mithriacæ vocatæ hyænæ. Porphyrius: Ὡς τοὺς μὲν μετέχοντας τῶν αὐτῶν Ὀργίων μύστας λέοντας καλεῖν, τὰς δὲ γυναῖκας ὑαίνας. *Orgia ipſorum peragentes* (*ſeu ſacrorum participes*) *myſtas leones, mulieres verò hyænas vocant.*

Soli apud Perſas, uti & Maſſagetas, ſacer erat equus: unde & ei mactabatur: ut alibi dixi ex Xenophontis Cyropæd. lib. I, & IV: Strabonis lib. XI, & Pauſania in Laconicis. In quo ab his gentibus tum Romani, tum Myſii, abierunt. Utrique enim equum mactavere Marti: ut inferiùs dicetur.

Nunc videamus, ut duo hæc ſymbola in Mithræ ſacris fuerint, panis, & crater juxta Mithram conſtitutus. Juſtinus enim Apologia II, quæ ad Antoninum Pium, cum expoſuiſſet, quomodo in Liturgia ſua Chriſtiani diſtri-
b Panem ſuper quo gratiæ actæ, & poculum. buerunt τὸν ἄρτον εὐχαρισθέντα, καὶ τὸ πόμα *b*: ſubjungit diabolum idem in Mithræ ſacris imitari. Verba ejus ſunt: Ὅπερ καὶ ἐν τοῖς τοῦ Μίθρα μυστηρίοις παρέδωκαν γίνεσθαι μιμησάμενοι οἱ πονηροὶ δαίμονες. Ὅτι γὰρ ἄρτος καὶ ποτήριον ὕδατος τίθεται ἐν ταῖς τοῦ μυουμένου τελεταῖς μετ' ἐπιλόγων τινῶν, ἢ ἐπίστασθε, ἢ μαθεῖν δύνασθε. *Quod quidem etiam in myſteriis, atque initiis Mithræ fieri docuerunt per imitationem pravi dæmones. Quod namque panis, & poculum aquæ, in ſacrificiis, ſive re divina ejus qui initiatur, ponatur, verbis quibuſdam additis, aut certè ſcitis, aut cognoſcere poteſtis.* Panis verò eò in ſacris Mithræ ponebatur, ut oſtenderetur, τὸ γόνιμον, ſive vim generatricem eſſe à Sole: in iis autem quæ bono hominum Soli in terris producit calore ſuo principatum tenent fruges. Interea Sol non producit eas, niſi δι' ὑγρότητος, h. e. liquoris ſive aquæ interventu. Iccirco & in Mithræ ſacris poculum aquæ apponebatur. Planiora hæc fiunt ex iis, quòd itidem Oſiris, ac Liber (utroque eorum Sol ſignatus) partim cæleſte erant numen, partim, ut ſic dicam, ſubcæleſte: cæleſte, ratione caloris cælitus ſe diffundentis: ſubcæleſtis, ratione humoris, cujus interventu opus eſſet ad rerum generationem. Unde quæ cum alibi diximus, tum lib. II, cap. XIV. Iterumque de eo agendum erit, cum inferiùs de Ægyptiis Deorum ſymbolis loquemur.

CAP. X.

De ſymbolo Aſſyrio numinis Adad, ſive Adod: draconis apud Babylonios, & Syriaci Dagon: qui Dii mares fuere: deque ſymbolis quatuor Dearum Syriacarum, Syriæ ſive Hierapolitanæ, Atergatis, ſive Dercetus, Aphacitidis, ſive Veneris in Libano, & Aſtartes. Item de Adonidis ſacris, deque Dei Elagabali ſymbolo, quod erat lapis rotundus de lapide τετραγώνῳ ab Arabibus culto pro Dei ſymbolo.

Hinc jam vocor ad numina Aſſyria, Babylonio, & Syriaca. Adad ſive Adod Aſſyrium potiùs videtur. Eo Sol intelligitur: quia Lunam, Terramque illuſtrat, eò radiis fingebatur terram verſus reclivibus: ut ex Macrobio dictum lib. II, cap. VI. Babyloniis verò Dei ſymbolum ſerpens. Nota draconis & Beli hiſtoria, partim ex Scripturis Apocryphis; partim ex ben-Gorione: qui tamen in quibuſdam inter ſe diſſentiunt.

At Syriacon plane numen. Dagon: qui ſuperiori parte vir, inferiori piſcis. Unde & nomen, quaſi piſcinum dicas, ab Hebræo דג, daga, ſive dag, hoc eſt piſcis. Hac figura ſignificabatur terreſtris, & marina poteſtas, ac utrique dominans vis Lunaris. Philiſtæorum Deus erat quo juxta fœderis arcam poſito poſtea manibus carens & capite truncatus eſt inventus: ut eſt I Sam. V, 4. Vide, quæ diximus lib. II, cap. LXXVI.

Hæc numina maſcula ſunt: ſed celebratiora Syris feminea quatuor, Dea Syria, ſive Hierapolitana, Atergatis ſive Derceto, Venus in Libano, & Aſtarte. Dea Syria, ſeu Hierapoli culta, eadem erat ac Rhea, ſive mater Deûm: quòd inde adſtruit Lucianus *a*, quia à leonibus geſtaretur, a Lib. de Dea Syria.
tympanum haberet, ac capite turritam coronam: imò & ſacerdotes etiam, ut illi Cybelles, caſtrarentur. Vide quæ diximus lib. II, cap. LV.

Cùm verò Dea Hierapolitana tota eſſet mulier: Atergatis, ſive Derceto, Aſcalone templum habuit, in qua ſimulachrum Deæ ſuperâ parte foret ſemimulier: inferâ ſemipiſcis: perque mulierem terreſtris, per piſcem marina poteſtas ſignificabatur. Dicitur à morte in piſcem converſa. Piſces quoque tum vivi, quos ſacerdotes comedebant; tum aurei, & argentei apponebantur. Radii ab ejus ſimulachro, ut ſignificetur terram Solaribus radiis illuſtrari: ut contra ſe hic habeat ratio, quàm de Adodo antea dicebamus. Habuit verò & ipſa ſub ſe leones, quo ſignificabatur, per eam quoque intelligi tellurem.

Quale fuerit ſimulachrum Veneris in Libano Adonin lugentis, & quomodo per illud exprimeretur facies terræ hibernæ, quæ ſqualida eſt ob dies breviores, & intenſum frigus: non alius nobis meliùs expreſſit, quàm Macrobius lib. I Sat. cap. XXI. Verba ejus ſunt: *Simulachrum hujus Deæ in monte Libano fingitur capite obnupto, ſpecie triſti, faciem manu læva intra amictum ſuſtinens: lachrymæ viſione conſpicientium manare creduntur. Quæ imago præter quod lugentis eſt deæ, terræ quoque hiemalis eſt; quo tempore obnupta nubibus ſole viduata ſtupet; fonteſque veluti terræ oculi uberius manant, agrique interim ſuo cultu vidui mæſtam faciem ſui monſtrant.* Hæc Venus Macrobio ibidem vocatur Architis: quam lectionem etiam retinuit Lilius Gyraldus in Syntagmate XIII Hiſtoriæ Deorum. Sed legendum cenſeo *Aphacitis*: propter ea, quæ ſcripſimus lib. II hujus operis, cap. XXXVI. Pluribus de his agere nihil opus: uti neque de eo, quod Syri columbæ, & piſcibus, tamquam Deorum ſymbolis, abſtinuerint. Vide, ſi voles, quæ de iis diximus lib. I, cap. XXIII, lib. II, cap. LV, & LXXVI, lib. IV, cap. LI.

Aſtarte, ſive, ut in Scripturis vocatur, Aſtaroth, Sidoniorum numen, erat Venus, hoc eſt, Luna, ac Tellus. Hoc enim Orienti eſſe Venerem, ſatis comprobatum libro ſecundo hujus operis, cap. XXVII, & LIX. Quare ratio fugit Franciſcum Floridum Sabinum lib. II Subſicivarum Lect. cap. VII, cùm ex eo, quod Suidas Aſtarten dicat eſſe Venerem, & Plautus Mercatore, vel potiùs alius, qui iſta adſuit Plauto, de Aſtarte illa dicat, quæ Veneri planè conveniant; colligit, falli Lucianum in opuſculo de Dea Syria, quando Aſtarten eſſe Lunam ſcribit. Non vidit utrumque eſſe verum, facileque ea conciliari. Utrumque etiam apud Phavorinum Camertem *b* legas: ſed non ut alterutrum damnet. Idem Ca- b In Lexico.
mers ait aſtrum ejus typum ſive figuram fuiſſe. Nempe quia Venus non ſemper Luna eſt, ſed etiam Lucifer, ſive Heſperus. Alii malunt ſymbolum fuiſſe mulierem, ſed cum bubulis cornibus, quia Luna ſit corniculata. Nihil hîc attinet repetere ea, quæ de Aſtarte dicebamus lib. II, cap. XXI.

Sol verò à Phœnicibus intellectus per Adonim, quem lugebat Venus. De ritu ejus ſacri, & quid eo ſignaretur, ſic ſcribit B. Hieronymus in Ezechielem cap. VIII ad illud, Plangentes Adonidem: *Quem nos Adonidem interpretati ſumus, & Hebræus, & Syrus ſermo,* תמוז *vocat: unde quia juxta gentilem fabulam, in menſe Junio amaſius Veneris, & pulcherrimus juvenis occiſus, & deinceps revixiſſe narratur: eundem Junium menſem eodem appellant nomine, & anniverſariam ei celebrant ſolennitatem, in qua plangitur à mulieribus quaſi mortuus: & poſtea reviviſcens canitur, atque laudatur. Conſequen-*

 terque

terque poſtquam principes, & ſeniores domus Iſraël, quid fecerint in templo ac tenebris, cubiculiſque monſtratum eſt: etiam mulierum vitia deſcribuntur, quæ plangunt amatorum ſocietate privatæ; & exultant, ſi eos potuerint obtinere. Et quia eadem gentilitas hujuſmodi fabulas poëtarum, quæ habent turpitudinem, interpretantur ſubtiliter, interfectionem, & reſurrectionem Adonidis, planctu, & gaudio proſequens: quorum alterum in ſeminibus, quæ moriuntur in terra, alterum in ſegetibus, quibus mortua ſemina renaſcuntur oſtendi putat: nos quoque eos, qui ad ſeculi mala, & bona, vel contriſtantur, vel exultant, mulieres appellemus, molli & effeminato animo; dicamuſque plangere eos Thammuz: ea videlicet, quæ in rebus mundi putantur eſſe pulcherrima. Pleniùs Adonidis hæc ſacra illuſtravimus lib. II, cap. IV.

Edeſſæ in Syria Apamena Sol cultus, nomine Ἐλαιαγάλου, templumque ei conſtruxere auro argentoque plurimo, & eleganti lapidum magnificentia exornatum. Nec indigenæ modò, ſed vicini etiam principes numen venerantur, ac certatim dona offerunt. De hoc numine multa diximus lib. II, cap. V. Quale autem fuerit Dei ſimulachrum, non alius dicet melius Herodiano, cujus hæc verba lib. V: Ἄγαλμα μὲν οὖν ὥσπερ παρ' Ἕλλησιν, ἢ Ῥωμαίοις, οὐδὲν ἕστηκε χειροποίητον, θεοῦ φέρον εἰκόνα· λίθος δέ τις ἐστὶ μέγιστος, κάτωθεν περιφερής, λήγων εἰς ὀξύτητα. Κωνοειδὲς αὐτῷ σχῆμα, μέλαινά τε ἡ χροιά· διοπετῆ τε αὐτὸν εἶναι σεμνολογοῦσι, ἐξοχάς τε τινὰς βραχείας καὶ τύπους δεικνύουσιν· εἰκόνα τε Ἡλίου ἀνέργαστον εἶναι θέλουσιν, οὕτω βλέποντες. Reddit ea ſic Politianus: *Simulachrum verò nullum, Græco, aut Romano more, manu factum ad ejus Dei ſimilitudinem: ſed lapis eſt maximus, ab imo rotundus, & ſenſim faſtigiatus, propemodum ad coni figuram. Niger lapidi color, quem etiam jactant cœlitus decidiſſe. Eminent in lapide quædam, formæque nonnullæ viſuntur: ac Solis imaginem illam eſſe affirmant, minimè humano artificio fabrefactam.* Nec mirari oportet tale fuiſſe ſymbolum numinis & quidem Dei Solis. Nam Græcus quidem ille mos, ac Romanus, Deos effingere formâ humana. Cum Aſiaticis verò, atque etiam Ægyptis longè aliter fuit comparatum. Sic apud Peſſinuntios mater Phrygia erat niger lapis, iſque informis: ut dicam, ubi ad Phrygum religionem fuerit deventum. Paphiis ſimulachrum Veneris albam pyramidem referebat: ut ſuo loco dicam. Arabibus Dei ſimulacrum erat lapis quadrangulus: quem ſe vidiſſe ait Maximus Tyrius ſermone XXXVIII. Sed addit, neſcire ſe cujus is numinis fuerit ſymbolum. At fuiſſe Martis docet nos Suidas, qui & pleniùs deſcripſit. Verba ejus ſunt: Θεῦς Ἄρης, τοῦτ' ἐστι, θεὸς Ἄρης ἐν Πέτρᾳ τῆς Ἀραβίας. Σέβεται δὲ θεὸς Ἄρης παρ' αὐτοῖς. τοῦτον γὰρ μάλιστα τιμῶσι· τὸ δὲ ἄγαλμα, λίθος ἐστὶ μέλας τετράγωνος, ἀτύπωτος. ὕψος ποδῶν δ'. εὖρος δύο. Ἀνάκειται δὲ ἐπὶ βάσεως χρυσηλάτου, τούτῳ θύουσι, καὶ τὸ αἷμα τῶν ἱερείων περιχέουσι. καὶ τοῦτό ἐστιν αὐτοῖς ἡ σπονδή· ὁ δὲ ναὸς ἅπας ἐστὶ πολύχρυσος, καὶ ἀναθήματα πολλά. *Theùs* a *Ares, hoc eſt, Deus Mars, in Arabiæ* (urbe) *Petra. Deus enim Mars apud ipſos* (Arabes Petræos) *colitur. Huncque maximè colunt. Simulachrum autem eſt lapis niger, quadratus, nullam habens figuram inciſam. Altitudo eſt pedum* IV, *latitudo* II. *Innititur verò aureæ baſi. Huic immolant, ac victimarum ſanguinem profundunt. Atque iſtiuſmodi eſt iis libatio, ratioque ſacrificandi. Totum verò templum multo eſt auro ornatum, multaque in eo donaria.* Videtur autem idem eſſe lapis, quem ab Iſmaëlitis cultum dicebamus lib. II, cap. XXXI.

a Nempe Θεὺς pro Θεὸς, ut Θεύγνιδος pro Θεόγνιδος, *Theudoſius*, pro *Theodoſius*, atque alia.

Cap. XI.

De tribus numinis ſymbolis apud Ægyptios, ſerpente, accipitre, & ſymbolo ex his duobus compoſito, quod erat Dei Cneph.

De Syriacis ſymbolis dixi. Nunc Ægyptiacorum cauſſas oſtendam. Ac primum universè loquar de ſymbolis Dei. Deinde particulatim de ſymbolis Iſidis, & Oſiridis: quibus duobus nihil apud Ægyptios celebratius fuit. Poſtremò agam de reliquorum numinum apud Ægyptios ſymbolis.

In ſymbolis numinis, quibus, quod prima facie clarè oſtenditur, aliud animo occultè repræſentat, principem locum tribuerunt ſerpenti, accipitri, ac formæ ex utroque animanti compoſitæ.

Cur ſerpenti honores divini ſint attributi, variæ ſunt cauſſæ. Eſt in iis, quòd non exteriorum membrorum ope, ut in cæteris fit animantibus, ſed virtute ſpiritus intus latentis impulſus ſummâ cum celeritate progrediatur, inque varias ſe torqueat formas. Præterea etiam, quòd ad grandem perveniat ætatem, imò exuviis poſitis rejuveneſcere exiſtimentur. Adhæc etiam quod acutè adeò videat, viſus idoneum eſſe ſymbolum providentiæ divinæ. Alias cauſſas alibi adducimus. Ac veriſimile eſt, aliquid etiam momenti attuliſſe, quod Deus ipſe per Moſem in deſerto erigi juſſerit ſerpentem.

Præcipuè autem celebrant Ægyptum thermuthin, quod ex ſexdecim aſpidis generibus ſolum credebatur immortale. Imò in ſacris ædibus ad unumquemque angulum extruebant cellas ſubterraneas: hic thermuthin alebant, bubulum adipem certis ei intervallis objicientes. Auctor Ælianus lib. X De Animalibus, cap. XXXI. Atque ab eodem, libro ejuſce operis ſexto cap. XXXVIII, proditum eſt, reges Ægyptios ſolere in diademate ſuo geſtare aſpides pictas: ut ita firmitatem imperii ac potentiam ſignificarent. Nihil enim potentius aſpidum veneno: adeò ut ab iis morſi nequeant vivere ultra horas quatuor. De quo etiam diximus lib. IV, cap. LIV.

Accipitris divinitatem arguit, quòd ut Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride auctor eſt, Sai, Ægypti in Delta oppido, in veſtibulo Minervæ, præter infantem, & ſenem, inſculptus fuit accipiter ad ſignificandum vitæ originem, ac finem, à Deo dependere.

Cur verò accipiter ſymbolum fuerit divinitatis, meliùs intelligetur, ſi priùs conſtiterit, quam latè patuerit ἱέραξ, ſive accipitris nomen. Nam eo comprehenditur aquila, quam Græci ἀετὸν appellant: eoque etiam complectitur ἁλιαιετὸν, qui Niſus eſt veteribus, vulgo autem, jam à Julii Firmici temporibus, falco vocatur nomine antiquioribus ignoto. Cauſſas autem accipitrarii hujus ſymboli tres obſervo: eaſdem nempe quas de ſerpente adduximus. Nam & viſu quantopere valeat accipiter, arguit illud, quòd apud Ælianum legimus in X de Animalibus, cap. XIV, ſolam hanc avem poſſe obtutum; atque aciem oculorum figere adverſus Solem. Ubi clarè liquet, accipitris nomine etiam contineri aquilam: de qua notum illud Horatii cùm ut viſum ſignificet acutiſſimum, illum ſerpentis, & aquilæ conjungit. Deque eo etiam dictum lib. III, cap. LXXXI. Præterea accipiter celerrimi eſt volatus; cumque avium alæ, cælum petentes, ferantur in obliquum, is rectâ fertur in ſublime. Denique idem vivaciſſimus eſt. Non auſim cum Ægyptiis dicere, annos vivere ſeptingentos: attamen eſſe longævum conſtat, ita ut domeſticus etiam, qui magis degener annos vivat XXX, ſylveſtris verò etiam XL. Manifeſtum interea, tria hæc, quæ diximus, puta viſus acumen, volatus celeritatem, & quod rectâ cælos petat, in cauſſa eſſe, cur jam ab aliquot ſeculis, ejus, in aërio venatu, uſus ſit maximus. De aucupii illius origine & antiquitate non repetam, quæ dixi lib. III, cap. XCVII. Trifariam verò hæc venatio præſtat terreſtri. Nam minoris eſt laboris, quia nihil eſt opus per ampla ſpatia inſectari animantia. Minoriſque eſt periculi, cùm in terreſtri illa interdum quis interimatur ab apro, aut cervo furenti. Ac præterea minoris eſt ſumtus, quia non retibus, non copia venatorum, & canum opus eſt. Sed accipiter ſufficit.

Quæ

Quæ hactenus diximus, ſeorſum vel ſerpentem, vel accipitrem ſpectant. Sed enim ſymbolum quoque erat Ægyptiis ex utroque compoſitum: ac proinde utriuſque ſignificationem conjungens. Hoc inferiori parte corporis ſerpentem referebat: ſuperiori parte accipitrem, ſive capite ſolo, ſive etiam pectore & alis. Dicebatur hoc ſymbolum Dei Κνὴφ, hoc eſt, ἀγαθοῦ δαίμονος *a*. Lilio Gyraldo in primo de Diis Syntagmate dicitur Crephagennetus. Nempe apud Plutarchum κρηφαγέννητος legit. Sed lib. I, cap. II oſtenſum reſcribendum Κνὴφ ἀγέννητον *b*. Suſpicor vocem Κνὴφ eſſe μετὰ συγκοπῆς *c* à כנף *canaph*, ut Hebræi dicunt, ſive *cenaph*, ut Chaldæi. Notat ea vox *alam* ſubinde etiam τὸ πτερωτὸν *alatum*. Sic igitur vocitarint hoc numen à ſymbolo, quòd ex ſerpente ſive angue, & alato, ſive volucre componeretur. Magis quidem id placet, quam ut ſit ab Arabico ?? *canaph*, quod notat *circuire*; Nam non tam id allatæ conveniat figuræ quam aſpidi, ſive ſerpenti, caudam rodenti. At erat hæc figura anni: non Dei κνὴφ: cujus figura longè alia, ut diximus: & clare id liquet ex Veterum iis, quos teſtes adducit locupletes Euſebius in extremo libro primo Præparationis Euangelicæ. Quod verò ad figuram numinis memorati, hac de re nonnulla ex Zoroaſtris Magi de ſacris Perſicis commentario, adducit Euſebius in extrema parte libri primi de Præparatione Euangelica. Inter alia: Ὁ δὲ θεός ἐστι κεφαλὴν ἔχων ἱέρακος. *Habet verò Deus caput accipitris.* Atque idem ait tradi ab Oſtane in Octoteucho ſua. Paullò antè etiam dixerat, Ægyptios ſerpenti quem Phœnices ἀγαθὸν δαίμονα, Ægyptii Κνὴφ appellant, caput addere accipitris. Ac refert aliqua, quæ dixerat ὁ Ἐπήεις, qui Ægyptiis dictus μέγιστος ἱεροφάντης, καὶ ἱερογραμματεύς· *maximus ſacrorum & interpres & ſcriba.* Sunt ea iſtiuſmodi, prout Græcè vertiſſe ait Arium Megalopoliten: Τὸ πρῶτον ὂν θειότατον, ὄφις ἐστὶν ἱέρακος ἔχων μορφὴν, ἄγαν ἐπίχαρις· ὃς εἰ ἀναβλέψειε, φωτὸς τὸ πᾶν ἐπλήρου ἐν τῇ πρωτογόνῳ χώρᾳ αὐτοῦ· εἰ δὲ καμμύσειε, σκότος ἐγίνετο· *Unus omnium maximè divinus erat ſerpens ille, qui accipitris formam præ ſe ferebat, idemque adſpectu jucundiſſimus: quippe enim, ubi oculos aperuiſſet, continuò primogeniæ ſuæ regionis loca omnia luce complebat. Sin autem conniveret, illico tenebræ ſuccedebant.* Quæ καθ' ἀλληγορίαν dici, ibidem legas. Addit, eò, quòd de hoc Κνὴφ Epies utatur verbo διηύγασεν, hoc eſt, *illuſtravit*: ſatis intelligi igneam ejus naturam: quandoquidem φωτὸς ἴδιόν ἐστι τὸ διαυγάσαι· *lucis proprium eſt illuſtrare.* Etiam de Ægyptiis refert iſta ex Philone Byblio: Ἔτι μὲν οἱ Αἰγύπτιοι ἀπὸ τῆς αὐτῆς ἐννοίας τὸν κόσμον γράφοντες, περιφερῆ κύκλον ἀεροειδῆ καὶ πυρωπὸν χαράσσουσι, καὶ μέσον τεταμένον ὄφιν ἱερακόμορφον· καὶ ἔστι τὸ πᾶν σχῆμα, ὡς τὸ παρ' ἡμῖν Θῆτα· τὸν μὲν κύκλον, κόσμον μηνύοντες· τὸν δὲ μέσον ὄφιν συνεκτικὸν τούτου, ἀγαθὸν δαίμονα σημαίνοντες· *Præterea Ægyptii, mundum eodem conſilio depingentes, rotundum circulum aërio colore flammiſque ſparſum exprimunt, cujus in medio ſerpens extentus accipitris forma collocatur. Ac tota quidem figura Græco theta perſimilis eſt; ita nimirum, ut circulo mundum exhibeant; ſerpente autem medio illum utrinque conjungente dæmonem bonum ſignificent.*

a Boni Dei.

b Ingenitum Cneph.

c Per ſyncopen.

Cap. XII.

De Symbolis Iſiacis: ubi tum de ſimulachro Deæ, tum de ſacerdotum alimento, calvitio, & veſtibus: & quid Sphingis ſymbolum ante templa Ægyptia ſignarit.

HÆc de ſerpentis, & accipitris Symbolis. Deinceps agam de Symbolis Iſidis propriis. Per eam, ex Plutarchi ſententia, intelligitur natura mundana: ſed per Oſiridem ſpiritus bonus, naturam hanc gubernans: per Typhonem ſpiritus alter, à quo bonus ſemper impugnatur. Pluribus de eo dictum lib. I, cap. V. Eidem verò Plutarcho Oſiris etiam eſt Deus: atque hoc etiam nomine ipſo adſtruit: quia Oſiris non multum abit ab ὁσία, quomodo idem fuerit ac τὸ ὄν: id verò nomen propriè divino convenit numini. Hujus verò cognitio Plutarcho eſt ἴσις, ab ἴσαι, *ſciens*. At ſcientiæ neglectus, ac contemtus, eidem eſt τυφῶν, quia nihil æquè ſcientiæ inimicum, ac typhus, & ſuperbia, ſive homo, ut Plutarchus ait, δι' ἄγνοιαν καὶ ἀπάτην τετυφωμένος, *inſcitia & errore inflatus.* Hæc ſatis convenienter dicerentur, niſi faſtum redoleret Græcanicum, quod origo Ægyptiarum vocum arceſſatur à fonte Græco. Unde autem Oſiris, expoſitum nobis lib. I, cap. XXVII. At Iſis, ſive *Is*, potuerit ab Hebræo אִשָּׁה, Iſcha *a*, quomodo à marito Adamo vocata eſt prima omnium mater. Nempe Iſis vel Iſcha *eximiam feminam* notârit, quomodo Hebræis איש iſch aliud quàm אדם Adam, nec tam hominem vulgarem, quàm clarum, ſignet. Atque hæc conveniunt iis, quæ de Manno, & Iſide referebam lib. I, cap. XXXVIII. Sed hæc jam hiſtorica ſit interpretatio. At illa φυσική, qua, ut dicebamus, intelligitur per Iſidem univerſa rerum natura. Particulatim autem ſignabatur Luna, cum Tellure; ſive vis generatrix, quatenus à Luna derivatur, & à Tellure recipitur. Itaque in Iſiacis ſymbolis, quædam magis conveniunt Telluri, quædam Lunæ, quædam toti Naturæ, quatenus attenditur, ut principium paſſivum, circa quod Oſiris, ac Typho occupentur.

a Vira, uxor.

His multum lucis acceſſerit, ſi prius exponamus, cujuſmodi fuerit Iſidos ſimulachrum. Deinde quæ obſervari ſoleant à ſacerdotibus Iſiacis.

Simulachrum Iſidos cornutum erat: ut eſt apud Athenæum lib. VIII, & Porphyrium lib III περὶ ἀποχῆς. In cauſſa erat, quod ſymbolum foret, Lunæ, quæ corniculata apparet: unde & bos femina ei fuit ſacra: quam iccirco ſactificare illi erat nefas. De hoc ita Herodotus in Euterpe: Τὰς θηλέας τῶν βοῶν οὐκ Αἰγυπτίοις ἔξεστι θύειν, ἀλλὰ ἱραί εἰσι τῆς Ἴσιος· τὸ γὰρ τῆς Ἴσιος ἄγαλμα ἐὸν γυναικήϊον, βούκερών ἐστι, καθάπερ Ἕλληνες τὴν Ἰοῦν γράφουσι· *Fæminas boves immolare non licet Ægyptiis: utpote Iſidi conſecratas. Nam Iſidis ſimulachrum muliebre eſt, bubulis præditum cornibus, quemadmodum Io à Græcis depingitur.*

Præterea Iſidis ſimulachra, tanquam regio diademate, coronabant aſpidis genere, quod Ægyptii vocant θέρμουθιν: Ajunt id genus aſpidis eſſe ſacrum, ac magna colunt religione: nempe quia præſentiſſimum adſpirat venenum: quod ingentem ejus potentiam arguit. Auctor Ælianus lib. X, cap. XXXI. Hinc de Iſide Valerius Flaccus lib. IV Argonaut.

—— *Et procul Io*
Spectat ab arce poli jam Divis addita, jamque
Aſpide cincta comas, & ovanti perſona ſiſtro.

Ac Juvenalis Sat. VI. de argentea Iſidis imagine:

Et moviſſe caput viſa eſt argentea ſerpens.

Etiam in pompa Iſiaca circumgeſtabatur: & Apis circumducebatur. Ovid. lib. II Amor.

Pigraque labatur circum donaria ſerpens,
Et comes in pompa corniger Apis eat.

Ubi & videmus, Apim bovem in comitatu Iſidos circumductum. Quod & idem poëta indicat IX Metam. & Appulejus IX Met.

Iſidem veteres effinxere λυσικόμους ſolutis crinibus, & per terga fluentibus: qualem comam Lucianus vocat ἐπισείστον, h.e. ventilantem, ac concuſſam.

Brevis ejus effigies. Claudianus in IV Conſulatum Honorii:

—— *Sic numina Memphis*
In vulgus proferre ſolet penetralibus exit
Effigies, brevis illa quidem, ſed plurimus infra
Liniger.

Veſtes Iſidis, ut Plutarchus ait *b*, multicolores. Quemadmodum & Appulejus ei tribuit prætextam diſcolorem, ac pallam nigerrimam. His ſignificabatur commutatio

b Lib. de Iſid. & Oſir.

diei,

dici, ac noctis, vitæ & mortis. Etiam multicoloribus tæniis ſive faſciis ſtatuam Iſidis veſtiebant, ad ſignificandum varias Lunæ φάσεις, ſive facies & adſpectus. Quam ſymbyli ejus cauſſam adfert Heliodorus. Alii multicoloribus vittis ſignificari putant varias Lunæ operationes, atque effectus. Quandoque tamen non verſicoloribus vittis obvolvebatur, ſed candidis: ut ex tabula Bembi ahenea tradit Stephanus Pighius in μυθολογίᾳ de Horis ſive anni partibus *a*. Eo candor Lunæ denotabatur.

a P. 171, 172.

Iſidis ſtatua vulturinis ornabatur plumis. Ælianus lib. x de Animalibus, cap. xxii: Αἰγύπτιοι δὲ Ἥρας μὲν ἱερὸν ὄρνιν εἶναι πεπιστεύκασι τὴν γῦπα· κοσμοῦσι δὲ τὴν τῆς Ἴσιδος κεφαλὴν γυπὸς πτεροῖς, καὶ τῶν προπυλαίων ὀρόφοις ἐντετόρευσι γυπῶν πτέρυγας. *Ægyptii autem Junoni ſacram avem dicunt vulturem: & vulturis etiam pennis caput Iſidis, ac alis ejus veſtibulorum ornant faſtigia.*

Iſidi ab Ægyptiis, ut tritici, & hordei inventrici, maturarum ſpicarum manipuli offerebantur: ſic Diodorus Siculus lib. 1.

Fingebatur navigio vehi: cujus geminam hanc rationem alibi *b* adduxi, quia Luna, quæ eſt Iſis, ſit corniculata, & quando talis eſt, navigii habeat figuram: tum item quia luna in Aquas habeat poteſtatem: navigio autem per Aquas vehamur: unde & navigatione Iſis præfecta: quod Lucianus indicat in dialogis Deorum. A Suevis, gente Germanica, Iſidem cultam ait Tacitus: atque ſignum ejus fuiſſe liburnam: navigii id genus triremi humilius. Cauſſa ejus ſigni fugit Tacitum. Sed non eſt ea obſcura ex iis, quæ diximus de Iſide Ægyptia.

b Lib. 2. cap. 27.

Nunc videbimus de ſacerdotibus: ac primùm de eorum alimento: deinde de corporis forma: hinc de veſtibus.

Sacerdotes Iſiaci ſuillis carnibus abſtinebant, quia hoc animal eſſet Iſidi ſive Lunæ inimicum: ut quod maximè coëat, decreſcente Lunâ. Addit quoque alteram cauſſam, quia lac ſuis ſi bibatur, lepram, & aſperam ſcabiem producat. Cumque aliorum Ægyptiorum hoc piſcium genere hi, alii alio abſtinerent, ut Oxyrinchitæ hamo captis: ſacerdotes iis abſtinebant in univerſum: quia non eſt neceſſarium cibi genus, unde nuſquam apud Homerum legas eo cibo uſos vel delicatos Phæacas, vel etiam inſulares illos Phæacenſes: nec Ulyſſis ſocios in longa illa peregrinatione eos ediſſe ait, niſi cum ad extremam eſſent redacti inopiam. Cepas quoque averſabantur, partim quia ſola hæc plantarum Luna creſcat decreſcente: partim quia ſitim creat, quod non convenit volentibus à Venere abſtinere: partim quia lachrymas cier, quod feſtorum lætitiæ adverſatur. Ait quoque Plutarchus, legumina pleraque refugiſſe, quia multum iis ſupervacui ineſt. Imò nec ſale veſcebantur, non ut re immunda; ſed quia appetitum acuens bibulos reddit, & voraces. Niloticam aquam non bibebant, quia pinguem facit & obeſum. divina autem pars non debet premi atque affligi à mortali. Propterea nec Apis bibebat eam, quia neque Deo id conveniſſet. Peculiarem ideo puteum habebat, unde aquam biberet. Vini uſus ſiquibus ſacerdotibus ſit, is parcus eſt, ut ſobriè philoſophentur, ſacriſque docendis ac diſcendis meliùs vacent. Unde & reges, qui ipſi quoque ſacerdotes ſint, non niſi ad menſuram præſcriptam vinum bibunt. Ac ut à multo ejus uſu deterreant, fabulantur vites enatas ex terræ permixtis cadaveribus eorum qui Diis bellum intuliſſent: eoque vinum abalienate mentes, quia homines impleat ſanguine majorum.

Quod ad corporis formam, ſacerdotes Iſidos erant calvi. Unde de iis Juvenalis ſat. vi:

Qui grege linigero circumdatus, & grege calvo.

Et Martialis lib. xii, epig. xxix:

Linigeri fugiunt calvi, ſiſtrataque turba.

Calvi autem erant, non naturâ, ſed arte. Quippe depilabantur, quod Græcis πιττοῦσθαι, quia fieret hoc pice, ſive reſina: quomodo & Venerei nepotuli ſe depilabant. Hinc Juvenal. ſat. viii:

—— *Quid reſinata juventus*
Cruraque totius facient tibi lævia gentis?

Et meretrices; unde Martialis lib. xii, epig. xxxi:

Nec plena turpis matris olla reſina,
Summœnianæ qua pilantur uxores.

Ubi *pilari* eſt *depilari*: quomodo & (quod Scaligero *a* jamdiu oſtenſum) Iſiacos pilatos dicit Martialis. Cur verò depilarentur Iſiaci, rationem alii ab hiſtoria petunt: alii à morum exemplo. Prior iſtiuſmodi eſt, quòd Iſis regina, cum Copti urbe, tum Ægypti principe, mortem mariti ſui Oſiridos intellexiſſet, ut luctum faceret teſtatiorem, ſeſe, totonderit. Imò & ipſam Coptum inde dictam ajunt Græculi; videlicet ἀπὸ τοῦ κόπτειν *b*: quaſi veriſimile ſit, Græcum eſſe nomen antiquiſſimæ civitati, à qua & tota Ægyptus Græcis Αἴγυπτος, quaſi αἶα Κόπτου *c*, dicta ſit. Ἠθικὴ verò ratio eſt talis. Ajunt ſacerdotes Iſidos caput radere, quia mortalium nullos æquè ac ſacerdotes deceat tum mundities animi, cujus ſymbolum eſt illa corporis; tum nullis gravari curis ſordidis, quales per capillos ſignantur. Præterquam enim, quod capilli oblongi caput gravant, pili in univerſum, tum hominum, tum mutorum animantium naſcuntur ex alimenti excremento: quæ iccirco, ut immunditiam, averſari jubebantur: non quaſi hìc ſiſtere oporteret, ſed quia hoc ſymbolo monerentur caſtimoniæ, utque purâ Deum mente colerent: Atque hanc rationem adducit etiam Plutarchus libro de Iſide, & Oſiride. Ac ſimile eſſe ait, quòd Heſiodus jubet rem divinam facturos venire unguibus priùs reſectis, quo ſic mundi ad ſacra accedant.

a In Tibull. lib. 1. Pag. 133.

b Abſcidere.

c Terra Copti.

Ferè autem quæ amatorem non reperirent, fiebant Iſidos ſacerdotes. Unde Perſ. ſat. v:

—— *Cum ſiſtro luſca ſacerdos.*

Ubi vetus interpres, *Luſca ideo, quod nubiles deformes, cum maritos non invenerint, ad miniſteria Deorum ſe conferant.*

De veſtibus nunc dicam. Iis non laneis uſi, ſed lineis. Unde Herodotus lib. ii, qui Euterpe dicitur: εἵματα δὲ λίνεα φορέουσι αἰεὶ νεόπλυτα, ἐπιτηδεύοντες τοῦτο μάλιστα. *Linea ferunt veſtimenta, ſemper recens abluta, huic rei maxime vacantes.* Hinc Ovid. 1 Met. Sacerdotes Iſidos *turbam linigeram* vocat: Juvenal. ſat. vi: *linigerum gregem.* Eſt & in ſecundo Catalectorum, quos primus Scaliger publicavit:

Carbaſeo poſt hunc artus indutus amictu
Memphidos antiquæ ſacra, Deamque colit.

Atque hinc Deliam ſuam ſic inter Iſiacas conſidere optat Tibullus lib. 1 eleg. iii, quæ ad Meſſallam:

Et mea votivas perſolvens Delia noctes
Ante ſacras lino tecta fores ſedeat:
Biſque die reſoluta comas tibi dicere laudes
Inſignis turba debeat in Pharia.

Ubi bis dicit Iſidem de die celebrari, quia primâ quidem diei horâ templum Iſidos aperiretur: hinc Deam quaſi excitarent, & excitatam ſalutarent: poſteà mendicarent uſque ad horam octavam, itemque Deâ ſalutatâ templum clauderent: quem ritum ex undecimo Appuleji, ſeptimo Arnobii liquidò ſatis Scaliger ad Tibullum comprobavit.

Cur tanto Iſiacis in honore fuerit linum, exponit Appulejus Apolog. 1: *Puriſſimum eſt rebus divinis velamentum: quippe lana, ſegniſſimi corporis excrementum pecori detracta, jam inde Orphei & Pythagoræ ſcitis* (idem apud Herodotum legas lib. ii.) *profanus veſtitus eſt. Sed enim mundiſſima lini ſeges, non modò induitui, & amictui ſanctis Ægyptiorum ſacerdotibus: ſed opertui quoque inde rebus ſacris uſurpatur.*

Ob eandem verò cauſſam, lineis veſtibus utebantur, ob quam caput ſolitos radere dicebamus. Laneæ enim veſtes è pilis fiunt, & pediculos generant. Linum contra mundum eſt, quia è terra naſcitur immortali, & veſtem exhibet, tum puram, tum tenuem, & minimè gravantem. Ita Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride. Ac veriùs omni-

omnino, quàm cùm ibidem legas φορεῖν τὰ λινᾶ διὰ τὴν χρόαν, ἣν τὸ λίνον ἀνθοῦν ἀνίησι, τῇ περιεχούσῃ τὸν κόσμον αἰθερίῳ χαροπότητι προσεοικυῖαν· *ferre veſtimenta linea, propter colorem, quem linum florens emittit, cæruleo colori, mundum æthereum circumdanti ſimilem.* Sanè ſimiliter cur lineum ſacerdotis Judaici veſtimentum fuerit, hoc ipſum quòd è terrâ naſcentia ſint pura, rationem eſſe, cenſet B. Hieronymus in cap. VIII Exodi, & epiſt. ad Fabiolam, quæ eſt de veſte ſacerdotali.

Portabant Iſiaci ſiſtrum: ut monet vetus interpres ad illud Perſii ſat. V:

—— Cum ſiſtro luſca ſacerdos.

Sed & ſitellam gerebant lævâ. Quid his ſignificarint, indicat Servius in VIII Æn. *Iſis eſt genius Ægypti, qui per ſiſtri motum, quod gerit in dextra, Nili acceſſus, receſſuſque ſignificat. Per ſitellam, quam ſiniſtra manu retinet, oſtendit adfluentiam omnium lacunarum.*

Ac vel ex his ſolis, quæ de ſymbolico Iſidos cultu memoravimus, ſatis liquet, non ſubſtitiſſe Ægyptios in iſtis, quæ ſenſui ſe offerrent, ſed ea pro typis & ſymbolis habuiſſe. Nempe Theologia eorum erat myſtica: quod Sphinges ante templorum fores poſitæ innuebant. Plutarchus de Iſide & Oſiride: Πρὸ τῶν ἱερῶν τὰς σφίγγας ἐπιεικῶς ἱστᾶσι, ὡς αἰνιγματώδη σοφίαν τῆς θεολογίας αὐτῶν ἐχούσης· *Ante templa Sphingem plerumque collocant: quo innuunt, ſuam rerum ſacrarum doctrinam conſtare perplexa & ſub involucris latente ſapientia.* Atque addit, propterea Sai ante templum Minervæ, quæ eadem ac Iſis credebatur, fuiſſe inſcriptionem quæ teſtaretur, neminem ejus peplum prorſus detexiſſe.

Tandem & Ægyptia Dea culta à Romanis. Juvenalis:

Nos in templa tuam Romana recepimus Iſim.

Iſidi ſacrificabatur à Romanis jecur anſeris; quo nihil delicatius: unde Inachis ſive Iſis lauta vocatur Ovidio in primo Faſtorum. Pluribus de eo dixi in Oratoriis Inſtitut. lib. IV, cap. XIII, ſect. VIII. Tiraquellus Notis in Alexandri Neapolitani lib. III, cap. XII, ait non modò Iſidi ſacram, ſed & Inacho; quod probat ex eo, quod Ovid. I Faſt. dicat:

—— Quò minùs anſer
Det jecur in lances Inache laute tuas.

Nempe non occurrebat multijugæ lectionis viro Iſidem fuiſſe Inachi filiam. Alioqui non ſollicitaſſet vulgatam lectionem,

Det jecur in lances Inache lauta tuas.

Vitulâ etiam ſacrificatum Iſidi ea de cauſſâ, ob quam ſtatua ejus erat βουκέρων a.

a *Bovina præferens cornua.*

Cap. XIII.

De triplici Oſiridos ſymbolo quatenus à Phyſicis per eum Sol intelligitur. Ac duo quidem priora fuere hieroglyphica. Nempe quatenus ſignabatur vel accipitre, vel ſceptro cum oculo inſculpto; ubi ſceptrum potentiam, oculus providentiam denotabat. Alterius generis ſigna convenientiam habent cum forma humana: ut quod fingeretur capite raſo, ſed capillis à parte dextra relictis. Item quòd formaretur cum ingenti veretro, ad notandam vim Solis generatricem: cumque amiculo flammeo, ut indicetur calorem vitalem Soli deberi. Ad prius etiam pertinere, quod phallus in ſacris Oſiridis circumgeſtaretur. Quamquam poſſis omne iſtoc de pene interpretari de Chamo, & Mitſraim, Ægyptiorum parentibus. Præterea, per Oſirin ſignari Nilum, qui & ipſe in Diis habitus, partim propterea quòd fœcunditatem ſuam ei deberet Ægyptus; partim ob alia Nili miranda. Quia verò aqua Nilotica eſſet nigra, eo Oſirin effingi nigrum. Nilum depingi ſolere crocodilo, vel hippopotamo inſidentem, XVI pueris circumludentibus, & cur pueri illi dicti fuerint Πήχεις. Cur Orus albus, Typhonis ſymbola aſinus, hippopotamus, & crocodilus. Anubidis ſymbola canis, & cynocephalus.

SEquitur nunc de Oſiride: cujus varia fuere ſymbola, alia quidem quatenus per eum Sol intelligitur: alia quatenus Nilus. Quatenus Sol ſignabatur, accipiter Oſiridis erat ſymbolum. Univerſè quidem deſignabat numen divinum, ut antea dictum; cum de accipitris, & ſerpentis, ſymbolis ageremus. Sed enim, quia Oſiris eſſet princeps Deorum; quippe Sol ipſe; eò particulatim Soli dicatus fuit. Hujus quidem ſymbolum fuiſſe, clarè ait Plutarchus lib. de Iſide, & Oſir. Cauſſæ, cur Oſiridi ſacrârint, variæ adferuntur: quædam longiùs petitæ, imò incertæ; quas adducit Porphyrius in quarto de abſtinentia animalium. Veriores hæ videntur, quòd uti Sol calore ſuo producit, ac fovet cuncta, ita & accipiter mira pollet fœcunditate, utque Sol cuncta videt, quippe mundi oculus: ita & ob aciem viſus accipiter ſit πανόφθαλμος a, ut vocatur Ariſtophani: atque ut Sol celeritate admirabili duodena cæli ſigna percurrit: ita accipiter mira volet pernicitate: unde & ὠκύπτερος b, & ὠκυπέτης c poëtis vocetur, quaſi *celerivolum* dicas. Græcis accipiter ἱέραξ, quaſi ſacram alitem dicas, ab ἱερὸς, ſacer. Niſi malis ἀπὸ τοῦ ἱέσθαι ῥᾷον, quòd celeriter per aëra feratur ac volet.

a *Multioculus.*
b *Homer.*
c *Heſiod.*

Aliud etiam ſymbolum myſticum his verbis tradit Macrobius lib. I Saturnal. cap. XXI: *Hinc Oſirin Ægyptii, ut Solem eſſe aſſerant, quoties hieroglyphicis literis ſuis exprimere volunt, inſculpunt ſceptrum; inque eo ſpeciem oculi exprimunt, & hoc ſigno Oſirin monſtrant; ſignificantes hunc Deum Solem eſſe, regalique poteſtate ſublimem cuncta deſpicere: quia Solem Jovis oculum appellat antiquitas.* Nimirum ut ſceptrum potentiam, ſic oculus providentiam adumbrabat. Præter hæc duo ſigna, fuere alia quoque; ſed non ab mutis animantibus, vel inanimis petita: verùm ab homine ipſo. Tale eſt quod Oſiridem effingerent capite raſo, ſed ſic ut dextra parte relinqueretur capillus. Eo quid notaretur indicat Macrobius, mox poſt verba antea adlata: *Ægyptii volentes ipſius Solis nomine dicare ſimulachrum, figuravere raſo capite, ſed dexterâ parte crine remanente. Servatus crinis docet, Solem naturæ rerum nunquam eſſe in operto: demti autem capilli reſidente radice, monſtrant, hoc ſidus, etiam tempore, quo non viſitur à nobis, rurſum emergendi, ut capillos, habere ſubſtantiam.* Pluraque inibi in hanc mentem.

Etiam Oſiris, Plutarcho teſte, effingebatur cum pene erecto, uti apud Græcos, & Romanos Priapus. Nempe ut ſignificaretur, à Sole eſſe vim omnem generatricem. Amiculo etiam flammeo velabant, ut ejus coloris veſte ſignificaretur calor vitalis ac beneficus, qui à Sole proficiſcitur. Ex eo quod de pene erecto dicebamus, cognoſcere etiam eſt, cur phallus in ſacris Oſiridis circumferretur. Nempe ad notandam vim Solis γεννητικήν. Sed de veretro ſive phallo poſſis non φυσικῶς d interpretari, ſed etiam ἱστορικῶς e: quomodo Oſiris fuerit Mitſraim, vel ejus pater Cham, qui eſt Jupiter Ammon. Ita ſignificabitur phallo, omnes Ægyptios à Mitſraim, ſive Oſiride deſcendere, vel ulterius eundo à Chamo. A quibus duobus Ægyptus nunc terra Cham, nunc terra Mitſraim vocatur. Vide quæ diximus lib. I, cap. XXVII.

d *Modò conſiderandi quo natura ſpectatur.*
e *Hiſtoricè.*

Ad Oſiridem etiam refero Solem: Theologiam ſecutus phyſicam: licet non ignarus ſecundum civilem Theologiam Romanam, Apollinem eſſe in Diis Conſentibus: Solem verò in Selectis quidem, at non Conſentibus: ut lib. primo oſtendimus.

Solis ſimulachrum; quomodò effingi ſoleat, docuit Macrobius verbis proximè relatis. Etiam Oſiridis ſive Solis apud Ægyptios f ſymbolum erat haſta, quæ tæniis multicoloribus erat obvoluta. Haſta ipſa Solem notabat: vittæ Lunam, cujus cauſſam ſuperiori capite adducebamus. Utrum verò apud Ægyptios diceres aliquod eſſe Oſiridis, an Adonidis ſimulachrum; nihil intererat; ut indicat Suidas in Ἡραΐσκος: Οὕτω δ' ἦγεν τὸ ἄρρητον ἄγαλμα

f *Pighius in Mythologia de anni partibus p. 170.*

μα

μα τοῦ αἰῶνος ὑπὸ τοῦ Θεοῦ κατεχόμενον, ὃ Ἀλεξανδρεῖς ἐτίμησαν Ὄσιριν ὄντα, καὶ Ἄδωνιν ὁμοῦ, κατὰ μυστικὸν, ὡς ἀληθῶς φάναι, θεοκρασίαν. *Sic* (Heraiſcus) *dijudicavit illud ineffabile Æternitatis ſimulacrum, quod ab illo Deo detinetur, quem Alexandrini Oſiridis ſimul, & Adonidis nomine, per myſticam* (ſive ſacram occultamque) *numinis commixtionem venerantur.*

Nec Oſiris modò eſt Sol, vel Mitſraim; ſed etiam Nilus. Qui & ipſe in Diis, ob grande beneficium, quoniam Ægyptum inundat, & oblimat: unde omnis ei fœcunditas. Nec enim in Ægypto pluit, ſi veteribus credimus. Sed ii, qui in Ægypto ſuperiori & noſtro ſeculo fuere, uno ore teſtantur, (in his Proſper Alpinus) ſæpiſſimè pluere Alexandriæ, Peluſii, atque aliis maritimis in locis. Sed rectè veteres de Memphi, locisque aliis, procul à mari diſſitis, ubi rariſſimè pluit, ac non niſi roris inſtar: neque unquam tantum eſt frigoris, ut cernere ſit nivem, grandinem, vel glaciem. Itaque portentum perituræ Ægypti ſub Pſammenito, rege ultimo habitum, quod pluiſſet. Herodotus in Thalia: Ἐπὶ Ψαμμηνίτου δὲ τοῦ Ἀμάσιος βασιλεύσαντος Αἰγύπτου, φάσμα Αἰγυπτίοισι μέγιστον δὴ ἐγένετο. ὕσθησαν γὰρ Θῆβαι αἱ Αἰγύπτιαι οὔτε πρότερον οὐδαμὰ ὑσθεῖσαι, οὔτε ὕστερον τὸ μέχρι ἐμεῦ, ὡς λέγουσι αὐτοὶ Θηβαῖοι. Οὐ γὰρ δὴ ὕεται τὰ ἄνω τῆς Αἰγύπτου τὸ παράπαν· ἀλλὰ καὶ τότε, ὕσθησαν αἱ Θῆβαι ψακάδι· *Regnante Pſammenito Amaſis filio maximum extitit Ægyptiis portentum. Minutis enim guttis pluit Thebis Ægyptiis, ubi neque prius unquam, neque poſtea ad meam uſque ætatem pluit, ut ipſi ajunt Thebani. Nam in ſuperiore Ægypto penitus non pluit. Thebis tamen tunc guttulis pluit.* Ad hoc verò, ut Nilus inter Deos referretur, acceſſere etiam tot Nili admiranda. Quale imprimis de ejus incremento, & decremento. Incrementum fit Sole Cancrum ingrediente, ſive ſeptimodecimo Junii die. Atque auctores ſuos laudat Proſper Alpinus, qui cùm anno integro terram ſicco in loco adſervarint, non ante tamen obſervent pondus terræ vel auctum vel imminutum, ac pro magnitudine augmenti colligant, quot cubitis augendus ſit Nilus. De cauſſa incrementi mirificus eſt veterum diſſenſus. Ephorus credebat aquas hieme receptas tum exſudari, haut ſecus ac è ſpongia exprimuntur aquæ. Euripides, & Anaxagoras fieri credebant ob liquatas Æthiopiæ nives. Quaſi non ubi Sol ad Tropicum Cancri pervenit maximum in Æthiopia ſit frigus. Plura ſi de veterum opinionibus voles, adi Plinium lib. v, cap. IX; item Diodorum Siculum, Ammianum Marcellinum, Suidam; è junioribus Proſperum Alpinum, & Aldum Nepotem in Quæſitis

a Epiſt. 72. per epiſt. *a*. Veram autem ſententiam attulimus lib. II, cap. LXXV. Ubi etiam dictum, Oſirin, quatenus eſt Nilus, nigrum ſolere effingi. Nimirum quia aqua Nilotica eſſet nigra: ſive quia hæc aquæ natura eſt, ut nigricent colore, quæ humectat. Atque hanc etiam cauſſam eſſe arbitror, cur; (ut Pauſanias in Arcadicis prodidit) in Pſophidiorum ad Erymanthum templo, aliquot quidem nobilium amnium ſigna ſint è marmore candido: Solùm autem Nili ſimulacrum ſit è lapide nigro. Etſi aliam à Pauſania cauſſam adferri non ignorem. Quomodo verò effingi ſoleat Nilus, docet nos Lucianus in Rhetorum præceptore: Εἴ που τὸν Νεῖλον εἶδες γραφῇ μεμιμημένον, αὐτὸν μὲν κείμενον ἐπὶ κροκοδείλου τινὸς, ἢ ἱπποποτάμου, οἷον οἱ πολλοὶ γράφουσιν ἐν αὐτῷ· μικρὰ δέ τινα παιδία παρ' αὐτὸν παίζοντα. πήχεις αὐτοὺς οἱ Αἰγύπτιοι καλοῦσι. *Si unquam Nilum vidiſti depictum, illum quidem crocodilo cuipiam, vel equo fluviatili inſidentem, ſicuti in eo plerique depingunt: parvos autem puerulos, quos Ægyptii Peches,* (ſive cubitos) *vocant, circum ipſum luſitantes.* Illud de ſexdecim puerulis, qui πήχεις, hoc eſt, *cubiti* dicerentur, lucis multum capit ex illo Plinii lib. XXXVI, cap. VII: *Nunquam hic* (baſaltes, marmoris genus) *major repertus eſt, quàm in templo Pacis, ab imperatore Veſpaſiano Auguſto dicatus: argumento Nili* XVI *liberis circa ludentibus; per quos totidem cubiti ſummi incrementi augentis ſe amnis intelliguntur.* De Oſiride & Nilo ſatis.

Oſiridi ex Iſide natus Orus, qui albus fingebatur: tanquam bonus boniſque parentibus natus.

At Typho ruber ac ſuppallidus. Eo Sol ſignificabatur, non quatenus generationis principium eſt, (ſic enim Sol eſt Oſiris) ſed quatenus exurit cuncta. Ac ut Oſiris etiam Nilus: ita Typho quoque mare. Et ut Oſiridi uxor Iſis, inde filius Orus: ita Typhoni conjux Nepthys indeque filius Anubis. Ut per Iſidem ſignabatur tellus ſupera, ita per Nephthyn infera, per Anubin, horizon, utriuſque hemiſphærii quaſi cuſtos. De quibus omnibus penè dictum nobis lib. I, cap. XXVII. Nunc de ſymbolis Typhonis, & Anubidis dicam. Typhonis ſymbolum erat aſinus, idque ob animalis ejus inertiam, petulantiam, & colorem ingratum. Itaque Coptitæ aſinos dabant præcipites: & Buſiritæ abſtinebant tubis; quod ſonus earum ſimilis ſit ſono aſinino: etiam cum Ægyptii Ochum, Perſarum regem, peſſimè odiſſent, non alio convitio, quàm aſini, nuncuparunt: Ochus verò reſpondit, At hic aſinus bovem veſtrum epulabitur: poſteaque Apin mactavit, ut retulit Dino. Etiam Typhonis ſymbolum fuit hippopotamus, ſive equus fluvialis, idque ob ſævitiam. Itaque ut oſtenderent pugnam Oſiridis, & Typhonis, (quorum ille omnis boni, hic omnis mali principium habebatur) Hermupolitani pingebant hippopotamum, & inſiſtentem ei accipitrem, qui adverſus ſerpentem pugnaret. Etiam menſes Tybi die ſeptimo, qui dicitur Iſidos è Phœnice adventus, placentis adfigebant hippopotamum victum. Crocodilus itidem ob ſævitiam ſymbolum Typhonis fuit: Iccirco in Appollinis urbe decretum ut certa die ſinguli venarentur crocodilos, captos interimerent, & ex adverſo templi adjicerent. Atque addunt Ægyptii, hunc morem ex eo eſſe, quod Typho Orum fugiens verteret ſe in figuram crocodili, & eo pacto effugerit. Ita videmus etiam ex ſymbolis Typhonis, ut omnia ei tribuerint damnoſa. Atque hæc quoque Plutarcho teſte, cauſſa cur alio nomine vocatus fuerit *Seth*, ob violentiam: &, ſi Manethos audiatur, etiam *Bebo*, quia impediat, quominus omnia ad finem propoſitum pertingant. Nam *Bebo* Ægyptiis *obſtaculum* ſignificat.

Filius Typhonis Anubis colebatur in ſymbolo canis, vel ſemicanis. Cujus cauſſa eſt, quod canis ſit cuſtos domeſticus: horizon autem, qui per Anubin ſignabatur, quaſi cuſtos ſit ſuperi & inferi hemiſphærii, ut paullò antè dicebamus, ac pleniùs expoſitum nobis lib. II, cap. LXXV. Atque hæc quidem cauſſa, ſi Anubin capiamus ἀλληγορικῶς, ſive φυσικῶς. Sin ἱστορικῶς accipiamus vel inde erit, quia uteretur galea è pelle canina, qualis κυνῆ Græcis vocabatur: vel quia venatione excelluerit: venatio enim canibus fit: vel quia foret ſatelles principis ſui: ac canis pro cuſtode dici ſoleat. Poſtremum hoc amplectuntur, qui cenſent fuiſſe σωματοφύλακα *a* Oſiridis, atque Iſidos. a [Corporis cuſtodem]
Sed hoc non ſatis convenire videtur, cum eo, quod Anubis erat filius Typhonis, quo non alter infeſtior Oſiridi: imò ab hoc Typhone tandem interemtus fuit Oſiris, plurimaſque in partes diſſectus. Nec tamen nimis huic argumento fidere auſim in tanta inconſtantia eorum, quæ veteres de Diis Ægyptiis prodidere. Præſertim quando Anubis etiam cultus olim ſymbolo cynocephali: ut ex Strabone, Juvenale, & Luciano dictum lib. III, cap. LXXIV. At cynocephalus à partibus fuit Iſidos, ſi audimus Minucium Felicem in Octavio: *Iſis perditum filium cum Cynocephalo ſuo, & aliis ſacerdotibus, luget, plangit, inquirit: & Iſiaci miſeri cædunt pectora, & dolorem infeliciſſimæ matris imitantur: mox invento parvulo, gaudet Iſis, exultant ſacerdotes, cynocephalus inventor gloriatur: nec deſinunt annis omnibus, vel perdere, quod inveniunt, vel invenire, quod perdunt.* Præcipuè verò cynocephalum colnere Hermupolitani. Unde & liquet eum ſacrum fuiſſe Mercurio Ægyptio. Nec enim Ἑρμούπολις, aliud ſonat, quam Mercurii civitas.

CAP.

Cap. XIV.

De quadrupedibus, avibus, piſcibus, ſerpentibus, & inſectis, ab Ægyptiis, huic, vel illi, numine dicatis.

POſtquam de Iſidis, Oſiridis, Typhonis, & Anubidis ſymbolis compluria adduxi; quaſi per ſatiram complectar de cæteris Diis. Ac primùm loquar de iis, quæ hominem ſpectant; deinde quæ tangunt muta animantia; tum quæ plantas, ac denique quæ inanima.

In homine è digitis apud Ægyptios pollex Veneri ſacer; uti index Marti, infamis Saturno, annularis Soli, auticularis Mercurio. Vide Melampodis Hierogrammatei περὶ παλμῶν Μαντικὴν πρὸς Πτολεμαῖον βασιλέα, lib. De modo divinandi cum motu & concuſſione, ad Ptolemæum Regem.

Nunc quæ muta animantia cuique Deorum ab Ægyptiis ſint dicata, & plurimum etiam quare id fecerint, exponam, cauſſam verò ſymbolorum petere oportet vel ab hiſtoria, vel à natura, vel etiam morum doctrina: cujus rei documenta aliquot antea adduximus. Sed poëtæ, more ſuo, non à vera hiſtoria, nec naturæ occultis, ſed à figmentis ſuis, ſive hiſtoria fabulari, arceſſere rationem maluerunt. Oſtendit hoc Hyginus in Poët. Aſtron. ubi de Capricorno: *Ægyptii ſacerdotes, & nonnulli poëtæ dicunt, cum complures Dii in Ægyptum conveniſſent, repente conveniſſe eodem Typhona acerrimum giganta, & maximè Deorum inimicum: quo timore permotos in alias figuras ſe convertiſſe: Mercurium factum eſſe Ibin, Apollinem autem, quæ Threicia avis vocatur: Dianam merulam ſimulatam. Quibus de cauſſis Ægyptios ea genera violari non ſinere: quòd Deorum imagines dicantur.*

Magnum autem diſcrimen erat in his ſymbolis, & eorum cultu. Ut vel inde cognoſcimus, quod, ut Herodotus ait in Euterpe, capras immolarent in Thebaide, non oves: in Mendeſia contrà oves, non capras. Hircus necabatur à Coptitis: capra autem divino ab iis honore afficiebatur, ut dictum lib. III, cap. LXXIV.

Ut omnia ſint diſtinctiora, primum de quadrupedibus loquar, tum avibus, hinc piſcibus, exinde ſerpentibus, ac denique inſectis.

In quadrupedibus primùm videamus de viviparis, tum de oviparis. In viviparis, alia ſunt ſolidis pedibus: alia biſulcis, alia multifidis. Solidi pedes ſunt equo, aſino, mulo Sed non arbitror hæc fuiſſe pro numinis ſymbolo.

Pedibus ſunt biſulcis bos, ovis, & caprigenum genus.

Leo apud Ægyptios ob igneam naturam *Vulcano* ſacer teſte Æliano. Nos ſuprà lib. III. Univerſis Ægyptiis pro Deorum ſymbolis fuere boves duo: quorum prior dicebatur Μνεῦις: atque hic ſacratus Oſiridi, ſive Soli, quicum & Mitzraim divino fuiſſe honore cultus videtur: nempe cultu mixto, de quo poſt ſymbolicum loquemur. Is bos cultus in civitate ea, quæ Moſi On Geneſ. XLI, 50; ubi legimus, ut Joſephi patriarchæ ſocer Potiphara fuerit *cohen*, h.e. Sacerdos, aut princeps, vel præfectus civitatis On; quæ poſtea eſt vocata Heliopolis, ut Hieronymus ait ibidem, & in Ezechiel. cap. XXX; item, vel alius, libro de locis Hebraicis. Nec mirum Heliopolin vocatam, cum, quod vox ſonat, Soli fuerit dicata, atque uti dictum, Μνεῦις fuerit ſacer Soli. Qui cum LXX ſenioribus arbitrantur conditam ab Iſraelitis in Ægypto degentibus tempore ſervitutis, eò refelluntur, quod Joſephus filiam Potipharis, quem Moſes cohen in On fuiſſe ait, duxerit priuſquam fames ſeptennii affligeret Ægyptum: ut clarè traditum à Moſe *a*.

a Gen. 41. 50.

Alter bos colebatur Memphi, ac dictus Apis, & erat dicatus Lunæ, quicum, mixto cultu, venerati ſunt Joſephum patriarcham; ut fusè oſtenſum lib. I hujus operis, cap. XXIX. Propterea & Apis bos in comitatu Iſidos refertur ab Ovid. IX Metam. & II Amor. item Appulejo IX Metam.

Cæſar Scaliger Exercitat. CCLVIII. I: *Quemadmodum olim ab Ægyptiis, ita nunc ab Indis qui Cuchin regnum incolunt, bos peculiari cultu pro Deo habetur, & appellatur Tambaran.*

Ad ovis cultum pertinet hoc Juvenalis Sat....

—— *Lanatis animalibus abſtinet omnis*
Menſa.

Adi, quæ ex Strabone, & Clemente Alexandrino, attuli lib. III, cap. LXXIV. De caprigeno genere à Mendeſiis culto egi lib. III, cap. LXXIV.

Multifidis pedibus varia coluere animalia. Ac univerſa quidem Ægyptus coluit hæc duo, canem, & felem: ut ex Strabone, atque aliis, dictum lib. III, cap. LXXIV. Canem præcipuè honorarunt Cynopolitani, ut Clemens ait in Protreptico, ac nomen civitatis facilè perſuadet. Etiam Anubis capite canino fingebatur: de quo anteà dictum. De felis cultu meminit Plinius lib. VI, cap. XXIX: *A Syene & prius Arabia latere, gens Catadupi. Deinde Syenitæ. Oppida Tacompſon, —— Dumana, Rhadata, in quo felis aurea pro Deo colebatur*: Item Arnobius lib. I: *Templa felibus, ſcarabæis, & buculis, ſublimibus ſunt elata faſtigiis.*

At non totâ Ægypto, ſed certis ejus locis coluere ex multifidis leonem, lupum, cebum *a*, cynocephalum, ichneumonem, & mygalen. Leonem Leontopolitani venerabantur, ut Strabo ait lib. XVII. Pleniuſque de eo Ælianus lib. XII de Animalibus, cap. VII: ubi cur Ægyptii leonem conſecrarint Vulcano hanc cauſſam adſert, quia natura ſit planè πυρώδης, ſive ignea: ac ob copiam ignis interioris exteriorem ignem non ſine magna moleſtia intueantur. Iccirco etiam in ſigno Leonis conſtituunt domum Solis. Imò non Vulcano ſolùm, ſed & Soli, leonem Ægyptii dicarunt. Idque propterea, quod uti Sol aſſiduus eſt in orbe circumeundo: ſic leo nunquam ita ſomno vincatur ut non caudam moveat. Hanc rationem idem Ælianus adſert lib. V. ejuſdem operis, cap. XXXIX. Atque alias etiam cauſſas invenies apud Plutarchum lib. IV Sympoſiacôn, quæſt. V, quæ eſt, utrum Judæi ſint ſuem venerati.

a κῆβον, *cercopithecum, ſimiam caudatam.*

Ut verò leonem Leontopolitani, ſic lupum Lycopolitani colunt: ut Strabonis libro antè memorato conſtat, ac ex Clemente etiam Alexandrino oſtendimus.

Cynocephalum venerati ſunt Hermopolitani: unde & Mercurio ſacratum fuiſſe anteà colligebamus.

Ichneumon cultus Heracleotis: ut dictum lib. III, cap. LXXIV. Atque ibidem memoratum, ut Athribitæ venerati ſint mygalen, ſive murem araneum; quem murem à forma, araneum dixere à vi venenata.

Ac talis quidem Ægyptiis cultus fuit animalium, quæ vivipara forent. Ex oviparis autem crocodilum adorarunt Arſinoitæ, quique in Heracleotica degerent præfectura. Vide de eo cultu varios, quos laudo lib. III, cap. LXXIV.

A quadrupedibus nunc venio ad aves. E quibus accipiter, & ibis, magna in veneratione fuerunt: ut ex Strabone oſtenſum lib. III, cap. C. Cauſſam de accipitre attulimus antea. Uti & de ibide illam, quod avis hæc cum Serpentibus pugnet: & ſerpentum ova, ut cibum gratiſſimum, deferat in nidos, atque ita noxia Ægypti animalia rareſcant. Præter Strabonem de ibide teſtes inibi adduximus, Herodotum, Ciceronem, Plinium, Juvenalem, & Lucianum. De ejuſdem cultu verba Clementis Romani attuli lib. III, cap. LXXIV. Ac ſi hæc non ſufficiant, adi de eodem Diodorum Siculum lib. I, Ælianum lib. XI de Animal. cap. XXXVIII, Solinum c. XXXV, & ex eo Ammianum Marcell. lib. XXII. Contentus ero adferre Æliani verba: ut liqueat ibidem fuiſſe Mercurio ſacrum: Τῷ Ἑρμῇ δέ φασι, τῷ πατρὶ τῶν λόγων φιλεῖται· ἐπεὶ ἔοικε τὸ εἶδος τῇ φύσει τοῦ λόγου. τὰ μὲν γὰρ μέλανα ἀκύπλερα τῷ τε σιγωμένῳ καὶ ἔνδον ἐπιστρεφομένῳ λόγῳ προσβάλλοιτο ἄν· τῷ δὲ προσφερομένῳ τε καὶ ἀκουομένῳ ἤδη, καὶ ὑπηρέτῃ τοῦ ἔνδον καὶ ἀγγέλῳ, ὡς ἂν εἴποις· Locus corruptus, plane-

planeque deeſt, τὰ λευκὰ ὠκύπτερα: vel ſimile. Sententia eſt: *Ajunt & Mercurio, ſermonis parenti propterea in amore eſſe, quod orationis ſpeciem ac ſimilitudinem gerat. Namque pennæ in alis ejus nigræ cum tacito adhuc, & nondum emiſſo ſermone, comparari queunt: jam vero prolatæ orationi, & auditæ, & interpreti interioris animi, ac nuncio, candidas eſſe pennas ſimiles dixeris.*

Corvus etiam in ſymbolis Ægyptiis fuit: unde ſacra Coracina, ut dictum lib. III, cap. C. Addunt & ciconiam. Sed hanc ſententiam ibidem refellebamus. Præterco de aquila, quam Thebæis cultam fuiſſe cognoſcimus ex Diodori Siculi lib. I. Nam accipitrem eum fuiſſe, qui laxiùs accepta voce aquila vocatur, oſtenſum eſt nobis loco antè memoratô. Ubi & ex Plutarcho colligebamus, gryphas, (quos ex leone, & aquila, conflârunt) fuiſſe Solis ſymbolum. Uti & Indi illas ſacrârunt Soli, ac quadrigis eas junxerunt: ſicuti indidem cognoſcere eſt.

Phœnix avis eſt fabuloſa, ut oſtenſum lib. III, c. XCIX. a Cap. 28. Si tamen Tacitum audimus in VI Annalium *a*, *adſpici aliquando in Ægypto eam volucrem, non ambigitur.* Ac anteà dixerat, *Sacrum Soli id animal.* Etiam retulerat, quomodò in Ægyptum primùm advolâret Heliopolim dominante Seſoſtride, exinde ſub rege Amaſide, ac poſteà ſub Ptolomæo tertio, ſive Euergete. Eſt verò Heliopolis b Lib. 3. cap. 9. ea Ægypti urbs, quæ Latina appellatione Melæ *b*, Plinioque *c*, *Solis civitas.* Soli ſacratum Phœnicem, etiam c Lib. 5. cap. 9. legas apud Claudianum Epigr. I:

Conveniunt aquilæ, cunctoque ex orbe volucres,
Ut Solis mirentur avem.

At Ægyptiorum religionem optimè nôrat Claudianus, homo non Italus profectò, vel Hiſpanus, ut aliqui voluere: ſed Ægyptius, ut ipſe gemino de ſe loco teſtatur: imò & Sidonius Appollinaris: videlicet Alexandrinus, ut eſt apud Suidam. Eandem de Phœnice opinionem ſequitur incertus poëta, Carmine de Phœnice, quod Lactantio Firmiano tribui ſolet:

Antiſtes nemorum, & luci veneranda ſacerdos,
Et ſola arcanis conſcia, Phœbe, tuis.

Eò autem Soli ſacratus, quia, ut Sol unicus, ita & avis hæc unica. Fortaſſe etiam, quia, ut Sol ſideribus cunctis; ita Phœnix avis avium cæteras pulchritudine vincere exiſtimetur.

Vulcanus, & Minerva ab Ægyptiis per vulturem ſignantur: ut Orus prodidit in primo Hieroglyphicôn: nempe quia Vulcanus ἀπάτωρ, Minerva ἀμήτωρ, fingatur à poëtis: ut hac parte ſunt, vulturum ſimiles, qui ſine coitu naſci dicuntur. Omnes enim feminæ creduntur, & concipere ex auſtro vulvâ flatui oppoſita. Ita præter Orum tradidit Ælianus lib. II de Animal. cap. XLVI. Ac multorum è Chriſtianis vett. eadem fuit opinio: qua de re ſatis dixi lib. III, cap. LXXVIII, ubi & abunde eam opinionem refellimus.

Denique & coluere Ægyptii χηναλώπεκας ſive vulpanſeres: teſte Herodoto in Euterpe.

De perdicibus mitto, etſi non ignorem ſymbolum fuiſſe Veneris averſæ: teſte Oro Apolline. Nempe ob fœdam eorum libidinem, de qua eſt apud Plinium lib. X, c. XXXIII, & Iſidorum lib. XII Orig. VII.

Poſt aves ſubdam aliquid de ovis: Quæ apud Ægyptios fuere ſymbolum mundi, quia mundus eſſe ovalis figuræ crederetur. Itaque Thebaidos incolæ cum vellent repræſentare Deum mundi architectum, effingebant ore evomentem ovum: ut pluribus expoſui lib. I, cap. V. Ac Ægyptiorum exemplo Græci quoque in Cereris ac Liberi ſacris ovum adhibebant: ut attingebamus lib. III, cap. LXXVIII....

Hinc ſequuntur piſces: ex quibus tota Ægyptus coluit tum lepidotum, ſive cyprinum, qui nobis carpio: tum oxyrinchum, ſed imprimis in Ægypto interiori cultus ab Oxyrinchitis. At certis locis culti latus, phagrus, & mæotes: Nempe latus, piſcis Niloticus, à Latopolitanis; phagrus ab Euenitis, vel potius Syenitis; mæotes autem ab Elephantinæ incolis: Imò & anguillæ Ægyptiis venerationi erant. Singula horum luculentis auctoribus adſtruebamus lib. IV, cap. LI.

Piſces excipiunt reptilia, ſive ſerpentes. E quibus aſpides præcipuè colebantur Ægyptiis: ut ex Phylarcho dictum lib. IV, cap. LXIII.

Superſunt ex animalibus inſecta. E quibus Ægyptii κάνθαρον, ſive ſcarabeum impensè venerabantur, ut animatam Solis effigiem: quemadmodum Porphyrius refert περὶ ἀποχῆς. Etiam cultus ejuſce mentio apud Plutarchum lib. IV Sympoſ. quæſt. V. ubi Calliſtratus ait nihil eſſe abſurdi, ſi Judæos credamus veneratione quadam abſtinuiſſe à ſue, quando & Ægyptii æquè fœda, & inepta numina coluerunt, in his cantharum, & crocodilum. Vide & quæ diximus lib. IV, cap. XCIX.

Imò etiam, quemadmodum tradit Orus, ab Ægyptiis ſecundum ſcarabæorum genus, quod eſt bicorne, conſecratum fuit Lunæ; quia hæc quoque bicornis, unde & Ταυροκέρως in Orphicis nuncupatur: nempe quia taurus bicornis. Adde quod, ſecundùm Aſtrologos, altitudo Lunæ, ſit in Tauro.

Nec animalia ſolum Ægyptii pro ſacris Deorum ſymbolis habuere, ſed etiam plantas. Ut porrum, ac cepes: de quibus dictum lib. III, cap. LXXIV. Laurus Apollinis Ægyptii repertum: hedera verò Oſiridis herba, ut vidimus lib. I, cap. XXVII. Horo ſacer rhamnus, ut lego apud Græcum poëtam epicum hactenus ineditum. Pluraque de hujuſmodi diximus libro quincto extremo, ubi agimus de plantis numini ſacratis.

Atque hæc, & alia ejuſce generis, meliùs ſciremus, ſi exſtaret Senecæ liber De ritu & ſacris Ægyptiorum, Servio citatus in illud VI Æn.

Sic demum lucos Stygios.

Verba ejus adduximus in opere de Hiſtoricis Latinis, cùm de Senecæ ſcriptis ageremus.

De quibus hactenus actum, Romani, & Græci ajebant ab Ægytiis coli pro numine: ſed Ægyptii dicebant ſe venerari hæc animantia, ut ſymbola bonitatis, vel potentiæ divinæ: nam & multum ex iis percipi utilitatis, unde ea colligerent eſſe donum Deorum immortalium: ac præterea in iis eſſe quædam miranda, quibus adumbrarent potentiam divinam, longeque manifeſtius exprimerent quam tabulis ac ſtatuis ſuis poſſent Græcique Romanique pictores, ac ſtatuarii.

De imaginibus non manufactis ſcripſit Gretzerus, quæ ſubjecit Codino Curopalatæ de officiis Conſtantinopolitanis. De cauſſis idololatriæ Ægyptiacæ, vide Franciſc. Flor. Sabinum Subſecivarum lib. III, cap. II.

Cap. XV.

De teſtudine, ſymbolo numinis apud Troglodytas. Item de ſimulachro Jovis Ammonis. Præterea de ſymbolo Veneris apud Paphios.

AB Ægyptiis proficiſcerer ad Phrygas, niſi manum injicerent regiones vicinæ, & ſuo quaſi jure expoſcerent, ne prorſus ſe negligerent, quando & ipſæ ſymbola Deorum habuerunt, quibus à gentibus aliis differrent. Habet verò Ægyptus ab Oriente Arabiam, ab Meridie cum alias terras, tum Troglodyticam, ab Occaſu Ammoniacam, ab Septentrione inſulam Cypri. De Arabum lapide anteà vidimus. De tribus nunc aliis loquar.

Troglodytica ſita eſt ſub Ægypto ad ſinum Arabicum. Hæc ut ſacras adorabat teſtudines marinas: quemadmodum alibi *a* oſtendi ex Plinii lib. IX. cap. X. Parum veriſimile eſt habuiſſe eas pro Diis. Sed ut vicini Ægyptii a Lib. 4 hujus operis, c. 51. ibides, & oxyrinchos, adorabant tanquam numinum ſymbola: ſic teſtudines Troglodytæ. At propinquæ genti erant in cibo, unde ea chelonophagorum dicta eſt.

Ammoniaca non Ægypto ſolùm contermina, ſed, Ptolomæi judicio, etiam pars. Hujus incolæ Ægypto vicinæ Troglodytica & Ammoniaca: illa quidem adjacet ſinui

nui Arabico, ſitaque ſub Thebaide: ut quâ magis ſit Auſtralis. Hujus incolæ, ut ſacras, adorabant teſtudines marinas: quemadmodum de iis proditum Plinio lib. IX, c. X. Quod non aliter capimus, quàm cùm Ægyptii dicuntur ibidem coluiſſe. Nempe teſtudines Troglodytis viſæ idoneum numinis ſymbolum.

At Ammoniaca Ægypto eſt ab occaſu: nec Ægypto ſolum contermina, ſed Ptolomæi judició etiam pars. Hujus incolæ Ægyptiorum, & Æthiopum, coloni fuere: ut eſt apud Herodotum lib. II. Atque ibidem legas, ut Iovem coluerint facie arietinâ: certa etiam anni die arietem illi mactare ſoleant. Cum arietinis cornibus videas in nummis Trajani Cæſaris. Ac ſimiliter de eo locuti Ovidius, Lucanus, Silius, Statius. Atque ut Lucano corniger, ita Luciano κριοπρόσωπος *a*, inque veteri epigrammate κερασφόρος *b* vocatur. Legas idem apud Feſtum Pompejum in *Hammon*, Servium, Martianum Capellam, Lutatium Placidium in III Thebaid. Multoque ante hos omnes Herodotus in Euterpe, poſtquàm de cornutæ Iſidos ſimulachro dixiſſet, ſubjunxit de ſimulachro Iovis Ammonis cum capite Arietis. Ac diſtinctiùs poſteà è Latinis Curtius lib. IV: *Id quod pro Deo colitur, non eandem effigiem habet, quam vulgo Diis artifices accommodaverunt. Umbilico tenus arieti ſimilis eſt, habitus ſmaragdo & gemmis coagmentatus.* Ita quidem Modius legit, pro *maximè* (ut eſt in MSSis atque editis) reponendo *tenus arietis.* Similia multi è noſtris. E quibus Athanaſius contra Gentes: Λίβυες πρόβατον, ὃ καλοῦσιν Ἄμμωνα, Θεὸν ἔχουσι. *Libyes ovem quam Ammonem vocant, Deum habent.* Cauſſam figuræ ejus ridiculam ſatis adfert Herodotus *c*. Ait, Herculem à Iove poſtulaſſe, ut conſpicere Deum liceret. Tandem exoratum Iovem, amputato arietis capite, pelleque villoſa, quam ei detraxerat, induta, Herculi ſe oſtendiſſe. Vera autem ratio ut opinor eſt, quòd cornua arietis ſint ſymbolum potentiæ divinæ: ut diximus, cum de Iove Ammone ageremus lib. I, cap. XXVII. Ac videmus ſic cornuum vocem accipi Pſal. LXXV, II. *Cornua impiorum ſuccidam, juſtorum verò cornua attollentur.* Quanquam & ſumere liceat pro animi magnitudine, quæ potentiæ propè individuus comes. Unde Amoſi VI, 13: *Nonne robore noſtro ſumſimus nobis cornua?* Ac planum eſt ſic ſumere etiam Ovidium in I de Arte:

> *Vina parant animos: tum pauper cornua ſumit.*

Jupiter hic Ammon fingebatur barbatus, ut auctor eſt vetus, ſed fabuloſus ſcriptor vitæ Alexandri Magni: quem Pſeudocalliſthenem dixeris. Ab eo & πολιὸς *d* & κριοκέρατος *e* nuncupatur. Ac talis quoque apparet in veteri nummo, cujus altera in parte ſilphium conſpicitur. Cauſſam verò cornuum alibi adducam. Geſtari numina ſolere, ex iis liquet, quæ de Heliopolitano Iove ſive Apolline, & aliis, diximus. Atque inde etiam lucem capit illud Curtii de Ammone lib. IV: *Hunc cum reſponſum petitur, navigio aurato geſtant ſacerdotes; multis argenteis pateris ab utroque navigii latere pendentibus. Sequuntur matronæ, virgineſque, patrio more, inconditum quoddam carmen canentes, quo propitiari Iovem credunt, ut certum edat oraculum.* Quanquam de Iove Ammone etiam neceſſitas urgebat. Nam aliquot paſſuum millibus aberat oraculum à mari, ac flumine. Unde ſacerdotes quaſi LXXX, coacti numen ferre: quod fiebat, ut dixi, in navigio aurato. Quod verò Herwartus illa de navigio aurato referebat ad pyxidem nauticam ſive magneticam, mari navigantium ducem, id ingenioſiùs, quàm veriùs, dictum puta. Nec in hoc modò, ſed aliis multis, præcipuè in temporum doctrina, nobiliſſimi ejuſce viri ut eruditionem quidem laudo, ſic judicium cogor ſæpiùs deſiderare. Nimirum nulli Deus omnia conceſſit.

De Iovis Ammonis effigie & templo, Curtius, ac Radertus pag. 177, & ſeqq. Filium ejus ſe jactabat Alexander M. teſte Curtio libro IV. Sed refragante matre Olympiade: cujus literæ apud Gellium libro XIII, capite IV.

a Arietina facie.
b Corniger.
c Lib. 2.
d Canus.
e Arietinis cornibus.

In Goltzii Græcia eſt nummus Pyliorum in quo vultum cernere eſt muliebrem capillis promiſſis, cum duobus in capite cornibus arietinis, vel caprinis. Ob eam cum Iove Ammonio cornuum convenientiam non diſplicet conjectura Ludovici Nonnii *a*, exiſtimantis eſſe effigiem Junonis Ammoniæ. Præſertim quando & Pauſanias *b* teſtatur Eleos non Græcis ſolùm Diis ſolitos libare, ſed etiam Libycis duobus, Junoni Ammoniæ, & Mercurio Parammoni.

Supereſt, ut videamus de Cypro: ubi Venus primò templum adepta fuit: atque inde dicta eſt Cypris, ut ab urbe Cythera Cytherea, Græcè, κυθέρεια. Niſi nomen ſit ἀπὸ τοῦ κύειν, quod eſt *parere*, quia præſit parientibus. Utrumque apud Feſtum habes ἔτυμον.

Veneris Cypriæ ſymbolum Paphi, Tacito teſte, continuus erat orbis, latiore initio, tenuem in ambitum, metæ modò exſurgens. Maximus Tyrius orat. XXXVIII albæ pyramidi confert.

a Commentario in Goltzii Græciam.
b In Eliacis prioribus.

Cap. XVI.

De cultu Cybeles, ſive Matris Deûm, apud Phrygas.

Exſolvi, quod promiſeram de terris Ægypto vicinis. Nunc bonis avibus per mare, per terras, è Cypro proficiſcor ad Phrygas: quod volentibus fiet Romanis. Nam Venus quæ mari orta, ſed in Cypro primum ſuſcepta, mater Æneæ: is verò Phryx; à quo Romani Æneadæ vocantur, quia ab Ænea per Albanos reges Romulus deſcenderit.

Phrygibus imprimis in honore fuit Cybele, ſive mater Deûm, quæ & inde Dea Phrygia dicta eſt. Videtur autem Cybele dicta à *Cubal*, quod ſit propagatrix: ut ejuſdem ſit originis, ac vocabulum *Cabala*. Valde hoc nomen conveniat matri Deûm. Libro II, cap. LII oſtendimus, per Cybelen ſignari Lunam & Terram. At vehementer ratio fugit Alexandrum Neapolitanum, cùm in Genialibus diebus lib. III, cap. XII eandem cenſet Matrem Deûm, & Matutam, cùm Matuta, unde matutino tempori nomen, eadem ſit ac Ino, vel Leucothea; ut vidimus lib. I, cap. XIII. Cybeles erat ſymbolum duplex: unum lapidis nigri, atque informis: alterum autem forma muliebri. Sanè lapidem Peſſinunte pro Dea fuiſſe ait Livius. Informem lapidem appellat Minucius Felix. Arnobius lib. VI vocat ſilicem non magnum, coloris furvi, atque atri, angulis prominentibus, inæqualem.

Altera imago erat formæ muliebris: ejuſque grandævæ, ac corpulentæ, ut ait Martianus Capella: εὐρύστερνον *a*, quale Telluris ſimulacrum refert Pauſanias. Capite turrito, quia Tellus turritas ſuſtineat urbes. Unde Lucretius in VI:

> *Muralique caput ſummum cinxere corona.*

Et Maro in VI:

> *—— Qualis Berecynthia mater*
> *Invehitur curru Phrygias turrita per urbes,*
> *Læta Deûm partu, centum complexa nepotes.*

Idem veteres nummi docent: ut ille M. Figuli: item ille Juliæ Piæ Auguſtæ, quæ uxor erat Severi Imperatoris. Vide quæ quia dixi lib. II, cap. LIV, nunc repetere non attinet.

Manu dextra tenebat ſceptrum, quo terrarum imperia denotantur. Vel eâ tenebat ſpicas, ac milium, ad ſignificandum terram frugiferam. Quandoque ſiniſtrâ habens tympanum effingebatur: ſive ad rotunditatem terræ, ſive ad ventos indicandos. Vel, ut eſt apud Iſidorum, manu clavem tenebat: quo indicatum hyberno tempore terram claudi, quæ vere aperitur, ſeminibus, quæ hieme fuerant operta, in apertum erumpentibus.

Veſtis ei florida, ac diſcolor: quia color ejuſmodi eſt Telluris, ubi peperit herbas, floreſque. Sedens effingebatur quia tellus eſt immobilis. Id liquet ex Juliæ Auguſtæ nummo anteà memorato: in cujus altero latere inſcriptio

a Lati pectoris.

prio eſt, MATER DEUM. Etiam in nummo M. Voltei bigis inſidet duos regens leones. Eſt & Maronis III Æn.

Et juncti currum dominæ ſubiere leones.

Ubi ſic Servius: *Ideo mater Deûm curru vehi dicitur, quia ipſa eſt terra, quæ pendet in aere.* De hoc dixi lib. II, cap. LII. Sequitur: *Ideò ſuſtinetur rotis, quia mundus rotatur, & volubilis eſt.* Quod de mundo æthereo puto capiendum. Nec enim exiſtimo Phrygios illos ſacerdotes eſſe amplexos opinionem de diurna terræ verſione: de qua alibi dicimus. De numero leonum variabant veteres ipſi. De bigis diximus ex Voltei nummo. Alii quadrigas aſſignant. Itaque & Heliogabalus, cùm Cybele haberi vellet, curſui ſuo quatuor jungebat leones: ut eſt apud Ælium Lampridium. Imò & quandoque unico contenti leone. Ita leoni inſidentem pinxit Nicomachus, teſte Plinio. Etiam in Severi Aug. filiique ejus Antonini Caracallæ nummo, depingitur leoni inſidens, dextra crotalum tenens, juxta flumen. Eò juxta flumen, quia ſtatua ejus ritu certo deportari ſoleat ad fluvium Almonem, ut lavaretur. Teſtes Valerius Flaccus in octavo Argonaut. & Arnobius in ſeptimo adverſus nationes. Crotalum autem etiam adſignant Catullus, Ovidius, Appulejus, alii. Sed nondum diximus, cur finxerint, vel leoni inſidentem, vel currui qui à leonibus traheretur. Mihi ſimpliciſſima, & veriſſima hæc ratio videtur, quod Cybele ſit Tellus: & inter terreſtria animantia leo facilè teneat principatum. Itaque & Atergatin ſub cujus ſimulachro leones forent: Tellurem eſſe colligit Macrobius: & Phaſianam Deam, cujus itidem ſubjicerentur throno, eandem eſſe Deam: judicat Arrianus in Periplo. Alias tamen rationes afferunt alii. Diodorus Siculus hanc adfert cauſſam quod Cybele à leonibus ſit educata: nempe ut à cervis Telephus, à columbis Semiramis, à cane Cyrus, à lupa Romulus. Aliam item cauſſam adducit Ovidius, cujus hæc in IV Faſtorum:

—— Cur huic genus acre leonum
Præbeat inſolitas ad juga curva jubas.
Nimirum feritas quoniam mollita per illam
Creditur: id curru teſtificata ſuo eſt.

Nec longè abit Servius, cum poſt verba proximè adlata ſubjungit: *Ideo ei ſubjunguntur leones: ut oſtendatur, maternam pietatem totum poſſe ſuperare.* De hoc ex Arriano, Claudiano, Zoſimo, dixi lib. II, cap. LIII. Sed rationem ab illa Servii diverſam adferunt alii. Nempe quod leonino validiſſimoque impetu cæleſtia ſidera, ſive malis orbes cæleſtes rapiuntur. Imò aliter quoque Varro lib. XVI rerum divinarum *a*: *Leonem*, inquit, *adjungunt ſolutum atque manſuetum, ut oſtendant nullum terræ genus eſſe tam remotum ferumque, quod ſubigi, colique, non conveniat.* Hinc à Servio ſubditur: *Ideo Corybantes ejus miniſtri cum ſtrictis gladiis eſſe finguntur, ut ſignificetur, omnes pro terra ſua debere pugnare.* De hoc etiam vidimus cap. LIII libri memorati. Poſt hæc cauſſam etiam adferamus cur, ut ante dictum, crotala ſonarent in Phrygiis ſacris: uti & tympana, ac cymbala. De eo ſic Lucretius lib. II:

a Apud B. Auguſtinum lib. 7. de Civ. Dei, c. 24.

Tympana tenta tonant palmis, & cymbala circum
Concava, rauciſonoque minantur cornua cantu.
Et Phrygio ſtimulat numero cava tibia mentes,
Telaque præportant violenti ſigna furoris;
Ingratos animos, atque impia pectora volgi
Conterrere metu, quæ poſſint numine divæ.

Addamus quoque ex eodem, cur ad ſacerdotium Cybeles maximè idonei viſi ſint evirati. De hoc ſic idem Lucretius hæc præmittit:

Gallos attribuunt; quia numen qui violarint
Matris, & ingrati genitoribus inventi ſint,
Significare volunt, indignos eſſe putandos
Vivam progeniem qui in oras luminis edant.

Valde autem eò inclinat animus, ut exiſtimem hoc totum proveniſſe ex prava æmulatione Circumciſionis divinitus in Dei populo inſtitutæ. Multa enim id genus alia videmus Satanam imitando corrupiſſe: de quibus lib. I, & alibi, diximus. Atque hæc de ſacris Cybelles. Multa ſcio prætermimus: quæ tamen ad ſymbolicam pertineant Theologiam. Sed potiſſima exſecuti ſimus lib. I, cap. XX; & lib. II, cap. LII, LIII, & LIV. Pinus potiſſimum in Cybeles ſacris geſtabatur à dendrophoris, quia pinus in Phrygia abundet, vel quia in eam Attis dicitur converſus.

Tandem vero Cybele Romanis etiam templis eſt recepta. Lavatio Cybeles, & ejus ſacra erant pridie Kal. Aprilis. Nempe quia tum dea è Phrygia advecta fuit ad eum locum, ubi Almo influit in Tiberim, ac priuſquam in Urbem deportaretur à ſacerdote iſtic eſſet abluta. In ejuſce igitur rei memoriam, quotannis Dea ad eumpſe locum carpento deferebatur: & quidem euntibus ante carpentum etiam Senatorii ordinis viris, atque hoc nudis pedibus, ac ſimiliter poſt lotam Deam in Urbem revertentibus. Unde Prudentius hymno de Romano:

Nudare plantas ante carpentum ſcio
Proceres togatos, Matris Idææ ſacris.
Lapis nigellus evehendus eſſedo
Muliebris oris, clauſus argento ſedet:
Quem dum ad lavacrum præeundo ducitis,
Pedes remotis atterentes calceis,
Almonis uſque pervenitis rivulum.

Alia etiam multa de hiſce ſacris occurrunt: ſed dixiſſe memini tribus antehac locis *a*. *a Lib. 1. cap. 20. lib 2. cap. 52.53.54. & hoc ipſo lib. 9.*

CAP. XVII.

De Iovis ſimulachro, & rebus ei dicatis.

HActenus de Aſiaticis & Ægyptiis numinum ſymbolis diximus, Græcis, ac Romanis numinibus, ſuo loco & tempori reſervatis. Nunc ea quoque exſequi pergam. Ac nequis ordinem requirat, ſequar in eo judicium Marci Tullii: qui in ſecundo de Legg. ſic ſcribit: *Divos, & ollos, qui cæleſtes ſemper habiti, colunto: & ollos, quos endo cælo merita vocaverint, Herculem, Liberum, Æſculapium, Caſtorem, Pollucem, Quirinum. Aſt olla, propter quæ datur homini adſcenſus in cælum, mentem, virtutem, pietatem, fidem, earumque laudum, delubra ſunto.* Ubi videmus tria numinum genera conſtitui. Primum eſt Deorum cæleſtium, ſive Conſentium ac Selectorum, qui & majorum gentium dicuntur. Alterum eſt Deorum Indigetum, ſive eorum, qui aliquando homines fuerunt, ſed ob potentiam, aut utilitatem quam hominibus attulerunt, Dii facti ſunt. De qualibus Diis ſic Cicero lib. II de Natura Deorum: *Suſcepit autem vita hominum, & conſuetudo communis, ut beneficiis excellentes viros in cælum fama ac voluntate tollerent.* Hos cum Cicerone *a* dixeris *adſcriptitios*, ut Græci παρεγγεγραμμένους: vel etiam minorum gentium: nempe quâ formâ apud Romanos patricii alii majorum, alii minorum gentium dicebantur. Tertium genus eſt, ut Cicero vocat, laudum, hoc eſt, rerum laudabilium, quarum amore & admiratione homines in cælum ſunt relati; ut ſunt Pietas, Fides, aliaque. *a Lib 3. de Nat. Deor.*

Conſentes Dii, Romanis XII fuere: cumque his octo alii, ut in univerſum eſſent viginti, Selectique dicebantur. In Conſentibus ſex mares, ac feminæ totidem. Mares fuere hi: princeps Jupiter, frater ejus Neptunus, ac liberi Iovis, Apollo, Mars, Vulcanus, & Mercurius.

Jupiter effingebatur ſuperiori corporis parte nudâ, inferiori autem amiculo tecta. Quo ſignificari volunt animas cæleſtes perſpicere Dei naturam: vulgaribus illis, humilibus, terreniſque curis immerſis omnia eſſe tecta, & obſcura.

Idem fingebatur quandoque cum corona regia, ſive ex auri lamina: cujus exemplo etiam à Tarquinio Priſco inſtitutum, ut cum corona hujuſmodi triumpharetur. Sed ſæpe & Iovis effigiem conſpicere erat cum corona quernа: nempe tum quia quercus Iovi ſacra: tum etiam quoniam is vitæ auctor, quæ olim ſuſtentabatur glandi-

dibus: unde & qui civem ſervaſſet civis, querna corona donabatur, tanquam vitæ auctor. Quandoque & cum corona viſebatur oleagina, quia arbor ea ſemper viret, & maximam humano generi utilitatem præſtat. Olea tamen non tam Jovi dicata, quam Minervæ; ut ſuo loco diximus.

Facies Jovis diebus feſtis, ut ruberet, minio illinebatur, teſte Plinio.

Oculi, ut homini, bini: etſi non defuerint, qui cæcum effingerent, quò oſtenderent principem debere eſſe amoris, & odii expertem. Ac contrà de Jovis ſimulachro tres oculos habente eſt apud Pauſaniam in Corinthiacis: atque addit, cauſſam videri, quia imperium teneret cæli, maris, atque inferorum: quod tribus Saturni liberis ſortitò obtigiſſe creditur.

Idem, more hominum, cum binis auribus. Cretenſes tamen, ut eſt apud Plutarchum de Iſide & Oſiride, ſine auribus finxere, quia principis non eſt uni magis aurem præbere, quàm alteri. Notum illud Publii Syri:

Qui ſtatuit aliquid parte inauditâ alterâ,
Æquum licet ſtatuerit, haud æquus fuit.

Jovi coma dividua, ſecundum Homerum, & Phidiam ſtatuarium. Imò adeò majeſtatis plenam, ut eâ dicatur totum tremefacere Olympum.

Jovi barba horrida: ut in nummo Dyrrachinorum, ubi & cum capite coronato. Eſt & Prudentii hymno in Romanum martyrem:

Ars ſeminandis efficax erroribus,
Barbam rigentem dum Jovis circumplicat.

Et ſanè ſemper barbatum effingi: tradit Lucianus lib. de Sacrificiis. Apud Pauſaniam tamen in Eliacis prioribus eſt de ſimulachro Jovis imberbi.

Erant ſimulachra Jovis cum Ægide ſua. Nempe ſic Deos ſuos, præcipuè Jovem, & Palladem, figurabant, qui priſco in bello non clypeo ſolum, vel ſcuto è pelle uterentur: ſed thorace etiam: unde Maro de Ornitho:

Cui pellis latos humeros exemta juvenco
Pugnatori operit.

Laconibus dicebatur αἰγὶς, quod Heſychio exponitur θώραξ. Et, Servio teſte, non aliud *ægis* in Deo, quàm *lorica* in homine: atque ut hæc, Varrone teſte, dicitur, quia ex loro, ſive corio fieret: ita αἰγὶς vocabatur, quoniam eſſet è pelle αἰγὸς, ſive capræ. Nec repugnem, ſiquis hinc Jovem cenſeat αἰγίοχον *a* appellari: etſi nec diſpliceat, quod alibi de hac voce adduximus.

a *Geſtantem ægidem.*

Jupiter Thebis, Plutarcho teſte, ſine manibus fingebatur; ut ſignificaretur principes non debere manus ad dona accipienda faciles habere; quomodò animatos poëta vocat δωροφάγους βασιλῆας *b*. Sed hoc Thebanis ſingulare. Alii effinxere ſic, ut dextrâ aquilam teneret, quia regum regi conveniret avium regina; vel victoriam, quoniam hæc à ſummo numine obtingat: ſiniſtrâ verò ſceptrum, ut qui eſſet rex hominumque Deûmque. In Neronis nummo dextra tenet fulmen, ſiniſtra haſtam, cum inſcriptione, JOVI CUSTODI. Contra in Antonini, ac filii Gordiani nummo, dextra haſtam gerit, ſiniſtra fulmen, cum iſtiuſmodi ἐπιγραφῇ: JOVI CONSERVATORI. Jupiter Ὅρκιος, ſive jurisjurandi vindex, utraque manu fulmen tenebat: ut eſt apud Pauſaniam in Eliacis prioribus. Nempe nulli magis fulmen convenire viſum, quam Iovi. Interim & Saturno ac Marti, Junoni, & Palladi, tributum ut fulmina jacularentur: Summano ſolùm, ut nocturnum. Dixi de iſto quoque, cum alibi, tum lib. III, cap. VIII.

b *Donivoros reges.*

Iovis Olympii ſimulachrum ſic à Phidia erat efformatum, ut quamvis ſedentem effinxiſſet, appareret tamen, ejus eſſe magnitudinis, ut ſi ſurgeret, templum eſſet tecto nudaturus: quemadmodum refert Strabo in VIII. Ac hic quidem cur ſedens effingeretur, cauſſa erat, ut ſic meliùs magnitudo oſtenderetur. Sed etiam minores ſtatuæ ſedentem expreſſere. Videlicet, quia regi convenit ſedere in ſolio: & ſedentes, ob corporis quietem, meliùs animum intendunt ad omnia. Et quia ſedentes non movemur locô, ſeſſione Iovis meliùs exprimitur perpetua atque immutabilis mundi gubernatio.

Jupiter inducebatur in tragœdiis veſtibus χροιᾶς καλαϊζούσης ἐπὶ τὸ λευκὸν ῥεπούσης μικρόν· *coloris calai lapidi ſimilis ad alborem paulum vergentis*: ut eſt apud Porphyrium in tetrabiblon Ptolomæi περὶ τῶν τῆς ἱματίων χροιᾶς *a*.

a *De veſtium coloribus.*

In denariis argenteis Cn. Domitii Ahenobarbi, eſt Iovis laureati caput & ſacra ejus menſa, in qua fulmen triſculum.

Iovi antiquiſſimis temporibus non videtur ſacrificatus taurus. Sanè apud Homerum nuſpiam ei videas taurum immolari, ſed bovem. Et Macrobius lib. III Saturn. cap. X citat hæc Atteii Capitonis, ex libro primo de jure ſacrificiorum: *Itaque Iovi tauro, verre, ariete immolari non licet.* Et colligitur ex Labeone lib. LXVIII, *Niſi Neptuno, Apollini, & Marti, taurum non immolari.* Itaque apud Macrobium ibidem ab Euangelo Virgilius, tanquam juris Pontificii ignarus arguitur, quòd dixerit,

Cælicolûm regi mactabam in litore taurum.

Sed & idem triumphantes album taurum ſacrificâſſe ait II Georg.

—— Et maxima taurus
Victima, ſæpe tuo perfuſi flumine ſacro
Romanos ad templa Deûm duxere triumphos.

Brodæus lib. VI, cap. ult. pro Marone adducit, quod & Xenophon in Cyropædia dicat Perſas Iovi ſacrificaſſe taurum album: quodque Julianus epiſt. ad Libavium meminerit tauri albi Iovi mactati. Equidem exiſtimo, pro gentibus morem variâſſe. Albotum boum, qui à triumphantibus mactarentur, meminit & Claudianus in VI conſulatu Honorii:

Quin & Clitumni ſacras victoribus undas,
Candida quæ Latiis præbent armenta triumphis;
Viſere cura fuit.

Clitumnus ille fons in agro erat Faliſco: ac aquam ejus potam boves reddere candidos, ait Plinius lib. II, cap. CIII. Qua de re etiam diximus lib. II, cap. LXXIX.

De ſacrificio Iovis Capitolini ſic Donatus ad illud IX Æn.

Et ſtatuam ante aras aurata fronte juvencum.

Conſuetudo, inquit, *permanſit, ut vacca & taurus, auratis fronte, & cornibus Iovi Capitolino mactentur.* Ac Servius ad eumpſe locum. *Ita enim ornari conſueverat.* Nempe majores hoſtiæ auratis cornibus immolabantur Diis: ut ait Plinius lib. XXXIII, cap. III. Minores verò, etſi non inaurarentur cornua, coronabantur. Unde Iuvenalis Sat. XIII:

Quæque coronata luſtrari debeat agna.

Unde colligimus hoc etiam habuiſſe locum cùm Iovi ſacrificaretur. Nam Iovi quoque ovem immolatam indicat illud Macrobii libro I Saturnal. cap. XV: *Ovem, idulem dictam, omnibus idibus Iovi immolatam à Flamine.*

De Ariete Iovis Ammonis: Clemens lib. X Recog. nos lib. 3, cap. 74.

Equus apud nonnullas gentes Iovi ſacer. Feſtus *b*: *Apud Sallentinos Menzanæ Iovi equus dicatus vivus conjicitur in ignem.* Ubi pro *Menzanæ* videtur legendum *Mazani*, vel *Mezani*: ut diximus hujus operis lib. II, cap. XXXIII.

b *In Octob. equus.*

Etiam ovis mactata Iovi. Ovidius lib. II Faſt.

Inque Iovis ſumma cæditur arce bidens.

Huc quoque referendum, quòd in fœderibus ſanciendis ante aras porcus cæderetur. Unde Maro:

Poſt iidem inter ſe poſito certamine reges
Armati Iovis ante aras, paterasque tenentes
Stabant, & cæſa jungebant fœdera porcâ.

c *Pag. 87: edit. Rom.*

Ubi Servius culpat, quod *porca* dixerit pro *porco*. Sed abunde ex Cicerone, & Tranquillo, poëtam defendimus in Oratoriis Inſtitut. lib. I, cap. IX, ſect. XI.

d *Perfecta perfecto, altivolus cœleſti.*

Ex avibus dicata Iovi aquila: cujus duas cauſſas promit Euſtathius in Iliad. A *c*. Una quia conveniat τελειοτάτῳ τελείῳ, οὐρανίῳ ὑψιπέτης *d*. Altera autem διὰ τὴν κατὰ τοὔνομα κοινωνίαν *e*. Nempe quia, ut ait, Iupiter

e *Ob nominis cognationem.*

ter eſt aër æthèrius: ἀὴρ verò, & αἰετὸς ut Græci aquilam vocant, videantur derivari ab eodem verbo, ἄω, quod eſt πνέω, ſive ſpiro. Quia verò ſacra hæc avis Jovi, eò pictoribus & poëtis inſidebat Jovis ſceptro, ut apud Pindarum, vel capiti, ut apud Ariſtophanem, de quo in Minerva dicemus.

Jovem quoque, uti & Latonam, perdicibus delectari, apud Ælianum legere eſt lib. x de Animalibus, cap. xxxv.

Jovi etiam dicavere culmina Olympi, Idæ, aliorumque excelſorum montium: ut ait Maximus Tyrius orat. xxxviii, Utrum diis dicandæ ſint ſtatuæ. Jovi item è plantis dicata quercus, eſculus, fagus, omneſque arbores glandiferæ: ut ex Varrone, Plinio, Feſto, atque extremo lib. v, nempe in Plantarum hiſtoria dicebamus.

Ex inanimis Jovi Hercæo ſacra erat maceries ædium; ut antea expoſitum.

Cap. XVIII.

De Neptuni ſimulachro, deque dicatis ei animantibus, plantis, & rebus inanimis. Cur præfectus idem rei equeſtri, deque ludis in honorem ejus Circenſibus.

A Jove ſummo venio ad fratrem Neptunum: qui effingebatur conchæ, velut currui, inſiſtens: eam concham protrahebant equi marini, priori corporis parte equum referentes, poſteriori deſinentes in piſcem. Unde Statius xi Thebaidos:

> *Illic Ægæo Neptunus gurgite feſſos*
> *In portum deducit equos: prior haurit habenas*
> *Ungula: poſtremi ſolvuntur in æquora piſces.*

Tridentem verò manu geſtabat, ſive ob triplicis aquæ naturam, ſive quia piſcatoribus ejus uſus ſit, ad quædam genera piſcium capienda; ut alibi dictum.

In nummis quibuſdam videas caput Neptuni capillis, barbaque, promiſſis, ac undarum more criſpantibus. Inſcriptio autem ejuſmodi eſt; C. MARIUS C. FILIUS. A tergo videas hippopotamum bigas regentem, ac delphinum anchoræ circumvolutum. Credo, Arpinati illi ſepties conſuli, Mario hoc ſymbolum placuit quia à mari Marius videretur non incommodè deduci, ac Neptuni filius vellet haberi. Uti & poſteà Sextus Pompejus, Magni filius, Siciliæ, & maris dominus, avebat Neptuni filius vocari, eoque marini ſive cærulei coloris veſte gaudebat: ut eſt apud Dionem lib. XLVIII.

Neptunum cum nigro ſolere capillitio effingi, Luciano traditum lib. de ſacrificio. Poëtæ tamen κυανοχαίτην, hoc eſt, cæruleâ præditum cæſarie appellant: ut ait Phurnutus. Præterea, ut Minervæ cæſios tribuunt oculos: ita Neptuno cæruleos, ut de utriſque teſtis eſt Cicero in primo de Nativ. Deorum. Hi verò colores non aliter differunt, quam quòd cæſius minus ſit cæruleo. Imò corpore etiam cæruleus Neptunus. Unde Ovidius i Metam.

> *Nec cælo contenta ſuo eſt Jovis ira; ſed illum*
> *Cæruleus frater juvat auxiliaribus undis.*

Nimirum hæc inde ſunt, quòd mare ſit cæruleum. Unde & Nereus, marinus itidem Deus, propterea cærulus dicitur Ovidio epiſt. Dejaniræ:

> *Quà latam Nereus cærulus ambit humum.*

Et de Glauco, itidem marino numine, legas XIII Met.

> —— *Et cærula brachia vidi,*
> *Cruraque pinnigero curvata noviſſima piſce.*

Lato item pectore fingitur Neptunus: unde Homerus Iliad. B a.

a Verſ. 478.

> Ὄμματα καὶ κεφαλὴν ἴκελος Διὶ τερπικεραύνῳ,
> Ἄρεϊ δὲ ζώνην, στέρνον δὲ Ποσειδάωνι.
> *Oculis & capite ſimilis Jovi gaudenti fulmine,*
> *Marti autem balteo, pectore verò Neptuno.*

Eſt & lib. VII Ἀνθολογίας, de eodem:

> Ἐγγύθι δ' ἀφύστερος ἐφαίνετο κυανοχαίτης.
> *Propè vero lato pectore apparebat cæruleas comas habens.*

Item Valerius Flaccus lib. II Argon. a

a Verſ. 490.

> —— *Neque enim tam læta videbam*
> *Pectora, Neptunus muros cùm jungeret aſtris.*

Ex quadrupedibus Neptuno dicatus eſt equus. Quem tridente ſuo excitaſſe dicitur. Virgil. I Georg.

> —— *Tuque ò cui prima frementem*
> *Fudit equum magno tellus percuſſa tridente,*
> *Neptune.*

Ubi ſic Servius: *Fabula talis eſt. Cum Neptunus, & Minerva, de Athenarum nomine contenderent, placuit Diis, ut ejus nomine civitas appellaretur, qui munus melius mortalibus obtuliſſet. Tunc Neptunus, percuſſo litore, equum, animal bellis aptum, produxit: Minerva, jactâ haſtâ, olivam creavit: quæ res eſt melior comprobata, & pacis inſigne. Ut autem modò Neptunum invocet: cauſſâ ejus muneris facit, quia de equis eſt dicturus in tertio. Alioquin incongruum eſt, ſi de agricultura locuturus numen invocet maris.* Subjungit deinde de nomine hujus equi, quem aliqui *Scythium*, alii *Schironem*, alii *Arionema* ſunt appellatum. Idem de cauſſa, cur equum dicàrint Neptuno. Eam ait eſſe velocitatem equi, quâ refert Neptunum, ſive mare. Ac ſimiliter quoque Caſtorem, & Pollucem habere equos in tutela, quia ſtellæ eorum ſint velociſſimæ. Addit deinde Servius equum primum in Arcadia, juxta aliquos, viſum: juxta alios in Theſſalia: ac propterea à Theſſalis inſtitutum fuiſſe certamen equeſtre, ſacrum Deo, qui Græcis ἵππιος Ποσειδῶν, Latinis *Neptunus equeſtris*. De quo numine pleniùs mox loquar. Subdit deinde, ut diſcrepent ſcriptores, primùſne equus, an pullus editus ſit. Item tradi à nonnullis, Saturno, liberos ſuos devoranti, pro Neptuno equum objectum. Quo modo ſi ſervatus ſit Neptunus, nihil mirum ſi equum amarit præ cæteris animantibus. Aut ſi Illyrii, in memoriam ejus rei, quod ibidem legas, *quotannis ritu ſacrorum equum ſoleant aquis immergere: hoc autem ideò, quòd Saturnus humoris totius, & frigoris Deus ſit.* Ubi vide, an non pro *Saturnus* reſcribi debeat *Neptunus*. Nam Saturnus non humidus eſt, ſed ſiccus. Sunt & alia, quæ oſtendant, quàm equus ſit Neptuno gratus. Fabulantur enim in equum ſe convertiſſe, ut cum Cerere concumberet. Et Luna, cujus ſidus humidum, Orpheo ſive Onomacrito φίλιππος dicitur: Item Parthi, & Thraces, fluminibus mactabant equum, ut ventis Spartani. Itaque Galieni nummo videas equum, qui in piſcem deſinat cum inſcriptione NEPTUNO CONS. AUG.

Neptuno taurum immolatum, indicat Homerus Iliad. XI.

> Ταῦρον δ' Ἀλφειῷ, ταῦρον δὲ Ποσειδάωνι b.

b Taurum Alpheo, taurumque Neptuno.

Ac ſimiliter Maro III Æn.

> *Taurum Neptuno, taurum tibi pulcer Apollo.*

Etiam Homeri eſt initio Odyſſ. Γ.

> —— Ἐπὶ θινὶ θαλάσσης ἱερὰ ῥέζον
> Ταύρους παμμέλανας Ἐνοσίχθονι κυανοχαίτῃ.
> —— *In litore maris ſacra faciebant*
> *Tauros totos nigros Neptuno cærulei capilli.*

De cruribus verò taurorum ei ſacrificatum, cognoſcimus ex Iliad. Λ & Γ.

Quia Neptunus eſt maris potens, hinc quoque ad regnum ejus pertinent innatantes in eo piſcium greges. Præ aliis phocæ, Neptuni cuſtodes: maximeque delphini: quippe qui eo in piſcibus loco ſint, quo in quadrupedibus leo, in avibus aquila. Præ piſcium etiam multis Neptuno ſacer pompilus, ex eo dictus ἱερὸς ἰχθῦς: ut Pancrates Arcas tradidit libro, quem *Marina opera* inſcripſit: nec Neptuno ſolùm eſſe gratum, acceptumque; ſed etiam diis Samothraciæ præſidibus ab eodem proditum fuit: ut auctor eſt Athenæus lib. VII c.

c Cap. 7. ſive pag. 282.

Neptuno quoque dicata anas, ut eſt apud Euſtathium in Iliad. Α d: ubi & cauſſam hanc adfert, quia Neptunus

d Pag. 87. edit. Rom.

ſignet

ſignet naturam liquidam: & ἡ νῆσσα *a* dicta ſit ἀπὸ τῶ νῶ, νεσω, τὸ κολυμβᾶν *b*. *a Anas.* *b A natando.*

E plantis maximè ſacra Neptuno pinus, quia peridonea eſt navigiis materies.

Hoc quoque ad Neptuni regnum pertinet, quòd terras movet unde Σεισίχθων, & ἐννοσίγαιος eſt appellatus. Credebant enim antiquiſſimi terræ motum eſſe ab aquis terras ſubeuntibus. Qua de re dictum nobis lib. II, cap. LXXVII. Ac, niſi me fallit conjectura, inde etiam fuerit, quod murorum fundamenta crediderint in Neptuni eſſe poteſtate. Nam primò fundamentis, inde urbibus, terræ motum periculum eſt. Virgilius lib. II Æn.

Hic ubi disjectas moles, avulſaque ſaxis
Saxa vides, mixtoque undantem pulvere fumum:
Neptunus muros, magnoque emota tridente
Fundamenta quatit, totamque à ſedibus urbem
Eruit.

Ad quæ verba poëtæ hæc Servius annotavit: *Notandum, quod Deos facit, opera ſua evertere, ut portas Junonem, quarum Dea eſt. Nam & portam luminis naſcentibus præbet. Arces Minervam: legimus enim, Pallas, quas condidit arces. Neptunum muros: ipſi enim fundamenta ſunt conſecrata, cujus & moventur arbitrio. Unde* ἐννοσίχθων, *dicitur, hoc eſt, terram movens aqua concuſſione; ſicut terræ motus continent opiniones.*

Neque Neptunus ſolum Deus marinus, ſed etiam equeſtris, qui Latinis Conſus dicebatur. De hoc ſic Servius in illud VIII Æn. *Magnis Circenſibus actis. Rapta Sabinæ Conſualibus, hoc eſt, menſe Martio. Conſus autem eſt Deus conſiliorum: qui ideo templum ſub Circo habet, ut oſtendatur, tectum eſſe debere conſilium, inde &, quod Fidei panno velata manu ſacrificabatur, quia fides tecta eſſe debet, & velata. Ideo autem dicato Conſi ſimulachro rapuerunt Sabinas, ut tegeretur initum de raptu conſilium. Iſte Conſus & Equeſtris Neptunus dicitur: unde etiam in ejus honorem Circenſes celebrantur.* Ubi pro *eques Neptunus reſcripſi, Equeſtris Neptunus*: ſecundum id quod paullò præceſſerat: *Romulus celetes ſe Neptuno, equeſtri Deo, qui & Conſus dicitur, editurum propoſuit.*

Miretur aliquis, Neptunum etiam rei præfectum equeſtri. Unde hoc ſit, bifariam dilucet: prout Neptunus vel ἱστορικῶς attenditur, vel φυσικῶς. Si ἱστορικῶς conſideres, inde ſit, quòd Japetus Noë filius, vel potius Japetonidæ, cum novas quærerent terras, partim navibus transmiſerint mare; partim equis magna terrarum ſpatia transcurrerint. Atque de hoc dictum nobis lib. I, cap. XV. Sin φυσικῶς ratio Neptuni habeatur, Neptunus fuerit mare, ac per equum Neptunium intelligetur navigium: quod & Neptuni currum dixere. Vide, quæ de iſto attulimus hujus operis lib. II, cap. LXXX. Hujus equeſtris Neptuni aliquis fortaſſe imaginem deſideret. Sed nihil nunc occurrit. Et nullam ſe inveniſſe figuram apud antiquos, agnoſcit etiam Vincentius Chartarius lib. de Imaginibus Deorum, capite de Neptuno Februarium menſem Neptuno Equeſtri dicavere Romani: nempe quia tum Sol ſit in Aquario: aquis vero præſit Neptunus, cui dicatus eſt equus, ut anteà vidimus.

Neptuno ſacri erant ludi Circenſes. Lactantius lib. VI, cap. XX: *Et primitus quidem venationes, quæ vocantur munera, Saturno adtributa ſunt, ludi autem ſcenici Libero, Circenſes Neptuno.* Etiam Servius in VIII Æn. Circenſes ait ſacratos Conſo, ſive Neptuno equeſtri. Verba ejus proximè vidimus.

CAP. XIX.

De Apollinis ſimulachris, picturis: ac dicatis ei animalibus, & plantis.

NUnc Apollo nos vocat, atque ut ſuum in ſimulachrum ac res ſibi ſacras paullum oculos defigamus, expoſcit. Sol non veteraſcit, ſed novus, ac juvenis ſemper renaſcitur. Eoque, ut pueritia capillata eſſe ſolet, etiam talis fingitur Apollo, eo juſtiùs, quia radii ejus capillorum, quos de ſe ſpargit, effigiem præbent. Diximus de hoc lib. II, cap. XII. Hinc igitur Apollo Græcis vocatur ἀκερσεκόμης, &, quod apud Pindarum, ἀκερσεκόμας, h. e. *intonſus.* item, χρυσοτέφος, quaſi *alens capillos*, ſive crinitus. Ac Chriſtodorus, poëta Thebanus, ei tribuit ἄδετον πλόκαμον, *cæſariem ſolutam, ac fluentem.* Eſt & poëtæ Ithyphallici:

Phœbus comoſus, Hercules lacertoſus.

Ob eampſe cauſſam Athenis conſuetudo erat, ut qui ex ephebis excederent Delphos proficiſcerentur ac comæ primitias Apollini dicarent. Imò jam temporibus Theſei hunc morem obtinuiſſe ait Plutarchus. Ac in Ἀνθολογίᾳ eſt epigramma, quo Lyco ſe Phœbo ait primum ſacrare capillitium. Martialis ſimiliter in primo epigr.

Hos tibi Phœbe, vovet totos à vertice crines
Encolpus domini Centurionis amor.

Etiam Apollo coronatus lauro, ut Bacchus hederâ. Oppianus de utroque in primo de Venatione *a*: *a Verſ. 364.*

Φοῖβον δαφνοκόμον καὶ κισσοφόρον Διόνυσον.
Apollinem laurea redimitum, & hederam geſtantem Bacchum.

Hujus quoque rei cauſſam attulimus ibidem.

Apollinem puerili formâ, ut Mercurium pubeſcentem, Jovem barbatum effingi ſolere: apud Lucianum legas lib. de Sacrificiis. Tertullianus lib. I contra gentes, cap. X: *Imberbis de Apolline, virgo de Diana conſecratur.*

Apollini ſemper forma juvenilis, quod commune habet cum Baccho. Ac ille quidem ſemper juvenis, quia Sol non veteraſcit, ſed eodem ſemper eſt vultu: Bacchus autem, quoniam hilaritas, quam vinum adfert, juventutem conſervat. Unde Tibullus lib. I, eleg. IV.

Solis æterna eſt Phœbo, Bacchoque, juventa:
Nam decet intonſus crinis utrumque Deum.

Etiam apud Macrobium lib. I Saturn. cap. XVIII legas de *Liberi patris ſimulachro, partim puerili ætate, partim juvenili.* Subjungit deinde, ut in magna Græcia, vel Neapolitanis ſaltem, Ἥβων nuncupatus ſit: nempe ἀπὸ τῆς ἥβης, quaſi puberem, & adoleſcentulum dixiſſent. Verba ejus ſunt: *Uti Græci ejus, quem Baccapea, item quem Briſea appellant, & ut in Campania Neapolitani celebrant Hebona cognominantes.* Atque hoc firmat tabella marmorea vetuſtiſſima, quam Neapoli inventam, & penes Actium Syncerum fuiſſe, ſcripſit ante ſeculum & ampliùs Petrus Summontius, notis *b* in Uranien Joviniani Pontani. Initium eſt ΗΒΩΝΙ ΕΠΙΦΑΝΕΣΤΑΤΩ ΘΕΩ. Habes integram ibidem, & apud Appianum, & in Collectione Gruteriana pag. XXXVI, num. V. Sunt & denarii, in quibus quendam conſpicere eſt facie juvenili, pulchra, ac decentibus ornatum cincinnis. Inſcripta eſt N litera: quod Pighius interpretatur Nomius: ut ſit Apollo nominus ſive paſtoralis. In altera parte ſedent ædiles inter modios duos ſpicis plenos. Nomina adſcribuntur hoc pacto: EX S. C. CN. CARBO. C. F. M. SILAN. L. F. Sunt iſti Cn. Papirius Carbo, & M. Junius Silanus: qui ædiles plebis fuere anno Urbis IƆCXXIII, L. Opimio Nepote & Q. Fabius Max. Æmilianus. Videntur autem hac figura Voluiſſe ſignare, ſe inſtar Apollinis Nomii populum velle ubertim paſcere annona. *b Pag. 5. edit. Cratandri an. 1531.*

Nec tamen quod de forma adoleſcentis diximus, perpetuum eſt. Nam & virili, ac ſenili etiam forma effictum, Macrobius teſtatur loco ante ſignato. Lucianus item, cum retuliſſet, qua ratione aliqui Apollinem effinxerint barbatum, addit, quomodo ab his culparentur alii, qui facerent imberbem, eſſe enim hoc ſignum imperfectionis, quæ à Diis abeſſe debet.

Cum verò Apollo formoſiſſimus ſit totus, tum ſeorſum ejus humeros laudat Valerius Flaccus in ſecundo Argonauticôn *c*. *c Verſ. 492.*

Nec tales humeros, pharetramque gerebat Apollo.

Et ſane in Diis hos quoque attendi, arguit, quòd Maro I Æn. laudaturus Æneam dicat,

Os humeroſque Deo ſimilis.

Addit Valerius de pharetra. Nam cum hac, & ſagittis, effingi ſolet. Eo ſignabatur, radiis Solaribus cuncta penetrari. Rationem illam adfert ex Porphyrio Servius. Eſt etiam cùm effingitur unâ manu arcum, & ſagittas, geſtans, cujus cauſſam vidimus; altera autem tres Charitas, quo quid ſignetur, indicat Macrobius lib. I Sat. cap. XVII: *Ideo Apollinis ſimulachra manu dexterâ Gratias geſtant; arcum cum ſagittis ſiniſtrâ; quod ad noxam ſit pigrior, & ſalutem dextra manus promtior largiatur.* Etiam cum lyra, vel cithara, effingitur, ad ſignandam ſuaviſſimam illam ἁρμονίαν ſive concentum, quem ex cælorum motu oriri Pythagorici ac Platonici, tradiderunt. Georgius Codinus de rebus Conſtantinopolitanis: Κιθάραν ἐπὶ χειρῶν πλάττουσι τοῦ Ἀπόλλωνος, οἱονεὶ τὸν Ἥλιον τῆς παντὸς ἁρμονίας· κρουόμενος γὰρ τοῖς λοιποῖς ἄστερσι καὶ τίκτει, καὶ ζωογονεῖ. *Fingunt Apollinem manibus tenere citharam: videlicet quòd Sol omnia temperet. Si enim cum cateris ſtellis conferatur, omnia & gignit, & producit.* Pertinet huc quoque illud Plutarchi lib. περὶ τῆς ἐν Τιμαίῳ ψυχογονίας ſub finem: Οἱ πάλαι Θεόλογοι πρεσβύτατοι φιλοσόφων ὄντες, ὄργανα μουσικὰ θεῶν ἐνεχείριζον ἀγάλμασιν· οὐχ ὡς λύραν που καὶ αὐλὸν, ἀλλὰ οὐδὲν ἔργον οἰόμενοι θεῶν, οἷον ἁρμονίαν εἶναι καὶ συμφωνίαν. *Priſci Theologi, Philoſophi vetuſtiſſimi, inſtrumenta Muſica in manus Deorum imaginibus poſuerunt: non ſanè quòd eos lyrâ, aut citharâ ludere putarent; ſed quòd nullum Deo opus convenientius eſſe judicarent, quàm conſonantiam, & harmoniam.*

Lacedæmonii verò ut eum effinxerint, hiſce verbis Zenobius tradit centuriâ I Prov. LIV: Τὸν Ἀπόλλωνα τετράχειρα, καὶ τετράωτον ἱδρύσαντο Λακεδαιμόνιοι, ὥς φησι Σωσίβιος, ὅτι τοιοῦτος ὤφθη τοῖς περὶ Ἀμύκλας μαχομένοις. *Apollinis ſtatuam Lacedæmonii quatuor manibus, totidemque auribus collocârunt, ut refert Soſibius: quia talis viſus eſt ad Amyclas pugnantibus.* Puto, hoc ſignificare voluiſſe, Apolline ſive Sole vel Deo, nihil eſſe potentius: nec quicquam eſſe, quod non audiat, vel intelligat. Poſſis & de IV auribus eò referre, quod auditus ſit ſenſus doctrinarum, quarum præſes Apollo. Veriſimilius tamen id foret, ſi Athenis ſymbolo hujuſmodi uſæ forent. Major enim iſtic honos doctrinæ quàm Lacedæmone.

Phœbi etiam ſive Apollinis ſymbolum habemus in quibuſdam nummis aureis, & argenteis, in quibus inſcriptum L. PISO. FRUGI. ac videtur is eſſe Calpurninus Piſo, qui primus cognomen Frugi adeptus, inque quæſtura hos nummos cudit anno Urbis IↃC. I. In horum uno latere eſt caput Phœbi intonſi, ac pharetrati, inque nonnullis laureati, cumque longis cincinnis: in aliis item cum lituo, in aliquis cum tripode. In altero latere eſt equus laxis currens habenis, inſidente puero cum palma, aut face. Equi curſus denotat velocitatem temporis, quod motu Solis metimur. Puer ſignat Solem non ſeneſcere. Palma indicat tempus omnia vincere: uti fax, omnia illuſtrare, vel etiam cuncta abſumere.

In pluribus Apollinis Sminthii delubris ſimulachro Dei mus erat ſubjectus, qui pedibus numinis premeretur. Ejus rei cauſſam cognoſcere ex ipſo Sminthei nomine: de quo diximus lib. III Oratoriarum Inſtitutionum, cap. II, ſect. II. Inſidentem regali ſolio deſcribit Martianus Capella lib. I *a*: *Pythius, throno, quo inſidebat, exſurgens, Muſas juſſit occurrere.* Et quid impedit, quo minùs etiam appingamus, qua ratione eopſe libro Apollinem cum IV deſcripſerit urnulis? Verba ejus ſunt: *Ac tunc Latoium conſpicati, edito conſidentem, arduoque ſuggeſtu, atque in conſpectu quatuor urnulas adopertas viciſſim atque alternis inſpectionibus enudare, quæ diverſâ ſpecie, metalliſque formatæ. Nam una ex ferro, quantum conjici potuit, duriore; alia ex argenti fulgentiore materie; tertia liventis plumbi fuſili robore videbatur. At verò propior Deo perlucentis vitri ſale renidebat. Singulæ autem rerum quædam ſemina, elementaque geſtabant. Nam flamma flagrantior, & ab ipſius cecaumenis exantlata fomitibus ex ferri prædicta anhelabat urna: quæ tamen vertex Mulciberi dicebatur. Alia etiam, quæ fuerat ex argenti materie præferebat ſerena fulgentia, & vernantis cæli temperie renidebat. Hanc dicebant Riſum Jovis. Illa verò metalli gravioris plena undoſæ hyemis, atque algidi rigoris, nec non etiam pruinarum. Hæc Saturni vocabatur Exitium. At verò ſali reſplendentis, atque ad ipſius Dei dexteram ſita, aëris totius ſeminibus erat referta. Hanc Junonis Ubera memorabant. Ex his igitur urnis Deus alternatim, quantum diſpoſitis ſat erat, hauriebat. Nam quoties orbi complacito vitalis ſpiritus ſalubres miniſtrabat auras, ex illa argenti clementia aëris hauſtu permiſcens ſemina temperabat. Cùm verò peſtem diram commeritis mortalibus minabatur, aëris ſimiliter anhelos ignes, aut torpentis frigoris venena miſcebat, & in affligendum meare cogebat orbem.*

Nunc de iis videamus, quæ antiquitas ſacrarat Apollini, quæque immolarit. Ac priùs de animantibus.

E quadrupedibus Apollini ſacer lupus: unde & Delphis in Apollinis templo erat æneus lupus. Sanè Delphis cultum eſſe lupum etiam Ælianus auctor eſt in hiſtoria Animalium lib. XII, cap. XL. Ac cauſſam adfert quòd ea in urbe aurum ſacrum furto ſurreptum, inque Parnaſſo defoſſum, lupus detexiſſet. Etiam mater Apollinis Latona ex Jove gravida in lupum, (niſi potiùs lupam) converſa fuit, ne Juno reſciſceret. Imò & lupi formâ peperit Apollinem. Adhæc Apollo ipſe dictus eſt *Lycius*, à λύκος quod eſt lupus: niſi potiùs à λύκη, h.e. lux; de quo dictum lib. II, cap. XII. Sanè Euſtathius *a* cauſſam petit à nominis ſimilitudine, quam λύκου *b* vocabulum habeat cum λύκη *c*, unde & ἀμφιλύκη *d*. Juvencum ſacrificatum Apollini, indicat Martialis epigrammate ad eum, quod eſt lib. IX *e*:

Felix tunc ego debitorque voti,
Caſurum tibi ruſticas ad aras
Ducam cornibus aureis juvencum.

De auratis verò cornibus ait, quia in majoribus hoſtiis hæc conſuetudo obtineret: ut ex Donato diximus, cum de Jovis ſacrificiis ageremus.

Apollini taurum immolatos, ſemel iterumque Homerus Iliad. A. Ac de tauro ſimiliter Maro III Æn.

Taurum Neptuno, taurum tibi pulcer Apollo.

Nec ſemper tamen victima erat taurus ſed etiam aries, item capra, vel hircus: ut ex eodem Homero cognoſcimus. Apollini albos eſſe capros immolatos, ſcimus etiam ex Livii lib. XXV. Ac propterea & Homero, ut Apollinari viro, alba capra ſacrum faciebant Jones: ut Agellius ſignificat ex Varrone lib. III, cap. XI. Diximus de eo lib. I, cap. XIII.

Ovem Apollini ſacrificatam, atque hoc cum Deorum pluribus commune habere, indicat illud Maronis IV Æn.

—— Mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo,
Junoni ante omnes.

Etſi hic videri poſſit dictum ex Afrorum conſuetudine. Nam de Didone imprimis eſt ſermo. Sed de ovibus, imò & de capris, clarè Homerus Iliad. A *f*.

Αἴ κέν πως ἀρνῶν κνίσσης, αἰγῶν τε τελείων
Βούλεται ἀντιάσας ἡμῖν ἀπὸ λοιγὸν ἀμῦναι.
Si fortè ovium nidorem, caprarumque perfectarum
Vult aſſecutus nobis peſtem avertere.

Ex avibus Apollini ſacri ſunt cygnus, & corvus: quorum hic Ovidio propterea dicitur *Phebejus ales*, Auſonio *Phœbejus oſcen.* Ac cygnus quidem, quia candore ſuo lucem refert, diei eſt ſymbolum: corvus, ob nigrorem, eſt Symbolum noctis. Hinc Appulejus lib. II Floridorum: *Cum duo colores præſtabiles forent, piceus, & niveus,*

qui.

a Pag. 8.

a In Iliad. α pag 87. edit. Rom.
b Lupi.
c Lux.
d Diluculum.
e Epigr. 43.
f Verſ. 58.

quibus inter ſe nox cum die differunt; utrumque colorem Apollo ſuis alitibus condonavit; candidum olori, nigrum corvo. Prætereà cygnus moriturus canit ſuaviſſimè: quod ipſum Apollo facit lyrâ. Adhæc Apollo eſt augur: & utraque ales voce & volatu dat augurium. Euſtathius in Iliad. Α *a*: Καὶ κύκνος ἢ τῷ Ἀπόλλωνι, οὐ μόνον διὰ τὸ ᾠδικὸν, καὶ μαντικὸν, ἀφιέρωται· ἀλλὰ καὶ διὰ τὸ λευκὸν, ὅπερ ἐκ τοῦ λεύσσειν, ἤτοι βλέπειν, παράγεται· οὗπερ Ἀπόλλων ἐστὶ χορηγός. *Et cygnus quidem Apollini ſacer, non ſolùm propter cantum, & vaticinium; ſed etiam ob alborem, λευκὸς, quod à λεύσσειν, videre, cujus auctor Apollo.*

a Pag. 87. edit. Rom.

Corvi augurium erat funeſtum, quia aves hæ cadavera conſectentur. Sic mortem ſtrepitu ſuo ſignificâſſe creduntur Alexandro M. Babylona ingreſſuro, & M. Ciceroni, cùm fugeret percuſſores ab Antonio immiſſos.

Atque eandem ob cauſſam Apollini ſacer erat accipiter: nempe ὡς μαντικὸν ὄρνεον *b*. Quam rationem adfert Græcus Ariſtophanis ſcholiaſtes εἰς Ὄρνιθας *c*. Atque addit cùm Iovi eſſet dicata aquila, convenienter accipitrem qui minor eſt aquilâ, dicatum fuiſſe Apollini, ut Iovis miniſtro: Euſtathius in Iliad. Α *d* geminam adfert rationem cur ſacer ſit Apollini. Verba ſunt: Ἱέραξ ἱέρωται Ἡλίῳ Ἀπόλλωνι, διά τε τὸ ὀξὺ τῆς κινήσεως, ὠκυπέτης γὰρ ὁ ἱέραξ, καὶ ὁ ἥλιος ἢ ὀξυκίνητος· καὶ διὰ τὴν ἐξ ἐτυμολογίας συγγένειαν· καὶ γὰρ ἵεται ῥᾷον ὁ ἥλιος. ἐντεῦθεν δὲ καὶ ὁ ἱέραξ ὠνόμασται· ὅθεν καὶ Δήλιος ἐπιθετικῶς ὀνομάζεται, ὡς δῆλα, καὶ εὔορατα πάντα ποιῶν. *Accipiter Apollini conſecratus ob velocem motum, celeris enim volatus accipiter, & Sol rapidiſſimi curſus. hinc affinitas vocum, quòd ut Sol volubili gradu omnia permeet* (ἵεται:) *ſic & appellatio accipitris* (ἱέραξ) *inde procedat. Quippe ſolenne epitheton Apollinis, Delius, quòd manifeſta* (δῆλα) *& conſpicua omnia reddat.*

b *Avis, augurio captando idonea.*
c *In ſcenam, quæ incipit* Δολιχόν.
d Pag 87. edit. Rom.

Porrò accipitrem non ſemper pingebant adſiſtentem Deo; ſed etiam faciebant capiti inſiſtentem: ut inferiùs in Minerva dicetur.

Sed & gallus Apollini dicatus, teſte Pauſania in Iliacis prioribus, ſive lib. v: nempe, ut idem ait, quia diem annunciat; unde *lucis avem* vocat Martialis *e*. Æſculapio quoque, Medicorum Deo, ſacer fuit, quia ſymbolum eſt vigilantiæ, quæ virtus plurimùm dedit Medicum: uti & animarum Medicos, ac paſtores: unde gallus à Chriſtianis ſolet imponi templis, ut diximus lib. III, cap. LXXXVI.

e *Lib. epigr.*

Etiam fabuloſæ gryphes dicabantur Apollini, hoc eſt, Soli, cujus currum quandoque à gryphibus trahi finxere. Nempe uti Sole nihil vel potentius eſt, vel velocius, ita fabuloſa hac ave nihil vel pernicius creditur, vel potentius: ad quod ſignificandum ei caput tribuêre aquilæ, qua nihil in avibus pernicius; corpus autem reliquum leonis, quo nihil in quadrupedibus eſt potentius. Aures verò addidere eandem ob cauſſam, propter quam Apollo Lacedæmoniis τετράωτος colebatur. Vide & quæ dixi lib. III, cap. C.

E piſcibus Apollini is dicatus, qui κίθαρος vocabatur: ut eſt apud Athenæum lib. VII. Creditur id factum ob convenientiam nominum, quia Apollo citharâ canit. Etiam delphinum ei fuiſſe dicatum, diximus alibi. Fortaſſe origo ex fabula de Arione citharœdo.

Imò etiam è piſcibus thunnum eſſe Apollini ſacrificatum, ex Antigoni Caryſtii libro de Dione docuit Athenæus lib. VII, cap. XX.

Apollo etiam Delphicus ſerpentis ſymbolo colebatur. Atque inde vocabatur Pythius: nempe à פתן, *pethen*, aſpis. Imò & Pythoniſſa, quia, inſtar Apollinis, fatidica, eò, I Sam. XXVIII, 7, vocatur domina אוב, *ob* ſive *oph*, h. e. ſerpentis. Sanè ab *oph*, eſt Græcum ὄφις, & Οὔβαιος, quod Orus exponit baſiliſcum: atque ait ſolere Diis ex auro circumponi. Sed de his alibi etiam dictum.

Ex inſectis Apollini ſacra fuit cicada: de quo vidimus lib. II hujus operis, cap. XII.

E plantis Apollini ſacra fuit laurus: in quam converſa eſt Daphne, ſecundum poëtas, qui lauro, tanquam Apollinares viri, coronabantur. Pluribus de hoc egimus lib. II, cap. XII.

Etiam ei dicavere hyacinthum, oleaſtrum, myricam, & juniperum: ut in plantarum hiſtoria dictum. Imò & olea non ſolum Minervæ, ſed etiam Apollini dicata: ut itidem vidimus in eadem, & lib. II, cap. XII.

CAP. XX.

De ſimulachris Martis, Vulcani, & Mercurii: ac animantibus, aliiſque quæ iis ſacravit antiquitas.

De tribus Deorum Conſentium vidimus. Totidem ſuperſunt, Mars, Vulcanus, & Mercurius: de quibus nunc ordine agemus.

Mars figuratus formâ militis. Tertullianus lib. I adverſus gentes, cap. X: *Senex de Saturno, imberbis de Apolline, virgo de Diana figuratur, & miles in Marte, in Vulcano faber ferri conſecratur.*

Nec ſatis eſt attendere ſchema militare. Vultus etiam truculentum ſpirat. Idem latus humeris, ac pectore, quod Græci εὐρύστερνον dicunt. Seneca in Hippolyto:

> *Æquus Herculeos jam juvenis toros,*
> *Martis belligeri pectore latior.*

Poëta Ithyphallicus:

> *Nemo eſt feroci pectore fortior Marte.*

Mars habitu fingebatur χροιᾶς πυρώνης ἀληθινῆς *coloris ignei, vereque flammei*: ut ait Porphyrius in tetrabiblon Ptolomæi.

Apud Spartanos Mars catenis vinctus colebatur: nempe ne à gente ea poſſet recedere. Uti ab Athenienſibus colebatur Victoria abſque alis: videlicet ne poſſet avolare. Sed nihil ejuſmodi ſimulachra nationibus illis profuere. Nam & ſæpe avolavit Victoria, & Mars tandem perdidit Spartanos.

Hoc numen in ruſticarum ædium foribus effingebatur, quaſi dicere vellent, Mars exeſto, bellumque quatenus fieri poſſet, debere propulſari. *a*

a *E Chartario quem Verderius vertit pag. 259. ſed vellem addidiſſet auctorem.*

In Martis præſidio erat ignis, ex Pythagoreorum doctrina. Nam receptior opinio Vulcano dicabat. Verùm aliter Philolaus, Pithagoricos ſecutus. His eò Mars præfectus igni, quia calidus, & ſiccus: Bacchus aëri, quia calidus, & humidus: Saturnus aquæ, quia hæc calida, & humida: Pluto terræ, ut frigidæ & ſiccæ. Vide quæ ex Pythagoræorum, & Platonicorum opinione ſcribit Proclus in ſecundum Euclidis.

In tutela quoque Martis erant non milites modò; ſed etiam gladiatores. Tertullianus lib. de Spectaculis: *Martem, & Dianam, utriuſque* (gladiatorii, & venatorii) *ludi præſidem novimus.* Item Salvianus Maſſilienſis lib. VI de Gubernatione Dei: *Colitur namque & honoratur Minerva in gymnaſiis, Venus in theatris, Neptunus in circis, Mars in arenis, Mercurius in palæſtris.* Ubi *arenas*, ut ſæpe ea vox uſurpatur, pro amphitheatro dixit: quod arenâ ſternebatur, ut ſanguinem pugnantium imbiberet.

Ex quadrupedibus Marti ſacer equus: non apud Myſios modò, de quibus teſtis eſt Florus: ſed etiam Romanos, Feſtus: *Equus Marti immolabatur, quod per ejus effigiem Trojani capti ſint: vel quòd eo genere animalis Mars delectari credebatur.* Etiam Idibus Octobribus (non Decembribus, ut Plutarchus ait in Quæſtionibus Romanis) Marti equus immolabatur; qui inde *October equus*, dicebatur. Vide quæ de eo ſcripſit idem Feſtus in *October*.

At Luſitani mactabant Marti capros: ut eſt apud Strabonem lib. III: ubi & adjungit immolâſſe ei captivos hoſtes, & equos. Cares autem non equum, ſed canem immolabant: Scythæ aſinum; ut eſt apud Arnobium lib. IV. Eſt & lupus Marti ſacer: ſicut Apollini quoque, de quo anteà vidimus.

Ex

Ex avibus ſacer Marti erat accipiter, quia, ut ferè ſolent homines Martiales, ex rapto vivit. Interim aliis quoque Diis dicatus fuit: ac pro accipitrum genere diverſis; ſicut apud Græcos, uti variæ accipitrum erant ſpecies, ita variis dicarunt Diis. Unde Ælianus lib. XII Hiſt. Animal. cap. IV: Νενέμηνται δὲ καὶ ἀποκεκλήρωνται θεοῖς πολλοῖς· ὁ μὲν περδικοθήρας καὶ ὠκύπτερος, Ἀπόλλωνός ἐστι θεράπων φασί· φήνην δὲ καὶ ἅρπην Ἀθηνᾷ προσνέμουσιν· Ἑρμῇ δὲ τὸν φασσοφόντην ἄθυρμα εἶναί φασιν· Ἥρᾳ δὲ τανυσίπτερον, καὶ τὸν τριόρχην οὕτω καλούμενον Ἀρτέμιδι· μητρὶ δὲ θεῶν τὸν μέρμνον· καὶ ἄλλον δὲ ἄλλῳ θεῷ· γένη δὲ ἱεράκων ἐστὶ πάμπολλα. *Diſtributi autem ſunt, & conſecrati variis Diis, Perdicarius & ocypteros Apollinis miniſter, ut ferunt. Oſſifraga, & Harpe ſacra ſunt Minervæ. Palumbario Mercurium delectari ajunt. Junoni dedicatur Tanyſipteros, Dianæ, triorches ſive buteo, matri autem Deorum mermnus & alii Deo alii. Varia quippe ſunt accipitrum genera.* Apud Ægyptios accipiter ſacratus Oſiridi, ſive ἡλίῳ Deo, ut ſuo loco dictum.

Sacer quoque Marti vultur erat, ut Phurnutus ait lib. de Nat. Deorum, nempe itidem propter rapacitatem & quia ſectetur corpora, quæ bello ceciderunt. Sed Ægyptii ſacrarunt Junoni, ejuſque pennis caput Iſidis exornant: ut eſt apud Ælianum lib. X Hiſt. Anim. cap. XXII.

Gallum etiam gallinaceum ſacrarunt Marti, quia pugna gaudet: ut antea dictum.

Picum quoque non hyperboreum illum, ac fabuloſum quem gryphem dicimus, ſed vulgarem, *Martii* cognomento inſignem, Marti eſſe ſacrum, & cognomen hoc indicat, & Plutarchus refert quæſtionum Romanarum ſect. XXI. Eò autem dicatus Marti, quia & audax eſt, & fortis: ut qui quercus etiam diſſecet roſtro: unde δρυοκολάπτης, & πελεκᾶνος nomen, ut anteà diximus. Quia autem Rhea Sylvia, Numitoris filia, ex Marte dicta concepiſſe Romulum, & Remum: eo, uti fingebant ſuxiſſe ubera lupæ, quæ Marti dicata: ita & commenti ſunt paſtos à pico, itidem Marti ſacro. Ovid. in III Faſt.

Lacte quis infantes neſcit creviſſe ferino:
Et picum expoſitis ſæpe tuliſſe cibum?

Idem legas apud Plutarchum in Romulo, & opere ejuſdem proximè memorato: ubi etiam, cur Romani picum colant, & tantopere caveant ſibi ab ejus eſu, eandem inter alias cauſſam refert: ex Nigidio etiam Figulo. Grammaticorum poſt Varronem doctiſſimo, tradit, quod ferè locis montanis ac ſylveſtribus, ubi lupum, ibi & picum conſpicere ſit. Imò apud ipſos Aborigines picus Martis ſymbolum erat: eaque avis fraude ſacerdotali rudi populo reſponſa dabat: ut Dodonæis columba. Atque hinc occaſio data comminiſcendi regem Picum, qui poſt Ianum, ac Saturnum, in Latio regnaſſe creditur. Diximus de iſto in Originibus gentis Romanæ.

Alexander Neapolitanus *a* ait à Bœotiis anguillas Copaida, à Copaide Bœotiæ lacu ſic dictas, immolari Marti. Sed Athenæus *b* quidem tradit ex Europæis Agatharchidis eos Copaidas coronatas θύειν θεοῖς *c*: verùm de Marte id particulatim non dicit. Ibidem ait Alexander, Marti à Phaſelitis, qui in Lycia, vel Pamphylia ſunt, ταρίχους, ſive ſalſamenta immolari. Sed Athenæus ibidem non dicit Marti ſacrificari; verum Cylabræ paſtori: ac cauſſam apponit ex Heropythi libro de Colophoniorum finibus.

a Lib. 3 Genialium Dierum, cap. 12.
b Lib. VII. cap. XIII.
c Immolare Diis.

E plantis Marti dicatum gramen: ut indicat his verbis Feſtus: *Gradivus Mars appellatus eſt à gradiendo in bella ultro citroque: ſive à vibratione haſtæ, quod Græci dicunt* κραδαίνειν: *vel, ut alii dicunt, quia corona graminea in re militari, maxima eſt honorationis.* Sed ut gramen ſit Marti dicatum: non tamen inde Gradivi nomen: ſed potiùs à gradu, vel gradiendo: utcumque modulus ſyllabæ videatur refragari. Adi quæ de Gradivi cognomento ait Servius III Æn.

A Marte rivale Vulcani, me conferam ad Vulcanum ipſum. Is exprimebatur figura fabri ferrarii. Tertullianus libro I contra gentes, cap. X: *Virgo de Diana figuratur, & miles in Marte, & in Vulcano faber ferri conſecratur.* Convenit huic quòd Arnobius lib. V ait, cum malleo depictum. Quodque cum forcipe effictum videmus in nummo L. Cæſii. Leones ob igneam vim ab Ægyptiis dicati ſunt Vulcano: ac ob eandem cauſſam Solem conſtituunt domicilium Leonis: quia nempe Leo igneus: & Sol in ſigno Leonis eſt ferventiſſimus. Videtur tamen aliter ſapuiſſe Epimenides Cretenſis: qui Leonem Nemeæum è Luna deciſiſſe fabulabatur. Sic enim ſcripſit:

Καὶ γὰρ ἐγὼ γένος εἰμὶ Σελήνης ἠϋκόμοιο,
Ἣ δεινὸν φρίξασ᾽ ἀπεσείσατο θῆρα λέοντα
Εἰς Νεμεαίαν ἄγουσ᾽ αὐτὸν διὰ πότνιαν Ἥρην.

Quæ Petrus Gillius ſic expreſſit:

Nam genus è Luna noſtrum cæleſtis origo eſt:
Terribili quæ me quondam concuſſa rigore
In Nemeam ſylvam, Junoni ſcilicet almæ
Ut gratum faceret, dejecit.

Porphyrii quoque verba de Vulcani effigie adſcribi merentur; prout ea adduxit Euſebius in tertio Præparationis Evangelicæ, cap. XI *a*: τοῦ δ᾽ αὖ πυρὸς τὴν δύναμιν προσειπόντες Ἥφαιστον, ἀνθρωποειδὲς μὲν αὐτοῦ τὸ ἄγαλμα πεποιήκασι, πῖλον δὲ περιέθεσαν κυάνεον, τῆς οὐρανίου σύμβολον περιφορᾶς, ἔνθα τοῦ πυρός ἐστι τὸ ἀρχοειδές τε καὶ ἀκραιφνέστατον· τὸ δὲ εἰς γῆν κατενεχθὲν ἐξ οὐρανοῦ πῦρ, ἀτονώτερον, δεόμενόν τε στηρίγματος καὶ βάσεως τῆς ὕλης· διὸ χωλεύει, ὕλης δεόμενον εἰς ὑπέρεισμα. *Porrò vim ac poteſtatem ignis Vulcanum appellarunt, atque ejus ſimulachro humanâ figurato figura pileum impoſuere cæruleum, quo ſignificarent cæleſtem converſionem, ubi ignis eſt primigenius, & ab omni fece puriſſimus. Nam ignis ille in terras delatus è cælo, infirmior eſt, ac materiæ indigens, eoque claudicat, ob defectum adminiculi ad ingreſſum.*

a P. 112. edit. Pariſ. an. 1628.

Vulcano ex arboribus dicata eſt πεύκη, h. e. picea ſive larix. De quo ſic Euſtathius in Iliad. A *b*. Πεύκης φυτὸν Ἡφαίστῳ ἀνεῖται· οὐ μόνον ὅτι εὐεξάπτεται, ἀλλὰ καὶ διὰ τὴν δᾷδα, ἥτις ἀπὸ τοῦ δαίω τὸ καίω παράγεται· *Picea planta Vulcano dicatur, non ſolùm quia facilè accenditur; ſed etiam propter faces ex ea, quas Græci vocant* δᾷδας, *quæ vox à* δαίω *ſignificante uro, derivatur.* Item Vulcano ſacrum ferrum, quia hoc materies artis fabrilis. De priori in plantarum hiſtoria: de altero in metallis vidimus.

b Pag. 87. edit. Rom.

Mercurii effigies iſtiuſmodi eſt in antiquis inſcriptionibus, quas collegit Apianus. Eſt imberbis, atque adfixæ ei ſuprà aures alæ duæ exiguæ. In dorſo palliolum habet. Dextrâ gerit marſupium: quod imminet capiti hirci. Siniſtrâ tenet caduceum, cui angues bini circumplicantur. Aſſiſtentem habet gallum. Imberbis eſt, quia in nuncio per cælum terraſque juveniles requiruntur vires. Ac cum eo convenit, quòd Lucianus libro de Sacrificiis ait, pubeſcentem, primaque cum lanugine effingi ſolere. Alæ ſupra aures indicant, quæ mandantur, perniciter præſtari oportere. Palliolo opus nunciis adverſus imbres. Marſupium deſignat Deum eſſe mercatorum, qui lucro omnia metiuntur. Hircus apponitur, ut puto, ad ſignificandam turpem lucri cupidinem. Hircus enim animal fœdum, ac fœtidum. Caduceus eſt ſymbolum pacis. Quamquam κήρυκες *c* non ſolùm mitterentur ad ineundam pacem, quales εἰρηνοδίκαι, ſive pacis ſequeſtri, dicebantur: ſed etiam ad bellum indicendum. De quo Ulpianus ad orationem Demoſthenis in Timocratem. Caduceo circumplicati angues bini: unde Arnobio lib. IV dicitur, *aſſabilium colubrorum geſtator.* Eo autem *aſſabilium* ait, quia, ut in medio nodo jungebantur Herculaneo, ad ſignificandum, pacem debere conſtanter obſervari: ita ora etiam jungebantur, ut ſignum ea res eſſet conjunctionis arctiſſimæ, quæ pacis eſt opus. Hoc eſſe propoſitum caduceatoribus, caducei etiam nomine commonemur. Nam *caduceum* pro *caruceum* dixere, à Dorico καρύκειον pro κηρύκειον, quia inſigni hoc uterentur οἱ κήρυκες. Cur verò caduceo ute-

c Præcones, nunciique.

uteretur caduceator, ex fabula cauſſam arceſſit Hyginus in Poëtico Aſtronomico cap. de Lyra. Serpentes circumplicati criſtis carebant. Nam criſtati magis belli fuiſſent ſymbolum, quàm pacis: cujus ergo præcipuè mittuntur caduceatores. Hinc Plinius lib. XXIX, cap. III: *Hic complexus anguium, & efferatorum concordia, cauſſa videtur eſſe, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circumdatâ effigie anguium fecerint. Neque enim criſtatos eſſe in caduceo mos eſt.* Gallus apponebatur ad denotandum magna violentiâ opus eſſe caduceatoribus, ac legatis. Etiam cum galero vel petaſo pingebatur, quod omne negotium ſemper ſit abſconſum: ut ait Fulgentius lib. I Mytholog. Pedes habuit decentes: unde eos, more Homerico commendat carmen Ithyphallicum:

Habet decentes nuncius Deûm plantas.

Nempe in nuncio pedes etiam attendimus. In quibus commendatur velocitas. Unde & talaria ei data.

Quandoque etiam Mercurius fingebatur manibus pedibuſque mutilus, ſed cum veretro rigido, atque intento. Priori ſignificabatur non requiri à ſene, ut viribus corporis polleat. Poſterius notabat, ut à genitalibus eſt fœcunditas; ita orationem quoque hominis prudentis, ac diſerti, eſſe efficacem ac fœcundam. Pluribus de eo ex Herodoto, Plutarcho, ac Porphyrio diximus lib. II, cap. XXXII. De veretro erecto, teſtis etiam Artemidorus in Oneirocriticis lib. I, cap. XLVII, & Macrobius lib. I Saturnal. cap. XIX. Ac ſic Mercurium in Elide à Cyllenenſibus cultum, auctor nobis Pauſanias in Eliacis poſterioribus. Ad hoc verò quod ſtatu quadrato, ſolo capite inſignito effingeretur reſpexit Juvenalis Sat. VIII, cum inquit:

——*Truncoque ſimillimus Hermæ.*

Cur Mercurius, & Charites uno locarentur delubro, indicat Plutarchus lib de auditione: Τὸν Ἑρμῆν ταῖς χάρισιν οἱ παλαιοὶ συγκαθίδρυσαν, ὡς μάλιστα τοῦ λόγου, τὸ σὺγκεχαρισμένον, καὶ προσφιλὲς ἀπαιτοῦντος. *Mercurium antiqui collocârunt eodem in fano cum Gratiis, quia ſermo imprimis exigit, ut gratus ſit, atque amicus.*

Subinde & canis Mercurio appingebatur, quia animal eſt ſagax, & ingenioſum: uti & Plato inquit.

Nec Mercurius ſeorſum ſemper cultus: ſed etiam cum Divorum alio. Nam ex Mercurio, & Hercule, ſignum conjunctum Græco nomine *Hemeraclam* vocat Cicero ad Att. lib. I, epiſt. VIII. Quomodo & idem Hermes ſociatus cum Minerva. *Hermathena* dictus: de quo in Minerva agemus.

Egi de ſimulachro Mercurii. Adjungam nunc de rebus eidem ſacratis.

Mercurio linguam ſacravit antiquitas: ut ex Athenæo, Suida, atque aliis, dictum lib. II hujus operis, cap. XXXII. Nec ratio obſcura eſt, quandoquidem, ut Ariſtides orat. in Minervam *a* ait, Mercurius vocabatur λόγιος, ἀγοραῖος, καὶ ἐμπολαῖος, *ſermonis, fori, & mercaturæ præſes.* Quorum omnium lingua eſt inſtrumentum.

a Pag. 28 edit. Steph.

E digitis auricularis eſt ſacer Mercurio; ut è Melampodis libro περὶ παλμῶν alibi dixi.

Ex alitibus Mercurio ſacratus eſt larus. Cujus rei geminam adducit cauſſam Euſtathius in Iliad. Α *b*. Quarum una eſt à re, altera à voce. Sic enim ſcribit: Οἰκεῖος δὲ πῶς ὁ λάρος Ἑρμῇ, οὐ μόνον ὡς Ἀργειφόντῃ λευκός· ἀλλὰ ὁ κατὰ τὸ παρωνυμοῦν τρόπον τινὰ τῇ τοῦ λόγου γλυκύτητι. ὅτι γὰρ λόγος πρᾶγμα λαρὸν, ἤγουν ἡδύ· καὶ ὁ λάρος ὁ πρὸς τοῦτον ἐκπεφώνηκε τὴν πρὸς τὸ λαρὸν συνέμφασιν. *Domeſticus & proprius quodammodò eſt larus Mercurio, non tantum quod color hujus avis ad alborem vergat, & ut Argus, ſic &* Ἀργειφόντης *c Mercurius à candore dicatur: verùm etiam quòd ratio nominis lari accedat dulcedini orationis. Quippe ſermo ſuavis ſit; inter* λάρον *autem* avem, *&* λαρὸν lautum, lætum, *tantum differentiam tonus faciat.*

b Pag. 87 edit. Romana.

c Domitor Argi.

Idem Mercurius in ibide latuit, cum Typhœus cælo bellum moviſſet, ut eſt apud Ovid. V Met. fab. V.

Cùm verò Mercurius Ἐνόδιος princeps facilè ſit inter Deos viarum præſides, etiam dicendum ſacratum ei ſpinum. Apud Ælianum quidem lib. X Animalium, cap. XXXII lego, ἀκανθον, ſive ſpinum avem, eſſe ſacrum τῶν δαιμονίων τῶν κατὰ τὴν ὁδὸν πεμπευόντων καὶ ἀγόντων σὺν αἰθρίαις. Hoc eſt, ut Romani vocant; Deorum Semitalium, ſive Vialium, qui & Ἐνόδιοι Græcis.

E piſcibus Mercurio ſacratus eſt boax; ut eſt apud Athenæum lib. VII: item Euſtathium in Iliad. Α, qui & cauſſam ex nominum cognatione arceſſit *a*. Ἑρμῇ, inquit, ἀφιέρωται βόαξ, ὡς κήρυκι διὰ τὴν βοήν. παρ' ὃν καὶ Βοώτης κήρυκος ὄνομα. *Mercurio ſacratus boax, ut præconi, ob clamorem, unde & Bootes præconis nomen.*

a Pag. 83 edit. Rom.

E plantis ſacrum eidem pentadactylon; ut lego apud poëtam Græcum anonymum, qui hactenus lucem non vidit. Item dicata illi ficus: de quo in plantarum hiſtoria vidimus. Adhæc portulaca: ut alibi dixi.

Mercurio etiam ſacri fuere acervi in triviis, & quadriviis ex lapidibus à viatoribus, dum prætereunt, conjectis: Græci ἕρμακας dixere. Dixi de hoc lib. II, cap. XXXII.

Cap. XXI.

De ſimulachro Junonis, & animantibus; ac plantis ei ſacratis.

Vidimus de ſex Diis Conſentibus: deinceps agendum de totidem Conſentibus Deabus, quas hoc ordine complexus Ennius:

Juno, Veſta, Ceres, Diana, Minerva, Venus.

Juno regina exprimitur figura matronæ ſtolatæ, dextrâ tenentis ſceptrum, tanquam Deorum reginæ. Unde Statius lib. X:

——Ad patrias fuſæ Pelopeides aras
Sceptriferæ Junonis opem, reditumque ſuorum
Expoſcunt.

Crebrò autem in nummis Romanis cum ſceptro reperias: at non æquè frequens in Græcis. Semper verò ſic exprimenda, ut in ea quædam majeſtas. Nam ut ſecundum Ovidium *b*.

b 6 Met.

—— Jovis eſt regalis imago:

Sic & Junonis: unde Appulejus VI. Metam. *Supplicanti ſeſe Iuno cum totius ſui nominis auguſtâ dignitate præſentat.*

In nummo Iuliæ Mammeæ eſt ſymbolum matronæ ſtola in ſinus fluentes collecta, & læva innixa haſtæ, dextra autem porrigentis anguem in ſpiras convolutum: inſcriptum autem, JUNO SONSERVATRIX.

Apud Pauſaniam in Corinthiacis memoratur ſimulachrum Junonis hujuſmodi. Sedebat Diva in ſolio eximia magnitudine, ex auro, & ebore, Polycleti opus. Impoſita capiti corona, quæ haberet Gratias, & Horas affabre factas. Unâ manu ſceptrum gerebat, alterâ autem malum Punicum: cujus ſignificationem ait myſticam eſſe: ſed quæ illa ſit, non aperit. Addit, ſceptro inſediſſe cuculum, idque ob veterem fabulam de Jove in cuculum converſo, ut Junone adhuc puella potiretur. Eam fabulam narrat quoque Theocriti ſcholiaſtes in illud poetæ:

Πάντα γυναῖκες ἴσαντι, καὶ ὡς Ζεὺς ἠγάγεθ' Ἥραν.
Omnia mulieres ſciunt, etiam quo pacto Jupiter duxerit Junonem.

Unde & templis quibuſdam Jovis κοκκυγίου nomen, ut poſteà eodem libro Pauſanias narrat.

Idem eodem libro meminit Junonis ſigni ſuper columna veteri è pyro ſylveſtri facti, quod Piraſus, Argi filius Tirynthem aſportaſſet. Erat id forma ſedentis, modica magnitudine ſe vidiſſe ait Pauſanias.

Apud eundem in Bœoticis legere eſt de Iunonis imagine à Pythodoro Thebano efficta, quæ Sirenas manu præferret.

Superſunt denarii, in quibus eſt inſcriptum M. POPILLI M. F. LÆNAS. Eſt in his ſimulachrum Iunonis

Hhhhh Soſpitæ

Soſpitæ Lanuvinæ, prout à Cicerone in primo de Natura Deorum deſcribitur cum pelle caprina, haſta, ſcutulo, & calceolis repandis. Deam verò comitatu draco Lanuvinus. Videretur Popillus hos numos cudiſſe, poſtquam in quæſtura, vel ædilitate, ædem vel ſimulachrum Junonis Soſpitæ renovaſſet. Etiam in Romanis denariis cum ejus imagine videas haſce literas I. S. M. R. iis ſignificatur, *Juno Soſpita Magna Regina.* Niſi pro *Soſpita* malis *Siſpita*, vel Siſpes, more antiquo: ut indicant hæc Feſti verba: *Siſpitem Junonem, quam vulgo Soſpitam appellant: cum ea vox ex Græco videatur ſumta, quod eſt σώζειν a.*

a *Soſpitare, conſervare.*

Etiam denarii ſunt, in quorum latere uno eſt caput Junonis Soſpitæ Lanuvinæ caprinâ pelle obtectum: in altero autem latere ſacra Junonis menſa coronam habet impoſitam: atque inter duas ſpicas conſiſtit. Eo Lanuvina Juno expreſſa, quia Conſulibus quotannis mos per ſe ſacrificium obire pro populo Romano. Corona notâbat ſacrum fieri reginæ Dearum. Spicæ notabant frumenti copiam per ædiles curules iri procuratum. Curavit eos nummos cudi M. Plautius L. F. P. N. Hupſæus qui ædilis curulis fuit anno Urbis IↃCXXII. Hoc indicat inſcriptio, M. PLAUTIUS L. F. ÆD. CUR.

Aliam effigiem commemorat Georgius Codinus de rebus Conſtantinopolitanis, quæ Latinæ ſic ſonant: *Junonem dicunt eſſe aerem. Et quoniam aër purgat, fingunt Junonis ſtatuam geſtare forficem æneam: ſumta tranſlatione à forfice, qua pili capitis reſecantur, & corpus glabrum redditur.* Aere purgari res, oſtendimus alibi.

Apud Martianum Capellam lib. primo, imaginem Junonis habes ejuſmodi: *Hujus ſuggeſtui Junonis ſubditus conſeſſus, haut indecenter ornatus: ipſa verò tecto capite lacteo quodam calummate* b *prænitebat. Cui gemmis inſitum diadema precioſis: nam neque Scythidis vireta, nec ceranniorum vibrans fulguranſque lumen, nec flucticolor hyacinthi credebatur abeſſe profunditas. Sed totum illud ſertum capitis fulgurantis Thaumantias obtuliſſe regina cælitum ferebatur. Ipſius verò Divæ vultus aſſiduâ perlucens gratiâ, fratri conſimilis, niſi quòd ille immutabili lætitiâ renidebat: hæc commutationum aſſiduarum nubilo* c *crebrius turbidabatur. Nam veſtis ejus hyalina, ſed peplum fuerat caliginoſum: quo tamen, ſi appulſu cujuſdam luminis tangeretur, inter obumbrantes nebulas ſudæ perſpicuitatis gratia præniteret. Hæc fulmen* d *dextrâ, lævâ ſonorum bombis terrentibus ſuſtinens tympanum, ſub quibus plurimum ſudans ima ſubjecta roſcidis videbatur inundare fluoribus. Hujus vero calcei admodum furvi* e*: quorum ſolea atræ noctis nigredine coloratur. Nam ejuſdem genua zona quidem diverſicolor ambiebat; quæ nunc præfulgido reſplendebat orbe; nunc vaneſcentis gratia temata varietas ita penitus obliquabat* f*, tanquam nihil habuiſſet antè diſcolorum.*

b Operimento, à καλύπτειν, tegere.
c *Satis liquet in Junone aera deſcribi.*
d Aliqui libri *flumen.* Sed rectum eſt, *fulmen:* Nempe eo reſpexit, quod in aere fulmen ac tonitru contingant. Hetruſci tamen ſolam Deorum Minervam habere putabant fulminum poteſtatem: ut dictum lib. II.
e *Albis Capella ab Heſiodo, qui Junoni calceos tribuit non furvos, ſed auratos.*
f Al. *ablegabat.*

In Junonis ſtatua, quæ Mycenis erat ex auro & ebore facta à Polycleto, coronæ inſculptæ erant Horæ, & Gratiæ, teſte Pauſania. Nempe ſunt hæ divæ illius, quas Homerus hymno in Apollinem ait choreas ducere coram Iove. Iure autem Iunoni quoque ſociatæ, quia hæc eſt generationis & vitæ præſes: ut à qua vitalis ſpiritus infundatur. At Horæ omnibus maturitatem præſtant: Gratiæ decorem.

Iuvencâ, (ut Iovi Iuvenco) ſactum Iunoni fiebat; atque id auratis cornibus, ut in majoribus hoſtiis obtinuit. Iuvenalis Sat. VI:

—— Et auratam Iunoni cæde juvencam.

Iunoni quoque agnâ ſive ove ſacratum, indicat hoc Maronis IV Æn.

—— Mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo,
Iunoni ante omnes.

Dixeris hoc more factum Punico, quia ſermo de ſacris in Africa factis. Verùm non ſolet Maro religioſè admodum diſtinguere mores Punicos, & Romanos, de quo alibi dictum. Præterea apud Samios Iunoni ovem ſacravit Mandrobulus Samius: cùm apud eos aurum furto ſublatum reperiſſet: ut auctor eſt Ariſtoteles: & ex eo Ælianus in Hiſtoria Animalium lib. XII, cap. XL. Etiam Pauſanias in Bœoticis refert Platæenſes in feſto, quod Δαίδαλα dixere Iovi quidem taurum; at Iunoni vaccam mactâſſe. Et ſanè, in pugna Deorum cum gigantibus, latuit

—— niveâ Saturnia vaccâ:

ut eſt apud Ovid. V Metam. Imò & porca huic Divæ ſacrificabatur. Maro VIII Æn.

Candida per ſylvam cum fœtu concolor albo
Procubuit, viridique in litore conſpicitur ſus:
Quam pius Æneas, tibi enim, tibi maxima Iuno,
Mactat ſacra ferens.

Corinthi capra immolabatur Iunoni τῇ Ἀκραίᾳ a in feſto, quod à Dea Ἡραία b vocabatur. Auctor Zenobius Centur. I Proverb. XXVII. Apud Lacedæmonios etiam capra illi immolabatur: unde peculiari ratione dicta eſt αἰγοφάγος, caprivora, ſive caprarum carnibus veſcens.

a *Arcium præſidi.*
b *Junonium.*

Ex alitibus pavo ſacer eſt Iunoni. Nempe ut aquilam Iovi ob regias dotes, ita Iunoni pavonem ob formam, & faſtum convenire exiſtimatum. Ac fingunt poëtæ, cùm Io Inachi filia ab Iove eſſet in vaccam converſa, & Iuno ei appoſuiſſet Argum centum oculos habentem; hunc autem Mercurius interemiſſet, qui iccirco dictus Argiphontes: Iunonem hoc honoris habuiſſe Argo, ut oculis ejus pavonis caudam exornaret. Iidem finxere, currum Iunonis à pavonibus trahi: unde Naſo lib. II Metam.

—— Habili Saturnia curru
Ingreditur liquidum pavonibus æthera pictis.

Nihil igitur mirum, ſi Hadrianus Cæſar Iunoni pavonem ex auro & gemmis factum dicârit, teſte Pauſania: vel ſi Samii pecuniam pavone ſignârint, ut teſtantur Iulius Pollux, & Athenæus. Samos enim Iunoni ſacra, ut vel ex Æneidos initio conſtat. Dionyſius Alex. ideo vocat eam

—— Πελασγίδος ἕδρανον Ἥρης.
—— Pelaſgæ ſedem Iunonis.

Quin Samii eam apud ſe natam juxta Imbraſum ſub vitice (vulgo *agnum caſtum* vocant) arbitrantur. Eò & Samii plurimos educabant pavones, indeque alias in terras diſtrahebantur. Eoque non defuere, qui apud P. Syrum legerent,

Tuo palato Samius pavo naſcitur
Plumato amictus aureo Babylonico.

Sed antea oſtendimus, *clauſus* retineri oportere, quia attenditur ad ingentia illa aviaria, quibus paſcerentur, ut ex Varronis tertio de R. R. dictum. Porrò ex his etiam videmus, cur ut in ἀποθεώσει c Imperatorum aquila uterentur: ſic Auguſtarum animas à pavone dixerint cælis inferri. Ita in Fauſtinæ, & Paullinæ nummis pavo conſpicitur cum inſcriptione, CONSECRATIO.

a *Conſecratione, inter Deos relatione. Vide vet. nummos quos Sambucus emblematis ſubjunxit.*

Anſer quoque ſacer Iunoni, quia animal hoc facilè ſentiat aëris mutationem. Livius lib. quincto in deſcriptione arcis Capitolinæ à Gallis Senonibus obſeſſæ: *Anſeres non fefellere: quibus ſacris Iunoni in ſumma inopia cibi, tamen abſtinebatur.* In memoriam ſervati ab iis Capitolii, dormientibus canibus, quotannis Romæ in pompa ſolemni anſer ſtragulo inſidens lecticâ vehebatur: per canem verò medium palus ſambucinus adigebatur, ob arcem Capitolinam malè cuſtoditam. Nec ſoli tamen Iunoni anſeres ſacri ſed Inachidi quoque ſive Iſidi: idque etiam apud Romanos: unde Ovid. I Faſt.

Nec defenſa juvant Capitolia, quo minùs anſer
Det jecur in lances, Inachi lauta tuas.

Poetæ mentem expoſui in Orator. Inſtit. lib. IV, cap. XIII, ſect. VIII.

Cuculus ſacer Iunoni, conjugii præſidi; *unde,* inquit Wolfgangus Franzius, Wittebergenſis Theologus in ſacra Animalium hiſtoria part. II, cap. XVI, *adhuc hodie noſtri*

noſtri ex numeratis ejus cantibus colligere conantur tempus ducendæ uxoris, imò etiam longævitatem, ridiculâ ratione. Cur verò Junoni ſit ſacrata, & ut ſceptro ejus ſoleat imponi, ſuperiùs expoſitum nobis.

Monedula quoque ſive monetula Junoni Monetæ dicata erat; ut cenſet Joſephus Scaliger ad illud Tibulli lib. II, el. II:

Huc veniat natalis avis. Movet eum, quòd cornix, & monetula, ſint aves homogeneæ: & cornix ſacra fuerit Junoni, cui cognomen Monetæ: Juno autem præfuerit diei natali, & nuptiis; inque nuptiis invocari ſoleat cornix, ut concordiæ ſymbolum: quemadmodum Ælianus tradit lib. III de Animal. cap. IX. Mihi verò omne hoc argumentum valde videtur infirmum. Nam ut Juno præfuerit nuptiis, non tamen quatenus dicta eſt Moneta, ſed Juno pronuba; ut vocatur Maroni, Græcis γαμήλιος. Moneta autem dicta eſt, quòd cùm terræ motus fuiſſet, monuerit homines voce ex arce ejus audita, ut ſue plena fieret procuratio: ſicut eſt apud Ciceronem in primo de divinatione. Aliam, rationem adducit Suidas in Μονήτη ἡ Ἥρα: ſed convenit tamen à *moneo* eſſe *Moneta*: nempe ut ab *oleo*, *oletum*, à *vireo*, *viretum*. Adhæc non ſi cornix dicata fuerit Junoni, quæ Græcis κορώνη, eò & graculus ſive monedula, quæ Ariſtoteli λύκος. Nam voce hæ aves differunt; item victu, cum monedula abſtineat cadaveribus: illa iis gaudeat: hæc præterea gregatim volet, & rarò ad ripas ſe conferat: illa

——*ſola in ſicca ſecum ſpatiatur arena*:

ut eſt apud Mar. I Georg.

Etiam ſtruthiocamelum, ac ciconiam, Junoni ſacravere Gentiles: ut in Oratoriis Inſtit. dixi lib. I, cap. V, ſect. XXXIII.

Ac ejuſdem capitis ſect. XXXVII dictum, ut eidem dicata fuerint mala Perſica: uti mala Punica Junoni Stygiæ, ſive Proſerpinæ: ut mirum ſit, cæleſtem Junonem effictam una manu gerentem ſceptrum, alterâ malum Punicum: ut ex Pauſania ſuperiùs diximus.

Calendæ item Junoni ſacratæ, quibus ei immolabatur porca, vel agna Macrobius lib. I Saturn. cap. XV. *Romæ calendis omnibus, præter quod pontifex minor in curia Kalabra rem divinam Jovi facit, etiam regina ſacrorum porcam vel agnam, in regia Junoni immolat: à qua etiam Janum Junonium vocatum eſſe diximus, quòd illi Deo omnis ingreſſus, huic Deæ cuncti calendarum dies videntur adſcripti.*

Cap. XXII.

De ſimulacbro, & templo Veſtæ, ac ſacratis ei ædium veſtibulis.

A Junone venio ad Veſtem, ac Cererem, Junonis ſorores, juxta illud Auſonii:

a Antique pro *ſexus*.

Juno, Ceres, & Veſta, ſecus a *muliebre, ſorores.*

Nec tamen unam eſſe Veſtam putandum.

Nam quandoque intelligitur mater Saturni, quæ eadem eſt ac Tellus, aliterque vocatur, Cybele, Rhea, mater Deûm, atque aliter. Quandoque autem Veſtæ nomine ſignatur Iovis filia Saturni neptis; quæ eſt Ignis. Sæpe etiam ambiguo nomine utrumque numen comprehenditur. Quomodò Veſta quidem eſt Tellus: ſed non uti eam conſideramus in Cybele, vel Cerere: ſed quatenus ad rerum generationem, & corruptionem permiſtus illi eſt calor, partim ab ignibus ſubterraneis, de quibus dictum lib. II, cap. LXIII: partim ab æthere, ſive ignibus cæleſtibus.

Hujus ignis ſymbolum erat ille, qui adſervabatur in focis publicis. Strabo in XV vocat πῦρ ἄσβεστον, *ignem, qui non exſtinguitur. Æternum ignem* appellat Curtius in IV. *Sacratum ignem* Claudianus in primo de laudibus Stiliconis.

Hunc ignem viduæ adſervabant in Græcia. Romæ autem virgines: ut oſtenſum lib. II, cap. LXV. Ubi & varias ejuſce rei cauſſas adduximus. Nec aſpernanda illa, eò virgines Veſtæ ſacratas, ut ex tantis honoribus Veſtalium intelligerent nuptæ, quanti facienda eſſet caſtitas. Quam rationem etiam adducit Cicero: *Veſtæ*, inquit, *colendæ virgines præſunt, ut advigiletur faciliùs ad cuſtodiam ignis: & ſentiant mulieres, in natura feminarum omnem caſtitatem peti.* Virginum Veſtalium privilegium erat, quod ſepelirentur in Urbe. Servius in illud XI Æn.

——*Urbique remittunt.*

Meminit antiquæ conſuetudinis. nam antè etiam in civitatibus homines ſepeliebantur. Quod poſteà, Duilio conſule, Senatus prohibuit & lege cavit, nequis in Urbe ſepeliretur. Unde Imperatores, & virgines Veſtæ, quia legibus non tenentur, in civitate habent ſepulchra. Denique etiam nocentes virgines Veſtæ, quia legibus non tenentur, licet vivæ tamen intra Urbem in campo Scelerato obruebantur:

Cæſar Scaliger Exercit. CCLVIII, I: *Scriptum eſt in hiſtoriis Africanis ignem in Libya pro Deo habitum: quem Veſtalium ritu perpetuum ſervarent.*

Veſtæ in templo ſimulachrum erat nullum. Quod de Græcis oſtendit Pauſanias in Corinthiacis: Παρελθοῦσι δὲ ἐς τὸ τῆς Ἑστίας, ἄγαλμα μὲν ἐστιν οὐδὲν, βωμὸς δὲ, καὶ ἐπ' αὐτῷ θύουσι. *Progredientibus in Veſtæ, nullum occurrit ſimulachrum: ſed ara, in qua illi ſacrificent.* Itidem nec Romæ ſimulachrum Deæ erat Ovidius Faſt. VI:

Eſſe diu ſtultus Veſtæ ſimulachra putavi:
Mox didici curvo nulla ſubeſſe tholo.

Cauſſam idem exponit:

Ignis inextinctus templo celatur in illo;
Effigiem nullam Veſta, nec Ignis habent.

Ac placuit ea ratio quoque B. Auguſtino lib. IV de C. D. cap. X: *Ipſi*, inquit, *virgines ſolent ſervire, quod ſicut ex virgine, nihil ex igne naſcatur.*

Nec obſtat, quod Suidas dicat Veſtam mulieris effigie figurari. Loquitur enim ille de Veſta non filia, quæ eſt Ignis, ſed matre, ſive avia, quæ eſt Tellus. Verba ejus ſunt: Γῆς ἄγαλμα· γυναῖκα πλάττουσι τὴν Ἑστίαν, οἱονεὶ τὴν γῆν, τύμπανον βαστάζουσαν, ἐπειδὴ τοὺς ἀνέμους ἡ γῆ ὑφ' ἑαυτὴν συγκλείει. *Terræ effigies. mulierem effingunt Veſtam, velut Terram, tympanum præferentem: quoniam ventos in ſe concludat.* Etiam Veſtam, ſedentem in Servilianis hortis, de qua Plinius lib. XXXVI, cap. V, non de filia capio, ſed de matre, hoc eſt, Telluræ, quæ ſedens efficta, quia ſtabilis. Niſi placet in una effigie tum matrem formatam, tum filiam. Quod imprimis ſuſpicari licet de effigie nummi veteris, cujus inſcriptio eſt, VESTA P. R. QUIRITIUM. Ubi Dea exprimitur ſedens, unaque manu facem geſtans, ad indicandum ignem ſempiternum: altera pateram, qua Deæ in ſacris libaretur. Et ſanè hoc per eſt veriſimile, quando & uno templo matrem filiamque coluere Romani: ut lib. II oſtenſum. Et hæc eſt cauſſa, cur etiam in Claudiis Cæſaris nummo Veſtalem cernas velatam, tum conſidentem, quod Tellurem ſpectat, tum præferentem manu dextra lucernam: quam perpetuum ignem repræſentaſſe, ſatis eſt apertum.

Templum Veſtæ rotundum erat: cujus cauſſam aperit Feſtus: *Rotundam ædem Veſtæ Numa Pompilius, rex Romanorum, conſecrare videtur, quod eandem eſſe terram, qua vita hominum ſuſtentaretur, crediderit, eamque pilæ formâ eſſe: ut ſui ſimili templo Dea coleretur.*

Cur ædiculam, non ingens delubrum, Veſtæ exſtruxerit Numa Pompilius, hanc Servius adfert rationem ne Romani, locum eum, ubi Veſtales virgines degerent, ad capiendum conſilium publicum ingrederentur. Sic enim ille in initium IX Æn. cum adduxiſſet verba illa: *Hoc illis curia templum*; ſubjungit, *Aut quia in locis ſacris ſedentes conſilia habituri erant, curiamque in templo haberent: quod Numa cum ſciret, Veſtæ ædiculam, non templum ſtatuit, ne ibi Senatus haberi poſſet, & ipſa neceſſitate vir introiret locum.* Eadem de cauſſa nec Veſtæ ædicula fuit augurio conſecrata. Qua de re ſic

 idem

idem in VII Æn. *Niſi in auguſto loco conſilium Senatus habere non poterat. Unde templum Veſtæ non fuit augurio conſecratum, ne illuc conveniret Senatus, ubi erant virgines. Nam hæc fuerat regia Numæ Pompilii. Ad atrium ſanè Veſtæ conveniebatur: quod fuerat à templo remotum.*

Veſtæ libabant de fonte Numico. Servius ad illud VII Æn.

—— Hæc fontis ſtagna Numici:

Numicus, inquit, *ingens ante fluvius fuit: in quo repertum eſt cadaver Æneæ, & conſecratum. Poſt paulatim decreſcens, in fontem redactus eſt: qui & ipſe ſiccatus, ſacris interceptis. Veſtæ enim libari non niſi de hoc fluvio licebat.* Colligunt itaque Veſtæ non potuiſſe libari vinô, ſed ſolùm de Numico flumine: in his Alexander Neapolitanus lib. III Genialium Dierum, cap. XII. Juvenalis tamen ſat. VI ait:

Quædam de numero Lamiarum, ac nominis alti,
Cum farre, & vino, Janum, Veſtamque rogabat.

Menſe Junio, cùm ſacrum foret Veſtæ, molæ frumentariæ, atque aſini pane, ac ſertis, redimiti ſolent. Ovid. lib. VI Faſt.

Ecce coronatis panis dependet aſellis,
Et velant ſcabras florida ſerta malas.

Veſtibulum ædium, Veſtæ ſacrum erat. Servius in II Æn. *Veſtibulum dictum, vel quia januam veſtiat: vel quoniam Veſtæ conſecratum eſt. Unde nubentes puellæ limen non tangunt. Lucanus:*

Tranſlatâque vetat contingere limina plantâ.

Singula enim domus ſacrata ſunt Diis: ut culina Diis Penatibus; maceries quæ ambit domum, Herceo Jovi. Utrumque etymon etiam adfert in VI Æn. Nonius: *Veſtibula quidam putant ſub ea proprietate diſtincta, quòd in primis ingreſſibus, & in ſpatiis domorum Veſtæ, hoc eſt, aræ, ac foci, ſoleant haberi.* Imo Veſtibulum à Veſta dici cenſet Ovidius VI. Faſt.

Veſtæ etiam, ſed quatenus eadem eſt ac Ops, Rhea, ſive Tellus, ſacra erat quercus: quod commune ei cum Jove, Baccho, Cerere. Atque hæc de Veſta.

Cap. XXIII.

De Cereris ſimulachro, ac rebus ei conſecratis.

SEquitur Ceres: quo nomine hoc loco non frumentum intelligitur, ſed vel heroina, quæ primo homines, vel ſaltem Græcos, docuit ſerere frumentum; vel ipſa Naturæ, ſive Telluris virtus procreans fruges.

Ceres ſic fingebatur, ut ubera penè omne pectus haberent. Unde Lucretius lib. IV fatuos ridet amatores, quod omnibus amicarum vitiis patrocinari ſoleant:

At Lamia, & mammoſa, Ceres eſt ipſa ab Jaccho.

Etiam mammoſam fingi ſolere, teſtis eſt Arnobius lib. III, & VI. Nec obſcura eſt ratio, quia hoc optimè convenit Cereri, tanquam matri omnes ſuis frugibus nutrienti.

Etiam in nummis antiquis, ut in Goltzii Græcia, Cererem eſt conſpicere coronatam ſpicis; quia creditur prima homines, vel Græcos ſaltem, docuiſſe rationem ſerendi fruges. Præterea repræſentatur tædas geſtans, dum filiam Proſerpinam variis quærit terris. Unde de ea Ovidius epiſtolâ Phyllidis ad Demophoontem:

Et per tædiferæ myſtica ſacra Deæ.

Ceres in vett. nummis non ſolùm conſpicitur cum ſegetis ſpicis, ſed etiam cum papavere. Ubi ſignatur papaver illud, quod I Georg. vocatur *Cereale*, ac IV Georg. dicitur *veſcum*: hoc eſt, *quo veſcimur*, ut Servius exponit. De eo ſic Dioſcorides lib. IV, cap. LXV: Μήκων ἡ μέν τις ἐστὶν ἥμερος, κηπευτὴ, ἧς τὸ σπέρμα ἀρτοποιεῖται εἰς τὴν ἐν ὑγείᾳ χρῆσιν, καὶ σὺν μέλιτι δὲ ἀντὶ σησάμης αὐτῇ χρῶνται. καλεῖται δὲ θυλακῖτις. *Papaveris quoddam genus eſt ſativum & hortenſe, cujus ſemen in ſanorum uſum pani adhibetur: eo etiam ex melle, pro ſeſama utuntur, thylacitis vocatur.* Eſt & de eo apud Plinium lib. XIX, cap. VIII. Non dubium igitur, quin cum hujuſmodi papavere Ceres exprimatur. Etſi non ignorem, aliis videri, eò reſpici, quod Ceres Proſerpinam quærens ſomnô fuerit oppreſſa. Nam papaver ſoporiferum, uti notum. Sed iis obſtat, quòd ſativum papaver non afferat ſoporem, ut Matthiolus obſervat.

Aliquando eam conſpicere eſt mœſtam ac facem manu geſtantem. Nempe hæc effigies eſt filiam Proſerpinam à Platone raptam quærentis.

Apud Albricum Philoſophum libro de Imaginibus Deorum deſcribitur Ceres bovi inſidens: nimirum quia bos agriculturæ diſtinatus: Ceres autem frugum eſt inventrix. Eoque nefas Cereri mactare bovem. Hinc Ovidius in Faſtis:

A bove ſuccincti cultros removete miniſtri;
Bos aret: ignavam ſacrificate ſuem.
Apta jugo cervix non eſt ferienda ſecuri:
Vivat, & in dura ſæpe laboret humo:

Tamen altera etiam ratio à fabula adfertur: qua Jupiter dicitur in taurum ſe convertiſſe, ut cum Cerere rem habere poſſet. Refert Arnobius lib. V: *Quondam Dieſpiſpiter, cùm in Cererem matrem libidinibus improbis, atque inconceſſis cupiditatibus æſtueret (nam genitrix hæc Jovis, regionis ejus ab accolis traditur) nec tamen auderet id, quod procaci appetitione conceperat, apertiſſimâ vi petere; ingenioſas comminiſcitur captiones, quibus nihil tale metuentem caſtitate imminueret genetricem. Fit ex Deo taurus, & ſub pecoris ſpecie ſubſeſſoris animum, atque audaciam, celans, in ſecuram, & neſciam, repentinâ immittitur vi furens: agit inceſtus res ſuas, & prodita per libidinem fraude, intellectus, & cognitus evolat.*

Etiam Ceres effingebatur ſaxo inſidens, ac à collo quidem pedum tenus corpore femineo, tunicâ velatâ: at capite & collo equinô, eoque jubatô: manu una delphinum, alterâ columbam geſtante. Credo ad fabulam attenderunt, qua Neptunus in equum, Ceres in equam converſi dicuntur. Significari voluerunt fœcunditatem rerum eſſe ex humido, & ſicco, ſive aqua, terraque: quarum illi præſidet Neptunus, huic verò Ceres.

Ex quadrupedibus Cereri mactabatur ſus teſte Suida in Χοιρίων μυστηριακῶν. Nempe mactabatur ei, ut animal inviſum, qui roſtro eruat ſata. Callimachus hymno in Dianam:

—— Σύες ἔργα, σύες φυτὰ λυμαίνοντες.
—— Sues opera agriculturæ, ſues plantas vaſtant.

Adducit & hanc rationem Ovidius I. Faſt. Item in XV Met.

Hoſtia ſus meruiſſe mori, quia ſemina pando
Eruerat roſtro, ſpemque interceperat anni.

Item Ælianus lib. X de Animal. cap. XVI. Ubi & addit, eos, qui in Eleuſiniis initiarentur, porcum mactâſſe: nempe quia hæc ſacra eſſent Cereris. Macrobii quoque eſt lib. III Saturn. extremo, cap. XI: *Ad diem XII Kal. Jan. Herculi, & Cereri ſacrum faciunt ſue prægnante, panibus, mulsô.* Sic enim diſtinguendus is locus. Nequis putet Macrobium dicere, Panas, ſive Faunos, ſolere mulsô placari.

Porca, quæ Cereri, antequàm meſſem facerent, mactaretur, præcidanea dicebatur: ut eſt apud Catonem de re R. cap. CXXXIV. Agellium lib. III, cap. VI. Feſtum in *Præcidanea.* Agellius putat dici ex eo quia priùs cæderetur: ſed inde nomen, quod præcederet: ut dictæ feriæ præcidaneæ, de quibus Agellius ex Atteio Capitone.

Ovis etiam huic Deæ mactabatur. Maro Æn. IV:

—— Mactant lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri. ——

Idem ſacrificium traditum à Porphyrio in libris Reſponſorum: & exinde apud Euſebium lib. IV Præparationis Euangelicæ. Atque huc etiam pertinet, quod aries

Cereri

Cereri τῇ χλόῃ *a* immolabatur: ut cognoſcere eſt ex verſibus Eupolidis in Marica. Imò & Meliteuſes, Atticæ populum, in Heracliorum feſto, quæ quincto quoque anno celebrabantur, id facere ſolere, auctor eſt, Julius Pollux lib. I, cap. I, ſect. XXVII.

a Viridanti.

Ex avibus Cereri dicarunt turtures albos: ut & Veneri, Parcis, ac Eumenidibus. Teſtis iſtorum Ælianus lib. X Animal. cap. XLVI.

Grus etiam Cereri ſacra, ut eſt apud Athenæum lib. VII.

E plantis Cereri dicatæ fruges, earumque primitiæ huic Divæ dabantur. Unde Ovid. lib. II Faſt.

Farra tamen veteres jaciebant, farra metebant,
Primitias Cereri farra reſecta dabant.

Et Calpurnius Ecl. IV:

Ille dat, ut primas Cereri dare cultor ariſtas
Poſſit.

Dicatus quoque Cereri crocus: qui & Eumenidibus ſacer. Cum Jove etiam hoc commune habet, quòd ei dicata quercus: Cum Plutone verò, & Eumenidibus, quòd ei ſacer narciſſus.

E piſcibus mullo erat honos in ſacris Eleuſiniis: eò quòd leporem marinum, homini peſtiferum, perſequatur & necet. Teſtes Ælianus, & Athenæus: ut dictum lib. IV, cap. L.

E ſerpentibus dicati erant Cereri ſerpentes alati. Nam non alati fuere ſacri Æſculapio.

CAP. XXIV.

De Minervæ ſimulachro, & animantibus atque aliis huic numini dicatis. Stupor quoque in Diis, & quæ arbor ei ſacra.

Habemus de tribus Jovis ſororibus in Deorum Conſentium numerum relatis: ſequuntur tres Jovis filiæ, Minerva, Diana, & Venus, quibus idem eſt habitus honos.

A Minerva initium ſumam, quia nihil meliùs eſt ſapientiâ, cujus illa præſes. Unde & in Capitolio proximos à Jove honores occupabat. Et Domitianus Cæſar propterea effigiem ejus in cubiculo habuit: ut ex Suetonio conſtat. Et fortaſſe illa Ciceronis, quam ex urbe exiturus in Capitolio dedicavit, itidem ab eo culta in cubiculo fuit.

In hac Diva primùm conſiderabimus ſimulachrum: tum res ei dicatas. In ſimulachro attendimus tum corpus, tum habitum externum, & quæ extra utrumque apponi ſolent.

In corpore conſideramus, quod vultu erat viraginis, trux quiddam ac bellicum ſpirantis: item quòd oculi ei forent glauci ſive cæſii. Unde Homero Iliad. A *b*, γλαυκῶπις Ἀθήνη *c*. Cicero ſimiliter dicit lib. I de nat. Deor. *Cæſios oculos Minervæ, cæruleos Neptuni.* Agell. lib. II Att. Noct. cap. XXVI: *Latinis veteribus cæſia dicta eſt, quæ à Græcis γλαυκῶπις, ut Nigidius ait, de colore cæli, quaſi Cælia.* Luciani quoque hæc mens libro de Sacrificiis. Quare mirum poëtam ſcribere in carmine Ithyphallico:

b Verſ. 206
c Cæſiis oculis Minerva.

Notas habemus quiſque corporis formas,
Phœbus comoſus, Hercules lacertoſus.
Trahitque Bacchus virginis tener formam.
Minerva flavo lumine eſt, Venus pæto.

Sanè flavi, ac cæſii oculi pugnant inter ſe: ut oſtendit illud Arnobii lib. VI: *Poteſt fieri, ut barbatus in cælo ſit, qui eſſe à vobis effingitur lævis? poteſt, ut in ſenectute provectior, cui puerilem commendatis ætatem? poteſt ut hic flavus ſit, qui in veritate habeat oculos cæſios?*

Simulachri habitus externus erat varius. Sæpius effingebatur cum galea, ægide, clypeo, & haſta longa. Unde Ovidius lib. VI Met. Ubi ſic deſcribit Divam cum Arachne certantem:

At ſibi dat clypeum, dat acutæ cuſpidis haſtam,
Dat galeam capiti, defenditur ægide pectus.

Ac ſimiliter depinxere alii, in his Claudianus in Gigantomachia: atque ante hos Homerus, cùm eam narrat à Junone miſſam adverſus Martem, qui à partibus ſtabat Trojanis. Vide Poëtam Iliad. E: ubi & galeam, quâ indutus, *Orci galeam* vocat. De hac adi Zenobium Centur. I Proverb. XLI.

Clypeo ſignificatur ſui defendendi habere poteſtatem. Nam clypeo nos defendimus, gladiô vel haſtâ hoſtem impetimus. Tribuit hunc ei quoque Claudianus in ſecundo de raptu:

—— *Potuitque videri*
Pallas, ſi clypeum ferret.

Haſta verò ſymbolum eſt roboris invicti adverſus hoſtes. Metuo autem ne longiùs videatur arceſſitum, quòd ajunt acumine haſtæ ſignificari acumen ingenii, quo in bellis, imò in regunda etiam Rep. eſt opus. Martiani tamen eſt:

Haſta etiam vibrans penetrabile monſtrat acumen.

Apud Pauſaniam in Atticis legas de ſimulachro Minervæ, cujus galeæ impoſita eſſet ſphinx: ipſa manu haſtam tenebat prælongam: induta erat tunica talari: ad pedes fuiſſe clypeum: ad imam haſtam, draconem cui aliqui noctuam addunt: utrumque enim animal Divæ ſacrum: unde Demoſthenes, exilio mulctatus ab Athenienſibus, ajebat eos delectari tribus beſtiis, noctuâ, ſerpente, ac populo. Ac ad amorem inter Minervam, & ſerpentes pertinet, quod gemini à Tenedo ſerpentes, poſt Laocoontem cum filiis à ſe interemtum, potiſſimùm ſe ad Minervæ templum, velut ad aſylum, dicuntur contuliſſe: ut eſt apud Servium in II Æn.

Draco ille ad pedes apponebatur: uti & noctua: ſed hæc quandoque capite geſtabatur. Ariſtophanes in Avibus *a*:

a Scenâ quæ incipit, δοκεῖ μοι.

—— Ὁ Ζεὺς γὰρ ὁ νῦν βασιλεύων,
Αἰετὸν ἕστηκ' ὄρνιν ἔχων ἐπὶ τῆς κεφαλῆς βασιλεὺς ὤν,
Ἡ δ' αὖ θυγάτηρ, γλαῦχ'. ὁ δ' Ἀπόλλων ὥσπερ θεράπων, ἱέρακα.

—— *Jupiter, qui nunc regit,*
Conſtituit aquilam in capite, quia rex ſiet.
At gnata noctuam, accipitremque Apollo, ut ſerviens.

Γλαῦκα vulgatus interpres *glaucam* perperam tranſtulit: uti θεράπων, *medicum*: cum illud noctuam, hoc *miniſtrum* ſignet. Comparat enim miniſtrum cum Rege: ac regi, ut majori, aquilam, Apollini, ut Jovis adminiſtro, ait ſacratam avem quæ minor aquila: ut monet Græcus ſcholiaſtes: qui & addit Ariſtophanem ab aliis abire. Nam à Pindaro aquilam non in Jovis capite ſtatui, ſed ſceptro, & Minervæ τῆς Ἀρχηγέτιδος *b* ſimulachrum habuiſſe noctuam in manu.

b Ductricis.

Ægis ſive lorica Divæ erat ſuperimpoſita tunicæ talari: atque hunc habitum, ut Herodotus ſcribit, mutuati ſunt Græci ab Afris habitantibus ad Tritonidem paludem: ubi Dea nata perhibetur: ut eſt apud Apollonii ſcholiaſten in I Ἀργοναυτ. Atque inde etiam Τριτογένεια dici exiſtimatur. De quo tamen aliter alii, ut dictum in Oratoriis Inſtitut. lib. IV, cap. X, ſect. III. Sed memoratam opinionem ſequitur Lucanus lib. IX:

Hanc & Pallas amat, patrioque è vertice nata
Terrarum primam Libyen (nam proxima cælo eſt
Ut probat ipſe calor) tetigit ſtagnique quietâ
Vultus vidit aqua, poſuitque in margine plantas,
Et ſe dilecta Tritonida dixit ab undâ.

Item Sillius libro ſecundo:

Hinc qui ſtagna colunt Tritonidis alta paludis,
Qua virgo, ut fama eſt, bellatrix edita limfâ
Invento primam Libyen perfudit olivo.

Loricæ ſive ægidi Divæ inſculptum erat caput Meduſæ, linguam exſerens ad majorem incutiendum horrorem. Imò Pauſanias in Atticis ſcripſit, ei cum Meduſæ capite inſculptam fuiſſe Victoriam. Etiam id caput inſculptum peplo Minervæ, uti & gigas ille à Minerva interemtus. De peplo hoc vide Virgilium in Ciri.

Sicyone Minerva induta erat colocaſio, h.e. brevi ac ſuccinctâ tunicâ: atque inde *Colocaſia* vocabatur. Colocaſiæ vox conflata eſt ex κολὸς quod eſt κολοβὸς, *curtus, mutilus*, & κάσσ@, vel κασῆς quod eſt minutæ veſtis genus, qualis lacerna equeſtris. Atque ut hoc veſtis genus κολοκάσιον dicebatur; ita Alexandrinis faba Ægyptia: ſicut ex Athenæo conſtat. Sed quod putat Minervæ Sicyoniæ ab legumine illo nomen fuiſſe, multum fallitur: longeque verius, fabam ſic ab illo veſtis genere eſſe nuncupatam: ut jure mavult maximus Salmaſius in exercitationibus Solinianis *a*.

a P. 966.

Ad hæc effingebatur Minerva cum fulmine. Unde Livius *b*: *Ut Iovi primùm donum fulmen aureum pondo quinquaginta fieret, Junoni, Minervæque ex argento daretur.* Ubi videmus utrique tribui fulmen, Iovi, & Minervæ. Sed & tertius eſt, qui fulmen jaculetur, puta Vulcanus. De Minerva indicat hoc Maronis 1 Æn.

b Lib. 12.

Ipſa (Pallas videlicet) *Iovis rapidum jaculata e nubibus ignem.*

Quem ad locum hæc Servius annotavit: *In libris Hetruſcorum lectum eſt, jactus fulminum manubias dici; & certa eſſe numina poſſidentia fulminum jactus: ut Iovem, Vulcanum, Minervam. unde cavendum, ne aliis numinibus hæc demus.* Prudenter igitur Alexander Magnus noluit effingi cum fulmine: quia hoc etiam paucis Deorum conveniret. Sed voluit effingi cum haſta: quæ multis eſt Diis communis: ac robur notat invictum, quale etiam in homines cadit.

Apud Meſſenios ſtatua Minervæ cornicem tenebat. Nempe primitus ea Minervæ in deliciis erat. Sed poſtquam illa Cecropis filias accuſavit, repulſa eſt à Dea; quia nihil garrulitate eſt indignius viro prudenti. Exinde verò ſuffecta ei noctua, ſapiens avis. Hæc quandoque imponebatur galeæ Minervæ, ad ſignificandum ſapienti conſilio omnia adminiſtrari. Itaque cùm Hiero admodum adoleſcens primùm eſſet ad bellum profectus, noctuaque ejus haſtæ advolaſſet, conjectores dixerunt eò ſignificari conſilio valiturum: ac reſpondit eventus: nam licèt obſcuro eſſet loco natus, poſtea tamen Syracuſarum rex evaſit. Narrat rem Junianus Juſtinus in Trogi epitome lib....

Nec ſemper tamen in galea Divæ cernere hanc avem fuit: ſed ſæpe etiam ad pedes adſiſtebat, vel alio apponebatur loco.

Hæc de ſimulachris Minervæ ſolius. Quandoque autem erat compoſitum ex Minerva, & Mercurio, ut ſignificaretur prudentiam, & eloquentiam, ſociari oportere. Hujuſmodi ſimulachrum Græcâ appellatione, *Hermathenam*, quaſi Ἑρμῆν καὶ Ἀθηνᾶν, etiam Cicero appellat lib. 1 ad Att. epiſt. 1, & IV, ubi ſic ait: *Quod ad me de Hermathena ſcribis, per mihi gratum eſt, & ornamentum Academiæ proprium meæ, quod & Hermes commune omnium, & Minerva ſingulare eſt inſigne ejus gymnaſii.*

Apud Homerum Iliad. B. Athenienſes ſacrum Minervæ faciunt tauris, & agnis. Sed Athenæi tempore, ut ex libro ejus IX *c* cognoſcimus, Minervæ non fiebat ſacrum agnâ: uti nec caſeus in ejus ſacris guſtabatur.

c Cap. 5.

Planè etiam hæc Diva averſatur capram. Nempe quia olivam lambendo ſterilem facit: ut eſt apud Varronem lib. 1 Rei ruſt. cap. 11, Plinium lib. VIII, cap. L, & Athenæum lib. XIII *d*. Ita hic etiam videmus, ut ob contrarietatem nunc gratum fuerit ſacrificium, ſicut cum caper mactaretur Libero, quia roderet vites: nunc ingratum, ut Minervæ caper quia oleas carpendo corrumperet.

d Cap. 19.

Vanno etiam uſi in ſacris Minervæ. Ea ſignificabat, ut vannus expurgat frumenta, ſic per ſapientiam animas mundari. Vide quæ diximus, lib. II, cap. XIV.

Injuges boves, h. e. ut interpretatur Feſtus, qui ſub jugo non fuerunt, mactabantur Minervæ, tanquam virgini, quæ nondum paſſa jugum mariti. Fulgentius Placiades in vocum antiquarum interpretatione ad Chalcidium: *Manilius Chreſtus in libro, quem de Deorum hymnis ſcribit, ait Minervæ injuges boves ſacrificari, id eſt, jugum numquam ferentes: illa videlicet de cauſſa, quod & virginitas jugum neſciat maritale & virtus numquam ſit jugo prementi ſubjecta.* Firmat quoque Arnobius lib. VII: *Telluri (inquiunt) matri ſcrofa ingens immolatur fœta: at Minervæ virgini virgo caditur vitula, nullis unquam ſtimulis, nullius operis excitata conatu.*

Quæ Minervæ ſacrârunt, partim ſunt animalia, partim plantæ, partim inanima. In animalibus fuit primitus cornix, cujus honori ſuffecta eſt noctua; ut paullò antè diximus. Atque hinc poëtæ putant eſſe inter aves has eam inimicitiam: de qua Ariſtoteles in Hiſtor. Animal. lib. IX, cap. 1 *a*. Nec quod noctuam dicârunt Minervæ, ratione deſtitui putandum. Nam partim eò attenderunt, quòd ut noctua videt de nocte; ſic ſapiens in rebus tenebricoſis, & obſcuris: partim quia ſapientia ſtudiis comparetur nocturnis, tunc etiam prudentia imprimis conſilia capiuntur; unde & nox εὐφρόνη dicitur Pindaro, διὰ τὸ εὖ φρονεῖν *b*.

a Sive ex diſtinctione Cæſ. Scal. c. 2. ſect. 13.
b Arcelli ſapiendo.

Aliam his rationem addere poſſis ex Euſtathio in Iliad. A *c*. Ubi à cognatione vocabulorum cauſſam arceſſit. Sic enim ſcribit: Γλαὺξ οἰκεῖον τῇ ἀθρητικῇ Ἀθηνᾷ, διὰ τὴν περὶ τὸ ἀθρεῖν τοῦ γλαύσσειν ταυτότητα. Nempe hoc vult, cùm γλαὺξ conveniat cum γλαύσσω, quod eſt video, perſpicio, nulli eam avem potuiſſe convenientius dicari, quàm Minervæ, cum nihil eâ ſit perſpicacius. Ut verò Minervæ grata eſt noctua: ita Baccho eſt inviſa, qui eam abegiſſe à vite dicitur. Nempe noctuina ova creduntur homines reddere abſtemios, vinique oſores: quod etiam apud Philoſtratum legas. Atque hinc alteram etiam cauſſam videmus, cur noctua ſit Minervæ ſacra. Nam ſobrietas, ac temperantia eſt cuſtos ſapientiæ ac bonæ mentis: unde σωφροσύνην Græci dixere, quaſi σώζουσαν τὴν φρόνησιν *d*.

c Pag 87. edit. Rom.
d Conſervatricem prudentiæ.

Atque ex his videmus, cur Minerva, dea Athenienſium πολιοῦχος *e* cum noctua exprimebatur. Etiam in nummo Antonini cernas aquilam, pavonem, noctuam, ut ſymbola Iovis, Junonis, Minervæ, qui in Capitolio ſacrati.

e Præſes, Patrona civitatis,

Vultur ſymbolum erat Minervæ: quia ut Minerva credebatur nata eſſe ex Iove citra opem ſexus alterius: ita & vultur ſine maſculo patere credebatur. Qua de re fusè ſatis dixi libro III hujus operis, cap. LXXVIII.

Præterea ſacra eſt huic Divæ κρὲξ, ut eſt apud Porphyrium lib. III περὶ ἀποχῆς. Meminit ejus avis Ariſtoteles lib. IX Hiſt. Animal. cap. 1 *f*. Quæ verò hæc avis fuerit, non facile eſt dictu, ut ad eum locum Jul. Scaliger annotavit. Bellonius ait ſe in Ægypto ad Nilum avem vidiſſe, quæ ſonum hunc κρὲξ emitteret: unde & avi hoc nominis eſſe datum conjectat.

f Sive, ex Scal diſt. cap 2. ſect. 33.

Etiam gallus ſacer Minervæ: uti & Soli, Marti, & Æſculapio. Minervæ quidem, quia ſapiens avis ſcit tempora diſtinguere. At quia avis eſt pugnax: Marti fuit dicata. Æſculapio autem, quod ſymbolum ſit vigilantiæ, quæ medicum imprimis decet.

Videtur ex avibus etiam Minervæ dilecta hirundo: ſi quidem cum pugnandum eſſet Diis adverſus Typhonem, ea, præ metu, in hirundinem ſe convertiſſe dicitur: ut Agatharchides ait lib. de Rubro mari *g*.

g Apud Photium in Bibliotheca.

Ad hæc ſerpens etiam, ut paullò antè dicebamus, Minervæ ſacratus fuit. Nec obſcura eſt ratio. Nam Minerva eſt ſapientiæ præſes. At ſerpens ſymbolum eſt prudentiæ. Imò Ægyptiis anguis ſive draco divinitatis vim ſignabat: ut in Ægyptiorum Theologia dictum ſuprà hoc ipſo libro. Euſtathius etiam ad Il. A *h* rationem ex vocabulo arceſſit: nempe quia δράκων dicatur ἀπὸ τοῦ δέρκειν, quod eſt βλέπειν *i*. Pallade autem nihil perſpicacius. Athenis draconi, arcis cuſtodi, placentam è melle offerebant: ut eſt apud Herodotum lib. VIII, & Heſychium in Οἰκουρὸν ὄφιν.

h Pag. 87. edit. Rom.
i Videre.

Ex plantis olea Minervæ dicata fuit, de qua actum in plantis numini ſacratis.

Ex

Ex inanimis eidem numini ſacratæ arces. Unde Maro in Eclogis:

—— Pallas, quas condidit, arces
Ipſa colat.

Vide, quæ ex Servio dixi, cum agerem de Neptuno, cui fundamenta ſunt urbium dicata, ut Junoni urbium portæ.

Minervæ amicæ Muſæ, quibus palmam dicavit vetuſtas. Inimicus verò Stupor, cui dicatum acer. Servius in illud II Æn.

—— Sectaque intexunt abiete coſtas:

Non ſine cauſſa Virgilius hoc loco abietem commendat: item acer, & pinum, paullo poſt. Nam fulminata abies interitum dominæ ſignificat: & Troja per feminam periit. Acer verò in tutela Stuporis eſt: & viſo equo ſtupuere Trojani: ut, Pars ſtupet inuptæ donum exitiale Minervæ. Pinus in tutela quidem eſt matris Deûm: ſed & fraudum, & inſidiarum: quia ejus poma cadentia per fraudem interimunt: & hic equus plenus inſidiarum eſt.

Cap. XXV.

De Dianæ ſimulacro, ac rebus ei ſacratis. Deque effigie Junonis Lucinæ.

DE Minerva hæc dicta ſunto. Nunc proferam de Diana: cujus effigies vel humana fuit, vel monſtroſa.

Humana erat cum exprimeretur forma venatricis. De cujuſmodi ſimulachris aliquoties agit Pauſanias. Ac ſic deſcribit Claudianus lib. II de raptu Proſerpinæ:

At Triviæ lenis ſpecies, & multus in ore
Phœbus erat, Phœbique genas, & lumina Phœbi
Eſſe putes; ſoluſque dabat diſcrimina ſexus.
Brachia nuda nitent, levibus projecerat auris
Indociles errare comas, arcuque remiſſo,
Ocia nervus agit: pendent poſt terga ſagittæ:
Criſpatur gemino veſtis Cortynia cinctu,
Poplite fuſa tenus.

Addi etiam ſolent virgines comites quas idem ſic depingit lib. III. Paneg. Stiliconis:

—— Veniunt humeros, & brachia nudæ,
Armataque manus jaculis, & terga ſagittis;
Incomtæ, pulchræque tamen, ſudoribus ora
Pulverulenta rubent: ſexum nec cruda fatetur
Virginitas: ſine lege comæ: duo cingula veſtem
Crure tenus pendere vetant.

Quid mirum autem de comitibus: quando & ipſa virgo. Unde ipſa apud Callimachum *a* à Iove hoc petit:

Δός μοι παρθενίην αἰώνιον ἄππα *b*, φυλάσσειν *c*.

a Hymno in Dianam.
b Al. ἄττα.
c Da mihi virginitatem perpetuam, pater, ſervare.

Quod imitatus Ovid. lib. I. Met. in fabula Daphnes, ait,

Da mihi perpetua, genitor cariſſime, dixit,
Virginitate frui: dedit hoc pater ante Dianæ.

Humeros Dianæ prædicat Claudianus carm. de Nuptiis Honorii & Mariæ:

Auroræ vincis digitos, humeroſque Dianæ.

Dianam à cruribus commendat Ovidius Amor. lib. III, eleg. II:

Talia pinguntur ſuccincta crura Dianæ,
Cùm ſequitur fortes fortior ipſa viros.

Cujuſmodi ea capere oporteat, vix alius meliùs expreſſerit quàm Lactantius, cùm universè ſic ſcribit lib. de Opificio Dei cap. XIII: *Cruræ non æquali modo ducta, ne indecens habitudo deformaret pedes; ſed teretibus ſuris, clementer exſtantibus, ſenſimque tenuatis, & firma ſunt, & ornata.*

Corneum ei arcum tribuit Claudianus: ſed aureum Ovid. lib. I Met. fab. de Syringe:

—— Ritu quoque cincta Dianæ
Falleret, & credi poſſet Latonia, ſi non
Corneus huic arcus, ſi non foret aureus illi.

Pharetram, ac ſpicula aſſignârunt, ſive ob radios, quos in terram jaculatur; ſive ut venatrici. Claudianus in ſecundo de Raptu Proſerpinæ:

—— Potuitque videri
Pallas, ſi clypeum ferret: ſi ſpicula, Phœbe.

Dianæ ſimulachrum in Cypſeli arca, manu una leonem; alterâ premebat pantheram; Pauſania teſte. Nempe quia Diana venatrix, nec illuſtrius venatio occupatur, quàm in feris ejuſmodi animantibus.

Idem Pauſanias in Arcadicis meminit ſimulachri, ex perimentis Dianam cervinâ pelle indutam, pendente ex humeris pharetra, ac manu una lampadem, alterâ duos geſtantem dracones, adſiſtente cane venatico. Atque idem in Phocicis à Praxitele hanc Divam ſic ait effictam, ut dextra facem gereret, pendente ab humeris pharetrâ: cane adſiſtente ad lævam: ac ſuperâſſe id ſimulachrum maximæ cujuſque feminæ proceritatem. In iiſdem Phocicis meminit ſimulachri, è candido lapide, quo Diana exprimeretur jaculantis habitu. Addit cognomentum fuiſſe Ætola. Item in Bœoticis gemini Dianæ ſigni è marmore, quorum unum facem manu geſtaret, alterum eſſe formâ jaculantis. Ac aliis quoque locis aliquot de hujus Divæ ſimulachris loquitur.

Dianæ Aricinæ ad lacum Nemorenſem cognomen fuit Faſcellina. Atque ea ſignificatur in denariis argenteis, quorum inſcriptio, L. LOLLIUS. Is inter provinciarum quæſtores fuit, anno Urbis Iↄc, Q. Opimio Nepote, & L. Poſtumio Albino coſſ. In nummis, quos dixi, effigies eſt Dianæ, cum pharetra, & cervo ei ſacro, ſub quo comparet litera F. quæ ſignificat Faſcellinam. In aliis item nummis, in quibus itidem nomen C. Lollii comparet, eſt Deæ effigies, caput vitta inſignis, inque manu ſceptrum regium tenentis, ac ſub mento B. quo Stephanus Pighius in Annalibus Romanis ad annum Urbis antea memoratum ſignificari ſuſpicatur βασίλισσαν Ἀφροδίτην *a* à Tarentinis cultam: cui & ſacrum fuiſſe ait ludricum βασιλίνδα nuncupatum. Sed id non lego apud Pollucem, Heſychium, Suidam; qui hujus luſus meminerunt. Vellem igitur Pighius ejus rei auctorem addidiſſet.

a Reginam Venerem.

Etiam Parium lapidem in Dianam unà cum canibus ſuis factum, deſcribit Apulejus lib. XII Metam.

Atque his, & ſimilibus modis exprimebatur Diana forma humanâ. At præterea effingebatur forma monſtroſâ: Ut cum triplici capite. Unde Maro IV Æn.

—— Tria virginis ora Dianæ.

Ideo dicta τρίμορφος, *triformis*: item τριπρόσωπος, *tres habens facies*, ſive *triceps*. De figura hac, & ejus cauſſa, nihil repetere attinet, quæ dicebamus lib. II, cap. XXIX. Hæc de ſimulachro.

Ex hominibus in tutela Dianæ parturientes: de quo ſatis dictum lib. II. Item venatores: ipſaque venatio etiam amphitheatralis, juxta Tertullianum: & ut diſtinctius Caſſiodorus, ſacra hæc Dianæ Tauricæ. Videlicet quia Diana venationis præſes, & venationum ludi in amphitheatro fiebant. Unde & Martialis libello de Spectaculis *b* Dianam dixit pro venatione amphitheatrali:

b Epigr. 12.

Inter Cæſareæ diſcrimina ſæva Dianæ.

Ex quadrupedibus, ob venationem, Dianæ ſacri ſunt canes: uti, alias ob cauſſas, dicati ſunt Mercurio, Marti, & Laribus præſtitibus.

Atque uti canes conſecrati, quia his fit venatio: ita cervi, quia illorum præcipua eſt venatio. Feſtus: *Servorum dies feſtus vulgò exiſtimatur Idibus Auguſti, quòd, eo die Servius Tullius, natus ſervâ, ædem Dianæ dedicaverit in Aventino: cujus celeritate ſint cervi, à quorum celeritate fugitivos vocent cervos.*

Etiam Dianæ immolantur cervi. Ovidius lib. I Faſt.

Quòd ſemel eſt triplici pro virgine cæſa Dianæ,
Nunc quoque pro nulla virgine cerva datur.

Videmus hic, ut rationem ejus ſacrificii à temporibus arceſſit Trojanis. Ajunt enim, cùm Agamemnon occidiſſet cervam Dianæ ſacram, exercitum in Aulide propterea fuiſſe omnis generis malis vexatum: donec paratus

eſſet immolare filiam Iphigeniam: Divam autem, virginis miſertam, ſuppoſuiſſe pro ea cervam, ipſam verò tranſtuliſſe in Tauricam Cherſoneſum, ubi Dianæ facta ſit ſacerdos. Sed qui ad rerum naturam attendere malunt, eò dicant cervum Dianæ immolari, quia ut Diana, quæ eſt Luna, celerrimè conficit ſuum curſum: ita quoque cervus ſit velociſſimus. Idcirco & currus ejus à cervis trahebatur. Claudianus in III Stiliconis Panegyri:

Dixit, & extemplo frondoſa fertur ab Alpe
Trans pelagus: cervi currus ſubiere nivales.

Ex his etiam liquet, cur quandoque ſimulacrum Dianæ indutum fuerit cervinis pellibus: cujuſmodi effigiei Pauſanias meminit in Arcadicis. Etiam moris fuit, ut ante templa Dianæ conſpicerentur cornua cervi. Niſi quod Romani in Aventino monte pro cervinis habuerint bovis cornua. Unde hæc diſparitas fuerit, narrat Plutarchus in Quæſtionibus Romanis. Etiam ex Agellio notum, ut Sertorius cervam albi coloris nactus, finxerit ſibi eam à Diana donatam, atque eo pacto, quia omnia Dianæ ſe monitu agere perſuaderet, in officio continuerit militem Hiſpanum. Nempe longè rariſſimæ ſunt cervæ albæ. Ab Apollonio Tyaneo viſas, tradit Philoſtratus in vita ejus, legas lib. III: ubi & ut cervas cornigeras conſpexerit, Paracam Indiæ urbem prætergreſſus.

Capra Athenis immolabatur in feſto Dianæ Brauroniæ: quod quincto quoque anno celebratum. Vide Heſychium in Βραυρωνίοις, & Pollucem lib. VIII, cap. IX.

Præterea Dianæ grata felis: in qua latuit, cum pugnarent Dii adverſus Typhoea. Ovid. V Met. fab. VII:

Fele ſoror Phœbi, niveâ Saturnia vaccâ,
Piſce Venus latuit, Cyllenius ibidis alis.

Ex piſcibus τρίγλη, ſive mullus, erat ſacer Dianæ: ut eſt apud Athenæum lib. VII. Diximus de eo pluribus lib. II, cap. XXIX.

Pagurus item Dianæ ſacer eſt, quoniam inter venatores teſtaceos numeratur, ajuntque eum præcipue vim lunæ ſentire, quâ creſcente ſucculentior fiat, & melior. Aliqui Apollini ſacrum faciunt, quoniam Muſica delectatur. Apud Myſtas prudentiam Pagurus ſignificabat, ideo Dianæ Epheſiæ collo fuit ſuſpenſum, & apud Brutios Dianæ caput Paguro ornabatur. Prudentiam ea de cauſſa illi tribuunt, quod cum cruſtam exuit, veluti armis ſpoliatus latet, viribuſque diffiſus nullos aggreditur, donec novam recuperaverit. Capacius lib. II hiſtoriæ Neapolitanæ, pag. 645.

Ex herbis Dianæ ſacra eſt herba Artemiſia, ut lego apud poëtam Græcum ineditum.

Dianæ etiam ſacri fontes, & viridantia prata. Maximus Tyrius orat. XXXVIII, utrum Diis dicandæ ſint ſtatuæ: Ἱερὰ δὲ Ἀρτέμιδος, πηγαὶ ναμάτων καὶ κοῖλοι νάπαι, καὶ ἀνθηροὶ λειμῶνες. *Etiam ſacri ſunt Dianæ fontes laticum, & cavi ſaltus, & veſtita floribus prata.*

Diana apud Cretenſes dicta Βριτόμαρτις, quomodo, inter alios, etiam appellant Diodorus Siculus lib. VI, Pauſanias lib. IX, ac Callimacho ſic vocatam oſtendit Phavorinus. De origine vocabuli diximus lib. I, cap. XVII. Tanta autem ejus Divæ veneratio erat, ut templum, niſi nudis pedibus, ingredi non liceret.

Subjungam pauca de Junone Lucina. De Junone quidem ſuperius dictum: de Diana proximè: nec Lucina eſt diverſa à Diana: ſed Lucina dicta eſt, quatenus eſt parturientium numen: atque aliter etiam vocatur Ilithya. Unde Horat. carmine ſeculari in Dianam ait,

Rite maturos aperire partus
Lenis Ilithya tuere matres,
Sive tu Lucina probas vocari,
Seu genitalis.

In numis Fauſtinæ Auguſtæ eſt effigies matronæ ſtolatæ, ac ſtantis, dextrâ tenentis haſtam puram, ſiniſtrâ autem pateram. Inſcriptio eſt JUNONI LUCINÆ. Eadem alia in nummo cernitur cum puero in ulnis, & pueris duobus adſtantibus. Pauſanias in Achaicis narrat Ægii vetuſtum fuiſſe templum Ilithyæ, in quo ſimulachrum pedibus tenus panno tectum, manuum unam extenderet, alterâ autem geſtaret facem. Ac de face hanc idem adfert cauſſam, quòd parturientium dolores ſint acerrimi, ſic ut meritò comparentur igni. Vel quòd Ilithya præbeat uſuram lucis: ignis verò lucis eſt ſymbolum. Poſſis & dicere face repræſentari calorem vitalem. Ea figurâ exhibet Goltzii Græcia in numo Samiorum, & alio Ambraciatarum.

Lucinæ, ſive τῇ Εἰλειθυίᾳ ſacratum eſſe ichneumonem, traditur ab Æliano lib. X de Animal. cap. XLVII.

E plantis dictamnum Junoni Lucinæ ſacrum fuit. Item papaver, quod etiam ſacratum Cereri, atque Eumenidibus.

CAP. XXVI.

De effigie Veneris, & animantibus, rebuſque aliis, ei conſecratis.

SUpereſt è Diis Conſentibus Venus: quæ apud Thebanos tria habuit ſigna, è ligno fabricata, eò, ut opinio fuit, de roſtris navium Cadmi: quod antiquiſſima fuiſſe arguit. Unum ſignum erat Veneris Οὐρανίας, ſive Cæleſtis; alterum Πανδήμου, ſive Vulgivagæ; tertium Ἀποστροφίας, ſive Averſatricis, vel Verticordiæ: eaque nomina impoſuiſſe Harmonia, Cadmi uxor, credebatur. Prima harum ſignificabat ἔρωτα καθαρὸν, καὶ ἀπηλλαγμένον πόθου σωμάτων, *amorem purum, & cupiditate corporum vacantem.* Altera conſiſtebat ἐπὶ ταῖς μίξεσι, *in concubitu Venereo.* Tertia avertebat animos ab amoribus impuris. Horum auctor nobis Pauſanias lib. IX, qui eſt de Bœoticis. Sed idem in Eliacis poſterioribus duas ſolùm Veneres memorat: Οὐρανίαν, & Πάνδημον. Prioris ſimulacrum Elienſibus erat ex auro, & ebore, Phidiæ opus: alterius ex ære, opus Scopæ: prior Venus pede teſtudinem premebat: altera hirco inſidebat. Atque addit Pauſanias, ſe, quæ teſtudinis, vel capri fuerit ſignificatio, iis relinquere quærendum, quibus perſcrutari talia eſt curæ. At de teſtudine jam diu cauſſam attulerat Plutarchus in Præceptis Conjugalibus, atque alibi, ubi ſignificari ait, uti teſtudo domiporta, ſe domi ſitæ continet, ita feminæ domus cuſtodiam committi. Nec obſcura eſt ratio de capro, cùm Veneri conveniat hircus, animal libidinoſum.

Etiam duas haſce Veneres memorat Appulejus in Apologia ſua, his verbis: *Mitto enim dicere alta illa, & divina Platonica, rariſſimo cuique piorum gnara, cæterum omnibus profanis incognita: geminam eſſe Venerem deam, proprio quamque amore, & diverſis amatoribus pollentis. Earum alteram vulgariam, quæ ſit percita populari amore, non modo humanis animis; verùm etiam pecuinis & ferinis, ad libidinem imperitare, ut immodico trucique perculſorum animalium ſerva, corpora complexu vincientem: alteram verò cælitem Venerem, prædita quæ ſit optimati amore, ſolis hominibus, & eorum paucis, curare, nullis ad turpitudinem ſtimulis, vel illecebris, ſectatores ſuos percellentem. Quippe ejus amorem non amœnum, & laſcivum, ſed contra incomtum & ſerium pulchritudine honeſtatis virtutes amatoribus ſuis conciliare: &, ſiquando decora corpora commendet, à contumelia eorum procul abſterrere. Neque enim quicquam aliud in corporum forma diligendum, quam quod admoneat divinos animos ejus pulchritudinis, quam priùs veram, & ſinceram, inter Deos videre.*

Cultum Veneris Πανδήμου, ut & Pithûs, ſive Suadelæ, primus creditur inſtituiſſe Theſeus, ut Pauſanias tradit in Atticis. De eadem ita Eugraphius in Terentii Eunuch. *a* *Menander apertè dixit, Meretrices juxta domum ſuam* *a 2 Act. 1.*
vel in atrio ſolitas habere aram Veneris Vulgariæ, cui quotidie ſacrificarent. *ſc. 2.*

Utcunque verò duplex, vel etiam triplex ſit Venus: poëtæ tamen, ac ſcriptores propè univerſi, *Veneris* nomine intelligunt eam ſolùm, quæ verſatur circa corporum mixturam: non tamen pro diverſis habent, quæ licitis, quæque

illi-

illiciris præeſt ignibus: ſed utramque poteſtatem eidem Divæ tribuerunt. Ab eadem enim Venere eſſe cenſent & amorem illum Helenæ priorem erga Menelaum, & alterum erga Alexandrum ſive Paridem: item illum Clytemneſtræ priorem erga Agamemnonem, & ſecutum erga Ægiſthum.

Effingebatur Venus plurimùm formâ adoleſcentulæ formoſiſſimæ, ac nudæ. Βαθυπλόκαμον, ſive capillatam, vocat Apollonius Rhodius. Ea interdum in concha conſiſtebat, interdum natabat in mari, vel è mari emergebat, quam ἀναδυομένην vocant. Nempe quia è mari nata: unde Neptunus ad eam in v Æn. ait:

Fas omne eſt Cytherea meis te fidere regnis,
Unde genus ducis.

Sæpius verò fingebatur curtui inſidens, vel inſiſtens; nuda vel vix cooperta.

Inclytum imprimis fuit ſimulachrum Veneris Coæ, & Cnidiæ, illius veſtitæ, hujus nudæ. De quibus ſic Plinius lib. XXXVI, cap. V: *Duas fecerat Veneres Praxiteles, ſimulque vendebat; alteram velata ſpecie; quam ob id quidem prætulerunt optione, quorum conditio erat, Coi; cùm alteram etiam eodem pretio detuliſſet; ſeverum id ac pudicum arbitrantes. rejectam Gnidii emerunt; immenſa differentiâ famæ. illo enim ſignô Praxiteles nobilitavit Gnidum. Ædicula ejus tota aperitur, ut conſpici poſſit undique effigies Deæ, favente ipſa ut creditur facto. nec minor ex quacunque parte admiratio eſt.*

Apud Pauſaniam in Corinthiacis eſt de Veneris templo quod duæ ſolùm ingrederentur, ἡ νεωκόρος, ſive æditua, & virgo, annuo fungens ſacerdotio, λουτροφόρος dicta, à lavacro ferendo. Ipſa autem diva à Canacho Sicyonio, (qui & Mileſiis Didymæum, & Thebanis Iſmenium Apollinem effinxerat) ex auro, & ebore, facta fuit, ac capite geſtabat πόλον ſive apicem; una manu papaver, alterâ malum tenebat: omnium verò victimarum femora, præterquam ſuis, inviſi animalis, ei conſecrabant: partes cæteras adolebant juniperi lignis.

Appulejus in X Metamorphoſ. ubi refert judicium Paridis in ſcena exhibitum, ſic deſcribit eam, quæ Venerem repræſentârat: *Qualis Venus, cùm fuit Virgo, nudo & intecto corpore perfectam formoſitatem profeſſa; niſi quod tenui pallio bombycino inumbrabat ſpectabilem pubem. quam quidem laciniam curioſulus ventus ſatis amanter nunc laſciviens reflabat; ut dimotâ, pateret flos ætatulæ: nunc luxurians adſpirabat, ut, adhærens preſſulè, membrorum voluptatem graphicè liciniaret. Ipſe autem color Deæ diverſus in ſpeciem: corpus candidum, quod cælo demeat; cærulum, quod mari remeat.* Subjungit deinde de comitibus Deæ, qui erant Cupidines, Gratiæ, Horæ.

Apud Lacedæmonios erat ſignum Veneris armatæ, ut eſt apud Pauſaniam in Laconicis. Ac notum de ea quo-
a *Lib.* 4. que ex Quinctiliano, Plutarcho, Anthologia Græca *a*,
b *Epig.* 41. & 42. & Auſonio *b*: ut Lactantium *c* mittam. Refert ibidem
c *Lib.* 1 *Inſtitut.* Pauſanias, ut Veneris armatæ templum fuerit unicum, quòd vidiſſet ſuper ædem alteram exſtructum, fuiſſeque in ſuperiori æde cellam Morphûs. Eſſe id cognomen Veneris. Sedere autem Divam καλύπτραν ἔχουσαν, καὶ πέδας περὶ τοῖς ποσί· *cum galericulo, & compedibus*: compedes autem à Tyndareo additas ad ſignificandum, ſimilitudine vinculorum, firmum eſſe amorem debere, quo uxores obſtringuntur maritis: nec enim ſe fidem habere iis, qui aliam adferunt cauſſam, quaſi Tyndareus Venerem voluerit hoc ſimulachrô ulciſci, tanquam omnium malorum auctricem: ut quæ filiarum uni Helenæ, Menelao nuptæ, immiſerit amorem Paridis; alteri autem filiæ Clytemnæſtræ, uxori Agamemnonis, cauſſa foret, cur amârit adulterum Ægiſthum.

Venus Cypriis cum haſta, ad ejus potentiam deſignan-
d *Lib* 2. *cap.* 27. dam. De quo & alibi *d* adduximus illud Heſychii: Ἐγχεῖος, Ἀφροδίτη, Κύπριοι. *Enchios*, ſive haſtigera, *Venus, Cypriis.* In ejus ſacris ſalis pugillus, & viri αἰδοῖον oſtendebatur. Quorum cauſſam attuli lib. I, cap. XVII.

Venus pæta, quia hujuſmodi ſint oculis libidine percitæ. Vide interpretes in illud Ecl. III:

—— tranſverſa tuentibus hirquis.

Venerem apud Horatium in primo odarum circumvolant Iocus, & Cupido.

Venus in tragœdiis inducebatur veſtibus coloris albi: ut ait Porphyrius in tetrabiblon Ptolomæi.

In Saxonia, ut ex hiſtoriis ejus gentis cognoſcere eſt, ſimulacrum repertum Veneris nudæ curtui inſiſtentis, caput myrto cinctæ, in pectore habentis facem, dextrâ tenentis globum, ſive terrarum orbem, in ſiniſtra autem tria mala: à tergo erant Gratiæ nudæ nexis manibus, pomaque geſtantes, vultibus averſis dona invicem præbentes. Huic Veneris, & Gratiarum curtui, pro equis jungebantur cygni bini, ac totidem columbæ. Non dubium verò, quin effigies iſta fuerit à Græcis: à quibus quàm multa acceperint Teutones, & unde id ſit, alibi exponimus.

Ac paſſeres quidem ſacræ ſunt Veneri ob ſalacitatem maximam: columbæ autem ob oſcula, & fœcunditatem. Ut mittam rationem à fabella de Periſtera, nympha Veneri longè acceptiſſima, quam ubi Cupidinis irâ eſſet in columbam converſa, Venus hoc honore adfecit, ut in ſua eſſet tutela. Unde rationem arceſſit Placidus Lactantius in ſecundum Thebaidos. Cygno verò is attributus honos partim ob candidi coloris venuſtatem, (omnia enim venuſta placent Veneri) partim etiam propter cantum, quo Venerem capi, etiam ex verbis liquet Appuleji proximè adlatis. Ardea quoque Veneri ſacra dicitur. Nec ſemper Veneri forma humana. Quod Tacitus oſtendit in ſecundo Hiſtoriarum de Venere Paphia: *Simulachrum Deæ non effigie humanâ: continuus orbis latiore initio tenuem in ambitum metæ modo exſurgens: & ratio in obſcuro.* Sunt qui exiſtiment, figuram umbilici fuiſſe, ac cauſſam hujus figuræ, quod libido in feminis inde incipiat. Aliis id minùs placet, quia & Jupiter Ammon ſic effingeretur. Sed potuere gentes diverſæ diverſis de cauſſis idem ſymbolum aptare diverſis Deis. Verùm quid ſibi vult, quod orbis ille in conum adſurgeret? Fortaſſe igitur eò reſpexere, quod Amore homines quaſi ardeant; unde paſſim Amor ignis vocatur: ignis vero aſſurgit in modum coni.

Atque hæc de effigie Veneris. Nunc dicam quæ Veneri ſacrificarint, vel dicarint.

Veneri autem immolatam ſuem, teſtis Athenæus lib. III Dipnoſoph. ubi id confirmat verbis hiſce Callimachi ſive Zenodoti in hiſtoricis commentariis: Ἀργεῖοι Ἀφροδίτῃ ὗς θύουσι, καὶ ἡ ἑορτὴ καλεῖται Ὑστήρια. *Veneri ſuem Argivi ſacrificant, eumque feſtum diem vocant Hyſteria.* Etiam apud Ariſtophanem in Acharnenſibus Veneri ſacrificatæ ſuis mentionem invenias. Cur vero ſus Veneri fuerit exoſa geminam rationem adducit Verrius, ſive Feſtus: *Suillum genus inviſum Veneri prodiderunt poëtæ ob interfectum ab apro Adonim, quem diligebat Dea. Quidam autem, quod immundiſſimi ſint ſues ex omni manſueto pecore, & ardentiſſimæ libidinis: ita ut opprobrium mulieribus inde tractum ſit, cùm ſubare & ſubire dicantur.* Ætas etiam ſpectabatur à Romanis. Plinius lib. VIII, cap. LI: *Suis fœtus ſacrificio die quincto purus eſt, pecoris die octavo, bovis trigeſimo. Coruncanus ruminales hoſtias, donec bidentes fierent, puras negavit.*

Veneris Paphiæ cujuſmodi fuerint ſacrificia his verbis docet Tacitus in II Hiſtor. *Hoſtiæ, ut quiſque vovit, ſed mares deliguntur. Certiſſima fides hædorum fibris. Sanguinem aræ offundere vetitum; precibus, & igne puro, altaria adolentur.* Hædus conveniens Veneri animal, quia valde libidinoſus. Itaque & Venerem effinxere capro inſidentem, ut ſuprà diximus.

Ob ſimilem libidinem Veneri acceptus taurus. Sanè per Venerem ſignatur fœcunditas Naturæ; quæ quia ſe medio vere, puta in Aprili, imprimis exſerit, eo & ſignum, in quo tum Sol eſt, Taurum nuncupârunt, Apri-

 lemque

lemque ipſum Veneri dicaverunt. Horatius lib. IV, od. XI:

—— Idus tibi ſunt agendæ,
Qui dies menſem Veneris marinæ
Findit Aprilem.

Ex avibus conſecratæ ſunt Veneri paſſeres, columbæ, & cygni. Atque ab hoc triplici alitum genere currus protrahi credebatur. De paſſeribus ita Sappho *a*, apud Dionyſium Halicarnaſſenſem *b*:

a Cantico in Venerem.
a Libro de Structura orationis.

—— Πατρὸς δὲ δόμον λιποῖσα
Χρύσεον ἦλθες
Ἅρμ' ὑποζεύξασα· καλοὶ δέ σ' ἆγον
Ὠκέες στρουθοὶ, πτέρυγας μελαίνας
Πυκνὰ δινεῦντες ἀπ' ὠρανῶ, αἰθέρος διὰ μέσσω.

Quæ ſic reddebat Helias Andreas:

—— Tecta me propter quia ſæpe linquis
Aurea patris,
Et venis curru properante vecta
Te nigris ad me tenues per auras
Paſſeres alis agiles ferebant
Æthere ab alto.

De columbis indicat Propertius lib. III:

Et Veneris dominæ volucres, mea turba, columbæ
Tingunt Gorgoneo Punica roſtra lacu.

Et apertiùs Appulejus in VI Met. ubi ſic narrat, ut currum Veneris columbæ traxerint, proſequentibus eum paſſeribus: *Jubet* (Venus) *conſtrui currum, quem ei Vulcanus ſubtili fabricâ ſtudioſè poliverat, &, ante thalami rudimentum, nuptiale munus obtulerat, limæ tenuantis detrimento conſpicuum, & ipſius auri damno pretioſum. De multis, quæ circa cubiculum Dominæ ſtabulant, procedunt quatuor candidæ columbæ, & hilaris inceſſibus picta colla torquentes, jugum gemmeum ſubeunt; ſuſceptaque dominâ lætæ ſubvolant. Currum Deæ proſequentes gannitu conſtrepenti laſciviunt paſſeres; & cæteræ, quæ dulce cantitant, aves, melleis modulis ſuave reſonantes, adventum Deæ prænuntiant.* Porrò non de nihilo eſt, quod Appulejus non ἁπλῶς ait currum trahi à columbis, ſed addit albis. Nam & apud Ælianum lib. X Animal. cap. XLVI legas Veneri eſſe ſacros turtures albos. Columbas eſſe Gnidiæ Deæ, h. e. Veneri ſacras etiam ait Martialis lib. XIII, epig. LXVI. Cauſſa eſt frequens fœtus & coitus; ut ait Servius ad illud VI Æn.

Maternas agnoſcit aves ——

De Ænea ſermo eſt, poſt conſpectas columbas. De cygnis teſtis eſt nobis Horatius lib. III, od. XXVIII:

—— Quæ Cnidon
Fulgenteſque tenet Cycladas: & Paphon
Junctis viſit oloribus.

Ac lib. IV, od. I:

Purpureis ales oloribus.

Hoc eſt, quæ perniciter veheris curru tuo oloribus juncto. Cur verò poëta olores hic dicat purpureos, abunde dictum in Oratoriis Inſtitut. lib. IV, cap. XIII, ſect. VIII. Nec ſolus eos Veneris currui jungit Venuſinus ille: ſed idem factum ab Ovidio, uti & Claudiano de Nuptiis Honorii, & Mariæ. Hirundines Veneri eſſe gratas traditum Æliano lib. X de Animal. cap. XXXIV: uti &, ſecundum emendationem Gilli, θεοῖς μυχίοις, Diis Penatibus.

Præterea Iynx Veneri erat ſacra. Theocriti ſcholiaſtes in Idyll. II: Ἴυγξ, ὄρνεον ἀφροδίτης, ᾧ αἱ φαρμακίδες συνεργὸν ἔχουσι πρὸς τὰς μαγείας. *Iynx, avis Veneris, quâ veneficæ utuntur ad magica ſua.* Eo autem Veneri dicata, quia hac uterentur ad conciliandum amorem; ut inferiùs dicetur. Itaque, ut ibidem legas, etiam vocabulum hoc uſurpatur pro ardenti deſiderio, ut apud Pindarum Nem. od. IV *c*: ἴυγγι δ' ἕλκομαι ἦτορ· *magnâ cupiditate cor trahitur*: item pro quolibet, quod amorem ſui excitat, ut apud Ariſtophanem Lyſiſtrata *d*:

c Verſ. 257.
d Choro ſenum, Laconum, Athenienſium, & Lyſiſtratæ.

Ὡς οἱ πρῶτοι τῶν Ἑλλήνων τῇ σῇ ληφθέντες ἴυγγι.
Primi Græcorum illecebris, ſive illice tuâ vi capti.

Poëtæ, inque his Callimachus, ut apud eundem Theocriti ſcholiaſten legere eſt, Junga ajunt fuiſſe filiam Echus: hanc philtro dementaſſe Jovem, ut ſecum concumberet: id indignè tuliſſe zelotypam Junonem, eoque Junga mutaſſe in avem ejuſce nominis, quæ & vim amores conciliandi reſervet, unde eâ ad hanc rem veneficæ utantur. Apud Suidam *a* eſt, in ſaxum verſam: etiam ibidem eſt, aliis dici Pithûs, ſive Suadæ filiam. Sed hæc de matre diverſa facilè conciliantur. Nam Echo eſt vox reſultans. At naſcitur amor mutuus ex ſermone ſive colloquio. Naſcitur quoque ex Suada: quia ſermone perſuademus. Imò, ut ſcitè ait Ariſtophanes in Ranis: a In Ἴυγξ

Οὐκ ἔστι Πειθοῦς ἱερὸν ἄλλο πλὴν λόγος.
Suadæ ſacellum haut aliud eſt, quàm oratio.

Præſertim delenifica oratio hoc habet, conjuncta cum forma exuberanti, & moribus venuſtis, ac ingenii dexteritate. Quorum ſingula cum Olympias obſervaret in quadam ad ſe deducta, eòquòd Philippum maritum, vel ut alii ajunt, Alexandrum M. philtro ſibi conciliaſſe diceretur, Valeant, inquit, qui te philtri indigam putant: abunde ſufficit amatorium, quod in te circumgeſtas.

Etiam phalerides, ſeu phalarides quæ aves ſunt paluſtres, Ariſtophani in Acharnenſibus memoratæ, item Varroni, Columellæ, Plinio, Veneri erant ſacræ; ut eſt apud Athenæum lib. VII., & Euſtathium in Iliad. A *b*. ubi geminam adfert ejus rei cauſſam: unam quidem à re petitam, nempe ab albore, quo refert genitale ſemen: alteram verò à ſimilitudine vocis, quia cognatio quædam eſt literarum inter φαληρὶς, & φαλλὸς, quo notatur penis ligneus, vel coriaceus. b Pag. 87 edit. Rom.

E piſcibus Veneri dicatur ἀφύη, ſive apua: ut apud Euſtathium eſt in Iliad. A *c*. Ubi & cauſſam adfert à cognatione nominis. Nam & ἀφύη, & Ἀφροδίτη vocabula quandam habent convenientiam. Imò & ἀφύη naſcitur è maris ſpuma, quæ Græcis ἀφρὸς, & inde etiam nata creditur Venus. c Pag. 87 edit. Rom.

Veneri item ſacra chryſophrys, Archippus apud Athenæum:

Ἱερὸς Ἀφροδίτης χρύσοφρυς Κυθηρείας.
Chryſophrys ſacer Veneri Cytheræa.

Similiter Euſtachius Il. T. Videtur formæ gratia formoſiſſimæ Divæ dicatus. Eſt enim Matronis Parodi:

Χρύσοφρυς, ὃς κάλλιστος ἐν ἄλλοις ἔπλετο ἰχθῦς.
Chryſophrys, qui formoſiſſimus inter alios eſt piſcis.

Chryſophrys etiam vocatur Ovidio in Halieut. Idem putatur ac *Aurata*, ſive *orata*: unde & Romæ cognomentum Sergio: etſi de hoc aliter Feſtus in Orata.

Item Veneri dicatæ conchæ Venereæ, ſive Cytheriacæ. Priori modo vocat Plinius, altero Martialis: ut dictum lib. IV, cap. XXXV. Ubi etiam dicebamus, eò Sacratas Veneri, quia referant genitale arvum.
Ovid. 5 Met.

Piſce Venus latuit. ——

Ex plantis verò dicavere Veneri roſas, & myrtum: quæ habere vim credita ad amorem conciliandum ac conſervandum. Sed & mala, & chryſophryn herbam, ac fortaſſe philyram: de quibus omnibus lib. V, nempe in hiſtoria Plantarum, ſatis diximus. Unum hoc igitur nunc dicam, Veneri Cypriæ ſolum thure, & floribus ſacrificabant: ut ait Servius in I Æn. ad illud,

Tum Venus, Haut equidem tali me dignior honore.

Ac Maro ipſe id firmat eodem Æneidos libro:

Ipſa Paphum ſublimis abit, ſedeſque reviſit
Læta ſuas: ubi templum illi, centumque Sabæo
Thure calent aræ, ſertiſque calentibus halant.

E metallis Veneri ſacratum æs: ut eſt apud Pindari interpretem. Commune hoc habet cum Deo Æſculano, cui *æs* nomen dedit.

Ex Horis ſive anni partibus Veneri ſacratum ver, imprimis menſis Aprilis. Nempe quia vere & plantæ renaſcun-

naſcuntur, & animalia procreantur, unde Lucretius lib. I ſic Venerem compellat:

Nam ſimul ac ſpecies patefacta eſt verna diei,
Aëriæ primùm volucres te Diva, tuumque,
Significant initum perculſæ corda tua vi.

Ac plura ibidem his gemina. Imò Cicero in ſecundo de Natura Deorum: Venerem ex eo dictam putarunt, quia per eam omnia veniant, h. e. oriantur. Sed fortaſſe Scaligeri *a* magis opinio placet, ut à veniendo quidem ſit, ſed quia aliunde id nomen venerit ad Romanos, q. d. προσήλυτον θεὸν, ſive numen peregrinum. Nam ſub Regibus id numen erat ignotum: ut ex Cincio retulit Varro, inde Macrobius, ex eò nos lib. II, cap. XXVII: ubi & Divæ nomen ab Hebræo fonte arceſſivimus.

a *Ad Feſtum.*

Cap. XXVII.

De ſimulachris Deorum trium Selectorum eorumque corporalium; Solis, Lunæ, & Telluris; deque rebus, quas iis ſacraverunt: item de Maja & Bona Dea.

Abſolvi de Diis Conſentibus: nunc eo ad illos, qui licet non ſint in Conſentibus, ſunt tamen in Selectis: quales, præter Conſentes XII, ſunt octoni: ex his tres corporei, & adſpectabiles; Sol, Luna, Tellus. De quibus nunc agam. Dixeris, jam de iis actum videri, de Sole, in Apolline; de Luna, in Diana; de Tellure, in Veſta, ac Cerere. Sed enim diſtinguere oportet Theologiam civilem à phyſica, & poëtica. Quæ quantum differant, arguit, quòd Dii, quos hactenus memoravi, fuere Romanis in Diis Conſentibus: illi verò de quibus nunc loquar, non item. Adhæc Apollo filius Iovis: at Sol Hyperionis: unde Claudianus in ſecundo de raptu:

Hic Hyperionio Solem de ſemine naſci
Fecerat.

Hyperion verò Cæli filius, Saturni frater; ut eſt apud Diodorum. Quomodo Apollo, & Sol, fuerint patrueles. Interdum tamen pro Sole ipſo ſumitur; ut illo Ovidii I Faſt.

—— *Radiis Hyperiona cinctum.*

Effingebatur Sol humanâ ac juvenili formâ, ſed capite radiis cincto: ut vel indicio ſunt verba ex Ovidio proximè adducta. Eſt & Martiani Capellæ lib. I *a*: *Solis auguſtum caput radiis perfuſum, circumactumque flammantibus, velut auratam cæſariem rutili verticis imitatur.* Hi radii fuere duodeni, pro ſignorum numero, quæ percurrit. Unde & Maro XII Æn. de rege Latino:

—— *Cui tempora circum*
Aurati bis ſex radii fulgentia cingunt,
Solis avi ſpecimen.

a *Pag. 6.*

Nec tamen fingitur fuiſſe talis in infantia: unde Claudianus in II de Raptu, ubi qualis primis in annis fuerit deſcribit:

Hic Hyperionio Solem de ſemine naſci
Fecerat, & pariter Lunam, ſed diſpare formâ;
Auroræ, noctiſque duces; cunabula Tethys
Præbet, & infantes gremio ſolatur anhelos
Cæruleuſque ſinus roſeis radiatur alumnis:
Invalidum dextro portat Titana lacerto
Nondum luce gravem, nec pubeſcentibus altè
Criſtatum radiis; primo clementior ævo
Fingitur, & tenerum vagitu deſpuit ignem.

Solis habitus erat χροίας χρυσοκιτρίνης, coloris, qui eſt in malo aureo, ſive Medico: ut eſt apud Porphyrium in Ptolomæi τετράβιβλον.

Sol curru vehebatur: ut & Deorum alii quidam, ſicut ex Pauſania videre eſt. Tribuere autem ei quadrigas, ut ſiderum nobiliſſimo. Vel quatuor equi, pro quatuor anni Horis ut è Fulgentii Mythologicis & Iſidoro in Originum, libris diximus, cum lib. VII de Temporis partibus agemus. Imò & ſat veriſimile commentum de igneis Solis equis cepiſſe originem ex igneis Eliæ equis. Beda in libros Regum quæſtionum XXX quæſtione XXVIII: *Solent gentiles pingere vel facere ſimulachrum Solis, ut, puerum juvenem in curru ponentes, equos eidem, quaſi curſu cælum petentes, ſubjungant. Cui propterea pueri aptant imaginem, quia Sol, velut quotidie novo ortu natus, nullum per ſecula ſenium incidit: Ut autem eidem currus & equos tribuant, de miraculo ſumptum Eliæ Prophetæ, qui curru igneo, & equis igneis eſt raptus ad cælum, Joannes Conſtantinopolitanus* a *epiſcopus æſtimat. Quod inde etiam Græcè* Ἥλιος *dicatur Sol. Sicut etiam Sedulius* b, *cùm de Eliæ adſcenſu caneret, oſtendit, dicens:*

Quàm bene fulminei prælucens ſemita cæli
Convenit Eliæ, meritò qui & nomine fulgens,
Hac ope dignus erat. Nam ſi ſermonis Achivi
Una per accentum mutetur litera, Sol eſt.

a *B Chryſoſtomum ſignat.*
b *Lib. I. Operis Paſchalis.*

Solis ſymbolum apud Rhodios erat coloſſus: quem iis fecerat Chares Lyndius Lyſippi diſcipulus: ut eſt apud Plinium lib. XXXIV, cap. VII. Imò artificis nomen baſi inſcriptum fuit, ac pariter coloſſi magnitudo. Verſiculi fuere iſtiuſmodi:

Τὸν ἐν Ῥόδῳ κολοσσὸν ἑπτάκις δέκα
Χάρης ἐποίει πηχέων ὁ Λίνδιος.
Rhodium coloſſum Lindius fecit Chares,
Cubitos decem qui ſepties altius fuit.

Græci ſacrificantes Soli mel libant: cujus cauſſam apud Athenæum in XV exponit Phylarchus, his verbis ex XII hiſtoriarum: Παρὰ τοῖς Ἕλλησιν οἱ θύοντες τῷ Ἡλίῳ μέλι σπένδουσιν, οἶνον οὐ φέροντες τοῖς βωμοῖς, δεῖν λέγοντες, τὸν τὰ ὅλα συνέχοντα, καὶ διακρατοῦντα θεὸν, καὶ ἀεὶ περιπολοῦντα τὸν κόσμον, ἀλλότριον εἶναι μέθης. *Apud Græcos, qui ſoli rem divinam faciunt, mel libant; non vinum aris inferunt: quia, ut dicunt, numen, quod omnia continet, & regit ac mundum perpetuò circumvolvit, alieniſſimum ſit ab ebrietate.* Pag. 693.

Ex quadrupedibus, apud Græcorum nonnullos, equus Soli ſacer fuit. Itaque in Taleto, quod in vertice Taygeti Solis fanum erat, equi ſacrificabantur Soli: ut eſt apud Pauſaniam in Laconicis. Addit, idem eſſe, ſacrum Perſis. Poterat quoque dicere de Armeniis, & Maſſagetis. Nam & hi *c* equum Soli dicarunt & eum huic mactarunt: ut oſtenſum nobis lib. I Orator. Inſtitut. cap. V, ſect. XXIII. Movit verò haſce omnes gentes, quòd celerrimo animali celerrimum quadrupedem convenite arbitratentur: ut operis hujuſce dictum lib. II, cap. XVII.

c *Herodoti lib. I.*

Etiam lupus dicatus Soli; ut eſt apud Sophoclis ſcholiaſtem: nempe quia primâ luce ſe confert prædatum. Eò & λύκος (lupus) ἀπὸ τῆς λύκης *d* appellatus. Sed ob robur, & prædas, ab aliis in Martis eſſe tutela credebatur: imò Athenis lupum occidere nefas erat. De utroque auctor eſt nobis Apollonii ſcholiaſtes in ſecundum Ἀργοναυτ.

d *A prima luce.*

Ex avibus Soli ſacer gallus gallinaceus; idque quia cantu ſuo ſolis ortum annunciet: quam rationem adfert Pauſanias libro Eliacorum priore. Atque addit, propterea in Idomenei ſcuto gallum fuiſſe pictum, quia eſſet nepos Minois à Paſiphae, Solis filia, oriundus.

Aquila Iovi ſacra, ut dictum: ſed Soli etiam conſecrâſſe videntur. Nec ratio obſcura: quandoquidem adeo obtutu ſpectet Solem: ut dictum lib. III, cap. LXXXI. Unde id ſit vidimus ejuſdem libri cap. XXIII. Ad Solem itidem dicitur explorare pullos: quod haliæeti proprium, ut diximus ejuſdem libri cap. LXXVI.

Præterea pocula capacia Soli dicavere: qua de re malo verbis uti eruditiſſimi Stephani Pighii, in Mythologia de anni partibus. Sic vero ille *e*: *Quare in poculis curſum Solis frequenter notis variis expreſſerint in cauſſa eſſe videtur, quòd, ut Baccho, & Herculi, ita Soli, cognato Numini, pocula ſacrarit capacia Græcorum religio. Habere enim Solem aureum poculum, à Vulcano fabrefactum, fingunt Steſichorus, Antimachus, & Æſchylus, poëtarum vetuſtiſſimi, in quo Oceanum ab Occaſu Orientem verſus navigare ſolet. Theoclytus autem* ἐν δευτέρῳ ὡρῶν,

e *P. 163. edit. Plantine.*

lebetem vocat Solis hoc navigium; veluti & ille, qui multo prior Titanomachiam conſcripſit. Plutarchus verò περὶ σαρκοφαγίας *oratione prima, ex poëta forſitan aliquo vetuſto, calicem appellare videtur, quaſi receptaculum in ſe continens florum, & fructuum omnium ſemina. Dicit enim mundi, atque aurei illius ſeculi primordio, Solem curru ſuo incertum tenuiſſe tramitem, & vix auroram ab occaſu ſeparaſſe, neque ut nunc converſas anni partes frugiferis calycis coronis circumduxiſſe. Extant Mimnermi poetæ verſus pulcherrimi apud Athenæum, quibus Solem fingit in aureo lecto dormientem, in hunc uſum ſibi à Vulcano facto, ab Heſperidum terris per ſumma Oceani ad Æthiopes trajicere: per ænigma tale poculi profunditatem ſignificans, ut ait Athenæus.*

Ex inanimis apud Rhodios ſacræ Soli quadrigæ. Nempe inſula tota Soli ſacra. Notum de coloſſo, uno è ſeptem orbis miraculis, quem Soli ſacravere. Sol verò quadrigis vehi dicitur: Quare accommodatum hoc Soli ſymbolum putavere. Feſtus *a*: *Rhodii quotannis quadrigas Soli conſecratas in mare jaciunt, quod is tali curriculo fertur circumvehi mundum.*

a In Octo-ber equus.

Conſequens eſt, ut nunc de Luna dicam: cui Romæ templum in Aventino, Livius penè initio lib. XL: *Tempeſtas coorta forem ex æde Lunæ, quæ in Aventino eſt, raptam tulit, & in poſticis parietibus Cereris templi adfixit.*

Apud Elienſes erant ſigna lapidea Solis, & Lunæ: atque ut è Solis capite radii, ita è Lunæ exibant cornua: ſicut eſt apud Pauſaniam in Eliacis poſterioribus. Imò hæc ab ipſa habuit infantia: unde Claudianus lib. II de Raptu Proſerpinæ, ubi depingit nobis Lunam, qualis in prima fuerit ætate:

Læva parte ſoror vitrei libamina potat
Uberis, & parvo ſignantur tempora cornu.

Luna quandoque dicitur vehi tauro, quandoque curru. Ac tauro quidem, quia exaltatio ejus ſit in ſigno Tauri. Hanc rationem adducit Porphyrius libro de antro Nympharum. Currus verò ejus trahitur interdum ab equis, unde Ovid. initio V Faſt.

Et vos Lunares exiluiſtis equi.

Verum non à quadrigis, ut Solis, nobilioris ſideris: verum bigis duntaxat: ut ajunt Tertullianus lib. de Spectaculis, cap. IX. Caſſiodorus lib. III Varr. ad Fauſtum de Circenſibus, & Iſidorus lib. XVIII Orig. Imò ante hos Manilius, Seneca in Hercule Oetæo, Statius Papinius, & quis non? Qui tamen non ſemper equorum bigas, ſed ſæpiùs boum intelligunt; ut mox dicam. Heſpero autem ne tantum quidem honoris tributum, ut curru veheretur; ut cui equus ſit aſſignatus ſingularis: veſperi quidem furvus, ob furvam noctem, quæ inſtaret: manè autem, quia tum luceſceret, albus: ac tum non Heſperus, ſed Eous vel Lucifer dicitur; ut oſtenſum lib. II, cap. XXXI. Imò nec ſemper Lunæ currus trahitur ab equis: ſed ſæpius à bubus, vel mulis. De bubus liquet ex illo Auſonii epiſt. VI:

Tertia fiſſipedes renovavit Luna juvencas,
Dum fugitas noſtram dulcis amice domum.

Et XIX:

Jam ſuccedentes quatiebat Luna juvencas,
Vinceret ut tenebras radiis, velut æmula fratris.

Intellige autem juvencarum bigam: unde Prudentius adverſus Symmachum:

Nunc bijugas frenare boves, nunc ſæva ſororum
Agmina vipereis ſuperis immittere flagro.

Unde ſit, quod boves junxerint currui Lunæ, quærit Cælius Rhodiginus lib. XX, cap. VI. Ac cauſſam hanc dicit, *quòd ejus detrimenta non terra modò; verùm lapides, animalia, & latamina, ſentiunt quoque.* Quod ſanè longè petitum. Quanto veriſimilius eſt, inde hoc commentos, quia credibile ſit Lunam gaudere cornutis animantibus, cùm ipſa habeat cornua? ut antea dictum.

Cæterum à mulis etiam trahi, & unde id ſit, docet Feſtus: *Mulus vehiculo Lunæ adhibetur quod tam ſterilis ea ſit, quàm mulus. Vel, quòd, ut mulus non ſuo genere, ſed equi creetur, ſic ea Solis, non ſuo fulgore luceat.* Videtur autem hæc de mulis opinio non multum placuiſſe Pauſaniæ: ut qui in Eliacis prioribus ſic ſcribat: Σελήνην τε ἵππον (ἐμοὶ δοκεῖν) ἐλαύνουσι· τοῖς δὲ ἐστιν εἰρημένα ἐφ' ἡμιόνου τὴν θεὸν ὀχεῖσθαι, καὶ οὐχ ἵππου· καὶ λόγον γε τινὰ ἐπὶ τῷ ἡμιόνῳ λέγουσιν εὐήθη. *Equum Luna, ut mihi videtur, ad curſum incitat: etſi mulo ferunt, non equo Deam vehi, futilis quadam de mulo fabula vulgata.* Ex quibus verbis colligo, Lunam etiam finxiſſe equo vectam ſingulari, inſtar Luciferi. Nam tam de equo, quàm mulo, in ſingulo numero loquitur Pauſanias.

Lunæ ex quadrupedibus taurus ſive bos ſacer: ut Lactantius ait lib. I, cap. XXI. Nempe ea de cauſſa, ob quam à bobus etiam currum ejus trahi crediderunt. Imò quia Lunæ dominium eſt in flumina, & omnem humorem: Luna autem habet cornua: etiam fluminum numinibus cornua ſunt attributa. De quo inferiùs dicemus.

Nunc de Tellure explicabo. Cujus ſimulachrum effingebatur matronæ ſpecie, quia ſemina recipit: ac Tellumo mas, nempe vis ſeminum productiva. Ab utroque differt Terra, quæ elementum ipſum, non numen. Neque enim *Terræ*, ſed *Telluris* ædem dicimus. Itaque hæc tria etiam ex Varrone diſtinguit Auguſtinus lib. IV de Civit. Dei, cap. X. Fingebatur autem hæc Dea ſedens, ut eſt apud Pauſaniam in Achaicis: Τοῦ δὲ ἄλσους ἱερὸν ἔχεται Δήμητρος. αὐτὴ μὲν καὶ ἡ παῖς ἑστᾶσι· τὸ δὲ ἄγαλμα τῆς Γῆς ἐστι καθήμενον. *Proximum luco eſt Cereris fanum: Dea ipſa, & Proſerpina ſtant: Telluris effigies ſedet.* Eò autem ſedebat, quia terra eſt immobilis: quod de cæteris elementis dicere non poſſumus.

Præterea Telluris ſimulachrum pingebatur tum clave: quia verno tempore, ut fruges proferre poſſit, aperitur: hiberno autem clauditur: ut eſt apud Servium in X Æn. & Iſidorum in VIII Originum.

Quo ſacrificio gauderet, indicat Arnobius in VII: *Telluri (inquiunt) matri ſcropha ingens immolatur fœta: at Minervæ Virgini virgo cæditur vitula, nullis unquam ſtimulis, nullius operis excitata conatu.* Nec propterea quicquam mutandum in illo Horatii, epiſtolâ ad Auguſtum:

Tellurem porco, Silvanum lacte piabant.

Nam generatim porci vocem uſurpat, more veterum, quibus porcus mas, & porcus femina. Fœtam autem porcam mactabant, ad ſignandam terræ fœcunditatem.

Etiam qui hæreditatem adiret hominis inhumati hoc uſus ſacrificii genere. Varro lib. III de vita populi Romani *a*: *Quod humatus non ſit, hæredi porca præcidanea ſuſcipienda Telluri; & Cereri, aliter familia pura non eſt.*

a Apud Non. Marcell. in Præcidaneum.

Telluri etiam, ut & Cereri, ac Lunæ dicavere taurum: partim quia taurus eſt ſymbolum agriculturæ, eò quòd tauris aremus: partim quia ſignificet naturæ fœcunditatem, eò quòd ſit animal libidinoſum; unde & ſignum, quod in Aprili, Veneris menſe, Sol ſubit, Taurum nuncuparunt. Vide & quæ lib I, cap. XXIX dicebamus de Pharaonis ſomnio, in quo Deus ſymbolo bovis uti voluit, ad fertilitatem & ſterilitatem deſignandam.

Quia verò Telluri mactaretur porca, & Maiæ, Mercurii matri, ſacrum fieret ſue prægnante, eò hinc colligebat Labeo, Maiam eſſe Tellurem: ut refert Macrobius lib. I Saturnal. cap. VII. Maiam hanc εὐπλόκαμον, ſive bene capillatam dicit Steſichorus poëta. Quod non referram, niſi & in effigie ratio haberetur capillorum.

Oppidum eſt Helvetiæ *Meienfeld*, quod, ut ex ore ſenum ejus loci accepiſſe ſe ait Ægidius Tſchudus *b*, ſic vocatum creditur à Maia, Mercurii matre iſtic loci honorata.

b In Rhætia Alpina deſcriptione cap. 19.

Ad Tellurem etiam Bonam Deam, quatenus naturale

eſt numen reducebamus lib. II, cap. LXI. Ejus ſacra nulli viro ingredi licebat: ut præter alios, Propertius indicat lib. IV Elegia de Hercule. Unde id ſit, oſtendimus lib. II, cap. XII. Imò vulgaris opinio erat, ſi viri adiſſent, eos corripi cæcitate. Unde Tibullus lib. I, eleg. VI:

—— Seu viſere dicet
Sacra Bonæ maribus non adeunda viris.
At mihi ſi credas, illam ſequar unus ad aras:
Tunc mihi non oculis, ſit timuiſſe meis.

Clodius tamen ingreſſus impunè: & ideo verè Bonam dicebat, quia non orbatus foret luminibus. Sed Cicero ait, cæcum ingreſſum: quæ longè alia cæcitas, non oculorum; ſed mentis. Audiamus Oratorem orat. de Haruſpicum reſponſis: *Quam iſte iccirco Bonam dicit, quòd in tanto ſibi ſcelere ignoverit. Non ignovit, mihi crede, non. Niſi fortè tibi ignotum putas, quòd te judices dimiſerunt excuſſum, & exhauſtum. ſuo judicio abſolutum, omnium condemnatum: aut quod oculos, ut opinio illius religionis eſt, non perdidiſti. Quis enim ante te ſacra illa vir ſciens viderat, ut quiſquam pœnam, quæ ſequeretur illud ſcelus, ſcire poſſet? an tibi luminis obeſſet cæcitas plus, quàm libidinis?*

Cap. XXVIII.

De ſymbolis, & ſymbolico cultu Genii, Janii, & Saturni.

PEregi de tribus Selectis corporeis, inque oculos incurrentibus. Sequuntur illi Selectorum, extra Conſentes, qui non tam videntur, quàm animo comprehenduntur. Tales ſunt quinque illi Genius, Janus, Saturnus, Liber, & Pluto.

Per Genium non intelligenda hoc loco anima cujuſque, ſed vel appoſitus cuique cuſtos; ſecundum Platonicos: vel loci ſive regionis genius publicâ auctoritate in Deorum numerum adſcitus: ut cum apud Pauſaniam libro IX, ſive in Bœoticis legimus, οἴκημα τοῦ δαίμονος ἱερόν, *ædiculam boni Genii*, quam ingrediebantur, priuſquam ſubirent antrum Trophonii: item Genius populi Romani: de quo Dio Coccejus lib. XLVII: ubi hoc inter alia prodigia recenſet: Γῦπες τε ἐπί τε τοῦ νεὼ τοῦ Γενίου τοῦ δήμου, καὶ ἐπὶ τοῦ Ὁμονοίας παμπληθεῖς ἱδρύθησαν· *Vultures complures in templo Genii Pop. Rom. ac Concordiæ; inſederant.*

Hanc loci ſive regionis tutelam anguis ſymbolo coluerunt: ut eſt apud Iſidorum lib. XII Orig. cap. IV. Itaque apud Maronem V Æn. angue ingenti conſpecto dubitat Æneas, ſitne Genius loci, an qui patri Anchiſæ ſoleat famulari. Ac Propertii eſt lib. IV, eleg. VIII:

Lanuvium annoſi vetus eſt tutela draconis.

Itaque & ſi locum Deo, vel heroi, conſecrâſſent, duos appingebant angues: ut ex Ariſtophanis Pluto, & Perſ. ſat. I conſtat. Interim & Genium expreſſere formâ humanâ: ſenili habes in tabula Cebetis, ſed ferè expreſſus forma juvenili: quæ ætas magis genialis. Coronabatur Floreo ſerto Tibullus:

Ipſe ſuos adſit Genius viſurus honores,
Cui decorent ſanctas florea ſerta genas.
Illius e puro diſtillent tempora nardo;
Atque ſatur libo ſit, madeatque mero.

In vett. nummis Trajani, Adriani, & aliorum quorundam, videas Genium dextrâ ſuper aram porrigere pateram ſerto ornatam: ſiniſtrâ flagellum pendulum, vel ſimile.

Genio ſuo, quiſque natali ſuo ſacrificabat, non floribus modò & mero, ſed etiam thure. Tibullus:

Magne Geni, cape thura libens.

Nam tunc animatum quicquam offerre, nefas: quia non eo die convenit vitam eripere, quo ipſi eam accepimus: ut Varroni monitum, ac Cenſorino. Imò etiam eo die Veneri operam dabant. Nam & hoc eſt Genio indulgere; unde torus Genialis. Aliis in ſacris abſtinebant Venere: unde in Ecl.

Phyllida mitte mihi, meus eſt natalis Jola.
Cum faciam vitula pro frugibus, ipſe venito.

Et ſic quidem erat, cum hominis genio fierent ſacra. Quomodo autem loci Genio rem fecerint divinam, indicat Calpurnius Siculus ecl. V:

—— Tu ceſpite vivo
Pone focum, Geniumque loci; Faunumque, Laremque,
Salſo farre voca.

Ex arboribus platanum Genio dicârunt: quia valde conveniret Genio volentibus indulgere. Nam patula eſt, eoque longè umbram projicit: ac nomen id teſtatur, quod eſt ἀπὸ τὸ πλάτος, hoc eſt, latitudo. Ideo Genius non modo ſerto è floribus, ſed etiam platani foliis coronabantur.

Hinc jam ad Janum propero. Hic vel bifrons, vel quadrifrons pingebatur, idque cum ſceptro & clave: dextra exprimebat numerum dierum, quos annus habet. Etiam aræ duodecim apponebantur. Quorum omnium cauſſam ex natura adduximus lib. II, cap. XVI. At ἱστορικῶς actum de eo lib. I, cap. XIX. Nunc eadem firmabo antea mihi indictis. Jani Gemini, ſive bifrontis effigiem quinque pedes altam memorat Procopius lib. I belli Gothici. Ac bifrons quidem fingebatur, quia in tutela ejus foret veteris anni exitus, & novi initium. Quam cauſſam adducit B. Cyprianus libro de idolorum vanitate: *Ipſe bifrons exprimitur, quod in medio conſtitutus, annum incipientem pariter & recedentem, ſpectare videatur.* Atque hinc etiam cognomina Cluſii & Patulcii, quia annum veterem claudit, atque aperit novum. Etiam inde Clavigero nomen. Primus ideo Deorum invocabatur. Martialis:

Publica, quem primum vota, preceſque canunt.

Nec anni ſolùm, ſed aliarum etiam rerum initia & extrema ei conſecrârunt. Cicero lib. II de Nat. Deorum: *Cumque in omnibus rebus vim habeant maximam prima, & extrema: principem in ſacrificando Janum eſſe voluerunt, quòd ab eundo nomen eſt deductum. Ex quo tranſitiones perviæ Jani, foreſque in liminibus profanarum ædium januæ nominantur.* Sed de Jani etymo aliam ἐτυμολογίαν adduximus lib. II, cap. XVI. Hinc etiam liquet, cur Kalendis Januariis alii aliis fauſta precabantur. Nempe ut apud Ovidium *a* roganti reſpondet Janus, a I *Faſt.*

Omnia principiis, inquit, adeſſe ſolent.

Atque in his ratio arceſſitur à natura Solis. At ab hiſtoria, partim moralem rationem adducit Servius in illud I Æn. *Claudentur belli portæ.* Sic enim ſcribit: *Alii dicunt Tatium & Romulum, facto fœdere, hoc templum ædificâſſe: unde & Janus ipſe duas facies habet, quaſi ut oſtendat duorum Regum coitionem: vel quòd ad bellum ituri debent de pace cogitare. Eſt alia melior ratio, quòd ad prælium ituri optent reverſionem.* Atque hæc firmantur veteribus denariis: in quibus Janus Conſuvius cernitur gemino capite, frontibus conjunctis. Inſcriptio eſt, Q. FABIUS SERVILIANUS S. C. Poſtremis literis ſignificatur, nummum hunc ex Senatus Conſulto cuſum. Id fuerit anno Urbis Conditæ IↃCI, Q. Fulvio Nobiliore, & T. Annio Luſco coſſ. Quod numus is Jani duo capita habet frontibus non averſis, ſed conjunctis, eo liquidius, quam ſi averſis forent frontibus ſignificatur illud Servio memoratum duorum regum Romuli & Tatii fœdus; quod matronarum interceſſione coaluit. Alia etiam glyphica ſigna ibidem videas: quæ Pighius explicuit ſuâ ad Cardinalem Antonium Perenottum Granvellanum diſſertatione. Atque idem Pighius præfat. libri VIII Annalium Romanorum ait ſibi pictum Romæ in antiquo viſum pariete, atque item in gemmis exſculptum cum clave in ſiniſtra, ac flagello in dextera. De clave diximus lib. II. Flagellum exiſtimo ſymbolum eſſe imperii, terras, ac tempora. Eſt enim Janus Sol, qui quadrigis vehi dicebatur. Indicat igitur equos Solis, eo agitante, incitari: ac ſic cauſſas eſſe temporis diurni verni, æſtivi, & ita porrò.

Quadriformis verò fingebatur, vel ob quatuor mundi climata, quæ Sol adſpicit, vel quia annus dividitur in quatuor Horas. Mirum de Januario, qui Jano dicatus, ſcribi iſta à Suida. En verba: Ἰαννουάριος. ἄγαλμα τετράμορφον διὰ τὰς τεσσάρας τροπάς. οἱ δὲ, πλάττουσι αὐτὸν ἐν τῇ δεξιᾷ χειρὶ κλεῖδα κατέχοντα ὡς ἀρχὴν τοῦ χρόνου, καὶ ἄνοιξιν τοῦ ἐνιαυτοῦ, καὶ θυρωρὸν a. Ἕτεροι δὲ τῇ δεξιᾷ τ', τῇ δὲ ἀριστερᾷ ξε', κατέχοντα ὥσπερ τὸν ἐνιαυτόν· ὅθεν καὶ ὁ Λογγῖνος, αἰωνοχέρον αὐτὸν ἑρμηνεύουσι βιάζεται, ὡσπερεὶ αἰῶνος πατέρα· *Januarius, ſimulacrum eſt quadriforme, propter quatuor anni converſiones. Alii verò fingunt ipſum in dextra manu tenere clavem, ut principium temporis, & apertionem anni, & janitorem. Alii* (tradunt) *dextrâ tenere numerum* ccc, *ſiniſtra verò* lxv, *ut annum* (ſignificaret, qui diebus conſtat ccclxv.) *Quare etiam Longinus eum Aeonarium per vim vocifactam, quaſi ævi patrem, interpretatur.* Quæ omnia de Jano ipſo capienda. Ludovicus Demontioſius in Gallo Romæ hoſpite b: *Denique nota Iani ſemper uſurpata fuit in re nummaria, uſque ad Auguſti tempora. Hic, & qui deinde ſequuti ſunt Imperatores, & facie, & nomine in nummis conſpici voluerunt. Sed & denarium argenteum eodem argumento ſignabant veteres Romani notis bigarum, & quadrigarum. Bigarum eodem ſenſu, quo Janum bifrontem fingebant. Quadrigarum verò, ut annum ſolarem ſignificarent, qui quadriennio ad ſua initia redire credebatur. Nam, ut jam diximus, etſi annus civilis lunaris illis eſſet, habebant tamen in arcanis alium intercalandi modum, ut tempora in annos ſolares digererent. Alioqui quæ tandem ex illorum faſtis annorum ratio colligi potuiſſet? At faſtos eorum videmus annis ſolaribus notari, nec diſcrepare numerum annorum, qui ex illis colliguntur à ſolaribus chronologorum. Hæ igitur quatuor annorum periodi ſolares notâ illâ quadrigarum ſignificabantur.*

a Sic Hier. Wolfius, & Æmilius Portus. Ubi vulgo θυρεὸν, ſcutum.

b Pag. 13. edit. Rom. an. 1585.

Sequitur Saturnus, cui forma ſenilis; ut indicat Cyprianus de vanitate Idolorum, & ante eum ſic Tertullianus lib. 1 adverſus gentes, cap. x: *Senex de Saturno, imberbis de Apolline, virgo de Diana figuratur, & miles in Marte, & in Vulcano faber ferri conſecratur.* Formâ hujuſmodi fingebatur vel ob antiquitatem; ſive ἱστορικῶς intelligatur Jovis ipſius parens; ſive φυσικῶς, tempus; quod vel ſemper fuit, vel cum mundo cœpit: vel ob frigidam & ſiccam temperiem ſideris Saturnini, qualis etiam ſenum eſſe ſolet.

Senex iſte cum falce effingebatur, quia præſideret agrorum culturæ. Quam cauſſam adfert Feſtus in *Saturnus.* Ac apud Macrobium etiam legas lib. 1 Saturn. cap. vii, eò falcem, meſſis inſigne ejus ſimulacro additam à Jano, quia ab eo eſſet edoctus *peritiam ruris*, ut qui *rudem ante fruges cognitas victum in melius redegiſſet.* E noſtris etiam Cyprianus de vanitate idolorum: *Ruſticitatis hic cultor fuit: inde falcem ferens ſenex pingitur.* Atque hæc ad hiſtoriam pertinent. Φυσικῶς ſi conſideres, Saturnus eſt tempus, quod, quaſi falce cuncta demetit. Sanè Κρόνος ex veteri ratione ſcribendi eſt, pro quo poſtea χρόνος. Antiquiſſimi enim Græci κρόνος etiam pro tempore ſcripſere. Nempe cum ſexdecim ſolum literas haberent. In octo illis quibus carerent, erat X. Ac ne quidem tum notam habebant ſpiritus aſperi H, vel ' de quibus ſatis dictum lib. 1, cap. xxv. Quia verò tempus omnia abſumit, eò & finxere Saturnum devorare ſuos liberos. Nam liberi temporis ſunt anni, horæ quatuor, menſes, dies: quæ omnia abeunt, nec redire poſſunt. Niſi fortè & huic de Saturno fabulæ lucem affundas ex eo, quòd Molocho, h. e. Saturno, mactando liberos, non tempus attenderint, ſed quia Deum præſtantiſſimis victimis crederent imprimis placari. Ac tales liberi, & omnes victimæ humanæ. Hunc morem vivos homines Saturno immolandi in Italia dicitur ſuſtuliſſe Hercules ex Hiſpania redux. Quod mirum ſanè. Nam is Hercules Tyrius fuit. At mos iſte humanas mactandi victimas ab Oriente proceſſit: Tyriis imprimis. Verùm à quocunque Hercule ſit, dicitur is juſſiſſe, ut pro vivis hominibus in Tiberim atque id virginis manu, hominis imagines ſcirpeæ jactarentur. Ovid. lib. v Faſt.

Illum ſtramineos in aquam miſiſſe Quirites:
Herculis exemplo corpora falſa jaci.

Ac paullò pòſt:

Scirpea pro domino in Tyberim jactatur imago.

Vide & Varronem lib. vi de L. L. Dionyſium Halicar. atque alios. Cæli dicitur filius, quia Cæli motu tempora numeramus, ac dimetimur. Patri abſcidiſſe ajunt genitalia, quia, poſtquam genuit tempus, quo res omnes fluunt, ac porrò fluent, nequid aliud tempus gignere, uti nec aliud cælum, aliumve mundum. Hæc non ut ἀλληγορίαν a, ſed hiſtoriam narravere Heſiodus, Euhemerus, Diodorus. Unde colligunt, Saturnum fuiſſe regem impium: ut qui indignis modis tractarit patrem. Sed addunt, par pari datum hoſtimentum à filio: ab hoc enim Saturnum regno ejectum: ut hic quoque habeat locum illud Publii Syri:

a Alluſionem.

Ab alio expectes, alteri quod feceris.

Verum mihi non tam veriſimile ſit, poëtas hoc ex hiſtoria hauſiſſe, quàm ex fabula finxiſſe hiſtoriam.

Unde autem ſit, quòd Saturni pedes compede vinciantur: rationem ſe reperiſſe cenſet Macrobius lib. 1 Saturnal. cap. viii: *Cur Saturnus ipſe in compedibus viſatur, Verrius Flaccus cauſſam ſe ignorare dicit. Verùm mihi Apollodori lectio ſic ſuggerit: Saturnum Apollodorus alligari ait per annum laneo vinculo, & ſolvi ad diem ſibi feſtum, id eſt, menſe Decembri: atque inde proverbium ductum; Deos laneos pedes habere. Significari verò decimo menſe ſemen in utero animatum in vitam grandeſcere: quod, donec erumpat in lucem, mollibus naturæ vinculis detinetur.* Alii cauſſam petunt ab hiſtoria, quòd ſub Saturno viguerit libertas: non item poſtea. Hinc igitur vincula numini eximi, quando eſt ejus feſtum, in antiqui temporis memoriam.

Saturni templo, ubi & Romanorum ærarium, impoſitus erat Triton. De quo ſic Macrobius lib. 1 Saturnal. cap. viii: *Illud non omiſerim Tritonas cum buccinis faſtigio Saturni ædis ſuperpoſitos: quoniam ab ejus commemoratione ad noſtram ætatem hiſtoria clara, & quaſi vocalis eſt; ante verò muta, & obſcura, & incognita: quod teſtantur caudæ Tritonum humi merſæ, & abſcondita.* Nimirum ante Saturnum eſt tempus illud, quod Varro ἄδηλον b vocabat. Exinde autem incipit tempus illud, quod idem vocat μυθικὸν c, atque aliter dicere poſſumus, ἡρωικὸν d. Extenditur verò uſque ad Olympiadas inſtitutas: unde incipit tempus ἱστορικόν. Sed Macrobius hiſtoriæ nomine etiam fabularem complectitur. Quem ſi ſequi animus, ab Saturno initium fuerit hiſtoriæ omnis, ſive ut homine primo, ſive ut regum antiquiſſimo. Triton verò Saturni templo impoſitus eſt ſymbolum famæ & immortalitatis. Nam ut Saturnus, h. e. tempus per hiſtoriam innoteſcit. Hiſtoria autem longe lateque reſonat, inſtar conchæ illius, quæ Tritoni pro buccina eſt. Unde Ovid. 1 Met.

b Incognitum.
c Fabuloſum.
d Heroicum.

Cæruleum Tritona vocat, conchaque ſonanti
Inſpirare jubet.

Et mox:

—— Cava buccina ſumitur illi
Tortilis in latum, quæ turbine creſcit ab imo,
Buccina quæ medio concepit ubi aëra ponto,
Litora voce replet, ſub utroque jacentia Phœbo.

Saturni habitus in tragœdiis erat χροίας καστοριζούσης e, ut ait Porphyrius in τετράβιβλον Ptolomæi περὶ τῆς τῶν ἱματίων χροίας.

e Ejus coloris qualis caſtor ſeu fiber.

Saturno ſacrum fiebat capite aperto; ut eſt apud Feſtum. Macrobius idem tradit lib. 1 Saturn. cap. viii. Ac id fieri ait, *quia primo à Pelaſgis, poſt ab Hercule, ita à principio factitatum.* Sed ejuſdem lib. cap. x hanc cauſſam adducit, quòd ſignificetur patientia laboris, quam in colendo rure unà cum ſervis toleravit. Hæc

ratio

ratio ab hiſtoria petitur. Sin ab natura arceſſere malis, dixeris Saturnum notare tempus, imò κρόνον dici, quaſi χρόνον: tempus autem omnia aperire ac revelare.

Saturno ſacra Saturnalia, Ludique, quibus gladiatores dabantur, hi autem in Saturni tutela: quia id numen ſanguine gauderet: unde & Oriens Molocho, qui idem eſt numen, ſuos Saturno liberos ſacrificabat. Auſonius Idyll. XXVI, quod eſt de Feriis Romanis:

Et gladiatores funebria prælia notum
Decertaſſe foro: nunc ſibi arena ſuos
Vindicat: extremo qui jam ſub menſe Decembris,
Falcigerum placant ſanguine Cœligenam.

Ubi ſatis eſt apertum falcigerum Cæli filium eſſe Saturnum. Mirum autem doctiſſimum Vinetum ad hunc locum annotare, de gladiatoriis extremi Decembris muneribus nihil alibi ſe legere. Satis enim ex Faſtis Romanis liquet Saturnalia fuiſſe XVI Kal. Januarias.

Nec humano ſolùm ſanguine Saturnus gaudere credebatur, ſed etiam ferarum. Atque hanc cauſſam eſſe eximo, cur illi etiam ſacri fuerint venationum ludi: cujus rei ex Siſinnii Capitonis Spectaculorûm opere auctor eſt nobis Lactantius lib. VI, cap. XX.

Ex plantis Saturno dicârunt brathy: ut lego apud poëtam Græcum epicum: ſed hactenus ineditum. De fanis Saturno Romæ & alibi extructis longum ſit dicere.

CAP. XXIX.

De Liberi ſive Bacchi ſimulachro, & ſacris: deque animalibus atque aliis ei dicatis.

NUnc ventum ad Liberum, ſive Bacchum: quo nomine vinum quidem crebrò ſignatur κατὰ μετωνυμίαν *a*; ſed hic vel is intelligitur, qui primus reperit modum exprimendi ex uvis vitigenum illum liquorem; vel virtus Naturæ, aut Terræ, uvarum, ac vini productrix.

a *Metonymiæ.*

Liber hoc commune habet cum Apolline, quòd uterque effingeretur formâ Juvenis formoſi. Tibullus lib. I, eleg. IV:

Solis æterna eſt Phœbo, Bacchóque Juventa:
Nam decet intonſus crinis utrumque Deum.

Utriuſque etiam capillorum ſylvam laudat Ovidius III Metam.

Et dignos Baccho, dignos & Apolline crines.

Eoſdem laudat, ſed illos Veneris addit, idem lib. I Amorum, Eleg. XIV:

Formoſæ periere comæ, quas vellet Apollo,
Quas vellet capiti Bacchus ineſſe ſuo.
Illis contulerim quas quondam nuda Dione
Pingitur humenti ſuſtinuiſſe manu.

At de illis ſolius Bacchi ſic Libanius Declam. IX, ubi de Alcibiade ſic ſcribit: κόμαι μὲν αὐτῷ τοῖς κροτάφοις ἐπισείονται Βακχικαί, τοῖς στεφάνοις ἤδη καὶ τοῖς ἄνθεσι πρὸς κόσμον ἀνθοῦσαι. *Comæ quidem ipſi Bacchicæ incutiuntur temporibus, corollis jam, & floribus ad ornatum certantes.*

Bacchus in Apollonatium nummo (urbs ea ſeu Illyridos, ſeu Macedoniæ potiùs, Corinthiorum colonia) conſpicitur cum coma pexa, & hederæ ſerto coronata. Eſt & apud Prudentium hymno in Romanum martyrem:

Dum defluentem leviter flectens comam
Lunat capillos, & corymbos Liberi.

Bacchus etiam cum thyrſo effingebatur, item florida veſte, ac nebride ſive hinnuli vel cervi pelle. Philoſtratus Iconum lib. I, ubi de Ariadne: Ὁ Διόνυσος ἐκ μόνου τοῦ ἐρᾶν γεγράφθαι· σκευὴ μὲν γὰρ ἠνθισμένη, καὶ θύρσοι, καὶ νεβρίδες, ἔρριπται ταῦτα, ὡς ἔξω τοῦ καιροῦ. *Dionyſus amoris ſolùm cauſſa eſt. Florida enim veſtis, thyrſique, & nebrides, ut ad inſtitutum nihil pertinentia, ſunt abjecta.* Ac Bacchi exemplo bacchæ etiam ſacrificantes nebride veſtiebantur. Cauſſam utriſque adduximus lib. II, cap. XIV.

In nummis aureis & argenteis L. Caſſii Longini Ravulæ videas facies Liberi, & Liberæ: & Liber quidem eſt hederâ coronatus, ac thyrſum habet, Libera gerit coronam pampineam. Videntur ea fuiſſe numina gentis Caſſiæ. Inſcriptum eſt, L. CASSI Q. F. Caſſius ille quæſtor provincialis erat an. Urbis IↃCXII. Etiam aliquando tribunus plebis: imò & conſul, & cenſor. Uſque adeò ſeverus fuit judex, ut ſcopulus diceretur reorum. Semper quærere ſolitus, CUI BONO, quia, ut ait Cicero pro Roſc. Am. *Sic vita hominum eſt, ut ad maleficium nemo conetur ſine ſpe atque emolumento accedere.*

Gytheatum nummus: ex parte una Bacchus hederâ & uvis redimitus, ex altera Victoria cum palma, & corona roſtro navis inſiſtens.

Ariſtophanes in Ranis *a* inducit Bacchum leonis indutum exuviis, & crocotâ, item cum cothurno, & manu geſtantem ῥόπαλον, ſive clavam: idque ut certantem audiat cum Euripide Æſchylum. Sed propterea ibidem ridet Bacchum Hercules, quia iſtiuſmodi habitus neutiquam Baccho conveniret.

a *Act. 1 ſc. 2. quæ incipit, Τίς τὴν θύραν.*

Bacchi ſacra, quia noctu fierent, *Nyctelia* vocata, teſte Servio in IV Æn. Eo autem nocturnum tempus eligebant, quia tenebræ formidinem incuterent animis initiatorum; unde Euripides Bacchis:

Πενθ. Τὰ δ᾽ ἱερὰ νύκτωρ, ἢ μεθ᾽ ἡμέραν τελεῖς *b*;
Διο. Νύκτωρ τὰ πολλά· σεμνότητ᾽ ἔχει σκότος *c*.

b *Sacra noctu facis, an die?*
c *Noctu multa. Venerationem habent tenebræ.*

In hiſce Liberi ſacris phallus ſive veretrum perticâ geſtabatur. Eo ſignificabatur Bacchum, hoc eſt calorem, & humorem, principium eſſe generationis. Pluribus de eo dictum lib. II, cap. XIV. Abiegnos ramos geſtabant in ſacris Bacchi: Xenophanes in Silibus.

Ciſta etiam in ſacris Bacchi. Nempe cum arca Domini ſymbolum foret præſentiæ divinæ, diabolus eſt hoc imitatus in ſacris Bacchi, Cereris, Iſidis, aliorum: ubi ſimiliter ciſta in ſacris. Sed de ſola nunc Bacchi loquimur eo lubentiùs, quia hinc manifeſtiùs elucet Satanæ aſtus. Nam ipſum *Bacchi* nomen verè eſt ex vero numine efformatum, ut antea dictum. De hac eſt Catulli illud carmine de nuptiis Pelei & Thetidos:

Pars obſcura cavis celebrabunt orgia ciſtis:
Orgia, quæ fruſtra cupiunt audire profani.

Et ſanè ab eo, quod hic dicitur arceri profanos ab orgiis, orgia dici putant: nempe παρὰ τὸ εἴργειν τοὺς ἀμυήτους αὐτῶν *d*: ut eſt apud Apollonii ſcholiaſten *e* ſed alteram etiam adfert rationem, παρὰ τὸ ἐν ὀργάσι γίνεσθαι· ὀργάδες δ᾽ οἱ σύμφυτοι καὶ ὑγροί *g*. Veriſimilius interea, ὄργια dici quaſi ἔργια, ab ea ſignificatione τοῦ ἔργου *h*, quâ eſt non ἀπὸ τῆς ἔρας *i*, & agriculturam notat, ut in Heſiodei operis inſcriptione: ſed quatenus eſt à ῥέζειν, quod eſt facere ſacra, ſive ſacrificare.

d *Ab arcendo non initiatos.*
e *Lib. 1.*
g *Quòd in locis cultis & fertilibus fierent.*
h *Operis.*
i *A terra.*

Ex hominibus Baccho ſacrabantur cæſones, ſive ex matris utero exſecti idque ob ſimilem ortum. Nam & Bacchus ex femore Semeles exſectus. De quo dixi lib. II, cap. XIV.

Libero ſcenici ludi erant ſacri, ut eſt apud Lactantium lib. VI, cap. XX. item Donatum prolegomenis in Terent. Idem tamen, vel alius, commentario in Andriam, Tragœdias quidem Baccho, ſed Comœdias ait Apollini dicatas.

Ex quadrupedibus Baccho ſacer fuit hircus: cui & immolatus. Nempe eandem ob rationem, propter quam hircum mactarunt Nymphis. De hac cauſſa vidimus lib. II, cap. LXXX. Altera verò etiam ratio eſt, quod vitem, Baccho gratiſſimam, corrumperet rodendo. Atque hanc rationem adducunt Maro II Georg. Ovid. II Faſt. ac Martialis lib. III, epigr. XXIV.

Vite nocens roſâ ſtabat moriturus ad aras,
Hircus, Bacche, tuis victima grata ſacris.

Item lib. XIII, epigr. XXXIX:

Laſci-

Laſcivum pecus, & viridi non utile Baccho,
Dat pœnas: nocuit jam tener ille Deo.

Inque ἀνθολογίᾳ de eodem Eveni, & Leonidæ Tarentini epigrammata habemus. Cum verò Bacchus ſic oderit hircum, quia vitem rodat: Minervæ contrà, quia rodat oleam, ita eſt inviſus, ut ſacrificium ejus protſus abominetur. Hinc Plinius lib. VIII, cap. V.

Morſus caprarum arbori exitialis. Olivam lambendo quoque ſterilem faciunt; eaque ex cauſſa Minervæ non immolantur. Ita ab eadem cauſſa in Diis etiam contrarius ſtatuitur effectus. Audiamus Servium in II Georg. *Victima numinibus, aut per ſimilitudinem, aut per contrarietatem immolantur. Per ſimilitudinem, ut nigrum pecus Plutoni: per contrarietatem, ut porca quæ obeſt frugibus, Cereri, & caper qui obeſt vitibus, Libero. Item capra Æſculapio, qui eſt Deus ſalutis: cùm capra numquam ſine febre ſit.* Ac ſimilia legas apud eumdem ad illud III Æn.

Taurum Neptuno taurum tibi pulcher Apollo.

Nempe aliqui Deorum averſantur adeo noxiam ſibi animantem, ut nec patiantur in conſpectum adduci: aliis tantum odium, ut velint videre pereuntem.

Leo quoque dicatus tum Baccho; unde Pergami oſtendebatur caput leonis ferreum à Tiſagora affabrè elaboratum, ac Baccho dicatum; ut eſt apud Pauſaniam lib. X: tum, apud Ægyptios, Vulcano, ob igneam naturæ vim; ut ex Æliano oſtenſum libri tertii cap. LIII: tum quoque Matri Idææ, ſive Berecynthiæ, cujus currum leones protrahebant. Cauſſam ejus figmenti adduximus libri II extremo cap. LIV, atque alibi.

Pantheræ item Baccho erant ſacratæ, ut docet Philoſtratus in vita Apollonii libro II, cap. I: ubi narrat de panthera capta in Pamphylia, ac torquem geſtante aureum, cui Armeniis foret inſcriptum literis: REX ARSACES DEO NYSÆO. Nam Deus Nyſæus eſt ὁ Διόνυσος ſive Bacchus. Nempe panthera hæc ſtyracis odore illecta (gaudet enim id animal nimium quantum aromatibus) ex Armenia per Caucaſi juga in Pamphyliam penetrâſſe exiſtimatur. Item, ſive idem ſive alter Philoſtratus, prioris auditor & gener, Iconum libro primo, tum in Paſiphaë, de hoc numine agens ait, πάρδαλις ἐϛὶ θεοῦ σύμβολον a: tum in Tyrrhenis, dicit, φιλίαν εἶναι τῷ Διονύσῳ πρὸς τὸ ζῶον b. Lycophron quoque Lyæum ſive Bacchum comparat cùm tauro, tum pardali: ut & monitum Varino. Etiam Pierius in XI Hieroglyphicorum, & Stephanus Pighius in Mythologiâ de Horis, nummos ſe vidiſſe teſtantur, in quorum latere uno eſſet Liberi caput lauro redimiti, in altero autem Pantheræ figura. Inque numiſmatis Gallieni itidem parte una eſt panthera (niſi cum aliquibus tigridem eſſe malis, quando hæc duo animalia, uti & leopardos, ac lynces, difficile eſt in picturis, cælaturis, ac ſimilibus diſtinguere) parte autem alterà inſcriptum, LIBERO P. CONS. AUG. Quod etiam Stephano Pighio monitum in Mythologia de Horis. Hodieque Romæ conſpicere eſt ſtatuas multas exuviis pantheræ inſignes. Cur autem panthera ſit Baccho ſacra hanc rationem apud Philoſtratum legas in memorato proximè loco, ἐπειδὰν θερμότατον τῶν ζώων ἐϛὶ, καὶ πηδᾷ κοῦφα, καὶ ἴσα εὐάδι· *quod animalium ſit calidiſſimum, leviterque ac Bacchæ inſtar ſaliat.* Mihi verò & aliæ duæ rationes in mentem veniunt. Nam panthera efferum eſt animal: & ebrii multi pantherinum in modum efferantur. Præterea Bacchus ebrietate gaudet: & panthera, ſi vinum iſtic collocaris, quò ventitat, eo ſic ſe inebriat, ut ſomno ſopita capiatur; Æliano, & Oppiano, teſtibus: quorum hic etiam in tertio, & quarto, de Venatione refert, Bacchi nutrices, quia vinoſæ forent, in pantheras fuiſſe converſas, & Penthea ab iis diſcerptum.

a Pardalis Dei ſymbolum.
b Familiaritatem eſſe Baccho cum hoc animali.

Etiam ob mores efferos, & pantherinis ac illis ebriorum ſimiles, tigres finguntur trahere currum Bacchi. Ovidius lib. I de Arte:

Jam Deus in curru, qui ſummum texerat uvis.
Tigribus adjunctis aurea lora dabat.

Ac fortaſſe hodieque ingentibus illis culullis, quibus nonnulli convivas ſuos torquent, non inutili monitu numen hoc cum ſuis tigribus ac pantheris exprimatur, quando hoc agitur, ut quos Deus ad imaginem ſuam fecit, in tigres, & pantheras transformentur.

Denique & Baccho dicarunt axin: de qua ſic Plin. lib. VIII, cap. XXI: *Feram nomine axin, hinnuli pelle pluribus candidioribuſque maculis, ſacram Liberi patris.*

Baccho etiam ovis mactabatur, ut apud Maronem facit Dido IV Æn.

—— Mactat lectas de more bidentes
Legiferæ Cereri, Phœboque, patrique Lyæo.

Ex volucribus pica, quia garrula eſt, dicata fuit Baccho, ob ebriorum garrulitatem. Nam, ut ait Horatius,

Fœcundi calices quem non fecere diſertum?

Iynx Bacchica avis vocatur Alciato emblemate LXXVIII. Motacillam quidem pro iynge dicit: ſed ἴυγξ eſt apud Pindarum Pyth. od. IV, quam exprimere ſtuduit. Porrò Ulyſſes Aldrovandus lib. XII Ornithologias, cap. XLII, putat idem dicere Pindarum Pyth. od. IV. Hujus enim verba ſic reddita apud Aldrovandum reperies:

Veneranda verò Cyprogenia telorum acutorum domina
Picturatam iyngem Bacchi avem ex Olympo attulit,
Furioſam avem Cypris attulit primùm ad homines.

Atqui Græcè eſt:

Πότνια δ᾽ ὠκυτάτων βελέων
ποικίλαν ἴυγγα τε-
τράκναμον Οὐλυμπόθεν
ἐν ἀλύτῳ ζεύξασα κύκλῳ
μαινάδ᾽ ὄρνιν Κυπρογένεια φέρεν
πρῶτον ἀνθρώποισι·

Quæ ſonant:

Domina velociſſimorum telorum
verſicolorem iynga qua-
tuor-radios-habenti cœlitus
indiſſolubili cum alligaſſet rota.
furioſam avem Cyprogenia attulit.
Primùm hominibus.

Sententia eſt, Diva Venus in Cypro nata, amorum, quorum ingens eſt celeritas, domina ac præſes, primùm hominibus in terras tulit verſicolorem iynga, quatuor radiorum rotæ indiſſolubili à ſe alligatam, avem quæ homines faciat furentes. Unde quidem cognoſcere eſt, ut veneficæ ad amores conciliandos iynga ſoleant alligare rotæ quatuor radiorum: atque ut creditum ſit, homines id artificium à Venere didiciſſe: ſed Baccho hanc avem dicatam fuiſſe non dicitur, imò de Baccho ne γρῦ quidem. Unde liquet, quàm Græcè neſcii & fallantur ipſi, & ſui ſimiles fallant. Omnino autem hæc avis Veneri, non Baccho ſacra, fuit: quemadmodum in hiſtoria Veneris oſtendimus.

Serpens ſymbolum fuit Bacchi: eoque in ſacris ejus initiatis mittebatur in ſinum: ut ex Arnobio, & Firmico, oſtendi lib. II, cap. XIV. Ubi & dictum, quid eo ritu ſignificaretur. Quia verò Syris ſerpens femina dicatur εὔα, formarunt inde εὐάζειν a: ut eſt apud Clementem Alexandrinum in Protreptico, & inde apud Euſebium in ſecundo de Præparatione Euangelica, cap. III: Verba ſunt: Διόνυσον Μαινόλην ὀργιάζουσι Βάκχοι ὠμοφαγίᾳ τὴν ἱερομανίαν ἄγοντες, καὶ τελίσκουσι τὰς κρεανομίας τῶν φόνων ἀνεστεμμένοι τοῖς ὄφεσιν, ἐπολολύζοντες εὐὰν ἐκείνην, δι᾽ ἣν ἡ πλάνη παρηκολούθησε, καὶ ὁ θάνατος ἐπηκολούθησε. καὶ σημεῖον ὀργίων Βακχικῶν ὄφις ἐϛὶ τετελεσμένος. αὐτίκα γοῦν κατὰ τὴν ἀκριβῆ τῶν Ἑβραίων φωνὴν τὸ ὄνομα τὸ εὔα δασυνόμενον ἑρμηνεύεται ὄφις θήλεια. Vertit interpres: *Homines furoris œſtro perciti Bacchum Manolen ſollemnibus Orgiis celebrant, crudarum carnium belluatione ſacram inſaniam peragentes, caſarumque victimarum partes peragunt, ſerpenibus*

a Bacchi orgia celebrare.

bus coronati : Evamque illam vaſtis ululatibus inclamantes, per quam janua eſt non errori modò, ſed ipſi quoque morti patefacta. Et ſanè cum Orgiorum Bacchicorum ſit quaſi quoddam inſigne ſerpens arcano ritu conſecratus : tum verò ſi accuratè vocem Hebraicam interpretari velis, Heva cum adſpiratione graviori ſerpentem feminam ſignificat. Quare ſi Clementem, & Euſebium audimus (quædam enim video obduci poſſe) εὐάζειν in Bacchi ſacris nihil aliud erat, quam Evam, omnium noſtri parentem celebrare: eoque à Syris ſerpentis feminæ ſymbolo exprimebatur, quia à ſerpente fuit decepta.

E plantis Baccho etiam ſacra quercus, licèt imprimis Jovi. At vitis, etſi & Rheæ, præcipuè tamen Baccho. Hedera quoque ei ſacra: cujus cauſſas adduxi complures lib. v hujus operis, qui de Plantis fuit. Ac aliquid etiam de eo Euſtathius in Iliad. Λ *a*. Apud Athenæum in ſeptimo, uti & epitome ejus, ac penes Euſtathium, legas, Baccho dicatum eſſe κύτλον. Num dicemus, etiam κυσσὸς dixiſſe pro κισσὸς ſive κιτλός *b*. Sane Heſychio κυτλὸς eſt εἶδος ἄνθους Διονυσιακοῦ, *ſpecies floris Bacchici, ſive Dionyſiaci*. An cum Caſaubono emendandum κίσσιον? quod piſcis eſſe genus, apud eundem Heſychium legas. Etiam dicavere Baccho myrtum: ſed magis Veneri. Item ſmilacem, opobaſilidem, phibaleam ficum, & viticem. Sed de hiſce etiam dictum partim hoc opere fuſè; partim paucis Oratoriarum Inſtit. lib. I, cap. V, ſect. XXXVII.

a Pag 87. edit. Rom.
b Hedera.

Ex inanimis Baccho dicavere cantharum. Unde & C. Marius, ille qui ſepties conſul fuit, poſt Cimbricam victoriam, Bacchum imitari volens, è cantharis bibebat: ut eſt apud Plinium lib. XXXIII, cap. XI. Ac Ariſtoteles libro III Rhetor. & illo de Poëtica, ait ſic φιάλην ſe habere ad Bacchum, ut clypeus ad Martem, eoque & clypeum poſſe dici Martis ſcyphum, & ſcyphum vocari poſſe clypeum Bacchi. De hoc dixi Oratoriarum Inſtitutionum lib. IV, cap. VI. ſect. II. Etiam cotyli, & cotyliſci, Baccho proprii. Pollux lib. VII : Ἔστι δὲ κότυλος Διονυσιακὸν ἔκπωμα *c*. Athenæus lib. XI: Κοτυλίσκος δὲ καλεῖται, ὁ ἱερὸς τοῦ Διονύσου κρατηρίσκος *d*. Nempe quia hoc vaſis genere utebantur in vino bibendo. Unde illud, quod ex Clitarcho, & Zenodoto : apud Athenæum legas, Πολλὰ μεταξὺ πέλει κοτύλης καὶ χείλεος ἄκρου *e*. Quod & apud Agellium *f*: ſed pro κοτύλης *g*, apud hunc eſt κύλικος *h*. Ac plura de eo Stephanus Pighius in Mythologia de anni partibus.

c Cotylus eſt poculum Bacchi.
d Cotyliſcus vocatur ſacra Bacchi parva cratera.
e Multa cadunt inter cotylam, ſupremaque labra.
f Lib. 13. cap. 16.
g Cotyla.
h Calix.
i Uvæ altor.
k Dives botrûm.

Quandoque & Baccho dicabant rudem ſtipitem. Maximus Tyrius Orat. XXXVIII, utrum Diis dicandæ ſtatuæ : Καὶ γεωργοὶ Διόνυσον τιμῶσι πήξαντες ἐν ὀρχάτῳ αὐτοφυὲς πρέμνον, ἀγροικικὸν ἄγαλμα. *Agricolæ Bacchum honorant, figentes in horto ſuo ſtipitem, ſtatuam agreſtem.*

Baccho etiam auctumnus dicatus fuit; nempe ut datori vini: unde & Orpheo, ſive Onomacrito, in hymnis dicitur βοτρυτρόφος *i*, & Homero πολυστάφυλος *k*. Ac quia auctumnus tertia eſt anni pars, eidem Orpheo vocatus eſt τρίγονος, quaſi geniture, ſive ætatis tertiæ. Imò & aliqui Lyæum, ac Liberum, dici arbitrantur, non quia vinum curas reſolvat, hominemque ab iis liberet: ſed quia Sol auctumnalis ſemina ac fructus à ſuis ſtirpibus reſolvat, ac ab iis ſeparando quaſi libertati donet.

CAP. XXX.

De Plutonis, & Proſerpinæ, effigie, ac rebus eis dicatis. Adjectum etiam de Eumenidibus.

ULtimus inter Deos Selectos locus eſt Plutoni, fratri Jovis, ac Neptuni, qui regna infera ſortitus fuit, atque inde (ut in ſecundo Philologiæ Martianus ait) *Summanus*, quaſi ſummus Manium dictus eſt. Is ſecundùm hiſtoricam Theologiam fuerit Chamus, Noë filius: ut oſtendi lib. I, cap. XIX. At, ſecundùm naturalem, ſit interior tellus, in quam mortui reconduntur: unde Horatius, pro ſepulcro, *exilem demum Plutoniam* dixit. Cur verò Plutonem ſtatuerint mortuis imperare itidem ex Diodoro diximus loco proximè memorato.

Simulachrum Summani fuit in faſtigio templi, Jovi Opt. Max. exſtructi: ut eſt apud Cicer. in I de Divinat. A Seneca ſic deſcribitur in Hercule Furente:

> —— *Superbo digerit vultu ſedens*
> *Animas recentes: dira majeſtas Deo:*
> *Frons torva, fratrum quæ tamen ſpecimen gerat,*
> *Gentiſque tantæ: vultus eſt illi Jovis,*
> *Sed fulminantis: magna pars regni trucis*
> *Eſt ipſe dominus, cujus adſpectum timet*
> *Quicquid timetur.*

Claudianus verò in primo de raptu Proſerpinæ, hoc pacto:

> *Ipſe rudi fultus ſolio, nigraque verendus*
> *Majeſtate ſedet, ſqualent immania fœdo*
> *Sceptra ſitu, ſublime caput mœſtiſſima fœdo*
> *Aſperat, & dira riget inclementia forma.*

Idem poëta quadrigis vectum inducit, cùm raperet Proſerpinam.

Ex hominibus gladiatores non Marti modò, ac Saturno, ſed & Plutoni erant ſacri. Prudentius in Hamartigenia:

> *Reſpice terrifici ſcelerata ſacraria Ditis,*
> *Cui cadit infeſta fuſus gladiator arenâ.*

Nempe eò Ditis, quia manes gladiatorum ſanguine placarentur. Quia verò gladiatores exhiberentur in amphitheatrali arena, eò & Amphitheatrales ludi erant ſacri Diti, ſive Jovi Latiali, vel Infernali, ſive Stygio. Simpliciter Jovi cuidam ſacros ait Tertullianus in Apologetico. Sed adverſus Gnoſticos ait Latio Jovi ſacratos, ſive Latiali, ut appellat Minucius Felix, & Prudentius, qui & Plutoni ſacros dicit, & Iovi infernali. Nempe tot appellationibus idem numen deſignatur. Præterea tamen ſacri Dianæ, ut antea dictum.

Plutoni non ſacer quidem taurus. Sed grata tamen hæc ei victima putabatur. Virgil. VI Æn.

> *Tum Stygio regi nocturnas inchoat aras,*
> *Et ſolida imponit taurorum viſcera flammis.*

Horatius Carm. lib. II, Od. XIV:

> *Non ſi tricenis, quotquot eunt dies,*
> *Amice, places illacrymabilem*
> *Plutona tauris.*

At ſacra ei eſt capra, quia ſemper febricitat, & febris, imprimis, quæ querquera dicebatur, recta ad Iovem illum Stygium eſt via. Itaque & capra ei mactabatur: nec ſoli tamen, ſed etiam Baccho.

E plantis Diti ſacra erat cupreſſus: ut ait Plinius lib. XVI, cap. XXXVI. Eò autem huic dicata, quia exciſa non magis renaſcitur quàm ſemel mortui redeunt ad nos: quam rationem Feſtus & Servius adducunt. Promſimus de hoc plura libro ſuperiori, qui de Plantis erat.

Nec tamen Soli ſacra Plutoni, ſed etiam Sylvano: ut inferiùs dicetur.

Præterea Diti ſacra buxus. Item narciſſus; qui & dicatus Cereri, atque Eumenidibus: & his quidem pariterque Plutoni, quia νάρκην, ſive torpor, unde narciſſo nomen, conveniat Diis inferis. Sacrata etiam Diti herba adianti.

Plutonis uxor fuit Proſerpina, Cereris filia: quæ ipſa quidem non ſolet annumerari diis Selectis: ſed tamen ad eos videtur referri poſſe, quia in Selectis ſit maritus Pluto: mater verò etiam in Conſentibus. Iam quanti illud, quòd coleretur unà cum matre, unde illud, Δήμητρα καὶ κόρη *a*: & apud Romanos ſcriptores, *venum ire ad ædem Cereris, Liberi, Liberæque*. hoc eſt, liberorum Cereris, Bacchi, & Proſerpinæ. Sed de iſto ſatis dixi in primo de Analogia, cap. XLII.

a Cereri, & filiæ.

Proſerpina formoſiſſima deſcribitur à Claudiano in primo de ejus raptu.

Eadem verò eſt Hecate, quatenus per eam numen ſignatur

tur

tur inferum. Hæc diva trina facie pingebatur, ſive, ut Græci dicunt τετραπρόσωπος. De hoc abunde dictum lib. 11, cap. XXIX. Imò Hecate, ac Brimo eadem diva. Apollonius lib. III Argonaut.

Βριμὼ νυκτιπόλον χθονίην ἐνέροισιν ἄνασσαν.

Brimo noctivagam ſubterreſtremque reginam.

Ubi antiquus ſcholiaſtes annotavit, Brimo vocari διὰ τὸ φοβερὸν καὶ καταπληκτικὸν τῆς δαίμονος, καὶ φάσματα ἐπιπέμπειν τὰ καλούμενα Ἑκάτεια. καὶ πολλάκις αὐτὴ μεταβάλλειν τὸ εἶδος, διὸ τὸ Ἔμπουσαν καλεῖσθαι. *Propterea quod terrorem, ac ſtuporem adferat Dea hac, ac ſpectra immittat, quæ dicantur Hecatæa, & quod ſæpe figuram commutet: unde & dicatur Empuſa.* Ἔμπουσα, quaſi ἑνὶ ποδίζων, uno incedens pede: nam unum habet æreum, quo nequit procedere: alterum aſininum, unde & ὀνοκώλη & ὀνοσκελὶς dicebatur: imò & pes aſininus vocatus Βολίτινος à Βόλιτος, quod eſt fimus aſininus. Hæc multum lucis accipiunt ex iſtis Ariſtophanis in Ranis *a*, ubi Bacchus, & Xanthias in deſcenſu ad inferos ſic inter ſe ſermones ferunt:

a *Act. 1. ſc. 6. quæ incipit, Ὦ Ξανθίας.*

Ξ. Καὶ μὴν ὁρῶ νὴ τὸν Δία θηρίον μέγα.
Δ. Ποῖόν τι; Ξ. Δεινόν. παντοδαπὸν γοῦν γίγνεται.
Τοτὲ μέν γε βοῦς, νυνὶ δ' ὀρεύς, τοτὲ δ' αὖ γυνὴ
Ὡραιοτάτη τις. Δ. Ποῦ 'στι; φέρ' ἐπ' αὐτὴν ἴω.
Ξ. Ἀλλ' οὐκέτ' αὖ γυνή 'στιν, ἀλλ' ἤδη κύων.
Δ. Ἔμπουσα τοίνυν γ' ἐστί. Ξ. Πυρὶ γοῦν λάμπεται
Ἅπαν τὸ πρόσωπον, καὶ σκέλος χαλκοῦν ἔχει.
Δ. Νὴ τὸν Ποσειδῶ, καὶ βολίτινον θάτερον.

XA. *Et, per Jovem, pragrandem video belluam.*
BA. *Qualem?* XA. *Horribilem, quæ in omnes ſe variat modos.*
Nam modò fit bos, modò mulus, rurſus femina
Formoſa valde. BA. *Ubi illa? namque inibo eam.*
XA. *At mulier haut eſt ampliùs. nunc eſt canis.*
BA. *Empuſa fuerit ergo.* XA. *Igni tota facies*
Reſplendet, & crus alterum eſt illi æneum.
BA. *Ita per Neptunum, & alterum ex ſtercore aſini.*

Ut Plutoni taurus, de quo dictum, ſic Proſerpinæ mactabatur vacca: ſed ſteriles, quia præeſt mortuis, à quibus nulla prolis ſpes. Imò & nigra, quia ut candidus color ſuperis, ſic niger convenit fuſcis: quia ſuperi fruuntur luce, defuncti ut Catullus *b* vocat, Orci tenebris. De priori ſic Virgil. VI Æn.

b *Epigr 3.*

——*Sterilemque tibi Proſerpina vaccam.*

Nigram autem bovem à Cyzicenis in feſto τῶν Φερεφαττίων Proſerpinæ eſſe ſacrificatam apud Plutarchum legas in Lucullo, & Appianum de bello Mithridatico.

Hecatæ mactabant canes: quæ cauſſa eſt, cur κυνοσφαγὴς θεά, *canum mactatrix Dea*, appelletur à Lycophrone. Jure igitur, ut exitii ſui cauſſam, Hecaten oderant canes: quod ait Theocritus Idyll. II. Ac viciſſim Hecatæ canes erant exoſi, quia cùm ſpectra nocturna ab Hecate immitti crederentur (quod ait Euſtathius) ea hi ſuo ſolverent latratu, ut Tzetzes ad Lycophronem, ex Sophronis Mimis annotavit.

Veſpertilio, quam avem ſemimurem dixeris, Proſerpinæ fuit ſacrata: quia avis ſit, prout ex Naſone eam circumſcripſeris *c*,

c *4 Met. fab. 12.*

Nocte volans, ſeroque tenens à veſpere nomen.

Quomodo & Græcis ἀπὸ τῆς νυκτὸς νυκτερὶς *d* appellatur. Ideo B. Baſilius in Jeſaiæ cap. II veſpertilioni comparat diabolum, quia ut veſpertilio lucem Solis fugit, ita diabolus, & ejus ſectatores, averſentur τὸν Λόγον *e*, qui eſt Lux mundi. Omnino ipſum vide, ubi plura in hanc mentem.

c *Anim.* e *Verbum Patris, Filium Dei.*

E piſcibus autem mullus Hecatæ ſacer fuit: qua de re ex Athenæi lib. VII dictum nobis lib. 11, cap. XXIX. Atque idem tradit Euſtathius in Iliad. Τ *f*: Ἡ Ἑκάτη, ἤγουν Ἄρτεμις ᾗ καὶ ἀνεῖται ἡ τρίγλη διὸ καὶ ἐν Ἀρτεμισίοις τρίγλη παρεφέρετο, διὰ τὸ δοκεῖν θηρᾶν σὺν θαλασσίους λαγὼς θανασίμους ὄντας, καὶ καταναλίσκειν. ὅθεν ὡς ἀνθρώπους ὠφελοῦσα τῇ ἄγρᾳ, δίδοται τῇ κυνηγετικῇ θεῷ, ὡς κυνηγέτις. ὅτι καὶ τόπος τις Ἀθήνῃσι Τρίγλη ἐκαλεῖτο, καὶ ὡς ἀνάθημα ἦν ἐκεῖ, Τριγλανθηνὴ Ἑκάτη. *Hecate ſive Dianæ mullus fuit conſecratus. Propterea & in feſto Dianæ mullus proferebatur: nempe quia mullus videatur venari lepores marinos, qui ſunt venenati ac letales. Qui igitur venatione homines juvaret, is propterea dicatus eſt Deæ venatrici, tamquam venator. Locus etiam quidem Athenis vocabatur Trigle a, ac velut anathema fuit ibidem:* TRIGLATHENÆ HECATÆ. Sed ea ratio magis pertinet ad hanc Divam, quatenus apud ſuperos verſatur, ac Dianæ gaudet nomine, quaſi Deæ Janæ. Hæc enim venatrix fingitur, quia noctu viam monſtrat venatoribus. Alias etiam rationes adduximus loco ante memorato. In his ex Apollodoro illam διὰ τὴν ὀνόματος οἰκειότητα· *ob nominis convenientiam.* Sanè trinum aliquid ſonat τρίγλη. Imo ἔτυμον idem arguit, ſi (quod eſt apud Euſtathium, legas in Il. A *b*.) ſic dicitur, quaſi τρίγονη, h.e. τρίγονος, quaſi trigenam dicas, ob triplicem in anno partum. At Hecate quoque Græcis τριοδῖτις, ut Latinis Trivia. Eadem & τετραπρόσωπος, ſive triformis. Ac triplex ratione generationis ei poteſtas in cælis, terris, aquis, ſive quia lumine illuſtrat cælum, & orbem hunc ſuperiorem, & inferos, ſive Antipodas. Quemadmodum verò ob ternarium hunc Triviæ trigla offerebatur: ita ob nominis ſimilitudinem etiam Hecatæ offerebatur piſcis dictus μαινὶς *c*. Habet enim id nomen convenientiam cum verbo μαίνεσθαι, quod eſt *inſanire.* Et Hecate μανίαν ſive furorem immittere credebatur. Auctor utriuſque Euſtathius in Iliad. A *d*. Hecate in noviluniis ſacrificabant Athenienſes.

f *Pag. 1197 edit. Rom.* a *Mullus.* b *Pag 87 edit. Rom.* c *Mæna, alex.* d *Pag 87 edit. Rom.*

E plantis Proſerpinæ dicata eſt malus Punica. Cujus cauſſa non eſt obſcura ex fabula, quam Servius narrat in primum Georgicon *e*, his verbis: *Cum raptam à Plutone Proſerpinam filiam diu Ceres quæſiſſet, tandem aliquando eam eſſe apud inferos comperit: pro quâ re cum Jovis imploraſſet auxilium, ille reſpondit; poſſe eam reverti, ſi nihil apud inferos guſtaviſſet: illa autem jam Punici mali grana in Elyſio guſtaverat: quam rex Aſcalaphus, Stygis filius, prodidit: unde Proſerpina ad ſuperos remeare non potuit. Sanè Ceres à Jove meruiſſe poſtea dicitur, ut Proſerpina ſex eſſet cum matre menſibus, ſex cum marito.*

e *Ad verſ. 39.*

Eſt & diſcrimen in anni temporibus. Ut enim veri Venus, æſtati Pan, auctumno Bacchus; ſic hiemi Libera præeſt, ſive Proſerpina. Nempe quia duo ſunt hemiſphæria: quorum ſuperius Solem habet adſcendentem ab Ariete, ſeque extendentem etiam per Virginem: inferius autem Solem habet declinantem à Libræ initio, donec quoque Piſcis ſignum ſit emenſus. In prioribus ſignis, Solis calor lumenque creſcit: in poſterioribus decreſcit. Maxima iſta in ſignis æſtivis, Cancro, Leone, Virgine: minima in hibernis, Capricorno, Aquario, Piſcibus. Quando Sol eſt in poſterioribus hiſce ſignis, (id verò hibernum eſt tempus) vis genitalis ob Solis abſentiam deficit, terræque viſceribus abſconditur: atque hoc tempus attributum Plutoni, & ejus conjugi Proſerpinæ, propterea quòd his diis ſacrata ſit vis terrena.

Ad Plutonis & Proſerpinæ regnum etiam pertinent Eumenides, ſive Furiæ: quæ Oreſti poſt cædem maternam mente, capto nigræ obviam factæ ſunt: poſtea autem cum digitum comediſſet, apparuere albæ: earumque adſpectu mentis eſt factus compos: ut ait Pauſanias in Arcadicis. His, ut idem ait in Corinthiacis, Sicyonii quotannis diem agunt feſtum, ac gravidas oves ſacrificant, & mulſo pro libamine, pro corollis utuntur floribus. Apud Sophoclem in Oedipo Coloneo etiam legas fusè deſcriptum ſacrificium, quo Oedipus à crimine utroque, quod inſcius commiſerat, poſſet apud Eumenidas expiari.

CAP.

CAP. XXXI.

De Fortuna ſimulachro: aliquid item de effigie Parcæ ſive Fati.

CIrcumſpicienti, ecquis Deorum Conſentium, vel eorum, qui in Selectis meruiſſe locum exiſtimantur, indictus eſſet nobis, continuo ſe obtulit Fortuna, gnara quidem, nunquam hoc ſe honoris adeptam ab iis, qui mundum Dei vel Deorum providentiâ adminiſtrari arbitrantur: ſed digitum intendit in numerum eorum innumerum, qui credit hunc orbem ac res omnes humanas, ut Claudianus primo in Rufinum libro ait,

Fortunâ, non arte regi; qui numina ſenſu
Ambiguo a, *vel nulla putat, vel neſcia noſtri.*

a *Sic meliùs quidam MSi, quam in vulgatis,* cenſet *Ambigua.*

Unde Plauto *b* Diva hæc vocatur *Divum atque hominum ſpectatrix, atque hera*; ſicut & Græcis τύραννος Τύχη *c*, & Petronio Sors dicitur,

b *Mercat. act. 5. ſc. 2.*

c *Fortuna regina.*

Rerum humanarum, divinarumque poteſtas.

Qui multis? quando, ut ait Plinius lib. II, cap. VII: *Toto mundo, & locis omnibus, omnibuſque horis omniumque vocibus Fortuna ſola invocatur, & una nominatur, una accuſatur, una agitur rea, una cogitatur, ſola laudatur, ſola arguitur, & conviciis colitur, volubiliſque, à pleriſque verò & cæca exiſtimata, vaga, inconſtans, incerta, varia, indignorumque fautrix: huic omnia feruntur accepta, & in tota ratione mortalium ſola utramque paginam facit: adeoque obnoxia ſumus Fortis, ut Fors ipſa pro Deo ſit, quâ Deus probatur incertus.*

Cùm igitur major Gentilium pars exiſtimarit, res humanas magis pendere à Fortuna, quam Selectorum Deorum Senatu, non peccâro, ſi de hac Diva loquar, priuſquam accedam ad minorum gentium Deos.

Fortunam finxere cæcam, & globo inſiſtentem, eoque volubilem. Cujus cauſſas afferebam lib. II, cap. XLIII. Itaque eam ſic deſcribit M. Pacuvius *d* in Hermiona:

d *Apud Cornific. lib. 2 ad Herenn.*

Fortunam inſanam eſſe, & cæcam, & brutam, perhibent philoſophi:
Saxoque inſtare e *eam globoſam prædicant volubilem.*
Id f *quò ſaxum fors impulerit, cadere Fortunam autumant.*
Cæcam ob eam rem eſſe memorant; quia nihil cernat, quò ſeſe applicet.
Inſanam autem illam ajunt, quia atrox incerta; inſtabiliſque ſit.
Brutam autem, quia dignum atque indignum nequeat internoſcere.

e Eam *fruſtra inferciunt. Nam ultima in inſtare producitur propter vocem à duabus conſonis inchoatam.*

f *Perperam* Ideo *in codd. vulg.*

Ac vidi ſimiliter effictam in nummis ſplendidiſſimi Equitis ... Wykefortii. Quemadmodum verò priores ob inconſtantiam globo ita juniores propterea rotæ effingere inſiſtentem. Hinc Tibullus lib. I, Eleg. V:

Verſatur celeri Fors levis orbe rotæ.

Et poſſit Seneca videri eo reſpexiſſe in Hippolyto, cùm ait:

Quanti caſus humana rotant.

Horatius etiam alas aſſignat, quia facilè avolat, ac hominem deſerit. Lib. III, od. XXIX.

Fortuna ſævo læta negotio, &
Ludum inſolentem ludere pertinax,
Tranſmutat incertos honores,
Nunc mihi, nunc alii benigna.
Laudo manentem: ſi celereis quatit
Pennas, reſigno quæ dedit: & meâ
Virtute me involvo: probamque
Pauperiem ſine dote quæro.

Pauſanias in Meſſenicis ait Bupalum, egregium artificem, primum Smyrnæis feciſſe ſtatuam Fortunæ: eam capite ſuſtinuiſſe polum, & manu una tenuiſſe cornu Amaltheæ. Quo ſignificabatur omnia ea eſſe à Fortuna, quæ Amaltheæ cornu contineret.

In nummo quodam Nervæ conſpicere eſt matronam cum corona radiatâ inſidentem ſolio, lævâ ſceptrum habentem dexterâ forficem: inſcriptumque, FORTUNÆ POPULI ROMANI.

Sedentem fecere exemplo Apellis, qui cùm depinxiſſet ſedentem, cauſſam rogatus, acutè reſpondit, quia numquam ſtetit. Ubi ſtare non opponitur ſedenti, ſed permanenti. Itaque inconſtantiam ejus ſignificabat.

Fortuna quoque fingebatur dextrâ tenens clavum navis, ſiniſtrâ Cornu-copiæ: ut ex Lactantio & vett. Romanis pariter ac Græcis conſtat. Clavus navis eſt ſymbolum gubernationis. Nam Fortunam res gubernare humanas putabant: juxta illud,

Vitam regit Fortuna, non ſapientia.

Cornu-copiæ verò eſt ſymbolum ubertatis; quia Fortuna largiri bona externa crederetur.

Pindarus, Plutarcho teſte, Fortunam effinxit duos moderantem temones.

Thebani eam effinxêre Plutum manibus geſtantem, quia ab hac divitias eſſe exiſtimarent.

Martianus Capella eam ſic deſcribit lib. I de Nuptiis Philologiæ *a*, *Tunc etiam omnium garrula puellarum, & contrario ſemper fluibunda luxu, levitate pernix deſultoriâ geſtiebat. Quam alii ſortem* (lego Fortem, h. e. Fortem Fortunam) *aſſerunt, Nemeſinque nonnulli, Tychenque quam plures* b, *aut Nortiam. Hæc autem quoniam gremio largiore totius orbis ornamenta portabat & aliis impartiens repentinis motibus conferebat, rapiens his comas puellariter, caput illis virga comminuens, eiſdemque quibus fuerat eblandita ictibus crebris verticem complicatiſque in côndylos digitis vulnerabat.*

a *Pag. 21 edit Raphelengiana, ſeu Grotianæ.*

b *Ita reſcripſi, pro* quàm plures, *ut vulgo legitur.*

Atque hæc de Fortuna, quam nuſpiam memorat Homerus. Omnia enim Deo, quem μοῖραν vocat, tribuit: ut monitum Macrobio lib. V Saturn. cap. XVI, & ex eo Joanni Sariſberienſi lib. III Policratici, cap. IX. Ac parte hac Macrobius eum præfert Maroni, qui Fortunam non modò agnoſcit, ſed omnipotentem vocat VIII Æn.

Fortuna omnipotens, & ineluctabile fatum.

Pauſanias in Arcadicis ait meminiſſe etiam Homerum hymno in Cererem. Sed hymnus ille hodie non exſtat. Et valde eſt incertum, an vel ii hymni ſint genuini, qui hodieque illi adſcribuntur.

Fortunæ adverſatur Fatum. Nam pugnantiſſima ſunt mundum Fatò regi, & Fortunâ adminiſtrari. Quare & de Fati effigie aliquid dicam. Ut Fortunam fingebant globo inſiſtere, ob volubilitatem & inconſtantiam: ita Athenienſes ad ſignificandum Fati conſtantiam, finxere eâ ratione impoſitum ſaxo quadrato, qua Hermæ ac Terminus effingi ſolent. Teſtis Pauſanias in Atticis. Atque idem Pauſanias in Arcadicis meminit. Parcæ effictæ cum dentibus non minùs immitibus, quàm bellninis, cumque unguibus manuum aduncis. Nempe eò ſignificatum, Fatum omnia rapere ac devorare.

CAP. XXXII.

De ſimulachro Herculis, & Æſculapii, ac rebus, quas iis dicârunt. Deque Hecate canis effigie formata, & canis ſacrificio culta. Et ut Pandroſo ovis fuerit ſacrificata. De Homero item, & Cæculo heroë.

DE ſymbolis Deorum Selectorum, & rebus, quas iis conſecrârunt, expoſui ea, quæ imprimis idonea exiſtimavi. Ingrediar nunc ad numina, quæ non conſtituunt Deorum Senatum, ſed ſummum quaſi equeſtris ſunt Ordinis, pleraque etiam de Numinum plebe. Hujuſmodi Dii vel credebantur aliquando cœpiſſe; ut animæ humanæ in numerum Deorum relatæ: vel putabantur ſemper fuiſſe, ſi mundus fuerit ſemper, vel ſi is aliquando cœperit, cœpiſſe cum ipſa rerum natura. Priores vocantur Dii Indigetes: quales Hercules, Æſculapius,

Qui-

Quirinus, alii. De quibus ſic M. Tullius in ſecundo de Legg. *Quod ex hominum genere conſecratos, ſicut Herculem, & cæteros, coli lex jubet, indicat, omnium quidem animos immortales eſſe, ſed fortium, bonorumque divinos.* Multa de ejuſmodi Diis memoravimus lib. I, & II. Nunc verò vix aliud expendam; quam quæ pertinent ad eorum effigiem, ſacrificiorum ritus, vel res dicatas. In quibus Theologia gentium ſymbolica præcipuè conſiſtit.

Dicebamus lib. I, varios Hercules à fortitudine celebrari; in his Ægyptium, Tyrium, & Thebanum: Ægyptium geminum, vetuſtiorem, qui Oſiridi æqualis; juniorem, qui videtur Joſua, Hercules Cananæus: Tyrium item geminum, veterem, qui Melecarthus dictus eſt; & juniorem qui Geryonem devicit, ac Tyriorum colonias in Hiſpaniam deduxit: omnium recentiſſimum videri Thebanum, qui Alcides dictus: ſed huic tranſcribi etiam priorum geſta: Qua de re ſic Diodorus in fine libri tertii: Διὰ τὸ πλῆθος τοῦ χρόνου, τῶν προτέρων ἀρετῶν ἀγνοηθέντων ὑπὸ τῶν πολλῶν, τοῦτον κληρονομῆσαι τὴν τῶν προγενεστέρων προαίρεσίν τε καὶ δόξαν. *Cum ob longinquitatem temporum priores repertores in oblivionem veniſſent apud plurimos: hic hæredis inſtar in poſſeſſionem venit induſtriæ & gloriæ eorum qui fuerant prius.* De illius igitur Herculis ſimulachro loquor, cui etſi non exceſſerit Græciâ, ea contigit felicitas, ut unus omnium geſta ſibi vindicet: qui in Galliis etiam dicitur Alexiam condidiſſe, ut eſt apud Diorum lib. IV; quique in iiſdem creditur Tauriſcum bello ſuperâſſe, ac Geryone, & Tauriſco, devictis, cum formoſis coiiſſe feminis, ac multos genuiſſe, qui deinceps iis terris tenuerint imperium. Refert Ammianus lib. XV: qui auctorem ejus rei laudat Timagenem, Galaticorum ſcriptorem, Straboni etiam memoratum lib. IV. Imò in Libya ipſa Alebion & Dercynus ab eo devicti dicuntur ab Apollodoro, lib. II. Sed cenſeo potiùs legi debere Albion, & Bergion, propterea ea, quæ dicebamus lib. I, cap. XXXV. Ubi & memoravimus de cultu Herculè à Zelandis: ut indicat inſcriptio hæc lapidis, HER DULI MAGUSANO. De qua etiam agit Goropius Becanus Becceſelenorum libro ſecundo *a*, qui Gigantomachia inſcribitur. Sed fallitur, cùm
a P. 154.
ait exaratum MARCUSANO: ut ſit à Belgico *mark* limes, ac Herculeus limitaneus ſignetur. Omnino enim in lapide eſt MACUSANUS. Sed ad ſymbola Herculis, & Herculei cultus, veniamus.

Hercules fingebatur vultu militari, validis lacertis. Unde in carmine Ithyphallico:

Phœbus comoſus, Hercules lacertoſus.

Sic & Muſas, & Charites, Steſichorus poëta Lyricus appellat καλλικόμους, *pulchricomas.* At nemo Muſas pinxit armatas, cujus cauſſam hanc eſſe ait Ælianus lib. XIV Var. Hiſtor. cap. XXXVII, quod vita, quæ Muſis tribuitur facilem, placidam, & tranquillam eſſe oporteat.

Pharetram Hercules humeris aptatam gerebat, manu dextra ῥόπαλον, ſive clavam, ſiniſtrâ arcum. Corpus verò tegebat pellis leonina. Tertullianus de Pallio dithyrambica voce appellat *ſcytale ſagittipelliferum*, quia ferret ſcytalen ſive clavam, ſagittam, ac pellem. De pelle ita Feſtus: *Pellem habere fingitur Hercules, ut homines cultus antiqui admoneantur.*

Ad cultum hunc antiquum pertinet illud Maronis lib. V:

Æneas tergum Gatuli immane leonis
Dat Salio, villis oneroſum, atque unguibus aureis.

Et VIII Æn.

—— Quem fulva leonis
Pellis obit totum, præfulgens unguibus aureis.

Et alia etiam apud eundem poëtam legas, unde idem diſcamus. Ac Papinius quoque in VI Thebaidos inter certaminis præmia reponit,

Aurifero perfuſa Tago villoſa leonis
Terga feri.

In poëtarum etiam fabulis eſt, Adraſtum, cum oraculo eſſet juſſus, filiarum unam dare uxorem leoni, alteram apro: illas dediſſe Tydeo, & Polynici; quia ille apri, hic leonis exuviis indutus adveniſſet idem. Atque hinc ſcholiaſtes Apollonii Rhodii in librum I Argonaut. *a* Συνήθες a In verſ.
τοῖς ἥρωσι δερματοφορεῖν. *Conſuetum heroibus pellem ge-* 324.
ſtare.

Idem Hercules effingebatur barbatus. Unde B. Auguſtinus Serm. VI ex quadraginta illis, qui novi in lucem emiſſi: *Qui aliquando dictus eſt Deus Hercules, Romæ* Ex Aloyſio
jam non eſt. Hic autem etiam barba deauratâ eſſe voluit. Novarin.
Et poſt pauca: *Deus fortitudinis ſolet dici Hercules. To-* lib. 12.
ta virtus ejus in barba. cap. 26.
Pag. 355.

Hodieque Romæ in Palatio conſervatorum viſere eſt; Herculem figurâ adoleſcentis inaurati nudi, dexterâ geſtantis clavam, ſiniſtrâ autem digitis, ut videtur, moventis aurea Heſperidum mala. Quomodo Herculem Prodicus effinxerit, notum ex Xenophonte, & Silio Italico.

Sunt antiqui denarii argentei, quos anno urbis IↃXCIX cudit. Q. Pompejus, Auli filius, quæſtor provincialis, etiam Ciceroni in Bruto, ac pro Murena; nec non Valerio Max. & Appiano in melioribus libris memoratus. In iis nummis eſt Herculis effigies cum pelle leonina, arcu, pharetra ſagittis plena, & ropalo, ſive clava dentata. Hujus numinis effigie homo, humili ortus genere, ſed qui cum Catone hoc haberet commune, quod per inimicitias creviſſet, potiſſimum gaudebat, quia genus duceret Pompejis, Campaniæ oppido, unde & ei nomen: uti civitati ab Hercule, qui ex Hiſpania redux in Campanis dicitur oppidum condidiſſe, & nomen urbi feciſſe Pompeji, à pompa boum, quam ſecum ducebat.

Sunt & denarii, in quibus cernas Herculis effigiem, leonem Nemeæum ſtrangulantis: inſcriptio vero eſt P. MUCI P. F. Q. N. SCÆVOLA. Eſt is nobilis ille Juriſconſultus, qui decem de jure libros conſcripſit. Anno Urbis IↃCVIII quæſtor provincialis, poſteaque Pontifex Max. fuit.

At è poëmate, quod Aſpis Heſiodi inſcribitur, non oportet metiri vulgarem Herculis armaturam. Nam planè ea inſolens. Videlicet illic videas Herculem curruí imponi ut pugnet cum Cygno. Arma ei, thorax, gladius, haſta, adamantina galea, ſcutum. At hanc armaturam alibi non legas. Clavæ contrà ne meminit quidem poëta.

Macrobius lib. V Saturnal. cap. XXI: *Herculem fictores veteres non ſine cauſſâ cum poculo fecerunt, & nonnunquam caſabundum, & ebrium: non ſolum quòd is heros bibax fuiſſe perhibetur, ſed etiam, &c.*

Præerat Hercules athletis, ac gladiatoribus, tanquam Herculei roboris æmulis: ideoque ei templum vulgo in amphitheatris, ut in Circo Neptuni, in theatris Venetis. Imò & Herculanei erant athletæ, unde ſæpius in lapidibus antiquis legas, οἱ περὶ τὸν Ἡρακλέα ἀθληταί *b*. Et Com- b Herculis
modus Cæſar, tanquam gladiator bonus, Herculis inſtar Athletæ.
voluit effingi. Etiam gladiatores rude donati arma ad poſtes ædis Herculis ſuſpendebant. Unde Horatius ad Mæcenatem *c*: c Lib. I.
epiſt. I.

—— Veianius armis
Herculis ad poſtem fixis latet abditus agris.

Ubi vulgò exiſtimant, *poſtem* pro æde poni κατὰ συνεκδοχὴν *d*. Sed propriè malim capere, quia & ædium d Cum partem pro toto.
privatarum poſtibus ſpolia hoſtium ſoleant adfigi. Virgilius Æn. II:

Barbarico poſtes auro, ſpoliiſque ſuperbi.

Idem VII Æn.

Multaque præterea ſacris in poſtibus arma,
Captivi pendent currus, curvæque ſecures,
Et criſtæ capitum, &c.

De ſue Herculi ſacrificata auctor nobis Macrobius lib. III Saturn. extremo cap. XI: *Ad diem XII Kal. Jan. Herculi, & Cereri, faciunt ſue prægnante, panibus, mulſo.* Sic enim legendus is locus: ut dictum, cùm de Cereris ſacrificio ſuperiùs ageremus. Ut nihil hic locus pertineat ad Panas.

Co-

Coturnix Herculi dicata: de quo ſic Athenæus in nono: Εὔδοξος ὁ Κνίδιος ἐν πρώτῳ γῆς περιόδου, τοὺς Φοίνικας λέγει θύειν τῷ Ἡρακλεῖ ὄρτυγας, διὰ τὸ τὸν Ἡρακλέα τὸν Ἀστερίας καὶ Διὸς πορευόμενον εἰς Λιβύην, ἀναιρεθῆναι μὲν ὑπὸ Τυφῶνος. Ἰολάου δ' αὐτῷ προσενέγκαντος ὄρτυγα, καὶ προσαγαγόντος ὀσφρανθέντα ἀναβιῶναι. ἔχαιρε γάρ φησι περὶ τῷ ζώῳ τούτῳ. *Eudoxus Cnidius in primo de terræ Circuitu, ait, Phœnices Herculi ſacrificare coturnices; quia Hercules, Iovis & Aſteriæ filius, in Libyam proficiſcens, & interfectus à Typhone, cùm Iolaus ei admoviſſet coturnicem, & olfaciendam præbuiſſet, revixerit. Illum enim cùm terrarum orbem peragraret, hoc fuiſſe animali delectatum.* Et hæc quidem fabuloſa. Vera autem ratio videtur, quod Herculi, fortiſſimo numini, conveniret avis μάχιμος *a* ac fortis, qualis coturnix. Itaque, ut Lucianus in Anacharſide, ſive dialogo de Gymnaſiis refert, olim conſuetudo fuit non gallorum modò, ſed coturnicum etiam pugnas ſpectandas exhibere. Verùm de iſto antea etiam diximus.

a Pugnax.

Ex plantis Herculi dicavere populum, malum cotoneam, ſive, ut Græci dicunt, Cydoniam, & cerrum, quercus genus, quod Theophraſto *b* ἄσπρος, niſi ἄσπρις legendum; quod malim. At in Philoxeni Gloſſario eſt: *Cerrus, πτέρις, δένδρον.*

b Lib. 3. Hiſt. Plant. cap. 10.

Alius verò Hercules Græcus & Romanus, alius Ogmius ſive Gallicus. Poſterior hic à Luciano deſcribitur decrepitus, recalvaſter, capillis, qui rari ſuperſunt, canis, cute rugoſa coloris fuſci, ut nautæ ſenes eſſe ſolent. Quæ nihil Herculis Græcanici præferunt. Sed idem indutus eſt exubiis leonis, pharetram humeris geſtat, clavam dextrâ, arcum ſiniſtra. Hæc jam Græci etiam Herculis ſunt. Porrò ex ejuſdem lingua tenuiſſimæ exeunt catenulæ, quibus aures vinciuntur multitudinis magno numero, ex alacri animo, Herculem ſed vultu ad eam converſo, præeuntem ſequentis. Ait autem Lucianus ſe jam à Gallis accepiſſe eſſe ſymbolum Eloquentiæ. Nam Gallis ita eſſe perſuaſum, Herculem omnia, quæ egit, oratione facunda perfeciſſe.

Fiebat & Herculi ſacrificium, quod dicebatur *propter viam.* Nec enim credendum Alexandro Neapolitano, qui lib. III, cap. XII vocatum ait *Proterviam*: ac perſuaſit Tiraquello *c*, qui meminiſſe ait Auſonium, quia in Moſella dicat:

c In Notis ad Alexandri Dies Geniales.

Capripedes agitat cùm læta Protervia Panes.

Quæ ridicula ſunt. Feſti eſt:

Propter viam fit ſacrificium, quod eſt proficiſcendi gratiâ, Herculi, aut Sanco; qui ſcilicet idem eſt Deus. In eo ſacrificio, quod non eſſet comeſtum abſumebatur igni. Unde jocus M. Catonis in Q. Albidium, Eum cùm, bonis comeſtis, incendio etiam domum amiſiſſet, *proterviam feciſſe ajebat: quod comeſſe non potuerit, id combuſſiſſe.* Auctor Macrobius lib. II Saturn. cap. II.

Accedo nunc ad Æſculapium, qui paullo ante bellum Trojanum Epidauri, Argiæ civitate vixit: ac ob vitam multis conſervatam, templum meruit: ut oſtenſum lib. I hujus operis, cap. XIII. Romam is, ſive vicarius ejus ſerpens graſſante ibi peſtilentiâ, vocatus fuit anno urbis CCCCLXII; Q. Fabio Maximo Gurgite, & D. Junio Bruto Scæva conſularibus. Fingebatur Epidauri comatus, qualis & parens ejus Apollo. Ac propterea, uti qui ex ephebis excederent, Apollini primos capillos dicabant, ſicut antea oſtendimus, ita & erant qui eos appenderent Æſculapio Pergameno. Sic ab Earino, Domitiani liberto, capillus cum pyxide gemmata, & ſpeculo ad Æſculapium Pergamenum miſſus fuit, ut indicat Statius Papinius. Deque eadem Earini hujus coma ſic Martialis:

—— Dulceſque capillos
Pergameo poſuit dona ſacrata Deo.

Porrò, quia id puerile poterat in Æſculapio videri, ſi eſſet intonſus, eo idem fingebatur cum barba prolixa, ad ſignificandum medicum requiri non adoleſcentem, ſed grandi ætate, & jam multo uſu ſubacta. Notum ut Dionyſius *Epidauri Æſculapio barbam auream demi juſſerit, quod affirmaret, non convenire patrem Apollinem imberbem, ipſum barbatum conſpici*: ut eſt apud Val. Maximum *a*. Idem fingebatur palliô tectus, ac caput eodem velatur: ut liquet ex ſtatuis Rom. & vett. numis. Geſtabat autem baculum, cui circumvolutus ſerpens: ut indicat hoc Ovidii XV Met.

a Lib. II cap. I.

Hunc modò ſerpentem, baculum qui nexibus ambit.

Et Appulejus lib. I. fab. Mileſ. ſive Metam.

Diceres Dei Medici baculo, quod ramulis ſemiamputatis, nodoſum gerit ſerpentem generoſum lubricis amplexibus inhærere. Serpens ille baculo circumvolutus indicabat nihil medico vigilantius ac perſpicacius eſſe oportere. Anguis enim acutiſſimè videt, unde Græcis δράκων quaſi δέρκων, κατὰ μετάθεσιν, ἀπὸ τοῦ δέρκειν *b*. Unde Horat.

b Draco per tranſpoſitionem à verbo Græco videre.

—— Tam cernis acutum,
Quàm aut aquila, aut ſerpens Epidaurus.

Ac propterea theſauris, ut hortis Heſperidum, atque aureo velleri præëſſe exiſtimatur. Imò & Epidauriis, & Romanis, formâ ſerpentis colebatur. Quod indicat locus ille Livianæ epitomes lib. XI: *Cùm civitas peſtilentiâ laboraret; miſſis legatis, ut Æſculapii ſignum Romam ab Epidauro transferrent: anguem, qui ſe in navem eorum contulerat, in quo ipſum numen eſſe conſtabat, deportavere: eoque in inſulam Tiberis egreſſo, eodem loco ſedes Æſculapio conſecrata eſt.* Ubi duo videmus. Priùs anguem vocat Æſculapii ſignum, ut neutiquam putârit ipſum eſſe Æſculapium, quod repugnat naturæ τῶν πρός τι *c*. Deinde extra controverſiam ponit, in angue illo fuiſſe Æſculapii numen. Videlicet quia poſtquam formoſiſſimum anguem delegiſſent, ut eſſet ſignum Æſculapii, ſacerdotibus cum ſollemni ritu conſecrantibus credebant genium, ac divinam vim Æſculapii jam in Deos relati ſeſe in anguem inſinuare, proque numine coli oportere. Cæterùm ſerpens Æſculapio ſacer ſine alis. Alati enim Cereri dicati erant.

c Relatorum.

Ea verò de cauſſa, qua ſerpentem, etiam gallum dicavere Æſculapio. Eſt enim hoc animal cuſtodiæ, curæque aptum. Gallum quoque Æſculapio ſacrificatum, indicat Plato in Phædone, ubi Socrates moriens gallum vovet Æſculapio.

Imò & noctuam non Minervæ modò, ſed etiam Æſculapio dicârunt: cujus cauſſa ſatis apparet ex iis, quæ ſuperiùs diximus.

At capram dicavere alia de cauſſa: quam exponit Servius in illud II Georg. *Non aliam ob cauſſam.* Nempe quia capra ſemper febricitat: ægri autem egent medicô. Non quoque ratione caret, quod nec Epidauri in Urbe templum habuit: nec Romæ, ſed in inſula Tiberina, quæ & ſacra inſula dicta eſt, quia cùm Iovi, & Fauno, tum Æſculapio ſacrata eſt. Extra Urbem verò templum ſtatuerunt, ut ſignificarent, ſalubriorem ruri aëra eſſe, quàm in Urbe.

De ægrotis incubantibus in templo Æſculapii, ut ab eo in ſomnio edocerentur remedium pro morbo, dixi lib. III, cap. XXXV.

GEORGIUS Gualtherus in animadverſionibus ad tabulas Siciliæ antiquas. p. 1, 2.

ΑΣΚΛΗΠΙΩ] Ἤπιος *mitis Aſclen Epidauri Tyrannum valetudini reſtituens,* Ἀσκληπιὸς *nuncupatus. Primis ſtatim ætatis ſpatiis Deus habitus, non factus. Pauſ. in Corinth. hinc & à puero ex voto mederi, & defunctos exſuſcitare peritus. ibid. Apollo eum Chironi Phillyræ, & Saturni F. regi Pelii, Theſſaliæ, & Magneſiæ tradidit erudiendum* πολυπήμονας ἀνθρώποισιν ἰᾶσθαι νόσους, *multinocuos hominibus ſanare morbos. Pind. Od. 3, & eo profecit, ut idem ipſum* ἥρωα παντοδαπᾶν ἀλκτῆρα νούσων, *heroëm quorumvis propulſatorem morborum, laudârit, & plerique medicinarum demonſtratorem. Arn. l. 1. cont. gent. Æſculapium medicinarum repertorem, poſt pœnas, & ſupplicia fulminis, cuſtodem nuncupaſtis, & præſidem ſanitatis, valetudinis, & ſalutis.*

At Hyginus partem modò ei diviſit: Medicinam, ait, Chirurgicam Chiron excogitavit primus, Apollo ocularium, Aſclepius F. clinicen. Statuebatur cum pallio, & crepidis, ritu Græco. Epidauri ejus ſimulacro nec aqua infunditur, nec oleum. Pauſaniæ Græciam peragrando cauſam quærenti reſponderunt: id ſolium ad puteum factum. Feſt. Eum tutatur draco (hinc in lapide TORQUEM AUREUM EX DRACUMCULIS *datum vidi) canes adhibentur ejus templo, quòd is uberibus canis ſit nutritus, (aut quod à cane Phruro cuſtoditus capella lactante. Pauſ.) bacillum habet nodoſum, quod difficultatem ſignificat artis, laureâ coronatur, quod ea arbor plurimorum ſit remediorum: huic gallinæ immolantur, (at Socrates moriturus Gallum vovit) ei de capra res divina imprimis fiebat, quia capra nunquam ſine febre eſſe dicitur. Feſti ipſi dies Epidauria, & Æſculapia, in lap.* ΑΓΩΝ ΑΣΚΛΗΠΕΙΑ. *Epidauri tetraeterica, ſeu pentaeterica, novem dies poſt Iſthmia, præſide Æſculapii genere, poſt primis Argivûm, acta in luco ei ſacro finibus ſepto, ubi feminis mori, & parere nefas. Antoninus demum ædes ſtruxit, ubi id licebat. Pauſ. Templis eum Siculi honorarunt Syracuſis. Cic. Unde Verres ſignum Pæanis ſacrum, & religioſum ſuſtulit. Athenæus lib. 3. Dionyſio ſeniori Hermacratis F. vitio dedit, quod Syracuſis ante Æſculapium cum eſſet aurea menſa poſita, merum Boni Dæmonis Deo præbibit, ac continuo menſam amovit. Item barbam auream demi juſſit, nec enim convenire barbatum eſſe filium, cum in omnibus fanis pater imberbis ſit. Cic. 3. Nat. Deor. Et Agrigenti, ex quo Verres P. Scipionis monumentum, ſignum Apollinis pulcherrimum tulit. Cic. Hoc victoribus Pœnis ablatum, Carthagine expugnata à Scipione Æmiliano reſtitutum erat. Auguror ex lapide, ædem & Æſculapio non longè à Caltaſimi fuiſſe. ac citra dubium Meſſanæ, ubi ſtatua proſtitit. In nummis Selinontiorum ejuſdem ara conſpicitur, cum ſerpente, & gallo gallinaceo ſacrificante, ut placet Hub. Goltzio, Empedocle peſtis ibi exſtinctore, cum ex Selinonte, & Hypſa amnibus aquas dulces in ſtagnantes ſalſas, luis ſcaturigines abunde immiſiſſet. Romæ coli cœpit M. Quinto Max. T. D. Jun. Bruto Scæva Coſſ. immani enim peſte graſſante, ex Sibyllinis libris reſponſum, ab Epidauro Argolidis urbe Æſculapium accerſendum: quare legatis hinc redeuntibus in Tiberi fanum accepit. Liv. l. 10. cùm horrendum Epidaurium colubrum cum ipſo Æſculapii lapide advexerint. Paul. Oroſ. Hiſp. adv. pag. lib. 3. cap. 22.* Hæc Georgius Gualtherus.

Hecuba Ciſſei, Thracum regis, vel ſecundùm alios, Dymantis, Phrygiæ regis, filia, Priami conjux, ob acerbitatem & convitia in canem converſa dicitur; ut ajunt Plautus Menæchmis act. v, ſc. 1, & Cicero Tuſcul. III. Ovid. lib. XIII Met. fab. II. Unde Juvenal. ſat. x:

—— Sed torva canino
Latravit rictu; quæ poſt hunc vixerat uxor.

Meminit & Agatharchides in deſcriptione maris Rubri apud Photium in bibliotheca, & Servius in Æn. III, verſ. VI. Atque inde Hecubæ tumulus, κυνὸς σῆμα *a*: ut eſt apud Plinium lib. IV, cap. XI, in deſcriptione Thraciæ. Hecube hæc canis formâ pingebatur: etiam canis ei immolabatur.

a *Cynoſſema, ſignum monumentumve tamus.*

Achillem in Leuce templo cultum & alibi cultum diximus lib. I. Hic à Græcis pingebatur diſcalceatus: uti & heroum alii: præter Philoctetem, & ex parte Jaſonem. Qua de re ſic Philoſtratus epiſtolâ ad adoleſcentulum excalceatum: Λαυτία, καὶ σανδάλια, καὶ κρηπῖδες, καὶ πέδιλα, νοσούντων εἰσὶ φορήματα ἢ γερόντων, τὸν γοῦν Φιλοκτήτην ἐν τοῖς γράφουσι τοῖς ἐρύμασιν, ὡς χωλὸν καὶ νοσοῦντα. τὸν δ᾽ ἐκ Σινώπης φιλόσοφον, καὶ τὸν Θηβαῖον Κράτητα, καὶ τὸν Αἴαντα, καὶ τὸν Ἀχιλλέα ἀνυποδήτους, καὶ τὸν Ἰάσονα ἐκ ἡμισείας. *Lautia, ſandalia, crepidæ, ægrotantium, vel ſenum ſunt geſtamina. Philocteten igitur pingunt cum ejuſmodi corporis munimine, ut claudum, & ægrum. Sinopenſem vero philoſophum, & Thebanum Cratetem, & Ajacem, diſcalceatos, & Jaſonem, ex parte dimidia.*

Narrat deinde notam fabulam de Jaſone, ut cùm Anaurum flumen tranſiret, calceorum alter in luto hæſerit.

Ulyſſi aras fuiſſe conſtitutas, multorum eſt opinio: de quo dictum lib. I, cap. XXXVI. Quomodo effingi is ſoleat, videre eſt ex nummo C. Mamilii Turrini Limetani, quæſtoris provincialis, Mamilii ejus filii, qui legem Mamiliam de limitibus agrorum tulit anno Urbis DLXXXIX T. Manlio Torquato, & Cn. Octavio Nepote Coſſ. Fuit verò Mamilia gens antiquiſſima. Ac ex ea Octavus Mamilius Tuſculanus, facilè princeps Latini nominis, cui icirco Tarquinius Superbus filiam ſuam uxorem dedit, ut hujuſmodi affinitate res ſuas magis firmaret. Sed infeliciter hoc ei cecidit, quia bello Latino, Tarquinio, & Latinis victis, ad lacum Regillenſem periit. Poſtea datâ pace populis Latinis, L. Mamilius Tuſculanorum dictator à L. Quinctio Cincinnato civitate Romana eſt donatus. Ac primò in hac gente familia fuit Vitulorum, inde Turrinorum: ex qua illa Limitanorum profluxit. Sed nondum hinc liquet, cur Mamilia gens pro ſymbolo habuerit Ulyſſem peregrinantem. Cauſſa verò eſt iſta: quod Mamilia gens oriunda eſſet Tuſculo: ut conſtat ex Livii lib. I, & Dionyſii lib. IV. Tuſculum verò conditum à Telegono, Ulyſſis filio ex Circe Solis filia. Eſt & apud Feſtum Pompejum: *Mamiliorum familia (progenita fuit), à Mamilia, Telegoni filia, quam Tuſculi procreaverat, (quando id oppidum ipſe condidiſſet.)* Atque ex his ſatis liquet, cur Mamiliis in uno numi latere fuerit Ulyſſes: uti in altero Mercurius, Ulyſſi amicus, qui & viam ei ad Circen oſtendit. Nunc effigiem Ulyſſis exponamus. Eſt is pileatus, cum baculo, & cane. Pileatum fuiſſe, & cinctum, arguit quoque Plutarchus in Catone Majore, * ubi refert, ut periculo exemptus parum ſapienter cogitarit reverti in antrum Polyphemi, quò auferret pileum, ac cingulum, quæ auferre fuerat oblitus. Primum Nicomachum cum pileo eum pinxiſſe, auctor eſt Plinius.

Pileum fuiſſe nobilitatis inſigne, ſcribit Soranus in vita Hippocratis, & Dio Pruſæus orat. XIV. Sanè nobilitas Hippocratis notiſſima, cum ab Æſculapio duxerit genus. Etiam pileus notabat prudentiam, ſive cuſtodiam rationis, cujus caput eſt ſedes ac domicilium. Imò libertatis quoque ſymbolum fuit Romanis, quibus cùm è ſervis fierent liberi, pileo donabantur. Unde & Brutus, ac Caſſius, occiſo Julio Cæſare nummos cuderunt cum pileo & enſe, ut ſignificarent, Cæſaris nece partam libertatem. Atque ex iis nummis etiam videre eſt formam pilei quæ talis, ut conſpicitur ac eſt in teſta ſive putamine ovi medii diſſecti. Unde Hieronymus: *Rotundum pileolum, quale in Ulyſſeo conſpicitur.* Ac valde falluntur, qui pileos noſtros vocant petaſos: qua de re agimus in primo de Vitiis Sermonis, cap. XXIX. Calvum fuiſſe Ulyſſem ait Homerus Odyſſ. Σ. ac Suidas ex eodem colligit, fuiſſe colore nigro, capillis criſpis, & humeris rigidis. Thorace ſive lorica indutum efformabant: ut eſt apud Pauſaniam in Phocicis. Quod verò cum baculo ut dictum repræſentetur in memorato Mamilii numo; id inde eſt, quod exprimere voluerint peregrinantem. Nam baculo viator nixus iter facit. At Telegonus ab Ulyſſe in peregrinatione genitus. Canis additur; quia Homerus refert ab ſolo cane ſuo Argo agnitum, cùm poſt XX annorum peregrinationem eſſet domum reverſus. Ac apud Plutarchum libro de Tranquillitate legas, mortuo ſuo cani illachrymaſſe. Idem in animantium comparatione ait, delphinum habuiſſe in inſignibus, & cauſſam etiam exponit.

Pandroſo Athenis ſacrificatum ove, poſtquam Minervæ erat immolatus bos: unde id feſtum, Suida teſte, ἐπίβοον vel ἐπίβοιον, vocabatur. Erant verò Minervæ, & Pandroſi, templa conjuncta. Etiam in Ἀπατουρίων feſto *a* ovis, vel capra, mactabatur, illa φρατρὶς *b*, hæc φρατέριος *c* appellabatur: uti templum, ubi convenirent, φράτριον: teſte Julio Polluce lib. III.

a *Quo patres liberos Curiæ adſcribebant.* b *Curialis.* c *Iidem curialis, ſeu capra quam qui ejuſdem eſſent curiæ immolabant.*

Ridiculâ verò ſtultaque impietate Cajus Caligula cum vivus pro numine haberi vellet, faſianos, phœnicopteros,

ros, & pavones ſibi mactari juſſit: ut eſt apud Suetonium in vita ejus cap. xx.

Addam poſtremò ſtatuis ſolere Lunulas imponi, cujus cauſſam Heſychius adfert. Μηνίσκοι τὰ ἐπὶ τῶν κεφαλαῖς τῶν ἀνδριάντων τιθέμενα, ἵνα μὴ τὰ ὄρνεα καθίζηται. *Lunulæ in ſtatuarum capitibus poſitæ, ne aves ea fœdarent ſtercore.*

De Homero quoque aliquid dicam: quando & is Smyrnæis cultus: Ieniibus item capellâ candidâ: de quibus libro hujus operis dictum. Galaton pictor quia Homerus ſit *fons ingeniorum*, ut eum vocat Plinius a, eò pingebat omnem poëtarum gregem aquas puriſſimas ex ore Homeri redundantis avidiſſimè bibentem: ſicut refert Ælianus lib. xiii Var. Hiſtor. cap. xliii. Et videtur eò ſpectaſſe Ovidius, cùm ait lib. iii Amor. Eleg. viii:

a Lib. 17. cap. 5.

Adſpice Mæoniden, à quo ceu fonte perenni
Vatum Pieriis ora rigantur aquis.

Cæculus heros in nummo M. Cæcilii Metelli conſpicitur longis cum cincinnis, ſciteque comtus: inque frontis capillitio ſerpentem habet, qui genii eſt ſymbolum. Cæcilii Metelli hoc numen familiæ habuerunt, quia genus ducerent Prænoſtina ab urbe: quam heros ille condidiſſet. Feſtus: *Cæculus condidit Præneſte. Unde putant Cæcilios ortos: quorum erat nobilis familia apud Romanos.* Addit deinde, *Alii appellatos eos dicunt à Cæcade Trojano, Æneæ comite.* Sed quid ſi nomen ſit à ſerpente qui à cæcitate cæcula vocatur. Nempe à *cæca* ὑποκοριστικῶς b *cæcula*: inde Cæculus, pro quo *Cæcilius*, ut pro *optumus*, *optimus*. Et fortaſſe ſerpens ille, qui in frontiſpicio Cæculi eſt, ſit cæcula? Nihil enim impedit, quo minùs, cùm ſerpens universè genium notaret: genium numenque Cæculi per cæculam potiſſimum ſignârint?

b Deminutive.

Cap. XXXIII.

De anni iv Horis, Occaſione, & Tempeſtate: deque Penatibus, ac Laribus, tum publicis, tum privatis, item de Epona, & Priapo.

ATque hæc ad Deos Indigetes pertinent. Sequitur de Diis, qui vel fuiſſe ſemper dicuntur, vel ſaltem, quamdiu fuit rerum natura. Horum turba eſt innumera. Sed nihil magis intelligentiam impedit, quàm ſi ea, quæ latè ſe diffundunt, etiam confuſè tradantur. Quare ſuperioribus libris, maximamque partem eo, qui proximè præceſſit, in certas eos claſſes digeſſimus. Sed non ita infeliciter comparatum eſt cum ingenio humano: ut neceſſe habeat eâdem ſemper chordâ oberrare. Multis modis aliquid bene dicitur, bene etiam diſponitur, pro diverſo conſiderandi modo. Vide igitur, an minus placeat, ſi nunc prius agamus de numinibus, quæ præſident rebus vitæ noſtræ utilibus, vel noxiis. Deinde autem, quibus commiſſa eſt mors, & conditio hominis à morte. In prioribus duo attendimus genera Deorum. Aliqui enim curant ea; quæ ſunt extra nos. Alii autem ea, quæ ſunt in nobis, vel à nobis. Quæ extra nos ſunt, vel à cælo proveniunt, puta æthere, atque aëre: vel terris inſunt, aut aquis. A cælis ſunt Tempus, & Tempeſtas.

Ad Tempus pertinent inter alia Horæ, & Occaſio. Per Horas intelligo nunc non tres Themidos filias, Eunomiam, Dicen & Irenen: de quibus in Themide loquor: ſed quatuor anni temporum cælique portarum præſtites: nempe εἰαρινὴν, θερινὴν, μετοπωρινὴν, καὶ χειμερινήν. *vernam, æſtivam, auctumnalem, & hyemalem.* Hæ apud Philoſtratum lib. ii Iconum, annum volutant junctis manibus, Tellure pro quaque anni parte ſuos proferente fructus. Choreas quoque ducunt, ſic ut à ſaltu genæ calore rubeant, oculique ſint hilares. Præterea eas exornat ἐλευθερίᾳ ἀφέτῳ κόμης, h. e. *libertas comæ demiſſæ*, ſive potiùs, *libera demiſſaque coma.* De amictu ſic Ovidius lib. v Faſtorum; ubi Floræ comites facit:

Conveniunt pictis incinctæ veſtibus Horæ.

Idem verò Solis aſſeclas ſtatuit lib. ii Met. ubi currum Solis deſcribit:

A dextra, lævaque Dies, & Menſis, & Annus,
Sæculaque, & poſitæ ſpatiis æqualibus Horæ.

Athenienſes Horis, feſto, quod ab iis Ὥρια dicebatur, primitias frugum cujuſque anni temporis offerebant: ut eſt apud Heſychium in Ὡρεύθυειν a. Orabant verò Deas, ut commodam darent anni tempeſtatem, quò cuncta feliciùs provenirent: ut eſt apud Athenæum lib. xiv: qui & auctor eſt è Philochoro, nihil tum aſſæ carnis, ſed elixam ſolum apponi ſolere. Nec id ſine cauſſa fuit. Sic enim ſignificare volebant, ab Horis anni æſtum, & frigus, humorem, & ſiccitatem, temperari, juſtâque temperie omnia maturari. Sanè carnes aſſatæ potiùs forent ſymbolum æſtus, & ſiccitatis; ſed elixæ ut calorem habent, ſic humorem. Vita autem noſtra à calore vitali, & humore radicali dependet. Etiam Horis, pariterque Apollini, ſive Soli, celebrata ſunt Πυανέψια, & Θαργήλια b in quibus εἰρεσιώνη deferebatur à puero ἀμφιθαλεῖ, ſive patrimo, & matrimo. Erat verò εἰρεσιώνη ramus quandoque è lauro, ſed plurimùm oleaginus, iſque lanâ obvolutus: unde fruges, & omnis generis fructus, dependebant. Auctores Clemens Alexandr. Strom. iv, Ariſtophanis ſcholiaſtes Equitibus, & plures alii.

a Horis Sacrificare.

b Feſta ſic dicta à modo & tempore celebrationis. πυανεψιὼν (πύανος enim faba, & ἕψω coquo) October, θαργηλιὼν Aprilis, &c.

Porrò pro quatuor hiſce Horis, diverſo colore terras veſtientibus, quatuor etiam erant aurigarum in Circenſibus colores. Itaque Tertullianus libro de Spectaculis cap. ix, cùm dixiſſet, quadrigas Soli fuiſſe ſacratas, ſive id factum ab Erichthonio, ſive Trochilo Argivo, ſive Romulo: *Talibus*, inquit, *auctoribus quadriga producta, meritò & aurigis coloribus idololatriam veſtierunt, & ab initio duo ſoli fuerunt, albus, & ruſſeus: albus hyemi, ob nives candidas: ruſſeus æſtati, ob Solis ruborem voti erant. Sed poſtea, tam voluptate, quàm ſuperſtitione provectâ, ruſſeum alii Marti, alii album Zephyris conſecraverunt: praſinum verò terræ matri, vel Verno: Venetum Cælo, & Mari, vel Auctumno*: Paullò aliter Caſſiodorus lib. iii Var. epiſt. xxxiv: *Colores in vicem Temporum quadrifaria diviſione funduntur: Praſinus, virenti verno; Venetus, nubilæ hiemi; ruſſeus, æſtati flammeæ; albus, pruinoſo auctumno dicatus eſt.*

Hyemi, Horarum quartæ, nigram ſolere pecudem ſacrificari, ex Marone dictum lib. iii, cap. xcix.

Ad Tempus etiam pertinet Occaſio: ut quæ Ciceroni in primo de Inventione definiatur *pars temporis, habens in ſe alicujus rei idoneam faciendi, aut non faciendi opportunitatem.* Græcis Deus eſt, quia iis καιρὸς vocatur. Contrà Latinis Dea eſt ob nomen muliebre. Deſcribit hoc numen Poſidippus in quarto Ἀνθολογίας, & Auſonius epigr. xii: ſed nonnihil deſcriptiones variant. In eo conveniunt, quòd pedibus nectunt talaria, quia volucris ſit: quòd faciem dicant velari capillis, ſive quia ab occurrente debeat prehendi, ſive quia nolit agnoſci: quòd ſtatuant occipitio calvo, quia ſemel prætergreſſa arripi nequit. Nec multum diſtant eo, quod Poſidippus ſummis dicat digitis ingredi, quia ſemper rotatur: Auſonius ſtatuat rotæ inſiſtere, quia ſtare neſciat. Sed Poſidippo dextrâ fert novaculam, quia acie quavis ſit acutior. Id Auſonio prætermiſſum. Auſonius ait comitem ejus eſſe μετάνοιαν c, quæ ſequitur, ſi quis eam patiatur dilabi. At de pœnitentia tacuit Poſidippus, niſi quod videri poſſit includi in occipitio calvo. Etiam cujuſmodi Lyſippus ſimulachrum Sicyoniis fabricârit apud Calliſtratum vide in ſtatuarum deſcriptionibus. Sed & ipſe ut Græcus, puerum effingit, eumque jam pubeſcentem, facie formoſum, quiqui cæſariem relinqueret undiquaque Favoniis concutiendam, colore florido, genis rubentibus, maximamque partem Baccho perſimilem. Cætera ejuſmodi ferè, qualem ex Poſidippo, & Auſonio diximus.

c Pœnitentiam.

Tempeſtas, aëris eſt turbatio à vento. Mactabatur Tempeſtatibus agna. Maro Æn. v:

Tres Eryci vitulos, & Tempeſtatibus agnam,
Cædere deinde jubet.

Nec

Nec agna ſolùm, ſed & caper. Ut indicat Horatius Ephod. od. x:

Libidinoſus immolabitur caper,
Et agna, Tempeſtatibus.

Quia autem Tempeſtatibus cælum eſt obductum nubibus, eoque nigrum: hinc agnam nigram ſacrificabant. Maro lib. III Æn.

Nigram hiemi pecudem, zephyris felicibus albam.

a Act. 3. ſc. 2. Ariſtophanes eo alluſit in Ranis *a*, cùm Bacchum ſic loquentem inducit:

Ἄρν᾽ ἄρνα μέλαιναν παῖδες ἐξενέγκατε.
Τυφὼς γὰρ ἐκβαίνειν παρασκευάζεται.
Agnum, nigrum agnum adferte mi pueri ocius:
Nam typho verborum ſtudet prorumpere.

Apud Romanos ædis Tempeſtati erat extra portam Capenam: eamque conſtituit poſt tempeſtatem Claudius Conſul, cùm in Corſicam, & Sardiniam navigaſſet. Ovid.

Te quoque Tempeſtas meritam delubra fatemur,
Cùm penè eſt Corſis obruta puppis aquis.

Hæc de Horis, & Tempeſtate. Nunc loquar de iis, quæ pertinent ad terras & aquas. In terris ſunt domus, agri, horti, ſylvæ, pecudes, montes, & convalles. Domibus univerſitatis præſunt Penates, ſingulis Lares.

Sed hæ appellationes interdum confunduntur. Ut cùm promiſcuè legimus *patrios Penates*, & *Lares patrios*. Ac in Gloſſis Philoxeni tam *Penates*, quàm *Lares*, ex-
b Dii domeſtici. ponitur θεοὶ κατοικίδιοι *b*. Priùs loquar de Penatibus publicis, ſive Urbis cuſtodibus: deinde agam de Penatibus ſive Laribus privatis. Publicos illos aliqui cum Caſſio Hemina putarunt, eſſe Deos Samothracas ſive Cabiros: de quibus dictum lib. II, cap. LVII. Alii crediderunt, eſſe Cælum, & Terram; vel Apollinem, & Neptunum; vel Junonem, & Minervam; vel Caſtorem, & Pollucem; vel Genium Jovialem, Cererem, Fortunam, & Deum Palem, Jovis miniſtrum. In hoc rei incerto videmus, quàm miſera fuerit conditio Romanorum in ſacro cultu, cum nec ipſi, quid colerent, ſcirent.

Quod ad ſymbola attinet, à Timæo Locrenſi, (ut ex Dionyſio Halicarn. cognoſcimus) proditum eſt, Deos Penates, quorum varia adfert cognomina, repoſita fuiſſe in adytis Lavinienſium, eſſeque κηρύκια, ſive caducea ferrea, & ærea, ac Trojanam teſtam fictilem: atque hoc ſe intellexiſſe ex ipſis civibus. Deque oppido probè convenit illud Varronis in IV de Lingua Lat. *Oppidum, quod primùm conditum in Latio ſtirpis Romanæ, Lavinium. Nam ibi Dii Penates noſtri.* Subjungit Dionyſius, Romæ coli effigie duorum juvenum armatorum, habitu ſedentium. Ac aliis quoque in templis ſe eos conſpexiſſe duorum juvenum forma, habitu militari. Idem fingebantur dextro humero nudo, & exerto; qualis habitus prætorum, quando jus dicerent. Id Gabinum cinctum vocabant. Vetus Perſii interpres in illud, *Succinctis laribus*: *Quia Gabino habitu cinctuque Dii Penates, formabantur, obvoluti togâ ſuper humerum ſiniſtrum, dextro nudô.* Hoc dici cinctum Gabinum, etiam docet Iſidorus lib. XIX Orig. cap. XXIV: *Cinctus Gabinus eſt, cùm ita imponitur toga, ut togæ lacinia, quæ poſt ſecus rejicitur, attrahitur ad pectus, ita ut ex utroque ex humeris pictura pendeant: ut ſacerdotes gentilium faciebant, aut cingebantur prætores.* De ſa-
c Verſ. 595. cerdotibus eſt hoc Lucani lib. I *c*:

—— Sacri quibus eſt permiſſa poteſtas,
Turba minor ritu graditur ſuccincta Gabino.

De prætoribus cognoſcere eſt ex lapide antiquo apud portam Neapolitanam; ubi ſic conſpicitur prætor mappam mittens. Idem indicat Tertullianus de Pallio cap. III: *Cato juridicinæ ſuæ in tempore humerum exertus, haut minus palliato habitu Græcis favit.* Ubi *juridicinæ tempus* vocat *præturam*, quia prætores jus dicerent. Nempe ſimile vocabulum ac *cauſſidicina*, apud Ammianum lib. XXX: *Id habet cauſſidicina cum cæteris metuendum, & grave, quòd hoc pene ingenium eſt litigantibus cunctis.* Symmachus lib. V epiſt. XV: *Lampadio ad bonam viam morum cauſſidicinam credidi.* Item ejuſce libri epiſt. LXXIII. Et alibi: *Qui magiſterio tuo cauſſidicinæ inſinuo candidatos.* Imò uſi quoque Theodoſius, & Valentinianus A A: ut videre eſt lib. VIII Cod. Theodoſ. tit. IV. Plutarchus in Problemat. cap. LI auctor eſt, Lares ſolere amiciri pellibus caninis, etiam canem iis apponi. Rationem hanc adfert, quod qui præſides ſunt domus, aliis debeant eſſe formidoloſi, canum inſtar. Vel quod Lares quidam ſunt ſpeculatores vitæ noſtræ, omniumque quæ agimus, exactores: quo ipſo ſimiles ſint cani, ſagaci indagatori. Eleganter de iiſdem Urbis Laribus Ovidius lib. V Faſtor.

Præſtitibus Maiæ Laribus videre Kalendæ
Aram conſtitui, parvaque ſigna Deûm.
Voverat illa quidem Curius; ſed longa vetuſtas
Deſtruit, & ſaxo longa ſenecta nocet.
Cauſſa tamen poſiti fuerat cognominis illis
Quod præſtant oculis omnia tuta ſuis.
Stant quoque pro nobis, & præſunt mœnibus Urbis:
Et ſunt præſentes, auxiliumque ferunt.
Et canis ante pedes ſaxo fabricatus eodem
Stabat: Quæ ſtandi cum Lare cauſſa fuit?
Servat uterque domum, domino quoque fidus uterque.
Compita grata Deo, compita grata cani.
Exagitant & Lar, & turba Dianía fures:
Pervigilantque Lares, pervigilantque canes.

Ad publicos etiam Lares pertinet hoc Feſti: *Hoſtiliis Laribus immolabant, quod ab his hoſtes arceri putabant.* Perperam pro eo Hoſtilibus eſt apud Alexandrum Neapolitanum lib. III Dierum Genial. cap. XII.

Atque hæc de Penatibus ſive Laribus publicis. Venio nunc ad privatos, ſive domeſticos. De quibus laxè nimis Iſidorus lib. VIII Orig. cap. ult. *Penates gentiles dicebant omnes Deos, quos domi colebant. Et penates dicti, quod eſſent in penetralibus, id eſt, in ſecretis. Hi Dii, quomodo vocabantur, vel quæ nomina habuerint, ignoratur.* Sanè etiam Jovem, Minervam, aliaque numina domi habebant, & colebant: nec tamen hi penates: quod fateri cogitur Iſidorus, ſi Lares, ut ait, nomina non habuerunt. Sed per Lares intelliguntur animæ defunctorum ob vitam bene actam hoc honoris ſortitæ, ut non vagentur, & hominibus terrorem afferant, ſed domum, & incolas cuſtodiant. Atque ob hanc fidelem operam effingebantur cum canis figura ante pedes. Quo ſignificabatur, ut canis domum ſervat; ita & domum à Laribus cuſtodiri.

Horum cultus partim annuus erat, qui feriis Denicalibus fiebat: partim quotidianus. Sacrum autem fiebat vel terrâ naſcentibus, vel muto animante. Prioris generis erant thus, far, corolla, uva. Tria priora, (de quibus etiam dixi lib. primo, cap. XI) complexus eſt Iuvenalis:

O parvi noſtrique Lares, quos thure minuto,
Aut farre, & tenui ſoleo exorare a corona. a Perperam in libris aliquibus exornare.

De uva & frugibus eſt apud Tibullum lib. I, el. X, ubi de Lare ait:

Hic placatus erat, ſeu quis libaverat uvam:
Seu dederat ſanctæ ſpicea ſerta comæ.

Valde autem decipitur Lambinus, cum cenſet, non ſolere Laribus animatum quicquam mactari. Nam a divitibus juvencum; ab illis minoris ſortis, agnam ſacrificatam claré docet Tibullus lib. I, eleg. I:

Vos quoque felicis quondam, nunc pauperis agri
Cuſtodes, fertis munera veſtra Lares.
Tunc vitula innumeros luſtrabat cæſa juvencos:
Nunc agna exigui eſt hoſtia parva ſoli.
Agna cadet vobis: quam circum ruſtica pubes
Clamet, io, meſſes, & bona vina date.

Eſt & Plauti Rudente, Act. IV, ſc. VI:

Atque adornare, ut rem divinam faciam, cùm intro advenero,

Laribus familiaribus, cùm auxerunt noſtram familiam:

Sunt domi agni, & porci ſacres.

Ubi & de porcis videmus. Imò vix ullum ſacrificium ſæpius ſe offert. Horat. lib. III, od. XXIII:

Si thure placâris, & hornâ
Fruge Lares, avidâque porcâ.

Idem lib. II, od. III:

—— Immolet æquis
Hic porcum Laribus.

De quo vide Hadr. Junium lib. IV Animadverſ. cap. VII. Tibullus lib. I, eleg. ult.

At nobis ærata Lares depellite tela,
Hoſtiaque è plena myſtica porcus hara.

Ubi *myſticam* dicit *porcam*, ut Ariſtophanes in Acharnenſibus, χοιρίον μυστικόν. Ut nihil cauſſæ fuerit, cur pro *myſtica*, *ruſtica*, reponeretur. Compitalitiis feriis hoc ſacrificium obtinebat. Ac putantur Romani eum cultum hauſiſſe à Lavinienſibus, vel Albanis: atque hoc, ut etiam Nonius *a* indicat, in memoriam ſcrofæ XXX fœtus enixæ. Imò Lares, à pecore illo grundili, ipſi etiam *Grundiles* dicti. Arnobius lib. I: *Grundiles adorant Lares.* Veteres enim pro *grunnio* dixere *grundio*: ut Nonius *b*, & Diomedes *c*, oſtendunt hoc Statii Cælii in Imbris:

—— Cruento ita ore grundibat miſer.

Et illo Claudii Quadrifatii quinctodecimo *d* Annalium: *Grundibat graviter e pecus ſuillum.* Subjungit deinde idem Diomedes: *Hinc quoque Grundiles lares dictos accepimus, quos Romulus conſtituiſſe dicitur in honorem ſcrofæ, quæ triginta pepererat porcos. Hoc ita firmat hoc modo Caſſius Hemina in ſecundo Hiſtoriarum: Paſtorum vulgus ſine contentione conſentiendo, præfecerunt æqualiter imperio Remum, & Romulum, ita ut de regno pares inter ſe eſſent. Monſtrum fit, ſus parit porcos* XXX, *cujus rei fanum fecerunt Laribus Grundilibus.* Sed de eo quod Caſſius dicit, id Romuli & Remi temporibus contigiſſe: aliter ſanè alii, qui id referunt ad tempora Æneæ, cultumque illum Larium ſub porci figura à Lavinienſibus, vel Albanis, acceptum arbitrantur. Sanè ab his, ſimulachrum illud erectum, fidem facit M. Cato in Originibus, cum ait: *Suem* XXX *porculos peperiſſe in loco, ubi Lavinium fuerit*: Et Varro de R. R. lib. II, cap. IV: *In quo illud antiquiſſimum fuiſſe ſcribitur, quod ſus Lavinii Æneæ* XXX *porcos pepererit albos. Itaque, quod portenderit, factum* XXX *annis, ut Lavinienſes condiderint oppidum Albam. Hujus ſuis, ac porcorum, etiam nunc veſtigia apparent Lavinii: quod & ſimulachra eorum ahenea etiam nunc in publico poſita, & corpus matris, quod in ſalſura fuerit, demonſtratur.* Item S. Aurelius Victor, ſive alius libro de Origine gentis Romanæ editus ab Andr. Schotto: *Recordatum Æneam, quòd aliquando ei reſponſum eſſet, urbi condendæ quadrupedem futuram ducem: atque illum, ubi illa procubuit, enixaque eſt porculos* XXX, *ibidem auſpicatum.* Alii ab alba ſue Albam Longam vocatam ajunt: atque ab Albanis hunc cultum accepiſſe Romanos: cui ſententiæ favent, ut de Marone taceam, Valerius Antias, & Dionyſius Halicar. Sed dicere poſſis: ante Romanos pariter Lavinienſes, & Albanos, hac figurâ Lares coluiſſe.

a In Grundules.
b In Grundire.
c Lib. I. cap. de dubia verborum poſitione.
d Sive, ut eſt apud Nonium, ſextodecimo.
e Sic ex Diomede, apud Nonium, corrigendum, ubi leg. grumiter, pro grunſter.

Gallo quoque Laribus ſacrum fiebat. Unde Juvenal. ſat. XIII:

—— Et Laribus criſtam promittere galli
Non audent.

Hirundines non Veneri ſolùm, ſed Laribus etiam gratæ erant: ut eſt apud Ælianum. Cauſſa ex eo, quod in ædibus hominum, ſibi ædes ac nidos parent.

E plantis Laribus dicatum eſt allium, item papaver quod & ſacrum eſt Cereri, ac Lucinæ.

Lares colebantur in cubiculo: ubi iis puer, vel alius præfectus. Suetonius in Domitiano: *Puer curæ Larium cubiculi ex conſuetudine aſſiſtens, interfuit cædi.* Macrobius lib. I Saturn. cap. ult. *Inter hos ſerviles moderator obſequii, cui cura vel adolendi Penates, vel ſtruendi penum, & domeſticorum actuum miniſtros regendi.*

Ex Lampridio notum de gemino Alexandri Severi larario: in quorum uno ſimulachra Chriſti, Abrahami, Orphei, Apollonii: in altero Ciceronis, & Virgilii.

Pars domus equile, quo pertinet Hippona, ſive Epona: quippe equorum & ſtabulorum præfecta. Ea pingebatur cum præſepi. Juvenalis ſat. VIII:

—— Jurat
Solam Eponam, & facies olida ad præſepia pictas.

Ubi eſt ἓν διὰ δυοῖν *a*. Nam, ut Maro ait, *molem & montes*, pro *mole montium*; *pateris, & auro*, pro *pateris aureis*: ſic Juvenalis, *Eponam, & facies pictas*, pro *Eponæ facies pictas.* Addit pictas ad præſepia, ut & Tertullianus lib. I adverſus Gentes, cap. XI: *Sanè vos colitis jumenta, & pecora, & beſtias, quæ perinde cum ſuis præſepibus conſecratis.* Caput ejus corollis exornabant. Appulejus libro III Metamorphoſis: *Eponæ Deæ ſimulacrum, quod accuratè corollis roſeis, & quidem recentibus, fuerat coronatum.*

a Unum conſideratum ut duo.

Domui proximus eſſe hortus ſolet, & horti. His præter Venerem, de qua diximus, præſidebat Priapus. Is dextrâ tenet ſceptrum, quo monſtret terram, ac mare. Lævâ tractat penem ingentem, quod occulta in terra ſemina producat. Alæ ejus ſignificant motus celeritatem. Diſcus notat orbis rotunditatem. Ita Suidas. Qui & pòſt ſubdit: Simulachrum ejus fuiſſe puerum ingenti pene, & intento. Ingenti autem pene ſignificabatur ingens Naturæ vis in generando: ut pluribus expoſitum lib. II, cap. VII.

Cædebatur Priapo aſinus. Ovidius lib. I Faſtorum:

Cæditur & rigido cuſtodi ruris aſellus.

Ac cauſſam deinde adducit. Adi & Arnobium in IV adverſus nationes, & Lactantium lib. I, cap. VII.

Cap. XXXIV.

De Faunis, Silenis, Satyris, & quos Panas, atque Ægypanas vocant: quique præcipuè Panos nomen meruit. Deque Sylvano, Dryadibus, ac Pale, & illa quæ Echo dicitur.

A Domo & hortis, venio ad agros, & Sylvas: quorum cura erat penes Cererem, Liberum, & alios, ex Diis Selectis de quibus àntea vidimus: ac præter iſtos, Faunos, Dryades, Ariſtæum, Triptolemum, Pana, Sylvanum, Palem: quorum hanc Maro invocat initio tertii Georgicôn: priores verò initio libri primi, idque eoipſe ordine, quo diximus. Sed ex his Ariſtæus, & Triptolemus, Dii fuere animales: ut ex iis liquet, quæ libro primo de utroque afferebamus. Solùm igitur agendum de Faunis, Dryadibus, Pane, Sylvano, & Pale. Sed cum Faunis, ac Pane ſimul conſiderabimus Silenos, & Satyros, Panas, & Ægipanas. De prioribus ita Ovid. I Metam.

Sunt mihi Semidei, ſunt ruſtica numina Fauni,
Et Nymphæ, Satyrique, & monticolæ Sylvani.

Item VI Met. ubi de Marſya Satyro:

Illum ruricolæ Sylvarum numina Fauni,
Et Satyri flerunt.

Atque idem in Ibin:

Vos quoque plebs ſuperum, Fauni, Satyrique, Laresque
Fluminaque, & Nymphæ, Semideumque genus.

Horatii quoque eſt:

—— Ut malè ſanos
Adſcripſit Liber Satyris, Fauniſque poëtas.

Et Maro Ecl. VI ſociat Silenum, Nympham, Faunos. Ac Silenum quidem deſcribit in antro ſomno jacentem

Inflatum heſterno venas, ut ſemper, Jaccho.
Serta procul tantum capiti delapſa jacebant,
Et gravis attrita pendebat cantharus anſa.

Nec temere eſt, quòd poëta Silenum inducit de primordiis mundi canentem. Nam exteriùs quidem Silenis defor-

deformis ac ridicula erat figura: inferius verò latitabat ſapientia ſumma. Nec Sileni à Satyris aliter differebant, quàm quòd, ubi Satyri ad ſenectutem perveniſſent, Sileni dicerentur. Ita Servius ad illud *Sileuum pueri*: *Pueri*, inquit, *non abſurdè dictum, quia Sileni, priuſquam ſeneſcant. Satyri ſunt.* Et Nicas, ſive Etymologi magni auctor: Σειληνοὶ λέγονται οἱ γέροντες τῶν Σατύρων. *Sileni dicuntur ſenes Satyri.* Deſcribit Silenum Aurelius Nemæſianus Ecl. III, quæ inſcribitur Bacchus. In ea Bacchus, adhuc infans, in gremio altoris ſui Sileni puerili more ſic laſcivit:

Cui Deus arridens, horrendas pectore ſetas
Vellicat, aut digitis aures adſtringit acutas,
Et ſimas tenero collidit pollice nares.

Hirſuta etiam ſupercilia Sileno tribuit Nonius Marcellus in *Silones*. Quamquam fallitur cum Silones à ſuperciliis dici putat. Nam Plinii eſt Lib. XI Nat. Hiſt. cap. XXXVII, *A naribus cognomenta Simonum, Silonum.*

Deformis igitur Sileno vultus: quod & indicat illud Senecæ de Antigono rege lib. III de Ira, cap. XXII: *Cùm in parvulo quodam caſtello Græci obſiderentur, & fiduciâ loci contemnentes hoſtem, multa in deformitatem Antigoni jocarentur, & nunc ſtaturam humilem, nunc colliſum naſum deriderent: Gaudeo, inquit, & aliquid boni ſpero; ſi in caſtris meis Silenum habeo.* Nempe eò ſermo pertinet, quòd Sileni quidem deformes erant; ſed, ut diximus, maximæ ſapientiæ, qua facilè ſe caſtellum expugnaturum ſperabat. Ut Sileno Nemeſianus, ita Satyris acutas aures tribuit Horatius lib. II Carm. od. XIX.

—— *Aures*
Capripedum Satyrorum acutas.

Ac περιῶτοι πάντα, longis auribus præditi dicuntur Calliſtrato Iconum lib. I, in Mida.

Nempe Satyris ac Sileno aures hæ tributæ, ut ſemicapris. Juniores hoc ad religionem referre maluerunt. Ajunt enim eò tribui aures acutas & erectas, ut ſignificetur, in ſacris ſedulò attendi oportere. Satyri enim miniſtri ſunt Dionyſi, cujus ſacra magno apud gentiles in pretio ſemper fuere: ut qui idem eſſet ac Sol: is autem iis ſummus Deorum; ut oſtenſum lib. II. Etiam ut Silenis ſimas nares tribuunt, ſicut ex Seneca, & Nemeſiano vidimus: ita & Satyris. Unde amatores amaſias ſimas nunc *Silenas*, nunc *Satyras* vocitabant. Lucretii eſt lib. IV:

Simula, Silena ac Satyra eſt; labioſa philema.

Atque hæc pertinent ad ſuperiorem corporis partem. At illa infra umbilicum Satyris caprina erant, etiam crura, ac pedes, unde poëtis, ut & fauni, ac Panes αἰγίποδες, ſive *capripedes*, vocantur. Nec aliunde nomen Ægypanum: prout vocat Mela lib. I, cap. IV; & Solinus cap. XXXVII, & XLIV. Iccirco dicuntur Calliſtrato, loco ante memorato, vehementer ac ſuaviter tamen ſaltare. Σατύρων ἡδὺ μὲν τὸ σφοδρὸν, ὅτε ὀρχοῦνται. Notum & illud ſummi poëtæ:

Saltantes Satyros imitabitur Alpheſibœus.

Cur verò cum caprinis cornibus & pedibus fingantur, hanc rationem adferunt, quod caprorum inſtar ſint libidinoſi. Ita Fulgentius lib. III Mytholog. in Bellerophonte. Cauda ab extima ſpina longè propendebat. Quomodo & Silenos deſcribit Nonnus in extremo undevigeſimo Dionyſiacôn; ſed Calliſtrato in Mida dicuntur τὰ ὄπισθ' τὰ ὀῤῥῖα, ἵπποι *quod ad caudam, equi ſimiles.* Etſi verò maximam partem ſimilem Silenis & Satyris tribuunt formam: nonnulli tamen Satyris quidem, at non item Silenis vel cornua adſignant, vel pedes caprinos, ſed humanos. Sanè Lucianus quoque non alias Sileno notas adfert, quàm quòd eſſet ſenex, calvus, ac ſimus. Pluraque de hoc Caſaubonus lib. de Satyrica poëſi. Præterea Satyri pingebantur cum canthato, vel ſcypho. Superiùs referebamus ex Sileno Maronis:

Et gravis attritâ pendebat cantharus anſâ.

Ac Plinii eſt lib. XXXV, cap. X: *Ariſtidis Thebani diſcipuli fuerunt, & filii, Nicerus, & Ariſtippus cujus eſt Satyrus cum ſcypho coronatus.*

Nempe Sileni, ac Satyri, ebrioſi ſunt, quod commune habent cum Baccho: cujus, ut dixi, ſunt miniſtri, ſive, ut Athenæus in X eos vocat, προπόλοι a. Etiam apud Calliſtratum in ſtatuarum deſcriptione habes quandam Satyri, ſanè elegantem. De quibus & diximus hoc loco indicta lib. I, cap. VIII. Atque ex his liquet de figura Faunorum, Silenorum, Satyrorum, Panum, & Ægipanum. Seorſim nunc aliqua addam de Pane ipſo, qui καθ' ἐξοχὴν ita dicebatur, ac Naturæ totius erat ſymbolum, ut initio hujus libri expoſui. Iccirco Homero vocatur Deus paſtoralis:

a *Accenſi.*

Πᾶν' ἀνακεκλόμενοι νόμιον θεὸν ἀγλαέθειρον.
Pana Deum læti paſtoralem celebrantes.

Et Orpheus, ſive Onomacritus ſic de eo in hymnis:

Βόσκων ἀνθρώπων γενεὴν, καὶ ἀπείρονα γαῖαν.

Ad verbum transferas:

Paſcens humanum genus, ac ſine limite terram.

Nempe non eſt paſtor unius loci, ſed orbis univerſi. Hunc paſtorem ſic deſcribit Silius Italicus lib. XIII:

Pan Jove miſſus erat ſervari tecta volente
Troia, pendenti ſimilis Pan ſemper, & uno
Vix ulla inſcribens terra veſtigia cornu.
Dextera laſcivit, caſâ Tegeatide caprâ,
Verbera læta movens feſtâ per compita caudâ.
Cingit acuta comas, & opacat tempora pinus,
Ac parva erumpunt rubicunda cornua fronte,
Stant aures, ſummoque cadit barba hiſpida mento.
Paſtorale Deo baculum, pelliſque ſiniſtrum
Velat grata latus, teneræ de corpore damæ.
Nulla in præruptum tam prona, & inhoſpita cautes,
In qua non librans corpus, ſimiliſque volanti
Cornipedem tulerit præciſa per avia plantam.
Interdum inflexus, medio naſcentia tergo
Reſpicit arridens hirtæ ludibria caudæ.
Obtendenſque manum, ſolem inferveſcere fronti
Arcet, & umbrato perluſtrat paſcua viſu.

In hac deſcriptione quædam pertinent ad corpus univerſum, quædam ad partem duntaxat. Ad totum refer, quòd ut Maro Ecl. I ait, capellas de rupe pendere: ita capripes Pan Silio dicatur ſimilis pendenti, inque caute librare corpus, & ſimilis volanti. Quæ optimè exprimunt naturam univerſi. Nam & terræ ac maris globus librato corpore in aëre pendet, & ipſum etiam cælum comprehenditur vaſto, ut ſic dixerim, inani.

Eorum quæ ad partem corporis pertinent, pleraque ſunt capitis. Quale eſt, quòd fingit cornutum, hoc eſt, bicornem: quomodo & de Fauno Ovidius in ſecundo Faſtorum ait:

—— *Fauni ſacra bicornis erant.*

Et inde Herodoto Pan αἰγοπρόσωπος, q. d. facie caprina. Verba ejus paullò poſt apponam. Cornibus iſtis ſignificantur Sol, & Luna, ut ait Philargirius in Ecl. II: ſive potiùs demiſſio lucis, ac radiorum: ut eſt apud Macrobium lib. I Saturnal. cap. XXII: cujus verba mox apponam. Atque hæc etiam ſententia fuit Valerii Probi, Euſebii, Auguſtini, Placiadis, aliorumque. Sive autem Solem & Lunam, ſive radios Solares intelligas, ſatis aperta eſt ratio, cur vetus poëta apud Hephæſtionem vocet Pana χρυσοκέρων, quaſi auratis cornibus dicas. Nam Sol aureus, radiique aurei. Atque hæc ratio adfertur φυσικῶς. Ab hiſtoria alii cauſſam petunt. Nam Pan Ægyptius, qui militavit in caſtris Oſiridis, ut libro primo diximus, cornua invenit, & alia aciei ordinandæ. Polyænus lib. I Stratagematum: Διονύσου στρατηγὸς ἦν ὁ Πάν· οὗτος πρῶτος τάξιν εὗρεν· ὠνόμασε φάλαγγα, κέρας ἔταξε δεξιὸν καὶ λαιόν· ταύτῃ τοι ἄρα κερασφόρον τὸν Πᾶνα δημιουργοῦσι. *Pan fuit dux in militia Liberi. Hic primus reperit ordinem: phalangem nominavit: cornu inſtituit dextrum ac ſiniſtrum. Ex quo cornutum etiam Pana vulgò depingunt.* Si Liber hic Joſua eſt, incly-

inclytorum imperatorum, quos orbis novit, vetuſtiſſimus: Pan iſte fortaſſe fuerit Moſes, legiſlator, & ſupremus princeps. Joſuæ verò acta Libero eſſe à gentibus tributa, ſatis oſtenſum lib. I.

Idem Silius ait, tempora ac caput cingi pinu. Nempe quia ea arbor ſacra eſt Pani: ut & Faunis, ac magnæ matri. De nympha Pityde à Pane adamata, & Boreæ rivalis invidiâ in pinum converſa, apud Pauſaniam legere eſt.

Præterea ait Silius, eſſe facie rubicunda. Quomodo & Maro ait Eclog. X:

Pan Deus Arcadiæ venit, quem vidimus ipſi
Sanguineis ebuli baccis, minioque rubentem.

Ubi ſic Servius: *Minio ideo, quia facie rubra pingitur Pan, propter ætheris ſimilitudinem. Æther autem eſt Jupiter. Unde etiam triumphantes habent omnia Jovis inſignia, ſceptrum palmatum; unde ait Juvenalis, In tunica Jovis: faciem quoque de rubrica illinunt inſtar coloris ætherei.*

Adhæc Silius ei tribuit aures acutas: cujus cauſſam cognoſcere eſt ex iis, quæ de Faunis diximus.

Habet etiam Silius, quod ad capillos, & barbam pertineat. Ad capillos reducitur, quòd ſincipite foret calvus. Unde Silius:

Obtendenſque manum, Solem infervescere fronti
Arcet, & umbrato perluſtrat paſcua viſu.

Nempe Pan, & univerſi Panes, Sylvani, Satyri fingebantur ἀναφαλαντίαι, ſive recalvaſtri, eoque manum fronti obtendebant, ut umbram facerent, & meliùs proſpectarent: quod Græcis ἀποσκοπεῖν, non à σκέπτομαι *a*, ſed à σκέπειν *b*. Vide quæ de eo refert Heſychius in Ὑποσκοπῶν, & Scaliger in Priapejorum carmen, quo Deorum compluribus ſuum adſignat habitum.

a Video.
b Tegere.

Quòd ad barbam, hanc ei hiſpidam adſignat Silius: Cui adſidet, quòd Anyte poëtria vocat φριξοκόμαν, quaſi horridum comâ: quod cum calvitio, non pugnat, quia non totus calvus, ſed ſolum fronte. Itaque vetus poëta apud Hephæſtionem vocat ἀγλαέθειρος quaſi dicas ſplendidi comis. Quod ad ſplendorem lucis pertinet. Sanè Macrobius, ut per cornua, ſic etiam per barbam (ac par comarum ratio eſt) ſignari putat radios ſiderum, præcipuè Solis, & Lunæ. Sic enim ſcribit lib. I Saturnal. cap. XXII: *Ergo Inui cornua, barbæque prolixa demiſſio, naturam lucis oſtendunt; qua Sol & ambitum cæli ſuperioris illuminat, & inferiora colluſtrat.*

A capite ad reliquum corpus venio. Ut quod Silius ait, dextrâ habere flagellum è pelle capræ Tegeatide, ſive Arcadicâ. Nempe Lupercorum inſtar, ſacerdotum Panos Lycei, ac λυκοφόνων *c*: de quibus Ovid. II Faſt.

c Lupicidæ.

Quid vetat Arcadiæ dictos, de monte Lupercos?

Luperci enim illi Lupercalium feſto, pellibus Solum caprinis verenda conjecti, cætera nudi, per vicos etiam & compita diſcurrebant, & feminas quaſvis obvias caprarum pellibus feriebant, illæ verò perſuaſæ erant, hoc pacto ſe fœcundas reddi. Unde & Juvenalis ſat. II:

Nec prodeſt agili palmas præbere Luperco.

Ut verò dextrâ flagellum tenet, ita ſiniſtrâ pedum. Unde Silius: *Paſtorale Deo baculum.* Cumque tertia manus non ſit, neceſſe eſt, ut dicamus eàdem frontem obumbraſſe. Quod ſi eſt, baculi pedi non fuerit uſus, niſi locis non expoſitis Solibus.

Eundem Silius villoſum, imò & cauda hirtâ. Eo autem villoſus, ut Philargyrius ait, quia terra veſtiatur herbis, ac plantarum aliis.

Præterea capripedem Silius facit: & Herodotus in Euterpe: Γράφουσι δὲ καὶ γλύφουσι οἱ ἀγαλματοποιοὶ τοῦ Πανὸς, κατάπερ Ἕλληνες, τὤγαλμα, αἰγοπρόσωπον, καὶ τραγοσκελέα, οὔτι τοιοῦτον νομίζοντες εἶναί μιν, ἀλλ' ὅμοιον τοῖσι ἄλλοισι θεοῖσι. *Et pictores pingunt, & ſculpunt ſtatuarii Panos effigiem, caprina facie, & hircinis cruribus, haut quaquam eum eſſe talem exiſtimantes, ſed ſimilem cæteris Diis.* Sententia eſt, picturam, ſculpturamque eſſe ſymbolicam, quia ex figura ſymboli colligendum, qualis ſit naturæ. Porrò *per ungulas caprinas ſoliditatem terræ* ſignarit, ait Philargyrius. Videntur autem hoc ab Ægyptiis hauſiſſe Græci: præſertim Mendeſiis: qui numen colebant capri ſive hirci facie & cruribus. Imò Μένδης, unde Mendeſiis nomen & Pana, & hircum notat: ut diximus lib. III, cap. LXXIV. Poſſis & inde deducere, quod dæmonia in locis deſertis ſoleant hirci formâ apparere. Qua de re dictum lib. I, cap. VIII.

Etiam hircus Pani conſecratus, quia ut hoc animal eſt libidinoſum admodum, ita Natura ſemina, ac vim genitalem, per orbem totum diffundit.

Tacet verò Silius de fiſtula ſeptem compacta cicutis: per quam planetas ſeptem ſignari ait Junius Philargyrius. De hoc non repetam, quæ attuli lib. IV, cap. XCII.

Solùm dicam, aliquos per ſeptemplicem fiſtulam intelligere ventos toto orbe ſpirantes: ſed pro illis qui ſeptem planetarum harmoniam, ſiderumque aliorum conſenſum ſignari arbitrantur facere etiam Orpheum, ſive Onomacritum in hymnis, ubi Pana ſic celebrat:

Αἰγομελὲς, βακχευτὰ, φιλένθεε, ἀστροδίαιτε
Ἁρμονίαν κόσμοιο κρέκων φιλοπαίγμονι μολπῇ.

Quæ ſic ſtylo antiquo reddebat Joſ. Scaliger:

Capripes, & fanatice, ovator, ſidervolge,
Vocibus flexanimis mundi concenta figurans.

Pinum fuiſſe Pani ſacram, antea diximus, cum de Silii verſibus ageremus. Nunc cauſſam exponam. Pan eſt Natura mundana: mundum autem Solemque refert pinus vertice globato in altum excreſcens: radiis item ſolaribus ſimilis eſt foliis longis, & acutis, nec deciduis, ac ſemper virentibus. Ipſa etiam nux pinea, quæ in turbinem adſcendit, adſcendentem flammam repræſentat. Atque ex his etiam liquet, cur eadem arbor ſacra ſit Cybele ſive magnæ matri: quæ & ipſa ſymbolum eſt Naturæ. Ut ſuperiùs diximus.

Abietem etiam, vel antrum, dicabant paſtores. Maximus Tyrius Orat. XXXVIII, utrum Diis dicandæ ſint ſtatuæ: Οὕτω δὲ τις ποιμένων τὸν Πᾶνα τιμᾷ, ἐλάτην αὐτῷ ὑψηλὴν ἐξελόμενος, ἢ ἄντρον βαθύ. *Ita paſtorum aliquis colit Pana, altam ei abietem dedicans, aut antrum profundum.*

Venio nunc ad Sylvanum: qui quomodo effingi ſoleat, indicat hoc Maronis lib. I Georg.

Et teneram ab radice ferens radice cypreſſum.

Ubi ſic Servius: *Sylvanus, Deus eſt ſylvarum. Hic amavit puerum Cypariſſum nomine, qui habebat manſuetiſſimam cervam. Hanc cum Sylvanus neſcius occidiſſet, puer eſt extinctus dolore. Quem amator Deus in cypreſſum, arborem ejus nominis vertit; quam pro ſolatio portare dicitur. Sanè in Bucolicis alium illi habitum dedit* a:

a Eclog. 10.

Venit & agreſti capitis Sylvanus honore.

Quamquam nullam hic pugnam video: cùm agreſtis honos capitis non adverſetur, quo minus geſtet manu cupreſſum. Sylvano, uti & Fauno, ac Pani, ſacra eſt piſtus: communeque hoc habent cum Cybele.

Sylvano porcum mactabant: ut videre eſt apud Juvenalem ſat. VI: ut cognoſcimus ex Catone de R.R. quandoque & lacte: unde apud Horatium lib. II, epiſt. I:

Tellurem porco, Sylvanum lacte piabant.

Fauno autem mactabant hædum: ut liquet ex Horatio lib. III, od. XIII, quæ ad Faunum. Quandoque & agnum immolabant. Idem lib. I, od. IV.

Nunc & in umbroſis Fauno decet immolare lucis,
Seu poſcat agnâ, ſive malit hædo.

Dryadas non meliùs expreſſeris, quam formâ nympharum formæ præſtantium, agentiumque inter arbores ſylveſtrium, & fortaſſe de pudicitia periclitantium à Satyris laſcivis. Notum quid Silenus apud Maronem minetur Æglæ, Najadum pulcherrimæ, cùm ait:

Huic aliud mercedis erit. ——

 Palis

Palis, quam magnam vocat Maro III Georg. nullam exſtare imaginem apud antiquos ait Vincentius Chartarius libro de Imaginibus Deorum. Quid mirum? quando ne quidem inter veteres convênit, utrum mas ſit, an femina. Varroni eſt Deus Pales: Maroni autem Dea. Nec hîc tanta eſt inconſtantia, quam fortaſſe alicui videatur. Nam Pales eſt Natura Terreſtris: ea conſideratur tum ratione principii activi, quomodo mas eſt, ac Tellumo eſt, vel ad eum reducitur: tum ratione principii paſſivi, ac reducitur ad Deam Tellurem. Feſtum Palis Palilia dixere. Hoc incidebat in XI Kal. Majas: quo die condita eſt Roma: ſecundùm Varronem, Propertium, Ovidium, M. Manilium, Suetonium, Cenſorinum. Ut non audiendus ſit Plutarchus, qui in IX Calendas Majas natalem Urbis rejicit. Ac ob natalem urbis is honos habitus Palilibus, ut nulla tum hoſtia cæderetur, ſed is dies à ſanguine purus eſſet: ut eſt apud Solinum cap. II. Nempe id in Urbis natali faciendum putârunt: quod in ſuo quiſque natali obſervaret. Nefas enim exiſtimabant, eo die animanti cuiquam eripere vitam, quo eam ipſi accepiſſent: ut Varro
a Eclog. 3. ait apud Cenſorinum. Itaque & Damœtas *a* apud Maronem natali ſuo mitti jubet communem amicam, quia tum voluptatibus dare operam liceret, nec caſtitas exigeretur. At cùm vitulâ ſacrificaturus eſſet, (quod non poterat fieri die natali) ſine ea venire Iolam, ſive Menalcam, jubet, quia tum caſtitas obſervaretur.

Interea diſquiri operæ ſit, quomodo Solini verba conveniant cum Ovidio cujus longè potior auctoritas. Is quarto Faſtorum, de Palilibus agens, canit eo feſto ſolere Pali mactari equum, & vitulum:

Certe ego de vitulo cinerem, ſtipulamque fabalem,
Sæpe tuli plenâ februa toſta manu.

Et mox:

Sanguis equi ſuffimen erit, vitulique favilla:
Tertia ros duræ culmen inane fabæ.

Montium, ac convallium numen eſt Echo: quam poſſe pingi, aut fingi, negat Auſonius epigr. XI:

Vane, quid affectas faciem mihi ponere pictor,
Ignotamque oculis ſollicitare Deam?
Aeris & linguæ ſum filia, mater inanis
Judicii, vocem quæ ſine mente gero.
Extremos pereunte modos à fine reducens
Ludificata ſequor verba aliena meis.
Auribus in veſtris habito penetrabilis Echo,
Et ſi vis ſimilem pingere, pinge ſonum.

Profectò cùm ſonus nequeat videri, quid ille, qui audit, ex adverſo conſiſtens, aliud putet, quàm παρελθοῦσαν σκιάν· *umbram prætereuntem*: ut ait Jamblichus in λόγῳ
b Pag. 94. προτρεπτικῷ cap. XV *b*.

Philoſtratus tamen in ſecundo Iconum libro ait, quia Dodonæi ſacraſſent Jovi ahenum magna diei parte reſonans, nec ſilens, niſi manu quis apprehendiſſet, eo Dodonides ſacerdotes coluiſſe æneam Echo, manum ori apponentem.

Cap. XXXV.

De effigie Tiberis, Acheloi, & aliorum fluminum: & quid cornu deſignet, in nummis, ubi viſuntur Fecunditas, Annona, & quædam alia numina: item de effigie Oceani, Protei, & ſacrificio, quod Averno lacui fiebat, deque imagine Portumni. De Ventis equo placatis.

Supereſt, ut ex iis quæ extra hominem ſunt, de aquis videamus. Ut ſunt imprimis tum flumina, lacus, & maria, tum etiam venti. Fluviis eſſe divinitatem tributam, oſtendimus fuse lib. II. Solùm igitur nunc adferam varias ejus rei cauſſas, quas recenſet Maximus Tyrius orat. XXXVIII, utrùm Diis ponendæ ſint ſtatuæ: Ἔστι τις καὶ ποταμῶν τιμὴ ἢ κατ᾽ ὠφέλειαν, ὥσπερ Αἰγυπτίοις πρὸς τὸν Νεῖλον, ἢ κατὰ κάλλος, ὡς Θετταλοῖς, πρὸς τὸν Πηνειόν· ἢ κατὰ μέγεθος, ὡς Σκύθαις πρὸς τὸν Ἴστρον· ἢ κατὰ μῦθον, ὡς Αἰτωλοῖς πρὸς Ἀχελῷον· ἢ κατὰ νόμον, ὡς Σπαρτιάταις πρὸς τὸν Εὐρώταν· ἢ κατὰ τελετὴν, ὡς Ἀθηναίοις πρὸς Εἰλισσόν· *Eſt & ſuus fluviis honos, aut ob utilitatem, quomodo Ægyptii colunt Nilum; aut ob pulchritudinem, ut Peneum Theſſali; aut ob magnitudinem, ut Iſtrum Scythæ; aut ex fabula, ut Ætoli Acheloum; aut ex lege, ut Spartiatæ Eurotam; aut ex ſacro inſtituto, ut Iliſſum Athenienſes.*

Fuere itaque etiam ſua fluminibus ſimulacra. Fingebantur longâ cæſarie, qualis eſt pueris capillaris, ac cirratis. Imò & apud Philoſtratum legas, Achillem rutilos capillos voviſſe Sperchio, Theſſalio fluvio: item Memnonem, Auroræ filium, Nilo. In cauſſa verò eſt, quòd crines humore alantur.

Etiam fluviis caput arundine redimitum: quia ea in fluminibus ſuccreſcit. Unde de Tibri Virgil. VIII Æn.

—— Et crines umbroſa tegebat arundo.

Ovid. V. Faſt.

Tibris arundiferum medio caput extulit alveô.

Sæpius & fingebatur figurâ hominis ſopiti aquas ore eructantis. Unde de Marone fluvio ſic Propertius lib. II eleg. antepenult.

Flumina ſopito quæque Marone cadunt.

Quem ad locum ſimilem, planeque luculentum Sidonii locum, Scaliger annotavit. Eſt is hujuſmodi:

—— Pars proxima Tibrim
Exprimit. hic ſcabri fuſus ſub pumice toſi
Proflabat madidum per guttura glauca ſaporem.
Pectus palla tegit, quam neverat Ilia conjux,
Liquenti quæ juncta toro vult murmura lymphis
Tollere, & undoſi ſomnum ſervare mariti.

Præterea flumina, vel potiùs fluminum Dii ferè effingebantur cornuti. Unde de Pado Virgil. lib. VIII:

Corniger Heſperidum fluvius regnator aquarum.

Ubi ſic Servius: *Flumina ideo cum cornibus pinguntur, ſive quod mugitum, boum imitatur murmur aquarum: ſive quod plerumque in cornuum ſimilitudinem curvatas cernimus ripas.* Feſtus, ſive Diaconus: *Taurorum ſpecie ſimulacra fluminum, id eſt, cum cornibus, quod ſunt atrocia, ut tauri.* Hinc lucem accipit Herculis certamen cum Acheloo, tauri imaginem præferente. Quod finxere, quia fluvius ille è Pindo ante per ſaxa & loca prærupta ruens mugitus taurinos edere videretur. Hunc Hercules in Calydoniorum gratiam, ut ex lib. V Diodori Siculi cognoſcimus, in fœcundos campos deduxit, ut & ſegeti & arboribus multum commodaret. Quæ & cauſſa eſt, cur cornu illud Acheloo refractum dixerint referre copiæ cornu. Ovid. in IX Metam.:

Dum tenet, infregit, truncaque à fronte revellit.
Najades hoc pomis & odoro flore repletum
Sacrârunt, diveſque meo bona copia cornu eſt.

Atque huc reſpexit Horatius lib. I, epiſt. XII:

—— Aurea fruges
Italiæ pleno diffudit copia cornu.

Nempe & cornu eſt ſymbolum ubertatis: quæ à Fluminibus promanat. Nam agris vicinis præſtant fertilitatem, & navigatione multa adferunt commoda, unde urbibus felicitas. Itaque cum cornu conſpicitur Fertilitas: item Liberalitas, Annona, Copia: ac denique etiam Felicitas. Nempe cuncta hæc dependent à commodis iis, quæ flumina adferunt. At fluminibus fortaſſe data cornua, non ſolùm ob cauſſas, quas ex Servio, & Feſto, poſui; ſed etiam, quia Luna eſt corniculata; Lunæ autem in flumina, & humorem omnem, dominium eſt. Aliqui hoc factum putant, quia fluminum divergium habet ſpeciem cornuum: quomodo videmus Rhenum, qui bicornis dicitur, gemino ſe alveo in Oceanum infundere. Sed hoc majoris foret momenti, niſi cornua etiam fluminibus tribuerentur, quæ in mare fluunt, nullo priùs aquarum divortio facto.

Uti verò cornua tribuere fluminibus: ita & cornutum animal ſacrificabant. Factum hoc à Lucullo; qui, ut in ejus vita teſtatur Plutarchus, Euphrati, quem Tigranem perſe-

perſequens trajecerat, taurum immolârit. Cæſar tamen Rubiconi flumini eum trajiciens, conſecravit equos: ſi vera eſt lectio Turnebi in hoc Suetonii lib. I, cap. LXXXI: *Equorum greges, quos in trajiciendo, Rubiconi conſecrârat.* Ubi vulgo *Rubicone.* Quod mavult Torrentius: quia ut ait, ei ſacrabantur Marti. Quod tale eſt, ac ſi dicas, taurum non eſſe mactatum Euphrati, quia poëta II Æn. referat taurum à Laocoonte mactatum Neptuno. Quaſi non & alibi *a* idem prodat taurum Diis mactatum, quibus imperium eſt pelagi; alibi *b* item, Cœlicolûm Regi.

a 5 Æn.
b 3 Æn.

Nec fluminibus ſolùm, ſed etiam Oceano, caput attribuere taurinum. Ut Euripides Oreſte:

—— Ὠκεανὸς, ὃν
Ταυρόκρανος ἀγκάλαις
Ἑλίσσων, κυκλεῖ χθόνα.
—— *Oceanus qui*
Tauriceps ulnis
Se flectens ambit terram.

Eò autem taurino finxerunt capite, vel quia ventis agitatum furioſi inſtar tauri horrendum ſonet, inque navigia & litora cum impetu feratur: vel ad ſignificandum cornuto Lunæ ſideri imperium eſſe, ut in fluvios, ſic etiam in maria, ipſumque Oceanum.

Protea finxere cum phocis circa ſe: quia numen hoc, quaſi magicis præſtigiis, ſe in omnes formas convertit. Hanc rationem attulere veteres Homeri interpretes; ut auctor nobis eſt Euſtathius in Odyſſ. Δ. Αἱ φῶκαι ὅτι χρήσιμοι πρὸς μαγικὰς γοητείας, φασὶν οἱ σχολιασταί *c*. Quod & alibi *d* verbo monitum nobis.

c Verſ. 538.
d Lib. 4. cap. 49.
e Verſ. 60.

Thetis à pedibus Homero commendatur, cujus eſt Iliados A *e*, Ἀργυρόπεζα Θέτις, *Thetis argenteis pedibus prædita.* Unde & Ovid. Heroidum epiſt. XXX:

Et Thetis quales vix reor eſſe pedes.

Quomodo cum laudant, non ſolum pedes ſed totum ſignant corpus: quia pedes pulchri ſint, ut Ariſtænetus ait lib. I, epiſt. XVI: λαμπρὰ δὲ κάλλους γνωρίσματα· *ſplendida pulchritudinis indicia.* Vide & eundem ejuſce libri epiſt. XII.

Color Diis marinis glaucus. Philoſtratus lib. I Iconum, in imagine Amphiarai: Γέγραφε δὲ καὶ τὸν Ὠρωπὸν, νεανίαν ἐν γλαυκαῖς γυναιξί· τὰ δὲ ἐστι θάλατται. *Pingit & Oropum fluvium inter glaucas juvenem mulierculas: hæ autem ſunt maria.*

Erat & lacubus ſua divinitas: ut in Campania Averno, prope Puteolos. Quomodo ei ſacra fecerint indicat his verbis Feſtus *f*: *Furvum bovem, id eſt, nigrum immolabant Averno.*

f In Furvum.

Portubus præerat Portunus ſive Portuninus: idemque eſt ac Palæmon: teſte Servio in I Georg. ubi de Inoo Melicerta, & in V Æn. ubi poëta navim à Portuno impulſam in portum ait perveniſſe. Hic *clavum Manu tenebat*: Ut eſt apud Feſtum in *Claudere*: ubi tamen *clavim* ſcribitur: ſed, ut puto, perperam. In æreis Neronis numis habes Oſtienſem portum cum imagine Portuni. Feſtum ejus Portumnalia: de quo Varro lib. V de L. L.

Venti cur in Diis habiti ſint, diximus lib. III, cap. III, & IV. Iis equus dicatus, quia celere animal conveniret celeritati equorum Feſtus *g*: *Multis gentibus equum hoſtiarum numero haberi, teſtimonio ſunt Lacedæmonii; qui in monte Taygeto equum ventis immolant, ibidemque adolent, ut eorum flatu cinis ejus per fines, quàm latiſſimè deferatur.* Antiquiſſimi autem Græcorum videntur non tam Ventos habuiſſe pro Diis, quàm putaſſe eos eſſe in poteſtate Deorum Samothracum, qui aliter Cabiri, ſive Potes dicebantur. Firmat hæc Diodorus Siculus lib. IV, ubi narrat, ut Orphæus in tempeſtate ab his petierit tranquillitatem. Sunt hi Cabiri Terra, & Cælum; ut cenſet Varro lib. IV de L. L. Sanè Cælum ſe habet, ut pater ventorum: mater verò eſt terræ & aquæ globus. De Cabiris plura diximus lib. II, cap. LVII.

g In Octobr equus.

Æolus vela ventis dare reperit. Scitè de eo Monatholius ad Mechanica pag. 62, 93. De ventorum appellationibus Salmaſius in Solinum pag. 1245, & deinceps multis pag.

CAP. XXXVI.

De ſimulachro Juventæ, ſive Hebes, & Hygiæ, ſive Sanitatis. Item Somni. Inſuper Amoris ſive Cupidinis utriuſque, puta Ἔρωτος *καὶ* Ἀντέρωτος. *Adhuc Terroris, Pudoris, Nemeſis, & Invidiæ.*

AC de ſimulachris quidem numinum, quæ præſident rebus extra nos, ſatis me dixiſſe puto. Nunc loquamur de illis Deorum, qui nomen poſſident rerum in nobis, vel à nobis. Hi vel corpus tangunt, vel animum, vel utrumque. Ad corpus pertinent Juventus, & Senectus, Sanitas, & Morbus.

Iuventa, quæ & Hebe, formam habuit formoſæ adoleſcentulæ, caput erat Floreis Sertis redimitum, manu una pateram geſtat, qua Diis miniſtrat nectar. Ovid. lib. I Triſt. Eleg. ad Flaccum:

Nectar, & ambroſiam, latices epulaſque Deorum.
Det mihi formoſa gnava Iuventa manu.

Etiam Deæ Juventiæ imaginem habes in denario argenteo antiquo. Inſcriptio eſt M. JUVENTI. T. F. T. N. THALNA. Maluit verò JUVENTIA, quàm JUVENA, ut meliùs ad gentile ſuum nomen alluderet. In Corinthio agro ei in cypreſſorum luco templum fuit, ſed ſine ſtatua: cujus cauſſam fuiſſe occultam, ait Pauſanias.

Ὑγίεια ſive Salus, fingitur fuiſſe filia Æſculapii, quia eam præſtet Medicus. Fingebatur formâ mulieris in ſolio conſidentis, ac tenentis pateram: prope eam verò adſtabat ara, cui involutus anguis caput attollens. Nempe & anguis ſymbolum erat ſanitatis quia ut anguis poſitis exuviis rejuveneſcit. Ita ægri, recuperata valetudine, quodammodo inſtaurantur. Pauſanias in Corinthiacis auctor eſt, in quadam Corinthii agri parte eſſe & Æſculapii, & Hygiæ ſtatuam, ac utrumque numen ſedere. Item narrat, ut Alexanor Machaone Æſculapii filio genitus in Sicyoniam profectus in Titane (ἐν Τιτάνῃ) fanum erexerit Æſculapio: ſignum Dei ſolam habere faciem detectam manus item, & imos pedes, reliquum corpus velari lanea tunica albâ, ac pallio: Hygiæ item ſignum videri ſimiliter indutum: nec tamen id liquere, quia ſignum non poſſit ſatis conſpici, eò quòd corpus divæ undecumque ſit velatum, partim comis quam detonderê ei mulieres, partim laciniis veſtis Babyloniæ.

Gerardus Gualtherus in animadverſionibus ad tabulas Siciliæ antiquas, pag. 2. (ΥΓΕΙ'Α) *ſeu ſalus Æſculapii ex Lampetia Solis filia nata efficta fuit in ſolio cum patera, poſita ara, cui anguis caput attollens implicitus. Signum hoc apud Sicyonios non facilè inſpicias; velatum enim undecunque eſt, partim comis quas Dea mulieres detonderunt, partim verò Babyloniæ veſtis laciniis. Pauſ. lib. 2. Ægienſes accipiunt à Salute bellaria patria, & in mare abjiciunt: mittere ſe ajunt, quæ Syracuſis eſt, Arethuſæ. Id lib. 7. feriæ antiquitus illi, qui nominaſſet Salutem Semoniam, Segetiam, Tutelinam. Mac. lib. I Sat. c. 16.*

Trium triangulorum implicitorum figura eſt ſymbolum ſalutis. Vide Chartarium à Vitilerio Latinè redditum, p. 62.

Antiochus Σωτὴρ adverſus Galatas pugnaturus, in ſomniis juſſus ab Alexandro M. vel ſaltem ſic ſimulans, militi ſuo Salutis ſymbolum dedit πεντάγωνον *a*, in ejus nummis hodieque videmus. Eſt verò quemadmodum deſcribit Lucianus *b*, τριπλοῦν τρίγωνον, τὸ δι' ἀλλήλων, τὸ πεντάγραμμον. *triplex triangulus alternatim junctus, quinque linearum figuram conſtituens.*

a Figuram 5 laterum.
b Libro pro lapſu inter ſalutandum.

Nunc videamus effigies numinum rebus præſidentium, quas in animo habemus. Sunt ea partim rerum cum mutis animantibus communium: partim hominis propriorum. Prioris generis ſunt tum ſenſus, & ſenſuum affectiones, tum Affectus. Affectiones ſenſuum ſunt Somnus, & Vigilia.

 Somnus

Somnus fingebatur alatus. Unde Tibullus lib. II, eleg. I, cum de Nocte eſſet locutus ſubjungit:

Poſtque venit tacitus, fulvis circumdatus alis
Somnus, & incerto Somnia nigra pede.

Item Silius lib. X:

—— Quatit, inde ſoporas
Devexo capiti pennas, oculiſque quietem
Irrorat, tangens Lethæâ corpora virgâ.

Ubi & virgam ei tribui videmus, quâ ubi homines tetigerit, ſomnium inducat. Utrumque etiam complexus Statius lib. V Silvarum: ubi ſic Somnum compellat:

—— Nec te totas infundere pennas
Luminibus compello meis: hoc turba precatur
Lætior, extremo me tange cacumine virgæ.

a Lib. I Icon. Philoſtratus *a* in imagine Amphiarei, ſic Somnum depingit: Ὄνειρος ἐν ἀνειμένῳ τῷ εἴδει γέγραπται, καὶ ἐσθῆτα ἔχει λευκὴν ἐπὶ μελαίνῃ· τὸ οἶμαι νύκτωρ αὐτοῦ, καὶ μεθ' ἡμέραν. Ἔχει καὶ κέρας ἐν ταῖν χεροῖν, ὡς τὰ ἐνύπνια διὰ τῆς ἀληθοῦς ἀνάγων. *Somnus reſolutâ pictus ſpecie, & veſtem habet candidam ſuper nigra, quod puto ſignificare ejus nocturnum, ac diurnum tempus. Etiam manibus tenet cornu; utpote inſomnia per veram reducens.* Intellige autem veram portam. Nam anteceſſit αὐτοῦ καὶ ὀνείρων πύλη. *Ibi & Somniorum porta eſt.*

Notum de portis Somni duabus, quarum una cornea eſt, altera eburnea: illâ mittuntur ſomnia vera, hâc falſa. Quod figmentum legas apud Homerum extremâ Odyſſ. T, Platonem Charmide, Maronem VI Æn. ut b Lib. 3. od. 37. mittam Horatium *b*, Auſonium *c*, Nonnum *d*, Co- c In Ephemeride, luthum *e*. Eoque ſpectat Claudianus, cùm præfatione in ſextum Honorii conſulatum ait: d qui Cupidine cruciſixo.

Irrita nec falſum ſomnia miſit ebur.

d Dionyſ. lib. 34. & 44. e De raptu Helenæ. Rationem ex phyſicis aperit Servius ad locum memoratum: *Per portam*, inquit, *corneam oculi ſignificantur: qui & cornei ſunt coloris, & duriores cæteris membris: nam frigus non ſentiunt: ſicut etiam Cicero dicit in libris de Natura Deorum. Per eburneam verò portam os ſignificatur a* (lego, *cum*) *dentibus. Et ſcimus, quia quæ loquimur, falſa eſſe poſſunt: ea verò, quæ videmus, ſine dubio vera ſunt.* Ibidem ait, ideo Æneam à Marone per portam emitti eburneam, ut ſignificet, falſa eſſe, quæcumque dixerat. Addit & alteram portarum harunce interpretationem: *Somnum*, inquit, *novimus cum cornu pingi: & qui de Somnis* (f. ſomniis) *ſcripſerunt dicunt ea, quæ ſecundùm fortunam, & perſonæ poſſibilitatem videntur, habere effectum: & hæc vicina ſunt cornu: unde cornea vera fingitur porta. Ea verò, quæ ſupra fortunam ſunt, & habent nimium ornatum, unaque* (leg. *vanamque*) *jactantiam: dicunt falſa eſſe: unde eburnea, quaſi ornatior porta, fingitur falſa.* Sed ſimplicior veriorque opinio eſt prior, quam & ex parte ſequitur, paullo tamen aliter explicat, Joannes Sariſberienſis de nugis Curialium lib. II, cap. XV: *Somni*, inquit, *depingens portas, alteram eburneam, alteram corneam finxit. Cum & cornu ſit pervium viſu, qui non frequenter errat: & ebur naturæ denſioris; & uſque ad extremam tenuitatem raſum, nullo viſus acumine penetretur. Hoc quidem dentibus, illud oculis verioribus ſimilius eſt.* Eò igitur ſpectarit Maro, quòd, ut Juſtinianus in Inſtitutio- f Titulo de Gradibus. nibus *f* ait: *Veritas per oculos, quàm per aures majorem habet fidem.* Ac conſentit illud Thaletis, qui, ut g Serm. I. Stobæus *g* refert, interrogatus: πόσον ἀπέχει τὸ ψεῦδος τοῦ ἀληθοῦς; ὅσον, ἔφη, ὀφθαλμοὶ τῶν ὤτων. *quantum falſum abeſſet à vero? quantum, inquit, oculi ab auribus.* De hiſce oculatis, & auritis, ac, ſi conceditur novas fingere voces, hiſce vidiis & audividiciis, diſtinguendis ſci- h De Judice. tè Philo libello περὶ δικαστοῦ *h*. Sed & de hoc aliqua diximus libri III, cap. XXIII.

De Somni ternis liberis, Morpheo, Icelo, ſive Phobetore, & Phantaſo, dictum in affectionibus relatis in numerum Deorum. Sedes Somni ab Homero ſtatuitur in Lemno inſula. Maro in VI Æn. Soporem ut lethi conſanguineum in faucibus Orci collocat. Ovidius Somnum locat apud Cimmerios lib. XI Met. fab. X, ubi & Somnum, ejuſque regiam deſcribit. Atque, ut ibidem ait,

Ante fores antri fœcunda papavera florent
Innumeræque herbæ; quarum de lacte Soporem
Nox legit, & ſpargit per opacas humida terras.

De papavere fingunt eò, quia ſomnum conciliat, unde & *Soporiferum* vocat Maro. Cauſſa eſt, quia ſit fumoſum: ut alibi *a* dixi ex Ariſtotelis lib. de Somno, & Vigilia, cap. III. a Lib 3. cap. 34.

Superiùs verò è Philoſtrato dicebamus Somno eſſe cornu è quo Somnia emittat. De quibus iccirco pauca addam: De Somniorum ſede ſic Maro VI Æn.

In medio ramos annoſaque brachia pandit
Ulmus opaca, ingens, quam ſedem Somnia vulgò
Vana tenere ferunt, foliiſque ſub omnibus hærent.

Ubi ſic Servius: *Qui de ſomniis ſcripſerunt, dicunt, quo tempore folia de arboribus cadunt, vana eſſe ſomnia: quod per tranſitum tetigit. Vana autem ideo quia ab inferis. Nam vera mittunt Superi. Homerus:*

—— Καὶ γάρ τ' ὄναρ ἐκ Διός *b*. b Ab Iove ſomnium.

Alii verò cenſent eò ulmum ſtatui vanorum ſomniorum ſedem, quia ut arbor ea eſt ſterilis, ſic ſomnia pleraque nihil veri promittant.

Hæc de ſenſuum affectionibus. Nunc ad Affectus me confero. Cujuſmodi ſunt Amor, Terror, Pudor, Nemeſis, Invidia, atque alii. Amoris ſimulachra fuiſſe, indicat Cicero lib. II de Legg. *Græcia Cupidinum, & Amorum ſimulachra in Gymnaſiis conſecravit.* Effingebatur autem formâ pueri nudi, & alati, pharetra de humeris pendente: quandoque etiam facem manu geſtans: interdum & faſciâ oculos obvolutus. Puerum fingi indicat Propertius lib. II, eleg. X:

Quicunque ille fuit, puerum, qui pinxit, amorem
Nonne putas miras hunc habuiſſe manus?

Alatum exprimi docet Heliodorus lib. IV Æthiop. Οὐκ οἶσθα ὅτι καὶ τὸν Ἔρωτα πτεροῦσιν οἱ γράφοντες, τὸ εὐκίνητον τῶν ὑπ' αὐτοῦ κεκρατημένων αἰνιττόμενοι. *Neſcis, alatum fieri Amorem à pictoribus, cùm, quàm mobiles ſint qui ab eo detinentur, ænigmaticè volunt deſignare.* Theophylactus Simocattus epiſt. LIV: Ἐπαινῶ σου ζωγράφους· ὑποπτέρους γὰρ σου τοὺς ἔρωτας ἀναγράφουσι, καὶ τέχνῃ διαμορφοῦσι τὰ πράγματα, καὶ τοῖς πλάσμασι τὴν ἀλήθειαν τερατεύονται. *Laudo pictores: alatos enim amores pingunt, & arte transformant id, quod verè eſt, & fictionibus veritatem exprimunt.* Armis inſtruxiſſe indicat Xenophon lib. I Apomnemoneumaton: Γελᾷς καὶ οἱ Ἔρωτες τοξόται διὰ τοῦτο καλοῦνται, ὅτι καὶ πόρρωθεν οἱ καλοὶ τιτρώσκουσι. *Fortaſſe etiam iccirco vocantur ſagittarii, quod pulchri quoque eminus vulnerent.* Nec neglexere in Cupidine capillos. Nam Anacreontis eſt:

Ὁ δ' Ἔρως ὁ χρυσοχαίτης.
Amor aureis capillis.

Sive, ut χρυσοχαίτης vocem ſingulo vocabulo exprimamus:

Auricomus at Cupido.

Quomodo & *Sol auricomus* Valerio Flacco lib. IV Argon.

Ac ejus exemplo è junioribus Baſilio Zancho in hymno Pacis:

Quacumque auricomus Phœbus: jubar æthere pandit.

At aliter uſus Silius, cum ait:

At puer auricomo jam formidate Batavo.

Nam hic intelligendus color rutilus, ſive rufus: qualis non erat Cupidinis. Pleniùs de Cupidine Seneca in Octavia, Act. 2.

Volucrem eſſe Amorem fingit immitem Deum
Mortalis error, armat & telis manus,
Arcuſque ſacros inſtruit ſæva face;
Genitumque credit Venere, Vulcano ſatum.

Subdit deinde Senora:

Amor

Amor eſt, juventâ gignitur, luxu, otio:
Nutritur inter læta Fortunæ bona.
Quem ſi fovere, atque alere deſiſtas, cadit,
Brevique vires perdit exſtinctus ſuas.

Vide & ejus deſcriptionem apud Moſchum in Amore Fugitivo, & Appulejum in fabula Pſyches. Ex Athenæo diſcimus, quandoque Cupidinem inter Mercurium, & Herculem ſolere medium conſtitui: quod inde erat, quia nihil æquè amorem excitat, quàm Eloquentia ac Fortitudo.

a *Amori.* b *Amori mutuo, reciproco.* Athenienſes non Ἔρωτι *a* modò, ſed Ἀντέρωτι *b* etiam ſtatuam poſuerunt. Hic faciebat, ut etiam redamemus, & pœnas de iis ſumere credebatur, quibus cornea adeò fibra foret, ut amantes ſe non redamarent: quemadmodum ex Pauſania, Porphyrio, & Suida cognoſcere licet. Erant amborum ſimulachra apud Elienſes, quorum Ἔρως ramum geſtaret manu; Ἀντέρως verò ramum illi de manibus extorquere conabatur, ſed incaſſum. Quo deſignatur, pulcherrimum eſſe de amore mutuo certamen.

Imaginem veræ, fictæque amicitiæ expreſſit Themiſtius in Oratione de Amicitia.

Aliqui non duos modò Amores, Ἔρωτας, & Ἀντέρωτας fingunt; ſed ingentem Amorum, ſive Cupidinum turbam. Cujus cauſſam ſuperiori libro adduximus. Eos ſcitè depingit Philoſtratus in Imaginibus.

Cupidini ſacratus fuit lepus: cujus rationem è nomine
c *Pag. 87 edit. Rom.* petit Euſtathius in Iliad. A *c.* Nempe cenſet hoc factum,
d *Lepus.* quia λαγωὸς *d* dicatur ἀπὸ τοῦ λάειν *e*, & ἔρως *f* ſimiliter
e *Videre.* ἀπὸ τοῦ ὁρᾶν *g.* Potiùs dixero inde eſſe, quòd animal hoc
f *Amor.* putaretur eſſe libidinoſum, & utriuſque ſexus: ac come-
g *Videre.* ſtum augere formæ decus: de quibus dictum libro hujus operis III, cap. LXVI, & LXVIII.

Spei effigiem conſpicere eſt in aureo numo Adriani
h *Hiſt. Deorum Syntag. 1. pag. 29.* Cæſaris. *Eſt verò* (ut Lilius Gyraldus *h* deſcribit) *femina ſtans, inſtitæ laciniam nonnihil attollens: dextra in cubitum elata pateram proferat, in qua repoſitum inerat veluti ciborium, id eſt, vas in floris ſimilitudine, cum hac inſcriptione,* SPES P. R. Subjungit, ut quidam effinxerint viridi indutam palla, ac dolio inſidentem cum cornice. Viridis color Spei conveniens: juxta illud poëtæ:

—— Et adhuc tua meſſis in herba eſt.

Dolio, ut puto, inſidet Diva, ut alludatur ad fabulam Pandoræ Heſiodeæ. Juxta quam aperto dolii operculo evolaſſe per terras omne curarum genus; ſolam remanſiſſe ſpem, quòd priùs imponeretur operculum, quàm & illa poſſet evolare, narrat Origenes in quatto contra Celſum. Cornix eſt ſymbolum longævitatis: quam omnes ſperant: imò vix ullus tam ſenex, quin ſe ſperet aliquos poſſe annos ſupervivere.

Terror, ut ait Pauſanias in Eliacis prioribus, leonis capite expreſſus fuit in clypeo Agamemnonis. Inſcriptio autem iſtiuſmodi:

Οὗτος μὲν φόβος ἐστὶ βροτῶν, ὁ δ' ἔχων Ἀγαμέμνων.

Hic Pavor eſt hominum manibus gerit hunc Agamemnon.

Pudor ſive Verecundia effingitur Græcis formâ mulie-
i *Pudor.* ris, quia αἰδὼς *i* iis generis eſt muliebris. Sedet verò, oculis, ac vultu velatis; prout Icarius filiæ ſuæ Penelopes ſignum poſuit: ut eſt apud Pauſaniam in Laconicis. Eum ſecutus Alciatus in Emblematis ait:

Ergo ſedens velat vultus, obnubit ocellos:
Iſta verecundi ſigna pudoris erant.
Queis ſibi prælatum Icarius cognovit Ulyſſem;
Hocque Pudori aram ſchemate conſtituit.

Nemeſis una manu frenum gerebat, alterâ cubiti menſuram: ut oſtenderetur, tum linguæ injiciendum frenum, quia odiſſet Dea omnem in verbis arrogantiam:
Vulcanius citat ad Callim. Cireream. tum juſtitiæ dandam operam, quia eadem puniret injuſtos. Atque hoc indicat diſtichon illud:

Ἡ Νέμεσις προλέγει τῷ πήχει, τῷ τε χαλινῷ,
Μήτ' ἄμετρόν τι ποιεῖν, μήτ' ἀχάλινα λέγειν.

Frænos, & cubitum geſtans Nemeſis jubet ultrix
In dictis, factis quemque tenere modum.

Nemeſis cum facie diademata conſpicitur in argenteis denariis. Inſcriptio eſt, M. CORN. C. F. C. N. CETHEGUS EX S. C. Videntur à Cethego hoc cuſi in militum ſtipendium, cùm quæſtor eſſet militaris. Id fuit anno Urbis IↃXCII, C. Popillio Lænate, & P. Ælio Ligure coſſ.

Invidia Latinis pingitur mulieris figurâ: quia vox ea generis eſt feminini, Græcis autem figurâ maris, quia illis φθόνος virili eſt. Sic verò depingitur ab Ovidio, ſecundo Metamorphoſeos, ſanè graphicè:

Pallor in ore ſedet, macies in corpore toto,
Nuſquam recta acies, livent rubigine dentes,
Pectora felle virent, lingua eſt ſuffuſa veneno:
Riſus abeſt, niſi quem viſi fecere dolores.
Nec fruitur ſomno, vigilantibus excita curis:
Sed videt ingratos, intabeſcitque videndo,
Succeſſus hominum; carpitque, & carpitur una,
Suppliciumque ſuum eſt.

Symbolum Invidiæ apud antiquos erat anguilla; quia cunctis dicitur piſcibus invidere. Uti iiſdem Contumelia, atque Impudentia, ſignabatur per perdicem, avem admodum contumelioſam, ac impudentem.

CAP. XXXVII.

De effigie Virtutum, & Vitiorum, in Deorum numerum relatorum. Deque Praxidice quæſitum, an faveat furtis.

Vidimus de effigie affectuum, qui nobis cum belluis ſunt communes: ſed magno diſcrimine, quia homini ratio divinitus eſt conceſſa, ad moderandos affectus. Nunc igitur dicere incipiam de iis, quæ hominis ſunt propria. Ac primum loquar de iis, quæ ſingulos ſpectant, deinde quæ ad univerſam Remp. pertinent. In priori genere tum de Virtutibus agam in Deos relatis: tum de Vitiis oppoſitis, quæ & ipſa, ſed invitis ſapientibus, pro Diis habuerunt. Antequam tamen de Virtute loquar, pauca de Veritate præmittam: tanquam parente Virtutis. Unde veteres Philoſophi, in his etiam Socrates, quidvis bonum in agendo, Scientiæ; quodvis malum, inſcitiæ adſeripſerunt. Sanè fortes terribilia fugerent, niſi ſcirent eſſe bona: vulgus contrà ſectaretur ea, niſi crederet eſſe horrenda. Unde liquet, quanti interſit à pueris addiſcere verum, rectumque. Philoſtrato in Amphiarao ſymbolum Veritatis ſtatuitur virgo niveis induta veſtibus. Virgo eſt, quia veritas ſi violetur, deſinit eſſe veritas. Et candor veſtis indicat veritatis orationem eſſe ſimplicem & apertam, ſine fuco & calamiſtris. Hippocrati epiſtola ad Philopœmenem Veritas deſcribitur, ut mulier, pulchra, ingens, ornatu ſimplici decora, illuſtris ſplendida, orbibus oculorum lucidis, ac referentibus ſtellarum fulgorem. Videas & Veritatem exprimi per virginem nudam conantem è puteo prodire. Nempe, quia ut Democritus dicebat, veritas in puteo deliteſcit.

Virtus in nummo M. Valerii Acilii triumviri effingitur formâ matronæ lævo cubito innitentis columnæ, dexterâ autem tenentis ſerpentem. Columna ſignificat virtutem eſſe ſtabilem ac firmam. Serpens indicat prudentiam eſſe virtutis moderatricem. In Gordiani numo exprimitur figurâ ſenis barbati, ſtantis, nudi, ac innitentis clavæ, cum pelle leonina: inſcriptio eſt VIRTUTI AUGUSTI. Inque Numeriani numiſmate ſimilis eſt ſenis figurâ, atque inſcriptum VIRTUS AUG. Quandoque etiam pingitur Virtus ſpecie mulieris cum alis; quia gloria, quam parit, quaſi alis quibuſdam longè lateque per virûm ora volitat. Inter Luciani dialogos eſt, qui depingat Virtutem laceram ac mœrentem, maleque à Fortuna habitam: quæ conditio Virtutis cunctis penè temporibus fuit, atque erit.

Pietas, ut Cicero in primo de Natura Deorum, *juſtitia*

tia eſt adverſus Deos, & cultus erga majores, aut ſanguine conjunctos. Hujus geminum Romæ templum fuit: quorum utrumque à Manio Acilio exſtructum: unde idem putari ſolet. Atqui prius anno Urbis ꟾↃLXIV votum à M. Acilio Glabrione, occaſione pugnæ adverſus Antiochum ad Thermopylas, & octennio pòſt dedicatum à filio: Fuitque id in Foro olitorio. Alterum anno ꟾↃC IV à M' Acilio Balbo exſtructum in regione circi Flaminii, occaſione filiæ, quæ matrem in carcere ſuis aluerit uberibus. Quemadmodum expoſui lib. VIII, cùm de affectionibus agerem in Deorum numerum relatis. Poſterior hæc in circi Flaminii regione fulmine tacta eſt, teſte Obſequente. Contigit hoc bello ſociali Italico an. ꟾↃC LXIII.

In numo argenteo L. Æmilii Paulli, & C. Terentii Varronis, quæſtorum urbanorum anno Urbis ꟾↃCIV, T. Quinctio Flaminino, & Manio Acilio Balbo coſſ. cernere eſt effigiem cujuſdam Deæ, cui appoſitum P. Ea litera ſignificat Pietatem. Eſt verò Dea inſignis coronâ oleaginâ: ſacraque in menſa averſâ numi facie, itidem repoſitus frondoſus oleæ ramuſculus. Quo ſignificatur Pietatem eſſe matrem pacis ac tranquillitatis publicæ. Nempe oleaginus ramus eſt ſymbolum pacis & concordiæ. Unde & legimus oratores, qui pacis poſcendæ cauſſâ ablegarentur, geſtaſſe ramum olivæ. Hinc Maro VII Æn.

Centum oratores auguſta ad mœnia Regis
Ire jubet, ramis velatos Palladis omnes.

Ac de Ænea quoque legas VIII Æn.

Paciferaque manu ramum prætendit olivæ.

Ubi ſic Servius: *Quoniam Pallas priùs de pace quæſierat, & ideo mox pacis ſignum oſtendit, ut cætera Pallas ſecurus audiret.* Mox etiam ſubdit Maro:

Optimæ Graijugenûm, cui me fortuna precari,
Et vittâ comtos voluit prætendere ramos.

Ubi ſic idem Servius: *Ut in pacis petitione ramus olivæ cum vittis offeratur, partim fabulæ, partim naturæ efficit ratio.* Subdit deinde hæc de fabula: *Nam cùm de nomine Athenarum Neptunus, & Minerva, contenderent, & juſſiſſet Jupiter, ut illius nomine diceretur civitas, qui munus melius obtuliſſet hominibus: equum Neptunus, Minerva olivam protulit, & ſtatim vicit.* Sed de natura, quam alteram is Grammaticus cauſſam addiderat, nihil addit. Hoc nos ſupplebimus. A natura ratio eſt, quòd oleum inſaniente vento in mari magno effuſum ſæpius, teſtante id experientia, impetum ſtiterit undarum, ſic ut quo amplius olei in mare eſſet præcipitatum, eò navi tranquilliùs foret. Et quid ſi altiùs cauſſam arceſſamus? Geneſ. VIII legimus, quomodo columba à Noë emiſſa redierit cum oleagino ramuſculo: quod quidem eo pertinuit, ut Noë intelligeret jam in tantum eſſe imminutam aquarum multitudinem, ut ſummæ arbores, in his olea, ſupra aquas eminerent: ſed ſimul ſignificavit Deum, qui iratus generi humano diluvium immiſiſſet, nunc pacatum eſſe ac tranquillum. Hæc hiſtoria remanſit, non ſolum in populo Dei, ſed diu etiam in gentibus, quod ex Luciano, & aliis, alibi oſtenſum. Eo minùs mirandum, ſi, quod pacis, ſuæ ac tranquillitatis Deus jam diluvii tempore ſignum eſſe voluiſſet, id poſtmodo etiam in humanis rebus concordiæ ac tranquillitatis ſymbolum haberetur. Atque hæc imprimis de Pietate erga Deum.

Pietatis erga parentes ſymbolum ciconia: cujus ratio ſatis aperta eſt ex Græco vocabulo ἀντιπελαργεῖν *a*. Theſſalis ea avis divino affecta honore dicitur: nempe quia lege cautum, ne quis eam occideret. Sed longe alia id de cauſſa factum: videlicet quia terram ſerpentibus purgavit. Diximus de hoc lib. III, cap. XCIII, & c. Juſtitia Aſtrologis eſt Virgo ſpicam manutenens.

a Redamare parentes, gratiam referre bene meritis more ciconiarum.

Chryſippus, ut apud Agellium *b* eſt Juſtitiam depinxit, *formâ, atque filo virginali; adſpectu vehementi, & formidabili; luminibus oculorum acribus; neque humilis, neque atrocis, ſed reverendæ cujuſdam triſtitiæ dignitatem.* Porrò, ut Agellius ſubjungit, *ex imaginis iſtius ſignificatione intelligi voluit, judicem, qui juſtitiæ antiſtes eſt, oportere eſſe gravem, ſanctum, ſeverum, incorruptum, inadulabilem, contraque improbos nocenteſque immiſericordem, atque inexorabilem, erectumque, & arduum ac potentem, vi & majeſtate æquitatis veritatiſque terrificum.*

b Lib. 14. cap. 4.

Quomodo in arce Cypſeli fuerit depicta, Pauſanias dicet in prioribus Eliacis.

Thebis erant ſimulacra judicum ſine manibus: princeps verò judicum oculis erat in terram dejectis. Eo ſignificabat judices non debere eſſe δωροφάγους *a*, nec προσωποληπτας *b*. Adi Plutarchum de Iſide & Oſiride.

Hœſchelius ad Horapollum pag. 187.

Juſtitiæ Deæ, ut reginæ, facies diademata comparet in denario argenteo C. Mamilii Q. F. C. N. Tribuni plebis ex eo dicti Limetani, quia legem tuliſſet de limitibus latitudine juſtâ faciendis. Adſcriptum ex S. C. h. e. Senatus conſulto. Alter quoque ejuſdem eſt nummus; in cujus imo latere in circulo adſcriptum C. MAMILIUS Q. F. TURRINUS: in medio autem menſa eſt quadrupes Juſtitiæ ſacra, inter ſecures, & faſces, conſtituta. In menſa aratrum jacet, quia hoc duceretur agrorum limes.

a Munerum captatores.
b Formarum ſpectatores.

Pictores hodie Juſtitiam pingunt cum ſtatera, ut ſignificent ſuum cuique tribuere, & benefacta & malefacta ponderare, quò & illis juſtum præmium conſtet, & his pœna debita perſolvatur. Non improbo ſymbolum, etſi veteribus ignotum.

Pighius in Annal. Rom. ad ann 587. pag. 392.

Huc etiam pertinet Themis. Antea diximus, ejus ex Jove filias eſſe Eunomiam, Dicen, Irenen. Habuit Antonius Perrenotus, prius Epiſcopus Atrebas, exinde Cardinalis Granvellanus, lapidem Terminalem, altum ferè ſeſquipedem, ex Pario marmore affabrè ſculptum. In ſummo lapide eſt decora mulieris facies, crinibus à fronte & occipitio in nodum vittâ collectis, ac duobus cincinnis per humeros dependentibus. Reliquum lapidis corpus in columnam abit quadratam: quam in imo circumſiſtunt tres imagunculæ puellares ſemiplanæ, non nudæ ſed ſtolatæ, cum brevi pallio, item cum vitta, zona, ſoccis: duæ brachiis nudis, & connexis, tertia manibus demiſſis ſeorſim conſiſtens. Lapidem eum terminalem plerique ſunt arbitrati eſſe Veneris, quam exprimi aliquando ſolere eâ figura, qua Hermæ, nempe capite ſuper lapidem quadratum, auctor eſt Pauſanias in Atticis. Tres verò divas crediderunt eſſe tres Gratias; quas antiquiſſimis temporibus ſolere veſtitas effingi, cognoſcimus ex eodem Pauſania in Eliacis, & Bœoticis. Sed Stephanus Pighius, qui luculento commentario eum lapidem illuſtravit, cenſuit ſignari Themidem cum tribus filiabus, Eunomia, Dice, & Irene. Utraque figura & Veneri cæleſti ac Gratiis, & Themidi, ac filiabus convenit. Nam quadratus lapis ſignat conſtantiam Juſtitiæ: & ſic quoque Venerem Cæleſtem, quæ & ipſa conſtans, non deſultoria, ut vulgivaga, effingi ſolere, diximus ex Pauſania. Præterea divæ tres ſunt ſtolatæ cum brevi palla, vittis in capite, zona in pectore, ſoccis in pedibus. Hæc omnia honeſtis conveniunt, quales tum Gratiæ, tum Themidos filiæ. De primo indicat hoc Martialis lib. I epig. XXXVI:

Quis floralia veſtit, & ſtolatum
Permittit meretricibus pudorem?

Deque ſtola pariter, ac vitta ſic Tibullus:

Sit modò caſta doce quamvis non vitta ligatos
Impediat crines, nec ſtola longa pedes.

Et ovidius in primo de Arte, ut arceat à lectione ſua pudicitiæ amantes, ait:

Eſte procul vittæ tenues, inſigne pudoris,
Quæque legis medios inſtita longa pedes.

De zona arguit hoc Catulli epigr. II:

Tam gratum mihi, quàm ferunt puellæ
Pernici aureolum fuiſſe malum,
Quod zonam ſolvit diu ligatam.

Socci etiam modeſtiæ ſunt argumentum: uti contra cothurno forent indicium faſtus, unde Ammianus Marcellinus lib. XXVIII: *Cùm mutuum quid petunt, ſoccos, & Mitiones videbis, & Lachetas: cum adiguntur, ut reddant ita cothurnatos, & turgidos, ut Heraclidas illos, Creſphon-*

Creſphontem, *& Temenum putes.* Pleniùs de his Pighius ſcribit: uti & cur duæ ſint nudis brachiis, & connexis, una demiſſis, ac veſte circumvolutis. Ipſum adi, ſi viſum.

Ad juſtitiam etiam Fides refertur: unde Hercules ad eam ait apud Silium lib. II:

Juſtitiæ conſors, tacitumque in pectore numen.

In denariis Q. Cæcilii Metelli Balearici Fides coronatur ſerto oleagino: nempe quia Pacis eſt comes, vel mater. Oliva autem pacis ſymbolum. Ab altero latere eſt effigies deæ Copiæ: de qua alibi.

Fides effingebatur canis capillis: partim quia color candidus eſt ſimplicitatis ſymbolum: unde & Veritas vel niveis veſtibus efficta, vel nullis: partim quia antiquis temporibus vigebat fides: unde Comicus *a*, *Homo antiqua virtute, ac fide.* Virgil. I Æn.

a Adel. act. 3. ſc. 3.

Cana Fides, & Veſta Remo cum fratre Quirinus.

Ubi ſic Servius: *Cana fides, vel quod in canis hominibus invenitur, vel quod ei albo panno involuta manu ſacrificatur: per quod oſtenditur, fidem debere eſſe ſecretam.* Ubi ritum nota de velata manu in Fidei ſacris. Tangit quoque Horatius lib. I, od. XXXV ad Fortunam,

Te Spes, & alba rara Fides colit
Velata panno, nec comitem abnegat.

Vide etiam Servium ad illud VIII Æn.

—— Magnis Circenſibus actas.

Templum fidei deſcribit Silius lib. II.

Symbolum Fidei dextra erat: unde Terentius in Andria:

Quod ego per hanc te dextram oro, & per Genium tuum,
Per tuam fidem, per hujus ſolitudinem,
Te obteſtor.

Ubi Donatus inquit: *Fœderis ac fidei membrum erat dextra.* Nempe quia hæc ſanciuntur dextrarum conjunctione. Unde Maro de Anchiſe:

Dat dextram, atque animum præſenti pectore firmat.

Et Dido apud eundem:

—— En dextra, fideſque.

Eſt & VII Æn.

Pars mihi pacis erit dextram tetigiſſe tyranni.

Ac Statius I Theb.

Jam pariter coeunt animorum in pignora dextræ.

Apud Ammianum etiam Marcellinum lib. XXI Julianus Cæſar, cum ad eum Nebridius præfectus, qui ſolus noluerat jurare contra Cæſarem Conſtantium, in ſummo vitæ periculo confugiſſet, ac ſupplex ſibi dextram porrigi oraſſet: *Ecquid, inquit, præcipuum amicis ſervabitur, ſi tu dextram attigeris meam?* Imò quis neſcit morem hunc antiquiſſimum hodieque obtinere?

Alexander Aphrodiſeus lib. II Problem. XLVII, hanc conſuetudinem eſſe ait, quia denis digitis denarius repræſentetur, eo verò nihil in numeris perfectius ſit. Mihi ſic potiùs videtur, quia manus præcipuè dextra, eſt ὄργανον τῶν ὀργάνων *b*, domi, militiæque; eò conjunctione hac promitti mutuam in omnibus operam.

b Inſtrumentum inſtrumentorum.

Etiam ad Juſtitiam referuntur Charites, ſive Gratiæ, quia æquitas exigit, ut gratias bene meritis referamus. Antiquiſſimis temporibus Gratiæ effingebantur veſtitæ. Quod liquet ex Pauſania lib. VI, qui eſt de Eliacis: ubi loquitur de Gratiarum templo, & divarum ſimulachris ligneis, veſte inaurata; faciem, manus, & pedes, ait è candido marmore fuiſſe: addit, quomodo una prætulerit roſam, altera talum, tertia myrtum. Ac idem lib. IX, ſive in Bœoticis narrat, & à Bupalo apud Smyrnæos, & ab Apelle in Cantorum ſtatione, quam odeum vocant, & à Pythagora Pario apud Pergamenos in Attali thalamo; & ab Socrate Sophroniſci filio, apud Athenienſes, ante arcis veſtibulum, Gratias eſſe cum veſtibus efficτas. Addit, ſibi non eſſe compertum, à quo iſte mos ſit immutatus, ut non amplius veſtitas, ſed nudas effingerent. Cauſſa interim obſcura non eſt, cùm nudo corpore nudum & ſimplicem voluerint animum repræſentare. Cæterùm hoc de veſtitis antiquitus Gratiis non videtur occurriſſe doctiſſimo Stephano Winando Pighio Campenſi, ex ſorore clari Theologi Alberti Pighii nato, cùm in Themide ſua, ſive libro de Lege divina, ſcriberet *a*, Divas tres, quæ circumſiſterent ſtatuam ſeu Veneris, ſeu Termini non videri eſſe Gratias, quia non effingerentur nudæ, ſed ſtolatæ. Super quo commonitus ab Nicolao Florentio, ſic epiſtolâ ſe purgat, ut liqueat ſatis, non potuiſſe ictum iſtum veſte propellere vel exire.

a Pag. 25. edit. Plantin an. 1568.

Fortitudinis ſymbolum Hercules credebatur: ut eſt apud Greg. Nazianzenum orat. contra Julianum. Nempe quia nihil illo fortius haberent. Icċirco & palæ. Aræ præſes unà cum Mercurio habitus eſt: ut de utroque tradit Syneſius epiſt. XXXII. De Herculis effigie vidimus in Diis animalibus.

Clementiæ tamen ara Athenis nullum habuit ſimulachrum. Rationem adfert Statius XII Thebaidos:

Nulla autem effigies, nulli commiſſa metallo
Forma Deæ: mentes habitare & pectora gaudet.

Virtutis præmium eſt Honor: qui propterea ſic exprimendus videtur, ut præcedat Virtus, eam Honos ſequatur. Virtus, & Honos ob oculos ſtatuebantur, ut Virtus eſſet armata, hic inermis; illa inornata, hic lauro coronatus, & capillis promiſſis.

Alciato in Emblematis Honor ſic depingitur:

Stet depictus Honos, Tyrio velatus amictu.

Honori ſacra faciebant Romani capite aperto, ut Honori ſic eum haberent honorem, quem exhibemus viris honore dignis. Hanc cauſſam etiam apud Plutarchum in Quæſtionibus legas. Inter honores etiam fuit, quod ab æde Honoris idibus Quinctilibus equites in Capitolium veherentur: idque ex inſtituto Fabii Rutiliani: ut eſt apud Plinium, vel potiùs S. Aurelium Victorem de Viris Illuſtribus.

Honoris etiam pars inclytum famæ decus. Nec tamen minùs vitia, quam virtutes, falſa, quam vera diffundit.

Fama luculente depingitur à Marone in IV Æn. Ait verò

—— pedibus celerem, & pernicibus alis
Monſtrum horrendum, ingens, cui quot ſunt corpore plumæ
Tot vigiles oculi ſubter (mirabile dictu)
Nocte volat cæli medio, terraque per umbram
Stridens, nec dulci declinat lumina ſomno.
Luce ſedet cuſtos, aut ſummi culmine tecti,
Turribus aut altis, & magnas territat urbes,
Tam ficti, pravique tenax, quàm nuncia veri.

Fama verò falſa nigris eſt alis prædita; ſecundum illud Claudiani adverſus Alarichum:

Famaque nigrantes ſuccincta pavoribus alas.

Finis virtutis eſt εὐδαιμονία, ſive beatitudo. Hoc loco autem intelligimus felicitatem non publicam, de qua poſtea dicetur, ſed quatenus in Ethicis conſideratur. Ea conſiſtit quidem in cujuſque animi, corporis ac Fortunæ bonis: ſed animi imprimis. Nam illa corporis, & fortunæ plurimùm felicitatem nec augent, nec ornant, ſed impediunt. Longè enim maximam hominum partem vel ſuperbam reddunt, & arrogantem, vel luxurioſam, & incontinentem. Ut veriùs dixeris avocare à virtute; quàm ad eam allicere. Unde aliqui philoſophorum abjecere opes, ut liberiùs ſapientiæ ſtudiis vacarent. Alii item parco cibo & potu, laboribus etiam ac Vigiliis corpus extenuarunt, ut magis mens vigeret.

Cebeti Thebano in Tabula Εὐδαιμονία, ſive Beatitudo, hoc modo exprimitur, Ἐπὶ δὲ τῷ προπυλαίῳ γυνὴ καθεστηκυῖα ἀνδρὴς τις κάθηται ἐπὶ θρόνου ὑψηλοῦ, κεκοσμημένη ἐλευθέρως, καὶ ἀπεριέργως, καὶ ἐστεφανωμένη στεφάνῳ εὐανθεῖ πάνυ καλῶς. *In veſtibulo eſt matrona conſtantis ætate, & formoſa, in alto ſolio ſedet, ornata liberaliter, & citra luxum, coronâ floridâ peregregiè ornata.*

De Virtutibus, & Honoris præmio, fineque virtutum Beatitate ſatis dixi: nunc promam pauca de Vitiis, quæ & ipſa pro Diis nationes coluerunt.

In his Calumnia: cujus criminis damnatis opponuntur à Papiniano homines integræ frontis. Quàm verò exoſa hæc fuerit Romanis arguit, quòd ejus convictis, lege Remnia inureretur litera K, ut cognoſcimus ex Cicerone pro Roſcio Amerino, & Plinio in Panegyrico. Quomodo eam expreſſerit Apelles, Lucianus narrat libro de non temere credendo.

Laſcivia à Philoxeno Eretrio picta: in qua tres Philoxeni comeſſantur: ut auctor eſt Plinius lib. xxxv, cap. x.

Fraus à Dante Alligerio, ac Bocatio in Genealog. effingitur faciem habens hominis juſti, reliquo corpore ſerpentino, eoque variis coloribus ac maculis diſtincto, cauda in ſcorpii aculeum deſinente. Fingitur & per Cocytum, inferorum amnem, natare, ſic ut nihil ejus, præter faciem, conſpici poſſit.

Erat & Dea patrona & furum, & furtorum. Unde Horat. lib. I epiſt. xvi:

Pulchra Laverna
Da mihi fallere.

Et mercator ille apud Ovid. v Faſt.

Da modo lucra mihi da facto gaudia lucro,
Et fac ut emtori verba dediſſe juvet.

Hæc Latinis Laverna, ut dictum in affectionibus, Deorum in numerum relatis. Græcis verò dicta Πραξιδίκη: exponitur in gloſſis Philoxeni. Iidem cum effingerent, caput figurabant, abſque reliquo corpore. Suidas: Πραξιδίκη, θεὸς ἧς κεφαλὴν μόνην ἱδρύοντο. *Praxidica, Dea, cujus caput ſolum conſtituebant.* Sed furum eſſe Deam non dicit: nec tale quid colligas ex Orphei Argonauticis, & Hymnis: vel Pauſaniæ Bœoticis & Laconicis, qui Deæ Praxidicæ meminerunt. Neque id dicit Heſychius; cujus verba: Πραξιδίκη· δαίμονά τινα φασί, τὴν ὥσπερ τέλος ἐπιτιθεῖσαν τοῖς τε λεγομένοις, καὶ πραττομένοις. *Praxidice. Sic Deam quandam appellabant, à qua finis imponeretur iis, & quæ dicuntur, & quæ fiunt.* Ubi per finem intellige exitum, qualem quæque res meretur. Ut ei videatur Πραξιδίκη eſſe actionum ultio vel ultrix. Quod longè diſtat ab eo, quod Philoxenus vult. Nam ſi facta ulciſcitur, etiam furta punit. Quare diſpiciendum, rectène Philoxenus putârit, eandem eſſe Græcorum Praxidicen, ac Latinorum Lavernam. Utcumque hanc opinionem ſequantur inter alios Scaliger ad Feſtum, & Martinius in Etymologico. Qui & eò cenſet Lavernam eſſe Πραξιδίκην vocatam, quia det δίκην ſive jus τῆς πράξεως, h. e. aſtutæ, & callidæ actionis: quomodo nempe & vulgo, voce à forenſi uſu deductâ, dicitur *practica* pro techna, ſive dolo. Equidem cenſeo, ſi id *Praxidice* ſonaret, non hoc nomen datum eſſe, ex Æliano, Suida, & aliis cognoſcimus. Sed cur Praxidicen ſic effinxere, ut caput eſſet ſine corpore? Si eadem fuerit ac Laverna, eò id factum videatur, quia fures ingenio valeant: ſed fugiant omnem manuum corporiſque laborem, quo ſibi & familiæ, honeſtè victum pararent.

CAP. XXXVIII.

De ſimulachris Genii civitatis, Libertatis, Concordiæ, Diſcordiæ, Pacis, Belli, Victoriæ, Felicitatis, ſive Salutis publicæ. Spicilegium & varia.

POſtquam de iis diximus, quæ ad moralem ſcientiam pertinent: nunc pergam ad ea, quæ vitam tangunt civilem: ut ſunt genius civitatis, libertas, Reip. concordia, diſcordia, pax, bellum, victoria, & felicitas, ſive ſalus publica. Quorum tamen aliqua privatâ etiam in vitâ habent locum: ſed hic ſatiùs viſum fuit communi ea conſideratione complecti. A Genio ordiar.

In nummo Servilii Cœpionis ædilis curulis, quod fuit ann. Urbis ↄↄ xxiii, conſpicitur caput Genii pop. Rom. vittâ coronatum, longis à vertice cirris propendentibus. Ac ibidem habes menſam ſtratam cum corona inter binos faſces conſiſtentem. Habes picturam atque inſcriptionem in Goltzii Faſtis.

Libertatis aliquod fuiſſe ſimulachrum indicat Cicero pro Domo ſua: *Libertatis ſimulachrum in domo hac collocabas.*

Id exprimitur in numis effigie mulieris dextrâ pileum, ſiniſtrâ virgam tenentis, quia qui manumitterentur à patrono pileo donarentur, ac præterea à prætore, aut conſule, percuterentur virgâ, quam *vindictam* dixere. Unde Perſius ſat. v:

Vindictâ poſtquam meus à Prætore receſſi.

Libertatis ſymbolum pileus, ut diximus. Unde in Bruti numo pileus inter duos enſes, quia nece Cæſaris parta libertas videretur. Item ſymbolum ejus vola manus deducta. Nempe quia alapâ ferirent, cum manumitterent.

Ambraciotis verò libertatis ſymbolum leæna: quam quod tyrannum ſuum laceràſſet, ut libertatis vindicem ſumma religione venerabantur. Auctor Ælianus in Hiſt. Animal. lib. xii, cap. xl.

Concordia apud Athenienſes media in Urbe habuit templum: ſed in quo nulla Deæ effigies. Cauſſam cognoſcere licet ex illo Statii Papinii lib. xii Thebaidos:

Nulla autem effigies, nulli commiſſa metallo
Forma Deæ: mentes habitare ac pectora gaudet.

Sed aliter alibi. Nam Concordiæ ſignum Romæ conſtituit Q. Marcius Philippus Cenſor: ac decennio poſt C. Caſſius Longinus, anno Urbis ıↄc, ſed priùs, veniâ datâ à plebe, in Curiam illud tranſtulit.

Concordia effingebatur dexterâ tenens craterem, lævâ autem interdum ſceptrum, interdum cornucopiæ. Et tale ſymbolum Concordiæ, quatenus Diva. Sed concordiæ, quatenus communis eſt appellationis alia erant ſymbola. Aliquando ſymbolum ejus erant duæ dexteræ junctæ: vel duo dextras jungentes, ut in nummo Aurelii Veri: vel duæ ſolum dexteræ: ut in nummo Neronis. Quod aliàs fuiſſe Fidei ſymbolum, ſuperiùs dicebamus: ſecundum illud poëtæ,

—— *En dextra, fideſque.*

Concordiæ etiam ſymbolum ſunt duo angues caduceo circumplicati, ſeque mutuò intuentes. Nempe quòd gentes hoſtili odio affectæ ſerpentium ſimiles ſint. Caduceatorum autem eſt odia hæc tollere, & diſſidentes facere concordes. Plinius lib. xxix, cap. iii: *Hic complexus anguium, & efferatorum concordia, cauſſa videtur eſſe, quare exteræ gentes caduceum in pacis argumentis circumdatâ effigie anguium fecerint.*

Apud Hebræos etiam magiſtros legere eſt concordiam fuiſſe ſignatam per mala illa Punica, ſive malogranata, quæ unà cum tintinnabulis dependebant de tunica exteriori, quæ interiori, atque ad talos demiſſæ ſuperinduebatur, priuſquam indueretur Ephod veſtimentorum, quod Latino interpreti *ſuperhumerale*, aliis *ſcapulare* nominatur.

Concordia Ariſtidi oratione ea quæ ad Rhodios eſt de Concordia, deſcribitur [a] εὐσχήμων, καὶ εὐπαγής, καὶ εὔχρους, καὶ εὔχαρις, καὶ ὁμολογοῦσα ἑαυτῇ διὰ πάντων, ἀκριβῶς ἐκ θεῶν ἥκουσα ἐπὶ γῆν· *decora, concinna, boni coloris, gratioſa, ſecum per omnia conſentiens, è cælo revera ad homines veniens.* [a] *Tom. 2. Pag. 395. edit. Pauli Steph.*

Diſcordia verò eidem deſcribitur, θεαμάτων πάντων πικρότατον, *viſu maximè formidabilis.* Videlicet, τὴν μὲν κεφαλὴν ὑπτία, τὰ δὲ χείλη πελιδνή, τοὺς δὲ ὀφθαλμοὺς διεστραμμένη, ἐξῳδηκυῖα, δάκρυσι νεοῤῥύτοις ἀεὶ συνεχομένη, τὰς χεῖρας ἁρπακτικάς, τὸ ξίφος εἴσω πρὸς τὸ στῆθος φέρουσα, ἐπὶ λεπτῶν τῶν ποδῶν καὶ σκολιῶν αἰρομένη· περὶ δ' αὐτὴν ὥσπερ δίκτυον ἐν κύκλῳ ζόφος, καὶ σκότος ὑφ' οὗ τὰ πολλά, μνήμασιν ἀνθ' ἱερῶν ἐνδιαιτᾶται. *Capite ſupino, labris invidis, oculis diſtortis, inflata, lachrymis recentibus ſemper perfuſa, manibus rapacibus, gladio in pectus inclinato, exilibus & obliquis pedibus; undique circumpoſita, velut reti, caligine tenebroſa,*

broſa, per quam p'eraque in ſepulcris, non in templis viſantur.

Ἔρις ſive Diſcordia pingebatur, ut Pauſanias in prioribus Eliacis ait, αἰσχίστη τὸ εἶδος ἐοικυῖα: *facie omnino fœdiſſima.* Viperis caput redimitum, ut Furiæ. Maro in VI Æn.

—— Et Diſcordia demens
Vipereum crinem vittis innexa cruentis.

Luculentè etiam Petronius Arbiter:

Intremuere tubæ, ac ſciſſo Diſcordia crine
Extulit ad ſuperos Stygium caput: hujus in ore
Concretus ſanguis, contuſaque lumina flebant.
Stabant irati ſcabrâ rubigine dentes
Tabo lingua fluens, obſeſſa draconibus ora,
Atque inter toto laceratam pectore veſtem,
Sanguinea tremulam quatiebat lampada dextrâ.

Diſcordia mater eſt Furoris: quem ſic depinxit Maro I Æn.

—— Diræ ferro compagibus arctis
Clauduntur Belli portæ. Furor impius intus
Sæva ſedens ſuper arma, & centum vinctus ahenis
Poſt tergum nodis fremit horridus ore cruento.

Ac Maro quidem vinctam catenis deſcripſit. at Petronius Arbiter iis ſolutis:

Quos inter Furor abruptis, ceu liber, habenis,
Sanguineum latè tollit caput, oraque mille
Vulneribus confoſſa, cruentâ caſſide velat.
Hæret detritus lævæ Mavortius umbo
Innumerabilibus telis gravis, atque flagranti
Stipite dextra minax terris incendia portat.

Nec obſcura eſt ratio hujus diſcriminis. Nam Maro deſcribit Furorem vinctum, quia loquitur de tempore pacis: Petronius ſolutum quia ſermo ei de belli tempore. Nam poſt bellum vinciuntur captivorum manus. Unde & Apelles pinxit (ut Plinius ait lib. XXXV, cap. X) *belli imaginem, reſtrictis ad terga manibus, Alexandro in curru triumphante.*

Victoriæ effigies erat virgo alata dextrâ tenens lauream coronam, ſiniſtrâ palmam: ut conſtat ex Varronis lib. IV de L. L. & vett. nummis. De alis liquet quoque ex illo Piſthetæri in Avibus Ariſtophanis:

Αὐτίκα Νίκη πέτεται πτερύγοιν χρυσαῖν.
Mox Victoria volat pennis aureis.

Cn. Matius, quem Trimattium perperam vocant Mariangelus Accurſius *a*, & Elias Vinetus *b*, ſimiliter apud Agellium ait lib. VI:

Dum dat vincenti præpes Victoria palmam.

Lampridius in vita Alexandri Cæſaris: *Pater eâdem nocte in ſomnis vidit, alis ſe Romanæ Victoriæ, quæ in Senatu, ad cœlum vehi.*

Par verò Vicepotæ ratio videtur. Dicta autem *Vicepota*, quia hæc Dea dat vincere, & potiri. Nam ut veteres à πήγω, h.e. πήγω, vel πήγνυμι dixere *pago*, poſtea N inſerto, *pango*; ut priùs *frago*, unde *fregi*, & *fragilis*, poſtea *frango*: ſic à νικῶ, prius dixere *vico*, unde *vici*, & *pervicax*, poſtea *vinco*.

Pax à Cephiſodoro prudenter eſt efficta habens Plutum in ſinu: ut eſt apud Pauſaniam in Bœoticis. Eo ſignificabatur, pace divitias parari. Nam Πλοῦτος divitiæ. Interdum verò gerebat manu ſpicas, ac ſinu poma profundebat. Unde Tibullus poſtremis libri primi verſibus:

At nobis, Pax alma, veni, ſpicamque teneto.
Perfluat & pomis candidus ante ſinus.

Interdum & olivam geſtabat, ut tranquillitatis ſymbolum. Quæ omnia eò pertinent, quia, ut ibidem ait Tibullus,

Pace bidens, vomerque vigent.

At bello contrà,

—— Squallent abductis arva colonis.

Nempe de Pace veriſſimum eſt, quod de Concordia ait Ariſtides, oratione, quam de hac Rhodiis miſit *c*: Τὰ μὲν ἐξ ἀρχῆς τὴν χώραν γεωργίαις κοσμεῖ, καὶ τῶν τε ὑπαρχόντων ἐπικαρπίας, καὶ ἑτέρων κτῆσιν δίδωσι· *Agros culturis regione tota ornat, tum aliarum poſſeſſionum fructus donat.* Quandoque etiam effingebatur cum ſolo caduceo, quia per caduceatores de pace tranſigitur. Quandoque cum lauro, quia victoriam, cujus ſymbolum laurus, conſequi ſolet. Vel cum roſa, quia, ut hoc flore nihil pulcrius, ac gratius: ita nec pace. Unde & Ariſtophanes in Acharnenſ. deſcribit formâ ſpecioſam, Veneris, ac Charitum ſociam. Etiam ſacrificia ibidem, ac ritus indicat.

a In Diatribis.
b Notis in epigramma Auſonii de Auguſto.
c Tom. 2. pag. 394. edit. Stephanica.

Quemadmodum verò Pax effingitur cum Pluto: ſic & Fides cum Copia. Sanè extant denarii Q. Cæcilii Metelli Balearici, quorum in uno quidem latere eſt Fides coronata ſerto oleagino: in altero autem Copia Dea, dextrâ habens papaver, & ſpicas: ſiniſtrâ vero lancem ſaturam h.e. variis fructibus refertam. Nempe eo ſignificatum, à Fide proficiſci rerum omnium copiam atque ubertatem. Per papaver cenſet Pighius *a* ſomnum, malorumque opinionem: nempe quia papaver eſt ſoporiferum, ut vocat Maro.

a In Annalibus Romanis ad an. 622.

Etiam ſunt denarii Q. Fabii Maximi Eburni, qui anno IↃC XXX ædilis curulis fuit: in quibus eſt Copiæ Deæ cornu ſtriatum, & faſciis ac foliis exornatum: in eo autem eſt videre ſpicas farris, fabales ſiliquas & poma. Quibus ſignificatur felix proventus.

Omnium vero ad Remp. pertinentium ſuprema lex eſt Salus populi, ſive Felicitas publica. Eam in nummo Juliæ Mammeæ Auguſtæ videre eſt formâ matronæ ſolio inſidentis, quæ dextrâ gerit caduceum, ſiniſtrâ copiæ cornu. Inſcriptio autem eſt FELICITAS PUBLICA.

Sed priuſquam ad mortis præſides & ſequens caput pedem proferamus, ortum ſpectemus & varia ὡς σταχυολογούμενοι *b* afferamus.

b Spicum legentes.

Nixi, ſive Nixii Dii, invocabantur, priuſquam partum enixæ. Gloſſa: *Nixæ*, ὠδῖνες. Qua figurâ effingerentur, docet Feſtus: *Nixi Dii appellantur tria ſigna in Capitolio ante cellam Minervam gemibus* (leg. genibus) *nixæ, velut præſidentes parientibus nixibus.*

Πειθώ, ſive Suada veteri poëtæ apud Athenæum lib. XIII *c* dicitur ἀγανοβλέφαρος, *pulcras habens palpebras.* Quid ſit Εὐφραδής *d* docet Caſaubonus ad Suetonium p. 32.

c Cap. 6.
d Seldenus de Diis Syris pag. 359. Vide de ea Cic. Nat. Deorum.

Providentia, quæ Græcis πρόνοια, fingebatur ut anus fatidica. Prudentia, quæ Græcis φρόνησις, ut matrona gravis, natu jam grandior.

Carmenta: in denario Q. Fabii Max. Eburni videas ejus caput vegeta formâ, coma incomtâ, & à vultu rejectâ, cincinnis per collum fluentibus. Capiti impoſita corona ex fabarum foliis & ſiliquis. Appoſita cithara, ut ſignetur futura cecinisse carmine: unde & vates ea θεσπιῳδὸς *e* dicitur Dionyſio Halicarnaſſ. Sanè à carmine etiam Carmenta vocata eſt, cum alioqui nomen foret Nicoſtrata.

e Fatidica.

Nympharum ſymbolum favi & apes, & cur: Porphyrius de antro Nympharum fol. 25. a. verſ. 2, 3.

Sirenes nymphæ ut effigiantur docet Lilius p. 171.

Nymphis immolatus hædus: ut dixi lib. II, cap. XXX.

Sibyllarum nomina, numerus, patriæ, vaticinia, & interpretes exponuntur apud Julium Cæſarem Capacium lib. II Hiſtoriæ Neapolitanæ, pag. 650, & ſeqq.

Heliadum ſive Phaëtontiadum, uti & Centauridarum, effigies memorat Philoſtratus in Imaginibus. *Heſpero* capilli denſi. Horat. *Auroræ* flavi capilli. Ovid.

Gorgonum formam, & alia de iis luculenter refert Lilius Gyrald. Syntagmate quinto Hiſtoriæ Deorum.

Marna, Syris deus, ac Gazæis Jupiter, Salmaſius ad Hiſt. Auguſt. 202. c.

Palæmon non alius eſt, quàm Neptunus Iſthmius: cui templum in Iſthmo Corinthiaco, ac ſacri ei ludi Iſthmiaci, ſic dicti, quia in Iſthmo hoc celebrarentur. Ac cenſet Pighius in Annalibus Romanis ad an. IↃC XI, quo conſules fuere L. Cæcilius Metellus Calvus, & Q. Fabius Max. Servilianus, Palæmonis eſſe caput, quod cernere eſt in numis argenteis M. Vulteii, atque eum anno iſtoc fuiſſe quæſtorem Achaiæ, ac ludos Iſthmiacos curaſſe,

raſſe, qui exciſa Corintho durabant, ut ex Pauſaniæ Corinthiacis conſtat. Caput, quod dixi, eſt ſenile, incomtum, hiſpidum: coronam habet ex junceis typhæ floribus, ac ſinguli eorum apices diſtinguuntur unionum gemmis. Quæ ſanè numen eſſe marinum, clarè ſatis docent. Et quod potius, hujus honori fiebant ludi Iſthmiaci, in que altero numi latere templum Iſthmiacum cernas, cujus frontiſpicium exornatum pinnis navium incurvis. Inſcriptio eſt, M. VOLTEI M. F.

De Aſpidis ſimulachro, quo Ioſephus, vel juxta Clementem, Moſes cultus, vide Xylandrum in Ciceronem de Nat. D. p. 62, 63, 64.

Quomodo Alexander ſoleat effingi, docebit Scaliger in V de Emend. Temp. p. 401. Cometes ſignabat animam Julii Cæſaris: per Capricornum deſignabatur Cæſar Auguſtus. Quirinus haſtatus.

Connidus Theſei pædagogus, proprio feſto cultus ab Athenienſibus. Vide Fetialem Meurſii Græciam in Κοννίδεια.

Templa Deorum Vitruvius lib. 1, cap. 11: *Horum Deorum*, (de Iove, Cælo, Sole, Lunâ, antea dixerat) *& ſpecies, & effectus, in aperto mundo, atque lucenti, præſentes videmus. Minervæ, & Marti, & Herculi, ædes Doricæ fiant. His enim Diis propter virtutem, ſine deliciis ædificia conſtitui decet. Veneri, Floræ, Proſerpinæ, fontium Nymphis, Corinthio genere conſtitutæ, aptas videbuntur habere proprietates, quòd his Diis propter teneritatem, graciliora, & florida, foliiſque, & volutis ornata opera facta, augere videbuntur juſtum decorem. Junoni, Dianæ, Libero patri, cæteriſque Diis, qui eâdem ſunt ſimilitudine, ſi ædes Ionicæ conſtruerentur, habita erit ratio mediocritatis, quod & ab ſevero more Doricorum, & à teneritate Corinthiorum, temperabitur earum inſtitutio proprietatis.*

CAP. XXXIX.

De ſignis Divorum, tum eorum, qui Mortis ſunt, ac funerum præſides; tum eorum qui præfecti ſunt animis defunctorum ſacris item (ut Eleuſinia fuere) quæ meliorem à morte conditionem pollicerentur.

Hinc exſequar numina, tum quæ ad mortem, & funera pertinent; tum quibus commiſſæ ſunt animæ, ubi vivere in terris deſierunt. Ac priùs de illis agam, quæ morti, ac funeribus præſunt. Ut ſunt Parcæ, quæ Fatalem legem exſequuntur. Imprimis tertia, quia à prima pendebat origo, unde & Venus credebatur; ab altera autem vitæ curſus, unde exiſtimata eſt Fortuna: à tertia vitæ exitus, eoque credebatur mors. Hæc fingebatur cùm dentibus immanis belluæ, ac manuum unguibus aduncis: ut ex Pauſania dixi lib. 11, cap. XLIV. Primæ etiam, natu maximæ, quam Venerem eſſe ajebam, ſuum erat ſignum: quod figuræ fuit quadratæ; ſicut Hermis, ut eſt apud Pauſaniam in Atticis. Sed ſi ea ſolum ortui hominis præerat, nihil illi commune cum Morte, niſi quatenus omnia orta occidunt. Apud Romanos tamen Venus Libitina funeribus præfecta fuit. Nempe eadem hæc ac Proſerpina, ſive Luna, quatenus corruptionis eſt cauſſa: quemadmodum diximus lib. 11, cap. XXVII.

Morti, quam in Diis fuiſſe diximus, cùm de affectionibus in Deorum numerum relatis ageremus, boves, ſues, aliaſque pecudes fuiſſe mactatas, ait Maro in XI Æneidos. Vulgò eam depingunt, ut Medici in Anatomes loco σκελετὸν *a* ſolent repræſentare. Sed quomodo veteres effinxerint, dicet Pauſanias in Eliacis.

a Structuram hominis in exaridis oſſibus.

Ab inſectis eſt inanimum Morti ſacrum: ab apibus enim mel quod Mortis ſymbolum. Cauſſam adfert Porphyrius de antro Nympharum: ubi & legas, cur Diis fel ſanctificent.

Fol. 24 b.

E plantis ſymbolum Mortis erat cupreſſus: de quo in Plutone diximus.

Nec cupreſſus ſolùm, ſed etiam picea erat feralis arbor. Plinius lib. XVI, cap. X: *Picea montes amat, atque frigora. Feralis arbor, & funebri indicio ad fores poſita, ac rogis virens.*

Ex animantibus, Parcis ſacravere turtures albos: uti & Veneri, Cereri, ac Furiis. Auctor Ælianus lib. X Animal. cap. XLVI.

Viduus Deus, qui extra Urbem colebatur. Cyprianus de Vanitate idolorum: *In tantum verò Deorum vocabula apud Romanos finguntur; ut ſit apud illos & Viduus Deus, qui animâ corpus viduet: qui, quaſi feralis, & viduus, intra muros non habetur, ſed foris collocatur.*

Poſtremum genus numinum dicebamus eſſe, quod præeſt animis defunctorum. Ut ſunt miniſtræ Plutonis Erinnyes, ſeu Furiæ. De quibus longè aliter philoſophi, quàm vulgus. Hoc, commentaſilla de Furiis, uti & de Styge, Cocyto, & ſimilibus, ſic, uti referrentur, credebat: ſapientes non item: unde Tullius lib. 1 Tuſcul. Quæſt. *An tu portenta hæc inferorum credis?* Maluere autem iſta ἠθικῶς interpretando ad perturbationes animi referre.

Ex animantibus, Furiis non minùs quàm Veneri, Cereri, ac Parcis, turtures albi ſacrabantur: ut eſt apud Ælianum lib. X Animal. cap. XLVI.

E plantis Erynniſi, ſive Furiis ſacer narciſſus: de quo ſic Euſtachius in Iliad. Λ *a*. Νάρκισσος Ἐρινύων στεφάνωμα. Ναρκισσὸν τε γὰρ ἐκ τοῦ ναρκᾶν παρηχεῖται· καὶ τοῦ ναρκᾶν Ἐρινύες τοῖς κακούργοις αἴτιοι. Sententia eſt, Narciſſum optimè convenire Furiis, quia hæ torporem afferunt ſceleratis: narciſſus autem torporis ſit ſymbolum, quia Græcis ναρκᾶν, torpere, unde narciſſo nomen. Vide & Euſtathium in Iliad. Τ. Porrò eandem ob cauſſam, propter quam Furiis ſive Eumenidibus narciſſus ſacer fuit: etiam Plutoni dicaverunt. Præterea ſacer Eumenidibus alnus, cedrus, rhamnus. Item crocus, qui & Cereri ſacer: ac juniperus, qui dicatus Apollini.

a Pag. 87 edit. Romana.

Qualis effingi ſoleat Eurynomus, docet Pauſanias in Phocicis: Κυανοῦ τὴν χρόαν μεταξύ ἐστι καὶ μέλανος, ὁποῖαι καὶ τῶν μυιῶν αἱ πρὸς τὰ κρέα εἰσὶ προσιζάνουσαι· τοὺς δὲ ὀδόντας φαίνει· καθεζομένῳ δὲ ὑπέστρωταί οἱ δέρμα γυπός· *Colore eſt inter cæruleum & nigrum medio: quales muſcæ ſunt, quæ carnibus inſident: dentes oſtentat: ſedenti vulturis eſt ſubſtrata pellis.* Eurynomus hic, ut ibidem legas, nec Homero in Ulyſſea memoratur, neque poetis qui Minyam, & Νόστας ſeu Reditus ſcripſere: utcumque ibi optima eſſet occaſio, quia de Orco agunt & inferorum terroribus. Sed qui Delphis vixere ſacrorum interpretes numerabant inter Deos inferos, atque ajebant circumrodere ita mortuorum carnes, ut ſola tandem oſſa ſint reſidua.

Ad ſtatum poſt mortem pertinet etiam, quòd Athenienſes in honorem Cereris & ejus filiæ Proſerpinæ, celebrabant ſacra Eleuſinia. Hæc vel minora erant, vel majora. Minoribus præparabantur: majoribus initiabantur. In minoribus μύσται *b*, in majoribus dicti ἐπόπται *c*: illi in veſtibulo conſiſtebant, hi admittebantur intra adytum. Minora quotannis fieri ſolere, ait Scaliger notis in Tibullum. Sed à ſe ipſo diſſidens, triennalia fuiſſe ait idem lib. 1 de Emendatione Temporum. Majora verò, ſive ἐποπτικὰ quinctò quoque anno fieri ſolita, ait notis in Tibullum, & in quincto de Emendatione Temporum, cap. *De everſis ab Alexandro Thebis Bæotiis*: nec non Animadverſionibus in Chronicon Euſebii ad an. 2147. Verùm opere ſit videre, quomodo poſt Scaligerum, & Petavium, tractet hanc quæſtionem Bullialdus Notis in Theonis Smyrnæi lib. 1, cap. 1 *d*. Oſtendit autem minuſcula fuiſſe quotannis celebrata: atque adeò & majora; ut videre eſt ex Herodoti lib. VII. Hæc tamen quandoque in annum alterum, tertiumve à ſacerdotibus fuiſſe dilata; ſi myſtas necdum ſatis eſſe præparatos putarent: ſummum tamen differri ea ſolere in annum quinctum: nec aliud colligi ex Tertulliano adverſus Valentinianos. Erant verò quinque partes initiationis, ſecundùm Theonem Smyrnæum. Prima erat καθαρμὸς ſive purgatio prævia. Neque

b Sacrorum arcana diſcentes.

c Intuentes.

d P. 217, 218, & ſeqq.

Neque enim omnes ad ſacra admittebantur, quia qui manus haberent impuras, vel vocem inarticulatam arcebantur ſacris. Itaque & apud Philoſtratum legas lib. IV, cap. VI, Hierophantam, qui Apollonium nollet ſacris initiare, hanc adferre rationem: Μὴ γὰρ ἄν ποτε μυῆσαι γόητα, μηδὲ τὴν Ἐλευσῖνα ἀνοῖξαι ἀνθρώπῳ μὴ καθαρῷ τὰ δαιμόνια· *Negabat enim ſe hactenus initiaviſſe præſtigiatorem, vel aperuiſſe Eleuſin homini impuro ex dæmonum ſocietate.*

Altera pars erat τελετῆς παράδοσις, ſacrorum traditio. Tertia ἐποπτεία, ſive inſpectio. Quarta ἀνάδεσις, καὶ στεμμάτων ἐπίθεσις, *capitis religatio: & coronarum impoſitio*: ac δᾳδουχία, facium geſtatio. Qua ſignificabatur ἱεροφαντία, ſive eſſe jam aliquem ſacerdotem, ac habere poteſtatem aliis ſacra tradendi. Quincta erat, quæ ex his exſurgere exiſtimabatur εὐδαιμονία, ſive felicitatis ſperatæ fruitio, qua quis Deo eſt charus, ejuſque fruitur familiari conſortio. Ac quinque iſtis partibus initiationis Eleuſiniæ confert deinde quinque partes contemplationis Mathematicæ. De quarta initiationis parte ſic ſcribit Appulejus lib. XI Metam. *Ac manu dextra gerebam flammis adultam facem, & caput decora corona cinxerat palmæ candidæ foliis in modum radiorum proſilientibus.* De quincta parte ſic idem eopſe libro: *Ex hinc feſtiviſſimum celebravi natalem ſacrorum: & ſuaves epulas, & faceta convivia. Dies etiam tertius pari ceremoniarum ritu celebratus, & jentaculum religioſum, & teletæ legitima conſummatio. Paucis dehinc ibidem commoratus diebus inexplicabili voluptate ſimulachri divini perfruebar: irremunerabili quippe beneficio pigneratus.* Non initiatos credebant apud inferos jacere in luto. Plato in Phædone: Ὅτι ὃς ἂν ἀμύητος, καὶ ἀτέλεστος εἰς ᾅδου ἀφίκηται ἐν βορβόρῳ κείσεται· ὁ δὲ κεκαθαρμένος τε καὶ τετελεσμένος ἐκεῖσε ἀφικόμενος, μετὰ θεῶν οἰκήσει· *Quod quicumque non initiatus inferos petit, in cæno jacebit: qui autem purgatus, atque initiatus eò ierit, cum Diis iſtic habitabit.* Etiam Axiochi auctor tribuit apud inferos τοῖς μεμυημένοις προεδρίαν a: uti & Laertius in vita Diogenis Cynici: & ſcholiaſtes Ariſtophanis Ranis.

a *Initiatis priorem locum.*

CAP. XL.

De ſymbolis & cultu Deorum, pertinentium ad Theologiam Scythicam, Sarmaticam, & Germanicam. Scriptores aliquot materiæ Theologiæ ſymbolicæ, & Concluſio.

HAbemus de ſymbolica Theologia Græcorum, & Romanorum. Ad quam antequam accederemus, egimus de ſimulachris ac ſymbolis Deorum apud Aſiaticos, & Ægyptios: à quibus Græci, ac Romani cultum Deorum acceperunt. Sequi videtur, ut aliquid adtexam de gentibus illis Europæis, quæ fuere extra Vetus imperium Romanum; eoque præ cæteris, barbari cenſebantur: quales diu Thraces; ſemper verò habiti ſunt Germani, Sarmatæ, ac Scythæ.

Thracibus antiquis Martem fuiſſe cultum, ſatis convenit. Cujus ædem apud Thracas luculenter deſcribit Statius Papinius lib. VII Thebaidos. Universè etiam de Scythis tradit Herodotus lib. IV, etſi Deos habeant complures, præcipuè tamen ab iis coli Martem, equum eì ſacrificare, Dei ſymbolum eſſe ferreum acinacen. Hunc adorari à Scythis, & inter eos à Sauromatis, ſcribit Clemens Alex. Admonitione ad Gentes, atque auctores ejus laudat Eudoxum lib. II de Ambitu, & Iceſium in opere de Myſteriis. Per hunc jurare Scythas, legas apud Lucianum in Jove tragœdo. Eſt & Pomponii Melæ lib. II, cap. I: *Mars omnium Deus: ei pro ſimulachris enſes, & tentoria dedicant, homineſque pro ſimulachris enſes colunt.* Idem quoque de Alanis legas apud Ammianum libro XXXI: *Nec templum apud eos viſitur, aut delubrum: nec tugurium quidem culmo tectum cerni uſquam poteſt: ſed gladius barbarico ritu humi figitur nudus: eumque ut Martem, regionum, quas circumeunt præſulem, verecundiùs colunt.* Etiam de Scythis ſimiliter Solinus cap. XX. Arnobius lib. VI, Priſcus Sophiſta in Excerptis Legationum a, ex Priſco Jornandes in Hiſtoria Gothica. Et convenit illud de Danis apud M. Adamum Bremenſem cap. XXX: *Cæſari miſerant gladium, videlicet capulo tenus aureum, & alia multa: pacem firmam, ritu gentis, per arma juraverunt.*

a *Pag. 50.*

Apud Maximum Tyrium ſerm. XXXVIII legere eſt, quomodo de Pœonibus Thraciæ populo ad Rhodoperi montem, & fluvium Strymonem pro Solis ſimulacro eſſe iis diſcum brevem longæ perticæ affixum. Nempe quia Sol figuram habet diſci.

Antiquiſſimum Germaniæ gentibus numen fuit Herthus, vel potiùs Hertha, de cujus etymo diximus lib. I, cap. LXII. Idem fuiſſe videtur ac Phrygibus Cybele: nempe mater Deûm: ſed Cybeles ſimulachrum conſtat fuiſſe tum lapidem informem, tum mulierem capite turrito, ſceptrum manu tenentem incidentem, curui cui leones jungerentur. At quale fuerit Herthæ ſimulachrum, ſoli erat cognitum ſacerdoti, quia vehiculo continebatur veſte contecto: nec contingere Deam alteri licebat. Nec Hertæ currum ſubibant leones, ſed boves feminæ; quo ſignificabatur terræ fertilitas. Nam bos agriculturæ eſt ſymbolum: de quo ſatis dictum lib. I, cap. XXIX. Eorum quæ de Hertha memoravimus, non meliorem poſſumus dare ſponſorem, quàm Tacitum libro de moribus Germanorum; ubi ſic ſcribit: *Reudingi deinde, & Eudoſes, & Suardones, & Nuithones, fluminibus, aut ſilvis, muniuntur. Nec quicquam notabile in ſingulis, niſi, quod in commune Herthum, id eſt, terram matrem, colunt, eamque intervenire rebus hominum, invehi populis arbitrantur. Eſt in inſula Oceani Caſtum nemus, dicatumque in eo vehiculum, veſte contectum, attingere uni ſacerdoti conceſſum. Is adeſſe penetrali deam intelligit, vectamque bubus feminis multa cum veneratione proſequitur: Læti tunc dies, feſta loca, quæcumque adventu, hoſpitioque dignatur. Non bella ineunt, non arma ſumunt, clauſum omne ferrum: pax, & quies tunc tantum nota, tunc tantum amata, donec idem ſacerdos ſatiatam converſatione mortalium deam templo reddat. Mox vehiculum, & veſtes, & ſi credere velis, numen ipſum ſecreto lacu abluitur. Servi miniſtrant, quos ſtatim idem lacus haurit. Arcanus hinc terror, ſanctaque ignorantia, quid ſit illud, quod tantum perituri vident. Et hæc quidem pars Suevorum in ſecretiora Germaniæ porrigitur.*

Suſpicatur Henricus Spelmannus in Gloſſario ſuo b, ingentia illa ſaxa, quæ in planicie Saliſburienſi conſpiciuntur, Herthi, ſive Herthæ potiùs templum indicare. *Cùm enim*, inquit, *terra orbis ſit, & in aëre pendens: hæc ipſa rudera orbicularis templi veſtigium præferunt, ſaxis aliis ita aliis impoſitis, ut pendere quadam magis videantur, quàm ſuffulciri: atque inde* Stone-heng, *id eſt, ſaxa penſilia, appellari.*

b *Voce Herthus & Herthum.*

Fream libertatis præſidem, uxorem Wodani habitam, ait Paullus Warnefridus lib. I de geſtis Longobard. cap. VIII. Wodanus autem creditur Mercurius: Frea, Venus quod & Germanica nomina, *wodens-dag*, & *frei-dag* teſtantur.

Veneris ſimulachrum apud Saxonas quale fuerit, memorat his verbis Lilius Gyraldus in Hiſtoria Deorum ſyntagmate XIII c: *Sanè fanum in Saxonia fuit, ubi tale Veneris ſimulachrum in Saxonum hiſtoriis fuiſſe legi. Stabat dea in curru nuda, myrto capite cincta, ardentem facem pectore, dextrâ mundi figuram, ſiniſtrâ mala aurea tria ferebat. poſt erant nudæ Gratiæ, nexis manibus poma geſtantes, averſis invicem vultibus dona conferentes Jugales quadrigæ aderant, gemini cygni, totidemque columbæ.*

c *P. 372. edit Baſil. an. 1580.*

Fortaſſe eadem *Eoſter* fuit veterum Saxonum Dea, cui menſe Aprili ſacrificabant: unde (ut Beda d ait) is menſis *eoſter-monath*, h.e. *ooſter-maend* nominatus, ut *ooſter-dag* hodieque dies feſti Paſchalis, ac Anglis quo-

d *Lib. de temporibus.*

que *eoſter* quia fere in eum incidit menſem. Sanè Romanis etiam Aprilis Veneri ſacer: ut ſuo loco diximus.

Germanis etiam religioſiſſimè culta fuir dea Ciſa, ſive Ziza. Sed hoc tempote non modò de effigie ejus nihil dicere habeo; verùm ne illud quidem, utrum naturale, an animale fuerit numen. Ab eo nomen, eſſe datum urbi Ciſaræ, ſeu Zizaræ in Noricis finibus, legas in fragmento illo, quòd pro Vellejano Wolfangus Lazius venditavit lib. I Commentariorum, cap. VIII; cùm revera ſit ex Chtonicis Conradi à Lichtenaw, Abbatis Urſpergenſis ad annum CIↃ C LXVII.

Saxonum Crodus, ſive Crodo, non alius videtur, quàm Græcorum Κρόνος, ſive Latinorum Saturnus. Cujuſmodi ejus effigies fuerit, dictum nobis lib. III, cap. XXXIII.

Marti à Scythis aſino ſacra fiebant: ut eſt apud Arnobium lib. IV. Imò non ſolum Marti, ſed & Jovi, ac Bellonæ; quin & Plutoni eo ſacra fiebant à Bohemis; ut dictum lib. II, cap. XXXIII. Gothi ſacrificabant homines Diis: Euodius T. Epiſcopus ſermone de Antonio I.

Boruſſis, & Samogithis (uti & Calecutenſibus) ſerpentes, ſi non ut Dii, ſaltem ut Deorum ſymbola colebantur: ſicut oſtendimus lib. IV, cap. LXIV. Quid mirum? quando ſerpens in nulla non gente, ſeu Græca, ſeu barbara, ſacer fuit. Sanè in gentium myſteriis fuiſſe, ſatis ex Juſtino Martyre, Clemente Alexandrino, Julio Firmico, atque aliis, conſtat: Nec uni numini dicatus: ut ex Artemidoro cognoſcimus, Jovi, Soli, Cereri, Proſerpinæ, Æſculapio, & Heroibus. Uſque adeo feliciter diabolo ſucceſſit, ut qua ſpecie primis illuſerat parentibus, eâ deinceps quoque gentes omnes à veri Dei cultu avocaret.

Etiam numen Germanis colebatur in ſtatua, quæ dicebatur *Ermenſul*, vel *Irmenſul*, vel *Hirmenſul*. Ac poſterior quidem vocabuli ejus pars eſt *ſul*, vel *ſuyl*, hoc eſt, columna: priori autem quid ſignificetur, non ita eſt apertum. Plerique cenſent *ermen*, *irmen*, vel *hirmen* non aliud eſſe, quàm Græcum Ἑρμῆν, h. e. Mercurium. Sed ſi ex vocabuli affinitate judicandum, poſſit videri eſſe ſtatua fortiſſimi Germanorum Imperatoris Arminii, qui Germanis *Herman*. Diximus de iſto etiam lib. I, cap. XXXVII, & lib. II, cap. XXXII. Quare nunc ſolùm adferam verba Sebaſtiani Munſteri, qui de Saxonibus agens, necdum Chriſtianâ religione imbutis, ſic illam numinis ſtatuam deſcribit lib. III Coſmographiæ, cap. CCCCXXXIII: *Merſpurgi enim fanum, & idolum, quod Irmenſul appellavere, coluerunt. Eresberg dictus eſt mons, in quo fanum illud ſtabat. Quidam interpretantur Mercurii ſtatuam: is enim Hermes dictus eſt. Sed obtinuit Martis honor, ut nunc Mersborg vocitetur. Nonnulli Irmenſul interpretantur ſtatuam publicam. Conjici permittitur, dictam Idermanſul, quaſi commune profugium, & aſylum omnium, & Martem communem, qui in prælio divagatur incertus, cujus in dextera ſignum militare noſtri vexillum vocant, præferens roſam, cujus breve momentum, & facilis ortus, & interitus; ita eventus præliorum. In ſiniſtra libram expandit, dubiam pugnantium ſortem facilè huc aut illuc inclinantem. Pectus inerme urſum præferebat, interritum bellatorum animum inſinuans. In clypeo leo, qui beſtiis imperitat, invictum ad fortia facta impetum monſtrat, floribus conſito campo, in quo ſtabat, quòd nihil jucundius videri ſolet fortibus, quam in acie virtutem oſtendere.*

Poſtremò: de Theologia ſymbolica vide Julium Cæſarem Capacium in Hiſtoria Neapolitana Tom. I, Parte I, cap. XIV, pag. 182, & ſeqq. Multum quoque proderit G. Gualterus in Antiquis Siciliæ Tabulis. De ſymbolis Deorum non pauca Clemens habet admonitione ad Gentes: ut pag. 28, & paſſim. Artemidorus ex ſymbolis ſomnia exponit. Deorum imagines, ac deſcriptiones vide lib. 5, 6, 7. ἀνθολογίας. Qui Dii ſingulis menſibus præpoſiti, recenſet Petrus Crinitus lib. VIII, cap. VIII. De animalibus Diis ſacris multa paſſim Ælianus de Anim. Animalia quæ cuique deo mactata: Sylvius in leges p. 99, 100, &c. vide & ſummatim p. 103. Animalia Diis ſacra dicta ἄφετα; de quo Victorium adi Var. Lect. lib. XXVIII, cap. XXIV.

De ſimulachris aureis Deorum in regno Siam, & ut ea non pro Diis ſed ſymbolis Deorum habeant, ſcripſit ad me amiciſſimus Colvius.

Atque hæc dicta ſunto de cultu ſymbolico: qualem etiam illum ſtatuarum primitus fuiſſe dicebatur; quia quæ è ligno, vel lapide ſimilive materie conſtarent, non venerabantur ut Deos, ſed ut divinæ bonitatis ac potentiæ ſigna. Sed paullatim, ut oſtendimus, vulgi ſtupore magis gliſcente, ſæpe etiam accedenre ſacerdotum avaritia, ac dolo, qui prius erat ſymbolicus, proprius eſſe cultus cœpit.

FINIS LIBRI NONI ET ULTIMI.

INDEX

I N D E X

Locupletiſſimus quatuor priorum librorum

DE ORIGINE AC PROGRESSU IDOLOLATRIÆ.

Numerus, paginam, littera *a*, columnam primam, *b*, ſecundam, deſignat.

A.

A in V converti. 596. a
Abaſſini arvina pro oleo utuntur in ſacris lampadibus. 408. b
Abellio idem, qui Sol: ac fortaſſe inde nomen *Apollinis*. 145. b
Abracadabra vox magica. 24. a
Abraham, & Iſaac, in Orphaicis, ſive Onomacriticis, confunduntur. 54. b
R. Abraham Avenaris Judæi de adventu Meſſiæ prædictio, jam annis cxc vanitatis comperta. 251. b
Abrahamus Patriarcha cultus ab Cæſare Alexandro Severo. 510. b
Ἀβράξας Baſilidis. 24. a
Abrech, quod Joſepho acclamatum, quam diverſè exponatur à veteribus. 82. b
abſceſſibus remedium ſunt millepedæ, & mel. 589. b
abſtractio mentalis quid ſit. 346. b. & 349. a
acanthias piſcis. 524. b
Acarnanes unde dicti. 221. a
Acca Larentia quæ, & cur ei cæleſtes honores decreti. 35. a
acceſſus, & receſſus in cœlis motus fruſtra ab Aſtrologis introductus. 183. a
accipiter ſylveſter ad annum pervenit quadrageſimum. 426. a. accipiter, & noctua, ſymbola victoriæ. 427. a. accipiter cur Ægyptiis ſit venti ſymbolum. 443. b. quod accipitrum genus velociſſimum. *ibid.* accipiter cultus à Tentyritis, ac Philæis: & quæ honoris tanti ſit cauſa. 467. b.
accipitris majoris affectus erga prolem. 434. a
accipitris amor erga noctuam. 435. a
accipitris generoſitas. 439. b
accipitris uſus in illiciendis avibus. 461. b
acervus lapidum in honorem Mercurii, & quòd mos jaciendi lapides in acervum etiam obtinuerit apud Indos, & Arabas, hodieque Mahumedanis in uſu ſit. 176. a
aceti vis in diſſolvendo ovi cortice, plumbo, aliis. 251. a. b
aceti vis adverſus ictus aſpidis. 555. a
Acheloi etymon, & ut *Achelοum* pro quavis aqua dixerint veteres. 258. a. b
Achamenii unde dicti. 132. a
Acherontia ſacra à Tagete reperta. 107. b
Acherontis etymon. 334. a
Acherontis nomine fluvius cum alibi, tum in Epiro. 265. b
Ἀχέται cicadæ quæ. 576. a
Achilles Sarmatis Deus. 68. a.
Achilles templum in Leuce. 41. b
acipenſer veterum an idem, qui ſturio noſter. 513. b
acoatl ſerpens. 552. a
acontiæ ſerpentis, ſive jaculi, in prætereuntes impetus. 547. b. Etymon, ac natura ejus. 550. a
acridophagi vitæ brevis, & ut à vermibus corroſi pereant. 597. b
actuum humanorum duo principia ſecundum Stoicos. 213. b
acuilcahuilia ſerpens. 554. a
acus piſcis. 506. b
Ada Aſſyriis Luna dicitur. 125. b
Adad, ſive Adod, Phœnicibus, & Aſſyriis, cultus. 64. a
Adad Aſſyriis Sol, quæ vox à Macrobio exponitur *unus*. 125. b. ab Adado tres gemmæ nomen ſortitæ. *ibid.*
Adad Dei ſimulachrum. 226. a
Adami Tanneri opinio; ſi ſtellæ habeant mentem, nec gratiâ exciderint, poſſe à nobis invocari. 170. b
Adamus, ſecundùm fabulas Judæorum, annis cxxx ab Eva ſeparatus, ex Naama, Obereth, Lilith, & Mahalath, dæmonas genuit. 49. b. Adam ſub variis nominibus à Græcis cultus. 104. a
Adamus an & ſomno fuerit corripiendus, ſi non peccâſſet. 328. b
Adamo, & Evæ, cur à Deo pelliceæ factæ ſint veſtes. 331. b
Adana, Ciliciæ urbs, ab Adano dicta; qui idem videtur ac Adamus. 104. a. Cur Japetos credatur Adamus. 103. b
Ἅδης unde dicatur Græcis. 99. a. 104. a
adhæreſcere alicui inſtar lepadis. Proverb. 532. a
Adon, *Adonia*, & Ἀδωνιασμός, vide *Adonis*.
Adonis, ſive *Adon*, vel *Adoneus*, ſignat dominum: unde in Scripturis *Adonai* Dei nomen, & Plauto *Ave donni*. 121. a
Ἄδωνις, vel Αἰδωνεὺς idem qui Bacchus. 121. b. Haut alius ab Oſiride. 133. a. Nempe idem, qui Sol. 120. b. ac particulatim Sol antipodes illuſtrans. 233. a. Secundum aliquos eo non Sol, ſed frumentum ſignificatur. 121. b. Adonidis fabula ab apro interemti myſticè denotat Solis in hyberna ſigna ingreſſum. 225. b. Adonide interfecto luctus Veneris; eoque reddito, gaudium Deæ quid ſignificet: nec tamen convenire, utrum Venus ſit Luna, an Veneris ſidus, hoc eſt Lucifer, vel Heſperus; vel etiam ſuperius terræ hemiſphærium: uti Proſerpina eſt inferiùs hemiſphærium. 122. a. Adonis aliter dictus *Gingras*. 121. a. Adonia feſtum. 121. b. Ἀδωνιασμὸς à propheta Ezechiele ſignatus per mulieres Thamuz plangentes. *ibid.*
adonis piſcis idem ac *exocætus*. 473. b
adoratio civilis differt à religioſa, ſive divina. 10. b
Ἅδης geminum etymon; unum ex Græco, alterum, & verius, ex Hebræo. 334. a
adulteri olim puniti Athenis, mugile in anum immiſſo. 539. b
aduſtis medicina è cancris, & buccinis. 534. b
Æaci, ab Athenienſibus culti, fanum. 40. b. item Æginenſibus. 42. a
Ægæi maris nomen unde ſit. 180. a
Ægei fanum. 40. b
Ægeus, licet filius foret Pandionis, tamen & Neptuni dictus, idque quia in mari ſit ſubmerſus. 46. b
Ægiochi nomen unde Jovi. 180. a
Ægypti, & Danai fratrum, ac de utriuſque quinquaginta liberis, hiſtoria. 44. a
Ægyptii bis adverſus Perſas rebellarunt. 88. a. b
Ægyptii regni, quæ à Manethone, aliiſque Ægyptiis memoratur, antiquitas, quomodo conciliari poſſit cum Moſe, & Scripturis. 77. b. 78. a
Ægyptii reges cur in corona geſtarint aſpidem pictam. 547. a
Ægyptii cur averſati ſint homines nigros. 276. b
Ægyptiis aquam in ſumma fuiſſe veneratione. 254. a. Cur iidem noctu potiùs hauſerint aquam ad bibendum. 243. b
Ægyptiis cur religio fuerit ſalem menſis inferre, & contrà Romani ſalis appoſitu crediderint ſacrari menſas. 256. b. Cur Ægyptiis exoſi nautæ, cur item piſcis odii ſymbolum, nec eum guſtare ſacerdotes ſoleant. *ibid.*
Ægyptiis aves non habitas pro diis, ſed ſolùm pro vivis Deorum imaginibus. 463. b
Ægyptiorum dii, Menis. 74. a. Oſiris. 74. b. Mercurius. 76. a. Hercules. 76. b. Anubis, 77. a. Pan. *ibid.* Apis, & Epaphus. 80. b
Ægyptiorum dynaſtiæ multæ non ſucceſſivæ fuerunt, ut Manetho putavit; ſed collaterales, hoc eſt, eodem tempore diverſis locis. 79. b
Ægyptiorum opinio de principio duplici 13. a. b. Eorundem opinio, quibus præcipui deorum Sol, Luna, & Vulcanus. 101. a. b
Ægyptiorum regum ſucceſſio à Cambyſe, primo è Perſis rege Ægyptio, uſque ad Darium Codomannum, regem ex ea gente ultimum. 88. a
Ægyptiorum ridicula religio, pro felicibus habentium, non modò alentes crocodilum, ſed etiam à crocodilo devoratos. 416. a
Ægyptiorum religio, qua colunt muta animantia, nisi illis, quorum figuræ inter ſidera ſunt relatæ. *ibid.* & 416. b
Ægypto unde nomen. 227. b
Ægyptum primitus vel totam, vel magnâ ſui parte, fuiſſe Nilo obrutam. 256 b
Ægyptus, nunc terra Cham, (ut Græcia Χημία) nunc terra Mitſraim dicta. 74. b
Ἀελλὼ, Harpyiarum una, unde dicta. 466. b
Æliani error, ἀστοργίας id eſſe exiſtimantis, quòd corvi pullos nido, totâque adeo regione, expellant. 429. b
Ælianus quando vixerit. 487. b. Ælianum non exſcripſiſſe ſua ex Oppiano: quod plerique ajunt. *ibid.*
Ælurus, ſive felis, ab Ægyptiis cultus. 414. b. Vide *Feles*.
Æneas ab Æneatis honore cultus divino. 41. a
Æolus cur ventis ſit præfectus. 271. b. 337. a
æquivoca, quæ Scholaſticis *analoga*, quàm variè Ariſtoteli, vocentur. 8. b
aër Cæli etiam nomine continetur. 266. b
aëris profunditas quanta ſit, ex Brahei ſententia. *ibid.* Diſtributio ejus in regiones quatuor. *ibid.* Cur Deus aëra fecerit pelluci-

lucidum, fluidum, nec non exhalationum, item caloris ac frigoris capacem. 267. a. Cur animantes aëre indigeant. ibid.
aër unde dictus. ibid.
aer cur terram vehere dicatur. 225. a
aër Græcis, ac Romanis, ἀρσενόθηλυς, quaque maris habet naturam, *Jupiter*: quatenus feminæ, dicitur *Juno*. 268. a
aër pro numine eſt quibuſdam philoſophis, imo & totis gentibus habitus. 268. b
aer Minervæ nomine cultus Ægyptiis. 268. a
aer cur frigidior in coitu Lunæ. 275. a
aër quis utilis, & quis noxius corporibus. 298. b
aër remotus cur videatur coloratus. 315. b
aër aurium interior non eſt pars corporis humani; eoque nec propriè organum eſt. 317. b
aër cujuſmodi ad cordis refrigerium exigatur. 337. b
aër inſpiratus, & exſpiratus, quantum differat. 338. b
aerem nimium è corporibus noſtris excludi utile; idque fieri duobus modis. 305 a
aëris æſtus magnus cur mortem afferat. 302. a
æris tinnitu olim laboranti Lunæ ſuccurri creditum. 149. a
æruſcatio magnæ matris. 252. a
Æſchylus quo fati genere perierit. 420. b
Æſculapii, Amphiarai, &, ſi Maronem audimus, Faunii templo incubare ſoliti, ut remedium edocerentur pro morbo, &c. 331. b. 332. a
Æſculapii templum Carthaginenſibus, & unde eum habuerint cultum. 91. b
Æſculapius Epidauri primum cultus. Horum exemplum ſecuta mox reliqua Græcia. 39. a. Item Romani. Ejus ætas. 39. b. ambraciæ cultus in oppido. ibid. cur extra urbem alioqui coli ſoleat. 39. a
Æſculapius Romanis qua occaſione templum, & ubi, acceperit. 33. b
Æſculapius cur à Jove fulmine percuſſus credatur. 137. a
Æſopi hiſtrionis, & filii ejus, immanis luxus. 456. a
æſtus marinus cur unâ horâ tardiùs redeat quotidie. 148. a
ætas cygni, pſittaci, anſeris, accipitris, pavonis, carduelis, phaſiani, galli, columbæ, paſſeris; & cur plurimæ avium ſint naturæ adeò vivacis. 426. a
ætatum hominis diſtinctio, ſecundùm Varronem 300. b. ſecundùm Solonem, per ſeptenarios. 301. a
æternitas quid Severino Boethio. 5. a
æthera, maximè ſupremum, in Theologia naturali *Minervæ* nomine intelligi: ſed unà cum æthere comprehendi aëra proximum, & mentem humanam ætheri, atque aëri, ſubjectam: quia pro iſtis variat ingenium, prudentiaque hominis. 200. a
Æthiopes alii orientales, alii occidentales. 84. b
Æthiopia duplex, Orientalis in Aſia magna, & Occidentalis ſub Ægypto: ex priori fuit conjux Moſis, ut cum fuiſſe dicitur è terra Chus, Arabiſſa intelligatur. 256. a
Æthiopibus Sol cultus. 535. b
Æthiopum Dii. 89. b
Ἀερία, partis Ægypti nomen, à flumine Ἀετῷ ſic dicta. 77. b
affectus, & appetitus, quomodo differant. 333. b
affectus non eſſe opiniones, oſtenſum contra Stoicos. ibid. non rectè per ſpirituum, & humorum commotionem definiri. ibid. cùm in affectibus actio, & paſſio, concurrant, cur à poſteriori potiùs πάθη vocentur. ibid.
affectus ratione vinci poſſe, etiam ab improbis, licet difficulter. 334 a. In iis regendis conſiſtere prudentiam, & virtutes morales; eoque perperam tolli à Stoicis. ibid. ſedes affectum cor, pro cujus ratione etiam variant affectus. 334. b. uti & pro duplici appetitu, concupiſcente, & iraſcente. 335. a. b
Afri hodieque ignem colunt. 241. b
Afris quibuſdam aër pro numine. 268. b
Afrorum Dii. 98. a. b.
Afrorum circa Nigritas miſerabilis exitus: ut qui corroſi à vermibus pereant. 597. b
Ἄγαλμα ἐμφανὲς Maximo Tyrio quid ſit. 239. a
Agamemno Laconibus cultus. 39. a
Agdiſtis, ſive Agdeſtis, nunc lapis, nunc juvenis ex eo natus, nunc ipſa Cybele. 58. a
Agellii lectio contra Locnſem defenſa. 203. b
Ageſilaus de Plutone. 53. b
Aglabelus, & Malachbelus, dii Palmyrenorum, id eſt, Sol, & Lunus, qui idem ac Luna. 224. b. utrùm Aglabelus Palmyrenis Sol ſit, an Luna. ibid.
Aglibolus, & Malachbolus, Arabum, vel ſaltem Palmyrenorum dii, & unde nomen acceperint, conjectura noſtra. 73. b
Agrauli, Cecropis filiæ, templum. 39. b. Cypriis humanâ colebatur victimâ. 61. a
Agriophagi populi leonibus & pantheris veſci ſoliti. 372. a
Ἀχώνυρος, ἢ Ἀχέιμι, Phœnicum Deus, quis. 61. b
Αἰάντεια, feſtum Ajacis Telamonii. 42. a
Ajax Salaminiis cultus. ibid.
Αἰγὶς unde dicta. 406. a
Αἰγοθήλας. 438. b
αἶγες, & τράγοι, unde nuncupentur. 187. b
Αἰώρα, feſtum in honorem Erigonæ inſtitutum. 40. a
ἄκμων, ἀκμονίδης, qui dicantur. 188. a
ἀκρίδας perperam apud Theocritum reddi *cicadas*, & quid errori huic occaſionem præbuiſſe videatur. 776. b
Alabandi cultus. 61. a
ἀλαλαγμένις. 50. a
alauda an morbo proſit colico. 459. a
Albani tantùm abeſt, ut coluerint defunctos, ut iis nec fas illos fuerit nominare. 94. a
Albanorum natio etiam in tenebris cernere creditur. 314. b.
Albertus M. vultures, & aquilas, ſæpius confundit. 422. a
alborem magis nigritia videri, & quæ ejus ratio ſit. 315. b
Albumaſaris prædictio vanitatis jam annis ei compertiſſima, religionem Chriſtianam non ampliùs duraturam, quàm annis cIↃ ccccXLIV. 211. b
Albumaſaris, & Aponenſis, abſurda opinio putantium à conſtitutione Jovialis ſtellæ dependêre, ut certò exaudiantur, qui ſapientiam expoſcunt. 180. a
albus unde. 500. b
Alcathoi veneratio à morte. 40. b
alcis vis in ungulis. 380. a
alcis celeritas. 392. b.
Alcmenæ fanum. 40. a
Aldrovandi incogitantia. 421. a
Aldrovandi opinio de Ciceronis loco rejecta. 508. a. Idem deceptus, cùm Ariſtotelem ait putare, cicadas non excernere. 565. b
Aldrovandus ut rei metricæ incurioſus notatur. 450. b
aleæ in ludo nihil fieri fortuitò; ſed cur hic jactus ſic, aliter alius ſe habeat, cauſſam per ſe eſſe à natura jactus, ſive ut manu hominis jacitur, ſive ut à cauſſa adſiſtente dirigitur. 201. b
alembici etymon. 237. b
Alexander M. cultus Ionibus. 60. a. Macedonibus. 41. b
Alexander Magnus pro Deo haberi voluit. 296. a. cur in Danielis Prophetia comparetur pardo. 391. a. ejus διάδημα unde 321. a
Alexandri Magni, & Cæſaris Auguſti, aræ ad Boryſthenem. 105. b
Alexandri Aphrodiſienſis de fato ſententia. 205. b
Alexandro Aphrodiſienſi nemo Græcorum, Latinorum, Arabum, melius Ariſtotelis mentem perſpexit. 3. a
alfiero Hiſpanicum unde. 546. a
alimentum cujuſmodi, quo ordine, & quantum aſſumendum. 298. b
alites, quæ loqui diſcunt, latioris eſſe linguæ, & propriam mandibulæ ſtructuram habere. 446. a
Alitta, vel Alilat, Arabibus Luna, & unde hæc veniant, conjectatum. 155. b
alopeciæ unde nomen, & unde is morbus. 404 a. & 409. b
alopeciæ remedium ex piſcibus. 525. a. eidem medicina à cantharidibus, & muſcis. 587. a
aloſæ piſcis caro qualis. 513. a
Alpes unde dictæ. 99. b
ἀλφηστὴς piſcis. 506. b
Alpheum in Arethuſam influere, vetus eſt opinio; ſed falſa. 262. b
aluminoſa aqua conducit paralyticis. 251. a
ἀλωπίδιος. 406. a
alvo ſiſtendæ, aut ciendæ, qui piſces conducant. 530. a. b.
alvum ſolvi cochleis, & melle, vel mulſo. 583. b. procidentiam alvi, & condylomata, ſanari cochleis, & araneis. 584 a
Amanus, ſive Omanus, non tam ſummum numen, quàm ſymbolum illius, Perſis deſignat; nempe ignem inextinguibilem. 132. a. apud Cappadoces Omani ſimulachrum in pompa ferebatur. 133. b. 134. a
Amaſis in leone cultus Alexandrinis. 416. b
Amati Luſitani de ſede riſus opinio rejecta. 359. a
Amathus urbs Phœniciæ, & Cypri. 63. b
Ambroſii non eſſe commentarium in epiſtolas Paulinas, neque Gelaſii Cæſarienſis eſſe: verùm Hilarii, diaconi Romani. 26. b
amen diverſum quid ſignat Latinis, Græcis, Syris. 24. b.
Americanorum aulæa artificioſiſſima, aliaque opera plumatilia ex perexiguarum avicularum plumulis. 432. b
amiæ etymon geminum. 511. b
amiarum, ſive troctarum pugna cum delphino. 494. a
Amilcar Pœnus, qua occaſione diis adſcriptus à ſuis. 91. a
Amilcas, dux Carthaginenſis, virtutis cauſa in deos relatus. 136. a
Amilcas, Imilco, & Imilce, unde nomen acceperint. ibid.
Ammineum vinum, non *Taminium*, ſcripſiſſe Maronem. 534. a
amoleti etymon. 558. a
Ammon Arabibus quidem conſulebatur; non tamen fanum ei ſtatuerunt. 70. b
Ammon unde dictus. 74. b. cur cornutus fingatur. 75. b. etiam Indis cultus. 89. b
Ammon, unde Ammoniæ nomen, cujus & ſitus ſignatur, aliter Jupiter, vel Deus Libycus dicebatur. 134. b. origo hujus numinis. ibid. de qua Græcorum refellitur opinio. 135. a. cur Ammon Sol occidens crederetur. ibid. Templum etiam habuit in Meroe, etſi minùs frequentatum. ibid. quid cornua arietina ſimulachro, ejus affictа ſignificent. ibid. & *Ammonis cornu* eadem gemma, quæ & *Garamantis*, vel *Carchedonius*. 135. b
Ammonia Ægyptus dicta ab Ammone; imò tota Libya ab eodem ſic nuncupata. 134 b.
Ammonis Oraculum eſſe Chami, filii Noë; quod, exoriente ſalutari Euangelio Jeſu, minus minuſque conſuli ſolitum. 89. b
amor prolis in cunctis animantibus, & unde ille ſit. 387 a
Amphiarai fanum Athenis, & Oropi. 40. b. ac Thebis. ibid.
Amphilochi, & Mopſi cultus apud Cilices. 61. a. ætas eorum. 61. b
Amphilochus in quibus Græciæ civitatibus cultus. 39. b
Amphion quando vixerit. 49 a
amphisbæna cur ante ſerpentium alios hibernas deſerat latebras. 545. a. cur ἀμφίσφαλος vocetur. 548. a. ſymptomata eorum, qui ab ea morſi ſunt. 549. b
Amphitrite unde dicta. 260. a

Anxcea

Anaces etiam alii præter Tyndaridas. de etymo horum falſi Euſtathius, & Plutarchus. ſic enim videri vocatos ab illis Anakim, de quibus Moſis, & Joſuæ libri. 38. b
ἀνάδρομοι ἰχθύες. 501. b. ἀναδρόμων piſcium natura. 512. a. b
Anea eadem ac Anaitis, id eſt, Luna. 153. b
Anaitis Medis & Perſis Luna. 142. b
Ἀνακεῖον templum Dioſcurorum. 40. b
Anapus, & Crimiſus, Siciliæ amnes in ſummo frigidi, in imo calidi. 248. a
anatis caro ſuccum gignit melancholicum, & de hac Catonis majoris judicium rejectum. 455. a
Anaxagoræ Deus incorporeus. 5. a. Anaxagoras, & Socrates, cur ἀσεβείας damnati. 2. b
Anaxagoras cur impietatis damnatus. 193 b
Anaxilai ludicra. 16 b. 17. a
Anaximeni Mileſio aër fuit Deus. 268. a
anchorago Caſſiodoro idem ac *ſalmo*. 512. b. unde vox *anchorago*. 513. a
Anderena mater. 219. a
Andreæ Schotti de *Origenis* nomine opinio improbata. 133. b
Androcrates Platæenſibus cultus. 41. a
Androgeonis Athenis cædes. 45. a. ejuſdem cultus. 40. b
Andromeda an eadem ac Κητώ. 65. b. ejus fabula poeticè & hiſtoricè enarrata. 84. b
Angeli originis pariter ac temporis principium habuerunt, contra quàm viſum Ariſtoteli. 18. a. ſed, quando producti, parum convenit inter veteres Theologos. 18. b. Angelos ſuo modo corporeos eſſe, non modo philoſophi, ſed & multi ſanctorum patrum crediderunt. 17. b. Angelicæ naturæ præſtantia in quibus conſiſtat. 19. a. Angelici intellectus perſpicacia ad præterita, præſentia, futura, ſe extendit; non tamen omnia. 19. b. potentia iiſdem magna tribuitur in rebus exſequendis: quo & velocitas pertinet; unde alæ eis tributæ. 20. a. b. Angeli cur non aliis, quàm homines, inſtrumentis utentes, tamen multis partibus majora, quàm homines, poſſint. 19. b. Angelorum officium conſiſtit in triplici miniſterio; ac de eo gentilium & Chriſtianorum ſententiæ conferuntur. 20. b. Angeli cuſtodes ut ſingulis hominibus ita & integris populis appoſiti. 21. a. Angelorum religioſus cultus è Scripturis, & patribus antiquis, refellitur. 25. a. b. is obtinuit in Phrygia, cujus civitas Coloſſi. 25. b. ſimulque oſtenditur, quod cultus genus Angelis conveniat. *ibid.* Angelolatrarum defenſioni quod colant eos velut ſequeſtros & ſuffragatores ad Deum, occurritur verbis ſcriptoris antiqui. 26. a.
Ἀγγελολατρείας cauſæ. 19. a. b. Angelicorum hæreſis unde nomen acceperit. 27. a
anginæ remedium ex hirundine. 458 a
anginæ remedium ex piſcibus. 527. a
Angicia, *vide* Anguicia.
Anglicæ lanæ bonitas à duabus cauſis provenit. 404. b
Anguicia Dea eadem ac Medea. 507. b. unde hoc nomen. *ibid.*
anguis, & *ſerpentis* vocabula quomodo differant, & unde deriventur. 542. b. angues cur pilis careant, vino gaudeant, hieme ſub terris deliteſcant, æſtate etiam diutiſſimè citra cibum aſſerventur. 544. b cur item hieme non exſerant venenum. 545. a. quas *exuvias*, vel *ſenectam anguis* dicimus, non eſſe nativam ejus pellem. *ibid.* b. ut fœniculi, vel marathri uſu viſum recuperet, & cur ſe juniperi ſpinis ſcabat. *ibid.* de angue Indico, compreſſu arboris ſeſe interimente. 554. a. per loca ſerpentibus infeſta quàm cautè iter ſit faciendum. *ibid.* Loca anguibus ſcatentia etiam plantas pro remedio producere. *ibid.* b. ſalivam hominis inprimis præſidio eſſe adverſus ſerpentes. 555. b. Magno divinæ providentiæ argumento fieri, ut terra ſerpentem homicidam non recipiat; ſed ille diu noctuque vagus fiat; ſi veteribus fides. 575. a. de anguium triplici uſu, ratione alimenti; medicamenti, & amoleti. *ibid.* & *ſeqq.* Vide *Serpens.*
anguillarum generatio unde ſit, aliter, quàm à Plinio, explicatum. 470. b. anguillarum coitus cujuſmodi. 471. a. ætas. 472. b. anguillæ, & murænæ, cur diutiùs extra aquam vivant. 500. a. de quo Rondeletii opinionem Scaliger variè impugnat. *ibid.* anguilla menſarum Helena, præſertim Copaïs, & cur betâ condiretur. 514. a. anguilla paluſtris. 516. a. anguillæ tergis olim cædebantur prætextati à pædagogis; & quæ rei hujus cauſſa fuerit. 539. b. eædem ano equorum cur ab impoſtoribus immittantur. *ibid.* anguillæ apud Ægyptios cultus ab Antiphane, & Anaxandrida Comicis, facetè riſus. 441. a. b
ani remedia è piſcibus. 530 b
anima humana ſpiritualis eſt naturæ, & αὐτοκίνητος. 28. b. 29. a. non componitur ex elementis. 29. b. animæ immortalitatem ex Philoſophis gentium negant Epicurus, & Dicæarchus; aſſerunt Thales, Pherecydes, Plato. 28. b. Ariſtotelis de eo ſententia, item Stoicorum. 29. a. ac argumenta aliquot pro animæ immortalitate. 29. b. animæ immortalitas conſenſu gentium credita fundamentum erat erronei cultus, qui iis à gentibus præſtitus fuit. 28. a. animæ heroum ubi loci vulgo, præcipueque à Philoſophis, olim ſint conſtitutæ. 111. a. animæ defunctorum à gentilibus cultæ. 38. a. b. 109. a. animarum ſive hominum defunctorum cultus quibuſdam gentibus receptus, quibuſdam non. 31. a. b. partim introductus authoritate privata, partim publica. 31. b. animarum ſive defunctorum cultus refellitur, cùm qui iis exhibetur tanquam diis. 109. a. b. tum qui illis tanquam mediis inter deos & homines præſtatur. 110. a. b. item inter mediatorem Chriſtum & homines. 112. a. invocationi adverſari, quod nec natura, nec gratioſa Dei revelatione ſciant omnia. 111. b. 112. a
anima unde dicta. 267. b
anima cæli an habeat facultatem ſenſivam. 195. b. anima cæli, ex Peripateticorum opinione, præſtantior eſt animâ humanâ, quia hæc non intelligat, niſi receptione ſpeciei: illa, per eſſentiam. *ibid.*
animæ, quæ cælitus in corpora mittuntur humana, dum per Saturni orbem deſcendunt, creditæ ab eo accipere vim ſublimia ſpeculandi. Corporibus etiam ſolutæ ab eodem putabantur eò remitti, unde venerant. 180. b
animæ facultatum diſtinctio ſecundùm Chaldæos, ſive Aſtrologos, & ut cuique præfecerint unum planetarum. 209. b
animæ corpori nubentis antiſtes Luna; corpore excedentis, Proſerpina, ſecundùm Porphyrium. 165. a
animæ poſt exceſſum cur *apum* tribuatur appellatio. 165. b. anima triplici elemento expurgari credita à Theologis gentilibus. 141. b
animales Dii qui dicantur. 32. a
animalia terreſtria ab aquatilibus ejuſdem nominis, & robore vinci, & magnitudine. 494. b
animam rationalem homini principium ac cauſſam eſſe triplici ratione. 340. a. doctrinæ de anima utilitas in pluribus diſciplinis. *ibid.* b. Joannis Philoponi de anima opinio proponitur, & paucis excutitur. 341. b. animæ ſenſitivæ ſedes ab Hippocrate non in cerebro, ſed in corde ſtatuitur, contrà quàm putabat Galenus. 324. b. idem de Platone evictum. 325. a. Ariſtotelem idem ſenſiſſe, contra Foxum probatur. *ibid.* aliorum philoſophorum opiniones de ſenſus ac mentis ſede adductæ, & Ariſtotelis [illegible] de ſede cordis conciliatum. *ibid.* ut multi è philoſophis crediderint, animam eſſe elementalem. 340. b. animæ & angelorum corporalitas à nonnullis SSorum Patrum aſſerta, laxiùs *corporis* voce acceptâ. *ibid.* animas unde in corpora immitti philoſophi veteres putarint. 341. b. anima cum à veteribus divinæ particula auræ diceretur, particulam animæ mundanæ intellexerunt. 277. a. animas, ex Ariſtotelis mente, mortales eſſe, vel ſaltem philoſophum ſuper eo fluctuaſſe, ac pugnantiſſima docuiſſe. 341. a. animam, & ſpiritum differre in nobis, nonnulli etiam ex Theologis vetuſtis ſtatuerunt: illam enim mortalem eſſe, hunc ſolum immortalem. 342. a. qua occaſione poſtmodo hæc opinio fuerit damnata. *ibid.* b. animas ſimul cum corporibus perire, attamen extremo reſuſcitari judicio, Arabicorum erat opinio. *ibid.* animas noſtras non ſolum à morte ſupereſſe; ſed etiam æternùm ſuperfuturas, argumentis è Scripturis adſtruitur. 343. a. comprobatur idem è natura, à gentilibus pariter, ac Chriſtianis. *ibid.* item ex traditione. *ibid.* Platonis, & ejus ſectatorum opinio, animam eſſe hominem, refellitur. 344. b. utrùm anima rationalis ſit hominis forma, an potiùs conjunctio animæ, & corporis in unam eſſentiam. *ibid.* utrùm anima ſic corpori jungatur, ut tota ſit in qualibet totius corporis parte; an in ſolo cerebro; aut corde. 345. a. ut Pythagoræi crediderint, non cujuſvis hominis animam, in cujuſlibet beſtiæ corpus commigrare; ſed ejuſmodi animantis, cujus ingenium, ac mores, vitæ conveniant anteactæ. 347. b. animæ rationalis facultates duæ; una Intelligendi, Volendi altera. 348. a. eæ reipſa ab anima differunt; inter ſe vero non niſi conſiderandi modo. *ibid.* b. nihil opus eſſe his ſuperaddere tertiam, Memoriam eorum, quæ ſolâ ratione percipimus. 351. a
animantia cur cum dormiunt ronchos edant. 316. b. animantium tum animæ, tum corpori, quàm multa inſint, quæ nos accendere debeant ad Deum laudandum. 362. b. animantium quædam, ut lepores, cervi, mures, & alia, cur ſic paveant. 392. a. & quæ longitudinis aurium in nonnullis, ut lepore & aſino, cauſa fuerit. *ibid.*
animatum non ſemper præſtare inanimo, cùm potius ex fine ac bono univerſi æſtimanda ſit rei cujuſque excellentia. 198. a
Anius, ſive potius Alius, Elienſibus pro Deo habitus. 39. a
Anitis ſive Anaitis aliis Diana, aliis Venus, & quomodo hæc concilientur. 154. a. Hæc etiam culta à Parthis. 155. a
Anna Perenna unde dicta. 263. b
Annæ Bovillanæ honores. 37. a. Annæ Perennæ quale numen, & origo rituum in ejus ſacris. 36. a
anni dynaſtiarum, quas Manetho tradit, non ſunt expliciti ſeu Chronologici; ſed impliciti, & cum aliis concurrentes. 79. b. Scaligeri opera in digerendis iſtis annis defenditur. 80. a. annus Ægyptiacus triplex; Lunaris, Canicularis, Solaris. Lunaris menſtruus, vel quatuor menſium. 78. a. Canicularis, vulgaris, vel eſt dierum ſolum CCCLX, vel præterea dierum quinque intercalarium, quarum quæque numini ſit dicata. *ibid.* à vulgari diverſus triplex; magnus, major, maximus. 78. b. magnus fuit quatuor Julianorum, de quo Scaliger defenſus contra Petavium. *ibid.* Hoc exacto, creditum eandem rerum faciem redire; quod Græcos primus docuit Eudoxus. *ibid.* major annus tot annorum, quot Julianus dierum. 79. a. maximus annorum fuit CIↃ CCCCLXI. *ibid.*
Anno Carthaginenſis ut ſpe exciderit, cùm Deus haberi vellet. 296. a. annus ſeptenarius corpus, novenarius, animum creditus immutare; ac ille propterea Apollini, hic Muſis ſacratus. 301 a. anni ſexageſimi tertii cur minorem eſſe potentiam exiſti-

exiſtiment aliqui, quàm quadrageſimi anni, vel octogeſimi primi. *ibid.* b

annuli uſus in ſignando quàm vetus Hebræis. 591. b. item Ægyptiis. *ibid.*

annum ſemper eſſe æqualem, ſi cum Babyloniis, & Ægyptiis, motum Solis annuum compares cum ſtellis fixis. Si cum punctis æquinoctii, item ſolſtitii, brumæque, eſſe inæqualem. 117. b

annus duplex Lunaris, & Solaris; & cur anno unoquoque tardiora ſint novilunia ac plenilunia diebus xi. 184. a

annus Platonicus quantus, 183. b. annorum is circuitus felicitati, vel infelicitati animarum creditur præfinitus. 206. a anni magni converſionem indicare putatur conſpectus Phœnicis. 209. a

anſer etiam ſexageſimum excedit annum 426. a. anſerinæ pennæ cur celeriùs abſumantur aquilinis. 431. b, anſerum & olorum agminatim commeantium ſolertia. 430. b. anſeris amor erga Lacydem philoſophum. 435. a. anſeres pedibus ſuis è Morinis Romam eunt. 442. a. b. anſeres altiles ac fertiles, quos Δυρείας dixere, olim in pretio fuiſſe. 455. a. alæ anſerum laudatæ, ſed ſic ut alis gallinarum cedant. *ibid.* Jecur anſeri exemtum lacte & mulſo augebant: vivi autem anſeris, paſcendo eum pinguibus ficis. Quin jecur anſeri exemtum ſic anxerunt, ut majus ipſo fieret anſere. Et quis primus hoc artificium invenerit. Quis item modum torrendi palmas anſerinorum pedum. *ibid.* anſerinus adeps paralyſi medetur. 457. b

antaceus piſcis, & unde vocabuli origo. 518. a

anthiæ piſcis aſtus. 489. b

antho avi, vox equi. 444. b. quæ cauſa inimicitiæ inter anthum, & equum. *ibid.* anthum eſſe, quem Galli Phaſianum *bruantem* vocant. *ibid.*

ἄνθρωπος ſi à ſuſpiciendo dicatur, id potiùs capiendum eſſe de oculis mentis, quàm corporis. 373. b

ἀντιάδες idem, ac παρίσθμια, & quæ iis medeantur. 527. a. b

Antigoni Sochæi dictum, unde origo præbita Saducæorum ſectæ. 28. a

Antigoni Regis conſilium, ut unà cum elephantis alerentur ſues. 358. a

Antinous, deliciæ Hadriani, inter numina relatus. 38. a. fuit in Diis Ægyptiis. 89. a. cultus à Mantineenſibus. 39. a

ἀντιπάθεια an duret in corio lupino, & ovillo, imò, ut vulgò volunt, etiam chordis ex inteſtinis utriuſque animantis. 388. a

Antipatri Tharſenſis de reginâ Gatide, quæ nulla fuit, ſententia refellitur. 65. a

Anthiſthenis opinio de Deo. 5. a

Antonii Delrii geminus error. 354. a

Anubidis ætas, & cur canino fingatur capite. 77. a

Anubis quorum proles, & cur capite fingeretur canino. 257. a

Ἄωος fluvius, qui aliis Νοῦς. 252. b

anxii admodum, cur ſudent, interdum & excrementa emittant inviti. 327. b

Aphacitis Venus culta in Aphacis inter Heliopolin, & Biblum. 184. b

Ἀφαία, ſive *aphaa*, Diana. 51. b

Ἀφροδίτη unde dicta ſecundùm Ariſtotelem, & cur fingatur orta è prolibus cæli in mare projectis. 164. a

apes an ſine concubitu pariant. 561. a. num univerſæ, an rex ſolus, ſemen genitale fundat. Item quo pacto, & quo ordine, ex ſemine illo apis gignatur. Deque apis etymo. *ibid.* eam plus minùs ſeptennio vivere, ad ſummum decennio. 563. b. apum cibus. 565. a. cur magis vorent mel, ſi ereptum id eamus. *ibid.* cur, amiſſo aculeo, non diu ſupervivant. 566. a. quaſdam eſſe aculei expertes. *ibid.* obtuſo eſſe viſu. *ibid.* b. eaſdem, contrà quàm Aquinati traditum, auditu eſſe præditas. 567. b. an nocte ea, qua natus eſt Jeſus, magis quàm aliàs, bombos edant. *ibid.* apes è longinquo odorari mel, thymum, & ſimilia; & quod iis ſit odoratus inſtrumentum. *ibid.* de apum prudentia in fabricando alveari: deque tota eorum πολιτεία. 568. b. de equo ab apibus interemto. 569. b. ut obſidentes, apibus immiſſis, obſidionem ſolvere coacti ſint. 570. a. cur S. Scriptura hoſtes comparârit apibus. *ibid.* credi apes lapillo ſe librare, ne vehementiori vento auferantur. *ibid.* ſolertia earum in labore, & quiete. *ibid.* munditiei ſtudium. *ibid.* apes è juvencis, ut fuci ex equis. *ibid.* b. de examine earum à Samſone reperto in cadavere leonis. *ibid.* dilectio earum inter ſe mutua. *ibid.* cur apes diutiùs vivant, quàm inſectorum aliis. 571. a. apum quarundam ictus in novo orbe quàm moleſtus. 597. a

apex unde dicatur. 561. a

Apiæ nomine tellus Scythis culta. 235. b

apicius quàm delectatus ſit ſquillis. 519. b

Apis geminus; unus Argivus, alter Ægyptius. 43. b. Ægyptius bis à regibus Perſicis malè habitus. 88. a. Apis non eſt idem ac Epaphus, contrà quàm Herodotus, & Græcorum alii, putarunt. 80. b. Lunæ ſacer Memphi. 82. a. unde nomen acceperit. *ibid.* Apis ſymbolum Patriarchæ Joſephi. 75. a. b. qui etiam à Moſe *bos* vocatus. *ibid.* Apim Argivum, & Ægyptium, Græci, & ab iis decepti Theologi noſtri, confundunt. 83. a

Apis Memphitici duo thalami; quorum læta unus, alter dira ſignificat. Reſponſa dat cibum capiens è manu. Germanici Cæſ. manum averſatus, qui poſtea extinctus. Aliaque de honore, quo colitur. 414. a

ἄπεδες, veriùs χαμαίπεδες, & cur κύψελοι vocentur. 442. b

Apollinis etymon triplex. 136. b. Apollo fortaſſe ex eo, quia Sol Cretenſibus Ἀβέλιος appellatus. 145. b

Apollinis Delii ara cornea. 408. b. Apollo ἐγγενέτης. 299. b. Apollo Μυρικῖνος, & Σμινθεύς. 418. b

Apollo antiquiſſimus Jubal Moſis. 49. a. Apollinis Ægyptii repertum laurus. 76. a. Apollo Delphinius. 95. b. Apollo, Diana. Dis, à Gallis culti. 99. a. Apollo Μαλεάτης. 77. a. Apollo quis ille, quem Laomedon fraudavit mercede pacta. 47. a

Apollo idem qui Sol, veterum judicio. 136. a. Quare Jovis & Latonæ filius dicatur. 136. b. cur in Delo natus tradatur. *ibid.* quamobrem intonſus fingatur. *ibid.* cur cirros ei ſoleant offerre, ſimulac barba ſuccreſceret. *ibid.* cur credatur medicinæ auctor, & Æſculapii parens. 137. a. Quamobrem Cyclopes dicantur ab Apolline occiſi, & ipſe relegatus in terras Theſſali regis pecus paviſſe Admeti. *ibid.* quare divinationis præſes exiſtimatus: eamque à Pane putetur didiciſſe: & cur Calchantis Homerici avus habitus. *ibid.* quamobrem poëſeos, & muſices inventor habeatur. 137. b. cur Lini & aliorum Muſicorum parens habitus. *ibid.* quare arcum, & ſagittas reperiſſe exiſtimetur. *ibid.* cur ſacratæ ei laurus, & olea; cygnus, cicada, & corvus; item lupus. *ibid.* Apollinis Iſmenii, & Galaxii ſacra, eorumque ritus explicatus. *ibid.* Sacra Apollinis in Delo celebrata quincto quoque anno. *ibid.* cur dictus Ἀγυιεύς. 159. a.

Ἀκερσεκόμης, & Χρυσοκόμης. 136. b. Λοξίας. 137. a. Λύκιος. *ibid.* Νόμιος, & paſtor ab Amphryſo. *ibid.* Θύραιος. 144. a

Apollodorus bis emendatus. 44. a. iterum. 99. a

Apollonii interpres correptus. 262. b

Apollonii Tyanæi dolus ſimulantis ſe avium linguam intelligere, ut ſic Epheſios faciliùs ad concordiam redigeret. 354. a. hunc Apollonium, magnum fuiſſe impoſtorem. *ibid.*

apoplecticorum, & ſtrangulatorum mors cujuſmodi. 302. a

Ἀποθέωσις, Cæſarum, Auguſtarum, item aliorum apud Romanos. 37. b

apparitionum Dei quatuor genera. 30. b

appetentiæ dejectæ conducunt ſquillæ aſſatæ, item oſtreæ. 519. a

appetitus naturalis, & animalis diſcrimen. 333. b. appetitus ſtomachi, fallax menſura cibi aſſumendi. 304. a. quomodo appetitus ſenſivus excitetur. 333. b. quomodo ab affectu differat. *ibid.* de triplici motu ad appetitum concurrente. *ibid.* appetitus concupiſcentis & iraſcentis diſcrimen, deque affectibus ad utrumque pertinentibus. 334. b. appetitus ſenſivus, & rationalis, quo pacto differant. 351. a

Appuleji lapſus de pſittaci quinis in pede digitis. 446. b

aprorum in dentibus vis ignea. 378. a

aprugna inter lautitias. 396. b & quæ partes in apro ſaporis gratiâ maximè commendari ſoleant. *ibid.*

apua unde dicatur. 561. a

apuarum genus nunquam non proveniens citra coitum; idque ex ſpuma maris, à quo etiam nomen acceperint. 470. a. Interim & alia eſſe apuarum genera, quæ è piſcibus gignantur. *ibid.* b. apuarum caro qualis. 508. a

apum appellatio tributa animæ defunctorum, ſecundum gentium Theologos. 165. b

aqua etymon. 258 a. b

aquæ natura: ubi conſideratur, cur ſupra cæleſtes orbes collocatæ ſint à Deo. 192. a. De aquis ſublunaribus tum generatim actum, tum quatenus locis diſtinguuntur. Generalia ſunt iſta, quanta ſit latitudo aquæ, ſi cum terra comparetur. 244. a. quo die, & fine, Deus aquas à terris diſcreverit. 244. b. cur montes oppoſuerit litoribus. *ibid.* aquarum vis in res inanimas, ut injecta vertendi in lapides, vel ſe ipſas ſic durandi, ut ex iis lapides fiant ſtructuræ idonei, & ratio eorum naturalis. 248. b. ut quædam aquæ aliis ſupernatent, imò & innatantes jungant, & quæ rei iſtius ratio ſit. 249. a. quædam colorem inde bibentium mutant, præſertim in pecudum pilis, alicubi etiam in hominum cute. 249. b. aquarum ſalubritas quibus dignoſcatur indiciis. 250. a. aquæ calidæ medicamentoſæ. 250. b. 251. a. & an ſint, quæ juventutem inſtaurent. 251. b. aquarum quædam noxiæ ſunt corporibus. *ibid.* aqua cur, calce infuſâ, incaleſcat. 237. b. aquæ cur in tantum adſcendant, ut in montium jugis fontes oriantur. *ibid.* cur aquarum ab eadem origine manantium aliæ fervidæ, aliæ tepidæ, aliæ frigidæ. 238. a. aquarum utilitas. 243. b. ac aliæ animis, corporibus aliæ ſalutares. 253. b. aquarum, quæ bibuntur, genera quinque. 247. b. in fontanis ſunt Ciceronianæ: & de virtute earum, qua oculorum vitiis creditæ mederi. 251. a. aquæ pluviæ, & nivales cum crudæ, tum decoctæ, item ex grandine, vel glacie liquefactæ, quo diſcrimine ſalubritatis diſtent. 250. b. aquæ fluviales cur paluſtribus præſtent. 253 a. in fluviatilibus eſt Nili aqua. Hæc recens hauſta eſt inſalubris, percolata autem ſalubris. 250. a. aquas eſſe puteales, quæ vel Oceani æſtum æmulentur, vel motu ferantur contrario: & quæ cauſſa ejuſce rei videatur. 253. b. Hactenus de natura aquarum: ſupernaturale illud, cur gratia Spiritus Sancti aquæ comparetur in Scripturis. 243. b. ſequitur de cultu. Aqua divino honore culta, teſte etiam eo, qui Salomonis Sapientiam ſcripſit: & cur hoc non dicat ἁπλῶς de aqua, ſed aqua violenta. 254. a. in cultoribus aquæ fuere Ægyptii; qui aquam non omnem quidem, ſed Niloticam, Oſiridi dicarant: marinam verò per Typhonem intellexere. *ibid.* Perſis etiam aqua divino honore colebatur, & pro numine erat veteribus Scythis. 265. b

aquæ ut murmure, & aliter, ſigna præbeant futuræ tempeſtatis. 293. a. aquæ etiam

ſonum

ſonum admittunt, & transmittunt. 317. a. b.
aquæ an vim habeant nutriendi piſces. 476. b.
aquæ intercutis medicina ex piſcibus. 531. a
aquatilia initio carere viſu; utcunque Natura primò de formandis oculis ſollicita fit. 484. a. b
aquila ſua cuique legioni dicata. 418. b. aquila biceps Romanis ſtante Rep. ſignum duarum legionum, quæ in unam coaluiſſent. *ibid* ſed extremis Cæſarum temporibus ſignum ea fuit diviſi imperii in Orientale, & Occidentale. 419. a
aquilæ miranda ex lobo. 363. b. aquila, avium regina; quæ ridiculâ quorundam opinione eò cum trochilo certamen habet, quia & is rex nominetur. 418. b. in Scripturis ipſis aquila ſymbolum regis. Cur ea Iovis armigera ſtatuatur à poetis. *ibid.* uſus ejus in auguriis gentium, & conſecrationibus Cæſarum. *ibid.* quid in ſomniis deſignet. *ibid.* cur effingatur regiis, & triumphantium inſidens ſceptris. *ibid.* de aquilæ magnitudine, robore, velocitate. 419. a. aquila an in ſenio, ut ajunt, rejuveneſcat. *ibid* b. Judaica de eo fabula. *ibid.* volatus ejus ſublimis. *ibid.* aquila acutiſſimi viſus. 420. b. quam firmo obtutu ſpectet Solem. 428. a. cur recta valeat Solem intueri. 311. b. ad Solem ſuos explorat pullos. *ibid.* ſed id haliæeti proprium videri. 421. a. non poteſt, ut ajunt, recta intueri Lunam plenam. *ibid.* Prudentia ejus in certamine cum tauro, cervo, & dracone. *ibid.* *aquila non captat muſcas*, & *aquilam irritat cornix*, proverbia. *ibid.* an juſtitiæ, temperantiæ, vel liberalitatis ſit, quod aliis avibus partem prædæ relinquat. *ibid.* aquila quàm ſalax, quàm item fœcunda. 421. b. aquilæ erga pullos amor, etiam ſacris celebratus literis. *ibid.* cur vix ternos educare pullos valeat. *ibid.* qui ἰξάνται dicantur. Uſus aquilarum pellis ac linguæ. *ibid.* cur aquilæ eſu Deus interdixerit populo ſuo. *ibid.* in aquilinis ſi pennis miſceas anſerinas, hæ ab iis abſumuntur. *ibid.* Albertus M. aquilam, & vulturem, ſæpius confundit. 422. a. aquilæ, & cymindis, odium. 435. a. ubi cadaver, ibi aquilæ, de gypaëto, non autem vera aquila, intelligendum. 428. b. *aquilæ ſenectus*, proverbium unde. 418. b. aquila Dejotarum regem inſtantis commonens periculi. 463. a. aquilæ cultus apud Thebæos. 467. b
aquilinus naſus, & oculi χαροποὶ, argumentum ſunt animi generoſi. 421. a
Aquilo cur frigidus. 274. b. cur non minùs duret triduo. 275. a
aquo, ſive agonus piſcis. 516. a
ara ignoto Deo cur Athenis conſecrata. 5. b. ara Britannica Ulyſſis nomine inſcripta. 100 a. aræ Philænis fratribus à Carthaginenſibus ſtatutæ. 91. a
Arabia unde dicta, ac Scaligeri de eo rejecta ſententia. 70. b. Arabum Dii, Cœlus, ſive Uranus, & Dionyſus, ſive Bacchus. 71. a
Arabibus aër Deus. 268. a. Arabum, & Agarenorum annus cur ſere excedat modum φάσεως. 148. a. Arabum mos in tecto adolendi Soli. 126. a
Arabicorum de anima error. 341. b
arx duæ, una Menti, Veritati altera, ab Anaxagora philoſopho conſtituta. 361. b
aranea oculi tunica unde ſic vocetur, ac cujuſmodi ſit. 311. a
aranei mira ſagacitas in texendo, venandoque. 571. b. Democriti error, credentis fila araneorum eſſe eorum excrementum. *ibid.* cur mane, vel veſperi, telam ordiatur. *ibid.* Femellis plus eſſe induſtriæ, quàm maſculis. 572. a. erga parentes impietas. *ibid.* b. araneorum quorundam magnitudo. 566. a. araneorum genus φαλάγγιον, atque id mordere. *ibid.* b. araneis nonnullis quaternos eſſe oculos. 567. a. tactus ſenſu plurimùm valere. 568. a. araneus ſerpentibus infeſtus. 553. b. tertianæ mederi araneam lycon; quartanæ, alterum aranearum genus. 579. a. aranei febribus utiles. *ibid.* item condylomatis. 584 b. adhæc teſticulis puerorum vitioſis. 585. a. arthritidi. *ibid.* b. labiis fiſſis. 586. b. vulneribus. 587. b. & cauſſa ejus. *ibid.* furunculis mederi. 589. a. araneorum tela apud Caribes, ex qua feminis calantica texi poteſt. 595. a. araneum novi orbis, *lavalava* vocitatum, mentem labefactare. 599. b
araneum, & draconem marinum perperàm à Plinio pro diverſis haberi. 540. b. eundem & venenum eſſe, & antidotum. *ibid.*
aratri uſum homines à ſue didiciſſe, veterum opinio. 398. b
arbores Septentrionales cur aliis majores. 298. b
Arcades, & Spartani, χρηστοὺς dixere mortuos. 32. a
Archeſtratus ὀψοδαίδαλος non alio fine varia luſtrabat loca, quàm ut rectiùs judicaret de ſapore. 502. b
Archigalli qui. 221. b
Architis Venus perperàm, quæ dicenda Aphacitis. 184. b
Arctia Dea ab Armeniis culta, Annii Viterbienſis figmentum. 86 a
Arcturi vehementia. 292. a
ardea unde dicta. 443. b. ardeæ, plateæ, vel pelecanis ſolertia priùs ſtomacho ſuo concoquentis, quæ poſtea comedat. 429. b
ardeolarum fimus quàm ferventis naturæ. 583. a
Arethuſæ, ab Alpheo adamatæ, fabula refellitur. 262. b
ἄρεως ἔτυμα, unum Græcum, geminum Hebræum. 177. b
Argi à Mercurio interemti μυθολογία φυσική. 139. a. Argis quæ prima fuerit ſacerdos Junonis. 269. b
Argo navis fatidica. 354. b
ἄρης unde dictus. 63. b
Ariadna utraque Naxiis culta. 42. a
aries ſignum cæleſte, in quo cultus Jupiter Ammon, 185. a. item Minerva, & qua de cauſſa. *ibid.*
arietina mentes, 383. b. arietinam carnem ab Rhaſe, & Averroë, præponi vitulinæ. 395. b
arietinum oraculum. 135 b
Arimanius principium mali habitus Zoroaſtri; Orimaſdes, boni. 13. a
Arimaſporum unoculorum commentum unde originem traxerit. 465. b
Arimi, & Arimæi, ſive Aramæi, iidem, qui Syri. 72. b
Arion fidicen Neptuni dictus filius, quia ſervatus in mari, in quod deſilierat. 64. b
Ariſtæus Arcadibus pro Deo habitus. 63. a. Ariſtæus Chiis cultus. 41. b
Ariſtæus mellificii inventor, & qui ejus majores, & ut propter reperta in deos ſit relatus. 287. a
Ariſtomachi Solenſis in apibus ſtudium. 570. b
Ariſtophani, & Plauto, lux. 427. a
Ariſtoteles cultus Stagiræ, non tam ob doctrinam, quàm quod perſuaſiſſet Alexandro M. ut inſtauraret urbem dirutam Philippo. 41. a. Ariſtoteli Deus incorporeus. 5. a. eidem non alios eſſe agnitos ſpiritus, quàm qui moverent orbes cæleſtes. 15. a. loca ejus varia, ex quibus colligi videtur, animam illi fuiſſe immortalem. 28. a. *de hoc pleniùs libro tertio.*
Ariſtoteles nihil extra mundum agnoſcit, ne Deum quidem, vel intelligentias: unicus verò locus ille, qui cæteris, ubi aliud dicit, obducitur, à quopiam inſertus videtur. 195. b. Ariſtoteles per primum motorem non intellexit primi orbis motricem intelligentiam, ſummi poſt Deum loci & dignitatis; ſed ipſum Deum ſummum. *ibid.* Ariſtoteli cælum eſt Deus, non, uti Platonicis; ſed propriè, in quo falſus Aquinas. 196. a. Ariſtoteli cælum propriè animatum dici. 194. a. Ariſtoteli, ex quorundam opinione, duplices ſunt cælorum motores; animæ, quæ informant, & intelligentiæ, quæ adſiſtunt: & quomodo animæ iſtæ ab intelligentiis differant. 194. b. Ariſtotelis ex ſententia mundum non libera Dei voluntate moveri; ſed neceſſitate, cui nec Deus poſſit reſiſtere. 189. b. ejuſdem opinio de materie cæli, ab elementis diverſâ, eaque ſolidâ, duráque, refellitur. 190. b. Itidem impugnatur opinio ejus de materia ſiderum elementali. *ibid.* Ariſtoteles cur negârit, Fortunam eſſe numen aliquod. 201. b. Ariſtotelis opinio refutatur, in iis, quæ fiunt fortuna, & caſu, non agnoſcentis cauſſam per ſe certam & infallibilem. *ibid.* Ariſtotelis, & Peripateticorum opinio, Fato fieri cælorum motus, & ſpecierum in ſublunaribus conſervationem, ſingularia verò ſub Luna à Deo non curari, nec ſciri: & quibus argumentis in opinionem tam impiam ſint compulſi. 202. a. eorundem opinio, Deum nihil poſſe agere niſi ſecundùm naturam. *ibid.* Ariſtotelis de circulo lacteo ſententia refellitur. 142. b. Ariſtoteles deceptus de dulcedine aquæ in imo maris. 245. a
Ariſtoteles quo ætatis anno, & quo morbo, deceſſerit. 301. b. Ariſtoteles improbatus, quòd & libro de Coloribus non niſi relatè definiat colorem, & quomodo abſolutè is poſſit deſcribi. 312. a. Ariſtoteles reprehenſus, quòd cùm impugnet in Mathematicis opinionem de emiſſione radiorum ad videndum: in Meteorologicis tamen ex hoc principio ſolo difficultates de meteoris apparentibus ſolvat. 313. a. Ariſtoteli cor eſſe ſedem guſtûs, olfactus, tactus; remotè etiam viſus, & auditus. 324. b. Ariſtoteles cur putet magna in ſomno videri, quæ parva ſunt. 330. b. Ariſtotelis, negantis à Deo ſomnia immitti, ſententia refellitur. 331. a. Ariſtotelis duo graves errores: unus, quod negarit divinam providentiam extendi ultra orbem Lunarem: alter quod eò magis inclinet, ut animas noſtras putet eſſe mortales. 341. a. b. Ariſtoteles refellitur in eo, quod ait vocem à corde proficiſci. 355. a. Ariſtotelis error de Amaſi referentis, quod Pſammenito evenit. 359. b. Ariſtotelis locus de canibus perperam ab interpretibus intellectus. 388. a. Ariſtoteles deceptus in eo, quòd ex avibus ſolas coturnices putarit laborare morbo comitiali. 454. a. Ariſtoteles in deſcriptione oti defenſus contra Aldrovandum. 433. a
Ariſtoteles non αὐλῶς vocem σάλπιγξ primus uſurpavit; ſed antea uſurpatam ad certum genus reſtrinxit. 511. a. Ariſtotelis locus de cauſſa ſoni in inſectis aliter, quàm à Cæſare Scaligero, enarratus. 575. a. Ariſtoteli, & Plinio, perperam negatum, auditus ergo meatum piſcibus ad cerebrum perforari. 485. a
arma cur vulgò pro inſigni gentilitio dicantur. 419. a
Arnobii locus leviter correctus. 464. a
Arnobius correctus in nomine *Putas*, pro *Butas*, qui fuit ſcriptor Cauſſalium. 36. b
aromata cur cieant urinam. 321. a. aromatum cur Oriens magis ſit ferax, quàm Septentrio. *ibid.*
Arriani locus de duobus Arabum diis excuſſus. 130. a
ars ſecandi venas ab hippopotamo hauſta. 398. b
Arſalus, Druus, ſeu Arutus, & Toſibis, ſeu Taſabis, à Solymenſibus culti. 61. a
Α’ρεὶθ. & Α’ρζεὶρέας, unde. 63. b
Α’ρης Mars, & unde ea appellatio. *ibid.*
arteriæ aſperæ uſus in piſcibus. 498. b
arteriarum motum provenire à motu cordis, contrà quam credidit Praxagoras. 339. b.

339. b. vim pulſificam non ineſſe arteriarum canali, ſed tunicis. *ibid.* prout ſe habet cordis διάστασις, & συστολὴ, ita & arteriarum. *ibid.*
arthritidi ex quadrupedibus ſalutaria. 403. a. eidem ex avibus remedia. 460. b
articularis morbi cauſa gemina, ac ejuſdem remedia ex piſcibus. 533. a. remedia eidem à melle, mulſo, cerâ. 583. b
Artimpaſa, cœleſtis Venus, Scythis: ac vocabulum hoc correctum apud Origenem, & Heſychium. 265. b
Arneris, alius eſt ab Anubide, contrà quàm Scaliger putabat. 78. a
arvinæ uſus pro oleo apud Abaſſinos in ſacris Chriſtianorum lampadibus. 408. b
ἀρχολάτριας eſſe nullos: ſed apud Capitolinum, vel ἀρχολάτρας, vel ἀχειολάτρες, ſcribi oportere. 371. a
Aſcenazim, quorum pater Aſcenes, filius Japheth, non ſunt Germani, ſed potiùs minoris Aſiæ gentes. 103. a
Aſcipurgium in Germania non eſſe Ulyſſis opus; quod jam Taciti ævo complures putarunt. 104. b
Aſcletarionis Mathematici exitus infelix, quem ipſe præviderat, imò prædixerat. 210. b
aſelli piſcis, tam calcariæ, quàm Bacchi, deſcriptio: & unde prioris Gallicum, ac Belgicum nomen. 510. a
aſelli inſecti natura, & varia ejus nomina. 580. b. paralyticis mederi. *ibid.* item aſthmaticis. 581. b. ſtomacho. 583. b. utiles ad vomitum ciendum. *ibid.* vide & *Millepeda.*
Aſii herois cultus. 61. a
aſili, & *myopes*, differunt. 566. a. aſilus quàm ſit infeſtus thynno, & gladio. 493. b
aſinam Bileami non intellexiſſe, quæ ipſa diceret; uti nec ſerpentem, cùm loqueretur Evæ; neque canes, aut boves, qui in hiſtoriis Romanis ſæpius locuti dicuntur. 353. b. aſina periclitanti pullo per ignes ſuccurrit; per aquas non item. 387. b. aſino cur ſint aures longæ. 392. b. aſini in Arabia, & Paleſtinâ, equis celeritate pares, vel ſuperiores. 393. a. aſininæ carnes quales. 396. a. aſininum lac candorem cuti præſtat, ac eandem tendit. 403. b. aſinorum, & mulorum uſus. 407. b. aſini, ac ſuis, veneratio Judæis à gentilibus falsò attributa; & quæ ejus figmenti cauſa. 417. b. unde opinio fluxerit de aſino Judæis in ſumma ſiccitate aquam monſtrante. Etiam Gnoſticis hæreticis cultum utrumque tribui. *ibid.* imò aſini illum omnibus ſignari Chriſtianis; qui & inde *aſinarii* dicti. *ibid.*
aſino à Bohemis, ut numini, litatum. 178 b. aſinus, & equus, pro valde mutoniato, & libidinoſo. 127. a
aſinum Marti Scythæ mactabant. 48. b
aſinus pedicolorum expers. 559. b
aſio eadem avis, ac *otus*; & unde id vocabulum. 432. b
Ἄζιζος eſt Edeſſenis Mars, ſecundum Jamblichum, ac Julianum: ſed potiùs Mercurium, aut Heſperum videri. 174. a. b.
Aſnath, uxor Joſephi, non eſt filia ejus, qui ipſum emerat, ſed principis cujuſdam in On: qui & nomine ipſo differt ab illo priori. 81. a
Aſphaltis. 249. b
aſpides aurem obturare quod ait Pſaltes, quomodo intelligendum. 546. b. aſpidis amor erga conjugem. 547. a. cur reges Ægyptii pictam aſpidem in corona geſtarint. *ibid.* ut aſpis ſit ulta catulum, qui hoſpitis filium interemerat. *ibid.* aſpides non caudâ, ut ajunt, venenum infundere; ſed dentibus. 548. b. quot ſint earum genera. *ibid.* quare Cleopatra ex variis mortibus eam elegerit, quæ ſit aſpidis morſu. *ibid.* cur feminæ aſpidis præſentius ſit venenum; ac cujus coloris ſanguis effluat morſis ab aſpide; & quàm citò icti pereant. 549. a. cujuſmodi caſu compertum ſit, acetum conducere adverſus ictum aſpidis. 555. a. hominis etiam urinam juvare. 556. a. aſpidi, & amphisbænæ, cur viſus ſit obtuſus. 546. a
ἀσπάλαθον, ſive ἀσπάλαθος. 219. a
aſſa cur magis nutriant, quam elixa. 304. a
Aſſabinus Æthiopum idem ac ſol, & quo ritu illi cinnamomum ſoleat offerri. 134. b
Aſſyrii unde dicti. 125. a. Aſſyrii ſacerdotes in Veneris ſacris utebantur veſte muliebri. 172. b. Aſſyriis aër Deus. 268. a. Aſſyrium venenum cur Maro pro Tyria purpura dixerit. 125. a
Aſſyriorum nomine etiam Babylonii intelliguntur, cum imperium eorum omnium vetuſtiſſimum dicitur. 68. a
aſtaci ut differant ab aliis cruſtatis. 518. b. aſtaci piſcis caro. 519 a.
Aſtarte, dea Phœniciâ, unde dicta 64 b. eadem eſt, quæ Europa, Agenoris filia, & cur tauro vecta dicatur. *ibid.*
Aſtarte Phœnicibus, ac Syris, dicta Luna, & cur inſigne ejus caput fuerit bubalum. 151. b. qui ex veteribus Venerem ſic vocari ſtatuunt, Veneris nomine non Luciferi ſidus, ſed Lunam intelligunt. 152. a. hæc Hebræis eſt Aſtaroth. 152. b. unde ea dicta. *ibid.*
aſteriæ piſcis fœcunditas. 472. a. aſteriæ cujuſmodi ſint carne, ac figurâ; & unde eis nomen. 511. b
aſthmatis remedia ex inſectis. 582. b
ἀστὴρ, & ἄστρον, unde. 152. b
Aſtomos non vivere odore florum pomorumque; ut Oneſicratus prodidit. 330. a
aſtra vivere, multorum ea Scholaſticis opinio fuit. 169. a. b. Vide *Stella.*
Aſtroarche Græcis corruptâ voce, eadem, quæ Syris *Aſtarte*, id eſt, Luna. 157. b
ἀστραγαλίζειν. 184. a
Aſtrologiæ Judiciariæ incertum, etiam cum de ſola hominum propenſione ex horoſcopo judicatur. 212. a
Atargatis, ſive Atergatis, pro quo & *Artaga*, & *Athara*, legitur, regina Syriæ, poſt mortem divinis honoribus culta. 65. a. eadem *Derceto* appellata. *ibid.* cur in piſcem converſa dicatur. 65. b. & quod in honorem ejus Syri piſcibus abſtineant. *ibid.* forma Atergatis prodigioſa, & vocis ejus origo. 66. a. etiam in Paribis culta *ibid.* Atergatis, & Deam Syriam, diverſas videri. 66. b
Atergatis Aſſyriis deſignat Lunam, & mare, ſive vim à Luna diffuſam, & à mari receptam 257. b. Atergatis, ſive Derceto Aſſyriis unà cum Luna tellurem denotat 126.
Athanaſio tribui falsò librum quæſtionum ad Antiochum. 18. b
Athenæi error, dicentis, ab Ariſtotele mugili tribui dentes acutos. 478. b. Athenæus de mugile adverſus Cæſ. Scaligerum defenſus. 512. b. 513. a
Athenæo κνίδας, & ὄνος, confundi. 431. b
Ἀθηνᾶς, & *Minervæ* nomina unde ſint. 199. b
Athenienſes, ſeptimo cujuſque menſis die. laurum geſtantes, hymnum accinebant Apollini. 137. b
Athenienſes aram ſtatuerant Boreæ, raptâ Orithyia. 271. a. Athenienſium lex, nequis veſcatur bove aratore. 398. a. Athenis quotannis ex lege in theatro decertabant galli: eique ſpectaculo juventus intereſſe jubebatur. 439. b
Athenienſium jactatio refellitur gloriantium ſe frugibus uſos ante Ægyptios. 51. a
Ἀθεότης quadruplex. 7. a. Atheorum cognomen à gentibus etiam tributum Chriſtianis. 2 b
Athur eſt Iſis, & unde *Athur* ſit conflatum. 157. b
Atlas Phœnix. 63. a
Atlas, qui cælum ſuſtinere fingitur, axim μυθολογικῶς ſignat, ſecundùm Ariſtotelem. 193. b. Atlantis montis vertex infra nubes. 266. b
atomorum motus qualis ex mente Democriti, & præcipuè Epicuri, cui is triplex. 202. a
Atoſſa gemina; una Belochi filia, quæ & Semiramis; altera Cyri. 66. b
atramentum factum è tholo ſepiæ; item fuligine fornacium, & balnearum. 509. a
atrocibus in malis cur non lachrymemur. 360. b
attagen, an idem, ac *gallina ruſtica* 451. a. attagenis Ionicis principatus deliciarum attributus. *ibid.*
ἀττέλαβος, locuſtæ genus, Græcis unde nominetur. 423. b
ἀτταγοπέρδιξ cur Hadriano Cæſari dictus liberius. 447. a
attilagatus, ſerpens Indicus. 551. b
attili piſcis magnitudo. 480. b. ejuſdem inimicitia cum clupea. 493. a. attilum ab ſturione eſſe diverſum. *ibid.* attili inertia. 494. b. ejus caro qualis. 580. a
Attis una cum Cybele cultus. 57. a. aliter *Papa* dictus. 57. b. Sacrorum ejus origo. *ibid.* Attin unde nomen acceperit. 58. a. Attidos nuptiæ cum Midæ filia à Cybele diſturbatæ *ibid.* ejuſdem exſectio, dubium an ab ipſo. *ibid.* ſimulachrum Attidis, cui pectus illidebant Galli ſacerdotes. 59. a
Ἄττης, unde fortaſſe dicatur. 234 b. Attes, Attis, Attyn, ſeu Atys, amaſius Cybeles. 220. a. b. quâ mente à Catullo Attin mulier dicatur. 220 b. phyſicè notat, tum fruges, tum Solem. 224. a. quid Attinis fiſtula, & virga, indicarint. 225. a. Attis quid myſticè in ſacris Cybelles ſignârit, & quid ſacerdotum ejus cruentatio. 224 a. Attis Lydus dicitur inſtituiſſe ſacra matris Deûm. 228. b. Attis Phrygius idem eſt ac Oſiris Ægyptius 133. a
Attius poeta emendatus. 235. a
Atymnus Gortynenſibus cultus. 42. a
auctricis facultatis uſus. 305. b. cur viri tardius, iidemque diutiùs creſcant, quàm feminæ. *ibid.*
aucupii genus, quali tunc gaudent viri illuſtres, non obtinuiſſe apud Græcos, aut Romanos veteres, ſed Thracas, & Indos: temporibus tamen Conſtantini Magni fuiſſe etiam Romanis cognitum. 461. b. 462. a
auditus commoda. 316. a. organum ejus non eſt aër interior. 317. b
auditus cur piſcibus tributus. 485. a. audita quæ aquatilium careant, & quomodo id comprobetur. *ibid.* auditus gravis remedia ex piſcibus. 526. a
Avempacis error in illo, quòd putarit, colores non eſſe colores, niſi illuminentur. 314. b
Avernus cur ante Auguſti tempora gravem exhalârit odorem, poſteaque is tractus à ſalubritate fuerit commendatus. 264. b. ejus etymon. *ibid.*
Averroës cur Ariſtotelem in opinione de circulo lacteo deſeruerit. 142. b
Averroiſtarum error de uno omnium hominum intellectu, tam patiente, quàm agente, refellitur. 350. a
à Veſta ordiri, proverbium, & unde ejus origo. 336. b. 337. a
Augilæ, Africæ populus, ſolos Manes Deos putant; ſi Melæ, & Plinio, ſtandum, id ſcribentibus de Augilis, quod de Naſamonibus prodiderat Herodotus. 31. a. nihil impedire, quo minus de utraque gente id verum ſit. 89 b
auguria à SSis Patribus damnata. 463. a
Auguſti Cæſaris, & Alexandri M. aræ ad Boryſthenem. 105. b
avis nomen unde. 443. b
avium variæ diſtributiones; à victu, à locis, à tempore volatus, & aliunde. 422. a. b. cur aliquibus dati ungues adunci. *ibid.* avium aliquæ cur ſic ſequantur curru vectos. 423. a. cur quædam fiſſis pedibus. *ibid.* b. fœtus ovo incluſi materies, & orbus, & unde cor. 424. b fugacium fœcunditas. *ibid.* cognatio earum cum piſcibus. *ibid.* cur aves veſica careant. *ibid.* utrùm de aquis, an terra, ſint conditæ, ſecundùm Moſem. *ibid.* & 425. a. avium plurimæ cur longævæ. *ibid.* b. aves quomodo

do bibant: item cur non mejant: & quæ plumarum materies. 426. b. aves cur non comedant fulmine ictæ. 278. a. avibus diurnis cur acutus ſit viſus attributus. 428. a. aves altivolæ quòd tam longè diſſita conſpiciant, quibus cauſis tribuendum. *ibid.* cur aves nocturnæ ſint è Deo relatæ inter immundas. *ibid.* *magna avis* pro *vulture*. *ibid.* b. unde ſit, quòd aves præſagiant tempeſtates. 430. b. avium ſagacitas oſtenſa quadrifariam: ac *primum* in iis, quæ ad victum pertinent. 430. a. *deinde* in aëre ſalubri à peſtilente diſtinguendo. *ibid.* ubi quoque exponitur, unde mutationes aëris præſagiant. *ibid.* *tertio* loco eadem monſtrata in generatione & educatione fœtus. 431. a. ac additum iis, quæ de ſolertia avium Diomedis ferantur. *ibid.* *denique* eadem indicata in iis, quæ ad ſui ſuorumque defenſionem faciunt. *ibid.* aves pleræque cur oculos hominum appetant. 440. a. avium amicitia & inimicitia inter ſe mutua, ejuſque cauſæ. 435. a. exempla avium, quæ homines amarint. *ibid.* avium meticuloſarum exempla. *ibid.* b aves parentum educatrices. 437. a. avium triplex motus, & quo avium greſſus differat ab humano, quamque is variet in avibus ipſis. 442. a. cur avibus non ſit data cauda, ut quadrupedibus. *ibid.* b. quare Deus iis tribuerit viſum acutum, corpus leve, temperiem calidam & ſiccam, pulmonem magnum, pedes graciles, rumen, ſimiliaque. *ibid.* avium quarundam carnes magis conducunt iis, qui corpus laboribus exercent, quarundam potius illis, qui ingenium excolunt doctrinâ. 448. b. carnium diſcrimen in avibus ex ætate, anni tempore, victus ratione, & loco, quo vivunt. *ibid.* annum pluvium, ut prodeſt piſcibus, ſic avibus obeſſe. *ibid.* avium carnes minus nutrire carne quadrupedum, ſuillâ inprimis. 449. a. avium numerus quantus ex uno quarundam pari produci poſſit intra octennium. 456. b. atque obiter ſimul ratio inita in ovium fœcunditate. *ibid.* aves remedia ſuppeditare pilis vel nigris reddendis, vel albis: item tineæ capitis dolori, phrenitidi. 457. a melancholiæ hypochondriacæ, morbo caduco, paralyſi, vigiliæ morbidæ. *ibid.* ſanguinis è cerebro eruptioni, oculorum caligini, lippitudini, uveæ tunicæ procidentiæ. *ibid.* b. ſuffuſioni, humori in oculos defluenti, tuberculo in minore oculorum angulo, oculis ſua ſede propulſis foras, putrido narium ulceri, dolori dentium, anginæ, inflammationi tonſillarum, ac gurgulionis, ſpirandi difficultati. 458. a. avis odore ſui reficiens cerebrum. *ibid.* pleuritidi, collectioni puris inter thoracem ac pulmonem, & ſputo ſanguinis. *ibid.* b. aves Ponticæ venenis proſunt. 460. a. aves ſiniſtræ proſperæ: infelices contrà arculæ, remores, inebræ, volsgræ, clivіæ, alteræ: & unde hæ ſint appellationes. 463. a. diſſenſus gentilium, aveſne ſint indices futurorum, quia ut cælo propiores, meliùs ſciant conſilia deorum; an ipſæ quidem eorum ſint ignaræ; ſed divino ſic nutu dirigantur, ut homines gnaros reddant. *ibid.* ex quatuor avibus quatuor anni tempora cognoſci. *ibid.* b. aves Hercynii ſaltus, quarum pennæ viatoribus noctu inſerviant ad iter faciendum. *ibid.* avium uſus in epiſtolis perferendis. 464. a. oblectamentum adoleſcentum, primæque ætatis, ex avibus. *ibid.*

auguria ex oſcinum cantu, præpetum volatu, & pullorum tripudio. 262. b. *augurii* vocabulum unde. 463. a. Telegonus, & Car, auguriorum crediti inventores. *ibid.* eorum vanitas. *ibid.* b. de naturalibus ex avium genere præſagiis, & quod eorum ſit fundamentum. *ibid.*

Auguſtinum putare, priùs ovum fuiſſe, quàm gallinam; ſed perperam. 424. b

Auguſtus Cæſar Circio vento ædem vovit, & fecit. 271. b

Auguſtus, dum viveret, pro Deo habitus Romanis, aræ illi erectæ, ſacerdotes dicati, quos *Auguſtales* dixere. Et λαμπάδες ei ab Ovidio ſcripta. 296. b

Avicenna, & alii, refelluntur, qui virtute imaginativâ arbitrantur fieri, quæ vel poteſtate divinâ, vel arte eveniunt diabolicâ. 322. b

avium fimo fortaſſe generari piſces, & quæ rei hujus ratio ſit. 470. a

aura, αὔρα, *aurora*, *aurum*, unde veniant. 187. b. 239. a

auratæ piſcis laus. 507. b. aurata in cibo remedium contra venenum. 524. a

Aurea vetula, nomen accolarum fluminis Obii. *ibid.*

Aureliæ. Vide *Chryſallides*.

aurigarum in Circo color purpureus Iridi ſacratus. 291. a

auriginі ex avibus remedium. 459 b

aurium uſus. 317. b. cur cartilagineæ, & exſangues, à Deo factæ: & cur interioris auris meatus ſit rotundus, anguſtus, confragoſus: membrana, cui *tympano* nomen, tenuis, denſa, ſicca. *ibid.* oſſicula tria ἀκουστικὰ æqualia credi in ætate puerili, ac virili. 317. a. non ſolùm poſſe auribus audiri; ſed canaliculo etiam, qui in os defertur; ejuſque canaliculi duplicem præterea uſum eſſe. *ibid.* aurium dolori remedium à vulpe. 400. a

aurium tumoribus remedia ex ſepia, & muricibus. 526. a

aurium dolori remedis ex inſectis. 581. b. eorum humori medicina à melle. 587. a

auſpicii vocabulum unde. 463. a

Auſter cur calidus. 274. b. Auſtri in Africa cur ſicci, qui tamen nobis humidi. 275 a. cur ventus hic Aquilone ſit diuturnior. *ibid.* cur idem corporibus ſit inſalubris. 276. a. cur *plumbeus* dicatur Horatio. *ibid.* pluvius ac moderatus prodeſt. *ibid.* *Auſter cadens* Maroni quid ſit. 291. b

αὐτοκίνητον alio ſenſu à Platone animam dici, quam Ariſtoteles eam vocem interpretabatur. 28. b

Autolycus à Paphlagonibus cultus. 60. b

αὐτόματα inſecta. 562. b

Azizus, Emeſſenis Mars. 224. a

B.

BAal, Bel, ſive Hel, Phœnicibus idem qui Sol. 120. b

Baal-Peor, ſive Baal Phegor, Moabitarum, & Madianitarum deus. 126. a. idem qui Saturnus, Jupiter, Priapus ſive Sol. *ibid.* unde nomen acceperit. *ibid.* opinio R. Salomonis Jarchi rejecta de cultu Bel-Phegor. 126. b. in ejus ſacris libidini indultum *ibid.*

Baaltis, ſive Beltis, eadem ac Aſtarte ſeu Luna; & unde id nomen acceperit. 152. b

Babylonis conditores varii à ſcriptoribus nominantur, & quomodo hi conciliari inter ſe poſſint. 68. b

Babylonium fatum. 207. b

Bacchi cultum Græci ab Ægyptiis accepere: indeque ſacrorum ſimilitudo inter Liberum Ægyptium, & Thebanum. 75. a. Bacchus Arabicus Moſen deſignat. 84. b. 85. a. b. legifer vocatur, uti & Moſes. 86. b. corniger, uti & moris eſt Moſen cum cornibus effingere, & unde mos ille. *ibid.* fortaſſe & inde eſſe, quòd vinum, quod Liberi inventum habebatur, è cornibus bibere ſolerent. 76. a. & 86. b. in Bacchi Orgiis percuſſio petræ repræſentata, qua Moſes aquam eduxit; item erecti ſerpentis memoria renovata. 86. b. Bacchus Indis cultus, ſed à Thebano diverſus: videri autem hunc Noë. 69. a. & antea. 55. a cui etiam *bimatris* nomen accommodatum. 69. a. perperam tamen ex *Noachi* vocabulo nomen Bacchi deducitur. 55. a. cur Indicus dictus: ubi commentum Græcorum de Indis à Libero, & muliebri ejus exercitu devictis, refellitur. *ibid.* & 69. b. cur Jovis filius dicatur. 55. a. ac è Jovis femore natus. 55. b. Bacchi Thebani ætas. *ibid.* unde nomen Διονύσου, & *Liberi* acceperit. *ibid.* Thebano antiquior Ægyptius: cujus plurima ad illum tranſlata. 56. a. Baccho cur attributus ſocius canis. 87. a. Bacchi κισσὸς unde fieret. 11. a. Bacchi expeditio in Hiſpaniam fabuloſa: uti & Græcanicum eſt commentum de nomine Spaniæ à Panos præfectura. 94. a. b

Bacchus, ſive Dionyſus, idem, qui Sol. 193. b. cur nebride ſeu hinnuli pelle uſæ Bacchæ in ſacrificiis Liberi. *ibid.* cur à matre exſecti huic deo ſacri. 140. a. Bacchus idem, qui Oſiris. *ibid.* cur veretrum in Bacchi ſacris ſoleat circumferri. *ibid.* Bacchus duplex, cæleſtis, & ſubcæleſtis: ille Sol, hic liquor; Solem autem hîc ſignari poſtquam occidit. 140. b. quàm variè ſoleat figurari. *ibid.* Jacchus unde nomen acceperit. 141. a. Vannus Iacchi quid ſymbolicè notârit. *ibid.* Bacchicæ ſpeluncæ in Parnaſſo. *ibid.* Bacchi λικνίτου, & aliorum eò pertinentium, nomen unde. *ibid.*

Bacchus, unde *Baſſareus*, Bacchæ *Baſſarides* appellentur. 405. b. Bacchus cur cornutus ac tauri formis effictus, cur item taurus vocatus. 408. a

Bajarum calor unde. 265. a

Baltampſa Arabiæ urbs nomen ſortita à cultu Solis. 130. b

balæna Latinum, & Græcum φάλαινα, unde ſint. 517. a. balænis miranda penis magnitudo, & cur minor obtigerit delphino. 471. a. balænæ cur in ſumma dormiant aqua. 490. a. quantâ lactis copiâ abundent. 492. a. cur careant papillis, & qua parte iis ſitæ ſint mamillæ. *ibid.* earum amicitia cum muſculo, qui iter ei monſtrat *ibid.* b. inimicitia cum *orca*. *ibid.* cur transverſa ſit, lataque balænis cauda. 496. a. qualis ſapor carnis balænarum. 517. a. balænarum genus unde nomen φυσητῆρος acceperit. 598. b

balanorum caro qualis. 521. a

baleares inſulæ à Phœnicibus poſſeſſæ. 95. b

Balearicos ab Auguſto Cæſare Romanum poſtulâſſe auxilium adverſus cuniculos, qui oppidum ſuffoderant. 409. b

βαλλίῳ, à quo βαλλωνίδος; unde, & quid duobus illis ſignificetur. 145. b

Bancania, populo Indiæ, religio eſt pediculos interimere. 601. a

barbariſmus, & ſcythiſmus, perperam jam olim pro impietatis ſpeciebus habiti, 7. a

barbus ſolus è piſcibus ætate non fit deterior. 502. b

Bardeſanis Syri, & Priſcillianiſtarum, de fato ſententia. 210. b

baſiliſcum odore à muſtela, muſtelam afflatu à baſiliſco interimi. 412. b

baſiliſcus an ex ovo galli gallinacei naſcatur. 543. a. baſiliſci etymon, magnitudo, color, venenum. 548. b. an viſu interimat. *ibid.* ut hominem necet baculo, quem manu is tenet, mordicus apprehenſo, & quæ cauſa iſtius. *ibid.*

Baſilius Magnus de viperis refellitur. 244 b

Baſſareus, & Baſſarides unde dicantur. 405. b

βάτος, vel βάτις. 531. a. rectiùs *raia* redditur, quàm cum B. Ambroſio *rubus*: quanquam & Græcum *batis* poſſis retinere. 511. b

βάτραχος θαλάττιος, ſive ἁλιεύς. 512. a

Batto, Cyrenarum conditori, fana conſtituta: unde origo proverbii; *battiſilphium*. 90. a

bebrinarum pellium appellatio unde. 401. a

Becani opinio refellitur de Britannica ara Eliſſæ, Javaniа filii. 100. b

Beelſamen, dominus cœli, Sol dictus: pro quo Judæi *Beelzebub* dixere. 120. b

Beelzebub Accaronitis idem, qui Sol: quod no-

nomen ab Hebræis accommodatur principi dæmoniorum. 120.b
behemuth Jobo quid. 363.b
Belatucadrus, & Beleous, ejuſdem dei nomina videntur. 145.b
Belenus Apollo. 99.a
Beleous Aquilejenſium, item Aremoricorum, & Noricorum deus turelaris, idem qui Sol. 145.a. ab eo plantæ nomen, quæ Hiſpanis *Velenno*, Ungaris *Belend*. *ibid.* ejuſdem etymon. *ibid.*
βίλις. 145.a
bellandi artem à lupis homines didiciſſe, ex Ambroſii Parei opinione. 398.b
Bellona ad lunam refertur, & ratio ejus rei. 163.a
Belus idem ac Nimrod, & Baal. 48.a. 68.a. ejus cultus. 68.b
Belus Aſſyriis, & Babyloniis, idem ac Sol. Inde gemma Solis aliter dicta *Beliorulus*. 125.a. Belus Medis, & Perſis, Cælus, ſive Uranus. 142.b
Bendis, dea Thracum, quo nomine Luna ſimul, & terra, comprehendebantur. Hujus feſtum *Bendidia* dictum. 229.b
benedictionis abyſſi quid ſignent patriarchæ Jacobo. 259.a
benedixeritne Deus diei ſecundæ. 234.a.b
Bergion. & Albion, Neptuni filii fabuloſi. 99.b
Beroſus quando vixerit. 150.a.b
beſtiæ an rationis ſint participes. 345.b. etſi pertingant ad notitiam aliquam univerſalem, eam tamen non eſſe comparativam, ſed ſimplicis intelligentiæ; item confuſam admodum, & ad paucula ſe extendere 346.a. quid Plutarchus in cauſa eſſe putarit, cur animæ beſtiarum etſi rationabiles, non tamen ſecundum rationem operentur. *ibid.* beſtiæ an odore capiantur, quatenus eſt odor. 320.b. beſtias etiam ſomniare. 329.b
Beth-Phegnr pro templo Phegorio. 128.b
bezoar lapis unde ſic dictus, & quibus in morbis valeat. 399.b
bili flavæ purgandæ remedium à melle. 577.a
bilis atra, & ſplen, Saturno cur adjudicentur. 181.a
bilis flavæ uſus in ſtimulandis fecibus. 304.b
biſontium robur, & unde ita dicti. 379.b
bitumine, & ſulfure, quæ ſunt in fundo maris, conſervari primævam maris ſalſedinem. 245.b
βλακεννόμιοι Alexandrinum, & unde nomen acceperit. 211.a
Blanduſiæ fonti ſacrificatum hœdo, ut capro faciebant Libero, & Tempeſtatibus. 263.a
blatta remedium adverſus aurium dolores. 581.a. item ſtrumis. 582.a. teliaextrahendis. 587.b. lepræ. 589 b. blattarum genus, quo lepræ occurratur. *ibid.* *blatta* metonymicè pro panno purpuræ. 590.b *blattifer Senatus*. *ibid.*
blennus piſcis lupo vertiginem, & ſoporem inducit. 412.a
blennus piſcis, qui perperam aliquibus *blemmus* vocatur. 536.a
bora, *phoca*, *bos*, & *vitulus marinus*, idem ſunt piſcis. 500.b.
Bodini de Cometis opinio rejicitur. 285.a. Bodinus quàm crudeliter & impiè doceat judicium exercere erga magici criminis accuſatos. 361.a
Bohemi coluere fontes, ac fluvios. 266.a
Bojohæmi, ſive Bojemi unde dicti. 97.b
βολάϑης Sol, & ejus etymon. 120.b
bom ſerpens Americanus. 252.a
bombardæ noſtræ globos ſuos ejaculantes quantum vincantur à velocitate ſtellarum fixarum. 183.a
bombycina, ſubſerica, holoſerica veſtis, quomodo differant. 590.b
bombycum cibus. 565 a. in magnitudine differentia. *ibid.* b in nendo artificium. 572.a. quid in eorum tela maximè mirandum. *ibid.* de bombycum veterno, priuſquam exuvias ponant *ibid.* b. tela bombycis prodeſt vulneribus. 587.b.
bombyx reſurrectionis argumentum, ſecundum Baſilium. 560.b
Bona dea, aliter dicta Fauna & Fatua, quale nomen fuerit. 36.b
Bona dea, cujus ſacrum cur Δάμιον diceretur. 234.b
bona ætas, pro juventute; ut *mala ætas*, pro ſenectute. 301.a
bonaſi vaſtiſſima cornua cur ad pugnam inutilia: & ut aliter ei proſpexerit Deus, ac quouſque fimum ejaculetur. 380.a
Bonzius combadaxi omnium à Japoniis cultus. 69.b
Borbonia ſidera. 181.b
Boreæ ara ab Atheenienſibus conſtituta. 271.b
Boreas ſerenitatem parit. 271.b
Boruſſis ſerpentem pro Deo cultum. 558.b
Boryſthenes tam eſt tenuis, ut nec vaporem emittat. 248.a
bos aptiſſimum ſymbolum frumenti, vel annonæ, præcipuè apud Ægyptios. 81.b
bos geminus Ægyptiis cultus. 414 b. Indis item bos pro deo habitus. 418.a. bos cur xx etiam annos vivat. 376.a. boves cur, ſi ſolito magis aëra captent, pluviæ dent indicium. 294.a. bove veſci aratore, Athenienſibus interdictum. 398.a. vetus opinio, ferreo demum ſeculo bovem comedi cœpiſſe. *ibid.* *bovi Cyprio merendam*, dictum in ſordidos. 385.b. *boves cornifrontes* Livio Andronico dicti; etſi aliter viſum Joſ. Scaligero. 379.a
boves à triumphantibus mactandi in Capitolio, petebantur ex Umbria, quia albi eſſent: taleſque Clitumnum bibendo fieri credebantur. 261.b
bovis piſcis aſtus, inſidiantis urinantibus. 487.b
βούγλωσσος piſcis quis, & unde ſic dicatur. 509.b
βόαψ. 484.b
βραδυπεψίας remedium ex piſcibus. 529.a
Βραδύπους, otis. 443.b
brachia cruentabant Galli, inſpectante populo. 222.a. quid ea res myſticè ſignarit. 224.b
branchiarum in piſcibus uſus ad reſpirationem. 499.a. quare branchiis locus ſit attributus circa cor. *ibid.* cur, quæ his reſpirant, non moveant imas ventris partes. *ibid.* nova Rondeletii de branchiarum uſu opinio. *ibid.* de branchiarum numero. *ibid.* b
Branchidarum, & Euangelidarum oraculum. 137.a
Briareo unde nomen. 272.b
Briela oppidi etymon. 137.a
Britannia Romanis, ac Græcis, diu incognita. 100.a. Britannica gens Gallicæ priſcæ propago. 99.b. Britannica Ulyſſis ara. 100.b. 101.a. Britannorum Druidæ antiquiores Gallicis: imo à Britannis diſciplinam hauriebant. 98.b
Βριζόμαρτις Diana, & unde hoc nomen. 51.b
Britomartis, ac Artemidos appellatio utrùm Eubuli filiæ, an Lunæ, propria fuerit. 160.a.b
bubalus antiquioribus erat è caprearum genere: at Plinii ætate Romani bubalum pro uro dixère. 379.a. bubali ſimplicitas, ſive ſtupor. 383.b
bubonis generoſitas, ac dubium cum aquila certamen. 440.a. bubonis cur ſecreta mulieris reſerare, fabuloſum. 464.b
buccinæ piſcis ætas quanta. 473.a
buccina Tritonis. 523.a
Budæi παρέργημα. 275.a
bupreſtis unde dicta, quæ & βυδάκη: ea comeſta interimit. 599.b. quomodo occurratur bupreſti ore aſſumptæ. 602.a. bupreſtis menſes ciet. 585.a. lichenes ſanat. 586 b
burbarus piſcis. 516.a & 532.b
Buſiris an, & quis fuerit. 84.b. ejus ætas. 85.a
Butæ herois cultus. 40.a
Butas ſcriptor Cauſſalium. 36.b
buteones, & vipiones, Balearibus ſunt in honore menſarum. 451.b
butyri uſus in ſacris Chriſtianorum veterum lampadibus. 408.b
butyri commoda, & incommoda. 394.a. Romanis ejus uſus nullus, niſi in medicina. *ibid.* κατ' ἀντονομασίαν βούτυρον dici, etſi non è ſolis ſit bubus. *ibid.* Hecatæo vocari ἔλαιον ἀπὸ γάλακτος. *ibid.* magis minuſve prodeſſe, quo plus minuſve τυροῦ habet. *ibid.*
Bygois nympha fulguralem tradidit diſciplinam. 282.b
Βύρσα cur arx Carthaginenſis diceretur. 90.b

C.

CAbaliſtarum, & Avicennæ opinio, angelorum unum eſſe ab altero. 18.a.b
Cabiri, matris Deûm ſacerdotes, & unde Græcorum judicio, dicti ſint. 221.a. Potiùs ab Hebræo fonte id eſſe vocabulum. 221.b. & 173.a. iidem ac Samothracum Dii, & eorum nomina. 228.a
cachinnus unde proveniat. 359.a
Cadmus cultus Gortynenſibus. 41.a
cadmi iidem, qui *camilli*, teſte Dionyſio: eamque appellationem eſſe à fonte Hebræo. 228.b. 229.a
Cæcia inſtar mala quis ad ſe *attrahere* dicitur proverbio, & unde id ortum. 275.b
cæcula ſerpens. 545.b
Caleſtis, Afrorum Dea, eſt eadem ac Luna. 157.b
Cælio Rhodigino id vitio datum, quòd paſſim diſſimulet fontes, unde veteres hauſerit narrationes. 435.b
Cælius Aurelianus Soranum interpretatus. 585.b
cælum eſſe Dei ſedem, communis omnium gentium eſt opinio. 116.a.b. cælum non eſſe factum à Deo, ſed ab æterno fuiſſe, Ariſtoteli exiſtimatum. 189.b. cæli triplex conſideratio pro triplici modo, quo in terris res fiunt, ratione; fortunâ, neceſſitate: unde triplex numen inductum, Minervæ, Fortunæ & Fati, ſive Parcarum. 199.a. cælum, an ſidera, priùs coluerint gentes, diſſertatum. 187.a. cælum Perſis quoque fuiſſe pro deo, item Pythagoræ. 187.b. qui tamen non pro ſummo habuerit; ſed tali, quem ſummus creârit. 188.a. cur *divûm lyra* Varroni dicatur. 158.b. rationes, quibus motæ gentes divinitatem ei tribuerint, expenſæ. *ibid.* & *ſeqq.* cæli divinitas eo refellitur, quia ſit inanimum. 198.a.b. ipſum per ſe quieſcit, ſidera moventur in eo; ideo non eſt denſum, non rarum, ſed tenue. 199.a. non eſſe in cælo dextrum, & ſiniſtrum, vel alias differentias locales. 199.b. licet vitæ ſit expers, præſtantius eſſe omnibus animatis, uno homine excepto. *ibid.* cælum Ariſtoteli eſſe animatum, idque formaliter, non de forma ſolùm aſſiſtente, ſed & informante, intelligendum. 194.b. rationes item, quibus moti id concluſerint, ex Ariſtotele, ejuſque interpretibus, adferuntur. 195.a. moveri itaque cælum, ſi Aphrodiſienſi credimus, ab anima, & intelligentiis, & in quo motus amborum diſcrimen poſuerit. *ibid.* quas animæ cæleſti facultates tribuat Ariſtoteles, refelluntur, qui ſenſum, & imaginativam, ab Ariſtotele cælo tribui exiſtimarunt. 195.b. quo pacto animæ cæleſti, & intelligentiis, detur intellectus, ſi ſenſu careant. 196.a. cælum, & motores cæleſtes, pro diis Ariſtoteli eſſe habitos: ſed excellentiori modo Deum dici ſupremi orbis motorem, quàm orbium inferiorum. *ibid.* Simplicii item, & Cæſalpini, de primo motore opinio refellitur. *ibid.* an inferiores intelligentiæ ſint imperfectæ, & quem locum primo motori Ariſtoteles adſignet. 196.b. 197.a
cælum non eſſe inane ſpatium, ut quidam puta-

putarant; ſed corporeæ ſubſtantiæ, idque ob duplicem uſum ita fieri debuiſſe. 187. b. cæli materiam, ſecundùm Ariſtotelem, ab elementali eſſe diverſam; contra verò tuiſſe viſum, & ante, & poſt Ariſtotelem, philoſophis: item ſanctis Patribus; qui cum Ptolemæo liquidam ac perviam cælo naturam tribuerunt. 190. a. b. cælum eſſe liquidum, oſtenditur argumentis è rerum natura petitis. 192. b. quid impulerit vel Ariſtotelem, ut, prioribus deſertis, induceret cæli orbes ſolidos; vel Hipparchum, ut relicto Eudoxo, & Callippo, orbes eccentricos arbitraretur. *ibid.* & quantum ab eccentris abhorruerit Fracaſtorius. 193. a. occurritur opinioni eorum, qui putarint nihil in cælis generari. *ibid.* cælum non eſt levitatis expers. 193. b. cælos ex aquea conſtare materia, probatur ex Gen. 1, & etymo vocis *Schamaim.* 191. b. cur aquæ ſupra cælos collocatæ ſint. 192. a
Cælum, hoc eſt ſidera, non propriè agunt per motum; ſed per lucem, & occultam virtutem, quæ à motu in hæc inferiora deferuntur. 184 a. & imprimis. 198. b
Cælus, & Tellus, quomodo inter Deos animales, id eſt, ex hominibus factos, referantur Sanchoniathoni. 63. a
Cælus & Tellus, Athenienſibus connubiorum præſides; quibus icc irco ante nuptias ſacrificabant. 230. a. cælus Latinis, qui Græcis Uranus; & cur ſtatuatur Saturni parens, cur item genitalibus deſtitui. 187. b
Cæſalpini opinio de unico cælorum motore: item de dæmonibus, & animis hominum ac beſtiarum, quæ putabat eſſe dei particulas, non ſua natura diverſas, ſed ſolum materiæ ratione multiplices. 196. a
Cæſar Scaliger refellitur de cauſſa, ob quam ſquatina mutat colorem. 476. a. eidem occurritur, exiſtimanti, ſpongias ex Ariſtotelis ſententia tactum habere. 487. a
Cæſares in Deos relati ritibus certis. 37. b. ac Cæſarum quoque uxores; ut Livia, & Fauſtina. *ibid.*
Cæſaris Scaligeri de eo opinio rejecta, quòd Arabici elephanti ſint Indis minores 364. b. ejuſdem de elephantis funambulis opinio refellitur. 365. a. ejuſdem de nocturnis elephanti ſtudiis ſententia rejecta. *ibid.* ejuſdem maledicentia improbata. 436. a
Cæſaris Vanini ſubtilitas rejicitur, putantis, longo tempore vivere piſces in vitro non aquis paſtos; ſed anhelitu hominum, poſt ſumptum cibum vitream circumſtantium. 477 a
Cajetani lapſus, ea, quæ de formatione Evæ ex coſta Adami narrat Moſes, parabolicè maluerit interpretari, quàm ſecundùm ſenſum, ut vocant, literalem. 362. a
calamitas, *ſtrages*, *clades*, quid propriè ſignificent. 289. a
Calchantis cum Mopſo certamen; à quo victus præ mœrore vita exceſſit. 61. b
calculo mederi aquas acidorum fontium. 252. a
calculo veſicæ remedia ex piſcibus. 531. b. calculo renum, & veſicæ, ea inſectis remedia. 584. b
Caleb pro Hebronis tractu, & ejus incolis: ubi perperam Græci *caninum*, vel *venatorem*, reddiderunt. 87. a
Calechutenſibus qualis ſit Dei cultus. 21. a
Calecutenſium regi ſerpentem coli pro numine. 558. b
calidum nativum quid ſit. 299. b. quale laudetur. *ibid.* Vide *Calor.*
caligo pluviamne, an ſerenitatem, ſignet. 293. a
Calippi de concentricis cæli orbibus opinio. 192. b. Calippi de orbium numero opinio. 198. b. Calippica periodus annorum LXXVI. 148. a
Callaici habiti ſunt ἄϑεοι. 3. a
Callimedonti oratori unde *Carabi* cognomen. 519 a
callionymi, ſive uranoſcopi piſcis vivacitas. 472. b. ejuſdem vis ad oculorum claritatem juvandam. 525. b. callionymum, ſive ſcarum, felle abundare. 494. a
Calliſtagoras cultus Teniis. 41. b
Calliſtus Venus. 177. b
calor nativus an diverſus ab elementari. 239. b
calor nativus quomodo differat ab influente. 339. b. Vide *Calidum.*
Camarina, Babyloniæ civitas, unde dicta. 239. a
cameli vox unde: & proverbiales locutiones à camelorum magnitudine petitæ apud Syros. 377. b. camelus quantopere muſicâ delectetur. 382. b. camelus quomodo diſcat ſaltare ad tympanum. 385. a. cameli in congreſſu verecundia. 389. b. quantopere coitum cum matre averſetur. *ibid.* celeritas. 393. a. camelorum carnes quales. 395. b. camelorum uſus. 407. b. Utrum ſub feris, an jumentis, contineantur, quæſitum. *ibid.* quot dierum iter conficiant, & quot diebus ſitim perferant. *ibid.* uſus eorum in bello. *ibid.* an, quod Plinius ait, caſtratione fiant firmiores. *ibid.* ex veretro cameli fiebant nervi arcuum. *ibid.*
Camenarum fons delubro honoratus. Hujus aqua utebantur in Veſtalium ſacris; & ut per *Camenas* etiam *aqua* intelligatur. 263. a
Camillus Samothracibus deus adminiſter diis magnis, qui & *Cadmus* vocatur, puta Mercurius terreſtris, qui haut alius eſt à Charonte. Utriuſque item vocabuli ratio adfertur. 229. a
cammari, ſquillæ genus. 519. b
campanæ cur diuturniorem faciant ſonum. 316. a. *campana*, vel *campas*, genus, pro *campano.* 368 b
Campaniæ, Siciliæ, agri etiam Somerſetenſis apud Britannos feracitas unde. 237. b
canaubcoal ſerpentis calliditas, ac vis. 547. a
cancello piſci podicem non deeſſe, contrà quam Ariſtoteles cenſuit. 479. a. cancellus quatenus ſe moveat. 495. b
cancri ætas. 473. a. an capite careat, quod Galeno placitum. 484 a. ejus ſollertia. 488. a. cancri qua mente dicantur caudâ carere, & cur eâ careant. 496. a. cancrorum inter ſe arietantium pugna. 494. a. quare Deus caudam negarit cancris, non item locuſtis. 496. a. Ariſtoteles, & Rondeletius, conciliantur; quorum ille caudam adimit cancris, hic tribuit. *ibid.* unde ſit, quòd cancri ſciant progredi; natare non item. *ibid.* b. ut differant ab aſtaco, & locuſta. 518. b. 519. a. cancri majæ, & paguri, caro qualis. 519. a. cancrorum uſus adverſus venena. 524. a. cancri proſunt tuſſi. 527. b
cancro morbo prodeſſe ceram. 589. b
canes venatici quo pacto feras odorentur etiam longè remotas. 273. b
canes cur abſtineant fulgore percuſſis. 278. a. canes Laconici cur odoratu præſtent. 321. b. canes cur caudâ adulentur, cauſa ex phyſicis allata. 371. a. canem feminam in venando præferri mari. 397. b. & quæ forma canis venatici imprimis commendentur. *ibid.* canis Simonis Magi S. Petrum dicitur allocutus. 354. a. canis vociferans, corde jam exemto. 355. a. canis adulter. 391. a. animal impudens, & guloſum. *ibid.* canis cur hiænæ viſâ umbrâ obmureſcat. 409. b. canis cur facilè fiat rabidus, & cur ab eo morſi formident aquas. 410. b. canis rabidi morſus cur nunc citiùs, nunc tardiùs, hominem reddat rabioſum. 460. b. canum quorundam mirificum robur, & ut gentes variæ eorum operâ uti ſoleant adverſus hoſtes. 378. b. canum ſagacitas. 384. b. canum qui generoſiſſimi. 389. b. canum erga dominos fides. 389. a. generoſitas. *ibid.* b. Moloſſicorum, & Chaonidarum canum origo, ſecundùm poëtas. *ibid.* libido. 390. b. canum uſus. 407. b. canis à Cynupolitanis cultus. 414. b
canicolæ marinæ ſollertia. 488. a. ejuſdem cum urinatoribus pugna. 494. a
canis aſtro cur datum nomen *Μαίρας.* 87. a. & cur poteſtas attributa maturandi uvas. *ibid.* canis mactatus Marti à Caribus. 48. b
Canis cæleſtis, ſive Sirius, Iſidis & Sothidis nomine cultus Ægyptiis. 184. a. cur in Deos relatus. 184. b. *canes Proſerpinæ* vocabantur à Pythagoricis planetæ: ſicut Ægyptiis, *Deorum lictores.* 171. a
canis rabioſi cur præſentius ſit venenum; quàm furioſi hominis, quem canis momorderit. 524. a
canis piſcis marinus cartilaginoſus, & unde ei nomen. 511. a
canitiei remedium à lumbricis terreſtribus. 586. b
Canobos, ſive Canopus, quale Ægyptiorum numen patriumne, an adventitium. 87. a
Canopus Ægyptiorum numen, cujus ſymbolum hydria. 255. a
canterio unde nomen. 407. b
cantharides Venerem concitant. 585. a. eaſdem prodeſſe hydropi. 484. b. item ictero. *ibid.* urinam iis cieri. *ibid.* itidem menſes cient. 585 a. proſunt podagricis. 586. a. alopeciæ. *ibid.* b. ſcabritiei unguium. *ibid.* telis extrahendis. 587. b. corpus adurunt, & cruſtâ obducunt. 589. b. vitiligini medentur. *ibid.* cantharidum venenum. 599 a. quomodo occurratur cantharidibus potis. 602. a
capella candida ſacrificata Homero, & cur. 42. a
Capellæ, Arietis, Lyræ, aliorumque ſiderum apud Peruanos cultus. 187. a
caper febricitare ſemper, eoque brevis eſſe vitæ putatur. 776. a
capilli Gallis delibuti aromatis. 221. b
capilli Petronio pars ſunt corporis. 586. b
capitis dolori remedium è lepore, bove, aſino, cervo. 400. a. eidem remedium ex columba, & vulture. 457. a
capitis dolori remedium à torpedine. 525. a
capito fluviatilis. 515. b
capo, κάπων, καπωνίλ⊙, καπωνίζειν derivata unde. 449. b. caponum caro ſalubris, & delicata; quæque ejus ſit rei cauſa, & an noceat podagricis. *ibid.* de caponum cerebellis, eorumque eſu, quid judicandum. *ibid.* pedes an obſint podagricis. *ibid.*
Cappadocibus cultum ignem ſacrum. 239. b
Cappadocum diva quæ fuerit, à qua Sylla ſibi fulmen traditum eſſe ſomniavit. 155. a
capreæ ſimplicitas ſive ſtupor. 450. a
capræ ſolertia. 384 b. ejus pietas erga parentes. 388. b. eam cornibus ducere ſpiritum. 393. b. caprinæ carnes quando meliores. 395. b. utrum epilepſiam tollant, an magis inducant, incertum. 401. a. caprinum ſanguinem, ſi bibatur, pallorem inducere. 411. a. capra, atque hircus, Mendeſiis culti. 415. a. à Copticis comeſti capri ſive hirci: at capræ divino affectæ honore, ut deliciæ Iſidos. *ibid.* cur Ægyptiorum alii, ut Mendeſii, hircum magis ſint venerati, & quanto apud hos caprarii fuerint in honore *ibid.* b. capram cur nec nominare Flamini Diali licuerit, nedum tangere, multoque minùs edere. 454. a
caprificus quomodo culices producat. 563. a
caprimulgum lac ſugere caprarum, & quæ inde capris incommoda. 426. a. idem Græcis αἰγοθήλας. Plinio *fur nocturnus.* 438. b
caput jactabant Galli. 221. b
caput animali verſatile ob ſolos oculos. 321. b

 caput

caput calceatum de eo, quod pelle bædinâ, vel aliâ obiectum. 406. a
carabi pugna cum murænа. 494. a. carabi veloces, in his hippœ, ſeu potiùs hyppeir; & quæ origo ejus nominis. 498. a
Caranus, & κοίρανος, ejuſdem originis videri: ubi & de Carano Heraclida, Macedonici regni conditore. 143 a
carbonum accenſorum in cubiculo concluſo halitus exitialis, & quæ ejus cauſa. 302. a
carbunculis remedium è coracino, & mullo. 534. b. carbunculi deſcriptio, & remedium ab apibus, & melle. 589. a
carcinomatum remedia ex piſcibus. 534. b
Cardanum juſtam nubium altitudinem non eſſe aſſecutum. 267. a
Cardanus in eo refellitur, quòd nubes negaret rotundas. 287. b
Cardanus refellitur de ortu cimicum. 596. b
Cardo maſculus, & femina. 336. b
carduelis, & *acanthidos* etymon. 422. b. carduelis etiam XIII fit annorum, licet in cavea educetur. 426. a. imò & XX annorum ſpatium implet. *ibid.*
Cares primi galeis criſtas illigarunt. 462. a
Carmelus mons pro Deo, & unde is cultus promanâſſe videatur. 236. a
Carmentæ quare cæleſtes honores decreti. 37. a. ubi & de ara, ac porta Carmentali.
Carmentæ ſacello pelliceum aliquid inferre, nefas creditum. 405. a
Carna dea quomodo à Romanis ſoleat placari. 504. a
carnis eſus utrùm ante diluvium obtinuerit. 394. b. antiquiſſimos abſtinuiſſe à carnibus, ne gentiles quidem penitus ignorâſſe. *ibid.* carnem ſuillam inprimis nutrire: aſſatam autem præſtare elixæ: præterea diſcrimen eſſe ab ætate, & locis, ubi enutritæ ſues. 395. a. de caprina, cervina, leporina: item equina, aſinina, camelina. *ibid.* b. tigridum etiam pro cibo fuiſſe. *ibid.* indicium veterum de carne urſorum, pardorumque. 396. a
Carolo IX Galliarum rege ſpectante exhibitum mirificum magicarum præſtigiarum exemplum. 25. a
Carpio lacus Benaci; quo capiendo etiam gaudebat imperator Fredericus III. deque ejus piſcis etymo. 516 b
Carthaginis conditores fabuloſi; Xoris & Carchedon; & unde fabellæ hujus origo. 90 b. unde urbs *Carthada*, arx *Burſa* dicta ſit. *ibid.* Carthago condita ab Eliſſa Tyria ſive Didone. *ibid.* fabulæ de agro ab ea empto, quantum bovis tergo amplecti poſſet, origo. *ibid.* Carthaginenſium duces etiam dicti *reges.* *ibid.* Carthaginenſium dii. *ibid.*
Carthuſianorum in cellis an cimices naſcantur. 596. b
cartilagineis piſcibus caro qualis, tam erectis, quàm ſubſtratis. 526. a
carunculæ internarei, & cerebrum, ob ſimilitudinem, quam cum papillis habent, *mamillares* dictæ, proprium ſunt odoratus organum. 321. b. quis uſus ſit operculi, quo mamillaria hæc tubercula conteguntur. *ibid.*
caſeorum in cibis diſcrimen, pro primarum diverſitate qualitatum, & diſcrimine ſtomachorum. 394. b. caſeoli è lacte hirci. *ibid.*
Caſtor, & Pollux, etiam culti Germanis; ſi Tacitum audimus. 104. b
Caſtor & Pollux fratres Helenæ, meteora ignea, quomodo generentur, cur item illi navigantibus ſalutares, hæc crederetur infelix; deque Sanctorum nominibus, quæ in locum gentilium iſtorum fuerint ſurrogata. 285. b. Caſtores gymnicis præerant artibus. 299. b
caſtoreum non eſſe caſtorum teſtes. 401. b ejus vis multiplex in capitis morbis. *ibid.* caſtoris ſive fibri teſtes an epilepticis medeantur. *ibid.* unde iis canis Pontici nomen datum. 401. a. error veterum de caſtore ſibi teſtes amputante. *ibid.*
Caſtoris liber de erroribus ex inſcitia temporum obortis. 43. b
caſtratio in ſacris Cybeles quid denotârit. 224 b
caſtratio feminarum quo exemplo, ac fine, facta à Lydis, ex veteri Lydorum hiſtorico relatum. 396. b. caſtratione an cameli fiant fortiores. 408 a
Catabathmus Deos coluit patrios. 89. a
catarractæ aves quæ, & unde nomen. 432 a
catablepas ſive catoblepon, item gorgon, utrùm adſpectu an ſpiritu, hominem necet. 410. b
Catonis Cenſorii judicium de pleriſque cibis non audiendum. 455. a
Catonis locus correctus. 521. b
Catularia porta Romæ. 166. b
Caucaſi altitudo quanta. 266. b
caudæ quantopere ovibus in Africa, & alibi, excreſcant, ac quæ cauſſa ejus ſit. 377. b. cauda quorſum quadrupedibus attributa. 389. a. caudæ cujus in muribus. 443. b
caudæ piſcium uſus in natando. 496. a. quo differat à caudis quadrupedum. *ibid.* qua mente ἄχιστος dicatur Ariſtoteli. *ibid.*
caviarium Judæorum à vulgari diverſum. 515 a
cauſa per accidens præſupponit cauſam per ſe. 201. b
Cauſus flumen Pythagorum dicitur ſalutâſſe. 354. b
Cayſtrii herois cultus. 60. b
cebus, ſive cercopithecus, cur Babyloniis apud Memphin colatur. 415. a. unde nomen cebo ſive cepo datum. *ibid.* ac origo vocabuli, quo cebum nuncupant Germani. *ibid*
Cecrops, poſt mortem, in Aquarium converſus fingitur. Ejus filiæ Agraulos, Herſæ, & Pandroſos. 40. a
cellæ apum cur ſexangulæ. 568. b
Celſi Epicurei, contra quem Origenes ſcripſit, ætas, & impudentia. 89. a
Celſi monitum, ne in ſecunda valetudine adverſæ præſidia conſumantur. 455. b
Celtiberi dicti ad differentiam Celtarum, qui trans Pyrenæum habitabant: non Gallorum, qui in Hiſpaniam colonos miſerant. 96. b
Celticæ dii. 92. b. & quas gentes Celticæ vocabulo veteres intellexerint. *ibid.* Celticæ vocabulum nunc preſſè, nunc laxè, accipitur. *ibid.*
cenchrenes velocitas. 547. b
cenchri, ſive *cenchridis* appellatio unde. Aliter λέοντα nominarunt: & quæ effugiendi ejus ratio ſit. 550. a. ejus ſymptomata. *ibid.*
Centauri, & Lapithæ, primi Græcorum equis vecti: unde origo fabulæ de biformi monſtro. 46. a
centrinæ piſcis etymon. 534. a. caro qualis. 526. a. hic piſcis nervorum convulſionibus prodeſt. 525. a. item morbo articulari. 534. a. aculei centrinæ venenati. 540. a
cepæ unde habeant, quòd diu ſeparatæ à terra nihilominus germinent. 305. b
Cephali canis, deque eo fabula. 389. b. Cercydæ, & ſacerdotis loquentis capite reciſo fabella jam olim ab Ariſtotele rejecta. 355. a
cephali, piſcis è mugilum genere, ſed capite grandioris, mira celeritas: ejus quoque etymon exponitur, & vis tranſiliendi naviculam piſcatoriam. 497. b
cepis cur abſtineant ſacerdotes Ægyptii. 148. b
cera arthritidi medetur. 585. b. perniones ſanat. 587. a. item exanthemata. 589. a. cancrum. *ibid.* ſcabiem *ibid.* b. ceræ uſus in ſcribendo, 591. b. inque claudendis, & obſignandis literis. *ibid.* mos criticorum, cerâ miniatâ ſignandi, quæ improbarent. 592. a. de imaginibus ex cera effigiatis. *ibid.* b. ceræ uſus in oblinendis doliis, navibus, poculis. 594. b. *cera* pro *epiſtola*. 591. a. pro *imagine*. 593. a
ceraſtæ unde dicti, & an vera habeant cornua. 546. b. & 549. a quo dolo capiant aves, hominesque etiam adoriantur. 546. b. ceraſtæ quomodo à viperis differant, & an vivos pariant fœtus. 544. a. ſymptomata eorum, qui morſi ſunt a ceraſte. *ibid.*
Cerberus cur aliis centenis, vel quinquagenis, aliis verò ternis ſolùm capitibus fingatur. 167. b. Platonicis ſymbolum eſt mali dei, ſive dæmonis poteſtatem in tria elementa exerentis. 168 a
Cercopitheci cultus. 415. a
cerebella avium an ut in deliciis ſunt, ita & valetudini conducant. 450. a
cerebrum Jovis Ennio quis piſcium. 505. b
cereorum uſus. 593. a. in nuptiis. *ibid* b. in Eccleſia etiam de die, quando Evangelium legebatur, ad ſignum lætitiæ demonſtrandum. Item in baptiſmo, & quis ejus ceremoniæ finis. *ibid.*
Ceres frugum inventrix, imò & legifera: unde feſtum Θεσμοφόρια. 50 b. eſtque eadem, quæ Ægyptiis Iſis, ſoror & uxor Oſiridis regis. *ibid.* aut ſi Græcorum Ceres ſit alia, ejus ſacra ad Iſidis ſacra adaptata. 51. a. ſanè Cereris, & Iſidis ſacra ſimilia. *ibid.* Ceres unde dicta Eleuſina. *ib.*
Ceres, & Iſis, ἱστορικῶς Deæ ſunt diverſæ; φυσικῶς verò idem numen. 226. b. Ceres unde dicta. 232. b. Ceres duplex; una cæleſtis, quæ eſt Luna; altera ſubcæleſtis, hoc eſt, terra frugifera. 233. a. cur dicta *Legifera* *ibid.* quatenus mixtum cultum attendimus, ea & lunam, & frugiferam terræ vim, comprehendit. 162 b. Cereris, & Junonis ſacra. differebant. 222. b
cerinthus, ſive ſandaraca, Ariſtoteli quid. 565. a
certamina gallinaceorum inter ſe, item taurorum & urſorum cum canibus apud Londinenſes. 439. b
cervarum partus cujuſmodi. 363. a. cervi, quia felle careant, etiam ultra annum centeſimum vivere exiſtimantur. 376. b. imò Heſiodus aliquot millenis vivere putavit: ſed falſò planè. *ibid.* non prorſus carere felle, eſſeque id venenatum. *ibid.* cervi quantopere Muſicâ delectentur. 382. b. cervi ſimplicitas ſive ſtupor. 383. a. cervi utrùm ſerpentes è ſpelæis educant, ac necent anhelitu, an odore: ac ſi odori id tribuendum, iſne totius cervi ſit exiſtimandus, an ſolius cornûs cervini. 413. a. unde ἔλαφος nomen accepiſſe videatur. *ibid.* cervinæ vis adverſus febres. 399. b. cervorum pulchritudo præcipuè conſiſtit in cornibus, & cur iis careant cervæ. In quo Anacreontis, & Sophoclis error, à Polluce jam olim obſervatus. 380. b. cur cornua quotannis decidant cervo, ac nova ſuccreſcant. *ibid.* qui dicantur νεβροί, πασσάλιαι, σπαθίναι, ἀχαΐναι, δικερῶται, κλαδίαι, κεράσται. 381. a falli eos, qui putant, cervinis cornibus non plures excreſcere ramos, quàm ſenos. *ibid.* in dubium vocatur, quod de annuo cornuum recidivatu prædicatur. *ibid* cervos Octobri & Novembri menſe, œſtro Veneris percitos, ferocire cornibus, ut ad ſui etiam tutelam hæc acceperint. *ibid.* aliàs tamen nihil eos præſidii ponere in amplis cornibus. 380. a. *cervus* pro ſervo fugitivo. 391. b. cervorum ſagacitas. 384. b. Proverbium, *Ubi cervi cornua abjiciunt* 380. a. diſſentire in hoc veteres, utrùm cervi, dum cornibus carent, eò deliteſcant, quòd deformiores conſpici pudeat; an quia tum imbecillitati ſuæ diffidant. *ibid.* libido. *ibid.* velocitas. 392. b. unde tam facilis ſit natatio cervis. 393. a. cervinæ carnes an ſalubres, & quando præferendæ. 395. b
cervus ſerpentibus infeſtus. 553. a. cervi cornu, genitale, ſanguis, pellis, dens, uti & coagulum hinnuli, conducunt adverſus ſerpentes. 555. b

Celſus

Ceſcus fluvius. 252. b. *Ceſcum habet, vel non habet.* Proverbium. *ibid.*
cetacea pedes habent; ſed non quibus valeant ambulare, ut vituli marini. 497. a. cetacei quomodo differant à piſcium aliis, 517. a. quid occaſionem præbuerit quæſtioni, an cetaceis Quadrageſimæ tempore veſci liceat. *ibid.* cetaceos Galeno impropriè vocari piſces quoſlibet prægrandes; ut zygænam, & thynnum. 517. b. cetaceorum magnitudo. 480. a. cetaceorum è maxillis ædium poſtes apud Gedroſos fiebant. 537. b
cetus Herculem trinoctio in ventre habuit. quod ex Jonæ prophetæ hiſtoriâ effictum. 142. a
Chalcidius ſcriptor perperam à Vannino traductus. 205. a
chalcis piſcis qualis. 508. a
Chaldæis etiam unus Deus. 14. b
Chaldæos ſiderali ſcientiâ primos excelluiſſe. 207. b. Chaldæorum fatum à Babylonio fuiſſe diverſum. *ibid.* utrumque hoc plurimùm à SSis Patribus intelligi, cum Fatum impugnant: interdum tamen & Stoïcorum refellit. 208. a. quam animæ vim Chaldæi ſive Aſtrologi cuique ſubjecerint planetæ. 209. b
Χάλκεια, vel Πάνδημοι feſtum Vulcani. 242. b. ſed primò hoc ſacrum fuit Minervæ ἐργάνῃ. *ibid.*
Χαλκηνορὸς Cybele. 223. a
chamæ oſtreigenus, earum etymon, & facultas. 522. a
chamæleontem non duntaxat aëre paſci, ut vulgo creditum. Eundem omnes referre colores, etiam quos vulgo excipiunt, album, & rubrum; & unde id proveniat. 376. b
Chami liberorum, vel poſterorum, contentiones, & bella inter ſeſe. 75. b. Chami terra, & Χημία, pro Ægypto. 74. b
Chami nomen unde: unde item Sol *Chama* dictus Hebræis. 135. a
Chamia, ſive Chemia, Ægyptus à Chamo appellata. *ibid.*
Chamos ſive Chemos, Moabitarum numen, quod aliter vocatum *Beel-Phegor*, unde nomen acceperit. 129. a
channa, ſive channus, piſcis pelagius ſquamatus, gulæ expers, carnis duræ, ſed ori gratæ. 510. a. cur tam citò extra aquas moriatur: de quo Rondeletii opinionem Scaliger impugnat. 500. a. ac unde illi nomen. *ibid.* & 510. a
chaos aërem veteribus Græcis ſignat. 158. b
characteribus, & verbis, nulla per ſe ineſt vis. 14. b. nec ab imaginativa imprimi poteſt. *ibid.*
χαραδριὸς Hebræis *Anapha* vocatur, avis garrula, & unde utraque appellatio. 445. a. χαραδριοῦ μιμεῖσθαι. 459. b
charontis ἐπωνυμία ex Hebræo fonte deductum 229. b
χθονία eadem ac Proſerpina. 164. b
χειρόκμητα, Democriti. 591. a
Chelidonize qui venti. 275. a
χελὼν, & μύξων, unde nomen acceperint. 471. b. χελλῶν, etymon, variaque vocis ſcriptura. 477. b
chenalopecis vafrities. 432. a
chenerotes, anſerum genus, Britannis olim in deliciis. 455. b
Chenoſiris 255. a
cherſydrus natrix. 547. a. Vide *chelydrus.*
chelydrus an ſit diverſus à cherſydro, & quàm gravi ejus virus. 551. a
χίμετλον quid, & ei remedium. 533. a
Chiromantes quos planetas ſingulis manus partibus prælegerint. 209. b
chironomia ſermonis vices ſupplet. 357. b
χιτὼν, & χιτώνιον 521. b. χιτὼν inſigne nuptiarum. *ibid.*
cholerici cur minùs ſanguinei, ſed diuriùs vivant phlegmaticis. 298. b
chordæ ovillæ cur vix ſonum edant lupinis miſtæ. 422. a
Χλόεια feſtum Cereris. 232. b
Χύτροι, ſive ollare feſtum Mercurii Terreſtris, ſive Charontis. 139. a. 229. b
Chriſti riſum nuſpiam legi, fletum non ſemel; ut veteres dixere: dictumque id expenſum. 358. a. Chriſtum quàm monſtroſâ figurâ depinxerint inimici nominis Chriſtiani. 417. a
Chriſtiani Sacerdotes ſunt, at non ſanctorum, verùm Dei. 112. a
Chriſtiani cur traducerentur, quaſi ſub dio nubes, domi autem numerarent lacunaria. 288. b
Chriſtiani cur κηρίωνες, hoc eſt, *cerei* vocati, & cur de iis vulgò, ut maleficis, ſupplicium ſumptum. 594. a
Chronicon Alexandrinum ſemel iterumque fortaſſe correctum. 93. b
chryſallides nec edere quicquam, nec excernere. 564. b. moveri, ſi contingas. 572. a
chryſaor. 282. a
Chryſor, qui Vulcanus videtur, Phœnicibus non ſolùm artis fabrilis, ſed etiam facundiæ, divinationis, piſcationis, & navigationis auctor. 62. b. idem Diamichius. *ibid.*
χρυσίδες, quibus mullos inferrent menſæ. 507. b
χρυσόμηλον, ſive χρυσοῦ αὐτὸ βάλλων, deque eo Dio deceptus. 383. b
χρύσοφρυς, ſive aurata, cujus naturæ. *ibid.* eſt ex thunnorum genere. 518. a
ciborum retentioni remedium ex cochleis. 529. a
cibuſne melius à prandio concoquatur, quàm à cœna ſomni tempore. 328. a. cibus ſapientum turtur. 449. a
cicada quare dicata Apollini 138. a
cicadarum origo duplex. 563. a. cicadæ cibus. 565. a. quomodo alatur, cum ore careat. *ibid.* b. an quicquam excernat. *ibid.* obtuſus ei viſus 566. b. cur in agro Cyrenaico nullæ ſint cicadæ. 565. b. cur nec in lucis reperiantur, vel arboribus denſis. *ibid.* cicadæ à cantu B. Ambroſio celebratæ. 575. b. non propriè ᾄδειν, vel etiam λαλαγεῖν, ſed τεττίζειν, vel laxiùs Latinis *ſonare*, ac *reſonare.* *ibid.* quæ cicadæ ἀχέται, quæque τεττιγομήτραι vocentur. *ibid.* quare mares magis canant, quàm feminæ, & cur circa ſolſtitium demum canere incipiant. *ibid.* quomodo, & cur etiam ſedentes cantillent. 576. a. cicada edulis, & præcipuè τεττιγομήτρα. 577. a. proſunt calculo. 584. b. & dolori veſicæ. 585. a
Ciceroni Deus mens incorporea. 5. a. Ciceronis memoriæ error. 44. b
Ciceronis in villa enatæ aquæ oculis medentes. 251. a
Ciceronis error de materie fulminis. 278. b. idem μεσεντέριον parum rectè interpretatus eſt *medium inteſtinum.* 304. b
cicindela noctu videt; idque fieri beneficiò luminis, quod clunibus fundit; ex quo & nomen Latinum, & Græcum πυγολαμπίδες. 567. a. Cicindelæ liquor quem uſum præſtet in ſcribendo. 595. a
ciconiæ æſtatis advenæ, ut hyemis grues 430. a. ciconia, an invida ſit, ut ajunt. 436. a. ciconia cur *pietaticultrix* dicta. 437. a. quare in ſummis regum ſceptris effingeretur. *ibid.* ciconiis non ſolùs ἀντιπελαργεῖν. 453. b. ciconiarum caro qualis. *ibid.* lex Theſſalica, ut qui ciconiam necârit, haut ſecus puniatur, ac ſi hominem interemiſſet. *ibid.* quis primus apud Romanos eas menſis appoſuerit. *ibid.* Auguſti principatu magis ciconias placuiſſe, quàm grues: at, principe Veſpaſiano, gruem in maximo fuiſſe pretio, ciconiam planè nullo. *ibid.* ciconia ſerpentibus inimica. 461. a. ciconiæ quid debeant Medici. 462. a. ciconias à Theſſalis eſſe cultas, quod ait Clemens Alexandrinus, quomodo intelligi debeat. 467. a. an Ægyptii ciconiam pro numine coluerunt; quod plerique Lucianum ajunt ſcripſiſſe. *ibid.* b
cicuta cur homini mors. 302. b
cillus pro aſino. 417. a
cimicum & pediculorum ortus ex reſudatione vaporoſa. 562. a. cimices, vel, ſecundum Plinium, cochleas, quartanæ mederi. 579. b. item remedium eſſe contra venenum. *ibid.* cimices prolont hæmorrhagiæ. 581. b. item adverſus aſpidis venena. 558. a. cimices hominibus moleſti. 596. b. cur egentes nec cimicem, nec araneum, habere dicantur. *ibid.* an Carthuſianorum cellæ ſint immunes à cimicibus. *ibid.* utrùm ex vivis etiam hominibus oriantur. *ibid.* in inſula S. Thomæ cimices non inveniuntur. 597. a. cimices ut necentur. 601. a
Cimmerii non modò ad Boſporum; ſed in Italia quoque; atque ad hos profectum Ulyſſem. 264. b
Cimmeris Dea. 219. a
cinædi piſcis deſcriptio. 506. b
cinclus vafer. 432. a
Cinxia Juno. 261. a
Circe *Marica* nomine à Minturnenſibus culta: item, ſed reſervato Circes nomine, à Circeienſibus. 108. a
Circius ventus quis, & ut huic templum ſtatuerit Auguſtus. 271. b
circuli lactei cauſæ, una fabuloſa, altera vera, indicatur. 142. b
Ciun potiùs Luna, quam Saturnus, ratioque ejus nominis allata. 155. b. unde videatur eſſe, quòd pro *Ciun*, vel *Cium*, ut in Hebræo eſt, LXX habeant *Rephan*, ac ſuper eo B. Lucas defenſus. 156. a
claritati oculorum medicina ex hirundine, perdice, accipitre, vulture: uti ophthalmiæ, ovo, & ciconiæ pullo. 558. b
Cleanthes quo argumento compulſus fuerit ad rationem mutis etiam tribuendam animantibus. 571. b
Clemens Romanus non rectè negatur auctor epiſtolæ ad Romanos; utcunque in ea ſimilitudo petatur à phœnice, qui in rerum natura non eſt. 465. a
Clementis Alexandrini locus de Anio Deo emendatus. 39. b
Clementis Romani, ſive alterius locus emendatus. 414. b
Cleomedes athleta in veneratione Aſtypalæis. 42. a
cleri in favis apum. 559. b
climacterici nobiliores tres. 301. b. non extimeſcendi Chriſtianis. *ibid.*
Climene cur dicta Japeti conjux. 52. b
Clitorius amnis abſtemios facit. 253. a
Clitumni fontis divinus apud Umbros cultus. 261. b. boves ad Clitumnum paſcentes aquâ ejus albi fiebant: unde à triumphantibus hinc petebantur, quos mactarent Jovi Capitolino. *ibid.*
clupea piſcis qui ſit. 493. a. ejus inimicitia cum attilo. *ibid.* remedium ex clupea contra quartanam. 524. a
Cluverii opinio diluitur, exiſtimantis, Germanis idem fuiſſe numen Herculis, ac Martis. 102. a. Cluverius refellitur; qui ex eo, quia Germani coluere Solem, Vulcanum, Lunam, colligebat, iis fuiſſe cognitum Sacroſanctæ Trinitatis myſterium. 101. a
clypei, ſcuta ve obducta olim pelle, nunc ſimplici, nunc etiam duplici, triplici, atque adeo ſeptemplici. 406. b. clypeo jam antiquiſſimis temporibus gentilitia ſolere inſignia incidi. 419. a. clypei ἐπίσημον. *ibid.*
clyſteris uſum eſſe ab Ægyptiis: hos eum ab ibidi ave didiciſſe. 462. a
Cneph, vel Cnuphis, Thebaidos numen, mundi opifex, unde & fingebatur ovum ore effundens, ovo mundum ſignificante. 6. b
Cnuphis, vide *Kneph.*
Coactilium uſus, eorumque ſuus gemina, mollities, & quod non perpluant.

Eadem

Eadem ferro, & igni reſiſtere. 405. a

cobitidi apuæ unde nomen. 470. b

coccojus, vel cuccujus, Indiæ inſectum, iter facientibus laternæ vicem præſtat. 595. a. uſus ejus in culicibus capiendis. 596. b

cochleæ marinæ difficulter concoquuntur; ſed concoctæ bene nutriunt. 523. a. imò omnibus vis nutriendi, eoque Venerem concitant. 528. a. proſunt febri. 579. b. item capitis dolori. *ibid.* adhæc uvæ ſeu columellæ. 582. b. morbis thoracis *ibid.* dyſenteriæ. 583. b. alvo ſiſtendæ. *ibid.* urinæ incontinentiæ. 584. b. teſtium vitiis. 586. a. arthritidi. *ibid.* palpebris. *ibid.* b. oculis, & dentibus. *ibid.* faciei vitiis. *ibid.* vulneribus. 587. b. telis extrahendis. *ibid.* nervos ſanant. *ibid.* ulcera. 588. a. herpetem. *ibid.* b. panos. 589. b. cochleæ fluviatilis uſus in medendis à cane rabioſo morſis. 514. a. cochlearum uſus in oleo decapulando, ac hauriendo. *ibid.*

cochleas nudas idem eſſe, ac limaces: limaces conchæ implicitos, idem ac cochleas. 579. b. cochleis cur cornua ſint addita. 484. b. cochleæ nudæ Venerem citant. 585. a. cochleæ terreſtres proſunt vulneribus. 594. a. & pilis palpebrarum refractis. 526. a

cocta corporibus noſtris cur magis conveniant, quàm cruda. 303. b

Cocytus cùm alibi, tum in Epiro. 265. b. Cocyti nomen non competit primò inferorum fluvio; ſed eò eſt tranſlatum. *ibid.*

Codan idem ac *Godan*, vel *Wodan*: indeque *Codano* ſinui nomen. 102. a. b. item *Codanonia*, & *Codanonibus*. *ibid.*

Codri regis poſt mortem honos. 40. b

cœnæ immodicæ cur præcipuè noceant iis, qui in ſtudiis ſunt aſſidui. 304. a

Cœranus, & Sarus, ejuſdem Ciliciæ fluminis nomina: ſed hoc Syriacum, illud Græcum, ejuſdem interim notæ. 104. a

Cœranus Mileſius delphinum redemit, ut mari redderet. 517. a

Colchus diu Græcis credita terminus orbis noſtri. 67. a

colia ſive lacerti piſcis caro qualis. 509. a

colici morbi remedium è piſcibus. 519. b eidem remedium à cicadis. 584. a

collins. 236. a

colonicum pecus *tecto* opponitur. 405. a

colorem lanæ, aut cutis, quibuſdam aquis bibendis immutari. 249. b

coloris in corpore planè opaco inque perſpicuo viſum terminante, coloris item, & lucis differentia. 352. a. deque temperie colorum ex perſpicuo & opaco, & diverſo eorum effectu. *ibid.* coloris item, veri & apparentis differentia. *ibid.* b. an lumine ſit opus ad colorum ſpecies eliciendas ex objectis. 314. b. mutorum animantium nonnulla etiam in tenebris conſpicere colores: imò & hominum quoſdam in tenebris eos videre *ibid.* color cur dormientibus vividior ſit, quàm vigilantibus. 328. a

columbæ Syris pro Diis, eoque nec eas edere audebant. 65. b. columba ſymbolum regni Aſſyrii. 66. a. an & columbæ ſimulachrum Samaritanis cultum. *ibid.*

columbæ fœcunditas. 424. b. columbæ caſtitas. 440. b. columbo, & columbæ, æqualis amor ſobolis. 434. a. columbarum amor erga tinnunculum, & unde is ortus. 435. b. unde error provenerit, quòd columbæ credantur fellis expertes. 436. a. columbarum uſus in literis perferendis. 464. a. columbina caro quas habeat vires, deque eo diverſum Græcos ſentire, & Arabes: præcipuè, an lepram gignat. 450. a

columbæ Dodonææ fatidicæ: videri autem per eas intelligendas feminas exteras. 354. a

Comagenum unguentum quod, & ut paralyſi medeatur. 457. b

cometæ à multis veterum philoſophorum habiti ſunt pro ſtellis; ac proinde pro diis. 283. b. quamdiu durent, & quanta eorum ſit magnitudo. *ibid.* quid portendant. *ibid.* quod ii ſaltem, qui ſub Luna exiſtunt, proſint purgando aëri. 284. a. barbas eorum, ſive caudas, eſſe radios ſolares, per cometæ corpus trajectos. *ibid.* an univerſi in æthere generentur, quod Tycho Brahens putabat. 285 a. diverſa aëreorum & æthereorum cometarum materies. *ibid.* eorum naturam nec dum ſatis eſſe proſpectam. *ibid.* opinio gentilium de anima Julii Cæſaris in cometam converſa. *ibid.* b

Compitalia quæ. 32. b

Comus Græcorum idem, qui *Chamos*. unde etiam nomen accepit. 129. a. Comi, & Priapi diſcrimen. *ibid.*

Conceptio B. Virginis ab antiquis illuſtrata conceptu vulturis citra marem. 413. a

concha vocabulum quàm latè pateat. 519. b. *concha Venerea*. 521. b *cytheriaca concha*. *ibid.* eadem Græcis χοιρίνη, & hoc exemplo vulgo *porcellana*. *ibid.* concharum aliæ in fundo, aliæ in ſummo degunt mari. 536. b. conchæ Venereæ uſus in poliendis linteis; uti & chartis. 537. a. concha pictoribus hodieque pro vaſculis pigmentariis. 539. a. priſcis pro tuba erat *ibid.*

conchylii vox πολύσημος. 536. b. *conchyliata*, & *purpurea* veſtis diſcrimen. *ibid.* conchylium uſus ad cochlearia. 537. b

conciliare, quid, & unde. 405. a

Concilii Carthaginenſis Canon de duplici gratia; unâ ad intellectum, alterâ ad voluntatem pertinente. 352. a

concoctio ſecunda præſtat fel, ſanguinem, pituitam, & atram bilem; & quæ horum quatuor humorum receptacula. 304. b. quomodo tertiâ concoctione fiat alimenti agglutinatio. 305. a. & quæ illius excrementa. *ibid.*

concoctio quomodo fiat, ex Galeni, & Eraſiſtrati ſententia. 502. b

Concordiæ, & Pacis templa Romæ. 168. b

condenſationis veræ, & apparentis, diſcrimen. 315. b

conſiſcare pro *reponere*. 456. a

conger piſcis. 510. b. congri, & murænæ inimicitia. 493. a. item locuſtæ. *ibid.* congros quandoque nec utrâque aliquis manu poſſit amplecti. 480. b

conjectores conſulere ſuperſtitioſum, ac nefarium. 332. a

Connidas, Theſei pædagogus, cultus. 40. b

connubiorum qui præſides Dii Athenienſibus. 230. b

conſcientia quid. 349 b

conſecrandis imperatoribus aquila deſtinata: unde viris principibus triſte credebatur augurium, ſi ſomniârent, ſe aquila vehi. 419. a

Conſentes, & Selecti dii. 42. b. quorum ſex mares, ſex feminæ. *ibid.*

Conſiva. 331. a

Conſivius Janus. 144 a

Conſtantini M. conſecratio. 37. b

Conſualia ludi Neptuno equeſtri ſolennes, à Neptunalibus quomodo differant. 46 a

Conſus Neptunus equeſtris Romanis dictus. *ibid.*

copia, & *inops*, ejuſdem ſunt originis. 231. a

Coptos, ſive Copto, urbs Thebaidos vetuſta, Ægyptiorum & Arabum emporium, à qua & Αἴγυπτος, quaſi αἶα Κόπτος, vel Κόπτυ, nuncupata. 228. a

cor quare fuerit Cybele ſacratum. 225. a

cor fons ſanguinis arterioſi. Hujus ſitus; & ratio ejus adfertur; deque gemino cordis ventriculo, & ut vitalis in eo ſpiritus elaboretur, inde in cerebrum perductus fiat animalis. 304. b. cordis motus geminus; diſtentio, & contractio; quæ utriuſque ſit utilitas; & ut motus iſti nunc à natura, nunc à morbo proveniant. 339. a. prout ſe habet cordis διαστολή, & συστολή, ita & arteriarum. *ibid.* b. cur quibus grande, timida ſunt, & unde id ſit. 392. b

Cerarina ſacra quæ. 467. b

coracini piſcis deſcriptio. 531. b. unde ei hoc nomen. 475. b

cordyla. 460 b

coriariis extra urbem domicilium; neque iis ſomniare, mali aliquid portendere exiſtimatum. 405. b

cornicis, & corvi longævitas fabuloſa, Heſiodo memorata, refellitur. 425. b. vera ætas corvi, ac cornicis. *ibid.* cornicis caſtitas, ac concordia in conjugio. 440. b. cur nuptiarum tempore virgini ſoleat præcipi, ut eliminaret cornicem. 441. a. cornici ſepulcrum erectum ab Marre, rege Ægypti, quia operâ ejus uſus in literis mittendis. 464. a

cornuum utilitas multiplex. 468. a. unde hodieque mos ſit bibendi è cornu argenteo. *ibid.* Septentrionales diutiſſimè conſuetudinem retinuiſſe bibendi ex vero quadrupedis cornu. *ibid.* cornus cervini variæ dotes. 413 b

coronæ in cœlis apparentes quale tempeſtatis præbeant indicium. 291. b

corporis humani membra, ſecundùm Aſtrologos, vel huic, vel iſti; vel aliis atque aliis ſideri ſunt ſubjecta. 209. a

corpus naturale ratione motus naturalis non tam eſt duplex, ut Ariſtoteles voluit, quàm triplex. 198. a. unde corporibus vita ſit. *ibid.*

corvi cur crediti ſint ore concipere. 423. b corvi ætas ad centeſimum pertingit 425. b. corvi venuſta nigritia. 427. b. albos corvos reperiri; etſi Porphyrius putarit, nigritiam eſſe accidens eorum inſeparabile. *ibid.* corvi famelici quomodo ad Deum clamare dicantur. 362. b. corvi cur ſexagenis diebus, quibus ficus maturescunt, potu abſtineant. 440. a. corvi prudentia. 419 b. an pecunias hominis ſuffuretur. 430. a. corvi obliviosi. 433. b. corvus erga parentes ingratus. 437. b. unde *corvi* vox. *ibid.* quare ſit adeo rapax. *ibid.* cur avis tam rapacis miniſterio Deus paverit Eliam. 438. b. corvus an ἄστοργος eò erga prolem, quòd pullos nido, totaque regione expellat. 419. b. & 434. a. corvi loquelam humanam imitantis mirabilis hiſtoria, & ut interempto exequias ierit populus Romanus: neque hoc myſterio carere nonnullis viſum. 446. b. corvi quod dicantur fulmen per aërem diſpergere, unde eſſe videatur. 428. b. corvi adverſus venena utilitas. 461. a. corvorum uſus in aucupiis. 462 a. unde præſagiat pluviam. 462. b. corvus mortem annuncians Ciceroni, & quid de eo ſtatuendum ex mente Gentilium prudentiorum. 463. a. corvus an ab Ægyptiis in deorum numerum fuerit relatus, quod ex Ambroſio colligi ajunt. 467. a. b

corvi piſcis caro qualis. 509. a

corvus cur ſacer Phœbo. 138. a

Corybantibus unde nomen. 221. a

coſſi, teredinum genus. 559. b. coſſi vermis cibus. 565. b. & ipſe in cibo. 577. b

Cottus, unus Titanum, unde ſic vocatus. 272. b

coturnices publicè Athenis commiſſæ. 440. a. ſupplicium à Cæſare Auguſto ſumptum de eo, qui coturnicem ſemper victricem emiſſet, & comediſſet. *ibid.* mos Neapolitanus coturnices alendi, & inſtruendi ad pugnam. *ibid.* qui veteri proverbio coturniculæ animam habere dicantur. 429. b. cur à Phœnicibus Herculi ſacrificatæ. 440. a. coturnices, quæ alibi mutæ, in Phliaſiorum agro canoræ. 444. b. coturnicum caro cujuſmodi. 454. a. belleboro eas veſci, ut ſturnos cicutâ. *ibid.* b. an avium ſolæ laborent ἐπιληψίᾳ, ac ab eſu earum periculum

culum ſit homini ; ne incidat in eandem. *ibid.*
Covum pro cælo ex *Chaos*, & an ex Juno dicatur *Covella*. 156.b
crabronis aliqueutum. 565. a. crabro paſſerem inſequens, & necans. 566. b. quàm ictus crabronum noxius. 569. b
crangones, & ſquillæ gibbæ, quantum cornu ſuo valeant. 481. a
Cres rex Cretæ antiquiſſimus. 44. b
cretâ uſi Aſiatici in ſignando procera. 591. b. cretæ, terræque Cimoliæ, ac Samiæ natura. *ibid.*
criceti ſive hameſtris aſtutia. 385. b
criobolium. 219. b. 222. b
Critolai, & ex eo Plutarchi junioris in minoribus Parallelis opinio de elephantis refellitur. 366. b
crocodilus à minima origine ad maximam excreſcit magnitudinem. 378. a. crocodili vis in cauda. 380. a. crocodili caninorum dentium vis adverſus febres. 399. b. crocodili ut hamo capiantur. 411. b. crocodylus an lachrymetur. 359. b. crocodilus elinguis. 386. b. crocodilus ab Ombitis habitus pro Deo ; contrà ab Apollonopolitis comedi ſolitus ; & quæ cauſſa negati honoris divini. 416. a. Tentyritarum vis adverſus eos. *ibid.* Σοῦχος crocodilus Ægyptiis. *ibid* Ægyptii etiam à Deo ſuo crocodilo devoratos credidere felices. *ibid*
crocodilum ut interimat delphinus. 487. a
Crodus Germanis, qui Latinis Saturnus, ac fortaſſe id nomen ex Κρόνος. 178. b
crucibus qui pluat in veſtes. 288. a
cruſtatorum piſcium genera. 518. b. qualis eorum concoctio, & nutrimentum. *ibid.*
cryſtallinus oculi humor cur ſic dicatur, & cujuſmodi ſit. 312. a
Cubali aqua tam eſt tenuis, ut nec baculus in ea habeat reflexionem. 248. a
cuculi piſcis caro dura. 508. a
cuculus cur ova ſua ponat in nido currucæ. 431. a. perperàm vulgò cuculos dici quibus uxores adulteræ, ac veteribus Romanis tales potius currucas nominari. *ibid.* cuculus ingratus erga currucam. 438. a. cuculi ſe mutuò devorant : idque non peculiare, ut ajunt, ſed cum oloribus habent commune. cuculus cur dicatur de ſeriùs arante. 463. b
culices cur alis ſonum edant acutum. 576. b. ſcabritiei proſunt. 589. b. culicum duo genera Ariſtoteli deſcripta; quorum unum ſolùm acida ſectetur, alterum etiam mel appetat, 565. b. culices è capriſico nati in ficum ſe conferunt, velut coloniam pinguiorem. *ibid.* cur poſteriores pedes illis ſint longiores primis. 573. b. culices quantum moleſtiæ creent Hiſpaniolæ incolis, & de ratione capiendi eos inſecto alio. 596. a. culicibus arcendis remedia 600. b
cultros quorſum geſtarint Galli in Cybeles ſacris. 223. a
cultus Dei idololatricus diſtinguitur in proprium, & ſymbolicum. 11. a. proprius in varia genera diducitur. *ibid.* cultus ſpiritualis corrupti origo. 11. b. in hoc primus datur locus cultui duplicis principii boni, ac mali. *ibid.* proximus locus attributus ſpiritibus miniſtris : angelis nempe & dæmonibus 15. a. cultus divini Angelis præſtiti duæ præcipuè cauſſæ : una, naturæ ſpiritualis præſtantia. 18. a. altera, officium eorum, ac cura erga homines. 20. a. cultus bonorum ſpirituum refellitur. 25. a. b. *ſeqq.* ſimulque oſtenditur, quod cultus genus Angelis conveniat. 25. b. cultus malorum ſpirituum ſive dæmonum, Moſaicis temporibus receptus in Palæſtina, locisque vicinis, hodieque apud Calechutenſes. 21. a. item Tapuias : de quibus fusè actum. 21. b. utrùm Platonici bonos coluerint ſpiritus, an malos : magi item utris ſacrificent. 23. b. quartus datur locus cultui animarum : & quæ cultus iis exhibiti cauſſa. 27. b. porrò vel privatâ ſit auctoritate. 32. a. b. vel publicâ. 33. a. b. cultus hic vel animis præſtatur infidelium, vel beatorum. Is qui beatis convenit, eſſentia ipsâ differt à cultu Dei. Prior dicitur religioſus ; alter officioſus, vel etiam civilis ; laxiùs hac voce ad cæleſtis civitatis cives extenſa. 112. b. cultus animarum, ſive defunctorum, antiquis Perſis, & Afris, incognitus ; à Mela, & Plinio Augilis, ſive Augilitis tributus : quem Naſamonibus aſſignat Herodotus. 31. a. fere cum naturæ cultu conjunctus fuit, ſacerdotibus callidè occultantibus, homines fuiſſe, qui colerentur. 31. b. origo hujus cultus. *ibid.* cultus is præſtitus Cæſaribus ; imo aliis etiam ex Cæſarum ac Senatus decreto ; cultus defunctorum refellitur, ſive iis exhibeatur, tanquam Diis. 109. a. b. ſive, ut mediis inter Deos, & homines. *ibid.* ſive ut mediis inter Chriſtum, & homines. 112. a.
cultus, quem Judæi præſtabant Soli & Joſias abolevit, à Phœnicibus hauſtus fuit. 120. b
cultus divinus hominibus, etiam dum viverent, attributus, & quæ ejus cauſæ. 295. a. apud quas gentes obtinuerit. *ibid.* & 295. a. item. 296. a. b. cultus divinus Alexandro magno habitus, & ſuper eo Athenienſium decretum, Spartanorum item. Idem honor exhibitus à Græcis Demetrio Poliorcetæ. *ibid.* Pyrrho Epirotæ. *ibid.* à Romanis Cæſari Auguſto, Tiberio, Caligulæ, Claudio, Domitiano. 297. a. quid quod Chriſtiani etiam imperatores varias retinuerint formulas divinitatis, à gentilibus introductas? *ibid.* b. Raſdi ſeu Varoſolo pro dea culta Hungaris. 298. a. item ut Calliſthenes, licet gentilis, hunc hominum cultum improbarit. *ibid.*
cultus quadrupedum cauſæ. 414. a. b. cauſa item cultus Ægyptii petita ab Aſtrologia judiciaria. 416. a. de cultu Amaſidos in leone. *ibid.* b
cultus avium. 467. a. b. aves non habitæ Ægyptiis pro diis ; ſed ſolùm pro divis divûm imaginibus. 468. a
cultus ſcarabæorum apud Ægyptios. 602. b. formicarum apud Theſſalos. *ibid.*
cuniculis militaribus indendi pulveris tormentarii, atque hinc eos accendendi, quis primus auctor. 238. b
cuniculorum multitudine oppidum Hiſpaniæ ſuffoſſum, & Balearibus adverſus eos militari Romanorum auxilio opus fuiſſe. 409. b
cunilæ bubulæ vis adverſus venena. 398. b
curculio quàm noxius frugibus. 596. a. ejus etymon, & unde Plautinæ Curculioni nomen. *ibid.* *curculio* pro *mida*. *ibid.* remedia adverſus curculiones. 600. a
Curetes unde dicti. 221. a. triplices ſunt. *ibid.*
curruca cur alienos magis pullos curet, quàm ſuos. 431. a
cutis, & carnis mollities, an certum ſignum ingenii ſubtilioris. 317. b
cutis maculis, & rugis, qui piſces medeantur. 535. b. cutis vitiis in facie remedia ab inſectis. 587. a
Cybebe Dea, 219 a
Cybebis, *ibid.*
Cybele Dea Phrygia. 57. a. ejus varia nomina. *ibid.* cur à leonibus alida dicatur. *ibid* Cybeles, Attidiſque hiſtoria varie narrata à Diodoro, Servio, Arnobio. 57. b. amor in Attin flagitioſus. 58. a. Galli, ſacerdotes ejus, in honorem Attinis caſtrati. 58. b. caſtratio ea fiebat ad tibiæ cantum & quæ cauſa ejus ritus. *ibid.* cur Sacerdotes hi *Galli* vocati. *ibid.* Cybeles in ſacris cur pinus geſtaretur ab iis, quos Δενδροφόρους dixere. 59. a. cur lanâ pinum velarint Galli ſacerdotes, ac ramos ejus ornarint corollis violaceis. *ibid.* cur in ſacris hiſce omnia perſonuerint planctibus ac lamentis. *ibid* cur Galli pane abſtinuerint. *ibid.* cur capita jactarint. 59 b
Cybele unde dicta. 218. a. Cybele, prout numen eſt naturale, ſignificat principium naturæ paſſivum, præcipueque lunam ac tellurem, ſive vim generatricem, quatenus à Luna derivatur, a terra autem recipitur. 223. b. cur Rhea dicta, & Mater tum deorum, tùm hominum. 224. a. cur vocetur Μαῖα, Δημήτηρ, Φρυγία *ibid.* cur Ὀρεία dicta. 224. b. quid in ſacris Cybeles ſignarint faces, tympanum, cymbalum. *ibid.* cur huic deæ cor ſacrarint. 225. a. Cybeles ſacerdotum caſtratio, lacertorum cruentatio, deæ ablutio, caput ipſius turritum, quid myſtice ſignificarint. 224 b. Cybeles ſacerdotes variis nominibus appellati, *Curetes*, *Corybantes*, *Galli*, &c. & horum antiſtites *Archigalli*, ratioque horum adducta nominum. 221. a. b. hi evirari ſoliti teſtâ Samiâ, tanquam aliis cotibus acutiori. 221. b. veſtis eorum multicolor. *ibid.* caput rotabant : unde *tremuli* dicuntur Hieronymo. *ibid.* inungebant capillos, faciem candidâ velabant byſſo, mulierum inſtar formabant greſſum ſuum, lacertos cruentabant, ut deam ſanguine ſuo placarent. *ibid.* denique à populo mendicabant æra. 222. a. Sacra hujus deæ vocata Μητρῷα. *ibid.* & quo ritu celebrata. 222. b. quomodo hæc Dea in veteribus fingatur aris. 219. a. Cybele à leonibus vecta. 222. b. ejus ſimulachrum Romæ à quibus ſoleat circumferri, & ut illud unà cum leonibus mos fuerit abluere in fluvio Almone. 219. b. aries ei mactatus ; unde ſacra ejus Κριοβόλια, & vulgo Ταυροβόλια. 222. b
cybium quid. 530. b
Cyclæus Platæenſibus cultus. 41. a
Cyclopes cur Apollinis ſagittis confixi dicantur. 137. a
cygnea cantio, deque ea veterum & juniorum ſenſus. 445. b
cygni quandoque centenario majores. 425. b
cygnus cur Apollini ſacer. 137. b
cymbala, tympana, tibiæ, cornua, ſiſtra, lituus, & crotalum in ſacris Cybeles circumſonabant. 223. a. 227. a. de cymbalo etiam bibebant. *ibid.* quid hæc myſticè ſignarint. 225. a
cynocephali docilitas. 385. a. libido. 391. a. cynocephalus ab Hermopolitis cultus. 415. a
cyprinorum unde nomen. 525. a. cyprinorum inter ſe diſcrimen. 515. a. eorum fœcunditas miranda. 472. b. cyprinis pro lingua datum eſt palatum carnoſum, etiam Ariſtotele judice ; atque hinc liquere, cyprinum eſſe eundem ac carpionem. 486 a. cyprini, & glanii cura in cuſtodiendis femellarum ovis. 470. a. cyprini aſtus. 488. a. Cyprini an nervis medeantur. 525. a
Cyrus non prænomen eſt Theodori Prodromi, ſed idem ac κύριος notat. 387. b
Cyzicenus fons an amorem auferat. 252. b

D.

DAcnadum ſive dacnidum uſus in ſomno impediendo apud Ægyptios, dum convivarentur. 455. b
Dædali, & Icari fabula hiſtoricè relata. 44. a
Dæmones πάρεδροι agniti Irenæo. 17. a. Dæmoniſcarum præſtigiarum exemplum editum coram Carolo IX Galliarum rege. 24. a Dæmonibus non minùs, quàm Angelis bonis, alæ attributæ. 25. a. Dæmonium meridianum quid vocet divinus pſaltes. 21. a. Dæmonum cultus Moſaicis temporibus receptus in Palæſtina, locisque vicinis, hodieque apud Calechutenſes viget. *ibid.* item Tapuias. 21. b. idem

idem ſtatuendum de Platonicis, ac univerſe de Magis, eorumque ſacrificiis. 23. b. Dæmonum ſocietas quævis S. Scripturis damnata. 25. a
Dæmones non agnoſcunt Peripatetici. 201. b
Dæmoniacus cur B. Lucæ, qui B. Matthæo Lunaticus. 148. b
Dagon deus Phœnicius. 62. b. Beth-Dagon. *ibid.*
Dagon Palæſtinus complexu ſuo continet, tum Lunam, ſive Lunum, ut principium activum, cujus ratione maſculum numen erat Hebræis; tum mare, ut paſſivum. 257. b. etymon ejus à *dag*; id eſt, *piſcis*: unde Græcè non tam Σιτών, reddendum, quod factum à Philone Byblio, quàm Ἰχθύων. *ibid.* ſimulachrum ejus quale. *ibid.*
Danai filiæ docuere Pelaſgos ſacra Ægyptia. 51. a
Danorum, & Sueonum dii animales. 105. a
Daniæ reges cur in inſignibus habeant elephantum. 366. b
Daphnis paſtor videtur fiſtulæ cantum repetiiſſe. 594. a
Dardanus creditus inſtituiſſe ſacra Cybeles. 222. b
Dea Syria diverſa ab ea, quæ dicitur *Atergatis*. 66. b
decrepitis unde nomen. 302. a
Decumanus fluctus non eſt primis novenis major. 246. a
Dei cognoſcendi triplex via, ſecundum Scholaſticos. 5. a. Dei notitia à revelatione profecta, ac traditione continuata, certiſſimis è naturæ opificio ac gubernatione ejus, argumentis firmata. 2. a. Deum verum ex parte aliquibus gentilium fuiſſe cognitum. 5. a. Deus unicus ſapientioribus gentibus creditus. 4. b. opifex Thaleti, Platoni, Tullio. 2. a. idem undique perfectus. 4 b. perfectio ejus triplex: 5. a. Deus incorporeus. *ibid.* infinitus. *ibid.* colendus ob naturæ excellentiam, & benefacta. 5. b. notitia Dei apud gentiles valde imperfecta, & multiplici eſt ignorantiâ contaminata: cujus rei variæ adferuntur cauſſæ. 8. b. Dei veri cultus pro duplici hominum genere, quod inter gentes olim extitit, diſſimiliter quidem, ſed tamen æquè propemodum, in mendacio eſt ſive injuſtitia, detentus. 11. a. *Dei ignoti ara*, apud Athenienſes, & *Dei incerti ſacra*, apud Romanos, & de cauſa hujus nominis. 6. a. Vide plura in *Deorum*, & *Dii*.
Dei cum Sole comparatio. 117. b Dei locus cælum; inque hoc gentes ſimul, & Chriſtiani conveniunt. 116 b. Dei nomen tetragrammatum quam varie proferatur. 140. b. Vide *Deus*, & *Dii*.
Dei in animantium creatione ſapientia, & bonitas, oſtenditur. 362. a. b. Deus, ex Alexandri, Portii, Zarabellæ ſententia, eſt qui vulgò dicitur intellectus agens, ac illuminando intellectum patientem producit ad intellectionem. 350. b. Deus cur per ſomnia etiam hominem doceat. 331. a. Dei ſive numinis appellatio qua mente ſit attributa illis, qui divini nominis vicem in terris obtinent. 297. b. & 343. b
Deiphobi cultus Therapnis. 39 a
Deliaci qui. 449. a. ab his caſtrati galli. *ibid.* b
delirium affectio eſt ſenſus interioris, non rationis. 346. a
delphini ætas. 427. b. delphini felle carent; nec ſoli tamen, quod Gaza putavit. 479. b. cur habeant renes, & veſicam; quibus plurimi piſces deſtituuntur. *ibid.* quouſque ætatis creſcant. 481. a. delphino eſſe meatum ἀκουστικόν, contra quàm Ariſtoteles, & Plinius, putarint. 485. a. delphini aſtus. 487. a. cur in ſumma dormiat aqua. pietas alentis parentes in ſenectute. 491. b. amor delphinorum circa conjuges, unde mas feminaque juncti ſemper evagantur. *ibid.* eum eſſe amorem erga fœtus, ut eos etiam geſtent in infantia: filii interea, qui arbitrantur, in os fœtum recipere. *ibid.* amor erga homines, & animus ejus gratus. 493. b. pugna delphini, ac troctæ, ſive amiæ. 494. a. quantopere piſcium alii delphinum timeant. *ibid.* b. cur transverſa, lataque ſit delphinis cauda. 496 a tanta ejus velocitas, ut malos navium, aut ſaltem vela transvolare, aut tranſilire credatur, & à qua cauſa hoc ſit. 497. b. providentia divina in eo refulgens, quòd os delphino datum ſit in partibus inferis; modo Ariſtoteles, & Plinius, audiendi ſint: ſed ἀσθενίᾳ ſententiam eorum refelli. *ibid.* an rectè delphinus in antiquis monumentis dorſo fingatur recurvo. *ibid.* quandoque ſuam delphino noxiam eſſe velocitatem. 498. a. delphini gemitus. 500. b. refellitur Græculorum opinio de delphinis *Simonis* nomine gaudentibus. *ibid.* delphini jecor febricitantibus remedium. 523. b. delphinorum caro quomodo præparanda. 517. a. Græcos penè univerſos ejus eſum refugiſſe. Imò, Oppiani judicio, non capi, vel edi, ſine maximo ſcelere. *ibid.* delphinum præſagire tempeſtatem. 538. a. quæ cauſſa hujus rei. *ibid.*
delphinorum laſcivia cur tempeſtatis ſignum. 193. b
Delus cur Apollinis, & Dianæ ſolum natale dicatur. 136. b. Delia ſacra quinto quoque anno. *ibid.*
Demetrius Poliorcetes divinis honoribus ab Athenienſibus cultus. 296. b
Democrates Platæenſibus cultus. 41. a
Democriti opinio, & Kepleri, vel formicam in cœlis nos conſpecturos, ſi aër non eſſet intermedius. 314. a
Democriti judicium de mellis utilitate ad vitam producendam. 578. b. quouſque ætatis idem vitam prorogârit. *ibid.*
Democritus non triduo odoribus nutritus; ſed iis duntaxat cerebri ſpiritus refocillavit. 320 a
Denates unde Halicarnaſſeus dictos putarit; qui ſunt Penates. 34. a
Δενδροφορία ſacris Cybeles. 59. a. dendrophori ipſi qui geſtarent pinum. *ibid.*
Denicales feriæ. 32. a. unde dictæ. *ibid.*
dentes apro fulminei. 378. a
dentices iidem, qui *ſynodontes*: ſed *ſynagrides* aliud videri piſcium genus. 478. a
dentifricia varia ex piſcibus. 526. b
dentium dolori medicina ex piſcibus. *ibid.* eidem ex inſectis remedia. 581. b
dentium ſerratorum quis uſus in piſcibus. 478. a. dentium quis ordo in iiſdem. *ibid.* cur piſcibus lactentibus, quando naſcuntur, dentes non ſint dati. *ibid.*
Deorum animalium hiſtoria, qui culti in Phœnicia. 62. a b. item in Syria. 65. a. b. in Media. 69. a. b. Indìa. 70. b. Vid. *Dii*.
Δεισιδαιμονία quid. 7. a
Derceto, vide *Atargatis*. An etiam dicta ſit *Ceto*, & an eadem ſit Andromedæ Ceto objectanda. 65. a
Derceto ex *Atergatis* factum. 316. a
Deſanaus, Herculis cognomen, quam variè ſcribatur. 64. a. unde hoc nomen ductum videatur. *ibid.*
Deſiderius Eraſmus quomodo dictus, priuſquam hæc nomina aſſumeret. 438. a
deſpumatio Lunaris in herbas credebatur iis in eclipſi magicas indere vires. 149. a
Deverrona. 235. a
Deus cur dicatur ignis conſumens. 237. a Deus, ſecundum Ariſtotelem, ſingularia ſub Luna nec curat, nec ſcit: variaque argumenta, quibus motus ſit, ut ita crederet. 205. a. b. Vide *Dei*, & *Dii*.
Διὸς vermis. 596. a
dextrum & ſiniſtrum, ex Ariſtotelis mente, propriè ineſſe cælo. 194. b. ſed hæc ſententia refellitur. 198. a
Δημήτηρ unde dicta. 224. a. 330. a. cur ei ſacrum fecerint ſcrophâ gravidâ. 330. a
diabolo ſomnia immittente impura, an homo ſit impuri ſomnii reus. 331. a
diabolorum conſortium ad mira patranda multi ambierunt fruſtra: & quæ ſit cauſſa hujus rei. 17. a. b
Diagoras, & ſimiles, cur ἄθεοι dicti. 2. a
Διάκτορος Mercurius. 175. a
Diamichius idem qui Chryſor. 62. b
Diana, ſive Dictynna, repertrix venatoriorum caſſium: ejus ætas, & cur in Dearum numerum adſcripta. 51 b
Diana nomen ex *Dea*. vel *Diva Iana* contractum. 143. b. Diana eadem ac Luna Romanis, & Græcis. 158 a. unde *Artemis* dicta. *ibid.* cur non Apolline fratre ex Latona nata dicatur. 158. b. unde *Delia* vocetur. *ibid.* Diana cognomento *Lucifera*. Item *Euodia*. *ibid.* cur ſilvis, ac venationi præfecta. 159. a. cur λοχίαιγος dicta, & cur canes ei dicati: cur agriculturæ præſes: cur Epheſi cum multis mammis fingeretur. *ibid.* cur partui præfecta, unde λοχεία dicta. *ibid.* cur λυσίζωνος dicatur. 159 b. Dianæ Brauroniæ, vel Munychiæ, virgines ſacra faciebant: hoc ἀρκτεύειν dixerunt. 160. a. Dianæ Orthefiæ nomine Thracibus Luna ſimul & terra cultæ. 229. b. ejuſque nominis ratio allata. *ibid* Diana τωροπόλος, vel ταυροπόλος. 232. b
diaphani, & lucis gradus variant in coloribus. 312. a
Dicæarchi Meſſenii, magni alioquin viri, error fœdiſſimus de anima. 28. a
dictamnum extrahendis ſagittis utilem eſſe à cervis ſive capris monſtratum. 399. a
Dictynna, & unde ea hoc nomen ſit ſortita. 51. b
Dictyos Cretenſis ætas. 540. b
Dido Carthaginenſibus culta pro Dea. 91. a. unde ea *Eliſa*, unde item *Dido* vocata. *ibid.*
diei etiam ſecundæ Deus benedixit: etſi vulgò aliud putetur. 244. a. b
Dieſpiter. 268. b
digitis computandi ratio vetus unde peti poſſit. 144. b. digito primore in erectum pollicem reſidente ſalutabant Deos. 119. a
Dii animales quibuſdam ſacris fiebant. 32. a. Dii duplices; alii minorum, alii majorum gentium, ſive cæleſtes. 42. b. Dii naturales præcipui ad ſolem, & lunam, referuntur: at dii animales potiſſimi pertinent, vel ad primos parentes, vel Noë, & conjugem, vel liberos horum. 104. a Dii ſelecti, item Conſentes. 42. b. Vide plura in *Dei*, & *Deorum*.
Dii cælo deſcendere in terras exiſtimati: ſed noctu, ne deprehenderentur. 114 b
Dii Prutenorum. 114. b. Diis corpora attributa, & qualia. 114. a. Vide *Dei*, & *Deus*.
Dii palæſtrici, Mercurius, Apollo, Hercules, Caſtor, Minerva. 299. b
Dijovis. 268. b.
Δικροσίτης. 381. a
diluvia particularia, ſub Prometheo, aliiſque facta, reliquiæ ſunt veteris traditionis de Diluvio univerſali, quod ſub Noacho contigit. 54. a
Dindymene unde dicta. 218. b
Diodoro Siculo occurritur, duos Minoas confundenti. 51. b
Diogeni Apolloniatæ aër habitus Deus. 168 a
Diogenis Cynici mors. 302. b
Diogenis mors ex eſu polypi crudi: de quo tamen alii aliter. 518. b
Diognetus pugil Cretenſibus cultus. 42 a
Diomedis Ætoli nemus ac templum juxta oſtium Timavi. 106. b. ejuſdem delubrum in inſulis Adriæ, quæ Diomedis dicuntur. *ibid* idem cultus Picentibus. *ibid.*
Diomedis avium ſagacitas. 431. a. quàm infeſtæ barbaris dicantur eſſe, & utrum ſint in rerum natura. *ibid.* b. diverſas eſſe

eſſe ab charadriis, contrà quàm Dalecampius putavit. 432. a. unde Juba Diomedeis avibus nomen fecerit catarractis. ibid

Diomedis Grammatici de planipedibus lapſus. 433. a

Dione Romanis, & Græcis, Veneris eſt mater; ſed antiquis gentium Theologis eadem ac Baaltis, ſive Beltis, hoc eſt, Juno, ſive Venus, id eſt, Luna: quæ & prophetæ Jeremiæ *regina cæli* nominatur. 152. b

Dionis error de eo, qui Romæ primus oſtenderit rhinocerotem. 378. b

Dionyſium Halicarnaſſenſem de anima cum Stoicis ſenſiſſe. 29. b

Διόνυσος unde dictus. 56. a

Dioſcoridis de materia medica liber ſextus, ſeptimus, & octavus, an ſint genuini 554. b

Dioſcuri alii etiam præter Tyndaridas. 38. b. Dioſcuri, Penates Dionyſio viſi; quos perperam, ut videtur, *Denates* dictos putavit. 34. a. an Dioſcuri ſub nominibus Leli, & Poleti, à Sarmatis fuerint culti. 505. a

Diphili apud Athenæum μνημονικὸς ἁμάρτημα. 540. b

Διφθερίας. 405. b

dipſadi, & Hebræo *rſimmaon*, unde nomen. 545. a

dipſas, viperæ aut aſpidis genus, quibus locis gaudeat, quàm efficax ſit ejus virus, & variæ ejus appellationes, & ſingularum cauſæ. 549. b

Diſares, ſive Duſares Arabum quis ſit, & unde nomen acceperit. 530. a. Dachareinis cultus. ibid.

Ditis etymon. 234. a. Ditis nomine tellus etiam culta Gallis; unde & genus ſe ducere jactabant. 235. a

Divinatio cur attributa Apollini. 137. b

Divinationes ab Ariſtotele tribui humori melancholico: ſed infirmo nixum argumento. 16. b. à Plutarcho adſignari vapori terreſtri; ſed itidem invalidè. ibid.

Divini honores quomodo ab Heroicis differant. 37. a

divitiis cur præfecta Juno. 161. b

divûm lyra, de cælo. 188. b

Διωνᾶς. 63. b

Dodonæum oraculum, ipſaque Dodona, unde nomen videantur habere: & origo fabulæ de columbis, quæ ei præſediſſe à veteribus dicuntur. 20. a

doliorum ceratura cujuſmodi. 594. b

dolor diuturnus cur hominem extinguat. 335. a

Domiduca Juno. 161. b

Domine miſerere, vetus formula precandi in Eccleſia, nec gentilibus planè fuit ignota. 6. a

δόναξ piſcis idem ac σωλήν. 522. a

Donni Punicum ex *Adonai*. 581. a

dorcades, caprearum, non cervorum genus. 382. a. & cur Chriſtus dorcadi comparetur in cantico Salomonis. ibid

dormio originem ducit à veteri conſuetudine ſomni in pellibus capiendi. 332. a. dormientes cur, ſi ſedeant, capite nutent. 327. a. iidem unde palleant. 327. b. cur initio ſomni frigeant. ibid. unde ſudent. ibid. iidem cur minùs fulmine exanimentur. 281. b

dormire cur inſalubre, Lunâ caput irradiante. 148. b

Dornadillæ, Scotiæ regis, interdictum de cane non miſcendo cum matre. 391

Dorſanes, Herculis cognomen, & unde ſic vocetur. 63. b

δύσφοροι χῆνες. 455. a. item συκαλίδες. ibid.

draconarii qui dicti. 546. a

draconem marinum fruſtra Plinio ab araneo marino diſtingui. 540. b

dracones abyſſi pro *balænis*. 362. b

dracones cur theſaurorum ſtatuantur cuſtodes, quare ſacri Æſculapio, cur ſignum fuerit Romanarum cohortium, cur item Aſſyriarum. 546. a. pugna draconis cum elephanto. 547. a. quòd naturâ ſuâ non ſint venenati; ſed ex natura plagæ apud Afros virulenti ſiant. 552. a. quomodo differant à ſerpentibus, preſſiùs voce *ſerpentium* acceptâ. ibid. triplex *draconis* etymon, & cur dicatos Æſculapio, deque filia hujus Panacea. ibid. de dracone puellæ amatore. ibid. b

dracunculi in vivis hominum partibus enaſcentes. 547. b

Druidæ unde dicti. 98. b. à Britannis ad Gallos traducti, & cur ſe Dite natos dicerent. ibid. Druidarum opinio, animas poſt mortem in alio orbe degere. 99. a. eorundem religio, & ſacrificia, primùm Romæ, deinde etiam in Gallia à Cæſaribus abolita. ibid

Druſilla, ſoror Caligulæ Cæſ. relata in Deos habitu Veneris Pantheæ. 37. b

Dryades, & Hamadryades. 260. b

Δρόμος. 547. a

dulce, & amarum, ſapores extremi. 319. a an unum idemque huic ſit dulce, illi amarum. ibid. cur ægrotis videantur amara, quæ ſunt dulcia: nec tam guſtum falli, quàm male nos ratiocinari. ibid.

duodenum inteſtinum. 304. a

Durandi opinio de ſpiritualis naturæ omnipræſentia rejicitur; & Tertulliani, Origeniſque de eo ſententia explicatur. 111. b

Duſares, *vide* Diſares.

dyſenteria quid, eique medicina ex piſcibus. 529. b. dyſenteriacis, uti & cœliacis, remedium à melle, & cerâ. 583. b

dyſenteriæ, & cæteris alvi fluoribus, quænam remedia ex quadrupedibus conducant. 403. a

E.

EBoris uſus. 367. a. in Æthiopia utuntur ad ſtabula pecorum inde facienda. ibid.

ebris cur omnia circumferri videantur. 381. b

Eccentricos fruſtra ſtatui, cum cælum ſit liquidum. 193. a

ἐχενηΐς, & ναυκράτης piſcis, unde dicatur. 482. b. Cardano echeneida, & echinum, malè confundi. ibid.

echini ſive erinacei aſtus. 385. a. echinus terreſtris à ſchola Zoroaſtris cultus. 418. a

echini piſcis deſcriptio, & unde ei nomen. 520. b. diſcrimen ex loco, & unde ejus bonitas dignoſcatur. ibid. Vide *Echeneis*.

ἐχινομήτρα. 520. b. echinometram, ac delphinum, præſagire tempeſtates. 538. a. & ratio ejus allata. ibid.

ἔχις, & ὄφις, ut differant. 543. a

eclipſeos Lunaris cauſa, quodque Lunæ interjectu Sol quandoque etiam totus obſcuretur: perperam tamen dici id in concepto Romuli contigiſſe. 149. b. eclipſin Solarem quandoque tantam eſſe, ut ſtellæ omnes compareant: atque hoc ſub Ludovico Pio contigiſſe. ibid. eclipſi Solis, vel Lunæ, portendi inſtantia ſcelera, vel infortunia, exiſtimatum. 149. a. ecliptica paullatim locum mutat, & propius, præcipuè partibus extimis, ad Æquatorem accedit. 583. b

eclipſi durante, cur venti magis ſpirent. 275. a. eclipſin cur ſæpius conſequantur terræmotus. 292. a

Ecſtaſis quid. 30 b

Edemum Cythnii colnere. 41. a

Edeſſenis Monimus, & Azizus, ſunt planetarum nomina, Soli proximorum. 274. a

efficiens cauſſa eorum, qui in terræ viſceribus generantur, partim ſunt ignes cæleſtes, partim ſubterranei. 299. a

egeſtas aliud, quàm *paupertas*. 596. b

ἐγκαυστικὴ ars ceris pingendi. 592. b. triailius genera. ibid.

ἐγκεφαλοχέλοι. Vide *Encraſicholi*.

εἶδος εἰδῶν Ariſtoteli intellectus patiens. 349. b

εἰλεός. 304. a

εἰλίθυια. 548. b

εἰμαρμένη unde dicta. 203. b

ἐκπιεσμὸς oculi, ac illi remedium. 457. b

ἐκτρώματα, ac ejus remedium. 458. b

Ἥλ eſſe Saturnum, ſive Solem. 120. b

Elagabalus, qui Græcis Heliogabalus, Emeſſenis Sol dicitur. 124. b. nomen illud unde conflatum ſit. ibid. idem Cæſari Heliogabalo inditum. ibid. qui & templum huic Deo condidit Romæ. ibid.

Electra Pleiadum una, creditur ſe abſcondere, pudoreque captæ Trojæ, nolle conſpici. 169. a

elementa unde dicantur. 216. a. Ariſtoteli, & Galeno definiuntur, ut corporum ſunt prima, & quatenus mixtorum, non corporum primorum, ſunt principia. ibid. cur divinitas his attributa. ibid. duplex ratio conſiderandi elementa; una pro ratione gravitatis, & levitatis; altera pro qualitatibus primis, atque ut ex utroque quaternarium elementorum numerum collegerint. 217. a. quod elementorum propriè nullæ ſint figuræ; quamvis Plato, & alii, figuras illis accommodent. ibid. è Philoſophis Prodicus Ceus, & Empedocles, elementa cæleſti honore venerati ſunt; è gentibus etiam Perſæ. ibid.

elephas inter quadrupedes principatum tenet; de quo prolixus Jobi locus enarratur. 364. a. quando primùm reperta videatur ratio necandi elephanti. ibid. quàm largè bibat. ibid. quantopere magnitudine varient Indici ac Libyci. ibid. in India elephantis nothis ſive minoribus arari. ibid. quandoque ad annum pertingere ducenteſimum, & ultrà. ibid. b. quanta animalis ejus ſit ſagacitas. ibid. cur, priuſquam bibant, aquam proboſcide conturbent. ibid. quare in flumine tranſmittendo præeant minores. 365. a. elephantos etiam funambulos fieri, malèque in dubium id vocari à Cæſare Scaligero. ibid. eos adorare regem, ſalutare in choreis, geſticulari in ſpectaculis, &c. ibid. etiam natationem addiſcere, quod Straboni ſcriptum, immeritò eſſe ſuſpectum Juſto Lipſio. 366. a. quomodo tantæ molis, virium, ac ſagacitatis bellua cicureſcat, atque ut hominem timeat, etiam antequam manſueſceceris. ibid. ad hanc hominis reverentiam etiam pertinere, quòd ſævire nolint in homines hunc in finem ſibi objectos. ibid. in elephantis exemplum æquitatis, & aliud probitatis, aliud reverentiæ erga majores. ibid. b. de amore elephanti erga vitulos ſuos, deque eorundem pudore. ibid. de multiplici uſu, quem ex iis etiam mortuis capere eſt. ibid. elephantorum in bello uſus. ibid. quo numine vocandi ſint elephantorum fœtus. ibid. unde elephanto nomen *bovis Lucæ*. 368. b. nec Ariſtoteli ſatis conſtitiſſe, quando elephantis primus ſit Veneris uſus. ibid. veriſimilius ſentire, exiſtimantes cornua eſſe elephanti, quæ ejus dentes dicuntur. ibid. elephanti erga rhinocerotem, & ſuem, inimicitiæ. 388. a. elephanti voce porci terrentur. 373. a. elephanti cor, & adeps, medentur febri. 399. b. elephanti adeps, & dens, quantum valeant ex magorum opinione. 366. b. elephantis multa falſò à ſcriptoribus, præſertim Græcis, attributa; ut quòd dicantur ſolem, novamque lunam venerari; patrium intelligere ſermonem; imò & loqui, & ſcribere: homini etiam erranti monſtrare viam; & victori elephanto, more humano, terram ac verbenas porrigere; humana adulteria, & homicidia obſervare, detegere: quorum ſinguli quàm infirmo nitantur argumento, oſtenſum. 367. a. b. itidem veteres deceptos,

ceptos, cum elephantos cor ajunt duplex habere; uterum decem geſtare annos; ſemel, & tantum ſingulos gignere. 368. a
elephantiaſi remedium à muſtela, capro, erinacio. 399 b
ἐλεφῖτις piſcis Hippocrati laudatus, niſi potiùs ἐλλωπίς legendum ex Heſychio. 506. a
ἐλεωπίς, vel ἐλεωπόδες piſcis. 506. b
Eliſſæ, quæ Carthaginem condidit, unde nomen. 90. b
ἑλλώτια, feſtum Europæ, Agenoris filiæ. 42. a
ἴλλωπες luſci, τυφλῆνοι cæci. 546. b
elops piſcis an idem, qui acipenſer 513 b
ἔλυτρα quid in inſectis. 573. b
ἐμπεριγεγραμμένος, vel ἐμπεριγεγραμμένως. 490. b
Emeſſenis qui Dii. 124. b
Empedoclis ſententia de duobus principiis, uno bono; altero malo. 13. b
Empedoclis tres verſus de elementis quàm variè legantur apud antiquos; quàm item variè ab iis exponantur. 258. a
Emporitanum urbs à Maſſilienſibus condita. 95. a
ἐν γόνασιν, ſignum cæleſte, in quo Hercules cultùs. 185. a
ἐγχρίζειν, & ἀντιχρίζειν, ut differant. 37. a
encraſicholi unde dicantur, & cur non niſi capite ſaliantur præciſo. 479. b. carnosorum qualis. 508. b
Endymionis fabula unde, ſecundùm Plinium. 144. b
enneadecaëteris Metonis, quæ & numerus aureus. 148. a
Ennius apud Appulejum correctus. 510. b. de altero ejus apud Agellium loco. 517. b
ἐννεάχειλος. 259. b
ἐνόδιος Ἑρμῆς. 175. b
ἐντελέχεια quid Ariſtoteli ſignificet, & de eo Ciceronis error. 341. a
ἐνυάλιος Martis cognomen. 48. a
ἐπαγόμεναι ἡμέραι quæ vocentur, & ut ſingulæ fuerint Numini dicatæ. 78. a. b
Epaphus diverſus ab Apide Ægyptio. 80. b
ephemera, animalcula unius diei. 563. b
ephydriades. 261. a
Epicharmi locus de inteſtinis ſcari, aliter ac à Caſaubono, expoſitus. 505 b
Epicurei de providentia divina pejus ſapuere Sadducæis. 28. a
Epicurus quomodo de generatione rerum abierit à Democrito, & ut ſtatuerit triplicem atomorum motum. 222. a
epicyclis nihil eſſe opus, dum cælum ſtatuamus liquidum, ut revera eſt. 192. b
ἐπικνίσματα. 308. a
epilepſia unde fit. 457 a. epilepſiæ remedium ab elephanto, camelo, urſo, apro, equo, ſue, lepore, aſino, capra, hirco, muſtela, ove, teſtudine, erinaceo, alce. 401. a. ejuſdem remedium ex vulture, & hirundine. 457. a
epilepticis cur pejus ſit Lunâ creſcente 148 b
epilepticis prodeſſe vitulum marinum, & torpedinem. 524. b
Epimenidis Cretenſis exemplum, Athenienſibus datum, graſſante peſtilentiâ. 5. b. ejuſdem cultus apud Athenienſes. 42. a
ἐπιπολάζειν quid, & quomodo fiant ex ichthyocollâ. 534. b. 535. a
ἐπιφορά oculi, ac remedium ei. 558. a
equæ Libycæ quantopere Muſicâ delectentur. 382. b. equarum furor in Venerem. 386. b. & 390. b. extingui libidinem, ſi jubam detonderis; idque fieri præ pudore. ibid. equam ſolam, & ſuem, gravidas marem admittere. 389. a. equarum potius, quàm equorum, uſus in bello Scythis fuit & quid eos moverit. 392. b
equi laudes ex Jobo. 363. b. equi docilitas 384. b. equi amor erga dominum. 388. a. equorum erga dominos fides. ibid. quantopere coitum cum matre averſentur. 389. b. generoſitas. ibid. celeritas, quâ tamen equa præſtat mari. 392. b. equusne cum prole ſua congrediatur, non ſatis conſtans Ariſtotelis ſententia. 430. a. equorum uſus. 407. b. equinæ carnes quales. 395. b. equinus ſanguis quàm noxius. 411. a. equo ſermonem tribui ab Homero. 355. a. equos è vento concipi cur finxerint poëtæ. 374. b. unde idem falſo veteribus traditum de equis Luſitanicis. ibid. equi cur feſſi ſe ex utiant. 437. a. equi an lachrymari ſint dicendi. 359. b. item 382. b. equi diu vecti cur lachrymentur. 361. a
equi, anguillâ in anum immiſſâ ab hominibus nequam, turgidiores redduntur, quò carius vendantur. 519 b
equum Perſæ, Maſſagetæ, & Armenii ſacrificabant Soli. 131. a. equus deſultor Heſpero ſive Lucifero ſacratus: ut bigæ, Lunæ; quadrigæ, Soli. 172. a. equus pro nave, ut & currus pro eodem, in poëtarum fabulis. 262. b. equus pro valde munitato, ab libidinoſo. 127. a
Eraſmum falli, quando, Athenæum ſecutus, mugili dentes tribuit acutos. 478. a. Eraſmus perperam à Scaligero culpatus, quaſi eum modò linguæ uſum eſſe dixerit, ut hæc vox formetur. 485. b. idem tamen præclaro carmine ab eo laudatus. ibid.
erebi etymon. 234. a
Erechtheus ob immolatam filiam in Deorum numerum relatus. 37. b. & 39. b
erecti, & proſtrati piſces opponuntur. 508. b
Erganæ Minervæ feſtum. 242. b
Erichthonius ob quadrigarum inventum inter ſidera relatus. 40. a
Erici Norvegiani vana jactatio. 354. a
Erigone, ob pietatem erga parentem, in cæleſte Virginis ſignum dicitur converſa. 40. a
erinacei pelle uſi in pannis poliendis. 405. b
erithacus vocem humanam exprimens. 447. b
ἑρμαῖος λόφος, & ἕρμαξ, quid deſignet. 176. a
ἑρμηνεύς rationis & orationis numen. 174. a
ἑρμῆς unde dictus. 174. b
ἑρμηνεύς rationis & orationis præſes. 174. a
ἑρμῆς etymon à verbo εἴρειν. 291. a. Ἑρμῆς Ἐναγώνιος. 300. a
ἑρμοφορεῖν. 40. a
erucarum varia genera. 559. b. earum peſtis. 565. a. coloris varietas. 566. b. quanta telæ ab iis textæ firmitas. 572. a. erucæ olerum, cum oleo junctæ, tutos præſtant ab animantibus venenatis. 601. b. adverſus erucas remedia. 600. a
Erythea, ac Gadis, planè diverſæ, contrà quàm Solino traditum. 95. b. Erythea nomen unde. ibid.
Erythia inſula. 282. a
Erythræi maris etymon. 234. a. b
Erythrao, ſive Rubro mari, à quo nomen. 95. b
erythrini piſcis caro qualis. 508. a. cur eo abſtinere juſſerit Pythagoras. ibid.
eſcarus Iſidoro pro ſcarus, & ratio vocabuli. 478. b
eſocis piſcis magnitudo. 480. a
ἦτα ſæpe abire in Ω. 143. b
Eteſiæ cur inæqualiter ſpirent. 275. a. Aquilonares Eteſiæ continuo, Auſtrini ſpirant per intervalla. ibid. quando ſpirent. ibid. cur ſomniculoſi dicantur, & delicati. ibid. unde flent, deque eo Lucretius, & Vitruvius, conciliati. ibid. b. ut nunc Aquilonibus, nunc Favoniis accenſeantur. ibid. quibus ſint pluvii. ibid.
Euander, Arcadum in Latium dux, unde hoc nomen acceperit. 35. a. inter Deos relatus. ibid.
Evangelidarum oraculum. 137 a
Eudoxus hanc ſententiam in Græciam intulit primus, quarto quoque anno redire eandem ventorum, & reliquarum tempeſtatum faciem. 78. b
Eudoxus, ac Calippus, ſtatuêre orbes cæli concentricos, & cur ab eorum ſententia abierit Hipparchus. 192. b
Euhemeri Meſſenii liber de hominibus in Deos relatis. 3 a b
Eumolpus Thrax, qui in ſacris inſtituit Athenienſes. 51. a
Eupolidis locus illuſtratus. 455. a
Europæ tauro tranſvectæ fabulæ origo. 42. b Europam qui rapuit, quod nomen habuerit ſecundum varios. 64. b
Furnus cur Horatio dicatur niger. 466. b
Euryti cultus in Oechalia. 39. a
Euſebii error in annis Othonielis computandis. 64. b. locus ejuſdem emendatus. 54. a
Euſtathii opinio de igneis noctuarum oculis refellitur. 428 b. ejuſdem error, confundentis χιλιοδυνάμενα, & χιλιοδύναμα. 444. b
Eutropios duos perperam ab eruditis etiam viris confundi. 508. a
exanthemata cerâ ſanari. 589. a
excrementorum retentio noxia. 298. b. excrementa ſua cur valde anxii nequeant retinere. 326. b. excrementa cur mali ſint odoris. 321. a. excrementa quorundam animantium gratiſſimi odoris, quæque ejus rei cauſa ſit. 409. a
exdorſuare quid ſit. 510. b
exercitium corporis quantum profit, modò ne ſtatim à cibo fiat, neve nimis vehemens ſit, vel ne exercitio laſſus aquis natet gelidis, vel frigidæ potui indulgeat. 209. b
Exhalationes terreſtres quouſque eleventur. 266. b
exocœtus piſci unde nomen, & ut aliter dicatur Adonis: item ut in terram exiens ſibi caveat ab aviculis. 473. b. cur idem diutiùs extra aquas vivat. 500. a. de quo Rondeletii opinionem Scaliger aliquot argumentis impugnat. ibid.
exormiſtos Caſſiodori eſt naturâ ſimilis, ac muræna. 499 a
exſſare quid ſit. 510. b
exſanguium vocabulum latiùs patere, quàm inſectorum. 558. b
exſectio infantis ex utero, matre etiam vivente, interdum commendatur. 309. a
exuviæ unde dictæ. 32. a
εὐ, & ε, ſæpe commutantur, ut apud Græcos, ita & horum exemplo apud Romanos. 74. a. b
εὐδία quid. 291 b
εὐλαί. 585. a. b
εὔφορα. 331. b
εὔχυμοι Græcis dicuntur etiam piſces, qui facile concoquuntur. 302. b
ἕξις vocabulum quam laxè Homero uſurpatum. 300. b

F.

FAbæ ſomnia gignunt moleſta, eoque, quibus ex ſomnio divinandum, abſtinere iis ſolent. 330. a
fabæ quomodo reponendæ. 600. b
faber piſcis. 506. b
fabrilis ars rectiùſne Vulcano, an Minervæ, tribuatur. 240. b
fabula Thalmudica de Abrahamo ab igne Chaldæorum divinitus liberato, Harane autem in eo conſumpto, unde orta ſit. 239. a
fabula rejicitur de interemto à Cercyda, & filio Polycritis Ætoli, item Publio præfecto militari, ac Orpheo, quorum capita reſecta finguntur loquelam edidiſſe. 395. a
fabulæ poëtarum rebus geſtis colorem quendam addunt. In his ergo diſtinguere oportet, quæ Hiſtoricâ fide, quæ item Poëtica dicantur. 24. b. ſeq. fabula Judaica de Naama ab Angelis, imò & Adamo adamatâ, atque exinde genitis dæmonibus. 49 b. ſeq. fabula velleris aurei hiſtorice explicata. 68. a
fabulæ de Scylla in ſcopulum converſa, & marinis canibus cincta, origo. 494. a
faces cur geſtarint in ſacris Cybeles. 224. b
facultates animæ utrùm eſſentiâ cum anima con-

conveniant, an re ipſa differant. 348. b. utrùm facultas intelligendi, ac volendi, differant re, an ratione duntaxat. *ibid.*

falconis generoſitas. 439. b

fames quid ſit, unde oriatur, quo ordine fiat. 305. b. & 333. a. ubi & Ariſtotelis definitio reprehenſa.

fario, exiguus ſalmo. 512. b

faſcinantium riſus in lamiis corpori alliganda. 181. b

Fatua Dea quæ, & unde dicta. 36. b.

fati ἔτυμον. 207. b. fati nomine, ex B. Auguſtini mente, rectius, ob vocis ambiguitatem, abſtineri. 208. a

fati definitio Platonica non tollit arbitrii libertatem. 206. a. quomodo diſtinguat Plato inter *fatum*, & *fatale*, ſive inter præceſſionem, & conſecutionem, ſive inter promerendi libertatem, & præmii pœnæve conſequendæ neceſſitatem. 206. b. inter hæc tria; Deum, providentiam, & fatum. 207. a. quæ res fato ſubjectæ ex ejuſdem ſententia. *ibid.*

fatum Mathematicum, Aſtrologicum, ſive Chaldaicum quid. 208. a. unde ſic dictum. *ibid.* hoc fere intelligi à Patribus, quando fatum impugnant. *ibid.* in hoc ſtatuendo exorbitari ab Aſtrologis, cùm membris ſingulis ſingulos præficiunt planetas. 208. b. cùm tantam ſiderum vim ſtatuunt in ipſas animæ facultates. 209. a. cùm dominia planetarum pro climatibus diſtinguunt. *ibid.* cùm è duodenis Zodiaci ſignis unumquodque alicui præficiant humani corporis membro, propriamque in illud vim attribuunt. 209. b. cùm planetarum cuique ſuum, & locum, & effectum, ſignant in Zodiaco. *ibid.*

fatum Ariſtoteli, ejuſque ſectatoribus, quid. 206. a. b. fatum Stoicum quid, & quomodo ſententiam ſuam de fatali neceſſitate explicaverint & probaverint. 213. b. quorſum preces fieri putarint in hac actuum humanorum neceſſitate. 214. a. atque Fati, Providentiæ, & Naturæ nominibus etiam Deum ipſum intellexerint. *ibid.*

fatum, Parcam, Neceſſitatem, Nemeſin, & Adraſtiam, pro eodem ſumi. 202. b. fata cur *partilia* Ammiano dicantur. *ibid.* à Parcis interdum diſtinguuntur. 203. a. variantes de fato ſententiæ. Prima eorum, qui quod Deum tollerent, vel in dubium vocarent, propterea nec fatum vel providentiam Dei agnoſcerent. 204. b. ſecunda eorum, qui cùm faterentur Deum eſſe, negabant eum curare humana, & ſic quoque fatum nullum eſſe putabant. *ibid.* tertia illorum, qui fatum ponerent in ſolis naturalibus, & neceſſariis, ſive univerſis, ſive æthereis ſolum, qualis fuit Ariſtoteles, qui tamen providentiam non ſimpliciter removit à ſublunaribus, ſed ſolùm à ſingularibus, quatenus ſunt ejuſmodi. 205. a. interim agnovit eam circa ſpecierum conſervationem. *ibid.* Alexandro quoque Aphrodiſeo fatum idem eſt, ac natura; item Themiſtio, & Aven roi, qui cum magiſtro ſuo conſenſerunt in eo, Deum non curare, nec ſcire ea, quæ ſingulatim in terris fiant. & quid eos in tam impiam impulerit ſententiam. 205. b. notatur quoque Peripateticorum error in eo, quod putarent, nihil à Deo poſſe fieri contra naturalem ordinem. *ibid.*

fatum Chriſtianum, & quid *fati* nomine Chriſtiani veteres intellexerint. 214. b. ne naturales quidem effectus eſſe ab neceſſitate abſoluta, necdum actus humanos. *ibid.* neceſſitatem fatalem ſpectari tum in præviſione omnium, tum in decreto Dei. Præviſio Dei non ponit aliam neceſſitatem, quam impropriè dictam, ſive illam infallibilitatis. 215. a. nec decretum Dei aliam inducit, quàm illam ex hypotheſi, quæ conſequentiæ neceſſitas vocatur. *ibid.* ut proinde optimè conveniant arbitrii libertas, & fatalis neceſſitas. *ibid.*

Fauna, & Fatua, aliter Bona dea, quale fuerit nomen. 36. b

Faunus nunquam rex fuit Aborigenum: ſed idem eſt, qui Pan; & unde ei, uxorique, *Fatnis* nomen. 35. a. cultus ejus ab Evandro inductus. *ibid.*

Faunus dicitur reperiſſe cantum fiſtulæ. 594. a

Favonii cur candidi Horatio dicti. 273. a

febribus remedia ex inſectis. 579. a

febrim afferentes avium quædam, & quæ ratio carnes earum corrigendi. 460. a. b

febris quartana Saturni filia cur dicta. 181. a

fel cur à ſponſo, ſponſâque, ſacrificantibus, retro altare conjici ſoleat. 161. a

fel venenatum pardali, & equo. 411. a

feles odore unguentorum agi in furorem. 320. b. feles cur de noctu videant; oculique eorum, pro Lunæ ratione, creſcant, & decreſcant. 381. b. quanropere nonnulli naturali quadam antipathia abhorreant à fele. 307. b. felis Malabaricæ celeritas. 393. a. felis Ægyptii ſcula. 414. b

felium, ſive ælurorum oculi, & animantium medullæ, creſcunt cum Luna. 148. b

fellis varius in piſcibus ſitus. 479. b. fel illud, quo Tobiæ oculi perſanati, videri fuiſſe callionymi, ſive uranoſcopi. 525. b

felvra quæ, & unde dicta. 405. a

femina frigidior viro. 306. a

femur pro partibus, quibus viri ſumus. 55. b

feræ quomodo captæ exarmentur, & cicurentur. 412. b. interea & à cicuratis magnum ſæpe periculum eſſe. *ibid.*

ferro qui pinat. 288. b

fertilitas cur major locis, obi ſe exſerunt ignes ſubterranei. 237. b

feſtum ὑϐριστικῶν, quo Lunæ ſacrificant viri cum veſte muliebri, mulieres cum virili. 163. a

Feſtus Pompejus correctus. 177. b

Feſtus emendatus. 282. b

fibri teſtes remedio ſunt contra venena. 524. a. iidem adverſus veterum proſunt. *ibid.* b

ficedulæ, & turdo, inter aves à delicatis dari ſolitum principatum; ſed injuriâ. 451. b. unde συκαλὶς ſive ficedula, vocetur. & cur piperari ſoleat. 452. a. ficedulæ gloria, quòd ſola comederetur tota. 455. a

figuram ſecum geſtantes Cæleſtis Deæ, vel Alexandri; nomen hoc ſibi propitium fore, exiſtimabant. 157. b

filii filiæque nomina quam latè patuerint apud Orientales. 158. a

fimi utilitas, ejuſque diſcrimen in agricultura. 409. a. fimus ex avibus, ac præcipue turdis, columbis, gallinis, ſtercorandis agris utilis. 461. b

firmamentum quantum à terris diſtat. 162. b

fiſtula Altinis quid notarit. 625. a

fiſtulæ in nonnullis piſcibus uſus. 498. b

fiſtulæ veterum ex pluribus canulis cerâ junctis; & quis primus eas conficiendi modum invenerit. 594. a

flamini ſacrorum cur nefas tangere equum. 411. a

flamma quo artificio poſſit in aquam demiſſa efferri integra. 164. b

Flatus ventris gentilibus pro diis culti, aut ſaltem ſymbolum divinitatis iis fuerunt. 277. a

fletum eſſe hominis proprium, nec mutis animantibus, niſi impropriè, tribui. 359. b. objectum fletus per ſe eſt res triſtis, quæ tamen atrox non ſit. *ibid.* fletus cum lætitia permiſti exempla. 360. a. fletus quomodo naturaliter generetur. *ibid.* unde fit, quòd homines tamdiu lachrymis ſufficiant. *ibid.* quibus de cauſis alii aliis ſint ad fletum proniores. *ibid.* non ſolum temperamentum eſſe in cauſa, cur quis non lachrymetur; ſed etiam quia atrox ſit malum, in quod inciderit. *ibid.* b. fletus commoda. *ibid.* majoris eſſe laudis ſacerdoti, lachrymas ciere, quàm plauſum conſequi. 361. a

Flora Dea à Sabinis accepta, non à Romanis primitus inſtituta in honorem meretricis, quæ ſua legârit populo Romano. 36. a. Floræ ſacra diu ante Florales ludos Romæ celebrata. *ibid.* quando ludi Florales cœperint, & quomodo annui facti. *ibid.*

flores cur meliùs oleant, ſi paululum abſis. 319. b

Fluonia Juno. 162. a

fluviorum origo ſecundùm Siracidem, & Ariſtotelem. 258. b. fluvii maximi fere ab Septentrione verſus Auſtrum fluunt, & quæ ejus rei cauſſa. 253. a. *fluvius Ægypti* κατ᾽ ἐξοχὴν pro Nilo. 254. a

foco aſſidentibus cur faciliùs ſomnus obrepat. 328. a

fœtus formatio ſecundùm nobiliores corporis partes, quo ordine, & intra quod temporis ſpatium, perficiatur 306. b. cur fœtus ex diverſæ ſpeciei animalibus genitus matrem referat: & quare nunc mares validi, aut viragines; nunc exigui roboris maſculi, aut femellæ naſcantur. *ibid.* unde fit, quod liberi ſimiles ſint parentibus, aliquando etiam alicui majorum. *ibid.* cur mulier plurimùm producat fœtum ſimplicem. Item de quaterno, quino, ſepteno partu. 308. a. Margaretæ Comitiſſæ, ccclxv uno partu fœtus edentis, fabula refellitur. *ibid.* quæ gemini fœtus, vel plurium liberorum, ſit cauſa, & cur fœtus unus alteri interdum adhæreſcat. *ibid.* quo pacto alatur fœtus in utero, & quomodo reſpiret. *ibid.* & 308. b. cur octavo menſe fœtus rarò ſit vitalis, & cur nono menſe plurimùm edatur. *ibid.* fœtum in utero non tam ordiri vitam à vigilia, aut ſomno, quàm torpore quodam utriuſque participe. 326. b. utile quandoque exſecari fœtum, etiam matribus vivis. *ibid.* & 309. a

fontanæ aquæ cur nunc fervidæ, nunc tepidæ, nunc frigidæ. 237. a. fontes acidi. 248. a. frigidi. *ibid.* fons odoris jucundi. 248. b. fontes cur alii aliis citius excreſcant. 238. a. fontes memoriæ, & oblivionis in Bœotia. 252. b. dementiam conciliantes. *ibid.* inebriantes. *ibid.* fons Ciliciæ Νοῦς, an Ἄινος, fuerit appellatus. 253. a. fontibus, & lignis, ſacrificatum ab Heſſis, & Bohemis. 266. a

forma, ac finis, quomodo idem ſint. 341. a

formarum eſſentialium ſummum quinque genera ſunt. 197. a

formicarum prudentia, induſtria, juſtitia, mutuus amor, mundities, ac cura in ſepeliendis mortuis. 571. a. formicæ palpebris nigrorem conciliant. 587. a. proſunt vitiis faucium. *ibid.*

Fornax Dea ad ignem potiùs, quàm terram, reducitur. Cujus feſtum Fornacalia. 235. a

Fortuna quomodo à Chaldæis, & Philoſophis, cum ad Æthera, tum ad Solem, Lunamque, reducatur. 201. a. quomodo vulgo concepta, ubi præcipuè culta, & cur cæcam finxerint, cur in deos retulerint, cur diſſenſerit hac parte Ariſtoteles, & quid ille per fortunam, & caſum intellexerit. *ibid.* quid Stoicis fortuna fuerit, quid item Platonicis. 201. b. quos ex parte ſecutus Auguſtinus. *ibid.*

foſſilium generatio ab ignibus eſt ſubterraneis. 238. b

Franciſcus Floridus refellitur de Dea Syria. 151. b

fraxini arboris, & ſerpentis, mira inter ſe ἀντιπάθεια. 554. b

fretum Gaditanum fuiſſe ſemper, nec unquam iſtic iſthmum ab Hercule perfoſſum, evincitur ipſius loci naturâ. 264. b

frigidi quatenus ſit appetitus in ſtomacho. 333.a

frigoris fons eſt ſub utroque polo: & quàm id fuerit neceſſarium ad conſervationem naturæ. 118.a

fringillæ etymon. 422.b

Friſiis cur ſtipendii loco tergora bubula à Druſo imperata. 406.b

frugum inventum Ægyptiis potiùs, quàm Athenienſibus, Cretenſibus, aut Siculis, adſcribendum. 51.a

fucorum ortus ex opinione Bernardini Gomeſii. 562.a fucus, iners pecus. 571.a. fuci à malo apum rege majores fiunt apibus. 569 a. ab apibus quomodo interimantur, ubi inutiles eſſe cœperint. *ibid.* b

Fulguri Jovi apud Feſtum vitiosè legi, pro *Jovi fulgenti*, vel *fulguris*. 282. b. fulgur propriè ſine ſono, & quomodo fiat. 279 b. fulguritis cur canes, & aves, abſtineant. 277. b. Vide *Fulmen*.

fulicæ affectus in educanda oſſifraga, quam aquila abdicarit. 435.a

fulmen propriè fieri cum ſono, & quæ ejus cauſſa. 279. b. *fulminis* & *fulguris* vocabula quandoque confundi. *ibid.* eſſe ab eadem origine. *ibid.* fulminis quæ materies. 277. b. cur plurimùm poſt æſtus ſummos fulminet. 278. a. cauſſa ejus effectrix ἀντιπερίστασις. *ibid.* cælo ſi fiat ſereno, eſt prodigioſum. *ibid.* cur nubem rumpat. 279. a. cur deorſum feratur, idque obliquè; præcipuè & petat montes, ac ſtructuras inſanis. *ibid.* cur hyeme, & æſtate, minùs fulminet. *ibid.* cur Scythia, item Ægyptus, & Æthiopia, minus obnoxiæ ſint fulmini. *ibid.* locis ſulfureis crebra eſſe fulmina, rara cretaceis. *ibid.* fulmen triplex; diſcutiens, infuſcans, & clarum: ac cur hoc poſtremum Ἀργῆς vocetur. 279. b. ejus effecta. *ibid.* & *ſeqq.* cur flamma ejus, theatro Romæ fulmine accenſo, aquâ non potuerit extingui. *ibid.* cur vinum in vaſe aceſcat poſt fulmina: & unde fit, quod fulmen, illæſo dolio, vinum ex eo educat. 280 a. quomodo ſiſtat vinum extra dolium, ne diffluat. *ibid.* qui lapides, & metalla, gignat in aëre. *ibid.* quo pacto liquefaciat metalla, ſalvis iis, quibus continentur. *ibid.* cur cùm fulminat, meliùs proveniant plantæ, ac particulatim tubera. *ibid.* b. ut fulmen exanimarit fœtum, ſalvâ eâ, quæ geſtaret. *ibid.* ut ſubitò hominem in cinerem redigat. *ibid.* an verum ſit, quod proditum eſt de plantis quibuſdam, & animantibus, ea non lædi fulmine. 281. a. fulmina, ac tonitrua, quo pacto pluvias ac ventos præſignificent. 292. b. à fulmine arbores in loca longè diſſita tranſlatæ. Ab eodem rectus claudo inceſſus datus. 279. a. fulmen, ac tonitru, in Theologia Poetica ſignificari per Geryonem. 281. b. Sacrum in Theologia civili habitum. *ibid.* qui Deorum præcipui fulmina ejaculentur. 282. a. unde fulmini vis inſit fatidica, ex Plinii ſententia relatum. *ibid.* fulmina familiaria quæ dicantur, & in quot annos aliquid deſignent. *ibid.* b. fulmen conſiliarium, auctoritatis vel ſtatum. *ibid.* Novogrodienſibus, & Lithuanis, pro deo cultum, quem *Peron* dixere. *ibid.* Vide *Fulgur*.

fulminei cur apris dentes tribuantur. 378.a

fulminis præſides dii. 154.b

fungi in lucernis unde creſcant, & quid ſignificent. 293.b

furunculi deſcriptio; eique medicina ab aranea, & muſcis. 589.a

futura contingentia nec ab angelis citra revelationem divinam certo præſciri. 19.a

G.

GAbriel Biel, exiſtimabat, ſed contra aliorum Scholaſticorum ſententiam, hoc ipſum, quod ſit Deus, non certò, ſed veriſimiliter ſolùm, naturæ lumine poſſe cognoſci. 4.b

Gades cur ſic vocentur. 63. a. Gades colonia Phœnicum. 95. b. Gadis longa tum alia eſt ab Erythea, licet aliter Solinus tum à Tarteſſo, contra quam Plinio viſum. *ibid.* Gaditani ſuperſtitioſi. 96.b

Gadibus unde nomen. 282.a

Gaditanis fanum, quod *Luciferi*, & *Lux dubia*, dicebatur. 571.a

Γαιήοχος. 259.b

Galbarum familia unde dicta. 559.b

galea, & *galeri*, unde appellationes. 75.b

galeæ primitus è pelle muſtelæ tum domeſticæ, tum ſylveſtris; item canis, & lupi. 406.a

galeis piſcibus unde nomen. 511.a.b

galeas plumis ornandi mos pervetuſtus. 461.b

Galenus reprehenſus, cùm eo probat, cor non eſſe primum ſenſitivum, quia ſemper moveatur. 327.b

Galinthiadis, Prœti filiæ, ſacra. 41.a

gallantes pro furentibus. 281.b

Galli, Deos ſalutantes, ſe ſiniſtrorſum ſolent convertere. 189.b

galli cantus crebrior cur pluviæ futuræ index. 294. a. & 463. b. galli quàm variis de cauſis canant. 445. a. galli gallinacei amor erga Bithynici regis pincernam. 435. a. galli quando, quando item gallinæ ſalaciores. 441. b. gallinacei vigilantia *ibid.* cur galli figura à Chriſtianis imponatur templis. *ibid.* galli gallinacei an leonibus ſint formidini. 374. a. galli gallinacei generoſitas. 439. b. lex Attica, ut quotannis certâ die in theatro galli decertarent. Gallorum annua pugna in publico apud Pergamenſes ſpectaculo. 427. b. gallinacei pulli quibus proſint, & cur id ſit. 449. b. gallorum caro bonitate inferior, quàm gallinarum. *ibid.* criſta ac palearia gallorum; num caro, an cartilago, an aliud, debeant cenſeri. 450. a. gallorum teſtes commendati. *ibid.* gallus, item ſimia, & canis, cur culeo inſuerentur cum parricida. 437. b. gallum gallinaceum locutum eſſe, annalibus Romanis, ſed ſemel tantùm, proditum fuit: & quid de eo ſtatuendum. 446. a. Vide *Gallina*.

Gallia olim etiam *Iberia* nominata. 97. a. hinc eſt, quòd Rhenus Nonno dicatur *Iberus*. *ibid.* Gallica gens unde ſic dicatur. 102. a. admodum eſt religionibus dedita, quamvis contradicat Tullius. 97. a. humanis hoſtiis Deos ſuos coluere. *ibid.* Gallorum dii. 98.a.b

gallinæ amor erga prolem. 434. b. gallinæ φιλοτεκνία. 436 b. religionem perperam ei tribui ab Ariſtotele, Theophraſto, Plinio, Plutarcho. *ibid.* cauſa φιλοτεκνίας naturalis. 437. a. gallinæ caro non uno nomine laudatur. 449. a. ratio gemina carnem recens occiſæ teneram reddendi. *ibid.* à quibus primò ſaginatæ ſint. *ibid.* lege Fannia cautum, ne amplius unâ altili gallinâ inferretur convivio. *ibid.* b. de gallinarum cerebellis, eorumque eſu, quid judicandum. *ibid.* gallinæ jus alvumne ſolvat, an cohibeat. 459. a. gallinæ, comeſto ſcorpio, venenum vincunt. 461. a. ex iiſdem remedium vulneri ab venenato animante. *ibid.*

gallinæ cur non avolant, ſi de nocte lumen admoveris. 572.b

Gallis, ſacerdotibus Rheæ, unde nomen. 221. b. cætera vide in *Cybeles ſacerdotes*.

Gallorum nomen unde ſit ſacerdoribus Cybeles. 58. b. quibus ritibus in Cybeles ſacris uſi ſint. *ibid.* exſecabantur ad Phrygium tibiæ cantum. *ibid.*

Gallus, Phrygiæ fluvius, ſi bibatur, lymphaticos facit. 233.a

Ganymedes cur ab aquila raptus dicatur, & quis Jupiter, qui rapuit, fuerit; quando item hæc res contigerit. 44.b

garrio unde. 282.a

garum ſociorum, in quo mullos necabant. 507. a. cur garum id *ſociorum* vocaretur. 508. b. ubi fieret, & quanti fuerit precii. *ibid.* perperam *aſſociorum*, *aſotorum*, & *Sefiorum* dici. *ibid.* garo alvum ſolvi. 519. b. etiam ex ſiluro factum garum. *ibid.*

Gatis regina nulla fuit. 65.a

Gaza, & Scaliger, ut perperam ἀμίχαν reddiderint. 379.b

Geada, ſive Geda, nomen veterum Britannorum. 101.a

gehennæ nomen à valle ad inferos, & inferorum cruciatus, ſignificandum, tranſlatum. 265.b

gemelli, vel tergemini, quando gignantur. 308.a

Gemini, aliis Caſtor, & Pollux; aliis Hercules, & Apollo; aliis Triptolemus, & Jaſion; aliis Zethus, & Amphion; aliis dii Samothraces. 185.b

gemmæ ab Adado, numine Aſſyrio, diiſque aliis, nomen ſortitæ. 125.b

genii πολιούχοι Romanis. 51.a

Genios magnos dictos, qui urbibus ac regionibus præſſent. 236.a

Genitales dii, qui, & unde dicti. 33.b

genitalibus medicina ex inſectis. 584.b

genitalium vitiis ſaluraris. 403.a

gentes Auſtrales ingenio, Septentrionales robore præſtant, & quæ ejus rei cauſa. 298.b

Gentiles orabant ad Orientem converſi. 319.b

Georgius Reiſchius Carthuſianus. 567 a

Germani à *Gomer*, filio Japheth, creduntur oriundi. 103 a. Germanorum etymon. 102. b. cur ſint habiti indigenæ. 101. a. Dii illorum Sol, Luna, Vulcanus. *ibid.* Germani & alios agnoverunt Deos, quàm Solem, Lunam, & Vulcanum; quos ſolos Cæſar eorum Deos putavit. 101. a. b. tales, Mars, Hercules. *ibid.* & Mercurius, deorum cum Marte præcipuus. 102. a. Germani Marti ſuo humanis hoſtiis litarunt. 101. a. item Mercurio. 102. b. Germanorum geminum numen, non Caſtorem, & Pollucem, ut Tacitus putabat; ſed potiùs deum bonum, & malum, ſive nigrum ſignabat. 104. a. aut etiam par naturalium Deorum. 104.b

Germani quid Martis & Mercurii nomine intellexerint. 138. b. 139. a. 178.a

Germanici interpres emendatus. 186.a

Geryon unde nomen acceperit, cur triceps fingatur, cur ejus boves abegiſſe dicatur Hercules, cur Rex habitus, Erytheæ, vel Gadium, cur filius dictus Chryſaoris, vel Callirrhoës. 282.a

Γῆρυς quæ, & unde dicta. 238.b

geſtationis varia tempora in animantibus, ac genere etiam humano 308. b. cur octavo menſe fœtus editus rarò ſit vitalis, & cur nono menſe plurimùm edatur. 309. a. geſtationis tempus in lupa, cane, ſue, capra, ove, equa. 375.b

Geta, Caracallæ frater, Divus. 37.b

gigantibus cum Cananæis quod bellum geſſit Joſua, adſcribitur Herculi. 71. a. & imbre lapideo adjutus dicitur Hercules, ut Joſua pugnans cum gigantibus. 71.b

gingræ, quo Adonis, item tibiæ genus, ſignificatur, vocabulum unde, & quid γιγγρίζειν, *gingrire*, *gingrina*, *gingritor*. 121.a.b

glaciales aquæ paullò minus inſalubres nivalibus. 150.b

gladii, oleo inuncti, cur rubigini non ſint obnoxii. 590.b

gladius Angeli pro peſtilentia. 20.a

gladius piſcis. 510.b

glanis

glanis quàm, *glanus*, rectiùs dici. 492. a. b quanto tempore cuſtodiat ova femellarum: atque ut eundem erga fœtum amorem oſtendat cyprinus. 470. a. & 492. a. Plinium, quod de glanio, ſive glanide ab Ariſtotele dictum, id perperam tribuiſſe ſiluro: ut & in eo deceptus, quòd ſiluri id proprium crediderit. *ibid.* glanidis aſtutia. 458. a. ejuſdem deliciæ. 515. a
glanius. Vide *glanis.*
glauci piſcis magnitudo, color, ἔτυμον. 528. b. deque poſterioribus duobus item actum. 475. a. carnis durities, & ſapor. 510. a. amor erga fœtum. 492. a
Glaucus Meſſeniis cultus. 39. a
glires unde pinguescant hieme dormientes. 305. b
globi è bombarda emiſſi quanta velocitas, ac quanto tamen minor, quam Solis. 117. a
gloriæ ſtudium in pſittaco, luſcinia, pavone. 441. a
gloſſæ Philoxeni emendatæ. 379. a
gloſſæ vett. correctæ. 506. a
glycymeridis caro qualis. 521. a
Gnoſtici aſinum, & ſuem, coluiſſe dicuntur. 417. a
globii ſaxatilis laus. 506. b
Gomer, filius Japheth, Gomeritarum auctor, & quæ gentes Gomeritarum nomine intelligantur. 93. a. Gomer ex Thogarma, vel Aſcenez, parens Germanorum. 103. a
Gometii Pereiræ opinio, canes, aliaque muta animantia, non videre, vel audire, nec ullos habere ſenſus internos, vel externos. 345. b. eadem ſententia refellitur. *ibid.*
Gorgaſus, & Nicomachus, quibus coliti. 39. a
Gorgoniæ, Nazianzeni ſororis, & Julittæ martyris, rectum de ſexu ſuo judicium. 361. b
Goropius Becanus, deque eo judicium. 53. b
graculorum prognoſticon. 463. b
C. Gracchus in ſomnio à Tiberio fratre commonitus, & unde id ſomnium. 331. a
Græcis ventus erat Numen. 271. b
Græcorum, & Romanorum dii oratorales recenſentur. 136. a. b
grana quando melius condantur. 148. a. b
grando quid. 289. a. non reperitur in altis montibus, etſi Ovidius ſcripſerit, Atho montem grandine caneſcere. Et cur grando alia ſit triangularis, alia pyramidalis, alia rotunda. *ibid.* frumentum ſi perderet, malum id à gentibus etiam exiſtimatum divinitus immiſſi. *ibid.*
gratus animus quadrupedum erga genitores ſuos, ejuſque exempla. 388. b. 389. a
gravidæ cur non laborent menſtruis. 308. b
grues qua anni tempeſtate, & quàm bono ordine abeant, redeantque. 430. b. prudentia earundem in ſeſe ac ſuis defendendis, 431. b. & cujus literæ figuram referant in volatu. *ibid.* gruis erga prolem affectus. 434. a. grues cur dicantur *Melica*, deque duritia carnis earum, & quando à Romanis in menſas receptæ. 453. a
grylli qua parte reſonent. 576. b. Americanis pro cibo ſunt. 577. a. gryllos eſſe diverſos à cicadis. *ibid.* & 585. a. prodeſſe gryllos faucium, ac gutturis morbis. 582. a. item calculo. 585. a
gryphis deſcriptio poetica adfertur, & refellitur. 465. a. unde *gryphes* vocentur. *ibid.* quid gryphis nomine ſignificetur Levit. 11. 13. *ibid.* gryphis forma cujuſmodi, & quid ea ſignificaſſe Ægyptii videantur. 468. b. gryphes ſacrati Soli, cujus & currum protrahunt ſecundùm Indos pictores. *ibid.*
Gullielmi Conquæſtoris dictum. 55. b
gulonis, ſive vulturis quadrupedis intemperantia. 399. a
guloſorum exempla. 391. a
gurgulio aliud ab *uva.* 527. a
guſtus ſenſus à tactu diverſus. Ejus utilitas, & organa. 318. b. unde ſit, quòd palato etiam guſtemus, & an nobiſcum hoc commune habeant beſtiæ. *ibid.*
gutturis, pulmoniſque ulceribus remedium ex lacte, butyro, melle. 404. a
Gyges, Titanum unus, unde dictus. 272. b. Gyges, Briareus, Cottus, ventorum nomina, ac unde nomen hoc ſingulis. *ibid.* cur hi tres in pugna Titanum a partibus Jovis ſtetiſſe dicantur. *ibid.*
γυναικόλωσις rejecta. 361. a

H.

HAda, ſive Ada, Babyloniorum dea. 264. b
Hadrianus Cæſar, ut meliùs audiret, manum cavam auri admovebat. 316. b
hædinam eſſe ſuillâ potiorem, ſecundùm Rhaſis judicium. 395. b. hædus delicatior lupo ereptus. *ibid.*
hæmorrhagiæ remedium è cimicibus. 581. b
hæmorrhoidibus utilem eſſe ſepiæ ſuccum. 530. b
hæmorrhoo ſerpenti unde nomen. 545. a. cur Nicandro θῆλυς vocetur, & quàm dirum hoc malum. 550 a
Hæmus mons intra nubes. 267. a
halcyonis ſolertia in nido conſtruendo. 430. b
halex quomodo fieret. 507. b
Hama veterum Saxonum numen. 135. a
Hamburgum an à Jove Hammone nomen acceperit. 503. b
Hamilcar. V. *Amilcar.*
Hanno, ob repertam rationem domandi leones, damnatus à Pœnis. 373. a
herengus Romanis, Græciſque veteribus, ignotus: ut nec *halex*, nec *manis*, vel *leucomanis*, vel *gerris*, debeat putari. 472. a. harengus piſcis unde dictus videatur. 510. a
Harpocratis ſive Sigalionis ſimulachrum in omnibus fuit templis, in quibus Iſis, & Serapis, colerentur: & quæ ejus rei cauſſa fuerit. 31. b
Harpyiarum fabulam nullis avium meliùs aptari, quàm ignotis vetuſtati avibus Darienes. 466. b. antiquos per eas phyſicè intellexiſſe ventos. *ibid.* Harpyiarum vocabulum unde. *ibid.* quid hiſtoricè per Harpyias intelligatur. *ibid*
haſtæ celibaris uſus in comendis ſponſæ capillis, & quorſum is ritus inſtitutus. 161. a
hebdomadis dies cur à planetis nomen acceperint ordine longè alio, quàm obtinent in cælis. 181 a
Hebe, ſive Juventas Dea Jovi à poculis. 300. b
Hebrææ linguæ, an Syra, vel Chaldæa, ſit antiquior. 355. b. 356. a. nihil ſolidi pro iis poſſe adferri, qui nos poſt hanc vitam ajunt Hebraicè locuturos. *ibid.*
Hebræis literas dividi pro quinque inſtrumentis loquelæ. 354. a. Hebræis unde datum nomen. 355. b
Hecaerga, & Hecate, eadem diva. 166. b. cui Deliæ virgines nupturæ capillos reſectos conſecrarent. *ibid.*
Hecates nomen quandoque latius patet, quam Proſerpinæ, ut hæc mortis, illa inſuper nativitatis & vitæ omnis præſes intelligatur. 167. a. b. Hecate hiſtoricè conſiderata filia eſt Perſei, unde *Perſeis* vocata: phyſicè eſt luna. 166. b. cur fingatur quibuſdam filia eſſe Noctis, vel Tartari. *ibid.* Hecates etymon geminum. *ibid.* quo pacto filia dicatur Latonæ. *ibid.* eadem φωσφόρος, ſive Lucifera, & cur dicta Τριοδῖτις, ſive *Trivia*, & cur in triviis ulularint matronæ certis diebus. 167. a. cur triformis & triceps fingatur. *ibid.* cur trigla, ſeu mullus, Dianæ, ſeu Hecatæ, ſacer ſit. 167. b. ejus ac Plutonis canis Cerberus; qui & ipſe triceps: ſed huic capita canina; Hecatæ humana; vel ſaltem medium huma-

num, dextrum equi, ſiniſtrum canis. 168. a
Hector cultus Ilienſibus. 60 b
hedera cur Libero dicata. 137. b. hedera cur in Hyacinthiis, feſto Apollinari, Bacchico ritu coronarentur. 140. a
Helenæ Polluciſque ex ovo prognatorum fabula hiſtoricè relata. 45. a. b. Helena Ilienſibus culta. 60. b. Helena, Veneris miniſtra, ab Epidamniis, vel Epidauriis, pro dea eſt habita. 106. a
Heliogabalus, vide *Elagabalus.*
Heliogabalus qua mente dixiſſe videatur, ſtruthionum carnem Judæis fuiſſe præceptam. 395. b. Heliogabalus quo nomine calcaneum cameliorum commendarit. 400. b
Heliopoli Sol cultus. 133 b
Helium Rheni oſtium, & oppidum Brielæ, etymo conveniunt. 178. a
Henricus III, Galliæ rex, Quadrageſimæ tempore imprimis capiebatur ſoleâ 509. b
hepar fons ſanguinis venoſi. 305. a
Hephæſtion in deos relatus ab Alexandro. 69. a
herbæ cur odoratiores in Oriente, quàm Meridie; & Meridie, quàm Septentrione. 290. b. herba leopardi quæ ſit. 411. b
Hercules Magusanus. 99. b. Hercules Ogmius Gallis eloquentiæ ſymbolum. *ibid.* Hercules Pollens. 64. a. Hercules Romæ etiam variis cognomentis & honoribus cultus. 34. a. quæ Herculi à poetis tribuuntur, non unius fuere hominis geſta; ſed variorum virorum fortium; quæ poetæ, more ſuo, permiſcuerunt. *ibid.* Hercules Thebanus. 41. a. cur Hercules Thebanus dictus fuit. *ibid.* ejus ætas. *ibid.* Hercules Thebanus prius Alcidea dictus. 100. a. Herculis, Theſei, Pirithoi, ad inferos deſcenſus hiſtoricè explicatur. 56. b. Hercules Tyrius cur nonnullis vocetur Ægyptius. 96. a. is geminus fuit; vetus, qui *Melicarthus* dictus, ſive is Eſavus, ſive Tyriæ urbis conditor; & junior, à quo Geryon ſubactus, & Tyriorum colonia in Hiſpaniam deducta; qui à morte eodem templo, ac ſacris iiſdem cultus, quibus vetus ille, etiam apud Hiſpanos. *ibid.* anteà item de Hercule Tyrio, ſeu Melicharto. 63. b. idem Sidone cultus, & unde Melicarthi vocabulum. *ibid.* ejus ætas, quæ alium à Samſone arguit. 64. a. Herculis Ægyptii inclytum apud ſuos numen. 76. b. dictus Gignon, vel Gigon. *ibid.* is duplex, unus Oſiridi æqualis, alter Joſua, ſive Hercules Cananæus. 77 a. Herculis fanum apud Etruſcos. 107. b. Herculis in Danmoniis promontorium, non arguit Herculem in Britanniis fuiſſe. 100 a. Herculis in Indiam profectio, & Aorni petræ irrita aggreſſio, fabuloſa. 71. a. Herculi ſuo tribuunt Phœnices ea, quæ Joſua in Cananæa geſſit. *ibid.* & quâ occaſione illud evenerit. *ibid.* Herculis per Gallias, & Alpes, tranſitus. 99. a. pugna ejus cum Albione & Bergione, & unde his nomen impoſitum. 99. b. Herculis triplicis geſta ut diſtinxerit Diodorus. 77. a. Herculis Tyrii ætas iterum indicata. 73. a. Herculi Tyrio decimas prædæ mittebant Carthaginienſes. 88. b
Hercules idem, qui Sol. 142. b. cur ſtatuerint duodecim Herculeos labores. *ibid.* & cur clavam ei, pellemque leonis, tribuerint. 143. a. cur hydram Lernæam ab eo occiſam, & mala Heſperidum ablata, finxerint. *ibid.* Herculem non perfodiſſe iſthmum Gaditanum: ſed eum iſthmum eſſe fabuloſum. 246. b. Herculi quædam ex hiſtoria Jonæ à gentilibus tributa. 142. b. Herculis ſtella eadem ac Martis, ſecundùm auctorem de Mundo, Appulejum, Achillem Tatium, &c. 177. a. imò & Chaldæis. 177. b. Plinioque. 179 a. Hercules unde *Garanus*, vel *Recaranus* dicatur. 143. a. Hercules Ogmius ſymbolum viri diſerti: Prodiclus

cius ſignum adoleſcentis in ætatis lubrico conſtituti. 141. b
Herculeſ Gymnaſticæ præſes. 300. a
Hercules Ἱππόδετος. 562. a
Hercynii ſaltus aves pennis ſuis prælucent viatoribus noctu. 464. a
hermæ viarum indices. 176. a
Hermes Triſmegiſtus, ſcriptor ſuppoſititius, Semi-Platonicus, idemque Semi-Chriſtianus. 29. b
Hermochemia, Ægyptus. 76. b
Hermotimus cultus Clazomeniis. 60. b
Herodes quid putarit de anima Joannis Bapt. ibid
Herodoti Aſſyria hiſtoria deperdita 448. b. Herodotus, & Orus, refelluntur, de leæna ſemel duntaxat, unumque ſcymnum pariente. 374. a
Herodotus manifeſti de Xerxe mendacii arguitur. 257. a. b.
heroes unde dici putârit Capella, contra Lipſii opinionem diſcuſſum. 235. b
Heroici honores quomodo à divinis differant. 37. a
Herophilus medicus ſexcenta diſſecuit corpora. 315. b
herpetis genus, quod θηρίωμα dicitur, ac eundem videri herpetem exedentem. 588. b. herpeti equorum remedium à vermiculo cardui. ibid.
Hertha Germanis culta terram ipſis ſignat. 235. b
Heſiodi fabella de longiſſima quorundam animalium ætate. 376. b
Heſperidum fabulæ duplex interpretamentum; unum ſecundùm rerum naturam; alterum ſecundùm hiſtoriam antiquam. 143. a
Heſus, deus Gallorum, idem videtur eſſe, qui Mars. 98. a
Heſus Germanis, qui Mars Romanis. 178. a
Heſychius correctus. 76. b
Heſychius emendatus. 177. a. 199. b. 219 a 233. b. 265. b
hiænam non tangi fulmine, ſi credimus Palladio, & Plutarcho. 281. b. hyæna an quotannis ſexum mutet. 375. a. veterem eſſe errorem, corium hyænæ reſiſtere faſcino. ibid. hiænæ ſolertia. 385. a. hiænæ imitatio humani ſermonis fabuloſè attributa. 386. a. etymon hyænæ. ibid. hiænæ inimicitiæ cum pardali, & canibus; quæ tantæ, ut ſi quis hiænæ pelle tegatur, eum canes non mordeant. 388. a. hiænæ pelle indutum vulnerari non poſſe, Ægyptiorum commentum. 406. a
Hiberni, Britanni, & Picti, longævi; & quæ videatur longævitatis eorum cauſa. 305. a
Hieronymi Fracaſtorii opinio, nihil eſſe epicyclis, vel eccentricis opus ad tuendum motum cæli uniformem. 267 a
himera parte ſui dulcis, parte ſalſa. 148. a
hippæ, vel potiùs hippeis, piſcis. 498. a
Hipparchus, & Ptolemæus, cur orbes eccentricos induxerint. 191. b
hippocampos, ut ajunt, gignere hydrophobiam. 540. a
Hippocrates ſenſum mentemque ſtatuit in corde. 324. b
Hippocratis in loco corrupto conjectura. 506. a
hippopotami pellis vulgò dicitur non tangi fulmine. 281. a. hippopotami per foveas capiendi ratio. 411. b. hippopotami libido, & impietas. 391. a. hippopotamus cur l[illegible] regum ſceptris ſubjiciatur 437. a. hippopotamo quanta ſit tergoris durities. 380 a
hippopotami impietas patrem devorantis. 491. b. hippopotami teſtes remedium contra venenum. 524. b
hippurus piſcis 510. a. ejus etymon. ibid.
hirci figura comparare ſolitum diabolum in deſertis. 21 b
hirci ſive capri libido. 390. b. hircini ſanguinis uſus in re metallica. 408. b. hircinus ſanguis utrùm calculum renum frangat. 402. b
hirquitallire quid. 390. b
Hirtius, & Aëtius, conciliati; quorum ille inſalubrem, hic ſalubrem Nili aquam dixit. 250. a
hirundinis hieme adventante abitus, vere imminente reditus. 430. a. ut doceant pullos ſuos adultiores ſimum egerere extra nidum: atque hanc avis ejus munditiem intuliſſe ſeniori Tobiæ cæcitatem. 431. a. fabella Græcula de hirundinum memoria. 433. b. hirundinis amor erga prolem. 434. b. hirundini quid debeant medici. 462. a. hirundines cur ſicca ſi loca petant, pluviam ſignificent. 594. a. hirundo non fruſtra uncungula, etſi non ſit ex rapacium genere, contrà quam Scaliger putavit. 422. b. hirundo ingrata. 438. a
hirundinis uſus in febri continua 579 a. Jecori medetur. 584. a. olim pro cucurbita fuit. ibid. prodeſt podagricis. ibid. b. eſt in pſilothris. 587. a
hirundo piſcis volucris, & quæ nominis ejus ratio. 497. a
Hiſpani ex multorum ſententia Iberum Aſiaticorum coloni. 94. a. maximè tamen veriſimile, occidentalis, & Aſiaticæ Iberiæ gentes nihil præter nomen habuiſſe commune. ibid. Hiſpani omnes, non ſoli Celtiberi, ſunt Celtæ. 96. b. Hiſpanorum dii. 93. a. b
Hiſpanicus mos, vocabulis Latinis ab SC incipientibus E præponendi. 478. b
hiſtoriæ, & Philoſophiæ, diſcrimen. 435. b
Homerum non apponere heroibus ſuis piſces: nec eos piſcantes inducere, niſi fame urgente. 504. a
Homerus cultus Smyrnæis. 60. b. item Ienſibus, idque caprâ candidâ. 42. a
Homerus parùm convenienter doctrinæ Mathematicorum cecinit, Vulcano ſolùm uno die fuiſſe opus, ut ex cælo caderet in terras. 285. a
homines à morte culti memoriæ, & ſolatii cauſſâ. 31. b. præcipuè conditores urbium, & invento, aut virtute, illuſtres. 32. b. 33. a
homo, & beſtia, quantum diſtent. 346. a. b. hominis reverentiam eſſe à natura, ſive Deo, datam beſtiis; idque ipſos gentiles per nebulam vidiſſe. 366. a. eoque etiam pertinere, quòd elephanti ſævire nolint in homines hunc in finem ſibi objectos. ibid. homo cur minor mundus gentium philoſophis dictus. 277. a. in quibus utriuſque ſimilitudo conſiſtat. ibid. homo, ſuperbum animal, inter excrementa naſcitur. 306. a. homo loquens corde exemto. 355. a. homo pro viro. 361. b
honores Heroici quomodo à divinis differant. 36. a
Horatio lux. 404. b
Hortenſius orator, primus pavum menſis impoſuit. 452. b
Hoſtiliis Laribus immolatum. 32. b
Hoſtilina. 235. a
humidum cur à ſtomacho appetatur. 333. a
humor radicalis quis in animali dicatur. 298. b. qualis magis reddat vitalem. ibid.
humor cujuſmodi conveniat corporibus noſtris. 303. b
humor oculi triplex; aqueus, cryſtallinus, & vitreus; & unde cryſtallino, ac vitreo nomen; & quomodo cryſtallinus variet viſum. 311. b. oculorum gratiâ caput eſſe verſatile. ibid.
Hyacinthia, feſtum Apollinare, ſive Bacchi. 140. a
hyacinthides quæ. 40. a
Hyacinthus, heros Spartanus, cujus ſacrum in feſto Apollinis celebrabatur. 38. b
Hydra Lernæa quid notet. 143 a
hydromeli ut differat à melicrato. 578. a. quæ gentes jam olim hydromeli pro vino uſurparint. ibid.
hydropi remedium ex inſectis. 584. b.
hydrops cur mortem afferat. 301. b. hydrophobia quale ſit melancholiæ genus. 409. b. hydrophobiæ remedia è cane. 411. b
hydrus quomodo ranis inſidietur; eundem dici cherſydrum, & ἔνυδρον; undeque appellationes iſtas acceperit. 547. a. & quanta hujus virulentia. 550. b
Hyemi cur nigra ſoleat hoſtia immolari. 466. b
Hygino perperam inſerti verſus Prudentii, qui tribus eo ſæculis junior fuit. 166. a
Hyginus emendatus. 90. a
hypanis cur magnâ ſui parte amarus. 249. a
hypnale, aſpidis genus, & ex quo illi nomen. 549. b
hyſtericæ cur citra reſpirationem poſſint vivere, 339. b. hyſtericis remedium è zibetho. 409. a
hyſtericæ quo pacto vivant. 499. b
hyſtricis vis in ſpinis. 380. a. de hyſtrice error quorundam. 393. a

I.

IAβὲ nomen Dei ſecundùm Samaritanos. 92. a
Jacob patriarcha quo artificio gregem reddiderit diſcolorem: interim non hoc miraculoſum minùs, quàm naturale, dici poſſe. 307. a
Jacobitæ à quo dicti, & ob quam opinionem fuerint damnati. 342. a. quomodo Eutychis hæreſin ſtabilire ſint conati ex conjunctione animæ mortalis, & ſpiritus immortalis. ibid.
jaculandi artem homines didiciſſe ab hyſtrice, ex conjectura Claudiani. 398. b
Jaculus, vide Acontias.
Jana pro Luna, indeque Dea Jana, ſive Diana. 143. b. Jana novella quæ. 158. b
Januarius cur Jano ſacer. 144. b
Janus eſt Noe, qui & Xyſuthus vocatus à gentibus, vel potiùs Javan, pater Jaonum ſive Jonum. 52. b. Janus, & Saturnus, falsò inter Reges Aborigines, eoque Deos indigites, relati. 56. b. Janus cur bifrons dicatur. 56. a
Janus unde nomen acceperit, eumque Theologis gentium non alium eſſe, quàm Solem. 143 b. Janus quo ſenſu pater dicatur. ibid. cur biceps, & biformis nominetur, cur & quadriceps ſit effictus. 144. a. quare dictus ſit Conſivius, Patulejus, Cluſius, Claviger, Pater matutinus. ibid. cur cum ſceptro, & clave figuratus, ac cur aræ illi ſacratæ duodecim, utque manuum geſtu repræſentarit numerum tot dierum, quot abſolutus haberet annos. 144. b. Janus [illegible] ſymbolum viri prudentis. ibid.
Ἰάω, ſive Ἰάου, nomen Dei myſticum. 92. a. & 141 a
Japetus poëtarum omnino eſt Japhet filius Noë. 54 a
Japonii colunt dæmonem. 21. a. Japoniorum opinio de ſuo Bomzio Combadaxo, quem anniverſariâ die colunt, & invocant. 69. b. quam ridicu è ſapiant de Manibus ſuorum: opinioque eorum collata cum Stoicorum quorundam ſententia. 70. a
jararacucu ſerpens Indicus. 551. a
Javan Græcorum parens. 99. b
Iberes, & Albani, præcipuè cæleſtia corpora venerati. 93. b
ibicum, & cervarum, partus difficilis. 355. b
ibidis prudentia in iis, quæ cibum tangunt. 430. a. ibidis utilitas adverſus venena. 461. a. ibis, & corvus, an ore concipiant; ut quorundam eſt opinio. 423. b. ibin cur conſecrarint Ægyptii. 414. b. & 467. b
Ibycus poëta primus varietatia quinque planetarum nomina digeſſit. 173. a
ichneumonis uſus in muribus captandis. 411. b. ichneumonem cur coluerint Heracleotæ: non item illi, qui crocodilum vene-

venerarentur. 415. b. cur ſit ichneumo ſacer. *ibid.*
ichneumonis, ac crocodili, inimicitia. 493. b. item ejus, & aſpidis, inimicitia. 553. b
ichthyocolla piſcis remedium adverſus ἐμπυκτώδεις. 534 b. 535. a. ichthyocollæ tum corium, tum venter, glutini uſum præſtat, ac ſuper poſteriori Dioſcoridis lectio defenſa. 537. b. de variis ejus appellationibus apud Germanos. *ibid.*
ictero remedium è piſcibus. 531. a. eidem medicina ex inſectis. 584 b
Idæi Dactyli unde dicti. 221. a
idoli vox laxiùs accepta pro omni eo, quod mens humana in veri numinis locum ſubſtituit. 7. b
idololatriæ, qua transfertur à Deo cultus ad opificium, cauſa & origo. 8. b. 9. a. b. idololatria à Phœnicibus, & Ægyptiis, tranſlata fuit ad Græcos. 62. a. b. idololatræ fuere plerique omnes Gentilium Philoſophi, dum Deum magis ex conſuetudine vulgi, quàm ex notitiâ ſua colunt. 9. b. idololatræ item, qui cultum ſoli Deo debitum inter verum falſumque Numen partiuntur. 10. a. quales hodie Peruani. *ibid.* idololatria propriè accepta eſt duplex; *plena*, qua pro vero Deo falſum numen colitur; & *ex parte*, cùm adverſus Dei mandatum in ſimulachro colitur verus Deus. 7. a. b. 8. a. b. κατὰ μεταφορὰν autem vocatur *idololatria*, quando in opibus, honore, potentiâ, vel voluptate ſummum bonum collocatur. 8. b. idololatricus cultus diſtinguitur in proprium, & ſymbolicum; iique deinceps in varia genera diſpeſcuntur. 11. a. b. idololatricos cultus vel veterum geſtorum hiſtoriam, vel hiſtoriam naturæ, pro fundamento habet. 31. b
idololatriæ, ſive cultus deorum naturalium origo. 115. a
Idomenei cultus. 42. a
jecoris doloribus remedium ex ſcorpiis marinis, & conchis. 531. a. duritiei è centrina. *ibid.*
jecur pro ſapientia. 455. a
Jehoud, cujus nomen *unigenitum* Phœnicibus ſignat, à Saturno immolatus 54. b
jejuni cur meliùs guſtemus, quàm cibo ſumto. 319. b
Ienſes Homero quomodo ſacrificarint. 42. a
Jephthæ filia occaſionem præbuit fabellæ de mactata ab Agamemnone filia Iphigenia, ſive Iphianaſſa. 66. b
igneæ linguæ, quæ Pentecoſtes feſto conſpiciebantur in Apoſtolis, quid ſignarint. 237. a
ignes ſubterraneos eſſe quaſi Solem quendam Soli cæleſti appoſitum, & unà cum eo ad generationem rerum conſerie. 200. a. pluribuſque id argumentis comprobatum. 238. a. b
ignis elementalis non eſſe proprium locum inter aërem ſupremum, & orbem lunarem; imò nec Ariſtotelem id putâſſe. 267. a. ignis quantum cæteris elementis præſtet. 237. a. huic ineſſe vim purgandi; ob quam à gentibus Vulcano, & Luæ, cremari ſoleant arma hoſtium devictorum. *ibid.* finis conſiderationis de bonis & effectis ignis 238. b. ignis cur faſtigiatim aſſurgat, vera ex Theophraſto ratio allata. 217. a
ignis cultus primò à Nemrodo inſtitutus. 238. b. hinc *Ur* vocata urbs Babyloniæ, quæ aliter *Urie* & *Camarina*, ut & regio *Orchoe*. 239. a. Perſæ igni ſacrificarunt. *ibid.* etiam ignis à Medis, & aliis Aſiæ gentibus, item Macedonibus cultus. *ibid.* ignis ſacer Perſarum regibus in publicum prodeuntibus prælatus, atque idem rege extincto extingui ſolitus. 239. b. ignis à Græcis cultus Philoſophis; uti Hippaſo, & Heraclito; item ſacerdotibus, tum Græcis, tum Romanis; idque ſub nomine Veſtæ. 240. a. ignis Veſtalis quomodo ad terram etiam referatur. 217. b
ignis in focis præbet indicia futuræ tempeſtatis. 292. b
iguana ſerpens, regum Cubæ cibus. 557. b
iliaci, & colici morbi diſcrimen. 529. b
Ilithyia eadem ac Juno Lucina. 152. a. 161. b. quo ſenſu eadem filia Junonis aliis dicatur. 162. a. etymon ejus ex Oriente potiùs, quàm à Græcis, arceſſendum. Sed & Græci Ilithyiam pro partu dixere. *ibid.* nempe quia partui præſit. 148. a
imaginativæ tanta vis non eſt, ut vim aliquam imprimere rei valeat verbis, aut characteribus. 42. a
imaginum quanta vis in animis hominum. 592. b. imagines, quæ more Romano diſponi ſolent in atrio, & in funere præferri fuiſſe vultus humero tenus ex cerâ efformatus. *ibid.* nec tamen omnium ſolere imagines funus comitari. 593. a
Imago Dei ut in tribus conſiſtat. 340. b. cur Apoſtolus imaginem Dei conſtituat in juſtitia, & ſanctitate. 344. a. eandem conſiſtere in dominio hominis. *ibid.* qua mente à nonnullis etiam imago Dei in corporibus noſtris agnoſcatur. *ibid.*
imilco, & *imilce*, Punica nomina, unde. 136. a
immolandi homines mos quibus gentibus uſurpatus fuerit. 97. b
impietatis genera quatuor. 7. a
incrementum corporis humani cur præcipuè fiat in pueritia. 305. b
incubare Jovi quid. 332. a. incubatio in pellibus ad futura in ſomnio cognoſcenda. *ibid.*
incubus morbus ex quibus cauſis oriatur. 332. a
India nunc ſtrictè, nunc laxè, accipitur. 71. a. Indiæ nomine antiquitus etiam vocata Phœnicia, Æthiopia, ſive Arabia, aliæque terræ ab Oriente ultimo uſque ad mare internum ſitæ. 84. b. Indicorum ſcriptores veteres magnam partem mendaces. 69. b. Indicum numen Ammon: item Liber. 69. a
India longa cur ſomnum afferat. 327. b
Indigites unde dicti. 33. b
Indis cultus cercopithecus. 418. a
infantes cur ſomniculoſi: cur item magis epilepſiæ obnoxii. 327. b. infantes cur cunarum motu faciliùs obdormiſcant. 328. b. infantes etiam primo ſomniare anno; etſi aliud viſum fuerit Ariſtoteli. 329. b. infantes quòd moribundi rideant, utrum contingat ex conſpectu angelico. 359. a
ingenioſi ferè oblivioſi; ſtupidi ferè memores; & unde utrumque ſit. 324. a
ingrati animi ſimulachra in lupo, & ſubo. 391. b
inimicitiæ quadrupedum cum avibus, ſerpentibus, inſectis. 388. a inimicitiæ inter aves eas eſſe ſolent, quæ eodem gaudent cibo. 434. a
Ino cum Melicerta filio cælo donata. 41. a
inſecta cur electro incluſa in multa durent ſecula. 305. a.
inſectorum partes, in quas diſſecta, cur ſeorſum moveantur. *ibid.*
inſectorum inciſuræ, unde iis nomen, quales ſint; & cur Albertus pro iis dixerit *annulata*. 558. b. ſubtilius eſſe Dei artificium in inſectis, quam in animalibus etiam vaſtæ molis. 559. a. varia eorum genera. *ibid.* quam variis in locis, ac rebus, naſcantur. *ibid.* etiam magnam eſſe varietatem in ejuſdem ſpeciei inſectis. *ibid.* inſecta utrùm à Deo creata, an ex creatis ſponte ſint producta. 560. a alia coitu naſci, alia ſponte. *ibid.* tardè à coitu abſiſtere, & quæ rei iſtius ratio ſit. *ibid.* in coëuntibus feminam eſſe majorem mare, & ejus quoque cauſa adlata. *ibid.* non mares feminæ, ſed feminas mari, genitale inſerere: aliter interim eſſe in cicadis. *ibid.* quæ ſint ovipara, & quot mutationes ex ovo erumpens fœtus ſubeat. *ibid.* b. ut inſecta eodem à coitu die, aut ſaltem poſtridie, pariant. 572. a. inſectorum origo ex carne cadaveris. 562. a. ex plantis. *ibid.* è rore, vel potiùs lentore foliorum. *ibid.* b. cujuſmodi inſecta Ariſtoteli vocentur αὐτόματα. *ibid.* cur quædam careant inſectis. 563. a. quamdiu vivant. *ibid.* maximam inſectorum partem annum non excedere; & unde ſit illa vitæ brevitas. *ibid.* b. cur, conciſo inſecto, partes ſingulæ vivant, ac moveantur. *ibid.* inſecta non bibere, niſi cibi gratiâ. 564. b. edaciora eſſe, quibus ſunt dentes, vel inteſtinum anfractuoſum. *ibid.* quædam eorum ſanguine nutriri. *ibid.* cujus id ſit naturæ, quo inſectorum partes cohærent. 566 a. aculeus eorum cur non renaſcatur. *ibid.* aculeum in ore nactis binas ſolùm alas eſſe attributas; etiam dentibus plurimùm carere. *ibid.* b. oculos iis eſſe grandiores. 567. a. de colore inſectorum. *ibid.* cur non habeant palpebras. *ibid.* nonnullis cornicula præ oculis. *ibid.* guſtum inſectis ineſſe, ac nonnulla hunc ſine linguam accepiſſe. 568. a. inſecta dormire. 572. b. quædam alas habent binas, vel quaternas; ſed nullas pennas; quas tamen iis tribuit Plinius. *ibid.* quis pedum numerus. *ibid.* b. poſteriorum pedum uſus in ſeſe librando. *ibid.* inſecta quali vivant ſpiratione. 499. b. inſecta an refrigerii cauſa reſpiratione utantur, & quatenus. 574. b. cur moriantur oleo imbuta, & quando id præcipuè contingat: quare item, eadem reviviſcant, ſi acetum adſperſeris; & aquis ſuffocata, ſi cineres impoſueris. *ibid.* quomodo ſonum edant 575. a quintuplex ille ſit, & ex quibus cauſis proveniat. *ibid.* unde ſit, quòd tam diſpar ſonus aliis detur. 576. a. inſectorum uſus in cibo. *ibid.* b. & adverſus varia morborum genera. 579. a. inſectorum uſus adverſus ſerpentes; uti cimicum, & moſcarum. 555. b
inſtinctus naturalis unde. 322. b
intellectus an beſtiis competat. 346. a. intellectus agentis, & patientis, diſcrimen. 349. a. quid impulerit Ariſtotelem, ut intellectum agentem induceret, & cur intellectui agenti, & patienti, data ſint hæc nomina. *ibid.* cur prior intellectus Ariſtoteli dicatur forma formarum, & locus earundem. *ibid.* intellectus patientis operatio triplex; ad quarum tertiam etiam conſcientia pertinet. *ibid* b. unaquæque item harum operationum recta eſt, vel reflexa. *ibid.* intellectum cognoſcere non ſolùm univerſalia, ſed & ſingularia; & utra cognitio ſit prior. 350. a. Averroiſtarum error de uno omnium hominum intellectu, tam patiente, quàm agente refellitur. *ibid.* quid Ariſtoteles per intellectum agentem, ſi ſubſtantia ſit ei κατ' οὐσίαν ſeparata ab anima humana, intellexerit. *ibid.*
intelligendi modus duplex; unus per receptionem ſpeciei, alter per eſſentiam. 195. b
intelligentiarum orbes cæleſtes moventium, ex Ariſtotelis mente, non eſt par perfectio, ac divinitas. 196. a. intelligentiis motricibus nihil opus. 198. a. ac licet ab intelligentiis cælum moveretur, non tamen ſolùm octonas cum Ariſtotele ſtatui oporteret, ſed multò plures. 198. b. intelligentias longè aliud eſſe Ariſtoteli, quam Platoni ſint dæmones. *ibid.*
intercalandi ratio apud Ægyptios. 78. b
inteſtini triplex functio, & uſus. 530. a
inteſtinorum uſus duplex. 305. b. inteſtinum unicum duntaxat eſt, quod pro variis partibus varia ſortitur nomina: ac quanta ejus ſit longitudo. & cur id tot anfractibus diſtinguatur. *ibid.* cur gemina illi tunica ſit data. *ibid.*
inuber. 220. b

ionlorum timiditas. 391. b
invocatio beatorum mortuorum refellitur. 111. b. 112. a
Io gemina, prior Inachi, altera Jaſi filia. 43. b
Io cur in vaccam converſa fingatur. 390. b
Joannes Baptiſta contentus erat melle ſylveſtri, quod altero deterios: ut hoc etiam ſit auſterioris vitæ indiciom. 286. b. Joannem Baptiſtam veſte è pilis camelorum vulgaribus indutum fuiſſe. 405. a
Joannes Euangeliſta cur aquilæ comparatus. 420. a
Joanni, Caroli Calvi deliciis, unde tum *Scoti*, tum *Erigenæ*, ſit cognomentum. 413. a
Joannem Leonem exſcribi à Cæſ. Scaligero ſolere; ſed ooo nominari. 382. b
Jobi ætas, deque ea quadruplex opinio. 119. a. genus. *ibid.* Jobi liber non parabolam, ſed hiſtoriam continet, contra quam eſt apud Maimonidem. *ibid.* de auctore ejus ambigitur, ac quo loco referatur inter Hagiographa ab Hebræis. *ibid.*
Jolai, Herculis ſocii cultus. 40. b. Jolai veneratio Thebis. 41. a
Jonæ in ceto detenti hiſtoria fabuloſè à gentibus ſuo Herculi accommudata. 142. a
Jonas propheres in quo piſcis genere ſervatus videatur. 477. b
Ἴωνες prius Ἰάονες nuncupati. 52. b
Joni a, & Dorica, principes dialecti. 53. a
Jonis fabulæ in vaccam converſæ occaſio. 34. a
Joſephi beneficium triplex erga Ægyptios oſtenditor. 81. a. ad illud exprimendum nullum aptius ſymbolum, quàm bos. *ibid* ejus viri dignitas apud Pharaonem. 81. b. nomen *Saphenath Paneah* à Pharaone ei indutum, quàm variè à veteribos reddatur. *ibid.* Aſnath uxor non eſt filia Potipharis, qui ipſum emerat; ſed principis viri in On, hoc eſt, Heliopoli. 82. a. notus gentilibus Joſephus. 81. b
Joſephi Iſcani figmentum de Britannia, qui nuptias Telamonis in Græcia præſentiâ ſuâ honorarint. 100. a. Poëtæ hujus ætas, & patria. *ibid.*
Joſephus Jud. Ant. ſcriptor emendatus. 48 b
Joſephus Scaliger defenſus contra Petavium. 78. a
Joſus, & Ægyptius, & Arabicus, & Tyrius Hercules dici poteſt; non tamen Thebanus. 73. a
Joviales planetæ quatuor. 181. a
Joviani Cæſaris mors cujuſmodi. 302. b
Jovis nomen pluribos tributum. 42. b. Joves Argivi minimùm duo; quorum prior cum Niobe rem habuerit, Phoronei ſucceſſor Apis: à quo & Io violata videri poſſit. 43. a. alter Jupiter Argivus, Acriſii frater Prœtus, qui Danaën violavit. 44. a. ab his longo temporis interſtitio diſtat Jupiter Amphitryonis rivalis. *ibid.* per Jovem Ganymedis raptorem ſignatur Tantalus, Rex Phrygius, & cur in aquilam dicatur converſus: item ætas ejus. 44. b. Joves Cretenſes duo. *ibid.* poſterior rapuit Europam, cujus verum nomen Aſterius, ſive Xanthus, & quando is vixerit. 45. a. Jupiter Ledæ ſtuprator, & quæ ad tempora ſit redocendus. *ibid.* Jovis varii concubitus ab Homero, & Naſone, expreſſi. 42. b
Jovis ſtellæ variæ appellationes. 177. a. b. ejus ſtellæ magnitudo, ac ſublimitas, & cur ei fulminum poteſtas præcipue attributa. 179. b. vis in elementa ac homines. *ibid.* ubi Albumazaris & Aponenſis opinio, putantium, à conſtitutione Jovialis ſtellæ pendêre, ut certò exaudiantur divinitus, qui ſapientiam expoſcunt, impietatis damnatur. 180. a. ſtella hac malignitatem Saturni temperari. *ibid.* Jovis ſtella, uti & Veneris, ac Mercurii, eclipſin patitur inſtar Lunæ. 171. b. plura vide in *Jupiter*.
Iphigenia, ſive Iphianiſſa unde dicta, nec aliam propriè eſſe, quàm filiam Jephthe. 66. b
ἵππος pro femina libidinoſa. 390. a
ἱππομανὴς de equa. *ibid.* b
ἵππουρις. 462. a
ἴψ ſive convolvulus. 562. b. hinc Hercules ἰποκτόνος. *ibid.*
irati, pudore affecti, & ſimiles, cur oblivioſi. 324 a.
ira cur tam vehemens ſit affectus; iráque perciti nihil recti videant, vel agant. 335. b. ira effrenis in leone ſeſe exſerens. 391. a
iris quomodo generetur. 289. b. ἀνάκλασιν, & διάκλασιν, in eâ concurrere. *ibid.* totam iridis aream coloribus variegari, etſi in arcu ſolùm appareant. nec cùm plures iridem intuentur, videri eandem ſed diverſas. *ibid.* & 290. a. cur Iridis forma ſit circuli dimidii, & quanta ejus διάμετρος. *ibid.* tres præcipui iridis colores, & quæ eorum cauſæ. *ibid.* unde ſecunda, tertiaque iris ſit, & an quarta videatur. *ibid.* cur odoratiores ſint plantæ, quibus iris incumbit. *ibid.* b. quid iris ſignificet ex Inſtituto fœderis divini atque iſti inſtituto aliquam etiam ſubeſſe rationem naturalem. *ibid.* iris Poetis Dea, & cur iis fingatur Thaumantis filia, item Junonis, & Diſcordiæ nuncia. *ibid.* ejus etymon. 291. a. Peruanis pro numine culta. *ibid.* ridicula veterum opinio, iridem utroque cornu bibere aquas, quam mox refundat. 293. a. quomodo pluviam ſignificet. *ibid.*
iris cur ſic in oculis vocetur, & unde in ea item colorem varietas. 311. a
Irminſul Saxonum idolum: dubium, utrùm numinis animalis, an naturalis. Si prius placeat, fuerit Arminii ſtatua, fortiſſimi Germanorum adverſus Romanos ducis. Sin naturalis; ſit Mercurii, vel Martis, non prout ſtellæ ſunt erraticæ: ſed quatenus Martis, vel Mercurii vocibus ab Oriente, & barbaris, ſignari Sol ſolet. 176. b
iſchiadico morbo remedium ex ſiluri muria, item cochleis è vino. 534. a
Iſennacum urbs an ab Iſide dicta. 103. b
Iſidis nomine Ægyptiis cum Luna colebatur Tellus, imò univerſa rerum natura. 156. b. 227. a. cur *Pharia* vocata. 156 b. varia ejus cognomina. *ibid.* cur ea Τιθήνη, & Πανδέχης, vocitata. 226. b. eadem Iſis, ac Ceres: unde & ſacra utriuſque conveniebant repræſentatione luctus. *ibid.* Iſidis, & Cybeles ſacrorum convenientia. *ibid.* Iſis, & Venus, eadem ac mater Deûm. 133. a. Iſidi uterque ineſt ſexus. 157. a. Iſis maximè culta Bubaſti, & Copti, urbe Thebaidos antiqua, Ægyptiorum & Arabum emporio. 227. b. Iſidos in ſacris, uti in illis Cybeles, cymbalis, & tympanis uſi, pane abſtinebant, mendicabant ſtipem, pectus tundebant, brachia vulnerabant. *ibid.* cur Iſidos ſacerdotes fuerint calvi. 227. a. Iſis cur Ægyptiis dicatur navigio vehi. 163. b. cur ab iiſdem cum cornibus fingeretur. *ibid.* eadem cum Oſiride eſt generationis omnis cauſa. 157. a. cur *Muth*, item Ἄθυρ, & Μεθυὴρ, iiſdem dicatur. 157. b. Iſis pro anno Ægyptiis. 184. b
Iſidis ſtatua pennis vulturis ornabatur. 468. a
Iſis eodem loco habita Ægyptiis, quo Ceres Græcis, uſum frumenti ac hordei docuit. 51. a. 74. b. hinc in Iſidis pompa tritici ac hordei vaſa circulata 75. a. Dea habita. 75. b. Iſis Germanica an alia ab Ægyptia. 103. b. & quod utraque Evam videatur adumbrâſſe, ut Mannus Germanicus, & Oſiris Ægyptios, Adamum. 104. a
Iſmaelitæ Venerem coluere. 172. b
Iſthmi inter Hiſpaniam & Africam, ab Hercule perfoſſi fabula unde cœperit. 246. b
Italorum dii. 106. b. 107. a. b
Juba rex à Mauris cultus. 91. b. unde id nomen eſſe videatur. 91. a
Jubæ εὐεργέτης, quod Græcus ſcholiaſtes adduxerat, rejectum. 91. a
Judæa cur Lucano dicatur Incerti Dei. 6. a
Judæi cur preces funderint ad Occidentem converſi. 119. b
Judæi nubes adorare dicti. 289. a
judicando reflectitur intellectus. 350. a
Juga, & Jugatina Juno. 161. a
Julianus Apoſtata, nocte mediâ ſurgens, ſacrificabat Mercurio, hoc eſt, virtuti cæleſti, quæ ingenia excitat humana. 138. b
Julii Firmici locus interpunctione melior redditus. 217. b
Julii Cæſaris anima à morte credebatur in cometen converſa. 285. b
Julii Scaligeri nimium contradicendi ſtudium improbatum. 427. b
julidis piſcis laus. 506. a
S. Julittæ animoſa pro ſexu ſuo oratio. 361. a
Julius Cæſar in Deos relatus. 37. a
Jul. Scaliger rejectus de dulcedine maris in fundo. 245. a. idem de Veneris, & Mercurii loco refellitur. 173 b
Julius Paullus de *cornicularis tunica* vocabulo defenſus. 311. a
Julius Auſonius, parens poëtæ Auſonii, quo remedio arthritide liberatus fuerit. 585. b
julos inſectum pedes habet. XLIV, & an tantus numerus perfectionis ſit argumentum. 573. b
Juno Cretica, Argiva, Imbraſia ſive Samia. 50. a. *Juno* pro genio mulieri appoſito. 52. b
Juno eadem, ac Diana; ſed alia, atque alia Lunæ via ſignificatur. 159 a. Juno Græcis, & Romanis, aërem feminam notat, quatenus recipit exhalationes, & quæ inde generantur. 208. a. cur Juno tum ſoror ſtatuatur Jovis, tum uxor, & cur à marito dicatur ſuſpenſa de cælo, appenſis ei incudibus duabus. 268. b. cur *Soſpita* cognominata, item *Argiva*, & quod nomen fuerit primæ ejus apud Argivos ſacerdoti. 269. a. Juno ad lunam refertur. 161. a. cur ei nomen *Junonis* datum, aliter, quàm à Veteribus, conjectatum, & unde Ἥρας appellatio. *ibid.* unde *Lucina* & *Lucetia* vocetur. 161. b. cur Calendæ ei conſecratæ, curque matrimoniis præfecta, & unde ei τελείας nomen ſive *pronuba*. 161. a *Cinxia*, & *Unxia*, nomen unde. Item *Domiduca*, & *Manturna*. *ibid.* cur divitiis præſit. 161. b. cur pavo ei ſacer. *ibid.* *Juno Fluonia* eadem, quæ *dea Mena*. 162. a Juno dicta quotannis lavando ſe in Canatho in virginem commutari. 160. a. Juno quandoque terram ſignificat. 233. a. & quomodo conciliari poſſit, quòd tum mater Ops, tum filia Juno, terra eſſe dicantur. 232. a
Junonia ſtella quæ Auctori de Mundo, & Appulejo. 177. a
Junonis, & Cereris ſacra diverſa. 233. a
Jupiter quàm variè intelligatur. 4. b
Jupiter, & Juno, quàm variè φυσικῶς ſumatur. 233. a. Jupiter non modò Saturni, ſed & Ætheris filius eſt habitus. 188. a. Jupiter idem, ac Sol. 138. a. Heliopoli tum Ægyptiâ, tum Aſſyriâ cultus, idem erat ac Sol, cœlumque. 133. b. vectatio ejus ſimulachri, ut & aliorum alibi deorum. *ibid.* Jupiter, Minerva, Juno, quid Samothracibus ſignificent. 228. a. Jupiter Græcis, & Romanis, aër eſt maſculus, quatenus ſpiritus eſt vegetans, ac movens. 266. a. *Jupiter* pro *vento*. 266. b. Jupiter Æthiopicus idem ac Aſſabinus. 134 b. Jupiter Germanis Taranis, ſive Taran, & fortaſſe etiam Tanar: ex quo *Donner*, unde *donderſtag*. 178. a. Vide alia de Jove in *Jovialis planeta*, & *Jovis ſtella*.

jus

Jus naturale cur Juriſconſultis dicatur, quod natura omnia docuit animalia. 388. b
juſtitiæ partes; religio, ὁσιότης, & innocentia. 436. b
Juſtini hiſtorici locus correctus. 65. a
Juſtinus Martyr excuſatus, quòd Anaxagoram vocârit ἄθεον. 2. b
Juſtus Lipſius in Stoicorum mente explicanda meliorem illis affingit opinionem, quam revera habuerunt. 213. b
Juturna nomen fontis, fluminis, ac lacus, & de templo ejus. 263. b
Juvenalis verſus declaratus. 440. b
Juvenalis locus de immani mulli pretio. 507. a. idem de mullorum jubis enarratus. *ibid.*
juvenca pro femina libidinis œſtro percita. 390. b
Juventutis templum apud Romanos. 301. a
iyngi à Magis tributa vis magna in philtris. 461. a
ἴξ, & ἴψ, ut differant. 596. a
Ixion, Theſſalus rex, gentem ſuam docuit pugnare ex equis, & quando is vixerit. 46. a

K.

Κακκαβίζειν, ſive *caccabare*, eſt πνιγμός, ſive perdicis; & unde κακκάβη vocabulum. 444. b
καλλιώνυμος piſcis quàm variè appelletur. 346. b
καρχαρίας remedium ab erinaceo. 399. b
καρίδωρος unde ſic vocetur. 562. a
καρδιακοῖς, & καρδιαλγίας appellatio unde. 528. a
καρχαρίας nunc canis, ſive canicula, nunc lamia. 511. a. eſt ἀνθρωποφάγος. 494. a
Καθαίρεσις cur Lunari de deliquio dicatur. 149. a
Κάσμιλος Deus Cabiris miniſtrans, idem qui Mercurius. 229. a. unde *Caſmili* nomen. *ibid.*
κεφαλόκλιτος in ſerpente quid. 446. a
κηλαινώ harpyia. 466. b
Kepleri ἀναισθησία, ſcribentis à Thalete correctum Beroſi errorem. 150. a. ejuſdem judicio, Tellurem ſenſu eſſe præditam. 162. b
κιγκλίζειν unde. 408. a
κιρρίσκη cervorum genus. 381. a
κίχλη piſcis. 506. b
κισσηρίς quæ. 592. b
κλεψυγρεφία quid. *ibid.*
Κλισμοδόροι qui. 61. b
kiranides. 528. a
κνῖπες, & κώνωπες, diverſa Ariſtoteli culicum genera eſſe. 565. a
kocob ſerpens. 555. a
κοχλίας, & τερμινθι, ut differant. 519. b
κολεόπτερα quæ vocentur. 573. b
κονδύλωμα, eique remedium. 459. b
κορυβαντιᾶν dicti, qui oculis dormiunt apertis, & unde hoc vitium. 310. a
κορώνη num ſit eadem, quæ ciconia, an potiùs Ariſtotelis ἀργήτης. 437. a
κόσσυφος, ſive κόραξ. 432. b
κρημνοι inſectum in uvis. 559. b
κρητὶς unde. 408. a
κρίοιδης. 262. a
κρίκαικς inſecta. 559. b
κυβοπαδίαι. 243. a
Κυνίη, γαλῆ, ἰκτίδιν, unde dicta. 75. b
κυνοραιστή. 562. a
Kyrgeſſis in Tartaria Tellus culta. 235. b
Κύριε ἐλέησον, nunc Chriſtianis modò, ſed quibuſdam etiam gentilium, formâ precandi fuit. 6. a
κόψιχοι, ſive κοψιχίδες. 443. a
κῶλον inteſtinum an appoſitè ſatis dictum, & cur intenſi adeo dolores ejus. 304. a
κωλύτας ſive κύμματις quid. 568. b
κωφίνα, & τυφλίαν, diverſos videri; etſi aliter ſcriptum Heſychio. 546. b

L.

Labiis ſciſſis remedium ab aranearum tela. 587. a
labor inter deos inferos à Poëtis relatus. 300. a
λάβραξ, & λύκος, piſces ſunt diverſi. 513. a. prætertim, commendatus λάβραξ ὁ Μιλήσιος: qui & θεόπαις dictus Archeſtrato. *ibid.*
labrus apud Plinium inter piſces Ovidio relatus memoratur; deque eo Plinii, & librariorum ejus defenſio. 477. b
Lacedæmonii colonia Heraclidarum. 34. b
Lacedæmoniorum conſuetudo in regum ſuorum cadaveribus melle condiendis. 578. b
lacertarum in Braſilia, & Æthiopia, magnitudo. 378. a. lacertus Indicus quàm venenatus, quomodo quis ab eo cavere ſibi poſſit. 413. b
lachrymæ mœrentium, & oculis laborantium, quomodo differant. 361. a
Lactantii de Flora opinio refellitur. 35. b
lacte quando pluat. 288. a. lac quomodo generetur. 393. b. repleri eo animantia pilis prædita, eque his veſpertilionem. *ibid.* etiam habere lac balænas, & delphinum. Interdum & in maribus generari; deque hirco Lemnio, ex cujus lacte caſei fierent. *ibid.* quis color lac commendet, & cauſa ejus; vulgataque in Ariſtotele ſuper eo lectio defenſa. *ibid.* bonitatis gradus in lacte, tum ejus, quod ſanis datur, tum quod phthiſicis: ac his etiam conducere ſuillum; non tamen iis, qui ad lepram propendent. 394. a
lactiſcopiam mulieribus fieri eſu piſcis glauci. 528. b
lactucina, vel lacteur. 235. a
lacydes quantopere ab anſere amatus, & honos, quem aliti mortuæ propterea is habuit philoſophus. 435. a
lagopodis nomen nunc tribui avi, quæ ſimilis coturnici; nunc alti Alpinæ, colombæ magnitudine; quicum perperàm glaucopidem confundunt. 454. a. b
lamia piſcis tam vaſto eſt oris rictu, ut totum deglutiat hominem. 477. b
lampadum traditio in Promethei feſto. 54. b. quid ea ſignârit. *ibid.*
lampetra piſcis pro eodem habitus, qui *exormiſtus*, & *galaxias* Græcis dicitur. 512. b. an lampetra ſeptenos utrimque habeat oculos; quæ vulgaris eſt opinio. 484. b
lanæ ex quadrupedibus uſus. 404. b. lanæ Anglicanæ bonitas unde. *ibid.* Mileſiæ in Aſia; Atticæ, & Megarenſis, in Græcia; Tarentinæ, Parmenſis, Altinatis, in Italia laus. *ibid.* lana ſolox. 405. a
lanugo prima Apollini conſecrabatur. 136. b
lanzani fera quàm terribilis 410. a
Laodiceœ Synodi canon contra angelorum cultum. 25. a
lapides breviculo ſpatio ex aquis quibuſdam fieri. 248. b. quæ cauſſa. 249. a. lapis è firmamento dejectus nonniſi annis tar in terram pertingeret. 182. b. lapis qui putetur, qui ab Iſmaelitis, & Saracenis cultus. 172. b
lapides, & metalla, cur tamdiu durent. 303. b. lapidibus qui pluat. 289. a. lapidis bezoar medicina è capris, & unde id vocabuli. 400. a
Lapithæ Pelethronii primi Græcorum arte equeſtri excelluerunt: primi ex iis pugnare docuerunt. 46. a
Lara, vel Larunda, vel Mania quæ. 32. a
Lares qui, & unde dicti. 32. a. privatim culti vino, ture, corollâ, ſeu laneâ vittâ, pauxillo cibi de menſa; quod igni abſumebatur: nam hominibus guſtare nefas. *ibid.* publicè autem in compitis mactator iis porcus. 32. b. cur Laribus Hoſtiliis immolatum. *ibid.*
laryngis, & aſperæ arteriæ, in piſcibus utilitas. 498. b
Latona quæ ſit φυσικῶς, & unde ei nomen. 136. b
λατρείας, & δουλείας, diſcrimen Scripturis & SS. patribus (ſi unum Auguſtinum excipias) ignotum. Poſſe tamen cultum Dei λατρείαν, humanum vocari δουλείαν, dummodo illa hominum non ſtatuatur ſpecies cultus religioſi, ſive divini. 113. b
laver ſive lavaretus piſcis. 516. b
laurum non tangi fulmine, eſt fabuloſum. 281. a
laurus comeſta vatibus, vel dormientium capiti ſuppoſita, credebatur vera præſtare inſomnia; & unde ſtulta adeò opinio profecta. 137. b. erat ea Apollini ſacrata. *ibid.* eſſe obnoxiam fulmini, etſi aliter de eo veteres. *ibid.*
leænæ ſagacitas ſe poſt congreſſum cum pardo abluentis, ne odor leoni adulterii crimen prodat. 371. a. leæna Ambraciotis culta. 418. a. Vide *Leo.*
leberide nudior, *inanior*, *aſperior*, *cacior*, proverbia unde ſint. 445. b
lecti è teſtudine. 537. b
ledona in mari quid. 247. a
legioni ſua cuique aquila: ſed primitus legionis etiam ſigna fuere lupus, ſus, minotaurus; & quid iis ſignificatum, item equus aper. 419. a. primus C. Marius, rejectis ſignorum aliis, legionibus aquilam dicavit. *ibid.*
λειόβατος, & βάτος ἀστερίας. 511. b
λεύχνοι, ψῆφοι, λέπρα, & ἀλφοὺς, qui differant. 535. a. iis remedia è piſcibus, *ibid.*
lemurum appellatio unde ducta. 33. a
Leo Nemæus cur è Luna decidiſſe fingatur. 147. a
leo plurimorum judicio inter quadrupedes principatum obtinet. 369. a. b. leonis etymon. *ibid.* quàm diſpari de cauſa Chriſtus, & diabolus, leoni comparentur. *ibid.* quæ ſecundùm Philen arguant fortitudinem leonis. *ibid.* leonis varia epitheta ad viſum pertinentia. *ibid.* leo præcipuus inter καρχαρόδοντα. 370. a. cur nonniſi averſa currat talculis. *ibid.* leonis collum vertebris conſtare; etſi aliter de eo veteres. Item prope omnia leonis oſſa eſſe medullæ expertia, adeoque ſolida, ut ex iis, tanquam ex ſilice, elicias ignem: ac perperam id rideri ab Athenæo. *ibid.* generoſi animi varia argomenta, & cur Semiramis credatur magis lætata eſſe læænâ, quàm leone capto. *ibid.* leonum animos ex caudâ cognoſci, & ejus cauſa ex phyſicis allata, *ibid.* b. cur pridianæ prædæ reliquis abſtineat. *ibid.* prudentiæ, & ſagacitatis ejus argumenta. *ibid.* cor obtutum in terram figat, quoties venatores inſtant, & quo corporis ſigno diſtinguere ſit generoſiores leonem à magis pavidis. 371. a etiam pro regionibus variare leonum & ſagacitatem, & generoſitatem. *ibid.* Libycorum leonum vis. *ibid.* leonis leænæque vindicta de urſa ob catulos interemtos. *ibid.* b. leonis exuviæ pro indumento, vel ſtragulo, antiquitus heroibus fuerunt. 372. a. quibus leonis carnes fuerint pro cibo, quæque ejus partes in medicina utiles. *ibid.* leonis amor erga canem ſocium: clementia erga ſupplices. *ibid.* eicurari etiam leones. *ibid.* dormire eos oculis apertis, eoque Ægyptiis eſſe vigilantiæ ſymbolum. *ibid.* b. variæ rationes venandi leonem. *ibid.* & 373. a. cur leo ſit Vulcano dicatus. *ibid.* tantopere etiam domari, ut equorum inſtar currum trahat. *ibid.* ratio adſtringendi os leonis, ne mordeat, ac via triplex veneno eum necandi. *ibid.* ſecundùm Afros, non lædi feminam à leone, quæ vereuda ei detexerit. *ibid.* b. facilis modus terrendi leonis, ſi pannum objeceris oculis. terreri etiam circumacto rotarum, & tympani pulſu; eundem obtorpeſcere, ſi folia ilicis calcarit. *ibid.* fabuloſum eſſe, quod Herodotus, & Orus,

Orus, tradunt de leæna ſemel duntaxat unumque ſcymnum pariente; item quod veteribus relatum, metui à leone gallum gallinaceum. *ibid.* in dubium vocatur, quod ajunt, leonibus quartanâ laborantibus mederi eſum ſimiarum. 374. a. leonum clunes Indis comedi. 395. b. leo Leopolitanis cultus, & variæ ejus venerationis cauſæ. 415. a

leocrocottæ imitatio humani ſermonis fabuloſè attributa. 386. a. etymon leocrocottæ, ex leone, & crocotta, ſeu corocotta. *ibid.* velocitas. 392. b

leones vehebant Cybelen. 224. b. quid leones in ejus ſacris ſignificent. 224. a b

leonci marini aſtacorum genus, vel iis ſimiles. 519. a

Leoni Papæ I. improbari conſuetudinem ſe in oratione ad Orientem convertendi: quæ prioribus ſeculis obtinuerat. 120. a

Leonidas cultus Spartanis. 39. a

Leonis ſimulachrum unde in ſacris Cybeles. 59. b

lepas, conchæ genus, quæ Nonio *lopas*, & unde vocabuli origo? 522. a. lepadis, oſtreæ, pectinis, myos, & buccinæ collatio. *ibid.* b

lepidotus piſcis Ægyptiis cultus. 541. a. is piſcis idem ac cyprinus, ſive carpio. *ibid.* λεπιδωτὸς nomen unde, & in eo Vallæ lapſus. 481. b. cur ſerpenti potius φιλοδώτη nomen attributum. *ibid.*

lepores non eſſe androgynos, & unde iſte error ortus. 401. a. 375. a. leporum ſalacitas, ſexus, ſuperfœtatio. 397. b. origo vulgaris dicti, aliquem lepore comeſto fieri formoſiorem. *ibid.* leporis univerſa membra affabrè ad velocitatem eſſe facta: etiam aures, quibus curſum moderatur. 392. a. cur hæ prolixæ ei tributæ, & unde hæc aurium longitudo proveniat. *ibid.* unde fit, quòd lepores ſic timeant. *ibid.* leporinæ carnes quando præſtent. 395. b. leporinâ inter lautitias epularum. 396. a. & quæ partes in lepore ſaporis gratiâ maximè commendari ſoleant. *ibid.* delicatiores eſſe lepores intra menſem ætatis ſuæ ſecundum; & octavum. 397. a. cur leporinâ Deus interdixerit Judæis. *ibid.* lepores, & anatea, malè ægris commendabat Cato. 455. a. lepus cur Ægyptiis ſit ſymbolum auditus. 455. b

leporis marini caro venenata; cujus eſu periit Titus imperator. 456. a. hoſtes ejus cancer marinus, ac mullus. *ibid.* b. abortum ab eo, & fieri, & impediri. *ibid.*

λέπρα unde dicta. 535. a. lepra, de qua in Evangelio, vitiligo, non elephantiaſis fuit. 589. b

leproſi an paſſerem ſacrificarint; ut eſt apud vulgatum Scripturæ interpretem: & quæ huic ſententiæ adverſentur. 441. a

Lernæa hydra, ab Hercule interempta, quid φυσικῶς notet. 143. a

lethargici qui piſcium medeantur. 524. b

Levana eadem, quæ Luna. 162 a. etymon ejus. *ibid.*

Leuco Platæenſibus cultus. 41. a

Leuconotus ventus cur ſic appelletur. 273. a

λευκὸς ἀπὸ τοῦ λύειν. 138. a

Leucothea. 41. b. Leucothea eadem, quæ Ino. 67. b

Leviathan Hebræum unde ſit. 517. a

Liber tum Sol eſt, tum liquor potabilis, & cur *Lunæ filius* dicatur. 261. a. cur Liber iis, qui duos ſolùm Cabiros agnoſcunt, eorum alter habeatur. *ibid.* Liberi fontem in Andro ſeptem diebus fluere vino, ſacerdotum figmentum, vel fraus erat. 249 a. Liber cur quatuor ætatum figuris effictus. 140. b

Liberalia ſacrum Bacchi. 33. b

libertas arbitrii quibus in rebus conſiſtat. 351. a. b. libertas arbitrii non diſtincta ab intellectu. *ibid.* aliter ſe habet in angelis, aliter in hominibus piis in hac vita. *ibid.* liberum arbitrium quid ſit; atque ut hoc ipſum verè proprieque non inſit omnibus ſpontaneis; ſed illis duntaxat, ubi poſſis velle, nolle, vel judicium ſuſpendere. *ibid.* hanc libertatem Scripturis, antiquitati, & rationi, videri conſentaneam. *ibid.* & 352. a. b

libidinis incommoda. 208. b

Libitina eadem, ac *Venus*, & *Proſerpina*. 164. a. Libitinariorum numerus indicabat numerum defunctorum in Latio. *ibid.*

Liduna qualis maris æſtus. 247. a

liene pardorum abſtinendum. 391. b

lieni remedium ex inſectis. 584. b

lienteriæ, & cœliacæ paſſionis diſcrimen. 530. a. lientericorum, & cœliacorum medicina ex aquatilibus. *ibid.*

ligna quando cædenda. 148. a

ligna putrida, & ſimilia, cur noctu luceant; de die non item. 567. a

limaces Afris in cibo. 577. b

λιμναῖαι, ſive λιμνιάδες. 262. b

λιμνόστρεα aliquando in navibus è limo naſci; & ſpuma putreſcente. 470. b. λιμνόστρεα quæ fuerint prælata. 519. b

limoniades. 260. b

lingua cur à Deo facta ſpongioſa, & bibula. 318 b. cur ea meliùs guſtet mucrone, quàm radice. *ibid.* lingua arida cur non guſtet res ſiccas. 319. a. lingua latior, & propria mandibulæ ſtructura, illis eſt avibus data, quæ loqui diſcunt. 446. a

linguæ uſus non is modò, ut hæc vox formetur. 455. b

linguarum nomine cur vocentur idiomata ſermonis. 354. b lingua an maximè naturalis ea qua rebus vocabula dedit Adamus, an etiam Hebrææ linguæ peculiare, quod ſit à natura. 355. a. utrùm lingua Hebræa, Syra, vel Chaldæa, antiquior, controverſum. *ibid.* b. unde fiat, quòd furore correpti linguâ loquantur, quam nunquam didicerunt. 356. a

lingulacam differre à *ſolea*. 509. b

Liparis flumen in eo natantes inungit. 249. b. & quæ ejus rei ratio ſit. *ibid.*

liparis unde dicta, & quæ vis ejus. 530. b

lipothymiæ remedia ex inſectis. 583. a

Lipſii ſententia de Pauli Diaconi loco rejecta. 102. a

Lipſius omnem ſtatum elephanto adimens refellitur. 365. b. ejuſdem de urſis Numidicis opinio refutata. 371. b

literarum inventio ad Deum relata ab Ægyptis. 357. a

literarum D, & L, commutatio. 593. a

Lithuanis ſerpentem pro numine cultum. 558. b

Livia Auguſta inter Deos à nepote Claudio relata: quem ei honorem conferre noluerat filius Tiberius. 37. b. Livia Auguſti conjux, à marito adoptata, dicta eſt Julia. *ibid.*

Livii Andronici verſus numeris ſuis redditus. 203. a

Livius interpunctione emendatur. 94. b. 95. a

locomotiva quid; & ejus motum, etiam quo aſcendimus, naturalem eſſe. 336 a organa locomotivæ partim activa eſſe, partim paſſiva. *ibid.*

locuſta piſcis cornibus armatur. 481. a. piſcis eſt meticuloſus. 494. b. cur ad greſſum ei inutiles pedes. 497. a. locuſtæ quomodo differant ab aſtacis, & aliis cruſtatis. 518. b. hujus piſcis caro qualis. 519. a. tria commendabantur in ejus eſu. *ibid.*

locuſtæ inſecti genus, quod ſerpentibus infeſtum. 553. b. locuſtæ Indicæ trium pedum. 559. b. locuſtæ ut vaſta etiam maria tranſmittant volando. 573. b. quare Deus locuſtis tribuerit ἔλυτρον ſive integumentum, quo alas, velut vaginâ, recondant. *ibid.* cur iiſdem poſteriores pedes dati ſint longiores primis. *ibid.* locuſtæ quâ parte reponent. 575. a. & 576 b. Joanni Baptiſtæ in cibo fuiſſe; iiſque Æthiopes, & alios Orientis populos veſci ſolere. 577. a. interea cibum hunc fuiſſe inſalubrem. *ibid.* viſcarum adverſus venena. 580. a. proſunt urinæ difficultati. 584. b. locuſtarum crura, & ſemina, pro ſerra. 555 a. quanta locuſtæ damna dent frugibus, vitibus, plantarumque aliis. *ibid.* b. eſus earum inſalubris. 597. b. peſtilentia horribilis à multitudine locuſtarum mortuarum, aera fœtore ſuo corrumpentium. *ibid.* b. utrùm reviviſcant. 600. a. unde ſit, quòd ex earum copia præſagium habeatur peſtilentiæ, imò & belli. 597. b. remedia adverſus locuſtas. 600. a. locuſtæ genus, quod ὄνος dicitur, venenatis medetur. 601. b

Λόγιος Mercurius. 175. a

λοχεία 148. a

logodædali cur ferè ſint vitæ longioris. 335. a

loliginis volatus ſignum tempeſtatis, & ejus cauſſa. 294. a

loligo piſcis, & quæ nominis ejus ratio. 497. a. ejus magnitudo. 480. a. qui loliginis indigere dicti ſint Athenienſibus. 518. b. loligines navigantibus noxiæ. 540. a

lolium, lupinus, cicer, cur non facilè generent inſecta. 563. a

lopas. Vide *lepas*.

loquela an competat ἀλόγοις, ut Sextus Empiricus; an ſimile quid loquelæ habeant, ut Lactantius putavit. 353. b. cani Simonis Magi, tauro Rhodio Jovi ſacrato, pico Martio, columbis Dodonæis, equo Xantho, Argo navi, ulmo Gymnoſophiſtarum, Cauſo flumini, ſermonem humanum ſtultè tribuêre gentiles. 354. a. b. quinque inſtrumenta loquelæ, & ut pro illis magiſtri Hebræi ſuas dividant literas. *ibid.* b. loquela num à corde proveniat, ut Ariſtoteles ſtatuit. *ibid.* cui ſententiæ contrà obducitur, quòd canes ſonum edant, & homines loquantur, corde exemto. 355. a. fabula rejicitur de nonnullis, quorum caput reſectum loquutum fuerit. *ibid.* quæ loquelæ materia, & forma. *ibid.* b

lorica unde dicta. 406. a

Loxo, Hecaerga, & Opis, epitheta Dianæ. 166. b

Lua Dea. 237. a

Lucani locus expenſus. 419. b

Lucanus adverſus Cæſ. Scaligerum defenſus. 225. a

lucem Latini dixere, ut Græci λύκην. 138. a

lucerna piſcis inter volatiles relatus. 497. a. idem piſcis noctu lucem de ſe jaculatur: quod & multorum piſcium oculi faciunt. 538. a

lucernæ ut præbeant ſignum pluviæ, & venti. 293. b

Lucianus adverſus Franciſcum Floridum defenſus. 151. b

Lucifer, & Heſperus, idem ſidus: & quando mane, quando item veſperi oriatur. 172. a. Lucifero à poëtis albus equus attributus: Heſpero, qui & Nocturnus, niger. *ibid.* Lucifero dicati equi deſultorii. *ibid.*

Lucina etymon. 162. b

lucis divinitas. 117. b. gemina ejuſdem diviſio. *ibid.*

lucis, & luminis diſcrimen. 312. a. lucis item, & coloris differentia. *ibid.* lucem etiam cerni ab oculo in tenebris conſtituto 315. a. iterum de lucis, & coloris differentia. *ibid.*

lucius piſcis poſt CCLXVII annos captus, quàm impoſitus eſſet flagro ab ipſo Imperatore. 473. a. lucius cur uſque adeò ſit guloſus. 479. a. lucii, & tincæ amicitia. 492. b. unde ſit, quòd apertus lucii venter ſanetur, ſi is tincis affricetur. *ibid.* lucius Italis illaudatior, quàm Belgis; & quæ cauſa illius diſcriminis. 514. b

Lucullea, & Mucia, feſti dies ab Aſiaticis inſtituti in honorem Mucii Scævolæ, & L. Luculli. 296. a
ludorum gladiatoriorum origo à prava ſuperſtitione. 98. a
Ludovici Vivis lapſus. 88. b
lues Venereæ unde profecta, & remedium adverſus eam. 337. a
lumborum dolori remedium è melle. 583. a
lumbricorum ex excrementis naſcentium tria quatuorve genera. 562. b. quomodo ex urina etiam, aceto, ac nive, gignat lumbrici, aliive vermes poſſint. ibid. b. lumbricorum terreſtrium cibus. ibid. lumbricis an oculi. 567. a. ex lumbricis remedium aurium vitiis. 581. b. item dentium dolori. ibid. arthritidi. 585. b. ut capillis præſtent, ne colorem mutent; & unde id fit. 586. b. medentur oculorum inflammationi. 587. a. vulneribus item. ibid. b
lumine cur ad videndum ſit opus. 314. b
luna unde dicta. 160. b. diſtantia illius à terra, magnitudoque ejus, quæ terreſtris globi fere eſt quadrageſima. 161. a. colores varii. ibid. maculæ Lunares, & earum cauſſæ. 161. b. Pythagoricorum opinio, Lunam eſſe terram noſtræ ſimilem, ubi & arbores, & animalia multò noſtro ſint majora: unde & poëtæ fingant, ex Lunæ orbe decidiſſe Nemeæum leonem, & taurum Marathonium. ibid. figuræ Lunæ globoſa, non omnino tamen rotunda; ſed aſpera & inæqualis; & quæ inæqualitatis hujus cauſſa ſit. 162. a. lunam lucere ſuâ luce, Beroſi eſt, & Chaldæorum opinio. 149 b. quæ refellitur. 150. a. eamque vel partim, vel ſolùm luce ſplendere alienâ probatur. 150. b. luna ſecundum Pythagoricos illuminatur à terra; terra verò luce à Sole perfunditur. ibid. ſecundùm Stoicos vitâ, ſenſu, & intellectu, prædita eſt. 151. a. Ariſtoteli dicitur Sol alter, ſed minor. 148. b. 149. a. luna quæ eadem ἕνη καὶ νέα. 148. a. lunæ vis in ſublunaria. ibid. cur profit parturientibus. ibid. cur iis noceat, caputque aggravet, qui lunæ expoſiti, capiant ſomnum. ibid. luna facit epilepticos, & ſpaſticos. 148. b
luna divinis honoribus culta, & quæ cauſſæ ejus cultus. 146. b. 147 a. b. 148. a. b. luna unde dicta ac Orientis quidem populis culta eſt variis nominibus: ut Uraniæ ſive Cæleſtis, Aſtartes, Baaltidis, Veneris, Salambonis. 151. a. b. Deæ Syriæ, ſive Junonis Aſſyriæ, quæ Hierapoli erat. 153. a. luna Afris culta, quam Græci, cùm Syriacè neſcirent, *Aſtroarchen* pro *Aſtaroth* vocarunt. 157. b. luna intelligens. 151. a. hæc Græcis Οὐρανία, *Cæleſtis* Latinis dicitur. ibid.
Luna tum Oſiridis, tum Iſidis vocabulo Ægyptiis cenſetur. 156. b
luna, item *Solis labores*, quid Maroni ſignificent. 291. a. lunæ ex colore, vel dierum numero, quomodo prævideamus tempeſtatem. ibid.
lunæ piſci quid pro cauda ſit datum. 496. a
lunare deliquium cur καθαιρεῖσθαι dixerint, & ſtultæ priſcorum circa eclipſin Lunæ opiniones. 149. a. quæ paulatim evanuerunt, repertâ verâ eclipſeon cauſâ. 149. b
lunarium φάσεων cauſæ, & cur in coitu non videatur Luna. 147. a. numquam minùs illuminatur à Sole, quàm in plenilunio. ibid.
lunatici dum Luna creſcit, & præcipuè in plenilunio laborant. 148. b
λανὸς quid. 161. a
Lunus Carrenorum. 124. b
lupo quàm valens ſtomachus. 377. b. lupi ſolertia. 385. a. lupus, & ſubus, ingrati. 391. b. lupus cur homini loquelam eripere fingatur, ſi prior eum conſpexerit. 410. a. lupi quomodo capiantur dolo. 412. a. lupus cur in ſignis militaribus Romanorum. 419. a. lupi, & agni inimicitiæ poſt mortem, ut ajunt, durent, eæque ex pellibus diluceant. 422. a. lupus à Lycopolitanis cultus. 414. b. idem Delphis in veneratione. 418. a
lupus ſacer Phœbo, & quamobrem. 138. a
lupus piſcis quoties pariat. 472. a. ejus aſtus. 489 a. intemperantia in cibis. 491 a. inimicitia cum mugile. 493. a. alimentum ejus cujuſmodi gignat ſanguinem. 513. a. lupus, in Tiberi duos inter pontes captus, cæteris longè commendatior, & quæ ejus rei cauſa. 502. a
luſciniæ etymon. 445. a. quantum avis ea polleat cantu. ibid. luſcinia laudis appetens. 441. a. luſciniæ Græci, atque Latini ſermonis dociles. 447. a
luſcioſis, ac caligini oculorum, remedium è jecore, aut felle caprino. 401. b
Lutatii Catuli mors cujuſmodi. 302. a
lux, primæ diei opus, materies eſt Solis, Lunæ, ſtellarumque: & quid opus fuerit, cum lux ea eſſet, hanc in cæleſtes ignes variè diſcerpi. 191. b. 192. a
lux dubia, fanum ſic dictum Gaditanis, Phoſphoro ſacrum. 172. a
luxurioſorum principes Callias, & Cteſippus, è Græcis; Hortenſius, & Apicius, è Romanis. 452. b. luxus Æſopi hiſtrionis, & filii ejus. 456. a. luxurioſa Vitellii cœna. 455. a. Romanorum luxus Favorini ætate. ibid.
luxus Romanorum in piſcibus. 504. b
lycoctonos, & pardalianche, lupus venenum. 412. a. cur lycoctonon terræ ſuæ inferre vetuerint Lycopolitani. ibid.
λύκος, ἀμφιλύκη, λευκός, ejuſdem originis. 138. a
Lycurgi lex de honore præſtando grandibus natu. 336. a
Lycurgus Spartanis cultus. 39. a
λυκανθρωπία quale ſit morbi genus. 347. b. & 400. a. vulgaris ſententia de hominum in lupos converſione refellitur. 347. b. ſi homo non mutetur in lupum, aliudve animal, quomodo intelligi debeat, quod à Daniele propheta dicitur de Nabuchodonoſoro in muti animantis ſenſum figuramque converſo. 348. a
Lydis piſcis habebantur, ſi non dii, ſaltem ſancti. 541. b
λυκόστομοι iidem, ac ἐγκρασίχολοι, & ἐγγραύλεις. 508 b
lynces acumine viſus inter quadrupedes præcellere exiſtimantur. 381. b
lyncei, quem ad Styga uſque contendiſſe oculos tradiderunt, nominis, & fabulæ origo unde. ibid. & 382. a
lynceus cur ab acumine viſus proverbio celebretur. 148. a
Lynci, ſive Lynceſtis aqua, vini inſtar, lymphaticos facit. 253. a
lyræ piſcis caro qualis. ibid & undecî nomen. ibid
Lyſander cultus Samiis. 26. b
Lyſis commentitius; unde tamen Luſitaniæ nomen petunt. 94. b

M.

M Litera, vel etiam μα ſyllaba voci interdum præmiſſa. 177. b. 178. a
Machiavelli judicium de prodigiorum cauſſa efficiente. 17. a
Macrobii vetus lectio in voce *Adad* defenſa. 115. b
Macrobio perperàm veſpertilionem potiùs quadrupedem, quàm volucrem, videri. 423. b
maculæ Solares quid. 516. b
Madai, filius Japheth, Medorum auctor. 93. a
Mæandro, & Marſyæ fluminibus à Phrygibus ſacrificatum. 261. b
mæna piſcis qualis. 508 a. deque hac Martialis, & Ciceronis loci aliter ac ab aliis expoſiti. ibid.
mæotes piſcis ab Ægyptiis cultus. 441. a
Mæra, canis cæleſtis. 184. b
Maerte Belgicum unde. 51. b
Mæſa in Deos relata. 38. a
magarumne certum ſit indicium, ſi quæ magiæ accuſatæ lachrymas non emittant; ut Sprengerus putabat. 360. a. hac occaſione pluſcula ex Bodino allata, quibus pateat, crudele fore, atque impium, ſi ex ejus doctrina exerceatur judicium adverſus magiæ accuſatas. ibid.
magi credebantur in eclipſi carmine Lunam deprimere, ut propior terris, deſpumando in herbas, magis eas viribus repleret. 148. b. magi ignem colunt, ut Dei ſignum. 239. a
magia non omnis naturalis, aut artificioſa; ſed quædam à ſuperiori natura. 16. b. magia Salmanticæ publicè docta. 25. a
magicum eſſe, & diaboli opera fieri, cum quis, licet ignarus, & verbis & characteribus efficit, quod non poteſt præſtari actu humano. 24. a
Magog, filius Japheth, Scytharum, & forte etiam Tartarorum auctor. 93. a
magna avis pro *vulture*. 429. a
Maia, Rhea. 224. a. Maja myſticè terram ſignificat. 224. b. ubi & ratio ejus nominis adfertur. ibid.
Maimonidæ locus enarratus de virili cultu in Veneris ſacris, muliebri in Martis. 172. b
mala ſymbolum τοῦ εἰδέναι. 58. a. mali Punici fabuloſa origo. ibid.
mala Heſperidum ab dracone cuſtodita quid ſignificarint. 143. a
Malachbelus, & Aglabelus, id eſt, Sol, & Lunus, qui idem ac Luna, Dii Palmyrenorum. 124. b
μηλάκια, vel μηλανθέρμα, quæ ſint. 518 a
μελανογράκων, ſive cruſtatorum piſcium genera. ibid.
maledicendi ſtudium, quo laborant viri quidam cætera magni & admirandi, prorſus damnandum. 485. b
Malica, Amethuſiis Hercules. 63 b
Malina, & Liduna, vel Ledona, quid Saxonibus ſignificent, deque origine eorum nominum. 247. a
Mammacocha, ſive Mare, numen Peruanorum. 266. a
mammarum ſuppurationi remedium ex inſectis. 583. a
manates, ſive manatus piſcis. 517. b
Maneros deus Ægyptius. 103. b
Manes, ſive Manichæus, angelos à malo eſſe principio arbitrabatur. 18. a. b. Vide *Manetis*.
Manes qui, & unde dicti. 32. a. iidem qui Archedum χθονίοι. ibid.
Manetho Ægyptius quando vixerit, unde ſua deſumpſerit, & quouſque hiſtoriam perduxerit. 79. a
Manetis, Manichæorum patriarchæ, ſententia de duplici ſpiritu, uno boni, altero mali auctore. 14. a. Vide *Manes*.
Manichæi à Perſis Solis cultum hauſere, ſeu proprius, ſeu ſymbolicus ille fuerit. 132. b
Manichæi tribuerunt homini duas animas, ſive animam, & ſpiritum, eaque ſententia Synodo Conſtantinopolit. IV damnata. 342. b
Manichæi nefas ducebant animal necare. 395. a
manna non vulgare modò, ſed etiam, quo Iſraëlitæ in deſerto paſcebantur, rori debet originem, & cur manna Iſraelitarum, in Scripturis *panis angelorum* dicatur. 287. a
Mannus Germanorum Deus. 103. b. ejus etymon. 104. a
mantichoræ, ſeu martichoræ indoles. 410. a. perperam à Pauſania tigridos genus putatur. ibid. mantichoræ imitatio humani ſermonis fabuloſè attributa. 386. b
manturna. 161. a
manucodiatæ venuſtas. 427. b. & 428 a. manucodiatæ an ſemper volitent, ac ſolo

lo rore vivant. 443. a. num Moluccani, & Javenſes, putent ſe, geſtatis earum avium plumis, fore invulnerabiles. *ibid.*
manus etiam homini eſſe pro linguis; quomodo loqui docet Chironomice. 537. b
manuum partes, quæ ſinguli ſubditæ planetis ex opinione chiromantum. 209. a
Marcellea Syracuſis, quæ poſtea *Verrea*. 38. a
Margaritæ, ſive Mathildis Comitis, CCCLXV uno partu fœtus edentis, fabula refellitur. 308. a
margarita, & *unionis* etymon, & cur etiam χαλαζα vocetur. 536. a. concham, & margaritam differre; item unde margarita naſcatur. *ibid.* b. ut judicio veterum margaritæ gliſcant tonitru; fulgetro decreſcant. *ibid.*
margaritæ philoſophicæ quis auctor. 567. a
margaritarum politura à columbis. 464. a
μαργαριτοφυτα. 536. b
maria cur hieme, & novilunio, magis æſtuent. 293. b
Marica Minturnenſium nomen. 108. a
marina aqua pediculoſis cur utilis ſit. 601. a
marma piſana de tordo piſce. 505. b
marini cartilaginei piſces unde dicantur σελάχη, & an primus ſic vocarit Ariſtoteles. 511. a. cur cartilaginea ſquamis careant. *ibid.* eſſe difficilis concoctionis, ac ſucci flatulenti, & quæ ejus cauſa ſit. *ibid.*
maris etymon. 145. a. mare falsò credi altiùs terrâ, præterquam ubi Deus montes arenarios oppoſuit mari. *ibid.* maris an eadem profunditas, ac initio creationis. 193. b. quanta ejus profunditas. 244. a. cur mare ſalſum ſit creatum: & præcipuam ſalſedinis cauſſam eſſe à bitumine, ac ſulfure, & ignibus ſubjectis. 145. b. perperam Jul. Scaligerum putare, mare in imo eſſe dulce. *ibid.* etiam fervorem maris provenire à bitumine ac ſulfure. *ibid.* & cur naves onuſtæ, tranſmiſſo mari, quandoque mergantur in flumine. *ibid.* mare mortuum cur & *mortuum*, & *mare*, dicatur, item *mare ſalis*; & ut homines vincti, ſi huic injiciantur lacui, non mergantur, & quæ hujus rei cauſa. *ibid.* maris externi, ſive Oceani, motus triplex, ejuſque cauſæ. 246. a. maris interni, ſive mediterranei, itidem eſt triplex, & cujuſque cauſa. 246. b. incrementi, ac decrementi diurni, quorum illud Venilia, hoc Salaciam, dixere Romani, item menſtrui, & annui cauſa. *ibid.* mare, item flumina, ac fontes, divino affecta ſunt honore. 265. a. plura de maris cultu vide in *Aquæ cultu*.
maris, & feminæ, naturales in Venerem ſtimuli unde. 306. a
Marius aquilam primus Romanarum legionum ſignum eſſe juſſit. 419. a. C. Mario ſeptem in nido aquilino pullos inventos, fabuloſum videri. 421. b
Maro, quamvis in Georgicis non det præcepta de ſuibus, tamen mentionem ejus animantis, ut Victorius malè putabat, non eſt averſatus. 387. a
Maronea Thraciæ perperam à Diodoro opus creditur Maronis, ſocii Oſiridis 77. a
Maronis error ex Homerico Εἰν Ἀρίμοις eudentis inſulam Inarimen; cujus errorem ſecuti ſunt non Poetæ ſolùm; ſed etiam Livius, Pliniuſque. 72. b. 73. a
Marres, Ægyptius rex, cornicibus uſus in literis mittendis. 464. a
Mars antiquiſſimus Nimrodus, ſeu Belus, conditor Babylonici imperii. 48. a. item Ninus, & Thuras; qui & ipſe rex Aſſyriæ. *ibid.* Martis Græcanici ætas, & quis Mars ille, quo gentis ſuæ auctore Romani glorientur. 48. b. Martis cultus apud Accitanos. 94. a
Mars unde dicatur, ex Hebræo fonte oſtenſum. 138. a. b. & imprimis. 177. b
incautius à Græcis, & Romanis, numina barbara reddi nominibus Martis, ac Mercurii. 139. b. quàm variè ſecundùm veterem capiatur hiſtoriam, pauca ex libro primo repetitum. 138. b. at φαινικὸς idem nunc eſt Sol, nunc Sole ſuperior planeta. *ibid.* Martis ſtellæ variæ appellationes. 177. a. b. Mars, ſecundùm Tychonem Braheum, quandoque propior nobis ipſo Sole. 180. a. Mars, Jupiter, Saturnus, prout à Sole propiùs, vel longiùs diſtant, ita magis, minuſve calefaciunt. 179. a. b. cur Mars *Sylvanus* dictus. 138. b
Mars cur Deus belli ſit habitus, ac præcipuè Thracibus fuerit præfector. 179. b. cur præcipuus Deorum habeatur Germanis. 211. b. *Heſus* dictus eſt Germanis: unde dies, qui vulgo eſt Martis, *hijſdag*, vel *dijſdag*: & Heſo huic captivos immolari ſolitos. 178. a. Mars priſcis Germanis cultus ſub effigie columnarum Herculis. 143. b
Marſi cur citra noxam ſerpentes tractent. 556. b
Marſyæ flumini ſacrificabant Phryges. 261. b
Martialis qui mente pelorida vocet aquoſam. 521. a
Martianus Capella emendatur. 144. b
martis quadrupedis excrementum cur bonum exſpiret odorem. 409. a
μαρτιχόρας. Vide *Mantichora*.
maſculorum amores etiam ſapientiſſimis cæcorum gentilium probati. 10. a
Maſſagetæ cur equum Soli mactarint. 145. b
Maſſilienſes, & horum exemplo Emporitæ, cur coluerint Apollinem Delphinium, & Dianam Epheſiam. 95. a
mater pro *nutrice*. 56. a
Mathematici pro iis, qui ſe fati Aſtrologici gnaros profiterentur. 207. b. Mathematicis aſſerentibus, utcunque homo neceſſitate bonum malumve agat, non minùs amore, aut odio dignum eſſe, occurritur. 210. b. Mathematicorum, ſive Aſtrologorum quorundam extrema impudentia, virtuti ſiderum tribuentium, Chriſti miracula, ac religionem Judaicam, Chaldaicam, Ægyptiam, Saracenicam, Chriſtianam; item regnum Antichriſti. 211. a. Mathematici Româ exacti ſub Imperatoribus gentilibus, imò antea quoque: Scripturis itidem, & à Patribus, ac Concilio Braccarenſi, & Chriſtianis etiam Imperatoribus damnati. *ibid.*
Matrona etiam, quæ nunquam mater. 161. a
Ματτύα epularum lautitias ſignat. 396. b
Matuta eadem ac *Ino*, & *Leucothea* 41. a
Mauri coluere reges ſuos: in his Jubam. 91. b. 92. a
maxillæ quo fine piſcibus datæ. 478. a
Medea Colchis culta. 68. a. eadem *Angitia*, vel *Anguitia* nomine ab anguibus impoſito, fuit Marſis in veneratione. 107. b
Medicæa ſidera. 181. b
medicinam multorum homines à quadrupedibus didiciſſe. 398. b
medico an liceat, perſuadere uſum certorum verborum, vel characterum; cùm ipſe non ignoret, ſiqui ſic ſanentur, non in virtute fieri illorum; ſed vi phantaſiæ, qua certam ſibi inde ſanitatem promittunt. 24. a
meditabundis cur faciliùs obrepat ſomnus. 328. a
Megalenſes ludi Rheæ ſacri; à quibus diverſi ludi magni, ſive Romani. 222. a. quis auctor ſit Megalenſium. *ibid.* pinus in his ſacris geſtata, quæ cæſa ex luco Cybeles. 222. b. in iiſdem ſonuere lituus, crotala, præcipueque cymbala, tympana, tibiæ. 223. a. ac è tympano etiam edebant, e cymbalo bibebant. *ibid.*
Megaſthenes, rerum Indicarum ſcriptor, in multis eſt fabuloſus. 69. b. idem refellitur de Hiſpanis à Nabuchodonoſoro devictis. 94. a
mejentis ſocii conſpectus cur incitet ad mejendum. 307. b
mel unde generetur, & cur Sardoum mel amarum, Ponticum autem venenatum; illud verò Hiſpaniæ, ac Ruſſiæ, ſic commendetur. 286. b. cur deterius ſit mel Peruvium; deque melle ſylveſtri, quo veſcebatur Joannes Baptiſta. *ibid.* putredini reſiſtit, attamen cholericis nocet. *ibid.*
mel vitam producere, & unde hoc ſit. 578. a. melle cadavera conſervari ſolere; cujus tamen loco & ceram uſurparint: ac unde ea vis ſit melli. *ibid.* b. mellis medicina contra morſum canis rabioſi, vulnera ſerpentium, & alia venena. 579. b. mel oculis utile. 580. b. adhæc auribus. 581. b. item faucibus, anginæ, tonſillis, tuſſi, pulmonibus. *ibid.* præterea ſtomacho. 582. a. torminibus ventris. 583. b. dyſenteriæ. *ibid.* jecori. 584. a. morbis flavæ bilis. *ibid.* Arthritidi. 585. b. pediculis necandis. 586. b. Scabritiei palpebrarum. *ibid.* aurium dolori. 587. a. fœdo narium odori. *ibid.* oris ulceribus. *ibid.* faciei vitiis. *ibid.* reduviæ. *ibid.* vulneribus ſanandis. 588. a. carbunculo. *ibid.* b. phymati. 589. a. vomicis. *ibid.* b. elephantiaſi. *ibid.* mella quædam mentem labefactare. 599. b. quo melli Pontico occurratur. 602. a. mellis uſus apud veteres in cibo, & potu. 578. a. b. mel amarum in Sardinia. *ibid.* b. dictum Jonathanis, melle viſum ſibi redditum, è Plauto illuſtratum. *ibid.*
Melæ, ac Plinii lapſus, tribuentibus id Augilis, quod Naſamonibus ſignandum. 31. a. Melæ mutilus locus de Philænorum aris ſuppletus Salluſtii aut Valerii verbis. 91. b
Melampus quomodo Prœtides ſanârit. 409. a. an Melampus intellexerit ſermonem brutorum. 354. a
melancholici cur naturâ minùs vivaces. 298. b. iidem cur licet edaces, exigui tamen ſomni ſint. 327. a. quamobrem ſæpius aliis vera habeant ſomnia. 331. a. melancholici cur timeant ſine cauſſa. 457. a. melancholiæ remedium è gallo, & columba. *ibid.*
melandrya quid. 503. a
melanuri cur malè videant. 484. b. opinio eorum, qui melanorum cenſent eſſe torpedinis genus, & *ocidatæ* nomen ſortitum à quinis corporis maculis. *ibid.* melanuri ſolertia. 487. b. melanurus piſcis commendatus, ſed infra ſargum; ac τῶν μελανούρων eſum cur interdixerit Pythagoras. 506. a
Melchiſedecus cur aliquibus Herculis, & Aſtartes filius dicatur. 152. a
meleagridum ἀστοργία erga prolem, & quæ meleagrides videantur. 435. a. pugna ad tumulum Meleagri. 436. a. meleagrides poſtremæ menſis receptæ, & antè eædem, ac gallinæ Africanæ. 454. b. 455. a
Melica grues. 453. a
Melicerta Inous, Deus Palæmon, & Portunus, idem numen: & unde ei nomen *Melicerta*. 42. a
Melium ſive taxorum morſus venenati, & quæ ejus rei cauſa. 412. b. quàm animal id ſomnolentum. *ibid.*
μελίφρονες, ἴφρονες, ἐξίφρονες qui. 300. b
mellina quid. 578. b
μηλολόνθη, ſive χρυσοκάνθαρος, genus ſcarabæi. 573. b
memini, *mentio*, *reminiſcor*, *moneo*, ab eodem fonte deſcendunt. 200. b
Memnon cultus Aſſyriis. 67. a
Memnoniarum avium pugna. 436. a
memoriæ multiplex utilitas. 323. b. duplex definitio ex Ariſtotele adducta. *ibid.* cur quibus velox memoria eſt ad compreſſen-

plectendum, iis ſæpe difficilis ſit ad continendum; & multis, ſatis obliviosis, facilè refricetur memoria eorum, quæ majorem exciderant partem. 324. a. memoria non eſt tertia animæ rationalis facultas; ſed ſub intellectu continetur. 349. b. memoriæ vitiatæ remedium ab aſino, capro, apro, muſtela, ove, fibro. 400. a
Mēna eadem, ac *Fluonia*. 162. a
Menaidos, ſive Palicorum fons bibentibus mortifer. 252. a
Menas, *vide* Menis.
Menelaus cultus Lacoibus. 39. a
Meoes, *vide* Menis.
Meneſthei fanum in Hiſpania. 94. b
Menis, ſive Menas, vel Men, antiquiſſimus Ægypti Rex. 74. a. ejus ſymbolum videri fuiſſe *Μνεῦιν* bovem. *ibid.* Menes duo apud Ægyptios; unus Thinites, alter Thebanus. 79. b
menſibus ciendis, ac ſiſtendis, qui piſces conducant. 532. b. menſibus ciendis, & aliis mulierum malis, remedia ex inſectis. 585. a
menſis alius Solaris, qui vel cæleſtis, vel civilis: alius Lunaris, qui vel periodicus, vel ſynodicus, Græcis uſitatus. 147. b. vel *τῆ φάσεως*, apud Muhammedanos obtinens. 148. a
menſtrua cur gravidis non fluant. 308. a. b.
mentagra idem, ac *lichenes*. 535. a
mentiri etiam homines verum dicendo, ſi falſum putent: & veraces eſſe falſum dicentes, dummodo verum exiſtiment. 355. b
mentis ara. 361 b
Menzana Jovi apud Feſtum videri perperam ſcriptum pro *Mazani*, vel *Mezani*. 179. b
Mercuriales viri poëtæ appellati Horatio. 139. a. b
Mercurii nomen ex Hebræo. 174. b. Mercurii ſidus, uti quoque Veneris, circuit Solem, eoque dimidio periodi ſuæ ſpatio Sole eſt altius, dimidio item inferius. 173. b. Mercurii, ut & Veneris ac Jovis ſidus, Lunæ inſtar, patitur eclipſin. 171. b. Mercurius à Porphyrio collocatur partim in Sole, partim in Luna: in Sole quidem, quatenus ratio eſt: in Luna, prout orationem deſignat. 174. a. Mercurius cur communis ſtella dicatur. 174. b. Mercurius cur fingatur Deorum nuncius: cur talaria illi dentur: cur non humero, ſed petaſo additæ alæ: cur lingua ei conſecrata: cur *Mercurii* nomen S. Paulo datum; ut Barnabæ; *Jovis*. *ibid.* veretrum Mercurii intentum animi & ſermonis intentionem denotabat. *ibid.* juniores tamen Mercurii cum languente faſcino, & quæ cauſſa. 175. a. cur ſeniores manibus & pedibus mutili. *ibid.* Mercurio cur tribuatur artium inventio. *ibid.* cur Mercurius negotiis & quæſtui præfectus: cur impoſtor, & fur: cur gallus ei ſacrificatus. 175. b. cur viis præfectus. *ibid.* Mercurius quod viis præfectus, (unde Ὅδιος, Ἡγεμόνιος, & Ἐνόδιος dictus) non ad planetam Sole inferiorem pertinere; ſed ad Solem ipſum, qui Orientis, & Theologis, per Mercurium intellectus. 139. a. ad Solem etiam referendum, quod Mercurius dicatur occidiſſe Argum: ubi per Argum intelligitur cælum cum ſtellis, quæ Sole adveniente quaſi occidunt. *ibid.* cur alarum Mercurii alba una, cærulea altera: & cur aurea eidem tributa ſit virga. *ibid.* ut idem duplex ſit Mercurius; cæleſtis, & terreſtris. *ibid.* ille nuncius ſuperûm in terras; hic animarum ductor ad Orcum. 219. a. per Camillum, ſive Cadolum, non utrumque notari Mercurium, ſed ſolum Terreſtrem, cui ſacrum erat Ollare feſtum: nec eum diverſum eſſe à Charonte. *ibid.* Mercurius Thracibus cultus. *ibid.* Mercurius veteribus Celtis Sol. 176. a
Mercurio fiſtulæ inventio attributa. 594. a
Mercurium an recte reddiderint Romani, qui Germanis Wodan fuit. 102. a
Mercurius Ægyptius tradidit Ægyptiis leges, & literas. 49. a. ejus ætas ex ætate Oſiridis oſtenſa *ibid.* Græcorum Mercurio, Atlantis nepoti, cujuſmodi inventa tribuantur, & ætas ejus monſtrata ætate Herculis Thebani & Penelopes. 49. b. Mercurius quanto in precio fuerit apud Ægyptios & ut Ægyptus ab eo Ἑρμοχυμία dicta. 76. b. an Romani eum, qui Germanis *Wodan*, rectè reddiderint *Mercurium*. 102. a
Mercurius Gymnaſiorum præſes. 300. a
mergi etymon. 422. b. mergis unde nomen cataractis. 432. a
merlucciæ piſces in pretio ſub pontifice Hadriano VI; eoque extincto, non item. 453 b. 454. a
merulæ qualis loquela. 447. b. eædem quibus in rebus ſimiles ſint turdis. 451. b
merulæ piſcis laus. 506. a
Meſech ſive Moſoch filius Japheth, Meſchinorum, hoc eſt Cappadocum, & fortè etiam Moſchorum auctor. 93. a
meſenterii, ſive meſaræi uſus, & unde ei nomen, deque eo lapſus Ciceronis. 304. b
Meſſeniis qui homines à morte culti. 93. a
Metabi templum in Metaponto. 106. b
metapontinorum nummus illuſtratus. 595. b
μετεμψυχώσεως figmentum videtur ortum ex certiſſima traditione de reſurrectione futura. 27. b. idque à variis gentibus receptum. 28. a. item placitum Phariſæis. *ibid.*
μετεμψύχωσις ex Pythagoræorum mente explicata, & principiis eorum refutata. 347. b
μετεωρολογικῶν Ariſtotelis liber quartus cujus ſit loci in ſyſtemate ſcientiæ naturalis. 270. a. *μετεώρων* vox ambigua: quia hoc vocabulo etiam ſidera continentur. *ibid.* Ariſtoteli ſtrictiùs ſumi. *ibid.*
μητραγύρτης. 222. a
metuentium unde tremor, & unam intra noctem canicies. 335. b
Mexicani colunt dæmonem. 21. a. b
μύρυξ piſcis unde dicatur. 478. b
μίδας vermiculus. 478. b
milium, & panicum, non facilè generant inſectum, & quæ iſtius rei ratio ſit. 563. a
millepeda aurium doloribus medetur. 581. a item faucium morbis: ſed hic per millepedam intelligi debent aſelli. 582. a.
millepedam, ac centipedam, eſſe eandem, & reſpirationi conducere. *ibid.* calculo prodeſt. 584. b. ſanat ulcera. 588. b. parotidas. 589. a. apoſtemata. *ibid.* b. Vide *Aſelli*.
Miltiadis feſtum apud Cherſonitas. 41. b
milvi rapacitas, & impudentia. 438. b.
milvi piſcis caro qualis. 508. a. milvus, ſive accipiter piſcis, an volet. 497. a
mimi, & *planipedis*, diſcrimen, quale ſenatoris curulis, & pedarii. 432. b. *ſeq.*
μιμώ. 384 a
Minerva matris expers. 423. a. ejus ſymbolum vultur. *ibid.* Minerva Gymnaſiis præfecta. 300 a
Minervæ fanum in Hiſpania. 94. b. Minerva videtur eadem, ac Naama Tubalcaini ſoror, quam alii Venerem putant eſſe. 49. b. Minervæ Atticæ ætas, ac ſolum natale. *ibid.*
Minervæ, & Ἀθηνᾶς nomina unde ſint. 199. b. eadem Ægyptiis dicta *Neith*; eſtque ſecunda ex Minervis quinque illis, quæ à Tullio, & aliis inde memorantur. *ibid.* Minervæ nomine aër cultus eſt Ægyptiis. 268. a. quæ pars cæli intelligatur, cum gentiles Theologi ajunt, per Minervam cælum ſignari. 200. a. atque inde etiam cognoſci, cur Jovis filia, non uxor dicatur. *ibid.* Minerva fulminis mittendi habet poteſtatem, cum Jove & Vulcano communem. 155. a
Minos geminus. 45. a
minotauri nomen unde. 40. b. ejus fabula hiſtorice relata. 45. a
minotaurus cur in ſignis Romanarum legionum. 419. a
mioacoatl ſerpens. 552. a
miracula elinguium, qui loquerentur. 355. a
miracula veterum Chriſtianorum traducebantur à gentilibus, ut maleficia, ſive artis magicæ affecta; ac propterea Chriſtiani, tanquam malefici, necabantur vivicomburio. 594. a
Mithras Perſis Sol, & unde id vocabulum. 131. a. hoc vocabulo non tam unum, quàm ſupremum ſignari Perſarum Deum, medium inter Oromazem, & Arimanium: atque idem *τριπλάσιος*, ſive *triplex* dictus; & quæ cauſſa ejus. 131. b.
mithrax, vel *mithridax*, gemma, unde hoc nomen acceperit. 132. b
Mithridates, ſive Mithradates unde dictus. 131. a
Mithridates primus natum Ponticarum ſanguine uſus eſt contra venena. 460. b
Moabus fluvius injecta in lapidem vertit. 248. b
μνεῦις bos Soli ſacer Heliopoli; Apis Lunæ ſacer Memphi. 82. a. Mneuis ſive Menis cultus vetuſtior; ſed Apis bos honoratior Heliopolitano. 82. b. *μνεῦις* bos ſymbolum non Solis modo; ſed & Menæ, primi Ægyptiorum regis. 74. a
μωχίζειν quid, & unde. 23. a
molleſtra quæ. 406. b
Moloch, deus Ammonitarum, idem qui Sol. 123. a. in cujus honorem traducti per ignem pueri, & qualis illa traductio fuerit. *ibid.* quod veriſimilius ſit, hunc Saturnum eſſe, quatenus Saturnus ex more Orientis pro Sole ſumitur, quàm Priapum, aut Mercurium. 123. b. Molochi ſimulachrum cur ſeptem conſtiterit conclavibus: ac ſeptimum eorum fuiſſe cremandis liberis deſtinatum. *ibid.* de lapide pretioſo in corona Molochi, error Cyrilli, & Oecumenii. 124. a
Molonis cultus. 42. a
molucrum quid, & unde tum vox, tum res ipſa. 375. a
monedulæ furacitas, & unde ei hoc nomen. 439. a
μόνιμος in piſcibus rectiùs, quàm *ἀκίνητος*, dici: etſi utrumque apud Ariſtotelem ſit. 495. b
Monimus Emeſſenis dictus Mercurius, Mars Azizus. 184. a. Edeſſenis etiam; ſi Jamblichum, & Julianum audimus. 174. a
monocerotis bellum cum elephanto. 379. a. ejus cornu utrum propriâ vi valeat adverſus venena, an adſcititiâ, dubitatum. 399. b
montium altitudinem, & maris profunditatem, paullatim imminui; etſi id minutum adeo ſit, ut ſenſibus non obſervetur. 193. b. montes prod[illegible] 235. b
Mopſium, Theſſaliæ urbs, nomen habet à Mopſo Ampycide. 61. a. Mopſopia dicta Attica, non à Mopſo; ſed Mopſopo, vel Mopſope. 61. a. Mopſus geminus; unus Thebanus, Tireſiæ filius, Calchantis victor: alter Ampyci filius, Theſſalus Argonauta. 61. b. Mopſus Cilicibus cultus. *ibid.* ejus ætas. *ibid.* cum Calchante certans. *ibid.* idem Atria Deus, filius Ampyci. 90. a
morientes cur validiùs exſpirent. 338. a
Morini qui. 442. b
mormyro piſci unde nomen; deque ejus carne diſſenſus juniorum ab antiquis. 507. b
mors cùm definitur ſeparatio animæ à corpore, cujuſmodi ſeparatio intelligatur. 301. b. mors alia naturalis, alia violenta: & ut hæc fiat per Μαρμαρυγήν, aut *βίαιον*, & varia utriuſque genera. 302. a. naturalis mors cur nullum, vel exiguum adferat dolorem. *ib.* mors poetis dea, cui & ſacrificatum: deque arâ ejus apud Gaditanos. *ib.* b.

morta quæ Parcarum, & unde id nomen. 203. a
mortuorum ſacrificia quid Davidi ſignificent. 126. a
moſchi liquor odoratus unde profluat. 401. b
Moſis hiſtoria cum fabulis gentilium de Oſiride, & Libero ſuo collatio. 84. b. 85. a. unde Moſes vocatus. *ibid.* b. idem, ut ajunt, dictus *Monius*, *Miſes*, *Moſo*. *Palaſtinus*, *Joakim*, & *Melchi*. 85. b. convenit cum Baccho, quod uterque bimater, & forma præcellens. *ibid.* & quia Moſes ex Arabia in Ægyptum conceſſerit, edocturus inde populum Iſraeliticum, Liber eſt creditus in Arabia natus: & Sina mons, celebris lege illic datâ, trajectis literis *Niſa*; ubi Bacchus in pueritia educatus putatur. 86. a. utrique exilium tribuitur. *ibid.* de utroque proditum, ſubiiſſe eos mare rubrum, & pugnâſſe cum rege Arabum. *ibid.* pro Deo cultus Arabibus Moſes. 71. a
motum omnem fieri ſuper immobili cùm dicit Ariſtoteles, quomodo id natationi, & volatui, competat. 336. a. motus duplex; imperans, qui eſt appetitus, & exequens, qui eſt locomotivæ. *ibid.* motus localis cauſæ impellentes duæ. *ibid.* b
motus cœli propriè non agit in hæc inferiora: ſed viciſſitudine quadam adducit, & applicat nunc his, nunc iſtis locis lucem, & omnem virtutem cœli operativam. 199 a
Mucia, vide *Mutia*.
Mucius Scævola Pontifex ubi, & quando occiſus. 115. a
mugiles è limo progeniti; ac illi, qui è coitu gignuntur, utrùm ejuſdem ſint ſpeciei, ſecundùm Ariſtotelem. 470 a. mugili non attribui ab Ariſtotele dentes ſerratos; contrà quam ſcripſit Athenæus. 478. a. mugiles quare hyeme parum videant. 484. b. mugilis aſtus 489. a. ſtupor. *ibid.* temperantia in cibis. 491. a. in Venere intemperantia. *ibid.* inimicitia cum lupo. 493. a. mugiles meticuloſi. 494. b. eorum celeritas. 497. b. mugilum, ſeu λαβράκων varia genera; & qui eorum ſalubriores. 512. b. mugile in anum immiſſo olim adulteri Athenis puniti. 539. b
Mohammedis urna in aere pendens, merum eſt commentum. 88. b. 89. a
mulas in Cappadocia parere eſt crebrum; terris aliis, prodigii loco habitum; & quæ raritatis ejus cauſa. 375. b. mularum pullos exiſtimatos eſſe optimi ſaporis, ſuperſtite Mæcenate; eo mortuo, non item. 455. a
muliebri habitu uſi Aſſyrii in Veneris ſacris. 172. b
mulierem non poſſe fraudari appellatione *hominis*, Scripturis eſſe apertiſſimum. 362. a. qua mente à philoſophis mulier dicatur vir imperfectus. *ibid.* utcunque natura particularis virum in generando ſibi proponat, ut perfectius quid; univerſalem tamen naturam etiam pro fine feminam habere, & ſæpius fortaſſe, quàm virum. *ibid.* mulier cur etiam fœta viri ſit patiens; etſi Zenobia, cùm gravidam ſe ſciret, concubitu abſtinuerit. 389. a
mulieres cur prolixis ſint capillis. 308. b
muli etiam ad octogeſimum annum pertingunt. 376. a. mulo incluſi liberantur veneno. 399. b. mulum caſtratione non fieri imbecilliorem. 407. b
mulleis calceis, more ab Albanis accepto, uſi Romani; idque in triomphis & ſolennibus pompis. Aliàs quoque in uſu fuere curulem gerentibus magiſtratum; hinc ſenatoribus cunctis, inde patriciis omnibus, tandem & militibus: ac eos coloris fuiſſe punicei. 475. a. utrùm mulleis à mullis nomen; an mullis à mulleis, his à mullando. *ibid.* vocabulum utrumque potiùs videri inditum à figura recurva, quia μυλλὸς *curvus*. *ibid.* b. mulleos calceos a Maſone intelligi per *vincula Tyrrhena*. *ibid.*
mullo piſci unde nomen. 475. b. quoties pariat. 472. a. mulli magnitudo. 480. a. cibus illi lepus marinus, etſi aliis venenum ſit. 476. a. mulli deſcriptio. 507. a. diſcrimen pro locis. *ibid.* quàm immane olim fuerit mullorum pretium; idque inprimis ob jecur, & caput, inque eo barbam. *ibid.* ratio apparandi jecur. *ibid.* mos necandi eos in ſociorum garo. *ibid.* b. eundem aureis vaſis menſæ illatum. *ibid.* mullo cur honos exhibitus in Eleuſiniis. 540. a. mullus remedium contra venenum. 524. a
mullus quare Græcis Τρίγλη dicatur, & cur Hecatæ ſit conſecratus. 167. b
mulſi, quod Græcis οἰνόμελι, etymon. 578. a. mulſum adverſus hyoſcyamum juvat. 579. b
mundi opificem deum agnoſcunt Thales, Plato, Tullius. 3. a. mundus hic nec fortuito caſu extitit; neque neceſſitate aliqua exortus, nec ſemper & neceſſario fuit. 3. b. mundus myſticè per ovum intelligitur. 13. a
mundus, ex Procli ſententia, putatur eſſe à Deo per emanationem, ac ſic non tempore quidem, attamen naturâ eſſe poſterior Deo. 189. a. hæc ſententia variis Ariſtotelis locis impugnatur. 189. b
mundus pro *puro* unde derivatum videatur. 178. a
murænæ aſtus. 489. a. congreſſum ejus cum viperis falsò traditum eſſe ab antiquis. 491. b. Plinium perperam branchias adimere murænæ. 495. b. cur tam Ariſtoteles, quàm Plinius, eidem negent eſſe pinnas: recentiores autem eas agnoſcant. *ibid.* murænæ cur in ſummo mari natent. 499. a. cur diutiùs, contrà quam channæ, extra aquas vivant. 500. a. muræna piſcis magno Romanis in honore. 510. b
mures etiam prægnantes in matrum utero 375. b. mures quot fœtus eœitantur. *ibid.* illos è putredine genitos unicum inteſtinum habere rectum. 374. b. muriatum vulgaris, tum Alpini, ſagacitas. 385. a. b. mures Gyarenſibus, & Abderitis, vertendi ſoli cauſa. 409. b. mures Muſoritis in honore. 418. a. muribus cur caudæ attributæ. 442. b. mus rectene ζῶον μαντικώτατον credatur. 386. a. cur profugiant domo ruinam minante, ſive vetuſtate, ſive ex terræ motu. *ibid.*
mures domeſtici remedio ſunt adverſus venenata. 505. a
mures marinos ova ſua die excludere trigeſimo. 472. a
murex; ſeu concha Venerea; & unde ei nomen *porcellana*. 521. a. muricum, ſive purpurarum teſtæ cinis remedium contra capitis ulcera. 524. b
mus, vide *mures*.
Muſæ, ſi Myrſilo Leſbio credimus, Myſæ fuerunt: Æolicè autem Μῶσαι: ſed veriſimilius videri, Doricum Μῶσαι eſſe ab Hebræo *Moſar*, artem vel diſciplinam ſignificante. 41. b. Muſæ novem Ægyptiis. 77. a
Muſæus, ſcriptor poematis de Herûs & Leandri amoribus, quando vixerit; deque eo error Cæſaris Scaligeri. 486. a
muſca an Soli præſtet; quod putavit B. Auguſtinus, quia vitales actiones exerceat. 559. a. muſcæ pavonis inſtar variegatæ. 566. b. cur fugiant mel Atticum. 568. a. cur binæ ſolùm alæ his datæ, apibus quaternæ. 573. a. cur non edant ſonum, niſi volantes. 576. a. muſcæ medentur alopeciæ. 586. b. item palpebris. *ibid.* furunculis. 589. a. vitiligini. *ibid.* b. muſcæ quo ſonum edant. 576. a. muſcis, & culicibus, quare maluerit Deus affligere Ægyptios, quàm leones immittendo, aut tigres. 600. b. modus eas fugiendi, aut fugandi. 601. a
muſcæ cur vehementiùs mordeant, cùm imminet pluvia. 494. b
muſculi marini ſollertia. 488. a. ejus amicitia cum balæna. 492. b
muſicâ delectantur cameli, cervi, & equæ Libycæ. 375. b. muſices origo, ex quorundam opinione, ab avibus. 445. a
muſtela piſcis. 515. a. muſtela ſerpenti inimica. 553. a
muſtelæ auribus concipientis, parientis ore, fabula refellitur; & cur Deus Iſraelitis muſtelæ eſu interdixerit. 376. a. muſtelæ celeritas. 393. a. ejus uſus in muribus captandis. 411. b. muſtela Thebanis culta. 418. a
muth Ægyptiaci vocabuli convenientia cum linguis aliis. 175. a
Mutia, & Lucullea, feſti dies ab Aſiaticis inſtituti in honorem Mutii Scævolæ, & L. Luculli. 296. a
Mutinus Titinus idem, qui *Priapus*; cujus faſcino inequitabant nuptuiæ. 127. b. unde dictus *Mutinus*. *ibid.*
μῦς unde dictæ. 536. b. μῦες, μύακες, & μύισκοι, quomodo differant, & unde hæc vocabula originem traxerint. Eundem piſcem *myſilum*, (ex quo *mytlus*) & *tellinam* nominari. 522. b. utrum hic πελλίδες, an σωλῆνες, dictus ſit. *ibid.*
mygale culta Athribitis, & cujuſmodi animal hoc ſit, atque unde nomen acceperit: quæ item divini illius honoris cauſæ adferantur. 415. b
Mygdonia mater, unde dicta. 218. b
Mylitta Aſſyriis, ac Babyloniis, Lunam notat, ac unde ea appellatio eſſe videatur. 153. a
μυλλὸς in Theſmophoriis circumlatus quid ſignificarit. 233. a
μυλακρίας, ſive *molacrum*, quid in virginibus vocetur. 375. a
μυρίνεως piſcis. 488. a
μυξῖνος idem ac *mugil*, & ut à muco ſit nomen utrumque. 512. b. μύξον, & χελὼν, unde nomen traxerint. 471. b
Mytiſtrati paludis prope Mylas calidæ aquæ. 248. a
Μύωψ inſectum. 547. a

N.

NAama cur à Moſe memoretur, præter morem Scripturæ; quæ non ſolet in genealogiis referre feminas. 49. b
Nabarcæ incubantium oraculum. 331. b
Nabo, *Baithun*, *Dibon*, *Medeba*, Moabitidis urbes. 129. b
Nabo, ſeu *Nebo*, potiùs Luna, quàm Sol. 153. b. atque hinc viris principibus nomen impoſitum. *ibid.* Vide *Nebo*.
Nabochodonoſor ſtatuam ſuam adorari volt. 295. a
Nabuchodonoſor an in mutum animal converſus. 348. a
Nævii verſus correctus. 542. a
Naidum nomen unde ſit, & quibus propriè conveniat. 262. a
Napeæ. 261. a
napi ſemen avidè comeſtum curculiones necat. 600. b
narciſſus piſcis prodeſt podagricis, & de vocis ejus etymo. 533. b
narium fœtori remedium à melle. 587. a
Naſamones coluere Deos patrios. 90. a. Naſamones ſolos coluere manes. 31. a. eorum interitus, & hujus cauſſa. *ibid.*
naſi uſus in animantibus triplex, quartus quoque in elephanto. 331. b. naſus aquilinus indicium magnanimi. 411. a
Natalis Juno. 161. a
natationi quomodo competat, quod dicit Ariſtoteles, omnem motum fieri ſuper immobili. 336. b. cur in mari faciliùs natemus. *ibid.*
Natolia unde nomen. 57. a
naturæ myſtæ cur ferè ad longam perveniant ætatem. 335. a
naves cur quandoque jam maria emenſæ mergantur in flumine. 245. b

navi-

navigatio cur difficilior ex Hiſpania in Flandriam, quàm contrà. 246. a. cur item difficilior mari Septentrionali in Septentrionem, quàm reditus inde. *ibid.* difficilior cur eadem à promuntorio Bonæ ſpei ad inſulas Moluccas, quàm contrà. *ibid.* item difficilior cur ex America in Hiſpaniam, quàm ex Hiſpaniâ in Americam. 246. b. adhæc difficilior ex Hiſpania in Ægyptum, vel Syriam, quàm inde reditus. *ibid.*
navium ceratura. 594. b
Nebo, ſive Nabo, idolum Aſſyrium, ita vocatum, quòd oraculum funderet. 129. b. pro eo apud LXX interpretes vetuſto errore *Dagon* legi Eſaiæ cap. xv. *ibid.* parùm ſolidè probari è Scripturis, numen fuiſſe Moabiticum. *ibid.* numen fuiſſe diverſum à Chamo; de quo adverſus Hieronymum diſſertum. *ibid.* Vide *Nabo.*
nebula remota quare appareat denſior, & aër remotus videatur coloratus. 315. b
Nemauſus Heraclides Nemauſenſium Deus tutelaris. 99. b
Nemeſiani error, tribuentis tetraci, ſive otidi, quod eſt afionis, ſive oti. 433. a
Nemeſis ſtella Ægyptiis Saturnus. 177. a
Nemeſtinus. 236. a
Nemrod ſitne idem, ac Ninus; uti putabat Chronici Alexandrini ſcriptor. 228. b
Neoptolemus cultus Delphenſibus. 40. b
Nephthys Typhonis uxor. 257. a. huic ſacratum inferum hemiſphærium. *ibid.*
Neptunalia à Conſualibus eſſe diverſa. 46. a
Neptuni multi, quorum antiquiſſimus Japetus Noæ filius: & cur ei non maris ſolùm; ſed etiam artis equeſtris imperium ſit tributum. 45. b. Neptunus Theſſalus. 46 a. Pater Nauplii. *ibid.* Pater Pelei, & Nelei. *ibid.* Neptuni filii dicti cùm alii, tum moribus aſperi, & inhumani. *ibid.* & 46. b. item qui mari periiſſent. *ibid.* Neptunus ille, qui cum Pallade certaſſe dicitur in Athenarum primordiis, quis: & unde fabulæ origo. *ibid.* quis item alter ille fuerit, qui extruxiſſe creditur muros Trojanos, & fabulæ explicatio hiſtorica. 47. a
Neptunus, & Ποσειδῶν, unde vocetur. 258. b. cur dicatur γαιήοχος, & ἐνοσίγαιος. *ibid.* & Neptunus Equeſtris. 262. b
Nereidum numerus. 260. b
Nereus unde appellatus. 260. a. quomodo idem nunc Neptuni, nunc Ponti filius dicatur. *ibid.* *Nerei ſimum pecus*, de piſcibus, vel delphinis ſolit. *ibid.* quamobrem Poëtæ eum inducant vaticinantem, & quid per L ejus filias ſignarint. *ibid.*
neritæ, cochleæ genus. 523. a
Neronis Cæſaris verſus immeritè irriſi à Perſio. 220. a
nerviæ. 407. b
nervorum opticorum uſus. 311. b. eorum meatus obſervatus ab Herophilo, ſexcentorum corporum ſectore. 315. b. nervus opticus quando in cauſſa ſit, cur malè videamus. *ibid.* nervos tam motorios, quam ſenſorios, à cerebro originem ducere. 336. a. nervorum ex animantibus uſus multiplex. 407. b. in vioculis pedum, ac cervicis, cùm ea fierent è ligno, aut ferro, hoc vocabulum eſt receptum. 408. a
nervorum vitiis qui piſcium medeantur. 525. a. nervis glutinandis remedium à vermibus terreſtribus. 580. b. eorum contractionibus remedium à ſcarabæis Lucanis. *ibid.*
neſtis Græcis aquam ſignat, ejuſque etymon. 258. a
Neſtor quo ſenſu tres hominum ætates vixiſſe dicatur. 425. b
Neton, Martis ſimulachrum Accitanis in Hiſpania. 94. a
netos. 533. b
Nicephorus quando vixerit. 169. b
Nicomachus Pheræis cultus. 39. a
nicotianæ vis è cerebro detrahendi pituitam in ſtomachum, quo alantur cibi egentes. 305. b
Nigidii locus illuſtratus. 275. b. ejus βροντοσκοπία ex Tagete. 282. b
nigror ſic viſum congregat, ut & hebetet. 312. a
Nili pro incremento fertilitas ſe habet Ægypti. 81. a
Nili nomen unde. 254. b. qua mente Deus dixerit Abrahamo, ſe daturum illi terram uſque ad Nilum. *ibid.* cur idem flumen in Scripturis dicatur *Scichur*. *ibid.* cur priſcis Romanis *Nilus* dictus ſit *Melo*. *ibid.* Nilus aliter Siris, quod κατ' ἀφαίρεσιν ex *Oſiris*. *ibid.* Nilus Ægypti ſolum malignum, & pluviæ neſcium, rigat, & dum inundat, pingui obducit limo. 255. b. longitudo Nili. *ibid.* incrementi ejus, ac decrementi, tempus, & cauſa. 256. a. Nili fontes de quibus res adeò controverſa fuit antiquis, eſſe in Gojomiâ, regione Abyſſini regis. *ibid.* Nili longitudo. *ibid.* quando creſcere, quando item decreſcere, incipiat, & cauſa utriuſque. 256. b. Nilus cur dictus oriri à ſiniſtris, perire à dextris. *ibid.*
nimbus imbre brevior, & improviſior. 288. a
Nimrodus Babylonis conditor; qui aliquibus Orion, pluribus verò, ac vetuſtioribus, Belus vocatur. 68. a. quomodo conciliari inter ſe poſſint ſcriptores, quorum alii Nimrodum, alii Babylona, alii Semiramidem, cenſent Babylona urbem condidiſſe. *ibid.*
Ninus Beli, ſeu Nimrodi filius. 48. a. Ninus forte idem, qui *Babylon* aliis dicitur. Ejus etymon. 68. b
Niobe gemina, una Phrygia, altera Argiva. 43. b. Niobes cultus. 61. a
νῶπς piſcis onde dicatur. 513. a
niſus, qui aliter haliæetus, unde nomen acceperit. 420. b
nivales aquæ cur inſalubres. 250. b
nix cur candida. 288. b. plantis bifariàm conducit. *ibid.*
Noachus à Latinis novè, nec ſatis ἀναλόγως dici. 55. a. Noachus in Prometheo adumbratus. 54. a
No-Amon utrùm Prophetæ Nahum, ac No Ezechieli, Dioſpolin, an Alexandriam, ſignificet. 89. a. b
noctua cur de nocte meliùs cernat: nec æquè tamen, vel de nocte cernere, vel de die cæcutire. 428. b. Euſtathii opinio de igneis noctuarum oculis refellitur. *ibid.* noctuarum ſolertia. 432. a. noctuæ generoſitas, ac dubium cum aquila certamen. 440. a. noctuæ uſus in illiciendis avibus. 461. b
nocturnus Deorum in terras deſcenſus. 514. b
nocturnus pro Heſpero. 172. a
Nodinus, vel Nodotus. 234. b
noni cælorum orbis ſtatuendi quæ cauſſa fuerit Aſtrologis. 183. a
Nonius reprehenſus. 221. b
Nonnus, & *Nonna*, unde dicantur. 68. b
noti, qui *auſter* Latinis, etymon. 275. a
novemdiale ſacrificium. 32. a
onvenarii cujuſque anni vis in animis immutandis. 301. b
Novogroddienſibus in Ruſſia pro Deo eſt *Perun*, hoc eſt, *Fulmen*. 282. b. *ſeq.*
Νοῦς fluvius ſi bibatur, ſenſus reddit ſubtiles. 252. b
nubes quantum à nobis abſint. 266. b
nubes falſò putantur eſſe aëre noſtro leviores; eaque ſententia ſolidè refellitur. 273. a. nubis ex colore, cognoſci pluviæ modum. 292. b. nubes quomodo generentur. 287. a. cur in tantum adſcendant, & quantum à vertice noſtro abſint. *ibid.* figuræ ſint rotundæ, contrà quàm viſum fuit Cardano. *ibid.* nubium utilitas multiplex. 288. a. b. Socrates Ariſtophani, Judæi, & Chriſtiani, gentilibus, per calumniam traducti; quaſi nubes colerent. 289. a. quomodo varii nubium colores pluvias, ac ventos, deſignent. 292. b
Numa quantum Romanis profuerit novis religionis præceptis. 240. b
numen quid propriè, & quid κατ' ἐξοχὴν. 297. b
nummi in ærarium inferrendi ritus, naſcente aliquo, vel togam adſumente virilem, vel moriente. 564. a
nummi ſcortei qui. 407. a. nummus cur in aqua per aëra conſpectus major videatur. 315. b
nutrices vinoſæ cur cavendæ. 327. a
nutritio quid, & ejus ratio triplex. 303. b. humidum, quo alitur corpus, non aqueum, ſed pingue, & oleoſum, eſſe oportet. *ibid.* quomodo nutriantur plantæ. *ibid.* quadruplex functio ad nutritionem requiſita. 305. b. ut præter quotidianam alia etiam ſit ratio, quâ nutriuntur homines. *ibid.*
Νύμφαι non edunt, vel excernunt. 564. b
Nympharum unde nomen. 261. a. earum aliæ terris præfectæ, aliæ aquis. *ibid.* Nymphæ Κρηνίδες, ſive Πηγαῖαι· Ποταμίδες, ſive Ἐπιποταμίδες· Λιμναῖαι, ſive Λιμνάδες· ac denique Φρεατιαῖαι· 262. a. b
Nyſſa, ex *Sina*. 86. a

O.

Oblivio Dei duplex. 7. b
oblivio quare facilè capiat pueros, ſenes, affectu aliquo turbatos. 324. a
Obodes rex, & Deus Nabathæus. 73 a
Obodes Arabum Deus animalis. 130. b
obſtipum, & *obſtitum*, ut differant. 150. a
obſiſti vox Apulejo & Ennio reddita, & quid ea ſignificet. *ibid.*
Oceanum non ſolſtitii tempore maximè intumeſcere, ſed æquinoctii. 247. b. Oceanus cur fingatur antiquior Neptuno. 258. b. Oceanus unde dictus. *ibid.* quare Promethea, amicum Oceani, finxerint Poetæ. 259. b. huic Alexander Magnus ſacrificavit. *ibid.*
ocreâ cur olim alterutra uſi è ferro. 406. a
octimeſtris fœtus cur non ſoleat eſſe vitalis. 181. a
oculatæ piſcis nomen unde. 484. b
oculi cur ſint conſtituti in ſublimi, & parte capitis anteriori: cur item ſint bini, ac inter frontem poſiti, & naſum. 310. a. de uſu ſex muſculorum in oculo commovendo. *ibid.* cur aliqui ſint ſtrabones, vel oculos habeant aſſiduè tremulos, & nictantes. *ibid.* b. cur oculi ſint rotundi. *ibid.* de ſex eorum tunicis. *ibid.* quare cornea tunica ſit polita, ac denſa; cur uvea ſit nigra, ejuſque foramen *pupilla* vocetur. *ibid.* quamobrem gentium aliæ oculos fere habeant nigros, aliæ glaucos. 311. a. tunicæ oculi. *ibid.* humores oculi. *ibid.* oculis, & dentibus, remedium ex cornu cervino. 401. b. oculorum etiam claritati conducere murium, glirimque cinerem. *ibid. ſeq.*
oculorum varius in piſcibus ſitus. 484. b.
oculorum vitiis remedia ex piſcibus. 525. b. eorum inflammationibus remedium ab hirundine; adverſus eorum cicatrices, & albugines, à cochleis. 587. a.
oculorum vitiis remedia ex inſectis. 581. a
odorem eſſe halitum fumeum, vel ſaltem hujuſmodi exhalationem pro vehiculo habere. 320. b. materiam ejus, etſi humoris indigeat, propriè tamen in ſicco terreſtri conſiſtere. 321. a. odoris bonitatem eſſe à calore. *ibid.* b. quare odor, & ſapor, interdum ſic diſcordent, ut alter placeat, alter diſpliceat. *ibid.* unde ſit, quòd Alexander M. bonum corpore odorem ſpirarit. *ibid.* a. odoris, & ſaporis, collatio, ac utriuſque definitio. *ibid.* b.

ſpecies odoris à guſtus ſpeciebus oomina ſortiri. *ibid.* quomodo ſpurci odores ex cludantur. *ibid.* odor an nutriat, deque eo Phythagoræorum opinio expenſa. 320. a. gentiles unde conjecerint, odoribus, ſive ſuffitibus, deos propitiari. *ibid.* unde ſit, quòd odor etiam vim habeat nocendi. *ibid.* odoratus cognatio cum guſtu. 319. b. multiplex ejus utilitas. *ibid.* beſtias etiam odores eos odorari, qui non ſint alimenti indices. 320. b. quod in corpore ſit organum odoratus. 321. b. etiam piſces ſub aquis odorari; homines non item; & quæ ſit ejus diverſitatis cauſſa. *ibid.* odoratum non fieri ſine inſpiratione. *ibid.* quomodo odoratus medium uno poſſit vocabulo nuncupari. *ibid.* odoramenta calefacta cur magis oleant. *ibid.* a. odores qui cordi proſint. 305. a. odores calidi languidis, frigidi autem validis magis conveniunt. 338 a

Odryſus, conditor gentis Thraciæ. 506 a

Og, Rex Baſan, idem qui Typho, ſive Typhœus Græcis. 71. b. de hoc portentoſa narrant Rabbini. *ibid.*

Οἴνωπος quid. 403. b

Ὠκυπέτη Harpyia. 466. b

Olao M. alcen, & onagrum, confundi. 380. a

olea cur ſacrata Apollini. 137. b

oleum factum ex hepate cartilagineorum piſcium, vel adipe balænæ. 538. b. oleum vermis Indici inextinguibile; ſi Cteſiæ fides. 539. a

olores ἀμαλοφάγοι. 435. a. pleniuſque. 436. a. ubi &, cur relata ſit inter aves immundas. oloris robur, & cum aquila pugna, & quo pacto interdum vincat. 427. a. pulchritudo à colore. 429. a. oloris amor erga puerum Olenum. 435. a. quem Olenum vocat Plinius, fuiſſe Amphilochum, patriâ Olenium. *ibid.* olorum caro improbata, & quomodo olim ſaginari ſoleant. 455. b

Olympiadir, & aliarum, fabuloſi cum draconibus congreſſus unde originem traxerint. 555. b

Olyſippo, Hiſpaniæ urbs, ab Ulyſſe condita. 94. b

Ὠμαδιος, ſive Ὠμάδιος Deus, idem ac Ἀγριος. 132. a

omnipræſentia ſpiritualis naturæ, quam ſtatuit Durandus, rejicitur, & Tertulliani, ac Origenis de ea ſententia explicatur. 111. b

omomi herba. 12. b

omotarichi caro remedium contra venena. 524. a

ὀμφαλοί. 470. a

onagri vis in ungulis. 380. a

Onati Pythagorici locus apud Stobæum reſtitutus. 4. b

Oneſilaus ab Amathuſiis cultus. 61. b

ὀνειροκριτικὴ Artemidori, & Cardani, rejecta. 331. a. argumentis etiam occurritur, quæ pro vaniſſima arte adducuntur. *ibid.*

onocrotalo vox aſini. 444. a

ὄνος de eo, qui ingens habet veretrum. 187. a

ὄνος piſcis idem ac γαλλαρίας, ὄνιξ, ἀσελλος, βάκχυλος. 522. a

Ὠάννης Babylonius ſemipiſcis. 257. b

Ὠδάκων Chaldaicus, fortaſſe idem, qui Dagon. *ibid*

Ὦρες corpore humano, pelle veſtitos cetacei piſcis. *ibid*

ὦπα, qui Lacoonibus. 45. b

opaci etymon. 314. a. opacitatis cauſſa. *ibid.*

Opalia feſtum Opis. 231. a

ὄφιος etymon. 543. a. ὄφις, & ἔχις, differunt; ut genus, & ſpecies. *ibid.*

Ophiogenes ſalivæ remedio uſi contra ictus ſerpentium. 556. a

ophiophagia unde nomen. 557. a

Ophiuchus, ſignum cæleſte, aliis Hercules creditur, aliis Æſculapius. 185. a

ophthalmias Plauti idemne ſit, ac *melanurus*, vel *oculata*. 484. b

Opiconſivia unde nomen. 231. a

Opis, Loxo, & Hecaerga, epitheta Dianæ, ſive Lunæ. 166. b. & cur iſtis nominibus vocetur. *ibid.* & 167. a

ὦπις, ſive ὦπις, vel ὦπις Græcorum, alia eſt, quam Ops Romana; & quomodo eo nomine nunc Diana ipſa, nunc una ex nymphis ejus vocetur. 230. b

Oppiani ætas. 487. b. idem emendatus 482. b

Oppianus falſus, cùm putat, equum ab equo celeritate vinci. 393. a. Oppiani error, exiſtimantis ex ebore fieri arcus. 367. a

Ops Romanis eadem, quæ Tellus, ſive Rhea; & quis ei primùm templum ſtatuerit. 231. a

ὄψον, & ὀψάριον, crebrò quidem accipi pro quolibet, quod cum pane comeditur: ſed peculiariter magis pro piſcibus. 503. b

Oraculorum cauſæ quædam naturales, quædam artificioſæ, quædam ſuperioris naturæ. 16. b

Oraculum arietinum quid ſignârit veteribus, & quæ nominis ejuſce cauſa 135. b

Oraculum incubantium Nabircæ. 331. b

orandi ritus antiquus Chriſtianorum, Judaico contrarius, quo ad Solem orientem converſi precabantur, nullo ſolido nititur fundamento. 119. b. 120. a. & mos hic, tanquam à gentibus profectus, Leoni Magno improbatur. *ibid.*

orata, & *murana* vocabula à piſcibus impoſita familiis Romanis. 504. a

orbes cæleſtes Ariſtoteli, & plures, & ſolidi: & quæ eum in hanc impulerint ſententiam, ejuſque rationibus occurſum. 193. a

orbus unde. 500. b

orci etymon. 234. a.

Orcus Quietalis. 300. a

orcynum genus pelamidum. 480. b

orgya quid. 379 b

Ori Ægyptii natales, & quid per eum ſignificetur. 227. a

Ori de Typhone victoria quid Ægyptiis ſignet. 275. a

Origenes quaſi Origena, hoc eſt, Oro genitus. 133. b. Origenes, Philonem ſecutus, credidit cæleſtia corpora eſſe prædita animâ rationali: cur ſententiæ anathema dicitur à Vigilio Papâ: &, ſi Nicephoro Calliſto ſtandum, idem factum Concilio II Conſtantinopolitano. 169. b. ſed multorum judicio nullam hic hæreſin eſſe. *ibid.* Origenes emendatus. 265. b

Origenis lapſus, apud Moſem intelligentis fictitios poëtarum gryphes. 465. a

Orion idem ac Belus, ſive Nimrodus. 48. a. & 68. a

orionis, & Arcturi, quàm antiqua Græcis ſint nomina. 182. a. an hujuſmodi nominibus, cùm idolorum ſint, fas ſit uti Chriſtianis. *ibid* orionis nebuloſa quæ dicitur ſtella, plurium eſt ſtellarum congeries. 181. b

Ormiſdas. 12. b

ὄρνις unde dicatur. 443. b. ὄρνις, & ὄρνιθιον, pro gallina. 449. a

ὀρνιθοπῶλαι Græcis poſterioribus quid. 449. b

ornithonum, ſive aviariorum apud Romanos magnitudo, & quot aves continerent, & quantum inde pretii ad dominos quotannis rediret. 456. b

Oromaſdes boni principium Zoroaſtri, Arimanius mali. 12. b. idem Ormiſdas. *ibid.*

Oropus Atticæ, an Bœotiæ ſit, dubitatum. 40. b

ὄρος unde. 239. a. vide Orus, & Origenes.

Orphei tetrachordum quid ſignârit. 217. a

Orphei caput, ſcacentis etiam annis poſt mortem, locutum fingitur. 355. a

Orpheus Thrax ſuos docuit ſacra Ægyptiaca. 56. a. Orpheus geminus; Argonauta unus, alter Poeta, qui proprio nomine Onomacritus: utrinſque ætas, & de cultu Argonautæ locus Cononis. 106. a

Orpheus πρὸ λίθων quando vixerit, & de eo viri docti error, vocantis eum vatem antiquiſſimum. 486. a

orphi piſcis caro qualis. 508. a

Orthebiæ Dianæ unde nomen. 219 b

orthopnœæ remedia ex inſectis. 581. b

ὀρθόπνοια quid. 338. b. & 458. b. ubi & ejus remedium.

ortus, atque occaſus æſtivi æquinoctialis, & hyberni, diſtantia. 276. a

ortus Solis cur interdum anticipare videatur tempus naturâ præſtitutum. 292. a

Orus Ægyptiis Sol, & ratio appellationis iſtius: ac idem nomen eſſe hominibus attributum. 133. b. Vide Ὦρος.

oſcines unde dicantur 462. b. oſcinum matutinus cantus quàm utilis ſit homini. 441. b

oſcilla, & ventilabrum Liberi, ad animas purgandas. 141. b

oſcitans, aut mejens ſocius, cur ad ſimile excitet. 307. a

oſculandi manum ritus in cultu numinum, item erigendi pollicem, & ſeſe in alterutrum latus convertendi. 119. b

oſculum non tantùm amoris, ſed & ſubjectionis ſignum. 81. b

Oſiridis nomen unde deductum. 74. b. cur phallus in ſacris ejus monſtraretur. *ibid.* Oſiris unde dicatur. 75. a. Oſiris, Iſis, Typho, quid Ægyptiis deſignent. 13. b. quantoque aliter, quàm vulgò Ægyptii, nomina hæc, ſeu numina intellexerit Plutarchus. 14. a. Oſiris, ſive Mitſraim, filius Chami, Diodoro idem, qui Græcis Διόνυσος vocatur. 75. a. ejus opus, ex quorundam ſententia, Thebæ Ægyptiæ; ex omnium vero opinione Jovis Ammonis templum. *ibid.* Agriculturæ inventor. *ibid.* cur cornutus fingatur. 76. a. periit à Typhone fratre interemtus. *ibid.* ſepultus in inſula Nili apud Philas. *ibid.* ſacra ejus, & inventa ab eo hedera; quæ inde vocabatur herba Oſiridis. 76. b. Oſiris tertius idem qui Arabicus Liber. 84. a. in hoc Moſes expreſſus. 84. b

Oſiridos nomine Sol cultus Ægyptiis, cumque Sole Mitſraim, primus Ægyptiorum rex; qui inde Sol dictus, quamvis appellatio hæc non Soli tantùm, ſed omni conveniat naturæ; unde aliis etiam diis à Theologis gentium tribui ſolet. 132. b. Oſiridis fabula partim ad lunarem curſum accommodata, partim etiam ad Nili fluxum. 157. a. Oſiridis ſtella Ægyptiis, quæ Græcis Jovis. 177. a. b. Oſiris Ægyptiorum idem, qui Phœnicum Adonis, & Phrygum Attis. 133. a. idemque Græcorum Liber. 255. a. ut Oſiridem ſive Solem ſceptro, & oculo ei ſuperimpoſito, ſignârit antiquitas. 133. a. cur menſe Athyr lugeri ſoleat Oſiris. 256. b. Oſiris cor effingeretur niger, & de etymo ejus conjectatum. 255. a

oſſifragæ calliditas in iis, quæ cibum tangunt. 430. a

oſtium commiſſuræ in motu ſe habent, ut cardines. 336. a

oſtenta, & prodigia, probant dæmones eſſe. 17. a

ὀστρακόδερμα quæ dicantur. 519. b. unde generentur. 470. b. ὀστρακόδερμα perſpirare negat Scaliger: ſed non ſolidè adſtruit. 499. b

oſtrea, conchæ, cancri, creſcunt luna creſcente. 148. b

oſtrea, aliaque teſtæ incluſa, cur oculis careant. 484. b. eadem carere auditu. 485. a. an guſtu, & tactu prædita. 487. a. oſtreorum diſcrimen. 519 b

oti amentia. 431. b. unde ei nomen, & cur aliter *anſio* vocetur. *ibid.* *otum*, & *otidem*, ab Athenæo confundi, *ibid.* otis meti-

meticuloſa. 436. a otis cur *tarda* Hiſpanis dicta, & unde id vocabulum. 443. b
ova quando ſupponenda. 148. b. ovi aceto impoſiti cortex molleſcit. 251. b
ova, & *ovipara*, vide *ovum*.
oves cur in Magoeſia, & Africa, bis pariant. Oves unde in Hiſpania aurei; in Creta flavi coloris; ubi & quadricornes. 377. b. ovium, arietumque, variis in terris caudæ magnitudo; & quæ ratio ſit naturalis. *ibid.* ovium uſus nullus, ſi abſit paſtor; proverbium. 378. a. ovis ſimplicitas, ſive ſtupor. 383. b. ovis à Saitis, & Thebanis, culta. 414. b. eadem Samiis in veneratione. 418. a
Ovidii verſus aliquot de piſcium aſtu, ex libro, qui Halieuticon inſcribitur, cum verbis Plinii, ſententiam eorum exprimentibus, collati, ac ſcriptor uterque emendatus. 488. b. 489. a. b
Ovidius incautè ait, Atho montem grandine caneſcere. 289. a
ovorum in piſcibus diſcrimen. 470. a
ovum antiquis mundi ſymbolum. 13. a. ovum quomodo ſponte moveatur in menſa. 17. a
ovum prius, an gallina, fuerit. 424. b. ovum ovo differre, & poſſe gallinarios diſcernere, quæ gallina ovum quodque pepererit. *ibid.* quibus ex ovis mares, ex quibus item feminæ excludantur. *ibid.* unde putamen, quod, primò molle, indureſcat, & quanta hujus firmitas. *ibid.* de coloris diverſitate. *ibid.* ex albumine naſci pullum; ſed vitello paſci. *ibid.* cur, creſcente pullo, vitellus circumfundatur. *ibid.* de vitelli gutta ſanguinea. *ibid.* ovis excludendis cur ter ſeptenis diebus ſit opus. 432. a. ova, & avenæ, victus Oonenſibus. 447. b Romani cœnam orſi ab ovis. *ibid* commendatio ovorum à munditie: ac ratio coquendi ea citra ignem. *ibid.* quo in honore aliquando pavonum ova, ac quæ vilitas eorum poſtea. 468. a. recentia ova cur præſtent, præſertim tremula; quæ & ſorbilibus prælata. Cur item elixa, & ſuffocata, ſalubriora ſint aſſis; ac præcipuè frixis. *ibid.* quid ſibi voluerit Simeon Sethi, cùm ait, ovis ingenium juvari, ſi cum butyro addas fontem filiarum tauri. *ibid.*
ὀξύρυγχοι piſces. 481. a. oxyrynchus piſcis Oxyrynchitis cultus. 541. a
ὄφις. pro *baſiliſco*, & unde vocabuli origo. 542. b
ὀρφὸς unde dictus. 187. b
ὄζαινα narium, ac remedium ex anſere. 458. a

P.

P Græcorum in F. converſum. 598 b
Pachamama Peruanis Dea; eadem ac Tellus. 235. b
paguri. 519. a
Palæmon Deus. 41. a
Palæſtris præfecti, Mercurius, Apollo, Hercules, Caſtor, Minerva. 299. b
palatium in Palantii Arcadici memoriam conditum. 35. a
Pales Dea, vel, ut Varro voluit, Deus ruris; cujus feſtum Palilia. 234. b
Palicorum lacuum prope Leontinos calidæ aquæ. 248. a
Pallas architecturæ præfecta. 50. b
Palmyra, urbs eadem ac Thamar, opus Salomonis, de quo in tertiu Reg. cap. nono. 124. b
palpebræ cur piſcibus non ſint. 484. a. palpebrarum medicina è piſcibus. 526 a. palpebris remedium à muſcis, & cochleis. 586. b
palpebrarum uſus triplex. 310. a. cur pejus cernant, quibus palpebræ albæ, quàm quibus nigræ. *ibid.*
palpitatio cordis reſpirationis effectus, & cur in palpitatione cordis morbidâ repant membra exteriora. 339. a
palumbes etiam 1. ſit annorum, & unde eò ætatis pertingat. 426. a. palumbi, & turturis diſcrimen. 4.0. b
Pamiſo amni ſacrificatum à Meſſeniis. 261. b
Pan Deus Naturæ. 35. a. quos Pan habuerit parentes. 49. a. b. Panos Ægyptii ætas. 77. a. Vide *Panes*.
Pan cur Ægyptiis, & Græcis, effingi ſoleat capri facie, ac cruribus. 415. b. Pan quare fingatur facie rubrâ. 466. a
Pan, ſive Faunus, fiſtulæ cantum reperit. 594. a
Panacea, Æſculapii filia. 552. a
Panda quæ dea, & unde dicta. 186. b
Pandari apud Pinarenſes cultus. 61. a
Πάνδημος, vel Χάλκεια, feſtum Vulcani. 242. b. ſed primò hoc ſacrum fuit Minervæ Ἐργάνης. *ibid.*
Pandroſo, Cecropis filiæ, ſacra fecere Athenienſes. 40. a
Panes ac Fauni, ac Satyri, ſylveſtria numina, cur hirſuti, & hircinis pedibus effingerentur. 21. b
pani etymon, ac eidem remedium ab inſectis. 589. a
panni ruptura cur ſonum edat. 316. a
Panopolis aliter Χέμμις. 77. a
Panops Atticæ heros. 40. b
panthera contra ſerpentes opitulatur. 553. a
pantheræ vincunt aromata odoris ſuavitate, eâque alliciunt beſtias alias. 320. b. & 413. a. pantheras gaudere aromatis. 320. b. pantherinum corium pro tegmine in bello. 406. a
Panyaſis, Heracleïdis Scriptor vetuſtiſſimus. 165. a
papaver cur ſoporiferum. 327. a
papaveris ſuccus remedium adverſus baſiliſcum. 554. a
papilio cur pro lectica ponatur. 134. a
papilionum genera varia. 559. b. papilionum copia florente malvâ. 565. a. papiliones cur nullum alia ſonum edant, contrà quàm culices, & alia inſecta. 576. b. papilionum Americanorum magnitudo. 565. b
Parætonium, lacus ſalſus. 248. a
parallaxis quid ſit. 182. b
paralyſios cauſſa, & eidem remedium è columba. 457. a. b. paralyſi remedium à teſtudine. 400. b
[illegible] quæ dixerint. 592. a
Parca Aſtrologis, & aliis, ad æthera reducitur, ac particulatim ad Lunam. 202. b. iiſdem Parca, Mœra ſive Fatum, Neceſſitas, Nemeſis, & Adraſtia, pro eodem habita: quarum vocum origines ſingulatim exponuntur. *ibid.* & 203. b. cur tres ſtatuantur Parcæ. Earum nomina, ac Parcæ etymon ex ſententia Varronis. 203. a. cur prima earum Venus appelletur. 203. b. cur parcæ ſint habitæ filiæ aliis Noctis, aliis Neceſſitatis. *ibid.* nomina trium earum ad triplex vitæ humanæ tempus aptata. 204. a
pardalianche pardis venenum, ac contra hanc antidoton ſtercus humanum. 412. a
pardalis, & hyænæ inimicitiæ. 388 a. pardali, ſecundùm Oppianum, eſt venenum in unguibus. 410. b. fel & pardalis, & equi, in venenis. 411. a. pardales capiendi ratio. *ibid.* b
pardi amor erga hædum unà eductum. 388. a. pardo etiam grati animi veſtigium ineſſe. *ibid.* b. pardi dediti vino, quo & capiuntur. 391. a. cur poëtis fingantur Bacchi nutrices. *ibid.* quare Alexander Magnus in Danielis prophetia comparetur pardo. *ibid.* pardus verſutus in regendis improbe vitiis, & ut odoris bonitate alliciat quadrupedes, quas devorat poſtea. *ibid.* b. ejuſdem velocitas. 392. b. pardi ut capiantur tum herbâ pardalianche, & quæ illa ſit; tum merdâ hominis de arbore ſuſpensâ. 411. b
parelii pluviam ſignificant imminere. 291. b
Pariacaca montium in Peruvia altitudo quanta. 266. b
Pariacacæ juga habent aëra tam ſubtilem, ut per ſe non ſufficiat ſpiritui noſtro refocillando. 338. b
pareas ſerpens viſu pollens, & unde hoc nomen acceperit. 546. a. eſt is ſerpens apud Ægyptios innoxius: unde & Æſculapio ſacer. 552. a
Paridis cultus, & quod mirum, Therapnis Laconicis. 39. a
parricida cur cum gallo, cane, & ſimia, culeo inſueretur. 437. b. conſuetudo vetus, priùs parricidam cædendi virgis ſanguineis; non ſagmineis, ut aliqui putarunt. *ibid.* quis primus memorato parricidarum ſupplicio ſit affectus. *ibid.*
Parta, ſive Partula, una Parcarum. 203. b
partum qui piſces juvent, mortuumve educant. 533. b. qui piſces poſt partum conducibiles. *ibid.*
partus facilior eſt, ſi Luna ſit dimidiata. 148. b
partus dolores unde, & miranda Dei providentia in hoc opere ſeſe exſerens. 309. a. partus gemina cauſſa efficiens, à fœtu una; à fœta, altera. *ibid.*
paſſer marinus, pro *ſtruthiocamelo*. 371. b
paſſer piſcis. 509. b. unde ei nomen. *ibid.*
paſſeris, & aquilæ libido. 441. a. cur Sappho finxerit currum Veneris à paſſeribus trahi. *ibid.* an, & cur leproſis, recuperatâ ſanitate, paſſerem ſacrificare receptum. *ibid.* paſſer cantu matutino cur ſignet tempeſtatem. *ibid.* b. paſſeres cur rarò biennium excedant. 426. a. paſſeris Indici ſolertia in nido exſtruendo. 431. a. paſſeres, & ficedulæ, cur auctumno meliùs ſapiant. 395. b. deque paſſeribus par ratio. 452. a
paſtinaca piſcis, Græcis τρυγὼν dictus, & unde eorum nominum origo. 511. b. paſtinacæ veneno ut perierit Ulyſſes. 540. b. ex ipſa vulneri, quod fecit, remedium eſſe. *ibid.*
Pataleon. 235. a
Pateræ, Apollinis Beleni ſacerdotes 99. a
patris appellatio quàm variis Diis attributa. 143. b
Patrocli cultus. 40. b
πυτταλίων. 381. a
Patulcius, *Cluſius*, *Claviger*, cur Jani cognomina. 144. a
Paulli Diaconi vulgaris lectio contra Lipſium defenſa. 102. a. b
Paulli Leopardi tralatio loci in Laërtio improbata. 518. b
Paulus Apoſtolus à Marcellina Gnoſtica incenſis cultus. 110. b
pavo laudis ſtudioſus. 441. b. pavonis, pſittaci, phaſiani pulchritudo commendata à Papinio, & aliis. 427. b. quando pavo accipit viſum. *ibid.* de pavonibus Græcula fabella. 432. a. pavonis amor erga virginem Leucadicam 435. a. b. pavones periculoſi oculis infantium. 440. a. pavonis caro uſque adeò fibroſa, ut vix putreſcat: hinc, concoctu difficilis, interdum morbum affert lethalem. 452. b. quis Romanorum primus pavum appoſuerit convivis. *ibid.* à quo pavones primò fuerint ſaginati. *ibid.* cur dicatur Samius. *ibid.* quando pavo primùm innotuerit Græcis, & quo in pretio fuerit Athenis. *ibid.* pavi Norvegici cur albos excludant pullos. 307. a
paupertas media inter opulentiam, & egeſtatem. 596. b
pecten piſcis volitans. 497. a
pecten oſtreæ genus. 523. a. qui pectinum ſint optimi. *ibid.*
pectus in pinum illidi à Gallis in ſacris Cybeles ſolet. 223. a
pecudes pelle tegendi conſuetudo. 404. b
pecus tectum, & *colonicum*. 405. a
pedes menſarum pardi figurâ. 366. b. *ſeq.*
pedes piſcium quàm varient. 496. b
pediculorum ortus. 561. b. quinam pediculari morbo perierint. *ibid.* cur pueris, & feminis, in capite magis proveniant. *ibid.* de pediculis, & ricinis canum, ovium, ſuum, caprarum: at aſinum neutri inſecto credi obnoxium. 562. a.

phaſianos iis perire, niſi malo occurratur. *ibid.* pediculi ictero proſunt. 584. a. pediculi ut arceantur. 601. a. pediculis capitis medicinas a melle. 586. b
pediculorum marinorum origo, & ut ſomnum impediant piſcibus, quibuſcum etiam magno ſæpe numero capiuntur. 490. a. pediculi in piſcibus non ſimiliter, ac in aliis animantibus, proveniunt. 562. a. pediculi marini proſunt adverſus rigorem cervicis. 582. b
Pedonis Albino vani non eſſe elegiam in obitum Mæcenatis; contrà quàm viſum Scaligero. 172. a
Pegaſum alitem nullum eſſe; ſed in poetarum fabulis per eum συμβολικῶς navem deſignari. 466. a. cur dicatur proles Neptuni. Primus equus Scyphius. *ibid.* poſſe & per Pegaſum intelligi nubes. *ibid.*
Pegaſus cur ungulâ ſuâ aperuiſſe Hippocrenen fingatur. 262. b. ut per Pegaſum quandoque intelligatur navis, & quæ rei hujus ratio ſit. *ibid.*
pejerantium quæ apud inferos pœna. 264. a. Vide *Perjuri.*
pelagii piſces difficiles quidem concoctu; ſed magis nutriunt; & unde hoc ſit. 502. a. pelagii iidem, qui πλωτοί. *ibid.*
pelamydes unde dictæ. 450. a
Pelea facere ex Oeneo, proverbium. 260. b
pelecanus idem ac picus Martius, & unde *pelecani* nomen. 427. a. pelecani ſimplicitas. 433. a. ejuſdem affectus erga prolem. 434 a. de pelecano figmentum ſymbolicum ad ſignificandum virtutem paſſionis, ac mortis Dominicæ. *ibid.*
Peleo, & Chironi, homo ſacrificatus à Pelæis. 41. a
Pelii montis vertex intra nubes. 267. a
pellibus incubuiſſe, qui ex ſomniis vellent futura cognoſcere. 332. a. pelles ovillæ an lupinis mixtæ lanam amittant. 422. a. pelliceæ cur veſtes primis à Deo factæ parentibus. 405. b. pelliceis antiquitus etiam Heroinas fuiſſe amictas. *ibid.*
pellicis pœna ex lege Numæ. 163. a
peloris conchæ genus, & unde ei appellatio. 520. b
Penates publici Dioſcuri, ſive Caſtor, & Pollux. 33. b
Penates Dii iidem ac Cabiri, vel Samothraces. 228. a. b
penis balænarum quantus. 471. a
pennas perperam inſectis tribui à Plinio, & Gaza. 573. b
Πεντάπολις Athenienſium unde fieret. 11. a
Perca Rhenenſis unde Xenocrati, qui Galeno antiquior, cognita. 501. b. Percæ marinæ laus. 506. a. Percæ ſalubritas. 514. b
perdicis fanum, qui ex Dædali ſorore natus. 40. a
perdicis, & κακκαβίζειν ἴυγγες. 444. b. perdices, licet ſalaces, pertingunt ad annum ſextumdecimum. 426. a. pleniuſque. 441. b. perdicis calliditas. 431. a. perdici cur rex Sedecias conferatur ab Hieremia propheta. 438. b. perdicis ſalacitas, & fœcunditas. 441. a. perdicum variæ voces pro diverſis locis. 444. b. quæ κακκαβίζειν, quæque τρίζειν dicantur. *ibid.* perdices ſermoni humano adſuetæ. 447. a. perdicis caro calida, an frigida, & de hoc Arabes conciliantur. 450. a
peregrinationis commoda. 337. a
pergamenæ chartæ appellatio unde. 406. b
περκνόπτερος gallinæ. 436. b
περιφαλλία. 140. b
perjuri, è fonte Palicorum bibentes, vel vitâ privabantur, vel oculis capiebantur: ſi fides veit. 252. a. Vide *Pejerantium.*
pernio unde dicatur: item pernioni, & digitorum fiſſuris, medicina ex piſcibus 533. a
perones, plebejorum calcei, ex corio crudo; ſenatorum, ex aluta; in quibus & lunulæ, nobilitatis, inſigne; ac porrectos fuiſſe uſque ad crus medium. 405. b
Perſæ invocabant Naturam, ejuſve partem; ut Solem: at non defunctos. 31. a
Perſæ unde dicti Achæmenii. 132. a. Perſæ antiqui Solem tantummodò coluere: poſteriores etiam elementa. 217. b. Perſæ hodieque ignem colunt. 139. a. b
Perſæ, Parthi, & Ægyptii, reges ſuos pro diis habuerunt. 295. b. Perſis Ventus pro Deo. 271. a. b
Perſephone ſive Perſephonia eadem ac Proſerpina, & unde Περσεφόνη dicatur. 164. a. b
Perſeus Argivis pro numine cultus. 39. a
Perſii interpres, qui Cornutus creditur, potiùs eſt Acro. 405. b
Perſius, & Tzetzes, enarrati. 278. a
perſpicuum quid dicatur. illud non eſſe quinctuplex aut quadruplex, ut Peripatetici cenſent; ſed duplex tantùm. 314. b. Ariſtotelica perſpicui definitio expenſa. *ibid.* nec raritatem, nec interiorem partium fluxum, cauſam videri perſpicuitatis. *ibid.* minùs pellucida in magis pellucidis conſpici, ut cryſtallina in aquâ. 315. b
perſpiratio inſenſibilis quàm vitæ ſit neceſſaria; ἀδιαπνευστία contrà noxia. 297. a. perſpirationis per poros utilitas, & neceſſitas. 339. b. hæc quandoque etiam præſtat, ut homo ſine reſpiratione aliquandiu poſſit vivere. *ibid.*
Peruani colunt Capellam, Arietem, Lyram, aliaque ſidera. 187. a. Peruanis Mammacocha, hoc eſt, mare coli, item flumina & fontes. 266. a
Peruanis ſub quo nomine Deus colatur. 10. b
Peruanis iris culta. 291. a
Peruanorum opinio de tribus ſummis deis. 101. a. b
pes quid ſignet Romanis in re nautica. 268. b
Peſſinuntia mater Deûm unde dicta. 218. b
πεσσοί quid. 585. a
peſtilentiæ tempore, quò fugiunt aves, eodem abeundum homini. 430. a
Petri Aponenſis opinio, imaginatione imprimi vim corpori longè diſſito. 17. a
Petri Aponenſis, ſive Conciliatoris doctrina excellens; ſed mixta opinionibus impiis. 180. a
Petri Hiſpani, Summularum auctoris, ſive Joannis XXI Papæ, vana de ſe prædictio. 210. b
πηγαῖος. 261. a
πτίλωσις quæ in inſectis. 573. b
Phacetis, ſive Aphacitis, vel erat filia Veneris, vel ipſa Venus, quæ Dea Syria appellatur. 184. b. templum ejus in Aphacis Phœniciæ demolitus Conſtantinus Magnus. *ibid.*
Phænarete, Socratis mater, cur Platoni βλοσυρὰ vocetur. 376. a
Phænon Saturnus Capellæ, auctori de Mundo, Appulejo, Achilli Tatio, &c. 177. a
Phaëthon Jovis ſtella Capellæ, Appulejo, Firmico, &c. 177. a. b
Phaëthontiadum de luctu fabula unde originem cepiſſe videatur. 121. b
phagri piſcis caro qualis. 508. b. phagrus Evenitis cultus. 541. a
phalangiorum venenum. 598. b
phalangio remedia. 602. a
φαλλαγωγία, & φαλλοφόροι in Liberi ſacris. 190. b
phallus ut in Bacchi, ſic Oſiridis etiam ſacris geſtabatur. 255. a
Φάνης, ac Φαναῖος, Sol. 127. a
phantaſiæ, ſive imaginativæ vis in producendis liberis monſtroſis, vel aliquâ notâ inſignitis. 306. b. 307. a. quâ ratione fiat, ut imaginatio figuret infantem, & ut in hoc præcipua ſit terroris vis, & quo geſtationis tempore plus poſſit phantaſia. *ibid.* phantaſiam ſuas obire functiones in capite univerſo. 324. b. phantaſiæ uſus præcipuus: ejuſque à ſenſu communi differentia triplex. 322. b. vis æſtimativa ad phantaſiam refertur, ut effectus ad cauſam. *ibid.* à temperamento eſſe, quòd animantium aliæ aliis plus polleant phantaſiâ. 323. a. phantaſiæ vis in novis formis effingendis, & an vis ejus pertingat ad res externas. *ibid.* φαντάσματα, ac μικρόψυχοι quomodo differant. *ibid.* b. ex eorum convenientia eſſe, quòd aliqui, quæ imaginati aliquando ſunt, ea ignari narrent aliis, quaſi revera contigiſſent; & de eo, quod in mentem venit, dubitent, utrùm aliunde acceperint, an primi ejus ſint auctores; item quòd ægroti ſua aliis narrent ſomnia, tanquam certiſſima. 324. a
Φάσγανον. 15. b
Pharao, dignitatis nomen, omnibus olim Ægypti regibus commune. 88. a
Pharia pro Iſide. 256 b
Phariſæi μετεμψύχωσιν Pythagoricam amplectebantur. 27. b
Phaſiana Dea. 219. a
phaſianus fit annorum ſexdecim. 426. a. ejus pulchritudo. 427. b. phaſianorum caro æquatur gallinaceæ. 451. a. quanti eam fecerint antiqui, & unde phaſiani mitterentur Romam. *ibid.* quomodo cocti ad majorem gulæ voluptatem. *ibid.* b. perperam à Ptolomæo Phyſcone tetraones cum phaſianis confundi; niſi diverſis avibus commune fuerit *tetraonum* nomen. *ibid.* phaſianus hecticâ laborantibus conducit. 460. a
Phaſis fluviorum leviſſimus. 248. a
Phavorini veriſſima ſuſpicio, plures eſſe planetas, quam vulgo crederetur. 181. b
Phegor etiam in Scripturis ſimpliciter dicitur, qui aliis *Baal-Phegor.* 128. a. hujus nominis etymon explicatur. *ibid.*
Pheræi quos à morte coluerint. 39. a
Pherecydes, Pythagoræ præceptor, quo genere mortis perierit. 597. b
Φερσέφαττα, & Φερρέφαττα. 164. b. ea unde dicta. 214. a
Philadelphi decretum de fano Arſinoë extruendo, in quo ſimulachrum ejus nullo ſubnixum in aëre penderet. 88. b. Auſonii in eo lapſus, ac fortè etiam beati Auguſtini. *ibid.*
Philadelphus cur flêrit, viſa tranſlatione LXX interpretum. 360. a
Philæ poëtæ Jambi de iis, quæ fortitudinem leonis arguunt, enarrati. 369. b. Philæ error de quatuor narium ſpiraculis in vulture. 429. a
Philænis fratribus aras ſtatuerunt Carthaginenſes. 91. a
Philippi Butacidæ cultus Syracuſis. 38. a
Philippus Amyntæ F. invocatus Macedonibus. 41. b
Philo quidam, Oniæ temporibus, librum Sapientiæ, Salomoni tributum condidit. 31. b
Philo, auctor libri de antiquitatibus Judaicis, ſuppoſititius. 85. b
Philo, & Origenes, putarunt Cælum, Solem, Lunam, ſtellas, corpora eſſe animata. 169. b
Φιλομμειδὴς Veneris cognomen. 52. a
philomela, ἀηδών, luſcinia, unde dicantur. 445. a
Philomelæ, cujus ſcriptor Ovidius falsò olim creditus, auctor cujuſmodi. 362. b
Philoponi de anima opinio exponitur, & refellitur. 341. b
Philoſophorum diſcrepantes de fato ſententiæ. 204. b. 205. a. b
Philoxeni, Erettii paraſiti, mors ex avidè nimis comeſto polypo. 518 b
Philoxenus tyrannus unde dictus *Solæciſta.* 522. b
Φλοιά eadem, quæ Libera, ſive Proſerpina. 233. b. Φλοιός, Liber. *ibid.*
phocæ quâ mente Homero νέποδες appellatæ, cum pedes habeant. 496. a. cur Ariſtoteli vocetur quadrupes mutilum. 497. a. phocis unde nomen, & ut aliis vocentur gentibus. 517. b. quali ſint carne. *ibid.*
phocæna, ſive turſio piſcis. *ibid.*
Phœbi etymon. 136. a
Phœbus pro Libero. 140. a
Phœnices cur Erythræi dicti. 95. b. ſoboles

les ſunt Phœnicis, hoc eſt, Edom, ſive Eſavi. 96. a
Phœnices falsò putavit Ariſtoteles à φόνος, ſive φοινίζειν dici. 121. a
Phœnicibus Ventus erat Deus. 271. b
phœnicopteri lingua nepotantium deliciæ. 454. b
phœnix conſpectus anni magni converſionem indicat. 209. a
phœnix, avis fabuloſa, de qua veterum opinio refertur. 465. a
Φωσφόρα. 172. a
Φωσφόρος pro Luna, ut Latinis *Lucifera*. 171. a
Φρεαλαῖται. 262. b
phreneſis pro *phrenitis* parum probum; etſi Juvenali uſurpatum. 400. a. phrenetici cur viribus plus valeant, quàm ſani. 332. a. phrenitidi remedium è columba. 457. b
Phrygum mos μα præponendi: ut in Μαζιός. 177. b
Phryxi templum ſitne extructum in honorem ipſius Phryxi, an Leucothoës ſive Inus, an potiùs honori Helles. 67. b. theſauri ejus ter ablati. 68. a
phthiſicis, & cachecticis, remedium ex piſcibus. 528. a. phthiſi remedia ex inſectis. 582. b
phthiſicos, & pulmonibus exulceratos, peregrinatione valetudini aliquando reſtitui. 338. a. b
Phurnuti, ſive Cornuti locus emendatur. 127. a
phicidis piſcis laus. 506. a
Phygelæ, ſive Fugelæ urbis etymon; inque hoc Melæ lapſus. 598. b
φύματα ſanari oxymelite, mulſo, cerâ. 589. a
phyſeteres unde ſic dicantur. 498. b. quantum efflent aquæ. *ibid.*
pica loquelæ humanæ imitatrix. 446. b. Plinii error, picis quinos in pede digitos tribuentis; graviorque alter Appulei, ac Solini; qui idem pſittaco adſcripſerunt. *ibid.* pica imitans tubarum cantum. *ibid.*
Picentibus cultus Diomedes. 106. b
pici Martii robur; & cur δρυοκολάπτης, vel δενδροκολάπτης, vocetur; ac quandoque etiam πελεκᾶς: quæ tamen appellatio, & alteri avi attributa. 427. a. pici induſtria in evacuando nido in robore. *ibid.* pici Martii calliditas in iis, quæ ad victum pertinent. 430. a. ejuſdem qualis ſermo. 447. b
picturam (quæ cælaturam etiam, ſculpturamque continet) antiquiorem eſſe temporibus Iliacis, contrà quàm à Plinio proditum eſt. 357. a. in quo pictura ſermoni præcellat. *ibid.* b
Picomnus, *vide* Pilumnus.
Picus perperam inter Aborigenum reges relatus. 34. b
picus, ſive cyprinus clavatus. 516. a
pilis totius corporis medicina ab hirudine. 586. b. pilos attenuari ſepiæ teſtâ. 535. b. quæ pilis denudent. *ibid.*
pilorum materies, & generatio. 305. b. pilis remedia è corvo. 457. a
πιλωτοί. 405. a
Pilumnus, ac Picumnus, quos à Rutulis accepere Romani, quibus rebus præfuerint, & unde nomen acceperint. 107. a. b
pingue non tam eſſe propriam ſaporis ſpeciem, quàm communem plurium ſaporum affectionem. 319. a
pinna, genus conchæ bifori. 523. a ejus amicitia cum cancello, & ſquilla. 492. b
pinnæ piſcium alio loco marinis, alio fluviatilibus datæ. 495. b. de earundem numero. *ibid.*
pinnotheris piſcis ſollertia. 488. a
Pinus in ſacris Cybeles, quæ ex luco pineo Deæ cædebatur, ac dein lanis circumvoluta, & violaceis coronata ramis, cum planctu & ululatu circumgeſtabatur à Gallis. 222. b
piſces Syris pro Diis, ac propterea iis abſtinuere in cibo. 65. b. 66. a
piſces Zodiaci crediti Venus, & Cupido; qui & *dii Syri*. 186. b. piſcis auſtralis in Deos adſcriptus, & quæ ἀποθεώσεως illius cauſſa. 184. b
piſces ad nomen veniunt. 317. a. piſces maximam partem, vocis expertes; & cur iis abſtinuerint Pythagorici. 316. b. in aquis audiunt, imò & nomina ſua addiſcunt. 317. a. etiam ſub aqua odorantur. 331. b. piſces minores cur tam diu ſub aquis ſe valeant continere, & cur piſcium majorum diſpar ſit ratio. 338. a. piſcium, aviumque ſimilitudo. 424. b
piſces cur Deus priùs fecerit, quàm aves. 469. a. eorum multitudo, ac varietas; quot item ſpecies ex Plinii ſententia. *ibid.* b. qui piſcium vivum pariant animal. *ibid.* qui ovum pariant imperfectum, ac ſterile futurum, niſi mas ſemen ſuum ſuperfundat. 470. a. quàm citò ova excreſcant, & vivum animal producant. *ibid.* fortaſſe piſcium eos, qui quandoque tantùm ex ſemine, aliàs aliunde naſci exiſtimantur; ſemper ex ſemine provenire, ac modus, quo id fieri poſſit, oſtenſus. *ibid.* b. piſces quid habeant loco teſtium; interim & teſtes eſſe nonnullis. *ibid.* in quibus, etiam ſitu, differant maris & feminæ teſtes. *ibid.* cur ii piſcium nullis propendeant foris. *ibid.* quare teſtes, & penem habentibus, dati quoque ſint pulmones. *ibid.* piſcium coitus quomodo fiat. 471. a. cur in multis obſcurus ſit coitûs modus, contrà quàm ſit in balænis. *ibid.* b. quo anni tempore potiſſimùm fiat. *ibid.* ad congreſſum latebras quærunt. *ibid.* geſtationis eorum in utero diſpar ſpatium; tum diverſus uteri ſitus. *ibid.* partus piſcium nunc vivi eſt animantis; nunc ovi perfecti, vel imperfecti. *ibid.* de diverſo ovorum colore, & quamobrem cum dolore etiam à piſcibus edantur. *ibid.* ovorum copiam eſſe inprimis mugili, harengo noſtro, & mænidi. *ibid.* piſcium quorundam ova monilis inſtar cohæreſcere. 472. a. quibus locis parere gaudeant piſces. Quot fœtus pariant vivipari, & cur non plures duobus: cur ovipara tot ponant ova. *ibid.* piſcium nonnulli quoties, & quando pariant. *ibid.* piſces fuiſſe temporibus Senecæ in piſcinis Cæſareis ſexaginta annis majores. 473. a. diviſio piſcium ex aquis, in quibus degunt. *ibid.* b. piſces quibuſdam in locis è terra erui. 474. a. cur piſcium illi, qui in terram, cibi, vel ſomni cauſa, egrediuntur, alii aliis diutius hic degere ſuſtineant. *ibid.* b. appellationes piſcium à figura. 475. a. piſcium unde tam diverſæ ſint formæ, & quo fine Deus ſic juſſerit. *ibid.* b. qui piſcium pro anni tempore varient colorem. *ibid.* quibus nutriantur piſces. 476. a. qui piſcium magis refrigerentur aquâ, quàm alantur. *ibid.* cur piſces quidam non manducent cibum, ſed deglutiant. *ibid.* b. non æquè guſtu valeant. *ibid.* piſces oris ſitu diverſo. 477. a. b. cur quibuſdam os datum ſit in parte inferiori; ſic ut cibum capere nequeant, niſi converſi. *ibid.* b. quibus, & quo fine datum, ut os queant extendere, & adducere. *ibid.* labra quibus carnoſa, ac mobilia. *ibid.* qui piſces careant dentibus. 478. a. quo fine piſcium aliis dati dentes, aliis negati. *ibid.* dentium ſerratorum in piſcibus quis uſus. *ibid.* cur piſces, qui lactent, dentibus careant. *ibid.* b. quod piſcium quidam cibum mittant in gulam, quidam in ventriculum; & cur longi piſces acceperint gulam. *ibid.* diverſus in piſcibus podicis ſitus. 479. a. varius jecoris color. *ibid.* ſplenis in iiſdem color, & ſitus. *ibid.* diverſus fellis ſitus, magnitudo, & color. *ibid.* b. qui piſcium deſtituantur renibus, & veſica. *ibid.* cur auctrix facultas piſcibus fuerit neceſſaria. 480. a. materialem incrementi cauſam eſſe luxuriem humoris. *ibid.* b. cur piſces ad majorem magnitudinem, quàm alia pertingant animantia, cauſſam eſſe ab aquarum luxurie. *ibid.* nec non ab inſigni calore nativo. *ibid.* cur piſces in Ponto celeriùs augeſcant, quam alibi. *ibid.* cur feminæ è piſcibus majores maribus. 481. a. de viribus, ac armis piſcium. *ibid.* qua parte aculeos habeant piſces varii, judicatum. *ibid.* b. quis ſquamarum uſus in piſcibus. *ibid.* piſcium aliis carnem fulciri ſpinis, aliis cartilagine, aliis oſſibus. 482. a. de piſce navem XIV diebus retrorſum tergo geſtante. 483. a. aquatilia initio carere viſu; utcunque primò de formandis oculis ſolicita ſit natura. 484. a. cur primi in piſcibus moribundis deficiant oculi. *ibid.* cur iiſdem dati ſint oculi duri, & palpebræ negatæ. Deque oculorum ſitu diverſo, & ejus cauſa. De capite item planorum piſcium, & cur piſcium quidam obtorto natent capite. Ac cur pejus cernant illi, quibus oculi prominent. *ibid.* duriores oculus minùs eſſe perſpicaces. *ibid.* b. piſcium quoſdam viſu carere. *ibid.* quoſdam auditu excellere, & cui bono piſcibus is ſenſus ſit attributus. 485. a. auditus ergò meatum piſcibus ad cerebrum perforari, contra Ariſtotelem, & Plinium, aſſeritur. *ibid.* cur piſcibus datus ſit auditus, vel obtuſus, vel nullus. *ibid.* piſces eſſe guſtu præditos. *ibid.* b. quibus piſcium negata ſit lingua. *ibid.* b. piſces odoratum habere; ſed de organo, quo odorantur, non ſatis eſſe perſpicuum. 486. a. tactus nullum piſcem eſſe expertem. *ibid.* piſces dormire, variis argumentis ab Ariſtotele colligitur. 490. a. planos piſces faciliùs in ſomno capi fuſcinâ. *ibid.* caſtitas piſcium in connubiis. 491. b. amor eorum erga fœtus. 491. b. piſcium varia genera, quæ ſtabilem habeant ſedem; eòque non niſi partem corporis moveant. 495. a. piſcium natatus inſtrumenta. *ibid.* b. cur adeo pauci acceperint pedes; unde ἄποδες vocantur. 496. b. qui piſcium tardiores ſint, & unde id proveniat. 498. a. cur piſces minores diutius ſe contineant ſub aquis, majores vero, qui pulmones acceperunt, ſuffocentur. 498. b. piſces utrùm ſub aquis ſpirent aëra; in quo proponitur diſſenſus Scaligeri à Rondeletio; & qua occaſione ille opinionem hujus impugnare aggreſſus fuerit. 500. a. multorum piſcium ſonum vocem dici non poſſe; nec eo contemptiores eſſe B. Ambroſii judicio, quia vocis ſint expertes. *ibid.* b. qui piſcium ſint vocales. *ibid.* cur, ex Plutarchi ſententia, juſtitiæ minùs adverſetur eſus piſcium, quàm quadrupedum, & avium. 501. a. cur piſces lacuſtres, vel degentes fluminibus cœnoſis, pingues quidem ſint, ſed inſalubres. Utroſque autem bonitate vinci ab illis, qui degunt fluviis puris, hos à marinis; & quæ ſit cauſa iſtius. *ibid.* quare piſces ponti Euxini bonitate cedant piſcibus alius maris. *ibid.* b. quare pelagii piſces difficiles quidem ſint concoctu, ſed benè nutriant. *ibid.* ſaxatiles curaliis præſtent. 502. a. qua de cauſa meliores ſint piſces, ſi mari tempeſtuoſo capiantur: eoque laudentur, qui locis agunt ventoſis, præſertim boreæ expoſitis. *ibid.* Tyrrheni maris piſces ſuaviores ſunt, quàm Adriatici. *ibid.* in piſcibus commendatur media ætas; & cur nec minuti, nec vetuli probentur. *ibid.* b. piſcium quoſdam vere, alios æſtate, vel hieme, præſtabiliores eſſe. *ibid.* etiam partium alias aliis eſſe meliores; & cur parte caudæ propiores præcipuè commendentur; maximè in mugile; non item in thynno. 503. a. diſcrimen etiam eſſe in ſexu, & pro ratione apparandi; in qua diſtinguuntur frixi, aſſi, elixi, &c. *ibid.* priſcos Roma-

Romanos piſcibus abſtinuiſſe. 504. a. quantopere poſtea Romanis in deliciis fuerint. *ibid.* unde fit, quòd piſcium nonnullis ventriculus procidat in os. 510. b. piſces etiam ægris ab Hippocrate, & aliis, præſcribi. 523. b. piſces quomodo piſcibus capiantur. 535. b. & blenno piſce etiam quadrupedes. *ibid* piſcium uſus, & ſæpius luxus, in veſtibus purpureo tingendis colore; item in margaritis. 536. b. in ædium ſtructura ac re fabrili. 537. a. b. in ſuffragiis, menſuris, flagellandis pueris, plectendis adulteris. 539. a. b. abuſus eorundem ad equorum venditionem fraudulentam; item philtra, & magicas præſtigias. *ibid.* b. eſſe quoſdam, qui veneno ſuo noceant. 540. a. piſcibus attribuere Syri cultum divinum. 541. a. item Ægyptii. *ibid.* Lydis ſacri habiti. *ibid.* b. Syrorum, & Ægyptiorum ſapientiores piſcibus abſtinuiſſe, non tanquam diis; ſed uti rebus, quæ diis eſſent ſacratæ. 542. a

piſcibus cur abſtinuerint ſacerdotes Ægyptii. 256. b. piſcis cur iis odii ſymbolum. *ibid.* piſces argentei in templo Deæ Syriæ. 184. b

piſcinæ Romanis illaudatæ, niſi quæ marinas haberent piſces. 504. b

πιτύοκαμπτ, & πιτύμαλις, quid, & unde ſint. 568. b

Pitho, ſive Suada, cognomentum Dianæ, & quæ cognominis hujus cauſa. 162. b

pityocampæ mira fœcunditas. 561. a. pityocampe, quam venenata. 599. b. quomodo ei occurratur. 602. a

planetarum unde appellatio. 171. a & cur dicti *canes Proſerpinæ, deorumque liſtores. ibid.* colore diſtinguuntur. *ibid* planetas etiam ſcintillare. 182. b. planetarum trium, Martis, Jovis, & Saturni vires, & effectus. 179. a. b. planetæ quatuor Jovem ambientes veteribus incogniti; duo item aſſiſtentes Saturno iiſdem ignoti. 181. a. interim plures poſſe eſſe planetas, Phavorino non improbabile viſum. 181. b. planetarum conjunctio quantopere aëra immutet. 208. a. planetæ cujuſque ab ortu vis in quamque animæ facultatem, ſecundùm Chaldæos. 209. a. planetæ ſinguli ſingulis corporis membris præfecti, & ſigni cujuſque domus huic, vel illi planetæ tributa. *ibid.*

planipedes, pro mimorum genere; & ut eos cum avibus planipedibus ridiculè confuderit Aldrovandus. 432. b. cur tam mimi, quàm anſeres, dicantur *planipedes*. 433. a

plantæ ut æſtu, vel frigore nimio, exareſcant. 302. b. plantarum nutritio quantò ſit imperfectior illâ animalium. 303. b. plantis cur non fuerit ſomno opus 326. b

plantæ ex ſe quadruplex generant inſectum. 562. b

Plato cujuſmodi diſcrimen ſtatuerit inter cultum Dei, & naturæ; item deos, & heroas. 110. a. licet non agnoſceret deos populares, metu tamen populi ipſe etiam iis ſacrificabat. 110. b. Plato cum Ariſtotele, mundi æternitatem ſtatuente, perperam à ſectatoribus ſuis conciliatur. 3. a. Platonicorum error circa cultum Angelorum. 23. b. Platoni Deus incorporeus. 5. a. Tertulliano occurſum, qui aliam Platoni opinionem tribuit. *ibid.* Platonis opinio de animæ immortalitate. 29. a. Platonis ſententia de duobus principiis, uno bono, altero malo. 14. a. Plato an maſculæ Veneris amans. 9. b. 10. a.

Plato ut diſtinxerit hæc tria; Deum, Mentem mundi architectam, & Naturam. 195. b. item hæc quatuor; mentem divinam ſive ſummam, providentiam, legem fatalem, & ea quibus hæc lex præſcribitur. Quæ præſcriptio ſit tum animæ mundi, ſive menti ſecundæ; tum ſidereis poteſtatibus, dæmonibus, animis humanis, cæteriſque, pro ſuâ cujuſque natura animæ mundi ſubjectis. 207. a. Plato quatenus putarit, Fatum aliquid poſſe in animis humanis. 206. a. Platonicorum ſententia de Fortuna 201. a. Platonicus annus complectitur annos ter decies ſexies millenos; & unde id adſtruatur. 183. b

Plato, & alii, exactis annis novies novenis mortui; atque Platoni propterea à Magis fuerit ſacrificatum. 301. a. Platoni ſenſum, & mentem, extra cerebrum in hepate, vel corde, poni. 314. b. Platonis, & ejus ſectatorum opinio, animam eſſe hominem, refellitur. 344. b

Plauti lectio vetus adverſus Lambinum defenſa. 482. b

Plautinus verſus numeris redditus. 438. b

πλείστωρος, Thracum Deus. 229. b

Pleiſtorus Deus Thracum, cui ſacrificatus Oeobazus. 106. a

πλευρίτιδι quæ medeantur. 418. b

pleuritidi remedium è piſce turdo. 528. a. eidem remedia ex cera, aut melle. 583. a

Plinii error, non ſatis capientis, ἴππος etiam ſumi pro oculorum inſtabilium affectione. 310. b. Plinii lectio vetus defenſa. 364. b. ejus locus caſtigatus de Aino fluvio. 367. b. Plinii de bonaſo fimum ejiciente lapſus. 379. b. Plinii codicibus ovum, & ovidem, confundi; ut vel locus ſit corruptus, vel dicendum ſit, jam Pliniano ævo vulgari conſuetudine confundi hæc vocabula ſolere. 432. b. Plinii lapſus de quinis pſittaci in pede digitis. 446. b. Plinium, ac Solinum falli, cùm tradunt, ex mutis animantibus coturnices ſolùm laborare morbo comitiali. 454. a

Plinii Valeriani, qui Εὐπόριστα reliquit, ætas. 361. b

Plinius correctus. 489. a. & 520. a. ad marginem Plinii, & ſimul ejus librarii, de labro, inter piſces ab Ovidio relato, defenſio. 477. b. ejuſdem lapſus, exiſtimantis, ſoli ſcaro dentes non eſſe ſerratos. 478. b. & 481. a. adhæc error de marini vituli meatu auditorio. 485. a. alius item de branchiis murænæ. 495. b. ſcripſit libros de bello Germanico. 501. b. Plinium immeritò à Cæſare Scaligero traduci, ut pauca lectionis. 511. a. Plinius reprehenſus, quòd *uva* vocabulo impropriè uſus ſit pro *gurgulione*. 527. a. Plinium perperam ſcarabæo tribuere pennas: malè etiam Gazam chryſallidas dicere pennigeras 573. a. Plinii ὠστικοφωνίς, nunc cum Ariſtotele diceris, locuſtas ſonum edere feminum attritu; nunc ſtridere eas dentes conſciendo. 575. a

Plinius Valerianus correctus. 529. b

plumarii antiquis quinam dicerentur. 462. b

plumarum uſus in galeis ornandis. *ibid.* in culcitis, & cervicalibus etiam, obtinuit apud Romanos. *ibid.* uſus earum apud Americanos. *ibid.*

plumbum, æs, margaritas, aceto diſſolvi. 250. b

Plutarchi locus correctus. 6. a. & 61. b. ejuſdem opinio diſcuſſa de duabus Accis Laurentiis. 35. b

Plutarchi locus expenſus. 468. a

Plutarchus quanto cordatius, quàm plerique alii gentilium, ſenſerit de Diis ſuis. 159. a

Pluto cur Ageſilaus dictus. 53. b. unus è filiis Noe, puta Japetus, aut potiùs Chamus. *ibid.* & 56. a. non tam à parente, quàm à poſteris, in deos relatus. *ibid.* cur mortuis præfectus. *ibid.* Plutonis Græcanici ætas. 56. b. Pluto cur Phœnicibus dicatur Mouth ſive Mors. *ibid.* Pluto ille, qui Proſerpinam rapuit, Aidoneus ſive Orcus fuit, Moloſſorum rex. *ibid.*

Pluto, ſive Plutus, Phyſicis maſculam vim terræ deſignat, & unde nomen accepit. 234. a

pluvia triplex naturalis. 188. a. prodigioſæ variæ, & earum cauſæ naturales. *ibid.* quando terrâ pluat. *ibid.* b

pluviæ aquæ an ſalubres. 250. a

πλῶτη, ſeu *fluta*; ac id nomen unde. 499. a

pocula oblinebantur cerâ. 594. b. pocula ærea, ſtanno; at fictilia, pice vulgò oblini ſolita; & quæ ejus rei cauſſa. *ibid.*

podagræ, ac omnis morbi articularis, remedia ex piſcibus. 533. b

podex piſcium cur ore minor. 479. a

Poëtis quid occaſionem præbuerit fingendi apud inferos Stygа, Acheronta, Cocytum, &c. 264. b

Polaris ſtella dicitur ſe occultâſſe captâ Conſtantinopoli. 169. a

polita corpora cur majorem edant ſonum. 316. a

Politiani, & aliorum error de Nymphodori Tiſinomis. 31. a

Pollionis Romuli, de mellis utilitate in vita proroganda, ἀπόφθεγμα. 578. b

polpoch, ſerpens Americanus in Jucutana. 551. b

πολυβοία unde dicta ſit Proſerpina. 234. a

Polycaon Meſſeniis cultus. 39. a

Polypi caput comeſtum ſomnia facit turbida; ac propterea eo cibo abſtinebant, qui ex ſomniis divinarent. 330. a

polypi non ultra biennium vivunt. 473. a. aſſumere eos colorem rei proximæ, & duplex inde ad eos commodum redundare: unde item hæc ſit coloris immutatio, ac cum ſquatina hoc ei eſſe commune. 476. a. carent cute; ac quantum nihilominus valeant, 481. b. polypi magnitudo. 480. a. vis in cirris, & quàm noxium id animal. 481. b. polypi ſollertia. 488. a. polypi, & locuſtæ inimicitia. 493. a. fiſtulæ uſus polypo ad captandum. 496. a. an comedat cirros ſuos. 489. b. quomodo natet. 497. a. ejus caro qualis. 518. b. polypi piſcationi inſerviunt. 535. a. polypi capite comeſto, turbida producit ſomnia. 540. a

poma acerba cur parum, aut nihil oleant. 321. a

Pomona. 234 b

Pompejus cur in morbo turdos à medico præſcriptos poſcere noluerit à Lucullo, vel lurconum quoquam. 451. a

πομπίλος ex thunnorum genere unde dicatur. 518. a. pompilus piſcis philtris creditus inſervire. 539. b. hujus piſcis utilitas in re nautica. 538. a. fabula de Pompilo nautâ unde originem duxerit. *ibid.*

Pomponatius refellitur de cauſſâ rerum magicarum. 17. a

Pomponius, Attellanarum poeta, emendatus. 514. a

Ponti nomen κατ' ἐξοχὴν Euxini tribui; non primo, proprieque. 259. b

poppeana quale medicamentum, & unde dictum. 403. b

porca pro parte, qua mulier eſt, quod dicitur. 521. b. ideo nuptiarum die immolabatur porca. *ibid.*

porcorum ii, qui *majales* dicuntur, ſunt delicatiores, & unde id nomen. 396. b. *porcus Trajanus* quis veteribus dictus. 397. a. Vide *Sues*.

porcus Latium hoſtia erat feriis Compitalitiis. 32. b

porcus marinus idem & venenum, & remedium eſt. 540. b. *ſeq.*

pororum laxitas cauſa acutorum, occluſio, diuturnorum morborum, item catarrhorum. 339. b

Porphyrionis caſtitas fabuloſa. 440. b

Portugalliæ nomen non à Gallis, ſed à populo Callaico, vel Cale opido, juxta Durium flumen. 96. b. quando id nomen primùm in uſu eſſe cœperit. *ibid.*

portunus. 41. a

ποσειδιῶν, ἢ ἱπποσειδιῶν. 262. a

præ-

præcinctura in inſectis quid, & quàm varie eam nuncupet Philoſophus. 575. a
prædictiones de Chriſto multis antè ſeculis factæ, certum eſſe veritatis Evangelicæ argumentum, cùm futura contingentia præſcire ſolius ſit Dei. 19 a
prædictiones Theagenis, Thraſylli Aſcletarionis, & aliorum. 210. b. earum quæ potuerint eſſe cauſæ. ibid. vana prædictio Joannis Papæ. ibid. item Albumazaris de duratione religionis Chriſtianæ, tum R. Abraham Avenaris de adventu Meſſiæ. 211. a. b
prægnas pro *prægnans*. 368. b
præpetes unde dicantur. 462. b
præſtigiarum diabolicarum exemplum editum coram Galliarum rege Carolo Nono. 25. a
prævisiô Dei duplex; una antecedens actus humanos, ſive conditionata; altera eoſdem conſequens, ſive abſoluta. 215. a. b
πρέσβυς, & πρεσβεῖον, ut differant. 457. b 458. a
presbyterorum illi ſunt laudatiores, qui planctum, quàm qui plauſum cient. 361. a
preſterum quàm horrenda ſymptomata; nec alios videri ſerpentes ignitos Iſraelitis divinitus immiſſos in deſerto: & de eo, unde fuerint producti, duplex opinio. 549. b
πρῆστις piſcis unde dicatur. 498. b
priapi marini, & aquatilia alia quædam, oculis carent. 485. a
Priapus idem, qui Sol. 126. b. idem eſt Φάνης, & Φαναῖος, & Ægyptiorum Horus. 127. a. cur eum effinxerint cum ſceptro, & mutone ingenti. ibid. qua mente ad Jovem, & Saturnum, reducatur, & cur hortis ſit præfectus, cur Jovis Σωτῆρος filius dicatur, cur credi turgeſtare copiæ cornu. 127. b. unde dictus *Priapus*. ibid. qui aliter *Mutinus Titinus* Latinis dicitur, cujus faſcino inequitabant nuptæ. ibid. idem Bacchus vocatus, qui Bacchus non ſit alius à Sole. 128. b
primorum parentum memoria in Aſia apud Gentiles diu conſervata. 103. b
principium, ex antiquiſſimorum gentilium ſententia, eſſe unum bonum, alterum malum. 12. a. Zoroaſtris, & Perſarum de hoc mens. 12. b. ac Ægyptiorum. 13. a. & hinc derivata veterum aliquot Philoſophorum, etiam Platonis. ibid. refellitur hæc opinio, præcipueque contra Plutarchum, & Manichæos, oſtenditur, nihil eſſe in rerum natura, quod non proſit. 13. b. 14. a. b
Priſcillianiſtæ fatum Aſtrologicum ſtatuerunt. 210. b
Priſcillianiſtarum error, fulmina omnia à diabolo eſſe contentium. 178. b
Procli Lycii Μεταφράσεις. 224 a
prodigioſumne, an naturale fuerit, quòd apes à Samſone repertæ ſint in cadavere leonis. 570. b
prœtidum furor fuit λυκανθρωπία. 400. a
prognoſtica ventorum, imbrium, ſerenitatis, ac tempeſtatis. Sic prognoſticon venti cum ſerenitate conjuncti, rubido cælo. 291. b. pluviæ, ſi ſol videatur cavus, & ratio ejus. ibid. pluviæ, aut venti, conſueto intenſior calor matutinus, aut veſpertinus; item ſi ſolito ſol videatur major. ibid. certiora ſumi ſigna tempeſtatis, ac ſerenitatis, ex ſole oriente, quàm occidente. 292. a. prognoſtica lunæ ex coloribus, & qui lunæ dies maximè obſervandi. ibid. de ſiderum ortu, & occaſu. ibid. trajectio ſtellarum indicium ventorum. ibid. prognoſtica ex variis nubium coloribus. ibid b. item fulminibus, ac tonitribus. ibid. ex caligine, & iride. ibid. pareliis, coronis, virgis. 293. a. ex lucernarum lumine, earum fungis, & difficili incenſione; tum ex cineribus favillas diſpergentibus, & ignium murmure, ac flammis obliquis. Item maris tranquilli murmure, litoris ac riparum ſonitu, vel etiam cùm aquæ intumeſcunt, aut bulliunt. ibid. b. Montium ſonitu, & ſylvarum mugitu, delphinis laſcivientibus, aut ſpargentibus aquam, vel ex loliginum volatu, gallorum & paſſerum cantu, hirundinum atque aliarum avium volatu. ibid. iterato quadrupedum coitu, vel tempore ejus anticipato, vel ex bubus aera captantibus, aut lambentibus ungulas, vel ex voracitate quadrupedum, ex ranis, veſpis, cicadis, & ſimilibus. 294. a. b
progreſſus quomodo fiat. 336. a. de triplici ratione, qua animantia in progreſſu flectunt articulos, ſive juncturas membrorum. ibid.
Prometheus Noachum adumbrat, & diluvium ſub eo factum, diluvium ſub Noacho. 54. a. Prometheus, & Epimetheus, unde dicti. ibid. Promethei plures videntur fuiſſe: quorum celebratiſſimus apud Græcos, Atlantis pater, & quando is vixerit. ibid. Promethei in feſto cur lampas traderetur. 54. b
Prometheus cur fingatur amicus Oceano. 259. a
προπύλαια quid, & unde. 568. b
Proſerpinæ raptus juxta hiſtoriæ fidem narratur. 56. b
Proſerpinæ, ſive Περσεφόνης nomen unde. 164. a. b. aliud ἔτυμον ex Hebræo. 233. b. eadem Φερέφαττα, & Χθονία, ac hujuſce ratio nominis. Per eam intelligitur Luna, ſed inferis lucens. 164 b. quo pacto *Cereris filia* dicatur, & cur hæc Manibus præeſſe dicatur. 165. a. Proſerpinæ, ac omnis Cereris miniſtris, cur *apum* ſit nomen datum. ibid. cur Proſerpinæ nomen *Meliodes* tribuatur. ibid. ubi Scholiaſtæ Theocriti opinio rejecta, exiſtimantis, Meliodem, & Coram, per antiphraſin ſic vocari; adhæc cur dicatur Libera, vel Cora; Bacchus item Liber. 165. b. quo reſpexerint, qui cùm eadem ſit Proſerpina, ac Diana; Dianam quidem, Latonæ, Proſerpinam autem alii Stygis filiam dixerint, alii Cereris. ibid. atque hæc de Proſerpina, quatenus numen eſt cæleſte. Præterea verò ad elementa pertinet: quomodo phyſicè ſignificat ſimpliciter terram frugiferam: ac frequentiùs vel ſemen, vel terram interiorem, quæ quia furva, hinc ipſa diva *furvæ* habuit cognomen, ac eidem furvæ mactabantur hoſtiæ. 233. a. eadem Φλοιὰ, & Πολύβοια vocata. ibid.
proſtrati piſces qui Columellæ dicantur. 505. a
προτέλεια, quia eadem Diana ac Juno, tum Junonis erant ſacrum, tum feſtum Dianæ. Ac Junonia ſacrum ſic dictum ante nuptias, fiebat, quo ſponſus ſponſaque fel abjiciebant retro altare. 161. a. in Dianæ autem feſto virgines Atticæ caniſtra geſtabant. 166. b
Proteſilaus cultus Abydenis. 60. a
proverbium Hebræum, *Spargit lapidem in Marcolis*; quid eo ſignetur, & unde ortum. 176. a
prudentia, & virtutes omnes morales, in affectuum moderatione conſiſtunt. 334. b
pruina quomodo differat à rore. 286. a. pruinæ etymon, & ut trifariam noceat: eſſe interea, quo etiam commodet plantis. ibid.
Prutenorum Dii. 114. b. 115. a
πρυτανεῖα loca Veſtæ ſacrata, & unde his nomen. 240. b
Pſaphon quo artificio evaſerit Deus. 296. b
pſittacus ad ſexageſimum, & ultrà, pertingit. 425. b pſittacus alitum ſolus ſuperiorem movet mandibulam, ut ex quadrupedibus crocodilus. 426. a. pſittaci pulchritudo commendata à Papinio. 427. b. pſittacus laudis ſtudioſus. 442 a. pſittacus in aula Baſilii Cæſaris lugens Leonem; quem, licet filium, incarcerem conjecerat imperator. 446 a. Cedreni de hoc dubitatio tollitur, utrùm ſic edocta ales, an citra diſciplinam, fuerit prolocuta. ibid. quomodo pſittacus, & qua ætate magis ut idoneus diſciplinæ ibid. b
Pſylli, & Marſi, cur innoxii tractent ſerpentes, cauſa diſquiſita. 556 a. b
ψῆν vermis ut differat à vicino genere. 596. a. ψῆνες ex caprifico. 562. b
ψίλωθρα è piſcibus. 535. b
ψιλόν. 536. a
πτίλα inſectorum alæ. 573. a
Ptolemæi, & aliorum Mathematicorum, de fato Aſtrologico opinio. 211. b
Ptolemæus magnus, ſive Soter, fœda ſacerdotis Ammonii adulatione pronunciatus Deus. 88. b
πτυάδες, ſerpentum genus, unde nomen acceperit. 548. b
pueri cur obliviofi. 323. b. iidem cur in lachrymas proni, ut feminæ; non item homines prudentes. 359. b
pueritiæ cicatrices cur ad ſenectutem uſque perdurent. 303. b. pueritiæ tempore cur magis creſcamus. 306. a
pulicum morſus cur ſit vehementior pluviâ imminente. 294. b
pulicum origo. 561. b. pulices ut arceantur. 601. a. pulices marini doloribus aurium medentur. 581. b
pulmone marino affrictum lignum prælucet. 538. a
pulmoni à quadrupedibus medicina. 402. a
pulſus cauſæ. 339. a. utilitas artis ex arteriarum pulſu judicandi, ac medendi. ibid. b
pumiliones cur ſint ſomniculoſi. 327. b
pupilla unde in oculis dicatur. 310. b. ejus imago an ſemper ante mortem videri deſinat, & in hoc Plinii lapſus. ibid. pupillam eſſe tunicæ uveæ teneſtellam, non corneæ, ut Plinius putabat, ibid. cur hæc nigra ſit, deque variâ ejus in variis animantibus figurâ. ibid. cur quidam geminam habere pupillam credantur. 311. a
purgatio corporum trifariam fit in gentilium ſacris; aquâ, aëre, igni. 141. b. fit quidem & terrâ purgatio: ſed hæc ad illam, quæ igni fit, refertur, quia ignis eſt è terra utili. 239. a. & 141. a
purpuræ piſcis ætas. 472. b. purpuræ caro etiam in cibis. 521. b. purpuram melle conſervari, & unde ea vis mellis. 590. b
purpureus color hodie ab herbis; olim à piſcibus; qui eum in mediis haberent faucibus. 536. b. ſeq.
puta. 234. b
Puteoli opidum, unde dicatur. 265. a
puteus, niſi *pluteus* legendum, apud Samios Junoni erat ſacer. 362. a
putrilagini oris remedium è garo mænarum. 526. b
πυλάρτης. 219. a
πυλάων. ibid.
Pyræthi, & Pyræthea Perſarum ac Cappadocum. 132. a. 239. b
pyrauſtæ ſtultitia. 572 a
pyrius pulvis unde componatur. 278. a. quantò majus ſpatium occupet grani ejus fumus, ubi accenſum; quàm antea, ibid. b. & 285. a
Pyrois, ſtella Martis, Capellæ, auctori de Mundo, Appulejo, Achilli Tatio. 177. a. b
Pyrrhæa flumen ſteriles facit. 251. b
Pyrrhus, rex Epirotarum, ſpleneticos ſanabat, pede dextro leniter lieni impreſſo: nec aliud præmii loco poſcebat, quàm ut gallus ſibi ſacrificaretur. 296. b
Pythagoræ opinio de duobus principiis, 13. b. eidem agnitos eſſe ſpiritus, & qui philoſophorum in hoc eum fuerint ſecuti. 15. b. Pythagoras Metapontinis cultus. 107. a
Pythagoræ ſymbolum expoſitum, *Ne erythrinum ede*. 508. a
Pythagoreorum ἐχεμυθία, ob quam piſces viſi contubernales Pythagoræ. 316 b. Pythagorei cur animantibus abſtinuerint. 347. a

Xxxxx

Pytha-

Pythagoricis quus Deus, mundi ſpiritus: ſed mundum etiam Deum dixiſſe, quia à ſpiritu divino animetur. 188. a
Pyxoderi apud Epheſios cultus. 60. b

Q.

QUadriennio quoque creditum redire eandem temporum faciem. 78. a
quadrupedum diviſio in ſoliduungula, biſulca, & multifida, 374 b. quadrupedum quorundam coitus averſus. 375. a. quadrupedum noxiorum, ut lupæ, pardalis, tigridis, raros eſſe partus: falli tamen eos, qui arbitrantur, ſemel tantùm parere in omni vita. ibid. b. contra magnam eſſe fœcunditatem eorum, quæ plurimùm homini, & aliis, cedunt in cibum. ibid. quadrupedum variorum, puta leporis, felis, arietis, capræ, ſuis, canis, equi, aſini, muli, cameli, cervi, ſpatium vitæ refertur; & cauſa de plerisque eorum allata. 376 a. Heſiodi fabella de longiſſimâ quorundam animalium ætate. ibid. b. quadrupedum quædam, ut hiænæ, feles, veſpertiliones, cur noctu etiam videant. 382. b. quadrupedum quædam præſcire in prima ætate, qua parte ſint poſtmodum valitura. 385. b. ſcire & naturæ inſtinctu, quomodo morbo ſuo poſſint mederi. ibid. quædam fabuloſè quadrupedibus attributa. 386. a. de furore quorundam in Venerem. ibid. b. inimicitiæ quadrupedibus ſunt cum avibus, ſerpentibus, inſectis: 388. a. quadrupes eſſe, cervo non abſimile, dentibus validum, quod ſe cornuum beneficio ſecure de turri demittat. 389. b
Quercetani de aquis pinguibus, ac lutoſis, opinio diſcuſſa. 250. a
Quies dea erat Romanis; fanum ejus extra portam Eſquilinam; non Collinam, ut Auguſtinus putavit. 300. a. neque tamen publicè ei ſacrificatum, & quæ neglecti ſacrificii cauſa. ibid.
Quirinus, hoc eſt, Romulus, cur à Ceribus id nomen acceperit. 34. a

R.

R Crebro in L. mutari. 596. a
racemi ab exploratoribus terræ Canaan portati incredibilis magnitudo deſcripta à Philone Alexandrino. 87. b. & cur vecti fuerit deportatus. ibid
Ραχάδις quid, & ſua medicina. 533. a
raja piſcis, Græcis βάτος, vel βάτις. 512. a
raja, paſtinaca, rana marina, cur nequeant intra ſe fœtum recipere. 492. a
Rampſinitii impudens commentum. 332. b
ranæ cur vehementiùs coaxent, pluviâ imminente. 294. b. cur eædem tam diu ſub aquis ſe valeant continere. 337. b. vide Ranunculi.
ranæ ætas. 473. a. ranæ antidotum contra venena. 524. a. ranarum vis in palpebrarum ciliis. 526. a. earundem coxæ utiles aſthmaticis. 528. a. ranæ ferventibus aquis innatantes citra noxam. 574. a. ranæ Seriphiæ, ac Cyrenaicæ, cur non coaxent. 576. a
ranæ marinæ ſollertia. 487. b. ranæ marinæ ſolæ è cartilagineis vivum pariunt animal. 712. a. cur rana nomen illis datum. ibid.
rangiferæ feræ celeritas. 393. a
ranunculis utrùm pluat, an potiùs in terra mox à pluvia generentur. 288. b
Raphaelis Volaterrani lapſus de vulture animal pariente. 423. a
Raſdi, ſeu Varaſolo, pro dea culta Hungaris. 298. a
raucedini remedium è congro, & ſiluro. 527. b
recti inteſtini uſus. 304. a
redamiruare. 433. a
reges quomodo à morte divinos nacti honores 33. a
regii morbi variæ appellationes, eidemque è cervo remedia. 402. b
regina Junonis templum. 161. b
regum, & triumphantium ſceptris cur aquilæ effigies inſideret? 418. b
rejuveneſcere ſenes, è Bojuca amne ſi biberint, ut fabulantur quidam Novi Orbis ſcriptores. 251. b
religio quid. 6. b. ejus extrema, in defectu, impietas; in exceſſu ſuperſtitio. ibid.
religionis gentilis primordia in Oriente, ubi uno naturæ numine duo principia coluere, activum, & paſſivum. 151. a
religioſi actus dividuntur. 10. b
remedia ex quadrupedibus adverſus morbos. 399. b. adhæc elephantiaſin, & venena. ibid. capitis dolorem. 400. a. phrenitidem, hydrophobiam, lycanthropiam, lethargum, ac venenum. ibid. paralyſin, & epilepſiam. ibid. oculorum morbos. 401. b. faucium, ac thoracis morbos. 402. a. & ventris. ibid. remedia ex avibus jecoris ſcirrho. 458. b. ſtomachi vitiis variis, dolori colico. ibid. alvo duriori, vitiis ſedis. 459. a. hæmorrhoidi, morbo cœliaco, regio, lienico, renum calculo. ibid. veſicæ roſioni, gonorrhœæ, impotentiæ Venereæ, mentium profluvio, partus difficultati, ſecundis extrahendis, morbo articulari. ibid. b. & 460. a. febribus longis, ac diuturnis; hecticæ etiam, & contra venena ſerpentium, aliorumque venenatorum. ibid. canis item rabidi morſui. ibid. b
remedia ex piſcibus pro ulceribus capitis, morbo comitiali, veterno, capitis dolore, tremore & convulſione membrorum. 524. b. item aliis morbis. 525. a. b. remedium augendi feminis lac eſu glanci piſcis. 528. b. remedia adverſus ſerpentes è foſſilibus. 554. a. è plantis. ibid. & ſeq. ex animalibus. 555 b. & ſeq. remedium præſtantiſſimum adverſus morſus venenatos. 555. b. remedia aliquot ex inſectis contra quartanas. 579. b. dolorem capitis, epilepſiam, paralyſin, nervorum vitia. 580. a. oculorum, aurium, narium, dentium vitia. ibid. b. ſeq. anginam, & tonſillas, aliaque faucium vitia, ac thoracis morbos. 582. a. b. ventriculi, & inteſtini morbos. 583. b. ſeq. jecoris, lienis, & renum affectiones. 584. a. b. arthritidem. 585. b. ſeq. remedia adverſus locuſtas. 606. a. erucas. ibid. curculiones. ibid. blattas, & tineas. ibid. b. muſcas, & culices. ibid. pediculos. 601. a. pulices, ac cimices. ibid. ſcorpiones. ibid. phalangia, ac tarantulas. ibid. cantharides potas, bupreſtin, pityocampen, adhæc mel Ponticum ore aſſumptum. 602. a
remeligines eædem, ac remoræ, & unde utrumque nomen. 482. b
reminiſcentia quid, & quomodo à memoria differat. 324. a
reminiſci ſolius eſt hominis, licet meminiſſe etiam ſit cum beſtiis commune; & iſtius cauſa. ibid.
remoræ piſcis nomen unde. 483. a. non videri unicum piſcem, cui hoc nomen conveniat, ſed varios; in his lampetram. ibid. quæ ſit ejus vis, & cauſa tantæ facultatis. ibid. b
remus cur in aqua fractus, aut flexus, videatur. 315. b
renum morbo remedia ex avibus. 459. b
renum medicina ex piſcibus. 531. b
reprehenſi, qui, minus vulgaria narrantes, ſuos, unde acceperint, diſſimulant auctores. 435. b
reptatio quomodo fiat. 326. a
reſpiratio quomodo fiat. 337. b. inſpirationis neceſſitas. ibid. quare morientes valide adeò exſpirent. 338. a. triplicia reſpirationis inſtrumenta, & quæ partes corporis ad reſpirationem concurrant. ibid. cur poſt acrem animi intentionem reſpiremus vehementiùs. ibid. b. reſpirationis partes, Diaſtole, & Syſtole utriuſque utilitas. ibid. reſpiratio crebrior morboſaque, unde oriatur, & remedium, illi ex gallo, & aliis. 458. a. b
reſpirationis effectus duplex; palpitatio cordis, & micatio arteriarum. 339. a
reſpirationis cohibitio in piſcibus cui bono ſit. 498. a. cur alius ſit cordis ſitus iis, qui pulmonibus, quàm qui branchiis reſpirant. ibid. b
retiformis oculi tunica quæ, & cujus figuræ. 311. a
revelatio intellectualis duplex. 30. b
rex, & regina, nomina unde in ſacris. 161. a
Rhacias Cereris cognomentum. 40. a
Rhea unde dicta. 223. b. & 230. b. Rhea, Iſis, Venus, Dea eadem. 133. b. Rhea mixtum eſt nomen, quod Lunam, Telluremque comprehendit. 162. b. Rheæ, ſive matris Phrygiæ, ſimulacrum quomodo in veteribus fingatur aris. 219. a. quando Romæ, & à quibus, & quomodo ſoleat circumferri, atque ut illud unà cum leonibus, mos fuerit abluere in fluvio Almone. 226. b
rhenones unde ſic dicantur. 405. b
Rhenus curà Nuono liberus dicatur. 97. a
rhinoceros divinæ providentiæ ſpeculum Jobo. 363. a. rhinoceroti unde nomen, & quomodo, licet viribus inferior, vincat elephantum. 378. b. quis animal id primus oſtenderit populo Romano. ibid. commiſſum illud cum uro ibid. rhinocerotes omnes an mares, ut Oppianus putavit. 375. a. rhinocerotis amor fabuloſus erga virgines. 388. b
rhombus piſcis. 509. b. de junioribus rhombis proverbium, Nihil ad rhombum. ibid. rhombi intemperantia in cibis. 491. a. aſtus ejuſdem. ibid. inertia. 495. a
ricini, ſive κρότωνες. 559. b
rigori cervicis, & ſpinæ dorſi, remedium ex piſcibus. 527. b
ῥίνη. 512. a
riſus an conveniat Chriſtiano. 357. b. non eſſe naturâ malum, è Scripturis, & natura, oſtenditur. 358. a. riſus preſſiori ſignificatione accepti objectum, & cauſa. ibid. cur alii aliis ad riſum ſint procliviores. ibid. b. de riſus ſede variorum ſententiæ excuſſæ. ibid. riſum eſſe motum involuntarium. 359. a. cur ſplen riſus organum ſtatui ſoleat, & cur ſtulti ad riſum adeò ſint propenſi. ibid. de riſu impropriè dicto, qualis eſt, cùm ridentes moriuntur, quibus vulneratum eſt ſeptum tranſverſum, aut qui comedunt herbam Sardoam. ibid. an quod infantes quandoque moribundi rident, contingat ex conſpectu Angelico. ibid.
Ritterſhuſii opinio de paſſere marino rejecta. 371. b
ritus faſcinantium in laminâ corpori alligandâ. 181. b
ritus leoninum apponendi caput rictum diſtendens, tum orificio fontis, & aquæductus, tum ædium, ſacrarum præcipuè, clauſtris; & unde is mos promanarit. 256. a
ritus nummi Romæ inferendi in ærarium aliquo naſcente, virilem togam aſſumente, aut moriente. 164 a
robigo, ſegetis vitium è rore in ea putreſacto. 286. a. b
Robigus, & feſtum Robigalia. Vide Rubigo.
Robigus deus robigini in avertendæ præfectus, honorique ejus inſtituta Rubigalia. ibid.
Rogerii Baconis opinio, cur feriandum ſit die Saturni, refellitur. 256. b
Roma Romanis, & Græcis, pro Dea eſt habita. 236. a
Romani ſacra ſua acceperant ab Albanis, Sabinis, Thuſcis. 52. b
Romani, Deos ſalutantes, ſe convertebant dextrorſum; Galli ſiniſtrorſum. 119. b
Romuli in conceptu an fuerit deliquium Solis, quale Tarrutius putavit. 149. b
ronchi in dormientibus cauſa. 326. b
Rondeletii emendatio in loco Martialis improbata. 508. a. b

Ros

Ros Lunæ filia cur dicatur. 148.a
ros ubi, & quo tempore imprimis generetur. 286. a. de loco ejus lapſus Alberti Magni, & Javelli. ibid. cur pecudibus immodicè alvum moveat, & inde mortuis viſcera flavi ſint coloris: adhæc cur proſit plantis; pruina autem, quæ ros eſt congelatus, iiſdem obſit. ibid.
roſæ cur, prope allia conſitæ, meliorem habeant odorem. 321.a
Rubigus, ſive Robigus, & feſtum Robigalia. 255. a. Rubigo Deo cur canis rufus ſacrificaretur. 184.b
Rubro, ſive Erythræo mari unde nomen. 95. b
rubrorum conſpectus cur oculis noceat; tauris verò, & gallinis Numidicis, iram concitet. 312. b
Rugianorum ſpiſſa idololatria, martyrem pro Deo colentium. 109.b
rumen cur datum avibus. 443.a
runcana. 235.a
ruſtici cur Græcis vocati ἀγροῖκοι. 405.b
ruſticula Latinorum, Græcorum σκολόπαξ, ac Gallorum *beccada*, idem. 450.b
rutæ vis adverſus venenum hauſta à muſtela. 398.b

S.

SAbæi Solem coluere. 126.a
Sabazius, ſive Sabadius Jupiter; idem ac Liber. 140. a. ritus immiſſi colubri aurei in ſinum initiatorum Jovi Sabazio, indeque educti, & quæ ritus ejus cauſa, ac unde ei *Sabazio* nomen; de quo Euſtathius, & Stephanus, refelluntur. *ibid.*
Sabinæ riſum excuſantis dictum: 358.a
Sabini Lacedæmoniorum coloni. 34.b
ſabbathi etymon, deque eo Plutarchus refutatus. 140. a. b. *ſabbatha trigeſima* quid denotet Horatio. 158.b
Sabus Sabinæ gentis author. 34.b
Sacæa feſtum Anaitidi ſacrum. 154. a. quo domini ſervos ſuos procurabant, ut Romæ Saturnalibus. *ibid.* eodem Sacæorum feſto alicui ex vinctis morti adjudicatis permiſſum, ut priuſquam ad ſupplicium duceretur, nullo non voluptatis genere animum expleret. *ibid.* Sacæorum nomen unde. *ibid.* b
Sacerdotes Ægyptii cur cepis abſtineant. 148. a. Sacerdotes matris Deûm caſtrabantur teſtâ Samiâ, quia minori ſic fieret periculo. 221. b. quid eo myſticè notatum. 224.a
ſacerdotes cur in ſacrificiis prætulerint ligna, quæ pluviis aquis irrigâſſet nubes arcu cœleſti conſpicuo. 290. a. ſacerdotes Romani cur abſtinuerint eſu caprinæ. 401. a. ſacerdotes Ægyptii cur non aliâ ſe luſtrent aquâ, quàm unde ibides biberunt. 430.a
ſacra Romanorum ab Albanis, Sabinis, Thuſcis. 52.b
ſacrificii honorem nulli præter Deum convenire oſtenditur, 110. b. quo ſenſu ſacrificiis dicantur expiari peccata, & analogia inter victimas V. T. & ſacrificium D. noſtri Jeſu Chriſti, 111.a
ſacro igni medicina à lumbricis. 588. b. ſpecies ſacri ignis ζωστήρ, qui Latinis *zona*, ac ejus medicina. *ibid.*
ſacrorum gentilium cauſa partim ex hiſtoria, partim ex natura, partim ex utriuſque convenientia, petenda. 227.a
Saducæi negabant ſpiritus: & quid veriſimile ſit, eos reſpondiſſe, quando iis objicerentur è pentateucho tot loca, in quibus eſt de apparitionibus angelorum. 15.a.
Saducæorum error de mortalitate animarum ex Moſe refellitur. 28.a. origo ejus ſectæ. *ibid.*
Salambo, Babyloniorum nomen à Syromacedonibus acceptum, unde nomen ſumpſerit. 153.a
ſalar. 512.a
ſalem menſis inferre, cur minimè moris fuerit ſacerdotibus Ægyptiis. 196. b. contrà Romani menſas ſacrabant ſalini appoſitu. *ibid.*
ſaliva humana utilis contra ſerpentes. 556.a
ſalivæ in guſtando uſus. 319. a. b
Salmacis Nympha. 262.b
ſalmo piſcis, & de variis ejus nominibus. 512. a. ejuſdem vivacitas. 472. b. ſalmonis caput cur eſu inſalubre. 503. a. ſalmo ſive trutta lacuſtris. 516.a
ſalpa quando pariat. 472. b. qualis is piſcis. 508.a
ſalum unde dicatur. 245.a
Samaritani aliter extolere nomen Dei τετραγράμματον, quàm Judæi. 92.a
Samothraces unde dicti. 228. b. Samothracum ſacra quis primus inſtituerit. *ibid.* Dii qui Samothracibus culti. *ibid.*
Samſonis geſta Herculi tributa. 64.a
Sanchoniathonis ætas, dignitas, ſcripta. 62.b
Sandes Herculis cognomen, & unde ſic appelletur. 64.a
Sandes Medis, ac Perſis, Hercules. 142.b
ſanguinea pluviæ cauſſa. 288.a
ſanguini ſiſtendo remedium à gallina. 457.b
ſanguini è naribus profluenti remedium è cochleis. 526. b. item. 581. b. ex limace, & aliis. *ibid.*
ſanguinei temperamenti homines cur diutiùs naturâ poſſint vivere; ſed culpâ ſuâ ſæpe celeriùs obeant. 298.b
ſanguinis duplex diffuſio per corpus; una per venas, altera per arterias. 305.a
Saphenath Paneah, quo nomine Joſephum Pharao vocari juſſit; variè à veteribus redditur. 83.a
Sapientiæ libri, qui vulgò Salomonis inſcribitur, quis auctor 31.b
ſaporis materies, & efficiens quæ. 318. b. ſapores, extremi duo, dulce & amarum; quatuor intermedii, acre, auſterum, acerbum, & acidum. *ibid.* ſaporis, & odoris collatio; & utriuſque definitio. 321.a
ſaporis in piſcibus diſcrimen pro locis, & alimentis. 502. b
Saraceni Venerem, hoc eſt, Lunam, & Luciferum, colunt. 172. b. iidem per Veneris ſtellam jurant. 173.a
ſarachi piſcis quantus metus, & cui bono Deus hunc timorem ei indiderit. 494.b
Sarapis, ſive Serapis, deus Ægyptius, idem ac Apis, ſive Joſephus patriarcha. 83.a ejus effigiei cur modius impoſitus. *ibid.* & etymon illius tergeminum adfertur. 83. b. Deum Ægyptiorum patrium fuiſſe, contrà Tacitum, eique ἀμφίψυχον Scaligerum, probatur. *ibid.* de Serapidis effigie, juſſu Seſoſtris Regis facta, Athenodori Tarſenſis ſententia; & unde nigricans Serapidis color. *ibid.*
Sardonius riſus unde. 359.a
ſardorum Dii Hercules Thebanus, ſive Alcides, & cum eo Iolaus; item Hercules Libycus ſeu Maceris, cum Sardo, unde *Sardi* dicti. 107.a
ſargus piſcis quoties pariat, & quando: 472. a. ejus piſcis laus. 506. a. ſargus qualis. 507.b
Sari, alterius Adanorum conditoris, appellatio unde. 103.b
Sarmatarum dii. 105.a b
Sarmatis Znicz Deus Ignis. 243.a
Sarpedon cultus Trojanis. 60.a
Saturnalium feſto, quæ fuere menſe Decembri, etiam ſervis par, ac dominis, libertas. 53.a
Saturnini planetæ duo. 181.a
Saturnus idem ac Adamus. 53. a. repertor agriculturæ. *ibid.* forte & idem eſt Noë. 56.a. quò pertinet, quòd Saturnus Phœnicibus bifrons creditus. *ibid.* videtur & Abrahamus filium paratos ſacrificare, cultus eſſe in Saturno. 54. b. Phœnicibus dictus Ilus, non Iſrael: etſi ſic apud Porphyrium legatur *ibid.* Saturnus, & Jupiter Ægyptius, ſive Ammon quis. 74. b. Saturnus falsò traditur fuiſſe rex Italiæ: nec Saturnus ille animale, ſed naturale numen fuit. 34. b. 35. a
Saturnus nunc nomen eſt ſupremi planetarum, nunc Solis. Ut ſtellam ſignificat, ſummum puta planetam, præter hoc nomen alia etiam habet. 177. b. Saturni hujus motus cùm velociſſimus ſit, cur tardus dicatur. 180. b. cur fingatur à Jove vinctus, atque in Tartarum præcipitatus. *ibid.* cur creditus ſit animis hominum indere vim ſublimium ſpeculatricem, poſteaque ſapientum animas eò, unde dimiſſæ ſunt, revocare. *ibid.* cur ſit præfectus atræ bili, ſpleni, oſſibus, quartanæ, phthiſi, & id genus morbis: imò agricolis, & horum inſtar melancholicis, etiam indignationi. 181. a. præterea Saturni nomen Naturæ, vel Soli tributum. 138. a. ſic Phœnicibus, & aliis in Oriente, Solem intelligi. 120. b. cumque Saturno Phœnices dicuntur liberos immolâſſe, Solem ſignari. 121. a. & 123. b. iidem Pœnorum Saturnus idem ac Molochus, ſive Sol: & ut huic à Syris, ita illi à Pœnis liberos ſacrificatos. 136. a. Saturnus Germanis *Crodi* nomine cultus; quod corruptum videtur ex Κρόνος. 178. b
ſatyri à Silenis ſola ætate differunt. 23. a. unde dicti. *ibid.*
ſatyria, vel ſatyra avis, nonnullis eſt corvus, & cur iidem ſic dictam putent. Quorum ſententia refellitur. 440. b
ſauli piſcis caro qualis. 509.a
ſaxatiles piſces cur aliis ſalubriores. 502.a
Saxonibus antiquis culti dæmones. 22. b
Ζαυὴ Caini ſoror, & conjux. 49.b
ſcabies, impetigo, lepra, elephas, quomodo differant. 535. a. remedium his è piſcibus. *ibid.* ſcabiei apud Græcos, & Germanos, vocabula, & eorum origo; ei medicina, culices, & cera. 589.b
Scaliger pater fruſtra ſextum inducit ſenſum exteriorem. 318.a
Scaligeri opera in digerendis Manethonis Sebennitæ annis defenditur. 79. b. Scaliger refellitur ſuper eo, quòd putarit, Serapidem Ægyptiis foſſe nomen ab exteris acceptum. 83.a. Scaliger deceptus, cùm à Solino ſolo arbitratur odoratum laſerpitii radici tribui odorem. 90.a
Scaligeri filii emendatio in Livii Andronici verſu rejecta. 379.a
ſcarabæi cur graveolentia ſectentur. 383.a
ſcarabæi cibus. 565. b. ſcarabæus ſymbolum viri bellicoſi. 566. b. origo ex aſinis. 570. b. ſcarabæi cur majorem edant ſonum crabronibus, crabrones muſcis. 576.a.
ſcarabæus ſmaragdini coloris prodeſt oculorum claritati: unde in pretio eſt gemmarum ſculptoribus. 581. a. ex ſcarabæis remedium dolori aurium. *ibid.* item calculo. 582.a
ſcarus an piſcium ſolus ruminet. 478. b. unde ſit, quòd qui veteribus eſt *ſcarus*, Iſidoro vocetur *eſcarus*. *ibid.* ſcari aſtus. 488. a. de ſcaris refellitur opinio, & eorum qui arbitrantur, ſolos piſcium dormire, & qui putant, ſolos non dormire. 490. b. ἡμερόκοιτος, ſive νυκτερίς, unde dicatur. *ibid.* nec alius videtur ab eo callionymus, ſive uranoſcopus. *ibid.* amor ejus, ac fides, in liberando ſocio captivo. 492. b. ſcaro primæ dantur inter piſces ſaxatiles; imò in piſcibus univerſis. 508. a. quomodo è Siculo, vel Carpathio mari, ubi maximè frequens, in mare Tyrrhenum pervenerit. *ibid.* & unde ſit, quòd poſtea in hoc mari deſierit. *ibid.* eum jam tempore belli Punici ſecundi notum fuiſſe Romanis; aſſatum maximo fuiſſe in pretio; præcipuè commendatum jecur, ac viſcera: & cur Ennius eum vocet cerebrum Jovis. *ibid.* diſceſſum à Scaligero, exiſtimante, à Numa fuiſſe interdictum, ne quis ſcarum licet ſquamoſum polluceret. *ibid.* b. ſcarus cur ſuſpectus, ſi Diphilo fides. 540.b
ſchamaiim, vox Hebræa cælos ſignificans, unde originem trahat. 191. b. 192. a

Schichor, & torrens deſerti, vel Ægypti, in Scripturis fluentum prope Rhinocuram. 254.b

ſcientiæ naturalis finis ultimus eſt, tum amor cultuſque divinus; tum conſervatio hujus vitæ. 247.b

ſcientiarum ex cellentia æſtimatur ex præſtantia objecti; uti artium ſæpe ex materiæ viliate. 340.a

ſciuri aſtus. 385.a

ſcolopendræ partes, à reliquo præciſæ corpore, gradiuntur. 574.a. ſcolopendræ marinæ ſollertia. 487.b

ſcombri caro, & garum ex ejus inteſtinis eliquatum. 508.b. hoc *garum ſociorum* dici ſolere; deque eo rejecta opinio illorum, qui *aſociorum*, *aſotorum*, vel *Soſiorum* legunt; & quæ veri nominis cauſa. *ibid.*

ſcorpænæ piſcis caro qualis. 508.a

ſcorpii venenum ſuperari ſtomacho gallinæ. 460.b

ſcorpii deſcriptio, & quàm varia ejus genera. 598.a. ſcorpiones ali muſcis; item pinguiori terræ ſucco. 565.a. magnitudo eorum. 566.a. ſcorpionum fœcunditas. 544.a. erga parentes impietas. 572.b. ex inſectis ſoli ſcorpio ſpiculum eſſe foris prominens: ac cur Celſus ſcorpium inter ſerpentes reponat. *ibid.* leonem à ſcorpio interimi. 566.b. alia in homine eſſe ſymptomata, ſi ſuperas punxerit partes, quam ſi inferas. 598.a. diſcrimen ſcorpii, & phalangii pungentis. *ibid.* b. eſſe ſcorpiones innoxios in Italia, & Ægypto. 601.b. venenatis variè occurri. *ibid.* ictui ejus prodeſt ſal toſtum cum melle. 579.b. ſcorpius conducit febri. *ibid.* calculo. 584.b. morſui à vipera. 558.a

ſcorpio piſcis quoties pariat, & quando. 472.b. ſcorpii piſcis caro qualis. 508.a

ſcortea quæ dicta. 405.a.b

ſcortis nomen unde. 407.a

Scoti, ſive potiùs Hiberni, ætate Hieronymi, carnibus veſcebantur hominis, & quas in ſexu utroque partes prætulerint. 413.a

ſcribendi ratio, liquore cicindelæ, ea, quæ ſolùm noctu legi poſſint. 595.a

Scriptura ut in aliquo vincatur à ſermone, in aliquibus tamen ſuperat. 357.a. cur voluerit Deus verbum ſuum ſcribi. *ibid.*

Scripturæ Sacræ varia illuſtrata loca, hæc præcipue: Exodi xxxii, 4. *vide* p. 7.b

Levit. xvii, 7. 23.a

Deut. xxxii, 17. 23.b. Deut. xxxii, 18. 7.b

Judic. xvii, 5. 8.a

1 Paralip. xvi, 26. 7.a

Pſal. ii, 5. 82.b. Pſal. lvii, ſive juxta Hebræos, lviii, 5. 14.a. Pſal. xc, ſive xci, 6. 23.a. Pſal. cv, ſive cvi. 20. 7.b

Jeſ. xiii, 21. 23.a

Jerem. ii, 32. 7.b. Jer. xxv, 38. 66.a. idem xlvi, 16. *ibid.* item l, 27. 103.a

Act. Apoſt. xviii, 28. 5.b

Rom. i, 25. 9.a. Rom. i, 19. 5.b

1 Cor. i, 21. 9.b. 1 Cor. ii, 10. 19.a. 1 Cor. viii, 4. 7.a. 1 Cor. x, 21. 10.b

II Cor. xii, 1, 2, 3, 4. 30.b

Col. ii, 8, 18. 25.b. Col. iii, 11. 7.a

Tit. i, 1. 2. 6.b

Scripturæ S. varia loca illuſtrata. Ut inter alia

Gen. i, 9. nempe. 244.b

Gen. xv, 18. idque. 254.b

Gen. xlix, 25. puta. 159.a

Deut. xxxiii, 13. nimirum. *ibid.*

II ſive iv Reg. xx. & Eſa. xxxviii de umbra in ſciaterico Achazi recedente. Vide 131.a

Pſal. cv, ſive cvi, 28. Vide 126.a

Ezechielis viii, 14. Adi 121.b

Amos v, 26. nempe 155.b

Actor. vii, 43. puta 134.a. & 156.a

Scripturæ Sacræ loca illuſtrantur. Ut ille Gen. i, 20. De quo 454.b

Gen. ii, 18. Adi 361.b

Pſal. xxviii, ſive Hebr. xxix, 9. Vide 280.b

Pſal. xli, 1. Vide 413.b

Pſal. cxxxiv. Heb. cxxxv, 7. alr 8. Videlicet 273.b

Pſal. cxlviii, 10. Adi. 362.b

Jobi xxxvi, 32, 33. Puta 276.a

Jobi xxxviii: 36. 39. 40. 41. Item caput totum xxxix. quo 364.b. 365.a

Hierem. xvii, 11. Nempe 458.b

Matth. xvi, 2. Vide 291.b

Act. xx, 10. Adi. 301.b

Apocal. v, 5. Nempe. 369.b

ſcurra, & *taurea*, nomen unde. 406.b

Scyllæ fabula. 494.a

Scylon inſulam incolentes dentem ſimiæ in veneratione ſumma habuerunt. 417.b. 418.a

ſcyphius equus poetis vel navis, vel nubes. 466.a

ſcytalos, & cœculæ, ſerpentis ejuſdem appellationes unde. 546.a

Scythæ per ventum, & acinaceo, jurabant. 273.b. Scythæ ſagittas tingunt felle pardalis. 411.a. Scytharum appellatio unde. 465.b

Scytharum, atque Indorum vocabula, quàm late olim accepta. 92.a. Scythis, forte & Iberibus, Mars cultus. 94.a. Scythæ cur per acinacem jurarint. *ibid.*

Scythiſmus, & Barbariſmus, jam olim perperam pro impietatis ſpeciebus habiti. 7.a

Sebaſtiani Foxi de Jo. Baptiſtæ veſte opinio refellitur. 405.a

Seches, Babyloniis Mercurii ſtella. 174.a

ſedentes animo magis ſunt tranquillo. 180.b

ſegeſta. 235.a

ſegetia. *ibid.*

Ζειραία quis primus, & unde dixerit. 482.a. & imprimis. 511.a

Selecti dii octo. 52.a

Seleuci Nicatoris fanum, & feſtum Nicatoria. 67.a

ſeleucides aves frumentum præſtare tutum à locuſtis, id alioqui abſumpturis. 461.b

ſemen genitale etiam à feminis emitti, contra Ariſtotelem demonſtratur. 306.b

ſemenda, avis Indica, cui aliqua tribuunt, quæ antiqui Phœnici adſignarunt. 465.a

Semiramis, filia Atergatis, educata à Simma, ſive Sema. 65.b. in columbam verſa fingitur, & quæ cauſſa figmenti. Hinc columbæ figura culta. Syri columbis abſtinent. *ibid.* Semiramidis etymon. 66.a. tres Semiramides, Nini una, Beluchi altera, tertia quæ Medici imperii tempore fuit. 66.b

Senio, Sincua, ſive Singus, ſive Sanctus, idem qui Fidius, ſive Hercules. 34.a

Sennacheribi in exercitu cùm clxxxv millia dicuntur occiſa gladio Angeli, id de peſtilentia accipiendum videri. 20.a

Senecæ ſententia de natura tonitrus refellitur. 279.b

ſenectus poetis nomen, ſed inferum; & cauſa ejus. 301.a

ſenes cur obliviſci. 324.a

ſenſus non falli circa ſpecies; ſed animum circa objecta. 315.a. quàm variis de cauſis fiat, ut fallamur circa objecta. *ibid.* ſenſus externos, qui vulgò ſic dicuntur, non eſſe veros ſenſus. 322.a. ſenſuum exteriorum ſedem non in corde, ſed in cerebro, ſitam eſſe; idque partim in medulla, partim in membranis ejus; & quæ partes cerebri idoneæ magis ſint ſenſuum ſedes. 325.a. interiores ſenſus an ſedibus, ac locis, diſtincti. *ibid.* b. ſenſuum interiorum partitio. 322.a. ubi parum referre exiſtimatur, utrùm plures quis ſtatuat, an unius ſenſus functiones diverſas. *ibid.* b. ſenſus communis unde ſic dicatur, & quòd tres ob cauſas homini divinitus ſit attributus. *ibid.* ſenſus communis bifariam ceſſat, naturâ, ut in ſomno; morbo, ut in epilepſia. 326.a.b. ſenſum, & intellectum, idem eſſe, juxta Stratonis, & Æneſidemi judicium. 345.b. abſurda Pereiræ opinio, canes, ceteraſque mutas animantes, eſſe ſenſus expertes, refellitur. *ibid.*

ſepedonis, qui fortaſſe idem ac *ſeps*, etymon, & ſymptomata. 550.b

ſepia quando pariat. 472.b. ejus ætas. 473.a. ſepia non variat colorem. 476.a. ſepiæ aſtus. 488.b. quod in ſepiarum genere, non uti mares feminis, ita feminæ maribus, ſuccurrant; id videri non minorem tellari amorem, ſed majorem metum. 494.b. ſepiæ caro qualis. 578.b. ſepiæ, & polypi, inſerviunt homini ad piſcandum. 535.b. ſepiæ atramento lucernis indito adſtantes videri Æthiopas. 539.a

ſepis etymon, ac ſymptomata. 550.b

Septentrionales robore, Auſtrales ingenio plurimùm præſtant, & unde id fit. 254.a

Septentrionales cur majoris ſint ſtaturæ. 544.a

Septentrionali mari cur difficiliùs in Septentrionem navigetur, quàm in Auſtrum. 246.a

Septentrionalibus locis cur minùs odoratæ ſint herbæ, quàm Meridionalibus, & his quam Orientalibus. 290.b. Septentrionales gentes quare magis parandis imperiis idoneæ, quàm retinendis. 298.b. Septentrionales cur μονογάμοι. 305.a

ſera. 235.a

Serapeum Alexandrinum, & Romanum. 84.a

Seraphim cur dicantur. 217.a

Serapidi ſimulachrum Solis artificio adlucens magnetico. 88.b

ſerendum quando. 148.a

Seres ubi ſiti, & cur inde ſericæ veſti nomen datum. 590.a

ſerici vis in corde corroborando. 583.a. vide *Bombyces*. Sericæ veſtis uſus varius pro vario anni tempore. 590.a. cur eadem dicta *Perſica*, & *Medica*. *ibid.* qua occaſione innotuerit Romanis, Græciſque, ſericum neri à bombyce. *ibid.* Pamphila in Co inſula prima inſtituit bombycinam deglomerare, ac deinde telam hinc texere. *ibid.* b. inter Coam, & Sericam veſtem, cur veteres diſtinxerint. *ibid.* ſericas veſtes primitus ſolis feminis fuiſſe in uſu; hinc viris nobilibus; tandem & hominibus è vulgo. *ibid.*

ſericoblatta. 591.a

ſermo unde dicatur. 444.a. ſermo an competat animantibus; ut Sextus Empiricus ait; an ſimile quid ſermonis habeant, ut Lactantius notavit. 353.b. quam miſera ſit futura hominum vita, abſque ſermone. 356.b

ſero, & *ſermo*, unde veniant. 143.b

ſero lactis unde vis inſit humectandi, refrigerandi, & detergendi. 394.a

ſero, & *ſequo*, pro *dico*. 444.a

ſerpens etiam Peruanis ſymbolum divinitatis. 291.a. ſerpentes è ſpecu extrahi, ac necari, odore pantheræ. 413.a

ſerpens pro verme. 597.b

ſerpentium coitus qualis. 543.a. non oriri eos ex avium ſanguine; incertum, an ex medulla hominis; prodigiolum de naſis ex muliere. *ibid.* ſerpentis, quicum ad Bagradam pugnarint Romani, magnitudo. 544.b. cur in Aſia, & Africa, majores ſint ſerpentes, quàm in Europa. *ibid.* quæ magnitudo ſerpentum in India, & America. *ibid.* ſerpentum fel calidum eſſe; corpus autem frigidum potius videri. *ibid.* quare maximè infeſta ſint itinera à ſerpentibus circa meridiem. 545.a. cur guſtus ſenſu plurimum valeant. 546.a. unde error profluxerit de ſerpente bilingui. *ibid.* cur pedibus careant. 547.b. cur coſtæ, & ſquamæ, iiſdem datæ; adhæc facultas attributa caput in ſublime efferendi, item convertendi illud, reliquo corpore quieſcente. *ib.* hinc

hinc particulatim de progreſſu quorundam ſerpentum. *ibid.* quorſum lingua ſit iis data, & de ſerpentis latratu prodigioſo 584. a. de variis Indiarum ſerpentibus. 551. b. ſerpentium nonnullos eſſe innoxios; quoſdam etiam φιλανθρώπους. 552. a. b. ſerpentium cum animantium nonnullis inimicitia. 553. b. *ſeq.* ſerpentis, & vulpis, inimicitiæ inter ſe, & quæ illarum cauſſa. 553. a. de eo, cur Deus non attribuerit ſerpentibus alas, vel pedes; defenſus adverſus Scaligerum Cardanus. *ibid.* b. de ſonitu, quem ingreſſu edit ſerpens Bambæ; & unde iſte ſonus proveniat. *ibid.* medicamenta è ſerpentibus. 557. b. ſerpens pro deo cultus ab Ægyptiis, Boroſſis, Samogithis, & Calecutentibus. 558. b

Servius emendatus. 167. a. 229. a. 330. b. 239. b. 260. b. *ſeqq.* 263. a

σιλλογραφοὶ qui. 148. b

Sepharvaitæ, Aſſyriorum coloni, infantes ſuos diis ſuis Adramelech, & Anamelech, immolare ſoliti. 125. a

Seſach, ſive Seſech, numen Babyloniorum, pro ipſa Babel uſurpatur. 154. b. & qualis is deus fuerit. *ibid.*

Seſak, ſive Suſakim, qui templum ſpoliavit Hieroſolymitanum, Seſoſtris ſit, an Suſannis, vel potius Seſonchis. 83. b

Seſamo non gigni inſectum, & quæ ratio. 563. a

Seſoſtris, Ægyptiorum regis, antiquitas. 83. b. is in Palæſtina ſtatuam poſuit cum pudendo muliebri ad molliciem genti exprobrandam. *ibid.* an idem ac is, qui in Scripturis *Seſac* dicitur. *ibid.*

ſeſſio, ad deliberandum, judicandum, Deumque precandum, idonea. 180. b

Severus Imp. Leptitanis cultus. 90. b

Sextus Clodius, & Butas in Cauſſalibus, refelluntur de Fauna, ſive Bona Dea virgis cæſa: cùm ea, quæ virgis eſt cæſa, fuerit ſacerdotis ſeu vatis Fauvii conjux. 36. b

ſexus non mutat ſpeciem. 361. b

Siccæ Veneriæ, Carthaginenſium coloniæ, nomen unde. 153. b

Sicyonii coluere Ventos. 271. b

ſidera quatuor, Arcturi, Orionis, Sirii, & Vergiliarum, præcipuè ſignificant, quæ futura ſit tempeſtas. 292. a

ſidera nomen piſcium ſortita. 542. a

ſideralis ſcientiæ quanta utilitas agricolis, & nautis. 208. a

ſiderum materiam eſſe igneam, & elementalem, oſtenditur ex philoſophis gentium, & veteribus Theologis. 190. b. idem ex Scripturis adſtruitur. 192. a. ſidera non orbium beneficio, ſed per ſe, ſive motu proprio moveri. 197. b. cauſſa tantæ eorum velocitatis eſt mira cælorum tenuitas. *ibid.* ſidera, ex veterum opinione, vaporibus nutriri 239. b. varii, qui ita ſenſerint, auctores adducti. 259. a. ſecundùm eoſdem, ubi vapores iſti ſidera deficient, fore mundi exuſtionem. *ibid.* ſiderum vis in corpora humana. 208. b. & quæ membra huic ſideri, quæ alii, atque alii ſubjiciantur. *ibid.*

Sides, ſive Sideris, eſt aquæ tam tenuis, ut in ea omnia mergantur. 248. a

Sidonii locus aliter expoſitus, quàm eruditus ejus interpres putabat. 222. a

ſignandi mos vetus apud Græcos, maximè Lacones 591. a

Sileni qui dicantur. 21. b. Sileni, & Satyri, ſolâ ætate differebant. 60. a. Sileni vox quàm variè ſcribatur. *ibid.* Silenus Phryx in deos relatus. *ibid.* Sapientia ejus excellens, unde Midas rex aures ei commodâſſe dicitur. *ibid.* cujuſmodi dolo à Mida ſit captus. *ibid.* Silenus unus è regulis Cariæ, qui Niſæ imperavit. *ibid.* eundem videri, ac Marſyam, cui pellis detracta. *ibid.* nec malè eundem Satyrum dici. *ibid.*

Silentes pro Manibus. 264. a

ſilphium herba odorata: ſuper quo Scaligeri opinio rejecta, qui putârit, Solini eſſe commentum de bono ſilphii odore. 90. a

Silvanus Mars, θεὸς ὑλαῖος, qui & Pan. 138. b. Silvanus cujuſque poſſeſſionis triplex. *ibid.*

ſiluri ovis fœtus demum trigeſimo die excluditur. 472. a. ſiluri magnitudo. 480. a. ſilurus claritatem vocis affert. 527. b. ſilurum Auſonii alium eſſe ab ſiluro Plinii. 494. b

ſimiæ ἔνυμον. 348. a. ſimia latrunculis ludens, haſtas eludens, tibiâ canens, capellæ inequitans, & ex ea mittens jacula, aurigans, aliaque ſagacitatis ſummæ edens documenta. *ibid.* ſimiæ an leoni medeantur quartanâ laboranti. 374. a. an item ſimiæ marinæ medeantur delphino. *ibid.* ſimiæ in deformibus dari locum. 381. b. ſimia vulgo creditur guſtu præcellere. 383. a. docilitas ejus. 384. a. ſimiæ amor erga ſimiolos ſuos. 387. a. utrum amore, an odio, alterum necet fœtum. *ibid.* b. cur Romani in culeo unà cum parricida etiam ſimiam inſuerint. *ibid.* ſimia Pithecuſiis culta. 417. b. Imò hodieque Indis Orientalibus. *ibid.*

ſimius, cebus ſive cercopithecus, & cynocephalus, quomodo differant. 414. b

Simma nomen idem videtur eſſe, ac *Semi.* 65. b

Simplicii ſententia de duplici intellectu agente. 349 a

Simplicius falſus, cùm putat, primum motorem Ariſtoteli non eſſe ſupremum Deum. 196. a

ſimulachrum Cybeles flumine lavabatur. 219. b. & quid eo myſticè indicatum. 224. a

ſingularia an etiam ab intellectu intelligantur. 350. a

Sinueſſanæ aquæ an inſania liberent. 251. a

ſirenes, ex antiquorum ſententia, inferne non piſces fuiſſe, ſed aves: & quid poetæ per eas adumbraverint. 466. a

ſirenes quas LXX interpretes apud Jeſaiam, & Jobum, reddiderunt; dracones, non aves, vel piſces, intelligi. 542. a

Siris idem ac Nilus. 554. b

Sirius, canis cæleſtis, nomen unde id ſortitus. 525. a. Sirius commune cani cæleſti, & Soli, nomen. 184. a

ſiſtra Iſiacorum. 227. a

ſiti morboſæ remedium ex piſcibus. 529. a

ſitis quid, ejuſque definitio Ariſtotelica reprehenſa. 333. a

σκίαινα piſcis. 506. b

σκολόπαξ quæ avis, & unde dicatur, & cur Gallis *beccaſſe.* 450 b

Socrates, & Anaxagoras, cur impietatis damnati. 2. b

Socrates Ariſtophani traductus, quaſi adoraret nubes. 289. a. Socrates Iphicratem, gallo generoſo oſtenſo, ad ſimilem animum accendit. 432. b

ſocrus pro *ſocer.* 163. b

ſol quater curſum mutâſſe dictus, dum Ægyptus ſub Regibus fuit: & quæ mens ejus dicti fuiſſe videatur. 78. a

ſol ex ἑλ, unde & ἥλιος. 120. b. & 143. b. in Sole ſpectatur primò eſſentia: ut materies, quæ ignea; id ex Scripturis oſtenſum de Sole, & aliis ſideribus. 192. a. & ſanè cum reliquis cæli ignibus quarto die factus ex luce, ſive igne primâ die creato. 117. a. ad igneam hanc naturam relatum, quòd ut Minervæ, ſic Vulcani filius dicatur antiquis. *ibid.* & 117. b. itaque Solem non effectivè modò, ſed formaliter calidum eſſe; etiam ſecundùm SS Patrum opinionem: ac Thomæ Aquinati occurſum, qui Patres putat hac parte non audiendos, quia Platonizent; quaſi excellentius ſit Ariſtoteliſſare cum Scholaſticis. 192. b. & 191. a. ſol quomodo non videatur tot ſeculis imminutus, ſi igneus ſit. 193. b proximè conſideratur locus, & magnitudo. Quod ad locum, nec in eo veteres conſenſerunt. Nam Pythagoræ, & aliis, in medio univerſi collocatur, terramque circa eum verti exiſtimatur. 116. b. is nunc propior terris, quam olim. *ibid.* quod ad magnitudinem, eâ terram minimùm centies & quadragies exſuperat. 117. a. ſol cur major videatur circa horizontem, quàm meridiem; imò altior etiam, quàm ſit revera *ibid* adhæc attenditur, pulchritudo, tum coloris, tum figuræ, quæ rotunda. 116 b. & occaſione coloris dictum aliquid de maculis ejus. *ibid.* præterea actum de luce, & motu. Quod ad lucem, Sol non ſolum naturâ eſt prior illuminatione, quod in confeſſo eſt; ſed etiam tempore, modò attendas motum luminis, qui ſucceſſive fit, licet celerrimè, non tamen in inſtanti. 189. a. lucis varietas, ac utilitas. 117. b. ſol non unam orbis regionem diutius illuminat, quàm alteram. 118. a. quod ad motum Solis, is eſt vel diurnus, vel annuus: annuumque eſſe æquabilem, ſi compares cum ſtellis fixis. 117. b. velocitas ejuſce motus. *ibid.* ab hoc motu eſt temporis diſtinctio. *ibid.* & 208. a. à motu, ſecundùm Pythagoricos, eſt ſonus ſuaviſſimus: unde Sol *Divûm lyra.* 137. a. & 255. b. denique in conſiderationem venit cultus divinus, & cauſſæ ejus. 116. a. unde is Thomæ Aquinatis judicio promanarit 118. a. ejus cultus antiquitas ex Moſe, & Jobo, demonſtrata. *ibid.* b. ſoli equum Perſæ. item aliæ gentes, ſacrificant; & quæ ritus ejus cauſſa. 132 a. ſol cur ſedes Herculis, Luna Mercurii ſtatuatur Ægyptiis. 157 b. ſol ob beneficam vim Oſiris, ob maleficam, & violentam, Typhon, ac Seth vocabatur. *ibid.* a. ſol cultus Emeſſenis cum Mercurio, & Marte, nomine Elagabali. 124. a. ſol cultus Phœnicibus & Syris mediterraneis. 123. a. b. Aſſyriis, & Babyloniis. 124. a. Arabibus, ut Moabitis, & Madianitis. 126. a 129. a. nec non Sabæi. 126. a. cultus & Perſis. 131. a. Ægyptiis. 133. b. Æthiopibus. 135. a. Marmaricis, & Ammoniis. *ibid.* Pœnis. 136. a. Græcis, & Romanis. *ibid.* a. b. *ſeqq.* denique gentium aliis toto pene orbe. 145. a. b

ſol in ortu, vel occaſu, fervidior ſolito, ventos, vel pluvias, ſignificat imminere: uti &, ſi appareat major, & ante juſtum tempus: & quæ iſtorum cauſſæ. 292. a. Solis & Lunæ ad cultum præire nobis elephantos; ſi Æliano credimus: quæ ſententia refellitur. 367. a

ſolea piſcis, & unde ei nomen. 509. b

ſolen, piſcis multinominis, viduarum deliciæ, & qui in cibis melior. 522. a

ſoliferreum. 598. b

Silini lapius. 248. b

Solini error de pſittaci quinis in pede digitis. 446. b

ſolipuga, phalangii genus. 598 b. ejus etymon prius. *ibid.* alterum. *ibid.* cur *ſalpugam* dicere maluerit Lucanus. *ibid.* ſolipugas etiam in Africa eſſe; licet Solinus eas Sardiniæ proprias putarit. *ibid.*

ſolis ſimulachrum Serapidi artificio adſurgens magnetico. 88. b

ſolox pecus, vel *lana.* 405. a

Solymenſium triumvirorum cultus; eoſque videri non Σαλαριῖς, ſed Σατανῖς, nuncupatos, & quæ nominis hujus ratio. 61. a

ſomni, & vigiliæ, definitiones Ariſtotelicæ. 326 a. ſomni ſedes cerebrum, non cor; contrà quàm Ariſtoteles putavit. *ibid.* perfecti, & imperfecti, diſcrimen. *ibid.* b. finis duplex. *ibid.* cur plantis non competat ſomnus. *ibid.* cauſſa efficiens duplex. 327. a. cur pumili ſive nani, longioris ſint ſomni *ibid.* b. item infantes. Quomodo tenebræ, & ſilentium, ſomnum concilient. 328. a. ſumno cibos

bus melius concoqui ibid. cur pedum titillatio ad ſomnum conferat. ibid. b. quamobrem cantus, arborum ſuſurra, cunarum agitatio, ſomnum faciant. ibid. ſomno etiam locum futurum; utcunque Adamus non peccaſſet. ibid. ſomni bona. 300. a
ſomnia bonitatis divinæ argumenta 329 a. cur in ſomnio decipiamur. ibid. b. multis etiam animantibus ſomnium competere, item infantibus. ibid. ſomnia naturalia variare pro cibo, temperie, affectibus, & cibus diurnis. ibid. fabas, & caput polypi, ſomnia parere turbulenta: idem facere recentes autumni fructus. 330. a. cur melancholici plura aliis vera ſomnient. ibid. b. an ſomnia fœda, quæ non proveniunt à cogitatione diurna, nec poſtea aſſenſum reperiunt, pro peccatis ſint habenda. 331. b
ſomni definitio Ariſtotelica. 329. a. ſedes ſomnii eadem & memoriæ, vel ſaltem phantaſiæ. ibid. b. cauſa ejuſdem materialis, formalis, efficiens. ibid. ut ſomnus perfectus ſit ſomnii expers, & quæ quies medium obtineat inter ſomnium & vigiliam. 330. a. quare in ſomno, quæ minuta ſunt, phantaſiæ ſe offerant, tanquam magna. ibid. b. divina ſomnia duûm generum 331. a. occurritur Ariſtotelis argumentis, qui nulla putabat ſomnia à Deo immitti. ibid. cur Deus hominibus quid velit, ſubinde per ſomnium exponat. ibid. b. cur gentilibus etiam ſomnia immittat. ibid.
ſomniſurgiorum, & deambulationum in ſomnis cauſa 332. a. b. cur periculoſum ſit, eos nominatim compellare. ib. b. an motus eorum poſſit dici voluntarius ibid.
ſomnus omnibus animalibus competit, etiam piſcibus, & inſectis. 326. b. cur cibus aſſumtus reddat ſomniculoſos, inedia, inſomnes 327. a. cur cibus nimia copia aſſumptus ſomnum impediat. ibid. cur & calida, ut vinum, & frigida, ut papaver; ſomnum afferant ibid. cur, quibus ſedentibus ſomnus obrepit, capite nutent. ibid. cur longior ſomnus iis, qui anguſtas; parcior, qui laxas habent venas ibid. b. cur meditantibus, temporeque æſtivo, vel apud focum, citiùs ſomnus obrepat ibid. quare ſomnuſurilitatis ſit remedium. ibid. cur ſomnus poſt longiorem inediam magis imminuat vires, quàm ſi vigilet, præſertim ſi corpus noxiis abundet humoribus. 328. a
ſonus unde fiat. 316. a. quæ ſonum ſimpliciter cieant, quæ item majorem gignant, & cur veſicæ non ſonent, niſi ſubitò diſploſæ; unde item ſit campanarum ſonus diuturnior ibid. ſonum non eſſe immediate à colliſione corporum, ſed à fractione aëris. ibid. b. ſoni diviſio. ibid. non ſolùm per aëra audiri ſed etiam per aquas, imò & piſces nomina ſua addiſcere. 317 a. quomodo ſonus, per aëra delatus, ad aures perting at. ibid. ſoni, vocis, & ſermonis diſcrimen. 441. a
Soranum ab Cœlio Antellano redditum Latinè. 585. b. quomodo Soranus mentagram ſolitus curare. 582. b
ſoricum amor erga parentes. 389. a
Sothes, ſeu Suthis, canis cæleſtis 184. a
σπάλαξ, animal ingratum. 391. b
σοῦχος Ægyptiis crocodilus. 416. a
σπαθίας. 381. a
Spania, pro Hiſpania. 94. b
ſpari piſcis natura. 507. b
Spartani apophthegma, echinum cum aculeis devorantis. 510. b
ſpecies viſuales quid ſint. 313. a. haſce ſpecies viſibiles non eſſe corporeas, ut voluit Empedocles, ſed immateriales, & in accidentia, ut cenſent Peripatetici; contra Galeni objectiones adſtruuntur. ibid. b. contra Plotinum quoque, Occamum, & Durandum, oſtenditur, viſibilium ſpecie um ope ad viſionem eſſe opus. ibid. eòque occaſione exponitur artificium nobile, ea quæ foris geruntur repræſentandi ad parietem. ibid. utrum corpora ſemper, etiam in tenebris, emittant ſpecies, an lumine ſit opus ad colorum ſpecies eliciendas. 314. a
ſpectri vox quid ſignificet. 15. b. ſpectra quædam vera, quædam falſa. ibid.
ſpincterum inteſtini uſus. 304. a. b.
σφυγμός. 319. a
σφύραινα piſcis. 506. b
ſpiculis è corpore extrahendis remedia è ſ[illegible]lutis, & ſepiis. 534. a
ſpinæ non ſunt omnibus piſcibus ſed quibuſdam oſſa. 4[illegible]. a
Spinentus. 235. a
ſpiratio quo diſcrimine tum ad ſenſitivam, tum ad vegetativam, referatur. 337. b. quotuplex ſit. ibid.
ſpiritibus ſui generis corpus non modò philoſophi; ſed & multi ſanctorum patrum attribuunt. 18. a. hoc inde eſſe, quod ſpiritus vocabulum non eodem ab omnibus modo ſumitur: dum alii intelligunt corpus prorſus expers materiæ: alii non omnis, ſed in ſenſus incurrentis. 17. a. ſpiritus miniſtros tam bonos, tum malos, negarunt Sadducæi; item Democritus, ex parte etiam Ariſtoteles; agnoverunt Pythagorici, & Platonici. 15. b. eſſe ejuſmodi ſpiritus, probatur, partim traditione, partim quadruplici experientia. 16. a. b
ſpiritum mediæ eſſe naturæ inter flammam, & aëra. 305. a. eundem toto corpore eſſe continuum, cerebro tamen humano uberiùs contineri, quàm allo membro: ſecus eſſe in reptilibus, imò & aviculis, & utriuſque indicis. ibid. ſpiritus animalis quo pacto in cerebro generetur; & ut multifariam functio ejus impediatur. ibid. ſpiritus laſſos in ſomno revocari; ulteriùs ſimul etiam ſufficì alios in locum eorum, qui labore ſint abſumti. 317. b. ſpiritus non ſolùm reſpiratione, ſed frigidis etiam, & alimentis, & odoribus, refrigerari. 337. b
ſpiritus pro aere. 267. b
ſpiritus S. gratia cum aquis comparata. 543. b
ſpiritus animalis, in fimo animalis reſiduus, vim habet fabricandi habitaculum inſecto, ex fimo naſcenti. 562. b
ſplenis uſus. 305. a. per accidens cauſa riſus. ibid. & 359. a. ſpleneticis medicina ex vulpe, & hœdo. 408. b
ſplenis remedia ex piſcibus. 531. a. b
ſpondylorum caro qualis. 521. a. ſpondylus piſcis adverſus febres eſt remedio. 513. b
ſpongia an zoophytis accenſenda. 486. b
ſponſi ſponſæque ritus in ſacrificando fel abjectantium poſt altare. 161. a. corbe a ſi comeretur capillus ſponſæ. ibid.
Sprengerus refellitur de eo, quòd telum ſtatuerit magiæ indicium, ſiqua ejus criminis accuſata non lachrymetur in judicio. 370. b
ſputo ſanguinis remedium è teſtaceis. 527. b
ſqualus piſcis quando pariat. 472. b
ſquamarum iis eſt piſcibus uſus, qui avibus minorum plumarum. 481. b
ſquatina piſcis quoties pariat, & quando. ſquatinæ, rhombi, raiæ, & paſtinacæ ſollertia. 437. b ſquatinæ amor erga fœtus 491. a. ſquatina inter ſquatos, Græcis ῥίνη & unde hæc vocabula, & ripis cujuſmodi. 112. a. ſquatinæ utilitas ad polituram. 537. b
ſquillæ, & cangrones, quantùm cornu valeant. 481. a. ſquillas appetendi ratio. 519. a. earum magnitudo. ibid. quàm opere his delectatus ſit Apicius. ibid. b. ſquillas aſſari ſolere 529. a
ſtaturæ brevioris cauſa. 306. a
ſtella marina quam ſervidi ſit ſtomachi. 479. a. eſt viſus expers, uti & echinus. 484. b. ejus item ſollertia. 572. a
ſtellæ erraticæ ſive planetæ numero quinque. 171. a. hæ ſtellæ coloribus diſtinctæ. ibid. relatæ in Deos. ibid. b & ſeq.
ſtellæ nobis, ut vocant, octavi orbis appellentur fixæ. 182. a. videri Adamum iis nomina impoſuiſſe & fortaſſe ex iis eſſe vocabula earum, quæ leguntur apud Jobum, & Amos. ibid. cauſæ quatuor, quæ divinitatis honorem iis conciliarunt, expenſæ. ibid. b ſtellæ fixæ ſunt erraticis ſuperiores, & quanto à nobis diſtent intervallo 183. a earum magnitudo ad terram comparata, & numerus, qui noſtris notior eſt temporibus, quam antiquis. ibid. motus tum diurnus, qui celerrimus, tum multo tardior alterius. ibid. b. qui in longitudinem, is motus Trepidationis, vel etiam Acceſſus, & Receſſus, ſed perperam, vocatur. ibid. ille in latitudinem unde proveniat. ibid. virtus & efficacia, quam in ſublunaria exſerunt, partim eſt à luce, & quodammodo à motu, quatenus lucem circumfert; partim verò à qualitate occulta. 184. a. ſtellæ fixæ nominatim in Deos relatæ. ibid. & 184 b
ſtellæ novæ variis in cælo temporibus obſervatæ, ac Clavii de iis opinio. 193. a.
ſtellarum materiam videri à cælo diverſam. 169. b. his divinitatem tribuerunt tum barbari, tum Græci, & quibus argumentis id collegerint, & quomodo illis occurri poſſit. 169. a. b. unde concluſerint, ſtellis præſtantiores eſſe animas, quàm homini. ibid. quod idem Philoni placuit, non ſic tamen, ut propterea Deos putaret. cui aſſentit & Origenes: de quo incertum, num ſententia ejus damnata ſit à Concilio. Oecumenico. ibid. imò Hieronymus, & Auguſtinus, de veritate, aut falſitate hujus dogmatis nihil definire auſi ſunt. ibid. & Scholaſticorum varii veriſimilem hanc opinionem exiſtimarunt. ibid. ſed & hæc opinio refellitur. 170. a Ariſtotelis, & Platonis, quem Tycho Braheus ſecutus eſt, diverſæ ſuper hac re ſententiæ memorantur. ibid.
Stephanus Bizantius forte emendatus. 76. b
Stephanus epiſcopus à Ruthenis idololatris eſt in Deorum numerum relatus. 110. a
ſtercus humanum medetur pantheræ, comeſſo pardalianche. 385. b. & 412. a
Sterentius. 235. a
Sterculius, ſive Stercutus, non Fauni filius, ut ajunt; ſed Avi as Evander. 408. b
Στίλβων Mercurius & quibus ſic, & cur ita dicatur. 174. a. & 177. b
Stoicis alia principia vivendi, alia diſſerendi. 214. a. Stoica facultatibus animæ ab Ariſtotele memoratis addebat φωνητικὸν, ſive ſermocinatricem. 209. a. Stoicorum opinio de Fortuna. 201. b
Stoicorum ſententia de animæ longævitate poſt mortem. 28. b. Stoicorum quorundam ſtulta opinio de animarum interitu, ſiquis vel ſubmergatur, vel obruatur ruina. Iuterim crediderint, nihil iis ab imbri eſſe periculi. 70. a
ſtomacho, ciborum faſtidio laboranti, remedium ex piſcibus. 529. a
Stomachus, hepar, cor, cerebrum, quibus rebus juventur. 305. b
ſtrabeli, ſive conchæ turbinatæ, facultas. 523. b. antiquis pro tuba fuit. 529. a
Strabo emendatus. 251. a
Strabo quidam cognomine quantum viſu valuerit. 381. a
ſtrangulati cur ſic toto corpore intumeſcant. 338. a
ſtranguriæ remedia ex piſcibus. 531. b
Stratonice, uxor Antiochi Σωτῆρος, credita condidiſſe templum Deæ Hierapolitanæ. 216 a
στρατηγός quid & vel mixobarbaris στρα-

ex. 523. a. *ſtrombi*, & *cochlea*, ut differant. 519. b. carciacis ſunt utiles. 528. b. τῆς σχιμβοῦ divisio. 523. a. quibus propriè magis vocabulum σχμβώσιςεςον veniat. *ibid.*

ſtrumis remedium ex piſcibus. 527. a. iiſdem medicina ex inſectis. 582. a. b

ſtrutheum pro *veretro* cur dicatur. 441. a

ſtruthio quidvis ſine delectu vorat. 426. b. error eorum, qui putant, ferrum concoquere, refellitur. 377. b. & imprimis. 426. b. quibus animal hoc quadrupedi, quibus item avi ſit propius. *ibid.* magnitudo ſtruthionis, ac melius *chenocamelum*, quàm *ſtruthiocamelum*, dici potuiſſe. *ibid.* Græcis στρουθοκάμηλοι potiùs vocari. 453. a. non multum referre, utrùm ſciamus, num avibus magis annumeretur, an quadrupedibus; dummodo ſciamus carnis naturam, & qualis ea ſit. *ibid.* qua mente Heliogabalus dixerit, ſtruthionum carnem Judæis fuiſſe præceptam. 396. a. ſtruthionis celeritas. 393. a. ejuſdem ſimplicitas, ſive ſtultitia. 362. a. 383. b. 432. b

ſtudia cujuſmodi reddant homines longævos: quæ item brevem faciant vitam. 335. a. nocturna ſtudia valetudini nocent. 328. a

ſtulti cur crebrò rideant. 358. a

ſtupidi ferè memoriâ præcellunt ingenioſis, & unde proveniat. 324. a

ſturio piſcis, qui & *lycce*, *eruthrinus*, *ſuillus*, & *ſilurus*, vocatur. 513. b

ſturionis vis in roſtro. 481. a

ſturni humanum imitantes ſermonem. 447. a. idem cur ſine noxa veſcantur ci cutá. 454. b. ſturnorum caro qualis ſit. *ibid.*

Stygis etymon triplex. 264. a. deorum juramentum per Stygis majeſtatem, ac quæ pejerantium pœnæ. *ibid.* Stygis Arcadicæ natura: præter quam & alteram eſſe in Campania, ubi & alteri Cimmerii; deque hac præcipuè intelligenda eſſe, quæ Poetæ fabulantur de Styge, aliiſque inferorum fluviis. *ibid.*

ſtylum vertere cur dicantur, qui ſcripta ſua corrigunt. 591. b

Stymphalides aves fabuloſæ, ab Hercule devictæ, quid hiſtoricè ſignificent. 466. b

ſubare, & *ſurire*, propriè de ſuillo genere dicuntur. 387. a

ſucerda cur commendetur in agris ſtercorandis. 409. a

Soccoth Benoth templum Melittæ, ſive Veneris Uraniæ, id eſt, Lunæ. 153. b

ſudis piſcis deſcriptio. 500. b

ſudor quid. 299. a. ſudor, ſcabies, pediculi unde. 305. b. ſudor cur erumpat dormientibus, item valde anxiis. 327. b

ſues cur cœno gaudeant. 383. a. & ſutiùs. 384. a. eoſdem fugere unguentum, uti & ſcarabæos. 383. a. ſuis anima pro ſale. *ibid.* b. quiete pingueſcit. 384. a. Muhammedica de origine ſuis fabula. *ibid.* ſuis etiam manſueti furor in Venerem. 386. b. ſuis famelicæ ἀσεγεῖα in vorandis ſoculis. Neque id Romanis prodigii loco habitum. 387. a. ſuis inimicitiæ cum elephanto. 388. a. ſuibus de turri ſuſpenſis, Romanos aliquando victoriam retuliſſe; ut fabulatur Ælianus. *ibid.* ſuem, & equam ſolum, gravidas marem admittere. 389. a. ſuillam ſuperlmia nutrire; aſſatam autem præſtare elixæ. 395. a. quinquaginta propè modis carnem domeſtici ſuis ita poſſe condiri, ut totidem ferinæ carnis ſpecies videantur. 397. a. ſuillæ eſus cur Judæis prohibitus. *ibid.* aliaſque etiam gentes ejuſdem eſu abſtinuiſſe. *ibid.* b. quid gentes eas moverit. *ibid.*

ſues cur ex conſilio Antigoni unà cum elephantis alerentur. 388. a. ſuis vulva in deliciis. 393. a. ſus apud Cretenſes in veneratione. 417. b. ſus cur ſignum fuerit quintæ legionis. 419. a. ſus Ægyptiis abominationi, ac vix etiam in ſacrificiis ea uſi. 468. a. Vide & *Porcus*.

Suidæ locus emendatus. 251. b

ſulfur ignis pabulum. 238. a. quam celeriter in locis ſulfureis terra in ſulfur vertatur. *ibid.* ſulfureas aquas nervis conducere. 251. a

ſulfuris præcipuè vis in pulvere pyrio accendendo. 278. a

ſulfuris etymon. 598. b

ſuperbia hominis, ubi evectus ſit ſupra altos; facile etiam admittentis honores divinos. 295. a

ſupercilii; & pilis maxillarum, medicina à formicis. 586. b

ſuperfœtatio unde fiat. 308. a

ſuperſtitio quid, & unde dicta, at quotuplex ſit. 7. a.

ſurgendi ratio facillima. 336. b

ſurdaſtri cur manum concavam auribus admoveant. 316. b. ſurdi ob membranæ vel tympani vitium, poſſe nihilominus ſonum percipere canaliculo ab ore ad aera innatum illato. 317. a

ſurire quid, & unde. 387. a

ſus ſpinoſus eſt junioribus, qui Græcis ὀξυμυ. 380. a

ſus ſerpenti inimica. 553. a

ſuſpirioſis remedium è vulpe, equo ſylveſtri, hirco, urſo. 402. a

ſutrinæ inventor quis. 405. b

Sybaritarum deus ſemicaper puer. 107. a

συγκαλῶσαι quid Chryſoſtomo. 19. b

συκάμ oculorum medela e piſcibus. 525. b

ſylvarum mugitus ſignificant ventum imminentem. 293. b

συμπάθεια inter quadrupedes quaſdam, & aves, aut piſces. 387. b

συνόδοντες, ſ. συνόδοντες. 349. b

συνόδοντις unde dicta. 478. a. ſynodontis caro qualis. 508. a

Syri cur piſcium, & columbarum eſu abſtineant. 65. a. Syri olim etiam dicti ultra ſinum Iſſicum: unde alborum, nigrorumque Syrorum diſtinctio. 62. a. Syrorum, Medorum, & Perſarum reGræcis quaſi ignotæ ante bellum Perſicum. 62. b

Syri cur captura, eſuque piſcium abſtinuerint. 187. b

Syria laxè ſumpta etiam Aſſyriam, & Babyloniam comprehendit. 125. a. Syriæ nomen aliter uſurpant ſcriptores ſacri, aliter profani. 225. a

Syria dea non eſt eadem, quæ Atergatis. 66. b

Syria dea, ſive Hierapolitana, ſive Juno Aſſyria, Syris five Aſſyriis non ſolum Luna eſt; ſed etiam Terra, omniſque natura Lunæ ſubdita. 226. a. templum ejus tum vetus, tum novum quis condiderit. *ibid.* ſimulacrum ejus quomodo ſoleat effingi. *ibid.*

T.

T, & S, permutantur. 102. b

Taautus, & Sanchoniathon, ſcriptores priſci, commendati a Philone Byblienſi, quòd nude rem narrarent, quam poſteriores detorſere in ſenſum allegoricum. 77. b. Taautus literarum repertor. 62. b. idem qui Mercurius. *ibid.*

Taciti de Serapide opinio, tanquam deus eſſet Ægyptiorum inquilinus, rejecta. 153. a

tactus, & auditus, qua parte viſum vincant, & qua ab eodem vincantur. 309. a. tactus commoda. 317. b. organum ejus non cor, non caro, non nervi duntaxat; ſed ſingula hæc, imò quælibet corporis membra, præter oſſa. Quin uris veſ præcipuum tactus organum. 318. a. num tactus ſit ſenſus unicus, an multi. *ibid.* ad tactum non requiri medium; deque ea Ariſtoteli opinio rejecta. *ibid.*

Tages iſte quis fuerit, qui extiſpicii artem docuiſſe Etruſcos dicitur, & cur ſacra ejus dicta Acherontia. 107. b

talpa Ægyptiis cujus rei fuerit ſymbolum: ac falli eos, qui putant, prorſus eſſe viſus expertes. 382. b

Tantalus rapuit Ganymedem. 44. b

Tapuſtrum gens ubi; & mos gentis, hominibus veſci, ſed nonniſi amicis defunctis; deque dæmonum apud eos cultu fuſe actum. 21. b

Taran, ſive Taranis eſt Germanorum Jupiter. 178. a

Taranis, ſive Tharanis, deus Gallorum, idem videtur iis eſſe, qui Jupiter. 98. b

tarantulæ etymon, ac miros effectus. 599. a

Tarteſſus alia a Gadibus: etſi aliter Plinio viſum. 95. b

Tataris Tellus culta. 235. b

tauri, ſive ſcarabæi terreſtres, ſtrumis proſunt. 582. b

ταυρᾶν de vacca. 390. b

tauro ſylveſtri quanta ſit tergoris durities. 380. a. tauri abſtinentia à vacca, ubi conceperit. 389. a. taurum unum quindecim ſufficere vaccis. 390. b. taurus æneam inſiens vaccam. *ibid.* taurini fellis uſus in re metallica. 408. a. taurinus ſanguis cur peſtifer ſit; utque eum Deæ Telluris ſacerdos apud Æginenſes innoxie hauriat, antequàm vaticinetur. 411. a

tauro ari bovis vox; unde & nomen. 444. b

Taurobolium. 219. b. & 222. b

Taurus ſignum cæleſte, ſymbolum forte Oſiridis, vel Joſephi patriarchæ. 85. b

Taurus Marathonius cur in Luna progenitus fingatur. 147. a

τηγανιζ. 403. a

Telchines unde vocari. 221. a

τέλεια, quæ Juno pronuba, unde dicta. 161. a

Tellus prima ex elementis relata eſt in Deos. 218. a. eo nomine comprehenſam primò fuiſſe naturam, quatenus, ut femina, conſideratur. *ibid.* Tellus ſub variis Deorum, & Dearum nominibus culta. 234. b. ita eſt Phrygibus culta ſub nomine Rheæ, Cybeles, Dindymenes, Idææ matris, Berecynthiæ, Peſſinuntiæ, Mygdoniæ. &c. Ac vario nominum oſtenſa. 218. a. b. cur eadem Alphorene potius, quam Aſpordene, nuncupata. 219. a. cur Phaſiana, & Cimmeris vocata; cur item Cybeba. *ibid.* item ſub nominibus culta aliis. 223. b. adhæc Syris ſub nomine Deæ Syriæ; Aſſyriis vero, Atergatis. 225. b. Ægyptiis, Iſidos nomine. 227. b. Samothracibus ſub nomine Θεῶν δυνατῶν, & cabirorum. 226. b. Thracibus, nomine Bendis. 229. a. Græcis, & Romanis, nomine Cereris, Junonis, Veſtæ, Rheæ, Opis, Proſerpinæ, Plutonis. 320. b. 321. a. b. *Telluris*, ac *Tellumonis* diſcrimen. 320. b. Telluris ædis Romæ non una. *ibid.* hic culta & ſub nomine Majæ, Bonæ Deæ, & aliis. 234. b. item culta Gallis nomine Ditis, Germanis nomine Herthæ. Syrhis nomine Apiæ. 235. a. b. Kytgeſſis quoque in Tartaria pro Dea eſt habita, quæ qualis illis fuerit, & cujuſmodi ſymbolo culta fuerit. *ibid.* b. Telluris quoque partibus divinus eſt honos attributus, ut montibus, ac nominatim Carmelo, & unde is cultus promanarit. *ibid.*

Temeſius Clazomenius in Thracia ab Abderitanis cultus. 106. a

temperamenti etiam calidi animantia quædam non perferre frigus hibernum. 564. a

temperamentum aliud Arithmeticæ, aliud Geometricæ proportionis. 298. b. temperamentum cujuſque ut ex ſomniis colligi poſſit. 330. a. cur melioris ſit temperiei argumentum, ſi ſomnia conveniant

veniant cum actibus diurnis, quàm ſi contra fiat. ibid.
tempeſtatem anni quæ ſtellæ imprimis varient. 257.a
tempeſtatibus, ac procellis, piſces redduntur meliores; & quæ iſtius rei ratio ſit. 502.a
templis cur figura galli imponatur. 441.b
Tenariſſæ montis altitudo quanta. 266.b
tenebræ, & umbræ, qui differant. 318.a. tenebræ, & ſilentium, cur ſomnum concilient. 328.a
tenebricoſo aere qui viderint, complura adducuntur exempla. unde veriſimile ſit, corpora etiam in tenebris de ſe ſpeciei fundere. Niſi magis placet; lumen oculi internum de ſe lumen mittere foras, quod irradiando objecta ſpecies eliciat. 315.a
Tenes Tenediis cultor. 41.b
tenſarum nomen unde. 134.a
tentyritarum vis contra crocodilos. 416.a
Teraphim Michæ, ſimulachrum veri numinis. 8.a
terminus vitæ humanæ certus reſpectu decreti Dei, ſic tamen ut decretum illud vim non adferat humanæ voluntati. 215.b
ternario numero gentiles in deſcribendis Deorum poteſtatibus gaudent. 168.a
terræmotus eſſetne à Neptuno, ſive aquis, an ventis ſubterraneis, antiquiſſimis incertum erat. 259.b. vera autem ejus cauſſa eſt à ſpiritibus, quos gignunt ignes ſubterranei. 238.b
Tertulliani opinio, tantummodo indutas eſſe homini carnes, non tributas. 395.a. Tertulliani error, exiſtimantis, in Scripturis etiam fieri avis phœnicis mentionem. 465.a
in Tertulliano conjectura. 145.a
Tertullianum videri deceptum, quando ait, Deum Platoni eſſe corporeum. 5.a
teſtes quibus piſcium ſint, & cur non propendeant foras. 471.a
teſtudinem in Taprobanâ magnitudo. 378.a
teſtudinum aquaticarum ortus qualis. ibid.b. teſtudinis paluſtris ſanguis capitis doloribus prodeſt. 535.a. teſtudinis teſtâ quis Romanorum primus veſtierit lectos, & repoſitoria. 537.b. teſtudines marinæ à Troglodytis adoratæ; ſive ut dii, ſive potiùs, ut ſymbola. 542.a
tethya piſcis pleuritidi prodeſt. 528.a
Tethys unde dicta. 260.a. Oceanus, & Tethys, quomodo phyſicè differant; item Tethys, & Thetis; & cur hæc etiam pro univerſo capiatur mari. ibid.
tetrachordum Orphei quid. 217.a
tetraonum magnitudo. 426.b. venuſta ſem nigrities. 418.a
τετράς cur Pythagoræ pro ſacro habita numero, imò pro Deo per quem juraret. ibid.
τεττιγόνια cicadæ minores. 576.a
Teutates, Deus Gallorum, idem videtur eſſe, ac Mercurius. 98.a. unde dicatur Teutates. 103.a
Teuth, & Teutates, & Thoth, non ſatis commodè Mercurium reddi: cum non Mercurii ſidus; ſed Solis, vel via Jovis, h. e. cæli, eo deſignetur. 139.b
teuthlacocauh, ſerpens in America occidit, & medicamenti uſum præſtant. 557.b. ſeq.
Teutones unde nomen acceperint. 103.b
texendi verbum unde veniat. 571.b
teximinani, ſerpens Americanus. 551.b
Thales an correxerit opinionem Beroſi, quod traditum Keplero. 150.a
Thalmudiſtarum opinio, angelos eſſe editos à ſiniſtro niſſæ latere. 18.a
Thalyſiorum feſtum cur commune Cereri, & Libero. 261.a
Thamimaſades Scythiſiorem, qui Romanis Neptunus. 265.b
Thamuz vulgò Adonis dictus. 121.b
Thargelium feſtum Apollini, & Dianæ, ſacrum. 161.a
Thaumantias. 391.a
Theagenes Thaſiis cultus. 41.b
Thebani colucre muſtelam. 418.a
Θεῖος. 85.a
Themiſtocles, pugnâ gallorum oſtensâ, exercitum ad fortiter pugnandum accendit. 439.b. Themiſtoclis mortis genus. 411.a
Theocriti ſcholiaſtæ opinio rejecta, exiſtimantis, Proſerpinam μελινόην, & Κόρην per antiphraſin ſic vocari. 165.a
Theocriti locus de pocolis cerâ illitis illuſtratus. 594.b
Theodoretus emendatus. 91.b
Theodori Cyrenaici dictum, dextrâ ſe dare, quæ diſcipuli acciperent ſiniſtrâ. 11.b
Theodori philoſophi λαιμόφθεγμα. 599.a
Theologia gentium triplex, fabularis, civilis, naturalis. 115.a. Theologia fabuloſa civitatibus damnoſa judicatur Scævolæ, Varroni, & Dionyſio. ibid. Theologia civilis non probatur Scævolæ, nec item Varroni. ibid.
theriacæ etymon. 558.a. in cujus confectione ſedulò cavendum, ne pro viperæ carne accipias ceraſtæ. ibid.
θηριώδης, & θηλυμον, pro ferali, vel ferino. 597.b
θεοὶ appellatio, ſecundùm Platonem, primùm ſideribus ob perpetuum curſum impoſita. 183.a
θεουργία, & γοητεία, ſpecies magiæ. 16.b
Thermarum cauſi. 238.a
Theſei fana complura Athenis. 40.b. Theſeus, Ægeo natus, cur & Neptuni diceretur filius. 46.b
Θεσμοφόρια Cereris feſtum. 50.b
Θεσμοφόρια feſtum Cereri, & Proſerpinæ commune. 321.b. & cur in hoc feſto Syracuſis naturæ muliebris ſignum circumgeſtatum. ibid.
Thetis cur Peleo nupſiſſe dicatur. 260.b. quæ Poetis eſt Thetis, ea ſecundùm hiſtoriam Philomela, Actoris Myrmidonis filia, fuit. ibid.
Theut, vel Thot, Thoyt, aut Thout, Ægyptiorum Deus. 102.b. à Thot nobis Deus God vocatur. ibid.
Thibii in Ponto ſemper nictant oculis. 320.b
Thiras, filius Japheth, Thracum eſt auctor. 93.a. ſed partis Thracum Odryſius conditor. 106.a
Thnetopſychitæ. 339.b
θοὰς quid, & unde. 538.b
Thomæ Aquinatis judicium de origine cultus ſolaris, & aliorum ſiderum. 118.a
θορὸς piſcium, ſeu vitale virus. 470.a
Thracum nomine quæ gentes antiquitus vocarentur. 91.a. Thracum dii. 106.a. In iis Odryſus. ibid.
Thracum dii. 238.a
θρασκίας nomen unde. 75.a. 239.b
θρηνῳδία, & θρηνῳδὸς, Græcis quid. 591.b
θυραῖος Græcis Apollo, ut apud Romanos Januæ Jano ſacratæ. 144.a
Thuras, ſive Thurras, rex Aſſyriæ, idem qui Mars. 68.b. Vide Thurras
Thurras rex Aſſyriæ pro deo habitus, & Mars dictus eſt. 48.a.b. Vide Thuras.
Thoſci unde in Italiam venerint. 58.b
thymallus piſcis odore ſuavi. 514.b. hinc proverbium, aut piſcem olet, aut florem. ibid.
thynni geminum etymon, prius ex Græco fonte. 498.a. ex Hebræo alterum. 518.a. thynnorum ætas; item anguillarum, deque eo Platinæ lapſus. 473.a. thynni magnitudo. 480.a. eundem piſcem variis appellari nominibus, ac unde ei fit pelamidis, vel pelamydis appellatio. ibid. thynnos dextro oculo minùs cernere, unde colligatur. 484.b. thynni ἀσπερμα. 591.b. metus. 494.b. celeritas. 498.a. thynnicaio qualis; deque eo Lucilii, & Ennii verſus, partim illuſtrati, partim correcti. 518.a
Tiberii Cæſaris crudelitas, jubentis piſcatori os lacerari duro & aculeato locuſtæ tergo. 481.b
Tiberius Cæſar in Africa, & Galliis, ſuſtulit conſuetudinem mactandi homines Diis. 136.a
Tiberius Cæſar etiam de nocte, ſimulac expergefactus eſſet, cernebat pauliſper. 314.b. Tiberius an vocatus Caprineus. 390.b
tigrides omnes cur vulgo feminæ, falſo licet, habeantur. 387.a. Tzetzæ in hoc error. ibid. tigridis velocitas. 392.b. unde tigridis appellatio. ibid. tigrium clunes comedi ab Indis. 296.a. cur abſtineant cæteris. ibid. Congitanâ autem regione totis tigribus veſci. ibid. & eſſe omnino ſapidas. ibid. tigridis, præſertim Indicæ, erepto catulis rabies. 410.a. tigres eludi, ac capi, objectis clypeis, aut ſphæris vitreis. 412.a. tigrim quis primus Romæ manſuefactam oſtenderit. 413.a
timidorum animalium ſpecies aliquot recenſentur. 391.b
Timomachus à Laconibus cultus. 38.b. 39.a
tincæ, piſcis vulgaris amicitia cum lucio. 491.b. glutine tincæ lucii ventrem apertum coaleſcere. 493.a. tincæ caro qualis. 510.a. & imprimis. 515.b. tincæ, & fullonis commoda in eluendis veſtium maculis. 537.a
tineæ, blattæque, peſtes veſtium, ac librorum. 596.a
tinnunculorum uſus in epiſtolis perferendis. 464.a
tipula, aquatilis inſecti genus, unde dicta. 574.a
Titanes unde dicti, & eorum pugna cum diis quid repræſentet. 272.a. cur cæli terræque filii, ac centimani, iidem perhibeantur. ibid.b. qui venti ſignentur per Titanes Jovi infeſtos. 273.a
Tithonus cur à Poetis in cicadam converſus eſſe fingatur. 356.b
Titia pro Tellure, & unde hoc nomen. 272.a
titillatio pedum cur ſomnum adferat. 328.a. titillatio cur riſum pariat. 359.a
τιτυβίζειν eſt perdicum, & unde id verbum. 444.b
Tlepolemi regia cultur. 61.a
Tobiæ canis, Latino memoratus interpreti, Græcis codicibus ignoratur. 391.a. Tobiæ ſenioris excæcatio qua occaſione, & cauſſâ, contigerit. 431.a
Tobias junior cujus piſcis felle viſum reſtituerit parenti. 525.b
tonitrus, ſi fieret cælo ſereno, prodigii loco habebatur. 178.b. tonitrus quid, ejuſque cauſæ efficientes. 279.b. cur, cum tonat, facilius pariant cervæ; deque eo Scripturæ locus declaratus. 280.b. tonitru dictus Peruanis omnibus pro Deo coli. 283.a
tonſillarum ulceri remedium è lacte bubulo, & ovillo, item ſimo agni, mure, & corrigia canina. 402.a
tonſura pecudis vetus Hebræis. 405.b
Tor, ſive Thor, Germanorum deus, idem qui Jupiter. 178.a
torpedo piſcis Latinis, & νάρκη, vel νάρκα Græcis unde dicatur. 482.a. vim habere ſtupefaciendi, & cui bono hanc facultatem acceperit, & num ea alicui parti, an toti corpori inſit, quæque ejus cauſa. ibid.b. torpedinis fœcunditas. 472.b. ſolertia. 485.b. amor erga fœtum. 492.a. aliquando octoginta fœtus intra ſe continet. ibid. qualis ejus caro. 511.b. viva parti dolenti impoſita contra capitis dolorem remedium. 535.a. prodeſt

puda-

podagricis, & quæ cauſa tantæ facultatis. 533.b
Toxaris Scytha heroicos Athenienſibus nactus honores. 40 b
trachelí non tam propriè purpuræ, quàm purpurarum, aut mucum cervices. 521.b
trachuri piſcis caro qualis. 509.a
traditio de Deo antiquiſſima, & communi gentium conſenſu recepta. 2.a
τραχῆλοι. 508.a
tragopan avis fictitia, ſic vocata, quia corona ei tribuantur ſimilia hircinis. 466.a
tranſpiratio an locum habeat in piſcibus. 499. b. perperam hoc nomine Cardanum a Cæſare Scaligero culpari, quòd hanc vocet *ſpirationem occultam.* *ibid.*
trepidationis motus fruſtra ab Aſtrologis introductus. 183.b
trichias piſcis quoties pariat. 412.a
τρίγλη unde dicta. *ibid.*
Trinitatis myſterium non fuiſſe creditum priſcis Germanis: ut perſuaſum aliis voluit Cluverius. 101.a
tripatinum quid, ex Feneſtella. 513.a
τριπλάσιος Mithræ ſive Solis cognomen, unde Dionyſio qui vulgo Areopagita, ortum exiſtimetur: & quæ potiores ejus cognominis rationes videantur. 131.b
tripudium unde dicatur. 462.b
Triptolemus à Cerere agriculturam edoctus. 40. a. Triptolemi fabula hiſtoricè relata. 50.b
triremes quando repertæ. 357.a
triſtibus cur conducibilis ſit ſomnus. 328.a
triſtitia cur Saturno tributa. 181.a
triticeo pulverulento præſertim locis calee obductis, facilè generari inſecta, & quæ ratio ſit. 562.b
τριτογένεια, Minervæ cognomentum unde. 50. b
tritones, genus pelamydum. 480.b
τρισόπατορες qui. 272.b
triumphantium ſceptris eburneis aquilæ eburneæ effigies inſidebat. 418.b
τρίζειν eſt perdicis, & unde ei id verbi. 444.b
trochili ſolertia. 418.b
tracta pugna cum delphino, & unde iis nomen. 494.a
Troglodytæ adorant teſtudines. 542.a
Trophonius Lebadiis cultus. 41.a
tructa, vide *truta.*
trutarum indoles eſt ferri adverſus fluminis impetum. 515.a. trutæ lacuſtres. 516.a
τρυγὼν piſcis potiùs *paſtinaca* dicenda, quàm cum B. Ambroſio *turtur.* 511.b
τρώξ vermis. 596 a
Tubal falsò creditus Hiſpaniæ gentis conditor: & unde hæc opinio originem ceperit. 92. b. rectiùs Joſephus, qui Iberes Aſiaticos Thubalis poſteros ſtatuit. 93.a
tubera cur tonitribus meliùs provenire exiſtimentur. 280.b
Tuiſto, & Mannus, Germanorum dii. 103.a
tumoribus glandularum ſub auribus, & iſtis inguinis, remedium ex inſectis. 589. a. hydropicorum tumoribus medicina. *ibid.*
tunicarum oculi conſideratio. 311.a
turbinati piſces qui. 523.b
Turcicæ fœminæ, imitatione ſacrorum Cybeles, hodieque geſtant tegumenta capitis imitantia figuram turris. 224.b
turdi quare non tanto in honore hodie, ac olim. 451. a. quamobrem Pompejus, æger licet, præſcriptis à medico turdis non ſit uſus. *ibid.* turdus humanam loquelam exprimens. 447.a
turdi piſcis laus. 506 b
turrito capite Cybele. 226. a. pleniuſque 224. a. ubi & quid turritum hoc caput deſignet.
turtur ſummùm annorum ſit XVI; plurimùm nonniſi octo. 426. a. turtur cibus ſapientum. 450. b. turtur cur pyrali inimicus, & hæc turturi. 431. a
turtur marinus Interpreti Dictyos, & B. Ambroſio, is vocatur, qui antiquis *paſtinaca.* 540.b
tuſſi morboſæ remedium è cancris, & ranis. 527 b. *ſeq.*
Tutulina. 235.a
Tybileous deus Saxonum. 104.b
Tycho Braheus falſus, quando univerſos cometas judicat in æthere generari. 284.b
tympana, cymbala, cornua, & alia ſacrorum Cybeles inſtrumenta Muſica. 223. a. iterum de tympano. 226. a. de tympano hoc manducabant deque cymbalo bibebant. 223. a. tympanum quid myſticè ſignârit. *ibid.* & 224.b
tympana ex pelle ovilla cur penè obtumeſcant, ſi miſceantur aliis ex lupina pelle. 422.a
Typho, ac Seth, Ægyptiis Sol dictus, quatenus vim habet maleficam. 157. a. Typho Ægyptiis etiam mare deſignat. 256. b. cur Typhone nihil Oſiridi, vel Oro, inimicius creditum. *ibid.* cur Typho fingeretur rufus, & ſubpallidus. *ibid.* Typhonis uxor Nephthys; ut Oſiridis, Iſis; atque ut ex his natus eſt Orus, ita ex illis Anubis. 257.a
Typhœus idem, qui Ogus Moſis. 71. b. is periit in terra Aramæa, ſive Syria. 73.a
Typho in ultionem Oſiridis ab Iſide, & Oro, interemtus. 76.b
τυφλὸν inteſtinum. 304.a
Tyrii ab Idumæis, hoc eſt, Eſavi poſteris, oriundi. 95. b. cur Tyrii dicti Erythræi. *ibid.*
tyrrhena vincula Virgilio quid. 475.b
τυφλῖναι ſive τυφλίνη, genus ſerpentium. 546.b
Tzetzæ de tigribus error. 387.a
tzicatlina ſerpens. 552.a

V.

VAcca quouſque exaudire credatur tauri mugitum, quando Venerem appetit. 390.a
Valeſii adverſus Gallos corvo adjuti hiſtoriam fabuloſam videri: & unde error ille in Romanam irrepſerit hiſtoriam. 76.a
Vallina. 236.a
vannus Jacchi quid myſticè notârit. 141. a. eadem in Minervæ ſacris adhibita. *ibid.*
Varro corrigitur. 228. b. idem apud Lactantium emendatus. 167.b
Varronis verus lectio defenſa. 404. b. ejuſdem locus emendatus. 452. b. *in margine.* Iterum Varro emendatus. 455.b
Vegetius mulomedicus correctus. 591.b
Veleda, Aurinia, & Gauna, ſeu Ganna, Germania habitæ pro vatibus. 297.b
velleri nomen unde. 404.b
vellus arietis aureum theſauros deſignat, & quæ cauſa figuratæ iſtius locutionis. 67.b
velocitas miranda ſtellarum. 183.a
venandi leonis variæ rationes. 372. b. venandi ratio duplex, dolo, & vi. 411.b. & quomodo foveis capiantur animalia. 412. a. ut feræ ſuperentur, referre plurimùm, cujuſmodi ſint retia, ve nabula, & qua parte petantur feræ. *ibid.* b.
venenis remedia à mulo, muſtela, cervo, apro, monocerote, capra. 399.b
venenum quid uni eſſe, alteri medicamentum. 14.b
venenum pro colore. 225.a
Venerea titillatio non eſt ſeatus ſenſus exterior; ut Scaliger putabat. 318.a
Venerea concha. 521.a.b
Venerem quæ ex avibus vel accendant, vel reſtinguant. 460.b
Venerem è piſcibus cientia, aut impedientia. 533.a
Veneris etymon, & de Siccæ Veneriæ nomine. 153. a. b. Veneris numen latius patet, quam Junonis. 164. a. Veneris nomen temporibus Numæ Latio ignotum, & ejus rei ratio. *ibid.*
Veneris ſtella Ἀλεξάνδρειος pro Heſpero, ſive Lucifero, ut a Luna diſtinguatur; quæ & ipſa eſt Venus, ſed non ſtella. 171. b. quando veſperi, quando item mane oriatur. *ibid.* Veneris ſtella cur una cum Luna generationis eſſe cauſſa exiſtimetur. 171. a. & 174. b. Veneris ſtella, uti & Mercurii, non ſemper ſub Sole fertur, ſed etiam ſupra eum: ut quæ circa Solem volvatur. 174.a
venenis mederi & piſces. 523. b. & *ſeq.* item 555. b. quædam ex quadrupedibus, & avibus, atque aliis. *ibid.* iiſdem quædam inſecta averſari. 580.a
venti, ferè noſtro graviores, proprio pondere in terram deſcendunt. 373. a. venti cur pro diis culti gentilibus. *ibid.* b. & 275. a. eorum origo occulta *ibid.* b. obliqui motus quænam cauſa. *ibid.* & 274. a. Ariſtotelis interpretes in cauſa obliquitatis ejus aſſignanda refutati. *ibid.* cur ventorum aliqui, licet materies eorum ſit exhalatio calida, frigidi tamen dicantur. 275. a. cur nunc leniùs, nunc vehementiùs, ſpirent quidam: item continuò quidam, alii flatu interrupto. *ibid.* cur ſubſolani magis flent hyeme; favonii, vere, & æſtate. *ibid.* b. ventorum effectus. *ibid.* ventorum notitia quàm medico ſit neceſſaria. 276 a. utilitas eorum ad humana commercia, & Euangelium prædicandum omni creaturæ. *ibid.*
ventis cur alæ tribuantur non modò à poëtis gentilibus, ſed etiam divinis. 19. b
ventorum cauſæ ab ignibus ſubterraneis. 238.b
ventriculi, & inteſtina, non cibo aluntur, quem recipiunt; ſed ſanguine per venas ex jecore attracto. 304.a
ventriculi os cur veteres dixerint καρδίαν. 528. b. dolori ventriculi remedium ex piſcibus. 529. a. eidem medicina à melle, & mulio; item è cochleis, & aſellis. 583.b
ventriculorum cerebri uſus. 322.b
ventus quid propriè ſit. 271. a. à Perſis pro Deo cultus. Item à Phœnicibus, & Græcis. *ibid.* b. ventorum præſciendi ratio ex echino. 385.a
Venus Cypria quæ fuerit, & quædam de ſacris ejus. 51. b. cur ſacerdotes ejus Κινυράδαι dicti. 61. b
Venus unde dicta. 163. b. variè intelligitur: primùm pro ſtella Veneris. Ea, ut & ſtella Mercurii, incrementa ſua habet inſtar Lunæ: eademque, uti & Mercurii, ac Jovis ſidus, eclipſin patitur inſtar Lunæ. 171. b. Venus etiam pro Luna ſumitur. 163. a. Venus Libitina funeribus præfecta Lunam ſignat, quatenus eſt corruptionis cauſſa; eademque videtur Proſerpina. 163. b. Venus Cæleſtis Aſſyriis & Arabibus, tum Lunam, tum aërem ſignat. 267. b. Venus quo-

quoque eſt terra, ſive vis ejus generatrix. 233. a. ita Phœnicibus Venus Byblia, tum Luna eſt, tum terræ, & aquæ globus. *ibid.* itaque Venus Phœnicum haut alia eſt, quam Deûm mater apud Phrygas, & Ægyptiis Iſis. 233. a. cur aliqui dixerint idem eſſe numen Veneris, ac Veſtæ; etſi hac nihil caſtius, illâ nihil laſcivius haberetur. 233. a. Venus virgo Orientalibus. 268. a. Venus Cœleſtis non modo cœleſti, vel elementali corpore ſumitur, ſed etiam pro mente quadam ſuperiori, viſui inconſpicua. 172. b. Venus Parcarum trium natu maxima. 203. b. quomodo cum eo, quod Saturnus dicatur antiquior, conciliari poſſit, quòd ſit Jovis filia, Saturni neptis. *ibid.* Venus συγγενὴς ſive *baſlara* Cypriorum. 163. a. Venus Ἑταίρα, Ἀφρόδιτη, Ἐπιτύμβια, Πελαγία. *ibid.* b. Venus Iſmaelitis quoque, &, eorum exemplo, Saracenis culta. 171. b

vepres, & *veſtis*, vocabula unde 145. a

veratrum ſive helleborus convenit naturæ coturnicum. 454. a

verenda in viro cur Natura non fecerit oſſea, ut in pleriſque animantibus. 306. a

verendis virilibus remedia ex ſalſamentis, & cochleis. 532. b

veritatem detinere in mendacio, ſeu injuſtitia, quid Apoſtolo ſignificet ad Rom. 1 9. a.

veritatis ara. 361. b

vermes unde in inteſtinis generentur. 402. b. varia eorum genera, & ut medicina ſit longis illis, quæ ferè inteſtinum jenue occupant. *ibid.*

vermiculos, qui τέρμινες vocantur, nec edere quicquam, nec excernere. 564. b. cur moriantur vermes, ſi ex arbore, in qua nati, in aliam transferantur. 565. b. vermis Italici magnitudo; cujus & vires indicatæ. 460. b. vermium nonnullorum magnitudo. 566. a. cur careant nervis, oſſibus, cartilagine, & ſitis quibuſdam. *ibid.* cur variet color in vermibus è nive enatis. *ibid.* b. vermes ferventibus aquis innatantes citra noxam. 574. a. vermes, ac lumbrici, variis gentibus pro cibo. 577. b. vermes terreſtres prodeſſe nervis glutinandis 581. a. item aurium dolori. *ibid.* calculo. 584. b. urinæ cient. *ibid.* proſunt variis morbis muliebribus. 585. a. vermes terreni, ſive lumbrici, proſunt iſchiadicis, & aliis arthriticis. 585 b *ſeq.* cavitici medentur, ac præſtant capillis, ne colorem mutent. 586. b. ſanant elavos. 587. b. ulcera. 588. a. ignem ſacrum. *ibid.* b. vide *Lumbrici.* Vermium plantas erodentium genera; ἴψ, ἴξ, σκώληξ, ψῆν, μίδας. 596. a

vernatio ſerpentis. 545. b

verrucis remedium è conchylibus. 535. b

vertigo cur multos occupet ex alto deſpicientes. 311. b

vervex capite abſciſſo progrediens. 355. b. verveceum caput de ſimplice ac ſtulto. 385. b

veſica unde dicta. 277. a. veſicæ cur non ſonent, niſi ſubito diſpioſæ. 316. a. veſica cur avibus negata. 414. b

veſpæ. & crabrones, figurâ inter ſe, & ab apibus differentes. 569. b. veſpæ ex aſinis; crabrones ex equis, vel mulis 570. b. cur veſpæ non edant ſonum, niſi volantes. 576. a. veſparum cibus. 565. a

veſparum, cicadarum, & ſimilium multitudo anni eſt pluvii argumentum. 294. b

veſper pro *lucifero.* 171. b

veſpertilio ſola avium vivipara, & fœtum ſuum iactans. 443. b. utrum in avibus potius, an volucribus, debeat reponi. *ibid.* cur Hebræis *ataleph* dicatur. *ibid.* veſpertiliones cur involent in faces, candelas, gladios. 428. b. eorundem amor erga prolem. 434. b. veſpertilionis alæ non alæ, quippe non è pennis, ſed membrana. 441. b. eorum aliqui caudati. *ibid.* veſpertiliones esibus Borſippenſium. 455. a. veſpertilio Mexicanis habitus pro numine. 467. a

Veſta an repertrix architecturæ, & quale numen. 50. b

Veſta ab ἑστία, hoc ab ἑστάναι. 231. b. & 240. b. vel potius eſt ex fonte illo ἑστία. *ibid.* ea eſt tellus: & cur Euripides dixerit illam in aere conſidere. 231. b quomodo eadem Platoni *Deorum locus* dicatur. *ibid.* nec terra ſolum eſt, ſed & ignis, ac propriè focus publicus. 240. b. ut pariter ignem, & terram, colue int templo Veſtæ, & cum id fuerit rotundum. *ibid.* origo proverbii, *A Veſta ordiri.* 236. b. cur nomen Veſtæ ſive ignis ſit accommodatum telluri. 237. a. quomodo, ſi extingueretur focus Veſtæ per improdentiam, Romani; quomodo item Græci, eum inſtaurarint. 239. b. unde Veſtæ ſacra acceperint Romani. *ibid.* & 240. a. ea ex regia Numæ tranſlata ab Auguſto. *ibid.* cur Romani cuſtodiendo igni ſacro præfecerint virgines; Græci autem viduas, & quidem jam natu grandes. *ibid.* obtinuiſſe hæc ſacra non Delphis modò, & Athenis; ſed aliis etiam Græciæ locis. *ibid.*

veſtium è pilis camelorum Caſpiorum mollities. 405. a. cur Deus Adamo, & Evæ, è pellibus potiſſimum, veſtes feciſſe videatur. *ibid.* b

veterno è piſcibus remedia. 524. b. vina, quibus mel miſcuerunt. 578. a

Vettii Aſtrologi jurameutum per ſidera cœleſtia. 181. b

vetus gloſſarium aliter, quam ab aliis, emendatum. 856. b

Viales dii. 32. a. unde dicti. 32. b

vicomercati ἀναχωρησεῖς. 284. b

Victorius refellitur de eo, quod putat, Maronem non meminiſſe ſuum in Georgicis. 387. a

vigiliæ morboſæ medicina è cuculo, & lepore. 457. b

Vincentio Obſopœo ibis cum ciconia confuſa variis præbuit errandi occaſionem. 467. a

vinum, & cereviſia, cur poſt tonitrua aceſcant, ac præcipuè cereviſia recens. 279. b. cur vinum, illæſo dolio, abſumatur. 280. a. cur etiam vaſe rupto ſic incruſtetur, ut non diffluat. *ibid.*

vinum mellitites ut à mulſo differat. 578. a

viperæ, & ἔχιος, etymon. 544 a. viperarum coitus, & partus; deque iis Herodoti, & aliorum, ſententia ab Ægyptiis hauſta refellitur. 543. a. ſimiliter decipi, qui tradunt, viperam coire cum muræna marina. 544. a. quanta interdum viperis magnitudo. *ibid.* b viperinæ iræ indicia. 547. a. unde dignoſci poſſit ecquis à vipera mare, an femina, ſit ictus; & utrius ictus ſit periculoſior, & quando utraque maximè cavenda. 548. a. viperas in eo quoque à ſerpentibus differre, quòd hieme lateant ſub ſaxis. 554. a

vipiones Baleribus in honore menſtrum. 473. a

virga Attinis quid ſignificârit. 225. a

virgæ in cœlis quale præbeant pluviæ argumentum. 293. a

Virgilii locus 1 Georg. aliter quàm, à viro docto, expoſitus. 261. a

Virgilii locus contra cenſuram Senecæ defenſus. 272. a

Virginis ſignum vel Aſtræa, vel Ceres, ſive Iſis, vel Atergatis, vel Fortuna, vel Concordia, vel Pax. 186. a. b

viri cur tardiùs, ſed diutiùs creſcant feminis. 305. b

virtutem in quadrupedibus ſimulachra. 319. a. b. virtutum, quæ vulgò cardinales vocantur, differentia inter ſe. 436. b

viſionem Democritus, & Ariſtoteles receptione; Pythagoras, Plato, Galenus, emiſſione fieri arbitrantur 312. b. ſed contra poſteriores variis oſtenditur argumentis, non fieri viſionem emiſſione ſpirituum 313. a. an ad viſionem ſit opus corpore medio, per quod tranſmeent ſpecies, deque eo diſcrepantes Democriti, & Ariſtotelis opiniones. 414. a. b. medium diſforme, hoc eſt, nunc denſius, nunc rarius, immutare ſpeciem. 315 a. atque hinc eſſe quòd omnis in aquis videatur major; item remus fractus, aut flexus. *ibid.* b

viſire, & *pedere*, βδεῖν, & πέρδειν, ut differant. 277. a

viſus inter ſenſus externos principatum obtinet. 309. b. cur, ut aliquid accutiùs videamus, corrugemus frontem, vel ei admoveamus manum. 310. a. quare piſces cernant obtuſiùs. *ibid.* b. aquilæ cur rectè valeant ſolem intueri. 311. b. unde ſit, quòd non fallatur viſus, etſi aqueus humor faciat refractionem. *ibid.* non humorem cryſtallinum, ſed tunicam retiformem, propriè eſſe viſionis organum. *ibid.* viſus objectum proprium lux, & color: commune Ariſtoteli quintuplex: deque eo laxus nimis opticorum numerus refellitur. 312 a. an viſus fallatur circa objectum ſuum. 315. a. videri etiam, quæ ex adverſo pupillæ ſita non ſunt. *ibid.* b. viſum quoſdam recepiſſe, volvere in fronte accepto, & quæ cauſſa ſit ejus rei. 311. b

viſus quibus piſcium acutior, quibus obtuſior. 484. b. qui item piſces careant viſu. *ibid.*

vita unde ita dicta, & in quibus conſiſtat. 298. b

vitiligini, ſive lepræ, remedia ab inſectis. 589. b. vitiligo ut differat ab impetigine, & ſcabie, & conterminiſſima horum elephantiaſi. 535. a

Vitruvio jam olim, hoc eſt, Auguſti ætate, monitum, Veneris, & Mercurii ſtellas, circa Solem ferri: eoque dimidia curſus ſui parte eſſe ſublimiores Sole. 173. b. *ſeq.*

vituli marini quomodo coeant. 471. a. cur binos pariant fœtus. 472. a. vituli marini mugitus. 500. b. unde ei nomen *bera.* *ibid.* vitulo marino, ſive phocæ, gravior eſt ſomnus, quàm piſcium aliis; & quæ cauſa ſit ejus rei. 490. b. unde ei nomen ſit *vituli.* *ibid.* & 500. b. vitulus marinus epilepticis prodeſt. 514. b

vitulum marinum non tangi fulmine, plane eſt commentitium. licet etiam id Auguſto creditum, & Severo Impp. 281. a

vitulus ab Iſraelitis cultus ἄγαλμα dicitur Stephano protomartyri. 8. a. & vitulos Jeroboami Scriptura vocat deos alienos, ac conflatiles. *ibid.*

vitalis ſpiritus ubi convertatur in animalem. 139 a

vitiorum in animantibus ſimulachra. 390. b. *ſeqq.*

vitrea oculi tunica. 311. b

vitreus oculi humor cur ſic dicatur, & cujuſmodi ſit. 311. b

vitulinum bubulæ præferenda, dummodo ne vituli recens ſint editi 395. b

vitulos, ut videtur, dici poſſe de pullis elephantorum. 368. a

Vitus, ætatis Diocletianeæ martyr, pro deo

deo habitus à Rugianis. 109. b
vivaria oſtrearum, cochlearum, murænarum, quando, & à quibus, inventa ſint. 504. a
ulceribus, & carni excreſcenti remedia ex piſcibus. 528. a. ulceribus remedium mel, cera, oxymeli. 588. b. & omnia prope inſectorum genera. *ibid. & ſeq.*
ulmus locuta, ſi Philoſtrato fides. 354. a
Ulyſſes an in Caledonia aram exſtruxerit. 100. b. Ulyſſis ara Britannica. *ibid.*
umbilici marini facultas. 523. a
umbilico cur nutriatur fœtus, dum geſtatur. 308. a
umbla, ſive umbra, piſcis lacus Lemani. 506. b. 516. b
umbræ, & tenebrarum diſcrimen. 312. a
Ungaris culti dæmones. 21. b
ungues cur avium nonnullis dati ſint adunci. 423. a. nec ſolas carnivoras, nec omnes, habere ungues ejuſmodi. *ibid.* b. unguibus, ac pilis ſalutaria 422. a
unguis piſcis Varroni, qui Plinio *onyx.* 522. b
unguium uſus, ac remedium ſcabritiei unguis ex alece. 533. a. unguium vitiis remedia ab inſectis. 587. a
unioni unde nomen. 536 a
univerſale quotuplex. 346. a. ex ſententia Scoti, etiam in unico individuo inesse univerſalem naturam; eandemque eſſe in pluribus actu individuis; illic potentiâ remotâ, hic propinquâ, & ut potentia univerſale pro diverſo modo conſiderandi, tum in animâ ſit, tum extra eam. *ibid.* b. univerſale, an ſingulare, priùs cognoſcatur. 350. a
Unxia Juno. 161. a
voces non habent vim naturâ, ſed ex inſtituto. 24 a
voces naturâ ſignificare quâ mente Plato dixerit. 355. b
volare etiam piſces quoſdam. 497. a
volatus, & natatus, quo pacto fiat. 336. a. quomodo competat eis, quod dicit Ariſtoteles, omnem motum fieri ſuper immobili. *ibid.* b. volatus varii modi. 443. b
voluntatis, & appetitus ſenſivi, differentia. 351. a voluntas aliter vult finem, aliter media ad finem. *ibid.* voluntatem non determinari à judicio, ut multorum opinio eſt, ſed à ſeipſa. 352. a *ſeqq.* non poſſe hominem aliter velle malum, quàm prout boni ſpecie veſtitur. *ibid.* b. voluntatem eſſe intellectum protenſum; eoque ab intellectu ſolùm conſiderandi modo differre. 353. a. voluntatis actus duplex; elicitus, vel imperatus. *ibid* b
Volutrina. 235. a
vomitorii rationem hauſiſſe homines à gulone, ſive vulture quadrupede. 399. a
vomitui conferunt multi. 529. b
vox quid ſit. 316. b. cicadis non competit, ut nec piſcibus maximam partem; & quæ ejus rei cauſa. *ibid.* quotuplex ſit vox. *ibid.* *vox*, & *ſermo*, unde derivata. 444. a
Urania, ſive Cæleſtis, Aſſyriis lunam denotat. 151. a
uranoſcopi, ſive callionymi, caro qualis. 509. a
uri vox etiam veterum Gallorum, & Germanorum. 379. a. jam Plinii ætate Romani *bubalum* pro *uro* dixere. *ibid.*
urina hominis utilis adverſus aſpidis ictum. 556. a. urinam qui piſces cieant. 532. a. urinæ difficultati remedia ex inſectis. 584. b
urinæ, ſudoriſque materia eadem; idem quoque modus generationis. 299. a
urinatores cur animam contineant. 497. b
uro, *πῦρ*, *buſtum*, unde derivata. 187. b. 239. a.
Urotalt Arabibus idem ac Dionyſus, ſive Sol. 130. a. unde nomen acceperit. *ibid.*
Ur, ſive *Uros* Chaldæorum unde dicta. 239. a. in qua civitate natum Abraham, eſt veriſimile. *ibid.*
urſas non parere fœtus informes, ut vulgò creditum, & unde opinio hæc provenerit. 376. b. urſi, & glires, quo alantur, dum hieme latent 305. b. ac pleniùs. 377. a. ubi docetur, urſos hieme in latebris ſuis vivere humore eo, quem prioribus ex pedibus tum intumeſcentibus exugunt. Etiam latebrarum tempore urſinum in vaſis adipem exundare; ut Theophraſtus prodidit *ibid.* urſus quâ parte imprimis valeat, & quanta eidem capitis imbecillitas. 380. a. urſarum ferocitas, præſertim in plagis ſeptentrionalibus. 409. b. urſinam in rabiem agi, qui urſi cerebrum comederint. 411. a. urſum cultro necandi modus, ubi ſis armis tectus. 412. a. urſina caro etſi edulis, inſalubris tamen 396. a
Urſi Numidici, in Annalibus Romanis, utrum denotent leones, an veros urſos. 371. b
urtica marina alopeciæ medetur 525. a. b
urticæ oculis carent. 484. b. urticæ, pulmones, mytili, & alia quædam, auditu carere oſtentum. *ibid.* urticæ quatenus ſe moveant. 495. a
Uſo Phœnix Ventis templum poſuit. 471. b
uteri ſitus. 306. a. fabella rejicitur de ſeptenis uteri cellis. *ibid.* b
uteri ſuffocatio unde; eique medicina è piſcibus. 532. a. carcinomatis vulvæ remedium è cancro fluviatili. *ibid.*
uvæ, faucium morbo, remedium ex piſcibus. 527. a. *uva* appellatio unde. *ibid.*
Vulcani nomine ignis elementalis deſignatur, & unde hic Ἥφαιστος nominetur. 240. b. quomodo Vulcanus ſit Junonis filius. 241. b. cur fingatur claudus. *ibid.* cur Venerem dicant Poëtæ uxorem Vulcani. *ibid.* Vulcano, & Luæ, cur cremaverint arma hoſtium devictorum. 237. a. Vulcanus Ægyptiis credebatur utrumque ſexum habere, ut & Minerva; & cur idem ab iis pater Solis appelletur. 239. b. etiam Vulcanus fuit cultus Germanis, & inter Sarmatas præcipue Lituanis, quibus *Zniez* dicebatur. 243. a
Vulcani, & Minervæ ſymbolum vultur. 423. a
Vulcanus antiquiſſimus Tubalcainus: inde Vulcani nomen factum παρὰ τὸ ἀφανίζειν: nec is tam ignem hominibus oſtendit, quàm ignis uſum in arte fabrili. 47. a. b. Vulcanus, Rex Deuſque Ægypti: unde Ægyptus vocata Ἡφαιστία. 74. a
vulnerati in ſepto tranſverſo cur rideant morientes. 359 a
vulneribus, oſſium fracturis, ulceribus, ſalutaria ex quadrupedibus. 303. b
vulnerum ſordibus extergendis remedium ex cinere echini marini. 534. a. vulnera pro cœlo ſoloque faciliùs, aut difficilius, ſanari. *ibid.* b. vulneribus medicina ab inſectis: item vis meſſis in vulneribus; uti & vis ejuſdem, item apum, & ceræ, in membris contuſis, fractis, vel aduſtis. 588. a
vulpis ſive vulpeculæ ſolertia. 487. b. ejus caro qualis. 511. b
vulturis ætas ad centeſimum pertingit. 425. b. vulturesne omnes ſint feminæ, & uno è vento concipiant. 423. a. opinionem eam promanaſſe ab Ægyptiis; quibus vultur erat ſymbolum Vulcani, & Martis. *ibid* vultures nidificare, contrà quàm ab Ariſtotele proditum ſit Caſſianus. *ibid.* vultures non ova parere, ſed vivas volucres, crediti; & unde is error originem ceperit. *ibid.* vultures quidam infœcundi. *ibid.* vultur quare ſit ſymbolum viſus. 428. a. quantum odoratu valeat, & quæ ejus rei cauſſa ſit. *ibid.* b. vultures utrum ſpatio tam remoto halitum, an ſpeciem ſolum olfaciant. 320. b. ſed quòd dicuntur non ea modò, quæ jam ſunt, olfacere; ſed aliquot ante prælium diebus advolare ad exercitus; hoc ſi ita ſeſe habeat, non ſenſui, ſed mentis ſagacitati, tribui oportere. 429. a. vultures roſaceo inunctos unguento mori. 320. b. & imprimis 428. b. vulturis, & corvi calliditas in [illegible], quæ ad victum pertinent, 429. [illegible] vultur innocentiæ ſymbolum. 438. a. cur eo uſi ſint Romani in auguriis. *ibid.* cur teſtamentorum captatores dicti ſint *vultures*, & *vulturii*. *ibid.* vulturis volatus licet altus, tardus tamen. 443. b. vulturis pennæ combuſtæ fugant ſerpentes. 461. a

W.

W, G, V, & G, permutantur. 102. a
Walcher, Zelandiæ, dum gentilis in ea religio vigeret, Deus tutelaris, unde nomen acceperit. 176. b
waſſer, & *water*, unde dicta. 259. b
Wodan, Germanicus Deus, ab Ægyptio *Theyt*, vel *Thout*, nomen accepit. 102. a
Wodan non eſſe planetam Mercurium, ut putarunt, qui diem Mercurii hinc *Wodensdag* reddidere: ſed vim Solarem, aut cæleſtem: ut potiùs Apollinem, vel Jovem, reddere debuerint. 139. b
Wolfgangi Francii παρέργημα. 433. a
Woonsdag Germanicum unde dicatur. 102. b

X.

Xiphiæ, & ſturionis vis in roſtro. 481. a
xiphiæ natura. 510. b
xyſithrus Noë. 52. b

Y.

Ὕδωρ, Νῆσις, & cognata quædam vocabula, unde veniant. 258. a
ὗς etymon ex Græco, veriuſque ex Hebræo. 255. a
ὑπόχυμα unde. 458. a. remedium ei è columba, & ovo. *ibid.*

Z.

Z, & D, commutari. 140. a
ζάμενς. 48. b
Zamolxis à Getis, quibus leges tulit, in deos relatus. 106. a. item à Thracibus pro deo cultus. *ibid.*
ζάμης. 48. a
Zaretis Perſis Diana. 155. a
ζαμιῶν, & ζαπορέω. 12. b
ζαμάνες Sidoniorum. 64. b
Zcernebach, & *diabol*, Slavorum dii. 104. b
Zenobiæ caſtitas. 389. a
Zephyro cur albam maſtarint pecudem, inque Circo album ſacrarint aurigarum colorem. 271. b

ζαῖς piſcis. 506.b
zibethus, ſive civettica felis. 409. a. perperam confundi cum hiæna. *ibid* unde liquor ex eo, odore adeo gratus, emanet. *ibid.* vis zibethi in ſedando dolore colico. *ibid.*
Zaicz Sarmatis Deus ignis. 243.a
Zodiacus cur in xii ſigna, ac gradus ccclx diſtributus. 209 b. ac ut quodque ſignum alicui corporis membro præfectum. *ibid.* Zodiaci piſces habiti nepotes piſcis Auſtralis, qui *magnus* dicebatur. 185.a
zonam ſolvere Latinis dicuntur eæ, quæ nubunt: at fere Græcis iſtæ, quæ pariunt. 159 b
Zoroaſtres quis, & quando fuerit, variæ ſententiæ adferuntur. 12. a. quid vocabulum hoc ſignet. 12.b
Zoroaſtris dogma de principio boni, & mali. *ibid.* & 13 a
Zoroaſtris vocabulum quid ſignet. 152.b
zygæna piſcis qualis. 511.b. 518.a
Zygia Orienti eadem ac Juno, & Lucina. 152. a. & 161.a

INDEX

I N D E X

Locupletiſſimus quinque poſteriorum librorum

DE

PHYSIOLOGIA CHRISTIANA,

ET

THEOLOGIA GENTILI.

Numerus, paginam, littera a, *columnam primam,* b *ſecundam deſignat.*

A.

ABſinthium auditum auget. 639. b. abſterget, & pectori prodeſt 641. b. abſinthii aqua cui memorata. 642. a. abſinthium adhibetur jecori. 643. b. in morbo regio. 644. b. necat lumbricos. 646. a
Abſtinentia Ethnicorum à ſtirpium ſeminibus, fructibus, & oleribus humi repentibus. 676. a
Acca Larentia ſive Flora Tellus floriſera. 734. b
Accipitris divinitas. 778. b
Achates lapis. 689. b. quomodo differat ab jaſpide. 690. b. ex achate cochlearia. 698. b
Achilles diſcalceatus. 814. a
Achoribus remedium. 651. b
Acoron jecinori medetur. 644. a
Adad ſive Adod Aſſyriis Sol. 813. b
Adamas gemmarum duriſſimus. 687. b. coloris expers. *ibid.*
Adamus in Saturno cultus. 732. a
Adiantum bibitur in morbo regio. 644. b
Adonis Phœnicibus Sol. 770. b
Ædificiorum materia è plantis. 659. a. b
Ægyptiis ut Ammon ♀ ſic & Iſis, Oſiris, atque Sarapis, Mundus ſive Natura. 720. a. b
Ægyptiorum dii, & ſymbola, Cneph, Oſiris, Iſis, ſerpens, accipiter, &c. 778. b. *& ſeqq.* uſque. 784. b
Ærugo ſuccus. 683. a
Æs unde ſecundum Chymicos. 685. a. Cyprium arte factum. *ibid.* æris uſus in medicina. 704. b. terrâ & aquâ, ac bello. 708. b. *ſeqq.* æris ad idololatriam abuſus: Veneri ſacrum. 716. a. ex ære valvæ Panthei, ancile. &c. 717. a
Æſculapius vis ſalubris de ſubſtantia Solis: cultus mixtus. 733. b
Æſculapius comatus & barbatus. 813. a. ei dicati ſerpens, gallus, noctua, capra. 813. b. feſti dies poſt Iſthmia. 828. a
Aetites, & alectorius. lapides. 696. b. aëtites prodeſt opthalmiæ. 701. b. medetur pulmonis ulceribus. *ibid.* prodeſt mirificè articulari morbo. 703. a. facilem partum præſtat. 703. b
Affectiones quædam etiam per ſe malæ, in deorum numerum relatæ, aut peculiaria iis numina præfecta in genere. 735. a. b. in ſpecie: Terminus deus. *ibid. & ſeqq.* tempus, Phanes, Saturnus. 737. a. b. *& ſeqq.* facultatis generatricis numina Priapus, Venus, Genius, Fœcunditas 739. b. & 740. a. Infantiæ Vagitanus, Levania Senectus dea. 740. a. b. *& ſeqq.* Salus ſive Hygia, Juturna, Meditrina ſeu, Jaſo, quæ & Panacea, Morbi, Febris, Morta Parcarum una, dii deæque. 741. a. b. *& ſeqq.* Echo. 742. b. *& ſeqq.* Mnemoſyne. Somnus cum filiis Morpheo, Icelo, Phobetore ſomniorum artificibus. 745. b. Fames, Sitis, Amor Ἔρως & Ἀντέρως, Cupido, Gaudium dolor. 746. b. & 747. a. Spes, deſperatio, Metus, Pavor, Pallor, Ira, Furor. 748. a. b. Alacritas, Labor, Vertumnus ſucceſſum præſtans, Quies, Vacuna, Pilumnus piſtorum, Mercurius & Trivia viatorum. 749. a. b. Opinio dea. Scientiarum, Prudentiarum & Artium numina Minerva, Bona mens, Veritas, deus Catius, Apollo, Mercurius Suada. 750. a. b. Furina. *ibid.* 751. b. Virtus, Juſtitia, Pietas, Gratiæ, Fides, Themis cum tribus filiabus, tum Sophroſyne, Pudicitia, Clementia, Fortitudo. 752. b. uſque. 755. a. Injuſtitia. Momus. *ibid.* 754. a. Verecundia, Miſericordia, Indignatio, Felicitas privata ſeu Beatitas. 755. a. b. uſque. 747. b. *ibid.* 756. b. Honor, Fama; dehinc numina Loquelæ, Silentii, Riſus. 756. b. & 757. a. Societatis domeſticæ qua connubium & puerperium Εὐμερία, Gamelia, Cinxia, Domiduca. Viriplaca, dii Nixii & ſimiles. 757. a b. *& ſeqq.* Cotytto, Conyſalus, &c. *ibid* 758. b. Societatis Parentum & liberorum, dominorum ac ſervorum: Orbona, Libertas, Adeona, Abeona. 759. b. *& ſeqq.* Societatis cognatorum, amicorum, hoſpitum: Jupiter gentilitius, ſodalitius hoſpitalis. *ibid.* 759. b. Poſſeſſionum numina: Maimona, Plutus, Argentinus, Æſculanus, Janus, Forculus, Laterculus, Arculus, &c. Hippona Hæres martea. 759. a. b. *& ſeqq.* Laverna furum & latronum. 761. a. Societatis Civilis: Genii Locorum & Urbium, Themis, Concordia. Moneta, Bellum, Triumphus, Pax, Salus publica. 761. a. uſque ad fin. Officiorum hominis erga mortuos: Jalemus, Venus Libitina. 760. a
Affectuum plerorumque deſcriptiones. 747. b. 748. a
Agamemnon Spartan. Rex. & Jupiter uno cultu affectu. 733. a
Agaricum ante paroxiſmum in febri. 637. a ſtomachicum. 643. a. arquatos à jecore ſanat. 644. a. ventrem purgat. 645. a. renibus prodeſt. 646. a
Aidoneus, ſive Orcus Moloſſorum rex raptor Proſerpinæ. 734. a. cultus cum Dite. *ibid.*
Ajus Locutius quis & cui minimè colendus. 757. a
Alabaſtrites marmore durior. 693. b. ex alabaſtrite amphoræ. 698. b. medetur ventriculi doloribus. 702. a
Alacritas. Ὁρμή, Agonius. 749. a
Alces. *Vide* Damaſonium
Alecto. *Vide* Furiæ.
Alectorius lapis. 696. b. prodeſt contra febrim, ſitim reſtinguendo. 699. a
Alexander M. quomodo effingi ſolitus. 828. a
Alicæ ſorbitio ad ſtomachum. 643. a
Alimentum trifariam dicitur. 617. a. b
Allium meſſorum. 622. b. allii amoletum. 637. b. ebrietatem impedit. 638. b. viride flatus excitat. 645. a. allium & cæpe ſacrata Diis. 674. b
Aloë hæmorrhoides ſiſtit. 646. a
Alſina, ſive morſus Gallinæ contra epilepſiam. 640. b
Althæa medetur lieni. 644. b. ſicca ſtranguriam tollit. 646. b
Alvi paſſiones & remedia. 644. b. *ſeqq.*
Alumen ſuccus adſtringens. 685. a. aluminoſa aqua conducit paralyticis. 700. b
Amaranthus longævus. 610. a
Amellus, aſter Atticus; bubonion, in morbis viſus. 630. b. comitiali. 640. a. fancium. 641. a. utilis ad ſedes procidua. 646. a
Amethyſtus ebrietati reſiſtit. 700. b
Amiantus lapis in igne non abſumitur. 694. a
Ammites lapis. 693. b
Amor. 793. b. differt à Cupidine. 746. b. Ἔρως, Ἀντέρως. *ibid.* 747. a
Amor geminus Ἔρως καὶ ἀντέρως. 822. b. Ἔρως cum ramo pingebatur quem ἀντέρως extorquere conabatur. *ibid.*
Amygdalæ dulces, amaræ. 629. a. amaræ ebrietatem impediunt. 638. b. virides ſtomachum corrigunt, qualem. 643. a. amaræ calculos pellunt. 646. a. recentes urinam cient. 662. b
Anagallides jecinori. 644. a
Anethum contra ephialten. 640. a
Angerona ſive Angenora ſilentii numen. 751. b. 757. a
Anginæ remedium argemonia, hyſſopum. 641. a
Anima an competat plantis. 604. b
Anima quadruplex. 679. a animadvertere licet hoc in magnete & ſuccino. *ibid.*
Animalia varia quadrupedia, aves, piſces, ſerpentes, atque inſecta Ægyptiis deorum ſymbola. 783. a. b
Aniſum auditum juvat. 639. b
Anni partes IV. ſive Horæ. *Vide* Horæ.
Anthrax. *Vide* Carbunculus.
Antidota in plantis. 637. b

Autimonium. *Vide* Stibium.
Anubis horizon. 782. b. ſymbolum canis. *ibid.*
Apiaſtrum geminum. 643. a. alterum meliſſophyllon. *ibid.*
Apium an petroſelinum. 623. b. apium contra morbum regium. 644 b. concurrit ſiſtendo ſanguini urinæ. *ibid.*
Apollinaris ſive hyoſcyamus Herculi adſcribitur. 670. b
Apollini laurus ſacra. 641. a. oleo. *ibid.* oleaſtum. 671. b. palma. *ibid.* hyacinthus. 674. a
Apollinis ſimulachra, picturæ, ac dicata ei animalia, & plantæ. 789. a. b.
Apollo Sol. 752. a. idem Muſagetes. *ibid.* ſuperioris ordinis deus. 736. b
Apoplexiæ remedia. 640. a
Apoplexiam inhibet ſuccinum. 700. b
Appetitus naturalis, & animalis. 605. a
Aquæ potus. 631. b
Aquarum, fluminum, lacuum Oceani divinitas, & effigies. 820. a. b
Aquas quaſdam in alveo lapideſcere. 679. b
Aquileia obſtructioni jecoris. 644. a. ſitne veterum leo. *ibid.*
Arabibus Luna & Heſperus culti cultu mixto ſive uno ac ſimul. 718. b.
Arabum deaſter Bracbthan lapis. 714. b
Arbores cultu affectæ divino. 688. b. *ſeqq.* certis numinibus dicatæ. 673. b
Arborei fructus. 625. a. b. *ſeqq.*
Arboris definitio, & diſtinctio. 614. b
Arcadibus Mundus ſive Natura ſub nomine Panos culta. 721. b.
Argemonis contra anginam. 641. a
Argentinus argento præerat. 760. b
Argentum auro proximum. 684. b. ei miſcetur plumbum, terraque nigra. *ibid.* ex argento fila neri. 708. a. argenteæ ſtatuæ. 712. a. argenteæ porcæ oblatio Cereri. 717. a
Argentum vivum ſitne metalli ſpecies, an metallorum principium. 684. a. & *ſeqq.* poſt venenum ſumptum vim vincit. 700. a
Arimanius deus tenebrarum ſeu principium mali apud Perſas. 776. a
Ariſtæus quis, & ejus cultus. 733. b
Ariſtolochia remedium cephalalgiæ. 638. a. ſtomachicum. 643. a. ſingultus ſedat. *ibid.* b
Armenium color præſtantior floridus. 711. a
Armenus lapis. 693. b. atram bilem educit. 702. a
Arſenicum ſive auripigmentum ſuccus concretus pinguis. 681. a
Artemiſia ſtrumis medetur. 641. a
Arthritis quid, & ut etiam iſchiada complectatur. 649. a. b
Articularis morbi remedia. 703. a
Aſius lapis ſtrumas diſcutit. 701. b. mammarum vitia emendat. 702. a. Aſius lapis ſive ſarcophagus podagras lenit. 708. a
Aſparagus, corruda. 621. a. b. calculos exturbat. 646. a. urinam movet. *ibid.* b. concurrit ſiſtendo ſanguini urinæ. *ibid.*
Aſphodelus, albucus in cibo. 621. a. aſphodelus contra ictum ſcorpionum, & ſcolopendrarum. 637. b. urinam ciet, ſed veſicam exulcerat. 646. b
Aſſeral Turcorum planta animum accendit. 643. a
Aſſius lapis laxus, ac friabilis. 694. a. ſarcophagus. 713. b
Aſſyriis Mundus ſive Natura ſub nomine Beli culta. 719. b. & 720. a
Aſſyriorum numen Adad, Sol, & ejus ſymbolum. 777. a
Aſtaroth Sidoniis Venus h. e. Luna ac Tellus. 777. b
Aſtarte ſive Aſtaroth Luna. 734. b
Aſter Atticus. *Vide* Amellus.
Aſterias ſive Aſtroites gemma. 689. b. aſtrios ſitne eadem. *ibid.* aſtroitæ elegantia. 693. b
Aſtræa, Juſtitia, Themis. 735. a. b
Aſtyanax veteri Comico quis. 674. a
Atergatis ſive Derceto Syrorum Luna. *ibid.*
Atergatis ſive Dercetus ſymbolum. 777. b
Atramentum ſutorium. *Vide* Chalcanthum.
Atriplex accuſata. 622. a
Aucupibus ut plantæ ſerviant, 635. b
Audacia à Marte. 748. a
Auditus & aurium remedia. 639. b. 652. b
Avellanæ nuces minimæ. 629. a. juvant auditum. 639. b. hepati nocent. 644 a. doloribus liberant nephriticis. 646. a
Avena jumentoſum. 619. a. avenæ ſuccus tuſſientibus. 642. a
Auri in metallis principatus. 684. b. eſt maximè ductile. *ibid.* aurum potabile an vitam proroget. 698. a. laminæ auri renes corroborant. 701. b. auri uſus in re veſtiaria. 708. a. Statuaria. 712. a. auri ad idololatriam abuſus: aurea porca oblatio Cereri. 717. a
Aurichalcum ab auri ſplendore & æris duritie ſic dictum. 685. b. non eſſe nativum. *ibid.*
Auripigmentum color præſtantior auſterus. 711. b

B.

BAbyloniis Dei ſymbolum ſerpens. 777. a
Bacchi cultus mixtus ſignificantis Solem, & Humorem. 719 a. b. Bacchus ſexus utriuſque. 727. b. alius Ægyptius, alius Thebanus. 733. b
Bacchus medicus, 632. b. lavandus. *ibid.* *Vide* Dionyſus, & Liber.
Βαίτυλος lapis deus habitus. 714. a. queis, ubi. *ibid.*
Βαλανοφάγοι veteres. 617. b
Balſamita capitis & ſtomachi infirmitati conſulit. 643. b
Balſamum ubi naſcatur. 608. a
Baſilicon. *Vide* Ocimum.
Beatitudo ſeu felicitas privata quomodo adumbrata. 826. a
Belemnites, dactylus Idæus, ceraunites. 693. a. b. contra calculum. 702. a
Beli ſub nomine Aſſyriis Mundus ſive Natura culta. 719. b. & 720. a. Belus Nimrodus. 732. b. Sol. *ibid.*
Bellis contra ſtrumas. 641. a
Bello utiles plantæ triplici ratione. 662. a. b
Bello foſſilium uſus. 709. b
Bellona in diis inferis. 762. b
Bellum bellua & generis hum. ulcus. *ibid.*
Berillus gemma ex viridi cœruleus. 688. b. medetur ictero. 702. b
Beta candida, nigra. 622. a. betarum folia fabrorum prandia. 624. a. beta abſterget & jecori prodeſt. 644. a. ſuccus conducit ictericis. *ibid.* b. validus cocta fluxiones ſtomachi, & ventris ſiſtit. 649. b
Betonica remedium capitis & ſtomachi. 643. b. pectorale. *ibid.* a. radix vomitorium. 643. b. farina vomitionem ſiſtit. *ibid.* potus renibus prodeſt. 646. a
Bezoar lapis capræ Indicæ. 696. a. in peſtilentia, ac febribus utilis. 699. b. nec non in comitiali morbo. 700. b. cordis palpitationi medetur. 701. b. lepræ. 704. b. antidoton. 713. a
Biſnuptæ. 754. b. levipenſæ. *ibid.*
Bitumen ſuccus concretus pinguis. 681. b. ſpecies, quas inter & ſuccinum. *ibid.*
Bœota virgo culta in Minerva. 734. a
Boletus Domino. 623. a
Bona dea Tellus. 804. b. ejus ſacra virûm oculis periculoſa. 805. a. teſte Clodio. *ibid.*
Borrago contra gravem auditum. 369. b
Boruſcorum antiquorum Dii, Deorumve ſymbola. 830. a
Braſſicæ excellentia. 621. a. cymæ. *ibid.* adverſatur crapulæ. 638 b. conducit oculis. 639. b. non percocta bilem detrahit. 644. b. morbis cocta alvum ſtringit. 645 b. per braſſicam ceu numen juratum. 674. a
Briza Thracum. 619. a
Brontia. *Vide* Ceraunius.
Buboni è plantis remedium. 650. b
Bubonion. *Vide* Amellus.
Bugloſſum, borrago auditum juvat 639. b. concurrit contra ephialten. 640. a. cor recreat. 642. b
Bunion. *Vide* Napus.
Buphtalmum flavum eſt, contra icterum. 644 a
Buxus vulgo palma Cybele ſacra. 671. b
Buzedi lapis oculos recreat. 701. a

C.

CAbiri, Corybantes, Samothraces. 750. b. eorum vetuſta religio, & unde veriſimiliter hauſta. *ibid.* & 751. a. b
Cadmi filia Leucothea Matuta. 734. b
Cæculi herois effigies & ſymbolum. 814. a
Cæruleum ſuccus. 683. a
Cæſar Auguſtus Deus habitus. 731. b
Caimannus lapis adverſus quartanam. 699. b
Cajus Caligula vivo ſibi faſianos, pavones, &c. immolari juſſit. 814. b
Calculi veſicæ & renum affectio & curatio. 646. a
Calculum quæ comminuunt. 702. b
Calumniam quomodo Appelles expreſſerit. 826. a
Calx terra ſiccior. 680. b. compeſcit ulcera ne latius ſerpant. 704. a
Cancrorum oculi contra calculum. 702. b
Cantharus Libero ſacer. 716. b
Capitolii para tecti patens, cur. 737. a. b. Capitolii trias numinûm. 751. a
Cappares parum nutrire. 628. b. incidunt & paralyſin præpediunt. 640. a. hepaticum. 643. b. cortex. 644. b
Carbones ſaxei. 711. b
Carbunculus, anthrax, pyropus. 687. b. ſpecies. 688. a
Cardea præſes cardinum. 760. a
Cardiacorum ſpes & remedia. 642. a
Carduus potorum. 623. b. ſuccus concurrit in dyſpnœa. 641. b
Caricæ Cauneæ, nobiles ficus. 627. a. caricæ antidoton. 637. b
Carmenta vates fatidica vegetæ formæ, comæ incomtæ. 827. b
Caro in plantis. 611. a
Carotum paſtinacæ genus urinam pellit. 646. b
Carthagine caput repertum equinum, Romæ humanum, & quid inde. 737. a
Caryotæ, palmulæ in cibo. 627. b. potus. 634. b
Caryſtius lapis in re veſtiaria. 707. b
Caſia. *Vide* Lavandula.
Caſtaneæ unde, & quales. 629. b
Caſtitatem & abſtinentiam à Venere quæ plantæ concilient. 648. a
Catius deus accenſus Minervæ. 751. b
Caulitio plantarum. 609. a
Centaureum majus pleuriticis. 643. a. ſtomachicum. *ibid.*
Cepe nocens bilioſis. 622. b. cætera eximiè commendatum. *ibid.* cepe capita Diis oblata. 674. b
Cephalalgiæ remedium. 638. a
Cephalalgiæ ophites medetur. 706. b
Ceraſorum laus quà cibum & potum. 625. b. 634 b. præterea epilepſiam inhibent. 640. b. eorum gummi contra calculum facit. 646. a. idem præſtat oleum è nucleis. *ibid.* nec non ſuccus è nucleis. *ibid.* b
Ceraunias aſtrii ſpecies. 689. b
Ceraunius, brontia. 693. a
Ceres Ægyptia, Sicula. 617. b
Ceres terra exterior frugibus producendis apta. 723. b
Ceres Græcorum heroina Sicula. 734. b. gemino modo mixtè culta: ceu Luna, & vis Terræ frugifera. *ibid.*
Ceres ſaxo inſidens capite equino effingi ſolita. 769. a. ei mactabatur ſus prægnans.

gnans. 769. b. ſacra grus, turtures, fruges, crocus, mullus, ſerpens alatus. *ibid.* Cereris Eleuſinia. 818. b
Cerevlſia Septentrionalium. 634. b. 621. b
Chalcanthus, vitriolum, ſive atramentum ſutorium, ſuccus. 683. a
Chalcedonius Lotharingicus vocem reddit clariorem. 701. b
Chalcitis materia chalcanthi. 683. a
Chamæmelum adhibetur ſopiendis quibuſque doloribus. 645. a. principaliter alvum ſolvit. *ibid.*
Chamæpitis ebrietatem differt. 638. b
Chamærops in lateris doloribus. 643. a
Chaos deus. 738. a
Charites in diis Gameliis. 757. b
Charites antiquitus nudæ effictæ. 825. a. cauſa. *ibid.*
Chelidonia ut clariùs videamus. 639. a
Chelidonius lapis. *700. b. 696. b. oculis illapſa eximit. 701. a
Chironium herba Minervæ inventum. 670. a
Chryſocolla ſuccus. 683. a. color præſtantior floridus. 711. a. chryſocolla conglutinat. 712. b
Chryſocome hepaticis. 644. a.
Chryſolythus ſitim ſedat. 699. b. melancholiæ, & comitiali morbo medetur. 700. b
Chymicorum principia: ſal, ſulphur, mercurius. 679. b
Chymiſtas planetas ad metalla damnaſſe. 716. b
Cicer, cicercula in cibo. 620. a. cicer præcipuè arietiuum calculo medetur. 646. b
Cicero deceptus ab helvellis. 624. b
Cichorium ventriculo occurrit. 643. a. alvum ſolvit. 646. a
Cicinnia, Coniſalus, Orthannis, Tychon, qui, quales. 758. b
Cinara, carduus. 623. b
Cinnabaris quid, unde. 711. a
Cinnabaris veterum lippitudini medetur. 701. a
Cinnamomum paralyticis. 640. b. in dyſpnœa. 641. b
Ciſa antiquorum Germanorum magnum numen. 830. a
Citraria. *Vide* Meliſſophyllum.
Clementiæ templum à Cæſare exſtructum. 756. a
Cneph Ægyptiorum numen. 779. a
Cœliacæ affectionis remedia. 645. a. b
Cœna terreſtris. 620. b
Colica affectio & curatio. 645. a
Colores recenſentur è foſſilibus, floridi, auſteri, præſtantiores, viliores. 711. a. *& ſeqq.*
Comus, comeſſationes. 735. b
Concordia dea. 736. a. templa Romæ varia. 762. a. etiam ædicula ærea. *ibid.* & 762. a
Concordia altera manu tenens cornucopiæ. 826. b. ſymbolum, a. angues complicitі. *ibid.*
Condurdum ſtrumas comprimit. 641. a
Confuſaneus panis. 618. a
Coniſalus. *Vide* Cicinna.
Conjugales dii qui, quot. 757. b. *& ſeqq.*
Connidus Theſei pædagogus proprio feſto cultus. 818. a
Confiligo remedium pulmonum vitiis. 641. b. in phtiſi deploratis. 643. b
Conſus deus conſilii. 751. b
Conyza contra icterum. 644. b
Corallium initio eſt frutex. 691. a. adverſatur epilepſiæ. 700. b. gingivis infantium utile. 701. b. roborat cor. 702. b. contra diarrhœam. 703. a. gonorrhœam. 703 b
Coriandrum auditum juvat. 639 b
Corylus nimio cultu ſterileſcens. 609. b
Cos Naxia ne mammæ tumeſcant. 702. a. extenuat lienem. 702. b
Coſmetice circa quid verſetur, quidve tradat. 653. b. *ſeqq.*
Coronea mala. *Vide* Mala.
Coronea herba. *Vide* Halus.
Cotys & Cotyttia impurorum. 758. b
Creatio ut proceſſerit juxta Heſiodum. 738. a
Creta unde dicta. 680. b. variæ ſpecies. *ibid.* ſplendori inſervit argent. vatorum. 698. b. candefaciendis veſtibus. 708. a
Crocus phtiſicis vitam prorogans. 642. a. lætitiam adfert. *ibid.* b. nauſeam maris inhibet. 643. a. hepatis, & fellis obſtructiones tollit, bonum colorem inducit. 644. a. contra morbum regium. *ibid.*
Cryſtallum non eſſe glaciem. 690. a. Cryſtallus ubertatem lactis præſtat. 697. b. vertiginem cerebri impedit. 700. b. obſtructionibus medetur. 702. b. tartarum ſolvit. 703. a
Cucumer, genus quaſi peponum, pepones ſpecies. 625. a. 642. b. cucumeres pravi ſucci. 646. a. urinam tamen cient. *ibid.*
Cucurbita, colocyutha. 624. a
Cultum & propitiationem numinis ſpectaſſe Idololatriam. 766. a
Cultus Janus. 805. b
Cultus mixtus: totius Mundanæ compagis ſive Naturæ, & mentis Divinæ ſenſu ſive Stoico, ſive Platonico. 718. a. b. *& ſeqq.* 724 b. 730. b. 731. a. partium Mundi: duorum corporum cæleſtium, ut Perſis Lunæ & Heſperi ſeu Dianæ & Veneris uno in templo & ritu. 718. b. 731. a. unius corporis cæleſtis, alterius ſubcæleſtia, ut Ægyptiis Sulia & Nili in uno Oſiride. 719 a. unius rei ſpiritualis, alterius corporalis, rei ſpiritualis cultus, vel immediatè, ut animæ Adami, ſive Saturni in Sole, Vulcani ſive Tubulcaiui in igne, & vice verſa. 731. a vel mediante re alia corporali ceu ſymbolo, ut animæ regis Ægyptii, & Joſephi, Solis, & Lunæ, in duobus bubus Api, & Mnevi. 731. a. b. & 732. b
Cuminum ſylveſtre vomitionem ſiſtit. 643. b. concurrit inhibendo ſanguini urinæ. 646. b
Cupidini lepus ſacer. 790. b.
Cupidinis & Amoris diſcrimen. 746. b. Cupido cœleſtis, terreſtris. *ibid.*
Cupreſſus Diti ſacra. 672. b
Cura dea. 741. a
Cybele. *Vide* Mater Deûm.
Cybeles cultus ſive Rheæ Matriſve Deum apud Phrygas. 785. b. *ſeq.* Cybele Romanis templis recepta. 786. b
Cydonea. *Vide* Mala.
Cymæ braſſicæ delicatiores. 621. a. cui faſtiditæ & à quo caſtigatæ. *ibid.*
Cyprinorum lapis ventriculo imbecilli medetur. 702. a

D.

DActyli ſive palmulæ. 627. b
Dactylus Idæus. *Vide* Belemnites.
Dæmones qui, quid. 731. a. b
Dagon Syrorum terreſtris & marina poteſtas. 777. a. ſymbolo ſemiviri atque piſcis. *ibid.* b
Damaſonium, alcea, contra ſtrumas, & dolores cervicis. 641. a
Dardani Trojan. R. ætas. 751. a. b
Daucum dolori capitis medetur. 638 a
Dea Syria, Rhea. *ibid.* b
Dentium candor. 655. b
Deorum immenſa copia. 735. a. *& ſeqq.* dii Conſentes, Selecti, minorum gentium. 736. a. b. dii: Cura, Luctus Morbi, & ſimiles. 741. a. dii Gamelii. 757. b. Nixii. 755. b. Pauſi. 763. a. Ancull. 764 a
Derceto. *Vide* Atergatir.
Deus Stoicorum, Platonicorum. 724. a. *& ſeqq* uſque. 731. a
Διαμαστίγωσις Lacedæmonum ante aram Orthiæ. 775. b
Diana, Luna. 718. b
Diana, ſive Hecate, Trivia. 750. a. Diana λυσιζώνη. 759. a
Diana Orthia Lacedæmone. 775. b. mageſtra patientia. *ibid.* Dianæ ſimulachrum. 759. a. res dicatæ: parturientes, venatores, canes, cervi, felis, mullus, pagurus; Artemeſia, fontes. *ibid.*
Dianæ ſacra nemora. 673. b
Diarrhœæ curatio. 645. a
Digiti qui apud Ægyptios cuique numini ſacri. 783. a
Dii foſſilia habita proprie dicti. 714. a. *& ſeqq.*
Dii vel ſunt Conſentes, quales duodecim: Jupiter Neptunus, Apollo, Mars, Vulcanus, Mercurius. 786. b. Juno, Veſta, Ceres, Diana, Minerva, Venus. 793. b. vel tantum Selecti quales 9: Sol, Luna, Tellus. 803. a. Genius, Janus, Saturnus, Liber, & Pluto. 805. a. qui viginti conſtituebant deorum Senatum. 811. b. vel nec Conſentes, nec Selecti, ſed ſolum Indigites ſeu tales qui notoriè homines fuere ob potentiam autem, vel utilitatem inter deos relati credebantur: qui quaſi equeſtrem ordinem repræſentabant: tales Hercules, Æſculapius, &c. *ibid.* & 786. b. vel nec Selecti, nec Indigites, ſed merè animales, aut naturales, idque in gradu partito & exili, aut ſi quid ultra, Conſentum delegati; quorum magna copia, ut IV. Horæ, Penates, Epona, &c. 815. a. agmen claudunt plebs Superum ruſtica numina ſemidei Fauni, Satyri, &c. qui quamvis magni quid in Natura ſignificent, non tamen id agunt cum dignitate ſed quaſi μιμικῶς ad jucunditatem & nutum Superiorum. 817. b. *ſeq.*
Diis omnibus ficus ſacra & aris adhibita. 672. a
Dionyſo & Veneri myrtus ſacra. 671. b.
Dis. *Vide* Pluto.
Diſcordia dea infera. 762. b
Diſcordiæ picturæ. 827. a
Diti cupreſſus ſacra. 672. a
Diviſio, & partitio differunt. 611. b
Dolor in diis inferis. 747. b
Domiduca conjugum. 757 b
Dracontias venena fugat. 700. a
Droſaton, ſerapion, ſyrupum. 645. b
Dryades id in ſylvis quod nymphæ in aquis. 819. b
Dyſenteriæ remedia. 645. a. b
Dyſpnœæ quæ plantæ medeantur. 641. b

E.

ECho latè phyſicè conſiderata. 742. b. *& ſeqq.* dea habita. 745. a
Echo quomodo tandem efficta. 820. a
Ectromon, entomon. *Vide* Helleborus.
Effigies Virtutis, Pietatis, ſimiliumque affectionum & numinum. 763. b
Egeſtas dea. 741. a
Electrum vox ambigua: ſuccinum ſignificans. 681. b. quid præterea. 685. b
Elementa Ignis, Aër, Aqua, Terra, Dii habita. 719. b. 734. b
Elleborus. *Vide* Helleborus.
Eleuſiniorum ſacrorum ratio Athenis. 828. b
Ἐμφύτευσις ſcitè naturæ adulterium. 606. a
Enhydrus lapis. 691. b
Ephialtes quid, & remedia. 640. a. b
Epilepſiæ ſeu morbi comitialis curatio. 640. b
Epilepſiæ remedia. 700. b. 701. a
Ἐπιθυμία, appetitus quid, quotuplex. 605. a
Epona equorum & ſtabulorum præfecta. 817. b
Erebus & nox poſt chaos. 738. a
Erinnys, Furina. 751. b. erinnyes, numero tres quæ & unde dictæ. 761. b
Ἔρινος. 639. b
Ervum, ervilia ut diſtent. 620. a
Eryſipelati è plantis remedium. 650. a. b
Eva mater viventium in ſerpente culta in Orgiis à bacchantibus. 808 b
Euchariſtia numen. 753. a

Εὐημερία dierum felicitas, dea. 757.b
Eunomia filia Themidos. 753.b
Eupatorium jecori. 644.b
Europa Agenoris filia, Phœnicum Aſtaroth ſeu Luna. 734.b
Eurynomus numen inferum coloris muſcarum. 828.b

F.

FAbæ honos. 619. b. aliud ex Martiali. 621. b. fabæ ſubducunt. 645. a. fabæ ad Idolomaniam abuſus. 675.a
Fabris ut inſerviant foſſilia. 713 b
Fama dea. 750.b
Fama nigris alis prædita. 825.b
Fames dea. 741.a
Far apud Romanos antiquiſſimi uſus. 617. b. quomodo differat à tritico. *ibid.* farris ad idololatriam abuſus. 675.a
Farinæ diſcrimina. 617.b. *ſeq.*
Fatum ſaxo inſiſtit quadrato. 811.b
Fauni, Sileni, & ſimiles, plebs Superum 817. b. fauno mactabatur hædus. 819.b
Faunis aliiſque pinus ſacra. 672.a
Faunis etiam dicatus oleaſter. 672.b
Febri medentur plantæ. 636.b
Febris remedia in foſſilibus. 699. b. 702.a
Febris dea. 736.a. 742.a.
Felicitas publica numen. 763. b. ædes. *ibid.*
Feneſtræ olim ex lapide diaphano. 708.b
Ferrugo ſuccus. 683. a. inſervit ſutoribus. 708.a
Ferri ortus & natura. 685. a. uſus in ædibus & navibus. 708. b. 709 a. in re bellicâ. 709. b. ferrum Vulcano mancipatum. 716. a. idem Marti dicatum. *ibid.*
Ficus Indicæ magnitudo. 608. b. ficui alligatus manſueſcit. 616. b. ficus melioris vitæ initium. 626. b. variæ ſpecies. *ibid.* recentes medentur oculis. 639. b. ſiccæ auditui. *ibid.* ficus cum hyſſopo pectus purgant. 641. b. comeſtæ calculo medentur. 646. b. ficus ad Idolomaniam abuſus, dum omnibus diis ſacra, & fructuaris adhibiti. 672.a
Fidei ædis in Capitolio. 753.b
Fides cana. 825. a. ſymbolum dextra. *ibid.*
Finnonum veterum in mari idolum ſaxum Semes. 715.a
Flora Dea arborum & frugum. 670.a.b
Flores an excrementa. 605 a. 613. a. flores herbæve coronariæ. 615. b. flores ad honeſtam voluptatem. 665. b. flores & herbæ diis dicati. 674. a. floribus Genium placabant. *ibid.*b
Fluminum effigies. 820. a. flumina omnia cornuta, cornucopiæ prædita. *ibid* b
Fœcunditas Poppeæ ædis. 740.a
Fœniculum (olus) quantum in Regno Tombut. 609. a. auditum juvat. 639. b. concurrit contra ephialten. 640. a. fœniculum ſive marathrum pellat ne an gignat flatus. 645.a
Foliorum in plantis numerus. 613. a. folia floribus poſteriora. *ibid.*
Forculus præerat foribus. 760.a
Forma rei. 605. a. formæ incognitæ. *ibid.*
Fornax Dea frugum quæ. 670. a. fornacalia. 675.b
Fortitudo ſoror Juſtitiæ numen. 755.a
Fortitudinis ſymbolum Hercules. 825. b
Fortuna cœca, globo inſiſtens, volubilis. 811.a
Fortunæ Equeſtris ædis Romæ. 763.a
Foſſilia dividuntur in metalla, lapides, ſuccos, terras. 680. a. terræ: creta, marga, calx. 680. b. ſucci concreti ſimplices pingues: ſulphur, bitumen & hujus variæ ſpecies. 681. b. *& ſeqq.* macri: ſal, nitrum, chryſocolla. 682. b. compoſiti: aqua fortis, halonitrum. 683. b. Metallorum ortus & natura *ibid. & ſeq.* argentum vivum quintum foſſilium genus. 684. a. metallorum ſpecies: aurum, argentum, plumbum, æs, ferrum. 684. b. lapidum ortus & natura. 686. a. dividuntur in perſpicuos, ſemiperſpicuos, opacos, coloris nullius, unius, plurium. *ibid.* & 687. a. in vulgares, & pretioſos, & inter hos medios. 686. b. pretioſi, rari, parvi, duri, pulchri, ſunt Gemmæ. *ibid.* rari, duri, pulchri, aſt magni, ut amethyſtus, topazius. 690. a. Gemmæ perſpicuæ. 688. b. coloris nullius, ut adamas. 687. a. colorum unius, vel diverſorum. colores bi ruber ſimpliciter, ruber ex flavedine, aureus, viridis, cæruleus. 687. b. carbunculus ruber. ejus ſpecies, quas inter & hyacinthus ex flavedine ruber. 687. b. 688. a. b. chryſolithus aureus, ſpecies. *ibid.* ſmaragdus & praſius virides, ſapphirus, & berillus cœrulei, horumque ſpecies. 688. b. 689. a. gemmæ ſemiperſpicuæ, & opacæ. *ibid.* illarum princeps Sardius ſeu corneolus coloris carnis ſanguinei. harum turcois coloris aërei. 688. a. lapides pretioſi non gemmæ. 690. a. rari, duri, pulchri, magni, perſpicui. cryſtallus, topazius, amethyſtus. 690. a. *& ſeq.* opaci achates, & jaſpis horumque ſpecies. 690. b. rari, pulchri, parvi, molles margaritæ, bezoar, oculus cati, gloſſopetra, &c. 691. a b. rari, parvi, duri, deformes, aetites, chelidonius, &c. *ibid.* lapides inter pretioſos & vulgares mediæ naturæ. *ibid.* primi ordinis: rari, parvi, ſed molles, ac deformes, ut morochthus, enhydrus, hyſtericus, &c. 691. a. ſecundi ordinis: rari, ac duri, ſed magni ac deformes qualis magnes. 691. b. *& ſeqq.* & onyx, ſmyrites, lapis Lydius, &c. 693. a. tertii ordinis: rari ac pulchri, ſed magni ac molles, alabaſtrites, ammites, &c. 693. b. quarti generis: rari, aſt magni, molles, deformes, amiantus, hæmatites, ſchiſtus, Aſſius. 694 a. lapides vulgares. 694. b. magni, duri, pulchri, marmoris variæ ſpecies. *ibid.* molles, lythantrax, gypſum, pumex, &c. 695. b. lapides qui reperiuntur in hominibus, quadrupedibus, volucribus, aquatilibus, &c. recenſentur. 695. b. 696. a *& ſeq.*
Foſſilia adhibentur ad virgineos comtus, & fucatum nitorem. 705. a. ceruſſa, ampelitis, antimonium, &c. 707. a. b. *& ſeqq.*
Foſſilia inſerviunt igni eliciendo, fovendo, fabris, mercaturæ, lapidandis. 712. b. chalybs, ſilex, naphtha, aurum, argentum, &c. *ibid. & ſeqq.*
Foſſilis quædam hominis valetudini nocere: plumbum, minium, chalcitis. 713. a. b. ſed arſenici virus infringere bezoar, multaque foſſilibus affingi. *ibid.*
Foſſilia habita ab his pro Diis propriè dictis, ab aliis pro Deorum ſignis. 714. a. b. lapis Βαίθυλ. *ibid.* Brachthan, ſilex, ſaxum Semes, acinaces, ſecuris. 714. b. *& ſeqq.* foſſilia majori in pretio quàm ſi Dii eſſent: mammona, aurum, argentum. 715. b. *& ſeqq.* Metalla, gemmæ, vaſa metallina, alicui numini dicata. 716. a. b. æs Veneri. *ibid.* Beli oculus, gemma Solis, cornu Ammonis. 716. b. Scyphus Herculi ſacer, cantharus Libero. *ibid.*
Foſſilibus quæ vires à Magis attributæ quà morbos, fulmina, ingenium, amorem, 706. a. b. nimirum adamanti, ceranniæ, hyacintho, malachitæ, chryſolitho, ſmaragdo, &c. *ibid. & ſeqq.*
Foſſilium cauſa formalis, & efficiens. 678. b. materies. 679. a. b
Foſſilium uſus in re cibaria. 697. b. vel in ipſo cibo, galactites & ſal, *ibid.* vel circa cibum & potum ubi argilla, æs, ferrum, vitrum, alabaſtrites, lapis molaris, Chalcedonius, &c. 698. a. *& ſeq.*
Foſſilium uſus adverſus morbos. 699. a. b. *& ſeqq.* 704. b. *& ſeqq.* uſque. 705. a. univerſales, febrim & venena: ſapphirus, lapis lazuli, ophites, lapis limacum, lapis bezoar, &c. 699. a. b. particulares, ut vertiginem, ubi cryſtallus, &c. 700. b. *& ſeqq.*
Foſſilium uſus in Chirurgia, & Pharmacopœia. 704. b. 705. a. alabaſtri, ferri, chalybis, æris. 704. b 705. a
Foſſilium uſus in re veſtiaria qua habitum, & ornatum. 707. a. b. lapidis Caryſtii, pectinis hamique ferrei, morochthi, cretæ, &c. *ibid. & ſeqq.*
Foſſilium uſus in ædificando, & ædibus exornandis. 708. b. ferri, plumbi, æris, lapidum, ſaxorum, lapidis diaphani, &c. *ibid. & ſeqq.* in re nautica ferri, æris, magnetis 709. a. b
Foſſilium uſus in re militari. 709. b. 710. a. æris, ferri, magnetis, ſmyritis, halonitri, &c. *ibid.* literaria. *ibid.* ſaxorum, minii, pumicis, plumbi, ſtibii, &c. 710.b
Foſſilium uſus in Pictura, Plaſtice, Statuaria & cognatis. 710 b. 711. a. *& ſeq.* hic æs, linteum, colores è minio, Armenio, chryſocolla, &c. *ibid. & ſeqq.* argilla, gypſum, marmor, æs, ferrum, &c. 712.a
Foſſilium utilitas poſt mortem hominis. 713. b. 714. a. ſalis, oſtracitæ, ſarcophagi, chernitæ, &c. *ibid. & ſeqq.*
Foſſilium abuſus ad idolorum fana & columnas, vaſa, ſacrificia, luſtrationes, ſacerdotum evirationem, pectoris tegmen. 717. a. b. ſaxorum, lapidum, æris, auri, argenti, ſulphuris. *ibid. & ſeqq.*
Fracta oſſa oſteacolla ſanat. 704.a
Fraga videri inter antidota & venenis adverſa. 638. a. aqua deſtillata contra calculum. 646.a
Fruges herbæ. 615. b. fruges dividuntur. *ibid.*
Frumenti principatus. 617. b. ſpecies, vires. *ibid.* & 618. a. b. frumentariorum rutellum. 635.a
Frutices, ſuffrutices. 615.a
Furiæ ſive Erinnyes etiam Pœnæ dictæ. 761. b. tres: Alecto, Tiſiphone, Megæra. *ibid.*
Furiæ miniſtræ Plutonis. 828. b. eis non minus ac Veneri atque Cereri ſacri turtures albi. *ibid.* è plantis narciſſus. *ibid.*
Furiis narciſſus ſacer. 674.a
Futor 748. b. Furia, Furina. 751. b. 754. a

G.

GAgates ſuccinum. 682. a. ventriculum corroborat. 702. a. diureticus. 703. a.
Galactites. 691. b. lac auget. 697. b. galactites aliter leucogea oculorum fluxi medetur. 701.b
Galaxias. *Vide* Morochthus.
Gallinæ morſus. *Vide* Alſine.
Gangræna quid, & quale ei è plantis remedium. 659.a
Ganymedes à quo raptus. 740.b
Gaudium numen. 747. b. gaudium duplex. *ibid.*
Gemma rara, parva, dura, pulchra. 686. b. ſpecies. 687. a. b. *& ſeqq.* 689. a. b. *& ſeqq.* gemma an in antidotis. 700. a. Gemmæ alicui numini dicatæ. 716.b
Generationis numina. 734.a.b
Genere progignere. 739.b
Genius parens hominum. 739. b. 740. a. geniales dii aqua, terra. *ibid.* genius populi. Rom. & ejus templum. 761. a. genii aliarum civitatum, & locorum *ibid.*
Genius cuſtos hominis unius vel plurium. 805. a. ſymbolum anguis. *ibid.* ſacrificia & quæ ei res dicatæ. *ibid.* menſæ accumbens Genius populi Rom. vittâ coronatus, epulari. 826 a. b.

Gentiana ſtomachicum. 650.b
Germanorum olim arma ex ære. 709. b. & ſeq.
Germanorum antiquorum numina: Herthæ quæ forſan Cybelle, Wodan Mercurius. 829. b. Frea, Eoſter, Venus: Ciſa, Crodo, Ermenſul. ibid. & 830. b
Geum in pectoris doloribus. 643. a
Glandium uſus an ante panem obtinuerit. 617. b. 629 b. glandiferarum arborum ad idololatriam abuſus: omnes Jovi ſacræ, etiam nux juglans. 671. a
Gloſſopetra venenis inimica. 700. a
Gonorrhœam ſiſtit corallium. 703. b
Græcorum Dii univerſam ſingulis naturam ſubinde complectentium: Jupiter, Apollo, Janus, Saturnus, Minerva. 722. b. & 723. a. & ſeqq.
Græcorum numina, & ſimulachra recenſentur: Jupiter, Neptunus, Apollo, &c. 786. b. ſeqq.
Granatus pertinet ad carbunculum. 688. a. adhibetur in electuariis cordialibus. 701. b
Gratiæ quid, quot, & unde dictæ. 753. a. b.
Gratiarum effigies. 825. a
Gypſus res calci ac cretæ cognata. 680. b. gypſus claudendis doliorum operculis. 698. b. uſus in bello. 710. a. gypſum lapis vulgaris mollit. 695. b

H.

HÆmatites. 694. a
Hæmorrhoidum affectio, & curatio. 646. a. b
Halonitrum ſuccus compoſitus. 683. b
Halus, cotonea, lateri medetur. 643. a. renibus item convulſis, & ruptis. 646. a
Harpocrates, Sigalion, Angerona, ſilentio præeſt. 757. a
Haſta regia concurrit capiti & ſtomacho. 643. b
Hebe ſive Juventa forma adoleſcentulæ. 821. b
Hecate vel Diana Trivia. 750 a
Hedera Oſiridi, & Libero ſacrata, & cur. 673. a. vinum ſeparat. 634 a. hedera contra crapulam. 638. a. Junge Κισσός.
Helichryſus herba diutiſſimè durans. 610. b
Helleborus niger, ſive polyrrhyzon, ectromon, ectomon, cerebrum purgat. 640. b. in vomitoriis. 644. a
Helucos quid. 638. b
Hemonium ſingultus ſedat. 644. a. Vide Teucrion.
Hepatis obſtructiones quæ aperiant. 702. b
Herbæ quid, & quotuplices. 615. b. herbæ Diis dicatæ. 674. a
Hercules Ægyptius ſive Tyrius, & Thebanus. 733. b. uterque in Sole cultus. ibid.
Hercules ἐπιτραπέζιος. 760. b
Herculi populus ſacra. 671. b
Herculi ſcyphus ſacer. 716. b
Herculis arma ex ære. 709. b
Herculis ſimulachrum. 812. a. ſacrificium, ut Cereri, ſus prægnans. 812. b. dicata coturnix, populus. 813. a. ſacrificium propter viam. ibid.
Heres Martea præſes hæreditas. 760. b
Heroum & Heroinarum cultus variè mixtus. 718. a. b. & ſeqq. uſque ad fin.
Hertha Germanorum antiquiſſimum numen. 829. b. forſan Cybele. ibid.
Heſperi cultus. 719. a. 734. b
Hippice herba famem, ſitimque ſiſtit. 617 a
Hippona ſive Epona equorum dea. 760 b. Epona vis naturæ in equis. ibid.
Hippona. Vide Epona.
Homeri cultus & pictura. 815. a
Homines an in plantas converſi. 604 b
Hominis. IV. exiſtentia, vita, ſenſus, ratio. 736. a
Honoris ædis Romæ. 752. b. 756. b
Honos & Virtus quomodo ſimul ob oculos ſtatuta. 825. b. Honori ſacra fiebant capite aperto. ibid.
Horæ quid, & quot. 738. b. filiæ Jovis ex Themide. 753. b
Horæ IV. anni, deæ habitæ. 815. b. earum feſtum ὥραια. ibid. colores. ibid.
Hordeum apud Græcos glandibus ſucceſſit. 617. b. hordeum & far ut differant. ibid. hordeum apud Romanos pœnæ loco. 618. b. Hordearii qui. ibid. hordeum in poſca ad jecinoris dolores. 643. a. hordei ad Idololatriam abuſus. 675. b. Junge Ptiſana.
Horti Veneri dicati. 673. b
Hoſpitii jus. Vide Jus.
Hoſtilina Dea ſegetum unde ſic dicta. 670. a
Hyacinthi floris ad vanum cultum abuſus. 674. a. 675. b
Hyacinthus carbunculi ſpecies. 688. a. Orientalis peſtem arcet. 699. b. cordis virtutes tuetur. 702. a
Hydropicis quæ proſint. 643. b
Hydropicis ſuccinum. 702. a
Hygia ſive ſalus dea. 741. b
Hymenæus præſes nuptiarum. 760. a
Hyoſcyamus contra febrim. 637. a
Hypericon ſeu coris præcipuum ad ſtranguriam. 646. b
Hyſſopus cerebrum juvat. 640. a. medetur anginæ. 641. a. pulmones, nervos à pituita purgat. ibid. b. noſtram hyſſopum vix eſſe veterum. ibid. hyſſopum in vomitoriis. 645. b
Hyſtericus lapis. 691. b

I.

IAlemus exequiarum numen. 760. a
Jani ſub nomine univerſam Naturam cultam. 723. a. Janus Javanus filius Japheti. 732. b
Janus pro Mundo. 736. a. Janus ſuperioris ordinis deus. ibid. Janus præerat januis. 760. a
Janus bifrons cum ſceptro & clave. 805. a. idem Clufius & Patulcius, atque quadrifrons. ibid b
Jaſo Dea. 741. b. quomodo differat ab Hygia. ibid.
Jaſpis achate mollior. 690. b. jaſpidis ſpecies heliotropius, & alii. ibid. ex jaſpide cochlearia. 698. b. pocula, &c. viridis ſtomachicum. 702. a. jaſpis generationem calculi impedit. 702. b
Iberis in curatione cephalalgiæ. 638 a
Icelus ingenioſiſſimus ſomniorum fictor. 746. a
Icteri ſeu morbi regii curatio. 644. b
Ictero medetur berillus. 702. b
Idololatriæ fines: cultus, hiſtoria, natura, mores. 766. a. b. ſeq.
Idololatricus plantarum abuſus: dum plantas velut numina coluere, vel ut numinum receptacula. 668. a. b. quòd frugibus, arboribus, floribus certa numina præfecerint. 670. a. b. plantas ſive ſingulatim, ſive plures certis numinibus dicaverint. ibid. b. ſeq. quòd eas falſorum numinum templa, & ſimulacra adhibuerint. 674. b. ſeq. ſuffitus, & ſacrificia. ibid. ad cæremonias in feſtis, & quibuſdam oleribus, aliiſque ſeminibus veſci vetitum duxerint. 676. a. b
Idololatricus foſſilium abuſus habitorum pro Diis, Deorum ſignis, & utroque majoris. 714. a. b. & ſeqq. metalla, gemmæ, ſcyphi, canthari alicui numini dicati. 716. a. & ſeqq. abuſus ad idolorum templa, delubra, columnas, vaſa, ſacrificia, luſtrationes, pectoris tegmen. 716. b. 717. a. & ſeqq.
Idolum non eſſe omnem numinis picturam ſimulachrumve. 765. a. ſed quando. ibid.
Jecinoris malè affecti remedia in plantis. 643. a
Iliaca paſſio, & remedia. 645. a
Inachi ætas Iſidis patris in tempora incidit Iſaaci Patriarchæ. 734. a.
Incubus ſive ephialtes quid. 640. a
Indicum color. 711. b
Indignatio. Vide Nemeſis.
Infantiæ numina. 740. a. b
Ino Leucothea Cadmi filia. 724. b
Inſecta, Ægyptiis Deorum ſymbola. 784. b
Inſitio, ἐμφύτευσις. 606. a
Intybum erraticum, hortenſe. 623. a. intybus jecinori prodeſt, quando. 643. b
Invidia ſuiipſius ſupplicium. 823. b. ſymbolum anguilla. ibid.
Joſephi ſimulachrum in aſpide. 828. a
Joſephus Patriarcha cultus ab Ægyptiis. 733. a
Jovi quercus, imò omnes glandiferæ ſacræ. 670. a
Jovi Ammoni gemma ſacra Ammonis cornu. 716. b
Jovis ſub nomine, Romanis & Græcis Mundus ſive univerſa Natura culta 722. b. Jovis è Jehova. 723. b. Jupiter & Agamemnon Spartæ uno cultu affecti. 733. a
Iridis ſuccus, ἴρινον. 639. b. obſeſſo pectori ſuccurrit. 641. b
Irion in vomitoriis. 643. b
Iſchiadis remedium. 703. b
Iſis Minerva. 720. b. & 711. a. Iſis Luna habita. 734. a. ambigitur cujus filia. ibid.
Iſis Luna. 779 b. ejus ſimulachrum cornutum. ibid. Iſiacorum victus, & habitus. 780. a. b
Judaicus lapis. Vide Syriacus.
Juglandes minus nutrire. 629. a. reſiſtunt venenis. 637. b
Julii Cæſaris anima Cometes poſt Capricornus, 828. a
Juno aër. 723. b. 719. b. Juno Lucina Luna. 734. a
Juno infimum cœlum aër, tellus. 751. a. Juno Gamelia. 757. b. Unxia, Cirixa. ibid. Fluonia. 758. b
Junonis ſimulachrum. 793. b. animantia ac plantæ ei ſacratæ: agna, capra, pavo, anſer, cuculus, monedula, ciconia, mala Punica. 794 a. b. ſeq. Junonis Lucinæ effigies. 800 b. ſacrata: ichneumon, dictamum, papaver. ibid.
Jupiter Cœlum. 750. b. Jupiter Fidius. 753. b. Gentilitius, Sodalitius, Hoſpitalis. 759. a. b. Hercæus. 760. a. Victor. 762. a
Jupiter Ammon umbilico tenus arieti ſimilis. 785. a. Jovis ſimulachrum apud Græcos, ac Romanos. 786. b. res ei dicatæ: juvencus, taurus, ovis, aries, aquila, perdix. 787. b
Jus hoſpitii antiquitus. 759. b
Juſtitia in diis. 752. b. ejus filiæ tres, ſorores binæ, quæ. 752. b. & ſeqq.
Juſtitiæ facies diademata. 824. b
Juturna dea valetudinis. 741. b
Juvenia. Vide Hebe.
Juventas Hebes, ver. 738. b. juventutis numen. 740. a. b

K.

KΙσσὸς hedera, κίσθος frutex. 609. b
Κισσώνιον. 634. b
Κομμωτική. 705. a. b
Κοσμητική ſive ornatrix facultas circa quæ, quot, occupetur. 654. a. b

L.

LAbor in diis. 749. a
Labruſca in febri. 637. a
Lacedæmone nobilium adoleſcentum ante aram Orthiæ flagellationes. 775. b
Lactucæ appetitum cient. 623. a. conceduntur febricitantibus. 637. a. calorem jecoris retundunt. 644. a. ventrem ſolvunt.

vunt. 645. a. lactucæ in Adoniis ad Idololatriam abuſus. 675. b
Lactucina dea lacteſcentium frumentorum. 670. a
Lapathum, rumex. 623. b. alvum mollit. 645. a
Lapidum ortus, natura, & diviſio. 679. b. & ſeq. 686. a. uſque. 690. a. lapides habiti Dii, Deorumve ſymbola, qui, apud quos. 714. a. b
Laſcivia ob oculos poſita in tres Philoxenis. 826. a
Laſerpitii ſylva. 605. b
Laterculus focis præfectus. 700. a
Lavandula in morbis cerebri ex frigore. 641. a. putatur eadem eſſe quæ caſia. ibid.
Laverna. 826 a
Lavernia dea lavernionum, latronum, furum. 760. b
Lauri ad Idolomaniam abuſus, quòd Apollini ſacra. 671. a
Lazulus lapis. 693. b. contra quartanam utilis. 699. b. atram bilem educit. 702. a
Legumina traduntur. 619. b. ſunt fruges. ibid. & 615. b. ſpecies, & cibus. 620. a leguminibus, ſeminibus, & oleribus quibuſdam abſtinebant Ethnici. 676. a. ratio. ibid.
Lenticula in cibo. 620. a. concurrit remediis ſtomachi. 643. a
Leo herba ſitne aquileia, an antirrhinon. 644. a
Leo Vulcano ſacer apud Ægyptios. 783. a leonino vultu effictus Sol Perſis. 776. b
Lepræ ſulphur medetur. 704. b
Lepus. 620. a
Leucothea Cadmi filia. 734. b
Leucothea, Matuta. 738. b
Lex ſumptuaria eluſa. 624. b
Liber. Vide Bacchus.
Liberi ſive Bacchi ſimulachrum. 807. a. ſacra nocturna, Nyctelia. ibid. ſacri ei phallus, ciſta, cæſones, hircus, leo, panthera, pica, ſerpens, cantharus, ſtipes, auctumnus. ibid. & ſeqq
Libero vitis ſacra. 671. b
Libero cantharus ſacer. 716. b
Libertas dea. 736. a. 759. b. Libertatis ædes ex mulctatia conſtructa pecunia. 762. a
Libertatis ſymbolum pileus. 814. b. 826 b leæna. ibid.
Lienis malè affecti curatio. 644. a
Lienis obſtructiones quæ aperiant. 702. b
Lienteriæ remedia. 645. a
Ligna in lapidem converti. 679 b
Ligni ad Idololatriam varius abuſus, quà mortuos vivoſque. 665. a. 674. b
Limacum lapis quartana liberat. 699. b
Limentinus præſes liminum. 760. a
Linozoſtis ſive parthenion Mercurii inventum creditur. 670. b
Liquidorum pondus. 685. b
Literariæ rei ut inſerviant foſſilia. 710. a. b
Literarum ſtudia quam utilitatem è plantis capiant. 663. a
Lithanthrax lapis vulgaris mollis. 695. b
Lotus arbor quot annorum. 610. b
Lua mater numen bellicum. 763. a. ei vel Minervæ, Marti, & Vulcano arma de hoſtibus capta cremata. ibid.
Lubentia vel Lubentina dea. 758. a
Luctus deus inferus. 741. a. 747. b
Lumbricos & vermes ſtomachi necandi ratio. 646. a
Luna ac Heſperus uno cultu affecti. 718. b. Luna mundi mater, ſol pater. 719. b
Lunæ cultus. 718. b. 733. a. 734. a. b
Lunæ cultus in Dagone apud Syros. 777. a. Luna in diis Selectis & ſoror Solis ex Hyperyone. 803. a. ſimulachrum, & res ſacratæ. 804. a. b
Lupercalia. 819. a
Lupini dulceſcunt. 620. a
Lupus ſalictarius. 621. b
Lychnites fluxionem oculorum ſiſtit. 701. a
Lydius lapis. 693. a
Lyncurium ſitne ſuccinum. 681. b
Lyncurium è lyncis orina. 696. b. lyncurii magna vis contra calculos nephriticos. 702. b

M.

MAcer, nux myriſtica in inſula Badan. 608. a
Magi quam vim tribuerint plantis. 656. b. ſeqq.
Magi quas vires adſignarint foſſilibus. 706. a. b. & ſeqq.
Magneti vis tribuenda videtur vitalis. 679. a. magnetis miranda enumerantur. 692. a. b. & ſeqq. medetur ſpaſmo. 704. a. ſpicula extrahit vulneribus. ibid. uſus in bello. 709. b
Maja Mercurii mater, an Tellus. 804. b
Majorana pituitam provocat. 640. b
Mala arborei fructus in re cibaria. 626. a. Medica, Cotonea, Cydonia, &c. qualia. ibid. potus. 634. b. malum medicum antidoton. 637. b. cotonea auditum juvant. 639. b. cydonea adſtringunt & faciunt contra ephialten. 640. a. Punica ſtomachis bilioſis. 643 a. Perſica cardiacis; contra vomitum item, & fœtorem oris. ibid. b. Vide Pomus.
Malaccenſis lapis. 691 b. 696 b
Malachites ſive Malachrites jaſpidis ſpecies. 691. a. contra morbum colicum. 703. a virulenta ulcera. 704. b
Malva ventrem emollit. 645. a. convertitur cum Sole & Oſiridi ſacra fuit. 674. a
Mammæ ne intumeſcant. 702. a
Manati piſcis lapis calculum comminuit. 702. b
Mandragora contra ſtrumas. 641. a
Manna purgat cerebrum. 640. b. manna noſtrum quid. ibid
Manualis lapis Indicus manuum rimas ſanat. 703. a
Manus candidas ac molles efficit farina fabæ. 656. b
Marathrum. Vide Fœniculum.
Mare. Vide Oceanus.
Marga terra. 680. b
Margaritæ aquatilibus debentur. 697. a. quomodo gignantur. ibid. lac augent. 697. b. veneno reſiſtant. 700. a. diamargar. 702. a. margaritæ in phthiſi & maraſmo. ibid. in deliquiis. ibid. contra obſtructiones lienis. 702. b. cerebrum roborant. 703. a
Marmoris varia genera. 694 b. 695. a
Marna Syrorum deus. 827. b
Maro doctiſſimus. 615. b
Maronia calefacit, exſiccat, & urinam educit. 646. b
Mars Nimrodus, nec ſolùm, ſed & Ninus, ac Thurras. 733. a. cultus cum Sole. ibid.
Marti & Vulcano ferrum dicatum. 716. a
Marti in bello audacia accepta ferebatur. 748. a. 762. b. ei arma de hoſtibus capta cremabantur. 763. a
Martis apud Græcos & Latinos ſimulachrum. 791. b. res ſacratæ, ignis, equi, capri, vultures, &c. ibid. gramen. 792. a. Martis ſymbolum ferreus acinaces apud Scythas. 829. a. Thraces equum ei immolarunt. ibid.
Maimona, Ops. 759. b
Martæa bæres. Vide Herea.
Mater familias nequam quæ. 620. b
Mater deûm. Vide Cybele, Rhea.
Matris deûm in tutela pinus. 672. a. videtur ei buxus fuiſſe ſacra. ibid. b
Matrix in plantis. 612. b
Medicinæ encomium. 636. a. ei ut inſerviant plantæ. 636. a. b. uſque. 654. b
Meditrina dea. 741. b
Megæra furia. 762. a
Melancholiæ chryſolithus medetur. 700. b. margaritæ. 702 b
Melanteria flos ſoryos ſucci adſtringentis. 683. a
Melicratum ad purgationes. 645. a
Meliſſophyllum ſive citraria cerebrum confirmat. 639. a. auditum juvat. ibid. b. epilepſiam, & apoplexiam ſanat. 640. b. meliſſophyllon, ſive melyſſia, apiaſtrum, cor recreat. 642. a. capiti, & ſtomacho ſuccurrit. 643. a. meliſſophyllon ſive citraria hydropem ſanat. ibid. b. calculos frangit, & urinam ciet. 646. a
Melones. Vide Pepones, Cucumeres.
Melopeponis odor in deliquio. 642. b
Mena dea. 742. a. 758. b. ſuperfluus humor. ibid.
Menſes quæ plantæ evocent. 648. b
Menthæ uſus in capitis dolore. 638. a. item in gravi auditu. 639. b. mentha quoque conſulit odoratui. ibid.
Mercurii inventum linozoſtis. 670. b
Mercurii effigies. 793. a. ei dicata lingua, digitus auricularis, latus avis, bos, piſcis, planta pentadactylon. ibid.
Mercurius Ἐνόδιος. 750. a. Nummius. 753. b. Ἑρμηνεύς ſive loquela deus. 756. b
Meſpilorum alimentum. 627. b. auditum juvant. 639. b. vomitum compeſcunt. 643. a. alvum conſtringunt. 646. a. lapillos renibus ejiciunt. ibid. b
Metalla dicuntur non modò corpora; ſed & ductus. 683. b. & ſeqq. metalla & lapides an vivant. 678. a. metalli deſcriptio. 679 b. ſpecies 5. aurum, argentum, &c. 648. a. b. & ſeqq. metallorum pondus. 685. b. metalla non habere alcodi vim. 698. b. metalla alicui numini dicata. 716. a. & ſeqq.
Metus deus. 741. a. 784. a
Mexicanorum dii Connubiales. 758. b
Milium minoris alimenti. 619. b. toſtum contra tormina. 645. a
Minera vox Italica. 678. a. b. mineræ ductus ſubterranei. ibid.
Minerva Iſis. 720. b. Minerva τὸ πᾶν, nulli peplus retecta. ibid. ipſum Solem luminans. 783. a. mens divina per univerſam ſe extendens Naturam. 724. b. ἀνδρόγυνος. 729 b. æther ſummus. 734. a
Minerva Scientiarum dea. 750. b. & ſeqq. Minervæ idea. ibid. Minervæ, Vulcano, & Marti capta de hoſtibus arma cremata. 763. b
Minerva præſes ſapientiæ, vultus, habitus. 797. a. Minerva & Mercurius ſimul compoſitum, Hermathena 798. a. ſacra: taurus, vannus, injuges boves, noctua, vultur, gallus, hirundo, ſerpens, olea, arces. ibid. amicæ Muſæ, inimicus ſtupor. 799. a
Minervæ olea ſacra. 671. a
Minium color. 711. a
Miſericordiæ ara Athenis. 755. b. miſericordia & Clementia quomodo differant. 755. b
Miſi & ſorii ſucci adſtringentes. 683. a
Mithras. Vide Sol.
Mixtus cultus. Vide Cultus.
Mnemoſyna dea. 745. b. mater Muſarum. ibid.
Mola ſalſa in ſacrificiis quid. 574. b. 575. a
Molochus Phœnicibus Mundus ſive univerſa Natura. 780. a
Molochus Orientalium, Saturnus. 807. a
Moneta diva, Juno. 762. b
Mora inflammationi faucium medentur. 641. a
Morbi quando cœperint. 636. b. corporis ſunt univerſi, vel partis. ibid.
Morbi dii. 741. a. 742. a
Morborum in plantis remedia, internorum totius corporis: febris, veneni ictu aut poculi, phthiriaſis. 636. b. certæ partis: cephalalgiæ, melancholiæ, & id genus meningum, aut ſubſtantiæ cerebri. 638. a. viſus, auditus, olfactus. 639. a. vertiginis, ephialtæ, paralyſis, aliorumque, ventriculorum cerebri. 640. a. tonſillarum, anginæ, & ſimilium. 641. a. dyſpnϾæ, inflammationis pulmonis, tuſſis, tabis, aliorumque. ibid. b. paſſionum ſtomachi, jecinoris, hepatis, ſple-

ſplenis, renum, veſicæ. 643. a. b. 645. a. impotentiæ, ac contrarii priapiſmi. 647. a. podagræ. 649. b. nervorum, & venarum. 649. b. externorum totius corporis, tumorum, tuberculorum, puſtularum, & harum ſpecierum. 650. a. b. vulnerum, contuſionum, &c. 651. a. b. particularium: achorum, cerii, lippitudinis, &c. 651. b. *ſeqq.* ſtrumarum, acarorum, peroionum, clavorum. 653. a. b
Morborum remedia in foſſilibus: morborum univerſalium febris veneni. 699. a. b. & *ſeqq.* particularum partium diſſimilium: capitis. 700. b. & *ſeqq.* gutturis, ac thoracis. 701. b. ventris. 702. a. b. & *ſeqq.* artuum. 703. a. partium ſimilium: oſſium, nervorum, carnis, &c. 704. a. *ibid.*
Morbus comitialis. *Vide* Epilepſia.
Mores & virtutis exemplar ſpectaſſe Idololatriam. 766. b. 775. a. b
Mori poma refrigerant. 627. b
Morochthos lapis, ſeu leucophragis, galaxias, graphis. 691 b. dolori veſicæ reſiſtit. 703. a. dealbat veſtes lineas. 707. b
Morpheus filius Somni. 746. a
Morta Dea. 742. a
Morti mactatæ ſues, boves. 828. a. eidem & mel ſacrum, ſymbola cupreſſus & picea. *ibid.*
Mortuorum ſepultura, crematio, aſſervatio pro varietate gentium. 664. b. Chriſtianorum unctio. *ibid.*
Morſus gallinæ. *Vide* Alſina.
Moſcoviticum vinum. 634. b
Muhammedanorum dies ſacer, Veneris, quinctane an ſexta feria dicenda. 719. a
Mulſum, oinomeli. 634. a
Mulſum, aut paſſum ad ciendum vomitum. 643. b. aqua mulſa ad ſiſtendam vomitionem. *ibid.*
Mundi univerſi, ſive Naturæ cultus in genere. 718. a. Mundi ſive Naturæ cultus apud Aſſyrios ſub nomine Beli. 719. b. apud Phœnices, & Ægyptios, ſub nominibus Molochi, Ammonis, Oſiridis, &c. 720. a. b. apud Arcadas ſub nomine Panos. 721. b. apud Romanos ſub Jove, Apolline, Jano, &c. 722. b Mundum ſive Naturam ingens eſſe animal conſtans mente Divina, & corpore mundano, rectéque Deum dici, & ſingulas partes divinam habere naturam, ſtatuebant Stoici. 723. a. b. Sexus utriuſque. 727 b. & *ſeqq.* Platonicis verò Mundus non Dei pars, ſed habitaculum. 725. b. 729 b. 731. a. Mundum qui opinabantur Deum refutantur. 728. b
Mundi partitio. 730. b
Mundi ſymbolum apud Perſas ovum. 776. a
Muſæ Jovis & Mnemoſynes filiæ. 752. a. primitus 3. fuere: & unde. *ibid.*
Muſæ Minervæ amicæ. 799. a. pulchricomæ, non armatæ. 812. a
Muſcus non eſt pars arboris. 613. a. b
Mutini tetini inequitatio. 758. b
Myrobalanus contra incubum. 640. a
Myrrha indiæ. 608. a. myrrha contra vermes. 645. a
Myrtea corona cui geſtata, & an vim vini reprimat. 638. b. myrti ad Idololatriam abuſus, quod Veneri, & Dionyſo facrata. 671. b

N.

NAphtha flos bituminis. 681. b
Naporum vel βανίων decoctum veſicæ & urinæ prodeſt. 646. b
Narciſſi floris ad idololatriam abuſus: Eumenidibus ſeu Furiis ſacer. 674 a
Narciſſum Echo amatum quid ſignificat. 745. a
Naſturtium ſternutamenta provocat. 640. b. facit ad vomitum. 643. b. alvum ſolvit, & lumbricos pellit. 645. b
Natura mente prædita. 735. a. ei divinus cultus habitus. *ibid.*
Naturæ totius cultus ſive Mundi. *Vide* Mundus.
Naves e plantis. 661. a. navis pro ædificio. *ibid.*
NavicularIæ ut foſſilia ſerviant. 709. a. b
Nemeſis dea. 747. b. 756. a. filia Juſtitiæ. 754. a
Nemeſis una manu frænum, altera menſuram oſtendebat. 823 a
Nephriticus jaſpidis ſpecies. 702. b. medetur modo iſchiadico. 703. b
Neptuni ſimulachrum. 788. a. res ei dicatæ: phocæ, anates, pinus. 788. b
Neptunus ciceris inventor. 670 b
Neptunus aqua. 723. b
Neptunus fundamentis præerat orbium & murorum. 760 a
Nervorum affectio, & curatio. 649. b. *ſeq.*
Nimrodus Belus. 732. b. cultus in Sole. 733. a
Nitrum ſuccus concretus macer. 682. b
Nixii dii. 827. b
Nodinus vel Nodotus Deus à nodis culmorum dictus. 670. a
Nuces quotuplices. 628. b. *ſeq.*
Numa Pompilius an primus Terminum inter deos retulerit. 736. b
Nymphæa ſtomachicum. 643. a
Nympharum ſymbolum favi. 827. b

O.

OBſtructiones. *Vide* Hepar, Lien, Renes.
Occaſio nexa pedibus talaria habens. 815. b
Occator Deus. 670. a
Oceano æque ac fluminibus caput tributum taurinum. 821. a. cur. *ibid.*
Ochra ſive ſit terra lutei coloris. 680. b. tophos comminuit articulorum. 702. b. tubercula diſſipat. 704. b. color. vilior. 711. b
Ocimum baſilicon. 607. b. prodeſt odoratui. 639. b. ſternutamenta juvat. 640. b. inter cardiaca. 642. b
Oculorum affectiones, & remedia in plantis. 639. a. 652. a
Oculus cati opali ſpecies. 689. b
Odoratui quæ plantæ conſulant. 639. b. 656. b
Olea Minervæ, & Dionyſo ſacra. 671. a. b. Apollini. *ibid.* & 672. b. & Faunis. *ibid.*
Oleæ & vitis συμπάθεια. 616. b
Olera ſunt herbæ. 613. b
Oleribus humi repentibus abſtinebant Ethnici. 676. a
Olerum ſpecies, & nutrimentum. 620. b. *ſeqq.*
Oleum malaciam gignens. 616. b. non miſceri aquæ, cur. 627. b
Oliva 250 annorum. 610. b
Olivæ alvum cient. 645. b. oleum moderate calefacit. *ibid.*
Olivetum publicam viam tranſgreſſum. 613. b
Olyra arinca. 619. a
Onyx lapis mediæ inter pretioſos & vulgares naturæ. 693. a. onyx alabaſtritæ ſpecies. 698. b
Ophites cinereum marmor vaſis & cadis aptum. *ibid.* æſtum febricitantibus temperat. 699. b. peſtilentiæ medetur. *ibid.* phreneticis opitulatur. 700. b. dolori capitis. *ibid.*
Ophthalmicus lapis viſum acuit. 701. a
Opinio dea. 750. a
Opiumne, an apium contra morbum proſit regium. 644. b
Ops, Rhea, Tellus, opes. 759. b
Orbona dea cui memorata. 759. b
Orcus Moloſſorum rex. 734. a
Oromaſdes Perſarum Deus principium boni. 776. a
Orphicis Tempus cultum. 737. a
Ortbannes. *Vide* Ciconia
Oryza Hiſpanorum. 619. b. oryza prodeſt auditui. 639. b. alvum conſtringit. 645. b
Oſiridi, & Bacho hedera ſacra. 673 a. uterque phyſicè Sol habitus. *ibid.* Oſiridi & malva. *ibid.* & 674. a
Oſiris univerſa Natura. 721. a. Oſiris Mitsraim Chami filius. 732. b
Oſiris Sol. 781. b. ſimulachrum. *ibid.* Oſiris etiam Nilus. 782. a
Oſſa in lapides tranſire. 679. b. 680. a
Oſteocolla fracta oſſa ſanat. 704. a
Oſtracites conducit uberibus inflammatis. 702. a. cinerum conditor. 713. b
Oſtrea zoophyta. 613. b
Otium ſive quies in diis. 749. a
Ovidius poëtarum ingenioſiſſimus. 615. b
Ovum Mundi ſymbolum. 776. a
Oxymeli ad tollendas hepatis obſtructiones. 644. b. lienis. *ibid.*

P.

PÆonia, pentorobon, viſui inſervit. 639. b. ephialten ſubmovet. 640. a. efficax & contra morbum comitialem. *ibid.*
Palæmon, Neptunus. 827. b
Pales, Palilia. 820. a
Pallas præſes arcium. 760. a
Palmæ dactyli ubi naſcantur. 608. a. palmularum. 622. a. genera. 627. b. præcipuæ cariotæ. *ibid.* & 634. b. palma Apollini ſacra. 672. b
Pan Univerſitas. 745. a. amat Echo. *ibid.*
Pan paſtor Naturæ totius ſymbolum. 818. b. bicornis, Sol & Luna. *ibid.* fiſtula ſeptemplex, venti. 819. b
Panacea an detur. 636. b
Panacis omnium generum radix medetur cephalalgiæ. 638. a
Panda an pacis dea. 763. b
Pandroſo Athenis ſacrificatum ove. 814. a. templum juxta Minervam. *ibid.*
Pani, aliiſque pinus adamata & ſacra. 672. a
Panicum quid, & cujus alimenti. 619. b
Panis antiquiſſimi uſus. 617. a. an ante glandes. *ibid.* panis ſiligineus præſtantiſſimus. 617. b. 618. a. quid in coctione panis cavendum *ibid.*
Panos ſub nomine Arcadibus Mundus ſive Natura culta. 721. b
Papaver ſomnum conciliat. 639. a. ſylveſtre odoratui ſuccurrit. 639. b
Paralyſi quæ medeantur. 640. a
Paralyſeos remedia. 700. b
Parcæ vitæ & mortis præſides. 742. a
Parcæ effictæ cum dentibus belluinis. 811. b. Parcarum pro numero tria munia in vitam hominis. 828. a. Parcarum prima Venus credita, ſed & tertiæ videri reſpondere Venerem Libitinam. *ibid.* Parcis ſacrati turtures albi. 828. b
Paſſulæ auditum juvant. 639. b. concurrunt & contra ephialten. 640. a
Paſſum, aut mulſum ad vomitum. 643. b
Paſtinaca erratica, ſativa. 622. a
Patalena Dea, ſegetum quæ. 670. a
Patritiæ, & Plebeiæ ædes duæ Pudicitiæ Romæ. 754. b
Patulcius Janus. 805. b
Paupertas numen. 760. b
Pauſi dii pauſam in bello pugnandi moderabantur. 763. a
Pax filia Themidos. 754. a. Pacis ara Athenis. 763. b
Pax Plutum habet in ſinu. 827. a
Pecten zoophyton. 613. b
Pediculi unde. 616. b
Πειθὼ ſive Suada pulchras habens palpebras. 827. b
Penates Lares. 816. a. b. publici, privati. *ibid.*
Penatibus diis ſacrum culmen. 760. a
Pentaphylli antidotum. 637. b
Pepones, & melones cujus generis & tempera-

peramenti. 624. a. 641. b. 646. a. urinam eicit. ibid.
Perſarum mithridax Solis gemma. 716.b
Perſica, & Perſea ut diſtent. 626.b
Perſis Luna, & Heſperus culti cultu mixto ſeu uno. 718.b
Perſolata ſtrumas comprimit. 841.b
Peſtilentiam opia arceant. 699.b
Petroſelinum apio an congruat hortenſi. 623.b
Peucedanum in morbis colli. 641.a. doloribus pectoris, & lateris. 643.a. ſtomachicum. ibid.
Phanes Tempus vel mundi Opifex. 737.b
Phantaſus numen. 746.a
Phaſeli viles. 620.a
Phengitem non eſſe ſpecularem lapidem. 708.b
Philyra an Veneri fuerit ſacra. 673.a
Phœnices ſub nomine Molochi mundum ſive Naturam coluere. 720.a
Phræneticis quæ opitulentur. 700.b
Phrygibus cum primis honorata Cybele. 785.b
Phrygius lapis oculis utilis. 701.b
Phrygum mater deûm ilex. 715.a
Phthiriaſis unde proveniat. 638.a. & remedia. ibid.
Phthiſeos curatio. 643.b
Phthiſi reſiſtunt margaritæ. 702.a
Piceæ ſive laricis ad idololatriam abuſus, quòd Vulcano ſacrata. 673.b
Picturæ quem uſum præſteut foſſilia. 710.b. & 711.a
Picumnus in diis connubialibus. 758.a
Pieris corona inſignis oleagina. 824.a. ſymbolon ciconis. ibid.
Pietatis templum Romæ. 753.a
Pileus nobilitatis, prudentiæ, & libertatis ſymbolum. 814.b. 826.b
Pilumnus piſtorum numen. 749.b. conjugii. 758.a
Pinei nuclei concurrunt adverſus ephialten. 640.a. pinus Cybele, Faunis, & Pani adamata ac ſacra. 672.a
Piper fructus arboreus. 628.a. piper ante febris paroxyſmum. 637.a. in oculorum unguentis. 639.a. pituitam ſubducit. 640.b. ſtomachicum. 643.b
Piritiani lapſus. 760.b
Piſa in juſculis. 620.a
Piſcatoribus ut plantæ ſerviant. 635.b
Piſcatoribus ut metalla inſerviant. 699.a
Piſces inter piſces veros plantaſque medii qui. 613.b
Piſces etiam in ſacrificiis fuiſſe contrà quàm tradidit Plutarchus. 780.b. Piſces apud Ægyptios Deorum ſymbola 784.a
Piſtacia nuces. 619.b. faciunt contra ephialten. 640.a
Piſtoribus ut plantæ ſerviant. 635.b
Plantæ quæ Deorum ſymbola apud Ægyptios. 784.b
Plantarum forma. 605.a. plantas quaſdam ſentire, ut zoophyta. 604.b. plantæ animantis accenſentur. ibid.
Plantarum efficiens. 608.a. duplex origo, naturalis, & artificialis. 606.a natales prodigioſi. 606.b
Plantarum nutritio. 607.b. ſpiritus, & calor. ibid. vaſta quarundam magnitudo. 608.b
Plantarum facultas generativa. 609.a. catulitio. ibid. ſemen. ibid. ſexus negatur. 609.b
Plantarum duratio. 610.a. vita quarundam arborum immenſa. 610.b. herbarum frigidiores citius emoriuntur. ibid.
Plantarum partitio. 611.a. partes integrantes, ſimilares, conſiſtentes. ibid. plantæ quædam carent radice. 611.b. quædam caule. 612.a
Plantarum diviſio in ſenſus expertes, & zoophyta. 613.b. plantanimes zoophyta. ibid. his motus duplex. ibid.
Plantarum ſenſus expertium diviſio. 614.b. præcipuæ ſpecies arbores, herbæ ibid. plantæ immutantur, quomodo. 616.a
Plantarum effecta extra hominem. 616.b
Plantarum utilitas quà hominem: in cibo. 617.a. 619.b. 620.b. 624.b. 629.a. potu. 630.b. 632.a. ſeqq. vaſis atque inſtrumentis. 634.b. in medicina. 636.a. ſeqq uſque ad. 653.a. χρηματικῇ. 653.b. & ſeqq. uſque. 652.b
Plantarum utilitas in veſtitu. 657.a. in ædificando terrâ, aquâ, ac utenſilibus. 659.a. earundem uſus quà milites. 661.b. & ſeqq. qua ſapientiæ ſtudioſos. 662.b. ad ignes, & lucernas. 663.b. poſt hominis mortem. 664.a
Plantarum quædam noxiæ, ſed quaſi invitæ. 667 a. & ſeqq.
Plantarum ad idololatriam abuſus: ceu nominum aut numinum habitaculorum. 668.b. certum his deaſtrum præficiendo ſingulatim, vel pluribus. 670.a. ſeq. alicui numini eas dicando. 670.b. abuſus in templorum ſtructuris. 670.b. In cadaveribus humandis, cremandis. 665.b. in ſacro ſuffitu, & oblationibus. 674.b. & ſeqq. extra ſacrificia in feſtorum ſolemnitatibus. 675.b. quibuſdam item in victu religiosè abſtinendo. 676.a
Plantarum Sereniſſimi, Illuſtres, Clari Scriptores. 677.a.b
Plantas etiam elegantiæ & honeſtæ voluptati inſervire. 665.b. & ſeqq.
Plantis quam vim magi tribuerint. 656.a
Plantis ad Deum adducimus. 668.a
Plantago ſtrumas operitur. 640.a. ſtomachicum. 643.a. cibus renibus prodeſt. 646.a
Plaſtice ut inſerviant foſſilia. 712.a
Platani magnitudo. 608.b. platanus veſpertilionibus adverſans. 616.b
Platonicæ & Stoicæ Theologiæ differentia. 724.a. 729.b. 731.a. Platonicos diſtinguere inter cultum Deorum, Demonum, & Heroum. ibid.
Plinius κισσὸν cum κίστῳ confundit. 609.b. ejus error, quà pentaphyllon fragorum. 724.a. quà apiaſtrum. 642.a
Plumbum candidum, nigrum. 684.b. & 685.a. uſus in medicina. 704.b. ædificiis. 708.b. plumbo & ſtibio typi. 710.b
Pluto, Dis, interior terra. 723.b. 759.b. Rex Moloſſorum. 734.a
Plutoni Græci divitias tribuere. ibid.
Plutonis ſive Ditis effigies. 809.a. ei ſacra capra, cupreſſus, buxus. ibid.b
Plutus idolum quod, quantum. 715.b
Plutus, Æſculanus, Argentinus redituum & pecuniarum dei. 760.b
Podagræ affectio, & curatio. 649.a
Pœnæ, Furiæ. 761.b
Polenta è hordeo primitus Græcorum propria. 617.b. bilioſo prodeſt ſtomacho. 643.a
Polium capiti, & ſtomacho. 643.b
Pollen non videri furfurea. 618.a
Polyrrhizon. *Vide* Helleborus.
Pomona dea à pomorum cura ſic nuncupata. 670.a
Pompholyx metallorum recrementum. 685.b
Pomus Veneris in tutela: cur. 672.a
Pondus metallorum & liquidorum. ibid.
Popa victimarius. 775.a
Porcellana ſive terra Sinenſis. 680.b. & 681.a
Porrum, cepe, allium ejuſdem naturæ. 622.b
Portulaca in uvæ morbo. 641.a
Portunus ſive Portunus portuum numen. 821.a. clavum manu tenens. ibid.b
Porus Heidelbergenſis contra podagram. 703.b
Poſca hordei. 643.b
Praſius gemma colorem habet porri. 688.b
Πραξιδίκαι. 826.a
Priapus facultas generatrix. 739.b. 758.a.b
Primitiæ apud Ethnicos. 675.a.b
Proſerpina dea infera eadem eſt ac Hecate & Brimo. 809.b. ei mactabantur vaccæ, & canes. dicati veſpertilio, mullus, malus Punica, hiems. 810.a.b. Proſerpina apud ſuperos verſans Diana. ibid.
Proſerpinaca contra faucium vitia. 641.a
Proteus cum phocis fingitur. 821.a
Providentia anus fatidica. 827.b
Pruna ἀσίμκραχα. 615.b. Damaſcena, & Hiſpanica quoque laxant. 645.b
Ptiſana in febri. 636.b. ſeq. contra ſcabritiem gutturis. 641.a
Pudicitiæ ædes Romæ geminæ. 754.b
Pudor, metus, numina. 747.b. & 748.a.b
Pudor ſive verecundia oculis ac vultu velatis. 823.a
Pulegium contra cephalalgiam. 612.a. regale item ſtomachum juvat. 643.b
Puls è farre Romanorum. 617.b
Pumex lapis vulgaris mollis. 695.b
Purgantia. 645.a.b
Puſtulæ quæ, & eis in plantis remedia. 650.b
Puta dea præſes arborum, à putando dicta. 670.a
Pyra facillima concoqui. 676.b. potus. 634.b. grana pyri auditum juvant. 639.b. adſtringunt & faciunt contra ephialten. 640.a
Pyrites lapis ærofus. 683.a
Pyropus. *Vide* Carbunculus.
Pythagoram cultum echus approbaſſe. 745.a

Q.

Quercus & oleæ antipathia. 616.b. quercus Jovi ſacra. 671.a
Quernæ glandes hominum olim cibus. 629.b
Quinquefolium utile in vitiis faucium. 641.a. ſtrumas item operitur. ibid. ſanguinem rejicientibus prodeſt. 641.b

R.

Radix ſitne frigidiſſima. 612.a
Ramorum multitudo noxia. 609.b. rami arborum humeri. 612.b
Rapa ridiculè commendata. 621.b. rapa adverſus toxica & ſerpentes. 637.b. ſerunt claritatem oculis. 639.b. raporum parte terreſtri non veſcebantur Ethnici. 676.a
Raphanus quanto olim in honore. 622.a. prodeſt contra ebrietatem. 639.a. ſanat purulenta præcordiorum. 642.b. ſylveſtris purgat ſtomachum. 643.a. raphani jecinoribus, & hydropicis. 643.b. extenuant lienem. ibid. ſylveſtris cortex bilem detrahit. 644.a. raphani inteſtinorum ulcera ſanant. 646.a
Regius morbus. *Vide* Icterus.
Regum male affectorum remedia in plantis. 644.a. 646.a
Reliſum, ruſum pro rurſum, & ſimilia. 760.b
Renum obſtructiones tollit cryſtallus. 702.b
Reſurrectionis fidem Chriſtianorum quid Gentiles interpretati. 753.a
Rhamnus frutex ſtriges arcens. 616.b
Rhamnuſia dea, Nemeſis. 795.b
Rhea, dea Syria. 777.b. capite turrita. ibid.
Riſus condimentum in diis. 757.a
Robigus Deus frugum quis. 670.a. & cur canis ei mactaretur. ibid.
Robus tritici ſpecies. 617.b
Roma ab antiquis temporibus Dea habita. 731.b
Romæ caput effoſſum humanum ubi, & quid portenderit. 737.a. Roma in diis habita. 761.a.b
Romæ primitus per annos 170 nullæ ſtatuæ.

tnæ. 769. b. Romanorum numina & ſimulachra exponuntur. 786. b. & ſeqq.
Romanorum Dii univerſales: Jupiter, Apollo, Janus, &c. ſinguli univerſam Naturam quandoque complectentium. 722. b. & ſeqq.
Roriſmarini ætas. 610. b. roſmarinus contra gravem auditum. 639. b. ephialten. ibid. paralyticos calefacit. ibid. cerebrum ſiccat. 640. b. ſeqq. oleum juventutem conſervat. 642. a. roſmarinus regium morbum ſanat. 644. b
Roſæ ſuaviter refrigerantes. 632. a. coercent καρδιωγμόν. 638. b. palpitationi occurrunt. 642. a. ſiccæ quales. ibid. roſæ in ſyncope, præſertim rubeæ. ibid. rubentes Provinciales ſiccæ hepar, & renes firmant. 644. a. roſarum diluti roboris ſuccus ſubducit. 645. b. earum droſatum. ibid. roſæ ad idololatriam abuſus quòd Veneri ſacra. 672. b. ſeqq.
Rubricæ color præſtantior auſterus. 711. a
Rugis ut obviam eatur. 655. b
Runcina dea frugum quæ & unde dicta. 670. a
Ruſina ruſtica numina. 760. b
Rufor deus ſi quid deperditum erat. 760. b
Ruta ficui arbori inſeritur. 606. b. veneno reſiſtit. 637. b. ephialten ſummovet. 640. a. attenuat. ibid. b

S.

SAccharum ſuccus arundinis. 614. b. cum myrobalano contra ephialten facit. 640. a
Sacrificiorum cauſæ, & modus. 773. b. ſeqq.
Salem cunctis corporibus ineſſe. 679. b. ſal ſitne terra an ſuccus. 682. b. quomodo gignatur. ibid. ejus monarchia in re cibaria. 697. b. & 698. a. ſale primitus condita cadavera. 713. b
Salvia adverſus tinnitum aurium. 639. b. paralyſin, vertiginem, &c. 640. b. ſuccurrit capiti, & ſtomacho. 643. b
Salus publica dea. 763. b
Salus populi ſeu felicitas publica dextra caduceum, ſiniſtra copiæ cornu gerens. 827. b
Samogitharum Dii eorumve ſymbola. 830. a
Sampſychus contra ephialten. 640. a. decoctum initio contra hydropem. 644. a
Sandaracha ſuccus concretus pinguis. 682. a. color vilior. 711. b
Sanguinis fluxum quæ ſiſtant. 703. a. b. ejectionem. ibid.
Sanguinis ſiſtendi ratio. 650. a
Sanguis plantarum. 611. a
Sanitas. Vide Ὑγίεια.
Sanitatis dii præſides. 741. a
Sapphirus aureis punctis collucens. 688. b. prodeſt contra febrim. 699. a. colyriis adhibetur. 701. a. naribus ſanguinem ſiſtit. 703. a
Sapphirus cor corroborat. 702. a. pulvis hæmorrhoides ſanat. 703. a. ſapphirus geſtata tentiginem impedit. 703. b. ſcablem minuit. 704. b
Sarapis univerſa Natura. 721. b
Sarcophagus Aſius lapis. 703. b
Sardius Sarda, corneolus. 689. a. Sarda terra in obſignandis literis. 710. b
Sardonyx dividui nominis ex ſarda & onyche. 689. a. b
Sarritor deus. 670. a
Satureia capitis & ſtomachi infirmitati. 643. b
Saturni ſub nomine totius Naturæ ſive Mundi cultus. 723. a. Saturni 6. liberi. 723. b
Saturnus Adamus, vel Noë. 732. a. Phœnicum Molochus & cultus mixtus. ibid.
Saturnus tempus. 737. b. & indignatio ſeu Nemeſis. 747. b
Saturnus ſenex cum falce. 806. a. b. Sacrum ei fiebat aperto capite, cur. ibid.
Saturnus Molochus ſanguine gaudens. ibid.
Satyri. Vide Sileni.
Saxonum antiquorum Venus. 829. b. Crodo. forſan χρόνος ſeu Saturnus. 830. a
Scabies an in diis. 741. b
Scabiei ſulphur opponitur. 704. b
Scabioſa contra tuſſim. 641. b. dyſpnœam. ibid.
Scaliger emendatus quà λίξιν. 615. b
Scaliger carptus quà poetin & affectatum archaiſmum. 754. a
Scillites cerebrum purgat & guttur. 640. a. adhibetur ubi periculum eſt morbi comitialis. ibid.
Scirrhus ut curetur. 644. a. b
Schiſtus lapis ſcindi facilis. 694. a
Scolopendrium lieni. 644. b. Vide Teucrion.
Scordotis ſtomachicum. 643. a
Scriptores de plantis, & rei herbariæ. 676. b. ſeqq.
Scriptores aliquot rerum ad Theologiam ſymbolicam facientium. 830. b
Scrofularia hæmorrhoides ſiſtit. 646. a
Scyphus Herculi ſacer. 716. b
Scytharum acinaces Martis ſymbolum. 715. b
Scythia ſymbolum Martis acinaces. 829. a
Secale unl veterum Plinio memoratum. 619. a. farina capitis dolores ſedat. 638. a
Secundis educendis quæ plantæ inſerviant. 648. b
Securis Tenedo inſulanorum ſignum Themidos. 715. b
Seia, Segeſta dea à ferendo dicta. 670. a
Semiramis & Tellus unum nomen. 734. b
Semitales dii. 750. a
Sennæ folia flatus diſcutiunt. 645. a
Seneca Stoicus. 724. b. Deus ipſi corporeus. 725. a
Senectus numen. 741. a
Serpens ſive draco Babyloniis ſymbolum Dei. 777. a. item Ægyptiis. 778. b. cauſæ cur ſerpenti honores divini attributi. ibid. ſerpens ſymbolum Genii. 805. a. 804. a. Æſculapio dicatur cur. 813. b. ſymbolum ſanitatis. 821. b. prudentiæ. 823. b. fraudis. 826. a
Serpentes fugandi ratio. 617. a
Serpentium ictibus quæ plantæ medeantur. 637. a
Serpillus capiti, & ſtomacho. 643. b
Servorum Saturnalia. 759. b
Sexus diſcrimen ſtirpibus amputatum. 609. b
Sibyllarum nomina, numerus. 827. b
Sidera Dii. 719. b
Sigalion. Vide Harpocrates.
Sil. Vide Ochra.
Sileni dicuntur ſenes Satyri. 848. a. ſemicapræ, & deformes, attamen magnæ ſapientiæ. ibid. pingebantur cum cantharo & ſcypho. ibid.
Silex Phrygum mater deûm. 715. a
Siligo tritici ſpecies. 618. a
Silybon bilem trahit. 843. b
Simulachrorum origo. 769. b. materia. ibid & ſeqq. forma. 769. a. b. & ſeqq. finis. Vide Idololatria.
Sinapi pituitoſis 623. b. 641. a. concurri jecinori, & hydropicis. 644. a. lieni. ibid.
Sinenſem terram non rectè dici porcellanam. 680. b. luxus. 698. b. Sinenſia vaſa veneno impoſito rumpuntur. 699. b
Sirenum effigies. 827. b
Silera Germaniæ nobilitata. 622. b
Smaragdi inter gemmas virides principatus. 688. a. b. tutatur ab epilepſia. 700. b. viſum auget. 701. a. dyſenteriæ reſiſtit. 703. a
Smilax quid. 638. b. medetur capitis dolori ibid.
Smyrites lapis. 693. a
Sol Perſis Mithras. 776. b. ejus cultus ubi locus, ſymbolum, ſacrificium. ibid. Aſſyriis Sol Adod. 777. a. Phœnicibus Adonis. 777. b. Edeſſenis Ἐλαγαβάλος nomine cultus. 778. a. Sol juxta theologiam phyſicam filius Hyperionis. 803. a. effingebatur humana ac juvenili forma. ibid. habitus, currus, ſymbolum coloſſus. ibid. b. ſacra ei: mel, equus, lupus, gallus, aquila, pocula, quadrigæ. ibid. Solis ſymbolum apud Thracas diſcus. 829. b
Solis cultus. 718. b. 719. b
Somnia moleſta unde. 620. a
Somniorum 3. artifices qui. 745. b. 746. a. ſomniorum binæ portæ. ibid.
Somniorum gemina porta, cornea, eburnea. 822. a. Somnii tres liberi Morpheus, Icelus, Phantaſus. ibid.
Somnus an plantis competat. 605. a
Somnus deus. 745. b. ejus 3. filii. ibid.
Somnus alatus. 822. a
Sorba meſpilis vicina. 627. b. ſtipant. 645. b
Sorii & miſii ſucci adſtringentes. 683. a
Spaſmum magnes cohibet. 704. a
Specularia, feneſtræ olim ex lapide diaphano. 708. b
Spei nomen. 748. a
Spes coloris viridis. 823. a
Spicæ oleum contra comitialem morbum. 640. b
Spina alba in capitis dolore. 638. b
Spinachia ſalubris. 623. b
Spinenſis Deus agreſtis à ſpinis nuncupatus. 670. a
Spirandi difficultas. Vide Diſpnœa
Spiritus primo die creatus, partitè rebus variè inditus. 605. b
Splenion. Vide Teucrion.
Spodium æris recrementum. 685. b
Spongia zoophyton. 614. a
Sponte naſcentia vel certe occulto ſemine, quæ. 605. a
Statuariæ ut inſerviant foſſilia. 712. a
Stercutius olens. 670. a
Stibium, ſtimmi, antimonium in κοσμητικῇ. 705. a. b. ad artem typographicam. 707. b
Stoicorum numen ex mente divina, & corpore conſtans mundano. 724. a. Stoicis formaliter Deus ignis puriſſimus, fovens & vitalis. 725. a. cujus corpus Mundus abeſſe & adeſſe poterat. ibid.
Stolones perperam confundi cum ſurculis. 612. b
Stomacaces remedium. 653. a
Stomachum corroborantia. 643. b. 664. a
Stultus, ſtolidus, ſtoltus à ſtolo. 604. b
Stupor Deus. 799. a. inimica Minervæ. ei dicatum aer. ibid.
Suada. Vide Πειθώ.
Subſtantiæ partim ſpiritualis, partim corporeæ cultus. Vide Cultus mixtus.
Succi concreti & compoſiti, eorumque ſpecies. 681. a. b
Succino vis tribuenda videtur vitalis. 679. a. Succinum bituminis ſpecies. 681. a. Succinum Arabicè ambra. ibid. quomodo gignatur. 681. b. & 682. a. Succinum hagates. ibid. ſuccini pulvis ad tuſſim. 701. b. cardiacum. ibid. ſtomachicum. ibid. hydropicorum aquas educit. ibid. medetur morbo articulari. 703. a. contra gonorrheam & menſes. 703. b. ſuccinum quo in honore apud Turcos. 710. a
Sulphur principium chymicum. 679. b. ſulphur ſuccus concretus pinguis. 681. a. b. exterget & ſanat pſoras, ac lepram. 704. a. b
Sus prima meruit ſacrificari. 774. a
Sylvanus manu geſtat cupreſſum. 819. b. ei ſacrificium porcus, pinus ſacra. ibid.
Symbolicus Cultus in genere, nempe quid idolum, quod ſignum. 765. a. de idolorum fine: Primario, qui cultus, ſecundario: hiſtorico, naturali, morali. 766. a. b. de ſimulachrorum prima origine. 767. a. materia quintuplici, argilla ligno. ibid b. & ſeqq. forma. 769. b. 770. b. & ſeqq. ſacrificiorum cauſa, & varii ritus. 773. b. 774. a. b. & ſeqq.
Symbolicus cultus in ſpecie, nempe de

Symbolis religionis Perſicæ Oromaſde, ovo, &c. 775. b. *& ſeq.* Aſſyrorum, Syrorum, & Arabum Adad, radiis terram verſus reclivibus, &c. 777. a. b. *& ſeqq.* Ægyptiorum Iſide, Oſiride, aſpide, accipitre, &c. 778. a. b. 779. a. b. uſque. 784 b. Phrygum Cybele, lapide nigro, &c. 785. b. *& ſeqq.* Romanorum, & Græcorum Jove, Neptuno, corona regia, concha in modum curva, &c. 785. b. *& capp. ſeqq.* uſque. 829. a. Scytharum, Sarmatarum, Germanorum Marte ferreo acinace, &c. 829. a. b. *& ſeqq.* uſque ad fin.
Syncopes ſive cordis deliquii affectio, & medela. 642. a. b
Syncopes remedium bezoar. 701. a. margaritæ. 702. a
Syriacus ſive Judaicus lapis adverſus calculum efficax. 702. b. & 703. a
Syrorum Dagon. 777. a. Syrorum quatuor celebratiora numina, fœminea dea Syria, Derceto, Aſtarte, &c. *ibid.*

T.

TAlcum lapis vulgaris mollis. 695. b. dyſenteriam ſiſtit. 703. a
Tamarindus palma Indica. 608. a
Tamarix immodico lieni. 644. b
Tatius Sabinus an primus Terminum in deos retulerit. 736. b
Taubmannus emendatus. 621. a
Tellus in diis Selectis. 803. a. pingebatur cum clave. 804 b. ſacrificium fœta porca, & taurus dicatus. *ibid.*
Temperantia diva, ſoror Juſtitiæ. 754 a
Tempeſtatibus agnam mactabant nigram. 815. b
Tempeſtatum divinitas. 736. a
Templa variorum Deorum diverſæ ſtructuræ. 827. b
Templi Dianæ Epheſiæ ſtructura. 659. b
Tempus, Phanes, Saturnus. 737. b. temporis partes. 738. b. 739. a
Tenaſmire remedium. 645. a. b
Termini Imperii Rom. ſponte moti. 737. a
Terminus deus. 736. a. & 700. b
Terræ foſſilium ſpecies. 630. b. vel nomen habent proprium vel eo carent. *ibid.* terræ, cretæ, marga, calx, &c. *ibid*
Terræ cultus. 719. a. 733. a b
Teſtudo ſymbolum numinis. 785. a
Textoria ars deſcribitur Minervæ. 752. a
Teucria bibitur jecinori. 644. a. teucrion medetur lienibus. *ibid.* b. vocatur & hemionia. *ibid.*
Themidos ſive Legis divinæ tres filiæ: Lex humana, Juſtitia, Pax. 753. b. & 754 a. 761. b
Themidos & tres filiarum effigies. 824. b
Theologia gentium una, nempe rerum Natura. 729 a. 734. b
Theologia Symbolica generalis, ſpecialis. 765. a. b
Theologia civilis, phyſica, poëtica diſtinguendæ. 766. b
Thus Arabiæ. 608. a. thuris in ſacrificiis ad idololatriam magnus abuſus. 774. b
Thymus oculis confert. 638. a. Thoracem purgat. 641. b. orthopnoicos, & aſthmaticos juvat. *ibid.*
Tiberis effigies. 820. a. b.
Tiſiphone Furia. 761. b
Topazius lapis mollis. 695. b
Tragacantha tollit aſperitatem arteriæ. 641. a
Tragotrophum in frugibus quid. 619. b
Trias numinum Samothracum Trojanorum & Romanorum. 751. a. unde derivatorum & quid ſignificarint. *ibid.*
Tripolium herba hepaticum. 644. a. naſcitur in mari. *ibid.*
Triticum triplex. 617. b
Trivia. *Vide* Hecate.
Triumphus in diis. 763. a
Troglodytis ſymbolum numinis teſtudo. 784. b
Tubera fungi. 622. b
Tubercula ochra diſſipat. 704. b
Tumori è plantis remedium. 650. a. b
Turcois gemma opaca. 689. a
Turnebus emendatus. 640. a
Tuſſis remedium ſuccinum. 701. b
Tutilina dea tutatrix ſegetis. 670. a
Typham, & olyram fruges differre. 619. a
Typho Ægyptiorum Sol exurens. 782. b
Typi ex plumbo & ſtibio. 710. b

V.

VAcuna in diis. 749. b
Vagitanus, Cunina, Rumina. 759. a
Varro Stoicus. 730. b. ipſi Deus anima Mundi, eoque & Mundus Deus. *ibid.*
Venatoribus ut plantæ ſerviant. 635. b
Venenis ut plantæ reſiſtant. 637. a. b
Venena quæ reſiſtant è foſſilibus. 699. b. veneuati quid quibus ſtatuatur ineſſe foſſilibus. 713. b
Venerem quæ excitent, & reſtinguant. 647. a. b. Veneri myrtus ſacra. 671. b. it. pomus & unde hoc. *ibid.* 672. a. roſa. *ibid.* 672 b. horti. *ibid.* 673 b
Veneri æs dicatum. 716. a
Venti in piis habiti. 821. a
Venus heſperus. 719. a. Venus ſexus utriuſque. 727. b
Venus vis generatrix 739. b. it. Luna. *ibid.* Venus cœleſtis, terreſtris. 746. b. Veneri à nuptiis ſacrificabatur. 757. b. Veneris, ortus, Venus picta. *ibid.* & 758. a. cur uxor Vulcani. *ibid.* Venus Libitina. 760. a. Venus Συμμαχία in bello, & unde hoc illi. 762. b. Victrix. 763. a. Cluacina. *ibid.*
Venus in Libano Adonin lugens. 777. b. terra hyemalis. *ibid.* Venus Aſtaroth Sidoniorum. *ibid.* Luna. *ibid.* Veneris Cypriæ ſymbolum orbis in metam exſurgens. 785. b. Veneris ſimulachrum apud Græcos & Latinos. 801. a. b. res dicatæ: taurus, paſſeres, columbæ, cygni, iynx, apua, chryſophrys, roſæ, æs, ver. *ibid.* ſeqq. Venus prima Parcarum creditur. 828. a. ſed & tertia videri reſpondere Venerem Libitinam. *ibid.* Veneris ſimulachrum apud antiquos Saxones. 830. a
Verbaſcum in lateris doloribus. 643. a
Verbenaca ſtrumas comprimit. 641. a. omnibus viſceribus medetur. *ibid.* b. inprimis pulmonibus. *ibid.*
Verecundiæ ara Athenis. 755. a
Veritas filia Temporis. 752. b. mater Virtutis. *ibid.*
Veronica in difficultate ſpirandi. 641. b
Vertigini quæ plantæ ſuccurrant. 640. a
Vertiginis remedia. 700. b
Vertumnus quis. 749. b
Veſicæ dolori quibus occurratur. 703. a
Veſta ignis in terris. 723. b
Veſtæ focus & Veſtalium cuſtodia quid Romanis ſignificarit. 775. b. Veſtæ ſimulachrum templum, ac ſacrata ei ædium veſtibula. 795 a. b
Veſtiariæ rei ut foſſilia proſint. 707. a b
Veſtium materia è plantis. 658. a b
Vettonica in doloribus pectoris. 643. a. *Vide* Betonica.
Viales dii. Ἐνόδιοι. 750. a
Vibices ochra delet. 704 b
Victoria virgo alata dextra lauream coronam tenens. 827. a
Viduus Deus. 828. b
Vini deſcriptio. 630. b. *ſeq.* varia vinorum genera, crucium. 631. a. ratio miſcendi, & quæſtiones aliquot de natura vini. 632 a. b. *& ſeqq.* vina factitia. 634. b. vinum novum creat inſomnia. 640. a. vinum concurrit contra apoplexiam, & epilepſiam. *ibid.* b. unica ſpes cardiacorum. 643. a. acetum in deliquiis. *ibid.* vini ad idololatriam abuſus. 676. b
Violaceæ coronæ contra capitis gravedinem. 638. b. item violæ potus, atque odor. *ibid.* violæ purpureæ in morbo proſunt comitiali. 640. b. oleum adverſus dolores ſedis, & hæmorrhoides. 646. a
Virgilius theologiæ Stoicæ. 724. a
Viriplaca. 758. b
Virtutis numen. 752. b. Romæ fanum. *ibid.*
Virtutis effigies. 823. b. Symbolum in dextra ſerpens. *ibid.*
Viſci frutex arboribus innaſcitur. 606. b
Viſus remedia in foſſilibus. 701. a
Vitis ſacrata Libero. 638. b
Vitriolum. *Vide* Chalcanthum.
Ulcerum obligamina. 704. a. b
Ulyſſes quomodo effingi ſolitus. 814. b
Volucrum lapides: aëtites, alectorius, &c. 676. b. *& ſeqq.*
Uranius ſive Cælus quis, & ejus cultus. 733. a
Utenſilium urbanorum, & ruſticorum materia è plantis. 659. b. *ſeq.*
Uvarum gloria in re cibaria. 628. a. fabricæ quæ. *ibid* uvæ paſſæ, & Corinthiacæ in cibo quales. *ibid.* b. pituitam ſubducunt. 641 a. paſſæ ſtomachicum. 643. b. dulces alvum levant. 645. b. fabriciæ adſtringunt. *ibid.* b
Vulcani ſimulachrum. 792. b. rivalis Mars, ſacra ei picea ſive larix. *ibid.*
Vulcano picea ſive larix ſacra. 673. b
Vulcano ferrum dicatum. 716. a. b
Vulcano Marti, & Minervæ capta de hoſtibus arma cremata. 763. a
Vulcanus Tubalcainus. 733. a
Vulnerum remedia in plantis. 652. a

Y.

Y'γίεια ſive Salus fingebatur forma mulieris in ſolio conſidentis. 821. b. ſanitatis ſymbolum πεντάγραμμον. *ibid.*

Z.

ZEdoaria antidotum. 637. b
Zelandicum triticum quale. 617. b
Zeopyron quid, quale. 617. b
Zigabenus de Saracenorum idolo Brachthan. 714. b
Zingiber prodeſt paralyticis. 640. b
Zoophyta eſſe plantas, & ſentire. 604. b. plantanimalis. 613. b. motus duplex, corporis, partis. *ibid.*
Zoroaſtri omnis boni fons Oromaſdes, mali Arimanius. 776. a

F I N I S.

R. MO-

R. MOSIS MAIMONIDÆ

DE

IDOLOLATRIA

L I B E R,

cum interpretatione Latina, & Notis,

DIONYSII VOSSII.



AMSTELODAMI,

Ex Typographia P. & J. BLAEU,

Proſtant apud JANSSONIO-WAESBERGIOS, BOOM,

à SOMEREN, & GOETHALS,

MDCC.

LECTORI

TYPOGRAPHUS.

Quem tibi denuo exhibemus R. Moyſen Maimoniden de Idololatria agentem, à Dionyſio olim Voſſio ultra ætatem verè & communem ſortem ad miraculum uſque docto Juvene Latinitate donatus eſt, & Notis illuſtratus; primituſque ego anno 1642 typis meis evulgavi. Quæ fuit occaſio, voluptas atque incitamentum genitori Magno Gerardo Joanni Voſſio, exiguo, ut tunc illuſtris vir loquebatur, libello præproperè erepti filii ſpiritum obſignandi, & eadem de materia ſcribendi; qui libellus, ut ſunt divina ingenia tenuibus orſa principiis immenſa tantum non præſtantia & τὸν ἀρχίτεκτον Deum imitantia, initio IV, tandem IX iſtos libros peperit: ita ut non inconcinnè opuſculum hoc tranſlatum & interpretatum Maimonidæ, matrem quis dixerit juſti operis præcedentis de Idololatria. Æquum itaque cenſebam, ut quem ſibi jure ſuo Commentariolus locum poſcebat, hunc ei non inviderem, nec quidquam eorum quæ ad jucundam notitiam conſanguinei operis facerent tibi ſubticerem. Quo juxtim fruere, & vale. E Typographeio meo Idibus Julii anno 1668.

R. MOSIS MAIMONIDÆ DE IDOLOLATRIA LIBER,

cum interpretatione Latina & Notis

DIONYSII VOSSII.

הלכות
עבודת ככבים ומזלות .
וחקות הגוים
פרק ראשון

בימי אנוש טעו בני האדם טעות גדול ונבערה עצת חכמי אותו הדור ואנוש עצמו כן הטועים היה וזו היתה טעותם : אמרו הואיל והאל ברא כוכבים אלו וגלגלים להנהיג את העולם ונתנם במרום וחלק להם כבוד והם שמשים המשמשים לפניו ראויים הם לשבחם ולפארם ולחלוק להם כבוד וזהו רצון האל ברוך הוא לגדל ולכבד מי שגדלו וכבדו כמו שהמלך רוצה לכבד העומדים לפניו וזהו כבודו של מלך:

DISSERTATIONES de cultu ſtellarum ac planetarum, & ſtatutis gentium.

CAPUT I.

Temporibus Enos graviſſime homines errarunt, & ſtupore obruti ſunt animi ſapientum illius ævi. Etiam ipſe Enos inter errantes erat. Hic autem fuit error eorum. Quandoquidem, inquiebant, Deus creavit ſtellas ac ſphæras iſtas ad regendum mundum, eaſque in ſublimi poſuit, & honoris participes fecit; & illis miniſtris utitur; merito profectò laudemus eas, atque extollamus, & honorem iis impertiamur. Atque hæc voluntas ipſius Dei benedicti eſt, ut magnificemus, ac veneremur, quemcumque ille evexit, & honore affecit: perinde ac Rex miniſtros ſuos honoratos vult; qui honor eſt ipſius Regis.

NOTÆ.

De Idololatria.] Hæc vis verborum, עבודת כוכבים ומזלות. quæ ſi τῷ ῥητῷ transferas, ſonent *cultus ſtellarum ac planetarum.* Sed quia corporum cœleſtium cultus principium idololatriæ fuiſſe creditur, ſolent eum Hebræi עכום appellare. Nec aliunde profectum, quod in Ægyptiorum Hieroglyphicis ſtellâ Deus exprimebatur. Ἀστὴρ, inquit Orus, παρ' Αἰγυπτίοις γραφόμενος, Θεὸν σημαίνει. Cauſam non addidit, alioqui in cæteris talium curioſus. Eſt autem ea, quam dixi. Fortaſſis eodem referendum, quod apud Romanos lamella ærea, ſtellæ in modum facta, loci inaugurati ſignum fuit; ut ex P. Servilio augure tradit Feſtus. Sed Hebræi idololatriam alias עבודה זרה *cultum extraneum*, nuncupare ſolent. Quo nomine Titulus Thalmudicus eſt, ex quo pleraque in hunc libellum Maimonides tranſtulit. Iſtud autem עכום non modo pro ipſa idololatria; ſed & pro idolo, delubro, cunctiſque eo pertinentibus uſurpatur. Unde infra Autor noſter cap. III. §. 9. המחבק עכום והמנשק לה. *Qui idolum amplectitur, & oſculatur.* ibid. §. 11. העושה עכום לעצמו *Faciens ſibi ipſi ſimulachrum.* Nimirum quia finis idoli eſt cultus. cap. VII. 23. עכום שיש לה מרחץ, *Delubrum, cui balneum eſt*, & paſſim aliis locis.

Temporibus Enos.] Nititur hæc opinio Geneſ. IV, 26. אז הוחל לקרא בשם יהוה, quæ Hebræorum plerique interpretantur, *tunc profanatum eſt in invocando nomine Domini.* Nec multum diverſa mente Arabs metaphraſtes, حينئذ بدا الناس ليميلوا من طاعة الله, *Tunc inceperunt homines recedere ab obedientia Dei.* Sed melius Scripturæ mentem adſecutus eſt Aquila, qui tranſtulit, τότε ἤρχθη τοῦ καλεῖσθαι ἐν ὀνόματι Κυρίου. Similiter paraphraſtes Chaldæus, (qui an Aquila, an alius ſit, jam non diſputo) habet, בכן ביומוהי חלו בני אנשא מלצלאה בשמא דיי. *Illis diebus inceperunt homines orare* (proprie reddas, *ab orando*) *in nomine Domini.* Mens ejus eſſe videtur, tunc publice preces dici cœpiſſe; aut homines ſtatis temporibus eas frequentaſſe. Ut locum non habeat id, quod objicit R. Levi ben Gerſon, S. Scripturam hic non loqui de cultu veri Dei; quippe quem jam antea Adam, Hebel, & Cain, invocaverint. Nimirum non diſtinxit inter publicas, & privatas preces. Quicquid eſt, non dubito mentem S. Scripturæ eſſe, Enoſi tempore, quo jam auctum humanum genus erat, publice cœtus convenire cœpiſſe, ad invocandum nomen

 Dei;

Dei; vel tum demum ſtatis horis, nimirum diei initio, cumque cibus ſumendus, vel nox inciperet, preces Deo ſuſcipi ſolitas. Quin nec S. Scripturæ verba ſatis conveniunt opinioni eorum, qui ad idololatriam hæc trahunt. Quid enim hoc eſt, *Tunc profanatum eſt ad invocandum nomen Domini.* Ergone profanum orare Deum? Scio, dicere eos, tunc profanatum eſſe in invocando nomine Dei, illud tribuendo diis falſis. Verùm nihil hic Scriptura de diis falſis; quod tamen maxime addendum erat; ut recte contra R. Selomonem obſervat R. Elihezer Germanus in Maaſe a-ſem, a כי לשון הוחל לקרא דברים אחרים בשם יקוק חסר. *Nam ſi dicas, profanatum eſſe in invocandis aliis rebus nomine Domini, ipſum fundamentum abeſt*: id eſt, abeſt in Moſe mentio rerum, quas illi, ut deos, invocatas volunt. Quippe Iarchi dixerat, tunc herbis, & hominibus, divinitatem adſcribi cœptam. Adde quod ipſa phraſis repugnare videtur. Potius enim נקרא, quam לקרא ſcribendum erat, ſi הוחל exponere liberet *profanatum eſt.* Idem locum habet, ſiquis provocet ad expoſitionem Davidis Kimchi, qui קרא hic pro nomine accipiens interpretatur: *Tunc profanata eſt invocatio nominis Domini.* Video tamen, viros quoſdam eruditiſſimos, qui his annis ſcripſere, in illam opinionem tranſiiſſe. Quibus non accedo, cum Chaldæi verba מלצלאה exponunt, *ut non orarent* : nam prorſus contrarium notant, & מלצלא, an מלצלי ſcribas, eodem redit. Accedit, quod non videtur Spiritus Sanctus tam ſolicite traditurus fuiſſe, quo tempore abominandæ ſuperſtitiones cœperint; ſed potius, quando homines publice Deum invocare orſi ſint. Sane arbitror, utcumque ſe res habeat, non temere adeo Maimonidæ & Hebræorum cæteris, ex verbis, quæ ambigua eſſe ne ipſi quidem diffiteri poſſint, ſtatuendum fuiſſe idololatriæ exordium. Sic quoque merito damnes, quod tam audacter Enoſum, velut idololatriæ reum agit. Pie magis LXX ſenes, qui tranſtulerunt, οὗτος ἤλπισεν ἐπικαλεῖσθαι τὸ ὄνομα τοῦ Κυρίου, innuentes, ſperaſſe Enochum, & videre cupiiſſe diem illum, quo divinum nomen publice celebraretur. Videntur autem LXX pro הוחל אז legiſſe הוחיל הוא. A ſenibus non multum abit Nicolaus Lyra, quando ait, *Enos inſtructus à patre ſuo juſto tantum profecit in cultu divino, ut adinvenerit quædam verba devota ad deprecandum Deum. Litera Hebraica ſic habet : Tunc cœpit invocari nomen Domini. quod exponunt Hebræi de idololatria: quia, ut dicunt, tunc inceperunt homines attribuere nomen Dei creaturis; ut Soli, & Lunæ, & idolis. Non tamen ab iſto Enos, qui juſtus fuit, & devotus; ſed à filiis Cain ſibi contemporaneis, ſicut ſupra dictum eſt de Iabel, & Tubal.* Quin & merito parum veriſimile dixeris, Sethi, tam pii viri, filium, fuiſſe idololatram; cum poſteri ejus in ipſa Scriptura בני אלהים *filii Dei*, vocentur. At Cain filios, ut ad prava plerumque hominum ingenium magis inclinat, credibile eſt parentum ſuorum fuiſſe exemplum ſecutos. Poſtremo, tametſi omnia iſtæc vera eſſe concederemus, nihilominus merito incuriæ Maimoniden argueris, quod idololatriam à temporibus diluvium prægreſſis repetens, eam poſt diluvium ſecundo cœpiſſe non cogitaverit, vel neglexerit ſcribere: cum illud vel maxime fuerit tradendum, quo tempore poſt κατακλυσμὸν cœperit. Quod Seruchi, vel Therachi ætate factum putatur.

Quandoquidem, inquiebant, ſtellas, & quas videmus ſphæras.] Melius ſane Maimonides idololatriam à cœleſtium corporum cultu cœpiſſe ſtatuit, quam Iarchi, qui homines primo & herbas cultas arbitratur. Etenim ad verba Geneſ. IV. 27. אז הוחל לקרא בשם יהוה, *Tunc cœpit invocari nomen Domini* : ait, את שמות האדם ואת שמות העצבים בשמו של הקדוש ברוך הוא לעשותן ע״ז ולקרותן אלהות, *in nominibus hominum, & plantarum, nomine Dei benedicti, ut ea haberentur idola, ac dii vocarentur.* Obiter nota, eruditiſſimum virum, quem ubi invitus diſſentio, nihil attinet dicere, pro עשבים *herbæ* legiſſe עצבים, id eſt, *idola*; quod tamen in nulla editione reperio. Porro autorem noſtrum pravæ religionis exortum ſuperſtitioni adſcribere, mirum non eſt. Quippe ſi, ut ille voluit, temporibus Enoſi idololatria cœpit, valde veriſimile eſt, homines non potuiſſe tunc penitus ignaros eſſe veri Dei : de quo proculdubio multa a parentibus acceperant. Itaque potius peccaverint ἐθελοθρησκείᾳ, quam inſcitia. Sed malim ſtatuere, ignorantia eos peccaviſſe. Nimirum duo in errorem eos impulere; quod ſummum & ἄῤῥητον illum Deum nequaquam comprehenderent; quodque illi, qui ejus miracula a parentibus acceperant, eadem poſteris tradere neglexerant. Unde ſtatim deflexerunt ad cultum eorum, quæ vis videri poterant, & quorum beneficiis maxime juvarentur, Solis, Lunæ, cæterorumque id genus. Innuunt id ſatis verba Deuter. IV. 19. *Ne tollas oculos tuos verſus cælum, & adſpicias Solem ac Lunam*, &c. quem ad locum recte R. Levi ben Gerſon ait, הזכיר השמש תחלה כי פעולותיו יותר גלויות. *Primo Solis meminit, quia virtutes ejus maxime manifeſtæ ſunt.* Quibus gemina ſunt illa Cæſaris de Germanis : *Deorum numero eos ſolos ducunt, quorum opibus aperte juvantur, Solem, & Vulcanum, & Lunam.* Idololatriam à Chami poſteris ortam, dubitandum non eſt ; unde omnes uno ore Scriptores tradunt, primos Deorum cultum Ægyptios eſſe adeptos. Verè Lucianus libello de Syria Dea. Πρῶτοι μὲν ἀνθρώπων, τῶν ἡμεῖς ἴδμεν, Αἰγύπτιοι λέγονται θεῶν τε ἐννοίην λαβεῖν, καὶ ἱρὰ εἵσασθαι, καὶ τεμένεα, καὶ πανηγύριας ἀποδέξαι. *Primi hominum, quos ſcimus, Ægyptii dicuntur & Deorum percepiſſe notitiam, & templa ſtatuiſſe, & lucos, ac ſolemnes edidiſſe conventus.* Rationem & cauſſam primæ idololatriæ optime aperuit Diodorus Siculus, vir ſumma diligentia antiquitates gentium perſcrutatus. Ait is libro I Bibliothecæ : Τοὺς ἀνθρώπους τὸ παλαιὸν γενομένους ἀναβλέψαντας εἰς τὸν κόσμον, καὶ τὴν τῶν ὅλων φύσιν, καταπλαγέντας καὶ θαυμάσαντας, ὑπολαβεῖν εἶναι θεοὺς ἀϊδίους τε καὶ πρώτους, τόν τε ἥλιον καὶ σελήνην, ὧν τὸν μὲν Ὄσιριν, τὴν δὲ Ἶσιν ὀνομάσαι. *Homines antiquiſſimos, mundum ſupra ſe contemplatos, nec abſque ſtupore admiratos univerſi naturam, exiſtimaſſe eſſe Deos æternos, ac primos, Solem, & Lunam; quorum illum Oſirim, hanc Iſim appellari.* Manifeſte hæc docent, ignorantiam veri Dei, & divinitatem illis ſideribus non aliam ob cauſſam attributam, quam quia plurimum ab iis boni hominibus proveniret. Vidit id quoque Prodicus Chius, qui ut apud Sextum Empiricum lib. VIII, cap. II, adverſus Mathematicos eſt, affirmabat Solem, Lunam, cæteraque ὠφελοῦντα τὸν βίον, pro diis homines habuiſſe, διὰ τὴν ἀπ' αὐτῶν ὠφέλειαν, *ob utilitatem & adjumenta eorum*: & ſubdit, καθάπερ οἱ Αἰγύπτιοι τὸν Νεῖλον: *quemadmodum Ægyptii Nilum.* Cujus fluminis ipſum nomen ſatis cultus cauſſam oſtendit. Nam ſi Horo Niliaco fides eſt, *Noun* נון ab Ægyptiis vocabatur, id eſt *Novus*: nimirum quia inundatione ſua agros eorum innovaret, ac fœcundos redderet. Idem quoque gentium maxime barbararum religio arguit; quas inter Americani ea imprimis colunt, quorum maximas eſſe vires in res naturales experiuntur. Vide, quæ fuſe tradidit eruditus ſcriptor Joſephus Acoſta.

a Maaſe Bejerith cap. 12.

ב כיון שעלה דבר זה על לבם התחילו לבנות לכוכבים היכלות ולהקריב להן קרבנות ולשבחן ולפאר ברברים ולהשתחוות למולן כדי להשיג רצון הבורא בדעתם הרעה וזה היה עיקר עבודת

§. II. Poſtquam adſcendit hoc verbum in animos eorum, cœperunt ædificare ſideribus templa, & ſacrificare, ac laudare, & ornare ea verbis, ſeque coram iis incurvare, ut acquirerent benevolentiam Creatoris perverſa ſua opinione : idque

עבודת כו"ם וכך היו אומרים עיקריה היודעים עיקרה לא שהן אומרים שאין שם אלוה אלא כוכב : זה הוא שירמיהו אומר מי לא ייראך מלך הגוים כי לך יאתה כי בכל חכמי הגוים ובכל מלכותם מאין כמוך ובאחת יבערו ויכסלו מוסר הבלים עץ הוא כלומר הכל יודעים שאתה הוא לבדך אבל טעותם וכסילותם שמדמים שזה ההבל רצונך היא :

que fundamentum fuit idololatriæ. Ita loquebantur cultores idolorum, qui intelligerent fundamentum ejus. Neque enim dictirabant, nullum eſſe Deum, præter ſtellas. Hoc illud eſt, quod ait Jeremias *a*, *Quis non metuat te Rex gentium, cùm in te conquieſcat* (potentia) *cùm in omnibus ſapientibus gentium, & omni regno ipſarum, nullus ſit par tibi? Sed una obbruteſcunt, & ſtolidi fiunt: eruditio vanitatum, ligni eſt.* Ac ſi diceret, omnes ſciunt te ſolum eſſe; ſed error & ſtultitia eorum eſt, quod exiſtiment, hanc vanitatem, tuam eſſe voluntatem. a cap.10.6.

Cœperunt ædificare ſideribus templa.] Expoſita origine idololatriæ, ad modum Autor tranſit. Primum cultum facit templa, ſacrificia, hymnos, & adorationem. Vellem ordinis majorem paullo rationem habuiſſet. Nam ſimul cum religionis exordio templa eſſe ab hominibus exſtructa, parum ſane veriſimile videtur. Simpliciſſimi mortalium ſimpliciſſimo quoque cultu uſi ſunt. Is fuit adoratio, quam Hebræi voce השתחוה deſignant. Modum exprimit Jobus cap. XXXI, comm. 26. *Si adſpexi*, inquit, *Solem*, &c. *& applicata eſt manus mea ori meo.* Tradit, ni fallor, Herodotus, Orientis morem fuiſſe, ut æquales in occurſu invicem oſculum darent; qui inferiores eſſent, manum ejus, qui dignitate præſtabat, oſcularentur; qui humillimi, ſeſe incurvarent. Hinc duplex ille cultus; maximus השתחוה id eſt, προσκύνησις, & minor, oſculatio manus. Cultus proximus, aræ, non illæ arte exſtructæ, ſed naturales: nimirum loca edita. Unde Perſæ, quos Herodotus lib. 1. cap. CXXXI, tradit, ſtatuis: templis, aris caruiſſe, & eos irridere ſolitos, quicumque talia exſtruerent: Ipſi inquit, νομίζουσι Διὶ μὲν ἐπὶ τὰ ὑψηλότατα τῶν ὀρέων ἀναβαίνοντες, θυσίας ἔρδειν: *Solent, editiſſimis montium conſcenſis, Jovi hoſtias immolare.* Itaque maluiſſem, præmiſiſſet Maimonides de montibus, collibuſque, ac lucis. Veterum altaria fuere במות excelſa, ſeu montium vertices, unde & βωμὸς Græci appellavere. Quia loca illa ab ipſis Diis quodammodo deſtinata cultui credebant. Ejus opinionis reliquias arguunt Americanorum mores, quos Acoſta ait ipſos montes, & quidquid communem naturæ ordinem egreditur, venerari ſolitos. Hinc liquet, prima loca ad cultum fuiſſe montes; quibus nomen ipſum במות arguit, quo ſanctimoniam eorum innuebant. Sane apud populos maxime barbaros, ubi religio vetus diutiſſimè viguit, potiſſimus in iis cultus. *Apud Nabarvalos*, ait Tacitus, *antiquæ religionis lucus oſtenditur.* Idem Annalium 1. *Lucis propinquis barbaræ aræ.* Apud Gallos quoque in lucis Druidæ docere ſolebant; quos templa habuiſſe non conſtat, aut ſi habuere, rara fuerunt. Cæſar certe tacet. Sed Plinii verba lib. XII, cap. 1. adſcribere libet: *Arbores*, ait, *fuere numinum templa, priſcoque ritu ſimplicia rura etiam nunc Deo præcellentem arborem dicant. Nec magis auro fulgentia, atque ebore, ſimulachra, quam lucos & in iis ſilentia ipſa adoramus.*

ג ואחר שארכו הימים עמדו בבני האדם נביאי שקר ואמרו שהאל צוה ואמר להם עבדו כוכב פלוני או כל הכוכבים והקריבו לו ונסכו לו כך ובנו לו היכל ועשו צורתו כדי להשתחוו לה כל העם הנשים והקטנים ושאר עם הארץ ומודיע להם צורה שבדא מלבו ואומר זו היא צורת הכוכב פלוני שהודיעוהו בנבואתו : והתחילו על דרך זו לעשות צורות בהיכלות ותחת האילנות ובראשי ההרים ועל הגבעות ומתקבצין ומשתחוים להם ואומרים לכל העם שזו הצורה מטיבה ומריעה וראוי לעבדה וליראה ממנה וכהניה אומרים להם שבעבודה זו תרבו והצליחו ועשו כך וכך ואל תעשו כך וכך:

§. III. Progreſſu autem temporis exſtiterunt inter homines pſeudoprophetæ, dictitantes, præceptum ſibi atque imperatum à Deo, ut ſtellam hanc vel iſtam, quin & omnia ſidera colerent, iis ſacrificarent ac certo modo libarent, templumque iis exſtruerent; tum etiam ut facerent ſimulachrum ejus, quod ab omnibus, mulieribus quoque ac pavulis, & reliquis terræ hominibus, adoraretur. Itaque & indicarunt illis figuram, quam ipſi commenti erant, dicentes, eam eſſe imaginem ſtellæ illius per prophetiam ſibi revelatam. Tum agreſſi ſunt homines facere ſimulachra in templis, & ſub arboribus, in montium cacuminibus, & collibus. Dein congregati adorabant ea, univerſis indicantes, ab illis ſimulachris bona ac mala omnia provenire, & proinde ſummo jure coli, ac metui. Sacerdotes autem eorum ex illo cultu incrementa rerum, & proſpera cuncta promittebant; præcipientes, quæ facerent, quibuſque abſtinerent.

Indicarunt illis figuram, quam ipſi commenti erant.] Hoc vere idolum eſt, juxta Origenem. Etenim ad decalogum diſtinguit inter imaginem, & idolum. Illud ait eſſe effigiem rei veræ, hoc fictæ. Sed magis placet diſtinctio Hebræorum, qui idolum ab imagine ſolo fine diſtinguunt: ut cultus idolum faciat. Itaque merito idola nuncupant tam ea, quibus res veræ, quam quibus falſæ repræſentantur. Alioqui quis non videat ſimulachra avium, ſerpentium, quadrupedum, quæ gentiles colebant, nequire idola vocari? quod abſurdiſſimum eſt. Sapientes pro Deorum ſymbolis habuerint: at animæ plebeæ & pro ipſis numinibus coluere.

Facere ſimulachra in templis, ſub arboribus.] Recte Maimonides, ſimulachra in templis non ſtatim repoſita, obſervavit. Nam ut de Syria Dea Lucianus, Τὰ μὲν παλαιὸν καὶ παρ' Αἰγυπτίοισι ἀξόανοι νηοὶ ἔσαν. *Antiquitus quidem etiam apud Ægyptios templa ſine ſimulachris erant.* Apud Romanos quoque, teſte Varrone apud Au-

Auguſtinum lib. IV de Civit. Dei, cap. XXXI, per annos amplius CLXX templa ſine ſtatuis fuere. De Germanis quoque ſui temporis Tacitus, *Cohibere*, inquit, *parietibus Deos, atque in ullam humani oris ſpeciem aſſimilare, nefas exiſtimant.* Sed utrum ſtatuæ prius, an templa, exſtiterint, id vero diſquiri poſſit. Herodotus in Euterpe cap. IV. quo loco de Ægyptiis agit, aras primo, exin ſtatuas, poſtremo templa nominat: *βωμούς τε, καὶ ἀγάλματα, καὶ νηοὺς θεοῖσι ἀπονεῖμαι σφέας πρώτους.* Et in ipſa S. Scriptura prius de תרפים Teraphim Labanis, quam de ullo fano, aut delubro legas. Accedit, quod poſt cultum ſiderum, quorum apud primos homines nulla ſimulachra fuiſſe crediderim, ex antiquis autoribus probare ſit, ſuperſtitioni prima incrementa dediſſe cippos & ſtatuas in mortuorum honorem erectas. Unde libro, quem Sapientiam Salomonis vocant, XIV, 15, *Acerbo enim luctu vexatus pater, cum filii cito ſublati imaginem feciſſet; hominem tunc quidem mortuum, nunc vero ut Deum affecit honoribus, & ſubditis myſteria ac ſacrificia tradidit. Deinde procedente tempore, invaleſcens hæc impia conſuetudo tanquam lex cuſtodita eſt, & tyrannorum præceptis cultus ſculptilibus attributus eſt.* Hinc etiam illud, quod plurimis exemplis Clemens Alexandrinus: & Euſebius in præparatione Euangelica, demonſtrant, prima templa ab hominibus circum ſepulchra exſtructa eſſe. Itaque veriſimile videtur, ſtatuas, quo nomine cenſendæ etiam ſunt columnæ, & lapides in memoriam alicujus rei vel hominis erecti, multo ante templa exſtitiſſe. Illud quoque probabile videtur, prius in lucis, quam in templis, ſimulachra poſita. Quod oſtendunt vel ſoli veterum Germanorum mores, quibus luci plurimi, & in iis ſtatuæ fuere, cum templa iiſdem vacarent.

Ab ſimulachris illis bona ac mala omnia.] Merito his verbis utitur, quia nihil ad religionem novam facilius, quam ſpes ac metus impellit. Unde Petronius: *Primus in orbe Deos fecit timor.* Hinc religio ipſa *δεισιδαιμονία*, & Deum aut, *δαίμονα* Rabbini יראה vocarunt. Sanhedrin cap. VII, §. 10. inducitur ſeductor iſtac formula alium ad idololatriam incitans יש יראה במקום פלוני כך אוכלת וכך שותה כך מטיבה כך מריעה, *Eſt Deus iſto loco, cui talis cibus, talis potus offertur, à quo hæc vel iſta bona exſpectantur.*

ד והתחילו כוזבים אחרים לעמוד ולומר שהכוכב עצמו או הגלגל או המלאך דבר עמהם ואמר להם עבדוני בכך וכך והודיע להם דרך עבודתו ועשו כך ואל תעשו כך ופשט דבר זה בכל העולם לעבוד את הצורות בעבודות משונות זו מזו ולהקריב להם ולהשתחוות:

§. IV. Exorti deinde ſunt alii impoſtores, qui ipſam ſibi ſtellam, vel ſphæram, aut angelum, locutum dicerent, ac præcepiſſe, ut hoc modo ſeſe colerent, commonſtraſſe ſibi rationem cultus ſui, & quæ facienda, quæ fugienda eſſent. Tum diffuſum eſt verbum illud per omnem mundum, ut colerent imagines, proprio quamque cultu, ſacrificando, ac adorando.

Ipſam ſibi ſtellam, aut ſphæram.] Hæc fortaſſis ad ſera magis tempora rejicienda ſunt. Nam figmenta illa de ſermonibus cum diis non ante cœpiſſe crediderim, quam poſtquam jam homines coire cœperunt in communem ſocietatem. Quibus in obſequio continendis, repertæ à rectoribus illæ ſuperſtitiones. Exemplum in Minoe habemus, qui in antro ſeſe à Jove leges accipere fingebat. Itidem apud Romanos in Numa, cum Egeria nympha. Unde exiſtimem, ritus ac varias cæremonias non tam religioſorum, quam politicorum hominum commenta fuiſſe. Quod probat ſatis Romana hiſtoria.

ה וכיון שארכו הימים נשתכח השם הנכבד והנורא מפי כל היקום ומדעתם ולא הכירוהו· ונמצאו כל עם הארץ והנשים והקטנים אינם יודעים אלא הצורה של עץ ושל אבן וההיכל של אבנים שנתחנכו מקטנותם להשתחוות לה ולעובדה ולהשבע בשמה· והחכמים שהיו בהם כגון כהניה וכיוצא בהן· מדמים שאין שם אלוה אלא הכוכבים והגלגלים שנעשו הצורות האלו בגללן ובדמותן· אבל צור העולמים לא היה שום אדם שהיה מכירו ולא יודעו אלא יחידים בעולם כגון חנוך ומתושלח נח שם ועבר ועל דרך זו היה העולם הולך ומתגלגל עד שנולד עמודו של עולם והוא אברהם אבינו·

§. V. Interjecta temporis periit Nomen venerabile ac terribile ex ore omnium hominum, & ex animis eorum, ita ut illud non agnoſcerent. Jamque totum humanum genus, & mulieres, puerique, nihil ſciebant, præter imagines è ligno aut lapide, ac templa lapidea, in queis didicerant à teneris, adorare, ac colere, & jurare per nomen illarum. Sapientes autem, qui inter eos erant, ut ſacerdotes, aliique id genus, ne ipſi quidem rebantur, alium eſſe Deum, præter ſtellas ac ſphæras, quarum cauſſa, ac ſimilitudine ſimulachra illa facta erant. Sed potentem mundorum nullus mortalium norat, præter paucos aliquos in mundo, Henoch, Methuſalec, Noach, Sem, & Heber. Atque hoc modo mundus incedebat volvebaturque, donec natus eſt columna mundi, Abraham parens noſter.

Columna mundi.] Ita nuncupat Abrahamum, quia juſtis, velut columnis, mundus innititur: quippe quorum cauſſa mundus duret. Dein quia veram religionem docuit, & notitiam Dei, quam עמוד החכמות *columnam ſapientiæ* vocat Auctor noſter Halachot Jeſode Tora cap. 1.

ו כיון שנגמל איתן זה התחיל לשוטט בדעתו והוא קטן והתחיל לחשוב ביום ובלילה והיה תמיה היאך אפשר שיהיה הגלגל הזה נוהג תמיד ולא יהיה לו מנהיג ומי יסבב אותו כי אי

§. VI. Poſtquam ablactatus eſt fortis ille, cœpit vacillare animus ejus, dum etiamnum parvus erat, & orſus eſt cogitare die ac noctu, cum admiratione, quomodo fieri poſſet, ut orbis hic aſſidue regeretur, ſine rectore, aut quis eum circumageret,

אי אפשר שיסכב את עצמו ולא היה לו מלמד ולא מודיע דבר אלא מושקע באור כשדים כין עוכרי ע"ז הטפשים· ואביו ואמו וכל העם עוכרי ע"ז והוא עוכד עמהם· ולכו משוטט ומבין עד שהשיג דרך האמת והבין קו הצדק מתכונתו הנכונה וידע שיש שם אלוה אחד והוא מנהיג הגלגל והוא כרא הכל ואין ככל הנמצא אלוה חוץ ממנו וידע שכל העולם טועים ודבר שגרם להם לטעות זה שעוכדים את הכוכבים ואת הצורות עד שאבד האמת מדעתם· וכן ארבעים ושמונה שנה הכיר אברהם את בוראו :

agerет, quando ſponte ſua moveri nequiret. Neque erat ei doctor, aut ullus omnino, qui ei quidpiam indicaret: ſed in Ur Chaldæorum ſubmerſus erat inter fatuos idololatras. Pater autem, ac mater ejus, omniſque populus, idola colebant, & ille una cum iis. Vacillabatque animus ejus, & magis magiſque intelligere cœpit, donec deprehendit veritatem, perſpectamque habuit juſtitiæ regulam, rectitudine intellectus ſui. Itaque cognovit, eſſe Deum unum, gubernatorem orbis, qui cuncta creaſſet; neque in omnibus, quæ ſunt, alium eſſe Deum præter illum. Advertit quoque, univerſum mundum errare, & cauſſam erroris eſſe, quod idolis ſerviiſſent, donec ex animis eorum veritas exceſſiſſet. Erat autem Abraham annorum octo & quadraginta, quando agnovit Creatorem ſuum.

Poſtquam ablactatus eſt fortis ille.] אביר Hebræi de Patriarchis Abrahamo, Iſaaco, & Jacobo uſurpant. Vox *fortem* proprie notat: ſed & pro magno, & illuſtri homine ponitur. Unde David de Pomis נדיבים, & סריס, *Principes*, ac *illuſtres*, viri exponit. Hinc R. Elihezer menſem Tiſri, ſive Septembrem, 1 Reg. VIII, 2, ירח איתנים, *menſem fortium* vocari exiſtimabat, quia eo nati eſſent tres Patriarchæ. Sed gaudeat ille conjectura ſua. Diſputant porro Hebræi in Gemara Nedarim ſub finem, quo ætatis anno Abraham Deum agnoverit. R. Laquis, anno ætatis tertio, alii octavo & XLVIII id factum aſſerunt. At Maimonides noſter has ſententias conciliat. Nam initio hujus ſectionis ſtatuit, Abrahamum cum parvulus eſſet, cœpiſſe in majorum fide vacillare, & magis magiſque ſuſpectam habuiſſe idololatriam. Sed in fine ſectionis docet, Abrahamum, annos natum XLVIII, in fide recta prorſus fuiſſe firmatum, ita ut deinceps ſoli vero Deo ſemper adhæſerit. Sed alter etiam ſcrupulus eximendus. Quæſtio enim eſt, cum Scriptura nuſquam dicat, Abrahamum anno ætatis duodequinquageſimo rejecta penitus idololatria, ſolum verum Deum coluiſſe: unde id exſculpſerint Rabbini? Non aliunde hoc melius diſcitur, quam ex R. Iſaac Abravanel in Commentario Legis, ſectione LEH LECHA: ubi tradit, ſiquis accurate tempora putaverit, eum comperturum, in annum Abrahami XLVIII incidere id tempus, quo in ſtructura turris Babylonicæ facta eſt linguarum confuſio. Quod grande miraculum ubi Abraham conſpexerat, firma fide crediſſe vero Deo, qui facit miracula ſolus. Utrum autem anno Abrahæ XLVIII linguarum contigerit confuſio, non eſt hujus loci diſputare. Sane multum ab eo abeunt Chronologorum alii. Verum ut non ἁπλῶς, ita ex Chronologica illà Abravanelis hypotheſi non infeliciter proceſſerit argumentum.

Pater autem ac mater ejus.] Vetus opinio eſt, Tharam primum fuiſſe ſtatuarum repertorem. Unde B. Epiphanius lib. 1 adverſus hæreſes, cap. 1, §. 6. Ἐντεῦθεν, inquit, γέγονεν ἀνδριαντοπλασία ἀπὸ πηλουργίας καὶ κεραμικῆς ἐπιστήμης, διὰ τῆς τοῦ Θάῤῥα τούτου τέχνης. *Ex eo tempore ſimulacbra ex argilla, figlinoque opere reperta ſunt, artifice Thara.* Subdit mox idem Pater, à condito mundo ad illud uſque tempus, nullum filium vivo parente naturali morte extinctum: ſed primum Aranem mortuum ſuperſtiti Tharæ luctus cauſſam dediſſe. Indeque verba Scripturæ: *Et mortuus eſt Aran coram Thara patre ſuo, in terra nativitatis ſuæ.* Sed hoc ex traditionibus Hebræorum eſſe videtur: quæ plerumque futiles ſunt: conſtat enim Lamechum ante Methuſale aliquot annis obiiſſe.

Et ille una cum iis.] De hoc ambigunt veteres. Pro Maimonide videtur eſſe locus Joſuæ XXIV. 2. *Trans flumen habitaverunt majores veſtri, olim, Thara pater Abrahami, & pater Naboris, colueruntque deos alienos.* Ubi *coluerunt* ad omnes referri videtur. Quod tamen nonnulli ad ſolum Tharam referunt: & in his Auguſtinus lib. XVI de Civitate Dei, cap. XII, quem, exſcripſit ad verbum Eucherius Lugdunenſ. lib. II. in Geneſ. cap. IX. *Apud Chaldæos, autem,* inquit, *jam tunc ſuperſtitiones impiæ prævalebant, quemadmodum per cæteras gentes. Una igitur Thare domus erat, de quo natus eſt Abraham, in qua unius veri Dei cultus, & quantum credibile eſt, in qua jam ſola etiam Hebræa lingua remanſerat: quamvis & ipſe ſicut jam manifeſtior Dei populus in Ægypto, ita in Meſopotamia ſerviſſe diis alienis, Jeſu Nave narrante refertur; cæteris ex progenie illius Heber in linguas paullatim alias & in nationes alias diffluentibus. Proinde ſicut per aquarum diluvium una domus Noe remanſerat ad reparandum genus humanum: ſic in diluvio multarum ſuperſtitionum per univerſum mundum, una remanſerat domus Tharæ, in qua cuſtodita eſt plantatio civitatis Dei.*

Sed crediderim ego, Auguſtinum, ut id ſentiret, multùm adductum verbis Achioris Ammonitæ Judith. v. 7, 8, 9. quis ait, Iſraelitarum majores è Meſopotamia terra ejectos eſſe, quia nollent adorare Deos gentis. Verum potuit Achior falli; nec mihi ejus autoritas tanti ſit, cum certum ſit, Tharam idola coluiſſe; & minime è Meſopotamia ejectum. Auguſtini tamen verba ita interpretari liceat, conſervatam civitatem Dei in domo Tharæ, id eſt, cum cæteri omnes patres, Semus, Arphaxadus, Heberus, mortui eſſent, in ſula domo Tharæ manſiſſe cultum Dei. At non inde ſequitur, dum illi viverent, nunquam Abrahamum idola coluiſſe. Veriſimile eſt, ſaltem primis annis eum parentis mores ſecutum eſſe, & idola coluiſſe: poſtea auctu ætatis à majoribus, Semo, aliiſque inſtructum, aliterve Dei providentia ad notitiam ejus adductum, nefarias ſuperſtitiones deſeruiſſe.

ז כיון שהכיר וידע התחיל להשיב תשובות על בני אור כשדים ולערוך דין עמהם ולומר שאין זו דרך האמת שאתם הולכים כה: ושיבר הצלמים והתחיל להודיע לעם שאין ראוי לעבוד

§. VII. Poſtquam accuratam ejus notitiam adeptus eſt, cœpit reddere reſponſa adverſus habitatores Ur Chaldæorum, & diſputare cum iis: *Nequaquam,* inquiebat, *in via veritatis vos ambulatis.* Confregit autem ſimulachra, & aggreſſus eſt oſtendere populo, neminem colendum eſſe præter

לעבוד אלא לאלוה העולם ולו ראוי להשתחוות
ולהקריב ולנסך כדי שיכירוהו כל הברואים
הבאים· וראוי לאבד ולשבר כל הצורות כדי שלא
יטעו בהן כל העם כמו אלו שהם מדמים שאין
שם אלוה אלא אלו :

Deum mundi. Illum dignum eſſe, quem adorarent, ac ſacrificiis & libationibus colerent, quo ab hominibus ſecuturis agnoſceretur. Perdendas vero, & confringendas eſſe imagines omnes, ne per eas univerſus populus erraret, exemplo illorum, qui exiſtimarent, nullum alium, præter eas, Deum eſſe.

Et diſputare cum iis.] דין עם Hebræis eſt *diſputare, jure contendere, litem movere.* בעלי דין *partes quæ contendunt.* at עורכי הדיינים *advocati.*

Confregit autem ſimulachra.] Fuſius narratur in Bereſith Rabba cap. XXXVIII. hunc fere in modum: Thare pater Abrahami idololatra vendebat imagines. Accidit, ut domo proficiſcens curam rerum ſuarum relinqueret Abrahamo. Qui eorum, quotquot ad emendas imagines acceſſerant, de ætate ſua quemque interrogavit: poſtquam hic XL., ille L ſe annorum eſſe affirmaſſet: *Quid ergo*, inquit, *ejus ætatis homines unius diei ſtatuam veneramini?* Cæteros inter & mulier acceſſit, patinam farinæ adferens, quam idolis ſe oblatum veniſſe dictitabat. Abraham, recepta patina, ſecurim arripiens, omnes imagines confregit, excepta maxima, cujus manui ferrum inſeruit. Reverſus parens, & ſpectaculi novitate commotus, de re tota Abrahamum percunctatur. Et ille, delata, inquit, huc patina cum farina erat, ortaque inter ſtatuas contentione, quænam ex omnibus appoſito cibo veſceretur, maxima ſecurim arripiens cæteras confregit. Indignabundus Thare, quærere, an ludibrio ſe Abraham haberet. quippe nullum ſtatuis ſenſum eſſe. Subjecit Abrahamus, attende, quid ipſe dicas. Quibus verbis auditis, protinus eum parens ad Regem Nimrod detulit; a quo poſt varias diſputationes in ignem conjectus, & ab angelo Gabriele exemtus eſt. Atque huc referunt illud Scripturæ: *Ego ſum Dominus, qui te exemi ex* אור *Ur*, ſeu *igne Chaldæorum.*

ח כיון שגבר עליהם בראיותיו בקש המלך
להרגו ונעשה לו נס ויצא לחרן והתחיל לעמוד
ולקרא בקול גדול לכל העולם ולהודיעם שיש
שם אלוה אחד לכל העולם ולו ראוי לעבוד
והיה מהלך וקורא ומקבץ העם מעיר לעיר
וממלכה לממלכה עד שהגיע לארץ כנען והוא
קורא שנאמר ויקרא שם אברם בשם ה׳ אל עולם:

§. VIII. Valeſcentibus apud eos argumentis illius, ſtuduit eum Rex occidere. Sed ipſe, miraculo ſibi divinitus facto, abiit in Haran, ibique conſiſtens, cœpit palam loqui apud omnes homines, & oſtendere, quomodo eſſet unus totius mundi Deus colendus. Ibatque prædicans, & populum congregans, de urbe ad urbem, & de regno in regnum, donec attigit terram Kenahan. Prædicabat autem id, quod dictum eſt, *a Et vocavit ibi* a Gen. 21.
Abraham in nomine Domini Dei mundi. 33.

Signo ſibi divinitus facto.] Intelligit miraculoſam liberationem ex igne, in quem à Chaldæis dicitur conjectus. Qua de re ſic Hieronymus Quæſtionibus Hebraicis in Geneſin: *Pro eo quod legimus, in regione Chaldeorum, in Hebræo habetur* אור כשדים*, ur Chaſdim, id eſt, in igne Chaldæorum. Tradunt autem Hebræi, ex hac occaſione, iſtiuſmodi fabulam. Quod Abraham in ignem miſſus ſit, quia ignem adorare noluerit, quem Chaldæi colunt, & Dei auxilio liberatus, de idololatriæ igne profugerit.* Nempe אור vox ambigua eſt, ac nunc commune, ſive, ut Grammaticorum filii loquuntur, appellativum eſt, & *ignem* notat; nunc proprium eſt, & Chaldaicæ civitatis nomen: cui ipſi hoc nomen inditum Hebræi putant, quia iſtic, ex Beli ſive Nimrodi inſtituto, ignis pro Deo coleretur: ad quam ambiguitatem evitandam, interpretes Græci non ſolum in Geneſi, ſed etiam Nehemiæ IX. 7. pro *Ur*, χώραν dicere maluerunt. Porro Abrahamum in ignem eſſe conjectum, quia eum nollet adorare, communis Hebræorum opinio eſt. Complures adducerem teſtes, niſi abunde id liqueret ex Manaſſis Ben-Iſrael, viri in omni Hebræorum eruditione verſatiſſimi, Conciliatore, ex Hiſpanico ſermone ante menſes paucos Latinè à nobis reddito. Vide eum in Geneſin quæſtione XL.

Ibatque prædicans.] קרא *clamare, vociferari, publice profiteri ac prædicare.*

Vocavit ibi Abraham.] Mens Maimonidæ eſt, Abrahami conciones nihil aliud annuntiaſſe, quam Deum creatorem mundi. Cui conſentanea hæc Joſephi lib. I Antiquit. cap. VIII: Πρῶτον οὖν τολμᾷ Θεὸν ἀποφήνασθαι δημιουργὸν τῶν ὅλων ἕνα. *Primus igitur auſus eſt oſtendere unum Deum omnium opificem.* In eandem fere mentem Gerundenſis ad hunc locum Geneſ. הודיע לבריות סוד הנהגת העולם בכללו, *indicavit hominibus ſecretum gubernationis mundi totius.* Clarius Bahie ad eundem locum: מפני שאנשי דורו היו טועים באמונת העולם אל הכוכבים והמזלות והוא היה מדריכם בדרך האמת ומודיע האמונה היחוד שהוא אל העולם. *Quia homines ævi illius adſcribebant ſtellis ac planetis gubernationem mundi, ille reducebat eos in viam veritatis, indicans eis unicum rectorem, nimirum Deum mundi.*

ט וכיון שהיו העם מתקבצין אצלו ושואלין
לו על דבריו היה מודיע לכל אחד ואחד כפי
דעתו עד שיחזירהו לדרך האמת עד שנתקבצו
אליו אלפים ורבבות והם אנשי בית אברהם
ושתל בלבם העיקר הגדול הזה וחבר בו ספרים
והודיעו ליצחק בנו· וישב יצחק מלמד ומזהיר
ויצחק הודיע ליעקב ומינהו ללמד וישב מלמד
ומחזיק כל הנלוים אליו· ויעקב אבינו למד בני׳
בלם

§. IX. Poſtquam autem collectus ad eum populus interrogavit eum de verbis ipſius: indicavit unicuique opinionem ſuam, donec reduceret eos in viam veritatis; atque ita congregata ad eum ſunt millia innumera. Illi erant viri domus Abrahami. Infixitque animis eorum magnum hoc fundamentum; compoſuitque libros de eo, & filio ſuo Iſaac indicium ejus fecit. Iſaac porro ſignificavit illud Jacobo, & eum his docendis præfecit. Seditque Jacob illud docens, & confirmans, quotquot ſeſe ei adjungerent. At pater noſter Jacob erudiit quidem

כלם והבדיל לוי ומינהו ראש והושיבו בישיבה ללמד דרך השם ולשמור מצות אברהם. וצוה את בניו שלא יפסיקו מבני לוי ממונה אחר ממונה כדי שלא ישתכח הלמוד:

dem in eo omnes filios ſuos: Levi tamen diſparatum à cæteris caput poſuit, ac collocavit eum in gymnaſio ad docendam viam Dei, & cuſtodienda præcepta Abrahami. Præcepit autem filiis, ne à Levi doctore ſuo deficerent, ac ſic in oblivionem doctrina veniret.

Illi erant viri domus Abrahami.] Reſpicit ad Geneſ. XVII. 27. וכל אנשי ביתו יליד בית ומקנת כסף מאת בן נכר נמלו אתו. id eſt: *Et omnes viri domus Abrahami, natus domi, & emtus pecunia ex alienigena, circumciſi ſunt cum eo.* Quo loco per אנשי ביתו intelligit converſos ab Abrahamo, quos *Abrahamitas*, ut ab Iſaco *Iſacidas*, vetuſtas nuncupavit. Unde Epiphan. lib. 1. adverſ. hæreſ. cap. 1. καὶ ἐκαλοῦντο τότε τὸ γένος τῶν θεοσεβῶν Ἀβραμιαῖοί τε καὶ Ἰσαάκιοι. *Appellabantur tunc pii omnes Abramitæ, & Iſacidæ.* Atqui ſi per אנשי ביתו converſi intelligerentur, oportuerat non ילד, ſed וילד cum ו disjunctivo in S. Scriptura legi: nunc ו illo abſente, quibus videat, primo loqui eum univerſe de omnibus, qui in familia Abrahami eſſent; dein deſcendere ad partes: ut ſenſum commodiſſime exprimere liceat, omnes domeſtici ejus, tam vernæ, quam emtitii ſervi. Etiam Geneſ. XIV. 14. per חניכיו Abrahami intelligi volunt Hebræi eos, quos ille in pietate erudiverat. Quomodo vox illa uſurpatur Proverb. XXII. 6. חנך לנער *Erudi puerum*, &c.

Magnum hoc fundamentum.] Similiter Autor noſter Tractatu Jeſode Tora cap. 1. יסוד היסודות ועמוד החכמות לידע שיש שם מצוי ראשון והוא ממציא כל נמצא. *Fundamentum fundamentorum & columna ſapientiæ eſt, ſcire quod eſt ens aliquod primum, exiſtere faciens omnia exiſtentia.* Et cap. eod. inquit, is qui plures eſſe Deos credit, quam unum, כופר בעיקר שזהו העיקר הגדול שהכל תלוי בו, *negat fundamentum maximum, à quo cuncta pendent.*

Compoſuitque libros de eo.] Nimirum ספר יצירה, *librum creationis*: qui hodieque, ſi inſcriptioni credere fas, exſtat. Mirum, non inter Canonicos S. Scripturæ libros eum theſaurum à Cabaliſtis reponi: quippe per quem ſeſe miracula quoque facere poſſe aſſerant. Vide Gemaram Sanhedrin cap. VII. Alii auctorem ejus eſſe R. Aquibam volunt.

Collocavit eum in Gymnaſio.] ישיבה Hebræis eſt מקום שיש שם מרביצי תורה ותלמידים רבים, *locus in quo ſunt doctores legis & diſcipuli multi.* id eſt, Academia, aut gymnaſium. Appellatio haud dubie orta ex more Orientis, ubi humi conſidentes hodieque docere, & audire ſolent; unde Arabibus ſui مقامات *conſeſſus*: à quibus Harirus nomen fecit celeberrimo operi, quod inſcripſit مقامات الحريري *conſeſſus Hariri.* Hinc בעל & ראש הישיבה, doctor, quos etiam מרביצי תורה Hebræa vocant, phraſi ab eodem more deducta, quia *diſcumbere faciunt* (ſ. homines) *ad audiendam legem.* Quæ autem hic Maimonides tradit de doctrina Iſaci & Jacobi, collegiſſe videtur ex Geneſ. XVIII. 9. ubi Deus ait, *Nam agnovi eum Abrahamum, ut quum præceperit filiis ſuis, & familiæ ſuæ poſt ſe, etiam obſervent viam Domini, exercendo juſtitiam & jus.*

י והיה הדבר הולך ומתגבר בבני יעקב ובנלוים עליהם ונעשית בעולם אומה שהיא יודעת את ה' עד שארכו הימים לישראל במצרים וחזרו ללמוד מעשיהם ולעבוד ע"ז כמותן חוץ משבט לוי שעמד במצות אבות ומעולם לא עבד שבט לוי עכו"ם וכמעט קט היה העיקר ששתל אברהם נעקר וחוזרים בני יעקב לטעות העולם ותעייתן:

§. X. Et incedebat creſcebatque verbum hoc inter filios Jacobi, & eos qui ſe illis adjungebant, adeo ut in mundo jam aliqua natio eſſet, quæ Deum noſceret; donec proceſſere Iſraëli in Ægypto dies. Illic enim redierunt ad diſcendos illorum mores, & idola exemplo eorum colenda, excepta tribu Levi, quæ perſeveravit in mandatis Patrum. Nec ullo tempore tribus Levi idolis ſerviit. Ita paullatim fundamentum, quod Abrahamus jecerat, ſublatum, & Jacobi filii ad errores mundi relapſi ſunt.

יא ומאהבת ה' אותנו ומשמרו את השבועה לאברהם אבינו עשה משה רבינו רבן של כל הנביאים ושלחו. כיון שנתנבא משה רבינו ובחר ה' ישראל לנחלה הכתירם במצות והודיעם דרך עבודתו ומה יהיה משפט עבודת כוכבים ומזלות וכל הטועים אחריהם:

§. XI. Cæterum Dominus, amore erga nos, dein ut ſervaret juramentum Abrahamo parenti noſtro datum, Moſem magiſtrum noſtrum principem fecit omnium Prophetarum, atque eum miſit. Poſtquam autem prophetavit Moſes, magiſter noſter, elegit Deus Iſraelem hæreditatem ſibi, eumque præceptis coronavit; edocuitque viam cultus ſui, quodque futurum eſſet judicium idololatriæ, & omnium qui eos ſequerentur.

Præceptis coronavit.] Frequens loquendi formula Hebræis. In Pirke Aboth cap. IV. שלשה כתרים הם כתר תורה וכתר כהונה וכתר מלכות, *Tres coronæ ſunt, corona legis, corona ſacerdotii, & corona regni.* Hinc ipſam quoque legem coronam vocant, Tractatu eodem cap. 1. דאשתמש בתגא חלף, *Qui coronæ ſervitio utitur, peribit.* Ita enim hæc transferenda, quæ perperam doctiſſimus Fagius verterat, *Quiſquis proprii commodi gratia ſervit, ſub corona peribit.* אשתמש non eſt *ſervire*, ſed alterius ſervitio uti, quod recte Galli exprimunt, *ſe ſervir.* Mens dicti eſt, eum, qui ad proprium quæſtum Lege ceu miniſtra utitur, periturum. Cur Lex תגא id eſt, corona vocetur, exponit Joſeph Chaion in commentariis ad eum locum, כמו שמלך בשר ודם ישים בראשו עטרת זהב גדולה מלאה ספירים ואבנים שוהם וישפה ושאר אבני חן לכבוד ולתפארת ככה האלוה י"ת עטרת שלו כי התורה כי יקרה מפנינים וכל חפצים לא ישוו בה, *Quemadmodum Rex mortalis imponit capiti ſuo coronam ex auro magnam, plenam ſapphiris, beryllo, onyche, & jaſpide, aliiſque lapidibus pretioſis, ad ornatum & magnificentiam; ita Deo benedicto corona Lex eſt. Nam pretioſior eſt margaritis, nec ulla deſideria æqualia ſunt ei.* Mallem, exemplo Maimonidæ, Legem appellaſſet coronam non Dei, ſed Iſraëlis.

פרק שני

עיקר הצווי בעבודה זרה שלא לעבוד אחר מכל הברואים לא מלאך ולא גלגל ולא כוכב ולא אחד מד׳ היסודות ולא אחד מכל הנבראים מהן ואף עלפי שהעובד יודע שהשם הוא האלהים והוא עובד הנברא הזה על דרך שעבד אנוש ואנשי דורו תחלה הרי זה עובד ע״ז :

CAPUT II.

FUndamentum mandati de idololatria eſt, nequis ſerviat ulli rerum creatarum; non angelo, non ſphæræ, non ſtellæ, non uni ex quatuor elementis, aut cuiquam quod ex iis compoſitum eſt. Quamquam autem is, qui ea colit, ſciat illa non eſſe Deum, ac colat creaturam hanc quomodo coluit Enos, & illius coætanei; nihilominus eſt Idololatra.

Nequis ſerviat ulli rerum creatarum.] Definit autor idololatram, QUI CULTUM ULLI CREATURÆ EXHIBET: nimirum cultum non civilem, ſed divinum. Nam verbi עבד natura apud Hebræos tam late extenditur, quam apud Græcos δουλεύειν & λατρεύειν: utrumque enim & generatim pro honore, etiam civili, & adſtricta magis notione pro divino ſumitur. Similis definitio Cypriani in exhor. ad Mart. *Tunc*, inquit, *idololatria committitur, cum divinus honor alteri datur*, & Gregor. Nazianz. orat. in nativitatem Chriſti: Τὸ πάντων ἔσχατον τῶν κακῶν καὶ πρῶτον, εἰδωλολατρείας, καὶ τῆς μεταθέσεως τῆς προσκυνήσεως, ἀπὸ τοῦ πεποιηκότος ἐπὶ τὰ κτίσματα. *quod omnium malorum extremum ac primum eſt, idolorum cultu, ac tranſlatione adorationis à Creatore ad creaturas.* Sed Maimonides ſua definitione non tantum ſeſe complecti ait eos, qui creaturis cultum exhibent ut Deo; verum & qui iis ſupplicant ut miniſtris Dei. Unde Tractatus Teſuba, ſeu de Pœnitentia cap. III. §. 12, & 13. recenſens eos, quibus ſors futuri ſeculi non eſt, inter cæteros ponit יוצאין מהתורה *deficentes à Lege*, ſeu apoſtatas; quorum quinque ſpecies facit. I *Qui negant Deum, aut ullum rectorem mundi eſſe.* II *Qui multos deos ſtatuunt.* III *Qui Deum quidem eſſe credunt, ſed eum ſidus aliquod aut planetam eſſe arbitrantur.* IV *Qui negant ſolum eſſe primum & creatorem omnium.* V *Qui ſtellam colunt, ut ſit* מלין כינו וכין רבון העולמים, *interpres inter ſe & Dominum mundi.* Quo loco ſtellam poſuit pro omni creatura, ut ſatis indicant verba, quæ hic profert. Hinc & Joſephus Albus libro III in Icarim cap. XVIII. idololatriam primam eorum fuiſſe exiſtimans, qui angelos & ſimiles creaturas, ut ſequeſtres inter ſe ac Deum coluiſſent; ait Deum, quando in Decalogo ait, לא יהיה לך אלהים אחרים על פני *Non erunt tibi dii alieni ante faciem meam*; id voluiſſe, ne homines ullos ponerent ſequeſtros, aut deprecatores inter ſe & ipſos. Quaſi illud לפני *ante faciem meam* denotaret, qui faciem meam à veſtra dirimant, & velut mediatores ſint.

Non angelo.] Diſtinguunt Hebræi hic, uti quoque videre eſt apud Joſephum Album lib. II, cap. XXVIII, dictitantes, angelum proprie, hoc eſt, ratione ſui ipſius, nequaquam colendum eſſe. at eundem coli improprie poſſe, ubi perſonam Dei ſuſtinet, aut potius in miſſo, perſonam mittentis: atque id Abrahami, Jehoſuæ, aliorumque exemplis probant. Unde & ineffabile nomen Dei, nulli creaturæ communicandum, tribui angelo volunt, cum Dei perſonam gerit. Scilicet illud neceſſario ſtatuendum erat Servatoris noſtri divinitatem negantibus, quem angeli, & Jehovæ nomine in S. Scriptura paſſim appellari, tam fuſe Patrum antiquiſſimi oſtenderunt, & præ cæteris Juſtinus Martyr. Ita Geneſ. XVIII, 13, 14. Jehova non alius eſt, quam Chriſtus: quippe quem ibi Abrahamus vocet judicem cœli & terræ. Nec quenquam ſanioris mentis moverit κρεσφύγετο illud Rabbinorum, qui tres quidem angelos à Deo miſſos ajunt, ſed præter illos ipſum Abrahamo adſtitiſſe Deum. Nam manifeſte aliud evincunt verba Scripturæ. *Apparuit*, inquit, *porro ei Jehova in planitie Mamre, cum ſederet ipſe ad oſtium tentorii ſui, æſtuante die. Cum enim ſublatis oculis ſuis adſpexiſſet, ecce tres viros ſiſtentes ſe coram eo.* Priori commate indicatur viſum ei Jehovam; altero modus quo viſus ſit, nimirum cum duobus viris. Commate autem 22 ejuſdem cap. legas, viros illos Sodomam verſus abiiſſe; Jehovam autem permanſiſſe cum Abrahamo. Nimirum, ut cap. IX, X, I. declaratur, duo viri, ſeu angeli abierunt; Jehova, qui tertius, remanſit. Quod ſi quartus Jehova erat, quærere velim, quonam abſceſſerit tertius ille angelus. Egregia ſunt de hoc loco verba Joannis Cantacuzeni, quæ adſcribere libet. Ait is Apolog. I contra Saracenos: Ποίαν ἔχει ἀναλυθίας, ὅτι Μωσῆς, ἢ ἕτερός τις τῶν ἁγίων μνησθεὶς ἀγγέλου, ὀνόμασεν αὐτὸν Κύριον ἢ κριτήν; τίς γάρ ἐστιν ὁ κρίνων πᾶσαν τὴν γῆν ἢ Θεός; ἐπεὶ οὖν ἀναφαίνεται, ὅτι ὁ Θεὸς καὶ Πατὴρ οὐκ ἦν ὁ φανεὶς ὡς ἄνθρωπος, ἄγγελος οὐκ ἦν δι' ἃς εἴπομεν αἰτίας, φαίνεται πάντως ἐξ ἀνάγκης, ὅτι αὐτὸς ἦν ὁ υἱὸς καὶ λόγος τοῦ Θεοῦ, ὅς ἐστι Θεὸς καὶ ἄνθρωπος. *Quid ſibi verba volunt, quando Moſes, vel Sanctorum alius quis, mentionem faciens angeli, eum Dominum nuncupat, vel Judicem? Nam quis alius omnem judicat terram quam Deus? Quandoquidem igitur conſpicuum eſt, eum qui hominis inſtar apparuit, Deum vel patrem eſſe non poſſe: atque angelus non erat ob cauſſas quas diximus: neceſſario hoc conſequitur atque elucet, fuiſſe eum Filium ac Sermonem, qui Deus eſt & homo.* Quod ſi omnino concederemus, poſſe angelum coli tanquam ſuſtinentem perſonam Dei, quemadmodum in legato Regem veneramur; nullus tamen dixerit, legatum recte loqui, ſi dicat, ſeſe ipſum Regem eſſe. Cum tamen Geneſ. XXXI. 13. ille, qui paullo ante angelus appellatus erat, dicat, *Ego ſum Deus Bethelis, ubi unxiſti ſtatuam, ubi voviſti mihi votum.* Clare id oſtendit, angeli nomine ſæpe nuncupari, magnum illum novi fœderis angelum, & verum Deum, JESUM CHRISTUM. Nequis autem & illum, qui ei Bethele apparuit, putet angelum fuiſſe, clare habemus Gen. XXVIII. 12, 13: *Viditque in ſomnis ſcalam ſtantem ſuper terram, & cacumen illius tangens cœlum: angelos quoque Dei adſcendentes & deſcendentes per eam. Et Dominum innixum ſcalæ dicentem ſibi, Ego ſum Dominus Deus*, &c. Aperte Dominus ab angelis diſtinguitur: & tamen idem poſtea angelus appellatur; nimirum magni concilii Angelus. Hebræis vero refellendis quoque ſuffecerit locus Gen. XXXII. 30. Nam ſi angelus erat, non autem Deus, quicum luctatus eſt Jacobus: cur ait, *Facie ad faciem vidi Deum, & erepta eſt anima mea.* Non ſolebant ita loqui ſancti illi Patres, niſi conſpecto ipſo Deo: unde exclamatio Jeſaiæ VI. 5. *Hei mihi quod exſcindor*, &c. Sed, quamvis omnium prope Patrum Eccleſiæ conſenſum ſecuti, in his aliiſque id genus locis ſtatuamus, Servatorem nomine angeli deſignari; non tamen negandum, aliis quoque angelis cultum exhibitum: cujus exemplum in Lotho habemus Gen. XIX. 1. Verùm diſtinguere oportet inter cultum divinum & honorem civilem. Incurvatio illa ſeu προσκύνησις, quæ angelis exhibebatur, civilis honor erat, & orienti ſolitus: quippe quem Regibus quoque exhiberent: at adoratio ſoli Deo conceſſa. Ut proinde non opus ſit recurrere ad eorum diſtinctionem, qui volunt, ſub Lege licitam fuiſſe adorationem angelorum. Quod probandum erat. Ex Hebræos fortaſſis, qui προσκύνησιν quoque ponunt inter quatuor

tuor cultus ſoli Deo debitos, illud quoque impulit, ut dicerent, angelum adorari poſſe, quando perſonam Dei ſuſtineret, quod diſcrimen non ponerent inter incurvationem religioſam, & quæ more humano exhibetur. In novo Fœdere unius hujus προσκυνήσεως meminit Joannes Apocalypſ. xix. 10. & xxii. 8. qui angelum adorare parabat, & prohibitus ab eo eſt. Sed illi facile occurritur, cum dici poſſit, dubitaſſe eum, utrum creatus ille angelus, an increatus eſſet. Vel dicendum, tantummodo civilem voluiſſe honorem exhibere; uti in veteri Teſtamento ſæpius factum: ſed eam angeli erga Apoſtolum fuiſſe dignationem, ut hunc quoque recuſaret. Neque ignoro, viros quoſdam eruditos exiſtimare, impie quidem angelis honorem exhiberi religioſum, quandoquidem is uni conveniat Deo: ſtulte autem iis præſtitum iri honorem civilem, quia nullum iis nobiſcum ſit commercium civile. Verum ſine ut locum hæc habeant, quando non communicant nobiſcum, uti profecto habent: aliter tamen ſtatuendum, ubi miniſtros illos ſpiritus Deus ad hominem mittit, quo mandata ejus deferant. Quippe ſi homo homini loco illuſtri conſtituto civilem debeat honorem; quo pacto ſtultum ſit, ſi cæleſtibus illis civibus, ſive, ut vulgo loquimur, concivibus ſuis, ad aliqua communicanda cælitus miſſis, honorem deferat civilem?

ב ועניין זה הוא שהזהירה תורה עליו ואמרה ופן תשא עיניך השמימה וראית את השמש וגו' אשר חלק ה' אלהיך אותם לכל העמים כלומר שמא תשוט בעין לבך ותראה שאלו הן המנהיגים את העולם והם שחלק ה' אותם לכל העולם להיות חיים והווים ואינם נפסדים כמנהגו של עולם ותאמר שראוי להשתחוות להם ולעבדן· ובעניין הזה צוה ואמר השמרו לכם פן יפתה לבבכם כלומר שלא תטעו בהרהור הלב לעבוד אלו להיות סרסור ביניכם ובין הבורא:

II. Atque hac de re admonens Lex dixit, *a Ne tollas oculos tuos verſus cælum, & adſpicias*, &c. *quem impertitus eſt Dominus Deus tuus omnibus gentibus:* ac ſi diceret, forte extenſo oculo intellectus tui videbis, illos eſſe gubernatores mundi; cum ii ſint, quos Deus impertitus eſt toti mundo: & quia viva ac generata, nec tamen corruptibilia ſint, juxta naturam rerum mundanarum, dices adorandos eos ac colendos eſſe. Itaque ſuper eo præcipiens Scriptura ait, *b Cavete ne ſeducatur cor veſtrum.* quaſi diceret, ne ita cogitationibus veſtris ſeducamini ad cultum eorum, ut ſint conciliatores inter vos & Creatorem.

a Deut. 4. 19.
b Ibid. 11. 17.

Ut ſint conciliatores.] סרסור Rabbinis eſt proxeneta, aut conciliator: unde D. de Pomis exponit, וכן הקונה על יד סרסור הוא האמצעי בין הקונה והמוכר לעשות המקח, *ita qui emit per proxenetam, is eſt medius inter emtorem & venditorem ad faciendum contractum.* Ambigo, deducamne vocem à סרס *exſcindere, tollere*, quia tollit controverſias; an ab הסיר, *removere.* Ratio etymologiæ eadem ſit.

ג ספרים רבים חברו עובדי כו"ם בעבודתה היאך עיקר עבודתה ומה מעשיה ומשפטיה· צונו הקב"ה שלא לקרות באותן הספרים כלל ולא נהרהר בה ולא בדבר מדבריה ואפילו להסתכל בדמות הצורה אסור שנ' אל תפנו אל האלילים· ובעניין הזה נאמר ופן תדרוש לאלהיהם לאמר איכה יעבדו שלא תשאל על דרך עבודתה היאך היא אע"פ שאין אתה עובדה שדבר זה גורם להפנות אחריה ולעשות כמו שהן עושין שנ' ואעשה כן גם אני: וכל הלאוין האלו בעניין אחד הן והוא שלא יפנה אחר ע"ז וכל הנפנה אחריה בדרך שהוא עושה בו מעשה הרי זה לוקה:

III. Multos libros compoſuerunt idololatræ de cultu ſuo, quod ſit fundamentum illius, quæ opera, & qui ritus. Cæterum præcepit nobis Deus benedictus, ne quidquam legeremus in libris iſtis; neque meditaremur in ea (idololatria) aut ulla re, quæ huc pertineat. Quin etiam conſiderare formam imaginis vetitum eſt. q. d. *Ne c defigas oculos tuos in idola.* Atque ideo dictum *d* eſt, *Ne forte inquiras in deos eorum, dicendo, quomodo coluerunt?* Ne roges de ratione colendi eos, etiamſi iis non ſervias; quia hoc te impellit, ut convertaris ad eos, ac facias, quemadmodum illa faciunt: quo reſpiciunt verba: *Et faciam ſic quoque ego.* Omnia autem præcepta negativa ſub hoc uno *comprehenduntur*; nimirum, ne quis ſe convertat ad ſtellas ac planetas. Quos qui attentius reſpicit, ita ut opus aliquod faciat, omnino vapulat.

c Levit. 19. 4.
d Deut. 12. 30.

Ne legeremus quidquam in iis libris.] Vide Sabat cap. xxiii. Et Sanhedrin cap. 11. §. 1. excluduntur à vita futura, qui legunt libros החיצונים *extraneos*; quod exponitur in Gemara מינים, id eſt, *atheos*, aut *hæreticos.* Sed reſtringenda ſunt verba Maimonidæ. Infra enim ſolos ſe privatos arcere ſatis oſtendit, cum Senatum cuncta huc pertinentia ſcrutari jubet. Verba ſunt cap. iii. 2. ומפני זה הענין צריכין ב"ד לידע דרכי העבודות שאין סוקלין עובד כו"ם עד שידעו שזו היא עבודתו. *Et hanc ob cauſſam neceſſarium eſt, Senatum ſcire cærimonias cultus cujusque ne lapidibus obruat idololatram, priuſquam noverit, hunc eſſe cultum ipſius.*

Conſiderare formam imaginis vetitum eſt.] Nam, ut habet dictum Thalmudicum, אם פונה אתה אחריהם אתה עושה אותן אלהות. *Si reſpicis eos, facies illos Deos.* Nimirum, quia turpis adeo curioſitas in malos plerumque fructus erumpit: & indignum eſt, hominem, creatum ad imaginem Dei, hujuſmodi ſe vanitatibus occupare.

Ita ut opus aliquod faciat.] per מעשה intellige qualemcumque cultum; inclinationem, aut oſculum: ut Jobi xxxi. 26. Et Sanhedrin vii. 6. המגפף והמנשק והמכבד והמרחיץ הסך והמלביש והמנעיל. *Qui amplectitur, oſculatur, convertit, aquam effundit, lavat, ungit, veſtit, calceat.* Adverſatur autem hic autor opinioni iſti in Sanhedrin, qua ſtatuuntur rei, qui ſolis verbis idolo cultum exhibent. Vide infra cap. iii. 56. Eximit tamen ipſe caſum unum eodem cap. §. 11.

ד ולא כו״ם בלבד הוא שאסור להפנות אחריה במחשבה אלא כל מחשב׳ שהוא גורם לו לאד׳ לעקור עיקר מעיקרי התור׳ מוזהרין אנו שלא להעלות׳ על לבנו ולא נסיח דעתנו לכך ונחשב ונמשך אחר הרהורי הלב מפני שדעתו של אדם קצרה ולא כל הבריות יכולין להשיג האמת על בוריו ואם ימשך כל אדם אחר מחשבות לבו נמצא מחריב את העולם לפי קוצר דעתו:

IV. Neque ad idola ſolum prohibemur convertere cogitationes noſtras: ſed inſuper ab animo noſtro qualemcunque cogitationem, impellere aptam ad aliquod caput è fundamentis legis convellendum, arcere ab animo monemur. Sed neque mentem eo transferemus, unde hujuſcemodi cogitatio proveniret, ne ulterius trahamur à cogitationibus noſtris. Siquidem judicium humanum parvum ac imbecille eſt: neque mortales univerſi adſequi poſſunt ſimplicem ac ſinceram veritatem. Quod ſi unusquiſque obſequatur cogitationibus ſuis, comperiemus deſtructum iri mundum ob intellectus ejus imbecillitatem.

ה כיצד פעמים יתור אחר עכ״ום ופעמים יחשוב בייחוד הבורא שמא הוא שמא אינו מה למעלה ומה למטה מה לפנים ומה לאחור ופעמים בנבואה שמא היא אמת שמא היא אינה ופעמים בתורה שמא היא מן השמים שמא אינה ואינו יודע המדות שידין בהן עד שידע האמת על בוריו ונמצא יוצא לידי אפיקורסות:

V. Nempe aliquando ſcrutabitur idololatriam: aliquando de unitate Dei cogitabit, ſitne creator, necne: quid ſit ſupra, quid infra; quid ante, quid poſt. Aliquando etiam perpendet, verane ſit prophetia, an minus. Nonnunquam item, utrum Lex de cœlo ſit, an ſecus. Neque novit regulas, quibus dijudicanda ea ſint, donec veritatem certo cognoſcat; atque ita delabitur in dogma Epicureorum.

Qualemcunque cogitationem.] Antea de ſola idololatria locutus Autor: nunc ad generale præceptum quarumvis impiarum cogitationum tranſgreditur: & oſtendit, quam inutilibus meditamentis curioſi homines diſtineantur. Nimirum quid ſupra angelos, quid infra terram ſit; quid ante mundum fuerit, quid poſt eum futurum ſit. Quæ cum homines comprehendere nequeant, ſæpe in ἀθεότητα, aut omnium rerum dubitationem incidunt.

Ita delabitur in dogma Epicureorum.] Epicureum triplicem facit Maimonides tractatu Teſuba cap. III. §. 14. האומר שאין שם נבואה כלל ואין שם מדע שמגיע מהבורא ללב בני האדם והמכחיש נבואתו של משה רבינו והאומר שאין הבורא יודע מעשי בני האדם. *Qui ait nullam prorſus prophetiam eſſe, nec ſcientiam, quæ pertingat à Creatore ad cor hominis; & qui abnegat prophetiam Moſis magiſtri noſtri; quique ait Creatorem neſcire actiones hominum.* Primo Epicureos facit eos, qui oracula ac vaticinia divina eſſe negant: itaque ab Epicureiſmo excludit gentilium illos, qui oraculis fidem habent. Quos ipſos tamen ejus culpæ damnat, cum Epicureum eſſe vult, quiſquis negat prophetiam Moſis à Deo eſſe. Sed fallitur. Nam alioqui inter gentilem unum & alterum diſcrimen non ſit. Nullus ſane Senecam, qui ſolùm aureolum ejus de Providentia librum legerit, dixerit Epicureum. Tertium genus Maimonidæ vere id eſt, quod dicitur. Satis enim conſtat Epicurum, otii magiſtrum, ut eum Plinius appellat, quemadmodum animorum immortalitatem, ita Dei providentiam ſuſtuliſſe.

ו ועל ענין זה הזהירה תורה ונאמר בה ולא תתורו אחרי לבבכם ואחרי עיניכם אשר אתם זונים׳ כלומ׳ לא ימשך כל אחד מכם אחר דעתו הקצרה וידמה שמחשבתו משגת האמת כך אמרו חכמים אחרי לבבכם זו מינות ואחרי עיניכם זו זנות ולאו זה אף על פי שהוא גורם לאדם לטרדו מן העולם הבא אין בו מלקות:

VI. Super hac re monuit Lex, quando ait, [a] *Ne exploretis poſt cor veſtrum, & poſt oculos veſtros, poſt quæ ſcortamini.* Ac ſi diceret, ne ſequatur unusquiſque veſtri intellectum ſuum, qui exiguus eſt; nec ſibi perſuadeat, cogitationibus ſuis aſſequi ſe veritatem poſſe. Sic dixerunt ſapientes, *poſt cor veſtrum*, eſt hæreſis: *poſt oculos veſtros*, eſt ſcortatio. Atque ob hoc negativum præceptum, tametſi cauſſa eſt, quod homo careat ſorte futuri ſeculi, tamen nemo vapulat. [a] Num. 15. 39.

Poſt cor veſtrum, & poſt oculos veſtros.] In proprie dicta ſcortatione locum habet illud, הלב והעינים תרי סרסורי דעבירה, *cor & oculi duo ſunt proxenetæ tranſgreſſionis.* Primi capiuntur oculi: inde in corde exoritur appetitus ſive concupiſcentia: juxta illud poetæ:

—— *Oculi ſunt in amore duces.*

Ἐκ τοῦ ὁρᾶν τὸ ἐρᾶν, ut eſt in veteri verbo. Sed Maimonides illud de corde reſtringit ad ſcortationem ſpiritualem, quam idololatriam dicimus.

Ob hoc negativum præceptum tametſi &c.] Sanhedrin cap. XI. 1. legis, omni Iſraelitæ eſſe ſortem לעולם הבא *futuri ſeculi*; ſed ſic ut hi excipiantur, האומר אין תחיית המתים ואין תורה מן השמים ואפיקורוס, *Qui negant in vitam revocandos eſſe mortuos, legem eſſe à cœlo, & Epicureus.*

Tamen nemo vapulat.] Negativum aliquod præceptum tranſgreſſis, ſex pœnæ erant; lapidatio, combuſtio, decollatio, ſtrangulatio, verbera, & pecuniaria mulcta: de quibus fuſe in Sanhedrin. Sed peccatorum, quæ ſola mente committebantur, pœna Deo relinquebatur: quia nullus talium teſtis eſſe poterat.

ז מצות ע״ז כנגד כל המצות כולן היא שנ׳ וכי תשגו ולא תעשו את כל המצות וכו׳ ומפי השמועה למדו שבע״ז הכתוב מדבר הא למדת שכל

VII. Præceptum de idololatria, quaſi tanti ponderis eſt, ac reliqua omnia mandata. Unde, quando dicitur, [b] *Et quando errabitis, nec facietis omnia præcepta*, &c. ex traditione didicerunt, loqui Scripturam [b] Num. 15. 22.

שכל המודה בע"ז כופר בכל התורה כולה ובכל
הנביאים ובכל מה שנצטוו הנביאים מאדם
הראשון ועד סוף העולם שנ' מן היום אשר צוה
ה' והלאה לדורותיכם· וכל הכופר בע"ז מודה
בכל התורה כולה ובכל הנביאים ובכל מה
שנצטוו הנביאים מאדם ועד סוף העולם והיא
עיקר כל המצות כולן·

pturam de idololatria. Ecce hic diſcis, eum qui idololatriam ſuſcipit, negare totam Legem omneſque Prophetas, & quicquid mandatum Prophetis eſt à primo homine uſque ad finem mundi. Nam dictum eſt *a*, *Ex quo die præcepit illa Jehova, & deinceps per generationes veſtras.* Quiſquis vero abnegat idololatriam, is confitetur totam Legem, omneſque Prophetas, & quicquid præceptum eſt Prophetis ab Adamo uſque ad finem mundi. Atque hoc fundamentum eſt omnium præceptorum.

a ibid. 15. 23.

Præceptum de idololatria.] Quia idolorum cultus tollit veri Dei notitiam. Hinc noſter in More Nebuchim lib. I. cap. XXVI. שונא ſeu *oſorem Dei* proprie exiſtimat idololatram vocari. Et Getundenſis ad verba Decalogi, *Viſitans delicta patrum in filios*, &c. adverſum ſolos idolatras prolata putat.

Quiſquis vero abnegat idololatriam.] Mira conſequentia; quo pacto omnes gentium philoſophi, qui ſtatuarum cultum irrideant, & inviſibilem intelligant Deum, dicendi ſint legem Moſis, & prophetarum oracula ſuſcepiſſe. Non unus tamen ſic ſenſiſſe videtur Maimonides: ſed ex noſtris etiam Juſtinus Martyr in Apologia utraque, ac Clemens Alexandrinus lib. V, VI, VII. Vide de ea diſſertantem parentem meum Hiſtoriæ Pelagianæ lib. III. part. III, ad Theſin. XI.

ח ישראל שעבד כו"ם הרי הוא כגוי לכל
דבריו ואינו כישראל שעבר עבירה שיש בה
סקילה· ומשומד לעכ"ום הרי הוא כמשומד לכל
התורה כולה· וכן האפיקורוס מישראל אינו
כישראל לדבר מן הדברים ואין מקבלין אותם
בתשובה לעולם שנ' כל באיה לא ישובון ולא
ישיגו ארחות חיים והמינים הם התרים אחר
מחשבו' לבם בסכלות דברים שאמרנו עד שנמצאו
עוברי' על גופי תור' להכעיס בשאט בנפש ביד רמה
ואומרי' שאין בזה עון· ואסור לספר עמהן ולהשיב
עליהן תשובה כלל שנ' אל תקרב אל פתח ביתה
ומחשבת של מין לעכ"ום·

VIII. Iſraelita idololatra eſt gentilis inſtar in omnibus quæ agit; neque eo habetur loco, quo Iſraelita quiſpiam, qui delictum committit lapidatione puniendum. Nam qui convertitur ad idololatriam, deficit quaſi à tota Lege. Sic etiam Iſraelitæ, qui Epicurei ſunt, nequaquam pro Iſraelitis habentur in ulla actione ſua. Neque illi, quamvis pœnitentes, unquam recipiuntur: q. d. *b Omnes qui venient ab ea, non revertentur, neque obtinebunt vias vitæ.* Epicurei autem ſunt, qui conſulunt cogitationes animi ſui, ignari earum, quas diximus, rerum, donec, tranſgreſſi potiſſima legis capita, offendant per contumaciam, ac ſuperbiam; & dicant, nullum hac in re peccatum eſſe. Prohibitum autem eſt cum iis loqui, aut reſpondere, q. d. *ne c propinques oſtio ædium illius:* & cogitationes eorum idololatriam ſpectant.

b Prov. 2. 18.

c Ibid. 5. 8.

Gentilis inſtar eſt.] Multa ſunt præcepta, quæ obſervari nequeunt à gentili, ſurdo, ſervo, ſtulto, aut infante. Iſraelitæ autem מומר ſeu *apoſtatæ* acta perinde habentur ac gentilis. Excipiunt tamen caſum unum, ſi Iſraelita idololatra dederit קדושין ſeu *ſponſalia.* Ea enim valida ſunt, nec ab illo mulier diſcedere poteſt, niſi dato גט ſive *repudii libello.*

Qui convertitur ad idololatriam, deficit.] מנדרין *apoſtatæ* vocantur ab Autore Halacoth Teſuba cap. III. 17. מנדרין לכל התורה כגון החוזר לדתי עכ"ום, *Tranſgreſſor totius legis eſt, qui deficit ad ſtatuta idololatriæ.*

Neque illos, quamvis pœnitentes, unquam recipient.] Durum hoc & contra regulam charitatis, quæ etiam tales ad pœnitentiam invitandos docet. Tamen ne autoritate res careat, torquet huc verba Salomonis, quæ non aliud volunt, quam nunquam eos redituros, aut alteram habituros vitam, qui in peccatis moriuntur. Sed cum Tractatu Teſuba cap. III. dicat Maimonides, alterius ſeculi felicitate fruituros Epicureos, ſi peccatorum pœnitentia ducantur; diſtinguere in iſtis oportet. Illic enim Epicureos intelligit, qui ignorantia aut ſtoliditate labuntur. Hic vero tales, qui intelligentes veræ religionis, deliberato, & odio veritatis à Deo recedunt: unde ſubdit בשאט נפש ביד רמה id eſt, per contemtum & præfracto evertendæ veritatis ſtudio. Quale juxta complures eſt, quod peccatum in Spiritum ſanctum appellatur. Tales igitur non admittendos ait. Credo, quia plerumque eos Deus deſerit, ut quamvis ſimulent, nunquam tamen vera pœnitentia ducantur. Facit huc, quod in Gemara Hagiga cap. III. traditur, Eliſam Aher hominem præclaris à natura dotibus ornatum, audiviſſe vocem hanc, *Revertimini filii perfidi, præter Eliſam Aher, quia novit Creatorem ſuum, & nihilominus præfracto ſtudio rebellare nititur.*

ט כל המודה בעכ"ום שהוא אמת אף
על פי שלא עבד' הרי זה מחרף ומגדף את
השם הנכבד והנורא· ואחד העובד כו"ם ואחד
המגדף את השם שנ' והנפש אשר תעשה ביד
רמה מן האזרח ומן הגר את ה' הוא מגדף
לפיכך תולין עובד ע"ז כמו שתולין את המגדף
ושניהם

IX. Quicumque confitetur idolorum cultum verum eſſe, etiamſi ipſe idolis non ſerviat, certe ille abnegat & blaſphemat nomen honorabile, ac formidabile. Tantundem autem eſt ſervire idolis, & abnegare Deum. Nam dictum eſt, *d Anima quæ commiſerit elata manu, ſive ex indigenis, ſive ex peregrinis; Jehovam blaſphemat.* Ideoque ſuſpendunt idololatram, quemadmodum ſuſpendunt blaſphemum, & uterque lapidibus obruitur. Hanc ob

d Num. 15. 30.

ושניהם נסקלין ומפני זה כללתי דין המגדף בהלכות ע"ז שׁשנ' יהם כופרים בעיקר הם ואלו הן דיני המגדף:

cauſſam etiam incluſi judicium blaſphemi tractatui de idololatria, quia ambo illi negant fundamentum *Legis*. Hæc autem (quæ ſequuntur) ſunt judicia blaſphemi.

Et uterque lapidibus obruitur.] Primo lapidibus obruebantur, tum ſuſpendebantur. Hebræorum nonnulli omnes lapidatos ſuſpendi ajunt; alii ſolum idololatram, & blaſphemum. כל הנסקלין נתלין וחכמים אומרים אינו נתלה אלא המגדף והעובד ע"ז. *Omnes lapidati ſuſpenduntur. Sapientes dicunt blaſphemum tantum & idololatram ſuſpendi.*

י אין המגדף חייב סקילה עד שיפרש את השם המיוחד של ארבע אותיות שהוא אלף דלת נון יוד ויברך אותו בשם מן השמות שאינם נמחקין שנ' ונוקב שם ה'· על השם המיוחד חייב סקילה ועל שאר הכנויין באזהרה· ויש מי שמפרש שאינו חייב אלא על שם יוד הא ואו הא ואני אומר שעל שניהם הוא נסקל· אזהרה של מגדף מנין שנ' אלהים לא תקלל·

X. Blaſphemus non eſt reus lapidationis, donec protulerit proprium illud nomen quatuor literarum, Aleph, Daleth, Nun, Jod, idque exſecratus ſit nomine aliquo ex nominibus illis, quæ non delentur. q. d. *a Qui declarat nomen Domini.* Propter nomen illud proprium reus fit lapidationis, & reliqua attributa, in admonitione continentur. Eſt qui aſſerat, non teneri niſi propter nomen Jod, He, Vau, He: ego vero ajo propter utrumque lapidandum. Admonitio autem de blaſphemo ubi exſtat? in verbis, *b Deo non maledices.*

a Levit. 24. 18.

b Exod. 23. 26.

Blaſphemus non eſt reus.] Ex Sanhedrin cap. VII. 7. Nomen המיוחד Maimonides vult eſſe אדני, quia eadem puncta habet, quæ tetragrammaton.

Ex nominibus, quæ non delentur.] Septem Hebræi ponunt, אל, אלוה, אלהים, אדני, יהוה, צבאות, שדי: quorum ſi forte unum loco alieno ſcripſerint, non eradunt, ſed cultello exſcindunt, & recondunt in capſulis, quas eo fine in ſynagogis habent. Id præceptum ajunt Deut. XII. 3. 4. quia נקב & *maledicere*, & *perforare* eſt: quomodo uſurpatur II Reg. XII. 10.

Idque exſecratus ſit.] ברך, quod proprie *benedicere*, ob εὐφημισμὸν, & veneratione Dei, uſurpari volunt pro *maledicere*: uti I ſive III. Reg. XXI. 10. & Jobi I. 5. idque recepto quoque gentilibus more, quibus religio erat in rebus ſacris vocibus ſcævis uti: unde *alter* pro infauſto. Feſtus, *Alter*, inquit, *& pro non bono ponitur, ut in auguriis: altera enim appellatur avis, quæ utique proſpera non eſt: ſic alter nonnunquam pro adverſo dicitur & malo.* Sed fortaſſis verbi ברך ejuſdem eſt natura, cujus Græcorum εὔχεσθαι, & *precari* Latinorum; quæ in utramque partem uſurpantur. Sic רצה, quod ἁπλῶς *velle*, pro *bene velle* ponitur, ut θέλειν, & *cupere*.

Eſt qui aſſerat.] Selomonem Jarchi deſignat, qui ad Levit. XXIV, 16, ait אינו חייב עד שיפרש את השם ולא המקלל בכנוי, *Non eſt reus, priuſquam expreſſerit nomen; non autem qui maledixerit per attributum.* שם eſt tetragrammaton, quod שם המפורש vocant. כנוי *attributum*, ſeu ἐπίθετον eſt, cujuſmodi קדוש apud Hebræos, apud Arabes رحيم aliaque id genus innumera. כנוי à כנה *denominare*, originis Arabicæ eſſe videtur, quamvis paululum deflexa ſignificatione. Nam كنية illis eſt *prænomen*, ut ابو جعفر محمد بن جرير الطبري ubi quatuor more Arabum nomina habes: كنية ſeu prænomen à filio ſumptum ابو جعفر *Abu Giafar*: id eſt, *pater Giafar*. اسم ſeu שם המפורש nomen ipſum محمد *Muhammed*: لقب *cognomen*, quod illi à patre ſumunt, بن جرير *filius Giariri*. uti prænomen à filio, denique & نسبة quod à patria, aut gente الطبري *Tabarita*. Sed hæc obiter. Vide ad hunc locum eruditiſſimas Cochi notas ad Sanhed. IV, 5.

יא בכל יום ויום בודקין את העדים בכנוי יכה יוסי את יוסי נגמר הדין מוציאין את כל אדם לחוץ ושואלין את הגדול שבעדים ואומרים לו אמור מה ששמעת בפירוש והוא אומר והדיינים עומדים על רגליהם וקורעין ולא מאחין· והעד השני אומר אף אני כמוהו שמעתי ואם היו עדים רבים צריך כל אחד ואחד מהן לומר כזה שמעתי:

XI. Singulis diebus examinabant teſtes mutato nomine. nempe, *Percutiat Joſe Joſen.* Perfecto judicio exire cæteros omnes jubent, & teſtium maximum interrogant, his verbis, *Dic aperte, quid audiveris.* Illo dicente, in pedes ſe judices erigebant, & veſtem dilacerabant, nunquam reſarciendam. Teſtium alter ajebat, *Idem, quod ille, & ego audivi.* Quod ſi complures forent teſtes, neceſſarium erat unumquemque ex illis dicere, *Eadem, quæ ille, audivi.*

Singulis diebus examinabant teſtes.] Sanhedr. IV. 5. Quo loco eruditiſſ. Cochus vertit, *Toto die.* Malim ex mente Maimonidæ, *ſingulis diebus.* בדק *explorare, perveſtigare*, quid differat à דרש & חקר, vide nunquam ſatis laudatas Cochi notas ad eundem locum. Ratio judicii hujus in Sanhedrin fuſius exponitur. Ante examen מאיימין את העדים terrorem teſtibus incutiebant, ne temere ex rumore, aut auditione aliqua, capitis quemquam accuſarent. Quippe ajebant, ſerio ſe in omnia inquiſituros. Sanhed. IV. 5. Quæſtio ipſa ſextuplex erat; de heptaëteride, anno, menſe, die menſis, nomine diei, hora. ibid. V. 1.

Mutato nomine, Percutiat Ioſe Ioſen.] Nomen Joſe adhibitum videtur, quia tetragrammati inſtar quadrilitterum erat. Undè videre eſt, religionem gentis, non niſi timide adeo, & neceſſario in ipſis judiciis Dei nomen efferentis. Utinam indolis hujus partem hauſiſſent ii, qui hodie temere, & in rebus putidiſſimis, Dei nomen toties uſurpant.

In pedes ſe judices erigebant.] Ad teſtandum horrorem, & indignationem. Niſi forte venerationis cauſſa id fiebat, ad auditum nomen divinum. Quomodo legas Geneſ. XLIX. 33. Jacobum finitis mandatis & prolata benedictione pedes intra lectulum collegiſſe. Volunt enim He-

Hebræi, eum cum benediceret conſediſſe, demiſſis in terram pedibus; ut ſaltem ſic honorem Deo exhiberet. Quod neſcio, cur magnus Mercerus improbet. Similiter Gen. XLVII, 31. Joſepho jurante, Jacob ſe incurvaviſſe dicitur: nimirum ad auditum nominis divini; ut placuit avo meo Fr. Junio. Numer. XXIII. 22. Bileam vaticinaturus ait, *Surge Balak*, eodem fine. Et Jud. III. 20. Eglon adſurrexit Ehudi de Deo locuturo.

Nunquam reſarciendam.] nimirum ita, ut evaneſcerent veſtigia rupturæ. Nam negligentius filo in unum contrahere labra rupturæ licebat, eaque vocabatur איחוי אלכסנדרי *reſarcitio Alexandrina*: uti ad Sanhedr. annotat eruditiſſ. Cochus. Vide eum.

יב מגדף שחזר בו בתוך כדי דבור אינו כלום אלא כיון שגידף בעדים נסקל׳ מי שגידף את השם בשם עכ״ום קנאים פוגעין בו והורגים אותו ואם לא הרגוהו קנאים ובא לבית דין אינו נסקל עד שיברך בשם מן השמות המיוחדין:

XII. Si blaſphemus revocat verba, ſimulatque locutus eſt, nihil hoc eum juvat. Sed ubi blaſphemiam dixerit, præſentibus teſtibus, lapidibus obruitur. Eum vero, qui Dominum execratus ſit per nomen alicujus idoli, zelotæ, qui occurrerint, interficiunt: ſi non interfecerint eum zelotæ, & res ad Senatum venerit, non lapidabatur, priuſquam Deum execratus eſſet uno ex propriis nominibus.

יג כל השומע ברכת השם חייב לקרוע ואפילו על ברכת הכנוי חייב לקרוע והוא שישמענה מישראל׳ אחד השומע מפיו ואחד השומע מפי השומע חייב לקרוע ודוקא ששמעו מפי ישראל אבל השומע מפי הגוי אינו חייב לקרוע׳ ולא קרעו אליקים ושבנא אלא מפני שרבשקה ישראל משומד היה:

XIII. Quicumque blaſphemiam divini nominis audit, lacerare veſtem tenetur: ut & propter blaſphemiam divini attributi: nimirum is, qui eam audit ex ore Iſraëlitæ. Perinde autem eſt, ſive quis audiat ex ore blaſphemi: an ex ore alterius, qui audivit. Nam lacerare tenetur, ſcilicet qui audit ex ore Iſraëlitæ: ſed qui ex ore gentilis audit, non adigitur veſtem dilacerare. Neque Eliakim & Sebna aliam ob cauſſam veſtes diſcerpſerunt, quam quia Rabſake Iſraëlita apoſtata erat.

Rabſake Iſraelita apoſtata erat.] Quare ergo Eliakim & Sebna veſtes ruperunt? cum, ut ſupra §.8. hujus capitis dictum eſt, Iſraelita מהפך, aut מומר, ſit inſtar gentilis in omnibus ſuis actionibus. An quia Iſraelita apoſtata aliquando cognovit Deum? ſic videtur. Itaque cum autor hoc loco ait, ei lacerandas eſſe veſtes, qui blaſphemias alterius ex ore Iſraelitæ audit; intellige, tum Iſraelitam Deo vero adhærentem, tum qui ab eo defecit.

יד כל העדים והדיינים סומכין את ידיהם אחד אחד על ראש המגדף ואומרים לו דמך בראשך שאתה גרמת לך׳ ואין בכל הרוגי בית דין מי שסומכים עליו אלא מגדף בלבד שנאמר וסמכו כל השומעים את ידיהם:

XIV. Teſtium ac judicùm unuſquiſque manus ſuas imponit capiti blaſphemi, his verbis, *Sanguis tuus ſupra caput tuum: nam tu tibi ipſi hujus rei cauſſa es.* Neque inter omnes, qui à Senatu necabantur, ullus fuit, cui manus imponerentur, præter blaſphemum. q. d. *Et* a *imponent omnes audientes manus ſuas.* a Levit. 24. 14.

פרק שלישי

CAPUT III.

א כל העובד כו״ם ברצונו בזדון חייב כרת ואם היו שם עדים והתראה נסקל ואם עבר בשגגה מביא קרבן חטאת קבועה׳

QUiſquis idola ſciens volenſque colit, exſcindendus eſt. Si teſtes adfuere, & admonitus eſt, lapidatur: ſi errore coluit, ſacrificium expiationis determinatum offert.

Sacrificium expiationis determinatum.] Notum, in lege, pro diverſa hominum ſorte, quamvis ob idem peccatum, diverſa fuiſſe ſacrificia. Tale Hebræi vocant קרבן עולה ויורד *ſacrificium adſcendens, aut deſcendens*, id eſt, majus aut minus, pro fortuna cujuſque. Eorum qui hæc offerre tenerentur, in Keretot cap. II. ſex genera memorantur; leproſus, puerpera, qui inſcius pejerat, qui falſum teſtimonium imprudens dicit, immundus qui inſcitiâ aut ſanctificatum comedit, aut ſanctuarium intrat. At ejus, qui idololatria ignarus ſe polluiſſet, ſacrificium appellabatur חטאת קבועה *expiatio ſtabilis* aut *determinata.* Omnia enim præcepta negativa in actu conſiſtentia, uti exterminii aliquem reum faciunt, ſi ſciens volens tranſgreſſus ſit; ita, ubi per ignorantiam violantur, ad expiandum habent ſacrificium determinatum; quod non remittitur aut augetur ob ſortem alicujus: unde קרבן קבועה *ſacrificium fixum* appellatur. Hujuſmodi eſt, quod Levit. v. 18. præſcribitur. Præcepta autem, quæ ad talia obligant, ſunt numero XLIII.

ב עבודות הרבה קבעו עובדי כו״ם לכל צלם וצלם ולכל צורה וצורה ועבודת זה אינה כעבודת זה כגון פעור שעבודתו שיפער אדם עצמו לו ומרקולים

II. Complures colendi modos idololatræ præfiniverunt unicuique imagini ac ſimulachro; neque hujus cultus illius cultui ſimilis eſt: uti Peor, quem colebant detegendo ſemet coram eo: & Mercurius, cujus

ומרקוליס שעבודתו שזורק לו אבנים או יסקל מלפניו אבנים והרבה עבודות כגון אלו תקנו לשאר צלמים׃ לפיכך הפוער עצמו למרקוליס או זורק אבן לפעור פטור עד שיעבוד אותו דרך עבודתו שנאמר איכה יעבדו הגוים האלה את אלהיהם ואעשה כן גם אני׃ ומפני זה הענין צריכין ב״ד לידע דרכי העבודות שאין סוקלין עובד כו״ם עד שידע שזו היא עבודתו ואזהרה של עבודות אלו וכיוצא בהן היא מה שכתוב ולא תעבדם׃

cujus in eo cultus erat, quod lapides in eum conjectarent, vel coram eo ſpargerent. Varios id genus cultus cæteris etiam imaginibus aſſignarunt. Ideoque qui ſe coram Mercurio detegeret, lapidemve in Peor ſpargeret, liber erat, donec proprio ei cultu ſerviret. Ita dictum, *a Quomodo ſervierunt gentes iſtæ diis ſuis, ut ego ſic faciam.* Ac propter ejuſmodi, neceſſarium eſt Senatui ſcire modos colendi, ne lapidibus obruant idololatram, antequam iis conſtiterit, hunc eſſe ejus cultum. Atque de hoc cultus modo, & aliis id genus, admonitio exſtat in his verbis, *b Non ſervies eis.* a Deut. 12. 30. b Exod. 20. 5.

Uti Peor, quem colebant detegendo ſe coram eo.] Iarchi ad Num. xxv. 3. ait, פודעין לפניו פי הטבעת ומוציאין רעי, *aperiebant coram eo anum, & ſtercus egerebant.* Hæc vulgaris eſt Rabbinorum omnium opinio. Quam probare neutiquam poſſum. Nam cui veriſimile fiat, cuiquam Deorum talem exhibitum eſſe cultum: eoque nec etymon illud approbàro. Quanto ſane aliter Romani! quos ſordes ejuſmodi à templis etiam removiſſe, vel fidem fecerit illud Perſii:

> *Pingue duos angues: pueri ſacer eſt locus. extra*
> *Mejite.*

Item apud Plutarchum, Χρύσιππος ἐν τῷ πέμπτῳ περὶ Φύσεως λέγει. καλῶς μὲν ἀπαγορεύειν τὸν Ἡσίοδον εἰς ποταμοὺς καὶ κρήνας οὐρεῖν· ἔτι δὲ μᾶλλον ἀφεκτέον εἶναι τοῦ πρὸς βωμὸν οὐρεῖν, ἢ ἀφίδρυμα θεοῦ. μὴ γὰρ εἶναι πρὸς λόγον, εἰ κύνες καὶ ὄνοι τοῦτο ποιοῦσι καὶ παιδάρια νήπια, μηδεμίαν ἐπιστροφὴν, μηδ᾽ ἐπιλογισμὸν ἔχοντα περὶ τῶν τοιούτων. *Pulchrè prohibet Heſiodus, nequis mejat in fluvium, aut fontem: ac magis etiam abſtinendum ad aram, aut ſtatuam numinis. Nec enim referre, ſi canes, aut aſini hoc faciant, vel infantes, qui talia neutiquam attendunt, vel ad animum revocant.* Et nequis Orientales putet talium incurioſos fuiſſe, ex Herodoti lib. 1. & Strabonis xv, cognoſcimus, Perſas, quibus Aqua inter numina foret, ſedulo caviſſe, ne vel cibi retrimentis, vel ſaccato illo corporis humore, aquas pollucrent. Nempe cogitabant, numen non minori honore dignum eſſe, quam regem: apud quem Perſis ne deſpuere quidem licuit; ut idem Herodotus teſtis lib. 1. & Xenophon in primo Cyropæd. Quare difficillime adducar, ut credam, Orientales coram Baal Phegor ſolere alvum excernere. Sed facilius eſt falſam refellere opinionem, quam veram invenire. Tentemus tamen. Quid ſi dicamus, פעור eſſe à פער, quod notat proprie *diſtendit os*: ut credamus, ſtatuam ejus ſimilem fuiſſe Phidiacæ Minervæ, quæ ore erat aperto: unde Tzetzes Chil. VIII, com. CXCIII:

> Ἐποίησε τὸ ἄγαλμα ἀνεῳγὸς τὰ χείλη
> Τοὺς μυξωτῆρας τε αὐτοῦ ἔχων ἀνεσπασμένους.
> *Fecit ſimulachrum labris apertis,*
> *Ac naribus ejus deductis.*

An potius ſtatuendum, nomen inde traxiſſe, quod ſacerdotes ejus carnem ſuam aperirent & ſecarent: ut Baalitæ faciunt 1 Reg. XVIII, 28. An, quod Scaligero placuit, verum numinis ejus nomen fuiſſe בעל רעם; hoc eſt, *dominus tonitruum*; quaſi Jovem Tonantem dicas: ſed Hebræos, cum præclarum Tonantis nomen indigne idolo tribui viderent, per contemtum nuncupaſſe, בעל פעור. hoc eſt, Deum crepitus ventris. Quod Græcis, οὐ βροντὰς, ἀλλὰ πορδάς. Sed potius, paterno more, premam in iſto etiam veterum veſtigia: qui exiſtimant, *Baal Peor* dici à monte ejus nominis, ubi colebatur. Sane Baal Peor, ſive Phegor, numen erat Moabitarum: & mons פעור erat in Moabitide: ut liquet ex Num. XXIII. 28. Ubi rex Moabitarum Balac aſſumſiſſe dicitur Bileamum in jugum montis Phogor, ſive Phegor, ut ibi ſacrificaret. *Phegor* autem eſſe loci nomen, inter alios etiam Theodoreti ſententia eſt in Pſal. CV. ſive Heb. CVI, 28. Gentilium vero numinum appellationes à loco deſumi ſolere, apertius eſt, quam ut probato ſit opus. Idem Theodoretus inibi ait, Baal Phegor credi Saturnum. Quomodo idem fuerit ac Moloch Ammonitarum, ſive, ut aliis ſcribitur, Milcom, aut Melcom. B. Hieronymus non uno loco tradit, eſſe Priapum: quod ſi, Stoicorum more, de æthere aut Sole interpreteris, unde vis generatrix; probe cum iis conveniat, quæ diximus: ſin populari more accipere placet; nomen ex eo erit, quia (ut putidum illud numen de ſe in Ithyphallicis ait epigrammatis) natura ei ſemper ſit aperta, ſive partibus illis, quæ haut honeſtè nominantur, apertis, pulſo ſemper ſtet pudore. Video & eruditiſſimum virum per eum intelligere Jovem Stygium. Quod magis probarem, ſi Peor ſcriberetur non per ע, ſed per ג. Nam פגר *cadaver*. At Pluto mortuis creditus præeſſe. Sed adfert pro ſe illud Pſal. CV: *Et initiati ſunt Baal Phegor, & comederunt ſacrificia mortuorum.* Ubi per mortuorum ſacrificia idem intelligit victimas, quæ mortuorum gratia Jovi Stygio offerrentur. Verum magis mihi placet ſententia Nicolai Lyrani, ſic interpretantis, *Comederunt de carnibus animalium idolis immolatorum.* ut זבחי מתים non ſint carnes, quæ pro mortuis offeruntur, ſed carnes immolatæ, ſive εἰδωλόθυτα: quod certe mihi valde placet, cum & Arabs eodem modo tranſtulerit [illegible] *ſacrificia mortua*: Syrus דבחא דמיתא *ſacrificia mortuorum*, ut Hebræus. Etiam Græci θυσίας νεκρῶν, & Chaldæus habet ניכסת מיתיא *oblationem mortuorum.*

§. ead. *Et Mercurius, quem colunt ſpargendo in eum lapides.*] Unde Ἑρμαῖοι λόφοι, quorum volunt meminiſſe etiam Salomonem Proverb. XXV. 8. *Sicut qui mittit lapidem in acervum Mercurii*: ubi in Hebræo erat מרגמה, quod σφενδόνην Græci, interpretum recentiores *fundam*, aut *baliſtam* tranſtulere. Nicolaus Lyra videtur ignarus fuiſſe moris antiquitus uſurpati, conjiciendi lapides in acervum. Nam verba Salomonis explicans; *id eſt*, inquit, *ad ædificandum templum in honorem hujus idoli.* Niſi forte novo prorſus exemplo, quod non puto, acervum lapidum nuncupat templum Mercurii. Sed nota res eſt, & jam multis tradita. De cauſis lapidum ad Mercuriales ſtatuas conjectorum diſſerit Cornutus de natura deorum, & inter rationum cæteras hanc adfert, ὡς ὑποκρινόμενος τὴν εἰς αὐτὸν τιμὴν, ἢ μηδὲν ἄλλο ἔχειν προσενεγκεῖν αὐτῷ, *velut ſignificans ei, quo honore eum proſequatur, quaſi nihil nunc occurrat, quod offerat.* Adi illum, ſi plura vis. Nomen מרקולים R. Tam 7. cap. Sanhedrin compoſitum vult ex מר & קלים hoc eſt, *loco infamiæ*: nam קילוס *laudem* ſignificat: idque verum nomen erat idoli. Sed Sapientes ex קילוס fecerunt קלס *infamia*, contemtu idoli; ut בעל זבוב *Beelzebub*, aliaque id genus, per ludibrium dicta ſunt. מר autem ſignificat *pro loco*; ut nomen hoc denotet, *pro laude eſt infamia.* Sed de his nimis multa.

Ibid. *Liber erat, donec proprio ei cultu ſerviret.*] Hinc Sanhedrin cap. v. §. 1, ubi quæſtio in idololatram habetur,

tur, inquirendum dicitur את מי עבד ובמה עבד *quem, & quo cultu, coluerit.* Apud Romanos lex ea fuit: *Sacerdotes, quæ quoique divo decora grataque ſint hoſtiæ, providento.* Itaque aliena hoſtiâ (id eſt, quæ non dicata ſit illi Deo, cui offertur) nequaquam placari Deos, ait Plinius lib. VIII. cap. 45. *Notatum, vitulos ad aras humeris hominis allatos non fere litare; ſicut nec claudicante, nec aliena hoſtia Deos placari, nec trahente ſe ab aris.* Contra morem erat, vitulos adferri; qui ducendi erant.

Ibid. *Ac propter ejuſmodi neceſſarium eſt Senatui, ſcire modos colendi.*] In Gemara 1. cap. Sanhedrin. אמר ר' יוחנן אין מושיבין בסנהדרי אלא בעלי קומה ובעלי חכמה ובעלי מראה ובעלי זקנה ובעלי כשפים ויודעים בשבעים לשון &c. *Ait R. Jochanan, non adſciſci in Synedrium, niſi præſtantes ſtatura, ſapientia, forma, ſenectute, magia, & ſeptuaginta linguarum peritos.* Nec obſcura eſt ratio, cur voluerint Hebræi, Senatorem harum artium peritum eſſe: nempe ne magiæ nefariæ reos peragerent, qui in occulta naturæ altius penetraſſent: uti ſæpius noſtro, ac ſuperioribus ſeculis, uſu veniſſe conſtat. Thalmudicorum dictum eſt: *Noli addiſcere, ut facias abominanda gentium illarum. Ut facias, diſcere non licet; ut ſcias, licet.*

ג כר"א בשאר עבודות חוץ ממשתחוה וזובח ומקטר ומנסך אבל העובד באחת מעבודות אלו לאחד מכל מיני כו"ם חייב ואע"פ שאין דרך עבודתו בכך:

III. Hæc quidem in cæteris cultus generibus locum habent; excepto illo, qui ſe incurvat, aut ſacrificat, aut ſuffitum vel libamen offert. Nam qui uno ex his cultus modis alicui idolorum ſervit, reus eſt, etiamſi ejus imaginis cultus alius ſit.

ד כיצד הרי שניסך לפעור או שזבח לטרקולים חייב שנאמר זובח לאלהים יחרם בלתי ליי' לבדו וזביחה בכלל עבודו' היתה ולמה יצאת לומר לך מה זביחה מיוחדת שעובדין בה לשם וחייב הזובח לאל אחר סקילה עליה בין היתה דרך עבודתו בזביחה או אינה בזביחה אף כל עבודה שהיא מיוחדת לשם אם עבד בה לאל אחר בין שהיתה דרך עבודתו בכך בין שאינה בכך חייב עליה: לכך נאמר לא תשתחוה לאל אחר לחייב על ההשתחויה אפילו אין דרך עבודתו בכך והיא הדין למקטר ומנסך וזורק ומזבח אחר היא:

IV. Ecce hic & ille, qui Peori libat, & qui Mercurio ſacrificat, condemnatur: quia ait Scriptura: *Qui* a *ſacrificat Diis, exſcindetur: præterquam Deo ſoli.* Sacrificium, ſub generali cultus voce comprehenſum, quorſum hic eximitur? Ut palam fiat, quemadmodum ſacrificium eſt cultus Deo proprius: atque is lapidandus eſt, qui numini alteri ſacrificarit, ſive in ſacris ejus adhiberi ſacrificium ſoleat, ſive non ſoleat: ſic etiam, ſi qualemcunque cultum, Dei proprium, alteri Deo exhibeas, ſive is Deus ita ſoleat coli, ſeu minus; reum aliquem propterea fieri. Iccirco dictum eſt: *Ne* b *te incurves alteri Deo:* quia condemnatio fit ob incurvationem, tametſi cultus ejus hac in re non conſiſtat. Quæque pœna eſt ſuffitum, aut libamen offerentis, eadem ſpargentis, vel libantis.

a Exod. 22. 19.
b Exod. 34. 14.

Sacrificium ſub univerſali cultus voce comprehendebatur.] Subnixa eſt hæc expoſitio octavâ regulâ R. Iſmaëlis: quæ ait, כל דבר שהיה בכלל ויצא מן הכלל ללמד· לא ללמד על עצמו יצא· אלא ללמד על הכלל כלו יצא· *Quidquid eſt in univerſali, & egreditur ab univerſali ad docendum; non exivit, ut de ſeipſo doceat; ſed, ut doceret de univerſali toto, exivit.* Exempli cauſſâ, Levit. xx. 2. dicitur: *Quiſquis e filiis Iſraelis, aut e peregrina gente, qui peregrinatur in Iſraele, dederit de ſemine ſuo Molecho; omnino morte afficitor: populus ipſe terræ obruunto eum lapidibus.* Quæritur, cum variæ ſint ſpecies idololatriæ, cur S. Scriptura hic potiſſimum in Molechi cultu, non item in aliis, pœnam talium ſanciverit? Occurrunt Rabbini, juxta ſuperiorem regulam; non ideo ſpeciatim memorari pœnam in Molechi cultu, ut oſtenderetur ſolum, quo ſupplicio ejus cultores afficiendi eſſent; ſed ut univerſe ſciremus pœnam omnium idololatrarum. Idem in exemplo, à Maimonide allato, locum habet. Nam ſi rogemus, cur S. Scriptura, quæ dixerat, *Ne ſervias diis gentium*; quibus verbis omnem cultum complectitur; poſtea inquiat, *ſacrificans idolis exſcindetur*: reſpondendum eſt; ſpeciem hanc ex generali eximi, ut de genere doceat, non ſpeciatim de ſe. Rhetores appellant ſynecdochen ſpeciei. Quare ſententia fuerit Maimonidæ: quemadmodum ille, qui ſacrificat Diis, tametſi in illorum Deorum cultu ſacrificia uſurpari non ſolerent, nihilominus vita privatur, quia ſacrificium eſt inter honores vero Deo præſtari ſolitos: ita & quiſquis cultum ſupremo Numini exhiberi ſuetum idolo exhibet, tametſi gentes talem cultum inter cærimonias illius idoli non uſurpent, nihilominus morte afficiendum eſſe. Nempe eodem loco, quo ſacrificium eſt, ſunt etiam ſuffitus & λοιβὴ, ſeu σπονδὴ, *libatio*; quorum utrumque in templo Dei uſurpabatur. Quia autem iis non includitur adoratio, volunt ſubjeciſſe S. Scripturas, *Ne te incurves Deo alteri.* Incurvare eſt προσκυνεῖν, atque illud השתחויה quod regibus ſuis Oriens exhibebat. Ita in Euang. Matth. 11. 2. Magi venerunt, ut Chriſtum adorarent, id eſt, τὸ προσκυνῆσαι ἕνεκα. Unde quatuor generales in idololatria cultus ſunt, quos oſtendimus. Hac de cauſſâ vult quoque R. Moſes, ſanguinis diſperſionem locum libaminis è vino obtinere: proque ſententia hac quoque adfert, quod Pſalmographus eam eodem vocabulo nominat: בל אסיך נסכיהם מדם, *Non libabo oblationes eorum è ſanguine.*

ה ספת לה צואה או שניסך לה עביט של מימי רגלים חייב· שחט לה חגב פטור אלא אם כן היתה עבודתה בכך· וכן אם שחט לה בהמה מחוסרת אבר פטור אלא אם כן היתה

V. Qui adſperſerit excrementis, aut libarit vaſe urinæ, reus eſt. Qui mactarit ei locuſtam, liber eſt; niſi in eo conſiſtat cultus ejus. Sic quoque, ſi mactarit ei jumentum membro quopiam mutilatum, liber eſt; niſi talis cum colendi ritus obtineat. Idolorum cultus, in quo baculus adhibetur,

היתה דרך עבודתה בכך · כו"ם שעובדין אותה
במקל שבר מקל בפניה חייב ונאסרת · זרק מקל
בפניה חייב ואינה נאסרת · שאין זריקת המקל
כעין זריקת הדם שהרי המקל כמות שהוא
והדם מתפזר :

betur, ſi is confractus eſt in conſpectu idoli, (homo) reus, (baculus interdictus eſt. Si coram eo projecerit, (vir) reus; ſed non interdictus (baculus) Quia projicere virgam non perinde eſt ac ſanguinem ſpargere. Etenim virga permanet, qualis antea: ſanguis autem diſpergitur.

Qui adſperſerit eum incrementis, aut libârit vaſe urina.] Ratio eſt, quia id ſimile eſt libationi, & aſperſioni ſanguinis, quæ in divino cultu adhiberi ſolebant. Contra locuſtam, aut mutilum animal offerens, pœnæ non ſubjicitur, quia nihil tale in cultu Dei erat. Hac in re R. Moſes veteres Rabinos ſequitur, contra opinionem R. Jehudæ, quarto cap. Aboda Zarà.

Idolorum cultus, in quo adhiberi ſolet baculus.] Ex ante dictis conſtat, duo fuiſſe, quæ hominem facerent reum: ſimilitudinem cultus veri Dei, & conſuetudinem colendi quodque idolum. Prius nititur his verbis S. Scripturæ, *Sacrificans idolis exſcindetur.* alterum illis: *Ne quæras Deos eorum, dicendo, Quomodo ſerviunt gentes illæ Diis ſuis? & faciam ſic quoque ego. Ne facias ſic, &c.* Unde autor noſter ait, ſi cujus idoli cultus conſiſtat in agitatione & motitatione virgæ; eum, qui virgam frangit, reum eſſe; quatenus hoc ſimile illi eſt, quod in vero Dei cultu, animalium oſſa confringere ſolebant. Itaque talis condemnabatur, tametſi proprie cultus idoli non in fractione, ſed ſola agitatione virgæ conſiſteret. Virga autem ipſa prohibita erat, id eſt, nullus eam in uſum ſuum convertere poterat: quia idolo munus offerebatur his verbis diſertim prohibitum: *Qui victimarum adipe veſcebantur, & qui bibebant vinum libaminis.* Sed ſi virgam projeciſſet, inque ea projectione conſtiterit cultus idoli; id qui feciſſet, reum peragi oportuit; virga autem non erat prohibita. Nec obſcura eſt ratio, quando multum hæc diſcrepant; ſanguine quidem diſſluente, ſalva autem integraque virga.

ו המקבל עליו אחד מכל מיני עכ"ום באלוה
חייב סקילה ואפילו הגביה לבינה ואמר לה
אלי אתה וכן כל כיוצא בדיבור זה חייב · ואפילו
חזר בו בתוך כדי דיבור ואמר אין זה אלי אין
הזירתו כלום אלא נסקל :

VI. Quodcunque tandem idolum quis pro Deo aſſumat; lapidationis eſt reus. Imo ſi vel late rem attollens, ei dicat, *Deus meus tu es*: cum quicquid in hanc ſententiam dicatur, crimen ſit. Quantumvis autem inter loquendum pœnitudine ductus dicat, *Nequaquam hic Deus meus*: nihil juvat, verùm lapidibus obruitur.

Quodcunque tandem idolum quis.] In Aboda Zara cap. III. dicitur, ſimulatque aliquis diverſi quid à vero Numine dixerit Deum ſuum eſſe; capitis reum fieri: cujus rei cauſſam adduximus antea, cum de blaſphemo ageremus. Etiam in Sanhedrin cap. VII. §. 6. legimus: אחד העובד ואחד הזובח ואחד המקטר ואחד המנסך ואחד המשתחוה ואחד המקבלו עליו לאלוה והאומר לו אלי אתה id eſt: *Eodem redit, idolo quis cultum ſuum exhibuerit, ſacrificaverit, ſuffitum, aut libamen obtulerit, adoraverit; an Deum illud ſibi fecerit, dicendo, Deus meus tu es.* Videmus clarè, ut abſit reliquus cultus, ſola hæc verba damnare. R. Moſis tamen diverſa eſt opinio, quia diſertim ait, *Si vel ſublato latere dicat ei, Deus meus tu.* Quod arguit, præter verba minimum ſublationem lateris requirere. Unde & ſuperius cap. II. §. 3. ait: *Et quicumque reſpicit ea* (idola) בדרך כבודו עושה בו מעשה *ita ut aliquod opus faciat, certe ille percutietur.*

Si vel laterem attollens.] Haud dubie autor reſpicit ad morem gentilium, qui etiam informes lapides colebant. Teſtis Pauſanias in Achaicis. Τὰ δὲ ἔτι παλαιότερα καὶ τοῖς πᾶσιν Ἕλλησι τιμὰς θεῶν ἀντὶ ἀγαλμάτων εἶχον ἀργοὶ λίθοι. *Et antiquioribus temporibus, apud omnes Græcos, rudes lapides divinos honores, pro ſimulachris habebant.* Fortaſſe origo à veneratione, quæ præſtita lapidi inuncto à Jacobo in Bethel: unde & lapis Saturno pro Jove objectus dictus βαίτυλος: qui, ut Priſcianus teſtis, aliter vocatus *abaddir.* Vide de hoc lapide Damaſcium in vita Iſidori apud Photium, Priſcianum non uno loco, & Joſephum Scaligerum animadverſionibus Euſebianis, num. ClƆ ClƆ CL.

ז העובד כו"ם כדרכה ואפילו עשה דרך בזיון
חייב כיצד הפוער עצמו לפעור כדי לבזותו או זרק
אבן למרקולים כדי לבזותו הואיל ועבודתו בכך
חייב ומביא קרבן על שגגתו :

VII. Qui colit idola ritu ſuo, etſi per ludibrium faciat, reus eſt. exempli gratia, qui retegit ſe ipſum coram Peor ad illudendum ei, aut lapide Mercurium petit in contemtum ejus, quia cultus ejus in hoc conſiſtit, reus eſt, & ſacrificium adducet expiando errori ſuo.

Etſi per ludibrium faciat.] Nimirum, quia animum non omnes homines norunt; & poſſit aliquis ſuſpicari, illud a religione profectum. Unde Gemara Sanhedrin cap. VII, legere eſt, R. Menaſſeh iter facientem, oſtenſo à comitibus idolo, per contemtum lapidibus illud impetiiſſe. Poſtquam vero animadverterunt, Mercurii ſimulachrum eſſe; eum dixiſſe, non videri ſibi nefas hoc eſſe, quando per ludibrium fieret. Re ad judices delata, pronunciaſſe eos, id illicitum eſſe, quia ille proprius Mercurii cultus foret. Hinc infra §. 10. auctor noſter ait, nefas eſſe, ante idolum ſeſe incurvare, ut ſpinam pedi infixam eximas, aut argentum humi diſperſum tollas. Eodem refero, quod in Aboda Zara cap. I. §. 4. dicitur, Si urbem quampiam idololatræ habitent, non licere incedere via, quæ ad ſolam illam ducit: contra permitti, ſi idem quoque iter ad alia ducat loca. Scilicet, ne religionem alii interpretentur. Etenim ſcandala vitanda ſunt propter חלול השם *profanationem nominis divini.* Unde in Pirke Abot cap. IV. R. Jochanan, ait, אחד שוגג ואחד מזיד בחלול השם *Eodem redit per errorem quis, an conſulto profanet nomen Dei.* Quod non ita capiendum, quaſi nihil referat, utrum errore pecces, an malitia: ſed quia apud homines, animi tui ignaros, ſcandalum nihilo fit minus.

Sacrificium adducet.] quia mortis ſupplicium effugit, qui cultui voluntatem & religionem non adjicit: unde illud in SS. בזדון ביד רמה, *per ſuperbiam, & manu elata.*

ח העובד כו"ם מאהבה כגון שחשק בצורה זו מפני מלאכתה שהיתה אה ביותר או שעבדה מיראתו לה שמא תריע לו כמו שהן מדמין עיבריה שהיא מטיבה ומריעה אם קבלה עליו באלוה חייב סקילה ואם עבדה דרך עבודתה ובאחת מארבע עבודות מאהבה או מיראה פטור :

VIII. Qui idolis ſervit amore, uti is, qui imaginem quampiam amat propter artificium, & formæ decus: item qui metu hæc colit, ne ſibi maleſaciat; quo pacto ejus cultores arbitrantur, male vel bene ſibi facere: Si illud pro Numine ſuo recepit, lapidibus eſt obruendus Quod ſi ritibus, quis ſolitum, unove ex quatuor cultus modis, ſervierit amore aut metu; liber fuerit.

Quod ſi ritibus, queis ſolitum, &c.] Statuunt Thalmudici, tria eſſe, quorum nihil facturus ſit Judæus, Dei vere metuens, utcunque vel mors imentetur: ea eſſe idololatriam, adulterium, homicidium. Attamen R. Moſes à pœna immunem pronunciat, qui eorum quid fecerit vi adactus. Cum vero additur, *amore aut metu*, non hoc capiendum de amore vel metu idoli. Siquidem, ut Maimoniden cap. 1. §. 3. audiimus dicentem, idololatræ ideo falſos colebant Deos, quod perſuaſum haberent, poteſtatem iis eſſe bene faciendi, aut male. Unde & qui Deum quam religioſiſſime coli volunt, ajunt, עבוד מאהבה עבוד מיראה *Cole ex amore, & cole ex timore.* Hic vero & metum intelligit ab eo, qui vel præmium offerat, vel pœnam interminetur. In Gemara VII, cap. Sanhedrin, §. 6. Abbai, & Rabba, ſuper eo contentionis ſerram ducunt, utrum reus pœnæ, an ab ea immunis ſit, qui coluerit idolum amore, vel metu alicujus. Abbai reum agit, quia invitus quidem coluerit, interea tamen cultum præſtiterit. Rabba autem talem abſolvit, quia non coluerit ex animo: quippe qui idolum non habeat pro Deo, ut non tam verus ſit cultus, quam ſimulatio cultus. Poſteriori ſententiæ ſubſcribit etiam Maimonides. Abſolvere ego non auſim; cum, ut Juriſconſulti ajunt, coacta etiam voluntas ſit voluntas. Potuit ſane abſtinere, utut quis pœnam minitaretur. Levius tamen puniendum, non diffitear.

ט המגפף עכו"ם והמנשק לה והמכבד והמרבץ לפניה והמרחיץ לה והמלביש והמנעיל וכל כיוצא בדברי כבוד האלו עובר בלא תעשה שנאמר ולא תעבדם ודברים אלו בכלל עבודה הן ואע"פכ אינו לוקה על אחת מהן לפי שאינן בפירוש ואם היתה דרך עבודתה באחת מכל הדברים האלו ועשהו לעבדה חייב :

IX. Qui amplectitur idolum, aut oſculatur; qui verrit, vel aquam effundit coram eo; qui illud lavat, veſtit, calceat, aut ſimili afficit honore; tranſgreditur interdictum: quia dictum eſt, *Nec ſervies eis.* Illa autem ſub univerſali cultus (nomine) comprehenduntur. Nec tamen vapulabit ob horum quodquam, quandoquidem non clare (ſunt expreſſa.) At ſi in ullo horum cultus conſiſtat, atque ille fecerit honori ejus, reus erit. Exod. 20. 5.

Qui amplectitur idola, &c.] Sanhedrin cap. VII. §. 6. eadem cultus genera recenſentur; המגפף המנשק והמכבד והמרבץ והמרחיץ הסך והמלביש והמנעיל עובר בלא תעשה: *Qui complectitur, oſculatur, verrit, effundit aquam, lavat, ungit, veſtit, calceat, tranſgreditur interdictum.* Quo loco מרבץ doctiſſimus Cochus, cui multum linguæ hujus ſtudioſi debent, tranſtulit, *collocat*: id eſt, ponit in loco iis deſtinato: reſpiciens credo ad Hebræum רבץ, quod *cubare* eſt, aut uſum Rabbinicum ejus vocabuli; quo doctores legem prælegentes, vocantur מרביצי תורה. Sed illa interpretatio huic loco minus videtur apta. Itaque malui transferre, *aquam effundit*; præeunte Davide de Pomis, qui רבץ interpretatur, פור מים בבית, *effudit aquam per domum.* Et evincunt hoc Maimonidæ verba. Nam cum in cæteris dicat, *Qui oſculatur, amplectitur, lavat, idolum*: hic ait, מרבץ לפניה, *effundens aquam coram eo.* Nimirum voluit his verbis etiam illum, qui in templo, aut delubro, in quo idolum eſt, aquam ad purgandum locum profundit, reum eſſe. De iis autem cultus generibus, quæ hic auctor recenſet, ita cenſendum eſt. Amplexus ſupplicum erat: qui ſolebant, genibus advoluti, clementiam Regum expoſcere: quem & cultum ſtatuis eorum præſtabant. Oſculari antiquiſſima veneratio: unde Job. XXXI. 26. *Si adſpexi Solem, &c. & applicata eſt manus mea ori meo.* Et Servius ad 1 Æneid. *Oſculum*, inquit, *religionis eſt; ſuavium voluptatis.* Vertens, & aquam effundens, videtur cultum tribuere idolis, quatenus munditiem præſtant deorum imaginibus, locisque ſacris. Ac par ratio ejus, quod de lavandis idolis additur. Unxere etiam ſimulachra, quia conveniens Diis, ut bonum ſpirent odorem. Sane apud Maronem Venus in primo magni operis,

—— Avertens roſea cervice refulſit,
Ambroſiæque comæ divinum vertice odorem
Spiravere.

Nihil attamen de ſimulachrorum inunctione apud gentium ſcriptores animo obverſatur. Sed potuit in Oriente is mos vigere. Et, credo, originem traxerit ab lapide, quem Jacob inunxit in בית אל, *Bethel*; unde, ut dictum, βαίτυλοι gentilium. De calceatione nihil item nunc occurrit.

Non tamen percutitur ob horum unum, quia non clare expreſſa ſunt] Nolunt Hebræi, vapulare hominem, priuſquam tranſgreſſus ſit præceptum Dei, quo diſertim talis cultus vetitus eſſet. Unde Thalmudici ajunt, לאו שבכללות אין לוקין עליו, *Interdictum ſiquod ſub univerſali contineatur, non vapulat quis ideo.* Dixerat Deus, *Ne iis ſervias.* Iis verbis generatim quoque, at non ſpeciatim, vetabatur amplexus, & oſculatio idoli. Tamen ſiquis amplexatus, aut oſculatus fuiſſet; nequaquam pœnæ erat obnoxius, quia neutrum horum diſertim expreſſum eſſet.

י ישב לו קוץ ברגלו לפני עכו"ם לא ישוח ויטלנו מפני שנראה כמשתחוה לה נתפזרו לו מעות בפניה לא ישוח ויטלם מפני שנראה כמשתחוה לה אלא ישב ואחר כך יטול :

X. Infixa eſt ſpina pedi ullius ante idolum! Ne ſe incurvet ad eam evellendam: quia videretur alioqui ſe idolo incurvare. Diſperſi ſunt nummi ante idolum? Ne ſe incurvet ad eos tollendos: quippe idolo videretur ſe incurvare: eoque conſideat, & ſic tollat. Effigies eſt aquam effundens

יטול · פרציפות המקלחות מים בפני עכ"ום לא יניח פיו על פיהם וישתה מפני שנראה כמנשק לעבודה זרה ·

coram idolo ? ne ſuum os imponat ori ejus, ac bibat : quia hoc pacto quaſi oſculum ei figere videbitur.

יא העושה עבו"ם לעצמו אע"פ שלא עשאה בידו ולא עבדה לוקה שנאמר לא תעשה לך פסל וכל תמונה · וכן העושה עכו"ם בידו לאחרים אפילו עשאה לגוי לוקה שנאמר ואלהי מסכה לא תעשו לכם · לפיכך העושה עכ"ום בידו לעצמו לוקה שתים : •

XI. Qui ſibi ipſi imaginem facit, etiamſi eam manu ſua non effecerit, neque eam coluerit, vapulat, * quoniam dictum eſt, *Non a facies tibi ſculptile, neque ullam imaginem.* Ideoque is, qui ſua manu ſimulachrum alii, quamvis gentili, fabricaret, nihilo ſecius vapulabat. Quippe dicitur, *Et* b *Deos fuſiles non facietis vobis.* Itaque, qui idolum ipſe ſua elaboraſſet manu, bis vapulabat.

a Exod. 20. 4.
b Levit. 19. 4.

Qui imaginem ſibi facit.] עושה hic fortaſſe melius transferatur, *fieri curat*: quia ipſe autor diſtinguit, addito, *etiamſi ipſe ſua manu non fabricaverit.* Sententia R. Moſis eſt: Eum, qui imaginem ab alio fabricari juſſerit, cauſſam eſſe illius imaginis; cum tamen cuique nitendum ſit, ut ſtatuæ & idola tollantur. Quamvis autem interdictum transgrediatur, in quo nullum opus ſit, eoque plectendus non videatur: Maimonides tamen eximit hunc caſum, & talem habet eodem loco, ac ſi idolum ipſe formaviſſet. Ita & infra cap. v. §. 1. inquit, מסית *ſeductorem*, & מוסת *ſeductum*, puniri, ſi ſolam voluntatem colendi idola habuerint; quamvis non ſervierint idolis re ipſa. Et eodem cap. § 12. ait, puniendum illum, qui votum facit, aut juramentum in nomine idoli. Niſi fortaſſis ideo illud ait, quia ſæpe vota Domino concipientes, opus aliquod facere ſolent; uti qui ſalem adhibebant, aut ſanguinem, & alia id genus, notiora, quam ut hic monere operæ ſit.

Bis vapulabat.] Duplici pœna afficiebatur, quia tum faciendo imaginem, tum eam ſibi faciendo, bifariam transgrederetur interdictum. Nempe & illud, *Non facies* TIBI *ſculptile*: itemque alterum hoc, *Et Deos fuſiles non facietis* VOBIS. Ubi non unum, ſed plures, ac proinde alios etiam, ſignari, ſatis eſt apertum. Solidene hoc dicatur, an minus, non diſputo. Mentem quidem eam eſſe Maimonidæ, minime dubitandum.

יב אסור לעשות צורות לנוי ואע"פ שאינן עכ"ום שנ" לא תעשון אתי · כלומר צורות של כסף וזהב שאינם אלא לנוי כדי שלא יטעו בהן הטועים וידמו שהם לעבודת כו"ם ואין אסור לצור לנוי אלא צורת האדם בלבד לפיכך אין מציירין לא בעץ ולא בסיד ולא באבן צורת האדם · והוא שתהיה הצורה בולטת כגון הציור והכיור שבטרקלין וכיוצ' בהן ואם צר לוקה · אבל אם היתה הצורה משוקעת או צורה של סממנים כגון הצורות שעל גבי הלוחות והטבליות או צורות שרוקמין באריג הרי אלו מותרות :

. XII. Vetitum etiam facere imagines, ornatus gratia ; tametſi non fiant ad cultum. Quippe dictum eſt, *Non a facietis mecum* : ac ſi diceres, (non facietis) imagines argenteas vel aureas, vel tantum ornatus cauſſa : ne per eas ſeducantur errantes, atque exiſtiment, idololatriæ cauſſa (factas) Non eſt prohibitum formare propter ornatum, præterquam hominis figuram. Atque eam ob cauſſam non eſt formanda è ligno, in pariete, aut è lapide, figura hominis. Sed hoc capiendum de imagine quæ protuberat : quales ſunt figuræ ac ſculpturæ in palatiis, & his ſimiles Talem igitur ſiquis fecerit, vapulat. Sin figura ſit depreſſa, vel coloribus expreſſa ; uti illæ, quæ in tabulis menſiſve fiunt, aut quæ intextæ operi textorio, pro licitis habentur.

c Exod. 20. 22.

Non facietis mecum.] Duplicem difficultatem ſtatuunt Hebræi in verbis illis: *Non facietis mecum Deos ex auro aut argento, non facietis vobis.* Primum in eo, quod ſi dicas, *Deos ex auro & argento non facietis vobis*, ſuperflua videantur verba, *Non facietis mecum.* Dein quod poſteriora hæc verba non præſtent ſententiam perfectam: nec etiam ſuperioribus poſſint connecti, quia pronomen אתי ſub ſe habeat accentum Atnah, qui ſignum ſit finitæ periodi. Verba autem ſunt Aben Eſræ, כל פירוש שאינו על דרך הטעמים לא תאבה לו ולא תשמע אליו *Omnem expoſitionem, quæ non congrua eſt accentibus, ne admittas, vel audias.* Igitur cum pauſa ſit poſt verba, *Ne facias mecum*; & tamen ſententia nequaquam abſolvatur: malunt Thalmudici hæc verba, *Ne facias mecum*; exponere hoc pacto; Ne facias ſimilitudinem ejus, quod mecum eſt in cœlo: uti Solis, Lunæ, ſtellarum, angelorum. Et quia mutatis punctis etiam legere licet, אתי eo, *Ne facias me*, interpretantur, Ne facias formam, in qua me prophetis oſtendi: nimirum formam hominis: unde apud Jechezquel cap. 1. 26. *Et ſuper ſimilitudinem ſolii illius, quaſi ſpecies hominis.* quaſi dicas, illam formam, quam indicavi in Lege, ad ſimilitudinem meam factam. Nam ait Deus: *Faciamus hominem ad ſimilitudinem noſtram.* Atque ejuſmodi eſt Hebræorum mens. At mirum profecto, eos tam anxie rationem accentus habere, cum certum ſit, & accentus, & vocalia puncta, ſero adeo inventa fuiſſe, ut necdum ipſius Hieronymi ætate exſtiterint. Mirum etiam, non advertere eos, ipſos doctores Thalmudicos arguere, olim ea non fuiſſe, quod eidem voci nunc hæc, nunc illa puncta adſcribant, & pro iiſdem diverſimode interpretentur. Nam ſi complures ut Judæi volunt, puncta cum ipſa Lege ſimul extiterunt, unde doctoribus eorum tanta fiducia, ut mutare ea audeant, & ad inveſtigandos S. Scripturæ ſenſus alia atque alia adſcribere? Quare non dubito verba ſacroſancta exponere, *Non facietis mecum* (id eſt, præter me) *Deos ex auro, vel argento, non facietis vobis.* Quod ſi quæras, cur illud, *facietis*, repetatur; dicam, voluiſſe Deum inculcare maxime, ut ſibi ab eo delicto caverent, ad quod maxime proni erant. Quippe ignorat nemo, repetitione addi ſæpe efficaciam ſermoni: ut, apud Ciceronem: *Vide enim, vidi, penituſque perſpexi.* Et apud Senec. Med.

Adeſte, adeſte, ſceleris ultrices Deæ.

Illa

Illa vero ridicula explicatio eſt, cum יף ſcribentes, per divinam formam intelligi humanam volunt.

Sed hoc capiendum de imagine, quæ protuberat.] Ideo ſolam gibboſam Hebræi vetitam dicunt, quia hac forma & Deus in viſionibus, & angeli ſe repræſentabant. Ratio erat שלא יטעו בהן הטועים, *ne per eas errarent rudiores.* Unde apparet, non illos ſtatuas tales ſimpliciter pro idolis habuiſſe; ſed tum demum, quando colerentur. Eam ob cauſſam infra cap. VII. § 4, ait, ſtatuam, quam Iſraelita facit, ad uſum licitam eſſe (id eſt, poſſe alios in uſus converti, fundendo ac transformando) quamdiu cultus ei exhibitus non eſt. Nimirum, quia non ſit idolum, niſi cultus acceſſerit. In quam ſententiam etiam legimus apud Carolum Magnum contra Synod. in part. Græc. pro adorandis imaginibus geſt. lib. IV. cap. XVIII. *Non enim nos imagines in baſilicis poſitas idola nuncupamus; ſed ne idola nuncupentur, adorare & colere eas recuſamus.*

יג טבעת שיש עליה חותם שהו' צורת אדם אם היתה הצורה בולטת אסור להניחה ומותר לחתום בה ואם היתה הצורה שוקעת מותר להניחה ואסור לחתום בה מפני שהנחתם תעשה בו הצורה בולטת׳ וכן אסור לצור דמו' חמה ולבנה כוכבים ומזלות ומלאכי' שנאמר לא תעשון אתי לא תעשון כדמו' שמשי המשמשים לפני במרום ואפילו על הלוח:

XIII. Annulum, cujus ſignum eſt hominis figura, ſi ea fuerit gibboſa, induere interdicitur: obſignare tamen eo licet. Sin figura ſit depreſſa, licebit induere, obſignare eo non item: quippe, ſigillo impreſſo, figura fiet gibboſa. Itidem prohibitum eſt formare imaginem ſolis, lunæ, ſtellarum fixarum, vel errantium, adhæc angelorum: quandoquidem dictum eſt, *Non* a *facietis mecum:* hoc eſt, non facietis ſimilitudinem miniſtrorum coram me famulantium in cælis, ne in tabula quidem. a Exod. 20. 22.

Non facietis mecum, &c.] Quæ ad intelligentiam hujus paragraphi pertinent, abunde cognoſcere eſt ex iis, quæ ad ſuperiorem diximus.

יד צורות הבהמות ושאר נפש חיה חוץ מן האדם וצורות האילנות ודשאים וכיוצא בהן מותר לצור אותם ואפילו היתה הצורה בולטת:

XIV. Imagines quadrupedum ac reliquorum animantium, excepto homine, ad hæc figuras arborum, herbarum, rerumque ſimilium, formare licet, etiam figurâ gibbâ.

Etiam figura gibba.] Nempe quia non includuntur voce MECUM: ut quæ non ſint inter illa, quæ Deo in cælis miniſtrant. Adde quod nec magnopere ab iis periculum eſt; quandoquidem vix invenias uſque adeo ſtolidos, ut plantam, vel mutum animal, habeant pro Deo ſuo: Græci quidem & Romani talia Diis ſacrarunt; ſed non habuere pro Diis. Qua de re vide ſis parentem Oratoriarum Inſtitutionum lib. I, cap. V. ſect. XXXIII, & XXXVII. Ægyptiorum tamen tanta erat ſuperſtitio, ut divinis afficerent honoribus certas quadrupedes, aves, piſces, plantas. Qua de re Strabo lib. ult. & veterum alii: aliqua etiam parens Orat. Inſt. lib. IV. cap. IX. ſect. III. Nec tamen exiſtimo, ſacerdotes, vel intelligentiores, honorem iis tantum præſtitiſſe, ut Diis; ſed potius, ut ſymbolis divinis.

פרק רביעי

CAPUT IV.

מדיחי עיר מישראל הרי אלו נסקלין אע"פ שלא עברו כו"ם אלא הדיחו את יושבי עירם עד שעברו אותה׳ ואנשי העיר המודחין נהרגין בסייף והו' שעברו כו"ם או שקבלוה עליהם באלוה׳ ואזהרה למדיח מנין שנאמר ולא ישמע על פיך:

SEductores alicujus civitatis Iſraeliticæ plane lapidibus obruuntur, utcunque non ſervierint idolis, dummodo impulerint incolas civitatis ſuæ ad colenda ea. Quotquot vero in urbe ea ſeducti fuerint, gladio necantur: atque id, ſi idola coluerint, vel pro Deo receperint. Ubi autem monitum exſtat de ſeductore? Quando dicitur *b*, *Neque audiatur* (idololatria) *in ore tuo.* b Exod. 23. 13.

Quotquot in ea urbe ſeducti fuerint.] Sed quid ſi univerſa civitas defeciſſet? Univerſi incolæ occidebantur: ſolum illud de rigore Legis remittebatur, quod eam non facerent תל עולם, *tumulum perpetuum*: ut præcipitur Deuter. XIII, 16: ſed incolis veteribus novi ſuccederent cives.

ב אין העיר נעשית עיר הנדחת עד שיהיו מדיחיה מתוכה ומאותו השבט שנאמר מקרבך וידיחו את יושבי עירם ועד שיהיו מדיחיה שנים או יותר על שנים שנא' יצאו אנשי' בני בליעל וידיחו את יושבי עיר' ועד שידיחו רובה ויהיו המודחין ממאה ועד רובו של שבט אבל אם לא הודח רובו של שבט דנין אותם כיחידים שנ' יושבי העיר לא כפר קטן ולא כרך גדול וכל פחות ממאה

II. Non habetur autem urbs pro ſeducta, niſi ſeductores inde, & ex tribu eadem orti fuerint. Quandoquidem dictum eſt *c*: [*Egreſſi homines, filii iniquitatis,*] *è medio tui, & impulerunt habitatores civitatis ſuæ.* Idque cum ſeductores duo, pluresve, fuerint. Quippe dicitur, *Egreſſi ſunt homines nequam, & impulerunt inhabitantes civitatem ſuam.* Nempe donec ſeduxerint majorem ejus partem; ſeductique, centenos egreſſi, cæteros illius tribus numero exſuperent. Quod ſi non defecerit major pars tribus, judicantur ii, tanquam privati. c Deut. 13. 13.

Siqui-

ממאה כפר ורובו של שבט כרך גדול וכן אם הדיחוה נשים או קטנים או, שהדיחוה יחיד או שהודחה מיעוטה או שהודחו מאליהן או שהיו מדיחיה מחוצה לה אין דנין בה דין עיר הנדחת אלא הרי הן כיחידים שעברו עכו״ם וסוקלין כל מי שעבר וממונן ליורשיהן כשאר הרוגי ב״ד :

Siquidem Scriptura ait, *Habitatores civitatis.* Neque (dicitur) pagus exiguus, neque urbs magna. Ubicunque enim pauciores ſunt centenis, pagus: ubi potior tribus pars, civitas magna dicitur. Eoque ſi ſeduxerint eam mulieres, parvuli, aut privatus quiſpiam, aut minor pars ſua ſponte defecerit, aut extranei ſint ſeductores: non judicantur inſtar civitatis ſeductæ, ſed velut privati idololatræ. Idololatra autem omnis lapidibus obruitur: bona ejus (cedunt) hæredibus, ut aliorum, qui à Senatu necantur.

Non habetur autem urbs pro ſeducta.] Cuncta hæc deſumſit autor ex XI cap. Sanhedrin § 4. Quinque requiri ait, ut civitas quæpiam excidio à Senatu deſtinetur. Primùm, ut, qui ſeduxerint, ex eadem ſint urbe, & tribu. Deinde, ut duo minimum, vel plures: unde & infra dicitur cap. v. § 1. non ſi unus civitatem ſeduxerit, eam propterea à Senatu excidio deſtinari, ſed ſingulos judicari. Hinc, ut ſeducti centenarium excedant. Tum, ut ſeducta ſit minor pars tribus. Denique, ut viri ſint, qui ſeduxerint. Quartam harum conditionum eo fulciunt, quia Scriptura dicat, *Habitatores civitatis.* Civitas vero plus eſt, quam כפר קטן, id eſt, *vicus parvus*, aut *villa*: quam ait Maimonides homines habere pauciores centenis. At minus eſt civitas, quam כרך גדול, *civitas magna*; quæ majorem partem tribus complectitur. De voce כרך audiendus quoque David de Pomis. Ait enim, לפי ר׳ אליה לא נמצא במקום אחד פירושו של עיר כרך· ובדברי רז״ל כרך גדול של רומי· בכרכי הים· כרכין המוקפין חומה· וחומה גם בצורה ומגדלים : id eſt, *juxta R. Eliam, in nullo loco invenitur, quid ſignificet*, עיר, כרך. *Secundum verba Rab. piæ memoriæ, magna* כרך *eſt Roma, inter urbes maris.* כרכין *ſunt qui circumducant murum: & notat quoque, munitionem ac propugnaculum.* Ratio autem, cur ſeducta majori tribus parte civitas non habeatur pro depulſa, eſt ea, quod illa inſtar totius tribus cenſeatur, & noluerint Hebræi, tribum aliquam deleri, uti Benjamini prope evenerat. Quare tunc privatorum inſtar judicabantur.

ג אין דנין עיר הנדחת אלא בב״ד של ע״א שנא׳ והוצאת את האיש ההוא או את האשה ההיא אשר עשו את הדבר הרע הזה אל שעריך· יחידים נהרגים בב״ד של כל שער ושער ואין המרובי׳ נהרגין אלא בב״ד הגדול :

III. Nec de urbe ſeducta, niſi in Senatu LXXI (virorum) judicium fertur: quia dictum eſt, *a Et educes virum illum, aut feminam illam, quæ fecerit malum hoc, ad portas tuas.* Privati, in Senatu cujuſque civitatis; multi, non niſi in Senatu magno, vita privantur. a Deut. 17. 5.

Nec de urbe ſeducta, &c.] Notum eſt, triplicia fuiſſe judicia Hieroſolymis: in templo quidem Συνέδριον virorum LXXI: ad fores vero templi duplex judicium, unumquodque XXIII virorum. In ſingulis porro Iſraelitarum civitatibus, in quibus CXX familiæ erant, conſtitutum erat judicium, itidem trium & viginti virorum: ſin tot familiæ non forent, res erat penes treſviros. Hi civiles cauſas cognoſcebant, ut fuſe traditur cap. 1. Sanhedrin. Præterea דיני נפשות *judicia capitalia*, à tribus & XX peragebantur, ut ibidem §. 4. legere eſt: ſed ea, quæ ſingulos tantum ſpectarent. At majora, quæ totas urbes & tribus tangebant, non niſi à Synedrio LXXI virorum tractabantur. unde ibidem §. 5. אין דנין עיר הנדחת אלא בבית דין של שבעים ואחד *Non condemnant civitatem apoſtaſiæ, niſi in Senatu ſeptuaginta & unius virorum.* cætera illic vide.

ד אין אחת מערי מקלט נעשית עיר הנדחת שנא׳ באחת שעריך ולא ירושלם נעשי׳ עיר הנדחת לפי שלא נתחלקה לשבטים ואין עושין עיר הנדחת בספר כדי שלא יכנסו גוים ויחריבו את ארץ ישראל ואין ב״ד אחד עושה שלש עיירות הנדחות זו בצד זו אבל אם היו מרוחקי׳ עושה :

IV. Nulla refugii civitas, tanquam ſeducta, damnabilis eſt, eo quod dicatur, *In* b *aliqua ex portis tuis.* Neque Jeruſalem pro ſeducta, (eoque excidio digna) poterat haberi; quoniam, in diviſione terræ, tribuum nulli fuit attributa. Neque in civitatem limitaneam, ut ſeductam, judicium exercebatur: ne confluerent eo gentiles, ac vaſtarent terram Iſrael. Neque Senatus uno tempore ejus criminis condemnaverit oppida tria ſitu vicina: at fecerit hoc, ſi multum diſtent. b Deut. 17. 2.

Nulla refugii civitas tanquam ſeducta damnabilis eſt.] Rationem ſubdit è verbis illis Moſaicis legis Repetitæ, *In aliqua è portis* TUIS. Ubi vis eſt in provocabulo TUIS: quia hoc excluduntur civitates refugii. Quippe hæ ſeparatæ erant à ditione Iſraelitarum; eoque nulla tribus in eas juris quidquam habebat. Itidem nec Hieroſolyma condemnari idololatriæ univerſalis quibat, quia nulli tribuum attributa erat in partitione ſanctæ terræ; ut quæ cunctum Iſraelem ſpectaret.

Neque in civitatem limitaneam.] Hæc iiſdem fere verbis in Sanhedrin cap. 1. Sed autor hic rationem reddit: nimirum, ne gentiles locum vacuum & vaſtum invadant. ספר David de Pomis exponit, גבול העומד לו מחנה *Terminus, ſtatio, aut caſtra.* Credo, originem à ספר eſſe, ac ſi *circumſcriptionem* dicas.

Oppida tria ſitu vicina.] Nempe ne conſpirando, atque alias etiam civitates in partes ſuas trahendo, tribus univerſæ in maxima conjiciantur pericula.

ה אין עושין עיר עיר הנדחת עד שידיחוה מדיחיה בלשון רבים ויאמרו להן נלך ונעבוד או נלך

V. Neque civitas defectionis rea peragitur, niſi cum ſeductores plures ſunt numero: dixerintque ipſi: *Eamus, & colamus*, vel, *Eamus, & ſacrificemus*:

נלך ונזבח נלך ונקטיר נלך וננסך או נלך ונשתחוה או נלך ונקבל באלוה והם שומעים ועברו אותה דרך עבודתה או באחת מארבע עבודות או שקבלוה באלוה:

ficemus: vel, *Eamus, & ſuffitum offeramus*: vel, *Eamus, & libemus*: vel, *Eamus, & incurvemur*: vel, *Eamus, & in Deum aſſumamus*: atque illi, qui hæc audiunt, cultum numinis iſtius proprium, vel aliquem ex quatuor illis cultus modis exhibuerint, vel pro vero numine receperint.

Niſi cum ſeductores ſunt numero plures.] Impulere, credo, in eam ſententiam verba illa, *Eamus & colamus.* Deuter. XIII. 13. Nam qui dicit, *Ibo & colam*, non tam alium adhortari videtur, quam, quid ipſe ſtatuerit, aperire. Nihil tamen impedit, quo minus, & unus, & multi, vel unum, vel multos, plurativo numero compellent.

ו עיר הנדחת שלא נתקיימו בה ובמדיחיה כל התנאים האלו היאך עושים להם מתרין ומעידין בכל אחד ואחד מהן שעבר עכ"ום וסוקלין אותם כיחידים שעברו וממונם ליורשיהם: והיאך דין עיר הנדחת בזמן שתהיה ראויה להעשות עיר הנדחת ב"ד הגדול שולחין ודורשין וחוקרין עד שידעו בראיה ברורה שהודחה כל העיר או רובה וחזרו לעכ"ום אח"כ שולחין להם שני תלמידי חכמים להזהירם ולהחזירם אם חזרו ועשו תשובה מוטב ואם עמדו באולתם ב"ד מצוין לכל ישראל לעלות עליהן לצבא והן צרין עליהן ועורכין עמהם מלחמה עד שתבקע העיר כשתבקע מיד מרבין להן בתי דינין ודני' אותם כל מי שבאו עליו שני עדים שעבד עכ"ום אחר שהתרו אותו מפרישים אותו נמצאו כל העובדים מיעוטה סוקלין אותן ושאר העיר ניצול נמצאו רובה מעלין אותן לב"ד הגדול וגומרין שם דינם והורגין כל אלו שעבדו בסייף ומכין את כל נפש אדם אשר בה לפי חרב טף ונשים אם הודחה כולה ואם נמצאו העובדים רובה מכים את כל הטף והנשים של עובדים לפי חרב ובין שהודחה כולה ובין שהודחה רובה סוקלין את מדיחיה ומקבצין כל שללה אל תוך רחובה אין לה רחוב עושין לה רחוב·

VI. Quid de civitate, ac ſeductoribus fiebat, ubi non omnes conditiones iſtæ concurrerent? Commonebant, obteſtabantur quoque adverſus quemque eorum, qui ſervierant idolis, eoſque lapidibus obruebant, velut privatos idolorum cultores: bona eorum hæredibus (relicta.) Quomodo autem civitas ſeducta, tempore ſic exigente, condemnabatur deſertæ religionis? Senatus per delegatos ſuos inquirebat, ſcrutabatur, expendebat, uſque dum certis comperiſſet indiciis, civitatem univerſam, vel majorem ejus partem ſeductam ad idolorum cultum deflexiſſe. Deinde miſſi duo ſapientum diſcipuli, ut ſeductos commonerent, ac converterent. Si ad ſaniorem mentem reverſi, pœnitentiam agerent; bene erat: ſin perſeverarent in dementia; præcipiebat Senatus toti Iſraeli, ut arma adverſus eos caperet, eos obſideret & impugnaret, donec perruptum civitatis vallum foret. Occupata urbe, crebra mox tribunalia conſtituebant, deque reis judicium ferebant. Omnes autem duorum teſtimonio convictos idololatriæ, ubi eos prius admonuiſſent, ſeparabant. Si minor civitatis pars idola coluiſſet; iis lapidibus obrutis, cæteri periculo eximebantur. Sin autem major pars defeciſſet; ſiſtebantur Senatui magno, uſque dum, re judicata, idololatras omnes gladio occidiſſent. Omnes ejus civitatis, ſi tota fuerit ſeducta, gladio necant; non pueris, non mulieribus exemtis. Quin etiam ſi major pars idololatriæ adhæſerit; gladio itidem tam pueri, quàm mulieres necabantur. Sive autem civitas tota, ſive pars ejus fuerit averſa à Deo; ſeductores lapidibus obruuntur, inque medio fori præda ſive bona omnia coacervantur. Quod ſi eo deſtituitur civitas, forum paratur.

Commonebant, obteſtabantur quoque.] Nimirum, ſi numero pauci eſſent, ſingulos admonebant: ſin ingens eſſet multitudo, publico edicto monebantur univerſi. Verbum הזהיר eſt *admonere, certiorem facere.* Venit ab התראה *admonitio*, quæ præſentibus teſtibus fit: *proteſtationem* vulgo vocant. Doctiſſimus Cochus in notis ad v. cap. Sanhedrin à תורה vocem hanc deducit. Ego non dubito, venire à ראה *vidit*, in Hiphil הראה *oſtendit, demonſtravit*: fiebat autem hæc admonitio, ut ſiquis errore idololatriam exerceret, deſiſteret: ſi monitus perſeverabat, non errore, ſed ſciens volens peccaſſe judicabatur; & lapidationis reus erat.

Uſque dum certis comperiſſet indiciis.] Deuter. XVII. 2. *Quum inquiſiveris bene, ſi ecce vera certaque illa res erit.* Unde in Sanhedrin cap. v. §. 2. כל המרבה בבדיקות הרי זה משובח. *Quiſquis multus eſt in inquiſitionibus, ſane laudem meretur.* Nimirum nequid temere ſtatuatur.

Deinde miſſi duo ſapientum diſcipuli.] Exemplo Prophetarum, qui ſemper Iſraelem idolis ſervientem dehortati ſunt. Et ſimile exemplum eſt Joſue XXII, cum extructo à Rubenitis trans Jordanem altari, reliquæ tribus, priuſquam bellum adverſus eos ſuſciperent, miſerunt Pinchaſum, & ſeniores ad eos.

Percutiunt omnem animam hominis.] In Siphre de civitate ſeducta dicitur: *Non morientur patres propter filios, neque filii propter patres*: juxta quam ſententiam verba Scripturæ, *Percutiendo percuties omnes habitatores illius civitatis acie gladii*; de reis intelligenda ſunt; non item, quorum nulla hic culpa eſt, infantibus. Super eadem re diſputarunt R. Elihezer, & R. Aquiba: quorum ille occidi omnes, hic parvulis parcendum contendebat. Autor noſter Elihezerum ſequitur: quia peccatum deſertæ religionis uſque adeo grave eſt, ut omnem ejus memoriam aboleri Deus velit, quò ad reliquos terror & exemplum perveniret. Unde addunt, qui hanc ſentententiam tuentur, quod Dominus omnes facultates talium

abſu-

abſumi juſſerit : liberi autem, uſque ad annum XIII, juxta Thalmudiſtas, inter parentum facultates numerentur. Et ſimile eſt, quod Deus etiam animalia, quibuſcum peccatum commiſſum eſt, juſſerit ſupplicio affici.

Bona omnia coacervantur.] Ut comburantur. Deuter. XIII. 16.

ז היה רחובה חוצה לה בונין חומה חוץ ממנו עד שיכנס לתוכה שנאמר אל תוך רחובה והורגין כל נפש חיה אשר בה ושורפין את כל שללה עם המדינה באש ושריפתם מצות עשה שנאמר ושרפת באש את העיר ואת כל שללה:

VII. Si forum fuerit extra civitatem, produ-
cuntur pomœria in tantum, ut forum muro con-
tineatur : quia dictum eſt, *In* a *medio fori ejus.* Oc- a Deut. 13.
cidunt autem, quicquid in urbe ea animatum, bo- 16.
naque univerſa, una cum urbe, abſumunt igni.
Ac concrematio ea eſt mandati : quia dicitur, *Et*
b *combures igne urbem, & omnem prædam ejus.* b Ibid.

Si fuerit forum ejus extra eam.] Sumtum ex Sanhedrin cap. XI. §. 6. היתה רחובה חוצה לה כונסין אותה לתוכה. *Si forum ejus ſit extra eam, cogunt illud intra eam.* Nimirum muro circumdant, ut hic exponit Maimonides.

ח נכסי הצדיקים שבתוכה והם שאר יושבי העיר שלא הודחו עם רובה נשרפין בכלל שללה: היאיל וישבו עם ממונן אבד וכל הנהנה ממנה בכל שהוא לוקה אחת שנאמר ולא ידבק בידך מאומה מן החרם: ועיר הנדחת שהוזמו עדיה כל המחזיק בנכסיה זכה ומותר ליהנות בו שהרי הוזמו ולמה זכה בה שכל אחד ואחד כבר הפקיר ממונו משעה שנגמר דינם ואינה נבנית לעולם וכל הבונה אותה לוקה שנאמר לא תבנה עוד: ומותר לעשותה גנות ופרדסים שנאמר לא תבנה עוד מדינה כמו שהיתה:

VIII. Facultates juſtorum (in urbe ſeducta) ha-
bitantium, etſi ipſi non deſciverint, cum aliorum
bonis cremabantur. Nam quia iſtic ſedem fixe-
rint, facultates perdunt. Et quiſquis vel minimam
utilitatem ex iis percipit, propterea vapulat, quia
dictum eſt : *Neque* a *adhærebit manui tuæ quicquam* c Deut.
ex anathemate. Quod ſi comperiatur, civitatem 13. 17.
quampiam falſo à teſtibus eſſe (deſertæ religionis)
accuſatam : nihilominus, qui quicquam habet ex
ejus facultatibus, retinebit illud, quæſtumque eo
facere poſſit, quia teſtes falſitatis convicti. Cur ve-
ro hoc fas erit? Quia omnium bona ab ea hora fiunt,
qua adverſus eos prolata eſt ſententia. Neque urbs
ea unquam inſtaurabatur : imo quiſquis denuo ex-
strueret, vapulabat : quia dictum eſt : *Non* b *ædifi-* d Deut.
cabitur amplius. At licuit ex ea facere hortos ac po- 13. 16.
maria viridantia : quia ſcriptum eſt, *Non ædificabi-*
tur amplius, civitas, uti fuerat.

Quæſtumque eo facere poterat.] Peccatum quidem ab homine, qui non palam tradiderit, ut cremaretur. Sed poſtquam certis indiciis eſt compertum, falſo aliquem damnatum; nihil opus id cremari, quod aliquis ſe occulte è bonis ejus retinuiſſe agnoſcit. Nam cur cremaretur, ſi damnatus fuit innocens: Reddi verò damnato nequit, ſi lapidibus jam obrutus. Nec opus reddi ſuperſtiti; quia mox à pronunciata ſententia excidit jure bonorum ſuorum, quæ comburi debuerunt. Is igitur, qui ſibi clam retinuerat, deinceps quoque reſervet, eoque utatur, fruatur.

Facultates juſtorum.] Sanhedrin cap. XI. §. 5. החרם אותה ואת כל אשר בה וגו׳ מכאן אמרו נכסי צדיקים שבתוכה אובדין שבחוצה לה פלטין: *Devove illam, & quicquid in illa. Hoc loco ſubnixi Sapientes dicunt, opes juſtorum, quæ in illa ſunt, perire: quæ extra eam ſunt, evadere.* Sane ſi ratio quæratur, cur juſtus in urbe illa manſerit; vix alia adferri poſſit, quam quòd bona huc impulerint: ergo & bona pereant.

Qui rapuerit quicquam ex ejus facultatibus, retinebit.] Quia, ex qua hora ſententia in urbem lata eſt; jam publicum eſſe cœpit, quidquid in ea erat. זכה eſt *mereri, dignum eſſe*, ἄξιον εἶναι. Utuntur autem hac voce, quia laudabile videtur ſtudium ejus, qui mox à lata ſententia irruit in facultates eorum, qui apoſtatæ eſſe credebantur.

Licuit vero ex ea hortos & pomaria facere.] Sanhedrin cap. XI. §. ult. Idem ſtatuit R. Aquiba. At R. Joſe Galilæus putavit perpetuum, & ſterilem acervum relinquendum.

ט שיירה העוברת ממקום למקום אם עברה בעיר הנדחת והודחה עמה אם שהתה שם ל׳ יום נהרגין בסייף וממונם אבד ואם לאו הן בסקילה וממונן ליורשיהן:

IX. Peregrinantes, ſi dum per urbem ſeductam tranſeunt, pariter ſeducantur : poſt moram in ea XXX dierum gladio necantur, & facultates amittunt. Sin tantam in ea moram non traxerint: ipſi quidem lapidibus obruuntur; bona vero hæredibus cedunt.

Peregrinantes.] Ad verbum, *Turba iter facientium.* Sane שיירה David de Pomis exponit, *turmam, exercitum, caſtra.* Vox Chaldæa eſt שירא, quæ *catervam* notat: Arabes hodie *Caravanam* nuncupant: iiſdem quoque سير eſt *ivit, profectus eſt.* unde سيرة *iter, profectio.* Explicat autor verba, quæ Sanhedrin cap. XI. §. 5. החמרת והגמלים העוברת ממקום למקום הרי אלו מצילין אותה. *Aſini, & cameli, de loco in locum tranſeuntes, eam eripiunt.* Aſini & cameli pro his, qui cum iis proficiſcuntur. Hi ſi in urbe aliqua per XXX dies ſubſtiterint (nam hoc ſpatium requiritur, ut poſſint inter habitatores cenſeri) in tantum prodeſſe civitati poſſunt, ut eam excidio liberent. Nempe ſi ipſi ſunt innocentes, ac tot numero, ut quando juſtis ejus urbis accenſentur, numerus fiat major juſtorum, quam eorum eſt, qui à Dei cultu defecerint. Verum

rum alia eſt quæſtio, de qua Maimonides hic agit. Loquitur enim de peregrinantibus ſeductis: qui, ſi diebus xxx in urbe hæſerint, una cum cæteris occidi jubentur, bona vero publicantur. Sin breviori temporis ſpacio in urbe fuerint; ipſos cenſet lapidibus obruendos, bona autem hæredibus relinqui.

Bona eorum hæredibus.] In Gemara Sanhedr. ad cap. VI. Nam הרוגי מלכות נכסיהן למלך הרוגי ב״ד נכסיהן ליורשין. *Eorum, qui Regis juſſu occiſi ſunt, bona Regi cedunt: eorum, qui à Senatu, hæredibus.* Quamquam alibi id neget Autor noſter. Vide notas eruditiſſ. Cochi, in cod. Sanhedr. cap. dicto, §. 7. a a Pag. 263.

י נכסי אנשי מדינה אחרת שהיו מופקדין בתוכה אף על פי שקבלו עליהן אחריות אין נשרפין אלא יחזרו לבעליהן שנאמר שללה ולא שלל חברתה· נכסי הרשעים שהודחו שהיו מופקדין במדינה אחרת אם נקבצו עמה נשרפין בכללה ואם לאו אין מאבדין אותם אלא ינתנו ליורשיהן:

X. Facultates hominum alterius urbis, depoſitæ apud incolam ſeductæ civitatis, utcunque fuerint oppigneratæ, non eo cremabantur, ſed reſtituebantur dominis: quia dicitur, b *Spolia ejus*, & non, *ſpolia ſociæ ejus*. Bona ſeductorum depoſita in alia civitate, ſi cremandis adjungi poterant, ſimul comburebantur: ſin minus, non perdebant eas, ſed hæredibus dabantur. b Deut. 13. 16.

יא בהמה חציה של עיר הנדחת וחציה של עיר אחרת שהיתה בתוכה הרי זו אסורה ועיסה שהיא כן מותרת לפי שאיפשר לחלקה:

XI. Quadrupes, cujus dimidia pars ſeductæ erat civitatis, dimidia altera civitatis alterius, quando apud deſertores religionis egerit, prohibita eſt. Quod ſi maſſa farinacea fuerit apud ſeductos, quia dividi poteſt, interdicta non eſt.

יב בהמה של עיר הנדחת שנשחטה אסורה בהנאה כשור הנסקל שנשחט· שער הראש בין של אנשים בין של נשים שבה מותר בהנאה· אבל של פיאה נכרית הרי היא מכלל שללה ואסור·

XII. Quadrupede civitatis ſeductæ, jam jugulato, quæſtum quis facere prohibetur: quemadmodum bove lapidato, poſteaque jugulato. Capillos virorum, aut mulierum, ejus civitatis in uſum convertere licet. Coma autem extranea, quia generali prædæ appellatione continetur, prohibita eſt.

Sed coma extranea.] פיאה vel פאה David de Pomis recte explicat hiſce verbis: שער נכרי היינו שער שמשימה האשה בראשה משל נשים אחרות. *Capillus externus, id eſt, capillus quem applicat mulier capiti, ex capillis aliarum mulierum.* Ut non recte hoc vocabulum cepiſſe Munſterus videatur, cum ſignificare ait *uxorem alienam*. פאה proprie *angulus*, Levit. XIX. 27. לא תקיפו פאת ראשכם. *ne circumtondete angulos capitum veſtrorum.* idem per metonymiam adjuncti pro *antiis*, vel *comis*, quæ eidem applicantur.

יג פירות המחוברין שבתוכה מותרין שנאמר תקבוץ ושרפת מי שאינו מחוסר אלא קבוץ יצאו פירות המחוברין שהן מחוסרין תלישה וקבוץ ושריפה והוא הדין לשער הראש ואין צריך לומר האילנות עצמן שהן מותרות והרי הן של יורשיהן·

XIII. Fructus necdum avulſi, quamvis in civitate ſint ſeducta, (uſibus humanis) conceſſi ſunt: quia ſcriptum eſt, *Colliges* c *& combures*: puta, illa tantum, quæ colliguntur. Eoque fructus necdum avulſi, quos primo decerpere neceſſe ſit, ac deinde colligere & cremare, quod etiam in capillis locum habet, inde excipiuntur. Neque hic neceſſe addere, arbores fuiſſe uſui conceſſas; quandoquidem illæ hæredibus cedebant. c Deut. 13. 16.

Fructus necdum avulſi.] פירות מחוברין fructus vocantur, conjuncti, hoc eſt, nondum avulſi à planta ſua. Nam חבר, unde מחובר, David de Pomis exponit נלוה & נחד, *adhæſit, copulatus, conjunctus eſt.* Aboda Zara cap. 1. § 8. אין מוכרין להם במחובר אבל מוכר הוא משיקצץ. *Non vendent eis fructus terræ inhærentes; ſed de eo, quod demeſſum eſt.* Ait hoc loco autor, fructus, qui nondum è ſtirpe ſeu planta avulſi ſunt, inter anathemata non eſſe. Fundamentum opinionis ſuæ citat verba, *congregabis & combures.* at fructus non ſimpliciter congregari poſſunt, ſed primo decerpendi ſunt, eoque non includuntur præcepto. Similis ratio in capillis hominis, qui antequam colligi queant, evellendi ſunt.

יד ההקדשות שבתוכה תמימים הרי הם קדשי מזבח וימותו זבח רשעים תועבה· קדשי בדק הבית יפדו ואחר כך שורפין אותן שנאמר שללה ולא שלל שמים הבכור והמעשר שבתוכה תמימים הרי הן קדשי מזבח וימותו ובעלי מומים הרי הן בכלל תועבה ונהרגין:

XIV. Animalia civitatis conſecrata, ſi perfecta fuerint, altari debentur, ac morientur. *Sacrificium* d *malorum abominatio.* Oblata ad reparandam domum Dei, redimentur, ac deinde, cremabuntur: quia ſcriptum eſt, *Spolium* e *ejus*, & non, *ſpolium creatoris.* Primogenitum & decimum quodque animalium in civitate, quod perfectum eſt, altari eſt debitum, ac mactandum. Mutila autem continentur generali nomine beſtiarum, eoque occidentur. d Deut. 17. 1. Jeſ. 1. 13. e Deut. 13. 17.

D Anima-

Animalia civitatis.] Sancta aræ, ſive beſtiæ Deo conſecratæ, etſi perfectæ ſint, aræque deſtinatæ, non tamen offerentur Deo; ſed communi urbis excidio involutæ, ipſæ etiam vita privabuntur. Sancta vero templi, id eſt, pecuniæ, aut quæ alia ad reparandum ædem ſacram offeruntur, redimenda ſunt, & deinde comburenda. Nam illa non urbis amplius ſunt, ſed Dei. Atqui tantum legitur, *ſpolium ejus*, puta civitatis. Præterea quia dictum eſt, *Omnem* civitatem & *quicquid* in ea eſt, perdendum, nolunt quidquam inde detrahi; ſed partem ſummam priori ad ſacra deponunt, deinde priora abſumunt. Sanhedrin XI. § 6. הקדשות פנים יפדו, *res ſanctas, quæ in ea, redimem.*

יח התרומות שבתוכה אם הגיעו ליד כהן ירקבו מפני שהן נכסיו ואם שיין הן ביד ישראל ינתנו לכהן של מדינה אחרת מפני שהן נכסי שמים וקדושתן קדושת הגוף: מעשר שני וכסף מעשר שני וכתבי הקדש שבתוכה הרי אלו יגנזו:

XV. Oblata civitatis, ſi jam manu ſacerdotis ſint recepta, putreſcunt, eo quod illius ſint. Quod ſi adhuc in manu ſint Iſraelitarum, tradentur ſacerdoti alterius civitatis, quia ſunt Dei: quæque Dei ſint ex conſecratione facta, eadem ſint corporis, (ſive ordinis Deo inſervientis.) Decimæ ſecundæ, earumque decimarum argentum & Scripturæ ſacræ apud eos inventæ, recondentur.

Putreſcunt.] Nec Dei cenſentur, nec humano uſui relinquuntur; ſed habentur pro derelictis, ac putredine perituris.

Decimæ ſecundæ, earumque, &c.] מעשר ראשון *Decimæ primæ* ſunt, quæ partim ex frugibus, aliiſque fructibus, partim ex animantibus, puta ovibus, capris & bubus, dabantur Levitis: ut legere eſt Levit. XXVII, 30. Nec hæ ferebantur Hieroſolymam; ſed à Levitis in quibuſque colligebantur civitatibus. Earumque decimarum decimæ pendebantur Pontifici, & Sacerdotibus: ut eſt Num. XVIII, 26. מעשר שני decimæ ſecundæ erant decimæ novem illarum partium, quæ poſt decimationem priorem reſiduæ erant. Atque ex his ter quotannis Hieroſolymam proficiſcentes, in itinere vivebant, & Deo Hieroſolymis hoſtias offerebant pacificas, quas coram Domino comedebant cum Levitis. Porro decimæ ſecundæ fructuum & animantium vendebantur: & earum argentum ſive precium deferebant ſecum Hieroſolymam euntes. Vide Deut. XIV. Item Sanhedrin XI. § 6.

יט כל העושה דין בעיר הנדחת הרי זה כמקריב עולה כליל שנאמר כליל לה׳ אלהיך ולא עוד אלא שמסלק חרון אף מישראל שנאמר למען ישוב ה׳ מחרון אפו ומביא עליהם ברכה ורחמים שנאמר ונתן לך רחמים ורחמך והרבך:

XVI. Quando quis reos peragit in civitate ſeducta; perinde eſt, ac ſiquis offerret holocauſtum conſummatum. Nam dicitur, *a Conſummatum Domino Deo tuo.* Neque id ſolum præſtat; ſed præterea avertit iram Dei ab Iſraele: juxta illud, *b Ut convertat ſe Deus, ne accendatur ira ejus.* Quin & benedictionem adfert, & miſericordiam: quia ſcriptum, *c Ut conferat tibi miſericordiam, & diligat, atque augeat te.*

a Deut. 13. 17.
b Ibid.
c Ibid.

פרק חמישי

CAPUT V.

המסית אחד מישראל בין איש בין אשה הרי זה נסקל אע״פ שלא עבר המסית ולא המוסת עכו״ם אלא מפני שהורהו לעבוד בין שהיה המסית הדיוט בין שהיה נביא בין שהיה המוסת יחיד איש או אשה או יחידים מיתתו בסקילה:

QUiſquis Iſraelitam vel Iſraelitidem ſeduxerit, ſaxis obruitur: tametſi ſeductor, aut ſeductus, necdum coluerint idola: tantum nempe, quia impellere voluit ad cultum idolorum. Sive autem ſeductor laicus fuerit, ſive prophetes; ſive item unus, vel virilis, vel muliebris ſexus; ſive privati numero plures fuerint; pœna ejus eſt lapidatio.

Seducens aliquem ex Iſraele.] Seductor ſeu מסית definitur Sanhedrin cap. VII, § 10. המסית זה הדיוט המסית את ההדיוט אומר לו יש יראה במקום פלוני כך אוכלת וכך שותה כך מטיבה כך מריעה. *Seductor eſt laicus ſeducens laicum, dicens ei; Eſt Deus in illo loco, cui talis cibus, talis potus offertur; à quo talia bona, vel mala, exſpectantur.* Inter מסית *ſeductorem*, & מדיח, *impulſorem* hoc diſcriminis eſſe videtur, quod מסית tantum unus eſſe poſſit; מדיחים non pauciores quam duo. Quod planius ex ſequentibus fiet.

ב המסית את רוב אנשי העיר הרי זה מדיח ואינו נקרא מסית. היה זה שהדיח רוב העיר נביא מיתתו בסקילה והנדחים הרי הן כיחידים ואינם כאנשי עיר הנדחת עד שיהיו המדיחים שנים. ואחד האומר אמרה לי עכו״ם עבדוה או שאמר

II. Qui ſeducit majorem civitatis partem, ille eſt MADIACH, ſive impulſor; neque vocatur MESSIT, ſive ſeductor. Si ille, qui (ad falſum cultum) impulit, fuerit urbis prophetes, lapidibus obruitur: qui vero ab eo impulſi, ſimpliciter, ut ſeducti, cenſentur, non ut viri civitatis impulſæ, donec duo ſint impulſores. Et tam ille, qui dixit, *Idolum retulit, Servite mihi*, quam qui dixit, *Deus*

שאמר אמר לי הקב"ה עבדו עכו"ם הרי זה נביא שהדיח ואם הודחו אחריו רוב העיר נסקל :

Deus benedictus aperuit mihi, *colite idola*; cenſetur prophetes impulſor. Ac ſi ab eo ad defectionem impulſa eſſet, major pars civitatis, lapidabatur.

Ut ſeducta cenſeatur.] Qui ſimpliciter habentur pro ſeductis, pereunt quidem, at bona eorum non item. Sed bona etiam peribant, ſi ſeductus cenſeretur, ut pars civitatis ejuſmodi, quæ majorem partem ſeducta ſit: ſive tanquam eorum unus, qui decepti eſſent cum majori parte civitatis, quæ propter defectionem iſtam devota eſſet, & excidio deſtinata.

ג המסית שהסית בין בלשון רבי' בין בלשון יחיד הרי זה נסקל כיצד האומ' לחברו אלך ואעבור נלך ונעבור בעבודה פלו' שרוך אותה עכו"ם להעבור בה אלך ואזבח נלך ונזבח אלך ואקטר נלך ונקטר אלך ואנסך נלך וננסך אלך ואשתחוה נלך ונשתחוה הרי זה מסיה :

III. Seductor, ſive plurativo numero, ſive ſingulo, in ſuadendo uſus ſit; lapidibus obruitur. Ut ſi dixerit ſodali, *Ibo, & colam*; vel, *Eamus, & præſtemus cultum idolo illi convenientem*: *Ibo, & ſacrificabo*; vel, *Eamus, & ſacrificemus*: *Ibo, ſuffitumque offeram*; vel, *Eamus, ſuffitumque offeramus*: *Ibo, & libabo*; vel, *Eamus, & libemus*: *Ibo, & incurvabo me*; vel, *Eamus, & incurvemus nos*: talis pro ſeductore habetur.

ד הסית לשנים הרי הן שדיו והן מביאין אותו לב"ד ומעידים עליו שכם אמר להן וסוקלין אותו· ואין המסית צריך התראה אמר לאחר היא אומר יש לי חברים רוצים בכך ומערים עליו עד שיסית בפני שנים כדי להרגו· אם לא רצה המסית להסית לשנים מצוה להכמין לו :

IV. Duo fuerint, quibus ſuaſerit quis: hi teſtes Senatui ſiſtent, & cum teſtabuntur ſic locutum, & deinde lapidabunt. Nec opus præmonere ſeductorem. Si uni ſic locutus, is dicet, poſſe idem aliis teſtibus adſtrui. Ac callide cum eo aget, donec inducatur ad idem coram duobus dicendum, ut occidatur. Sin dicere ea coram duobus nolit; præceptum eſt, ut inſidiæ illi ſtruantur.

ה כל חייבי מיתות שבתורה אין מכמינין עליהן חוץ מזה· כיצד מכמינין לו המוסת מביא שנים ומעמידן במקום אפל כדי שיראו המסית וישמעו דבריו ולא יראה אותם והוא אומר למסית אמור מה שאמרת לי בייחוד והוא אומר לו והמוסת משיבו היאך נניח את אלהינו שבשמים ונלך ונעבד את העצים ואת האבנים אם חזר בו או שתק פטור· ואם אמר לו כך היא חובותינו וכך יפה לנו העומדים שם ברחוק מב יאין אותו לב"ר וסוקלין אותו :

V. Nulli autem eorum, qui ex Lege fiunt rei mortis, inſidiæ ſtruuntur, præterquam iſti. Sed quomodo inſidiandum ei? Is quem ſeducere conatus, duos conſtituet in loco tenebricoſo, ita ut videant ſeductorem, & verba ejus audiant, ipſe eos non videat. Deinde ſeductori, inquiet: *Dic age hic ſeorſim mihi*, *quod ante retuliſti.* Si tum dixerit illud; ſic ei reſpondebit ille, quem ſeducere eſt conatus: *Quomodo autem deſeremus Deum noſtrum, qui in cælis agit; & eamus ad colenda ligna, ac lapides?* Quod ſi alter dicat, *Hoc noſtri eſt officii*, *ſic decet*: qui abditi erant, proſiliunt, eum ad Senatum adducunt, & lapidibus obruunt.

Duos conſtituit in loco tenebricoſo.] pro במקום אפל in Sanhedrin (unde hæc, & priora omnia, ad verbum prope tranſcripſit autor) cap. VII, §. 10. eſt, אחורי הגדר *poſt parietem*. Nempe uterque modus ſatis conveniens inſidiis ſtruendis. De pariete, ſed in alio negotio, ſic quoque Cicero in Topicis: *Multi etiam in res odioſas imprudentes inciderunt: ut Staleno nuper accidit, qui ea locutus eſt bonis viris ſubauſcultantibus, pariete interpoſito, quibus patefactis, in judiciumque prolatis, rei capitalis jure damnatus eſt.* At de loco tenebricoſo, qualis ſpecus, exemplum habemus de Lacedæmonio Pauſania, quod ibidem Tullius tangit: pleniuſque exponunt Thucydides, Diodorus, alii. Unius adferam Nepotis verba: *Non eſt prætereunda gravitas Lacedæmoniorum. Nam ne hujus quidem* (Argilii) *indicio compulſi ſunt, ut Pauſaniam comprehenderent: neque prius vim adhibendam putaverunt, quam ſe ipſe indicaſſet. Itaque huic indici, quid fieri vellent, præceperunt. Fanum Neptuni eſt Tænari, quod violari nefas putant Græci. Eo ille index confugit, in ara conſedit, hanc juxta locum fecerunt ſub terra, ex quo poſſet audiri, ſiquis quid loqueretur cum Argilio. huc ex Ephoris quidam deſcenderunt. Pauſanias, ut audivit Argilium confugiſſe in aram, perturbatus eò venit: quem cum ſupplicem Dei videret in ara ſedentem, quærit, cauſſæ quid ſit tam repentini conſilii. Huic ille, quid ex literis comperiſſet, aperit. Tanto magis Pauſanias perturbatus orare cœpit, ne enuntiaret, nec ſe meritum de illo optime proderet. quod ſi eam veniam ſibi dediſſet, tantiſque implicitum rebus ſublevâſſet, magno eſſe ei præmio futurum. His rebus Ephori cognitis, ſatius putaverunt, in urbe eum comprehendi.*

ו מצוה ביד המוסת להרגו שנ' ידך תהיה בו בראשונה להמיתו וגו' ואסור למוסת לאהוב את המסית שנ' לא תאבה לו ולפי שנא' בשונא עזוב תעזוב עמו יכול אתה עוזב לו ת"ל

VI. Jubetur is, quem ſeductor tentat, occidere eum: quia dictum ſit, *Manus* a *tua erit adverſus eum in principio ad perimendum illum*, &c. Prohibetur autem tentatus amare ſeductorem: quoniam dicitur, *Non* b *bene cupies ei.* At quia dictum eſt de inimico, c *Juvando juvabis*; credere poſſis,

a Deut. 13. 9.
b Ibid. 13 8.
c Exod. 23. 5.

juvan-

ת"ל ולא תשמע אליו ולפי שנא' ולא תעמוד על דם רעך יכול אי אתה עומד על דמו של זה ת"ל ולא תחום עיניך· ואסור למוסרת ללמד עליו זכות שנ' ולא תחמול ואם ידע לו חובה אינו ראשי לשתוק ממנה שנא' ולא תכסה עליו· ואזהרה להדיוט המסית מנין שנא' וכל ישראל ישמעו וייראו·

juvandum hunc tibi. Sed (de iſto quoque Lex) inſtruit, cum ait: *Nec* a *audies illum.* Quandoquidem (a Ibid.)
etiam dicitur, *Ne* b *inſtato contra ſanguinem proximi* (b Levit.
tui: crediderit quiſpiam, non expetendum proximi 19.16.)
ſanguinem. Verum & de eo docemur his verbis:
Et c *ne parcat oculus tuus.* Nec tentato, cum licet (c Deut.
defendere. Quippe dicitur, *Et* d *ne clementia utaris.* 13.8. d Ibid.)
Contra ſi quicquam norit, quod crimen habeat,
reticere illud non licet: quoniam ſcriptum eſt, *Neque* e *celato illum.* (e Ibid.)
Unde autem mandatum colligitur de idiota ſeductore? Ex eo, quod dictum eſt:
Et f *totus Iſrael audiet, ac timebit.* (f Deut. 13.11.)

ז המסית את אחרים לעבדו ואמר להם עבדוני אם עבדוהו נסקל ואם לא עבדוהו אע"פ שקבלו ממנו ואמרו הין אינו נסקל· אבל אם הסית לעבוד' איש אחר או לשאר מיני עכ"ום אם קבל ממנו ואמר הין נלך ונעבוד אע"פ שעדין לא עבד שניהם נסקלי' המסית והמוסת שנא' לא תאבה לו ולא תשמע אליו הא אם שמע ואבה חייב·

VII. Qui auctor eſt aliis, ut ſe colant, ac dixerit iis, *Mihi cultum præſtate:* ſi fecerint, lapidatur. Si non fecerint, etſi acquieſcentes annuerint, non obruitur ſaxis. Cæterum quando quis auctor fuerit alterius colendi, aut alius generis cultum idoli ſuaſerit: ſi perſuaſerit, ita ut tentati dicant, *Plane eamus, ac colamus;* etiamſi necdum coluere, uterque & qui perſuaſit, & cui perſuaſum, lapidatur. Quippe dictum eſt, *Non* g *acquieſcite illi, neque audite illum.* (g Ibid. 13 8.) Unde conſtat, ſi acquieverit, & audierit, reum eſſe.

Non obruitur ſaxis.] Nempe quia jocoſe iſta videri poſſint prolata.

ח נביא המתנבא בשם עבודת כ"ום כיצד זה האומר אמרה לי ע"ז פלונית או כוכב פלוני שמצוה לעשות כך וכך ואפי' כיון את ההלכה לטמא את הטמא ולטהר את הטהור אם התרו בו בפני שנים הרי זה נחנק שנא' ואשר ידבר בשם אלהים אחרים ומת הנביא ההוא ואזהר' שלו מכלל שנאמר ושם אלהים אחרים לא תזכירו·

VIII. Qui prophetam egerit in nomine idolorum: ut ſiquis dicat, *Idolum hoc, vel ſtella iſta, in mandatis dedit, ut hoc, vel illud, ageretis:* tametſi juxta Legis ſtatuta de mundo, & immundo judicet, ſi coram duobus commonitus ſit, ſtrangulatur: quia dictum eſt, *h Et qui loquetur in nomine aliorum Deorum, & morietur propheta iſte.* (h Deut. 18.20.) Monitum autem hoc colligitur ex dicto (generali) illo: *Et* i *nomen aliorum Deorum non commemorabitis.* (i Exod. 23.13.)

Qui Prophetam egerit in nomine idolorum.] Vide Sanhedrin cap. x. Triplex eſt Propheta, qui ab hominibus plectitur; ac totidem genera eorum, quos Deus punit. Ab hominibus primùm punitur, qui vaticinatur ea, quæ non audivit: ac talis Tzidkija fuit, filius Cenahunæ, tempore Achabi, II Chron. XVIII, 10. juxta verba: *Etiam Prophetam, qui ſuperbe arroget ſibi loqui verbum in nomine meo, quod non præcepi ei.* Alter eſt, qui prophetat ea, quæ alteri Prophetæ revelata ſunt: ob verba, *Quod non præcepi ei:* id eſt, qui vaticinatus fuerit ea, quæ ipſi non præcepi, tametſi alteri præceperim. Tertius eſt, qui prophetat in nomine idolorum. Eorum, qui Dei vindictæ relinquebantur, primus eſt is, qui ſupprimit prophetiam; ut Jonas. Alter, qui contemnit verba alterius Prophetæ; cujus exemplum eſt 1 Reg. XX, 36. Tertius, qui ſuam ipſe prophetiam tranſgreditur: de qualibus voluntdixiſſe Deum, *Ego requiram ab illo.* Deuter. XVIII, 19.

ט ואסור לערוך דין ותשובה עם המתנבא בשם עכו"ם ואין שואלין ממנו אות ומופת ואם עשה מעצמו אין משגיחין עליו ואין מהרהרין בו וכל המה שב באותו' שלו שמא אמת הן עבר בלא תעשה שנ' אל תשמע אל דברי הנביא ההוא:

IX. Prohibitum autem eſt diſputare cum eo, qui Prophetam egerit in nomine idolorum, vel reſpondere ei: neque poſtulanda ab eo ſigna, vel miracula. Quod ſi ſua ſponte ea ediderit; non attendendum ad ea, nec cogitatione iis immorandum. Quiſquis enim animi dubius ea conſiderarit, tranſgreditur illud interdictum: *Ne* k *audias verba Prophetæ illius.* (k Deut. 13.3.)

י וכן נביא השקר מיתתו בחנק אף על פי שנתנבא בשם ה' ולא הוסיף ולא גרע שנ' אך הנביא אשר יזיד לדבר דבר בשמי את אשר לא צויתיו אחד המתנבא מה שלא שמע במראה הנבואה

X. Falſo Prophetæ moriendum eſt ſtrangulatione, etiamſi prophetaverit in nomine Domini, nec ejus honori additum quicquam aut detractum iverit. Sicuti dictum: *Etiam* l *Prophetam, qui ſuperbe arroget ſibi loqui verbum in nomine meo, quod non præcepi.* (l Deut. 18.20.) Tantundem enim eſt, utrum quis prædi-

cet

הנבואה או מי ששמע דברי נביא חבירו ואמר
שדבר זה לו נאמר והוא נתנבא בו הרי זה נביא
שקר ומיתתו בחנק:

cet ea, quæ non audierit in viſione prophetica; an tanquam ſibi dicta proferat, quæ ſocius Propheta audivit. Sane & talis eſt Pſeudopropheta, eoque ſtrangulandus.

Falſo Prophetæ moriendum ſtrangulatione.] Quia ait Scriptura, *Et morietur Propheta iſte.* Dicunt enim Hebræi: כל מיתה האמורה בתורה סתם אינה אלא חנק: *Omnis mors dicta in lege ſimpliciter, non eſt niſi ſtrangulatio.*

יא כל המונע עצמו מהריגת נביא השקר מפני
מעלתו שהרי הילך בדרכי נבואה הרי זה עובר
בלא תעשה שנאמר לא תגור ממנו. וכן המונע
עצמו מללמד עליו חובה או הפוחד ויירא מדבריו
הרי הוא בכלל לא תגור ממנו ואין דנין נביא
השקר אלא בב"ד של ע"א:

XI. Quicunque à cæde Pſeudoprophetæ abhorret, quia excellens, riteque obſervare prophetandi modum videtur: is tranſgreditur interdictum
hoc, *Ne* a *metuas ab eo.* Itidem, qui ſe ſubtra- a *Ibid.*
hit, ne accuſare cogatur, vel metuit ac veneratur 18. 22.
ejus verba, ſanctione hac generali continetur, *Ne metuas ab eo.* Falſum autem Propheten non judicabant, niſi in Senatu LXXI virorum.

Falſum autem Propheten, &c.] Sanhedr. 1, §. 5. Ac ratio eſt ea, quia Prophetes, dum verus ſit, ſupra univerſum eſt Iſraelem.

יב הנודר בשם עכ"ום והנשבע בה לוקה
שנא' ושם אלהים אחרים לא תזכירו אחד
הנשבע בה לעצמו ואחד הנשבע בה לגוי.
ואסור להשביע גוי ביראתו ואפילו להזכיר שם
עכו"ם שלא דרך שבועה אסור שנ' לא
תזכירו:

XII. Qui in nomine idolorum facit votum, aut
jurat, vapulat, quia dictum: *Nomen* b *Deorum alio-* a *Exod.*
rum ne commemores. Perinde autem habetur, ecquis 23. 13.
ſibi ipſi, an gentili juret. Similiter prohibitum, eò adigere gentilem, ut per Deos ſuos juret. Etiam interdictum, eò impellere, ut vel narrantis more faciat mentionem idoli, ejuſve cultus. Siquidem ſcri-
ptum, c *Ne commemores.* c *Ibid.*

Prohibitum eo adigere gentilem, ut per Deos ſuos juret.] At quid fiet, ſi rex vel princeps fidelis, cum infideli fœdus inierit? Num ab eo juramentum exiget, quem ſciet, non juraturum niſi per Deos ſuos, vel aliter ſi juret, non aſſis id facturum? Neget aliquis. Verùm ſine juramentis ejuſmodi non conſiſtit generis humani ſocietas, & pax terrarum. Difficilem itaque hanc eſſe quæſtionem pronunciat B. Auguſtinus, epiſt. CLIV, quæ ad Publicolam. Sed videmus, Geneſ. XXXI, non urgere Jacobum, ut eodem modo, ac ipſe, juret etiam Laban, idolorum cultor. Nempe ita cenſeo ab idololatra, ac gentili, ἁπλῶς exigi, ut juret, Juramentum autem ſuo genere eſt bonum. Jurat vero ille, ſed per deos ſuos gentiles. Id malum non laudatur: ſed ob magnum bonum (id bonum eſt pax terrarum) jure toleratur.

יג לא יאמר אדם לחבירו שמור לי בצד
עכו"ם פלוני' וכיוצא בה: וכל עבודה זרה
הכתובה בכתבי הקדש מותר להזכיר שמה כגון
פעור ובל ונבו ובעל וגד וכיצא בהן ואסו' לגרום
לאחרים שידרו ושיקיימו בשם עבודת כ"ום ואינו
לוקה אלא הנודר בשמה והמקיים בשמה והוא
הנשבע בשמה:

XIII. Nequis dicat ſocio ſuo, *Prope hoc, vel illud idolum exſpecta me*; vel aliud hujuſmodi. Omnium tamen idolorum nomina exprimere licet, quorum in Scripturis fit mentio: uti Peor, Bel, Nebo, Baal, Gad, & ſimilium. Interdictum autem aliis cauſſam præbere votum faciendi, vel illud exſequendi in nomine horum idolorum. Non tamen vapulat, niſi qui in nomine idoli vovet aliquid, ac affirmat. Atque idem cenſendum de juramentis per idolum.

Nebu.] Cujus mentio Eſai. XLVI, 1. Δαγὼν vocatur τοῖς ἑβδομήκοντα. Lyranus ait, poſt Belum fuiſſe auguſtiſſimum Aſſyriorum numen. Vide quæ de eo, & Gad, memorantur Seldeno, libro de Diis Syris. Nec enim doctiſſimi viri ſcrinia compilare eſt animus.

Ac affirmat.] Unde & Onkelos, ubi in Hebræo eſt מבוטא, tranſtulit קיים, id eſt, *affirmavit.* Nempe nec falſi numinis appellatione utendum ad aliquid certius aſſerendum. Ut ſi cum viris Romanis dicas *Me Hercules*, vel *Epol*, aut cum mulieribus *Mecaſtor.* Tertullianus libro de idololatria cap. XX: *Conſuetudinis vitium, etiam in Chriſtianis, dicere, Me Hercules: dicere & Me Deus Fidius, accedente ignorantia quorundam, qui ignorant, jusjurandum eſſe per Herculem.*

Idem cenſendum de juramentis per idolum.] Uti, inquit, non punitur, qui in nomine idoli aliquid vovet, niſi & præſtet: ita nec qui jurat per idolum plectendus, niſi idem exſequatur. Ratio eſt, quia fortaſſe & votum vovit, & jusjurandum juravit, non ſponte, ſed coactus. Quare niſi poſtea reapſe præſtet, quod vovit, aut juravit; non habetur pro plena voluntate. Quid nurum? quando poſteriorum temporum Judæi putarunt, non omnes juramenti formulas habere vim obligandi, aut perjurii pœnam: ſed certas demum, quæ in Thalmude leguntur. Et profecto, ſi adjungerentur ad jurandum per Jovem, aut alios gentium Deos, id flocci feciſſe, eoque gentiles urſiſſe, ut jurarent juramentum, quo obligari ſe putarent; docet illud Martialis lib. XI, epig. XCV:

Ecce negas, juraſque mihi per templa Tonantis.
Non credo: jura, verpe, per Anchialum.

Sententia eſt, Non ſatis eſt, quod juras per templum Jovis Capitolini; quandoquidem cum non aſſis facis, nec

te putas juramento iſtiuſmodi obſtringi : illud peto, ut jures juramento, quod Judæis ſanctiſſimum : quale *per Anchialum*, quomodo corrupte dicebant gentes pro חי אלה, *chiala*, ut veteres pronunciarunt : pro quo Maſorethæ חי אלה, hoc eſt, *vivit Deus*. Adi ſis, quæ de eo parens meus hiſtoriæ Pelagianæ lib. v, part. II.

פרק ששי

CAPUT VI.

העושה אוב או ידעוני ברצונו בזדון חייב כרת ואם היו שם עדים והתראה נסקל היה שוגג מביא חטאת קבועה:

QUi Pythonis, aut arioli opera, ſciens volenſque facit, exſcindi meretur. Quod ſi teſtes adfuerint, monituſque ſit, lapidibus obruitur. Sin errore (id factum,) fixum, ſive determinatum adducet ſacrificium.

Fixum ſive determinatum.] Ubi par ratio divitis ac pauperis. Vide, quæ notavi ad capitis III, ſect. I.

ב כיצד הוא מעשה האוב זה שהוא עומד ומקטיר קטורת ידועה ואוחז שרביט של הדס בידו ומניפו והוא מדבר בלאט בדברים ידועים אצלם עד שישמע השואל כאילו אחד מדבר עמו ומשיבו על מה שהוא שואל בדברים מתחת הארץ בקול נמוך עד מאד וכאילו אינו ניכר לאוזן אלא במחשבה מרגיש בו: וכן הלוקח גולגולת המת ומקטיר לה ומנחש לה עד שישמע כאילו קול יוצא מתח׳ שחיו שפל עד מאד ומשיבו כל אלו מעשה אוב הן והעושה אחד מהן נסקל:

II. Cujuſmodi eſt illud opus Pythonis ? Eſt qui conſiſtit, ut offerat certum ſuffitus genus: is manu ſua virgam vibrat myrteam : ac recepta quædam incantationis verba profert : mox conſulit alium, quaſi loquentem ſecum, & interrogatis reſpondentem è terra voce ſubmiſſa admodum; quam auribus percipere non valeat, ſed cogitatione tantum aſſequatur. Similiter eſt, qui cranio mortui arrepto illud ſuffitu imbuat & incantet, donec præeuntem audiat vocem, quæ exeat axillis; & reſpondeatur ei. Hujuſmodi omnia ſunt Pythonica; quique aliquid eorum facit, lapidatur.

Conſulit alium quaſi loquentem ſecum.] Non de nihilo eſt, quod Maimonides noſter *quaſi loquentem* dicat. Siquidem credidit, quæ de νεκρομαντεία dicuntur, vana eſſe figmenta : unde commentario in Miſnam, diſertim ait, eos, qui arte illa, ſi ars dicenda eſt, celebrantur, nihil habere poteſtatis in animas defunctorum. Imo & ille, & R. Levi Ben-Gerſon, exiſtimant, Pythoniſſam, de qua in S. S. agitur, non revera Semuelem eduxiſſe; ſed tantum faſcinaſſe Saulis oculos. Alii Hebræorum cenſent, dæmonem, forma Semuelis indutum, apparuiſſe. Sed Rabbinorum vetuſtiores vere, ut traditur, rem omnem eveniſſe volunt; quia intra duodecimum menſem à morte Semuelis fiebat. Arbitrantur enim, animas illo ſpatio non eodem eſſe in ſtatu, quo poſtea ſunt. Ajunt iidem, ſi defunctorum animæ per Pythonem excitæ ſint; pythomantin videre eas, non audire, ut mulier a Saule conſulta; conſulentem audire, non videre, uti Saul; eos vero, qui defuncti operâ non indigent, nec videre, nec audire; uti Abner, aliique, qui cum Saule mulierem acceſſerant. Ac videtur inde quoque eſſe, quod Maimonides hic dicat, alium quaſi loqui è terra, & reſpondere interrogatis. Nempe quodammodo audit, non videt: uti nec Saul vidit.

E terra, voce ſubmiſſa admodum.] Jeſai. XXIX, 4: *Ut dejecta è terra loquaris, & è pulvere muſſitet ſermo tuus, ſitque quaſi Pythonis e terra vox tua, & è pulvere ſermo tuus pipiat.* Vide & Eſa. VIII, 19.

Similiter eſt, qui cranio mortui, &c.] Notum talia à Magis adhiberi ſolita. Unde inter cætera Appulejus, magiæ accuſatus, quod σκελετὸν ſibi fieri curaſſet, ait: *Tertium mendacium veſtrum fuit, macilentam, vel omnino eviſceratam formam diri cadaveris fabricatam, prorſus horribilem & larvalem. Quod ſi compertum habebabis adeo evidens ſignum magiæ, cur mihi, ut exhiberem, non denuntiaſtis?* En *evidens ſignum magiæ* nuncupat. Et aliquanto ante: *Quod me ajunt ad magica maleficia occulta fabrica, ligno exquiſitiſſimo comparaſſe; & cum ſit ſceleti forma turpe & horribile, tamen impendio colere, & Græco vocabulo nuncupare* βασιλέα.

Et incantat illud.] מנחש David de Pomis ait, eum eſſe, qui cogit ſpiritum, ut ſibi futura prænuntiet. נחש in S. Scriptura eſt *augurari*, *ominari*, & tam in bonam, quam malam partem ſumitur. Ita ut etiam de eo uſurpetur, qui futura prudentiâ ſuâ prævidet. A נחש *ſerpens* deductam vocem, non ambigo. nam ejus in auguriis, & incantationibus, aliiſque ſacris, magnus erat uſus. Unde Heſychius: Οἰωνὸς, ὄφις· Φοινικῶν γὰρ λέγεται εἰς τὰς μαντείας τοὺς ὄφεις ἔχειν, οὓς καὶ οἰωνοὺς ἔλεγον. Homerum adi Il. β, & ibi Euſtathium. Atque hinc etiam mos ille apud Ethnicos ſerpentem appingendi diis. Juſtin. Apol. II. pro Chriſtianis : παρὰ παντὶ τῶν νομιζομένων παρ' ὑμῖν θεῶν ὄφις σύμβολον μέγα καὶ μυστήριον ἀναγράφεται. *Omnibus, qui apud vos dii habentur, appingitur ſerpens, ut magnum ſymbolum & myſterium.* Orus Apollo quoque ait apud Ægyptios, Οὐβαῖον, ὅ ἐστιν Ἑλληνιστὶ βασιλίσκον, χρυσοῦν περιτιθέασι τοῖς θεοῖς. *Ubæum, id eſt, Græce Baſiliſcum, aureum circumponi Diis.* Locis etiam ſacris ſerpentem appoſitum, indicio eſt illud Perſii:

Pinge duos angues; pueri, ſacer eſt locus.

Porro ſerpentis eam venerationem acceperunt Græci à Cadmo. Phœnices enim ſerpentem religioſiſſime, ut Deum, coluiſſe; oſtendit Euſebius in Præparat. Euang. Nec Pytho, & Apollo Pythius, aliunde quam à ſerpentis cultu. Nam פתן *aſpis*. Ita & Pythoniſſa I Sam. XXVIII, 7. vocatur *domina* אוב *ob*, ſive *oph*, quod idem. Sane ab *oph*, ὄφις, uti & ab אוב, οὐβαῖος: de quo ex Oro jam vidimus. Fortaſſe etiam, quod Cadmum in draconem commutatum eſſe confinxit Græcia; non aliud ſibi vult, quam quod relatus ſit in ſemideos. Atque eo etiam fine ſepulchro ejus fuerit inſcripta imago ſerpentis. Niſi magis placet, iſto ſignificaſſe, quod primus ex Oriente in Græciam attuliſſet religionem Phœniciam, qua in ſerpentis imagine Deus coleretur. Sane ſolent in ſepulcris poni ea, quæ defuncti beneficia, vel aliud ad memoriam eorum pertinens indicarent. Inde ad Ulyſſem umbra Elpenoris Odyſſ. XI.

—— Πῆξαί τ' ἐπὶ τύμβῳ ἐρετμὸν
τῷ καὶ ζωὸς ἔρεσσον.

Fige

Fige ſuper ſepulchrum remum,
Quo vivus remigabam. Virgil. in VI:
Ingenti mole ſepulchrum
Imponit, ſuaque arma viro, remumque, tubamque,

Et in ſummo Archimedis *ſepulchro*, *ſphæram fuiſſe poſitam cum cylindro*; auctor eſt Tullius in V Tuſcul. quæſt. Etiam Rabbini tradunt, Joſuæ ſepulcro impreſſam fuiſſe Solis imaginem; & inde volunt appellatam eſſe urbem תמנת חרס, *Similitudinem Solis.* Unde Joſ. XV, 10. ubi Hieronymus *Thamna*: LXX autem πόλιν ἡλίου. Sed longius receſſimus. Redeo ad מעונן, quod & pro hariolis poni reperias apud Hebræos. Vide, quæ de variis eorum generibus annotavit doctiſſimus Cocljus.

ג כיצד מעשה הידעוני מניח עצם עוף ששמו ידוע בפיו ומקטיר ועשה מעשים אחרים עד שיפול בנכפה וידבר בפיו דברים שעתידים להיות וכל אלו מיני כו״ם הן ואזהרה שלהן מניין שנ׳ אל תפנו אל האובות :

III. Quod eſt opus arioli? Os avis, cui nomen *Jaduah*, inſerit ori ſuo, & ſuffitum, aliaque facit, donec fiat mente commotus, & loquatur, quæ videntur eventura. Univerſa hæc ſunt idololatrici generis: atque eorum interdictum habemus, cum dicitur, *Ne* a *vos convertatis ad Pythones.* a Levit. 19. 30.

Jaduah.] ידוע, *jaduah*, non hic eſt vocabulum, ut Grammaticorum filii loquuntur, adjectivum, quomodo ſignat *notum*: ſed rei per ſe ſubſiſtentis proprium nomen; idque animantis, ut ait R. David Kimchi in libro Radicum. Maimonides noſter magis determinat, cui eſt עוף, *avis.* Specialius etiam alii; quibus placet eſſe, quam Theocritus in Pharmaceutria vocat ἴυγγα, Latini *motacillam* nuncupant.

Donec fiat mentis commota.] נכפה interpretantur *morbum caducum.* David de Pomis: נכפה חולי שיפול אדם לארץ בשגעון · וסבתו נודעת בספרי רפואות ובן אנחנו קורין לחולי זה חולי נופל. id eſt; *Nechepha morbus eſt, quo cadit homo in terram cum furore: cauſſa autem ejus conſtat ex libris medicis: ideoque nos vocamus morbum illum morbum caducum.* Hic tamen pro μανίᾳ ſeu *furore vatum* accipio; unde & μάντεις Græcis nuncupati ſunt.

ד הנותן מזרעו למולך ברצונו בזדון חייב כרת בשגג מביא חטאת קבועה ואם עשה בעדים והתראה נסקל שנא׳ ואשר יתן מזרעו למולך מות יומת וגומר ואזהרה שלו מנין שנאמר ומזרעך לא תתן להעביר למולך ולהלן היא אומ׳ לא ימצא בך מעביר בנו ובתו באש :

IV. Qui de ſemine ſuo offert ſciens volenſque, exſcinditur: ſin errore, ſacrificium præfinitum (ad expiationem ſui) adducit. Quod ſi teſtibus fecerit præſentibus, & poſt admonitionem ſui; lapidatur, juxta illud: *Et* b *qui de ſemine ſuo offert Molocho,* b Ibid. 20. 2.
moriendo morietur. Interdictum autem hac de re invenitur his in verbis: *Et* c *de ſemine tuo ne des ad* c Ibid. 18. 21.
tranſducendum Molocho. Alio etiam loco dicitur,
Ne d *reperiatur inter vos, qui filium, aut filiam ſuam,* d Deut. 18. 10.
per ignem traducat.

Qui de ſemine ſuo offert Molocho.] מולך Molocho haud dubie nomen impoſitum, tanquam Regi, & maximo Deorum. Nam id honoris Soli mortalium profanorum antiquiſſimi dabant. Unde non immerito Maro XI. Æn.

Summe Deûm, ſancti cuſtos Soractis Apollo.

Servius ad eum locum, *Summe Deûm*, inquit, *ex affectu colentis dicitur. Nam Jupiter ſummus eſt.* Sed non attendit Servius, Solem ab antiquiſſimis, ut Deorum maximum, cultum eſſe: nominaque Jovis, Saturni, Martis, Liberi, Ori, Oſiridis, aliaque multa, Solem ſignificaſſe. Qua de re Macrobius fuſe lib. I Saturnal. cap. XVII, & ſex ſequentibus.

ה כיצד היו עושין מדליק אש גדולה ולוקח מקצת זרעו ומוסרו לכומרים עובדי האש ואותן הכומרים נותנין הבן לאביו אחר שנמסר בידן להעבירו באש ברשותו ואבי הבן הוא שמעביר בנו על האש ברשות הכומרים ומעבירו ברגליו מצד זה לצד אחר בתוך השלהבת לא שהיא שורפו למולך כדרך ששורפין בניהם ובנותיהם לעכו״ם אחרת אלא בהעברה בלבד היתה עבודה זו ששמו מולך לפיכך העושה עבודה זו לעכו״ם אחרת חוץ ממולך פטור :

V. Quomodo (id fiebat?) Accenſo igne magno, partem ſui accipiebant ſeminis, quam dein Sacerdotibus igni ſervientibus tradebant. At Sacerdotes, ubi filium accepiſſent, eum patri reſtituebant; quo ipſe ex ſententia ſua eum per ignem traduceret. Igitur pater filium, permiſſu ſacerdotum, per ignem agebat. Pedibus autem jubebat tranſire, donec, flammæ quicquid erat, emenſus foret. Non enim Molocho eum comburebant, quomodo liberos ſuos aliis exurebant Diis: ſed cultus ille Molochi tantum in tranſitu conſiſtebat. Ideoque, qui hunc cultum alteri, quam Molocho, exhiberet, abſolvebatur.

Quomodo id fiebat?] Diſſentiunt homines doctiſſimi, utrùm infantes per ignem tantummodò fuerint traducti; quæ Aben-Ezræ ſententia eſt: an vero cremati; ut volunt Moſes Gerundenſis, & Iſaacus Abravanel. Qui poſteriorem ſententiam ſequuntur, addunt, propterea in ſacris uſurpata tympana, ne ploratus infantium audiretur. Atque hoc colligunt ex Jerem. VII, 31: *Ædificarunt excelſa Tophet, quod eſt in valle filii Hinnom, ad exurendos filios & filias ſuas igni.* Eſtque in hac etiam ſententia Cyrillus Magnus comment. in Eſaiam. Qui vero exiſtimant, tantummodo per ignem traductos, in partes advocare poſſunt Patres Sexti Conſtantinopolitani in Trullo habiti. Nam Canone LXV, dicunt, Τὰς ἐν ταῖς νουμηνίαις ὑπό τινων πρὸ τῶν οἰκείων ἐργαστηρίων ἢ οἴκων ἀναπτομένας πυρκαϊάς, ἃς καὶ ὑπερπηδᾶν τινὲς κατά τι ἔθος ἀρχαῖον ἐπιχειροῦσιν, ἀπὸ τοῦ παρόντος καταργηθῆναι προστάττομεν. *Qui in noviluniis à quibuſdam ante officinas & domos accenduntur, rogos, (ſupra quos etiam antiqua quadam conſuetudine tranſilire audent) ceſſare jubemus.*

mus. Per morem antiquum ibi deſignari ignem à Manaſſe incenſum, docuit Zonaras. Quod ſi Moloch Apollo eſt, faventi eidem opinioni Maro XI Æneid.

——— *Cui pineus ardor acervo*
Paſcitur, & medium freti pietate per ignem,
Cultores multa premimus veſtigia pruna.

Scio, Molochum potius credi Saturnum. Sed enim; quid de eo videatur, ex Macrobio jam diximus. Atque ut apud Iſidorum quoque legas in VIII Originum, cap. XI: *Apud Aſſyrios Bel vocatur quadam ſacrorum ſuorum ratione & Saturnus, & Sol.* Quæ etſi veriſſima ſunt, non propterea tamen placent, qui infantes crematos negant. Quid enim impedit, quo minus uterque mos obtinuerit, & ille cremandi, & alter per ignem traducendi? Crudele multis videtur ſacrificare liberos. Et ſane eſt. Nihil tamen certius, quam gentiles immolaſſe ſuos liberos. Id Ægyptios feciſſe, teſtis Athenæus, lib. IV. Carthaginenſes quoque, Phœnicum colonos, hunc morem recepiſſe, docent Diodorus, lib. XX, & Trogus, ſive malis Juſtinus, lib. XVIII. Etiam Ennius de iis:

Ille ſuos Divis mos ſacrificare puellos.

Quid gentium alias perſequar? Vide quæ pio & erudito opere de Chriſti Satisfactione, cap. X. ſcripſit divinarum humanarumque literarum ſcientiſſimus Hugo Grotius.

Permiſſu Sacerdotum.] רשות, *permiſſio, licentia*: unde & ponitur pro loco proprio: ut ædes alicujus ſunt רשותו. Et רשות הרבים Abod Zara, cap. I, §. 3. *licentia multorum*; id eſt, locus publicus.

ו אינו חייב כרת או סקילה עד שימסור בנו למולך ויעבירנו ברגליו באש דרך העברה: מסר ולא העביר העביר ולא מסר או שמסר והעביר שלא כדרך העברה פטור ואינו חייב עד שימסור מקצ' זרעו ויניח מקצת שנאמר כי מזרעו נתן למולך מקצתו ולא כולו:

VI. Neque vel exſcindebatur, vel lapidabatur quiſquam, niſi prius tradidiſſet filium ſuum Molocho, & adegiſſet ad eo modo tranſeundum pedibus per ignem. Si tradidit, nec fecit ut tranſiret; vel ut tranſiret fecit, non autem obtulit; denique ſi cauſſa eſt tranſitus, ſed non recepto tranſierit modo; liber pronunciabatur. Neque reus peragitur, niſi partem ſeminis tradiderit, partem retinuerit. Quippe dicitur, *Qui* a *de ſemine ſuo dederit Molocho.* Quaſi dicas, qui partem dederit, non totum. a Levit. 20. 3.

Qui partem dederit, non totum.] Mira concluſio! reus eſt, qui filiorum aliquem obtulerit Molocho; qui verò omnes, liber eſt. Ajunt Hebræi, ideo hoc inſtitutum, quia ſiquis unum tantum filium obtulerit, morte ſua expiaret peccatum illud. At ſi omnes obtulerit, gravius eſſe delictum, quam ut morte expiari poſſit. Ideoque hominem illum hic quidem effugere pœnam; ſed à Deo vita æterna orbari. Alii obtinuiſſe morem volunt, ut unus tantummodo filius offerretur; cujus oblatione, pro omnibus offerentis liberis, ſatisfieret: eoque, ſi non unus, ſed univerſi offerrentur, recedi à cultu, qui Molocho præſtari ſolet: eaque de cauſſa talem eſſe immunem à pœna, qua afficitur, qui Molocho filium ſuum obtuliſſet. Sed magis mihi probatur ſententia Iſaci Abravanelis: qui exiſtimat, eo dicere Scripturam, *Qui dederit de ſemine ſuo*; quia parum veriſimile foret, repertum iri quemquam, qui univerſam ſobolem ſuam offerret Molocho. Tantum igitur abeſt, ut trium liberorum pater, ſi tres obtulerit, liber ſit à pœna, ut tanto magis pœnæ ſit obnoxius. Sed ſi, ut Maimonides ait, *de ſemine* ſignificat partem, non totum: quid ſtatuendum, ſi filius offeratur unigenitus, ubi idem unica, & univerſa ſoboles? Hic unigenitum dixeris ſeminis partem ratione totius, ut vocant, potentialis. Nam ut actu filium habuerit unum, poteſtate tamen habuit plures.

ז אחד זרע כשר ואחד זרע פסול אחד בניו ובנותיו אחד בניהם ובני בנותם על כל יוצאי ירכו הוא חייב מפני שהן זרעו אבל אם העביר אחיו או אחיותיו או אבותיו או שהעביר עצמו פטור העביר אחד מזרעו והוא ישן או שהיה סומא פטור:

VII. Tantidem autem cenſentur proles legitima, & illegitima: tantidem quoque liberi, & nepotes, vel pronepotes, aut quicumque ex femore ejus. Ut reus ſit propterea, quia ex ſemine ejus ſint. Sed ſiquis traduxiſſet fratrem, ſororem, patrem, ipſeve tranſiiſſet, liber erat: ut etiam ſi traduxiſſet aliquem è ſemine ſuo, ſed dormientem, aut cæcum.

Proles legitima & illegitima.] Sive, *Semen legitimum & illegitimum.* זרע כשר וזרע פסול. Vox כשר à Rabbinis, ubi de prohibito & licito ſermo eſt, ſæpe uſurpatur. Ita mulier כשרה opponitur menſtruatæ: ac ſemen כשר, id eſt, *rectum*, ſeu *legitimum*, ſemini פסול falſo, id eſt, illegitimo. פסל, quod Rabbinis eſt, *adulterare*, ſeu *falſificare*, & *inquinare*, eſt à פסל *ſculpere*, deductum: quia talia in falſorum Deorum honorem fiebant.

Sed dormientem, aut cæcum.] Hunc, vel illum, qui traduxerit, eo, liber pronunciatur, quia incedere neuter poteſt. Volunt enim Hebræi, pueros, qui offerentur, ignem tranſiiſſe ſaltabundos: דרך העברה הכי דמי אמר אביי מתא קלינא בחילפי ניזא מהאי גיסא ונורא מהאי גיסא רבא אמר כמשוורתא דפוריא. Tranſtulit doctiſſ. Cochus; *per modum tranſductionis. Cujuſmodi illa eſt? Ait Abai: Ordo ferentium in medio erat: ignis hinc inde ardebat. Rabba ait: Ut qui ſaltant in feſto ſortium.*

ח מצבה שאסרה תורה היא בנין שהכל מתקבצין אצלה ואפילו לעבוד את השם שכן היה דרך עבודת כו"ם שנאמר ולא תקים לך מצבה וכל המקים מצבה לוקה: וכן אבן משכית האמורה בתורה אע"פ שהוא שנ' ואבן משכית

VIII. Statuæ nomine in lege prohibitæ cenſetur ſtructura, ad quam ſe omnes congregant; quamvis id fiat ad ſerviendum Deo vero. Talis enim eſt cultus idolorum. Dictum autem eſt, *Neque* b *eriges tibi ſtatuam.* Quiſquis igitur eam erigit, vapulat. Similiter, quiſquis ſe incurvat ſuper lapide figurato, de quo Lex loquitur, etſi vero id Deo b Deut. 16. 22.

לא præ-

לא תתנו בארצכם להשתחוות עליה מפני שהיה
דרך עכו"ם להניח אבן לפניה להשתחוות עליה
לפיכך אין עושין כן לה' ואינו לוקה עד שיפשוט
ידיו ורגליו על האבן ונמצא כולו מוטל עליה שזו
היא השתחויה האמורה בתורה:

præſtet, vapulat. Quia dictum : *Neque a figuratum lapidem ponite in terra veſtra, ut vos incurvetis ſuper eo.* a Levit. 26.1. id enim in idolorum cultu obtinebat, ut lapis poneretur', ſuper quo ſeſe proſternerent. Ac propterea nefas id agere in veri Dei cultu. Nec tamen vapulabit, niſi manibus pedibuſque ſuper lapide proſtratus jacuerit. Hujuſmodi enim incurvationem Lex deſignat.

Statuæ nomine in lege prohibita.] Scriptoris noſtri hæc ſententia eſt, non ſtatuas quaſvis, ſed ſuperſtitioſas duntaxat, eſſe interdictas: non illas itidem, quæ in rei alicujus teſtimonium ponerentur. Qualis illa Jacobi Geneſ. XXVIII, 22. verbis iſtis deſignata: *Hæc ſtrues lapidum, quam diſpoſui in ſtatuam.* Item XXXI, 52: *Teſtis cumulus iſte, & teſtis ſtatua illa eſt.* Ideoque verba hæc, *Ne erigas tibi ſtatuam, quam averſatur Dominus Deus tuus*: exponunt Hebræi de ſtatua ad ſuperſtitionem conſtituenda; non illa, quæ ad memoriam ponitur. Sic infrà cap. VIII, § 5. ait, non alios prohiberi lucos, quam qui idololatriæ ergo plantati ſunt.

Super lapide figurato.] Apud Moſen Levit. XXVI, 1. eſt אבן משכית. quod ſecundum R. Bahye, & alios, notat lapidem effigiei, ſive figuræ: hoc eſt, lapidem pictum, vel cælatum. Sententia igitur, (ut eſt apud R. Bahye) ejuſmodi eſt, מנהג עובדי עבודה זרה היה פסיו מציירין אבן בציור נאה ונותנין האבן לפני הגלול ומשתחוים עליה לפניו. *Mos idololatricus erat, figurare lapidem pulcra effigiei, eumque ponere coram idolo, & ſuper illo ſe coram hoc proſternere.* Sed aliter R. Salomo: qui interpretatur משכית, à סכה, hoc eſt, *cooperuit*: ut ſic lapis pavimenti dicatur, quia is terram contegit. Onkelos vero intelligit אבן סגידא, *lapidem humiliationis*; fortè mutato כ in ס. Nam סגד, *humiliatio.* Ita ſignificabitur lapis, ſuper quo ſe incurvarent, & proſternerent: non ante quem, ſive cui ſe incurvarent; ut alii interpretantur.

Id enim in idolorum cultu.] Significat, eum eſſe morem gentilium, ut ante idolum, pavimentum ſternatur lapide, in quo aliquæ ſculptæ ſint figuræ: ac videntur iſtæ quippiam expreſſiſſe, quod ad idoli illius honorem pertineret: finis verò lapidis adeo affabre facti erat, ut ſuper illo ſe proſternerent, adoraturi idolum ibidem erectum.

ט בר"א בשאר הארצות אבל במקדש מותר
להשתחוות לה' על האבנים שנאמר בארצכם
בארצכ' אי אתם משתחוים על האבנים
אבל אתם משתחוים על האבנים המפוצלות
במקדש:

IX. Hæc de reliquis locis capienda : in ſanctuario autem licet Dominum adorare ſuper lapide. Quia dicitur, *In* b *veſtris terris.* (hoc eſt,) Ne- b Levit. 26. 1.
quaquam vos in terris veſtris proſterneteis ſuper lapide, ut (proſterneteis) ſuper ſanctuarii lapide glabro & nullam effigiem habenti.

In ſanctuario autem licet Dominum adorare ſuper lapide.] Quia lapis illic nullam habeat effigiem, ac nullus ignorat, hic ſoli Deo vero cultum exhiberi: at aliis in locis ſuſpicari quis poteſt, idolis, aut ipſis lapidibus, cultum præſtari.

י ומפני זה נהגו כל ישראל להציע מחצלאות
בבתי כנסיות הרצופות באבנים או מיני קש ותבן
להבדיל ביניהן ובין האבני' ואם לא מצא דבר מבדיל
בינו ובין האבן הולך למקום אחר ומשתחוה או
שוחה על צדו ומטה כדי שלא ידביק פניו באבן:

X. Hanc ob cauſſam ſolebat omnis Iſrael in ſynagogis, quæ lapide eſſent ſubſtratæ, ſtoreas ſternere, aut ſtraminis genus, quo inter ipſos, & lapides, aliquid intermedium foret. Quod ſi deeſſet, quo lapides contegerent; alium in locum ibant, atque ibi ſe proſternebant, vel in latus inclinabant, ne facie lapides contingerent.

יא כל המשתחוה לשם על האבנים המפוצלות
בלא פישוט ידים ורגלים אינו לוקה אלא מכין אותו
מכת מרדות אבל לעכ"ום אחר השתחויה בפישוט
ידים ורגלים או בלא פישוט ידים ורגלים משעה
שיכבוש פניו בקרקע נסקל:

XI. Quicumque Deum adorat ſuper lapidibus glabris, effigiem nullam habentibus, nec id faciat manibus pedibuſque extenſis; non vapulat, ſed rebellionis ictibus percutitur. At idololatriam exercens, ubi ſe proſtraverit, ſive manibus pedibuſque extenſis, ſive iis non extenſis, ab ea hora, qua faciem ſolo admoverit, lapidandus erit.

Non vapulat, ſed percutitur ictibus rebellionis.] מכת מרדות *ictus rebellionis* infliguntur ob tranſgreſſionem præcepti, ut loquuntur, affirmantis; id eſt, cum Deus jubet aliquid facere, & negligit homo. Tales percutiebantur, non XL ictibus, ut cæteri, qui לא תעשה, id eſt, *ne facias*, ſeu interdictum tranſgreſſi erant; verum uſque dum exſpirarent. Eadem pœna quoque ſtatuta erat in eos, qui Rabbinorum ſtatutis non parebant. Vide Aruch.

יב הנוטע אילן אצל המזבח או בכל העזרה
בין אילן סרק בין אילן מאכל אע"פ שעשאו לנוי
למקדש וליופי הרי זה לוקה שנאמר לא תטע לך
אשרה כל עץ אצל מזבח ה' אלהיך מפני שהיה
זה

XII. Qui arborem juxta aram plantat, vel in atrio; ſive arbor ea ſterilis, ſeu frugifera fuerit; quamvis id fecerit, quo templum ornatius pulchriuſque redderet; nihilominus plectendus eſt. Quia dicitur, *Ne* c *plantes lucum qualiſcunque arboris jux-* c Deut.
ta aram Domini Dei tui. In cauſſa eſt, quod mos 16. 21.
E ille

וה דרך עכ"ום נוטעין אילנות לצד מזבח שלה כדי שיקבצו עם העם :

ille idololatris eſſet, plantare arbores ſecundum altare ſuum, ut ubi populus congregaretur.

יג אסור לעשות אכסדראות של עץ במקדש כדרך שעושין בחצרות אע"פ שהוא כבנין ואינו עץ נטוע הרחקה יתרה היא שנאמר כל עץ אלא כל האכסדראות והסבכות היוצאות מן הכותלים שהיו במקדש של אבן היו לא של עץ :

XIII. Vetitum etiam in templis facere è ligno porticum intercolumniis diſtinctam, quomodo extrui atria ſolent; utcumque ædificii forma ſit, nullaque plantata ſit arbor: qua ratione plurimum receditur. Quippe dicitur, *Omne lignum.* Ideoque omnia atria cum intercolumniis, & perplexum opus ad ramorum formam ex parietibus procedens, è lapide, non è ligno erat.

Vetitum etiam in templo facere è ligno porticum intercolumnio diſtinctam.] אכסדרה Davidi de Pomis exponitur, אולם המסבב עם עמודים *porticus cincta columnis.* Vox haud dubiè facta ex ἐξέδρα, de qua pluribus non agam. Vide quæ ad Middoth cap. 1, comm. v, & vii, notavit vir ut genere, animi integritate, doctrinaque egregius, ita præclare de Hebræis literis meritus Conſtantinus l'Empereur.

Qua ratione plurimum receditur.] Verba hæc, הרחקה יתרה significare puto, *Qui receſſus valde eſt longinquus.* Si mentem requiras, ea idem notant, quod Latinis *ſuperabundans cautela eſt.* Lex dixerat: *Ne plantes lucum qualiſcumque ſigni apud aram Domini Dei tui.* Hebræi non modo arborem plantatam refugiunt; ſed & columnas è ligno factas, ac ſtatutas. Scilicet ne ad illicita venitetur, etiam iis abſtineri jubent, quæ per ſe licita erant. Hinc in Pirke Aboth cap. 1, § 1: עשו סיג לתורה, *ſepem facite pro lege.* Ubi *Sepem* de traditionibus accipiunt, quæ legis tranſgreſſione hominem arcent.

פרק שביעי

CAPUT VII.

מצות עשה היא לאבד עבודת כוכבים ומשמשיה וכל הנעשה בשבילה שנא' אבד תאבדון את כל המקומות כי אם כה תעשו להם וגו' ובארץ ישראל מצוה לרדוף אחריה עד שנאבד אותה מכל ארצנו אבל בחוצה לארץ אין אנו מצווים לרדוף אחריה אלא כל מקום שנכבוש אותו נאבד כל עבודת כו"ם שבו שנא' ואבדתם את שמם מן המקום ההוא בארץ ישראל אתה מצווה לרדוף אחריהן ואי אתה מצוה לרדוף אחריהן בחוצה לארץ :

IN mandatis eſt, ut tollatur idololatria, & huic inſervientia, & quicquid ejus cauſſa fit. Quia
dicitur, *Perdendo* a *perdes omnia loca. Sic enim fa-* a Deut.
cietis illis, &c. In terra autem Iſraelis perſequi 12. 2.
eos jubemur, donec ditione omni exegerimus. Extra vero terram noſtram non jubemur eos perſequi, præterquam iis in locis, quæ armis noſtris ſubjecimus. Quia dicitur, *Et* b *perdetis nomen eo-* b Ibid.
rum ex loco ISTO. Itaque tantum juberis idolola- 12. 3.
triam exſcindere in terra Iſrael; non item extra eam.

Extra vero terram noſtram non jubemur eos perſequi.] Mens autoris eſt, teneri Iſraelitas ex terra ſancta exſtirpare idola, & miniſtros ejus, atque adeo omnem illorum memoriam. At in cæteris, quæ ſubigerent, locis, tantum obligat eos ad amovenda idola.

ב עבודת כו"ם ומשמשיה והקרבנת שלה וכל הנעשה בשבילה אסור בהנאה שנ' ולא תביא תועבה אל ביתך וכל הנהנה כאחד מכל אלו לוקה שתים אחת משום ולא תביא ואחת משום ולא ידבק בידך מאומה מן החרם :

II. Idolis, & eo quod illorum uſibus ſervit, quodque oblatum illis eſt, omnique eo, quod illorum cauſſa factum eſt, quæſtum facere prohibemur:
quia dicitur, *Neque* c *adduces abominationem in* c Deut.
ædes tuas. Quique uno omnium iſtorum quæ- 7. 26.
ſtum fecerit, bis vapulat: primum propter verba illa, *Non adduces:* iterum ob verſiculum, *Neque*
d *adhærebit manibus tuis quicquam ex anathemate.* c Ibid.
13. 19.

Quæſtum facere prohibemur.] אסור בהנאה formula Hebræis uſitata, qua denotant, nec vendere rem aliquam, neque uti nos ea poſſe, quomodocumque id fiat. Ita lapidibus delubrorum idolis dicatorum, alias ad ædes extruendas, uti vetitum erat. Cibos quoque diis falſis ſacratos religioſe cavebant veteres Chriſtiani. Unde B. Martyr Juſtinus, dialogo cum Triphone Judæo: Ὅπερ οὐχ ὑπομένοντες πρᾶξαι οἱ ἀπὸ τῶν ἐθνῶν διὰ Ἰησοῦ τοῦ σταυρωθέντος ἐπιγνόντες τὸν ποιητὴν τῶν ὅλων Θεὸν, ἀλλὰ πᾶσαν αἰκίαν καὶ τιμωρίαν μέχρις ἐσχάτου θανάτου ὑπομένουσι περὶ τοῦ μήτε εἰδωλολατρῆσαι, μήτε εἰδωλόθυτα φαγεῖν. *Quod in ſe admittere non audent, qui ex gentibus per Jeſum Chriſtum crucifixum cognoverunt conditorem rerum univerſarum Deum; ſed cruciatum & ſupplicium omne potius ad extremam uſque mortem tolleraverint, quàm vel ſimulachra colant, vel ſimulachris immolata comedant.* Subdit porro, pro Chriſtianis veris haut duci oportere, qui εἰδωλολύθοις veſcantur. Quæ verba eo ſpectant, quia dixerat Trypho, eſſe Chriſtianos, qui dicerent, i.s ſe citra culpam, vel noxam, veſci poſſe. Sed vel beatus Martyr rigidius aliquanto locutus, vel verba ejus ſic capere oportet, plane iis abſtinendum eſſe, ſi res ea ſcandalum ſit præbitura. Quod fiat, ſi idolis oblata in εἰδωλείῳ comedantur: ubi Sacerdotes in idoli honorem ſolent epulari. Ac propterea etiam videtur addidiſſe diſertim, *qui ex gentibus Jeſum cognoverunt*: nempe ut oſtenderet, Judæis ad Chriſtum converſis licere quidvis edere extra εἰδωλεῖον. Sane reſcriptum Apoſtolorum de abſtinendo ab εἰδωλοθύτοις, quod eſt Actorum xv, 29. ſolum

lum loquitur de iis, qui ex pago deditis ſeſe Chriſto aggregaſſent. Optime hæc intelligi poſſunt ex beati Pauli epiſt. 1. ad Corinth. cap. VIII, & X. Quæ inter ſe collata oſtendunt, ſanctum Apoſtolum voluiſſe, ut Chriſtiani in εἰδωλείῳ, ſeu fano, aut delubro idolorum minime comedant oblata idolis. Unde ait cap. X. Ἀ᾽ θύει τὰ ἔθνη, δαιμονίοις θύει, καὶ οὐ Θεῷ. οὐ θέλω ὑμᾶς κοινωνοὺς τῶν δαιμονίων γίνεσθαι. *Quæ immolant gentiles, dæmoniis immolant, & non Deo: nolim autem vos participes dæmoniorum eſſe.* Ruſum paullo poſt: Πάντα μοι ἔξεστιν, ἀλλ᾽ οὐ πάντα συμφέρει. *Omnia mihi licent, at non omnia conferunt.* Videantur tota duo capita, quæ allegavi. Porro ut Judæi, & Chriſtiani, εἰδωλοθύτοις, ita & gentiles ex hoſtia piaculari aliquid edere nefas habuere: uti & illa in cujus ſanguine jusjurandum conceptum erat, quia execrationes in illius caput redundare credebant, qui violaſſet religionem jurisjurandi. Unde tales hoſtias ab indigenis defoſſas, ab peregrinis in mare projectas, docet Euſtathius: τὰ ἐπὶ ὅρκοις σφαγιαζόμενα, inquit, οἱ μὲν ἐγχώριοι κατώρυττον, κρύπτοντες ὑπὸ γῆν· οἱ δὲ ἐπήλυδες κατὰ σχῆμα συνηθές, ἢ ἀλλό τι ὅμοιον ἐποίουν, ὡς ἐκ τοῦ κατὰ τὸ δῆλον ἐστι, ὃν ἐπὶ ὅρκῳ σφάξαι που ὁ βασιλεύς, γίνεσθαι δὲ ὅλως ἀπόμαστον ἦν. Idem rurſum: ἐπεὶ τοῖς γε ἀρχαιοτέροις ἐς τὰ ἱερεῖα ἦν καθεστηκός, ἐφ᾽ ᾧ τις ὅρκον ἐπωμόσατο μηδὲ ἐδώδιμον εἶναι τοῦτο ἔτι ἀνθρώπῳ.

Quique uno omnium iſtorum quæſtum fecerit, bis vapulat.] In Maccot, cap. III. § 2. vapulare is dicitur, qui פיגול, id eſt, *abominabile*, comederit.

ג בהמה שהקריבוה לעבודת כו״ם כולה אסורה בהנאה אפילו פרשה ועצמותיה וקרניה וטלפיה ועורה הכל אסור בהנאה לפיכך אם היה בעור סימן שיודע בו שזה העור הקריבת כו״ם הוא כגון שהיו עושין שקורעין קרע עגול כנגד הלב ומוציאין הלב הרי כל אותן העורות שהן כך אסורין בהנאה וכן כל כיוצא בזה:

III. De juramento, quod obtulerunt ad quæſtum, quicquam lucrifacere, prohibitum eſt: etiam de ſtercore, oſſibus, cornibus, ungulis, pelleque ejus; de omnibus, inquam, iſtis quæſtum facere vetamur. Quod ſi in pelle nota foret, & indicatum, pellem eam idolis eſſe oblatam; ut ſiebat, cum rotundo foramine, ex adverſo cordis facto, cor per illud extrahebant: ex pelle hujuſmodi inconceſſum erat lucrum, ut & cæteris talibus.

Cum rotundo foramine ex adverſo cordis.] Tradit Maimonides in notis ad Miſnajot, פ״ו פ״ב ס״ג, hunc fuiſſe cultum gentilium. הוא מין מעבודת הכוכבים *eſt ſpecies idololatriæ.* Videntur gentiles (ſi Hebræos audimus, qui tamen, unde illud hauſerint, neſcio) ad extrahendum cor animantis, foramen circuli, aut potius cordis forma feciſſe; & ſi foramen illud per errorem in longum diruptum fuiſſet, illam pecudem pro inutili ad ſacrificia habuiſſe. Habes idem in Aboda Zara, cap. II, § 4. רבן שמעון בן גמליאל אומר בזמן שהקרע שלו עגול אסור משוך מותר *Raban Simeon Ben Gamliel ait, quando inciſura eſt orbicularis, prohibitas eſſe* (pelles) *ubi oblonga, licitas.* Pelles ex, quibus inciſura rotunda eſt, vocantur ibidem עורות לבובין, *pelles cordium.*

ד מה בין עבודת כו״ם של גוי לעכו״ם של ישראל עבודת כו״ם של גוי אסורה בהנאה מיד שנא׳ פסילי אלהיהם תשרפון באש משפסלו נעשה לו אלוה ושל ישראל אינה אסורה בהנאה עד שתעבוד שנאמר ושם בסתר עד שיעשה לה דברים שבסתר שהם עבודתה ומשמשי עבודת כו״ם בין של גוי בין של ישראל אינן אסורין עד שישתמשו בהן לעבודה זרה:

IV. Quod diſcrimen eſt inter idololatriam gentilis, atque Iſraelitæ? Idola gentilium ſimpliciter ſunt prohibita ad quæſtum. Quia dictum, *Sculptilia* a *Deorum eorum igne exurentur.* (Nimirum) a Deut. 7. 25.
ſimulac ſculpta, pro Diis habebantur. At ſculptili Iſraelis non ante quæſtum facere prohibemur, quàm cultus ei exhibitus ſit. Quia dicitur, *b Expoſuerit* b Ibid. 27. 15.
in occulto. Hoc eſt, donec in occulto ſervierit recepto colendi modo. Sed ea, quæ inſerviunt cultui idolorum, ſeu gentilium, ſeu Iſraelitarum, non ſunt interdicta, priuſquam in cultu ea more gentium fuere adhibita.

Idola gentilium ſimpliciter ſunt prohibita ad quæſtum.] Sumtum ex Aboda Zara cap. IV. § 4. ע״ז של נכרי אסורה מיד ושל ישראל אינה אסורה עד שתעבד Non interpretor, quia verba eadem ſunt. Cur מיד i.e. *è manu* ſimulatque perfectum eſt, illicitum habeatur gentilis idolum; Iſraelitæ non antequam cultus ei exhibitus ſit; ratio eſt, quia ille, ut ait Autor, id pro Deo mox habet; Iſraelita non item. Poteſt enim pœnitentiâ duci, antequam colat. Unde requiritur, ut priùs idolum in occulto loco ponat; quia, publicè colere id metu judicum non auſus, videtur clam habere, ut colat. Conſtat autem, gentiles ſolitos quoque domi ſuæ habere ſimulacra deorum. Unde Plinius tertio epiſtolarum libro: *Emi autem, non ut haberem domi, verum ut in patria noſtra celebri loco ponerem.* Non mirum autem, Deum vetuiſſe, ne quis domi ſuæ haberet talia: quando & legibus apud Romanos cautum id fuit: *Separatim nemo habeſſit Deos: neve novos, ſed ne advenas, niſi publicè adſcitos, privatim colunto.*

ה העושה עבודת כ״ום לאחרים אע״פ שהוא לוקה שכרו מותר ואפילו עשאה לגוי שהיא אסורה מיד מפני שאינה נאסרת עד שתגמר ומכוש אחרון שגומרה אין בו שוה פרוטה:

V. Ejus, qui idolum aliis fabricat, tametſi ipſe vapulet, merces tamen conceſſa eſt: imò etiamſi gentili illud idolum fecerit, ipſumque continuò prohibitum ſit. Nec enim prohibitum eſt, niſi fuerit perfectum: ictus autem ultimus, quo perficitur, non cenſetur unius oboli.

Ejus, qui idolum aliis, &c.] Traditur idem in Gemara Aboda Zara cap. I. § 8. ע״ז מאן קא גרים לה גמר מלאכה ואיזהו הויא גמר מלאכתה בנכוש אחרון מכוש אחרון לית בה שוה פרוטה. i. eſt. *Quid eſt, quod efficit idolum? conſummatio*

matio operis. Quando autem conſummatur opus ? ictu extremo. Ictus autem extremus non valet obolum. Mens eſt, idoli pretium licitum eſſe, quia quamdiu idolum perfectum non eſt, nequeat opifex mercedem exigere. Et quia conſummatur extremo ictu, pro illo autem ictu ne obolus quidem ſolvatur; eſt licitam mercedem.

Ictus autem ultimus, quo perficitur.] מכה & מכת David de Pomis exponit מקבת של כסוף *malleum campanæ* à radice נכה i.e. *percutere.* Unde מכה, vel מכת, *ictus, percuſſio.*

ו הלוקח גרוטאות מן הגוים ומצא בהן עבודת כו״ם אם נתן מעות ולא משך יחזירם לגוי וכן אם משך ולא נתן מעו׳ אע״פ שמשיכה קונה כמקח טעות היא נתן מעות ומשך יוליכם לים המלח:

VI. Qui comparat ſibi ferramenta à gentili, atque inter ea invenerit aliqua cultus idololatrici; ſi jam dederit pecuniam, ac necdum (ille ferramenta) acceperit, reddet ea gentili. Uti & ſi acceperit, ac needum ſatisfecerit. Licet enim, ſimulatque acceperat, (vere) poſſideat; (nihilominus tamen) hoc pro erronea emtione cenſetur. Si jam dederit pecuniam, & (ferramenta) acceperit; projiciunt ea in mare mortuum.

Qui comparat ſibi ferramenta.] גרוטאות ſunt *fragmenta ferri.* Unde David de Pomis גרוטאות exponit של מתכת שברים *fragmenta metalli.* Vox haud dubie ſumta à Græca voce γρύτη, quod *ſcruta* Latinis, unde *ſcrutarii*, qui omnis generis ſcruta & frivola vendunt. Confirmat ſententiam meam Natan autor Aruch, qui ait, גרוטאות מסמרים שבורים ושברי ברזל אשר יתלקטו ויתקבצו ולשון יון הוא ויש אומרים כל מיני מתכות בין כסף בין זהב *Clavi fracti, & fragmenta ferri, quæ collecta & coacervata ſunt. Vox Græca. Sunt qui dicant, eſſe omnem ſpeciem metalli, ſive argentum, ſeu aurum ſit.*

Si jam dedit pecuniam, & nondum accepit.] In Sulchan Aruch Halachoth מקח וממכר ſect. 142. legas, contractum verbis non conſummari, quamvis teſtes adſint; ſed varias requiri conditiones. In rebus immobilibus quidem, ut emtor vendenti det nummum, licet tantum obolus ſit, in teſtimonium emtionis. II. chirographum. III. ut poſſeſſionem capiat i. e. præſente venditore in re emta deſtruat, vel mutet aliquid: quemadmodum ſi, emta domo, partem aliquam ejus deſtruat, vel dejiciat, aut inſtauret, vel ſimile quidpiam agat. IV. ut vas aliquod (non aliam rem) det, quæ ſignum ſit peracti contractus. In jumentis, aut beſtiis equinis, ut vel ea attollat, vel ex loco, in quo erant, abducat. In rebus autem mobilibus, ut eas vel tollat, vel ex loco ſuo auferat, vel denique vas aliquod det, quod ſignum ſit conſummati contractus. Hoc loco ait Maimonides, ſi quis ferramenta emens, pecuniam dederit, & ea nondum acceperit; aut ea acceperit, & pecuniam non dederit; nondum contractum pro rato haberi. Quamvis, ut ipſe ait, משיכה קונה, i. e. emtor acceptatione, quam emit, eo ipſo tempore poſſeſſor fiat. Sed ratio irriti hujuſmodi contractus eſt, quia fraus ſuit: nam idololatrica ferramenta ignarus emit: à contractu autem abeſſe debet omnis dolus: ut teſtatur Maimonides in Jad Chazaqua Halachut Mechira cap. xv. At ſi & merces acceperit, & ſimul pecuniam dederit, reſcindi contractus nequit, eoque ipſe poſſeſſor manet. Et quia vendere ea, aut in uſum ſuum convertere nequit, abjicienda ſunt in mare.

ז וכן גוי וגר שירשו את אביהן גוי יכול הגר לומר לגוי טול אתה עבודת כו״ם ואני מעות טול אתה יין נסך ואני פירות ואם משבאו לרשות הגר אסור:

VII. Sic etiam, ubi gentilis, & Iſraelita peregrinus adeunt hæreditatem patris ſui gentilis, dicet gentili peregrinus: Accipe tu idolis dicata; ego pecuniam ſumam. Tibi vinum cedat libationis; mihi fructus. Quod ſi eorum hæreditas obtigit peregrino, vetita ſunt.

Sic etiam ubi gentilis, & peregrinus.] Hæc iiſdem verbis legas in Codice דמאי *Demai*, ſeu de rebus dubiis, cap. VI, § 10. Ratio autem, ob quam permutatio iſta concedatur, eſt, ne de more hæreditatis paternæ ad paganiſmum iterum delabatur. Sed hoc tantum licet, quamdiu nondum in poſſeſſionem ejus venerit: ubi ſemel poſſedit, nefas eſt: nam ſic ex rebus idololatricis quæſtum caperet.

ח צורות שעשאום גוים לנוי מותרין בהנאה וצורות שעשאום לעבודת כו״ם אסורין כיצד כל הצורות הנמצאים בכפרים אסורים בהנאה מפני שחזקתם של עבודת כו״ם הן עשויין והנמצאות במדינה אם היו עומדין על פתח המדינה והיה ביד הצורה צורת מקל או צפור או כדור או סייף או עטרה וטבעת חזקתו שהוא לעבודת כו״ם ואסור בהנאה ואם לאו הרי הוא בחזקת לנוי ומותר:

VIII. Imagines à gentilibus ornatus cauſſa factæ, licitæ ſunt ad quæſtum; prohibitæ, quæ cultus ergo fabricatæ. Quemadmodum & omnes imagines in pagis repertæ ſunt ad quæſtum illicitæ, quia ſolent eæ ad cultum fieri. Quæ verò inveniuntur urbium portis impoſitæ; ſi in manu fuerit forma virgæ, vel avis, vel pilæ, vel gladii, vel coronæ, aut annuli; arguuntur eo ad cultum factæ, eoque illicitæ ſunt ad quæſtum. Sin minus, colligitur ornatus cauſſa factas, eoque ſunt licitæ.

Quia ſolent eæ ad cultum fieri.] שחזקתן של כו״ם הן עשויין. De voce חזקה conſule Davidem de Pomis. Juriſdictionem & poſſeſſionem denotat. Item conſuetudinem & receptum morem. unde מעמידין את האדם על חזקתו *ſtatuunt hominem ſuper conſuetudinem ſuam.* i. e. judicant eum על מעשיו הטובים או הרעים שאוחז בם ימים רבים *ſecundum opera bona aut mala, quibus aſſuevit, multo tempore.*

Urbium portis impoſita.] Mos is Orientis videtur, ut Deum tutelarem portis urbium imponerent. Sinenſes hodieque ſimulachrum Dei imponere iis, teſtis Gonzalus Mendoza de Sinenſium moribus lib. II. cap. II. Exiſtimat

ſtimat autem Maimonides, ſimulachra publico loco collocari ad cultum.

Si in manu fuerit forma virgæ.] Colligit hic Maimonides indicia, unde quis conjicere poſſit, utrum ſimulachra ad cultum, an ſolùm ad ornatum facta ſint. Primo loco virgæ meminit: de qua in Gemara Abodazara cap. 1. § 1. מקל שרודה את עלמו ירדה כל העולם כולו כמקל *virga, quæ dominatur toti mundo, ut ſceptrum.* ita enim hæc transferenda ſunt. Nam, ut ait Raſchi in notis לשון גנאי מקיש כלומר שרודה על כל *verbis ignominioſis,* (ſeu ad contemtum) *utitur, & vult, qua dominatur ſupra omnem.* i.e. cum Gemara vellet dicere, מקל שרודה על כל העולם dixit contemtu idoli, שרודה את עצמו תחת כל העולם. Nam alioqui hæc conſtructio non ſatis ſit congrua.

Vel avis.] Nam, ut in 7. Æn. ait Servius, *nulla avis caret conſecratione, quia ſingulæ aves numinibus ſunt conſecratæ.* Solitum quoque Homero, Deos avibus comparare; unde Euſtath. ad Il. 11. Συνήθες τῷ ποιητῇ ὀρνισιν ἐξομοιοῦν τοὺς παρ' αὐτῷ Θεούς, καὶ ἔστι τοῦτο σεμνότερον. οἰκεῖα γὰρ τοῖς οὐρανίοις τὰ ὑψιπετῆ. *Conſuetudo eſt poetæ, avibus aſſimilare, quos pro Diis habet. Eſtque hoc ius dignius: quia altivolantia ſunt cæleſtibus propria.* Hinc & Porphyrius ſtellis aves immolandas exiſtumavit. Et Ægyptii, teſte Oro Apolline. Θεὸν βουλόμενοι σημῆναι, ἱέρακα ζωγραφοῦσι. *Volentes ſignificare Deum, accipitrem pingunt.* Et apud Euſebium lib. 1 de Præparatione Evangelica, cap. ult. legas: Ζωροάστρης δὲ ὁ μάγος ἐν τῇ ἱερᾷ συναγωγῇ τῶν Περσικῶν φησι κατὰ λέξιν· Ὁ δὲ Θεός ἐστι κεφαλὴν ἔχων ἱέρακος. *At magus Zoroaſtres ad verbum ſic ait in ſacris collectaneis de rebus Perſicis: Deus vero caput habet accipitris.* Complexus igitur hoc avis vocabulo Maimonides videtur Deos iſtos, quibus avis appingeretur. Uti Jovem, cui aquila, Minervam, cui noctua; Junonem, cui pavo; Apollinem, cui corvus, appingi ſolebat. At in Gemara Aboda zara cap. 111. § 1. cauſſa redditur, quid avis imago apud idolum noiet צפור את כלמו תחת כל הכל כולו כצפור *quæ occupat totum mundum, ut avis:* ad verbum, *quæ occupat ſeipſam ſub toto mundo, ut avis.* Sed mens eſt, quæ, ut avis, alas ſuas extendit ſuper mundum, eumque velut protegit. Nam, ut ſuprà notavi, לשון גנאי, ad contemtum eſt prolatum. Sed non intellexit Autor Gemaræ, quid ſibi avis vellet, quæ ſtatuis ſolebat adjungi.

Vel gladii.] Qui non Marti modò ſacer, ſed etiam Themidi erat: ut Clemens Alexandrinus teſtis Admonitione ad gentes. Ubi quatuor ejus Deæ arcana refert ſymbola; origanum, lucernam, enſem, & pectinem, ſive τὸ αἰδοῖον γυναικεῖον.

Vel pilæ.] Fortaſſis Fortunam deſignat, aut Jovem; qui, ut orbis Dominus, cum globo pingi ſoleat. Unde Gemara loco ſupra citato תחת כל העולם כולו ככדור כדור שמונים את עצמו *Quæ complectitur totum mundum, ut globus.*

Vel coronæ.] Bacchum conſtat coronatum fingi, ut eum forſitan ſignet. Niſi potius capiendus Jupiter, rex hominumque Deumque. Sane corona hic, ut ſignum imperii, ponitur; uti eſt in Gemara Aboda Zara cap. 111. § 1. Nam inquit eſt ככתר כלב *ut corona canis.* Vox *canis* uſurpatur pro מלך *Rex*, per contemtum; ut notat ibidem Raſchi. Nec corona ſolùm Deorum erat: ſed coronati quoque, qui Deos colerent. Unde Lucian. de Dea Syria: Βωμὸς ἔστεπται αἰεί, καὶ θυμιάματα ἔχει. πολλοὶ δὲ καὶ ἑκάστης ἡμέρης κατ' εὐχὴν ἐς αὐτὸν ἀπικνεόμενοι, στεφανηφορέουσι. *Ara ſemper coronata eſt, & ſuffitus habet: multique ſingulis diebus eo naviantes ad precandum coronas ferunt.* Hunc coronatum uſum gentilibus objectant Juſtinus Martyr in Apologia, ut alios taceam. Sed & victimæ coronari ſolitæ. Maro 11 Æn.

Et ſalſæ fruges, & circum tempora vittæ.

Et ibidem de Minervæ ſimulachro:

Virgineas auſi divæ contingere vittas.

ט צלמי כו"ם הנמצאים מושלכים בשוקים או בתוך הגרוטאות הרי אלו מותרין ואין צריך לומר שברי צלמיהן אבל המוצא צורת כו"ם או ידה או אבר מאבריה מושלך הרי זה אסור בהנאה הואיל וידע בודאי שזה האבר מן הצורה הנעבדת הרי היא באיסורה עד שיודע לו שבטלוה גוים:

IX. Imagines idololatricæ, quæ abjectæ in plateam, vel inter ſcruta reperiuntur, licitæ ſunt: nec dicere opus, ea eſſe idolorum fragmenta. Sed cum invenitur manus idoli, aut pes, aut aliud quodlibet e membris, quæſtum inde facere eſt nefas: quandoquidem certo conſtat, eſſe membrum imaginis, cui quondam cultus præſtitus ſit. Eoque vetitum, uſque dum conſtet, (idolum) a gentilibus eſſe abolitum.

Imagines idololatricæ, quæ abjectæ in plateam.] Imagines in plateam conjectæ, aut inter ſcruta repertæ, licitæ ſunt; quia duplex in iis dubitatio eſt: prior, utrum unquam cultæ fuerint, (nam potuere ornatus tantùm cauſſa fieri) altera utrùm per contemtum à gentilibus ſint abjectæ. At imago ſtellæ, aut planetæ, vel membri ejus, quamvis projecta ſit, vetita eſt: quia tales tantum cultus causâ fiunt. Eoque una modo dubitatio eſt, an à gentilibus per contemtum, & quaſi indigenæ religione, rejectæ ſint.

Nec dicere opus.] אין צריך לומר phraſis Rabbinica, quam Latine expreſſeris: *Manifeſtius eſt, quam ut admoneri oporteat:* vel, *Hinc, ut ne non dicatur, ſequi quiſque videt, &c.*

י המוצא כלים ועליהן צורת חמה ולבנה ודרקון אם היו כלי כסף וזהב או בגדי שני או שהיו חקוקי' על הנזמים ועל הטבעות הרי אלו אסורין ועל שאר הכלים מותרין מפני שחוקקן לנוי וכן שאר הצורות הנמצאות על כל הכלים חוקקן לנוי ומותרין:

X. Si inveniantur vaſa imagine Solis, Lunæ, vel draconis ſignata, eaque ſint argentea, vel aurea: vel (ſi reperiantur ſic ſignata) veſtimenta coccinea, aut monilia, aut ita cælati annuli: ea prohibita ſunt. Cætera vaſa licet habere, quia ad ornatum fieri ſolent. Uti & reliquæ imagines, quæ vaſis imprimuntur, quia id ornatus cauſſa fit, pro licitis habentur.

Si inveniantur vaſa, &c.] Eo prohibita vaſa imagine ejuſmodi inſignita, quia iis libari Deo illi, vel heroi, cujus imaginem haberent, ſoleat. Hujuſmodi cratères vel ſcyphos dixere *ſigillatos.* In quibus religionem poſuiſſe gentiles, ſatis indicat hoc Ciceronis VI in Verrem: *Apponi patellam, in qua ſigilla erant egregia: iſte continuò, ut vidit, non dubitavit illud inſigne penatium hoſpitaliumque Deorum, ex hoſpitali menſa tollere.* Porrò non Deorum modò, ſed heroum quoque imaginem aut geſta in ſcyphis, quibus libare mos Diis,

cælari ſolere, indicat Statius Papinius lib. 1 Theb. verſ. 540.

—— Pateram famulos ex more popoſcit,
Qua Jaſides libare Deis ſeniorque Phoroneus,
Aſſueti.

Cui pateræ Perſei geſta inſculpta erant. Verùm non arbitror, Hebræos putaſſe tales ſcyphos eſſe illicitos: niſi heroes illi in Deorum eſſent numerum relati.

Imagine Solis, vel Lunæ.] Nec tamen vas illicitum, cuicumque Solaris circulus vel Lunaris inſculptus: ſed, ut Maimonides ipſe explicat in Miſnaiot, ſi ex gentilium ritu id fiat: ut, ſi Sol, vel Apollo, exprimatur currui inſiſtens, aut cum capite radiis cincto: cujuſmodi annulos plurimos cernere eſt in Dactyliotheca Abrahami Gorlæi.

Vel draconis.] Draco in Aboda Zara cap. III, dicitur eſſe figura ſerpentis, collo tenus, ſquammoſi, inſtar piſcis. Draconem autem divinitatis fuiſſe ſymbolum, vix ulli puto ignotum.

Veſtimenta coccinea.] Ab Hebræis in Rabot traditum eſt, Mardochæum eò ſe Hamani proſternere noluiſſe, quia veſtis ejus intextam haberet falſi Dei imaginem. Sed hoc ſimilibus eorum commentis accenſendum. Solere tamen gentiles, etiam Deorum geſta veſtibus eorum intexere, vel argumento erit Palladis ille peplus, quem Maro, vel alius, in Ciri deſcribit.

Monilia.] Monilia à fronte uſque ad nares dependentia. Hieronymus in Ezech. XVI. 12. *Verbum Ebraicum NEZEM, excepto Symmacho, qui interpretatus eſt, ἐνῴτιον, omnes inaurem tranſtulerunt: non quo inaures ponantur in naribus, quæ ex eo, quod de auribus pendeant, inaures vocantur: ſed quo circulus in ſimilitudinem factus inaurium, eodem vocabulo nuncupetur. Et uſque hodie inter cætera ornamenta mulierum, ſolent aurei circuli in os ex fronte pendere, & imminere naribus.*

Cætera vaſa.] Omnia, inquit, vaſa, præter aurea, & argentea. Sed quid ſi eadem imago in fictilibus? Nam & iſtorum uſus in ſacris; præſertim apud priſcos Romanos. Imò & in Codice Aboda Zara cap. II. 9. 4. inter ea, unde fructum capere nefas ſit, reponuntur חרס הדרייני *fictilia Hadriani*: quæ puto vaſa fuiſſe, quibus Hadrianus, vel Cæſares Romani, uterentur ad libandum Diis vinum.

יא עכו"ם ומשמשיה וכל התקרובת שלה אסורין בכל שהן כיצד עבודת כו"ם שנתערבה בצורות של נוי אפילו אחת בכמה אלפים יוליך הכל לים המלח וכן אם נתערב כוס של עבודת כו"ם בכמה כוסות או חתיכה מן הבשר שנתערבה בכמה חתיכות יוליך הכל לים המלח:

XI. Idolum, omniaque eò pertinentia & quicquid ei oblatum, omnino prohibetur: uti ſi idolum imaginibus ornatus cauſâ factis immiſtum fuerit; quamvis unum inter multa millia ſit; omnia in mare mortuum præcipitantur. Sic quoque ſi calix idololatricus magno calicum numero, vel fruſtum carnis multis fruſtis additum fuerit; cuncta in mare mortuum projici oportet.

Quamvis unum inter multa millia ſit, omnia illa.] Cur ita ſtatuatur, cauſſa eſt iſta, quòd fruſtum idolorum cultui deſtinatum, ſi aliis permiſceatur, illa etiam contaminet: præſertim cum diſcerni non poſſit à cæteris, eòque grave ſit periculum, ne pro licito comedatur, quod edere eſt nefas.

יב וכן עור לבוב שנתערב בכמה עורות הכל אסור בהנאה עבר ומכר עבודת כו"ם או אחד ממשמשיה או תקרובת שלה הרי הדמים אסורין בהנאה ואסורין בכל שהן כעבודת כו"ם שנאמר והית חרם כמוהו כל מה שאתה מביא מעבודת כו"ם ומכל משמשיה ותקרובתה הרי היא כמוה:

XII. Itidem ſi pellis perforata pellibus ſit aliis admixta, uſus omnium earum eſt interdictus. Si quis adverſus legem idolum, aut aliquid ejus cultui inſerviens, vel quod ei offeratur, vendiderit: contracti inde uſus quantacunque ſumma fuerit, haut minùs quàm idolum ipſum, prohibetur. Quia dicitur: * *Et erit anathema, ſicut ipſe.* Quicquid ex idolis, vel ejus cultui inſervientibus ſumitur, item oblationes ejus, inſtar idoli habentur.

Pellis perforata.] De qua dictum §. 3.
Si quis adverſus legem vendiderit, &c.] Hauſtum ex II. cap. Kiduſin.

יג עבודת כו"ם או אשרה שנשרפה אפרה אסורה בהנאה וגחלת של עבודת כו"ם אסורה והשלהבת מותרת מפני שאין בה ממש:

XIII. Uſus cineris ex idolo, aut luco combuſto, prohibitus eſt. Pruna quoque idololatrici cultus vetita eſt. Flamma autem conceſſa: ut cui nihil inſit ſolidi.

Pruna quoque idololatrici cultus vetita eſt.] Vide Tractatum Thalmudicum יום טוב Jom tob cap. V. § 5.

יד ספק עבודת כו"ם אסור ספק ספקה מותר כיצד כוס של עבודת כו"ם שנפל באוצר מלא כוסות כולן אסורות מפני שעבודת כו"ם וכל משמשיה אסורין בכל שהן פירש כוס אחד מן התערובת ונפל לכוסות שניים הרי אלו מותרין:

XIV. Ea, quæ ſuſpicio eſt ad idololatricum cultum pertinere, prohibita ſunt. Sed licita, de quibus ſuſpicio eſt, ea ad illud pertinere, de quo ſuſpicio eſt. Exempli gratiâ. Si calix idololatrici cultus inciderit in capſam aliis calicibus plenam, cuncti ſunt prohibiti; quia idola, & quæcunque cultui eorum inſerviunt, interdicuntur, quantacunque fuerint. Si quis vero unum ex mixtis illis calicibus deſumſerit, atque is (infortunio) in calices ſecundarios inciderit, hi erunt conceſſi.

Sed

Sed licita, de quibus ſuſpicio.] Diſputant VIII. cap. Zebachim Rab, & R. Simeon, ille licitum contendit, hic illicitum, uſque ad finem mundi.

טו טבעת של עבודת כו"ם שנתערבה בכמה טבעות ונפלו שתים מהן לים הגדול הותרו כולן שאני אומר אותה הטבעת היתה בכלל השתים נתערבה במאה ונתחלקו ארבעים למקום אחד וששים למקום אחר ונפלו הארבעים כולן לטבעות אחרות כלן מותרות שאני אומר אותה הטבעת האסור' ברוב היא נפלו הששים לטבעות אחרות כולן אסורות:

XV. Si annulus idololatricus aliis multis annulis fuerit permiſtus, ac duo eorum in mare magnum inciderint; omnes liciti ſunt: quia dicere liceat, annulum illum idololatricum fuiſſe alterum illorum, qui mari inciderint. Si mixtus fuerit annulis centum; atque iſti dividantur in partes duas, ita ut hinc ſint annuli XL, inde LX; XL autem annuli miſceantur aliis ab illis ſexaginta: univerſi iſti erunt conceſſi; quia dicere poſſis, annulum vetitum eſſe in parte majori. Sed ſi LX illi in alios, atque alios; & hi, & iſti, ſunt illiciti.

Si annulus idololatricus.] Quæritur, cur ſi ex ſenis annulis, in quibus unus ſit idololatricus, duo in mare ceciderint, quatuor ſalvis; præſumatur, ex duobus deperditis, non item ex quatuor ſalvis, eſſe idololatricum illum; utcumque exiſtimari poſſit, potius eſſe in numero majori, quàm minori: & tamen, ſi ſeni ſint annuli, quorum unus idolorum cultui dicatus; atque hi in duas dividantur partes inæquales, ita ut hinc duo ſint, inde quatuor; præſumatur annulum idololatricum potiùs eſſe in parte majori; eóque pars minor, hoc eſt ea, in qua duo annuli, pro licita habeatur. Nempe eo ſpectâſſe videntur, quòd in ſuſpicione prima debeat ſiſti, ne ſuſpicio ſuſpicionem gignat, & illa aliam, atque aliam, & ita in infinitum. At cùm è ſenis annulis duo, non dico, in fluentum, aut puteum, unde aliqua eos recuperandi ſpes; ſed in mare Mediterraneum vel Oceanum prociderint, unde ſpes recipiendi nulla; ſuſpicio eſt, in duobus illis deperditis annulis etiam fuiſſe idololatricum. Quid ergo, poſtquam ſuſpicio eſt, annulum illum fortaſſe non amplius eſſe in rebus humanis, ita ut inde nemo poſſit inquinari, etiam aliam concipiamus ſuſpicionem, quaſi ſit in annulis ſalvis, eóque uſus eorum ſit interdictus? Diſpar verò ratio, ſi omnes annuli ſint ſalvi. Nulla enim ratione tum evitaveris, quin ſi annulos in duas dividas portiones, & hic unam, & alter alteram obtineat partem; alteruter inde fructum capiendo, delinquat. Quare hic ita judicatum, in alterutra ſolùm parte eſſe poſſe: ac veriſimilius videri, ineſſe majori parti, quàm minori; eóque portionem, ubi quatuor, non eſſe licitam; at licitam eſſe partem, ubi duo ſolùm; in qua idololatricum illum eſſe, minus fiat veriſimile.

יו האשרה בין שהיתה נעבדת בין שהיתה עבודת כו"ם מונחת תחתיה אסור לישב בצל קומתה ומותר לישב בצל השריגים והעלים שלה ואם יש לו דרך אחרת אסור לו לעבור תחתיה ואם אין שם דרך אחרת עובר תחתיה כשהוא רץ:

XVI. Si vel arbor ipſa culta fuerit, vel poſitum ſub ea idolum; in umbra trunci ejus conſidêre prohibemur: at (ſub umbra) foliorum & ramorum licet. Si via ſit alia, tranſire ſub ea nefas: ſin alia deſit, curſim ſub ea tranſeundum.

Si vel arbor ipſa culta fuerit.] אשרה hic pro arbore ponit, quod alioqui ἄλσος ſeu lucum notat. Notum, & arborem unicam ſacrari ſolere: unde de platano ſic Theocritus in Helenæ epithalamio:

> Γράμματα δ' ἐν φλοιῷ γεγράψεται, (ὡς παριών τις
> Ἀννῴῃ) Δωριστί, Σέβου μ'. Ἑλένας φυτὸν εἰμί.
> *Literæ verò in cortice ſcribentur, (ut quis prateriens*
> *Legat) Doricè: Venerare me: nam Helenæ arbor ſum.*

In umbra trunci ejus conſidêre prohibemur.] Hæc, & quæ deinceps ſequuntur, iiſdem propè verbis leguntur in Aboda Zara cap. III. Sed quod dicitur, nefas eſſe, ut ſub umbra ejuſmodi arboris ſedeamus, id non videtur ratione ullius ponderis niti. Siquidem Maimonides ſuprà dixit, flammam ignis, idolorum honore accenſi, licitam eſſe, מפני שאין בה ממש *quia ſubſtantia caret.* Quanto igitur magis umbræ uſus conceſſus! Nam flamma eſt fumus accenſus. At fumus eſt corpus, etſi imperfectè mixtum. Umbra autem non eſt corpus: unde poeta, *a Prenſantem nequicquam umbras.* Sanè umbra non eſt aër lumine carens; ut quidam definiunt (ſi enim aër genus ſit, corpus erit) ſed eſt privatio, vel imminutio luminis in aëre ex opaci corporis objectu.

a Georg. 4.

יז אפרוחים שקננו בה ואין צריכים לאמן מותרין והאפרוחים והביצים שצריכין לאמן אסורין שהרי האשרה כמו בסיס להן והקן עצמה שבראשה מותר מפני שהעוף מביא עציו ממקום אחר נטל ממנה עצים אסורין בהנאה:

XVII. Pulli in ea nidificantes, ſi matris non amplius indigi, liciti ſunt: ſin pulli matris egeant, hi, uti & ova, prohibentur: quia arbor iis eſt quaſi baſis, ſive fulcimentum. Nidus, qui in ejus eſt cacumine, licitus habetur; quia materies ejus aliunde apportata. Nam ſi ex arbore ea fuerit, prohibetur.

Pulli in ea nidificantes liciti ſunt.] Sumtum ex III. cap. Meila. Extendebat gentilium ſuperſtitio ſeſe ad ipſas aves uſque. Itaque in templis nidificantes violare, aut inde tollere, nefas erat. Unde apud Herodot. cum Ariſtodicus in templum, quod in Chio erat, veniens, nidos, & aves illic nidulantes abriperet; audivit vocem ex adyto: Ἀνοσιώτατε ἀνθρώπων, τί τάδε τολμᾷς ποιέειν; τοὺς ἱκέτας μου ἐκ τοῦ νηοῦ κεραΐζεις. *Impiiſſime mortalium, quomodo audes ſupplices meos ex templo diripere?* Ergo cenſebantur aves tunc, ut ſupplices; & templum iis, ut aſylum erat. Ac par ratio in arboribus ſacris.

יח הסיק

XVIII. Si

יח הסיק בהן את התנור יוצן ואח"כ יסיק בעצים אחרים של היתר ואפה בו את הפת אפה בו את הפת ולא צננו הפת אסורה בהנאה נתערבה באחרות יוליך דמי אותה הפת לים המלח כדי שלא יהנה בה ושאר הככרות מותרין :

XVIII. Si quis arboris talis materiem furno impoſuerit, frigefieri eum patietur: nec priuſquam lignis licitis denuo calefecerit, panem coquet. At ſi panis coctus, priuſquam furnus frigefactus, panis uſus interdicitur. Quod ſi panis ejuſmodi aliis permixtus fuerit: contractum inde æs projicietur in mare mortuum, nequa inde capiatur utilitas: cæteri tamen panes ſunt conceſſi.

Si panis coctus, &c.] Ex Veneta majori, verba hæc, quæ typographi culpa in minori deſiderantur, ſupplevimus: אפה בו את הפת

In mare mortuum.] Jam diximus de eo §. v.

יט נטל ממנה כרכר וארג בו את הבגד אסור בהנאה נתערב בבגדים אחרים יוליך דמי אותו הבגד לים המלח ושאר כל הבגדים מותרין ומותר ליטע תחתיה ירקות בין בימות החמה שהן צריכין לצל בין בימות הגשמים מפני שצל האשרה שהוא אסור עם הקרקע שאינה נאסרת גורמים ליורקות אלו לצמוח וכל שדבר אסור ודבר מותר גורמין לו הרי זה מותר בכל מקום לפיכך שדה שזבלה בזבל עבודת כו"ם מותר לזורע אותה ופרה שפטמה בכרשיני עבודת כו"ם תאכל וכן כל כיוצא בזה :

XIX. Si radio quis ex ea arbore ſumto texuerit, uſus veſtis ex (tela) iſta prohibitus eſt. Si veſtibus ſit aliis permixta, pecunia (inde acquiſita) projiciatur in mare mortuum: cæteræ tamen veſtes ſunt conceſſæ. Permiſſum autem eſt olera ſub ea arbore ſerere, tam tempore æſtivo, cùm illa indigent umbrâ; quàm hyberno. Quippe umbra arboris prohibita, & ſolum non vetitum, in cauſſa ſunt, cur ſata proveniant. Quicquid autem ex una re illicita, alteraque licita, producitur, id quovis loco licitum habetur. Ea de cauſſa agrum fimo idololatrico ſtercoratum fas eſt conſerere. Vacca itidem leguminibus idololatricis ſaginata comedi poteſt. Ac par in ſimilibus ratio eſt.

Permiſſum autem eſt olera ſub hac arbore ſerere.] Vide Aboda Zara cap. III.

כ בשר או יין או פרות שהכינום להקריבם לעבודת כו"ם לא נאסרו בהנאה אע"פ שהכניסום לעבודת כום עד שיקריבו לפניה הקריבום לפניה נעשו הקרובה אע"פ שחזרו והוציאום הרי אלו אסורין לעולם וכל הנמצא בבית עבודת כו"ם אפילו מים ומלח אסור בהנאה מן התורה והאוכל ממנו כל שהוא לוקה :

XX. Caro, vinum, aut fructus, non ſunt ad quæſtum interdicta, licet idoli ſint cultui deſtinata, & jam illata ante illud, uſque dum ei necdum ſint oblata. Sin jam illi ſint data, dicata: utcunque dein auferantur, nihilominus perpetuò prohibita ſunt. Itidem quodcunque in delubro idoli reperitur, ſive aqua, ſive ſal fuerit, lege, nequid ex eo lucri petamus, interdicitur. Ac qui aliquid inde comederit, vapulat.

Caro vinum, &c.] Vide Aboda Zara cap. II.

Nequid ex eo lucri petamus.] Nempe ab idolis & vaſis idololatricis, uſque adeo abhorrere oporter, ut abominationes haſce nolimus recipere, inque uſum familiæ convertere: ſed ad deteſtationem noſtram ſignificandam, ea abſumamus flammis; vel aliter perdamus; ne vel memoria eorum ſuperſit.

כא המוצא כסות וכלים ומעות בראש כו"ם אם מצאן דרך בזיון הרי אלו מותרין ואם מצאן דרך כבוד הרי אלו אסורין כיצד מצא כיס תלוי בצוארו כסות מקופלת ומונחת על ראשו כלי כפוי על ראשו הרי זה מותר מפני שהוא דרך בזיון וכן כל כיוצא בזה מצא בראשו דבר שכיוצא בו קרב לגבי המזבח הרי זה אסור :

XXI. Si quis operimentum, aut vas, aut pecunias idoli capiti impoſitas per contemtum, repererit; his uti licebit. Sin venerationis ergo id factum, prohibentur. Quemadmodum ſi invenerit collo dependentem crumenam, operimentum duplex, aut vas inverſum capiti impoſitum; licita ſunt illa, quia eſt ſpecies contemtus: atque ita in cæteris. At ſi oſtenderit aliquid capiti impoſitum, ſimile ei quod in ara offertur: id interdictum eſt.

כב בד"א בזמן שמצאן חוצה למקום עבודתו אבל מצאן בפנים בין דרך כבוד בין דרך בזיון בין דבר הראוי למזבח בין דבר שאינו ראוי כל הנמצא בפנים אסור אפי' מים ומלח ופעור ומרקולים

XXII. Cæterum hæc intelligenda ſunt, ſi extra locum idolorum cultui ſacratum reperiantur. Nam ſi intra ejuſmodi locum inveniantur, ſive cum veneratione (repoſita) ſive per contemtum; ſive item aræ idonea, ſive ſecus; prohibita ſunt, etiam aqua, & ſal. Quicquid verò apud Peorem, vel

ומרקולים כל הנמצא עמהן בין בפנים בין בחוצה אסור בהנאה וכן אבני מרקולים וכל אבן הנראית שהיא עמו אסורה בהנאה :

vel Mercurium, fuerit inventum, ſeu id intra ſit, ſeu extra locum ſacratum : uſus ejus eſt interdictus. Proinde lapis Mercurio ſacer, vel ei appoſitus, prohibetur.

Apud Peorem.] Nam cum credatur ei ſordidis rebus cultum præſtari, ut ſuperius dictum ; dijudicari nequit, ecquid honoris ergo, an per ludibrium fecerint.

Vel Mercurium.] Quia nec hic diſcernere poſſis, utrùm lapis appoſitus ſit ex religione, an contemtu.

כג עכו"ם שהיה לה מרחץ או גינה נהנים בהם שלא בטובת כוהנם ואין נהנין בהן בטובתם היה לה ולאחרים נהנים בהן אפילו בטובת כוהנם ובלבד שלא יתן שכר :

XXIII. Si delubro fuerit balneum, vel hortus : uti eo licet, dummodo ne pro eo gratiæ agantur ſacerdoti. Cum gratiarum verò actione uti non licet. Sin locus is ſacerdoti cum aliis fuerit communis, etiam gratias agere licebit, modò merces nulla detur.

Sin locus is ſacerdoti cum aliis fuerit communis.] Eo tum gratias agere conceditur, quia ſacerdos conſideratur non ut ſacerdos, ſed ut unus è multis.

כד מרחץ שיש בה עכו"ם מותר לרחוץ בה מפני שהיא נעשית שם לנוי ולא לעבודה שנ' אלהיהם בזמן שנוהגים בהן מנהג אלהות ולא בזמן שמבזין אותו כגון זו שהיא עומדת על הביב והכל משתנין בפניה ואם היתה דרך עבודתה בכך אסור ליכנס בו :

XXIV. In balneo, ubi idolum eſt, lavare ſe permittitur, quia id factum videtur ornamenti, non cultus gratiâ. Nam dicitur, *a Deos eorum :* puta a Deut. 7.25.
quando peragunt coram iis ritus divini cultus, non ubi illos contemnunt. Uti cum idolum inſiſtit canali, & coram eo omnes urinam reddunt. At ſi cultus ejus hac in re conſiſtit, eò intrare ſit nefas.

In balneo, ubi idolum, lavare ſe permittitur.] Aboda Zara cap. 3. narratur, R. Gamlielem reprehenſum, quòd ſe lavaret in balneo, in quo Veneris ſtatua eſſet: eumque ad purgationem ſui tria attuliſſe. Primum, quod balneum ad lavandum exſtructum eſſet, & poſtea demum ſtatua ibidem collocata. Deinde, quòd ſtatua ornatus, non cultus cauſſa iſtic loci poſita eſſet. Poſtremo, quod ſtatuæ collocari ſolerent locis iis, queis cum munditia adorari poſſent ; illic autem ablui ſordes, & unumquemque lotium coram ea reddere. Ex his rationibus R. Moſes primam, ut minus prægnantem, omiſit.

כה סכין של עכו"ם ששחט בה הרי זה מותר מפני שהוא מקלקל ואם היתה בהמה מסוכנת הרי זה אסורה מפני שהוא מתקן והרי זה התיקון מהנאת משמשי עכו"ם וכן אסור לחתוך בה בשר מפני שהוא מתקן ואם חתך דרך הפסד והשחתה מותר :

XXV. Idolis conſecratus culter, quo jugulantur animalia, licitus eſt, quia perdit. Sin beſtia in vitæ periculo ſit, prohibetur, quia meliorem ejus conditionem reddit : eaque melioratio eſt ex uſu eorum, quæ ad idola pertinent. Itidem interdictum eſt, eo carnem præſcindere, quia & illud meliorat. Quod ſi præſciderit perdendi & corrumpendi animo, pro licito habetur.

Idolis conſecratus culter, quo jugulantur animalia.] Hujuſmodi erat, qui Romanis *ſeceſpita* dicebatur. Vide, quæ de eo ex Antiſtio Labeone refert Feſtus Pompejus.

פרק שמיני

CAPUT VIII.

כל שאין בו תפיסת ידי אדם ולא עשאו אדם אע"פ שנעבד הרי זה מותר בהנאה לפיכך הגוים העובדים את ההרים ואת הגבעות ואת האילנות הנטועין מתחלתן לפרות ואת המעינות הנובעין לרבי' ואת הבהמות הרי אלו מותרים בהנאה ומותר לאכול אותן הפרות שנעבדו במקום גדילהן ואותה הבהמה ואין צריך לומר הבהמה שהוקצת לעכו"ם שהיא מותרת באכילה בין שהקצוה לעבודה בין שהקצוה להקריבה הרי זו מותרת :

QUicquid manu prehendi nequit, nec ab homine eſt confectum, utcunque illud colatur, ad uſum nihilominus conceditur. Ac proinde, quos gentiles venerantur montes, colles, arbores primò fructuum cauſsâ plantatas, fontes in publicum fluentes, atque adeo jumenta, etiam ad uſum permittuntur. Atque edere licet fructus in loco, ubi nati, cultos ; ut & beſtias. Unde conſequitur, comedi etiam poſſe animal, idololatricè ſive ad cultum, ſive ad oblationem, ſegregatum.

Quicquid manu prehendi nequit, nec ab homine eſt confectum.] Ratio eſt, quia ea, quæ humano generi utilia ſunt, iniquum fuerit ob quorundam malitiam omnibus eripi. Sic Solis lumine privari non debent pii, quia illo gentiles abutantur. Huc reſpiciunt, quæ cap. IV. Aboda Zara § 7. leguntur his verbis : אילו אין הוקקים נרואי אס

אין

אין רצונו בע"ז למה אינו מבטלה אמרו להן אילו לדבר שאין צורך לעולם בו היו עובדין הוה מבטלו הרי הן עובדין לחמה וללבנה ולכוכבים ולמזלות יאבד עולמו מפני השוטים אמרו להן אם כן יאבד דבר שאין צורך לעולם בו ויניח דבר שצורך העולם בו אמרו להן אף אנו מחזיקין ידי עובדיהן של אלו שאומרים תדעו שהן אלוהות שהרי לא בטלו : i. e. *Interrogarunt ſapientes Romæ, quandoquidem illi* (Deo) *diſpliceret idololatria, cur non aboleret eam: qui reſponderunt: ſi rem mundo non neceſſariam colerent, utique eam deſtrueret: nunc cùm colant ſolem, lunam, ſtellas, ac planetas, cur perderet mundum ſuum propter inſipientes? Rurſum dixerunt, ſi hoc ita eſſet, perderet ſaltem rem mundo non neceſſariam, relictâ eâ, quæ neceſſaria. Ad hoc reſponſum eſt: imò verò opinio idololatrarum ita confirmaretur: quia & illi dicerent, jam intelligitis illos eſſe Deos, qui non aboliti ſunt.* Ad rationem allatam referre poſſis, quòd talia, & imprimis flumina, fontes, ac ſimilia, publica ſint: unde illud,

—— *Uſus communis aquarum eſt.*

Ea autem conſtitutio olim Judæis valde fuit neceſſaria, peregrinantium cauſſa. Etenim poterant per loca arida proficiſci, ubi nulla flumina, ſed tantùm fontes eſſent: Durum ſane iis fuiſſet, in ſiti extrema non poſſe uti aquâ fontis, quia ille conſecratus eſſet; uti omnes penè fontes ſacri gentilibus erant: quin & amnium capita, ut vel liquet ex illo IV. Georg.

—— *Ad extremi ſacrum caput adſtitit amnis.*

Et Horatii iſtoc od. I. lib. I.

—— *Nunc ad aquæ lene caput ſacræ.*

In cauſſa eſt, quod ab aquis alimonia ſit, & incrementum. Quæ res magnum Dei eſt beneficium. Unde & nationes cultum iis divinum tribuerunt: Ægyptii ſub nomine Oſiridos: Romani Græcique ſub nomine Neptuni, Amphitrites, Naiadum, & aliis: Peruani ſub vocabulo Mammacocha.

Edere licet fructus illos in loco, ubi nati, cultos.] Hoc eſt, fructus natos in arbore culta. Nam quamdiu fructus ſunt in arbore, quaſi pars ejus ſunt; ut dum arbor tota colitur, fructus etiam coli videantur. Non injuria fortè adverſari his aliquis dicat, quod cap. VII. § 17. dictum ſit, homini nefas eſſe vel conſidere in umbra ſacræ arboris. Nam conſequi inde videtur, multò minùs licere comedere, de fructu arboris conſecratæ. Neque enim umbra pars arboris dici poteſt: at fructus in arbore ſunt haut aliter pars arboris, quàm embryon pars matris cenſetur. Saltem ſimiliter ea ſe habere, etiam eſt Stoicorum mens: de quibus ſic Plutarchus lib. V. de Placitis Philoſoph. cap. XV. Οἱ Στωικοὶ τὸ ἔμβρυον φασὶ μέρος εἶναι τῆς γαστρὸς· ὥσπερ γὰρ τὸς καρπὸς μέρη τῶν φυτῶν ὄντας πεπαινομένους ἀπορρεῖν, οὕτω καὶ τὸ ἔμβρυον. *Stoici ajunt, fœtum in utero partem eſſe ipſius uteri, non animal: & ficus fructus arborum partes dicimus; videmuſque maturos decidere, ſic & fœtum.* Cenſeo, iſtis non melius occurri, quàm ſi dicamus, eo ſpectaſſe Judæos, quod qui conſideat ſub arbore conſecrata, videri poſſit iſtic hærere cultus ergo. Omnis verò idololatriæ ſuſpicio quoque eſt fugienda. At non facile hæc oritur ſuſpicio, ſiquis fructus edat, quos dixi. Neque enim diſcernere eſt fructus arboris communis: atque ut conſtaret pluribus, ex ſacra arbore diſcerptos, ſatis liquet, ἁπλῶς comedi, ut fructus; non ut ſacræ arboris fructus.

Comedi etiam poſſe animal, idololatrice ſive ad cultum ſ. a. o. ſ.] Quod apud Ægyptiorum antiquiſſimos fieri ſolitum, tradit in Euterpe Herodotus cap. LXV. Νόμος δὲ ἐστὶ περὶ τῶν θηρίων ὧδε ἔχων, μελεδωνοὶ ἀποδεδέχαται τῆς τροφῆς χωρὶς ἑκάστων, καὶ ἔρσενες καὶ θήλεαι τῶν Αἰγυπτίων, τῶν παῖς παρὰ πατρὸς ἐκδέκεται τὴν τιμήν. οἱ δὲ ἐν τῇσι πόλισι ἕκαστοι εὐχὰς τάσδε σφι ἀποτελέουσι, εὐχόμενοι τῷ θεῷ τοῦ ἂν ᾖ τὸ θηρίον, &c. *Conſuetudo eſt, quæ de beſtiis ita habet. Eas ſcorſim ſingulas educandi curam Ægyptii, atque Ægyptiæ, ſuſcipiunt: in quo honore filius patri ſuccedit. His beſtiis unuſquiſque, qui in urbibus eſt, vota perſolvit, ſupplicans illi Deo, cujus ea beſtia eſt.* Addit Maimonides de ſegregatis ad oblationem: quas Romani *hoſtias eximias* dixere. Nam, teſte Macrobio Saturn. lib. III. cap. V. *Veratius in pontificalibus quæſtionibus docet, eximias dictas hoſtias, quæ ad ſacrificium deſtinatæ eximantur è grege; vel quod eximia ſpecie, quaſi offerendæ numinibus, eligantur. Hinc ait: Quatuor eximios præſtanti corpore tauros.*

ב בד"א שאין הבהמה נאסרת כשלא עשה בה מעשה לשם כו"ם אבל עשה בה מעשה כל שהוא אסורה כיצד כגון ששחט בה סימן לכו"ם עשאה חליפין לכו"ם אסורה וכן חליפי חליפין מפני שנעשית דמי כו"ם בד"א בבהמת עצמו אבל אם שחט בהמת חברו לכו"ם או החליפה לא נאסרה שאין אדם אוסר דבר שאינו שלו :

II. Quod verò jumentum non eſſe prohibitum diximus, id ita capiendum, ſi quis eo nullum fecerit opus, quod ad idoli cultum pertineat. Aliter ſi eſt, qualecunque id opus, prohibitum eo nomine cenſetur. Ut ſi præſciderit ei gulam, vel illud permutârit re quapiam inſerviente cultui idolorum; eâdem fecit, ut ſit interdictum: ac ſimilis ratio, ſi permutatum illud altero commutetur, quia lucrum eſt ex idoli cultu. Atque hoc accipiendum de proprio jumento. At ſi quis jumentum ſocii ſui idolo obtulerit, vel re idololatricâ permutârit, non propterea inconceſſum erit: quandoquidem nemini id poteſtatis, ut ex licita illicitam rem addat alienam.

Si præſciderit ei gulam.] Ita vocabulum סימן tranſtuli, quod propriè *ſignum* notat. Quippe factum ex Græco σημεῖον. Niſi malis deducere à נסמן *ſignari*, quod in S. Scriptura occurrit. Sed Rabbini quoque illo aliâ ſignificatione uſurpant. Nam סימנין illis ſunt *gula*, & *guttur*. Alioqui proprio vocabulo *gulam*, ſeu *œſophagum*, nuncupant ושט: *guttur* autem, vel *aſperam arteriam*, per quam vox egreditur, קנה. Unde in libro כל בו *Kol bo* Halahoth Sechitah, ſeu de jugulatione cap. CVII. כמה הוא שעור שחיטה שני הסימנין שהן הקנה והושט השחיטה המעולה שיחתכו שניהם לגמרי i. e. *Quæ eſt autem menſura jugulationis? duo* סימנין *Simanin; videlicet œſophagus, & arteria aſpera. Jugulatio perfecta eſt, ut præſcindant penitùs utramque.* Proinde perfecta eſt, cùm œſophagus, & arteria aſpera abſcinduntur: imperfecta, cùm סימן *alterutrum*, i. e. gula, vel guttur præſcinditur.

ג המשתחוה לקרקע שלם לא אסרה חפר בה בורות שיחין ומערות לשם כו"ם אסרה מים שעקרן הגל והשתחוה להן לא אסרן נטלן בידו

III. Qui ſe proſternit humi, non eo illicitum ejus uſum facit: qui in ea puteos, foveas, vel antra idolorum gratiâ fodit, illicitam efficit. Qui aquas, quas fluctus expulit, ſe incurvando honorat, non

כירו והשתחוה לחן אסורן אבני הר שנדלדלו ונכרן במקומן מותרות שהרי אין כהן תפיסת ידי אדם :

non eo illicitas reddit: quas tamen manu ſuſtulerit, atque ita fuerit veneratus, illicitæ erunt. Saxum ingens monte erutum, ſi colatur, ubi ſitum fuit, non eo ſit illicitum, quandoquidem manu nequit attolli.

Qui ſe proſternit humi.] קרקע עולם proprie verteris, *humum mundi*, & denotatur humus, qualis natura eſt; non teſtis aridis ſtructa ac pavita, non lateribus, aut ſilicibus, aut ligno ſtrata, multoque minus pavimentum teſſellatum, muſivum, vel aſarotum.

Qui aquas, quas fluctus expulit.] Puta ſi alliſu maris vel amnis quicquam in littore vel ripa ſit relictum, ac ab reliquis aquis ſecrêtum.

Saxum ingens monte erutum.] דלדל eſt *infirmari, ſuſpendi*: unde אבן מדלדל lapis emotus, aut qui ſua ſponte à monte recedens hiatum facit, vel ruinam minatur, nec ſatis firmus conſiſtat. Habes hoc tertio cap. Aboda Zara.

ד ישראל שזקף לבינה להשתחוות לה ולא השתחוה לה ובא גוי והשתחוה לה אסורה בהנאה שזקיפתה מעשה וכן אם זקף ביצה ובא גוי והשתחוה לה אסורה חתך דלעת וכיוצא בה והשתחוה לה אסורה השתחוה לחצי הדלעת וחצי האחר מעורה בו הרי זה אסור מספק שמא זה החצי כמו יד לחצי הנעבד :

IV. Si ab Iſraelita lapis fuerit erectus animo eum colendi, necdum tamen adoraverit; attamen gentilis acceſſerit, qui ſe illi incurvârit: lapidis illius uſus eſt interdictus; quoniam erectio ipſa opus eſt malum. Itidem ſi ovum conſtituerit, atque id coluerit gentilis; uſus ejus eſt interdictus. Si diſsciderit cucurbitam, vel ſimile quippiam, ſeque ei incurvârit; uſus eſt illicitus. Si dimidiam adorârit cucurbitam, necdum ab altera parte abſciſſam; etiam alterius partis uſus eſt prohibitus; quia ea cultæ partis baſis ac fulcimentum videtur.

Si ab Iſraelita erectus fuerit lapis.] Supra cap. VII. § 4. vidimus, idola gentilium, ſimulatque conſummata ſint, illicita dici: ait Iſraelitarum non antequam culta ſint. Unde quæri poſſit, cùm autor §. 2. hujus capitis dixerit, in nullius eſſe poteſtate, ut res aliena ex licita fiat illicita; cur hoc loco lapis ab Iſraelita erectus, ſi ſolus gentilis tum adoret, nihilominus prohibitus dicatur. Ratio autem eſt, quia eo ipſo actu erigendi Iſraelita videtur oſtendiſſe gentili, hanc ſuam eſſe voluntatem, ut colatur.

Si ovum conſtituerit, &c. ſi diſsciderit cucurbitam.] Poſterius hoc petitum ex Holin cap. IV. Non videntur autem hæc exempla de ovo, & cucurbita, à Maimonide eò allata, quia gentiles ea colerent: ſaltem nihil tale reperio; eoque cenſeo eſſe, quam dicunt Synecdochen ſpeciei, certo poſito pro incerto; ut dijudicari de cæteris poſſet. Quemadmodum juriſperiti ſubinde caſus proponunt, de quibus dubites, an eveniant.

ה אילן שנטעו מתחלה שיהא נעבד אסור בהנאה וזו היא אשרה האמורה בתורה היה אילן נטוע וגדעו ופסלו לשם כו"ם אפי' הבריך והרכיב בגופו של אילן והוצי' שריגי' כורת את השריגים והם אסורי' בהנאה ושאר האילן מותר :

V. Arbore plantatâ cultus cauſsâ uti eſt nefas. Ac hujuſmodi eſt lucus, de quo Lex loquitur. Si arborem quiſpiam ad cultum idoli putaverit, vel inciderit, quamvis propago ſit, & trunco inſerta, unde rami pullulent, non tamen ſurculis illis præciſis uti licebit: reliqua verò arbor non eſt interdicta.

Arbore plantata, &c.] Sententia eſt, Arbor non redditur illicita, niſi cultus cauſa fuerit plantata. Sed quid ſi arbor quidem non fuerit plantata ad cultum idoli: verùm fuerit reciſa pars, ac ramus alius ejus loco ſit trunco inſertus ad idoli cultum: hoc eſt, ut fructus inde provenientes huic vel idolo offerantur? Ac hoc reſpondet Maimonides, ſurculos quidem illos, ut Tertulliani voce utar, ita propaginatos, atque item fructus in iis creſcentes, eſſe interdictos: at verò conceſſum eſſe truncum arboris, quia illa primitus non fuit idololatriæ ergo plantata.

Quamvis propago ſit, & trunco inſerta.] הבריך unde מבריך David de Pomis interpretatur טמן בעפר בד של גפן והוציא ראש הגפן במקום אחר *Abſcondere ſub terra ſurculum vitis, ita ut alio loco ex terra ſeſe referat.* הרכיב eſt *inſerere, componere*: unde הרכבה inquit idem David de Pomis, מרכיבין מני מיני אילנות יחד cùm diverſi generis arbores inſerendo conjunguntur. Hinc illud, אין מרכיבין מן מאכל על גבי עץ מאכל *Non inſerunt arborem fructiferam arbori fructiferæ.*

ו וכן המשתחוה לאילן אע"פ שלא נאסר גופו של אילן כל השריגים והעלים והלולבין והפרות שיוציא כל זמן שהוא נעבד הרי אלו אסורין בהנאה :

VI. Ita & cum quis adorat arborem; quamvis ejus truncus non ſit prohibitus; omnes tamen ſurculi ejus, folia, flores, & fructus, quamdiu ea colitur, ratione uſus interdicuntur.

Adorat arborem.] Quod à Peruanis fieri, teſtis Joſephus Acoſta lib. V. cap. 11. Niſi forte id de vulgo verius, quam prudentioribus: uti Ægyptii porrum, ac cæpe, dicuntur invocâſſe; qui tantum ea, ut Deorum ſymbola, venerati.

ז אילן שהיו גוים משמרין את פרותיו ואומרים שהם מוכנים לעשות שכר לבית כו"ם פלוני' ועושין

VII. Arbor ſit, cujus fructus cuſtodiant gentiles, dictitantes eos ſervari ad faciendum inde potionem

ועושין מהן שכר ושותים אותו ביום אידם הרי
זה האילן אסור בהנאה מפני שסתמו שהיא אשרה
ולפיכך עושין כפר והיו כך שזו היא חוקה של
אשרה:

nem pro hujus, vel illius idoli delubro: ſi de potione ex iis confecta biberint die feſto; uſus illius arboris interdicitur. Hoc enim quodammodo indicio eſt, arborem illam idolo eſſe ſacratam, eoque fructus ejus uſui eſſe juxta ritum, qui eſt in lucis.

Quia hoc quodammodo indicio eſt.] מפני שסתמו שהיא אשרה *quia hoc ſubindicat lucum eſſe.* Mens Maimonidæ eſt: Si qua arbor ſit, ex cujus fructu ſe gentiles dicant potionem facere, ut bibant eam die feſto: his verbis (tametſi non nominent diſertim arborem ſacratam idolo) ſatis innui, eam arborem idololatriæ cauſsâ plantatam eſſe, & talem, quæ inter eas ſit, quas vocabulum אשרה complectitur. Eo autem ſignificatur, tum arbor unica falſo numini dicata: tum ſylva ſacra, quam lucum dicimus. סתם, quod hic Auctor uſurpat, David de Pomis exponit, כשאדם מזכיר איזה ענין או שם ואינו מבאר על איזה ענין הוא מדבר אומרים עליו. סתם כי' שהדבר סתום ואינו מבואר אלא פרטיו בו כלל, i.e. *cùm aliquis meminit alicujus rei, aut nominis, nec tamen diſerte explicat, quâ de re loquatur*: (interpretes) *dicere ſolent*, סתמו, *Senſus eſt, rem illam innui, non autem diſertim expreſſam eſſe.* Nimirum dupliciter aliquid indicatur, vel diſertim & apertè, vel obſcuriùs, & ſic, ut potius inde colligatur. Uti hic, cum ex effecto de cauſſa conjicitur. Nam ait, ſi ex fructu arboris gentiles parent potionem, collige eam arborem illicitam eſſe, & plantatam eo fine, ut idolis ſacra eſſet. Addit David de Pomis, hujus tropi ſpeciem eſſe, cùm נהר ſeu *flumen*, ponitur pro Euphrate: i.e. genus pro individuo aliquo, καθ' ἐξοχήν.

Juxta ritum, qui eſt in lucis.] עושין כפרותיו כך שזו היא חוקה של אשרה *Faciunt cum fructibus ejus juxta ſtatutum lucorum.* Cenſet Maimonides, gentiles fructibus arborum, quæ ſacræ eſſent, uſos ad exprimendum liquorem, quem die feſto biberent. Quod non temere alibi legas. At conſtat, plerumque lucos fuiſſe ex glandiferis & infructuoſis arboribus: nimirum quercu, ilice, abiete, fago, & aliis id genus. Nec obſcura ejus ratio eſt, quandoquidem arbores hæ ſunt longiſſimæ, & umbras faciunt denſiſſimas; unde arbores fructiferas, κᾶλα, ſed infructiferas μακρὰ Homerus vocavit. Nihil autem ad majeſtatem arborum perinde facit, quàm earum proceritas; unde arbitror, vix aliis lucos conſtituiſſe. Maximè verò, cùm lucum violare crimen tantum fuerit apud gentiles; quis credat, frugiferas arbores fuiſſe? quando ex multos illecturæ erant ad decerpendos fructus; atque id ubi fiat, rami facile frangantur. Præterea extremæ foret dementiæ, cædere arbores frugiferas. In ſteriles facile aliquis injurius ſit: quia vix ullum videantur homini uſum præſtare, nullum ſaltem ad alimoniam. Proinde de his cavendum ſeverioribus legibus fuit. Nec tamen anxie adeo ubique id rerarum obſervatum, ut ne ullæ arbores felices aliis miſcerentur. Sanè in Ægypto & procerarum, ut dixi, arborum uſus fuit: & tamen quædam iis frugiferæ circa templa. Fidem de utroque fecerit Herodotus in Euterpe. De priori ſic loquitur: Ἔςι δ' ἔσωθεν ἄλσος δενδρέων μεγίςων πεφυτευμένων περὶ νηὸν μέγαν· ἐν τῷ δὴ τὤγαλμα ἔνι. *Interius autem lucus eſt ingens maximarum arborum, plantatarum circa templum.* Ac paulo pòſt οὐρανομήκεα δένδρεα, *arbores aerias, cæloque caput inferentes*, vocat plantatas ad viam, quâ Mercurii templum aditur. At de altero colligimus ex eo, quod eodem libro dicat δένδρεα καὶ καρποφόρα καὶ ἄφορα πολλὰ, *arbores tum frugiferas, tum infrugiferas multas.*

ח אילן שמעמידין תחתיו עכו"ם כל זמן שהיא
תחתיו אסור בהנאה נטלה מתחתיו הרי זה מותר
מפני שאין האילן עצמו היא הנעבד:

VIII. Arbor, ſub qua idolum eſt collocatum, quamdiu illud ſub ea eſt, ad uſum interdicitur. Ubi vero id remotum, uſus ejus conceſſus, quandoquidem ipſa arbor non eſt culta.

Arbor, ſub quâ collocatum eſt idolum.] Hoc intelligendum eſt de arbore, quæ eo fine plantata eſt, ut ſub eâ collocaretur idolum. Alioqui enim ſibi adverſaretur Auctor. Nam ſuprà dixit, arborem fructuum cauſsâ ſatam, tametſi colatur, licitam nihilominus eſſe. Cæterum quod ait, amoto idolo ceſſare arboris conſecrationem, id contra Romanorum, Græcorumque opinionem eſt, quibus lucus & citra idolum ſacer erat.

ט בית שבנאו מתחלה שיהיה הבית עצמו
נעבד וכן המשתחוה לבית בנוי הרי זה אסור
בהנאה היה בנוי וסיידו וכיירו לשם ע"ז עד
שנתחדש נוטל מה שחידש והחידוש אסור בהנאה
מפני שעשאהו לעובדו ושאר הבית מותר הכניס
עו"ם לתוך הבית כל זמן שהיא שם הבית אסור
בהנאה הוציאה הותר הבית:

IX. Interdictus eſt uſus domus exſtructæ ad cultum idololatricum, vel cui quis ſe incurvârit. Quod ſi quis (alio fine) ſtructæ, tectorium induxerit, inque eo pinxerit idololatrici cultus ergo: (interdicitur) donec fuerit renovata. Cum amovetur, quod renovavit; illud quidem, quia factum eſt ob cultum idololatricum, prohibetur; domus verò conceditur. (Itidem) ſi idolum illatum eſt in domum; quamdiu hoc permanet, interdicitur: ubi elatum eſt, permittitur.

Dum fuerit renovata.] Sive dum permanet in ea tectorium cum pictura idololatrica, quæ domum alio fine exſtructam innovarant, aliamque faciem, alium quoque uſum induxerant. Sed reductâ veteri facie, hoc eſt, tectorio cum picturis abraſo, domus ad civilem uſum conceditur.

י וכן אבן שחצבה מתחלה לעבודה אסורה
בהנאה היתה חצובה וציירה וכיירה שהעבר אפילו
צייר וכייר בגוף האבן ולא צריך לומר אם כייר
עליה

X. Item & lapide, cultus cauſsâ inciſo, uti nefas. Si jam dolatum quiſpiam calce incruſtet, & pingat, ut colatur: ſive hæc materiæ lapidis inhæreant; ſive extrinſecus admoveantur; ubi ablatum

עליה נוטל מה שחדש והוא אסור בהנאה הואיל ונעשה שיעבד ושאר האבן מותר : אבן שהעמיד עליה כו"ם הרי זו אסורה כל זמן שהיא עליה סלקה האבן מותרת :

tum erit, quod innovat, illud quidem ſit vetitum, quia factum eſt, ut coleretur; at lapide ipſo uti licet. Lapis item, cui impoſitum eſt idolum, prohibetur, quamdiu ei impoſitum: ſed amoto illo, conceſſus eſt.

Si jam delatum quiſpiam calce incruſtet.] Si quis lapidem vulgarem, nec cultus cauſſa factum, tectorio incruſtet, & pictura exornet cultus idololatrici cauſſa: interdictus eſt lapidis uſus, uſque dum amoto tectorio, & pictura, lapidi vetus redierit facies.

יא מי שהיה ביתו סמוך לעכו"ם ונפל אסור לבנותו כיצד יעשה כונס לתוך שלו ובונה ואותו הריוח ממלאהו קוצים או צואה כדי שלא ירחיב בבית כו"ם היה הכותל שלו ושל כו"ם נידון מחצה על מחצה מחצה שלו מותר ושל כו"ם אסור בהנאה אבניו עציו ואפרו הכל אסור בהנאה :

XI. Cui domus contigua eſt delubro, ſi ea corruit, inſtaurare eam nequit. Quid ergo aget? Contrahet eam intra proprios fines; quodque ſpatium eſt intermedium, ſpinis ac excrementis replebit, ne fines delubri proferantur. Si & illius, & delubri, paries fuerit communis; judicio ſtatuetur de pariete in duas partes dividendo: ac dimidia pars, quæ domus eſſe cenſetur, licita erit: illicita ad uſum altera, quæ eſt delubri: cujus lapides, ligna, atque adeo cinis, uſibus ſunt interdicta.

Si ea corruit, inſtaurare eam nequit.] Vide Aboda Zara cap. III. Mens eſt, ſi delubrum, & domus privata, unum eundemque parietem habent, & ille corruit, inſtaurare nefas eſt; quia hoc cedit in utilitatem delubri: ideoque aliquanto interiori ſpatio eriget murum, ita ut fundi ſui partem vacuam relinquat: & ne otioſus is locus à delubri antiſtite occupetur, ſpinis lolioque conſerendus eſt. Ubi quæri poſſit, an ille, qui locum ſic conſerit, nihilominus maneat dominus ejus loci. Videtur aliquod ei dominii indicium ſtatuendum: ut ſi ſepem, aut ſimile quid, obducat: alioqui deſerta loca occupantis fiunt: eoque poſſint idololatræ ad illius domum uſque proferre templum ſuum. Sed in pariete communi ſi dignoſci poſſit, qui lapides ab una, qui ab altera muri parte fuerint, volunt Hebræi dividi lapides, ut quiſque ſuum habeat: & ſuis poſtea uti licet poſſeſſori. Sin internoſci nequeunt; poteſt Iſraelita alteri, cui libuerit, ſuum jus divendere.

יב כיצד מאבד כו"ם ושאר דברים האסורין בגללה כגון משמשיה ותקרובת שלה שוחק וזורה לרוח או שרף ומטיל לים המלח· דבר שאין בו תפיסת ידי אדם שנעבד כגון הרים ובהמה ואילן אע"פ שהנעבד עצמו מותר בהנאה צפויו אסור בהנאה והנהנה בכל שהוא מהן לוקה שנאמר לא תחמוד כסף וזהב עליהם וכל צפוי כו"ם הרי הן בכלל משמשיה :

XII. Quo pacto perdenda ſunt idola, & quæcumque eorum cauſſa interdicuntur: puta, quæ cultui eorum inſerviunt, ut & oblationes? Comminuenda hæc, & diſpergenda in ventos: aut comburenda, ac projicienda in mare mortuum. Quod autem homo nequit manibus prehendere; uti montes, jumentum, arborem: tametſi ea homines coluerint, conceſſa tamen ſunt uſibus humanis. At tegumentum ejus interdictum; ita ut qui vel minimâ ejus particulâ utatur, vapulet. Quia dicitur, *Non a deſiderabis argentum, & aurum, quod* a Deut.
ſupra eos. Omneque operimentum idoli eſt inter ea, 7. 25.
quæ ejus uſibus inſerviunt.

Comminuenda hæc, & diſpergenda in ventos.] Cap. III. Aboda Zara. Non ſolum iis adimet figuram, ut ne ſint, quod erant: ſed combuſtorum etiam cineres in auras diſperget, ne uſibus cujuſquam inſerviant.

Uti montes.] Nam & montibus quibuſdam divinus tribuebatur cultus. Talis mons Κωγαίωνον, quem Getæ vocant ἱερόν: ut eſt apud Strabonem in VII. Imò Cappadocibus quoque mons καὶ θεὸς, καὶ ὅρκος, καὶ ἄγαλμα: ut eſt apud Maximum Tyrium diſſertat. XXXVIII.

Jumentum.] Ut Apis & Mneuis, duo vivi boves, imagines gemini numinis, Apis quidem Lunæ, Μνεῦις Solis. Vide Herodoti Euterpen, & Thaliam, Strabonis lib. XVII, & alios.

Arborem.] Non luci modò Diis ſacri; ſed & certa arbor numini conſecrabatur; ut antè dictum. In Oriente autem imprimis hanc ſuperſtitionem viguiſſe certum. Nec abſurdè aliquis ſuſpicetur, ab eodem fonte promanaſſe, quod Muhammedes ſub arbore ſit inauguratus; ut tradit Elmacinus lib. I. hiſt. Sarac. كانت البيعة تحت الشجرة *inauguratio ſub arbore facta eſt.*

יג כו"ם של כום שבטלוה גוים קודם שתבא לידי ישראל הרי זו מותרת בהנאה שנ' פסילי אלהיהן תשרפון באש כשבאו לידינו והן נוהגין בהם אלהות אבל אם בטלום הרי אלו מותרין :

XIII. Idolum, quod gentiles ipſi, priuſquam in Iſraelitæ manum veniret, profanum judicarunt, in uſum ſuum convertere licet. Dictum enim eſt, *Sculptilia* b *Deorum illorum igne exuretis.* Quibus b Deut.
verbis ſignificatur, (exurenda,) ſi venerint in ma- 7. 25.
nus noſtras, quo tempore iis cultus tribuebatur divinus. Nam, eo deſinente, licita habentur.

Idolum quod gentiles ipſi profanum judicarunt, in uſum ſuum convertere licet.] Thalmudiſtæ id colligunt ex loco, quem hic R. Moſes allegat: פסילי אלהיהם תשרפון באש לא תחמוד כסף וזהב עליהם ולקחת לך *Sculptilia deorum illorum igne combureteis, non cupies argentum & aurum, quod ſupra illa, & accipies tibi.* Cum, inquiunt, interdicat Deus, ne auri illius idololatrici cupiditas nos incesſat: quanto minùs fas erit accipere illud! Quia igitur ſic reſecanda viderentur hæc verba, *Et accipies tibi*: duplicem inde ſenſum eruunt: prior eſt, ut פסילי ſint *ſculptilia*: alter, ut ſignentur inepta profanaque. Priori modo ſententia ſit, *Sculptilia Deorum illorum igne combureteis.* Poſteriori mens erit, *Profanatos illorum Deos accipies tibi.* Nempe ut illud, *accipies tibi*, referatur ad vocem פסילי, quatenus *profana* notat. Nam פסל Rabbinis eſt *ineptum ac profanum reddere.* Et hinc in Gemara Aboda Zara cap. IV. § אמר אביי. legas: מנין לגוי שמבטל אליהו של פסילי אלהיהם תשרפון באש *Unde conſtat, poſſe gentilem profanare idolum ſuum? Ex verbis, Sculptilia Deorum illorum igne exureteis.* Quo loco iſta פסילי אלהיהם interpretanda ſunt, *profanata idola eorum.*

יד עכו"ם של ישראל אינה בטלה לעולם אפילו היה גוי בה שותפות אין בטולו מועיל כלום אלא אסורה בהנאה לעולם וטעונה גניזה · וכן עבודת כו"ם של גוי שבאת לידי ישראל ואח"כ בטלה הגוי אין בימולו מועיל כלום אלא אסורה בהנאה לעולם ואין ישראל מבטל כו"ם ואפי' ברשות הגוי :

XIV. Idolum Iſraelitæ nunquam profanari poteſt; tametſi in ejus proprietate partem quoque habeat gentilis, atque ille hoc profanet. Nam profanationis illius non habetur ratio: ſed in perpetuum uſus idoli ejus eſt interdictus; eoque neceſſe eſt abſcondi. Itidem, ſi idolum gentilis, poſtquam in manus pervenerit Iſraelitæ, ab gentili fuerit profanatum, profanatio talis nihil ad rem facit: quia (nihilominus) eſt interdictum. Iſraelita verò idolum nullum valet reddere profanum, ne quidem conſentiente gentili.

Nunquam profanari poteſt.] Ex ſacro reddi profanum, ex illicito licitum, & humanis uſibus conceſſum.

Eoque neceſſe eſt abſcondi.] Sub terram defodi, ita ut nullus illud in uſum ſuum poſſit convertere.

Iſraelita verò nullum idolum reddere valet profanum.] Siquidem non habuit ei honorem divinum: quod gentilis proprium eſt; ut ſolus etiam, præcipuè ſi cultui renunciet gentili, reddere illud profanum poſſit. Quamquam neque gentilis profanare valeat, ſi non ipſe poſſideat. Quippe ſi idolum jam in alius ſit poteſtate, qui unum colat Iſraelis Deum; ut maximè aliqua agat, quibus pro rejectitio habere idolum videatur: ſuſpicio nihilominus orietur, eo feciſſe, quia ſpes recuperandi foret nulla. Ut prætercam, quòd gentilis, præſertim nec ſuorum numinum cultor admodum religioſus, videri etiam poſſit mercede ad hoc conductus. Nec magnopere his adverſari cenſeo, quod inferiùs dicat Maimonides, idolum etiam haberi profanum, licet gentilis ab Iſraelita adactus illud profanarit. Nam loquitur iſtic loci de idolo, quod etiamnum in poteſtate ſit hominis gentilis.

טו גוי קטן או שוטה אינו מבטל כו"ם גוי שבטל כו"ם בין שלו בין של גוים אחרים בעל כרחו אע"פ שאנסו ישראל על כך הרי זו בטילה ובלבד שיהא גוי המבטל עובד כו"ם אבל מי שאינו עובד אין בטולו בטול :

XV. Gentilis minorennis, aut ſtultus, profanum facere idolum nequit. At ſi gentilis profanârit idolum vel ſuum, vel alterius gentilis, quamvis invitus, & ad hoc compulſus; certè idolum hoc fuerit profanum: ſic tamen, ſi gentilis ille, profanet, ipſe ſit idololatra. At ejus, qui idola non colit, profanatio non attenditur.

Gentilis minorennis, aut ſtultus.] Quippe qui non ſit ſuus; ſed alienæ obnoxius poteſtati. Atque idem cenſendum de gentili, qui in Iſraele commoretur.

Vel ſuum, vel alterius gentilis.] Tamen ſupra dixit, אין אדם אוסר דבר שאינו שלו. *nullus rem alienam prohibitam facit.* Niſi fortaſſe poteſt licitam facere rem alienam; quia hoc pium, illud impium eſt.

Et ab Iſraelita ad hoc compulſus.] Talia tamen, ſi Juris intelligentes audimus, perinde habentur, ac ſi acta non fuiſſent.

יו המבטל עבודת כו"ם ביטל משמשיה בימל משמשיה משמשיה מותרי' והיא אסורה בהנאה כמו שהיתה עד שיבטלנה ותקרובת עכום אינה בטלה לעולם כיצד מקטלה קטע ראש אזנה ראש חוטמה ראש אצבע או פחסה בפניה אע"פ שלא חסרה או שמכרה לצורף ישראל הרי זו בטלה אבל אם משכנה או מכרה לגוי או ישראל שאינו צורף או שנפלה עליה מפולת ולא פינה גנבוה ליסטים ולא תבעוה רקק בפניה השתין בפניה גררה זרק בה את הצואה הרי זו אינה בטלה :

XVI. Qui profanat idolum, eâdem omnia, quæ uſibus illius ſerviunt, profana reddit. Sin ea profana, quæ ſerviunt ejus uſibus; illa quidem licita ſunt, idoli verò uſus eſt interdictus, uti ante erat: atque id uſque dum ipſum profanetur. Etiam oblata idolis profanari nequeunt. At quomodo fit idoli profanatio? Præciſâ parte imâ vel auris, vel naſi, vel digiti. Tum & contundendo faciem ejus, licet non mutiletur: aut vendendo illud fuſori Iſraelitæ. Et hæc qui agunt, profanant idola. Cæterum ſi oppigneraverit, vel vendiderit illud gentili, vel Iſraelitæ, qui faber non ſit; aut ſi quid ruinâ inciderit, nec tamen id amoverit; ſi item latrones abſtulerint, atque ab iis repetitum non ſit; ſi in faciem ejus exſpuerint, vel coram minxerint, humive raptarint, vel fœdarint injectis excrementis; non eo fuerit profanum.

Qui profanat idolum, &c.] Quia inſtrumenta, idoli; non hoc illorum cauſa, paratur. Sublatâ cauſâ tollitur cauſatum; at non contrà.

Oblata idolis profanari nequeunt.] Probatur id in Gemara Aboda Zara ex verbis S. Scripturæ: *congregati ſunt ad Baar Pehor, & comederunt ſacrificia mortuorum.* Quo loco ajunt Thalmudici, ſacrificia idololatrica mortuis æquari; quia quemadmodum ſemper mortui immundi manent; ita & idolis oblata expiari nequeant, ſed æternùm ſint immunda.

Cæterum ſi oppigneraverit.] Quia redemturus videtur. Ita & quamvis a latronibus non repetierit. Fortaſſis enim putat, eos illud colere velle; vel religioſis hominibus magno pretio vendere.

In faciem ejus exſpuerint, vel coram minxerint.] Rationem in hoc non video, niſi quòd credi poteſt imprudens conſpuiſſe. Quod ad mictionem attinet, potuit in balneo fieri, & ſine contemtu idoli: alioqui conſpuere, & lotio idolum perfundere, ſunt contemnentis indicia; uti & humi raptare.

יז עכו"ם שהניחוה עובדיה בשעת שלום מותר בהנאה בטליה בשעת מלחמ' אסורה מפני שלא הניחוה אלא מפני המלחמה :

XVII. Idolum tempore pacis à cultoribus ſuis derelictum, conceditur uſui humano. Sin belli tempore ſit profanatum, vetatur: quia nonniſi propter bellum videtur relictum.

Propter bellum videtur relictum.] Quippe eò, ut poëta *a* ait,
a 1.Georg.
—— *ſqualent abductis arva colonis*:
Patriamque fugientes non aras minus relinquere coguntur, quàm focos.

יח עכום שנשברה מאליה שבריה אסורין בהנאה עד שיבטלוה לפיכך המוצא שברי כו"ם הרי אלו אסורין בהנאה שמא לא בטלוה גוים ואם היתה של פרקי' והדיט יכול להחזירם צריך לבטל כל פרק ופרק מפרקיה ואם אינו יכול להחזירם כיון שבטל אבר ממנה בטלו כל השברים :

XVIII. Fragmenta idoli ſuâ ſponte confracti inconceſſa ſunt uſui, donec ipſum idolum profanetur. Iccirco fragmenta idoli à quopiam inventa habentur illicita: fortaſſe enim necdum profana habita à gentilibus. Utcunque enim in varias fractum ſit partes: tamen aliquis ex imperitis poſſit fragmenta colligere. Itaque neceſſum eſt profanare partem quamque ejus. Quod ſiquis nequeat reperire, inque unum cogere univerſas: uno profanato fragmento, cætera etiam habentur pro profanis.

יט מזבח עכו"ם שנפגם עדין הוא אסור בהנאה עד שינתץ רובו ביד גוים ובימוס שנפגם מותר איזהו בימוס ואיזהו מזבח בימוס אבן אחת מזבח אבנים הרבה : וכיצד מבטלין אבני מרקולים כיון שבנה מהן בנין או חפה בהן את הדרכים וכיוצא באלו הרי הן מותרין בהנאה :

XIX. Misbeah ſive altare idololatricum, quamvis mutilatum, uſui interdicitur, donec major ejus pars ipſis gentilium manibus fuerit everſa. At bimos, ſive ara diſrupta conceditur uſui. Qualis vero *bimos*? quale item *misbeah*? *Bimos* eſt unius lapidis: *misbeah* eſt lapidum multorum. Quomodo profani redduntur lapides Mercurii? quando iis exſtruitur domus, aut viæ ſternuntur, aut aliquid fit ſimile, habentur profani, & uſibus conceſſi.

Qualis verò ara? quale item altare?] Diſtinguit inter מזבח & בימוס & illud quidem ex multis lapidibus, hoc uno tantùm conſtitiſſe putat. Vox poſterior haud dubiè Græcæ originis ex *βωμός*. Mirum tamen, quòd eo ait notari aram ex uno ſaxo factam. Quanquam non negem, tales etiam gentilibus fuiſſe aras. David de Pomis בימוס exponit, אבן מגור לעשות אליל או מזבח אלילים *Lapidem inciſum ad faciendum idolum; aut aram idolorum.* Eo autem ara unius lapidis eſt licita, modò diſrupta, quia ſic eſſe deſinit: ſed altare lapidum multorum permanet altare, niſi major lapidum pars fuerit avulſa.

כ כיצד מבטלין את האשירה קרסם ממנה עלה או זרד ממנה יונק נטל ממנה מקל או שרביט או ששפאה שלא לצרכה הרי זו בטלה שפאה לצרכה היא אסורה ושפאיה מותרין ואם היתה של ישראל בין לצרכה בין שלא לצרכה בין היא בין שפאיה אסורה לעולם שעכו"ם של ישראל אין לו ביטול לעולם :

XX. Quomodo profanum reddunt lucum? Decerpendo ex eo folium, aut præſcindendo ramum, conficiendoque inde ſcipionem, aut virgam, vel putando ſuperflua. Atque hæc verè eſt profanatio. Sin eo quis animo amputarit, quia indigeret: lucus permanet interdictus; ſed quæ amputata, conceduntur. Quod ſi Iſraelis ſit lucus, ſive neceſſariò, ſive ſuperfluè id fiat: tum lucus, tum quæ amputata, in perpetuum ſunt interdicta: quia ab Iſraelitis divino honore culta, nunquam poſſunt profanari.

Quomodo profanum reddunt lucum?] Quæ hic dicit autor, conſiſtere nequeunt, niſi intelligas lucum, cujus privatus aliquis dominus ſit. Nam nullus dixerit, lucum publicâ autoritate conſecratum, fieri profanum, quia ab uno aliquo violetur. Quod tantundem eſſet, ac ſi dicas, legem aliquam, aut ſtatutum magiſtratus, irritum fieri, quia hic vel ille id tranſgreditur. Porrò ſtatuit, decerpendo folium, aut præſcindendo ramum, profanari

nari lucum. Certè violari conſtat. Unde apud veteres Romanos lucum in ſuo agro nullus ſuccidebat, niſi antè oblatâ ad placandos Deos porcâ. Qui autem lucum rite exſcindebant, *conlucare* eum dicti. Unde Cato de re ruſtica cap. cxxxix. *Lucum conlucare Romano more ſic oportet. Porco piaculo facito. Sic verba concipito: Si Deus, ſi Dea es, quoium illud ſacrum eſt, uti tibi jus ſiet porco piaculo facere, illiuſce ſacri coercendi ergo. Harumce rerum ergo, ſive ego, ſive quis juſſu meo fecerit, uti id rectè factum ſiet. Ejus rei ergo te hoc porco piaculo immolando bonas preces precor, uti ſies volens propitius mihi, domo, familiaque meæ, liberiſque meis. Harumce rerum ergo macte hoc porco piaculo immolando eſto.*

Decerpendo ex eo folium, aut præſcindendo ramum.] קרסם, & זירד, ſignificant, *putare, incidere*, חתך. Sed illud, notantibus Hebræis, נופל בספנים ועלים uſurpatur *de herbis ac foliis*; ut *decerpere*, aut *ſtringere*, vertendum ſit: זירד autem, בינוקות ובסרים *de ramis & ſurculis*; unde & à Davide de Pomis exponitur per זמר *putare arborem*, quod à זמורה *ſurculus, ramus.*

פרק תשיעי

CAPUT IX.

שלשה ימים לפני אידיהם של גוים אסור ליקח מהם ולמכור להם דבר המתקיים וללוות מהן ולהלוותן ליפרע מהן וליפרוע להם מלוה בשטר או על המשכון אבל מלוה על פה נפרעין מהן מפני שהוא כמציל מידם ומותר למכור להן דבר שאינו מתקיים כגון ירקות ותבשיל עד יום אידם :

TRiduo ante feſta gentilium idola colentium, prohibemur aliis emere, illiſve vendere rem ullam duraturam; mutuo quid accipere, vel dare; capere ſolutionem, aut ſolvere mutuum, ſcripto, vel pignore: ſed, quod verbis ſolum mutuo datum eſt, exigere licet; quia manibus eorum hoc eripi videtur. Licitum & eſt vendere illis, quod nequit durare: ut olera, vel aliquid coctum; atque id uſque ad feſtum eorum diem.

Triduo ante feſta gentilium, idola colentium, prohibemur aliis emere, illiſve vendere, rem ullam duraturam.] Hauſtum ex Aboda Zara cap. 1. §. Non modò Hebræus idolum venerari nequit; ſed nec cauſſa eſſe debet, cur à gentili colatur. Ideoque vetantur Iſraelitæ negotiari cum gentilibus triduo ante feſta eorum: ne, vel ſi emerint ab iis quicquam, pecuniâ illa feſti tempore ſe oblectent; vel ſi vendiderint, lætentur gentiles ob rem bono pretio comparatam, ac hilariores ad feſtum contendant, & diis ſuis, (uti Mercurio, præſidi mercaturæ, aut aliis) gratias ac laudes pro rerum proſpero agant ſucceſſu. Tantùm vendere licebat illo ſpatio res parum durabiles: ut olera, carnes coctas, ſimiliaque; quæ die illo abſumenda erant, quo, veniente feſto, gentilis nec pecuniam haberet, nec merces pro eâ comparatas. Ne debita quidem illis tribus diebus ſolvere licebat, eandem ob cauſſam; uti nec debitorum ſolutionem accipere. Quod tamen R. Jehuda licere putabat: ut cap. 1. Aboda Zara eſt: מפני שמיצר הוא לו, *quia hoc dolori illi eſt.* Sed reſponderunt ſapientes: אף על פי שמיצר הוא עכשיו שמח הוא לאחר זמן *quamvis hoc dolori ſit ei, poſtea lætatur alio tempore*: quia, ſolutis debitis, defecatiore eſt animo. Mutuum dare, & accipere, non licebat: quia ſive gentilis acciperet, poterat eo uti ad colendum Deum ſuum: ſive daret, lætior ad feſtum iret, quaſi Deo ſuo gratias acturus, quod tanto felicior eſſet Iſraelitâ, ut ille ſui indigeret. Excipitur caſus unus, ſi debeat gentilis, nec Iſraelita debiti ullum habeat teſtimonium; ut chirographum, aut ſimile quidpiam. Tale enim volunt recipi poſſe; quia periculum in mora eſt, & illa res pro perdita habetur. Ratio verò, cur triduum ante feſta Hebræi nefaſtum ponant, profluxiſſe inde videtur, quia Deus ipſe Exod. xix, 10. populum à Moſe in diem tertium ſanctificari juſſerat: ideoque putabant, nefas eſſe habere quidquam commune cum gentilibus triduo illo, quod feſtum præcedebat.

Triduo ante feſta gentilium.] Quæ alio vocabulo Hebræi אידין vocant. איד *calamitas, perditio, ſive exitium* eſt: quod nomen fortaſſis feſtis impoſuerunt, quia putabant, ea exitii cauſſam eſſe gentilibus. Sic quoque איד, quod eodem ſignificatu de feſto uſurpant, denotat etiam נכר confractionem, & contritionem. Solent enim Hebræi, talibus nomina per contemtum imponere.

Feſta gentilium.] Ea commemorantur Aboda Zara cap. 1. § 3. קלנדא וסטורנליא וקרטסים ויום גנוסיא של מלכים ויום הלידה ויום המיתה *Kalendæ, Saturnalia, inauguralis Kartiſim dies, natalis regum, magiſtratuum natalis, & emortualis.* Quo loco miror, quid ſibi illud קרטסים velit. Gemara habet eſſe יום diem שתפסה בו רומי מלכות, *qua Roma regnum apprehendit.* Ibidem autem ait Rab Joſeph: bis hoc accidiſſe בימי קלפטרא מלכתא *temporibus Cleopatræ reginæ*: & primùm prælio Actiaco, ex quo Cæſar Auguſtus imperium Romanum obtinuit ſolus: deinde בימי יונים *temporibus Græcorum*: Quod Rab Jehuda dixit eum diem eſſe, quo Roma regnum acciperet: congruit cum comitiis curiatis, quibus creatos olim Reges Romanorum, ex Halicarnaſſeo, & Livio, diſcimus: nec procul diſtant קרטסים *Kirtiſim*, & *Curiatis*: nec novum eſt Judæis, depravare voces externas: quomodo ex *Saturnalia*, quoque fecerunt סטורנורא *Saturnora.* Nam ita hoc loco in Thalmud legitur. Sane curiatis comitiis poſtea item magiſtratuum multi, qui in provincias mittebantur, delecti ſunt. Ea verò, quæ ab R. Joſeph de Græcorum temporibus addidit, neſcio quorſum referenda. Sed de iſto potiùs ita cenſeo קרטסים factum ex κράτος, vel κρατύνεσθαι, & denotari hac voce diem inauguralem. Diem גנוסיא ait R. Jehuda eſſe יום שמעמידין בו את המלך *quo Regem conſtituunt.* Quod non admitto, niſi גנוסיא & כנוסיא idem ſint, & congregationem notent. Unde infra § 4. Maimonidæ dies inauguralis eſt יום שמתכנסין בו להעמיד מלך *dies, quo congregantur ad creandum Regem.* Mihi tamen hæc vox merè Græca videtur. nam γενέσια diem notavit natalitium: qui & γενέθλια: unde apud Matth. xiv. 6. γενεσίων δὲ ἀγομένων τοῦ Ἡρώδου. Quare rectè in Aruch exponitur, יום הולדת *dies natalis.* Quod ſi quis quærat, cur mox ſubjungatur, יום הלידה, *dies natalis*: dixero, prius accipiendum videri de genethliis principis; alterum de privatorum, quæ privatim celebrantur.

ב בד"א בארץ ישראל אבל בשאר ארצות אינו אסור אלא יום אידם בלבד עבר ונשא ונתן עמהן באותן הג' ימים הרי זה מותר בהנאה והנושא ונותן ביום אידם עמהן הרי זה אסור בהנאה

II. Hoc in Iſraelitarum regione locum habet: at in reliquis terris vetitum non eſt, niſi feſto eorum die. Si quis tranſgreſſus ſit negotiando cum iis illo triduo, mercibus uti licet: ſin aliquis cum iis negotietur eorum die feſto, res uſui ſunt interdictæ. Nefas quoque eſt, munus gentili mittere

feſto

בהנאה ואסור לשלוח דורון לגוי ביום אידו אלא אם כן נודע לו שאינו מודה לעכ"ום ואינו עובדה וכן גוי ששלח דורון לישראל ביום אידו לא יקבלנו ממנו ואם חשש לאיבה נוטל מפניו ואינו נהנה בו עד שיודע לו שזה הגוי אינו עובד כו"ם ואינו מודה בה:

feſto ejus die: niſi conſtet, cum non profiteri cultum idolorum, nec iis ſervire. Quod ſi gentilis quiſpiam die ſuo feſto miſerit munus Iſraelitæ: ne illud ab eo accipiat; niſi ſuſpicio ſit, offenſum iri. Nec tamen utetur, donec conſtiterit, gentilem non colere idola, nec pro diis illa habere.

ג היה אירם של אותן הגוים ימים הרבה שלש או ארבעה או עשרה כל אותן הימים כיום אחד הן וכולן אסורין עם שלשה ימים לפניהן:

III. Si feſtum hoc idoli multorum ſit dierum; ut trium, quatuor, aut decem: perinde habetur, ac unius ſi diei foret: eoque omnes ſunt interdicti, unà cum triduo, quod præceſſit.

ד יום שמתכנסין בו הגוים להעמיד להן מלך ומקריבין ומקלסין לאלהיהם יום אירם הוא והרי הוא כשאר אידהם אבל גוי שעושה היא איד לעצמו ומודה לכו"ם שלו ומקלסה ביום שנולד בו ויום תגלחת זקנו או בלוריתו ויום שעלה בו מן הים או שיצא מבית האסורים ויום שעשה בו משתה לבנו וכיוצא באלו אינו אסור אלא אותו היום ואותו האיש בלבד: וכן יום שימות להן בו מת ויעשוהו איד אותם העושים אסורין אותו היום וכל מיתה ששורפין בה כלים ומקטרין קטורת בידוע שיש בה עבודת כום:

IV. Illa quoque dies, quâ idololatræ ad regem conſtituendum conveniunt, ſacrificant, ac Deos ſuos laudant; cæteris feſtorum accenſetur. Quod ſi idololatra ſibi ipſi feſtum diem indixerit, ut veneretur idolum ſuum, ac laudet illud natali ſuo, aut quo die barbam tondet, vel comam, aut quo advenit è mari, vel carcere egreſſus, quo item convivium inſtituit filii cauſsâ, & ſiqui id genus alii ſunt; non interdictum eſt (negotiari) niſi illo tantummodo die, & cum viro iſtoc. Uti & vetitum id cum iis, qui defuncti ergo domi ſuæ feſtum celebrant. Quocunque autem in funere vaſa comburunt, & ſuffitum offerunt, apertum eſt idolo cultum præſtari.

Quo die barbam tondet.] Apollini plerumque barbam detonſam ſacrabant. Is dies inter lætos. In luctu verò promittebant eam Romani: ut notum ex reis ſquallidis ac ſordidatis. Atque eo fortaſſe referendum, quod mox ſubjungit de egreſſis è carcere.

Aut comam.] בלורית *coma* Rabbinis eſt. qualis ſit, indicat Autor noſter infra, cap. XI. לא יגלח מן הצדדין ויניח השער באמצע *non tondebitur à lateribus relicta in medio coma, quæ dicitur* בלורית. Vide infra: item Cochum in Maccoth cap. III *a*. Sacraſſe comam, indicat Pollux lib. III. cap. 124. III. tmem. 5. ἔτρεφον δὲ τινες ἐκ πλαγίε κόμην, ἢ κατόπιν, ἢ ὑπὲρ τὸ μέτωπον, ποταμοῖς, ἢ θεοῖς· καὶ ὠνομάζετο πλοχμὸς, ἢ σκόλυς, ἢ σειρὰ τριχῶν. *Alebant autem nonnulli comam in obliquum vergentem, aut ſuper tergum, aut frontem; fluminibus ſcilicet, aut diis conſecratam:* πλοχμὸς *aut* σκολὺς *nominabatur, aut pilorum catena.*

Quo advenit è mari.] Poſt peregrinationem Deorum templa adibant gratias acturi pro incolumitate: comam quoque tum præſcindebant, ac Diis dicabant. Notiora hæc, quam ut teſtimoniis ſit opus.

Quo convivium inſtituit.] Rectè. nam feſti dies, teſte Macrobio lib. I Saturnalium cap. XVI, dividuntur in *ſacrificia, epulas, ludos, ferias.* Atque inter ferias quoque privatas erant natales, & funebres. Ergo & hi feſti dies.

Quocunque in funere comburunt vaſa.] Pleni talium exemplorum autores: nec quicquam vulgarius Romanis, quam pyram, cui cadavera ſuperimpoſita erant, liquoribus pretioſis perfundere, & aurum, veſtes, arma, quæque alia defunctus, dum viveret, chara habuerat, ſimul comburere. Contrà quem morem legibus XII Tabularum cautum legimus: *Ne ſumptuoſa reſperſio fieret:* uti &, *ne aurum adderetur*, aliàque id genus.

ה אין יום האיד אסור אלא לעובדיה בו בלבד אבל הגוים ששמחים בו ואוכלין ושותין ומשמרין אותו מפני מנהג או מפני כבוד המלך אבל הם אין מודין בו הרי אלו מותרים לשאת ולתת עמהן:

V. Dies feſti non ſunt nefaſti, niſi ratione ejus, qui illos colunt. Cum illis verò idololatris, qui hilares cum tranſigunt diem, ac edunt, bibunt, eumque diem obſervant, ſive ob conſuetudinem, ſive in regis honorem, nec tamen pro ſacro habent; negotiationem licet exercere.

Ob conſuetudinem.] Non religione aliquâ: eoque, ubi de animo conſtiterit, non laborandum de eo, quod cum cæteris ferietur.

In regis honorem.] Soli enim dies illi cenſentur ſacri, quibus ſacrificia, epulationes, ludi, aut feriæ, in Deorum honorem fiunt.

ו דברים שהן מיוחדין למין ממיני כו"ם שבאותו מקום אסור למכור אותן לעובדי כו"ם שבאיתו המקום לעולם· ודברים שאינן מיוחדין לה מוכרין אותם סתם ואם פירש הגוי שהו' קונה אותם לעכו"ם אסור למכור לו אלא אם כן פסלום להקריבו

VI. Quæ peculiariter addicta ſunt certo generi idololatriæ loci cujuſpiam, ea idololatris iſtic loci agentibus divendere, perpetuò eſt interdictum. Res verò non addictas, ſimpliciter vendere licitum eſt. Quod ſi idololatra diſertè dixerit, ſe idolis iſta comparare; divendere erit nefas, niſi prius inepta reddantur ad offerendum idolis; quandoquidem non offerunt iis, quæ mutila ſunt. Si ea,

להקריבו לעבודת כו"ם לפי שאין מקריבין חסר לע"א היו מעורבין דברים המיוחדין עם דברים שאינן מיוחדין כגון לבונה זכה בכלל לבונה שחורה מוכר הכל סתם ואין חוששין שמא ילקט הזכה לבדה לעכו"ם וכן כל כיוצא בזה:

quæ certò addicta ſunt idolo, permiſceantur rebus ei non ſacratis; ut thus purum cumulo thuris nigri: junctim ea vendere fas eſt, quamvis ſuſpicio oboriatur, ne fortaſſe alter thus purum ſeligat ad idoli cultum. Eadem in cæteris ratio eſt.

Quæ peculiariter addicta ſunt certo generi idololatriæ.] Declarantur hæc Aboda Zara cap. 1. § 5. nimirum. אצטרובלין ובנו׳ סוח ובטוטרותיה׳ ולבונה ותרנגול לבן *Fructus cedri, ficus cum pedunculis, thus & gallus albus.* Ubi אצטרובלין Rabbini exponunt פרי דארזי *fructum cedri.* Sed vox haud dubiè eſt facta ex στρόβιλος, quomodo Græci *nucem pineam* vocant. Itaque malim vertere hoc modo. Pinum Cybelæ apud antiquos ſacram fuiſſe, notiſſimum eſt: unde Dea illa apud Virgil. lib. IX. Æneid.

Pinea ſylva mihi eſt multos dilecta per annos.

Ubi Servius: *Pinus in tutela matris Deum eſt.* Eandem apud Græcos & Romanos Pani, Fauno, imò & Neptuno, ſacratam fuiſſe, conſtat. Etiam thyrſi à תדיר *pinus*: ſed hoc nihil ad hunc locum. Pinus erat arbor luctus. An Rabbini reſpexerint ad funera, quis *reſina*, addi ſolebat, non facilè dixerim. Nam eſt quoque reſina, quam *ſtrobilinam* medici vocant. בנות סוח David de Pomis interpretatur תאנים לבנים *ficus albas.* סוח haud dubie ex Græco σῦκα. Ficus autem prohibere videntur Hebræi, eò quòd ſummo in honore eſſe gentilibus conſpicerent. Reperiſſe ajunt Bacchum: unde Διόνυσος Συκίτης ſive *Ficulnus* Lacedæmoniis colebatur. Naxii verò eundem Μειλίχιον nuncuparunt, quia hominibus monſtraſſet μείλιχα: quod eorum linguâ *ficus* notabat. Eapropter etiam cum Bacchi ſtatua apud eos caput haberet è vitis ligno: Baccho tamen Μειλιχίῳ id erat è ligno ficulno. Apud Athenienſes quoque ſacram fuiſſe ficum, proditum eſt à Plutarcho Sympoſ. lib. VII problem. IV. Potuere etiam Hebræi reſpicere ad ficum Ruminalem, quam Romani pro certiſſimo divini numinis ſigno coluere: unde prodigii loco, quod ea exaruiſſet, habitum eſt, cum annis ſtetiſſet ƆCCCC XL: ut eſt apud Tacitum, & alios. Ficus albas eſſe inter arbores felices, & diis inferis ſacratas, ex pontificum libris docet Macrobius lib. III Saturn. cap. XX. בטוטרות interpretantur עוקצים, id eſt, *pediculos*, vel *pedunculos.* פטוטר ex Græco ποδάριον, quod idem notat, & reperitur apud Pollucem, alioſque. תרנגול Gallum Marti ſacratum fuiſſe conſtat: unde Lacedæmonii eum parta victoria ſacrificare ſoliti. Apud Syros pro Deo colebatur. Apud Romanos magno in honore habitus: unde Plin. lib. X, cap. XXI: *Hi* (Galli) *magiſtratus noſtros quotidie regunt, domoſque ipſis ſuas claudunt, aut reſerant: hi faſces Rom. impellunt, aut retinent; jubent acies, aut prohibent, victoriarum omnium toto orbe partarum auſpices: hi maximè terrarum imperio imperant, extis etiam fibriſque haud aliter, quàm opima victoria, diis grati.* Quin Marti, Nocti, & Laribus, aliiſque diis, eadem avis ſacra habebatur. Pyrrhum galli albi immolatione lienoſos curare ſolitum, tradit Plutarchus in vita ejus. Fortaſſe, quia Æſculapius medicinæ Deus; cui peculiariter, & præ reliquis, gallus ſacer erat.

Simpliciter vendere.] Citra interpretationem, vel conditionis additionem. Quod ſequens antitheſis oſtendit.

Non offerunt rem mutilam iis.] Veriſſimum hoc, unde Suidas: Κόλουρα, ait, τὰ μὴ ἔχοντα κέρκον, ἢ τὰ κολοβὴν ἔχοντα οὐρὰν, ἅπερ ἐν ταῖς ἱερουργίαις οὐ θύεται. καθόλου γὰρ εἰ μὴ ἦν τέλειον καὶ ὑγιὲς οὐκ ἐθύετο τοῖς θεοῖς. *Colura, non habentia caudam, vel habentia mutilam caudam, quæ in ſacrificiis non mactantur. Univerſè enim, niſi eſſet perfectum ac ſanum, non ſacrificabatur diis.* Unde apud Athenæum lib. XV, cap. V, ex Ariſtotelis Sympoſio: οὐδὲν κολοβὸν προσφέρομεν πρὸς τοὺς θεούς, ἀλλὰ πάντα τέλεια καὶ ὅλα. *Nihil mutilum offerimus diis, ſed omnia perfecta atque integra.* Plinius lib. VIII. Hiſt. Natural. cap. XLVI *Vitulos ad aram humeris hominis allatos non fere litare; ſicut nec claudicante, nec alienâ hoſtiâ, Deos placari.*

Thus purum copiæ thuris nigri.] Thus purum eſt candidum: contrà minus purum, quod rufum, & nigrum. Plinius lib. XII, cap. XIV: *Autumno legitur ex æſtivo partu. Hoc puriſſimum, candidum. Secunda vindemia eſt vere, ad eam hyeme corticibus inciſis. Rufum hoc erit, nec comparandum priori.* Thus autem puriſſimum, & quod candidum, ſolum diis offerebatur; unde ibidem Plinius: *Quod ex eo rotunditate gutta pependit, maſculum vocamus; cùm alias non fere mas vocetur, ubi non ſit fœmina. Religioni tributum, ne ſexus alter uſurparetur.* Idem oſtendunt verba ſequentia Maimonidæ: *Vendere poteſt conjunctim: neque ſuſpicio erit, ne forſitan eligat purum ſolum ad idololatriam.*

ז כשם שאין מוכרין לגוים דברים שמחזקין כהן ידיהן לעבודת ט"ם כך אין מוכרין להן דבר שיש נזק לרבים כגון דובים ואריות וכלי זין וכבלים ושלשלאות ואין משחיזין להם את הזיין וכל שאסור למכרו לגוי אסור למכרו לישראל החשוד למכור לגוי וכן אסור למכור כלי נזק לישראל ליסטים:

VII. Quemadmodum non licet idololatris vendere, quæ eos in idolorum cultu confirment: ita nec vendendum iis, quo nocere publico valeant. Ut ſunt urſi, leones, arma, compedes, aut catenæ. Ne quidem acuenda iis arma. Quicquid autem idololatræ vendere prohibemur: idem nec vendendum Iſraelitæ ejuſcemodi, quem ea gentili venditurum ſuſpicio eſt. Itidem nefas ducitur arma divendere Iſraelitæ latroni.

ח היו ישראל שוכנים ביני גוים וכרתו להן ברית מותר להן למכור כלי זיין לעבדי המלך וגייסותיו מפני שעושין בהן מלחמה עם צרי המדינה להצילה ונמצאו מגינין עלינו שהרי אנו שרויין בתוכם: עיר שיש בה עכו"ם מותר להלך חוצה לה ואסור להכנס בתוכה היה חוצה לה כו"ם מותר להלך בתוכה:

VIII. Si Iſraelitæ inter gentiles habitent, quibuſcum fœdus percuſſerint: licebit arma vendere ſervis Regis, ejuſque copiis militaribus; ut iis pugnent adverſus illos, qui urbem obſideant; quò ita periculo liberetur, noſque protegamur, quandoquidem ibi ſedem fiximus. Urbem, in quâ idololatria exercetur, ingredi nefas: fas egredi. At ſi idolum fuerit extra urbem, intrare etiam licet.

Licebit arma vendere ſervis Regis.] Nititur hoc Jerem. xxxix. 7: *Quærite proſperitatem iſtius civitatis, quo vos deportavi, & orate pro ea Dominum: nam in proſperitate ejus futura eſt vobis proſperitas.*

ט ההולך ממקום למקום אסור לו לעבור בעיר שיש בה עכו"ם בר"א בזמן שהדרך מיוחדת לאותו מקום אבל אם יש דרך אחרת ונקרה והלך בזו מותר· אסור לבנות עם גוים כיפה שמעמידים בה עכו"ם ואם עבר ובנה שכרו מותר אבל בונה הוא לכתחלה הטרקלין או החצר שיש בה אותה הכיפה :

IX. Iter facienti inconceſſum eſt tranſire urbem, ubi idolum colatur. Quod ſic capere oportet, ſi ea illi loco via fuerit peculiaris. Sin & alia ſit via, ac fortè fortuna per alteram ierit; nullum hîc crimen eſt. Nefas enim unà cum gentili exſtruere fornicem, ubi idolum collocetur. Siquis verò jam exſtruxerit; licitum percipere mercedem. Conſultò tamen ædificare poſſit triclinium, vel atrium, in quo fornix ille.

Nefas enim unà cum gentili exſtruere fornicem.] כפה fornix eſt à curvatura. Nam כפה *curvare.* David de Pomis exponit, בית הסוהר *domus carceris, cippus*, factus in modum fornicis lapidei. Unde & כפה pro convexo cœli, ut עשרה מלכים מלכו בכפה *decem reges regnarunt in omnia, quæ ſub cœlo ſunt.* Balnea veterum quinque partibus conſtabant, Ἀποδυτηρίῳ ſeu ſpoliario; cellâ, quæ, teſtudinis inſtar ædificata, πυριατήριον & hypocauſtum vocabatur, aut ſudatorium; cellâ caldariâ; frigidario; & deterſorio, quod & unctuarium, & ἀλειπτήριον. Hic fornicem non referendum eſſe ad cellam primam, ſeu ὑπόκαυστον, ex ſequentibus patet. Sed potius ad fornices, qui in parietibus: uti ſi ſtatuam ad egerendas aquas collocarent; quod magis ſolitum in caldaria cella, aut frigidario. Vetantur autem hic Iſraelitæ extruere fornicem ejuſmodi, quia ſervit idolo: at cellam non item, quia ſervit ſervienti idololatriæ.

י עיר שיש בה עכו"ם והיו בה חנויות מעוטרות ושאינן מעוטרות המעוטרות אסור ליהנות בהן ובכל מה שבתוכן מפני שחוקהן שבגלל עכו"ם נתעטרו ושאינן מעוטרות מותרות בהנאה· חנויות של עכו"ם אסור לשוכרן מפני שמהנה עכו"ם · המוכר ביתו לעכו"ם דמיו אסורים בהנאה ויוליכם לים המלח אבל גוי שאנסו ישראל וגזלו ביתו והעמידו בו עכו"ם דמיו מותרין וכותב ומעלה בערכאות שלהן וחלילין של עכו"ם אסור לספור בהן :

X. Si in urbe idololatrica tabernæ aliæ ſint coronatæ, aliæ non coronatæ: prioribus illis non licet uti, neque illis, quæ eis inſunt; quia idololatriæ cauſsâ ſolent coronari: at non coronatis uti conceſſum. Tabernas idololatricas conducere prohibitum eſt, quia id fit cum idololatrarum quæſtu. Siquis vendiderit domum ſuam idolorum cultori; pecuniâ inde proveniente uti interdicitur: ſed in mare mortuum præceps danda. Quod ſi gentilis per vim eripuerit Iſraelitæ domum ſuam, collocaritque in ea idolum; pecuniâ uti poterit. Denique & poterit ſcribere contractum, atque ire cum eo ad judices illorum. Tibiis verò idololatrarum vetitum eſt lugubre carmen canere.

Tabernæ coronatæ.] Neſcio, quò reſpexerit Maimonides, niſi fortè ad morem veterum, qui coronis ſanctimoniam rei indicabant: adeò ut ſtatuas, victimas, ſacerdotes, imò magiſtratus, & Imperatores coronarent. Unde & Palilibus ovilium fores Ovidius coronari juſſit Faſt. iv.

Paſtor oves ſaturas ad prima crepuſcula luſtret:
Unda prius ſpargat, virgaque verrat humum.
Frondibus & fixis decorentur ovilia ramis,
Et tegat ornatas longa corona fores.

Tertull. quoque de corona militis; *Ipſæ denique fores, ipſæ hoſtiæ & aræ, ipſi miniſtri & ſacerdotes eorum coronantur.* Vide accuratiſſimum opus Paſchalii de Corona.

Ire cum eo ad judices.] ערכאות *tribunalia, judicem.* ערך, inquit David de Pomis. בערכאות של גוים פי' מושב הערוך וקבוע לשרים ולשופטי העיר לדון שם *In conſtitutionibus gentium: expoſitio; ſedes eſt ordinata, & conſtituta principibus, & judicibus civitatis, ut judicent ibi.* Diſpiciendum, unde vox originem trahat.

Tibiis verò idololatrarum vetitum eſt lugubre carmen canere.] חלילין, quod *tibias* verti, exponunt, כלי שיר שהיו נוהגים בספדו לקונן עליהם כדי לעורר הבכי: *inſtrumenta ad canendum, quibus in luctu cantabant ad minuendum fletum.* Hujuſmodi inſtrumentum tibia fuit: quæ propterea *luctus ſignum* vocatur Papinio in vi Thebaidos. Inde Artemidorus quoque lib. i, cap. lviii ait: Αὐλεῖν πυθικοῖς αὐλοῖς πένθος σημαίνει. *Pythicis canere tibiis luctum ſignat.* Ovid. vi Faſt.

Cantabat mœſtis tibia funeribus.

Plutarchum Gellium, Feſtum, alios, ad partes advocare, in re nota, ut puto, nihil attinet. Ambroſius lib. v in Lucæ cap. ix, ait id factum, *ad incendendos excitandoſque luctus.* Hunc morem, quamvis lege Dei prohibitum, ipſos Judæos à gentibus hauſiſſe, uſurpaſſeque, diſcimus ex Euang. Matth. ix. 23; ubi ait de præfecti Synagogæ ædibus: Ἐλθὼν δ' ὁ Ἰησοῦς εἰς τὴν οἰκίαν τοῦ ἄρχοντος, καὶ ἰδὼν τοὺς αὐλητάς, καὶ τὸν ὄχλον θορυβούμενον, λέγει αὐτοῖς, Ἀναχωρεῖτε. *Cum autem veniſſet Jeſus, in domum principis, & vidiſſet tibicines, & turbam tumultuantem; dicit eis, Recedite.*

יא הולכים ליריד של גוים ולוקחין מהן בהמה עבדים ושפחות בגיורן ובתים ושדות וכרמים וכותב ומעלה בערכאות שלהן מפני שהוא כמציל מידם : בד"א בלוקח מבעל הבי'

XI. Ad nundinas gentilium ire licet, atque emere ab iis beſtias, ſervos, ancillas, quamvis adhuc ſint gentiles: etiam domos, campos, vineas. Scribendis quoque (contractibus) permiſſum eſt adire eorum judicia: quia res veluti eripiuntur eorum manibus. Quod ita capiendum, ſi ematur à cive

 ædium

הבי' שאינו נותן מכס אבל הלוקח עם מן התגר אסור מפני שהוא נותן מכס והמכ' לעכו"ם ונמצא זה מהנה עכו"ם עבר ולקח מן התגר אם בהמה לקח נשר פרסותיה מן הארכובה ולמטה ואם כסות וכלים לקח ירקבו· לקח מעות וכלי מתכות יוליכם לים המלח לקח עבד לא מעלין ולא מורידין:

ædium domino, nec detur vectigal. Eoque ab eo, qui negotiandi cauſsâ varia circuit loca, emere non licet, quandoquidem is vectigal ſolvit; vectigal autem idololatriæ gratiâ ſolvitur: ac proinde hinc quæſtus eſt idololatris. Siquis tamen hæc tranſgrediens, ab extraneo aut vago ejuſmodi mercatore emerit jumentum; ungulas amputabit à junctura ad imum uſque. Si veſtes, aut vaſa emerit; putreſcere ea ſinet. Si pecuniam acquiſivit, aut vaſa è metallo; projiciet ea in mare mortuum. Si ſervum; non educent eum, neque (in puteum) detrudent.

Ad nundinas gentilium ire licet.] יריד David de Pomis interpretatur ומתן סנטפה פתקוס תומן קנות כמט | יריד: Negotiatio, quæ fit loco, ac tempore certo, ſemel aut bis in anno. Vocem deductam à ירד *deſcendere* arbitror; quia confluunt illuc omnis generis homines. Ait autor, poſſe beſtias, ſervos, agros, alia, emi in nundinis gentilium. Rationes afferunt, tum quia is, qui ea vendit, ex indigentia id faciat, ita ut jacturam ſæpe patiatur: tum quia in nundinis minori pretio pleraque veneunt. Sed hoc ita accipiunt, ut emtor ad proprios uſus, non ad vendendum ea comparet. Vide Gemaram cap. 1 Aboda Zara.

Quia res veluti eripiuntur ex manibus eorum.] Hoc eſt, rem pro perdita habitam recipit: nimirum chirographo: quia alioqui, quamvis pretio perſoluto, ſi chirographum non eſſet; poſſet gentilis inficiari emtam eſſe rem. Per בעל הבית, *dominum ædium*, intelligitur civis, aut alius, qui propriam domum, vel fixam ſedem habet, ad diſtinctionem negotiatorum, qui tantum parvum ad tempus in aliquo loco morantur.

Ungulas amputabit.] Non licet uti hujuſmodi rebus à mercatore comparatis. Itaque jumento ungulæ, aut poplites ſuccidi jubentur, ut ſponte moriatur: veſtes, vaſa lignea, ſimiliaque, abjicienda; ut exedantur à vermibus, ac putreſcant. Pecunia abjicienda in mare; ut & vaſa ex metallo. Servum verò, ſi in puteum inciderit, non educent: at ſi non inciderit, nunquam eo præcipitabunt. Nempe nec bene, nec male de eo merebuntur; ſed negligent, nec eo utentur.

יב· גוי שעשה לבנו ולבתו משתה אסור ליהנות מסעודתו ואפילו לאכול ולשתות הישראל משלו שם אסור היאיל וכמסיבת גוים אכלו ומאימתי אסור לאכול אצלו משיתחיל לעסוק ולהכין צרכי סעודה וכל ימי המשתה ולאחר ימי המשתה ל' יום ואם עשה סעודה אחרת מחמת הנשואין אפילו לאחר ל' יום ואסור עד י"ב חדש וכל הרחקה הזאת מפני עכו"ם הוא שנ' וקרא לך ואכלת מזבחו ולקחת מבנותיו לבניך וגו וגומר:

XII. Si gentilis, filii filiæve cauſsâ, convivium inſtituerit, neſas eſt ejus cibis uti. Quin & interdictum Iſraelitæ, ſua illic comedere, quia comederet ea aſſidens gentili. Quando autem comedere ea non licet? ex quo occupari cœperit neceſſaria convivio præparando; omnique convivii tempore; ac à convivio diebus proximis triginta. Quod ſi alterum quoque convivium inſtituerit propter nuptias: alteris etiam xxx diebus, hoc eſt, uſque dum exacti ſint menſes duodecim, id vetitum eſt. Hoc autem intervalli ſtatuitur idololatriæ ergo: quia dicitur, [a] *Et a vocet te, & comedas* a Exod.
de ſacrificio ejus, & accipias filias ejus filiis tuis, 34. 15.
ſique errent, &c.

XII. *Si gentilis, filii aut filiæ cauſſa, convivium inſtituerit, neſas eſt uti cibis ejus.*] Exemplum habes in Daniele cap. 1. 9. Apoſtolus 1 Corinth. x. 27. minus hic rigidus eſt: Εἰ δέ τις, inquit, καλεῖ ὑμᾶς τῶν ἀπίστων, καὶ θέλετε πορεύεσθαι, πᾶν τὸ παρατιθέμενον ὑμῖν ἐσθίετε, μηδὲν ἀνακρίνοντες διὰ τὴν συνείδησιν. Ἐὰν δέ τις ὑμῖν εἴπῃ, τοῦτο εἰδωλόθυτόν ἐστι, μὴ ἐσθίετε, δι' ἐκεῖνον τὸν μηνύσαντα, καὶ τὴν συνείδησιν. τοῦ γὰρ Κυρίου ἡ γῆ καὶ τὸ πλήρωμα αὐτῆς. Συνείδησιν δὲ λέγω οὐχὶ τὴν ἑαυτοῦ, ἀλλὰ τὴν ἑτέρου. *Quod ſi quis infidelium vos vocat, & vultis ire; quicquid apponitur vobis, edite, nihil interrogantes propter conſcientiam. At ſi quis vobis dixerit, Hoc idolis mactatum eſt, ne edite, propter illum qui indicavit, & propter conſcientiam. Domini enim eſt terra & plenitudo ejus. Conſcientiam autem dico non tuam, ſed illius alterius.* Verùm Judæis non videtur tantum licuiſſe; quos vetuerat Deus communionem habere cum gentibus.

יג בת ישראל לא תניק את בנה של נכרית מפני שמגדלת בן לעו"ם ולא תילד את הנכרית אבל מילדת היא בשכר משום איבה והנכרית מילדת את בת ישראל ומניקה את בנה ברשותה כדי שלא תהרגנו:

XII. Mulier Iſraelitica non lactabit filium idolis ſervientis; quia is filium ad idololatriam educat. Itidem nec obſtetricabitur paganæ idola colenti. Sed licet pro mercede odii cauſſa obſtetricari. Paganæ verò obſtetricis operâ uti mulieri Iſraeliticæ licet. Etiam ad lactandum filium ſuum uti eâ licet: ſed domi matris, ne occidat eum.

Odii cauſſa obſtetricari.] Cur ex odio permitti obſtetricari? Num quia occaſionem ſic habitura interimendi fœtus, vel etiam puerperæ, aut parturientis? Vix perſuadere mihi poſſum, rem adeo deteſtabilem à Maimonide præcipi. Vera proinde interpretatio eſt, odii cauſſa poſſe obſtetricari, hoc eſt, ad odium effugiendum.

Sive ne odium gliſcat, ſed potius occurratur iis, qui, ſi negetur hoc officium, pejus odiſſent, magiſque malefacerent. Neque hic gratificari me Maimonidæ, ſed revera hanc ejus fuiſſe ſententiam; liquet ex capitis ſequentis ſectione ſecunda; ubi clarè ait, ſiquis ſibi metuat ab iis, qui religionis ſunt diſparis; poſſe ad odium evitandum medicam admovere manum; non gratis tamen, ſed pro mercede.

יד ההולכין ליריד אסור לשאת ולתת עמהן
והבאין מותרין והוא שלא יהו קשורין וה כיה שאם
היו קשורין שמא דעתן לחזור וישראל ההולך ביריד
בהליכה מותר לשאת ולתת עמו שמא יחזור בו
ובחזירה אסור :

XIV. Cum euntibus ad nundinas idololatrarum non licet negotiari: at cum redeuntibus inde, conceditur, dummodo ne ſit tota ſocietas. Nam id ſi fuerit, fortaſſe ea cupiet reverti. Cum Iſraelita ad nundinas tendenti licet negotiari. Fieri quippe poſſit, ut deſerat hoc propoſitum. At cum revertenti inde eſt interdictum.

Cum euntibus.] Puta idololatris; ut intelligitur ex antitheſi Iſraelitarum, quæ ſubjicitur.

Non licet negotiari.] Ne idololatras pecunia augeas, qua in nundinis promoveant idololatriam.

Cum redeuntibus conceditur.] Quia, nundinis, exactis, nihil periculi eſt, ne in idololatricis nundinis idola emant, vel quomodocunque idolorum cultum roborent.

Dummodo ne ſint pars ſocietatis.] קשורין זה בזה *ligati alter ad alterum*: i. e. ut vulgo dicimus, *en compagnie.* Porrò eo, ſi alligati aliis ſint, interdicitur, quia pars fortaſſe ſocietatis in nundinis remanſit: atque ad eam poſſit reverti, pecuniâque, qua eos auxeris, ad idololatriam abuti.

Ut deſerat hoc propoſitum.] Nempe ubi vidit humanitatem tuam; qui cum eo, licet ad nundinas idololatrarum tendente, ſeque conjiciente in periculum cultus idololatrici, nihilominus negotieris.

Cum referenti eſt interdictum.] Quia jam ab inſtituto revocare ſerum eſt, poſtquam ad nundinas idololatrarum ivit, & ea egit, quibus idolorum cultus gliſcat. Atque hæc plus lucis accipient ex § ſeq.

טו ישראל משומד בין בהליכה בין בחזירה
אסור׳ ישראל שהלך ליריד של גוים בחזירה
אסור לשאת ולתת עמו שמא עבודת כו״ם
מכר להן שם ודמי עבודת כו״ם ביד ישראל
אסורים בהנאה וביד גוי מותרין בהנאה :
ומפני זה נושאים ונותנין עם הגוי הבא מן
היריד של עכו״ם ואין נושאין ונותנין עם ישראל
הבא מן היריד ההוא ולא עם המשומד לא בהליכתו
ולא בחזירתו :

XV. Cum Iſraelita, qui ad idolorum cultum defecit, tam in abitu, quàm reditu, negotiari interdictum eſt: cum Iſraelita alio, ad nundinas gentilium eunti, tantummodo in reditu negotiari prohibemur. Fortaſſe enim idolorum, vel aliquid ejus culti dicatum, vendiderit: unde æs conflatum ab Iſraelita eſt uſui inconceſſum: ſin æs fuerit penes gentilem, uti eo licebit. Iccirco negotiandum cum idololatris, quando à nundinis idololatricis veniunt: non item cum Iſraelita religionem ſuam deſerente, ſive ad nundinas tendat, ſive inde redeat.

פרק עשירי

CAPUT X.

אין כורתין ברית לעובדי כו״ם כדי שנעשה
עמהן שלום ונניח אותם לעובדם שנאמר לא
תכרות להם אלא יחזרו מעבודתם או יהרגו ואסור
לרחם עליהם שנאמר ולא תחנם לפיכך אם ראה
גוי עובד כו״ם אובד או טובע בנהר לא יעלנו :
ראהו נטוי למות לא יצילנו אבל לאבדו בידו או
לדחפו וכיוצא בזה אסור מפני שאינו עושה עמנו
מלחמה :

NE paciſcantur cum idololatris, ita ut iis concedant idola colendi licentiam: quia dicitur, *Non* * *percuties cum eis*, &c. Sed vel à cultu avertant, vel occidant. Nec eorum miſereri licet: quia dicitur, *Nec* a *miſereberis eorum.* Iccirco, ſiquis a Deut.
viderit gentilem pereuntem, vel aquis demerſum, 7. 2.
ne opem ferat. Si cum morti proximum viderit, ne eripiat morti. Attamen manu ſuâ eum perdere, præcipitem in puteum dare, vel ſiquid huic ſimile, nefas eſt, quia nobiſcum bellum non gerit.

Non paciſcentur cum idololatris.] Interdictum, quod eſt Exodi XIII. 2. ſolùm refertur, ad ſeptem nationes terræ Canaan. Ad omnes verò gentiles, aut idololatras, extendere illud velle, planè fuerit crudele. Quia igitur, ibi mandatum id non habet locum; habebit alterum, quod non Scriptura ſolum, ſed ratio etiam nos docet. Eſt illud, *Ne occidas.* Nam occidit etiam, qui cum opitulari perituro alioqui poſſet, id negligit. Maimoniden hic qui purgem, non ſatis video. Non eum de ſolis Cananææ gentibus, ſed universè de gentilibus idola colentibus, locutum eſſe; vel illud fidem fecerit, quod initio ſequentis paragraphi generatim dicat, *Hæc dicta ſunt de idololatris.*

ב בד״א בע״כום אבל המוסרים
והאפיקורסין מישראל מצוה לאבדן ביד ולהורידן
עד באר שחת מפני שהן מצירין לישראל
ומסירין

II. Hæc dicta ſunt de idololatris. Sed Iſraelitarum illos, qui à religione deſciverint, vel Epicurei evaſerint, trucidare, atque ad inferos uſque perſequi jubemur. Quippe affligunt Iſraelem,

 po-

ומסירין את העם מאחרי ה׳ · מכאן אתה למד שאסור לרפות עובדי כו״ם אפילו בשכר ואם היה מתיירא מהן או שהיה חושש משום איבה מרפא בשכר אבל בחנם אסור · וגר תושב הואיל ואתה מצווה להחיותו מרפאים אותו בחנם :

populumque à Deo avertunt. Hinc diſcere eſt, prohibitum quoque eſſe, ne medicinam idololatris faciamus, utcunque mercedem reciperemus. Cæterum ſiquis ſibi ab iis metuat, ac ſe propterea fore credat exoſum: mercede ſanabit, gratis verò non licet. Proſelytum autem inter Iſraelitas degentem, quia incolumem eum ſervare jubentur, gratis etiam curabunt.

Proſelytum autem inter Iſraelitas degentem.] Duplices Hebræis ſunt peregrini. Eorum alii, religione priori deſerta, prorſus ſe legi Moſaicæ ſubjiciunt, ac ceremonias quoque Judaicas ſervant. Tales nuncupantur גרי צדק *peregrini juſtitiæ.* Alii autem ſolùm obſervant ſeptem præcepta Noacho data: nam abſtinent idolorum cultu, cæde, furto, & adulterio; nec vivo animali membrum amputant ad comedendum; nomini divino non maledicunt; & judices inſtituunt, quorum curâ hæc præcepta conſerventur. Atque appellantur גרי תושבים *peregrini habitantes* ſive *habitationis*: quia habitare inter Iſraelitas ns licebat. Autor VII § hujus capitis: &c. לא יעבור בארצינו עד שיקבל עליו ז׳ מצות שנצטוו בני נח אם קבל עליו שבע מצות בני נח זה גר תושב *Non tranſibit per terram noſtram, donec ſuſceperit* VII *præcepta Noachidis data,* &c. *Si ſuſcepit ſeptem præcepta, eſt peregrinus habitationis.* Atque hæc non parùm capient lucis ex iis, quæ diſſerit vir nobilis, atque eximium ſeculi decus, Hugo Grotius, de Jure belli & pacis cap. 1. ſect. XVI.

ג אין מוכרין להם בתים ושדות בארץ ישראל ובסוריא מוכרין להם בתים אבל לא שדות ומשכירין להם בתים בארץ ישראל ובלבד שלא יעשו שכונה ואין שכונה פחותה משלשה ואין משכירין להם שדות ובסוריא משכירים להם שדות ומפני מה החמירו בשדה מפני שיש בה שתים מפקיעה מן המעשרות ונותן להם חנייה בקרקע ומותר למכור להם בתים ושדות בחוצה לארץ מפני שאינה ארצינו :

III. Idololatræ non vendentur domus, vel agri in terra ſancta. In Syria autem domos quidem vendent, at non agros. Locabunt autem iis domos in terra Iſrael: cæterum ita, ut ne fiat vicinia: vicinia autem minimùm è tribus conſtat. Nec agros hic iis elocabunt: in Syria tamen id conceditur. Cur verò gravati id ſint in agris permittere, gemina ratio concurrit. Siquidem immunem eum à decimis reddit, ſedemque ei in ſuo concedit. In iis tamen locis, quæ ſunt extra terram ſanctam, licet iis domos divendere atque agros: quia illa non ſunt ſoli noſtri.

Idololatris non vendentur domus, aut agri.] Hauſtum ex primo cap. Abodá Zara. Ratio nititur Deut. VII. 2: לא תכרת להם ברית ולא תחנם *Non percuties cum eis fœdus, neque gratiam iis facies.* Quoniam autem תחנם varia recipit puncta; quadruplicem hujus loci ſenſum Hebræi faciunt. Primus eſt, ut תחנם juxta vulgatam ſcripturam notet, *gratiam iis facias,* aut *miſericordia ducaris.* Alter eſt, ſignificatione deducta à חנה, *caſtra metari.* Quare exponunt, *ne des illis locum morandi*: unde inferunt, nefas eſſe campum, aut domum, in terra ſancta gentili vendere. At in Syria, ſeu Aram, quam David ſubegit, permittunt venum dare; quia non ejus ſit ſanctimoniæ, cujus ſancta terra: ſed agros non item; quoniam in damnum Levitarum, & pauperum, id redundet: quippe gentiles decimas non pendunt. Tertia interpretatio eſt, *ne des illis gratioſe,* i. e. ne dones illis. Quarta, *ne tribuas illis gratiam,* à חן deducta ſignificatione, i. e. ne ea laudes, ne ullam in oculis tuis gratiam inveniant, neque tibi placeant. Has omnes expoſitiones locum habere Thalmudici volunt, quia תחנם ſine י ſcriptum eſt: ſi י adeſſet, tantum primæ interpretationi locus eſſet.

ד אף במקום שהתירו להשכיר לא לבית דירה התירו מפני שהוא מכניס לתוכה עבו״ם ונאמר לא תביא תועבה אל ביתך : אבל משכיר להן בתים לעשותן אוצר ואין מוכרין להן פירות ותבואה וכיוצא בהן במחובר לקרקע אבל מוכר הוא משיקוץ או מוכר לו על מנת לקוץ וקוצץ ומפני מה אין מוכרין להן שנאמר ולא תחנם לא תתן להם חנייה בקרקע שאם לא יהיה להם קרקע ישיבתן ישיבת עראי היא :

IV. Cùm verò locum iis ſtatuunt locari poſſe, non intelligitur ad inhabitandum. Siquidem poſſet gentilis inferre in eam idola. Atqui dictum eſt: *Ne*
a *inferas abominationem in domum tuam.* Sed elo- a Deut.
cabunt iis domos eâ lege, ut pro horreis utantur. 7. 26.
Nec fructus, ſimileſve proventus, aut ulla è terra naſcentia, divendere iis licet, quamdiu adhærent ſolo: ſed demum vendere conceſſum, ubi præſcideris, vel conditione eâ, ut continuò præſcindant. At cur aliter vendere prohibentur? Quia dicitur לא תחנם; hoc eſt, *Ne* b *des iis lo-* b Deut.
cum morandi in ſolo. Nam ſi terra eorum non ſit 7. 2.
propria, ex accidenti ſolum fit, ut in ea moram trahant.

Ex accidenti.] Ex occaſione fit, non primò vel præcipuè proponitur.

ה וכן אסור לספר בשבחן ואפילו לומר כמה נאה גוי זה בצורתו קל וחומר שיספר בשבח

V. Itidem nec conceſſum, aliqua profari in laudem idolorum, atque adeo dicere, Quàm bella

hæc

בשבח מעשיו או שיחבב דבר מדבריהם שנאמר ולא תחנם לא יהיה להם חן בעיניך מפני שגורם להדבק עמו וללמוד ממעשיו הרעים ואסור ליתן להם מתנות חנם אבל נותן הוא לגר תושב שנאמר לגר אשר בשעריך תתננה ואכלה או מכור לנכרי במכירה ולא בנתינה :

hæc figura! Quanto minus laudare (licet) opera ipſa, vel aliquid eorum cultui inſerviens! Siquidem dicitur, ולא תחנם, *Ne gratia ulla iis ſit in oculis tuis.* Quippe id occaſio fit adhærendi iis, & mala addiſcendi opera eorum. Prohibitum quoque munera illis gratuita donare. Sed licet ea donare proſelyto, qui inter Iſraelitas habitet. Quia dicitur, *a Peregrino, qui in civitatibus tuis eſt, ea dabis:* ut comedat ea, aut vendat gentili: vendat autem, non donet.

a Deut. 14.19.

Quanto minus laudare.] קל וחומר *leve, & grave,* i. e. argumentum à minori ad majus, aut contrà. Reſpondet autem Latinorum huic phraſi, *quanto minus.* Uti in Pirke Aboth. cap. 1. בשלו אמרו קל וחומר באשת חבירו *propria dixerunt: quanto minus cum uxore proximi!*

ו מפרנסין עניי גוים עם עניי ישראל מפני דרכי שלום ואין ממחין בידי עניי גוים בלקט שכחה ופיאה מפני דרכי שלום ושואלין בשלומם ואפילו ביום אידם מפני דרכי שלום : ואין כופלין להן שלום לעולם ולא יכנס לביתו של נכרי ביום אידו לתת לו שלום מצאו בשוק נותן לו שלום בשפה רפה ובכובד ראש :

VI. Suſtentabuntur egeni gentilium una cum egenis Iſraelis, pacis cauſſa: nec obſtandum, quo minus gentium egeni in angulis relicta colligant, atque id quietis ergo. Cujus gratiâ etiam ſalutabunt eos feſto illorum die. Nec tamen bis eos ſalutabunt: aut die feſto ſalutandi ergò eorum ingredientur domos. Si quis in plateis offenderit, ſubmiſſâ voce, & capite ſubmiſſo, ſalutem dicet.

Quo minus gentium egeni in angulis relicta.] שכחה *quod per oblivionem in agro relictum eſt*, & viduis, orphanis, ac egentibus cedit. הפאות *anguli* agrorum, quos domino demetere non licebat; ſed pauperibus relinquendi erant.

Nec tamen bis eos ſalutabunt.] Pacis cauſſa ſemel ſalutem dicendam ajunt, ſed non geminandam, quia שלום *pax*, vocabulum quo Hebræi ſalutant, eſt inter attributa Dei. quæ temere apud gentiles uſurpanda non ſint. Jud. VI. 24. *Et vocavit illud, Dominus pacis.*

ז אין כל הדברים האלו אמורים אלא בזמן שגלו ישראל לבין האומות או שיד הגוים תקיפה על ישראל אבל בזמן שיד ישראל תקיפה על אומות העולם אסור לנו להניח גוי עובד כו"ם בינינו אפילו יושב ישיבת עראי או עובר ממקום למקום בסחורה לא יעבור בארצנו עד שיקבל עליו שבע מצות שנצטוו בני נח שנאמר לא ישבו בארצך אפילו לפי שעה ואם קבל עליו ז' מצות הרי זה גר תושב ואין מקבלין גר תושב אלא בזמן שהיובל נוהג אבל שלא בזמן היובל אין מקבלין אלא גר צדק בלבד :

VII. Hæc locum non habent, niſi Iſraelita à gentilibus detineatur captivus, vel ii Iſraelitis fuerint potentiores. At ubi Iſraelitæ viribus prævalent, nefas ullum inter nos relinquere indololatram; etſi tantummodo forte fortunâ inter nos commoretur, aut uno ex loco in alterum commeet mercaturæ gratiâ. Imò nec pertranſire terras ſinemus, niſi antè receperit ſeptem præcepta Noachidis data. Quia dicitur, *b Ne commorentur in terra tua:* ne horæ quidem ſpatio. Si ſeptem illa præcepta receperint; pro peregrinis ejuſmodi habentur, quibus habitare in Iſraelitarum terra liceat. Nec habitare permittitur ejuſmodi peregrino, niſi tempore jubilæi: extra id tempus nullus recipitur, niſi peregrinus juſtitiæ.

b Exod. 23.33.

Niſi tempore Jubilæi.] Arachin cap. VIII, & Auctor noſter in Halachoth Hiſure Biha cap. XIV. In cauſſa eſt, quod Iſraelita adſtringatur ad victum iis ſuppeditandum. Id autem facilius fieri poteſt tempore Jubilæi; quo agros colere, & fructus colligere Iſraelitis non licebat.

Niſi peregrinus juſtitiæ.] Quomodo differat peregrinus juſtitiæ à peregrino habitationis, dixi ad § 2.

פרק אחד עשר

אין הולכין בחקות גוים ולא מדמין להן לא במלבוש ולא בשער וכיוצא בהן שנאמר ולא תלכו בחקות הגוים ונאמר ובחקותיהם לא תלכו ונאמר השמר לך פן תנקש אחריהם הכל בענין אחד הוא מזהיר שלא ידמה להן אלא יהיה הישראל מובדל מהן וידוע במלבושו ובשאר מעשיו כמו

CAPUT XI.

NOn ſequentur (Iſraelitæ) gentium ſtatuta, nec ſimiles erunt vel veſtium habitu, vel capillis, & aliis id genus. Quia dicitur, *a Neque ambulabitis in ſtatutis gentium.* Dictum quoque: *Cave ne poſt eas illaqueeris.* Utrumque hoc eodem ſpectat: nimirum nequis in re quapiam iis aſſimiletur, ſed diſſimilis ſit; atque id ex habitu, & actibus reluceat; uti doctrina ac ſententia longe

a Levit. 20.23.

כמו שהוא מובדל מהן במדעו ובדעותיו וכן הוא
אומר ואבדיל אתכם מן העמים :

gealia eſt. Unde dictum eſt, *a Et ſeparabo vos à gentibus.* a Ibid. 20. 26.

ב לא ילבש במלבוש המיוחד להן ולא יגדל
ציצת ראשו כמו ציצת ראשם ולא יגלח מן הצדדים
ויניח השער באמצע כמו שהן עושין וזהו הנקרא
בלורית ולא יגלח השער מכנגד פניו מאזן לאזן
ויניח הפרע מלאחריו כדרך שעושין הן ולא יבנה
מקומות כבנין היכלות של עכו"ם כדי שיכנסו בה
רבים כמו שהן עושין וכל העושה אחת מאלו
וכיוצא בהן לוקה :

II. Non veſtem induet gentilibus peculiarem, non eorum inſtar capillis erit promiſſis, non utrimque tondebitur, relictis in medio capillis, nec à fronte præcidet capillos ab una aurium ad alteram, relicta occipitis coma, quandoquidem is mos gentilibus. Non ad modum, quo delubra idololatrica exſtruuntur, ædificaturus eſt, quò multitudo iſtic conveniat juxta ritus gentium. Quisquis aliquid iſtorum, vel his ſimile committit, vapulat.

Non utrimque tondebitur relictis in medio capillis.] Raſuræ ſimilis meminit Herodotus lib. IV. Macæ, inquit, λόφους κείρονται. τὸ μὲν μέσον τῶν τριχῶν ἀνιέντες αὔξεσθαι, τὰ δὲ ἔνθεν καὶ ἔνθεν κείροντες ἐν χροΐ. *Criſtas tondendo efficiunt. Nam in medio capillos ſinentes creſcere, hinc & inde ad cutem uſque raduntur.* Rectiſſime doctiſſimus Cochius obſervat, λόφον hic criſtam eſſe; quod malè Valla verterat *verticem capitis.* בלורית unde originem trahat, ignoro.

Nec præcidet capillos ab una aurium ad alteram.] Tonſuram deſignat, quam veteres nuncupavere. Ἑκτόρειον κουράν. De qua Julius Pollux: Ἐκαλεῖτο δέ τις κουρὰ καὶ Ἑκτόρειος κόμη περὶ ἧς φησιν Ἀναξίλας.

Τὴν Ἑκτορείαν τὴν ἱμερτὴν κόμην.

Τίμαιος δὲ τὴν κουρὰν ταύτην περιτέλλεσθαι μὲν δεῖν περὶ τὸ μέτωπον λέγει, περιεκχεῖσθαι δὲ τῷ τραχήλῳ. *Hectorea verò tonſura quadam, ac coma item vocabatur: de qua Anaxilaus ait: Hectoream & amabilem comam. Timæus autem ait, in tonſura hac circa frontem quidem præcidi comam: ac poſteriorem per cervicem diffluere.* Tonſura hujuſmodi etiam dicta eſt Theſeia. Cujus rei cauſſam affert Plutarchus in vita Theſei, his verbis: Ἔθους δὲ ὄντος ἔτι τότε τοὺς μεταβαίνοντας ἐκ παίδων ἐλθόντας εἰς Δελφοὺς ἀπάρχεσθαι τῷ θεῷ τῆς κόμης, ἦλθε μὲν εἰς Δελφοὺς ὁ Θησεύς, καὶ τόπον ἀπ' αὐτοῦ τὴν Θησείαν ἔτι νῦν ὀνομάζεσθαι λέγουσιν. ἐκείρατο δὲ τῆς κεφαλῆς τὰ πρόσθεν μόνον, ὥσπερ Ὅμηρος ἔφη τοὺς Ἄβαντας, καὶ τοῦτο τῆς κουρᾶς τὸ γένος Θησηῒς ὠνομάσθη δι' ἐκεῖνον. *Cum vero conſuetudo foret, ut qui ex pueris excederent, Delphos profecti comæ primitias Deo conſecrarent; adiit & Theſeus Delphos, & locum hac quoque memoria ab eo Theſeam vocari arbitrantur. Tonſum autem ſinciput ſolum; ut de Abantibus refert Homerus: atque hoc eſt tonſuræ genus, quod ab eo dicitur Theſeis.* Negat Maimonides Judæis hunc morem ſequi licere. Fecere tamen, ſi Nonno credimus, paraphraſi Joan. cap. 11: ubi Galilæos ὀπισθοκόμους appellat:

Χριστὸς ὀπισθοκόμων μερόπων ἐπινήτορι λαῷ
κλητὸς ἔην σύνδειπνος.
Chriſtus retrocrinitorum hominum epulanti populo
Vocatus erat conviva.

Non tamen aſſentio viro eruditiſſimo, qui exiſtimat, idem eſſe ὀπισθοκομᾶν, & περιεκκυκλοῦν τῆς κεφαλῆς. Siquidem poteſt quis promittere retro pendulos crines, etſi κυκλοτερῶς, ſive περιτροχαλόν, hoc eſt, in orbem non fuerit detonſus.

ג מי שהיה מסתפר מישראל כיון שהגיע
לבלוריתו קרוב לשלש אצבעות לכל רוח שומט
את ידו· ישראל שהיה קרוב למלכות וצריך לישב
לפני מלכיהם והיה לו גנאי לפי שלא ידמה להן
הרי זה מותר ללבוש במלבושן ולגלח כנגד פניו
כדרך שהן עושין :

III. Iſraelita gentilem tondens, ubi quaſi ad tertium ab omni parte comæ digitum pervenerit; reliquo ſuperſedebit. Iſraelita regi (gentili) familiaris, quem coram rege conſidêre eſt neceſſe, ſi turpe fuerit non ſequi morem iſtic receptum, licebit indui habitu, qui ibi obtinet, ac eorum inſtar caput tondebit.

ד אין מנחשין כגוים שנאמר לא תנחשו כיצד
הוא הנחש כגון אלו שאומרים הואיל ונפלה פתי
או נפל מקלי מידי איני הולך למקום פלוני היום
שאם אלך אין חפצי נעשים הואיל ועבר שועל
מימיני איני יוצא מפתח ביתי היום שאם יצאתי
יפגעני אדם רמאי וכן אלו ששומעים צפצוף העוף
ואומרי' יהיה כך ולא יהיה כך טוב לעשות דבר
פלוני ורע לעשות דבר פלוני וכן אלו שאומרים
שחוט התרנגול זה שקרא ערבי שחוט התרנגולת
שקראה כמו תרנגול· וכן השמים סימנין לעצמו
אם יארע לי כך וכך אעשה דבר פלוני ואם לא
יארע לי לא אעשה כאליעזר עבד אברהם וכן כל
כיוצא בדברים האלו הכל אסור וכל העושה מעשה
אפילו דבר מדברים אלו לוקה :

IV. Non captabunt auguria more gentilium: quia dicitur, *Non b utemini auguriis.* Augurium autem eſt, quando quis dicit: Si offa ori exciderit, aut baculus manui, non accedam hodie locum iſtum: quia ſi id agerem, negotia non ſuccederent. Aut, ſi vulpes dextram meam prætergreſſa, non egrediar foribus domus meæ, ne forſan egreſſo obviam fiat impoſtor. Iidem cum attendunt avium cantus, atque inde colligentes, ajunt: Hoc ita eveniet; iſtoc facere expedit, illud non item. Similiter cum gallum jubent necari, quia cacillet, aut gallinam ob cantum. Etiam quando aliquod ſibi ſignum ſtatuunt, hoc animo: Si iſtoc evenerit, faciam hoc; ſin minùs contingat, non faciam: uti fecit Eliezer, Abrahami ſervus. Ac quiſquis fecerit horum aliquid, vel tale aliud, vapulat. b Levit. 19. 26.

Au-

Augurium autem eſt.] Augurium hic Maimonides deſcribit. נחש verbum natura μέσον. Aliquando eſt, *explorare, indagare, prudentiâ aliquid aſſequi, ex rerum circumſtantiis conjectare.* Aliquando, *omina captare, auguria ſectari.* Unde ſemper נחש LXX ſenes tranſtulerunt οἰωνίζεσθαι. Quam latè ſe vox extendat, non facilè dixeris. Numer. XXIV. 1. habemus vocem נחשים ſeu augurem. Nam ait S. S. לא הלך כפעם בפעם לקראת נחשים *non ivit hac vice, ut antea, ad auguria captanda.* Vult, ni fallor, divinus Moſes, Bilhamum, poſtquam iteratò advertiſſet, ex ore DEI proſpera omnia Iſraelitis portendi, noluiſſe tertiò captare omina; ſed, quaſi confidentem, jam iviſſe, ut proſequeretur, quod Spiritus Dei dictaret. Reſpiciunt autem hæc verba ad caput ſuperius, quo traditum erat, eum cæſis beſtiis, & altari impoſitis, digreſſum; credo, ad obſervanda prætervolantium avium omina, aut ſimile quippiam, quod caſu offeratur. Ita נחש Bilhami fuerit propriè augurium. Et cum idem ait: לא נחש ביעקב ולא קסם בישראל mentem hanc puto, *Non eſt augurium*, vel *omen*, *contra Jacobum, nec divinatio contra Iſraelem.* Atque inde verba, *Fortaſſe obviam fiet Deus mihi, &c., quamcunque rem oſtenderit mihi, indicabo tibi.* i. e. videbo, quale mihi ſignum Deus offerat, & tibi renunciabo. Gerundenſis ad Deuter. XVIII. 19. vult, מעונן, & מנחש eſſe ſpecies generis קסם. Hoc μάντις eſt ſenibus LXX; ut מעונן κληδονιζόμενος, מנחש οἰωνιζόμενος. מעונן Rabbini ab עונה deducunt, ut notet temporum obſervatorem: alii, ſed minùs veriſimiliter, derivant ab ענן *nubibus*: ut *mathematicum* notet: alii ab עון *præſtigiis uti*: illud ab עין, quia præſtigiator אוחז העינים, *oculos eludit.* Sed ſi, ut arbitror, ab עין deducenda vox eſt: liceat & dicere, מעונן venire à ſpeculando, proprieque notare *auſpicem*, ὀρνεοσκόπον. מנחש autem ſit, qui qualiacunque omina vel ſigna attendit, etiam terreſtria: uti hic eſt in Maimonidæ deſcriptione.

Si offa ori exciderit.] Ut in tripudio ſoliſtimo; de quo Cicero lib. II de Divinat. Livius lib. X. & Feſtus.

Si vulpes dextram meam, &c.] De divinatione ex vulpe, lupo, cane, quadrupedum aliis, vide eos, qui de Divinatione ſcripſerunt. Hujuſmodi auſpicia pedeſtria dicebantur.

Avium cantus.] Oſcines aves, cantu, ut præpetes volatu, auſpicium faciebant. Vide præter alios, Agellium lib. VI, cap. VI.

Quia cacillet.] Quod gallinæ proprium, ut eſt apud auctorem Philomelæ: *Cucurrire ſolet gallus, gallina cacillat.* Ut *cantillo* à *canto*: ſic *cacillo* à *caculo*: quod Belgis itidem *Kakelen*. In Aldina, uti & veteri Veneta anni CIↃ CCCC LXXXVI, pro *cacillat* eſt *gracillat*. Sed ſequor Mſſos meliores: quos & Schottus expreſſit obſervationum Humanarum lib. II. cap. III. Exiſtimet aliquis, vertí potuiſſe *propter pipatum*: quia id gallinarum proprium. Varro in Aborigínibus: *Mugit bos, ovis balat, equi hinniunt, gallina pipat, grunnit ſus.* Sed puto Varronem pullum gallinaceum ſignare, cujus *pipare*, vel *pipire*: ut apud Columellam lib. VIII. cap. V. Imò & accipitri tribuit auctor Philomelæ. Quare nihil proprium magis cacillatione. Et tamen vocabulum id majoris eſſet auctoritatis, ſi ſcriptor Philomelæ eſſet Ovidius ipſe, non Grammaticus quiſpiam, quod res clamat; atque is Chriſtianus; ut extremi verſus oſtendunt.

Gallinam ob cantum.] De hoc, & aliis, Terent. Phorm. act. IV. ſc. IV.

Quot res? poſtilla, monſtra evenerunt mihi:
Introiit in ædes ater alienus canis:
Anguis per impluvium decidit de tegulis:
Gallina cecinit: interdixit hariolus:
Aruſpex vetuit ante brumam autem novi
Negoti incipere.

Uti fecit Eliezer, Abrahami ſervus.] Signorum, quæ homines petunt, alia certo judicio, alia temere petuntur: ut obſervat avus meus, Franciſcus Junius, ad XXIV. cap. Gen. in Analyſi. Quæ judicio certo petuntur, illa aut aperto Dei mandato, aut occulto ejus inſtinctu poſtulantur. Utrumque autem à Spiritu Dei eſt: quemadmodum à Gedeone, & Jonathane, factum legimus. Elihezeri poſtulatum ex inſtinctu Dei fuit; nempe recumbente eo in promiſſiones illius, quas ipſe tum fide perceperat, tum Abraham, auctor itineris, pronuntiaverat. Unde miror, Maimoniden petitionem Elihezeri inter illicitas reponere. Fortè putabat, tentationem Dei eſſe; quod tamen ſentiendum non eſt. Meliùs Moſes Gerundenſis verba hæc ait prolata דרך תפלה *per modum rogantis.* Gemara Holin cap. VII. ait, כל נחש שאינו כאליעזר עבד אברהם וכיונתן בן שאול אינו נחש *Quæcumque conjectio non eſt inſtar conjectionis Elihezeris ſervi Abrahami, & Jonathanis, filii Sauli, non eſt conjectio.* Mens ejus dicti, juxta Hebræos tantùm licitum eſſe divinandi illud genus, quo, ante eventum rei, homo ſignum aliquod concipiat; ex cujus eventu conjectet, quid ſibi faciendum ſit. Quia ſi ſignum illud, quod animo concepit, eveniat, ipſe Deus videatur conſilium ejus approbare. Itaque poſſe aliquem exemplum Elihezeris, & Jonathanis, ſequi: at ſi res quæpiam fortuitò evenerit, priuſquam homo ſecum ſignum aliquod conciperet, uti ſi inopinanti lupus offeratur; non licere id pro omine habere.

ה׳ מי שאמר דירה זו שבניתי סימן טוב היתה עלי אשה זו שנשאתי ובהמה זו שקניתי מבורכת היתה ומעתה שקניתיה העשרתי וכן השואל לתינוק אי זה פסוק אתה לומד אם אמר לו פסוק מן הברכו׳ ישמח ויאמר זה סימן טוב הואיל ולא כיון מעשיו ולא נמנע מלעשות אלא עשה סימן זה לעצמו לדבר שכבר היה הרי זה מותר׃

V. Dixerit aliquis, Ex quo domum hanc exſtruxi, aut mulierem hanc duxi, aut animal hoc emi, proſperè mihi res ceſſere; quippe opibus ſum auctus. Item, interroget quis puerum; quem verſum didicerit; atque ille referat verſum quempiam ex benedictionibus: tum (alter) ſubjiciat, bono ſe id omini ducere: tantùm ne propterea progrediatur in opere, vel ab eo ceſſet: ſed duntaxat pro ſigno habeat rei jam præteritæ. Sanè pacto iſto pro licitis habentur.

Ex quo domum hanc exſtruxi.] Holin cap. VII. legas בית תינוק ואשה אע״פ שאין נחש יש סימן *Domus, puerulus, & mulier, tametſi non ſint auguria, ſunt ſigna.* Id eſt, ſi poſt ædificationem aut emptionem domus, alicui fortuitum aliquid evenerit, lætum aut improſperum, poteſt hoc habere pro lætitiæ aut triſtitiæ ſigno, & conjectare inde, rectè, an malè fecerit. Ideoque licet dicere puero, פסוק לי פסוקך *Recita mihi verſum tuum*; ut ſi verſus fuerit triſtis, triſtitiam; ſi lætus, gaudium inde capiat. Hoc, inquit Maimonides, poſt rem jam peractam facere conceditur: at non ita conjectare licet de re futura; quia omen tale poſſit hominem impellere, ut idcirco hoc, vel illud faciat, ab altero autem abſtineat: idque ille fieri debere negat. Sed aliter Hebræorum aliis viſum. Nam eodem cap. Holin legas, R. Johanan, cùm Babylonem petiturus eſſet ad viſendum Semuelem, juſſiſſe, puerum quempiam ſibi recitare verſum, quem didiciſſet: cumque protuliſſe verba

Semuel xxviii. 3: *Et Semuel mortuus eſt*: indeque conjectaſſe, mortuum jam eſſe Semuelem, quem viſere volebar, eoque itinere abſtinuiſſe. Idem ab aliis magiſtris factum. Volunt etenim Thalmudici, poſtquam Prophetæ eſſe deſierunt, ſæpe pueros futura ſolitos prædicere, & eſſe vaticinium aliquod in verſu hoc, vel illo, quem è S. Scriptura promiſiſſent. Cæterum talia pro omine habere, nefas omnino videtur: & ex Helleniſmo hoc tractum, non obſcurè obſervaſſe mihi videor. Ait enim Plutarchus lib. de Iſide & Oſiride, Ægyptios putare, παιδάρια μαντικὴν δύναμιν ἔχειν, καὶ μάλιστα ταῖς τούτων ὀττεύεσθαι κληδόσι παιζόντων ἐν ἱεροῖς καὶ φθεγγομένων ὅ, τι ἂν τύχωσι, *pueros facultate divinandi eſſe præditos, & maxime ominis loco accipi, ſiquid ii in templis ludentes forte pronuntient.* Addit, ſuperſtitionem inde natam, quòd Iſis, quærens arcam, cui Oſirin Typhon incluſerat, cùm ex cæteris nihil reſciſceret, tandem quod vellet, ex pueris cognoverit, qui arcam natantem in flumine viderant. Simile & huic alterum ſortium genus, ex nobilis poëtæ verſibus: quod ῥαψῳδομαντείαν dixere. Eoque pertinent *ſortes Virgilianæ*; de quibus Spartianus in vita Hadriani. Quid, quod Chriſtiani nonnulli itidem ex Sacræ Scripturæ loco, qui aperienti eas ſe forte fortuna primò obtuliſſet, quid faciendum, futurumve eſſet, ſtatuebant, oraculi id loco habentes? ut ex Gregorii Turonenſis lib. iv. & v, conſtat. Etiam mos gentibus fuit, ut ſi in negotio quopiam minus viderent, quid facto opus foret: in publicum prodeuntes, vocem, quam audirent, pro omine haberent. Nec multum abludit, quod Cicero ii. lib. de Divinat. refert: *Cum*, inquit, *M. Craſſus exercitum Brunduſii imponeret, quidam in portu caricas Cauno advectas vendens, Cauneas, clamitabat. Dicamus ſi placet, monitum ab eo Craſſum, caveret, ne iret.* Veteres quippe Romani V conſonum pronunciabant ut Germani W: nempe *cave*, quaſi eſſet *cawe*: ita ut *Cauneas* ſonaret, quaſi *cave ne eas*. Hebræi, qui licita hæc cenſent, eò ajunt pertinere illud Jeſaiæ xxx. 21: *Et aures tuæ audient à tergo tuo dicentium, Hæc illa eſt via, incedite per eam, cùm dexteram aut ſiniſtram petetis.* Eodem referunt, quod Jud. vii. 11, Deus jubet, Gideonem ire ad caſtra Midianitarum, & audire, quos inter ſe ſermones habeant. Sed profectò quantum hæc diſtant, ut quis iſtoc agat ex mandato Dei, & abſque illo! quorum poſterius quin ſuperſtitioſum ſit, minimè dubitandum.

ו איזהו קוסם זה העושה מעשה משאר המעשיות כדי שישוב ותפנה מחשבתו מכל הדברים עד שיאמר דברים שעתידים להיות ויאמר דבר פלוני עתיד להיות או אינו הווה או שיאמר שראוי לעשות כך הזהרו מכך:

VI. Cujuſmodi eſt divinator? Qui hoc, vel illud agit, cogitationibus nulli intentis rei, donec futura prædixerit, ſtatuendo, hoc vel illud futurum, aut iſtoc vel aliud facere oportere. A cujuſmodi cavendum nobis.

Cujuſmodi eſt divinator?] קסם, quod Maimonides uſurpat, nunc in bonam, nunc malam partem ſumitur. In malam paſſim accipi videas: ut cum ſignat divinationem eam, quæ præſtigiis fit, aut malorum ſpirituum commercio. Ut Sam. xxviii. 8. קסמי לי באוב, *divina quæſo mihi per Pythonem.* Unde D. de Pomis inquit: מלה כוללת לכל מיני תרשימות לראות את הנולד. כמו גיאומנציאה נגרומנציאה אונומנציאה קירומנציאה ואחרים וזולתם: *generale vocabulum diverſis divinandi generibus: ut ſunt γυριθλιακὴ, γεωμαντεία, νεκρομαντεία, ὀνομαντεία, χειρομαντεία, aliaque præterea.* Geomantiam deſignat Maimonides, cum ſeq. § ait, divinantium nonnullos uti arenâ. Morem eorum circulum aut lineas terræ inſcribendi, & ſpatia ad certam normam diſtinguendi, memorare hic ſupervacuum eſt: quippe vana hæc, & aliis pluſquam ſatis memorata ſunt. Et fortaſſis קוסמים peculiariter iidem erant, qui γεωμάνται, quos Orienti notiſſimos fuiſſe, dubitandum non videtur. Tradit Leo Africanus lib. iii, hanc divinationis ſpeciem maxime apud Africanos in uſu eſſe. Et qui ea utuntur, vocari Muhazzimin.

Cogitationibus nulli intentis rei.] Deſignat alienationem mentis attonitæ cum impotentia ſui: ſive vehementem imaginationem, qua ſic abripitur animus, ut quaſi extra hominem ſit, corporeaſque functiones negligere prorſus videatur. Ἔκστασιν dixere, quæ vox & ſanctis convenit prophetis. Eſt enim vox media: unde Tertullianus lib. de anima: *Ecſtaſis hoc operatur de ſuo proprio, ut ſic nobis ſapientiæ imaginem inſerat, ut & errorum.* In divinis vatibus SS. Patres etiam κατοχὴν vocant: quando ita animus Spiritu S. afflatur, ut terrena negligens, à ſenſibus corporeis vacuus, ſolùm divinis ſe occupet.

ז יש מן הקוסמים שמשמשים בחול או באבנים ויש מי שגוהר לארץ וצועק ויש מי שיסתכל במראה של ברזל או בעששית ומדמין ואומרים ויש מי שאוחז מקל בידו ונשען עליו ומכה בו עד שתפנה מחשבתו ומדבר היא שהנביא אומר עמי בעצו ישאל ומקלו יגיד לו:

VII. Sunt inter divinatores, qui utantur arenâ, vel lapidibus: ſunt item, qui humi procumbentes divinent: alii etiam, qui ſpeculum ferreum, vel vitreum vas inſpiciant, ac ubi ſecum cogitarunt, proloquantur. Sunt itidem, qui arrepto in manum baculo eidem innitantur, mox terram percutiant, donec cogitata proferant. De hoc Propheta ait: *Populus* a *meus lignum ſuum conſulit, ut* a Hoſ. 4. 11.
baculus ejus indicet ipſi.

Vel lapidibus.] λιθομαντείαν deſignari dixeris: de qua pauca apud veteres leguntur. Volunt ſignari ab Orpheo, ubi de Siderite lapide agit: meminiſſe item Jamblichum. Etiam exiſtimant, ad hanc divinationis ſpeciem reſpici Levit. xxvi, 1, ubi prohibentur אבן משכית, quod transferunt *lapidem imaginationis.* Sed melius ii, qui *lapidem figuratum* vertère. Chaldæus, אבן סגדא habet. *lapidem adorationis.* Arabs حجر مصورة *lapidem pictum.* Græci λίθον σκοπόν.

Qui humi procumbentes divinent.] Exſtaſin patientes intelligere videtur.

Qui inſpiciant ſpeculum ferreum.] Exemplum apud Spartianum habes de Juliano; qui ſic Severi adventum, & Juliani deceſſionem, vidiſſe dicitur, κατοπτρομαντείαν vocant.

Vel vitreum vas.] γαστρομαντεία hæc nuncupatur: nempe ἀπὸ τῆς γαστρὸς, vaſe vitreo, ac ventricoſo. Genus hoc divinationis eſt & Turcis in uſu. Leo Africanus lib. iii. cap. de fatiloquis: *Alii*, inquit, *aquam catino*

catino vitreo infuſum, olei guttulâ admixtâ, lucidam & tranſparentem reddunt, in qua tanquam in ſpeculo dæmones confertim ſe videre affirmant, qui exercitum numeroſum repræſentant, quorum nonnulli in itinere ſunt, alii rivum tranſmittunt, alii terreſtre prælium gerunt: quos ubi quietos vident, de rebus quas ſcire cupiunt interrogant: dæmones porrò nutibus reſpondent, vel aliquo manuum vel oculorum indicio: adeo temeraria atque damnanda eſt horum hâc in re credulitas. Vitreum illud vas pueris interdum, vix octavum egreſſis annum, in manum dant, à quibus num hunc vel illum viderint dæmonum, interrogant. Non abſimilis huic eſt λεκανομαντία: cujus & Tzetzes meminit Chil. 11. 44. de Proteo:

Ἐγὼ ἢ λεκανόμαντιν τοῦτον τὸν ἄνδρα λέγω,
Ἅπαντα προδεικνύοντα ταῖς λεκανομαντείαις.
Ego verò per pelves vaticinatum hunc virum dico,
Omnia præmonſtrantem divinationibus per pelves.

Qui arrepto in manum, &c.] Refert locum Hoſeæ ad ῥαβδομαντείαν: quòd & B. Hieronymus facit. Jarchi, & Aben Ezra, accipiunt de ſimulachro ligneó: & ita quoque Jonathan tranſtulit; quem libentius ſequar, quia ſimplicius videtur. Quamquam non ideo improbem opinionem alteram. Nam ex Herodoto lib. IV conſtat, Scythas virgis in divinando uſos: ſed alio modo, quàm hic Maimonides tradit. Nam illi virgas ſingulas humi ſternebant, ac vaticinantes interea prehendebant eas, componebantque. Vide etiam Strabonem de Perſarum Magis lib. XV.

ח אסור לקסום ולשאול לקוסם אלא שהשואל לקוסם מכין אותו מכת מרדות אבל הקוסם עצמו אם עשה מעשה מכל אלו וכיוצא בהן לוקה שנאמר לא ימצא בך קוסם קסמים׃

VIII. Divinare prohibemur, ut & divinatorem conſulere: eoque hoc qui egerit, pœna rebellium afficitur. Ac divinator ipſe, ſiquid horum, vel illis ſimile egerit, vapulat. Quoniam dicitur: *Nec* a *reperiatur in te divinatione divinans.* a Deut. 18. 10.

ט איזהו מעונן אלו נותני עתים שאומרים באצטגנינות יום פלוני טוב ויום פלוני רע ראוי לעשות בו מלאכה פלונית שנה פלונית או חודש פלוני רע לדבר פלוני׃

IX. Cujuſmodi eſt Mathematicus? Sunt ii, qui diſtinguunt tempora, & ex aſtris prædicunt, hunc illumve diem fauſtum eſſe vel infauſtum; vel annum hunc, aut menſem, certo negotio vel convenire, vel infelicem fore.

Cujuſmodi eſt Mathematicus?] Cenſeo, מעונן eoſdem eſſe, ac מכשפים. Qui eo differunt à סדים, quod hi ex ſiderum conſtitutione futura divinent: illi ex ſiderum diſpoſitione ſtatuant, ecquid, quod animo agitant, feliciter ſit ſucceſſurum, necne. Ita diſtinguit Aben-Eſra. Priores illi, quos מעונן, & מכשפים, vocari dicebamus, Græcis ὡροσκόποι nuncupantur, & ars ipſa ὡροσκοπία, quando ex hora natali, & conſtitutione aſtrorum, fatum alicujus dijudicabatur: unde ὡροσκοπῶν ἀστὴρ, *ſtella natalitia*, quæ obſervatâ nativitatis horâ futurorum eventus oſtendit. Veteribus ad hanc rem uſurpati Genethliaci, Mathematici, ac Chaldæi; quibus ars iſta propria: unde *artem Chaldæam* Tacitus vocat. Sed מעונן eſſe dicebamus, qui ſiderum adſpectu operantur. Eſtque ab עונה, id eſt, *decretum ac ſtatutum tempus.* Ergo non incommodè verteris, *temporarii.* Jubent enim in agendo aliquid obſervare tempus. Nec tamen id faciunt more Romano, quibus ater dies, quo cladem ab hoſte accepiſſent: ſed Ægyptio ritu; unde & diebus Ægyptiis nomen, ſine dubio ab ſuperſtitione Ægyptia, quæ ſiderum conjunctionem & oppoſitionem attendebat: atque inde de influxu in inferiora hæc colligens, judicabat, ecquid eo die agere oporteret. Putant huc reſpexiſſe B. Apoſtolum Paulum ad Galatas IV: *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos.* Ubi, niſi fallit inſcriptio, ſic B. Ambroſius: *Dies obſervant*, inquit, *qui dicunt, ut puta, Craſtino proficiſcendum non eſt: poſt craſtinum enim non debet aliquid inchoari: & ſic ſolent magis decipi. Hi autem colunt menſes, qui curſus Lunæ perſcrutantur, dicentes utpote, Septimâ lunâ inſtrumenta confici non debent: nonâ luna ſervum, emptum ut puta, domum ducere non oportet: & per hac facilius ſolent adverſa provenire*, &c. Tandem ait: *Hac ſuperſtitione utuntur, quæ longè debet eſſe à ſervis Dei. Si enim Deus ex toto corde diligatur; nulla debet eſſe formido, neque ſuſpicio harum rerum. Proſpere enim poteſt cedere, quicquid ſimpliciter ſub Dei devotione ſit.* B. Auguſt. Comment. in cap. XV. Epiſt. ad Galatas, id vocavit, *tempora rerum agendarum à Mathematicis accipere.*

י אסור לעונן אע"פ שלא עשה מעשה אלא הודיע אותן הכזבים שהסכלים מדמין שהן דברי אמת ודברי חכמה׃ וכל העושה מעשה מפני האצטגנינות וכיון מלאכתו או הליכתו באותו העת שקבעו הוברי שמים הרי זה לוקה שנאמר לא תעוננו וכן האוחז את העינים ומדמה בפני הרואים שעשה מעשה תמהון והוא לא עשה הרי זה בכלל מעונן ולוקה׃

X. Tempus certis rebus aſſignare, etſi (ſecundùm hoc) non opereris, nefas eſt: ſed vanitas ejus detegenda, quando quid pro re vera, ac ſapientum ſententiâ, habent ſtolidi. Quicunque autem juxta tempus ab Aſtrologis ſtatutum operatur, iterve ſuſcipit, vapulat: quia dicitur, *Ne* b *tempora obſerves.* Itidem, qui oculos præſtinguit, ita ut aſpicientibus videatur miranda agere, cùm nihil agat ejuſmodi; ſub mathematici nomine comprehenditur, eóque vapulat. b Levit. 19.26.

Juxta tempus ab Aſtrologis ſtatutum.] De hoc diſcrimine temporum, juxta Chaldæos ſive Babylonios, etiam veterum plerique accipiunt locum Pauli ad Gal. IV. 10. *Dies obſervatis, & menſes, & tempora, & annos.* Vide Auguſt. epiſt. CXIX, & Enchirid. cap. LXXIX. Sed rectius Chryſoſtomus, Hieronymus, alii, de Judaicorum feſtorum obſervatione interpretantur: uti de noviluniis, feſto tabernaculorum, anno ſeptimo, & aliis id genus: cujuſmodi legales dierum obſervationes pſeudapoſtoli urgebant.

יא אי זהו חובר זהו שמדבר בדברים שאינן לשון עם ואין להם ענין ומעלה על דעתו בסכלותו שאותן הדברים מועילים עד שהן אומרים שהאומר כך וכך על הנחש או על העקרב אינו מזיק והאומר כך וכך על האיש אינו ניזוק ומהן אוחז בידו בעת שמדבר מפתח או סלע וכיוצא בדברים האלו הכל אסור :

XI. Qualis eſt incantator ? Qui verbis utitur nulli genti uſitatis, & nihil ſignificantibus, ſtultitiaque hac aliis it perſuaſum, verba iſta prodeſſe. Ita dicunt, Siquis hæc, vel iſta profatus ſit coram ſerpente, aut ſcorpione, nihil damni dabit: vel ſi protulerit in virum, nocere is non poterit. Sunt in his etiam, qui, inter loquendum, clavem arripiant, aut nummum, vel hujus generis aliud. Omnia vero hæc nefaria habentur.

Qualis eſt incantator.] חובר *incantator* à חבר. Hoc notat *aſſociare*, *conjungere*. Sed cur inde incantatori ſit nomen, non ſatis eſt apertum. Communior eſt opinio, ex eo eſſe, quia incantatores ſic ſerpentes, aliaque noxia ſocient animantia, ut nullam afferant noxam. Hebræi enim interpretes exponunt, *ſociare animalia per incantationes.* Unde חבר גדול, & חבר קטן, pro magnis & parvis animalibus, quæ incantantur. Alii cenſent, attendi ſocietatem & conſortium incantatoris cum dæmone. Quid ſi & tertiam in incantatione addamus ſocietatem? puta verborum, & venenorum. Seneca Medeâ:

> *Addit venenis verba non iſtis minus*
> *Metuenda.*

Interea metuo, nequid horum vera ſit nominis cauſſa: ac potius alia, eaque minus obvia fuerit verbi חבר ſignificatio, unde חובר derivetur.

Clavem arripiant.] κλειδομαντεία nomen inde ortum: cujus ſuperſtitionis hodieque reliquiæ manent.

יב והחובר עצמו שאחז בידו כלום או שעשה מעשה עם דבורו אפילו הראה באצבעו הרי זה לוקה שנא׳ לא ימצא בך וגו׳ וחובר חבר אבל אם אמר דברים בלבד ולא הניד לא אצבע ולא ראש ולא היה בידו כלום וכן אדם שאמר עליו החובר אותן הקולות והוא יושב לפניו ומדמה שיש לו בזה הנאה מכין אותו מכת מרדות מפני שנשתתף בסכלות החובר וכל אותן הקולות והשמות המשונים והמכוערי׳ לא ירעו וגם היטב אין אותם :

XII. Incantator quippiam manu prehendens, aut verbis (apud incantatores) receptis opus peragens, vel etiam digito quid demonſtrans, plectendus eſt, quia dicitur: *Ne a inveniatur inter vos.... incantans incantationem.* At quid ſi verba protulerit abſque digiti vel capitis motu, nec quicquam manu tenuerit? Sic quoque is, coram quo verba ſint prolata, modò ille iis fidat, ac profore ſibi habeat perſuaſum, plectendus eſt verberibus rebellionis, quia particeps fit ſtultitiæ incantatoris. Omnia autem verba nominaque illa mutata ac turpia, nihil boni vel mali adferent.

a Deut. 18. 10.

יג מי שנשכו עקרב או נחש מותר ללחוש על מקום הנשיכה ואפילו בשבת כדי ליישב דעתו ולחזק לבו אע״פ שאין הדבר מועיל כלום הואיל ומסוכן הוא התירו לו כדי שלא תטרף דעתו עליו :

XIII. Si quem ſcorpio, aut ſerpens momorderit, poſſit parti corporis læſæ adhibere incantationem; idque vel ſabbatho ipſo: nempe ut animus ſic conquieſcat, & cor firmetur. Utcumque enim nihil incantamentum juvet: permittitur tamen, quia periculoſum eſt animo perſiſtere ſic perturbato.

Poſſit parti corporis læſi adhibere incantationem.] Sanhedrin cap. xi. § 1. inter eos, quibus non eſt חלק לעולם הבא *ſors futuri ſæculi*, reponitur הלוחש על המכה, *qui plagæ adſuſurrat* verba certa. Erant ea Exod. xxv. 26. כל המחלה אשר שמתי במצרים לא אשים עליך כי אני ה׳ רופאך *Omnem languorem, quem impoſui Ægypto, non imponam tibi. Nam ego Dominus medens tibi.* Solebant autem deſpuere in terram incantatores illi, quod conjunctum cum irreverentia nominis divini. Unde R. Johanan Miſnam tantùm accipiendum putabat ברוקק לפי שאין מזכירין שם שמים על הרקיקה : *de eo, qui deſpuit. Quia nomen Dei proferendum non eſt ad ſputi ejectionem.* Alii verò id illicitum quoque rebantur, quamvis nec Dei nomen efferretur, nec ſpueretur. Id concedebant, ut qui is valetudine proſperâ fruens legeret certa Pſalmorum verba, quo iis ceu φυλακτηρίῳ adverſus dæmones & improſpera muniretur. Vide eruditiſſimi Cochi notas ad citatum locum. Itaque verba Deut. cap. v: quæ incipiunt שמע ישראל *Audi Iſrael* (unde & קריאת שמע appellantur) uſque ad בשעריך *in portis tuis*, quotidie mane & veſperi legunt, & ſchedulæ inſcripta gerunt, ut noxia quæque averruncent. Perinde atque Turcæ tutos ſe adverſus omnia pericula arbitrantur, ſi precatiunculas ſuas circumgeſtent. Totam rem nihil præter ſuperſtitiones illicitas continere, manifeſtius eſt, quam ut admoneri debeat. Ad eas autem Judæorum maximè proni ſunt Cabaliſtæ; quorum regulis præſtigiatores in Africa uti, tradit quoque Jo. Leo Africanus lib. III.

יד הלוחש על המכה וקורא פסוק מן התורה וכן הקורא על תינוק שלא יבעת והמניח ספר תורה או תפלין על הקטן בשביל שיישן לא די להם שהם בכלל מנחשים וחברים אלא שהן בכלל

XIV. Qui vulneribus incantârit, è Lege verſum legendo; quive ſuper puero legerit, ne conturbetur; aut qui librum Legis, vel phylacteria puerulo impoſuerit, ut ſomnum capiat: hi, ut generali conjectorum ac incantantium appellatione continentur; ita etiam comprehenduntur amplo

בכלל הכופרים בתורה שהן עושין דברי תורה רפואת גוף ואינן אלא רפואת נפשות שנאמ׳ ויהיו חיים לנפשך: אבל הבריא שקרא פסוקין ומזמור מתלים כדי שתגן עליו זכות קריאתן וינצל מצרות ומנזקים הרי זה מותר:

plo eorum vocabulo, qui Legem negant. Siquidem verba Legis (juxta eum) medicinam faciunt corporalem, cùm ſolùm animis medeantur: quia dicitur, a *Et erunt vita animæ tuæ.* a Deut. 14. 19. At ſiquis ſanus verſiculum legat, vel pſalmum, ut protectionem legendo promereatur, anguſtiaſque & damna evitet; ejuſmodi ſanè nihil illiciti facit.

Phylacteria.] תפלין Chaldæis, & Rabbinis, dicitur frontale, & armilla, quædam continens minuto charactere exſcripta è lege Dei. Frontale apponebatur fronti ſuper intercilium, hoc eſt, locum inter oculorum cilia interjectum. Armilla alligabatur manui ſiniſtræ. φυλακτήρια dicuntur Matth. cap. XXIII. 5. quaſi dicas *conſervativa*: nimirum quia proſorent ad memoriam Legis melius conſervandam. Ait ibi Chriſtus, dilatâſſe ea Scribas, ac Phariſæos: puta ut longius illa conſpicerentur, eoque ipſi legis crederentur obſervantiores. Græcam autem vocem retinuimus cum vulgato interprete. Ex Maimonide verò hic videmus, cœpiſſe ea quoque adhiberi ad res procurandas, quæ corpus ſpectarent. Quomodo nempe initium Euangelii Joannis a nonnullis adhibetur morbo averruncando. Hoc ſenſu φυλακτήρια dicantur, non à memoria, ſed valetudine conſervanda. Latini ab amoliendo vocant *amoleta*. Gloſſæ Philoxeni: *Amoletum*, φυλακτήριον.

טו אי זהו דורש אל המתים זה המרעיב את עצמו והולך ולן בבית הקברות כדי שיבא מת בחלום ויודיעו מה שישאל אליו׳ ויש אחרים שהם לובשים מלבושים ידועים ואומרים דברים ומקטירין קטורת ידועה וישנים לבדן כדי שיבא מת פלוני ויספר עמו בחלום יכללו של דבר כל העושה מעשה כדי שיבוא המת ויודיעו לוקה שנאמר לא ימצא בך מעביר וגו׳ ודורש אל המתים:

XV. Quis eſt, qui mortuos conſulit? Qui, ubi fame ſe afflixit, in cœmeterium abit, atque ibi decumbit, donec in ſomnio ei mortuus appareat, ac indicet, quod quærebat. Tales quoque, qui, certo veſtis genere induti, verba conſueta proferunt, & ex more ſuffitum faciunt, hinc ſoli dormiunt, quò mortuus, quem expetunt, accedat, ac in ſomnis ſermonem ſecum habeat. Sententia de his ejuſmodi eſt, quisquis de re ulla à mortuis reſponſum poſcit, plecti verberibus oportere. Quippe dictum: *b Ne* b Deut. 7. 2. *inveniatur inter te qui traducat, ... & necromantis.*

Quis eſt, qui mortuos conſulit.] Sive *necromantis*. Latiùs verò patet *necromantiæ* appellatio, quàm Maimonides hic deſcribit. Nam & ſic vocantur, qui carmine, virgâ, circulo magico, (ut mittam herbam Oſiritim, viſcus lyncis, oculos draconis, & alia id genus ſacramenta dæmoniaca, quæ & ipſa per ſe nihil poſſunt) animas ſe excire ab inferis arbitrantur, ut ab iis non in ſomnio, ſed vigilantes accipiant reſponſum, ſive per os cadaveris recentis ac calidi, ſive etiam eo abſente. De iſtis vide, qui de Divinatione ſcripſerunt: in his Georgium Raguſeium, Theologum ac Medicum Patavinum, lib. II, de Divin. epiſt. VII.

יו אסור לשאול בעל אוב או בעל ידעוני שנאמר לא ימצא בך מעביר וגו׳ ושואל אוב וידעוני נמצאת למד שבעל אוב וידעוני עצמן בסקילה והנשאל בהן באזהרה ומכין אותו מכת מרדות ואם כיון מעשיו ועשה כפי מאמרן לוקה׳ והמכשף חייב בסקילה והוא שעשה מעשה כשפים אבל האוחז את העינים והוא שיראה שעשה והוא לא עשה לוקה מרדות מפני שלאו זה שנא׳ במכשף בכלל לא ימצא בך הוא ולאו שניתן לאזהרת מיתת ב״ד הוא ואין לוקין עליו שנא׳ מכשפה לא תחיה:

XVI. Pythonem, vel ariolum conſulere prohibemur. Nam dicitur, *c Ne inveniatur inter* c Deut. 18. 10. 11. *vos traducens..... & conſulens pythonem, vel hariolum.* Comperimus autem pythones, & hariolos, lapidibus obrui: qui verò eos conſulunt, increpari, & rebellium ictibus plecti. Quod ſiqui ad eorum præſcriptum actiones ſuas compoſuerint; vapulant. Præſtigiator lapidatur: nempe qui reapſe præſtigioſa facit. At qui oculos eludit, nec ea præſtat, quæ facere videtur, pœnâ rebellium afficitur: quia interdictum hoc de præſtigiatoribus continetur ſub generali illo: *d Ne in-* d Ibid. *veniatur apud te.* Ac interdictum hoc pœnam habet mortis à ſenatu irrogandæ. Non enim tantummodo vapulat, quia dicitur: *e Præſtigiatricem ne* e Deut. 7. 26. *ſinito vivere.*

Nempe qui reapſe, &c.] Maimonides duo hic ſtatuit genera præſtigiarum: unum dæmoniacum, alterum deluſorium. Prioris generis præſtigias exercebant Jannes & Mambres, qui ſe Moſi oppoſuerunt coram Pharaone. Tales ait Maimonides lapidandos. Alterius generis præſtigiis utuntur agyrtæ, & circulatores: quarum effectus non ſunt qui videntur, nec ab dæmonum commercio proveniunt, ſed manuum agilitate. Hujuſmodi impoſtores verberibus afficiendi, juxta Maimonidem.

Interdictum hoc de præſtigiatoribus.] Nempe de præſtigiatoribus priori loco memoratis, hoc eſt, commercium cum maligno ſpiritu habentibus: quos lapidibus obruen-

obruendos, Maimonides ait. Ratio adfertur, quia interdictum hoc ſpeciale continetur ſub generali, cujus pœna mors. Ut minimè ſatis ſit, ſi verberibus multis duriſque excipiantur. Uti fit in præſtigiatoribus, qui hominibus agilitate quadam illudunt.

יז והדברים האלו כולן דברי שקר וכזב הן והם שהטעו בהן עובדי כו"ם הקדמונים לגויי הארצות כדי שינהגו אחריהן ואין ראוי לישראל שהם חכמים מחוכמים להמשך בהבלים אלו ולא להעלות על לב שיש תועלת בהן שנאמר כי לא נחש ביעקב ולא קסם בישראל ונאמר כי הגוים האלה אשר יורש אותם אל מעוננים ואל קוסמים ישמעו ואתה לא כן וגו׳ :

XVII. Omnia verò iſta ſunt fraudulenta, ac falſa: perque ea idololatræ primi ſeduxerunt gentes. Nec decet Iſraelitas, ſapientiæ eximios, vana ejuſmodi ſectari; imò ne quidem cogitandum iis, utilitatis inde quippiam redundare. Quippe dicitur: *a Non eſt conjector in Jacob, nec incantator in Iſrael.* Item, *b Nam gentes iſtæ, in quarum hæreditatem tu venis, mathematicos, & omnia conſiderantes audiebant: at tu non ita,* &c. a Num. 23. 23. b Deut. 18. 19.

Omnia verò iſta ſunt fraudulenta.] Mens Maimonidæ eſt, nihil eſſe niſi præſtigias, & impoſturas, quia nulli ſint dæmones. Eadem in opinione fuit R. Aben Eſra: & uterque putat, Scripturam hæc non prohibere, quia revera talia fieri poſſint; ſed quia per impoſturas fieri credebantur. Quam tamen opinionem rejiciunt Gerundenſis, Abravanel, & Rabbinorum alii; qui perſuaſum habent dæmones à Deo creatos, ut inſtrumenta iræ forent; unde eos vocant מלאכי חבלה *angelos pœnæ,* aut *tormenti.* Et huc allegant verba Davidis Pſalm. LXXVIII. 49. *mittens angelos malos.* & Proverb. XVII. 11. *Rebellionem quærit malus, & angelus crudelis mittetur contra eum.*

יח כל המאמין בדברים האלו וכיוצא בהן ומחשב בלבו שהן אמת ודברי חכמה אבל התורה אסרתן אינו אלא מן הסכלים ומחסרי הדעת ובכלל הנשים והקטני׳ שאין דעתן שלמה · אבל בעלי החכמה ותמימי הדעת ידעו בראיות ברורות שכל אלו הדברי׳ שאסרה תורה אינם דברי חכמה אלא תהו והבל שנמשכו בהן חסרי הדעת ונטשו כל דרכי האמת בגללן ומפני זה אמרה תורה כשהזהירה על כל אלו ההבלים תמים תהיה עם השם אלהיך :

XVIII. Si quis his rebus, vel ſimilibus, habuerit fidem, cogitans veras eſſe, ac ſapientiam continere, quamvis legibus Moſaicis prohibeantur: pro inſano, ſimulque imperito haberi debet, pueriſque & mulieribus accenſendus, quorum ratio eſt imperfecta. Sapientes verò & eruditi certis indiciis ſciunt, quæcunque in Lege vetita ſunt, non ſapientiæ opera eſſe; ſed inania ac ſtolida; eoque imperitos illa amplecti, relictâ, quæ ad veritatem ducit, viâ. Ideoque in Lege, ubi à vanis iſtis dehortatur, ſcriptum eſt: *c Perfectus eris cum Domino Deo tuo.* c Deut. 18 13.

פרק שנים עשר

CAPUT XII.

אין מגלחין פאתי הראש כמו שהיו עושין עובדי כו"ם וכומריה שנא׳ לא תקיפו פאת ראשכם וחייב על כל פאה ופאה לפיכך המגלח שני צדדיו אפילו בבת אחת והתראה אחת לוקה שתים · אחד המגלח הפיאות בלבד ומניח שער כל הראש או המגלח כל הראש כאחד לוקה הואיל וגילח הפיאות :

NEquis more illo, quo idololatræ, eorumque ſacerdotes ſolent, extremam cæſariem tondeat: quia dicitur, *d Ne circumtondete latus capitis veſtri.* Reus autem aliquis fit ob quodque ejus latus. Propterea qui utrumque latus detondet, utcunque ſemel duntaxat admonitus fuerit, bis vapulat. Perinde etiam eſt, utrùm quis latera tantum, alios relinquens capillos; detondeat, an cæſariem reſcindat univerſam. Uterque enim, quia totonderit latera, vapulat. d Levit. 19. 27.

Extremam cæſariem tondeat.] Vide Levit. XIX. 27. Theodotio vertit, Οὐ κυκλώσετε τὸ φαὰθ τῆς κεφαλῆς ὑμῶν. Ubi videmus, retinuiſſe vocem פאת, Aquila pro eo habet κλίμα. Nam vertit, Οὐ περικυκλώσετε τὸ κλίμα τῆς κεφαλῆς ὑμῶν. Eſt id capitis inclinatio, ſive declivitas, vel devexitas. Pro quo alii dixere, *angulus,* vel *extremitas.* Sententia igitur eſt, non eſſe in circuitu, ſive in orbem attondendam comam. Quod facere ſolent Arabes, gentesque vicinæ. Herodotus Thalia cap. VIII: Καὶ τῶν τριχῶν τὴν κουρὴν κείρεσθαί φασι, κατάπερ αὐτὸν τὸν Διόνυσον κεκάρθαι· κείρονται δὲ περιτρόχαλα, ὑποξυρῶντες τοὺς κροτάφους. *Eodem modo ſe tonderi ajunt, quo Dionyſus tonſus eſt: tonduntur autem in rotundum, tempora ſubradentes.* Idem confirmare videntur hæc verba Jeremiæ IX. 26. כל קצוצי פאה היושבים במדבר *Omnes detonſos extremam cæſariem, habitantes in deſerto.* Scio, non Lyram ſolum, & Pagninum, ac Vatablum; ſed etiam David Kimchi, & Salomonem Jarchi, interpretari de iis, qui in extremo habitant plagæ, ſive regionis: ſed aliter Chaldæus paraphraſtes, item LXX ſeniores, qui vertere: Ἐπὶ πάντα περικειρόμενον τὰ κατὰ πρόσωπον αὐτοῦ, τοὺς κατοικοῦντας ἐν τῇ ἐρήμῳ. *Super omnem attonſum circa faciem ſuam, habitantem in deſerto.* Vulgatus hoc pacto: *Super omnes, qui attonſi ſunt in comam, habitantes in deſerto.* Beatus quoque Hieronymus in Jerem. XXV, ubi itidem vocem קצוצי habes, ſcribit: *Hæ gentes* (Dedan, Theman, Buz) *in ſolitudine ſunt, vicinæ & mixtæ regionibus Iſmaelitarum, quos nunc Sarracenos vocant: & de quibus dicitur, qui attonſi ſunt in comam.* Per comam autem intelligi vide-

videtur capillus extimus caput ambiens, ut cæſaries ea dicatur reſecta ad modum coronæ. Ac ratio, cur hoc Deus vetuerit, illa videtur, quòd pronos ad idololatriam Iſraelitas ſciret; quantòque plura cum gentilibus communia haberent, tanto faciliùs in eorum inſtituta tranſituros.

Reus autem fit ob quodque ejus latus.] Sumta hæc ex cap. III Maccoth. § 5.

ב כר"א כאיש המגלח אבל איש המתגלח אינו לוקה אלא אם כן סייע למגלח והמגלח את הקטן לוקה האשה שגלחה פאת ראש האיש או שנתגלחה פטורה שנאמר לא תקיפו פאת ראשכם ולא תשחית את פאת זקנך כל שישנו בבל תשחית ישנו בבל תקיף ואשה אינה בבל תשחית לפי אין לה זקן לפיכך העבדים הואיל ויש להם זקן אסורין בהקפם :

II. Hæc de tonſore accipienda. Nam, qui tondetur, nequam vapulat, niſi adjuverit tonſorem. Qui puero (ratione ea) præciderit capillos, vapulat. Mulier, quæ extremam viri cæſariem præciderit, vel ipſa fuerit detonſa, libera eſt. Quia dicitur: a *Ne circumcidite latus capitis veſtri, neque radito extremitatem barbæ tuæ.* Quicunque reus fit verbis his, *Ne radito*: idem & iſtis, *Ne circumcidito.* Mulier autem non eſt ſubjecta verbis; *Ne radito*: quia barbâ caret. Eoque & ſervi, quippe barbati, extrema capitis detondere prohibentur.

a Levit. 19. 27.

Niſi adjuverit tonſorem.] Adjumentum illud de aſſenſu accipio: nimirum ſi is, qui tondetur, juſſerit hoc pacto tonſorem facere; aut ſi, illo ſua ſponte caput circumtondente, ſpeculum inſpexerit, nec ei obſtiterit.

Quicunque reus fit.] Mira conſequentia. Quia mulier barbam non habeat, eò nihil ad illam præceptum non corrumpendi barbam. Ergo nec ad eam præceptum de non abradendis temporibus. Quærere libet, ſi feminæ gentiles morem habuiſſent tempora detondendi, an Iſraelitidi fas foret ſimiliter tempora radere? Niſi fortè id Rabbini velint, quia gentiles feminæ id facere non ſolebant, ideo Iſraelitides id facere potuiſſe. Atqui conſtat eas id feciſſe. Lucianus de Dea Syria: Τὰς κεφαλὰς ξυρέονται, ὅκως Αἰγύπτιοι, ἀποθανόντος Ἄπιος. γυναικῶν δὲ, ὁκόσαι οὐκ ἐθέλουσι ξυρέεσθαι, τοιήνδε ζημίην ἐκτελέουσι. ἐν μιῇ ἡμέρῃ ἐπὶ πρήσει τῆς ὥρης ἱστέαται. ἡ δὲ ἀγορὴ μούνοισι ξείνοισι παρακέαται, καὶ ὁ μισθὸς ἐς τὴν Ἀφροδίτην, θυσίη γίνεται. *Capita detondent, ut Ægyptii, cùm mortuus eſt apis. Quæcumque autem mulieres tonderi nolunt, talem pœnam exſolvunt. Diem unum ad quæſtum corpore faciendum proſtant. Forum autem illud ſolis peregrinis exhibetur: & , quod inde mercedis auferunt, Veneri in ſacrificium datur.*

ג כל מצות לא תעשה שבתורה אחד אנשים ואחד נשים חייבים חוץ מבל תשחית ובל תקיף ובל יטמא כהן למתים: וכל המצות עשה שהיא מזמן לזמן ואינה תדירה נשים פטורות חוץ מקדוש היום ואכילת מצה בלילי הפסח ואכילת הפסח ושחיטתו והקהל ושמחה שהנשים חייבות: טומטום ואנדרוגינס הרי הן ספק נותנין עליהן חומרי האיש וחומרי האשה בכל מקום וחייבין בכל ואם עברו אינם לוקין :

III. Omnia Legis interdicta tam mulieres, quàm viros, tangunt, his ſolùm exceptis: *Ne corrumpito*; &, *Ne circumcidito*; &, *Ne ſe polluat ſacerdos propter mortuum.* Mandatis verò, quia certis tantùm temporibus obſervantur, eoque perpetua non ſunt, mulieres non tenentur. Excipiuntur tamen dies Kidus, & azymorum, quæ paſchali nocte comeduntur; & comeſtio agni paſchalis, ejuſque jugulatio; item congregatio ac lætitia. Ad iſta enim & mulieres adſtringuntur. De obſtructis, & androgynis, dubitatur. Ubique tamen iis imponuntur onera virorum ac mulierum: cæterùm ſi negligant, non vapulant.

Omnia legis interdicta.] Non ſatis apertum eſt de omnibus, cùm quædam ad mulieres pertinere non poſſint: ut interdictum illud de barba. Niſi κρησφυγετὸν illud placet, quod & aliquæ inveniantur barbatulæ. Et quid attinebat excipere de ſacerdote ſe cadaveris contactu polluente? Nam ſacerdotes Hebræis ſoli viri, non, ut gentibus, feminæ etiam. Quamquam & hinc ſe expedire conantur Thalmudici. Ajunt enim Levit. XXI. I. vocabulum כהנים *ſacerdotes* non referri ad ſolos eos, qui miniſterio fungebantur; ſed ad totam ſtirpem Aaronis: & nequis putaret fœminas quoque huic præcepto incluſas, ideo ſubdi, כהנים בני אהרן *ſacerdotes filios Aharon*: ולא בנות *& non filias*, inquit Raſi.

Mandatis verò, &c.] Vide Kiduſin cap. I.

De obſtructis, & androgynis.] טמם *claudere, obſtruere, obturare*: unde טומטום eſt, ולא סתום סתרות מי שנה בו זכרות ולא נקבות *cujus membrum genitale obturatum eſt, ita ut non appareat, utrùm maſculus, an fœmina ſit*: inquit David de Pomis. Nempe in androgyno ſive hermaphrodito utriuſque ſexus membrum concurrit: in obturato neutrum, ſed ſolùm eſt rima, qua effluat ſaceſſus corporis humor. Extitit olim codex inſcriptus ספר טמטום *liber Tontom*, ſive *de obſtructis*. Cujus meminit Maimonides noſter in More Nebuchim Part. III. cap. XXXVII, item XLI, & alibi.

Androgynis.] אנדרוגינוס quin à Græcis accepta ſit, dubium non eſt. Planè enim eſt ipſum ἀνδρογύνης, ſive ἀνδρόγυνος: quod ad verbum expreſſeris, *mariſœmina.* Aliter γύνανδρος, vel ἑρμαφρόδιτος, item ἀρρενόθηλυς. Androgyni vocem retinet Tullius I de Divin. *Semimarem* dicit Livius lib. IX. At lib. XXVII, *ambiguo inter marem ac fœminam ſexu.* Plinius lib. VII. cap. II. vocat *utriuſque natura*; & cap. III. *utriuſque ſexus. Gignuntur*, inquit, *& utriuſque ſexus, quos hermaphroditos vocamus, olim androgynos vocatos, & in prodigiis habitos, nunc in deliciis.* Quæ verba ex eo etiam Agellius adducit lib. IX. cap. IV. Quod vero hic de antiquis Romanorum temporibus dicitur; abunde patet

ex Livii lib. IX, Julio Obſequente, & aliis: qui tales ajunt in mare ſolitos deportari, cantnen etiam à ter novenis virginibus cantatum per urbem, donumque Junoni oblatum. Porrò etſi nunc utriuſque, nunc ambigui ſexus, dicantur: ejus tamen ſexus cenſentur, qui prævalet: ut eſt L. Quæritur. § De ſtatu hominum. In hæreditate verò adeunda apud Hebræos filiabus accenſentur. Nam androgyni par hic ratio ac tomtomi, ſive obſtructi. Tali autem, in luculenta atque opima hæreditate, filii, hæreditatis domini, haud aliter ac filiabus, alimenta debebant. Sed ſi hæreditas tam exigua foret, ut tantummodo eſſet, unde filiæ alerentur, hæ genitalibus obſtructum remittebant ad mares: ac eorum eſſe conditione jubebant. Ita ut ſemper obſtructi iis accenſerentur, quorum inter liberos conditio deterior foret. Atque hoc pluribus exponitur in Miſna, tit. Baba bathra cap. IX. item è junioribus à ſummo viro, Joanne Seldeno libro ad Leges Hebræorum de ſucceſſionibus cap. XI.

ד אע"פ שהאשה מותרת לגלח פאת ראשה הרי היא אסורה לגלח פאת ראש האיש ואפילו קטן אסור לה לגלח לו פאה· ופאה זו שמניחים בצדע לא נתנו בו חכמים שיעור ושמענו מזקננו שאינו מניח פחות ממ' שערות ומותר ללקט הפאות במספריים· לא נאסר אלא השחתה כתער:

I V. Quamquam autem mulieri permittatur circumtondere extremam cæſariem ſuam: extremam tamen viri detondere ei eſt nefas. Quàm latè illud extremitatis vocabulum ſe extendat, non eſt à ſapientibus definitum. Accepimus autem à ſenioribus, non relinquendos eſſe pilos pauciores quadragenis. Licet verò extremitatem auferre forfice; at ſcalpro non licet.

Forfice, at ſcalpro non licet.] מספרים & תער differunt, quod illius bina crura, hujus unum ſit: unde ſi pro מספרים dicas in ſingulari מספר idem habebis, quod תער *novacula*. David de Pomis in ספר.

ה דרך כומרי עובדי כו"ם היה להשחית זקנם לפיכ' אסרה תורה להשחית הזקן· וחמש פאות יש בו לחי העליון ולחי התחתון מימין וכן משמאל ושבלת הזקן ולוקה על כל פיאה ופיאה· ואם נטלן כולן כאחד לוקה חמש ואינו חייב עד שיגלחנו בתער שנ' ולא תשחית את פאת זקנך גילוח שיש בו השחתה לפיכך אם גילח זקנו במספריים פטור ואין המתגלח לוקה עד שיסייע ואשה מותרת להשחית זקנה אם יש לה שער בזקן ואם השחיתה זקן האיש פטורה:

V. Sacerdotes idololatrici ſolebant barbam radere; eaque de cauſſa lege interdictum, ne barbam radamus. Quinque autem ſunt extremitates barbæ; maxillæ ſuperioris & inferioris à dextro latere, totidem à ſiniſtro, ac præterea cuſpis barbæ. Ac ob horum aliquam reciſam verbera infliguntur. Quod ſiquis omnes ſimul raſerit, quinquies vapulat. Nec tamen reus fit, priuſquam ſcalpro raſerit. Quia dicitur, *Ne excidito extremitatem barbæ tuæ.* Puta, per raſuram. Ideoque ſi forfice detonderit, liber habetur. Qui raditur, reus non eſt, niſi radentem adjuverit. Mulieri, ſi pilos in mento habuerit, radere barbam licet. Eadem ſi barbam viri raſerit, libera eſt.

Sacerdotes idololatrici ſolebant radere barbam.] Herodot. Euterp. cap. 36. Τοῖσι ἄλλοισι ἀνθρώποισι νόμος ἅμα κήδεϊ κεκάρθαι τὰς κεφαλὰς, τοὺς μάλιστα ἱκνέεται. Αἰγύπτιοι δὲ ὑπὸ τοὺς θανάτους ἀνιεῖσι τὰς τρίχας αὔξεσθαι, τάς τε ἐν τῇ κεφαλῇ καὶ τῷ γενείῳ, τέως ἐξυρημένοι. *Apud alios homines mos obtinet, ut in luctu ſtatim capita tondeantur ab iis, quos potiſſimum is attingit: at Ægyptii in morte ſuorum ſinunt capitis barbaque pilos creſcere, cum alioqui antea fuerint raſi.*

Et cuſpis barbæ.] שבלת *ſpica, ariſta*, & à ſimilitudine ſpicæ, *cuſpis barbæ*: eodem modo, quo ἀκίδα ſeu cuſpidem barbæ Homerus γλωχῖνα appellavit: quæ vox à γλῶχες *ſpicæ, ariſtæ*, unde περιγλῶχες apud Heſiodum in Clypeo Herculis:

Τῆμος δὴ κέγχροισι περιγλῶχες πελέθουσι.

Quando item & milia circum ariſta naſcuntur.

Quem ad locum Tzetzes. περιγλῶχες αἱ γωνίαι τοῦ στάχυος, περιφερισμῶς δὲ τὸν στάχυν.

ו השפה מותר לגלחו בתער והיא השער שעל גב השפה העליונה וכן השער המדולדל מן השפה התחתונה ואע"פ שהוא מותר לא נהגו ישראל להשחיתה אלא יגלח קצהו עד שלא יעכב אכילה ושתייה:

VI. Labri ſuperioris pilos forfice auferre licet: ut & illos labri inferioris, qui non ſunt barbæ contigui. Etſi vero id liceat, non tamen moris eſt Iſraelitis eos auferre: ſed partem tantummodo recidunt, ne comedenti, vel bibenti, ſint impedimento.

Labii ſuperioris.] Non opus fuiſſet addere *ſuperioris*, & *inferioris*, ſi veteres obſervarent diſcrimen, quod Donatus vel Aſper ſtatuit in Eun. II. III: *Labra*, inquit, *ſunt ſuperiora, labia inferiora.* Nunc quia id diſcrimen negligitur, maluimus cum Cæſare loqui: cujus illud in V. de bello Gall. *Capilloque ſunt promiſſo, atque omni parte corporis raſa, præter caput, & labrum ſuperius.*

ז העברת השער משאר הגוף כגון בית השחי ובית הערוה אינו אסור מן התורה אלא מדברי סופרי

VII. Alias corporis partes, ut axillas, & pubem, depilare, non Lege, ſed verbis ſapientum prohibetur. Et eum, qui depilat, ictibus rebellionis

סופרי׳ והמעבירו מכין אותו מכת מרדות כר״א
במקום שאין מעבירין אותו אלא נשים כדי שלא
יתקן עצמו תיקון נשים אבל במקו׳ שמעבירין
השער הנשים ואנשו׳ אם העביר אין מכין אותו
ומותר להעביר שער שאר איברי׳ במספריים בכל
מקום ׃

lionis puniunt. Atque hæc accipienda de locis, ubi ſolæ ſe mulieres depilant, ne ſe ornare mulierum ornamentis videatur. Sed ſi depilârit ſe, ubi id tam viri, quàm mulieres facere ſolent, non vapulat. Reliquorum membrorum pilos novaculâ recidere licet.

ח לא תעדה אשה עדי האיש כגון שתשי׳
בראשה מצנפת או כובע או שתלבש שריון או
כיוצא בו או שתגלח ראשה כאיש ולא יעדה איש
עדי אשה כגון שילבש בגדי צבעונים וחלי זהב
במקום שאין לובשין אותן הכלים ואין משימים
אותו החלי אלא נשים הכל כמנהג המדינה ׃

VIII. Mulier ne ſe ornet virili ornatu; ut imponendo capiti cidarim, aut galeam, vel induendo loricam. Nec capillos, virorum more, præcidat. Similiter vir ne muliebri ſe decoret ornatu; ut indutu veſtis verſicoloris, vel monili aureo; iis imprimis locis, ubi ſolæ mulieres ſic ornantur. Omnia enim (æſtimanda) pro regionis more.

Verſicoloris.] a. v. veſtis colorum, h.e. diverſicolor. Græcè πολύμιτ☉.

ט איש שעדה עדי אשה ואשה שעדה עדי
איש לוקין המלקט מעזות לבנת מתוך השחורות
מראשו ומזקנו משילקט שערה אחת לוקה מפני
שעדה עדי אשה׃ וכן אם צבע שערו שחור
משיצבע שערה לבנה אחת לוקה׃ טומטום
ואנדר וגינוס אינו עוטף כאשה ולא מגלח ראשו
כאיש ואם עשה כן אינו לוקה ׃

IX. Vir qui muliebri, vel mulier, quæ virili ſe habitu ornârit, vapulat. Qui canos capitis aut barbæ pilos è nigris evulſerit, ut vel unicus fuerit pilus, plectitur; quia mulierum ornatum imitatur. Itidem ſi tincturâ nigrum iis colorem induxerit, ac vel unum è canis nigrum reddiderit, confeſtim vapulat. Obturatus, & hermaphroditus, nec ſe tegat mulierum inſtar, nec tondeatur, ut viri: ſi tamen fecerit, non vapulat.

Obturatus.] De eo dictum §. 3.

י כתובת קעקע האמור בתורה היא שישרט כל
בשרו וימלא מקום השריטה כחול או דיו או שאר
צב עונים הרושמים וזה הי מנהג גוים שרושמין
עצמן לעבודת כו״ם כלומר שהוא עבד מכור לה
ומורשם לעבודתה ומעת שירשום באחת מדברים
הרושמין אחר שישרוט באיזה מקום מן הגוף בין
איש בין אשה לוקה ׃

X. Scriptum ſtigmatis, cujus in lege mentio fit; appellatur, quando quis inciſâ carne ſuâ inciſuram implet fuco, atramento, vel aliis, queis pingitur, coloribus. Hunc enim in modum ſolent gentiles in idoli honorem notare ſervum, eo indicantes, illum venditum, culturæque ergo ſignatum. Simulatque verò notâ ejuſmodi inſignis erit Iſraëlita; quacunque id corporis parte fuerit, ſeu vir, ſeu mulier, vapulat.

Scriptura ſtigmatis.] Mos Orientis; ut Aſſyriorum. Lucianus de Dea Syria: Στίζονται δὲ πάντες, οἱ μὲν ἐς καρπούς· οἱ δὲ ἐς αὐχένας· καὶ ἀπὸ τοῦδε ἅπαντες Ἀσσύριοι στιγματοφορέουσι. *Omnes autem notis ſunt compuncti; alii in vola, alii in cervice: atque inde eſt, quòd omnes Aſſyrii ſtigmata gerunt.*

Inciſuram implet fuco, &c.] Stigmata, qualia Maimonides memorat, apud Britannos, ſed extra luctum, erant: de quibus Solinus cap. XXV: *Regionem partim tenent barbari; quibus per artifices plagarum figuras jam inde à pueris varia animalium effigies incorporantur, inſcriptiſque viſceribus hominis incremento pigmenti notæ creſcunt. Neque quidquam magis patientiæ loco nationes feræ ducunt, quàm ut per memores cicatrices plurimum fuci artus bibant.* Sed nihil reperio de coloribus extra luctum illinendis. Verùm Ægyptiæ mulieres in luctu faciem luto illinebant. Herod. Euterp. Τοῖσι ἂν ἀπογένηται ἐκ τῶν οἰκίων ἄνθρωπος, τῷ τις καὶ λόγος ᾖ, τὸ θῆλυ γένος πᾶν ἐκ τῶν οἰκίων τούτων καὶ ἂν ἐπλάσαντο τὴν κεφαλὴν πηλῷ καὶ τὸ πρόσωπον. *Quibuſcunque aliquis ex domeſticis deceſſit, homo alicujus momenti, omnes fœminæ illius familiæ caput & vultum luto oblinunt.*

יא כתב ולא רשם בצבע או שרשם בצבע ולא
כתב בשריטה פטור עד שיכתוב ויקעקע שנאמר
וכתובת קעקע כר״א בכותב אבל זה שכתבו
בבשרו וקעקעו בו אינו חייב אלא אם כן סייע
כדי

XI. Si quis ſe inciderit, nec colore infecerit; vel infecerit quidem, nec tamen inciderit; liber eſt, uſque dum & inciderit, & infecerit. Quia dicitur, *a Scriptura ſtigmatis*: quod acci- a *Levit.* 19.28.
piendum de eo, qui inſcribit. Sed is, cujus carnem

כדי שיעשה מעשה אבל אם לא עשה כלום אינו לוקה :

nem alii inſcripſerunt, & inciderunt; niſi ipſe in eo adjuverit, reus non eſt. Si nihil ipſe egerit, non vapulat.

Siquis ſe inciderit, &c.] Hæc, & ſequentia, hauſta ſunt ex Maccoth cap. III. § VI.

יב השורט שריטה אחת על המת לוקה שנאמר ושרט לנפש לא תתנו בבשרכם אחד כהן ואחד ישראל שרט שריטה אחת על ה' מתים או ה' שריטות על מת אחד לוקה חמש והוא שהתרו בו על כל אחת ואחת :

XII. Qui ſe laniat laniatu uno propter mortuum, vapulat: quia dicitur, *a Non propter defunctum lacerabitis carnem veſtram.* Et perinde eſt, utrùm ſacerdos, an Iſraelita ſit. Si lacerârit ſe uno laniatu ob plures mortuos, aut quinque laniatibus ob unum defunctum, quinquies vapulat. Quod locum habet, ſi de unoquoque præmonitus fuerit.

a Levit. 19.28.

Qui ſe laniat laniatu uno.] שרט, quod vulgo transferunt *incidere*, vertendum eſt ſecundum Rabbinos, *laniare.* Nam præceptum, quod Levit. XIX. 28. & XXI. 5. eſt לא ישרטו שרטת, diverſum eſſe volunt ab altero, quod eſt Deut. XIV. 1. לא תתגודדו. Prius illud Levit. vetat lacerare unguibus ſeſe: unde & Græci tranſtulerunt: ἐπὶ τὰς σάρκας αὐτῶν οὐ κατατεμοῦσιν ἐντομίδας. quod non de inciſura accipiendum, ſed laniatu. nam ἐντομὶς quoque notat lacerationem corporis, quæ in luctu fiebat: unde ἐντομίδαι apud Suidam, qui laniatu vultum ſuum in luctu fœdabant; uti apud Maronem Anna; de qua illud,

Unguibus ora ſoror fœdans.

Servius III. Æneid. *Varro dicit, mulieres in exequiis, & luctu, ideo ſolitas ora lacerare, ut ſanguine oſtenſo inferis ſatisfaciant.* Sane Scripturæ verba de laniatu oris acceperunt Thalmudici. Maccoth cap. III. § 5. השורט שריטה אחת על המת חייב רשב שריטה א' על ה' מתים או ה' שריטות על מת א' חייב על כל א' וא' : i. e. *Qui laniat ſeſe laniatu uno ob mortuum, reus eſt. Si laniaverit laniatu uno ſuper quinque mortuis, aut quinctuplici propter unum mortuum, ob unumquemque reus eſt.* Quinctuplicem ponunt laniatum pro numero totidem digitorum. Nam quæſtio erat, utrùm, qui pariter ſe quinque digitis laniaſſet, culpæ unius, an quinctuplicis, reus eſſet. Ut proinde minus videatur aſſecutus Hebræorum mentem doctiſſimus Cochus, quando vertit: *qui ſe ſecat unâ caſurâ ob defunctum, tenetur. Unâ ſi ſecuerit caſurâ ob quinos demortuos, aut quinis cæſuris ob unum, ob quamlibet tenetur.* Illuſtrantur hæc verbis Raſi ad citatum Levitici locum, quando ait: לפי נוהג בישראל ושרט לנפש לא תתנו יכול שרט חמש שריטות לא יהא חייב אלא אחת ת"ל לא ישרטו נרשם לחייב על כל שריטה ושריטה שמעתי ו יהודה היה לדרש שרש לו לכתוב לא ישרטו ואיני יודע מהיא שרטת *Quandoquidem toti Iſraeli præceptum erat,* (cap. XIX. 28.) *Et laniationem propter mortuum non facietis: dicere poſſimus, ſi quinque laniatibus ſe laniaverit, tantum unius culpæ reum fore. Sed ideo dictum eſt, non laniabunt laniatu, ut reus fieret propter quemlibet laniatum. Nam vox illa ſupervacua eſt ad explicandum. Scribendum fuerat tantum, non laniabunt. Nonne ſatis conſtaret eſſe laniatum?* At altero præcepto Deut. XIV. 1. vetuit Deus incidere corpus cultro, aut alio quovis ferro: quod oſtendunt loca Jerem. XLI. 5. & 1 Reg. XVIII. 28.

יג גרידה ושריטה אחד היא ועכו"ם שהיו הגוים שורטי' בבשר' על מתיהם מפני הצער כך היו חובלין לעצמם לעכו"ם שנאמר ויתגודדו כמשפטן גם זה אסרה תורה שנאמר לא תתגודדו אלא שעל הכרת בין שרט בידו בין שרט בכלי לוקה לעכו"ם בכלי חייב מלקות בידו פטור ובכלל אזהרה זו שלא יהו שני בתי דינין בעיר אחת זה נוהג כמנהג זה וזה נוהג כמנהג אחר שדבר זה גורם למחלוקת גדול שנאמ' לא תתגודדו לא תעשו אגודות אגודות :

XIII. Inciſio, & laceratio, pro eodem habentur. Et quemadmodum, præ dolore ob defunctum, carnem ſuam incidebant gentiles: ſic quoque in idolorum honorem ſe unguibus carpebant. Quippe dicitur: *Et* b *incidebant ſe more ſuo.* b 1 Reg. 18. 28.
At ſimiliter lege eſt interdictum: quia dicitur: *Ne* c *vos ipſos incidatis.* Eo qui, ſeu manu, ſeu inſtrumento, ſe mortui cauſſâ lædit, vapulat: qui idoli ergo egerit, ſolum plectitur, ſi inſtrumento: nam ſi manu, liber eſt. Generali etiam continetur, ne una in urbe Senatus ſit duplex, quorum ille hunc in modum, alter alio judicium ferat. Quippe hoc magni ſit diſſidii cauſſa: quia dicitur; לא תתגודדו: id eſt, *non facietis diverſos cœtus.* c Deut. 14. 1.

Ob defunctum carnem ſuam incidebant.] Ita Scythæ, Rege mortuo βραχίονας περιτάμνονται, *bracchiis circumciduntur*; ut eſt apud Herodotum Melpom. cap. LXXI.

In idolorum honorem ſe unguibus carpebant.] Vel etiam incidebant: uti ſacerdotes in ſupplicando Baal; quemadmodum eſt 1 Reg. XVIII, 28. Nempe, ut faciliùs hoc triſti ſpectaculo miſericordiam moverent. A Bellonæ etiam ſacerdotibus, ut eſt apud Tertullianum Apolog. cap. IX, *ſacratus ſanguis de femore proſciſſo in palmulam exceptus, & ſuis datus ſignatis.* Lactantius ſimiliter lib. 1. cap. XXI. ubi de Bellonæ ſacris: *In quibus*, inquit, *ipſi ſacerdotes non alieno, ſed ſuo cruore ſacrificant. Sectis namque humeris, & utrâque manu diſtrictos gladios exerentes, currunt, efferuntur, inſaniunt.* Horatium vide, & quæ ad eum Acro notavit ſat. III. lib. 1: ut Tibullum, Lucanum, alios, mittam.

Generali hoc monito.] Generale dictum vocat, *Ne incidatis*. Proprie id ſignat, *Ne incidatis corporis veſtri membra*. Sed non ineptè applicatur corpori Reip. cujus Senatus in contraria ſcindi ſtudia non debet. De quo, mox ſubdit Maimonides noſter,

Ne faciatis diverſos cœtus.] Quæſtio hic movetur à Rabbinis, cur, qui carnem incidit, vapulet, cùm præceptum לא תתגודדו ſit ambiguum; quia non ſolum deſignat, *Ne incidatis*; ſed etiam, *Ne faciatis cœtus diverſos*: Rabbinorum autem pronunciatum ſit, vapulare neminem ob præceptum negativum, quod ancipitem habeat ſententiam. Reſpondent ipſi, tum duntaxat hoc velle Rabbinos, ſi ignoretur, quis nativus ac primarius ſit ſenſus: id hic locum non habere, quia abunde conſtet, תתגודדו propriè denotare *incidatis*: eòque genuinum hunc eſſe hujus loci ſenſum: ac ſolùm ſecundariò adaptari illi interpretationem alteram, *Non facietis cœtus*.

יד הקורח קרחה על המת לוקה שנאמר ולא תשימו קרחה בין עיניכם למת אחד ישראל ואחד כהן שקרח על המת אינו לוקה אלא אחת׃ הקורח ד׳ או ה׳ קרחות על מת אחד לוקה כמנין הקרחות והוא שהתרו בו על כל קרחה וקרחה׃

XIV. Qui ob defunctum, capillos evellendo, uno ſe loco calvum reddit, vapulat. Quia dicitur: a *Ne faciatis calvitium inter oculos propter mortuum*. Ac pari ratione, ſeu ſacerdos fuerit, ſeu Iſraelita, ſi mortui ergo calvum ſe reddat, uno verbere plectitur. Si quis quatuor vel quinque locis capillos evulſerit ob defunctum: pro numero locorum, quibus calvitium induxit, etiam ſe numerus habet ictuum, quibus plectitur. Cæterùm id locum habet, ſi de unoquoque calvitii loco præmonitus fuerit.

a Deut. 14.1.

Uno ſe loco calvum reddit.] Volunt Hebræi, Scripturam, quando ait, קרח קרח, innuere, ob unumquemque locum, qui calvus ſit, hominem vapulare.

טו אחד הקורח בידו או בסם או הטובל ה׳ אצב שתיו בסם והניחם בחמש מקומות בראשו בבת אחת הואיל וקרח ה׳ קרחות אע״פ שהיא התראה אחת לוקה חמשה שהרי כולן באין כאחת׃ וחייב על כל הראש כבין העינים שנאמר לא יקרחו קרחה בראשם׃ וכמה שיעור הקרחה כדי שיראה מראשו כגרים פנוי בלי שער׃

XV. Sive autem manu ſe calvum reddiderit, ſive medicamento; ut ſi quinque digitos eo inunxerit, eos quinque locis capitis impoſuerit, atque iis ſe ita glabrum ac depilem reddiderit: utcunque ſemel duntaxat præmonitus erit, nihilominus, cum eo pacto quinque ſit locis depilatus, quinquies plectitur: quippe uno tempore hæc commiſit. Et reus eſt ob caput totum, ſicut cum inter oculos. Quia dicitur, *Ne inducant calvitium capiti ſuo*. Quæ verò quantitas requiritur, ut quis calvitium dicatur induxiſſe? ut locum fecerit glabrum ac depilem magnitudine fabæ.

Reus eſt ob caput totum.] Hoc ex Levit. XXI. 5. adſtruunt per גזרה שוה ſecundâ regulâ ex XIII illis Rabbi Iſmaelis.

Inter oculos.] Reſpicit locum Deuteron. XIV. *Neque inducite calvitium inter oculos veſtros propter mortuum*. Hoc eſt, ne radatis eam ſincipitis partem, ubi capilli imminent interciliо, ſive ſpatio oculis interjecto. Quam mentem eſſe, etiam ex Raſi, ſive Salomone Jarchi liquet.

יו הקורח ראשו או השורט בבשרו על ביתו שנפל ועל ספינתו שנטבעה בים פטור׃ ואינו לוקה אלא על המת בלבד או השורט לעכ״ום׃ הקורח קרחה בראש של חברו והשורט שרט יטה בבשר חברו והכותב כתובת קעקע בבשרו של חברו והירה חברו מסייע כזמן ששניהן מזידין שניהן לוקין אחר שוגג ואחר מזיר המזיר משניהם לוקה׃ והשוגג פטור׃

XVI. Qui calvitiem capiti inducit, aut carnem ſuam lacerat propter ruinam domus, aut navim mari ſubmerſam, liber eſt. Neque enim vapulat quis, niſi ſe defuncti, vel idoli ergo, carpſerit. Eſt qui caput alterius reddiderit calvum, vel carnem ejus carpſerit, quique alterius carni inſcripſerit notas; ſit alter, qui adjuverit: uterque verò id per contumaciam egerit: uterque vapulat. Sin unus errore, alter ſciens volens deliquerit, ac ſtudio legis violandæ: hic quidem verberibus afficitur, alter ab iis eſt immunis.

ברוך רחמנא דסייען׃

Benedictus ſit Miſericors, qui nos juvit.

Propter ruinam domus.] Dixerit quis, non plecti aliquem, quia præ mœrore genas laniarit, ob damnum aliquod in re familiari: plecti, ſi idem fecerit defuncto patre, uxore, unigenito, aut primogenito. Atqui facilius aliquid mœrori concedendum in cariſſimorum morte, quàm in fortunis; præſertim ſiquis opulentus, aut magna damni refarciendi ſpes affulgeat. Sed eò Rabbini reſpexerunt, quòd Deus diſertim interdicat,

nequis genas, vel aliam corporis partem, carpat ob carorum mortem: at ſi idem ob ruinam domus, vel aliud rei familiaris damnum fiat, nullum habeamus præceptum. Non dubium quidem, quin ſi Deo hæc impatientia diſplicuerit in graviori malo; minus eam in minori probârit. Sed noluere plecti, ubi nihil tale Deus expreſſiſſet. Aliud etiam cauſſæ accedere potuit. Nam conſuetudo illa gentilium in luctu ob mortem ſuorum quaſi abierat in religionem. Credebant enim id Dis manibus gratiſſimum eſſe, qui ſanguine placarentur. Quid mirum igitur, ſi de eo præceptum eſſet; de rei domeſticæ damno non item?

Per contumaciam egerint.] κατὰ λέξιν, *egerint ſuperbientes*, hoc eſt, ex contemtu Legis.

F I N I S.

65371